Del Colegio dela Comp.ª de Jesus de Granada. R. 1046 Bl.

LOCUPLETISSIMA BIBLIOTHECA MORALIS PRÆDICABILIS,

HOC EST,

DISCVRSVS VARII EXQVISITI,

IN QUIBUS PER TRACTATUS ORDINE DIGESTOS AD VERBUM DEI fructuosè & faciliter prædicandum, de Virtutibus & Vitijs copiosissimæ materiæ morales subministrantur, & ad plenum digeruntur.

NEC NON IN GRATIAM CONCIONATORUM,

Quibus ad comparandam sibi varijs ex Libris Bibliothecam æris non suppetit facultas, vel ad perlustrandum ipsos SS. Patres & Sacræ Scripturæ Interpretes, tempus aut Commoditas deficit, ex reconditis S. Scripturæ scrinijs, & sanctorum Patrum ac Divini Verbi Interpretum pulpitis; nec non copiosis selectissimorum Prædicatorum armarijs, per Discursus multiplices in suas classes ordinatè distributis, nova quædam & locupletissima Bibliotheca Moralis concinno ordine erigitur, & in Commodum omnium Divini Verbi Præconum instauratur;

OPERA ET STUDIO REVEREND. PATRIS

P. JOSEPHI MANSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERI.

TOMUS QUARTUS, ET ULTIMUS.

Primò quidem separatim in Lingua Italica, demum verò ut universaliori Usui deservire posset; in Linguam Latinam ab alio sincerè, fideliterque, traducta, diu hactenus à Divini Verbi Prædicatoribus desiderata, posteà verò in Germania conjunctim in hac præsenti forma primùm edita,

CUI PRÆTER INDICES NECESSARIOS ACCEDIT INDEX COPIOSISSIMUS Concionum pro Diebus Dominicis, & Festis totius Anni: additis insimul Notis marginalibus planè novis atque in universum quam-maximè proficuis.

Qui jam tertiò in lucem prodit, ab innumeris mendis, quibus editiones externæ scatebant, hac editione expurgatus, Sacræ Scripturæ plurimis quæ deerant citationibus additis & correctis,

Apud Viduam & Filium JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerstraet sub signo duarum Ciconiarum. Anno M.DCCI.

Del Colegio dela Comp.ª de Jh.s de Granada. R. 1046 B.

LOCUPLETISSIMA

BIBLIOTHECA MORALIS PRÆDICABILIS,

HOC EST,

DISCVRSVS VARII EXQVISITI,

IN QUIBUS PER TRACTATUS ORDINE DIGESTOS AD VERBUM DEI fructuosè & faciliter prædicandum, de Virtutibus & Vitijs copiosissimæ materiæ morales subministrantur, & ad plenum digeruntur.

NEC NON IN GRATIAM CONCIONATORUM,

Quibus ad comparandam sibi varijs ex Libris Bibliothecam æris non suppetit facultas, vel ad perlustrandum ipsos SS. Patres & Sacræ Scripturæ Interpretes, tempus aut Commoditas deficit, ex reconditis S. Scripturæ scrinijs, & sanctorum Patrum ac Divini Verbi Interpretum pulpitis; nec non copiosis selectissimorum Prædicatorum armarijs, per Discursus multiplices in suas classes ordinatè distributis, nova quædam & locupletissima Bibliotheca Moralis concinno ordine erigitur, & in Commodum omnium Divini Verbi Præconum instauratur;

OPERA ET STUDIO REVEREND. PATRIS

P. JOSEPHI MANSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERI.

TOMUS QUARTUS, ET ULTIMUS.

Primò quidem separatim in Lingua Italica, demum verò ut universaliori Usui deservire posset; in Linguam Latinam ab alio sincerè, fideliterque, traducta, diu hactenus à Divini Verbi Prædicatoribus desiderata, posteà verò in Germania conjunctim in hac præsenti forma primùm edita;

CUI PRÆTER INDICES NECESSARIOS ACCEDIT INDEX COPIOSISSIMUS Concionum pro Diebus Dominicis, & Festis totius Anni: additis insimul Notis marginalibus planè novis atque in universum quam-maximè proficuis.

Qui jam tertiò in lucem prodit, ab innumeris mendis, quibus editiones externæ scatebant, hac editione expurgatus, Sacræ Scripturæ plurimis quæ deerant citationibus additis & correctis,

Apud Viduam & Filium JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerstraet sub signo duarum Ciconiarum. Anno M.DCCI.

INDEX TRACTATUUM ET DISCURSUUM,

QVI IN HOC TOMO QVARTO BIBLIOTHECÆ MORALIS CONTINENTVR.

TRACTATUS LXVIII.
De Patientia.
Continet Discursus XX.

Disc.I. DE necessitate patientiæ.
II. Patientia character est hominis Christiani, efficitque ut hanc fidei nostræ veritatem à Deo esse agnoscamus.
III. Christus per invictam patientiam suam se Filium Dei esse probavit.
IV. Idem Thema continuatur ostendendo, quod patientia nescio quid Divini in se continet.
V. Patientia ad cœlestem gloriam nos transfert.
VI. Actus virtuosi Patientiæ, sunt veluti totidem gemmæ, quæ nostram in cœlis coronam adornant.
VII. Nonnulla tanguntur emolumenta, quæ in hac virtute se exercentes sibi comparant.
VIII. Super illa Sancti Jacobi Apostoli verba : *Patientia opus perfectum habet*, variæ considerationes adducuntur.
IX. Patientia lapis est Lydius, ad quem vera virtus & spiritus comprobatur.
X. Patientia viam sternit ad cœlum.
XI. Nonnullæ considerantur hujus virtutis excellentiæ, & quam sit Deo accepta nonnullis ostenditur Exemplis.
XII. Patientia hominem interiorem in adversis componit, eique intormentis communicat lætitiam.
XIII. Quantopere Dæmon patientiam aversetur, nosque impatientes reddere satagat, quem tamen per patientiam à nobis abigimus & vincimus.
XIV. Patientiam victoriosam esse ostenditur.
XV. Variæ in detestationem impatientiæ adducuntur considerationes.
XVI. Nonnullæ veræ Patientiæ præconia, & circumstantiæ expenduntur.
XVII. Patientia ex malo bonum elicit, adversaque in remissionem peccatorum suorum sustinet : Econtra vero Impii ingentes sustinent angustias, ut ad vitium & pœnas sempiternas pertingere valeant.
XVIII. Consideratio gloriæ cœlestis ad patientiam exercendam calcaria addit, & præbet auxilia.
XIX. Deus tribulationum est auctor, easque in utilitatem nostram & gloriam suam nobis immittit, ut tanto magis nostram elucescere faciat patientiam.
XX. Varia ad patientiam exercendam considerantur motiva.

TRACTATUS LXIX.
De Paupertate.
Continet Discursus V.

Disc.I. LAudes Paupertatis Spiritus, ejusque nobilitas, nec non exempla, quibus Dei Filius in hac nobis præluxit, declarantur.
II. Paupertas voluntaria perfectioni plurimum confert, estque frænum peccata coërcens.
III. Paupertas Evangelica quiete & consolatione perfruì, atque ab omnibus Divitum perturbationibus & anxietatibus eximi solet.
IV. Per paupertatem Deus nos invisibiles superare facit inimicos, nosque defendit, & protegit.
V. Paupertas ad consequendum regnum cœlorum efficax est medium.

TRACTATUS LXX.
De Pace & Concordia.
Continet Discursus XVIII.

Disc.I. PAx nescio quid Divini in se continet ; ideoque Filius Dei ab illa sibi nomen sumit, eamque summopere diligit.
II. Eximia res est Filiatio Dei ; ad quam adoptantur pacifici ; ubi etiam explicatur, quinam sint illi de quibus Christus loquitur.
III. Pax Character est hominis Christiani ; per hanc fides dilatatur, & stabilitur, & Ecclesia in suo vigore conservatur.
IV. Quantopere Deus pacem curet ; quantique illam æstimet, ex varijs considerationibus deducitur.
V. Christus suis in ultimo testamento suo pacem reliquit, velut hæreditatem opulentissimam quam dare possit.
VI. Gloria titulo pacis insignitur, & ideo unio & concordia in hac vita æternæ salutis pignus existit.
VII. De hilaritate & gaudio, quam pax communicat animæ.
VIII. Discordiæ zizania seminare opus est diaboli, qui ideo pacem odit, quia hæc illi bellum movet, eumque vincit & debilitat.
IX. Quantum Deo discordia displiceat ostenditur, utpote qui illam seminantem & foventem acriter castigat.
X. Discordia regna destruit, pax autem illa erigit & stabilit ; sic enim per Apostolorum primorumque fidelium unitatem erecta est Ecclesia.
XI. Pax quam mundus dat suis, quæque falsa & mendax est, perstringitur.
XII. Vera pax cum innocentia & timore Dei conjuncta esse debet, quia sine illis non subsistit.
XIII. Quæ virtutem inter & Justitiam est unio, nos vera pace Christi gaudere facit.
XIV. Deus pacem fidelium per contradictiones acquiri & conservari voluit.
XV. Vincendo passiones nostras, corporique nostro bellum movendo, pax interior acquiritur.
XVI. Ut pacem conserves, à litibus & contentionibus alienus esto, cedito alijs, tuæque opinioni pertinaciter non adhæreto.
XVII. Varia examinantur motiva & modi, quibus pax & concordia acquiri & conservari potest.
XVIII. Omnes creaturæ in bonum totius universi pacem & concordiam inter se conservando, homines ad pacem sectandum extimulant.

TRACTATUS LXXI.
De gravitate, malitia, turpitudine & abominatione peccati.
Continet Discursus XX.

Disc.I. DEus Divitum suum nobis largitus est verbum, ut per illius prædicationem, primo omnium loco aboleatur, & exterminetur peccatum.
II. Gravitas peccati ex vilitate hominis, Deum infinitæ Majestatis contumeliantis, consideratur.
III. De enormitate peccati, ob aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam.
IV. De injuria, quæ Deo fonti omnis boni irrogatur, dùm à nobis ad satisfaciendum appetitibus nostris, turpiter rejicitur.

V. Malitia peccati notabiliter ex eo augetur, quia bonitas, & ſanctitas per illud offenditur Dei illius, qui inſuper nos dilexit, magnisque beneficijs ſtauxit.

VI. Peccatum de novo Chriſtum crucifigit; ubi variæ myſticæ hujus crucifixionis rationes, & modi adducuntur.

VII. Ex inæſtimabili redemptionis noſtræ pretio à Chriſto in cruce perſoluto, gravitas colligitur peccati; id quod à peccati commiſſione merito detertere debet.

VIII. De odio, quo Deus deteſtatur, & perſequitur peccatum.

IX. De multiplicitate, & malitia peccatorum diſſeritur, ſimulque, quâ ratione peccatum infinitum dici poſſit, exponitur.

X. De vilitate, & infamia peccati.

XI. Immunditia peccati ſpecialiter ſub metaphorâ luti & lepræ exponitur.

XII. De abominabili puteolentia, & fœtore peccati.

XIII. Vilitas peccati ab ejus abominatione deducitur; peccatum enim beſtia, peccatores verò ferarum, aliarumque vilium animalium nomine appellantur.

XIV. Peccatum magnam ſibi adjunctam habet ignominiam, quia indignißima quædam ſervitus eſt.

XV. De hac, quæ per peccatum inducitur, ſervitute aliæ conſiderationes inſtituuntur.

XVI. Dæmon peccatorem per peccatum totaliter facit ſuum, ſine quo alias adverſus illum nequidquam prævaleret.

XVII. Quo ſenſu peccator filius dæmonis appelletur, deque tyrannicâ peccati ſervitute, quam peccator induſtriè quærit, cuique voluntariè ſe ſubjicit.

XVIII. Varij explicantur modi, quibus dæmon peccatum nobis inſinuat; ubi & de arte & crudelitate dæmonis agitur, quâ noſtram perditionem machinatur.

XIX. Gravitas peccati ex eo arguitur, quia Deus illud acerbiſſime perſequitur, pœnisque æternis & infinitis illud caſtigat, licet peccatum ſit tranſitorium.

XX. Homo per peccatum beſtijs ſit ſimilis, immò pejor illis evadit.

TRACTATUS LXXII.
De peccati & peccatoris ignorantiâ.
Continet Diſcurſus VI.

Diſc.I. QUi Dei veram habet notitiam, illum offendere nequit, & ideo peccator peccare volens, Deum à ſe repellit.

II. Quodlibet peccatum ignorantiæ nomine appellatur, ob defectum veræ notitiæ ipſius Dei; mox enim ut Deus peccatori ſui, & gravitatis culpæ notitiam communicat, idem peccator illud deteſtatur.

III. Dæmon peccatori primo loco Dei, quem offendit, & gravitatis peccati notitiam excipit, ut hac ratione quaſi excæcatus illud committat.

IV. De peccato ſub tenebrarum & cæcitatis metaphora diſcurritur.

V. Peccatorem, qui ſe à ſenſualitate ſuâ, in peccatum ſeduci permittit, omni judicio, & ratione deſtitutum eſſe probatur.

VI. De ſtultitia, in quam peccatum nos inducit, diſſeritur.

TRACTATUS LXXIII.
De Conſuetudine peccandi.
Continet Diſcurſus VIII.

Diſc.I. MAla conſuetudo, à primis annis cœpta, ad peccata multiplicanda promptos nos efficit, quorum malus uſus tandem in naturam, & quaſi neceſſitatem degenerat, eſtque difficile illorum peccatorum remedium.

II. De peccatoris per conſuetudinem obſtinati ſurditate, ſub aſpidis ſurdæ metaphora diſſeritur.

III. Peccator per conſuetudinem peccandi habituatus, in profundum malæ conſcientiæ, cæcitatis, deſperationis, pertinaciæ, jactantiæ, & damnationis æternæ, corruit.

IV. Peccator habituatus ſemetipſum contemnit, floccique pendit peccatum, leges, homines, pœnas, aut verecundiam, ſibique à Deo datis abutitur auxilijs, bonaque opera & quidquid ad Deum ſpectat, nauſeat, & faſtidit.

V. Peccator habituatus, eum à quo monetur, & corrigitur, nequaquam amat, nec æſtimat, nec ei credit, ſed potius ridet, contemnit, & odit illum.

VI. Quantâ cum difficultate peccatores habituati in ſtatum reducantur ſalutis, ex Lazari reſuſcitatione deducitur, è quâ pariter ſalutaria pro ipſis documenta eliciuntur.

VII. De duritiâ cordis humani, in malâ ſuâ conſuetudine obſtinati, & ſpecialiter de Judæorum contra Chriſtum pertinaciâ tractatur.

VIII. Alia conſiderantur vincula, quibus nos mala conſuetudo innectit, nec non quam adfert ad reſurgendum difficultas perpenditur.

TRACTATUS LXXIV.
De peccatis ex malitiâ commiſſis.
Continet Diſcurſus XIII.

Diſc.I. DE peccatis quæ ex malitiâ, datâ operâ, & cum plenâ deliberatione, & conſilio committuntur, diſceptatur.

II. Eadem materia continuatur.

III. Continuatur idem argumentum.

IV. Hi qui lumen & notitiam Dei habentes peccant, graviter perſtringuntur.

V. Idem argumentum continuatur, ubi & verba filij prodigi: *Peccavi in Cœlum*, fuſius declarantur.

VI. Quanto quis cum majori lumine & ſcientia rerum divinarum peccat, tanto magis peccatum ſuum aggravat, magisque meretur ſupplicium.

VII. Peccatum Hebræorum inexcuſabile fuiſſe probatur, eo quod Chriſti habuerint notitiam; & cum hac illum offenderint.

VIII. Hi qui majorem habent rerum divinarum notitiam, & ſcientiam, Deumque offendunt, majora merentur ſupplicia.

IX. Peccatores habituatos ad pœnitentiam induci, inſuperabilem in ſe continet difficultatem.

X. Eadem materia continuatur.

XI. Author idem proſequitur argumentum.

XII. Peccata noſtra multum ex eo aggravantur, quia à Chriſtianis committuntur.

XIII. Quadantenus excuſabiles ſunt, qui per ignorantiam peccant, valde autem culpabiles omnique digni ſunt ſupplicio Chriſtiani, qui gravitatem peccati agnoſcunt.

TRACTATUS LXXV.
De ijs, qui in peccata, per pœnitentiam ſemel remiſſa, iterum relabuntur.
Continet Diſcurſus X.

Diſc.I. REcidivantes in peccata, pejores ſunt beſtijs, quæ in eadem pericula facile non incidunt, ſimilesque ſunt canibus ad vomitum reſorbendum redeuntibus, nec non & porcis in luto ſe volutantibus.

II. Execrabilis eſt illorum ſtultitia, qui ad peccata ſemel expiata denuò redeunt, hi enim majorem ſibi reatum, graviuſque adſciſcunt ſupplicium.

III. Qui in peccata ſemel remiſſa reincidunt, difficilius à peccato reſurgunt, quia lumen & gratias divinas contemnunt, ac proindè à Deo deridentur, & acerbe caſtigantur.

IV. Per relapſum in peccata priora, dæmon corroboratur, & rigorem accipit majorem, quia hos ſub tyrannidem ſuam magis conſtringit, ne denuò è manibus ſuis elabantur.

V. Qualiter ij qui in priſtina reincidunt peccata, ex mente S. Pauli Chriſtum de novo crucifigant, latius exponitur.

VI. Ex hiſtoriâ paralytici, cui dictum fuit: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, varia deducuntur recidivantium mala, diverſa quoque præſcribuntur remedia, ad non reincidendum in peccata priſtina.

VII. Supplicium reincidentium in peccata ſemel dimiſſa notabiliter augetur, ob gravem ingratitudinem, quam in priſtina peccata reincidendo committunt.

VIII. Varia conſiderantur mala, quæ in eos, qui ad peccata priſtina redeunt, derivantur, quæ proindè viri timorati pro viribus fugere nituntur.

IX. De ſupplicijs, quibus Deus in relabentes in peccata priſtina, animadvertit.

X. Execrabiles ſunt illi, qui Deum, ejusque præſentiam agnoſcentes, temere peccant.

TRACTATUS LXXVI.
De Peccatis venialibus.
Continet Diſcurſus XXIII.

Diſc.I. DÆmon ſolicitè curat, ut in peccata levia nos pertrahat, ut hac ratione ad graviora committenda paulatim nos inducat.

II. Peccata leviora non curantes, in magna paulatim labuntur præcipitia.

III. Idem argumentum varijs rationibus probatur.

IV. Continuatur eadem materia.

V. Solicitè à peccatis etiam levibus abſtinendum nobis eſt, quia per illa nos dæmon multum illaqueat.

VI. Qui modicas tranſgreſſiones floccipendit, paulatim incidit in graviores.

VII. Peccata venialia animam commaculant, nosque in charitate tepidos, & in bonis operibus, & contra tentationes debiles efficiunt.

VIII. Peccata venialia animam à promptâ conſecutione gloriæ retardant, efficiuntque, ut notabili temporis ſpatio in purgatorio detineatur.

IX. Gravitas peccati, etiam venialis, ex pœnâ damni, & ſenſus, qua Deus illud in alterâ vitâ caſtigat, deducitur.

X. Alia conſiderantur ſupplicia, quibus Deus in expiationem peccatorum venialium punit.

XI. Correctio etiam quoad peccata venialia nos obligat, ſi ab his aliquod derivari poſſit ſcandalum, aut grave damnum, quia ſæpè ex modico in gravia præcipitia ſit lapſus.

XII. Lapſum & prævaricationem Evæ, ſuam à multis antecedentibus, licet venialibus tranſgreſſionibus, originem, & cauſam habuiſſe probatur.

XIII. Licet multa peccata venialia peccatum aliquod mortale conſtituere nequeant, illa tamen ad hoc diſponere probatur.

XIV. Peccatum quantumvis ſit modicum, ſuum tamen ſecum habet venenum, ac proindè timendum eſt, ne in graviora nos ruere faciat.

XV. Peccatum veniale nequaquam parvipendendum eſt, cum vera ſit offenſa Dei.

XVI. Perfectio in fugiendis pro viribus noſtris defectibus, & culpis venialibus, conſiſtit.

XVII. Peccata quantumvis levia, impediunt acquiſitionem ſpiritus, & devotionis, ac proindè ſervi Dei illa anxiè perſequuntur.

XVIII. Animæ timoratæ culpas etiam minimas fugiunt, utpote ſcientes, eas à Chriſto Judice ſevere judicandas eſſe.

XIX. Lex divina ex omni parte obſervanda eſt, quia à tranſgreſſionibus minimis, ad majores ſit aditus.

XX. Peccatum veniale non minus fugiendum eſt, quam mortale, immò forſitan magis illo, Deus enim opera noſtra nauſeat, ſi cum peccatis ſint permixta venialibus.

XXI. De nonnullis inter peccata venialia, & mortalia, diſtinctionibus, ubi etiam de horum malitiâ diſſeritur & nonnulla illorum ſpeciatim aſſignantur.

XXII. Scriptura Sacra, & Sancti Patres valdè deteſtantur illa peccata venialia, quæ voluntariè, ſcienter, deliberatè, & cum complacentia committuntur.

XXIII. Tametſi nullus à culpâ veniali exemptus ſit, attamen præter præſervativa, quibus efficitur ne in illa cadamus, multa quoque habemus, poſtquam in illa lapſi ſumus, pro illis remedia.

TRACTATUS LXXVII.
De Peccatis mortalibus.
Continet Diſcurſus XXXI.

Diſc.I. PEccata ſunt veluti ignis quidam, quo anima tuti in hac, tum in alterâ vita aduritur.

II. Peccatum mortale, & peccatores, inferni nomine deſcribuntur.

III. Peccatum non ſolum inferno ſimile, ſed & deterius eſſe oſtenditur, maximè ob malam conſcientiam.

IV. Peccata mortalia committentes, ut plurimum mortem ſibi accelerant, & ex improviſo pereunt.

V. Mortem mortaliter peccantium, in extremo vitæ articulo, peſſimam eſſe, ex varijs conſiderationibus probatur.

VI. Peccatum mortale animæ ſimul & corpori mortem infert, efficit enim ut corpus vivum, quoddam fiat cadaver, citiusque diſponatur ad interitum.

VII. De morte, quam peccatum mortale animæ infert.

VIII. Deus propter peccatum mortale animam deſerit, ubi quam ingens malum hæc jactura ſit, ſeriò ponderatur.

IX. Propter peccatum mortale, omnia bonorum operum merita, ante illius commiſſionem facta, deſtruuntur.

X. Varia examinantur mala, à peccato in animam ream derivantia.

XI. Alia recenſentur damna peccati mortalis, à quo ex nobis ipſis reſurgere non poſſumus.

XII. Omnia opera bona, quæ extra Dei gratiam conſtituti facimus, peccatum mortale ad æternam ſalutem conſequendam, inutilia efficit, nec tamen ob id ab illis eſt deſiſtendum, ob multa alia bona, quæ bona opera ſecum ferunt.

XIII. Peccatores, dum ſuis ſatisfaciunt appetitibus, laborare & fatigari ſe ſentiunt.

XIV. Confirmatur idipſum, dum de peccato mortali, ſub ſpinarum metaphora diſſeritur.

XV. De inquietudine, quam peccatum mortale ſibi annexum habet in impijs.

XVI. Dolores, ærumnæ & pœnæ, quibus peccatores ſubjacent, peccati mortalis ſunt partus.

XVII. Alia conſiderantur impiorum mala, & afflictiones internæ.

XVIII. Continuatur idem argumentum.

XIX. De metu & timore, quem peccatum mortale in impijs cauſat.

XX. Peccatum mortale, tamquam ferox inimicus, peccatorem accuſat, condemnat, & perſequitur.

XXI. De remorſu malæ conſcientiæ, quæ quemvis impium, quantumvis magnus & potens ſit, conturbat, & affligit.

XXII. De verme, & remorſu interno, ejusque tormento, à peccato mortali cauſato.

XXIII. De peccati mortalis graviſſimo onere.

XXIV. Eadem materia continuatur.

XXV. Peccatum mortale peccatorem adeò conſtringit, ut per effrænes appetitus ſuos, eum ſuiipſius carnificem efficiat.

XXVI. Peccator mortaliter peccando, ſemetipſum offendit & damnificat.

XXVII. Odit animam ſuam, qui mortaliter peccat, idque varijs rationibus probatur.

XXVIII. Peccata ſunt vincula, quibus noſmetipſos ſtringimus, dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem, à peccato mortali derivantem, non attendimus.

XXIX. Flagella, quibus Deus tranſgreſſores caſtigat, hæc ſæpè in manibus iniquitatis ipſorum invenit, eaque ex illis contexit.

XXX. Peccatum mortale occultari nequit, ſed tum à Deo, tum à propriâ malâ conſcientiâ manifeſtatur.

XXXI. Continuatur idem argumentum.

TRACTATUS LXXVIII.
De pœnis peccatorum.
Continet Discursus XXXV.

Disc. I. ÆRumnæ, & infortunia, quæ nos, vel in communi, vel in particulari affligunt, pœnæ sunt peccatorum.

II. Ex peccatis nascitur, civitatum, & populorum exterminium.

III. De odio creaturarum adversus peccatorem, in cujus perniciem, tamquam divinæ justitiæ instrumenta, sæpè armantur.

IV. Terræmotus à Deo permittuntur, tum in pœnam peccatorum, tum ut emendemur ad pœnitentiam.

V. Fames, sterilitas, annonæ caritas peccatorum nostrorum sunt effectus.

VI. Ariditas, & siccitas terræ, à peccatis nostris provenit, & per eorumdem pœnitentiam removetur.

VII. Pluviæ excessivæ, inundationesque aquarum à peccatis derivantur populorum, cessantque mox ut peccatores se ad Deum convertunt.

VIII. Grandines, aliæque similes calamitates, pœnæ esse solent peccatorum.

IX. Mare per tempestates & naufragia impios sæpè punit.

X. Ignis injurias communi Creatori illatas, per incendia vindicat, & sæpe parcit illis, in quibus peccatum non invenit.

XI. Deus tonitrua excitat, ad incutiendum peccatoribus metum, illosque convertendos; suaque in illos fulmina immittit, ut suam adversus peccata iram effundat.

XII. Peccata nostra inimicos nostros in bello contra nos corroborant, nostrasque vires debilitant.

XIII. Deus bella, & inimicos contra nos excitat, ut peccata in nobis castiget, illisque sublatis, pacem facile sperare possumus.

XIV. Pestis ab irâ Dei per peccata irritata immediate procedit, pestilentiæ autem remedium, est concepta de ijsdem pœnitentia.

XV. Non solum animalia ferocia, verum etiam minima animalcula, sæpe sunt divinæ justitiæ instrumenta, quibus impij castigantur.

XVI. Multæ considerantur miseriæ, & calamitates publicæ, quæ peccatorum nostrorum sunt pœnæ.

XVII. Infirmitates corporales, ut plurimum peccatorum nostrorum sunt fructus.

XVIII. Sententia illa Sapientis: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, per adducta exempla verissima esse ostenditur.

XIX. Author eamdem materiam prosequitur.

XX. Idem argumentum per alia exempla demonstratur.

XXI. De eâdem materiâ disseritur.

XXII. Idem argumentum continuatur.

XXIII. Eadem doctrina per alias rationes, & exempla probatur.

XXIV. Per exemplum decem plagarum, quibus Deus percussit Ægyptum, verissimum esse probatur illud Sapientis oraculum: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

XXV. Confirmatur idem argumentum exemplo Hebræorum persecutorum Christi, qui per eadem media à Deo puniti sunt, quibus Christum cruciarunt.

XXVI. Impij in perversis consilijs suis deluduntur, siquidem malum, quod alijs machinantur, in ipsosmet communiter recidit.

XXVII. Eadem materia per alias Scripturæ authoritates, & exempla confirmatur.

XXVIII. Continuatur idem argumentum.

XXIX. Specialis peccati pœna est, quod unum peccatum mox post se trahat aliud.

XXX. Peccatum semper aliud post se trahit, nisi deponatur per pœnitentiam.

XXXI. De eodem argumento disseritur.

XXXII. Impunitas & prosperitas peccatorum in hac vita, infallibile est Dei contra illos indignantis indicium.

XXXIII. Prosperitas impij, signum est iræ Dei, quæ tandem suo tempore illum involvet.

XXXIV. Prosperitas impij in hac vita, æternæ perditionis est indicium.

XXXV. Reprobos in hoc mundo felices esse, Deum eis esse iratum manifeste ostendit.

TRACTATUS LXXIX.
De remedijs peccatorum.
Continet Discursus IV.

Disc. I. VAriæ instituuntur considerationes, quibus à peccato arceamur, illudque detestemur.

II. Alia contra peccatum remedia adducuntur.

III. Peccatum quantumvis leve sit, in primis suis principijs est suffocandum, ejusque extirpanda est radix.

IV. Ne vel minimus serpenti infernali in cor nostrum indulgendus est aditus, ne in illud cum omni suo veneno ingrediatur.

TRACTATUS LXXX.
De Perseverantia.
Continet Discursus VII.

Disc. I. PErseverantia proprius est Christiani hominis Character; quam filius Dei nos docuit, dum omnia opera sua ad perfectionem perduxit.

II. Qui propter peccatum perseverantiam negligit, præterquam quod Deo injuriam faciat, stultum se esse probat, sibique ipsi, nisi perseveret, multorum gravium damnorum est causa.

III. De non perseverantium pœnis & supplicijs, utpote quos Deus abominatur, & reprobat, Dæmon verò suos cooperatores habet.

IV. Perseverantia cœli porta merita nostra adauget, & præmiat, semperque ad statum hominis finalem respicit.

V. Varia considerantur media, quæ magno nobis ad perseverandum sunt adjumento.

VI. Christianus semper in virtutibus progredi & proficere, nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est, contentus esse debet.

VII. De perseveranti in vita spirituali & pœnitente tolerantia, quæ habenda est cum respectu ad cœlestem remunerationem.

TRACTATUS LXXXI.
De Pœnitentia non procrastinanda.
Continet Discursus XXVI.

Disc. I. DAmna expenduntur, quæ pœnitentiam & conversionem procrastinantibus eveniunt.

II. Deo ad pœnitentiam vocanti sine mora parendum est.

III. Solicitius bona temporalia & salutem corporis, quam spiritualia & bonum animæ curamus.

IV. Commendantur nonnulli, qui Deo ad pœnitentiam vocanti prompte parentes, ab eo sunt remunerati.

V. Procrastinata vitæ emendatio, & hominis ad Deum conversio severè punitur.

VI. Morte repentina sæpe præveniuntur, qui Deo ad pœnitentiam vocanti tardius respondent.

VII. Ex quo conversionem nostram differimus, & peccata quæ stimulus sunt ad mortem, jugiter multiplicamus, sequitur quod pœnitentiam numquam facturi simus, quia prout homo vivit, ita & moritur.

VIII. Consuetudo inveterata peccandi, pœnitentiam in extremo reddit difficilem & quasi impossibilem.

IX. Peccatores eadem in mente sua revolvere solent in morte, quibus dediti fuerunt in vita, & ideo ad pœnitentiam parum sunt dispositi.

X. Agonia mortis non est tempus negotio tam arduo, ut est pœnitentia, expediendo opportunum.

XI. Infirmitas mortalis non est pœnitentiæ faciendæ tempus idoneum.

XII. Exteriores devotionis demonstrationes, quas impij in morte sua præ se ferunt, valde sunt fallaces.

XIII. Actus amoris Dei super omnia, sine quo peccator salvari nequit, in mortis articulo difficulter elicitur.

XIV. Variæ assignantur rationes, ob quas confessio, contritio & lachrymæ in mortis hora effusæ & factæ inutiles sunt.

XV. Pœnitentia non est in nostro arbitrio posita, sed innititur auxilio Divinæ gratiæ, ex merâ Dei bonitate nobis datæ, quam proinde ad nostram emendationem implorare debemus.

XVI. Deum illos, qui ad usque vitæ finem emendationem suam differunt, totaliter abominari & rigide castigare, varijs probatur Rationibus & Exemplis.

XVII. Techna specialis est Dæmonis, quod nos pœnitentiam procrastinare faciat, ut postea nos in hora mortis ad desperationem inducat.

XVIII. Quam fallax sit impiorum, circa tempus pœnitendi eligendum, dispositio.

XIX. Mors die & hora qua minime expectabatur, supervenit; ac proinde in manifesto est perditionis suæ periculo, qui pœnitentiam ad mortem usque differt.

XX. Multæ expenduntur illorum stultitiæ qui ad extremum usque conversionem suam procrastinant.

XXI. Varia considerantur damna, quæ hi qui in peccatis suis diutissime insordescunt, suamque emendationem ad mortem usque differunt, sibi conciliant.

XXII. Deus quidem nobis qualibet hora promisit veniam, non tamen quod veram nobis compunctionem dare, aut ad illam usque nos expectare velit; varijs quoque similitudinibus ostenditur, quam simus ad peccandum veloces, tardi autem ad pœnitentiam.

XXIII. Hi qui in exemplis aliorum in fine vitæ serio respiscentium, & in uno *forsitan*, confisi pœnitentiam diutissimè differunt, graviter perstringuntur.

XXIV. Peccatores surdi, & in peccatis indurati, misericordia divina efficiuntur indigni, non vero quia ex fragilitate peccant, & subito Deo ad respiscentiam vocanti respondent.

XXV. Velocitas quâ Deus nostram procuravit & operatus est salutem, nec non quam solicite Deus hanc acceleration nem desideret, consideratur.

XXVI. Deus ætatis nostræ primitias quærit, & ideò malè faciunt, qui ad senectutem usque pœnitentiam differunt.

TRACTATUS LXXXII.
De Prædestinatione.
Continet Discursus VIII.

Disc. I. DE certitudine quoad nostram prædestinationem, cooperationi nostræ conjunctam, deque illius incertitudine ex parte nostra, hujusque aliquæ assignantur Rationes.

II. Præscientiæ Dei infallibilitas in electione nostra, libertati arbitrij nostri nequaquam præjudicat.

III. Reprobi auxilia Dei respuendo, damnantur ob suam obstinationem, in cujus Exemplum Judas adducitur.

IV. Librum vitæ unum immutabilem esse, alterum verò secundùm præsentem Justitiam mutari posse ostenditur.

V. Hi qui dicere solent: *Si sum prædestinatus, salvabor sine operibus bonis, si reprobatus, hæc inutilia erunt*, perstringuntur, simulque ostenditur, quod signa electorum eosdem ad virtuose operandum astringunt.

VI. Electionem ad gloriam à Deo ab æterno ex prævisis meritis factam esse ostenditur, illisque S. Pauli verbis: Jacob dilexi, & Esau odio habui, respondetur.

VII. An Deus ab æterno priùs det gratiam, & postea gloriam, an verò è converso, disputatur, simulque ostenditur, quod licet à gratiâ Dei nostra dependeat prædestinatio, in Executione tamen nostra bona opera requirantur.

VIII. Licet Deus majora gratiæ auxilia Electis conferat, ob hoc tamen reprobi lamentari non possunt. Justa enim & occulta Dei Judicia veneranda sunt, non vero discutienda.

TRACTATUS LXXXIII.
De Prædicatoribus Verbi Dei.
Continet Discursus L.

Disc. I. NEcessitas verbi Dei consideratur.

II. Verbum Dei in sacris literis, & à sanctis Patribus, panis, & cibi nomine describitur.

III. Verbum Dei etiam corpus alendi virtutem habuisse probatur, simulque sub symbolo lauti convivij proponitur.

IV. Variæ adducuntur allusiones inter cibum & verbum Dei, & specialiter quoad Manna.

V. Verbum Dei semini assimilatur.

VI. De verbo Dei symbolo luminis & lucernæ nos illuminantis disseritur.

VII. Aliqua Verbi Dei in genere considerati bona enumerantur, specialiter verò, quod in nobis Dei amorem accendat, vigoremque & stabilitatem in divino ejus servitio subministret.

VIII. Verbum Dei virtutem habet nos præservandi & purificandi à peccatis.

IX. De virtute Verbi Dei in ordine ad salvandas animas infirmas, sub allusione medicinæ disseritur.

X. Verbum Dei virtutem habet, obstinationem, & peccatorum emolliendi duritiam.

XI. Variæ analogiæ inter Verbum Dei & gladium seu sagittam, adducuntur.

XII. De odio quo Dæmon Verbum Dei prosequitur, utpote armaturam quâ ipse vulneratur, nos verò defendimur, à cujus proinde auscultatione nos avocare continuo satagit.

XIII. De pretio, dulcedine, & efficacia verbi Dei.

XIV. Efficacia Verbi Dei specialiter in Conversione mundi relucet, in quâ variæ considerantur circumstantiæ.

XV. Signum aliquem electum esse ad gloriam, est, si verbum Dei libenter auscultet.

XVI. Idem argumentum Author hoc discursu prosequitur.

XVII. Hi qui verbum Dei libenter audiunt, Regis titulo jure honorantur; ubi & aliæ illorum considerantur Excellentiæ & honores.

XVIII. Deus est qui in Ministris Evangelicis loquitur, eique attribuendus est verbi Dei fructus, quod proinde nequaquam contemnendum est, utpote quod non homines, sed Dei verbum est.

XIX. Licet verbum Dei ab hominibus impijs prædicetur, non tamen ideò intermittenda est ejus auscultatio, nec negligendi fructus illius.

XX. Ut verbum Dei in Auditoribus fructificet, necessum est, ut illud in corde suo ruminent & considerent.

XXI. Verbum Dei in corde custodiendum est, & mandandum Executioni, si inde utilitatem aliquam haurire velimus.

XXII. De iis qui verbum Dei sine attentione auscultant, & econtra de alijs, qui cum devotione eidem assistunt, disseritur.

XXIII. Æternæ reprobationis indicium est, si quis verbum Dei contemnat, vel inde non proficiat.

XXIV. Contemptus & intermissio verbi Dei Calamitates & exterminia super populos provocat.

XXV. Alia considerantur supplicia, quibus castigantur, qui verbum Dei fastidiunt, aut nullum inde fructum afferunt.

XXVI. Perstringuntur illi, qui à verbo Dei alieni sunt, illudque disturbant, ubi & pœnæ eorum recensentur.

XXVII. Nonnulli præscribuntur modi, ad hauriendum ex verbo Dei fructum necessario observandi, simulque defectus exponuntur, ob quos inde non proficimus.

XXVIII. De insignibus quibusdam ministrorum Evangelicorum Excellentijs & prærogativis, nec non de spirituali ipsorum luctu, quod nequaquam diminuitur, licet peccatores non convertantur.

XXIX. Prædicator efficaciter persuadere volens, verbis ut opera adjungat, necessum est.

XXX. Prædicator priùs facere, & postea dicere debet, siquidem majorem persuadendi virtutem habet bonitas dicentis, quam vox illius.

XXXI. Eadem materia ulteriùs deducitur.

XXXII. Bonum Exemplum & probitas Prædicatoris, magnopere cooperantur ad pariendum in Auditoribus fructū.

XXXIII. Idem argumentum continuatur.

XXXIV. Prædicator prius sibimetipsi, & postea alijs prædicare debet, id est, immaculatam debet ducere vitam.

XXXV. Hi qui bene prædicant, & improbe vivunt, perstringuntur.

XXXVI. De damnis quæ tam alijs, quam sibimetipsi infert, qui benè prædicat, & malè operatur.

XXXVII. Prædicationem Evangelicam longè efficaciorem & fructuosiorem reddit Divina assistentia, quam studium & Eloquentia.

XXXVIII. Prædicandum est ut extirpetur vitium, & fructus pariantur.

XXXIX. Prædicator in muneris sui exercitio, soli animarum saluti intentus esse debet.

XL. De doctrina quam annuntiate debet minister Evangelicus.

XLI. Prædicator primo loco rationem habere debet Scripturæ sacræ, utpote, quæ veritatem in se continet; unde reprehenduntur doctrinæ profanæ & curiosæ.

XLII. Prædicatores, qui verum Spiritum & fructum negligentes, omne studium suum in comptis verbis, ornatuumque Rhetoricorum vanitate collocant, perstringuntur.

XLIII. Eadem materia continuatur.

XLIV. Prædicator Auditorum capacitati se accommodare debet, non verò scientiæ suæ profunditatem jactare.

XLV. Idem Subjectum continuatur.

XLVI. Prædicator prudenter eligere debet tempus & locum opportunum, Personarum quoque qualitatem, coram quibus prædicandum est considerare debet, ad hoc ut verbum Dei fructum faciat.

XLVII. Prædicatores libenter subire debent omnem laborem, & periculum, à veritate quoque sine adulatione prædicanda, reprehendendisque vitijs numquam debent desistere.

XLVIII. Prædicatores reprehenduntur, qui per æmulationes & ostentationem suiipsius hominum quærunt & diligunt concursus & applausum.

XLIX. Perstringuntur qui ex motivo lucri temporalis verbum Dei prædicant.

L. Varia ministris Evangelicis suggeruntur monita, ubi etiam conditiones tanguntur, quibus similes ministri præditi esse debent.

TRACTATUS LXXXIV.

De præsentia Divina.

Continet Discursus VIII.

Disc. I. DE Præsentia Dei in omni loco & quovis tempore præsentis, qui nos & actiones nostras considerat, & à quo nos abscondere non valemus.

II. Ex neglectu considerationis præsentiæ Dei derivatur omne malum.

III. Per Divinæ præsentiæ exercitium Dæmon ejusque tentationes facile vincuntur.

IV. Exercitium præsentiæ Dei frænum est, quo concupiscentia carnalis à nobis coërcetur.

V. Præsentia Dei à nobis considerata, ad nos ab omni peccato refrænandos multum conducit.

VI. Consideratio Divinæ præsentiæ ad perfectionem cooperatur.

VII. Exercitium præsentiæ Dei ad vitam immaculatam agendam valde efficax est instrumentum.

VIII. Alia bona considerantur, quæ præsentiam Dei recogitando recipimus.

TRACTATUS LXXXV.

De Providentia Dei, & fiducia in ipsum.

Continet Discursus XIII.

Disc. I. DE Providentia Divina in productione creaturarum, quas in beneficium nostrum creavit.

II. Eadem providentia non solùm quoad corvos, verum etiam quoad res minimas consideratur.

III. Ad Deum spectat abundanter nobis prospicere, id quod in specie in persona Jacob probatur.

IV. Habemus Jus expectandi alimenta à Deo, utpote quā se à nobis tamquam Patrem nostrum invocari voluit; & quidem qui omnia animalia pascit, multo magis filios suos sustentabit.

V. Varia adducuntur argumenta, à Christo ad condemnandam nostram, de Divina ipsius providentia, diffidentiam, in medium adducta.

VI. Ostenditur qualis sit illa solicitudo, quam Christus condemnat, non enim Christus nostram secundum statum uniuscujusque diligentiam & laborem excludit, sed potius requirit à nobis.

VII. Deus nobis providet, non solum tamquam nutrix, sed tamquam mater, habetque talem uniuscujusque in singulari providentiam, qualem universim habet de omnibus.

VIII. De providentia quâ Deus invigilat super illos, quā ipsum timent, eique serviunt.

IX. Author eamdem materiam prosequitur, simulque explicat verba illa Christi: *Nolite solicisi esse in crastinum.*

X. Fiducia quæ in Deum potius, quam in industriam nostram habetur, à Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos, qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

XI. Ad hoc ut fiducia nostra efficax sit, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non vero in mundum collocatur; diligentiasque humanas, nostramque cooperationem minimè excludit.

XII. Quædam ex Sacra Scriptura, alijsque historijs recensentur facta, quæ divinæ providentiæ periodos mirum in modum nobis manifestant.

XIII. Deus suam persæpe erga nos ostendit providentiam dum nobis non providet, idque in majus bonum nostrum operatur.

TRACTATUS LXXXVI.

De Purgatorio & suffragijs animabus in eo contentis à nobis impendendis.

Continet Discursus XII.

Disc. I. DAniel inter Leones, & Cherubinus ad paradisum terrestrem collocatus, animarum purgantium figura fuerunt: adducuntur etiam nonnullæ locorum Scripturæ ad purgatorium alludentium authoritates, nec non convenientiæ ob quas animæ prius purgari debent, quam cœlum ingrediantur.

II. De Purgatorio, & fumi, aliarumque pœnarum illius atrocitate.

III. Alia considerantur animarum purgantium tormenta, & specialiter pœna damni, licet hæc temporalis existat.

IV. Quædam adducuntur motiva, quibus ad auxilia animabus illis ferenda instigamur, & specialiter hoc, quia omnes ejusdem corporis sumus membra.

V. Ecclesia pro defunctis ordinat suffragia, idque nos ad illis auxiliandum movere debet, quia hoc faciendo rem Deo gratissimam præstamus; præterquam quod animæ illæ in flammis purgantibus etiam pro nobis Deum exorent.

VI. De lucro quod sibi comparat, qui animabus illis suffragatur

suffragatur, quæ ex gratitudine nos quoque adjuvant.

VII. De præmio quod à Deo, & animabus illis, nostris suffragijs, à dictis pœnis liberatis, in nos redundat.

VIII. Suffragari debemus animabus illis, ex motivo compassionis, & amicitiæ, & speciatim si animæ illæ sint cognatorum nostrorum, vel si ab illis beneficia accepimus.

IX. Oratio ad suffragandum animabus purgatorij, efficax est, sanctissima quoque Virgo Maria, & omnes cælites, imo & Angeli Dei liberationem illarum solicitant.

X. Examinatur an sit necessum, ut qui animabus purgantibus porrigunt suffragia, in gratia Dei sint constituti; Et an auxilia uni animæ in particulari adhibita, etiam alijs prosint.

XI. Varia considerantur, quæ pro animabus illis offerre possumus suffragia, eorumque nonnulla adducuntur Exempla.

XII. De summo sacrificij Missæ valore ad animas illas liberandas.

TRACTATUS LXXXVII.

De reliquijs sacris, earumque cultu & veneratione.

Continet Discursus XI.

Disc. I. EX veteri Testamento deducitur sacrarum reliquiarum cultus & veneratio.

II. Idem ex novo pariter testamento, in primo præsertim sæculo Ecclesiæ deducitur.

III. Varia allegantur miracula in conservatione reliquiarum patrata, sicut etiam nonnullæ punitiones Divinæ in earumdem profanatores fulminatæ: undè, quantum Deus sacrarum reliquiarum habuerit curam & æstimationem, dilucidè innotescit.

IV. De honorificentia, qua Reges & Imperatores, etiam infideles sacras appretiati fuere reliquias.

V. In quanta quoque æstimatione ab Ecclesia summisque Pontificibus sacræ reliquiæ habitæ fuerint, consequenter demonstratur.

VI. ex antiquo & pervetusto usu dandi vela, brandea aut pulveres sacrorum sepulchrorum, alijsque signis exercitiisque devotionis erga sanctos demonstratis, sacrarum reliquiarum confirmatur cultus & veneratio.

VII. Sacræ reliquiæ turres sunt & propugnacula urbium, quibus populi ab hostibus & sinistris casibus defenduntur & proteguntur.

VIII. Varia considerationi subjiciuntur bona & beneficia, quæ ex cultu reliquiarum in nostram redundant utilitatem & commodum.

IX. Ostenditur adhuc & probatur, cultum sacrarum reliquiarum cooperari & conducere ad acquirendas virtutes: veluti è contrà earum despectum & contemptum esse indicium & signum impietatis & iniquitatis ubi insuper agitur de benedictionibus eorum, qui illas venerantur ac debito prosequuntur honore.

X. De sanctitate corporum & reliquijs Sanctorum, ac de cultu eisdem ab Ecclesiā exhibito. Denique quanti Deus eas æstimet & appretietur.

XI. Variæ supra eamdem materiam instituuntur materiæ.

TRACTATUS LXXXVIII.

De Silentio, sive Linguæ custodia.

Continet Discursus X.

Disc. I. CUstodia linguæ cooperatur æternæ saluti.

II. Silentium est medium ad acquirendam perfectionem, plurimos virtutum actus, multaque alia bona spiritualia producit.

III. Religionum, religiosæque vitæ fundamentalis petra est custodia linguæ sive silentium.

IV. Silentium suffragatur orationi, nutrit devotionem, conducit ad lucrandum spiritum.

V. Commendatur silentium exemplo Christi, cui est gratissimum.

VI. Silentio cultus Deo exhibendus est in sacris templis, eo quod sanctissima virgo Deipara, mysticum Dei templum, silentij sui nobis dederit ac reliquerit exemplum.

VII. Omnem Dæmon adhibet curam & diligentiam, ne custodiamus silentium, quod, utpote, reprimit ejus vires & custodias.

VIII. Difficilis notitia, qua quis silentio, veluti virtutis indicio, linguam suam frænare ac comprimere novit. Tacendo quilibet bene loqui discit.

IX. Variæ considerationes ad injiciendum nobis frænum linguæ, amoremque silentij.

X. Ex discreto & prudenti silentio procedere debent sermones opportuni & proficui.

TRACTATUS LXXXIX.

De Solitudine.

Continet Discursus XII.

Disc. I. SOlitudo cooperatur nostræ saluti.

II. Ad observantiam Divinæ legis & suffocanda vitia multum conducit, ut quis se à consortio humano sequestret.

III. Plurimum etiam juvat solitudo & sequestratio ad conservandam continentiam fugiendumque sensualitatis vitium.

IV. Dæmon pro viribus suis nos tentat in solitudine, etenim in hac ipsum cum tentationibus suis expugnamus & superamus.

V. Solitudo & sequestratio multum suffragantur orationi.

VI. Solitudo cooperatur quoque virtutum & Spiritus adeptioni.

VII. Quies & consolationes spirituales, utplurimum, inveniuntur in solitudine.

VIII. Demonstratur vitam solitariam piè sancteque institutam esse viam, quæ ducit ad cœlum.

IX. Ostenditur quantum Deus amet solitudinem, quantumque Deo placeat & gratus sit, qui in illa ipsum imitatur.

X. In solitudine solet Deus conversari cum animabus ipsis communicando visiones, revelationes, & plura alia gratiarum dona, ibidemque vera acquiri solet sapientia.

XI. Solitudo est instrumentum perfectionis, ast eam spiritus virtutumque exercitium præcedat, oportet.

XII. Examinatur ac discutitur spiritualis & interior solitudo adaptanda cuilibet statui & vocationi.

TRACTATUS XC.

De Superbia.

Continet Discursus XV.

Disc. I. NOnnullæ considerantur qualitates superbiæ, erigentis se supra omnes alios, imò & suprà Deum, cum cæteris proprietatibus suis.

II. Superbia, utpote ortum suum ducens à lucifero, est vitium diabolicum, eâque Dæmon plurium animarum prædam agit.

III. Superbia, quia protoparentes nostros dedit præcipites, perfectos quoque alios homines ad eamdem ruinam & casum pertrahere nititur.

IV. Cunctis opponitur superbia virtutibus, cunctorumque bonorum operum merita reddit inutilia.

V. Superbia sterilem efficit Spiritum ac devotionem nostram, nec non divinas in nos exiccat gratias.

VI. Dicitur delictum maximum, quia Deo adversatur, directè arma contra eum capiens, eumdemque conculcans impietate & hæresi.

VII. Superbia, omnis peccati principium est, tum quòd reperiatur in omnibus, tum etiam quia est primum peccatum & origo omnium; tum denique quia est gravissimum.

VIII. Superbia cunctorum aliorum vitiorum & peccatorum annexam habet congeriem.

IX. Deus superbis resistit, eosque deprimit & detestatur, idque exemplo Luciferi comprobatur.

X. De aversione, quam Deus habet à superbis, & de pœnis, quibus illos castigat & punit, quorum nonnulla adducuntur exempla.

XI. Oſtenditur ſuperbiam eſſe ſignum reprobationis & excluſionis à regno cœlorum.

XII. Superbia eſt ſpecies dementiæ, ſolent ſuperbi degenerare in bruta ſimulque orbari judicio & diſcurſu.

XIII. Variæ conſiderationes adducuntur, in verſum illum Pſal. 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.*

XIV. Nonnullæ in conſiderationem ducuntur rationes & motiva ad reprimendam noſtram ſuperbiam.

XV. Adducuntur adhuc alia motiva ad reprimendum ac deteſtandum idem vitium.

TRACTATUS XCI.

De tempore, & ejus jactura, ſeu otio.

Continet Diſcurſus XVII.

Diſc. I. DE brevitate vitæ humanæ, ac temporis, quod elabitur, fugit ac deficit, velocitate.

II. Cum tempus non ſit in poteſtate noſtra, temeritatis incurrit notam volens de eodem diſponere, ſuamque converſionem procraſtinare.

III. Examinatur pretioſitas & valor temporis, & quanti illud à nobis æſtimandum ſit.

IV. Tempus præſens à Deo nobis indultum eſt, ut æternam operemur ſalutem, ac propterea bonis operibus impendendum eſt.

V. De reddenda ratione temporis neglecti ac malè impenſi, quantaque reprehenſione dignus, qui tempus inutiliter conſumit.

VI. Signum æternæ reprobationis eſt ſine fructu tranſigere tempus, quod ipſa hora & puncto mortis coram Deo nos accuſabit.

VII. De dominio, quod Dæmon acquirit in otioſos, in quibus non aliter ac in centro ſuo habitat.

VIII. Otium eſt fomentum & incentivum tentationum, pravarumque cogitationum, præſertim verò venerearum ac immundarum.

IX. Otium ſolet eſſe cauſa & centrum omnium vitiorum, cum ab illo omne malum ducat ſuam originem.

X. Bono publico otium valde damnoſum & perniciоſum eſt, ut propterea ob omni regimine bene ordinato meritò exterminentur otioſi.

XI. Otioſus ſibi-ipſi creat omnium bonorum tam ſpiritualium quàm temporalium penuriam, gravamen & moleſtiam, nec non vitæ abbreviationem.

XII. Varia in conſiderationem ducuntur motiva, ut quis deteſtetur otium, ac tempus fructuoſe impendat.

XIII. Varia etiam examinantur capita ſtultitiæ, quam incurrit otioſus jacturam faciens temporis.

XIV. Diverſæ allegantur interpretationes, & expoſitiones morales textus hujus Apoſtoli : *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.*

XV. Modus traditur & Methodus, qua tempus conſervemus & expendamus cum noſtro emolumento & innocentia Chriſtiana ; Item qua ratione tempus poſſimus facere noſtrum.

XVI. Oſtenditur, quantum utilitatis conferant occupationes & labores ad fugiendum otium, ubi & laudantur, qui tempus bene impendunt.

XVII. De tempore, quod honeſtæ recreationi, viriumque reſtaurationi impenditur, ſimulque commendatur otium & quies vitæ contemplativæ.

TRACTATUS CXII.

De Tentatione & ſuggeſtione Diabolica.

Continet Diſcurſus XVIII.

Diſc. I. OStenditur humanam vitam eſſe continuam pugnam & tentationem.

II. Variæ deteguntur technæ, fraudes & doli Dæmonis in Angelum lucis ſe transfigurantis.

III. Deus malitiam Dæmonis damnis noſtris inhiantis in noſtram, cum ei reſiſtimus, convertit ſalutem.

IV. Demonſtratur ſimilitudine de fermento cribrato à Chriſto Domino adinventa, tentationes profectui noſtro eſſe utiles.

V. Tentationes à Deo ordinatæ ſunt ad exercendam ac perficiendam virtutem.

VI. Valde expediunt, ſuntque neceſſariæ tentationes, quibuſcum æternæ gloriæ lucramur gloriam.

VII. Perfectiores ſerpens infernalis tentare ſtudet, uti & illos, quos reperit devotioni magis intentos.

VIII. In noſtrum tentatio illa, quam vincimus, cedit emolumentum, cum per eam plurima alterius vitæ acquiramus merita.

IX. Plura alia examinantur emolumenta & commoda ex tentationibus promanantia.

X. Utiles ſunt tentationes, quia nos conſervant humiles, quod exemplo S. Pauli ſpecialiter probatur.

XI. Deus, qui ex malo novit elicere bonum, odium Dæmonis ejusque tentationes ad majus bonum noſtrum ordinat, ut noſtram probet virtutem.

XII. De debilitate & infirmitate Dæmonis, quando non ſecundatur à noſtra voluntate & conſenſu.

XIII. Deus non permittit Dæmonem prævalere & ſuperiorem eſſe noſtris viribus, communicando nobis auxilia, quibus ei reſiſtere valeamus.

XIV. De auxilio & tutela, quam à Deo recipimus in tentationibus hoſtis noſtri infernalis.

XV. Aſſiſtentia Dei, qua nos protegit & defendit in tentationibus, cooperationem quoque exigit ex parte noſtra.

XVI. Remedia contra tentationes ſunt diffidentia ſui, & confidentia in Deo, invocatio auxilij & nominis ejus, actualis præſentiæ Dei memoria, Communio, Confeſſio, Paſſio. D. N. Sacra Scriptura & verbum Dei.

XVII. Potens motivum, ne Dæmoni adhæreamus, debet eſſe notitia, quod ſit noſter inimicus, unde generoſe ei reſiſtere, ac tentationes nulla ratione quærere debemus.

XVIII. Varij tanguntur modi, quibus tentationibus reluctari, easque evincere & ſuperare poſſumus.

TRACTATUS CXIII.

De Timore Dei.

Continet Diſcurſus XV.

Diſc. I. AD bonam directionem & obſervantiam Divinarum legum ante omnia neceſſarium eſt prædicare timorem Dei.

II. Timor Dei eſt ſtimulus ad pœnitentiam, cooperatur quippe non tantum in abolendo peccato præterito, verum etiam præſervat nos à futuro.

III. Improbatur timor humanus & mundanus ; pariterque oſtenditur, qua ratione bonus ſit timor, dictus, ſervilis.

IV. Demonſtratur timorem filialem eſſe compatibilem cum amore Dei, & ſervilem cum filiali.

V. Semper nobis timendum eſt in negotio æternæ noſtræ ſalutis.

VI. Timor Dei eſt pignus & ſignum æternæ beatitudinis.

VII. In via Dei numquam debemus eſſe ſecuri ; at ſemper timere.

VIII. Qui majori præditus eſt Spiritu, plus timoris habere, nullus ab hoc ſe eximere nec ſecurus vivere debet.

IX. Origo & principium æternæ noſtræ ſalutis ſolet eſſe timor Dei, ubi variæ conſiderationes ſuper illa verba : *Initium ſapientiæ timor Domini.*

X. Oſtenditur timorem Dei eſſe radicem & fundamentum ſapientiæ.

XI. Timenti Deum non deſunt bona ſpiritualia pariter & temporalia.

XII. Timor Dei animabus timentibus confert conſolationes & gaudia.

XIII. Varia conſiderantur bona, quæ à timore Dei derivantur.

XV. Nonnulla tanguntur motiva, quibus ſtimulemur ad concipiendum hunc ſanctum timorem.

TRACTATUS XCIV.

De tribulationibus, infirmitatibus, &c.

Continet Diſcurſus XXXIII.

Diſc. I. VIta humana continua quædam tribulatio eſt.

II. Deo familiariſſimi, chariſſimi, præſertim Chriſtiani invitati ſunt, & vocati ad ſufferendas tribulationes.

III. De honore & gloria, quam Deus repoſuit in tribulationibus.

IV. De lucro, merito, virtute, perfectione tribulationis.

V. Quia tribulatio habet aliquid divini, ideo Chriſtus animas afflictas amplexatur, & cum iisdem converſatur.

VI. Servi cum gaudio & jubilo atrociora ſuſtulerunt tormenta, & plures alias adverſitates.

VII. Animabus afflictis & tribulatione preſſis Deus communicat conſolationes & gaudia.

VIII. Proſequitur Author & probat idem propoſitum.

IX. Tribulatio lumen nobis ſubminiſtrat, ac in Dei nos ducit notitiam.

X. Aperit nobis oculos ut nosmetipſos agnoſcamus & emendemus.

XI. Cooperatur noſtræ converſioni & pœnitentiæ.

XII. Tribulatio patienter tolerata ſolvit pœnas debitas pro peccatis, & ab iisdem nos expurgat.

XIII. Certum habemus ſignum & pignus amoris divini, cùm tribulationes patimur & corrigimur.

XIV. Diſciplina & virga paterna tribulationum paterni amoris Dei erga nos indicium eſt.

XV. Tribulatio vitam gratiæ, multaque alia bona nobis communicat, & in gratia nos confirmat & ſtabiles efficit.

XVI. Tribulationem nobis Deus immittit, ut noſtram experiatur ac probet virtutem.

XVII. Sub alluſione ac metaphora Medici & Medicinæ nonnulla tanguntur bona tribulationis.

XVIII. Infirmitates corporis cooperantur ſaluti animæ.

XIX. Infirmitates freni inſtar ſunt, quo coërcentur peccata & ab hiſce frequenter cauſatæ eorumque pœnæ. Unde interdum contingit, infirmum mediante delictorum ſuorum confeſſione & expiatione priſtinæ reſtitui ſanitati.

XX. Infirmitates virtutum, perfectionisque ſunt exercitium, ac inſtrumentum plurium aliorum bonorum.

XXI. Sunt inſuper divini amoris ſigna, multorumque aliorum bonorum cauſæ.

XXII. Oſtenditur, quantum inferant præjudicium proſperitates & felicitates humanæ.

XXIII. Varia tanguntur bona ex tribulationibus promanantia.

XXIV. De tribulatione ſub metaphora auri.

XXV. Tribulatio, eſt pignus & arrha electionis ad gloriam.

XXVI. Ut tribulationem prompta voluntate ſuſtineamus, conſiderandum eſt, eam breviſſimo duraturam tempore reſpectu præmij, quod erit æternum.

XXVII. Tribulatio infirmum & debilem efficit Dæmonem, & in futura vita parcit pœnis temporalibus, imò & ab æternis nos ſæpenumero eximit. Ubi & inſignis ex S. Thoma de Villa nova adducitur doctrina.

XXVIII. Cum tribulationes noſtrorum pœnæ ſint peccatorum, hac fulciti conſideratione lubentiori animo eas ſufferemus, fructumque inde percipiemus.

XXIX. Varia adducuntur motiva nos inducentia ad patienter tolerandas adverſitates & tribulationes.

XXX. In tribulatione recurrendum eſt ad orationem, eò quod afflictorum preces ſint efficaciſſimæ.

XXXI. Tunc præſertim Deus ſuo nobis adeſt auxilio, ac propinquior eſt, quando tribulationibus preſſi omni humano deſtituti ſumus ſubſidio.

XXXII. Quia à Deo procedunt tribulationes, oportet, ex neceſſitate faciamus virtutem, ac in ea proficiamus, Divinæque voluntati nos conformemus.

XXXIII. Examinatur diſcrimen, quod electorum inter & reproborum intercedit tribulationem.

TRACTATUS XCV.

De Vana gloria.

Continet Diſcurſus XI.

Diſc. I. DEus bonorum noſtrorum operum ſibi reſervat laudem & gloriam, ac propterea nullam exinde concipere debemus vanam gloriam.

II. Complacentia & æſtimatio propriæ laudis radicitus nobis inhæret, ideoque difficillimè evellitur extirpaturque.

III. Vana gloria invadit & aggreditur etiam perfectiſſimos, ac tunc bellum nobis indicit & movet, cum de vitijs triumphamus, bonisque operibus divites ſumus.

IV. Ob timorem vanæ gloriæ occultanda ſunt opera bona, dona gloriæ & favores cœleſtes.

V. Varia proferuntur exempla ſanctorum hominum, qui ne vanam incurrerent gloriam, ſanctitatem ſuam celarunt.

VI. Modus oſtenditur, quo opera bona, ne perdant meritum, à vana gloria tueri poſſimus.

VII. Qui ob vanam gloriam dumtaxat bene operatur, meritorum veræ gloriæ facit jacturam, & ſine omni fructu laborat.

VIII. De jactura veræ gloriæ propter vanam, cùm loco æternæ mercedem recipimus temporalem.

IX. Nonnulla alia conſiderantur damna avidis vanæ gloriæ accidentia.

X. Abominatur & deteſtatur Deus vanam gloriam, cujus deteſtationis æternus ejus Filius multa nobis reliquit exempla.

XI. Deo accepta referre debemus omnia, quæ facimus bona opera, ubi & quædam remedia contra hoc vitium tanguntur.

TRACTATUS XCVI.

De vocatione.

Continet Diſcurſus IX.

Diſc. I. DEus ita diſpoſuit & ordinavit, ut in omni ſtatu, vocatione & profeſſione poſſimus ſalvari.

II. Quilibet ſit contentus ſua vocatione, cùm in ea perfectus eſſe poſſit, etiam vocatus ad ſtatum conjugalem.

III. Qui ſcit vivere in timore Dei, ſalvat animam ſuam in omni vocatione & ſtatu etiam militari.

IV. In omni ſtatu poſſumus operari ſalutem noſtram, exercendo tamen opera virtutum ſtatui noſtro conformia.

V. In ſtatu etiam ſæculari humanæ proſperitatis merita acquiri poſſunt eorum paria meritis, qui vivunt in ſtatu perfectiori.

VI. Divinorum præceptorum obſervantia, quæ conſiſtit in amore Dei & proximi, adoptatur omni ſtatui, & præſertim ſæculari.

VII. In omni vocatione fieri poteſt charitatis exercitium, quo mediante lucramur cœleſtem gloriam, & Deus, quantum ex ſua parte eſt, unumquemque ſalvare intendit.

VIII. Oſtenditur & probatur, nec locum, nec ſtatum ſæcularem obſtare, aut præjudicare virtutis exercitio, & ſanctitatis lucro.

IX. Demonſtratur inſuper aulam poſſe eſſe ſcholam Chriſtianarum virtutum, ac modus pariter exhibetur, quo id præſtari poſſit.

TRACTATUS XCVII.
De Zelo.
Continet Discursus X.

Disc. I. ZElum Deus plurimi æstimat & appretiatur; unde Dei honorem zelans ac defendens participat aliquid Divini.

II. Homini zeloso supernaturalem Deus impertit gratiam & honorem, imo & gratiam, cœlestem pandendo paradisum.

III. Varijs declaratur exemplis, quam gratus Deo fuerit zelus, ac munificentissimè ab eodem compensatus.

IV. Adhuc discutitur & dilatatur materia præcedentis discursus.

V. Zelus suam habet radicem infixam amori Dei, & hic vel maximè zelotem constituit ac defensorem honoris Dei.

VI. Variæ zeli considerantur conditiones, ut sit ordinatus & conformis regulæ rationis & virtutis.

VII. Reprehenduntur acriter qui pravas passiones suas, quibus moventur, zeli tegunt pallio, quos tamen Deus meritò detegit & castigat.

VIII. De zelo, quem pientissimus Redemptor noster demonstravit circa salutem animarum.

IX. Variæ instituuntur considerationes de zelo salutis animarum.

X. De lucro, quod acquirimus, salutem animarum zelantes.

FINIS.

PRO HOC QUARTO TOMO
APPROBATIONES.

TOmus VII. Bibliothecæ Moralis Prædicabilis R. P. Josephi Mansi, Congregationis Oratorij Romani Presbyteri, &c.

Imprimatur.

F. Hyacinthus Libellus S. Palatij Apostolici Magister.

JUbente R.P.F. Hyacintho Libello sacri Palatij Apostolici Magistro, diligenter & exacte pervolvi Tomum Decimum, Undecimum & Duodecimum Bibliothecæ Moralis Prædicabilis ab Adm. R. P. Josepho Mansi, Congregationis Oratorij Romæ Presbytero studiosissimè elucubratos, summo cum studio & attentione perlegi, nec quidquam aut fidei aut sanæ doctrinæ aut menti SS. PP. contrarium reperi, sed potius quod eradicandis vitijs bonisque moribus formandis adjumento esse posset, ac proinde, ut publico Typo exponantur & verbi Dei Prædicatoribus prosint, dignissimos censeo. Dat. Coloniæ in Carmelo nostro. An. 1674. 1. Martij.

F. Jacobus Emans SS. Theologiæ Magist. & Provinciæ Allemaniæ inferioris Definitor.

CENSURA ORDINARIJ.

REverendi & eximij Domini Josephi Mansi, Congregationis Oratorij Presbyteri, Laus in Evangelio ex diversis ejusdem Operibus Romæ Lingua Italica editis, & ab insigni Theologo Germano Latina veste donatis, Apostolicaque Censura probatis jam dudum innotuit. Multum verò crescet ex Bibliotheca Morali quam singulari delectu congessit, Romæ pariter approbatam, quæ ut typis imprimi ac per Archidiœcesin Moguntinam divulgari possit, permittitur. Moguntiæ 17. Julij 1670.

Adolphus Gothofredus Volusius Doct. Protonotarius Apostolicus, & Archiepiscopalis Librorum Censor Moguntinus.

CENSURA.

RDi Adm. Patris JOSEPHI MANSI Bibliotheca prædicabilis iteratò impressa utiliter admodum evulgabitur; in qua verbi divini præcones amplam concionum materiam invenient, & omnis generis argumenta congrua ad inculcandum fidelibus verarum virtutum exercitia, & oppositorum vitiorum fugam, quibus solis perveniri potest ad portum salutis æternæ. Ita censui hac 19. Aprilis 1701.

Arnoldus Eyben Cath. Antverp. Can. Theol. Librorum Censor.

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS II. Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps; diplomate suo sanxit, ne quis præter JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN Typographi Antverpiensis voluntatem, *Eximij Domini P. Josephi Mansi Congregat. Oratorij Romani Presbyteri, locupletissimam Bibliothecam Moralem prædicabilem in folio 4. Tomis*, intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excusam in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve exponat. Qui secus faxit, præter exemplarium confiscationem, triginta florenorum Rhenensium pro unoquoque exemplari persolvendorum pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,

Signat

LOYENS.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ
MORALIS PRÆDICABILIS,
TRACTATUS LXVIII.
DE PATIENTIA.
CONTINET
DISCVRSVS VIGINTI.

DISCURSUS I. De necessitate virtutis Patientiæ.

II. Patientia character est hominis Christiani, efficitque ut hanc fidei nostræ veritatem, à Deo esse agnoscamus.

III. Christus per invictam patientiam suam se filium Dei esse probavit.

IV. Idem Thema continuatur, ostendendo, quod Patientia nescio quid divini in se continet.

V. Patientia ad cœlestem gloriam nos transfert.

VI. Actus virtuosi patientiæ sunt veluti totidem gemmæ, quæ nostram in cœlis coronam adornant.

VII. Nonnulla tanguntur emolumenta, quæ in hac virtute se exercentes sibi comparant.

VIII. Super illa S. Jacobi Apostoli verba: *Patientia opus perfectum habet*, variæ considerationes adducuntur.

IX. Patientia lapis est lydius ad quem vera virtus & spiritus comprobatur.

X. Patientia viam sternit ad cœlum.

XI. Nonnullæ considerantur hujus virtutis excellentiæ, & quam sit Deo accepta, nonnullis ostenditur exemplis.

XII Patientia hominem interiorem in adversis componit, eique in tormentis communicat lætitiam.

XIII. Quantopere dæmon patientiam avertatur, nosque impatientes reddere satagat, quem tamen per patientiam à nobis abigimus.

XIV. Patientiam victoriosam esse ostenditur.

XV. Variæ in detestationem impatientiæ adducuntur considerationes.

XVI Nonnulla veræ Patientiæ præconia, & circumstantiæ expenduntur.

XVII. Patientia ex malo bonum elicit, adversaque in remissionem peccatorum suorum sustinet: Econtra vero impij ingentes sustinent angustias, ut ad vitium & pœnas sempiternas pertingere valeant,

XVIII. Consideratio gloriæ cœlestis ad patientiam exercendam calcaria, addit & præbet auxilia.

XIX. Deus tribulationum est auctor, easque in utilitatem nostram & gloriam suam nobis immittit, ut tanto magis nostram elucescere faciat patientiam.

XX. Varia ad patientiam exercendam considerantur motiva.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.
De necessitate virtutis Patientiæ.

THEMA.

Patientia enim vobis necessaria est. Hebr. 10. ℣. 36.

Non tantum utilis, sed & necessaria est patientia.

1. SAposto lus, qui immediate ab increata Sapientia in paradiso edoctus fuit, patientiæ virtutem, non tamquam utilem, convenientem, & delectabilem, sed tamquam necessariam nobis proponit inquiens: *Patientia nobis necessaria est.* Enimvero quin præsens hæc vita nostra quædam sit species militiæ (*militia est vita hominis super terram*) nulli dubium esse potest; ac proinde quam necessaria est bellantibus armatura, tantumdem quoque necessaria nobis est patientia. Unde S. Bonaventura ait: *Quantum ad internam armaturam, subjungit: In Patientia vestra possidebitis animas vestras, id est defenderis vos tamquam per armaturam perfectam.* Enimvero quocumque in hac lachrymarum valle, in hoc mari procelloso oculos nostros conjicimus, ex omni parte miseriæ, contradictiones & ærumnæ se offerunt, sine numero; nam ut Venerabilis Thomas à Kempis ait: *Dispone & ordina omnia secundum tuum velle, & videri, & non invenies, nisi semper aliquid pati, aut sponte, aut invite, & ideo necesse est te ubique tenere patientiam.* S. Bonav. aliquos enumerat casus in quibus hanc virtutem exercendi specialis urget necessitas, videlicet, *Primo, corporis læsio. Secundo, Temporalis penuria substantiæ. Tertio, Detrimentum honoris. Quarto, Charorum offensio vel subtractio. Quinto, Tranquillitatis mentis quæcumque perturbatio.* Spiritus S. apud Jobum hanc pronunciat sententiam: *Homo natus de muliere, ... repletur multis miserijs.* At vero quodnam adversus illas adhibebimus remedium? S. Bonaventura de *Patientia* differens inquit: *Patientia tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda quia adversitas, quando cum impatientia est, triplex incommodum dat. Exterius ecus homo affligitur, & intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia reditmentem, pro reatu culpæ.* S. Cyprianus in libro *de Bono Patientiæ* inquit: *In tristitia & gemitu finus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ. Edamus plane necesse est cum sudore, & labore. Unde unusquisque nostrum cum nascitur, & hospitio hujus mundi excipitur, initium sumit à lachrymis, & quamvis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere; Providentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores; & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu, & gemitu, rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur, & laboratur.* Quamnam vero idem S. Martyr ex hisce promissis deducit consequentiam? hanc nimirum: *Necessadantibus, & laborantibus possunt alia magis quam Patientiæ subvenire solatia.* Et paulo post idem Sanctus necessitatem in militia hujus vitæ arma manibus vibrandi, quasi manu nostra palpare nos facit dum subjungit: *Oportet in hac fragilitate, atque infirmitate corporea luctari semper & congredi, quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ viribus potest sustineri.*

Job. 7. v. 1.

S. Bonav. in c. 22. Luc.

S. Thom. à Kemp. l. 1. c. 22. de imit. Christi.

S. Bonav. l. 2. perfect. Relig. c. 35.

Job. 14. v. 1.

S. Bonav. ibid. c. 36.

S. Cypr. de Bono Patient.

2. S. Joannes Climacus pro persona Religiosa cujusdam sequentem statuit propositionem, quæ indifferenter ad quoslibet homines, quamdiu hic vivunt, accommodari posse videtur, ait enim: *Non tantopere cibo suo, quam patientia indiget Religiosus.* Quodnam in eo latuisse putas mysterium, quod S. Petrus egressurus ex carcere Herodis in mundum ad convertendos populos, ab Angelo justus fuerit se calceare, maxime cum Christus apud S. Matthæum c. 10. contrarium præceperit, ne scilicet Apostoli sui calceos in pedibus haberent: *Neque calceamenta?* Responderi quidem posset, nequaquam convenisse ut calcei S. Petri apud Hebræos & multo minus apud impium & sacrilegum illum Regem permanerent, siquidem coram illis in omnibus sæculis futuris omnes & singuli, etiam formidabiles totius mundi Monarchæ se in signum subjectionis prosternere debebant iisque cum reverentia devotissima oscula imprimere; Verumtamen melius ad nostrum propositum in sensu morali respondet S. Antonius de Padua S. Petrum ab Angelo jussum fuisse ut calceis se indueret, *ne in via à lapide læderentur pedes: calcei autem hi patientiam denotant, quæ est necessaria in adversis hujus mundi;* quia cum in hac vita quamdiu sumus viatores, *dum sumus in corpore, peregrinamur*, ne ad quemlibet gressum impingamus ad offendiculum, illidamusque

S. Clim. scalæ parad. grad. 27. n. 31.

Ut peregrinantibus calceamenta, ne pedes lædantur sunt necessaria, ita in adversis patientia.

Matth. 10. v. 10.

S. Anton. de Pad. Sab. 2. Quadra.

2. Cor. 5. v. 6.

Psal. 90. v. 12.

ad lapidem pedem nostram, hanc nobis necessariam patientiæ virtutem subministravit. Hæc autem offendicula B.Laurent.Justinianus his verbis innuit: *Peregrinanti homini in hac valle miseriæ multa occurrunt adversa; aliqua ex innata infirmitate, aliqua ex insolita consuetudine; quædam ex Justitia divina, nonnulla vero ex malorum hominum malignitate*; Ideo ne offendamus & lædamus pedem, mystico hoc calceo nobis opus erat; Idem quoque ad superius dicta, scilicet quod *militia est vita hominis*, se reflectens inquit: *æqualis periculi est accedere sine armis ad bellum, & absque patientia ad spiritualis subjectionis, obedientiæque properare conflictum. Ille enim corpus, iste tempus, animamque amittit.* Similem quoque discursum Bellovacensis instituit dicens: *Sumus in terra tribulationis, in agro laboris, in campo certaminis, & Tyrocinio probationis, ubi Tyrones probantur.* Unde S.Bernardus ait: *In campo certaminis sumus, ubi qui plagam, vel livorem non sustinuerit, miles inglorius apparebit. In hoc mundo tot emergunt casus, imminent adversitates, infirmitates, desolationes, & molestiæ, quot homo, velit, nolit, habet sustinere; sicut navis in medio mari undique procellosis fluctibus agitatur & concutitur.* Ut igitur in hisce procellosis non mergamur, anchoram patientiæ in arenam figamus necesse est. Idem doctissimus Præsul in progressu sui discursus hæc verba subjungit: *Patientia est gubernaculum vitæ nostræ*, sicut dicitur Prov. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur patientia. Gubernator autem in fine navis existens, undique considerat pericula, ne incidat in ea, ne impingat in saxum, vel terram, vel sabulum, declinando vitat ventum contrarium. Sic homo patiens debet esse undique circumspectus pericula declinando, ne navis animæ frangatur per impatientiam. Patientia est quasi anchora mentis, firmans eam, & tenens immobilem in tempestate adversitatis. Patientia similis est cuidam pisci, qui dicitur Echinus, de quo legitur in historia transmarina, quod si adhæserit navi, reddit eam immobilem.*

B.Laur.Just. de lig.vit. c.1.
Bellov. l.1. spec.mor.dist. 88.
Prov. 14. v. 29.

3. Consideratione dignissimus est discursus quidam, quem S.Zeno de hac virtute conscripsit, in quo maxime ad propositum nostrum servit, quod sequitur: *Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupiditatem flagrans humanitas per momenta suspirat, tamen omnes, uno eodemque consensu, quasi quemdam patientiæ deferuntur in portum, sine qua nec audiri, nec concipi, nec disci quidquam poterit, nec doceri, nam profecto sola est ad quam res omnis spectet.* O cum quanta veritate lamentari possumus: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus?* Quot ærumnæ sive culpæ, sive pœnæ, ex omni nos parte infestant? *Ipsam animam, & corpus*, inquit Tertullianus, *in sæculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus:* Mortalitas nostra continuum quoddam pondus sibi annexum habet, de quo Sapiens ait: *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam*, & hæc à tentationum vehementia incessanter agitatur, eique prædominantur inordinati ejus appetitus, iræ, odij, invidiæ, concupiscentiæ, superbiæ, avaritiæ, tristitiæ, anxietatis & similes aliæ passiones; Corpus similiter quot objectum est infirmitatibus? quot aëris intemperati injuriis, quot aliis ærumnis famis, sitis, sudorum, laborum, aliarumq; innumerabilium miseriarum? unicum vero horum omnium remedium est Patientia, dicente Greg. Magno: *Cuivis dolori remedium est Patientia.* Dion. Carthusianus pariter integrum quemdam ærumnarum & miseriarum infelicis & deplorabilis vitæ hujus contexit catalogum dum ait: *Nonne vita ista morti similis est, in qua abundant dolores, & gemitus, suspiria, & tantæ miseriæ? alius damno affectus plangit; alius orbitate percussus luget; alius mortem amicorum deplangit; alius in paupertate plorat. Tribulatio magna est, ex quo nascitur homo. Prima lux ejus indicat infirmitatem. Nascitur infans, & statim plorat, nondum loquitur, & Propheta est suæ calamitatis. Lachrymæ testes sunt miseriæ, quod in labore futurus sit, & timore. Mox incipit esurire, & sitire.* Et paulo post subdit: *Quis tibi omnia mala hujus vitæ numerare possit? Ut enim prætermittam ea mala, quæ omnes homines communiter opprimunt, qualia esse putamus secreta pericula, malaque specialia singulorum?* ut autem omnes hasce ærumnas æquanimiter toleremus, ut ex iisdem animæ aliquem conciliemus profectum, & ne ab earum puncturis transfigamur, unicum remedium est patientia; Et ideo *Patienti vobis necessaria est.*

S. Zeno Ser. de Patientia.
Necessaria est patientia propter plurimas miserias, quod occurrunt in hac vita.
Psal. 39. v. 13.
Tertull.l. de Patient.c.8.
Sap.9.v.15.
S.Gregorius.
Dion.Carth. art.36.de arcta via salutis.

4. *Necessaria est*, si considerare velimus multos ab hujus virtutis exercitio procedentes effectus, eosque omnes vitæ nostræ morali & politicæ necessarios. Quidnam enim inveniri poterit, cujus homo magis indigeat, quam sit usus & conservatio rationis? hic autem juxta Doctorem Angelicum patientiæ referendus est in acceptis; Nam ut idem S.Doctor ait: *Patientia est virtus, qua bonum rationis conservatur contra tristitiam, ne ei succumbat. Virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conservant bonum rationis contra impetus passionum: inter alias autem passiones, tristitia efficax est ad impediendum bonum rationis, secundùm illud* 2.Cor.7.℣.10. *Sæculi autem tristitia mortem operatur, & Ecclesiastici* 30. *Multos enim occidit tristitia; unde necesse est habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam;* Hæc autem est virtus Patientiæ; id quod confirmat authoritas S. Augustini *in libro de Patientia* ita scribentis: *Patientia est, qua mala æquo animo toleramus, id est, sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.* S.Cyprianus quoque in hanc rem ita pronunciat: *Patientia quæ nos Deo, & commendat, & servat; ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem in conjunctis & maritatis individuam charitatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; Si ipse delinquas, diu & multum rogare; Tentationes expugnat; Persecutiones tolerat, passiones & martyria consumat.* Quis igitur non confitebitur necessariam esse patientiam vitæ, non solum morali, sed etiam politicæ? sine hac virtute totus utique mundus mera esset quædam confusionis Babylonia. Atque hæc causa est, cur Tertullianus dixerit: *Non licet nobis una die sine patientia manere, etenim cum omnem speciem salutaris disciplinæ gubernet, quid mirum, quod etiam pœnitentiæ ministrat, solitæ lapsis subvenire?* Idem vetustus author in progressu ejusdem libri *de Patientia* c. 14. loquitur: *Omnia placida ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consumat, pauperem consolatur, divitem temperat, gentilem invitat, servum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat. Amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est*, imo adjungere nobis liceat, *necessaria est.*

Usus rectæ rationis est effectus ejus.
S.Thom. 2. 2.Q.36. art.1.
2.Cor.7. v.10.
Eccli.30. v.25.
S.Aug.l. de Patient.
S.Cypr.ibid.
Tertull.l.de Patient. c.12.
Tertull.ibid. c.14.

5. Præterea cor, quod omnium motuum nostrorum spiritualium primum mobile est (unde Christus ait: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes*) in quonam pharmacopolio pro omnibus infirmitatibus suis suum reperiet antidotum, & medicinam? manifestarunt idipsum sancti eremi patres, ut Cassianus refert; qui postquam varios hujus virtutis recensuisset effectus, tandem subjungit: *Per quod evidenter ostenditur, ita efficacissimam medicinam cordis esse Patientiam, secundùm illud Salomonis: Mansuetis vir, cordis est medicus; ut non solum iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ verum etiam libidinis, omniumque pariter extirpet fomitem vitiorum.* Imo adeo necessaria est hæc virtus pro salutis nostræ securitate & promotione, ut S. Ambrosius super illa verba Apostoli: *In multa patientia possidebitis &c.* dicat: *Patientia est quæ salvat homines.* Quo enim modo homines inter se politice conversari possent, nisi inter se mutuo hanc reciproce exercerent virtutem S.Anselmus fructus Spir.S. *Pax, Patientia &c.* explicans, ita scribit: *Quia multa sunt in conversatione humana, quæ pacem turbare possunt, necessario subditur Patientia, per quam injuriæ & adversitates æquo animo sustineantur, ut fraterna pax queat observari. Patientiæ enim est, mala æquanimiter tolerare, & contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore moveri, & quia non ad horam, sed quam diu voluerit Dominus observanda est hæc patientia, subnectitur & longanimitas, per quam omnia perseveranter usque ad finem sustineantur.* Etenim in hac lachrymarum valle, non per unam horam duntaxat, non per diem, non per menses, vel annos, sed semper quousq; vivimus, ex omni parte, in omni loco in quovis tempore, ab omni statu & professione personarum, ærumnas & contradictiones nobis illatas obvias habemus; ac proinde ut cum omnibus, & præcipue cum nobismetipsis in pace vivere valeamus, *patientia nobis est necessaria*, & S.Paulus postquam dixisset *Pax*, mox adjungit

Matth.15. v.19.
Est medicina cordis.
Cassian.collat.12.c.6.
S. Ambros. 1.Cor.6.
S. Anselm. ad Gal.5.

adjungit *Patientia*. Certissimum est, quod continuum, nec unquam interruptum in nobis experiamur conflictum & luctam; *Caro enim concupiscit adversus spiritum spiritus autem adversus carnem. Video autem aliam legem in membris meis*, dicebat S. Paulus, *repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

Gal.5. v.17.
Rom.7.v.23.

6. Enim vero S.Bonaventura inter alios hujus virtutis effectus hunc quoque enumerat, quod scil. *Patientia purget peccata præterita, & præcaveat à futuris*; ac proinde cum verissimum sit, quod *septies enim cadat justus*, patientia quoque non semel, sed septies, per diem pariter necessaria erit, ut se opponat peccatis, vel eadem, si commissa sint, aboleat, siquidem ut suo loco dicetur. Patientia ab amore Dei procedit, cui proprium est peccata extinguere, *charitas enim operit multitudinem peccatorum*. Audiamus quid hac de re magnus ille spiritualis vitæ Præceptor Ludovicus Blosius ad propositum nostrum referat; ita enim scribit: *Mechtildi ait Dominus: Qui aliquod gravamen, vel dolorem etiam permodicum, tali intentione perfert, ut proponat, pro amore & laude nominis mei, libenter majorem dolorem, vel laborem sustinere, si id mihi placeret, is quantumcumque aridum, & peccatorum rubigine obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, & gratiæ meæ capax efficitur.* Cum igitur ad peccatum adeo proclives simus, Deus nobis quoque de hoc antidoto, & Theriaca Patientiæ paterna prospexit. Unde observandum est, quod Sacerdos vel Confessarius post absolutionem Sacramentalem, pro culparum satisfactione hæc verba proferre soleat: *Quidquid mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Hinc etiam S.Fulgentius in acerbissima quadam septuaginta dierum infirmitate se consolabatur, sequentia frequenter repetendo verba: *Domine da mihi modo hic patientiam, & postea indulgentiam*; Nam ut author quidam antiquus conformiter supracitatæ Magni Gregorij sententiæ ait; *Cuivis dolori remedium est patientia.*

S.Bonav. l.2. de Profect. Relig.c.36.
Prov.24. v.16.
Purgat peccata præterita, & præcavet à futuris.
1.Pet.4.v.8.
Blos. in Conclavi animæ v.10.
Baron. An. 529.n.3.
Publius Mimus.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Patientia Christiani hominis Character est, efficitque ut hanc fidei nostræ veritatem à Deo esse agnoscamus

THEMA.

Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Philipp. 1. ℣. 29.

1. S. Apostolus Philippensibus indicat, Deum simul cum dono vocationis ad veram fidem, aliud quoque donum eidem adjunxisse, scil. pro amore sui patiendi; hoc enim innuunt assumpti thematis verba: *Vobis donatum est, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*; Et merito quidem utrumque hoc donum simul conjunctum fuit in illis, quia specialis Christiani character patientia est, & per hanc ad veræ fidei Christi agnitionem devenitur. Id S. Paulus in sua Epist.ad Thessal.eosdem monet inquiens: *Nemo moveatur in tribulationibus istis.* At vero quam ob rem illos in tribulationibus suis adeo constantes & patientes esse volebat? causam hanc subdit Apostolus dicens: *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*: quasi dicere vellet, in hoc enim vocatio nostra consistit, ut videlicet patiamur, & in patientia nos exerceamus. Hanc quoque ob causam magnus ille Massiliensium Episcop. Salvianus dicebat: *Quid enim mirum, si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda universa militamus?* Mutius Scævola sententiosa olim hæc protulit verba: *Agere & pati fortia, Romanum est*: quod longe verius de Christianorum conditione asserere licet; *Pati enim fortia vere Christianum est.* S.Petrus, qui primum catechizavit Christianismum, in Epistola sua prima vocationis nostræ exigentiam declarat inquiens: *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Tertull. *contra Gentiles* in Religionis nostræ defensionem scribens, heroicam Christianorum patientiam certum veræ fidei testimonium esse his verbis demonstrat: *Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad inquirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? ubi accessit, pati exoptat?*

Philipp.2. v.12.
Est specialis character hominis Christiani.
1.Thess.3. v.3.
Ibid.
Salvian. l.3. de provid.
1.Petr.2. v.21.
Tertull.adv. Gent.c.5.

2. Gregorius M.de Martyribus, qui tanta cum promptitudine & hilaritate patiebantur, differens inquirit: *Nunquid carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent?* Hæc autem notitia, & lumen illis per patientiam communicatum fuit. Quando Salvator noster Saulum illuminavit, (*Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini*)... *circumfulsit eum lux de cælo*, ut per lucem Evangelij idololatriæ tenebras è mundo eliminaret; Observandum vero quod eodem tempore simul etiam declararit, se illi præ cunctis aliis rebus Patientiæ characterem imprimere velle, ad hoc ut Apostolus, Doctor gentium, & vas electionis agnosceretur, *ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*; imo ex equo illum dejecit, simulque per aliquot dies cæcum reddidit, & famem pati voluit, ut intelligeremus, dispositiones, per quas forma fidei Christianæ in vero aliquo fideli introducitur, esse pati & sustinere. S.Maximus idipsum confirmat dicens: *Hæc nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus: qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno.*

S.Greg.Hom. 22.in Evang.
Christus per specialem gratiam dicit quod Saulus sit multa passurus.
Act.Apost.9. v.3.
Ibid.v.15.
S.Maxim. Hom.de S. Michaele.

3. Tertullianus de hac virtute librum quemdam composuit, eo quod suis temporibus Ecclesia ab implacabilibus persecutoribus vehementer infestaretur, ideoque necessum erat, ut Christianis illius temporis inæstimabilis patientiæ valor manifestus fieret, ne proscriptionibus & facultatum confiscationibus, carceribus, vinculis, aliorumq; atrocissimorum suppliciorum carnificinæ tamquam victi, & ignavi, cederent, aut succumberent, in hoc autem libro inter cætera ait; *Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani hominis thesaurus, cujus nisi patientia disciplinis eruditur?* Enimvero videri quidem potuisset, quod quando Deus ingens illud patravit prodigium, transformandi lupum in agnum, persecutorem in Apostolum, Saulum in Paulum, eo fine, ut totum universum ad fidem suam converteret, quædam, secundùm exteriorem apparentiam admirabiliora signa attribuere debuisset, videlicet donum linguæ, Prophetiæ, extasium, revelationum, visionum, raptuum ad tertium cœlum, manifestationis divinorum arcanorum; Et tamen idipsum non fecit, sed patientiæ in adversis editæ specimen ab ipso edi voluit; unde ait: *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*; Patientia enim prima est scheda, prima scholæ Christi lectio, primaque Alphabeti sui litera crux est, hæc enim omnes alios characteres præcedit, ac proinde in secunda Epistola ad Corinthios ita scribit: *Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*; ubi notandum, quod patientiæ præ miraculis primatum attribuat, & præcedentiam.

Prima litera in schola Christi est patientia.
Tertull.l. de Patient. c.12.
2.Cor.12. v.12.

4. Quod si etiam multa martyrum acta pervolvere libeat, invenietis utique heroicam illorum patientiam fidem nostram reddisse credibiliorem, pluresque Ecclesiæ filios peperisse, quam donum miraculorum. Nec mirum; quot enim Moyses patravit vera portenta! Quę à magis Pharaonis per imitationem in suspicionem falsi devenerunt? nam Scriptura ait: *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis*; At vero quandonam victas Moysi dedere manus, *& non potuerunt, & dixerunt ad Pharaonem; Digitus Dei est hic* tunc nimirum, quando *erant Sciniphes, tam in hominibus quam in jumentis*; Quando scilicet Moyses divinæ omnipotentiæ specimen edidit, minutissimis animalculis, qualia Sciniphes erant, vigorem & fortitudinem dando, agitandi & molestandi Regem, universumq; regnum ejus, tunc magi relictis præstigiis suis victas dedere manus, veri Dei confitendo potentiam, & dicendo: *Digitus Dei est hic.* Hæc autem *omnia in figura contingebant illis*, ut per hoc significaretur, tunc gentes & Tyrannos devictos & conversos fuisse, Deumque verum fuisse confessos, quando in tenellis virgunculis, & in sexu imbelli heroicam patientiam, cordaque leonina conspexerunt; tunc enim agnoverunt, quia *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Agnoscebant enim dæmones, hanc virtutem, tam debilis sexus pectoribus, nequaquam potuisse imprimere, ac proinde fateri cogebantur: *Digitus Dei est hic.* D. Chrysostomus super prædicta Epistolæ primæ ad Corinthios verba scribens ait: *Vide quid primum collocet, nimirum patientiam, hoc enim Apostoli specimen & argumentum est, nempe omnia forti animo ferre.* Idem Apostolus in Epistola secunda ad 2.Cor.c.4. idem assignat apostolatus sui demonstrativum indicium inquiens: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*; ubi nota, quod dicit *in omnibus*, quidnam enim per hoc ly *in omnibus* innuere intendit? Num forte loquitur de miraculis? de nuditate? de Prophetia? de prædicatione Evangelij? de gentium conversione? nihil horum; Sed ea intelligit, quæ statim subsequuntur, & ad patientiæ exercitium pertinent; subdit enim: *Sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs.*

In martyribus magis patientia quam miracula fidem illustravit.
Exod.7.v.22.
Exod.8.v.18.
1.Cor.1. v.27.
D.Chrysost. ibid.
2.Cor.6. v.4.

5. Philo Carpathius super 1.cap. Cant. inquit: *Be-*

Philo Carp. in c. 1. Cant. Tertull. ibid. c. 3.

nefacere, & mala pati, Christianorum est. Tertullianus malignis Pharisæis ipsorum improperat incapacitatem, seu ut melius dicam, obstinationem, & duritiam, in eo quod Christum non agnoverint, novamq; ejus Evangelicam legem professi non fuerint; ait enim: *Hinc vel maxime Pharisæi Dominum cognoscere potuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Cassianus de quodam seniore Monacho Alexandrino refert, quod cum à paganis truculenter percussus, omnia verbera sine lamentatione, & summa cum patientia pertulisset, velut agnus, qui ad macellum ductus non aperit os suum, interrogatus fuerit, quænam Christus ejus fecisset miracula? Ille autem responderit: *Ex illis unum est quod ego libenter injurias à vobis mihi illatas sufferam, promptusque sim ad omnia alia æquanimiter recipienda, quæ mihi deinceps illaturi estis, nec ob ea irascar, hæc sunt miracula quæ Deus in me fecit.* Trajanus Imperator ob aviditatem patiendi, quam in S. Ignatio Martyre notaverat, prout ex ejus lectionibus deducitur, attonitus dixit: *Nulla gens pro Deo suo tanta toleravit, atque Christiani pro suo Christo.* S. Hieronymus consilium considerans, quod S. Paulus ad Ephesios scribens, iis qui Ephesi sub vexillum Crucifixi se commiserant, dedit, ut videlicet in omnibus adversitatibus suis Deo gratias agerent (*Gratias agentes Deo semper pro omnibus*) in hæc verba scribit: *Christianorum propria virtus est etiam in his quæ adversa putantur, gratias agere Creatori. Juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis, atque miserijs gratiæ Deo referantur, & semper dicamus: Benedictus Deus, minora me scio sustinere, quam merear; hic animus Christiani est.* S. Cyprianus in libro *de bono patientiæ* eximiam hanc de patientia tradit propositionem: *Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit, ipsa est quæ incrementa spei sublimiter provehit, ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur.*

Patientia in martyribus est miraculum Christi.

Cassian. Collat. 12. c. 23.

Ephes. 5. v. 20. S. Hieron.

S. Cypr. de bono Patientiæ.

6. S. Hieronymus in Epistola quadam causam assignat, ob quam multi paganorum, licet Christianos in supplicijs atrocissimis excarnificari viderent, nihilominus conversi fuerint ad fidem: *Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres, atque torqueri, atque in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, numquam sanguine defenderetur.* Idem quoque motivum in Lactantio Firmiano legitur, cujus hæc sunt verba: *Nam cum videat vulgus dilacerari homines varijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices, invictam tenere patientiam, existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium, vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare.* S. Augustinus non quidem in specie de invincibili & admirabili martyrum tolerantia tractabat, sed in communi, quando exinde hanc virtutem à Deo esse, facile cognosci posse, hisce verbis decidit: *Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei bonum est, ut etiam ipsius, qui nobis eam largitur patientia prædicetur.* In annalibus Ecclesiasticis cujusdam historiæ fit mentio, quæ in vitis antiquorum patrum diffuse narratur. Abraham namque Anachoreta in Diœcesi Lampsacensi, ut S. Ephrem Syrus refert per eximiam patientiam multos gentiles convertit, cum enim ibidem quidam magnus esset vicus, qui Tænia vocatur, & frequens populus, qui gravi tenebatur gentilium errore, Episcopus, postquam multos ad dictum vicum misisset Sacerdotes, Diaconos, & Monachos, qui eos ab errore revocaret, nec tamen ullus eorum eos ab errore convertere poterat, tandem Abraham Presbyterum ad illos misit, qui ædificata apud ipsos Ecclesia, ibidem celebrabat quotidie, & fusis ad Deum orationibus, conversionem ipsorum implorabat, atque in illorum absentia idola in fanis ipsorum destruebat; Propter quod omnes certatim ad illum accurrerunt, eumque partim lignis, partim lapidibus eousque tam crudeliter tractarunt, ut quasi mortuus remaneret. Recuperatis autem à Deo per miraculū viribus, se denno in Ecclesiam suam recepit, Deum pro illuminatione populi illius enixe rogaturus, cum ecce de novo eum non minori crudelitate raptatum, lapidatum, fustibus percussum, quasi mortuum reliquerunt, idque repetitis sæpius vicibus reiterarunt: Sanctus autem vir Dei omnes hasce injurias per triennium patienter sustinens, non destitit gentes illas ad resipiscentiam exhortari, quæ tandem tantam admirantes patientiam, Deum ab Abrahamo illis annunciatum verum Deum esse credentes, veram amplexati sunt fidem, ingenue confitentes, eum qui tantam huic servo Dei donavit patientiam, alium quam verum Deum esse non posse.

S. Hieron. ad Hedib.
Patientia martyrum & piorum est conversio infidelium.
Lactant. Firm. l. 5. Divin. Instit. c. 13.

S. Aug. L. de Patien.
Baron. An. 337. n. 42.
Hujus exemplum est in Abrahamo, Anachoreta.

7. Pater Rho *in historijs virtutum* varia heroicæ patientiæ enarrans exempla, de B. Joanne Fernandez enarrat sequentia: *In Firando Japponiæ urbe non ignobili, ad circumfusam concionem dicebat Joannes Ferdinandius Xaverij jussu novæque legis scita quam poterat in ea sermonis infantia commodissime conabatur exponere. Verum barbaris vocibus delicatas Japponum aures cum subinde verberaret, sibilo atque cacchino excipiebatur, quin, ut superbum est gentis ingenium, unus è corona concusso vehementius exoneratoque stomacho, in os dicentis per summam contumeliam exspuit, novam sectam, Doctoremque pariter execratus. Sensit Xaverius, qui hyperaspistes dicenti aderat, eumdem contumeliæ auctorem fuisse, qui olim Christo Domino pari procacitate illusisset, jussitq; proinde Fernandium nulla commoti animi significatione institutam prosequi orationem, & hic se Xaverianæ disciplinæ parem præstitit, abstersoque ore dicere perseveravit. Plus autquanto dissimulando, atque ferendo, quam disputando profuit. Nam quos argumentis ad Christum allicere vix poterat reluctantes, eosdem jam lubentes silentio duxit, atq; ut scias quam eloquens sit patientia, viginti millia fidem paulo post accepere pariter, ac dedere.* Idem author de Duce Giojosa qui Religionem Capucinorum professus fuit, aliud æterna memoria dignum narrat exemplum, quod verissimum esse confirmat, Patientiæ virtutem ejus esse energiæ, ut fidem nostram Christiano-Catholicam verissimam, & à Deo esse, firmiter omnibus persuadeat. Ait enim: *Franciscus Giojosæus ex Duce tota Gallia celeberrimi nominis, jam Christi pauper Capucinorum disciplinam secutus, pedes de more cum peregrinaretur, divertit ad pagi Dominum, clientem olim suum; Homo hæreticus, ut adesse Capucinos intellexit, jussit internuncio famulo, ut abirent in malam crucem, atque illico facesserent: vix ab eodem famulo summis precibus impetratum est, ut clam Domino, quietis atque incœnatis in stabulo noctem illa esse liceret, & jucundissime illi quidem noctem traduxere, illius Charitate & recordatione, quæ Christum Deum in stabulo nasci voluit, moxque albente cœlo abiere. Haud multum confecerant viæ, cum Franciscus idoneum nactus hominem, Dynastæ denuntiare jubet, Giojosæum Ducem pro hospitio gratias agere. Perculit hominem inopina denuntiatio, admissoque equo Dei servum assecutus, ad pedes desiliens, & genua amplectens, dum officij atque humanitatis excusat errorem, fidei exuit, nam ab Giojosæo leniter increpitus admonitusque, ut Christi Domini humilitatem, ac paupertatem in illius servis agnosceret, meliorem mentem induit, pro omnibus disputationibus, omnibusque argumentis fuit incredibilis illa sui despicientia.* Unde patet, quod patientia ab hoc viro sancto exercita, plus energiæ, in hoc Dynasta ad fidem comparando, cumque ad hæresin abjurandam permovendo habuerit, quam omnes disputationes, seu fortissima argumenta &c.

Rho. Hist. virt. l. 6. c. 3. §. 2.
Idem probat exemplo Joannis Fernandez.

Aliud habetur de Francisco Giojosæo Capucino.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Christus per invictam patientiam suam se Filium Dei esse probavit.

THEMA.

Contumelia & tormento interrogemus eum ut sciamus reverentiam ejus & probemus patientiam illius. Sap. 2. ỷ. 19.

1. SApiens post præmissum in cap. 2. libri Sapientiæ diligentissimum circa Divinitatem Fili Dei examen (*gloriatur Patrem se habere Deum si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*) mox ad ejus manifestandam Divinitatem sequens subjungit infallibile argumentum: *Contumelia & tormento interrogemus eum, ut probemus patientiam illius*, quasi dicere vellet, hac virtute in ipso efficaciter comprobata, veneratio ei tamquam vero Deo debita, eidem denegari haudquaquam poterit: *Probemus patientiam ejus, ut sciamus reverentiam ejus.* S. Cyprianus in lib. *de Bono patientiæ*, de Filio Dei in hæc verba scribit: *Quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia Divinæ Majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit.* Imo quis est, qui filiationem Divinam patientiæ partum esse ignoret. Audiamus Tertullianum, qui præceptum hoc mansuetudinis & Christianæ patientiæ à Christo emanatum: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filij Patris vestri qui in cælis est*, considerans, ait: *Prohibita ira restricti animi, compressa petulantiæ manus exemplum linguæ venenum, plus lex, quam amisit, invenit, dicente Christo: Diligite inimicos vestros, ... ut sitis filij Patris cælestis. Videte quem nobis patrem patientia acquirat.* Etenim dignissimæ & divinæ

Patientia Christi probat ejusdem divinitatem.

S. Cypr. de bono patient.

Matth. 5. v. 44.
Tertull.

vinæ hujus virtutis pater est idem ille æternus, quem veneramur in cœlis, ut scribit his verbis S. Cyprianus: *Est nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde charitas ejus, & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo authore procedit. Diligenda, si Dominus nobis & pater Deus est, sectemur patientiam pariter & patris.*

S. Cypr. ibid.

2. Aliæ virtutes ab ipsomet Christo Domino à varijs doctæ fuerunt creaturis; v. g. prudentia à serpente: *Estote ergo prudentes sicut serpentes*; Simplicitas à columba: *Simplices sicut columbæ*: Providentia Dei à liliis: *Considerate lilia agri*: at vero quando de patientia addiscenda agebatur, ipsemet Dei filius ex instinctu Spirit. S. exemplar illius esse voluit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*: Imo filius Dei ipsummet quoque æternum Patrem suum, nobis quoque in Patrem consignat, dummodo mansueti & patientes fuerimus: *Ut sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Videte quem nobis patrem patientia acquirat.* Et ideo S. Greg. inquit: *Dum Mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur.* S. Ambrosius ad illos se reflectens dolores, innumerasque injurias & contumelias, quas Christus tanta cum æquanimitate pertulit, in hæc verba tandem prorumpit: *Injuriarum acerbitate proditur Deus.* S. Gregor. Nyss. in libro *de perfecta Christiani forma* pariter ita scribit: *Ut se prorsus faceret imaginem Dei, ipse qui pro sua erga homines benevolentia factus est imago Dei invisibilis, hoc est, ad humanæ naturæ mensuram sese diminuit, ut nos ad Divinitatis mensuram extollamur. Ea enim fuit negotiatio Filij Dei, ut propria forma, quam sumpsit effectus homo, se rursus ad exemplaris pulchritudinem effingeret, ut esset id quod initio fuerat.*

Matth. 10. v. 16.
Matth. 6. v. 28.
Aliarum virtutum exempla sunt variæ creaturæ, patientiæ vero ipsemet Christus.
1. Petr. 2. v. 21.
S. Greg. l. 3. mor. c. 32.
S. Ambr. l. 2. in Luc. c. 3.
S. Greg. Nyss. de perf. Christiani forma.

3. S. Paulus in Epistola 2. ad Corinth. de Filio Dei incarnato testimonium perhibet, quod *sit imago Dei*; S. Cyprianus autem de æterno ejus Patre ita scribit: *Qualis in Deo, & quanta patientia, quod in contumeliam suæ Majestatis & honoris, instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega, patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter faciat diem nasci, & lumen Solis oboriri, & cum imbribus terram rigat, nemo à beneficijs ejus excluditur.* Et ideo Filius Dei se tanti Patris imaginem quoque esse probavit, dum in eo adimpletum fuit, quod Simeon senex prædixerat: *Positus est hic in signum, ... cui contradicetur*, & nihilominus per invictam patientiam suam infinitis devoratis injurijs, easdem maximis beneficijs compensavit: *Pertransijt benefaciendo & sanando omnes*; nimirum æternus illius Pater eum coram universo mundo verum suum filium esse ostendere voluit, non ex eo, quia sit *Unigenitus, qui est in sinu Patris*, neque ex eo, quia est *ex substantia Patris ante sæcula genitus*, sed exinde solum, quia suam hic in terris æmulatus fuit divinam patientiam. Observandum quoque Patrem æternum binâ vice Christum Dominum voce ab unoquoque distincte & articulate satis percepta declarasse suum filium, dicendo: *Hic est Filius meus dilectus*, scilicet ad Jordanem, & in monte Thabor. Et merito, nam dum aquis illis sese immergeret, innumeras prævidebat injurias, contumelias, & offensas, quas patientiæ suæ virtute æquanimiter toleraturus erat à tot animabus; quas expectabat ad pœnitentiam, ut illas per salutares lavacri baptismatis undas expiaret. In monte Thabor autem ante oculos ejus acerbissimi obversabantur dolores & tormenta, quæ paulo post passurus erat: *Loquebantur enim* (scilicet Christus, Moyses, & Elias,) *de excessu, quem completurus erat in Jerusalem.*

2. Cor. 4. v. 5.
S. Cypr. ibid.
Filius Dei est imago Patris per patientiam.
Luc. 2. v. 34.
Act. Apost. 10. v. 38.
Joan. 1. v. 18.
Matth. 3. v. 17.
Matth. 17. v. 5.

4. Verum enimvero ex quo passionis mentionem facere cœpimus, occurrit mihi (quod nescio an aliquando hactenus observaveritis) quod scilicet tres Evangelistæ concorditer, solo excepto S. Joanne Evangelista, Christi in horto exhibitam ad calicem illum amarum epotandum renitentiam enarrarint. Sed cur S. Joannes pariter illius renitentiæ mentionem non fecit? Num forte ideo illam non recensuit, quia scilicet tempore illius renitentiæ in horto præsens non fuit? Nequaquam; Imo S. Marcus omnino contrarium his verbis indicat: *Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum, & cæpit pavere, & tædere & ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Cur igitur qui Evangeliū conscribendi munus in se assumpserat, cunctaque alia tam exacte conscripserat, factum quoddam tanti momenti sub silentio præterivit, maxime cum ipse solus inter omnes Evangelistas facto huic præsens tamquam spectator interfuerit? Origenes dubium hoc in favorem nostrum resolvit; inquiens: *Tres isti retulerunt, Jesum postulasse à Patre, ut transiret calix ab eo, quoniam & proprium hominis est, quantum ad infirmitatem pertinet*

Joannes in suo Evangelio omisit Christi renitentiam bibendi calicem passionis, ne præjudicaret ipsius patientiæ, quæ est indicium divinitatis.
Marci. 14. v. 33.
Orig. Tr. 35. in Matth.

carnis, velle evadere passionem. Joannes autem propositum habens exponere Jesum Deum Verbum, sciens quia ipse est vita, & resurrectio, nescit Deum impassibilem refugere passionem; quasi diceret: Joanni, qui in Evangelio suo Christi Divinitatem, & cœlestem ejus filiationem demonstrare proposuerat, videbatur se huic filiationi divinæ præjudicaturum esse, si eum à patientia calicis epotandi alienum fuisse, coram universo mundo testaretur, siquidem hæc virtus Filij Dei, & divinitatis speciale & infallibile est indicium.

5. Præterea, licet Christus Dominus à primo conceptionis suæ instanti, animam perfecte beatam habuerit, quæ corpori ejus quatuor dotes gloriosas communicatura erat, quarum una est impassibilitas; attamen triginta tribus annis per continuum miraculum eamdem suspendit, & in superiorem animæ portionē transfudit, ut patientiæ virtutem exercere posset, per quam se filium Patris sui, qui in cœlis est, manifestare intendebat. Ad hæc cur Christus eo tempore, quo perfidi Hebræi ei in cruce pendenti acclamabant: *Christus... descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus*, de cruce non descendit, ut Hebraismum ad ovile suum revocaret, maxime cum ipsemet alias dixisset: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël?* Cur qui ad convertendos Judæos tot alia miracula patrarat, hoc quoque in Divinitatis suæ testimonium non adjecit? Rabanus ad hoc respondet: *Si enim tunc de cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret sed expectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiā.* Patientia enim, quam in æquanimitate sua, qua tot contumelijs, irrisionibus, flagellis, omnibusq; aliis atrocissimis tormentis se libenter subjecit, exhibuit, illū humana mortalitate superiorem esse, evidenter probavit.

Marci 15. v. 32.
Matth. 15. v. 24.
Raban. l. 7. in Matth.

6. Regius quidem Propheta David æternum Patrem his verbis Filium suum introducit alloquentem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non tamen tempus & occasionem exprimit, per quam Pater æternus ad id dicendum motus fuerit, ac proinde quandonam id dictum fuisse existimatis? Num forte in incarnatione? aut vero quando in Baptismo ipsum Filium suum dilectum esse gentibus manifestavit? vel in transfiguratione? aut resurrectione? vel in quatriduani Lazari resuscitatione? minime gentium; sed in passione ejus ipsum filium suum esse, prædictis verbis declaravit, nam postquam Psalmista dixisset: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* quare *astiterunt reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus*: paulo post subdit: *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu &c.* Ubi S. Hilarius notat inquiens: *Id quod nunc in Psalmo est: Filius meus es tu, ego hodie genui te, non ad virginis partum, neque ad lavacrum regenerationis, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere, apostolica authoritas est.* Observastisne aliquando, quod Spiritus angelici Filio Dei in triumphali ascensione sua, quando illum invictæ patientiæ suæ signis eleganter adornatum viderunt, attoniti accurrerint, dicentes: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Certe non immerito id dixerunt, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, *cum Jesus patientiæ cursum absolvisset*; Ubi notanter triginta tres annos vitæ Redemptoris patientiæ cursum appellat. Tertullianus inquit: *Ad solita scilicet veniam offensæ patientiam eruditus, non contendit non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restrinxit, neque enim mentitus fuerat Propheta, imo ipsiusmet Dei contestatio Spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis.*

Psal. 2. v. 7.
33. Anni Christi fuerunt cursus patientiæ.
Ps. 2. v. 1.
Isai. 63. v. 1.
S. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. de Ascens.
Tertull. l. de Patient. c. 3.

7. In Symbolo Athanasij dicitur Filius Dei *ex substantia patris ante sæcula genitus*: ut autem imaginem suam, id est Filium Dei se ab omnibus ad vivum cognoscendum præberet, præter paternam suam substantiam Spiritum suum ei communicavit, id est, divinam suam patientiam, dicente Tertulliano, ubi supra: *Spiritum suum in filio cum tota patientia collocavit* S. Cyprianus de æterno Patre in hæc verba loquitur: *Videmus inseparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxijs, religiosis & impijs, gratias agentibus, & ingratis, Dei nutu tempora obsequi clementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, prata florere, & cum crebrissimè continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat. Cum habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer, & differens, ut si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur.* Porro hæc patientia filio

Pater præter Spiritum Sanctum filio communicavit divinam patientiam.
S. Cyprian. ibid.

filio pariter communis fuit, qui in pluribus actionibus, se filium Dei manifestavit, divina filiatione sua in hujus virtutis exercitio manifeste apparente.

Pilatus miratus fuit Christi patientiam magis quam ipsius miracula.

3. Verisimile est Præsidem Judææ Pilatum, multa ab ipso perpetrata intellexisse miracula, scilicet quod modicis panibus multa hominum millia satiarit, multos mortuos, & specialiter Lazarum paulo ante passionem suam ad vitam revocarit. Triumphum quoque quo quinque ante diebus in civitatem Hierosolymitanam cum palmis & olivis exceptus, eamdemque ingressus fuerat; Et tamen nihil horum tantum ei attulit stuporem, quantum invicta ejus patientia: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Ipsum namque unico dumtaxat verbo omnes à se propulsare potuisse injurias, justificare calumnias, propriam defendere innocentiam, atque à morte se eximere, & tamen ut amarissimam pateretur mortem, eamque præcedentia tormenta, ita se potuisse continere, ut ne verbum quidem in sui purgationem proferret, cum tamen favorabilem sibi haberet Judicem, hoc utique unum est, ex infallibilioribus, evidentioribusque divinitatis suæ argumentis. Unde Tertullianus ait: *Cum traditur, cum adducitur ut pecus ad victimam (sic enim non magis aperuit os, quam agnus sub tondentis potestate) ille, cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis affuissent, ne unius quidem discentis gladium ultorem probavit, patientia Domini in Malcho vulnerata est, &c. sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit per Patientiam misericordiæ matrem. Taceo quod figitur, in hoc enim venerat; numquid tamen subeundæ mortis etiam contumelijs opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides; Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisæi Deum agnoscere debuissent. Patientiam enim hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Maligni porro Pharisæi in vicem illius, quod in prodigiosa cæci nati illuminatione, per sputum suum patrata, suos & ipsi debuissent aperire oculos, ab invidia excæcati illos potius occluserunt, ipsum aperte calumniando, & dicendo: *Scimus quia hic homo peccator est*; At vero quod si ex tam patenti miraculo non fuere convicti, ad minus in sua invincibili patientia, quam exhibuit, quando in vultu suo qui totum cœlum beatitudine implet, ipsorum fætida & puteolentia sputa toleravit, convinci debebant, quod scilicet plus quam homo, imo Filius Dei esset. S. Cyprianus Christum admiratur eousque patientem, *ut insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulo ante formasset.* Idem Sanctus sequentem quoque instituit ingeniosam ponderationem: *Vivificatur Christi sanguine, etiam qui sanguinem fudit, talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi talis, ac tanta existeret, Paulum quoque Apostolum Ecclesia Dei non haberet.* S. Ambrosius hanc virtutem suam à Christo in tantis opprobrijs patiente & mite, originem traxisse censuit, dum ait: *Principium patientiæ Christus, qui cum malediceretur, non maledixit, cum percuteretur, non repercussit.* S. Cyprianus nos tamquam viva Christi membra ad hujus imitationem invitat dicens: *Quod si & nos fratres in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur. Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua dicit: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Blosius ad hoc ut Christum patientem imitemur, sequens nobis suggerit efficax & nobile motivum: *Attendamus oro diligentius, qualiter Dominus noster Jesus Christus cum sceleratis deputatus fuit, & nec unam quidem sanguinis guttulam in corpore suo servavit, nec quidquam in ipso non lacerum, atque discerptum extitit. Perpendamus præterea, quisnam ipse sit, quodque omnem acerbissimam passionem suam ex amore purissimo sustinuit, pro illis etiam peccatis quæ illius tortores in eum commiserant. Consideremus insuper, quam amanter vera cum fidelitate ad hostes suos, qui mortem ipsi inferebant, conversus sit, brachia sua ad suscipiendum illos extendens, caput ad osculandum inclinans, cor (quo in ipso habitare possent) aperiens, multaque alia dilectionis signa præ se ferens. Attente, inquam, ista consideremus, & ex eis roboremur, & inflammemur ad patientiam servandam in rebus adversis.*

Matt. 17. 13. & 14. — *Tertull. ibid. c. 3.* — *Joan. 9. v. 24.* — *S. Cypr. ibid.* — *S. Ambros. l. 3. de Fide c. 4.* — *S. Cypr. ibid.* — *Blos. in sacello animæ c. 12. n. 4.*

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Patientia, quæ, nescio quid divini in se continet, Christum Filium Dei esse demonstrat.

THEMA.

Deus autem patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum. Rom. 15. ℣. 5.

1. S. Paulus, qui in cœlum raptus ab eo edoctus fuit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ,* quinque divinorum attributorum testis oculatus extitit, ut nobis aliquam eorumdem instillaret notitiam altissimi Dei majestatem non velut omnipotentem, æternam, infinitam, immutabilem, sapientem, sanctam, justam, misericordem, sed ut patientem repræsentavit inquiens: *Deus patientiæ:* quasi vero hæc virtus aliquid in se divini habeat, sitque individua divinitatis comes. Unde Tertullianus ait: *Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem non affectatio humana, caninæ æquanimitatis stupore formata, sed vivæ ac cœlestis disciplinæ divina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens Patientiæ exemplum.* S. Paulus in eadem Epistola ad Romanos paulo ante Deum aliquod edere voluisse specimen Omnipotentiæ suæ dicebat, quæ unum est ex præcipuis attributis, per quæ vera Deitas demonstratur: *Quod si Deus volens ostendere iram & notam facere pænitentiam suam;* at vero quonam modo hanc omnipotentiam suam præcipue demonstravit? nimirum per patientiæ exercitium, subdit enim statim Apostolus: *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum ut ostenderet divitias gloriæ suæ.* Unde patet, quod Deus ad gloriæ suæ ostentandos thesauros, patientia sua usus fuerit; Et ideo mirum non est, quod scilicet ad dexteram Patris sui sublimatus non fuerit, nisi prius tantæ gloriæ excelsissimus thronus heroicis invictæ patientiæ actibus, tamquam gemmis & lapidibus pretiosis fuisset distinctus & exornatus, per hanc enim patientiæ virtutem se dignum & verum Dei filium esse probravit.

Patientia probat Christum dignum & verum esse Dei Filium. — *Tertull. l. de Patient. c. 2.* — *Rom. 9. v. 22.* — *Ibid.*

2. S. Gregorius Nyssenus inquirit: *Patientia quot modis in imagine Filij Dei conspicitur? Ubi gladius, fustes, vincula & verbera, alapis maxillæ percussæ, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, judicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus irrisionibus, contumelijs, & calami percussionibus immitem exequentes sententiam, per delicias exacerbantes clavi, & fel, acetum, & gravissima quæque ipsi sine causa illata &c. Sic alia omnia in principe imagine licet intueri, ad quam qui respicit, & ad ejus similitudinem formam exornat suam, ipse quoque fit imago Dei invisibilis, per tolerantiam expressa.* Porro licet increatum Patris Verbum ad redemptionis nostræ consummationem fragilem nostram & servilem assumpsisset carnem, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus,* attamen, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;* at vero quonam modo se, licet homo & servus esset, æqualem Deo esse ostendit (*æqualis Patri secundum Divinitatem*) modum hunc S. Apostolus immediate post declarat, inquiens: *Semetipsum exinanivit... Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ecce tibi manifeste probatum qualiter patientia sola sit illa, quæ Christum hominem Dei quoque filium esse, & ad dexteram Patris in cœlo considere manifestavit. Quod ipsum quoque post resurrectionem suam duobus discipulis in Emaus euntibus ostendit, dum ait: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Per hanc enim patientiæ virtutem ab ipso in gradu eminenti exercitam, nostram stabilivit fidem, verum se Deum esse ostendendo. Unde Tertullianus postquam multas in medium attulisset tormentorum, quæ passus est periodos, subjungit: *Talia tantaque documenta quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos vero ratio & fruitio, satis aperte, non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo, probant his quibus credere datum est, patientiam esse Dei naturam, effectum & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.* Cum enim in Symbolo S. Athanasij de Filio confiteamur, quod sit

S. Greg. Nyss. de perfecta Christiani forma. — Per patientiam Christus est æqualis Patri. — *Philipp. 2. v. 6.* — *Ibid. v. 7.* — *Ibid. 8.* — *Ibid. 9.* — *Ibid. 10.* — *Ibid. 11.* — *Luc. 24. v. 26.* — *Tertull. ibid. c. 3.*

ex

ex substantia Patris ante sæcula genitus, consequens est, quod cum substantia Patris Sapientia sit, eadem pariter transfusa sit in Filium; ac proinde idem Tertullianus cum magno sublimis ingenij sui acumine dixit: *Patientia Domini in Malcho vulnerata est.* At vero dices, cum attributa Divina, impassibilia, immortalia, & inalterabilia sint, quonam modo Tertullianus dicere potuit, vulneratam esse Domini patientiam, quando S. Petrus iratus, & impatiens Malcho auriculam amputavit? Pro responsione memorandum est id, quod in præcedenti discursu diximus; Cum enim Redemptor noster, per admirabilem patientiam suam, se filium Dei esse manifeste ostendere decrevisset; S. Petrus autem Apostolici caput Collegij, Malchum, qui lictorum Christum capientium caput erat, graviter vulnerasset, facilis esse poterat suspicio aliorum, idipsum factum fuisse prævio Redemptoris nostri consilio, pariter & consensu, quod in magnum cedebat patientiæ ipsius præjudicium, quæ ipsum per totum Passionis suæ decursum Filium Dei esse, manifestare debebat.

Objectio refutatur. — *Tertull. ibid.*

3. Ac proinde observandum est, quod licet in illa nocte, qua à Judæis captus fuerat, nulla decrevisset facere miracula, ut inter illas humilitatis suæ tenebras, lux Omnipotentiæ ipsius absconderetur, hacque ratione caro ipsius tanto atrocioribus subjiceretur tormentis attamen ingratum servum illum miraculose sanare nequaquam intermittere voluerit, ad abolendam sinistram illam de se conceptam opinionem, quasi ad amputandam Malcho auriculam consilio, jussu, vel consensu suo fuisset cooperatus; Unde & eumdem Petrum facinus hoc perpetrantem gravissime reprehendit: Quamvis credibile quoque sit Dominum hanc S. Petri temeritatem indigne tulisse, magnumque hoc restitutæ Malcho auriculæ patrasse miraculum eo fine, ut tanto magis suam authenticaret doctrinam, quam tanto tempore suos docuerat Apostolos: *Discite à me*; Quamnam enim virtutem Apostolos à se vel maxime præ cunctis aliis edoctos esse cupiebat; Num forte sacrarum literarum peritiam? Nequaquam; hæc enim Spiritui Sancto tradenda reservabatur, juxta illud: *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Quid ergo? num forte modum convertendi mundum? miracula patrandi? eradicandi idololatriam? aut dæmones fugandi? Minime. Quid ergo? modum vivendi in mansuetudine, patientia, humilitate. *Discite à me quia mitis sum*; quasi Christus dicere vellet; Volo ut in hujus virtutis assiduo exercitio mei agnoscamini Discipuli & Apostoli, hæc enim virtus, plus divini, quam humani in se continet. Et ideo cum à malignitate Judaica facile credi potuisset, Petrum in nomine omnium Collegarum suorum, imo & ipsiusmet Christi, cœlestis Magistri sui Malchum adeo inhumaniter tractasse, adeoque haud immerito doctrinam à Christo hactenus de mansuetudine prædicatam destructum iri timeri potuisset, invictæque patientiæ suæ magnopere derogatum fuisset, mirum non est quod Christus Petrum, post amputatam Malcho auriculam, adeo acriter increparit, vulnerique inflicto tam promptum attulerit remedium, ut vulnus hoc Malcho contra suam voluntatem inflictum fuisse significaret.

Christus increpavit Petrum quod amputaverat auriculam Malcho eamque restituit ne ipsius patientiæ præjudicaretur. — *Matth. 11. v. 29.* — *Joan. 14. v. 26.*

4. Summus Sacerdos, apud S. Matth. Christum in hæc verba interrogasse legitur: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* At vero scire percuperem, undenam summus hic Sacerdos Christum verum in lege promissum Messiam esse scire, aut suspicari potuerit? Verumtamen facilis ad hoc est responsio, siquidem idipsum clare nimis ex eo conjicere poterat, quod videlicet inter innumeras injurias, calumnias, falsissimaque accusationum capita patientissimus fuerit: *Jesus autem tacebat;* Hæc enim patientia, ut Tertullianus ait, aliquid divini præ se ferebat. Paulo post vero mansuetissimus Redemptor placide respondit inquiens: *Tu dixisti; Verumtamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei venientem in nubibus cæli.* Quæ responsio efficaciter nostrum confirmat propositum, siquidem ut Doctor Angelicus, aliique graves Doctores asserunt, judiciaria potestas ab æterno Patre ei propter merita humilitatis, & exhibitæ in Passione invictæ patientiæ delegata fuit. Verumtamen audiamus hac de re in hæc verba loquentem S. Augustinum: *Fieri non posset, ut expectarent eum gentes venturum, sicut eum cernimus expectari, ut veniat ad faciendum judicium in claritate potentiæ, nisi prius in eum crederent, cum venit ad patiendum judicium in humilitate Patientiæ.* Idem S. Doctor Christum considerans corona spinea capiti suo fortiter impressa, circa tempora redimitum, in hæc verba scribit: *Sic martyres informabantur ad omnia, quæ persecutori libuisset facere, perferenda; Sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia; Sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.*

Matth. 26. v. 63. — Ex patientia Christi summus sacerdos suspicatur ipsum esse promissum Messiam. — *Ibid.* — *Ibid. v. 64.* — *S. Thom.* — *S. Aug. l. 18. de Civit. Dei c. 45.* — *S. Aug. Tr. 116. in Joan.*

5. Enimvero, ex quo regni mentionem fecimus, super montem Golgotha vos invito, ut latronis cujusdam supplicationem Christo in cruce præsentatam auscultetis. Dicit igitur S. Lucas Evangelista: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos; Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit; Et dicebat ad Jesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Verum enimvero undenam bonus hic latro lumen & notitiam de innocentia & divinitate Christi sibi comparavit? Verum quidem est, quod Hebræi regem eum declaraverint, sed hoc per ludibrium factum est, dum illum lacera induerunt purpura, spineo caput ejus cinxerunt diademate, arundinem manibus ejus inseruerunt pro sceptro, ac deniq; in patibulum, velut in thronum clavis eum confixerunt; Ex hoc autem ludibrio seria hæc boni latronis nasci non poterat affirmatio. Respondetur ergo, eum quodam supernæ gratiæ illustratum fuisse radio, ut invictam & miraculosam Christi agnosceret patientiam, & quidem illam præcipue, quam erga ipsum à principio simul cum collega suo ipsum injuriantem exhibuerat, nam ut S. Marcus scribit: *Et qui cum eo Crucifixi erant, convitiabantur ei.* Audiamus hac de re Theophylactum dicentem: *Verisimile autem est quod primo quidem eum duo convitiati sunt deinde unus eorum cordatior, agnoscens divinitatem Jesu, ex voce quam fecit pro crucifixoribus, Pater dicens, dimitte illis; Quæ vox non solum omni misericordia plena est, sed & magnam authoritatem præ se fert.* Dionysius Carthusianus notat Christum non respondisse, sed blasphemias non solum Principum Synagogæ, Magistratuum & Pontificum, verum etiam ipsorummet latronum, & actualiter ipsum crucifigentium intolerabiles injurias patienter sustinuisse. Unde præfatus Dionysius ait: *Mirabilis fuit patientia Christi, latroni non respondentis,* ait quippe Chrysostomus: *Mirabilius est videre hominem convitia passum, & non motum, quam hominem percussum & vulneratum, & non cadentem. Credidit latro Jesum esse Messiam in lege promissum, cujus est regnum cælorum, hoc autem credit ex mirabilibus quæ aspexit.* At vero dices, quænam fuerunt hæc mirabilia & stupenda miracula? num forte insolitæ Eclipses, quæ circa Christi mortem contingere? nequaquam. Neque enim hic latro Astrologiæ peritus erat; forsitan fuit admirabilis illa naturæ totius perturbatio atque subversio, qua se ad vindicandas Creatori suo illatas injurias obarmavit? multo minus, quia hæc naturæ perturbatio, Christo jam mortuo pridem contigit. Audite igitur quænam fuerint hæc tam stupenda prodigia; dicit enim Carthusianus: *Credidit ex ineffabili patientia & mansuetudine Christi.* Ac proinde quid mirum est si latro Christum Deum confessus fuerit, quandoquidem paulo ante ipsemet quoque dæmon Christum Deum esse suspicatus, Pilati conjugem urserit, ut maritum suum ab ejus condemnatione dimoveret. At vero dic sodes, undenam hæc dæmonis nata est suspicio, ut Christum Deum esse conjicere inciperet, num vero suspicio hæc nata est ex Eucharistiæ institutione, quæ præcedenti vespera contigerat? aut vero exinde quia scilicet oracula & vaticinia prophetica in ordine ad Christi passionem edita, adimpleta viderit? minime, respondet B. Laurentius Justinianus, sed *diabolus expavescere cœperat, ne esset ipse, per quem futura esset salus Judæorum; nam supra humanam consuetudinem atque virtutem, patientiam Christi esse cernebat.* S. Matthæus de Centurione, qui gentilis erat, nec non de militibus ejus, qui Dominum crucifixerant, ita scribit: *Centurio autem, & qui cum eo erant,... timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste,* causam vero hujus Confessionis S. Marcus nobis his verbis revelat: *Videns autem*

Luc. 23. v. 39. — Bonus latro in cruce divinitus illuminatus ex patientia Christi agnovit ipsius divinitatem. — *Marci 15. v. 32.* — *Theophyl.* — *Dion. Carth.* — *D. Chrysost.* — *Matth. 27. v. 19.* — *B. Laur. Just. de triumph. Christi agone c. 13.* — *Matth. 17. v. 53.* — *Marc. 15. v. 39.*

Centurio,

Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic homo filius Dei erat. Etenim hic Centurio ſeptem verba quæ Chriſtus in cruce protulerat, in quibus admirabilem quamdã patientiã & manſuetudinem ad vivum expreſſerat, pro crucifixoribus ſuis rogando, & inter tot improperia ſolitã ſuam continuando manſuetudinem, ac proinde apud ſe concluſit dicens: Certum eſt, neque enim decipior: *Vere hic homo filius Dei erat.* Verum quidem eſt, quod S. Matthæus dicat: *Viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt, dicentes: Vere filius Dei erat iſte;* Verumtamen hoc ita intelligendum eſt, quod ſcilicet Centurio, & qui cum eo erant, videntes, quod totum univerſum cum omnibus creaturis Creatoris ſui mortem vindicare vellet, nec tamen poſſet, eo quod à Salvatore noſtro coërceretur, viſa hac conſtantiſſima manſuetudine & patientia, vel maxime in eo confirmati fuerint, quod ſcilicet Chriſtus verus eſſet Dei filius. Unde S. Leo ait: *Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus auctori, ut in Occaſu Conditoris ſui vellent univerſa finiri, ſed patientia Dei ſervat rebus, atq; temporibus ordinem ſuum, noſque in illum potius vocat affectum, ut eorum ſalutem petamus, quorum crimen horremus.*

S. Leo Ser. 6. de Paſſione.

6. Porro ad ea quæ hactenus diximus probanda, plura alia argumenta nequaquam deſunt. Etenim in c. 1. S. Joannis narratur, S. Philippum, poſtquam ad Apoſtolatum receptus fuit, occurriſſe Nathanaeli, eique dixiſſe: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus, Jeſum, filium Joſeph, Et à Nazareth, dixit ei Nathanael; A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe; Dicit ei Philippus; Veni, & vide. Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* At vero valde mirandum eſt quod Chriſtus (de quo S. Joan. in fine capitis ſequentis ait: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine;* & de quo Regius Pſalmiſta prædixerat: *Alta à longe cognoſcit*) ſciens Nathanaelem paulo ante per ludibrium de eo dixiſſe: *Numquid à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* quiq; proinde adeo te incredulum eſſe probaverat, nunc tantopere laudet, dicendo: *Ecce vere Iſraëlita &c.* Verumtamen exinde potius agnoſcendi ſunt miri patientiæ Chriſti effectus, ſiquidem per hanc bonum pro malo reddit; & ideo hac conſpecta patientia Nathanael in hæc verba prorupit: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël.* Et ideo D. Chryſoſt. ait: *Ex quo maxime eum ſibi conciliavit, cum eum exinde non reprehendit, ſed laudibus proſecutus eſt, & admiratus, his verbis vere Chriſtum eſſe cognovit.* S. Bernardin. in ſerm. quodam octavam obſervans beatitudinem inquit: *Octavam beatitudinem patientiam ſtatuens ſubdit: Beati qui perſecutionem patiuntur. Dupliciter ad patientiam bene ſe habet homo. Primo per fortitudinem; Secundo per beatitudinem. Primo per fortitudinem, ut puta: quando imminente paſſione & tribulatione, homo à virtutibus non diſcedit, licet ſuſtineat adverſa cum diſplicentia, & dolore, & hoc fit per fortitudinem, quæ virtus politica eſt. Secundo vero bene ſe habet homo ad patientiam per beatitudinem, quod quidem excellentius fit, quam per virtutem moralem, nam talis patientia hujuſmodi beatitudinis eſt quædam fortitudo divina, videlicet, cum ſuſtinet homo non tantum patienter, ſed etiam lætanter, ſicut & Martyres faciebant, qui quanto acerbioribus tormentis cruciabantur, tanto amplius in Domino lætabantur.* Ubi ſpecialiter notanda ſunt illa verba: *Fortitudo divina,* quia vera patientia divini quidpiam in ſe continet.

Chriſtus reddidit Nathanaeli bonum pro malo.
Joan. 1. v. 45.
Ibid. v. 46.
Ibid. v. 47.
Joan. 2. v. 25
Pſal. 137. v. 6
Ibid. v. 49.
D. Chryſoſt. Hom. 14. in Joan.
S. Bern. t. 3. Ser. 9. de Martyr. & perſecut. juſtorum.

7. Dixit olim Deus ad Moyſen: *Conſtitui te Deum Pharaonis.* At vero quanam præcipuè in re ſe obſtinati hujus Regis Deum eſſe monſtravit? Scio quidem quod hanc Divinæ omnipotentiæ delegationem ſuper creaturis oſtenderit, Elementa v. g. obedire faciendo, transmutando aquas in ſanguinem, cœlum grandinibus, turbinibus, fulminibus armando; Verumtamen Pharao in propria perſona ab omnibus illis decem plagis exemptus fuit. Verumtamen dubium hoc facile ſolvitur, dicendo, quod Moyſes Dei patientiam æmulari volens, patientiam & ipſe diuturnam cum Pharaone habuerit, expectando eum ad pœnitentiam. Unde Oleaſter ait: *Expende quæſo quanta ſit dignitas ſancti Moyſis, quem Deus ſic evexit, ut Deum Pharaonis conſtituerit, & ſimiliter quanta ſit miſericordia ejus, ut non illum ſtatim occideret, ſed patientia, quaſi Dei, tulerit, & monuerit.* S. Ambroſius Moyſen à Spiritu S. commendatum, velut virum totius generis humani manſuetiſſimum (*Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines*) admirans ait: *Quantas à populo illatas Moyſes abſorbebat contumelias, cum mitt ſermone poſt injurias appellabat quomodo conſolabatur in laboribus, oraculis deliniebat, fovebat operibus? merito æſtimatus & ſuper homines, ut & vultui ejus non poſſent intendere.* Dni ante illum Joſeph Patriarcha divinam æmulatus fuerat patientiam, de quo proinde S. Zeno ita ſcribit: *Joſeph patiens invenitur è paſcuo cum à fratribus capitur, patiens, cum in puteum demittitur; Patiens dura cum haſta diſtrahitur, patiens in carcere; In Regno patientior, patientiſſimus deſideratos cum fratres agnoſceret, & ubi jactantia ſe non poteſt continere, poſitus in honore continuit. Cæleſtis profecto eſt iſta patientia, quam à ſuo ſtatu, non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commovere.*

Exod. 7. v. 1.
Moyſes imitatur patientiam Dei.
Oleaſter.
Num. 2. v. 3.
S. Ambr. lib. 2 de offic. c. 7.
S. Zeno Ser. de Patientia.

8. Obſervaſtiſne aliquando id, quod S. Lucas c. 11. narrat, quando Salvatorem dæmoniacum illum mutum ſanaſſe ſcribit? *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum,* poſt hoc vero recenſitum miraculum ſacer Evangeliſtæ textus ulterius progreditur ad referendas impoſturas, vilipendia, & improperia, quibus Hebræi Chriſtum inhonorarunt dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia;* à qua calumnia cum ſe ſumma cum modeſtia & patientia purgaſſet: *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Ubi advertendum, quod Chriſtum filium Dei eſſe mulier hæc non agnoverit, nec illi acclamarit, quando celebre iſtud operatus eſt miraculum, bene tamen quando illum tanta cum patientia ſine ulla injuriarum vindicta, ad inuſtas ſibi contumelias modeſte turbis maledicis reſpondentem audivit, hæc enim virtus divini quidpiam in ſe continet. Ac proinde Chriſtum hanc virtutem in tam heroico gradu exercentem tanti æſtimare cœpit, ut in hæc verba prorumperet: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.*

Luc. 11. v. 14.
Ex viſa patientia Chriſti illum in Evangelio Mulier clamat filium Dei.

9. Bollandus in vita S. Joannis Calybitæ, qui in domo paterna incognitus velut alter S. Alexius receptus fuit, ita ſcribit: *Jacebat in atrio parentum filius, anguſto quodam tugurio tectus. Agon vero hic major etiam erat, & gymnaſium quoddam inter ſe pugnantium divini amoris, & naturalis? Naturalis quidem in egreſſu & ingreſſu Patris ejus ac matris, memoriam magis vividam commoventis, & ipſi verſantis viſcera, & cor diſſolventis, ac ſuaviter adblandientis; Divini vero annitentis & in contrarium reſiſtentis. Qualem vero luctam habebat? quos fluctus cordis ſuſtinebat, delicijs ſervos videns affluentes paterna in domo, ſeſe autem eſurientem, ſqualidum, tecti & amictus egentem? Cum integrum annum eſſet commoratus, omniumque ludibrio expoſitus, patientiam illius demirari pater cœpit, nec leviſſime ſuſpicans ſe parentem eſſe illius exulis peregrini, tecto carentis mendici. Inceſſit ipſum deinceps talis cogitatio, non eſſe rationi conſentaneum divinum hominem in atrio ſuo jacere, & propterea ejus (filij nempe) ſibi deinceps curam gerendam eſſe exiſtimavit.* Id vero, quod vel maxime propoſito noſtro deſervit, eſt titulus ille; *Divinum hominem.* Quo hiſtoricus illum ob eximiam patientiam honoravit. S. Alexius quoque, qui ſe quotidiano cuidam tam heroicæ patientiæ martyrio per tot annos voluntariè ſubjecit, non ſine myſterio hoc titulo: *Homo Dei,* cœlitus honoratus fuit, ut hanc virtutem divini quidpiam in ſe habere demonſtraretur:

Bolland. 15. Jan. fol. 1033.
Patientia Joannis Calybitæ.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Patientia in cœli gloriam nos introducit.

THEMA.

Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & in carne mea videbo Deum meum. Job 19. ℣. 25.

1. S. Propheta Job, qui omnibus ſæculis velut invictæ patientiæ ſpeculum à Deo propoſitus fuit, poſtquam in cap. 25. atrociſſimorum cruciatuum & dolorum integrum contexuiſſet catalogum, tandem indubitata fide ſe ſcire dicebat, quod illa vermibus ſcatens caro ſua, quæ minutim per ſaniem diffluebat, ſuo tempore quatuor veſtienda eſſet dotibus glorioſis, in eaque ſe viſurum eſſe cum cæteris electis Deum in gloria: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor &c.* Ecce tibi eximium invictæ patientiæ effectum, ſcilic. æternæ beatitudinis ſecuritatem; Unde S. Cyprian. in lib. *de bono Patientiæ* ita ſcribit: *Nec invenio inter cæteras cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda divinitus præmia ſpei ac fidei noſtræ ſemita dirigitur, quid magis ſit vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam, quam ut qui præceptis Dominicis, obſequio timoris, ac devotionis innitimur, patientia maxime tota obſervatione tueamur.*

Vermibus ſcatens caro Job patientis decorabitur quatuor dotibus glorioſis.
S. Cypr. de bono Patient.

2. Galfridus S. Prophetam Jobum his verbis affatur: *Dic mihi bone vir, quid exuvijs talibus opus habes? non potes ſine pelle tam lacera, tam miſera carne beari? repleta eſt illa putredine, & ſordibus pulveris cutis illa exaruit, & contracta eſt. Quid facient in regno Dei illa ſciſſa ulceribus, & vermibus ſcaturientia membra? Sed erit inquam ipſa pellis, & caro ipſa, ſed corruptio iſta non erit.* Quotidie in praxi videmus, veſtes quorumdam incidi, ſed eo fine, ut per illam inciſionem pannus aliquis nobiliſſimus ex auro & argento contextus tranſpareat. Eodem modo corpus noſtrum non jam in Tyrannorum carnificina (niſi forte apud antipodas) ſed per aſperas diſciplinas, per infirmitates & dolores pœnoſiſſimos laceratur, & ſcinditur; ſed quo fine; nimirum ut virtus patientiæ & mortificationis in patiendo, per ſciſſuras illas ſuo tempore in lumine gloriæ tranſpareat. *Scio quod Redemptor meus vivit &c. & in carne mea videbo Deum meum.*

Galfrid. ibid.

Similitudo veſtis inciſæ.
Job 19. v. 25.
Ibid. 26.

3. Pater Rodriquez ſequens de leproſo quodam refert exemplum, qui in ſylva quadam ſuaviſſimè canebat, cum certus quidam nobilis Eques venationi dans operam, & harmoniam illam audiens, eamdem eſt proſecutus, ut hominem modulantem videret; ad quem cum propius acceſſiſſet, videns illum velut vivũ quoddam cadaver, & vermes leproſam & putridam ejus carnem devorantes omniq; ex parte ſcaturientem ſaniem, eumdem de motivo hujus ſui cantus interrogavit, qui velut novellus quidam Job ei reſpondit: Inter Deum & me nihil aliud intermediat, præterquam luteus hic murus; Cum igitur hunc paulatim deſtrui, & minutim corruere conſpiciam, gaudeo animitus, quod ipſi in cœlo tanto proximior ſiam. *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Hic igitur ſervus Dei æternæ beatitudinis infallibilem poſſidebat arrham, illam nimirum, de qua in diſcurſu præcedenti ex mente S. Bernardini diximus, ideoque cum jubilo & mira jucunditate dolores ſuos patiebatur. *Spe gaudentes,* inquit Apoſtolus, *in tribulatione patientes.* Spes autem bonorum cœleſtium numquam hominem fortificat, & ſecurum facit, quantum dum patientia ob Dei amorem æquanimiter exercetur.

Hilaris patientia cujuſdam Leproſi.
2. Cor. 5. v. 1.
Rom. 12. v. 12.

4. In ſacris Canticis unguenta ſuper omnia extolluntur aromata; Aromata autem fomenta deliciarum eſſe ſolent, unguenta autem vulnerum & plagarum ex infirmitatibus contractarum remedia; Cur igitur hæc aromatibus præferuntur? nimirum unguenta patientiæ ſunt ſymbolum, quæ cuivis alteri virtuti antefertur, ſiquidem *patientia opus perfectum habet.* Gillebert. Abb. aliud quoddam illius aſſignat myſterium inquiens; *Bona unguenta impaſſibilitas & patientia. Per illam caro reſuſcitata lædi non poterit, per iſtam mens pia inter provocationes & injurias illæſa conſiſtit; per illam quieto & inconcuſſo jure carnis noſtræ terram hæreditate poſſidemus; per hanc vero ipſam animam: In patientia,* inquit, *poſſidebitis animas veſtras. Ipſa patientia quid aliud eſt, niſi velut quidam futuræ impaſſibilitatis odor? Illic mala nulla inferuntur, hic vero patientiæ beneficio, velut unguento quodam mitigatorio, etiam quæ illata ſunt, non ſentiuntur.* Enimvero tametſi anima Chriſti à primo Conceptionis ſuæ inſtanti clara Dei viſione perfruita fuerit, per miraculum tamen continuum, in ſuperiori animæ parte dotes glorioſas coërcuit, abſq; eo quod illas in corpus transfunderet; quam primum vero eaſdem dotes humanitati ſuæ in reſurrectione communicavit, eodem quoque quaſi tempore Diſcipulis in Emaus abeuntibus dixit: *Nonne oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Ubi notanda eſt dictio illa: *oportuit,* per hanc enim inſinuare voluit, quod cum omnis ipſius actio noſtra ſit inſtructio, neceſſum fuerit; ut in ſemetipſo priuſquam glorificaretur (intellige quoad corpus) paſſiones, & patientiæ exercitium præcederent, ut inde doceremur, quod *in patientia veſtra, poſſidebitis animas veſtras.* Unde Euſebius Emiſſen. ait: *Credamus vel ex ſola virtute patientiæ, qui dum ab homine cruci & neci traditur, ſic quoque homini gloriam pollicetur, qui illas ipſas injurias, & plagas, convertit in pretium noſtrum.*

Patientia eſt unguentum animæ.
Cant. 4. v. 10.
Gillib. Abb. ſer. 32. in Cant.
Luc. 24. v. 26.
Luc. 21. v. 19.
Euſeb. Emiſſ. Hom. de Latrone.

5. Obſervandum quoque quod poſtquam paradiſus homini à tempore creationis ſuæ poſt quinquies mille & amplius annos occluſus fuiſſet, idem iiſdem hominibus tunc pricẽ & non antea fuerit apertus, quando Chriſtus per actus adeo heroicos in crucis patibulo Patientiam exercuit, tunc enim bono latroni ingens hæc pollicitatio facta fuit: *hodie mecum eris in paradiſo.* Unde advertendum eſt, quod Apoſtolus poſtquam dixiſſet: *Patientia enim vobis neceſſaria eſt,* mox cauſam hujus neceſſitatis ſubjunxerit, dicendo: *Ut ... reportetis promiſſionem,* id eſt, ut ultimũ finem veſtrum conſequamini, quaſi dicere vellet: Sine pœnitentia non poſſumus ſalvari. Et ideo F. Ægidius unus ex primis S. Franciſci ſociis dicere ſolitus erat: *Qui patienter ſuſtinet tribulationes propter Deum, tenet jam pedem in alio mundo.* S. Baſilius Magnus quemdam ſuum filium ſpiritualem erudiens eidem dixit: *Patientia grandis eſt medela animæ, impatientia autem eſt pernicies cordis, per patientiam enim expectatur futurorum bonorum ſpes, & quod non videretur, quaſi quod videtur amplectitur.* Idem paulo ante eumdem exhortatus fuerat inquiens: *Fili patientiam arripe, quia maxima eſt virtus animæ, ut velocius ad ſublimitatem perfectionis poſſis aſcendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, ut in futuro poſſis accipere ab æterno Domino æternam retributionem.*

Eſt via ad gloriam cæleſtem.
Luc. 23. v. 43.
Hebr. 10. v. 36.
S. Baſil. ad Fil. ſpiritualem.
Idem ibid.

6. In Paradiſum terreſtrem, qui cœleſtis viridarij repræſentativus erat, nemo intrare poterat, niſi prius per flammeum Cherubini gladium pertranſiret, id quod ex mente S. Bernardini denotabat, quod *cælum non recipit niſi probatum, id eſt niſi tranſeat per flammeum gladium atque verſatilem, qui Geneſeos 3. poſitus eſt ad cuſtodiendum lignum vitæ; Sed hæc nullus facere poteſt, niſi qui patientiam habet in ſua tribulatione. Gladius quippe flammeus atq; verſatilis tribulatio eſt affligens, & crucians animam, & corpus. Exemplum patet in tritico, quod in terram projicitur, & ſepelitur, quod moritur in hyeme, congelatur grandine, & pluvia maceratur, hominibus & beſtijs conculcandum exponitur, & depaſcendum; In æſtate calore ſiccatur, verberatur flagellis, & de palea excutitur, & conteritur inter molas, & poſt alias ejus vexationes, in clibano decoquitur, & in his omnibus virtutem ſuam ſemper retinet, & vigorem, ideo in fine in cibum ante Regem honorifice portatur. Sic etiam vir patiens in tribulationibus perſeverans, præſentabitur coram æterno Rege Deo, ſcilicet glorioſo.*

S. Bern. Tom. 2. ſer. 66. Art. 1. c. 2.
Patientiâ probatus in cœlo recipitur.

7. S. Joannes Baptiſta in honorem electorum prædicans ait: *Congregabit triticum in horreum ſuum.* Ubi Gregorius M. in Homilia quadam ait: *Pro labore patientiæ bona ſunt ſperanda ſequentis vitæ; Unde & per Pſalmiſtam dicitur: Non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem; quaſi enim periiſſe patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompenſatur, ſed patientia pauperum non peribit in finem, quia tunc ejus gloria percipitur, cum ſimul omnia laborioſa terminantur.* Conſonant hæc cum alio quodam Pſal. 24. verſiculo, ubi dicitur: *Univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.* Veritas eſt irrefragabilis, à S. Joanne de cœleſti Hieroſolyma differente his verbis dictata: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum;* At vero cum pariter ineluctabilis veritas ſit, quod *in multis offendimus omnes,* qua ratione igitur animæ noſtræ in æternæ beatitudinis gaudia intrare poterunt, ſi non fuerint purificatę & mundæ? L. Laurentius Juſtinianus de hac virtute tractans, ad hoc reſpondet, dicens. *Ipſa eſt quæ fæcem totius voluptatis abſtergit, ipſa eſt quæ limpidiſſimas animas Deo reddit; eſt efficax ad promerendum cælorum regnum.* Bellovacenſis quamdam refert doctrinam Joannis Abbatis ex vitis Patrum in hæc verba deſcriptam: *Via quæ ducit ad vitam, puta regni cælorum, quæ eſt ſupernæ civitatis, eſt patientia in tribulatione, & dicebat tale exemplum: Cujuſdam Philoſophi diſcipulus peccavit, dum ſibi peteret dimitti, dixit ei Philoſophus; Nec indulgeo tibi, niſi tribus annis alijs dederis mercedem his qui te injurijs & convitijs affecerant; Quo facto dixit ei Philoſophus: Veni modo & ingredere civitatem Athenienſium, ut illic ſapientiam addiſcas. Ad portam autem urbis erat quidam ſenex ſapientiæ ſtudioſus, qui omnes ingredientes experiendi cauſa convitijs afficiebat & injurijs, quod cum dicto juveni faceret, ipſe riſit; Cui ſenex: Quomodo,* inquit, *cum ego injuriam tibi faciam, tu rides? Reſpondit juvenis, quod tribus annis mercedem dedi pro hoc, quod tu gratis impendis. Tunc ſenex ait: Ingredere Civitatem, quia dignus es. Sic civitatem cæleſtem intrare digni ſunt, qui injurias patienter ſuſtinent, & gaudenter. Patientia enim meretur coronam gloriæ.* Confirmatque idipſum per illa Tobiæ verba: *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus ſi in probatione fuerit, coronabitur.* In iiſdem vitis Patrum ſequens pariter legitur hiſtoria. Simul enim cum ſene quodam; Nam vir quidam probus per integrum laboraverat triennium ſimul cum ſene quodam, qui totum laboris lucrum pro vino in potum ſuum expendebat, hic autem tametſi vix haberet unde famem ſuam ſicco pane compeſceret, ſemper laborabat; Cumque quaſi nudus factus eſſet, eidem diſcedere volenti Angelus Domini apparuit, eique dixit; *Patientiam habe, quia die ſequenti in cœlum mecum conſcendes,* de qua promiſſione vir ille patiens aſſecuratus, ſeniori dixit: *Non diſcedas hinc alicubi, quamam*

Luc. 3. v. 17.
S. Gregor. hom. 35 in Evang.
Patientia emundat ſab omni peccato.
Pſ. 24. v. 3.
Apoc. 21. v. 27.
Jac. 3. v. 2.
B. Laur. Juſt. de lig. vitæ c. 2.
Bellov. ſpec. mor. l. 1. diſt. 88.
Patientia cujuſdam Philoſophi.
Tob. 3. v. 21.
Vit. Patr. l. 5. libell. 6. n. 16.
Alterius fideliter laborantis in paupertate.

niam advenient hodie mei tollere me; *Cum hora facta fuisset, qua solebat discedere ad sicum, dixit fratri: Non venient hodie fili, jam enim tarde est: Et ille dixit ei modis omnibus, quia venient, & cum loqueretur cum eo, dormivit in pace. Senex autem flebat dicens: Heu me fili, quia multis annis sub negligentia vivo, tu autem parvo tempore salvasti animam tuam per patientiam, & ex illo die factus est senex sobrius & probatus.* Ibidem author ulterius progreditur aliud narrando exemplum, de quodam qui Sancto cuidam Eremitę inserviebat; hic enim quidquid invenire poterat, maxime de rebus comestibilibus, hoc totum clam & abscondite rapiebat; dissimulabat idipsum servus Dei, at vero longo tempore magnam coactus est pati famem. *Cum autem mori cœpisset senex ille, circumsteterant eum fratres, & respiciens in eum qui furabatur, dixit ei: Junge te huc ad me, & tenuit, & osculatus est manus ejus dicens: Gratias ago istis manibus, quia propter istas vado in regnum cælorum.* Unde vides quod pro gloria cœlesti, quæ protomartyri crudelem adeo lapidationem constitit, Laurentio itidem craticulam, Ignatio Leones, & tot aliis sanctis Martyribus horrenda supplicia, bonus hic senex aliud nihil expendit, quam solum patientiæ continuum exercitium. Hæc ei scala fuit, per quam conscendit in paradisum, potuitque post adeo pœnosam famem vere dicere: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Ibid. n. 16. — *Psal. 16. v. 15.* — Patientes regnum cœlorum actualiter habent in manu sua, sola possessio desideratur. — *Cajet. ibid.*

8. Advertendum insuper est, quod inter octo beatitudines, prima & ultima regnũ cœlorum actualiter velut in manu sua habent. In prima namque beatitudine dicitur: *Beati pauperes spiritu: Quoniam ipsorum est regnum cælorum*: In ultima verò pariter habetur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, in aliis autem beatitudinibus præmium sive merces pro tempore futuro tantum promittitur. Cajetanus porro hunc textum explicans dicit: *Persecutionis nomine intellige quodcumque malum pœnæ*, & paulo post subdit: *Una eademque merces monstratur agentium, & patientium, dum idem præmium reperitur in fine patientium, quod fuit in principio agentium. Et per omnia idem explicatur; Non quod habebunt, sed jam eorum est regnum cælorum. Hic patiuntur, & patiendo acquirunt, non fore, sed esse suum cœlorum regnum, quamvis possessio illius futura sit.* Lactantius Firmianus nobilem hanc statuit propositionem: *Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur, si fugientes illecebras voluptatum, solique virtuti servientes, in omnibus laboribus, miserisque vivamus.* B. Petrus Damian. in Epist. quadam scribit: *Illud Apostoli cum assidua meditatione revolve, & inter flagella positus totis in Domino visceribus gratulare. Non solum inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* In annalibus Ecclesiasticis de S. Elisabetha Landgravia sequentia leguntur: *Deturbata ex rerum florentissimo statu in abjectissimum Elisabeth, non excidit animo, se prima ipsa nocte qua pulsa fuerat ad Minorum Ecclesiam contulit, exoravitque, ut illic Te Deum laudamus cantarent, quasi in tam atroci rerum conversione triumpharet. Gregorius IX. eam per literas suas est consolatus, Sanctorum exempla ei proponens, & vitam æternam pollicens, ad patientiæ constantiam benigne & paternè hortabatur, personam ipsius sub potestate sedis Apostolicæ suscipiens.*

Lactant. Firm. l. 3. div. Instit. c. 11. — *B. Petr. Dam. lib. 8. Ep. 6.* — *Rayn. An. 1227. n. 40.*

9. Bellovacensis aliud quoddam exemplum è vitis Patrum desumptum in hæc verba recenset: *In vitis Patrum legitur, quod Cronius Vitriæ Presbyter referebat, quod quidam Scholasticus Eulogius audiens de immortalitate animæ, sæculo abrenuntiavit, partem pecuniæ retinens, de qua sibi provideret, quia laborare nesciebat, & cum non posset in monasterio degere, nec in solitudine morari, vidit leprosum totum morbo Elephantino occupatum, ut quod nec manus nec pedes videretur habere, in sola autem lingua potens erat, cui compassus, ut ejus obsequio acquireret salutem, suscepit eum, cum cura serviens ei per annos quindecim, in cibo, & potu, & lecto, & necessariis. Econtra leprosus ingratus convitiis afficiebat, vocans eum furem, proditorem &c. & petebat, ut emitteretur. Econtra Eulogius ei alblandiebatur, vocans eum Dominum, veniam petens ab eo, si in aliquo eum offenderat, & quanto magis blandiebatur, tanto plus leprosus ad iracundiam provocabatur. Ille studebat servire in cibis, & balneis, & medicinis, & quibus poterat, ille econtra magis erat impatiens, & petebat cum contumeliis, ut reduceretur ad locum, de quo sumptus fuerat, super quo consiluerant fratres Eulogium, ut iret ad B. Antonium, quod cum fecisset, consuluit, ne dimittat leprosum, cui serviebat Christi vice, & leproso, ne dimittat Eulogium, qui vice Christi administrabat ei, ne dimittendo eum Christum dimittat, qui sibi providet per eum. Addidit etiam, quod cum essent prope finem suum, maxime insidiabatur eis diabolus, quomodo auferret patientiam, & patientiæ suæ coronam, quam ipsi cito, si patienter se ferentes essent, accepturi erant, cum autem pace reformata redirent, statim mortuus est Eulogius, & leprosus post tres dies.* Ubi observanda sunt verba illa: *Patientiæ coronam*; Habet enim patientia suas infiniti valoris gemmas, quæ diadema immortalis gloriæ mirè exornant, id quod in sequenti discursu probaturi sumus.

Bellov. ibid.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Virtuosi Patientiæ actus sunt veluti totidem gemmæ, quæ cœlestem gloriæ coronam mirè adornant.

THEMA.

Ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam. Ezech. 3. ℣. 9.

1. PEregrina profecto conjunctio est illa, qua Deus noster silicem ab unoquoque pedibus conculcatum, & à duro chalybe percussum, inter saxa & lapides viliori & contemptibiliori loco positum, cum adamante conjungit, qui gemma quædam est pretiosissima, quæ auro vincta in annulis defertur, ad splendorem quoque coronæ & diademata regia mire locupletatur, *ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam.* Et tamen conjunctio hæc proposito nostro aptissime deservit, silex enim symbolum est hominis patientis, qui opprobriis, contradictionibus, persecutionibus, pessimisque miserabilis hujus vitæ eventibus continuo subjacet; hic autem silex in cœlo sursum in adamantem transformabitur, qui deinceps deserviet in ornamentum coronæ gloriæ, quam justus Judex post hanc vitam daturus est, in invictæ patientiæ suæ retributionem.

Patiens comparatur silici vili lapidi transformato in pretiosum adamantem.

2. In libro Proverbiorum cap. 11. dicitur: *Qui despicit amicum suum, indigens corde est, vir autem prudens tacebit* ad opprobria. Hugo Cardinalis rationem hujus patientiæ in eo constituit, quod quis injuriis affectus, nequaquam irascatur, sed in silentio mitis & modestus permaneat; unde ait: *Non respondeas tamquam surdus; colligit enim in sinu patientiæ contumelias, quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de qua Sancta canit Ecclesia: Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis.* Ecce ubi qualiter aurea hæc corona, corona inquam gloriæ gemmata sit virtute fortitudinis, id est, invictæ patientiæ. Isaias inquit: *In silentio & in spe erit fortitudo vestra*; fortitudo autem quæ in oculis magis relucet, illa est quę in tolerandis viriliter adversitatibus & in continuanda inter injurias & contumelias mansuetudine exercetur; *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* S. Paulus Apostolus, cui in cœlo præstantissima præparabatur corona, ad Timotheum inquit: *Non coronabitur, nisi legitime certaverit*; At vero scirene cupitis ex quibus gemmis corona isthæc hic in terris præparata fuerit? audite idipsum à S. Chrys. in homilia quadam *de laudibus S. Pauli*, ubi ait: *Livoribus, quos ei verbera sæpe inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis.* S. Antioch. in veterum Patrum Bibliotheca relatus ad propositum nostrum ita scribit: *Pœnitentia admodum indiga est patientiæ, citra cujus operam perfici neutiquam possit, neq; enim aquila anialis si est, & alterutrius destituta præsidio, queat umquam subvolare, & in sublime sustolli. Patientia pœnitentiam perficit; & eam velut indice ostentat, præsigni corona redimitam. Nec eo solum conducibilis nobis censenda est patientia, quod efficaciter cooperetur perficiendæ pœnitentiæ, sed quod nulla prorsus virtus, nullumve Dei mandatum, nisi hac comite legitime perfici queat*; ac proinde cum patientia omnes alias perficiat, & coronet virtutes, consequens est, & ipsammet patientiam multo magis, longeque nobiliori corona cinctam esse, juxta illud axioma Philosophicum: *Propter quod unumquodque tale, & ipsum magis.*

Prov. 11. v. 12. — *Hug. Card.* — Patientia cincta nobilissima corona. — *Isai. 30. v. 15.* — *Prov. 16. v. 32.* — *2. Tim. 2. v. 5.* — *D. Chrysost Hom. de laudib. Pauli.* — *S. Antioch. Hom. 78.*

3. In vita S. Liduvinæ legitur, quod cum per spatium triginta octo annorum pœnosissimam quamdam sustinuisset infirmitatem, martyriiq; arderet desiderio in extasi ei corona quædam exhibita fuerit inæstimabilis valoris, cujus circulus nondum erat totaliter perfectus, quia igitur coronam hanc sibi præparari intellexerat,

eamdem

Surius. — Coronata est patientia S. Liduvina.

eamdem nondum finitam esse videns, à cœlesti sponso suo hanc sibi dari petiit gratiam, ut longe plura & atrociora, quam hactenus experta fuerat, pateretur dolorum tormina. Quam sponsus ejus supplicationem exaudiens, permisit ut multi milites ad eam ingrederentur, eamque verbis injuriosis, ac insuper verberibus, aliisq; contumeliis & conviciis divexarent, quibus omnibus per invictam patientiam toleratis, cœlestis quidam nuncius, solis instar luminosus, coram ea apparuit, eique dixit: *Salve charissima soror, ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti; propter inverecundos contactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris; Ludibria, & vulnera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona & adesse vidisti, & deesse.*

4. David à Saule ad mortem quæsitus, poterat in spelunca Odolla ad sui defensionem injustæ Saulis persecutioni ponere terminum, per unicum solum lanceæ ictum cordi Saulis impactum, simulque diadema Regium à Regis vertice sublatum capiti suo imponere; Verumtamen per heroicam patientiam, non solum appetitum vindicativum interius extimulantem devicit, verum insuper omnibus se opposuit, quos secum habebat militibus, qui cum omni conatu eum adigere conabantur, ut manu ferro apposita se & illos per mortem Saulis ab imminentibus periculis eximeret: Quæ omnia cum impius Rex intellexisset, tantæ patientiæ & mansuetudinis actum admiratus, Davidem filij titulo honoravit, atque amare flens, illiusque sanctitatem in conspectu omnium deprædicans in hæc verba prorupit: *Nunc quia scio, quod certissimo regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël.* Et quidem argumentum quod formabat, infallibile erat, intelligebat namque quod tot virtuosos patientiæ actus exercendo, *colligebat in sinu suo patientiæ lapides pretiosos.*

David pepercit Sauli in spelunca Odolla. — *1. Reg. 24. v. 21.*

5. Job acceptis infaustis nunciis, de gregum, armentorum, servorum, subditorum, filiorum, filiarumq; omniumque aliarum facultatum suarum, quæ multæ nimis erant ingenti jactura, *tonso capite corruens in terram adoravit &c.* Verum enimvero quænã erat inter hanc actionem, & mœstitiam ex ruina longe maxima, qualis nulli umquam homini mortali hactenus acciderat, conceptam, proportio? equidem quod se in signum humilitatis, & conformitatis voluntatis suæ cum divino arbitrio, in terram prostraverit, atque in actus adorationis & cultus divini religioso animo proruperit, nequaquam mirandum est, hoc enim pij homines inter adversos eventus positi facere solent, at vero quo fine caput suum rasit, & Domino obtulit? Audiamus Origenem dicentem: *Imperatores, qui victores extiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes, coronam accipiunt, sic Job ad adorationem se prostravit, ut perfectas tolerantiæ suæ à Deo acciperet coronas.* Apud Bollandum sequentia leguntur: *Singulari pietate S. Agnetem coluit S. Birgitta, quare sæpenumero ei apparuisse virgo legitur.* In revelationibus autem dictæ S. Birgittæ Lib. 4. cap. 124. hæc verba habentur: *Agnes loquitur ad sponsam dicens: Veni filia, & impone tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Quid vero est corona, nisi probatio patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à Deo coronis adornatur?* Mox verò septem enumerat lapides pretiosos, totidem variorum actuum virtuosorum ad pœnitentiam pertinentium expressivos.

Patientia Job. — *Job 1. v. 20.* — *Orig. ibid.* — *Bolland. 21. Jan. fol. 361.* — *Revel. S. Birg. lib. 4. c. 124.*

6. Nemini, ut reor, ignotum est illud S. Jobi effatum: *Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* At vero dic sodes, quænam vermes inter & matrem esse potest similitudo? Hæc enim tenellos infantes suos cum amabili teneritudine sinui suo adstringit, maxime eo tempore quo lac eorum labiis instillat: Vermes autem cum nausea, & indignationis impetu à nobis removere solemus. Sed respondeo, hoc quidem naturaliter evenire solet, multi vero sunt & fuere, qui ex speciali Spiritus S. impulsu, ex motivo virtutis, & in patientiæ exercitium, vermes in vulnerum suorum sinu libenter nutrierunt, illosque æque habuerunt gratos, ac si inæstimabilis pretij gemmæ fuissent. Audiamus Tertull. de Jobo in hæc verba scribentem: *Ridebat Deus, dissecabatur malus, cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, & erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret.* In vita S. Auxentij Archimandritæ refert Bollandus. *Vermes qui cadebant ex suis pedibus recolligens, eos rursum imponebat ulceribus.* Author quidam haud ignobilis prædicta Jobi verba exponens inquit: *Ulcera mundat, opus distringit, ut plus carnis vivæ bestiolis indulgeat, & gratiorem præparet habitationem iis, quas parentum, & fratrum loco alumnabat.* Sicut enim genitores vitam prolibus conferunt corporalem, ita servi Dei, qui libenter ex amore Dei vermes sustinent, vitam iis non adimunt, sed conservant, ideoque in infirmitatibus horrendis & stomachum moventibus amorem divinum & cœlestem gratiam abundanter participant, in qua vita spiritualis præcipue consistit. S. Cyprianus super illa verba Isaiæ: *Omnis caro fœnum*, ita scribit: *Si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis Domini confessione gloriatur, quando fortior fœmina viris torquentibus invenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, aut bestias patitur, ut coronetur; Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.* Verum enimvero Discursum nostrum ad quamdam Dei famulam revocemus, quæ per invictæ patientiæ suæ virtutem vermes in gemmas transmutare probissime novit. Refert enim S. Antoninus factum quoddam memorabile feminæ cujusdam magni spiritus. Bona nomine, quæ pœnitens S. Dominici existens, in turri quadam juxta portam S. Joannis Lateranensis solitaria agebat; Cum enim hæc per infirmitatẽ quamdam à Deo visitata esset quæ totum pectus in continuum quasi vulnus redegerat, indeq; scaturirent vermes, eosdem tanto cum cordis jubilo excipiebat, adeoque charos & gratos habebat, ut si fortuito aliquis horum vermium in terram cecidisset ipsa subito, magna cum diligentia illũ recolligere, & in vulnus pectoris cũ aliis reponere solita fuerit; Accidit autem quod cum ad illam accedens S. Dominicus vermes illos videret, unum ex illis sibi donari magna cum instantia petierit, aut vero postquam id ei sæpius denegasset, tandem repetitis instantiis superata, unũ ex vermibus ei consignavit, cũ hoc tamen pacto, ut eum mox sibi restitueret; quem cum S. Dominicus vix manibus attigisset, in lapidem pretiosum conversum vidit; Cumque sancti viri comites eum multa cum efficacia obtestarentur, ne illum ei restitueret, eamque ob causam V. Bona amare plangens, promissionis adimpletionem exigeret, tandem gemma illa præfatæ mulieri instituta, in speciem vermis denuo rediit, sicut prius fuerit. Et vero dicite obsecro potestisne quid vilius imaginari vobis, quam sit vermis, vel quid excellentius, quam sit gemma? Et tamen invicta patientia ex vermibus gemmas facit; Nam ut Bellovacensis ait: *Patientia res viles in pretiosas convertit; Invenit enim in vili sabulo aurum, imo sabulum convertit in gemmas pretiosas, ut B. Joannes legitur fecisse in Ecclesiastica victoria, & virgas in aurum, quia verba dura, & verbera, & vilipensiones, & opprobria, convertit in pretiosa merita, quibus homines spiritualiter ditantur. Unde in Psalmo dicitur: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, scilicet coronam æternam flagellando me. Cum quædam mulier litigiosa cuidam bonæ mulieri diceret verba contumeliosa, porrexit ei pallium suum dicens: Projicias huc satis de lapidibus istis pretiosis, ut de eis possim ditari, & coronari.* Verumtamen ne vermes deserere velle videamur, qui illis, qui ex amore Dei eosdem patienter tolerant in gemmas transmutantur, adducere hoc loco libet ex Bollando in vita S. Mochuæ sequens exemplum, ita enim scribit: *Quodam alio tempore vir sanctus Munnus nomine, dum in cella sua triduo moram faceret, angelica visitatione, qua quotidie visitabatur, per idem tempus frustrabatur; cumque Angelus Domini se viro Dei post triduum præsentaret, & ab eo cur tantam moram faceret, sciscitaretur, respondit: Sancti cœlicolæ communem conventum atque consilium habuerunt, expectantes animam cujusdam viri sancti, nomine Mochua, qui viam universæ carnis ingressurus erat, & hæc causa retardationis meæ fuit, ne ad te tempore solito venirem; Ad quem S. Munnus dixit in quibus meritis vir ille præcellebat vitam meam, cum sic sim neglectus? Cui Angelus respondit: Faciebat, dum vixit, quod tu non facis, quia quamdiu vixit in terris, nulli præsenti maledixit, nec absenti detraxit. Insuper & dispositionem omnis temporis secundùm divinam voluntatem, sive in serenitate, sive in tempestate æquanimiter sustinuit, & commendavit. Tu quoque superbus es, & Dominus tuus vult ut humilieris. Cui S. Munnus respondit: Libenter sufferam, si quod ipse elegero, à Deo meo mihi concedatur. Cui Angelus: Quod petis à Deo, tibi concessum est; Tunc ait Munnus: Lepram mihi inter corporales infirmitates eligo. Per verbum ergo Angeli S. Munnus leprosus effectus est, & lepram usque ad septem annos sustinuit; Completis autem septem illis annis cum magna animi patientia; Ecce ille Angelus ad eum rediens, virum Dei consolatus est dicens: Quia patienter tuam infirmitatem huc usque sustinuisti, ideo modo à Deo tuo concessum est tibi, & finem laboribus imponere, & munditiam à lepra tua obtinere; Ad quem iterum S. Munnus ait: Cui commisit Dominus curam sanitatis meæ recuperandæ? Et Angelus ad eum; S. Mochuæ, inquit. His dictis S.*

Munnus

Job. 17. v. 14. — Prosequitur patientiam Job. — *Tertull. l. de Patient. c. 14.* — *Bolland. 14. Febr. fol. 776.* — Prô exercitio Patientiæ S. Auxentius & pedibus decidentes vermes reimponebat vulneribus. — *S. Cypr Epist. 13. de Habit. Virg.* — *S. Antonin. in 3. p. Chron. Tit 23. c. 4. § 10.* — Idem fecit quædam pœnitens S. Dominici. — *Bellovac. spec. mor. lib. 1. dist. 88.* — *Bolland. 1. Jan. fol. 46.* — Meritum patientiæ S. Mochuæ.

Monnus iter arripuit, & ad cellam sancti viri properavit; Cumque ad locum S. Mochuæ pervenisset, diversorium inibi introivit, & domum ingrediens, & neminem ibi reperiens, sed nudum vestibulum, pelliculam quamdam quam ibi invenit, sibi supposuit, & super eam cubans, vermes qui de ejus corpore per pavimentum transibant, cum scopa quadam ad se recolligebat, & in locum unde exierant, remittebat. Paulo post vero congressum cum S. Mochua habitum his verbis enarrare pergit: *Virum Dei amplexatus est, & à vertice capitis lingua eum lambens, pristinæ sanitati eum restituit, & quod cæteris difficilius erat, nares emungens tribus vicibus successivè, ore sacro sumens, tria extraxit phlegmata, sed meritis utriusque ut reor, hæc tria phlegmata conversa sunt in tria auri obrizi talenta, quæ in ejus triclinio, velut tria aurea poma recondita sunt.*

Cæsar. lib.8. cap.32.

7. Cæsarius aliquod quoddam simile factum refert de quodam Episcopo natione Gallo, qui sæculo duodecimo vixit. Hic enim leproso cuidam obviam factus se vocari audivit, cumque propius accessisset, ut ei Eleëmosynam daret, hanc acceptare recusavit dicendo, hoc solo se indigere, ut scilicet saniem, quæ exputrefacto & verminoso ejus corpore scaturiebat, abstergeret; Quare pius Episcopus ad hanc ei charitatem præstandam se obtulit; Cumque manu sudario obvoluta id facere tentare vellet, leprosus, nequaquam id pati potero, respondit, manus enim etiam sudario obvoluta nimis ulceri gravis & aspera futura esset, quare si charitatem exhibere mihi desideres, lingua tua vulnera mea abstergere satagas. Tunc Episcopus magnam in se sensit omnium sensuum suorum luctam, & rebellionem, at vero quia patientia vincit omnia, os suum ulceribus, & inde manānti putredini applicuit; Moxque saniei loco infiniti valoris gemmam sugendo extraxit; Quo facto leprosus subito cœlum versus evolavit. Ecce tibi verissimũ esse, quod scilicet, *patientia res viles in pretiosas convertat.* Unde D. Chrysostom. in Epistola quadam ita scribit: *Te exultare, ac lætitia diffundi convenit, quia quod virtutum caput est, præstitisti. Nosti enim, nosti profectò, nihil esse quod patientiam adæquare possit, verum ipsam potissimum virtutum Reginam esse, rerum præclare gestarum fundamentum, portum tranquillum, in bello pacem, in tempestate tranquillitatem, in insidijs securitatem, quæ eam qui ipsam sit consecutus, adamante firmiorem reddit*, seu si mavis, *ditiorem.*

Episcopus quidam Galliæ Angeli in specie leprosi vulnera mundavit lingua sua.

D. Chrysost. Epist. 7.

8. Annulus sponsalitij signum est, & auro vinctam magni pretij gemmam communiter in se complectitur. Unde Blosius de S. Gertrude ita scribit: *Eadem S. Gertrudis divinitus intellexit, quod quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita adversitas tam corporalis, quam spiritualis, humiliter propter Deum tolerata est verissimum signum divinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque cum Deo confidenter dicere possit hæc verba: Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus.* At vero scirene cupitis qualenam annuli hujus aurum existat? Discatis idipsum à S. Bonaventura dicente: *Prudentia Patientis patet in multiplicando & commutando, quia sputa & opprobria scit mutare in aurum, & argentum, & lapides pretiosos.* Unde S. Basilius M. in oratione *de Patientia & tolerantia* patientissimum Jobum his verbis commendat: *Quamvis tantis calamitatibus affligeretur, constans permansit, & dum corpus ejus laceraretur, pietatis thesaurum in penetralibus animæ tutum à prædone custodiebat.*

Blos. in Conclavi animæ cap. 10. Patientia est signum divinæ electionis.

S. Bonav. in Dieta salut. T. 2. C. 7. S. Basil. orat. 11.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Nonnulla tanguntur Emolumenta, quæ in hac virtute se exercentes sibi comparant.

THEMA.

In Patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21. ℣. 19.

1. CErtissimum est, quod inter omnes thesauros, quos cœlestis negotiator ad mercaturam exercendam nobis donavit (*negotiamini dum venio*) opulentissimus sit uniuscujusque hominis in particulari considerati anima, ita enim ipsemet Dominus in Evangelio testatur inquiens. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Unde & S. Bernardus ait: *Totus quidem iste mundus, ad unius animæ pretium æstimari non potest, non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit*; Hujus autem tanti thesauri possessionẽ securam, non aliunde, quam per virtutem patientiæ nanciscemur, ita namque æterna & infallibilis veritas promisit dicens: *In Patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quid igitur proderit nobis, si in hac vita sumptuosa palatia, ad delicias paratas villas, status, provincias, regna, monarchias possideamus? *Quid prodest homini si mundum universum lucretur?* animam vero, quæ talis est thesaurus, qui ipsimet cœlorũ regno præponderat, deperdamus? Quod ne fiat, optimum patientia confert subsidium, utpote per quam animas nostras possidemus, illisque cœli portas aperimus. Merito igitur Tertullianus in libro *de Patientia* in hæc verba exclamat: *Totum sæculum pereat, dum Patientiam lucrifaciam.* Job, qui Scriptura teste, *magnus* erat *inter omnes Orientales*, omnes suas, quæ inexhaustæ erant, amisit divitias, subditos nimirum, servos, greges, domos, filios, &c. & toto corpore ulceribus plenus, nudus, & famelicus effectus omni domicilio destitutus in sterquilinio sedit, adeoque illi *totum sæculum perijt*, At vero quia patientiã suam non amisit, imo in eadem magis magisq; se exercuit, non solum omnia hujus vitæ bona, quæ antea perdiderat, recuperavit, sed & multiplicavit eadem, atque insuper bona immortalia cum *infinita sua gloria in terra & in cælo* sibi acquisivit: Unde S. Augustinus ait: *Inimicus infernalis inopinate ingens illi lucrum procuravit; duplicavit enim ei meritum, & in cælo, & in terra, quia & hic auctus est, & in cælis.* D. Chrysost. ad nostrũ propositum egregie discurrit, dum Patientiam Jobi ex una, aliasque virtutes, & opera illius heroica, ex altera parte in bilancem ponens, ita scribit: *Ut discas, quoniam majorem diabolo plagam intulit, cum sublatis sibi bonis gratias egit, quam cum possideus, miserebatur pauperum; Audi: Cum possidebat, vel suspicionem diabolus habuit, quoniam non gratis te colit Job; Ubi vero universa surripuit, omnibusque nudavit eum, hic vero eamdem Deo servavit mentem, tunc obstructum est turpe illius os.* Idem S. Doctor quæstionem instituit, an Job Deo magis placuerit majusque sibi meritum comparaverit, quando domum in beneficium pauperum tenuit apertam, an vero quando domo sua corruente, nomini Domini benedixit; an sanctior fuerit, quando pro filiis ex paterna devotione sacrificium obtulit, eosque in bona pace & Concordia conservavit, an vero quando illos sub domus ruinis sepultos mansisse intelligens, nec minimum quidem turbatus fuit; Item an Deo gratior fuerit, quando ex charitate & compassione de velleribus ovium suarum aliorum contegebat nuditatem, an vero quando ipsemet nudus & tremulus sine ulla lamentatione in sterquilinio sedit? Ac tandem gloriosus Doctor in hæc verba concludit: *Et illa quidem omnia præclare gesta, hæc autem tormenta patibulaque erant, sed tamen plus hæc, quam illa Job clariorem ostenderunt, siquidem cum illa fiebant, contradixit tamen diabolus dicens: Numquid frustra colit Deum Job? His vero contingentibus se occultans, terga vertit.* Idem Chrysostomus in alia quadam homilia similem considerationem his verbis adducit: *Nec enim boni aliquid agere dumtaxat, sed etiam malum pati multa habet præmia. Ostendit hoc Job, qui ob mala quæ perpessus est potius, quam ob rectè facta clarus factus est. Non enim tam illustris erat, quando pecunias possidebat, domumq; aperiebat pauperibus & facultates elargiebatur, quam cum domum corruisse audiens, id inique non tulit &c. longe majus est, omnibus rebus spoliatum, fortiter, & cum gratiarum actione agere, quam in divitijs viventem eleëmosynas facere. Rebus prospere procedentibus Deo gratias agere, nihil admiratione dignum est, si vero gravis tempestas existat, & navis circumagatur & periclitetur, tunc magnum est tolerantiæ, & gratitudinis indicium*, & paulo post subdit: *Sacrificio omni præstantiora illa verba protulit, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Numeretis velim omnia sacrificia & holocausta quæ quotidie offerebat pro filiis suis (*Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*) quorum utique per plurimorum annorum decursum innumera fuere; Attamen omnia simul juncta non tantum Jobo attulerunt lucrum, quantum perfectissima illa in divinam voluntatem resignatio, & heroicus ille patientiæ actus à D. Chrysost. his verbis expressus: *Et tu si pecuniam amiseris, neque indigne tuleris, sed fortiter ferens, Deo gratias egeris, & illa Jobi verba dixeris: Dominus dedit, Dominus abstulit, lucrum per hæc ex damno facies.* Idem Chrys. in progressu ejusdem homiliæ ad lucrum se reflectens, quod Job in adversitatibus suis sibi acquisivit, hæc habet verba: *Cognovisti quantum tribulationis lucrum fuerit? pulchrum quidem erat, & sanum corpus, multo vero augustius evasit, ubi vulneribus illis concisum fuit; Quoniam & lanæ quidem ante tincturam pulchræ sunt, cum vero purpureæ factæ fuerint, incomparabilem pulchritudinem, multumque decorem accipiunt. Nisi vulneribus corpus ipsius perforasset, non resplenduissent interius radij; Nisi in sinu te*

eum

Luc. 19. v. 13.

Matth. 16. v. 26.

S. Bern. medit. 3.

Mediante patientia possidemus animas nostras.

Luc. 21. v. 19

Matth. 16. v. 26.

Tertull. l. de Patien. c. 7.

Job. 1. v. 3.

S. Aug. q. 118. ex utroque test.

D. Chrysost. Hom. 7. de Patient. Jobi.

D. Chrysost. Tom. 6. Hom. 22.

Job. 1. v. 5.

eum sedere coëgisset, nequaquam ipsius divitias cognovissemus.

2. Ingens profectò est meritum, & lucrum, ex propriis jacturis majus posse acquirere pretium & valorem. Et ideo Doctor Seraphicus ait: *Patientis prudentia patet, quia cum perdit bona temporalia, retinet & claudit bona spiritualia; Econtrario facit, qui patientiam non habet, qui cum amittit bona exteriora, effundit æterna & bona interiora, & sic auget capitale diaboli.* Huc quoque spectat alia D. Chrysostomi sententia, quæ attente pro tribulatorum consolatione considerari meretur; Ait enim: *Et tu igitur, si quis pecuniam tibi surripuerit, atque hoc fortiter tuleris, integram eorum, qui in pauperes eam erogant, mercedem accipies.* Lucrum porro, quod ex Eleëmosyna acquiritur, est veluti si dentur centum nummi pro uno nummo, qui autem divitiarum suarum jacturam patienter sustinet, ex hac tolerantia meretur & lucratur apud Deum idem, quam si thesauros distribuisset inter pauperes. Annales Ecclesiastici ex responso quodam S. Ludovici Regis Franciæ evidenter ostendunt, quanto majus sit lucrum quod per patientiam acquiritur, omni eo, quod ex omnibus alijs actionibus heroicis comparatur. Cum enim hic Rex ex Ægypto & Asia, ubi belli illius, quod ad Dei gloriam, & totius Christianismi commune beneficium adorsus fuerat, infaustum sortitus fuerat exitum, innumerasq; ærumnas sustinuerat, reversus fuisset, *in familiari sermone cum Henrico Rege Anglorum de initis à se periculis, ac de toleratis ad proferendam divinam gloriam in Asia & Ægypto laboribus loquebatur dicens: Si omnia mihi evenerunt adversa, grates tibi refero Altissime; reversus ad meipsum, & ad cor meum regressus & ingressus, plus gaudeo de pænitentia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur.*

S. Bonav. Diat. Salut. Tit. 7. cap. 7.

D. Chrysost. ibid.

Bona temporalia in patientia perdita mutantur in æterna.

Rainal. An. 1254. n. 19. Compend.

3. S. August. in Libro *de Patientia* hanc habet considerationem: *Dominus ait: in patientia vestra possidebitis animas vestras; Non ait: Villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima, ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? Deinde ut illud dicam, quod culpabile non est; Si tanta suffert pro salute carnis suæ, inter manus secantium, sive urentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum, cum Medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas & mortem corporis comminando, ut anima & corpus in gehenna excidatur, impellant, quamquam & ipsi corpori tunc providentius consulatur, si temporalis salus pro justitia contemnatur, & pœna vel mors ejus patientissime pro justitia sufferatur.* Opulentissimum profectò & præclarum ex odio, malignitate, & persecutionibus impiorum acquirere nobis possumus medium, dummodo cum æquanimitate, mansuetudine & patientia illatas nobis ab illis injurias sufferamus, sic enim cœlorum nobis regnum infallibiliter acquiremus. Unde Blosius afflictos hisce verbis consolatur: *Nihil umquam quantumvis parvum pro Dei honore patimur, quin longe nobis sit utilius, quam si totius mundi Dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, quod ad Dei perpetimur gloriam, pro illo tamen non minus Deus retribuet nobis, restituetque, quam seipsum.* Et paulo post subdit sequentia notatu dignissima: *Profectò qui Deo permittente agros, facultates, domosque suas perdidit, si exemplo B. Job hanc rei jacturam humili resignatoque animo de manu Dei accipit, & ei gratias agit, eumque laudat, qui prohibere potuit, & non prohibuit, tantam ab ipso Domino mercedem accipiet (ut quidam Sanctorum ait) quantam reciperet, si omnia illa quæ perdidit, egenis ac peregrinis propter Deum erogasset.* Unde Bellovacensis in speculo morali, de hac virtute tractans ait: *Patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter & copiose, magnis meritis animam locupletat, nec mirum, quia multam, & magnam invenit in mundo materiam spirituales divitias acquirendi, omnes adversitates, tribulationes, desolationes, injurias, & contumelias. Item fames, sitis, æstus, frigora, infirmitates, & mors, sunt nobis materia merendi, & merita cumulandi.* Mercatores circumerrant ab uno polo ad alterũ, variis tempestatibus agitati, nec magis à morte disiti, quam solũ subtili navigij ligno, quo ab undis dividuntur. Quot vigilias, quot pericula, quot labores pro accumulando, sæpius in animæ perniciem, argento & auro perpolerant? Vir patiens, absque eo quod vel unicum gressum moveat, in hoc vasto mundi pelago tempestates, & procellas, quas Deus ei immittit, tolerando, ingentem in manu sua reperit thesaurum, quo cœlum sibi comparet; Nam *si sustinebimus, & conregnabimus*; Ideoque cum longe minori labore quam mercatores negotiando lucratur. Et paulo post nonnullas ex vitis Patrum desumptas adducit doctrinas: *In vitis Patrum quidam requisivit senem: Dic mihi Pater unam rem, quam faciam, ut salver per eam. Respondit; Si potueris ferre injurias, & contumelias, & tacere, magna est res, & super omnia mandata.* Ecce tibi modum exequendi consilium illud Evangelicum: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*; Hic enim thesaurus accumulatur, nec tamen opus est, ut quis mare trajiciat, vel ut pecunias suas ad usuram elocet, vel deniq; ut naufragiorum, vel foricessionum pericula sustineat, dummodo capitale virtuosæ cujusdam pœnitentiæ ad negotiandum adhibeat. Sic in iisdem Vitis Patrum legitur, *quod quidam, cum aliquis contumeliam illi diceret, vel injuriam inferebat, gaudebat, dicens: Isti sunt qui vos juvant ad profectum; Qui autem nos glorificant, isti nos decipiunt. Item alius cum audisset aliquem sibi detraxisse, si prope erat, eum remunerabat per se; si erat longe munera ei mittebat.*

S. Aug. in lib. de Patient. c. 7. Prosequitur idem.

Blos. in Sacello animæ c. 12.

Ibid. n. 3.

Bellovac. Spec. Moral. 1. dist. 88.

Patientes cum minori labore plus lucrantur quam Mercatores hujus artis.

2. Tim. 2. v. 12.

Bellovac. ib.

Matth. 6. v. 20.

4. D. Chrysostomus in hac materia considerabilem valde nobis relinquit doctrinam inquiens; *Et si miracula facias, & mortuos excites, & quidvis agas numquam te adeo admirabuntur gentes, ut quando te viderint moribus mitibus, placidis, & jucundis.* Paulo post vero eorum, qui in hac se virtute exercent, sequentem adducit prærogativam: *Propter illa etiam te æmulabuntur, propter signa, inquam, & miracula, propter hoc autem & admirabuntur, & amabunt, amantes autem etiam apprehendent veritatem.* Enimvero multi pagani visis miraculis admirati quidem sunt, non tamen fere conversi, econtra vero dum martyres ab ijsdem visi fuerunt in tormentis per invictam patientiam constantes & imperturbabiles persistere, & in supplicijs cum jubilo cordis gaudere, multa sæpe paganorum millia ad fidem fuere conversa; Unde idem D. Chrysost. subdit ulterius; *Et ut aperte discas, quantum hoc sit, audi quomodo Paulus quoque ad infidelem accedens judicem se defendit: Beatum, inquit, me existimo, judicio apud te disceptaturus. Hæc autem dicebat, non ei assentans, absit; Sed lucrari volens per mansuetudinem, & ex parte lucratus est, & judicem cœpit is, qui tunc putabatur esse reus, & se victum fatetur, qui tunc fuerat captus, clara voce dicens omnibus præsentibus: Parum abest, quin mihi persuadeas, ut fiam Christianus. Quod vero Paulus magis expandit sagenam, & dicit: Optarem non solum te, sed & omnes qui adsunt, hoc fieri quod ego, exceptis vinculis his. Sed quid dicis ô Paule? Exceptis vinculis his? Et quænam est tibi de cætero fiducia, si eorum te pudeat, & ea fugias, idque cum tam multus adsit populus? Non ubique in Epistolis de hac re gloriaris, & te vinctum appellas, & hanc catenam ubique circumfers pro diademate? quid ergo nunc accidit, quod vincula deprecaris? Non ipsa, inquit, deprecor nec eorum me pudet, sed me demitto ad illorum imbecillitatem, nondum enim possunt meam suscipere gloriationem.* Idemque paulo post melius declarans, inquit: *Probrosum eis videbatur esse vinctum, nondum enim gustarant eam, quæ est apud nos gloriam.* Vel dicere insuper possumus, quod sicut is, qui thesaurum vel gemmam aliquam inæstimabilem possidet, illam sibi retinet, eamque alteri dare renuit, ita quoque Apostolus vincula, & catenas illas, quæ tam frequentem illi præbebant, tot amoris Dei & Patientiæ actus exercendi occasionem, penes se tamquam incommunicabilem thesaurum retinere gestiebat, ideoque dixit: *Exceptis vinculis his.*

D. Chrys. Hom 33. in Epist. 1. ad Cor.

Per patientiam martyrum infideles conversi sunt.

5. Quod si nullum aliud è patientiæ exercitio haberemus lucrum, certe hoc unicum lucrosissimum esset, quod scil. per hujus virtutis merita nostra penes divinam justitiam restantia solvere possimus debita. Nam ut B. Laur. Justin. ait: *Patientia hominem ditat. Patiens sapienter agit, ut debita sua solvat, nihil enim de suo in solvendo expendit, sed facit ut hostes sui pro se solvant; Illatas namq; ab eis injurias sustinens, ditatur abunde.* Eamdem quoq; doctrinam apud Bellovacensem his verbis traditam reperio: *His divitijs vir patiens debita sua solvit de aliena bursa, sine fraude, & sine suo detrimento, quoniam & culpa remittitur, & pœna debita relaxatur. Culpa quidem remittitur, sicut dicitur Thr. 3. Cum iratus fueris Domine, misericordiam facis, & peccata hominum in tribulatione dimittis his qui invocant te.* Bern. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam, quæ promittitur. Nec ei solum culpa remittitur, sed & pœna relaxatur, æterna quidem totaliter purgatoria verò in toto, vel in parte.* Unde Aug. ait: *Sancti temporalem pœnam lucrum putant, qui per hanc evadere homo æternam formidat.* Isidor. in lib. de Synonimis ait: *Ordinata est Dei providentia, quæ prius per flagella homines hic emendat, & post eos ab æterno supplicio liberat, nequaquam enim delinquentibus parcit Deus, quoniam peccatores*

nos

Patientia remittit peccata præterita.

B. Laur. Justin. de lig. vit. c. 2.

Bellovac. ib.

aut hic ad emendationem ferit, aut in æterno judicio æternaliter puniendam relinquit. Idem quoque aliud quoddam considerabile memorat lucrum è patientia dimanans, ait enim: *Patientia non solum debita sua solvit, sed etiam magnum thesaurum meritorum acquirit*; Unde 2. Tim. 1. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est nobis à Christo &c. hæc patior, sed non confundor, scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Idem in distinctione sequenti, quæ est 89. sic scribit: *Quanto libentius, & cum majori voluntate quis patitur, tanto plus de pœna remittitur, & anima plus purgatur. Debet considerare patiens, quot & quanta commisit peccata, pro quibus patitur, quantas pœnas meruit in purgatorio, vel inferno, & videbit quod incomparabiliter graviores, ac etiam longiores, vel etiam æternas, per exiguas tribulationes diluat.*

Bellovac. dist. 89.

6. Idiota in libro *de vera Patientia* idem utilissimum lucrum, quod ex Patientia acquiritur, sequenti declarat similitudine: *Debemus*, inquit, *insuper tribulationes patienter sustinere, propter magnitudinem valoris & utilitatis. Sicut enim agricola patienter sustinet labores, propter spem fructus quem expectat, sic quia propter mundi labores, & tribulationes, fructus æternæ gloriæ ex tuæ Providentiæ sola benignitate expectamus, ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: Patientes estote fratres usque ad adventum Domini; Ecce enim agricola patienter expectat pretiosum terræ fructum, patienter ferens donec accipiat.*

Idiot. lib. de vera patient. Similitudo ab agricola qui patienter expectat fructum maturum.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Super illa S. Jacobi Apostoli verba: *Patientia opus perfectum habet*, variæ considerationes adducuntur.

THEMA.

Patientia autem opus perfectum habet. Jac. 1. ℣. 4.

Patientia ducit ad perfectionem. Matth. 5. v. 48.

1. CUm Sapientia incarnata Apostolos suos ad veram exhortaretur perfectionem, iisdem æternum patrem suum exemplaris loco proposuit, inquiens: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; Quisquis vero ad summam hanc, quæ dari possit, excellentiam pertingere desiderat. Patientiæ studeat, qua S. Jacob. Minor, qui quoadusque vixit, vivum hujus virtutis speculum fuit, ex Spiritus S. instinctu ait: *Patientia opus perfectum habet.*

Matth. 5. v. 3. Est prima virtutum. S. August. S. Bonav. c. 14. vit. S. Francisci. 2. Cor. 6. v. 4. D. Chrysost. hom. 12. ibid.

2. Inter octo beatitudines Patientia nobis non semel tantū, sed binies, scil. in prima & in ultima seriò commendatur; Et quidem si primus locus inter alios honorificentior esse censetur, huic virtuti prę aliis pręcedentia attribuitur, cum dicitur: *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; Si vero locus ultimus dignior esse reputetur, iterum Patientia cunctis aliis antefertur, siquidem in ultima beatitudine dicitur: *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint &c.* Unde S. Aug. ait: *Octava beatitudo consummatum, perfectumq; hominem ostendit, & probat; Septem sunt quæ perficiunt, octava clarificat, & quod perfectum est, demonstrat.* S. Bonav. in vita S. Francisci hanc eamdem Patientiæ prærogativam tangit inquiens: *Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in Patientia consummantur*, sive quod idem est, *perficiuntur*. D. Chrysost. post ponderata sequentia Apostoli verba: *In multa Patientia, in tribulationibus, in necessitatibus &c.* subjungit: *In quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit; Qua etiam de causa, non simpliciter Patientiam dixit, sed multam addit, ut illius magnitudinem declararet.* Porro fundamentum prima & principalis pars est ædificij, tametsi enim sub terra delitescat, ne videatur, huic tamen totum ædificium innititur, adeo, ut si tolleretur, tota quoque fabrica ædificij corrueret. Ita pariter Patientia occulta est, & delitescit in anima, & intus in animæ penetralibus laborat, estque aliarum virtutum omniū bonorum operum fulcrum & sustentaculū; Et ideo illam *bonorum omnium fundamentum posuit.*

S. Thom. in Matth. 5. Primus lapis perfectionis patientia est. B. Petr. Dam. lib. 6. Ep. 10.

3. D. Angelicus ingeniose considerat, quod licet eo tempore, quo cœlestis Magister de octo beatitudinibus disseruit, turbæ quoq; præsentes essent, suum tamen discursum ad Apostolos præcipue direxerit, utpote qui per arduam perfectionis viam gressus suos firmaturi erant. Primus itaque lapis super quem, velut fundamentum, perfectio construitur, ex Christi ordinatione Patientia esse noscitur, ideoque ne quis dubitare forsitan posset an ipsa omnium sit aliarum virtutum complementum, non solum eamdem primo loco posuit, verum etiam, ut paulo ante notavimus, in locum ultimum constituit; quia patientia *opus perfectum habet*. Unde B. Petr. Dam. in Epist. quadā ait: *Hæc virtus plane ad perfectionis culmen Monachum provehit, & terribilem in hostibus dimicantem animam facit. Hæc omnium vitiorum victoriam tribuit.* Et in Epistola sequenti subjungit: *Cum assidue videamini divinis insistere paginis mirum est, quomodo vobis adhuc ignota sit patientia, regina virtutum, cui nimirum cuncta deserviunt volumina scripturarum; Quæcumq; enim, ut Apostolus ait, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quare ad nostram doctrinam? Numquid ut Syllogismorum calleamus tendiculas struere, ut tonantia & accurata verba Rhetoricæ copiæ coloribus venustare, & harmonicæ suavitatis organa, melosque distinguere? ut astrorum mathematicorum signa, ut ajunt, noscamus radio designare? Non plane ad hæc indiganda S. Scripturis instruimur; sed per eas potius ad exempla patientiæ provocamur; unde mox sequitur: Ut per patientiam, & Consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Epist. 31. ib.

D. Chrysol. ser. 84. Christus invitat ad patientiam. D. Chrysost. homil. 33. in Ep. 1. ad Cor. Matth. 11. v. 29. S. Greg. l. 20. mor. c. 19.

4. D. Chrysolog. super illa verba: *Sicut misit me Pater, sic & ego mitto vos*, ingeniosam habet sequentem ponderationem, ait enim: *Mitto vos, non authoritate adhuc jubentis, sed toto diligentis affectu.* At vero in quonā divinus hic Magister totum dilectionis affectum erga Apostolos, ut illos perfectos redderet, & sanctos, demōstravit? Num forte in eo quod donum miraculorum illis contulit? Aut vero in Prophetiæ, variarum linguarum, interpretationis S. Scripturæ, collatis eximiis donis? vel deniq; quia eos ad mundi conversionem habiles & idoneos reddidit? minime gentium, sed *mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum.* D. Chrys. super illa verba: *Charitas patiens est*, sequens nobis tradit monitum: *Ne leviter prætercurras ea quæ dicuntur, sed unumquodq; eorum examina diligentissime, ut & res videas thesaurum & artem pictoris. Considera ergo undenā statim inceperit, & quidnam primū posuerit, quod est causa omniū bonorum. Quid autem hoc est? Lenitas, & Patientia, ea est radix totius Philosophiæ.* Ad Patientiam igitur Christus suos invitavit Apostolos, quia hæc est omnium virtutum, omniumq; bonorum spiritualium fundamentum; Et ideo Magister ille, *in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, ut suos erudiret Discipulos, illosque sibi in perfectione & sanctitate, quoad possibile erat, similes efficeret, iisdem postquam ad Apostolatum ab illo vocati fuerant, per decursum trium annorum aliā non tradit lectionem, præterquam de mansuetudine & patientia; *Discite à me quia mitis sum*; Nec mirū; Nam ut S. Greg. ait: *Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est, qui enim aliena mala æquanimiter non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat.* Ubi observandum, quod hanc virtutem *boni plenitudinem* appellet.

Delineatio patientis. Vit. Patr. lib. 3. c. 88. Prov. 19. 11. Blos. in conclavi animæ c. 10. Thren. 3. v. 27. Jac. 1. v. 14. Thren. 3. 30.

5. In vitis Patrum legitur, quod cum S. Anton. Magno de certo quodam Monacho, quod magna sanctitate fulgeret, relatum fuisset, ipse cum in injuriis patiens, esset interrogarit, qui cum negative respondissent, ipse subjunxit: *Similis est domui, quæ exterius quidem ornata est, interius verò à latronibus dispoliata.* S. Thom. de Aquino D. Angelicus, ut in ejus vita ultimo impressa habetur, dicere solebat, hanc virtutem magnam esse divini amoris tesseram, & infallibile indicium, esseque virtutem quam homo cum Deo communem habet, ideoque Patientem Deo magis assimilari, magisq; se sapientem esse, manifestè ostendere, cum scriptum sit: *Doctrina viri per Patientiam noscitur.* Blos. quoque hac de re ita scribit: *Quædam vitæ sanctissimæ virgo cuidam percunctanti, quomodo ipsa ad perfectionem pertigisset, dixit: Omnem adversitatem æquanimiter de manu Domini suscepi. Altera etiam eximiæ sanctitatis virgo, interrogata quibus exercitijs ad perfectionem pervenerat, humiliter respondit: Numquam ita doloribus & pressuris obruta fui, quin majores pro Dei amore perferre expeterem, indignam me illis ipsis tam præclaris Dei donis judicans.* S. Jerem. Propheta Thren. c. 3. viri alicujus perfecti vivam delineare volens effigiem, hisce usus fuit coloribus: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit supra se*; Quæ autem sequuntur axioma S. Jac. dicentis: *Patientia opus perfectum habet*, optime explicant, subdit enim de viro vere perfecto: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs*; Quasi diceret, sicut qui incidit in cibum delicatum, eumdem non solum obiter degustat, sed magna cum aviditate vorat, & deglutit, ita homo ad perfectionem tendens sinistris se obrui gaudet eventibus, in iisdem suam exercet patientiam, haud secus ac epulo cibis delicatis suam explet famem; Ad hæc sicut sal omnibus cibis suum præbet saporem & condimentum, ita quoque Patientia omnibus bonis cunctisque virtutibus condimenti loco deservit, & spiritualem gustum ministrat;

Petr. Bles. Epist. 31.

ministrat; Quæ similitudo desumpta est ex Petro Bles. qui in Epist. quadam ait: *Corporis afflictio citra meritum & fructum salutis est sine Patientiæ condimento.*

S. Bernardin. Tom. 3. Ser. 6. art. 3. c. 4. Perfectio aliarum virtutum probatur patientia. Act. 5. v. 62. Luc. 8. v. 87. Jac. 1. v. 21.

6. S. Bernardinus in Ser. *de manifestatione Spir. S.* quales in anima sint Spirit. S. effectus, sequentibus exponit verbis: *Signum est adversorum tolerantia, seu supportatio. Ad tactum pulsus novit medicus, si homo habet spiritum vitæ. Job quoque c. 2. scriptum est, quod diabolus ad Dominum de Job, ait: Tange os ejus & carnem &c. si in faciem benedixerit tibi. Cum igitur Dominus dat adversa, tamquam medicus summus tangit nobis pulsum, probans si benedicimus eum, patienter, & hilariter sustinendo adversitates, quemadmodum. Act. 5. scriptum est, quod Apostoli, postquam Spiritu S. repleti sunt, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Luc. 8. Dominus ait: Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui &c. Quia verò dicitur Jac. 1. Patientia autem opus perfectum habet; Exponens verba Lucæ Greg. ait: Terra bona fructum per patientiam reddit quia scil. nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus. Quanto enim quisque altius profecerit, tanto in mundo invenit, quod durius portet, quia cum præsentis sæculi mentis nostræ dilectio deficit, ejusdem sæculi adversitas crescit. Hinc est enim quod plerosque cernimus bona agere, & tamen sub gravi tribulationum fasce desudare, terrena namque jam desideria fugiunt, & tamen flagellis gravioribus fatigantur, Sed juxta vocem Domini fructus per patientiam reddant, quia nimis humiliter flagella suscipiunt, sic uva calcibus tunditur, & in vim saporem liquatur; Sic oliva contritionibus expressa, amaritudinem suam deserit, & in olei liquorem pinguescit; Sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt.*

S. Zeno Ser. de Patient. Varia encomia patientiæ. 1. Cor. 13. v. 1. Abul. Tom. 10. Q. 141. in cap. 19. Matth. Tertull. l. de Patient. c. 1. Ibid. c. 12.

8. S. Zeno multa contexit hujus virtutis encomia, ex quibus ad propositum nostrum præcipue deserviunt sequentia: *Rerum omnium Regina Patientia. Scio quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuisque consilijs, quam in alienis nudisque sermonibus conquiescis, neque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in finiendis. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore deflorescat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituta, fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice subeuntis invisum laboris, vel amoris æqualem retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam, idem velle atque idem nolle docuisti. Tu servituti amica, ac fortissima consolatio sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeas totum, sui contenta, cum sustinet totum. Tu Prophetas provexisti; Christo tu Apostolos glutinasti, tu quotidiana martyrum mater es, & corona; tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis.* Verum quidem est quod charitas regina sit omnium virtutum, juxta illud: *Major autem est charitas*, quodque sine hac nullum opus bonum alicujus sit pretij, aut acceptum coram Deo, teste S. Paulo dicente: *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c.* attamen sciendum est, Patientiam & charitatem adeo inter se esse connexas, ut difficile sit distinguere utra illarum mater sit, vel filia. Abulens. quidem illam charitatis filiam esse his verbis asserit: *Patientia non reddit vitam nostram perfectam simpliciter, neque opus ejus est perfectum, in quantum est opus Patientiæ, sed in ordine ad charitatem, scil. in quantum Patientia procedit à charitate scil. ex abundantia charitatis tolerat quis adversa.* Ego verò in laudem patientiæ dico, quod sicut verum est, nullam virtutem, nullumque opus virtuosum sine Dei amore alicujus esse valoris aut pretij, ita quoque Patientia eamdem pariter habeat prærogativam. Tert. in lib. de Patientia inquit: *Ita proposita Dei rebus est Patientia, ut nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à Patientia possit.* Idem in progressu hujus lib. c. 12. ad nostrum propositum ita discurrit: *Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus S. commendat, cujus nisi Patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est: ita Patientiam sumit. Benefica est; Malum Patientia non facit, non æmulatur; Id quidem patientiæ proprium est. Nec protervum sapit; Modestiam de Patientia traxit. Non inflatur, non protervit, non enim ad Patientiam pertinet; Nec sua requirit, si offert sua, dum alteri prosit. Nec incitatur. Cæterum quid impatientiæ reliquisset? Ideo inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, utique quia patiens.*

Charitas est conjuncta patientiæ.

8. Observandum porro est quod in tantum charitas omnibus aliis virtutibus legem præscribit, vitia fræno coërcet, admirabiles operetur effectus, in quantum est

1. Cor. 13. v. 4. Tertull. ibid.

forti Patientiæ scuto armata & communita; Hinc est quod Apostolo non suffecerit, se à principio primo loco dixisse: *Charitas patiens est &c.* posteaque subjunxisse: *Benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet enim veritati*, sed monstrare voles, unde omnes hi deriventur effectus, non sine mysterio de novo subjunxit: *omnia suffert, omnia sustinet*, his enim verbis dicere voluisse videtur, quod charitas in virtute pœnitentiæ in opus sese exerat. Tertull. tamen Patientiam Dilectioni velut individuam comitem assignat dicens: *Fides, quam Christi Patientia induxit; Spes, quam hominis Patientia expectat; Dilectio, quam Deo Magistro Patientia comitatur.*

Patientia est mater perseverantiæ aliarum virtutum. Luc. 21. v. 19. S. Bonav. Ser. 3. de S. Andr.

9. Quærunt spirituales vitæ Magistri cur Patientiæ potius, quam alteri virtuti, præcipue vero quam charitati perfectio attribuatur? ad quam quæstionem respondent, quod tametsi verum sit, quod hæc ratione objecti perfectior esse videatur, utpote quæ Deum immediate respicit, nihilominus Patientia ex alijs capitibus majorem perfectionem dicat, scil. quia mater est perseverantiæ, ideoque perfectionem, consummationem, & complementum omnibus alijs virtutibus, etiam charitati attribuit; Quæ sine ipsius sustentaculo utique deficerent, id quod S. Zeno his verbis, insinuare voluit: *Quia Patientia non tantum in multiplicandis virtutibus laudem ponit, quam in finiendis.* Porro Patientia eumdem in aliis virtutibus effectum habet, quam scalpellum in efformanda statua, ultimam ei impertiendo perfectionem, estque instar tecti in fabrica, qui sicuti domus sine tecto ab injuriis aëris hominem defendente, ad nihilum servit, ita quoque aliæ virtutes nisi perseveranti cuidam associatæ sint patientiæ, suum non consequuntur meritum. Unde Salvator non dixit: In humilitate vestra, in fide, in obedientia, in spe, in charitate, sed *in Patientia vestra possidebitis animas vestras*, hæc enim *opus perfectum habet*. Omnes alias virtutes ipsa opus habeat; Humilitas ad supportandos contemptus & vilipendia nostra; Paupertas voluntaria, ad sustinendam constanter nuditatem, famem, vigilias, laborem & alia similia, Castitas ad non consentiendum vehementibus concupiscentiæ motibus, eosque per cilicia, disciplinas, jejunia, coërcendos; Mansuetudo ad remittendas frequenter nobis illatas injurias; Obedientia in mortificanda parte rationali, ad propriam abnegandam voluntatem: Uniformitas cum divino arbitrio, ad sustinendos cum indifferenti æquanimitate sinistros eventus, imo ipsummet martyrium, quod perfectissimus est religionis actus, velut Ducem, comitem, & matrem agnoscit Patientiam; Nam ut S. Bonaventura ait: *Sine ferro, & flammis martyres esse possumus si Patientiam in animo veraciter conservemus.* Euseb. occasione S. Hieron. ad S. Damasc. Papam in hæc verba scribit: *Duplex martyrium est, unum succumbere gladijs impiorum, alterum in infirmitatibus, & adversitatibus, in animo Patientiam custodire.*

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Patientia lapis est Lydius, ad quem vera virtus & spiritus comprobatur.

THEMA.

Doctrina viri per Patientiam noscitur. Prov. 19. ℣. 11.

S. Bonav. ser. 3. de Apost. Differentia hominis cernitur in Patientia. Tertull. de Patient. c. 1.

1. HOmo virtuosus ex Patientia ab aliis discernitur, ut Sapiens inquit; Idq; S. Greg. à D. Seraphico citatus in hæc verba confirmat: *Patientia sola est omnium virtutum probativa, quia dicit Gregorius: Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Syriaca legit: *Doctrina viri est Patientia.* Imo ipsimet Philosophi gentiles qui luminis veræ fidei inexpertes, in obscuritate erroris ambulabant, teste Tertull. lib. *de Patientia* c. 1. hujusce virtutis merita ponderarunt. En verba Tertul. *Bonum etiam qui cæce vivunt, summæ virtutis appellatione honorant. Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia reputantur, tantum illi subsignant, ut cum inter sese varijs sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen Patientiæ in communi memores, huic uni studiorum suorum commiserint pacem.*

S. Basil. orat. 11. Probatur ex Patribus per similitudines.

2. S. Basilius M. in Oratione *de Passione & tolerantia* nonnullas in hanc rem adducit similitudines, inquiens: *Ut gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas sic Christianum hominem tentatio probat, & quemadmodum athletas certaminū labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, & omni gratia-*

rum actione, quæ à Domino ordinantur, susceperimus. S. Cyprianus in libro *de bono Patientiæ* ita scribit: *Examinandis nobis, atque explorandis, diversi importantur dolores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amissione charorum, nec aliud magis inter injustos discernit, & justos quam quod in adversis per impatientiam queritur, & blasphemat injustus, Patientia justus probatur, sicut scriptum est; In dolore sustine, & in humilitate tua Patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum.* Lactant. Firmianus pariter hanc justos inter & impios assignat differentiam, inquiens. *In quo sapiens & bonus vir à malis & insipientibus differt, nisi quod habet invictam patientiam, qua stulti carent? Nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi, quia virtute carent, frænare non possunt?* S. Gregor. ad præcitata Sapientis verba alludens, in homilia quadam inquit: *Tanto quisque ostenditur minus doctus, quanto convincitur minus patiens.*

S. Cypr. lib. de bono Patientiæ. — *Lact. Firm. l. 6. Divin. Instit. c. 18. ad 19.* — *S. Gregor. Hom. 35. in Evang.*

A similitudine agri.

3. Quando quis qualitatem agri alicujus explorare cupit, an scilic. sterilis sit, an fertilis, communiter illum ligone, vel aratro proscissum, ac fœtido sterquilinio contectum, ac deinceps seminat, videtque qualem sequenti anno fructum producat; Si enim urticas, lolia, stirpes, fruteta proferat, mox agrum illum maledictum & pessimum esse dicit. Sicut econtra optimum pronunciabit, si laboribus, sudoribus, & culturæ agricolæ per fructum abundanter illatum correspondcrit; Eodem prorsus modo si homo per injurias, contemptus, & nonnumquam percussionibus ad livorem exceptus, in honore & existimatione diffamatus sannis & derisionibus expositus, confestim irascatur, ac in vindictam, odium, & inimicitias prorumpat, pessimum vobis licebit de illo formare conceptũ; At vero si patiens fuerit, si dissimulaverit, tacuerit, bonum pro malo reddiderit, tunc talem verum virtutis specimen edidisse libere asseretis, quia *doctrina viri per Patientiam noscitur*, & ideo talis per agrum illum significatur, in quod divinum semen, ex uno grano in centuplicatum fructum excrevit: *Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in Patientia.* Ubi Cajet. notat. *Non sufficere cor honestum, & utile, nisi adsit Patientia in sustinendo adversa, & injurias quascumq; edocet Dominus à similitudine terræ, quæ quantumvis optima, non affert fructũ, nisi patiendo aratrum, & similia.*

Luc. 8. v. 15. — *Cajet. ibid.*

4. Ven. Beda super illa Christi verba: *In Patientia vestra possidebitis animas vestras*, ita scribit: *Idcirco possessio animæ in virtute Patientiæ ponitur, quia radix omnium, custosque virtutum, Patientia est. Per Patientiam vero possidemus animas nostras, quia cum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere; quod sumus. Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animum, & anima possideat corpus, jus verò animæ à corporis possessione repellitur, si non prius anima à ratione possideatur. Custodem igitur Conditionis vestræ Patientiam Dominus esse monstravit, qui in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit.* S. Ansel. in Proœmio super Apocalypsin materiam observat revelationum, quæ S. Joanni in dicto libro obtigerunt; Ita enim scribit: *Materia illius sunt 7. signa tribulationum designativa. Intentio, invitare nos ad Patientiam, ut per Patientiam veniamus ad contemplationem, per contemplationem ad revelationem, inde ad beatitudinem, Notandum quare magis ad Patientiam, quam ad alias invitet virtutes; Ad quod dicitur, quia sicut fides est fundamentum omnium virtutum, sic Patientia quodammodo est sustentaculum.* Quisquis igitur veram in corde habet Patientiam, firmiter sibi persuadere poterit, omnes alias in se recludi virtutes, utpote quæ patientiæ innitantur, in eaque fundantur.

Luc. 21. 19. Ven. Beda. Tom. 7. Hom. 2.

Patientia est signum plures adesse virtutes.

S. Anselm. in Proœm. in Apocal.

5. S. Bern. illũ citat Apostoli textum, quem ex B. Petro Dam. in Discursu præcedenti ponderavimus, nimirum: *Quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per Patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Circa quæ verba dictus mellifluus Doctor ita scribit: *Bene ad Doctrinam, ut per Patientiam speremus, siquidem ut alibi dictum est: Doctrina viri per Patientiam noscitur, sed & Patientia probationem operatur, probatio vero spem.* Enimvero S. Paulus non casualiter aut fortuito dixit, omnes sacras literas (quæ ad nostram eruditionem à Spiritu S. dictatæ, & ab Ecclesia tamquam pretiosissimus thesaurus donatæ sunt) eo fine conscriptas esse, *ut per Patientiam spem habeamus*; Cur enim non dixit, *ut per fidem, vel per humilitatem sive per charitatem, aut quamvis aliam virtutem spem habeamus?* In promptu est responsio, quia *Doctrina viri per Patientiam noscitur*; Etenim Patientia lapis est Lydius, ad quem aliæ virtutes, earumq; sinceritas comprobatur. Quando enim hæc Patientiæ virtus veraciter exercetur, dubitandum nequaquam est, quin etiam aliæ virtutes simul præsentes existant. Idem mellifluus Bernardus in alio quodam loco inquit. *Quo quis patientior, eo probatur esse sapientior;* Unde Salomon: *Doctrina viri per Patientiam dignoscitur.* S. Franciscus qui talem fundavit Religionem, quæ veræ perfectionis & sanctitatis basis est & fundamentum, Patientiam in suis primis Discipulis permagni æstimavit, eo vel maxime, ut qualis singuli Spiritus essent, exinde experiri valeret, Unde in opusculis suis ita scribit: *Quamvis fratres Minores in omni terra dent bonũ exemplum magnæ sanctitatis, & ædificationis ibi tamen non est perfecta lætitia; Et quamvis frater minor illuminet cæcos, contractos extendat, dæmones pellat, surdis auditum, claudis gressum, mutis verbum restituat, & quod majus est, quatriduanum resuscitet mortuum, ibi non est perfecta lætitia. Et si frater Minor sciret omnium gentium linguas, & omnes scientias, & scripturas, ita ut sciret prophetare & revelare, non solum futura, sed etiam conscientias aliorum, ibi non est perfecta lætitia. Si frater minor loquatur lingua angelica, & sciat stellarum cursus, & virtutes herbarum, & sint ei revelati omnes thesauri terrarum, & si cognosceret virtutes, & proprietates avium, piscium, animalium, hominum, radicum, lapidum, arborum, & aquarum, ibi non est perfecta lætitia. Et si frater Minor sciret tam solemniter prædicare, quod converteret omnes infideles ad fidem, ibi non est perfecta lætitia; Sed quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis sic balneati pluvia, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam loci pulsabimus, & veniet portarius iratus dicens: Qui estis vos? Et nos dicemus: Sumus duo ex fratribus vestris; Et ille è contrario diceret: Imo estis duo Ribaldi, qui & itis circumquaque per mundum, pauperum Eleëmosynam rapiendo, & non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem, & aquas, in frigore, & fame usque ad mortem, tunc si nos tot injurias, & repulsas sine turbatione, & murmuratione, toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter, & charitative, quod ille Portarius veraciter nos cognoscit, & quod Deus excitat linguam illius contra nos, scribe, quia ibi est perfecta lætitia; Et si nos in pulsando perseveraverimus, & ille tamquam importunus exeat contra nos, & durissime nos afficiat alapis dicens: Recedite hinc vilissimi Pultrones, & ite ad hospitale, qui enim estis vos? Hic penitus non manducabitis; Et si nos patienter hæc portabimus, & injuriati cum amore pepercerimus ex toto corde; scribe, quia ibi est perfecta lætitia; Et si nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante pulsabimus clamabimus, & fletu instabimus, ut aperiat nobis, & inde ille stimulatus dixerit: Isti sunt homines procacissimi & protervi, & exiens cum uno fuste nodoso, capiens nos per caputium, ad terrã super nives & lutum projiciet, & nos verberabit cum fuste, & nos plagis implebit, si tot mala, si tot injurias, & verbera, cum gaudio toleramus, considerantes, quod pœnas Christi benedicti tolerare, & portare debemus, scribe, & nota diligenter, quod ibi est perfecta lætitia, & audi conclusionem. Inter omnia Charismata Spir. S. quæ Christus servis suis concessit, & concedet, præcipuum est vincere seipsum, & libenter propter Deum, & charitatem Dei opprobria sustinere.* Ex qua tam sancti & illuminati viri doctrina, evidenter colligitur, veri Spiritus, perfectæq; sanctitatis specimen à patientia longe clarius, quã à quocũq; alio dono, aut virtute desumi & colligi.

Rom. 15. v. 4. S. Bernard. Ser. 1. in Ps. Qui habitat.

Aliæ virtutes per patientiam probantur.

Prov. 19. 11. Rom. 5. v. 4. — *S. Bern. de 7. Don. Spir. S. c. 7.* — *Prov. 19. 11.* — *Opusc. S. Franc. Tom. 1. c. 18*

Probatio fratris minoris in Patientia à S. Francisco descripta.

6. Enimvero qualem in se aromata fragrantiam habeant, ignis probat, & manifestum facit; Ac proinde B. Laur. Justin. in hæc verba nos exhortatur. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, diffundentes odorem ipsius circumquaq; adversa tolerando; Sicut enim aromata odorem suum cum incenduntur, expandunt, ita & in nobis, omne quod virtutibus redolet, tribulatione per Patientiam innotescit.* Bellovac. idipsum ex citata S. Gregorij auctoritate, per similitudinem militis in hæc verba declarat: *Improvidus miles est, qui se fortem in pace gloriatur; Nemo quippe quantum proficit, nisi inter adversa cognoscit.* Unde Augustinus ait: *Si vis probare qui sunt in Ecclesia Dei granum, vel palea, adhibe oris indicem, id est, perflua aliqua convitia: Si steterit, granum est, si palea, recedit in altum, & quanto minor, & levior, tanto magis in altum ascendit, id est, magis movetur, & superbe respondet.* In vitis Patrum sequens doctrina legitur: *Hæc est magna virtus, quando in infirmitatibus tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad Deum. Si amittimus oculos, non feramus graviter, extollentiæ enim instrumentum amisimus, sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? Non contristemur, quia auditum vanũ amisimus. Manus nostræ ex aliqua passione debilitatæ sunt? Sed interiores paratas habeamus adversus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus nostrum tenet? Sed nostro interiori homini sanitas crescit.* Ecce tibi qualiter inter adversa patientiæ virtus magis elucescat, majora spiritus incrementa accipiat. In iisdem vitis Patrum alius quidam eremi incola dicere solitus fuisse legitur: *Propterea non promovemur, quia patientiam non habemus.* Et in iisdem Vitis alio in loco sequens factum hisce verbis describitur. *Senex quidam erat, habens probatum Discipulum, quem aliquando contristatus expulit foras, ille vero Discipulus expectabat sedens foris; Ei aperiens senex invenit eum, & pœnitentiam egit senex apud eum dicens: Tu Pater meus es, quia humilitas & Patientia tua vicit pusillaminitatem animi mei. Veni intus, amodo enim tu senex, & Pater; ego autem juvenis & Discipulus, quoniam opere tuo superasti meam senectutem.*

B. Laur. Justi. de Lig. Vit. c. 2.

Patientia inter adversa magis elucescit.

Bellov. spec. mor. l. 5. dist. 89. — *Vit. Patr. l. 5. Libell. 7. n. 17.*

Ibid. n. 13. Vit. Patr. l. 5. Libell. 16. n. 15.

Ubique patientia necessaria est.

7. Congregationes Religiosorum ut plurimum ex personis, Patria, ætate, genio, natalibus, & conditione differentibus constare cernuntur; Ac proinde ad hoc ut concordes sint, atque unanimes quavis hora necessum est ut se in virtute Patientiæ exerceant; Atq; ideo similes congregationes veræ perfectionis Scholæ & Gymnasia esse solent; Unde in vitis Patrum legitur sequens historia: *Frater quidam erat in congregatione inquietus, & frequenter movebatur ad iram; Dicit ergo in semetipso: Vado, & solus alicubi habitabo, & cum non habeam in quo dicam, vel audiam, ero quietus, & quiescet à me passio iræ. Egrediens ergo manebat in spelunca solus; Una autem die implens sibi surisculam aquæ, posuit illam in terra, contigit autem ut subito versaretur, ille vero implevit secundo, & iterum versata est, deinde tertio implens, posuit eam, & rursum versata est, qui commotus furore, tenuit vasculum illud, & fregit. In se autem reversus cognovit, quia ab eodem dæmone iracundia sit illusus, & dixit: Ecce ego, & solus sum, & vicit me; Revertar ergo in congregationem, quia ubique labore Patientia opus est.* Ubi enim multi sunt, qui in virtutibus se exercentes ad vitæ perfectionem contendunt, ibi major est facilitas & commoditas bona illorum imitandi exempla, proprias imperfectiones emendandi, majores in perfectione faciendi progressus.

Ibid. Libell. 7. n. 35.

Aliæ virtutes sine patientia esse non possunt.

S. Zeno ser. de Patient.

8. *Doctrina viri per Patientiam noscitur*; Enimverò adeò hæc sententia certa est, ut S. Zeno in Sermone *de Patientia* dicat: *Non virtutes possint esse virtutes, non perennes elementorum status, non tempora cognata connexione in solemnes reditus commearent, nisi rerum disciplinam conversionemque quasi quædam solicita mater Patientia custodiret.* Idem paulo ante in ejusdem Patientiæ encomium dixerat: *Sola est, ad quam prorsus res omnis expectet, dubium quippe cum non sit spem, fidem, justitiam, humilitatem, castitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omnesque virtutes, ipsa quoque elementa ejus constare non posse sine eruditione, vel fræno, est enim matura semper, humilis, cauta, prudens, provida, omni necessitate contenta, quavis turbationum tempestate tranquilla, serenitatem suam nebulis turbulentare non novit. Altercatio quid sit ignorat* (ita in margine scribitur, licet in textu sit alteratio) *omnes aut evitat, aut portat injurias.* Et in decursu ejusdem sermonis subdit: *Tu specialiter omnem populum, divinasque virtutes quasi crines effusos, in unius verticis nodum, honorem, decoremque conducis. Felix, felix, æternumque felix est, qui semper te habuerit in se.* Seneca Philosoph. moralis pro majori prædictorum luce sequens adducit à luctatoribus desumptum exemplum, inquiens: *Athletas videmus, quibus virium cura est cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur; Cædi se, vexarique patiuntur, & si non inveniant singulos pares, pluribus simul objiciuntur, marcet enim sine adverso, virtus, tunc autem apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque cum quid possit Patientia ostendit. Non vides quanto aliter Patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari liberos ad studia jubent obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiunt; At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam tristari, numquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, laboribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur.*

Seneca c. 2. de Provid.

Patientia quemdam Hæreticum convertit. *Rayn. An. 1206. n. 31.*

9. Doctrina viri per patientiam noscitur. In annalibus Ecclesiasticis de S. Dominico, quem Papa ad hæreticos convincendos elegerat, & destinarat, factum aliquod præsenti proposito nostro haud inopportunum in hæc verba legitur: *Accidit eo tempore, ut disputatio solemnis deberet cum hæreticis ventilari, ad quam cum Episcopus loci cum multa se pompa præpararet iturum, dixit ad eum Præco Christi. Non sic mi Domine Pater, non sic est contra filios superbiæ procedendum, humilitatis, ac Patientiæ, Religionis, alijsque virtutum exemplis convincendi sunt veritatis adversarij, non fastu elationis, & ostentatione gloriæ sæcularis. Discalceati contra Goliath procedamus, Assentit Episcopus, discalceati sunt omnes, Cumque de via dubitarent, obviam habuerant hæreticum, quem Catholicum existimabant, qui eos ad locum recto itinere, ut spoponderat, non perduxit, sed ad nemus quoddam perfidus malitiosè seduxit, ubi inter vepres, & spinas pedes eorum vulnerati sunt, & crura sanguine respersa. Tum pugil Dei, cum omnia Patientia sustinens, & in jucundam Dei laudem prorumpens, ad collaudandum, & sustinendum cum patientia omnes hortatus est dicens: Confidite in Domino charissimi, quia de cælo vos manet triumphus, jam enim peccata vestra sanguine expiantur. Cernens malignus ille miram eorum, & lætam Patientiam, optimisque sermonibus Sancti compunctus, malitiam, confessus, hæresin abjuravit; Venientibus autem ad locum rectis corde orta est lætitia, perversis vere confusio, & tristitia.* Ecce tibi quam sit verum, quod Patientia dignoscere faciat, quisnam sit verus Spiritus, aut vera virtus, Magis enim hunc hæreticum ad veræ fidei agnitionem Patientia S. Dominici sodaliumque suorum, quam scientia, aut argumenta theologica perduxit; *Doctrina enim viri per Patientiam noscitur.*

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.
Patientia viam ad cœlum sternit.
THEMA.

Per Patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Hebr. 12. v. 1.

Modus veniendi ad cœlum est patientia.

1. CUm quamdiu in hac præsenti vita degimus, veri viatores simus, ideo Apostolus Metaphora cursus, & stadij, frequenter utitur; Unde de semetipso dicebat: *Sic curro, non quasi in incertum; Non in vacuum cucurri. Sic currite ut comprehendatis*; Modum autem demonstrare volens, quo ad æternæ gloriæ bravium pertingere valeamus, patientiam nobis præ cunctis aliis virtutibus indigitat inquiens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*; Quasi dicere vellet, si bravium desideretis, ecce vobis unicum mediũ, Patientiam scil. S. Bonavent. *de Profectu spirituali religiosorum* differens inquit: *Ex charitate & humilitate nascitur virtus Patientiæ, hæc ordinat nos ad fruitionem summæ pacis.* In hymno quem in dedicatione Ecclesiæ recitare solemus, Paradisus cœlestis *urbs Jerusalem* nominatur: *Urbs Jerusalem beata, dicta Pacis visio, quæ construitur in cælis, vivis ex lapidibus*; Advertendum vero est, quod ad hoc ut quis vivus ædificij illius lapis efficiatur, in eodem hymno nullius alterius virtutis fiat mentio, præterquam solius patientiæ, siquidem ad hanc alludunt verba illa: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis.* Idem Seraphicus D. in capite sequenti de hac virtute inquit: *Meretur magnam gloriam in cælo.* S. Zeno ad nostrum propositum sequenti utitur similitudine: *Quemadmodum cera, ut plurimum nisi recalescat, aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem, ita & homo, nisi laborum, & multifariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ; Ob hoc Paulo respondit Dominus: Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur.* S. Antiochus in homilia quadam Bibliothecæ veterum Patrum inserta, patientibus felix hoc nuntium defert: *Patientia sane hominem recta provehit ad salutis portum.* S. August. inquit: *Beati eritis cum vobis maledicent, & persequentur vos, & dicent omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Animadvertas quisquis delicias hujus sæculi, & facultates rerum temporalium quæris, in nomine Christiano intrinsecus esse beatitudinem nostram sicut de anima Ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria ejus, filiæ regis, ab intus; Nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur, de quibus tamen merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare.*

1. Cor. 9. v. 26. — *Philipp. 2. v. 16.* — *Heb. 12. v. 5.* — *S. Bonav. l. 2. de Profect. Relig. c. 34.* — *Ibid. Cap. 35.* — *S. Zeno Ser. de Patient.* — *S. Antioch. Hom. 78.* — *S. Aug. lib. 1. de ser. Dom. in monte. Tom. 4. c. 5.*

Porta ferrea, quæ ultrò aperta fuit S. Petro est patientia ducens ad Civitatem Cœlestem.

2. Memoranda hoc loco est porta illa ferrea, quæ ad urbem Hierosolymitanã ducebat, quę Angelo & S. Petro ultro aperta est, quando ruptis & solutis catenis è carcere egrediebatur; S. Petrus autem eo in loco homi- nem

nem patientem tunc præfigurabat, cui solutis vinculis, quæ eum in hujus corporis carcere vinctū tenent, cœlestem Hierosolymam portis ultro apertis ingreditur:

Act. Apost. 12. v. 10. *Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis.* Ubi S. Bernardus ait: *Porta cœli humilis Patientia, quæ est porta ferrea, ducens ad civitatem.* At vero dices fortasse ex qua Patientia humilis esse debet, nequaquam convenire videtur, ut sit ambitiosa, id est, ut ad beatitudinem & gloriam cœlestem prædentiā prætendat. Ac proinde S. Leonem M. auscultа, qui considerans id, quod in monte Thabor cœli ostiarius dixit:

S. Leo. Ser. de transfig. *Bonum est nos hic esse: Non enim sciebat quid diceret,* ut inquit Evangelista, ita scribit: *Huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse quod caperet, cum salvari mundus nisi Christi morte non posset, & exemplo Domini in hoc laudaretur credentium fides, ut licet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitare, intelligeremus tamen inter tentationes hujus vitæ, prius nobis tolerantiam postulandam esse, quam gloriam, quia tempora patiendi non potest felicitas præventre regnandi.*

S. Bernard. l. 4. de Consid. 3. S. Bernardus in ea est opinione, scilic. *Perseverantiam & Patientiam imaginem quandam æternitatis præ se ferre, & propterea, inquit, sola est cui æternitas redditur.* S. Augustinus quemdam injuriam libenter tolerantem his verbis consolatur: *Ille in terra geminat convitia, tu in cœlo lucra.* D. Chrysost. in homilia quadam, cui titulus est: *Quod melius sit injuriam pati, quam inferre,* inquit: *Patienti Deus totum referat cœlum, Sanctorum civem efficit, à peccatis absolvit, coronat justitiæ.* Adeoque patiens *non est affectus injuria, sed coronatus.* S. Petrus primos fideles, qui sine intermissione hanc

S. Aug. in Psal. 54. *D. Chrysost.* Patientia est imago æternitatis.

1. Pet. 4. v. 19. virtutem exercebant, consolatur inquiens: *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas.* In Apocalypsi c. 3. præclara nobis in hæc verba proponitur promissio: *Scient, quia ego dilexi te, quoniam servasti verbum Patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis.* Verè præclarum quid est, omnique consideratione dignissimum, Patientiæ merito in puncto mortis à Deo servari, ac defendi. Idque consonat cum illa Christi promissione: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Dixerat idipsum diu ante regius Psalmista ita canens: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Ubi Beda ait: *Et vere non erit oblivio in finem, quia Patientia pauperum, id est merces Patientiæ verorum pauperum, licet videatur nunc perisse, non peribit tamen in finem, id est, vel omnimodo, vel cum venietur in finem. Unde alibi dicitur: Patientia necessaria est, ut reportetis fructus.* Imo adeo secura sunt Patientiæ merita, ut de illorum fructu dubitare non liceat; Ac proinde S. Paulus ad Tim. scribens, non sine mysterio hæc verba permisit: *Fidelis sermo;* Ac postea subjunxit:

Apoc. 3. v. 10. *Luc. 21. v. 19.* *Psal. 9. v. 19. Ven. Beda.*

2. Tim. 2. v. 11. *Si commortui sumus, & convivemus; Si sustinemus, & conregnabimus.* Bollandus in vita S. Anscharij Episcopi Hamburgensis refert sequentia: *Contigit, ut quidam puerulus in Schola, Fulbertus nomine, à socio suo tabula percussus ad mortem usque perductus sit. Appropinquante hora exitus istius pueri, vir Domini forte sopori deditus lectulo incubabat, cum ecce vidit in somnis ipsius animam à corpore sublatam angelico ministerio ad cœlum deferri, se quoque miro & ineffabili ministerio Deo disponente pariter comitari, cumque cœli secreta penetrassent, pueri præfati animam in quandam purpuream mansionem conspexit introduci, & inter agmina Martyrum collocari. Ibique ei datum est agnovisse, quod quia ipse puer vulnus sibi illatum satis patienter tulit, & animam fratris usque ad mortem diligens pro percussore suo nimium benigne intercessit, patientiam & benignitatem ejus Deus divina remuneratione pietate, inter martyrum choros deputatus sit.* Quod si igitur tam brevis passio in ætate nondum matura, tam liberaliter nihilominus à Deo fuit remunerata, quid de illis dicemus, qui in virtutibus consummati per totam vitam suam se multiplicatis sæpe actibus in heroica quadam patientia continuo exercent.

Bolland. 3. Febr. fol. 410.

Job. 37. v. 22 4. Apud Job dicitur: *Ab Aquilone aurum venit;* At vero scire perquerem, cur potius in gelido Septentrione, quam ab aliis mundi partibus auri venæ reperiantur? S. Bonav. hac de re ita scribit: *Prudens facit solvere omnia debita sua, de his quæ nihil videntur valere, scilicet de malis pœnæ, quæ sustinet, ut Deus remittat sibi debitum culpæ, & solvendo nihil expendit de suo, imo de his quæ accepit ab initio, sicut de opprobrijs & contumelijs, solvit quæcunque & quidquid debet Deo; Et cum alienis, se retinendo, sua acquirere gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Et ideo dicitur: Ab Aquilone aurum venit, quod patiens acquirit in tribulatione* S. Cyprian. in lib. *de bono patientiæ* inquit: *Luxeninas Patriarchas, & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant; nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quam quod patientiam, forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Tot Prophetæ interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerent.* D. Chrysost. Patientiæ meritum attribuit martyrij:

De malis pœnæ in patientia solvitur debitum culpæ. *S. Bonav. Dist. Sal. Tit. 7. cap. 7.* *S. Cypr de bono Patient.*

D. Chrysost. in Psal. 127. *Fer forti & generoso animo cuncta quæ accidunt, hoc enim est tibi martyrium, non enim eum qui sacrificare jubetur, non sacrificare, sed potius dilaniari & excarnificari quam hoc facere, solum facit martyrium, sed etiam cum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter potius ferre laborem, & nihil turpe, & inhonestum dicere, facit martyrem; Job enim non ideo fuit coronatus, quod sacrificare jussus, non sacrificaverit, sed quod dolores & calamitates forti animo perpessus sit. Quin etiam Paulus propterea victor renunciatus est propter flagella, propter afflictiones, propter alia quæ sustinuit cum gratiarum actione.* S. Bonavent. super c. 8. Lucæ de Patientia ita scribit: *Ipsa est quæ perducit ad fructum. Ecce agricola expectat pretiosum fructum ferre, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum.* S. Greg. exemplum adducit S. Joannis, qui non minus quam frater ejus S. Jacob amaro calici, quem cœlestis Magister ei his verbis prædixerat: *Calicem quidem meum bibetis,* labia sua admovit. Unde de eo ita scribit: *Joannes nequaquam martyrio vitam finivit, sed tamen martyr extitit, quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente; Et nos ergo, hoc exemplo, sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Subdit insuper sequens sancti cujusdam hominis exemplum: *Fuit quidam Abbas nostris, Stephanus nomine, Pater monasterij juxta Reatinæ urbis mœnia constituti, vir valde sanctus, virtute Patientiæ singularis. Hic pro amore cœlestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat, tumultus devitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat; Virtus tamen Patientiæ in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset, redebat, contumelijs gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat; Omnes suos adversarios nihil aliud, quam adjutores æstimabat. Hunc, cum dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti, suas animas commendarent. Cumque circa lectum illius, qui convenerant, omnes assisterent, alij corporeis oculis ingredientes Angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerant, alij omnino nihil viderunt, sed omnes qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, ut nullus egrediente illa sancta anima stare hic potuisset:* Et paulo post subdit: *Ecce fratres charissimi servata illa in Ecclesiastica pace Patientia, ad quantum hanc retributionis culmen evexit. Quid huic suus conditor intus dedit, de quo nobis tantam gloriam in die exitus ejus, & foris indicavit? quibus hunc credamus, nisi sanctis martyribus sociatum, quem attestantibus corporeis quoque oculis à beatis Spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit, & tamen coronam Patientiæ, quam in mente tenuit, in egressione percepit.*

D. Chrysost. in Psal. 127.

Patientia cujusdam nomine Stephani.

Bloss. Inst. spir. §. 3. 5. Blosius inquit: *Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata incomparabiliter præstantior est, quam sint multa & grandia bonorum operum exercitia.* Idem in alio quodam loco similiter ait: *Quamvis ipsi multorum se criminum rei arbitrentur* (de Pusillanimibus loquitur) *sed coram Deo veri magnique martyres sunt, cum nulli dubium sit, longe acerbiorem hujusmodi perpetuam afflictionem dolorem infligere, quam unius carnificis ictus collo exceptus.* Bellovac. quamdam in discursibus præcedentibus à nobis adductam doctrinam in hæc verba refert: *Miracula præcellit virtus Patientiæ, l. 1. Dialog. c. 4. Greg. dicit: Ego signis & miraculis virtutem Patientiæ majorem credo, Hoc dicit pro Libertino, qui cum mortuum precibus suscitasset, magis admiratur virtutem patientiæ suæ, quam miraculum, eo quod à suo rectore graviter percussus in facie, scabello subpedaneo jactato contra eum, non murmuravit, sed sua peccatis humiliter imputavit.* Sicut enim granum priusquam granario inferatur, in area flagellis percutitur, in aëra sublevatur, purgatur, & cribratur, ita quoque priusquam instar grani in cœlum deferamur (*Triticum autem congregate in horreum meum*) tolerata in adversis patientia præcedere debet. Bellovacensis Sidonium citat dicentem: *Maximum vitæ remedium est nostri interioris hominis, si in hac area mundi, variis passionum flagellis, homo exterior craciatur.* S. Zeno in eodem sermone ait: *Abel ideo martyr, quia justus, ideo justus, quia patiens, à quo pati martyres didicerunt, patiendo libenter quod non merentur.* S. Antiochus in eadem Homil. ita scribit: *Bonorum* (si qua in nobis sunt) *caput Patientia est. Omnem prorsus*

Bellov. spec. mor. l. 1. dist. 88. Granum priusquam granario inseratur flagellis percutitur & purgatur ita & homo priusquam granario cœlesti inseratur. *Matth. 13. v. 30.* *Bellovac. ib. Dist. 88.* *S. Zeno Ser. de Patient.* *S. Antioch. Ex 87. Tom. 2. Biblioth. Vet. Patr.*

S. Antioch. Hom. 87. Tom. 2. Biblioth. Vet. Patr. *Patientia S. Stephani.* *Exod. 33. v. 20.* *Act. Apost. 7. v. 55.* *Ibid. v. 14.* *Sap. 5. v. 15.* *2. Reg. 14. v. 17.* *Salmer.* *D. Chrysost. Hom. 5. ad Pop.*

proinde tentationem, afflictionem omnem, necesse est ut suscipiamus cum patientia, & gratiarum actione, quo vel tandem assequi detur terram illam promissionis. In actibus Apostolorum S. Stephanus protomartyr, etiamnum hac mortali carne contectus cœlum apertum, in eoque Salvatorem cœlestis Patris dexteræ assistentem conspexisse legitur; Tametsi enim in Exodo Deus dicat: *Non enim videbit me homo & vivet,* ipse tamen in hæc verba exclamavit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Præterea: *Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.* At vero cuinam merito singularis hæc adscribenda est prærogativa, quod vultus protomartyris velut facies Angeli scintillarit, tametsi ipse nondum hoc corpore esset exsolutus, de quo scribitur: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam?* Dubiū hoc per sequens in Scriptura recensitum facinus facile resolvitur. Cum enim sapiens illa mulier Thecuitis Davidem à Mansuetudine & Patientia commendare vellet, eidem dixit: *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* Cum igitur S. Stephanus adeo invicta & prodigiosa Patientia fuerit insignis, ut non quocumque modo, sed positis in terram genibus, pro lapidatorum suorum venia Deum enixissime fuerit deprecatus, mirum non est, quod intuentes eum qui sedebant in Concilio vultum ejus tamquam faciem Angeli conspexerint. Doctissimus Salmeron prædicta Thecuitidis verba exponens inquit: *Quem nec timor, qui pallorem generat, nec ira, aut atra bilis, quæ faciem immutant, animam illius pervertebant, imo ipse Spiritus S. qui intus erat, foras erumpebat, ut claritorem ejus redderet vultum.* Porro certum est, quod inter alios Spiritus S. fructus Mansuetudo & Patientia pariter enumerentur, quas virtutes S. Protomartyr in gradu heroico exercuit, ut proinde sequentia D. Chrysostomi verba adaptare valeamus dicentis: *Pulchrum quidem, & integrum corpus fuerat, multo vere venerabilius factum est ab illis vulneribus infectum, quoniam & lanæ pulchræ quidem, & antequam inficiantur, postquam vero purpureæ factæ sunt, ineffabilem capiunt pulchritudinem.* Præterea quia S. Stephanus calumniis, persecutionibus, improperiis, denique tam crudeli lapidatione ad mortem usque lapidatus fuit, ideoq; patientiam heroicam exercendi patientiam habuit, ideo corpus ejus etiamnum hic in terris positum dotes cœpit degustare gloriosas, quarum una est claritas, ipsumque cœlestem paradisum patulum esse conspexit, quia porta cœli Patientia est. P. Rho de inclyta Dei ancilla Ursula Beningcasa Neapolitana sequentia scribit: *Quam acres ac vehementes sint calculi dolores, ut neminem experimento scire velim ita unum aliquem esse, qui non aliquando audierit, non opinor, utenque neminem tam duræ atque horridæ virtutis, quin laborantibus, sin minus clamores atque ejulatus, quales plerunque viris etiam fortibus expressit doloris immanitas, gemitum tamen aliquem, aut saltem levem vocis significationem, non permittat. Vix igitur credi posset, nisi post mortem felto corpore id factum fuisset palam, prægrandem calculum eum tamdiu cruciasse, quamdiu quotidianis dolorum incrementis, ad eam evaserit magnitudinem, quos illa dolores adeo dissimulavit, ut nemo quærentem, nemo leviter ingemiscentem audierit, nemo, ut verbo dicam, sciverit. Quantum hic licuit Patientiæ, quæ sibi ex illo calculo super Erythræas gemmas illustriorem coronam efformavit.*

Rho. Histor. Virt. l. 6. c. 3. §. 5.

Job. 2. v. 3.

continua prolongabat jejunia? Quia corpus suum disciplinis & ciliciis affligebat? Vel quia candidum virginitatis lilium illibatum servaverat? Sive quia in eremi antris vivum se sepelierat. Aut vero quia nationes barbaras, populosque idololatriæ deditos ad veræ fidei notitiam converterat? nequaquam, nihil enim horum de ipso in ejus historia enarratur; Unde igitur ab illo, qui *spirituum ponderator est* tantam laudem sibi commeruit, quod scilicet nullus in toto mundo sanctitatem ejus adæquaret? Respondeo solam Patientiam ipsum ad tam eminentem sanctitatem provexisse, quia *Patientia autem opus perfectum habet.*

Jac. 1. v. 4.

2. S. Basilius primum considerat conflictum, per quem in hac virtute S. Job probatus fuit, quando nuntiorum unus post alterum funesta & tristia jacturæ omnium facultatum suarum nuntia lamentabiliter exponit. *Calamitates undarum in cursionem imitabantur,* inquit Basilius, *nam priusquam priores lachrymæ exarserent, aliarum causa afferebatur. Ille vero tamquam scopulus quidam in mari eminens stabat, tempestatis impetum suscipiens, undarumque vim in spumam convertens.* Tertull. quoque egregie ad propositum nostrum inquit: *Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ove promeret, nisi Deo gratias.* D. Chrysost. in homilia quadam S. Paulum sequentibus deprædicat verbis: *In tribulationibus nutrivit B. Paulus, ita dicit: Tribulatio Patientiam operatur, Patientia vero probationem, probatio vero spem; Et sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit, sed & solutiores, firmioresque his incursibus reddit, sic & animam sanctam, & hic viventem, tentationum incursus, & tribulationum non supplantant, atque etiam ad majorem patientiam præparant.* Idem S. Doctor in Epistola quadam sequentem adducit rupis vel scopuli similitudinem, inquiens: *Quemadmodum rupes, quo pluribus fluctibus verberatur, ipsa quidem clarior efficitur, ac ne tantillum quidem emovetur, aquarum autem, quæ illi alliduntur, tumorem nullo negotio dissipat, ac delet, non jam percutiens eos, sed ab illis percussa, eodem scilicet modo is quoque qui Patientia exploratus est, insidias omnes superat, quoque mirandum ejus, plus roboris hinc colligit, non inferendis, sed perpetiendis malis, eos qui ferunt, mira facilitate frangens, ac dissolvens.* Idem in ejusdem Epistolæ progressu ad illam se reflectit S. Pauli infallibilem promissionem: *Spes autem non confundit,* id est, Spes quæ virtuti Patientiæ innititur, numquam deficiet, sed semper in continuo virore manebit: *Spes autem non confundit. Probatio inquit, spem parit, & quidem spem re ipsa omnino eventuram, non autem hanc humanæ similem; Quæ sæpenumero post quam laboribus divexarit, eos qui ipsi inhiant, laborum fructus et reddere nequit, verum præter detrimentum eos etiam in ignominiam & periculum conjicit: At hæc haudquaquam ejusmodi est, quandoquidem nec humana est, id quod uno verbo declarans Paulus his verbis utebatur: Spei autem non confundit. Neque enim damnaxat eam, qui ejusmodi certaminibus fungitur, detrimento ac pudore non afficit, verum etiam laboribus ac sudoribus, longe ampliores opes & gloriam ipsi affert.* Idem in Tomo Sexto iterum heroicam Jobi admiratur sequentibus verbis Patientiam: *Quomodo explicem doloris, vermium scatebras, defluentem saniem, amicorum probra, famulorum contemptum, non eum cohibuerant, inquit, famuli mei sputum à facie mea, & quos dignos non duxi, qui cum canibus gregis mei essent, hi autem irruerant in me, & increpant in me minimi.* Nimirum Patientia undique armatus, etiam super sterquilinium prostratus, constans semper permansit, quia ut S. Joan. Climacus ait: *Patiens religiosus cadere non potest, quin etiam per ipsos casus vincendi occasionem sumit.* Job etenim illo usus est scuto, de quo S. Isidorus inquit: *Sagittas contumeliæ Patientiæ clypeo frange, præpara contra asperum verbum Patientiæ clypeum.*

Conflictus Job.

S. Basil. orat. 11. de Patient.

Tertull. l. de Patient. c. 14.

D. Chryst. Hom. 4. ad Pop. Antioch.

Clim. scal. parad. gr. 24.

S. Isid. l. 2. Synon. cap. 7.

3. In Patientia pariter amor Dei relucet, unde Psalmista ait: *Dum superbit impius, incenditur pauper;* Quanto enim impij per factum & arrogantiam eis propriam humiles & contemptibiles mundi atrocioribus encrant improperiis, tanto magis in ipsis ad illa tolleranda accenditur charitas & patientia, unde Hugo Cardinalis prædicta Psalmistæ verba ita exponit: *Incenditur amore Dei,* idque Apostolus solemnibus hisce verbis confirmat: *Charitas patiens est, benigna est. Tantum enim quisque portat proximum,* ut Beda ait, *quantum amat, si enim amas, porta, si desistis amare, desistis & tolerare.* Idem paulo ante ex authoritate S. Gregorij Magni dixerat: *Patientia vera, est aliena mala unanimiter perpeti & contra eum, qui mala irrogat, nullo dolore morderi.*

Psal. 10. v. 2. *1. Cor. 13. v. 4.* *Ven. Beda. Simill. cap. 2.*

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Nonnullæ considerantur hujus virtutis excellentiæ; & quam sit Deo accepta, variis ostenditur exemplis.

THEMA.

Tribulatio Patientiam operatur, Patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Rom. 5. v. 3.

Patientia est mater diversorum meritorum.

1. EX hoc Apostoli textu Patientiam multorum virtuosorum operum, diversorumque meritorum fœcundissimam matrem esse, deducitur: *Tribulatio Patientiam operatur, Patientia autem probationem, &c.* Id quod etiam in præclarissimo illo Patientiæ speculo, Jobo inquam, evidenter verum esse patuit, hic enim cœlo terraque universe in admiratione fuit, quia ipsamet æterna veritas eum Satana loquens de ipso perhibet: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* At vero undenam ipsum tantam sibi sanctitatem acquisivisse existimas? Num forte quia

S. Bernard. ser. 70. in Cant.

Porro quo in pretio mellifluus Doctor Patientiam habuerit, facile ex sequentibus potest deduci; ait enim: *Pono primam omnium innocentiam, & si huic jungere continentiam qui vero, divitem me putabo in possessione liliorum. Rex sum autem, si tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem possunt sufficere illæ, sed quia & deficere in tentationibus possunt, siquidem tentatio est vita hominis super terram, opus profecto patientia est, quæ utriusque sit quasi tutrix quædam, & custos.* Idem mellifluus Pater in sermone quinto de Assumptione B. Virginis, sequentem tradit nobilem propositionẽ: *Munimentum eorum est murus continentiæ, antemurale Patientiæ.*

S. Bern. ser. de Assumpt.

2. Reg. 23. v. 8. — Psal. 72. v. 23. — S. Bern. ser. 7. super Ps. Qui habitat. — Patiens ut jumentum portat Deum in corpore suo.

4. In honorem quidem Prophetæ regij in libris regum dicitur: *Sedens in Cathedra Sapientissimus*; Et tamen ex altera parte jumentum se appellat, inquiens: *Ut jumentum factus sum apud te.* Quæ duo, scilicet sapientia & jumentum, cui ignorantia & stoliditas attribuitur, inter se contraria esse videntur; Et tamen S. Bern. utrumque inter se conciliat inquiens: *Puto, imo non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari sed plane non eam, quæ in non intelligendo, & insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox, si dixisset: Homo cum sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum, &c. Ut jumentum esto, minime tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens.* At vero quisnam est honor ille, de quo S. Doctor loquitur? Ille nimirum quem Apostolus indicat, dum suadens inquit? *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Etenim inter omnia animalia nullum à Filio Dei magis honoratum fuit quam jumentum, hoc enim in nativitate sua juxta præsæpe positum habere voluit, ut halitu suo ejus calefaceret corpusculum; Similiter in triumpho Palmarum asinum elegit, cui insideret, non equum: *Sedens super asinam*, idque ob illam præcipue causam, quia asinus Patientiæ typus est; Deus enim in animabus hac virtute dotatis, libenter quiescit. Unde Psalmista alio in loco dicebat: *Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso Patientia mea*, hæc enim specialissimum Dei donum est. *Quis enim tanta toleraret?* inquit S. August. *numquid homo? & si homo, numquid à seipso? Non sic ego extollar, ut cadam, sed Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* De B. Amadeo Sabaudiæ Duce in annalibus Ecclesiasticis legitur, quod in multis actionibus heroicis valde fuerit insignis, pro omnium vero virtutum complemento subdit historicus, *laborasse illum morbo molestissimo & continuo, eumque illius consolandi gratia proceres cum ad eum accederent, ipsummet eos solatum, Deum numquam nobis viciniorem esse demonstrando, quam cum maxime varijs corpus hoc exercet cruciatibus, nullaq; remedia quæ animæ vulneribus curandis adhibentur tam facere dolorem, quam quæ maxime sunt salutaria.*

1. Cor. 9. v. 20. — Matth. 21. 5. — Psal. 61. v. 6. — S. Aug. ibid. — Rayn. an. 1471. n. 85.

B. Petr. Dam. lib. 6. Epist. 30. — Patientia nutrit alias virtutes. — Senecæ. Epist. 67. — Rom. 8. v. 24. Theodor. Studita ser. 89.

5. B. Petrus Damianus in Epistola quadam inquit: *Hæc omnium vitiorum victoriam tribuit, & contra furentes mundi præcipites impetus, humanam mentem insuperabilem reddit.* Pergit quoque ibidem demonstrando exigui valoris esse alias virtutes, patientiæ consortio destitutas, cujus hanc assignat rationem: *Quandoquidem de rigore abstinentiæ, quidquid de quacumque corporis afflictione superius dictum est, vel dici potuit, pene nihil sit, si ipsa virtutum nutrix Patientia desit; Apostolo testante, qui ait: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, Patientia autem ad omnia utilis est.* Seneca Philosophus moralis Epistola quadam similiter ait: *Cæterum illic fortitudo est, cujus Patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt; Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet, quod effugere non possis fortissime ferre. Illic constantia, quæ dejici loco non potest; Et propositum nulla vi extorquente amittitur; Illic est individuus ille comitatus virtutum.* Et vero quidnam Philosophus ille in Patientiæ laudem dicturus non fuisset, si virtutem, non solum moralem, verum etiam Christianam agnovisset? S. Theodorus Studita super illa verba S. Pauli: *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus*; Sequentem habet ingeniosam considerationem: *Cæterum spes quæ videtur, ut fert Apostoli dictum, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per tolerantiam expectamus. Itaque tolerantia virtutum summa perfunctio est*; tandem vero multorum bonorum ab hac virtute derivantium contexens catalogum ita concludit: *Quapropter utamur nos quoque tolerantia ad morigerationem, humilitatem, lenitatem, exercitationem in ministerijs, omniaque obedientiæ studia, ac parem ijs mercedem capiemus.* Enimvero quemadmodum militia valorem, & experientiam generosi cujusdam viri demonstrat, ita Patientia virtutes in nobis meliores relucere facit, in adversitatum conflictu; Unde B. Laurent. Justinian. ait: *Vir Dei non debet moleste ferre quoties in certamine passionum fortitudo mentis illius exercetur, sicut virum fortem non decet indignari, quoties bellicus increbuerit tumultus. Illud enim est magnificum, & strenuum, si subjectus quis contumelijs, judicia Dei laudet, si vexatus ægritudine, judicia Dei deprecetur, si inopia depressus, nihilominus judicia Dei laudet.*

B. Laur. Just. de Lig. vit. cap. 2.

S. Aug. Tom. 4. l. de Patient. c. 23. — Ut ignis insufflatione ventorum magis accenditur ita patiens in majoribus adversitatibus charitate magis inardescit. — Cassian. Collat. 18. c. 13.

6. S. Augustinus in libro *de Patientia*, eximiæ hujus virtutis nobilissimos natales declarat, dicens: *A quo nobis est charitas, ab illo est Patientia.* Etenim quemadmodum ignis ventorum insufflatione magis magisque accenditur; Ita quoque viro vere patienti accidit, qui in majoribus adversitatibus charitate magis magisque inardescit Cassianus inquit: *Non esset laudabilis, nec admiranda Patientia, si nullis inimicorum jaculis impedita tranquillitatis propositum retineret, sed in eo est præclara, atque gloriosior, quod irruentibus in se tentationum procellis, immobilis perseverat; Nam in quo vexari, frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur, & in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi; A passionibus enim & sustentatione Patientiam dici, nullus ignorat, ideoque constat patientem neminem pronunciari posse, nisi eum, qui universa, quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit.* Et ideo Patientiæ exercendæ occasionem habere, specialissimum Dei donum est, ac proinde Petrus Blesensis considerat dictum illud Apostoli: *Sed & si quid patimini propter justitiam, beati; Donum quidem Dei est, inquit, in eum credere, sed & donum optimum pro Christo contumelias sustinere; Vobis, inquit Apostolus, donatum est pro Christo, non solum ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Idem in progressu ejusdem Epistolæ ita suadet: *Exhibeatis vosmetipsos tamquam Dei ministros in multa Patientia, nam vidua est virtus, quam non patientia firmat.* Bellovacensis in Speculo morali hanc pro eruditione nostra habet reflexionem: *Nota, quando proponit & incipit aliquis benefacere, nititur eum diabolus impedire, deridet, & dissuadet mundus, retrahit caro, retrahit quoque consuetudo, & ideo necessaria est Patientia; Et ideo de justis dicitur Luc. 8. Fructum afferunt in Patientia; Nam sicut semen jactum in terra exponitur ventis, glaciei, & nivibus, quæ postquam sustinuerit, fructificat, & crescit, sic semen spirituale, quod est verbum Dei interius inspiratum, vel exterius prædicatum, in terra devoti cordis profert fructum bonorum operum, & multiplicatur in magnum cumulum meritorum, si tamen constanter steterit in incepto.*

Petrus Bles. Epist. 22. — Bellovac. Spec. Moral. 1. dist. 88. — Luc. 8. v. 15.

Paralyticus in Evangelio ob diuturniorem patientiam à Christo meruit gratiam præ omnibus aliis.

7. Quærunt nonnulli cur sapientissimus Salvator noster probaticam ingrediens piscinam, in qua ingens omnis generis infirmorum multitudo erat, oculos suos specialiter in paralyticum illum deflexerit, eique suas gratias communicarit; Num enim forte deerant claudi, cæci, surdi, muti, & alij miserabiles, in quibus non minus divinæ Omnipotentiæ suæ lux emicare potuisset? Respondetur; Paralyticum hunc præ omnibus alijs Christi in se attraxisse oculos, multo vero magis ejusdem sibi conciliasse cor, & amorem, eo quod per octo annos continuos in heroica se patientia exercitasset, ac proinde se ad favores & gratias à Deo sibi conferendas se magis qualificasse. Eumdem Paralyticum Dominus noster antecedenter interrogavit: *Vis sanus fieri?* Quæ quidem interrogatio prima facie inutilis esse videtur, & tamen quia Christus bene omnia fecit, Theophyl. ad hoc respondet: *Non interrogat quasi discere quidquam vellet, hoc enim non solum superfluum esset, sed insipiens quærere, an æger velit sanari. Factum ergo, ut monstretur nobis hominis patientia; Quid igitur ille? Multa cum mansuetudine respondit: Etiam Domine, volo quidem, sed non habeo hominem, qui possit me in aquam inferre. Nihil blasphemum respondit; Non arguit Christum ut stultam interrogationem interroganti, non maledixit diei Nativitatis, sicut pusillanimes facimus, idque cum in leviores morbos inciderimus, sed mansuete & placide responsum dat, tametsi nesciret, quisnam esset, qui interrogabat.*

Joan. 5. v. 6. — Theophyl. Ibid.

Patientia Noë multis annis ædificantis arcam. — S. Zeno ser. de Patient.

8. S. Zeno nonnullos considerat Patriarchas antiquos, quibus utpote supra modum Deo acceptis, contigit ut mira Dei sæpius fruerentur benevolentia; Et inter alios merito Noë Patriarcham admiratur dicens: *Cataclysmum Noë, quo omnis caro funditus deleretur denunciante Deo imminere per momenta, ut credit, & timet, arcamque cum suis ut salvus foret, quam jussus est facere, non præcipiti festinatione compingit, nec tantum manus, quasi præsumptor, aut demens rapit, sed patienter ædificat, exornat & varijs animantibus replet; Quando ingredi jubeatur, quando januam claudere patienter expectat, dignus evadere, qui in tanto orbis metu non festinavit evadere.*

Per centum annorum decursum totius generis humani, infaustis præsagiis ejus increduli, insultus & opprobria patienter tulit; Facile enim nobis imaginari possumus, quibus quotidie agitatus fuerit improperiis, quando mundus videns quod Noë tot annis jussu Dei arcam fabricare continuaret, ut una cum familia sua salvus evaderet; Maxime cum bonitas & probitas illius ipsis velut spina in oculis esset? Utique inter se dixerunt: *Circumveniamus ergo justum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis*; Et tamen ut S. Macarius scribit: *Ille patientia & longanimitate multa repertus, solus salvatus est cum sua familia.* Idem S. Zeno ulterius progreditur considerando patientiam Abrahæ, qui primus electus est credentium Pater; subdit enim: *O novum spectaculum, ac vere Deo dignum, in quo definire difficile est, utrum sit patientior Sacerdos, an victima; Non percussoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur, non demissi, non torvi sunt oculi; Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne vere sit parricidium. Ille exerit gladium, ille cervicem uno voto, una devotione, ne quid profanum sit, diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur.* Eamdem quoque virtutem in Jacob Patriarcha considerat ibidem, inquiens: *Jacob per patientiam lucratus est fratrem, dat iracundiæ locum, securus ut redeat domum. Joseph patiens invenitur in pascuo, cum à fratribus rapitur, patiens cum in puteum demittitur, patiens in carcere, in regno patientior, patientissimus, fratres cum desideratos agnosceret.* Ac tandem paulo post concludit: *Rerum omnium regina patientia.* Enimvero si diligenter eos, qui ex statu privato ad sublimes provecti fuere gradus, diligenter consideretis, illos utique in hac virtute insignes & eximios fuisse reperietis; Nec mirum, quia Christus ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* De Pio V. Pontifice Maximo apud P. Rho legitur, quod *Calculo quinquaginta dies assidue tortus donec vita exprimeretur, Pontificiæ Patientiæ majestatem, cujus erat servantissimus, non querelis, non clamoribus, non gemitu indecoro, non vultu infregerit.* Enimvero hi tales vere digni sunt, qui locum tenentes Dei fiant hic in terris, qui in actionibus suis illam imitantur patientiam, quam Deus in gubernatione mundi, & impiorum tolerantia continuo demonstrat. In iisdem historijs citatus P. Rho refert, quod *Franciscum Bungi, & alium provinciarum regem tota Japonia celeberrimum, ita impetu bellorum obtrivit fortuna, ut vix oppidum unum vitæ utcumque tuendæ retineret. Sed quod regiæ deerat amplitudini, Christianæ superat indolentiæ quæstuoso plane commercio; Nam quamquam annos plures suorum regnorum, ac veteris felicitatis funeri superfuerit, numquam tamen indignantis, aut ægrius ferentis animi commotione agitatus, sed magistra patientia usus, placidissima in pace compositus quievit.*

Sap. 2. v. 12. — S. Macar. Hom. 9. — Abrahæ in exequendo mandato. — Patientia Joseph. — Matth. 5. v. 3. — Rho. Hist. virt. l. 6. c. 4. §. 2. — Pij V. in tortura Calculi. — Ibid. c. 3. §. 1.

Matth. 5. v. 11. — Ratio cur sit ultima inter octo beatitudines. — Euthym. ibid. — Eccli. 36. v. 27. — S. Ephr. Tract. de Tim. Dei.

9. Notandum denique est ultimam inter octo beatitudines pertinere ad Patientiam: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me, &c.* Quodnam vero in eo latet mysterium, quærit Euthymius, quod beatitudo hæc in ultimum usque locum reservata fuerit? Et in hæc verba respondet: *Observa autem quod post præcepta posuerit beatitudinem tolerandæ persecutionis, quæ fit propter justitiam, & exprobrationis, detractionis, & maledictorum, quod omnibus prædictis virtutibus oporteat adjunctum esse eum, qui hæc certamina aggreditur.* Considerabilis est illa Ecclesiastici sententia dicentis: *Ubi non est sepes, diripietur possessio, & ubi non est mulier, ingemiscit egens*; Neque enim credere possum tanta sapientia præditum oraculum, quale Ecclesiasticus fuit, hæc verba sine occulto aliquo mysterio in medium protulisse. Cæterum vero nullus est, qui nesciat, quod quando agri, vineæ, horti, pomaria, sepibus non sunt circumdata, fructus illorum tam viatorum quam animaliũ rapacitati, continuo sint exposita. Porro S. Ephrem sententiam prædictam Ecclesiastici ad suum propositum adducens, loco ly *mulier*, legit; *Ubi non est Patientia, &c. Ubi non est sepes*, inquit Scriptura, *diripietur possessio, & ubi non est Patientia ingemiscit errans*; Sicut enim per sepem fructus defenduntur, & conservantur, ne aliorum rapacitati pateat aditus, ita quoque patientia in anima efficit, ne merita & virtutes, quibus præfulget, inimico infernali in prædam cedant, sed in alteram usque vitam conserventur.

Dicitur mater Deiparæ.

10. In hujus quoque tam raræ virtutis laudem notandũ est eamdẽ quodammodo denominari posse magnæ Dei genitricis matrem, siquidem S. Joachim & Anna, utpote qui diuturno tempore steriles vixerant (id quod apud Hebræos illius temporis cœlesti attribuebatur maledictioni) omnibus in opprobrio & improperio erant, etiam ipsismet sacerdotibus, quod patienter tolerantes, indeq; in amore & servitio Dei magis magisque infervescentes, tandem tam eximiæ sanctissimæq; prolis largitione à Deo sunt consolati. Audiamus hac de re S. Vincent. Ferrer. in hæc verba scribentem: *Joachim expulsus fuit de templo à sacerdote, cum tamen esset de majoribus, quia sterilis & infæcundus erat. Moraliter instruimur hic habere patientiam. Joachim & Anna viginti annis fuerunt sine prole, & faciebant eleemosynas, orationes &c. & non obtinuerunt, sed quia habuerunt Patientiam in verecundia sibi facta à sacerdote, statim habuerunt promissionem. Patet ergo, quod qui vult aliquid obtinere à Deo, plus valet patientia quam aliud.*

S. Vinc. Fer. ser. 2. de Nat. Virg.

DISCURSUS XII.
ARGUMENTUM.

Patientia in sinistris eventibus hominem interiorem componit, eique in adversis suggerit lætitiam.

THEMA.

Usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis. Ecclesiastici cap. 1. v. 29.

Descriptio patientis. — Tertull. l. de Patient. c. 15.

1. TErtullianus in libro *de Patientia* eamdem calamo suo ad vivum depingit, idque longe melius, quam à pictore quamtumvis celeberrimo penicillo delineari potuisset. En verba ipsius: *Age jam, si effigiem habitumve ejus comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxijs. Amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur.* Et quidem infallibile veri patientis indicium est interna omnium sedatorum appetituum suorum compositio; Nam ut S. Bonaventura in c. 22. S. Lucæ scribens, & de Patientiæ effectibus tractans inquit: *Rectificat rationalem, temperat irascibilem, modificat concupiscibilem, & exteriorem consummat operationem. Rationalem illuminat & rectificat; Unde in proverbijs dicitur; Qui patiens est, multa gubernatur sapientia; Et doctrina viri per patientiam dignoscitur.*

S. Bonav. in c. 22. Luc.

Luc. 21. v. 19. — Quid sit animam suam possidere explicatur.

2. Quemnam putas verborum illorum fuisse sensum, quibus incarnata sapientia suos affabatur Apostolos, dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras?* Enimvero propositio isthæc prima facie aliquam videtur involvere difficultatem, qua enim ratione homo animam propriam possidere poterit, quæ à quovis etiã minimo, ejus qui illam creavit, nutu dependet. Quis unquam cum omni industria & studio suo animæ suæ possessor fieri poterit? Respondeo quod hoc utiq; obtenturi simus, si anima nostra adeo à nobis composita fuerit, ut ex nullo sinistro eventu obvio turbetur, aut alteretur, sed patiens semper, serena, tranquilla, & imperturbabilis maneat. Unde S. Gregorius ait: *Quid est animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus, quasi ex arce veritatis dominari, quod ubique valde animam consolatur & reficit?* S. Aug. versum illum Psal. 96. *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ*, ita commentatur: *Insula undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest, magisque ipsa frangit fluctus venientes, quam frangatur ab eis.* Quæ comparatio profecto aptissima est, quia insulæ in illis undarum procellis alterationis sunt incapaces, imo in sua imperturbabilitate persistentes easdem frangunt; Quod idem multis animabus vera patientiâ præditis evenire solet, quæ veluti inalterabiles, in obviis contradictionibus non contristantur, sed tranquillæ & serenæ permanentes easdem superant. Unde S. Joann. Climacus ait: *Patientia est labor, qui numquam frangit animam, nec tumultibus quamvis rationabilibus excitatis perturbatur.* S. Joan. Damasc. ex directione D. Chrys. ita scribit: *Si animo bene comparato fueris, nihil detrimenti affert afflictio; Quemadmodum enim fornax aurum nullo incommodo afficit, eodem modo calamitas nullam forti viro perniciem infert, quidnam fornax auro puro facit? quid item afflictio patienti animo eam ferenti? Imo vero sublimiorem eum reddit.*

S. Greg. l. 5. mor. cap. 13. — Ps. 96. v. 1. — Clim. scal. Parad. gr. 37. n. 31. — S. Joan. Damasc. Parall. lib. 3. c. 97.

B. Laur. Just. de lig. vit. c. 1. — Finis patientiæ pax est.

3. Seriam quoq; considerationem illa B. Lauren. Just. doctrina meretur, dicentis: *Magnum pacis est bonum; Est namque pax securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis*; & post simul coadunata multa simul pacis elogia hisce notabilibus verbis concludit: *Ad pacem per patientiam pervenitur, tantoque magis pace fruetur homo, quanto erit*

to erit patientior; Finis patientiæ pax est. Prius enim collocandum est fundamentum patientiæ, ut securius postea fabricetur altitudo pacis. In hoc namque fundamento ædificando, fortitudine opus est, non corporis, sed animi. Idem Sanctus cap. 2. Fructus hujus internæ pacis à patientia derivantes, & ante ipsum à S. Bonav. ut dicetur, consideratos, in praxi demonstrare pergit dicens: *Patienti serviunt æstas, & hyems, & omnia adversa mundi, sterilitas agrorum implet ejus horrea, fures, & latrones, & omnia hominibus contraria mundi, serviunt ei. Ignis domos aliorum exurens ædificat patienti domum in cælis; Tanto enim spes in Deum validior surgit, quanto quis pro illo graviora pertulerit, quia nequaquam hic retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non prius pia tribulatione seminatur.* In vita S. Philippi Nerij legitur, quod quidam maligniores, utpote qui in oratorij institutum animo erant infenso, occasiones aucupabantur, ut possent sub ementita boni specie Philippi famæ labem aliquam inurere. Sparserunt igitur famam per universam Romam P. Philippum in ædibus S. Hieronymi degentem mulierum causa in carcerem fuisse detrusum; Motivum autem hujus famæ exinde procedebat, quia viri cujusdam famulus in iisdem ædibus S. Hieronymi degens Philippus nomine, ob feminæ commercium à lictoribus fuerat carceri mancipatus, ex quo æmuli opportunitatem nacti, æquivocum Philippi nomen in malam partem interpretati sunt. Id rescivit bonus Pater, qui pacato animo, illos commiseratus, silentio rem præteriit; Qua historia supposita facile intelligi posse puto, cur Ecclesiasticus, postquam dixisset: *Usque in tempus sustinebit patiens*, subjunxerit: *Et postea redditio jucunditatis*, quia servi Dei patientiã simul cum hilaritate & jucunditate conjungunt, habet enim vera patientia hanc sibi congenitam indolem, quod non solum pacem interiorem, sed etiam simul jucunditatem & jubilum animæ communicet. Unde S. Bonav. ait: *Patientia est magna mentis refectio, quia sicut corpus pascitur convivio, ita mens virtutum dapibus saginatur.* Idem Seraphicus Doctor alibi homini in hac virtute se exercenti titulum attribuit regis, dicens: *Homo patiens rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus, nam patienti serviunt omnia, quæ alijs sunt nociva, ut sterilitas agrorum, quæ implet sibi cellarium; Hostes fabricant sibi coronam; Vepres parant ei medicinam; Mors aperit sibi carcerem ad evadendam miserias; ignis qui domos incendit alijs, sibi confert pabulum, vel constituit in cælis palatium, & sic verificatur illud Apostoli: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* Adversitates enim non solum cum perfecta voluntatis suæ cum divina conformitate, verum etiam cum lætitia & jubilo recipiuntur. Idem S. Bonaventura paulo ante hominem ex veræ virtutis motivo patientem duabus pulchris similitudinibus illustravit, dum ait: *Ipse ad modum ursi verberibus impinguatur, & instar Salamandræ igne tribulationis fovetur.* Unde S. Basilius in Oratione *de Patientia & Tolerantia* nos exhortatur inquiens: *Calamitatem patienti animo ferto, velut generosus Job, & ne te tempestas prosternat, neque quidquam abjicias ex his mercibus, quas tecum fers, hoc est de virtute, sed veluti magni pretij supellectilem, ac mercem in animo tuo conserva, gratiarum actionem, & ita etiam tu multiplicem percipies ex gratiarum actione voluptatem.*

Ibid. cap. 2.
Vit. S. Phil. Ner. l. 2. c. 20. n. 3.
Patientia Philippi Nerij.
Eccli. 1, 29.
S. Bonav. l. 2. de profect. relig. c. 36.
S. Bonav. in Diata salutis. T. 7. c. 7.
S. Basil. orat. de Patientia.

4. In prato spirituali de quadam nobilissimæ prosapiæ, raræque pulchritudinis femina legitur, quod cum adeo facta fuisset leprosa, ut omnibus eam aspicientibus horrori esset, cunctis de familia sua, aliisque cognatis ipsam deplorantibus, sola ipsa hilaris & jucunda manebat; Cumque Episcopus quidam oculis lachrymas ex compassione manantibus, ipsam consolationis causa accessisset, mulier hæc per evidentia internæ hilaritatis signa, omnem à Prælato illo novit depellere tristitiam, dicendo: Cur hoc in me donum & specialem gratiam, quam dilectus meus Christus Jesus mihi præstitit, admiraris? Dic sodes si aliquis tali cum conditione carceri esset inclusus, ut inde egredi numquam posset, donec carceris muri & parietes è fundamentis corruerent, in hunc vero carcerem condemnatus videret, quod prædicti muri paulatim corruerent, & totalem minarentur ruinam pro ejus liberatione, numquid merito talis lætificaretur? Ita quoque anima Christiana in mortalis corporis carcere constituta videns corporis sui vitam & salutem paulatim terminari, seque ex captivitate carnis mortalis brevi liberandam esse, justam habet lætandi causam. Unde S. Basilius in Epistola ad Nazianzen. ita scribit: *Laboro ex morbo, gaudeoque, non quod laboro, sed quod alijs tolerantiæ discendæ præceptor sum; quoniam enim nobis est datum, ut sim expers passionum, vel hoc saltem ex afflictionibus lucrifacio, ut feram, & gratias agam, quemadmodum in jucundis, ita & in tristibus.* Considerans Tertullian. Salvatorem nos in hæc verba monentem: *Cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, gaudete, & exultate, multa enim merces est in cælo*; inquit: *Id utique exultationi, non impatientiæ pollicetur, quia nemo in adversis exultabit, nisi antea contempserit, nemo contemnit, nisi patientiam gesserit.* Nam ut S. Climacus ait: *Pro ratione Patientiæ tuæ sublevabitur onus afflictionis tuæ, & consolationem obtinebis.* Blosius in Sacello animæ ita scribit: *Prorsus ei qui se Deo perfecte resignavit, afflictio dulcis est, quia in Deo, per quem illa ipsi evenit, conditur, & divina fit, & Deiformis. Cum talis nihil quærat, nihil diligat, nec quidquam illi sapiat nisi Deus, ita hunc in amaris atque contrarijs capit, sicut in summa dulcedine; Neque enim fieri potest, ut aliquis pro Dei gloria quidquam sustineat, quin in eo saporem quemdam Divinitatis percipiat.*

Morbida lætatur quod ipsius anima sit in carcere corpore ruinoso.
S. Basil. Epist. 13.
Matth. 5. v. 11.
Tertull. c. 11. Ibid.
Clim g 37. Scholion. n. 31.
Blos. Sacell. animæ c. 11. n. 4.

5. Placidus sub Trajano Imperatore opulentissimus eques Romanus, victoriis & triumphis gloriosus ad veræ fidei agnitionem à Deo vocatus fuit, sed eo fine, ut velut alter quidam Job omnibus fieret veræ patientiæ speculum, ideoque sublatis ab eo omnibus divitiis, factus pauper & mendicus, cum in hac sui dejectione constitutus Romæ, ubi notus erat, sine magna verecundia morari non posset, coactus est una cum conjuge & duobus filijs in regionibus longinquis victum sibi mendicando acquirere; Hi autem ei à feris sublati sunt filij ejus, & ab impijs nautis conjux pariter erepta fuit, adeoque per multos annos agros colere & arare fuit adactus, ut necessarium sibi per sudores suos acquireret victum, uno verbo, ut in ejus lectionibus legitur, *incredibiles calamitates mira patientia fuit perpessus.* Qua autem ratione miserias adeo deplorandas sustinere potuisset, nisi simul cum regio Propheta per experientiam didicisset dicere: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam:* De hac virtute, dummodo vera sit Bellovacensis ita scribit: *Amara facit dulcia, aspera suavia, gravia levia, patientes enim ad modum piscium marinorum inundationes maris quasi lac sugunt; ut legitur Deuter. 33.* Refert Blosius S. Mechtildi à cælesti sponso suo dictum fuisse: *Cum quis injuria aliqua afficitur, non impatienter conqueratur, hominibus multa inde loquendo, sed statim mihi præsentet suum gravamen, ut ego dulcedinem consolationis meæ illi infundam, eamque ad patientiam animem.* De viro illo Apostolico Joanne de Avila, qui superiori sæculo sacrum in Hispanijs fuit oraculum, P. Rho. refert sequentia: *Hujus tantæ in hominibus patientiæ vim omnem, atque ortum, præclara usus imagine suis olim Discipulis Avila explicabat. Videsne fabros ferrarios, ut candentis ferri massam validis ictibus tundant, & qualibet induant figura? Unde tanto metallo ferendi constantia? Resiliret profecto nisi grandi forcipe prehensum, idem qui fundit, ac fingit, sub ictu valido contineret faber, tantamque firmando metallo, quantum tundendo virium adhiberet, ne validiori ictu excussum artem eludat, quæ in hac nostra imbecillitate naturæ tanta esse potest animi firmitas, ut morbis veluti malleatoribus corpus objiciat immotum, animumque præstet, nulla victum querela? Nimirum idem qui affligit, allevat Deus, & quod durius fingit, validius firmat.* Idem *ipse quondam nocturnis doloribus victus, cum levissimo gemitu inducias impetrasset ad somnum, mane ubi evigilavit; postulati pœnitens, auditumque se dolens, à Deo egregie vapulasse, ac colapho cæsum fuisse, professus est, quod patientiæ per ea cruciamenta operandi materiam sibi subtraxisset.* Bolland. in vita S. Paulæ nobilissimæ matronæ Romanæ, ita de eadem scribit: *In languoribus, & crebra infirmitate dicebat, quando infirma sum, tunc fortis sum. Et habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem &c. Ac deinde; Ut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus. Quando dispendia rei familiaris, & eversio totius patrimonij nuntiabatur, ajebat: Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Nudus egressus sum de ventre matris meæ, & nudus revertar illuc, sicut Domino placuit, sic factum est, sit nomen Domini benedictum. Scio ei scriptas infirmitates gravissimas liberorum, & maxime Toxotij sui quem diligebat plurimum, cumque illud virtute complesset: Turbata sum & non sum locuta, in hæc verba prorupit: Qui amat filium aut filiam plus, quam me, non est me dignus; Et orans ad Dominum loquebatur: Posside plus mortificationum;*

Historia patientis Placidi.
Psal. 93. v. 19
Bellovac. Spec. Moral. 1. dist. 88.
Blos. in conclavi animæ cap. 10.
Rho Hist. Virt. lib 3. cap. 5. §. 3.
Explicatio patientiæ per Joan. de Avila.
Bolland. 26. Jan. fol. 718.
In infirmitatibus gaudium S. Paulæ.

tificationem, qui pro te quotidie mortificant corpora sua.

6. Isaac Presbyter in libro *de mundi contemptu* Patientiam hoc honorat epitheto: *Patientia mater est consolationis.* Imo ipsemet Seneca moralis de quiete interiori differens, qua anima sedatis intra se passionibus, perfruitur, inquit: *Qui melius scit pati, majorem tenebit pacem.* Unde à nobis fidelibus, dum tristitia obruimur, hic formandus est discursus: Anima nostra tristari potest, vel quia non est in gratia Dei, vel quia ab inordinatis agitatur passionibus, & appetitibus; S. Thomas autem constanter asseverat, quod cum vera patientia filia sit Charitatis, ab amicitia Dei prorsus sit inseparabilis: Præterea eo ipso quo hac patientiæ virtute prædit sumus, sensibus & appetitibus nostris plene dominamur, ipsomet Salvatore teste, qui ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras;* Idque alibi expressius declarat dicens: *Possessio importat quietum dominium, & ideo per patientiam dicitur homo suam animam possidere, in quantum radicitus evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur.* Hugo Cardinalis præter id, quod dictum est supra, circa versum: *Lætentur Insulæ multæ*, in sententia S. Augustini similitudinis hujus rationem assignat his verbis: *Bonos insulis comparari contingit, quia positi in salo tribulationis, resistunt ventis adversitatum, quia inter fluctus confluentes calamitatum, stant immoti. Hujusmodi ergo homines jubet David lætari, & exultare, hoc est, ijs affectibus vult plenos, qui proprij sunt beatorum, de quibus dicitur: Exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis.*

Isaac de mundi contempt. c. 42.
Patientia est mater consolationis.
Seneca l. 3. de Ira c. 16.
Luc. 21. 19.
S. Thom. 2. 2. Q. 136. art. 3.
Idem art. 2. in Resp. ad 2.
Psal. 26. v. 1.
Hug. Card.
Psal. 149. v. 5

7. Apud Isaiam dicitur: *Cum ambulaveris in igne non combureris & flamma non ardebit in te.* Id quod in S. Laurentio adimpletum fuit, qui tametsi super prunis ardentibus afflatus fuerit, attamen in corde suo tali superabundavit gaudio, ut de igne illo gavisus fuerit, quemadmodum de luce & splendore gauderi solet. Sed nequaquam id mirandum est, siquidem in invictæ patientiæ suæ augurium talem habuit matrem, quæ proprio suo nomine Patientia appellata fuit. De hoc Archilevita & martyre S. Maximus ita scribit: *Nec potuit de infatigabili ejus pectore calorem divinitus infusum, corporeus ille, & mortalium ministratus manibus ignis excludere. De hoc validissimo Christi milite illud credendum est, quod ante multa millia prænuntiatum est per Prophetam dicentem: Etsi transeas per ignem, flamma te non comburet; Ecce enim B. Laur. transivit per ignem momentaneum, atque terrenum, sed flammam gehennæ perpetuo exurentis evasit. Quid hoc beatius viro, qui miserentis Dei dispensante gratia, arsit ne arderet, & ne ureretur, exustus est.* Patientiam porro huic similem, cum tanta lætitia conjunctam difficile est invenire, siquidem Tyranno dixit: *Disce miser, quod carbones tui mihi refrigerium præstant.* Quando idem Tyrannus coram eo, ut ejus experiretur constantiam, omnis generis supplicia, quibus martyres exagitari solebant, præsentari fecit; gloriosus hic martyr libere respondit: *Has epulas ego semper optavi.*

Isai. 43. v. 2.
Historia patientiæ S. Laurentij.
S. Max. ser. 3. de S. Laur.

8. P. Rho cujusdam ancillæ Christi, Carmelitanæ Discalceatæ, cui nomen Catharina Godinia erat, invictam patientiam his verbis describit: *Adolescentula clarissimi generis inter nuptiarum meditamenta, in Christi Domini è cruce pendentis signum oculos casu conjecerat, commutato illa unica visione animo, & jam certa Deum sequi, virginitatem suam illi voto mancipavit, novoque ardore mentis elatæ martyrum victorias, & triumphos præoptavit. Audita est; quamquam non ijdem ac martyribus hostes illi fuerint decreti; Quos fortiter excepit, ac vicit, Decem septem solidos annos lectulo fere perpetuo affixa, torquentibus velut in equuleo morborum sævissimis doloribus lætabunda transegit. Laborabat febri hectica continua, phthisi, carbunculis, morbo articulari, Hydrope, Ischiade, Cardiaca, hepatis calore adeo violento, ut interalia tantum non conciperent ignem. Et ne minor à medicis virtutis occasio daretur, quinquagies (quod vix ulla audivit ætas) secta vena sanguinem misit? nec tamen patientiam amisit. Sæpius cucurbitulis ab eodem exhausta est, indito etiam sale, quod medicus nescio quis diceret, plurimum conducere venenatis humoribus evacuandis. Sæpius cauterio inusta, bis ad supremam lactam inuncta est; Animo inter hæc omnia adeo tranquillo, ac ferendi avido, ut ferrum, ignemque, cum secanda erat, aut urenda, morx imeparet.*

Patientia Catharinæ Godiniæ.
Rho ib. §. 4.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Quantopere dæmon Patientiam nostram aversetur, nosque impatientes reddere satagat, quem tamen per patientiam à nobis abigimus, & vincimus.

THEMA.

Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo. Job 2. v. 7.

1. QUod Satan hominum vera patientia insignium irreconciliabilis sit inimicus ex historia Jobi clare deducitur; Siquidem non contentus, quod omnes ipsius greges disperdidisset, miserabilem servorum suorum edidisset stragem, domum ejus fuisset demolitus, subq; illius ruinis universam ipsius sepelisset familiam, insuper à Deo facultatem sibi dari petiit, ut immediate in ipsius personam sibi sævire liceret; Nec mirum, nam ut Bellovacensis inquit: *Attende quod latrones invadunt libenter loca, in quibus sciunt esse thesaurum, & cum arcam fregerint, thesaurum rapiunt: Sic dæmones libentius, & vehementius impugnant viros justos, habentes thesaurum, id est copiam meritorum, & cum cor fregerint per impatientiam, totus thesaurus virtutum & meritorum amittitur, quia cor fatui, quasi vas confractum. Bene servantur viri justi per patientiam, quia sicut dicitur 1. Petri 4. Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei: fideli Creatori commendant animas suas.* Enimvero Satan probe satis sciebat, Jobum eo ipso tempore, quo omnes inæstimabiles divitias suas amiserat, quoad cœlestes thesauros longe esse opulentiorem, utpote qui in irrogatis adversitatibus per assiduum patientiæ exercitium, ingentem sibi meritorum cumulum coacervarat, ac proinde adversus eum universum contra ipsum conatus est armare infernum, ut eum ad aliquem impatientiæ aut iracundiæ scopulum fortiter allisum confringeret. Etenim postquam Deus de Jobo servo (cujus aurum patientiæ in igne tribulationis probarat & ab omni scoria purificarat) dixerat: *Non est ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam;* Latro ille tartareus ob divinum hoc testimonium nequaquam animo suo despondit, nec spem prævalendi adversus ipsum deposuit, dummodo sibi, ut immediate ipsum non in bonis tantum, sed in persona propria aggredi posset, permitteretur; Et ideo respondens Satan. *Pellem pro pelle &c.* Ex quibus verbis insana rabies, qua dæmon agitatur adversus illos, qui in adversis patientes sunt, manifeste colligitur, nec mirum, quia à nulla alia virtute adeo valide prosternitur, & acerbe pungitur, quam à patientia; id quod D. Chrys. probat inquiens: *Hinc disce tribulationis lucrum quantum est; Etenim quando dives erat, unde accusaret, ipsum habuit, mendaciter quidem; postquam autem spoliavit, nec mussere quidem amplius ausus est.*

Diabolus est inimicus hominis patientis.
Bellovac. spec. Mor. l. 1. dist. 88.
1. Pet. 4. v. 19
Job. 2. v. 3.
Ibid. v. 4.
D. Chrys. hom. 5. ad pop.

2. Tertullianus primum impatientiæ authorem angelum rebellem fuisse arbitratur; ait enim: *Natales impatientiæ deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subjecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset, nec invidisset homini, si non doluisset. Adeo decepit eum quia inviderat, inviderat autem, quia doluerat, quia patienter utique non tulerat. Quid primum fuerit ille angelus perditionis malus, an impatiens, contemno quærere, palam cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam, deinde inter se conspirasse, & individuas in uno Patris sinu adolevisse.* Et vero quidnam incarnatam sapientiam hisce verbis: *Ille homicida erat ab initio*, aliud dicere voluisse existimatis, præterquam quod impatientiæ zizania seminaverit, ut bonum patientiæ semen suffocaretur? Nam ut Tertull. ait: *Conventa illi mulier (non temere dixerim) per colloquium ipsum ejus afflata est Spiritu impatientia infecto; Usque adeo ut numquam omnino peccasset, si divino interdicto patientiam præservasset.* S. Cypr. pariter in libro *de Bono Patientiæ* Tertull. sententiæ adhærendo in ea est opinione, quod impatientia, dæmonis, capitalis Patientiæ inimici, genuinus sit partus, ita enim scribit: *Ut patientia bonum Christi est, sic contra impatientia diaboli malum, & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, inde & perijt primus, & perdidit. Adam contra præceptum cœleste cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam Patientia custode servavit. Et ut fratrem Cain perimeret, sacrificij ejus, & muneri;*

Tertull. l. de Patient. cit.
Author impatientiæ est diabolus.
Joan. 8. v. 44.
Tertull. ibid.
S. Cyprian. lib. de Bono Patient.

Dum diabolus tentavit Christum explorare voluit num esset patiens & consequenter Dei filius.

maneris impatiens fuit. Enimvero cum inimicus infernalis cum illuminatis Dei servis difficulter cum spe victoriæ dimicare possit,eosdem specialiter in impatientiam præcipitare satagit;Ac proinde Apostolus quoque ne per impatientiam diabolo locum in anima nostra cedamus,specialiter monet:*Sol non occidat super iracundiam vestram,nolite locum dare diabolo.* Etenim diabolus per vitia carnalia,per avaritiam,per blasphemiam,aliosque similes excessus,in personas spirituales aditum nequaquam obtinet,hæ enim ab ejusmodi peccatis quam maxime abhorrent;Ideoq;se per peccata venialia,præcipue vero per impatientiam in earum animas se insinuat;Quod facile probare licet per exemplum,quod in tentatione Christi habemus;Tametsi etiam in dubium revocari nequeat,id quod Moyses ex instinctu Spiritus S.ait : *Serpens erat callidior &c.* Attamen prima facie idem infernalis serpens in ultimo insultu quo Christum aggressus est,stoliditatem potius,quam sagacitatem demonstrasse videtur,siquidem Christum de peccato quodam maximè execrando,qualis est idololatria, tentare non erubuit, dicendo : *Si cadens adoraveris me*; ex quo enim Dei Filius cum tentationibus minoris momenti,quales erant transmutare lapides in panem,seque ex altissimo templi pinnaculo deorsum demittere,ut Angeli eum sustinerent,se infestantem generose repulerat, qua fronte ipsum de peccato gravissimo , quale est, creaturam ut Deum adorare , solicitare præsumit ? Quod si ab amico quodam vas aliquod argenteum tibi mutuo dari postulares , is vero id facere abnueret, numquid si eidem diceres quandoquidem vas argenteum mutare mihi detrectas,obsecro te,ut aureum aliquod vas mihi mutuo cedas, aut vero si illud dare non vis,gemmeum aliquod vas saltem non deneges,talis velut homo manifeste delirus,& insipiens deridendus esset? Idem vero pariter de hac tentatione dicere possumus,licet illa à Lucifero omnium rebellium spirituum astutissimo Christo intentata fuerit ; Verumtamen incredibile est Luciferum in hac tentatione stolide & sine ulla astutia processisse; Ac proinde vultisne ut ejus artificium vobis manifestem? Nimirum explorare volebat,an Christus verus Dei Filius esset,quia vero,ut in Discursibus tertio,& quarto,fusius probavimus,Patientia aliquid Divini in se habet,& Christum verum Dei Filium esse probare poterat , ideo sagacissimus serpens Christum de impatientia tentare aggressus est, ut aliquod divinitatis suæ sumeret experimentum;per hanc enim machinam viros etiam perfectissimos turpissime labi communiter procurat. Unde Cajet.inter alia hujus tentationis motiva etiam hoc indicat:*Ut sic vel provocaret Jesum ad increpandum.*

Eph.4. v.26. — Gen.3.v.1. — Matth. 4. v.10. — Cajetan.

Diabolus aggreditur patientiam Anadoni. — Rho Hist. Virt. lib.6. cap.3.§.3.

3.P.Rho de sancto quodam viro ordinis Prædicatorũ sequens refert exemplum,ex quo quantam rabiem dæmon adversus illos,qui hujus virtutis sunt amatores,exerceat,facile colligitur; Ita enim scribit : *Anadono ad Valentini cænobij fores excubanti de more, mendicabili habitu pannosus lacera in veste Satanas se obtulit,ac stipem infimis precibus institit eblandiri. Anadonus & suopte ingenio in pauperes facilis, & importunis precibus impulsus, quamquam consuetæ liberalitatis hora jam abierat, jusculi patinam tamen dedit. Hic vero proprius bonorum hostis , patinam ipsam in benefici senis corpus adeo violenter est jaculatus, ut annis ac laboribus imbecillum humi affigeret quidem,sed tamen victoriam , quam ea petebat injuria , non reportaret, nam Anadoni patientia contumeliam dissimulantis,superbissimam belluam in fugam egit. Beatè cum religiosis domibus haberetur,si ea præ foribus virtus pervigil excubaret.* Unde verissimũ esse liquet. Quod patientia inimicum infernalem gloriose vincat, & confundat,prout ex sequentibus testimoniis manifestũ evadet.

D.Chrys. ibid. — Oppugnat patientiam Job.

4.D.Chrysost.totius inferni contra Jobum conjurati prælia considerans ait : *Quis vidit,quis audivit tam mirabiles pugnas , profanorum certaminum pugiles cum adversariorum capita triverint, tunc victores sunt, & coronantur , hic vero cum justi corpus contrivisset , uniformi ulcere ipsum perforans , & imbecillius fecisset, tunc victus, & retrocessit.* Pergit ulterius idem sanctus Doctor suas diabolo improperare jacturas,quando Job ad impatientiam inducendo suas sperabat obtinere victorias,ita enim scribit. *Quid actum est diabole? quare refugis? Nonne facta sunt quæcumque volebas ? Non interemisti ipsius greges,armenta, equorum mandras , & asinorum? Non filiorum cætum perdidisti ? & carnem omnem vulnerasti? Quare recessisti? Quoniam facta sunt,inquit ea quæ volui , quod vero fieri maxime volebam, & propter quod omnia feci,hoc factum non est,neque enim blasphemavit,propter hoc enim omnia illa faciebam.* S.Leo in laudem S.Laurentij,cujus lectus ferreus ignitus in currum triumphalem est transmutatus,ita scribit: *Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit.*(Cum Valeriano loquitur , qui martyrio ejus personaliter assistens tormenta ejus urgebat)*quando in honorem transierunt triumphi,etiam instrumenta supplicij?* Sic quoque omnes atrocissimæ adversitates & miseriæ,ad Jobum torquendum ab inferno excogitatæ, Spiritus infernales longe magis,& acerbius,quam ipsum Jobum cruciarunt,eo quod per illas invictam Jobi patientiam gloriosius resplendere,& coronari procurassent. Unde merito hic repetere licet pulcherrimam illam superius allatam Tertulliani considerationem dicentis : *Ridebat Deus,dissecabatur malus, cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret.*

S.Leo Ser. de S.Laur.

Stratagema Diaboli contra martyres Japonenses.

5.Eo tempore quo sancti illi viginti quatuor martyres in Japonia anno 1622. in mense Septembris lento igne incinerati fuerunt , ignis in loco viginti quinque palmis à columnis, quibus prædicti martyres allegati erant,dissito accensus fuit,ut tanto diuturniori tempore illorum continuaretur supplicium. Stratagema autem circa hosce martyres à dæmone excogitatum,tale fuit,quod videlicet vincula , quibus martyres palis & columnis adstringebantur, non erant ferrea,sed viminea, ut iis combustis, ipsi liberi facti, fuga sibi consulere possent , & flammarum illarum atrocitatem & veracitatem evadere, ita tamen ut per fugam illam se fidem nostram abnegasse testificarentur. At vero diabolica hæc inventio in majus retorta est authoris ludibrium , siquidem divina omnipotentia per efficacem gratiam,invictis Christianæ religionis suæ confessoribus communicatam,effecit,ut patientissimi,& immobiles ad finem usque martyrium hoc sustinerent , ac proinde dicere poterant illud Senecæ: *Digni visi sumus Deo,in quibus experiretur,quantum humana natura potest pati.* Tertull.causam inquirens cur S.Joannes Evangelista Romæ ante portam Latinam ab igne manserit illæsus,ita scribit : *Flamma pectus ejus comburens , ignis actionem,qui in lebetem agebat,suspendit,ibiq;duos ignes inter se prælio dimicantes, tandem ignis amoris superior evasit,victoriam reportans.* Porro inimicus infernalis cũ paganis illis colligatus,ignem costis & lateribus sanctorũ illorum religiosorum admovit , ut illos per lenti illius incendij impatientiã ad Deum abnegandum extimularet;Ipsi vero interius amore & charitate ergaDeum, de quaApostolus dicit:*Charitas patiens est*,accensi ignis illius materialis victores,& triumphatores evaserunt,& in patientia sua possederunt animas suas , dæmone in suis stratagematibus confuso remanente,& superato.S. Basilius Magnus in Oratione *de Patientia & tolerantia* Jobum introducit semetipsum in filiorum suorum jactura in hæc verba consolantem:*Quid frustra servus cũ sim,ægre,atq; animo iniquo feram,& sententiæ succenseam, quam rescindere nequeo?* Et addit: *Hujusmodi verbis dæmonem justus ille pungebat.* Observandum quoque quod postquam Job dixisset : *Si bona suscepimus de manu Dei,mala quare non sustineamus ?* Superbus Lucifer in rabiem adactus,& per hæc verba invictæ Patientiæ Jobi expressiva,quasi totidem sagittis diabolica Luciferi arrogantia & præsumptio transfixa fuerit. *Hæc enim dicendo dæmonis impetum retudit*,inquit Basilius,*& pudore ipsum affecit,eo quod victoriam ab ipso reportasset.*

Seneca de Provid. — Tertull. l.de Præscript. — 1.Cor.13. v.4. — S.Basil.orat. 11. — Job 2.v.10.

Tertull. c.12. de Patien. — Adhortatio ad patient.

6. Tertullianus in libro *de Patientia* inquit: *Ubi minor injuria,ibi nulla necessitas impatientiæ. Aut ubi major injuria,ibi necessarior injuriæ medela patientia. Certemus igitur,quæ à malo infliguntur sustinere, ut hostis studium, æmulatio nostræ æquanimitatis eludat.* Idem in progressu ejusdem libri c.14.S.Job laudaturus in hæc verba prorumpit:*O felicissimum illum, qui omnem Patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit , quem non abacti greges,non illæ in pecore divitiæ,non filij uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus,à Patientia, & fide Domino debita exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cæcidit.* D.Chrysostomus in homilia *de Simultate* in hæc verba ad patientiam nos exhortatur : *Quod si arduum sit negotium, & operosum,cogita quod ob Deum talia pateris,& plenam percipies consolationem,animamque subterfugientem,reformidantem, erubescentem,pudefientem exacue,eique continuo ista accine : Quid cessas? Quid subterfugis? Quid detrectas? Non de pecunia , non de alijs rebus momentaneis, sed de nostra salute agitur. Est hoc quidem spiritualis mercatus, ne lenti simus.* Mox vero ad propositum nostrum maxime conducentia subdit,quæ sequuntur verba : *Intelligat inimicus,magnam à nobis curam adhibitam , ut divinis placitis attemperemus, sive denuo contumelias inferat , sive verberet,sive quid aliud acerbius faciat, omnia feramus generose, neque tantum illi , quantum nobismetipsis gratificemur.* Præ omnibus virtutibus id ad majorem mercedem nobis imputabitur in illo die. Multa deliquimus , in magnis offendimus,& Dominum nostrum irritavimus ; Dedit ex sua humanitate hanc viam reconciliationis. Ne igitur deseramus tam pulchrum thesaurum.* Idem S.Doctor in Epistola quadam in Encomia hujus virtutis se diffundens, inter alia dicit : *Nosti profecto nihil esse , quod patientiam adæquare possit* ; Et paulo post subdit: *Hanc naturam habet,ut eam nec arma mota , nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus; nec lanceæ emissæ, nec ipsum Dæmonum agmen , nec terrificæ adversariarum potestatum phalanges , nec denique Diabolus ipse cum omnibus suis copijs machinisque in aciem prodiens , detrimento ullo afficere possit.* Idem in homilia quadam de Patientia ita scribit : *Mærore te Diabolus afficit, pecuniam auferens ? affice tu quoque hunc, gratias Deo agendo, lethalem ei plagam intuleris.*

Ibid.cap.14. — D.Chrysost. Tom.1.Hom. 22.

D.Chrysost. Epist.7. — Chrysost. Tom.6.Hom. 22.

B.Laur.Just. de lig.vit.c.2 — Cassian. collat 18. c.16. — Patientia vincit Dæmones. — Bellov. ibid.

7. B. Laur. Justin. inquit : *Vincit Dæmones , unde B. Job quot voces patientiæ in laudem Dei percussus reddidit;quasi tot in adversarij pectus jacula intorsit,& acriora valde,quam sustinuit, jacula infixit.* In collationibus Sanctorum eremi Patrum referente Cassiano in hæc verba conclusum fuit : *Firma definitione teneamus à tentationum procellis impugnationibusque Diaboli tutos nos esse non posse, si omne præsidium patientiæ nostræ, omnemque fiduciam non in interioris hominis nostri viribus, sed in cellulæ claustris,aut in solitudinis recessu, sanctorumque consortio collocemus.* Bellovac.ubi supra ex vitis Patrum de B.Antonio refert. *Quod cum Dæmones verberassent B.Antonium usque ad mortem,& ipse immobilis perseveraret in bono proposito suo , Deum invocans,lux emissa à Deo Dæmones fugavit, Antonium sanavit, Jesum Christum sibi assistentem ei demonstravit,cui Antonius : Ubi eras bone Jesu , cum Dæmones ita male me tractarent ? Ego,ait Deus,eram juxta te,cernens,& gaudens de victoria Patientiæ tuæ. Juxta est enim Deus his, qui tribulato sunt corde.*

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Patientiam victoriosam esse ostenditur.

THEMA.

Melior est Patiens viro forti , & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Prov.16.ỳ.32.

Generositas Christiana consistit in patientia. — Judic.5.v.8.

1. FOrtitudini,quę tam excellens est virtus,duæ præcipue dotes assignantur , scil.aggredi , & pati ; Quod vero primum secundo palmam cedat, Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis in præcitati thematis verbis: *Melior est Patiens viro forti , &c.* expresse declarat. *Nova* enim *bella elegit Dominus* ; Siquidem in vitæ Christianæ militia , in qua sub regiis S.Crucis insignibus præliamur , fortitudo & generositas nostra potissimum in patiendo,& tolerando consistit: *Melior est patiens viro forti.* Unde S.Zeno in dignissimo illo Serm. quem in laudem patientiæ composuit , ingenue confitetur dicens : *Impossibile est ejus æstimare virtutem, cujus vinci victoria est. Non illam loco suo ulla detorquet,non labor,non fames, non nuditas, non persecutio , non metus,non periculum, non mors, non tormenta morte ipsa graviora,non potestas, non ambitio,non infelicitas ; Semper immobilis manet,alta quadam ac divina temperantia robuste librata universas permotiones animorum placida moderatione compescens,& ut omnia non magnopere devincat, se primo vincit.* S.Joan.Chrysost.similiter ait : *In bellis ostensio belli est,si miles occiderit ; Illa fulgentissima victoria est , quia inferentem injurias patiendo superasti ; Deus eas tibi vires concessit, non ut conseritione manuum , sed ut patientia vincas.* Verum quidem est quod ad hoc ut inimicus fortis & validus superetur necessariæ nobis sint vires corporales vigorosæ ; At vero ut nosmetipsos per patientiam & mansuetudinem vincamus, hosti non irascendo,nec vindictam contra illum meditando , opus est virtute, fortitudine interiori, charitate, compositione animi , & in illis vires maximè necessariæ consistunt; *Melior est Patiens viro forti,quia dominatur animo suo.* Septuaginta legunt : *Melior est vir longanimis forti,& qui continet iracundiam, melior est, quam qui urbem capit. Rebus omnibus validior, ac fortior est lenitas, & Patientia.* In bello quidem vir fortis censetur, qui ad sustinenda ponderosiora arma , & ad vibrandum ferrũ vel hastam longissimam,vigore præstat validosq; habet lacertos ; In pugna autem spirituali verissimum est,quod melior est patiens. Nam ut Bellov.ait: *Patiens non gladium , non manum, non baculum,imo nec festucam levat contra adversarios suos, sed potius amat , compatitur eis,& orat.* Unde vere dicitur : *Nobile vincendi genus est Patientia. Vincit qui patitur,si vis vincere,disce pati.*

S.Zeno Serm. de Patient. — D.Chrysost. Hom.85. in Matth. — D.Chrysost. Hom.31. in 1.ad Cor.

B. Hovdt. l.13 Dist 88.

Non vires Corporis sed animæ demonstrat patientia.

2. Verum quidem est,quod patiens vires corporis in sustinendo armorum pondere nõ demonstret,attamen vires animæ , quæ pluris faciendę sunt,manifestas reddit,portando,& sustinendo ab adversarijs suis illatas injurias & contumelias : *Maxima enim virtutum Patientia pugnat inermis , armatosque solet vincere sæpe viros. Nec solum si superat patientia, verum etiam ipsorum jacula retundit in eos.* Idem Bellovac. paulo post subdit : *Per patientiam vincit homo seipsum,id est animi sui impetum;* Idque probat tum ex præcitati Thematis verbis , tum ex authoritate Gregorij M. dicentis : *Minor est victoria urbes expugnare, quia extra sunt , qui vincuntur, majus autem est, quod per Patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur ; Unde Bragmanni scripserunt Alexandro, quod pugnabat contra hostes exteriores quos vincebat, ut nutriret hostes interiores , à quibus vincebatur , quos dicebant esse animi sui impetus , & cupiditates. Aristoteles contra Alexandrum, cum nollet cuidam iracundiam remittere, probavit ei , quod nobiliorem triumphum acquireret, vincendo seipsum , quam in eo quod vicerat,& sibi subjecerat totum mundum, quod si se,vel animum suum non vinceret, non erat victor, sed victus.*

Patientia Cõstantini Magni. — D Chrysost. Hom.20. ad Pop.

3.Constantinus M. licet reportarit in tot bellis & prælijs diversos & gloriosos triumphos, D.Chrysost.tamen pluris facit aliam quamdam per ipsum obtentam victoriam longe celebriorem , magisque gloriosam ; Nam in homilia quadam ad populum suum Antiochenum de præfato Imperatore ita scribit : *Fertur B.Constantinus, effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus , ad supplicium de authoribus contumeliæ sumendum , & dicentibus, quod omnes ipsius faciem saxis convulnerarint , manu faciem palpans, & leniter ridens dixisse : Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video , sed sanum quidem caput, sana vero & facies tota. Illi vero reveriti , & confusi ab hoc iniquo desistere consilio , & hoc verbum hactenus canunt omnes , nec tantum temporis labefecit , aut hujus Sapientiæ memoriam extinxit. Quo non sit hoc trophæis splendidius? Multas urbes ille condidit , & multos barbaros superavit, sed ne minimus illorum nihil, hoc autem verbum usque in præsentem diem canitur, & posteri nostri, & posteri illorum , omnes idipsum audient.*

David irritati à Michol patientia.

4. S.Greg. magnopere celebrat factum illud Davidis,quando se à Michol conjuge sua per adeo vituperosum ludibrium patientissime audivit contemni , eo quod saltasset coram arca Domini ; Ita enim S. hic Pontifex loquitur : *Quid de ejus factis ab alijs sentiatur,ignoro ; Ego David plus saltantem stupeo,quam pugnantem.* Quæ sententia prima facie paradoxa esse videtur , annon enim S.Greg. memoria sua tenet illam contra Goliath reportatam à Davide victoriam ? An oblitus est tot stragium,quas inter Philistæos armis suis ad immortalem gloriam paravit ? An alia memoriam ipsius effugiunt facinora , quibus generositatem suam omnibus retro sæculis probavit ? Quam habent modici saltus proportionem , cum mortificatione prædictorum facinorum causa patienter tolerata ? Verumtamen causam afferti Pontificij ex ejus velim ore auscultetis ; Dicit igitur : *Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem & patiendo insultus, semetipsum vicit.* B.Laur.Justin.de viro patiente ait : *Vincit seipsum, quod genus vincendi rarissimum,& nobilissimum est; Melior est,inquit Scriptura,vir patiens viro forti , & qui dominatur animæ suæ, expugnatore urbium ; Innumerabiles sunt, qui populos , qui urbes in potestate habuerunt , paucissimi, qui se.* Quinam sunt illi qui dominium supra semetipsos habere dicuntur ? Illi nimirum , de quibus Christus ait : *In patientia vestra possidebitis animas vestras*;Per Patientiam enim pacificam consequimur passionum nostrarum possessionem, quæ alias inexpugnabile contra nos bellum causaturæ essent. S Bonav. super cap.22.S.Lucæ in hæc verba scribit : *Patientia facit dominari sibi, secundùm illud : Melior est patiens,&c. & ideò Gregor.ait : Patientia radix est, & custos virtutum, & in hac corpus & animam possidemus.* Idem quoque Pontifex in libris moralium dicit : *Qui patientiam tenet,animam possidet,quia inde contra adversa omnia fortis efficitur,unde sibi,& seipsum vincendo dominatur.*

B.Laur.Just. de lig.vit.c.2. — S.Bonav in c.22. Luc. — S.Greg l.5. mor. c.13.

Vires patientiæ. — S Bonav. de sept. don Spir.S.c.3.

5. S.Bonav.alibi *de septem donis Spiritus S.*disserens, ac tandem ad donum fortitudinis descendens,ex authoritate Cassiodori super Ps.32.ita scribit: *Patientia vincit adversa,non colluctando, sed sufferendo ; Non murmurando , sed gratias agendo ,* victoria reportatur, non ense manu vibrato,sed per Patientiam,in corde exercitam. Unde Guilielmus Parisiensis patientiam hunc in modũ ratio-

Guiliel. Par. l. de mor. c. 2.
B. Laur. Just. de Conflict. inter c. 2.
2. Cor. 2. 14.
Lyran. ibid.

ratiocinantem introducit: *Ego victrix gloriosa, quæ sine ictu, aut repercussione hostes dejicio, & prosterno.* B.Laur. Justin. in lib. *de conflictu interiori* dicit, quod servi Dei. *Non hostibus suis irrogando mala, sed æquanimiter patiendo adversa, de hujus sæculi stadio triumphaliter discessere.* De hoc quoque triumpho Apostolum locutum fuisse existimo, quando ad Corinthios ita scribit: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* De hoc enim triumpho Paulum locutum fuisse Lyran. declarat inquiens: *De persecutoribus facit nos triumphare per patientiam, secundum illud: Nobile vincendi genus est patientia; Vincit qui patitur, si vis vincere, disce pati.* Bellovac. ex vitis Patrum narrat sequentia: *Venerant quidam fratres ad S. quemdam senem in solitudine, juxta quem pascebant pueri pecora, clamose & inhoneste aliquando loquentes, qui dicebant ei, quomodo potes Abba portare verba puerorum istorum & non præcipis eis ut taceant? Qui respondit: Volui, tamdiu est, sed vici cogitationem meam, dicens: Si hoc modicum non potes portare, quomodo si venerit tibi majus portabis? Job. 4. Ubi est fortitudo tua? Glossa: Qui se vincit, contra omnia fortis est.* Idem ut nos per patientiam inimicis infernalibus formidabiles fieri demonstret, sequens pariter refert exemplum: *Quidam frater quæsivit ab Abbate Isaac, quare Dæmones eum tantum timerent? Respondit: Ex quo factus sum Monachus, statui apud me, ne impatientiæ, vel iracundiæ verbum extra guttur meum exiret.* Imo ipsemet Seneca gentilis sequens suggerit consilium: *Irascetur aliquis? Tu contra beneficijs provoca, cadit statim simultas ab altera parte deserta, nisi par non pugnat, si utrimque certabitur, ira concurritur, ille est melior, qui prior pedem retulit, victus est qui vicit.* S.Valer. in homilia *de bono conservandæ pacis* ait: *Duplex patientiam manet victoria hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse motus alienos;* neque enim is qui sustinet, semetipsum vincit, sed de alijs quoque insignem reportat victoriam.

Seneca l. 2. de Ira c. 34.

Ribadeneira S. Spiridion percussus in una, obtulit & alteram maxillam.

6. In vita S.Spiridionis Episcopi refertur, quod cum jussus esset Imperatoris Constantij adire curiam (huic enim à Deo revelatum fuerat, quod à S. Spiridione suam denuo recepturus esset sanitatem) præsentatus in anticamera, ut coram Cæsare introduceretur, aulicus quidam illum minime noscens, cumque quod tenuiter & viliter vestitus esset, temerarium esse & præsumptuosum judicaret, eo quod tam vili amictu vestitus ad Imperatorem intrare meditaretur, fortem ei colaphum impegit, cui Sanctus Evangelici memor consilij prompte & patienter alteram maxillam percutiendam obtulit; Unde aulicus confusus, & coram eo genuflexus veniam ab eo postulavit, maxime quando quisnam esset, & causam ob quam vocatus fuerat, ab alijs intellexit. Merito igitur S.Valer. ait: *Plena victoria est ad clamantem tacere, & non respondere provocanti.* S.Ambros. ad præsens propositum optime declarat, quod majorem animi fortitudinem exhibeamus, dum insultibus & insolentijs eorum, qui indigne nos tractant, patienter cedimus, non irascendo propter illos, sed eorum insolentiam tolerando. Unde miles aliquis tunc in bello generosum se esse probat, quando se à statione sua dimoveri non permittit; sed eamdem defendit, & generose conservat; Audiatis velim prædicti S. Doctoris discursum: *Si prævenerit, & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum; Locus tuus patientia est, locus tuus sedatio indignationis est;* Sicut igitur animi abjecti signum esse censetur, si quis in bello à statione sua se dimoveri sinat, ita quoque in militia Christiana, qui sub vexillo crucis meretur, ignavus censendus est, qui stationem suam deserit, id est, qui seipsum per patientiam & mansuetudinem non vincit: *Melior est enim patiens viro forti.* Doctrina est Lactantij Firm. dicentis: *Summa virtus habenda patientia est, nisi enim homo contumelijs fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in seipso cohibendo, ignorabitur; Si autem lacessitus injuria lædentem persequi cœperit, victus est; Si vero motum illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi, & hic regere se potest, quæ sustentatio sui, Patientia nominatur.*

S. Valerian.
S. Ambr. l. 1. de offic. c. 21.
Prov. 16. 32. Lactant. Firm. de vero cultu l. 6. c. 18.

S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ. Fortitudo patientiæ.

7. In Epitaphio S. Paulæ S. Hieron. egregia fortis hujus mulieris facinora expressit, dixi *fortis*, quia *Romana* fuit, *agere autem, & pati fortia Romanum est;* Unde Mutius Scævola se Romanum esse probavit, quando per heroicam patientiam suam inimicum devicit; *melior est patiens viro forti.* Hanc enim S.Paul. præfatus S.Hieron. dicere solitam fuisse scribit: *Invidia, & probris appetita, cur non livorem patientia superem? Cur non humilitate frangam superbiam? & percutienti maxillam offeram alteram?* Cui consentit, quæ in Collationibus Veterum Patrum expressa apud Cassianum legitur resolutio, nimirum: *Invictæ virtutis est, gloriosissimè de impatientia triumphare.* S.Greg. in Psal. 2. pœnitentialis versum secundum ita scribit: *Ad hoc opus nemo assurgere prævalet, nisi qui sanctæ fortitudinis vires habet; Quid enim fortius, quam omnes animi sui motus rationi subjicere, omnia carnis desideria spiritus virtute frænare, proprias voluntates abjicere, contemptis visibilibus ea quæ non videntur, amare? Unde & Salomon ait: Melior est patiens viro forti.* S.Gregor. Nazianzen. ad prosternendos & graviter feriendos persecutionis tempore inimicos nostros, nulla nos potentiori & solidiori armatura uti posse existimat, quam patientia, ideoque ait: *Nihil est quod persecutoris vim perinde frangat, ut patientis alacritas.* Apud Plinium hanc experientiam descriptam reperio, quod flammæ quæ ex monte, qui Chymæra dicitur, erumpunt solo compescantur fœno; eæ vero quæ ex monte Hecla in Hybernia exurgunt, sola extinguantur stuppa; unde sequens validum formari argumentum posse existimo, videlicet, si admirabiles hosce effectus operatur natura, multo magis idem concedendum erit gratiæ, quod nimirum per æquanimitatem & invictam patientiam, aliorum iracundia excitatum incendium possit extinguere. Quas enim & quantas furoris sui flammas infernus in Jobi perniciem non evomuit? Et tamen *nulla inopia, fames, morbus, cruciatus, liberorum neces, amicis, inimicis, uxore, & servis irruentibus, nulla demum humanæ miseriæ fuit ærumna, quæ non sit in ejus corpore exhausta.* Quonam vero modo, ut D.Chrysost. notat, magnum hoc patientiæ speculum, ingens hoc incendium extinxit & compescuit: *Clarus hic & insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit.* Sola patientia fuit fœnum & stuppa, qua ingentem illam flammam sine ulla sui læsione suppressit. Unde Tertull. ait: *Operarius ille victoriæ Dei retusis omnibus jaculis tentationum, lorica, clypeoque patientiæ evasit.* D.Chrysost. alibi asserit, nullos esse adeo gloriosos bellicosos, nec ullas alias, quantumvis insignes triumphantium Cæsarum memorias, quæ trophæis à Jobo per patientiam suam reportatis æquiparari valeant; in cujus proinde laudem Antiochiæ in hæc verba peroravit: *Multi nunc longam, & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabia obeant", ut fimum illum cernant & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit.*

Cassian. Collat. 24. c. 31.
S. Greg. in Ps. 2. pœnitent.
Nazianz. orat. in laudem Heronis.
Flamma ignis extinguitur fœno & stuppa sic patientiâ franguntur impetus tentationum.
Plin. l. 2. c. 106.
Tertull. de Patient. c. 14.
D. Chrysost. Hom. 5. ad pop. Antioch.

8. Venerabilis Thom. à Kempis, magnus ille spiritualis vitæ Pædagogus, in hac materia hunc in modum discurrit: *Multi quærunt tentationes fugere, & in gravius incidunt, per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam, & veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores.* Porro ferro inimici nostri percutitur corpus, patientia autem & mansuetudine. cor & anima illius, quod longe excellentius est, feriuntur; Id quod D.Chrysost. pariter ponderat dicens: *Referiamus percutientem mansuetudine, silentio, longanimitate, difficiliora sunt hæc vulnera, major plaga, & onerosior; gravius enim est percutere animum, quam corpus.* Eamdem quoque veritatem Seneca his verbis tradit: *Tela à duro resiliunt, & cum dolore cædentis dura feriuntur.* Et c.7. inquit: *Genus ultionis est, eripere ei qui fecit contumeliam, voluptatem.*

Vener. Thom. à Kemp. l. 3. de imit. Christi. c. 12. n. 3.
Non fugâ sed patientia vincitur tentatio.
D. Chrysost. Hom. 39. in acta.
Seneca l. 3. de Ira c. 5. Ibid. c. 7.

9. B.Laur. Justin. inter alia patientiæ elogia, hoc quoque recenset: *Signis & miraculis majorem esse patientiam non dubitemus. Non mediocris animi est patientia, quæ insuperabilem facit hominem, virtutum omnium ornamenta defendit, justitiam custodit, & inexpugnabili prælio adversus omnia vitia decertat. Invicta ad labores, fortis ad pericula, ita ut nec ipsam timeat mortem; Omnia vincit.* Bellovac. idipsum confirmat, inquiens: *Sic pugnat patientia, quod miracula facit, & signis & miraculis præcellit; hæc enim fecit locustas superare gygantes, agnos vincere lupos, Apostolos, & Martyres, & virgines superare mundi potestates, potentes, & tyrannos.* Adducitque authoritatem S.Bern. dicentis: *Licet Deus in mundum veniens multa mirabilia fecerit, hoc judicio meo præ omnibus emicuit, quod per paucos simplices, & illiteratos, pauperes, & infirmos totam altitudinem mundanæ sapientiæ & potentiæ superavit & sibi subjugavit; hæc maxime fecit propter eorum patientiam; quod si mortiferum biberint, non eis nocebit, sed proficiet ad salutem, quia venenum mortiferum convertit in animæ medicamentum, tenebras & noctem adversitatis, in diem ac lucem gratiæ.* Idem paulo ante dixerat: *Patientia sic nobiliter vincit adversarios, quod eos facit credere in Deum suum, id est, convertit ad fidem incredulos; vel ad pœnitentiam convertit impios Christianos.*

B. Laur. Just. lig vit c. 2.
Patientia defendit omniũ virtutum ornamenta.
Bellovac. ib.
S. Bern.

DIS-

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Variæ ad impatientiam detestandam adducuntur considerationes.

THEMA.

Impatiens operabitur stultitiam, Prov. 14. ℣. 17.

Impatientiæ descriptio.

1. HActenus per duodecim discursus Patientiæ præconia celebravimus; Quia vero ea quæ in ijs diximus, ad ingenerandum in nobis erga hanc virtutem devotionis affectum quibusdam fortasse non sufficiunt, ideo in præsenti discursu præjudicia, quæ ab impatientia dimanant, examinare decrevimus; Dicit igitur Sapiens: *Impatiens operabitur stultitiam;* quibus verbis vitij hujus malitiam in specie non explicat, sed in genere tantum eamdem insinuat, ut exinde omne malum ex hoc vitio, velut ex vase Pandoræ, dimanare intelligamus. S. Zeno ad inserendum nobis erga vitium istud, capitale odium, illud ad vivum nobis delineat sequentibus coloribus, Ait enim: *Impatientia quid est, nisi mens lubrica, per motionibus crebris, rapidisque semper expugnans? animus insidelis etiam sibi? Actus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans, totus concitans in ruinam; Res sine substantia, negotium sine persona? Omnia cito tentat, omnia in momento disturbat, mater criminum, curiositatis magistra, acumen temeritatis, author detestabilium pariter, ac magistra malorum; Hominis namque ab incunabulis mundi mors ut jugularet, ac jugulet, ab ipsa prorupit. Denique Adam in arce cum adhuc esset Paradisi constitutus, beatissimusque beati orbis, imperio adhuc potiretur, tamdiu felix, tamdiu inexterminabilis vixit; quamdiu imperata regulis edicti continuit; at ubi sinistro consensu invidi ex lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus, sacræque arboris pomum male dulce delibavit, lachrymas reperit; dolores, & gemitus, spinas & tribulos sibimet comparavit, ultimoque sudore turbatus, posteris hæreditatem indigestæ mortis quæ homicidium mox peperit, dereliquit. Denique nec mora est; Impatienter fraterni invidus muneris in fratris Cain anhelat exitium.* Ab impatientia igitur omnes ærumnæ nostræ, tam culpæ, quam pœnæ, suam traxere originem. Unde merito Sapiens ait: *Impatiens operatur stultitiam;* Idque optime cum illo consonat, quod inclytus illius genitor David dixerat: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis.* Quænam vero hujus mali causa fuit? nimirum quia *impatiens operatur stultitiam; & ex lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus.* Ab hac igitur stulta impatientia omnia provenerunt mala, quia *mater est criminum.*

S. Zeno Serm. de Patient.
Est origo omnis mali tam culpæ quam pœnæ. Ps. 48. v. 13.

Infernus interminatur impatientibus.

2. Certum porro est, infernum in centro terræ profundatum esse in supplicium peccatorum, adeo, ut si nõ fuisset peccatum, infernus quoque numquam futurus fuisset; Ac proinde cum impatientia mater sit peccatorum, *mater criminum*, consequens est, quod infernale illud barathrum damnatis quoque animabus adimpleverit. Incarnata Sapientia prima omnium vice, in novo testamento, inferni, sub nomine gehennæ, meminit, sed observes velim qua id occasione fecerit; Dicit enim sacer textus: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis,* Ubi infernus interminatur illis, qui à Patientia & mansuetudine degenerantes & ab impatientia seducti, in verba prorumpunt injuriosa. Neque enim ponderanda est impatientia in motibus suis primo primis, sic enim leve solet esse peccatum, sed ponderandæ sunt malæ consequentiæ, quæ ab illa proveniunt; nisi refrænetur. Unde D.Chrysost. ait: *Noli aspicere quod unum hoc verbum sit, sed quantum periculi habeat, expende.* Ex una enim favilla in principio neglecta inextinguibile postea oriri potest incendium.

Matth. 5. 22.
D. Chrysost. Hom. 16. in Matth.

3. Salvator noster apud S.Matth. c.22. pœnarum infernalium atrocitatem nobis exprimere volens, inquit: *Ibi erit fletus, & stridor dentium,* idque alibi sæpius repetit, cujus Galfrid. apud Titelmann. hanc assignat rationem: *Nimirum, sicut passiones omnes patientia sublevat, sic impatientia quantumlibet leves aggravat; Ibi ergo erit stridor dentium ex impatientia; Alioquin si æquanimiter ferrent, si dicere possent: Nam digna factis recipimus, audeo dicere, ignis ille inextinguibilis tunc extingueretur;* Christus igitur, ad delineandam flammarum infernalium acerbitatem, phrasi quadam uti voluit, quæ impatientiam exprimeret, utpote quæ individua est damnatorum comes.

Matt. 22. 13. Impatientia leves passiones aggravat. Galfrid. apud Titelm.

4. Bellovac. in Speculo suo morali clare nobis insinuat, quinam à serpentibus, venenosis in deserto, morsibus, fuerint lacerati, & quorum hi figura extiterint. Adducitque verba illa lib. Judith. c. 8. *Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* Porro S.Bern. in hujus vitij detestationem paucis verbis multa concludit, ait enim: *Qui patientiam non servaverit, perdet justitiam, hoc est vitam perdet;* At vero de quanam vita mellifluum Doctorem loqui existimatis? Num forte de vita temporali? Hoc quidem dici posset; quia cum homines impatientes ut plurimum contentiosi, iracundi, rixosi sint, ideo facile in quæstiones, inimicitias & duella præcipitantur, ac proinde communiter vitam brevem habere solent; Verumtamen de hac vita mellifluus Doctor non loquitur, sed in verbis sequentibus se de vita spirituali animæ loqui; expresse declarat; Subdit enim statim: *Hoc est, perdet animam suam.* Alibi vero econtra de Patiente dicit, quod hic ingens & securum æternæ salutis suæ pignus possideat. En verba ipsius: *Vide ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine, qui prior pro te majora sustinuit; & apud quem infructuosa Patientia non erit, sicut ait Propheta: Patientia pauperum non peribit in finem.* Idem mellifluus in Ser. quodam *de Obedientia* de impatientia memorabilia & terribilia hæc verba scripta reliquit: *Impatientia animæ perditio est, dicente Domino: In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Nec minus formidanda est illa sententia Eccli. cap. 21. dicentis: *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas;* Dictio enim *Væ* in multis sacræ Scripturæ locis sempiternam comminatur reprobationem; Addit quoque Sapiens in eadẽ sententia: *Et qui dereliquerunt vias rectas,* quia hi qui impatientes sunt, deviare communiter solent ab observantia divinorum præceptorum, quæ à Psalmista *Justitiæ Domini rectæ* appellantur.

Bellov. spec. mor. l. 1. dist. 88.
Judith. 8. 24. & 25.
Impatientes morsi fuerunt à serpentibus in deserto.
S. Bern. in floribus cap. 165.
S. Bern. Ser. 2. de resurr. Dom.
S. Bern. Ser. de Obed.
Eccli. 2. 16.
Ps. 18. v. 9.

Hortatio ad patientiam.
D. Chrysost. Hom. 4. ad pop.

5. D.Joan. Chrysost. die quadam populum suum Antiochenum ad Patientiam exhortans; sequentem illis proposuit doctrinam: *Si vis gaudere, & remissione, & voluptate potiri, neque voluptatem, neque remissionem quæras, sed animam patientia plenam quære, & tolerantiam adhibere valentem; quod si hoc non habeas, non tantum tentatio te redarguet, sed & remissio perdet, & magis dejiciet. Quod enim non gravium incursus casuum, sed mentis nostræ torpor salutem nostram subvertat, audi quid dicat Christus: Quicumque audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna. Vides quod non tentationum conflictus, sed ædificantium stultitia ruinam fecerit? Etenim & illic pluvia, & hic pluvia; Et illic flumina, & hic flumina, & illic ventorum incursus, & hic ijdem; Et ille ædificavit, & hic ædificavit; Et eadem ædificatio, Et eædem tentationes; Sed non idem finis, quoniam non idem fundamentum; non enim tentationum natura, sed ædificantis imprudentia ruinam fecit; alioquin oportuisset, & domum supra petram ædificatam cadere; nunc vero nihil tale passa est.* Totus porro hic discursus eo tendit, ut ostendatur, numquam nos ruinas timere posse, quando fundamentum Patientiæ subsistit, econtra vero illas formidandas esse, quando dictum fundamentum collabescit, & deficit; Idque in Jobo exemplificans inquit: *Sic animam suam Job ædificavit. Descendit pluvia, ignis enim de cœlo descendit, & omnes greges absumpsit, venerunt flumina, frequentes, continui, & sibi succedentes calamitatum nuntij hic quidem gregum, ille vero Camelorum, ille rursus filiorum interitum dicens: Flaverunt venti; Amara uxoris verba: Dic, inquit, verbum contra Deum, & morere, & non cecidit domus, & non est supplantata anima, non blasphemavit, sed gratias egit, sic dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino visum est, sic & factum est. Vides quod non tentationum natura, sed torpentium ignavia ruinam facere solet. Itaque fortem virum tribulatio fortiorem reddit.* B.Laur. Justin. idipsum sequenti exponit similitudine dicens: *Est Patientia velut aurum, quod in igne tribulationis depuratur, sicut enim sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, ita una eademque tribulatio irruens, probos probat, purificat, & elucidat, malos autem damnat, vastat, & exterminat, & unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, & blasphemant, inde boni purgantur, & Deum laudant; Nihil enim sic Deum, iram Dei, & proximi mitigat, sicut hæc.* Enimvero quanta homines impatientes sibiipsis inferant præjudicia, S.August. in hæc verba declarat: *Impa-*

B. Laur. Just. de lig. vit. c. 2.

S. Aug. Tom. 4. de Patient.

tientes, dum mala pati nolunt, non efficiant ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, & læsura faciunt, quam quæ per Patientiam patiuntur, & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur.

S. Cypr. de bono Patient. Beda Scintill. c. 2. Homines sunt valde proclives ad impatientiã.

6. S. Cypr. in lib. *de bono Patientiæ*, ita de impatientia scribit: *Quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam.* S. Greg. à Beda *in Scintillis* citatus, notabile quoddam infinuat damnum, quod hominem afficit Patientia destitutum, ait enim: *Cum Patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt, destruuntur. Gutta cavat lapidem*, ut Poëta canit, *non bis, sed sæpe cadendo*, ita quoque licet praxis impatientiam defectum venialem esse demonstret, nihilominus quando multi repetuntur & frequentantur actus, malus quidam contrahitur habitus, *à minimis* enim *incipiunt, qui in maxima prorumpunt. Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur, & homines ergo similiter perdes.* Eum vero qui in Patientia solidè habituatus non est, unicum verbum pungitivum, unicus torvus obtutus, unicus gestus ad furorem & ad odium facili negotio commovere potest. In Exodo dicitur: *Facti sunt Scyniphes in hominibus, & in jumentis.* Videri autem non nemini haud immerito posset, hæc tam minuta animalcula ad homines & jumenta torquenda nimis esse impotentia & debilia, & tamen non solum ad homines aculeis suis licet leviter transigendos, verum etiam ad eosdem ad impatientiam irritandos abunde sufficiebant. Ita quoque multis accidit, qui tametsi homines sint virtuosi, dum tamen occasio se præsentât, irritati, & à Dæmone instigati, facillimo negotio in actus iræ prorumpunt; Idque frequenter personis etiam spiritualibus accidere solet. Jonas quidem in maris infortunijs constitutus patiens erat, sicut & dum à nautis in mare projiceretur; In ventre quoque Ceti magnam voluntatis suæ cum divino arbitrio conformitatem demonstraverat, & tamen hanc Patientiam continuare non potuit, quando hederam ex improviso exaruisse vidit, nam ut S. textus ait: *Percussit hederam & exaruit, . . . percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat, & petivit animæ suæ ut moreretur, & dixit, melius est mihi mori quam vivere.* En quam ex vili causa Jonas ad magnam concitetur impatientiam; Is qui antea Sardanapalo Ninivitarum Regi fortiter se oppositi, eique iram Dei insinuans, illum ad vestiendum se cilicio adegit, is inquã postea propriam suam impatientiam reprimere nequivit. *Hæc autem*, ut Theophyl. ait: *Sapientissime ita divino consilio geruntur, ut discamus humanam imbecillitatem.* S. Bonav. pariter hunc scopulum, in quem nonnumquam etiam cautissimi impingere solent, his verbis observat: *Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, eleëmosynas facientes, orationibus instantes, bona dicentes, fide constantes, sed paucos admodum in contumelijs, & detractionibus, & despectionibus, humiliter patientes.*

Exod. 8. v. 17.

Jonæ 4. v. 7.

Theophyl. ib.

S. Bonav. l. 2. de Perfect. Relig. c. 36.

7. S. Auguſt. ſuam adverſus hoc vitium indignationem clare oſtendit, quando in Serm. quodam in hæc verba detonuit: *Sicut per impatientiam omnia destruuntur bona, omniaque suffocantur optima, sic & per Patientiam omnia generantur bona, omnes iniquitates demerguntur in profundum.* Aſturidimus Serpens infernalis omnia Jobo eripuit, quæ ipſius erant, ſola ejus conjuge excepta; Sed cur qui facultates omnes abſtulerat ſolam ei uxorem reliquit? Num forte in faſtidioſorum & vermibus ſcatentium vulnerum aliquale ſubſidium, ut ſcilicet ea curaret, mundaret, ab eisque ſaniem abſtergeret? Aut verò ut cibum ei porrigeret, eumque conſolaretur? Nequaquam, ſed ut in impatientiam eum inducerent, prout deinceps egregie fecit, dum illi hæc verba ſuggeſſit: *Benedic Deo, & morere*; Et quidem ſi res Dæmoni ſecundùm vota accidiſſent, hic eum omnibus meritis, quæ hactenus lucratus fuerat, penitus privaſſet. S. Joan. Damaſc. ait: *Stultitia eſt impatientem, minimeque fortem, ac tolerantem, in variis tentationum generibus ſe præbere; Id tibi perſuadeat his verbis Job: Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.* Stultam, & mente captam ſuam vocavit conjugem, eo quod ipſum ad impatientiam provocare conata fuiſſet. S. Zeno Hebræos ab hac impatientia ſeductos in execrabiles corruiſſe exceſſus, his verbis notat: *Judæi altaria diruna, cum venerantur, exertunt, varia cæde Prophetas elidunt, Moyſen lapidare conantur; Adverſus Dominum ſemper ingrati, variis motitionibus pugnant, multisque Dijs ac Regibus ſervire geſtiunt, qui uni Deo per impatientiam ſervire minimè potuerunt.* Quodnam obſecro Hebræis motivum fuit, ut fuſo vitulo aureo idololatrarent, dicentes: *Hi ſunt Dij tui?* Num forte hoc ideo fecerunt, quia ipſis in deſerto conſtitutis annona defecit: Vel quia ſe ab exercitibus hoſtilibus invadendos eſſe metuebant? Aut vero ut novam experirentur Religionem? Nihil horum ad hanc illos extimulavit inſaniam, ſed potius impatientia illos ſeduxit, ſiquidem moram, quam Moyſes in monte Horeb cum Deo negotiando traxit, ferre non valentes, tumultuati ſunt, & magno cum ſtrepitu ad Aaronem properantes dixerunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Videns autem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adverſus Aaron dixit: Surge fac nobis Deos.* Ubi S. Cyprian. ait: *Quod Judaicus populus circa beneficia perfidus & ingratus extiterit, quod à Deo primum receſſit, nonne impatientiæ crimen fuit? Cum Moyſis cum Deo colloquentis moras non poteſt ferre, profanos Deos auſus eſt poſtulare, ut itineris ſui Duces nuncuparet caput bubulum, nec unquam ab eadem impatientia deſtitit, quo minus ſemper ducilitatis, & divinæ admonitionis impatiens Prophetas ſuos & juſtos quoſque perimendo, ad crucem quoque & ſanguinem Domini proſtiterit.* S. Gregor. M. impatientiam ex conjunctâ potentia magnopere corroborari notat, inquiens: *Amica poteſtati pene ſemper impatientia eſt, eique etiam male ſubjecta imperat, quia quod ipſa ſentit, poteſtas exequitur. Sed ſancti viri plus ſe interius Patientiæ jugo ſubjiciunt, quam foris hominibus præſunt, & eo veriorem principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinſecus famulatum tenent, atque ideirco ſæpe plus quoſdam tolerant, quo ſæpe eis ulciſci amplius poſſunt.*

Exod. 32. v. 1.

S. Cypr. ibid.

S. Greg. l. 20. mor. c. 28.

8. Conſideranda quoque hoc loco eſt certa quædam impatientiæ ſpecies, hominibus ſpiritualibus propria, hi enim auſteritatem magnam patientes, in divino ſervitio nonnumquam laborum ſuorum meſſem impatienter expectant. Unde Idiota in libro *de vera Patientia*, Deum in hæc verba alloquitur: *Ecce agricola patienter expectat pretioſum terræ fructum patienter ferens donec accipiat. Sed ego miſerrimus & ſceleratiſſimus peccator, quamvis ſciveni & ſciam, quod patienter me expectas, quia miſericordia tua eſt, quod non ſim conſumptus, quodque propter peccata mea horribilia tribulationes multas, & adverſitates mihi donas, tamen impatientiſſimus fui, & illas cum magna impatientia toleravi, & unde tibi placere debebam, & pœnam peccatorum diminuere, pœnam adauxi.* Et vero ſæpe Deus in expiationem peccatorum noſtrorum animabus pœnitentibus adverſitates immittit, innocentibus pariter varias deſtinat ærumnas & paſſiones, tum ut eos probet, tum ut illis majora meritorum lucra comparandi occaſionem præbeat; Ac proinde Pſalmiſta valde ſapienter nos exhortatur, ut patientes ſimus, divinumque beneplacitum expectemus, dum ait: *Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*, Ubi S. Auguſtin. ait: *Suſtinere Dominum, eſt tunc accipere, quando dabit, non tunc exigere, quando vis ut cum juſtinueris te, ut mutares vitam tuam malam, ſuſtineas illum ut coronet vitam tuam bonam.* Multi quidem Chriſtum in deſertum ſunt ſecuti, ſed non omnes Patientiam habuere, ac proinde non fuerunt cibati, niſi ſolum illi, qui motibus impatientiæ ſuæ reſtitere, unde Salvator ait: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me.* Hugo Cardinalis illum verſum: *Suſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram*, ita exponit: *Id eſt patientes Dominum flagellantem, vel ſuſtinentes, id eſt, ſperantes in Dominum præmia diffenentem, hæreditabunt, id eſt, in æternum poſſidebunt terram viventium.* Etenim ſi quis impatiens foret maturitatem expectando frumenti, is certe non niſi paleam ad ignem demeſſuris eſſet. Refert Bloſius, quod *cum virgo Gertrudis commiſeratione motus, oraret pro quadam perſona, quam audiverat impatienter conquerentem, quod Deus gravamina ſibi immitteret ſaluti ſuæ minus convenientia, reſponderit ei Dominus: Dies illi pro qua oras, ut quia ſine aliqua ſaltem tribulatione vel moleſtia regnum cœlorum obtinere non poteſt, eligat, atque indicet, quænam gravamina ſibi tutiſſima putat, & cum hæc ipſi evenerint, ſervet patientiam. In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit periculoſiſſimum genus impatientiæ eſſe, quando homo perverſe ac ſuperbe eligere vult, quæ ſervat, dicens ſaluti ſuæ minus congruere, ſeque non poſſe juſtinere ea gravamina, quæ ſibi à Deo immittuntur.*

Pſ. 26. v. 14.

S. Aug. cit. à Lorin. ibid. Chriſtus fatiat illos qui per triduum ſuſtinuerant ipſum.

Marc. 8. v. 2. Pſ. 36. v. 9. Aug. Card. ibid.

Bloſ. in Conſ. clavi animæ c. 10.

Etiam pij occaſionem patientiæ ſæpe negligunt.

Idiot. l. de vera Patientia.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Nonnulla veræ Patientiæ præconia, conditiones & circumſtantiæ expenduntur.

THE-

THEMA.

Patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri, Jac. 1. ℣. 4.

Perfecta patientia in nullo deficit.

1. EX hac propoſitione S. Jacobo Apoſtolo cœlitus dictata, Patientiam quintam perfectionis eſſentiam in ſe continere colligitur; Dicitur enim: *Patientia opus perfectum habet*; Advertendus tamen eſt modus, quo illam circumſcribit; Dicit enim: *Ut ſitis perfecti & integri*; Ex quo non qualemcumque patientiam perfectæ nomen mereri arguitur, ſed illam dumtaxat, quæ integra eſt, id eſt quæ illis veſtita eſt circumſtantijs, quæ merito huic perfectioni debentur; Neque enim contentus fuit dicere, *ut ſitis perfecti & integri*, ſed inſuper ſubjungit *in nullo deficientes.*

Definitio patientiæ à D. Bonaventura tradita. S. Bonav. Canticq. 3. Part. Sect. 43 à S. Gregorio

2. Porro Definitiones hujus virtutis, nec non & gradus illius à ſpiritualis vitæ Præceptoribus variæ & varij aſſignantur. S. Bonaventura in centiloquio ſuo ad noſtram eruditionem ita ſcribit: *Patientia eſt virtus contumelias aut, & omnis adverſitatis æquanimiter mala portans. Item aliter: Patientia eſt æquanimis malorum illatorum tolerantia*; Gregor. ait: *Vera Patientia eſt aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri. Item: Patientia eſt omnium moleſtiarum aliunde illatarum victoriosa perpeſſio.* S. Auguſtin. illam hoc modo definit: *Patientia eſt honeſtatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio.* Ubi conſideratione digna eſt circumſtantia illa: *voluntaria perpeſſio*, quia ut Patientia meritoria, & illius conditionis virtus ſit, quam ſancti Patres requirunt, neceſſum eſt ut ſit *voluntaria, non* vero *neceſſaria*; Unde S. Bonavent. dicit: *Patientia eſt æternæ gloriæ reſpectu voluntaria, & inſuperabilis perpeſſio laborum.* Citatque authoritatem S. Gregorij M. Homil. 35. in Evang. dicentis: *Qui mala proximi ita tolerat, ut tamen intrinſecus doleat, & tempus retributionis exquirat, Patientiam non cohibet, ſed oſtendit. Patientia neceſſitatis eſt, cum ita adverſa aliquis ulciſci non præſumit, quia non poteſt, vel non audet, timens ſibi magis ex hoc imminere diſpendium, vel commodum deperire, ut ſervi à Dominis verberati, vel pauperes à divitibus objurgati, vel diſcipuli à Magiſtris caſtigati.* Idem S. Gregor. in Hom. 7. lib. 1. in Ezech. dicit: *Patientia vera eſt, quæ & ipſum amat, quem portat, nam tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.* S. Anſelmo: ſup. illa verba S. Pauli; *Charitas Patiens eſt*, inquit: *Eſt Patiens, id eſt Patientiam ſervans*; *Patientiam* vero *levare, eſt alienæ malæ æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi.* Subditque ſimilem quamdam S. Gregorij doctrinam dicentis: *Nam qui ſic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, Patientiam non ſervat, ſed ſimulat. Sed Charitas eſt patiens, quoniam alienæ malæ æquo animo tolerat; Et eſt benigna, quia ipſos etiam, à quibus mala patitur, amat. Patiens, quia illata à proximis mala æquanimiter portat; Benigna verò, quia pro malis bona largiter adminiſtrat. Patiens eſt, quia tranquillam mentem in adverſis ſervat.* S. Auguſtin. in libro *de Patientia* illam veram Patientiam eſſe dicit, quæ charitatis eſt partus; In cujus probationem celebrem illum citat Apoſtoli textum? *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio? An Anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? Sicut ſcriptum eſt: quia Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos*, non per nos, ſed eum qui dilexit nos. Hanc eamdem notabilem conditionem S. Bernardus quoque tangit, qui Patientiam, quæ non eſt voluntaria, ſed neceſſaria, & violenta, caninam patientiam appellat. En verba melliflui Doctoris: *Poſtremo velint, nolint, non modo homines, ſed etiam Dæmones, & faciant, & patiantur, quod Providentia ſumma diſpoſuit*; Cæterum nec leproſa obedientia, nec canina patientia commendatur.

à S. Gregorio S. Greg. l. 1. Hom. 7. in Ezech. à S. Anſelmo 1. Cor. 13. 4. S. Anſel. ibid.

S. Aug. l de Patient. tom. 4. c. 18. Rom. 8 v. 35. 36. & 37.

S. Bern ſerm. de Obed. & Patient.

3. Salvator noſter æterni regni ſui poſſeſſionem promittit illis qui perſecutiones toleraverint; Sed quo fine, aut quo motivo perſecutiones ſuſtinendæ ſunt, ut regnum cœlorum adipiſcamur? Num forte ideo ut ad ſommniatos à propria ambitione fines aut prætenſiones perveniamus? Nequaquam, hanc enim S. Bern. patibulum appellat, dum inquit: *O Ambitio ambientium eruce.* Num igitur eo fine perſecutiones tolerabimus, ut patriam defendamus? Aut vero ut in injurijs & calumnijs auſcorum aut ſodalium conſtantes nos eſſe probemus, qualis erat illius aulici apud Senecam Patientia, qui ſe in aula conſenuiſſe dicebat: *Injurias accipiendo, & gratias agendo.* Nequaquam; Sed, *beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me*; Ecce tibi finem, qui Patientiam perficit, & coronat, quando videlicet vir patiens Chriſtum ſolum pro objecto habet, & reſpicit; Ejuſmodi patientibus Redemptor noſter dicit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, ſic enim perſecuti ſunt Prophetas.* Multi ærumnas & adverſitates ſuſtinent, ſed in ſcelerum commiſſorum condignam pœnam; Alij diſſimulant, ſed ne impatientes eſſe videantur, bonumque apud alios nomen amittant; Alij ne lucri alicujus patiantur jacturam; De ejuſmodi autem Patientia S. Jacobus non loquitur, quando dicit: *Patientia opus perfectum habet.* Audiamus S. Petr. Apoſtol. dicentem: *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*; Hoc igitur, quod ſine noſtris dementijs, ſolum ex amore Dei, ut divinæ ejus voluntati nos conformemus, ipſumq; imitantes ei placeamus, patimur, in ſe *opus perfectum habet.* Idem S. Petr. in alio quodam loco ejuſdem epiſtolæ nos conſolatur inquiens: *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.* Hæc porro dictio *Juſtitia* in multis ſacræ Scripturæ locis virtutem exprimit & perfectionem: *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*; *Niſi abundaverit Juſtitia veſtra plus quam ſcribarum, &c.* Iterum idem S. Petr. in ea. ejuſdem Epiſt. in hæc verba ſcribit: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte, quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſufferitis. Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* S. Bernard. in Ser. quodam *de Charitate* diſcurrens inquit: *Benigna eſt, quia injurias non rependit.* Et paulo poſt ſubdit: *Secundum gloſſam tangit Apoſtolus hic duas præcipuas virtutes, Patientiam, & benignitatem, quia hæc ſunt præcipua arma militiæ Chriſti*; *Nam Patientia illata mala à proximis æquantmiter portat, & benignitas bona ſua proximis deleſtabiliter adminiſtrat. Prima eſt ſicut clypeus*; *Secunda vero ſicut gladius*; *Mens quippe Sanctorum munita Patientiæ clypeo, & accincta amoris gladio, ad mala ferenda ſumit fortitudinem, & ad bona rependenda benignitatem*; *Et ſicut non eſt armatus corporaliter, qui ſumit clypeum, & dimittit gladium, vel econtra*; *Sic ſpiritualiter non eſt bene armatus, qui ſimul iſta duo non habet.* Unde S. Gregorius ait: *Non ſolum virtus eſt coram hominibus, adverſarios tolerare, ſed & virtus coram Deo diligere*; Quando enim non ſolum ob amorem Dei inimicorum noſtrorum tolerantur injuriæ, verum etiam amantur, & injuriarum loco à nobis beneficia experiuntur, tunc *Patientia* noſtra *opus perfectum habet.* Subdit vero idem S. Pontifex: *Quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum vero quod pierumque ideo patientes eſſe videmur, quia retribuere mala non poſſumus. Sed qui ideirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non eſt, quia Patientia non in oſtentatione inquiritur, ſed in corde.* Unde ſi in corde non ſit Charitas, Patientia in eo locum habere nequit, quia individuæ ſunt comites Charitas & Patientia, quia *Charitas patiens eſt.*

Matth. 5. v. 11.

1. Petr. 4. 14.

Matth. 3. 15. & 5. 20.

1. Petr. 2. 19.

S. Bernard. in Tom. 2. Serm. 2. ad 2. c. 1.

S. Gregor. Homil. 35.

4. Seraphicus Pater S. Franciſcus ad diſcernendam veram Patientiam, aliam quamdam notabilem adducit conditionem inquiens: *Non poteſt cognoſci ſervus Dei quantam habeat Patientiam & humilitatem, dum ſatisfactum eſt ei ſecundum voluntatem, & neceſſitatem ſuam. Cum autem venerit tempus, in quo illi qui deberent ſatisfacere ei, faciunt ſibi contrarium quantam habet Patientiam ibi, & humilitatem, tanta eſt, & non plus.* Ante hunc tamen Seraphicum Patrem diu ante S. Bernardus ita ſcripſerat: *Vera Patientia eſt pati, vel agere contra quod libeat, ſed non præter quod licet.* S. Auguſtinus inquit: *Patientia hominis quæ recta eſt, atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, qua æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona deſideramus, per quæ ad meliora perveniamus.* Nec eſt prætereunda Bellovacenſis doctrina in hæc verba ſcribentis: *Triplex eſt Patientia; videlicet, cordis, oris, & operis; In corde quidem debet haberi Patientia, ut bona propter Deum voluntarie patiatur.* Qui idem poſtquam nonnullos eſſe oſtendiſſet, qui in primis certaminibus patientes quidem ſunt, attamẽ ad mala ab aliis accepta ſe reflectentes, ſubito alterantur, protinus ſubjungit: *Iſti ſunt ſimiles illis, qui per foris audimen in bello victores ſani, ſed per*

S. Franc. Tom. 1 opuſc. c. 18. Patientia eſt, qua æquo animo mala toleramus.

S. Bern. in flor c 165. S. Aug ibid. c. 2.

Bellov ſpec. mor. l. 1. diſc. 87.

negligentiam postmodum intra urbis mœnia capiuntur; Vel illis, quos ingruens gravis languor à vita non subtrahit, sed leviter veniens recidiva febris occidit. Ille ergo vere patientiam servat, qui ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & eadem pertractans, & retractans exultat se talia pertulisse, ne quietis temporibus bonum Patientiæ pereat, quod in perturbationibus custoditur. Patientia *servanda in ore, sicut docet Apostolus* 1. Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni Patientia & doctrina. Prælatis præcipue necessaria est Patientia in ore, quia sicut dicit Gregorius: Per impatientiæ vitium ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur. Item servanda est Patientia in opere,* 1. Thess. 4. *Patientes estote ad omnes.*

Oportet esse patientem ad omnes omnino.

5. Observanda autem est in his ultimis verbis hæc conditio, quæ valde notabilis est; *Ad omnes*, sunt enim nonnulli qui Patientes quidem sunt, quoad particulares quasdam personas, vel quia moventur à respectu & veneratione illis debita, vel propter lucrum, vel propter alios varios fines, non tamen sunt patientes indifferenter cum unoquoque & *ad omnes*, ut S. Paulus ait; *In nullo deficientes*, ut monet S. Jacobus; Patientia igitur exercenda est cordialiter erga omnes, erga amicos, & inimicos, erga dominos & servos, erga filios, & discipulos, denique erga bonos & malos. Unde Tertullianus in libro *de Patientia* ait: *Omnibus patiens ero, alioquin cruciabor impatientia mea.* Præterea in quocumque eventu sinistro patientes esse debemus, si perfectionem possidere velimus, de qua loquitur S. Jacobus. Et ideo S. Paulus ad Corinthios in hæc verba scribit: *In multa Patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu S. in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ, à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem per infamiam, & bonam famam, ut seductores, & veraces.* Propter hoc Deus S. Jobum omnibus sæculis veluti pellucidum veræ Patientiæ speculum proposuit, de quo Tertullianus exclamat dicens: *O felicissimum illum quoque quia omnem Patientiæ speciem adversus omnem Diaboli vim expunxit.* In tanta namque adversitatum multiplicitate & diversitate, eamdem ostendit, inalterabilem Patientiam; Ut proinde S. Zeno in Sermone *de Perfecta Patientia* de ipso dicat: *Omnes portat injurias.* Multi quidem erunt in varijs calamitatibus & injurijs imperturbabiles, veruntamen si in certo quodam puncto tangantur, quod ipsis vel maxime dolet, mox irascentur: *Tange montes, & fumigabunt.*

Tertull. de Patient. c. 8.
2. Cor. 6. 4.
Tertull. c. 14.
S. Zeno Serm. de Patient.

Perfecta Patientia usque ad finem perseverat.

6. Advertendum quoque est, quod ad hoc ut Patientia nostra *opus perfectum habeat*, necessum fit, ut ad finem usque semper perseveret. Unde Tullius ab Alberto M. *l. 16. de muliere forti* §. 2. citatus, hanc ab initio discursus adductam Patientiæ tradit definitionem: *Patientia est honestatis, sive utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria, & diuturna perpessio.* Ubi notanda est circumstantia illa *diuturna*. Propter hoc etiam requiritur ut Charitati sit conjuncta, quæ perseverans est, *Charitas* enim *numquam excidit.* Unde S. Cypr. ait: *Tolle charitati Patientiam, & desolata non durat, tolle sustinendi tolerandique substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseverat. Apostolus denique cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi, & Patientiam junxit: Ostendit inde perseverare tenaciter posse, quod norit omnia sustinere.* S. Augustin. quoque dicit: *Inde est Patientia vera justorum, unde est eis charitas Dei, & inde est eis Patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi.* Isaac Presbyter *in lib. de mundi Contemptu* ita scribit: *Mens adversitates & tribulationes habens, quæ non participant Patientiæ, duplex habet tormentum; Patientia enim hominis repellit adversitates ejus, Pusillanimitas enim mater est cruciatus, Patientia vero mater est consolationis. Est virtus quædam quæ à latitudine cordis debet oriri, quam virtutem difficile est hominem invenire in tribulationibus suis absque divino charismate, quæ ex perseverantia orationis invenitur, & lachrymarum effusione.*

1. Cor. 13. 8.
S. Cypr.
S. Aug. c. 7. ibid.
Isaac Presbyter de mundi contemptu.

S. August.
Patientia est ex gratia speciali divina.

7. S. August. illam veram Patientiam esse ostendit, quæ à Deo, ejusque dono procedit; Unde ait: *Patientia piorum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et postquam dilectionem & concupiscentiam mundanam veræ Patientiæ contra opposuisset, mox subjungit: *Itaque illa terrena est, ista cœlestis; Illa animalis, ista spiritualis; Illa diabolica, ista Deifica, quoniam concupiscentia, qua fit, ut peccantes omnia patiantur pertinaciter, ex mundo est; Charitas autem, qua fit ut recte viventes omnia fortiter patiantur, ex Deo est, & ideo illi falsæ patientiæ potest sine adjutorio Dei voluntas humana suffi-cere, tanto durior, quanto cupidior, & eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor. Huic autem quæ vera Patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper & adjuta & inflammata, non sufficit, quia Spiritus S. est ignis ejus, quo nisi accensa diligat impassibile bonum, ferre non potest, quod patitur malum.*

8. Debet insuper vera Patientia habere humilitatem, velut fundamentum cui innititur, dicente S. Bern. *Vera Sapientia, nisi per profundam humilitatem, nec acquiritur, nec tenetur.* Quod aptissime congruit cum illa sententia S. Ambr. dicentis: *Patientia humilitatis indicium est.*

S. Bern. in flor. lib. 9. c. 165.
S. Ambr. in Psalm. 118. Oct. 10.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Patientia ex malo bonum elicit, adversaq; in expiationem peccatorum suorũ sustinet: E contra vero impij multas sustinent angustias, ut ad vitiũ, & pœnas sempiternas pertingere valeant.

THEMA.

Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus. 1. Cor. 4. ℣. 12.

Patientia est cœlestis alchimia producens ex ferro miseriæ aurum gloriæ.

1. ARtis humanæ solers industria ad eum usque pervenit, artificij apicem, ut ex rudi ferro, pretiosissimum elicere seu producere aurum queat; sæpius enim, ipsamet experientia teste, Alchimiam chalybem in aurum transmutasse compertum fuit. Virtus autem Patientiæ pariter species quædam est spiritualis Alchimiæ, siquidem hæc, ardente intus, in anima igne charitatis & amoris erga Deum & proximum, ex injurijs & contumelijs ab alijs nobis illatis, cœlestes, gratiæ meritorum, virtuosorumq; ac heroicorũ actuum novit educere thesauros. *Maledicimur*, inquit Apostolus; Ecce ferrum, *& benedicimus*, Ecce tibi aurum; *Persecutionem patimur*; Ecce tibi chalybem; *Et sustinemus*; En purissimum & defæcatissimum aurum; *Et quis est, qui vobis noceat*, interrogat S. Petrus, *si boni æmulatores fueritis?* Et vero ars Medicinæ ex vipera, quæ venosissima est, mythridatum novit educere, quod adversus cuncta venenosa antidotum est potentissimũ: Ita quoque ex alienæ malignitatis veneno, vir patiens securum pro æterna salute novit educere remedium: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; Nam ut Marsilius Ficinus in Epistola quadam scribit: *sicut qui male agit, bona sibi convertit in malum, ita qui bene patitur, mala ea sibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis, ipse bonus evadit.*

1. Petri 3. v. 13.
Masil Ficinus l. 5 Epist. ad Bapt. Salvin.

Continuatur idem conceptus.

2. Cum Philisthæi Arcam Domini, in prælio cum Israëlitis habito, in prædam accepissent, Deus illos punire volens, præter immissam inter illos ingentem murium multitudinem, eosdem pariter in secretioribus corporis partibus per pœnosam valde & fœtidam infirmitatem castigavit, Quod flagellum à se removere satagentes, satrapas suos consuluerunt de adhibendo remedio à quibus fuere persuasi, ut mures aliasque effigies, aureas funderent, ijsque Deo Israël oblatis, Arcam fœderis Hebræis denuo restituerent; Quo adimpleto satraparum consilio, protinus inter illos omne flagellum cessavit; *Omnia* autem hæc *in figura contingebant illis*; siquidem Deus per hæc nos erudire voluit, ut flagella ferrea & chalybea quibus castigamur & cædimur, per veram, virtuosam, & voluntariam patientiam, aurea redderemus, tunc enim futurum fore, ut à flagellis liberemur æternis, efficiamurque ex Philisthæis Israëlitæ, id est *videntes Deum.*

Quidquid adversitatis obvenit utiliter acceptatur pro commissis delictis.

3. Quando David à Semei multis afficiebatur improperijs & maledictionibus, imo summa cũ ignominia projectis in eum petebatur lapidibus, tametsi in medio gentis armatæ, quæ ad ejusmodi temerarios insultus vindicandos potens & prompta erat, procederet, nihilominus sapientissimus hic Princeps hac persecutione in magnũ bonum & lucrum suum uti noverat, siquidem non solum suos armatos milites à justa vindicta continuit, verum etiam divinam & justam laudavit providentiam, quæ hanc sibi irrogatam permittebat injuriam. Unde S. Ambros. super illa verba Psal. 37. *Ego autem tamquam surdus non audiebam*, considerans Davidem illa occasione dicentem: *Dimitte eum, ut maledicat, si forte videat Deus humilitatem meam, & retribuat mihi Dominus bona pro maledicto hoc*, inquit: *Vide igitur, quod à conviciantibus adjuveris, ut Dominus audiat te, & peccatum tuum remittat. Nam cum ipse accusator tuus esse debeas, & coacervare flagitia, teque ipsum offerre supplicio, quomodo negare objecta desideras? Pœnitentia patientiam quærit, patientia autem mitigat delicta magna.* Et ideo S. Isidor. suadet dicens: *Quidquid*

Ps. 37. v. 14.
S. Ambr. ibid.
2. Reg. 16, 10.

tibi contingit adversum, pro peccato tuo existima venire. Quo consilio anima patiens utendo, & inimici insultus libenter sustinendo, eademque per beneficia compensando, in ferro aurum felicissime invenit, neque ullam sentit, aut experitur pœnam vel tormentum. Audiamus hac de re Bellovac. in hæc verba loquentem: *Quando patiens libenter, vel sine murmure sustinet, levior est sibi dolor, & minus affligitur, & citius curatur, & Deus est cum eo, confortans eum.*

S. Isid. l. 2. Synon. c. 7.
Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 89.

Patientia reddit pro malo bonum.

4. Observandum quoque est, quod postquam S. Paulus ostendisset, se aliosque viros patiens inimicis suis bonum pro malo, benedictiones pro maledictionibus, orationes pro imprecationibus & blasphemijs retribuere, protinus subjungat: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus.* Quæ verba, in sensu accommodatitio explicata, hunc reddere possunt sensum, videlicet quod per merita patientiæ, perque redditionem boni pro malo, ingens nobis lucrum comparemus purgando scilicet & expiando debita nostra, quæ apud Divinam justitiam in animabus nostris contraximus. Quod patientiæ beneficium ut tanto majoris facias, sequenti idipsum explicabo similitudine; Quod si enim Principi alicui integrum deberes auri millionem, quæ summa quædam est, cujus solutio tibi, utpote viro pauperi & egeno esset omnino impossibilis, numquid magnam tibi censeres fieri gratiam, si idem Princeps creditor tuus suum tibi panderet ærarium, ut acceptis exinde thesauris suis posses illi satisfacere? Utique gratiam illam omnino velut immensam ubique deprædicares. Simile vero quid fit in præsenti, nam patientia ingens quoddam Dei donũ est, maximusque thesaurus, hæc enim moneta quædam est tanti valoris atque pretij, ut per illã, summam quantumvis grossissimam peccatorum tuorum diluere possis; Cogita igitur, quod quando Deus aliquas sibi adversitates, aut sinistros eventus immittit, ipse tunc ærarium suum tibi ad solutionem debitorum tuorum faciendam aperiat; Unde Psalmista ait: *Verba iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.* Optime peccati gravitatẽ S. Bern. agnovit, dum in hæc verba scripsit: *Hoc modo te accusa; Peccavi, ut eram digna non recepi; æqualem vindictam peccati mei non sentio, minus me sentio percussam quam mereor, non sunt tanta supplicia, quanta extiterunt peccata.* Unum namq; peccatũ mortale meretur de condigno mille infernos; ac proinde summa tibi gratia præstatur, quod post multa ejusmodi peccata commissa, tibi concedat, ut in hac vita illa diluere, & expiare possis per adversitates satis leves patienter toleratas. Unicum dumtaxat peccatum veniale pœnarum purgatorij nos reos constituit, quæ à pœnis infernalibus non differunt, nisi sola duratione; Quot autem culpis similibus tu coinquinatus existis. Merito igitur cum Salviano dicere debes: *Quamlibet aspera & adversa patiamur, minora patimur, quam meremur.* S. Isid. monet, ut dum in tribulatione positi sumus, feriæ reflexionis oculum ad peccata nostra præterita dirigamus; ait enim: *Consideratione injustitiæ dolorem tempera, levius portabis, si pro quibus infertur, intenderis. Quæ enim gratia est*, inquit S. Petr. in Ep. 1. c. 2. *si peccantes & colaphizantes sustinetis?*

1. Cor. 4. 13.
Isa. 64. v. 4.
S. Bern. ser. 42. de modo bene vivendi.

Minora patimur quam meremur.

Salvianus l. 4. de provid.
S. Isidor.
1. Petr. 2. v. 20.

5. B. Laur. Justin. in laudem patientiæ scribens hac de re hunc in modum discurrit: *Leve videtur, quod injuria percutitur, cum in arcana pectoris conspicit, quod pejus est quod meruit, sicque fit, ut contumelijs magis gratia quam ira debeatur, cum earum interventu, & Deo judice, & pœna gravior declinari posse confidatur, & ingentes thesauri in conscientia per Patientiam recondantur.* In progressu ejusdem lib. c. 5. denuo repetit: *Tunc patienter illata flagella toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus quia per hoc quod culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna levigatur. Patienter unusquisque adversa portat, cum pie meminit quod in se habeat fortasse, in quo ipse debeat tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit peccatis alienis non parcere, qui proximo, vel Domino sæpe se recolit parcenda perpetrasse.* Blosius inter alias suas institutiones spirituales hanc quoq; inseruit: *Asceta memor passionis Dominicæ, peccatorumque suorum, quamlibet tribulationem & cordis angustiã libenter perferat, & eã, quomodocumq; & undecumq; advenerit, non aliunde quam de manu Domini suscipiat, etiamsi vitio suo, & culpa illam sibi forte conciliaverit.* Bellovac. quoq, sequentem nobis tradit doctrinam: *Debet considerare patiens, quot & quanta commisit peccata, pro quibus patitur, & quantas pœnas meruit in purgatorio, vel inferno, & videbit, quod incomparabiliter meretur graviores vel etiam longiores, vel etiam æternas; Et ideo debet dicere illud* Jer. 10. *Pessima est plaga mea, & dixi: Hæc infirmitas mea est, id est, mihi debita pro peccatis, & ego portabo illam* Mich. 7. *Iram Dei portabo, quia peccavi ei. Ira æqua est flagellum ejus; multa enim sunt flagella peccatorũ* Citatq; c. 8. Judicum, ut dicitur: *Reputemus peccatis nostris hæc ipsa supplicia, & minora esse flagella Domini. Nota quam libenter debet homo afflictiones hujusmodi tolerare, quia istæ sunt longe breviores, & leviores pœnis purgatorij, & longe utiliores, quia istæ sunt meritoriæ, illæ non. Magnam gratiam faceret homo debitori suo, si fabas quibus fit computus, acciperet pro marchis auri. Sed vere minor est comparatio afflictionum præsentium ad illas, quam unius fabæ ad mille marchas.*

B. Laur. Justin. de lig. vit. c. 2.

Ex contumelijs magnum lucrum nascitur.

Ibid. c. 5.
Blos. instit. spir. §. 3.
Bellovac. ib.
Jerem. 10. 19

Mala, quæ patimur peccata nostra promeruerunt.

6. Inter alia Jeremiæ lamenta hoc quoq; legitur: *Quid murmurat homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras.* Etenim si peccata à nobis commissa nonnihil examinaverimus, inveniemus utiq; quam mitis sit manus, quæ per ærumnas momentaneas nos percutit in vicem tormentorum æternorum, & infernalium; Quomodo igitur tam impudentes erimus, ut de malis nostris dolere præsumamus? *Mala quæ patimur mala nostra meruerunt.* Quod si vero nonnumquam contingat, quod dum adversitatibus castigamur, plane innocentes simus, ac proinde percussio aspera nobis videatur, necessum est, ut recordemur transgressionem præteritarũ, quę nondũ expiatæ sunt Fratres Josephi sine ulla data causa tamquam exploratores habebantur, qui in Ægyptum eo fine venissent, ut munitiones illius explorarent, & fortalitia Religionis destruerent, injuste quoque arguebantur furti, tamquã latrones; Ipsi vero à Deo interius illuminati pacati erant, seq; illas injurias juste promeruisse ingenue fatebantur, revocando nimirum in memoriam venditionem fratris sui, & exercitam adversam ipsum crudelitatem, Ideoq; dicebant: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrẽ nostrũ.* De S. Ephr. Syro legitur, quod dum adhuc juvenis esset Adolescens alterius viri vitulũ ex insolentia juvenili persequens, in fossam quamdam eamdem præcipitarit, ubi hæc mortua fuit: Mensis autẽ spatio evoluto, cũ in aliorum pastorum societate in agro dormiret, illisq; aliqua animalium suorũ surrepta fuissent, quidam ex pastorib. illis tamquam fures capti fuerunt, inter quos etiam Ephrem incarcerebatur: Qui utpote innocens incarcerationem hanc admiratus, & ob eamdem coram Deo lamentans, & Angelũ quemdam cœlitus ad se missum vidit, qui causam incarcerationis ab eo sciscitabatur, cui cum ille se innocentem, omnisq; culpæ expertem esse responderet, dixit ei Angelus: Scio equidem te hac in re omni culpa carere, at vero recordare prævaricationis diebus superioribus à te commisse, quando vitulum, qui tuus non erat, in foveam impellens, in eadem perire fecisti. Si ad hoc te reflexeris, videbis quod ex parte Dei juste sis incarceratus, justissimaque sint judicia ejus. Monuit eum insuper, quod licet multi aliorum pastorũ ob non commissa delicta, quorum rei habebantur, in carcerem conjecti fuerint, hi tamen alios excessus sine dubio commiserint, ob quos pœnam illam juste merebantur. Ac proinde os aureum D. Chrysost. Antiochiæ jure in hæc verba detonabat: *Cum rebus adversis premimur, gaudemus hoc est enim peccatorũ expiatio.* S. Bonav. in Ser. quodam sequentem referens historiam, inquit: *Confundunt impatientiam nostram paganorum exempla. Nam quidam fuit Romanorum nobilissimus Consul apud eos, & maximus, sed aliquando exul ab æmulis accusatus, & ab eis fuit expulsus, qui Patriam egrediens, & ad extraneam gentem perveniens, Regi se præsentare volens, ad ejus palatium ivit. Cumq; ad eum intrare non posset, in nihilo turbatus, verbum memoria dignum, & maximæ Patientiæ ostensivum dixit ad socium: Oportet nos patienter hæc ferre, quia nos dum in dignitate nostra essemus, sæpe talia alijs fecimus.*

Thren. 3. 39.
Gen. 42. v. 21.

Injuste quandoque patimur propter peccata præterita.

Chrysost. Hom. 5. ad Pop.
S. Bonav. ser. 2 de S. Ant. de Pad.

Mundani plurima patiuntur propter bonum temporale ergo multo magis id debent boni propter bonum æternũ.

7. Ad hoc ut ærumnas cum merito æternæ vitæ patienter feramus, optimũ quoq; remedium erit, si ad impiorum molestias, & adversitates nos reflectamus, quas libenti & patienti animo sufferunt, ut destinatos in animo suo pessimos fines suos assequantur, ut proinde apud Sapientem dicant: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Quantas enim avarus non patitur anxietates, ut divitias sibi accumulet? Homo carnalis & luxuriosus quibus se non subjicit vilipendijs, periculis, incommoditatibus, sumptuumq; dispendijs, ut impuris appetitib. suis satisfacere queat? Vindicativi instar cujusdã Caini miserrime vivunt, & continuo angore percelluntur, ita ut folium à vento excussum, sagitta illis esse videatur, cor ipsorũ transfigens, quia *terret eos sonitus folij volantis*; Invidus quantum gemit & suspirat ob alterius felicitatẽ? Ut proinde S. Aug. in cœno dissolutionũ suarũ positus confessus fuerit dicendo: *Jussisti Domine, & sic est, ut omnis sibi pœna sit inordinatus amor*; Et tamẽ hi

Sapient. 5. 7.

miseri

miseri hæc omnia libenter sustinent,sine ullo alio solatio aut præmio quam quod tandem in tormenta inferni in sempiternum sustinenda projiciantur.Numquid igitur in comparatione illorũ ad Patientiam exercendam in adversis prompti erimus,ut in sempiternum ab omnibus ærumnis eximamur ? *Quis nolit ad horam uri Laurentij igne, ne æternum gehennæ patiatur incendium.*

Prosequitur eamdem materiam. *Blos. ibid. S. Aug. tom. 4. l. de Patient. c. 7.*

8. Nec solum peccata nostra per Patientiã expiando, pedes nostros ab illa perditionis abyssо eximus,verum insuper æternam cœlorũ gloriam nobis feliciter comparamus. Ideoq; Blosoptime monet inquiens: *Omnis afflictio & amaritudo patienter loco inferni, atq; purgatorij toleranda est.* S. Aug. in lib. *de Patientia* similiter inquit: *Verumtamen cum pro libidinibus, & sceleribus, cum pro ista temporali vita ac salute, multa homines horrenda mirabiliter sufferant, satis nos admonent, quanta sufferenda sint pro vita bona,ut etiam posiea possit esse æterna.* B. Laurentius Justinianus similiter mundanorum hominum adducit exemplum, qui adeo sunt patientes,ut iniqua sua attentata consequantur: Ita enim scribit: *Tot & tanta sustinent,ut peccata sua perficiant, qui quotidianis cruciatibus cruciatum merentur æternum. Similiter exempla illorum,qui pro minimis & transitorijs bonis tot & tanta sustinent.* Et forsitan S. Laur. hoc motivum à S. Aug. didicit,qui in prædicti lib. c. 3. in hæc verba scribit: *Intueamur quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant,pro rebus quas vitiose diligunt, & quantum se his feliciores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitijs, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludoris affectionibus periculosissima & molestissima patientissime toleruntur. Pœnitet & gloriæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant,adepisque non caveant, fulos, imbres, glacies, fluctus, & procellosissimas tempestates, asperа & incerta bellorum, immanium plagarum ictus, & vulnera horrenda non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate pati.* Ex solo vanitatis motivo, v. g. ad acquirendum sibi viri generosi nomen, non pauci in bello in illa extremarum molestiarũ carnificina, quæ sanguinolentum corporum humanorum macellum habet, in multos usque annos incanescent, & homo pro cœlesti gloria adipiscenda adversum patientem sustinere detrectabit ? S. Isid. inquit: *Omnis ars sæculi hujus, strenuos amatores habet, & ad exequendum promptissimos* (Cum omni veritate addere possumus: *Et ad tolerandum & patiendum promptissimos*) *quia præsentem habet operis sui remuneratorem; Deus autem plerosque habet fectatores languidos, pigritiæ inertia congelatos, Hoc proinde fit quod labor eorum non præsenti, sed pro futura remuneratione defertur.* Ac proinde potentissimum ad patientiam exercendam motivum erit,si vivæ fidei,magis autem vivacis spei nostræ intentionem,in æternam retributionem defigamus; Id quod in sequenti discursu latius examinabimus,postquam prius ad hunc discursum finiendum adduxerimus id,quod in c. 5. ejusdẽ lib. à S. Aug. in hæc verba scribitur: *Pro apertis sceleribus,non ut ea puniant, sed ut perpetrent, multa homines gravissima perferunt. Nonne de quodam nobilissimo Patriæ Parricida* (de Catilina loquitur) *sæcularium literarum loquuntur auctores, quod famem sitim, frigus ferre poterat, ejusque erat corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ supra quam uniquique credibile est. Quid de latronibus dicam, quorum omnes, cum insidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur insomnes, atque ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cæli asperitate nocentem animam, corpusque desiguant? In his miranda potius, quam laudanda Patientia; Imo nec laudanda, nec miranda, quæ nulla est, sed miranda dementia, neganda Patientia. Nihil autem illic jure laudandum, nihil utiliter imitandum. Tantoque rectius majori supplicio digutan judicaveris animum, quanto magis vanis fabdit instrumenta virtutum. Patientia comes est Sapientiæ non famula concupiscentiæ; Patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ.*

S. Aug. ibid. c. 5.

DISCURSUS XVIII.
ARGUMENTUM.

Consideratio gloriæ cœlestis ad Patientiam exercendam calcaria addit, & præbet auxilia.

THEMA.

Tribulatio Patientiam operatur, Patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Rom. 5. ℣. 3.

Beatitudo movet ad patientiam.

1. A Postolus,qui sæpius in paradisum raptus fuerat, dignissimam quamvis, & utilissimam tradit veritatem, nimirum, quod per Patientiam securissime tendamus ad cœli patriam, perque ejus merita immortalem spem nostram in tuto collocemus,ut proinde cũ S. Paulo nobis dicere liceat: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* S. Jac. Apostolus proinde saluberrimè monet inquiens: *Patientes igitur estote, & vos & confirmate corda vestra,quoniã adventus Domini appropinquavit.... Ecce Judex ante januam assistit,* quasi diceret,in laboribus & fatigationibus patientes estote, magnum enim Patientiæ vestræ præmium erit in cœlis, nec diu differetur, ecce enim Judex coronam gloriæ in manu tenens stat in limine, *non coronabitur* autem, *nisi legitime certaverit.* Quo etiam spectant illa ejusdem Apostoli verba: *Beatus vir, qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Jac. 5. v. 8. Ibid. v. 9. *2. Tim. 2. v. 15.* *Jacob. 1. v. 12.*

2. S. Aug. super illa verba: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis,* sequentem instituit nobilem ponderationem: *Ipsum qui patiebatur, audite; Quasi dicat: Sæviat mundus, fremat mundus, concrepet lingua, coruscet armis, quidquid potest faciat, quid facit ad id quod accepturi sumus? Appendo id quod patior, contra id quod spero. Hoc sentio, illud credo, & tamen plus est quod credo, quam quod sentio.* B. Petr. Dam. aliam pariter ejusdem S. Pauli ponderat sententiam, hanc videlicet: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Circa quæ verba ita scribit: *Perpende igitur, & invicem confer tribulationem & gloriam; Momentaneum, & æternum; Leve, & pondus, Gaude ergo & exulta, quia quod tribulationes sustines, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris, æternum est; Leve est omne quod toleras, pondus est quod expectas* Tertull. in lib. de Patientia similiter ait: *Quisquis ex parte, aut erroribus nostris, aut mali insidijs, aut admonitionibus Domini intervenit usus ejus objicij, magna merces, felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus nisi patientes nuncupavit dicendo: Beati pauperes spiritu; illorum est enim regnum cœlorum. Nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis; Quis vero humilis, nisi patiens. Beati flentes, atque lugentes. Quis talia sine patientia tolerat? Itaque talibus, & advocatio, & risus promittitur. Beati mites. Hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri. Item cum pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nunc apat, nunquid impatientes pacis affines & studios hoc senserit.* S. Cypr. in lib. *de bono Patientiæ* ait: *Ipsa efficiat ut perseveremus filij Dei, dum Patientiam Patris imitamur.*

Rom. 8. v. 18. S. Aug. ser. 14. de SS. Perpenditur momentaneum tribulationis ad æternam gloriam. *2. Cor. 4. 17.* *S. Petr. Dam. l. 8. Epist. 6.* *Tertull. l. de Patient. c. 13.* *S. Cypr. de bono Patientiæ.*

3. S. Joan. Clim. ita scribit: *Patientia nobis necessaria est ut Dei voluntatem perficiamus, & Christi promissiones assequamur; Qui autem ab acedia circumagitur, procul abest à toleruntia, sicut & æger à sanitate. Non ego in pigritia, sed in sapientia cognoscitur, Patientia autem renovata redditur fortior, dum mens in contemplatione & meditatione futurorum bonorum occupatur. Inde enim mens saginata vires mutuatur, & sumit, quemadmodum corpus ex cibis corporalibus.* S. Mater Ecclesia in Antiphona, qua magna Dei matrem veneramur,hanc præsentem vitam,lachrymarum vallem appellat inquiens: *In hac lachrymarum valle advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte;* Ut autem tot miseriarũ torrenti libenter & imperterriti occurramus,advertenda sunt illa S. Gregor. verba: *Mala vita præsentis tanto durius animus sentit, quando pensare bonum quod perdidit, negligit, & quia non vult præmia considerare quæ restant, graviora æstimat esse quæ tolerat. Unde & contra flagelli ictum cogitatio cæca conqueritur, & quasi infinita calamitas creditur, quæ diebus cursu labentibus quotidie sumitur. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his quæ immutabiliter permanent, oculum cordis figat, prope nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit. Præsentis vitæ, adversa tolerat, sed quasi nihil esse omne quod labitur pensat, quo enim internis gaudijs robustius se infovit, eo minus exterius dolores sentit.* S. Bern. in ser. 5. super Psalm. *Qui habitat* idem Patientiæ motivum his verbis memorat: *Cælestia præmia ad quæ tendimus crebro memoranres, quoniam non sunt condignæ passiones, &c.* De S. & Seraph. Francisco legitur: *Quod interrogatus quomodo vestitu tam tenui posset se ab hyemalis algoris asperitate tueri, responderit. Si superna patriæ flamma collegat omne intrinsecus, frigus illud exterius facile portaremus* B. Laur. Just. similiter ait: *Omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur, & spes præmij solutum, sui laboris, atque tantum proficit animus in virtute Patientiæ, quantum certior essicitur de corona victoriæ.*

S. Clim. Scholion. 3. ad Grad 13. *Spes præmij solatium est latroni.* *S. Greg. l. 10. mor. c. 18.* *S. Bernard. Apophtheg. 4. S. Franc.* *B. Laur. Just. l. de lig. vitæ c. 5.*

4. S. Aug. super Ps. 26. scribens, ut virum patientem magnis pathibus in hujus virtutis stadio progredi faciat, hoc ejus latere calcar opponit: *Cum attenderis quid sis acceptarus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis pro quibus illud accipias, nisi aberis tantum à vi pro tanto labore, quam utique fratres pro æterna requie labor etiam*

Pati est momentaneum, frui æternũ. S. Aug. in Ps. 36.

æternus subeundus erat; Æternum felicitatem acceptaras æternas passiones sustinere debueres, sed si æternum sustineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Apud Deum non æquivalent in pondere *pati, & frui,* quia pati *momentaneum & leve* est; Frui autem *æternum*, nec habebit finem: *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Unde S. Franc. in acerbissimis doloribus suis devotissimis hisce verbis se consolari solebat: *Adeo ingens est bonum quod expecto, ut omnis dolor respecta illius mihi sit delectatio.* Blos. in suis institutionibus virum patientem hunc in modum exhortatur: *Paratus sit vel ad extremum usque judicij diem in doloribus & pressuris vivere, si Deus ita vellet.* At vero quanam futura esset tam longanimis Patientiæ retributio? *Neque enim aliud ullus homini accidere potest, quam tribulatio.* At vero tametsi hoc mundi hujus hominibus paradoxum esse videatur, utpote qui utilitatem & emolumenta sua non ærumnis, sed in prosperitatibus, non in doloribus, sed in gaudijs habent reposita; At vero graviter decipiuntur; quia *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur;* Maxime enim arduum negotium propter quod creati & redempti sumus, & propter quod nos Deus pariter in hac vita conservat, est animam nostram salvare. Subdit igitur magnus ille valdeque illuminatus Dei servus: *Nullum certius signum divinæ electionis habetur, quam si quis tribulationem humiliter, patienterque propter Dei amorem sustineat, illa enim est pretiosas & præclaras annulus, quo Deus animam sibi desponsat.* In alio quoque loco revelationem S. Gertrudi à Deo factam in hæc verba recenset: *Quisquis persona laboris manuum intenta, ex improviso graviter læsa fuerat, & magno dolore cruciabatur, qui Virgo Gertrudis compassa, orabat Dominum, ne ipse membrum justo labore læsum perichtari permitteret. Itaque Dominus ei benigne respondit: Nequaquam periclitabitur membrum illud, sed pro dolore quem sustinet, præmium incomparabile recipiet. Omnia etiam membra alia quæ mota sunt, ut obsequium læsa membro exhiberent, ejusque dolorem alleviarent, & fovarent, similiter ex hoc præmium æternum obtinebant. Tunc illa: Et quomodo, inquit, tantum promereri possunt membra sibi invicem ita servientia, cum hoc non ideò fiant, ut membrum læsum patientius pro tuo amore dolorem ferat, sed ut ipse dolor minuatur, vel cesset? Ad quod Dominus inastimabilis consolationis responsum dedit. Quando homo post adhibitum dolori suo remedium patienter pro amore meo tolerat, id quod lenire nequit studio suo, præmium & meritum prorsus incomparabile lucratur, cum ego talem hominis passionem verissime sanctificaverim in illo verbo, quo in extremæ necessitatis meæ articulo Patrem oravi, dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.*

Blos. institit. spir. c. 3. *Hebr. 12. v. 2.* *Tertull. ad Martyr c. 2.* *Christus hortatur ad patientiam propter regnum Cælorum.* *Luc. 12. v. 32.* *Ibid.* *Beda.* *Chrysol. ser. 22.*

Exemplificatur in viatore.

5. Job omnibus divitijs, gregibus, servis, filijsque spoliatus, & ad sedendum in sterquilinium redactus, in eoque ulcerum suorum sanies testa radens, quanam perfruitus & confortatus est consolatione, ut omnes illos sibi obvios infaustissimos eventus adeo patienter & imperturbabiliter sustineret? Nimirũ tota ipsius consolatio in hoc præcipuè consistebat; *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum,... & in carne mea videbo Deum; Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Etenim Viator aliquis, qui in pera sua literam quamdam cambialem secum portat, virtute cujus v. g. Antverpiæ triginta scutorum millia recepturus est, tametsi innumeris cum periculis, molestijs, fudoribus, & anxietatibus, iter illud prolixum & laboriosum Roma Antverpiam usque conficiat, propter certitudinem tamen qua se Antverpiæ divitem futurum esse novit, itineris molestias æquanimus sustinet: Eodem prorsus modo omnes nos, qui viatores sumus, & ad cœlestem patriam peregrinamur, omnes miseræ hujus vitæ labores & angustias libenter sustinere debemus, confortati spe viva æternæ retributionis. Bellovac. ex authoritate S. Bern. citata ita scribit: *Devotus miles bene armatus vulnera non sentit, dum benigni ducis vulnera inspicit.* Subditque aliam ejusdem melliflui Doctoris sententiam, in qua aptius ad propositum nostrum ita loquitur: *Utramque es mihi Domine Jesu, & speculum patiendi, & præmium patiendi. Tu doces manus meas, in cruce felicet expansas, ad proelium, & vehementer accendis ad patiendum, propter patientiæ præmium.*

Job. 19. 25. *Exemplificatur in viatore.* *Bellov. spec. mor. l. 1. dial. 38.*

Hebr. 10. 37. Momentum tribulationis comparatur ad felicem æternitatem.

6. S. Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos ad continuandam Patientiam duobus hisce brevibus quidem, sed valde sententiosis verbis extimulavit: *Adhuc enim modicum.* Enimvero licet ærumnæ quæ nos in hac vita premunt, centum duraturæ essent annis, hi tamen comparative ad æternitatem, vix unum diem adæquarent, juxta illud Psalmistæ effatum: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Qui venturus est, veniet, & non tardabit.*

Ps. 89. 4.

Lætitia materyrum in tormentis propter futuram gloriam.

Apud Deum non æquivalent in pondere *pati, & frui,* quia pati *momentaneum & leve* est; Frui autem *æternum*, nec habebit finem: *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Unde S. Franc. in acerbissimis doloribus suis devotissimis hisce verbis se consolari solebat: *Adeo ingens est bonum quod expecto, ut omnis dolor respecta illius mihi sit delectatio.* Blos. in suis institutionibus virum patientem hunc in modum exhortatur: *Paratus sit vel ad extremum usque judicij diem in doloribus & pressuris vivere, si Deus ita vellet.* At vero quanam futura esset tam longanimis Patientiæ retributio? *Neque enim aliud ullus homini accidere potest, quam tribulatio.* At vero tametsi hoc mundi hujus hominibus paradoxum esse videatur, utpote qui utilitatem & emolumenta sua non ærumnis, sed in prosperitatibus, non in doloribus, sed in gaudijs habent reposita; At vero graviter decipiuntur; quia *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur;* Maxime enim arduum negotium propter quod creati & redempti sumus, & propter quod nos Deus pariter in hac vita conservat, est animam nostram salvare. Subdit igitur magnus ille valdeque illuminatus Dei servus: *Nullum certius signum divinæ electionis habetur, quam si quis tribulationem humiliter, patienterque propter Dei amorem sustineat, illa enim est pretiosas & præclaras annulus, quo Deus animam sibi desponsat.* In alio quoque loco revelationem S. Gertrudi à Deo factam in hæc verba recenset: *Quisquis persona laboris manuum intenta, ex improviso graviter læsa fuerat, & magno dolore cruciabatur, qui Virgo Gertrudis compassa, orabat Dominum, ne ipse membrum justo labore læsum periclitari permitteret. Itaque Dominus ei benigne respondit: Nequaquam periclitabitur membrum illud, sed pro dolore quem sustinet, præmium incomparabile recipiet. Omnia etiam membra alia quæ mota sunt, ut obsequium læsa membro exhiberent, ejusque dolorem alleviarent, & fovarent, similiter ex hoc præmium æternum obtinebant. Tunc illa: Et quomodo, inquit, tantum promereri possunt membra sibi invicem ita servientia, cum hoc non ideò fiant, ut membrum læsum patientius pro tuo amore dolorem ferat, sed ut ipse dolor minuatur, vel cesset? Ad quod Dominus inastimabilis consolationis responsum dedit. Quando homo post adhibitum dolori suo remedium patienter pro amore meo tolerat, id quod lenire nequit studio suo, præmium & meritum prorsus incomparabile lucratur, cum ego talem hominis passionem verissime sanctificaverim in illo verbo, quo in extremæ necessitatis meæ articulo Patrem oravi, dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.*

7. Tempore persecutionis à Diocletiano Imperatore excitatæ, miles quidam gentilis, martyres plurimos atrocissima passionis suæ tormenta cum immenso jubilo sustinere observans, eosdem undenam hæc in illis tanta exultatio oriretur, interrogavit, maxime cum omnia corporis membra lacera, & dilaniata ex flagellorum impetu relicta essent, cui unus eorum respondit, hanc in nobis lætitiam exprimit *Gloria, quam nobis Dominus promisit*; Eo vero iterum interrogante: Quænam, vel qualis esset hæc ipsis promissa gloria? Martyr subjecit: *Hanc nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Omnibus haud dubie nota sunt illa Tertull. de invicta Martyrum Patientia differentis, pulcherrima verba: *Nihil eius sentit in nervo, dum animus est in cælo.*

Tertull. ad Martyr c. 2.

Christus hortatur ad patientiam propter regnum Cælorum.

8. Christus Redemptor noster Apostolos suos animare volens ad patiendum paupertatem, famem, persecutiones, nuditatem: Ad sustinendum Tyrannorum rabiem, ferarum crudelitatem, acinaces, equuleos, catastas, incendia (juxta illud: *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt*, &c.) eosdem hisce verbis prævenit: *Nolite timere pusillus grex*; Sed quonam motivo ab ipsorum cordibus omnem timorem pellere tentavit? Hoc nimirum: *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Circa quæ verba Chrysologus in Sermone quodam ait: *Hinc est quod Discipulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certamine non cedant prælia, non timori; num pericula despiciat, qui tendit ad regnum.*

Luc. 12. v. 32. *Ibid.* *Beda.* *Chrysol. ser. 22.*

Propter vinam quadragesimam coniunxit se triginta novem martyribus ostiarius carceris.

9. Gloriosi illi 40. milites Christi ad mortem in lacu aquæ gelidæ sustinendam condemnati erant, propè quẽ Tyrannus aliud quoddam aquæ tepidæ balneum præparaverat, ut ijs, quibus illa Christi verba adaptari non potuissent: *In Patientia vestra possidebitis animas vestras*, negandæ fidei effet incentivum, prout de facto unus illorum martyrij illius sustinendi impatiens, in calidas balnei aquas sese immersit, ut *ad literam* in ipso adimpleretur illa apud Jobum descripta comminatio: *Ab aquis nivium usque ad inferos peccatum illius*, siquidem in justam impatientiæ suæ pœnam ad inferni flammas immediate transivit. Quia vero sanctissimi hi Athletæ Deum constanter rogaverant, ut quemadmodum quadraginta numero gelidas martyrij aquas ingressi fuerant, ita quoque 40. illis donarentur coronæ, ita ut ne una quidem horũ numero defit, ostiarius carceris, qui idololatra erat, subito exutis vestibus in gelidum illud flagnum infilivit, sanctamque religionem nostram per

Luc. 21. 19. *Job. 24. v. 19.*

per hunc actum ad ultimum uſque ſpiritum fuit conſeſſus. At vero quanam concione aut exhortatione, quove cathechiſmo informatus præfatus oſtiarius ad moriendum pro Chriſto ſe reſolvit? Nimirum *illos orantes, & luce circumfuſos, & quoſdam è cœlo deſcendentes Angelos tamquam à Rege miſſos cum vidiſſet, qui coronas triginta novem militibus diſtribueret, intuens ita ſecum loquebatur: Quadraginta hi ſunt quadrageſimi, corona ubi eſt? Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum deſiliens Sanctos illos ſummo dolore affecit. Verum Dominus illorum preces irritas eſſe non eſt paſſus. Janitor enim detractis ſibi veſtibus, ac ſe Chriſtianum eſſe clara voce confeſſus, martyribus ſe adjunxit*, nimirum coronis illis per Angelorum manus à cœlo deportatis ineſcatus, ad ingrediendum ſævum illud gelu, & ad ſubeundum interius in corde ſuo divini amoris ardorem, inductus fuit.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Deus tribulationum eſt auctor, easque in utilitatem noſtram, & gloriam ſuam nobis immittit, ut tanto magis noſtram eluceſcere faciat Patientiam.

THEMA.

Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt; Sit nomen Domini benedictum. Job. 1. ℣. 21.

Job damnorum ſuorum agnovit Deũ authorem, Dominus dedit: Dominus abſtulit.

1. S. Propheta Job nuntios omnes qui ſæpe repetitis vicibus, funeſta illa nova totalis omnium divitiarum ſuarum jacturæ, demolitam domum, totiusque poſteritatis ſuæ deſolationem & mortem ſucceſſive annuntiarunt; vultu prorſus ſereno, & imperturbabili corde excepit; Motivum vero, quo extimulatus fuit, ut divinæ voluntati acquieſceret, eique ſe plane conformaret, ipſemet Propheta hiſce verbis expreſſit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* nimirum omnium illorum damnorum, totiusque miſeriæ ſuæ authorem immediatum Deum, non vero Dæmonem eſſe agnovit. *At vero cum non parum valeat ad calamitatis ſolatium*, ut S. Chryſoſt. ait: *ſi quis ſibi conſcius ſit, juſte ſe pœnas luere, ille autem, & hac conſolatione privatus fuerit, ut qui converſationem virtute plenam oſtendiſſet*, quanam conſolatione fretus, cor ſuum ad tantam fortitudinem, æquanimitatem, & patientiam extimulabit? Nimirum hiſce verbis: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* S. Propheta ſe & omnes alios, qui rerũ ſuarum rapinas aut fortuitas jacturas patiuntur, conſolatus fuit. At vero *quid dicis Dominus abſtulit? Fur abſtulit, & qua ratione dicere poſſum Dominus abſtulit? Ne mireris, etenim Job, quæ Diabolus rapuit, eadem Dominum abſtuliſſe dicit, & quomodo quæ fur ſurripuit, ita Dominum dicis abſtuliſſe? Ne enim dixeris, non habeo gratiam, non ex mea mente hoc erat, nec me ſciente, aut volente latro rapuit; Quæ mihi merces erit? Nec enim ſciente aut volente Job iſta facta ſunt.* Enimvero dum Job Deum omnis jacturæ ſuæ authorem eſſe agnovit, ejusque providentiam per benedictionis & gratiarum actionis tributum approbavit, hæc ejus patientia adeo Deo grata fuit, ut idem Chryſoſt. dicat: *Omni ſacrificio præſtantiora illa verba protulit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* S. Greg. conſiderat, quod non ait: *Dominus dedit, Diabolus abſtulit, ſed Dominus dedit, Dominus abſtulit. At poſtquam non abſtulit, niſi ipſe qui dedit, ſua recepit, non noſtra abſtulit, ſi enim ab illo accipimus, quibus in hac vita utimur, cur dolemus, quod ipſo judicante exigimur, quo largiente fœneramur.* Pergitque idem S. Pontifex ulterius ad ponderandum ſequentia verba: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* Ubi ſubdit: *Si juſta Deo placere ſcimus, pati autem nulla, niſi quæ Domino placuerint poſſumus, juſta ſunt cuncta quæ patimur, & valde injuſtum eſt, ſi de juſta paſſione murmuramus.* Enimvero per quotidianam experientiam videmus aulicum, dummodo prudens & providus ſit, in omnibus actionibus ſuis nihil magis ſatagere, quam ut genio & beneplacito Principis ſui conformare ſe poſſit: Ac proinde cum certum ſit Deum ſummam in eo habere complacentiam, dum aliquem adverſitates ab ipſo immiſſas patienter ferre & ſuſtinere conſpicit, neceſſum eſt ut patientiam ſummam nobis conſolationem adferre credamus, dicamusque: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; Sit igitur nomen Domini benedictum.*

Chryſoſt. Tom. 6. Hom. 22.

S. Greg. l. 2. mor. c. 12.

2. Bellovac. ad præſens propoſitum ita ſcribit: *Patientiam juvat & roborat divina voluntas, cui debemus conformari.* Citatque textum quemdam Scripturæ ex lib. 1. Reg. cap. 18. ubi dicitur: *Quod pateris, fecit tibi Dominus.* Circa quæ verba præfatus author ait: *Tu autem quis es, ut contradicas Deo? Numquid vas contra figulum, aut ſecuris movebitur in eum, qui ſecat in ea? Quomodo ergo creatura contra Creatorem murmurare præſumat? Quis eſt filius; quem non corripit pater?* Bloſius in conclavi animæ de S. Catharina Senenſi ſequentia refert: *Dixit Dominus ad S. Catharinam. Volo te noſſe, quod omnes pœnæ: quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate conſiſtunt, quia ſi voluntas eſſet ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. Quamvis enim qui hac ſancta ordinataque voluntate præditus eſt, ſentiat laborem, & dolorem, quidquid tamen amore mei ſponte patitur, quaſi ſine pœna portat; Libentiſſime enim illud ſuſtinet, conſiderans, & ſciens meam eſſe voluntatem, atque permiſſionem, ut patiatur.*

Bellovac. ſpec. mor. l. 1. diſt. 88.

1. Reg. 28. v. 18

Voluntas Dei eſt ut homines patiantur.

Bloſ in Conclav. animæ, c. 10.

3. Vulgatiſſimum eſt axioma ab ipſismet quoque ſanctis Patribus receptum, quo dicitur. *Qui amat, non laborat*, Ac proinde cum ſervi Dei ardentiſſimo erga Deum afficiantur amore, pondus tribulationum, non aſtimant, neque ſentiunt, quin potius de illo lætantur, & gaudent; Cum enim laſcivi amoris vehementia omnes amantium ingentes moleſtias mitigat, dummodo ei, quem amant, gratum per illas obſequium ſe præſtare ſciant, quanto magis hunc effectum in animabus à Deo dilectis, amor divinus operari poterit, ſiquidem certo ſciant; id quod patiuntur, ex divino provenire beneplacito, ſanctaque ejus diſpoſitione.

Qui amat non laborat.

4. Palladius de Stephano Anachoreta refert, quod eo tempore quo Chyrurgus partem fœmoris putrefactam ſecabat, ipſe junctas ad cœlum manus levarit, ſectionisque dolorem tanta cum patientia ſuſtinuerit, ac ſi Chyrurgus ſectionis inſtrumentum, non ſuo, ſed alieno corpori applicuiſſet, cumque omnes circumſtantes ejus cauſa plorarent, ipſe eos ſequentibus conſolatus eſt verbis: *O filij, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit, patiamur, & luctemur, dum in ſtadio ſumus; Melius eſt breviculo dolore corripi, quam ſupplicijs æternis involvi.*

Palladius de Patientia Stephani Anachoretæ.

5. In Gen. de Iſaac legitur, quod Jacob filio ſuo dixerit: *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi*; Hoc tamen paternæ dilectionis ſignum in eum non contulit, niſi poſtquam manuum ſuarum contactu quis exploraviſſet, id quod Hug. Card. conſiderans ait: *Poſt tactum demum fit oſculum, id eſt poſt patientiam flagellorum.* Enimvero quando ſpecialem, nobisque valde addictum habemus amicum, quem ſimul magna experientia & prudentia præditum medicum eſſe novimus, libenter præſcripta ab eodem medicamenta, quantumvis etiam amara ſunt, haurimus aut deglutimus, quia ſanitatem nos per illa conſecuturos eſſe ſperamus. Cum igitur cœleſtis ille protomedicus, qui de ſe ait: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus*, præ cunctis alijs infirmitates noſtras ſpirituales optime noverit, noſtrumque bonum, æternamque noſtram ſalutem, utpote ardentiſſime nos amans, ſumme deſideret, juſtum & æquum eſt, quod ſi aliquam nobis præbeat patiendi occaſionem, idque in beneficium noſtrum, & ad aſſecurandam vitam æternam nobis promiſſam, & ſine patientia inaſſequibilem (nam *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*) medicinam nobis porrectam, quantumvis amaram libenter & ſine contradictione aut nauſea, imo cum aviditate ſumamus, & deglutiamus.

Gen. 27. v. 26.

Hug. Card. ibid.

Libenter Medicinam accipimus à medico amico talis autem eſt Deus.

Matth. 9. 12.

Luc. 21. v. 19.

6. Apud Bolland. in vita S. Joannis Patriarchæ Alexandrini cognomento Eleëmoſynarij leguntur ſequentia: *Dominus, qui divitias in tempore quodam B. Job abſtulit, fecit ſimile & huic omni bonitate pleno S. Patriarchæ Joanni. Navibus enim ſanctiſſima Eccleſiæ comprehendentibus violentam hyemem in loco, qui dicebatur Adria, projecerant omnia ſua quæ naves portabant. Venientibus autem Alexandriam ſtatim creditores & primi natæ in Eccleſiam confugerant. Sanctus vero hoc audiens, & cauſam propter quam fugerant, miſit eis verbum manibus ſuis conſcriptum, habens ita: Dominus dedit, Dominus, ut voluit, abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Exite filij, nihil ex hoc veriti.* Quæ ejus cum divina voluntate conformata patientia Deo adeo placuit, ut paulo poſt dupliciter ei multiplicarit, quidquid in illo naufragio amiſerat. Imo ipſemet Seneca in Epiſtola quadam ita ſcribit: *Virum bonum concedas neceſſe eſt ſummæ pietatis erga Deum eſſe, unde quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit, ſciet enim id accidiſſe lege divina, qua univerſa procedunt.*

Bolland. 23. Jan. fol. 509.

Joannes Patriarcha Alexandrinus bona in Naufragio perdita recepit propter patientiam dupliciter.

Seneca Epiſt. 77.

7. Refert Cardinalis Baron. quod cum Attila formidabili exercitu inſtructus ad deſtructionem Trojæ in Francia accinctus eſſet, S. Lupus civitatis illius Epiſcopus pontificaliter veſtitus, toto Clero comitante obviam ei proceſſerit, eique dixerit: *Tu quis es? qui tot dejectos Reges, deſolatas tot provincias tuo ſubjicis imperio?* Cui ille reſpondit: *Ego ſum Attila Hunnorum Rex, flagellum Dei.* Moxque S. Epiſcopus ſubjecit: *Ecquis flagello Dei reſiſtet? Venite igitur ô flagellum Dei mei, utereque libere omni eo, quod is tibi eſt conceſſurus*, quibus verbis Rex barbarus mitigatus à facta reſolutione civitatem illam exterminandi remiſit, ſanctumque Epiſcopum benigne amplectens, ejusque ſe orationibus commendans diſceſſit. Ex qua hiſtoria clare deducitur, quod dum flagella à Deo provenire agnoſcimus, eadem cum æquanimitate recipere debeamus, utpote ad majus bonum noſtrum, majoremque Dei gloriam ordinata. Tertull. in lib. *de Patientia* ait: *Quod ſi à Domino nonnulla credimus interii, cui magis Patientiam quàm Domino præbeamus? Quin inſuper gratulari, & gaudere nos decet dignatione divinæ caſtigationis. Ego, inquit, quos diligo, caſtigo.*

Baron. An. 451. n. 40.

Invitatur à S. Lupo ut intret Civitatem ſuam Attila ut flagellum Dei & hoc ipſo illius iram mitigavit.

Tertull. l. de Patient. c. 11

8. Bloſ. ſequentem S. Gertrudi à Deo factam revelationem recenſet inquiens: *Quando ego alicui do gratiam, hæc in illo operatur, ſicut ſalus ejus magis congruit; Quibusdam enim utilius eſt diverſis gravaminibus in præſenti vita exerceri, quam magnam dulcedinem & conſolationem percipere. Ideo gratia ipſis convertitur in amaritudinem tribulationum, & afflictionum, quibus magis, ac magis promovetur illorum ſalus, & exornentur animæ eorum ſecundum optimum beneplacitum cordis mei; Quod quamvis eos in hoc exilio lateat, tanto tamen dulcius id experientur in vita æterna, quanto hic fidelius laboraverint, adverſitates, & tribulationes quaſque pro honore, vel amore nominis mei patienter perferendo.*

Bloſ. ibid.

Quibusdam utilius eſt exerceri adverſitatibus.

9. Tritum eſt illud adagium: *Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum*; Ideoque magnum quoque nobis ſolatium eſſe debet, quod ipſemet Deus adverſitatum auctor, qui illas in noſtrum emolumentum nobis immittit, ipſemet per æternæ veritatis verbum, ſe cum viro patienti, patientem quoque & pœnantem futurum eſſe, declaret, inquiens: *Cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.* Et in lib. Sap. de Joſepho teſtatur in hæc verba: *Deſcenditque cum illo in foveam & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni.* Atque ideo licet idem Joſeph varijs modis ab illa ſervitute eximere ſe potuerit, efficiendo, ut Pater ejus Jacob miſeriarum ſuarum certior factus, eum à vinculis, quibus tenebatur, redimeret; Quoad impoſturam criminis, propter quod in carcerem conjectus fuerat ſe pariter facili negotio defendere & purgare potuiſſet; At vero omnes illas perſecutiones à Deo ordinatas fuiſſe intelligens, ut per patientiæ ſuæ merita magis ſublimaretur in cœlo, & in terra, ab illis flagellis ſe ſubducere noluit, probe ſciens, quod hac via & ratione divinam aſſiſtentiam propinquiorem ſibi habiturus eſſet.

Deus adeſt miſeris in tribulatione.

Pſ. 90. v. 15.

Sap. 10. 13.

10. In vita S. Perpetuæ legitur, quod Sancta quadam cum impatientia martyrium una cum ſodalibus ſuis ſubire deſiderans, gratiam à Deo obtinuerit octavo menſe anticipandi partum, idque cum perfecta natæ prolis ſalute; Acciderit autem, quod dum acerbiſſimos quos inter parturiendum patiebatur dolores ſupra modum lachrymaretur, perſecutoris miniſtri eam interrogarint, qua ratione acerbiſſima martyrij tormenta, quæ pro ſequenti die ei præparabantur paſſura eſſet? Quibus ſapiens mulier reſpondit inquiens: *Naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute ægre ſuſtineo; Quæ autem quantumvis immania pietatis cauſa ſubire cogar, divina gratia ſuperabit.* Quando Salvator noſter diſcipulos ſuos ad ſubeunda pro ejus amore tormenta animare voluit eiſdem promiſit dicens: *Capillus de capite veſtro non peribit.* Sic quoque patienti Jobo nihil omnino deperijt, quia, ut eventus docuit, ipſemet Deus ea, quæ ipſi ſurripuerat, ingenti cum fœnore multiplicavit.

Gratia Dei minuit martyrum dolores.

Luc. 21. 18.

11. In vita S. Patientis Epiſcopi Metenſis legitur apud Bollandum, eum alios ſolitum fuiſſe exhortari ad Patientiam, cujus ipſe nomen portabat, idque ex ſequentibus motivis: *Perpende, quia ſicut terra, cum quæ eſſe habent omnia, non gignit frumenta, neque maturat fructus, niſi exculta hominum labore, ventorum exagitata turbine, äeris temperie, ac ignis decocta calore, ſic ipſa ſemen juſtitiæ anima non parturit, niſi patientia, & impulſa tribulationum. Talis eſt enim ipſa rationalis natura, quod niſi tentationibus prematur, diſciplinaque coërceatur, vel libero arbitrio, nimi gloria levatur, aut ſecuritate, torpens immergitur. Ut ergo fructum reqmei perpetuæ valeas percipere, per tribulationum patientiam te oportet exercere*, quia igitur Deus ſpirituali animæ profectui intentus, quam utile illis ſit exercitium Patientiæ, optime intelligit, ideo iiſdem varias hinc inde tribulationes immittit. Porro quam laudabilis & proficua hæc virtus exiſtat, quamque Dijs ſit grata, ipſimet quoque cognovere gentiles; Inter quos Seneca hæc de re in hæc verba ſcribit: *Nobis interdum voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit; Si Leonis incurſum interritus pertulit, tantoque ſpectaculum eſt gratius, quanto id honeſtior fecit. Non ſunt iſta, quæ poſſunt in ſe Deorum vultum convertere, ſed puerilia, & humanæ oblectamenta levitatis. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus; Ecce par Deo dignum; Vir fortis cum mala fortuna compoſitus, utique ſi & provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, ſi convertere animum velit, quam ut ſpectet Catonem jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Alio in loco idem moralis Philoſophus in ordine ad oſtentationem hujus virtutis, de ſemetipſo ita ſcribit: *Præbeo me non aliter, quam rupes aliqua, in vadoſo mari deſtituta, quam fluctus non deſinunt; undecumque moti ſunt, verberare, nec ideo à loco eam movent, aut per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt.* Et alibi pariter de ſe ita ſcribit: *Tormenta abeſſe à me velim, ſed ſi ſuſtinenda fuerint, illis fortiter, honeſte, animoſe morem ut geram optabo. Quid malim non incidere bellum? Sed ſi inciderit, & vulnera, & famem, & omnia quæ bellorum neceſſitas fert, generoſe ut feram optabo. Non ſum tam demens, ut ægrotare cupiam, ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nil effæminate faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed virtus, qua perferuntur incommoda.*

Motivum ad exercitium patientiæ.

Bolland. 8. Jan. fol. 469.

Seneca de Provid. c. 2.

Seneca l. de vita beata c. 29.

Seneca Epiſt. 67.

12. S. Paulus in Epiſt. 2. ad Cor. c. 11. prolixum contexit ærumnarum ſuarum catalogum; in quibus tamen omnibus, per divinæ gratiæ ſubſidium, fortem & patientem ſeſe probavit; Unde ait: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Ingens profecto eſt conſolationis motivum, ſcire quod infortunia omnia quæ divina providentia electis immittit ad majorem Dei cooperatura ſint gloriam, & animæ emolumentum, dum patientia mediante in ipſis eluceſcere facit virtutem ſuam qua illis aſſiſtit: Unde Apoſtolus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ille à nativitate cæcus non ob demerita propria, nec propter genitorum ſuorum culpam, luminis oculorum natus eſt expers, ſed ut per hoc divinæ majeſtatis gloria manifeſtaretur; *Ut manifeſtentur opera Dei: in illo.* Ubi Cajet. ait: *Diſcimus hinc mala pœnæ quandoque infligi ad manifeſtandam gloriam ipſius Dei, nec injuriam facit Deus alicui, qui propter majus bonum ſic diſponit.* Verumtamen præter utilitatem quæ in nos redundat, ſummus quoque conſiderandus eſt honor, ad quem vermis viliſſimus, qualis homo eſt, ſublimatur, ut ſcilicet per patientiam, & tolerantiam ſuam gloriæ Altiſſimi cooperari poſſit, quæ enim hæc eſt gloria, quod miſeriæ, quæ peccati ſui ſunt effectus, per virtuoſam tolerantiam perpeſſæ in inſtrumentum honoris & gloriæ Dei & ſuæ non ſolum temporalis, ſed etiam æternæ tranſmutari poſſint: *Quæ negotiatio Patientiæ in corpore?* inquit Tertull. Duplex enim lucrum acquirimus, pro nobis, ſcilicet & pro Deo, dum miſerias noſtras ad augendum honorem & gloriam ſuam dirigimus. Nequaquam enim credendum tibi eſt, quod quidquam de honore tuo tibi ſit adimendum, ſi ex amore ipſius de illatis tibi injurijs nõ ſumpſeris vindictam, quia dum illas ad Dei pedes deponis, ipſe ſibi injuriam tibi factam ſuo tempore mulctandam vendicabit, juxta illud: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Unde Tertull. ait: *Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus, ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt, ſi damnum, reſtitutor eſt; Si dolorem, medicus eſt, Si mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientia licet, ut Deum habeat debitorem. Nec immerito, omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit.* Plutarch. inquit: *Pueri apud Lacedæmonios in ara Dianæ flagellis quotannis ſtato die feſto cædebantur ex more totum diem. Itaque frequenter durabant ad mortem, atque hilares ac læti concertantes inter ſe de victoria, quis eorum diutiſſime, fortiſſimeque toleraret verbera; Unde nec gemitum, nec vocem, dabant, nec ſcapulas, aut corpus contrahebant, tantum ad hoc, ut victoriæ hujus nomen & decus obtinerent.* Et hi quidem pro Dæmone non vero pro Deo; Pro inferno, non vero pro paradiſo comparando hæc patiebantur. Numquid igitur magnum nobis foret dedecus, ſi dum de Patientia exercenda agitur, nos ab his paganis ſuperari ſineremus, quando nos pro re tantò nobiliori, digniori & utiliori patimur, quantum Deus Dæmoni, & cœlum

In patientibus manifeſtantur opera Dei.

Philipp. 4. 13.

Rom. 8. v. 28.

Joan. 9. v. 3.

Cajet. ibid.

Tertull. de Patient. c. 13.

Rom. 12. 19.

Tertull. c. 15.

ibid.

Plutarch. in Lacon.

Exercitium patientiæ apud Lacedæmonios.

cœlum igni infernali præstat. S. Bonav. ſequens de quodam Alexandri M. Ephebo recenſet exemplum: *Legitur*, inquit, *quod Alexandro Macedoni regi immolanti puer nobilis cum incenſo adſtabat, ſuper cujus brachium ardens carbo delapſus eſt. Licet ergo ignis carnes adureret ita, ut odor exuſtionis ad nares omnium adſtantium perveniret, puer tamen adeo patiens fuit, propter reverentiam Domini ſui Regis, quod non ſolum dolorem ſilentio preſſit, ſed brachium omnino immobile tenuit, tamquam vilipenderet pœnam ignis. Ergo ſi tanta fuit patientia ob reverentiam Regis Dæmonibus immolantis, quanta deberet eſſe in hominibus Chriſtianis ad ſuum Regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, ut nos patientes eſſe doceret.*

S. Bonav. ſer. 3. de S. Andrea. Patientiæ exemplum in Ephebo Alex. Magni.

DISCURSUS XX.
ARGUMENTUM.
Varia ad Patientiam exercendam conſiderantur motiva.

THEMA.
Bene patientes erunt. Pſal. 91. ℣. 15.

Patientia attribuitur ſoli, lunæ, mari, terræ.

1. QUandoquidem Patientia verſatur circa materiam ſenſui repugnantem, & alienam ab hac natura noſtra, quæ gaudere potius, quam pati diligit, adeo ut ad illam fortiter & conſtanter exercendam animemur, præter hactenus adducta motiva, alia in hoc ultimo diſcurſu tranſcurrenda reſtant, id quod breviter expediemus. Porro S. Zeno ad variarum rerum creatarum conſiderationem his nos verbis invitat: *Sol quamvis mira celeritate alternas mundi metas illuſtret, tamen numquam dilectam verecundamque anteverut auroram, qui, quod majus eſt, duodecim non dicam ſpatiis, ſed momentis horarum æquabiliter ſe partiri non poſſet, ſi impatientia ſuos curſus urgeret. Luna quoque quæ quibusdam videtur errare, curriculo menſtruali ſolemnes ſuæ ætatis ignes peragit, quod numquam prærogat importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quam ſui opificis operationi deſerviens, peritiſſima inſignis Patientiæ diſciplina? Mare ventis laceſſitum cum iraſcitur, quamvis reciproca viciſſitudine, nunc pulſantibus cœlum nunc requirentibus terram, æſtuantibus undique viribus armatum montibus violentis undarum ſævientium cumulis toto corpore inſaniat, tamen extremorum pallido ex recurſu voluminum, quaſi jus terræ cognoſcens, ac violare devitans, mira Patientia in ſe frangitur, iiſdemque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Hæc (ſcilicet terra) germinantibus pratis, meſſibus flavis, vitibus curvis, ſemipaltais olivis, & felicitatem præſtat, & gratiam, cum uniuſcujusque temporis fœtus partu crudo, in alterius contumeliam impatientia non ſinit præcipitare. Quid avium diverſarum decora commercia littoreaque? Quid ardius volatibus acies grues? Quid piſcium diſſimilium cum ſuis ſibi ductoribus gradata ætatis innumerabiles cunei? Nonne cum invitationi temporum parent, ſolemniſque remigis ſpecioſo diſcurſu, vel aquas ſulcant, vel aera diſtinguunt, & patienter veniant, & patienter excedant? Solus homo præceps, ſolus impatiens.* S. Paulus in Epiſtola ad Philipp. ad noſtrum propoſitum inquit: *Omnia autem facite ſine murmurationibus, .. ut ſitis ſine querela & ſimplices filij Dei, .. ſine reprehenſione in medio nationis pravæ, & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* At vero ſcire percuperem, quanam in re conſiſtat ſimilitudo, quæ eſt inter luminaria cœleſtia, & illos, qui in medio perverſorum ſunt patientes? Audiamus S. Anſel. huic quæſtioni in hæc verba reſpondentem: *Quemadmodum luminaria cœli non curant quomodo exerceant dies & noctes, quamvis tanta mala videant fieri ſuper terram, & ſicut luminaria patienter ferant, quidquid de iis homines fingunt, ita juſti debent patienter ferre omnes, etiam falſas, de ſe criminationes; Nam qui perdiderit tolerantiam, non eſt quaſi luminare clarum deſuper, ſed obſcuratus eſt, & de cœlo cadit; Lucetis, inquit, ſicut luminaria in mundo.*

S. Zeno ſer. de Patient.

Philipp. 2. v. 15.

S. Anſelmus. In quo conſiſtat ratio prædictæ ſimilitudinis.

Exemplum patientiæ in Chriſto habetur. *Num. 21.*

2. *Bene patientes erunt.* Quidnam obſecro melius imitari poſſumus quam ipſummet Deum? Et quidem primo loco ſi vehementes in nobis ad veram & meritoriam patientiam exercendam ſtimulos ſentire velimus, oculos noſtros in ejus filium conjiciamus. Etenim Deus olim populo ſuo præcepit, ut ſi à venenoſis ſerpentum morſibus liberari vellent, oculos ſuos in ſerpentem æneum erigendum defigerent; Cujus myſterium Oleaſter in hæc verba exponit: *Expende quæſo, quomodo Dominus eodem malo, quo Iſraelitas propter peccatum punivit, eodem eos ſanavit curavit; Serpente momordit, & ſerpente à morſibus ſanavit; Bona ſunt & ſalutaria mala, quibus nos Dominus ſæpius viſitat, ſi ſciamus ea elevare, & Domino noſtro præſentare. Nihil utilius, nil ſalubrius iſta potione amara, ſi modo ea æquo animo lata Deo tuo noveris offerre.* Et vero tametſi hoc myſterium noſtro argumento ſuadendo ſatis ſit idoneum, in hoc tamen ſerpente aliud video præfigurari ſymbolum, ſcilicet Dei Filium in monte Golgothæo in patibulo crucis ſuſpenſum, de quo Apoſtolus ait: *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Porro Bloſ. hominem quemdam impatientia tentatum interrogat inquiens: *Cur quæſo turbaris, quod iſte, vel ille, multa, quæ nec cogitaſti quidem, tibi objicit, & malum de te loquitur? recordare Domini tui Jeſu Chriſti, qui maledicta ſine cauſa in ſe congeſta patientiſſime tulit. Vide ne pax cordis tui dependeat ex lingua, vel arbitrio hominum.* S. Bonav. ait: *Scutum Patientiæ debet eſſe timor ſupplicij; In dextro amor proximi; In ſiniſtro paſſio Chriſti, juxta illud: Dabis ei ſcutum cordis laborem tuum, & juxta illud: Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, & hoc ſcutum ſuſtinet omnia tela, & ſpecialiter tria, ſcilicet damnum rerum, moleſtias corporum, & contumelias verborum.* Idem in laudem Patientiæ alibi ita ſcripſerat: *Singularis eſt retributrix paſſionis Chriſti; Talia enim ſtudet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores noſtros portavit, & hæc eſt ſingularis lætitia Sanctorum, in tribulatione patientium, & gaudentium, quod ſic occaſionem habent, & opportunitatem, aliquo modo retribuendi Domino, pro illa magna charitate, qua pro nobis animam ſuam poſuit, ſaltem aliquid ſuſtinendo.* B. Laur. Juſt. ſequentem habet conſiderationem: Aſſimilatur patiens Chriſto, quod eſt glorioſiſſimum, ſicut enim glorioſum eſt militi deferre arma Regis, ſic eſt & Chriſtiano portare ſtigmata Chriſti, ita nihil glorioſius reputatur; quam Chriſti portare opprobrium. De eod. hoc puncto Bellovac. ita ſcribit: *Chriſtus eſt vas novum, in quo fuit reconditum ſal divinæ ſapientiæ, quod in aquis Jericho amaris, & mortiferis poſitum, eas dulcoravit. Sic tribulationibus expoſitis virtute memoriæ ſuæ paſſionis, reddit eas nobis ſalutiferas, & tolerabiles.* Citatque S. Bern. ſuper illa verba: *Columba mea in foraminibus petræ*, ita ſcribentem: *In hac petra eſt firmitas, atque ſecuritas à caſu, & ab hoſte, & vera tutaque eſt infirmis requies in vulneribus Salvatoris, tanto illic ſecurior habito, quanto potentior eſt ad ſalvandum; Premit corpus, fremit Diabolus, mundus inſidiatur, non cado fundatus ſuper hanc petram.* S. Aug. in quodam Serm. in hæc verba prædicavit: *Ad ſalutem noſtram, & vitæ hujus tranſigendæ utilitatem, in his quæ paſſus eſt ab inimicis Dominus noſter, exemplum patientiæ præbere dignatus eſt.* Et paulo poſt ſubdit: *Quod duo cum illo ab utroque latere crucifixi ſunt, oſtendit, alios ſibi dextros, alios ſiniſtros eſſe paſſuros. Dextros, de quibus dicitur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; Siniſtros autem, de quibus Apoſtolus ait: Et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Oleaſter ibid.

Hebr. 12. v. 3.

Bloſ. in Conſ. clavi animæ c. 10.

S. Bonav. in Dieta ſalut. Tit. 7. c. 7.

S. Bonav. l. 2. de perf. relig. c. 36.

B. Laur. Juſt.

Bellovac. ſpec. mor. l. 2. diſt. 88.

Cant. 2. 14. S. Bernard.

S. Aug. ſer. 76. de diverſis.

3. P. Rho *in hiſtoria virtutum* refert, quod dum Mariæ Principiſſæ Parmenſi effigies præſentaretur Crucifixi, ut ab eo aliquod in acerbiſſimis doloribus ſuis poſtularet lenimen, ipſa reſponderit: *Egone ab hoc Deo, pro meis ſceleribus tam immaniter habito, ullam à ſupremis hiſce doloribus vacationem audeam poſtulare? Non faciam, hic enim morientis Salvatoris habitus Patientiæ admonet, atque imitationis.* In vita S. Rogerij Abb. narrat Bolland. *Aliquando remeante à capitulo Generali cum univerſo, imbribus & ventorum procellis una die graviter eſt afflictus, cum diætam ſuam non poſſet in plenum implere, in quodam Prioratu nigrorum Monachorum coactus declinavit. Petit Conventus pro Abbate ſuo à Priore & à fratribus ſuppliciter hoſpitium; Ducitur in quoddam tuguriolum magis idoneum porcis, vel canibus, quam Abbati. Menſa tandem erigitur in qua pannus quaſi ſulphureus ſuperimponitur, in cratere vinum infunditur mixtum aqua, madidus interea Pater frigore rigeſcit, pallidus efficitur, frigus in viſcera tranſit, ſuppliciter petit, quibus calefieri poſſit; Sed in vanum homice reſpondebant: Non eſt in hac domo ſtipula, non ſunt prunæ, non ligna, unde calefieri valeat Abbas, aliud hoſpitium requirere debetis. Humano ergo deſtitutus auxilio Pater ſanctus, ad Dominum, ut ſolitus erat, recurrit, Domini noſtri Jeſu Chriſti pœnas & penurias in memoriam revocans, ſicque cor ſuum igne divino ſuccendit.* Diluculo vero ſequenti poſtquam diſceſſerant, ignis juſto Dei judicio in Prioratu illo fortuito excitatus eumdem totaliter conflagravit.

Rho in Hiſt. virt. l. 6. c. 3. §. 10. Patientia Mariæ Parmenſis Principiſſæ.

Bolland. 4. Jan. fol. 184.

Inhumanitas punitur à Deo.

4. *Patientes eſtote.* Quisquis patiens eſt, non ſolum Chriſto, ſed & æterno Patri ſe ſimilem efficit. Lactant Firm. inquit: *Adeo ſubjecta eſt peccata fragilitas carnis, qua induti ſumus, ut niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſe pauci viverent. Propter hanc cauſam patientiſſimus eſt & iram ſuam cohibet; nam quia perfecta eſt in eo virtus, neceſſe eſt patientiam quoque ejus perfectam eſſe.* Porro Chriſtus potius ex hac virtute agnitus eſt tamquam Dei filius, quam ex miraculis; ſiquidem poſtquam mutum illum & dæmoniacum ſanaſſet, totus quidem populus præ admiratione obſtupuit: *Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ*, ſapiens tamen illa & illuminata mulier non legitur linguam ſuam laxaſſe clamando: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*; ſicut fecerat, quando patientiam Chriſti advertit, non iraſcentis malignis Phariſæis hiſce eum verbis calumniantibus: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*; Quam calumniam non impetuoſe & furibunde, ſed ſumma cum humilitate & manſuetudine à ſe depulit. Profecto potiſſimum impatientiæ noſtræ frænum eſſe deberet hujus patientiæ conſideratio, quod ſcilicet à ſexies mille, ſexcentis & ſeptuaginta annis genus humanum, Deum illum, *quem tremunt poteſtates, quique reſpicit terram, & facit eam tremere*, infinitis contumelijs onerare, & injuriari non deſtiterit, & tamen cum unico voluntatis actu totum annihilare potuiſſet univerſum, inter tot injurias ſemper in invicta patientia ſua perſtitit. P. Alvarez præclarus ille vitæ ſpiritualis director, inter alia quibus nos ad patientiam extimulat, calcaria, hoc quoque adhibuit: *Patientia ipſius Dei qui tantam ingratitudinem, & peccatorum noſtrorum colluvionem ſuſtinet, nos propter bonum noſtrum mœrores & ærumnas ſuſtinere docet.* Unde eruditiſſimus Idiota his Deum verbis affatur: *Ideo dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miſeris tolerantur; Et ideo ſine dubio levius tolerare debemus mi‑nora, quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa quæ tibi inferimus.* Idem paulo ante dixerat: *Tu es Deus, Judex juſtus, fortis, & patiens, nec iraſceris per ſingulos dies. O miſericordiſſime Domine Deus meus, ſi tu patiens es ergà nos miſerabiles peccatores, ſuper iniquitatibus noſtris, quanto magis patientes eſſe debemus in tribulationibus & adverſitatibus noſtris, quas propter ſcelera & peccata noſtra quotidie ſuſtinemus?* Enimvero cum S. Petrus Martyr quodam die coram Deo, ſe innocenter & ſine culpa calumnijs opprimi conquereretur, reſpondit ei Chriſtus: *Et ego Petre quid feci?* Moxque Patientia ejus nonnihil langueſcens in comparatione ad patientiam Chriſti, reviviſcere, majoraque incrementa recipere cœpit. Merito igitur S. Bern. ait: *Si ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, levius veſtras portabitis.*

Lactant. Firm. de ira Dei c. 20. Patiens aſſimilatur Chriſto.

Matth. 9. v. 33.

Luca 11. 27.

Luc. 11. 14.

Alvar. l. 3. p. 2. c. 8. §. 5.

Idiota l. de vera Patient.

S. Bern. Ser. 45. in Cant.

5. *Patientes eſtote.* Eſt & aliud ad hanc virtutem exercendam potens incentivum, ſcilicet quod illius exercitium faciat adverſitates apparere nobis leviores & tolerabiliores. Porro D. Chryſoſt. virum quemdam impatientem interrogat: *Ideone evadit tibi dolor levior? Quamquam etſi maxime dolor fieret hac ratione levior, nec te ſic quidem oporteret animæ ſalutem perdere inveniendo rationem conſolandi corporis. Nunc autem non modo non levatur dolor, ſed etiam gravior redditur, nam cum videt Diabolus ſe potuiſſe te ad blaſphemiam adducere, fornaci ignem magis ſubjicit, & dolorem incendit, ut ejus deſiderium impleas.* Ac proinde ſuadet nobis inquiens: *Pro blaſphemia ex ore tuo prodeat Dei gloria, ita & magna eſt merces, & vulnus efficitur levius.* In Revelationibus S. Birgittæ beatiſſima Virgo Deipara, huic S. Matronæ præcepiſſe legitur, ut Epiſcopo diceret: *Induat ſe Epiſcopus veſte patientiæ, quia patientia gravia facit eſſe ſuavia & illatas contumelias patienter tolerare.*

Patientia minuit adverſitates.

D. Chryſoſt. in Pſalm. 27.

Revelat. S. Birgittæ l. 3. c. 2.

6. *Patientes eſtote.* Aliud inſuper ex patientiæ exercitio emolumentum acquiritur, ſcilicet quod vir patiens ex neceſſitate ſciat facere virtutem; Enimvero neceſſarium quidem eſt cuilibet homini, ut in hac vita patiatur, quia *homo naſcitur ad laborem*, prudentia tamen requirit à nobis, ut quando cum lucro pati poſſumus, idipſum non omittamus. *Tribulatio mihi jure debebatur*, inquit idiota, *propter vitia, & peccata innumerabilia quæ commiſi, quia qui peccat, debitor eſt pœnæ, & pœnam luere debet. Et ideo ſi oculos mentis apertos habuiſſem, non moleſte tuliſſem, ſed patienter omnes tribulationes, & adverſitates, mihi datas per te Domine Deus meus, quoniam in præſenti me affligebas, & ſatisfactionem de peccatis recipere volebas centuplo minorem, quam ſit futura pœna. Tribulatio namque quæ cum patientia toleratur, attrahit te ad tribulatum.* Quanti lapis ille æſtimandus foret, qui ex congenita ſibi proprietate plumbum in aurum commutare poſſet? Jam vero, S. Bern. inquit: *Cum dicat Apoſtolus ad Rom. c. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, hoc eſt quod juſtis omnia adverſa per ſupportationem & patientiam convertuntur in bonum; propterea non oramus: Libera nos à tribulatione & pœnis, ſed à malo, quia adverſitates convertuntur juſtis ad gloriam & coronam. Cæteræ nempe virtutes utuntur hominis bonis, ſed patientia utitur ejus malis.* Idem alibi poſtquam hominem in hac vita tribulationem nequaquam declinare poſſe oſtendiſſet, mox quæ inter hominem perfectum & impium eſt differentiam in hæc verba conſiderat. *Tribulatio patientiam operatur, ſcilicet in ſapiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, ſed ſtultus in tribulationibus neſciens eſſe patiens, anguſtias & flagella portat, & nullum lucrum inde ſcit habere. Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus, qui ſub pœna mille ducatorum, vel mortis, in carcerem miſſi erant, quibus à devoto viro duæ burſæ, cum totidem florenis, projectæ ſunt per feneſtram, quibus carcerati percuſſi ſunt, quorum unus ægre ferens percuſſionem burſæ ipſam extra feneſtram rejecit, alter vero ſuam, pro evadenda morte, dedit debitoribus ſuis. Spiritualiter, nos omnes ſumus debitores, non carni, ſed divinæ juſtitiæ pro peccatis; Deus autem projicit nobis burſam patientiæ, cum flagello, quam qui ejicit, meritum perdit, & tamen pœnam flagelli non evadit, imo ſibi tanto gravior fuit, quanto minus voluntariè flagella ſuſceperit. Hoc autem eſt ſciendum de divina miſericordia, quod tribulationes ultra vires non permittit, ſed, ut inquit Apoſtolus, Fidelis eſt Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed facit etiam cum tentatione proventum.*

Patiens ex neceſſitate facit virtutē.

Idiota ibid.

S. Bern. in Tom 1 Ser. 6. Art. 3. c. 8.

S. Bern Tom. 3. Ser. de Tribulat.

7. S. Iſid. Peluſ. damna illius, qui in injurijs patiens eſſe renuens adverſus inimicos ſuos in iram & indignationem prorumpit, conſiderat, inquiens: *Conſidera, ſi quis illatam ſibi injuriam ulciſci velit, quaſnam acerbitates perferat. Primo furore perfunditur; deinde ab ira interrumpitur: primo enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem extimulatur; Tertio infinitos fluctus excitat; Quarto mille cogitationum vias ingreditur; Quinto metus ſubit, ac tremor, animique angor, iracundia nimirum eum interrumpente ac metu concutiente, dum illud ſecum agitat, quonam pacto, quod capit, aſſequatur, acceptamque injuriam vindicet. Annon videtur tibi hujuſmodi homo ante eum, qui pœnas daturus eſt, ipſemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus eſt. At ſane merito, nam hoc in ipſius arbitrio ſitum eſt atque ipſe totum abſolvit. Ille autem alter, non item. Verum & temporis commoditate opus eſt, & loco, & fraude, & verſuta improbitate, & armis, & machinis, & adulatione, & ſervitute, & hypocriſi. Videſne quemadmodum difficilis res ſit vitium, facilis autem virtus? Atque illud quidem tumultibus ſcateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota ſit. Qui ulciſcendæ injuriæ ſtudet, infinitam inimicitiam reddit, quia autem patientia utitur eam quam ocyſſime opprimit, & extinguit; unde importunum etiam ac ſævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit.* S. Bern. inquit: *Quomodo natus ſibi videtur homo, ſi labores fugitans & dolores? Aut quomodo ſcit ſe eſſe hominem, qui ad id paratus non eſt, ad quod natus? Homo, inquit, natus ad laborem.* Cum igitur homini neceſſariò patiendum ſit, numquid melius faciet, ſi cum merito patiatur, quam ex deſperatione? Hoc enim faciens ex neceſſitate facit virtutem. Confirmat hoc ipſum Bellovac. inquiens: *Infirmus neceſſe habet corporaliter ſuſtinere dolores, velit, nolit; quos ſi impatienter ſuſtinet, gravatur dolor, quia cum afflictione corporis eſt etiam deſolatio cordis, & ſuæ facit animæ detrimentum; ſi autem haberet patientiam, levius ſuſtineret, citius & facilius curaretur, & infirmitas ſibi fieret in meritum & ſalutem, ſic in his quæ patimur faciamus de neceſſitate virtutem, ut quæ nobis eſſent damnationis occaſio fiant nobis materia exercendæ virtutis, & acquirendæ ſalutis.*

Damna impatientiæ. *S. Iſid. Peluſ. l. 2. Epiſt. 67.*

S. Bern. Ser. de obed. & patient.

Bellov. ibid.

TRACTATUS LXIX.

DE PAUPERTATE.

CONTINET

DISCVRSVS V.

DIscursus I. Laudes Paupertatis Spiritus, ejusque nobilitas, nec non exempla, quibus Dei Filius in hac nobis præluxit, declarantur.

II. Paupertas voluntaria perfectioni plurimum confert, estque frænum peccata coërcens.

III. Paupertas Evangelica quiete & consolatione perfrui, atque ab omnibus divitum perturbationibus & anxietatibus eximi solet.

IV. Per paupertatem Deus nos invisibiles superare facit inimicos, nosque defendit, & protegit.

V. Paupertas ad consequendum regnum cœlorum efficax est medium.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Laudes Paupertatis Spiritus, ejusque nobilitas, nec non exempla quibus Dei Filius in hac nobis præluxit, declarantur.

THEMA.

Beati Pauperes Spiritu. Matth. 5. ℣. 3.

Paupertas spiritus est prima & præcipua inter octo beatitudines.

1. INter octo beatitudines ab incarnata Sapientia Ecclesiæ suę traditas primatus super cunctas alias Paupertati tribuitur, adeo ut etiam ipsimet anteferatur martyrio, utpote quæ primo loco ponitur. Advertendum tamen est Christum in illa beatitudine non de quacumque Paupertate loqui, sed de paupertate Spiritus; id est de illa paupertate, quæ ex motivo Spiritus & virtutis sustinetur, ac sponte assumitur: De qua S. Basil. ita scribit. *Hi sunt mendici Spiritu, qui non aliam* S. *Basil. in Reg. brev. Interrog.* 205. *ullam ob causam ad mendicitatem devenerant, quam ob doctrinam Domini, qui dixit: Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus,* S. Hieron. similiter ad ly *Spiritu* se reflectens, idipsum sequentibus verbis exponit: *Ne quis autem putaret Paupertatem, quæ nonnunquam necessitate portatur, à Domino prædicari, adjunxit Spiritu, at humilitatem intelligeres, non penuriam. Unde Pauperes Spiritu sunt, qui propter Spiritum Sanctum voluntate sunt pauperes.* Et vero tametsi multi antiquorum Philosophorum gentilium etiam voluntarie in paupertate vixerint v.g. Crates Thebanus omnes suas in mare projecit divitias, in hæc pariter verba prorumpens: *Mergo vos, ne mergar à vobis*, verumtamen nec hi nec alij Paupertatem professi sunt ex motivo Spiritus, vel ex instinctu quodam supernaturali, sed ob vanæ gloriæ ostentationem, ut scilicet penes mundum in veneratione haberentur. S. Bern. in Ser. 1. De festo omnium Sanctorum ait: *Pauperes Spiritu, id est spirituali voluntate,* S. *Bern. Ser. in fest. omn. Sanctorum.* *spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & jucunda animarum.* Quo igitur pacto antiqui Philosophi ab hoc fine moveri poterant, ut voluntarie pauperes fierent, quandoquidem, ut habet illud

1. *Cor.* 2. 14. æternæ veritatis axioma: *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* S. Basil. alio in loco super illa Psalmistæ verba: *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum,* ad veram pauperta tem, quæ meritum apud Deum habet, recte discernendam, hanc tradit doctrinam, inquiens: *Non semper laudabilis paupertas, sed quæ juxta constitutum Evangelicum libera voluntate suscepta perficitur.* Et paulo post subdit: *Non qui eget, omnino beatus est prædicandus, sed qui omnibus orbis thesauris mandatum Christi potius existimat. Hos & Dominus beatos dicit: Beati, inquit, pauperes spiritu, non qui pauperes sunt, hoc est inopes, sed qui pauperiatē certa animi destinatione præelegerūt.*

Psal. 33. 7. S. *Basil. ibid.*

Narrantur septē gradus paupertatis Evangelicæ.

2. Varij à vitæ spiritualis magistris & directoribus assignantur hujus Evangelicæ paupertatis gradus; Quorum primus est, ex amore Dei, bona terrena, non solum affectu, verum etiam effectu deferere, ad imitationem filij sui, qui hic in terris nihil omnino possedit, ipsemet dicente: *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Secundus gradus est libenter tolerare, si omnibus

Matth. 8. 20. spolietur, quæ possidet, ad imitationem Christi, quem admodum multis sæpe Christianis in Regionibus infidelium, ubi fides impugnatur, contingere solet; In hoc gradu consistebant primi illi fideles, quos Apostolus his verbis commendat: *Rapinam bonorum vestrorum* *Hebr.* 10. 34. *cum gaudio suscepistis.* Tertius gradus in eo consistit, ut quis in extorsionibus, & injustis tributis seu exactionibus, quæ cum notabili damno nostro nobis imponuntur, perfecte se conformet cum voluntate Dei. Quartus gradus non adhærere per affectum divitijs, sed indifferentem esse, eamdemque servare æquanimitatem, sive quis divitias habeat, sive illas amittat, promptumque esse ad illas deserendas, quotiescumque idipsum vel Dei Gloria, vel animarum salus exposcit. Quintus gradus est, modicum contentum vivere, in hoc gradu Apostolus erat, quando dicebat: *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* S. Phil. Nerius dicere solebat, vellem quod ad tantam redigerer paupertatem, ut unico Julio opus haberem, nec esset qui illum mihi daret. Sextus gradus est, cum bona temporalia habens, eadem pauperibus liberaliter dispensat. Denique septimus gradus est conditione mediocri, & potius egena & inope, quam per malas artes divite & locuplete contentum vivere. In hoc gradu constitutus erat Tobias Senior, quando his filium suum verbis alloquebatur: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato.* Senecæ Moralis utilissimi libri, si is vero fidei lumine illustratus fuisset, multorum sanctorum Patrum libris comparari posset; Hic autem in Epistola quadam eum, qui voluntarie pauper est, non solum beatum appellat, verum etiam in pari cum Deo gradu constituit; Ait enim. *Incipe* *Senec. Epist.* 8. *cum paupertate habere commercium, aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo, nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit.*

Paupertate homines uniuntur Deo.

3. Enimvero per sedecim sæculorum experientiam constat, quod postquam Dei filius in suis natalitijs Paupertatem in semetipso è cœlis attulit, omnes qui ad ejus imitationem Paupertati inseparabiliter astricti fuere, simul etiam fuerint proximè cum Deo uniti & conjuncti; Ubinam enim homines Deo pleni, thesaurisque cœlestibus locupletati, & quasi de facto in hac vita beati inveniuntur, præterquam in claustris regularibus, ubi rigorosissima Paupertas vovetur, & adimpletur? S. Greg. Nazian. de semetipso scribit: *Exprobrabant Paupertatem, & inopiam meam, at istæ sunt divitiæ meæ, hæc me non solum gloriantem, sed arrogantem facit, videntur mihi inimici dum hoc objectant, quod vestigijs illius incedam, qui propter nos inops factus est, cum esset dives, atque utinam exuere me possem paunciulis istis, quibus circumdari video, ut nudas effugerem spinas sæculi, quæ retinent, & revocant pergentes ad Dominum.* Orig. Paupertatem voluntariam ex motivo spiritus susceptam eximijs extollit laudibus dicens: *Si-* *Orig. Tr.* 8. *in Matth.* *mul ut tradiderit bona sua pauperibus, dicimus eum quasi receptaculum Dei factum, suscipere omnes virtutes, & malitiam everſam ponere.* Quid excellentius de Paupertate dici potest, quam quod receptaculum & tabernaculum ipsiusmet Dei appelletur? Etenim qui omnia hujus vitæ bona post se relinquunt, prouti tot viri Religiosi faciunt, præterquam quod omnē penitus malitiam deponunt, & veram sectentur perfectionem, insuper etiam à Deo in hac vita per dona & favores cœlestes visionum, raptuum, extasium, revelationum & consolationum divinarum honorantur, & quasi, ut ita dicam, beatificantur: *Beati pauperes Spiritu.* Regius Propheta David pauperes nobis ob oculos statuit, quærentes non pecuniam, sed Deum, non querulis vocibus, sed ore laudes divinas depromente, ait enim: *Edent pauperes,* *Psal.* 21. *v.* 27. *& satiabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Est enim reciprocus hic affectus Dei erga Pauperes, & pauperum erga Deum, unde postquam Filius Dei de cœlo in terras descendit, primo omnium loco pauperculos pastores ad se invitare, &

S. Aug. ibid. Pauper spiritu totus est Dei.

Jon 4. *v.* 24. *Levit.* 2. *v.* 1.

Interlin.

Salv. l. 2. *ad Eccle. Cath.*

Psal. 138. 17

Theodoretus. Theodotion.

Prov. 31. 23.

S. Greg. l. 20. *mor. c.* 16.

Matt. 5. 3. Pauper est viva Christi effigies.

B. Petr. Dam. epist. 12. *c.* 3.

Opusc. S. Franc. Tom. 1. *fol.* 19.

Opusc. S. Franc. Tom. 3. *Colloq.* 41.

Voluntaria paupertas Moysis à Deo remunerata fuit.

Hebr. 11. 26. *Exod.* 7. *v.* 1.

& dum hic in terris nobiscum vixit, pauperibus & tribulatis hominibus circumdari voluit.

4. S. Augustin. ait: *Pauperes Deum laudant, & Dominum quærunt.* Non sine mysterio cœlestis Magister pauperes Evangelicos, *pauperes Spiritu* appellavit, per hanc namque prærogativam Deus illos sibi conformes & similes declarare voluit, siquidem ut S. Joan. c. 4. ait: *Spiritus est Deus.* In Levitico legitur: *Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino*; Circa quæ verba merito quærendum venit, cur Spiritus S. offerentem non alio nomine afficiat, sed animam appeller, cum tamen hæc dictio *anima* potius separatum a corpore spiritum indicet? Glossa interlinearis per offerentem, Pauperem intelligit, qui totus est spiritus, & quasi mera anima, qui per affectum sunm totus est Dei, utpote ab omnibus hujus vitæ rebus separatus. En verba Glossæ: *Nota quod pauper vocatur anima, quia quidquid pauper est, anima, & Spiritus est.* Quod ipsum per doctrinam quamdam Salv. in l. 2. ad Eccl. Catholic. descriptam confirmare possumus; Ubi prædictus Pater ita scribit: *De illis qui expeditis aut omnibus, aut pene omnibus sanctis Salvatoris viam sequuntur, & Dominum Jesum Christum, non sanctitate tantum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit. Nihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Quæ ultima Psalmistæ verba Theodoret. hunc locum interpretans, juxta Theodotionis versionem de pauperibus intelligenda esse his verbis dicit: *Theodotionis expositio: Corroborati sunt pauperes.* Subdit vero idem Salv. *Hos ego non aliter, quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Christi imagines colo, non aliter quam membra Christi suscipio.*

5. In parabolis Salv. de forti illa muliere, per quam Eccl. symbolizatur, ita scribitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sedet cum Senatoribus terræ.* At vero quisnam est hic vir ejus, præterquam Christus? Hic enim in judicio finali cum Senatoribus, id est cum Apostolis in throno majestatis considebit; Apostolis enim in retributionem illius: *Relinquimus omnia*, sine mora ingens hæc à Christo facta est repromissio: *Sedebitis super sedes &c. Valde quappe nobiles considerat, quos Senatores vocat*, inquit S. Greg. *hanc in se nobilitatem Paulus asperxerat, cum cognationi conditionis per Spiritum junctas dicebat: Genus ergo cum simus Dei.* Ubi notanda sunt verba illa: *Per Spiritum junctas*, quia Apost. de numero erat illorum, de quibus Salv. ait: *Beati pauperes Spiritu.* Subdit vero S. Greg. *Genus Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per Spiritum illius, & voluntarie conditi, & adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur.* Etenim qui ex amore Dei sit pauper, Dei imaginem in se defert, estque viva Christi effigies. B. Petrus Damianus ait: *Nimirum decebat, ut hæc dexteræ excelsi immutatio fieret, quatenus, qui amore perfectionis pro Christo effecti sunt pauperes, jam cum ipso divites facti, communiter sedeant cœlestis curiæ Senatores, sicut scriptum est: Nobilis in portis vir ejus, &c.* In Tom. 1. Opusc. S. Seraph. Franc. sequens illius legitur oratio: *O Domine Jesu Christe, ostende mihi semitas tuæ dilectissimæ paupertatis, scio enim quod testamentum vetus, novi fuit figura. Illis promisisti, quia omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit; Calcare est contemnere; Paupertas omnia calcat, ergo omnium est Regina.* Paulo post idem Seraph. Pater nobilissimam Paupertatis recenset progeniem dicens: *Paupertas pro tanto est Regina virtutum, pro quanto relictis angelorum sedibus descendisti ad terram, ut ipsam posses charitate perpetua desponsare & omnes perfectionis filios, in ipsa, & ex ipsa, & per ipsam producere. quæ & tibi cum tanta fidelitate adhæsit, quod & in matris utero suum inchoavit obsequium, dum corpus animatum habuisti omnium minimum. Sed & orientem ex alto in præsepio suscepit, & stabulo, & conversatum in mundo sic omnibus deprivavit, ut capitis reclinatorio faceret te carere.* Idem Seraph. vir alio in loco ita scribit: *Hæc est virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita instituit, & informat, ut terrena cuncta ultro concidamus, quæque obtices omnes à medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberrimè, atque expeditissime conjungatur.*

6. De Moyse legitur, quod quando sceptro Ægyptiaco renuntiavit, illiusque regni thesauros pedibus obtrivit, *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*, in hujus tam heroici contemptus præmium sibi dici audire meruerit: *Constitui te Deum Pharaonis.* Profecto Reges & Monarchæ, qui relicto seculoque regularia se claustra receperunt, tunc longe magis æstimati, & in veneratione habiti sunt, quando de-

posito regio diademate, Evangelicam professi sunt paupertatem, quam quando splendide & gloriose in regio considentes throno regnis & provincijs imperabant: *Nunc omnes Christi Ecclesiæ Pannuchium loquantur*, inquit S. Hieron. *minatur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.* S. Bern. Paupertatem voluntariam nos Angelis conformes reddere in hæc verba probat; *Audacter dixerim, hanc paupertatem aliquid simile habere cum cœlestibus rationabilibus creaturis, eo quod beata prædicatur in terris, de cœlo paupertas advenit ad terras, sicut pro nobis factus egenus de cœlis descendit, proferens in se ipsius virtutis normam. Cœlestem esse monstrarent, cum non habere, neque velle terrena, gerat similitudinem angelorum, qui terrena concupiscere, neque possidere noverunt, angeli sunt terrestres.* Idem Bern. in progressu ejusdem capitis hujus virtutis antiquitatem & nobilitatem ponderans dicit: *Cum paupertate creata sunt omnia*; Deus enim cuncta ex nihilo creavit. Cum Dei Filius debitum ab universo humano genere contractum divinæ justitiæ per thesauros ex cœlo secum allatos, super mensa collibistica crucis solvere decrevisset, inexhaustum hoc redemptionis nostræ pretium in capitali paupertatis promptissime exolvit; Nam ut S. Ambrosius ait: *Dives in regno, pauper in carne, Jasepit hanc pauperam carnem, non in divitijs ejus, sed in nostra passus est paupertate.*

7. In Evangelio S. Joan. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ*; Et iterum idem Apostolus in Epistola prima inquit: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Harum autem ingentium divitiarum thesauraria, seu dispensatrix paupertas fuit, dicente Apostolo: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Propheta Evangelicus Filij Dei in hunc mundum adventum prædicens, eumdem in virga adumbravit dicendo: *Egredietur virga de radice jesse*, cujus rationem Oleaster hanc assignat: *Vocatur Messias virga, propter Paupertatem, qua in virga gracilitate, & tenuitate designatur.* Die fodes quonam gloriosissima illa legatio, cui similem nec cœlum, nec terra, per totam æternitatem umquam vidit, à supremo Sanctissimæ Triados consistorio directa fuit? Certe non alio, quam in angustum, modicum, & egenum tugurium, prout in Sacrosancta domo Lauretana conspicitur, quæ tandem in progressu sæculorum velut magnes quidam, inæstimabiles totius Christianismi gemmas, monilia, atque divitias sibi attraxit. Præterea mater quam Filius Dei elegit, nobilissima quidem fuit, nam ita de ipsa sancta canit Ecclesia: *Regali ex progenie Maria exorta refulget*, verumtamen pauperrima pariter extitit, adeo ut fabro cuidam lignario desponsata fuerit. Unde S. Cypr. ait: *Pauperes electi, superbi neglecti, Christus pauper discipulos divites aspernatur, Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his qui in forma scholæ hujus in Ecclesia ministrant, præbent efficax documentum.* Prætereà quonam existimatis Deum illum, in cujus fœmore scriptum est: *Rex Regum*, subito ut natus fuit, inter omnes primo omnium fuisse exceptum? Num forsitan ab Hierarchijs angelicis, super tugurium Bethlehemiticum descendentibus? Aut vero à S. Josepho putativo ejus patre? Vel à sanctissima matre sua? Erratis profecto, hanc enim prerogativam sola paupertas habuit, hæc enim ante omnes alios in medium prodijt, ut illū omnium prima amplecteretur. Audite S. Bern. hac de re in hæc verba scribentem: *Errat forte, qui ei sublimia palatia quærenda esse arbitratur, ubi cum gloria Rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc à Regalibus sedibus venit, nam in sinistra ejus gloria, & in dextera longitudo vitæ. Horum omnium affluentia in cœlis sapperebat, sed Paupertas non inveniebatur in eis, in terris autem abundabat, & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium ejus; Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosa. Reclinavit eam in præsepio, & pannis eam involvit.* Quodnam beati Spiritus pastoribus, qui veluti pauperes primi ad ipsum videndum, & recipiendum invitati fuerunt, dedere signum, unde Christum recens natum dignoscere possent? Num forte stellam super stabulo Bethlehemitico consistentem? Aut vero canticum ipsorum: *Gloria in Altissimis Deo?* Vel denique prophetias & figuras veteris Testamenti adimpletas? Minime; Sed hoc fuit eis signum: *Invenietis infantem pannis involutum*; *Hoc est, pauperatis habitum suscepisse pro nobis*, ut Beda exponit. Sub hac livrea seu veste gentilitia Rex gloriæ dignosci voluit. S. Bonaventura ait: *Christum paupercula mater pauperum peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, & sua*

S. Hieron. de obitu Paulinæ.

S. Bern. Tom. 3 *ser. de multiplici paupert. Art.* 3. *c.* 1. Per eam homines conformantur angelis.

S. Ambr. in Psalm. 40.

Joan. 1. *v.* 14.

Ibid. v. 16.

2. *Cor.* 8. 9.

Isa. 11. *v.* 1.

Oleaster. ibid. Paupertas Christi ejusque matris & domus Lauretanæ laudatur.

Luc. 2. *v.* 12.

Beda ibid.

S. Bonav. in Luc.

ſua inopia ditaret, ſecundùm illud: *Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter nos, &c.* Chriſtus enim ſuo exemplo; ut ſanctus Bernardus ait: Conſecrare & ſanctificare paupertatem voluit; *Sacram in ſuo corpore dedicat Paupertatem*; Et ad ſignum Paſtoribus his verbis datum, ſe reflectens: *Invenietis infantem pannis involutum*, ſubdit: *Paupertas ſolicite enarratur ab Angelis.*

S.Bern. Ser. 4. de Nativit.

Parentes Chriſti obtulerunt munus à lege pauperibus deſignatum.

8. Porro tametſi tres Reges auri ingentem maſſam tributi loco Filio Dei impertiti fuiſſent, illud tamen intra quadraginta dierum ſpatium adeo liberaliter pauperibus diſtributum fuit, ut in die purificationis aliam in templo oblationem præſentare nequiverint; præterquam munus à lege pauperibus deſignatum; ſcilicet duos turtures, vel pullos columbarum, non vero agnum, prout divitum mos erat. Ad hæc in progreſſu triginta trium annorum adeo pauperem vitam duxit, ut vere dicere potuerit: *Ego autem mendicus ſum & pauper; vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* In judicio finali in throno majeſtatis ſedens pauperes fratres ſuos appellare non dedignabitur; *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ubi Origenes interrogat: *Quid ais? Si fratres tui ſunt, quomodo minimos appellas? imo vero ideo fratres, quia pauperes, & abjecti, hos enim maxime ad fraternitatem convocat ſuam, quia deſpicabiles ſunt.*

Pſ.39.v.18. *Matth. 25. v.40.* *Orig. Tr.43. in Matth.*

Pauperes ſunt fratres Chriſti.

9. Obſervandum eſt inſuper: Angelos Filio Dei non ſerviviſſe quando patrabat miracula, nec quando turbas attonitas in ejus laudes & encomia prorumpentes poſt ſe trahebat, nec in monte Thabor, quando transfiguratus fuit, nec prope Jordanem; quando aperti ſunt cœli bene tamen ſua in Bethlehem exhibuere puerulo recens nato obſequia, ſicut & panem eſurienti in deſerto; *& in Gethſemani acceſſit Angelus de cælo; confortans eum*, quando ne viliſſimum quidem lintei ſcrutum habebat, quo ſudorem ſuum abſtergeret, unde perſpicue ſatis demonſtrarunt, quantum Paupertatem præ cunctis alijs virtutibus diligerent, imo ad ultimum uſque vitæ ſpiritum Dei filius arctiſſime amplexatus eſt Paupertatem, dum in cruce nudus mori voluit, dum pauperculas veſtes ſuas inter milites & lictores dividi vidit, ardentiſſimam ſitim non aqua, ſed aceto felle mixto ſedare debuit. In brachijs Paupertatis expiravit, quia in duro crucis lecto extenſus re ipſa verum eſſe oſtendit, quod *filius hominis non habuerit ubi caput reclinet*, ſiquidem ſacratiſſimum caput ipſius ponderoſo ex ſpinis complexo diademate aggravatum; aliud non habuit cervical, in quod reclinaretur, præterquam vulnerati pectoris ſui nuditatem, nam *inclinato capite tradidit ſpiritum.*

Angeli maximè Chriſto ſervierunt dū erat in actuali paupertate.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Paupertas voluntaria perfectioni plurimum confert, eſtque frænum peccata coërcens.

THEMA.

Si vis perfectus eſſe vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Matth.19.v.21.

Paupertas eſt efficaciſſimū medium ad acquirendam perfectionē.

1. ENimvero Paupertatem voluntariam ad perfectionem acquirendam efficaciſſimum medium eſſe, in dubium revocari nequit, ſiquidem ipſamet incarnata Sapientia in propoſiti thematis verbis idipſum clare, & ſine gloſſa inſinuavit. Cum enim juvenis ille Evangelicus, qui ſe à primis annis divina præcepta obſervaſſe declaravit, à cœleſti Magiſtro peteret: *Quid adhuc mihi deeſt?* is ei reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, &c.* unde clare deducitur Paupertatem Evangelicam centrum eſſe virtutum, & eorum, quæ perfectioni vitæ deſerviunt, validiſſimum magnetem. S.Ambr. rationem aſſignans cur Salvator Paupertati ſpiritus primam beatitudinem aſſignarit, ita ſcribit: *Primam beatitudinem hanc uterque Evangeliſta poſuit, ordine enim prima eſt, & parens, generatioque virtutum*; Ecce tibi qualiter Paupertas omnium virtutum fœcunda ſit mater. B.Laur. Juſtin. libro de ligno vitæ, de Paupertate diſſerens, inter alias illius laudes etiam ſequentes recenſet: *Nutrix eſt confidentiæ, orationis adjutorium peregrinationis exhortatio, & Perfectionis porta, ſine qua nemo coram Deo in ſinitudia perdurare poterit.* S.Hieron. Heliodoro in laudem Nepotiani in hæc verba ſcribit: *Nepotianus noſter aurum calcans, ſchedulas conſectatur, ut ſicut in carne ſui contemptor eſt, & Paupertate incedit ornatior, ita totum animæ inveſtigat ornatum.* Tametſi enim omnes virtutes præclara ſint animæ ſanctæ ornamenta, hiſce tamen à Paupertate veluti à phrygio opere novus & præſtantior accedit ornatus.

S.Ambr. l.5. in Luc. *B.Laur. Juſt. de lig. vit. c.1.* *S.Hieron in Epitaph. Nepotiani.*

Pauper quidam Philoſophus dona Alexandri M. renuit acceptare.

2. De antiquo quodam Philoſopho, cui nomen Photion erat, legitur, quod cum vir ſapiens, vitæque exemplaris eſſet, & in bonis fortunæ parum proviſus, Alexander M. dono eidem tranſmiſerit centum talenta; Cumque prudens hic vir Latores, quonam motivo Rex præclarum hoc munus ei tranſmiſiſſet, rogaret, hoc ab iiſdem retulit reſponſum: *Quoniam te ſolum ex omnibus Athenienſibus, bonum honeſtumque virum judicat*, Quo audito, opulentum hoc donum Regi remiſit dicendo: *Sinat igitur me talem eſſe*; Quaſi dicere vellet, difficilimum eſt hominem virtuoſum eſſe, & manere, dum bonis terrenis abundat. Elianus de Sapientibus Græciæ, quales erant Ariſtides, Photion, Epaminondas, Pelapidas, Socrates, & Diogenes, &c. qui bonorum temporalium inopes moraliter virtuoſiſſime vivebant, refert eoſdem dicere ſolitos fuiſſe: *Paupertatem ſubſidium eſſe ad Philoſophiam, quia quæ Philoſophia verbis perſuadere conatur, ad ea cogit Paupertas.* Verum ne in tenebris ambulantes in aliquod incidamus offendiculum, lucerna nobis opus erit; Ac proinde David dicebat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Similiter unus ex prædictis Philoſophis gentilibus Ariſtones nomine, hanc nobis tradidit ſententiam: Videlicet *Paupertatem eſſe lucernam, quæ omnia mala demonſtret.* Quod ſi igitur monitum illud Apoſtoli adimplere volumus dicentis: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis ſicut in die honeſte ambulemus*, ecce tibi potens medium; nimirum profiteri perfectam ab omnibus divitiis animi alienationem, & nuditatem, credamus hac in re S.Bern. utpote qui opulentiſſimam deſerens hereditatem ex amore Dei factus eſt pauper; Hic igitur in hæc verba ſcribit: *Volo te amicum pauperum eſſe, magis autem imitatorem; Ille gradus proficientium eſt, ille perfectorum.*

Elianus l.2. c.43. *Pſ.118.105.* *Rom.13.12.* *S.Bern. Epiſt. 103.*

Figura paupertatis habetur in manna.

3. Ex quonam ſigno, dic ſodes, Deus olim experiri voluit, an populus electus in via perfectionis magnis paſſibus procederet (*ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non*) nimirum eidem præcepit, ut de manna non plus colligeret, quam quanto pro præſenti die opus habebat, nec quidquam illius pro die ſequenti conſervaret. Mirum profecto, & obſervatu difficile præceptum; Etenim in vaſta quadam morabantur ſolitudine, omni vitæ annona deſtituti, nec quidquam aliud, unde ſe ſuſtentarent, habebant, præterquam panem illum, qui quotidie de cœlo depluebat, poterat inſuper timere; ne & hic panis angelorum in pœnam peccatorum & ingratitudinis ſuæ illis ſubtraheretur, & tamen licet cœlo manna hoc in ingenti copia deplueret, Deo nihilominus obedire, ſuique appetitus vehementiam ac cupiditatem propriam mortificare voluerunt, præſcriptam dumtaxat colligendo menſuram, & nihil amplius. Hæc autem *omnia in figura contingebant illis.* Per hanc namque hiſtoriam Deus electis ſuis, omnibuſque ad veram promiſſionis terram, id eſt cœlum contendentibus inſinuare voluit, quod quoad bona temporalia adeò per affectum, animique alienationem pauperes & egeni eſſe debeant, ac ſi de die in diem pro cibi alimonia curandum illis eſſet; Ac proinde in oratione Dominica ſolum nos panem, huncque quotidianum, & nihil amplius petere docuit, unde dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ut diſcamus de majori proviſione curanda nos nequaquam debere eſſe ſolicitos.

Narratur hiſtoria de Lazaro mendico.

4. Quod ſi vero hujus veritatis, ſcil. paupertatem virtutibus acquirendis plurimum prodeſſe, evidentem probationem videre deſideremus, conſideremus velim hiſtoriam illam Evangelicam, in qua de Lazaro mendico tractatur, quem cœlum in tanta habuit veneratione, ut pro expediendis ipſius jam mortui exequijs & funeralibus, integras cœleſtium ſpirituum hierarchias in terras dimiſerit, unde neceſſum eſt aſſerere, magnam illū Paupertate, imo mendicitate mediante, perfectionem comparaſſe, quia *Patientia opus perfectum habet.* Porro de S. Catharina Alexandrina Virgine & Martyre ex ejus vita quidem conſtat, corpus illius ab Angelis in montem Sinai deportatū fuiſſe, at vero nequaquam id mirum fuit, ſiquidem ipſa jam Chriſto deſponſata fuerat, ejus fidem acerbiſſimum ſuſtinendo martyrium, generoſe defenderat; At vero de hoc mendico Lazaro nihil aliud legitur, præterquam quod adeo inops fuerit, ut ne quidem per micam panis, qui canibus projiciebatur famem ſuam compeſcere poſſet, nec minimum quantumvis vile linteum ad ulcera ſua abſtergenda haberet: *Canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Et tamen Abraham veluti competens illius Judex ipſum ſinu ſuo excepit, qui cœleſtis gloriæ depoſitum erat, idque non alio merito præterquam *quia recepit mala in vita ſua*; per mala autem hic juxta modum loquendi hujus mundi, Paupertas & inopia, & quæ inde conſequuntur anguſtiæ intelliguntur; Unde D.Chryſol. ait: *Id ſufficiat ad meritum, abundet ad gloriam.* Unde tametſi de illo aliud non conſtet, attamen mendicitatem ab illo patienter toleratam ſcire nobis ſufficiat.

Luc.16.21.

D. Chryſol. Serm.123.

Pauperes ab Apoſtolo vocantur ſancti.

5. S.Paulus in Epiſt.1. ad Cor. de Eleëmoſynis diſſerens, quæ pro illorum fidelium congregabuntur ſubſidio, qui patrimonia ſua ad pedes Apoſtolorum certatim contulerant, ita ſcribit: *De collectis autem quæ fiunt in Sanctos; &c.* Ubi obſervandum, quod S.Paulus illos Sanctos appellet, utpote qui ſciebat ingentem ipſorum profectum, quem per illam divitiarum ſuarum reſignationem in ſpiritu ſibi comparaverant. Non dubito, quin ſæpius vobis admirationem cauſaverit hoc, quod Angelus in Apocalypſi Epiſcopo Epheſino ſcribit, videl. *Scio ... paupertatem tuam, ſed dives es.* At vero ſi dives erat, quomodo à Paupertate anguſtiari poterat? Sed reſpondeo, illum facultatum longe pretioſiorum divitem fuiſſe, videlicet virtutum theſaurorumque cœleſtium. Unde Hugo verba præcitata ita exponit: *Sed dives es, ſcilicet ſpiritualibus divitijs.*

1.Cor.16.1. *Apoc.2.v.9.* *Hug. Card.*

6. S.Paulus Tim. diſcipulo ſuo ita ſcribit: *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere*, ubi D.Chryſoſt. ly *hujus ſæculi* notans inquit: *Qui dixit divitibus hujus ſæculi, demonſtravit & alios futuri ſæculi divites eſſe, qualis ille Lazarus erat, in præſenti quidem vita pauper, in futura vero dives, non auro, vel argento, ſed arcanis illis bonis, quæ neq; oculus vidit, neq; in cor hominis aſcenderunt*, & quidem cum S.Jac. quoſdam *divites in fide* appellet, liquide ſatis conſtat etiam in virtutibus reperiri divitias, quæ ut plurimum ſimul cum Paupertate Evangelica conjunctæ reperiuntur. Unde etiam Eccleſ. quoſdam vocat *homines divites in virtute.* Beda inter divitias etiam multa dona naturalia, & ſpecialiter ſanitatem recenſet, de qua dici ſolet: *Qui ſanitate gaudet, dives eſt, & talem ſe eſſe ignorat.* En verba venerabilis Bedæ: *Ingenium, memoria, vita, ipſius corporis ſanitas, ſenſus, confirmatioque membrorum; Cum hæc ſalva ſunt, & pauperes divites ſunt.* Paulo poſt vero ſolidiores, verioreſque indicat divitias inquiens: *Ille majores divitiæ; Fides, Pietas, Juſtitia, Charitas, Caſtitas, mores boni.* S.Aug. quoque Paupertatem cum divitijs conjungit, dum ait: *Videte fratres qui vere pauperes ſunt, cujus rei divites ſint, quia non in arca, non in horreo, non in Apotheca. Viveni corda eorum in ſæculum ſæculi.* Idem S.Doctor alio in loco ita ſcribit: *Deo dives eſt inops auri, virtutes largitur, & gratias confert, qui aurum non habet, virtutem habet.* Ingenioſa profecto eſt illa D.Chryſoſt. propoſito noſtro commodiſſime inſerviens obſervatio; ait enim: *Omnia cum largitate dat Deus, quæ ſunt multo magis quam pecuniæ neceſſaria, ut aërem, aquam, ignem, ſolem; Non licet dicere quod magis dives radijs, minus vero pauper fruatur. Non licet dicere, quod copioſiorem aërem quam pauper reſpiret dives, ſed omnia paria, & communia propoſita ſunt; Quare igitur majora quidem, & magis neceſſaria, & vitam noſtram continentia, communia Deus fecit, minora vero & viliora non ſunt communia, pecuniæ nimirum? Qua de cauſa?* Moxque in favorem noſtrum reſpondet: *Ut virtutis ſtadia habeamus.* Enimvero qui per neceſſitatem pauper eſt, magnam habet occaſionem exercendæ humilitatis, Patientiæ, mortificationis, conformitatis cum divina voluntate, multiſq; caret peccati incentivis; Certum vero eſt, quod qui voluntarie pauper eſt, majorem habeat in cunctis virtutibus ſe perficiendi campum.

1.Tim.6.17. *D.Chryſoſt. Hom.2. ad pop.* *Jac.2. v.5.*

Hic pauperes ſunt divites in virtute & futura gloria.

Eccli. 44. 6. *Beda in c.8. 2.ad Cor.* *S.Auguſt. in Pſalm.21.* *S.Auguſt. in Pſalm.9.* *D.Chryſoſt. Hom. cit.*

7. Notatu digna ſunt illa S.Pauli Apoſtoli verba, dicentis: *Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Quæ verba in illis fervidis Chriſtianis verificabantur, de quibus S. Lucas ait: *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Unde facultatibus ſuis egenos locupletabant, ut ipſi Paupertatem profiterentur Evangelicam. Obſervandum vero, quod ſacer textus immediate ſubjungit, videlicet: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, collaudantes Deum, & habentes gratiam.* Enimvero Spiritum & ſanctitatem ut plurimum nuſquam reperietis, præterquam apud illos, qui mundo renuntiarunt. Unde S.Franc. Paupertatem ſuo ſæculo exulantem, & ubique proſcriptam in ordinem à ſe fundatum revocavit, cujus proinde Religio ſemper fuit, eſt, & erit florentiſſimum magnæ perfectionis Gymnaſium; Ac proinde ipſe in opuſculo quodam ita ſcribit; *Evangelica hæc Paupertas noſtri ordinis eſt fundamentum, cui ſubſtrato primarie ſic omnis ſtructura Religionis innititur, ut ipſius firmitate firmetur, & everſione funditus evertatur.* Idem Seraph. Pater paulo ante in Paupertatis commendationem ita ſcripſerat: *Paupertatem ſcitote fratres ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc enim eſt Evangelici agri theſaurus abſconditus.* S.Bern. Paupertatem voluntariam tanti æſtimavit, ut eamdem pari cum martyrio loco habuerit, ita enim in Sermone quodam ſcribit: *Quod martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, Paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter appetitus.*

2.Cor.6.11. *Act. Apoſt. 2. v.45.*

Paupertas eſt fundamentū ſtatus Religioſi.

Opuſc. S. Franc. Tom. 3. Collat.5. *S.Bern. Ser. 1. in feſt. omn. Sanct.*

Apoſtolus pauperes æquiparat martyribus.

8. Obſervaſtiſne aliquando modum quo Apoſtolus illis ſcribit Chriſtianis, qui ut Chriſtum ſequerentur, omnes libenter deſerebant divitias? Nimirum in eodem gradu illos cum martyribus collocabat, dicendo: *Remoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti; Nolite itaq; amittere confidentiam veſtram, quæ multam habet remunerationem.* (Ecce tibi Martyres) mox vero de illis ſubdit, qui Paupertatem libenter ſuſtinebant, ut de illorum divitum numero eſſent, de quibus ſupra mentionem fecimus, dum illos *divites in fide* appellavimus: *In altero autem*, inquit, *ſocij taliter converſantium effecti, Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* D.Chryſoſt. Hom.11. ſuper Epiſt. ad Hebr. ad propoſitum noſtrum egregie in hæc verba ſcribit: *Sunt aliæ quoque hoſtiæ, vere holocauſta, nempe martyrum corpora.* Nec hic S.Doctor ſiſtit, ſed paulo poſt ſubjungit: *Potes tu quoque ſi velis, tale offerre ſacrificium; Quid enim ſi igne corpus non combuſſeris? Sed potes alio igne, ut puta igne Paupertatis voluntariæ*; Moxque hujus dicti ſequentem ſubdit rationem: *Licere enim delicate, lauteque & ſplendide vitam agere, laborioſam autem & acerbam vitam eligere, annon eſt oblatio holocauſti.*

Hebr 10.32. *Ibid.v 33.* *Ibid.v.35.* *Ibid.v.33.* *Ibid. 34.* *D.Chryſoſt. Hom.11. ad Hebr.*

Paupertas eſt exterminium omnium vitiorum.

9. Eſt & aliud conſideratione digniſſimum bonum, quod ex paupertate voluntaria nobis acquirimus, videlicet, non ſolum comparatio virtutum & perfectionis, verum etiam omnium vitiorum exterminium. B.Laur. Juſt. enim in ejus laudem ita ſcribit: *Efficax ad exterminium iniquitatis. Eſt caminus purgans, & eliminans ſordes vitiorum, juxta illud Iſaiæ: Elegi te in camino Paupertatis.* Paulo poſt vero ſubdit: *Exterminat Paupertas iniquitates per ſubtractionem occaſionum peccandi, quia ſicut cum affluentia divitiarum creſcunt, ſic voluntaria paupertate minuuntur.* Idem in capite præcedenti aliam tetigerat Paupertatis utilitatem, ſcil. quod *revocet Paupertas ad ſe.* Quandonam filius prodigus in ſemetipſum introgreſſus eſt (*in ſe autem reverſus*) & dolenter ad Patrem redire ſtatuit? Certum eſt quod idipſum facere non cogitarit, quamdiu accepta à Patre ſubſtantiæ portio, id eſt pecuniæ durarunt (*da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit*) tunc enim nihil aliud curabat; quam ut voluptatibus ad ſatietatem uſque operam daret; At vero quando ſe in talibus vidit anguſtijs conſtitutum, ut ne quidem glandibus, quibus porci abundabant, famem compeſcere poterat, tunc intra ſe compunctus filum omnibus præcedentibus diſſolutionibus detruncavit; Ac proinde B.Juſtinianus ſubdit: *Familiaris res eſt opibus humanum cor, ac libertate diſſolvi, ærumnis autem ac paupertate ad ſemetipſum recolligi.* Porro pauperem peccato minus ſubjectum eſſe quam divitem, ex alia quadam hiſtoria, ex Sacra Scriptura pariter deſumpta evidenter apparebit. Etenim Levit. c 5. in ordine ab oblationem, pro expiatione tranſgreſſionum faciendam ſequens pauperem inter & divitem inſtituitur differentia: *Offerat de gregibus agnam ſive capram, ... Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino:* Econtra vero in Exodo legimus: *Dives non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet.* Numquid hæc tibi videntur contradictionem involvere? Quomodo igitur utramque ſcripturam inter ſe reconciliabimus? Reſpondeo quoad ſenſum litteralem, quod in Levitico præſcribatur oblatio ad ſacrificium adhibenda, in Exodo vero conſtituitur cenſus, qui in tributum expediri debebat; Ac proinde non militat paritas in oblatione quæ pro peccato expiando fiebat. Verumtamen in illa diſparitate quoddam etiam latere videtur myſterium, propter quod oblatio pauperis minor erat quam divitis, hæc videlicet, quia pauper minus eſt diſpoſitus ad prævaricandum, quam dives: *Valet enim Paupertas ad iniquitatem exterminium*, ut ſcribit B. Juſt.

B.Laur. Juſt. ibid. c.3. *Iſaiæ 48.10.* *Ibid. c. 2.* *Lucæ.15.17.* *Ibid. v.12.* *Levit.5.v.7.* *Ibid. v. 6.* *Exod.30.15.*

Differentia inter pauperem & divitem.

B. Laur. Just. c. 3. *Pf. 72. v. 7.*

Iust. *per abscissionem vitiosarum radicum.* Dives autem majora patitur ad transgrediendum incentiva, quia *prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Interpres quidam modernus notat, quod in Exodo agatur de censu, qui à singulis populi illius individuis capitatim exigebatur, unde dicit: *Ex hoc cognoscetis quanto plus debeat pauper Deo, quam dives, quando extolluntur capita, & describuntur filij Israël, solvat pauper, sicut dives, quia tantum debet Deo, & plus quidem quam dives; In oblationibus vero pro peccatis, solvat plus dives, quam pauper, quia plus offendit Deum.* Sapiens pauperem & divitem inter se distinguit, quoad actiones exteriores, quæ interioris dispositionis solent esse indicium, siquidem *ex abundantia enim cordis os loquitur. Obsecrationibus loquitur pauperi*, inquit Salomon, *& dives effabitur rigide.* Syriaca legit: *Mollia loquitur, & lenia verba.* Pauper enim etiam in Ser. humilitatem, modestiam, mansuetudinem, benignitatem ostendit, cum econtra dives, superbus sit & elatus. Unde Ecclesiasticus inquit: *Dives injuste egit, & fremet, pauper autem læsus tacebit.*

Prov. 18. 23. *Matth. 12. v. 34.* *Eccli. 13. 4.*

Paupertas purgat peccata. *B. Laur. Just. ibid.*

10. Est & aliud quoddam Paupertatis emolumentum scilicet quod Paupertas in hac vita præsenti purget peccata. Unde B. Laur. Justin. ait: *Cum quosdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare conspicimus, illos minime despiciamus, quia fortassè quos superfluitas inquinat, caminus Paupertatis curat, & abstergit.* Id quod fornacis Babylonicæ exemplo ostendit inquiens: *Sicut pueros illos non incendit ignis, sed dissolvit eorum vincula, sic eorum, qui in Paupertate gratias agunt, solvuntur vincula peccatorum, & non incenduntur avaritiæ igne.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Paupertas voluntaria quiete & consolatione spirituali perfrui, & à divitum anxietatibus & perturbationibus exempta esse solet.

THEMA.

Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Ps. 67. ℣. 11.

Paupertas in semetipsa multas experitur consolationes.

1. PAupertatem voluntariam quietam & contentam esse, copiosasque in semetipsa consolationes experiri, adeo verum est, quantum est difficile idipsum hominibus mundanis persuadere, *non* enim *omnes capiunt verbum istud.* Et tamen Psalmista claris verbis dicit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; Unde viro religioso melius sapit, magisque conducit panis mendicati frustulum, quam lautissimæ Potentatum hujus sæculi epulæ, & convivia. In opusculis sancti & Seraph. Franç. sequens legitur historia: *Iter faciente in provinciam Franciæ cum B. Fratre Massæo, in quadam solitudine invenientes fontem limpidissimum, ad cujus oram erat lapis magnus & altus ad modum mensæ, cui superimponentes frustula panis, quæ in quodam pago ostiatim pro eleëmosynis accepere, spiritu perquam hilari, in tanta paupertate lætabundus dicit beatus Pater ad socium: Non sumus digni tanto thesauro; Quæ verba multoties repetenti ait socius: Quomodo potest dici magnus thesaurus, ubi tanta urget Paupertas? Hoc inquit Pater, magnum reputo thesaurum, hanc pretiosam judico mensam, ubi nihil est humana industria elaboratum, totum est divina Providentia ministratum.* Seneca Moralis licet non alio quam naturali lumine imbutus infinita pauperibus Evangelicis à Deo præparata præmia intelligere nequiverit, attamen in Epistola quadam hanc Paupertati laudem & excellentiam attribuit, quod scil. Paupertas cum ipso met Jove certare ausit; En verba ipsius: *Panem & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendet.*

Opusc. S. Franc. Tom. 3. Apoph. 20. *Senec. Ep. 25.*

Divites multis torquentur cur non sic pauperes.

2. In Parabola de semine cœlestis agricola divitias spinis assimilare non dubitavit, quia divites mille anxietatibus & solicitudinibus, tamquam spinis transfiguntur; Non vero item pauperes, qui mundum deseruere. Pater Giojosa Capucinus, qui unus ex paribus Franciæ, multorumque statuum & territoriorum Dominus fuit, saccum suum, nec non & habitum sæpe indicibili cum lætitia osculari solebat, in hæc prorumpens verba: *O mi habitus parum agnitus, paucisque notus. Inassequibilis enim pariter & inexplicabilis est quies & tranquillitas interior illius, qui Paupertatem ex toto corde amplexatur.* Dives ille Evangelicus somnum capere non poterat, sed totis noctibus insomnis castella in aëre fabricabat, dicendo: *Destruam horrea mea, &c.* Scirene cupitis quo modo dulci quiete & somno gaudere possitis? Nimirum si in angustissima cella semisatur super sacco stramineo dormiveritis. Audiamus hac de re sanctum & Seraphicum Franciscum, qui Deum pro dono Paupertatis rogans, eidem dicebat: *Ego ejus amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum.* B. Laur. Justin. de hujus virtutis laudibus diffuse differens, inter alias hanc quoque mentis serenitatem, & consolationem internam, quam devotis suis confert, recenset inquiens: *Magna tranquillitas est cordis, nihil habere concupiscentiæ sæcularis.* Et paulo post subdit: *Tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, inter ipsa tuæ necessitatis initia non horruisti abjectissima Paupertatis degustare incommoda.* Et vero observandum est, quod in die Nativitatis, quando Filius Dei inter brachia Paupertatis de cœlo in hunc mundum descendit, sancta mater Ecclesia canere soleat: *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli*; Aër quoque melodijs angelicis insonuit. Unde subdit idem B. Laur. *Ut enim ait Scriptura, tibi, cum nascereris, non erat locus in diversorio, nec cunabula quæ teneritudinem tuam acciperent, habuisti, sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu, qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es, & hoc ipsum à brutis animalibus mater tua mutuo accepit.* At vero quamnam inde eruit consequentiam? *Consolamini igitur, consolamini, qui in sordibus Paupertatis enutrimini, quia nobiscum est Deus in Paupertate.* Cum igitur Deus in societate sit pauperum, quid mirum si paupertatem colentes paradisiacas in se experiantur consolationes, siquidem ipse est, de quo dicitur: *Deus totius consolationis, qui consolatur nos.*

Luc. 12. 18. *Opusc. S. Franc. Tom. 1. fol. 19.* *B. Laur. Just. de lig. vit. c. 2. de Paupert.* *2. Cor. 1. v. 3.*

3. Venerabilis Beda super illa verba Apostoli: *Propter vos egenus factus, &c.* ita scribit: *Omnes ergo boni fideles divites sunt, nemo se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura.* Aptissime quoque huic nostro proposito deservit illa à S. Joanne Climaco tradita paupertatis voluntariæ definitio; Ait enim: *Paupertas est abdicatio solicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat omnibus curis vitæ transeuntis, & facit ut Dei mandata perfecte exequamur.* S. Hilarion. tametsi inter extremos vitæ pœnitentis rigores vitam ageret, nihilominus lætus semper erat; Sed quænam erat hujus lætitiæ causa? Num forte quod omnes populi relictis negotijs domesticis, ad eum venerandum excurrerent; Aut vero quia tot peccatores ad vitæ emendationem suo exemplo inducebat? Nequaquam, inquit S. Hieronymus, qui ejus vitam conscripsit, sed *Accensus fiducia pauperis conscientiæ, lætabatur in eo, quod nihil haberet sæculi, & quod ab accolis mendicus putaretur.* S. Ambros. in Epistola quadam ad Simplicianum de veris divitijs differens ait: *Vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est, sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus, & modestus Spiritus, qui numquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & nova quærat, & semper desiderando fiat in summis divitijs inops! Ea est pax vere dives, quæ superat omnem mentem.* Ad hanc Pauperis quietem denotandam, qui somnum suum dulciter absolvit, nec ullis turbatur Phantasiæ terriculamentis, Deus olim in Deuteronomio sequens præceptum condidit: *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi*; Ex quibus verbis summa deducitur solicitudo, qua Deus curat ut Paupertas contenta sit & quieta. Ecclesiastes, id est, Rex Salomon, ditissimus inter omnes, quorum in sacris litteris fit mentio, postquam à vanitatibus mundi resipiscens, ad vitam redactus fuit pœnitentem, in hæc verba prorupit: *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat, saturitas autem divitis non sinit eum dormire.*

Beda in c. 8. 2. Cor. Descriptio paupertatis Evangelicæ. *Clim. gr. 17.* *S. Hieron. in vit. S. Hilar.* *S. Ambr. l. 3. Epist. 1.* *Deuter. 24. v. 12.* *Eccle. 5. v. 11.*

4. D. Chrysostomus quoad anxietates & mœrores divitum sequentem instituit considerationem: *Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam ut vestimentum à decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique solicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Verum non talis est anima Pauperis voluntarij, sed potius fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa, non est illic tinea, neque fur, neque solicitudo negotiorum hujus vitæ, sed sicut angelus, ita conversatur, non militat cum hominibus, sed cum angelis, non habet thesaurum terram, sed cœlum.* Porro quia terra ad spinas & tribulos progerminandos condemnata fuit, ideo Chrysost. in prædictis verbis dicere voluisse videtur, Pauperem Evangelicum hasce puncturas nequaquam sentire, quia cor suum, quod idem est ac thesaurus suus, non in terra, sed in cœlo positum habet.

D. Chrysost. Hom 4. in Matth. Econtra describitur anima amans divitias.

5. Divites & potentes hujus sæculi, multis subjiciuntur insidijs, invidijs, odijs, conjurationibus, latrocinijs, ut proinde Seneca dixerit: *Quot servi, tot hostes*; Pauperes autem ab hisce periculis immunes existunt. Præterea non sentiuntur ab illis anxietates illæ, de quibus idem Seneca in hæc verba scribit: *Honesta res est, læta Paupertas imo jam non est Paupertas, sed opulentia cordis, si læta est. Denique non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est; Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascatur, aut fœneretur, si imminet alieno, si non acquisita, sed acquirenda computet?* Videritis nonnumquam religiosos, rudi & hispida veste indutos, pedibus nudos, fune cinctos, præ frigore contremiscentes, qui tamen in intimo cordis sui præ nimio jubilo exultant; Econtra vero viri nobiles, divites, summis dignitatibus fulgentes, superbe vestiti, magno servorum famulatu stipati, corde & animo sunt anxij, inquieti, numquam contenti, timent, suspicantur, & in millenas anxias cogitationes distrahuntur. Audite quid hac de re D. Chrysostomus in hæc verba scribat: *Qui conscientiam puram habet, licet pannosus sit, & cum fame assidue luctetur, tamen beatior & tranquillior est illis, qui inter delicias magnopere degunt.* Idem Sanctus Doctor in alia quadam homilia eorum tangit tranquillitatem, qui animo suo à bonis terrenis prorsus sunt alieni, cujusmodi sunt religiosi voto Paupertatis obnoxij, *Paupertas*, inquit, *tutum est asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita tribulationum nescia, vita fluctuum ignara.*

Seneca Epist. 2. Divites patiuntur multas insidias, invidiam &c. non sic pauperes. *Chrysost. Hom. 2. ad Rom.* *Chrysost. Hom de recipien. sever.*

Homines bonæ voluntatis sunt illi qui sunt pauperes.

6. Observastisne aliquando qua in occasione angelicæ hierarchiæ pacem hominibus annunciarint dicentes: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis?* Tunc nimirum quando Filius Dei summam amplexatus paupertatem, reclinatus est in præsepium, vilibusque ac pauperibus pannis involutus fuit; Unde verba illa: *Hominibus bonæ voluntatis*, de illis intelliguntur, qui bonorum temporalium patiuntur penuriam, ejusmodi pauperculi pastores erant, quibus angeli apparuerunt; Id quod ex sequentibus S. Gregorij verbis clare deducitur; ait enim: *Sed hoc bonæ voluntatis sacrificium Deo numquam plene persolvitur, nisi mundi hujus cupiditas perfecte deseratur, nam quid quid in eo concupiscimus, hoc procul dubio proximis invidemus.*

S. Greg. hom. 5. in Evang.

7. S. Lucas de summa primorum Christianorum charitate, animorumque unione differens, inquit: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Et certe hæc primitivæ Ecclesiæ concordia & amor, quo fideles in ea simul convivebant, significantioribus & magis emphaticis verbis exprimi non poterat, quam dicendo, quod habuerint *cor unum, & animam unam.* Ratio autem, quam Sanctus Evangelista protinus subdit, sufficienter indicat, hanc animorum conjunctionem à Paupertate derivatam fuisse, per quam in communi viventes nihil proprium possidebant: ait enim: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat sed erant illis omnia communia.* Enimvero quando possessiones seu facultates cum aliqua animi adhærescentia possidentur, facile lites suscitare solent, quæ nostram perturbant quietem; Unde Ecclesia in hymno ad Primam hisce verbis Deo supplicat: *Deum precemur supplices, ut in diurnis actibus, nos servet à nocentibus, linguam refrenans temperet, ne litis horror insonet.*

Act. Apost. 4. v. 32. Cor unum quod erat in primitiva Ecclesia à paupertate proveniebat.

8. Cornelius Jansenius primam beatitudinem scilicet *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, in propositi nostri favorem explicat, observando quod Christus in tempore præsenti dicat: *Ipsorum est regnum cælorum*, si in tempore futuro dixisset, jam omne submotum fuisset dubium, jam vero in tempore præsenti dicit: *Ipsorum est*, non vero dicit *erit. Pauperes enim Spiritu etiam in hac vita jam re ipsa regnant, regno plane cælesti, longe felicius, quam Reges, & Principes terræ. Hi enim ut plurimum vere gravissimam serviunt servitutem, quam regnant, multos enim patiuntur Tyrannos, discruciati ab avaritia, ira, livore, cupiditate honorum, ac vindictæ. At homo humilis terrenarum facultatum ac honorum inops, liber est ab hujusmodi curis, tranquillo semper existens pectore, secure expectans dona cælestia.* S. Bernardus in sermone quodam hac de re ita scribit: *Habet divitiarum contemptus etiam in præsenti quamdam dulcedinem suam, quam Dominus* Matth. 5. *Regnum cælorum vocat, id est, participationem cælestis regni.* Porro in quonam Beatum esse consistat S. Isidorus hisce verbis declarat: *Beatus dictus est, quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, & nil patiendo quod nolit; Ille autem vere beatus est, qui & habet omnia quæ vult bona, & nihil vult mali, ex his enim duobus Beatus homo efficitur.* Ac proinde is qui ex amore Dei voluntarie factus est pauper, ex omnibus hisce capitibus, potest censeri beatus, quia habet quidquid vult, nam ut infra dicemus, Pauper per omnia optime provisus est, quia nihil ipsi deest eorum quæ desiderat, nullam sustinet penuriam, quam non toto pectore desiderat, hanc enim pauper Evangelicus anxie concupiscit, imo sæpe fit, quod talis pauper similem penuriam pati, Deo per votum, vel juramentum promiserit. Unde advertendum est, quod hic non loquamur de talibus Pauperibus, qui necessitate pauperes sunt, non vero voluntate, hi enim ut plurimum in statu suo male solent esse contenti. *Paupertas* autem, ut ait Seneca, *nulli malum est nisi repugnanti.* Unde quando quis à Deo in fortunam tenuem & exiguam est positus, si huic fortunæ acquiescit, divinæque voluntati se conformans, eam libenter, toleret, Deus illi interiores sine dubio communicabit consolationes, juxta tritum illud adagium: *Cui Deus non largitur panem, dat patientiam* quia *dat nivem sicut lanam*; Et ideo tales optime norunt ex necessitate facere virtutem.

Matth. 5. 3. Jansen. Paupertas in contemptu divitiarum habet suam dulcedinem. *S. Bern. de 12. grad. div. amor.* *S. Isid. lib. 12 orig. L. 8.* *Seneca Epist. 123.* *Ps. 147. v. 16*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Deus per Paupertatem nobis tribuit, ut inimicos invisibiles superemus, perque eamdem defendamur, & protegamur.

THEMA.

Oculi ejus in Pauperem respiciunt. Psal. 10. ℣. 5.

Benevolentia Dei specialiter est ad pauperes.

1. TAmetsi divina providentia omnes Creaturas benefico respiciat oculo, attamen Propheta regius oculos Domini specialiter in pauperes directos esse dicit: *Oculi ejus in pauperem respiciunt*; Idque in eodem Psalmo X. binis vicibus repetit. Et quidem postquam prima vice dixisset: *Oculi ejus in Pauperem respiciunt*, protinus subjungit: *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua*; Cum enim Pauperes ab inimico infernali multas patiuntur insidias, & prælia sustineant hinc quoque à Deo specialibus auxilijs defenduntur & proteguntur.

Luc. 14. v. 28 Christus suadet voluntariam paupertatem similitudinibus exercitus comparandi & turris ædificandæ.

2. Cœlestis Magister noster apud S. Lucam cap. 14. de ijs fidelibus differens, qui ejus sectantes sequelam, ad perfectionem acquirendam contendebant, ijs omnia deserenda esse dixit, etiam ipsummet Patrem & matrem suam; Moxque hanc subjunxit similitudinem: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? .... Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Ac tandem in hæc verba concludit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Non dubito quin hæc consequentia à Salvatore illata, sæpius vos in admirationem rapuerit, quippe quæ prima facie nullam ad præmissas habere videtur relationem, nam quænam potest esse proportio inter fabricam turris alicujus, vel conscriptionem exercitus, & voluntariam omnium terrenorum bonorum renunciationem, sive Paupertatem Evangelicam? Pro resolutione advertendum est, Salvatorem nostrum per hanc parabolam nobis insinuare voluisse, quod tunc habituri simus in defensionem nostram paratos contra inimicos nostros bene ordinatos & invincibiles exercitus, simulque inexpugnabilis in nostram defensionem ædificata erit turris, si spontaneè nos omnibus terrenis bonis spoliantes, voluntariam professi fuerimus Paupertatem. Unde S. Augustinus ait: *Itaque sumptus ad turrim ædificandam, & valentia decem millium arma adversus regem, qui viginti millia habet, nihil aliud est, quam ut renunciet unusquisque omnia quæ sunt ejus.* Nihil verius esse quotidie experimur, quam quod *militia est vita hominis super terram.* Certum

S. August. in Cat.

Eph.6.v.12. est autem quod *non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes & potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; *Qui maligni Spiritus*, ut ait Gregorius, *nihil in hoc mundo proprium possident; Nudi ergo cum nudis luctari debemus, nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur, quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo ad certamen properat, vestimenta deponat, ne succumbat.* Quotquot enim à spiritibus immundis superantur, potiori ex parte tales sunt, qui divitijs abundant, & in divitijs ac voluptatibus vivunt; pauperes enim tentationum incentivis carent, neque periculum est, quod inordinatis appetitibus suis obsequantur, quia medijs carent; *Secundæ autem res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur; felicitate corrumpimur.*

S.Greg Hom. 32.in Evang.

Job.1.v.20. Job scidit vestimenta sua, ut nudus cū dæmone luctari posset.

3. In libro Jobi legitur, quo Propheta hic certior factus de omnium facultatum suarum jactura, de ruina domus, omniumque filiorum & filiarum suarum morte, *Scidit vestimenta sua.* Quisquis vero hoc ipsum legit, vel audit, prima facie hunc actum ex impatientia, vel tristitia, vel extraordinaria afflictione manasse credet, quia olim in signum magni doloris vestes dividi aut scindi solebant; Sed decipiuntur omnes, qui similes imperfectiones in Jobo admittere non verentur, qui divinæ voluntati, si quis alius, exactissime se conformabat, quemque Deus omnibus fidelibus velut normam & exemplar veræ patientiæ destinavit. Ratio igitur cur patientissimus Job vestimenta sua sciderit, hæc est, quia cum totum infernum contra se armatum esse sciret, ipse quoque ad resistendum illis se præparavit. Audiamus velim hac de re differentem in hæc verba Olympiodorum. *Dixerit aliquis*, inquit, *qui concinnius hæc ipsa velit interpretari, quasi Athletam quemdam nudatum ad luctam in Diaboli conspectu vestem projecisse*; Quando autem omnibus fortunæ bonis spoliatus, insuper quoque vestes quibus corpus suum contegebat, abjecit, illos typice præfigurans, qui vitam religiosam proficientes vestibus se sæcularibus exuunt; tunc quasi vigorosior & generosior factus ad præliandum cum spiritibus malignis se accinxit. Hoc est quòd D. Chrysostomus *homilia quinta ad populum* perspicuis verbis expressit, inquiens: *Cum malus Angelus ad summam inopiam redegit Job, neque hiscere quidem potuit, nisi enim in fimo eum collocasset, tantum cumulum divitiarum non cognovissemus. Quando dives erat, & otio fovebatur justus, unde accusaret ipsum, habuit; unde diceret: Num te gratis colit Job? Postquam vero ipsum spoliavit, & fecit pauperem, nec hiscere quidem amplius ausus est. Vidisti quanto Paupertas clariores, & fortiores pugnantes faciat?* S. Paulinus qui ex amore Christi pauper factus est, cum antea copiosissimis abundaret thesauris, ad Severum in hæc verba scribit: *Temporalium, quæ in hoc sæculo habentur, bonorum relictio, sive distractio, non decursus stadij, sed ingressus, nec ut meta, sed janua est.* In Genesi cap. 32. similem habemus *in terminis* casum. Priusquam enim Jacob cum angelo luctaretur, sacer textus de illo scribit, *traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus & ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Sed quidnam in eo latet mysterij, quod priusquam cum angelo luctaretur, omnes ejus divitiæ ab ipsius oculis traductæ fuerint? *Traductisque, &c.* respondet S. Paulinus ibidem: *Præmissis curarum suarum oneribus, id est facultatum corporalium, & necessitudinum impedimentis, solus in tabernaculi loco remanserat Deo, colluctatum cum extorquenda benedictione prævaluit, & illud cœlo, terrisque sacratum nomen accepit.* Jacob igitur cum angelo Deum repræsentante luctaturus, prius ab omnibus bonorum terrenorum cogitationibus exonerare se voluit, ut nos per hoc erudiret: quod dum nobis luctandum est cum inimicis invisibilibus, pro victoria obtinenda optimum fore remedium, si omnem à bonis hisce temporalibus affectum deponamus. Unde postquam id quod Apostolus de Redemptore nostro dixit: *Exspolians Principatus & potestates, &c.* Completum fuit, tunc re ipsa contigit quod idem Salvator apud Joannem prædixerat, scilicet. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*; Tunc enim Christus Satanam ab usurpata in mundo per idololatriam tyrannide exturbando gloriosam hanc obtinuit victoriam, quando in monte Calvariæ exutus vestibus, iisque inter milites divisis, nudus remansit. Unde S. Athan. ait: *Cum enim exuitur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de Diabolo trophæum.*

In Cat. — Chrysost. hom.5.ad pop. — S.Paulin. Epist.2.ad Sever. — Gen.32.v.23. Priusquam Jacob cum angelo luctaretur exoneravit se ab omnibus terrenis. — Colos.2.v.15 — Joan.12.31. — S.Athan. orat.de Cruc.

Verumtamen veritas hæc, scilicet quod Paupertas validissima adversus dæmonem sit armatura, clarius ex sequentibus Psalmistæ verbis patebit: *Cum dominatus fuerit Pauperum*, ubi Genebrardus legit: *Pauperes vel exercitus, Pauperem congregationem aciemque significans.* D. Chrysol. hactenus dicta egregie corroborat, dum sermonem quemdam hisce verbis exorditur: *Quod si virtutibus cognata Paupertas terrena & cœlestis comprobat disciplina, Athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie non nisi expeditus assistit.*

Ps.10.v.10. — Chrysol. ser. 28.

Deus est defensor pauperis.

4. *Oculi ejus in Pauperem respiciunt*, Deus præter vigorem quem per Paupertatem nobis communicat, ut inimico resistere, eumque vincere valeamus insuper per multa alia auxilia, nos tuetur & defendit; Juxta illud Psalm.: *Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adjutor.* Quibus verbis Propheta Regius ex instinctu Spiritus veritatis nobis insinuat, quod sicut leges suos pupillis tutores assignant, ita pauperis tutor & defensor ipsemet futurus sit Deus; Et ideo ait: *Tibi derelictus est.* In Psalmo quoque præcedenti dixerat. *Factus est Dominus refugium Pauperi, adjutor, &c.* Impij quidem de Deo nostro, cujus oculos Rupertus Abbas vocat fenestras salutis, & patentes misericordiæ januas, blasphemè dicebant: *Nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat*, verumtamen hosce regius Psalmista mendacij redarguit: *Oculi ejus in Pauperem respiciunt.* Ecclesiast. quoq; apte ad præsens propositum dicit: *Est homo marcidus egens recuperatione... abundans paupertate, Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus.*

Psal.10.14. — Ps.10.v.14. — Ps 9.v.10. — Rup.Abb.in cap 6.Joan. — Job.22.v.14 — Psal.10.9. — Eccles. 11. v. 12.& 13.

Ps.68.v.2.3 David allegans paupertatem suam à Deo meruit exaudiri.

5. David Rex ob acerbissimam Saulis persecutionem in Psalmo 68. se his verbis Deo commendavit: *Salvū me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Et quidem ut divinum auxilium tanto facilius impetraret, paulo post Deo repræsentare cœpit merita sua, dicendo: *Quoniā Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Quoniā, zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me, Et operui in jejunio animam meam,... Et posui vestimentum meum cilicium.* Nec tamen propter hæc omnia se Deum ad auxilium porrigendum, sibique suo patrocinio assistendum movere potuisse dicit, donec subjungeret: *Ego sum pauper;* His enim verbis pronunciatis immediate in postulatis suis exauditus fuit, unde subdit: *Salus tua Deus suscepit me;* Fuitque talis, quam à Deo obtinuit, protectio, ut plane consolatus, & jucundus cantare cœperit: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude;* Tandem vero ad nostram eruditionem in hæc verba concludit: *Videant pauperes & lætentur, quærite Deum, & vivet anima vestra.*

Ibid.4.& 5. — Ibid.v.8. — Ibid.v.10. — Ibid.v.11. — Ibid.12. — Ibid.v.30. — Ibid. — Ibid.v.31. — Ibid.33.

6. Christus Dei Filius se pro subsidio pauperibus ferendo cito evigilaturum esse his verbis prædixit: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Circa quæ verba D.Chrysost. ita scribit: *Magna est vis ejulatus, quæ supernum evocat auxilium; Timete, quicumque pauperes injuria afficitis.* Mox vero discursum suum ad divites dirigens inquit: *Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & judicum benevolentiam, sed habent illi arma omnium validissima, luctus, & ejulatus, illud ipsum injuria affici è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domus effodiunt; Hæc fundamenta evertunt, hæc integras gentes subvertunt.* Apud Malachiam dicitur: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis, in quo configimus te? In decimis, & in primitijs, & in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis?* Quibus verbis, ut ex textu Chaldæo, & ex versione Syriaca colligitur, Deus de illis loqui intendebat, qui levitas decimis, de quibus in sua paupertate sustentari debebant, defraudare non dubitabant, cum tamen non haberent aliunde, ut viverent. Hoc autem idem est, quod ipsummet Deum crucifigere, qui de se apertis verbis est protestatus, se beneficia Pauperibus præstita, vel injurias illis illatas eodem se habiturū loco, ac si sibimetpsi illatæ fuissent: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Unde etiā Sapens ait: *Non facias violentiā Pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus;* Quibus verbis ad antiquam Judicum alludit consuetudinem, qui tribunalia sua ad portas civitatum posita habere solebant, monetque ne male, aut indigne habeantur

Psal.11.v.6. — Chrys. ibid. — Malach.3. v 8. Injuria, quæ infertur pauperibus Christo inferri censetur. — Matth.25. v.40. — Prov.22.v.22.

pauperes, cum ipsemet Deus eorum in se patrocinium susceperit.

Ps.71.v.11. Deus liberat pauperem in adversitatibus.

7. Regius Propheta David in Psalmo 71. Messiæ futurum adventum his verbis prædixit: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei,* Paulo post vero simul etiam indicat quanam in re specialiter suam sit adhibiturus authoritatem; & potentiam; dicit enim: *Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor, parcet pauperi & inopi, & animas pauperum salvas faciet, ex usuris & iniquitate redimet animas eorum & honorabile nomen eorum coram illo.* Quænam vero ex hoc patrocinio in Deum resultet gloria, idem Psalmista paulo post his verbis indicat: *Et erit firmamentum in terra;* Quasi dicere vellet, ex hac pauperum protectione, quam Deus sibi vendicavit, futurum est, ut terra quodammodo in cœlum transmutetur. Et vero quod Pauperum protectio & tutela, unum sit ex præcipuis ad Deum spectantibus operibus, id adeo verum est, ut una ex primarijs dotibus, quibus Princeps aliquis, qui locum Dei sustinet in terra, præditus esse debet, hoc pauperum sit patrocinium; Ac proinde David Deum precabatur, ut Salomoni filio suo hanc erga pauperes impertiretur gratiam: *Deus judicium tuum regi da*, inquiebat, *& justitiam tuam Filio regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* Et confestim subjungit: *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem;* Quænam autem ex hac in pauperes pietate gloria in regem resultavit? Hæc nimirum: *Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generationem, & generationem.*

Ps.71.v.2.

Deus misit Lazaro mendico angelos in solatium. Chrysol. ser. 121.

8. Deus mendicum Lazarum ab omnibus, præterquam à canibus derelictum videns, subito choros angelorum à cœlo ad ipsum demisit. Unde D.Chrysol. ait: *In obsequium divitis migrat hic tota civitas, cum funus effertur, pauper vadit solus;* Subditque idem Chrysol. *Feretrum pauperis præcedit angelorum psallentium multitudo.* Et paulo ante dixerat: *Merito ei mox angelica officia, merito divina deputantur obsequia, cui tam crudeliter negata sunt ipsa humanitatis extrema.* Sapiens in Proverb. inquit: *Qui calumniatur egentem, exprobrat Creatori ejus.* Ubi Pagnin. legit: *Qui aufert quid à Paupere;* Septuaginta vertunt: *Qui irritat, exacerbat pauperem;* Syriaca habet: *Qui mala pauperi loquitur, iram ciet Creatori.* Job pariter non sine admiratione Deum his verbis affatur: *Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum?* Ubi S. Gregorius observat Jobum dum hæc dicebat, in summa fuisse Paupertate constitutum, adeoque dicere voluisse, *numquid bonum tibi videtur, ut me nunc opprimas pauperem*, mirabatur enim, quod Deus tunc, quando pauper factus erat, ipsum velut opus manuum suarum non amplius agnosceret, aut defenderet, non intelligens quod Deus invisibiliter illum à totius inferni impetu defendendo, gloriosam eidem adversum diabolum præpararet victoriam.

Prov.14.31. — Job.10.v.3. — S.Greg l.9. Mor.c.25.

9. Ecclesia in antiphona Sanctissimi Sacramenti ita canit: *Esurientes replevit bonis, fastidiosos divites dimittens inanes*, Deus quippe sua Providentia pauperes numquam destituit, utpote quibus per promissionem æternam se illos numquam derelicturum esse obligavit: Unde Psalmista ait: *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Tertullianus post allata hæc verba: *Beati mendici* (sic enim exigit interpretatio vocabuli, quod in Græco est) *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, subjungit: *Quid ergo mirum est, si & ab affectibus Creatoris ingressus est per hujusmodi dictionem, semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas & pupillos usque diligentis, asserentis, consolantis, vindicantis? Ut hanc Christi quasi privatam benignitatem rivulum credas de fontibus Salvatoris.* Enimvero Christus Salvator noster, ut B. Laur. Justin. ait, adeo fuit Paupertati addictus, ut illam sibi astringere, eamque suo exemplo nobis commendare voluerit. *Cum enim esset dives in omnibus, factus est in hoc mundo omnium pauperrimus, ut quam magnum esset bonum Paupertatis virtus, prius ostenderet exemplo, quam verbo.* In annalibus Minorum S. Franciscus Religiosis suis dixisse legitur: *Paupertatem novitiis, fratres charissimi, virtutum esse reginam, quia in Rege regum, & in regina matre ipsius tam præclariter effulsit.* Dic sodes, cur nam Christus nudus in cruce moriens sanctissimam matrem suam consignavit? Audiamus eumdemmet Discipulum cui ipsam se cruce commendavit; Hic enim de semetipso ait: *Accepit eam discipulus in sua;* Sed in quæ sua? Numquid ipse de numero quoque illorum erat, quorum nomine S. Petrus cœlesti Magistro suo dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia*, ad quid igitur dictio illa *sua* refertur? *Non ad prædia, quæ nulla propria possidebat*, inquit S. August. ergo consequens est, quod illam acceperit in paupertatis consortem in qua S. Apostolus se exercebat, & cum qua regina cœlorum per totum vitæ suæ residuum indissolubiliter desponsata libenter permansit.

Psal.33.v.7. Deus promisit auxilium pauperibus. — Tertull.lib 4. contra Marcionem c.14. — B.Laur.Just. de lig.vit. de Paupert. c.2. — Wad. an. 1210.n.150 S.Franc. — Joan.19.v.27. — S August. Tract 119. in Joan.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Paupertas facile est medium ad consequendum regnum cœlorum.

THEMA.

Nonne Deus elegit Pauperes &c. in hoc mundo hæredes regni? Jac.2.v.5.

Differentia inter regnum hujus mundi & Cælorum.

1. QUemadmodum mundus Paupertatem velut bonorum hujus vitæ inopem & egenam reputat & contemnit, ita Deus econtra illam permagni æstimat, & bonorum æternorum alterius vitæ condignam hæredem esse judicat, utpote qui pauperes ad immortalem illam hæreditatem elegit & prædestinavit; *Nonne Deus elegit Pauperes hæredes regni?* Porro hæc est inter regni hujus terræ, & regnum cœlorum differentia, quod illi, qui in terris plus possident, opulentioribusque sunt thesauris locupletati, sua quoque confinia magis dilatent; At vero qui in hoc mundo minus possidet, quique ab omnibus terrenis bonis magis est alienus, hic de regno cœlorum possidendo vel maxime est securus; Unde Salvator ait: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et merito quidem, quia nulla dari posset major miseria, quam si gloriam cœlestem alij præterquam divites consequi non possent; *Quis enim tunc posset salvus fieri?* Etenim divitem fieri non est in facultate, vel voluntate nostra positum, & multo minus in divitiis ad finem usque perseverare; At vero pauperem, fieri facillimum est, nemo enim est qui pauper fieri non possit, si velit, si non effectu, saltem in affectu ad minus; ac proinde Christus Ly *Spiritu* adjunxit, sicut enim Deum amare in uniuscujusque hominis est potestate, ita quoque unusquisque si velit, per paupertatem, perque animi à bonis terrenis alienationem certum se constituere potest cœli possessorem: *Nonne Deus elegit Pauperes hæredes regni?* Christus Salvator noster suadet dicens: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo*; At verò vos ô pauperes ei opponere possetis, dicendo: Quomodo nos thesaurizare poterimus, cū simus pauperes? Verum audite quid de vobis S.Petrus Chrysologus dicat: *Thesaurus cœli, est manus pauperis*, inquit, *quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum.* Quis obsecro pro comparando cœlo excogitari potest opulentior thesaurus, quam sit ille, *in quo sunt omnes thesauri?* pauper vero Dei dives est, Unde S. Augustinus inquit: *Dei dives est, inops auri; Virtutes largitur, & gratiam confert, qui aurum non habet, virtutem habet.* Clarius vero Clemens Alexandrinus de eo qui voluntariè pauper est, differens ita scribit: *Qui est amator ejus, qui nullius est egenus, paucis indiget, ut qui non in aliquo alio, quam in ipso Deo beatitudinis thesaurum reposuerit.*

Matth.6.20. — Chrysol ser.8 — S.Aug.in Psal.9. — Clem.Alex. in exhort.ad gent.

Pauperum est regnum Cœlorum quia paupertati non est locus in mundo.

2. Pervolvatis universum sacræ Scripturæ volumen, legatis tam vetus, quam novum testamentum & aperte invenietis, quod in ijs de divitibus, alijsque in hoc mundo prospere agentibus, veluti perditæ salutis personis sermo fiat; Unde in octo beatitudinibus hominum divitum, ne quidem per umbram fit mentio, bene tamen pauperum, imo hi primum inter omnes beatitudines locum obtinent. Unde Tertull. ait: Deus *semper Pauperes justificat, divites prædamnat.* S.Bern. rationem assignat, cur in alijs beatitudinibus regnum cœlorum in futuro promittatur, pauperibus vero in tempore præsenti, ait enim: *Pauperibus claves regni cœlorum non tantum promissive, sed possessive conceduntur; Hujusmodi ratio est, quia Evangelica Paupertas nihil habet quod mundi sit, sed quia prudentissimus Creator & Gubernator, nullam creaturam sine loco fecit, cum Paupertas locum in mundo non habeat, ideo ei possessive ex nunc cœlicas sedes dedit.* Congregate universum aurū peruanum, cunctas gemmas quas à principio mundi usque huc ex mari erythræo omnes gemmarum insidiatores sunt piscati, vel quas inaccessibilibus rupibus eruere potuerunt; Conjungatis simul omnes florentissimas totius universi monarchias, & videte an per hæc omnia vel unicum vastissimæ illius cœlestis Hierosolymæ palmum vobis comparare valeatis, in qua *plateæ & muri ejus ex auro sunt purissimo*, cujus *portæ nitent margaritis aditus patentibus.* Quinam igitur sunt illi, qui cœlum sibi comparare

Tertull.lib.de Patient.c.7. — S Bernard. Tom.3.ser.2. de multipl. pauper art.3. cap.3.

rare possunt, quibusque portæ illæ beatæ sese patulas exhibent? Ecclesia in hymno canens inquit: *Illuc introducitur omnis, qui ob Christi nomen hic in mundo premitur.* Sed B.Laurentium Justin. auscultemus, de Paupertate Evangelica in hæc verba discurrentem: *Vis cognoscere quam locuples sit Pauper? Cælum emit. Quibus, thesauris conferri potest, quod Paupertati videmus indultum? Ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potuit, nunc pauper obtinet, ut perveniat.*

B.Laur.Just. de lig.vit. c.2 de Paupert.

S.Bern.ser.2. de Adven.

Paupertate veluti pennis volatur ad Cœlum.

3. S.Bernardus Paupertatem pennam appellat; Similitudine quidem tali, qua nulla magis propria dari potest, quia sicut alæ aves in aëra sublevant; Ita Paupertas instar alæ seu pennæ animam in Paradisum extollunt. *Magna quædam penna est Paupertas*; inquit Bernardus, *quâ tam citò volatur in regnum cælorum.* Nescio an aliquando adverteritis, quod quando S. Petrus coram Christo solemniter protestabatur dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, ab eodem Redemptore nostro appellatus fuerit *Barjona*, quod idem est ac *filius columbæ.* Enimvero columba animæ puræ est symbolum, non solum propter candorem suum, verum etiam propter pernicissimũ volatum, quo modo anima viri Pauperis pernicissimo volatu in cœlum contendit. S. Hieronymus ad Exuperantium de S. Petro Barjona appellato ita scribit: *Quasi diceret, quia omnibus jam nudus velocior columba volare poteris ad me, nudus & levis ad cælum evola, ne alas virtutum tuarum auri depriment pondera*, elementa enim quæ natura sua gravia sunt, deorsum semper tendunt. B. Humbertus *de utilitate Paupertatis* cap.20. ita scribit: *Elementa levia sursum tendunt, sic & fratres, qui se omnibus perfectè nudant, liberè cælos petunt.* Probatque idipsum mendici Lazari exemplo, qui à Spiritibus angelicis in sinum Abrahæ deportatus fuit. *Exemplum horum, inquit, est pauper Lazarus, qui fuit tandem angelico in sinum Abrahæ ministerio deportatus.* Theophylactus ad hoc Angelorum obsequium Lazaro præstitum se reflectens inquit: *Ut doceat eos qui affliguntur, quam bene habituri sint pro his quæ hic sustinent.* Enimvero ex quo unicus Angelus advolvendum & revolvendum primum mobile, & ad circumagitandas amplissimas cœlorum sphæras abunde sufficit, multo magis sufficere poterat ad sustinendum hominis alicujus à continuis jejunijs extenuatum, & ab ulceribus semidevoratum corpus, quo igitur fine tot Angelorum phalanges ad Lazarum in sinum Abrahæ deportandum concurrerunt? Ecce tibi jubilum, ab Angelis exhibitum, dum ad animas pauperum, qui in hac vita angustiati fuerunt, deportandas certatim concurrunt. *Non suffecerat ad portandum pauperem unus Angelus*, inquit D.Chrysost. *sed propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant.* Idem quoque S. Doctor in alia homilia nos ad conspiciendam in hoc paupere factam scenæ mutationem, his verbis invitat: *Vidistis illum in vestibulo divitis, videte eumdem hodie in sinu Abrahæ; Vidistis illum cum à canibus circumcingeretur, videte eum ab Angelis stipatum; Vidistis illum in Paupertate, videte nunc in delicijs.*

Matt.19. 27
Matt.16. 17
S.Hieron.ad Exup.
B.Humber. de utilit. Paupert.c.20
Theophyl in Luc
Multi angeli animam Lazari pauperi deducunt ad cœlum.
Luc.16.
D Chrys. ins. Hom ex var. Loc. in Luc. Chrys hom. 2. de Laz.

Paupertas debet conjungi timori Dei.
Lucas Burg. ibid.

4. Lucas Burgensis vero aliam habet scitu dignissimam considerationem, scilicet quod non omnis Paupertas cœlo acquirendo idonea sit, sed illa dumtaxat, quæ sancto Dei timori conjungitur. *Videmus* inquit, *quam pretiosa anima in quam fœtido ac putrido corpore latuerit, quæ ab Angelis in beatam vitam delata sit, sed quonam merito? An eo solo quod pauper fuerit in hac vita? Non; Sed rectè significatur ita fuisse pauperem, ut timuerit Deum, ut Paupertatem & ærumnas æquanimiter tulerit, tamquam profectas à Dei manu, nemini convitium dixerit, aut male precatus fuerit, nec diviti ipsi obmurmuraverit, non providentiam Dei accusaverit, sed Patientia probatus opus perfectum consummaverit.* B.Laur.Justin. Paupertatem dilaudans ait: *Est quædam manuductrix in via quæ ducit ad cælum. Est portus tranquillitatis.* Etenim post superatas in turbulento hujus vitæ mari occurrentes tempestatum procellas, in æternæ quietis portum nos feliciter perducit.

B.Laur.Just. ibid.cap.1.

S.Bernardin. ibid.

Pauperes hujus vitæ habent quatuor dotes. Similes illis quæ sunt in corpore glorioso.

5. S. Bernardinus in pauperibus etiamnum hac mortali carne indutis quatuor notat dotes gloriosas inquiens: *Quod pauperes spiritu jam quodammodo in præsenti sint beati, clarescere etiam potest, si considerentur quatuor, quæ Paupertas Spiritus conformia facit statui beatorum. Facit enim impassibiles, agiles, subtiles, & divites. Primo facit impassibiles, quia non dolent de temporalium amissione, imo de hoc gaudent. Secundo facit agiles, scilicet ad faciliter sequendum Christum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Tertio facit subtiles, seu graciles ad intrandum in paradisum, sicut econtra divitibus scilicet avaris, difficile est. Quarto facit divites ad emendum regnum cælorum, proinde Augustinus in persona Domini ait: Venale habeo; Quid? Regnum cælorum? Quo emitur? Paupertate regnum, vilitate gloria, labore requies.* S. Job maris metuebat tranquillitatem, non vero tempestates illius, eo quod maris tranquillitas ingentes comminetur ejusdem procellas, unde ait: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui*; At vero postquam navim suam exoneravit, id est, postquam omnes suas divitias quasi in mare projectas perdidit, jam omnem deposuit timorem. Unde S.Gregorius ait: *Pavore tantæ similitudinis pensemus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris: Quasi vero tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit, quæ hic possidentes portant.*

S.Job.31.23
S.Greg. lib. 21.mor.c.17.

4.Reg.2.
Elias dum rapiebatur in cœlum pallium suum cadere permisit ut pauperior adveniret.

6. Ex l.4. Regum constat quod dum Elias in curru igneo raperetur in cœlum, deorsum cadere suum permiserit pallium: Sed cur id factum esse arbitraris? Num forte timebat, ne ab igne combureretur? Nequaquam, idem namque periculum alijs suis metuere poterat vestimentis. Pallium igitur Eliæ onus designat bonorum terræ hujus, quod non solum in effectu, verum etiam in affectu deponendum est illi, qui in cœlum evolare cogitat. Unde S.Hieronymus ait: *Elias ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundo immundo vestimentum dimittit.* B. Laurentius Justinianus hactenus adducta confirmat inquiens: *Qui nihil habet in mundo quod diligat, nihil est quod eum ab æternorum desiderio impediat, teste namque sacro eloquio, frustra jacitur rete ante oculos pauperum pennatorum, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

S. Hieron. Epist. 24. ad Jul.
B.Laur.Just. cap.2. ibid.

S. Bernardin. in prœmio Ser. 2. ibid.
Comparatur paupertas filiæ deformi habenti maximam dotem.

7. S. Bernardinus in prœmio Sermonis secundi de Paupertate sequentem adducit parabolam: *Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam; Pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur; Turpem vero nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissime flebat in conspectu Regis; Cui Rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea; nam qui in sponsam duxerit sororem tuam; nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem ejus; Qui verò sponsam acceperit te, dabo illi regnum meũ. Mystice autem filia pulchra, est gloriosa sæculi vita, divitijs, delicijs, & magnificentijs plena; filia vero turpis, Paupertas voluntaria est, plena penurijs, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntarijs pauperibus solatium est penuriam pati, cruciatibus fatigari, & ab insensato mundo despici, & contemni. Hanc turpem filiam, qui acceperit in uxorem, promittit ei Dominus regnum suum, dicens: Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Ut quis cœlum rapere possit, se omnibus alijs debet spoliare.

8. Quod si aliquando audieris dicentem nulli Curruli itinere in cœlos patere aditum, cave ne credas, quia Petrus Blesensis pulcherrimo encomio Paupertatem dulce vehiculum appellat, inquiens: *Quam dulce vehiculum sit justo aridus ramus Paupertatis, noverat ille qui dixit: Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum:* Numquid aliquando vos reflexistis ad illud, quod Salvator noster apud Matthæum ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Quisnam vero reperietur hominum, qui majorem sensibus suis, suisque inordinatis appetitibus inferat violentiam, quam qui spontaneè pauper factus, omnibus se privat hujus vitæ delicijs & commoditatibus? Hic enim ut contra passionum suarum torrentem semper naviget, hæcque duo: *Sustine, & abstine*, assidue exequatur, necessum est. Hi igitur sunt qui maximam cœlesti paradiso vim inferunt. Enimvero quisquis manu sua rem aliquam, quam ardenter desiderat, rapere cupit, necessario primo id quod manibus tenet, abjicere debet. Unde D.Chrysostomus ait: *Disperge quæ habes in manibus; Quoad id retinuerit, numquid aurum rapere poterit, nisi id prius projiciat, & expeditus fiat? Rapientem bene expeditum esse oportet.* Quisquis igitur cœlum rapere desiderat, terram abjicere, nequaquam arduum esse putet, tametsi universam terram possideat, quemadmodum multi Reges & Imperatores glorioso posterorum exemplo fecerunt.

Petr.Bles.in Purif. B. Virg.
Matth.11.v. 12.
Chrysost.

Luc.1. v.32.
Jacob existens in paupertate vidit cœlos apertos.

9. S. Gabriel Archangelus B.V.Mariæ quoad filium ejus ex parte Dei promisit: *Regnabit in domo Jacob in æternum.* At vero ubinam Christus per triginta tres vitæ suæ annos umquam sceptrum aliquod administrasse, vel sæculariter regnasse reperitur? Numquid Pilato perspicuis verbis dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo?* Resp. verba Angeli de regno Ecclesiæ militantis & triumphantis intelligenda esse, in quo Christus regnaturus est in æternum. Hæc autem Ecclesia Jacob Patriar-

chæ

chæ tunc demonstrata fuit, quando cœlum apertum, & mysticam illam scalam, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, oculis suis conspexit: *Tunc enim erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, & dixit: Vere non est hic aliud, nisi domus Dei & porta Cæli.* Verumtamen advertendum est, quod dum Jacob hac visione perfrueretur, super nudam terram jacuerit, cervicalis loco saxum sub capite habens, adeoque fuerit pauper, ut dixerit: *Si fuerit Deus mecum & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum adinduendum, &c.* adeoque pauperes præfigurabat Evangelicos, de quibus S.Paulus ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; Hi etenim sunt, qui domum Jacob, id est, Ecclesiam hactenus à sedecim Sæculis florere fecerunt; Hi inquam sunt qui in hac vita regnant (siquidem *servire Deo regnare est*) & in altera vita de regno beato securi existunt. Unde sanctus & Seraphicus Franciscus Fratres suos hisce verbis affatus fuisse legitur: *Hæc est illa celsitudo altissimæ Paupertatis quæ vos charissimos fratres meos hæredes, & reges cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; Hæc sit portio vestra, quæ deducit in terram viventium.* Guerricus Abbas in sermone quodam de solemnitate omnium Sanctorum inquit: *Rectè itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait; ipsorum erit regnum cælorum, non solum propter Jus firmissimum, non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam, quia in quamdam ipsius possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis, & cordibus. Quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! Quam vicini sunt Dei regno, qui Regem ipsum, cui servire, regnare est, jam possident, & gestant in corde suo.*

Gen.28.v.18
Ibid.v.20.
1.Tim.6. 8.
Opusc. S. Francisc. Tom.2.c.6.
Guerric. Abbas in Fest. Omn.Sanct.

TRACTATUS LXX.

DE PACE ET CONCORDIA.

CONTINET DISCURSUS XVIII.

DISCURSUS I. Pax nescio quid Divini in se continet, ideoque filius Dei ab illa sibi nomen sumit, eamque summopere diligit.

II. Eximia res est filiatio Dei, ad quam adoptantur pacifici; Ubi etiam explicatur, quinam sint illi de quibus Christus loquitur.

III. Pax character est hominis Christiani, per hanc fides dilatatur, & stabilitur, & Ecclesia in suo vigore conservatur.

IV. Quantopere Deus pacem curet, quantique illam æstimet, ex varijs considerationibus deducitur.

V Christus suis in ultimo testamento suo pacem reliquit, velut hæreditatem opulentissimam, quam dare possit.

VI. Gloria pacis titulo insignitur, & ideo unio & concordia in hac vita æternæ salutis pignus existit.

VII. De hilaritate & gaudio, quam pax communicat animæ

VIII. Discordiæ zizania seminare opus est Diaboli, qui ideo pacem odit, quia hæc illi bellum movet, eumque vincit & debilitat.

IX Quantum Deo discordia displiceat, ostenditur, utpote qui illam seminantem & foventem acriter castigat.

X Discordia Regna destruit, pax autem illa erigit & stabilit, sic enim per Apostolorum primorumque fidelium unitatem erecta est Ecclesia

XI Pax quam mundus dat suis, quæque falsa & mendax est, perstringitur.

XII Vera pax cum innocentia & timore Dei conjuncta esse debet, quia sine illis non subsistit.

XIII Quæ virtutem inter & justitiam est unio, nos vera Christi pace gaudere facit.

XIV. Deus pacem fidelium per contradictiones acquiri & conservari voluit.

XV Vincendo passiones nostras, corporique nostro bellum movendo, pax interior acquiritur.

XVI. Ut pacem conserves, à litibus & contentionibus alienus esto, cedito alijs, tuæque opinioni pertinaciter non adhæreto.

XVII. Varia examinantur motiva & modi, quibus pax & concordia acquiri & conservari potest.

XVIII. Omnes creaturæ in bonum totius universi pacem & concordiam inter se conservando, homines ad pacem sectandam extimulant.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Pax nescio quid divini in se continet, ideoque Filius Dei ab ea sibi nomen sumit, eamque summopere diligit.

THEMA.

Ipse enim est Pax. Ephes.2.v.14.

Deus est pax nostra.

1. S. Paulus Apostolus, qui, ut ex Epistolis ejus deducitur, tantus pacis amator fuit, nobis in adducti thematis verbis indicat, quod ipsemet Deum pacis se appellari glorietur: *Ipse enim est Pax nostra*, ac proinde multis in locis Scripturæ *Deus pacis* frequenter vocatur; Sic enim in Epistola ad Romanos dicitur: *Deus autem pacis*; Et ad Corinthios Apostolus dicit: *Deus pacis & dilectionis*, Magna utique hominis prærogativa à natalium nobilitate desumitur, S. Bernardus autem de dilectione & amore, quæ cũ pace identificatur, disserens, inquit: *Non licet latere, quibus ortus sit natalibus, qua nobilitatis linea insignis habeatur, vel quo oriundus loco. Primus ejus nativitatis locus Deus est.* Idem quoq; de pace, quæ, ut suo loco probabimus Charitatis est partus edicitur; *Ipse enim est pax.* Nazianzenus Orat.12. inquit: *Ante alia nomina, quibus Deus appellari gaudet, hac prærogativa nuncupatur. Pax enim & Charitas, atque id genus nominibus appellatur, quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut has virtutes tamquam Deum consequi studeamus.* Quibus verbis, ut patet, pacem in eadem linea cum Divinitate pariter reponit, ideoque nos ut illam tamquam Deum ipsum amplectamur, eique nos adstringamus, exhortatur.

Rom.15.33.
Rom.16.20.
2.Cor.13.11
S.Bern. de nat. & dign. Divini amoris.
Nazianz. Orat.12.

Pax interna animæ est signum unionis cum Deo.

2. Gentiles olim hanc Pacis virtutem, tamquam bonum quoddam immensum, superhumanum, & divinũ apprehendebant, in cujus signum ipsi eumdem, quem Deitati, cultum deferebant, siquidem illi tamquam numini cuidam cœlesti sumptuosum Pacis templũ erexerant. Præter quod Vespasianus Tiberius aliud quoddam in honorem concordiæ fabricari fecit; atque in ambobus hisce templis utrique tamquam simulachris divinis sacrificia offerebant. Unde & S.Joan.Damasc. ait: *Deo ac divinis rebus propinqui sunt, quicumque pacis bonum amplexari dicuntur.* Doctor quoq; Seraphicus quid nescio divini in hac virtute notavit, dum ait: *Pax est vestigium Dei & certissima semita, de qua dicitur: Omnes semitæ illius pacificæ.* Etenim si certo scire velitis an anima aliqua unionem sui cum Deo sibi procurare satagat, observetis an pacem internã animæ diligat, tunc enim secure dicere potestis, gressus ejus sanctè & pie progredi. S. Elias Propheta præsentiæ Dei fruendæ cupidus, vocem quamdam in monte Horeb, audivit, dicentem sibi: *Egredere & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit.* Sed obsecro audiatis modum, quo Dominus se cognoscendum præbuit: *Spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum; Non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio; non in commotione Dominus; Et post commotionẽ ignis; Non in igne Dominus.* Quonam igitur modo se Deus cognosci volet? Cur dilectum nunc suum Prophetam tamdiu suspensum tenet? S. Bonaventura respondet dicens: *Ostensum fuit Eliæ, Dominum non esse in grandi vento, neque in commotione, neque in igne, sed in sibilo auræ tenuis, hoc est, in pace & quiete.* Et revera ita factum est, quia sacer textus mox subjungit: *Et post ignem sibilus auræ tenuis.*

S.Joan.Damasc.Lib.1. Paral.c.18.
3.Reg.19. v.11.
Ibid.
Ibid. v.12.
Ibid.12.

3. Basilius Magnus in commentario versiculi illius: *Inquire pacem, &c.* ita scribit: *Qui pacem quærit Christum inquirit, quoniam ipse est pax nostra.* S. Bernardus in libro primo *de Consideratione* ad Eugenium

Ps.33.v.15.
S. Basilius hom. ibid.

S. Bern. Lib. 1 de Consid.
Repræsentatur pax in SS. Trinitate.

nium Papam inquit; *Inter omnia quæ recte unam dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis.* Tametsi enim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres sint personæ distinctæ, attamen unicus dumtaxat Deus sunt, per intimam unitatem & identitatem inter se unitæ, eamdem inter se habentes essentiæ unitatem; Qua in re unio & concordia plurium personarum, per pacis & charitatis vinculum in una eademque voluntate inter se colligatarum nobis repræsentatur. S. Isidorus Pelusiota mysterium considerat, ob quod cœlestis Magister in oratione Dominica hanc inter cæteras petitionem Deo proponere docuerit: *Fiat voluntas tua*: Ita enim scribit; *Domini doctrina in oratione, qua inter alia omnia Divina Majestate digna documenta, hoc petitur: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, precibus hoc à Deo contendere docet, virtutum cœlestium pacem, quæ dissidij omnis expers est, nobis quoque qui in terra versamur, impertiri dignetur, ut quemadmodum in ipsis voluntates omnes tuæ perficiuntur, ita etiam in nobis quæ tibi grata sunt fiant. Hæc igitur cum prius perspecta habueris, & nunc ex me intellexeris, pacem arripe.* Quæ autem proposito nostro quam maxime deserviunt, sunt verba sequentia: *Mordicus eam retine, cœlestis enim est, ac Deo vicina.* Adeò enim Pax Deo vicina est, ut ipsemet ab hac nomen suum desumere voluerit: *Ipse est pax.*

S. Isid. Pelus. l. 1. Epist. 85.

Luc. 12. 13. S. Aug. ser. 200. de verb. Apost. c. 6.
Christus fugit consortium litigantium.
Nazianz. ib.

4. S. Augustinus repulsam illam considerat, quam à Salvatore nostro passus est ille, qui hanc ei petitionem proponebat: *Domine dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. Respondit enim: Quis me constituit judicem, aut divisorem*, quasi diceret, inquit S. Augustinus: *Vis dividere pacem, & quæris habere judicem pacem? Judex tuus nolo esse. Pax sum, consentientibus assideo, litigantes fugio. Nihil* enim, ut Nazianzenus, loco mox citato ait: *tam proprium est Deo, quam dissidia nescire; nam nec in Deitate dissidium est.*

Coloss. 2. 3.

5. *Ipse est pax.* At vero inquies forsitan, quia ratione Doctor gentium in Cœlo ab eo edoctus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & audivit arcana verba*, Deum titulo pacis honorare potuit, cum tamen in multis Scripturæ locis *Deus exercituum*, & à Psalmista *Deus fortis & potens* appelletur. Pro resolutione in memoriam revocandum est, quod in historijs antiquis Romanis legitur, videlicet quòd Scipio appellatus fuerit Africanus; non quia in Africa natus fuerit, sed quia illam gloriosè debellarit; Vitellius pariter Germanicus nuncupatur ob devictam per ipsum Germaniam: Eodem igitur modo dicere possumus, quod licet Deus, priusquam in hanc terram descendisset, *Deus exercituum* vocatus fuerit, attamen quia eo præcipue fine de cœlis descendit, ut genus humanum æterno Patri suo reconciliaret, merito hoc sortitus est nomen, nam ut S. Paulus ad Ephesios scribit: *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi, ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Deus assumens humanitatem factus est Deus pacis.

Ephes. 2. 13.

Isaiæ 9. v. 5.

Christus est Princeps pacis.

6. S. Isaias, qui per antonomasiam Propheta Evangelicus nuncupatur, eo quod omnes novæ legis Evangelicæ eventus ad vivum delinearit, inter alia futuri Messiæ epitheta, hoc quoque ei attribuit, scilicet *Princeps pacis*; ait enim: *Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem & cibus ignis; Parvulus enim natus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis; Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Ad hæc eo præcipue tempore incarnari voluit, quo totus mundus universali pace gaudebat, quod à tot retro sæculis non contigerat; voluit insuper ut hic Romæ olei scaturirent torrentes, quod proprijssimum est pacis symbolum, ac demum, ut cœlestes è cœlo Empyreo descenderent Angelorum hierarchiæ, mundoque pacem annunciarent dicentes: *Et in terra pax.* In primis vesperis Nativitatis Domini Ecclesia primam Antiphonam in hæc verba intonat: *Rex pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.* Et S. Bernardus in sermone quodam ad propositum nostrum inquit: *Filius à Patre processit, & venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero matris.* Glossa mysterium considerat temporis, ad quod suum in terram distulit adventum; ait enim: *Pacatissimo tempore voluit Christus nasci, quia pacem magnopere quæsivit, & amavit.* Hugo Cardinalis aliam assignat hujus dilatæ incarnationis rationem, inquiens: *Ad figurandum, quòd ipse erat, qui pacem reformaturus erat inter Deum & hominem.* S. Augustinus ad hanc nos exhortans virtutem, sequens adducit motivum: *Custodienda omnibus viribus pax est, quoniam Deus semper in pace est.* Unde Propheta regius ait: *Factus est in pace locus ejus.* Ubi S. Hieronymus inquit: *Quod Hebraice dicitur in Salem, videtur ergo secundum literam dicere in Jerusalem, quæ antea vocabatur Salem, & postea Jebus, & deinde dicta est Jerusalem, in qua fuit Rex Melchisedech.*

S. Bern. ser. de S. Benedicto.

Luc. 2. Glossa.

Hug. Card.

S. Aug. ser. 57 in Appendice. Ps. 75. v. 3. S. Hieron. ib.

7. Idem Sanctus Doctor curiosum quoddam movet dubium, scilicet cur Spiritus Sanctus Salvatorem nostrum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech appellarit, & non potius secundum ordinem Aaronis? Ita enim scribit: *Legimus: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; non dixit secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech. Quid voluit dicere secundum ordinem Melchisedech? Manifestum est quod in illo loco de Christo dicitur; sed quod ait secundum ordinem Melchisedech? Aaron victimas obtulit; Aaron hostiarum sanguinem fudit; Melchisedech nihil horum fecit, sed tantummodo panem & vinum obtulit. Hoc ergo fecit Melchisedech & propterea dicitur, secundum ordinem Melchisedech. In Hebraico habetur: Et factum est in Salem umbraculum ejus. Videte quid dicat secundum Tropologiam; Non est umbraculum Domini, nisi ubi pax est. Ubi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus Dicamus & secundum Septuaginta: Laus Dei non est, nisi in anima quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei.* S. Bernardinus in Sermone quodam *de esurie justitiæ* in hæc verba scribit: *Sicut Christus inter Sanctos in cœlis habitat, per charitatis gloriam, ita inter concordes & unanimes habitat per charitatis gratiam, Domino attestante, qui* Matthæi 18. ait: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Adducitque textum quemdam Ecclesiastici cap. 25. Ubi Deus inquit: *In tribus placitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus; Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.*

Deus habitat in anima pacifica.

S. Bernard. Tom. 3 ser. 5. art. 1. c. 3. Matth. 18. v. 20. Eccli. 25. v. 1.

8. S. Antoninus ingeniosè observat inquiens: *Pax habet tres litteras, per P, repræsentatur Pater; Per A, amor Spiritus Sancti; Per X, Christus Dei filius; Ipse enim est pax nostra.* Observastisne aliquando id, quod S. Joannes de Salvatore nostro dicit, videlicet: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos?* Sed quænam fuit illa fervens oratio, qua Dei Filius nos æterno Patri suo tam efficaciter commendavit? hæc videlicet: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Qua nimirum oratione nos Sacrosanctæ Triadi assimilari petijt, & specialiter in concordi hac unione, quæ inter tres illas personas divinas in unitate essentiæ & voluntatis sibi invicem astrictas intercedit, hoc enim indicant verba illa: *Ut sint unum sicut & nos.* S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Cum Deus & homo ineffabili quodam concursu vere sit, ita quasi medium locum retinet, ut nec Deitatis unquam terminos reliquerit, & hominis naturam contineat. Ultro enim seipsum pro nobis humiliavit, ut nos quoque filij & Dei non natura, ut ipse, sed per gratiam appellemur participatione spiritus ad ipsum reformati.* Hanc autem filiationem Dei, hanc divinam participationem, hanc cum ipso similitudinem, ut in discursu sequenti probabimus, pace mediante acquirimus. Idem S. Cyrillus in eodem capite subdit. *Servari in benevolentia & charitate discipulos vult, animo & spiritu, & pacis certissimo vinculo sic ad unum copulatos, ut hæc voluntaria unio naturalis in Filio & Patre, unitatis imago quadam esse videatur, at nullo videlicet modo, nulla vi voluptatis, aut periculi frangi debilitarive possit, sed conservetur in pietatis atque sanctificationis unione charitatis virtus intemerata, quod & factum esse in actibus legitur; Erat enim, inquit, credentium cor unum, & animus unus, in unitate scilicet Spiritus. Hoc est quod etiam Paulus scripsit: Corpus unum, spiritus unus, nam etsi multi sumus, unum tamen corpus in Christo sumus.*

S. Antonin. 4. P. Tit. 6. c. 8. §. 1.
Explicantur tres litteræ in voce pax.
Joan. 13. v. 1.
Joa. 17. 11.
S. Cyrill. Alex. lib. 11. in Joan. c. 20.

9. S. Bonaventura in caput 15. Joannis ait: *Statuit ei Dominus testamentum pacis, unde & ad pacem faciendam in terris, & inter nos, & Deum, venit filius de cœlis.* At vero dices forsitan, nunquid in Symbolo clare expressum habemus finem, ob quem filius Dei de cœlis descendit? Nunquid ibi dicitur: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis?* Cur

S. Bonav. Joan. 15.
Ad faciendã pacem inter Deum & homines venit filius æternus in mundum.

Cur igitur Doctor Seraphicus illum pro pace, & reconciliatione inter nos & Deum stipulanda, de cœlis descendisse asserit? Respondetur, Dei filium nos æterno Patri suo reconciliando nostram operatum fuisse redemptionem, dicente Apostolo ad Colossenses: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ac proinde S. Bonaventura subdit: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & in sua nativitate pacem nunciaverunt Angeli de cœlis. Hanc pacem quasi testamentum reliquit hic discipulis, & post resurrectionem pacis ejus annunciavit.* S. Hieronymus super illa verba capitis quarti ad Galatas: *Fructus autem spiritus est...Pax*, inquit: *Tertius fructus Spiritus est pax, à qua Salomon quoque, qui in typo Christum præcessit, nomen accepit, & de Ecclesia Psalmista canit: Factus est in pace locus ejus.* S. Ambrosius super illa verba S. Pauli: *Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*, hunc pacis & amoris Deum, Christum esse his verbis asserit: *Deus pacis est Christus, qui dixit: Pacem meam do vobis; ipse est & Deus dilectionis, quia iterum ait: Et novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem.* Idem quoque Sanctus in Sermone de Nativitate Christi, super Evangelium illius solemnitatis scribens inquit: *Tanta fuit pax filio Dei apparente in carne per duodecim annos, ut omnes, secundum Isaiæ vaticinium, contunderent gladios in aratra, & lanceas suas in falces. Ideo vero filius Dei author pacis, tempore pacis nascitur, ut omnes sequaces suos pacem amare doceret.*

Coloss. 1. 20.
Galat. 5. 22. S. Hieron. ib.
2. Corint. 13. S. Ambr. ibid.
S. Ambr. ser. in die nativit.

10. Observastisne aliquando, quod Christus moriens, Pacem nobis in testamento reliquerit? Solent communiter homines in fine vitæ ijs, quos chariores habent, magisque diligunt, res magni pretij & valoris testato relinquere: Unde nulli dubium est, quin pax quam nobis reliquit, inæstimabilem vitæ & totius sanguinis Christi thesaurum in se contineat, siquidem pro pace illa comparanda sanguinem suum fudit, atque ideo facile colligi potest, quanti sit pax æstimanda, quantique Deus ipse hoc donum appretiatus fuerit. B. Laurentius Justinianus ait: *Tunc illam filiis reliquit, cum soluto sanguinis pretio, reconciliavit nos Deo, & triumphator migravit ad Superos. Pacem, inquit, relinquo vobis, ut à debito liberi, ignito Deum diligatis affectu; Pacem meam do vobis, ut sincero amore invicem diligatis.* Quam compendiose, imo & quam sapienter, binam nobis verbis his commendavit dilectionem, Dei videlicet, & proximi? S. Augustinus inquit: *Pax spiritum specialiter Dei promeretur; Pax dilectionis mater est; Pax indicium est sanctitatis, de qua Dominus per Prophetam ait: Pacem & veritatem diligite.* Et paulo post subdit: *Omnibus viribus pax est custodienda, quia semper in Domino manet, qui in pace sancta manet, & cum sanctis Dei societatem habet.* Salmeron super illa verba, quæ Christus in Cruce protulit, scilicet, *Consummatum est*, quoddam detegit mysterium, ex quo deduci posse videtur, compendium & centrum ad quod omnes operum & cogitationum Redemptoris nostri lineæ directæ fuerunt, in eo fuisse positum, ut scilicet nos Deo reconciliaret, compararetque pacem, unde *consummatum est*, idem significare dicit, quod *pacificatum est*; *Ipse enim Jesus verus est Salomon & pax nostra, qui fecit utraque unum, & non tantum pacificus cum diligentibus pacem, sed etiam cum illam odio prosequentibus usque adeo, ut inter ipsos gravissimos cruciatus, quos ex obedientia Patris sustinebat, in vocando Patrem de nostra pace negotiaretur cum eo. Solet enim longum ac diuturnum bellum matrimonio aliquo dissidentium partium terminari, solutis tamen damnis injuste à parte illa, quæ injustum bellum fovebat, illatis. Nam orto bello inter Deum & hominem, ad pacem statuendam, conjunctus est Dei filius cum humana natura; Quare Christo nato Pax in terra hominibus bonæ voluntatis decantata est ab angelis. Reliquum erat, ut humanum genus damna Deo illata solveret; verum cum solvendo non esset, idem Dei filius pro nobis solvere, & reconciliare nos Deo decrevit, pacificans per sanguinem filij ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, ut docet Apostolus. Nam Deus reconciliatus est homini, homo cum angelo, Judæus cum gentili, & quisque cum inimico suo.* Paulò post vero subdit: *Sane magnum, & ineffabile beneficium est, per filium cum Patre reconciliatio comparata est; at maximum, quod non vi aliqua compulsus, aut beneficio ullo, aut obsequio provocatus, sed stupenda charitate crucis ignominiam pertulerit, ut disciplina pacis nostræ, teste Isaia, fuerit super eum. Est igitur Jesus vera, & pacifica hostia, quæ humana cum divinis perpetuo fœdere concordiæ connectit.*

Christus moriens reliquit nobis in suo testamento pacem.
B. Laur. Just. c. 7 in fascic. amor.
S. Aug. serm. 116. de temp.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Eximia res est filiatio Dei, ad quam adoptantur Pacifici, ubi etiam explicatur, quinam sint illi, de quibus Christus loquitur.

THEMA.

Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Matth. 5. ℣. 9.

1. Cœlestis Magister noster, qui inter alias virtutes suas præ cunctis alijs nos ad mansuetudinem suam addiscendam invitavit dicens: *Discite à me quia mitis sum*, inter octo beatitudines, eos, qui pacem diligunt, divinæ filiationis prærogativa condecoravit, dicendo: *Beati Pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Aristoteles inquit: *Pater est, qui sui aliquid habet in alio, ex quo ille constat, in fieri, & esse perfecto.* Quo fundamento supposito, illi qui pace interiori animæ fruuntur, merito Christum tamquam Patrem suum agnoscunt, quia ipse est qui hanc illis communicavit, quippe qui vera pax est, & à quo in nos pax omnis redundat: *Pax Dei*, inquam, *quæ exuperat omnem sensum.* Oculos velim vestros per perspicacem contemplationem in cœlum elevetis, & videte an Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim umquam tam speciosa filiationis divinæ prærogativa honorati fuerint: S. Apostolus ait: *Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu?... Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium?* Solus homo qui pacem diligit, excessivum hoc sortitus est privilegium, at vero à quo illud accepit, ab illo qui adoptandi jurisdictione pollet: *Beati Pacifici quoniam Filij Dei vocabuntur.* S. Gregorius Nyssenus ait: *Filium Dei fieri omnem plane superat felicitatem. Quodcumque vehementiori mentis intentione aliquis cogitaverit, supra illud prorsus est id, quod significatur. Quid est homo, si cum divina natura comparetur? Cujusnam Sanctorum proferam vocem, per quam genus humanum extenuatur? Secundùm Abraham, terra ac cinis; Secundùm Isaiam, fœnum; Secundùm Ecclesiasten, vanitas; Secundùm Paulum, miseria est, quibus enim Apostolus verbis seipsum denominat, his universum genus humanum miseratur. Hæc homo Deus autem quid est?* Et postquam impossibile esse dixisset hominem immensitatẽ, omnipotentiam, Majestatem, aliaque divina attributa posse comprehendere, subdit: *Huic tamen tali ac tantæ rei, is qui pro nihilo in rebus universis reputatus est, homo, qui cinis, qui fœnum, qui vanitas est, conciliatur; atque in locum filij assumitur à Deo. Excedit homo suam ipsius naturam, immortalis ex mortali, ex fragili atque caduco, integer & incorruptus; Ex Diario atque temporario, sempiternus: In summa, Deus ex homine evadens; nam cum dignus habitus sit, qui Dei filius fiat, dignitatem Patris in sese prorsus habebit, atque omnium paternorum bonorum hæres existit:* Omnes autem hi honores, & stupendę prærogativæ suam à pace originem & merita deducunt. Nam *Beati Pacifici quoniam Filij Dei vocabuntur.*

Matth. 11. v. 29.
Arist. lib. de anima.
Pacifici habent Christũ suum patrẽ.
Hebr. 1. v. 5.
S. Greg. Nyss. Orat. 7. de Beatitud.

2. Deus ut pigritiæ lethargum à nobis depelleret, nosque ad profectum spiritualem solicitè sectandum animaret, ad formicam nos remisit dicendo: *Vade ad formicam ô piger*, ut prudentiam nos Christianam doceret, ad serpentem amandavit: *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, simplicitatem denique nos à columba docere voluit: *Et simplices sicut columbæ.* At vero ut mansuetudinem & pacem edoceremur, ad æternum Patrem suum nos attendere voluit, ut ejus exemplo mites effecti, pacem amando, bonumque pro malo reddendo, divinam nobis filiationem acquireremus: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, ... ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est.* De Filio Dei Joannes Evangelista inquit: *Unigenitus ... qui est in sinu Patris &c.* æternus quoque Pater non semel, sed bis elata voce coram toto mundo protestatus est, Christum filium suum esse, à se summopere dilectum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; quia verò hic filius plenam à Patre acceperat potestatem delegatam: *Data est mihi omnis potestas &c.* hinc ad nos ad paternam filiationem adoptandos prædicta usus est potestate, ut nos fratres & cohæredes suos efficeret; Sed quos illos esse existimatis, nũ forte hi illi sunt, qui mundum ad Dei agnitionem converterant? Aut hi, qui falsa numi-

Proponitur Deus exemplum imitandæ pacis.
Prov. 6. v. 6. Matth. 10. v. 16.
Matth. 5. 44.
Joa. 1. v. 18.
Matth. 3. 17.
Matth. 28. v. 18.

numina, idolorumque fana prostraverant, & terræ coæquaverant? aut qui ex motivo amoris divini proprias divitias pauperibus distribuerant? utique hæc opera heroica præmio suo destituta nequaquam fuerunt, verumtamen sublimis illa & excelsa, imo inaudita filiationis Dei prærogativa, his dumtaxat, qui pacē

Matth. 5. 9.

diligunt, reservata fuit, juxta illud: *Beati Pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Nimirum pacificos pari secum loco haberi, honoremque & dignitatem ex natura sibi debitam, pacificis communicare voluit per gratiam. Ecquis autem invenietur, qui magni Regis & Monarchæ filius Primogenitus, & Unigenitus, existens ad eamdem primogenituram personas extraneas adoptare dignabitur? Certe id nullus facile fieri permittet, & tamen id fecit Christus, ut nobis insinuet, quam dignos nos hæc pacis virtus efficiat, ut exaltemur, & locupletissime remuneremur. Unde S.Gregorius Nyssenus ait: *In parem propemodum, atque ipse est honoris conditionem, humanitate adductus; naturam propter peccatum ignominia notatam, atque dehonestatam recipit.*

Christus unigenitus secū pacificos admisit filios Dei.

S.Greg.Nyss.

Diligentes pacem assimilantur Christo.

3. Porro magnus ille Orator Philippi Macedoniæ Regis gloriam brevi compendio enunciare volens, inquit: *Sufficit te filium habuisse Alexandrum.* Eodem modo, ut quis sublimissimas prærogativas, quæ ab omnipotentia Dei homini collatæ fuerunt, breviter restringat, hoc unum dicere sufficiet: *Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Nam ut S.Antoninus ait: *Sublimitas pacis ostenditur ex fructu ejus, seu præmio, quod repromittitur, quia scilicet filij Dei vocabuntur.* Adducitque quamdam D.Chrysostomi authoritatem, hujus filiationis in hæc verba assignantis rationem: *Diligentes pacem Christo sunt similes, qui est Pax nostra, qui fecit utraque unum, secundùm Apostolum. In Deo est summa quies, & nihil repugnans, & sic habent tales similitudinem Patris.* Habent quoque similitudinem Filij sui, ac proinde æternus Pater eos in gradu filiorum agnoscit, quia ut Doctor Angelicus notat: *Filij Dei, quia habent officium filij Dei, ad hoc enim filius dicitur venisse in mundum, ut congregaret dispersos, ad Ephesios c.2.* Doctrina est Divi Chrysologi dicentis: *Merito Christianæ virtutes virescunt in eo, qui unanimitatem Christianæ habet pacis, nec pervenitur ad vocabulum filij Dei, nisi per nomen Pacifici. Pax est quæ spoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione personam, ex famulo filium, liberum facit ex servo.* S.Augustinus in tomo quarto prolixe exponens sermonem ab incarnata sapientia in monte habitum, in quo inter octo beatitudines hanc septimo loco reposuit, in hæc verba scribit: *In pace perfectio est, ubi nihil repugnat, & ideo filij Dei Pacifici, quoniam nihil in istis resistit Deo, & utique filij similitudinem Patris habere debent.* Idem in cap.4. ejusdem libri idem punctum in hæc verba tangit: *Pacificis, Dei similitudo est, tamquam perfecte sapientibus, formatisque ad imaginem Dei, per regenerationem renovati hominis.* De Filio Dei Sapiens, illum vivam Patris effigiem & imaginem esse, testatur inquiens: *Imago bonitatis illius;* Etenim Deus in pluribus Sacræ Scripturæ locis *Deus pacis* nuncupatur; De Filio autem in Discursu præcedenti diximus, quod *ipse sit pax nostra*, Ergo cum Pacifici Deo similes existant, consequens est ut divinam hanc filiationem aliqua saltem ex parte mereantur. D.Chrysostomus in sermone quodam de virtute Mansuetudinis sequentem habet valde considerabilem sententiam: *Est hoc dignum recenseri, quod Christus solum Pacificos filios Dei vocat. Et quare suum vocabulum mitibus communicat? Solus ille filium Dei pro viribus imitatur, qui pacis & amicitiæ auctor alijs sit. Nam sicut Christus, Deus, & omnium Dominus in carne divina nobis apparens, S.Angelos cum hominibus concordes effecit, qui quasi bello quodam à nobis dissidebant, ita & mansuetus homo; fratres & cognatos, & domesticos revereri leges, & præceptum Dei, abjectisque inimicitijs, in gratiam mutuam redire facit.* Tunc enim nos divinā filiatione dignos esse probabimus, si ad imitandum Dei Filium, ei qui nobis insultat, & indignis modis nos tractat, nequaquam irascamur, sed potius Christianā erga illum mansuetudine utamur, ne pacis nostræ patiamur jacturam. Unde D.Chrysostomus in alio quodam Tomo illum adducens Pauli textum: *Cum omnibus hominibus pacem habentes,* inquit: *Servus est Dei, qui auctor pacis est, qui cum Dæmonia ejiceret, & bona ageret innumerabilia, & cum male audiret, in homines, qui dixere cum Dæmonium habere, non fulmen misit, non ora maledica prostravit, non linguas igne convulsit impudentes, ingratas, improbas, quamquam hæc facere omnia poterat, sed verbis hisce dumtaxat maledicta illa avertit: Ego Dæmonium non habeo, sed honoro eum, qui me misit.*

S.Antonin.4. D.Tit.7.c.6. §.7.

S.Thom. in cap.5.Matth.

D.Chrysol. serm.53.

S.Aug.tom.4.lib.1. de ser. Dom. in Mont. c.2.

Ibid. c.4.

Sap.7.v.26.

D Chrysost. Tom.5.serm.46.

Ut filij Dei simus, filium Dei in pace conservandā imitari debemus.

Rom.12.18.

D.Chrysost. Tom.1.Hom.25.

Porro S.Bonaventura hujus adoptionis mysterium nobis declarat, inquiens: *Pax est status virtutum, in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi, & Diaboli, vel si est aliqua, inefficax est; Unde patet, quod pax est status animi purgatissimi, Pacificis enim magis attribuitur esse Filios Dei, quam alijs, quia licet misericordia maxime assimilet hominem Deo, quantum ad opera exteriora, tamen quantum ad interiora magis assimilat pax.* S. Augustinus in sermone quodam immensum hunc divinæ filiationis honorem ponderat, dicens: *Pax est quæ Deum Patrem vocat; Filium facit ex servo, quanta est hujus pacis retributio, hæreditatem possidere cum Christo, substantiam Patris habere cum Filio, cæleste regnum participare cum Domino, & in consortium perpetuitatis admitti cum Domino.* Enimvero ex quo Filij hæredes per testamentum instituuntur, quis est, qui nesciat hæreditatem, quam Christus nobis legavit, præter pacem ejus aliud nihil esse. *Ut enim, ait Augustinus* (inquit S.Bonaventura) *legi de bono pacis, quod Pax est testamentum Filij Dei, & qui testamentum noluerit observare, non potest concordiam cum Christo habere.*

S.Bonav.lib.5. Compend. Theol.verit. cap.54.

S.Aug.serm.57. in Append.

S.Bonav. ibid.

4. *Beati Pacifici quoniam Filij Dei vocabuntur.* Extra omnem quidem est controversiam, filiationem hanc, quam pace mediante nobis acquirimus, summum nobis conciliare honorem, verumtamen necesse est, ut per authoritates sanctorum Patrum, quinam hi sint, qui pacifici vocari merentur, examinemus. S.Bernardinus ingeniosam facit reflexionem, considerando quod cœlestis Magister hanc de Pacificis Beatitudinē, inter alias octo septimo loco collocarit: Nam in sermone quodam *de multiplici Bono Pacis*, ita scribit: *Non sine mysterio; secundùm Glossam hæc septima Beatitudo ponitur in septimo loco, quia in sabbatho veræ requiei dabitur vera pax: Ambrosius super Lucam rationem ponit, quare Beatitudo Pacis immediatè sequitur Beatitudinem sextam, scilicet munditiam cordis, dicens: Cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones ex affectu tuo procedant, à te Pacem incipis, ut alijs feras Pacem.* Et in progressu ejusdem sermonis inquit: *Pacifici sunt qui habent Pacem cum Deo, ei in omnibus obtemperando.* Citatque textum illum S.Pauli ad Romanos: *Justificati ergo ex fide Pacem habeamus ad Deum: Pacifici sunt, qui habent Pacem secum, motus illicitos refrænando.* Paulò ante autem in cap.1.art.1.dixerat: *Quid est Pax Filios Dei constituens; nisi observata pactio promissorum integræ fidei legis ejus immaculatæ, ad seipsum, ad bonum honestum, ad Justificationes, ad virtutes, invisibiles animas convertentis?* Glossa super assumpti thematis verba ita scribit: *Qui Pacem diligit, Filius est Pacis: Beati Pacifici. Pax à nobis incipit, quia dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici.* S.Antoninus quoque hoc punctum tangit, inquiens: *Pacifici, qui refrænant in se illicitos motus,* Job 5. *Scias quod Pacem habeat tabernaculum tuum, id est corpus,* unde & Augustinus ait: *Pacifici sunt in seipsis, qui animi motus, & carnales concupiscentias habentes edomitas, & rationi subjectas, sunt regnum Dei, in quo ita ordinata sunt omnia, ut quod in homine est principium, imperet reluctantibus, quæ sunt nobis bestijsque communia.* S.Isidorus Pelusiota similiter in Epistola quadam ita scribit: *Pacificos beatos prædicavit Salvator, & Filios Dei futuros esse præmisit, qui primo quidem in semetipsis pacem colunt nec laborant seditione, sed bellum quasi civile, & intestinum dirimunt, dum corpus Spiritui subjiciunt, & partem sui inferiorem eo adducunt, ut præstantiori serviat, servitutem quavis libertate, adeoque & regno quovis potiorem. Deinde qui alijs quoque, vel secum ipsis, vel cum alijs dissidentibus, pacis sunt authores.* Quosque vero hæc interior compositio pertingere debeat, S.Bernardus in sententijs suis declarat inquiens: *Pacifici, qui non solum in se, & in alijs eam faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est: Cum his qui oderunt Pacem eram Pacificus: Ecce isti sunt, in quibus requiescit, & mansionem facit Deus. Ecce isti sunt, quos sicut Filios Deus diligit, & de quibus, tamquam vivis lapidibus, templum sibi sapientia construit.* Consonat quoque cum hactenus dictis Rupertus Abbas in hæc verba scribens: *Pacifici verè hi sunt, qui pace inter se Deumque accepta, nihil jam quod Deo repugnet admittentes, simul & hoc satagunt, ut in via vitæ præsentis ad omnem hominem cum pace ambulent, juxta Apostolum, qui ait: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus Pacem habentes.*

Pacem cum Deo colit qui servat ejus mandata & inordinatos motus rationi subjicit.

S.Bernard. Tom.3.ser.8. de multiplici Bono Pacis.

Ibid. art.1. cap.3.

Rom.5.v.1.

Ibid. art.1. c.1.

Gloss.in cap.5. Matth.

S.Anton.ib.

S.Aug. lib.1. cap.2. ibid.

S.Isid. Pelus. lib.4. Epist.169.

S.Bernard. in sentent.

5. *Beati Pacifici.* S. Bernardinus postquam observasset, Pacem amantibus divinam filiationem loco præmij rependi, Pacificorum delineamenta, per authoritatem D.Chrysostomi ad vivum describit, inquiens: *Beati Pacifici quoniam filij Dei vocabuntur, quod verbum exponens Chrysostomus in homilia inquit: Pacifici, qui nec odiunt, nec litigant, sed litigantes concordant, recte Filij Dei vocantur, quia Unigeniti hoc est opus, congregare dispersa, & pacificare contra se prœliantia. Talis quippe Filiatio Dei, ad Deum similationem importat, nam ipsius Dei proprium est quiescere in seipso.* S.Augustinus in sermone quodam sequentem tradit doctrinam: *Si Filius Dei incipit vocari, qui Pacificus esse jam cœpit, non vult Filius Dei dici, qui pacem noluerit amplecti, negat Deum sibi Patrem, qui Pacificus esse contemnit. Pacificos ergo oportet esse Dei Filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes.* Glossa ex authoritate S.Gregorij Nysseni ita scribit: *Pacifici vocantur imitatores humanitatis divinæ, qui id quod proprium est divinæ bonitatis, in sua vita ostendunt, ejicere odium, finire bellum, abolere invidiam, exterminare pugnam, tollere tumultuationem. Sed proprie Pacificus appellatur, qui eam, quæ intra ipsum est, seditionem carnis, & Spiritus ad pacificam concordiam adducit.*

Delineamenta Pacificorū.

S Bern. ibid. art.3. c.3.

S.Aug. serm.166. de Temp.

Gloss. in cap.5. Matth.

Pax est conjuncta charitati.

S.Thom. in Matth.

6. *Beati Pacifici.* Doctor Angelicus in expositione super Matthæum dilectionem & charitatem simul cum pace conjungit, inquiens: *Sicut enim dictum est: Virtutes ad optimum disponentes disponunt ad duo, scilicet ad visionem Dei, & dilectionem, & sicut munditia cordis disponit ad visionem Dei, ita pax ad dilectionem Dei disponit, qua filij Dei nominamur, & sumus, & sic disponit ad dilectionem proximi.* S. Leo de solemnitate omnium Sanctorum, in qua Evangelium de octo Beatitudinibus recitatur, disserens, inquit: *Beatitudo ista non cujuslibet consensionis, aut qualiscumque concordiæ est, sed illius, de qua dicit Apostolus: Pacem habete ad Deum, & de qua dicit Propheta David: Pax multa diligentibus legem tuam. Extra dignitatem hujus pacis sunt, improbarum parilitates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum, qui semper cum Deo mente sunt solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis, numquam ab æterna lege dissentiunt, fideli oratione dicentes: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra, hi sunt Pacifici, hi bene unanimes, sanctèque concordes, vocandi æterno nomine Filij Dei cohæredes autem Christi, quia hoc merebitur dilectio Dei, & proximi, ut nullas jam adversitates sentiat, nulla scandala pertimescat, sed finito omnium tentationum tentamine, in tranquillissima Dei pace requiescat.*

S.Leo in solemnit.O.SS.

7. *Beati Pacifici.* In opusculis S.Francisci, in quodam loco ubi de Pace tractatur, sequens alia interpretatio reperitur: *Illi sunt verè Pacifici, qui in omnibus, quæ in hoc sæculo patiuntur, propter amorem Domini nostri Jesu Christi, in animo & corpore pacem servant.*

Tom.1.opusc. S. Franc. c.15. de Pace.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Pax character est hominis Christiani, per hanc fides dilatatur, & stabilitur, & Ecclesia in suo vigore conservatur.

THEMA.

Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis. Ephes. 4. ℣.3.

Character fidelium est mutua pax.

Ephes.4.1.

1. S. Apostolus de nostra ad fidem vocatione ad Ephesios scribens, characterem fidelium in concordia, unione, & pace mutua consistere manifeste ostendit inquiens: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, Cum omni mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis.* Et quidem ut hanc concordiam tanto vivacius exprimat, eamdem per quamdam membrorum corporis humani similitudinem declarat, dum ait: *Unum corpus, & unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ;* Sicuti enim unica dumtaxat anima vitam pluribus corporis nostri membris communicat; eadem proportione unicus Spiritus multos compaginat, & concordes efficit fideles, quantumvis nationibus, linguis, moribus & locis discrepantes. Porro Apostolis qui prima esse debebant Christianismi fundamenta (juxta illud: *Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam*) Christus in ultima cœna dixit: *In hoc cognoscent, quia Discipuli mei estis.* At vero quanam ex re idipsum cognoscent? Num forte ex eo, quia novam legem Evangelicam prædicabunt? aut vero ex patratione miraculorum? vel ex varijs linguis, quibus varias alloquentur nationes? aut vero ex dono Prophetiæ? vel ex vita Apostolica? nihil horum Christus dixit, sed tantum: *In hoc cognoscent, si dilectionem habueritis ad invicem.* In eodem sermone in ultima cœna habito, Salvator noster æterno Patri suo sequentem præsentavit supplicam: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & credat mundus, quia tu me misisti.* D.Chrysostomus in catena citatus rationem assignat, cur pax Christiani hominis character existat, ait enim: *Nihil ita scandalizat omnes, ut ab invicem dividi; quod credentes fiant unum, hoc ædificat ad fidem, & hoc etiam à principio dixit: In hoc cognoscent quod discipuli mei estis &c.* Et paulo post subdit: *Hæc gloria, ut sint unum etiam signis major est.* S.Thomas pariter ita scribit: *Per nihil aliud sic manifestatur claritas Evangelij, sicut per charitatem fidelium. Mundus credit quod doctrina, quam dedi eis, sit à te.* S.Cyrillus Alexandrinus prædictam Christi supplicam examinans inquit: *Cum Christus per substantiam quam cum Patre habet, unitatem, quam ad imaginem concordiæ, consensusque animorum in se gerit, modo simili voluit nos quoque inter nos consubstantialis virtute Trinitatis (quantum nostræ naturæ licet) uniri, ut duorum populorum, ad unum perfectum in Christo populum, concursu atque conventu unum totius Ecclesiæ corpus intelligatur.* Porro in prædicta Christi supplica considerationem merentur verba illa: *Ut credat mundus, quia tu me misisti.* Circa quæ Theophylactus inquit, illa eumdem sensum habere, ac si Christus dixisset; *Etenim à concordia Discipulorum ego comprobor, quod à Deo exiverim. Si enim pugnaverint inter se, non dicentur Pacifici esse Discipuli, neque me, si Pacificus non fuero, fatebuntur à te missum. Vides quomodo usque ad finem concordiam erga Patrem instruit?* Idem mysterium Cajetanus pariter in hæc verba tangit: *Fructus unitatis Christianorum in Deo Patre & Jesu, exponitur propagatio fidei ad universum mundum, ut intelligamus, extensionem fidei non tam fieri prædicatione, quam virtute unitatis Christianorum in Deo & Jesu. Videns enim mundus Christianos unum esse Fide, Spe, & Charitate, studio, moribus, &c. secundùm Deum, & Jesum, movetur ad credendum, quod Jesus est verè Messias, missus à Deo, & vere Filius Dei, missus in mundum.*

Ibid.2.

Ibid. v.3.

Similitudo ab anima.

Joann.13.v.35.

Joa.17.v.20.

D.Chrysost. in Cat.

S.Thom. in Joan.

S.Cyrill. Alex. l.11. in Joan. c.26.

Pax Discipulorū probat quod Christus à Deo exiverit.

Theophyl.ib.

Cajetan.

2. Consideratione digna sunt verba illa S. Joannis Evangelistæ: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Mediante enim fide divinam filiationem acquirentes fratres & cohæredes Christi efficimur. Audiamus velim, quid S. Bernardus circa hanc cognationem spiritualem meditetur, ait enim: *Tanta cognatio est inter nos & Dei Filium, quod ipse imago Dei est, & nos ad imaginem ejus facti sumus, quam cognitionem etiam ipsa similitudo testatur, quoniam non solum ad imaginem, sed & ad similitudinem ejus facti sumus. Oportet itaque id, quod ad imaginem est, cum imagine convenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Repræsentemus ergo in nobis imaginem ejus.* Observetis autem, si libet, qua in re S. Bernardus nos characterem & effigiem Filij Dei portare dicat; Nimirum, *In appetitu pacis, in amore charitatis.*

Joa.1.v.12.

Filius est imago Dei, & nos ad imaginem facti sumus.

S.Bern lib.de anima.c.1.

3. Author operis imperfecti super illa verba apud S. Matthæum: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus:* Ita scribit: *Uva mysterium habet in se Christi; sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit, sic & Christus multos sibi fideles per lignum Crucis tenet adjunctos. Similiter, & sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa, quodam dulci charitatis amplexu, una tenet Ecclesia. Et sunt in ficu signa hæc; Charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in conjunctione granorum, sicut scriptum est: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.*

Matt.7.16.

Author Imperf. Hom.19.

Similitudo pacis cum uva.

4. Isaias tot ante sæcula legis Evangelicæ statum his verbis prædixit: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem;* Moxque certum quoddam subdit indicium proposito nostro peropportunum, videlicet quod fideles hujus novæ legis proscripturi sint à se omnem rixam, omnemque discordiam, ait enim: *Non levabit gens* contra

Isaiæ 2.v.2.

Isaias statum gratiæ denotat per pacem in ea futurā.

contra gentem gladium, nec exercebantur ultra ad prælium. Quod idem clarius in capite undecimo prædixit, dum ad unionem fidelium ex varijs nationibus, moribus, & climate barbaris, congregatorum alludens ait: *Habitabit lupus cum agno, & Pardus cum hædo accubabit, vitulus & Leo; & ovis simul morabuntur; & puer parvulus minabit eos; Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & Leo quasi bos comedet paleas*; mox enim ut Tyranni, & crudelissimi persecutores ad fidem nostram convertebantur, mansuetudinis, Pacis, & Charitatis character, illis protinus imprimebatur; Unde de S. Cæcilia S. Urbanus Papa Deum his verbis affabatur: *Sponsum, quem quasi Leonem ferocem accepit, ad te quasi agnum mansuetissimum destinavit.* S. Hilarius septimam beatitudinem, de qua in discursu præcedenti tractavimus, exponens, inquit: *Parens enim omnium nostrum Deus est, neque aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi in fraterna invicem charitatis pace vivamus.* Unde quando quis à gentilismo ad fidem nostram, & religionem Christianam transit, merito de illo dici potest: *Insiliet in te Spiritus Domini, ... & mutaberis in virum alium.*

Isaiæ 11. 6. — S. Hilar. in Cat. Matth. cap. 5. — 1. Reg. 10. 6.

5. Quinam obsecro & quales sunt Spiritus Sancti fructus, quos fidelibus communicat? Inter alios hi sunt: *Fructus autem Spiritus, Charitas, Pax, Benignitas, Mansuetudo.* Tandemque S. Paulus nobis Christianis salutare hoc monitum subdit: *Non efficiamur invicem provocantes, invicem invidentes.* Deus in sacris Canticis de Ecclesia sub figura sponsæ disserens ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Quæ quidem comparatio peregrina, & impropria esse videtur, si referatur ad fidelium congregationem, in quibus summopere pacem desiderat, equitatus autem, & currus ad bellandum inserviunt; Unde S. Ambrosius ait: *Quasi potentissimum genus ad bellorum usum, & subsidium præliandi, denique & his curribus Pharao fugientes Hebræos facile comprehendit:* Nec tamen idem S. Doctor similitudinis hujus mysterium nobis manifestare omittit, sed ait: *Sicut equi juncti concorditer trahunt currum, & patienter suscipiunt jugum, & portant congrua cum gratia, & jugi illius susceptione mansuescunt sic & congregatio nationum gentilibus indomita moribus se ante jactabat, ubi vero suscepit jugum dicentis: Tollite jugum meum super vos, quia suave est, & onus meum, quia leve est, & cœpit sponsa Christi concordia & mansuetudine populorum esse sublimis, & toto circumferri orbe, tamquam currus equis velocibus supra mundum rapta, ascendit ad sponsum.* S. August. quoque in hac materia notabilem quamdam in hæc verba tradit sententiam: *Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Christianus dici non debet. Qui in hac non sperat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempestate navem collocat, in præcipitio se illaqueat, in arena semen seminat.* Idem S. Doctor paulo ante commemorarat, qualiter S. Paulus in Epistolis suis, quas ad varios populos tunc per ipsum ad fidem Christi conversos scribebat, semper in illarum principio pacem illis annuntiarit: *Tanta est virtus pacis, quod in ejus dignitate Apostolus omnes suas Epistolas scribebat, dicens: Pax vobis, & gratia à Domino Deo nostro.* Neque idem illuminatissimus Doctor in hoc sermone tantum, verum & in alio in laudem pacis in hæc verba scripsit: *Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si unitatem non habet pacis, nec pervenit ad vocabulum filij, nisi per nomen pacifica.*

Pax est fructus Spiritus Sancti. — Gal. 5. v. 22. — Cant. 1. v. 8. — S. Ambr. oct. 2 in Ps. 118. — Assimilatur equis concorditer trahentibus currũ. — S. Aug. ser. 2. ad fratres. — S. Aug. serm. 57 in Appendice.

6. Moneta quæcumque, ut pretium suum habeat, & publice in foro expendi possit, sitque ad emendum, & ad contractus in commercio humano faciendos idonea, non sufficit quod ex bono, probo, & syncero metallo cusa, verum insuper, ut effigie Principis insignita sit, pondusque suum habeat, necessum est: Eodem prorsus modo opera fidelium, licet in seipsis moraliter bona sint, sine tamen imagine & inscriptione pacis & charitatis, tamquam nullius valoris à Deo non acceptantur. Unde S. Bernardus ait: *Crede mihi quia Deo non tantum placent nostra jejunia, nostræ orationes, nostra sacrificia, quantum concordia; Ideo dicit in Evangelio: Vade prius reconciliari fratri tuo &c. Magna est virtus concordiæ apud Deum, sine qua non placent Deo nostra sacrificia.* Reflexistisne vos aliquando ad primum stipitem, inter cunctos alios Adami posteros à Deo electum, ut omnium esset credentium norma & prototypon, scilicet Abrahamum Patriarcham: Ab hoc enim concordia & pax tanto in pretio habita fuit, ut cum inter pastores suos & pastores Loth rixæ exortæ fuissent, ne unio & concordia inter illos totaliter romperetur, hoc illis proposuerit consilium à D. Chrysostomo paraphrasticè in hæc verba magis explicitè declaratum: *Vocato Loth dixit; Ne sit rixa inter me & te, & inter pastores, quasi diceret: Nihil pace præstantius, nihil contentione damnosius & gravius; ut igitur è medio tollamus omnem rixandi materiam, elige quam volueris regionem & reliquam mihi relinque, ut à litium & contentionum molestia simus alieni, Vidisti viri virtutem? Cessit juniori potiorum electionem, ipse contentus viliori terra.* Idem sanctus Pater in Hom. 33. eamdem actionem considerans, inquit: *Vidisti quomodo Apostolus legem implet, quæ dicit; Itaque jam quidem omnino delictum in vobis est, quod lites habetis inter vos invicem. Cur non potius injuriam patimini? Cur non potius damnum accipitis?* Idem S. Doctor postquam considerasset qualiter Abraham regionem fertiliorem & amœniorem fratri suo Loth, litis declinandæ causa, cesserit, protinus subjungit: *Quid hac anima pacatius?* Jure igitur merito S. hic Patriarcha, inter omnes alios totius generis humani à Deo electus fuit, ut primus esset omnium credentium Pater, siquidem unio & concordia præ quavis alia virtute fidei, numeroque fidelium adaugendo semper cooperatur, atque hinc est quod S. Lucas modum insinuare volens, quo tam subitò ex populo adeo contumaci, Christique antea inimico, postea nihilominus fidelium erecta, & magno numero adaucta, & fervida fidelium congregatio fuerit, non sine mysterio hanc illius subdidit rationem: Videlicet quia *multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Observandum vero est, quod non sine causa immediatè subjungat: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia,* hoc namque præmisso, S. Evangelista progreditur ad ostendendos admirabiles dilatati Evangelij & fidei progressus; Subdit enim; *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.* Nimirum S. Lucas non solum causam multiplicationis fidelium manifestare voluit, scilicet unionem & concordiam, quæ inter ipsos vigebat, verum etiam unde hæc concordia suam deduceret radicem, videlicet ex eo, quod illis ablatum esset omne ipsorum interesse, meum scilicet & tuum, hoc enim frigidum verbum omnium litium & dissensionum est principium & origo: *Nec quisquam eorum quæ possidebat &c.* Atque hinc est, quod in omnibus religionibus maxime Reformatis, in quibus perfectio Spiritus quam maximè viget, votum quoque paupertatis summo cum rigore observetur, indeque summa inter Religiosos unio & concordia enascitur; Nam ut S. August. ait: *Venenum charitatis est cupiditas: Perfectio autem nulla cupiditas.*

Pax, sicut imago in moneta, est inscriptio in alijs operibus bonis. — S. Bern. serm. 41. de modo bene vivendi. — D. Chrysost. Hom. 36. in Genesin. — Studium pacis inter Abraham & Loth. — D. Chrysost. Hom. 33. ib. — Pax primorum Christianorum. — Act. Apost. 4. v. 32. — Ibid. — Ibid. v. 33. — S. Aug. lib. 83. quæst.

7. In vitis Patrum sequentia leguntur: *Duo senes erant, in una cella pariter sedentes, & numquam inter se vel qualemcumque parvam contentionem habuerant, Dixit ergo unus ad alterum: Faciamus & nos unam litem, sicut & alij homines. At ille alter dicit ei; Nescio quemadmodum sit lis, Dixit ei ille: Ecce ego pono laterem in medio, & dico quia meus est, & tu dicis quia non est tuus, sed meus, & ex hoc fit contentio & rixa, Et cum posuissent, laterem in medio, dicente uno quia meus est, ille alter primo respondebat: Ego meum esse spero; Cum ille alter iterum diceret, non est tuus sed meus, tunc ille respondit: Et si tuus est, tolle illum, quo dicto non invenerunt, quemadmodum litigarent*; Ecce tibi quinam sint veri Spiritus salutares fructus, scilicet Pax & Charitas. Observastisne aliquando, quonam nomine olim primi Christiani fuerint appellati? nimirum quo hodie appellantur Religiosi, videlicet Fratres sese mutuo vocabant, unde Tertullianus qui illis temporibus vicinus vixit, ita scribit: *Communicatio Pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* Et alibi idipsum expressius declarat inquiens: *Quod veteres dexteram dare, in pacem recipere, dare quoque Pacem dixerunt, id est in Ecclesiæ consortium admittere, & Eucharistiam præbere; quod est Sanctum Domini corpus ut Cyprianus exponit.*

Vit. Patr. l. 3. — Duo senes pace habituati litem invenire non potuerunt. — Primi Christiani vocati sunt fratres ob mutuam pacem. — Tertull lib. 1. de Præscript. cap. 20.

Christus Salvator noster dum Apostolos in ultima cœna sacerdotes ordinaret, & super ipsis prima Ecclesiæ fundamenta jaceret, ad illa magis stabilienda & augmentanda, Sacramentum Altaris, quod ab unione communio appellatur, sapientissimè instituit. Qua de re S. Cyrillus Alexandrinus ita scribit: *Ut igitur inter nos & Deum singulos uniret, quamvis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinvenit consilio Patris,*

Eucharistia dicitur communio ab unione pacis. — S. Cyrill Alex. lib. 10. in Joa. c. 26.

tris, & sapientiæ suæ congruentem; Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos unum nos corpus effecit. Quis enim eos, qui unius Sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur, dividi enim atque sejungi Christus non patitur. Regius Psalmista Ecclesiæ statum in Spiritu Prophetico prævidens prædicebat: *Filij tui sicut novellæ olivarum*, id est Filij tui Pacifici, quia oliva Pacis est symbolum: Statim vero subjungit: *In circuitu mensæ tuæ*, alludere volens ad hanc mensam Eucharisticam, fidelibus eo fine relictam, ut concordiam ament, utpote pro cujus conservatione hoc Sacramentum, quod simul sacrificium est, instituit; Unde laudabilis veterum consuetudo erat Christianorum, ut priusquam communicarentur, sibi mutuo pacis osculum imprimerent eo tempore, quo in Missa à sacerdote dicitur: *Agnus Dei, &c. Dona nobis Pacem*; Qui ritus etiamnum hisce diebus nostris viget, quantumvis in Missis solemnibus dumtaxat. De hac communione Concilium Tridentinum ita fatur: *Quam Salvator noster in Ecclesia sua tamquam symbolum reliquit ejus unitatis & charitatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit.* Quæ verba consonant cum illa oratione secreta, quæ in solemnitate Corporis Domini legi consuevit, quæ talis est: *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine unitatis & Pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur.*

Ps. 127. v. 3. — Ibid. — Concil Trid. sess. 13. c. 8.

9. Enimvero quemadmodum Ecclesia, mediante fidelium unione & concordia, crevit, ita per Discordias notabiliter defecit, siquidem divisiones perniciosissimos pepererunt hæresum & schismatum abortus; Unde Christus S. Petro Alexandrino dixit Arium inconsutilem suam divisisse & lacerasse vestem, ad fidei, & Ecclesiæ Catholicæ unitatem, alludere volens, ac proinde Nazianzenus in ea est opinione, quod si inter Christianos tempore persecutionis Anti-Christi, unio reperiretur & concordia, Anti-Christus omnem suum amissurus foret vigorem, ita enim scribit: *Equidem vereor ne præsens rerum status, ignis illius in expectatione positi, fumus quidam sit, ne bis Anti-Christus superveniat, & nostros lapsus ac morbos in Principatus sui occasionem arripiat; Nec enim opinor sanos adorietur, nec charitate septos & munitos, verum regnum in seipsum prius dividi, atque ita forte eam rationem, quæ in nobis est, tentari & ligari, ac tum vasa diripi.* S. Joannes Damascenus ex authoritate Basilij Magni ita scribit: *Quantum sit Pacis bonum, quid commemorare attinet ad veros Pacis Filios? Nihil enim Christiani hominis adeo proprium est, ut reconciliandæ Paci studere, quandoquidem ob hanc quoque causam Christus præmium nobis pollicitus est.* S. Carolus rationem assignat, cur in Sacramento Confirmationis Chrismate signatis Pax imprecetur, ait enim id fieri: *Ut intelligant se gratiæ cælestis plenitudinem, & Pacem, quæ exuperat omnem sensum consecutos esse.* S. Hieronymus super illa verba S. Pauli ad Romanos: *Salutate invicem in osculo sancto*, ita scribit: *Non fictè, nec subdolè, quale Judas tradidit Salvatori, ideo enim in Ecclesia pax primo annunciatur, ut ostendat se cum omnibus esse pacificum, qui corpus Christi communicavit.*

Discordia omnia dissolvuntur. — Naz. orat. 14. — S. Joan. Damasc. lib 1. Parall. c. 18. — Act. Eccle. Mediol. fol. 508. — Rom. 16. 16. — S Hieron. ibid.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Quantopere Deus Pacem curet, quantique illam æstimet, ex varijs considerationibus deducitur.

THEMA.

Factus est in Pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Psalm. 75. ℣. 3.

1. Propheta Regius adventum Filij Dei Pacificum & ab omni dissensione alienum futurum esse claris hisce verbis prædixit; ac proinde S. Vincentius Ferrerius inquit: *Si volumus cogitare, & diligenter pensare totam vitam Christi, à principio scilicet nativitatis, usque ad Passionem, inter alias virtutes singulariter prædicavit & voluit pacem esse inter Christianos.* Venerabilis Beda super caput 1. S. Lucæ scribens de Salvatore nostro inquit: *Pacatissimo sæculi tempore procreatus, quia pacem magnopere quæreret, atque amaret, edocuit, quia pacis, charitatisque sectatores, semper invisere dignaretur, indicant, juxta quod ipse fidelibus promittens ait: Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quod enim majus regni quietissimi & pulcherrimi, quantum ad homines potuit esse Pacis indicium, quam una totum orbem descriptione concludi, eosdem cunctos longè, lateque mundi fines census numismate comprehendi?* S. Antoninus hanc statuit in summam Pacis gloriam & honorem cedentem propositionem: *Summa, & prima pax, unde omnis alia originatur; est Trinitas; unde canit Ecclesia: Tu Charitas, tu Puritas, tu Pax.*

Christus venit tempore pacis & pacẽ semper amavit. — S. Vinc. Ferr. serm. 1. in die Pentec. — Beda in cap. 1. Luca. — S. Antonin. 4. P. Tit. 6. c. 8. §. 1.

2. Doctor Seraphicus sequentem facit reflexionem inquiens: *Alia animalia in principio fecit Deus duplicia, scilicet masculum & fœminam, hominem autem fecit unum.* Cur vero idipsum Deum fecisse existimatis? utique supremo artifici in agro Damasceno non deerat lutum, ad formandos multos homines simul, nec ipsi Deo Creanti deerat flatus seu Spiraculum ad illos vivificandos; Præterea cur mulierem ex costa Adami eduxit, quando eamdem eodem prorsus modo, quo Adamum, producere poterat? Audite S. Bonav. ad id respondentem in hæc verba: *Ex illo sunt omnes & singuli procreati; ut scilicet unitatem Pacis & concordiæ commendaret in homine.* Idem in cap. sequenti authoritatem citat S. Augustin. lib. 12. c. 22. de Civitate Dei dicentis: *Propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam in cunctis concors unitas servaretur.* Theodoretus, qui eodem sæculo vixit, quasi idipsum in hæc verba tradit: *Volebat Creator naturæ ad concordiam adducere unumquodque genus. Hac de causa ipsum Adam de terra formavit, ex eo vero mulierem, ut & eamdem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quamdam benevolentiam mutuam in illis insereret. Si enim rebus sic sè habentibus, viri cum mulieribus contendunt, & mulieres cum viris, quid non admisissent, si aliunde mulierem formasset?* S. Augustinus in lib. 12. capite tamen præcedenti hac de re ita scribit: *Unum ac singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius sibi commendaretur ipsius societatis unitas, vinculumque concordiæ, si tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur; quando nec ipsam fœminam copulandam viro, sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.* Impressit quoque homini imaginem, & similitudinem suam: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; id quod alijs Creaturis non præstitit, nimirum eodem hoc fine fecit, ut scilicet humano generi unionem & pacem sectandam esse insinuaret. Ita enim eruditissimus ac devotissimus Idiota meditatur inquiens: *Dixisti, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut nostri similes facti, charitate & amore se diligerent.*

S. Bonav. in Biblia Paup. cap. 48. — Propter pacẽ sectandã omnes ex solo Adamo sunt procreati. — Ibid. cap. 49. — Theodoret. Q. 30. in Exod. — S. Aug. lib. 12 cap. 21. de Civit. Dei. — Gen. 1. v. 26. — Idiota lib. 5. contempl.

3. Ex multis alijs scripturæ locis facile intelligere poterimus quanta cum solicitudine Deus hoc tanti momenti Pacis & Concordiæ punctum nobis impressum esse velit. Nulli dubium esse potest, quin Joseph Salvator Ægypti typus fuerit Filij Dei Salvatoris mundi. Hic igitur postquam fratres suos agnovisset, ipsis ad Patrem suum redire meditantibus vestes, victualia, pecunias, equos, currus, & alia ad iter necessaria liberaliter donavit; At vero id quod maxime illis inculcatum esse voluit, erat unio, & concordia, quam illis serio commendavit, ne forsitan in itinere in discordias, & dissensiones inciderent, unde ait illis: *Ne irascamini in via.* At vero dices fortasse, ex quo fratres Josephi omnibus ad iter faciendum necessarijs optime provisi, & ob fratrem regni Ægyptiaci sceptra gubernantem animo prorsus hilari & læto abibant, quamnam Joseph occasionem habere poterat, illos monendi ut pacem colerent, & lites declinarent, qua ratione timebat, ne sibi invicem irascerentur? Pro responsione observandum, quod cum eodem tempore quo Joseph illos tamquam fratres agnovit, simul etiam illos sui, licet innocentis traditores fuisse detexerit, satis verisimile fuerit, quod videntes se non obstante hoc reatu minime punitos, quin potius multis beneficijs auctos fuisse, facile inter illos exoriri potuisse graves contentiones & lites, dum unus alteri tam execrandi sceleris culpam, licet ob illam Josephus ne minimum quidem rancorem contra illos servaret, imputare ausus fuisset. Et hic quidem esse potest verborum prædictorum sensus litteralis. Verumtamen illud Apostoli axioma: *Omnia in figura contingebant illis*, in memoriam revocantes dicere possumus, Josephum in hoc facto ani-

Joseph fratribus suis ex Ægypto discedentibus maximè commendavit pacem. — Gen. 45. 24. — Joseph in studio pacis comparatur Christo.

animarum noſtrarum præfiguraſſe Salvatorem, qui probe ſciens, quod tamquam viatores ab Ægypto hujus mundi ad terram promiſſionis proficiſcantur, neceſſarium eſſe duxit, ut nos moneret, dicendo: *Ne trascamini in via*, quia ſi Jeroſolymam, quæ viſio Pacis interpretatur, pervenire, ibidemque Salvatori, de quo ſcribitur: *Ipſe eſt pax noſtra; Factus eſt in pace locus ejus*, occurrere volumus, neceſſaria nobis eſt Unio, Lux, & Concordia, quam Deus nobis variis modis inſinuare ſategit.

Gen. 45. 24.

Ephes. 2. 14. Iſ. 45. v. 8.

4. S. Carolus de illis, qui lites detruncare, proximosque reconciliare ſtudent, ita ſcribit: Dignitas hujus officij, (id eſt Pacificatorum) meliori modo declarari, neque efficacius exaggerari poterit, quam ſi dicamus, quod Pacem fundare proprium ſit Filij Dei officium, qui ſolum hoc fine in hunc mundum venit, ut genus humanum cum Patre ſuo æterno pacificaret, quique, ut hoc munus melius exequeretur, poſt tantos exantlatos labores, ſudores, & moleſtias pretioſiſſimum ſanguinem ſuum in ligno Crucis effundens vitam ſuam clauſit, in hoc ſolo ſibi complacens, quod hac ratione gravem illam extinxerit diſcordiam illamque ab initio mundi ad ſuum uſque adventum inter nos miſeros mortales, & magni Dei majeſtatem continuatam è medio ſuſtulerit inimicitiam. Hic Dei filius dum vix natus eſſet, angelorum hierarchias ad pacem in toto univerſo promulgandam è cœlis deſcendere, illudque præſepium virtutem in ſæculis quoque futuris hanc eamdem pacem inter hominес diſcordes excitandi conſervare voluit, Nam ut in hiſtorijs ſelectis legitur: *Eodem in loco ubi Chriſtus natus eſt, & ubi angelorum chori angelicum, cantum cecinerunt, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis nunciata eſt, contigit aliquid temporibus noſtris memoria dignum. Nam cum in inſula Cypri, quæ tum Venetorum poteſtati ſubdita erat, forte fortuna pervenſſet nobiliſſimus Venetiarum Civis ex Cornelia familia, qui poſtea, à Julio III. propter virtutum merita Cardinalis creatus eſt, videns ſe in conſpectu eſſe terræ ſanctæ, deſiderio ductus viſitandi loca, ubi Chriſtus Dei Filius veſtigia pedum ſuorum impreſſit, deliberavit navigio pervenire illuc, dum autem triremis marinos ſecaret fluctus, duo viri ex ijs, qui eum comitabantur (erant autem ambo ſtrenui militum Duces) verbis minacibus utrinque contendebant altercantes, ita ut alter alterum ad certamen provocaret; ſed cum eſſent in triremi, ubi ſtrictò mucrone congredi vetitum erat, pugna congreſſus, donec pervenſſent in terras, dilatus eſt. Pervenit tandem triremis ad ſanctam terram, ſtatimque Cornarius ſuis ſociatus comitibus, primo Eccleſiam Bethlehemiticam viſitare voluit, Cum autem ventum eſſet ad illam & adoraſſent, ſtatim Spiritus Pacis cecidit in corda eorum, qui ſimul conſligere conſtituerant, tantaque Pacis dulcedine intrinſecus tacti ſunt, ut ultro nullo ſtudente, alter in alterius rueret amplexum, & mutuis oſculis internæ pacis ſigna darent, ut nullus ignorare poſſet, Eccleſiam illam verum eſſe locum, ubi Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra Pax, hominibus bonæ voluntatis.*

Hiſt. Select. cap. 98.

Miraculum factæ pacis.

5. *Factus eſt in pace locus ejus.* Ex quo Eccleſiæ mentionem facere cœpimus, neminem ignorare poſſe exiſtimo, hanc Dei hic in terris veram eſſe habitationem & domicilium, juxta illud regij Vatis: *Domus in templo ſancto ſuo.* Obſervandum verò eſt, Deum per altiſſimam ſuam providentiam ita diſpoſuiſſe, ut templum illud adeo celebre, & unicum in toto univerſo, in divini cultus honorem inter omnes alias mundi Civitates in ſola Jeroſolyma dicta pacis viſio, erigeretur, eamque non à Davide Rege ſicet hic vir eſſet ſecundùm cor ſuum, ſed à Salomone Rege pacifico erigi voluit, qui pro ſublimis illius ædificij proviſione ad Regem Tyri ſcribens, in hæc verba eum alloquitur: *Tu ſcis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum ejus; nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non eſt Satban, neque occurſus malus.* Porrò M. Marulus in capite *de Pace ſervanda*, hanc adducens hiſtoriam inquit: *Quoniam David in negotijs mihi tribus aſſidue verſatus, hoſtium cruore manus fœdaverat, prohibitus eſt ædificare templum Domino; Salomon autem juſſus, ut qui ſemper Pacificus & belli abſtinens fuit.* Quis autem hanc Dei diſpoſitionem conſiderans non obſtupeſcat? bella in quibus David occupatus fuerat, pro defenſione Paleſtinæ gerebantur, quæ unica Dei hæreditas erat (*notas in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus*) in ea namque terra dumtaxat verus adorabatur Deus, cum reliquæ mundi partes idololatriæ erroribus ſuccumberent; Præterea David Rex vir erat ſecundùm cor Dei, & tamen licet pro fabrica templi inæſtimabiles congregaſſet theſauros, nentiquam illi vel minimum illius ædificij lapidum erigere permiſſum fuit, ſed reſervabatur idipſum Regi Pacifico, ut per hoc nobis inſinuetur, quod *factus eſt in pace locus ejus*, imo ingentis miraculi loco habendum eſt, quod toto illo tempore, quo vaſtiſſima illa moles ædificabatur, *malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur*, ut per hoc nobis ſignificetur, quam ſit Deus ſolicitus, ut à domo ſua omnem ferri ſtrepitum abarceat. Unde idem citatus auctor ait: *Ædificatio templi illi interdicitur, at omnibus conſtet, quanti apud Deum momenti ſit perpetua in homine pacis obſervatio, imperturbataque tranquillitas.* Idem hoc templum Salomonis non quidem ab alijs quam ab inimicis bellatoribus deſtrui & demoliri potuit, at vero, quod obſervatione dignum eſt, quando poſtea templum illud reædificatum fuit, ut facer textus inquit: *Congregatus eſt ergo populus quaſi vir unus in Jeruſalem, . . . ad reædificandum templum, quod fuerat à Rege Babylonis deſtructum.*

Voluit Deus ſibi ædificari templũ à pacifico Salomone.

Pſ. 10. v. 5.

3. Reg. 5. 2.

M. Marul. lib. 3. c. 6.

3. Reg. 6. 7.

1. Eſd. cap. 3.

6. Prima Eccleſia in lege gratiæ, ſive prima fidelium congregatio ubinam habita fuit? Reſpondet Propheta Regius: *Factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*, id eſt in cœnaculo Sionitico, in quod Spiritus Sanctus deſcendit, & ex quo fideles illi cœleſti igne effervescentes, per univerſum mundum ignem illum divinum diſperſerunt; obſervandum quoque eſt Salvatorem ſubito ut reſurrexit, in eodem cœnaculo comparuiſſe, ut Apoſtolos Spiritus Sancti redderet participes: *Inſufflavit*: & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum*, idque ijs ex eo præcipue merito contigit, quia inter ſe unanimes erant & concordes; *Nimirum ut doceret, illum qui Spiritus Sancti chariſmata vellet promereri, prius cum proximis ſuis concordem unanimemque eſſe oportere; unde Apoſtolus, idem ſapite, inquit, Pacem habete, & Deus Pacis & Dilectionis erit vobiſcum.* Idem quoque Spiritus poſt quinquaginta dies, denuo in ſigno viſibili cum theſaurorum ſuorum plenitudine ſuper idem cœnaculum deſcendit, in quo erant congregati numero centum viginti, qui ſublimis ædificij Chriſtianitatis columnæ futuræ erant: *Deſcendit autem Spiritus ſuper unanimes*, inquit B. Laur. Juſtinianus: *Diligit hic Spiritus unitatem, amat pacem, diligit concordiam, hanc ſi ſuſcipere cupis, noli diſſidere cum fratribus, noli diviſus eſſe in te, concordet in te voluntas, & ratio, caro, & Spiritus.*

Chryſoſt. ſerm 2. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum dicitur ante communionem.

Chryſoſt. Tom. 4. lib. 1. de Compunct.

Miſt. Select. cap. 98.

Diſcipuli Chriſti unanimes dum erant accepérunt Spiritũ Sanctum.

Joan. 20. v. 22.

M. Marul. ibi.

2. Cor. 13. v. 11.

Aleuin. lib. de Div. offic. cap. 40.

Ephes. 2. 4. Coloſſ. 2. v. 3.

Pſal. 23. v. 1.

Matth. 19. v. 27.

7. Quod ſi ex me quæſieris myſterium, propter quod Spiritus Sanctus hic in linguis igneis, & ſuper Jordanem in forma columbæ deſcenderit? Reſpondeo, & quidem ad primum quæſitum ex ſententia S. Eccleſiæ dico, ideo id factum eſſe, ut Apoſtoli *verbis eſſent proflui, & charitate fervidi*, quoad ſecundum vero dicendum, quod ex quo aquæ Jordanis undas baptiſmales præfigurarint, in quibus homo peccator, Sacroſancto lavacro mediante, cum Deo reconciliatur, convenientiſſima illius figura fuerit columbæ, utpote quæ animal eſt pacificum: Præterquam quod S. Paſchaſius ſcribat: *Apparuit in columba, ut per eam exponeret, quales futuri erant, qui ad gratiam S. Spiritus pervenirent, & quia columba fel non habet, patenter inſinuat, quod in felle amaritudinis eſſe non debet, quiſquis ad hanc gratiam venire devotus exoptat.*

Spiritus Sanctus apparet in ſpecie pacificæ columbæ.

S. Paſch. in Matth. lib. 2.

8. *Factus eſt in pace locus ejus.* Chriſtus mutuam inter nos unionem & concordiam præmiaturus magnam hanc nobis ſtipulatus eſt pollicitationem: *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quem textum conſiderans S. Hilarius inquit: *In tantum humanæ pacis & concordiæ Chriſtus ſtudet, at unitatis merito, omnia quæ à Deo precanda ſunt, impetranda eſſe confirmet, & ubi duo atque tres pari Spiritu, ac voluntate collecti ſint, ibi ſe medium eorum poſiceatur futurum. Ipſe enim, qui Pax, atque Charitas eſt, ſedem atque habitationem in bonis, & pacatis voluntatibus collocavit.* Notandum vero eſt, quod non dixerit in tempore futuro: *Ibi ero in medio*, ſed in tempore præſenti: *Ibi ſum in medio eorum.* S. Paſchaſius ait: *Ubi ad concordiam omnes provocarat, nunc exponit quem fratrum exinde ſint habituri, ita ut quidquid petierint, ſint accepturi, Deumque vocatum ſemper in ſe habituri:* Origenes ſequentem adducit ſimilitudinem: *Sicut in muſicis, niſi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem, ſic & Eccleſia, niſi conſenſum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.*

Matth. 18. v. 20.

S. Hilar. ibid. Can. 8.

Chriſtus eſt in medio pacificorum.

S. Paſch. lib. 8. in Matth.

Orig. Tr. 6. in cap. 18. Matth.

Similitudo ſit muſicis.

Conſen-

Conſentiamus ergo, ut congregatis nobis in nomine Jeſu; ſit Jeſus in medio noſtrum, Verbum ſcilicet Dei, & Sapientia, & virtus ipſius. Nec illud præterea, quoniam non dixit in medio eorum ero, ſed in medio eorum ſum, ergo non medius futurus eſt, neque medius eſſe tardabit, ſed mox ut conſenſerint, inventur Chriſtus in eis, quoniam & Chriſtus confeſſus eſt ipſe, Altius profecto aſpirare nequit humana prætenſio, quam infallibilem quamdam ſecuritatem in manu ſua poſitam habere, quod ſcilicet ſit in quacumque inſtantia ſeu ſolicitatione exaudiendus, quodque habiturus ſit infallibilem ipſiusmet Dei aſſiſtentiam & præſentiam, hoc autem totum unionis & concordiæ meritis obtinetur.

9. *Factus eſt in pace locus ejus.* Doctrina eſt D. Chryſoſtomi dicentis: *Nihil eſt, quod cum Pace & concordia valeat comparari, propterea quoque cum ingrediur Pater, non prius ad hanc ſedem aſcendit, quam vobis omnibus prius pacem fecerit precatus, & cum ſurgit, non prius docere vos incipit, quam omnibus pacem dederit. Sacerdotes etiam cum fuerint benedicturi, ubi prius hoc vobis apprecati fuerint, deinde incipiunt benedicere. Et vero Dicones dum cum alijs precari jubet, hoc quoque imperat in oratione, at Angelum Pacis rogemus, & quæ propoſita ſunt omnia Pacifica, & ab hoc convento vos dimittens, hoc vobis precatur dicens: In Pace diſcedite, & nihil in univerſum poteſt vel dici, vel fieri ſine iſta. Eſt enim hæc matrix, ac mater noſtra, quæ multo cum ſtudio ac diligentia nos fovet.* Idem quoque S. Doctor in alio loco ait: *Studium Pacis porrigere tempore quo munera offeruntur in aſa eſt, ſed vereor ne forte plures ex vobis, labijs hoc tantummodo faciant. Cum Chriſtus Pacem, non ex ore, ſed ex corde deſideret.* Priusquam accedamus ad ſacram Communionem, Eccleſia pariter hunc ritum nobis præſcribit, ut pacem poſtulemus, ideo dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: Similiter in prima oratione ſecreta, quæ communionem præcedit, per Sacerdotem poſtulandum eſſe præcipit: Domine qui dixiſti Apoſtolis tuis: *Pacem meam relinquo vobis, &c.* Alcuinus de ritibus divinorum officiorum tractans in hæc verba ſcribit: *Sed & illa ſalutatio Epiſcopalis ad populum, qua dicitur: Pax vobiſcum, ſive Pax vobis ſimiliter non humano ſenſu inventa, ſed de Scripturæ ſanctæ authoritate deſumpta eſt, nam & in Veteri Teſtamento inventur dixiſſe Angelus Danieli: Noli timere vir deſideriorum: Pax tibi: Confortare, & eſto robuſtus: Et in novo, id eſt, in Evangelio pœne ſemper ita legitur Dominus, Apoſtolos ſalutaſſe, dicendo: Pax vobis: Et eisdem Apoſtolis eamdem ſalutationis formam commendaviſſe dicens: In quamcumque civitatem aut domum intraveritis, ſalutate eam dicentes: Pax huic domui. Merito ergo & Apoſtolorum ſucceſſores, id eſt, Eccleſiarum Præſules hac ſalutatione utuntur, domum Dei ſalutantes, ubi omnes oportet filios eſſe pacis, ut ſalutatio pacis ſuper eos requieſcens, & ſalutantibus & ſalutatis poſſit eſſe fructuoſa.*

Chryſoſt. Tom. 4. lib. 1. de Compunct.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum dicitur ante communionem.

Alcuin. lib. de Div. offic. cap. 40.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Chriſtus ſuis in ultimo teſtamento ſuo pacem reliquit, velut hæreditatem opulentiſſimam, quam dare poſſit.

THEMA.

Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis. Joan. 14. verſ. 27.

1. Cœleſtis Magiſter noſter Chriſtus in Sermone in ultima cœna habito Apoſtolos ſuos his verbis eſt affatus: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos*, Cum igitur illos ad hanc admiſerit familiaritatem, quid mirum ſi in ultimo ſuo teſtamento pacem illis tantquam opulentiſſimam hæreditatem reliquerit? *Amici enim amicis dant & legant magis pretioſa in fine*, inquit S. Bonaventura. Neque enim Chriſtus ullam habebat gemmam quantumvis pretioſiſſimam, pace præſtantiorem. S. Joannes increatæ & incarnatæ ſapientiæ Secretarius ait: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; In hujus autem excellivi amoris evidentius teſtimonium, hoc illis pacis legatum reliquit, *Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis.* De hoc Teſtatore demum Apoſtolus ait: *Deus qui dives eſt*; Et iterum: *In quo ſunt omnes theſauri*; Et ante illum diu Pſalmiſta cecinerat: *Domini eſt terra & plenitudo ejus.*

Joan. 15. 14. Chriſtus Apoſtolis ſuis reliquit pacem ſuam in teſtamento.

S. Bonav. in Dieta Salut. Tit. 7. cap. 6.

Joan. 13. v. 1

Ephes. 2. 4. Coloſſ. 2. v. 3.

Pſal. 23. v. 1.

2. Apoſtoli per ſanctum Petrum, veluti Apoſtolici Collegij caput coram Chriſto proteſtari fuerunt dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Et tamen licet omnes illorum facultates ad paucula refrtigerentur cariosa ligna, rupta retia & pauculos remos; hic tamen adeo opulentus, ipſisque ſupra modum addictus teſtator, de quo ſcribitur: *Spirituam pauperator eſt* hæreditatis loco pacem illis legavit, dicens: *Pacem relinquo vobis, &c. Superius dixerat*, ut notat Cajetanus, *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, modo non dicit, pacem mando vobis, ſed legat teſtamenti jure, dicendo: Pacem relinquo vobis, relinquitur tamquam pretioſiſſima hæreditas, hoc eſt enim teſtamentum Jeſu.* Quisquis hanc hæreditatem poſſidet, is, ut in progreſſu ſequentium diſcurſuum videbimus, neque in hac, neque in altera vita, quidquam pretioſius deſiderare poterit. Nam ut in *ſumma prædicantium* dicitur: *Quanta ſit Pacis excellentia, oſtendit Chriſti donum. Cum enim in fine maxime ſuos diligeret, quam quidem dilectionem dono Pacis oſtendere voluit, & docuit. Ex quo argui poteſt, quod poſt ſeipſum, Pax ſit maximum quod dari poteſt. Certum eſt, quod maxime dilectis maximum donum daret, ſed ſuos maxime dilexit, ergo eis maximum donum dedit. In Craſtino ab eis receſſurus, dicens: Pacem relinquo vobis, &c.* Nec mirum eſt authorem hunc dicere: *Poſt ſeipſum, Pax maximum eſt, quod dari poteſt*, ſiquidem nos ſuperius in diſcurſu primo probavimus, ipſummet Chriſtum Pacem eſſe: *Ipſe eſt pax noſtra.* Unde S. Cyrillus Alexandrinus notat Chriſtum dicere: *Pacem non ſimpliciter, negue quamlibet, ſed meam do vobis. Id autem nihil aliud eſt, quam Spiritum eis dare, & per eum in eis habitare. Pax enim Chriſti Spiritus ejus eſt, quod etſi longa oratione, ita probetur, non egeat, illud tamen liquido patet, ipſum filium Dei Pacem eſſe. Quomodo igitur Spiritus ejus Pax non erit? Beatus enim Paulus ait: Pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum, &c.*

Summa Prædicantium. Pax. art. 2. n. 7.

S. Cyrill. Alex. lib. 10. in Joan. c. 7.

3. M. Marulus in capite *de Pace ſervanda* circa illam à Propheta Iſaia Regi Ezechiæ juſſu Dei factam intimationem, qua dicebat: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, uſque ad diem hanc in Babylonem*, ingenioſe obſervat ſapientiſſimi hujus Regis Reſponſum, indeque deducit, quanti valoris & æſtimationis Pax ſit penes animas illuminatas, qualis Ezechiæ Regis erat; Etenim ut Sacer textus ait: *Dixit Ezechias ad Iſaiam, bonus ſermo Domini quem locutus es, ſit Pax . . . in diebus meis.* Circa quæ verba prædictus Marulus ita ſcribit: *Cum Ezechias reſponſum acceptiſſet, theſauros quos Babylonijs gloriæ cupiditate oſtentaverat, ijsdem fluuros prædam, delicti conſcius: Bonus eſt, inquit, ſermo Domini, ſit tantum Pax & veritas in diebus meis. Non negavit juſtum eſſe Dei adverſum ſe judicium, ſed mala differri precatus eſt, non ob hoc, ne theſauros, ſed ne theſauris cariorem Pacem amitteret, & quamvis pro Pace, non pro divitijs oravit, quoad vixit hoſtem non vidit, Deo in poſteros calamitatem illam, quam interminatus fuerat, tranſferente, ut monſtraret præponendam eſſe opibus pacem.*

4. Reg. 20. v. 17. Ezechias pacem præulit omnibus theſauris.

Ibid. v. 19.

M. Marul. l. 3. c. 6.

4. Cum Deus populo Iſraelitico immenſa & innumerabilia beneficia contuliſſet, majoraque beneficia illis conferre decreviſſet dicendo: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum*, Regius tamen Propheta David ſummam hanc Dei beneficentiam in uno calami tractu adæquate exprimere volens inquit: *Pax ſuper Iſrael*: Id quod Gloſſa Interlinearis exponens, Prophetam Regium dicere voluiſſe inquit, quod ſcilicet quidam omnium bonorum theſaurus cœlitus à Deo datus fuiſſet, & ideo eadem gloſſa ait, *Uno verbo, omnia bona dicit.* S. Auguſt. ſimiliter in gloſſa citatus ita exponit: *Uno nomine patria hæreditas dicitur, quæ eſt Chriſtus, ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, qui Pacem ſupra pacem dabit nobis.* Lyranus eumdem textum in favorem noſtrum ſic explicat; *Non ſuper Iſrael ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, ſcilicet ſuper populum Catholicum, propter quod in Nativitate Chriſti cantaverunt Angeli; Gloria in altiſſimis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis.* Similiter ubi vulgata noſtra legit: *Absque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni*, in Hebræo habetur: *Deus pacem reſpondebit, &c.* adeoque felicitas & proſperitas integri cujusdam regni, à veridico Spiritus Sancti calamo per ſolam pacem exprimuntur.

Nomine pacis compreniditur omne bonum.

Gen. 41. 16.

Gloſſ. Interlin.

S. Aug. in Gloſſ.

Lyran.

1. Reg. 25. 6.

5. Quando David in deſerto magna penuria oppreſſus, milites ſuos, victualium annonam poſtulatros, ad Nabal ablegavit, ſimul etiam ijsdem imperavit, ut ad magis & facilius ſibi comparandam ejus benevolentiam, hac eum ſalutatione impertirentur: *Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis*

eum ex nomine meo Pacifice, & dicetis : Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes, sit pax. Ubi, ut Cajet. observat : *Juxta Hebræum habetur : Et tu pax, & domus tua pax, & omnia quæ tua sunt pax. Nimirum modus est loquendi usitatus tum temporis, & nomine pacis comprehendunt omne bonum.* Nyssenus in oratione septima beatitudinem illam : *Beati Pacifici*; declarans, hanc Pacis virtutem quoddam excellentissimorum bonorum compendium & centrum esse hisce verbis affirmat : *Quid hominibus ex ijs rebus quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius est? quodcumque nominaveris ex ijs rebus, quæ res in vita suaves & jucundæ sunt, pace opus, ad hoc ut jucundum sit, nam si omnia suppetant, quæcumque in vita magni fiunt, atque in pretio sunt, divitiæ, bona valetudo, uxor, liberi, domus, parentes, ministri, amici, terra, mare, proventibus & hoc & illa ditans, horti amœni, venationes, lavacra, Palæstræ, Gymnasia, loca delicijs & voluptatibus capiendis destinata, atque quæcumque voluptatis causa inventa sunt, huc adjiciantur jucunda spectacula atque musica acroamata, ac si quid est aliud, per quod delicias sectantibus vita suavis existit. Si hæc quidem omnia suppetant, pacis vero bonum non adsit, quod illarum rerum lucrum est? quid illa prosunt? ergo cum ipsa pax fruentibus jucunda est, tum omnia quæcumque in vita coluntur, expetuntur, & in pretio sunt, dulcia efficit atque jucunda.* Porro nullæ divitiæ, nulla magnificentia, nullæ deliciæ, nullumque aliud hujus vitæ bonum appretiabile est sine Pace, Pax enim omnium bonorum est condimentum, ipsaque sola ad locupletandum nos abunde sufficit; ac proinde is in cujus potestate sunt omnes thesauri, quique dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, hic inquam charissimis Discipulis suis hanc pacem solam testamento legavit. Nam ut S. Greg. Nyssenus ait : *Si nulla ei rei etiam spes proposita esset, ipsa propter se pax cordatis quidem hominibus, præ cæteris rebus omnibus cupide expetenda, atque amplectenda esset.*

Cajet. — *S. Greg. Nyss. orat. 7. de Beatitud.* — *Matth. 28. v. 18.* — *S. Greg. Nyss. ibid.*

6. Deus apud Isaiam bona ex pace derivantia exprimere volens, fluminis cujusdam adducit similitudinem dicens : *Utinam attendisses ad mandata mea, fuisset sicut flumen pax tua*; quo modo loquendi, ut S. Hieronymus ait : *Abundantiam omnium rerum copiamque significat.* Inter alias regulas, quæ ad erigendum locum & situm opportunum civitatis alicujus de novo ædificandæ præscribuntur, una eaque præcipua est, ut habeat alluens proxime flumen quoddam navigabile; hæc enim populos locupletes efficiunt, siquidem commoditatem præstant, merces pro aliarum regionum distantium commercio facillime trajiciendi, ac proinde Isaias non sine mysterio dicit : *Fuisset sicut flumen pax tua*, quin potius per hoc denotare voluit, quod à pace omnium bonorum abundantia scaturiat. Unde Oleaster legit : *Et fuisset pax tua indeficiens, quemadmodum aquæ fluminis, quæ sunt copiosæ.* Hugo Cardinalis ita exponit : *Sicut flumen pax tua, id est, abundans, & copiosa, & continua, sicut flumen continuè currit.* Licet enim bona hujus mundi pluribus modis possint deficere, numquam tamen pax interior, quæ in fruitione divinæ gratiæ, animæque tranquillitate consistit, post sedatas illius passiones.

Isai. 48. 18. — *S. Hieron. ib.* — Pax est scaturigo omnium bonorum. — *Oleast.* — *Hug. Card.*

7. Abraham à Deo primus credentium pater electus, de Ur Chaldæorum pauper egressus fuit : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua :* Et tamen in progressu temporis dives factus est & locuples, dicente scriptura : *Erat autem* Abraham *dives valde in possessione auri* : at verò scitisne causam cur adeò dives evaserit? Regius Psaltes ait : *Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum! Illic mandavit Dominus benedictionem.* Porro Abraham Loth nepoti suo multis ex capitibus inferiori se submisit, atque regionibus sterilioribus minusque amœnis in colendis acquievit, ut discordes inter familias pacem conservaret; idem quoque Patriarcha multo tempore cum Sara absque filijs vixerat, ac proinde ejus consilio Agar se conjunxit quia verò hæc continuo Dominæ suæ insultavit, conjugi suæ, ut illam simul cum Ismaele è domo sua exturbaret, præcepit; in qua occasione Abraham quidem verbis Angeli supponere potuisset dicendo; quod & Agar uxor sua & Ismael filius suus esset, ac proinde expedientius futurum foret, si illam aspera quadam reprehensione perstringeret, maxime cum Ismael nullam in defectibus maternis culpam haberet, sed nequaquam id fecit, sed potius sine ulla contradictione Saræ conjugi suæ adhæsit Agar in illius liberam facultatem cedendo, ac proinde nil mirum si pacificus hic Patriarcha in bonis terræ, imò & in cœlestibus bonis tantopere prosperatus fuerit, qui tanto cum zelo pacis continuationem fuit prosecutus; *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem*; quia ex ejus stirpe Deus unigenitum suum incarnari voluit & depositum Paradisi, in quo animæ sanctæ, priusquam in cœlo beatificarentur & glorificarentur, demoratæ fuerunt, suam ab illo sumeret denominationem, & sinus Abrahæ appellaretur. Observandum quoque, quod post actum illum heroicum, quo Loth cognato suo pro conservanda mutua pace regionem cessit deliciosissimam, quæ erat *sicut Paradisus Domini :* non sine mysterio sacer textus tunc in commendationem pacis, & in remuneratione immediatè subjungat : *Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Loth; Leva oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem; ad Orientem & Occidentem; Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum, Faciamque semen tuum, sicut pulverem terræ.* Ecce tibi Pacis & Concordiæ ab Abraham dilectæ, omnibusque rebus prælatæ remunerationem, investituram videlicet cujusdam regni adeò floridi, quale est Palæstinæ, & promissionem posteritatis adeo numerosæ, qualis illa populi Israelitici fuit, *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem.* Econtra verò quia Loth magis interesse suum, & propriam satisfactionem, quam unionem & concordiam dilexit, quot deinceps fuit adversitatibus & ærumnis oppressus? B. Chrysostomus postquam Loth cum tota familia sua captivum factum, ejusque substantiam deprædatam considerasset, subjungit : *Ecce, ut divisus est, & putabat se in majori esse libertate, & potiora se assecutum, repente factus est servus, carens domo, carens & foco, ut discas quantum malum sit divisio, & quantum bonum concordia.* Neque infelicitas illi non post multos annos contigit, sed immediate, ut Deus per hoc toti mundo patefaceret, quantum sibi displicuerit, quod Loth non potius unioni & paci, quam proprio interesse adaugendo consuluerit, siquidem dum quatuor Reges contra alios quinque Reges simul inter se confligerent, & primi in prælio superiores evaderent, simul cum spolijs horum *tulerunt Loth & substantiam ejus.* Abraham vero, qui ensem numquam strinxisse, nec ullam artis militaris experientiam habuisse legitur, cum trecentis & decem servorum suorum, virga pastorali tractandæ, pecoribusque custodiendis assuetis, quatuor illos victores Reges aggressus, *percussit eos, & persecutus est eos, reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum, cum substantia illius*; adeoque Deus servum suum in victorijs quoque & triumphis gloriosum effecit, tuncque Nobilissimum Melchisedech Regis Salem, id est, Hierusalem, quæ pacis civitas dicitur, occursum habuit, dicente scriptura, *Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*; ubi ut vides tale Abrahæ à Melchisedech munus oblatum fuit, quod figura erat veræ hostiæ pacificæ, quæ in progressu sæculorum pro generis humani reconciliatione offerenda erat.

Gen. 12. v. 1. — *Gen. 13. v. 2.* — *Psal. 132. 1. Ibid. v. 3.* — Abraham studuit servare pacem cum nepote suo Loth. — *Ps. 132. v. 3.* — *Gen. 13. 10.* — Remuneratio pacis. — *Ibid. v. 14.* — *Ibid. v. 15.* — *Ibid. 16.* — *Psal. 132. 3.* — *Chrys. hom. 35. in Gen.* — Loth studens proprio cōmodo affligitur.

8. *Pacem relinquo vobis.* In progressu ejusdem sermonis ultimi, qui testamentum Christi fuisse, dici potest, Salvator Apostolos suos his quoque verbis est allocutus : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*; ubi subnascitur dubium, an dictio illa *hæc* solum referri debeat ad ea quæ in illo sermone dixerat, an vero ad omnia alia, à Christo hactenus dicta aut facta? Audiamus S. Augustinum Ly *hæc* sequentibus verbis ponderantem : *Hæc, quæ non recentiora paulò superius ab eo dicta, sed omnia debemus accipere, sive quæcumque illis locutus est, ex quo eos cœpit habere discipulos, sive certe ex quo post cœnam exorsus est hunc admirabilem, prolixumque sermonem. Talem quippe commemoravit causam, cur eis sit locutus, ut ad eum finem rectissimè referantur, vel omnia quæ locutus est eis, vel ea maxime quæ dixit jam pro eis moriturus. Hanc ergo commendavit causam sermonis sui, ut in illo pacem haberent, propter quod totum agitur, quod Christiani sumus.* Sicut enim pater aliquis, ut filijs suis bene prospiciat, quidquid in vita laborando lucratur, totum hoc ad legandum eis opulentam hæreditatem dirigitur; ita quoque Christus dicere voluisse videtur, quidquid hactenus viva voce vobis inculcavi, & quidquid feci, hoc totum eo fine factum est, ut vobis pretiosissimam pacis meæ relinquam hæreditatem : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

Christus omnia sua locutus est, ut pacem habeamus. — *Joan. 16. 33.* — *S. Aug. Tr. 104. in Joan.*

9. Accidit, quod Apostoli die quadam inter se contenderent : *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*; subito autem postquam id Christus advertit, hasce rixarum & discordiæ scintillas : ut confestim extingueret, adproperavit, prout in eodem loco S. Lucæ legitur, & pariter S. Matthæus capite vigesimo meminit. Unde S. Augustinus ait : *Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.* Idem similiter in sermone quodam in laudem pacis inquit : *Tu contenta in cunctis, tu ditior universis.* Idque per quamdam Theodoreti interrogationem confirmatur dicentis : *Si largieris nobis pacem omnium bonorum pleni erimus, & reportabimus à te perfectam gratiarum communicationem, nam bona quidem sunt omnia alia quæ à te conceduntur, sed nullum majus bonum à te habemus, quam pacem erga nosipsos, ut sine seditione tecum simus, & anima tecum pacata custodiatur.* Idem Theodoretus in historia Ecclesiastica narrat, Theodosium Imperatorem morientem pretiosissimam hanc filijs reliquisse hæreditatem, nam *utramque veram pietatem colere hortabatur, ea enim & pacem conservari, bellum extingui, hostes in fugam verti, trophæa erigi & victoriam denique constare dicebat.* Author quidem antiquus quemdam de pace sermonem his exorditur verbis : *O pax opulenta, & beatos inter pulcherrima divos. Divitias, sanitatem, annonam, vinum, voluptatem, pax confert. Quod si hæc omnia defecerint, perijt omnis communiter viventium vita.* Nazianzenus inquit : *Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conservatum, ubinam nos tanto jam temporis spatio reliquisti? Quando ad nos reditura es? Equidem te supra mortales omnes cupio, & exosculor, ac præsentem amplector, & nolentem multis lachrymis & luctibus revoco.* Vespasianus bona à pace derivantia, & specialiter abundantiam exprimere volens, multas in numismate quodam sculpi fecit à duabus manibus inter se simul adstrictis egredientes, ut per hoc pacem abundantiæ matrem esse insinuaret.

Luc. 22. 24. — Etiam pax in rebus terrenis maximum bonum est. — *Matth. 20. v. 25.* — *S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 11.* — *S. Aug. ser. 2. ad frat.* — *Theodoret. in orat. Isa.* — *Theod. Hist. Eccl. lib. 5. cap. 25.* — Narrantur bona pacis. — *Stobæus ser. 55. de Pace.* — *Nazianz. orat. 14.*

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Gloria titulo pacis insignitur, & ideo unio & concordia in hac vita æternæ salutis pignus existit.

THEMA.

Visi sunt oculis insipientium mori, ... illi autem sunt in pace. Sap. 3. v. 2.

Amore Dei angustiati sunt in pace.

1. SPiritus Sanctus qui sapientis calamum ad scribendum movit, de animabus electis pro amore Dei in hac præsenti vita angustiatis, quæ in mundanorum oculis mori & interire videbantur, differens, illas etiamnum pace, sive, quod idem est, in cœlo spirare manifeste asserit dicendo : *Illi autem sunt in pace*; idque adeo verum est, quod in fidelium auribus beatitudo, gloria paradisi, salus æterna idem prorsus sonet, quod pax, quies, & tranquillitas. Unde S. Mater Ecclesia laudabilem hunc habet usum, ut animabus morientibus regnum cœlorum annunciare volens, canat : *Requiescant in pace, requiem æternam dona eis Domine.* Et S. Bonaventura inquit : *Perpetuæ quietis terminus justorum est pax, unde & erit opus justitiæ pax.* Idem quoque Seraphicus Doctor ponderat verba illa : *Quoniam donum & pax est electis Dei; & dicit : Æternæ societatis pax æterna; sedebit populus meus in pulcritudine pacis.*

S. Bonav. ib.

2. S. Antoninus ex S. Ambrosio ingeniosam proponit quæstionem, cur scilicet Salvator octo beatitudines recensendo, post sextam scilicet : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, confestim subjungat illam : *Beati Pacifici.* En ipsissima S. Præsulis verba : *Ambrosius super Lucam, quærit rationem, quare congrue beatitudinem de munditia sequitur ista de pace dicens : Cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones ex affectu tuo procedant, à te pacem incipias, ut alijs pacem feras.* Possumus & aliud hujus assignare mysterium, videlicet, quod cum gloria cœlestis immediate in clara Dei visione consistat, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, merito confestim de pacificis mentionem instruit, utpote qui præ alijs digniores magisque dispositi sunt, ad claram hanc visionem sibi acquirendam, non solum propter divinam filiationem, & hæreditatem, sed quia cœlum nomen sortitur pacis Jerosolymæ, pacis visio dictæ. Pacem, qua anima aliqua in hac præsenti vita fruitur, quæque cum bona conscientia arctam habet connexionem. B. Laur. Justin. pignus vocat & arrham æternæ beatitudinis; nam in persona Christi in hæc verba loquitur : *Quamobrem pacem vos, ô amici mei, domestici mei, meique corporis membra, diligite, quam relinquo, pacem custodite invicem, quam mandando do vobis, ipsam tamquam futuræ beatitudini cautionem tenete.*

S. Antonin. P. 4. T. 7. c. 6. §. 7. — Pacifici magis dispositi sunt ad claram Dei visionem. — *B. Laur. Just. in fascic. amor c. 7.*

3. Mons Olympus in supremo vertice serenitate quadam gaudet, & quiete imperturbabili, quia *nubes excedit Olympus*, ut Poëta ille cecinit; ad cujus tamen latera venti spirant impetuosi, circumvertunturque circa illum obscuræ nubes, navibusque & glacie adimplentur. Hic autem mons figura est animæ alicujus electæ, quæ quantum ad partem superiorem, quæ pacificata est, & quieta, futuræ gloriæ fruitur præludijs, quantumvis in parte inferiori non desint tentationes & motus hujus nostræ recalcitrantis humanitatis; Unde idem Apostolus *raptus ad tertium cœlum, Raptus in paradisum*, ait quidem *nihil mihi conscius sum*, & tamen conquerebatur dicens : *Stimulus carnis colaphizat me; Quod nolo malum, hoc ago.* S. Bernardus super illum Psalmistæ versiculum : *Quis ascendet in montem Domini?* inquit : *Annon mons pacis, pax super pacem pax quæ exuperat omnem sensum? plane mons magnus, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab omnibus Dæmonibus, pax cum Deo, & pacis non erit finis.* Quod si homo super hosce montes ascenderit, in vertice illius montis inveniet se positum, de quo scriptum est : *Mons domus Domini in vertice montium.*

Anima pacifica est veluti Mons Olympus in summitate quietissimus. — *2. Cor. 12. 2.* — *2. Cor. 12. 4.* — *1. Cor. 4. 4.* — *2. Cor. 12. 7.* — *Rom. 7. v. 19.* — *Psal. 23. v. 3.* — *S. Bern. super Psal.* Quis ascendet in montem Domini.

4. S. Paulus ad Hebræos scribens, hoc suggerit consilium : *Pacem sequimini cum omnibus*; at verò quisnam erit hujus concordiæ cum omnibus; etiam cum inimicis, indigne nos tractantibus conservatæ fructus? Idem Apostolus subdit : *Et sanctimoniam*, quasi dicere vellet, animam hoc modo sanctificari, & in cœlis acquirere perpetuum Sanctorum consortium; *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Celebre est illud Apostoli testimonium, in Epistola ad Romanos traditum, dicentis : *Non est enim Regnum Dei esca vel potus, sed justitia & gaudium, & pax in Spiritu Sancto*; Quo scripturæ loco Albertus Magnus utitur, quando de mulieri forti à Sapiente descripta differens in hæc verba loquitur : *Pax autem ista est, & fruuntur ea Sancti, & est tranquillitas, & quies cordis, in gustu Dei quietante omnia nostri desiderij inquieta, quæ pax est, quam Dominus dedit, & reliquit Apostolis : Joan. 14.* Hieron. super illum Psalmi versiculum : *Et factus est in pace locus ejus*, ita scribit : *Locus Dei non est, nisi in anima, quæ pacem habet; quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, hæc est Salvatoris hæreditas*; hæreditas enim cœlestis in pace consistit.

Hebr. 12. v. 14. — Fructus pacis est sanctificatio. — *Rom. 14. 17.* — *Albert. Mag. de muliere forti cap. 12. §. 1.* — *S. Hieron. in Psal. 5.*

5. *Pax est cœli linguagium*, inquit Doctor Seraphicus, *Quia Christus illud idioma loquebatur, quando venit de templo, dixit enim Apostolis, pax vobis post resurrectionem quando erat immortalis. Tale linguagium etiam locuti sunt Angeli, qui sunt cœli cives, dixerunt enim in ortu Christi, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax; tale etiam idioma loquebantur Discipuli, quia dictum est eis à Christo : In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui :* Idem quoque Seraphicus Bonaventura super cap. 15. S. Joannis ita scribit : *Post hanc pacem, dabit pacem suam in cœlis, sicut ait hic : Pacem meam do vobis, quando sine hoste regnabimus, ait Augustinus, tunc enim verificatur illud Propheta : Qui posuit fines tuos pacem; Ut enim ait Anselmus, Concordia est unam de bonis patriæ, quia omnium erit una voluntas, in lætitia egrediemini, & in pace deducemini.* Idem Seraphicus Doctor in Procemio super Ecclesiasten, fundamenta declarat supernæ illius Jerusalem, de qua Ecclesia ita canit : *Urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio*; ita enim scribit : *Superna civitas, quia fundata est in charitate, quæ erigit ad æterna, in æternis quiescit, & in eis beatitudinem ponit.* Amor enim & charitas omnium beatorum voluntates concorditer unit, & conjungit. Idem Doctor Seraphicus super cap. 14. S. Joannis, ex authoritate S. Augustini ita scribit : *Quoniam Deus charitas est, per charitatem fit, ut quod habent singuli, commune sit omnibus, sic enim quisque etiam ipse habet, quia amat in altero quod ipse non habet*; hic enim amor reciprocus summam

S. Bonav. in Dieta salut. T. 7. cap. 6. — Pax est sermo cœlestis. — *S. Bonav. Joan. 15.* — *S. Bonav. in Procem in Ecclesiasten.* — *S. Bonav. in cap. 14. Joan. collat. 63.*

mam inter illos conciliat unionem & concordiam. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha ad idipsum explicandum aptissimam adducit similitudinem, inquiens: *Uniuscujusque gloria omnium communiter gaudium & lætitia erit, qualis enim nunc concordia est inter omnia membra corporis nostri, talis erit inter omnia membra illius supernæ civitatis.* Disunio enim à voluntatum discrepantia solet procedere, inter illas autem animas, illosque spiritus, non nisi unicum tantum velle vigebit, scilicet velle ipsiusmet Dei, dicente S. Anselmo: *Omnibus erit una voluntas, quasi nulla esset illis nisi Dei voluntas adeo erit omnibus plena concordia & ideo sicut illi nolunt aliud, quam quod ille, ita ille volet, quidquid volent illi, & ideo filij Dei, & Dij vocabuntur.*

S. Bruno ser. 6. de Confess. Inter beatos omnium unicum est velle, nempe, velle ipsiusmet Dei. *S. Anselm. Prosol. c. 24.*

6. S. Joannes in Apocalypsi ad supernam illam Jerosolymam elevatus, suos in illam defigens obtutus, duodecim illius consideravit portas, dum ita scribit: *Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres; & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres.* Hæ autem variæ portæ, quarum una ab altera discrepat, præfigurabant, quod in cœlos ingressus patebit diversis statibus personarum, varijsque animabus electis, vocationibus, professionibus, sexu, & climate inter se differentibus & discrepantibus. At vero dicite sodes, si nostris, ex quo civitas illa ex auro purissimo est pavimentata, juxta illud hymni Ecclesiastici: *Plateæ & muri ejus ex auro purissimo*, ex quibusnam lapidibus pretiosis portas illius distinctas & fabricatas esse existimatis? Num forte ex Rubinis, Topazijs, Smaragdis, vel Adamantibus? minimè gentium; *Sed duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis*; ac proinde in eodem hymno canit Ecclesia: *Portæ nitent margaritis, aditis patentibus illuc introducitur, omnis qui ob Christi nomen hic in mundo premitur.* At vero cur potius ex margaritis, quam ex alijs gemmis portæ illæ constructæ esse dicuntur? Num forte ideo, quia margaritæ symbolum sunt lachrymarum, quæ, utpote veræ compunctionis partes, securum nobis præstant in cœlos ingressum? aut vero quia magaritæ divinam symbolizant gratiam, quæ veluti moneta quædam est, ad comparandam gloriam; Cum enim Margarita rore mediante in conchylio generetur, proprium est gratiæ symbolum? Respondeo, hæc quidem omnia optime dici, verumtamen mysterium, quod proposito nostro vel maxime servit, ex sermone Latino deducitur, quo Margaritæ *unio*, vel *uniones* appellantur, meritò igitur Magaritæ illas Paradisi portas venustant, & locupletant, ut per hoc denotetur, quod unio, pax & concordia, quæ nos ad invicem stringit in terris, & conjungit, aditum nobis & ingressum præstet in cœlum, ubi aliæ non sunt animæ, quam illæ quæ per summam unionem & charitatem inter se conjunctæ, in illa cœlesti Hierosolyma pacis unione fruuntur. Confirmant hoc ipsum sequentia B. Petri Damiani verba: *Illic omnium mentes in mutui amoris unione conflatæ, nulla invicem varietate dissentiunt, sed in communi voluntatis studio omnes unanimiter fæderantur.* S. Ephrem in tractatu *de Patientia & Consummatione sæculi* in hæc verba exclamat: *O quies scala cœlestis! O quies via regni cœlorum! O quies compunctionis mater! O quies pœnitentiæ Conciliatrix!*

Margaritæ id est uniones venustant portas Paradisi. *Ap. 21. v. 13.* *S. Petr. Dam. lib. 7. Epist. ult.* *S. Ephrem.*

7. S. Augustinus super Psalmum centesimum vigesimum septimum sequentem tradit egregiam ponderationem, inquiens: *Magnum bonum pax vocabatur; quærebatis quid vocaretur? aurum est? an argentum est? an fundus? an vestis? Pax est. Non pax qualem inter se habent homines, infidam, instabilem, mutabilem, incertam, nec pax talis, qualem ipse unus secum habet homo; diximus enim quia secum pugnat homo, usquequo enim domet omnes cupiditates, adhuc pugnat. Qualis ergo pax? quam oculus non vidit, nec auris audivit; qualis pax? De Jerusalem, quia Jerusalem interpretatur visio pacis. Si ergo benedicat te Dominus ex Sion, & videas bona quæ sunt Jerusalem, & videas omnes dies vitæ tuæ, & videas non filios tuos tantum; sed filios filiorum tuorum, tunc pax erit. Quid est filios tuos? Opera tua quæ hic agis. Qui sunt filij filiorum? Fructus operum tuorum. Facis Eleemosynas? filij tui sunt; propter Eleemosynas suscipis vitam æternam? Filij filiorum tuorum sunt; videas filios filiorum tuorum, & erit quod sequitur; Pax super Israel.* Quamdiu in hac vita moramur, difficile est vera pace gaudere, siquidem *militia est vita hominis super terram*: Et ideo Ecclesia solis mortuis pacem annunciat, dicendo: *Requiescat in pace.* Blosius hac de re scribit sequentia; *In nobis ipsis qualis pax? Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Ubi plena pax in uno homine? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; tunc erit plena pax, tunc firma pax. Nihil tunc litigat adversus animam in homine, non ipsa adversum se ex quadam parte saucia, non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non æstus, non frigus, non lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non certe ipsa solicita cautela; & vitandi inimici, & diligendi. Hæc omnia fratres mei litigant adversum nos, nondum est plena & perfecta pax.* Ipse P. Augustinus Tract. in Psalm. 36. *super his verbis: Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, sic ait: Terra est illa, de qua sæpe locuti sumus, Jerusalem sancta; Mansueti liberabuntur de peregrinatione ista, & in æternum vivent cum Deo, & de Deo. Ergo hæreditate possidebunt terram. Quæ erunt divitiæ ipsorum? Delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hic impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diversarum, vinolentiæ, lautissimorum, & luxuriosorum conviviorum Nonne etsi semper hæc haberet, plangendus esset? Quæ erunt autem deliciæ & divitiæ tuæ? multitudo pacis. Aurum tuum pax; Prædia tua pax; vita tua pax; Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit.* Hujus autem pacis, qua beati in visione pacis fruuntur, securum in manibus pignus tenent illi, qui in hac vita unionem & concordiam cum proximis, pacemque interiorem cum semetipsis diligunt & sectantur; Nam ut S. Cyprianus ait: *Christus omnia dona suæ pollicitationis, & præmia in pacis conservatione promittit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus; si filij Dei sumus, pacifici esse debemus.*

Pax dicitur vita æterna. *S. Aug. in Psal. 127.* *Blos. lib. 3. cap. 16.* Perfecta pax in cœlo est. *S. Cypr. lib. de Unit. Eccl.*

8. In alijs beatitudinibus observandum est, quod pauperibus cœlorum regnum promittatur; Terræ possessio mansuetis, famelicis saturitas, flentibus & persecutionem patientibus consolatio; ijs vero qui pacem diligunt divinæ filiationis adoptio expresse conceditur, unde hæreditas superna paradisi per necessariam consequentiam subinfertur; nam *si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Nescio an aliquando notaveritis, quod postquam in hymno illo cantatum est; *Urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio,* statim subjungatur: *Quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus*, hi autem lapides primo instrumentis fabrilibus tunduntur, expoliuntur, & quadrantur, postea vero simul uniti in ædificij illius fabricam adhibentur, unde auctor quidam ita scribit: *Videmus structores murorum, quando jungere volunt lapides, modo unum laterem dividere, modo truncare, ut cum vicino latere cohæreat, ut sic ambo simul stare possint: Pari modo, ut cum proximis in pace possimus persistere, necesse est, quando alter nimium occupat spatij, fastu turget, vi & potentia sua se expandit, ut de via ipsi cedamus, & de jure nostro aliquid remittamus.* Quibus verbis modus nobis insinuatur, quo facile ad supremum illum honorem pertingere valeamus, ut scilicet simus lapides illius ædificij strictè simul inter se per charitatem & pacem uniti & conjuncti; in tantum enim structura alicujus fabricæ bona est, in quantum illius lapides in se bene apteque uniuntur.

Per specialem prorogationem ijs, qui diligunt pacem conceditur adoptio divinæ filiationis. *Veteres Hymni.*

9. Ad hoc ut nobis constet, qualis pax à nobis in hac vita amanda & colenda sit, priusquam ad vitam illam immortalem perveniamus, notanda est sequens S. Hieronymi doctrina dicentis: *Tertius fructus Spiritus est pax, à qua Salomon quoque, qui in typo Christi præcessit, nomen accepit, & de Ecclesia Psalmista canit: Factus est in pace locus ejus, & inter octo beatitudines Evangelij scribitur: Beati pacifici. Nec putemus pacem tantum in eo esse quærendam, si cum alio non jurgemur, sed tunc pax Christi, id est, hæreditas nostra nobiscum est, si tranquilla mens nullis passionibus perturbetur.* Observanda quoque est sequens S. Augustini super Psal. 75. insignis observatio, dicentis: *Notus in Judæa Deus in Israel magnum nomen ejus, & factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Judæa enim confessio interpretatur, Israel autem videns Deum; Post Judæam Israel, sic hic positum est: Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Deum vis videre? Prius confitere tu, & sic in te ipso fit locus Dei, quia factus est in pace locus ejus; quamdiu enim non confiteris peccata tua quodammodo rixaris cum Deo.* Ut igitur beata civitatis Dei pace fruamur, non sufficit unionem habere cum proximis, verum insuper necessaria est pax, de qua Psalmista canit: *Pax multa diligentibus legem tuam.*

Pax Evangelica consistit in animo quieto. *S. Hieron. ad Gal. 5.* *Psal. 75. S. Aug. ibid.*

Factum est prælium magnum in cœlo, ut in Apocalypsi legitur, in quo omnes Angeli præliabantur, sed differenter unus ab alio; Angeli enim mali pugnabant, ut adversus Deum rebellarent; Boni vero ex zelo divini honoris à Lucifero & sequacibus ejus contumeliati. *Ex Angelis his, qui seditionem concitarunt, dignas arrogantia sua pœnas dedit*, inquit Nazianzenus, *reliqui in sua dignitate perstant (cujus primum illud est, quod pacati sunt, ac dissidij expertes) quippe qui à sancta & laudanda Trinitate hoc acceperunt, ut unum sint, quemadmodum & ab eadem illuminationem acceperunt. Nam & illa Deus unus est, & esse creditur, non minus propter concordiam, quam propter eamdem essentiam. Itaque omnes ij, qui pacis bonum amplectuntur, eique contrarium discordiam, & dissensionem infensè oderunt, ad Deum, & ad divinas mentes accedunt, contra, qui ijs sunt moribus, ut pugnis gaudeant, adversæ partis sunt.*

Nazianz. orat. 12.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

De hilaritate & gaudio interiori, quam pax communicat animæ.

THEMA.

Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum. Psal. 132. ℣. 1.

1. INnumera sunt bona, quæ ab unione, & concordia cum proximis nostris dimanant, si tamen illam prius in nobisipsis nutriamus, & postea eamdem alijs inferre satagamus, id quod Psalmista melius exprimere nescivit, quam per hæc verba: *Ecce quam bonum, & quam jucundum*; illis namque verbis utilitatem pariter, & jucunditatem, quæ ex pace resultat, insinuat; non enim ei sufficiebat dicere *quam bonum*, nisi insuper adderet: *Et quam jucundum*, quia pax vultum habet serenum, jucundum, & lætum.

2. S. Bonaventura super illum Psalmistæ versum: *Pax multa diligentibus legem tuam*; tria distinguit pacis genera, inquiens: *Quid enim est pacis multiplicitas; nisi multiplex tranquillitas? In illa multitudine pacis delectantur dilectores divinæ legis: Sed notandum circa pacis solatium, quod legitur pax custodiens; pax exiliens; pax adimplens, quarum prima dicitur initiativa; secunda provectiva; tertia perfectiva: De prima: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum; custodiat corda vestra; Ecce pax custodiens: De secunda: Pax Christi exultet in cordibus vestris, quæ est pax exiliens, quis enim sic exultat quin exiliat? sed qualiter pax exiliat, vel exilire faciat, experientia melius, quam eloquentia dogmatizat.* Adducit quoque super caput 15. S. Joannis, laudem quamdam à S. Augustino in sermone quodam Paci attributam, inquiens: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* Inter alios fructus à Spiritu Sancto, qui vera est animarum electarum lætitia, derivantes, quos Apostolus ad Galatas scribens specificat, unus pax est; At verò observandum, quod antecedenter gaudij mentionem faciat, dicit enim: *Fructus autem Spiritus, gaudium, pax, &c.* Quasi vellet dicere, quod partus gaudij sit pacis serenitas, qua interius fruimur. Berchorius nos in virtute pacis suavissimas Dei visitationes recipere docet, dum ita scribit: *Per hanc spiritualiter visitamur, Deus enim viros pacificos visitat, & cum ijs spiritualiter habitat, & eorum consortium diligit, & frequentat.* Hugo à S. Victore inquit: *Triplex est nobis bellum à conscientia, quæ peccatorem accusare non cessat, à carne, & Dæmone, quæ etiam justum consequuntur, à fratre, & proximo, qui etiam perfectum conturbare conantur: Deus autem, qui corda aperit in lege sua, & in præceptis suis, triplicem pacem facit in homine. Primam pacem per pœnitentiam, cum deleto peccato ipsam conscientia accusare non potest. Secundam per justitiam, cum justus exercitio bonorum operum carnem domuerit, juxta Apostolum: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, & cum sic omnia inimici tela extinxerit. Tertia quoque non solum tenens nullis prosperis extollitur, nullis adversis movetur, æque acceptans prospera, ut adversa, ut vere dicatur: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum, Conscientia cessante à primo bello, carne & Dæmonibus; à secundo, homine ita perfecto, ut aliquo scandalizante, scandalum non accipiat, sed quantum in ipso est, & cum scandalizaverit pacem habeat; In patientia possidet animam suam.* S. Ambrosius quoque hujus pacis considerat jucunditatem, quando ait: *Sit inter vos pax, quæ super omnem sensum est. Amate vos invicem; nihil charitate dulcius, nihil pace gratius; Et vosipsi scitis, quod præ cæteris vos semper dilexi, & diligo: quasi unius fratris filij coaluistis in affectum germanitatis.*

Triplex datur pax. *Ps. 118. 163.* *S. Bonav. ib.* *S. Aug. ser. 57 de ver. Dom.* *Gal. 5. v. 22.* Contra triplex bellum. *Berchor. reduct. mor. verbo Pax.* *Hugo de S. Vict. Tom. 3. Erud. Theol. ex miscel. 2. lib. 1. tit. 41.* *S. Ambr. lib. 2. de offic. cap. 30.*

3. S. Thomas de Villa nova in Concione prima de Pentecoste, considerans quod Spiritus sanctus super fideles illos in Cœnaculo simul & concorditer congregatos, ita scribit: *Cum fratribus quærenda concordia; Unde erant omnes pariter in eodem loco, ipse enim inhabitare facit unius moris in domo. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Deus pacis est, & dissidentibus non cohabitat; Unde Apostolus: Habete pacem, & Deus pacis erit vobiscum; Neque sufficit, si alijs es pacificus, nisi fueris etiam tibipsi quietus. Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus; nisi super humilem & quietum.* Idem Sanctus Archipræsul interrogat, sive ut melius dicam conqueritur, quod Evangelistæ harmoniam qua Angeli mundo pacem annuntiarunt, non magis specifice expressferint, sed tantum dicatur: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, canentium & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax. O si quis audisset, vel saltem quis nosceret, qualia cantica, & quibus ea modulis & vocibus personarunt. O Evangelistæ sacri; cur nos tanto gaudio & consolatione fraudastis? Cur non ad longum Angelicos istos cantus recensuistis?* Forsitan dici posset, hominem incapacem esse, ut suavitatem quamdam inexplicabilem, qua cum Spiritus Angelici pacem annuntiarunt, de qua non sine mysterio Psalmista ait: *Et quam jucundum*, intelligere posset, quia sicut de dulcedine mannæ scribitur; *nemo scit, nisi qui accipit*, ita quoque cantus illius dulcedinem nemo valet percipere, nisi qui concinit illum. Deus Pacem ab Angelis (qui in illo gaudiorum beatorum oceano natant, juxta illud: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; Torrente voluptatis tuæ potabis eos*) cum cantibus & melodijs annuntiari voluit, ad denotandum gaudia, consolationes, & dulcedines incomparabiles, quas pax animabus serenis, & tranquillis, nec non cum voluntate Dei conformatis communicat: *Pax hominibus bonæ voluntatis; Pax multa diligentibus legem tuam.*

Spiritus Sanctus descendit super concorditer congregatos. *S. Thom. de Villa nova Conc. 1. in Pent.* *S. Thom. à Villa nov. ser. de Partu Virg.* *Ps. 45. v. 5.* *Lucæ 2. 14.* *Ps. 118. 165.*

4. Albertus Magnus super illa verba: *Pax vobis*, quibus Christus post resurrectionem suam gloriosus Apostolos suos salutavit, ita scribit: *Pax dicitur hic dulcedo Pacis, quæ gustata pacat hominem, ut de cætero à nullo inquietetur. Hæc Pax est gustus, & fructus æternæ dulcedinis; quæ etiam inter tormenta martyres servavit in dulcedine sui spiritus.* Porro Deus apud Isaiam Pacem flumini cuidam assimilavit; alludendo per hoc ad consolationum spiritualium abundantiam, quæ ab hac in animam perfectam dimanant; ita enim ait: *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen Pax tua; id est*, ut Carthusianus exponit, *tranquillitatem copiosissimam habuisses, quæ propter suam exuberantiam fluvio comparatur.* Porro Apostolus non solum ad Galatas scribens, pacem gaudij germen, & partum esse affirmat, verum etiam ad Romanos in hæc verba scribit: *Non est enim regnum Dei esca, & potus, sed justitia & Pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Enimvero ad Galatas scribens Ly *gaudium*, præmisit, quod in Epistola ad Romanos postposuit, ut per hoc nobis insinuaret, veram pacem suam à vera consolatione & lætitia trahere originem, & pariter ejusdem lætitiæ esse genitricem. Verumtamen observandum, quod apud S. Thomam Aquinatem in Commentario hujus textus scriptum reperitur: *Regnum Dei*, inquit, *dicitur hic, id, per quod Deus regnat in nobis, & per quod ad regnum ipsius pervenimus, de quo dicitur Matthæi sexto. Adveniat regnum tuum: Deo autem conjungimur & subdimur, per interiorem intellectum & affectum. Regnum Dei principaliter consideratur secundum interiora hominis, non secundum exteriora; Unde dicitur* Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est*; advertendum quoque est, quod S. Paulus in eodem loco subjungat dicens: *Sectemur ea quæ Pacis sunt, id est, studeamus adimplere, per quæ Christianorum pacem conservemus.* Ecquid igitur excellentius in laudem Pacis dici poterit, quam quod regnum Dei, beatitudo, gaudium cœleste appelletur? Cajetanus inquit: *Hæc tria interna, scilicet justitia continens omnem virtutem, & pax tollens omnem perturbationem tam intus, quam extra, & gaudium, non sæculare, sed in Spiritu Sancto perficiunt substantiam regni Dei.* B. Laurentius Justinianus pariter hujus gaudij, quod pacem sub-

Joan. 20. 21. *Albert. Mag.* Pax est gustus æternæ dulcedinis. *Isai. 48. 18.* *Dion. Carth.* *Rom. 14. 17.* *Galat. 5. 22.* *S. Thom.* *Luc. 17. v. 21.* *Rom. 14. 19.* *Cajet. ibid.*

B. Laur. Just. Fascic. amor. cap. 7.

subsequitur, mentionem facit, dicens : *In perfectione mandatorum Christi pacem consequamur & possidemus, testante Propheta, qui ait : Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. In Pacis igitur adoptione fragores mundi, contradictiones hominum, vitiorum bella vitamus. Replemur dilectione, delectazione pascimur, illuminamur fide, sensu fecundamur, & imbuimur sapientia, ista procul dubio ignorant carnis desideria sectantes, minimeque reperiuntur in cordibus peccatorum.*

In solo Deo vera pax est.

5. Idem S. Patriarcha in cap. 16. ejusdem libri, de tranquillitate & suavissima pace, quam Deus religiosis suis communicaverat differens, eosdem in hæc verba alloquitur : *Communicabo vobis pro Dei gloria, vestroque profectu, quod in cordis penetralibus occulte percepi : Eram & ego aliquando vestri similis, quærens anxio, æstuantique desiderio pacem in extrinsecis, nec inveni. Tandem divina prævenius gratia, dum sic laborarem, speciosissima quædam sole splendidior, balsamoque suavior mihi apparere dignata est, cujus omnino nomen ignorabam. Hæc namque propius accedens, venusto vultu, placidoque affatu inquit : O Juvenis in me diligendo, cur effundis cor tuam, pacemque sectando, vagaris per multa ? quod quæris, in me est, quod concupiscis, tibi polliceor sponsoque si tamen me in sponsam habere volueris.* Ex hisce autem phrasibus, quibus pax huic sancto se insinuavit, suavitas & consolatio interior, quam illi communicavit evidenter deducitur, siquidem inter alia S. hic Pater dicit, quod illi apparuerit *balsamo suaviori.*

B. Laur. Just. cap. 16. ibid.

Etsi caro pacifici multa patiatur anima tamen non contristatur.

6. Quisnam in dubium revocare poterit, quin vita nostra præsens continua quædam, nec umquam intermissa sit militia & bellum, juxta illud : *Militia est vita hominis super terram ?* Expertus idipsum fuit S. Paulus, dum ad Corinthios in hæc verba scribit : *Nullam requiem habuit caro nostra sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores.* Verumtamen bene observandus est modus loquendi Apostoli, ait enim : *Nullam requiem habuit caro nostra* ; non ignorat de mente, & corde loquitur, quoad hoc enim verissimum est illud Sapientis axioma dicentis : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* At vero quæres fortasse, quisnam modus observandus sit, ut inter illa sensus cum ratione, carnisque cum spiritu certamina, veram quamdam quierem & pacem nobis acquirere valeamus ? modum hunc Salvator noster qui ab Apostolo. *Pax nostra* appellatur, nos docet sequentibus verbis : *Tollite jugum meum super vos*, moxque hujus sequentem assignat rationem ; *Jugum enim meum suave est* ; ar vero undenam procedit, quod cum sit jugum, nihilominus suavitatem secum asferat, & consolationem, juxta illud : *Pax multa diligentibus legem tuam* ; Nimirum quia in divinorum præceptorum adimpletione conscientia nostra tranquillissimam quietem, suavissimamque pacem acquirit, ideoque subdit : *Invenietis requiem animabus vestris,*

Eph. 2. 14. Matth. 11. v. 29. Ibid. v. 30.

Ps 118. v. 165

7. S. Thomas beatitudinem illam : *Beati Pacifici, &c.* exponens, sequentem adducit Isaiæ cap. 48. propheticum textum : *Non est Pax impiis*, subditque : *Pacem enim interio em impij habere non possunt* ; illudque probat authoritate libri Sapientiæ, ubi dicitur : *In magno viventes inscitiæ bello, tot enim & tam magna mala pacem appellant.* Ecquis est, qui oleum gaudij spiritualis symbolum esse ignoret ? ideo enim Psalmista ait : *Ut exhilaret faciem ejus in oleo* ; & iterum : *Unxit te Deus oleo lætitiæ* ; A quanam vero arbore hic liquor emanat ? ab illa nimirum, quæ pacis est symbolum, scilicet ab oliva. S. Augustinus autem super illum psalmi versum : *Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ*, ita scribit : *Dicatur quales esse debent filij, quales Pacifici. Quare Pacifici ? quia beati Pacifici, quia ipsi Filij Dei vocabuntur : Quia ergo in oliva fructus est pacis, oleum enim pacem significat, sive charitatem, sine charitate nulla pax est.* Quamnam obsecro anima majorem desiderare potest consolationem, quam ad filiationem ipsissimet Dei adoptari ?

Matt. 21. 29 Matth. 5. 9. S. Thom. ib. Isai. 48. 22. Ab oliva symbolo pacis provenit oleum lætitiæ. Sap. 14. 22. Ps 103. 15. Psal. 44. 8. Psal. 127. 3 S. Aug. ibid.

Similitudo inter, sanctissimam Trinitatem & Pacificum.

8. Vir quidam valde illuminatus pie contemplatur, quod inter sanctissimam Trinitatem, & virum pacis amantem, haud exigua intercedat similitudo, unde ait : *Est quidam typus sanctissimæ Trinitatis, in qua sunt tres personæ, una tantum Deitas, una voluntas, unus amor, unus omnium consensus* ; & ideo, ut in primo discursu probavimus, Deus pacis nomine insignitur : *Ipse est pax nostra.* Merito igitur Nazianzenus : Pax *amicam non re domaxat, sed nomine quoque ipso jucunda.* Et in ejusdem pacis encomium mox subdit ; *Pax amœna, meditatio mea, & decus meum, quam Dei, & cujus Deum, & quam Deum esse credimus, velut in illis Apostoli verbis patet : Pax Dei : Et Deus Pacis* ; *& ipse est Pax nostra, ac ne sic quidem eam reveremur.* S. Antoninus quoque gaudium, quod à pace interna recipitur, commemorat ; Nam de fructibus Spiritus sancti differens inquit : *Tertius fructus est pax ; Unde in figuram columba, in cujus specie apparuit Spiritus Sanctus super Christum baptizatum attulit ramum olivæ, qui est signum Pacis, ad Noë in arcam* : Enimvero omnes aliæ arbores tempore diluvij eradicatæ erant, oliva autem in sua viriditate permansit, absque eo quod folia aut fructus suos amitteret, attulit enim columba *ramum olivæ virentibus foliis*, ad denotandum, quod Pax efficiat, ut in nulla umquam ærumna aut adversitate serenitatem & lætitiam interiorem amittamus ; *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

Ephes. 2. 14. Matth. 11. v. 29. Ibid. v. 30. S. Antonin. 4. P. T. 5. C. 21. §. 1. Gen. 8. 11. Prov. 12. 21.

9. De Alphonso Rege Aragoniæ & Siciliæ scriptum reperio, quod dum ad bellandum contra Turcicam confœderationem cum Principibus Christianis iniret, suos ad generosè pugnandum animare volens, in hæc memorabilia verba prorupeit : *Si vincemus, terram ; si vincemur, cælum habebimus.* Quod si anima quæ in gratia & amicitia Dei consistit, quæque bonæ conscientiæ serenitate gaudet, à sinistris eventibus infestetur, non propter hoc internam animi tit quietem, tametsi etiam ei contingat, quod deplorat Apostolus inquiens : *Foris pugnæ, intus timores* ; Omnia enim ex puro Dei amore hilariter sustinens, pacis visione minime defraudabitur.

Dictum Alphonsi Regis. Ludov. Mar. ficul. de Mirab. Hisp. lib. 11.

10. Ecclesiasticus caput 25. ab his verbis orditur : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus : Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulher bene sibi consentientes.* Ubi advertendum est, quod Ecclesiastici calamus verba illa in persona divinæ nobis patientiæ noticet, ad insinuandum, quantum Deo placeat concordia & unio, non solum cum nobismetipsis, verum etiam cum proximis conservata. Porro Jansenius prædicta verba ita exponit : *In tribus decorata sum, & surrexi decora.* Vatablus legit : *Tria me exhilarant, & coram Deo simul & hominibus condecorant.* Biblia Regia habent : *In tribus pulchra facta sum* ; ex quibus omnibus versionibus colligitur, quod divina Sapientia in mutua nostra concordia & unione, summopere gaudeat sibique complaceat.

Eccli. 25. 1. Pax grata est Deo & hominibus. Jansen. Vatab. Bibl. Reg.

11. Refert Palladius S. Abbatem Paphnutium sanctitate celeberrimum, qui multis annis in extremis rigoribus in eremo vixerat, hanc à Deo accepisse revelationem ; quod videlicet pari in cœlo præmio donandus esset, quod viro cuidam sæculari in urbe Heraclea inter mundanos viventi destinatum erat, quapropter eum videre cupiens Heracleam profectus, eum in matrimonio cum uxore viventem invenit ; ita tamen, quod post secundam prolem, ex mutuo consensu, cum conjuge sua continenter viveret ; quod vero in ipso quam maxime relucebat, quodque Deo summopere placebat, hoc erat, quod scilicet discordes ad veram pacem & concordiam reducere solitus fuerit. Simili modo in vita B. Veronicæ de Binasco legitur, Christum ei sequentia revelasse : *Nunquam à mortalibus explicari posset, quam mihi grata sit pax sancta inter fratres reperta, quantumque dixim fructus asferat.* Observandum est insuper, quod postquam Psalmista dixisset : *Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, confestim subdat : *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem :* Circa quæ verba D. Chrysostomus quærit : *Ubinam ?* & respondet : *In tali habitatione, in tali Concordia, in tali consensu, in tali contubernio.* Audiamus hac de re S. Bernardinum in hæc verba scribentem : *O quam angelica vita, exemplaritas hominibus bona, videre aliquos fratres spirituales, vel corporales, atque carnales quando minores honorant, & in omnibus præponunt majores, & majores minoribus dulciter condescendunt, fideliter regunt, atque æquales invicem, & omnes invicem se supportant in charitate : & in vinculo pacis. Tales quidem in terra jam Angelicè conversantur, ad quod Cassiodorus hortatur : Habeatis vositatem Spiritus in vinculo pacis, nec enim inveniri potest forma expressior Angelicæ conversationis, quam unitas socialis.* Nec mirum, cum enim in religionibus, hominumque virtuosorum convictu vera hæc pax reperiatur, consequenter solitum sibi gaudium deesse non poterit. Idem quoque D. Chrysostomus his verbis confirmat : *Vide non parvam spectem præsentiæ, quod pace fruantur, qui sunt Deo dedicati. Pax est enim ejs, qui legem tuam diligunt, & non est ipsis offen-*

Pallad. c. 64. Revelatio facta S. Paphnutio. Bolland. 13. Jan fol. 90. Ps 132. v. 1. D. Chrysost. ibid. S. Bernardin. Tom. 2 ser. 40. art. 3. c. 4. Vita pacifica, est angelica. Chrysost in Psalm. 4.

sendiculum, nihil enim æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio, & veritatis possessio, quæ animi perturbationem internam bellum domo procul ejicit, nec permittit, ut homo cum seipso seditiones agitet. Blosius in Paradiso animæ cap. 14. in hæc verba exclamat : *O Pacem desiderabilem, quæ omnem sensum exuperat, omnem intellectum transcendit ! O Pacem jucundam, qua mens ad interiora rapitur, & omnium rerum externarum oblita, feliciter conquiescit in Domino ! O Pacem amabilem per quam, & in qua spiritus seipsum supergressus, atque in divitias ineffabilis gloriæ absorptus, totus in Deum transit.*

Blos. Par. sol. anim. c. 14.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Discordiæ zizania seminare, opus est Diaboli, qui ideo Pacem odit, quia hæc illi bellum movet, eumque vincit & debilitat.

THEMA.

Inimicus . . . superseminavit zizania. Matth. 13. ℣. 25.

Diabolus seminat discordias.

1. PAx nullum habet truculentiorem, & implacabiliorem inimicum, quam Dæmonem, qui tempore somni, id est quietis pacificæ cujusdam concordiæ, zizania dissensionum & rixarum seminare pro viribus contendit ; Unde scriptura ait : *Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania*, ac proinde valde opportunum est illud S. Aug. monitum : *Custodienda omnibus viribus Pax est, quoniam Deus semper in pace est ; non habeat locum, quo obrepat inimicus, ne in tritici segetem valeat zizania seminare.* Idem S. Doctor paulo ante dixerat : *Plantare pacem radicitus, Dei est, evellere penitus, inimici ; Amor fratris ex Deo est, odium ex Diabolo constat.* Unde Salvator noster irreconciliabile odium videns, quo Judæi sine ulla data causa illum prosequebantur (licet plurimis ab illo condecorarentur beneficijs) isdem dixit : *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio.* Etenim spiritus malignus, ex solo invidiæ motivo, genus humanum à principio persequi cœpit, nec umquam ei est reconciliatus, nec cum eo pacificabitur in æternum ; quin potius incessanter, sine ullo interjecto somno, rixarum & contentionum zizania inter nos seminare satagit ; ac proinde Salvator noster in ultima petitione orationis Dominicæ, ita nos orare docuit : *Sed libera nos à malo* ; ubi advertendum, quod non dixerit *à malis*, sed *à malo* ; scilicet à maligno spiritu, ut bene observavit D. Chrysostomus inquiens : *Malus est per excessum malitiæ, & quia cum nihil sit Jesus à nobis, inconciliabili adversus nos certamine præliatur, & idcirco non dixit : Libera nos à malis, sed à malo, nos videlicet eruditus, nusquam adversus proximos amanitas commoveri, propter ea quæ ab ijs patimur mala, sed ab ijs in illum transferre inimicitias, quasi in conatorum scilicet caput, & causam malorum.* Quæ doctrina utique utilissima est, scilicet quod omnium malorum & injuriarum à proximis receptarum, propter quas ad rancorem & odium provocamur, non fratres nostros, sed Dæmonem causam esse arbitremur, siquidem ab illo non verò ab istis pessima zizania seminantur ; quia *inimicus homo hoc fecit* ; verum quidem est, quod in corde humano seminentur, id tamen sit opera & studio spiritus maligni, qui mutuæ inter nos concordiæ & unionis est inimicus.

Matt. 13. v. 25. Joa. 8. v. 44. Idque ex solo motivo invidiæ. D. Chrysost. Hom. 20. in Matth.

2. S. Gregorius Magnus præclare inquit : *Audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est : Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, atque à diverso colligant, quia si filij Dei vocantur, qui Pacem factant, procul dubio Satanæ sunt filij, qui confundunt ; Omnes autem qui per discordiam separantur, à viriditate dilectionis arescunt.* Bene igitur ponderanda est ignominiosa hæc nota hominum contentiosorum, quod scilicet filij reputentur Diaboli, qui dissensiones & discordias nutriunt quemadmodum econtra nobilissimo divinæ filiationis charactere insigniti sunt illi, qui pacem diligunt & fovent. S. Gregorius ait : *Quia nihil pretiosius est Deo virtute Dilectionis, nihil est detestabilius Diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit, quia qua ille amisit occidit, hunc iste vulnerans, cordibus fodiabens, eis iter ascensionis aperuit.* Et vero ut Diabolus animas nostras tanto posset facilius occupare, viam sibi ad corda nostra subeunda per lites, dissensiones, & rixas vitiliter sternit : Nam ut bene notavit S. Cyrillus Jerosolymitanus : *Præparat Diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur.* S. Bernardus ad supradictam D. Chrysostomi doctrinam alludens, scilicet quod malignus Spiritus sit ille, qui pessima zizania seminat, inquit : *Paulus Apostolus ait ; Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne secundum hominem ambulatis, & carnales estis ? Et Salomon ait : Inter superbos semper sunt jurgia, semper malus jurgia quærit.* S. Augustinus inquit : *Malus mittitur contra eum qui per loca periculosa vadit, cito cadit ; sic ille, qui quotidie cum proximis suis contendit, cito in scandalum cadit.* S. Bernardus in alio quodam sermone inquit : *Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum Diabolo fieri, manifestum est.* B. Laurentius Justinianus *de disciplina & perfectione conversationis monasticæ* differens in cap. 13. ita scribit : *Charitatem fraternam, & pacem simul convivientium, cunctorum incentor malorum Diabolus disrumpere conatur, contentiones generare inter Christi servos non desinit.* Ibidemque idem Patriarcha quam dissensio à Diabolo seminata perniciosa sit, his verbis ostendit : *Est contentio ignita Diaboli fugitta ad perdendas animas. O quanta jurgia, quanta odia ex contentiosis oriuntur sermonibus. Pessimum malum est contentioni vacare, per quam amicitiarum compago dissolvitur, & animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit, Diaboli ministerium operatur.*

Matt. 13. v. 25. S. Aug. ser. 57. in Append. S. Greg. 3. P. Past. admon. 24. Qui seminant jurgia sunt filij Diaboli. S. Greg. ibid. S. Cyrill. Jerosol. Cat. 15. S. Bern. serm. 17. de modo bene vivendi. S. Bern. ser. 3. in Dedic. Eccle. B. Laur. Just.

3. In Catechismo historiali sequens legitur historia : *In cujusdam Ecclesiæ dedicatione concionem fecerat S. Wolstanus Episcopus Wigoniensis ad populum, in qua multa de cæteris, plura de pace dixerat, qua commoti nonnulli, qui dissidebant odio, offensas retrinquæ domavere. Unus erat, qui nullis admonitionibus, nullis suadelis adduci potuit, ut fratris necem indulgeret inimico. Huic adducto in medium, & post multum sermonem pertinacissimè recusanti, eadem quæ referam verba, dixit Episcopus : Dominus dixit in Evangelio : Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Constat ergo si pacifici sunt beati & filij Dei, discordantes sunt miseri, & filij Diaboli. Illi igitur cujus filius es, te commendo, & trado te Satanæ ad interitum carnis, juxta præceptum Apostoli, ut Spiritus salvus sit in die Domini. Vix Sanctus sermonem expleverat, cum miser ille mancipium hostile factus, coram omni plebe dentibus stridere, spumas jacere, crimen rotare incipit. Postremo in terram elisus, voluxabatur furens. Exoratus Wolstanus, ut misereretur, sustulit, sed pressus tandem, & lachrymis victus, jubet inimico, ut abeat, ille discedit eadem facilitate, qua venerat. Reductus in mentem homo, conveniusque ut delicti gratiam cederet, mira pacem negavit impudentia. Iterum ergo vexari, iteramque sanari jussus, insaniari persistit. Tertio jam, cum totis membris labefactatus, ex concessione Dæmonis, pæne singultivet animam pacem iniit, post hoc perpetuo usque ad mortem integer & incolumis.*

Catech. Hist. Tom 4. Tit. 56. Exemp. 1. Ad Concionē P. Wolstani dissidentes reconciliantur & nolens reconciliari traditur Diabolo.

4. S. Jacobus Apostolus in Epistola sua ad mansuetudinem nos adhortans inquit : *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos ? ostendat ex bona conversatione operationem suam, in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, . . . bonis consentiens.* S. Valerianus quoque in homilia quadam *de bono conservandæ pacis* in hæc verba de discordia differit ; *Infinitum est, quantum periculi homini incumbat, cum duos æmulos fuere consimiles ad pugnam ille Diabolus, Magister litis armaverit, cujus est consuetudinis, ad instigandā odia amaros portare, & reportare sermones.* Quæ ultima verba proprie alludunt ad illa quæ in principio hujus discursus diximus, quia portare & reportare sermones injuriosos, amaros, contemptibiles de proximo, nihil est aliud, quam proprie seminare zizania, estque speciale opus & artificium Dæmonis.

S. Jac. 3. 13. Seminare discordias est artificium dæmonis. Ibid. v. 14. Ibid. v. 15. Ibid. v. 16. Ibid. v. 17. S. Valer. Ham. 12.

5. Apud S. Joannem cap. 10. cœlestis magister de digni cujusdam Pastoris conditionibus discurrens, paulo post de Diabolo sub metaphora lupi, eidem proprium esse dixit, scilicet ; *Lupus rapit, & dispergit oves*, quasi dicere vellet, lupus infernalis, ut bonas rapere possit animas, feminat inter illas dissentiones, disgre-

Joa. 10. 12. Accipitres columbas

non nisi dissipatas invadit: ita quoq; facit Diabolus.

gat, dissipat, & disperdit unam ab alia, ut hac ratione ejus potestati se tanto facilius submittat, illamque ipse possideat. Aquilæ quidem & milvi seu accipitres, sturnos, columbas, aliasque volucres, quantumvis, nullam se illis opponendi vim habeant, attamen quamdiu gregatim unitæ simul volant, easdem aggredi nequaquam audent, quemadmodum id libenter faciunt, quando singulæ seorsim & ab alijs separatæ volant. Eodem modo, ut infra dicemus, accipiter diabolicus omnem nocendi animum deponit, quando nos unanimes esse videt & concordes. Advertendum quoque antiquum hunc adversarium, prouti ex doctrina Nazianzeni colligitur, non solum nobiscum confligere aperto Marthe, per insultus manifestos, verum etiam per insidias occultas, in obscuritate & quiete noctis, id est nobis id minime advertentibus zizania sua seminando. *Secum enim ipse pugnat, & ut ab initio homicida, bonique odio percitus, hoc ipsum in alijs operatur, ut commune Ecclesiæ corpus in occulto sagittet, sub seditionis caligine sese occultans.* Porro omnibus nota est famosa illa Jobi historia; Postquam enim Dæmon postulatam à Deo obtinuisset licentiam (*Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt*) quas illum Jobo in illa potissimum parte plagas suas inflicturum fuisse non credidisset, ubi majori sensu præditus erat, id est per omnium filiorum & filiarum simultaneam mortem? & tamen ictum hunc post omnium facultatum & divitiarum illius jacturam sibi reservavit. Quod eo præcipue mysterio ipsum fecisse credo, ut scilicet de Unione & Concordia, qua cum illos quotidie simul convivere observaverat, se vindicare posset, hæc enim illum acriter transfigebat, neque enim illis umquam quantumvis minimum damnum inferre potuisset, nisi id ei divina dispensatione fuisset permissum. Unde D. Chrysostomus ait: *Observavit tali eos tempore necare, cum ad pacem conjungebantur.*

Nazianz. Orat. 12.
Job 1. v. 12.
D. Chrysost. Hom. 2. de Job.

Concordia est scutum contra Diabolum.

6. Econtra vero indubitata veritas est, nullam esse machinam, quæ hunc inimicum magis dejiciat, & prosternat, quam mutua inter nos unio & concordia. Unde Satan videns, quod super collegium Apostolicum, sublime illud Ecclesiæ erigeretur ædificium, quodque Apostoli ad Tyrannidem ejus dissipandam sese præpararent, totum ipse armavit infernum ad eorum obtundendos conatus, ac proinde Christus Petrum monuit dicens; *Simon, Simon ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum*; nec tamen hoc ipsum facere ausus fuisset, nisi Apostoli aliquam ei ad hoc tentandum præbuissent occasionem, quia paulo ante S. Lucas de Apostolis dixerat: *Facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse major*: at vero ut omnes Diaboli vires prosternerentur, quoniam ad hoc Salvator noster usus est remedio? nimirum Sacramentum Eucharistiæ instituit, quod à Concilio Tridentino *symbolum unitatis* appellatur, simulque ipsis in sermone in ultima cæna habito, pacem & unionem specialiter, & enixe commendavit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, simulque in ultimo testamento suam illis legavit pacem dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, in qua manentes hostes vincimus*, ut commentatur S. Augustinus: *Pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus. Pacem relinquit nobis, ut etiam hic invicem diligamus; Pacem suam nobis dabit, ubi numquam dissentire possimus.* S. Bonaventura ejusdem Augustini adducit authoritatem, in sermone quodam dicentis: *Antiquus hostis continentiam in nobis non timet, quia neque premitur carne, neque etiam lascivia dissolvitur; abstinentiam non timet, quia neque cibo utitur; Concordiæ autem nostræ nimis insidiatur, quia quod ipse amisit in cælo, facit ut non servemus in deserto.* D. Chrysostomus de eadem materia sequentem tradit doctrinam: *Si quis timorem Dei habens, perturbationes animi composuerit, & varias illas improbarum cogitationum belluas suffocans, non permiserit ut in antris delitescant, is purissima, & altissima pace perfruetur. Hanc pacem Christus veniens largitus est. Hanc etiam Paulus precatus est fidelibus, dicens in singulis Epistolis: Gratia vobis & Pax à Deo Patre nostro. Qui hanc enim habet pacem, non solum barbarum, & hostem, sed ne ipsum quidem Diabolum extimescit, sed universum videt Dæmonum phalangem, & est omnibus hominibus tranquillior, & animo alacrior.* Advertendum quoque est, quod S. Bernardus serm. 41. *de modo bene vivendi* scribit: *Scire debemus, quia cum ad conversionem venimus, luctamen contra Diabolum sumimus (Interrogatio.) Frater dilecte dic mihi si aliquid timet Diabolus? Nihil est quod Diabolus tantum timeat, quantum concordiam & Charitatem; Nam si totum quod habemus, damus propter Deum, hoc Diabolus non timet, quia ipse nihil habet. Si jejunamus, hoc Diabolus non timet, quia ipse numquam comedit, si vigilamus, hoc Diabolus non timet, quia ipse numquam dormit, sed si charitatem & concordiam tenemus hoc Diabolus vehementer timet. Quare? quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cælo tenere noluit. Hoc est etiam, propter quod S. Ecclesia terribilis esse, ut castrorum acies ordinata dicitur, quia sicut hostes timent, quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident; ita certe Diabolus expavescit, quando spirituales viros, virtutum armis accinctos, in unitate Concordiæ, vivere conspicit. Ipse victus & confusus vehementer dolet, cum eos per discordiam dividere, & penetrare non valet.* S. Augustinus in sermone quodam *ad fratres*, pacem illis & unionem studiose commendans, in ejusdem pacis encomium ita exclamat: *O Pax Dei ædificium, te non possunt destruere Principum fulmina, insultus Dæmonum te in nullo possunt lædere.* Et paulo post subdit: *O quam bonum; ô quam jucundum; ô quam divinum est habitare fratres in unum, ut unum sit cor, una voluntas, una omnium anima, & una forma vivendi, nam Diabolus intrare non potest domum, vel mentem, in qua pax dominatur. O quam ergo jucundum est habitare fratres in unum! tanta enim est eminentia istius virtutis, quod de ea Propheta prius miraretur, quam ostenderet, quid esset, vel quid utilitatis haberet. O quam grandem admirationem præposuit, quando dixit, Ecce; O quam admirabilem utilitatem prædicavit, quando subjunxit: Quam bonum, & quam jucundum.*

Luc. 22. 31.
Ibid. v. 24.
Concil. Trid. Sess. 13. c. 8.
Joan. 15. 17.
Joan. 14. 27.
S. Aug. Tr. 77. in Joan.
S. Bonav. ser. 2. de Epist.
D. Chrysost. in Psalm. 4.
S. Bern. serm. 41. De modo bene vivendi.
Diabolus nihil magis odit quã mutuam concordiam.
S. Aug. ser. 2. ad fratres.

7. S. Cyrillus Alexandrinus explicans verba illa Isaiæ: *Si fuisses præceptis meis audiens, fuisset tamquam flumen pax tua, & justitia tamquam fluctus maris*, ita scribit: *Quod autem significare vult, ejusmodi est. Ajunt torrentes pluvia rapida in montes delapsa ferri violenter, & intolerabiliter; ita ut impetuoso eorum cursui nihil omnino possit resistere. Itaque dicit: Si meis verbis auscultasses, si mentem sequacem, & obedientem adhibuisses, facta fuisset pax tua fluminis, & fluctus in morem, inexpugnabilis hostibus, & quibuslibet occurrentibus.* S. Augustinus in alio quodam sermone sequentem tangit prærogativam, qua in pace fruimur, scilicet quod non solum inimici infernalis supremus tentationes, verum etiam eumdem intime perterreamus; ait enim: *Pax, plebis sanitas, Gloria Sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium, sive visibilium, sive invisibilium.* S. Ambrosius illa ad Philippenses verba exponens: *Et Pax Dei, quæ exuperat*, &c. idipsum confirmat inquiens: *Tunc demum munitionibus pacis suæ, quæ omnem exuperat mentem, custodiat corda vestra in Christo Jesu; Hoc ideo dixit, quia cum Deo qui habet pacem, non timet; Tutus enim est pace Dei omnis diligens Deum in Christo Jesu. Quis enim non metuat eum, quem scit esse amicum Dei.*

Isai. 48. 18.
S. Cyrill. lib. 4. ibid.
Diabolus concordia fugatur.
S. Aug. serm. 166. de Temp.
Philipp. 4. 7.
S. Ambros.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Quantum Deo discordia displiceat, ostenditur, utpote qui eos qui illam seminant, & fovent, acriter castigat.

THEMA.

Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Hebr. 12. ℣. 14.

Discordes numquam videbunt Deum.

1. SI discordes & inimici pacis, aliud à Deo non reportarent supplicium, quam hoc scilicet, quod numquam visuri sint Deum, utique ab omni discordia & contentione omni studio declinare deberent, siquidem nullum à divina justitia vindicativa immitti potest severius & horribilius supplicium, quàm quod quis in sempiternum à beatifica Dei visione exulare cogatur. Verumtamen supplicium istud multa alia mala in hac vita præcedunt, prout in præsenti discursu visuri sumus.

Incommoda Discordiæ.
B. Laur. Just.

2. Et quidem in primis B. Laurentius Justinianus, *de Disciplina & Perfectione monasticæ conversationis* cap. 13. postquam discordiam ignitam Dæmonis sagittam esse dixisset, mox subdit: *Dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipsam cælestem in se occidit charitatem.* M. Marulus de pace disserens quodam

M. Marul. lib. 3. c. 6. de Pace.

dam tangit motivum, quod tametsi humanum sit, nihilominus hujus mundi homines horrore & metu percellere est idoneum: ait enim: *Qui pungentes altercationum aculeos non caverit, præceps agatur necesse est, in perpetuam inquietudinem mentis pariter, & corporis. Mala quidem est luxuria mala avaritia, mala ventris ingluvies, malum otium, sed tamen unumquodque vitium suâ blanditur voluptate, sola discordia nihil in se habet quod delectet. Gignit invidiam, concitat iram, prorumpit ad convitia, non temperat manibus. Hinc cædes, hinc exilium, domorum orbitas, urbis excidia.* Vultisne scire quanto cum Jure Salvator noster Hebræis incredulis improperans dicat: *Generatio incredula & perversa*, & à Baptista similiter *progenies viperarum* appellentur? Præterquam hoc unicum dicere sufficeret, quod ausu temerario, tantaque cum impietate & inhumanitate filium Dei crucifigere præsumpserint, in cumulum impietatis ipsorum sufficit dicere, quod homines fuerint contentiosi & inter se discordes: *Litigabant ergo Judæi ad invicem. Quidam dicebant, quia bonus est, alij autem dicebant, non, sed seducit turbas, factaque est dissensio.* Quando filij Jacob à Josepho tamquam traditores in suspicionem trahebantur, dicente: *Exploratores estis*, ipsi, ut se tales nequaquam esse, hocque improperium minime mereri, ostenderent, hoc solum dixerunt: *Omnes filij unius viri sumus, Pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.*

Matth. 17. v. 17.
Discordia Judæorum in Judicio de Christo.
Joan. 7. 12.
Joan. 7. 43.
Gen. 42. v. 9.

Discordes spirant vindictam.

3. Viri discordes nulli rei adeo student, nec aliud quidquam cogitant, quam ut æmulis vices referant, eos in animi amaritudinem inducendo, injuriasque, quas se ab illis recepisse credunt, vindicando. S. Hieronymus super Epistolam ad Galatas, ubi Apostolus fructus carnis enumerat, ita scribit: *Septimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi eminenti inter vitia numero collocata.* Ubi insuper observandum, quod Apostolus non uno, sed pluribus nominibus circumscribat dicendo: *Contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones &c.* moxque concludit: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* S. Bernardus de lingua contentiosa dicit, quod venenum scaturiat; ait enim: *Lingua rixosa veneno est plena, quasi non fuerit castigata, omnes socios suos perducit ad scandala.* Sapiens de eadem lingua ait: *Labia stulta miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat*; ut verò eamdem linguam veneno imbutam esse videatis, attendite ad verba immediate sequentia: *Os stulti contritio ejus, & labia ipsius ruina animæ ejus.* Idem Sapiens in principio capitis 17. ita scribit: *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio*, ubi Hebræus legit: *Melior est buccella sicca, & pax in ea, quam domus plena victimis jurgij.* Septuaginta vertunt: *Melior est buccella cum voluptate in pace, quam domus multorum bonorum, & injustarum victimarum cum jurgio.*

S. Hieron. in c. 5. ad Gal.
Gal. 5. v. 20.
S. Bern. serm. 17. de modo bene vivendi.
Prov. 18. 6.
Ibid. v. 7.
Prov. 17. 1.

Nullæ divitiæ hujus mundi internæ paci comparandæ.

4. Mittatis, si placet, ex una parte omnes, & quascumque terræ divitias, videbitisque illas nullam habere proportionem cum uno dumtaxat gradu quietis & pacis internæ, quæ *exuperat omnem sensum*, non enim sine mysterio Christus divitias per spinas præfigurari dixit, siquidem secum afferunt inquietudines litium, dissensionumque & rixarum aculeos. Unde merito S. Augustinus ait: *Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura hominum tollerentur, scilicet meum & tuum.* Interesse namque proprium est petra scandali, omniumque litium & contentionum causa, cordaque humana invidia, fraudibus, & rancoribus adimplet. Unde idem Augustin. subdit: *O beata paupertas uberibus pacis plena, ubique secura, ubique illæsa, ubique cunctorum amica, nam qui te amat, veram pacem amat, qui te non amant, tranquillitatem omnem ignorant.* Moyses de fratribus Josephi ait: *Nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, cujus hæc erat causa, quia corda ipsorum, amaro invidiæ & odij veneno, quod contra fratrem suum conceperant, imbuta erant; Observandum vero est, quod Moyses dicat: *Nec poterant*, quasi pacifice loqui impossibile illis fuisset. Unde in summa prædicantium dicitur: *Videmus, quod ubi est in aliqua domo insida, & cupida, & mala familia, non erit diu pax in domo illa, sed mali quasi privatum habent familiam suam, sensus suos, qui semper sunt querulosi.*

S. Aug. ser. 52. ad fratres.
Meũ & tuũ est origo omnis contentionis.
Gen. 37. v. 4.
Summa Prædic. Ver. Pax art. 3. n. 10.

5. Adeo Deo displicet & exosa est discordia, ut in Evangelio ipsemet Dei filius dicat: *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo*; non dicit, *si tu habes aliquid adversus fratrem tuum*, sed è contrario, quia non solum pacem in nobismetipsis vult nutriri, verum etiam, ut quoad possibile est, illam in proximis nostris fovere satagamus, omnem è cordibus ipsorum tollendo rancorem. Unde S. Gregorius ait: *Ex qua præceptione pensandum, quorum hostia repellitur, quam intolerabilis culpa monstratur: Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus, quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt.* Celebre est illud S. Apostoli ad Cor. de Pace & Charitate perhibitum testimonium, ait enim: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Deo enim nullum placet opus bonum sine hoc charitatis, pacis & concordiæ fraternæ condimento. In lege veteri hanc Deus legem sancivit: *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo, in omni oblatione tua offeres sal.* At vero quonam spectat hæc de sale sacrificijs adhibendo Dei solicitudo? numquid ipse ait: *Numquid manducabo carnes taurorum?* Verumtamen *omnia hæc in figura contingebant illis*, nihil enim est, quod pacem vivacius præfiguret, quam sal, siquidem ex duabus producitur materijs sibi invicem contrarijs, ex aqua nimirum & igne, quia per excessivum solis calorem ex aqua salsa sal producitur; adeoque duo hæc elementa in beneficium nostrum uniuntur & conspirant. Vult igitur Deus, ut in omnibus actionibus nostris ad hoc respiciamus, ut in pace, charitate & concordia cum Deo, nobiscum, & cum proximis nostris maneamus, alias namque omnis actio nostra insipida, Deoque inaccepta erit. Huc spectat illud Rabani consilium dicentis: *Sine pace non suscipitur sacerdotis oratio, nec plebis deprecatio. Si ergo volumus velociter à Deo exaudiri, & gratanter munera nostra à Deo accipi, debemus utique in pace conversari.* Enimvero quam parum opera nostra valeant; si hoc charactere fuerint insignita, ex eo quod S. Bernardus Serm. 17. *de modo bene vivendi* scribit, manifeste colligitur; ait enim: *Si illi, qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, litigare, detrahere, ubi est vita tranquilla? ubi vita quieta? ubi vita pacifica? ubi vita honesta? ubi vita modesta? ubi vita casta? ubi vita contemplavita? ubi angelica?* & in Serm. 41. *de modo bene vivendi* pariter inquit: *Sex sunt, quæ odit anima mea, dicit Dominus, & septimum quod detestatur, videlicet eum qui seminat discordiam inter fratres. Maledictus homo qui inter servos Dei discordias seminat; Qui pacem, & concordiam rumpit, adversum Deum facit, Christo facit injuriam, quoniam inter servos Dei seminat discordiam. Quare? quia Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Munus Deo oblatum non est gratũ nisi antecedenter discordia fuerit dissipata.
S. Greg. p. 3. Past. adm. 23.
Levit. 2. 13.
Ps. 49. v. 13.
Sal vivaciter præfigurat pacem.
Raban. Tom. 6. lib. 3. de agon. Christian.
S. Bern. serm. 17. de modo bene vivendi.
S. Bern. ibid. serm. 41.

Centurio judicabat domum suam indignam, quã Christus intraret, inerant enim arma militaria.

6. Observastisne aliquando quod postquam Centurio Evangelicus Christo pro sanitate servi sui supplicasset, & hic se personaliter in domum ejus venturum esse obtulisset, Centurio prædictus responderit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus?* Non sic Zachæus fecit, quando Christus ultro citroque in domum ejus penetravit dicendo: *Hodie in domo tua oportet me manere*; quin potius *excepit illum gaudens in domum suam*; & certe quemnam Centurio recipere poterat majorem honorem, quam si parietes domus suæ per tanti hospitis corporalem sanctificarentur præsentiam? quodnam igitur in hac Centurionis & Zachæi differentia latet mysterium? Nimirum Centurio miles erat, domus ejus, veluti armamentarium quoddam, omnis generis armatura revera erat, ideoque Centurio, domum suam Christi præsentia indignam judicabat; sciebat enim quantopere Salvator pacem diligeret, utpote qui passim prædicabat: *Discite à me quia mitis sum*; ac proinde singulari cum dexteritate ab ingressu in domum suam declinavit Dominum illum, de quo scriptum est: *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion; Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum*: Hic autem timor in domo Zachæi non militabat. Audiamus hac de re Origenem in hæc verba loquentem: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum alienigena sum, gentilis miles gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens, & ob hoc non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

Matth. 8. 8.
Luc. 19. 5.
Matth. 11. v. 29.
Ps. 75. v. 3.
Ibid. v. 4.
Orig. Hom. 5. in diver.

Martha increpans sororẽ suã corripitur à Domino.

7. Observandum quoque est, quod licet in domo Marthæ tanta fuerit cum Liberalitate exceptus, ipsaque

Luc. 40.41. — Ibid. v. 40. — Ibid. v. 42. — S. Bonav. Joan. 15. — S. Bonav. ſer. 1. de Epiph.

ipſaque Martha in menſa apparanda tanta cum diligentia & induſtria eidem Domino noſtro obſcura fuerit, illam tamen aliquantulum reprehenderit, ejuſque ſolicitudinem minimè ſibi acceptam fuiſſe demonſtrarit, dicendo: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima*; at ſcitiſne cauſam cur illam increparit? nimirum quia leviuſculam quamdam cum ſorore ſua contentionem non abhorruit, licet id bono fecerit fine, ſcilicet ut & ſoror ejus Magdalena aliquantulam parandæ menſæ operam conferret; *Dic illi, ut me adjuvet.* Imo in hac eadem occaſione unionem, quietem, & inter domeſticos pacem ſibi ſuper omnia placere oſtendit, dicens: *Porro unum eſt neceſſarium*, id eſt unitas; *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* S.Bonaventura ex authoritate S.Auguſtini de pace ita ſcribit: *Hanc qui accipit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amiſit, exquirat, quoniam qui in ea non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio; à Spiritu Sancto efficitur alienus.* Idem Seraphicus Doctor alio in loco pariter S.Auguſtinum citat, in Serm. 56. de Verbis Domini dicentem: *Non poterit habere concordiam cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe cum Chriſtiano.*

Deus recedit ab anima rixis dedita. — Berchor. Reduct. mor. v. Pax. — Raban. l. 1. Math. c. 12.

8. Porrò qualiter Deus ab anima diſcordiæ & rixis dedita recedat, Berchorius ſequenti ſimilitudine declarat: *Deus viros pacificos viſitat & cum eis ſpiritualiter habitat, & eorum conſortium diligit, & frequentat, quando enim apes invicem ſtrepitant, & clamorem ac diſcordiam faciunt, ſignum eſt, quod Rex vult alveare dimittere & ad locum alium ſe transferre: ſic vero Rex noſter Deus, alveare cordis & ſocietatis dimittit, ubi lites & diſcordias eſſe ſentit; iſte enim locum pacificum ſolet diligere, & cum viris pacificis per gratiam habitare.* Rabanus inquit: *Concordia univerſum Chriſti corpus adunatur, regitur, ac ſtabilitur, qui autem cum proximis ſuis non vult habere pacem, in corpore Chriſti nullam habet ſocietatem, nec jam ad æternam poteſt pervenire requiem.* Qui enim à proximis ſuis diſcordat, cum inimico infernali rixarum, & diſſenſionum authore & promotore conſpirat.

Apoc. 6. v. 4. — Rup. Abb. l. 4. in Apoc. c. 4. — Equus rufus diaboli ſignificat ſanguinolentiam. — Job 10. 22. — Pſal. 75. 3. — S. Hieron. ib. — Thomas ideo non credidit reſurrectionem Chriſti, quia nō erat cum alijs Diſcipulis. — Joan. 20. 24. — Orig. Tr. 6 in c. 18. Matth. — Ibid. v. 25.

9. In Apocalypſi dicitur: *Et exivit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terra*; Quem textum Rupertus ſic interpretatur: *Equus rufus civitatis Diaboli, Civitatis Babyloniæ, eſt populus ſanguinolentus; & ſeſſor, atque agitator ejus, Diabolus eſt: Et datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terra, ut auferret:* cujus contrarium fit quoad unionem & concordiam, ac proinde de Dæmonis habitatione dicitur: *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Non verò ita conditionatus eſt locus Dei, quin potius Pſalmiſta de illo ita canit: *Et factus eſt in pace locus ejus*; Ubi ut S.Hieronymus advertit: *Hebraice habetur: Factum eſt in Salem umbraculum ejus; Videte, quid dicat ſecundùm Tropologiam: Non eſt umbraculum Domini, niſi ubi pax eſt. Ubi diſcordia, ibi non eſt Protector Deus. Dicamus & ſecundùm Septuaginta: Locus Dei non eſt niſi in anima quæ pacem habet, quæ ergo anima non habet pacem, ſciat ſe non eſſe locum Dei, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; hæc eſt Salvatoris hæreditas.* S.Thomas Apoſtolus erga cœleſtem Magiſtrum ſuum tanto ferebatur amoris affectu, ut quando Chriſtus in periculo erat, ne in Judæa occideretur, ad cæteros Collegas Apoſtolos converſus dixerit: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*; Unde ibi in fide Divinitati Chriſti nec quidquam dubitabat, quemadmodum poſt reſurrectionem fecit; proinde ſed undenam provenit hæc in Thoma facta mutatio? *Thomas* nimirum *non erat cum eis, quando venit Jeſus*; erat enim ab alijs Apoſtolis ſeparatus; ac proinde ſpecialem Chriſti aſſiſtentiam, qua alij concorditer uniti & congregati fruebantur, ipſe non merebatur; nam ut Origenes ait: *Conſonit diſſenſus, ſicut congregat conſenſus, & ſeparat Jeſum, qui in medio conſentientium ſibi ſolummodo invenitur.* Etenim cum alijs Collegis ſuis in contentionem incidit, nolens credere illis, communis Redemptoris, & Magiſtri Reſurrectionem ei annuntiantibus, hujuſque contentioni pertinaciter inhæſit, dicendo: *Niſi videro, &c. non credam.*

Deus deteſtatur eum, qui ſeminat diſcordias. — Prov. 6. 12. — Ibid. v. 15. — Ibid v. 16. — Ibid. v. 17. — Ibid. v. 18. — Ibid. v. 19. — Prat. florid. 2. p. l. 2. c. 87. — S Appollonius irreconſiliabili prædicit divinam ultionē mox ſecutam.

10. Audite obſecro, qualiter Sapiens Apoſtatam delineare volens, inter alia infamia vitia, quorum ipſum redarguit, etiam eumdem diſcordem & contentioſum eſſe aſſerit; *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat*; quem tamen condigne promeritum inde retuliſſe præmium immediate ſequentia clare indicant; Dicit enim ſacer textus: *Huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit ultra medicinam. Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus; Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum Proferentem mendacia, teſtem fallacem*; Id vero quod præ cunctis alijs deteſtatur, eſt: *Qui ſeminat inter fratres diſcordias? Huic igitur, extemplo veniet perditio*; Cujus haud vulgare in prato florido legitur exemplum; Cùm enim inter ſe diviſi eſſent duo populi, quorum unus Chriſtianus, alter vero idololatra erat, eo tempore quo jam jam manus inter ſe conſerturi eſſent, S. Abbas Appollonius forte fortuitò ſupervenit, omnemque, ut utrimque arma deponerent, paciſque nexibus ſeſe ad invicem adſtringerent, conatum, operamque adhibuit; Cui ſe quidam ex gentilibus, qui decurio & vir ſanguinarius erat, fortiter oppoſuit, aſſerendo, numquam ſe facturum aut conſenſurum in pacem, niſi poſtquam hac vita defunctus eſſet; Cui Sanctus Abbas reſpondit: Fiat tibi ſicut dicis, etenim horum nullus præter te interibit, tuoque beſtiali appetitui condignam ſortieris ſepulturam. Quapropter ad arma cum deventum fuiſſet, nullus in prælio præter dictum decurionem occubuit; qui cum ſub arena ſepultus fuiſſet, mane ſequenti inventus eſt in terram extractus, & pro majore ſui parte à feris devoratus; Quod videntes idololatræ reconciliati ſunt, non ſolùm cùm Chriſtianis, verum etiam cum Chriſto, ſacrum ejus recipiendo Baptiſma. Ecquis bellum corporum humanorum ignorat eſſe macellum? Etenim Herodotus de Cræſo dicit: *A Cyro captus hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij ſepelirent patres, in bello econtra patres ſepelirent filios.*

Diſcordia dejecit Angelos malos in infernum. — Inter homines reprobus Cain primus fuit rixatus cū innocente fratre Abel. — Gen. 4. 3. — Gen. 1. 31. — Matt. 5. 23. — Gen. 4. 13. — S. Hier. Tom. 9. in Reg. Monach.

11. Enimvero diſcordibus ſæpenumero, non ſolum temporalis, ſed & æterna mors ſupplicij loco à Deo immittitur; Et ideo in hujus diſcurſus themate dicitur: *Pacem ſequimini, ſine qua nemo Deum videbit.* Imo diſcordia & diſſenſiones fabricarunt infernum; *Deus enim mortem non fecit, ſed Lucifer cum ſuis ſequacibus*, poſtquam ſe ab Angelis bonis ſeparavit & disjunxit (*Factum eſt prælium magnum in cælo*) primi in infernum ſe egere præcipites: Et quia in cœleſti illa Jeroſolyma pacem turbare præſumpſerunt, ideo in condignum ipſorum ſupplicium, profundatum eſt illud æternæ confuſionis horrendum barathrum. Primus quoque generis humani reprobus Cain fuit, qui cum innocente fratre ſuo Abel rixatus eſt. Similiter Cain primus fuit, qui inter omnes viventes ſacrificium Deo obtulit: *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit.* Cur vero Deus in acceptatione horum munerum Deo partialem ſe præbuit? An non fructus æque ac greges pecorum Dei creaturæ erant? *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Reſpondeo, id quidem verum eſſe, at vero offerens Deo non placebat, qui adverſus fratrem ſuum pernitioſam fovebat diſcordiam, juxta illud: *ſi offers munus tuum ad altare, &c.* ac proinde cor ejus odij & diſcordiæ veneno plenum eſſe cognoſcens, eum pro deſperato habuit: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Salutare igitur eſt illud S. Hieronymi in Regulis Monachorum ſuggeſtum concilium dicentis: *Pax quærenda eſt, ut fugiamus bella, nec ſufficit eam quærere, niſi inventam fugientemque omni ſtudio proſequamur, quæ exuperat omnem ſenſum, in qua habitatio Dei eſt, Propheta dicente: In pace factus eſt locus ejus. Infernus itaque inter fratres dividit. Quidquid igitur dividit inter fratres, infernus dicendus eſt.* Profecto majus damnum dari nequit, quam ſit ſeparatio ab æterna beatitudine, quia *ſine pace nemo Deum videbit*, & damnatio ad pœnas inferni æternas; *Infernus dicendus eſt, &c.*

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Diſcordia regna deſtruit, Pax autem illa erigit, & ſtabilit, ſic enim per Apoſtolorum primorumque fidelium pacem erecta eſt Eccleſia.

THEMA.

Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Luc. 11. ℣. 17.

Integra Regna per diſcordiā pereunt.

1. HOc unicum in diſcordiæ deteſtationem dicere ſufficit, quod ſcilicet cauſa ſit, cur regna florentiſſima in exterminium abeant, populoſque in ultimam agat ruinam & diſperſionem; ita enim incarnata Sapientia declarat inquiens: *Omne regnum, &c.* idque quotidiana experientia (quæ ex ſuperiorum temporum hiſtorijs dare liquet) veriſſimum eſſe comprobat. S. Bonaventura. Serm. 2. de Epiph. authoritatem citat Saluſtij, qui celebris illius ſententiæ in hac materia author fuit, dicentis: *Concordia parvæ res creſcunt, Diſcordia maximæ res dilabuntur.*

Gen. 8. v. 8. — Ramus olivæ qui eſt ſymbolum pacis poſt diluviū per Columbam defertur ad Noë. — S. Bruno de Orn. Eccle. c. 7. — S. Aug. ſerm. 2. ad fratr.

2. Noë poſt diluvium columbam ex arca dimiſit, ut experiretur, an aquæ, quæ terram inundaverant, eouſque ceſſaſſent, ut pedibus calcari terra poſſet: *Emiſit columbam . . . ut videret ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ*; quæ cum non inveniſſet locum ubi pedem firmaret, rediit ad arcam, & poſt ſeptem dies iterum eodem fine emiſſa, *Venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ in ore virentibus folijs*; At vero num forte aliæ deerant arbores, videlicet Cedri, Lauri, vel aliæ ſimiles, quarum decerptas frondes ad arcam deferre potuiſſet? S. Bruno in vaſta illa arcæ mole omnes incluſos fuiſſe viventes conſiderat, à quibus ſingulorum ſpecies in univerſo propaganda erat, & ſpecialiter à Noë familia omnes terræ populi ac nationes ſuam trahere debebant originem, & augmentum, ac proinde optime hic ramus olivæ adferebatur, utpote qui ſymbolum eſt pacis, per quam omnes in arca congregati tam homines quam animalia, quæ poſtea in varias mundi partes dividenda, & ſeparanda erant, unita & concordia remanerent, quaſi Spiritus Sanctus veræ pacis & Concordiæ per columbam ſymbolizatæ author diceret: Quod ſi genus humanum multiplicare, provincias ſtabilire, & populare regna deſideratis, ecce vobis modum quem tenere debetis: *Pacem habete, Pacem tenete, Pacem diligite, ſine qua nemo videbit Deum, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum. Pauci quidem eſtis, ſed res parvæ concordia creſcunt, magnæ vero diſcordia dilabuntur*; Nam ut S.Auguſtinus in ſermone quodam ad fratres, inquit: *O Pax ſine te Reges non regunt, ſine te regna non valent.*

Plutarch. in Lac. Apoph. — Mœnia Spartharū Civitatis ſunt concordia. — Laërt. lib. 6. C. 1. — Plutarch. in Apoph. — Faſciculus jaculorum difficulter, at ſingula ſeorſim facile franguntur.

3. Apud Plutarchum ſequentia leguntur: *Ageſilaus à quodam percontatus, quam ob cauſam Spartha mænibus non cingeretur, oſtendit cives unanimes. Hi, inquit, ſunt Spartha Civitatis mænia, ſignificans Reſpublicas nullo munimento tutiores eſſe, quam virtute civium conſentientium.* Laërtius quoque de Antiſthene ſcribit, *quod fratrum inter ſe concordiam dixerit quovis muro firmius eſſe munimentum. Id dictum, ait, & ad civium concordiam accommodari poteſt.* Curioſa quoque eſt ſequens à Plutarcho adducta eruditio, ait enim: *Scilurus Rex Scytharum octoginta liberos habens maſculos, cum eſſet moriturus, faſciculum jaculorum ſingulis porrexit, juſſitque rumpere, id cum ſinguli recuſaſſent, eo quod videretur impoſſibile, ipſe ſingula jacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi, invictique manebitis; contra ſi diſſidijs & ſeditione diſtrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.*

Turca triumphat Chriſtianos propter horum diſcordias. — Gal. 5. v. 15. — Diſperſis Iſraëlitis & non conjunctis dominabatur Pharao. — Exod. 5. v. 12. — Prat. flor. 2. P. lib. 1. c. 46.

4. Imperium Otthomannicum hactenus à multis ſæculis auctum eſt & propagatum, adeo, ut omnes alias contremiſcere faciat potentias, ſua autem per Principum Chriſtianorum diviſiones & bella ſumpſit incrementa; Et quidem ultimæ Inſulæ Candiacæ obſidio eo præcipue tempore cœpta fuit, quo Venetorum, magni Ducis Hetruriæ, Ducum Mutinenſis, & Parmenſis arma propter urbis caſtri reſtitutionem, contra Eccleſiam movebantur. Unde non immerito Apoſtolus ad Galatas in hæc verba ſcribit: *Quod ſi invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini.* Hæbræorum populus ab Ægypto egreſſus, tametſi numquam alia præterquam ligones & aratra tractaſſet, nihilominus per quadraginta annorum decurſum in deſerto ſe bellatorem eſſe probavit, & ſimiliter in Paleſtina per artis militaris experientiam, armorumque virtutem, Regionis illius incolas ſibi ſubjecit. At vero dicite ſodes, quænam ſit cauſa, quod idem Hebræorum populus in Ægypto ſub tyrannico Pharaonis jugo, *in operibus luti & lateris* occupati; velut totidem cuniculi contremiſcebant, &

trepidabant? Cur ſe ei non oppoſuerunt? cur non rebellarunt? Nimirum Rex ille juxta axioma illud politicum proceſſit: *Divide & impera*; Hebræos namque in varias vaſtiſſimi Regni ſui partes diſperſit, & diſgregavit, ne unio ipſorum in ſui regni perniciem ſuſcitaret ſeditionem; Unde in Exodo dicitur: *Diſperſus eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Quotidiana nos docet experientia, quod ignis, diviſus ad invicem lignis, mox extinguatur; flumen quoque navigabile, in multas partes diviſum, navigationi deinceps fit ineptum. Quamdiu Euphrates diviſus non fuit, inexpugnabile erat Babyloniæ propugnaculum; quando vero Cyrus eumdem in plures ramos diſperſit, urbs illa, quæ hactenus invincibilis æſtimata fuerat, cum totius mundi ſtupore, ex improviſo ſub jugum corruit; Unde Rex Balthaſar, dum plane feſtivus & hilaris epularetur, præter omnem ſuam expectationem una eademque nocte vitam pariter & regnum amiſit. In Prato florido legitur S. Dunſtano Archiepiſcopo Conturbienſi revelatum fuiſſe, quod regnum Britanniæ tamdiu gaviſurum eſſet tranquilla pace, quamdiu Rex ille Edagarus dictus in vivis ſuperſtes eſſet, quod revera ita accidit, quia ſeptem annis ſine ulla inquietudine regnavit, unitatem & concordiam ſervans cum omnibus principibus vicinis, ideoque cum imperturbabili omnium populorum ſuorum tranquillitate vivendo imperavit.

Joſ 21. v. 41. — Unitis Iſraëlitis nullus audet reſiſtere. — Ibid. v. 42. — Lyran. ibid. — Caſſiod lib. 1. Var. cap. 1. — Plutarch. — D. Chryſoſt. Hom. 4. ad Titum. — A pace floret familia in diſcordia tota ſimul nutabit. — S. Baſil. M. Proëm. de Judic. Dei. — Neceſſitas concordiæ.

5. In libro Joſue legitur: *Dedit Dominus Deus Iſraëli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum juraverat, & poſſederunt illam, atque habitaverunt in ea.* Obſervandum vero eſt, Chroniſtæ ſacro minime ſuffeciſſe, quod inveſtituram & poſſeſſionem tot provinciarum & regnorum, populo ſuo datam retuliſſet, niſi etiam protinus ſubjungeret: *Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt.* Tunc enim Reges & Principes ſtatuum ſuorum gaudent Dominio, quando illud eſt pacificum, hoc autem verum eſt Dei donum. Unde Lyranus ait: *Illi qui erant extra terram promiſſionis, ut Ægyptij, Idumæi; & alij, non audebant contra eos movere bellum.* Theodoricus Rex, referente Caſſiodoro imperatori Anaſtaſio in hæc verba ſcripſit: *Omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiant, & utilitas gentium cuſtoditur. Hæc eſt enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minime quæſiviſſe ſentitur.* Eſto enim regnum aliquod floridum, opulentum, & populoſum ſit, ſi tamen pace non fruitur, paulatim deſtruetur. Plutarchus inter alia præcepta politica hoc quoque tradit: *Nullum eſt aliud bonum excellentius, quam ut Concordiam ſemper conſtituat, amicitiamque inter cives ſuos mutuam, contentiones, diſſenſiones, ſimultates omnes diſcutiat:* Sumamus hujus rei liquidum exemplum in familia quadam, quæ pacis omnino eſt expers, qua de re D. Chryſoſtomum audiamus dicentem: *Præcipuum illud eſt domeſticæ pacis, ac bonorum omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit; Nam ubi hoc ſit, nihil triſte contingere poterit. Quo pacto enim cum caput corpori connexum conjunctumque ſit, ulla ibi ſeditio, ulla diſſenſio poſſit exoriri? Neceſſario profecto reliqua omnia in pace ſunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere poſſit, atque diſcindere? quemadmodum econtra his invicem diſſentientibus, nihil ſalubre eſſe poterit, totaque ſimul nutabit familia. Nihil igitur hac re majus, nihilque magis neceſſarium; Verum præſtat id & pecunijs, & ingenuitati, atque potentiæ, & cæteris omnibus longe utiliſſimum eſt.* Doctrina quoque eſt S.Baſilij M. dicentis. *Animadvertendam in quavis multitudine Diſciplinam, conſenſionemque eouſque ſolere ſervari, quoad omnium communiter adverſum principem unum in parendo ejus imperio conſpiratio teneretur, contraque diſſenſiones, atque diſſidia, ſimiliter imperantium etiam multitudinem, ex eo naſci, quod nemo eſſet, qui imperaret; hocque quod dico, aliquando in magna apum frequentia adverti, quæ naturali ductæ inſtinctu, Regem ſuum ſervato ordine ſequerentur, &c. ſi eorum qui ad unius tantum nutum reſpiciunt, & Rege utuntur uno, proprium eſt diſciplinæ ordo atque concordia, ſine dubio perturbatio omnis, omneque diſſidium, argumento eſt, non eſſe qui imperet.* S. Bernardus in ſermone quodam de modo bene vivendi ſequentem in hac materia adducit po-

S. Bern. ser. 41. de modo bene vivendi.

tentem rationem inquiens : *Necessaria est nobis virtus concordiæ ; quod si ego volo facere voluntatem meam, & iste suam , & ille suam , fiunt divisiones , oriuntur lites, iræ quoque & rixæ, quæ sunt opera carnis , & sicut Apostolus ait , qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Idem quoque in alio quodam sermone ita scribit : *Pax necessaria est, Apostolo teste, qui ait : Pacem sectamini cum omnibus. Quæ est quæ facit unius moris habitare fratres in unum , novam utique regi nostro vero pacifico ædificans civitatem , quæ & ipsa Jerusalem nominetur , quod est visio pacis. Ubi enim sine fœdere pacis , sine observantia legis, sine disciplina & regimine , acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur , non est civitas , sed confusio , Babylon exhibet, de Jerusalem habet nihil.* Quanti pro civitatum stabilimento referat concordia, Sapiens his verbis indicat : *Frater quia adjuvatur à fratre, quasi civitas firma* ; tunc enim civitates tranquillæ, pacificæ, beneque stabilitæ erunt , quando cives ejusdem ea cum unione inter se vivunt, quam inter se habere fratres solent.

S. Bern. ser. 5. de Dedic. Eccle.

Prov. 18. v. 19.

Loth divisus ab Abraham statim expertus est fructum discordiæ.

6. Quando Loth ob pastorum suorum dissensiones cum pastoribus Abrahæ habitas , utpote de pace parum solicitus , à sancto illo Seniculo se divisit , confestim rixarum & discordiæ expertus est fructus (*divisus est ab eo Loth*) etenim à victoribus inimicis una cum omnibus suis abductus est captivus , omnesque ei ereptæ sunt facultates. Unde D. Chrysostomus ait : *Ecce ut divisus est , & putabat se in majori esse libertate, & potiora se assecuturum , repente factus est servus , ut discat , quantum malum sit divisio , & quantum bonum concordia , quanto melius erat cum Patriarcha vivere, & omnia ferre , ne concordia dissolveretur , quam separatum in tanta pericula incidere.* Econtra verò Abraham, qui pacem dilexerat , cum trecentis & paulo amplius servorum suorum victorum exercitum dissipans. Loth cum tota familia & facultatibus ejus redemit , quem proinde D. Chrysostomus his verbis commendat : *Electionem ei concessit , neque moleste tulit , quod prima ferret, ut omnibus notum foret , quomodo mens sua ad pacis , charitatisque scopum spectaret potissimum.*

Gen. 13. 14. Chrysost. hom. 35. in Gen.

Chrysost. Hom. 33. in Gen.

Ecclesia mediante concordia fuit stabilita.

7. Regnum Ecclesiæ mediante unione & concordia primo quidem Apostolorum , deinde vero primorum fidelium inter se stabilitum fuit ; Etenim S. Lucas de hisce testimonium perhibet inquiens : *Multitudinis credentium erat cor unum , & anima una.* Idem Chrysostomus super illa Psalmistæ verba : *Ascendit Deus in jubilo , & Dominus in voce tubæ* , eadem de prædicatione Apostolorum , per quam omnes populos obedientiæ Monarchiæ Apostolicæ subjecerunt , intelligenda esse dicit ; hæc autem tot populorum comparatio à S. Doctore concordiæ & unioni ipsorum attribuitur potius , quam Evangelij promulgationi. Quærit enim : *Cur non dixit in tuba , sed in voce tubæ ?* & respondet : *Significans eorum concordiam , & animi consensionem : Fidei namque extensio atque victoria plus debetur discipulorum consensioni, quam concioni.* Deus sub Imperio Josue muros Hierichuntinos demoliri voluit ; at vero quemnam ad hoc obtinendum modum præscripsit ? Num forte machinas militares , bene armatos exercitus , vel cuniculos subterraneos fieri præcepit ? Nequaquam , sed civitatem illam in sono tubarum demoliendam esse voluit. Hæc autem *omnia in figura contingebant illis.* Jericho namque mundum præfigurabat idololatram, qui non tam prædicationis Apostolicæ sono , quam per viam unionis & concordiæ in sequacibus veri Josue Christi Jesu vigentis demoliendus erat. Origines in Homilia septima in Josue loco Ly *vociferantis*, legit *jubilantis*, hancque illius reddit rationem : *Videtur mihi jubilatio indicare quemdam concordiæ & unanimitatis affectum.* Idem Origenes in eodem loco ad sonum , qui in Spiritus sancti super cœnaculum Sioniticum descensu in die Pentecostes auditus fuit, alludens subdit : *Si vero tanta fuerit beatitudo , ut universus populus concors & unanimis maneat , ut eadem dicant omnes in eodem sensu , atque in eadem sententia permanentes ; isto tali populo vocem unanimiter elevante, fiet illud quod scriptum est in Actibus Apostolorum, quia terræ motus factus est magnus , ubi tunc unanimes orabant Apostoli , cum mulieribus , & cum Maria Mater Jesu , & terræ motu facto , destruentur , & eadem omnia , quæ terrena sunt , ac mundus ipse subvertetur.* Psalm. 16. *Subjecit populos nobis, &c. Ascendit Deus in jubilatione.* Porro veritas hæc per textum quemdam ex sacris Canticis statim adferendum clarior evadet. Etenim Salomon effigiem & delineamenta sponsæ, per quam Ecclesia præfiguratur, delineaturus, de ejusdem genis inquit : *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* At vero quænam esse potest inter malum punicum, & fideles per genas significatos proportio ? Dici quidem posset pomum hoc præ cunctis alijs totaliter rubescere , ac proinde symbolum esse amoris & charitatis, per quam Christiani quantumvis inter se longinque distantes, moribusque genio, & climate ab invicem differentes uniuntur ; imo cum solum hoc pomum inter omnes alios fructus in vertice corona sit redimitum, præ cunctis alijs charitatem ad vivum delineat , de qua Apostolus ait : *Major autem horum est charitas* , de qua etiam diu ante Psalmista prædixit , *Astitit regina à dextris tuis , &c.* Verumtamen magis arridet alia quædam similitudo , videlicet quod sub multis ordinibus, sub eadem cortice , & superficie hujus pomi contentis æqualiter inter se & ex æquo uniantur omnia grana , quæ intus latent , & videntur esse innumera, ad denotandam summam fidelium & unionem & concordiam, quæ hic in terris stabilit , & regnare facit Ecclesiam etiamnum militantem.

Actor. 4. 32.

Psal. 46. 6. Chrysost. ib.

Jos. 6.

Jericho magis per concordiam quam sonum tubæ dejicitur.

Orig. Hom. 7. in Jos.

Cant. 4. v. 3.

1. Cor. 43. 13.

Ps. 44. 10.

1. Cor. 1. 10.

Discordia in Ecclesia causavit hæreses.

8. In Ecclesiam, quam S. Apostolus Corinthi congregaverat , quædam ejus tempore subingressa fuerat dissensio ac discordia , propter quam Apostolus iisdem in hæc verba scribit : *Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, sitis autem perfecti in eodem sensu , & in eadem sententia.* Quando S. Ecclesiæ Doctores inter se in essentialibus fidei dogmatibus discordarunt , mox hæreses & schismata cum irreparabilibus fidei Ecclesiæ damnis fuerunt oborta , nam *omne regnum divisum desolabitur.* Verum quidem est mystica illa quatuor animalia quæ apud Ezechielem magnum illum currum, Ecclesiæ symbolum, sustinebant, vultus omnino à se invicem diversos prætulisse , quibus varietatem ingeniorum & opinionum quæ est inter fideles , indicabant , verumtamen advertendum est , quid sacer textus dicat : *Ubi erat impetus spiritus , illuc gradiebantur* ; Doctores enim Catholici *captivantes intellectum in obsequium fidei* , suasque opiniones Petri Cathedræ subjicientes , inter se unitate veræ matris concordant & conjunguntur. S. Gregorius examinans verba illa : *Terribilis ut castrorum acies ordinata* , inquit , *scimus, & constat , quia castrorum acies , tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata , atque densata , ut in nullo loco interrupta videatur, nam si ita disponitur, ut locus vacuus per quem hostis possit ingredi dimittatur , profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est , ut per charitatem semper uniti atque constricti , numquam interrupti per discordiam inveniamur, quia si qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit , per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat introire.*

Ezech. 1. 12.

Cant. 6. 3. S. Greg. lib. 1. Hom. 8. in Ezech.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Pax, quam mundus dat suis , quæque falsa & mendax est , perstringitur.

THEMA.

Zelavi super iniquos , pacem peccatorum videns. Psalm. 72. ℣. 3.

Pax Christi est centrum omnium desiderabilium cui opponitur pax hujus mundi.

1. EX quo pax inæstimabile quoddam Dei donum , omniumque bonorum desiderabilium centrum est , merito inquirendum venit , quam ob rem Propheta regius illam in iniquis vigere cernens, detestetur , inquiens : *Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns ?* S. Bonaventura exponens verba illa Matth. 10. *Non veni pacem mittere , sed gladium* ; inquit : Per pacem hanc intelligendam esse *pacem, scilicet terrenam , nam hanc non venit dare , sed tollere , quia hæc est pax mala de qua Isaias : Percussimus fœdus cum morte ; & cum inferno fecimus pactum. Hanc pacem vir justus reprobat : Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. Pax erit mihi , & ambulabo in parvitate cordis mei* S. Ambrosius inquit : *Alia pax Dei , alia mundi est, quia & maligni & spurici habent pacem , sed ad damnationem , Christi enim pax libera est à peccatis.* Rupertus Abbas examinans eadem Christi verba : *Non veni pacem mittere , sed gladium* , ita scribit : *Subaudiendum est , quomodo mundus dat, qualem mundus pacem requirit ; nam & alibi cum dixisset : Pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis, protinus addit : Non quomodo mundus dat , ego do vobis.*

Matt. 10. 34.

S. Ambr. 2. Cor. 13.

Matt. 10 34. Rup. Abb. lib. 8. ibid.

Rup. Abb. lib. 11. in Joan. c. 15.

vobis. Idem Venerabilis scriptor qualis pax sit, quam mundus tribuit , super Joannem scribens his verbis exponit : *Pax etenim quam mundus dat , paci quam dat Christus contraria est. Quid namque mundus agit in largitione suæ pacis ? Venite , inquit , & fruamur bonis quæ sunt , & utamur creatura tamquam in juventute celeriter , vino & ungento nos impleamus , & non prætereat nos flos temporis. Quid autem de pace , quam dat Christus, scriptura dicit ? Quam speciosi super montes pedes Evangelizantis pacem , annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Pax igitur mundi æternæ opponitur saluti ; nam ut B. Laurentius Justinianus considerat , mundus non potest dare pacem , quam non habet ; en verba ipsius : *Quam vera veritatis sententia est ? distincta sunt Dei, & sæculi dona. Quod non habet in se mundus , suis non valet præstare cultoribus. Fraudibus cum sit plenus , & livoribus agitatus, atque omnium iniquitatum veneno refertus , pacem quomodo tribuere potest ?* Imaginemini vobis pacem mundi similem quamdam pacem esse , qualis erat illa, de qua Psalmista canit dicens : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

Ps. 27. v. 3.

Aulici exterius ostendunt apparentiam pacis, interius fovent odiũ.

2. Acutum est proverbium quoddam Hispanicum; cujus hic est sensus : Multi osculantur manum , quam amputatam videre mallent , aulici , & qui curias frequentant Principum, sæpe se in pace mutua consistere ostendunt quantum ad apparentiam externam, sed interius, ab invidia & odio erga eosdem , quos se amare simulant , roduntur & extimulantur. Non sine mysterio Ecclesia in oratione pro pace obtinenda, illa recitat verba : *Da servis tuis illam , quam mundus dare non potest, pacem* ; illis namque verbis mundum pacem dare non posse indicat, quia illam non habet, & si quando coram oculis nostris habere videtur, illa ficta est, non vera , similisque paci Joab, qui se osculum pacis Amasæ impertiri velle simulans, eodem tempore in ejus viscera pugionem adegit, eumque necavit. S. Augustinus super illa verba Christi ad suos discipulos dicta : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis , non quomodo mundus dat, ego do vobis* , considerationem dignam adfert reflexionem , ait enim. *Quid est aliud nisi non quomodo homines dant , qui diligunt mundum , ita do vobis ? Qui propterea dant sibi pacem , ut sine molestia litium, atque bellorum, non Deo , sed amico suo mundo perfruantur , & quando justis dant pacem , ut non eos persequantur , pax non potest esse vera , ubi non est vera concordia , quia disjuncta sunt corda , quomodo enim concors dicitur qui sortem jungit , ita ille concors dicendus est , qui corda jungit.* Albertus magnus ad eadem se verba reflectens inquit : *Mundus dat extra, non intus ; dat pacem falsam , sicut erat Judæ fallax osculum.* Adducitque celebrem illum Isaiæ textum : *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Nec non alium ex libro Sapientiæ desumptum, in quo dicitur : *In magno inscitiæ bello viventes, & tot & tam magna mala , pacem esse appellant.*

2. Reg. 20. 4.

Joan. 14. 27.

S. Aug. tract. 78. in Joan.

B. Alb. Mag.

Isai. 57. 21. Sap 14. v. 2.

Jud. 4. 17.

3. In libro Judicum Sisaram in Jahelis tentorium receptum fuisse legimus : *Pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin Regem Azor , & domum Heber Cinæi.* At vero quinam fuere hujus pacis effectus ? Somnus quidam & requies tranquilla ex suavitate & dulcedine lactis causata, at vero hæc pax mortem eidem conciliavit , siquidem dum dormiret , tempora ejus clavo transfixa fuerunt, hisce enim verbis sacer textus hanc refert historiam : *Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum : Intra ad me Domine mi, intra , ne timeas , qui ingressus tabernaculum ejus , & opertus ab ea pallio, Dixit ad eam : Da mihi, obsecro paululum aquæ, quia sitio valde, quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere.* Paulo post vero sacer textus subdit: *Tulit itaq; Jahel... clavũ tabernaculi, assumens pariter & malleum , & ingressa abscondite , & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum , percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram , qui soporem morti consocians , defecit, & mortuus est.* Quid vobis videtur ? Potestne ad delineandam mundi pacem aptior magisque propria dari figura ? Quot sunt qui in hac vita, in lacu quodam butyri & lactis natantes , somnum suum dulciter capiunt, seque beatos omnisque ex parte contentos existimant , minime considerantes id , quod à veridico S. Pauli calamo scriptum est : *Cum enim dixerint pax , & securitas , tunc repentinus eis superveniet interitus ?* Lyranus super prædictam Judicum historiam inquit : *Videtur quod fœdus erat inter eos , propter quod Sisara securus intravit tabernaculum.* Abulensis quoque inquit : *Quia Jahel cogitaverat occidere eum , quod non poterat , nisi eo dormiente ideo procuravit , quomodo eum cito soporaret , & istud erat , dando lac.* Porro quando Sisara lassus & moribundus suavissime dormiebat , lacteque potatus fuerat , tunc Jahel lethiferum ei ictum intulit , non obstante , quod S. Scriptura dixerit : *Pax erat inter eos* : Nimirum Deus nobis in hoc facto indicare voluit , mundum aliam non habere pacem , nisi fictam , apparentem , & fraudulentam.

Ibid. v. 18.

Ibid v. 20.

Jahel proditorie occidit Sisaram.

Ibid. v. 21.

1. Thess. 5. 3.

Lyran. ibid.

Abul. Q. 19.

4. Dives ille Evangelicus ; cujus S. Lucas meminit , copiosam horreo suo messem intulerat , ideoque hilaris & lætus semetipsum animabat intra se dicens: *Anima mea habes multa bona , reposita in annos plurimos , requiesce , comede , bibe , & epulare* , protinus autem tremendam illam audivit vocem : *Stulte , hac nocte animam tuam , repetunt à te.* Tremendam hanc vocem dixi , non sine mysterio , quia *quam amara est mors homini pacem habenti in substantijs suis.* Et tamen pax illa talis est , quæ homini irreconciliabile cum cœlo bellum & inimicitiam per universam æternitatem conciliat. Hugo Cardinalis super illa verba : *Non est pax impijs*, ita scribit : *Pax peccatoris , non est æternitatis , tamen pax est eis frequenter temporis & prosperitatis* ; Idque per illum Jobi cap. 21. textum probat , ubi Propheta de impijs disserens ait : *Domus eorum securæ sunt , & pacatæ , & non est virga Dei super illos.* Allegat pariter aliud Jeremiæ testimonium dicentis : *Non est pax universæ carni , id est , carnalibus.* Dionysius Carthusianus clarius ita scribit : *Non est pax impijs , quod intelligendum est de vera internaque pace , quæ est quieta mentis ordinatio in Deum ; hæc enim pax est charitatis effectus : Est & alia quædam pax mundana , carnalis , apparens & falsa, de qua Christus testatur* Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Porro Deus in sensu litterali hujus loci, de illis intendit loqui Hebræis , qui in Babylonia remanserant, quando alij è captivitate liberati, remigrarunt in Palæstinam. Illis namque qui remanserant videbatur, quod pace sua fruerentur, utpote deinceps bene ibidem accommodati , & substantijs temporalibus abunde locupletati , & tamen considerabant se in Babylonia commorari , ubi tranquillitas & pax esse non potest, sed mera confusio , siquidem *Babylon* idem est quod *Confusio* : Econtra vero *Jerusalem* idem erat quod *visio pacis.* Etenim vero pax mundi in facultatibus terrenis , in prosperitate, delicijs, sanitate, honoribus, voluptatibus , alijsque similibus gaudijs fundatur, cum tamen verissimum semper sit , quod pax est , & non est pax , est enim pax quædam , quæ corpori non vero animæ satisfacit. *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias* ; ubi enim peccatum locum habet, non est pax impijs.

Luc. 12. 19.

Ibid. v. 20.

Eccli. 41. v. 1.

Falsa pax mundi patet in divite Evangelico.

Isaiæ 57. 21. Hug. Card.

Job. 21. v. 9.

Jerem. 12. v. 13.

Dion. Carth.

Ps. 72. v. 12.

Berchor. in reduct. mor. Verb. Pax.

5. Berchorius de hac materia disserens inquit : *Adverte , quod Deus proprie dicitur Deus pacis , quia pro certo sine Deo nulla pax est firma , vel secura, & ideo mali , qui Deum pacis secum non habent , pacem veram & solidam non observant , quia iste solus est qui illuminat his , qui in tenebris sedent , ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Mox vero progreditur ad recensendas pugnas & prædia, quibus mundani infestantur, ait enim : *Pugnant in seipsis diversæ affectiones , quia scilicet prodigalitas vult expendere ut honoretur , parcitas vult tenere , ut ditetur ; Luxria vult quiescere , ut delectetur , avaritia vult laborare , ut satietur ; negligentia vult dormire , ne fatigetur : Iracundia vult vigilare , ut vindicetur ; superbia vult ascendere , ut dominetur : invidia vult descendere , ut contristetur. Gastrimargia vult devorare , ut repleatur : Hypocrisis vult jejunare , ne contemnatur : Ecce ergo quot pugnæ sunt in eis ; & breviter bene dicitur in Psalmo : Viam pacis non cognoverunt , non est timor Dei , ante oculos eorum. Mali Prophetæ reprehenduntur* Jerem. 6. *dicentes : Pax , pax, & non erat pax, quia vere tales , quamvis pacem exterius habere videantur , intus tamen multas discordias patiantur.* Idem Author paulo post aliam quamdam valde convincentem assignat rationem inquiens : *Bellum eis movet interius synderesis & conscientia , exterius labor & avaritia ; posterior timor mortis & violentia. De interiori dicitur in Psalmo : Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. De exteriori dicitur Jeremiæ sexto : Sanabant contritionem populi mei dicentes : Pax, pax, & non erat pax, quia pro certo dicunt , Pax , pax, in quantum credunt in temporalibus esse pacem, & tamen in veritate non est pax, quia nulla est tanta in mundo prosperitas , quin magis ibi sit de jurgio , quam de pace.* Psalm. 38. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Diversæ affectiones mundanorum.

Jerem. 6.

Psal. 38.

1 Mach. 7. 35 · Hug. Card. in Ps. 36. · Hug. Card. in cap. 19. Luc. · In quibus sit pax mundana. · Ps 72. v. 3. · Joan. 14. 27. · Psal. 36. 11. · S. Aug. ibid.

6. Hugo Cardinalis de perversorum prosperitate differens, textum illum citat Machabæorum lib. 1. cap. 7. ubi Nicanor Sion minatus est dicens : *Cum reversus fuero in pace, succendam domum istam, & exiit cum ira magna.* Idem purpuratus Auctor super cap. 19. S. Lucæ scribens, expressius de hac mundana pace tractat, dum ait : *Temporalem & transitoriam pacem faciunt divitiæ, deliciæ, & honores mundani, sanitas corporalis, & amicorum atque parentum carnalium copia, & hujusmodi quæ pacem temporalem faciunt, sed spiritualem auferunt.* De hac pace dicitur Psalmo 72. *Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Dionysius Carthusianus verba supra sæpius allegata explicans, scilicet : *Pacem relinquo vobis, ... non quomodo mundus dat, &c.* in hæc verba scribit : *Non pacem carnalem, & sæcularem, qualem dant & procurant sæculi hujus vanissimi amatores, illa enim est quieta quædam fruitio temporalium divitiarum, carnalium deliciarum, & cæterorum bonorum mundi hujus, qualem habet anima vitiosa cum propria carne.* Noranda quoque est moralitas quædam S. Augustini, super illa verba Psalmi 36. *Et delectabuntur in multitudine pacis*, dicentis : *Delectetur hic impius ille in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diversarum, vinolentiæ, lautissimorum, & luxuriosorum conviviorum. Hæc est potentia cui invides? iste flos est qui te delectat? Nonne etsi semper sic esset, plangendus esset? quæ erant autem deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit.*

Finis mundanæ pacis est infernus. · Ps. 72. v. 3. · S. Aug. ibid. · Job. 21. v. 7. · Ps. 36. v. 35. · Ibid. v. 36. · Ibid. v. 37.

7. In praxi quotidiana videmus, quod mundani omnem quietem & gaudium in solis terræ bonis collocatum habeant, hic se pacem reperturos esse credunt, *sed non est pax impijs.* Idem S. Augustinus super illa verba : *Pacem peccatorum videns*, interrogat : *Quam pacem? Temporalem, fluxam, caducam, atque terrenam. Quare autem hoc habent peccatores? dicit breviter : Quia non est declinatio mortis eorum, & firmamentum in flagello eorum. In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Jam intellexi quare habent pacem, & florent in terra, quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa mors, & æterna eos manet.* Job Propheta cum admiratione inquirit dicens : *Quare impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitijs, ... domus eorum pacatæ? moxque respondet: ...Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ecce tibi quem terminum pax mundanorum accipiat Regius Propheta non sine admiratione impios exaltatos aspexit : *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani*; At vero quid sequitur? *Transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*; ac proinde immediate postea hoc suggerit consilium, ut innocentiæ vitæ studeamus, quæ veram pacem velut comitem habet individuam : *Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

S. Cyrill. Alex. lib. 11. c. 3. in Joan. · Quid sit pacem habere in Christo.

8. S. Cyrillus Alexandrinus super illa Salvatoris verba : *Ut in me pacem habeatis*, ita scribit : *Dicamus quid sit pacem habere in Christo. Mundus quidem, id est rerum caducarum cupidi paci suæ nonnumquam consulunt, sed non in Christo. Nam qui voluptate corporis diffluunt, alter alteri jucundissimi sunt. Ut v. g. fur furi amicissimus est, diligit enim unusquisque sibi similem, sed in omnibus his sanctissimum pacis nomen cauponationi subjicitur, Sancti autem non ita faciunt, nam in eis vinculum pacis non est peccatum, sed fides, spes, charitas, jus pietatis in Deum, & hoc est in Christo pacem habere, quæ omnium bonorum origo, & radix est, quæ secum quasi sororem, charitatem (quæ in alteratros est) adducit, quam divinæ legis impletionem Paulus appellavit.*

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Vera Pax cum innocentia & timore Dei conjuncta esse debet, quia sine illis non subsistit.

THEMA.

Gratia vobis & Pax à Deo. Rom. 1. v. 7.

Vera Pax numquam est sine gratia Dei. · S. Bonav. in Biblia Pauper. cap. 48. · Col. 3. 14. · S. Amb. ibid. · 2. Cor. 13. 11. · S. Ambr. · S. Ambr. lib. 5. in Luc. c. 6.

1. Doctor Seraphicus observat, S. Paulum Apostolum, nobilissimum pacis characterem in omnibus Epistolis suis, ea solum excepta, quam ad Hebræos scripsit, Neo-Christianis cum speciali sollicitudine imprimere, ita tamen ut illa cum divina gratia pariter conjuncta sit; ita enim scribit : *Quantum sit pacis bonum, perpendi potest per discretum æstimatorem rerum B. Paulum, quod illud tam solicite in omnibus Epistolis suis, illis quibus scribebat, optabat, excepta illa ad Hebræos, in qua nec nomen suum ex certa causa, nec aliquam salutationem præmisit. Nota tamen, quod cum dicitur pax, præponit gratiam dicens : Gratia vobis, & pax, per quod manifeste datur intelligi, quod sine gratia Dei, pax vera numquam potest habere.* Idem S. Paulus Colossenses ad unionem & charitatem fraternam his verbis exhortans : *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, immediate subjungit : *Et pax Christi exultet in cordibus vestris*; ubi S. Ambrosius notat, quod charitas semper secum habet pacem sicut vero paci alijs in locis divinam gratiam velut prodromam assignat, ita nunc eamdem velut charitatis partum præconizat. Idem S. Ambrosius super illa verba Epistolæ 2. ad Corinthios : *Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*, ita scribit : *Christi enim pax libera est à peccatis; Perfidiam ergo fugit, dolum spernit, factis malis repugnat. Hæc Deo placita est, & amica, Diabolo inimica. Hanc qui habuerit, habebit & dilectionem simul & Deum eorum ad fruitionem perpetuam.* Idipsum quoque idem sanctus Doctor alio in loco sequentibus verbis confirmat : *Nisi tu prius interiora tua vacue feceris ab omni labe peccati, ne contentiones, dissensionesque ex affectu tuo prodeant, non potes alijs ferre medicinam.* A te igitur pacem incipe.

Pax Christi est pax conscientiæ. · Joan. 14. 27. · Alb. Magn. · Ps. 84. v. 9. · Ibid. v. 10. · Beda. · Raban. lib. 3. de agone Christian. Tom. 6. · S. Bern. ser. 1. de S. Andrea. · Psal. 1. 2.

2. Porro qualis illa pax fuerit, quam Salvator noster Apostolis suis, & successive omnibus alijs fidelibus in testamento suo legavit, quando dixit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, B. Albertus Magnus his verbis declarat : *Hoc est conscientiæ de cætero tranquillitatem.* Propheta Regius in Psalmo 84. inquit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor*, ubi observa, quod hanc pacem Sancti participare dicantur, nec non ij qui ex corde ad eum convertuntur. Insuper vero immediate subjungit : *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius* : Quæ verba Beda in favorem nostrum explicans inquit : *Dico, quia in omnes qui convertuntur ad cor, erit pax, sed tamen salutare id est, salutatio ipsius vera erit prope perfecte timentes eum timore justo.* Rabanus de Pace scribens, infallibile illius signum sanctitatem & innocentiam esse his verbis affirmat : *Pax Spiritum Dei specialiter promeretur, pax dilectionis mater est, pax indicium sanctitatis, de qua Dominus per Prophetam ait : Pacem & veritatem diligite.* Vix dum natus fuisset, mox pacem per Angelorum Hierarchias generi humano annuntiari fecit : *Et in terra pax hominibus*; at vero numquid pax ista omnibus indifferenter hominibus annuntiata fuit? Minime; sed *hominibus* tantum *bonæ voluntatis*. Quinam vero sunt homines bonæ voluntatis? S. Bernardus ad id respondere videtur, dum ait : *Quæ autem bona nisi ordinata voluntas? Quænam est illa inquis? Profecto quæ rationi consentanea est.* Porro Psalmista divinam voluntatem in divinorum præceptorum adimpletione consistere inquit; *In lege Domini voluntas ejus.*

Psal. 33. 15. · Ps. 36. v. 27. · Pax Christi declinat à malo & facit bonum. · S. Aug. hom. 1. Interr. 50. · S. Aug. ser. 2. ad fratres. · Revel. S. Birg. lib. 2. cap. 26.

3. Observandum porro est, quod quando Psalmista pacem à nobis diligenter & strenue sectandam esse suadet dicens : *Inquire pacem & persequere eam*, jam antecedenter dixerat : *Declina à malo, & fac bonum*, ut per hoc nobis indicaret, quod si circa hosce duos polos, declinationem scilicet à malo, & operationem assiduam boni vitæ nostræ rotam exacte agitaverimus, secure nos Christi pace gavisuros esse sperare valeamus. Quam reflexionem S. Augustinus in Homilia quadam insinuavit; & præcipue in sermone 2. *ad fratres* de pace illa, de qua agimus, in hæc verba scribit : *Hæc est illa perfecta pax, quæ mentem à vitijs purgat, vermem conscientiæ rodit.* S. Birgitta à cœlesti sponso suo quonam modo Christianus vera pace frui possit, hisce verbis edocta fuit : *Pacem habeat cum Deo, nihil aliud, vel aliter volendo, quam quod Deus, non exacerbando eum per peccata, quia inter Deum & animam non est pax, nisi peccare desistatur, & concupiscentia refrænetur.* In decursu autem ejusdem capitis subdit : *Ideo pacem debet habere anima ad Deum & ad proximum, quia nihil quietius esse potest quam quiescere à peccato, & non solicitari de mundo.*

Joan. 14. v. 27. · Christus dedit pacem suam Apostolis quando declaraverat illos mundatos à peccatis. · Joan. 13. 10. · Ps. 36. v. 37. · Hugo Card. ibid.

4. Notastisne aliquando tempus quo Christus pretiosissimam hanc hæreditatem testamento suo Apostolis & Ecclesiæ suæ legavit, dicendo : *Pacem meam do vobis?* Nimirum tunc præstantissimum hoc do-

num Apostolis suis est impertitus, quando illos primò ab omni inquinamento peccati purificatos & mundatos declaravit, inquiens : *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis*, per quod indicare nobis voluit, quod videlicet illi futuri sint pacis suæ participes, qui puram & immaculatam habuerint conscientiam. Porro superius illorum verborum regij Psaltis meminimus : *Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Circa hæc autem verba Hugo Cardinalis ita commentatur : *Quoniam Deus reliquit eas, scilicet innocentiam & æquitatem, homini, scilicet quasi in testamento pacis*, quasi magnus hic Cardinalis dicere vellet; quando Christus, de quo scriptum est : *Ipse est pax nostra*, nobis velut in testamento pacem suam reliquit, eodem quoque tempore nos hortatus est, ut innocentiam nostram diligenter custodiamus.

Isa. 57. v. 19 · Confessio Sacramentalis conducit ad pacem conscientiæ. · Joan. 21. 23. · Joan. 20. 19. · Ibid. 22. & 23. · Dion. Carth.

5. Nescio an vos aliquando reflexeritis ad illa Isaiæ verba : *Creavi fructum labiorum pacem.* Dic sodes, quænam inter labia nostra & pacem potest dari proportio? Quod si dixeris, quod ex quo Christus lingua sua pacem suam nobis imprecatus est : *Dixit eis : Pax vobis*, consequenter etiam labia ejus ad eamdem imprecandam concurrerint. Respondeo veram pacem aliam non esse quam internam, hæc autem comparatur per rectam conscientiam; & ecce tibi pariter per hanc responsionem solutum dubium; labia etenim nostra in confessione Sacramentali magnam partem conferunt, & consequenter veræ paci comparandæ, quæ potissimum in Christiana consistit innocentia, plurimum cooperatur; unde postquam M. Magdalena ad pedes Salvatoris sua deposuisset & deplorasset peccata, mox audivit à Christo : *Vade in pace.* Mox quoque post resurrectionem suam Salvator simul annunciatam Apostolis suis pacem : *Dixit eis : Pax vobis* cum confessionis Sacramentalis Sacramento conjunxit, dicendo : *Accipite Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ut exinde intelligeremus, quanta, quamque necessaria sit connexio, quæ inter bonam conscientiam, & tranquillitatem veramque & imperturbabilem pacem intercedit. Unde Dionysius Carthusianus ait : *Christus præsertim nunc loquitur de pace interna, quæ est tranquillitas animi, utpote quies à motibus proprijs inordinatis.*

Joan. 14. 27 · S. Thom. ibid. · Pax mundi est simulata, pax Christi vera. · Ps. 17. v. 3. · Joan. 14. 27. · Cajet. ibid.

6. Doctor Angelicus super illud à Christo Apostolis impertitum legatum : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ingeniosam adducit reflexionem; quia sequentia verba adjungit : *Pax mundi est simulata, quia tantum apparet exterius*, juxta illud Psalmistæ : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Quando autem in corde, id est, in conscientia nostra culpa latet (*mala autem in cordibus eorum*) certum est, quod nobis inesse nequeat vera pax & tranquillitas; ac proinde cœlestis Magister noster non sine mysterio ostendit differentiam, quæ est inter suam & mundi pacem; quæ in eo consistit, quod mundi pax in solis versetur signis exterioribus : Christi autem pax in innocentia & puritate cordis sit posita. Qua de re Cajetanus super illa verba scribens : *Pacem meam do vobis*, ita loquitur : *Ne errares, putando quod Jesus testamento reliquit rem non suam, explicat pacem esse suam. Nec dixit : Pax quam relinquo vobis, est mea, sed pacem meam; ut intelligamus veram pacem, quæ sola est digna nomine pacis, esse ipsius. Non enim est pax impijs; non est vera pax, exterior concordia, quantumcumque tranquilla & ordinata; & breviter; Non est vera pax, nisi interna, quâ intus omnibus actionibus & passionibus recte dispositis & habituatis, inferiora animi concordant superioribus, superiora autem animi cum Deo; hæc enim sola est vera pax, quam constat non esse hominis, sed Dei.*

1. Reg. 22. v. 5 · Deus noluit quod David frueretur pace hujus mundi. · Act. Apost. 13. v. 22. · Ps. 118. 165. · Hugo Card. ibid. · Prov. 12. v. 21.

7. Huic proposito nostro historiam quamdam lib. 1. Reg. cap. 22. relatam adaptari posse existimo; cum enim David implacabiles à Saule pateretur persecutiones, in regionem profectus est alienam, ut vitæ suæ securitati prospiceret; Deus autem Gad Prophetam ad illum ablegavit, hac onusta commissione : *Dixitque Gad Propheta ad David : Noli manere in præsidio; proficiscere, & vade in terram Juda.* Circa quod factum curiosus inquiro; ex quo Deus huc servum suum profectum & custoditum esse volebat, cur ipsum in sua quiete & pace non relinquebat imperturbatum? Cur non permitit illum in ea regione commorari, in qua splendide habebatur, eratque à persecutione tygridis illius sanguinem servi sui sitientis omnino securus? Cur illum in Judæam redire præcipit, quæ sub inimici ipsius posita erat dominio? Respondeo, Davidem hoc à Deo honoratum fuisse permagnifico testimonio : *Inveni ... virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*; ac proinde nequaquam eum frui volebat illa quiete & securitate pacifica, qua inter idololatras, veri Dei inimicos gaudebat; Hæc enim pax erat, & non erat pax, ac proinde periculosa erat, & Davidem in scopulum aliquem exitiosum allidere poterat, Deus autem magnis curabat pacem ejus internam, quæ in exacta divinorum præceptorum observantia consistit, ipsomet regio Psalte asserente : *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; ac proinde ab hisce offendiculis illum subtractum voluit. Hugo Cardinalis inquit : *Ecce David cum esset in pace, in terra polluta, jubetur ire in terram Juda, ut persecutionem sustineat*; At vero dices forsitan David inter persecutiones serenitatem mentis suæ amittere potuisset? nequaquam hoc timendum erat; quia *non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

Maxima discordia erat inter filios Jacob & summa concordia inter proles Job. · Gen. 37. v. 4. · Job. 1. 5. · Gen. 37. 2. · Quia filij Jacob maximis criminibus erant maculati, proles vero Job in maxima charitate vivebant. · Gen. 37. 20. · Isa. 57. v. 20 · Orig. hom. 1. de Job. · Rom. 9. v. 13.

8. Non est dubium quin discordia, quæ in familia Jacob Patriarchæ, scilicet inter filios ejus vigebat, sæpius alijs scandalum causaverit, econtra vero concordia, quæ inter fratres & sorores familiæ Job laudabiliter conservatur, magnæ ædificationi omnibus illam videntibus fuerit, quando scilicet quotidie in fraternæ benevolentiæ signum, se invicem invitabant ad epulas; cum tamen econtra filij Jacob, fratrem suum Joseph summæ innocentiæ, raræque virtutis juvenem in extremum vitæ redegerint periculum, tantaque illum prosecuti fuerint invidia, ut sacer Chronista dicat : *Nec poterant ei quidquam pacifice loqui*, quia oderant eum. At vero ex quo Jacob sanctus erat, & Job pariter sanctissimus, undenam inter familias eorum tanta sese prodit differentia? Vultisne causam illius scire? Nimirum filios Job alicujus culpæ macula coinquinatos fuisse ex scriptura nusquam constat, imo pater illorum, ut omne averteret ab illis peccatum, etiam levissimum, quod in illorum convivia furtive irripere potuisset : *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis, dicebat enim. Ne forte peccaverint filij mei*; Nihil itaque mirum, si concordes fuerint, & pacifici, quia *pax multa diligentibus legem tuam* : Econtra vero inter filios Jacob ingens vigebat malitia, siquidem Joseph Dei à fratribus suis contumeliati honorem zelans, eosdem apud patrem accusavit *de crimine pessimo*; Ruben lectum maculavit paternum, Simeon & Levi crudelem illam Sichimitarum stragem traditoriè instituerunt, Judæ cum meretricibus intercedebat commercium; multi quoque illorum in hoc conspiraverant, ut Josepho necem inferrent, odio nimirum & invidia, qua erga illum ardebant, penitus excæcati; denique patrem suum mendaciter deceperunt, dum de Joseph dixerunt : *Fera pessima devoravit filium tuum*; Qua igitur ratione vera pax & concordia inter eos vigere poterat, inter quos tanta erat iniquitas. Isaias de impijs dicit : *Impij autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.* Et ideo Origenes de filijs Jacob & Jobi hæc verba scribit : *Fuerunt Job septem filij, & tres filiæ, numero decem, animo vero unus erant; numero plurimi erant, consensu ac concordia quasi unus, unanimitate & dilectione quasi idem. Non dissociabat eos invidia, sicut pridem fratres Josephi, quia non est exorta in eis prævaricatio, neque coinquinatio, sicut in Ruben, neque furor interficiens, sicut in Simone & Levi; neque odium fraternæ maledictionis, sicut in cæteris filijs Jacob, sed erant omnes unanimes in pietate, pacifici in justitia, atque in Dei timore concordes.* Diabolus septem hosce fratres & sorores numquam ab invicem dividere potuit, quemadmodum in domo adeo sancta, qualis domus Isaac erat, inter duos fratres ad votum suum facere potuit, pessimam & irreconciliabilis odij zizaniam in Esau contra Job seminando, qui proinde sæpius fratri suo, necem inferre machinabatur, nec mirum, siquidem perditæ salutis homo erat, & à Deo reprobatus, Deo ipsomet dicente : *Esau odio habui*; *Non est pax impijs.* Idem Origenes in prædictorum filiorum Jobi præconium subjungit : *Invidus Dæmon facilius omnes pariter indivisos interficere, quam dividere, atque dissociare benignam, atque veram eorum unanimitatem posset.*

2. Petr. 1. v. 2. · Theophyl.

9. *Gratia vobis & pax.* Circa hæc verba Theophylactus in favorem nostrum sequentem habet observationem : *Pax ex divina gratia profluxit, prius itaque gratia est, deinde pax.* Advertendum quoque

sanctum

Non omnibus Romanis precatur Paulus pacem, sed solis sanctis.

sanctum Paulum hanc pacis precationem non omnibus indifferenter detulisse Romanis; siquidem sanctus Petrus Romam non sine causa Babyloniam appellavit, dicendo: *Ecclesia quæ est in Babylone collecta*, de qua proinde sanctus Leo Magnus ait, quod *omnium gentium serviebat erroribus*; & ideo sanctus Paulus pacem non omnibus Romanis imprecari poterat, & multo minus gratiam, sed potius: *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis; Gratia vobis & pax à Deo*; adeoque prius ipsis inesse supponit dilectionem divinam, sanctitatem, amicitiam & gratiam Dei, & postea annunciat illis pacem. Unde Cornelius à Lapide circa illa verba ita scribit: *Pax hic intelligitur illa, quam habet anima ista cum Deo*; *Item pax conscientiæ.* Imo S. Job incomparabile esse censuit, divinæ resistere voluntati, & simul pacis participem fieri, ac proinde dicit: *Quis restitit ei & pacem habuit?* Hugo super illa verba Isaiæ: *Non est pax impiis*, ita scribit: *Quia secum etiam rixantur, Pax Christi, pax conscientiæ, sive pectoris, & pax æternitatis non est impiis, sed pax mundanæ prosperitatis est eis quandoque.*

1 *Pet. 5. v. 13*
Roman. 1. 7.
S. Leo de Natal. Apost.
Pet. & Paul.
Corn. à Lap. ibid.
Job. 9. v. 4.
Isa. 57. v. 20.
Hugo Card.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Quæ virtutem inter & justitiam est unio, vera nos Christi pace gaudere facit.

THEMA.

Justitia & Pax osculatæ sunt, Psal. 84. ℣. 11.

Per justitiam pax conservatur.

1. NOn defuere, qui verba hæc exponerent, secundum quod sonant, de justitia nimirum distributiva, commutativa, & legali, eadem intelligendo, quia ut Respublica in summa viva tranquillitate, necessum est punire transgressores; & quia dissensiones & rixæ ut plurimum originem suam habere solent ex offensivis illis verbis *Meum & Tuum*, ideo nunc vigebit in communitate summa concordia, quando perfecte illa administrabitur virtus, cujus est celebris hæc definitio: *Est constans & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuendi.* Unde Isaias inquit: *Et erit opus justitiæ pax*, quasi diceret, si exacta administrata fuerit justitia, perfecta in Republica vigebit pax & concordia. Basilius Magnus verba illa Psalmistæ ponderans: *Dominus benedicet populo suo in pace*, inquit; *Populo justitiam sedulo operanti, suggerit vires & robur.* Quæ verba opportune adaptari possunt Rebus publicis, & statibus bene gubernatis, in quibus incorrupta administratur justitia; siquidem hac ratione augebuntur in pace, eorumque vires corporales quotidie majora accipient incrementa, quia *concordia parvæ res crescunt.* Hugo Cardinalis exponens verba illa: *Custodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*, prærogativam publicæ tranquillitatis confiderat, quæ in Rempublicam redundat, dum incorrupta in ea exercetur justitia; ait enim: *In pace autem conservant hæc duo; innocentia, qua nulli noceamus, & æquitas, qua cunctis ut æquum est, subveniamus.* Sanctus Augustinus super propositi thematis verba ita scribit: *Fac justitiam, & habebis pacem, ut osculentur se justitia & pax, si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis.* Sanctus Bernardinus in sermone quodam ait & ipse: *Duæ sunt amicæ, justitia & pax; tu forte unam vis, & alteram non facis; nemo enim est, qui pacem non velit, sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore omnes respondent: Opto, cupio, amo, volo. Ama justitiam, quia duæ amicæ sunt, justitia & pax ipse se osculantur si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.* Sanctus Isidorus Peluliota pariter hanc justitiæ & pacis consociationem in Epistola quadam in hæc verba tangit: *Pax si adnexam justitiam habeat, divina quædam res est, si autem altera sine altera sit, virtutis pulchritudinem hoc labefactat, nam & prædonibus inter se, & lupis pax est, illis inimirum in hominum perniciem, his autem in ovium exitium; At pacem hanc minime appellarim, quæ justitia minime ornata est; At si hæc accesserit, tum demum pax vere vocabitur; unde etiam Christus aiebat: Non veni pacem mittere super terram, sed gladium, non quod non omnem pacem, sed etiam damnaxat quæ cum vitio conjuncta est, abjiciat ac proscribat, hinc patet, quod alio loco ait: Pacem meam do vobis. Pax enim vera ea est, quæ justitia & pietate cohonestatur.*

Isaias 32. v. 17.
Psal. 28. v. 11.
S. Bas. tom. 1.
Psal. 36. 37.
Hug. Card.
S. Aug. in Ps. 84.
S. Bernard. Tom. 2. ser. 30. art. 1. c. 3
S. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 24.

Sine pace Christi nos

2. Sanctus Antoninus de hoc dono pacis disserens in ea est opinione, quod Deus illa nos in pœnam transgressionum nostrarum privarit. Unde ait: *Omnia clamant pacem, & permaxime eam desiderat creatura rationalis; sed pax temporalis quantum exulat erit à mundo, tu vides. Undique bella fremunt; & ratio est, quia tu non vis habere pacem cum Deo sed bellum, propter peccata tua. Peccata vestra, diviserunt inter vos & Deum vestrum, & ideo ubi aufert pacem temporalem. Quamvis per totum mundum esset pax, & haberes quidquid velles de rebus temporalibus, si non haberes Deum per gratiam, adhuc non haberes pacem & quietem.* Regius Propheta legis gratiæ tempus prædicens, inquit: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis*; ubi observandum, quod justitiæ primum locum attribuat, id est, virtuti, perfectioni, innocentiæ sanctitati; nam ut D. Chrysostomus ait: *Justitiam universam dicit virtutem*, postea vero subdit: *Et abundantia pacis*, quia juxta proportionem operum virtuosorum, & augmentum spiritus pax Dei in anima sita quoque accipit incrementa. S. Antonius de Padua, in sermone quodam in Dominicam tertiam Adventus ita scribit: *Nota quod modestia in duobus est maxime, scilicet in pace mentis, & honestate corporis, de quibus* Isai. 32. *Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Opus justitiæ, id est illorum, qui jam sunt per gratiam justificati, est pax.* Cajetanus qualis fuerit hæreditas, quam Christus Apostolis suis legavit, considerat, inquiens: *Nec moriturus Jesus, Pater Apostolorum, reliquis illis agros, domos aut curam propriæ sepulturæ, sed tantummodo pacem.* Hanc autem pacem suam propriam esse dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, quia pax Dei, vera pax est; *hominum enim pax statim dissolvitur*, inquit Divus Chrysostomus, *& varias habet vicissitudines, verum quæ à Christo datur, stabilis est, imo firma, solida, immortalis, sine carens, licet millia bellorum vobis undequaque ingruant.* Angelicus Doctor verborum illorum: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, hunc sensum esse dicit: *Id est non ad eundem finem do vobis, quia mundus dat quantum ad exteriora quietem possidendam, ego vero do, quantum ad æterna adipiscenda.* Didacus Stella illud commemorando Apostoli dictum: *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum*, subjungit: *Christus specialiter pacem suam vocabat, innuens, quod præter illam esset alia pax, ideo dixit: Pacem meam do vobis, &c. hæc enim pax, in illos qui digni erant, veniebat*, quasi diceret, non omnes dispositi sunt & digni ad recipiendam Christi pacem, sed illi dumtaxat qui cum imitantur, eique se conformant (quantum tamen illius capax est humana fragilitas) per virtutem & perfectionem Apostolorum. Sanctus Petrus Chrysologus ait: *Pacem vobis à Domino exoravimus, quæ & habenda semper est & semper oranda, non illa infida & instabilis hujus mundi pax, quæ vel pro commodis quæritur, vel pro timore servatur, sed pax Christi, quæ secundum sententiam Apostoli Pauli superat omnem mentem, & credentium corda custodit. Pax quæ charitatis fœcundis nutritur operibus, pax alumna fidei, columna justitiæ, pax futuræ spei pignus idoneum. Pax quæ præsentem sociat, absentes invitat. Pax quæ terrena cœlestibus, & divinis humana conciliat; sic enim dicit Apostolus, quod Dominus noster Jesus Christus pacificavit per sanguinem suum, non solum quæ in terris sunt, sed & quæ in cœlis.* Idem Chrys. in alio quodam sermone in hujus veræ pacis laudem dicit: *Pax fratrum, voluntas est Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina.* B. Laurentius Justinianus idem punctum tractat, quando de amore Dei hunc in modum discurrit: *Optima pacis pollicitatio, non carnis est, sed Spiritus, non hominum, sed animorum, quam nonnisi in Christo consequimur; humani siquidem animi appetitus talis est, ut semper pacem inquirat, semper ut illam possideat, absque intermissione laborare non desinit. Nullum sine bono pacis experitur gaudium, nulla fatigationum suarum mercede lætatur. Circuit mare & aridam, universaque sæculi ipsius delectabilia quæris, at in ipsis concupitæ pacis solatium invenire valeat: Fastidiunt tamen cuncta, quæ pacem conferre nequeunt: Prò dolor, quam maxima in creatis omnibus penuria est, quoniam nulla earum potest præstare suis dilectoribus pacem. Pacis satietatem minime tribuunt, sed veritas accendunt, fatigant quærentis animum, non pacant.* Ex quo discursu facile intelligitur, pacem & quietem veram inveniri non posse, nisi in bona conscientia, nisi in mente serena, pura, & immaculata. Rupertus Abbas quærit: *Quid autem de pace, quam dat Christus, scriptura dicit? Quam speciosi super montes pedes Evangelizantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnavit Deus tuus. In eo quippe pax Christi est, quam ipse dat nobis, quod principe mundi hujus foras ejecto, ô Sion, regnavit ipse Deus tuus, regnumque peccati & mortis destructum est.*

est stabilis pax mundi.
S. Anton. de P. Tit. 5. c. 21. §. 1.
Isa. 59.
Psal. 71. v. 7.
Chrys. hom. 16. in Matth.
S. Anton. de Pad. Dom. 3. Advent.
Pax vera est propria Christi.
Cajet.
Joan. 14. v. 27.
Chrysost. adversus gent.
S. Thom. ibid.
Philip. 4. v. 7.
Did. Stell. in Luc. 10.
Qui Christi imitantur soli sunt digni ad recipiendam pacem Christi.
Chrysol ser. 138.
Rub. Abb. lib. 11. in Joan. c. 854

3. Idem Rupertus Abbas super Evangelium S. Matthæi pacem Salvatoris nostri eamdem esse dicit, cujus S. Paulus in hac verba meminit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Pax ista remissio peccatorum est, sed mundus in maligno positus istam non quærit.* S. Bonaventura super illum Psalmistæ versum: *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*, inquit, *Quatuor sunt paces, duas dat Deus, duas dat mundus: Mundus dat pacem in tranquillitate temporalium, & in sanitate corporum. Deus dat pacem in tranquillitate mentis, & in gaudio contemplationis, supra hominem.* Advertendum vero est, quod Psalmista dicat: *Loquetur pacem super timentes eum, & super sanctos suos.* Ecce tibi quibusnam familiaris sit pax, quam Deus communicat.

Gal. 5. 22.
Rup. Abb. lib. 8. in Matth. cap. 10.
Psal. 84. v. 9.
S. Bonav. ib.
Duas paces dat Deus & duas paces dat mundus.

4. Nescio an aliquando vos ad hoc reflexeritis, quod S. Lucas, utique non sine mysterio, situm notet, in quo positus fuit Salvator noster, quando à mortuis resurgens collegio Apostolico pacem annunciavit; dicit enim Evangelista: *Stetit Jesus in medio eorum & dixit eis, pax vobis*; at vero cum sanctus hic Evangelista nullam ducat lineam, quæ mysterio careat, numquid sufficiet dicere, quod pacem Discipulis annuntiarit? Cur igitur addit, *Stetit in medio?* Respondetur: *in medio consistit virtus*; ac proinde Evangelista indicare voluit, pacem Christi cum virtute ac divina gratia conjungendam esse. Quod si interrogaveris, qualis hæc pax fuerit, cum Christus ijsdem Apostolis dixerit: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum?* Utique pax hæc potius bellum dicendum erat, siquidem Apostoli, quoadusque vivebant incessanter persecutionibus implacabilibus erant infestandi; Respondeo igitur cum Cajetano in Commentario super illa verba: *Non quomodo mundus dat ego do vobis*; Ita enim præfatus Cajetanus scribit: *Non dicit: non quam, non qualem mundus, sed non quomodo mundus dat, ut intelligamus, quod de differentia in modo dandi loquitur. Modus quo mundus dat pacem, est externus, tranquille se habendo, verbis & factis; dat enim mundus (hoc est communis hominum cursus) pacem impetrando, conveniendo, non lædendo; & religiosa hujusmodi exteriora servando. Jesus autem non sic dat pacem, tam ex parte dantis, quam ex parte Discipulorum, quibus datur, nam dat interius operando in animis hominum; dat exterius tollendo vitam propriam, & res, filios, uxores, & demum propriam vitam singulorum quibus dat. Ecce modus dandi pacem, contrarius modo quo mundus dat pacem.* Sic enim in Actibus Apostolicis legitur: *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati.* Lyranus versum illum Psalmi 124. *Pax super Israel*, hunc in modum explicat: *Non super Israel secundum carnem, sed secundum spiritum, scilicet super populum Catholicum, propter quod in nativitate Christi canuerunt Angeli: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis; per bonam enim voluntatem habent pacem cordis internam, secundum quod dicitur* Prov. 12. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit, & per illam disponuntur ad pacem supernam.* S. Ambrosius super illa verba: *Hominibus bonæ voluntatis*, inquit: *Pax non in quibuscunque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus, ut intelligas, pacem Christi, non debiti esse, sed meriti, non enim eam meretur conditio, sed voluntas.* Richardus verba illa: *Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace*, ita commentatur: *Ergo post virtutem, præstat & pacem. Sperent itaque pacem qui nondum acceperunt, si jam de Dei dono acceperunt virtutem meruerunt; ad hoc siquidem Deus suis dat virtutem, ut fortiter agendo perveniant ad pacem, & poterat quidem Dominus sine eorum industria plenam pacem præstare, sed gloriosius reputat, suos per multiplicem victoriam ad pacis securitatem perducere; hinc est quod populo suo præcipit, dicens: Inquire pacem & persequere eam.* S. Bernardus ad idem propositum textum illum S. Pauli explicans: *Nō est regnum Dei esca & potus, sed justitia, gaudium & pax in Spiritu Sancto*, ita fatur: *Dixo ad conservandam pacem necesse est præmittatur, quo quidem utraque copiosius habiti & Scripturæ sacræ commendat, siquidem justitia exercitatio in his duabus manifestis tota pendere videtur, ita quod sibi fieri non vult, alij non faciat, sicut ad gentes missa Epistola continet Apostolorum, & quemadmodum ad eosdem Apostolus dicit: Quæcumque volumus, ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis. Cæterum quoniam in multis offendimus omnes, impossibile in hoc loco, & tempore scandalorum (neque enim adhuc venerunt Angeli, qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata civitate, cujus fines pacem posuit Deus) propterea impossibile hic, & modo pacem inter nos conservari, nisi & is qui in aliquo forte offendit proximum, animositatem, & qui offensus est, nihilominus caveat inexorabilem obstinationem.*

Act. Apost. 5. v. 41.
Ps. 124. v. 5.
Lyran. ibid.
Prov. 12. 21.
S. Ambr. ser. 3. de nat.
Psal. 28. 11.
Richard. de S. Vict. p. 2. ib.
Rom. 14. 17.
S. Bern. ser. 1. de verb. Apost.
Ad servandam pacem duo necesse est ut promittantur,

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Deus pacem fidelium per contradictiones acquiri, & conservari voluit.

THEMA.

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium, Matth. 10. ℣. 34.

1. PRopheta Evangelicus Christi in terras adventum prædicens, eumdem pacis principem glorioso titulo cognominat, dicens: *Vocabitur nomen ejus ... princeps pacis... & pacis non erit finis*; Apostolus quoque ad Ephesios scribens hunc ei eximium attribuit titulum: *Ipse enim est pax nostra*, atque hinc est, quod Christo vix etiamnum nato, pax à cœlestibus Hierarchijs in universo mundo fuerit promulgata: *Et in terra pax hominibus, &c.* imo ipsemet Dei Filius nihil adeo solicite nobis inculcavit, quam unionem, charitatem, & pacem, id quod ex innumeris Evangelij locis evidenter deducitur; cur igitur nunc suis protestatur Discipulis, inquiens: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium?* Cur etiam apud S. Lucam c. 22. iisdem præcipuis Discipulis prælegit, ut *qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Facilis est dubij hujus solutio, si illud ab unoquoque sæpius sine dubio audivum conferatur effatum, quo dicere solemus: *Bellamus, ut in pace sine injuria vivamus.* Qui enim vera vult pace gaudere, illam per prælia & victorias ut lucretur, necessum est. Hinc Doctor Angelicus verba illa ponderans: *Pacis non erit finis, super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret, &c.* hanc verbis illis glossam adhibet: *Ut confirmet ad resistendum, & corroboret etiam ad impugnandum.* Verum quidem est quod Filius Dei in suis sacratissimis natalibus, de cœlesti Jerusalem, quæ visio pacis dicitur, pacem solemniter præconizari fecerit: *Et in terra pax, &c.* At vero observastisne figuram & habitum, in quo spiritus Angelici comparuerunt, ut eam generi humano intimarent? Sanctus Evangelista inquit: *Facta est multitudo militiæ cœlestis*, at vero quis est qui spiritus cœlestes *Angelos pacis* in scriptura appellari nesciat; nec immerito, quia cœlo gratiam, id est, pacis visionem, terræ vero pacem annuntiabant: *Et in terra pax*; quo igitur fine velut armati bellatores è cœlis descenderunt: *Multitudo militiæ cœlestis?* Responsio est manifesta, siquidem per hunc habitum & figuram indicare volebant, quod vera pax sequacium Christi, per victorias de inimicis nostris, inundo videlicet, carne, & Dæmone reportatas acquiratur; ac proinde observandum est, quod non solum in natali Domini nostri acclamarint: *In terra pax*, sed simul adjunxerint: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, id est, illis qui voluntatem suam divino arbitrio substernunt, contraque proprias passiones dimicantes, appetitus inordinatos compescunt & domant.

Luc. 24. 36.
In medio discipulorum Christus precatur illis pacem, hoc ipso significans quod pax debeat esse conjuncta alijs virtutibus.
Matt. 10. v. 16.
Joan. 14. 27.
Cajet.
Isa. 9. v. 6. & 7.
Eph. 2. v. 14.
Luc. 2. v. 13.
Vera pax bello contra inimicos animæ triumphando acquirenda est.
Luc. 22. v. 36.
Luc. 2. v. 34.
Isa. 9. v. 7.
S. Thomas ib.
Psal. 23. v. 8.

2. Similiter licet Salvator noster in primo suo in hunc mundum ingressu, velut Rex vere pacificus fuerit agnitus, ac proinde Ecclesia in prima primarum vesperarum antiphona canat: *Rex pacifice magnificatus est*; attamen mox postquam in hunc mundum natus fuit, asperrimum ei ab Herode motum est bellum, adeo ut vitæ suæ per arreptam in Ægyptum fugam consulere fuerit coactus; imo dum adhuc esset quadraginta dierum tenellus infantulus, nec unquam S. Simeonis senis ulnis exceptus fuisset, audivit: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*; id quod per triginta trium annorum decursum perfecte adimpletum fuit; atque ideo spiritus Angelici in suæ in cœlum ascensionis triumpho, eidem cum hisce acclamationibus obviam prodierunt: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*; eumque sanguine & cicatricibus cruentum & sanguine conspersum cernentes, inter se admirabundi dice-

Ipsemet Christus in hoc mundo persecutionē passus est & pugnavit.

Isa.63.v.1. dicebant: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra?*

3. Observandum præterea Isaiam Prophetam non sine mysterio prius prædixisse: *Vocabitur nomen ejus Deus fortis*, & postea: *Princeps pacis*: per hoc namque insinuare voluit, quod dimicando fortiter, & viriliter vincendo, vera pax acquiratur. Similiter postquam vix jam a mortuis resurrexisset, Apostolis suis gloriosis quidem apparuit, ijsdem pacem annuntiavit, attamen eodem tempore suas ijsdem demonstravit cicatrices: *Dixit eis: Pax vobis; & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes*; at vero fortasse dices, tunc tempus minime opportunum fuisse Discipulos suos per vulnerum suorum aspectum, & crudelis ac sanguinolentæ passionis suæ memoriam contristari, siquidem eos per resurrectionem suam consolari intendebat, & tamen Dominus noster, qui *omnia in sapientia fecit*, dum illos pacem annuntiando salutavit, simul etiam vulnera manuum pedumque eisdem ostendere voluit, ut exinde intelligerent pacem hanc sanguinis, vulnerum, livorisque totius corporis pretio fuisse comparatam, simulque monere intendit, quod si pacis suæ fieri vellent participes, pariter & ipsi ad pugnas & victorias sese præpararent.

Isa.9.v.6. Christus vocatur Deus fortis, princeps pacis: quia fortiter pugnando vera pax acquiritur. *Luc.24.v.6.*

4. Paulo ante in ultimo sermone in ultima cœna habito, eisdem Discipulis suis dixerat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ubi in primis observandum Christum non reliquisse Discipulis suis pacem mundi, sed suam pacem, *non quomodo mundus dat.* Præterea advertendum est, quod bina vice pacis mentionem fecerit, dicendo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; & quidem prima vice non dixit: *Pacem meam*, quemadmodum secunda vice, cujus rationem Angelicus Doctor ingeniose & utiliter declarans inquit: *Pacem relinquo vobis in hoc sæculo, scilicet ut hostem vincatis, pacem meam do vobis, scilicet in futuro.* De hac secunda pace ita sanctus Cyprianus scribit: *Probans atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam, quietem, quando de istis turbinibus mundi extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus.* S. Gregorius quoque in Homilia quadam dicit: *Hic relinquo, illic do, sequentibus relinquo, pervenientibus do.* Verumenimvero id quod proposito nostro quam maximè deservit, est, quod Salvator noster per illum loquendi modum nobis insinuare voluerit, quod pax sua à pace mundi in hoc distinguatur, quia quando inter duos exercitus res eo devenit, ut de pace mutua tractare incipiant, utrimque arma deponuntur, & ideo non est talis pax mea, quam ego fidelibus meis impertior, inquit Christus: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis, Non veni pacem mittere, sed gladium*; semper enim nobis cum inimicis nostris domesticis pugnandum & præliandum est, si bonæ conscientiæ tranquillitate gaudere velimus; ac proinde versio Syriaca legit: *Non prout mundus dat, ego do vobis.* S. Bonaventura sancti Augustini citans authoritatem, hunc textum pariformiter interpretatur, inquiens: *Pacem reliquit, in qua manentes hostem vincimus, pacem dabit, quando sine hoste regnabimus. Pax præsens*, inquit etiam S. Thomas, *est cum contradictione.*

Joan.14.v.27. Christus dat pacem in hoc mundo post devictum hostem, & pacem suam dat in futura gloria. *S.Thom.* *S.Cypr. de mortalit.* *S.Greg. hom. 30.in Evang.* *Joan.11.27. Matth.10 v.34.* *S.Bonav.* *S.Thom.*

5. Quis porro est, qui palmam ad pugnam & prælium relationem dicere, & victoriæ signum esse ignoret? Nulli quoque dubium est, quin Ecclesia per sponsam in sacris Canticis præfiguretur, dicentem: *Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens,... Mille tui pacifici.* Porro turres civitatum armatorum militum præsidio instructæ, munitionibus bellicis provisæ, propugnaculis & fortalitijs cinctæ, & armamentarijs copiosis fortificatæ, & ad obsidionem validam sustinendam præparatæ esse solent; & tamen sacer textus dicit: *Mille tui pacifici, Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*; Et optime quidem, siquidem tunc Ecclesia vera pace gaudet, quando asperrimas patitur persecutiones, & dum filij ejus, id est, Christi fideles ad carnificinas, ad uncinos, ad equuleos, catastas, aliaque crudelissima supplicia raptantur. Quibus temporibus Ecclesia per Isaiam deplorare non potest, dicendo: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, quia fideles ejus in cruentis illis prælijs fidem confitendo, tormentaque sustinendo illam defendunt, omnesque certatim vitam agunt immaculatam & innocentem: Potius vero Ecclesiæ nunc illud Isaiæ lamentum ingeminare licebit, quando cessantibus persecutionibus, Ecclesia pravis Christianorum moribus discinditur, & dilaceratur. Unde sanctus Bernardus ait: *Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Quanam vero in re hæc amaritudo consistat, mox declarat dicendo: *Amarissima in moribus domesticorum. Sed inquam in pace. Et pax est, & non est pax. Pax à Paganis, & pax ab hæreticis, & non profecto pax à filijs. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me; spreverunt, & maculaverunt me, à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio.* Porro inimici nostri, quibuscum nobis pugnandum est, vitia nostra, malique mores nostri sunt; si hosce hostes nostros profligaverimus, tunc nos in summa pace vivere, dicereque posse sperare poterimus: *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.*

Ecclesia vera pace gaudet, quando patitur persecutiones. *Cant.8.10. Ibid.v.12. Ibid.v.12. & 10.* *Isa.38.v.17* *S.Bern.ser. 33. in Cant.*

6. Reflexistisne vos aliquando ad gratissimum illud nuntium, quod S. Gabriel Archangelus beatissimæ Virgini Mariæ detulit, quando inter cætera futuros Ecclesiæ progressus eidem prædixit: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quoties obsecro Jacob cum Laban socero suo pugnavit, maxime postquam ipso insalutato, una cum uxoribus & filijs suis, ab ejus domo recesserat; paulo post quoque quam reconciliatus cum Laban fuisset, in Esau fratrem suum incidit, qui intestinum illud, & vindicativum odium adversus ipsum tot annis foverat, quem cum per dona & munera, aliaque media pariter placasset, illudque executus fuisset Psalmistæ consilium: *Inquire pacem, & persequere eam*, paulo post summa ipsum visibiliter in cœlo ordinatæ & armatæ Spirituum angelicorum apparuerunt acies, ut proinde exclamarit dicens: *Castra Dei sunt hæc*, sed cur castra hæc ei occurrerunt? num forte, ut eum terrore, & formidine percellerent? aut vero ut ab inimicis eum defenderent? nequaquam, sed eo mysterio id factum fuisse existimo, ut nobis insinuaretur, quod vera Pax pugnando strenuè, victoriasque de proprijs passionibus reportando acquiratur; id quod Jacob tunc cum Esau generose præstitit, quia non obstante quod primogenituram sibi comparasset, exercitus quoque Angelicos cœlitus missos in suam haberet defensionem paratos & promptos, ipse quoque fratrem suum non offendisset, sed potius ab eo graviter fuisset offensus, ipse tamen primus fuit, qui se coram reprobo illo humiliavit, qui ei summa cum benevolentia obviam processit, ut manibus opulentis donativis refertis, eum perbenigne exciperet, ipsum quoque honoravit, obsequijs prævenit, imo & adoravit afferendo se vultum ejus quasi vultum Dei gloriosorum videre & revereri. Hæc sunt prælia, per quæ homo semetipsum vincit, veram pacem & tranquillitatem sibi acquirit; Unde domus Jacob merito Ecclesiam præfigurabat, de qua tunc vere adimpletur illud: *Mille pacifici in ea*, quando filij ejus apprehensis virtutum armis contra vitia sua dimicant, eaque expugnant & debellant.

Luc.1.v.32. Jacob sæpius triumphavit Laban socerum suum & Esau fratrem suum armis justitiæ. *Psal.23.15.* *Gen.32.2.*

7. Albertus Magnus de Angelorum exercitibus supra Tugurium Bethlehemiticum in die natalis Domini comparentibus, & adinstar militum pacem annunciantibus ita scribit: *Dat autem pacem conscientiæ potius, quam temporis. Unde* Philipp. 4. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, &c. Pace enim temporis aliquando data, durius est bellum conscientiæ, & ita non est vera pax.* Conjiciatis velim oculos vestros in Davidem in valle Terebinthi manufunda armata cum Goliath duellantem, aut vero in sylvis Bethlehemiticis manus sanguine plenas habentem, ob dilaceratos ursos, & leones in gregis sui defensionem dilaniatos: Aspiciatis quoque illum, in aula Saülis Regis conversantem, & vel ab invidia maligni Saülis ad mortem usque persecutionibus & calumnijs infestatum, vel ab insidijs Doëg Idumæi oppressum, prosequamini illum fugitivum, & veluti peregrinum in Geth oberrantem, vel in spelunca Odolla delitescentem, & inter hæc omnia attendite qualiter cor ejus constitutum fuerit, qua pace & conscientiæ serenitate fuerit gavisum, utique enim cum Poëta illo dicetis: *Nubes excedit olympus*; Licet enim circa hujus altissimi montis latera nubes nimbis, grandinibus, tempestatibus, caliginibus, ventis, nebulis gravide circumfluctuent, vertex tamen illius imperturbabili quadam gaudet serenitate; Talis quoque mons anima & mens Davidis erat, quia licet tot persecutionibus agitaretur, pacem tamen interiorem conscientiæ suæ, ne vel minimum deperdebat: *Non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit*; Veri enim servi Dei inter medias contradictiones & pugnas, quas sustinent, majorem semper conscientiæ tranquillitatem & serenitatem acquirunt; Unde

Albert. Mag. in Luc.2. *Philipp.4.7.* In maximis miserijs suis David summa pace animi gavisus fuit. *Prov.12.21.*

Ps.93.v.19. Unde David dicebat: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*; Econtra vero eumdem considerctis Davidem, *quando eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, remansit in Jerusalem*, Glossa addit, *otiosus.* Constat enim, qualiter eo tempore, quo depositis armis, otio & delicijs vacare cœpit, ignominiose lapsus fuerit in adulterium cum Bersabea, nec non in homicidium Uriæ. Quamdiu ferocissimis agitabatur persecutionibus, scrupulum sibi faciebat, si vel limbum regiæ vestis Saülis præscidisset, cum tamen pro vitæ propriæ defensione caput hosti suo amputare licite potuisset: Econtra vero quando appetitibus suis exatiandis dabat operam, sine ullo conscientiæ remorsu subdito cuidam innocenti & de se bene merito, qualis Urias erat, vitam detruncari jussit; numquid igitur Davidem revera dicere potuisse vobis videtur: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima?* Pax Ecclesiæ, quæ in integritate veræ fidei Catholicæ, in bonorum morum innocentia, in vitæ immaculatæ exemplaritate consistit, longe itaque melius inter adversitates, & persecutionum procellas conservatur, quam in ficta & simulata humanæ prosperitatis pace.

2.Reg.11.1. Dum vero David se tradidit otio incidit in adulterium.

8. Eo in sæculo, in quo Seraphicus Pater S. Franciscus vivebat, sublime illud D. Petri ædificium, Ecclesia inquam, minabatur ruinam, prouti summo Pontifici Innocentio III. in somno repræsentatum fuit. At vero unde ruina processerit, ex annalibus Ecclesiasticis manifeste satis colligitur, quorum hæc sunt verba: *Ita plane Deus Ecclesiam suam in deterius declinantem ac collabentem, jam depravata morum disciplina &c.* Morum autem corruptela fortius in pace mundi nascitur, & pedem figit, quam inter persecutorum angustias, in his enim fides magis exercetur & vivificatur, securiusque conservatur conscientiæ integritas. Plutarchus in libro, cui titulus est: *Qua ratione ex inimico &c.* ita scribit: *Civitates quæ bellis finitimis, & assiduis refrenantur expeditionibus, sanam rempublicam, & bonis legibus bene institutam cupidè amplectuntur; æque illi, qui ex simultatibus, coguntur pro vita excubare defugereque socordiam & securitatem.* Roma antiqua per bella regna sibi sine numero acquisivit, quæ postea in pace suscitatis inter suos seditionibus civilibus infeliciter amisit, Deus olim populo Israëlitico promiserat: *Ego sum qui delebo eos à facie filiorum Israël*, & tamen postea *longo temporis spatio* nationes illas extirpare distulit, quæ apprehensis armis, pro conservanda possessione statuum suorum illos diuturno tempore, ac ferociter impugnarunt. Hujus autem *causa fuit ad utilitatem quamdam Judæorum*, ut ait Abulensis, *scilicet ut essent viri apti ad bellum, & exercitati in armis, ne penitus otio marcescerent.* Idem quoque est mysterium, ob quod Deus suos in hac vita varijs tribulationibus agitari, & exteriori quiete minime gaudere permittit, ut scilicet hac ratione in virtutibus se exerceant, tantoque magis interiori bonæ conscientiæ pace frui possint; Quia *pax multa diligentibus legem tuam &c.*

Morum corruptela fortius in pace mundi nascitur, quam in persecutionibus. *Baron. Anno 1182. n. 6.* *Plutarch.* *Josue 13.6.* *Abul. Q. 8.* *Ps.118.165.*

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Vincendo passiones nostras, corporique nostro bellum movendo pax interior acquiritur.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Joan. 16. v. 33.

1. Cum Cœlestis Magister noster atroces dilectis Discipulis suis in diffuso quodam sermone persecutiones, quæ occasione prædicationis Evangelij illis obventuræ erant, nec non & bella acerrima, quæ à Tyrannis contra ipsos erant suscitanda prædixisset, tandem in verba thematis hujus conclusit: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.* At vero dices, quam est hæc pax misera, pacisque nomine prorsus indigna, quæ continuis tot bellatorum luctis cingitur & quotidie exercetur? si verum est, *quod in mundo pressuram habebitis*, nec non & illud, quod in principio hujus capitis dicitur: *Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*; si inquam hæc vera sunt, quomodo pax subsistere poterit? Hugo Cardinalis versum illum explicans: *Inquire pacem, & persequere eam*, dubium hoc dissolvit inquiens: *Inquire pacem, id est interius quære pacem, scilicet in conscientia, quia exterius non est nisi bellum, & turbatio. Unde Joannis 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* B. Laurentius Justinianus Magnus spiritualis vitæ instructor monet dicens: *Necesse est, ut se præparet ad certamen, quisquis pacis suavitatem gustare desiderat.* Quale autem hoc certamen esse debeat, venerabilis Beda illa Psalmistæ verba explicans: *Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus*, indicat dicens: *Est litigium habere cum vitijs, & Concordiam cum moribus optimis.* Enimvero cum certum sit, quod *militia est vita hominis super terram*, utique in hac vita inimicos habere debemus, adversum quos nos pugnando exerceamus; quinam vero hi sint, Christus indicat dicens: *Inimici hominis domestici ejus*, id est vitia, malæ inclinationes, appetitus nostri inordinati; Certum quidem est, quod unusquisque quiete interna libenter gaudere vellet, pauci tamen sint, qui ad pugnam & prælium ineundum inclinent; Unde S. Augustinus ait: *Sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit, quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt; Ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire; Nam quid est aliud victoria, quam subjectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit.* Quis autem est qui nesciat, quod sensus nostri rationi, & caro spiritui repugnet? *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem; Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Contra hunc igitur inimicum, qui continuo & sine ulla intermissione nos impugnat, viriliter nobis bellandum est. Dixi, *sine intermissione*, quia quanto magis pugnamus & vincimus, tanto magis nobis pugnandum restat, quia ut S. Augustinus ait: *Quamquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitijs imperatur, quamdiu autem vitijs imperatur, plena pax non est, quia & illa, quæ resistunt, periculoso debellantur prælio, & illa quæ devicta sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc solicito premuntur imperio.*

In Christo interius, non exterius pax est. *Joa.16.v.2.* *Ps.33.v.12. Hug. Card. ibid.* *B.Laur.Just. Lig. vit.c.1.* *Ps.34.v.27. Beda.* Christiani habent Litigium cum vitijs. *Job 7. v.1. Matth. 10. v.36.* *S. August. de Civ. Dei lib. 19. cap. 12.* *Gal.5.v.17.* *Rom.7.23.* *S. Aug. ibid. cap. 27.*

2. S. Gregorius Nyssenus illam explicans beatitudinem: *Beati Pacifici*, pugnam nobis indicat, quam Spiritus habet adversus sensum & carnem, ut interiorem hanc conservare possit pacem, ait enim: *Sed opinor propriè pacificum appellari, qui eam quæ intra ipsum est seditionem carnis & Spiritus, atque intestinum naturæ bellum ad pacificam concordiam, & consensum adducit, ubi corporis lex, quæ legi mentis repugnat, non amplius exercebitur, sed subjugata meliori regno ministra divinorum præceptorum existet.* Dionysius Carthusianus, explicans intelligentiam verborum illorum: *Pacem meam do vobis*, ita scribit: *Id est veram mentis tranquillitatem; Pax est tranquillitas ordinis, quæ consistit in hoc, quod caro obedit spiritui, sensualitas rationi, & ratio Deo. Dum ergo anima ab inquietudine passionum est libera, & divinæ fuerit legi rite subjecta, pacem habet in se, & cum Deo, imo & cum proximo, quantum in se est.* At vero ut sensus rationi subjiciatur, parsque rationalis captivetur, ad conservandam cum proximis concordiam, necessum est, ut passiones nostras impugnemus & vincamus; Nam ut Cajetanus super caput 14. S. Joannis insinuat: *Vera pax consurgit ex omnibus proprijs actionibus & passionibus bene ordinatis, si aliqua enim exorbitaret, turbatio esset, & pax violaretur.* Et ideo ad ordinandas & moderandas passiones, necessum est, ut contra nos ipsos pugnemus. Blosius inquit: *Nunc difficile sine rixa sumus; Ad Concordiam quidem vocati sumus, jubemur pacem habere inter nos, ad hoc conandum est, omnibusque nitendum viribus, ut aliquando perveniamus ad perfectissimam pacem.* Paulo post vero prælia indicat, ad hujus pacis acquisitionem, & conservationem necessaria, ait enim: *Quantæ rixarum necessitates? redi ad teipsum, & ibi invenies rixam; Si cœpisti eum sequi, ibi invenis rixam, quam rixam, inquis, invenio? Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem. Ecce tu solus es, ecce tecum est, ecce nullum alium hominem pateris, sed vides aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati quæ est in membris tuis. Exclama ergo: A rixa inquam interiore, clama ad Deum, ut tibi pacificet te, & dic: Miser ego homo, quis me liberabit &c.* Tandem in hæc verba concludit: *Finita tota rixa immortalitas sequetur, quia novissima inimica destruetur mors.* Idem Blosius in alio quodam loco de hac eadem pace tractans, pugnam & prælia exponit, quæ ad illam consequendam sunt necessaria. *Videtis*, inquit, *quia pugnæ non desunt, & pugnamus cum concupiscentijs nostris. Pugnamus foris cum infidelibus, & inobedientibus hominibus, pugnamus intus cum superstitionibus & perturbationibus carnalibus. Ubique pugnamus*

S Greg. Nyss. Orat.7. de octo beatitud. Bellum geritur ut sensus rationi subjiciatur. *Joan.14.27. Dion. Carth.* *Cajet. Joan. 14.* *Blos lib.1. Psychag. cap. 1. n.8.* Prælia sunt necessaria ut habeatur pax Christi. *Blos. ibid. lib.3. c.8.*

mus adhuc Bonum nostrum, cui suspiramus, pax est. Ecce magnum bonum fratres pax vocatur. Quærebatis quid vocaretur, an aurum esset, an argentum, an fundus, an vestis? Pax est. Non pax talis, qualem habent inter se homines, infidam, instabilem, mutabilem, & incertam, nec pax talis, qualem secum habet ipse unus homo, diximus enim, quia & secum pugnat homo, usquequo domet omnes cupiditates, adhuc pugnat.

In eodem est pax & bellum simul.

3. Videri nonnemini posset contradictionem involvere, quod in uno eodemque subjecto, unoque eodemque tempore pax regnet, & simul belligeret: & tamen in praxi experimur, quod qui pace interiori frui desiderat, eam nonnisi impugnando & vincendo proprias passiones, suosque inordinatos appetitus consequi nequeat. Enimvero in quonam vera pax consistat. S. Bonaventura his verbis declarat: *Vera pax est ubi nihil repugnat; & beati pacifici sunt, qui motus animi componunt, & rationi subjiciunt.* At vero quis non videt, quod ad hoc obtinendum necessum sit, ut contra appetitus nostros pugnemus, eosque compescamus? S. Ambrosius bellum cum barbaris gerendum, & prælium, quod pro consequenda interna pace contra nos ipsos gerimus sibi invicem contra opponit inquiens: *Istius pacis major est fructus, quo spiritualis nequitia tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quam ea quæ barbaricos sedat incursus, plus est enim clauso intra se hosti resistere, quam remoto.*

S. Bonavent. Tom. 6. de sept. Don. Spir. S. cap. 4.

S. Ambr. lib. 2. de Jacob. cap. 6.

4. Apud eumdem S. Patrem super Michæam scribentem, sequentem reperio aliam doctrinam, ait enim: *Tunc pax ejus æstimabitur, & tranquillitas, cum excluserit vanas cogitationes, vel compresserit, cum motus omnes domuerit passionum insurgentium.* Ex ijs insuper quæ S. Isidorus salubriter suadet, vel consulit, pugna, quam is qui pace vult interna frui, in se experitur, satis clare potest deduci; ait enim: *Cum derogatur tibi, tu ora; cum maledicitur tibi, tu benedic; maledicenti benedictionem oppone; irascentem patientia delinire; blandimento iracundiam furentis dissolve. Vince nequitiam bonitate, vince bonitate malitiam. Inimicos pacis omni modestia placa, mala aliorum tuo bono exupera, tranquilla etiam mente illatas contumelias prode.* S. Valerianus in Homilia quadam *de bono conservandæ pacis*, inquit: *Quicumque tu es quem alienæ insolentiæ inquietat injuria, & dolor contumelijs excitatus stimulat, si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce, & à te patientiæ bono, odia improbæ indignationis exclude. Respiciat quicumque est, ad vitæ suæ quietem, & intelliget, quia inimicum dilexisse, vicisse est.*

S. Ambr. observat. 1. in Michæam.

S. Isid. lib. 2. Synon. cap. 7.

Oportet vincere in bono malum.

S. Valerian. de Bono conservandæ pacis Hom. 12.

5. In Exodo legitur, quod quando Deus noster, *qui omnia in sapientia fecisse* dicitur, legem suam in monte Sinai promulgaturus erat, *Clangor buccinæ vehementius perstrepebat.* At vero quænam inter buccinam, quæ milites animat ad pugnam, promulgationem talis legis fide qua Apostolus ait: *Plenitudo Legis est dilectio*, & de qua diu ante Psalmista dixerat: *Pax multa diligentibus legem tuam*, est proportio? Ad hoc facile respondetur, si nos reflectamus ad hoc, quod scilicet ad legem hanc observandam, & consequenter ad hujus pacis acquisitionem (hæc enim ab illius adimpletione procedit,) necessum est, ut contra nosipsos pugnemus, nostrasque compescamus & domemus passiones easque rationi subjugando, in servitutem redigamus.

Exod. 19. 16.

Dũ lex promulgatur buccinæ audiuntur vehementer ut pugnemus contra nos ipsos in observanda lege.

Rom. 13. 10. Ps. 118. 165

6. Olim nonnemo Emblema propositurus, pro corpore Emblematis galeam quamdam ferream, apibus, & fabricato ab eis melle plenam delineari fecit, illudque hac Epigraphe animavit: *Ex bello pax.* Per hoc namque Emblema indicare voluit, quod qui veræ quietis & tranquillitatis vult gaudere dulcedine, ab intentatis sibimetipsi pugnis & prælijs nequaquam desistere debeat. S. Bernardinus de pace, quam homo cum semetipso habere debet, differens, in hæc verba fatur: *Hanc pacem debet homo à carne violenter exigere, non autem ipse carni suæ exhibere, ut fiat hæc pax à sola carne, cum de sui natura semper, dum in corpore vivimus peregrini, ad vitia naturaliter prona sit. Proinde numquam debet se spiritus subdere contumelijs suis, numquam ejus voluntati parere, numquam de illius quiete confidere: Quinimo semper jugi labore fatiganda, continua abstinentia edomanda, assidua vigilia observanda, donec supplex pacem poscat, pacem promittat, pacemque custodiat, desinat rebellare, nesciat concupiscere, sequatur spiritum, & omnino recognoscat Dominum esse suum, atque cum effecta ad Spiritum dicat: Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Tamen, sicut ait Cæsarius in quodam Sermone: *Si pacifica est Deo anima nostra, tunc animæ nostræ subdita erit caro nostra.*

Ex bello temporali pax æterna.

S. Bern. Tom. 2. serm. 62. art. 3. c. 4.

7. S. Joannes Climacus ait: *Pacificus est, qui alteri pacem conciliat, nemo vero alteri impertiri potest, quo ipso caret, ut proprie pacificus sit, qui corporis sui & Spiritus statum, & domesticum carnis hostem in pacificam concordiam redigit, ita ut non amplius caro concupiscat adversus Spiritum, sed Spiritus gratia imperet corporis affectibus, & lex corporis non amplius repugnet legi mentis, sed subjecta meliori imperio serviat divinis mandatis.* S. Bonaventura de gradibus virtutum tractans, de pace quoque hunc in modum discurrit, *Pacis altus gradus est, cum caro subjicitur spiritui, sive rationi, difficilem se reddens ad omnia mala perpetranda. Altior, cum subjicitur caro spiritui, promptam se exhibens ad omnia bona facienda. Altissimus est, cum Spiritus subjicitur Deo, omnem ordinationem tam in exterioribus, quam in interioribus animæ viribus penitus observando. Iste ultimus gradus servatur in cælo.* Richardus quoque de S. Victore de interiori pugna & certamine, quod unusquisque nostrum quiete & pace frui in hac vita volens in semetipso experitur, in Commentario verborum illorum: *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi &c.* ita scribit: *Est homo exterior, & est homo interior: Et si, inquit Apostolus, exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem: De homine igitur exteriore conqueritur homo interior, & dicit: Homo pacis meæ. Quamdiu adhuc corpus castigatur, & nondum spiritui bene subjicitur, pugna utique utrimque geritur; corpore autem castigato, & in servitutem redacto, pax redit, quia spiritui caro acquiescit; & hæc est sua pax Spiritus, non corporis, sicut illa qua carni Spiritus obtemperat; propria est carnis. Suam ergo in sua carne Spiritus pacem invenit, quando ei in bonis studijs non contradicit: Unde hic dicit: Homo pacis meæ, sed numquam homo de pace suæ carnis confidat, quamvis ejus stimulus quiescat, quamvis ei plenam securitatem promittat; Sæpe meminerit, quid sermo Propheticus dicat: Homo pacis meæ in quo speravi; qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

Tres gradus pacis.

Clim. ad gr. 26. scholion.

S. Bonavent. Tom. 7. de grad. Virt. cap. 13.

Ps. 40. v. 10. Richard. de S. Vict. in Ps. 40

Pugna inter hominem interiorem & hominem exteriorem.

8. S. Vincentius Ferrerius inquit: *Oportet quod fiat ista pax, scilicet quod caro tamquam captiva humilietur, & subjiciatur dominæ, scilicet animæ; Et hoc fit, quando homo cum vigilijs, jejunijs, & alijs asperitatibus humiliat carnem, quia caro ut captivare calcitrat contra dominam; sed quando sic affligitur, quasi lassa subjicitur animæ; propter hoc inventa est pænitentia ad faciendam pacem personalem in se.* Populi Gabaon sub Adonisedech vivebant in altissima pace, at vero quando confœderati cum Josue, cum populo Dei amicitiam contraxerunt, subito Regem suum ad iram provocaverunt, adeo ut asperum illis bellum intimarit: Verumtamen scire percuperem, quandonam Gabaonitæ pace perfruiti fuerint majori, an scilicet postquam fuere hostilibus infestationibus lacessiti, an vero ante illum hostilem congressum? utique postea quam sese Josue submiserunt, quia tunc sibi acquisiverunt notitiam veri Dei Israël à quo protecti fuerunt & defensi, quia in pace vivere adorando simul in falsis numinibus spiritus infernales rebelles, revera non est vera pace gaudere, *quia non est pax impijs*; Et hoc est quod multis alijs contingit. De Eremita quodam refertur, quod dum vehementes pateretur stimulos carnis, neque ullum ijs pellendis à se invenire posset remedium; Sancti Patres Eremitæ sequens illi adhibuerint antidotum, nimirum quotidie ad illum convenientes varijs illum calumnijs, convitijs, dicterijs, aliisque persecutionibus agitabant, quod cum aliquanto tempore continuassent, hicque prædictus Eremita tota die, vel ut se à falsis accusationibus purgaret, vel ut falsas à se calumnias depelleret, totaliter fuisset occupatus, tandem eum, an adhuc stimulos carnis pateretur, interrogarunt. Qui eis respondit: *Vivere non libet, & fornicari libebit?* Eodem quoque modo dum spiritus fornicationis internam cordi nostro pacem eripere vel turbare molitur, unicum ad eum vincendum hoc est remedium, si videlicet bellum ei inferamus nos ipsos vincendo, corpusque nostrum castigando per pœnitentiam &c. *sic enim in corpore pressuram habebitis in me autem pacem.*

S. Vinc. Ferr. ser. 2. de Pent.

Isaiæ 57. 21.

Praxis quorumdam Eremitarum supprimendi stimulos carnis.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Ut pacem conserves, à litibus & contentionibus alienus esto, cedito alijs, tuæque opinioni nequaquam pertinaciter adhæreto.

THEMA

THEMA.

Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Prov. 20. ℣. 3.

Honorificum est quærere & conservare pacem.

1. IN hac Sapientis sententia efficax pro pace conservanda suggeritur modus: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Qui enim pacem & unionem cum proximis diligens, pro illa conservanda aliorum importunitati libenter cesserit, hoc suum cedere, & non contradicere honorificum sibi futurum esse experietur; Sic enim se vera virtute, charitate, humilitate, mortificatione, prudentia, sapientia, & discretione præditum esse demonstrabit. Unde Apostolus ait: *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem*; hoc autem servi Dei charactere insignitum esse, de quo Apostolus tantopere gloriabatur, ingens honor est; nam & summus Pontifex hunc sibi gloriosum vendicat titulum, dum Apostolicis diplomatibus suis in hæc verba: *Servus servorum Dei*, subscribit.

2. Timoth. 2. v. 24.

2. Tritum est illud Proverbium: *Audi, vide, tace, si vis vivere in pace*; Contentiones enim & discordiæ pacem & unionem totaliter rescindunt & perturbant, unde salutare fuit illud Eremitæ cujusdam monitum dicentis: *Si quis loquitur tecum de quacumque causa, noli contendere cum eo; si benedicit, dic etiam, si autem male, tu scis quod loqueris, & ne contendas cum eo, de his quæ locutus est, & tunc erit mens tua pacifica.* S. Antoninus Concordiæ Etymologiam adducens ait; *Pax est actus interior procedens ex charitate; & includit concordiam.* Dicit enim B. Thomas 2. 2. Q. 20. art. 1. *Quod ubi est pax, ibi est Concordia, non tamen ubicumque est Concordia, est pax, si nomen pacis propriè sumatur, Concordia enim propriè est ad alterum, in quantum scilicet diversorum cordium voluntates simul in unum consensum conveniunt.* Disconvenientia opinionum etiam intellectus, multo autem magis voluntatis diversæ inclinationes, sæpe sunt controversiarum origo & fomentum, ac proinde qui vult concordiam, *diversorum cordium voluntates, simul in unum consensum conciliare debet*; sicut enim ex una scintilla cum debita solicitudine non extincta, ingens oriri flamma potest, juxta illud: *A scintilla una augetur ignis*, eodem modo ex contentionibus quantumvis levibus, nisi subito inter se concilientur, tumultuosa quædam derivari contentio potest; Nam ut S. Basilius Magnus ait: *Contentiones à principio quidem exiles esse solent, & facile curantur, at procedente tempore auctæ insanabiles omnino evadunt.*

Vit. Patr. lib. 5. cap. 1.

Etymologia concordiæ.

S. Antonin P. 4. T. 5. C. 5. § 7. B. Thom. 2. 2. q. 20. art. 1.

Eccli. 11. 34.

S. Basil. orat. 9. Ex collect.

3. Sapiens in Proverbijs virum perversum sequentibus verbis depingit: *Vir impius fodit malum, & in labijs ejus ignis ardescit; homo perversus suscitat lites*; congruum vero huic malo remedium est, si tali igni à perverso suscitato non subministretur fomentum, sed potius contentioni cedatur. Idem Sapiens in cap. 6. Prov. Apostatarum proprium esse dicit, contentionum seminare zizania; *pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat*; Ut autem pessima hæc zizania comburantur, optimum est illud Ecclesiastici documentum dicentis: *Non litiges cum homine linguato; & non strues in ignem illius ligna.* At vero si contingat te ad litigandum quasi violenter cogi, non erubescas, si te vinci ab alio permittas, ut pacem conservari cures, ita enim Philo Hebræus suadet dicens: *Quod si aliquando majori vi coactus fueris in certamen descendere, non te vinci pudeat, sic enim demum, si vinceris, victor evades, quando in hoc genere victor vincitur.* Plutarchus sententiam quamdam habet, per quam alludere ad id videtur, quod Sapiens in assumpti thematis nostri verbis dicit, scilicet: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus*, ita enim præfatus Philosophus, scribit: *Non enim tantum egregium est scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria est damnosa.* Quod si enim in habitis cum proximo litibus & contentionibus viceris, necessum est, ut ex altera parte serio consideres, quantam charitatis & pacis cum proximo tuo jacturam patiaris. S. Valerianus in Hom. *de bono conservandæ pacis*, inter alia documenta hoc quoque tradit: *Summa cura sunt dolores asperi blando verborum medicamine temperandi, quatenus & duritia cordis pacis studio castigata mollescat, in quo loco beatos illos judico, qui verba labiorum suorum tanto ore custodiunt, & memores cælestium mandatorum, alienæ vocis contumeliam non requirunt. Cessant enim odia, ubi non reputatur injuria, nec habet ullam virtutem iracundia, si deest animus in contentione persona.* S. Isidorus in hac de pace materia multa nobis præscribens documenta, inter alia hoc præ cunctis inculcat, ut scilicet fugiamus contentiones, & lites abrumpamus; sic enim scribit: *Pacem ama, pacem dilige, pacem & mansuetudinem cum omnibus retine, & charitatem amplectere; proba te amplius amare, quam ipse amoris, odientes ad pacem in vita; habeto stabilitatem mentis, & animi benignitatem, promptus esto in affectu, affabilis in sermone, grato animo affare omnes, fuge rixas, vita lites, cave contentiones, litis occasiones tolle, vive semper in pace*; Modum autem in pace semper vivendi docere nos volens, subdit: *In nulla causa contendas, in nulla actione decertare studeas. Contentio, odium & scandalum facit, & discordiam concitat.* Quod si tamen omnino odisse, & discorditer vivere libet, Cassiodorus à S. Bernardino Tom. 3. Serm. 8. art. 1. cap. 3. citatus irreconciliabilem quamdam pugnam, & rixam perpetuam, quam sine culpa fovere possumus, his verbis insinuat: *Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, & litigare cum vitijs.*

Prov. 16. 27.

Qui proximum suum vincit in lite, perdit in propria & debita charitate.

Prov. 6. 12.

Eccli. 8. v. 4.

Philo lib. de agric.

Plutarch. lib. de educ. liberorum.

S. Valer. Hom. 12.

Cessant odia, ubi non reputatur injuria.

S. Isidor. de Contemptu mundi.

S. Bern. Tom. 3. ser. 8. art. 1. c. 3.

4. Propheta regius tametsi in throno majestatis cum absoluti imperij sceptro conspicuus fuerit, suo tamen exemplo in custodienda pace, in non curandis respectibus humanis egregie nobis præluxit; nam in Psalmo 119. ait: *Cum his qui oderant pacem, eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.* S. Hieronymus in regulis Monachorum illud à cœlesti Magistro editum præceptum Evangelicum adducens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus* &c. in hæc verba ita scribit: *Ecce ego nihil habeo, inquis, si ille habet, ad me quid pertinet? respondet tibi Dominus; & quid dicit? Male serve, intelligo animum tuum. Nihil habes contra fratrem tuum? Nihil habes? amas illum? quare ergo salvari eum non vis? si amas illum, vade, roga eum, mitte te ad pedes ejus, diebus ac noctibus deprecare. Videte, quid dicat hic sanctus Propheta: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; Non dixit, qui volebant pacem, sed qui oderunt pacem, & ego amabam eos, qui oderunt pacem; Ideo dixit & Apostolus: Quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hujus quoque virtuosæ actionis aliud nobis Filius Dei reliquit exemplum; utpote quem David in figura præcesserat; Nam S. Paulus ad Corinthios ait: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum:* Ecce tibi verus modus, in bona semper pace perseverandi cum proximo, tametsi is non graviter offenderit, si videlicet injurias ab illo receptas dissimulemus, & nihili faciamus. Etenim Deus Pater graviter quidem à nobis offensus fuit, nobisque nec quidquam indigebat, & tamen unigenitum Filium suum è sinu suo in terras dimisit, ut pretiosissimi sanguinis sui sumptu nos sibi reconciliaret; quo in facto nos docuit, quod ad nutriendam pacem injuriarum oblivisci, & tamquam si illatæ non fuissent, nihili æstimare debemus; ipse enim *dilexit nos, cum adhuc inimici essemus; qui nos reconciliavit sibi per Christum.* Ubi D. Chrysostomus ait: *Neque enim nos ad eum accurrimus, sed ipse nos vocavit. Videsne charitatem suam, qui injuriam acceperat? Ipse. Quisnam fuit qui primus ad delendam inimicitiam venit? Ipse; At enim inquies Filium misit, non autem ipse venit. Filium quidem misit, sed tamen non ipse solum hortabatur, sed Pater quoque & cum eo, & per eum; ob idque etiam dicebat Apostolus: Deus erat mundum reconcilians sibi in Christo, hoc est per Christum.* S. Gregorius ad illorum confundendam superbiam, qui pacem potius extinguere; quam in litibus succumbere vel inferiores esse volunt, similem instituit considerationem, inquiens: *Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Plerumque ipse homo qui irascitur discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad reconciliandum prior erubescit. Pensemus facta veritatis, ut videamus, quo jaceant nostræ pravitatis actiones; si enim membra summi capitis sumus, imitari eum cui connectimur debemus. Quid namque ad nostræ eruditionis exemplum Paulus egregius prædicator dicit? Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos obsecremus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus Legatos suos prior misit, ut nos ipsi qui peccavimus ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque, si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, & ipse qui offensus est, legatis intervenientibus obsecrat Deus.*

David cum illis qui oderant pacem erat pacificus.

Ps. 119. v. 7.

Matth. 5. v. 23.

S. Hier. Tom. 9. in Reg. Monach.

2. Cor. 5. 18.

Modus in pace perseverandi est, injurias acceptas nihili facere.

D. Chrysost. hom. 11.

S. Greg. hom. 32. in Evang.

Per superbiã nullus litigans vult esse prior in offerenda reconciliatione.

5. De hoc luto nostro dici potest: *Lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias*; atque ideo tam-

quam

quam lutea vasa ad invicem collisi sæpenumero rumpimur, id est discordamus, litigamus, contendimus, ac proinde S. Bernardus ait : *Quamdiu sumus in hoc vase testeo, & fragilitate complexionis humanæ, non possumus inveniri scandalorum prorsus immunes. Si igitur recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam, si tu habes adversus illum, sis facilis ad dandam, & omnia membra erunt in pace; sic enim ad duo ista charitatem & humilitatè paratissimi, non poterimus dissensionem sentire.* Enimvero quod si quis humilietur, alterique inferior remanet, eique cedit, tametsi jus id non faciendi habeat, non solum de honore nihil amittit, sed potius majorem sibi honorem acquirit ; Quia *honor est homini qui separat se à contentionibus*; Neq; enim solum non succumbit, sed & vincit alterum, cui humiliatur. Nam ut S. Valer. ait : *Duplex manet patientiam victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos.* B. Laur. Just. sententia est dicentis : *Ad pacem per patientiam pervenitur, tantoque magis pace fruetur homo, quanto erit patientior, finis patientiæ pax est.*

S. Bern. serm. de verb. Apost. — Ad pacē per patientiam venitur. — *Prov. 20. 3.* — *S. Valer. ibid.* — *B. Laur. Just. de lig. vit. c. 1.*

6. De Redemptore nostro vere adimpletur, quod sanctus senex Simeon de eodem prædixerat: *Positus est hic in signum cui contradicetur.* Quotnam obsecro improperijs Redemptor noster turpiter oneratus fuit ; dum alius illum Samaritanum, alius meribibulum, alter Dæmoniacum illum agnominavit ? flagellis, spinis, clavis, lancea laceratus, & excarnificatus, ac tandem in ignominiosum patibulum, in societate duorum latronum suspensus fuit, & tamen ne pacem offenderet, seu læderet, quam mox ut à mortuis resurrexit, discipulis suis, & toti mundo annunciavit, numquam adversus calumniantes indignatus fuit, sed *ponet in pulvere os suum* ; Qua igitur fronte nos ejus exemplum imitari detrectabimus? ipse adversus calumniantes non aperuit os suum, & nos ut hac pace, tanto pretio nobis comparata fruamur, ne quidem & unicum verbum pungitivum & asperum tolerare poterimus ? in vita B. Veronicæ de Binasco legitur sponsum cœlestem his eam verbis fuisse affatum : *Enimvero quod in diversa tractus semper tacuerim, significat hominem cœlestia appetentem nunquam rixari fas esse, quamquam noxius à quopiam arbitretur, & innocens existat, taceat tamen meo exemplo, nam qui contentionibus studet, arrogantiæ vitio laborat, scelus admittit, & eos cum quibus contendit, præcellere se opinatur.*

Luc. 2. v. 34. — Patientia Christi in sua passione. — *Thren. 3. 29.* — *Bolland. 13. Jan. fol. 921.*

7. Berchorius hoc à Christo apud S. Marcum c. 9. suis Discipulis impositum ponderat præceptum ; *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos;* ait enim: *Bene dicit sal, quia vere sicut sal in aqua positum, clamorem non facit, nec stridorem, imo cum aqua se incorporat, & intime ei conjungitur, in igne autem positum solet strepere, & exinde subito resilire, sic homo pacificus & modestus, quando aquæ, id est alicui societati & communitati adjungitur, vel miscetur, quia aquæ multæ populi multi.* Apocal. 17. *Non solet per litigia crepitare, nec ab eis per discordiam resilire, sed magis ipsis pacifice se unire, & se in omnibus confirmare : Habete in vobis sal, scilicet ad similitudinem salis vos alijs conformando, & pacem habete inter vos simul conversando. Ab igne autem, id est à malis, & igneis peccatoribus debet refugere, & eorum amicitiam, pacem & consortium abhorrere dicens illud* Jer. 16. *Abstuli pacem meam à populo isto.* Solent quidem perversi proximos suos per verba contumeliosa ad iram & discordiam provocare, quos proinde S. Valer. modum docet pacem suam cum illis conservandi illæsam ; ita enim scribit : *Scimus quod aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant, sed ipse sibi injuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit, ipse se maculat, qui alterius queritur in se fuisse collata convitia.* Lucrum autem quod per hanc dissimulationem nobis acquirimus, idem sanctus Pater his verbis insinuat : *Habet mercedem, & de tua patientia, & de status medela, si oblivioni deputetur injuria, ubi enim verbis verba succedant, incendio fomenta præstantur.* S. Vincent. Ferr. inquit in hac vita nullum esse debere contentionibus locum, quia sicut nullus adeo est temerarius & audax, ut in conspectu Domini & principis sui litigare incipiat, & debiti erga illum respectus obliviscatur, ita quoque & nos cavere deberemus, ne pacem cum fratribus nostris lædamus, cogitantes, quod semper in conspectu divinæ Majestatis positi simus : En verba S. Vincent. *Nullus quantumcumque esset Judex in palatio Regis præsente Rege reciperet vindictam, licet dicat in corde : O si istum invenirem extra, si totus mundus est domus Dei (juxta illud Baruch : O Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus) & omnes sumus intra suam palatium, & in præsentia sua ; ideo in hoc mundo debemus habere pacem cum inimicis ; sed quando invenis inimicum extra, scilicet in inferno, tunc audacter recipias vindictam, quia tunc tempus rixæ, sed nunc dimitte totum, & non aufer ei verbum, sed ei loqui debes, & salutare, &c.* De inferno constat, quod domus sit confusionis, belli, contentionum perpetuarum, & irreconciliabilium, ac proinde cousque homo contentiosus lites & rixas suas atque vindictam differat.

Marci 9. 49. — *Berchor. reduct. Mor. ver. Pax.* — Pacificus cōparatur sali quod mixtū aquæ se illi attemperat. — *Jer. 16. 5.* — *S. Valer. ibid.* — *S. Vinc. Ferr. serm. 2. Dom. in Albis.* — *Baruch. 3. 24*

8. Refert Valerius Maximus de Pomponio Attico, quod cum matrem suam, nonagenariam, ipse sexaginta septem ætatis suæ annos habens, sepulturæ tradidisset, in hoc gloriatus fuerit, quod numquam, sive cum matre, sive cum sorore coætanea rixam aut lites habuerit. Quod utique aliaque similia exempla multos Christianorum coram tremendo Dei tribunali condemnabunt, qui scilicet rixas, contentiones fovent, licet earum proprium sit charitatem & dilectionem extinguere, quæ fundamentum est, cui lex Evangelica innititur, siquidem *plenitudo legis est dilectio.* Pluris æstimanda est domus illa, in qua pax est & Concordia, quam alia opulenta quidem, sed dissensionibus & discordijs plena; Nam ut Sapiens ait : *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.* Observandum quoque est, Josephum, qui salvator Ægypti dictus fuit, fratres suos ad parentem Israël reverti volentes, hoc monito instruxisse : *Ne irascimini in via,* quasi diceret ; Cavete ne in proposito itinere in rixas vel contentiones incidatis. *Omnia autem hæc in figura contingebant.* Idem namque monitum nobis quoque, qui viatores sumus, optime servit, si enim ad Israël, id est visionem pacis pertingere velimus, à rixis & contentionibus alieni esse debemus.

Historia exemplaris pacifici. — *Valer. Max. lib. 2. c. 1.* — *Rom. 13. 10.* — *Prov. 17. 1.* — *Gen. 45. 24.*

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Varia examinantur motiva & modi, quibus pax & Concordia acquiri & conservari potest.

THEMA.

Inquire pacem & persequere eam. Psalm. 33. ℣. 15.

1. REgius Psalmista in hoc versu solicitudinem exprimit, qua pacem sectari debemus, ait enim : *Inquire pacem.* Nec hoc ei sufficit, sed insuper addit, *& persequere eam* ; Omnia enim media possibilia adhibere debemus, ut tantum nobis bonum acquirere valeamus; ac proinde in hoc discursu varios ad eam consequendam modos considerabimus & præscribemus. Et in primis quidem advertendum est, quod Propheta Regius præmittat : *Diverte à malo, & fac bonum,* & postea immediate subdat, *Inquire pacem* ; cujus ratio est, quia rectæ & intemeratæ conscientiæ puritas, paci acquirendæ magnopere cooperatur. Hugo Cardinalis acute observat eumdem Davidem in Psalmo 75. primo dicere : *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus,* & postea subdere: *Et factus est in pace locus ejus;* Unde ait: *Hic ponit quatuor quæ debent esse in homine, scilicet Judæa, Israël, Pax & Sion ; scilicet confessio peccatorum, satisfactio operum, pax ad proximum, contemplatio ad Deum* ; in primo autem & principali loco expiationem peccatorum constituit. Cum S. Maria Magdalena pœnitens juxta pedes Salvatoris culparum suarum diluisset maculas, mox sibi dici audivit : *Vade in pace* ; Quia ut venerabilis Beda exponit : *In pace ire præcipitur, ut à veritatis itinere in viam scandali ulterius non derivetur.* Idem Venerabilis Pater pacem circa Tugurium Bethlehemiticum ab Angelis his verbis annuntiatam : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis,* exponens inquit : *Quia cum illis societatem pacis angelici Spiritus habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Bona voluntas est, diligere Conditorem nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute ; Diligere & proximum tamquam nosipsos, atque ejusdem dilectionis in nobis vigorem indicijs quibus valemus piæ actionis ostendere.* Sanctus Augustinus duarum illarum virtutum reciprocam connexionem notat, inquiens : *Justitia & pax osculatæ sunt; Duæ amicæ sunt ; tu forte unam vis, & alteram non facis ; nemo est enim qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari justitiam ; Interroga omnes homines, vultis pacem ? Uno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo. Ama & justitiam.* Et paulo post subdit: *Quivis malus desiderat pacem, bona enim res est pax, sed fac justitiam, quia justitia & pax se osculantur, non litigant ; Tu quare litigas cum justitia ? Ecce justitia dicit tibi, ne fureris, & non audis ; ne adulteres, & non vis audire ; Non facias alteri, quod tu pati non vis ; Non dicas alteri, quod & tibi dici non vis; inimicus es amicæ meæ, dixit tibi pax ; quid me quæris ? amica sum justitiæ, quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem ? fac justitiam ; Ideo alius psalmus dicit tibi : Declina à malo, & fac bonum, hoc est, ama justitiam, & cum declinaveris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & persequere eam.*

Exercitium justitiæ est modus inquirendi pacem. — *Psal. 33. 15.* — *Psalm. 75. 2.* — *Ibid. v. 3.* — *Hug. Car. ib.* — *Luc. 7. v. 50.* — *Beda.* — *Luca 2. 14.* — *Psalm. 84. 11* — *S. August. ib.*

2. Neque solum pax interior bonam requirit conscientiam, verum etiam pax politica eamdem exposcit. Unde S. Bernardinus in sermone quodam *de multiplici Bono pacis,* ita scribit : *Amittitur propter peccata populorum, & Dominorum, nam Baruch. 3. cuilibet eorum dicitur : Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram.* In cujus probationem in revelationibus S. Birgittæ sequentia leguntur: *Notum etiam eidem Papæ facio, quod numquam sic erit firma & tranquilla pax in Francia, quod habitantes in ea plena securitate & concordia possint ullatenus congaudere, antequam populus regni placaverit filium meum, per aliqua magna opera pietatis, & humilitatis, quem suis multis pravis operibus & offensionibus, ad indignationem & iram hactenus provocaverunt.*

Tam pax cōscientiæ quā pax politica requirit bonā conscientiam. — *S. Bernard. Tom. 3. ser. 8. art. 1. c. 2.* — *Revel. S. Birgit. lib. 4. c. 40.*

3. *Inquire pacem.* Pax insuper per charitatis exercitium comparatur ; Unde ubi vulgata legit : *Fiat pax in virtute tua.* S. Augustinus vertit : *In dilectione.* Qui idem in sermone quodam nos exhortatur, inquiens : *Portat pennas pacis, alas accipe charitatis, hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi.* S. Bernardinus in alio quodam sermone in hæc verba nos monet: *Ad pacem, & civilem concordiam mentis oculos elevemus, cum ex ipsa charitas, & fraterna dilectio generetur, nutriatur, & confirmetur, & usque in finem ultimum interminabiliter perseveret.* S. Isidorus Pelusiota mysterium declarat, ob quod Episcopus populum salutat dicendo : *Pax vobis,* & ille respondet : *Et cum spiritu tuo;* ita enim scribit : *Illud quod à plebe respondetur : Et cum spiritu tuo, hanc habet sententiam : Pacem quidem nobis præbuisti Domine, hoc est, mutuam inter nos Concordiam ; pacem autem nobis da, hoc est, ejusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum spiritu tuo peccati (quem nobis in creationis initio indidisti) à tua charitate distrahi nequeamus.* Impossibile est, qui Deum vere amando, simul etiam proximum diligamus, & consequenter pace fruamur. S. Petrus Chrysologus pacem & concordiam charitatis nutrices esse existimat, dum ait : *Videtis fratres dilectissimi, quare pax amanda est, & diligenda concordia, ista sunt enim quæ generant & nutriunt charitatem, scitis autem secundùm Apostolum, quia Charitas ex Deo est, sine Deo ergò est, qui non habet charitatem.* S. Antoninus vero pacem charitatis partum esse censet ; Nam in quarta parte inquit : *Pax effectus seu actus est Charitatis.* In secunda vero dicit : *Perfecti in Charitate, id est, qui perfectè diligunt legem Dei, illi habent multam pacem ; est enim pax effectus charitatis secundùm Thomam ; Unde sicut posita causa ponitur effectus, ita data magnitudine causæ, sequitur effectus magnitudo ; perfecta igitur charitas erit, & Deo perfecte subjectus, si cum omnibus, & in omnibus invenit pacem, servans illud : In omnibus requiem quæsivi.* D. Chrysostomus super illum versum Psalmi : *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum,* ita scribit : *Hoc pulchre adjecit ; Ubi enim dilectio, illic est magna securitas, & copiosum à Deo auxilium. Ea est mater bonorum, ea est fons & radix ; ea est bellatorum exitium, contentionis interitus ; quo circa id significans subjunxit ; Et vitam usque in sæculum. Quemadmodum enim seditio, & contentio mortem parit, eamque immaturam, ita etiam dilectio, & consensio pacem & concordiam. Ubi autem est pax & concordia, vita est tutissima & longe securissima. Et quid opus est dicere præsentia ? Ea enim nobis cælum largitur, & bona ineffabilia, & est Regnum virtutum.*

Ps. 121. v. 7. — *S. Aug. ibid.* — *S. Aug. serm. 22. de ver. Apost.* — *S. Bern. Tom. 2. serm. 50.* — Acquiritur pax per exercitium charitatis. — *S. Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 22.* — *Chrysolog. serm. 53.* — *S. Antonin. P. 4. T. 6. c. 8. §. 1.* — *Idem P. 2. T. 7. c. 4. §. 3.* — *Ps. 132. 1.* — *D. Chrysost.*

4. *Inquire pacem.* Effectus porro charitatis est omnia sufferre ; *Charitas enim omnia sustinet, omnia suffert* ; Etenim ad pacem & unionem conservandam; necessum est, ut alienos patienter toleremus defectus, nec non acceptas ab alijs injurias. S. Bonaventura gradus hujus virtutis manifestat, dicens : *In altum gradum pacis ascendit, qui mala proximorum non publicat. In altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec invertit, sed extollit. In altissimum ascendit, qui defectibus eorum compatitur, & profectibus eorum ex corde congratulatur ; In isto gradu fuit Christus,* Sanctus Paulus ad Thessalonicenses ita scribit: *Pacem habete cum eis* ; moxque modum subjungit, dicens: *Patientes estote ad omnes, Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est, sectamini in invicem.* Agathon Abbas sequens suggerit consilium ; *Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur.* Idem Apostolus ad Colossenses ita scribit : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram,* & paulo post ait : *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,* ac tandem subjungit: *Et pax Christi exultet in cordibus vestris.* Passiones namque nostræ reprimendæ sunt & mortificandæ, ac dissimulandæ injuriæ. Unde S. Birgittæ revelata fuere sequentia : *Debet pacem habere ad proximum* (scilicet qui diligit pacem) *non inferendo ei mala, succurrendo ei si habet, sufferendo, si contra eum peccaverit.* S. Ambrosius ex hoc indicio dignoscendum esse dicit illum, qui verus est pacis zelator, si videlicet mala pro malis non referat; ait enim: *Quando vicem malis reddere non vult, pacificus est, hoc est de bono vincere malum, ut vel obsequijs vincatur, quem mandata legis non vincunt.*

1. Cor. 13. 7. — Ad conservandam pacē oportet sufferre alienos defectus. — *S. Bon. Tom. 7. de grad. Virt. c. 13.* — *1. Thess. 5. v. 13.* — *Ibid. v. 14.* — *Ibid. v. 15.* — *Vit. Patr lib. 7. cap. 42.* — *Col. 3. v. 5.* — *Ibid. v. 14.* — *Ibid. v. 15.* — *Revel. S. Birgit. lib. 2. c. 26.* — *S. Ambr. ad Rom. 12.*

5. *Inquire pacem.* S. Bonaventura præter supradictos pacis gradus sequentes quoque assignat, dicens : *Altus gradus nullum turbare factis; altior est, nullum turbare verbis, vel facie, vel in verbis post tergum; altissimus est, nullam dare occasionem justam alicujus turbationis, signo, nutu.* M. Marulus illum adducens Ecclesiastici textum cap. 28. *Abstine te à lite, & minues peccata,* illa quoque S. Apostoli verba citat: *Ubi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.* Allegat pariter testimonium S. Pauli ad Timot. scribentis: *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites, Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Multi porro turbari, & inquietari solent, propter emergentes lites, & rixas, ad sustinendas pertinaciter proprias opiniones, nec cedere alijs volunt, nec intellectum captivare; qui autem pacem diligit ; opinioni suæ facile cedit, aliisque se conformat ; quia si proprio judicio spreto aliorum sequitur arbitrium, lucrum sibi acquirit charitatis, & pacis, imo quod longe nobilius est, suum quoque proximum lucratur. *Quia fortis impegit in fortem, ambo pariter conciderunt,* id est, quando unus non vult cedere alteri, pax rumpitur & charitas fraterna ; felices proinde sunt, *qui captivant intellectum in obsequium pacis* ; horum autem paucissimi inveniuntur, nam ut Poëta canit : *Qui velit ingenio cedere, rarus erit.* Quilibet enim velut idolum propriam adorat voluntatem; si autem quis hanc inclinaverit, & voluntati Dei submiserit, pacem præmij loco habebit à Deo. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait : *Qui morigeri sunt & ad frænum flexiles, & ad omnia quæ ei placent parati & amantissimi sunt, pacem cum eo habent. Moribus similes sint oportet, & Deo soli conjugati, qui cum ipso pacem habent.* Blosius quoque inquit: *Ad hoc tibi jugiter enitendum est, ut voluntatem tuam voluntati ordinationique divinæ per omnia subdas, atque coaptes, & tua eadem relicta, illam ita prompte sequi consuescas, sicut umbra sequitur corpus. Si in hunc modum sensuum & affectuum tuorum propensionibus propter Deum renunciare potueris, dici non potest, quanta tranquillitate & pace frueris, videlicet etiam in hoc mundo paradisum quemdam inhabitare incipies.*

Enumerantur gradus pacis. — *S. Bonav. ibid.* — *M. Marul. lib. 3. cap. 28.* — *Eccli. 28. 10.* — *Jacob 3. 16.* — *2. Tim. 2. 23.* — *Ibid. v. 24.* — *Jer. 46 v. 12.* — Submissio suiipsius est acquisitio pacis. — *S. Cyr. Alex. lib. 3. in Isa. c. 26.* — *Blos. Parad. animæ c. 10.*

6. *Inquire pacem.* Quod si plus interesse & emolumentum tuum, quam pacem quæsieris (id quod ut plurimum petra scandali esse solet) difficulter pacem inveniemus, & quiete fruemur. Joannes Cassianus inter alios perfectionis aphorismos, hunc quoque pro pacis conservatione utilissimum tradit, inquiens: *Sciat omnia etiam quæ utilia, & necessaria æstimat, postponendo bona, charitatis & pacis.* Christus in testamento suo Apostolis suis pacem suam legavit, inquiens : *Pacem relinquo vobis* ; sed diu ante S. Petrus omnium Apostolorum nomine protestatus fuerat dicendo : *Ecce nos reliquimus omnia.* Abraham primus omnium credentium pater fieri meruit, quia pluris concordiam quam divitias æstimavit, siquidem paradisum quemdam terrestrem Loth cognato suo cessit, ut omnem dissensionum occasionem è medio tolleret. Isaac filius imitatus est eum, plus pacem amando, quam quodcumque facultatum terrenarum incrementum, ac proinde Rex Palæstinæ cum ipso confœderari desideravit. S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam causam manifestat, ob quam ut plurimū litigatur: ait enim : *Dico id inde accidere, quod & divitias, & gloriam, & alias hujus vitæ res, quæ instar herbæ tabescunt, magno in pretio habeamus.*

Proprium interesse debet postponi bono pacis. — *Cassian. Coll. 18. c. 6.* — *Joan. 14. 27.* — *Matth. 19. v. 27.* — *S. Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 70.*

mus. Nam si illas nihili, & viles, quales etiam sunt, reputare non ipsos doceremus, non utique super illis implacabiles inimicitias, & non denunciata bella nobis invicem indiceremus. Sed pacem charitatemque amplecteremur, per quam omne bellum, & pugna, atque dissidium tolleretur.

Partialitas in communitatibus adversatur paci.

7. *Inquire pacem.* Quod si in congregationibus, convictibus, familijs, Religionibus, vel alijs similibus consortijs pacem conservare velimus, necessum est, ut partialitatis effugiamus. Reflexistisne vos ad modum quem Salvator tenuit, quando collegio Apostolico pacem suam annuntiavit? Sanctus Lucas ait: *Stetit Jesus in medio Discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis.* Non vero sine mysterio, sanctus Lucas hanc circumstantiam detegit, quod scilicet in hoc pacis augurio, Salvator noster in medium Apostolorum se collocarit, sed hoc exemplo suo insinuare nobis voluit, quod pro conservatione unionis & pacis, necessum sit, ut partialitas omnino evitetur, sed hi qui in dignitate positi sunt, indifferenter sese habeant ad omnes. Unde in litteris pastoralibus S. Caroli Borromæi legitur, quod pro conservatione pacis & quietis sequens cuilibet patrifamilias tradiderit documentum: *Procuret pacem & quietem domi suæ conservari, fraternamque jugiter ibidem vigere charitatem, quod utique obtinebit, si erga neminem partialis existat, quin potius omnes indifferenter cum patientia sustineat.*

Luca 24. 36.

Act. Eccl. Mediol fol. 1084.

Origo inquietudinis est adhærere transitorijs.

Blos. ibid.

8. *Inquire pacem.* Blosius eodem in loco, in quo originem inquietudinis, quæ nos perturbat, explicare nititur, simul etiam antidotum ad eam curandam & avertendam subministrat, inquiens: *Utinam solus Deus occuparet interiora tua; nam quamdiu ab omnibus alijs cor tuum non fuerit expeditum, quamdiu alicui rei transitoriæ adhæseris, quamdiu tuam magis, quam Dei voluntatem amaveris, non poteris eidem Domino perfectius conjungi. Beatus ille, qui ab omnibus intus nudatus est, qui neque propter damna indigne perturbatur, neque propter commoda insipienter evanescit; qui omnia inæqualia æquali fert animo, qui se derelinquere, & ut ita dicam, penitus egredi didicit; qui denique per perfectam sui abnegationem jam ad perfectam charitatem pervenit. Quantam enim putas pacem talis possidet? nimirum tantam, ut nullo sermone explicari possit.*

Reciprocus amor nutriat pacem.

9. *Inquire pacem.* Pacem vehementer reciprocus amor fovet & nutrit, sicut & si unus de altero bene & laudabiliter loquatur, quemadmodum è contrario pacem perturbat, qui malevolus est, quique bonæ alterius famæ subdole & facile detrahit. Unde sanctus Bernardus ait: *Jungant se animis, qui juncti sunt institutis, invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent, ait enim Sapiens: Frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur. Quod si alterutrum (quod absit) se corroserint, & momorderint, nonne simul ambo desolabuntur?* Sanctus Isidorus Pelusiota postquam humilitatem paci cooperari demonstrasset, ulterius in hæc verba progreditur: *Unus in nobis Spiritus, una mens, una charitas, una in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ.* Observanda est illa apud sanctum Matthæum cap. 11. à S. Joanne Baptista discipulorum suorum ad Christum instituta legatio, in qua Christus interrogabatur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* profecto humanitus loquendo, præcursor in ordine ad veritatem de Christi Messiatu mente vacillasse, seu dubitasse, atque ex hoc capite cœlestem Magistrum suum haud parum offendere videri potuisset, quod tamen revera facta non est, quin potius exemplo suo docere nos Christus voluit, nullam prorsus ob causam, pacem cum proximis esse interrumpendam; ac proinde prolixum laudum Baptistæ Christus texere cœpit Panegyricum, ut ex textu Evangelij manifeste constat. Optime igitur Chrysologus ait: *Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur, & quia laqueus est mortis lingua susurronis, & bilinguis, parcat unusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat.*

S. Bern. Ep. 241.

S. Isid. Pelus. lib. 11. Epist. 47.

Matth. 11. 3.

Chrysol. ibid.

Primus turbator pacis in cœlo fuit Lucifer: in terra Cain.

10. *Inquire pacem.* Efficax quoque pacem amandi motivum esse deberet sequens consideratio, videlicet quod primus qui in cœlesti Jerosolyma dicta *pacis visio*, pacem perturbavit, Lucifer fuerit, quando Creatori & Deo suo magnificentiam & majestatem suam invidit, primus pariter qui hic in terris charitatem & concordiam fraternam ex motivo pariter invidiæ rupit, fuerit primus reprobus, de quo sanctus Bonaventura ait: *Primam discordiam inter homines movit invidia inter Cain & Abel, quoniam opera Cain maligna erant, fratris autem justa.* Ac proinde sanctus Valerianus in homilia quadam *de bono conservandæ pacis*, inquit: *Cesset invidia, quæ ad omnem litem animos humanæ mentis accendit.*

S. Bonav. in Biblia pauperum c. 5.

S. Valerian. Hom. 12.

Contentiosi Deo & hominibus sunt abominabiles.

11. *Inquire pacem.* Potens ad Pacem amandam stimulus est, videre per experientiam, homines contentiosos & discordes, Deo, & hominibus esse abominabiles. Unde S. Bernardus in sermone quodam *de modo bene vivendi* ait: *Qui quotidie contendunt, & rixantur, à paucis hominibus amantur. Præterea pax & Concordia ab omnibus hominibus amatur.*

S. Bern. serm. 17. de modo bene vivendi.

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Omnes Creaturæ in bonum totius Universi pacem & Concordiam inter se conservando, homines ad pacem sectandam extimulant.

THEMA.

Facit concordiam in sublimibus suis. Job 25. ℣. 2.

In cœlo est maxima concordia.

1. S. Bernardinus in quodam sermone *de bonis pacis*, præsentis discursus thema exponens, inquit: *De Concordia in exemplum nostrum in libro Job scriptum est, cap. 25. Facit, scilicet Deus, Concordiam in sublimibus suis, id est, stabilissimo & tranquillissimo Concordiæ nexu, disposuit, & colligavit creaturas supernas, scilicet Hierarchias spirituum beatorum, & cœlestia corpora, non enim est illic pugna, aut contrarietas invicem se dissolvens, nec corrumpens, ut mystice innuatur, quod qui in concordi charitate in præsenti vita non manet, ad supernorum concordiam non ascendet.*

S. Bern. Tom. 3. ser. 5. art. 1. c. 3.

Cœlum & terra invitant ad pacem.

2. Ex omni parte, quocumque oculos nostros deflectamus, omnia creata, tam quæ in cœlo, quam quæ in terris sunt, nos exemplo suo ad unionem & pacem invitare experiemur. Unde Gregorius Nazianzenus ait: *Divinæ voci obtemperantes, in cælum sursum, & in terra deorsum aspiciamus, atque conditarum rerum leges animadvertamus, quemadmodum videlicet cælum, & terra, & mare, ac denique universus hic mundus, magnum, inquam, & hoc celebre Dei elementum, quo etiam Deus declaratur, tacitaque voce prædicatur, quamdiu secum paratus & tranquillus est, seque naturæ suæ finibus continet, nec quidquam adversus alterum insurgit, atque ex ijs benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice verbo rerum universitas constricta est, excedit, mundus vere est, ut appellatur, & incomparabilis pulchritudo, nec aliquid umquam opus, quod quidem materia constet, illustrius & magnificentius excogitari potest. At simulatque pacatus & quietus esse desiit, mundus quoque esse desivit. Quid enim? Cum cælum tanto ordine aeri lucem, terræ pluvias impertit, nonne tibi benevolentiæ legibus teneri videtur? Nonne aër & terra cum cunctis animantibus, partim cibos, partim ducendi Spiritus facultatem largiuntur, parentum erga filios amorem imitatur? Nonne anni partes complacide inter se miscentur, sensimque sibi invicem cedunt, & ad hominum non solum usum, & commoditatem, sed etiam voluptatem, utriusque extremi asperitatem, mediocriter mitigant; pace gubernari? Nam quid de die, ac nocte dicam, quæ æquas inter se partes, ac moderatam conversionem pacta, nos partim ad opera excitant, partim lassos recreant, & reficiunt? quid de sole & luna, syderumque ordine lucentium multitudine & pulchritudine? quid de terra & mari, quæ leniter inter se juncta, benigneque sese mutuis muneribus afficientia, liberaliter hominem alunt, eique prolixe, & copiose, quæ habent, suppeditant. Quid de omnibus, per montes & campos fluentibus, nec nisi quatenus id expedit redundantibus, nec se ad operiendam terram convertentibus? quid de elementorum permixtione ac temperatione, membrorumque proportione, ac communitate? quid de animantium alimonia & ortu, distinctaque habitatione? quid? quod alia imperant, alia imperio tenentur; quædam nobis subjecta sunt, quædam libera? quæ cum ita se habeant, ac secundum primas Concordiæ, sive confluxionis, & conspirationis causas regantur & gubernentur, quid tandem aliud existimandum est, quam quod ea amicitiam, Concordiamque proclamant, suoque exemplo mortalibus animorum consensum quasi lata lege indicant.*

Nazianzen. Orat. 12.

Summa pax est inter Angelos.

3. *Amicitiam & Concordiam proclamant.* Enimvero omnes in cœlo beati Spiritus angelici, essentiæ divinæ unitas, triumque divinarum personarum Trinitas cœlum empyreum, sive superna Jerusalem, id est *pacis visio concordiam proclamant.* Tametsi enim Spiritus Angelici, qui numero innumerabiles sunt, juxta opinionem S. Thomæ Doctoris Angelici, specie differant, attamen adeo inter se concordes & uniti sunt, & ab ipsomet Spiritu Sancto *Angeli pacis* cognominentur. Supracitatus Nazianzenus, in loco præcitato paulo ante sequens adduxerat exemplum; inquiens: *Hoc unum est, & quidem tale, ut nos ad benevolentiæ Concordiæque studium necessario adducere debeat, nimirum Dei ac supernorum imitatio.* Videatur Tomus primus hujus Operis de beatitudine, maxime in Discursu XII. & XIII. ubi de Unione incolarum Paradisi cœlestis fusius tractatum fuit. Berchorius quoque inter alia motiva, ad pacem nos extimulantia, hæc adducit: *Superiora sunt exempla & regulæ inferiorum; & ideo sicut videmus, cælum & sydera pacem inter se habere, unumquodque locum suum pacifice tenere, & alterum alteri non nocere, quia sicut dicitur* Job. 24. *Deus facit concordiam in sublimibus suis, ipse est Deus, qui cum Angelis, & Sanctis suis pace perpetua perfruitur, & æterna concordia jucundatur, quia scilicet sicut dicitur* Rom. 4. *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, sic & nos pro modo nostro debemus pacem servare, nec eam offendere, & turbare.* S. Augustinus in sermone quodam idem punctum in hæc verba tangit: *Sic etiam pater cælestis elementa & planetas, cæteraque invisibilia ordinavit, ut vinculo charitatis simul se complecterentur.*

Isa. 33. v. 7.

Nazian. ibid.

Berchor. reduct. mor. ver. pax.

S. Aug. ser. 2. ad fratres.

Pax est mater amoris.

4. *Amicitiam & concordiam proclamant.* S. Bernardinus in alio quodam sermone prædicta Nazianzeni verba adducens, eadem attente ponderat in magnam hujusce virtutis laudem. Berchorius per naturalium rerum exempla nos paulatim disponit, ut intelligere valeamus quantæ utilitatis pax sit, ad conciliandum in nobis amorem. Ita enim scribit: *Homines qui pacem inter se non habent, vix aut numquam possunt se diligere, illi autem qui invicem pacem habent, solent faciliter se amare; pax enim mater est amoris, quia etiam, sicut videmus in naturalibus, illa quæ nullam inter se habent repugnantiam naturalem, inter se habent amicitiæ connexionem, imo sunt paris & similis conditionis, sicut est aqua, aquæ enim sunt facilis conjunctionis. E converso illa, quæ sibi in natura contrariantur, sicut est ignis & aqua, numquam simul intrinsece conjunguntur. Sic vere inter homines, illi qui inter se non habent contrarietatem alicujus discordiæ, sed magis conformitatem pacis, solent esse facilis dilectionis & amicitiæ. Illi vero qui per odium, invidiam, & discordiam sibi invicem contrariantur, numquam per verum amorem copulantur; Pax enim amorem generat, & litigium fugat.*

S. Bernard. ser. 28. art. 3. cap. 3.

5. Nec solum nobis unionis & concordiæ exemplum à creaturis subministratur inanimatis, sed etiam ab animatis, & irrationalibus. Porro Isaias Propheta ex Prophetico instinctu inter alia legis Evangelicæ præconia hoc quoque enumerat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; Vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, ... vitulus & ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Etenim animalia ferocissima, suam, ut ita dicam, naturam immutant, & in virtute potentiæ obedientialis mansueta evadunt; qua igitur ratione voluntas Dei, quæ inter animalia natura sua contraria concordiam conservare potest, resistentiam in homine experiri poterit, ut is in despectum & injuriam Dei discordiam velit, ametque bellum, in suam & aliorum perniciem, tametsi hi ejusdem cum eo speciei homines sint? Considerastisne aliquando, quod in arca Noë omnis generis animalia fuerint reclusa, in cibis & instinctibus naturalibus differentia, & in omnibus alijs non solum varia, sed & directe inter se opposita & contraria? Et tamen in illis arcæ angustijs omnia concorditer se accommodarunt, ut in illis multis commorarentur mensibus, ac cibarentur alimentis, licet appetitui & naturæ suæ non solum non conformibus, sed etiam fortasse contrarijs, ac demum sine ullis rixis, luctis, aut pugnis inter se quiete viverent; qua in re Deus, auctor & pater naturæ, insinuare nobis voluit, quantam super animalia irrationalia, & maxime super illa quæ natura sua ad sævitiam & ferocitatem inclinant, obtineat potestatem, ut eadem in constanti pace conservare valeat. Sed quid dico? Ipsamet quoque natura à semetipsa in animalibus hanc unionem insinuavit, prout per singula discurrendo facile licet colligere. Nam S. Gregorius Magnus ait: *Admonendi sunt discordes, ut si aures à cælestibus mandatis declinant, mentis oculos ad consideranda ea, quæ in infimis versantur, aperiant, quod sæpe aves, unius ejusdemque generis sese socialiter volando non deserunt, & quod gregatim animalia bruta pascuntur, quæ si solerter aspiciamus, concordando sibi, irrationalis creatura indicat, quantum malum per discordiam rationalis creatura committat, quando hæc à rationis intentione perdidit, quod illa motu naturali custodit.* Idem sanctus Pontifex alibi hanc habet sententiam: *Quia multi sibimet inferius dissident, sed ad concordem supernorum plenitudinem currunt, & ex internæ pacis causa agitur, ut sæpe ea, quæ sunt interius sine pace, disponantur.* Magnum profecto hominis dedecus est, quod discordia tam inter homines sit frequens, quæ plane ab illis deberet esse aliena, utpote qui ratione primariæ suæ originis, cum ab uno eodemque patre descendant omnes, per fraternum amorem merito inter se deberent esse animis conjuncti; cum tamen econtra tot animalia, quæ natales suos à se invicem separatim singula habuerunt, quibusque varia fuerunt assignata elementa, nihilominus ut plurimum, licet rationis & discursus sint expertia, inter se pacifice vivunt, ut tutius & pacatius inter se, ut S. Augustinus ait; *Rationalis voluntatis expertes bestiæ sui generis viverent, quarum ex aquis & terris plurium pullulavit exordium, quam homines, quorum genus ex uno est, ad commendandam concordiam propagatum.* Certum est quod inter alia animalia terrestria Elephas majoris præ cæteris sit molis, majorisque fortitudinis, nec non vitæ longioris. Nam Plinius scribit Elephantem vivere ducentis annis, adeoque illorum juventus ad sexagesimum usque annum pertingit. S. Ambrosius vero de Elephantis longævitate ita scribit: *Trecentis & amplius feruntur annis vitam producere, quia omnia sibi ad magnitudinem membra conveniunt.* At vero scirene vultis undenam hæc corporis fortitudo & robur, vitæque longævitas procedat? Hinc videlicet; quia *non distincti, ut nobis, sed compacti artus sunt, quo sint robustiores. Quam cito hominibus, si diu steterint, aut velocius cucurrerint, vel jugiter ambulaverint, genua vexantur, & plantæ? Conjuncta enim & articulata facilius, quam concreta atque solidata, aut doloris sensum, aut casum offensionis admittunt.* In alijs animalibus diversa & distincta ossa nervis ligata inter se esse noscuntur, hæc autem ossium unitas, ut author quidam scribit, multam addit hujus bestiæ corpori firmitatem. Ingens robur, docile ingenium, & vitam diu protendit; quo protenditur, vires & robur accidere rebus ex unione & pace. S. Bernardinus sequentem habet considerationem; ait enim: *Mira res, si aves, passeres, gallinæ, & grues, & cæteræ volucres cæli, animantia, & cunctæ bestiæ terræ, licet quandoque in genere suo naturaliter pugnent, & altera alteri adverseur, statim tamen pacifice simul ad pastum, atque ad potum currunt, simul pacifice commorantur & vivunt, & ad omnem familiaritatem conveniant; solus homo, ferocissimus bestiarum, ad pacem redire non potest. Disce infelix mulier, quæ injurianti tibi parcere non potes, à gallina tua, & tu infælix homo ab animantibus tuis injuriam oblivisci, & redire ad pacem.*

Isa. 11. v. 6.

Omnis generis animalia in arca Noë se concorditer accommodarunt.

S. Greg. part. 3. admon. 23.

S. Greg. l. 17. mor. c. 8.

Descendentia ab uno parente debet esse motivũ concordiæ.

S. Aug. de Civ. Dei l. 12. cap. 22.

Elephas ducentis vel trecentis annis vivit eo quod artus ipsius sint solidius compacti.

Plin. lib. 8. cap. 10.

S. Ambr. lib. 6. Hexam cap. 5.

S. Bernard. tom. 2. ser. 50 art. 3. c. 1.

6. *Amicitiam & concordiam proclamant.* Supremus rerum artifex corpus nostrum tali cum artificio compaginavit (*manus tuæ* Domine *fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu*), ut continuos, nec umquam intermissos pacis spiritus & sensus nobis insinuet & imprimat. Etenim S. Bernardinus in eodem sermone paulo ante in hæc verba scripserat: Ephes. 4. *Quoniam sumus invicem membra,* 1. Cor. 12. *si quid patitur unum membrum, compatiuntur ei omnia membra, sicut patenter experientia docet, nam si pes casu offenditur, statim subvenit ei manus, si vero caput fuerit læsum, statim manus succurrit illi. Similiter si manus vel dens linguam læserit, omnes sibi invicem parcunt, compatiuntur, & dolentes subvenire non cessant. Quis enim tam demens, ut si masticando dens momorderit linguam, ad vindictam linguæ, extrahat sibi dentem?* D. Chrysostomus in sermone quodam *de Mansuetudine* sequentem adducit similitudinem inquiens: *Porro quod in corporibus nostris nervi, hoc est mansuetus homo in domo, & Ecclesia, & civitate. Paulus enim more suo fratres vocat corpus & membra invicem. Qui autem divisos, & pugnantes coire facit in amicitiam, jam Pauli sermonem implet, qui suadet omnibus, ne ignorent membra sua, neque mutuum se devorent. Unde verus est sermo ille, quod Pacificator fratrum eamdem virtutem habet in Ecclesia, & domo & civitate, quam habent in corporibus nervi, dispersa & separata conjungentes & contrahentes.* S. Augustinus quoque in Psalmum 130. ita scribit: *Dominus Deus noster, ut servetur corporis compago in pace, alloquitur Ecclesiam per Apostolum: Non potest oculus dicere manui*

Job. 10. v. 8.

S. Bernard. ibid.

1. Cor. 13.

Sicut compassus omnium membrorum est dum patitur unum membrum corporale ita debet esse in corpore mystico.

S. Aug. in Psal. 130.

manni, opus te non habeo, aut iterum caput pedibus, opus vobis non habeo. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum corpus auditus, ubi adoratus, ergo in membris nostris videtis, fratres, quomodo singula officium suum habent membra. Oculus videt, & non audit, auris audit, & non videt; manus operatur, nec audit, nec videt; pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit, quod facit manus. Sed in uno corpore si sit sanitas, & non adversum se litigent membra, & auris videt in oculo, & oculus audit in aure, &c. Videatur hic Discursus quem sanctus Doctor de hac materia scripsit, suo loco fusius extensus, ex quo facile deducitur, quod licet omnes hæ corporis humani partes, ad actiones differentes, natura sua destinentur, attamen omnes inter se concordes sunt & unitæ, & quælibet sua operatione, quantumvis infima, contenta est, pacemque & concordiam cum unaquaque aliarum constanter conservat. Idem sanctus Doctor alio in loco sequentem instituit considerationem:

S. Aug lib. 10. de Civit. Dei, cap. 5. — Spiritus sanctus non vivificat nisi pace unitos.

Spiritus humanus sicut numquam vivificat membra, nisi fuerint unita: Sic Spiritus Sanctus numquam nos vivificat, nisi pace uniti fuerimus. Vita igitur hujus corporis nostri per unionem & compaginationem membrorum nostrorum subsistit, quæ si separentur à nobis, vita quoque pariter à nobis recedit. S. Vincentius Ferrerius similiter hunc S. Pauli textum in medium adducit:

S. Vinc. Ferr. ser. Dom. 2. in albis.

Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, &c. Et quamdiu membra corporis sunt conjuncta, & unita, ibi manet spiritus, &c. Secus quando sunt divisa. Ista est ratio quare debemus esse uniti, quia sic manet in nobis Spiritus, qui vivificat. S. Augustinus in eodem libro cap. 13. ita scribit:

S. Aug. ibid. cap. 13.

Pax corporis est ordinata temperatura partium, pax animæ rationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis, & animæ, ordinata vita, est salus animantis. Pax hominis mortalis, & Dei immortalis ordinata in fide, sub æterna lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia, pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Pax cælestis civitatis ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo.

Per pacem stabilitur commerciũ humanum. — S. Bernard. in Tom. 5. ser. 8. art. 1. c. 1.

7. *Amicitiam & concordiam proclamant.* Commercium humanum per pacem fundatur & stabilitur. Unde S. Bernardinus in sermone *de multiplici bono pacis*, inquit: *Fiunt inter homines sæpe socialia pacta, fiunt & conjugalia, fiunt & commerciosa, fiunt & mercenaria, fiunt quoque servilia, & consimilia multa, quibus servatis manet animorum in amore synceritas, manet & conversatio grata, servit obsequiosa conditio, subjacet sine contradictione subjectus, imperat potior, in amore perdurat societas, sodalitas stabilitur, caret querela conjugium, commercia depurantur à fraude, merces redditur dignis, servilitas in opportunis se ingerit, & nulla personat querela deformis, imo videntur omnia summa ordinatione pacata.*

Job. 10. v. 22 — Etiam pax inter Dæmones est. — Luca 11. 17. — Ibid. v. 18. — S. Bernard. tom. 1. ser. 25. art. 1. c. 2. — Marci 5.

8. *Amicitiam & concordiam proclamant.* Imo & ipsimet regionis illius habitatores, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitant*, nos exemplo suo, ut concorditer ad invicem vivamus, invitant, siquidem ut ipsamet Sapientia incarnata de spiritibus infernalibus differens sapientissime notavit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet; Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus.* Porro S. Bernardinus in alio quodam sermone inquit: *Pax sine charitate esse non potest, imo, quod mirabilius est, cum multi Dæmones in uno Dæmoniaco in pace simul & quiete morentur, sicut* Marci 5. *de Dæmoniaco Legionario dicitur, & etiam quotidie per experientiam patet, non seipsos pellunt, vel sicut inter seipsos non bellant, neque pro loco etiam tam arcto pugnant; stupenda quidem res est, quod duos partium principales, una terra, vel una civitas & patria simul non poterit in pace continere, quin imo unus alterum de terra patria expellet.* Quæ cum ita sese revera habeant, ex hactenus dictis concludamus, quod omnes creaturæ intellectuales cœli & terræ, omniaque creata, sive illa insensibilia, sive irrationalia sint, in summa concordia & pace persistendo pro bono totius universi, *genus humanum ad concordiam vocent, Amicitiamque & animorum conjunctionem proclament.*

TRACTATUS LXXI.

DE GRAVITATE, MALITIA, TURPITUDINE ET ABOMINATIONE PECCATI.

CONTINET DISCVRSVS XX.

DIscursus I. Deus divinum suum nobis largitus est verbum, ut per illius prædicationem, primo omnium loco aboleatur, & exterminetur peccatum.

II. Gravitas peccati ex vilitate hominis, Deum infinitæ Majestatis contumeliantis, consideratur.

III. De enormitate peccati, ob aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam.

IV. De injuria, quæ Deo fonti omnis boni irrogatur, dum à nobis ad satisfaciendum appetitibus nostris, turpiter rejicitur.

V. Malitia peccati notabiliter ex eo augetur, quia bonitas & sanctitas per illud offenditur Dei illius, qui insuper nos dilexit, magnisque beneficijs adauxit.

VI. Peccatum de novo Christum crucifigit, ubi variæ mysticæ hujus crucifixionis rationes, & modi adducuntur.

VII. Ex inæstimabili redemptionis nostræ pretio à Christo in cruce persoluto, gravitas colligitur peccati, id quod à peccati commissione merito deterrere debet.

VIII. De odio, quo Deus detestatur, & persequitur peccatum.

IX. De multiplicitate, & malitia peccatorum disseritur, simulque, qua ratione peccatum infinitum dici possit, exponitur.

X. De vilitate, & infamia peccati.

XI. In munditia peccati specialiter sub metaphora luti & lepræ exponitur.

XII. De abominabili puteolentia, & fœtore peccati.

XIII. Vilitas peccati ab ejus denominatione deducitur, peccatum enim bestia, peccatores verò ferarum, aliarumque vilium animalium nomine appellantur.

XIV. Peccatum magnam sibi adjunctam habet ignominiam, quia indignissima quædam servitus est.

XV. De hac, quæ per peccatum inducitur servitute, aliæ considerationes instituuntur.

XVI. Dæmon peccatorem per peccatum totaliter facit suum, sine quo alias adversus illum nec quidquam prævaleret.

XVII. Quo sensu peccator filius dæmonis appelletur, deque tyrannica peccati servitute, quam peccator industriè quærit, cuique voluntariè se subjicit.

XVIII. Varij explicantur modi, quibus Dæmon peccatum nobis insinuat, ubi & de arte & crudelitate Dæmonis agitur, nostram perditionem machinatur.

XIX. Gravitas peccati ex eo arguitur, quia Deus illud acerbissimè persequitur, pœnisque æternis & infinitis illud castigat, licet peccatum sit transitorium.

XX. Homo per peccatum bestijs fit similis, imò pejor illis evadit.

DISCUR-

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Deus divinum suum nobis largitus est verbum, ut per illius prædicationem, primo omnium loco aboleatur & exterminetur peccatum.

THEMA.

Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Isa. 58. ℣. 1.

Deus præcipit Prophetæ clamare faciendam extirpationem peccati.

1. SAncta Mater Ecclesia non sine mysterio ordinavit, ut Sacerdos priusquam Evangelium in Missa ordiretur, hanc præmitteret orationem: *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum dignè valeam nunciare*, etenim Deus ipsemet, in persona Isaiæ, qui per antonomasiam *Propheta Evangelicus* appellatur, veri cujusdam prædicatoris, idæam delineare voluit, & exemplar, hujus enim labia ignito charitatis calculo, velut labia Isaiæ purificari debent, ut digne divinum annunciare verbum possint. Magna autem cum advertentia notandum est, qualem increata Sapientia huic Prophetæ prædicandam præscripserit materiam; ait enim Deus ad ipsum: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*; sed quo fine Prophetam clamare jubet? Num forte, ut sæculis futuris, quas à Deo habuit visiones, & revelationes cœlestes exponat? aut vero ut magis præcipuos novæ legis Evangelicæ manifestet eventus? Vel denique ut occulta sacrosanctæ Triados revelet mysteria? *Vidi Dominum sedentem super solium, &c.* (3. Reg. 22. 19) Nequaquam, sed unicus finis, ob quem infinita Dei providentia, huic Prophetæ, ad tam sublime prædicationis ministerium subvecto præcepit, ut clamans vocem suam exaltaret, hic fuit, ut scilicet peccatum semper & ubique profligaret; unde immediate subdit: *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*, unde omnibus prædicatoribus Evangelicis præclarum traditur exemplum, quod scilicet in exercitio hujus muneris, huic fini assequendo, vel maximè intenti esse debeant, nimirum, ut vitia radicitus extirpent, offensasque Dei penitus aboleant: *Annuntia populo meo scelera eorum.*

Isa. 50. v. 4. — Gloss. Interl. ibid. — Deus infundit sapientiã Prophetis contra malitiam peccati. — Gloss. Interl. ibid. — S. Hieron. ib. — Gloss. ordin. Isa. 58. — Jer. 1. v. 6. — Ps. 67. v. 12. — Jer. 1. 7. — Ibid. v. 9. 10 — Ibid. v. 10. — Lib. 1. ep. 31. — In Lect. S. Franc. Salesij.

2. Idem Propheta Evangelicus, alio in loco laudabiliter gloriatur, inquiens: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*, id est, ut Glossa Interlinearis declarat: *Scientiam & sapientiam*, hæc autem scientia, & sapientia sacra, non ideo ei infusa fuit, ut memoriam, eloquentiam, ingenium, & doctrinam suam ostentaret; quonam igitur fine hanc ei à Deo datam fuisse existimatis? Finem hanc ipsemet Propheta subjungit inquiens; *Ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo*; id est, ut eadem Glossa Interlinearis exponit: *Ut sciam sustentare humanum genus, lapsum in peccatum, verbo prædicationis*; vel ut S. Hieronymus ait: *Ut errantem populum sustentem, & revocem ad salutem.* Glossa ordinaria ad sonum tubæ se reflectens, cui vocem Prophetæ Deus conformari jussit, sequens indicat mysterium: *Jubetur vocem suam sicut tuba exaltare, & futura nuntiare bella, ut quomodo mortui ad vocem tubæ sunt vivificandi, sic Israel, peccato mortuus, aut scelera sua, & vivificetur*, Jeremias Propheta se quidem non solum ad prædicandum, verum etiam ad loquendum inhabilem esse censebat, quando ait, *Et dixi, a, a, a, Domine Deus, Ecce nescio loqui.* Verumtamen protinus in ipso adimpletum fuit cœleste hoc oraculum: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus, virtute multa*; quia sacer textus mox subjungit; *Et dixit Dominus ad me, noli dicere, puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna.* At vero quonam putatis fine sapientia increata linguam Jeremiæ ad loquendum expeditam, facundam reddidit, eique ad convertendos populos & regna miram loquendi energiam attribuit? Hoc nimirum fine: *Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quorum verborum si veram intelligentiam; & sensum intelligere desideretis, legatis obsecro Epistolam quamdam S. Francisci Salesij, qui verus nostrorum temporum Apostolus fuit, de quo Ecclesia in ejus lectionibus testatur, *quod septuaginta duo millia hæreticorum, ad catholicam fidem reduxerit*, de quo proinde facile est conjicere, quot alias peccatorum enormium conversiones prædicabam, sua procurant, qui tot hæreticos, ad veram fidem, fracta eorum contumacia, convertere potuit. Hic igitur in Epistola quadam, virum Ecclesiasticum, prædicatoris munus exercentem quem sibi in prædicationibus suis finem propositum habere debeat, his verbis instruit: Cum prædicandi gratia umbonem conscendis hic tibi finis, hæcque intentio esse debet, efficiendi nimirum id, pro quo faciendo Christus in hunc mundum venit; hic enim de semetipso dicit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Finis igitur prædicatoris esse debet, ut peccatores per iniquitates suas mortuos gratiæ vivere faciat, procuretque, ut justi, qui vita spirituali fruuntur, sese magis, magisque perficiendo, vitam eamdem abundantius possideant, & quemadmodum Jeremiæ dictum fuit, *ut evellat, & destruat* vitia, & peccata, virtutes autem & perfectiones *ædificet & plantet.* Hactenus Salesius.

Debitus finis Concionatoris. — Joan. 10. v. 10.

S. Bernardinus Senensis accepit miraculose gratiam concionandi. — In lect. S. Bernardini.

3. Idem in Jeremia patratum miraculum, sæculo decimo quarto in persona S. Bernardini Senensis renovatum esse constat; hic enim priusquam prædicationis mysterium aggrederetur, vocem habuerat debilem, & exilem, at verò, ut in lectionibus matutinalibus Ecclesia de eo testatur: *Postquam Prælatus ipsius prædicandi onus ei imposuit, hoc munere humillimè suscepto, cum se minus idoneum agnosceret, ob vocis exilitatem, & raucitatem, Dei ope implorata, non sine miraculo, ejusmodi impedimento liberatus est.* Quonam vero fine Deus hoc circa ipsum patraverit miraculum, ex sequentibus earumdem lectionum verbis facile deducitur, subditur enim: *Cum ea tempora regiones vitijs & criminibus redundarent, Bernardinus urbes atque oppida, circumcursitans, collapsam pietatem, moresque, verbo & exemplo magna ex parte restituit.* Idem S. prædicator in sermone quodam sequens Prædicatoribus salutare tradit documentum: *Sunt auditores nimis delicati, qui solum vellent de contemplationibus, & spiritualibus, & de virtutibus, & gratijs, atque de cælestibus audire, intactaque pertransire vitia, & Dei flagella, peccatoribus data, & danda, quod etiam sæpius prædicator libentius ageret, nisi speculum Apostoli Pauli ante oculos haberet, qui se* 1. Cor. 10. *ait: Non quæro quid mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant; Et* 2. ad Tim. 10. *sic ait: Argue, obsecra, increpa, &c. ubi plus dicit contra vitia exprobranda, quam pro virtutibus extollendis.* Idem quoque de Seraphico suo Patriarcha (quem Deus, velut Ecclesiæ suæ fulcrum, eo præcipuè tempore elegerat, quo sæculum illud, non minus quam sæculo Noë, *quando omnis caro corruperat viam suam*, contaminatum erat) sequens perhibet testimonium. *Volens B. Franciscus se, & suos, corde, & ore & opere, Domino Jesu Christo, & Apostolis ejus, in fide, & moribus esse conformes, divinitus inspiratus in regula sua inquit: Moneo quoque, & exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes*; Et paulo post idem S. Bernardinus, rationem assignans, cur præcipua Prædicatoris cura eo dirigenda sit, ut peccatum destruat, & profliget, in hæc verba scribit: *Cum populi multipliciter sint vitijs involuti, nec expavescant eis intimare præparata judicia, & pœnas, nullus excelsior modus, nulla materia præstantior, nullumque remedium efficacius populis, in hoc sæculo, quam supradicta prædicatio, qua usi sunt Prædicator prædicatorum Christus, & Apostoli, & omnes eorum imitatores divino lumine illustrati.*

S. Bernard. T. 3. ser. in septuag. art. 2. c. 1. — Modus prædicandi ex Regula S. Francisci. — Genes. 6. 12. — S. Bernard. ser. procemiali.

Luc. 1. v. 76. — Studium S. Joannis Baptistæ contra peccata.

4. Verbum incarnatum, olim prædicationis suæ præcursorem, & prodromum, eo fine misit, quem S. Zacharias genitor ejus prædixit, dum ait: *Præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.* At vero in quonam hæc, ad Salvatoris prædicationem fructuose excipiendam, prævia consistebat præparatio? Nimirum *ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum*; etenim in desertis Judææ prædicando, nulli alteri studio adeo incubuit, quam ut peccata radicitus extirparet, peccatorumque operaretur salutem, hoc enim Christus post ipsum facturus erat, ac proinde prædicationes suas communiter ab hoc inchoabat exordio, *Pœnitentiam agite.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis ita scribit: *Hic suggillantur curiosi Prædicatores, qui ponunt in cælum os suum, loquentes de linguis Angelorum, & de differentia Hierarchiarum, & hujusmodi; iste autem eximius Prædicator nihil tale prædicavit, sed tantum quod informabat populum. Quid fugiendum innuit,* cum

Matth. 3. 2. — Hug. Card.

cum dicit, *pœnitentiam agite*, *fugiendo peccata, quod eligendum, cum subjungit; appropinquavit regnum cælorum. Ista duo prædicanda sunt, declinare à malo, fugiendo peccatum, facere bonum, regno Dei appropinquando.*

S. Aug. ser. 11 de verb. Domini.
Incepit Christus prædicare sicut Joannes.
Matth. 4. 17.
Cajet.

S. Augustinus optimè notat, verbum æternum Patris, incarnatam illam & increatam sapientiam, minimè in primo prædicationis suæ ingressu dedignatam fuisse, non solum eodem uti themate, verum etiam iisdem verbis, quibus Baptista suus usus fuerat; dicit enim S. Matthæus: *Et exinde cœpit Jesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Id autem, ut Cajetanus ait, fecit *ad exemplum nostrum, ut non dedignemur inchoata ab alijs, etiam minoribus, bona prosequi.*

Matth. 7. 29.
Joan. 13. 3.
Matt. 28. 18
Quare Christus dicatur sicut potestatem habens.

S. Matthæus de Christo testatur, quod quando prædicabat, *Erat docens sicut potestatem habens*, ut verò nescio, quo motivo S. Evangelista dicat, Christum docuisse, sicut si potestatem haberet, hoc enim omnino superfluè dici videtur, cum nemo sit ita ignarus, qui nesciat, æternum Patrem Christo suam delegasse omnipotentiam, *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra.* Quid igitur opus erat dicere: *Sicut potestatem habens?* Sed respondetur Evangelistam nomine potestatis, non intellexisse supremam Christi authoritatem, sed prædicationis suæ efficaciam, & energiam, quam in auditoribus habebat; Quia, ut Victor Antiochenus exponit, *non loquebatur ad gratiam, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo ejus in potestate, hortabatur enim ad cælestia, & animæ salutaria, perfidisque, & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur.*

Vict. Ant. in c. 1. Marc.
Marc. 16. 15.
Sales. ibid.
Hug. Card. Marc. 1.
Marc. 16. 20.
Hug. Card.

Suos quoque priusquam ad prædicandum dimitteret Apostolos, ut S. Franciscus Salesius bene advertit, his verbis instruxit: *Prædicate Evangelium*; quæ verba brevia quidem, sed valdè prægnantia sunt; nam ut Hugo Cardinalis super caput primum S. Marci optimè dicit: *Evangelium bona annunciatio dicitur, quod propriè ad regnum Dei, & remissionem peccatorum pertinet.* Subdit verò idem S. Marcus: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quorum verborum occasione, idem Cardinalis vera bonæ prædicationis signa his verbis indicat: *Tria signa debent sequi prædicationem; primum est compunctio auditorum; secundum, conversio peccatorum, tertium confirmatio justorum.*

Concionatores contra vitia prædicare debent.
Act. Eccles. Mediol. Can. 484.
Act. Eccl. Med. f. 477.

5. Sanctus Carolus in amplo illo volumine, quod *Acta Ecclesiæ Mediolanensis* intitulatur, atque à summis Pontificibus *Ecclesiasticæ disciplinæ thesaurus* dicitur, inter alia prædicatoribus tradita documenta, sequens quoque utilissimum monitum iisdem proposuit: *Quoniam animarum salus in eo posita est, ut populus fidelis, quæ mala, peccataque sunt, fugiat, & rursum quæ bona, virtutumque officia, pietatis studio consectetur, ideò hæc genera assiduè Concionator urgeat, atque instet. Universa peccata omni increpatione exagitet, cruciatus, tormentaque perennia, & sempiterna damnatorum exaggeret.* Similiter in principio primi Concilij Provincialis iisdem in hæc verba præcipit: *Diligentes, ac vehementes sint in ijs vitijs, & peccatis exagitandis, in quibus magis volutatum populum, aut ad ea procliviorem viderint.* Denique in alio quodam loco, de instructione circa verbum Dei disserens, ita scribit: *In concione, quam habiturus est, illud sibi potissimum proponet, in quo omnes nervos, roburque industriæ suæ adhibeat, & in quo munus suum versari cognoscat, ut auditorum scilicet animos commoveat, cum præsertim peccent homines, non tam quin verum ignorent, quam quod male affecti sint.*

Plurimi damnantur quia ignorant gravitatem peccati.
S. Bernard. t. 2 ser. 10. in Dom. 1. Quadr. a. 3. c. 2.

Major etenim pars hominum, in æternæ perditionis barathrum corruit, ex defectu ignorantiæ, quia scilicet non sunt sufficienter eruditi, ad agnoscendam peccatorum suorum gravitatem. Unde sanctus Bernardinus ait: *De populo, verbo Dei non assueto, ait Propheta: Nescierunt, scilicet, benefacere, & non intellexerunt, scilicet, mala quæ faciebant, in tenebris ambulant, scilicet non discernendo bonum à malo, unde ex ignorantia innumerabiles à populo multiplicantur errores, nam sicut 38. di. c. ignorantia, sacrum Concilium ait: Ignorantia mater est omnium errorum, unde* 1. Corinth. 14. *Qui ignorat ignorabitur. Ignorantia præcipitat populum in innumerabilia peccata, & mala, tam pœnæ, quam culpæ.* Quotidiana tamen experientia compertum est, hanc populorum ignorantiam, peccatorumque multitudinem, non ex defectu procedere prædicatorum, siquidem hi largis Eleëmosynis, ne dicam stipendijs, conducuntur, sed in praxi ut plurimum in majori illorum parte verissimus esse videtur abusus.

Gillib. Abb. serm. 27. in Cant.
Mavult populus audire facetias quam salutifera.
S. Th. de Villa nov. conc. in Sexages.

Sancto Gilliberto Abbate his verbis perstrictus, *Student magis alia, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes,* cujus tamen merito fieri deberet contrarium, quia si populus vanitatem, non verò veritatem diligit, *non est sequendus, sed docendus.* Hanc autem in populo inordinationem sanctus Thomas de Villanova his verbis indicat: *Volunt audire elegantias, facetias, quæstiones subtiles; & vanam rethoricam. O stulti, ardet domus tua, & ignis omnia devastat, & tu expectas compositam orationem?* bene autem dicit: *Ignis omnia devastat*, quia hisce nostris temporibus vel maxime, cœleste illud adimpletur oraculum: *Mundus totus in maligno positus est*, id est, *in malo igne*, prout sacri declarant Interpretes; *Non enim est qui faciat bonum, non est usque ad unum, omnes declinaverunt.*

1. Joan. 5. 19.
Ps. 13. v. 3.
Similitudo ab incendio extinguendo.

Numquid igitur hi, qui ad ministerium prædicationis à Deo sunt deputati; adeo erunt temerarij, ut ad incendium hoc extinguendum elegantium verborum, aut ingeniosorum conceptuum allaturi sint flores & frondes? Quid si domus tua conflagraret, properares ne ad vicinam aromatarij apothecam, ut ipse aquam tibi subministrando rosaceam, vel ex alijs floribus distillatam, ardentem undique flammam extingueres? adeo te stultum futurum fore minime credo, torrentibus enim aquarum, id est, planctu, & compunctione opus est, eaque sola peccatorum detestatione, infernaliumque pœnarum detestatione excitatur. Passim ab omnibus receptus est sequens aphorismus: *Ignis igni remedium est*; atque ideo ad extinguendum humanæ concupiscentiæ ignem, Salvator de alio quodam igne nobis providit, quem in prædicatorum Evangelicorum cordibus jugiter arderi desiderat.

Joan. 14. 26.
Petrus Apostolus movit auditores ad compunctionem.
Act. Apost. 2. v. 37.

6. Christus, post suam in cœlos ascensionem, Apostolis suis Spiritum Sanctum, velut futurum illorum Magistrum assignavit: *Ille vos docebit omnia.* Postquam verò Petrus post hujus divini ignis in terras descensum, primitus prædicasset, tria millia obstinatorum Hebræorum, qui paulo ante clamaverant: *tolle, tolle, crucifige eum*, ad fidem Christi comparavit, at vero scitis, quibusnam dispositionibus prævijs id effecerit? quia nimirum *his autem auditis, compuncti sunt corde*, ubi ponderanda sunt verba illa: *his auditis*, id est, audito themate, quo sanctus Joannes Baptista, nec non & Christus utebantur, dicentes, *pænitentiam agite.*

Chron. S. Fr. p. 3. lib. 7. c. 2
F. Cherubinus ex ordine S. Franc. sua prædicatione salvavit 76000. animarum.

Porro in Chronicis sancti Francisci narratur, quod cum F. Cherubinus de Spoleto cum ingenti populorum applausu prædicaret, magnamque ostentans doctrinam, & elegantiam, exiguum inde fructum referret. B. F. Joannes Bonnisi Lucensis, ejusdem ordinis Religiosus, eumdem exhortatus fuerit, ut mutato stylo dicendi, solum curaret animarum lucrum, & consequenter vitiorum extirpationi insisteret, quod cum ille strenue executus fuisset, tandem in morte ejus anima visa fuit deportari in cœlum, in societate septuaginta sex millium animarum, quæ in virtute prædicationis suæ salvatæ fuerant.

Christus iratus propter peccata mitigatur à virgine matre.
S. Anton. 3. p. hist. tit. 23. c. 5. §. 1.

7. Sanctus Antoninus de novitio quodam, qui magna sanctitate effulserat, refert, quod Salvatorem Judicem viderit iratum, & cum eo ingentem aliorum cœtuum congregatum cœlum. *Aderat omnibus tantus timor, ac tremor, quantus numquam fuit à sæculo auditus. Præcepit Judex, ut bona mundi legerentur, quæ cum pauca inventa fuissent, præcepit, ut legerentur & mala, quæ cum præ nimia multitudine audire fastidiret, subito totum mundum, tamquam pallam unam furiosè eripuit, eumque inferius cum impetu magno projiciens dixit: Cum judicatur exeat condemnatus. Quod cum dictus novitius tremebundus aspiceret, voce magna exclamavit, dicens: Sancta Maria, succurre miseris. Ad cujus vocem protinus pia virgo Maria surrexit, & projectum mundum propria manu non recollegit, & dixit: Sine fili mi mundum, quem proprio sanguine redemisti, adhuc judicare, quia jam misit prædicatores meos, ut mundum ad te revocarent;* Hos autem prædicatores, ut manibus Dei divinæ iræ fulmina eriperent, noluit illos ingeniosis operam dare conceptibus, nec compositis eleganter doctrinis, memoriter pronunciatis, sed potius studere extirpandis vitijs, & profligandis peccatis, fidelibusque horum ostendere gravitatem & insupportabile pondus, de quo in progressu totius tomi præsentis fusius tractabitur.

Dion. Carth. opusc. de enorm. pecc. art. 2.

Dionysius Carthusianus opusculum quoddam composuit, cujus articulus secundus hoc titulo prænotatur: *Quod tota moralis*

ralis Sacræ Scripturæ doctrina, ad peccati devitationem quodammodo ordinatur; nunc autem articulum ab hisce verbis exorditur: In prima sua epistola ait Joannes Apostolus: *Hæc scribo vobis ut non peccatis.* Isaias quoque dicit: *iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Itaque constat, quod puritas, seu immunitas à peccato, sit omnium documentorum scripturæ quodammodo finis.

1. Joan. 2. 1.
Isaia 27. 9.
Modus prædicandi S. Philippi Nerij.
Dion. Carth. ibid. art. 2.

8. S. Philippus Nerius (sub cujus sanctissimo instituto indignus ego milito) hic Romæ, in Ecclesia nostra, quotidianam divini verbi instituit prædicationem, per quatuor semi-horarios discursus, quorum unus alterum immediate subsequitur, continuatam, atque solum & pure ad fructum & salutem animarum ordinatam, hujus autem quotidianæ functionis ratio, ab eodem Carthusiano his verbis deducitur: *Quoniam proni sumus ad malum, ac fragiles vehementer, imo & tardi ad bona, defectuosique nimis, juxta illud Geneseos: Sensus, & cogitatio cordis humani proni sunt ad malum, ab adolescentiâ suâ, hinc quotidianâ, frequenti ac mutuâ exhortatione ad vitandum peccata non mediocriter indigemus, ne per surreptionem, oblivionem, inadvertentiam, aut alio modo incidamus peccatum; propter quod ad Hebræos scribit Apostolus: Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Gravitas peccati, ex vilitate hominis, Deum infinitæ Majestatis contumeliantis consideratur.

THEMA.

Quid superbit terra, & cinis, Eccli. 10. v. 9.

Homo, qui est terra & cinis se opponit Deo.
Eccli. 10. v. 9 & 14.
Gloss. ibid.

1. Quod Lucifer in Cœlo à Creatore suo apostatàverit, temera quidem fuit, sed non adeò mirandum, siquidem pulcherrimus totius paradisi Angelus erat, in cujus sinum Deus opulentissimos, donorum & gratiarum suarum, effuderat thesauros; at verò quâ fronte homo, qui nihil est aliud, quam quidem ex luto, & cinere coagmentatus pugillus, vel vilis terræ hujus, quæ pedibus calcatur; vermiculus, in offensam, & opprobrium Dei infinitæ Majestatis, & dignitatis, erigere se audebit? *Quid superbit terra & cinis? Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo; Non est*, inquit Glossa, *major apostasia, quam creaturam à Creatore recedere, quo merito adscribitur superbiæ; superbia enim est, si creatura velit æquari Creatori. Hæc & diabolo; & homini, fuit initium perditionis.*

Isai. 14. v. 14
Job. 25. v. 6.
Isa. 45. v. 9.
Gloss. Interl.
Procop. in Gloss.
Ibid. v. 12.

Porrò quod tam sublimis naturæ Angelus, Deo se æquiparare præsumpserit, dicendo: *Similis ero Altissimo*, ingens profectò erit superbia; at verò quod homo, de quo Spiritus Sanctus attestatur, quod sit *putredo ... & vermis*, mediante peccato, Deum infinitæ Majestatis, suumque simul Creatorem injuriari, contemnere, & conculcare præsumat, tanta est arrogantia, & temeritas, ut nulla detestabilior excogitari possit, & tamen quotidie hæc temeritas committitur, licet non consideretur. Similis quædam præsumptio apud Isaiam his verbis execratur: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ, numquid dicet lutum figulo suo: quid facis?* Glossa Interlinearis pro majoris textus hujus intelligentia, inquit: *Fictilibus Samos civitas est, ubi figulorum ars reperta est*; Vult igitur Propheta dicere: Ergone in manibus figuli, quædam reperietur pars luti, quæ ipsum interrogare ausit, quidnam de ipso facere statuerit? Nos omnes lutum sumus, dicente Procopio: *Sumus luti instar, qui de terra fingimur, si ad omnium opificem figulum respiciamus.* Idem Propheta, paulo post, supremum hunc artificem introducit dicentem: *Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego; manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi*;

Homo ex vili luto formatus est.
Dion. Carth. opusc. de enorm. pecc. art. XI.
Prov. 21. v. 4.

quod si igitur pugillus luti, nequaquam ab artifice quærere debet, in quodnam opus se applicare intendat, quid de homine, qui originem, & nomen suum ab humo habet, dicemus, qui non solum legis voluntati Creatoris sui se opponit, verum insuper per mortales offensas, quotidie se contra eum erigit? *Quid superbit terra?* Dionysius Carthusianus in opusculo de enormitate peccati ita scribit: *Ecce nos pulvis & cinis, nos putredo, & vermis, qui velut flos egredimur, & conterimur, qui fugimus tamquam umbra, & numquam in eodem statu permanemus, contra Regem Regum, contra Principem universorum, contra Creatorem mundi, tam enormiter peccamus?* Sciendum porro est, quod ubi vulgata nostra legit: *Lucerna impiorum peccatum*, Author catenæ Græcæ ad propositum nostrum ita vertat: *Superbus in irroganda injuria temerarius, & audax est, impiorum autem Lucerna est peccatum.*

Hominis summa temeritas.
Job. 15. v. 25.
Phil. 3. v. 8.

Enimvero nimis enormis est temeritas, & impudentia, quod vilissimus vermis, adversus Regem gloriæ, coramque sublimissimæ cœli potestates contremiscunt, sese erigere præsumat. Quod si enim Mediastinus quidam, seu infimus stabularius, Regi suo, cum solemni omnium regni sui Principum, & Baronum comitatu, Regno Metropolin pertranseunti, per injuriam & ludibrium fœtidum in faciem stercus projiceret, nonne insolentiam istam non una, sed mille mortibus merito castigandam esse diceres? Quid autem est homo, si cum Deo comparetur, præterquam vilissimum quoddam mancipium? quod peccando, *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingue cervice armatus est*; Stercus in vultum ejus projicit, quin rebus caducis & terrenis eum postponit, ejusque legem conculcat: stercus inquam, juxta illud Apostoli: *Omnia arbitror ut stercora.*

Modus fructuosè meditandi gravitatem peccati.
Blos. instr. vit. ascet. medit. 1. divis. 4.
Dion. Carth.

2. Religiosissimus Ludovicus Blosius modum insinuat, quo gravitatem peccati, cum fructu meditari valeamus, nimirum si vilitatem nostram cum objecto dignissimo & Divinissimo, quod offendimus, conferamus: *Exaggera*, inquit, *& aggrava ipsa peccata, quibus tu despicabilis, & abjectus homuncio, creatorem cœli & terræ, Dominumque summæ Majestatis inhonorasti, & contempsisti, eique infinitam irrogasti contumeliam, & Christum iterum quodammodo crucifixisti* Dionysius Carthusianus hanc considerationem proponit sequentibus verbis: *Ex hac nostræ vilitatis consideratione, etiam nosipsos nostros in Deum excessus debemus vehementer exaggerare, aggravare, detestari, atque deflere, item & nos ipsos aspernari, reprobare, & castigare debemus, eo quod nos pauperrimæ, miserrimæ, ac vilissimæ creaturæ, mox moriturae, imo quotidie morientes, Dominum Deum nostrum, Deum supersublimem, & infinitum, Deum omnipotentem, supergloriosissimum, superessentialem, toties, & tam graviter inhonoravimus, offendimus, sprevimus, & quotidie offendere non cessamus.*

Per peccatum Deum contemnimus.
Gen. 4. v. 9.
S. Iren. lib. 3. adv. Hæres. c. 36.
Dion. Carth. ibid.

Hunc impij erga Deum inexcusabilem contemptum, primus reprobus, Cain inquam post commissum immane fratricidium, luculenter prodidit, siquidem deposito omni Divinæ Majestati debito respectu, arroganter respondit: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Unde sanctus Irenæus ait: *Extendens & multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem, multo pejus sic audacter, & irreverenter respondere omnia scienti Deo, quasi posset frustrari eum. Propter hoc & ipse maledictionem reportavit, quoniam ad se peccatum attulit, non reveritus Deum.* Hanc vilitatis nostræ in offendendo infinitæ Majestatis Deo & supremo legislatore, arrogantiam, Dionysius Carthusianus his verbis inculcat: *Peccati enormitas potest attendi ex nostra inferioritate, quo enim quis subditus, Legislatore ac præceptore, minor, ac inferior est, eo debet esse humilior, atque subjectior; Unde graviter videtur esse contemptus, si Legislatori, vel superiori rebellis sit.* Quidnam obsecro est homo, in comparatione Dei, vel creatura, in conspectu sui Creatoris posita, ut non solum se divinæ voluntati opponere, verum etiam eamdem contumeliari, & moraliter offendere præsumat? *In ordine intellectualium substantiarum homo ultimum locum sortitur*, inquit Dionysius Carthusianus: *Nonne ergo Legislator ille Deus, Sanctus, adorandus, immensus, indignari plurimum potest, dum videt nos viles vermiculos, lutea vasa portantes, vanitati ac cineri comparatos, infinitis vitijs in anima & corpore plenos, suis non obedire mandatis, suam majestatem inhonorantes, suorum beneficiorum non recordantes, omni hora ipsum incessabiliter offendentes, suam quoque præsentiam non curantes.*

Gravitas peccati eò major est quod fiat in conspectu Dei.

3. Ubi specialiter ponderanda sunt ultima illa verba: *Suam quoque præsentiam non curantes.* Magna etenim est differentia, inter vilissimum servum, qui mandatum Domini sui, ex ejus parte, è longinquo sibi intimatum, transgreditur, & alium similem, qui mandatum Domini sui, in ejus præsentia, & in conspectu totius curiæ suæ actualiter contemnit, huicque transgressioni verba injuriosa, & lethifera verbera adjungit. Sine dubio enim, incomparabiliter

comparabiliter major Principi irrogatur injuria, quando lex ejus in ipsius conspectu conculcatur, & contemptibiliter violatur. Postquam Mathathias non obstantibus Antiochi tyranni comminationibus, se erga cultum divinum zelosum, & fidelem mansurum esse declarasset, atque ad idipsum faciendum cæteros animasse Judæos, inquit sacer textus: *Ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, ... Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram.* Quisquis porrò nostrum divinam prævaricatur legem, idipsum facit in præsentia, & in contemptum infinitæ illius Majestatis, quæ adoratur in cœlis, & in inferno pariter timetur; ac proinde sine dubio, contra illos omnes creaturæ sese armaturæ essent, in justam vindictam, nisi eamdem divina misericordia reprimeret. Et verò, dic sodes, ubinam Deus ab homine per omnia peccata sua offenditur, quærit Dionysius Carthusianus? *In medio universi, videlicet in terra hac, inter regnum cœleste, & chaos tartareum positi sumus.* Sanctus Apostolus quoque ait: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*; & ideo omnipotentem & infinitam illam majestatem, in conspectu, in oculis omnium Angelorum, tam bonorum, quam malorum (quorum tertia pars propter unicum dumtaxat superbiæ peccatum præceps acta est in infernum) injuria afficimus. Idem Carthusianus ait: *Nonne Judeæ terrenus, homo mortalis, reputaret grandem sibi injuriam, contumeliamque inferri, si quis subditorum ipsorum in ipsius præsentia & aspectu contemneret, nos autem in conspectu ejus, qui vere ubique præsens, immo præsentissimus est, universaque implet, dijudicat, ponderat, peccare non formidamus.*

1. Machab. 2. v. 23. — *Ibid. v. 24.* — *Dion. Carth. ib. in proœm.* — *1. Cor. 4. 9.* — *Dion. Carth. ibid. art. 10.*

Peccatum est contra infinitum bonum. *S. Thom. 1. 2. q. 73. ar. 9.*

4. Verum enimverò, ut ingentem peccati gravitatem magis è propinquo ponderemus, necessariò notanda est sequens Doctoris Angelici conclusio, dicentis: *Cum persona, in quam peccatur, sit quoddammodo ut objectum in peccato, necessum est aggravari peccatum, secundùm dignitatem personæ, in quam peccatur.* Pro hujus autem veritatis explicatione idem S. Doctor subjungit: *Dictum est, quod prima gravitas peccati attenditur ex parte objecti, ex quo quidem tanto attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum ejus est principalior finis; fines autem principales humanorum actuum sunt, Deus ipse, homo, & proximus, quidquid enim facimus, propter aliquid horum facimus, quamvis etiam horum trium, unum sub altero ordinetur.* Dionysius Carthusianus pro meliori nostra intelligentia, hanc assignat regulam inquiens: *Quamvis quædam peccata esse dicantur in Deum, quædam in proximum, quædam in seipsum, nihilominus peccatum in Deum est, qui omne peccatum detestatur, prohibet, punit; Lege quippe divina aut prohibetur, aut dissuadetur peccatum.* Regius Psaltes, licet à Spiritu Sancto dicatur *sedens in cathedra Sapientissimus*, tamen inquit: *Delicta quis intelligit?* Ubi sanctus Ambrosius legit: *Quis intelliget?* Quasi Psalmista diceret, nullus umquam invenietur, sive in cœlo, inter magis scientificos Cherubinos, sive in terris inter doctissimos Theologos, qui unius peccati gravitatem comprehendere queat, hæc enim intelligentia, à perfecta omnipotentiæ, bonitatis, Majestatis, & excellentiæ divinæ, quæ à vilissima creatura, qualis homo est, offenditur, comprehensione dependet. Unde sanctus Bonaventura peccatum in pondere sanctuarij trutinans, illud tanti ponderis esse dixit, quantum ponderandus est ipse Deus: *Offensa Dei, inquit, tantum ponderanda, quantus est ipse.* Quisnam vero dignitatem, bonitatem & infinitatem objecti alicujus, ipsis quoque scintillantibus Seraphinis incomprehensibilis, comprehendere præsumat? Salvator noster, qui in statera crucis suæ (*statera facta corporis*) peccati gravitatem ponderaturus erat, illius gravitatem, in parabola illa apud sanctum Matthæum cap. 18. descripta, nostræ se capacitati adaptans, quadantenus hisce verbis insinuat: *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem mille talenta*; Ubi sanctus Augustinus ait: *Ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata significat.* Cornelius à Lapide hanc summam justo calculo censens, eamdem ad centum viginti milliones scutorum ascendere dicit, quæ summa quamdam in se infinitatem habet; ac proinde per debitum illud, Salvator noster immensam, & imperceptibilem peccati gravitatem exprimere voluit. P. Sylveira nostri temporis celeberrimus scriptor atque Religionis Carmelitanæ eximium decus, & splendor, inquit: *Unum peccatum mortale, cum sit contra Deum commissum, Deoque injuriosum, immo quantum in suo affectu, Deum est spolians suâ divinitate, longe major est incuria Dei, quam sit omnis injuria in universos Reges perpetrata. Sicut enim Deus infinitè superat omnes homines, sic injuria in Deum, infinitè superat injurias in omnes homines.* Confirmat idipsum Dionysius Carthusianus, inquiens: *Quanto is in quem peccatur, majoris est dignitatis, sublimioris authoritatis, eminentioris Majestatis, tanto peccatum reputatur enormius. Cum Deus (contra cujus legem, & contra quem omne peccatum mortale committitur) sit prorsus infinitæ Majestatis, incomparabilis dignitatis, superaltissimæ Authoritatis, certissime innotescit, quod peccatum ex hac parte sit quodammodo infinitæ enormitatis, atque incomparabiliter gravius omni offensâ in puram creaturam.*

Dion. Carth. ibid. art. 11. — *2. Reg. 23. 8.* — *Ps. 18. v. 13.* — *S. Ambr. ibid.* — Gravitas peccati à creatura est incomprehensibilis. — *S. Bonav. t. 6 breviloq. p. 5. c. 3.* — Christus exprimit gravitatem peccati per 10000. talenta. — *Matth. 18. v. 24.* — *S. August. in cat. D. Thomæ.* — *Sylveira ibid.* — *Dion. Carth. ibid. art. 6.*

5. Abulensis ad idem propositum, sequentem tradit doctrinam, inquiens: *Quodcumque peccatum, est quoddam inquinamentum, & est contra Deum, & meretur homo mortem, per quodlibet peccatum, cum sit quodlibet peccatum quodammodo injuria infinita, saltem ex eo, contra quem delinquitur.* Prædicti verò Doctores, ut existimo, à S. Thoma Aquinate hanc didicerunt veritatem, qui de satisfactione Redemptoris nostri disserens, inquit: *Quia peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet, ex infinitate divinæ Majestatis, tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur, unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, ut puta Dei, & hominis existens.* Sanctus Bernardinus eamdem quoque sustinet opinionem, scilicet quod malitia peccati aliquam infiniti rationem in se contineat, dicit enim: *Mortalis culpa est infinitæ malitiæ, ratione offensionis, quanto enim major est, contra quem perpetratur culpa, tanto culpa gravior reputatur, nam dare alapam militi, gravius est, quam dare illam rustico, & multo gravius est illam dare Principi sive Regi, nunc autem mortalis culpa, offendit infinitum Deum.* Idem Sanctus in progressu ejusdem sermonis subjungit: *Si quis peccaret in aliquem æqualem sibi, procul dubio aliquantulum peccaret in eum; & si idem vel simile peccatum committeret in majorem, magis, & quanto majorem, tanto magis; v.g. si in Sacerdotem, peccat magis, quam si in æqualem; & iterum si in Archidiaconum gravius, & similiter in Archi-Episcopum gravius; Quare patet, quia quanto in majorem peccat, tanto magis peccatur; quare si in infinitum majorem, in infinitum magis. Quia ergo Deus infinitus est, quocumque alio ideo in infinitum magis peccatur in Deum, quam in hominem, eodem genere culpæ, si conspuitur homo, & conspuatur Deus, vel percutitur homo, & Deus, vel si contemnitur Deus, & homo, in infinitum majus peccatum est, offensa Dei, vel contemptus, quam hominis, ut patet extra de hæred. cap. Vergentis; longè gravius est æternam, quàm temporalem lædere Majestatem.* Dionysius Carthusianus objecti, quod in peccato offenditur, sublimitatem his verbis repræsentat: *Ipse est, cui teste Scripturâ, exercitus cæli cum reverentiali timore assistit, cujus iræ nemo resistere potest, sub quo curvantur, qui portant orbem, ad cujus nutum, columnæ cæli contremiscunt, & pavent. Ecce enim cælum, & cæli cælorum, abyssus, universa terra, & omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur, & tamen insensatum cor hominis, non formidat, & ejus offensam non metuit, qui nullum peccatum relinquit impunitum.* Idem Carthusianus in alio quodam articulo sequentem considerat aggravantem circumstantiam, inquiens: *Auget gravitatem peccati, accumulatque contemptum mentis nostræ in Deum, quod in conspectu & præsentiâ Creatoris, Salvatoris, atque Judicis nostri peccare audemus.*

Abulen. t. 2. exo. c. 29 q. 57 fol. 77. — Quodlibet peccatum meretur mortem. — *S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. ad secundum.* — Peccatum in se continet aliquam rationem infiniti. — *S. Bern t. 2. ser. 12. art. 1. c. 1.* — *S. Bernard. ibid. art. 2. c. 3.* — *Dion. Carth. ibid. art. 6.* — *Dion. Carth. ibid. art. 6.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

De enormitate peccati, ob aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam.

THEMA.

Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, Jerem. 2. ÿ. 12.

Peccator spreto Deo adhæret creaturæ.

1. DEus hisce verbis: *Obstupescite cæli, &c.* Maximæ admirationis exprimit affectus, cum ingentem

ingentem

ingentem considerat contumeliam, à populo suo per hoc irrogatam, quod illum, tametsi fons sit aquæ vivæ, turpiter à se rejecerit, potiusque hauriendi causâ, ad verminosas, & pestiferas se contulerit cisternas & lacunas: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Dionysius Carthusianus inter alias peccati deordinationes, hanc quoque ex Sancto Augustino his verbis expendit: *Peccatum secundùm Augustinum, est spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere*; quod idem est, ac si diceret: Peccatum est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. *Duo enim considerantur in peccato; unum quasi formale, videlicet aversio mentis à summo, & incommutabili bono, & hoc est in peccato principale; aliud quasi materia, puta conversio mentis, ad bonum creatum, variabile, & caducum.*

D. Cart. de enorm. pecc. art. 4.

2. Sanctus Carolus Borromæus injuriam, quâ Deum per peccatum afficimus, commisso sibi populo firmiter imprimere volens, in libro, qui *memoriale*, intitulatur, in hæc verba scribit: O quanto cum jure Deus de nobis, illis Ezechielis Prophetæ verbis lamentatur: *Violabant me, ob fragmentum panis, & pugillum hordei.* O quam merito nostram in hoc commissam stultitiam admirantur, & obstupescunt omnes creaturæ, utpote à Deo ad hoc, per os Jeremiæ Prophetæ his verbis invitatæ: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, &c.* O quam inæqualis, nobisque erubescenda, Deo autem injuriosa est hæc commutatio, quâ Deum toties vendimus, quemadmodum olim ipsum Judas vendidit, pro vili 30. denariorum pretio, illumque cum turba Judæorum, Barabbæ homicidæ, & latroni postponimus. Hactenus Sanctus Carolus. Idem punctum Sanctus Petrus in concione illa, quam post receptum Spiritum Sanctum, ad Hebræos habuit, his verbis tangit: *Petistis virum homicidam donari vobis, Authorem verò vitæ interfecistis.* Dionysius Carthusianus in articulo sequenti, qui quintus est opusculi *de enormitate peccati*, ut nos, qui propter bona terrena, & caduca, Deum abjicimus ob hanc Deo irrogatam contumeliam, penitus confundat, sequentes nobis ponderandas offert nobiles considerationes, inquiens: *Profunde, ac sapienter considera, & respice, quam vanæ, perversæ, fœdæ, viles, atque stultissimæ sint mentes eorum, qui vitijs gulæ, & luxuriæ vacant; quoniam alimenta ista carnalia, carnemque mox morituram, fœtentem, & sordibus intus repletam, supermundissimæ Divinitati, & superinfinitæ bonitati Creatoris sui præferunt, prædiligunt, præhonorant*; idque mox in omnibus alijs vitijs, scilicet ambitionis, avaritiæ, & similibus pulchrè exemplificat. Doctor Seraphicus ait: *Contemnendo Dei præceptum, & avertendo nos à bono incommutabili, offendimus Deum.* Dionysius Carthusianus Authoritatem adducit Areopagitæ, inquiens: *Sicut in libro de divinis nominibus cap. 4. Egregius ille Theologorum Princeps D. Dionysius edocet, Dei natura est bonitas, haud dubium, quin pura, perfecta, & infinita; Deus supervoluptuosissimus, & æternus est, summum, superexaltatum; & incomparabile bonum, in quo est universorum bonorum, omniumque pulchrorum, ac desiderabilium incircumscriptibilis plenitudo, incomprehensibilis, & superessentialis perfectio, à cujus bonitate, amabilitate, ac desiderabilitate in infinitum prorsus deficiunt omnium rerum creatarum boninitates, diligibilitates, & appetibilitates, cum talis ac tanta sit bonitas Dei, nonne irrationabilissimum, atque infamissimum prorsus est stultitiæ signum, aliquam bonitatem, seu rem creatam, variabilem, & caducam ei præferre, hanc plus amando, quærendo, optando, honorando, quam illam, quæ est omnis boni idea, exemplar, & ratio? Itaque ex hac parte peccati enormitas magna profecto est, & pœna ineffabilis, & ipse peccator inexplicabilem inhonorationem, atque injuriam infert superno bono, superamabili Deo, cujus bonitatem in tantum parvi pendit, spernit, & abjicit, ut præferat ei bona ista terrena, caduca, mundana, vanissima.*

Act. Eccl. med. car. 1124. — Pro nihilo offenditur Deus. — *D. Carth. ib. cap. 5.* — Stultitia peccatoris. — *S. Bonav. t. 6. breviloquij p. 5. c. 3.* — *D. Carth. ib.* — Consideratur Deus ut infinita excellentia.

3. Hanc aversionem, sacri Doctores gravitatem quamdam infinitam in se continere asserunt; siquidem Doctor Angelicus lib. 4. Sententiarum ita scribit: *Sicut offensa habuit quamdam infinitatem, ex infinitate divinæ Majestatis, ita & satisfactio accipit quamdam infinitatem, ex infinitate divinæ misericordiæ &c.* Et paulo post subdit: *Quidam dicunt, quod habet infinitatem ex parte aversionis.* Est enim in infinitum aggravans injuriam, divinam conculcare legem, temerare Dei honorem, offendere eum mortaliter, eumque vilissimo lucro, & turpi, momentaneæ, & bestiali voluptati postponere: *Violabant me ... propter fragmen panis, & pugillum hordei.* Carthusianus citans illa verba Psalmistæ: *In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est*, inquit: *In ipso omne bonum copiosissimè invenis, si potestatem consideras, Omnipotens est, si patientiam quæris, sapientiæ ejus non est numerus; si pulchritudinem amas, pulchritudinis nullus est finis; si delicias cupis, delectationes in dextera ejus usque in finem; si honorem, laudem, gloriam affectas, ipse glorificantes se glorificat in æternum; denique diligentes se diligit, timentes se exaudit, sperantes in se salvat.*

S. Thom. in 4. sent. dist. 15. q. 1. a. 2. ad primum. — Deus explet omne desiderium. — *Ezech. 13. 19.* — *D. Carth. ib.*

4. Necessum quoque est considerare, à quonam objecto peccator se avertat, hoc enim bonum est infinitum, & huic peccator terga vertit, illudque contemnit. Audiamus S. Bernardum dicentem: *Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest, cujus beneficio sunt quæ sunt.* Et in progressu ejusdem libri iterato interrogat: *Quid est Deus?* Respondetque: *Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Ecce tibi inexhaustorum & infinitorum bonorum thesaurum, quem divinarum legum prævaricator turpiter rejicit; ecce tibi charissimè expressum verborum illorum sensum: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Abulensis ait: *Malum dicitur per deviationem à bono; quanto ergo magis deviatur à bono, majus malum est.* Enimvero is qui peccat non unum dumtaxat, sed mille infernos promeretur, utpote qui illum rejicit Deum, in quo omnia vera bona continentur; idque non alio fine, quam ut in putridis bonorum caducorum, & terrenorum aquis naufragetur; tritissima est illa S. Augustini sententia: *Creasti nos Domine ad te*, quasi diceret, animarum nostrarum centrum, est summum bonum, Deus videlicet, qui ultimus, & unicus finis noster est, à quo solum peccatum nos seducit & divertit, unde Dion. Carthusianus ait: *Secundùm D. Dionysium, peccatum est recessus ab ordine, id est, à convenienti, & debita habitudine, qua mens creata suo Creatori adhærere debet ac subjici, id namque rectus exigit ordo, ut inferius suo superiori subdatur, ut effectus ad suam causam convertatur, ut creatura intellectualis suo creatori, ut beatificanti principio, innitatur, hoc totum peccato subvertitur, quia per ipsum mens creata, suo conditori rebellis est, eique quasi dorsum in faciem vertit.* Et vero cum Deus ultimus hominis sit finis, utpote qui hominem eo præcipue fine creavit, ut eum in cœlis, per omnem æternitatem, beatificæ visionis suæ faciat esse participem, quemque propterea in oratione Dominica hoc modo orare docuit: *Adveniat regnum tuum*, peccatum hanc in se malitiam continet, quod Deo jus illud, & titulum, quem habet beatificandi animam nostram aufert, (*creasti nos Domine ad te*) efficitque, ut homo voluntarie inimico suo cedat in prædam, idque in ignominiam redemptionis, quam Salvator & Redemptor ipsius, in monte Calvariæ est operatus, & quidem, quod vel maxime detestabile est, efficit, ut homo Deum deserat, ex vilissimæ alicujus creaturæ amore, Deum relinquit, pro pugillo luti, pro illecebroso aliquo objecto; *Hostis enim offert pomum, & surripit Paradisum, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.*

S. Bern. 5. lib. de consider. c. 7. — *Ibid c. 11.* Deus est omne bonum. — *Abul. in c. 48. Gen. pag. 399. col. 1.* — Deus est ultimus finis noster à quo peccatum nos divertit. — *D. Carth. ibi art. 4.*

5. Hæc quoque in peccatore insuper consideranda est temeritas, de qua Deus apud Isaiam his verbis lamentatur: *Veruntamen me servire fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Homo enim indignus, vilissimus ille terræ vermiculus, infinitam illam Majestatem, *quam adorant Dominationes, tremunt Potestates*, licentiosis, & turpibus appetitibus suis servire facit. Unde sacer quidam interpres prædicti lamenti, sensum hoc modo declarat: *Quia Deus sustentat homines, eorumque ad agendum facultates, vires etiam naturales suggerit, & auxilia, quibus interea, dum peccant, abutuntur, ac proinde Deus efficit, quidquid efficit veram rationem entis in peccato, quod probe à Theologo materiale peccati dici solet, eatenus à Deo hæc querimonia adhiberi potuit: Servire me fecisti in peccatis tuis, quasi Deus non sponte sua cooperetur cum homine cum peccat,*

Isa 43. v. 24. — Peccator facit Deum servire suis turpibus appetitibus.

 sed

sed quia illi vult conservare liberum arbitrium innatum, inde fit consequens, ut peccare permittat, & quodammodo illi peccanti serviat.

S. Aug. T. 4. lib de decem chord. c. 10.
Excusatio peccatoris rejicitur.

6. Porro in utilissima hac materia, quædam à multis impijs addoci solet excusatio, quam S. Augustinus his verbis tangit pariter, & confutat: *Quomodo*, inquit, *injuriam facio ipsi Deo? Corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, non sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne esse in te contumeliam factam attendit? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te, per fornicationes, non attendis cujus imaginem violasti?* Porro peccatum communiter ita definitur: *Peccatum est transgressio legis divinæ*; ex qua definitione sequitur, quod sive immediate offendas Deum, sive proximum, sive temetipsum, semper interveniat divinæ legis transgressio, & quædam hominis contra voluntatem Dei oppositio, ac proinde in quocumque actu peccaminoso, ipsummet offendis Deum, creaturæ illum postponendo. Gerson disputans quandonam delectatio eo pertingat, ut sit peccatum, ad nostram eruditionem ita scribit: *Deliberate facere non potest, quin leges, & regulas divinas, & æternas, quibus innititur, consuluerit, vel consulere omiserit, & neglexerit, & sic vere, vel interpretative contempserit.* Contemptus autem tanto est major, & quovis rigoroso supplicio dignior, quanto major est legislator, quantoque magis is nostram meretur obedientiam, nec non quanto convenientior, rationabilior, & sanctior est lex, quæ præscribitur; *Lex Domini est immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans. Quanto præceptor, ac legifer fuerit major, atque sublimior*, inquit Dionysius Carthusianus, *tanto enormius judicatur ejus jussionibus non obedire, ejus mandata negligere. Grave, ac nimis iniquum est, patri carnali, mortali, & peccatori non obedire, non acquiescere, non deferre honorem; nonne igitur impijssimum est, patri spirituum, creatori æterno, sancto, omnipotenti, immortalique Deo non obedire, acquiescere, & deferre? Ipse equidem est ille magnus Dominus, & laudabilis nimis, cujus magnitudinis (id est perfectionis, dignitatis, & gloriæ) non est finis.* Egregius quidem Author pie & ingeniose inquit: *Si Regem absque purpura, & solio, è plebe unum, sine Majestatis præcone percutias, veniam de te impetrat ignorantia, nec majestas conqueri potest, quæ se expoliat illibus cum dilituit.* In hoc tamen casu peccator minime est constitutus, quia conscientia illum ab hac ignorantia non tuetur, quia *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & ideo lumen naturæ nos docet, omnem legis transgressionem, verum esse reatum, veram malitiam, veramque offensam.

Peccatum omne est transgressio divinæ legis.
Gerson t. 2. pag. 206.
Ps. 18. v. 8.
D. Carth. ib. art. 6.
Lumine naturæ agnoscitur malitia peccati.
Ps. 4. v. 7.

Salvian. lib. 4. relatus à Magir. pag. 1846. n. 16.
Peccator dicens peccando se nolle Deum offendere refutatur.

7. Advertenda hoc loco est insignis quædam à Salviano contra avaros his verbis tradita doctrina: *Sed dicet aliquis, non se hoc animo ista facere, quo aut contemnat Deum, aut vilem putet, sed quo vel amet eos, quos hæredes instituit, vel honorat. Acquiescamus hoc ita esse. Sed omnibus ferme etiam alijs flagitiosissimis, & criminosissimis reis excusatio ita suppetit, nam dicere & fornicatoribus licet, non se hoc animo fornicari, ut Deum spernant, sed quia calore corporis, atque infirmitate vincatur. Et homicidæ id affirmare possunt, non se contemptu Dei humanum sanguinem fundere, vel odio enim se, vel cupiditate tantum scelera præstare. Sed quid prodest malis hæc excusatio, cum scilicet nihil intersit, qua se quispiam dicat peccare causâ, cum sit omne peccatum Divinitatis injuria.* S. Augustinus testimonium adducens Apostoli, qui nos templa Dei esse dicit, in hæc verba scribit: *Hoc jussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus quod esse cœpisti. Numquid hoc ego dico? Apostolum audite. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Videtis, quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei?* Melius idipsum intelligemus, si Abulensem de Achan differentem, in hæc verba audierimus scribentem: *Dicendum, quod furtum fuit parvum, sed peccatum fuit magnum, & pro magno peccato, juste secuta fuit magna indignatio. Erat peccatum valde grave, quia Deus valde vetuerat, accipi aliquid de anathemate Jericho, cum autem Achan accepisset regulam auream, contemnebat Deum vetantem, ideo erat grave peccatum, non enim judicatur gravitas peccati secundum quantitatem rei, in quâ delinquatur, sed juxta conditionem ejus, in quo peccatur.*

S. Aug. ibid.
Abul. in Jos. 7. v. 57.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

De injuriâ, quæ Deo fonti omnis boni irrogatur, dum à nobis, ad satisfaciendum appetitibus nostris, turpiter rejicitur.

THEMA.

Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, Jerem. 2. vers. 12.

S. Bern. ser. 8. de pass.
Deus est fons vitæ.

1. Ad refrænandum nos à peccato, seriâ reflexione digna est nobilis illa S. Bernardi sententia dicentis: *Quid est quod omnes homines ad peccandum instigat, nisi ignorantia boni, quod perditur, & mali, quod peccando incurritur?* Nam, ut in progressu discursuum sequentium diffusè suo loco videbimus, nullus adeo futurus esset temerarius, nec tantus proprij boni inimicus, ut Deum offendere auderet, si bonum infinitum quod perdit, nec non infinitæ sanctitatis objectum, contra quod armatur, intimè cognosceret. Porrò Dei Filius incarnatus mulieri Samaritanæ dixit: *Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Circa quæ verba Glossa notat, magnam esse differentiam, inter aquam elementarem, & mysticam hanc Christi aquam; *Aqua enim corporalis deorsum fluit, spiritualis sursum salit, & secum eos, qui eam bibunt, in æternam gloriam subvehit.* Rupertus Abbas similiter de hac aquâ inquit: *A quocumque bibita fuerit ad matricem suam æternæ divinitatis resilit.* Hæc enim aqua de cœlo descendens, animam ad Paradisi portum navigare facit, nam ut Hugo Cardinalis ait: *Gratia quæ desursum datur, sursum ascendit, & ascendere facit, quia per gratiam venis ad gloriam.* Ecce tibi fontem vivum, quem infelix peccator voluntariè deserit, & amittit, unde Deus merito cœlos ad obstupescendum invitat, inquiens: *Obstupescite cœli super hoc*; ubi S. Hieronymus ait: *Cœlum, cui dictum est: Attende cœlum, & loquar; & iterum: Audi cœlum & auribus percipe terra, videns Dei præcepta calcata, inhorrescit, & stuporem dissimulare non potest, omnis creatura ingemiscit, & condolet super peccatis hominum.* Scientes enim cœli quanta sit in seipso, pro homine fabricato, eidemque promisso, divitiarum abundantia, pulchritudo, amœnitas amplitudo, & inexhaustum gaudium, dummodo homo divinam legem observet, hinc vehementer admiratur, quod pro bonis caducis, & fragilibus, pro nido formicarum, cœlum pro terrâ, Paradisum pro inferno commutet, De impijs Scriptura ait (id quod suo loco probabitur) *contritio; & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum; Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*; non vero ita se res habet, quoad irreprehensibiles justorum animas; Quia *timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos, judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum; etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Porrò impulsus, qui tot animas in peccati barathrum præcipites agit, est esca divitiarum, voluptatum, lucrorumque temporalium, ac proinde fodiunt sibi cisternas, sed eheu miserè decipiuntur, siquidem omnia bona, omnis lætitia, omne gaudium, omnis quies, omnis retributio, unico verbo, quidquid boni in hac, & in æterna vita desiderari potest, in adimpletione divinæ legis includitur, prout David per experientiam didicit, & his verbis testatur: *Desiderabilia super aurum, dulciora super mel* &c. & tamen reperiuntur animæ adeo stolidæ, adeoque propriæ salutis oblitæ, ut ipsummet omnis consolationis Deum lamentari faciant, & dicere: *Me dereliquerunt fontem &c.* S. Augustinus proinde magnâ cum acrimoniâ quemdam reprehendit, qui peccaminoso appetitui suo fræna laxaverat, eique in hæc verba improperat: *Ecce peccasti, & lucrum fecisti. Quid est quod fecisti lucrum? Ut lucrum faceres; Deum offendisti. Ut augeres pecuniam; fides diminuta est, & aurum crescit. Quid perdidisti? & quid acquisivisti? Quod acquisivisti, aurum vocatur, quod perdidisti; fides vocatur, seu potius Deus vocatur. Compara fidem, vel Deum auro. Lucra tua cogitas, damna tua non cogitas?* Comparet peccator verba illa: *Fontem aquæ vivæ*, cum illis sequentibus: *Cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Joan. 4. v. 14.
Gloss. ibid.
Rup. Abb. l. 4. in Joan. 4.
Hug. Card. in Joan.
S. Hier. ibid.
Peccato cœlum pro terra commutatur.
Ps. 13. v. 3.
Ps. 18. v. 11.
Impulsus ad peccatum enumerantur.
Jerem. 2. 13.
S. Aug. in Ps. 23.
Luc. 15. 12.

2. In-

Filius prodigus dicitur adolescentior qui interpretatur peccator.

2. Infaustam illam fontis aquæ vivæ cum cisternis dissipatis commutationem, optime in se expertus fuit filius prodigus, hic enim dorsum Patri vertit, sua se gavisurum esse libertate existimans, & ecce factus est rustici cujusdam subulcus, atque in tantam fuit redactus miseriam, ut porcos pascens, ne quidem glandes sufficientes habuit, quibus suam posset exsatiare famem, quem proinde Salvator noster proprium ejus subticens nomen, hoc cum nomine *adolescentior*, indigitavit, quia per nomen hoc denotatur peccator, prout S. Bonaventura super illa Psalmistæ verba: *In quo corrigit Adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos*; his verbis exponit: *Peccator adolescentioris nomine designatur: Et nota, quod per adolescentiorem convenienter insinuat peccatorem, propter triplicem rationem, videlicet propter aversionem, conversionem, & perversionem. Per aversionem à bono receditur; per conversionem ad malum acceditur; per perversionem in malo proceditur. De primo; Dixit Adolescentior Patri; Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. O quam mala portio? quam malæ portionis petitio? Abdicatur enim bonum perpetuum, & vendicatur bonum transitorium. Tale bonum peccatori contingit, quia dum boni transitorij fruitionem contingit, ad fruitionem boni perpetui non pertingit. Hæc ergo adolescentioris petitio, est peccatoris aversio ab incommutabili bono. De secundo: Adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam. O quam mala peregrinatio? O quam mala profectio, immo vero defectio? O quam longinqua regio, non localis sed moralis elongatio. Quam distat à pulchritudine turpitudo, à divina similitudine dissimilitudo*, quænam excogitari potest major distantia, quam qua distat cœlum empyreum, à profundissima inferni abysso? Hæc enim eadem est cum illa, qua Deus distat à peccato. S. Bernardinus hæc verba ponderans inquit: *Nam ut ait Psalmista: Longe à peccatoribus salus, & maxime à perseverantibus in peccato. Quia igitur à Deo sunt elongati, difficilius audiunt Deum clamantem.* S. Augustinus inter alias sententias hanc quoque tradit: *Quantum, & quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli à Deo recedenti bene est.* Et verò ne parabolam deseramus filij prodigi, qui figura fuit peccatoris, illi Deo dorsum obvertentis, quem quotidie his verbis invocat: *Pater noster qui es in cælis*, observandum est, quod *facta est fames in regione illa, & cœpit egere*, de qua fame S. Ambrosius in sensu morali ita scribit: *Facta est fames, non epularum, sed bonorum operum, atque virtutum, quæ sunt miserabiliora jejunia; etenim qui recedit a verbo Dei, esurit, qui recedit a fonte sitit, qui recedit à thesauro eget, qui recedit à sapientia hebetatur, qui recedit à virtute dissolvitur. Merito ergo iste egere cœpit, qui thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, divitiarumque cælestium altitudinem dereliquit.* S. Isidorus modum quo anima à vero vitæ fonte recedit (*Dereliquerunt me*) his verbis exponit: *Non per locorum spatia, sed per affectum bonum, vel malum itur, receditur ve à Deo. Neque enim gressu pedum, sed gressu morum elongamus, vel propinquamus ad Deum.* Didacus Stella similiter modum, quo peccator Deum derelinquit, his verbis tradit: *Contingit Deo, ut communi usu loquendi solemus dicere; Ego non tibi dicam, ut eas, sed ea opera tibi impendam, ut à nobis discedere gaudeas. Videt quippe Deus, nos pluris æstimare stercora & glandes, quam ipsum, & ideo hospitium deserit, & abit, tot convitijs, & injurijs affectus. Nam si tu in domo tua, & in capite mensæ Æthiopissam accumbere faceres immundam, & inhonestam, & ipsi tamquam Domina sederet, uxori vero præciperes, quæ illustris & princeps est, ut mensæ ministraret, nonne grandem huic injuriam inferres? Jure societatem tuam relinqueret. Hoc modo peccator cum Deo agit, suos appetitus & libidines pluris habet, quam illum*, Idem author in Commentario capitis præcedentis Deum numquam nos deserere dixerat, nisi prius desertus fuerit à nobis, quia quantum est ex parte sua, protestatur inquiens: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* En verba Authoris: *Diligenter notabis, quod peccatorem à Deo relinqui, idem est, quod Deum relinqui à peccatore, nam Deus numquam peccatorem suo auxilio destitueret, nisi prius peccator à Deo fugeret; Deus quippe firmus, ac stabilis semper in amicitia nostra persistit; peccator vero est, qui propter mutabilitatem, & propter malitiam suæ voluntatis recedit; & tunc dicimus, Deum à peccatore discedere, quia peccator discedit à Deo.* Et paulo post subdit: *A Deo discedit, etiamsi ipsi videatur Deum ab eo discedere, motus enim in creatura, non in Creatore. Qui à portu discedit, & navigare incipit, videtur ei terra moveri, & ambulare, ipsum vero tranquillum & quietum manere, cum in rei veritate prorsus contrarium contingat.* Simon de Cassia Apostolos in horto Gethsemani, magistrum, ut suæ consulerent securitati, penitus deserentes, his verbis affatur: *Qui relinquit Deum, perdit securitatem; ipsa deperdita, conturbans timor ingreditur, qui quos invaserit, vertit in fugam. Qui relinquit Christum, vitam relinquit, & quærens vivere, fugit in mortem. Per sapientiam de iniquis dicitur: Relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebrosas. Relictor Christi vitam negavit. Ipse siquidem secundum Apostolum, est vita nostra, qua relicta, omnis amaritudo subsequatur. Hinc per Prophetam dicitur: Vide quam malum & amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum. Isto malo nullum pejus.*

Ps. 118. v. 9.
S. Bonav. ib.
S. Bern. Q. 1. ser. 13. a. 1. c. 4.
S. August. Sent. 289.
Filius prodigus fuit figura peccatoris.
Luc. 15. 14.
S. Ambr. lib 7. in Luc.
S. Isid. l. 2. Sent. cap. 14.
Did. Stella in Luc. 11.
Modus quo peccator recedit à Deo.
Did. Stella in Luc. 10.
Prov. 8. v. 31.
Matt. 28. 20.
Deus non nisi prius desertus nos deserit.
Sim. de Cass. lib. 13.
Mala illius qui derelinquit Deum.

3. Valde considerabilis est ista propositio, qua dicitur communiter: *Relinquere Christum, est invenire Satanam*: Et tamen est verissima; non enim potest peccator dicere, quod licet voluptates sectetur carnales, vel odio prosequatur inimicum suum, aut vero lucro iniquo comparando, det operam, non tamen ideo amicitiæ Dei renuntiare intendat, hæc enim protestatio *implicat in adjecto*; Ubicumque enim est peccatum aliquod mortale, ibi pariter est incompatibilitas cum Deo & divina ejus gratia, siquidem se hisce adversari declarat, cum se divinæ voluntati opponit. *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Id est ut Lyranus interpretatur: *Cor hominum non potest simul capere Deum, & diabolum, sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit diabolus.* Hanc vero incompatibilitatem Isaias Propheta sequenti illustrat similitudine, inquiens: *Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* Idque confirmatur ex eo quod Apostolus ad Corinthios scribens sæpius repetit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Qui idem Apostolus alibi ait: *Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ societas luci ad tenebras.* Ideo quoque Arca Domini & Dagonis idolum in eodem quantùvis amplo templo simul commorari nō poterāt.

Relinquere Christum est invenire Satanam.
Matth. 6. 24.
Lyran. ibid.
Isa. 28. v. 20.
1. Cor. 10. 21.
2. Cor. 6. 15.

4. Porro astutus ille & tortuosus serpens hoc communiter uti solet stratagemate, quo in extremum innumeras animas redigit exterminium, videlicet quod efficiat, ut homines *fodiant sibi cisternas dissipatas*, id est, ut aliquas sibi indulgeant recreationes, & voluptates, ita tamen ut eodem tempore Deum totaliter nequaquam deserant. Unde fit, quod, ut per experientiam videmus, major pars tepidorum Christianorum, aliquam sibi retineat & contineat devotionem externam; eidemque innixi sensualitati suæ tanto liberius indulgeant: At vero miserè decipiuntur, siquidem verissimum est illud Ecclesiastici: *Cor ingrediens duas vias non habebit successus.* Qui in capite antecedenti pariter dixerat: *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs*; Ubi in utroque loco de illis loquitur; qui sibi persuasum habent, quod simul ex fonte aquarum viventium, & ex cisternis dissipatis reficere se & bibere possint. Quibus Sanctus Augustinus in hæc verba comminatur: *Væ duplici corde, qui in corde suo, partem faciunt Deo, partem diabolo*; cujusmodi reperiuntur multi, non tam ignorantes, quam malitiosi, qui ad instar atheistarum illorum antiquorum, intra se cogitant dicentes: *Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat; Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, quasi dicerent: Deus in cœlo est, illudque gubernat nosque pro nostro arbitrio & libidine hic in terris vivere finit; quid enim ipsius interest, si ego voluptatibus vacem, si de inimicis meis me vindicem, si fraudem committam, aut famam proximi mei dilacerem? utique per hoc non offendo illum, quia impassibilis est, & inalterabilis, juxta illud Psalmistæ: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hisce quidem in discursu præcedenti sufficienter respondimus, verumtamen ad hasce blasphemias evidentius confundendas, & confutandas, sequens deserviet similitudo. Quod si enim Pater quidam nobilis, dives, & sapiens, filium suum liberaliter educasset, multos ei accumulasset thesauros, ad summos eum honores evexisset, in ejusque servitium innumeros sub certo stipendio conduxisset servos, in omnibus eum virtutibus exercuisset, is vero in patria sua vir spectabilis factus, ac demum in reprobum sensum datus, ut cuidam Patris sui inimico, vel adulteræ alicui præstaret obsequium,

Stratagemata serpentis infernalis.
Eccli. 3. v. 28.
Eccli. 2. v. 14
S. Aug. Tr. 7. in Joan.
Job. 22. v. 14.
Ps. 113. 16.
Peccator dicit, terram dedit Deus filijs hominum.
Ps. 90. v. 10.
Refutatur prius dictum peccatoris per similitudinem.

obsequium, latronem, vel assassinum in domo sua hospitio reciperet, ut Patri violentas manus inferendo, mortem accelleraret, numquid talis filius nefandam committeret ingratitudinem, scelusque nimis execrandum patrasse censeretur? *Peccatum Deo displicet, ex contumeliæ ejus irrogatione*, inquit S. Antoninus, numquid igitur scelus execrabile committit peccator, dum peccatis se immergendo, Deum, quantum est ex parte sua, quasi occidit, vel saltem turpiter ab anima sua expellit? *Nonne maximam contumeliam faceret sponso nobilissimo, qui dulcissimam ejus sponsam, vilissimo adultero prostitueret? Hoc agit peccator, quia animam sponsam Christi prostituit diabolo*, Deumque, qui, tamquam amantissimus Pater, animam, à qua injurias accipit, summis cumulavit beneficijs, dum eam creavit, & pretiosissimo filij sui sanguine redemit, regni cœlorum hæredem instituit, atque ingentibus gratiarum suarum thesauris locupletavit, hoc solum fine, ut brevi fruatur, & momentanea voluptate, tam abominabili injuria, qualem Deo peccatum infert, irrogare non dubitat. Huic peccatori venerabilis Blosius hisce verbis improperat: *Infinitam Deo irrogasti contumeliam, & Christian iterum quodammodo crucifixisti, qui tamen tibi semper benignissime benefecit, teque servavit.*

S. Antonin. 4. p. Tit. 14. c. 6.

Blos. Institut. Vitæ Ascet. Medit. 1. divis. 4.

5. *Dereliquerunt me, & foderunt sibi cisternas.* Peccatum adeo est Deo contrarium, ut Deus cum illo simul in eodem homine consistere nequeat, id quod S. Bonaventura per aptissimam exponit similitudinem, quando ex auctoritate Aristotelis in hæc verba scribit: *Locus est conservativus locati; unde res extra locum suum diu conservari non potest; & sicut est in corporalibus, ita & in spiritualibus; si enim pisces extrahatur de mari, & ponatur in aqua, post modicum moritur, quia est extra locum suum; & si homo ponatur in mari, moritur, quia mare non est locus ejus proprius, & rosa, quamdiu est in spina, recens conservatur, quando autem à spina decerpitur, & in manu tenetur corrumpitur, & marcescit, quia manus non est locus ejus; & hæc est causa, quare levia rondunt sursum, & gravia deorsum, quia scilicet vadunt ad locum proprium, ubi conservantur; & tanta est virtus loci, quod quanto magis res appropinquat ad locum, tanto fortius movetur in ipsum, unde motus naturalis est in principio debilis, & fortis in fine, & secundum hunc modum, quia anima est extra locum suum, non potest esse quin in peccatum labatur; ideo dicitur in epistola canonica Joannis: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Locus animarum Deus est, secundum illud Augustini, circuiens in mente meâ &c. & ideò animæ Sanctorum, quæ sunt in Deo, sicut in loco proprio, peccare non possunt, de quibus Sapiens ait: Justorum animæ in manu Dei sunt, non tanget illos tormentum malitiæ, id est peccatum. Valde mirabile est, quod homo animam suam ponat in loco immundo, ibi enim ponis animam tuam, ubi ponis amorem tuum.* Deo, qui ipsamet sanctitas, & puritas est, ingens irrogatur contumelia, si quis illum vilipendi, & immunditiæ, harum rerum caducarum postponat, quæ sunt in mundo, de quo S. Joannes ait: *Totus mundus in maligno positus est*, ac proinde merito Deus omnes insensatos creaturas ad stuporem concipiendum invitat, inquiens: *Obstupescite cæli super hoc &c.*

S. Bonav. T. 6. de tribus tentatys peccatis infamibus.

Ut omnia naturalia exigunt proprium locum ita anima justi Deum.

1. Joan. 5. 18.

Jerem. 2. 12.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Malitia peccati notabiliter ex eo augetur, quia bonitas, & sanctitas per illud offenditur, Dei illius, qui insuper nos dilexit, magnisque beneficijs adauxit.

THEMA.

Quomodo possim hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. v. 9.

Joseph ex amore Dei recusavit adulterium.

1. QUis non obstupescat, quod Joseph rara prædictus pulchritudine, & in venustissimo ætatis suæ flore (qui cæteroquin ad voluptates magnum addit incentivum (constitutus, demum verò ab hera sua ad turpes amores extimulatus, tam generosè eamdem à se repulerit dicendo: *Quomodo possim hoc malum facere?* ubi reflectendum est ad antecedentes præmissas, ex quibus hanc conclusionem deduxit: ait enim sacer textus: *Nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es, quomodo ergo possim hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Oculum namque suum in bonitatem Domini fui, utpote qui omnem in ipso habebat fiduciam, quique eum non veluti servum, sed ut filium tractabat, & diligebat conjiciens, impossibile sibi esse protestabatur, quod tam bonum, & beneficum Dominum, tanta afficeret injuria, qualis ei per adulterium; cum conjuge ipsius commissum, irrogata fuisset: *Quomodo ergo possim hoc malum facere.* In quo tam heroico facinore, Deus omnibus futuris sæculis; eximium tradere voluit documentum, scilicet quod potentissimum frænû, quo à Deo offendendo retrahamur, hoc sit, si nimirum infinitam illam consideraverimus bonitatem, & sanctitatem, quæ per peccatum conculcatur, pariterque ejus cogitaverimus beneficentiam, & amorem, quo nos impensè diligit, hisce namque considerationibus, quælibet anima omnem à se generosè culpam propulsabit, & ad imitationem magni hujus Patriarchæ dicet: *Quomodo possim hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

Gen. 39. v. 8.

2. Dionysius Carthusianus, in tractatu, in discursibus præcedentibus, sæpius citatus, scilicet *de enormitate peccati*, ita scribit: *Constat omni menti bene dispositæ, peccati labem tanto amplius displicere; quanto fuerit ipsa sanctior, magisque justa: Quoniam ergo mens divina, summa, ac adoranda, est puritatis, æquitatis & sanctitatis penitus infinitæ, imò puritas superessentialis, immensa, sanctitas idealis, in se subsistens, incircumscripta, certum quod ipsa peccati deformitatem, impuritatem & maculam, infinito detestatur odio.* In dubium nequaquam revocari potest, quin omni homini, quantumvis is impius sit, & sceleratus, ingentem incutiat horrorem, si quando manus suas alicujus hominis innocentis, irreprehensibilis, reipublicæ utilis & necessarij, atque ab unoquoque summa in veneratione habiti, sanguine coinquinatas adspiciat, maximè si læsio, vel occisio, sine ulla causa tali homini illata fuerit; Et vero certissimum est, quod homo, vilissimus ille terræ vermiculus, Deum illum, quem omnes cœlestes Hierarchiæ incessanter collaudant, eidemque acclamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Deum inquam illum, qui sua providentia totum gubernat universum, qui *implet omne animal benedictione*, quique omni studio pethinis etiam quibusque benefacere satagit, dum *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, quavis hora mortaliter offendat. Qua de re Dionysius Carthusianus ita discurrit: *Hinc sortitur peccatum tortuosissimam, atque gravissimam enormitatem, quod est contra divinæ mentis supermundissimam sanctitatem, & interminabilem ejus justitiam. Ipse quoque peccator, qui id amat, elegit, agit, amplectitur, continet, quod Deus usque adeo odit, reprobat ac repellit, infinitam quodammodo deformitatem, displicentiamque Dei immensam incurrit. Quo Deus est sanctior, ac justior, eo peccati turpitudo, atque deformitas ei est dissimilior; Peccatum mortale infinitam dissimilitudinem habet à puritate sanctitatis, & rectitudine æquitatis Dei altissimi.* Idem Carthusianus in articulo quarto sequentem infinuaverat confiderationem, inquiens: *Peccatum est divinæ bonitatis contemptus, divinæ Majestatis injuria, divinæ sanctitatis offensio, contra divinam voluntatem rebellio, divinæ sapientiæ derelictio, divinorum beneficiorum ingratitudo, perversè ac propriæ voluntatis impletio, rationis seductio, infectio animæ, vulneratio virium ejus, turpitudo mentis, spei emptio gratiæ, ablatio charitatis infusæ, laqueus mortis, via damnationis, porta inferni, rete diaboli, imitatio dæmonum, detestatio Angelorum, pessima fera, crudelissima bestia, summa malitia, prævitas pura, deformitas maxima, monstruositas quoque turpissima, atque æterna illius felicitatis amissio deploranda.* Certum est quod quisquis in pondere sanctuarij infinitam hanc peccati malitiam serio trutinaverit, huic numquam possibile erit, ut sponte eam amplectatur, maximè si consideret, quod per illam bonitas quædam offendatur immensa, & infinita, quæ summam à nobis meretur remunerationem, & obsequium: *Peccatum enim est divinæ bonitatis contemptus.* Idem denique Carthusianus in articulo tertio enormitatem peccati tanto magis aggravari dixerat, quanto sanctior est ille, qui per illud offenditur: *Quanto*, inquit, *sublimior est Majestas, majorque sanctitas, tanto enormius est in eum peccare, & non obedire; ipsum inhonorare. Cum Deus æternus, ac adorandus, sit immensæ Majestatis, infinitæ sanctitatis,*

D. Cart. in opusc. de enormit. pecc. c. 7. Ut hominem innocentissimum occidere est inhumanæ atrocitatis ita etiam peccare.

Psal. 144. 16. Matth. 5. 45.

Dion. Carthus. ibid.

D. Carth. ibi art. 4.

Descriptio peccati ab effectu.

tis, æquitatis, & perfectionis, peccatum omne, in quantum contra ipsum, & ejus præceptum committitur, insinuam quodammodo gravitatem & enormitatem contrahit.

Offensio Dei incomparabiliter major est offensione cujusvis hominis.

3. Quod si vas aliquod aureum, vel calicem quemdam argenteum diriperes, quodnam horum furtum majus esse censeres? utique hoc secundum, ob adjunctam sacrilegij malitiam, siquidem calix ille, divino cultui consecratus, instrumentum erat, in quo sanguis agni immaculati bibitur, & adoratur; tametsi enim alias vas aureum majoris sit pretij, quia tamen profanum est, non adeo aggravat peccatum. Per quam similitudinem hoc præcipue insinuatum esse volo, quod licet quispiam omnes Reges terræ mortaliter offenderet; gravissimasque eis injurias inferret, hæ tamen offensiones nullam prorsus habituræ forent proportionem, cum injuria peccati, contra supremam, & sacrosanctam illam Majestatem commissi, *quam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, quia finiti ad infinitum nulla est proportio.*

D. Carth. ib. art. 7.

4. Idem præcitatus Carthusianus hanc quoque aliam ponderat peccati enormitatem, inquiens: *Argumentum est de enormitate peccati, ex consideratione Divinæ justitiæ, quæ prorsus immensa est, omnisque rectitudinis virtuosæ infallibilis regula, inflexibilisque mensura, quoniam justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Quo vitijs plus fœdamur, atque vincimur, tanto dissimiliores ei odibilioresque invenimur, qui ad hoc venit per Incarnationis mysterium in hunc mundum, ut serviamus ei in sanctitate, & justitiâ, omnibus diebus nostris.* Panygerola in Oratione secunda, quam de Sancti Caroli Borromæi laudibus pronuntiavit, magnum hunc Archi-Episcopum de culpa mortali afferre solitum fuisse dicit: Quænam ant qualis res inveniri poterit Deo odibilior, aut damnosior nobis? Quâ enim ratione infinita illa bonitas malum infinito prosequeretur odio, vel quomodo justitia infinita, peccatum infinita id est, æterna pœna castigare posset, nisi peccatum infinite odibile esset à Deo. Sanctus Bernardinus pariter hanc peccati gravitatem, ex infinita objecti offensi sanctitate his verbis arguit: *Mortalis culpa, offendit infinitum Deum, sed quantus est sanctitate, & bonitate, & omnimoda nobilitate, & dominationis suæ dilectione, atque amicitiæ, & gratiæ, atque magnificentiæ magnitudine, ille qui offenditur, tanto magis est ponderanda ejus offensa. Cum igitur Deus in omnibus his sit infinitus, ideo offensa contra ipsum est quodammodo infinita.*

Panygerola Orat. de S. Carolo Borrom.

Peccando summus Deo dissimiles.

S. Bern. T. 2. ser. 12. art. 1. c. 1.

Cajet. 1. 2. Q. 73. art. 9.

5. *Quomodo possim hoc malum facere &c.* Cajetanus in Commentario Sancti Thomæ, hanc tangit peccati circumstantiam aggravantem, dicens: Si nempe in talibus injurijs implicari videas ingratitudinem, quod scilicet, quibus honor magis debetur, ijsdem injuria inferatur, id quod est reddere mala pro bonis. P. Ribadeneira in vita Sancti Polycarpi Martyris refert, quòd proconsuli, ipsum, an Polycarpus Episcopus esset, interroganti, affertivè responderit, eumque Proconsul eidem, ut per fortunam Imperatorem juraret, Christumque blasphemaret, persuadere conaretur, Polycarpus magna cum authoritate, hisce persona sua dignis verbis respondet: *Octogintà sex anni sunt, quibus Jesu Christo servio, & in toto hoc tempore, nullum ab eo malum, nullamque injuriam accepi, quin potius multa, magnaque de manu ipsius consecutus sum bona, & favores plurimos; Cur igitur me inducere niteris, at illum blasphemem, qui tanta mihi beneficia præstitit, quique me creavit, & conservavit, cur suades, ut ingratam me exhibeam, tam bono Deo, & Domino?* Hac eadem mente, meritò imbutus esse deberet quilibet Christianus, quando à tentationis vehementia pulsatur, dicere enim sibimetipsi deberet; *Quomodo possim hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? omnibus mihi traditis, &c. Quanto plus obligatur ad æquitatem* (inquit Dionysius Carthusianus) *& quanto plura beneficia à Deo sortitus est, & quanto doctior, & ad bene agendum potentior fuerit, tanto enormiora reddantur ejus peccata.* Idem alibi, in progressu ejusdem sermonis: ita ait: *Enormitas peccatorum nostrorum vehementissimè aggravatur, ex parte beneficiorum Christi, puta eorum omnium, quæ pro nostra salute ipse assumpsit, fecit, & passus est. Nonne etiam infinita est nostra perversitas, ingratitudo, impietas, dum unigenitam Filium Dei inhonoramus, relinquimus, spernimus, qui pro nostra liberatione, seipsum tam ineffabiliter exinanivit, & deitatis suæ altitudinem ad nostræ naturæ parvitatem misericordissimè inclinavit.* Oleaster super illa Geneseos verba se reflectens: *Corrupta est autem terra coram Domino*, specialiter hanc notabilem notat circumstantiam: *Coram Domino*, unde ait: *Peccare in oculis Dei, vihil aliud esse puto, quam memorem Dei ipsum offendere. Omnia enim vident oculi ejus, sed nos peccantes, non semper illius memores simus. Speret autem ipse, quod nemo ejus memor possit peccare, cum enim meminerit plasmatoris benefici, & Redemptoris manifici, quomodo non retinebitur ne eum offendat.* Dionysius Carthusianus hac sententia peccatorem à peccato refrænat: *Quo quis alteri plura, ac potiora beneficia dederit, tanto iniquius est, vicem non rependere, & ingratum esse, & immemorem; Iniquissimum autem est, etiam mala pro bonis exhibere. Insuper quanto beneficia benefactoris diutius continuantur, frequentius iterantur, liberalius multiplicantur, quo etiam benefactor fuerit altior, atque dignior, beneficiatus inferior, tanto amplior debet gratitudo adesse, graviusque peccatum committitur, dum beneficiatus benefactori ingratus, seu inobediens reperitur. Ut igitur nostræ ingratitudinis, ac peccati malignitas, & item perversitas clarius pateant, cordialius detestentur, solicitius emendentur, ac caveantur, pensemus munificentiam, & beneficia Dei nostri ad nos.* Ponamus casum, divitem aliquem homini paupertimo, & à toto hoc mundo desolato subministrasse pecuniam, ut inde vitam suam sustentaret, quod si hic beneficentiæ illius immemor, per eamdem pecuniam sibi compararet venenum, ut inde benefactorem suum, & pijssimum Eleemosynarium intoxicando, occideret, numquid talis, velut ingratus, mille meretur patibula? Idem verò casus contingit in impijs hominibus, qui tot divitiarum, sanitatis, honorum, ingenij, aliorumque naturalium talentorum donis, à Deo locupletati, ijsdem, ad illius, à quo hæc dona acceperunt offensam & contemptum, abuuntur, quo igitur supplicij rigore castigari merentur? *Quo quis alium plus honorat*, inquit Dionysius Carthusianus, *eo iniquius est, eum non rehonorare, immo pravissimum est, eum etiam inhonorare, præsertim si authoritate, & virtute præstantior sit.* Quoniam igitur per beneficia, tam naturalia, quam supernaturalia, præcipue per Verbi Incarnationem & Humanitatis suæ glorificationem, Deus genus humanum tam inexplicabiliter honoravit, nosque vermiculos vocare dignatus est, immò & fecit filios suos, hæredes, atque amicos, insuper ad summi cœli dignidimam aulam, Angelicæ quoque beatitudinis æqualitatem provehere promisit, nonne ineffabiliter enormia sunt nostra peccata, quibus Deum tam benignissimum inhonoramus, offendimus, aspernamur? Enimvero sola beneficiorum memoria, ad nos ab omni Dei offensa coercendos, abunde sufficit: *Quomodo possim hoc malum facere?* Quando increata Sapientia Israëli leges suas præscribere disposuit, ante earumdem promulgationem, eidem dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Sed quorsum hæc Domine Deus?* quærit Oleaster, subditque: *Vidi Legislatoris prudentiam; Solent collata beneficia hominem retinere, ne benefactorem offendat.* Sanctus Ambrosius super illa Sancti Josephi Patriarchæ verba: *Quomodo possim hoc malum facere?* ita scribit: *Pulchra ratio, quod nec beneficijs Domini esse deberet ingratus.* Dic sodes, qua ratione Noe (de quo æterna veritas dixit: *Te enim vidi justum coram me in generatione hac, quæ tam mala*, ut inquit Chrysostomus, *quæ in tantam malitiam declinavit, quæ tantam ingratitudinem præ se fert*) quâ, inquam, ratione Sanctus hic Patriarcha, se adversus universalem humani generis vitiorum inundationem (quando *omnis caro corruperat viam suam*) se communivit, & fortificavit, ne pariter & ipse malus fieret cum alijs? nimirum modus, quo se, in decursu quingentorum annorum, illæsum & irreprehensibilem conservavit, hic fuit, quod videlicet beneficia divina continuo memoria sua recoluerit, eademque sibi habuerit jugiter ob oculos posita: Insinuat idipsum D. Chrysostomus, dum in persona Dei ait: *Te solum invenì gratum.* Unde Sanctus Augustinus ait: *Certum est, fratres charissimi, quod si semper beneficia Dei nostri assiduè cogitamus, peccata nostra nobis, aut non dominantur, aut si forte subrepserint, citò per pœnitentiam corriguntur.*

Gen. 6. v. 11. Oleast. ibid.

Dion. Carth. ibid.

Peccator est erga Deum si homo pauper, qui à divite summa acceperit beneficia, & illum suum benefactorem intendit interficere.

D. Carth. ib. art. 9.

Exod. 20. 2.

Oleast. ibid.

S. Ambr. lib. de Jacob c. 2.

Gen. 7. v. 1.

D. Chrys. H. 24. in Gen. Noe continuò habuit in memoria divina beneficia, & ideò non peccavit.

S. Augustin. ser. 67. de temp.

6. *Quomodo possim hoc malum facere, &c.* est & aliud motivum, per quod coercemur ad non peccandum, nimirum si consideremus, quod summa sit injuria, & detestabilis ingratitudo non solum offendere Deum, qui tot beneficijs nos auxit, verum etiam illum qui nos in summo charitatis, & dilectionis gradu

D. Carth. art 8.
Maxima est ingratitudo Deum nos amantem offendere.

amavit Audiamus hac de re eumdem Dionysium dicentem: *Quo quis alium in dilectione liberalius, copiosiusque prævenerit, eo decentius, ac justius est, eum cordialiter redamare, & eo perversius quoque eum non redamare, perversissimum vero est etiam eum odire, abjicere, spernere, seque ab ipso prorsus avertere, præsertim si constet dilecto, à diligente ita se diligi. Itaque ut iniquitatum nostrarum, abominandas ac maledictas malitias, efficacius; atque sincerius cognoscamus, diligentissime contemplemur, quantum & qualiter Deus noster, dulcis & rectus, prævenerit nos in amore, nec tantum in amore, sed in amore liberalissimo, mere gratuito, purissimo, æterno, dignissimo.* Idem Carthusianus in articulo 12. sequens nobis insinuat aliud motivum, inquiens: *Quo quis amplius diligit aliquem, & magis confidit in ipso, tanto gravius est in ipsum peccare, injuriam ei inferendo.* Quisnam verò est, in quem homo omnem suam collocare debeat fiduciam, omnemque spem suam reponere, præterquam in Deum, de quo securus est, quod promptissimum semper præstolari possit auxilium. Quis igitur adeo temerarius erit, ut contumelijs eum afficiat, aut mortaliter offendat. Idem Dionysius in tomo 5. diffuse de Divinis discurrit beneficijs, & postquam longum illorum texuisset catalogum, in hæc tandem verba prorumpit: *Nunc ergo, charissime mi, sapienter intende, quam enorme, perversum, ac indecens sit, hunc tantum, ac talem amatorem non redamare, negligere, offendere, parvipendere, spernere, aut odire.* Sanctus Thomas ait: *Quem magis amo, magis revereor, magis offendere formido,* ac proinde si Christianus quispiam, Deum, à quo summe diligitur, redamaverit, impossibile erit, ut illum offendat. Unde eruditissimus Idiota his Deum verbis affatur: *Dilectio tua omni peccato contrariatur, & omni tentationi resistit.*

D. Cart. art. 18. — D. Carth. art. 8. — S. Thom. opusc. 6. de Dilect. c. 17. — Idiota de amore Dei cap. 15.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Peccatum de novo Christum crucifigit; ubi variæ mysticæ hujus crucifixionis rationes, & modi adducuntur.

THEMA.

Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, Hebr. 6. v. 6.

2. Cor. 12. v. 4.
Peccator rursus Christum crucifigit.

1. S. Paulus Apostolus, qui in divinorum mysteriorum cognitione, supra omnes alios Ecclesiæ Doctores progressus est (utpote qui *raptus & in paradisum audivit arcana verba*) hic, inquam, ut de gravitate, & malitia infinita, quam peccatum mortale; post Redemptoris in terras adventum, in se habet, adæquatum nobis imprimeret conceptum, hanc statuit conclusionem: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, &c.* Quid vero in detestationem peccati amplius, sive dici, sive imaginatione concipi potuit? Porrò David divitis illius indignatus temeritati (qui cum numeroso grege esset dives, ut eidem parceret; ovem sustulerat viro pauperi, qui unicam dumtaxat habebat oviculam, quam sicut filiam suam diligebat) in hæc verba prorupit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc, ovem reddet in quadruplum;* qua audita Davidis confessione ex ore ejus proprio manante, Nathan Propheta eidem dixit: *Tu es ille vir.* Eodem modo sæpenumero contingit, quod Christianus adversus Judæos, & contra Pilatum furore corruptus effervescat, eo quod Filium Dei, in monte Calvariæ cruci affixerint, quibus merito (maximè, quando culpæ mortalis rei existant) improperare quis posset: *Tu es ille vir.* Pro cujus meliori intelligentia, sequens necessaria supponenda est veritas indubitata, scilicet, quod spinæ, clavi, cunctaque alia passionis Redemptoris nostri instrumenta, nullam prorsus ad illum crucifigendum vim habitura fuissent, nisi suum à peccato recepissent vigorem, & activitatem; nam ut Isaias prædixit: *Vulneratus est propter inquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et paulo inferius in eodem capite majori cum perspicuitate dicit Pater æternus: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Jeremias Propheta pariter in Threnis suis ait: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Quam veritatem Sancti Patres, à Deo specialiter illuminati, egregiè intellexerunt; ac proinde Sanctus Bonaventura fideles exhortabatur, inquiens: *Non Filium Dei rursum flagellemus, per dilectionem peccati, quia mitigandus est ejus dolor, non amplius innovandus.* Sanctus Antoninus in summa sua, de peccatore inquit: *In faciem Christi conspuit, & quantum in eo est, iterum crucifigit.* Dionysius Carthusianus verba illa: *Ostentui habentes*, exponens, inquit: *Id est, eum irrident, nam & crucifixoribus, & irrisoribus Christi consimiles sunt.*

2. Reg. 12. v. 5. — Ibid. v. 7.
Peccatori indignanti Judæis, quod Christum crucifixerunt, responderi potest, tu es ille vir.
Isa. 53. v. 5. — Isa 53. v. 8. — Thren. 4. v. 2. — S. Bonav. ser. 2. in Quinquag. — S. Antonin. 4. p. tit. 14. c. 6.

P. Bolland. 6. Martij fol. 559. col. 1.
Peccator causam crucifixionis Christi non desinit renovare ita audivit à Christo B. Coleta.

2. P. Bollandus de B. Coleta virgine ita scribit: *Inter plures revelationes, quas Deus per suam pijssimam gratiam, patefacere dignatus est, egregio Doctori, præcellentique, tam verbo, quam facto, ex ordine Prædicatorum, Magistro Vincentio recolendæ memoriæ, fuit notitia prænominatæ matris, quam vidit in spiritu, genuflectentem humiliter, in conspectu supremæ Majestatis, & divinæ bonitatis, supplicando ferventer, & devote, pro peccatis suæ pauperrimæ plebis; cui misericors Pater respondere videbatur: Filia quid vis me facere? nam diutim ab illis injurias, & vituperia patior, & sustinere ab illis non cesso. Quotidie me laniant, & indesinenter lacerant minutatim, velut carnes in macello, me blasphemantes & abnegantes, meaque præcepta transgredientes.* Tametsi enim verum sit, quod Christus ad dexteram Patris residens, utpote gloriosus, prorsus sit impassibilis, attamen peccatores, quantum est ex parte ipsorum, si possent, causam crucifixionis ejus renovare non desinerent. Audiamus proinde Doctorem Angelicum, qui assumpti thematis nostri verba exponens, ait: *Refertur ad lapsum eorum, qui peccant, qui scilicet quantum in ipsis est, rursum crucifigunt Christum, quia Christus pro peccatis nostris mortuus est semel 1. Petr. 3. Cum ergo peccas, quantum in te est, das occasionem; ut iterum Christus crucifigatur, & sic contumelia fit Christo, in cujus sanguine te totum maculas.* Hugo Cardinalis similiter ait: *Crucifigunt iterum, quantum in se est, Dominum quia causam, pro quâ crucifixus est Christus, iterare non desistunt.* Unde Hugo de S. Victore ait: *Dicit tibi Christus: Serva salutem tuam, ego pro illa mortuus sum, si illam amiseris, ego iterum mori non possum, sed volo mihi injuriam facias, quia si salutem tuam, morte mea comparatam; voluntariè peccando amiseris, iterum, quantum in te est, crucifigi, iterum me mori compellis.* Lyranus quoque verborum thematis sensum exponens ait: *Quia quantum est in ipsis, reiterant causam suæ crucifixionis:* Cum enim peccata nostra fuerint spinæ, flagella, clavi, patibulum, & omnia alia pœnosissimæ passionis suæ instrumenta, consequens est, quod quando impij scelera & transgressiones suas iterato committunt, quantum est ex parte suâ, Christum denuo crucifigant.

S. Thom. ib. — Hug. Card. ib. — Hug. de S. Vict. — Lyran. ad Hebr. 1.

Lectione S. Birgittæ. — Surius 13. Julij T. 4.
Similis facta est revelatio S. Birgittæ.

3. In lectionibus S. Birgittæ, de eadem sancta etiamnum decenni adolescentula existente, legitur quod *post auditum de passione Domini sermonem, sequente nocte, Jesum in cruce recenti sanguine perfusum viderit, & de eadem passione secum loquentem,* Surius in ejus vita insuper adjungit; *Vidit quasi eadem hora crucifixum, sibique dicentem: En ut excruciatus sum; illa existimans, eadem hora recens id factum, ait ad eum: Ec quid istud fecit tibi Domine? Christus respondit: Illi qui me contemnunt, & charitatem meam negligunt.* Porrò quinam illi sint, qui amorem, & charitatem Dei floccipendunt, facile ex ejusdem Redemptoris verbis Matth. 24. deducitur; ibi namque Salvator ait: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum;* iniquitas enim, & peccatum, charitati directe opponuntur, & Redemptorem contemnunt. Idem supra citatus Bollandus, sequentem de B. Coleta refert aliam visionem, inquiens: *Alio tempore, matri prædictæ, ferventer deprecanti virginem gloriosissimam matrem Domini Salvatoris, ut intercedere dignaretur, apud suum charissimum Filium, ut misericorditer parceret suo populo pauperrimo, præsentatus ibidem sibi fuit quidam discus, parvis petijs carnium, quasi forent unius infantis parvuli, repletus, cum responsione per modum qui sequitur. Quomodo ego requiram filium charissimum, pro talibus, qui quotidie per offensas, injurias & horrenda peccata commissa, quantum in ipsis est, ipsum minutius dilaniant, quam hæ carnes, quas in hoc vasculo conspicis, fuerunt dilaniatæ?* Quando immediata illa advenit hora, in quâ Christus humanæ salutis lytrum exolvere decreverat, notandum est, quod non dixerit, se tradendum in manus militum Pilati, nec carnificum, nec ferocientium contra ipsum Judeorum, ut crucifigeretur, *sed in manus peccatorum,* quia hi soli ipsum in crucis patibulum suspendere, ejusque sanguinem è venis effundere poterant; ait enim: *Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Optimè verò ad propositum nostrum inquit Origenes: *Utinam & in illorum peccato-*

Matth. 24. v. 12. — Bolland. ibid.
Secunda facta B. Coletæ ferme similis priori.

rum

Orig. Tr. 35. in Matth.
Christus plus patitur à peccatoribus quàm à militibus Pilati.

rum tantummodo manus Jesus traditus tunc fuisset; nunc autem arbitror, semper in manus peccatorum traditur Jesus, quando hi, qui videntur in Jesum credere, habent Jesum in manibus suis, cum sint peccatores. Salvator noster Sanctæ Birgittæ dixit, quod hi, qui illum contemnunt, ipsum crucifigant, quisnam verò major dari potest contemptus, quam inæstimabilem Christi sanguinem, & infinita crucifixionis suæ merita conculcare? Christus, apud Prophetam regium, acerbe conqueritur, se præter dolores, tormenta, & vulnera, à crucifixoribus in sua passione illata, insuper alijs cruciatibus fuisse martyrizatum, ait enim: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* quibus verbis, ex mente Hugonis Cardinalis, lamentari voluit. quod acerbius crucifigatur à peccatoribus, qui redemptionem ejus conculcant, quam à militibus Pilati, de quibus verè dici poterat: *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Idem Cardinalis, huic proposito, textum illum applicat Jobi Prophetæ; in quo Christus de peccatore conqueritur, dicens: *Effudit in terra viscera mea, Conscidit me vulnere super vulnus.* Ait enim; *Viscera Christi in terram effundit, qui amorem, quo Christus pro nobis mori voluit, pro nihilo ducens, terreno eum corde recolit, id est, & arido; & conscidit eum vulnere, super vulnus, qui iniquitatem super iniquitatem apponit.*

Ps. 68. v. 27. — Hug. Card. ib. — Job. 16. 14. — Ibid. v. 15. — Hug. Card. ib.

Peccatores irrident Christum.
Hebr. 6. v. 6. — Lyran. ibid. — Bellovac. spec. mor. lib. 3. dist. 19. p. 3. — Gloss. Interl. — Gloss. ord. ibid.

4. Apostolo non satis visum fuit dicere: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei,* nisi insuper adderet: *Et ostentui habentes,* id est, ut Lyranus exponit: *Quia videntur irridere mortem Christi, quasi pro modico eam habentes.* Episcopus Bellovacensis de peccatore in hæc verba scribit: *Ad modum Judæorum, in faciem Dei conspuit, dum eum contemnit. Item ipsum, in quantum in ipso est, iterum crucifigit, & sanguinem ejus quasi fundit, dum pretium redemptionis ejus abjicit.* Glossa Interlinearis mysterium horum verborum: *Rursum crucifigentes &c.* ita exponit: *Quia non possunt efficere, ut iterum sibi valeat crucifixio Christi, sibi enim fieret crucifixio Christi, si carnem suam crucifixissent cum vitijs & concupiscentijs.* Glossa vero ordinaria eadem verba hoc modo interpretatur: *Non in re crucifigunt, sed similes sunt irrisoribus, & crucifixoribus. In se crucifigunt, & contumeliæ habent, qui gratiam ejus vilipendentes, in peccatis jacent.* Porrò licet crucifixores eodem sanguine, quem per clavos, flagella, & spinas effundebant, & ipsi pariter redempti fuissent, illum tamen contemnebant, immò deridebant, & subsannabant. Idem verò contemptus reperitur in peccatoribus, de quibus in præcedentibus discursibus diximus: *Lætantur cum malè fecerint,* rident enim Dei Filium, tametsi ex fide semetipsum de novo crucifigere, & sacratissimi sui sanguinis pretium pedibus se conculcare sciant, dum ipsum vili cuidam interesse, vel turpi voluptati, cunctisque alijs, per quæ Deus mortaliter offenditur, postponunt: Propheta regius de impijs Hebræis lamentabatur, inquiens: *Quoties exacerbaverunt eum in iram, concitaverunt eum.* Ubi textus Hebræus legit: *Quoties crucifixerunt eum?* Redemptor noster in Dominica Quinquagesimæ, quam peccata Christianorum, propter bacchanalia, in summo sunt culmine Sanctæ Gertrudi, circa horam tertiæ, in ea apparuit specie, quâ fuit flagellatus, & inter duos carnifices ligatus, quorum unus illum spinis, alter verò flagello nodis pleno videbatur percutere, cumque illa cœlestem Sponsum suum interrogaret, quâ ratione ei hunc dolorem diminuere posset, aut mitigare, respondit ei Salvator, quod si quispiam devoto corde meam memoriâ recoluerit passionem, plenusque amore, se compungi sentiens, rogaverit pro peccatoribus, hic utique corde suo suavissimum mihi conficiet emplastrum, quo mediante acerbus hic dolor multum mitigabitur. Ecce igitur, quam verum sit, ut ex hac apparitione colligitur, quod peccata nostra vera sint flagella, sacrosanctos Christi humeros excarnificantia; ac proinde Sancta mater Ecclesia, licentiosorum, & dissolutorum fidelium torrentem sistere volens, non sine mysterio ipsis hoc tempore, illud proponit Evangelium, in quo Christus crucifixionem suam claris verbis prædixit, inquiens: *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt ... de Filio hominis ... illudetur enim, & flagellabitur, & conspuetur.*

Ps. 77. v. 40.
Vit. S. Gertrudis l. 4. c. 15.
Christus tempore bacchanaliorum apparuit S. Gertrudi inter duos carnifices flagellatus.
Luc. 18. 31.

Ps. 68. v. 3.
Peccator dicitur crux Christi.

5. Salvator noster, per os regij Prophetæ, de semetipso conqueritur, inquiens: *Infixus sum in limo profundi,* perspicuum vero est; prout in toto Psalmi illius discursu legi potest, quod his verbis ad suam alluserit crucifixionem. At verò quænam inter lignum, in quod in monte Golgata crucifixus fuit, reperiri potest proportio, ut Salvator dicere possit *infixus sum in limo?* S. Bernardus dubium hoc solvit, inquiens: *Fortasse crux ipsa nos sumus, cur Christus memoratur infixus, homo enim formam crucis habet, quam si manus extenderit, exprimit manifestius; limum quidem nos esse, manifestum est, quia de limo plasmati sumus.* S. Apostolus ait: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* cum igitur unum quodque peccatum, mysticè Christo mortem inferat, consequens est, quod in omni peccato à nobis commisso, in corporibus & membris nostris, quantum est ex nobis, de novo crucifigatur. Audiamus B. Petrum Damianum in sermone primo de exaltatione crucis ita loquentem: *Vide ne rursum tibimetipsi crucifigas Filium Dei, rursum fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis, jam non moritur; intuere, ne mortiferam crucem efficias, in qua facias Filium Dei amaris doloribus interire. Superbia superius, inferius luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis à sinistris adversitatis desperatio, spinas, clavos, lanceam Filio virginis repræsentant. Cum enim elevans te, & ambulans collo extento, caput Altissimi spinarum multiplicitate contorques, & hic à superioribus superari moleste fers, immo superiores potius superare contendis, illi similis es, qui se similem Altissimo cogitavit. Cum ponis oculos tuos, ut non respicias cælum, & voluptuosis carnis tuæ motibus moveris, & traheris, durioribus clavis tuis pedes Omnipotentis transverberans, ab inferiori infers supplicium, dum momentanea voluptate, voluntatem dominantis excludis. Cum prosperaris in iniquitate, & fœtidiori cursu rerum peccata peccatis accumulas, clavum ponis in illius dextera, quam de suis bonis persequi non desistis. Cum verò abundantiori tristitia absorberis, & tuam impietatem, pietati Dei præponderas, sinistram ejus transfigis. Denique cum præsumis defendere, quod fecisti, lancearem ictum vulneri Salvatoris intorques, nihilque gravius ingeris crucifixo, quam tueri quod odit. De hoc enim peccato scriptum est. Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

S. Bern. ser. 4. in Vig. Nativ. — 1. Cor. 6. 15. — B. Petr. Dam. ser. 48.
In diverso modo peccandi est diversus modus crucifigendi.

S. August. ser. 67. de temp.
Peccata plus torquent Christum quam crux materialis.
S. Anton. de Pad. ser. in Ser. 3. Dom. 4. Quad.

6. Ad hoc idem propositum, optimè deservit celebris illa querela, quâ S. Augustinus, in persona Redemptoris, peccatori ipsum mortaliter offendenti in hæc verba improperat: *Cur me graviori criminum tuorum cruci, quam illâ, in quâ quamdam pependi, afflixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in quâ invitus pendeo, quam illa, in quâ tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.* S. Antonius de Padua similiter, in duobus sermonibus, de mystica hac crucifixione differit; dum ad peccatores discursum suum dirigens illos his verbis perstringit: *Nonne de vobis adhuc conqueritur Christus, dicens: Quid me quæritis interficere? imo verius: Quid me jam tam crudeliter interficitis? Peccator namque quoties peccat, toties in se interficit Christum, quod sic patet. Quoties homo incurrit proposita voluntate mortem, toties in seipso vita perimitur, quoties autem homo peccat, toties etiam incurrit mortem. Igitur toties perimit vitam, vita autem nostra Christus est, ait Apostolus: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Merito igitur conqueritur Christus: Quid me vultis interficere, toties crucifigendo.* Idem Sanctus alibi varios distinguit modos, quibus divinæ legis trangressores hanc Christi mortem operantur. Ita enim scribit: *Iniqui Judæi, malitiam, obstinationem cordis non potuerant sustinere, sed prorumpentes in sævitiam, acceperunt lapides, ut lapidarent eum. Sicut autem alias dictum est, omne peccatum interficit Jesum, id est, salutem in conscientia peccatoris, sed secundum diversitatem peccatorum, diversam ipsi mortem inferunt. Nam quidam præcipitant eum deorsum, & isti sunt superbi. Quidam eum suffocant, & opprimunt, & isti sunt avari; hic introduc de illis, qui surripiunt bona pupillorum, & maximè eorum, qui illorum curæ commissi sunt. Quidam verò lacerant, & isti sunt crudeles. Quidam ipsum comburunt, & isti sunt iracundi, & sic de alijs. Obstinati autem lapidant, ita faciebant isti maligni, quia primo cum corde, deinde manu, & opere lapidare voluerunt.*

In alijs varijs peccatis diversimodus est actus Christum torquendi.

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Ex inæstimabili redemptionis nostræ pretio, à Christo in cruce persoluto, gravitas colligitur peccati; id quod à peccati commissione merito deterrere debet.

 THEMA

THEMA.

Empti enim estis pretio magno. 1. Cor. 6. v. 20.

Hominis dominus proprietarius est solus Deus.

1. DOctor Gentium Corinthijs enormitatem peccati explicare satagens, his verbis ad eos scripsit : *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Quibus verbis stringens & validum efformat argumentum; cum enim corpora, & membra hominis non sua sint, sed Dei, utpote cujus anima, à Redemptore nostro, pretio sanguinis sui, à tyranni infernalis servitute redempta, & liberata fuit, consequens est, quod homo animæ suæ non sit dominus proprietarius, ut illam pro delectatione quâdam, vel bestialis appetitus sui satisfactione vendere possit. *Non estis vestri*, inquit Interlinearis. *id est vestræ potestatis, sed Dei, qui vos emit à diabolo.* Primasius quoque super prædicta verba ait : *Qui non est suus, non debet sibi vivere, sed illi, cujus est sanguine comparatus. Qui vult, inquit, pest me venire, abneget se sibi. Si homo à servo parvâ pecuniâ comparato, continuum servitium quærit, quantò magis ille, qui plus pro nobis, quod daret, non habuit, quam semetipsum ?* Chrysostomus S. Paulum, hisce verbis, omnibus fidelibus salutare quoddam antidotum, sive præservativum contra peccatum præscribere voluisse censet, inquiens : *Quid ergo est illud, non estis vestri, & quid per illud vult astruere ? Ut nos moniat, & nobis caveat ne peccemus.* Idem doctrinæ Chrysostomi subscribit Glossa ordinaria dum ait : *Quandocumque animus; & delectatio, trahit nos ad hibidinem, vel ad aliquod vitium, debemus considerare, quod non sumus nostri, neque nostræ potestatis sed Christi servi sumus, cujus voluntati obedire debemus, cujus sanguine redempti sumus. Pulsatur corpus delectatione ? Vult anima consentire ? Debet rationabilitas ad se redire, & dicere : Quid cogitas ? Quid æstuaris ? Quo vis ire ? Non es tuæ potestatis, sed Christi servus es, qui te redemit pretioso sanguine suo à diaboli captivitate, & quid iterum captivari vis à diabolo, & ejus potestati subdi.*

Glossa. Interl.

Primasius ib.

D. Chrys. Hom. 18. ib.

Glossa. ordin.

Tanta est abominatio peccati ut Deus voluerit Christum pati & crucifigi ad illud delendum.

2. *Empti estis pretio magno.* Ad hoc ut tanto studiosius à peccatis abstineamus, aliud quoddam potentissimum ex hisce verbis elicere possumus motivum, si nimirum serio consideremus, quanti Filio Dei à nobis commissum constiterit peccatum; Ad hoc enim motivum B. Laurentius Justinianus respexit, quando ait : *Ex pretio erogato pro te, Redemptoris tui agnosce munus, tuæque prævaricationis pondus.* Ad idem quoque propositum spectat ingeniosa illa S. Cypriani consideratio. Quærit enim Sanctus hic Martyr, an Deus immensum peccati debitum, quod in divinæ justitiæ libris recensitum erat, generi humano condonare potuerit, absque eo quod filium suum unigenitum in Calvariæ monte crucifigendum in terram mitteret ? Audaciterque assertive respondet, quia *non est impossibile apud eum omne verbum*; Mox vero iteratam suscitat quæstionem, videlicet : Cur igitur filium suum, pro nostra redemptione consummanda, tam immensum pretium exolvere voluerit ? Et respondet : *Sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas veniæ laxavet habenas peccatis effrænibus, quæ etiâ Christi vix cohibent passiones, quæ viv scelerato animos à voluptatum fœce evellunt.* Quod si quis tanto, tamque immenso ære alieno reperiretur gravatus, ut nec omne aurum Peruanum, nec omnes quæ in mari Erithræo nascuntur gemmæ, nec omnes thesauri, imò nec omnia regna mundi, pro illius satisfactione sufficerent, quemnam tibi de ejusce modi debito formaturus esses conceptum ? Quod si pro debito unius dumtaxat peccati mortalis, Divinæ justitiæ omnia exolverentur bonorum Angelorum, aliorumque Cœlitum merita, omnes Martyrum passiones & tormenta, omnia singulorum viatorum, quotquot ab Adamo ad finem usque sæculorum futuri sunt, aut fuerunt, penderentur bona opera, hæc omnia utique ad unici illius peccati mortalis debitum exolvendum, minime forent sufficientia, sed necessum fuit, ut ipsemet Dei filius, in propria persona, in crucis statera se appendi faceret, ut dignam pro tanti debiti exolutione compensationem præstaret. *Ipse Deus*, inquit B. Laurent Justin. *& hominum mediator, homo Christus Jesus, nullum aliud voluit exhibere pretium, quam semetipsum. Antiquæ damnationis abolevit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, illudque affixit cruci, reconciliando nos Deo per sanguinem suum.*

Debitum peccati est majus omnibus debitis hujus mundi.

B. Laur. Just. de obed. cap. 5.

3. Innocentius III. super illa verba : *Parvulus datus est nobis, & filius natus est nobis*, in sermone quodam de Natali Domini, ita scribit : *Nobis datus est à ser. 3. de Nat. Deo, ut Deo redderetur à nobis pro debito.* Novarinus super propositi thematis nostri verba, inquit : *Non potuit non esse magnum pretium, cum magnus ille fuerit, qui nos emit, fecit se pretium nostrum, qui nos fecit.* Et vero quis est, qui digne satis ponderare possit, quanti pretij & valoris sit ille, *in quo sunt omnes thesauri.* Ille, qui *magnus est Dominus, & cujus magnitudinis non est finis ?* Eusebius Emissenus inquit : *In tentina crucis non aurum, vel argentum, non aliquid Angelicum, sed semetipsum passus est author salutis appendi, ut homini, qui à statu degeneraverat, naturæ suæ dignitatem* (dicamus nos aptius ad propositum : *Ut peccati sui gravitatem*) *vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* S. Bernardinus juxta communem Theologorum doctrinam docet, quod quævis etiam minima Christi actio, v. g. oratio, suspirium, gressus, stilla sanguinis, ad mille mundos redimendos sufficientissima fuerit : *Una*, inquit, *gutta sanguinis Christi, sufficiens erat pro redemptione decem millium mundorum*; & tamen postquam peccata nostra ad crucis appensa fuerunt statera (*statera facta corporis*) pondus illius adeo deprehensum fuit ingens (*peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*) ut pro illorum satisfactione, sanguinis sui torrentem copiosum effundere voluerit.

Innocent. III. Novarin. ib. Etsi minima Christi actio fuisset sufficiens pro nostra redemptione, voluit tamen effundere totum sanguinem suum ut ostenderet peccati gravitatem. Coloss. 2. v. 1. Ps. 144. v. 3. Eus. Emis. Hom. 3. de Symb. S. Bern. T. 4. ser. 40. p. 1. 1. Petr. 2. 24.

4. S. Thomas de Aquino ait : *Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed æternum habens virtutem, cum sit sanguis ipsius Dei æterni.* Enimvero si omnis sanguis congregari posset, qui intra quinque millia annorum, in innumeris sacrificijs, in honorem Dei oblatis, effusus fuit, priusquam Christus offerretur æterno Patri suo in ara crucis, utique sanguis ille integrum quemdâ & vastum lacum impleturus esset, & tamè totus ille sanguis simul sumptus, ne quidem ad unici peccati mortalis deletionè sufficeret; at vero unica dumtaxat stilla sanguinis agni immaculati, Redemptoris nostri, ad solvenda omnia totius humani generis peccata abunde prævalit, quamvis ille totum sacratissimum sanguinè suum effundere voluerit, ut per hoc, quam ingens sit contractū à nobis, per peccatum debitum, nobis palam faceret, utpote pro cujus satisfactione, tantum fuit exolutum pretium. Verum quidem est, quod Christus pro totius humani generis debitis redemptionem suam perfecerit, verumtamen ut in Tomo 1. hujus Bibliothecæ in Tractatu de Anima, Discursu 11. diffuse probavimus, idem prorsus sanguinis sui pretium Christus exoluturus fuisset, si non nisi pro unico dumtaxat peccatore passus fuisset, atque ideo in eodem Tractatu Discursu 13. ostendimus, unumquemque eadem obligatione Redemptori obstrictum esse, pro se solo, quanta omnes obstringuntur in universali, imò longè plus obstringitur pro se solo, quam omnes in universali sint obstricti. Sanctus Basilius Magnus in oratione quadam de peccato, ad incutiendum nobis peccati horrorem, sequens adducit motivum inquiens : *Eo pretio quod pro te pensum est, aliquam dignitatis tuæ capito notionem, respice, amabo, ad pretium, quo redemptus es, & tuam agnoscito dignitatem; pretioso Christi sanguine emptus es, ne fias igitur servus peccati.* B. Laurentius Justinianus aliud adducit motivum, dum ait : *Sanè ex difficultate curationis, languoris magnitudo percipitur, atque ex pretij exhibitione, spiritualis servitus quam sit grave, onus agnoscitur.* Porrò venenum quod serpens infernalis in magnam nostram perniciem evomuit, necessariò per sanguinis Christi balsamum curari debuit. Unde S. Cyprianus ait : *Vulnori tam putredo, & antiquarum cicatricum fœtori, non inveniebatur medicamentum conveniens, nisi unguento sanguinis hujus plaga vetus lineretur, & malagmate carnis in cruce extensæ siccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati ejus serpens ille seductor antiquus infuderat.* S. Bernardus, ut gravissimam, maximeque lethiferam peccati infirmitatem cordi hominis persuaderet, in hæc affectuosa verba prorupit : *Agnosce ô homo, quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est bonam Christum vulnerari*; ubi observanda sunt verba illa *necesse est*, per hæc enim significare voluit, quod ad hoc magnum malum curandum, aliud prorsus non fuppetat remedium, quam sanguis Christi; unde subdit : *Filius Dei altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sui sanguinis balsamo mederetur.* Audiamus S. Thomam à Villa Nova hac de re hisce verbis differentem : *Qualis est culpa quæ Dei morte vindicatur ? Unde Bernardus ex qualitate remedij, morbi æstimo quantitatem.*

S. Thom. ibid. Omnis sanguis omnium sacrificiorum veteris legis erat insufficiens delere peccatum.

S. Basil. or. 3. de pecc.

B. Laur. Just. ibid. de obed. cap. 5.

S. Cypr. ibid. Putridum & antiquissimum peccati vulnus per solum Christum curari debuit.

S. Bern. ser. 5. de nat.

S. Thom. de Villa Nova. Hom. 2. de Adven.

titatem. Filius Dei jubetur occidi, ut pretiosi sanguinis sui balsamo mederetur vulneribus meis. O amantissima vulnera, quæ hujusmodi medicamento curantur. Didacus Stella similiter circa hoc punctum sequentes adducit considerationes inquiens : *Hinc colligitur, quanta sit peccati malitia, siquidem ad eam purgandam oportuit Deum ipsum in carnem mortalem descendere passibilemque fieri, ut sic copulata divinitati, quasi quoddam fomentum faceret ad naturam humanam sanandam. Ideo quoties peccas, attende quantam incurras infirmitatem, ad cujus curationem oportuit Filium Dei mori.*

Dida. Stell. in Luc. 18.

5. In hanc quoque rem magni ponderis sunt verba illa Ecclesiastici : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*; etenim ut à peccato levaremur, sublevaremurque ab inferni servitute, semetipsum pro nobis tradidit. Quis autem pro dignitate comprehendere queat, quanti Deus valeat ? *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Eusebius Emissenus, ut nos ad conservandam illæsam à culpa animam nostram excitaret, sequens adducit motivum : *Custodiamus solicite, quod tanti cruoris commercio Christus redemit, Reus itaque erit non parvi pretij, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine, & passione redemptam.* S. Thomas de Villa Nova rationem reddens, cur divina providentia, quæ nihil sine magno sacramento operatur, debito peccati, per tam grave dispendium satisfacere disposuerit, sequentem non minus utilem, quam ingeniosam, adducit observationem inquiens : *Peccatum commissum, tali remedio curandum erat, quo homines maximè à peccato deterrerentur, & si peccare contingeret, citius sublevarentur. Hoc super omnia, quæ fieri aut excogitari possunt, facit mors Christi, quid enim magis homini peccati horrorem incutere potest, quam videre Filium Dei, pro peccatis in crucis patibulo morientem, & terribilem passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem ? O grande malum peccatum, pro quo talis altio sit; non mihi inundantem mundum, flagrantes civitates, absorptos homines, non infernum, & omnes ejus pœnas objectas, nam si mille proponas gehennas, non sic expavescio, & conremisco, sicut videre Deum pro peccatis morientem, & peccati reatum morte solventem.* Dionysius Carthusianus ingens hoc redemptionis pretium, à Christo, qui cum longè minori pretio peccatum condemnare poterat, persolvi considerans, inquit : *Oportebat Christum pati, ut innotesceret, quam enorme, & grave sit peccatum, pro cujus expiatione oportuit pati unicum Filium Dei.* Unde merito quilibet Christianus, quando ad pedes confessarij peccata sua per exomologesin expiaturus recurrit, pro unico concipiendæ compunctionis motivo, hæc præcipue considerare deberet, scilicet quanti peccatum Christo constiterit. Abulensis ait : *Remissio peccatorum nostrorum verò dependet à Christo, per modum meriti, nam quidquid nobis de peccatis dimittitur, totum, & multo amplius meruit Christus nobis remitti, & sic, quando absolvimur, recipimus realiter aliquid de eo, quod est Christi, id est de meritis passionis ejus.* Quando filius aliquis, divitem, & nobilem habens Patrem, ludendo v. g. triginta millia scutorum perdidit, Pater ille dives, & nobilis, ne honor, & existimatio filij penes mundum aliquod patiatur præjudicium, totam illam deperditam pecuniæ summam libenter exolvit; ita tamen ut priusquam illam collusori expediat, prius filium advocet, & totam hanc summam in totidem scutis, aliisque monetis, accumulatam, & per varias mensas distributam eidem ostendat, dicatque, en, quanti tibi, mihique hic ludus constiterit; hic enim tantæ summæ pecuniariæ aspectus, à Patre sufficiens futurus esse speratur, ad refræmandum filium, ne amplius pro tam ingenti summa ludi se discrimini committat. O utinam quilibet Christianus oculo fidei videre, & coram intueri posset quanti sit pretij una stilla sanguinis Redemptoris nostri, & quanti illi peccatum suum constiterit (*empti estis pretio magno*) hoc enim si vivæ fidei oculo consideraret, adimpleturus utique esset consilium illud quod mox subdit Apostolus inquiens : *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Hugo Cardinalis ait : *Empti estis pretio magno, & ideo non debetis vos dare pro parvâ peccati delectatione; sed tamen convenium sit communiter, quia ut Sapiens ait Prov. 10. Pro multo cor imporium.* B. Laurentius Justinianus velut fœnum à culpa retrahens, sequentem nobis insinuat sententiam : *Jugiter meditandum est, quanta Salvator noster nos charitate dilexerit, qualia pro nobis pertulerit, quove nos dignatus sit redimere pretio.* Quando in primis crescentis Ecclesiæ crepundijs, gentiles hactenus in perfidia sua habitantes, ad fidem Christi prædicationibus Apostolorum perduci, convertebantur, jamque vitam agere debebant ex dictamine fidei prorsus irreprehensibilem, Sanctus Petrus, ut illos in continuatione observantiæ Evangelicæ tanto validius solidaret, & stabiliret, nullum potentius frænum illis proponi posse judicavit, quam si illis ob oculos poneret, ingens redemptionis nostræ pretium, a Christo pro peccatis nostris in cruce expensum; id quod optimè idem Justinianus advertit, dum eodem in loco hæc verba subdit : *Hoc namque conversis fidelibus Apostolus Petrus insinuare volens, dicebat : Scientes, quod nō corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati, immaculati Christi.* Et Dionysius Carthusianus hæc verba : *Pretio magno* hac glossa illustrat : *Videlicet, morte, & sanguine Christi, de quo scriptum est in Apocalypsi : Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo. Hinc itaque dicit Anselmus : Certe Domine, quia me fecisti debeo me totam, quia redemisti me, debeo me totum, immo tantum debeo amori tuo, plusquam meipsam, quanto tu major es me, pro quo dedisti teipsum, & promittis teipsum.* S. Augustinus in sermone quodam Salvatorem nostrum introducit, multa beneficia Christiano collata in hæc verba enumerantem : *Cum expulsis de Paradiso, jure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem uterum introivi, in præsepio expositus & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias pertuli, irridentium palmas, & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere percussus, ut tu eriperevis morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi; En perfusum vulneribus latus, suscepi mortem tuam, ut tu æternum viveres.* Ac tandem, ut hæc omnia peccatori motivi loco deservirent, ne tantum pretium contemneret, aut inutile redderet, hisce verbis concludit : *Cur quod pro te pertuli, perdidisti ?* Hæc autem jactura aliter non fit, nisi per peccatum, hoc enim sanguinem Redemptoris conculcat. Idem S. Doctor in alio quodam sermone peccatorem sequentibus verbis exhortatur inquiens ; *Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.* Hugo Cardinalis eumdem S. Augustinum allegat, super verba thematis nostri ita scribentem : *Ita care emit, ut solus possideret, ut homo non haberet opinionem, quod posset aliquid contra Dominum facere*; Et iterum in alio quodam sermone ita scribit : *Agnosce homo, quantum valeas, & quantum dules, & dum tantum redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem.*

Abul. 1. 9. in Matth. 16. q. 37.

Filius dives ludendo multum perdidit pater solvit debitum & filium monet ut imposterum sit cautior.

S. Petrus Apostolus convertis ad fidem ostendit ingens pretium redemptionis nostræ ut cessent peccare.

1. Petr. 1. 18.

Ibid. v. 19.

D. Carth. 2. Cor. 6.

S. Aug. ser. 67. de tempore. Considerat tur beneficia à Christo collata homini.

S. Aug. ibi Append. ser. 41.

6. S. Apostolus ad Hebræos scribens, hoc illis proponit argumentum : *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est ?* Audiamus Sanctum Ambrosium, qui super hæc verba scribens; prædictum A postoli argumentum in sequenti forma deducit ; *Quanto major est Christus, quam Moysis, gratia, quam lex, tanto majora mereberis supplicia, si Filium Dei conculcaveris. Et quomodo conculcat quis Filium Dei ? sicut ea quæ conculcamus, nullius momenti pendimus, sic & qui libere peccant, absque timore, & absque pœnitentia, Christum nullius momenti existimant.*

Hebr. 10. 28. Quanto major Christus est Moyse, tanto plus peccat Christianus dum peccat. S. Ambr. ibi.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

De odio, quo Deus detestatur, & persequitur peccatum.

THEMA.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Ps. 5. v. 7.

1. REgius Propheta in Ps. 5. abominabile exponit odium, quo Deus peccatum detestatur, siquidem Deum his verbis affatur : *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos, odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Theodoretus tribus utitur verbis summum odium quo Deus peccatum abominatur, exprimentibus, ait enim : *Omnem iniquitatem respuis, aspernaris, execraris.* Chrysostomus similiter super hæc Psalmistæ verba ita scribit : *Adversatur improbitatem, eam odit, & abhorret.* S. Tho-

Deus abominatur peccatum tribus gradibus odij.

1. Cor. 6. 20. Hug. Card. ib.

Prov. 10. 20.

B. Laur. Just. ibid.

Theod. ibid.

S. Chrys. ibid.

S. Thom. ib. mas tres distinguit odij gradus inquiens: *Triplex gradus est, quomodo aliquis odit aliquem. Primo habet cum odio, volendo ei malum in corde*; in dubium vero revocari nequit, prout in progressu hujus discursus videbitur, quin Deus intimo & mortali odio peccatum hoc modo detestetur. *Secundo hoc exequatur, inferendo pœnam, sicut enim probatio dilectionis, exhibitio est operis*, ita quoque irreconciliabilis odij indicium erit si quando Deus in objectum exosum gravi supplicio, & pœna animadverterit, ac proinde Psalmista subdit: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Deus enim impios peccatores, per æternæ perditionis barathrum castigat. *Tertio, si quando punivit, non reconciliat eum sibi*; hoc autem pariter in peccatore contingit, quamdiu talis permanserit. *Deus sic odit, sicut pœnam inferens, qui non reconciliatur, unde subdit: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; illa autem abominamur, quæ in cognitione nostra non patimur.* Enimverò nusquam reperietur, quod Deus à sexies mille, sexcentis, septuaginta hactenus elapsis annis, quantumvis sit misericors & pius, peccato, post primam ejus originem, reconciliatus fuerit, & licet peccatori sæpe reconcilietur, hoc tamen numquam facit, nisi postquam peccatum deposuit, cum peccato verò ei numquam reconciliatur, cum hoc enim habet, & in sempiternum habebit implacabilem inimicitiam, illudque in inferno irrevocabiliter puniet, in sempiternum; *sic enim odit, sicut pœnam inferens, qui non reconciliatur.*

Pſ.5.v.7.

Deus numquam reconciliatur peccatori qua tali.

2. Porrò non solum Psalmista odium, quo Deus impios prosequitur, manifestat, verum etiam Ecclesiasticus idipsum insinuat, dum ait: *Altissimus odio habet peccatores; ... peccatoribus reddet vindictam eustodiens eos in diem vindictæ.* Similiter in libro Sapientiæ dicit: *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Immò Deus ipse ad Oseam apertis verbis de peccatoribus se declarat, inquiens: *Exosos habui eos, propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos.* Hisce tamen Scripturæ locis, præter alia Scripturæ loca opposita, sequens quoque objici potest ratio, quia odium passio quædam est, hæc autem in Deum cadere nequaquam potest, maximè cum de eo divinus ejus Secretarius dicat: *Deus charitas est.* Dionysius Carthusianus ad hoc respondet dum ait: *Odium, prout est passio animæ, non competit Deo, nisi transumptivè quemadmodum ira sed prout est detestatio voluntatis malum nolentis sic potest competere Deo, & ita Deus odit male agentes, quia detestatur & abjicit eos à se.* Hugo Cardinalis aliter respondit inquiens: *Est duplex odium, odium affectus, & odium effectus, odio affectus non odit Deus, sed odit odio effectus*, quasi diceret, odium, quo Deus culpam aversatur, ex effectibus apparet, id est, ex supplicijs severissimis, quibus culpam irreconciliabiliter condemnat. Incognitus Carmelitanus, Michael Ayguanus de Bononia, omnem difficultatis nodum sequenti expositione resolvit, inquiens: *Ad modum odientis se habet, dum eos à se expellit, & damnat.*

Qualiter odium cadat in Deum.

Eccli.12.v.3.

Sap.14.v.9.

Oſe.9.v.15.

1.Joan.4.8.

D. Carth. in Pſ.5.

Hug.Card.ib.

Intognit.ibid.

3. Porrò verbis ex libro Sapientiæ, alijsque ex locis adductis, opponi potest authoritas quædam ex eodem Sapientiæ libro desumpta, quæ adeo clara est, & perspicua, ut nulla prorsus Glossa indigeat, ait enim Sapiens: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Præterea in tota Scriptura nulla reperitur veritas, antiquior illa, quæ pares cum creatione mundi natales suos habet, cum igitur facer Cironista Moyses dicat: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; inter hæc autem creata, homo quoque contineatur, velut microcosmus, id est: parvus quidam mundus, qua igitur ratione Psalmista dicere potest, quod Deus oderit hominem peccatorem: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*, cum etiam peccatores Dei sint creaturæ, divinis ipsius manibus plasmatæ? Albert. Magn. huic dubio adæquate respondet inquiens: *Tu Domine diligis omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: Iniquitatem autem non fecisti, & propter hoc odisti eam.* Idque sequentibus probat verbis, ex libro Sapientiæ c.11. desumptis, ubi Sapiens ait: *Deus non fecit mortem, nec lætatur in perditione vivorum.* S. Joannis in cap.1. sui Evangelij, postquam dixisset: *Omnia per ipsum facta sunt*, statim subjungit, *& sine ipso factum est nihil*; Quod si autem curiosius scire desideres, quidnam per id *nihil* intelligatur, discito idipsum à S. Antonino qui ait: *Nihil Deo displicet nisi peccatum. Sapientiæ* 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti, & quia sine ipso factum est nihil, ut dicitur Joan.*1. *id est, peccatum, ut exponit B. Augustinus, quod nihil dicitur, quia non est aliqua creatura seu positivum, sed privativum, ideo cum omnia diligat quæ fecit, hoc solum odit, quod ipse non fecit, & in quo invenit, scilicet mortale peccatum, inimicum habet & odit, scilicet respectu culpæ.* Quisnam obscuro primus fuit author peccati? certe non Deus, sed maximus, & juratus Dei inimicus, id est, Dæmon, hac igitur veritate, tamquam indubitata, suppositâ, facilis est ad objectionem factam responsio scilicet *nihil odisti eorum quæ fecisti*, quia, ut bene S. Hieronymus, vel quisquis alius Epistolæ illius Author est, declarat: *Amat Deus hominem, ut artifex fabricam, sed odit mala opera quibus fabrica urgetur in ipsum & qui mala opera odit, malorum operum non potest amore factorem, sicut Salomon sapientissimus protulit, odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* S. Augustinus contra quemdam Manichæi hæretici discipulum, ad idem propositum in hæc verba scribit: *Odit, non in quantum homines sunt, sed in quantum peccatores sunt.* Sic tametsi populus Hebræus, populus esset dilectus, & super omnes mundi gentes amatus beneficijsque auctus, ut proinde Psalmista dicat: *Non fecit taliter omni nationi*, nihilominus idem Deus se illum odio habere manifestè declarat, sed odij hujus causam velim audiatis: Dicit igitur apud Jeremiam: *Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva, dedi contra me vocem, ideò odivi eam.* Hugo Cardinalis super prædicti thematis verba inquit: *Deus non odit naturam, sed vitium, quod non fecit.* S. Antoninus eodem in loco ex S. Hieronymo de pœn. dist. 1. dicit: *Non enim hominibus irascitur Deus sed vitijs.* In his enim Deus partem non habet, ut diffusè probat S. Augustinus super Pſ. 68. inquiens: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas facta non est. Substantiæ illæ per eum factæ sunt, quæ laudant eum. Universa creatura laudans Deum à tribus pueris in camino commemorator*; post congestum verò longum creaturarum Deum laudantium catalogum, tandem subjungit: *Numquid in illo hymno adversistis, quod avaritia laudet Deum? laudat ibi Deum & serpens, avaritia non laudat. Omnia quippe repentia nominata sunt ibi, in laudem Dei, nominata sunt omnia repentia, sed non sunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex nostra voluntate habemus.*

S. Hieron. t. 9. epist. 6. ad amic. ægrotum.

S. Aug. l. 6. con. Adimantum.

Deus peccatis non hominibus irascitur.

Pſ.147.v.20.

Jerem.12.7.

Hug.Card. in Pſ.5.

S.Anton. ib.

S. Aug. in Pſ.68.

4. Multæ equidem sunt rationes, cur Deus peccatum in peccatore detestetur. Albertus Magnus illum adducit ex Habacuc Propheta textum: *Mundi sunt Domine oculi tui, ... & respicere ad iniquitatem non potueris*, & ideò Sapiens, Deum *speculum sine macula* appellat. Quanta autem macula, peccati sit turpitudo, S. Thomas à Villa nova his quidem paucis, sed nervosis verbis indicat: *Qualis est macula, quæ Dei singulare diligitur?* Pater Corn. à Lapide super cap.2. Jerem. hac de re ita scribit: *Erat, consentaneum magis, Dei filium hominem fieri, & tam indigna pati, quam peccatum in ullum relinqui.* Porrò Deus peccatum tanto prosequebatur odio, ut supremum Sanctissimæ Triados consistorium decreverit, ut pro illo abolendo, & destruendo secunda in Divinis persona luteam hanc mortalitatis nostræ trabeam induceret, in eaque per triginta trium annorum Iliadem pro peccato debellando pateretur, & tormenta subirer. Unde S. Bonaventura ait: *Deus persecutus est peccatum ab initio, in tantum, quod projecit illud de cælo, & videns quod remanserat in mundo, ipse in propria persona descendit in mundum ut de ipso fugaret peccatum, & tandem in judicio projiciet, & includet ipsum in inferno.* S. Antoninus quoque de eadem materia has habet considerationes: *Apparet quantum displiceat Deo peccatum ex ejus destructionis elaboratione, omnes enim labores assumpsit, ut destrueret peccatum; voluit enim carnem assumere, & carnem à peccato mundare, prædicare, ut illud contereret; Sacramenta instituere, ut illud destrueret; Apostolos in mundum mittere, ut illud expugnaret; vendi, ut nos redimeret; ligari, ut nos à peccatis solveret; Sanguinem fundere, ut nos a peccatis lavaret; crucifigi, ut illud crucifigeret; occidi, ut occideret peccatum.*

Alb.Magn.ib. Hieron. l. 13. Sap.7. v.26.

S. Thom. de Villa Nova. Hom. 2. de Advent.

Corn. à Lap. in Jerem.2.

Deus ab initio persecutus est peccatum in cœlo & in terra.

S.Bonav. t.6. diat. salut. c.1. cap.1.

S.Auton.ibid.

5. Reflexistisne vos aliquando ad illud Dei lamentum, quando omnibus totius humani generis individuis, peccatis immersis, protestatus est dicens: *Pœnitet me fecisse eos?* ratio autem cur Deum illius pœnituerit, exinde colligitur, quod Moyses paulo ante his verbis dixerat: *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum, omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* At vero quonam modo in Deum pœnitentia cadere potuit? respondent nonnulli, Deum dicere

Propter peccata Deus dixit pœnitet me fecisse eos.

Gen.6. v.5.

dicere voluisse: *Pœnitet me fecisse hominem*, quia ad filium Dei pertinebat, ut pœnas peccati nostri portaret. Textus Hebraicus legit: *Indoluit in corde suo.* Oleaster vertit: *Pœnitet Dominum hominem fecisse. Et ibidem subdit. Hinc disce Deum toties pœnitere fecisse te, quoties te peccatorem intuetur. Similiter quantum malum peccatum sit, ut faciat Deum corde dolere, est enim dolor cordis, inter cæteros acutior; unde & apud Isaiam conquerentem Deum legis: Laborare, inquit, me fecisti in peccatis tuis.* Hanc quoque Dei quærelam Origenes considerat inquiens: *Sicut boni actus nostri, & virtutum profectus lætitiam festivitatemque Deo, & Angelis gignunt, ita vereor, ne mala conversatio nostra, non solum terreat, sed & cælæ lamentationes inducat, & luctus, & fortassis etiam ipsi Deo luctum incutiant humana peccata. Annon lugentis est illa vox, cum dicitur: Pœnitet me, quia feci hominem super terram?* Quando Deus incarnatus ipso triumphi sui die *videns civitatem flevit super illam*, tunc, ut Didacus Stella exponit *Flevit Christus nostra peccata*; neque mirum erat quod lachrymæ ab oculis Redemptoris manabant, qui in eadem septimana in procinctu erat, ut in odium peccati totum sanguinem è venis suis funderet. Ex his autem tormentis, & doloribus quos Filius Dei ad abolendum peccatum sibi assumpsit; in perspicuam devenire possumus notitiam infiniti odij, quo peccatum fuit detestatus. Refert Metaphrastes in vita S. Joannis Chrysostomi, quod cum Eudoxia Imperatrix nonnullos è suis ad Chrysostomum mittere vellet, qui ei ex parte sua, nisi se ejus genio accommodaret, mortem comminarentur; hi prædictæ Imperatrici dixerint: *Frustra illum hominem terres, nihil ille, nisi peccatum timet.* Ita quoque divinus ille Atlas, qui tribus digitis totum sustentat universum, quando coram eo in horto Gethsemani præsentatum fuit peccatum, ut illud dilueret, proque eo per mortem suam satisfaceret, pavor & tremor toto corpore ipsum invasit. Joannes Gerson magnus Cancellarius Parisiensis inquit: *Peccatum maximopere habendum est odio, quod maxime justitiæ divinæ displicet, nam ad ipsum destruendum videtis Deum pati. Peccatum est horribilissimum, aliquin numquam Dominus noster, ad liberandum nos, tantam fuisset perpessus pœnam.* Enimverò si Rex aliquis rebellem quemdam punire volens, per illatum ei bellum illum persequendo, certo sciret, se in tali bello propriæ vitæ jacturam passurum esse, & nihilominus constans maneret, in concepto proposito, vitæque propriæ periculum voluntariæ subiret, diceretis utique, talem Regem, inimicum suum supremo, & mortali prosequi odio; idipsum verò in præsenti casu nostro planè contingit, siquidem Deus ille *quem adorant dominationes, tremunt potestates*, hac nostra se mortalitate vestivit: ut peccatum morte sua destrueret. Audiamus S. Bernardinum dicentem: *Quantum Deo displicuerit peccatum, ac quam magni ponderis extiterit, apparet, quod pro illo Dei Filium necesse fuerit pervenire ad crucem*; Nam ut S. Joannes in Epistola sua ait: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*; opera autem diaboli non sunt alia, quam peccata, pro quibus per mortem suam dissolvendis, Filius Dei venit in hunc mundum.

Qleaſt. ibid.

Orig. Hom. 23. in Num.

Luc.19.41.

Did. Stell. ib.

S. Bern. T.1. ſer.55 in fin.

1.Joan.3. 8.

6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* In his porrò verbis considerione dignum est ly illud, *omnes* hoc enim indicat, ut notat D. Chrysostomus, nullum peccatorem ab hoc Dei odio esse exemptum: *Sive servus, inquit, fuerit, sive liber, sive Rex, sive quicumque fuerit.* Bellovacensis inquit quod Deus, cum de peccato agitur; *nullum habeat ita bonum amicum, quem non habeat odio, si in peccato mortali fuerit, & reputet pessimum inimicum.* Apud Isaiam pulcherrimus omnium Angelorum, quos Deus umquam creavit, de quo dicitur: *Lucifer qui mane oriebaris*, subito, ut unico dumtaxat superbiæ peccato coinquinatus fuit, in profundissimam inferni abyssum est actus. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*; Verumtamen ad infernum detrahêris, *in profundum labi.* Didacus Stellà inquit: *O venenum pestiferum, & execrandum? Si tibi aliquis offerret vas aureum, veneno plenum, nonne illud acciperes? Utique, sed tamen venenum dissimularet, vas verò in utilitatem tuam acciperet. Sed peccatum ita malum, & depravatum venenum est, ut non solum ipsum peccatum sed peccatorem, & animam, quæ subjectum est, ubi peccatum residet, in gehennam mittat. Minus quidem est, ut animam (quæ vas est incorruptibile, & pretiosissimum) in fœtidissimum infernum ejerquilinium præcipitet; Nam peccatum adeo pessimum venenum est, ut vas ipsum valeat polluere & contaminare.* Porro si scire vultis, cujus valoris, & pretij vas istud fuerit, quando à supremo rerum omnium figulo plasmatum fuit, audite regium Vatem dicentem: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*, & tamen subito, ut hoc veneno mortifero imbutum fuit, Deus de eodem dixit: *Delebo ... hominem quem formavi*, tametsi cæteroquin adeo ei charum. Unde Oleaster ait: *Licet pluris hominem facit, quam cætera quæ condidit, tamen si peccator est, illum nihilominus perdit.* Et S. Antoninus inquit: *Peccatum ei displicet tantum, quod benignissimum, & clementissimum Patrem, convertit in crudelissimum judicem, ita ut pro toto mundo non dimittat, quin istos; quos creavit, quos sanguine suo redemit, si eos in culpa mortali invenerit in morte, quin gladio æternæ damnationis occidat, etiamsi fugerent sub chlamydem Mariæ.*

Deus odit omnes peccatores nullo excepto.

D.Chryſ.ib.

Bellovac. ſpec.mor. l.3. diſt.19. part. 2.

Iſa.14.v.14.

Ibid.v.15.

Did. Stell. in Luc.11.

7. Filius Dei in cruce se ab æterno Patre suo derelictum esse lamentabatur, inquiens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* At vero cur ab æterno Patre suo derelictus fuit, qui omnis culpæ expers & innocentissimus filius erat? Num forte memoriæ paternæ excideret, quod illum paulo ante bina vice, id est, super Jordanem, & in monte Thabor, dilectum filium suum appellarat? Nequaquam hæc derelictionis paternæ causa fuit, sed memorandum est id, quod Sanctus Petrus ait: Scilicet quod *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*; Ac proinde æternus Pater unigenitum Filium suum, peccato, licet nostro, & non proprio, onustum videns, se illum in filium agnoscere dissimulavit, quin potius *reputavit eum quasi leprosum & percussum à Deo*; erat-que peccatum, ut Arnoldus Carnotensis ait; *Qui abradebat peccatum*; Et licet crucis ascendisset patibulum, ut inde peccatum debellaret, attamen videns Pater illum, deformi hac peccatricis carnis veste indutum, ostendit quasi illum non curaret, licet dilectus ejus Filius esset. Sanctus Thomas de Villa Nova ait: *Si quis Princeps, vel Imperator adeo esset latronum inimicus, & ultor, ut pro furto filium unigenitum regni hæredem, furca suspenderet, in regno ejus de extero furari quis auderet; Et audes tu in regno Dei peccare, postquam unigenitus Dei Filius crucifixus est pro peccato.* Ecce enim quia Filius Dei furtum pomi vetiti sibi assumpsit (*quæ non rapuit tunc exolvebam*) ideo idem filius hoc furto deprehensus onustus, fine ullo respectu dignitatis personæ in crucem fuit adactus; *Propter scelus populi mei percussit eum.* Sanctus Bonaventura pariter ita scribit: *In tantum peccatum odit, quod propter peccatum, innocentem Unigenitum interfecit: Unde dicitur: Propter scelus populi mei percussit eum, & ipsemet Dei Filius, ut peccatum interficeret, tradidit in mortem animam suam. Nullus inventur, qui tam odiat inimicum, quod in ejus odium velit interficere Unigenitum proprium, vel etiam semetipsum.* Sed ecce tibi & aliam rationem, ob quam Deus tanto odio prosequatur peccatum, quam S. Bernardinus his verbis tradit: *Peccatum quodammodo est occisio Dei. Ex quo sequitur, quod quantum ex se est, culpa mortalis, occidendo Deum, aufert esse omnibus creaturis; Naturæ humanæ aufert esse & gratiam; Naturæ beatæ aufert esse, gratiam & gloriam; humanitati Christi aufert esse, gratiam, gloriam, & Divinitatem.*

Matt.27.46.

Christus in cruce portans peccata aliena, propter illa à Patre derelictus fuit.

1.Petr.2.24.

Arnold. Carn. de ſept. verb.

S.Th. de Vill. ibid.

Pſ.68.v.5.

Iſa.53.v.8.

S. Bonav. ib.

8. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Circa hæc verba advertenda est sequens S. Remigij observatio dicentis: *Magna Dei misericordia non odit illos, qui operati sunt iniquitatem, sed qui operantur, id est, in iniquitate perseverant.* Advertit enim, quod in tempore præsenti dicat: *Qui operantur*, quia quamdiu peccatores in conscientia sua peccato sunt obnoxij, Deus illos abominatur; Similiter incognitus Carmelitanus ait: *Non dicit: Qui operati sunt iniquitatem, ne pœnitentiam excludere videatur, omnes enim impios Deus perdit, & odit, & tamen parcit pœnitentibus, quia amplius non dicuntur impij.* Veruntamen in majorem culpæ mortalis detestationem, notanda est sequens doctrina Abulensis, dicentis: *Quamvis omnibus ad Jé conversis Deus peccata remittat, quantum ad culpam, tamen quantum ad pœnam, interdum non remittit, etiamsi multum oraverimus, vel fecerimus alia opera bona, sicut patet de Moyse, qui peccavit ad aquas contradictionis, Num. 20.*

S. Remig. ib. Pœnitentibus Deus remittit culpam, non semper pœnam.

Incognit.

Abul. in 1. Reg 6. v.14.

9. Enimverò, inter omnes miserias, in quas anima per omnem æternitatem incidere potest, nullum censendum est miserabilius infortunium, quam quod anima aliqua in odio Dei sit constituta, nam ut Sanctus Chrysostomus ait: *Grave est, & gehenna deterius, odio haberi à Deo:* Et ideo supra modum

Mirum quod peccator Deo odiosus possis quiescere.

S.Chryſ.ibid.

mirandum

mirandum est, quod cum is, qui indignationem, & odium incurrit sui Principis, qui longas ad illum apprehendendum manus habet, toto corde contremiscat, & timeat: Christianus tamen, qui peccato mortali est obnoxius, rideat, laudat, jocetur, & hilaris fit, & in utramque aurem dormire possit; cui proinde merito dici potest: *Quid tu sopore deprimeris?* Verum quidem est, quod Elias sub junipero dormiverit, is tamen, licet Jezabeli exosus esset, Dei amicus erat. Petrus pariter, licet catenis vinctus, in carcere dormiebat, at verò uterque vitam præsentem perdendo; de beata, & immortali vita securus erat. At verò peccator in odio Dei constitutus, quando animam efflaverit, ubinam manebit?

Jonæ 1. v. 6.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

De multiplicitate, & malitia peccatorum disseritur, simulque, qua ratione peccatum infinitum dici possit, exponitur.

THEMA.

Libera nos à malo, Matth. 6. v. 14.

Malum peccati est omnium maximum, & dicitur malum simpliciter.

1. CUm peccatum inter omnia mala maximè abominabile, & detestabile sit, Deoque supra modum invisum, ideo Filius Dei, increata illa Sapientia, orationem Dominicam, velut omnium bonorum petendorum breve compendium, componens, ultimo loco hanc petitionem reposuit, *libera nos à malo*, ut nos doceret hanc à Deo postulare gratiam, ut à peccato præservemur, quod absolute malum appellat, & ideo D. Chrysostomus ait: *Unum solum malum esse putemus, in eum peccare.* Idem S. Doctor in alia quadam homilia inquit: *Nihil malum in hac vita putemus, nisi malitiam solum, & improbitatem.* Illud namque solum malum est, quod nobis in hac, & in futura vita Deum eripere potest; hoc autem à nullo alio fit, præterquam à solo peccato; atqui ideo sanctus quidam Eremita, qui semper hilari, & jucundo corde exultabat hanc continui gaudij sui reddit rationem: *Quia Christum à me tollere nemo potest.* Redemptor noster, in sermone, quem in ultima cœna habuit, inter alias supplicationes, quas æterno Patri suo præsentavit, hanc quoque pro Apostolis suis ad Patrem direxit, scilicet: *Rogo ... ut serves eos à malo*, quibus verbis non rogat, ut à persecutionibus, & adversitatibus hujus vitæ eximantur, quia jam ante prædixerat: *Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo;* Rogabat igitur, ut à peccato præservarentur, & Spiritus Sancti opera confirmarentur in gratia; Vide igitur, quonam epitheto Christus peccatum describat: *Sed libera nos à malo; rogo ut serves eos à malo;* Est enim peccatum monstrum quoddam, seu hydra, multa habens pestifera capita, in omnibus enim modis, quibus peccatum definitur, vel describitur, satis clarè innuitur, quod sit venenosa quædam omnis malitiæ scaturigo. S. Bonaventura inquit: *Vocatur macula, & hoc, quia imaginem animæ deformat. Reatus quoniam ad pœnam æternam obligat. Delictum secundùm quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Vocatur scelus, propter injuriam Dei magnam. Item nefas, prout est illicitum personæ perpetranti.* B. Laurentius Justinianus peccatum modestioribus, quos invenire potuit, titulis declarat, inquiens: *Est voluntas retinendi, & sequendi, quod justitia vetat. Est prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum. Post hoc enim homo fit alienus à Deo, interemptor sui, gehennæ filius, confusionis domus, diaboli servus, dissipator naturæ, gratiæ illusor, gloriæque contemptor.*

D. Chrys. H. 54. ad pop. Hom. 61. ibid. — *Joan. 17. v. 15.* — *Joan. 16. v. 1.* — *S. Bonav. T. 7. compend. theol. verit. c. 4. l. 3.* — *B. Laur. Just. de grad. perfect. c. 1.*

Enumerantur peccata operis.

2. In amaro illo fletu, quod Salvator noster super Jerusalem flevit, miserabilis animæ in peccato existentis conditio deplorata fuit; inter cætera verò Jerosolymæ prædixit: *Circumdabunt te, & coangustabunt te undique;* Quam mysticam obsidionem, & circumvallationem Venerabilis Beda his verbis declarat: *Non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates maligni spiritus replicant;* quænam vero sint peccata operis, ab eodem S. Bonaventura discamus, qui ait: *Peccata operis sunt hæc: Gula, luxuria, ebrietas, simonia, sortilegium, violatio dierum solemnium, sacrilegium, indignè communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in divino officio, scandalizare suo malo exemplo; proximum corrumpere, lædere, hominem, vel in rebus, vel in persona, vel in fama, furtum, rapina, usura, deceptio, ludus, venditio justitiæ, exactio indebita, telonia injusta, auscultare mala, joculatoribus adhærere necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, ultra vires proprias quidquam aggredi consuetudo peccandi, recidivatio simulatio, tenere officium ad quod non sufficit, vel quod sine peccato non agitur, choraizare, novitates invenire; majoribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu, osculis, muneribus, itineribus, nutibus, mendacijs, scripturis.*

Luc. 19. v. 43. — *V. Beda ibid.* — *S. Bonav. ib. c. 32.*

Peccata linguæ. — *S. Bonav. ib. c. 31.*

3. *Verum etiam locutionis* inquit Beda, Idem S. Bonaventura varios enumerat modos quibus per linguam peccatur; ait enim: *Peccata oris sunt hæc; Crebra juratio, perjurium, blasphemia, nomen Dei irreverenter assumere, veritatem impugnare, de mendacio, & vanis alios instruere, contra Deum murmurare, irreverenter horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordiæ, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, invertere facta bona, & Ecclesijs placitare, ad iram hominem provocare; reprehendere proximum in aliquo quod ipse facit, vaniloquium stultiloquium; proferre verba otiosa, vel superflua, vel curiosa, jactantia verborum, superflua politio, peccatorum defensio, clamor, risus, cacchinnus; turpiloquium, lenocinium, cantare cantilenas sæculares, murmurare, verba scurrilia proferre, in injusta causa advocare, malum commendare.*

Peccata cordis. — *S. Bonav. ib. c. 30.*

4. *Insuper cogitationis* inquit Beda. Porrò hæc peccata interna, quæ pariter sunt innumerabilia, magna quoque ex parte ab eodem Bonaventura his verbis enumerantur: *Peccata cordis sunt hæc: Cogitatio, delectatio; consensus, desiderium mali, voluntas perversa, infidelitas, indevotio, præsumptio, timor malè humilians, amor male accendens, suspicio, ira, invidia, odium, timere serviliter, exultatio in adversis proximi, contemptus pauperum, vel personarum peccatorum acceptio perfidia, affectus parentum carnalis, inepta lætitia, sæculi tristitia, impatientia, avaritia, superbia, perplexitas, obstinatio, peccati, tædium boni, acedia, inconstantia, pœna pœnitentiæ, dolor quia non facit plus malum hypocrisis, amor placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor privatus, sensus singularis, ambitio dignitatum, vana gloria de bonis naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, verecundia de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, immisericordia.*

Peccata omissionis. — *S. Bonav. ib. c. 33.*

5. Idem Seraphicus Doctor alia quoque insinuat peccata, quæ omissionis appellat, & sunt sequentia: *Peccata omissionis sunt hæc. De Deo non cogitare, ipsum non timere, vel amare, gratias de beneficijs non agere, opera quæ quis facit ad ipsum non referre, de peccatis, sicut debet non dolere: Ad gratiam recipiendam se non præparare, gratia accepta non uti, nec eam servare, ad inspirationem divinam se non convertere, voluntatem suam voluntati divinæ non conformare, ad orationes dicendas non attendere, orationem debitas omittere, ea ad quæ tenetur ex voto, vel præcepto, vel officio, negligere, Ecclesias, vel prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias injunctas negligere, aut negligenter facere, & quæ statim facienda sunt differre; de bonis proximi non gaudere, & malis non condolere, injurias non remittere, fidem proximo non servare, & beneficijs ejus non respondere, delinquentes non corrigere, lites non sedare, ignorantes non instruere, afflictos non consolari, admonitionibus non acquiescere.* Idem Seraphicus Doctor in c. 4. ejusdem libri multas indicat peccaminosas circumstantias scitu necessarias, quæ respectu peccati, vel solent esse antecedentes, vel consequentes; ait enim: *Quædam antecedunt peccata, quædam sequuntur, quædam circumstant. Peccatum antecedunt ex parte aversionis, aliqua ex parte conversionis. Ex parte aversionis antecedunt ipsum peccata ista: Contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, prævaricatio. Illa verò quæ peccatum antecedunt ex parte conversionis, sunt hæc: Cogitatio, libido, concupiscentia, delectatio, perversa intentio, consensus. Alia sunt quæ sequuntur peccatum, sicut est macula, id est deformatio imaginis Dei, & reatus, id est, obligatio ad pœnam æternam.*

S. Bonav. ib. c. 4.

S. Bern. T. 5. ser. de societ. bonâ & malâ p. 390. Descriptio peccatoris ab intrinseco & ab extrinseco.

6. Ex sermone quodam S. Bernardini, alias quoque deducere possumus peccati malitias, ab ipso his verbis expressas: *Mala perversi hominis, paucis verbis tibi perstringam. Quid est homo peccator, atque perversus? est homo peccator inimicus Dei, Angelorum æmulus, amicorum Dei actu, & mente contrarius, inimicorum Dei amicus, Dæmonum servus, deformata Dei imago, indignitas vitæ, turpator naturæ corruptio morum, odium sui, subsannatio*

subsannatio virtutum, virtuosorum irrisor, contemptor in mandatis Dei, truffator in Sacramentis, derisor in promissionibus, cæli exul, inferni promissus civis, amator mundi, turpitudinis cultor, subsellium libidinis, crudelis, & amara vita, conscientia prava, voluntas iniqua, conscientia cæca, ratio corrupta, memoria sterilis, infructuosus mons, organum, & cithara, & instrumentum diaboli, ex malitia, & voluntate, non ex proprietate naturæ; Materia infernalis ignis, cœnobium cogitationum malarum, obscuratus sol, & eclypsana luna, stella de cælo innocentiæ cadens, ignis in seipso ardens, aqua maris amara, ex fervore mali quiescere non valens, fluxibile flumen in mare damnationis, gravissima terra ex ponderibus peccatorum, spinas, & tribulos male germinans. Berchorius de peccatoribus differens, malitiam, & infelicitatem eorum hisce verbis deplangit: *Patet quod peccatores ab inferno transglutiuntur, à Paradiso retropelluntur, à mundo suscipiuntur, à Deo despiciuntur, & si vis dic de mundo peccatoribus, quod sunt ignorantes, & tenebrosi, detrahentes, & querulosi, incidentes, & maligni, pestilentes, & furiosi, deceptores, & insidiosi, turbatores, & tumultuosi, inflammati, & ambitiosi, incorrecti, & pernitiosi, tribulati, & calumniosi.* S. Antonin. peccatorem infortunato illi energumeno assimilat, qui mutus, surdus, & cæcus erat, cujus fit mentio in Evangelio; ita enim scribit: *Similis est peccator monstroso Evangelico, qui simul erat dæmoniacus, cæcus, surdus, & mutus, quem Dominus Jesus sanavit Luc. 11. nam peccator cæcus est, quia non videt finem suum, vel periculum, vel monoculus, sicut in quibusdam partibus homines monstrosi, quia non habent nisi unum oculum scilicet ad terrena. Surdus est, quia non audit divina præcepta, mutus, quia non fatetur peccata, nec Deum laudat in operibus suis.* Bellovacensis authoritatem citans Sidonij lib. 3. Epistolarum suarum de impio peccatore ita scribit: *Est hic loquax, nec dicax, ridiculus, nec lentus, arrogans nec constans, curiosus nec perspicax, tempora præsentia colens, præterita carpens, futura fastidiens, beneficij, si rogatus est, importunus petendi, derogator negati, æmulator accepti, callidus reformandi, quærulus flagitati, garrulus restituti. At si rogandus, simulator parati, dissimulator petiti, publicator occulti, calumniator morati, inficiator soluti, osor jejuniorum, sectator epularum, laudabilem proferens non de bene vivente, sed de bene pascente sententiam. Inter hæc tamen ipse avarissimus, quem non tam pascit panis bonus, quam alienus, avidus vivendi, avidior detrahendi, rabido ore spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum.* Et quidem Bellovacens. in hoc homine defectus solum depingit leves, prout ex illis, quæ antecedenter allegat, clarè deduci potest. S. Bonavent autem verba illa ex libro Sapientiæ desumpta: *Medicamentum exterminij*, de peccato exponit. inquiens: *Id est, poculum peccati, secundùm glossam, quod est causa exterminij. Exterminium enim dicitur peccatum, quia extra terminos gratiæ ponit. Item mors temporalis, quia extra terminum vitæ naturæ ponit. Item mors gehennalis, quia ponit extra terminos gloriæ.* Idem Seraphicus alio in loco de peccato ita scribit: *Est deformitas, quam Deus detestatur, iniquitas, quam Deus amplexatur, & infirmitas, qua mundus dissipatur.*

Berch. ver. peccatores Diction. — *S. Anton. ibid.* — *Sap. 1. v. 14.* — *S. Bonav. ib.* — *S. Bonav. t. 6. diat. salut. tit. 1. c. 1.*

S. August. ser. 14. de Ver. Apost. c. 15. — *D. Chrys. H. 28.*

Peccator est Dæmone deterior. — *S. Dion. Areop. de Eccle. Hier. c. 3.* — *Ps. 99. v. 2.* — *D. Chrys. ser. 6.*

7. De iniquitate dici potest: *Qualis Pater, talis filius.* Quisnam vero hujus monstri pater extitit? *Non primus peccavit Adam*, inquit S. Aug. *si primum peccatorem requiris, diabolum vide.* S. Joannes Chrysostomus ad peccatum detestandum nos exhortans, illud Dæmone pejus esse dicit: *Peccatum Dæmone pejus ejiciamus, Dæmon siquidem non omnino spoliat regno cælorum, sed subinde fit, ut & prosit modesto & vigilanti; peccatum vero omnino excludit, voluntarius quippe Dæmon peccatum est* Similiter S. Dionysius Areopagita hominem impium Dæmoniaco deteriorem esse pronuntiat, inquiens: *Cæterum opinor, imo vero compertum habeo; syncerissimum sacrorum ordinum judicium censere præ istis detestabilissima obsidione teneri eos, qui Deiformem vitam deserentes, sententijs moribusque perditis, Dæmonibus consentiunt, dum ea quidem, quæ & vera sunt, & immortaliter possidentur, & æternaliter delectant, per extremam, sibique pernitiosam dementiam aversantur.* D. Chrysologus considerans verba illa Psalmi: *Servite Domino in lætitia, introite in conspectu ejus in exultatione*, de statu illo deplorando, in quem homo redactus fuerat, priusquam Deus grave illud jugum ab eo tolleret, ita scribit: *Erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium Dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus; Sic malis Dominis, talibus, tantisque exhibebat homo malam & miseram servitutem. Quando homo non sub peccato tristis? Quando non sub morte lugens? Quando non sub Dæmonibus pallens? Quando non sub idolis tremens? Quando non sub vitijs suspectus? Quando non sub criminibus desperatus? Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles Dominos sustinebat.* S. Hieronymus super illa verba Psalmi octogesimi: *Non erit in te Deus recens*, ita scribit: *Cui Deus venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem & concupivi? Libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Avarus aurum Deum habet.* Idipsum confirmari potest authoritate antiquissimi Tertulliani; audite enim quonam modo peccatum describat: *Crimina*, inquit, *tam exitiosa, tam devoratoria salutis, cætera quoque ad aliquem modum in idololatriæ conditionem suam repræsentant.* Et postquam de varijs peccatis disseruisset, in hæc verba concludit: *Ita fit, ut omnia in idololatria, & in omnibus idololatria, sine dubio idololatriam admittit, quicumque delinquit.*

Ps. 80. 10. S. Hier. ib. — *Tertull. l. de Idol. c. 1.*

S. Bern. T. 2. ser. 12. art. 1. c. 1. Quonam modo peccatum dicatur infinitæ malitiæ. — *S. Bern. ibid. art. 2. c. 2.*

8. Porrò quonam modo peccati malitia infinita dici possit, S. Bernardinus his verbis exponit: *Malitia culpæ, respectu Dei, qui offensus est, infinita dici potest, privat enim infinito bono, quod & ipse Deus æternus est, ac æternaliter tenet eum privatum, cum reddat hominem impossibilem ad surgendum; & ad reddendam justitiæ debita.* Idem Sanctus in progressu ejusdem sermonis ita de peccato scribit: *Necessitat, & inclinat ad innumerabilia mala, & quantum in se est, infinita incommoda contingenter, vel necessariò præstat.* Idem in articulo secundo ejusdem sermonis gravitatem culpæ ex sequentibus deducit motivis inquiens: *Quanto minus est bonum, quod Deo præfertur, sive propter quod ipse deseritur, tanto major ei contumelia irrogatur; quia igitur omne quod est, vel esse potest, in infinitum minus est ipso bono, quod ei præfertur, aut pro quocumque alio deseratur, infinita ei contumelia irrogatur. In omni autem mortali culpa aliquid ei præfertur, & pro illo deseritur, secundùm quod Augustinus definiens peccatum mortale ait: Peccatum est, spreto incommutabili bono, rebus incommutabilibus adhærere; ex quo patet, quod in omni peccato mortali; infinita Deo contumelia irrogatur. Hoc patet ex veris proportionibus. Si enim Deo præfertur bonum in duplo minus, quam ipse est, aliquanta ei injuria irrogatur. Si autem in quadruplo minus bonum ei præfertur, duplo major ei injuria irrogatur, & ita in infinitum. Quia igitur non est reperire aliquid, quod non sit in infinitum minus bonum, manifestum est, quia quidquid ei præferatur, aut pro quocumque alio deseratur, infinita ei contumelia sive injuria irrogatur.* Porro gratia Dei, cui peccatum injuriam infert, esse quoddam infinitum habet; quia nos per omnem æternitatem in boni infiniti possessionem immittit. Et ideo qui illam contemnit, & pro turpi voluptate conculcat, de eo dici potest, quod eam, juxta proportionem sui valoris, in infinitum vilipendat. Pro meliori hujus intelligentia, imaginemini vobis hominem, cujus potestati subjecti sint omnes Angeli, & homines, in pura natura creati, in quo sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, omnes quoque cœli, & quidquid supra ipsos est, & sub ipsis, immo omne id quod Deus tamquam Author naturæ creare potest; si hic homo perversus omnia in nihilum redigeret, omnesque Angelos, homines, cœlos, terram, & omnia creata in extremam reduceret desolationem, talis minus malum commissurus esset, quam si unicum dumtaxat peccatum mortale committeret; & ratio est, quia axioma ab omnibus Theologis, immò & ab ipsomet Sancto Thoma, receptum est, quod *bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi.* Si aliquis cœlum empyreum, immò totum universum in terram prosterneret, minus malum faceret, quam si mortaliter Deum offenderet. Sanctus Anselmus in dialogo quodam, hominem quemdam timoratum, ob oculos nobis ponit, qui pro quacumque re pretiosissima hujus mundi constanter à divina voluntate recedere nollet; Quæritque idem Sanctus, *Quid si necessè esset, aut totum mundum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi, aut te facere tã parvã rem contra voluntatem Dei?* Respondetque in persona talis hominis interrogati: *Cum considero actionem ipsam, levissimum quiddam video esse, sed cum intueor quod sit contra voluntatem Dei, gravissimam quiddam, & nulli damno comparabilem intelligo.* Et paulo post subdit: *Fateor me necessè est, quia pro conservanda tota creatura, nihil deberem facere contra voluntatem Dei.* Interrogat verò iterum S. Ansel-

Bonum gratiæ, quo privat peccatum, majus est omnibus bonis naturæ creatæ. — *S. Anselm. Tom. 2. l. 1. cur Deus homo c. 21. Dial.*

S. Anselmus : *Quid si plures essent mundi, pleni creaturis, sicut iste est?* Respondet : *Si infinito numero multiplicarentur, & similiter mihi obtenderentur, idipsum responderem.*

Hebr. 9. v. 22.
S. Epiph. l. 1. adver. hæres. 4. hæresi.
Peccatum est contra legem naturalem.
Gerson Tom. 4. ser. in Domin. 5. Quadrag.

9. Macula à peccato contracta dilui nequit, nisi per sanguinem infiniti valoris, quia *sine sanguinis effusione non fit remissio, neque oceanus ipse, neque maria omnia*; inquit S. Epiphanius, *neque perennes fluviorum aquæ, vel fontium, neque quidquid uspiam pluviarum, si unum in locum conveniant, eluere peccata hominum possunt.* Gerson inquit, malitiam peccati non solum destruere gratiam, sed & ipsam naturam. *Est autem adeo magnum*, inquit, *& horribile peccatum, quod non modo contra legem est divinam, verum etiam contra legem naturalem, quod expressè dicit Aristoteles lib. 1. Polit.* Et ideo, ut suo loco dicetur, omnes creaturæ, etiam insensibiles, se censent esse læsas, & offensas, quando nos communem illarum Creatorem offendimus, & ideo si illis permissum esset, utique hanc injuriam acriter vindicarent.

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.
De vilitate, & infamia peccati.

THEMA.

Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. Reg. 2. vers. 30.

Peccator in omnibus redditur ilis.

1. IN oculis Dei nulla dari potest abominabilior vilitas, quam sit hæc, quæ à peccato, & divinorum præceptum transgressione procedit. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Habent enim vitia hanc naturam, quod vitiosis ignominiam, & maculam inurant. Unde Basilius Magnus super Isaiam ita scribit : *Præ omnibus seipsum injuria afficit fornicator, corruptelam sibi inferens. Mæchus se contaminat per abscænum & infame opus; fur se afficit contumelia, per vilem, fœdam, & illiberalem actionem. Mendax sibi injurius est, ob negatam veritatem. Qui pejerat, indignis modis protervit, se abalienans à Deo. Itaque omne peccatum contumeliosa superbia est, & insolescentis contumeliæ germina sunt ejus, qui omnium primus contumeliose superbivit, convitiatusque est*; Vilitas natalium à parentibus communiter adsciscitur, si scilicet filij è parentibus ignobilibus, & infamibus nascuntur. Vultisne ò peccatores scire, quam sitis vituperosi? S. Bonaventura super illa verba Joan. 8. *Vos ex Patre diabolo estis*, ita scribit: *Ex his patet, ignominiosa hominum peccatorum generatio, quoad modum vivendi, quia sunt ex Patre diabolo, & ita filij ejus, scilicet imitando, non nascendo, qui facit peccatum, ex diabolo est. Frustra ergo gloriantur de humana nobilitate, qui sunt nati hac generatione ignominiosa.* S. Bernardinus, ut hominem honoratum dehortetur, ne se det inordinatis suis appetitibus in prædam, ita de peccato scribit : *Facit hominem despicabilem, abjiciens ab eo omnem dignitatem, nobilitatem, atque honorem; Unde Ecclesiastici quadragesimo primo de talibus scriptum est: Filij abominationum, filij fiunt peccatorum, id est impiarum culparum.* Videmus autem per experientiam, quod in majori parte hominum, stimulus honoris, & reputationis, multa efficere possit; nemo enim tolerare potest, quod tamquam vituperosus & infamis contemnatur. Unde Sanctus Ambrosius inquit : *Infirmus custos diuturnæ bonitatis est timor, pudor autem bonus Magister officij, qui eum metuit, reprimitur, non emendatur.* Unde si in nobis hæc ignominia & vilitas, quam peccatum secum adfert, tenaciter, & firmiter imprimeretur, hæc una, cum adjutorio divinæ gratiæ, sufficiens foret ad hoc, ut irreprehensibilem ageremus vitam. Sententia est Sancti Theodoreti : *Peccati fructus est probrum*, id quod in Lucifero, & Adamo verissimum esse comprobatur. Lucifer enim pulcherrimus erat omnium, qui à Deo creati fuere, Angelorum, & tamen subito, ut contaminatus fuit per superbiam, in horribile & terrificum transmutatus est monstrum. Primus parens noster, hoc à Psalmista retulit elogium; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloriâ, & honore coronasti eum.* At vero quid tandem evenit? *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Sanctus Augustinus inquit : *Primus homo quando peccavit folijs ficulneis pudenda velavit. Hæc velavit, unde nati sumus, membra, quæ enim ante peccatum fuerant glorianda, post peccatum pudenda sunt facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur, non enim erat unde erubesceret, quando peccatum non præcesseras.*

S. Basil. in Isa 13.
Joan. 8. 44.
S. Bonav. ibid.
S. Bern. T. 1. ser. 21. art. 1. c. 6.
S. Ambr. l. 8. in Luc.
Agnitio vilitatis peccati sufficit ad meliorem vitam.
Theod. in Zach. 4.
Transmutavit peccatum Luciferum in monstrum.
Ps. 8. v. 6.
Ps. 45. v. 13.
S. August. ser. 31. de Ver. Domin.

Soror Sancti Bernardi, fratrem suum interrogavit, an anima peccatoris nigra esset, & turpis? Cui mellifluus Doctor respondit: *Soror in Christo dilecta. Tria sunt in hoc mundo nigriora, & deteriora omni malo, videlicet anima peccatoris, perseverans in peccato, quæ est plus nigra, quam corvus; Et mali Angeli, qui eam rapiunt in die mortis ejus. Et infernus in quo jactatur; Non sunt nigriora his tribus in hoc mundo.* Porrò anima nostra ad imaginem, & similitudinem sanctissimæ Trinitatis creata (*faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*) nobilissima quidem est, sed vilescit, & deformatur per culpam. Unde Blosius ait : *Cogita, quod anima tua fuit facta à Deo nobilissima, atque pulcherrima, sed tu eam inique, & negligenter vivendo, inhonestissime defœdasti, & vilem, sordidam atque abominabilem reddidisti, nam turpitudo peccati omni turpitudine visibili major est, & revera tanta est enormitas mortalis peccati (cui æterna damnatio debetur) ut jure nosipsos, pro uno etiam minimo tali crimine, omnibus diebus vitæ nostræ, usque ad pulverem sibiipsis quoque brutis animalibus deprimere deberemus.* Porrò ut vilitatem peccati ad vivum depictam videremus P. Alvarez, magnus ille vitæ spiritualis director, aptam proposito nostro tradit considerationem; ita enim scribit : *Omnium malorum corporalium, quæ à peccato processerunt, maximum est, ac terribilissimum mors, de quo Paulus : Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt. Rom. 5. v. 12. Ideo Salvator noster mortuorum cadaveribus peccati fœditatem signavit; ut sicut nihil est cadavere fœdius; ita cognoscamus nihil esse peccato deformius.* Cadaver aliquod licet sit Regis, vel Monarchæ alicujus, statim in potestatem redigitur vilissimorum hominum hujus mundi, conculcatur, & in sepulchro calcibus teritur caput illud, quod antea totum faciebat contremiscere mundum, ludus est bufonum & pabulum serpentum. Unde S. Hieronymus ait : *Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Homo, quantumvis magnus sit, & potens, attamen quando extra gratiam est constitutus supremæ illius Majestatis, *quam adorant Dominationes, tremunt Potestates*, mox in conspectu Dei ad instar vermis alicujus vilis est & abjectus.

S. Bern. ser. 26. de modo bene vivendi.
Gen. 1. v. 26.
Blos. vit. ascet. medit. 1. divis. 1.
Alvar. T. 2 l. 1. p. 1. c. 2.
Peccatum comparatur cadaveri.
Rom. 5. v. 12.

2. Inter alia damna, quæ peccatum animæ adfert, unum est, quod illam turpiter commaculet. In quonam verò hæc macula consistat, S. Antoninus his verbis exponit : *Sciendum secundum S. Thom. 1. 2. q. 46. quod macula propriè dicitur in corporalibus, qua corpus nitidum perdit suum nitorem, ex contactu alterius, sicut vestis, aurum, & argentum, vel aliquid aliud hujusmodi. In rebus autem spiritualibus, ad similitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus, alium verò ex refulguratione divini luminis, scilicet sapientiæ, & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene, & decenter agendum; est autem quasi quidam animi tactus, quando inhæret rebus aliquibus per amorem contra lumen rationis, & divinæ legis unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, animæ macula metaphoricè vocatur.* Cum igitur Christus animæ sponsus, immaculatum, & purissimi candoris sit speculum, (*candor ... lucis æternæ, speculum sine maculâ*) supra modum ei hæc macula, & deformitas displicet; id quod Dionysius Carthusianus melius declarat, dicens : *Si quis sciscitatur, cur peccata faciunt creaturam rationalem Deo tam displicentem, despectam, odibilem; dicendum quod ideò, quoniam sicut similitudo ponitur causa amoris, & ratio unionis, sic dissimilitudo asseritur odij, aversionis, separationisque causa. Cum ergò peccatum, quoad suum formale, sit nihil, & prorsus ruina, aut defectus ab esse (puta aversio mentis creatæ à vero bono, & actionis deformitas) innotescit, quod nullam cum Deo similitudinem sortiatur, sed dissimilitudinem maximam. Idcircò mentem creatam facit Deo odibilem, displicentem, despectam, & tanto quidem amplius, quo magis peccaverit.* Jeremias Propheta animam peccatricem contaminatam, sub metaphorâ Jerosolymæ, his verbis deplorat: *Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus.* Anima enim faciem deturpatam habet; quando contaminata est ejus conscientia; ac proinde Salvator suadebat : *Faciem tuam lava*, id est, ut Author operis imperfecti exponit : *Quia facies animæ conscientia intelligitur, projice abs te avaritiæ sordes, perjurij stercora, malitiæque putredinem, & lavasti faciem, id est conscientiam tuam aquâ Propheticâ, de quâ dicit Isaias : Lavamini, & mundi estote, auferte nequitiam ab animabus vestris.*

S. Anton. p. 2. tit. 9. c. 2.
In quo consistat macula peccati.
Sap. 7. v. 26.
D. Cart. opusc. de enorm. pecc. art. 1.
Cur hæc macula sit Deo odiosa.
Jerem. Thren. 1. v. 6.
Matt. 6. v. 16.
Auth. imperf. Hom. 15.
Isaiæ 1. 16.

Jeremias in ijsdem Lamentatis ait : *Erraverunt cæci in plateis, ... denigrata est super carbones facies eorum.* Job quoque modum hanc faciem lavandi his verbis tradit : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, ... tunc lavare poteris absque macula faciem tuam.*

Jerem. Thren. 4. 14.
Job. 11. v. 14.

3. Verum enimverò, ut hanc peccati vilitatem, & turpitudinem, non nihil propinquius intueamur, speculemur, & respiciamus speciem peccati sensualitatis, sive luxuriæ, quæ adeò turpis est, ut quemadmodum S. Thomas egregiè advertit, nonnulli quoque Dæmones nos quoad hoc vitium tentare erubescant. En verba Doctoris Angelici : *Dicunt Magistri, aliquos esse Dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, dedignantur de peccato luxuriæ tentare.* Et ideò is, quo nullus inter omnes hujus mundi homines sapientior fuit, quique septingentas reginas, & trecentas concubinas habuit, ingenuè fassus est dicens : *Qui adulter est, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Hanc quoque veritatem S. Thomas à Villa Nova his verbis agnovit : *Nihil libidine turpius, neque abjectius, neque vilius.* Esto enim homo ad quamcumque evectus sit dignitatem, tametsi omni præditus sit scientiâ, omnibusque fortunæ bonis abundet, sitque formidabilis mundi Monarcha, si tamen hac pice est coinquinatus, contemptibilis efficitur, & infamis, & ab omnibus vilipenditur, & pro nihilo habetur. Unde S. Cyprianus ait : *Impudicitia semper detestanda, obscænum ludibrium reddens ministris suis.* Videbitur nonnumquam quis qui præcipiendo promptam à numerosissimo, & formidabili exercitu habet obedientiam, qui tamen postea fœtidi cujusdam scorti obediens efficitur mancipium, potestnè hac major excogitari infamia? numquid hoc obscœnum est ludibrium? Observastisne aliquando, quonam titulo Doctor gentium tentationem carnalem indigitet? Dicit enim : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, qui me colaphizet.* Quænam major personæ alicui nobili irrogari potest infamia, quam si à personâ vilissimâ colaphizetur? hac igitur phrasi loquendi, Apostolus vituperium exprimere intendit, quod huic peccato est annexum, cujus instrumentum, & instigator est creatura, adeò abjecta & abominabilis, qualis Dæmon esse noscitur.

S. Thom. l. 5. c. 51. de erudit. Princip.
Explicatur vilitas luxuriæ.
Prov. 6. 33.
S. Thom. de Villa Nova. conc. 2.
S. Cyprianus de bono pudicitia.
Describitur ab Apostolo per colaphizare.
2. Cor. 12. 7.

4. Ubi Vulgata in Psal. 4. legit : *Filij hominum, usquequo gravi corde*; vertit S. Hieronymus : *Usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem?* Chaldæus autem loco ly *vanitatem*; legit *vituperium.* Idem S. Paulus ad Timotheum scribens, dum coinquinatam exprimere vult conscientiam, ita loquitur : *Cauteriatam habentium suam conscientiam*; Enimverò quando quis publicè velut latro fustigatur, aut cæditur, vel tamquam homo infamis, ad collariam forensem stat alligatus, ut tamquam talis, deinceps fugiatur ab omnibus, eidem igneo quodam instrumento in carnem imprimi solet quidam character vel signum ad instar cauterij; & ad hoc alludit S. Paulus, quando peccatum sub metaphorâ cauterij describit, inquiens : *Cauteriatam habeatis conscientiam*, ut scilicet peccatum tamquam macula, & infame cauterium fugiatur ab omnibus. S. Bernardinus ingeniose notat, quod quanto persona, quæ maculatur, est nobilior, tanto major sit infamia, quam ex tali maculâ contrahit; ipsa quoque experientia demonstrat, quod quanto vestis aliqua opulentior est & candidior, tanto magis labes, quam contraxit in eâdem elucescat. En verba S. Bernardini : *Peccatum est animæ deturpativum, undè nota hic regulam, quod quanto res est perfectior, tanto si corrumpatur, efficitur magis putridior. Lucifer quanto fuit pulchrior alijs spiritibus, tanto magis effectus est cæteris turpior. Ita accidit in animâ; Quanto est nobilior, tanto magis peccando fit pejor, & turpior, & detestabilior.* Jeremias Propheta in Lamentis suis ait : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores*; Quibus verbis puritas animæ immaculatæ, Deoque summè charæ denotatur, at verò audite, quid idem sacer textus de eâdem animâ, postquam per culpam fuit coinquinata, subjungat: *Denigrata est super carbones facies eorum*, id est, ut S. Bernardinus exponit, *facies animarum peccatricum; non sunt cognitæ in plateis, quia tales animæ sunt privatæ pulchritudine sibi à Deo datâ.* S. Paulus manifestare volens, quod Deus gentiles in omnis generis peccata labi permiserit, eo quod lumini naturæ, & notitiæ illis communicatæ non fuerint cooperati, in hæc verba scribit : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui ... servierunt creaturæ potius, quam Creatori.* Propheta regius postquam adulterij & homicidij contractam maculam, per condignam expurgasset pœnitentiam Deum in hæc verba rogavit: *Aufer à me opprobrium, & contemptum*; sub quibus nominibus suum intelligebat peccatum, cur autem hanc gratiam à Deo postularit, hujus idem regius vates hanc reddit rationem : *Quia testimonia tua exquisivi.* Isaias Propheta inquit : *Agnitio vultus eorum respondet eis*; Ubi Septuaginta legunt : *Confusio vultus eorum restitit*; quæ verba certus quidam interpres *de confusione vultus, seu infamiâ* exponit, *quæ oboriri solet consideratione admissi flagitij.* Vix in terris peccatum se prodidit, & ecce confestim ipsum suiipsius puduit, & committenti ruborem erubescentiæ aspersit; adeo ut primi parentes, mox ut prævaricati fuerunt, se præ nimio pudore contegere coacti fuerint; quo tegumento, minimè opus habebant, quamdiu pretiosissimâ innocentiæ, & justitiæ originalis chlamyde amicti erant, sed solum, quando hac amissâ, fuere prævaricati. Quot sunt, qui effræni appetitui suo habenas liberaliter laxarent, nisi metu perdendi bonam famam, seque in conspectu mundi contemptibiles reddendi timore coërcerentur? Nam ut Abulensis ait : *Fama est bona, quia homines desiderio ejus, ut eam servent, operantur interdum virtuosè, quod alias non essent facturi, & perditâ famâ, quidam pro nihilo ducunt peccare, sed in omnia peccata effrænate labuntur.* Quisnam sexus ad lapsum lubricior est, atque debilior muliebri? & tamen in quot fœda peccata hic sexus se præcipitaret, nisi stimulus honoris, & famæ illum contineret intra terminos honestatis, & à præcipitijs abarceret. Observavit idipsum Oleaster, dum in hæc verba scripsit; *Quot feminæ in gravissima prolaberentur peccata, nisi infamiam (quâ maximè deterrentur) timerent? Quam ob causam impudicissimi illi senes, quorum historia Danielis meminit, cum Susannæ, illi pudicitiæ speculo, stuprum consulerent, dicebant : Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & in concupiscentiâ tui sumus, quod si nobis commisceri nolueris, contra te falsum dicemus testimonium.* Quotiescumque David adulterium, & homicidium à se commissum, tametsi per pœnitentiam jam expiatum, recogitabat, semper de conciliatâ sibi ignominia erubescebat; unde ait : *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Salvator noster in horto Gethsemani æterno Patri suo in ferventi illa oratione, quâ dicebat : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste* se præsentans *procidit in faciem suam*, illamque abscondit; at verò quo fine vultum suum abscondit, *in quem desiderant Angeli prospicere?* respondet Doctissimus Salmeron : *Prostratus est, ne desolaretur stellas suo aspectu perturbato, & præ fœditate nostrorum peccatorum, pro quibus suo sanguine & cruce expurgandis, precabatur.* Erubescebat pro peccatis nostris, quando pro illis divinæ justitiæ, per proprium sanguinem, erat satisfacturus, quanto igitur majorem nobis peccata nostra, quæ propriæ malitiæ nostræ partus sunt, parient confusionem?

Ps. 4. v. 3.
Peccatum est ut character, qui inuritur per carnificem malefactoribus.
1. Tim. 4. v. 2.
S. Bern. T. 4. ser. 42. par. 1. in princ.
Thren. 4. v. 7.
Ibid. v. 8.
Rom. 1. v. 24.
Ps. 118. 22.
Pudor subsequitur peccatum.
Ibid. v. 22.
Isa. 3. v. 9.
Quod probatur in primis parentibus.
Abul. in T. 5. in Matth. c. 18. q. 100.
Amor honoris retrahit à peccato.
Oleast. in Gen. 3.
Dan. 13. 20.
Ps. 43. v. 16.
Matth. 26. 39.
Salmer. Tom. 10. Tract. 12.

5. Æternæ veritatis sententia est dicentis : *Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Circa quæ verba P. Alvarez inquit : *Quare iniquus aversatur lucem? Quare videri vel ab amicissimis erubescit, nisi quia se peccato turpem videt, & suam fœditatem ab alijs timet agnosci?* Immò etiam gentiles, qui nullo alio, præterquam naturali lumine, illustrati erant, hanc peccati vilitatem, & infamiam, satis clarè agnoscebant. Unde S. Antoninus sequens adfert celebre Senecæ moralis testimonium : *Si scirem Deos ignoscituros, & homines ignoraturos, adhuc dedignarer peccare*; Et quidam Philosophus cum incitaretur ad peccandum, sibiipsi respondit : *Erubesce cælum, intrare in cœnum.* Merito igitur B. Laurentius Justinianus ait : *Quid te vilius, quid contemptibilius, quem divitiæ extollunt, honores inflant, paupertas dejicit, successus dementat, odia urunt, livores accendunt, libido inflammat, gula subigit, ira discerpit, & omnium vitiorum supplantat? Quem ignorantia cæcat, dolor affligit, tristitia deprimit, inepta lætitia surripit, spes vana occidit, timorque servilis interficit?* Et S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam de monstroso hoc peccati partu dicit : *Nihil eo deformius cogitari, aut fingi potest.*

Joan. 3. v. 20.
Alvar. c. 13. ibid.
Peccator cupit occultari ne agnoscatur ejus turpitudo.
S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 6. §. 4.
B. Laur. Just. de casto connubio, c. 20.
S. Isid. l. 4. Epist. 52.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Immunditia peccati specialiter, sub Metaphora luti, & lepræ, exponitur.

THEMA.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? Jerem. 2. v. 34.

D. Carth. opusc. de enorm. pecc. procemio.
Retrahit à peccato consideratio ejusdem vilitatis.

1. DIonysius Carthusianus in procemio opusculi *de enormitate peccati*, nullum ad arcendum peccatum, potentius dari frænum posse censet, quam sit seria vilitatis peccati consideratio. Et verò tractatum hunc prædictus Author ad adolescentem quemdam scripsit, ut illum à torrente peccatorum præservaret, à quo alias juvenilis ætas facile se seduci permittit; unde in hæc verba quasi exorditur: *Ut peccata cautius declinemus, primo de enormitate, & nocumentis peccati, Deo agente intendo conscribere, optimæ indolis adolescens, quatenus peccati vilitate & fœditate perspicaciter intellectis, tantâ cum diligentia fugias vitia, ut merearis à Creatore præmuniri, & adornari muneribus gratiæ.* Idem illuminatus Author, in progressu hujus libri, articulo tertio, inquit: *Et Omni parte multiplicatur, & crescit peccati vilitas, fœditas, atque enormitas; ideo S. Gregorius ait: Si sciremus qualiter per unumquodque peccatum vulneratur; & fœtet anima, usque ad mortem resisteremus peccato.* Audiatis velim, quo nomine prævaricationes apud Sophoniam cap. 3. fuerint appellatæ: *Nugas*, inquit sacer textus, *qui à lege recesserant congregabo*; hoc est, ut S. Hieronymus exponit; *Hi qui per vitia atque peccata de tuo sinu fugerunt, & facti erant sub Dæmonum potestate.* Cui consonat textus ille libri Sapientiæ, in quo impij de seipsis confitentur dicentes: *Tamquam nugaces æstimati sumus*; in Græco habetur: *In spurium vel in scoriam æstimati sumus.* Spurium autem esse, indubitata est infamiæ nota.

Ibid. c. 3.
Sophon. 3. 18.
S. Hier. ib.
Sap. 2. v. 16.

2. Tametsi Chrysostomus cum alijs in eo consentiat, quod scilicet nomen *immunditia*, propriè peccato impudicitiæ debeatur, nihilominus quodlibet peccatum hoc nomine appellari debere, his verbis tradit: *Immunditiæ vocabulo fornicationem innuit; si quis tamen accurate rem expendat, omne peccati genus hoc nomine appellari potest. Nam quamvis fornicator præcipue, atque adulter immundi dicantur, tamen cætera etiam peccata immunditiam animæ afferunt. Ut virtute nihil est purius, sic improbitate nihil turpius, atque obscænius; illa enim sole splendidior est, hæc cœno fœtidior.* Verum quidem est, quod in agro Damasceno homo ex luto plasmatus fuerit, vilitas tamen hujus materiæ in statu innocentiæ non ita apparuit, quemadmodum postea ex causa peccati turpiter se prodidit, tunc enim homo audire debuit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; notat ipsum Procopius dum ait, *Ubi exuere immortalitatem, corporis intutum, & quasi suo habitu spoliatum est, & nisi se ei ademit, nihil aliud esse nisi lutum.* Statua aliqua fictilis, ab Apelle, vel Bonarota efformata, inæstimabilis est pretij, ob magisterium, & peritiam artificis, tametsi cæteroquin nihil sit aliud, quam terra, quæ pedibus à nobis conculcatur. Eodem modo homo, quamdiu conservabat similitudinem supremi artificis, qui illum creavit, quæ in charitate, & divina gratia consistit, infiniti erat pretij; hac verò sublata, nihil aliud remansit, quam vilissimus luti pugillus, & titio inferni nigerrimus. S. Isaias Propheta, postquam admirabilem delineasset Luciferi effigiem, tandem lapsum ipsius enarrare volens, ipsum factum esse dicit *quasi cadaver putridum.* Unde P. Alvarez sequentem deducit moralitatem inquiens: *Ex quo licet colligere, spiritualia peccata omnium esse fœdissima, quæ pulcherrimum Angelum ad tantam miseriam dejecerunt, ut quasi cadaver putridum, quo nihil fœdius, in stagnum ignis, sulphurisque descenderit.* Idem Propheta alio in loco inquietudinem, & commotionem impiorum describens, eosdem tempestuoso mari comparavit, ac tandem illos velut lutum conculcari concludit dicens: *Impij autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum.* Omnes enim cogitationes, & consilia perversa, quæ in corde suo, à proprijs passionibus agitato, machinantur, instar undarum spumantium, immunditiam à se ejiciunt, & lutum omnis malitiæ; quia *de corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, perjuria &c.* Quod peccatum luti nomine appelletur, idipsum confirmat S. Ambrosius dum ait: *Exemplum attulit, quod ij qui volunt aurum quærere prius se luto oblinant. Aurum itaque justitia, iniquitas lutum est, quod à nostris quoque prius dictum esse, non est dubium, cum scriptum sit, ut lutum platearum delebo eos; Et verè lutum, quia eos inquinant, qui sibi appropinquaverunt. Fugiamus ergo injustitiam, ne luteis sordibus inquinemur, atque in ejus voraginem non pes noster exterior, sed (quod est gravius) mens nostra mergatur.* Sed eheu quot sunt qui voluntariè in hisce sordibus volutantur? Basilius M. in oratione quadam *de peccato* habita ita scribit: *Perinde ac sues dum in cœno volutantur, semper lutum sibiipsis accumulant, ita etiam ij, ignominiâ, quæ in voluptate manat, se quotidie afficiunt, peccatum enim dum editur, aliquo pudore præditum est, at ubi editum fuerit, longe impudentiores efficit eos, qui illud patrant.* Idem Sanctus super illa verba Ps. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*, inquit: *Qui in peccatis perseverant, inque eis persistentes gaudent, & se oblectant, & deliciantur, nihilo dissimiles porcis sunt, sese in volutabro luti provolventibus.*

D. Chrys. H. 28. in 2. ad Cor.
Immunditia denotat omne peccatum.
Gen. 3. v. 19.
Procop. in Gen. 6.
Homo comparatur statuæ artificio factæ ex vili materia.
Isai. 14. v. 20.
Alvar. Tom. 2. l. 1. p. 1. c. 2.
Isa. 57. v. 20.
Peccatum significatur nomine Luti.
Matt. 15. 19.
S. Ambr. in præfat. Ps. 35.
S. Basil. orat. 3. de pecc.
S. Basil. in Ps. 37.

3. Nullum prorsus est dubium, quin filius ille prodigus, verus fuerit peccatoris typus, ac proinde observandum est, quod incarnata Sapientia (quæ illo fine parabolam illam composuit, ut nobis vilitatem & ignominiam culpæ, per illam tanto firmius, & efficacius imprimeret) ipsum porcos pavisse dixerit. *Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*; quod S. Bernardinus considerans, ita scribit: *Glossa ait: Porcos pascit, cum ea, quibus immundi spiritus gaudent, omnia operatur; vel ut pasceret porcos, id est porcinos homines, seu porcinos sensus, ut verificetur in illo, quod dicit Scriptura Sapientiæ 15. v. 10. Luto vilior est vita illius, atque factus est ut sus, in volutabro luti.* S. Ambrosius primum exponens Davidis Psalmum hæc porci in luto se volutantis utitur similitudine inquiens: *Sicut ij qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur, ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, gravius sibi dedecoris sui cœnum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit. Itaque gravi odore terræ illius, ac flagitiosæ voraginis, contrahitur quædam animæ pestilentia, corruptoque salubrium cogitationum spiramine, lues æstuantium passionum miseranda grassatur*, S. Antonius de Padua in sermone quodam in Dominica 3. Quadragesimæ, verba illa Evangelij exponens: *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, modum declarat, quo Dæmon, qui purus est spiritus, immundus dici debeat: ita enim scribit: *Nota, quod Diabolus dicitur spiritus immundus. Spiritus, ut dicit Gregorius, est nomen naturæ, quem Deus purum, mundum, & bonum creavit, sed suæ superbiæ immunditia immundus effectus, à cœlestis gloriæ munditia cecidit qui tamquam porcus immundus, in peccatorum immunditia hospitium elegit, & ibi requiescit.* S. Vincentius Ferrerius considerans, quod de Domino, in cujus servitium filius prodigus se conduci fecerat, dicatur: *Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*, ita scribit: *Hic civis est Diabolus, qui est civis civitatis inferni, & mittit peccatorem custodire porcos, id est vitia, & peccata, quæ fœtida sunt, & immunda ut porci, quia qui peccat mortaliter recipit Diabolum in Dominum.* Enimverò qui plantæ alicujus qualitatem desiderat cognoscere, oculos suos ad fructus dirigere debet, quos planta, sive arbor illa producit; ac proinde de peccatoribus quoque dici potest: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, veluti arbores. S. Bernardus ait: *Sunt arbores infructuosæ, ut quercus, & ulmus, & sylvestres aliæ arbores; sed hujusmodi nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum, & si quem faciunt, non humano esui aptus est sed porcino. Tales sunt filij hujus sæculi, agentes in comessationibus, & ebrietatibus, in crapula, & voracitate, in cubilibus, & impudicitijs. Hæc namque porcorum cibus sunt, quos Judæus verus prohibetur, comedere, quia Christianus his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cum comeditur, nostræ adhæreret carni, ut jam sit una caro, sic transgressor præcepti Dominici sparcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis, cum eis unus efficitur Dæmon. Nam & idcirco in sacrificijs prohibetur animal illud offerri, quod sparcos spiritus, immundosque designet, qui relicta omni munditia in solis sibi spurcitijs complacentes, vitiorum, & criminum semper cœno delectantur involvi.*

Filius prodigus est typus peccatoris.
Luc. 15. v. 15.
S. Bern. T. 5. ser. 24. art. 1. c. 3.
S. Ambr. in Ps. 1.
S. Ant. de Pad. Dom. 3. Quadr.
Spiritus propter peccatum dicitur immundus.
Luc. 15. v. 15.
S. Vinc. Ferr. ser. 2. Sabb. post reminiscere.
Matth 7. 20.
S. Bern. ser. de S. Bened.
Ex fructibus cognoscitur peccator.

4. S. Bernardinus ad insinuandam nobis peccati deformitatem, illud lepræ comparat, quæ omnibus est horrori, & abominationi, & ut plurimum in plebeis, & intimæ conditionis hominibus reperitur. En verba S. Bernardini: *Adverte deformitatem, & fœditatem mortalis culpæ; est enim mortalis culpa spiritualis lepra, deterior quam corporalis, quantum distat mortale corpus à spiritu immortali, & ad imaginem & similitudinem Dei formato. Illa ejicit è consortio hominum, hæc autem à consortio Dei, & omnium Sanctorum, & Angelorum; illa ejicit a civitate, hæc autem non solum privat à cælesti regno, atque præsenti sæculo, sed etiam locat hominem in hospitali, infernali, cum infinita pœnalitate*; Hugo Cardinalis ad multos sese reflectit parallelos, qui culpam inter & lepram intercedunt; ait enim: *Lepra hominem fœtidum facit, & sanis intolerabilem; sic peccatum hominem fœtidum facit, & justis abominabilem.* Nam ut apud Oseam dicitur: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Lepra facit hominem æstuare*, inquit Hugo Cardinalis *sic peccatum.* Lepra in corpore hoc morbo infecto, causat incendium, & pruritum continuum, ita quoque hæc mystica lepra in conscientia causat inquietudinem & remorsum; *non enim est pax impijs dicit Dominus. Lepra quanto reprimitur studiosius*, inquit Hugo Cardinalis *tanto tandem ebullit turpius; sic peccatum, quanto diutius occultatur, tanto turpius apparebit in die judicij coram Deo*, licet enim peccatum abscondatur ab oculis hominum, veniat tamen tempus, in quo ejus turpitudo manifestabitur, & fœtor illius nauseam creabit cœlo, terræ, & inferno; tunc videlicet quando *Deus illuminabit abscondita tenebrarum. Item lepra deformat hominem* inquit Hugo Cardinalis, *& membrorum officio, venustateque privat; sic peccatum deformat hominem interiorem*; id est animam, efficiendo, ut quæ prius templum Dei erat, tandem in prostibulum Dæmonum convertatur; spoliat eam donis, & gratijs Spiritus Sancti, nec non meritis bonorum operum, ad illam usque horam factorum; eripit eidem animæ jus, quod habebat ad gloriam, privatque illam amicitia, & assistentia Dei, nec non quovis alio bono cælicus dato; *lepra per totum corpus diffunditur* inquit Hugo Cardinalis; *sic peccatum per totum corpus ad modum cancri serpens, corpus & animam*, ut Salvator comminatur, *perdit, in gehennam. Leprosus sitim patitur*, inquit idem Hugo; *numquam est satietas pariter in peccato*; semper enim sitiunt peccatores, sive in ordine ad ambitionem, sive ad carnalem concupiscentiam, sive ad crapulam, sive ad odium, numquam saturantur; *lepra contagiosa est alios inficiendo*, eodem modo malum peccati exemplum, pariter ad alios transfunditur. *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, ... & factum est illis in scandalum.* Lepra morbus est, qui difficilè curatur, neque enim alius est, qui illam curet, Medicus, præterquam Deus. Eodem modo qui lapsus est in lepram spiritualem peccati, à semetipso non potest convalescere, sed opus est auxilio illius, qui dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Ecce igitur, quàm bene, & congruè pessimæ qualitates lepræ culpæ adaptentur, quam tam Scripturæ Sacræ, quam Sancti Patres, ignominiosam, & vilem esse, unanimiter testantur.

Peccatum comparatur Lepræ.
S. Bern. T. 2. ser. 27. art. 3. c. 5.
Hug. Card. in Luc. 12.
Similitudo inter culpam & Lepram.
Ose. 9. v. 10.
Hug. Card. ib.
Isa. 48. v. 22.
Hug. Card. in 1. Cor. 4.
Hug. Card. in Matth. 8.
Peccator semper sitit ulteriores malitias.
Ps. 105. v. 35.
Matth. 9. 12.
Ose. 13. v. 9.

5. Tametsi non videatur mundus (incompetens divinarum legum judex) vilitatem, & contumeliam peccati æstimare, iniquum tamen illius judicium non est attrendendum, quia ut S. Augustinus bene advertit, impij peccatores pensant peccata, *non in statera æqua divinarum Scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinum suarum: Quidquid enim sceleris, & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinati veritatem. Sed ideò sunt tamquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cælestium paginarum, ut ubi quisque videat quodlibet peccatum, quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur. Putatne gravius divinis eloquijs accusari avaritia, quam ut idololatriæ monstraretur æqualis, & ejus nomine appellaretur dicente Apostolo, & avaritia quæ est idolorum servitus. Putatne majori pœna digna judicari, quam ut inter crimina poneretur, quibus possessi regnum Dei non possidebunt?* Idipsum verò pariter de turpitudine peccati asserere possumus; quæ enim dari potest vilitas, & immunditia major, quam sit illa, quam peccatum simul cum ingenti ignominia homini infert, utpote quæ pari loco, quo lutum, & lepra, habetur, suntque peccatores non minus abominabiles, quam porci & leprosi. Deus apud Oseam de legis suæ transgressoribus lamentans, eosdem hunc in modum describit: *Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordes.* Ezechiel quoque animæ peccatrici improperat dicens: *Abominabilem fecisti decorem tuum.*

S. Aug. Tom. 7. l. 3. con. Epist. Parmenian.
Mundus vilipendit peccatum.
Ose. 5. v. 11.
Ezech. 16. 25.

6. S. Antoninus ait: *Est anima nostra illa margarita tam pretiosa, pro qua cælestis negotiator omnia bona sua dedit, ut compararet eam, sed peccatum nimis vilificat eam, adeo quod non capiat locum, nisi immundissimum, scilicet sentinam mundi, id est infernum; & ideò Dominus, ut se peccator consideret, ut vilitatem deponat peccati, exhortans ait: Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Jeremiæ secundo, id est peccata sequens.* Cœlestis Magister noster animam hisce bonis terrenis immersam, drachmæ assimilat, inter sordes domus latescentis; ait enim: *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit dragmam unam, nonnè accendit lucernam, & everrit domum, ... donec inveniat eam? per drachmam significatur qualibet anima*, inquit Hugo Cardinalis *Dei imagine insignita, quæ etsi per peccatum deturpatur, non tamen annihilatur.* Ecce igitur ubinam talis anima, terrenis immersa bonis delitescat, nimirum inter immunditias, & inter sordes scopis congestas, ut per hoc insinuetur ejus vilitas, qua vilescit, quamdiu extra gratiam Dei consistit. Verumtamen ex hisce sordibus lucerna mediante eruitur, si nimirum ad hanc se vilitatem reflectat, in quam se ex propria voluntate conjecit. Nam ut S. Anselmus ait. *Natura peccati est, ut non facile videatur ab illo, qui eo premitur, sed mox ut cessaverit, & ab illo se alienaverit, tunc demum considerat, in quanta fœditate, & miseria jacuerat.* Si enim anima, priusquam in peccatum consentiret, ad turpitudinem maculæ, quam contrahit, se reflecteret, numquam adeò stolida futura esset, ut hanc voluntarie sibi adsciscerer. Unde S. Thomas de Villa Nova ait: *O anima si cognosceres excellentiam, & dignitatem tuam, tam perpetuam, & ineffabilem gloriam, & sublimitatem, quam expectas, quomodo dedignareris dejicere te ad amorem, & cupiditatem horum terrenorum? quomodo horreres fœdari tuam pulchritudinem fœdo isto luto libidinum?* Chrysostomus efficaci ratione ostendit, neminem commissurum esse peccatum, si ad ejus se reflecteret vilitatem; ait enim: *Si recordatio sola pudore afficit, quanto magis ipsa actio? cogita quousque vitiositas ipsi progressa esset, cum vel supplicio liberati ab erubescentia liberari nequirent.* S. Ambrosius similem instituit considerationem, dum ait: *Ubi quis resipuerit à furore, tunc conscientia interioris aperitur, visus, factique pœnitentia succedit, & pudenda sui quisque facinoris erubescit.* Inter alias rationes à P. Alvarez adductas, ob quas peccator offensam Dei adeò parum abominatur, hæc quoque una est; *Ut peccatum odio habeatur, debet ejus fœditas, & malitia cognosci. Mundus autem, & mundani hanc malitiam, & deformitatem ignorant, quam vident Principum exemplis, magnatum operibus & omnium penè hominum; cujuscumque status sint, factis, & assertionibus comprobatam. An mundani luxuriæ fœtorem abhorrent? immò diligunt, mercantur, de illa se jactant, & in privatis colloquijs, suos, ut ipsi dicunt, amores narrant.* Verum tamen est, quod quando in seipsos redeunt, & divino lumine illustrantur, de præteritorum peccatorum spurcitie erubescant; unde dicebat Apostolus: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* S. Augustinus in meditationibus suis ad propositum nostrum ita scribit: *Certe, ò miser homo, ipsa sola plus est vitanda peccati fœditas, quam qualibet tormentorum immanitas.* Tormenta enim quantumvis sæva, & crudelia, solum possunt lacerare, & deformare corpus, peccatum verò animam commaculat, eamdemque in sempiternum indignam efficit, quæ Deum aspiciat. In vita S. Ludovici Regis Franciæ scribitur, quod cum quemdam suorum interrogasset, quidnam è duobus, peccato scilicet, vel lepra, præeligere mallet; illeque se peccatum potius, quam lepram velle respondisset, Rex Sanctus subintulerit: *Toto cælo erras. Ec quæ lepra peccata fœtidior, quod etiam post mortem affligit?*

S. Anton. p. 2. Tom. 14. c. 6. § 4.
Peccator delitescit inter sordes scopis congestas.
Luc. 15. v. 8.
Hug. Card. ib.
S. Anselm. de simil.
S. Thom. de Villa Nova. Dom. 3. Adv.
Anima cognoscens propriam excellentiam & peccati turpitudinem numquam peccabit.
D. Chrys. H. 12. ad Rom.
S. Ambr. lib. 4. in Luc.
Alvar. T. 1. l. 1. p. 1. c. 6.
A peccantibus nascitur malitia peccati, quam post illud commissum cum pudore agnoscunt.
Rom. 6. v. 21.
S. Aug. in medit.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

De abominabili puteolentia, & fœtore peccati.

THEMA.

Domine jam fœtet, quatriduanus est. Joan. 11. v. 39.

1. CUm Lazarus quatriduanus, verus sit peccatoris habituati typus, non sine mysterio fœtuit, quia, ut Doctor Angelicus ait: *Mysticè ille, qui peccare consuevit, jam fœtet, scilicet per pessimam famam, cujus odor deterrimus per peccatum consurgit.* Sicut enim Apostolus de Dei servis ait: *Christi bonus odor*

Qui peccare consuevit mysticè fœtet.
S. Thom. in Joan.
2. Cor. 2. 14.

odor famus in omni loco : ita pariter de impijs verificatur, quod intolerabilem spirent fœtorem, & puteolentiam. Unde D. Seraphicus ait : *Fœtet peccator, nec mirum, quia putrefactus putrefactione spirituali, propter quod ait Propheta in persona talium ; Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ ; & computruerunt jumenta in stercoribus suis, quod est homines carnales in fœtore luxuriæ vitam ſmire, Fœtet talis horribiliter, & multipliciter. Ascendet fœtor ejus, & putredo ejus ; & recte ait ascendet, quia usque in cælum, & ita coram Deo, & etiam coram ſeipſis. Anſelmus in meditationibus ait : Tolerabilius canis putris fœtet hominibus, quam anima peccatrix Deo, infelicius iſta Deo, quam hominibus ille.* Hactenus S. Bonavent. D. Chryſoſtomus impium in peccatis habituatum delineare volens, hac phraſi loquendi utitur : *Cum ſe antris, cloacis, & voraginibus vitij ſe infoderint.*

S. Bonav. ib.

D. Chryſ. in Pſ. 142. Metropolis peccati eſt Babylonia.

2. Enimverò regni peccati metropolin, Babyloniam eſſe, nemo non fatebitur; at verò reflexiſtisne vos aliquando ad locum, in quo hæc Babylonia erecta fuit ? Numquid forſitan in medio Ægypti, quæ ſymbolum eſt mundi ? aut verò ex oppoſito Jeroſolymæ ? nequaquam ; ſed *invenerunt campum in terra Sennaar.* At verò quodnam in eo latet myſterium, quod inter omnes totius mundi partes, hunc campum Sennaar elegerint ? Audiamus Rupertum Abbatem dicentem : *Ipſum campum, quem invenerunt, Scriptura nunc vocat Sennaar, quod interpretatur fœtor, quia videlicet fœtorem ſuperbiæ eorum tali auſu uſque ad nares Dei emiſerunt. Cui ſicut humilitas, vel ſpiritus contribulatus, ſacrificium eſt in odorem ſuavitatis, ſic econtra ſuperbia, fœtor horribilis eſt.* Subito ut in cœleſti paradiſo, in illa deliciarum amœnitate, de qua Beda ait : *Floribus ejus nec roſæ, nec lilia deſunt*, peccatum Luciferi locũ habuit ſuumque fœtorem per cœlũ empyreum diſperſit, in abyſſum præcipitatus fuit, ubi, ut in promptuarij ſacri ſpeciali diſcurſu *de inferno* diximus, una ex atrocioribus damnatorum pœnis, eſt fœtor horrendus, quem peccata ibidem exhalant. Enimverò, ut præclarè ſacer quidam Interpres advertit, ſi Rex aliquis in vaſe aureo, fœtidum aliquod ſibi appoſitum acciperet ferculum, utique ferculum abjici, paropſidem verò aureum, per ignem, vel forte lixivium, purificari præciperet, aurum nequaquam verò diſperderet. At verò ſi una cum cibo, etiam aurum abjici mandaret, hoc utique certum foret indicium, fœtorem cibi illius adeò intolerabilem eſſe, & paropſidi adeò firmiter adhæreſcentem, ut ab ea nunquam aboleri poſſet. *Deus autem Luciferum, quaſi vas auri ſolidum, & ornatum omni lapide pretioſo, ob fœtorem peccati projecit in ſuſurrum.* Et quidem tametſi in igne omnis auri purgetur macula, omnisque ab auro imbibitus fœtor, quantuſcumque ille ſit, penitus aboleatur, attamen fœtor à peccato Luciferi, aliorumque Angelorum rebellium contractus, in flammis illis hactenus à ſexies millenis, ſexcentis, & ſeptuaginta annis purgari, & aboleri non potuit, imò magis quam umquam ipſas inficit ſtellas, & ex inferno fœtidiſſimam cloacam efficit.

D. Chryſ. in Pſ. 142. Metropolis peccati eſt Babylonia.

Gen. 11. v. 2.

Rup. Abb. l. 4. in Gen. 41.

Beda ſer. 18. de Sanctis.

Cibo putrido plus fœtet peccatum.

3. Apud Iſaiam dicitur : *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrũ, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis.* At verò undenam hæc diviſio, & divinæ faciei abſconſio procedebat ? audite Procopium dicentem : *Avertit faciem à peccatis, tamquam eorum turpitudinem, & fœtorem non queat tolerare.* S. Antoninus ait : *Dicitur anima peccatrix, fœtida, immunda, & corrupta ; Pſ. 52. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Tanta eſt ejus immunditia, ut ad ejus comparationem, omnem immunditiam corporalem, quantamcumque lepræ, plagarum, & ulcerum, Deus, & Sancti, qui rectum judicium habent, nullum exiſtiment. Tanta eſt hujuſmodi immunditia, ut nulla ablatio terrena hanc immunditiam tollere poſſit, & maculas, niſi Deus aqua cœleſtis gratiæ ſigurata in aqua Jordanis, in qua Naaman Syrus, totus immundus lepra, totus, mundatus eſt ad plenum. Tanta eſt hujuſmodi immunditia, ut ad hujuſmodi ablationem faciendam, neceſſarium fuerit, Dei filium de cœlo deſcendere, carnem aſſumere, crucem fubire, ut ſanguine ſuo auferret iſta mucida immunditiæ. Apocalypſis c. 1. Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Ad hanc immunditiem removendam tot lavacra ſtarent aquas diluvij, ignem judicij, & purgatorij ; tribulationum, & martyrtorum, lachrymarum, & Sacramentorum.*

Iſa. 59. v. 2. Deus non poteſt pati fœtorem peccati.

Procop. ib.

S. Anton p. 4. tit. 14. c. 6. §. 5.

Animæ fœtor eriam quandoque in corchi contigit, de quo Scriptura ait : *Ita ut de corpore impij vermes ſcaturirent, ... & fœtore illius, exercitus gravaretur ; ... cum nemo poterat propter intoleranciam fœtoris portare ;* Imò paulò poſt ſubdit ſacer textus : nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet ; At verò vultisne hujus fœtoris ſcire cauſam ? Ecce vobis illam : *Orabat ... ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Et quidem veriſimile eſt, domeſticos ſuos omnem adhibuiſſe induſtriam, ut per aromata, & odorifera, pretioſiſſimaque Arabiæ incenſa, & fumigationes, fœtorem illum mitigarent, ſed omnia illa incaſſum fuere adhibita, ſiquidem nulla umquam inventa fuit, nec invenietur tantæ virtutis fragrantia, quæ peccati fœtorem extirpare poſſit. Quando Chriſtus ad monumentum Lazari accedere voluit, dixit ei Martha : *Fœtet, quatriduanus eſt enim ;* Et vero tametſi veriſimile ſit, quod cadaver illius, tamquam viri nobilis, & divitis, balſamo abundanter imbuerint, quemadmodum de corpore Chriſti Evangeliſtæ narrant : *Acceperunt corpus Jeſu, & ligaverunt linteis, cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire*; attamen, quia cadaver illud peccatorem præfigurabat, ideo divina providentia ad noſtram eruditionem diſpoſuit, ut fœtorem ſpiraret, ut per hoc intelligeremus, nullo adhibito zibetto, muſco, vel ambra, puteolentiam peccatoris mitigari, quin potius quanto magis cadaver illius profumigatur, tanto peſtilentiorem exhalare fœtorem. Narrat B. Petrus Damianus de Sophia, Reinerij Marchionis filia, quod poſt mortem illius, cadaver ejus magno temporis ſpatio monaſterium in quo ſepultum jacebat, intolerabili fœtore infecerit ; *Tantam enim fœtoris illuviem per commune anni circulum exhalavit, ut tolerari vix poſſet, nec fratres quieſcere* ; & quidem tametſi in eodem monaſterio, multa eſſent aliorum mortuorum ſepulchra, hoc tamen ſepulchrum ſolum ita fœtuit, *ut hæc clarius innoteſceres, quoniam humana caro, quanto tenerius, ac mollius educatur, tanto deterius in putredinem, ac nauſeam vertitur.* Idem S. Author, in eadem epiſtola, aliud quoddam de cujuſdam Ducis Venetiarum conjuge refert exemplum : Poſtquam enim immoderatum, quo cum vixerat, exaggeraſſet luxum, utpote quæ in balneis aquæ elementaris lavari dedignabatur ; ſed ſolum aquas ex deciduo rore collectas corpori adhibebat, lautiſſimisque cibis, ingenti cum ſumptuum diſpendio præparatis, nutriebatur ; Subdit enim pius ille Author : *Cujus cubiculum tot thymiamatum, aromatumque generibus redolebat, ut & nobis narrare tantum dedecus fœtent, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum hujus fœminæ fuerit exoſa ſuperbia, manifeſta docuit in ulciſcendo cenſura. Corpus ejus omne computruit, ita ut membra corporis undique cadita marceſcerent, totumque cubiculum intolerabili proſus fœtore complerent ; nec quis tantam perferre naram injuriam potuit, non Coſmeta, non ſervulus, vix una duntaxat ancilla, non ſine ſpeciei redolentis auxilio in ejus obſequij ſedulitate permanſit, eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abſcedebat.* Advertendum verò hic eſt, quod tam in primo, quam in ſecundo facto nulla gravis luxuriæ peccati fiat mentio, ſed ſolum luxus, vanitatis & ſuperbiæ. Quid igitur de peccatorum carnalium fœtore dicemus ? S. Gregorius ſuper illa verba : *Aſpergatur in habitaculo ejus ſulphur*, ita ſcribit : *Sulphur, quid aliud, quam fomentum ignis eſt ? quod tamen ſic ignem nutrit, ut fœtorem graviſſimum exhalet. Quid itaque in ſulphure, niſi peccatum carnis accipimus ? quod dum perverſis cogitationibus, quaſi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat, & dum fœtoris ſui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis ſubſequentibus, quaſi nutrimenta ſubminiſtrat.*

Ejus fœtorẽ nulla aroma-ta infringunt.

Joan. 19. 40.

B. Petr. Dam. l. 7. Epiſt. 9.

Idem confirmatur de Sophia Reinerij Marchionis filia.

5. Eccleſiaſticus de laſciva quadam muliere, licet arhomatibus bene perfumata, ita ſcribit : *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Sanctus Baſilius Magnus idipſum ſequenti illuſtrat ſimilitudine : *Ut apes ſuavia fugat, & columbas fœtor arcet, ſic cuſtodem vitæ noſtræ Angelum, lachrymabile, ac putridum peccatum repellit*, porro hæc veritas in vitis antiquorum Patrum pluribus exemplis confirmata reperitur. S. Antoninus inquit : *In vitis Patrum legitur, quod eum tranſiret per eremum Angelus, in forma hominis, cum quodam ſancto Eremita, obviam habuerunt quoddam cadaver hominis, & quia valde fœtebat, Eremita naves obturavit cum chlamyde, ne fœtorem ſentiret, Angelus autem nihil tale egit. Poſtea vero obvium habentem quendam pulchram juvenem,*

Eccli. 9. v. 10.

S. Baſil. orat. de pec.

S. Antonin. ib.

Angelus ad odorem juvenis peccaminoſi, & eremita ad

pus redundat, ut Scriptura teſtatur de Antiocho Rege.

2. Mac. 9. v. 9. & 10. & 12.

Ibid. v. 13.

odorem cadaveris nares obſtruit.

Vit. P. l. 6. Libelli 3. n. 18.

Propter naturæ ſuæ nobilitatem etiam diabolo fœtet peccatum.

S. Anton. ibid.

venem, veſtibus ornatum redolentibus, Angelus clauſit fortiter nares, eventa autem imminè, ſed miratus de alta, quod nares obturaſſet, juxta juvenem tranſiens, cum eſſet ita pulcher, & redolens, non autem circa illud cadaver ita marcidum, & fœtidum, reſpondit : Tu cum ſis caro, ſentis fœtorem carnis nos autem quia ſpiritus ſumus, ſentimus fœtorem ſpirituum, qui procedit ex peccatis, quorum juvenis iſte luſcivus erat plenus, & ideo mihi fœtebat. In ijsdem vitis ſequens ſimillimum reperitur exemplum : *Dicebant Patres de aliquo ſene magno, quia cum ambularet in eremo, vidit duos Angelos comitantes ſecum, unum à dextris, & alium à ſiniſtris ſuis, dum vero ambularent, invenerunt cadaver in via jacens, & cooperuit ille ſenex nares ſuas, propter fœtorem, fecerunt autem & Angeli ſimiliter. Et profecti pulſum, dixit ſenex : Et vos hoc odoraſtis ? qui dixerunt ei nequaquam, ſed propter te cooperamus & nos, neque enim appropiat nobis fœtor corporis, ſed animarum, quæ fœtorem peccatorum habent, ipſarum odorem nos odoramus.* S. Antoninus hunc fœtorem, ſæpe etiam Angelis malis intolerabilem effici, his verbis refert : *Quidam Dæmoniacus, ut patet in libro de ſeptem donis, per obſeſſum dixit, peccatum ei fœtere, & hoc propter nobilitatem naturæ ſuæ. A quibusdam dicitur, quod poſtquam Diabolus induxit eos ad malum, præcipuè luxuriæ, ipſe aufugit in altu ejus. Interrogavit quidam, quare ergo cum tanta diligentia illud procuras ? reſpondit : Propter luxum, ſicut cloacarius intrat latrinam, propter lactum, licet ei fœtet.*

6. Plures reperiuntur Sancti, quibus Deus hanc dedit gratiam, ut peccatorum alienorum olfacerent fœtorem. Sic enim in lectionibus S. Philippi Nerij legitur. *Virginitatem perpetuo illibatam ſervavit, idque aſſecutus eſt, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qua vero foetu, ex fœtore dignoſceret.* Bollandus de B. Gentile vidua Ravennate ita ſcribit : *Ejuſmodi erga illam erat benigni Numinis providentia, ut omnibus in rebus, quantumvis minimis, ſingulari quadam ratione illam gubernaret. Ea cauſa prohibitam illam eſſe aliquando didicimus, idvo oblato pane veſci, aliamve ſtipem admittere, propterea quod maxime ab eorum, qui eam dabant, peccatis, expirare fœtorem ſentiebat.* In vita S. Birgittæ ſcribit Surius, quod dum hæc Romæ domum Latini Urſini intrarent, *manu ad nares admota nihil loquebatur. Sciſcitanti illi ab ejus confeſſario, quid id ſibi vellet, reſponſum eſt ; Te non tam recto animo conſtitutum invenit, atque tu eras, cum à te recederet. Admiratus Dominus Latinus, ecquid ais deſignavi ? Verum quidem eſt habuiſſe me hitem, cum quibusdam ſubditis meis. Ibat quandoque S. Birgitta Romæ, cum filia ſua Catharina, & Petro Confeſſario, & Magno Capellano, ad ædes Jordani de Marino, volens invifere ejuſdem Jordani uxorem, qua præſente, tantum ex altibus ſuis ſenſit fœtorem, ut vix ferre poſſet. Admirante ea de cauſa non mediocriter Magno, & à Petro Confeſſario ejus percunctante, reſpondit : Noveris pro certo, quamcumque coram ea quiſpiam obnoxius ſit mortifero peccato, aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offenditur, illum mox ſentire immodicum ſulphuris fœtorem.*

Fœtor peccati probatur ex variis ſcripturæ locis.

Job. 18. v. 17.

S. Greg. l. 14. mor. c. 10.

Job. 17. v. 14.

Pſ. 50. v. 7.

Beda l. 1. in Job.

Prov. 10. 7.

7. Multa quoque habemus Scripturæ teſtimonia, quibus hic fœtor claris perhibetur verbis, etenim Job lamentabatur inquiens : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Quænam vero inveniri poterit puteolentior materia, ipſa putredine ? & tamen ſicut Pſalmiſta lamentabatur : *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, ira credere licet, Jobum per hanc putredinem, & vermes, deſcribere voluiſſe peccatum, id quod Beda advertit, dum ait : *Ubi magis putredo, peccatum accipiendum eſt. Sapiens ait : Memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet* ; quam quoque juſtos inter & impios differentiam, Joſias ni fallor agnovit, quando in Bethel idololatrarum oſſa diſſipabat, ſuccisisque profanis lucis, ac ſalcibus, falſorum numinum deſtruebat altaria ; quod dum faceret, in inſcriptionem incidit quamdam ſepulchralem, quam admiratus interrogavit : *Quis eſt titulus iſte quem video ? reſponderunt cives ei urbis illius, ſepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Juda.* Hujus autem interrogationis à Lyrano accipiamus myſterium, hic enim ita ſcribit : *Cum eſſent ibi multa ſepulchra, quærit, quare ibi Joſias ſpecialiter quæſiſſet de illo ? ad quod reſpondet Rabbi Salomon, quod audit ex antiquare ſepulchri herbas fœtidas, & plangentes ortas, & ſpinas, & tumulos, & hujuſmodi ; ex altero vero latere herbas bonas, & fragrantes redolentes, at balſamum, & hujuſmodi.* Quod ſi verum eſt, clare liquet, quod Deus etiam poſt mortem ipſamet improborum ſepulchra herbarum fœtidarum feracia eſſe velit, ad denotandum culpæ fœtorem, econtra verò circa juſtorum ſepulchra, odoriferas velit progerminari herbas. Verum enimverò ex quo ſepulchrorum mentionem fecimus, ut oſtendamus peccatum nauſeabundum exhalare odorem, hoc mihi inſuper dicendum videtur, quod non ſine ratione peccatum in pluribus ſacræ Scripturæ locis, ſub nomine cadaveris deſcribatur. Unde Alcuinus ait : *Cadaveribus mortuorum peccata ſignificari in lege, non eſt dubium. Hinc illa ſententia dicta eſt ; Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus ? Sic & qui jejunat ſuper peccata ſua, & iterum hæc eadem facit.* Alvarez hanc tradit doctrinam : *Omnia peccata, ſive iniqua conſuetudine obduruerint, ſive ad opus externum proceſſerint, ſive in ſolo intertori conſenſu ſe continuerint, cadaveribus notantur defunctorum, ut ſciamus ſummam eſſe cujuſque peccati turpitudinem, ac deformitatem, quare apud nos fœtidiſſima, & horribiliſſima debuit præſignari.* Sicut enim corpus, poſtquam anima ab eo receſſit, putrefit, ſaniesque & vermes inde ſcaturiunt, horribilemque ſpargit fœtorem, ita quoque quando divina gratia, propter peccatum recedit ab anima, mox intolerabilem exhalat fœtorem, cœlum ipſum quaſi inficientem.

Alc. Interrog. 276. in Gen.

Jac. Alvarez Tom. 1. l. 1. c. 3.

8. Apud S. Marcum dicitur : *Exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis homo, in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis.* At verò quodnam in eo latet myſterium, quod Diabolus, & obſeſſus unanimiter amarint in ſepulchris degere, in quibus nihil præter peſtilentem fœtorem olfactu percipitur : audiamus S. Paſchaſium in ſimili quodam propoſito ita ſcribentem : *Vivos geſtiunt ſepelire, & ſeipſos ſepulchris mandant, ut homines redigant in ſepulchra. Digna quidem utvoramque conditio, ut qui cœlo præſidere nolunt, paſcantur cadaveribus ; & ſaginentur putredine, delicientur fœtore, quibus tota voluptas eſt vitijs deſervire.* D. Chryſologus ingenioſe obſervat, quod ſuperbus Dæmon à monumentorum putredine, in porcos, qui immunda & fœtida ſunt animalia, tranſire petierit, ait enim : *Vide, ubi Satanas ſedem deſideret collocare, de ſepulchris in porcos, ſemel infectus putredine, habitacula fœtida, & immunda requirit ; ſordibus delectatur & cœno, qui utique fœtore criminum, & ſqualore paſcitur vitiorum.* Verumtamen tametſi immundus ille porcorum grex, fœtore plurimum paſcatur, & delectetur, ac proinde in luto ſe libenter circumvolutet, fœtorem tamen, qui ex immundo Dæmone exhalabat, tolerare non potuit ; & ideo *demergi in mari, & fluctibus maluit deperire, quam ejus immanditiam pati, & putredinem tolerare.* Alvarez poſt citatum illum Iſaiæ cap. 34. textum : *De cadaveribus eorum aſcendet fœtor, tabeſcent montes in ſanguine eorum &c.* ſubdit : *Non putes, quia ſolum corpus orbatum anima, cadaver eſt, amen dico tibi, quia & anima ipſa, Deo, per grave peccatum, carens, cadaver eſt putridiſſimum, cujus infamiæ fœtor in ipſos cœlos aſcendit, & Spirituum cæleſtium olfactum, tetro & intolerabili odore perfundit. Qui eo magis hanc peccatorum ignominiam ſpiritualiter ſentiunt, quo melius ſumni Dei, quem offendit peccatum, dignitatem, & majeſtatem percipiunt.* In Revelationibus S. Birgittæ leguntur ſequentia : *Hoc magnum de Spiritus Sancti gratia habuit Sponſa Chriſti, quod quoties approximabant ei homines, ſpiritu immundo, & ſuperbo obnoxij, ſtatim ſenſit tantum fœtorem, & in ore tam amarum habuit ſaporem, quod vix ferre poſſet ; unde quidam plenus peccatis cum confeſſuſſet ei, quæſivit ex eo dicens : Quid eſt de ſpiritu quem dicevis habere, cujus eſt à te, an ab aliquo alio, aut forte a Dæmone ? Sed illa vix ferre valens fœtorem ejus, dixit : Fœtidum habes habitatorem, & fœtida ſunt, quæ procedunt de ore tuo ; pœnitentiam igitur age, ne tibi ſuperveniat ultio Dei ; qui nimis iratus recedens, cum ſe ſopori dediſſet, audivit Dominum voces innumerabilium dicentium, Trahamus iſtum ad loca porcorum, quia ſpernit nomina ſalutis, qui rediens ad ſeipſum correxit ex gratia Dei vitam ſuam criminoſam, & poſtea odor bonus, fœtore fabulato, reverſus eſt.* Spiritus Sanctus apud Oſeam populi Iſraëlitici prævaricationem exprimere volens, non obſtante, quod cæteroquin Deo adeò eſſet acceptus, ipſum nihilominus vas ſtercorarium appellavit dicens : *Factum eſt Iſraël in nationibus, quaſi vas immundum.*

Mare. 5. v. 2. Quare diabolus degat in ſepulchris.

S. Paſch. l. 5. in Matth. 23.

D. Chryſ. ſer. 17. Porci malunt ſubmergi quam tolerare fœtorem Dæmonis.

Alvarez Tom. 2. l. 2. c. 2.

Revel. S. Birg. Extravag. 81. S. Birgitta agnovit ex fœtore alicujus peccata.

Oſee 8 v. 8.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Vilitas peccati, ab ejus denominatione deducitur; peccatum enim bestia, peccatores vero ferarum, aliorumque vilium animalium nomine appellantur.

THEMA.

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm. 48. v. 13.

Peccator à Deo comparatur jumentis.

1. NE forte quis sibi persuaderet comparationem; qua regius Propheta, hominem divinæ legis transgressorem, stolidis assimilat jumentis, eidem casualiter, & indeliberatè; è calamo suo emanasse, ideo in eodem Psalmo v. 21. eumdem versum decimum tertium, iterata vice ad unguem repetit: *Homo cum in honore esset &c.* Hoc autem propheticum oraculum, in claram nos facit venire notitiam, vilitatis, & ignominiæ peccati, utpote per quod bestijs similes efficimur; estque notitia hæc tanto certior; & verior, quia de hac nobis constat; non per assertionem gentilis alicujus Philosophi, vel Sancti Patris, vel alterius classici scriptoris (contra quos aliqua forsitan posset fieri exceptio) sed veritas hæc nobis constat ex definitione Spiritus Sancti; qui illam definivit, per os illius, qui à sacra Scriptura dicitur *sedens in Cathedra Sapientissimus.* 2. Reg. 28. 8.

2. Reg. 23. v. 8. Habitat in stabulo bestiali. S. Th. de Vill. conc. in 4 Dom. Quadr.

2. Et vero primum quod in hac comparatione mihi occurrit, est fœtidum stabulum, in quo peccatores, velut irrationabiles bestiæ stabulantur, de quo S. Thomas à Villa Nova ita scribit: *Quantum distat inter Dei templum purum, & sanctum, & stabulum Diaboli fœtidum, & sordidum, tantum interest inter illum, qui assidue animam suam purificat, & renovat Sacramentis, ut Dei munda inhabitatio fiat, & illum qui toto anno in sordibus peccatorum sordescit*, is enim qui propriam conscientiam, iniquitatibus, & sceleribus adimplet, eamdem abominabile Diaboli stabulum efficit, & in hac eadem, velut in sterquilinio, bestiales appetitus suos jacere, & circumvolvi facit. Idem Sanctus Archi-præsul in alio quodam Sermone ad idem propositum ita scribit: *Apostolus cum dixisset: An nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis; apte adjecit: Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; si quis enim in hoc Sancto Dei templo, equos, & asinos, & porcos immitteret, & sanctuarium Dei, jumentorum stabulum, & porcorum haram faceret, quam impius & sacrilegus haberetur? & si destructis, ac rasis Sanctorum imaginibus, in eodem loco turpissima Bacchi, Jovis, Martisque simulacbra, & aliorum Dæmoniorum idola, audacter, & impudenter statueret, quo incendio, quo supplicio puniretur? Quid minus facis tu, ô peccator, si sacrum cordis, & corporis tui templum vitijs imples, & immunditijs polluis, & sacrum Dei habitaculum, Dæmoniorum spurcissimorum stabulum facis, & expulso Spiritu Dei sancto, turpissima carnalium imaginationum in eo simulachra, idolaque depingis? quo putas inferno, quo supplicio tantum facinus vindicabitur?* Vultisne scire, quodnam, vel quale hujus stabuli sit fœtidũ sterquilinium? certe non aliud, quam bona hujus vitæ, de quibus Apostolus dicebat: *Omnia ... arbitror ut stercora*, quæ tamen à peccatore summo bono anteponuntur. De gloria hujus mundi dicit Scriptura *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus, & vermis est.* In revelationibus sanctæ Birgittæ dicitur: *Equus, qui solutus est, ejecto stercore suo, delectatur nares apponere illi, similiter peccator, perpetrato peccato, quod coram Deo vilissimum stercus est, de ipsius fœtore dulce sibi videtur cogitare.* Isaias Propheta illis, qui à consolationum spiritualium fruitione, in turpes carnis, & mundi degenerant voluptates, improperando dicit: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* S. Job de superbo, & elato homine dicit: *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, quasi sterquilinium in fine perdetur*; quia ut S. Gregorius ait: *In morte sua cum ad tormenta ducitur, stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur.* Gaudia vitæ præsentis, quæ injusti æstimant magna bona justi stercora deputant, unde scriptum est: *De stercore boum lapidatus est piger.* Quando in parabola de ficu, Dominus illius hanc succisam tollere volebat, eo quod per trium annorum continuatam sterilitatem, nullos produxisset fructus, vinitor pro illa intercedens amputationem illius, in alium, usque annum prorogari petiit; promittendo, quod ut fertilis redderetur, circa illam missurus esset stercora; at verò quidnam per hæc stercora vinitor denotare voluerit, Glossa apte declarat inquiens, verba illa: *Circa illam mittam stercora*, eumdem sensum habere ac si diceret: *Malorum, quæ fecit, abominationem ad animum reducam.* Cum igitur mala conscientia sordidum quoddam sit stabulum, cujus stercora, sive sterquilinium vitia sunt & peccata, quæ ob sui vilitatem, & fœtorem, aliud nomen minimè merentur; operæ pretium erit, ut deinceps videamus, quibus nominibus appellentur peccatores; in hoc stabulo commorantur.

S. Th. de Vill. conc. de Dedic. Eccle.

Illius stabuli sterquilinium sunt temporalia. Philip. 3. v. 8. 1. Mach. 2. 62.

Revel. S. Birg. l. 4. c. 12.

Tren. 4. v. 5. Job. 20. v. 6.

Eccli. 22. v. 2. Mittere stercora ad ficum est remonstrare malam conscientiam.

Habac. 1. v. 14. Peccator comparatur reptili.

3. Habacuc Propheta inquit: *Et facies hominis quasi reptile*; quodnam verò animal reptili contemptibilius, aut vilius esse potest, siquidem non ambulat, sed serpit per terram, sicut vermes, & alia similia insecta, & speciatim serpentes, qui ab unoquoque conculcantur, & evitantur? tale autem reptile est homo peccator, de peccatoribus enim ait Psalmista: *Conglutinatus est in terra venter eorum.* In Levitico præcepit Deus: *Omne quod reptat super terram abominabile erit.* Porrò Deus creaturas suas non abominatur, quia *vidit cuncta quæ fecerat & erant valde bona*, bene tamen execratur impios, in hisce venenosis serpentibus figuratos. Sanctus Augustinus ait: *Si in domibus vestris scorpiones essent, aut aspides, quantum laboraretis, & domos vestras purgaretis, ut securi habitare possetis? Irascimini, inveterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpij, serpentes, & domum Dei, cor vestrum, purgare non vultis?* Deus Sancto Petro peccatores in extasi delineare volens, quos per prædicationem suam ad verám Dei perducturus esset notitiam, eidem cœlitus amplum quoddam linteum dimisit, in quo non Cherubini, non stellæ, non gemmæ, sed deformia animalia effigiata erant; dicit enim sacer textus: *Vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.* Isaias Propheta per magis tritas & populares Jerosolymæ plateas oberrans, lamentabatur se nullum invenire hominem; *Veni, & non erat vir, sive homo*, tamen densæ cuidam populi multitudini prædicabat, cur igitur se hominem non invenire conquerebatur? respondet Sanctus Hieronymus: *Omnes enim, viri, & hominis imaginem, relinquentes, bestiarum & serpentium sumpsère imagines, unde ad Herodem propter malitiam dicitur; Ite & dicite vulpi illi; & ad Pharisæos; Genimina viperarum; & ad libidinosos; Equi insanientes in fæminas facti sunt; & de voluptuosis; Nolite margaritas vestras mittere ante porcos; & impudentibus; Neque Sanctum detis canibus.* Chrysostomus quoque hoc Isaiæ lamentum verum esse observavit, nam super illa Dei verba: *Non permanebit spiritus meus in homine ..., quia caro est*, ita scribit: *Porro, ut discas morem esse Scripturæ, quod vitijs studentes, & virtutum studium negligentes, hominum nomine vocare non dignetur, audi Deum loquentem: Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, eo quod carnes sunt. Vidisti, quomodo ob malitiam carnem eos vocat, & non homines? Audi Prophetam Isaiam clamantem, & dicentem, in media Jerosolymorum metropoli, ubi tot millia millium erant: Veni, & non erat homo; vocavi, & non erat qui audiret; non dicit, quia non aderant, sed quia præsentes nihilo meliores erant, quam si non fuissent.* Idem S. Doctor in progressu ejusdem homiliæ considerat sacram Scripturam de Noë dumtaxat dicere: *Noë homo.* Unde subdit: *Hic enim solus homo; cæteri autem non homines; sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati malitiâ voluntatis, generositatem naturæ amiserunt. Quod enim cum in malum declinant homines, & servi fiunt irrationalium affectionum, divina Scriptura imponat illis bestiarum nomina, audi ut quodam loco dicit: Equi mulierum amatores facti sunt; alibi venenum aspidum sub labijs eorum; canes quoque mutos alios vocat; & iterum eos qui aures ad doctrinam obturant, vocat quasi aspidas surdas, & obturantes aures suas. Audi Baptistam dicentem Judæis: Progenies viperarum, quis vobis monstravit, ut à ventura ira fugiatis? Vidisti, quomodo & hic dolum mentis eorum bestiæ nomine significavit?* Apud Ezechielem dicitur: *Homo, homo de domo Israël*; bis repetit nomen *homo*, idque non fine mysterio; ut Origenes notat inquiens: *Omnes homines nati sunt homines, sed non omnes homines, homines sumus, sicut sæpissimè notavi, id quod in Levitico scriptum est: Homo, homo filiorum Israël, aut advenarum*,

Ps. 43. v. 25. Levit. 11. v. 41. Gen. 1. v. 31.

S. Aug. H. 43. Exod. 50.

Act. Apost. 10. v. 11.

Isaias dicit peccatores non esse homines. Isa. 50. v. 2.

S. Hier. ibid.

Gen. 6. v. 3. D. Chrys. H. 23. ibid.

Solus Noe quia justus dicitur homo.

Ezech. 14. v. 4. Orig. Hom. 3. in Ezech.

Non omnes homines sunt homines.

venarum, quia positi sunt in nobis. Estote homines, homines, quia non omnes homines sunt homines. Ostendamus de Scripturis, quomodo quidam homines non sunt homines. Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis &c. iste non est homo homo, sed homo jumentum. Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Talis non est homo homo, sed serpens homo. Et qui in fæminas insanientes facti sunt; unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat, & iste non est homo homo, sed homo equus.

Per peccatum perdidit homo dominium super bestias. Hug. Card. in Gen. 1.

4. Porrò ratio cur infallibilis Dei providentia disposuerit, ut legis divinæ transgressores, in sacra Scriptura, & à Sanctis Patribus, per vilia animalia & bestias denotentur, hæc una fuit, ut scilicet exinde homo vilitatem peccati agnoscens illud abominaretur. Porrò Hugo Cardinalis pulchrè observat hominem in statu innocentiæ a Deo accepisse jurisdictionem & dominium super omnia animalia, illud verò per peccatum adeò amisisse, ut nunc, à minutissimis animalibus miserè affligatur, unde ait: *Omnium constitutus est Dominus homo, sed in maximis dominium perdidit per peccatum, ut in leonibus, ut sciat quantum amiserit; & in minimis, ut in muscis, & pediculis, ut sciat quam vilis factus fuerit per peccatum.* Quidnam obscœno vilius est cane mortuo? & tamen sanctus Bernardus ex humilitate se peccatorem agnoscens, hujus status miseriam his verbis deplorabat: *Sum opprobrium hominum, pecore vilior, cadavere pejor; tolerabilius enim canis putridus fœtet hominibus quam anima peccatrix Deo.* S. Petrus animam peccatricem cani, & scrophæ, luto se immergenti assimilat inquiens: *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* David sibimet ipsi vilescere, & in abyssum nihili sui dimittere volens magis propriam comparationem invenire nequivit quam canis mortui; unde ait: *Quem persequeris Rex Israël? Quem persequeris? canem mortuum persequeris*; ubi Sanctius ait: *Canis aliquid indicat odiosum, & fœtidum, quod si addas mortuum, nihil dixeris odiosius, & vilius. Sic de Simei homine impuro, & vili dixit Abisai.* 2. Reg. 16. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi?* Similiter cum Abner se ab Isboseth contemni videret, iracundia motus in hæc verba prorupit: *Numquid caput canis ego sum?* talibus autem canibus assimilantur peccatores, dicente Psalmista: *Famem patientur ut canes & circuibunt civitatem.*

S. Bern. c. 35. de inter. domo.

2. Petr. 2. v. 22. Comparatur cani mortuo.

1. Reg. 24. v. 15. Sanctius ib.

2. Reg. 16. 9.

3. Reg. 3. v. 8.

Ps. 58. v. 7.

5. Incarnata Sapientia eosdem peccatores hœdis, comparat, dum ait: *Statuet ... hœdos à sinistris.* Cujus similitudinis hanc S. Thomas reddit rationem, *quia est animal per præcipitia vadens, & ad coitum fervidum.* S. Antonius de Padua ad hœdorum respicit puteolentiam & fœtorem, per quem culpæ fœtor repræsentatur. *In hœdo*, inquit, *notatur fœtor peccati.* Idem quoque mysterium Petrus Blesensis his verbis observat: *Peccator assimilatur hœdo ex tribus; hœdus enim animal est olidum, petulcum, hispidum. Fœtor peccantis est in consuetudine; petulantia in instabilitate; asperitas in vermis corrosione.* Beda similiter super illa verba Psalmi 34. *Induebar cilicio*, ita scribit: *Sciendum quod cilicium de pilis caprarum, & hœdorum fit, & per capram, & hœdum, propter fœtorem significatur peccatum.*

Math. 25. 33. Fœtet ut hœdus. S. Thom. ib. S. Anton. de Pad. Dom. 2. Quadr. Petr. Bles. ser. 30.

Ps. 34. 14. Beda ib.

6. Asinus animal est valde contemptibile, & tamen Spiritus Sanctus peccatorem divinorum præceptorum transgressorem asino similem esse pronuntiat: *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.* Infelix ille homo qui ab Jerusalem in Jericho descendens à latronibus despoliatus fuit; figurabat peccatorem qui à divinâ gratiâ corruens in manus incidit spirituum infernalium, qui illum despoliant omnibus meritis; *hic descendit*, inquit Albertus Magnus, *quando peccato consensum dedit.* Observandum vero quod Samaritanus ille Salvatorem nostrum repræsentans *illum jumento impositum in stabulum introduxit: Imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum*, quia peccator similis fit jumentis quorum habitatio propria est stabulum. S. Antoninus ait: *Comparatus est jumentis non solum similis illis, sed vilior, & abjectior eis.* Bernardus. *O quam misera conditio peccatorum, quæ de filio facit servum porcorum, ut prodigus ostendit. Ecce quomodo de grege facta tam egregia creatura. Puto dicerent jumenta, si loqui possent; Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* In Ps. 77. dicitur: *Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte conclusit.* Quibus verbis Propheta de Ægyptijs loquitur, propter oppressionem populi electi flagello à Deo percussis; Sciendum est autem, quod, ut ex versione Vatabli colligitur, nomine jumentorum David impios indigitare voluerit; & ideo dictus Vatablus pro eo, ut legeret: *Jumenta eorum*, ipse vertit: *Et vitam eorum pesti devovit*: Quia tametsi flagellum Dei etiam super jumenta ceciderit, attamen cum stolidis hisce animalibus, in eadem linea etiam vitam eorum reposuit, siquidem impij vitam agunt prorsus brutalem. S. Antonius de Padua supplicium illud commemorans, quod sacrilego illi Regi comminatum fuerat, scilicet *sepultura asini sepelietur*, inquit: *Scilicet putrefactus, & projectus extra portas Jerusalem*; additque: *Hic adverte, quod per asinam anima significatur.* S. Hieronymus ad propositum nostrum commentatur textum illum Ezechielis: *Et immittam in vos ... bestias pessimas usque ad internecionem &c.* & ait: *In nostram Jerusalem immittantur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum, & in conscientiam peccatorum, quæ excruciant, atque dilacerant animum nostrum; tales bestiæ sunt dissensiones, hæreses, scismata, æmulationes, invidiæ, tristitiæ, detractiones, desideria mala, avaritia, quæ est radix omnium malorum; hæc enim omnia peccata bestiæ pessimæ sunt, quæ cum fuerint in nobis, meremur audire: Corripiet te prævaricatio tua, quemadmodum scribitur Jerem. 2. Precamurque, & dicimus: Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* Apud S. Antoninum varias variorum animalium reperio qualitates, varijs humanæ malitiæ vitijs adaptatas. Ita enim scribit: *Valde monstrosum esset, si unus homo esset, qui haberet in se de natura, & proprietate diversorum animalium, ut scilicet caput haberet hominis, sed membrum aliquod leonis, aliud asini, aliud porci, aliud canis; aliud ursi. Sic evenit ait Philosophia Boëtij in lib. de Philos. consol. ut quem bonitate deserta diversis vitijs transformatum videas, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam; & leo quidem efficitur per superbiam; porcus per luxuriam; ursus per gulam; & vulpes per dolositatem, & sic de alijs.* Unde S. Bernardus ait: *Monstrosa res est, gradus primus, & animus imus; sedes prima, vita infima; lingua magniloqua, manus otiosa; vultus gravis, actus levis.*

Assimilatur asino. Luc. 10. v. 34.

Alb. Magn. ib.

Luc. 10. 34.

S. Anton. 4 p. tit. 14. c. 6. §. 4.

Gen. 3. v. 22.

Ps. 77. v. 50.

Vatabl. ibid. Sepultura asini sepelietur. Jerem. 22. v. 19.

S. Ant. de Padua in Ramis Ps.

Ezech. 5. 17. S. Hier. ibid.

S. Anton. ibid. 4. 8. Habet vitiatas variorum animalium qualitates.

7. Quando David pastorculus, postquam se obtulisset ad congrediendum cum Goliath gigante, animositatem suam excusare voluit, ne temeritas esse crederetur, dixit Sauli: *Leonem & Ursum interfeci ego servus tuus*; Quibus verbis in sensu literali dicere voluit, se gigantem illum, licet mons ferreus videretur, minimè timere, eo quod aliàs ursos, & leones dilaniasset: Theodoretus autem mysticum sensum declarans inquit: Davidem gigantem illum, utpote Dei inimicum, non alio loco habuisse quam quo feram quamdam, cujus hanc reddit rationem: *Quia nihil differt à bestia qui vivit in impietate.* Antichristus, qui à S. Paulo *homo peccati* appellatus fuit, à Daniele *terribilis bestiæ* nomine describitur. Chrysostomus à S. Bonaventura lib. 2. pharetræ cap. 5. citatus inquit: *Excogitate quantum est malum, nos ex hominibus, pares Angelis, ad feras transponere, ventri enim servire; & pecuniarum concupiscentia detineri, & irasci, & mordere, & calcitrare, non hominum, sed ferarum est.* Apud S. Antoninum in prima parte summæ suæ lego sequentia: *Si hic vivit vitiosè, efficitur imago diversarum bestiarum; Rom. 1. mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei &c. Hinc & Boëtius ex philosophica consolatione, evenit, ut quem diversis vitijs transformatum videas, hominem æstimare non possis.* Exemplificat idipsum de diversis vitijs varijs bestijs assimilatis inquiens: *Superbia Leoni æquiparatur inanis gloria pavoni, invidia lynci, avaritia talpæ, vel serpenti terram comedenti, ira cani, gula urso, accedia asino luxuria porco, timiditas cervo, instabilitas avi, &c.* Adducit quoq; exemplum Nabuchodonosoris, qui ob suam superbiam, & arrogantiam in bovem transmutatus fuit. S. Antonius de Padua similiter peccata mortalia in feris adumbrari his verbis dicit: *Bestiæ peccata mortalia quæ animam vastant, & laniant, de quibus dicit Isaias 34. loquens de perfida Judæa, id est anima peccatrice; Erit cubile draconum, & pascua Struthionum, & occurrent dæmonia, onocentauris, & pilosus, & clamabit alter ad alterum. Ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem, ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fodit in umbra ejus.* Quod si igitur scire cupimus, quomodo hæc fera animalia à nobis repellere possimus, audiamus S. Ambr. dicentem: *Contere caput tuum in quo erat draconis cubile, ut non inveniat ubi possit habitare, contere draconis carnes, carnes ejus peccata nostra sunt, sicut Sancti, corpus & membra sunt Christi, ita peccatores, qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis, & membra sunt.* Chrysostomus peccatum feris deterius, & crudelius esse censet, nam in sermone quodam, cui titulus

1. Reg. 17. v. 36. Parvulus David magnum Goliath ut bestiam æstimavit.

Theod. q. 40. ibid.

2. Thess. 2. 3. Dan. 7. v. 7.

S. Anton. p. 1. tit. 1. c. 1. §. 3.

Adducitur exemplum de Nabuchodonosore. S. Anton. de Pad. ser. 2. Dom. 1. Quadr.

S. Ambr. in Ps. 37.

titulus est : *Cur presbyter esset designatus* ita scribit : *Quid obsecro possit esse miserabilius ? Scorpij , serpentes , ac dracones invitantur ad laudandum eum à quo conditi sunt , solus peccator ab hac sacra chorea submotus est , idque jure optimo. Mala , & effera bestia est peccatum.*

D. Chrys. T. 4.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Peccatum magnam sibi adjunctam habet ignominiam , quia indignissima quædam servitus est.

THEMA.

Omnis qui facit peccatum , servus est peccati. Joan. 8. v. 34.

1. QUidnam Salvator noster, ut peccatum nobis exosum & abominabile redderet ; amplius facere potuisset, quam quod indignam, & abjectam , quæ ab eo contrahitur, servitutem nobis ob oculos posuerit, dicendo : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Etenim S. Antoninus ait : *Facit peccatum hominem abjectissimum & vilissimum ; maximæ enim vilitatis est conditio servilis , & tanto magis, quanto dignioris conditionis est , qui efficitur servus, & vilioris, qui efficitur Dominus.* Anima autem nostra adeo est nobilis , ut nobilior esse non possit, siquidem, imago quædam & effigies est istius ipsiusmet Dei, qui illam creavit, at verò prævaricando, vitio, peccato, & dæmoni in vilissimam quamdam servitutem venumdatur. Doctor Seraphicus propositi thematis verba exponens inquit : *Tangitur prævaricantis ignominiosa captivatio* ; Est enim hæc servitus maximè infamis, eo quod per illam peccator tyranno infernali, nec non peccato, quod detestabile quoddam monstrum est, miserè subjicitur ; Unde S. Bonaventura merito ait : *Nihil miserabilius quam peccato servire.* Plato hominem quemdam vitiosum hac proposito nostro congrua alloquitur sententia ; *Quoties peccas, toties te velut catena revinctum , nequissimo , & spurcissimo Domino pro mancipio tradis.* Deus apud Isaiam Prophetam peccatores interrogat inquiens : *Quis est creditor meus cui vendidi vos ?* Moxque sibiipsi respondet: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.* Philo Hebræus in libro cui titulus est: *Quod omnis probus sit liber* , duplicem distinguit servitutem, scilicet unam, qua corpus adstringitur, & aliam cui anima innectitur; & hanc secundam ignominiosissimam maximèque deplorabilem esse dicit , quia per hanc anima , quæ adeò est nobilis , vilissimi corporis serva efficitur ; subditque : *Corporibus dominantur homines , animis autem affectus , & vitia* , & ideò deterior servitus & jugum animæ; quam corpori imponitur, quia per servitutem corporalem unus homo ab alio homine possidetur , & anima verò Deo rebellis, vitiorum, & appetituum bestialium, spirituumque infernalium mancipium constituitur. Unde S. Bonaventura ait : *Servi estis ejus cui obedistis, quæ servitus est ignominiositate vilissima, quia nihil est vilius, quam servire vilitati peccati, & sub jugo dæmoniali, ut enim ait Boëtius : Extrema servitus est servire vitijs.* S. Bernardus quoque ait: *Nulla est turpior servitus, illa, quæ est vitij, cum ipsi servi sint corruptionis, à quo enim quis superatus est , hujus & servus est.* Deus apud Jeremiam summè admirabatur, populi Israëlitici servitutem, ideoque dicebat. *Numquid servus est Israël, aut vernaculus ?* Nimirum intelligere non poterat, quomodo populus ille, qui libertate semper fruitus apud S. Joan. cap. 8. Salvatori dixerat : *Semen Abrahæ sumus , & nemini servivimus umquam, quomodo tu dicis liberi eritis* : Intelligere inquam non poterat, qua ratione populus ille servitutis subjectus fuisset opprobrio , aut verò Salvator ipsemet in eodem cap. 8. Joannis respondet : *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum servus est peccati.* S. Hieronymus super prædictum Jeremiæ textum populi Israëlitici excusat ignorantiam dicendo: *Sed nesciebant, quod omnis qui facit peccatum, servus peccati sit, & serviat unusquisque ei à quo vincitur ; subdit tamen: Nati ergò de amico Dei Abraham , vitio suo facti sunt quasi filij Cham , cui dictum est; Maledictus Chanaan servus erit fratribus suis.*

S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 6. §. 4.
Peccato anima in vilissimam servitutem venumdatur.
S. Bonav. collat. 42. in Joan. 8.
Plato lib. 9. de Republ.
Subjicitur Dæmoni.
Isa. 50. v. 1.
Philo. l. quod omnis probus sit liber.
Ignominiosior est servitus animæ quam corporis.
S. Bern. de consid. l. 1.
Jerem. 2. 14.
Joan. 8. v. 33.
Ibid. v. 34.
S. Hieron. in Jerem.

2. Multa à condito mundo præterierant sæcula, priusquam in sacris literis manifesta fieret servitutis mentio; prima enim omnium vice hæc servitus aperte Cham comminata fuit, per eam occasionem, quod Noë Patrem suum derisisset; hinc enim Noë permotus, Chanaan, pessimo stirpis suæ germini, maledicens, servitutem eidem his verbis prædixit. *Servus servorum erit fratribus suis.* Consideravit idipsum S. Chrysostomus, quando in homilia quadam ita pronuntiavit : *Peccatum servum fecit , & ablata libertate servitutem illi injunxit , unde postea servitus sumpsit originem ; peccatum ubi intravit , libertatem perdidit, servitutemque introduxit.* Diu autem ante Chrysostomum idipsum observaverat S. Augustinus , dum lib. 14. de Civit. Dei cap. 15. ita scripsit : *Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori , proindè nusquam Scripturarum legimus servum , antequam hoc vocabulo Noë justus peccatum filij vindicaret ; nomen itaque istud culpam meruit, non natura.* Etenim Deus nos liberos creavit , tamquam filios suos adoptivos; at vero per culpam ignominiosæ servitutis compedibus innixi fuimus. Unde Nazianzenus ait : *Qui hominem primum creavit liberum, & eum suo arbitrio reliquit , sola mandati lege coërcitum, atque in Paradisi delicijs opulentum ; libertas porrò & divitiæ in sola mandati observatione sitæ erant , quemadmodum contra paupertas & servitus in illius violatione.* Porrò Mauri , qui suam in Æthiopia habent progeniem, populi sunt , à Chus filio Cham suam trahentes originem , hi autem ut plurimum in omnibus populis & nationibus , tamquam servi & mancipia divenduntur , ubi quoque advertendum est , quod peccatores in Scriptura sacra Æthiopum nomine appellentur, ut intelligamus , peccato simul annexam esse & deformitatem , & ignominiosum servitutis stigma ; Undè apud S. Jeremiam : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, ... & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Servitus est pœna peccati
Gen. 9. v. 25.
D. Chrys. H. 29. in Gen.
S. Aug. de Civit. Dei l. 14. c. 15.
Nazian. orat. 16.
Descendentes à peccatore Cham ut plurimum ut mancipia divenduntur.
Jerem. 13. v. 23.

3. In libro Judith legitur , quod cum Holofernes per victoriosum exercitum suum , multis provincijs , & regnis infamis servitutis imposuisset jugum , se pariter accinxerit , ut idem quoque jugum populo imponeret Hebræorum , eoque fine ad Bethuliæ destructionem anhelarit , ut indè ad alias quoque acquirendas civitates viam sibi aperiret : Videns autem Bethulienses ad defensionem sese parare, miratus est , atque à Principibus circumvicinis , quos sibi de facto subjugaverat, causam sciscitatus est , unde hic Bethuliensium ausus , & præsumptio procederet, cui Achior Princeps Ammonitarum consuluit , ut priusquam illos aggrederetur , prius exactè perquireret, an aliqua in re per alicujus divini mandati transgressionem Hebræi Deum quem adorabant offendissent , hoc enim si ab ijs factum fuisse intelligeret, firmam concipere spem posset, idem servitutis jugum Hebræis quoque, & consequenter Bethuliensibus imponendi : *Nunc ergo mi Domine*, inquit Achior, *perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum*, quod si est, *ascendamus ad illos , quoniam tradens tradet illos Deus Deorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ ; Si verò non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis.* Inter alia lachrymosa lamenta , quæ Jeremias in exterminio Jerosolymæ edidit, primum hoc fuit : *Princeps provinciarum facta est sub tributo* ; Postquam enim Jerosolyma multis antea sæculis varios debellasset populos, tandem & ipsa alienigenarum & barbarorum tributaria , serva , & mancipium facta est. Id quod S. Hieronymus in sensu spirituali exponit dicens : *Mysticè plangitur anima fidelis hominis, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum , & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentijs carnis, postea autem à malignis spiritibus flammis libidinum incensa , destituta Angelorum solatio , & carens divino consortio , tot servit sceptris, quod debita vitijs.* Verum enimverò absque eo quod ad sensum mysticum recurramus, verissimum esse constat, populum hunc tunc factum esse servum & mancipium in omnibus mundi nationibus quando suave divinæ legis iugum excussit , veroque Deo se rebellem exhibuit, tunc enim regius psaltes de illis ait : *Nunc autem repulisti, & confudisti nos, ... Dedisti nos tamquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos, Vendidisti populum tuum sine pretio , & non fuit multitudo in commutationibus eorum, Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro, Posuisti nos in similitudinem gentibus; commotionem capitis in populis.* Hæc enim omnia, quæ tot ante sæcula David de illis prædixit, nunc ad unguem adimplentur , siquidem quisquis Judæos intuetur, movet caput suum super illos, eosque tamquam viles servos & mancipia , cunctarumque gentium opprobrium digito demonstrat, undè Jeremias de illis lamentatur inquiens : *Migravit Judas propter afflictionē, & multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem, omnes persecutores ejus apprehenderunt eum inter angustias.* Idem verò Propheta postquam in ejusdem capitis decursu multis suspirijs & singultibus Judæ, sive Judæorum deplorasset calamitates , tandem omnium miseriarum hanc assignat rationem : *Vigilavit jugum iniquitatum mearū, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo, ... dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.*

Judith. 5.
Consilium dedit Achior Holoferni Bethulienses esse vincendos dum fuerint in peccatis.
Judith. 5. 24.
Ibid. v. 25.
Thren. 1. 1.
Judæi facti sunt servi quando excusserunt legem Dei.
S. Hier. ibid.
Ps. 43. v. 10. 12. & 13.
Idipsum adhuc experiuntur Judæi moderni.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 15.
Thren. 1. v. 3
Thren. 6. 14.

4. Jam mille & amplius elapsi sunt anni , à quibus Imperator Ottomannus innumeros Christianos servitutis suæ tyrannidi subjecit , suumque dominium , tot Catholicorum regnis adauxit , at verò undenam hæc tam indigna servitus , quam Christiani in tam crudelium inimicorum manibus positi sustinere coguntur , suam habet originem? Examinabitur idipsum suo loco fusius, quando de temporalibus differemus supplicijs , quibus divina justitia etiam in hac vita scelera nostra castigat. At verò quæri hoc loco posset , quomodo Psalmista dicere possit : *Vendidisti populum tuum* , quandoquidem statim subjungat : *Sine pretio ?* semper enim in quavis venditione pretium intervenire solet; quod si autem venditio facta fuit sine pretio, potius dicendum videbatur: *Donasti populum tuum.* Symmachus loco ly, *sine pretio*, legit, *sine substantia.* S. Ambrosius inquit , Christum imitatum esse illos, qui res viliores expendunt , ut illas quæ majoris sunt pretij sibi comparent : *Viliorem vendidit, inquit, potiorem emit , vendidit populum Judæorum, non inclementia Dei , sed sua culpa, quibus rectè dicitur : Ecce peccatis vestris venditi estis.* S. Anton. de Pad. ex servitute Babylonica , qua populus hic Judaicus punitus fuit, sequentem deducit moralitatem : *Moraliter , euntes in transmigrationem Babylonis, significant peccatores , qui à Diabolo captivantur, & vinculantur per culpam , & in confusionem Babylonicam abducuntur.* Tametsi Deus in deserto Hebræis de cœlo quotidie manna deplueret, quod omnis generis exquisitos in se sapores continebat , ipsi nihilominus alia appetebant , & cæpas Ægypti. Scitisne quonam id mysterio fecerint ? nimirum cæpæ, allia, cibi sunt hominum vilium & servorum, & ideò mirum non erat, quod hujusmodi appeterent cibos, quibus jam animus dominabatur servilis , utpotè hominibus inordinatis appetitibus suis in prædam datis , contraque divinas leges obstinatè contumacibus. S. Ambrosius inter alias peccatorum miserias, hanc quoque enumerat , quod scilicet velut totidem mancipia venumdentur. Ita enim scribit : *Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ solicitat otiosos , affligit sanos , contristat læsos , inquietat placidos , exagitat mites , excitat dormientes. Rei sumus sine accusatore , sine tortore cruciamur , sine vinculis adstringimur , sine venditore vendimur , unde & Scriptura dicit : Peccatis vestris venditi estis. Hæc igitur peccata sunt , quæ contra nos semper sunt , ut dixit Propheta ; vendiderunt nos, & dominantur nobis.* Esau primogenitus erat , & tamen sibi dici audivit : *Vives in gladio & fratri tuo servies*; cujus rationem hanc S. Ambrosius assignat: *Servit enim omnis qui authoritatem puræ non habet conscientiæ ; servit quicumque vel metu frangitur , vel delectatione irretitur , vel cupiditatibus ducitur, servilis est omnis passio.* Esau reprobus erat , Deoque propter suam malitiam exosus , & ideò peccatorem præfigurabat , qui pro unico lentis edulio, id est pro turpi voluptate , vel pro vilissimo aliquo lucro , primogenituram, & filiationem cœlestem stolidè divendidit ; tales enim servi & mancipia sunt propriorum appetituum.

Exponitur quid sit vendere sine pretio.
Psal. 43. 13.
S. Amb. ib.
S. Ant. de Padua die Cin.
Quare Hebræi in deserto sibi petierint cæpas Ægypti & non alios cibos.
Num. 11. 5.
S. Ambr. in Ps. 37.
Esau pro vilissimo lucro factus est servus.
Isa. 59.
Gen. 27. 40.
S. Ambr. l. 2. de Jacob c. 2.

5. Observetis velim quomodo David loquatur de illis, qui se vitiorum suorum tyrannidi subjici sinunt: *Tenuit eos superbia*, inquit, *operti sunt iniquitate, & impietate sua*; advertendum enim Psalmistam non dicere eos fuisse superbos, sed quod superbia illos tenuerit, & possederit : *Tenuit eos superbia. Quid est tenuit, nisi irretivit, & implicavit*, inquit Gillibertus Abbas, *& inolitæ consuetudinis indissolubili obligavit vinculo ? hoc est enim quod sequitur : Operti sunt impietate sua , ut non facile exolvi, & explicare se ab illa possint.* Similem quamdam doctrinam S. Gregorius his verbis tradit : *Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea Diabolus possidet; undè & de proditore dicitur : Cum Diabolus jam misisset in cor &c. si enim Judas cor suum & non Diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam Diabolus malum poneret ; quarè econtra electus vir loquatur dicens. Animam meam porto in manibus meis ; quid enim aliud manus electi est, quam potestas internæ libertatis ? quotiescumque graviter delinquimus , cor nostrum non habemus; quarè Jeremias Judaico populo graviter delinquenti ait improperans : Audi popule stulte & qui non habes cor.* Theodorus Studita differentiam considerat , quæ inter hominem in Dei gratia constitutum, & hominem impium intercedit. Se enim ad illa Centurionis verba reflectens : *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus , habens sub me milites , & dico huic: Vade, & vadit , & alij : Veni, & venit , & servo meo : Fac hoc , & facit* ; in hæc verba scribit : *Ad eumdem modum, ac multo potentius jubet sub se subjecto peccatum: Loquere fœda, & loquitur ; nefaria designa , & designat,* Eusebius Emissenus in homilia tertia de Paschate de hac infelice culpæ servitute differens , postquam de Hebræorum in Ægypto sub Pharaone tolerata servitute tractasset, subdit inquiens : *Hæc itaque servitus, quod pejus est , non illius tantum temporis fuit, sed etiam nunc animas negligentium , & infidelium multo periculo suis nexibus blandæ captivitatis , à quo enim quis vincitur , sicut & Apostolus testatur , ejus & servus est; iste obtemperat injustitiæ , ille iræ ; iste superbiæ, ille sæviciæ ; iste gulæ , ille iracundiæ ; iste avaritiæ, ille luxuriæ. Nescio quomodo se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes suas distrahant. Quid prodest quod liber est in natura, qui servus est in conscientia ? Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes , intrinsecus mentis infirmitate degeneres , innocentum Dominos , & criminum servos. Jam melior est vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinasse conditio ; habetis boni famuli vestram consolationem , pro libertate complectimini honestam servitutem. Intolerabile jugum , & fœda dominatio , & erubescenda subjectio* ; hoc jugum , hæcque turpis servitus , à voluntate perfida , & à culpa provenit , non à natura. S. Ambr. de impio Caino ita scribit : *Quasi servus signum accepit , nec sic tamen necem potuit evadere, Servit igitur peccator formidini , servit etiam cupiditati , servit avaritiæ , servit libidini, servit malitiæ, servit iracundiæ , & videtur sibi liber, sed magis servit, quam si sub tyrannis esset positus.* P. Alvarez de homine vitioso differens ait : *Est suorum affectuum mancipium: Si autem servus eo vilior est , & despicabilior, quo viliori Domino servit , & in abjectioris heri transivit potestatem, quanta erit vilitas peccatoris, qui tot affectibus vanis obtemperat , & tam vilissimis dominis se submittit.* Seneca moralis dicere solitus erat : *Major sum , & ad majora genitus , quam ut mancipium sim mei corporis.* S. Augustinus quales ante conversionem suam ipsam catenæ strinxerint his verbis declarat : *Velle meum tenebat inimicus , & indè mihi catenam fecerat , & constrinxerat me ; quippe ex voluptate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo , & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Sapiens lascivæ fœminæ lenocinia , & blanditias, vinculorum nomine appellat. *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur.* Porrò quonam modo culpa nos liget , Gillibertus Abbas his verbis exponit : *Libera est voluntas , mala quod voluntas , sed servilis eo ipso quod mala ; omnis enim qui facit peccatum servus est peccati peccatum enim eum occupat , stringit & ligat, captivat, dum cogit* ; occultam enim infert violentiam, suisque appetitibus voluntatem inclinat. *Funibus peccatorum suorum* unusquisque *constringitur* , dicebat Sapiens ; Ejus quoque pater , id est Psaltes regius , lamentabatur dicens : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Procopius super illa verba Isaiæ : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo longo ; flagitia flagitijs amplificabant, alia alijs eorum more addentes qui dum funem texunt, deficiente materia , novam subinde adjiciunt, ut longum magis efficiant. Peccata verò quilibet eo ipso quod peccat, sibi tamquam vincula longa, vel brevia fabricat pro ratione peccatorum , funiculum quo vinciatur texens , ob idque sicut est à Jeremia dictum , vincti efficimur.* S. Hilarius super illa verba : *Funes peccatorum &c.* commentatur : *Væ qui ligant peccata tamquam funem longum. Modo funis , ex pluribus minimis crescentis , in multum peccata, semper tamquam longo fune tenduntur ; sunt etiam hæc delictorum vincula quibus humanæ mentes illigantur, de quibus in Prov. scriptum est : Fascijs peccatorum suorum unusquisque constringitur , stringit enim nos, atque colligat , & his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vitæ nostræ cursu laqueos prætendens. Quod autem liget , in Evangelijs cognovimus cum dicitur ; hanc autem filiam Abrahæ alligavit satanas annis decem , & octo. Ligat igitur omni vitiorum genere, ebrietatis consuetudine , voluptatum desiderijs , infidelitatis piaculo.* S. Bernardinus Samsonis historiam nostro proposito his verbis adaptat : *De Samsone Judic. 16. scriptum est. Primo septem nervicis , & adhuc humentibus funibus ligatus est ; Secundo*

Ps. 72. v. 6.
Peccatum captivat peccatorem.
Gillib. Abb. ser. 9. in cant.
S. Gregor. l. 2. Reg. c. 1.
Matt. 8. v. 9.
Theod. Stud. cat. 26.
Differentia inter amicos Dei & peccatores.
Eus. Emis. Hom. 3. de Pasch.
Servitus peccati à culpa, non à natura provenit.
S. Ambr. in Ps. 104.
Alvar. c. 1. p. 1. c. 10.
Seneca epist. 65.
S. Aug. l. 8. confess. c. 5.
Significatur peccatum nomine vinculorum.
Prov. 7. 22.
Gillib. Abb. ser. 36. in cant.
Prov. 5. v. 22.
Ps. 118. 61.
Isa. 5. v. 18.
Procop. ibid.
Ps. 118. v. 61.
S. Hilar. ib.
S. Bern. T. 1. ser. 21. art. 1. c.

Contingit peccatori ut Sampsoni raso.

cundo funibus novis; Tertio licio septem crinibus capitis circumplexo, & clavo in terram defixo circumligato; Quarto vero post capillorum abrasionem captus, exoculatus, vinculis ferreis catenatus, & incarceratus, ad volvendum molam loco asini deputatus est. Sic moraliter evenit peccatori. Primo ligatur per recentem consensum mentis. Secundo per operis novitatem. Tertio per iterationis amplexationem; Quarto vero rasis capillis cogitationum bonarum intelligentia excæcatur, vinculis malarum consuetudinum catenatur, ponitur in carcere obstinationis perversæ, & ad molam frequentatarum impietatum tamquam bestia ligatur.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Circa ignominiosam peccati servitutem aliæ considerationes adducuntur.

THEMA.

Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis. Rom. 6. v. 16.

Peccatum dicitur regnare in corpore. Rom. 6. v. 12. 2. Petr. 2. 19. S. Ambr. de Joseph. c. 4.

1. Cum servitus unicuique hominum exosa sit, velut quoddam ignominiæ, & infamiæ cauterium, hinc S. Paulus primis fidelibus peccatum summè abominabile reddere volens, non sine mysterio potentissimum hoc illis proposuit motivum, quod scilicet peccatum hominem servum, & mancipium, constituat, *Nescitis, quoniam &c.* Idem Apostolus paulo ante dixerat: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs vestris.* Eodem quoque hoc motivo usus est S. Petrus, quando in Epistola secunda dixit: *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est.* S. Ambr. probare volens, quod S. Joseph Patriarcha, tametsi pedes ejus catenis gravati essent, plena tamen gavisus fuerit libertate, eò quod integram sibi conservarit conscientiam, in hæc verba scripsit: *Carnem servituti subditam esse, non mentem, multosque servulos esse Dominis liberiores, si in servitute positi, à servilibus putent operibus abstinendum. Servile est omne peccatum, libera est innocentia; undè & Dominus ait: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Huic doctrinæ optimè consonat sequens D. Augustini propositio: *Bonus, etiamsi serviat, liber est, malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod est gravius, tot Dominorum, quot vitiorum.* S. Hieronymus inquit: *Quod peccatis suis unusquisque venumdatur, dum proprio arbitrio derelicti, nostra voluntate, vel ad malum ducimur, & Paulus Apostolus docet: Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato, qui enim facit peccatum, servus est peccati, & quomodò avari, atque raptores servi sunt mammonæ, sic omne peccatum dominatur peccatoribus, quibus dicitur: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* S. Joannes Damascenus inquit: *Perridiculum fuerit quadrupedibus quidem imperare, à peccato autem in servitute teneri.* Porrò tametsi S. Paulus de peccato dixerit: *Non regnet*, per hoc tamen verbum insinuare voluit dominium, & authoritatem, quàm in peccatorem obtinet; immò si peccatum è propinquo consideretur, potius tyrannis, quam dominium ejus censenda est authoritas; & quidem ad violentam hanc tyrannidem sese reflexit Origenes, dum ait: *Unusquisque habuit in se aliquem specialem regem, qui in eo regnabat, & dominabatur ei, in alio regnum tenebat avaritia; in alio superbia; in alio mendacium regnabat; in alio libido dominabatur, & alius regem patiebatur furorem, quod autem hæc ita sint, & in unoquoque nostrum regnet peccatum, Apostolo Paulo crede dicenti, ait enim: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum ei.* P. Alvarez lachrymabilem hanc peccatoris conditionem his verbis deplorat: *Quanta calamitas ejus, qui à sibi dominantibus ad contraria cogitur, & ad ea quæ simul fieri non possunt, sæpius simul, & eodem tempore impellitur? Cupiditas jubet, ut parta custodiat; voluptas, ut in suum usum & utilitatem impendat; Ira imperat, ut ulciscatur injuriam; timor vetat, ne discrimen infamiæ, aut mortis incurrat. Miserum autem mancipium, tamquam inter duas vias constitutum, nescit quæ pergat, aut cujus Domini imperata perficiat.* S. Ambrosius exponens verba illa: *Servus tuus sum ego*, inquit, verba illa ab eo solum pronuntiari potuisse, qui alibi de se gloriatus fuerat: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*, non verò dici posse à divinarum legum prævaricatore, cujus hanc rationem assignat: *Nam hic plures dominos habet; venit libido, & dicit, meus est; venit avaritia, & dicit, meus est; venit luxuria, & dicit, meus est; venit ambitio, & dicit, planè meus est; veniunt omnia vitia, & singula dicunt meus est; Quem tanti competunt Domini, quam vile mancipium est?* S. Joannes Damascenus indicat, quod à principio diximus, nimirum: *Ante illud fugit, quod à quibus animæ vitijs quispiam superatus est, eorum quoque servus efficitur?* Etenim tot insolentissimorum Dominorum mancipium sumus, quot sunt inordinati appetitus nostri, quos nobis prædominari, nosque vincere sinimus. Ac proinde S. Hilarius lamentabatur inquiens: *Animæ captivitas quam infelix est? Avarus cariturus semetipso carere timet pecunia; negotiosus, tristis, anxius, sine requie ulla; damni metu semper detinetur, honestatis immemor, est amicitiarum inobservans, humanitatis fugax; religionem nescit; bonitatem omninò odit. At verò cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur? Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere? Quam dedecorosus est furentium motus, temeritatis impetus, odiorum stimulus, livoris anxietas? Quanta perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui supra memoratis malis serviunt?* S. Ambrosius similiter de Josepho differens, ad servilem hanc miseriam, quam vitium inducit, se reflectit; dum ait: *Quomodo enim non servus omnis avarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello seipsum auctionatur? timet enim ne congesta amittat; qui non utenda congessit, majori periculo servaturus, quo majora quæsivit. Quomodo non & ille servus, qui subditus est libidini? Primum suis ardet incendijs, & peccati sui facibus exuritur, quibus rectè dicit Propheta: Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis; Suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorum, ut unius cupiditate potiatur, fit servus omnium. Servit igitur, ac miseram quidem servitutem, qui ipse sibi Dominos facit, ipse vult habere quos timeat.*

S. Aug. l. 4. c. 3. de Civit. Dei. S. Hier. in Isa. 50. S. Joan. Dam. lib. 1. Parall. c. 12. Regnat tyrannicè. Orig. Hom. 16. in Jos. Alvarez l. 1. c. 10. p. 1. Quot peccata sunt in anima, tot ejusdem sunt reges. Ps. 100. v. 2. Ps. 118. 125. S. Ambr. ib. S. Joan. Dam. ibid. S. Hilar. in Ps. 125. Pessimi peccatorum effectus. S. Ambr. l. de Joseph c. 4.

In bello factus servus meretur compassionem non verò servus peccati.

2. Is porrò qui natus est servus, aut verò talis contra voluntatem suam in navigatione aliqua, vel bello factus est, meretur compassionem; non verò is qui ex propria voluntate, ut inordinatæ concupiscentiæ suæ satisfaciat, sua se privat libertate, talis enim *servit miseram servitutem, qui ipse sibi Dominos facit.* Expertus est hoc ipsum filius prodigus, qui ut carnalibus desiderijs suis potiretur, ad vilis rustici servitium redactus, pascere coactus est porcos, quorum ne quidem glandibus aut siliquis famem suam depellere potuit. *Suspirabat miser felicem servorum Patris sui sortem, dicendo: Fac me sicut unum de mercenarijs tuis; Ecce potestatis suæ filius*, inquit Chrysologus, *quo devenit? voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, ecce filium quo promovit; fac me sicut unum de mercenarijs tuis; ut locatione annua servitus innovetur, ut labore jugi conditio conducta deteratur, ut die toto in opere suspiret, miseræ verna mercedis, ut sit semper venditor sui, nec umquam suam negare valeat servitutem; & hoc petit, quia qui penes extraneum servam senserat libertatem, penes Patrem credit sibi futuram liberam servitutem.* Verum quidem est, quod & Christus jugum suum habeat, nosque illius servi esse debeamus, hic tamen Pater est potius, quam dominus, simus igitur filij potius, quam servi; nemo enim est qui nesciat, quod servire Deo, regnare est. Sit homo aliquis quantumcumque potest, dives & potens, quique omnia regna terræ tributaria & subdita habeat, hic tamen, si conscientiam habet culpa infectam, miserabili subditur servituti. *Diademate David redimitus erat* (inquit Chrysostomus de Davide, quando Bersabea ei se ex adulterio concepisse nuntiarat, *& probrum metuebat. Quid? Nonne Rex es? Nonne gladij potestatem habes? Ita est, inquit, sed grave peccatum admisi, quod miseriam procreat, atque ignominiam prodit. Vides, quantum malum in peccatis insit?* Saul Davidis antecessor ex agasone ad dignitatem Regis Israël evectus fuerat, & tametsi triumphales exercitus sui, Amalech subjugassent, & capto rege opulenta sibi spolia comparassent, licet etiam, promptam à Magistratibus, Satrapis & populis, haberet obedientiam, nihilominus formidolosus & tremebundus, metuens, ne vituperio plenus omnem apud subditos amitteret respectum, Samueli se commendabat, dicens: *Honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël.* Nimirum remordebat eum conscientia sua, eo quod Deo inobediens extitisset, qui alibi dixerat; *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*, timebat quoque ne Propheta suam propalaret transgressionem, quæ talem ei attulit jacturam, ut ab eodem Propheta sibi dici audierit, quod jam de facto Deus illum regno cœli, & terræ pariter exauctorasset: *Nequaquam regnum tuum ultrà consurget.* S. Augustinus

D. Chrys. ser. 2. Servire Deo regnare est. D. Chrys. H. in Ps. 50. Saul propter peccatum regno privatus fuit. 1. Reg. 15. 30. 1. Reg. 2. 30. 1. Reg. 13. 14.

S. Aug. ibid.

stinus de hujus sæculi Magnatibus loquens inquit: *Malorum regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos vastat scelerum majori licentia, his autem qui eis serviendo subduntur, non nocet, nisi iniquitas propria, nam quidquid justis malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen, proinde bonus etiamsi serviat, liber est, malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec solus unius hominis, sed quod est gravius, tot Dominorum quot vitiorum, de quibus vitijs cum ageret Scriptura divina, inquit: A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.*

Putipharis conjux dicitur uxor Domini sui non autem Domina, eo quod esset mancipium peccati. S. Ambr. c. 5.

3. S. Ambrosius in capite sequenti ingeniose notat, quod Moyses insultus invictæ Josephi constantiæ illatos narrare volens, non sine mysterio Putipharis conjugum Josephum ad turpia solicitantem, non appellaverit Josephi dominam, sed suppresso nomine hoc dixerit: *Uxor Domini sui*, En verba S. Doctoris: *Rectè uxor Domini, non ipsa domina dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ disciplinam dominæ non tenebat, quæ servilis libidinis incentiva præstabat? Ille Dominus, qui amantes non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, qui maluit liber criminis mori, quam potentiæ criminosæ eligere consortium.* Clemens Alexandrinus notabile quoddam comici Trasonidis refert effatum siquidem in theatro publicè edixit: *Puellula vilis me sibi servum fecit.* Apud Josephum Historicum de Herode sequentes leguntur tituli: *Vir in omnes ex æquo sævus, iræ servus;* Et tamen in hoc tam crudeli homine, tyrannica concupiscentiæ carnalis violentia, tantum efficere potuit, ut licet dominandi esset ambitiosissimus, attamen pro unico filiæ Herodiadis saltu, se medietatem regni sui ei daturum esse, cum juramento promiserit. Undè D. Chrysologus eumdem incestuosi appetitus sui catenis vinctum his verbis in medium producit spectandum: *Ut placeret incestæ, captivus ipse justum tantum tenuit, & vinxit inclusum.* Et in sermone sequenti dicit: *Jacebit in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiva, quæ titillante luxuria, & non tam ludente, quam illudente lascivia, promitteret, quidquid turpitudo peteret se daturum.*

Clem. Alex. l. 2. strom. Joseph. Hebr. l. 17. antiq. c. 10. D. Chrys. ser. 173. D. Chrys. ser. 174.

Historia. Rabsaces.

4. Memorandum quoque hoc loco est, quod quando Rabsaces, sperans quod cives Jerosolymitanos, sine ulla sanguinis effusione, jugo servitutis suæ subjicere posset, eosdem ad paciscendum secum advocavit, promiserit ijsdem, omnis generis delicias, libertatem, abundantiam, & quidquid demum desiderare possent; unde S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Itaque Rabsaces illis præsentem voluptatem pollicebatur, si ad Babylonios defecissent, at illi cum saperent, minimè id sibi persuaderi passi sunt.* At verò quærendum hic venit, quidnam hic Rabsaces ab obsessis timere potuerit, cum ipse exercitum quemdam secum haberet centum octoginta quinque millia virorum bellatorum numerantem? numquid hi abundè sufficiebant, ut illos in servitutem redigeret? Audiamus prædictum S. Doctorem dicentem: *Qui mundanas voluptates volens sectatur, cum vel nolentem oportet in servitutem incidere, & in captivorum numero censeri.* Securior utique de obsessorum salute fuisset, si hos in delicias, & voluptates amplectendas pronos invenisset. Nam ut S. Nilus ait: *Libido cum animam emollit, & inficit, ipsamque principatum in turpem servitutem transfert, tunc corporis vigorem labefactat.*

2. Reg. 18. 31. S. Cyrill. Alex. l. de ador. S. Nilus de octo vit. affect.

Avarus est servus pecuniæ.

5. Quis adeò cæcus est, ut non videat, avarum pecuniæ à se accumulatæ nequaquam dominum esse, sed servum potius, & mancipium? dicente Tertulliano: *Qui auro vinctos in ergastulis habent, & divitijs male onerant.* S. Cyprianus de divite avaro non minus ingeniose ait: *Suspirat ille in convivio, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri, & possideri magis, quam possidere divitias.* S. Antonius de Padua, qui hoc vitium supra modum abhorruit, in sermone quodam ait: *Avarus est pauper, qui non pecuniæ, sed ipsi pecunia imperat, non possessor est, sed possessus.* Illi qui ex auri vel argenti fodinis, aurum vel argentum eruunt, servi semper esse solent, & mancipia, ad laborandum condemnata, eo quod labor ille molestissimus sit, & evidentibus ac frequentibus expositi sint periculis, ne in profundis voraginibus illis sepulti remaneant: nec mirum est, quod aurum à servis è terræ visceribus eruatur, cum eorumdem metallorum aviditas possessores suos servos & mancipia efficiat; Ac proinde meritò dicebat S. Augustinus: *Qui auro uti non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet, estote domini auri, & non servi.*

Tertull. de habit. mul. cap. 7. S. Cypr. l. 2. epist. 2. S. Ant. de Pad. ser. in Dom. 2. post Trin. S. August. in Ps. 125.

Ambitiosus ut dominetur alijs, plus servit. Matth. 4. v. 9.

6. Ambitiosus pariter inordinatæ passionis suæ vilis servus existit, ac proindè, ut quod ambit, assequatur, sese coram ijs quorum interest, humiliat, demittit, ac inclinat, ac proindè primus superbus, dæmon videlicet, Christo omnium regnorum offerre volens dominium, eidem dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Et verò ad quas vilitates se non dejicit animus nobilis propter spem quantumvis remotam assequendæ sublimioris alicujus dignitatis? Numquid videmus per experientiam, quod is qui domi suæ multis posset imperare servis, propria se privet libertate, ut in aula Regis vel Principis alicujus 30. 50. & amplius annis servire possit? ac proinde meritò dicit S. Ambrosius: *Ut dominetur alijs, plus servit, curvatur obsequio, ut honore donetur, & dum vult esse sublimis, fit demissior.* S. Bernardinus quoque improperia & vilipendia, ad quæ ij qui gloriæ mundanæ avidi sunt, sese submittunt, notat inquiens; *Propter ambitionem paratos ambitiosos videas, universa pericula subire, opprobria dissimulare, negligere maledicta.* B. Petrus Damianus, qui invitus & ipse aulas incoluit, de ambitiosis inquit: *Humiliantur, ut postmodum impune superbiant, pedisequos se exhibent, ut præcedant.*

S. Ambr. l. 4. in Luc. S. Bern. de conver. ad cleric. B. Petr. Dam. l. 2. epist. 3.

Vitiosi plurium Dominorum sunt servi. S. Ambr. in Ps. 37.

7. Cum igitur, ut probavimus, totidem nobis prædominantes patiamur tyrannos, quot vitijs, & passionibus alligamur, consequens est, quod vitiosi plurium dominorum sint servi, sintque in miserabiliori, quam alia mancipia, conditione constituti. S. Ambrosius ait: Scriptura dicit; *Peccatis vestris venditi estis; hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt, ut dixit Propheta: Vendiderunt nos, & dominantur nobis. Servus qui venditur, superiori servitio exit, ut ad dominum alterum migret; nos, nec superiorum jugum deponimus, & ad nova peccata curvamur; undè & ingemuit Sanctus dicens: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me.* S. Bernardus majoris æstimare & extollere videtur servitutem, quæ alteri homini præstatur, quam illam, quæ per vitia & peccata contrahitur. Ait enim: *An non servus, cui dominatur iniquitas? Et maximè Nisi tu forte indignius judices hominem tibi, quam vitium dominari.* Ponderatione dignum est, quod Chrysostomus hac de re in hæc verba scribit: *Qui ceperunt aliquos jure belli, captis sæpè parcunt, & si aut aquari, aut lignari, aut equos pascere jusserint, animam minimè læserint. Qui peccati autem captivus factus est, habet sævum, & barbarum dominum, qui cogit eum facere res turpissimas, non enim parcere & misereri novit hæc vitij tyrannis. Audi qualiter, cum miserum, & infelicem Judam accepisset captivum, minimè ei pepercerit, sed sacrilegum, & proditorem fecerit; Deinde postquam scelus perpetrasset, eum in theatrum Judæorum produxerit, & maleficium revelaverit, nec sic quidem permiserit, ut perciperet fructum pœnitentiæ: sed ante pœnitentiam perduxerit ad laqueum. Est enim sævus tyrannus, qui jubet quæ sunt improba, & eos qui obediunt, ignominia afficit.* Hæc inquam doctrina notabilis est, & consideratione dignissima, scilicet quod servitus inter homines introducta, non extendatur nisi solum ad hoc, quod per illam dominus independentem habeat authoritatem super mancipiorum corpora, non verò super animas, siquidem servus animæ suæ non est absolutus dominus; Non verò ita se res habet in hac servitute, quam peccatum inducit, quia peccatum corpori principatur, & sensibus illius exterioribus, & interioribus, simulque animæ, ejusque potentijs, eamque tractat, prout sibi placet. S. Hilarius super illa verba Ps. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, in primis dicit, quod psalmus ille *ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei redeuntis animæ sit gratulatio.* Ac demum subdit: *Gravis quidem est captivitas corporalis, quæ jure libertatis amisso, victorum dominatus subditur, & serviunt tum quidem corpora, sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Testes mihi sunt tres pueri inter flammas cantantes; Testis Daniel in fame leonum, Prophetæ prandio saturatus; Testis Eleazar inter jura Dominorum patrijs suis legibus liber; Testes cum matre sua martyres septem, Deo gratias inter nova mortis tormenta inferentes. At verò quanto infelicior est animæ captivitas? Si avaritia animam ceperit, per corpus latrocinatur & grassatur; Si libido vicerit, communicat cum corporis servitute; Si luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, invidia subegerit, his imperantibus sibi Dominis & anima & corpus in communi famulantur, atque ita captivitatem animæ & corporis sequitur captivitas.* S. Augustinus super illa verba S. Joannis: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, aliam quamdam

D. Chrys. in Ps. 125. Peccatum miserrimè torsit Judam. Peccatum dominatur animabus, Domini solis corporibus mancipiorum. Ps. 125. 1. S. Hilar. ib. Joan. 8. 34.

quamdam hujus servitutis miseriam considerat inquiens? *O miserabilis servitus! plerumque homines, cum Dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes Dominum non habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quem se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui domini duris imperijs fatigatus, fugiendo requiescit; Servus peccati quo fugit? Secum se trahit, quocumque fugerit.* S. Bernardus hujus servitutis detestatur stultitiam, utpote quæ voluntaria est, quam peccator sibimetipsi imponit, cum servitus inter nos ut plurimum coacta esse soleat. En verba mellifui Doctoris: *Comparatum jumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi juga emerit jumentorum, nisi quod eò sanè ipsis quoque jumentis convincitur stolidior, & bestialior bestijs comprobatur, qui juga necessitatis eorum, propria ipse subeat voluntate, quod enim illis natura est, huic est culpa.*

S. August. tract. 4 in Joan.

S. Bern. ibid.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Dæmon peccatorem per peccatum totaliter facit suum, sine quo alias adversus illum nec quidquam prævaleret.

THEMA.

Ex vobis unus diabolus est. Joan. 6. v. 71.

Qui adhæret Diabolo Diabolus est.

1. INcarnata Sapientia (quæ teste S. Joanne *sciebat quid esset in homine*) perversam videns Judæ intentionem, utpote qui inter duodecim Apostolos illius machinabatur traditionem, volensque scelus, quod suo tempore commissurus erat, prædicere, ad omnes simul congregatos conversus dixit illis: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est?* *Dicebat autem Judam Simonis Ischariotem, hic enim erat traditurus eum.* Nec immerito Judam diabolum appellavit, sicut enim teste S. Paulo: *Qui autem adhæret Dominus, unus Spiritus est cum eo,* ita quoque asserere possumus, quod is qui se prædam dæmonis esse facit (quod certum est fieri non posse, nisi peccato mortali consentiendo) idem cum ipso efficiatur; *ex vobis unus diabolus est.* Eamdem quoque veritatem S. Bernardus insinuat, quando de peccatore loquens dicit: *Transgressor præcepti Dominici sparcos sibi fociat spiritus, & adhærendo eis, unus cum eis efficitur dæmon.* Enimverò qui peccati mortiferi reus est, liberè potest asserere, quod diabolum secum habeat, quia peccatum & diabolum inter se relationem, & connexionem necessariam habent, funtque individui comites, cum unum sine altero esse non possit; Ac proindè S. Ambrosius super illa verba Apostoli ad Romanos: *Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me*; ad propositum nostrum ita scribit: *Peccatum hoc loco diabolum intellige, qui Author peccati est.* Et de facto in confessionalibus sæpe auditur quod multæ personæ coram Confessario se accusent, quod nominaverint peccatum, volentes dicere se nominasse dæmonem, undè colligitur, quod peccatum & diabolum unam eamdemque rem esse existiment. Præterea S. Paulus in Epistola ad Hebræos de eo qui divinam legem observat, dicit: *Factus est per gratiam corpus Christi*, undè sequitur, quod qui divinæ legis est transgressor, seipsum quoque faciat corpus diaboli.

1. Joan. 2. v. 25.

1. Cor. 6. v. 17.

S. Bern. ser. de S. Benedict.

Peccatum & Diabolus habet ad invicem relationem.

Rom. 7. v. 11.

Illius qui unici peccati mortalis reus est, conditio deterior est, quam illius, qui omnes Dæmones haberet in corpore suo. Marc. 5. v. 9.

2. Nemo est, qui non terreatur, immò exhorrescat, quando ex Evangelio audit tot spiritus infernales corpus illud obsedisse, ut ipsemet spiritus apud S. Marcum expresse dicat: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*, Verumtamen tametsi in corpore illo multi dæmonum milliones exstitissent, hi tamen crudelitatem suam, in solum corpus exercere poterant, nullam vero in animam habebant authoritatem, dummodo illa omnis culpæ expers fuisset; atque ideò certum est, longè lachrymabiliorem esse conditionem illius, qui unicum dumtaxat mortale peccatum in anima habet, quam illius, qui totius inferni dæmones haberet in corpore, quia omnes rebelles spiritus in nos jus habent, quando extra gratiam Dei sumus constituti; & ideò *timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Totam hanc doctrinam Doctor Seraphicus his verbis confirmat: *Horribile videtur, quod tot millia dæmonum, scilicet legio, tantum obsederit hominem, sed certe horribilius est habere tot peccata mortalia, immò unum mortale.* Porro qui energumenus est, non ideò in potestate est dæmonis, quoad libertum arbitrium, sed & retinet pristinam Dei assistentiam, & amicitiam, dummodo in Dei gratia sit positus, ideoque cum Psalmista dicere potest: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, at verò peccatum longe est perniciosius, de quo proinde Basilius Magnus ait: *Magnus dæmon peccatum, quasi dicere vellet, peccatum dæmon quidam est, incomparabiliter majoris potentiæ: O malitiæ, quam sit ipsemet dæmon. Qui dæmonium patitur, misericordiam invenit, peccator autem quamdiu in peccato obstinatus perstitit, omnis est misericordiæ incapax.*

Matt. 10. 28.

Psal. 26. v. 3.

3. Quando Deus ex desumpta è corpore Adæ costa Evam formavit, dixit: *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; quòd ideò in medium adduco, quia inter revelationes S. Birgittæ factas, hanc quoque propositionem, præsenti proposito valdè congruam, revelatam reperio; *Anima vitiosa est quasi uxor diaboli, cujus in omnibus sequitur voluntatem.* Sicut igitur Deus, ut hominem in sua dispositione habeat, cor ejus postulat, dicendo: *Præbe fili mi cor tuum mihi*, eo quod cor centrum sit nostrorum affectuum, & primum mobile omnium nostrarum potentiarum, eodem modo diabolus ad æmulationem Dei, ut peccatorem totaliter suum efficit, cordis sui possessionem unicè affectat; Undè non sine mysterio Evangelista de Juda dicit: *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Porrò S. Gregorius hoc ipsum sequenti explicat similitudine, is enim qui pecunias habet, easdem in scrinium suum recludit, indeque illas pro libitu suo extrahit, vel iterum reponit; ita quoque cum Judas post prævaricationem, cor suum dæmoni consignasset, hic in illud misit quidquid volebat, scilicet avaritiam, detractionem; traditionem, gulositatem; crudelitatem, & desperationem. Idem sanctissimus Pontifex verba illa Jobi adducens: *Animam meam porto in manibus meis*; in hæc verba subjungit: *Reprobi quidam corda sua non habent, quia ei diabolus possidet; unde & de proditore dicitur: Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Eamdem quoque ob causam Salvator noster pestilentialem veneni animas inficientis scaturiginem indicare volens, dicit: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* At verò quisnam horum innumerabilium malorum Author existit. Audiamus S. Antonium de Padua dicentem: *Diabolus in toto corpore hominis nullum membrum ita conveniens ad venandum, ad speculandum, ad decipiendum invenit, sicut cor hominis, quoniam ex ipso vita procedit*, quam ut extinguat, dæmon peccatum in illud introducit, quod ei mortem conciliat, quia *per peccatum mors.* Idem Sanctus Antonius ex autoritate S. Gregorij ita scribit: *Pravæ cogitationes idcirco portæ mortis vocati sunt, quia profectò via ad meritum per iniquas semper cogitationes aperitur, & etiam, quia diabolus per istas ingreditur conscientiam, nam suggestio pulsat, cogitatio aperit, sed delectatio suscipit*; At verò quisnam est ille, qui totum hoc ingens malum operatur? Dæmon est, qui residet in corde peccatoris; & ideò S. Antonius subdit: *Et tunc ibi percutitur ab inimico, & moritur.*

Anima vitiosa est quasi uxor diaboli. Gen. 2. v. 24.

Prov. 23. 26.

Explicantur similitudine. Iob. 13. v. 24.

Matt. 15. 19.

Ibid. v. 20.

S. Anton. de Pad. ser. in Dom. 3. Quad.

S. Anton. in Ramis Pal. sabb.

S. Greg. l. 29. mor. c. 8.

4. S. Lucas in principio c. 22. inquit: *Intravit autem satanas in Judam*; Et S. Joannes pariter ait: *Post buccellam introivit in eum satanas*; At verò quid opus erat, ut uterque Evangelista diabolum in Judam intrasse diceret, quandoquidem diu ante Salvator de ipso prædixerat: *ex vobis unus diabolus est.* Judas nimirum? num forte diabolus jam ante ab eo recesserat? nequaquam, non enim eum respuisse, aut se convertisse constat; dicere igitur oportet, quod Spiritus Sanctus, qui utriusque Evangelistæ calamos direxit, ita dispositerit, ut ad nostram instructionem repeterent, diabolum in Judam intrasse, tametsi à primo die quo horrendam Magistri sui traditionem concepera, in corde ejus nidificaverit, & semper permanserit, ut scilicet exindè intelligeremus, quod omne peccatum mortale, à nobis commissum, novum dæmonem in animam nostram introducat. Porrò notandum, quod S. Lucas peccatum expreserit traditionis, prout executioni mandatum fuit; S. Joannes verò indicet peccatum indignæ communionis; sicut igitur idem S. Joannes ait: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, ita quoque dici potest, quod qui huic charitati se opponit, unum idemque efficiatur cum dæmone. Audiatis velim Carthusianum in hæc verba scribentem: *Peccatum de membro Christi facit membrum diaboli, siquidem per charitatem Christo incorporamur, sed per peccatum mortale Christum perdendo, incorporamur diabolo.* Sicut enim

Luc. 22. v. 3. Joan. 13. 27.

Ratio datur, quare diabolus dicatur in Judam intrasse.

2. Joan. 4. 16.

Dion. Carth. opusc. de enorm. pecc. art. 18.

Peccatum facit peccatorem membrum Diaboli.

Luc. 22. 3. Beda in cat.

S. Aug. in cat. 12. Joan.

Joan. 13. 27.

Dæmon totaliter possidebat cor Judæ.

Habac. 1. 10. Job. 40. v. 18.

D. Chrys. ser. 5.

D. Chrys. H. 28. ad Rom.

Vit. S. Phil. Ner. l. 2 c. 10. n. 2. Historia ex vita S. Philippi.

enim amor Dei, quando est in nobis, omnia operantur, quæ sibi placent; ita pariter quando per peccatum accedimus ad dæmonem, id totum operamur, quod ei est acceptum. Unde Beda super illa verba S. Lucæ: *Intravit satanas in Judam*, inquit: *Ut quasi propriam, ad quæcumque vellet agenda traheret.* S. Augustinus à S. Thoma in catena citatus similem tradit expositionem, ex qua deducitur, quod per peccatorum multiplicitatem dæmon in anima peccatrice firmius figat pedem; ait enim: *Intravit in eum, ut sibi jam traditam plenius possideret.* Porro quod diabolus in Juda fuerit, jam ante S. Lucas dixerat: Tunc videlicet, quando abijt ad pactiscendum iniquum mercatum, idemque S. Joannes in principio cap. 13. verbis æquivalentibus pariter confirmaverat; ac proinde, quando nunc de novo dicit: *Post buccellam, introivit in eum satanas*, vult dicere, quod introierit in eum, *non ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret.* Dæmon enim cor Judæ adeo possidebat, ut sicut diabolus est inflexibilis, & de suo peccato pœnitere nequit, eodem modo (ut effectus probavit) Judas per nullam comminationem, exhortationem, benevolentiam, aut charitatem à Christo sibi exhibitam, flecti ad pœnitentiam potuit, sed desperatus vitam laqueo finivit; confessus quidem est suum peccatum, sed de illo minime pœnituit, prout debuit, quia diabolus cor ejus totaliter occupaverat.

Peccator est terra illa quam serpens, id est diabolus comedet.

5. Porro verissimum esse, quod peccatum peccatorem unum idemque cum dæmone efficiat, magis confirmabitur, si consideravimus id, quod Deus serpenti post protoparentum nostrorum prævaricationem dixit, scilicet: *Terram comedes.* At vero dicet fortasse aliquis, ex quo satan purus est spiritus, cur igitur ei terra in nutrimentum assignatur? Pro resolutione observandum, quod Deus homini post peccatum dixerit: *Pulvis es*; Hæc enim maledicta terra, quæ inordinatorum appetituum, & peccatorum spinas & tribulos producit, nos ipsi sumus. Unde S. Augustinus ait: *Dictum est peccatori, terra es, & in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator; Non simus terra, si nolumus manducari à serpente; sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundum corporis qualitatem hoc efficiatur, quod nos sumus, sic malis moribus per negotiatum, superbiam, & impietatem, hoc efficitur quisque, quod Diabolus est, similis ejus, ut subjiciatur ei, sicut subjectum est corpus nostrum, & hoc est quod dicitur manducari à serpente.* S. Gregorius quoque spiritualem horum verborum sensum exponit, dum ait: *Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ absorsit.* Porro peccatum nihil aliud est, quam aversio à Deo, & conversio ad creaturam, id est, respicere terram, & illi adhærere, Deo autem dorsum vertere; Ac proinde S. Paulus justos ab impijs distinguere volens, de hisce ad Philippenses ita scribit: *Quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt*, At vero de illis dicit: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Merito igitur S. Paulinus ait: *Cum quæ sursum sunt, sapimus, & quærimus, terreni esse desinimus, ut jam non simus esca serpentis, qui vicissim datus est in escam populis Æthiopum.* Porro dæmon pro viribus suis ad hoc connititur, ut eos qui perfecti & sancti sunt, sibi incorporare possit, & ideo apud Habacuc dicitur; *Cibus ejus electus*; Job quoque ait: *Habet fiducium quod influat Jordanis in os ejus.* Non tamen ob id ei aliud deest pabulum, minus delicatum & electum, nam ut Chrysologus ait: *Pascunt dæmones qui semper corporum vitijs saginantur, & sordibus, quia sicut Domino qui se jungit, unus Spiritus est, ita qui se jungit Diabolo, est dæmon unus*; Et ideo Chrysostomus in homilia quadam ait: *Voluntarius dæmon peccatum est.* In vita S. Philippi legitur, quod cum nobilis quidam Romanus, qui à dæmone credebatur obsessus, apud S. Philippum confessionem quamdam generalem faceret, sanctus vir Dei eidem consitenti dixerit: Ne dubites fili quia ego adjurabo ipsum; nocte vero sequenti somniavit, sibi patulis faucibus dormienti, innumerabilem quamdam dæmonum multitudinem ab ipsiden fuisse egressam; unde expergefactus clamare cœpit, cumque sequenti diluculo somnium B. Philippo retulisset, dixit ei vir sanctus, *vade & noli amplius peccare*; & abinde mens ejus quemadmodum & conscientia quieta semper tranquilla permansit, nec ullo unquam spirituum infernalium timore percussus fuit.

6. Dæmon Hydræ affinitari solet, quia sicut hæc septem habet capita venenum pestiferum spirantia, ita peccatum septem generat vitia capitalia. Unde S. Hieronymus super illa Psalmistæ verba: *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; tu confregisti capita draconis*: inquit: *Quot peccata sunt, tot capita habet Diabolus.* Porro caput talis est pars corporis, quæ toti corpori vigorem præstat; estque sedes animæ, unde spiritus vitales per totum corpus transfunduntur; cum igitur dæmon totidem habeat capita, quot sunt nostra peccata, per hæc fortis evadit, & sine illis foret sicut corpus truncum sine capite, nec quidquid contra nos prævalere posset. Ac proinde Chrysost. exhortabatur inquiens: *Unum solum castodi, ne occurrat tibi peccatum, hoc enim est quod supplantat, præter hoc vero nec ipse Diabolus nos quidpiam lædere poterit.*

S. Hier. T. 7. Ps. 67. Dæmon assimilatur Hydræ.

D. Chrys. H. 21. ad pop.

7. Observatisne aliquando id quod Habacuc in hæc verba scribit: *Et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Porrò persuasum mihi habeo Prophetam in spiritu prophetico his verbis alludere voluisse ad serpentem infernalem, ad pedes Confessarij ab animi peccatrice quam posuerat turpiter foras ejectum; audiamus S. Bern. hanc meam opinionem his verbis confirmantem. *Ubi nempe peccatum remittitur, ibi procul dubio Diabolus de corde peccatoris expellitur, hunc universaliter de cunctis pœnitentibus dicit: Nunc judicium est mundi, nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras, quod scilicet humiliter pœnitenti remittat Deus peccatum, & Diabolus eum, quem in hominis corde invaserat, amittat principatum.* Bolland. in vita S. Pauli Simplicis ita scribit: *Abbas Paulus Simplex habebat hanc gratiam, ut ingredientes in Eccl. sium aspiceret & ex ipsa facie eorum, seu intuitu ejusque cogitationes seu malæ essent, seu bonæ sentiret. Cum ergo venissent ad Ecclesiam & ingrederentur, senex vidit eos clara facie, & lxto animo ingredi; & Angelos eorum pariter gaudentes cum ipsis. Unum autem nigrum vidit, & nebulosum habentem corpus, & dæmones hinc atque inde trahentes eum ad se missò freno in naribus, & Angelum sanctum ejus à longè sequentem tristem.* Is autem peccatum suum detestatus se convertit, quia cum peccato fornicationis teneretur, mox ut audijt verba illa Isaiæ: *Lavamini, mundi estote, Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*; à vinculis illis quibus dæmones illum fortiter vinctum tenebant, solutus, visus est ab Ecclesia egredi, hilaris plane & formosus.

S. Ant. de Pad. ser. in Dom. 3. Quadr. Peccatores sunt Lorica Diaboli. Rom. 6. v. 13.

S. Ambr. ib.

Bolland. 4. Febr. vit. B. Raban. fol. 513.

Isaiæ 1. v. 16. & 18.

8. Cum dæmon inimicus quidam sit, qui in hæc belli arena (*militia est vita hominis super terram*) cum omnibus bellando congreditur, cujus generis ejus creditis esse loricam, qua obarmatur? Audite S. Anton. de Pad. dicentem: *Lorica diaboli sunt mali, inseparabiliter ei connexi.* Homines enim impij per peccata sua, quæ ab ipso inseparabilia sunt, fortem illum & validum efficiunt; ac proinde monebat Apost. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*; circa quæ verba S. Ambr. ait: *Ostendit diabolum nostris nos jaculis impugnare; occasio enim datur illi per nostra peccata. Ideo membra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noster inermis inventus subjiciatur.* S. Augustin. sententiam quamdam habet qua consolari nos possumus, ne huic inimico in prædam cedamus ait enim: *Non aliquem vincit aut subjugat nisi societate peccati.* Est enim nobis prærogativa quædam, qua nulla dari potest major, scilicet quod fecurifimus, quod à diabolo infestati superari nos possimus, nisi volentes, quia ipse nec fortis est, nec vincere potest, nisi armis nostris, id est peccatis adjutus, unde si S. Hieron. dicere licuit: *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus*, multo magis nos idipsum de spiritibus rebellibus asserere poterimus: *Nostris peccatis dæmones fortes sunt, nostris vitijs superamur.* Titus super illa verba S. Lucæ: *Intravit satanas in Judam* ita scribit: *Intravit, non impellens, sed patulum inveniens ostium, nam obstitus omnium quæ viderat ad solam avaritiam dirigebat intuitum.*

S. Ant. de Pad. ser. in Dom. 3. Quadr.

S. Aug. l. 10. de Civit. Dei cap. 22.

Nostris peccatis Dæmones tortes sunt.

Luc. 22. 3. Titus in cat. D. Tho. ib.

Confirmatur historia.

fessione facta peccatorum pœnitentiam ageret, ne forte facinorum suorum merito fieret inimici. Qui præceptis obediens, ad pœnitentiam, quam Diabolus semper aversatur tota mente confugiens, insidias evasit inimici. Apud S. Matthæum cap. 17. Salvator noster, cæteroquin benignissimus, filium lunaticum, quem dæmon sæve torquebat, nec non & Patrem, qui eum Christo præsentabat, acriter reprehendisse legitur, & dixisse: *O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me & increpavit illum Jesus.* Possetisne hujus tam asperæ reprehensionis reddere causam? *Non est addenda afflictio afflicto*, Resp. quod ambo hoc merebantur improperium, quia scilicet per peccatum dæmoni aditum præbuerant; ita enim scribit S. Hieronymus: *Increpavit puerum, & exivit ab eo dæmon, quia propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus.* B. Rabanus in librum Judicum scribens hanc tradit doctrinam: *Contrariæ virtutes non invalescerent adversum nos, nec ipse diabolus in nobis aliquid prævaleret, nisi ei vires ex nostris vitijs præberemus, unde infirmas esse adversum nos, nisi nos eum fortem in peccando faceremus, & nisi per peccata nostra locum introeundi, & dominandi inveniret in nobis.*

Matth. 17. 17.

S. Hier. ib.

Raban. l. 3. in Judic.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Quo sensu peccator filius Dæmonis appelletur, deque tyrannica peccati servitute, quam peccator industriè quærit, cuique voluntariè se subjicit.

THEMA.

Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Joan. 8. v. 44.

Peccatores ut tales à Dæmone generantur.

1. TAmetsi hæc verba à Salvatore nostro Judæis mortem ejus machinantibus dicta fuerint, illa tamen omnibus quoque illis adaptare possumus, qui peccatum mortale in cordibus suis concipiunt, utpote per quod, ut Apostolus testatur, Christus de novo crucifigitur: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Qua de re superius in discursu sexto prolixius egimus. Ut vero veritatem hanc profundius intelligamus, scilicet quod peccatores spiritualiter à Dæmone velut filij illius generentur, revocandus est in memoriam textus ille S. Joannis, quem in epistola prima c. 3. his verbis legimus: *Qui facit peccatum ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. ... Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli; omnis qui non est justus, non est ex Deo.* Glossa Interlinearis ad hæc verba ita scribit: *Nec tantum non peccat sed non potest peccare, quamdiu verbum retinet;* hoc autem verbum Luc. 8. semini assimilatur: *Semen est verbum Dei;* quod semen quamdiu intra nos durat, efficit, quod certi simus, nos peccato nullum daturos esse aditum; quod si autem nostro damno contingat, quod *veniat Diabolus & tollat verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant*, mox ille suum semen quod est peccatum in cor nostrum dispergit. Liranus verba illa: *In hoc manifesti sunt filij Dei*, ita exponit: *Scilicet quod hi non peccant mortaliter, alij vero fiunt filij Diaboli propter operationem peccati.* S. Augustinus hunc textum commentando dicit: *Neminem fecit Diabolus, neminem genuit, sed quicumque fuerit imitatus Diabolum quasi de illo natus est filius Diaboli, imitando, non proprie nascendo.* Dionysius Carthusianus similiter ait: *Ex Diabolo est, non corpus, aut animam ab illo habendo, sed ejus pravitatem sequendo, aut ejus tentationi consentiendo pertimendo quoque ad eum, tamquam ejus membrum atque mancipium. Sic Christus quoque obstinatis loquens Judæis inquit: Vos ex patre Diabolo estis.* Pessimũ profecto semen, seu potius infernalia Dæmonis zizania sunt peccata, de quibus Christus ait: *Inimicus superseminavit zizania*, quia ut S. Joannes ait: *Ab initio Diabolus peccat.* Hugo Cardinalis super illa verba: *Ut dissolvat opera Diaboli*, inquit: *Tollendo scilicet peccata; opera autem Diaboli appellat peccata, quia sunt nativitas imitationis, quæ ex Diabolo nascuntur peccatores.* Alcuinus super illa verba quæ Deus serpenti post peccatum dixit, scilicet: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, ingeniose quærit; De quo semine, vel de quo inimicitia hic Deus noster loquitur, & respondet idem Author: *Semen mulieris est totum genus humanum; semen serpentis, originalis peccati primordium, quæ duo semina ex præcepto divino continuum inter se gerere odium debent, ut non faciamus quæ Diabolus vult, quia ille numquam vult nobis profutura.* Semen igitur serpentis infernalis, venenum est peccati, per quod producit & generat suos filios, id est impios peccatores. Rupertus Abbas ait: *Sicut per serpentem Diabolus, ita & per semen serpentis, omnes iniqui, & maligni homines, imitatores ejus rectè intelliguntur, licet neminem genuerit, aut creaverit ille; nam si iniqui, & impij homines, serpentis, id est Diaboli semen non essent, nequaquam diceret Dominus Judæis: Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis; Itemq; Vos facitis opera patris vestri, profecto Diabolum volens intelligi; sequitur enim protinus in eodem Sermone: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Eorum qui tam constanter dicuntur semen serpentis, id est filij Diaboli, causa, ut nasceretur peccatum, exstitit; dicente Deo ad mulierem; postquam peccavit consentiens Diabolo: Multiplicabo conceptus tuos & ærumnas tuas.* In Revelationibus S. Birgittæ dicitur: *Anima vitiosa; est quasi uxor Diaboli, quæ tunc concipit ex Diabolo; quando peccatum placet ei, & gaudet in eo; sicut enim mater ex modico semine, quod non est nisi putredo, concipit, & fructificat, sic & anima, cum delectatur in peccato; facit magnum fructum Diabolo.* S. Ambrosius quoque super Psalmum 47. scribens sensum propositi thematis explicat; observans enim quod cum Hebræi se de prosapia Abrahæ genitos esse gloriarentur, Christus eis dixerit, quod non ex Abrahæ, sed ex Satanæ progenie essent; propter malitiam suam ita scribit: *Non ex Patre Abraham, sed ex Diaboli semine manere memorabat, quoniam omne peccatum semen inimici est.* S. Bernardinus pariter in sermone quodam in hæc verba loquitur: *Omnis peccator filius Diaboli est, hinc Joan. 8. Judæis Dominus ait: Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Ante omnes vero Origenes in homilia quadam super Jeremiam, hoc punctum his verbis discussit *Dicebamus dudum Zabulum patrem nostrum fuisse antequam Deus factus sit pater, si tamen nunc non habemus etiam Zabulum patrem, quod etiam de Joannis epistola approbamus, in qua ita scribitur: Omnis qui peccatum facit, ex Zabulo natus est. Toties ex Zabulo nascimur, quoties peccamus; infelix ille qui semper generatur à Zabulo.*

Hebr. 6. v. 6.

1. Joan. 3. 8.

Interlin. ib.

Luc. 8. v. 11.

Ibid. v. 12.

1. Joan. 3. 10.

Lyran. ibid.

S. August. tr. 4. ib.

D. Carth. ib.

Fiunt homines Diaboli, illos imitando.

Matt. 13. 25.

1. Joan. 3. 8.

Hug. Card. ib.

Gen 3. v. 15.

Alcuin. interrog 75. ib.

Semen serpentis infernalis est peccati originalis primordium.

Rup. Abb. t. 2. l. 2. c. 12. de vict. verbi.

Revel. S. Birg. l. 1. c. 45.

S. Ambr. in Ps. 47.

Propter malitiam Judæi dicuntur esse ex semine Diaboli.

S. Bern. T. 1. ser. 21. art. 1. c. 2.

Orig. Hom. 6. in Jerem.

2. *Vos ex Patre Diabolo estis.* Quænam obsecro causa est; quod Christus nos docuerit, ut æternum patrem suum, nostrum quoque patrem in oratione invocaremus: *Cum oratis, dicite Pater noster?* ideo nimirum, quia Pater ille qui nos hic in terris genuit, solum nobis corpus dedit, animam vero in qua præcipua consistit hominis essentia, Deus creavit; unde magna illa septem filiorum Machabæorum mater, ad invictam illos exhortans constantiam dixit: *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis ... sed mundi Creator;* peccato autem ita fit filius dæmonis, ut per peccatum Dæmoni in prædam cedat corpus & anima; corpus quidem, quia sensus culpæ suæ instrumenta, ei fiunt addicti & multo magis potentiæ animæ; & ideo *corpus & animam perdit in gehennam.*

Diabolus sibi filias generando lucratur corpus & animam.

2. Mach. 7. v. 22.

3. *Ex patre Diabolo estis.* Æternus Pater immensam quo filium suum unigenitum, ejusque divinam filiationem sibi acceptissimam, prosequebatur dilectionem exprimere volens; binis vicibus, id est semel in monte Thabor, & deinde ad Jordanem eidem acclamavit dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Verum enimverò vultisne ut vobis demonstrem quantopere sibi inimicus infernalis complaceat, quod peccatores sui fiant filij? audite qualiter hanc suam in hoc complacentiam demonstret. Omnibus nota est illa Christi parabola in qua dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.* S. Antonius de Padua ly *ambulans*, hoc modo declarat: *Diaboli ambulatio nihil aliud est, quam ipsius tentatio; unde Job primo dicit: Circuivi terram & perambulavi eam; Diabolus primo terram id est mentem hominis circuit, id est subtiliter inquirit, cui vitio magis sit applicabilis, & postea eam perambulat, quia secundùm quod viderit vincibilem, quemlibet tentat.* Hoc vero quod proposito nostro quam maxime deservit, sunt verba ista: *Domum meam;* quia centrum & habitatio Dæmoni gratissima est peccatoris anima; quia licet infernus ipsi velut locus suus proprius sit destinatus, in eo tamen patitur & torquetur,

Matth. 3. 17. Matt. 12. 8.

Luc. 11. 24.

S. Anton. de Pad. in Dom. 3. Quadr.

torquetur, non vero item in anima peccatrice, quia in ea velut in loco deliciarum recreatur & gaudet: *Invenit enim eam scopis mundatam & ornatam*, quia in mala conscientiæ immunditia & impuritate, pretiosissima sua habet reposita ornamenta: S. Bonaventura ait: *Triplex est signum, quod peccatum placet Diabolo. Primum quia in nullo alio delectatur, quia ipse non vult aliud balneum, non quærit aurum, non amat argentum, quia in persona ejus dicitur, da mihi animas, cætera tolle tibi, sicut avis rapax amat cor prædæ, sic ipse cor hominis. Secundùm signum, quia in procurando peccatum, numquam fatigatur, etenim sex millia annorum sunt, & amplius, quod nihil aliud facit, quam procurare peccata; non licet sibi capere cibum, vel somnum, tantum est occupatus in negotio peccatorum. Tertium signum, quod Diabolus amet peccatum, est, quia numquam potest nec poterit peccato satiari; jam non possunt numerari illa infinita millia hominum peccatorum, quos absorbuit & devoravit; & tamen est adhuc famelicus; tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Regius Propheta David gaudium exprimere volens, quod Deus ex eo concipit, quod in locis sibi consecratis eum veneremur, de eodem dicit: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus.* Vultis autem audire, quantum Dæmon in eo habeat beneplacitum, quod in animabus peccatorum recipiatur? S. Ambrosius peccatori de Deo dicit: *Venit ad habitandum apud te, tu verò non præparas ei domum dignam habitationis suæ, alium, id est Diabolum tibi habitatorem concilians.* Mystica quoque sunt illa Jobi de Beemoth, figura Dæmonis loquentis verba scilicet: *Sub umbra dormit.* Ex quo enim ex sententia Doctoris Seraphici audivimus, quod Dæmon numquam dormiat, ex quo etiam ex doctrina fidei novimus, quod idem malignus spiritus ex flammis infernalibus continuo ardescat, qua ratione igitur, Job ex instinctu Spiritus veritatis dicere potuit, quod sub umbra dormiat? audiamus Bedam dicentem: *Aliquando umbra peccata esse referuntur, quæ tamquam umbra corpori, ita morti vicina sunt; In peccatis ergo Diabolus habitat, & requiescit.* Dicere quoque possumus, quod sicut umbra ei qui ex ardore Solis æstuat, magnum præstet refrigerium, ita quoque Dæmoni qui in abysso ignis infernalis ardet, magno est solatio (si tamen solatij alicujus capax esse potest) quod in animabus peccatricibus sine molestia moretur. Cardinalis Toletus verba illa S. Lucæ: *Quærens requiem, & non inveniens*, ita exponit: *Quia studium, ac cibus ejus, ac desiderium, est nocere hominibus; ubi igitur non invenit cui noceat, requiem non habet.* Multo autem melius Beda ait: *Bene dicitur quærens requiem, & non inveniens, quia castas mentes effugiens, in solo Diabolus corde pravorum gratam sibi potest invenire quietem, unde de illo Dominus: Sub umbra dormit &c.* Lucas Burgensis super Matthæum scribens, verba illa: *Scopis mundatam &c.* de anima peccatrice *Dei gratia destituta*, interpretatur inquiens: *Qui vacui sunt Spiritu Dei, ij ad recipiendum Diabolum parati sunt, cujus summæ deliciæ sunt inanitas illa quæ divinæ gratiæ neglectum sequitur.* Nemo nescit quantam equi viatoribus commoditatem & sublevamen præstent; S. Hieronymus autem peccatores Dæmonis equos appellat inquiens: *Ego puto equos esse homines peccatores, & equites Dæmones, qui equitant in eos.* Porro ingentem quam Dæmon in peccatoribus habet complacentiam S. Basilius in catena Græca citatus sequentibus verbis expressit: *Satanas vocatur, quod adversarium significat; Diabolus vero, propterea, quod is nostri peccati administer est, idemque accusator, & nostri quidem interitu lætatur, ac de nobis ob nostra facinora triumphum agit.*

Matt. 12. 44.

S. Bonav. T. 3. Diæt. salut. tit. 1. c. 1.

Ex tribus signis cognoscitur, quod Diabolo placeat peccatum.

Ps. 10. v. 5.

S. Amb. in Hebr. 10.

Job 40. v. 16.

Sub peccata dormit Diabolus.

Beda l. 3. in Job.

Luc. 11. v. 24.

Tolet. annot. 57. ib.

Matt. 12. 44.

Luc. Burg. ib.

Peccatores sunt Dæmonis equi.

S. Hier. in Ps. 32.

S. Basil. in cat. Græc. Job. 1.

4. *Ex patre Diabolo estis.* Filius naturaliter Patri obedire, atque ab ejus præceptis dependere tenetur; at verò quid de peccatoribus dicemus, qui spontanea voluntate propriam malitiam secundantes, servi fiunt & mancipia, non jam patris alicujus, sed tam crudelis, & contra ipsos implacabilis tyranni? S. Bonaventura ait: *Evideus insania peccantium, qui voluntarie se subjiciunt tali Principi* (hoc enim nomine à Christo indigitatur: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foràs*) subdit vero idem Doctor Seraphicus: *Est dominando tyrannicus, & crudelitate impius, & in exigendo servitium laboriosum incessabilis, & iniquus, & in reddendo stipendium durus. Crudelis enim est, & non miseretur; servietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem, cujus stipendia in reddendo non sunt nisi mors, stipendia enim peccati mors, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ.*

Tyrannicum est regimen Diaboli.

S. Bonav. in Joan. 14.

Joan. 12. 31.

S. Cyprianus diu ante in hæc verba scripserat: *Communis pestilentia, ut per vitia, ad servitia deputentur, & obligati peccato, chirographum subjectionis conscribant Diabolo.* Observastisne aliquando tyrannidem, quam Nabuchodonosor per exercitum suum exercuisse scribitur, audite Ezechielem de illa ita scribentem: *Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum; omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei.* Omnes militum humeri detriti, & excoriati erant ob immensum saxorum pondus, quod tanto tempore apportare cogebantur pro fabrica vasti illius pontis, qui à littore maris ad Tyrum usque pertingebat; & tamen post tot sudores & fatigationes, *merces non est reddita eis.* Talis proprie est peccatoris servitus, qui in sævum contra se tyrannum conversum experitur Dæmonem, quando post præstitum toto vitæ suæ tempore multis cum sudoribus & laboribus servitium; aliam nequit retribuere mercedem, quam ignem æternum. S. Hieronymus quoque verba illa: *Non dabunt vobis requiem die ac nocte* in hæc verba exponit: *Perpetuam peccantium ostendit in scelere perseverantiam, dum & in diebus flagitijs, & in noctibus libidini serviunt, qui non dabunt, inquit, vobis requiem. Haud dubium quin falsos Deos significet, de quibus dixit: Et servietis dijs alienis. Quidquid ergo peccamus, quidquid die ac nocte facimus, & malorum operum perpetramus, imperium est Dæmonum, qui numquam vobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum.* S. Antonius de Padua oppressionem considerat populi Hebræi in Ægypto, quando Pharao contra illum deputavit: ut ita dicam aculeos, ad extimulandum operarios; dicit enim sacer textus: *Præposuit filijs Israël Magistros, ... ut affligerent eos oneribus. Sic Diabolus inquit prædictus Sanctus, Christianis nomine tenus præponit Magistros operum, id est Dæmones, cuilibet vitio deputatos, qui affligunt eos oneribus peccatorum, unde ipsi dicunt gementes Threnis. Cervicibus minabamur, & lassis non dabatur requies; Ægypto dedimus manum. Babylonij, id est Dæmones. hominem quem captum ducunt, cervici onera gravia imponunt, & tamquam bovem vel asinum alligato ad collum fune, minando trahunt, & lassò nullam requiem dant dum de peccato in peccatum præcipitant.* Subdit vero idem Sanctus: Heu quanta dementia in via lassari, & viam nolle finire? *dedimus, inquiunt, manus, id est fecimus nos servos Ægypto, id est mundo, & Assyrijs, id est dæmonijs, ut saturemur pane, id est carnis voluptate.* Per infelicem illum hominem, qui ad cœnam invitatus venire renuit; dicendo: *Juga boum emi quinque.* Hugo Cardinalis illos intelligit, qui cœlum propter terram, & Deum pro dæmone deserunt, de quibus proinde ait: *Tales in cœno temporalium quasi sues nutriuntur, & Dominicam cœnam fastidiunt, cœnum cœlo præferentes.* Observandum verò, quod idem homo dixerit: *Emi*, jam enim pro imponendis sibi ponderosis jugis, pecuniam expenderat, duæ etenim sunt præcipuæ miseriæ, quas peccator incurrit, una est, quod sua expendat, & eroget, quod sudet & laboret, pro compedibus servitutis tyranni infernalis sibi applicandis; altera vero est, quod se infinito bono (qualis est divina gratia, Deus, cœlum, & æterna beatitudo) infeliciter privet, ut se luto immergere possit. S. Augustinus insuper sequentem servitutis Dæmonum considerat miseriam dum ait: *Servitus Dæmonum est magis timenda quæ non finitur, cum servitus hominum aliquando finiatur.*

S. Cypr. de jejun. & tentat.

Ezech. 29. 18.

Diabolus sequitur tyrannidem Nabuchodonosoris.

Jerem. 16. 13.

S. Hier. l. 3. ib.

Semper impellit delictis augere delicta.

Exod. 1. 11.

S. Ant. de Pad. in Dom. 6. Post Pasch.

Luc. 14. v. 19.

Hug. Card. ib.

Duæ sunt præcipuæ peccatoris miseriæ.

S. Aug. tr. 41. in Joan.

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Varij explicantur modi, quibus Dæmon peccatum nobis insinuat; ubi & de arte, & crudelitate Dæmonis agitur, qua nostram perditionem machinatur.

THEMA.

Venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Luc. 8. v. 13.

1. SAlvator noster, ut S. Paulus ad Timotheum scribit: *omnes homines vult salvos fieri* (quod tamen intelligendum est de voluntate antecedente, ut Scholastici declarant) cum enim redemptionem expenso sanguinis sui pretio pro cunctis animabus operatus fuerit, vellet, quod omnes illum consequerentur finem, propter quem illas creavit, & à servitute infernali

1. Tim. 2. 4.

Quomodo Deus vult omnes homines salvos fieri.

nali redemit, at vero quid sit? quando Deus suam nobis communicavit gratiam, quæ semen est gloriæ, nosque per illam contra peccatum fortificavit (propter

1. Joan. 3. 9. quod S. Joannes ait: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*) nos per negligentiam nostram, pretiosum hoc semen à serpente infernali nobis eripi, & in vicem hujus pestiferum peccati venenum nobis instillari permittimus, idque *ne credentes salvi simus*. S. Hieronymus de avibus

S. Hier. T. 6. ad Philem. c. 2. hisce rapacibus ita scribit: *Per mundum istum vagantibus se peccata hominibus insinuant.* Celebris proinde fuit illa S. Antonio exhibita vitio, in qua aërem vi-

Visio S. Antonio exhibita. dit plenum laqueis, in quos tamen nemo incidit, nec captus ab illis fuit, nisi qui incautus ex semetipso se irretivit. Pelthmus autem hic inimicus, quantumvis sit astutus, in perniciem nostram nihil facere prævalet, si nos nolimus, unde S. Augustinus ait: *Habet capiditatem nocendi, facultatem autem non nisi quæ datur.* Etenim sine consensu, & voluntate nostra in perniciem

S. Aug. l. 11. de Gen. ad litt. c. 12. nostram nihil potest, aut valet. Unde idem S. Augustinus ait: *In tua voluntate est, si volueris, inimicam tuam facere servum tuum.* Cui consonat sententia illa

S. Ambr. l. de parad. c. 2. S. Ambrosij dicentis: *Accepit quidem tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus.*

2. Bellovacensis modum declarat, quo Satan, ut suam insinuet malitiam, cœleste semen ab anima tollit. Quærit enim: *Utrum Diabolus sit causa peccati persuadendo, vel interius instigando?* & Respondet: *Dicendum, quod interior pars animæ est & intellectiva, & sensitiva; intellectiva continet intellectum, & voluntatem; de voluntate dictum est, quomodo ad eam intellectus se habet. Intellectus quidem per se movetur ab aliquo, illuminante ipsum ad cognitionem veritatis, quod Diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrare rationem ipsius ad consentiendum peccato, quæ obtenebratio provenit ex phantasia, & sensitivo appetitu unde tota operatio Diaboli esse videtur circa phantasiam, & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum; potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ repræsententur. Potest etiam facere quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem, natura autem corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem, unde & Diabolus omnia illa causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi vi virtute divina reprimatur.* Considerationem quoque digna est illa Berchorii in Dictionario suo de peccato discurrentis sequens doctrina. *Percussus à serpente, primo frigiditate veneni quasi insensibilis effectus obstupescit; deinde veneno paulatim calescente, per venas usque ad cor rapitur, & sic vita recedente mors sequitur; sic vere charissimi, cum serpens venenosus, Diabolus, caro, vel mundus hominem momorderit per immissionem cogitationis, quandoque statim sit insensibilis, & stupidus, per defectum non adhibitæ debitæ curam pectionis, & tunc venenum sic immissum incipit per delectationes incalescere, & per venas id est interiores affectiones usque ad cor per consensum ascendere, & ita vitâ gratiæ solet expellere, & mortem mortalis peccati in anima generare.* Certum quoddam reperitur veneni genus, quod eos qui illo imbuti sunt, continuo salire, & saltitare facit, quod præcipuè in illis contingit, quos Tarantaræ momorderunt, quibus speciatim Apulia abundat. Tale proprie est venenum illud mortiferum, quod serpens infernalis multis impijs insinuat, de quibus

Prov. 2. 14. Sapiens ait: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Venenosus Scorpio eodem tempore quo hominem ferit, se eum quoque amplexari, & osculari velle ostendit; Quod Hugo Cardinalis considerans ait: *Scorpionis modum, & naturam habet Diabolus, & peccatum, facile blanditur, & cauda pungit & venenat.* Nihil porrò est, quod magis nos alliciat, quam divitiarum abundantia & gloria mundana, at verò quid per hoc obtinemus? per hæc blanditias Dæmonis mancipia efficimur. Audite S. Antonium de Padua dicentem: *Qui divitijs abundant & honoribus, sunt hospitium Dæmonum, qui debuerant esse Dei templum.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 3. Quadr. Diabolus non violenter, sed homo illi cooperatur.

3. *Tollit verbum de corde eorum.* Advertendum quoque est, hanc rapinam non esse violentam, sed nos illi sponte cooperari, dum à nostris appetitibus, nos seduci permittimus, qui valdè avidè zizania inimici, non verò cœlestis agricolæ frumentum concupiscunt. Audiamus quid hac de re S. Bruno Carthusianæ so-

S. Bruno, ib. litudinis Patriarcha his verbis scribat: *Nullum jus habet Diabolus in humana natura; Deus non Diabolus hominem fecit, Deo itaque juris est homo, ipse debet regnare in nobis, ipse debet possidere membra nostra;* & tamen per experientiam videmus, quod Dæmon saepissimè fidelium possideat animas; Scitisne hujus mali causam? Hanc idem Sanctus subjungit: *Apostolus ait: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obedialis concupiscentijs ejus?* Ecce tibi causam, ob quam hujus tyranni mancipia efficimur; nos enim, nos inquam sumus illi, qui Diabolo vincula, & catenas ministramus, quibus ille nos constringat. Unde Albertus Magnus ait: *Nota, quod malitia est funis, per què Diabolus peccatores suspendit in infernali patibulo, & nesciret ipse in quo suspenderet eos, nisi ipsi apportarent ei funem, per quam suspenderentur.* Hisce itaque funibus per totum vitæ præsentis decursum nos ligat, in fine autem ijsdem funibus utitur, loco frœni, ad procurandam æternam nostram damnationem; & tamen hosce funes nos ipsi nobis elaboramus per inordinatos appetitus nostros, & effrænes sensus, qui innumerabilium peccatorum sunt instrumenta.

Rom. 6. v. 12.

Alb. Magn. ib.

4. *Tollit verbum de corde eorum.* S. Antonius de Padua in Sermone quodam ita scribit: *Misera peccatoris conditio Redemptori cedere nolunt; Generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo Spiritus ejus; & iterum, non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus; credidit tamen proditori. 1. Macha. 7. Locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & irruit super civitatem repente &c. Diabolus irruit super civitatem, id est animam, percutit plaga magna, dum ipsam facit culpa.* At vero quodnam vulnus inter cætera magis est mortiferum? nimirum si efficiat, ut quis se ad mortem usque vulneratum esse non credat, nec proprium malum agnoscat; id namque prædictus Sanctus in alio quodam Sermone de obsesso illo differens, cujus in Evangelio Dom. 3. Quadragesimæ fit mentio, observat inquiens; *Dæmonium Dæmoniaco illi tria mala intulerat; lumen abstulerat, vocem, & auditum præclauserat; sic peccatori in peccato mortali existenti lumen aufert, ne peccata sua agnoscat; voce privat, ne illam in confessione aperiat; aurem obturat, ne voces incantantis sapienter audiat.* Paulo post vero pergit ulterius, ostendendo miraculi à Salvatore patrati effectus, dum ita scribit: *Iste homo vidit, locutus fuit, & audivit, & admiratæ sunt turbæ, nec mirum, quia cessante causa, cessat effectus. Ejecto dæmonio peccati mortalis à corde peccatoris, statim incipit videre, id est cognoscere; loqui, id est confiteri; audire, id est obedire. Unde Apostolus Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

S. Anton. de Pad in Dom. Pass.

Maximum vulnus est quod non agnoscitur.

S. Anton. de Pad. in Dom. 3. Quadr.

5. S. Hieronymus miseriam peccatorum, qui ab hoc implacabili inimico varie infestantur, hisce verbis deplorat: *Quis non plangat videns humanas animas quasi variam supellectilem à Dæmonibus, & diversis vitijs esse possessas? Alius Dæmonum mittit subversionis funiculum; alius avaritiæ, ille homicidij, hoc perjurij lineas tendit.* S. Augustinus in suis Soliloquijs Dæmonem, velut protheum quemdam in varias se formas transmutantem repræsentat inquiens: *Diabolus, nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem se ostendit; singulis quibusque qualitatibus, locis, & temporibus, secundum rerum mutationes, varias exhibet tentationes.* S. Joannes Damascenus similiter, hanc laqueorum & rerum varietatem & multiplicitatem detegit, dum ait: *Non omnibus Dæmonibus eadem studia, aut eadem prava munia à Diabolo imperantur; alij enim aliud execrandum, ac Deo invisum munus committitur; etenim alij blasphemiæ cogitationes in hominum pectoribus insculpunt; alij tu pes capiditates animæ suadent, alij in vanam gloriam & livorem, & iram, & cæteros affectus eam excitare solent. Alij inventionum materias hæreticis subministrant. Alij ciendæ gulæ, & temulentiæ ac fornicationi operam impendunt. Alij per insomnia, & gentiles observationes fucum, & imposturam faciunt. Alij hominum voluptates per corpus injciunt, sensusque caligine, ac tenebris opplent. Alij incantationibus, & venefecijs operam navant, ipsisque opitulantur; alij ad vaticinationes accurrunt, ac cum ipsis versantur, atque ut rem brevi complectar, quæque Dæmonum classis peculiare quoddam ministerium, & officium animæ pestiferum nacta est.* Origenes à Glossa super cap. 20. Exodi citatus, animam peccatricem velut fœminam quamdam mundanam esse dicit, quæ multos habet amatores, per quos spiritus rebelles intelligit, nam super illa verba Exodi: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, ita* Exod. 20. v. 5. Orig. in Glos. *scribit: Prostituta est cum Dæmonibus, & habet plures amatores, ut movent ad eam; modo spiritus fornicationis, modo avaritiæ; post hanc venit spiritus superbia, & alij plurimi;*

S. Hieron. in Mich. 2.

S. Aug. soliloq. c. 17.

Dæmon est veluti Protheus in varias formas se transmutans.

S. Joan. Dam. l. 1. Parall. c. 12.

Variæ sunt Dæmonum functiones.

Anima peccatrix est velut scortum. *plurimi; alter tamen alteri non invidet, nec de zelotypijs movetur, sed se invicem invitant, unde adducit secum septem alios spiritus nequiores se; ne nullam zelotypiam patiatur anima amatorum suorum, quæ Dæmonibus est prostituta.*

6. *Tollit verbum de corde, ne credentes salvi fiant.* Ecce quonam tendat Dæmonis studium, & implacabile odium, nimirum ut se æternæ salutis nostræ opponat; ejus namque tyrannis solam nostram sempiternam damnationem pro objecto habet. Rupert. Abbas con-

Apoc. 12. v. 12. Rup. Abb. l. 6. Sap. 15. de Sapien. siderans textum illum: *Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*, ita scribit: *Magnum quippe væ illis immittet, quos vegetissimus hostis mares possidet, tanquam terram comedens, atque concalcans, & tanquam mare conturbans, & iram quam habet, ex eo quod de spiritibus expulsus est in eos quos ultius includit vindicans; nam terra ista illa est, de qua olim serpenti dicebatur, terram comedes cunctis diebus.* Et vero tanta est Dæmonis crudelitas, quod licet peccatores omni cum fœvitia tamquam victimas mancipia, ei sint obedientes, illos nihilominus semper magis magisque velut fœteus immundum crudelius opprimat, & conculcet. S. Antonius de Padua verba illa: *Mulier fornicaria quæ jacet super eos in via*; ita exponit: *Stercus dictum, quia stratum in agro. Mulier fornicaria sunt omnes mundani qui conculcantur à Dæmonibus tamquam stercus à transeuntibus. Hæc mulier sedet super bestiam coccineam, id est Diabolum, qui vastat animæ victimas. Super hunc, scilicet Diabolum, sedent mundani, qui a ipse est fundamentum eorum cui innitur. Sed quia Diabolo de cœlo labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur.* S. Hieronymus in Commentario super cap. 1. Habacuc Propheta, de Dæmone in hæc verba scribit: *Ubique præsens. Ambulat quoque ubicunque terrarum; est humilis, ut possideat homines in quibus Christus habitare debuerat. Horribilis, atque terribilis est, & difficile ab aliquo superari potest. Nullus est Dæmonum qui parcat, omnes ad prædam festini; ante faciem eorum ventus urens; quidquid aspexerint, quidquid vultui eorum obvium fuerit, terere desiderabunt, & perdere.* S. Matthæus cap. 8. de duobus obsessis hominibus ita scribit: *Duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, fuerunt nimis ... clamaverunt; quid nobis & tibi, Jesu, Fili Dei? venisti hic ante tempus torquere nos?* at vero numquid Dæmones inimici Christi erant, cur igitur nunc ipsum in conspectu omnium Filium Dei esse confitentur dicentes: *Jesu Fili Dei?* pro hujus resolutione observandum Dæmones formidantes, se ab illis corporibus esse ejiciendos, privandosque satisfactione illa, quam obsessos illos torquendo habebant; per hanc adulationem conatos fuisse se à Christi adjuratione subducere, ut sic in corporum illorum quieta possessione perseverare possent. At verò quodnam in illos, in casu subsecutæ ejectionis a corporibus illis redundare poterat tormentum, ut lamentarentur contra Christum: *Venisti ante tempus torquere nos?* Respondet Dionysius Carthusianus: *Tanta est invidia, impietasque Diaboli, ut perdi se reputet, si ab hominibus expellatur.* Adeò enim excessivo perfunditur gaudio, dum nos in malis nostris ingemiscentes conspicit, ut Chrysologus dicere non dubitet: *Diabolus malis nostris gaudet, fergit vanis nostris, nostris vulneribus convalescit. Diabolus hominem non vult habere, sed perdere. Quare? quia ad cælum, unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur, quantum in se est, hominem pervenire.*

Matth. 8. v. 28.

Dæmones adulantur Christo ut maneant in corporibus obsessis.

D. Carth. ib.

D. Chrys. ser. 96.

Dæmon sibi attribuit ab hominibus sacrificium.

7. Unum ex præcipuis tributis, quibus homo tamquam obsequiosus subditus, Creatorem, & Deum, Dominum suum esse agnoscerat, erat sacrificium; hoc autem Dæmon sibi per tot sæculorum decursum usurpavit, inducendo, quasi totum genus humanum, solo Judaïno excepto, ad falsorum numinum cultum, in quibus se sub titulo Jovis, Veneris, Saturni, & aliorum similium Deorum adorari faciebat; nec hoc ei visum est sufficere, quin potius Parentes insuper ad proprios filios sibi sacrificandos induxit teste Psalmista qui ait:

Psal. 105. 37. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quos sacrificaverunt sculptilibus.* Præterea sciendum est, quod Diabolus homines variis vitijs, carnis nimirum, avaritiæ, odij, crapulæ, aliisque similibus deditos esse videns, cæcis mortalibus quidam farinæ Deos proponerit adorandos, videlicet, carnalibus Jovem adulterum & impudicum Venerem, Bibonum cpulonibus; Avaris Mercurium; vindicativis Martem; *quibus mos actum est*, ut Seneca moralis ait, *quam ut pudor peccandi ab hominibus tolleretur; quid enim est aliud authores virtutum ejicere Deos, quam vitia nostra incendere, & dare morbo virtutum exemplo dimittis excusatam licentiam?* Nunc verò postquam idololatria magna ex parte ab hoc mundo est profligata, idem Dæmon totidem in cordibus nostris sibola plantare non definit, quot sunt nostri licentiosi & dissoluti affectus. S. Hieronymus supra dictum Psalmistæ versum ita legit, seu potius exponit: *Immolaverant filios suos & filias suas, sensus, & animas suas dæmonijs.* Minutius Felix observat, quod: *In nonnullis Africæ partibus illi faciunt Dæmoni à parentibus immolabantur infantes, blanditijs, & ofando comprimente vagitu, ne flebilis hostia immolaretur.* Eodem modo Dæmon *tollit verbum de corde nostro, ne salvi simus*; id tamen ita cauté facit, ut eodem tempore quo hasce peccatrices animas, quæ sibi sacrificantur, ad ignem infernalem perducit, simul etiam per lætitiam, & gaudia mundana inescet, & alliciat, siquidem *tenent tympanum, & citharam & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos*; at verò quid tandem? *& in puncto ad inferna descendunt.* Sequamur igitur illud Eusebij Emiseni monitum dicentis. *Observemus ne quis nostrum per vulnus peccati victima officiatur inimici.*

Seneca de brevit. vit. c. 16.

Diversis peccatoribus Dæmon deditis similes ut Deos adorandos.

Job. 21. v. 13.

Euseb. Emiss. Hom. de SS. M. Evod. & Alex.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Gravitas peccati ex eo arguitur, quia Deus illud acerbissime persequitur, pœnisque æternis & infinitis illud castigat, licet peccatum sit transitorium.

THEMA.

Ibunt hi in supplicium æternum. Matth. 25. v. 46.

1. QUod si hoc, quod est esse non tyranni infernalis mancipia, pœna est peccati, immensamque illius arguit malitiam, quanto majori pavore nos percellet horror hujus monstri, si per seriam reflexionem alia recogitaverimus supplicia, & pœnas, per quas divina justitia in peccatum animadvertit, primum quidem in hac vita; & postea in horrenda illa æternæ perditionis abysso? etenim ex gravitate pœnæ, gravitatem metiri possumus culpæ cum peccatum, & culpa inter se mutuam relationem habeant dicente Scripturâ in Deuteronomio: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Porrò famosa sunt illa Poëtæ verba: *Oderant peccare mali formidine pœnæ*; Et ideò si impij caput suum ad os inferni propius admovere possent, indeque cernere supplicia, quæ illis etiam in hoc mundo imminent, ad puniendam ipsorum peccata, suos utique gressus revocarent, quibus *veloces ad malum currunt.* Nam ut Eusebius Emissenus ait: *Si volumus intelligere quam graves apud se faciat Judex noster hominum culpas, respiciamus ad pœnas.* Harum autem catalogum quemdam B. Laurentius Justinianus paucis quidem lineis conficit, sed tam severa enarrat supplicia, quæ peccati enormitatem clarè satis demonstrare possunt, pœnæ enim damnatorum sunt: *Gehennale incendium, dentium stridor, inconsolabilis fletus, palpabiles tenebræ, dæmonum horridus aspectus, desperatio venire, cruciatus perpetuus, universale judicium, extrema animadversio Judicis, &c. Pro eodem peccato deordinatum est cælum, ceciderunt Angeli, de paradisi amœnitate expulsi fuere primi parentes, inundaverunt diluvij aquæ, in facillum redactæ sunt Sodoma & finitimæ civitates; submersus est in mari rubro Pharao, in servitutem sæpè tradti sunt filij Israël, crucifixus est Dominus.* Ecclesiasticus pariter nonnullas enumerat miserias, & ærumnas per quas Deus impios in hac vita castigat, ait enim: *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & omphea vindicans in exterminium impios.* Verum enim vero omnia hujus vitæ acerbissima supplicia nullam prorsus proportionem habent, cum unica dumtaxat ignis infernalis scintilla.

Gravitas culpæ induit temporali pœnæ.

Deut. 25. 2.

Eccli. 39. 35.

2. Enimvero Deus in hac vita impios, in peccatum illorum tot visibilibus, & extrinsecus apparentibus flagellat supplicijs, ut exinde colligere possimus infinitam tormentorum illorum atrocitatem, quæ jor æterna. nobis in futura vita sunt reservata, *ut ex his quæ animas movet*, ut Gregorius ait: *Stroganf ad incognita*

Ex punitione temporali colligitur mas

quæ non novit. Ex Sanctorum Martyrum historijs constat, quod impiacabiles fidei orthodoxæ tyranni, etiam Imperatores, ut Martyres majori cum sævitia punirentur, suppliciorum quæ illis inferebantur carnificinæ sæpè personaliter adstiterunt, prout facit Valerianus in martyrio S. Laurentij, siquidem de tormentorum illis illatorum atrocitate mire gaudebant: De Deo autem licet Tobias dicat: *Non enim delectaris in perditionibus nostris*; Ecclesiasticus tamen idipsum clarius distinguit, dum ait: *Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius*, *quasi dicat*, inquit P. Cornelius à Lapide: *Impius non placebit Deo in hac vita, at in altera placebit ei, cum impietatis pœnas luet apud inferos, ibi enim placebit Deo, & Sanctis in pœna, justaque vindicta, qui his displicuit in culpa.* Dionysius Carthusianus eumdem Ecclesiastici textum similiter exponit inquiens, *id est, numquam in hac vita placet Deo, & Sanctis ejus secundùm quod impius, sed in inferno placet Deo, & Sanctis ejus, justa pœna ipsius.* Citatque textum illum Jobi: *Videbunt justi, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos*; id quod optimè cum illis Psalmistæ verbis consentit: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Tob. 3. v. 22. — *Eccli. 9. v. 17.* — Placet Deo pœna damnatorum. — *Corn. à Lap. ibid.* — *D. Carth. ib.* — *Job. 22. v. 19.* — *Ps. 57. v. 11.*

3. Porrò S. Antoninus ait: *Quod peccatum valde displiceat Deo, patet ex ejus persecutione contra ipsum; persecutus est enim illud in omni loco, ut nullus locus sit ei tutus. In cælo primum, ut apparuit in Lucifero, propter unum peccatum superbæ mentis, illum de cælo dejecit in infernum. In paradiso, de quo dejecit primos parentes, propter unum culpæ transgressionem. In terra persecutus est peccatum, immittendo diluvium propter peccata; per ignem in Sodomis; & per absorptionem à terra Dathan & Abiron; In aëre per grandinationem in Ægyptijs; & in inferno, Deuteronomij 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque eos cum furore meo.* Apud Oseam dicitur: *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis:* Quæ verba S. Hieronymus ita exponit: *In sceleribus suis amarum me fecit, qui dulcissimus eram*; Enimverò si vastissimum Oceanum non aquis salsis, sed nectare plenum, videres una dumtaxat fellis stilla totaliter amaricari, & veneno imbui, inde sine dubio pestiferam toxici illius colligeres malignitatem; jam vero Deus *dulcis & rectus Dominus* & *Pater* quoque *misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*; & de torrentibus, civitatem Dei inundantibus dicit Psalmista: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; & tamen si pessimum peccati venenum, aliquem in cœlum habere aditum posset, illud utique transformaturus esset in infernum, & ideo peccatum Deo adeo est exosum, ut si Deus tristitiæ capax esset, inde supra omnem modum contristandus foret, licet sit lætitia & gaudium omnium Beatorum. S. Bonaventura de Deo inquit: *Non solum habet peccatum odio, sed & quidquid peccatum tangit. Alij homines propter vinum corruptum non projiciunt in mare vasa aurea, vel argentea, sed servant ea, & vinum effundunt: Deus autem non solum peccatum, sed etiam vasa peccati, id est, creaturas rationales, scilicet animas ad suam imaginem factas, & suo pretioso sanguine redemptas, in odium peccati projicit in oceanum infernalem.* Enimvero quantopere Deus animas diligit, clare satis colligitur ex illis Pauli verbis: *Nimiam Charitatem qua dilexit nos*; amat enim illas, tamquam dilectas suas sponsas, easdem quoque pretioso sanguine, & vita sua à Satanæ servitute redemit, immo easdem in summis delicijs habet, ideoque dicit: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*, & tamen quando illas culpa mortali coinquinatas esse conspicit, easdem per omnem æternitatem torquendas in abyssum perditionis projicit. Venerabilis Blosius ait: *Cogita quantum Dominus detestetur, & puniat peccata, adeo ut plerosque ob unicum peccatum mortale, terribili justoque judicio suo in æternum damnaverit, sicut patet in Lucifero, & in Angelis, qui ei consenserunt. Liquet etiam, quantum ipse Deus offensus fuerit unica transgressione, quam admiserunt primi parentes nostri, Adam & Eva.* Etenim Deus corpus primi hominis proprijs plasmaverit manibus, atque conjugem illius ex costa ejus produxerat, immo priusquam illum concederet, supremum sanctissimæ Triados consistorium congregatum fuit, ut in animas eorum & nostras imaginem & similitudinem suam imprimeret, propter quod Psalmista ait: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*; & tamen primus homo propter unicam dumtaxat transgressionem, è paradiso ejectus, totque miserijs oneratus fuit, quibus humanam mortalitatem subjectam esse videmus; hocque peccatum extra paradisum terrestrem, per octingentos & triginta annos per innumerabiles pœnas expiare debuit, ut in cœlestem paradisum aditum habere posset. *Jam quid de te fieri debuit*, subdit idem Blosius, *qui ipsum sanctissimum Regem gloriæ toties offendisti? Hoc profunde attendens, argue & judica teipsum*; S. Petrus, ut primos sui sæculi Christianos (qui in idololatrica malitia sua habituati, ad lucem Evangelij è tenebris errorum suorum transierant) à peccatis coerceret, lapsum illis proposuit Angelorum; id est, unicum superbiæ peccatum, tanta cum asperitate castigatum; ait enim: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservatos, &c.* Quod si regnum aliquod ingrediens, videres, quod tertia pars ditissimorum, nobilissimorum, & potentissimorum regni illius Principum ignominiose ageretur in furcas, idque justissima sententia talis Regis qui cæteroquin sanctus, mitis, pijssimusque existens semper punit citra condignum, quem inde de delictis à talibus Principibus commissis formaturus esses conceptum? Jam vero constat quod tertia pars stellarum, quæ à cœlesti firmamento cecidit, scilicet principatus, throni, dominationes, potestates, Cherubini & Seraphini, à Deo ad inferni patibula fuerint condemnati; eo solum, quod per superbiam evanuissent; Quanto igitur magis contremiscere debet vermis, & vilissimum terræ lutum? Si enim Magnates Deo familiariores, sublimiores, & potentiores, propter unicam transgressionem, irremissibiliter, & irreconciliabiliter ad carcerem ignis infernalis fuerunt condemnati, quanto magis trepidare debent mancipia, infimi stabuli ministri, rebelles, & innumerabilium excessuum rei? *In Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur?* Quod si in regno aliquo optimis legibus gubernato, in qua recta administratur justitia, videres ipsosmet Regis filios, vel etiam primos, & nobiliores ministros, suppliciorum, & tormentorum, reis infligendorum esse executores, utique tibi persuaderes, infinitam quasi displicentiam in ijs esse reatibus, qui à talibus vindicantur. Jam vero Angeli nobilissimi sunt regni cœlorum Principes; de quibus Sanct. Antoninus ait, quod infinitam à peccato aversionem habeant, & tamen licet cæteroquin adeo erga nos benefici existant, attamen severissimi efficiuntur justitiæ ministri, & castigandos, & extirpandos delinquentes; ac proinde prædictus Sanct. Antoninus ait: *Bonis Angelis displicet peccatum, & abominantur ipsum, severeque puniunt, Deo disponente, ut patet de Sodomitis, quorum civitatibus immiserunt ignem, & sulphur.* Patet in David, *propter cujus vanam gloriam, faciendo numerare populum commissam, Angelus Domini percussit ex peste sexaginta tria millia.* Similiter tempore Gregorij Magni visus fuit hic Romæ Angelus, in horribili illa per pestilentiam causata strage, qui ad intercessionem Sancti hujus Pontificis, gladium remisit in vaginam. Verumtamen si demum videres, quod ipsemet Rex, in propria persona se moveret; ad vibrandum contra reos ferrum, multo magis in conceptu de infinitate horroris, quo talis Rex delicta abominaretur, formato confirmareris, videndo quod Rex delinquentes propria manu castiget. Porro in sacris litteris multa hujus veritatis reperiuntur testimonia, quod scilicet Deus immediate semetipsum peccatorum vindicem exhibuerit; pro nunc tamen ad illius probationem unica sequens sufficiat historia Ecclesiastica; nam eo tempore quo gubernante Ecclesiam Victore II. mortuus est Henricus II. Imperator, mortui quoque sunt in diversis Provincijs multi Principes; eodemque tempore Guntero, Imperatoris Cancellario, sequens exhibita fuit apparitio & visio, in qua vidit Dominum in solio Majestatis suæ sedentem, qui elevato in aëra brachio apprehensum magno cum impetu vibrabat ensem, & circumstantibus dicebat: *Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam*; post quam apparitionem prædicta Principum regni mors subsecuta fuit, eaque finita,

S. Anton. 4. p. tit. 14. c. 6. — Ostenditur Deo peccatum displicere in cœlo & in terram. — *Ose. 12. v. 14.* — *S. Hier. ib.* — *Ps. 24. v. 8.* — *2. Cor. 1. v. 3.* — *Ps. 45. v. 5.* — Si peccatum posset penetrare cœlum illud transmutaret in infernum. — *S. Bonav. T. 6. Diet. salut. tit. 1. c. 11.* — *Eph. 2. v. 4.* — *Prov. 8. v. 31.* — *Blos inst. vit. ascet. medit. 1. divis. S.* — Ob unicum peccat. mortale Lucifer damnatus est in æternum. Propter unicam inobedientiam primi parentes ejecti sunt ex paradiso. — *Ps. 8. v. 6.* — *2. Petr. 2. 4.* — Similitudo. — *Job. 4. v. 18.* — Angeli sunt severissimi justitiæ Ministri contra peccata. — *S. Anton. 4. p. tit. 14. c. 6.* — *2. Reg. ult.* — De hoc habetur Historia tempore Gregoris M. — *Baron. an. 1056. n. 2.* — Visio Gunteri.

finita, vidit de novo sedentem Dominum, qui remisso in vaginam gladio, eoque super genua sua posito, hunc in modum circumstantes est affatus: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Prosequitur vero Baronius referendo prædicti Henrici Imperatoris graves excessus, quibus divina justitia exasperata hæc ei suisque Principibus supplicia merito immiserat.

4. Quæri hoc loco haud incongrue potest, cur culpa, quæ nonnumquam brevissimo tempore committitur, pœna tali, quæ quasi infinita est, & sempiterna a Deo puniatur, pro cujus quæstionis resolutione, necessum est, adæquatum omnium suppliciorum quæ Deus in hac & altera vita peccato deputavit, formare conceptum, ac tum demum cum universa Theologorum Schola credere; quod Deus nihilominus peccatum mortale, etiamsi unicum, & sola cogitatione commissum, citra condignum puniat, etiamsi illud pœnis infernalibus, earumque infinitate castiget; merito autem idipsum credere debemus, prouti ex sequenti Abulensis doctrina colligitur: *Peccatum enim*, ut ipse ait *est omnium malorum pessimum, quia etiam minimum peccatorum est secundùm suam speciem pejus omni pœna, etiam pœna gehennæ.* Et ideo anima unico dumtaxat minimo peccato mortali obnoxia, postquam in inferno per centies mille milliones sæculorum punita fuerit, nihilominus longe minus, quam merebatur, castigata erit, eritque semper verum dicere, animam talem citra condignum, id est minus quam merebatur fuisse punitam. Immò si is, qui Deum mortaliter offendit; omnibus subjaceret ærumnis, & tormentis, quæ ab universo genere humano, ab Adam usque ad finem mundi, tolerata fuissent, cunctisque Martyrum supplicijs, ac omnibus dæmonum & inimicorum damnatorum (si illorum tot essent) puniretur tormentis; nihilominus semper esset verum dicere, talem pœnam levem, & citra condignum illatam sustinuisse, siquidem inter pœnam & culpam nulla reperiri potest proportio, quia hæc est offensa Dei infinitæ majestatis & bonitatis, finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Merito igitur S. Bonaventura inquit: *Qui peccat in bonum infinitum intensive, & extensive, deberet utroque modo infinite puniri, & quia creatura non potest habere infinitatem intentionis; suscipit alteram, scilicet infinitatem durationis, cum firmitate acerbitatis.* Unde Augustin. Epist. 49. ait: *Non actus temporalis facit, ut peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circumstantia illius; in quem peccatur, qui cum sit æternus, implentibus mandata æterna bona promittit, peccantibus vero pœnam comminatur æternam; & ideo idem dicit: Dignus est malo æterno; qui in se peremit bonum, quod posset esse æternum.* Porro quod peccator in inferno divinæ justitiæ numquam satisfacere queat; idipsum Abulensis sequenti convincenti ratione ostendit, dum ait: *Verum est, quod peccatores detruduntur in infernum; quia debitores sunt, & donec solvant, ibi manent, & ideo quia numquam solvunt, manebunt ibi in æternum, & non solum numquam persolvent totum debitum, sed etiam numquam incipient solvere minimam partem debiti. Et apparet primo, quia si aliquantam partem solvere posset in inferno peccator de debito peccatorum suorum, necesse erat quod in longo tempore totaliter solveretur, hoc autem in inferno per quamcumque longitudinem temporis fieri non posse*; idem Author ostendit: *Quia solvere debitum peccatorum; est satisfacere Deo in quem peccavimus, & ad satisfaciendum Deo, oportet, quod ille accepter ea, quæ offeruntur, sed Deus non acceptat aliquid factum, vel toleratum à peccatore, quia extra charitatem est, ergo numquam poterit satisfacere.* Præter prædictas autem rationes Sanct. Bonaventura plures alias his verbis adducit: *Quia homo peccavit in suo æterno, merito punietur in æterno Dei. Item materia ignis est æterna, scilicet macula peccati, ergo & pœna. Item peccatum est contra illum qui est infinitus, ergo pœna debet esse infinita, sed hoc non potest esse acerbitate, unde oportet quod fiat diuturnitate, item cum homo peccat, errat in infinitum, quia finitum præponit infinito, unde congruè debet esse pœna infinita.* In hujus confirmationem ait Sanct. Augustinus: *Quanto magis homo fruebatur Deo, tanto majori impietate deliquit in Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum.* Idem Seraphicus Doctor ubi supra ait: *Mala voluntas reproborum æterna est, ergo & pœna. Quando arbor amputatur, quocumque cadit, ibi semper permanet. Peccator moritur inimicus Dei, odiumque erga Deum, secum defert ergo cum eodem odio permanet in æternum. Item ostenditur exemplis* (estque hæc ultima Doctoris Seraphici ratio) *quia venditio momentanea dat jus possidendi perpetuum & vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam.*

Deut. 32. 22. — Cur peccatum quod brevissimo tempore committitur in æternum puniatur. — *Abul. in Gen. 48.* — Omnis pœna quæ propter peccatum grave infligitur est citra condignum. — *S. Bonav. in Luc. 6.* — *Abul. t. 5. in Matt. q. 136. 15. c. 18.* — Quia peccatores numquam solvent totum debitum ideo manent in inferno in æternum. — *S. Bonav. T. 7. compend. Theol. verit. lib. 1. c. 31.* — Quia mala voluntas est æterna ideo & pœna. — *S. Aug. l. 21. de civit. Dei cap. 12.*

DISCURSUS XX.

ARGUMENTUM.

Homo per peccatum bestijs fit similis, immo pejor illis evadit.

THEMA.

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ps. 48. v. 13.

1. Quod si quis adæquatum enormitatis peccati velit formare conceptum, huic necessum erit, ut in pondere sanctuarij, in una bilancis parte, magna illa adorandæ Trinitatis ponat verba; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; in alia vero bilancis parte, ponat caput asini, credatque firmiter æternæ, & primæ veritati asserenti: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, &c.* hac enim ratione abominabilem, & detestabilissimum agnoscet peccati effectum, quò scilicet peccator bestijs similis efficitur. Porro innumerabilia sunt Sacræ Sripturæ loca, in quibus peccator irrationabilium animalium nomine indigitatur S. Paulus in epist. 1. ad Corinthios; de resurrectione corporum nostrorum disserens; hac loquendi utitur phrasi: *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecorum*, at verò inquies, quid caro animalium, cum carne Christianorum in resurrectione corporum commune habebit? Sanct. Ambrosius mysterium explicat dicens: *Alia est caro hominis, id est servi Dei alia est caro pecoris, id est peccatoris & infidelis*; nomine igitur bestiæ Sanct. Paulus perditæ salutis hominem indicare intendit, siquidem hic *comparatus est jumentis insipientibus.* Salvator noster S. Petro tamquam suo electo in terris Vicario, indicare volens, ut paganos quoque, qui ad fauces usque peccatis & vitijs immersi erant, ad fidem & legem Evangelicam admitteret, hunc modum observavit: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret; ... & cum esuriret, voluit gustare; parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ; & volatilia cæli, & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca*; Quibus verbis Deus S. Petro gentium quoque conversionem imponere voluit; id vero quod vel maxime proposito nostro deservit, est, quod impios gentiles, per bruta; & quadrupedia, in hoc linteo contenta delineare voluerit; *utpote qui ferarum modo bestiali viderentur induti sævitia*, inquit S. Ambrosius; *nisi Spiritus sanctificatione mitescerent.*

2. Christum per infelicem illum hominem, qui ab Jerusalem descendit in Jericho, peccatorem significare voluisse indubitatum est; hic enim à recta divinorum præceptorum semita per peccatum devians, non solum omnibus bonorum operum meritis spoliatur, verum etiam saucius efficitur in donis naturalibus; nam ut S. Bonaventura in sermone quodam super hoc Evangelium inquit: *Quatuor miserias incurrunt homines, cum peccant; cælesti gloria privantur, dæmonibus subjugantur, bonis gratuitis expoliantur, in bonis naturalibus vulnerantur*; quod vero intento nostro præcipuè congruit, est, quod prudens ille Samaritanus; saucium hunc hominem curaturus, *imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum*; etenim cur non potius alterius cujuspiam ope adjutus, portavit illum in brachijs suis, ipsumque inhonestius aliquod hospitium, quam sit stabulum, deduxit curandum: Sanct. Ambrosius respondet: *Jumento imponit, dum peccata nostra portat, & pro nobis dolet, homo enim jumento similis factus est*; Et vero cum in saucio hoc homine peccator denotetur, cuinam illum aptius imponere poterat, quam jumento? Et cuinam loco illum congruentius intulisset, quam in stabulum? *Potius in stabulum, quam in domum introduxit*, inquit Dionysius Carthusianus,

Ponitur peccati enormitas ad stateram. — *Gen. 1. v. 26.* — *1. Cor. 15. 39.* — Peccator venit nomine bestiarum. — *S. Ambr. de symb. Apost. cap. 5.* — *Act. Apost. 10. v. 9.* — *S. Ambr. l. 2. de Spir. S. cap. 11.* — *Luc. 10. 34.* — Peccator denotatur in illo vulnerato descendente in Jericho. — *S. Bonav. ser. in Evang.* — *Luc. 10. 34.* — *S. Ambr. ib.*

D. Carth. ib. thusianus, *ut præsentis vitæ fœtores atque molestias attendamus.*

Cur Christus in stabulo nasci voluerit.

3. Christus Dei Filius, ut humanam redemptionem operaretur, in terram descendens etiamnum virgineo utero matris inclusus, perfectissimum habebat rationis usum, ac proinde Propheticum ait oraculum *Jerem. 31. 22.* *fœmina circumdabit virum; ecce virgo concipiet, &* *Isa. 7. v. 15.* *pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emanuel, butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Alij porro infantes, ibi, & tunc nasci debent, ubi, & quando de ipsis divina disposuit providentia, non vero item filius Dei, qui Incarnationem, & natales suos ibi habuit, ubi incarnari & nasci elegit; ac proinde cur non potius nasci voluit in sancto sanctorum templi sui, quod erat Jerosolymis? Aut verò si incognitus in loco paupere, in lucem edi amabat, cur non est natus in Nazareth, quemadmodum ibi incarnatus fuerat, erat enim locus

Joan. 1. 46. ita obscurus, ut communi proverbio diceretur: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Cur sanctissimam matrem suam urget, ut eat in Bethlehem, ibidemque in

Christus positus fuit in præsepio ut cibum jumentorum, id est peccatorum.

stabulum se recipiat, ipsum in medio bovis & asini paritura? *Omnia in sapientia fecit.* In hoc stabulo positus, ut Ecclesia canit: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia;* Et quidem si Virgo Deipara ab ipso ploratus sui causam interrogasset, inquit S. Vincentius

S. Vinc. Ferr. ser. 3. in Dom. 10. post Trin. Ferrerius, utique respondisset. *Quia intro hunc locum bestiarum*, jumentum enim illud & bos, præfigurant peccatores, pro quibus redimendis in terram descendi.

Luc. 29. v. 7. Hugo Cardinalis super illa verba S. Lucæ. *Reclinavit*

Hug. Card. ib. *eum in præsepio*, inquit: *Reclinavit eum, ut cibum jumentorum, homo enim jumentum factus est, Psalm. 45.* *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, & similis factus est illis, ideo Dominus factus est fœnum, quod est cibus jumentorum, id est caro, Isa. 40.* *Omnis caro fœnum.* Clarius autem Didacus Stella

Did. Stella ib. interrogat. *Quare in præsepio animalium & bestiarum loco? Quia Adam erat in paradiso terreno, & cum honore; cum autem miserè lapsus fuit, animal factus est, & in locum animalium ejectus; cum autem puer iste hominem perditum quæreret, eum in loco suo quærit; præsepium enim locus est jumentorum; consideret rogo peccator, ibi Dominum esse voluisse, ubi sua peccata illum collocaverant.*

4. Verum quidem est, homini à primis suis natalibus datum fuisse super omnia, quantumvis ferocia, animalia plenum dominium, illud vero propter peccatum protinus amisit: unde Hugo Cardinalis super illa verba: *Præsit piscibus maris, &c.* ita scribit:

Gen. 1. 26. *Hug. Card. ib.* Propter peccatum homo perdidit Dominium super omnia animalia.

Hoc exponit Gregorius in moralibus dicens: Non est data homini prælatio, ut dominetur subditis, sed bestijs terræ, & volucribus, & piscibus, & hominibus, in eo quod induunt faciem horum; verba autem quæ sequuntur, proposito nostro apte congruunt; subdit enim: *Ubi enim non acclinamus, pares sumus;* & consequenter, quanto divina transgredimur præcepta, pares bestijs efficimur; *Quando primus homo peccavit*, inquit Clemens Alexandrinus, *& Deo non obedivit, & jumentis, inquit, assimilatus est homo, qui præter rationem aberrasset, merito rationis expers æstimatus, comparatur jumentis.* Sæpius consideravi, quod in brevissimo unius diei spatio, postquam creatus fuit homo, nutrimentum illius, quo suam debebat sustentare vitam, ei mutatum fuerit; prius enim

Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 13.

Gen. 2. v. 16. Deus dixerat: *Ex omni ligno paradisi comedes;* in capite vero sequenti ei præcepit: *Comedes herbam terræ.* Cur autem Deus hominem à pomis, & arborum fructibus, tam subito ad herbas terræ transire fecit? facilis est responsio; quia quamdiu in statu innocentiæ erat, voluit, ut cibo nobiliori sustentaretur,

Gen. 3. v. 18. Ratio quare primi protoparentes jubentur comedere herbam terræ.

at verò postquam Divinam prævaricatus est prohibitionem, *comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis*, & ideo tunc Deus voluit, ut instar

Ps. 48. v. 13. asinorum herbam depascerent. Vix ambo primi homines peccaverant, cum ecce Deus illos pellibus

Gen. 3. v. 21. tegere voluit animalium, ait enim sacer textus: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & indui eos.* Forsitan ex vobis erit, qui dicat, protoparentes in statu innocentiæ ob nuditatem suam minimè erubuisse; post peccatum verò nudos se videntes, verecundatos fuisse & confusos; at verò licet vere id se ita habeat, non tamen ob id necesse erat, ut Deus ipse illos contegeret, quia jam ipsimet de tegumento sibi prospexerant, dicit enim Moyses: *Tulit de fructu illius, & comedit, dedit viro suo, qui & comedit: & aperti sunt oculi amborum;* Quidnam verò visâ nuditate sua ambo primitus fece-

Ibid. v. 7. runt? Subdit sacer textus, *cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata?* Sufficienter igitur confusibilem nuditatem suam contexerant, ut quid ergo Deus animalia excoriare voluit, pro habendis pellibus, quibus inobedientes & rebelles illos vestiret? Sanct. Augustinus hanc reddit rationem: *Primi parentes nostri, authores peccati generis humani, Adam & Eva; facti mortales, dimissi sunt de paradiso, & ut significaretur ipsa mortalitas eorum, induti sunt tunicis pelliceis, de pellibus enim tunicas factas accepimus; pellis autem detrahi non solent, nisi de animalibus mortuis; ergo pellium nomine mortalitas illa figurata est illorum.* S. Gregorius Nyssenus verò aptius ad propositum nostrum observat, quod Deus sciens illos per peccatum bestijs factos fuisse similes: *Comparatus est jumentis, &c.* illos jusserit deponere folia ficus, quibus vestiti erant, ipsosque pellibus induerit animalium, quibus in transgressione præcepti sui assimilati fuerant, Voluit igitur *ut foris pelle belluina uterentur, qui intus bellvina cupiditate animam deformarant, & qui aspirarant ad divinam naturam superbiendo, intelligerent se peccando degenerasse in bellinam.* Idipsum quoque S. Eucherius observavit, dum ait: *Cum homo per superbiam Deus esse appetijt, usque ad bellvarum mortalitatem dejectus est;* seu potius dicamus: *Ad bellvarum naturam*, siquidem *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, &c.*

S. Aug. in Ps. 103. conc. 1. Quare Adam & Eva fuerint induti à Deo tunicis pelliceis.

S. Greg. Nyss. in vita Moys.

S. Euch. in Gen.

5. Quod si verò à Genesi ad Exodum transitum facere velimus; aliam quamdam hujus veritatis reperiemus probationem, scilicet peccatores bestijs similes esse. Enimverò totus Hebraismus in planicie montis Horeb constitutus, moræque, quam Moyses in monte Sina cum Deo, ut legis tabulas ab illo reciperet, trahebat, planè impatiens, seditiose, & tumultuarie cucurrit ad Aaronem, minitabundusque ei dixit: *Fac nobis Deos qui nos præcedant*, quibus Aaron dixit: *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron, quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Circa quod Aaronis factum merito quærendum venit, cur Aaron ex accepto ab Hebræis auro, bovem suderit conflatilem, quandoquidem populus non hunc, sed Deus, supremaque ac cœlestia, ab ipso numina sibi dari petierat? Quænam est Deum inter & bovem proportio? *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas Luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? ... Qui autem consensus templo Dei, cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus.* Similem fere quæstionem movet etiam Abulensis; quærit enim, quidnam Aaronem permoverit ad fundendum Hebræis potius vitulum, quam alterius cujuspiam animalis, vel aliam quamcumque figuram? Et inter alias quas tradit responsiones, una hæc est: *Aliter dici potest, quod fuerit factum hoc, ad similitudinem Dei magni Ægyptiorum, qui est Apis bos, quem sæpe Hebræi in Ægypto viderant, atque coluerant; suo ergo obtenta vitulus fabricatus est.* Hoc tamen vix sustineri potest, quod scilicet Aaron ex industria, & data opera vitulum fabricarit, quia, ut Cornelius à Lapide deducit, Aaron allatum sibi ab Hebræis aurum sine omni adhibita forma aut figura conjecit in ignem, quod inde liquefactum egrediens, vituli formam casualiter, & fortuito eventu præ se tulit (dico casu, scilicet quantum spectat Aaronem, non vero quatenus divinam vitulus ille respiciebat providentiam) idque evidenter ex responso ab Aarone Moysi data colligitur; quando enim Moyses iratus ei objecit: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indigneris Domine meus? ... Dixerunt mihi: Fac nobis Deos qui nos præcedant, ... Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem, egressusque este hic vitulus.* Et ideo ulterius hic inquirendum est, quo fine divina providentia disposuerit, ut pretiosum illud metallum in ignem conjectum in formam & speciem vituli mutaretur: nam ut Job ait: *Nihil in terra sine causa fit.* Ambrosius igitur à Lippomanno in catena super Exodum citatus, difficultatem hanc solvit, asserendo id sequenti factum fuisse mysterio, ut scilicet per hoc denotaretur, quod omnis malitia atque perfidia aliquid in se bestiale contineat: *Quod omnis perfidiæ similis immanitatis, atque bestialis insipientiæ sit.* Vultis autem videre, quam Hebræi bovi similes extiterint, quem velut Deum adorarunt?

Exod. 32. 2.

Quare Aaron ex accepto auro fecerit vitulum.

2. Cor. 6. 14.

Ibid. v. 15. & 16.

Abul. q. 11. ibid.

Ratio Abul. rejicitur. Corn à Lap. approbatur.

Exod. 32. 4.

Jerem. 5. v. 8.

Orig. Hom. 3. in Ezech.

Exod. 32. 21. & 22.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

Job. 5. v. 6.

Hebræi fuerunt similes bovi.

S. Ambr. in cat.

orarunt? *Cum in honore essent, non intellexerant*, sed omne rationis fanum amiserunt judicium, dixerunt enim Aaroni: *Fac nobis Deos.* Ecce tibi, mox ut in corde suo idololatriæ conceperant peccatum, mox omni se cerebro exuerunt; id quod D. Chrysostomus in hæc verba discurrendo ostendit: *Si Dij, quare dicis, Fac; quomodo enim Dij, qui sunt? Sic malitia obcæcans sibipsi repugnat, & semetipsam extinguit.* Hebræi per tot annos tam evidentem experti circa se fuerant veri Dei assistentiam (*Notas in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*) in illo, quod tot annis per desertum continuarant, itinere viderant circa se patrata miracula, & specialiter quando Deus, velut dux, ipsos in prodigiosa nubis columna per diem, & in columna ignis per noctem præcesserat, & tamen unanimiter bovi metallino & immobili in numero plurali dicebant: *Hi sunt Dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti;* Potestne hæc dari major stoliditas? *Una pactus est vitulus*, inquit Chrysostomus, *& clamat ingratus populus: Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt &c.*

D. Chrys. Hom. 5. de pœnit.

Ps. 75. v. 2.

Exod. 32. 4.

Quare qui rei dicuntur scandali merentur Demergi cum lapide molari.

Luc. 17. v 1. & 2.

6. Ingeniosa est illa reflexio, quam Chrysologus facit circa supplicium, ab increata & incarnata sapientia præscriptum illis, qui proximos suos scandalizare præsumunt; Dicit enim Salvator noster *Impossibile est ut non veniant scandala, væ autem illi per quem veniunt Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum ejus & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.* At vero cur cœlestis hic Magister novum hunc scandali reos puniendi modum adinvenit? Numquid sufficisset dicere, suspendendum ad collum ipsorum esse ingens quoddam saxum, quo in mare submergerentur? Quonam igitur mysterio lapidem molarem illis appendendum esse dicit? *Quæve non lapis, sed lapis molaris?* Idem S. Pater post varia adducta mysteria, tandem ad propositum nostrum inquit: *Ut in die fumat fœnum, unde sumpsit & fenum, & exæquetur jumentis insipientibus, qui noluit hominibus superna sapientibus comparari.* Quia igitur molam asini vertunt, ideo illis per scadalum datum in asinos transmutatis, lapis molaris appenditur.

Filij Heli facti sunt velut equus & mulus.

1. Reg. 2. 29.

7. Observasti ne aliquando phrasin illam loquendi, quia Spiritus Sanctus ad sacrilegia, impiasque extorsiones à filijs Heli summi Sacerdotis commissas exprimendas utitur? Audite Prophetam Samuelem, jussu ipsiusmet Dei, prædictis filijs, hisce verbis imporantem: *Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo?* Numquid igitur filij Heli equi erant, aut muli, ut calcibus aliquem petere possent, & non potius homines, quemadmodum sunt alij? Ita quidem est, sed propter libidinem suam facti fuerant *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Fera quippe anima-lia* ut S. Gregorius ait, *solent sibi adhærentia calce repellere*; tales autem illi erant, utpote qui per rapinas, violentias, & carnalitatem suam, populum à cultu divino retrahebant, ita ut ad illum nullus auderet accedere. Observandus quoque est modus, quo Jeremias adulteros describit, ait enim: *Mediati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur, equi amatores, & emissarij facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Unde Origenes, hinc textum considerans, inquit: *Iste non homo, sed homo equus.* S. Ignatius martyr, ut S. Hieronymus scribit, dum Antiochia Romam duceretur captivus, lamentabatur inquiens: *De Syria usque ad Romam pugno ad bestias, in mari, & in terra, nocte, diequæ ligatus cum decem Leopardis.* Et ne forte

Ps. 31. v. 9.

S. Gregor. l. 2. in cap. 2. 1. Reg.

Jerem. 5. v. 8.

Orig. Hom. 3. in Ezech.

S. Hier. de Script. Eccles. in Ignatio.

Milites custodientes S. Ignatium vocantur Leopardi.

culpiam in mentem veniret, quasi in ejus societate quidam, in Syriæ vastitudines sylvis capti, ducti fuissent Leopardi, & aliæ feræ, Imperatori pro singulari munere donandæ, vel in theatris exhibendæ, ideo Sanctus Martyr protinus subjunxit: *Hoc est militibus, qui me custodiunt;* at vero cur hosce milites truculentas appellat bestias? Nimirum quia præter idololatriam, quam profitebantur, milites hi adeo malignæ naturæ erant, ut Sanctus Martyr de illis dicat, *quibus cum beneficeris pejores fiunt, iniquitas autem eorum mea doctrina est.*

Baron. An. 5514.

8. Notat Cardinalis Baronius quod S. Paulus Judæos, à quibus Ephesi infestabatur, bestias appellarit.

1. Cor. 15. 32. Paulus vocat Judæos bestias.

Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi; quo nomine utique non insinuatur Apostolum cum feris pugnasse, sed potius cum perfidis Hebræis luctatum fuisse (tametsi nonnulla scripta apocrypha, quæ acta Pauli intitulantur, contrarium asseranc) volunt enim hoc nomine molestias exprimere, à se in Asia toleratas, prout exponunt Tertullianus & Joannes Chrysostomus, adeoque per bestias homines bestiales intelligit, id quod prædicto Sancti Ignatij martyris exemplo præfatus Cardinalis manifestius declarat. Qui etiam in eisdem annalibus probare satagit, in hoc eodem sensu intelligendum esse Apostolum, quando Roma ad Timotheum in hæc verba scripsit: *Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio implearetur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis;* id est à crudelitate Neronis, non verò à leonum faucibus, horum enim voracitati numquam fuit expositus.

2. Tim. 4. 17.

9. Considerastine aliquando textum illum Isaiæ cap. 37. ubi dicitur: *Cum furores adversum me, superbia tua ascendit in aures meas; ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Porro frænum equorum ori immittitur, annulus autem bubulorum naribus inseritur. At vero quænam erat hæc bestia, cui Deus hoc supplicium comminatur? impius nimirum Sennacherib, qui Jerosolymam destruere conatus fuit, quamvis casso & irrito eventu; hic enim Deum verum, risu & fannis impetens, ipsemet potius à Deo delusus fuit, quando exercitum quemdam, centum octoaginta quinque millia militum numerantem, in unica nocte invisibili manu occisum videre debuit; hic igitur impius haud immerito equo & bubulo assimilatus fuit. Quis enim est qui nesciat, Nabuchodonosorem, qui cum Deo contendere non dubitavit, à Deo condemnatum fuisse, ut per multos annos cum feris in sylvis miserabiliter conviveret? En contra eum à sacro textu allatam, & à Deo Pronuntiatam sententiam: *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ; Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei;* in quo nimirum supplicio Deus toti mundo manifestum facere voluit, quod impij propter peccatum bestijs, & feris sylvestribus similes evadant; Unde Theodoretus de Sennacherib præfato ita scribit: *Ut bratum tractat Dominus eum, qui anima rationali prædi-tus, rationem corrumpit; in camo, & fræno, maxil-las eorum confringe, qui non approximant ad te, Multa flagella peccatoris.* S. Hieronymus ad Marcellam scribens sequentem adducit Psalmistæ versiculum: *Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Impressa namque nobis Dei imago, per peccatum destruitur, utpote per quod in bruta degeneramus. In scenis Comicis hic Herculem, alius Centaurum, alter Martem repræsentat, ita & nos tot habemus personarum similitudines, quot peccata D. Chrysostomus quemdam perditæ salutis hominem interrogat inquiens: *Undenam dignoscere potero in te esse animam humanam, qui instar muli recalcitras, velut Camelus ulcisceris injurias, instar Ursi mordes, rapis ut lupus, tamquam serpens fraudulentias exercens, impudicus es ut canis, quoniam igitur modo te anima rationali informatum esse agnoscere potero?* S. Paulinus in Epistola quadam ad Severum, de Nabuchodonosore ita scribit: *Non solum à regnis, sed à sensibus excidebat humanis; coma tristi leonum, uncis unguibus vulturum, sensu & pabulo bovem referens*, moxque rationem reddit cur infelix ille Nabuchodonosori non unam, sed plures feras corpore suo repræsentarit; nimirum: *Ne unius tantum bellvæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus.*

Ps. 31. v. 9.

S. Gregor. l. 2. in cap. 2. 1. Reg.

Jerem. 5. v. 8.

Orig. Hom. 3. in Ezech.

S. Hier. de Script. Eccles. in Ignatio.

S. Paulin. epist 4. ad Sever.

Luc. 15. Adumbratur peccator in filio prodigo.

10. Parabola filij prodigi ab incarnata Sapientia eo fine composita fuit, ut miserabilem repræsentaret statum, in quem is, qui à lege divina deviat, & à Deo Patre nostro procul abit, misere devolvitur; observastisne in quantam miseriam infelix ille filius redactus fuerit? Nimirum, ut conviveret cum porcis, nec non ut famem glandibus exstiare volens, neminem inveniret, qui eas illi porrigeret. *In sordibus enim, & in fœtore vivat necesse est*, inquit S. Ambrosius, *ea anima, quæ Deum fugit.* Regius Propheta ait: *Ipse liberavit me de laqueo venantium;* sed quid dicis ô David? ergone homines feræ sunt, ut illis laqui tendantur? Ita est inquit S. Bernardus. *Quid superbis ô homo? Vide, quia bestia facta es, cui venundæ laquei paruntur.*

S. Ambr. ib. Ps. 90. v. 3.

S. Bern. ser. 3 super Ps. Qui habitat.

Ibid. v. 10.

P. 72. v. 20.

S. Hier. epist. 18.

Homo perditæ salutis habet mores diversorum animalium.

11. Sed quid diceres, ô peccator, si te jumentis & feris pejorem esse ostenderem? Enimvero quis est, qui ignoret, quod quando falsus Propheta Balaam jumento suo insidens, contra voluntatem Dei, ad maledicendum populo Hebræo processit, asina cui ipse infidebat, se plus ipso cerebri habere probarit, siquidem non solum recalcitravi nec ulterius progredi voluit, verum etiam bene articulata voce humana eum reprehendit?

Num. 22. 23.

Imo peccator est pejor bestia.

S. Nilus in Ascet.

hendit? S. Nilus de leonibus Danielem circumsedentibus ita scribit: *Danielem cum homines perdidissent, leones servabant. Quem hominem ex invidia injuste damnaverant, leones custodierunt.* S. Cyprianus pariter ait:

S. Cypr. de Ora. Dom.

Feræ parcunt, aves pascunt, homines insidiantur, & sæviunt; Etenim corvi famelico custodiebant carnes easque intactas Eliæ deferebant; leones sanctorum hominum cadavera, à tyrannis eorum voracitati exposita, necnon & aliæ aves rapaces & voraces, velut vigiles custodiebant, & tuebantur; quod idem innumerabiles aliæ præstiterunt feræ, licet à carnificibus in theatris ab eis dilanianda extimularentur; & tamen impij persecutores, idipsum videntes, magis magisque contra innocentes ferocire, & sævire non dubitabant, unde manifeste deducitur, perfidiam ipsorum, illis ipsismet bestijs irrationabiliores reddidisse, magisque bestiales.

D I S C V R S V S LXXII.

DE PECCATI ET PECCATORIS IGNORANTIA.

C O N T I N E T.

TRACTATUS VI.

DISCURSUS I. Qui Dei veram habet notitiam, illum offendere nequit & ideo peccator peccare volens Deum à se repellit.

II. Quodlibet peccatum Ignorantiæ nomine appellatur, ob defectum veræ notitiæ ipsius Dei, mox enim ut Deus peccatori sui, & gravitatis culpæ notitiam communicat, idem peccator illud detestatur.

III. Dæmon peccatori primo loco Dei, quem offendit, & gravitatis peccati notitiam eximit, ut hac ratione quasi excæcatus illud committat.

IV. De peccato sub tenebrarum & cæcitatis Metaphora discurritur.

V. Peccatorem, qui se à sensualitate sua, in peccatum seduci permittit omni judicio & ratione destitutum esse probatur.

VI. De stultitia, in quam peccatum nos inducit, disseritur.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.

Qui Dei veram habet notitiam, illum offendere nequit, & ideo peccator peccare volens, Deum prius à mente sua repellit.

THEMA.

Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. 1. Joan. 2. v. 4.

Peccator ignorat.

1. S. Joannes Apostolus mendacij redarguit illum, qui notitiam Dei se habere profitetur, & tamen eodem tempore divina ejus præcepta prævaricatur: *Qui dicit se nosse Deum &c.* Ipse namque à Deo illuminatus impossibile esse censebat, quod is qui Deum agnoscit, eumdem simul offendere queat. Ejusdem quoque mentis fuit virgo illa, quæ, ut P. Cornelius à Lapide scribit, moriens dixit: *Discedo ex hoc mundo, cum hac sola incapacitate, quod nequeam comprehendere, quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale contra suum Creatorem, quem ut talem agnoscit.*

Corn. à Lap. in cap. 2. Jerem. post princ.

Sancta quoque illa anima, quæ, ut dicitur in sacris Canticis, propriam sensit perturbatam conscientiam (*Anima mea conturbavit me*) paulo ante hujus conturbationis hanc reddidit causam, scilicet: *Nescivi*, quasi diceret, ignorans peccavi, quæ scienter peccare non poteram. Peccatum igitur ei evenerat, ex defectu sufficientis cognitionis & notitiæ, ac proinde eadem anima in præcedenti capite protestata fuerat dicendo: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* Quæ verba exponens S. Ambrosius inquit: *Vide anima mea devota, quid dicat, sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, eos possit inducere.* Etenim, ut ipsa docet experientia, lux incompatilis est cum tenebris; & ideo Apostolus ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*; At vero quid inde sequitur? *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* Anima enim Dei notitia illustrata, contra eumdem per offensam mortalem se armare non potest. *Nulla enim justitiæ cum iniquitate communio*, inquit Origenes, *sicut nec luci cum tenebris potest esse societas.* Id vero quod idem Origenes de fide subjungit, possumus & nos de notitia Dei asserere dicendo: *Si eum quis credit, quod Jesus est Christus, ex Deo natus est, & qui ex Deo natus est, non peccat; manifestum est, quia qui credit Jesu Christo, non peccat, quod si peccat, certum est quia non credit ei. Indicium igitur fidei veræ est, ubi non delinquitur, sicut econtra ubi delinquitur, indicium infidelitatis est.*

Cant. 6. v. 11. Ibid.

Cant. 5. v. 3.

S. Ambr. l. 3. de Virg.

Rom. 13. 12. Ibid.

Firma fidei peccatum non admittit.

Sequens S. Hilarij sententia seriam meretur mentis applicationem: ait enim: *Confiteri id tamquam recens cognitum non potest, quod à se cum peccati cognitione sit gestum. Desistendum ergo est à peccatis, postquam in confessione est cognitio peccati.* Qui enim deformitatem & enormitatem peccati, damna item inevitabilia, & infinita quæ per peccatum incurrimus, agnoscit; simulque novit eminentem sanctitatem, majestatem sublimem, beneficentiam & amorem immensum erga nos Dei illius qui offenditur, qua fronte poterit talis, non obstante hoc lumine, & notitia, peccatum committere? S. Basilius, à S. Joanne Damascen. lib. 1. Parallelorum cap. 12. citatus inquit: *Fieri non potest, ut quispiam à via recta deflectat, nisi animus ipsius prius Dei oblivione laborarit.*

S. Hilar. in Ps. 137.

S. Basil. ibid.

2. Infelix ille homo, qui sine veste nuptiali accubuit convivio, ad tenebras exteriores condemnatus fuit: *Mittite eum in tenebras exteriores.* Quærit vero S. Ambrosius: *Quæ sunt tenebræ exteriores? Numquid illic quoque carcer aliquis calumniæque subeundæ sunt? Minime, sed quicumque extra promissa sunt mandatorum cælestium, in tenebris exterioribus sunt, quia lumen in tenebris est Christus.* Quamnam existimas esse causam, quod tot Christiani sine ullo fræno vitijs laxent habenas, vivantque, ac si nec Deus, nec alia vita superesset? Nimirum in obscuro ambulant, & ideo in præcipitia declinant; *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, dicebat Psalmista; *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat*; tales autem neminem habent, qui eos de gravitate peccati erudiat, lumenque illis subministret, quo Deum & fidei nostræ mysteria agnoscere valeant. Audiamus hac de re loquentem Gregorium Magnum: *Perversi quoque*, inquit, *dum prava agunt, & à justis recta non audiunt, nesciunt quam sint gravia, quæ committunt, atque ex ipsa sua ignorantia, in suo stupore securi sunt, & jacentes in culpis quasi molliter quiescunt. Cum vero audire verbum prædicationis cœperint, quæ sint supplicia æterna cognoscere, qui terror judicij, quam subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis, illico contremiscunt, implentur gemitibus, & non se capientibus suspirijs anxiantur, atque magno pavore concussi, in luctu & fletibus erumpunt.*

Matt. 22. 13. S. Ambr. lib. 7. in Luc.

Quæ sint tenebræ exteriores.

Ps. 118. 105.

Ps. 118. 130.

S. Greg. lib. 1. Hom. 10. in Ezech.

Similitudo.

Contingit nonnumquam, quod viator aliquis, in sylva sub obscura nocte à via devians, nec locum inveniens in quem tuto se recipiat, tandem in cavernam quamdam ingrediatur, serpentibus, & bufonibus plenam, in eaque decumbens quiete dormiat; scitisne temeritatis hujus causam? Nescit quod animalia venenosa in circuitu ejus commorentur, exhorresceret enim si hoc sciret, nos quiescere aut oculos claudere posset, subito vero ut illucescente diluculo, per penetrantem in cavernam solis radium, suum, in quo fuit, agnoscit, periculum, mox foras crepit, pallidus totus, & toto corpore tremulus, quasi diceret; cum Davide: *Cor meum Conturbatum est, dereliquit me*

Ps. 37. v. 11.

me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Quis vero umquam hunc regem oculorum cæcitate laborasse audivit? Nimirum ad lumen & notitiam Dei alludit, quæ per peccatum adulterij, in quo obtenebrata erat; hoc autem notitiæ lumen, post aliquod tempus, per Nathan Prophetæ correctionem recuperavit, tuncque ex obscura illa malæ consuetudinis caverna egressus est, austeram faciendo pœnitentiam.

David peccando fatetur se fuisse in tenebris.

S. Bernardinus eumdem citans Psalmistæ versum: *Cor meum conturbatum est in me*, inquit: *Quia sicut dicitur Sapientiæ 17. Semper enim præsumit perturbata conscientia. De talibus Sap. 2. dicitur: Excæcavit enim illos malitia eorum, quod maxime evenit ex consuetudine mala. Unde Augustinus in Enchiridion cap. 79. ait: Peccata quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, diffamandaque videantur, ecce cæcitas. Et de his peccator, per hoc lumen illuminatus, admiratur, & obstupescit; Et iterum in hujusmodi persona Propheta ait; tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me; ait tota die, id est, postquam recognovi peccata mea.* Citatque Ecclesiasticum c. 32. dicentem: *Ante verecundiam præibit gratia, quæ scilicet illuminat hominem ad sui cognitionem.* Mox enim ut per auxilium divinæ gratiæ, ad cognoscendum interius Deum, & peccati enormitatem, suos aperiunt oculos, cum stupore admirantur se in fœtidis illis sordibus, atque æternæ damnationis periculis sine ullo periculi sensu jacuisse. *Mirantur peccatores*, inquit S. Bernardinus, *quomodo ad tantam dementiam diabolus, & caro, & mundus deduxerunt eos, qui in tot sceleribus devoluti sunt.* B. Laurentius Justinianus autem hujus hanc reddit rationem: *Sicut cæcus, quantumcumque doctus sit, non videt se, ita & peccator ad veram numquam potest sui attingere cognitionem. Quomodo se peccatorem valet agnoscere, & in peccatis perseverare? Peccato nil deformius, quique vero appetit naturaliter pulcher esse. Quemadmodum de sui scientia humilitas, ita de Dei scientia generatur charitas.* Quod si vero pari cum cognitione Dei proportione, amor quoque crescit, quomodo peccatum, quod Dei offensa, & odium est, cum illa erit compatibile? Quin potius, sicut nullus, se in medio serpentum, & bufonum positum esse advertens: eo in loco diuturniorem moram trahit, ita multo minus homo ratione præditus, & Christianus, sciens propter peccatum, ignem infernalem sibi vicinum esse, in peccato continuaret, utpote propter quod tam præsentaneo periculo exponitur. S. Gregorius inquit; *Sunt multa peccata, quæ committimus, sed idcirco gravia nobis non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur.*

Ps. 37. v. 11. S. Bern. T. 3. ser. de conv. pecc. art. 2. cap. 2.

Consuetudo peccandi infert cæcitatem.

Eccli. 32. 14.

Quam tollit gratia Dei illuminans.

S. Bern. ibid. c. 2.

B. Laur. Just. de casto connubio cap. 17.

Nullus sciens effectum peccati, in illo perseverabit.

S. Greg. lib. 1. Hom. 4. in Ezech.

3. Cælius Rhodiginus refert de Socrate, cum suis discipulis, cunctisque alijs, hanc propositionem asserere, & insinuare fuisse solitum; scilicet: *Neminem scienter peccare*; Verum quidem est, Prophetam regium, de quo dicitur, *sedens in cathedra sapientissimus* in enormia adulterij, & homicidij peccata fuisse lapsum, verumtamen advertendum est, idipsum ab eo ignoranter, & insipienter fuisse factum; unde postea dixit: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*; quæ verba explicans S. Basilius inquit: *Insipientiam stultum suum factum nominat, ab insipientia procedens, omne enim peccatum per stultitiam fit. Quid erat Davide sapientius*, inquit Chrysostomus, *qui dicebat: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi? Sed quando injustis oculis vidit uxorem militis, tunc dicebat, id sibi accidere, quod ijs, qui navigant in mari furente: Omnis sapientia mea absorpta est, quamobrem deflens dicebat: Putruerunt &c. Non sapit ergo, nec mentem habet qui peccat, est enim ebrius, & ejus caligant oculi.* S. Bernardus, Doctor mellifluus causam exponens, cur multi divinam transgrediantur legem, inquit: *Quantum delinquant ignorant, si eum scirent, quantam beatitudinem amittant, quantam infelicitatem peccando incurrant, utique non peccarent.* In Deuteronomio dicitur. *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te?* Quo supposito, valde mirum est, si homo aliquis reperiretur, adeo inhumanus, qui manus suas sine ulla causa in genitoris sui sanguine cruentare vellet si ipsum agnosceret; Quis enim abominabilem hanc, & indelebilem parricidæ maculam sibi inuri permitteret? Narrat Fulgosius, quod postquam Vitellus Julius Mansuetus Hispanus in ultimo Ottonis I. Imperatoris prælio, in prædicti Ottonis Imperatoris dimicasset exercitu, quidam filiorum suorum, qui domi remanserat, in hostili exercitu militare coactus, in factione quadam proprium patrem suum lethaliter sauciaret, eo quod ipsum, Patrem suum esse, agnoscere non potuisset, qui tamen dum saucium Patrem spoliaret, Patrem se vulnerasse animadvertens, amare flere cœpit, Deos suos rogando, ne hunc errorem culpæ suæ imputarent, eo quod ignorans Patrem tam graviter læserit. Quod si igitur vir idololatra, in morte, patri à se ignoranter, & incognito illata, adeò vehementer doluit, quanto magis Christianus, lumen & notitiam habens, quod Deus illius Creator, & beneficus Pater sit, ab ipso contumeliando, & offendendo, pro viribus abstinebit? Surius in vita S. Norberti, ab Hugone, qui ei in Abbatia Præmonstratensi successit, conscripta, refert, quod cum hic sanctus vir Dei, ad munus Episcopale suscipiendum coactus, ad capiendam illius possessionem, nudipes, in habitu vili & neglectu procederet, palatij ostiarius illum minime cognoscens, & pauperem mendicum esse credens, cum indignatione repulerit, dicendo: Sat multos jam pauperes palatium fuisse ingressos; illi vero, qui in comitatu sancti Archiepiscopi erant, visa hac turpi repulsa, aspere illum reprehenderint, ipsum esse Norbertum dicentes; Quo audito ostiarius perterritus metu subsecuturæ pœnæ aufugit; cui tamen paulo post reperto, S. Norbertus errorem involuntarium libenter condonavit. Porrò quod Christianus aliquis in propriæ ignorantiæ tenebris ambulans, vir mundanus, & exiguo Dei lumine illustratus, Deum à se rejiciat, ut peccato locum præbeat, malum quidem est, verumtamen tali aliquali adhuc excusatione est dignus, quia cum S. Paulo quadantenus dicere potest: *Ignorans feci*; at vero quod is, qui à Deo illuminatus, multisque beneficijs est auctus, nihilominus Deum à se repellat, & quovis deteriori modo injurietur, & offendat, qua id ratione excusari poterit?

Cæl. Rodrig. lib. 29. lect. antiq. cap. 13.

Nemo scienter peccat.

2. Reg. 11. 8.

Ps. 37. v. 6.

S. Basil. ibid.

D. Chrys. H. 43. in 1. ad Corin.

S. Bern cap. 8. de pass.

Deut. 32. 6.

Nullus sanæ mentis sciens parricidium committet.

Fulgos. lib. 9. cap. 9.

De hoc habetur historia Ethnici.

Sur. 6. Jun. Vit. S. Norberti.

Historia de S. Norberto.

1. Tim. 1. 13.

4. S. Petrus in prima sua Epistola ait de Christo: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* Quis igitur hæc verba serio secum recogitans, & Christum animarum nostrarum Pastorem & Episcopum esse agnoscens, eum à se turpiter ejicere audebit? Impij apud Sapientem, licet inviti & inutiliter confessi sunt causam præcipitij sui, per quod in æternæ perditionis barathrum prolapsi sunt, hanc unicam fuisse, quod scilicet lumine divino fuerint destituti: Dixerunt enim: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sed eheu quid dicitis ò impij ergonè justitiæ lumen non luxit vobis? Nec sol intelligentiæ vobis est ortus? Numquid Psalmista veridicum hoc contra vos perhibet testimonium? *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine?* Et alio in loco: *Non est qui se abscondat à calore ejus?* Respondetur verissimum quidem hoc esse, non tamen sufficere, quod sol nobis luceat, suisque radijs in domum nostram penetrare satagat, quando nos ei, ne ingredi possit, occludimus fenestras. Psalmista ait: *Noluit intelligere ut bene ageret*, de impio autem totaliter contrarium dici potest: *Noluit intelligere, ut male ageret*, priusquam enim peccatum committat, ad objectum, adversus quod armatur, se minime reflectit; *si enim cognovisset, numquam Dominum gloriæ crucifixisset.* Hæc igitur est causa exterminij innumerabilium animarum, quia *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

1. Petri 2. 24.

Allegant impii quod non habuerint lumen.

Sap. 5. v. 6.

Ps. 4. v. 7.

Ps. 18. v. 7.

Ps. 4. v. 7.

Ps. 18. v. 7.

Refutantur.

Ps. 35. v. 4.

1. Cor. 2. v. 8.

Jerem. 11. 12.

5. Salvator noster apud S. Joan. cap. 3. lamentatur inquiens: *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera.* Profecto in tota natura vix ullus reperietur, qui cæcitatē magis amet quam lucem, ignorantiam quam scientiam; & tamen in operibus gratiæ quotidie videmus quod multi Deo dicant: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, videmus, quod multi illi luci oculos claudant, de qua scriptum est: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; sed quo fine id faciunt? *Ut in tenebris ambulent. Dilexerunt homines magis tenebras*, inquit Hugo Cardinalis, *id est carnis delicias, & mundi divitias, rationem obtenebrantes*, *Tenebras*, inquit Cajetanus, *id est bona sensibilia.* Chrysostomus ait: *Ex hoc quod homines perseverent in malis operibus, diligunt magis*

Joan. 3. 19.

In operibus naturæ nullus amat ignorantiam, sed bene in operibus gratiæ.

Job. 21. v. 14.

Joan. 1. 9.

Hug. Card. ib. Joan.

Cajet. ibid.

D. Chrys. H. 37. in Joan.

magis tenebras, quam lucem. Axioma est Philosophicum: *Intus existens prohibet extraneum*; sic quoque amor bonorum creatorum, cor peccatoris obumbrans, illudque obtenebrans, lucem agnitionis Dei, & gravitatis offensæ illius admittere renuit: Notandum verò est quod incarnata Sapientia dicat: *Dilexerunt magis tenebras*; circa hæc enim verba ait Chrysostomus: *Qui in tenebris versantur, deficiente lumine, aliqua forsitan venia dignus est, qui vero adveniente luce tenebras sectatur, malè profectò, pravique animi præ se fert argumentum.* Exemplificat idem Chrysostomus hoc ipsum de peccato carnis, cui anima immersa hæret, ait enim: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes & caligo corporis oculos, ita cum illa præoccuparit mentis prospiciendi facultatem, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem, sed ab illius insidiarum occupata tyrannide, deinceps facile potest occupari à peccato, & tamquam fenestris carens, paries ante oculos excitatas non sinit radium justitiæ mente illucescere.* Idem Chrysostomus paulo ante alia usus fuerat similitudine, inquiens: *Quomodo enim latrones, & maforum effossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna extincta hoc agunt, ita etiam in peccantibus facit corrupta ratio. Est enim in nobis perpetuum ardens lumen rationis, et si spiritus nequitiæ, vehementer cum magno impetu irruens, flammam illam extinxerit, animam staim obduxit tenebris, expugnatque, & protinus spoliat, & diripit quæ sunt recondita.* B. Petrus Damianus Regis Sedeciæ historiam his verbis adducit: *Babylonis Rex extinctis prius filiis, Sedeciæ oculos eruit, quia malignus Spiritus, subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit.*

Anima peccato obnoxia nihil videt.

D. Chrys. H. 11. in 1. ad Cor.

D. Chrys. ib.

B. Petr. Dam. lib. 2. epist. 5.

4. Reg. v. 25.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Quodlibet peccatum ignorantiæ nomine appellatur, ob defectum veræ notitiæ ipsius Dei, mox enim ut Deus peccatori, sui, & gravitatis peccati notitiam communicat, idem peccator suum detestatur peccatum.

THEMA.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine. Ps. 24. v. 7.

Ps. 50. v. 8.

1. Licet Propheta Regius de se gloriatus fuerit dicendo: *Super senes intellexi*, licet quoque eidem omnes increatæ Sapientiæ thesauri aperti fuerint (*occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi*) idem tamen peccatis suis (quæ primo loco delicta appellavit) ignorantiæ nomen attribuit: *Delicta juventutis meæ & ignorantias, &c.* at verò dicet aliquis, quomodo adulterium cum Bersabea commissum, Uriæ homicidium, culpæ ignorantiæ nominari poterunt? Quomodo David de illis dicere valebit: *Ignorantias meas ne memineris?* Respondeo, omne peccatum, quantumvis enorme sit, nomen ignorantiæ mereri, siquidem verissimum est id, quod idem Regius Propheta inquit: *Delicta quis intelligit?* Ubi S. Ambrosius legit *lapsus*, S. Hieronymus *errores*; Aquila *ignorantias*; Quod si enim peccator caperet, quam gravis sit injuria, quam Deus per culpam recipit, quam ingens sit damnum, quod sibimetipsi facit, quanti sit deformitas, & vilitas peccati, numquam adeo præsumptuosus aut stolidus futurus esset, ut illud committeret, ac proinde omnis peccans merito appellatur ignorans, & omnis divinæ legis transgressio est ignorantia. S. Paulus ad Hebræos de sacrificijs antiquæ legis scribens dicit, quod summus Sacerdos per anni decursum semel tantum intrabat in Sancta Sanctorum; sed observetis velim, qua phrasi in eodem loco peccata describat. En verba Apostoli: *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua, & populi ignorantia.* Circa quæ verba merito quærendum venit, quomodo esse possit, quod cum summus Pontifex tunc eo fine à Deo unctus esset, ut pro peccatis populi divinam pietatem imploraret, eo autem fine, semel tantum in anno ipsi in Sanctuarium aditus pateret, sacrificium suum nihilominus solum pro peccatis ignorantiæ obtulerit? Etenim hæc majori sunt excusatione digna, faciliusque remissibilia, ac proinde potius pro peccatis malitiæ sacrificare debuisse videbatur, siquidem hisce quoque populus ille valde abundabat. Porro Oecumenius hanc sustinet opinionem, quod per illud sacrificium expiatæ solum fuerint transgressiones, inadvertenter, & per errorem commissæ. Huic tamen opinioni obstant duo evidentia Scripturæ sacræ testimonia, quorum unum legitur in cap. 30. Exodi, ubi Deus ita ordinavit: *Deprecabitur Aaron super cornua ejus, semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato.* Alter textus habetur in cap. 16. Levitici, ubi ita legitur: *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*; & quidem, ut in eodem cap. 16. refertur, summus Sacerdos ex loco, qui Sancta Sanctorum dicitur, egressus, pro toto populo orare debebat, & accepto modico sanguine vituli, & hirci septies gyrum, illum dispergebat circum cornua animalis, imponensque ambas manus super caput illius, super illud pariter omnia populi peccata reponebat: *Omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus, emittet illum paratum in desertum*; hoc autem animal in desertum dimissum, nomen capri emissarij sortiebatur. Nunc igitur ad propositum nostrum redeamus, scilicet ad illa verba S. Pauli: *Pro sua, & populi ignorantia*; certum enim est, illa non posse intelligi de solis peccatis, per ignorantiam commissis; sed & de omnibus alijs, etiam ijs, quæ per malitiam committebantur. Aptior igitur est expositio, quam tradit S. Anselmus, asserens, quod nomine ignorantiæ, quodlibet quantumvis grave peccatum exprimatur, quia nulla culpa ab homine committi potest, in qua ignorantia locum non habeat. En verba S. Anselmi: *Ignorantia quodlibet peccatum vocari potest, quia excæcat cor, & errare facit.*

Quod non bene interpretatur Oecumenius per inadvertentiam.

Exod. 30. 10. Levit. 16. 30.

Juxta S. Anselmum per ignorantiam intelligitur quodlibet peccatum.

Hebr. 9. v. 7.

S. Anselm. ib.

3. Idem Paulus ad Romanos scribens dicit: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*; & paulo post subdit: *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Circa quæ verba magna oritur difficultas fundata præcipuè in ly *præcedentium.* Ergone enim Deus per mortem filij sui solum recipere voluit satisfactionem peccatorum præcedentium, non verò item omnium aliorum, quæ ad finem usque sæculorum committenda erant? Numquid copiosa apud eum redemptio. Enimvero præterco sensum literalem, & dico, quod S. Paulus, qui priusquam *circumfulsit eum lux de cœlo*, plenam Dei cognitionem non habebat, postea tamen cum raptus fuit in cœlum, habuitque visiones, & revelationes cœlestes, sibique notitiam Dei valdè perspicacem acquisivit, considerans immensa beneficia, quibus à Deo locupletati sumus, pretium item inæstimabile quo sumus redempti (*empti enim estis pretio magno*) præmium denique infinitum, quod legem Evangelicam observantibus retribuitur, capere non poterat, quod post Christi in cœlos ascensionem, aliquis eum deinceps offendere posset, ac proinde solum præcedentium delictorum meminit. Cornelius à Lapide super prædicta verba ita scribit: *Jam ergo amplius non est peccandum, post tantum amorem, pretium nobis exhibitum.* Quod si verò nonnumquam contingat, ut quis per fragilitatem aliquam Deum offendat, id utique fiet per ignorantiam, quia scilicet peccator vehementi aliqua tentatione fuit correptus, alias enim impossibile videtur, quod anima ad detestabilem ingratitudinem, quam peccatum habet annexam, vel ad immensam ejus gravitatem, vel denique ad damna, indè irreparabiliter resultantia se reflectens, scienter prævaricari possit.

Rom. 3. v. 24. Paulus Apostolus capere non potuerat quomodo quis Deum posset offendere post notitiam factæ redemptionis.

Ps. 129. v. 7. Act. Apost. 9. v. 3.

1. Cor. 6. 20.

Corn. à Lap. ib.

3. Considerare insuper oportet, quod scopulus, in quem multæ animæ impingentes, in æternæ perditionis abyssum corruunt, sit defectus luminis & cognitionis Dei. Cum enim peccatum sit aversio à summo bono, & conversio ad creaturam, sicut stultus foret, qui pro fragili quodam vitro, magni pretij adamantem dimitteret, ita quoque nomen stulti meretur, qui Creatorem propter res creatas deserit. Causa autem hujus inordinationis est, quia Deus non cognoscitur. Porro hæc bona creata nobis concessa sunt, ut nobis deserviant (*omnia subjecisti sub pedibus ejus*) Peccator autem in ipsis ultimum sui finem ponit, & cum bona hæc invisibilia, sub pedibus habere debeat, ijsdem pedibus Deum, & divinam ejus legem substernit. *Quid enim agit peccator? Creatore, ac Domino suo spreto, adhæret creaturis servis suis, totumque amorem suum, quem Domino suo debet, impendet suis mancipijs, quod æque fœdum ac stultum est, ac præmissos sibi à Rege ministros omni honoris & obsequiorum*

Plurimi peccant defectu cognitionis Dei.

Ps. 8. v. 8.

Matth. 7. v. 9.

quorum studio, colere, ac venerari, ipsum verò Regem subsequentem, nec respicere, nec curare. Hæc autem inordinatio, ut diximus, à defectu luminis, & cognitionis, Dei infinitæ bontatis, & majestatis procedit. *Homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Porrò jumenta ab impetu sensus feduci permittunt, nec discurrunt; eodem quoque modo facit peccator, peccat enim, absque eo quod mentis oculos aperiat, ad videndum, quis sit ille quem offendit. *Mundus eum non cognovit*, inquit Joannes, si enim Reges, & Monarchæ illius, illum cognovissent, utique ad pedes ejus sceptra, & diademata sua depositissent, prout Seniores Apocalyptici faciebant; sed quid? *Obscuratum est insipiens cor eorum.*

Ps. 48. v. 13. Peccator & jumenta ab impetu sensus feduci permittunt.

Joan. 1. 10.

Apoc. 4. v. 10.

Rom. 1. v. 21.

Pharao Deū & Josephum ignoravit.

4. Legatis obsecro gravamina, quibus Pharao populum Dei onerabat, & crudelitatem ejus, qua eumdem populum per infantum submersionem extirpare nitebatur, & consideretis; undenam tam abominabilis erga Josephum Salvatorem Ægypti, & erga Deum orta fuerit ingratitudo, nimirum; Pharao dicebat: *Nescio Dominum*; & Moyses de eodem testatur, quod *ignorabat Joseph.* Regius Psaltes in Ps. 13. atheistæ cujusdam refert blasphemiam, iniquiens: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; quid autem extincto hoc lumine, & sublata agnitione Dei subsecutum fuit? Omne præcipitium; *Corrupti enim sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, Omnes declinaverunt.* S. Basilius, à S. Joan. Damasceno lib. 1. Parallelorum cap. 12. citatus, inquit: *Dei ignorantia mors est animæ.* Quisque viator in obscuro ambulat, in quamvis sibi obviam fossam corruit. S. Bernardinus quærit: *Quis est, qui se cerneret se cecidisse in latam, indenum resurgeret?* Didacus Stella ait: *Observa, quod licet distinguantur, peccata malitiæ, & ignorantiæ, tamen omne peccatum aliquo modo est peccatum ignorantiæ, quia omnis qui peccat, caret scientia actuali, practica, bonique approbativa. Si enim cognosceret peccati malitiam, & mala æterna quæ sibi parat, & bona cælestia quæ perdit, quomodo auderet peccare? Ideo Philosophus dixit, quod omnis malus est ignorans.* Abulensis similiter hanc in peccatore ignorantiam rationibus seqq. probare nititur; ita enim scribit: *Necesse est, quod peccans sit ignorans, quando peccat, nam si non efficeretur ignorans, non posset peccare; cum oporteret quod voluntas eligeret malum, in quantum malum vel cognitum esse malum, & hoc est impossibile, cum objectum ejus sit bonum, & malum ut hujusmodi, non est appetibile; at ergo non eligatur malum cognitum, oportet quod quando peccans elegit id, quod vere malum est, patet non esse malum, sed bonum, at ita sit volubile, & hoc est ignorare; omnis ergo peccans est ignorans.*

Exod. 5. v. 2. Exod. 5. v. 8.

Ps. 13. v. 1.

Ibid.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 3.

S. Basil. ibid.

S. Bern. T. 3. ser. de convers. pecc. art. 2. c. 1.

Did. Stell. in Luc. 12.

Malum non est appetibile ideo omnis peccans est ignorans.

Abul. in Gen. c. 13. q. 464.

5. Execrandissimum facinus; quod umquam à malitia humana commissum fuit, utique fuit crucifixio Christi; hæc autem ab ignorantia derivata fuit; *si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cui consonat illa Christi æterno Patri suo pro venia crucifixoribus suis imperranda porrecta supplicatio: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Centurio eum non cognovit, nisi quando emittens spiritum, vocem suam exulit, tunc enim *videns ... quia sic clamans expirasset*, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat.* Disposuit quoque infallibilis Dei providentia, ut Caiphas tamquam Pontifex mentem suam declararet, nesciens quid diceret. Eadem quoque ignorantia plenum laboravit Concilium, cui proinde Caiphas exprobravit: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis.* S. Paulus ad Corinthios scribit: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Cum ergo nemo supremum suum Principem gestu, vel verbo etiam leviter injuriare audeat, quomodo vilissimus vermis, & luti pugillus, Deum illum, *qui respicit terram, & facit eam tremere*, sublimem illam majestatem, *quam tremunt potestates*, actualiter cognoscens, mortaliter offendere audebit? *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Unde divinæ legis prævaricatoribus, verba illa Judith adaptari possunt: *Nesciunt, quia tu ipse es Deus.* Interpres quidam super illa verba ita scribit: *Peccatum in Deum, nesciendo merito nuncupatur, non in minutionem criminis, sed in divinæ nobilitatis augmentum, ac si illud generosum bonita-*

1. Cor. 2. v. 8.

Luc. 23. 34.

Marc. 15. 39.

Crucifixio Christi processit ex ignorantia Judæorum.

Joan. 11. 49.

1. Cor. 1. v. 23.

Ps. 105. 32.

tis venerabile Numen, si fieret semel, nunquam injuriam acciperet à peccante. Si jam partibus rationalis intellectus constaret, non desisteret à ratione. Si non ratio debilitata est, erit utique irrationalitas, & nedum ignorantia, sed incapacitas cognitionis. S. Joannes Damascenus aliqualem hujus ignorantiæ, & cæcitatis, quæ est in homine transgressore, rationem assignat, nam citans Evagrium, inquit: *Ita natura comparatum est, ut mens para veritatem cernat, ac qua à veritate aberravunt, ob id aberravunt, quia improbere; ac scelerare vixerunt.* S. Augustinus citat hæreticus; S. Paulus autem Christianorum persecutor; ambo vero postquam hujus veritatis sibi acquisierint notitiam, adeo in Dei amore succensi sunt, ut baptismalem innocentiam, ad ultimum usque vitæ spiritum conservarint. Sciendum namque est, quod quanto magis hæc in nobis cognitio proficit, tanto quoque magis simul cum ipso timor, & amor Dei crescat.

S. Joan. Damas. l. 1. Parallel. c. 12. circa fin.

Causa cæcitatis in homine transgressore.

6. Quotidie auribus vestris illa præfationis verba insonare auditis: *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Porrò Potestates cœlestes in sublimiori choro sunt positi, quam sint Angeli, hi enim sunt omnium infimi: ac proinde de his potius dicendum videbatur, quod tremant coram Altissimo, sic enim inter nos, majorem magni alicujus Domini timorem concipit servus, quàm intimiores & sublimiores aulæ Proceres. Sed respondetur, apud Deum non observari illam regulam, quæ inter nos viget; inter homines enim nimia familiaritas sæpe generare solet contemptum, etiam Illustrissimorum Heroum, dum scilicet illorum cognoscuntur defectus; non vero ita se res cum Deo habet, siquidem quanto quis intimus cum Deo conversatur, tanto magis in divinorum attributorum suorum notitia proficit, tantoque illum, omni obsequio & reverentia nostra digniorem esse cognoscit. Ac proinde Dominationes, quæ Deo adeò vicinæ non sunt, illum adorare dicuntur, Potestates autem, quæ eidem sunt proximæ, coram illo trepidant, & contremiscunt. Samaritana mulier quia à principio nullam Christi habebat notitiam, potius illum contemptisse videtur, quia ipsum asperiuscule reprehendit, dicendo: *Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere à me poscis; quæ sum mulier Samaritana?* Quando verò nonnihil in sanctitatis suæ devenit notitiam, ait: *at video Prophetam es tu*, ipsumque Domini titulo honoravit; ab eoque mysticam Divinæ gratiæ suæ aquam poposcit, dicendo: *Domine da mihi hanc aquam*; ac tandem eumdem velut promissum Messiam per totam Samariæ civitatem proclamavit. S. Lucas Magdalenam, domum Simonis leprosi ingredientem, velut quoddam iniquitatis monstrum delineavit dum ait: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; At vero intra brevissimum horæ spatium nondum terminato convivio, eamdem velut eminentis sanctitatis mulierem depinxit, prout D. Chrysologus verba illa Christi: *Dilexit multum*, exponens, egregie notavit, dum ait: *Conspicimus non solum cavisse peccatrix, sed ad totam sanctitatis veritatem pervenisse.* Scitisne autem undenam densæ illæ peccatorum suorum tenebræ dissipatæ fuerint? Nimirum à luce & notitia, qua fuit illustrata: *Ut cognovit.* Ac proinde S. Bernardinus, ut animam peccatricem ad veram permoveret resipiscentiam, in hæc verba de eadem scribit: *Primum oportet, quod habeat lumen intellectum, & cognitionem, quia si non cognoscit malum, non potest deserere illud.* De alia quadam meretrice, nomine Rahab, dignissima quædam mysticorum cœlestium legitur, confessio, quam edidit adeò claram, ac si Prophetissa fuisset, non obstante quod antea idolatra & mulier lasciva extitisset, de qua proinde Origenes ita scribit: *Impia olim mevetrix, & immunda, nunc Spiritu Sancto repleta, de præteritis confitetur, de præsentibus credit, de futuris prophetat.* Vultisne autem scire unde hæc tam stupenda mutatio & conversio suam traxerit originem? Nimirum luce superiori illustrata, veræque Divinitatis notitia & veritate imbuta fuit. Unde ait: *Novi quod Deus vester ipse est in cælo sursum & in terra deorsum.*

S. Joan. 4. Dicit Samaritana in Evangelio & Maria Magdalena à Deo fuerunt illuminatæ.

Luc. 7. v. 37.

Luc. 7. 47.

D. Chrys. ser. 94.

S. Bern. ser. 34. Sabb. post 5. Dom. Quadr.

Ose. 2. v. 11.

Causa conversionis est gratia Dei.

Orig. Hom. 8. in Josue.

6. Cunctorum sæculorum comprobatum est experientia quod multi qui antea in sæculo dissolute vixerant, *hiberantque quasi aquam iniquitatem*, tandem vita sua pristina resipiscentes, etiam à culpis abstinuerint levioribus, easdemque summe abominati fuerint, idque non ex alio motivo, quam quia deinceps à majori Dei divinarumque rerum notitia & agnitione

Qui fuerunt peccatoris gravissimi post conversionem etiam à muneribus peccatis abstinuerunt,

fuere imbuti. David qui antea peccatis immersus, Uriæ homicidium minime apprehendebat (non te frangat ista res) eo quod omnem Dei timorem deposuisset (dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, hoc enim lumen, ut Hugo Cardinalis declarat, relinquit hominem propter peccata ejusdem hominis) hic inquam post acceptum divinum lumen, & peccati sui gravissimi agnitionem, magnæ sibi conscientiæ duxit, quod vel lymbum vestis præscidisset illius [percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul,] cui pro defensione vitas propriæ caput amputare potuisset.

2.Reg.11.25. — Ps.37.v.11. — Hug.Card.ib. — 1.Reg.24. 6.

7. S. Antonius de Padua historiam illam adducens, quæ in l.2. Machab. cap. 1. his verbis recensetur: Qui prius erat in nubilo &c. ita scribit: Nubes peccati intelligentiam offuscabat, & divinam lucem, sive radium divinum expellebat, sive effugabat. Igitur dum ex aqua aspergitur sacratum altare, Sol refulget, qui prius erat in nubilo, quia Christus seu clementiæ oculos ad te convertit, quos propter peccatum à te averterat. Idem quoque divinus prædicator in alio quodam sermone, ut ostendat quantum ad peccata detestanda, & ab ijs resurgendum, hæc peccati, ejusque malitiæ conferat agnitio, sequentes ex resuscitatione Lazari eruet moralitates; Ita enim scribit: Clamat Deus, Lazare veni foras. Excusat se peccator, quia non potest, quia, inquit, Lazarus mortuus est. Psal. Oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde; Sed nec ista est excusatio; nam, inquit, mortuus est, quia non eram ibi, quia calce abjecisti à te, sed hoc non obstante, ego dico tibi; Ego sum resurrectio & vita & ad hoc venio per inspirationem, vel per tribulationem, vel per prædicationem, ut à somno excitent te. Tertio clamat: Lazare veni foras resp. peccator, non possum, quia jam sum sepultus, & jam fœteo in peccato, Ps.37. putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices, &c. Sed hoc non sufficit; Ecce remedium; Ubi, inquit, posuistis eum? Leva in directum oculos tuos, & vide, ubi nunc prostrata sit anima tua. Quod si non potes, tantum dic: Domine veni, & vide, veni per gratiam & vide, hoc est videre fac, scilicet ut recognoscam. S. Bernardinus in supradicto Sermone de conversione peccatoris, ita scribit: Etiam paganus Seneca inquit, Initium salutis cognitio est peccati; unde & quidem alius ait: Non intellecti nulla est curatio morbi. Iterum Seneca: Difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus.

2.Machab.1. v.22. — Resistentia divinæ gratiæ. — Initium resipiscentiæ est cognitio peccati.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Dæmon peccatori primo Dei, quem peccando offendit, deinde gravitatis peccati notitiam eripit, ut hac ratione quasi excæcatus, illud committat.

THEMA.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. 1. Reg. 11. v. 2.

Diabolus conatur homini eruere oculum dextrum. — 1 Reg.11. 1. — Ibid. v.2.

1. CUm Naas Ammonites dimicaret contra Galaad, hic inter angustias se constitutum videns, fœdus cum hoste suo ineundo, sibi, suæque vitæ consulendum esse duxit, ac proinde missas ad Naas Ammonitem legatis, fœdus eidem obtulit, dicens: Habeto nos confœderatos, & serviemus tibi. Qui arroganter ijsdem respondens ait: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. Quæ resolutio huic innitebatur fraudulentæ machinationi, nimirum, si oculos eorum dextros è capite evulsero, ipsi sinistrum oculum scuto obtegentes, velut cæci, & in obscuro cum Galaaditis congredi & pugnare cogentur. Omnia in figura contingebant illis. Cum enim vita hominis continuum quoddam sit bellum: Militia est vita hominis super terram; Naas, id est, Tyrannus infernalis, prout per experientiam in multis videmus, homini peccatori libenter & ingravatè, oculum sinistrum permittit, dummodo oculus dexter illius sit erutus, id est, concedit illi, ut multas retineat devotiones exteriores, v. gr. Vota, intercessiones Sanctorum, jejunia, orationes, Eleemosynas &c. Idque facit, ut hasce devotiones retinentes, sibi stulte persuadeant, quod per hasce ab ira Dei sufficienter tueri se possint; licet erutus illis sit oculus dexter, id est, licet Divinorum præceptorum negligant observantiam. Unde B. Petrus Damianus ait: Sæpè malignus hostis consentienti sibi cuilibet reprobo homini, potiorem partem sanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem vero artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit, ut in eo quod tollitur, sic occasio damnationis, in eo quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non recurrat. Vel etiam dicere possumus, consuetum inimici nostri stratagema esse, quod oculum dextrum animæ, id est lumen & agnitionem Dei & gravitatis peccati homini secum pugnaturo adimat, in quodvis obvium, in obscuro gradiens, impingat, & labatur præcipitium. In vitis Patrum, Dixit quidam senum: Quando cooperiuntur oculi animalis, tunc circuit ad molendinum; sin autem discoopertos habuerit oculos, non ambulat in circuitu molæ; sic enim & Diabolus, si occurrerit operire oculos hominis; in omne peccatum humiliat eum, quod si non fuerint clausi oculi ejus, facilius potest effugere ab eo. Sententia est Spiritus Sancti: In circuitu impij ambulant; quia ex parte Diabolo sunt, & ideo sua desideria patris ejus maligni perficiunt; nam & quando de Diabolo in sacris litteris agitur, communiter cum hoc motu circulari repræsentatur; Unde apud Jobum dicit: Circuivi terram: Et S. Petrus de illo ait: Tamquam Leo rugiens circuit: Advertendum quoque est, quod Philistæi Samsonem ad molam vertendam non alligaverint, nisi postquam illum excæcarunt, ut per hoc nobis insinuetur, quod spiritus maligni hanc habeant indolem: quod primo omnium loco homini eripiant lucem & agnitionem Dei, & gravitatis peccati, tunc enim securi sunt, quod eumdem facile in quemvis impellent excessum. Rupertus ait: Moraliter exemplum hoc omni homini cavendum est, sciendum quippe est, quod aliquando prius oculis intellectus obtunditur, & postmodum animus captus per exteriora vagatur desideria, ut cæca mens, quo ducitur, nesciat, & se carnis suæ illecebris subdat. De Antiocho in libris Machabæorum legitur, quod ascendit Jerosolymam in multitudine gravi, & intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis. Mox ut Jerosolymam ingressus fuit, subito ad templum advolavit; sed quænam prima præda fuit, quam inde sustulit? Num forte mensa aurea panum propositionis? vel vasa aurea? aut ditior supellex? vel denique inæstimabiles Rationalis gemmæ? Nihil horum sustulit, sed altare aureum & candelabra pariter aurea. At vero quodnam in eo latere putatis mysterium? Lyranus in moralitate, per Antiochum Dæmonem intelligit, inquiens: Certe nimirum omnium Diabolus caput est. Antiochus hic significare potest Diabolum; hic autem mystica animarum nostrarum templa ingreditur; dicente Glossa; Animas credentium (quæ vere Dei templum sunt) errore suo polluere contendit. Sed quo consilio utitur, ut animas à Deo, qui de seipso dicit: Ego sum via, veritas, & vita, deviare & seducere possit? Nimirum altare & candelabrum aureum illis eripit, id est ut Hugo Cardin. exponit, fervorem spiritus, unde ascendit fumus aromatum, orationis, & virtutum, deinde candelabrum luminis, id est gratiam contemplationis; primo igitur efficere satagit, ut lumen agnitionis Dei extinguat & fervorem spiritus, maxime vero contemplationis & orationis disperdat, ne se reflectere possit, ad bona infinita, quæ per peccatum amittuntur, & ad infinita mala, quæ tum in hac, tum in altera vita inde contrahuntur. Nam ut Chrysostomus ait: Nocte amoto lumine, lignum, plumbum, ferrum, argentum, & lapides pretiosos, & alia omnia eodem modo & videmus, & judicamus, ita quoque qui sordide & vitiose vidit, neque modestiæ vim, neque sapientiæ discernit pulchritudinem. Hic igitur est finis, quem inimicus sibi habet præfixum, dum hoc nobis lumen eripit, ut nimirum nos in omnem scopulum, in quemvis errorem indifferenter, sine ullo timore, aut Dei respectu impingere faciat. Corvus naturalem hunc instinctum habere dicitur, quod quando morticinum aliquod, aut cadaver ad illud devorandum invadit, oculos illius, tamquam primam prædam eruat & devoret. Idem quoque de corvo infernali asserere licet, hic enim dum animam, deprædandi suique juris faciendi causa aggreditur, primo omnium lumen ei tollit, & agnitionem Dei, efficitque ut enormitatem & damna peccati agnoscere non valeat; Id quod in Davide, quando in adulterium turpiter lapsus est, adimpletum videtur, hic enim de se lamentatur inquiens: Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

B.Petr.Dam. l.6. Ep. 5. — Mystice per oculum dextrum intelligitur agnitio Dei, & gravitatis peccati. — Vit.Patr. l.5. libell. 13. n.49. — Ps.11.v.9. — Joan.8.v.44. — Job.1.v.7. — 1 Petr.5. 8. — Diabolus in circuitu ambulat. — Rup.Abb.lib. 2. in Judic.24. — 1 Machab. 1. v. 23. — Antiochus Rex ex templo sustulit altare aureum. — Lyran. ibid. — Gloss. ord. — Joan.14.v.6. — Hug.Card.ib. — Mysticè diabolus aufert peccatori altare id est fervorem spiritus. — D. Chrys. H. 4. in Joan. — Diabolus ut corvus primum quod in cadavere devorat est oculus. — Ps.37.v.11.

2. Quando sacer textus de Sedeciæ excæcati infelicitate differere incipit, primum hæc verba præmittit: Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxitque catenis; & adduxit in Babylonem. Qua de re S. Antonium de Padua his verbis loquentem, si lubet,

4.Reg.25. 7.

bet, audiamus. Dicitur, inquit, quod Nabuchodonosor oculos Sedechiæ Regis effodit, vinxitque eum catenis, & duxit in Babylonem. Sic Diabolus prius eruit oculos peccatorum, ne suam iniquitatem cognoscant, & postea ligat catenis malæ consuetudinis, & ponit in carcerem obstinationis, ne exire valeant in lucem confessionis. Deus apud Ezechielem comminatur inquiens: Adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit. Est sane ingens à divina justitia homini irrogatum supplicium, in Babylone clausis oculis constitutum esse, eamque coram videre non posse, id est peccatorum confusioni peccati esse involutum, nec tamen hanc suam miseriam attendere aut considerare, & ad deplorabilem statum, in quo degit, minime deflectere posse. S. Augustinus in Soliloquijs, infelicem, in quo ante conversionem suam erat, statum his verbis deplorat: Servus eram, & servitutem amabam, & vincula non horrebam, amarum dulce, & dulce amarum credebam, miser eram, nec cognoscebam. Fraudulentus adversarius noster, intellectus & mentis nostræ oculos claudit, ne nos in Babylone catenis vinctos teneri agnoscamus; quis enim alias adeo mentis inops futurus esset, ut Jerosolymam cum Babylonia commutaret. Idem S. Augustinus in confessionibus suis inquit: Quid miserius misero non miserante seipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te Deus, lumen cordis mei.

S. Ant. de Pad.Dom.3. Quadr. — Ezech.12.13. — Diabolus claudit nobis oculos ne videamus vincula peccatorum. — S. Aug. c. 6. Soliloq. — S.August.l.1. confess.c.13.

3. Nonnulli reperiuntur homines adeo cæci, Deique immemores, ut non solum peccata sua non deplangant, quibus ad fauces usque sunt immersi, verum etiam in ijsdem lætentur, gaudeant, rideantque: Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. S. Isidorus Pelusiota illos, qui in Babylone excæcati, & catenis vincti consistentes, nihilominus gaudent, perstringens, illaque S. Pauli ad Romanos cap. 1. citat verba: Non solum qui ea faciunt, sed &c. ita scribit: Peccare malum est, deterius peccantem, veluti sensus expertem nihil moveri. At vero qui corrupto judicio de rebus male existimat, hunc pessimum quis merito judicet. Primus forsitan peccare desinet, alter quoque vulnerum sensu recepto, medicum quæret, at qui in malitia cum allubescentia versatur, etiam illos laudabit, qui paria faciunt, sed & consentiunt facientibus. S. Bernardus hanc cæcitatem tanto mirabiliorem esse dicit, quanto minus est cognita patienti illam: Amittitur, inquit, peccando optimus Deus, acquiritur pœna gehennalis, quorum commutationem nullus appetit, nisi prorsus insanus; Et vere quicumque cœli delicias omittentes, scienter peccando pœnas infernales invadunt, insani sunt, nesciunt quid faciunt. S. Ambrosius super illa Psalmistæ verba: Opprobrium insipienti dedistis me, inquit: Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, & eligit malum pro bonis? Ergo qui author est peccatorum, ipse insipiens magis, quam ejus minister. Cum peccamus igitur, in opprobrium tradimur adversario, ut ille nos in die judicij accuset, & prodat. S. Thomas à Villa Nova cæcitatem & stoliditatem peccatorum quo oculi spirituales à Dæmone cooperti sunt, his verbis considerat: Quis stultus, nisi peccator? Annon stultus, qui pro modico temporali lucro æternum commutat regnum? Et pro momentanea voluptate, atrocissimis perpetuisque seipsum supplicijs mancipat, & vendit? Qui cum facile possit moderari, famam, gratiam, gloriam sempiternam amittit, & in abyssum sulphuris & ignis, sciens, vidensque seipsum præcipitat. Quæ ultima verba scilicet sciens vidensque, dubia mihi esse videntur, quia ut in discursu præcedenti probavimus, omnis peccans est ignorans. Verum quidem est, omnem peccatorem in Babylonia degere, id est in confusione quadam, qua major dari non possit, omne item peccatum voluntarium esse, verumtamen impius à Dæmone excæcatus idipsum non apprehendit, neque cognoscit. Regius Psalmista sequens impio supplicium imprecatur: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva; Quæ verba Hug. Card. apte ad propositum nostrum ita exponit: Hoc est primum & commune in omnibus peccatoribus, quod excæcat eos diabolus, ne cognoscant viam veritatis, vel lucem, quod significatum est in hoc, quod Philisthæi excæcaverunt Sampsonem, & Babylonij Sedeciam; postquam Dæmon peccatores spiritualiter excæcavit, ijsdem tamquam jumentis sarcinam imponit multorum scelerum, valde ponderosam, & ideo Psalmista ait: Dorsum eorum semper incurva, permissivè enim hoc sequitur, quod cum oculi obscurati sunt, ne videant, dorsum incurvetur ad portandum onus peccatorum.

Graviores peccatores gaudent in malitiâ suâ. — Prov.2.v.14. — Rom.1.v.32. — S. Isid. Pelus. l.5. epist. 50. — S. Bern. c.3. de pass. — Hæc cæcitas tanto est miserabilior quanto minus cognita. — Ps. 38. 9. — S. Ambr. ib. — S.Th. de Vill. conc. 2. de S.Aug. — Ps.68. v.24. — Hug.Card.ib.

4. S. Antonius de Padua notat, peccatorem ultro & à seipso pedes extendere ad compedes, quos illi dæmon immittit: ita enim ait: Miser peccator multis vinculis, & ligaminibus est ligatus. O infelix, qui diabolo tam miserabiliter vinculatur, dum tibi parat laqueum, sponte porrigis pedem, imò si te per pedem ligaverit, sponte ipso offeres manus. Idem Sanctus in alio quodam sermone de dæmoniaco muto, surdo, & cæco disserens, huic peccatorem assimilat dicens: Attende, quod sicut iste dæmoniacus in tribus sensibus principalioribus, & cæteris nobilioribus, videndi, loquendi, & audiendi amisit virtutem, sic peccator, quia à diabolo per peccatum mortale possidetur, in tribus animæ suæ sensibus, cæteris principalioribus, & nobilioribus, videndi, loquendi, & audiendi amittit virtutem spiritualem; & nota quod in visu cognitio, in loquela confessio, in auditu obedientia designatur. Observandum vero, quod astutus hic inimicus omnium primo oculum deprædetur, id est agnitionem Dei qui offenditur, & status miserabilis, in quem per peccatum redigitur, deficiente enim hoc lumine, deficit consequenter ejusdem peccati compunctio, detestatio, & confessio, quia voluntas non fertur in incognitum. Subdit vero idem S. Anton. Ille clare videt, qui malitiam suam cognoscit; ille recte loquitur, qui malitiam cognitam, unde, & aperte confitetur; ille acute audit, qui voci sui Confessoris voluntarie obedit. Citatque textum illum Jeremiæ c. 2. Vide vias tuas, vide id est cognosce vias tuas, id est peccata tua, quibus quasi quibusdam vijs tendis ad infernum, de quibus Ps. 118. Cogitavi vias meas & converti pedes meos in testimonia tua. Item Jerem. 2. Scito, & vide, id est cognosce, quia malum & amarum est te reliquisse Dominum tuum; & illud Jerem. 3. Leva oculos tuos indirectum, & vide ubi nunc prostrata sit. Heu quam pauci sunt, qui in directum levant oculos omnes fere in obliquum, velati strabi respiciunt. Ille proculdubio in directum oculos levat, qui suam iniquitatem prout commisit, cognoscit. Et ideo astutus serpens omne suum studium & industriam in eo collocat, ut hanc cognitionem peccatori auferat. Unde Sapiens dicebat: Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. Chrysostom. sensum explicans illorum verborum: Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi, ita scribit: Collocavit eos diabolus in obscuris, sicut mortuos sæculi, est eorum, qui sedent in tenebris, non videre mala, quæ illos invadunt. Hoc etiam eis accidit, qui non vident quæ juxta eos sitæ sunt calamitates, & in voragines, fossasque & præcipitia deturbantur. Est eorum, qui sedent in tenebris, turpia secure audere admittere. Hoc etiam faciunt, qui nequiter vivunt, tamquam qui sedent in tenebris, & perinde ac si nemo homo sit, qui, quæ fiunt, respiciat, omnia tam secure perpetrant, in medijs urbibus, tamquam in solitudine scelera committentes.

S. Anton. de Pad. ser. 3. Dom. 4. Quadr. — Peccator voluntariè à dæmone vult ligari. — S. Anton. de Pad. in Dom. 3. Quadr. — Jerem. 2. 23. — Ps.118. 59. — Jerem. 2. 19. — Jerem. 3. v.2. — Dæmon collocat peccatores in obscuris. — Prov. 4. v.19. — D. Chrys. in Ps. 142.

5. Quodnam obsecro in eo reconditum est mysterium, quod Job inter alia delineamenta, quibus dæmonem sub titulo Behemoth describit, hoc quoque recenseat: Sub umbra dormit in secreto calami? Ex fide constat, dæmonem in igne tartareo incessanter uri, umbra autem in caloribus vehementioribus præstare solet refrigerium, quale dæmoni in æternum non concedetur. Beda dubium hoc solvit dum breviter ait: Hoc enim umbra significat, quod solem nesciens. Dicitur igitur sub umbra jacere, ad denotandum effectus, quos in perniciem peccatorum operatur; siquidem illis veri Solis Justitiæ, id est Christi lucem aufert, efficitque ut sint veluti cæcæ talpæ, quæ non vident objectum, quod admordent; Confessi sunt idipsum reprobi apud Sapientem dicentes: ergo erravimus ... & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ nō est ortus nobis, Berchor. in suo dictionario sequens nobis insinuat documentum: Peccatum vitandum est, quia aufert monimentum claræ cognitionis, & hoc ostenditur, cum dicitur apud Ecclesiasticum: Quasi à facie colubri fuge peccata; Et porrò videbatur, quod ad imprimendum majorem culpæ horrorem, Sapiens formidabiliori quadam similitudine uti debuisset, quia serpens facile pedibus conculcatur, & occiditur, cur igitur non potius dixit: Quasi à facie leonis, vel tigridis, vel draconis fuge peccata. Idem Author hujus asserti explicat mysterium, dum ait: Coluber dicitur, quasi colens umbras, ad denotandum, quod peccatum umbram ignorantiæ & erroris solet comitari, & à luce veræ cognitionis solet nos facere elongari, coluber enim est, quia ubicum-

Quid sit quod Behemoth dormiat sub umbra. — Job. 40. 16. — Beda l. 3. in Job. ib. v.16. — Sap. 5. v.6. — Berchor. dict. ver. peccator. — Eccli. 21. v.2. — Umbra peccatorum fugienda.

ubicumque sit semper colit, & habet umbram, id est, carentiam cognitionis, scientiæ, & gratiæ, omnis enim qui male agit, odit lucem. Joan. 3. Peccatum enim umbram ignorantiæ diligit, quia scilicet numquam vult videri nec cognosci, quod sit peccatum. Multi Doctores asserunt: quod ad Basiliscum occidendum, sufficiat si quis speculum ipsi ob oculos ponat, in quo videat semetipsum, à repercussis enim contra ipsum venenosis oculorum suorum radijs subito moritur. Ita quoque Basiliscum infernalem (*super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis*) securius vincere & enecare non possumus, quam si à Deo gratiam postulemus, miserabilem peccati statum videndi, dicamusque. *Domine, ut videam.* Unde Deus apud Psalmistam ait: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quæ verba S. Bonavent. ex Glossa ita exponit: *Ostendam te tibi, & displicebis tibi*; Quod ubi assecuti fuerimus, scilicet displicuerimus nobis ipsis, veræque contritionis actum conceperimus, tunc placebimus Deo, & peccatum detestabimur quo ipsum offendimus.

Modus occidendi Basiliscum, accommodatur diabolo. Ps.90.v.13. Luc.18.v.41. Ps.49.v.21.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

De peccato sub tenebrarum, & cæcitatis Metaphora discurritur

THEMA.

Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt, Eccli. 11. v. 16.

1. Ecclesiasticus in hoc assumpto themate veritatem quamdam insinuat, quotidiana experientia comprobatam, quia ut in hujus Tractatus Discursu primo probavimus, nullus hominum Deum offenderet, si quid peccatum sit, & quanta sit veri Dei offensa cognosceret; ac proinde *error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Et quidem in primo hic in terris commisso peccato, satis liquet, qualiter, sacro Chronista attestante, peccatum clausis fuerit oculis perpetratum, siquidem subito, ut protoparentes divinam prævaricati tunc prohibitionem, tunc primum *aperti sunt oculi amborum.* Verum quidem est, quod Adam, etiam ante commissum peccatum viderit, hoc enim satis clare ex eo deducitur, quod Moyses paulò ante in eodem capite narraverat: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Verisimile enim est, quod Adam super omnia animalia suos direxerit oculos per circuitum, ut unicuique nomen imponeret, naturæ uniuscujusque proportionatum. De Eva pariter idem sacer textus testatur: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, adeoque satis aperte concludi videtur, quod ambo, etiam antequam peccarent, perspicue viderint; verumtamen non sine mysterio, perspicue viderint; verumtamen nõ sine mysterio dixit per calamum Moysis Spiritus S. *Et aperti sunt oculi amborum*: Et ideo per sequentem nunc oppositioni similitudinem respondetur; Auceps nam falconem in bacillo, quem manibus tenet, numquam alligatum teneret, nisi oculos ejus copertos servaret, ita quoque inimicus infernalis, hominem in profundum peccati barathrum, & æternarum tenebrarum abyssum numquam præcipitasset, nisi oculos intellectus eorum clausisset. Unde Origenes ait: *Quos prius habuerant perspicuos animæ oculos, fruentes Deo, & ejus paradiso, ut opinor, propter peccatum clauserant*, Procopius autem super eadem verba expressius ait; *Omnis qui peccatum committit; quasi cæcus peccare existimatur, ubi enim viderit, quasi antea obcæcatus fuerit, qui deliquerit, inquit: Non cernebam quid faciebam.* Quam miserabilem cæcitatem tota humana progenies à primis parentibus contraxit, offendendo, se dejiciat, non cognoscit, aut advertit, ac proinde S. Thomas à Villa Nova in concione quadam ait: *Væ tibi à tua cæcitate, quam in peccato primi hominis incurristi, nam si lumen oculorum tuorum, quo teipsum cernebas, non amisisses, numquam in tantam miseriam devenisses. Omnis noster labor, & afflictio ista terrenæ cupiditatis, & affectus, & desiderium æternorum, & vilitas, ex hac ignorantia venit, teste Psalmista: Homo cum in honore esset, non intellexit*, scilicet excellentiam & dignitatem suam, *& comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Porro quale sit lumen, quod divinorum præceptorum transgressor amittit, optimè nos docet S. Bernard. non enim est hæc lux sensibilis oculorum corporalium, imo hi ut plurimum, dum à nobis nimis aperti tenentur, nos velut duces & seductores ad magnam peccatorum partem pertrahunt. Audiamus prædictum S. Bernardin. dicentem: *Subtrahit Deus gratiam propter demerita peccatorum, subtrahit lumen veritatis, & judicij veri, & desiderij boni.*

Cœci peccarunt primi parentes quorum oculi postmodum sunt aperti. Gen.3.v.7. Gen.2.v.19. Gen.3.v.6. Ibid.v.7. Similitudo. Orig. l.7. cont. Celsum. Procop. ibid. Effectus peccati originalis. S. Thom. de Villæ Nova. Conc. in Dom. 3. Advent. Ps.48.v.13. S. Bern. T. 3. ser. 20. art. 1. c. 1.

2. Lux vera, id est divina gratia, in nobis hebetatur, & ideo in obscuro palpitamus; extinguitur in nobis lumen illud, de quo S. Joannes ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; Et ideo peccata in plurimis sacræ Scripturæ locis tenebræ appellantur; *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur ergo arma lucis*, inquit Apostolus, & Christus ait: *Omnis enim qui male agit, odit lucem.* S. Aug. super Epistolam primam Joannis inquit: *Memento in principio sermonis nostri, quia Epistola ista charitatem commendat, Deus lux est, inquit, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Et quid superius dixerat? Ut societatem habeatis nobiscum, & societas ejus sit cum Patre, & Filio ejus Jesu Christo. Porro si Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, & societatem cum illo habere debemus, & à nobis pellendæ sunt tenebræ, ut fiat in nobis lux, nam tenebræ cum luce societatem habere non possunt, ideo vide quid sequatur: Quod si dixerimus, quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Habes & Apostolum Paulum dicentem: Aut quæ societas luci ad tenebras? Et Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Idem Sanctus Doctor alio in loco dicit de peccatis: *Peccata tenebræ animarum sunt; audimus quippe Joannem dicentem: Qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc.* Job in capite tertio fusius est in texendo catalogo damnorum, quæ generi humano per culpam accersuntur. Sed velim observetis, quomodo illa exponat: *Pereat*; inquit, *dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo; Dies ille vertatur in tenebras, ... & non illustretur lumine, Obscurent eũ tenebræ, ... occupet eũ caligo, ... Noctem illam tenebrosus turbo possideat, ... Sit nox illa solitaria, ... Obtenebrentur stellæ caligine ejus, expectet lucẽ, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Ingens profecto in hisce verbis est energia, qua aptissime confirmatur idipsum, quod Ecclesiasticus dicit: *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Porro quænam vel quales illæ sint tenebræ, quibus stellæ obtenebrantur, Beda sensum literalem præteriens (siquidem nec tenebræ stellas, quæ in firmamento cœli consistunt, nec caligo attingere possunt) in sensu spirituali & metaphorico exponit inquiens; *Peccatores, qui in nocte sæculi hujus, honoribus, vel divitijs, sive sapientia mundi hujus lucere se putant, cæcitatis caligine tenebrantur, ut merito sui Evangelij lumen non videant.* Berchor. in suo Dictionario *de peccato* disserens, ea quæ diximus, sequenti explicat similitudine, inquiens: *Est peccatum sicut nebula, quæ aërem conscientiæ obnubilat, sicut fumus qui domum cordis denigrat, & obscurat, quia pro certo ubi est peccati abundantia; ibi est error & ignorantia; & veræ ac discretæ cognitionis carentia.* Et sicut tenebræ ita tenent oculos, quod nec alias res, nec ipsas tenebras possunt videre, sic peccatum ita obnubilat hominem, quod nec ipsum peccatum suum videt, nec etiam aliquid aliud, quod pertineat ad salutem.

Joan. 1. v. 9. Peccata sunt tenebræ. Rom. 13. 12. Ioan. 3. v. 20. S. Aug. tr. 1. in Joan. 1. S. Aug. T. 7. l. 1. de Baptis. c. 11. Iob. 3. v. 3. Ibid. v. 4. Ib. v. 5. & 6. Ibid. v. 7. Ibid. v. 9. Beda l. in Iob primo ib. c. 3. Quales sint illæ tenebræ. Berchor. Diction. verb. peccat.

3. Vix Adam & Eva in divinæ prohibitionis transgressionem consenseraut, cum ecce Deus illis in Paradiso apparet, sed velim observetis, quo tempore venerit; nimirum: *Post meridiem.* Septuaginta legunt: *Post vesperam.* Sed quomodo vespera esse potest eo in loco, ubi Deus est? Ergone noctis tenebræ ingruere possunt, ubi lux illa apparet de qua S. Joannes ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem?* Pro majori hujus difficultatis claritate sciendum est: Vesperam illam de peccati obscuritate intelligendam esse. Unde S. Ambr. ait: *In paradiso, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia peccata tenebræ sunt.* Porro S. Bonav. duce S. Augustino, varias tradit peccati definitiones, ex quibus sequens proposito nostro apte deservit: *Peccatum est defectus quidam à lumine veritatis, naturam non perimens, sed obscurans.* Et paulo post ex eodem S. Augustino subdit: *Peccata sunt tenebræ intellectus, obtenebrato autem intellectu, error necessario consequitur: Error tenebræ peccatoribus concreata sunt.* S. Aug. ait: *Salus nulla est, nisi in societate Dei, Deum lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ, peccata autem tenebræ sunt, sicut dicit Apostolus, diabolum, & Angelos ejus rectores tenebrarum harum esse. Non diceret rectores tenebrarum, nisi rectores peccatorum, dominatores iniquorum, &c. Iniquitates tenebræ sunt, iniquitatibus premimur, ne societatem cum Deo habere possimus.* Et ideo reprobi in illa perditionis abysso inconsolabiliter quidem, sed sine fructu plorabunt, quod in obscuro ambulaverint, dilexerintque magis tenebras quam lucem. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*; Quænam verò hæ tenebræ sint, Christus statim declarat, dum ibidem subdit. *Erant enim eorum mala opera.* Et ideo Rupertus Abbas postquam quæsijsset quænam hæ sint tenebræ, mox subdit: *Fornicationes, adulteria, homicidia, veneficia, comessationes furta, perjuria*; Hæ igitur tam densæ tenebræ lucem ab homine arcent divinæ gratiæ; & ideo juste hanc meretur condemnationem: *Mittite eum in tenebras exteriores.* Quia ut S. Bonav. super illa verba Christi: *Hoc est autem judicium* inquit: *Hæc est causa damnationis*, Albert. Magn. inquit: *Non est naturale, quod aliquis odio habeat lucem, & diligat tenebras, quia ut Eccle. ait: Dulce lumen, & delectabile est oculis, videre solem*, Et tamen ut S. Job ait: *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Hæc igitur est stultitia peccatoris, quod oculos veræ luci claudat, ut eosdem per caliginem obtenebret. *Et hoc quod homines perseverent in malis operibus* inquit Cajetanus, *diligunt magis tenebras, quam lucem.* Dionysius Carthusianus quoque per hasce tenebras lucem intelligit, unde ait: *Dilexerunt magis tenebras, id est passiones; & vitia, ad infernales tenebras perducentia, quam lucem, hoc est Christum, ejus doctrinam, virtutum splendorem.* Bene autem advertendũ est, ly illud *solem*, hoc enim nostram notabiliter aggravat malitiam; id qood D. Chrysost. quoque considerans ait; *Qui in tenebris versatur, deficiente lumine, aliqua fortassis venia dignus est, qui verò adveniente luce tenebras sectatur, mali profecto pravique animi præ se fert argumentum.* Hugo Cardin. Christi verba sic explicat: *Dilexerunt homines, propter quos venit, magis tenebras, id est carnis delicias, & mundi divitias, rationem obtenebrantes.* Quando damnati inter caliginosas inferni tenebras stridebunt dentibus, vere quidem dicent: *Ergo erravimus à via veritatis*, mentientur autem in eo quod subdent: *Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis*, quia hoc illis propria ipsorum culpa evenit quia scilicet, *dilexerunt ... magis tenebras quam lucem*, & ideò nullam prætendere poterunt excusationem, quia revera *lux venit in mundũ.* Apud Ezech. c. 8. Deus hunc suum Prophetam invitat, ut videat abominationes detestabiles, quæ in templo committebantur, quæ in eodem cap. fuse describuntur: *Ingredere*, inquit; *& vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic*; paulo post vero dictarum abominationum subjungit causam; dicit enim sacer text.: *Et dixit ad me: Certe vides fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris.* S. Propheta Job postquam dixisset: *Ipsi fuerunt rebelles lumini*, mox subdit: *Nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus*; qui enim in obscuro ambulat, à via recta facile aberrat, sæpius impingit, & in præcipitia cadit; *oculus adulteri observat caliginem; per noctem fur perfodit in tenebris domos, & ignoraverunt lucem; si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Deus quærit: *Quis cadens apertos habet oculos?* Eusebius Emiss. tenebras hasce, quas impij diligunt, magis specifice declarat, dum ait: *Superbia, malitia, obtrectatio, invidia, opera tenebrosa sunt, & lumen mentis obcæcant.*

Gen. 3. v. 8. In Paradiso tenebræ factæ dicuntur propter peccata. Joan. 1 v. 9. S. Ambr. in Ps. 89. S. Bonav. T. 6 Centiloq. S. Aug. tr. 8. in Joan. Eph. 6. v. 12.

Joan. 3. v. 19. Ibid. v. 19. Rup. Abb. ib. Tenebræ peccatorum tollunt lumen gratiæ. Matt. 22. 13. S. Bonav. in Joan. Alb. Magn. in Joan. Eccle. 11. v. 7. Job. 24. v. 13. Cajet. in Joan. D. Carth. ib. Magis dilexerunt homines tenebras quam lucem. D. Chrys. H. 27. in Joan. Hug. Card. ib. Sap. 5. v. 6. Ezech. 8. v. 9. Ibid. v. 12. Job. 14 13. Committuntur peccata in tenebris. Num. 24. 16. Eus. Emis. hom. 2. in nat. Dom.

4. Ab hisce tenebris derivatur animarum spiritualis cæcitas. Beda id, quod paulo antea dixeramus, considerat, scilicet quod Deus post commissum à primis parentibus peccatum, in paradiso terrestri circa vesperam obambularit, & ideò interrogat: *Quid est quod post peccatum hominis, in paradiso Deus non jam stat, sed deambulat, nisi quod lux ferventior abscesserat, & peccatricem animam, culpæ sua frigora constringebant? increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus sed etiam rebus aperiret, & per declinationem solis cognosceret, quod ad tenebras propinquaret.* S. Augustin. ait: *Nec cogitat, prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis, qua desertus, utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, & ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris. An nulla pœna est eorum de quibus dicit Apostolus; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? utique ista obscuratio vindicta & pœna jam fuit, & tamen per hanc pœnam, id est per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, & in plura, & in gravia peccata prolapsi sunt.* S. Bernardin. quoq; in serm. quodam hanc explicat cæcitatem, inquiens: *Multiplicata peccata excæcant populi intellectum, ne veritatem intelligere queant*, unde Sap. 2. dicitur: *Excæcavit eos malitia eorum, & nescierunt &c. Cum aqua etiam clara agitatur, difficile, quod in ea lateat, videri potest, quanto magis in turbida, vel in cœno? sic etiam, cum populus immergit se in peccatis, sicut sus in volutabro luti, quod mirum si Dei flagellantis futura indicia non cognoscit?* Citatque text. illum Sophoniæ: *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Quem text. apud Didac. Stellam in cap. 3. S. Lucæ scribentem his verbis explicatum invenio: *Non mirum erat, quia ita cæci & deliri erant in cognitione Messiæ, siquidem tantum pondus pulveris, amoris mundi, carnis, & sanguinis oculis suis injecerant*, de quibus Jeremias dixit: *Erraverunt ut cæci in plateis. Iniquioris conditionis est hæc cæcitas, quam quælibet alia corporalis; nam qui corporis cæcitate laborant, seipsos agnoscunt, at qui interiori cæcitate tenentur, existimant se videre, cum nihil videant. Quo circa Redemptor noster his dixit: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, quia videmus, ideo peccatum vestrum manet.* Audite obsecro, qua phrasi mystica S. Epiphanius impiorum transgressiones describat: *Defle*, inquit, *peccatorum tuorum multitudinem, & perpetuis te aquis, id est lachrymis abstergens, solis radijs incalesce, hoc est cœtu fidelium, & in Spiritu S. ad calorem pœnitentiæ propera, lippitudines, id est peccata abjice, statim enim renovabitur ut aquilæ juventus tua*; quibus in verbis præcipue observandum est significatum dictionis *lippitudinis*, per hanc enim dictionem ad oculum turbidum & lippientem alludit.

Quare Deus post peccatum dicatur in paradiso ambulare. S. Aug. l. de nat. & grat. c. 22. S. Bern. T. 2. ser. 20. art. 2. c. 4. Sophon. 1. 17. Did. Stella in Luc. 3. Thren. 4. 14. Major est cæcitas mentis quam corporis. S. Epiphan.

5. Regius Psalmista ait: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Sup. quæ verba S. August. dicit: *Ignem malæ concupiscentiæ timete, supercecidit ignis iste, & solem non videbitis. Quem solem? non istum quem tecum vident & pecora, & muscæ, & boni, & mali, quia facit solem suum oriri super bonos, & malos; est & alius sol, de quo dicturi sunt illi: Et sol non est ortus nobis; transierunt omnia illa tamquam umbra; ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Quare? quia nisi supercecidit ignis, & non viderunt solem? Vicit illos concupiscentia carnis*, Isaias populo Hebræo sequens comminatur supplicium: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, ... & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Quæ verba utiq; non de cæcitate corporali intelligenda sunt, sed de spirituali, qua populus ille in malitiæ & obstinationis suæ mulctam fuit punitus. Ubi etiam S. Hier. eumdem Isa. text. explicans ait: *Hoc intelligendum, quod pro magnitudine sceleris, etiam pœnitentia indigni judicati sunt.* Hugo Cardin. illa verba S. Pauli: *Deus hujus sæculi excæcavit mentis infidelium, ut non fulgeat illis claritas Evangelij gloriæ Christi*; ita exponit: *Excæcavit, non impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam*; Deus enim Hebræis efficacia gratiæ suæ auxilia subtrahendo, permisit, ut ad finem usque sæculorum in obscuro ambulent, deserendo illos in tenebris propriæ ignorantiæ & cæcitatis. Unde in hoc populo adimpletum fuit, quod unicuiq; reprobo evenit, scilicet *Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.* Quodnam vero malum illi inde evenit? Nimirum: *Et præcipitavit eum consilium suum*, Propheta regius post commissum adulterium conquerebatur, dicens: *Comprehenderunt me iniquitates meæ*; & quid inde fuit subsecutum? *Et non potui ut viderem; eo quod fumo iniquitatis*, inquit S. Ambrosius *oculus animæ excæcatur ne videat; fumus iniquitas est, quia sicut fumus oculis, ita iniquitas utentibus ea.* Postquam Psalmista dixisset: *Et non potui ut viderem*, mox subdit: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei*: sicut enim capilli crescentes à capite se usque ad oculos dilatant, eorumq; lucem offuscant, ita quoque peccata eumdem operantur effectum, quia visum spiritualem mentis obtenebrant. S. Bonavent. de cæco nato disserens ita scribit: *Sicut solius Dei est justificare, ita sui solius est à cæcitate culpæ illuminare, peccatum enim excæcat, quia delicta oculos clauserant, nescivérant oculos videre*, ait Augustinus, *unde sicut cæcitas corporalis facit hominem ignarum in discernendo, incautum in eundo, ineptum in agendo,*

Ps. 57. v. 9. S. August. ib. Concupiscentia carnis impedit lumen solis. Isa. 6. v. 10. S. Hier. ibid. 2 Cor 4. 14. Hug. Card. ib. Deus excæcat non largiendo gratiam. Job. 18. v. 6. Ibid. v 7. Ps. 39. v. 13. Ibid. Similitudine. Ibid. v. 13. S. Bonav. in Joan. 9.

præcipitem in eundo, sic culpa spiritualiter facit indiscretum in discernendo, item facit incautum in declinando, & in evitando. Palpavimus quasi cæci parietem; tales non provident pericula, item facit hominem ineptum in operando, erraverunt in plateis quasi cæci, item facit hominem præcipitem in eundo. S. Antoninus sequentem scitu necessariam tradit doctrinam: *Potentiæ animales cum naturales sint, secundùm Augustinum, sunt bona media, quibus & bene & malè uti possumus, sed in se valde bonæ sunt, & necessariæ ad operandum, & hæ sunt tres principales. Primò, potentia intellectiva; Secundo, potentia volitiva; Tertio, potentia sensitiva. Qualibet vexatur suo modo per peccatum, unde Psalmista pænitens ait: Conturbata sunt omnia ossa mea, id est potentiæ, quibus anima vigoratur ad operandum, & hoc figuratum exstitit in vulnerato à latronibus, qui descendit ab Jerusalem in Jericho, ut habetur Luc. 10. Vulnera enim sunt mala infixa potentijs, ut declarat Magister in 4. Sentent. in princ. & quantum ad potentiam intellectivam, dicitur Sophon. 1. de peccatoribus; ambulabant, id est operabantur ut cæci, quia Domino peccaverunt; & in hujus figuram legitur Judic. 16. quod Sampson à Philisthæis excæcatus est, ad insinuandum quod viro quantumcumque Sancto capto per tentationem à Dæmonijs, eruuntur sibi oculi intellectus, non quidem ut privetur potentia intellectiva; vel actu intellectus simpliciter, sed ita passione obtenebratur, ut tunc non advertat illud esse malum, sed bonum sibi videatur illud faciendum, quamvis in habitu, & in generali illud cognoscat, esse malum.* Salvator noster, qui de se ait: *Ego sum lux mundi*, ideò præcipuè in terram descendit, ut hanc à nobis cæcitatem depelleret, ac proinde S. Zacharias in suo Cantico hoc ad commune hominum beneficium implorabat auxilium: *Illuminare his qui in tenebris, & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

S. Anton. p. 1. tit. 7. c. 3. §. 1.
Quælibet potentia hominis à peccato vexatur.
Luc. 10. 30.
Sophon. 1. 17.
Judic. 16.
Joan. 8. v. 12.
Luc. 1. v. 79.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Peccatorem, qui se à sensualitate sua, in peccatum seduci permittit, omni judicio, & ratione destitutum esse probatur.

THEMA.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Ps. 13. v. 1.

Atheus est stultus.

1. PRopheta regius hominem atheum sine ullo metu & rotundo ore stultum appellat: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Neque enim in dubium revocari potest, quin peccatum intellectum excæcet, lumenque rationis & discursus planè offuscet. Nam *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis & insipientibus, & similis factus est illis;* Unde non obstante, quod Adamo à supremo Artifice ingentia infusa fuerint perfectissimæ scientiæ, & sapientiæ dona, nihilominus propter peccatum in tantam degeneravit stoliditatem, ut se divinitatem acquirere posse, sibi persuaderi permiserit, dummodo pomum arboris vetitæ manducaret; (*eritis sicut Dij, scientes bonum & malum;*) Numquid igitur de illo dici potuit: *Comparatus est jumentis insipientibus*, quando fraudulento serpenti majorem, quam primæ, æternæ, & infallibili veritati fidem adhibendam esse censuit?

Ps. 48. v. 13.
Gen. 3. v. 5.
Ps. 48. v. 13.
Stolidè Adã putavit se posse latere Deum.
Gen. 3. v. 8.

2. Postquam Adam præceptum Dei prævaricatus fuit, erubescens, comparere coram Deo, qui formaturus contra rebellionem illius processum, in paradisum descenderat, in medio arborum, quæ ibidem plantatæ erant, sese abscondit, dicente sacro textu: *Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini in medio ligni paradisi.* Qua in re Adam novam ostendit stoliditatem, quod scilicet crederet possibile sibi esse, ut à Deo occultare se posset, cum tamen Psalmista dicat: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me;* numquid sciebant verissimum esse quod ait Apostolus: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus?* nec est quod dicat aliquis primos parentes nostros non se à Deo, sed ab aliorum oculis, in erubescenda illa nuditate sua abscondere voluisse, quia soli erant; præterquam quod Scriptura expressè dicat: *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei;* sed quonam se receperunt? Num forte in subterraneam aliquam cavernam, Nequaquam; sed *in medio ligni paradisi*, id est inter medias arbores, ecce tibi aliam stultitiam novam. Numquid latro aliquis cerebrum amisisse censeretur, quia à justitia inquisitus, ut ratione delicti sui processaretur, in medium civitatis, in qua inquireretur, forum se reciperet? Sed ecce quonam hi transgressores fugerint, nimirum in medium horti deliciarum: *Abscondit se Adam, & uxor ejus in medio paradisi.* Sed dicamus, quid amplius, si hic latro in manibus suis furtum teneret, per quod reatus sui omnino convinceretur, numquid illum summe stultum censeres? Præterea quænam erat illa arbor, sub quam se absconderunt? Scriptura ait: *Produxit lignum vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali;* Eva quoque serpenti dixit: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud;* igitur clarum est, quod ut se ab oculis Dei, quemadmodum Scriptura clare dicit *deambulantis in medio paradisi* absconderent, in medium paradisi, & sub eamdem arborem se receperint, à qua pomum vetitum decerpserant, adeoq; sine dubio reperti fuerunt, furtum in manu sua portantes, quod proinde negare non poterant. Numquid igitur Psalmista illos merito jumentis, quæ judicij & discursus expertia sunt, comparavit? Immo quovis asino stolidiores fuerunt, horum enim proprium est, quod ad locum, ubi prima vice ceciderunt, quibusvis etiam adhibitis verberibus, iterato repetendum cogi non possit; hi autem postquam semel juxta arborem transgressiones de pomo vetito rei facti fuerunt, ab hac se apud Deum excusare volentes, iterata vice manifesto se exposuerunt periculo manum suam ad eumdem fructum denuo extendendi. Merito igitur inquit D. Chrysostom. *nihil peccato pejus, ipsum enim ut introierit, non solum confusione totos nos replet, sed insipientes facit eos, qui antea intellectu, & sapientia præditi erant.* Alcuinus hunc eumdem peccati effectum, scilicet quod nos stolidos efficiat, & omne nobis judicium adimat, his verbis confirmat: *Hæc ei insipientia, de peccati pœna accidit, ut cum hoc latere putet, quem latere nihil potest.* Ad hoc idem propositum optime deservit notabile illud Clementis Alexandrini effatum dicentis: *Quidquid est præter rectam rationem, id est peccatum. Jam vero generales animi affectiones seu perturbationes hoc modo definiendas censent Philosophi, Cupiditatem quidem, & appetitionem quæ non paret rationi.* Est igitur convincens argumentum, & certa quædam conclusio, quæ ex prædictis præmissis deducitur, scilicet quod ubicumque culpa & transgressio legis ingreditur, ibi pariter defectus rationis & judicij subsequatur. Porro duæ sunt in homine inclinationes naturales, una sensitiva, rationalis altera; Sensitiva tunc homini prædominatur, quando se homo à sensu duci sinit; Rationalis autem, quando per rationem & discursum gubernatur. Certum est autem, quod homo peccans, de appetitu sensitivo se gubernari permittat, impulsui autem rationali plane recalcitret; ac proinde quia tamquam animalia nos gubernamus, mirum non est, quod per culpam bestijs quoque assimilemur: *Comparatus est jumentis insipientibus. Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Enimvero quis est qui nesciat, quod bestiæ cornua sua sine discursum in altum erigant? Non igitur sine mysterio Psalmista sceleratos bestiarum nomine nuncupat, quia dum peccant, cerebrum amittunt. Alia quædam versio legit: *Dixi insanis, ne insaniatis;* alia autem vertit: *Dixi insipientibus, nolite insanire, stolidis, nolite stolide agere.* In oratione quadam, quæ ab Ecclesia in sabbatho sancto ante secundam prophetiam recitatur, hæc verba habentur: *Da nobis quæsumus contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere.* Enimvero peccatum talem habet vim attractivam eo quod à sensibus nostris foveatur, ut speciali divinæ gratiæ assistentia nobis opus sit, ne pars rationalis sensualitati cedat.

Ps. 138. v. 7.
Act. Apost. 17. v. 28.
De hoc datur similitudo.
Gen. 2. v. 9.
Gen. 3. v. 3.
Ibid. v. 8.
Primi parentes judicio non utentes meritò Jumentis comparantur.
D. Chrys. H. 18. in Gen.
Alcuin. interrog. 72. in Gen.
Clem. Alex. l. 1. Pædag. cap. 13.
Transgressio legis infert defectum judicij.
Ps. 74. v. 5.

3. Deus olim populum suum invitabat, & exhortabatur, ut erga se constanter fidelis esset, suoque cultui terga minime verteret, unde eumdem per os Psalmistæ his verbis affabatur: *Audi populus meus, & contestabor te, Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; Ego sum Dominus Deus tuus.* At vero quia populus ille duræ cervicis, & erga Deum contumax, & rebellis erat, subdit per eumdem Psalmistam: *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi;* at verò quodnam fuit illud supplicium. Quod ex hac contumacia retulit? Nimirum illud quod sequitur: *Et dimisi eos secundùm*

Ps. 80. v. 9.
Pœna obstinationis est divina derelictio.
Ibid. v. 12.

candùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. At vero dicat aliquis hoc proprie erat illud, quod populus ille desiderabat, nimirum habenas sibi relaxari, effrænibus suis indulgere appetitibus, & pro arbitrio suo & libitu vivere; sed respondeo, verum quidem hoc esse, populus tamen ille non considerabat, quod hoc modo vivendo, judicium suum amissurus esset, & discursum, quodque sensualitatem suam sectando, rationi esset reluctaturus; ac proinde sciendum est, quod alia quædam à Lorino allegata versio, loco verborum illorum: *Adinventionibus suis*, legat: *Stultitijs suis.* Chrys. ab Hugo Card. citatus insinuare volens, quod in quavis ætate, & statu indifferenter, omnes cupiditatibus suis in contemptum, & ignominiam Dei indulgeant, hac phrasi loquendi utitur: *Video insanientes, non juvenes solum, sed & senes super quibus maxime verecundor.* Apud Oseam pariter dicitur: *Et nunc revelabo stultitiam ejus, in oculo amatorum ejus*, ubi nomen stultitiæ prævaricationi attribuitur, per quam Deus se contumeliatum esse dicit: Sapiens in duobus diversis locis reprobos insensatos appellat in primis enim dicit: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*, in eodem vero capite, paulo ante, eosdem introducit, sibimetipsis hoc nomen attribuentes, eo quod electos, qui in hac præsenti vita bonis operibus dediti fuerant, derisissent & subsannassent, in hæc enim verba illos introducit loquentes: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.*

Adinventiones populi sunt ejusdem stultitiæ Lorin.
Chrys. cit. ab Hug Card. in Joan. 9.
Ose. 2. v. 10.
Sap. 5. v. 21.
Sap. 5. v. 4.

4. Celebre est illud à Rodriguez in suis exercitijs perfectionis conscriptum effatum, scilicet quod ad castigandum divinarum legum transgressores, duobus tantum locis in hoc mundo opus esset nimirum vel sancto officio, sive Tribunali sanctæ inquisitionis, vel hospitali stultorum; pro ratione autem convincenti tale facit dilemma. Vel enim tales Christianos fidei nostræ articulos credunt vel non, si non credunt, ab inquisitoribus sunt castigandi, nec opus est ulterius discurrere, si vero credunt esse post hanc vitam aliam vitam, esse æternitatem beatam, & æternitatem pœnarum item præsentandos nos esse coram tribunali divino, ut rigorosam etiam de minimo verbo otioso reddamus rationem; similiter hominem quamdiu est extra Dei gratiam, pedes suos jam inferno immisisse, ab eoq; non nisi uno capillo, vel unico anhelitu distare, & tamen hujus vitæ voluptates Deo, infernum paradiso anteponunt, & in hoc tam deplorabili statu, vocantur, rident, & gaudent, quænam hac concipi potest major stoliditas & insania? Numquid igitur tales pleno ore dicere possunt: *Nos insensati? Non est amplius particeps rationis* inquit Clemens Alex. *qui peccat præter rationem.* Ergone etiam credis aliam te post hanc manere vitam, & tamen haud secus vivis, ac si anima instar animæ alicujus bestiæ simul cum corpore moritura esset? Tunc speras æternam cœli retributionem, & tamen facis quidquid vis & potes, ut præcipiteris in infernum? Tu nosti Christiani characterem tibi esse impressum, & tamen omnino contrarium facis possessionis illius, quam fecisti? Annon hæc manifesta est stultitia? Si esset aliquis qui tota die laborando & sudando aliud nihil faceret, quam quod ligna secaret, eademq; humeris suis imposita ad eum deferret locum, in quo se inter ligna comburendum sese sciret? Quid de tali stulto diceres? Audiatis igitur quod S. Bonav. his verbis de peccato dicat: *Stultum hominem demonstrat, quia peccando quis sibi onus ad se deprimendum imponit, & ligna super dorsum suum cremenda colligit, & illi servis, qui eum pro servitute torquebit;* & S. August. ait: *Stultum est in tali statu vivere, in quo quis non audet mori.* Quod si quis in aula longo tempore serviat, vel servitio alicujus hominis privati se addicat, nihil id mirum in se habet, quia inde suum habet stipendium, suam inde sperat mercedem; at verò quis adeo stolidus erit, qui servire, vel laborare velit, sciens pro certo, quod in fine miseræ suæ servitutis pro remuneratione habiturus sit perpetuum ignis infernalis carcerem? O quam grave est jugum illud, quod dæmon sectatoribus suis imponit, qualis est ejus tyrannis (Quâ de re tamen suo loco fusius tractabitur) siquidem indubitata est veritas, quod pœnarum infernalium atrocitatem, mercedis loco daturus sit in æternum.

Peccatoribus opus est vel sancto officio vel hospitali stultorum.
Clem. Alex. ibid.
Peccare & credere vitam æternam insanum est.
S. Bonav. T. 7. l. 3. c. 7. Theol. ver. comp.
Similitudo.

5. S. Bernard. eam, quam infelix ille, ad cœnam magnam invitatus, ut se ab eadem, per quam gloria cœlestis præfigurabatur, absentaret, adduxit excusationem considerans ait: *Juga boum emi quinque eo probare illa*, in hæc verba scribit: *Stolidior bestijs homo, quod juga necessitatis earum, propria ipse habeat voluntate; emissa juga extremæ dementiæ est quod idem est, ac mortem sempiternam, & gehennam ipsam multo sudore quærere, magno comparare pretio, cum tamen æterna vita, jugo levi, ac suavi coëmatur.* Thomas Morus Magnus Angliæ Cancellarius, fideiq; Catholicæ martyr gloriosissimus, mirabatur, quod homines perditæ salutis per totum vitæ suæ decursum fatigarentur, & indefesse laborarent, ut infernum sibi acquirerent, cum tamen modicorum operum bonorum exercitio, cum suavitate, quiete, & consolatione interiori bonæ conscientiæ, regnum cœlorum sibi acquirere possent. Quam stultitiam damnati, licet irrito fructu, animarum justarum beatitudinem considerantes, his verbis deplorarunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* S. Ant. de Padua, quem summus Pontifex eximio hoc honoravit encomio, ut *arcam testamenti* illum appellarit, hic inquam, insigni cum eruditione de impijs peccatoribus in hæc verba scribit: *Bene signantur per mare Asphalti, ubi non aqua expiationis, sed infectionis, & contaminationis continetur, de quo narrat Isidorus tria. Primo quod nullum vivum recipit; sic peccator nec aliquod opus vivificat, sed vel rejicit vel perimit. Secundo, quod nullis ventis concutitur, & hoc propter comparationem, aquæ bituminosæ, sic nec cor concutitur pondere peccatorum, nec flatu inspirationis devotæ, nec ventis persecutionis, nec turbine comminationis; Tertio, quia lucerna accensa supernatat ibi, extincta vero statim mergitur; sic cor peccatoris splendorem sapientiæ, & notitiæ non potest sibi imprimere, sed solum tenebras fraudis & malitiæ. Quot sunt mundi sapientes, qui sciunt invenire versutias infinitas, & tamen de divina notitia nihil sciunt?* Porro major pars Christianorum, nulli alteri rei ita studet, quam ut suos possit explere appetitus, qui sunt veluti equi postales, ad infernum decurrentes, cæterum verò oculos suos ad cœlum, quod pro ipsis creatum est, utpote qui pro assequendo à Deo redempti, & ad hoc per innumerabilium auxiliorum oblationem invitati, & stimulati sunt, ne vel semel respiciunt. Homo ad vitam futuram, non vero ad hanc possidendam creatus est (*creasti nos Domine ad te*) & ideo si Christianus hoc credat, profecto manifesta est illius stoliditas, quod immortali vita neglecta, omnia alia hujus vitæ bona studiose inquirat, adeo ut de divina notitia nihil sciat. D. Chrysost. hominis nomine indignum esse censet eum, qui propter peccatum ab illo degenerat fine, propter quem creatus fuit, observans enim, quod Moyses, Noë genealogiam describens, ipsum hac laude extulerit: *Noë homo &c.* unde ait: *Vidisti admirabilem genealogiam? Noë*, inquit *homo. Vide etiam commune naturæ nomen pro laude justi usurpatum. Nam quia cæteri ob carnales voluptates quibus immersi erant, amiserant esse hominis, iste*, inquit, *in tanto populo hominis imaginem servavit; tunc enim aliquis homo est, quando virtutem colit. Neque enim speciem habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra hominem esse ostendunt, hæc enim membra sunt corporis; Hominem illum dicimus, qui imaginem hominis salvam retinet; Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse.* Observastisne aliquando quo nomine Spiritus S. hominem in reprobum sensum datum appellet? Sacer text. ait: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, & merito peccator, carnaliter vivens, *caro* vocatur, quia qui sensualitate, non vero ratione ducitur, & gubernatur, aliud nomen non meretur, quam ut massa quædam carnis, duobus prædita oculis nuncupetur. Tempore Noë, impij sæculi illius peccatores, per centum annos continuos, imminens ipsis universalis diluvij supplicium comminari audiverant, & tamen capita sua moventes, Noë deridebant, quod immensam illam arcæ molem fabricaret; ac proinde insensatorum nomen jure merebantur; nam, ut S. Chrysost. discurrit: *Quomodo qui sunt orbati oculis si vel in fixa meridie steterint sub medio cœli, lucem non suscipiunt, cum sint clausi eorum oculi, ita isti quoque etiamsi innumerabilia undique insonent salutaria dogmata, illorum anima hoc morbo præoccupata, omnibus ejusmodi verbis aures obstruit.*

Luc. 14. v. 19.
S. Bern. ecce nos reliquimus omnia.
De hoc efficax est ratio Thom. Mori.
Sap. 5. v. 7.
S. Ant. de Pad. ser. fer. 6. post. 1. Dom. Quad.
Peccatum comparatur mari Asphalti.
Appetitus naturæ sunt equipostales ad infernum.
D. Chrys. H. in Gen. 23.
Homo ratione est homo.
Gen. 6. v. 12.
Peccator dicitur caro.
D. Chrys. H. 11. in 1. ad Cor.

6. S. Antonius de Padua, in sermone quodam de paralytico illo scribens, qui per triginta octo annos toleratæ paralysis juxta piscinam jacuerat inquit: *Ut si talibus dicatur. Vis sanus fieri? Protinus respondebant: Domine hominem non habeo, quia non habent cor hominis, vel Spiritum in quo sit prudentia, sed cor bestiæ;* quare erat cor illius, de quo Dan. 4. dicitur:

S. Anton. de Pad. fer. 6. post 1. Dom. Quad.

Cor

Dan. 4. 13. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. Fera à feriendo dicta, eo quod crudeliter feriat, si peccator non potest ferire crudelius, quam ferire seipsum, & perire in anima.* Porro stultis manus pariter & pedes stricte alligantur, ne mortem sibi inferant, aut in præcipitium sese agant; cum tamen aliud perdere non possint, præterquam corpus, anima enim illorum in tali statu constitutorum, dummodo in gratia sit, infallibiliter salvabitur. Quænam vero dari potest major stultitia, quam Christiani illius, qui ex voluntate propria, ut pessimas suas exfatiet concupiscentias, *corpus & animam perdit in gehennam.* Erit fortasse non nemo, qui dum ad hospitale ingreditur stultorum, videns unum ex ipsis, qui semetipsum dilaceret, vel lethifero se vulnere sauciet, eidem ex animo compatiatur, nec tamen se illo stultiorem esse consideret, dum in peccato mortali constitutus, animam pariter & corpus in sempiternum perdit. Subjungit idem S. Anton. *Tales utinam essent in porticibus memoratis, & non diaboli, hi enim porticus sunt quinque sensus, voluptates, spes veniæ, credulitas diu vivendi, delectatio, seu amor peccati, labor satisfactionis, maxime in lucro illicito, timor continendi, quia non sperat se posse à libidine se continere.*

Stultitia est causa difficilis conversionis.

Similitudo.

Corn. à Lap.

Eccle. 2. v. 14.

Similitudo.

Joan. 3. 28.

D. Cauth. ibi.

Esau fuit effigies peccatoris.

Malac. 1. v. 3.

Ezech. 13. 10.

D. Chrys. H. 28. ad Rom.

Peccatum est insania voluntaria.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

De stultitia, in quam peccatum nos inducit, disseritur.

THEMA.

Stultorum infinitus est numerus. Eccle. 1. v. 15.

1. QUin in Ecclesiastes in præcitatis verbis thematis, stultorum nomine impios peccatores intelligat, dubitari penitus non potest, quia paulo ante dixerat: *Perversi difficile corrigantur*; ac proinde immediate subjungit: *Et stultorum infinitus est numerus.* Porro Cornelius à Lapide notat sapientem non sine causa difficilem esse censuit perversorum emendationem, quia cum ad resipiscentiam prærequiratur præcognitio miserabilis illius status, in quo sunt, ad id faciendum, judicium ipsis non suppetit sufficiens, unde ait: *Dat causam cur perversi difficile corrigantur, quia scilicet stulti sunt.* Idem Cornelius in ijs qui Deum offendunt, aliam observat stultitiam, inquiens: *Peccatum est summa stultitia, quia sensum rationis, capiditatem virtuti præponit, creaturam Creatori, id est obulum militi, guttam mari, globulum terræ toti cælo, quid stultius?*

2. Idem Salomon in capite sequenti ait: *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat.* Enimvero si quis esset, qui oculos libentius in calcaneo, quam in capite positos haberet, cuique gratius esset, ambulare in tenebris, quam in claro lumine, hunc utique stultum esse existimares. Talis autem est homo perversus, cui parum curæ est, an oculos in capite positos habeat, id est, an judicio, discursu, & usu rationis sit præditus, quia pro duce, & directore operationum suarum sensualitatem, non vero rationem elegit, *qui male agit, odit lucem.* Dionysius Carthusianus propositi thematis verba sic exponit: *Stulti vocantur in Scripturis, omnes qui in mortali sunt culpa, quia in illis insipientia regnat, quoniam summo, infinito, & invariabili bono præferunt vana, carnalia, & caduca, sicut pueri poma, & pijro, auro, & gemmis proponunt, sic ipsi sensibilia & terrena spiritualibus & divinis.* Esau vera fuit peccatoris à Deo reprobati effigies: *Esau autem odio habui*; hunc autem amisso judicio, stultum factum fuisse, ex ea deduci potest actione, qua Jacob fratri suo pro vili lentis edulio primogenituram suam divendidit; nec minus est stolidus, quilibet alius peccator, qui pro unico pulmento, cœlesti se hæreditate privare non dubitat, prout illi faciunt, qui à gula sua irritati, præceptum jejunij temere transgrediuntur. De quibus Deus apud Ezechielem his verbis lamentatur: *Violabant me... propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas.* D. Chrysostomus peccatum *spontaneam insaniam* appellat. Etenim stultitia seu cerebri imminutio contra voluntatem nostram nobis ab intrinseco contingere solet, nullus enim sibimetipsi, causa est, & instrumentum stultitiæ; peccari autem, quod esse nequit, nisi voluntarium & spontaneum, unusquisque sibi author existit, & ideo merito spontanea insania dicitur, Clemens Alex. idipsum confirmat, quando de culpa mortali ita scribit: *Infortunium autem est peccatum præter mentis rationem.* Ad præsens propositum magnum in se pondus continent verba illa S. Pauli, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*; cujus inordinationis effectus est, qui sequitur: *Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Utique ista obscuratio*, inquit S. Augustinus, *vindicta, & pœna jam fuit, & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ sit deficiente luce sapientiæ, in plura & gravia peccata collapsi sunt; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Gravis hæc pœna est; si quis intelligat, & ex hac pœna vide quo ierunt. Et immutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum.* Ex eo enim quia vero Deo dorsum verterunt, in hoc amissionis cerebri inciderunt supplicium, adeo, ut pro libitu suo Deos sibi fabricarint, adorantes bestias, aves, serpentes, immo cœpas, & porros, unde Poëta ille cecinit. *O sanctas gentes, quibus hæc nascantur in hortis Numina.* Dicite igitur, vos nunc obsecro, an stultitia concipi possit magis ridicula, magisque insensata, quam si quis serpentem Dei loco adoret? Observetis velim, in quantam devenerint stultitiam Hebræi, quando deposito, quem Deo debebant respectu, Aaroni dixerunt: *Fac nobis Deos*; ex quo enim Aaronem Deos creare, & producere potuisse credebant, multo magis ipsum Aaronem, tamquam Deum revereri & venerari debuissent, siquidem in bona Philosophia, certissimum est axioma illud: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; causa enim præstantior est effectu, quem producit. *Auditis unquam verba magis hominum sensu carentium*, inquit Lippomannus, *ac lapidæ mentis indicia, velle quod homo quispiam Deum faciat, & quem unum, & verum amare nesciant, & colere, plures sibi Deos effingant, atque prostituant?* Quando Adam se ab Eva adeo fascinari permisit, ut crederet se ad scientiam, & participationem divinitatis posse pertingere, & consequenter verum esse, quod serpens dixerat: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, tunc veræ rationis amisit judicium, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus*, ac proinde Deus illum interrogavit: *Adam ubi es?* Erat enim extra se quasi egressus. Audiamus Bedam super illa verba: *Vocavit autem Dominus Adam, & dixit: Ubi es, ita scribentem: Quid est quod Dominus post lapsum requirit: Adam ubi es: Num quidnam Divina potentia nesciebat, ad quæ post culpam servus latibula fugerat, quem nihil latet? Hoc procul dubio credendum, quia omnia nuda & aperta sunt oculis ejus; Sed quia vidit culpæ lapsum, etiam sub peccato, velut ab oculis veritatis abscondituni, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque advocat & requirit dicens: Adam ubi es?*

Clem. Alex. lib. 2. strom.

Rom. 1. v. 21.

Ibid.

S. August. l. de nat. & gratia cap. 22.

Pœna peccati est obscuratio mentis.

Exod. 32.

Stulti Judæi voluerunt ut Aaron faceret ipsis Deos.

Lippoman. in cat.

Gen. 3. v. 5.

Ps. 48. v. 13.

Gen. 3. v. 9.

Beda in c. 3. Gen.

3. Licet David fuerit *sedens in cathedra sapientissimus, & super senes intellexerit*, attamen sciendum est, duas illi diversis temporibus propositas fuisse parabolas, ut easdem enuclearet; quarum unam fœmina mulier Thecuites, à Joab ad ipsum ablegata proposuit, ut Absalonem ab exilio suo revocari curaret; & hanc quidem subito intellexit, priusquam ei explicaretur, ac proinde subito dixit: *Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis?* Altera vero à Nathan Propheta ei proposita fuit, de homine videlicet divite, qui pauperi unam dumtaxat oviculam habenti, quam quod unica esset, velut filiam suam diligebat, eamdem, ut peregrino appareret convivium, violenter abripiente; hanc autem David non intellexit, prout ex sacro textu clare deducitur, nam ut hanc intelligeret, Nathan Propheta oculos ei aperire debuit dicendo: *Tu es vir ille.* Quæro igitur annon idem ille David tunc erat, qui de seipso dixerat: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Cur igitur hanc ultimam non æque ac primam intellexit: Pro responsione necessum est distinguere tempora, quando enim secunda parabola Davidi proposita fuit, jam de facto in peccatum adulterij inciderat, & ideo Nathan à Deo hoc fine ad eum missus fuerat, ut ex hoc luto illum educeret; quid mirum igitur si peccatum intellectum ipsius adeo excæcarit, ut quasi omnem rationem, judicium & discursum amiserit? *Caligat animus*, inquit S. Ambrosius, *obumbratus quadam nube vitiorum.* Idem Propheta regius in Ps. 37. lamentabatur inquiens: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, siquidem longo tempore cum scandalo publico in adulterio perseveraverit; in catena Patrum Græcorum legitur: *Supergressæ sunt, ita, ut obruat rationem (quæ tropice caput nuncupatur) neque onus earum ferre valeo.*

2. Sam. 13. 3.

2. Reg. 12. 1.

Ps. 50. v. 8.

S. Ambr. Apoc. 2. c. 12. de David.

Ps. 37. v. 5.

4. Quis sublimiori cognitione illustratus fuit Petro, utpote qui inter omnes Apostolos divinitatem & filiationem cœlestis Magistri sui solus agnovit, dum ait: *Tu es Christus Filius Dei?* Et tamen idem Petrus, postea confessus est, adeo se esse ignorantem, ut eumdem Magistrum suum non solum tamquam Deum, sed nec tamquam hominem agnosceret: *Nescio quid dicis, non novi hominem*, idque cum repetitis affirmavit perjurijs. Scitisne causam? nimirum peccatum negationis, omne ei judicium & discursum ademerat; Estque proinde advertendum, Salvatorem ei paulo ante prædixisse: *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ubi non sine mysterio negationem ipsius ante galli cantum fuvendam esse limitavit, cum enim *omnia in sapientia fecerit*, per hoc infinuare voluit, quod mox ut gallus cantare inciperet, ipse quoque culpam suam esse agnituras, & amaris lachrymis deploraturus. Cornelius Jansenius idipsum confirmat dum ait: *Bene finem negationi imponit in cantu galli, quod per hunc lux annuntietur instare*, quasi diceret, quamdiu durarunt tenebræ noctis, peccati symbolum, neque etiamnum lux, id est ille qui *illuminat omnem hominem*, quique *respexit Petrum & flevit amare* se prodidit, tamdiu Petrus in sua ignorantia & cæcitate perseveraverit. S. Propheta Job ait: *Respicies homines, & dicent: peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus non recepi.*

Matt. 26. 69. Illustrissimum Petrum peccatum excæcavit.

Ibid. v. 70.

Matt. 26. 34.

Corn. Jansen. Concord. cap. 133.

Job. 33. v. 27.

5. Consideratisne aliquando, quod quando perfidi Josephi fratres, hunc fratrem suum velut servum emptitium, genti vendiderunt alienigenæ, Joseph tredecim annorum ætatem egerit? regio quoque in quam deducebatur, paucis diebus à domo paterna dissita fuerit cumque continuum illi cum Ægyptijs esset commercium, venditio hæc facillime manifestari, & Jacob Pater ejus, ut cum redimeret, certior fieri potuerit? Quomodo igitur ad hæc omnia impij fratris se non reflexerunt? Qua fronte patri allata ad ipsum veste fratris sui integra, in sanguinem agni intincta, dicere præsumpserunt: *Fera pessima devoravit eum?* Numquid consideware poterant, facili negotio mendacium illud deprehendi posse, maxime quando in casu, quo Joseph à bestia dilaniatus fuisset, vestis quoque ejus à voracis bestiæ illius dentibus in mille partes dilacerari debuisset? Verumtamen Pater nimium credulus malo, & à dolore nimiopere oppressus, dolum filiorum non consideravit. *Vestis pueri ad patrem est perlata* (verba sunt Philonis) *ex ipso non membram, non fractum, vel non minimæ reliquiæ superfuit, totum devorarunt bestiæ, nihil superest, quod sepulchro inferatur.* At vero quomodo hoc dicentes adeo fuerunt stolidi, ut integram, nec vel minimam laceratam vestem ad patrem deferrent? Cui accedit, quod delictum hic à pluribus commissum fuerit, quis autem est qui nesciat, quam facile quæ inter multos fiunt, detegi possint, maxime cum inter fratres illum vendentes non levis furrexerit dissensio, numquid igitur suspicari poterant, aliquam in futuro inter ipsos facile nasci posse contentionem, per quam crudele hoc facinus detegeretur? S. Ephrem inter alias magni hujus Patriarchæ laudes ita scribit: *Non te devoravit fera, nam vestis utique tua in partes discissa fuisset, nec enim bestia, ut prius exueveris, expetit isset.* Sed & ex modo, quo patri hanc bestiæ crudelitatem retulerunt, satis clare colligi poterat, feram illam, quæ Josephum devoraverat, nullam fuisse aliam, quam propriam illorum rabiem & invidiam, qua existimulabantur ex eo, quia Josephum à Patre plus ipsis diligi videbant. Cum enim Joseph, frater ipsorum, & ejusdem patris filius esset, nihilominus dixerunt, *vide utrum tunica filij tui sit, an non?* Quo loquendo modo non solum nullam erga fratrem compathonem se habere ostendebant, verum insuper pathionem suam aperte detegebant, utpote qui contra ipsum exasperati, illum tamquam fratrem suum agnoscere nolnerunt, quia illos ex motivo zeli apud patrem de crimine pessimo accusaverat, & consequenter facile in suspicionem trahi poterant, quod se de ipso per mortem ipsius maligne vindicassent. Ex quo discursu evidenter colligitur, qualiter peccatum excæcet, & turbet judicium peccatoris & rationem.

Cæcitas fratrum Josephi in ejusdem venditione.

Gen. 37. 20.

Philo lib. de Joseph.

Quæ fiunt à multis, facile divulgentur.

Gen. 37. 32.

Simile est argumentum contra novem Putipharis.

6. Verum enim vero ex quo de Josepho discurrere cœpimus, prætermittere nequeo calumniam, quam adultera contra innocentem machinabatur dum Putiphari marito suo Josephi ostendit pallium, velut evidens solicitationis suæ testimonium. De quo idem S. Ephrem in hæc verba discurrit: *O quale argumentum efformat? Qualem capit fidei elicit consequentiam? & in argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito. Dum colluctabatur ad flagitium, quatuam alterius vestimentum tenebat? fœmina, an juvenis? hanc ut ad fidem excitet, clamat fœmina, se è pallio juvenem tenuisse. Pallium, quod tenebam, aut, non quod tenebat; Ergo juvenis non fœminam prehendit, ergo à fœmina prehensus. Erravisti lasivia, tuomet argumento perijsti; pejus discurris, quæ male, ut teneres juvenem cucurristi, felix ille, vindexque sui se probavit infontem, cum in pellucis manu vestimenta reliquit, qui nihil tui apprehendit, non te prehendere concipivit.* Ex quo facto etiam colligitur, quod peccatum, maxime carnis, omni nos privet judicio, & discursu, ac proinde sacer textus non sine mysterio de Putiphare dicit: *Nimium credulus verbis conjugis iratus est valde*; nimirum seduci se sinens, tum à propria levitate, juxta illud: *Qui credit cito levis corde est*, tum à cholera sua, simul quoque omnem amisit rationem, sese præcipitando ad castigandum innocentem. S. Paulinus ad Severum ita scribit: *Homo in errore positus, & à justitia relapsus, justè ut Sampson à sapientiæ pariter & gratiæ virtute desertus, cæcitate punitur, & mola, quia dignus est opere jumentario, qui semetipsum lumine rationis orbaverit.*

Eccli. 14. v. 4.

S. Paulin. epist. 4. ad Sever.

7. S. Augustinus impij peccatoris deplorat stultitiam, per adductam infirmi cujusdam similitudinem, qui medicum invadit, ut illum occidat, licet eodem pro sui curatione magnopere indigeat: *Quid gravius*, inquit, *peccatori ægro, quam medici interfectio? Quid gravius potest æger facere, quam se medicum suum occidat?* Porro Salvator infirmarum animarum nostrarum est medicus: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, & tamen nos per peccatum huic medico mortem violentam inferre conamur, *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Tertullianus impij stultitiam sequenti probat argumento: *graviatur homo nunc pati ex remedio, quod non est tunc gravatus pati ex vitio; displicet occidi in salutem, cui non displicet occidi in perditionem, nauseabit ad antidotum, qui biavit ad venenum.* Cum de peccato agitur, quod animæ, & sepe etiam corporis vulnus est lethale, illud studiose inquiritur, & venenum illius omni cum industria investigatur, & tamen postea æternæ salutis nostræ antidota, cujusmodi sunt Sacramenta, tanta cum nausea rejiciuntur: *Nauseabit ad antidotum, qui biavit ad venenum.* S. Zeno apte ad propositum nostrum dicit: *Miles, non dicam horridæ hyemis aut torridæ æstatis injurias; sed seipsum contemnit.* Miles enim quavis hora vitam suam vendit; & morti se exponit pro unico julio diurni stipendij. Verumtamen si fines illius, ob quos hoc facit, considerare velimus, hi ut plurimum honorifici sunt, magnoque cum lucro conjuncti, quia hoc bellandi merito, multi ad summa imperia, primasque dignitates pertingunt, suæque generositate, & invicto animi robore, magna sibi apud Principem comparant merita, non nisi eximio præmio remunerranda, denique fama illorum in historijs celebris efficitur, adeo ut tamquam magni bellatores in oculis mundi suspiciantur. At vero quid de ijs hominibus qui sensualitati propriæ in prædam se dedunt dicemus? Milites, qui supradictis finibus ducuntur, judicium & discursum se minime amisisse, satis clare convincunt, at verò, cum dissoluti & licentiosi homines, vel inviti fateantur? *Lassati sumus in via iniquitatis... ambulavimus vias difficiles*, sciantque ex doctrina fidei, quod ad æternæ perditionis barathrum properent, quodque à peccatis suis, in hoc & in futuro mundo, nil aliud quam æternam confusionem & ignominiam reportent, & tamen hæc omnia scientes, pessimam hanc viam continuent, numquid per hoc stultitiam suam clare nimis produnt & manifestant? ob hanc eamdem causam Salvator noster in parabola de decem virginibus, quinque illarum, quæ animas præfigurabant electas, nuncupavit prudentes; alias vero quinque, quæ reproborum figura erant, stultas appellavit: *Quinque autem ex eis erant fatuæ*, & quidem hæ à thalamo cœlesti eurpem passæ fuere repulsam, quia dici sibi audierunt: *Nescio vos, clausa est janua.*

S. Zeno ser. de fide, spe, & charitate.

Miles suo Domino rationabilius quam peccatori sensualitati servit.

Sap. 5. v. 7.

Peccatorum pœnæ.

Matth. 25. 2.

Ibid. v. 12.

8. Avarus ille Evangelicus ob congregatam copiosam messem, granaria antiqua demoliri decreverat; ecce tibi primam stultitiam: demum verò animam propriam haud secus, ac si fauces, dentes, & palatum valde avidum habuisset, his verbis alloquebatur;

Duæ stultitiæ avari Evangelici.

tur : *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, ... comede, bibe, epulare*; ecce tibi alteram stultitiam; & verò numquid eidem merito stulti nomen à Deo impositum fuit? Quando hisce verbis auribus ejus insonuit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ parasti, cujus erunt?* Eadem prorsus stultitia etiamnum laborant, qui plurimis se laboribus & sudoribus in hac vita conficiunt; cum tamen nesciant, cui bona à se parta relinquant. Regius Propheta in Ps. 1. ait: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*; quæ verba incongruo ordine dicta esse videntur, potius enim econtrario dicendum videbatur, nimirum, *beatus qui abijt in via, & in consilio stetit.* Verumtamen admirari desinite, quia ubi locum habet impietas, omnis pervertitur ordo, nec ulla ibi ratio observatur, neque discursus. Duos illos fratres germanos, Jacobum videlicet, & Joannem, stimulus haud modicus agitabat ambitionis, ideoque cœlestem Magistrum suum, pro primis in regno suo sedibus sibi acquirendis interpellare decreverant; at vero quia verecundia illos ab hac gratia per seipsos immediate postulanda coërcebat, subornarunt matrem, ut illa quasi motu voluntatis propriæ, non vero ipsorum rogatu, hanc à Christo gratiam deposceret; at vero ut S. Ambrosius ait: *Febris vostra ambitio est*, febres autem febricitantes facile in delirium adigere solent, ita quoque duobus hisce fratribus accidit, non enim advertebant, quod illum per matrem alloquerentur, qui *scrutabatur renes & corda*; hic enim subito ipsorum detexit machinationem, quia ipsis, non vero matri respondit dicendo: *Nescitis quid petatis, &c.* Observandi autem sunt varij hujus delirij in hisce discipulis se prodentes effectus, siquidem quot verba mater protulit, totidem fere vexantis illos delirij prodebat indicia: ait igitur mater: *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo*; ubi in primis ly *dic* ipsorum manifestabat ignorantiam, quia ut quis primas mereatur dignitates, non sufficit dicere, sed facta requiruntur, necessum est, ut tales dignitates per æquivalentia sibi merita comparentur; en igitur primam stultitiam. Subdit præterea: *ut sedeant*, quibus verbis secunda stultitia innuitur, quia qui in honoribus est positus, nunc in regimine & bona justitiæ administratione, nequaquam sedendum, sed laborandum est; subdit iterum: *Hi duo*; & tertiam prodit stultitiam, quis enim est qui nesciat verum esse quod Poëta ille cecinit: *Nec regna socium ferre, nec tadæ sciunt?* Subdit præterea *filij mei*, & hisce verbis quartam indicat stultitiam, siquidem nihil Filio Dei indignius erat, quam quod primas sedes ob solum consanguinitatis & parentelæ respectum distribueret. Denique concludit: *Unus ad dexteram tuam & alius ad sinistram.* Et ecce quintam stultitiam, quam Author operis imperfecti in persona Christi his verbis perstringit: *Malitia carnalis omnem in vobis spiritualem considerationem exclusit; ego vos vocavi ad dexteram, vos vestro consilio curritis ad sinistram.* Quamvis etiam secundùm mundi hujus leges loquendo, neuter illorum æquo animo tulisset, se ad alterius collocari sinistram, tametsi ætate, & meritis altero minor esset: hanc enim discretionem superbia humana non admittit. Tandem vero ultima stoliditas verbis illis indicatur: *In regno tuo*, ipsi namque multoties Christum audiverant prædicantem, solam humilitatem esse ostium, per quod aditus in regnum suum conceditur unde *advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit ... Quicumq; ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum*; quod si autem prima in regno hujus mundi ambierint loca, de hoc se Christus jam declaraverat inquiens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Modicum quoque horum discipulorum judicium vel ex eo deduci potest, quia ipsi in ea occasione, petierunt admitti ad primas sedes regni, in qua ipsemet Salvator toti collegio Apostolico vicinam suam prædixerat passionem. Merito igitur respondens illis Jesus, dixit; *Nescitis quid petatis.* Est & aliud specimen veritatis illius, quod scilicet malitia peccati excæcet intellectum, quod à Juda desumi potest, qui se in horto Gethsemani armatarum turbarum constituit ducem; & licet Christus sæpius illi, specialiter autem paulo ante, quod cum traditurus esset, aperte prædixisset, nihilominus osculum ori ejus impressit, velut specialis amoris, & amicitiæ indicium; ac proinde S. Anselmus merito illum bestiam appellavit, dum Salvatorem nostrum his verbis affatur: *Cruentam bestiam aversatus non es.*

Luc. 12. 19. — *Ibid. v. 20.* — *Ps. 1. v. 1.* — Ambitio erat febris Jacobi & Joannis fratrum. — *S. Ambr. l. 4. in Luc. 4.* — *Matt. 20. 22.* Sex illorum stultitiæ per matrem declaratæ. — *Ibid. v. 21.* — *Auth. operi imperf. ibidem.* — *Matt. 18. v. 2.* — Illorum quoque ostenditur defectus judicij. — *Matt. 20. 22.* — *S. Anselm. Dial. de Passion. cap. 7.*

TRACTATUS LXXIII.

DE CONSUETUDINE PECCANDI

CONTINET

DISCVRSVS VIII.

DISCURSUS I. Mala consuetudo, à primis annis cœpta, ad peccata multiplicanda promptos nos efficit, quorum malus usus tandem in naturam, & quasi necessitatem degenerat, estque difficile illorum peccatorum remedium.

II. De peccatoris per consuetudinem obstinati surditate, sub aspidis surdæ Metaphora differitur.

III Peccator per consuetudinem peccandi habituatus, in profundum malæ conscientiæ, cæcitatis, desperationis, pertinaciæ, jactantiæ & damnationis æternæ corruitur

IV. Peccator habituatus semetipsum contemnit, floccique pendit peccatum, leges, homines, pœnas, aut verecundiam; sibique à Deo datis abutitur auxilijs bonaque opera & quidquid ad Deum spectat, nauseat & fastidit.

V. Peccator habituatus, eum à quo monetur, & corrigitur, nequaquam amat, nec æstimat, nec ei credit, sed potius ridet, contemnit, & odit illum.

VI. Quantâ cum difficultate peccatores habituati in statum reducantur salutis, ex Lazari resuscitatione deducitur, è qua pariter salutaria pro ipsis documenta eliciuntur.

VII. De duritia cordis humani, in mala sua consuetudine obstinati, & specialiter de Judæorum contra Christum pertinacia tractatur.

VIII. Alia considerantur vincula, quibus nos mala consuetudo innectit, nec non quam adfert ad resurgendum difficultas perpenditur.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Mala consuetudo à primis annis cœpta, ad peccata multiplicanda promptos nos efficit, quorum malus usus tandem in naturam, & quasi necessitatem degenerat, estque difficile illorum peccatorum remedium.

THEMA.

Ossa ejus implebuntur vitijs adolosentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job. 20. v. 11.

1. Inveterata vitiorum consuetudo intra impij ossa adeo tenaciter invisceratur, ut valde difficulter ab

Probatur malæ consuetudinis stabilis perseverantia.

ab eo aboleri & deponi possit. Unde videmus per experientiam, quod mali illi habitus quos homo in tenerioribus vitæ annis sibi comparavit, in progressu ætatis sequentis ad usque sepulchrum pertinaciter continuentur: *Ossa ejus implebuntur, &c.* *Origo prava inchoationis*, inquit S. Gregorius, *causas culpæ etiam præsumendo multiplicat. Dum etiam mala agere quisque cœperit, usu jam deterius in hoc quod inchoaverat, excrescit*; peccata enim propter inveteratum habitum quotidie magis magisque augentur: *Implebuntur vitijs.* Unde S. Thomas de Villa Nova ait: *Evenire solet, ut qui peccata commissa curare negligunt, quasi rupto rationis & timoris muro, malitia & nequitia repleantur usque ad summum, abyssus enim abyssum invocat.* Cujus multiplicationis sequentem reddit convenientem rationem: *Virtus nostra ad resistendum peccatis per se fragilis est, sicut Propheta ait: Erit fortitudo nostra sicut favilla, & nisi juvetur à gratia, diu vitiorum impulsum sustinere non valet, quo fit, ut anima, quæ in peccato est, à gratia destituta; diu evadere ulteriora peccata non possit.* Enimvero si à tempore adolescentiæ, usque ad sepulturam (*adolescentiæ, & in pulvere*) ineatur computus, atque in perlongo isthoc spatio peccatorum à malo habitu provenientium numeretur multitudo, verissimum esse deprehendetur, quod ossa implebuntur vitijs, siquidem, ut bene Abulensis notavit: *Diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat, quia tanto sunt graviora peccata, quanto diutius infelicem animam tenent ligatam, ut patet extra. De Consuetudine cap. Cum tanto.* S. Bernardinus textum quemdam ex libris Machabæorum adducens, sequentem ad propositum nostrum subinfert moralitatem: *Mysticè scriptum est, quia Antiochus intravit sanctificationem, in multitudine gravi; & alia comminuit, & alia abstulit. Quid per Antiochum, nisi Diabolus infernalis convenientius designatur? Hic siquidem mentem ingreditur, per consuetudinem malam, in multitudine scilicet veteratorum malorum; Et addit, gravi, quia grave damnum animæ infert, & graviter conscientiam perimit.* P. Alvarez de peccatoribus habituatis inquit: *Hanc peccandi consuetudinem, quæ pœna est acerbissima, quia infelix peccator propter priora delicta (Deo ita permittente) in alia peccata raptatur; mox alia pœna subsequitur, nempe cordis durities, & insensibilitas, nec ista mala sentiens, nec æterna quæ impios non resipiscentes monent, perimescens, cadunt ex iteratione peccati in cor durum, de quo scriptum est: Cor durum male habebit in novissimo.* Diu ante S. Bernardus postquam pestifera insinuasset germina ex mala consuetudine provenientia, idem punctum in hæc verba tetigit: *Jam indifferenter libitis pro licitis utitur. Jam ab illicitis cogitandis, animus, manus, vel pedes non prohibentur, sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, & operatur malevolus, vaniloquus, facinorosus.*

2. S. Bernardinus alium quemdam considerat malæ consuetudinis effectum, valde considerandum, propter irreparabilia damna, quæ inde in animam redundant; ita enim scribit: *Consuetudinis malæ tyrannus est, quia reddit hominem pronum, seu promptum ad malam.* Id quod nonnullis declarat similitudinibus, quarum una hæc est: *Sicut sine remige navicula est in mari, aut pulvis in via*; quilibet enim modicus ventus navim nauclèro destitutam periclitari facit; sicut & quilibet venti flatus pulverem humi jacentem dissipat & dispergit; ita quoque quælibet tentatio, suggestio, & occasio, quantumvis levis hominem in peccato habituatum ad consensum inclinat. *Ratio quia tales redduntur ad malum proni, est*, inquit idem Bernardinus, *ignorantia peccati, & delectatio peccandi, quæ ex peccatorum frequentatione generari solent. Unde Cæsarius in sermone ait: Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quisque peccaverit, tanto minus ipsa peccata intelligat, & tanto plus eum peccare delectet.* Idem Sanctus in capite sequenti idipsum confirmat dicens: *Facile mala consuetudo præcipitat hominem de peccato in peccatum.* Et in cap. 5. ejusdem sermonis sequentem narrat historiam inquiens: *Ad hoc exemplum patere potest de Philosopho, qui ex suorum gravitate morum electus est in Regem cujusdam nobilis civitatis. Cum cives hortaretur nutrire filios sub morum debita disciplina, atque illos avertere à pravis consuetudinibus*

S. Greg. lib. 5. mor. c. 5. — *S. Th. de Vill. conc. 4 Dom. Quadr.* Per malam consuetudinem ossa replentur vitijs. — *Abul. Gen. cap. 29. q. 5.* — *S. Bern. T. 5. ser. 21. art. 2. cap. 2.* — *Jac. Alvarez t. 2. lib. 1. c. 4.* Peccatum est pœna prioris peccati. — *S. Bern. de grad. Humil. gr. 12.* — *S. Bern. ibid. cap. 3.* Consuetudo peccandi excœcat rationem. — *Ibid. c. 4.* — *Ibid. c. 5.*

vitiorum, nec cives huic virtuosæ admonitioni omnino parerent, nutriri fecit duos optimos catulos, ex optimis parentibus natos, unum in coquina, cum omni pinguedine, & inertia, alium vero in omni experientia laboriosarum venationum. Ad tempus vero populo convocato in publicum, & in supradictis moribus reiterato sermone, ambobus ibi canibus præparatis in medio populi, apponi facit sartagines, paropsides, & similia coquinalia, pinguedine plena, atque leporem insperato dimisit. Facto quoque signo, secundum quod primo docuerat servos suos, quod dimitterentur subito canes, canis venationibus assuetus insultu primo dentibus leporem rapit; alius vero in coquina nutritus, omnibus circumstantibus ad leporem exhortantibus eum, statim concurrit ad paropsides pingues, quo quidem memorando exemplo, ipso mysterium reserante, didicerunt adstantes, quantæ sint violentiæ, vires consuetudinis, bonæ, & malæ. Sapiens inter alia documenta hoc quoque tradit: *Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Clem. Alex. in suo pædagogo hanc nobis ingeniosam scriptam reliquit sententiam: *Et in nobis uber ætatis ipsa juventus.* Enimvero dum ubera nutricis infantis lac subministrant, hoc subito transmittitur, atque in carnem, ossa, nervos, & sanguinem infantis convertitur, qui in tenera illa ætate alio cibo non alitur: eodem modo dignus hic Author vult dicere, contingere ætati juvenili, hæc enim ut plurimum annis sequentibus bonos vel malos mores, bonas aut malas inclinationes communicat, quas deinceps in decrepitam usque ætatem secum pertinaciter retinent: *Ossa ejus implebuntur vitijs &c.* P. Salazar verba illa Sapientis: *Juxta viam suam*, ita exponit: *Id est, juxta viam illam, quam ipsemet usu fecit suam, vel quam ipse terendo ab initio aperuit.* Idemque ferarum similitudine declarat, quæ, ut venatores observarunt, singulæ singulas habent semitas, per quas semper ambulant; *suam quæque semitam sibi propriam aperit, ac per eamdem semper in sua vivaria, aut speluncas sine errore aliquo it, reditque ita ut perraro priori dimissa, aliam sibi referat.* Cum igitur in hisce semitis sua relinquant impressa vestigia, hinc est, quod facillime à venatoribus capiantur. Idem quoque multis contingit, qui malæ alicui consuetudini deviandi, per easdem semitas, quæ illos ad præcipitia perducunt, sunt assuefacti, hos enim venator infernalis facillime capit, sibique in prædam cedere facit: *Implebuntur enim ossa ejus vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.*

3. S. Hieronym. ad Lætam in hæc verba scribit: *Græca narrat historia Alexandrum magnum, & moribus, & incessu Leonidis Pædagogi sui non potuisse carere & vitijs, quibus parvulus infectus fuerat.* Ex quo colligitur, quousque vis malæ consuetudinis à primis annis inveteratæ pertingat, siquidem Alexander, qui armorum suorum potentia tot populos subjugarat, sibique obedientes fecerat, vincere semetipsum, illaque vitia, defectus, & malos habitus illos, quibus à primis annis imbutus fuerat superare haud quaquam potuit. *Difficulter eruitur, quod rudes animi perbiberunt*, inquit S. Hieronym. *lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocat? recens testa, diu, & saporem retinet, & odorem, quo prius imbuta est*, in sacris Canticis dicitur; *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Porro odor florum quos vites emittunt, hanc habet proprietatem, quod serpentes, aliaque similia venenosa animalia procul abarceat. Unde S. Bernardus ait: *Ajunt florentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec nullatenus novorum ferre odorem florum.* Id quod idem mellifluus Doctor, illis applicat, qui à primis annis habitibus se assuefaciunt virtuosis, unde subdit: *Quod volo attendant novitij nostri, & fiducialiter agant, cogitantes qualem Spiritum acceperunt, cujus primitias dæmones non sustinent. Contrariorum autem eadem est disciplina*; ac proinde quando quis in flore ætatis malè vivere incipit, de malo semper ruet in pejus, & dæmon in perniciem nostram majori semper vigore instaurabitur. S. Gregor. illa verba: *Ossa ejus implebuntur vitijs, &c.* hoc sensu exponit: *Quia duræ in eo pravitatum consuetudines à vitio sumptæ sunt pessimæ inchoationis*, unde scriptum est in Prov. *Adolescens juxta viam suam &c. Quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eo usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis pulverem pertrahant. Cum eo enim in pulvere ossa, vel vitia dormire, est, usque ad pulverem eum non deserere, id* est,

Operatio consuetudinis patet in duobus canibus domestico & venatico. — *Prov. 22. 6.* — *Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 9.* Comparatur Lacti nutricis. — *Salaz. ibid.* — *S. Hier. ad Lætam.* In malis æque ac bonis Alex. M. semper retinuit consuetudines. — *S. Hier. ibid.* — *Cant. 2. v. 13.* — *S. Bern. ser. 60. in Cant.* — Proprietas florum quos vites emittunt. — *S. Greg. ibid.*

est, *usque ad mortem ab iniquitate minime cessare.*

4. Hanc facilitatem & propositionem, quam malus habitus peccati, à primis annis nobis insertus causat, S. Bernardin. in alio quodam serm. his verbis tangit. *Mala consuetudo subito præcipitat hominem in peccatum quia usus vertitur in naturam, & ita consuetus in aliquo vitio, cito ruit. Est adinstar molendini ad ventum facti, quia rotatur ad omnem ventum. Similiter assimilatur navi sine gubernaculo, quæ ducitur ad omnem ventum; sic anima consueta ad omnia mala, est prona ad omne nefas.* Quibus in verbis specialiter notanda sunt illa: *Usus vertitur in naturam.* Nam Philo Hebræus ait: *Inveterata consuetudo tantum potest, quantum natura, cum natura autem pugnare est difficile.* Hinc insuperabilem difficultatem, infinitamque se continendi à peccatis, quibus per longum tempus assueverunt, repugnantiam, peccatores habituati satis in se experiuntur; quia natura talibus assuefacta tyrannice & violenter similia exigit. Unde S. Augustin. qui per 33. annos in mala carnalis concupiscentiæ consuetudine incaluerat, ut in confessionibus suis scribit, omninò diffidebat, quod à carnali vita ulla ratione se continere aut emendare posset; & verè id numquam ab eo factum fuisset, nisi admirabilem habuisset divinæ gratiæ concursum, qui illum prævenit, illum animavit, & semper protexit. De hac malæ consuetudinis violentia Seneca solo naturali lumine illustratus, ad Lucillum ita scribit: *Desinit esse remedij locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores sunt.* Et verò, nisi fallar, huic proposito accommodare possumus id, quod S. Paulus his verbis ad Romanos scribit: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato, Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, sed quod odi malum, illud facio.* Etenim continget nonnumquam, quod peccator habituatus peccati agnoscat malitiam, & quod ab illa recipit irreparabile damnum, ac proinde in corde suo illud detestatur, verumtamen quia peccatum illud adeo profunde ossa ejus penetravit, & apud illam inveteratum factum est, ab eodem abstinere nequaquam potest. Idem Apostolus paulo post subdit: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, ... jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. ... Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet; ... Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Enimverò quemadmodum ad auferendam, vel eradicandam ab interioribus ossium nostrorum pravam quamdam habitudinem, quodam quasi opus est miraculo, ita quoque ad extinguenda vitia per habitum obfirmata (de quibus in Prov. dici solet: Vitium hoc talis vel talis penetravit ossa) grandi opus est omnipotentiæ, & gratiæ Dei miraculo S. Isidor. ait: *Apostolus legem peccati dicit in membris nostris esse, quæ lex consuetudo est, quam peccando concipimus, & non ab ea, cum volumus, discedimus, quia jam necessitatis vinculo per consuetudinem retinemur.* Sapiens de inveterata Ægyptiorum malitia differens de Deo inquit: *Non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum*; super quæ verba S. Bonav. in favorem nostrum ita scribit: *Naturalis malitia illorum, id est, naturali similis, per usum pravæ consuetudinis; consuetudo enim altera natura est, sicut enim ea quæ sunt à natura, difficile, vel numquam exui possunt, sic nec ea quæ ex consuetudine; unde si mutari potest Æthiops pellem suam aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Citatque Gregorij Magni authoritatem dicentis: *Difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit.* S. Augustinus, qui immensa, quæ ipsum in cœno habituatæ lasciviæ, tenaciter retinebant, expertus fuerat obstacula, S. Simpliciano, qui ad ejus conversionem valde cooperatus fuerat in hæc verba scribit: *Cum libertate fecerimus aliquid & facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo, & voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.*

S. Bern. T. 4. ser. 15. part. 1. & 2. princ. — Usus vertitur in naturam. — *Philo lib. de Abrah.* — Hoc ipsum de semetipso fatetur S. Augustinus. — *Seneca ep. 39. ad Lucill.* — *Rom. 7. v. 14. Ibid. v. 15.* — Mali habitus etiam contra dictamen rationis operantur. — *Ibid. v. 19.* — *Ibid. v. 20.* — *Ibid. v. 21.* — *Ibid. v. 23.* — *Ibid. v. 24.* — *Ibid. v. 25.* — Similitudo. — *S. Isidor. l. 2. Sent. cap. 23.* — *Sap. 12. v. 10.* — *S. Bonav. ib.* — *S. Aug. l. 1. ad Simplic. q. 1.*

5. *Ossa ejus implebuntur vitijs &c.* Porro vulnus aliquod tibijs, brachijs, vel alijs externis corporis partibus inflictum facile curatur, majori autem cum difficultate remedia applicantur vulneribus, quæ ipsa penetrant viscera; at vero si plaga intus in ossibus hæreat, *plagæ istius non est sanitas*; cujusnam enim quantumvis experti chyrurgi manus eo pertingere poterit? Peccata fragilitatis, malitiæ, & quæ sunt hujusmodi, facile sperare possunt remedium, at vero his qui in inveterata habituati sunt consuetudine, necessaria est manus Dei, illius inquam medici, qui de seipso ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Peccatum est sicut vulnus in corpore humano*, inquit S. Bonaventura, *nam recenter vulneratus, permittit se tangi, & vulnus premi & investigari, sed post tertium diem non sine magno dolore tangitur in vulnere. Sic peccatum in sua recentia cito curatur; sed post tertium diem est gravissimus dolor vulnerum*; Adducitque illam in Genesi conscriptam historiam, quando filij Jacob, Simeon, & Levi, ut vim Dinæ sorori suæ à Principe Sichimitarum illatam vindicarent, postquam illi, & toti populo, circumcisionem fraudulenter persuasissent, expectarunt usque in tertiam diem; quando dolor vulneris, in circumcisione accepti, vehementior erat, omnesque in ore gladij occiderunt, ingenti inter ipsos strage relicta. *Ingressi sunt urbem confidenter*, ait sacer textus; *Hemor & Sichem pariter necaverunt, quia scilicet quasi intolerabilis est correctio, vel sanatio peccati post tres dies. Tres dies isti sunt, peccati perpetratio, peccati consuetudo, & peccati obstinatio, nam post istum tertium diem, peccator non permittit se tangi per correctionem, juxta illud: Peccator cum in profundum peccatorum venerit; contemnit.* Ac proinde opportunum est illud S. Isidori consilium, & salutare contra peccatum habituatum antidotum; ait enim: *Omnino peccare cavendum est, quod si humana fragilitate peccatum surrepserit, confestim erit corrigendum, quod nequiter sentitur commissum. Cito enim corrigitur culpa, quæ cito cognoscitur, tardius autem sanatur vulnus, quod jam putrescentibus membris, longo post tempore curationibus adhibetur.*

Vulnera exteriora facile interiora difficulter curantur. — *Matt. 9. v. 12.* — *S. Bonav. T. 6. Diata Salut. tit. c. 2.* — Ut tertia dies circumcisionis infert maximum dolorem ita peccatum post consuetudinem difficillimam correctionem. — *Gen. 34. 25. Ibid. v. 26.* — *S. Isid. ibid.*

6. *Cum eo in pulvere dormient.* Porro honores, thesauri, deliciæ, voluptates, sanitas, numerosa prolium successio, sceptrum, mitræ, hic in terris remanent, nec deferuntur ad sepulchrum, bene tamen vitia, per longum annorum gyrum contracta: *Cum eo in pulvere dormient.* Audite Titelmannum dicentem: *Cum cætera omnia post mortem relinquantur, sola opera ab incunabulis usque ad sepulchrum mortuos consequuntur.* A persona quadam fide digna me audisse memini, quod cum impius quidam peccator lascivam mulierem multis annis domi suæ tamquam concubinam retinuisset, tandem cum morti vicinus esset, religiosis, ipsum ad eam è domo dimittendam exhortantibus, libere responderit, quod eam, quæ in vita commodam ei præbuisset societatem, nec in morte deserere vellet. S. Bernardinus similiter de opulento quodam viro, quem se probe cognovisse testatur, ita scribit: Ad extremum vitæ redactus, servos & negotij sui ministros accersens, ijsdem præcepit, ut ad exigenda quædam ejus debita, speciatim illis notificata egrederentur, simulque inquirerent diligenter in eum, à quo diminutam monetam acceperat; cumque jam triginta elapsi fuissent anni, à quibus confessus non fuerat, frater ejus religiosum quemdam accersivit, qui cum ad peccatorum suorum pœnitentiam, & ad prospiciendum domui suæ eum exhortaretur; ac de negotijs animæ cum ipso loqui cœpisset, is ad religiosum conversus interrogavit eum: *quantum ascendit centenarium piperis*; religioso autem suos prosequente discursus, ad salutem æternam attinentes, ille pariter de suis cœpit interrogare mercibus, & an triremes suæ nondum appulissent. Fratri autem monenti ipsum, jam tempus de anima cogitandi adesse, respondit: *Non possum, non possum, non possum*, eoque dicto expiravit. Ecce tibi quonam mala trahat consuetudo, nimirum ad æternæ perditionis barathrum, unde S. Ephrem ait: *Gravem puta suffocationem, peccatorum premi consuetudine, neque ab eorum inundatione ad mortis usque horam emergere.*

Vitia sequuntur post mortem. — *Titelm. ibid.* — *S. Bern. T. 2. ser. 13. art. 2. c. 2.* — Qualis vita finis ita. — *S. Ephrem T. 1. de recta vivendi ratione c. 91.*

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.

De peccatoris per consuetudinem obstinati surditate, sub aspidis surdæ Metaphora differitur.

THEMA.

Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Ps. 57. v. 5.

1. PRopheta regius de perditæ salutis hominibus in Psal. 57. differens ait: *In corde iniquitates operamini*

Aspis serpens occludit aures suas.

; in terra injustitias manus vestræ concinnant; furor illis secundùm similitudinem serpentis; ubi pariter speciem serpentis id est aspidis exprimit, quæ incantatori aures occludit: Hæc enim prædita est instinctu naturali, quod dum incantator ad illam è caverna sua extrahendam, incantare satagit, ipsa unam aurem cauda obturet, alteram vero terræ firmiter affigat, hacque ratione surdam se facit. *Aspis serpens est, quæ videns incantatorem, ne vocem ejus audiat, alteram aurem affigit terræ, alteram summitate caudæ obturat*, inquit Hugo Card. qui primo quidem verba illa de Judæor. exponit obstinatione, in sensu autem morali de impijs explicat, inquiens: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, quasi dicat; si quis attentet eos reprehendere ipsi incipiunt furere, & venenum effundere adversus eum. Istorum aures obturantur terra, id est solicitudine temporalium, & cauda, id est simulatione bonæ intentionis; vel cauda est multitudo assistentium, adulantium eis, & laudantium peccatorem, in desiderijs animæ suæ, unde omnino surdi sunt ad correctionem.* Nam illos in prosecutione inordinatorum appetituum suorum laudari & commendari, fomentum illis præbet, tanto magis in his persistendi, seque habituandi. Citatque text. illum Isai. 42. ubi dicitur: *Quis cæcus, nisi servus meus, & quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Unde sequitur: Quæ non audiet vocem incantantium; vere qui vult eis aliquid persuadere, oportet quod ad modum incantantis se habeat, videlicet ut suaviter, & leniter loquatur & cum obsecratione, alioquin effugiant statim manus illius.* Verum enimvero per experientiam ut plurimum videmus, quod nec hoc quidem sufficiat, quia quando peccatori inest mala consuetudo, etiam ad obsecrationem *aures suas obturat; quæ non exaudiet.* Dion. Carthus. verba illa Jacob adducit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorũ, quia dura*, id quod peccatoribus longo tempore habituatis adaptari potest. Subditq; Metaphoram aspidis, & ait: *Secundùm suæ artis principium non egreditur de caverna sua*; sic quoque perversi, in malis habitibus inveterati, servos Dei, amicos item, parentes, & homines zelosos, per longas, & efficaces exhortationes laborare sinunt, ut reducantur ad pœnitentiam, ipsi verò ex inveteratæ consuetudinis suæ caverna propter hoc nequaquam exeunt. Dionys. Carthus. aptissime ad propositum nostrum observat Psalmist. verbis prædictis præmisisse: *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero; non quod ante usum rationis peccaverint, & ab exordio nativitatis indesinenter erraverint, sed ista dicuntur ad designandum, quam perseveranter & pertinaciter; multi peccatores Deum offendant*, de quibus Salomon dicit: *Absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Paulo post vero verborum illorum: *Sicut aspidis surdæ &c.* sequentem adducit moralem expositionem: *Omnis qui verbum Dei contemnit, & pium informatorem, aut increpatorem repellit, assimilatur aspidi aures obturanti.* S. Augustin. sup. hunc Psal. ita scribit: *Data est quædam similitudo de Marso, qui incantat, ut educat aspidem de tenebrosa caverna; utique in lucem vult educere, illa autem amando tenebras suas, quibus se involuta occultare dicitur, quod exire noluerit, recusans tamen audire illas voces quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, & de cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum potest, evitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit Spiritus Dei quosdam non audientes verbum Dei, & non solum non audientes sed omnino, ut non valeant audire facientes. Factum est & hoc in primis temporibus fidei, Stephanus martyr prædicabat veritatem, & tamquam tenebrosis mentibus, ut eas in lucem educeret, incantabat. Ubi venit ad commemorationem Christi, quem illi omninò audire noluerunt, quid de eis Scriptura dicit? Quid de illis narrat? Clauserunt*, inquit, *aures suas. Quid autem postea fecerint, passio Stephani narrat, atque declarat; non erant surdi, sed fecerunt se surdos. Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat, clauserunt & aures cordis, & iverunt ad lapides. Ecce aspides surdæ, duriores lapidibus, quibus incantatorem suum lapidaverunt; non audierunt vocem incantantis, & medicamenti medicati à Sapiente.* Paulo post vero ijsdem Judæis improperans ait: *Quid aures clauditis? Exspectate, audite, & si potueritis sævite. Quia nolebant nisi sævire, noluerunt audire.* Sic quoque peccatores contumaces, & in peccatis suis inveterati, veritatem audire nolunt, ne convincantur, quia cum à mala consuetudine arctè sint incatenati, in mala vita sua persistere volunt. *Non poterant* Judæi *resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur*; sed à verbis protomartyris remanebant convicti, verumtamen ne cederent, *continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.*

Hug. Card. ib. — *Isa. 42. v. 19.* — Lenes exhortationes non sufficiunt peccatoribus habituatis. — *Gen. 49. 7. D. Carth. ib.* — *Ps. 57. v. 4.* — *Eccle. 8. 11.* — *S. August. in Ps. 57.* — Peccator ut aspis renuit exire de caverna. — Probatur ex prædicatione S. Stephani. — *Act. Apost. 6. v. 10.*

2. P. Ludovicus Granatensis causam inquirit, cur reliquiæ hujus Sancti Protomartyris, cum multos post annos solum in civitatem Majoricensem deportarentur, in Ecclesiæ gremium 540. reduxerint infideles Mauros multosque hæreticos, aliosque peccatores obstinatos ad pœnitentiam converterint, cum tamen alia ex parte dum adhuc in vivis superstes *plenus gratia & fortitudine* per energiam Apostolicam *faciebat prodigia & signa magna in populo*, non solum nullum converterit, verum etiam auditores illius ex prædicatione ipsius longe obstinatiores evaserint? Ipsomet id asserente his verbis: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Porro hujus causam S. Lucas exprimit dum ait: *Continuerunt aures suas*, ad saxa enim cucurrerunt, ut illum lapidarent, siquidem corda eorum saxis duriora erant. Venerabilis Beda observat Davidem dixisse: *Locuti sunt falsa, id est*, ut idem Beda ait: *Placent eis falsa, vera autem nec audire volunt, quia illis furor est*, non solum surdas exhibent aures, sed sæpe etiam fortiter indignantur, quando se licet charitativè corrigi audiunt. Subdit idem Venerabilis Beda: *Prædicatores sunt incantatores, quia ad hoc incantant, id est prædicant, ut hominem de tenebris erroris, aut infelicitatis eliciant, & sapienter incantant, quia monent eos, ut de terrenis ad cælestia tendant. Per aspidem vero designantur illi, qui delectatione præsentium, quæ per aurem terræ applicatam intelliguntur, & recordatione præteritarum delectationum, quæ per caudam notantur, ita cor suum obdurant, ut præconia veritatis non audiant, & in erroris sui tenebris permaneant.* S. Augustinus alio in loco obstinationem Hebræorum, cor & aures suas verbis S. Stephani occludentium exaggerans, in hæc verba exclamat: *O magnum miraculum, cæli januæ aperiuntur, & Judæi mentes impias concluserunt: Sed S. Stephanus non tacuit; non defecit, nec blasphemantibus cessit.*

Gran. Simp. par. 2. excel. 15. Relig. Christ. — Cur reliquiæ S. Stephani plus fructificaverint quam ipse vivens. — *Actor. 7. 51.* — *Ps. 57. 2.* — *Beda ib.* — *S. Aug. ser. 99. de div.*

3. Deus olim Prophetæ illi præcepit, ut abiret ad reprehendendum in nomine suo Jeroboamum Regem, propter idololatriam, quam non solum ipse commiserat, sed ad quam universum sibi subjectum populum exemplo suo & præcepto instigarat; abijt igitur Propheta in Samariam, & templum illud profanum, & sacrilegum ingressus, in quo falsis numinibus offerebatur sacrificium, Regem ibidem cum universa curia sua & numerosissima multitudine præsentem inveniens, elata voce clamavit: *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* Quis hunc loquendi modum Prophetæ non obstupescat? Missus ipse fuerat, ut Jeroboam iracundiam Dei intimaret, ipse verò petram alloquitur, & reprehendit saxum inquiens: *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* Hanc quæstionem movet Abulensis eique pariter respondet, Scripturæ S. sæpe usitatum morem esse, discursum suum ad res inanimatas dirigere, quasi advocando illas in testimonium illius, quod vult dicere; Ita Moyses in Deut. cap. 32. ingratitudinem populi illius redarguere volens, canticum suum ab his est verbis exorsus: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Hic autem Propheta non loquebatur ad altare; ut esset testis, nec etiam loquebatur ad illud, tamquam perciperet verba, quæ dicebantur, sed quia loquendo contra altare, loquebatur contra Regem & populum. Fuit autem conveniens propter duo fieri locutionem ad altare; Primo, quia appariturum erat signum in altari, scilicet quod divideretur & effunderetur cinis; Secundum erat, quia ista mala quæ prædicebat Propheta, eventura erant propter altare, scilicet, ideo Sacerdotes occidendi erant, & cremenda ossa, quia in altari illo fiebant sacrificia.* Addamus & nos tertiam causam, quam in moderno quodam interprete descriptam inveni, qui authoritatem adducit Chrysostomi dicentis: *Quia lapide insensibilior factus est homo rationalis.* Impius enim in suis sceleribus obstinatus, & habituatus, surdum se finxit, auresque occlusit, ac proinde Propheta majorem in lapide illo, ex quo altare constructum fuerat, reperit dispositionem, ut audiretur, quam in Jeroboam, quia lapis ille divisus: & diruptus est; *Altare scissum est*, cor autem sacrilegi Regis in lapidem versum est, quia ad apprehendendum Prophetam manum suam extendit, quæ tamen subito miraculose ei exaruit. Neque primum, neque secundum, immo neque tertium miraculum (. Propheta

Cur Propheta fuerit allocutus altare. — *3. Reg. 13. 2.* — *Abul. ib. q. 2.* — *Deut. 32. 1.* — Ejus ratio prima & secunda. — Additur ratio tertia.

enim fusa ad Deum oratione manum Regis pristinæ sanitati restituit) prævalere potuit ; ut vel Regem, vel Sacerdotes, vel aliquem ex innumerabili illo populo ad resipiscentiam permoveret.

Per invocationem irrationabilium denotatur obstinatio peccatorum. *Isa. 1. v. 2.*

4. Cum civitas Jerosolymitana in sceleribus suis callum sibi obduxisset, in quorum pœnam extremum contra ipsos immissum fuit exterminium, Deus Isaiæ præcepit, ut imminentia ei flagella prædicando intimaret ; ipse vero sciens, quod hominibus in peccatis habituatis prædicaturus esset, ab his verbis prædicationem suam fuit exorsus : *Audite cœli, & auribus percipe terra*, prævidebat enim, quod promptiorem à creaturis insensatis, quam à perversis illis obstinatis habiturus esset audientiam ; *ostendens quia homines elementis insensibiliores facti sunt* ; inquit Chrysostomus ; Deus pariter Jeremiæ præcepit, ut ad Regem Joachim se transferens, ejusdem reprehenderet malitiam, prædicereque quid ei funesti eventurum erat ; At vero quodnam prædicationis suæ thema fuisse existimatis ? *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini* ; At vero quænam erat hæc Prophetæ incivilitas, quod Regem allocuturus, ad terram sermonem suum dirigat ? Glossa difficultatem hanc solvit dicendo : *Contra eum qui elegerat cordis duritiem, terram dixit.* Discursum enim suum verè ad Regem direxit; ita tamen ut eumdem Regem, propter obstinationem & duritiam suam terræ nomine appellaret. Propheta Ezechiel ad campum nudis ossibus, atque cineribus mortuorum plenum, jussu Dei se contulit, ut ijsdem diceret : *Ossa arida audite verbum Domini* ; Et paulo post subdit sacer textus: *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* Quæ ossium mortuorum, craniorumque aridorum voci propheticæ exhibita obedientia, multos utique condemnabit contumaces, qui servorum Dei reprehensiones, admonitionem, durasque comminationes surdis auribus excipiunt. Sapiens eos, qui veritati æternæ rebelles existunt, his verbis alloquitur : *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum*, at vero quia ad has voces surdi permanserunt, audite quæso quid tandem illis evenerit ? Subdit enim sacer textus, & Deum his verbis introducit loquentem, *vocavi, & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit, Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia, Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Iis namque qui surdis auribus Deum excepere-runt, Deus par pari referet, quando in mortis articulo eum invocabunt.

Ezech. 37. 4. *Ibid. v. 7.*

Apud Ezechielem nomine ossium mortuorum. *Prov. 1. v. 24.* *Ibid. v. 23.* *Ibid. v. 24.* *Ibid. v. 25.* *Ibid. v. 26.* *Ibid. v. 27.* *Ibid. v. 28.*

Psal. 57. v. 5. S. *Bonav. ib.*

5. *Sicut aspidis surdæ, &c.* Sanctus Bonaventura hæc verba ad propositum nostrum ita exponit : *Aspis dicitur serpens surdas obturans aures, non audiens vocem incantantis ; & pro his quatuor peccator comparatur aspidi ; nam peccator dicitur serpens per calliditatem ; surdus propter peccati consuetudinem, obturans autem propter peccati obstinationem ; non audiens vocem prædicantis, propter stultitiam ; unde ibi dicitur ? Non exaudiet vocem incantantis sapienter. Hæc quatuor in peccatore reperiuntur, scilicet calliditas, consuetudo peccati, peccandi obstinatio, stultitia.* In vita Sancti Antonij de Padua legitur, quod cum civitas Ariminensis prædicationi ejus aures occlusisset, Sanctus vir Dei ad littus maris properarit, ut verbum Dei piscibus prædicaret, qui certatim in magna copia unus alterum premendo ad ripam natando accurrentes, gratam ei præbuerunt audientiam, varijsque motibus, & gestibus, ijs quæ dicebantur, applauserunt. Quo prodigio Deus sine dubio castigare voluit peccatores illos habituatos, qui huic arcæ testamenti suas occluserant aures, Pessimum profecto signum est, quando voci Dei aures obturantur ; ac proinde Psalmista postquam dixisset : *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*, immediate subjungit : *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, ... Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur.*

Facium S. Anton. de Padua.

Psal. 57. v. 5. *Ibid. v. 6.* *Ibid. v. 7.* *Ibid. v. 8.*

Indurati Ægyptij cum Pharaone submersi sunt. *Exod. 7.*

Ægyptij similiter ad tot flagella per divinam justitiam illis immissa, surdi remanserunt. Unde sacra Scriptura sæpius repetit : *Induravit est cor Pharaonis* ; ex hac autem surditate infelix hic subsecutus fuit eventus, quando enim Hebræos persequentes in aquis maris rubri tamquam victos se comprehensuros esse sperabant, quando ex victoria ab ijs obtenta, palmas expectabant, & lauros triumphales, funestas sibi erexerunt Cypressus, siquidem *submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Ecce tibi finem, quo contumacia & duritia adversus Deum rebellantium tandem terminatur. Deus olim Moysi præceperat, ut Pharaonem adiens, pro populo suo abeundi peteret licentiam, ipse vero à principio se excusavit dicendo : *Quo modo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisis sim labijs ?* S. Augustinus ex antiquo quodam exemplari vertit : *Ecce ego gracili voce sum*, quasi Moyses dicere vellet, cum tenuem vocem in loquendo habeam difficulter à Pharaone intelligi potero. At vero si Moyses ab innumerabili quodam populo, qualis Hebræorum erat, intelligi sufficienter poterat, cur ab uno homine solo, id est, Pharaone, intelligi non potuisset, maxime quando modeste Regem illum allocuturus erat, ne in Anticamera ab Auli-cis audiri posset ? Ego proinde existimo Moysen hac loquendi plurali se excusare voluisse, quod sciret se apud Regem illum obstinatum, induratum, contumacem, & surdum nihil boni operaturum esse, ac proinde subjunxit : *Quo modo audiet me*, scilicet is qui surdus est ? Et ideo quando exemplum aliquod adducere volumus peccatoris habituati, & in mala vita sua obstinati ac reprobi, Pharaonem à Deo præ-scitum, & morte violenta castigatum adducere so-lemus:

Exod. 5. 10.

Pharao est exemplum peccatoris habituati.

Exod. 6. v. 12.

6. Observastisne aliquando ; quid S. Petrus Mal-cho in horto Gethsemani fecerit ? Nimirum auricu-lam ei amputavit ; At vero cur hanc corporis partem, non vero manum, vel brachium, vel tibiam, vel aliud membrum eidem præcidit ? Theophilus Antioche-nus hujus Malchum populi Judaici typum fuisse in-quit : *Is enim cui auricula ablata est, is Malchus dicebatur, id est, Rex quondam populi Judæorum, servus factus est impietatis Judaicæ.* Cum igitur Mal-chus iste regnum Judæorum repræsentarit, merito ei auricula resciss fuit, in signum perpetuæ servitu-tis, cui deinceps in pœnam crucifixionis Messiæ sui subjiciendus erat. Præterea hanc aurieulæ amputa-tionem merebatur, quia surdis auribus exceperat voces cœlestes, quibus per tot Propheratum, figura-rum, aliorumque oraculorum vaticinia, Messiæ sui adventus inclamatus fuerat. Verum enimvero aliud quoddam valde considerabile hic nascitur dubium ; ex quo enim increata Sapientia passionem suam ali-quo illustrare volebat miraculo, cur non potius per sanguinem suum aliquod in monte Golgotha jacens cadaver aridum suscitavit ad vitam, vel muto alicui restituit loquelam, vel lumen cæco ? potuisset utri-que efficere, ut ex spinis, quibus tempora ejus trans-figebantur, efflorescerent rosæ ; quid igitur magni in hoc miraculo erat, quod præcisam loco suo restituerit auriculam ? Et tamen in illa temerariorum mi-litum, insolentium ministrorum, & licto rum contra innocentem agnum furentium lucta in qua velut to-tidem lupi famelici corpus ejus invadebant, Christo nihil adeo curæ fuit, quam ut Petrum reprehenderet, & meliori modo quo poterat, in terram se inclinans, sacratissimis manibus suis amputatam è terra levaret auriculam, eamque, ut prius erat, sanam loco suo mi-raculose restitueret. Observandum quoque, Spiritum Sanctum, non sine mysterio, ministri hujus indicasse nomen, quod tamen non fecit, circa tot alios, qui ipsum flagellarunt, spinis coronarunt, crucifixerunt, fele & aceto potarunt, totque alijs millenis modis di-re tractarunt ; Ait enim sacer textus : *Erat autem nomen servo Malchus*, S. Augustinus à Glossa citatus ait ? *Malchus dicitur regnaturus cum Christo* ; Adeo-que non solum regni Judaici, verum & ejus, qui cum Christo regnaturus est, typus erat ; Minime au-tem conveniret, quod is qui eum, qui consecuturus est regnum cœlorum, repræsentabat, fine auribus, id est, ad divinas voces surdus esset, quia surdi inter reprobos numerantur ; ac proinde quotidie in matu-tino his verbis invitamur : *Hodie si vocem ejus audie-ritis, nolite obdurare corda vestra.*

Joan. 18. 10.

Cur Petrus Malcho auri-culam & non aliud membrum amputarit.

Theoph. Anti-tioch. l. 1. in Matth.

Joan. 18. 10.

Cur Chri-stus Malcho voluerit restitu-ere aurem & non aliud facere mira-culum.

Gloss. ord.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM

Peccator per consuetudinem peccandi habituatus, in profundum malæ conscientiæ, cæcitatis, desperationis, pertinaciæ, jactantiæ & damnationis æternæ corruit.

THEMA

THEMA.

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18. v. 3.

Explicatio thematis.

1. Tametsi hoc nomen *impius* genericum sit, & omnem denotet pessimum peccatorem, Spi-ritus Sanct. tamen per os Salomonis specialiter de peccatore, in mala peccati consuetudine inveterato loqui intendit. Unde Sanctus Bernardinus in Sermone quodam clarius dicit : *Cum in profun-dum peccatorum venerit*, ait Salomon, *tunc sper-nit ; talis mala consuetudo trahit animum de pec-cato in peccatum, donec suffocatur.* Lyranus pari-ter, in sensu literali accuratus Interpres, hunc lo-cum de obstinatione in culpa his verbis explicat : *Impius cum in profundum peccatorum venerit, per obstinationem mentis :* Dionysius Carthusianus simi-liter inquit : *In profundum peccatorum, id est, cum in vitiorum voraginem fuerit mersus, & prava consuetudine induratus.* Cornelius à Lapide ly *im-pius* secundum significatum suum ponderans, sa-pientem hisce verbis insinuare voluisse dicit : *Quod impius vocetur, qui non semel vel iterum, ex infirmi-tate, vel ex ignorantia in peccatum lapsus est, sed qui assidue ex malitia & impietate peccat, ut jam peccati callum obduxerit.*

S. *Bern. T. 4. ser. 15. p. 1. & 2. prine.* *Lyran. ibid.* *D. Carth. ib.* *Corn. à Lap. ibid.*

Quænam sit profunditas in quam de-scendit pec-cator.

2. *In profundum.* Examinemus nonnihil qualis sit hæc profunditas, in quam peccator obstinatus, & habituatus se conjicit. S. Hieronymus super cap. 1. Ezechielis scribens, per profundum hoc barathrum malam conscientiam intelligit : quam S. Bernardus in-fernum appellare non dubitat. *Conscientiam*, inquit S. Hieronymus, *conimus præcipitari apud quosdam, & jam locum amittere, juxta id quod scriptum est : Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Homo enim perditæ salutis, qui peccandi est affuefactus, dictamen & remorsum conscientiæ suæ nihil curat, sed vivit, ac si nec Deus, nec alia vita esset, quasi dicat ? *Nec nostra considerat circa cardines cæli perambulat.* Vultisne scire, quam verum sit, quod impius conscientiam & remorsum illius amittat, neque in quamvis cujusliber malitiæ profundissimam abyssum præcipitet ? Audite B. Laurentium Justinia-num de pessima peccati consuetudine his verbis dis-serentem : *Quid gravius ? quid permitiosius ? quid-ve deterius ? Nam omnium ipsa est incentiva crimi-num, auiversorum vitiorum nutrix, atque capitalium peccatorum rea.*

S. *Hier. in Ezech. 1.* *Job. 22. 14.* B. *Laur. Just. de perfect. grad. c. 2.*

3. *Impius cum in profundum &c.* S. Athanasius per profundum hoc barathrum cæcitatem mentis & intellectus intelligit, in quam peccator inveteratus ju-sto Dei judicio incidit ; & fortasse idipsum Hugo Car-dinalis ab Athanasio didicit, dum inter alia pestifera mali habitus in culpa contracti germina, hoc quoque profundum enumerat, scilicet excæcationem intelle-ctus. Cornelius à Lapide idipsum confirmat in-quiens : *Peccatum iteratum continue, magis magisque excæcat mentem, ut non videat, quod agit, nec ma-lum à malo discernat, immo malum quod agit, æstimet esse bonum.* Videmus per experientiam, quod is qui cæcus est, dum ambulat, in obvias corruat foveas, atque ad quemliber gressum cespiter, quia non videt ubi pe-dem figat. Cum igitur impius per longum annorum gyrum vitijs suis affuefactus, lumen rationis & discur-sus, immo, quod majus est, etiam timoris Dei amisce-rit, quid mirum, si in quamvis obviam profundissimam culpæ abyssum præcipitetur ? Merito igitur Apostolus Ephesios monebat inquiens : *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gen-tes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignoran-tiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipso-rum ; qui desperantes semetipsos tradiderunt impudi-citiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.*

Dicitur cæci-tas intelle-ctus.

Hug. Card. ib. *Corn. à Lap. ibid.* *Eph. 4. v. 18.*

Obdurati gratiæ Dei exeitanti re-sistunt.

Et vero tametsi Deus perversis hisce & in mali-tia sua obduratis, aliquod gratiæ suæ excitantis & præ-venientis lumen indulgeat, ut miserabilem statum in quo sunt, cognoscere valeant, hoc tamen abutuntur, eique minime cooperantur, nam ut Psalmista ait : *Nolu-it intelligere, ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ubi observandum est ly *meditatus*, hoc enim indicat iniquitates illorū nequaquam com-missas fuisse ex improviso, vel ex fragilitate, sed delibera-te, præmeditate, immo *in cubili suo*, id est quiete. De his eorumque similibus ait Job : *Dixerunt Deo recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus.*

Psal. 35. v. 4. *Ibid. 213. 14.*

4. *Impius cum in profundum &c.* Hugo Cardina-lis per hoc profundum desperationem intelligit. Be-da autem diu ante dixerat ; *Qui longis peccatorum tenebris involutus, semel de luce desperat, jam ex de-speratione contemnit, id est passim sibi peccandi* ; frænа re-laxat, quasi diceret ; anima, quæ de æterna salute de-sperat, sensualitatis suæ indomito equo habenas rela-xat, qui demum ipsum in profundissimum impietatis barathrum præcipitat. Quam veritatem melius in-telligemus ex sequenti ab Authore operis imperfecti tradita similitudine : *Sicut cum infirmus, donec media-criter habet aliquam passionem, & sperat se posse cura-ri, servat se a nocivis escis, si autem intellexerit insa-nabilem se esse, jam non sibi parcit, sic & homo do-nec mediocriter peccat, & sperat salutem, quamcun-cumque potest, observat se à malo, si autem gravius peccando cæperit desperare, jam nihil dubitat facere ; quasi qui jam peccatis suis vinciis judicium Dei.* Væ autem illis, qui in malitia sua indurati, & obstinati de divina misericordia desperant, hi enim in fundum mi-seriarum prolapsi esse noscuntur. Philo Hebræus li-bro *de Cherubin*, circa protoparentem nostrum, post peractam divinæ prohibitionis prævaricationem se-quentem habet ingeniosum observationem ; ubi enim vulgata nostra legit : *Ejecitque Adamum*, vertit ipse : *Et expulit* ; observat autem, Moysen paulo ante hæc verba præmisisse : *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis*, moxque subdit : *Nunc dicit ex-pulsum, quem emissum dixerat, non temere ponens hæc vocabula. Qui emittitur, redire non vetatur, quem autem Deus expellit, is æterno damnatur exilio.* Cla-rius autem se se verbis sequentibus declarat : *Qui non-dum tenetur à malitia, datur reditus tamquam in patriam, ad virtutem, unde excideral, eum verò, qui vehe-menter obnoxius morbo insanabili premitur, necesse est ferre sua mala in omne ævum sine fine damnatum.* Unde inter peccatorem consuetudinem, obstinatum & impœnitentem, & alium ex fragilitate quidem peccan-tem, in divinam vero pietatem sperantem, eadem in-tercedit differentia, quæ est inter incarceratum prop-ter capitale, & criminale delictum, & debitorem, ob debitum civile in carcere detentum. Reus enim causæ criminalis, ita intra semetipsum discurrit, ego sine dubio mereor mortem, mereor furcam, neque ex hoc carcere sine sententia patibuli fum egressurus, ac proinde consolationem non admittit, nec vitæ spem habet, sed de vita salvanda prorsus desperat ; mi-nistri enim justitiæ publicæ prohibent, ne quis ei lo-quatur, aut scribat, aut eum defendat, econtra vero ad eum, qui propter debita captivus est, admittuntur amici, parentes, & unusquisque, qui ei loqui deside-rat, in ejus favorem movent se procuratores, eumque adjuvant aliæ personæ charitativæ, qui cum nego-tiatore agunt, ut à carcere quantocyus liberetur. Si-milis est hic status statui alicujus peccatoris, qui bo-nam peccatum deserendi habet voluntatem, quam ut assequatur, nullus est qui non laboret : At vero is qui propter delictum criminale in carceribus tenetur, pec-catorem repræsentat, in sceleribus suis inveteratum, quiq; in hac præsenti vita delicijs frui statuit, eo quod futuræ vitæ assequendæ spem non habeat, ac proinde nihil de salute, nihil de anima scire cupit (cujus con-trarium sentiebat David, qui ait : *Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui*) pro hoc igitur nullus reperitur, qui illum ad pœnitentiam inducere satagat, quia contemnit omnes, & irri-det ; nimirum *cum in profundum peccatorum venerit*, *contemnit*, Dæmones quoque, qui divinæ ju-stitiæ ministri sunt, & executores, ad hoc nitun-tur, ut omnes illos qui ad illorum converfionem cooperari volunt, procul ab illis abarceant, ac proinde tales ut plurimum impœnitentes mori vi-pendentur.

Profunditi dicitur de-speratio & demonstratur similitudine.

Philo lib. de Cherub. Distinctio in-ter emittere & expellere. *Gen. 3. v. 23.*

Distinctio in-ter obstina-tum & fragi-lem peccato-rem declara-tur similitu-dine.

S. Isidor. l. 2. sent. c. 23.

5. *Impius cum in profundum venerit, &c.* Propheta Regius hanc à Deo popolcit gratiam : *Neque urgeat super me puteus, os suum*, quando enim qui in profun-dum lapsus est puteum, cujus insuper os desuper occlu-sum tenetur, nullam inde egrediendi spem concipere potest, quia quantumcumque clamet, & vociferetur, nullus tamen erit, qui ipsum audire possit, aut ad illum inde extrahendum moveatur, ac proinde David non solum petit : *Neque absorbeat me profundum*, sed insu-per addit : *Neque urgeat super me puteus os suum.* S. Isi-dorus ad idem propositum in hæc verba scribit : *Pec-catum admittere, cadere est in puteum, consuetudinem vero peccandi facere, os putei est coangustare, ne is qui ceciderit valeat exire ; nequissimum est peccare, pejus est peccandi consuetudinem facere, ab illo facile, ab hoc*

Psal. 118. 120.

Descriptio consuetudi-narij per Da-vid.

Psal. 68. v. 16.

cum labore resurgitur, cum malæ consuetudini repugnatur. In nostrum quoque favorem sequentem habemus S. Gregorij doctrinam dicentis: *Omnis qui vitam vitæ deserens in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum, vel foveam mergit. Si vero diutina perpetratione, etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora jam possit exurgere, quasi angusti ore putei coarctatur; unde David Propheta sub specie peccantium exorat dicens: Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum; Quem enim mali operis iniquitas à bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit, sed si adhuc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Jam in puteum decidit, qui hoc quod divina lex prohibet perpetravit, sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam puteus os suum coangustavit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur.*

S. Greg. l. 20. mor. c. 24.

Tres sunt peccatoris status.

Ps. 1. v. 1.

6. *Impius cum in profundum &c.* Regius Propheta David tres illius, qui divinas leges transgreditur, in primis Psalterij sui verbis repræsentat status, ait enim: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit; & in cathedra pestilentiæ non sedit*, ex his vero gradibus, ultimus præ cæteris magis est periculosus, quia pestis ut plurimum morbus est incurabilis, omnique reconvalescentiæ spe destitutus; & ideo hic statum denotat illorum peccatorum, qui per longum tempus in vitijs suis induruerunt. Consideratione quoque dignus est textus ille Apostoli ad Hebræos in hæc verba scribentis: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S. gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi; & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quibus verbis Apostolus utique non de impossibilitate physica loquitur, sed tantum insuperabiles vult insinuare difficultates adimplendi ea, quæ ad hoc requiruntur, ut tales ad pœnitentiam resurgant. Quænam verò hujus difficultatis causa sit, S. Thomas optime declarat, qui ly *prolapsi*, & *totaliter lapsi* egregie ponderat, quando enim peccator in profundum iniquitatum suarum pervenit, id est, misericordiam Dei non respicit, neque à peccatis resurgere curat, vel cogitat, tunc profectò ad supremum malitiæ culmen pertigit, tunc *impius in profundum peccatorum venit. Quia si lapsi tantum essent*, inquit Doctor Angelicus *non esset tam difficile resurgere, sed quia dicit prolapsi, & impossibile ut resurgant, notat maximam difficultatem resurgendi.* S. Bernardinus verba illa Sapientis: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, de mala consuetudine intelligens, subjungit: *Contemnit, scilicet propter desperationem, surgere a peccatis*, quod verbum exponens Glossa inquit: *Qui longius peccatorum tenebris involutus est; cum semel desperat, ex desperatione peccandi sibi fræna relaxat, sed opprobrium futuræ damnationis non evitat.* Sciendum tamen est quod D. Chrysostomus in Homilia quadam dicat: *Nemo desperet, nemo laboret morbo impiorum; horum enim est id peccatum, impius enim cum venerit in profundum malorum contemnit. Quamobrem non multitudo peccatorum efficit desperationem, sed mens impij*, ac proinde quando oculum intellectus nostri in profundam illam defigimus abyssum, in qua impius habituatus desperate sepultus delitescit, cogitandum nobis est, hujus miseriæ causam non esse peccatorum innumerabilium multitudinem sed peccatoris duritiem, obstinationem, & consuetudinem contumacem.

Hebr. 6. v. 4.

Differentia inter lapsum & prolapsum.

S. Thom. ib.

S. Bern. t. 1. ser. 21. art. 2. c. 9.

D. Chrys. H. 1. in 1. ad Cor.

7. *Impius cum in profundum, &c.* Hugo Cardinalis ait: *Profundum peccatorum potest dici contumacia, pertinacia, defensio, jactantia, præsumptio.* Peccatores enim habituati non solum sunt obstinati, duri, & intractabiles, verum insuper propria scelera defendunt, & gloriantur de ijsdem; *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et tales revera ad supremum malitiæ culmen pervenerunt. S. August. ait: *Peccata quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerunt, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, diffamanda videantur.* Quando igitur alicui iniquitas, vel scandalum non solum non displicet, verum etiam de illo gaudet, talis scire debet, quod in profundum devenerit. De illo enim verificatur, quod Ecclesiastes deplorabat inquiens: *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Subdit verò immediate: *Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.* Considerandum quoque est, Sapientem non sine mysterio mentionem facere multorum peccatorum in numero plurali (*in profundum peccatorum*) quia non solum præsumptio, & jactantia, efficit, ut perversi in innumerabiles incidant excessus, verum etiam contumacia & obstinatio; ac proinde sanctus Bernardinus optime monet inquiens: *Malus quanto plus est induratus in malis operibus, & peccatis, tanto magis efficitur securus, & magis firmatur in suis sceleribus.* Hinc quoque fit demum ut Sanctus Cæsarius Arelatensis dicit, quod ad omnia vitia sibi habenas relaxent. *De multitudine peccatorum desperatio nascitur*, inquit, *& ex desperatione absque ulla reverentia peccatorum fræna laxantur, & impletur illud, quod scriptum est: Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit.* Legitur in antiquo quodam canone ex Sancto Gregorio de impijs differente desumpto: *Voluissent iniqui si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare; ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui numquam desinunt peccare, dum vivunt.*

Hug. Card. ib.

Gaudens de iniquitate venit in profundum.

Prov. 2. v. 14.

S. Aug. Enchirid. c. 82.

Eccle. 8. v. 11.

S. Bern. tom. 4. ser. 42. part. 1. princ.

S. Cæs. Arel. Hom. 13. de pæn.

Peccator in peccatis desiderat semper vivere.

Grat. de pœnit. dist. 1. can. 60.

8. *Cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Profundum peccati dici quoque potest infernus, licet enim reprobus obstinatus se in abyssum infernalem descensurum esse sciat, id tamen minime curat, dummodo delicijs & voluptatibus suis sibi frui liceat; Doctrina est Sancti Isidori dicentis: *Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est; contemnere pœnitentiam; & manere in culpa, descendere in infernum post mortem est.* Hi enim contemnentes pœnitentiam, ultro citroque sibi eligunt infernum, Sapiens postquam dixisset: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit* mox subjungit: *Sed sequitur eum ignominia & opprobrium*, id est, ut Beda explicat: *Talis opprobrium futuræ damnationis nulla ratione evadit, quem ad usu suæ iniquitatis nulla divini timoris memoria cohibuit.* Dionys. Carthusian. super c. 16. S. Luc. scribens, revelationem quamdam citat S. Birgittæ factam, de anima quadam præscita, & præsentata coram tribunali Dei, cui impudenter dixerat: *Quamvis possem salvari, non vellem, ne tu consolationem & gaudium haberes de me*, ad quæ verba Dæmon eidem hoc dicenti præsens, subjunxit: *Talis est mea voluntas.* Hic utique in profundum malitiæ barathrum devenerat.

S. Isid. lib. 2. sent. c. 14.

Profundum peccati dicitur infernus.

V. Beda in Prov. 18.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Peccator habituatus semetipsum contemnit, floccique pendit peccatum, leges, homines, pœnas, aut verecundiam; sibique à Deo datis abutitur auxilijs, bonaque opera, & quidquid ad Deum spectat, nauseat, & fastidit.

THEMA.

Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Prov. 18. V. 3.

1. IN discursu quidem præcedenti, per hunc impium, de quo Sapiens loquitur, peccatorem in mala consuetudine habituatum intelligendum esse probavimus, non tamen examinavimus circa quid ejus versetur contemptus; nec Sapiens specificat, quidnam, vel quale sit illud, quod impius aspernatur, sed indefinite tantum dicit, *contemnit*, nec aliud quidpiam addit; ad hoc tamen facilis est responsio; ideo namque in specie aliquid declarare noluit, ut tanto latiorem habeamus campum asserendi, quod perversi hujus farinæ homines, id est in mala vita sua obstinati & inveterati omnia bona contemnant, scilicet Deum, homines, omnes leges, naturalem, humanam, divinam, nec quidquam curant animam suam, reputationem, cœlestem beatitudinem, justitiam divinam, contemnunt & aspernantur consilia, admonitiones, reprehensiones, minas, amicos, Parentes, Patronos, Principes, Prædicatores, propriæ conscientiæ remorsum, & synderesin; inspirationes internas, auxilia, & invitationes cœlestes, aliorum bona exempla, miracula, divinæ iræ flagella, denique pœnarum æternarum atrocitatem.

Quidnam in profundo impius contemnat.

2. *Contemnit se*, inquit Hugo Cardinalis. Tametsi enim huic depravatæ naturæ nostræ adeo tenaciter impressus sit amor proprius, ut ad nos ipsos inordina-

Hug. Card. ib. Contemnit se.

te

te amandos nos cogat, nihilominus impius in sceleribus suis habituatus, nihil curat se, quia ut Hugo Cardinalis ait: *Pro quolibet vili dat se, ut avarus pro obulo; luxuriosus pro momentanea voluptate; superbus pro vanissima laude;* Verum quidem est, quod homo aliquis honoratus, super omnia hujus vitæ bona, propriam reputationem, & honorem, vel maxime æstimet, juxta illud Ecclesiastici monitum: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni;* Verumtamen certum est, quod qui malæ alicui consuetudini immersus vivit, in conceptu & opinione hominum sensatorum, habeatur tamquam infamis, ac proinde postquam Sapiens dixisset: *Impius dum in profundum peccatorum venerit contemnit;* immediate subjungit: *Sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

Eccli. 41. 15.

Prov. 18. 3.

Hug. Card. ib.

3. *Contemnit id est, non curat peccare.* Perdit enim omne frænum timoris Dei, quo amisso magna cum facilitate in quemvis ruit excessum. S. Hier. in vita sancti Regis Josaphat, de peccatoribus Dei timore destitutis ita scribit: *Quatenus graviora peccata ipsis suboriuntur, contracto tandem habitu, anima in contemptum cadit, impius enim, inquit ille: Cum in profundum venerit, contemnit, ac deinceps ut sus in cœno volutari gaudet. Sic etiam anima illa pravæ consuetudini immersa, nec peccatorum quidem fœtorem sentit, verum potius ipsius gaudet & oblectatur.* Propositio est Salustij dicentis: *Plura sunt, quæ licet gravia sint, tamen ex consuetudine pro nihilo habentur.* Patuit idipsum in Davide, qui licet de se gloriatus fuisset: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum*, & iterum: *perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ;* Nihilominus quando Uriam in prælio occisum esse audivit, famam mortis illius in publicum divulgavit, ut Bersabea conjuge ejus tanto majori cum libertate frueretur: eique qui mortem Uriæ sibi nuntiaverat dixit: *Non te frangat ista res, varius enim eventus est illi;* Nihili faciebat homicidium illud, quia in mala adulterij consuetudine jam dudum insordescens obcalluerat. Sanctus Bernardinus ait: *Anima habituata in mala consuetudine peccati est ad instar ebrij.* Ebrius enim cum cerebrum amiserit, omnia se benefacere credit. Maschardus refert de quibusdam ebrijs, quod dum se in quadam maris tempestate positos esse, & pro salvanda vita navim exonerari debere crederent, omnes res suas è fenestris ejecerint; *Cor impij autem est quasi mare fervens, quod quiescere non potest;* Ac proinde cum reprobi à passionum suarum vehementia agitentur, facultates suas non curant, sed projiciunt illas, ut inhonestis appetitibus suis vacare possint. De ebrijs Poëta illa cecinit: *Quid non ebrietas designat? spes jubet esse ratas, in prælia tradit inermes.* Quotidie videmus quod qui amoribus impudicis impliciti sunt nec vitam æstiment, nec animam. Quæ omnia sequens Sancti Augustini confirmat sententia dicentis: *Peccata grandia & horribilia, cum in consuetudinem transeunt pro nihilo reputantur.* Quando quis venenum sumpsit, quod paulatim per viscera serpit infallibile est insensibilitatis indicium, si veneno cor invadente, illud prorsus non sentiat, neque curet. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, & ideò cum pestiferum & lethale peccati venenum est intra Christiani animam, ipse vero illud contemnit, & nihil facit signum est quod illud pellendi nullum sit remedium, differt enim per menses, septimanas, & annos. Differt donec illud foras ejiciat, & plerumque de illo gaudet & ridet, *lætatur cum male fecerit, &c. impius cum in profundum venerit contemnit*, immo quando abysso infernali adeo vicinus est, quantum ab illo distat unica respiratio, ipse tamen illud *non curat*, quin potius *contemnit;* Signum est illum esse perditæ salutis & in profundam abyssum devenisse perditionis.

Contemnit id est non curat peccare.

Vit. Patr. l. 1. vit. S. Josaphat.

Salust. in Jugur.

Ps. 118. 112.

Ps. 100. v. 2.

Consuetudo peccata gravia apprehendit quasi levia.

2. Reg. 11. v. 25.

S. Bern. T. 4. ser. 15. part. 1. & 2, princ.

Isaiæ 57. 20.

S. Aug. ibid.

Comparatur veneno.

Ezech. 18. 20.

Prov. 2. v. 14. & 18. v. 3.

Cajet. ibid.

4. *Contemnit.* Cajetanus verbum hoc ita exponit: *Impij est vilipendere jura & homines.* Peccator enim in mala vita sua obstinatus, omnes contemnit leges, omnesque personarum status, & conditiones, nec ulli suum defert respectum, dummodo ad exatiandos effrænes appetitus suos pertingere valeat; nullum curat legum, conventientiæ, vel authoritatis retinaculum, quia *impij est vilipendere jura & homines.* Porro Judæi Christo in die festo mortem nequaquam inferre decreverant, ne forte populus multis ab eo beneficijs affectus, aliquam excitaret seditionem: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo;* Cur igitur decretum istud, tanta cum unione & concordia stipulatum, non observarunt? Certum est enim, quod tam Sacerdotes, quam Magistratus, Principes Synagogæ & Pontifices populi, omnes concorditer crucifixionem Christi in solemnissimo totius anni die (*erat enim magnus dies ille Sabbathi*) perfici urserint. Sed respondetur: *Impij est vilipendere jura & homines*, Pontifices enim, & Principes Synagogæ, jam dudum odio contra Christum adeo intoxicati fuerant, ut accepta occasione rabiem suam contra Dominum evomendi, nullum habuerint respectum, sive resolutionis antea ab ipsis concorditer factæ, sive solemnitatis Paschalis ab ipsis profanandæ, ne occasionem Christum necandi amitterent. In capite decimo nono Geneseos refertur, duos Angelos in specie humana circa vesperam in civitate Sodoma comparuisse, qui subito à Loth in domum suam invitati & in hospitium recepti fuerunt: *Compulit illos oppidò, ut diverterent ad eum;* At vero quid factum est? *Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum à puero usque ad senem.* Sed qua de causa domum Loth tanta affecerunt injuria? Num forte Loth delictum aliquod in damnum publicum commiserat, ut proinde domum ejus tumultuosè obsiderent? Num forte viarum prædonibus vel alijs, qui criminis læsæ majestatis rei fuerant hospitium dederat? Numquid ad bonas leges bene gubernatæ civitatis spectabat peregrinos hospitio excipere? Omnino ita est, verumtamen impius omnes leges conculcat; *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit jura, & homines; Vocaverunt Loth, & dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos. Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite hoc malum facere; Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis.* Sed *impij est vilipendere jura & homines;* Audite enim illorum in præpostera concupiscentia sua obstinationem, & pertinaciam; subdit enim sacer textus: *At illi dixerunt, recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices te? ergo ipsum magis, quam hos affligemus, vimque faciebant Lot vehementissime, jamque prope erat, ut effringerent fores.* Opus igitur erat, ut ad compescendum horum impiorum insolentiam, Deus patraret miraculum. *Et ecce miserunt manum viri & introduxerunt ad se Lot clauseruntque ostium: Et eos qui foris erant, percusserunt cæcitate, à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.*

Contemnit Leges & homines.

Matt. 26. v. 5.

Probatur in pontificibus Judæorum.

Joan. 19. 31.

Gen. 19. v. 3.

Confirmatur in Sodomitis.

Ibid. v. 4.

Ibid. v. 5.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 7.

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 11.

5. *Contemnit pœnæ comminationem.* Eo usque malignitatis peccatoris in vitijs suis indurati exurgit duritia, & surditas, ut licet omnia ipsi infligantur iræ Dei flagella, ipse tamen ne passum quidem minimum à vitæ suæ pravitate retrocedat, tametsi etiam coram se apertum videat infernum, Sapiens immediate post ly *contemnit*, subjungit, *sequitur eum ignominia & opprobrium*, id est *futuræ damnationis*, ut Hugo exponit, *quæ scilicet impij non cogitaverunt, nec timuerunt, dum vitare possent.* Tritum quidem est illud Poëtæ effatum: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, hæc autem regula in reprobo contumaci, & in sceleribus suis indurato, plurimum fallit, hic enim, ut Beatus Laurentius Justinianus ait: *Præceps delictorum ruit in foveam, effrænis ducitur post carnis concupiscentias, contemnit majorum admonitiones sacras, Patrum decreta subsannat; & iniquis æternæ supplicia præparata non metuit.*

Lyran. ibid.

Contemnit Comminationem pœnæ.

Hug. Card. ib.

B. Laur. Just. de perfect. grad. c. 2.

6. *Contemnit.* Sanctus Athanasius in Sermone quarto *contra Arrianos*, hunc in profundissimum malitiæ barathrum infelicem lapsum, idem esse dicit, quod verecundiam, vel erubescentiam peccati amittere; adeoque secundùm hunc Sanctum Doctorem ly *contemnit*, idem significat quod *pudorem exuit.* Beatus Laurentius Justinianus postquam contra hosce obstinatos peccatores pluribus detonasset, tandem in hæc verba concludit: *Ex his patet, quod quicumque hac voluntaria, & deliberata peccandi consuetudine possidetur, nec Deum metuit, nec ullo pudore detinetur.* Sanctus Bernardus de verecundia, quæ frænum est culpæ, deque virtuosæ erubescentiæ rubore ita scribit: *Est expunctrix malorum, specialis gloria conscientiæ, vitæ decus, virtutum sedes.* De jactura autem hujus virtutis, & consequenter de inverecundia, & impudentia, omnino asserendum est contrarium, quia *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Imo per subsannationes suas omnes, quos possunt, à virtute, & Christi sequela, exemplo suo seducere satagunt, prouti ex ipsorummet propria confessione clare satis colligitur; apud Sapientem enim dicunt: *Hi sunt quos habui-*

S. Athan. ser. 4. contr. Arrian.

Contemnere est verecundiam peccati amittere.

B. Laur. Just. ibid.

S. Bern. Ser. 86. in Cant.

Prov. 2. v. 14.

Sap. 5. v. 3. *habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.*

7. *Contemnit*, scilicet, secundùm expositionem Cornel. à Lapide, impius contemnit, & abutitur auxilijs, quæ Dei misericordia illi ad sum emendationem subministravit: *Hæc enim consuetudo*, inquit præfatus Cornelius *necessitatem quamdam peccati adfert, qua fit, ut homo quasi impius sui, rapiatur in suas concupiscentias, quibus ultro se totum mancipavit, quo fit, ut omnia quæ eum à peccato removere possent, spernat & contemnat.* Audiamus Beatum Laurentium Justinianum ita scribentem: *Indulta tempora ad peragendam pœnitentiam non cōsumpendit, neque extremum vitæ suæ considerat diem, sed arbitrans sibi totum licere quod vult, mortiferas proprias nititur perficere voluptates, tamquam equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Et in alio loco *de resurrectione spirituali animæ* differens, sequentem tradit doctrinam: *Soli illi merito plangendi sunt, tamquam mortui, qui nec terrentur minis, nec verberibus emendantur, de quibus per Prophetam dicit Dominus: Percussi eos, & non doluerunt; attrivi illos, nec compuncti sunt; nam quos præsentia flagella non corrigunt, ultrix flamma æterni comburet incendij. O quantos quotidie ultro divina flagellatos, & impatientes damnat. O quot ex disciplina Patris, rebelliores, & deteriores fiunt, cum quod illis datur ad conversionis adjutorium, sibi per intoleratiam lethale convertunt in poculum.*

Corn. à Lap. ibid. Contemnit id est abutitur Dei gratia.

B. Laur. Just. ibid.

B. Laur. Just. de spirit. animæ resurrect. l. 2.

8. *Contemnit.* Hugo Cardinalis, inquit: *Contemnit Deum, quia peccatis absorptus, ipsum nec reverebitur, nec timet; dixit enim in corde suo, non est Deus.* Etenim nullum est peccatum, quod majorem homini insinuat bonorum, & virtuosorum repugnantiam & nauseam, quam mala consuetudo peccandi, quia cum reprobus per illam animalis reddatur, circa illum indubitatum est illud axioma Apostolicum: *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* S. Bernardinus multas quidem assignat peccati habituati malitias, inter alias vero hanc quoque memorat: *Est privativa omnis aptitudinis benefaciendi; unde nos habemus naturale ingenium, liberam voluntatem, grandem memoriam, juventutem, sanitatem, pulchritudinem, fortitudinem; Item habemus bona spiritualia scilicet sapientiam, intelligentiam, contemplationem, meditationem. Item habemus bona gratuita scilicet gratiam gratis datam, & gustum divinæ dulcedinis, & fruitionem ipsius Creatoris, & contra ista omnia est grassator Diabolus, qui stadet continuo nos istis bonis depræedari, & inducit nos in malos usus, quia ubi est peccatum, non potest esse gratia Dei, & ideo ait Salomon Eccle. 12. c. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Beatus Laurentius Justinianus hanc rerum divinarum nauseam, à mala impij consuetudine provenientem, clarius confirmat inquiens: *Voluntaria consuetudo delinquendi, inhabilem reddit hominem, ad bene agendum proclivem ad malum facit, exhibet culpæ obnoxium, & deordinat naturæ bonum, dona gratiæ, virtutum merita. Quid vero hac servitute infelicius?* Sanctus Bernardinus inquit: *Hi sunt de quibus Psalmista ait: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Vulnerati siquidem sunt longa consuetudine peccatorum malorum. Hi dormiunt in sepulchris, conscientiarum malarum plus quam glis, qui per sex menses dormit in foramine muri; ipsi vero dormiunt per viginti, vel triginta, vel quadraginta annos; horum siquidem non est memor Deus, ad miserendum, quia oblivi sunt Domini Creatoris sui.* Valde autem formidabilis est sequens B. Laurentij Justiniani sententia, dicentis: *Nihil sic humanæ adversatur saluti, à Deo separat, divinis à societate Sanctorum, quemadmodum delictorum immanitas, atque indisciplinata consuetudo peccandi.* Etenim tametsi omnia peccata mortalia à Deo nos separent, cique nos exosos reddant, nullum tamen nos magis à Deo alienos, & exosos efficit, divinaque amicitia & gratia nos privat, sicut peccatum habituatum; alij enim peccatores offendunt Deum *per modum transeuntis*, hoc vero per modum permanentis. In ultimo judicij die severus & implacabilis Judex hisce præfatis, dicet: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*; At vero cur dicit in tempore præsenti *operamini*, & non potius in præterito: *Operati estis?* Sanctus Bernardinus ait: Judicem dicere: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, id est, consuetudinem malam*, quia qui hac obnoxij sunt, numquam ab offensis, & injurijs divinæ majestatis desistunt. Sanctus Bernardus contra hanc malam consuetudinem multa scripsit, postquam vero dixisset: *Ligat consuetudo*, mox subjungit: *Trahitur miser in profundum malorum, traditur captivus tyrannide vitiorum, ut carnalium voragine desideriorum absorptus, suæ rationis, divinique timoris oblitus dicat insipiens in corde suo, non est Deus.* Sanctus Bernardinus de ijsdem reprobis ait: *Quanto per longiorem consuetudinem prolongaverant iniquitatem suam, tanto quoque quandoque propinquiorem, & semper acerbiorem experiuntur justitiam Dei.*

Hug. Card. ib. Contemnit subintelligitur homo animalis.

1. Cor. 2. v. 14.

S. Bern. T. 4. ser. 15. p. 1. & 2. princ.

Ecclc. 12. v. 1.

B. Laur. Just. de perfect. grad. c. 2.

S. Bern. T. 1. ser. 21. art. 2. c. 6. Consuetudo peccandi est inhabilitas ad bene agendum.

B. L. Just. ib. Peccatum habituatum pejus est omnibus alijs transeuntibus.

Ps. 6. v. 9.

S. Bern. ser. cit.

9. Inter alias actiones, quæ de inclyto Dei servo Camillo de Lellis, Religionis Clericorum ministrantium infirmis fundatore leguntur, sequens quoque referrur funestus casus, qui hic Romæ in hospitali quodam sub pontificatu Gregorij XIV. contigit, quando magna illa sævijt caritatis annona; tunc enim in hospitale illud infirmus quidam curandus delatus fuit, ad quem Confessarius sine mora accessit, peccatorum ab eo commissorum confessionem excepturus. Sed qua bonum hunc Sacerdotem ab infirmo illo urbanitate exceptum fuisse existimatis? Historia dicit: *Duris ab eo verbis exceptus, & inurbane contumelioseque rejectus est. Hæc enim illi respondit, se nimirum culpas ei suas aperire nolle; immo desperata jam animi salute totum se, & tum animæ, tum corporis Diabolo homagium fecisse. Ad quod comprobandum syngrapham propria manu, quam suomet cruore frontis vena hausto inscripserat, illi se tradidisse. Ad quod Sacerdos obstupescens, verbis quam multis instiit, ut languentem ab erroris contumacia, & desperatione averteret, audaciter enim vir perditus monenti respondebat, se nullam cum Deo pacem habere velle, sed tam vivum, tum mortuum Diabolo se despondisse, & ejus velle totum esse.* Ecce quam verum sit: Quod impij in peccatis suis habituati, se Dei & propriæ salutis inimicos esse aperte profiteantur, Dæmonique tandem in prædam cedant. Quem enim miserabilem hunc hominem finem habuisse existimatis? Nimirum cum usque in sequentem diem confessionem facere distulisset, circa mediam noctem, dum Confessarius illum ad pœnitentiam disponere niteretur, ministri hospitalis, ex multis habitis indicijs, illum à Dæmone simul in corpore & anima sublatum fuisse æstimarunt, siquidem tametsi omnes fores & fenestræ clausæ fuissent, corpus tamen illius nusquam reperiri potuit.

S. Bern. de grad. humil. grad. 12.

S. Bern. ibid. c. 5.

Historia quæ contigit Romæ fundatori ministrantium infirmis.

Sanctus Cinatell. l. 1. c. 27.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Peccator habituatus eum à quo monetur, & corrigitur, nequaquam amat, aut æstimat, nec ei credit, sed potius ridet, contemnit, & odit illum.

THEMA.

Non amat pestilens eum, qui se corripit. Prov. 15. v. 12.

1. Inter alia irreparabilia præjudicia, quæ in peccatorem habituatum redundant, unum est, quod nullum habeat deplorato statui suo emendando remedium, idque propria ipsius culpa ei accidit, quia admonitiones & correctiones sibi factas execratur, & contumaciter contemnit; ac proinde Sapiens ait: *Non amat pestilens eum qui se corripit*; Quæ verba Dionysius Carthusianus ita exponit: *Pestilens, id est, scandalosè & publicè male vivens, sedet enim in pestilentiæ cathedra & habituatus est in sua malitia.* Enimvero si quispiam post contractam pestilentiam ab alio amico hoc acciperet solatium, quod scilicet indubitata sit ejus reconvalentia, dummodo medicos, chirurgos, aliaque opportuna admittat remedia; ille vero omnia hæc auxilia inciviliter rejiceret, obstinate in malo suo persistere, & à contagio suo nequaquam curari volens, quid de miserabilis istius hominis insania diceres? Similis quidem casus vix dari solet, quando de sanitate corporali, tantopere ab omnibus æstimata, agitur, at vero in spiritualibus impiorum infirmitatibus habituatis sæpissimè contingit; hi enim communiter procul à se rejiciunt omnes illos, qui eos per salutaria admonitionum, & correctionum remedia à malæ suæ consuetudinis contagio liberare satagunt. D. Chrysostomus ait: *In peccatis id efficiunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia, sicut insipiens est qui pharmaca rejicit, ita stultus est qui non recipit grato animo reprehensiones*, hoc tamen non obstante non amat pestilens eum qui se corripit.

Habituato nullum supperit remedium resurgendi.

D. Carth. ibi.

In peste spirituali rejiciuntur medicamina, non vero in corporali.

D. Chrys. H. 9. de seren. repreh. T. 3.

2. Deus apud Isaiam Propheram comminatur inquiens: *Perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen, & progeniem, dicit Dominus.* Ubi per Babyloniam intelligi potest anima perversa, in sceleribus suis habituata, cunctisque auxilijs divinis, quæ contumaciter rejecit, destituta, de qua proinde dicitur: *Curavimus Babylonem & non est sanata.* Id vero quod vel maxime admiror, est id quod Propheta his verbis mox subdit: *Et ponam eam in possessionem Ericij*; Cur enim non potius in possessionem datur ursis, Leonibus, vel alijs feris truculentioribus? Cui accedit, quod in cap. 34. ejusdem Prophetæ, de eodem Ericio ferata fiat mentio, cum dicitur; *Ibi habuit foveam Ericius, & enutrivit catulos.* Sanctus Antonius de Padua per Ericium peccatores intelligit obstinatos, mala quidem ipsorum vita corrigitur, & reprehenditur, sese excusant, & in pessima sua consuetudine perisistunt. Enverba Sancti Antonij: *Nota quod Ericius est totus spinosus, quem si quis capere voluerit, totum intus se absondit, & efficitur quasi sphæra, in manu tenentis, caput & os habet interius, & intra os habet quinque dentes. Ericius est peccator obstinatus, spinis peccatorum undique obsitus. Hunc si de peccato perpetrato redarguere volueris, statim intus sese recolligit, & culpam; quam commisit, excusando absondit, & sic caput, & os habet interius vel inferius. In capite mens, in ore locutio designatur. Dum peccator se de perpetrata nequitia excusat, quid aliud facit, nisi quod mentem, & verba infernis ad terram inclinat? Unde dicitur etiam habere quinque dentes in ore, qui sunt quinque modi excusationum in ore obstinati. Cum enim redargatur, aut se excusat ignorantia, aut fortuna, aut Diaboli suggestione, aut carnis suæ fragilitate, aut proximi occasione, & ita enatvit (ut subdit Isaias,) catulos, id est, motus suos, & circumfodit, & fovet in umbra suæ excusationis.* Qui vulnus aliquod gangræna affectum habet, quanto illud chirurgo magis abscondit, illudque nullo remedio opus habere dicit, tanto gangræna profundius serpit, plagaque lethalior efficitur. *Quod enim tegit infirmus, nutrit vulnus*, ut inquit Sanctus Remigius. Sanctus Gregorius similiter ait: *Vulnera clausa plus cruciant, quia cum putredo, quæ intrinsecus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur.* Porro lingua ejus qui perversum corrigit, & reprehendit, eumdem habet effectum, quem producere solet novacula, dum ulcus aperit, & faniem ac putredinem foras manare facit. Nam ut Clemens Alexandrinus ait: *Est reprehensio quædam veluti chirurgia affectionum animæ.* Et vero quot sunt qui ab hoc antidoto curantur, de quo Psalmista ait: *Misit verbum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum?* Væ autem illis, qui hosce medicos, hæcque antidota à se repellunt & abjiciunt. *Qui sanari vult*, ait Sanctus Ambrosius, *argui non reformidat*, sic enim legimus: *Misit verbum suum & sanavit eos. Non amat pestilens eum qui se corripit*, id est, ut Hugo Cardinalis exponit, *qui à malo revocat, vel super malo ipsum redargait.*

Isa. 14. 23.

Isa. 34. v. 15.

S. Anton. de Pad. ser. 2. in Dom. 1. Quadr.

Comparatur Ericio.

Comparatur fecundo gangrænæ.

S. Remig. in Isa. 31.

S. Greg. lib. 1. Past. admon. 1. 3.

Clem. Alex.

Ps. 106. v. 20.

S. Ambr. ib.

Ab illis irrisus.

Prov. 15. 12.

Mag. Card. ib.

3. *Non amat pestilens eum qui se corripit*, neque bene monenti credit. Genus humanum per tot annos in peccato carnali, adeo pertinaciter inveteratum fuerat, ut Spiritus Sanctus illud exprimere volens, hac usus fuerit phrasi loquendi: *Cuncta cogitatio hominis intenta ad malum omni tempore*, præcepit itaque Noë, ut intimato perversis illis post viginti annos secuturo universali diluvio, in pœnam peccatorum ijsdem immittendo, simul eodem tempore vastam illam arcæ molem fabricaret, utpote in qua nonnullas humanæ propaginis scintillas, id est, modicam Noë familiam præservare decreverat. Observandum vero est, quod licet sanctus hic senecio honoris divini à perversis illis contumeliati, vindicandi, omnesque illius temporis homines emendandi & convertendi zelosissimus, per tot annos, ab ijs admonendis, reprehendendis, commonendisque supplicijs numquam desiterit, frustra tamen & incassum, laboraverit, quia *non amat pestilens eum qui se corripit*; *volebat Deus illos, qui tam graviter peccaverant*, inquit D. Chrysost. *fabricatione arcæ admoneri, ut secum cogitando quæ fecissent, respiscendoque indignationem non experirentur*; verum, ut in discursu præcedenti probavimus: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Mala enim consuetudo hanc habet pessimam indolem, quod omnia propriæ salutis asperneturremedia, & ideo subdit Chrysostomus: *Cum tot annis audissent, quod ante fores essent interitus, neque à malitia cessabant.* Non enim Noë seniculo credebant, quin potius deridebant eum; Ubi nostra vulgata legit *pestilens*, textus Hebræus habet, *irrisor*, *illusor*; qui omnia monita irridet, & cachinnando exsibilat, quales suo contempru, sannis jocis, & dicterijs pestilentissimi, & summe noxij sunt. Quando is qui pestilentia laborat, non amat eos, qui eum sanare contendunt, nec fidem habet illis (*non amat eum qui se corripit*) signum est infallibile, quod salutem & vitam propriam nihil curet, aut æstimet, at vero quod insuper illum irrideat, & subsannet, & contemnat, hoc solum spiritualibus animarum in malitia invetteratarum medicis contingit, unde ipsimet licet serius fatentur: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij*; deridentes enim illos, qui eos in ordine ad salutem animæ salubriter monent, & quidquid ad eam pertinet, vilipendunt. *Pestilens sonat illusor*, inquit Cajetanus, *derisor, in ludum deducens, quæ religionis & futuræ vitæ sunt.* Audiamus Beatum Laurentium dicentem: *Hinc tota intentione, & omni qua valet industria, qui ab hac voluntate delinquendi consuetudine delectatur, possidetur, detestari conatur detestabilem impiorum hominum conversationem, de quibus in Sapientiæ volumine sic legitur: Dixerunt impij apud se non recte cogitantes; exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis, Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tamquam non fuerimus, quia extinctus cinis est corpus nostrum, & spiritus diffundetur, tamquam mollis aër, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radijs Solis.* Porro cum atheistis illis firmissime impressum sit, animam nostram à morte immortalem non esse, neque post hanc præsentem vitam, aliam esse vitam superstitem, immo nec Deum remuneratorem bonorum, impiorum vero castigatorem esse credunt, consequens est, ut omnia in ludum deducant, quæ religionis, & futuræ vitæ sunt, semperque in malis habitibus suis inveterascentes in hanc tandem resolutionem descendant: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* Tandem vero prædictus Justinianus ita concludit: *Ex his patet, quod quicumque hac voluntaria, & deliberata peccandi consuetudine possidetur, Deum non metuit; amisso autem timore Dei multo magis omnem erga homines timorem & respectum deponent.* Sanctus Bonaventura de peccatore in mala consuetudine invecerato claris verbis dicit: *Non permittit se tangi per correctionem juxta illud: Peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit.* Sanctus Gregorius quoque ad propositum nostrum ità scribit: *In laudem justi per Salomonem dicit veritas. Prov. 9. Doce justum, & festinabit accipere; pravorum contumaciam despicit, dicens, qui erudit derisorem (ipse sibi facit injuriam; ubi peccatorem contumacem derisoris nomine aperte nuncupat.*

Sap. 5. v. 3.

Cajet. ibid.

B. Laur. Just. Dictum Atheistarum.

Sap. 2. v. 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 5.

S. Bonav. n. 6. Dict. Sal. tit. 1. c. 2.

Prov. 9.

S. Greg. lib. 10. mor. c. 1.

Pestilens odit ad conversionem monitorem.

4. *Non amat pestilens eum qui se corripit.* Quisquis est perditæ salutis, & in peccatis suis obstinatus homo, eum qui illum corrigit, non solum non amat, sed nec auscultat, aut æstimat, sed ridet & subsannat eum; Immo quod plus est, & in quo malitiæ suæ culmen consistit, illum odit, & persequitur, dicente Amos Propheta, *odio habuerunt corripientem ... & loquentem perfecte abominati sunt.* Herodes quidem, & ipse prædicationi Sancti Joannis Baptistæ, non modicum addictus erat, siquidem ut sacer textus ait: *Libenter eum audiebat*; nec est quod existimes verbum Dei ab illo sine fructu auscultatum fuisse, quin potius adimplebat illud à Sancto Jacobo deinceps traditum consilium: *Estote autem factores verbi & non auditores tantum*, siquidem Evangelista Marcus de illo ait: *Audito eo multa faciebat*; eum enim tamquam magnæ sanctitatis virum, summa in veneratione habebat, *sciens eum virum justum & sanctum.* Magna quoque erga eum ferebatur reverentia & respectu, quia idem sacer textus ait: *Metuebat eum*; & quia *omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*, hinc idem sacer textus ait: *Et custodiebat eum*, scilicet à persecutoribus, vel alijs indigne ipsum tractare volentibus, & tamen his omnibus non obstantibus ex ejusdem Herodis præcepto Sancto Joanni Baptistæ caput amputatum fuit: *Misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco.* At vero undenam obsecro hæc tam peregrina orta est mutatio, ut amore in odium verso, mors adeo impia homini omnium, non solum in Judæa, sed & in universo mundo existentium, innocentissimo & sanctissimo, illata fuerit? Nimirum *non amat pestilens eum qui se corripit*; *odio habuit corripientem, & loquentem perfecte abominatus est.* Quamdiu S. Joannes verbum Dei in genere annuntiavit,

Amos. 5. 10.

Marc. 6. 20.

Jacob. 1. 22.

Marc. 6. 20.

Ibid. v. 20.

Herodes occidit Joannem Baptistam propter sancta sua monita.

Marc. 6. 27.

tiavit, neminem in specie sensibiliter tangendo, tamdiu Herodes libenter eum audiebat, at quando zelo obarmatus scandalosum ejus cum Herodiade tot annis continuatum incestum reprehendere cœpit, mox caput ejus à basto amputari mandavit. Nam ut Cæsarius ait : *Sæpe boni mali obtemperant, & hoc quamdiu eis placita prædicant, quorum vitia si per correptionem durius tetigerint, quidquid ibi amicitiæ prius fuerit, totum dissolvitur, & amor in odium vertitur.*

Cæsar. ibid.

Cajetanus in ea est opinione, quod videlicet hic Rex, qui à Christo astutæ vulpis nomine indigitatus fuit, prædictos pietatis & religionis actus extrinsecus solummodo simulaverit, id quod etiam peccatores per malam consuetudinem habituati sæpe facere solent, ceremonijs nimirum externis in publico utentes.

Cajet. in Marc.

Historia de S. Stanislao.

Celebris est illa de Sancto Stanislao Episcopo Cracoviensi conscripta historia, etenim cum Boleslaus, Rex Poloniæ, cum publico totius regni scandalo, in omni lascivia vitam ageret, visum est Sancto huic Præsuli se tamquam Patrem ejus spiritualem obligatum esse ad eum ex hac turpi vita eripiendum, idque fecit, dum non tantum semel, sed sæpius cum humilitate & gravi modestia, rogavit, ut libidinosam vitam suam, quæ omnes sibi subjectos populos gravi cum damno inficiebat, moderaretur, & refrænaret, immo ex parte Dei severum illi comminabatur supplicium, scilicet Coronæ & Regni sui totalem jacturam, nisi serio se emendaret. At vero *non amat pestilens eum qui se corripit*; & ideo *odio habuit corripientem.* Sententia est Ecclesiastici dicentis : *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Sanctus Patianus pariter ait : *Ut cœnum tunc maxime solet fœtere, cum moveas, & incendium tunc maxime ardere, cum versas; & rabies tunc maxime sævire si provoces, ita illi objurgationis necessariæ stimulos contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo, & vulnere repugnantis; nam à Domino dictum est : Argue stultum, & odio te habebit.* Boleslaus enim malam suam vitam deserere nolens, credensve nullum adeo fore præsumptuosum, qui illum, utpote Regem, corrigere auderet, crudeli ira exacerbatus, Sanctum Episcopum persecutionibus eo usque infestare statuit; donec os ei occluderet; At vero quia nullum ei suppetebat accusationis argumentum, gravem adinvenit calumniam; cum enim Sanctus Episcopus pro utilitate suæ Ecclesiæ, à quodam, triennio ante, quam venditor moreretur, quamdam coëmisset possessionem, & pretium quidem justum & utrimque pactum persolvisset, necessarias tamen ad illud probandum, à venditore non accepisset scripturas, defuncti venditoris hæredes instigavit, ut Episcopum tamquam fraudulentum usurpatorem in judicio convenirent. Causa igitur coram tribunali Regio proposita, cum testes ad veritatem deponendam sese prodere non auderent, neque instrumentum ad veritatem probandam Episcopo ad manus esset, ipse ad restituendam coemptam possessionem fuit condemnatus. Sanctus igitur Episcopus in his se angustijs positum videns, in quibus non tantum Ecclesiæ suæ interesse; verum etiam, quod majoris momenti erat, existimatio propria periclitabatur, se intra triduum defunctum venditorem, ad perhibendum veritati testimonium, in judicium adducturum esse compromisit. Verum *non amat pestilens eum qui se corripit*, & ut audistis, idem est peccator habituatus, quod illusor, atque irrisor, & ideo, ut in lectionibus, quæ in officio prædicti Sancti leguntur, dicitur, conditio cum risu accepta fuit, verum Episcopus quod promiserat re ipsa fuit executus, nam ipso sponsionis die, post oblatum Missæ sacrificium, Petrum è sepulchro surgere jubet, qui statim redivivus, Episcopum ad regium tribunal sequitur, ibique Regi, & cæteris stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio rite sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit. Annon ad emolliendum perversi hujus Regis cor & animum stupendum hoc sufficere debebat prodigium? Verum non solum nihil inde profecit, quin potius asperiori cum furore adversus innocentem Episcopum furere cœpit, adeo ut hic ad illum excommunicandum adactus fuerit : Frustra enim sæpe admonitum tandem à fidelium communione removet : Ille iracundia furens, milites in Ecclesiam immittit, ut sanctum Episcopum confodiant, qui ter conati occulta vi tertio divinitus sunt depulsi. Neque hæc miracula apud prædictum Regem quidquam profecerunt, ut obstinatam indignationem suam deponeret, quin potius postremo impius Rex Sacerdotem Dei hostiam immaculatam ad altare offerentem sua manu obtruncat. Sed audite aliud non minus prodigiosum miraculum : Corpus enim membratim concisum, & per agros projectum, aquilæ à feris mirabiliter defendunt. Mox Canonici Cracovienses sparsa membra nocturni de cœlo splendoris indicio colligunt, & suis locis apte disponunt, quæ subito inter se adeo perfecte copulata sunt, ut nulla vulnerum vestigia exstarent. Multis præterea miraculis servi sui Deus sanctitatem declaravit; At verò impius, obstinatus, & habituatus Rex, in mala vita sua semper magis magisque induruit, donec tandem irreparabiliter in abyssum infernalem corrueret, fuitque in illo verificatum, quod *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnat*; & ea, quæ religionis & futuræ vitæ sunt, in ludum deducat, Sanctus Antonius de Padua in Sermone quodam ita ex Sancto Gregorio ad propositum scribit : *Juxta sententiam beati Gregorij libro 28. mor. Cap. 32. Peccatum disciplinæ correptionem non recipit, donec animam in profundum demersit, nec desistit, ut ex hoc ipsam provenire faciat in disciplinæ contemptum, unde sic dicit : Anima peccato, in quod labitur, non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora dejicitur; quasi in puteo, quo decidit, fundum non invenit quo figatur; unde bene dicitur Prov. 18. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Ex his patet, quod signum hominis reprobati est, contemnere correptionem, & signum quod homo ad profundum peccatorum venit, est, quando habet auditum clausum, affectum pravum, aspectum cæcum, animum induratum. Spiritus Sanctus per os sapientis hujusmodi peccatoribus sequens intimat supplicium : *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* Et ratio est, inquit Lyranus : *Quia peccatum est irremediabile, est enim quædam species peccati in Spiritum Sanctum, quod irremissibile, id est, de difficili remissibile dicitur.* Ac proinde bene monet Sanctus Augustinus inquiens : *Prudenter accipiat unusquisque monita præceptoris, ut non perdat tempus misericordiæ Salvatoris.*

Eccli. 21. v. 7. — *S. Patian. ib.* — Cœnum magis fœtet dum movetur. — Iniqua accusatio per miraculum refellitur. — Impius Rex primo miraculo non movetur. — Neque secundo. — S. Anton. de Pad. in Dom. Pass. — S. Greg. l. 28. mor. c. 32. — Prov. 18. 3. — Contemnere correptionem est signum reprobati. — Prov. 29. 1. — S. Aug. ser. 1. de verb. Dom.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Quanta cum difficultate peccatores habituati in statum reducantur salutis, ex Lazari resuscitatione deducitur, è qua pariter salutaria pro ipsis documenta eliciuntur.

THEMA.

Fœtet, quatriduanus est enim. Joan. 11. v. 39.

1. Sanctus Joannes Apostolus, quia intimus Christi Secretarius fuit, historiam suam Evangelicam hisce verbis claudit : *Sunt & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ex qua declaratione evidenter deduci posse videtur; Salvatorem nostrum multo plures in vitam revocasse defunctos, quam tres illos, qui ab Evangelistis specificantur; hisce tamen sub silentio præteritis, tres solum memorantur, eo quod hi ad nos in ordine ad mortem spiritualem, quæ per peccatum incurritur, & quoad resuscitationem animæ, antea per peccatum mortuæ, postea vero per pœnitentiam ad vitam gratiæ resurgentis, instruendos sufficiant. Porro hoc miraculum, circa personam Lazari à Christo patratum, Sancto Thomæ à Villa Nova, occasionem dedit, ut in concione quadam in hæc verba prorumperet : Non solum miracula sunt, sed mysteria. *Latet in hac Lazari suscitatione spiritualis suscitatio peccatoris. Lazarus namque quatriduanus, fœtidus, & sepultus, peccatoris typum gerit, non cujuscumque; sed obstinati, indurati, corrupti, in quo ratio, mens, sensus, syderesis vitio sepulta sunt.* In hac igitur resuscitatione, incarnata Sapientia (quæ in omnibus actionibus suis doctrinæ magisterium nobis præbere dignata est) manifestare voluit difficultates insuperabiles, quæ in peccatore habituato in statum salutis reducendo, occurrere solent, simulque insinuare voluit media, quæ ad hunc finem consequendum apta esse noscuntur.

Lazarus in sepulchro gerit typum spiritualiter mortui. — Joan. 21. 25. — S. Th. de Vill. fer. 6. post Dom. 4. Quadr.

2. Rupertus Abbas acutè & fructuose considerat differentiam, quæ inter duo alia cadavera, & hoc Lazari, ad vitam revocata intercedunt; Ait enim : *Peccator*

Peccator quivis, jam pro mala consuetudine infamis, Lazaro comparatur quatriduano jamque fœtenti; Et quidem juvenis quoque qui efferebatur per portam civitatis, puella etiam, quam adhuc in domo sua jacentem, idem Dominus suscitavit, mortem significat animæ peccatricis, sed in singulis figurantur peccatorum modi. Puella namque mortua in domo jacens, anima est quæ conscientia mali desiderij suffocata, nondum tamen per operis consummationem publicata. Juvenis autem qui per portam civitatis efferebatur, peccator est, qui desiderio malo præventus, usque ad exteriores quoque pervenit iniquitatis effectus. At vero qui opera peccati jam in consuetudinem vertit, famamque perdidit, Lazaro, ut jam dictum est, similis est quatriduano, jamque fœtenti. S. Thomas à Villa Nova similitudinem adfert infirmitatis habitualis difficulter curabilis : *Sicut qui ægritudinibus corporalibus, distemperatis humoribus ægrotat, perfacile sanatur, qui autem corruptis omnino & putridis diuturna febre laborat longo tempore, & forti medicamine vix curatur, ita in animæ ægritudinibus omnino evenire solet.* Albertus Magnus observat, Sanctum Joannem dixisse : *Erat quidam languens Lazarus, languens longus angor est, quia & angustia angit, & diuturnitate corpus atterit, & vires consumit.*

Rup. Abb. lib. 10. in c. 11. Joan. — Differentia inter tres à Christo resuscitatos. — *S. Th. de Vill. ibid.* — *Alb. Magn. ib.*

3. *Miserunt sorores ejus ad eum dicentes, Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sanctus Thomas à Villa Nova hujus aperit mysterium inquiens : *Valde advertendum est, ut inquit Bernardus, quod sorores pro infirmo & adhuc vivo Dominum deprecantur.* Primo autem loco notandum est, sorores Lazari optime de Christo meritas fuisse, quia Magdalena sæpius pretiosis unguentis egregium Christo præstiterat obsequium, & quamvis peccatorum suorum ab ipso acceperit remissionem, nihilominus & hæc in summam Christi gloriam redundavit, siquidem illa prima fuit, quæ ad illum non pro salute corporali; sed pro peccatorum remissione obtinenda recurrit, in quo facto satis ostendit Christum verum esse Dei filium; *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus.* Ipsa quoque una fuit earum mulierum, quæ continuo eum sequebantur, eique de amplis facultatibus suis quod necessarium erat subministravit. Præterea Martha in Bethania domum suam semper habebat apertam, ut Christum una cum Apostolis suis benigno exciperet hospitio; Ecce tibi igitur quantis fuerunt instructæ meritis, ut gratias à Christo implorarent pariter, & reciperent. Observanda tamen est, modestia & humilitas, qua Christo pro fratre supplicarunt, dicebat enim Martha : *Domine.* Albertus Magnus ait : *Professio est sanandi, si vult; non rogant, sed insinuant tantum, sibi, quod utilius videtur, relinquentes.* Toletus ad illa se verba reflectens : *Ecce quem amas*, inquit : *Efficacior est amor subvenientis, ut bene faciat, quam amor indigentis, ut benefiat ei.* Amor igitur Christi erga Lazarum potentissimus quidam fuit impulsus, quo ad ejus salutem procurandam instigabatur. Sanctus Augustinus ait : *Non dixerunt veni, amanti enim tantummodo nunciandum fuit, sufficit ut noveris, non enim amas, & deseris.* Sanctus Thomas à Villa Nova has sororum preces considerans suadet, ut ad intercessiones recurramus Sanctorum, & spiritualem peccatorum habituatorum emendationem, & resuscitationem consequi mereamur : *Voluntatem enim timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Placet Deo nimis humilitas peccatoris, qui de se penitus diffisus, quia indignum exauditione se reputat, alterius suffragia quærit.* Idem quoque Archi-præsul hanc sororum supplicationem ingeniose ponderans ait : *Pro infirmo, & adhuc vivo Dominum apprecantur; pro mortuo autem & sepulto non orant sed plorant. Sic omnino Sancti pro peccatore adhuc vivo sensibus; qui & peccatum sentit, & à peccato solvi toto animo concupiscit, orationibus intercedunt pro illo; At qui jam mortuus à corde, in vitijs, & in peccatis sepultus est, non precibus, sed lachrymis agunt, si forte respiciat Dominus, & misereatur. Quis enim tam insolens ut pro obstinato contemptore deprecari audeat, & dicere Deo suo : Domine salva illum? Unde Psalmista; Pro hac, scilicet impietate, orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, verumtamen diluvio aquarum multarum, id est, peccatorum inundatione, ad eum non approximabunt.* Citatq; sequentem ex Epist. 1. Sancti Joannis textum : *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.* At vero inquies, daturne igitur peccatum aliquod irremediabile, propter quod divinæ pietatis aures penitus sunt occlusæ? Respondeo vere ita est; & quidem tale est peccatum habituatum, pro hoc enim verba & preces non sufficiunt, sed amaræ requiruntur lachrymæ & fletus : *Quid igitur?* inquit S. Thomas : *Non oret sed ploret, efficacior enim coram Deo est lachryma, quam lingua.* Cum igitur Lazarus figura sit impij, pessimæ peccati consuetudini insordescentis, quod hic in vitam revocatus fuerit, id non tam factum est per sanctarum sororum suarum preces, quàm propter merita singultuum, suspiriorum, & lachrymarum, non solum dictarum sororum, verum etiam ipsiusmet Filij Dei, prout in discursu hujus historiæ videbimus.

Joan. 11. 3. — *S. Th. de Vill.* — Magdalena prima fuit, quæ agnovit Christum Dei filium. — *Luc. 5. v. 21.* — *Marc. 15. 41.* — *Alb. Magn. ib.* — *Joan. 11. 3.* — *Tolet. ibid.* — S. Aug. 49. in Joan. — *S. Th. de Vill. in Ps. 144. 19.* — Pro infirmo orant, pro mortuo plorant. — 1. Joan. 5. v. 15. — Pro habituato peccatore necessariæ sunt lachrymæ.

4. Advertendum est quoque, quid, quando Salvator harum sanctarum sororum accepit nuntium, conversus ad Apostolos dixerit : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*; *id est*, ut Rupertus Abbas exponit, *pro testificanda divinitate Filij Dei*, quia peccatorem obstinatum, reducere ad pœnitentiam, unum est ex excellentioribus Omnipotentiæ & Sapientiæ Dei testimonijs, & quidem longe efficacius; quam quod sit creatio totius mundi, quia in hac nullam invenit oppositionem, *dixit* enim *& facta sunt*, in peccatore autem contumaci & obstinato, semper maximam experitur resistentiam.

Joan. 11. 4. — *Rupert. Abb.* — Obstinatum reducere ad pœnitentiam pertinet ad omnipotentiam Dei.

5. *Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Ex hoc loquendi modo deduci posse videtur, resuscitationem Lazari, spem Marthæ longe superasse; sed quamobrem? Numquid filiam Archisynagogi, & filium viduæ Naimiticæ ad vitam revocatus fuisse sciebat? Cur igitur quoque non confidit Christum posse & velle hoc quoque miraculum in fratre suo operari? Numquid *diligebat Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum?* Respondetur corpus Lazari jam cœpisse tendere ad corruptionem, quia quatriduanus jam fœtebat; & ideo ob difficultatem illius in vitam revocandi quasi desperabat, non se reflectens ad hoc, quod non esset impossibile apud eum omne verbum; Quamvis etiam dici possit, eam per hoc nobis insinuare voluisse difficultatem, quam in reducendis ad veram conversionem peccatoribus induratis & diuturno tempore in vitijs suis sepultis, experimur.

Joan. 11. 24. — Hoc ipsum declarat Martha soror Lazari.

6. *Jesus ut vidit eam plorantem, & Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu & turbavit semetipsum.* Jam igitur Lazarus ad portum appulit salutis & vitæ, propter aquas salsas tot lachrymarum & fletuum, quos ediderunt sorores, & Judæi : quorum ibi ingens numerus præsens erat, immo & propter lachrymas ipsiusmet Christi, qui de se ait : *Ego sum resurrectio & vita.* Regi Ezechiæ in lecto languenti ab Isaia Propheta mors de facto intimata erat : *Præcipe domui tuæ, quia morieris*; & tamen vix Rex ille unicam ab oculis lachrymam stillaverat, cum ecce idem Propheta subito retrogressus, pronuntiatam ex patre Dei sententiam revocavit, inquiens : *Vidi lachrymas tuas, & ecce sanavi te.* Enimvero non constat, quod in miraculo circa filiam Jairi patrato Christus suspiraverit, mœstus fuerit, aut fleverit, sed tantum *tenuit manum puellæ, & resurrexit*; similiter quando adolescentem Naimiticum resuscitavit solum dixit : *Adolescens, tibi dico, surge; & resedit, qui erat mortuus.* At vero si quoad hoc miraculum sacrum pervolvatis textum, invenietis, Christum certo quodam modo sudasse, laborasse, infremuisse, priusquam illum resuscitaret. Rupertus Abbas collato ad invicem miraculo ab Elia in resuscitatione filij Sareptani patrato, & hoc circa Lazarum à Christo operato, hanc inter utrumque assignat differentiam *hoc interest*, inquit : *quod hic in domo suscitatur, ille quatriduanus de sepulchro revocatur; quapropter hic & recenti casu peccator, & ille significat mala consuetudine fœtentem.* Quando filiam Jairi in vitam revocavit, dixit : *Non est mortua puella, sed dormit*; id quod Sanctus Antonius de Padua considerans, in hæc verba scribit : *Nota quod est animæ duplex mors, scilicet peccati, & inferni; Mors peccati dicitur dormitio, quia quilibet peccator in hac vita, à peccato tam facile potest resurgere, sicut quis à somno; Unde Apostolus Ephesiorum quinto ait : Surge (per contritionem) qui dormis, & exurge, id est, extra surge per confessionem, à mortuis, scilicet operibus, & illuminabit te Christus. Nota quod dixit : Puella, non veterana; Anima enim quæ nondum diuturnitate malæ consuetudinis est oppressa, sed quasi puella & novella in peccato sopita, de facili ad vitam potest surgere; in domo enim fuit defuncta, & resuscitata,* non

Joan. 11. 33. — *Joan. 11. 25.* — *4. Reg. 20. 1.* — Rex Ezechias propter suas lachrymas sanatus est. — *Ibid. v. 5.* — *Matt. 9. v. 25.* — *Luc. 7. v. 14.* — *Rup. Abb. l. 5. in Reg. cap. 8.* — Differentia inter Lazarum resuscitatum, & filium sareptanum. — *Luc. 8. v. 52.* — *S. Ant. de Pad. Dom. 24. post Trin.*

non extra portam delata, vel sepulta. Quia anima in domo conscientiæ defuncta, & nondum ad consuetudinis sepulturam delata, de facili potest ad vitam redire.

S. Anton. p.2. tit.9. c.13.
Puella de facili resuscitatur, non ita quatriduanus Lazarus.

Sanctus Antoninus pariter ait: *In resuscitatione Lazari quatriduani, quæ designat conversionem peccatoris inveterati in malis, Christus ostendit satis se laborare; Nam infremuit Spiritu, & flevit, accessit ad monumentum, fecit lapidem tolli, clamavit, & prius gratias egit, ad figurandum, quod multum oportet laborare peccatorem, qui permansit in peccatis, & flendo, & lapidem tollendo malæ assuefactionis, & clamando affectu, & orationes procurando Sanctorum.* S. Augustinus hanc turbationem à Christo voluntarie eo fine assumptam fuisse censet, ut peccatorem instrueret contumacem;

S. Aug. tr. 49. in Joan.

Ait enim: *Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati gravaris, & premeris?* Idem Sanctus Doctor in eodem tractatu hujus fletus, & internæ turbationis examinans mysterium, inquit: *Fremuit Christus, increpet se homo; Flevit Christus, fleat se homo; Quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit, & turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis flere quodammodo debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi?*

Joan. 11.34.
Psal. 137. v.6.
Deus peccatores non novit.
S. August. ib.
D. Thom. in Joan.

7. *Ubi posuistis eum?* Quærit incarnata sapientia, cui Psalmista clarum perhibet testimonium, quod *alta à longe cognoscit.* Unde S. Augustinus ait: *Scisti quia mortuus sit, & ubi sit sepultus, ignoras?* Doctor Angelicus hujus interrogationis hoc indicat mysterium, inquiens: *Per Lazarum in monumento signantur mortui in peccatis, ostendit ergo Dominus, se ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere, quod quasi nesciat peccatores;* quod confirmans Sanctus Augustinus ait: *Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio: Non novi vos.*

Joan. 11.34.
S. August. ib.
S. Ambr. de Joseph c. 16.

8. *Dicunt ei: Domine, veni & vide.* S. Augustinus quærit: *Quid est vide? Miserere, videt enim quando miseretur.* De fletu Salvatoris inquit S. Ambrosius: *Ibi flevit, ut prius lacbrymis suis mortui delicta lavaret.* Licet enim Lazarus in statu gratiæ fuerit mortuus, attamen quia peccatorem præfigurabat habituatum, ostendere voluit, quod ut talis revocetur ad vitam gratiæ, necessario hoc fieri debeat non solum per sanguinem, & vicinam ejus Redemptionem & passionem, verum etiam per fletum.

Joan. 11.39.
D. Chrys. con. Jud.
D. Chrys. H. 62. in Joan.
Luc. Burg.
Lapis sepulchralis significat duritiam cordis.

9. *Ait Jesus, tollite lapidem.* Sed numquid Christus per eamdem vocem, qua Lazarum jussit egredi è sepulchro, facere poterat, ut ponderosa illa moles pariter dimoveretur? *Annon qui transfert montes in cor maris,* (inquit Chrysostomus,) *potuit verbo lapidem movere?* Idem quoque in alio loco dicit: *Poterat, qui corpus mortuum voce moverat, & corrupto animam inspiraverat, multo magis lapidem movere, sed cur non fecit?* Respondet Lucas Burgensis: *Non conveniebat miraculo facere, quæ commode fieri ab alijs poterant.* Sed melius respondetur, id non fecisse, ut multa nobis mysteria insinuaret; lapis enim duritiam & pertinaciam indicat malæ consuetudinis, quam ut ipsemet peccator à se removeat, occasionem proximam, scorti, vel concubinæ, quam domi suæ detinet, foras ejiciat, & ad illam numquam redeat, necessum est.

S. Ambr. l.2. de pœnit. c.7.
D. Chrys. ser. 65.

Nostrum enim est onera removere, ut ait S. Ambrosius. Chrysologus quoque ad idem alludens inquit: *Inter divinas virtutes humanum Christus requirit auxilium? Non sufficit movere lapidem, qui mortem sufficit effugare? Sepulchri claustra reserare non valet, qui portas tartari prævalet aperire? Dixerat per Prophetam: Auferam cor lapideum de carne eorum, dabo eis cor carneum; præcepit ergo ut Judæi ex se cor lapideum tollant.*

S. Aug. ibid.

S. Augustinus de hoc sepulchrali lapide inquit: *Lapis est moles pravæ consuetudinis;* Hanc autem à nobis tollere, non ad Deum, sed ad nos pertinet, ut vox Salvatoris animam ad veram vitam revocare volentis, suam habere efficaciam possit.

S. Th. de Vill.
Lapidem tollere debemus.

S. Thomas de Villa Nova aliam adducit considerationem inquiens: *Sunt qui teneritudine quadam animi pro commissis ex imo pectore gemitus mittunt, & ex oculorum fonte lacbrymas affluenter effundunt, sed nullo animi vigore peccati jugum à se abjiciunt; statim enim post lacbrymas redeunt ad plorata, his à Christo dicitur: Tollite lapidem, quasi dicat: Placet quod commissa ploratis, sed deplorata iterum non repetatis.*

Joan. 11. 39.
S. Th. de Vill. ibid.

10. *Quatriduanus est.* Etenim peccator, qui in malis consuetudinibus inveteravit, & callos obduxit, pessimi est odoris quoad famam, & scandalum est omnibus. *Fœtet odore malæ famæ,* inquit Villanovanus, *Dei populum infecit, & lædit, unde sicut pestilens ab hominum consortio segregandus est, ne contagione pestifera cæteros perdat. Quatriduanus est, quoniam quatuor dies in peccato habet, scilicet consensum, opus, consuetudinem, & contemptum; impius enim cum in profundum venerit, contemnit, de quibus Sapiens: Qui lætantur, cum male fecerint.*

Qualis sit fœtor peccatoris.
Prov. 2. v.14.
P.68. v 16.
D. Carth. in Prov. 18.

Dionysius Carthusianus super illa Psalmistæ verba: *Neque urgeat super me puteus os suum, neque absorbeat me profundum;* ex S. Augustino ita scribit: *Hinc loquitur Augustinus: Peccata quamvis enormia & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse videntur, in tantum, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, jactandaque videantur.* Et ideo ex omni parte dissolutionem & scandalorum suorum fœtorem exhalant; *Quatriduanus est, jam fætet.*

S. Thom. de Villa Nova.
Similitudo.

De his S. Thomas de Villa Nova subjungit: *Horum difficilis est suscitatio, perversi enim difficile corriguntur, sicut enim fermentatam massam in azymam redire difficillimum est, ita carnem & mentem, fermento peccatorum, & amurca vitiorum infecta, in pristinam restitui munditiam, solius Dei opus est.* Pergit idem S. Archi-Præsul ostendere difficultates, quæ circa hoc genus peccatorum occurrunt; ita enim scribit: *Peccator unius diei, aut duorum dierum, perfacile curatur, quia non omnino peccato infectus est, sed quatriduanus, vix umquam à peccato resurgit; ideo per Prophetam Dominus inquit: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non convertam eum. Super tribus sceleribus Gazer, & super quatuor non convertam eum. Super tribus sceleribus Edom, Tyri, Moab, Juda, & super quatuor non convertam eum; quasi dicat, tribus sceleribus aliquando parcam, quarto vix parcam.*

Joan. 11.41.
Salmer. Tom. 6. tr. 44.
Lyran. ibid.

11. *Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Porro cur Christus suos in cœlum elevarit oculos, Salmeron his verbis exponit: *In cœlum oculos sustulit, & cum Deo collocutus, ut ipso corporis gestu testaretur, hæc se divina virtute facere. Omnia igitur in figura contingebant,* nimirum, ut nos doceret, quod ad convertendum impium, in habituata sua malitia mortuum, Dei omnipotentia requiratur. Porro illa à Christo exhibita gratiarum actio, certum quoddam novarum gratiarum pignus erat, ut Lyranus notat, inquiens: *Ex gratiarum actione de præteritis, Deus ad præstanda beneficia sequentia provocatur.* Similiter per hanc gratiarum actionem, Christus miraculum adeo prodigiosum, & mysticum, æterno patri suo in acceptis referre volebat.

Joan. 11. 43.
S. Cyrill. Alex. l. 7. in Joan. 8.
Quare Christus clamaverit.
S. Aug. ibid.

12. *Voce magna clamavit.* Et vero præter morem suum solitum, vocem suam in altum extulit. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Novum & ubique insolens Servatori Christo, etenim Deus & Pater, alicubi de illo ait: Non contendet, neque vociferabitur. Quid ergo dicemus, cum videamus illum præter consuetudinem vociferantem?* S. Augustinus clamoris hujus causam exponit, dum ait: *Fremuit, lacbrymavit, voce magna clamavit; quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit?* Obstinati sunt veluti aspides surdæ, quæ aures cordis sui duræ pertinaciæ lapide obturant, ac proinde, vocem extollere necessum fuit, ut cordis penetret duritiem; *dedit voci suæ vocem virtutis.*

S. Aug. ser. 44. de verbo Domini.
S. Anton. de Pad. ser. de fer 6. ibid.
Rup. Abb. ib.

Idem Sanctus Doctor in Sermone quodam idem his verbis tangit mysterium: *Ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt.* S. Antonius de Padua similiter ait: *Voce magna, quia difficulter homo peccati consuetudine sopitus resurgit.* Confirmat hoc ipsum Rupertus Abbas, dum ait: *Quia non nisi magno terrore aspirantis Dei, & de futuro judicio comminantis exteritur, male securus peccator ad cor suum reducitur.*

S. Th. de Vill.
Peccatum ex integro est relinquendum.

13. *Lazare veni foras.* Audiamus circa hæc verba Villanovanum ita disserentem: *Quisquis vitiorum sepulchro fætidus, & tepidus jaces, cum vocem clamantis audieris, noli cor tuum obdurare, sed per confessionem protinus veni foras, ne obdurescas in similitudinem serpentis, & aspidis obturantis aures suas. Exi foras, non solum à delicto, sed etiam ab occasione, & delinquendi proposito. Quidam ad modicum in Quadragesima peccata deserunt, sed peccandi propositum numquam dimittunt; Quidam cum peccatis etiam propositum peccandi reliquisse sibi videntur, sed occasiones delinquendi non fugiant; Hi non suscitantur, quia non omnino foras exeunt.*

S. Greg. l. 22. mor. c. 9.

Aliam S. Gregorius tradit moralitatem, inquiens: *Signatur, qualiter resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur: Veni foras, ut ab excusatione, atque occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur.*

S. Thom. in Joan.

14. *Et statim prodijt.* Doctor Angelicus super Joannem scribens ait: *Prodit namque peccator, quando*

exit

exit pœnitendo à consuetudine peccati ad statum justitiæ, qui tamen habet manus ligatas institis, id est carnalibus concupiscentijs, quia adhuc in corpore constituti, alieni à molestijs esse non possunt, etiam à peccato surgentes.

D. Chrys. cont. Jud.
Solvite eum id est, post restitutionem ablati, &c.

15. *Dixit Jesus: Solvite eum.* Chrysostomus interrogat: *Qui stimulos mortis contrivit, qui portis mortis confregit, non potuit retinacula disrumpere? Et dicit ipsis, solvite.* Homini in vitijs dudum sordescenti, sæpe vox Dei non sufficit, ad eum inclamandum & inducendum, ut lapidem auferat suæ obstinationis, sed in hunc finem frequenter adhibet amicos, parentes, personas honoratas, prædicatores.

S. Thom. de Villanov.

Villanovanus aliam hic elicit moralitatem, dum ait: *Vos, ô Sacerdotes, solvite, & sinite abire, cavete ne eum in sepulchro solvatis; prius exeat, ut solvatur. Prius vadat, & concubinam à domo pellat; pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat; famam proximi læsam prout potest, resarciat; mercenariorum labores, & pauperum debita solvat; offenso fratri reconcilietur; & tunc ad Confessionarium redeat, ut absolvatur.*

Salmer. ibid.

16. *Sinite abire,* id est, ut Salmeron explicat: *Sinite abire, per opera orationis, jejunij, Eleëmosynæ, & per novitatem vitæ è sepulchro recedendo, de qua est illud: Si Spiritu vivimus; Spiritu & ambulamus.*

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

De duritia cordis humani, in mala sua consuetudine obstinati, & specialiter de Judæorum contra Christum pertinacia tractatur.

THEMA.

Cor durum habebit male. Ecclesiast. 2. ℣.27.

Eccli. 15. v.14.
Prov. 23. 26.
Deus postulat, sibi dari cor hominis.
Psal. 1 v.2.

1. TAmetsi Deus hominem, opus manuum suarum, crearit, illum tamen arbitrij libertate donatum esse voluit, & ideo *reliquit eum in manu consilij sui;* omnia enim alia Deus per suam exserit potentiam, præter voluntatem, & cor hominis; atque ideo cor illius, sibi dari postulat, inquiens: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi;* modum quoque quo illud ei donare possit, verbis immediate sequentibus declarat, dum ait: *Et oculi tui vias meas custodiant.* At vero si homo transgrediatur legem Dei, (de qua dicitur: *In lege Domini voluntas ejus,*) si cor ejus in peccato durum sit & obstinatum, væ illi, quia *cor durum male habebit.*

S. Antonin. p.1. tit.4. c.13. §.2.
Consuetudo mala est, quasi malleatoris incus.
Job. 41. v.15.
S. Bernard. T.1. ser. 21. art.1. c.3.

S. Antoninus ait: *Sciendum, quod peccatum facit cor id est voluntatem, durum ut lapis, ut quemadmodum lapis, & alia dura resistunt tactui, nec recipiunt impressionem digiti, sicut mollia ut cera, ita peccatoris cor ita obduratur, quod resistit tactui divinæ inspirationis, nec recipit impressionem digiti, id est Spiritus Sancti, qui dicitur digitus Dei, per gratiæ infusionem;* Unde & de diabolo, & quolibet membro ejus, id est peccatore dicitur. Job. 41. *Cor ejus indurabitur quasi lapis; scilicet ex consuetudine mala* ut declarat Sanctus Bernardinus, *& restringetur quasi malleatoris incus, quæ quanto plus percutitur, tanto amplius induratur; Hinc est, quod hujusmodi mens fit sævior, ac nequior in flagellis & unde ex adversis debebat humiliari, & flecti, inde in majorem nequitiam convalescit.* Visum est hoc evidenter in Pharaone, vero peccatoris contumacis, & obstinati typo; quanto enim magis his flagellis divinæ justitiæ castigabatur, tanto efficiebatur in pertinacia sua durior & obstinatior; unde Moyses semper hæc verba repetit, *& induratum est cor Pharaonis.*

Valens Imperator etiam à Deo multoties punitus non resipuit.

Cum Valens Imperator in secta Arriana pertinaciter persistens, hæreticos hujus factionis, contra quos Basilius Magnus fidem Catholico-Romanam sustinebat, defenderet, accidit; quod dum, ad subscribendam iniquam Basiliani exilij sententiam, sedem postularet, hæc subito confracta dissilierit; postulatus quoque calamus ad subscribendam sententiam, attramentum non reddiderit; acceptus denique alius calamus characteres non formarit, cumque contumaciter in scribendo progredi vellet, brachium fortiter tremere cœperit; tunc igitur miraculum Dei esse agnoscens, chartam, in quam exarata fuerat sententia, manu sua dilaceravit; At vero numquid propter hoc cordis ejus duritia emollita fuit? Minime; Accidit, ut filius ejus ad mortem infirmaretur, quem Sanctus Basilius, cui illius valetudinem commendaverat, subito per suam præsentiam pristinæ sanitati restituit; At vero quia (*cor durum male habet,*) nondum deposito errore, & hæresi sua Arrianos, advocavit Episcopos, filius ejus, mox ut hi accesserunt, vita excessit, nec tamen ob id Valens resipuit, aut de emendatione instituenda cogitavit.

Mala consuetudo congelat animam.
Job. 41. v.15.
S. Bern. Tom. 4. Ser. 15. p.1. & 2.
Eccli. 43. 22.

2. Sanctus Bernardinus in Sermone quodam multas à peccato habituato derivantes enumerat malignitates, inter alias vero hanc quoque enumerat: *Tertia malignitas est, quod sit cordis indurativa; unde Job: Cor ejus indurabitur tamquam lapis.* Citatque alium Ecclesiastici textum, ubi dicitur: *Flabit Aquilo, & congelabitur crystallus, quia aliqua species crystalli fit de aqua congelata per illum ventum Aquilonis. Ita est in Aquilone mali usus, & consuetudinis peccatorum, quia ita congelat animam, quod semper induratur, & anima indurata, sive in prosperis, sive in adversis, semper pejerat, quia tales sunt præda diaboli.*

Luc. 8. v.6.
Ibid. v.11.
S. Bonav. ibid.
Zachariæ 7. v.12.
Petra in Evangelio denotat cor durum.
Albert. Mag. in Matth.
S. Bernard. l.1. de consider.

Cœlestis Magister noster in parabola de semine, præjudicium, quod verbo divino, divinisque inspirationibus, cunctisque alijs, ad pietatem & religionem Christianam ordinatis irrogatur, insinuare volens, inquit; *Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem; ... Semen autem est verbum Dei,* ut ipsemet Salvator declarat. Circa quæ verba Sanctus Bonaventura ita scribit: *Supra petram, id est, supra cor durum, de quo Zacharias ait: Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus.* Albertus Magnus similiter de hac petra super quam pretiosum & cœleste hoc semen dispergitur & exsiccatur, ita scribit: *Est cordis durities, quæ nec timore, nec comminatione frangitur, nec pietate, nec amore promissionum mollitur.* Huc quoque spectant Sancti Bernardi de hac cordis humani duritie & obstinatione disserentis, sequentia consideratione dignissima verba: *Cor durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terrenis, beneficijs induratur, flagellis non eruditur.*

Deus imitatur naturam in emoliendo cor hominis.

Qui materiam aliquam duram, & consistentem emolliri intendit, manibus suis illam volvit, & revolvit; Si autem hoc non sufficiat, radijs Solis, vel etiam calori ignis eamdem exponit; Quod si vero nec hoc juvet, eamdem incudi superimpositam, malleis fortiter percutit; Si autem & hisce percussionibus resistat, tunc plane desperat, eamque ut in sua duritie relinquat necessum est. Idem quoque Deus cum multis reprobis & in sceleribus suis inveteratis & pertinacibus facit; Primo enim illos beneficiis suis prævenit, id est, bona terrena, sanitatem, divitias, honores, aliasque similes prosperitates illis copiose tribuit, quibus si abutantur, sæpe manum suam ad flagella infirmitatum, persecutionum, carcerum, egestatis extendit; Si vero nec exinde proficiant, eosdem in perversa sua consuetudine deserit, ut verificetur in illis: *Cor nequam* (in Græco dicitur *cor durum,*) *gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum;*

Eccli. 3. v.29.
Alv. Tom. 2. l.1. c.4.

Dum autem illos in malis habitibus suis continuare permittit, eosdem simul magna cum severitate castigat, quia sibiipsis in majori quantitate ligna accumulant, pro adaugendo, quod in futurum passuri sunt, infernali incendio. *Cadunt ex iteratione peccati in cor durum,* inquit Alvarez, *de quo scriptum est: Cor durum male habebit in novissimo. Cadunt in cor lapideum; cadunt in cor saxeum, quod non recipit semen, verbi Dei, sed natum aruit, quia durum cor non habebat humorem.*

Malignitates cordis duri.

Idem eodem in loco authoritatem à nobis præteritam adducit Sancti Bernardi, in detestationem duri hujus cordis ita loquentis: *Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihilominus præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio, seu præparatio est; & ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

Luc. 16. v.28.

3. Dives epulo in inferno constitutus, Abraham rogavit, inquiens: *Rogo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormento-*

rum

Quare Epulo pro fratrum suorum conversione non fuerit exauditus.

rum. Sed miseram passus est rapulsam ; & tamen de salute agebat animarum, pro quibus redimendis, Filius Dei in hanc terram veniens, sanguinem suum fudit. Et vero quidnam Lazaro, qui jam in securo portu degebat, mali evenire poterat, si à mortuis resurgens in divitis divertisset domum, ut eamdem ad Deum converteret? Nihil utique, & tamen oratio ejus exaudita non fuit. Scitisne causam? Albertus Magnus Judæos adeo obstinatos & duros fuisse dicit, ut Sacræ Scripturæ fidem adhibere detrectarint (*habent Moysen & Prophetas, audiant illos*,) multo minorem adhibituri fuissent fidem defunctis, quantumvis grandi miraculo resuscitatis; Sicuti revera tam manifestæ, & parenti ejusdem Christi resurrectioni fidem minime præstiterunt. Immo cor ipsorum adeo induratum erat, ut ex resuscitatione Lazari, à Christo in multorum Judæorum præsentia patrata, potius occasionem captarint convocandi concilium, & machinandi ipsius mortem, Unde Albertus Magnus ait: *Hoc ostenderunt, quia Domino resurgenti non crediderunt, & sicut dicitur Hebræor. 11. Multæ mulieres acceperunt de resurrectione mortuos suos, nec tamen propter hoc Judæi crediderunt. Similiter etiam Joan. 11. Surrexit Lazarus, & ex hoc ad deteriora provocati sunt; nam Joan. 12. Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia propter illum multi abibant post ipsum. Narrat etiam Nicodemus in Evangelio suo, quod filij Simeonis, & multi alij surgentes ex mortuis testimonium Christo perhibuerunt, & tamen in incredulitate Judæi manserunt. Matth. 27. Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & ingressa in civitatem sanctam, visa sunt à multis, nec aliquid ad fidem Judæorum profecerunt.*

Luc. 16. 29. — *Alb. Mag.* Judæi ex Lazaro resuscitato facti sunt pejores. *Heb. 11. 35. Joan. 11. 31. Joan. 12, 10. Matth. 27. 22*

4. Consideratione digna sunt improperia illa, quæ sanctissimus Præcursor Joannes obstinatis Judæis in faciem objecisse legitur; dicit enim sacer textus: *Dicebat ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne ceperitis dicere: Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hugo Cardinalis mysterium explicat, cur illos lapidibus assimilarit; Ait enim: *Ideo comparantur lapidibus, quia adorantes, idola lapidea, quasi lapidei facti sunt, id est, insensibiles.* Verum enimvero utinam illi soli lapidum duritiæ obnoxij fuissent, quia sine dubio corda ipsorum tempore crucifixionis proprij Messiæ, quam crudeliter peregerant, una cum aliis lapidibus emollita & confracta fuissent; Ac proinde Chrysologus ait: *Petræ quia nolebant discedere per naturam, norum scinduntur per vulnus, facinus tantum sono, quia voce non poterant, accusantes.* Idem aureus Scriptor paulo ante dixerat: *Creatoris injuriam tota fugerat creatura; necem Domini sui, mundus evitare contendit; sciens ad totam domum vindictam prætendere, in qua fuerit servorum scelere Dominator occisus, hinc est, quod suis se deserentibus fundamentis, terra tremuit, Sol ne videret, aufugit: dies ne interesset, abscessit.* Soli Judæi tenebris cæciores, immobiliores terra, quæ commota fuit, duriores lapidibus, qui fuerunt disrupti, obstinati manserunt in sua incredulitate, in qua deinceps ad finem usque mundi continuabunt. Sanctus Leo eosdem obstinatos Christum in monte Calvariæ deridentes his verbis perstringit: *Sed his vocibus vestris stultis, atque blasphemis, reddunt omnia elementa responsum, & unam in vos sententiam ferunt, cælum, terra, Sol, sideraque indignos vos suo ministerio protestantes, terribili motu, insolitoque defecta tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt.* Idem sanctissimus Pontifex in Sermon. 4. pariter de passione Domini contra Judæorum duritiam & pertinaciam ita scribit: *Cui Sacramento* (passionis videlicet) *cum se vitæ Author impenderet, & ad tantam divinæ majestatis inclinationem totius mundi compago quateretur, cum factinus impium omni sua confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam ipsa elementa proferrent, qui vobis animus Judæi, quæ conscientia fuit, quando & vos judicium universale urgebat, & revocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat?* Lucas Burgensis ait: *Petræ scissæ sunt ex terræ motu, nominatim vero rupes Golgotana, quod testatur Lucianus Martyr apud Eusebium Lib. 9. Ecclesiastic. Histor. cap. 6. & Cyrillus Hierosolymitanus in sua. catech. 13. crepantes quasi mediæ, quod se-dem Conditoris sui non ferrent, & Judæis exprobrantes invincibilem cordis duritiem.*

Luc. 3. v. 7. Judæi comparantur lapidibus. *Ibid. v. 8.* — *Hug. Card.* — Assignatur ratio quare. — *D. Chrysol. ser. 78.* — Moventur in morte Christi elementa, Judæis manentibus immotis. *S. Leo Ser. 4. c. 4. de Pass.* — *Luc. Burg.*

In libro Exodi legitur Deum præcepisse, quod si servus aliquis adeo vilis esset, quòd à servitute eximi nollet: *Offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum.* Hic autem servus, populum significabat Hebræum, qui aures Prophetarum prædicationi non aperiebat, bene tamen ferrum calamitatum & flagellorum, quæ ipsis immittebantur, aures illorum patefacere poterant; Immo sæpe ne quidem hæc ad aperiendum illis auditum profecerunt, unde Sanctus Ambrosius ait: *Dum autem suam subula pertundit, audire non potuit, vulneratam aurem gerens;* Sed in sua duritia & surditate, in omnibus nationibus in quibus exul degit, velut servus emptitius permanet.

Pœna servi nolentis redimi. *Exod. 21. v. 6.* — *S. Ambros. serm. 13. in Psal. 118.*

5. De hoc indurato populo Jeremias prædixit: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, & in ungue adamantino.* Quibus verbis Propheta, ad peccati habituati Judæ, id est, Hebraismi obstinationem alludit. Refert autem Plinius, adamantes hanc habere proprietatem, quod *in incudibus ita deprehendantur respuentes ictum, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque ipsi dissiliant, quippe duritia inenarrabili simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens.* Observandum vero est, quod præterquam hoc Judæorum peccatum, in hoc tam duro ungue adamantino, sit impressum, calami insuper, id est ferri, sive styli ferrei, durities super adamantem magis magisque accrescat. Origenes in Homilia quadam aliam deducit moralitatem, quam, utpote proposito nostro deservientem, præterire non licet, dicit igitur vetustus hic Scriptor: *Et siquidem esset peccatum meum atramento descriptum, forsitan delerem illud, nunc autem scriptum est stylo ferreo, & ungue adamantino scriptum super pectus cordis mei, ut mecum ad tribunal veniat, & compleatur illud, quod à Christo prophetatum est: Nihil absconditum quod non manifestetur, nudabitur pectoris mei conscientia, & aperto pectore videbuntur literæ peccatorum.* Et verò licet verum sit, quod omnia peccata cordibus nostris indelebiliter inscripta, coram tribunali divino sint apparitura, electi tamen, qui, quoad vixerunt, peccata sua amaris lachrymis deplorarunt, hac gaudebant prærogativa, quod commissa peccata perfecta deleverint litura, ita ut legi nequaquam possint, de quibus proinde Psalmista ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:* illi vero, qui ad ultimum usque spiritum obstinati permanserint, & ad frangendum hunc adamantem, sanguine agni immaculati usi non fuerint, peccatum indelebiliter in infernum usque secum deferent, numquam per totam æternitatem, ab illis expiandum, aut abolendum.

Jerem. 17. v. 1. — Adamantis proprietas in duritie. *Plin. l. 37. c. 4.* — *Orig. Hom. 12. in Jerem.* — Peccatum damnatorum semper perseverat. — *Ps. 31. v. 1.*

6. Verum, ut ad Judæorum denuo revertamur pertinaciam, quis est, qui non se reflectat ad illud, quod in horto Gethsemani accidit turbis illis armatis, qui ad Christum capiendum illuc advolarant, etenim unico dumtaxat verbo, haud secus ac si fulmen quoddam fuisset, omnes retrorsum prostravit in terram, ita ut se movere non posent: *Abierunt retrorsum, & ceciderunt, cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Certum est enim, quod viso tam prodigioso miraculo, non solum non resipuerint, aut fuerint compuncti, sed potius in contumaci obstinatione sua persistentes, vinculis & catenis eum strinxerint. Divus Chrysostomus de conversione Sancti Pauli disserens, hoc factum Judæorum notat, reflectendo se ad malæ consuetudinis violentiam, cum enim maligni illi, à tot annis fatale contra Christum concepissent odium, jamque tempus adesset illud explendi, nequaquam sunt emolliti, quantumvis manifestum vidissent divinitatis & omnipotentiæ suæ portentum; *Quid enim stupidius*, inquit Chrysostomus, *quid reprobatius, qui retrorsum corruerunt, iterum surrexerunt, & iterum invadunt?* Sanctus Gregorius quoque adversus hanc perfidiam & obstinationem Judaicam sequentem instituit ponderationem, inquiens: *Jeremias Propheta dum Judæam iniquitatibus longe consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis suis sub ejus specie semetipsum deplorat dicens: Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. In lacum quippe vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur; Lapis verò superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccatum induratur, ut etsi velit exurgere, jam utcumque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis premit.* Sonora illa tuba, Joannes Baptista, quia Spiritu Apostolico omnibus impiis & dissolutis annuntiabat pœnitentiam, prædicaturus tamen obstinatis Judæis dixit: *Ego vox clamantis in deserto*, quasi dicere vellet, ego prædico sine fructu, & quasi in deserto arboribus loquor. *Ego vox clamantis in deserto* inquit, *ut significaretur*, ut Theophilus Antiochenus exponit, *terræ Judæa à Spiritu Sancto derelicta*, ac proinde mirum non est, quod Protomartyr de illis dixerit: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Judæi & Milites etiam à verbo Christi prostrati manserunt indurati. *Joan. 18. v. 5.* — Malæ consuetudinis violentia. — *D. Chrysost. in conv. S. Paul.* — *S. Greg. lib. 26. mor. c. 24.*

Conqueritur S. Joannes Baptista quod quasi arboribus fuerit locutus. *Matth. 3. v. 3. Theophyl. Antioch. l. 1. alleg. in Matth. Act. Apost. 7. v. 51.*

7. *Cor durum.* Ad hoc ut peccator aliquis resipiscat, non sufficiunt aures externæ, nisi hæ cum internis cordis auribus concordent, & respondeant. Hoc enim fortassis cœlestis Magister noster in parabola de semine, per quod divinum ejus verbum intelligebatur, indicare voluit, quando, ut Evangelista ait: *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat;* quisnam enim erat hic loquendi modus Christi, qui increata Sapientia erat? Numquid sufficeisset dicere: *Qui habet aures audiat?* Cur igitur insuper adjungit: *Aures audiendi?* Respondet Cajetanus: *Non corporis sed mentis aures excitat.* Hugo Cardinalis inquit: *Triplicem auditum notat hic, qui est necessarius auditoribus, scilicet auditus naturæ, quo verbum suscipitur; auditus intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur; auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur.* Multi surdi sunt, non quoad aures externas, sed quoad internas cordis, siquidem hæ lapideæ sunt, propter obstinationem; *Surdos autem, quam multos ante oculos suos Dominus intuebatur, cum diceret: Qui habet aures audiendi audiat*, inquit Sanctus Augustinus, qui hujus hanc reddit convincentem rationem; *quas enim aures, nisi interiores hominis requirebat?* Per experientiam sæpius comprobatur, quod tametsi Echo linguam non habeat, ut verba articulare possit, nec fauces, nec alia instrumenta, vel organa proportionata, nihilominus eadem verba, quæ nos dicimus, perfectissime resumit; undenam verò peregrinus hic nascitur effectus; nimirum ex concavitate saxei cujusdam montis, in quo sonus verbi nostri reflectitur, & repercutitur, non tamen sonus hic saxum illud penetrat, ob materiæ incapacis insensibilitatem. At vero quidnam me per hanc similitudinem insinuare velle existimatis? Nimirum *cor durum male habebit*: prædicate alicui habituati peccatori, quidquid potestis, & nostis, ipse quidem id sibi placere, seque persuasum & convictum esse dicet, sed propter malum habitum, quo laborat, exinde non emendabitur, sed in surditate sua pertinaciter remanebit. Deus olim duobus fratribus, Moysi, & Aaroni præcepit: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit vobis aquas.* Audijt petra, & sine mora integros aquæ crystallinæ scaturivit torrentes, qui populum, ut inde biberet, per desertum sunt subsecuti (*consequente eos petra:*) idque ad confusionem cordium humanorum, quæ, utpote obdurata, licet vocem Dei, & servorum suorum audiant, non tamen exinde vel unicam lachrymæ stillam, ad restinguendum sibi ipsis flammas infernales, foras emittunt: quia *cor durum male habebit.*

Quisnam habeat aures audiendi. *Luc. 8. v. 9.* — *Cajet. Hug. Card. in Luc.* — *S. Aug. l. 17. Hom. ser. 7.* — Quomodo formetur echo. — Magis flexibilis fuit petra Aaroni & Moysi quam cor durum. *Num. 20. v. 8*

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Alia considerantur vincula, quibus nos mala consuetudo innectit, nec non quas secum adfert, ad resurgendum, difficultates perpenduntur.

THEMA.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Jerem. 13. ℣. 23.

1. Sanctus Propheta Jeremias difficultatem reducendi hominem, post malam consuetudinem, diuturno tempore in peccato contractam, ad virtuose operandum, apta quadam explicat similitudine inquiens: *Si mutare potest Æthiops pellem suam &c.* Enimvero quantamcumque aquam habet oceanus, hæc tamen ad abstergendam ab Æthiope nigredinem minime sufficit; quantumcumque smegmatis, & lixivij adhibeatur, numquam tamen varietas macularum, quæ est in pardo, inde tolletur, eodem modo, inquit Deus, per Prophetam suum, quantamcumque adhibeatis diligentiam, laborem, & industriam, malum tamen habitum per vitia, & pravos mores vestros contractum, non nisi cum summa difficultate eradicabitis. Unde Sanctus Bernardinus inter alias malæ consuetudinis malignitates, hanc quoque recenset, quod scilicet sit *bonorum retractiva; unde Jerem. 13. Numquid potest Æthiops &c. sic nec peccator poterit bene facere, licet cognoverit peccatum, & didicerit illud fore malum, & tamen non poterit se abstinere, & hoc est quod ait David: Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; pes enim affectus, lapis est indurata consuetudo, quia qui male assuetus est, difficulter surgit, unde minus malum est ignis ardens, & comburens domum, quam ipsa mala consuetudo, quæ non solum videtur corrumpere habitantes, sed etiam muros, quia si omnes decederent de illa domo, & novi homines intrarent, videtur quod muri illius domus inducant intrantes ad malos usus ibi consuetos. Et si esses habituatus in malis moribus, si velles illos relinquere, & adhærere virtutibus, non posses.* Cœlestis Magister noster, ut in discursu sexto hujus tractatus probavimus, in persona Lazari quatriduani, statum nobis delineare voluit peccatoris, in pessimis moribus suis habituati, & indurati; at vero observastisne ex dicto discursu, qualiter cadaver mortui Lazari in sepulchro pluribus institis, & ligaculis vinctum fuerit? Ut proinde Christus discipulis dixerit: *Solvite eum?* Cur autem id fecerunt, num forte timebant, ne mortuus ex obscuri carceris illius spelunca egrederetur? *Omnia in figura contingebant illis. Heu miseram peccati servitutem*, exclamat ad hoc propositum Villanovanus, *quam qui semel incurrit, catenis durissimis & infrangibilibus irretitur. Residet iniquitas super talentum plumbi, ut ait Propheta, & deprimentem peccatorum molem, nulla potest virtus humana repellere.* Nemini ignotum est illud Sancti Augustini, ante conversionem suam in impudicitiæ turpitudinem prolapsi lamentum: *Suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.* Sanctus Gregorius Magnus super illa Jobi verba, *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*, in hæc verba scribit: *Sæpe nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt.* Est enim mala consuetudo, velut catena quædam, quæ nostra nos destituit libertate, adigitque quo lubet. Sanctus Isidorus ait: *Male agendi consuetudinem recessum esse, Propheta asserit, in profundum, cujus usu, quasi quadam lege homo tenetur adstrictus, ut etiam, quando non vult, peccatum committat. A lapsu vero cito resurgere, non est in profundum ire.* Sanctus Bernardinus hanc quoque tangit malæ consuetudinis malignitatem, dum ait: *Quarta malignitas est animæ incatenativa, quia assuetus & inveteratus peccator, incatenatur sicut Samson, qui quater quatuor ligaminibus fuit incatenatus.* Quæ omnia ligamina moraliter exponens, ostendit, quam tenaciter peccatum habituatum nos stringat. Idem Sanctus, in alio quodam Sermone Tomi Primi, adducens verba illa Isaiæ. cap: 58. *Si abstuleris de medio tui catenam*, per hanc catenam malum habitum intelligit, *id est, consuetudinem malam*, hanc enim si abstuleris, *salvus eris:* Citat quoque sequentem authoritatem Sancti Bernardi, dicentis: *Voluptas habita libenter repetitur, repetita blanditur consuetudo ligat, ratio consopitur.* Enimvero per experientiam videmus, quod quando alicui incumbit facultatum alienarum restitutio, tunc quanto diuturniori tempore facultates illas restituere differt, tanto magis erga illas afficitur, tantoque illi restitutio facienda difficilior esse videtur; longe autem major est renitentia, quam homo in se experitur, deserendi scilicet jam semel degustatas carnis voluptates: Cum enim impij divinæ sint gratiæ expertes, inimicus infernalis in perniciem nostram prævalendo, omnem viam nobis amputat evadendi, debilitatque vires, & nauseam boni, majoremque semper in malo complacentiam, & propensionem eis imprimit. Seraphicus Doctor de hac materi

Habituatus comparatur Æthiopi. — *Jerem. 13. v. 39. S. Bernard. Tom. 4. Ser. 15. 1. & 2. f. princ.* — Vix se potest emendare. — Quibus vinculis Lazarus fuerit Ligatus. *Joan. 11. 44. Joan. 11. v. 44. S. Thom. de Villanov. fer. 6. post Dom. 4. Quadr.* — *Confessio S. Augustini de seipso. S. Greg. l. 11. mor. c. 55.* — *S. Isid. li. 2. sent. c. 23.* — Mala consuetudo est formata catena. *S. Bern. ibid.* — *S. Bernard. Tom. 1. ser. 21. art. 1. c. 3. Isa. 53.* — Perpenditur difficultas restituendi alienum.

S.Bonav. ser. in fer. 4. Pent.
Consuetudo comparatur sagenæ.
S.Bern. ibid. art. 2.
Mala consuetudo infert septem tyrannides.

materiâ disserens inquit : *Sagena diaboli, consuetudo peccandi ; sicut enim sagena multis nexibus, sic consuetudo ex multis malis actibus perficitur.* Audiatis velim, quibus nominibus Sanctus Bernardinus retis hujus nodos, seu potius hujus catenæ annulos nuncupet. Ita enim scribit : *Per septem tyrannides præcipitat peccatum habituatum animam in infernum. Consuetudo enim mala primo peccata graviora facit ; Secundo minuit naturalia bona ; Tertio, reddit promptum ad mala ; Quarto præcipitat in peccata ; Quinto peccare cogit ; Sexto in ultimam desperationem inducit ; Septimo, æternaliter damnat.* Sanctus Isidorus quoque hanc resurgendi difficultatem considerans, inquit : *Nequissimum est peccare, pejus est peccandi consuetudinem facere ; ab illo facile, ab hac cum labore resurgitur, cum malæ consuetudini repugnatur.*

S.Isid. lib. 2. sent. c. 23.

2. Peccatum Davidis, adulterij nimirum & homicidij, gravissimum erat, scandalumque publicum generabat ; Verumtamen nondum per annos habituatum erat, neque ipse malæ consuetudini insorduerat, ac proinde ad unicum correctionis, à Nathan prolatæ, verbum resipuit, dicendo : *Peccavi* ; ac proinde sine mora audire meruit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Theodoretus parabolam considerans à Nathan compositam, in qua dives quidam homo introducitur, qui mutos ovium greges habens, ut lautam amico suo peregrè venienti instrueret mensam, pauperi unicam, quam habebat, sibi valde charam oviculam eripuit, hoc inquam observans, sequentem moralitatem subjungit : *Viatorem vocavit malam cupiditatem, ut quæ nunc ad hunc, nunc ad illum veniat ; hospitam autem rursum eam vocavit, ut quæ Davidi fuerat insolita, & nondum agnita, hoc enim effecit, ut ipse consequeretur veniam, non enim in malis studijs, & institutis fuerat educatus, neque ex mali animi instituto, sed fortuito quodam casu vulnus acceperat.*

2. Reg. 12. v. 13.
David necdum consuetudinarius facile meretur veniam.
Theodoret. q. 25. in l. 2. Reg.

3. Enimvero quia de Davide mentionem fecimus, nequaquam mihi prætereunda videtur, sequens Divi Chrysostomi de Saule, Davidis implacabili persecutore, consideratio ; Cum enim Saul inutili corporis pondere se exoneraturus, in speluncam se recepisset Odollæ, Davidem una cum militibus, ibidem præsentem esse ignorans, accidit, quod David limbum sive fimbriam vestimenti Saulis præciderit, illudque è spelunca egressus in testimonium mansuetudinis suæ Sauli ostentarit, qui in corde suo penitus commotus plangere cœpit, seque cum illo perfecte reconciliare decrevit ; Verumtamen quia odium, quo erga Davidem exarserat, ob temporis diuturnitatem callum animo ejus obduxerat, in facta à se resolutione non diu perseveravit. Quod Davidis factum Divus Chrysostomus, velut actum insolitum, & prorsus admirabilem considerans, in hæc verba loquitur : *Quid esse posset hoc Propheta beatius, qui brevi temporis momento, sic hostem à furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus, sanguinis, ac cædis sitientem, repente ad lamenta, & ejulatus compulit ? Non perinde miror Moysen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum, siquidem ille vicit naturam, at hic vicit animi decretum.* At vero, dic obsecro, quamdiu hæc animi teneritudo in Saule duravit ? Certe non diu, sed subito ad pristinam Davidis persecutionem redijt, quia vehemens odij sui passio, quæ animum suum rodebat, adeò ipsi inviscerata erat, ut illam à se dimovere nequaquam posset ; econtra vero non constat, quod David umquam ad pristina sua peccata redierit, quia peccatum suum ex fragilitate, & *per modum transeuntis* commissum fuerat, non vero in malam consuetudinem degenerarat. Quod quidem tanto magis in Davide admirandum est, quanto peccata carnis majorem vim habent, retinendi peccatorem habitus continuati catenis adeo tenaciter constrictum, ut ad pœnitentiam reduci non possit.

1. Reg. 14. v. 18.
Saul propter antiquatum odium erga David, ei non potuit reconciliari.
D. Chrysost. Hom. 3. de David & Saul.
David post suam conversionem numquam adulterium iteravit.

4. Sanctus Paulus totum mundum ad legem Evangelicam amplexandam convertit, & tamen Felicem Præsidem, ad veram fidei notitiam convertere non potuit, tametsi eidem gravissima fidei puncta, cujusmodi erant, de judicio finali, deque severissima Dei justitia, nec non de castitate, adeo vivaciter proposuisset, nam Sanctus Lucas dicit : *Tremefactus Felix* ; econtra vero Sergium Paulum pariter Proconsulem fidei nostræ comparavit, tametsi ad instigationem Elymæ incantatoris, & magi, universus se ei opposuisset infernus. At verò quamnam hujus diversitatis assignabimus rationem, cum vox ejusdem Apostoli, quoad seipsam, æque efficax fuerit quoad unum, sicut quoad alterum ? facilis est responsio ; Felix enim impudicitiæ cum Drusilla exercitæ ad fauces usque immersus erat, hocque solum ad eumdem in mala sua consuetudine continendum sufficiebat ; Nam Sanctus Basilius ait : *Novi quosdam qui à prima pueritia, cum se libidinibus dedissent, etiam ad extremum tempus ætatis, propter consuetudinem, & usum mali in peccatis permanserunt.* Tales fuere Judices illi, qui castam tentarunt Susannam, quibus satis non fuit, voluisse eidem pudicitiæ honorem eripere, nisi insuper famam, & existimationem ejus contemerarent, eamdem per calumniosam imposturam diffamando, ac tandem velut adulteram condemnando. At verò undenam obsecro hominibus jam provectæ ætatis, sapientia conspicuis, & in Judicum dignitate constitutis, malitia hæc adeo detestabilis & temeraria accidere potuit ? Dicat idipsum Daniel, huic enim Spiritus Sanctus eo fine se insinuavit, ut per collatum sibi donum, & castæ Susannæ detegeret innocentiam, dictorumque senum atrocissimum manifestaret delictum. Hic igitur unum illorum asperis his verbis perstrinxit : *Inveterate dierum malorum* ; erant enim ambo à primis vitæ annis in turpi hac & libidinosa vita inveterati & habituati ; Tales autem, ut communiter videmus, impœnitentes mori consueverunt ; Nam ut Oseas ait : *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*, scilicet, ut Sanctus Hieronymus exponit : *Ut agant pœnitentiam.* Impij illorum temporum homines, in quibus *omnis caro corruperat viam suam*, jam à centum annis diluvij universalis comminationem à Noë intellexerant, nec tamen ideo umquam emendati fuêre ; Immo licet cœlum jam de facto obscurari, & paulatim lento imbre pluvia suboriri cœpisset, non tamen ideò resipuerunt, quia agebatur de deserenda mala consuetudine à tot annis contracta, & præcipue de continentia à carnis peccato. Merito igitur Sanctus Bernardinus, ad aliud licet propositum inquit : *Periculum peccatori in periculo mortis maximum est, peccatorum habituatio. Nam habitus usquequaque contractus multum ab actu pœnitentiæ retrahit peccatorem* ; nonne Pharaonem in peccatis inveteratum pœnis multiplicibus afflixit Deus, & licet sæpius ore pœniteret, & populum se dimissurum sponderet, tamen numquam vere pœnituit, nec in hora mortis, unde merito anima & corpore interijt.

Differentia quare Paulus non potuerit Felicem, & converterit Paulum Sergium.
Actor. 24. v. 25.
S. Cyprian. de bono pudicit.
S. Basil. orat. 3. de pecc.
Judices, qui Susannæ fuerunt accusatores, erant consuetudinarij.
Dan. 13. v. 52.
Tales rarò, ut debent convertuntur.
Osea. 5. v. 4.
S. Hieron.
S. Bernard.
Pharao sæpè verbis numquàm verè pœnituit.

5. Ecclesiasticus ait : *Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Quæ verba Paulus de Palatio exponens inquit : *Ejus curatio est desperata, quia peccati vulnus viribus naturæ insanabile, non sanguine hircorum, sed agni immaculati pretioso sanguine sanatur.* Nullum est vulnus spirituale, quod non sit vel esse possit capax alicujus remedij, quale tamen peccator habituatus numquam consequetur, vel difficulter admodum, quia ipsius proprium est inæstimabile sanguinis Christi balsamum, id est Sacramenta, quæ gratiam conferunt, spernere & repudiare. Unde Hugo Cardinalis ait : *Plaga iniquitatis insanabilis, est triplex : Vehementia concupiscentiæ, inveterata consuetudo, jactantia peccati.* Tantum enim abest, ut hujusmodi farinæ peccatores, utilia sibi reddant auxilia, quæ pro illorum subsidio offeruntur, ut illa etiam turpiter rejiciant, & subsannent. Unde Sapiens ait : *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Et gentilis Seneca ait : *Tunc est consummata infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedij locus.* Cujus ratio est, quia ut Sanctus Bernardinus ait : *Malus quanto plus est induratus in malis, operibus & peccatis, tanto magis efficitur securus, & magis firmatur in suis sceleribus*, quæ proinde Psalmista portas æneas & vectes ferreos appellat : *Contrivit portas æneas & vectes ferreos confregit* ; Ac proinde quantumcumque Deus ad cor hisce seris

Eccli. 21. v. 4.
Paul. de Palat.
Plaga iniquitatis insanabilis est triplex.
Hug. Card.
Prov. 10. v. 23.
Seneca. in Prov.
S. Bern. in Tom. 4. ser. 42. p. 1. pr.
Psal. 106. v. 16.

seris ferreis, & vectibus æneis clausum pulsaverit, illi tamen ab impio numquam aperietur. Verum, inquies fortassis, regius Psaltes de obdurato corde inquit : *Coagulatum est sicut lac cor eorum* ; quomodo igitur nos cor induratum chalybe & ferro comminutum esse dicemus : Chaldæus legit : *Induratum est sicut lac.* At vero quænam inter lac etiam induratum, & cordis contumacis obstinationem & duritiem dari potest proportio aut similitudo ? Pro responsione itaque observandum, quod lac varias quidem recipiat formas ; inter alios tamen liquores improbam hanc habeat proprietatem, quod cum valde terreum sit, nullam cœli formam recipiat, aut sibi imprimi permittat. Ecce tibi igitur mysterium, cur induratum cor peccatoris lacti assimiletur, quia nimirum ad omnia alia recipienda est dispositum, præterquam ad recipiendas voces, invitationes, & auxilia cœlestia, ad hæc enim se insensibile ostendit. De libidinosis illis Judicibus senibus sacer textus apud Danielem ait : *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Sanctus Antoninus inquit : *Nocumentum, quod facit peccatum animæ, propter quod est timendum, & abjiciendum, est, quia facit hominem durum, & ponderosum, unde de diabolo dicitur, & membris ejus & reprobis Job 41. Cor ejus indurabitur quasi lapis. Non est credendum, vel dicendum, quod istam duritiam causet Deus in malis, quia Apostolus dicit ad Rom. 19. Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat, indurare Deus dicitur, quia indurare permittit, relinquens hominem arbitrio suo, & quanto quis magis permanet in peccato, tanto magis obduratur.* Dum enim divinam abjicit gratiam, consequens est, ut anima semper magis magisque in malitia habituetur, & obstinatior evadat. Idem vero Sanctus Archi-Præsul paulo post subdit inquiens : *Quantum sit periculum, & perniciosa ista obduratio, ostendit beatus Bernardus in lib. ad Eugenium dicens : Nemo duri cordis salutem umquam adeptus est, nisi forte cui Deus abstulit cor lapideum, & dedit ei cor carneum.* Sanctus Bernardinus ingeniose in hæc verba scribit : *Quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi veraciter factum est post consecrationem, quia sermo mutat creaturam, & ita irrationalis creatura, & inanimata, scilicet panis, mutatur in melius, scilicet in Corpus Christi, virtute Verbi Dei. Mirum est igitur, quod peccator non mutatur, nec verbis, nec beneficijs, nec minis, nec promissis potest converti de sua mala vita in bonam.* Scitisne causam, cur uxor Loth, potius in statuam transformata fuerit, quam in aliam formam ? Si enim Deus illam ob suam inobedientiam punire statuerat, suffecisset, quod una ex scintillis ignis, quo Sodoma conflagrabat, eam pariter invadens incinerasset. *Sed omnia Deus in sapientia fecit.* Hæc enim mulier, quæ retrorsum conversa est, ut infames illas videret civitates, quibus antea dorsum obverterat, typus erat animæ, ad illa peccata redeuntis, quæ antea detestata fuerat, in quibus dum habituatur, sæpè numero contingit, ut in statuam transmutetur, de qua dici possit, *aures habet, & non audit* ; & quidem videbitis, talem animam extrinsecus apparere, ac si eadem illa esset, quæ erat antequam prævaricaretur, & tamen interius totaliter depravata, dura, & obstinata est ; dicite illi quidquid libet, extrinsecus quidem se aures habere ostendat, intrinsecus tamen est veluti statua, quia consilia, correctiones, improperia, & comminationes aliorum despicit & contemnit.

Cassiod.
Peccator Deo cor suum claudit seris ferreis.
Psal. 118. v. 70.
Ratio cur induratum cor assimiletur Lacti.
Dan. 13. v. 9.
S. Antonin. p. 4. Tom. 14. c. 6. §. 3.
Quo sensu Deus dicatur hominem indurare.
S. Bernard. Tom. 2. Ser. 52. p. 1. art. 2. c. 1.
Cur uxor Loth fuerit transformata in statuam.
Gen. 19.

6. Sanctus Bernardus ait : *Peccantes primò excipit negligentia sui, deinde curiositas rerum exteriorum, & ad se non pertinentium, deinde ipsarum rerum concupiscentia, concupiscentiam sequitur consensus, consensum consuetudo, consuetudinem contemptus, contemptum malitia, id est, affectus, & delectatio peccati. Negligentia tardat, curiositas impedit, concupiscentia ligat, consensus stringit, vel obdurat, consuetudo trahit, consensus præcipitat, delectatio incarcerat carcere desperationis ; quare peccator dum venerit in profundum, desperat.* Sanctus Isidorus pariter modum insinuat, quo peccatum habituatur, & homini peccatori quasi incarnatur. Ait enim : *Istis fominibus, quasi quibusdam gradibus, coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem ; Sicque his vinculis homo implicatus, quadam catena vitiorum tenetur adstrictus, ita ut ab ea avelli nequaquam valeat, nisi divina gratia manum jacentis apprehendat.* Ubi prædictus Sanctus per ultima verba aliquam peccatori spem suggerit, possibilitatis resurgendi ; at vero audiatis si libet, ex Sancto Bernardo quo id modo fiat ; ait enim mellifluus hic Doctor : *Nec tamen si quis ejusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit cito ; quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius. Beatus vero qui tenebit, & allidet parvulos Babylonis ad petram, etenim si creverint, vix poterunt superari.*

S. Bern. Ser. 2. de pugna spirit.
Gradus peccantium.
S. Isid. ibid.
Modus, quo peccatum habituatur.
S. Bernard. Ser. 3. de nat. Apost. Petri & Pauli.

TRACTATUS LXXIV.
DE PECCATIS EX MALITIA COMMISSIS,

CONTINET

DISCURSUS TREDECIM.

DISCURSUS I. De peccatis, quæ ex malitia, datâ operâ, & cum plenâ deliberatione, & consilio committuntur, disceptatur.
II. Eadem Materia continuatur.
III. Continuatur idem argumentum,
IV. Hi, qui lumen, & notitiam Dei habentes peccant, graviter perstringuntur.
V. Idem argumentum continuatur, ubi & verba filij prodigi : *peccavi in cœlum*, fusius declarantur.
VI. Quanto quis cum majori lumine & scientia rerum divinarum peccat, tanto magis peccatum suum aggravat, majusque meretur supplicium.
VII. Peccatum Hebræorum inexcusabile fuisse probatur, eo quod Christi habuerit notitiam, & cum hac illum offenderint.
VIII. Hi, qui majorem habentes rerum divinarum notitiam, & scientiam, Deum offendunt, majora merentur supplicia, 107.
IX. Peccatores habituales ad pœnitentiam induci, insuperabilem in se continet difficultatem D. 91.
X. Eadem materia continuatur. D. 108.
XI. Author idem prosequitur argumentum D. 109.
XII. Peccata nostra multum ex eo aggravantur, quia à Christianis committuntur. 100.
XIII. Quadantenus excusabiles sunt, qui per ignorantiam peccant, valde autem culpabiles, omnique digni sunt supplicio Christiani, qui gravitatem peccati agnoscunt. 111.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.

De peccatis, quæ ex malitiâ, datâ operâ, & cum plenâ deliberatione, & consilio committuntur, disceptatur.

THEMA.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam. Psal. 72. v. 7.

1. PRopheta Regius hisce verbis exprimere vult peccatum ex malitiâ volitum, id est, advertenter, præmeditatè, & datâ operâ, sine vehementis tentationis impulsu, vel quovis alio stimulo instigante

Differentia peccati ex industriâ, & fragilitate commissi.

Psalm. 72. v.7.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 9.

gante commissum; de hoc enim dicit: *Prodijt quasi ex adipe &c.* Et quidem in verbis thematis observandus est affectus, & adhæsio nimia ad peccatum; dicit enim: *Transierunt in affectum cordis, Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt, Posuerunt in cælum os suum.* Enimverò de peccato ex surreptione commisso, aliqua suppetit excusatio, quia peccatum hoc dici potest, non esse peccatum, at verò quod ex industria committitur, de hoc se impius coram Deo excusare nequit, & dicere: *Tu scis figmentum meum.* S. Augustinus idipsum aptissimâ explicat similitudine inquiens: *Sunt enim mali, sed macie mali, ideò mali quia macri, id est exiles, exiguitate quâdam necessitatis affecti, & ipsi mali & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas quàm perpetranda aliqua iniquitas, tamen aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, hujus ex adipe processit.*

S. Aug. in Psal. 41.

Confirmatur ex similitudine Nathan proposita David.

2. Deus olim Nathan Prophetæ præceperat, ut ad Regiam Davidis se conferret, cumque ex parte suâ propter adulterij, & homicidij peccata asperè reprehendendo, ad detestandum peccatum, deque scelere suo pœnitendum induceret. Porrò Nathan vir erat fervidus, facundus, grandisque spiritus, sciens igitur, quantâ cum dexteritate tractandum sit cum Magnatibus, maximè quando illis proponendi sunt graves illorum defectus (quos se commisisse raró volunt agnoscere) per hanc omnibus manifestam se apud Davidem insinuavit parabolam; observandum verò, qua potissimum in re parabolæ hujus vim posuerit, ad hoc, ut Davidis delictum, tanto gravius, & inexcusabilius in conspectu tam cœli, quam terræ apparere faceret. Sacer textus igitur Nathan Prophetam in hæc verba loquentem introducit: *Duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper, Dives habebat oves, & boves plurimos valde; Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filijs ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia.* Enimvero si pauperculus ille ovem quamdam viro illi diviti, qui numerosos habebat greges, eripuisset, furtum quidem commisisset, illud tamen quadantenus, ob paupertatem ejus, excusabile fuisset; hic vero non ita contigit, sed omnino contrarium evenit; subditur enim: *Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitē, parcens ille sumere de ovibus, & de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini, qui venerat ad se;* quasi Nathan dicere vellet, tu ô David, qui Rex es, & plures habes uxores. Uriæ, qui unicam dumtaxat conjugem habet, scilicet & Bersabeam, hanc ei rapuisti. Hoc igitur audito facinore, David, licet alias de mansuetudine gloriatus fuerit, dicendo: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus,* hujus tamen facinoris iniquitate permotus, ex justo zeli & indignationis motivo, continere se non potuit, sed ut sacer textus ait: *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum;* Ex quo responso Propheta occasionem accepit opportunam, malitiam peccati Davidis exaggerandi, eique ex parte Dei beneficiorum & gratiarum à Deo receptarum immensitatem, nec non lumen & notitiam, qua illustratus fuerat improperandi, unde dixit: *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* ponderate obsecro hanc loquendi phrasin, quasi enim dicere voluit: *Sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus;* David nequaquam vir mundanus erat, ut quamdam in se gravitatem, in divinæ justitiæ trutina, peccatum aliquod mortale contineat, nesciret; sciebat enim, quisnam respectus, & reverentia divinæ Majestati deberetur; Et quam graviter Deum per peccatum à se commissum offenderit, ex suppliciis ipsi comminatis, iisdemque paulo post realiter ipsi immissis, clare, & evidenter deducitur. At vero, dicite obsecro, si nostis, quodnam in eo latet mysterium, quod licet Urias jam mortuus fuisset, & David, prout licite poterat, Bersabeam conjugem ejus sibi in conjugem & Reginam desponsasset, Nathan nihilominus illum haud secus tractarit, ac si etiamnum adulterij reus fuisset? respondetur igitur: *Aliquid erat, quod in eo connubio, etiam legitimo, Dominus condemnabat; neque enim à suo scelere resipuerat, neque priorem cogitationem, neque impuræ voluntatis studium abjecerat; licet enim non accederet ad alienam, non tamen alienus erat ab affectu priori. Adulterium, quod repentino libidinis impetu commissum est, siletur, & connubium, etsi legitimum, ob morosius residuum luxuriandi affectum, Davidi exprobrat.* Nathan enim Davidi objecit dicens: *Uxorem illius accepisti in uxorem tibi;* nullam facit mentionem primi peccati; quando ex solario domus regiæ Bersabeam se lavantem, & nudam conspectam, sine mora ad palatium accersiri fecit, suamque cum illa libidinem exsatiavit, cujus ratio esse potest, quia peccatum illud, utpote in primo impetu, & passionis vehementia commissum, excusabilius videri poterat; *in alienam fœminam irruit,* inquit S. Augustinus, *temporalium rerum prosperitatibus abreptus:* ubi præcipue notanda sunt ultima Augustini verba: hæc enim forsitan causam subindicant, quare Propheta primorum peccatorum non meminerit, sed solum illius, quod sedata jam tantisper passione commisit, id est, postquam tempus habuit sufficiens, sese reflectendi ad injuriam Deo irrogatam, & malitiæ suæ continuationem, tunc enim nullo ex capiti excusare se poterat. Sed audiamus Theodoretum perspicue hac de re his verbis loquentem: *Tacitè significat oratio, quod Deus magis succensuit ob matrimonium, quam ob prius commissum adulterium, nam illud quidem erat vehementissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat; hoc autem habet etiam assensum rationis; post iniquam cædem oportebat lamentari, & lugere, non nefario assentire matrimonio.*

2. Reg. 12. v. 1. & 2. Ibid. v. 3.
Ibid.
Ps. 131. v. 1. Explicatio similitudinis.
2. Reg. 12. v. 5.
Ibid. v. 9.
Nathan increpavit David postquam cum Bersabea contraxerat matrimonium.
Ratio quare.
Ibid. v. 9.
S. Aug. l. 3. de D. Christianâ.
Quia matrimonio ratificavit prius adulterium.
Theodoret. q. 25. in lib. 2. Reg.

3. Pro dignitate sufficienter exprimi nequit, quantopere divina Majestas, per peccata ex malitia, non vero fragilitate commissa, offendatur. Pro cujus intelligentia audiatis velim, qualiter Deus per os Psalmistæ adversus unū hoc modo peccantium lamentetur: *Tu vero,* inquit, *odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas; os tuum abundabat malitia, & lingua tua concinnabat dolos, sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Quibus verbis nonnulli delineantur homines, qui die ac nocte aliud non cogitant, nec alteri rei student, quam solum prævaricandis divinis legibus; ac proinde Chrysostomus super hunc Psalmum ita scribit: *Vidisti insignem improbitatem? vidisti studium, & præmeditationem? Hoc enim Deum maximè irritat, quando consulto, & præmeditato, & dedita opera ab improbis mala fiunt. Aliud est enim, cum quis deceptus, & seductus labitur; aliud, cum quis vitium & improbitatem exercet, & aliud rursum, (quod est crimen maximum) quando se improbe gerunt in eum, qui non est improbus.*

Psal. 49. 17. Describuntur qui à proposito student iniquitati.
D. Chrysost. 305. ibid.

4. S. Joannes Apostolus in prima epistolâ suâ ita scribit: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* At vero quodnam est peccatum istud, quod magis cæteris ad mortem tendit, & pro quo S. Joannes nulli suadere audet, ut pro illo intercedat, quasi indulgentia illius sit impossibilis vel saltem admodum difficilis? S. Bernardus in sermone quodam, cui titulus est: *De cute & carne & ossibus animæ,* idipsum explicat dicens: *Intentionem, & propositum mentis, ea solicitudine custodiamus, fratres, qua vitam animarum nostrarum volumus custodire, quoniam istud omnino est peccatum ad mortem, cum ex consensu & deliberatione delinquimus, proprio judicio condemnati.* S. Antoninus ait: *Nota, quod peccatum ex certa malitia est gravius peccato ex infirmitate, sive ex passione, triplici ratione. Primo quidem, qui cum peccatum consistat in voluntate, quanto motus peccati est magis proprius voluntati, quia ex seipsô in malum movetur, quam quando peccatur ex passione, quia est à quodam intrinseco impulsu ad peccandum, & quanto malitia fuerit vehementior, tanto peccatum est gravius. Secundo, quia peccatum ex malitia est diuturnius, nam habitus, quo ut in pluribus, peccatur ex malitia, est qualitas permanens, unde assimilatur infirmo continua infirmitate laboranti; sed passio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, est qualitas cito transiens, unde assimilatur ei, qui laborat infirmitate interpolatim, & sic cito redit ad bonum propositum polatim, & sic cito redit ad bonum propositum pœnitens. Tertio, quia peccatum ex malitia est periculosius, nam sic peccans male est dispositus, quantum ad ipsum finem, qui est principium in spiritualibus, & sic ejus defectus est periculosior, quam ejus, qui ex passione peccat. Cujus propositum tendit in bonum finem, licet propositum ejus ad horam inter-*

rumpa-

1. Joan. 5. v. 16. Peccatum ex deliberatione dicitur ad mortem, de quo Joannes in epistola.
S. Bern.
S. Antonin. p. 1. t. 6. c. 1. §. 2. Triplex ratio quare peccatum studio commissum, sit gravius peccato fragilitatis.

rumpatur. Dicit Hieronymus: *Quartum scelus est, post peccatum non agere pœnitentiam, sed in suo sibi complacere delicto.*

Ps. 6. v. 9.
Psal. 33. v. 6.
Luc. 15. v. 2.
Matth. 9. v. 11.
Matth. 25. v. 41. Etsi Christus recipiat peccatores, rejicit tamen studentes iniquitatibus.

5. Peccatum hoc ex malitia, deliberate, & cum studio ac præmeditatione commissum, Sacra Scriptura variis in locis magnopere detestatur. Et quidem Deus in Psalm. 6. per os Davidis ait: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et tamen constat, quod postquam Deus fuit incarnatus, nihil adeo studiose quæsiverit, quam ut peccatores incitaret ad sibi magis approximandum; unde David monebat dicens: *Accedite ad eum & illuminamini;* Et de Christo expresse in Evangelio dicitur: *Hic peccatores recipit;* maligni quoque Pharisæi murmurabant dicentes, *cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester;* immo ipsemet protestatus est, dicens: *Non veni, vocare justos, sed peccatores; non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus;* cur igitur in hoc Psalmo dictos peccatores à se repellit dicens; *Discedite à me,* quod quasi æquivalet formidabili illi sententiæ, quam in extremo die judicij adversus reprobos est pronunciaturus? Pro intelligentia illius *operamini,* nec non quod idem verbum in tempore præsenti proferatur; per hoc enim denotantur illi, qui data opera, & studio, incessanter, ac continuo nihil aliud faciunt, nihil aliud cogitant, quam quod de committendis iniquitatibus agitent consilium; & hi sunt, qui æternam merentur maledictionem, quibusque dicit: *Discedite à me,* spes enim salutis ipsorum nulla est, vel exigua; præterea *operamini iniquitatem,* idem significat, quod facere professionem de committenda iniquitate, adeoque omnem amisisse Dei respectum, & timorem, omnemque exuisse verecundiam. Sanctus Ambrosius super illa verba Psalmistæ: *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei,* ita scribit: *Ubi malignitas est, ubi custodia mandatorum cælestium esse non potest.* Citatque textum illum: *Quærent me mali, & non invenient.* Paulò post vero idem S. Doctor subnectit: *Malignos repellit, laborantes vocat; dicit illis Jesus: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem; istis ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, non utique malignitate mentis, sed infirmitate carnis onerati.* Vocat ad se illos, qui ex fragilitate cadunt, non vero illos, qui ex malitia illum contemnunt, idque prædictus Sanct. Doctor per ly: *Malignitate mentis* sufficienter indicat; *onerati, inquam, alieni hæreditate peccati. Laborantibus subvenio, fraudulentis prodesse non debeo, ne pluribus noceant. Malitia fons peccati est, culpa infirmitatis est lapsus. Illi debeo subvenire, qui laborat, illum etiam odisse, qui decipit, malas igitur operationes repellit.* Quod is, qui ex vehementia tentationis agitatus, vel ab innatæ concupiscentiæ flamma accensus, vel à prompta occasione extimulatus est, cadat, malum quidem est, magis tamen excusationem, & veniam meretur, quam is, qui noctes diesque integros, immo per septimanam, menses, & annos, aliud non machinatur, quam quomodo ad exsatiandos inordinatos appetitus suos pertingere possit; hoc enim est *operari iniquitatem. Laborantibus subvenio;* divina enim pietas prona est ad juvandum illos, qui cum displicentia sua cadunt & subito de errore commisso dolent, & pœnitent, de his verificatur dictum illud: *Culpa infirmitatis est lapsus.* Sanctus Gregorius Magnus ait: *Admonendi sunt, qui in culpa ex consilio ligantur, quatenus provida consideratione perpendant, quia dum mala ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt, ut tanto eos durior sententia feriat, quanto illos in culpa arctius vincula deliberationis ligant. Citius fortasse delicta pœnitendo abluerunt, si in his sola præcipitatione cecidissent. Nam tardius peccatum solvitur, quod per consilium solidatur. Nisi enim mens omni modo æterna despiceret, in culpa ex consilij judicio non periret. Hac ergo præcipitatione lapsi, & per consilium pereuntes differunt, quod cum hi à statu justitiæ peccando concidunt, plerumque simul, & in laqueum desperationis cadunt, & è radice spei funditus evelluntur.*

Ps. 118. v. 115. S. Ambr. ser. 15. Malignos repellit, Laborantes vocat.
Præventus meretur veniam, non vero malè operans ex præmeditatione.
S. Gregor. p. 3. pag. post admon. 33.
Peccatum deliberatè commissum non meretur veniam.

6. Et vero si aliquod reperitur peccatum, quod veniam non mereatur, hoc utique est illud, quod ex malitia, apostaticè, cum plena deliberatione, & ex studio, ac industria committitur: ac proinde idem Sanctus Gregorius subdit; *Hinc est, quod per Prophetam Dominus non tam præcipitationum pravam, quam delictorum studia reprehendit dicens: Ne forte egrediatur, ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum;* quæ verba desumpta sunt ex Jeremia Propheta, ex quibus apparet, quod ignis inextinguibilis in illorum deputatus sit supplicium, qui ex malitia, & deliberate peccant; subdit vero Sanctus Gregorius: *Quia ergo à peccatis alijs differunt peccata, quæ per consilium perpetrantur, non tam prava facta Dominus, quam studia pravitatis insequitur.* Apud Isaiam cap. 8. Deus de populo Hebræo sæpius in idololatriæ peccatum prolapso ait: *Argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent, profectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos; usquequo non poterunt emundari.* At vero quænam obsecro causa erat, quod peccati hujus expiatio tam difficilis esset, cum tamen constat, pietatem divinam, omni humana iniquitate longe esse superiorem? respondet Deus per os ejusdem Prophetæ: *Quia ex Israël & ipse est, artifex fecit illum, & non est Deus,* ambo enim vituli, tam is, qui in Horeb, quàm qui in Dan, & Bethel erecti fuerant, opera erant manum eorumdem hominum, qui illos adorabant, quique omne studium suum in illis fundendis posuerant, de quibus proinde facile credi non poterat, quod ab eorumdem vitulorum cultu removendi essent, & consequenter nec emendandi forent. Audite Rupertum Abbatem dicentem: *Baal, & cætera portenta dæmoniorum, ab alijs gentibus susceperunt, vitulum autem ut colerent, Reges Israël, ex semetipsis excogitaverunt, & in illo scelere omnes perseverarant, unde in Osea cum dixisset Dominus de Regibus & principibus illis: Usquequo non poterunt emundari? continuo causam istam subjunxit: Quia ex Israël ipse est, artifex fecit illum, & non est Deus; subauditur vitulus, de quo præmiserat: Projectus est vitulus tuus Samaria; & est sensus: Idcirco Reges & Principes Israël non possunt emundari, sive revocari à cultu vituli, quia non per ignorantiam in illo peccant, sed per malitiam, & non ab exteris gentibus decepti cultum ejus susceperunt, sed à semetipsô excogitaverunt,*

Jerem. 21. v. 12.
Isai. 8. v. 1.
Osea. 8. v. 6. Israëlitæ à colendo vitulo difficilius revocantur, quia per malitiam in illo peccaverunt.
Rup. Abb. lib. 5. de vict. ver. cap. 2.

7. Quando sacer textus de duobus illis à Jeroboam fusis vitulis loquitur, non sine mysterio dicit: *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos.* Illa namque opera, quibus se quispiam ex industria, labore, consilio & deliberatione occupat, affectum quoque nostrum absorbent; ac proinde nequaquam mirum est, quod peccata malitiæ, quæ præmeditate committuntur, amorem nostrum sibi rapiant, adeoque difficulter à corde nostro eradicentur, & in detestatione habeantur.

3. Reg. 12. v. 28. Facta ex industria absorbent affectum.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

De peccatis per malitiam commissis, deque illorum gravitate, & suppliciis, per quæ puniuntur.

THEMA.

Filij hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. ℣. 3.

Gloss. ord. Chrysost. ibid. in Gloss.
Miratur David sectantes iniquitatem.
2. Reg. 23. v. 8.
Dion. Carth.

1. Regius Psaltes divinarum legum prævaricatores, graves corde appellat, *gravi autem corde sunt,* inquit Glossa, *qui ad plumbeum talentum, iniquitatem in corde insidentem habent.* Chrysostomus ab eadem Glossa citatus ait: *Filij hominum, qui vivunt in improbitate.* Rex David, quamvis sederit *in cathedra sapientissimus,* capere tamen non potuit, qua ratione possibile sit, quod homines cor adeo ponderosum, & grave habeant, ut intra illud amori & affectui peccati aditum pandant, immo illud studiose sectentur, & inquirant; & ideo ait: *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Peccatores enim totum cor suum in dilectionem bonorum terrenorum, fallacium, & falsorum expandunt; unde Dionysius Carthusianus ait: *Diligitis vanitatem, id est, temporalia ista vanissima, quæ dum plus amantur, quam Deus, vanissima sunt, quia mentem à summo bono avertunt;* ex qua aversione peccatum, quod est aversio à Deo, & conversio ad creaturam, subsequitur. Et hoc est, quod neque Jeremias de populo

Jerem. 8. v. 5.
electo loquens, intelligere poterat, dum ait: *Quare aversus est populus iste in Hierusalem aversione contentiosa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti*; ubi Dionysius Carthusianus per ly *mendacium: carnalia oblectamenta intelligit, quæ felicitatem quamdam promittunt amanti, sed fallant.* Inordinatio autem, quæ in prædicto Psalmistæ versu damnatur, in duobus illis verbis præcipue consistit, scilicet, *diligitis, quæritis.* Quod enim nonnumquam in peccatum labamur, sed cum nostra displicentia, malum quidem est, sed tamen excusationem admittit; at verò malitia, quæ damnatur, est, quando peccata à nobis omni studio & industria quæruntur, amantur, & grata habentur. Sanctus Isidorus proinde, in hac de peccato materia, nonnullos distinguit peccati gradus inquiens: *Gravius est infirmitate, quam ignorantia quemquam delinquere, graviusque industria, quam infirmitate peccare; Industria namque peccat, qui studio, ac deliberatione mentis malum agit, infirmitate autem, qui casu, vel præcipitatione delinquit, nequius autem, & de industriâ peccant, qui non solum non bene vivant, sed adhuc & bene viventes, si possunt, à veritate divertant.* Didacus Stella ingeniose observat dicens: *In veteri lege dans Dominus remedia peccatorum, in Levitici libro tradit sacrificium pro his (capite 4.) qui ex ignorantia peccant, & quomodo peccatum eorum expiandum sit; similiter de peccatis ex fragilitate, & alijs, sed nihil agit de peccatis malitiæ.* Ratio autem cur Deus (qui omnia providet, omnibusque prospicit) oblationes & sacrificia pro expiando malitiæ peccato non præscripserit, nec determinarit, sequens ab illo adducitur: *Nullus deberet adversus tam pium patrem studiose peccare, ideo nullum sacrificij genus institutum legimus, licet fuerit pro expiatione illorum, qui sua sponte in vitia prolabebantur, sed illi Magistratui puniendi relinquebantur; sicut enim Dominus, ut videtur, sua sponte castigat, sed coactus, ita nemo deberet eum sua voluntate offendere. Qua in re considerandum est, quam gravia sint peccata ex studio commissâ, quibus ante legem nullum ad expiandum institutum legimus Sacramentum, aut sacrificium. Filij hominum usquequo gravi corde?* Sanctus Augustinus proinde ait: *Amor meus, pondus meum*; cor Deus, velut opus manuum suarum, tali cum architectura in homine creavit, ut in parte superiori spatiosum sit, apertum & dilatatum, ex parte vero inferiori sit angustum, & strictum, adeo ut quasi terminetur in punctum. Quonam vero fine Deum illud tali Symmetria creasse existimatis? *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, ut Sapiens inquit, ac proinde unicuique homini per hoc insinuare voluit, quod cor uniuscujusque hominis versus cœlum suumque Creatorem, nec non alterius vitæ bona dilatandam sit, id est, quod hæc omnia grandi amore & affectu sint prosequenda, econtra vero ad bona terrena angustum & strictum esse debeat, unde Sanctus Philippus Nerius dicere solebat, quod quantum amoris creaturis impenditur, tantumdem Creatori adimatur; unde fit, quod refrigescente hoc igne, iniquitas multiplicetur; *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas:* Quænam igitur est hæc inordinatio, quod in corde nostro infinito peccati ponderi sponte & studiose detur aditus? *Usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem? ut quid quæritis mendacium?* numquid ut à vobis in fugam pellatis primam, & æternam veritatem, sempiternamque beatitudinem? quod si dicas, nos è terra, & luto hoc fragili esse plasmatos, (*lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias*) ac proinde *neminem mundum à sorde reperiri*; mox tibi respondebo cum Magno Gregorio, dicente: *Hoc inter peccatum distat, & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen; & in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccato valet, unde & prædicator Sanctus, cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: Si quis sine peccato, sed si quis sine crimine est. Quis vero esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est; In qua videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt. Unde Job crimen luxuriæ desiniens ait: Ignis est, usque ad perditionem devorans, quia nimirum reatus hujus facinoris, non solum usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat.*

Dion. Cart. — Explicatio Thematis. — S. Isid. l. 1. Sentent. cap. 7. — Gradus peccati explicantur. — Did. Stell. in cap. 14. Lucæ. — In veteri lege pro peccatis malitiosè commissum nullum fuit ordinatum remedium. — Sap. 11. v. 21. — Matth. 24. v. 12. — Psal. 4. v. 3. — S. Greg. l. 21. mor. cap. 9. — Diversitas inter peccatum & crimen.

Aliam quamdam super hunc textum Sancti Jobi: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo*, in eodem S. Doctore invenio doctrinam his verbis expressam: *Sciendum est, peccatum tribus modis committitur, nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat. Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Petrus vero in infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, & Deum, quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa, vel ignorantia eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit, sciendo correxit, & Petrus mortuam, & quasi arescentem jam radicem fidei lachrymis rigando solidavit. Ex industria vero peccaverunt ij, de quibus ipse per se Magister dicebat: Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo; Et paulo post: Et viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem, sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare, sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur.* Abulensis, postquam inter peccata negligentiæ, & deliberationis ostendisset differentiam, in hæc verba subjungit: *In hoc consistit peccatum ex malitia, cum aliquis peccat, & ideo peccat, ut alteri malum agat; & si quis alteri invideat, ut eum aut bona sua demoliri conetur*; verumtamen paulo post ad propositum nostrum melius subdit: *Differt à peccato per passionem facto, ideo oportet, ut cum aliquis secundùm malitiam peccat, quod non sit ibi aliquod incitamentum passionale, sed pura voluntas, seclusâ omni ignorantia & passione, ideo danda est regula generalis, quod in peccato secundùm malitiam solum sunt duo principia, scilicet intellectus, & voluntas, & non præcedit aliquid alterum ad monendum ista.* Demum vero ita concludit: *Ex quo sequitur, quod quamvis omne peccatum voluntarium sit, nullum tamen ita voluntarium est, sicut peccatum per malitiam, quoniam in peccato secundùm malitiam solam operatur aliquid per intellectum & voluntatem, ideo voluntas ibi liberrima est.*

Job. 1. v. 5. — S. Greg. lib. 25. mor. cap. 11. — Peccatum tribus modis committitur. — Peccavit Paulus ignorantia. — Petrus infirmitate. — Judæi ex industria. — Abul. q. 1. in Levit. cap. 4.

2. Apostolus ad Romanos illorum describens malitiam, qui luminis naturæ & notitiæ acquisitæ, qua verum Deum à falsis numinibus discernere poterant, non cooperantes, permittuntur à Deo, ut inordinatis desiderijs suis in prædam cadant, eosdem vocat *repletos omni iniquitate, & malitia*; at vero dices fortassis, idem esse videtur peccatum quòd malitia, quia peccatum centrum est omnis iniquitatis; Respondeo igitur quòd in Græco legatur, *inveteratum vitium*, quod epithetum Ambrosius Catherinus sic explicat: *Cum quis de industria requirit, etiam laborans, male agere, & est proprium diaboli epitheton, à quo in oratione dominica petimus liberari, dicentes: Sed libera nos à malo.* Hoc autem posterius, pejus est statu peccati, estque idem, ut Psalmista declarat, quod in *cathedra pestilentiæ sedere*; ait enim Regius Vates: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quænam vero sit hæc tam abominabilis cathedra, Sanctus Gregorius declarat inquiens: *In cathedra pestilentiæ sedere, est, & ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilij cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut adimplere malum, etiam per consilium conetur.* Unde bene Didacus Stella monet: *Adverte si jam tibi sit peccandum, ut non de industria, sed casu peccare videaris.* Idem quoque Author considerat, quod cum Deus, post primorum Parentum nostrorum transgressionem, ambos in judicio conveniens, illos processerat, utrumque interrogarit, & examinarit, serpentem verò nec verbis correxerit, nec interrogarit, sed sine ullo examine ei maledicens, ipsum condemnarit. En verba prædicti Authoris: *Dominus arguit Adam, & quæsivit ab eo de peccato, & etiam correxit mulierem, quia peccaverant, sed serpentem nihil interrogavit*, moxque causam illius subdit inquiens; *Quoniam peccatum, quod ex malitia procedit, nihil habet, quod illud possit excusare aut suffragari.*

Rom. 1. v. 29. — Cather. ibid. — Quærere malè agere est epitheton diaboli. — Ps. 1. v. 1. — S. Gregor. part. 3. past. adm. 33. — Quid sit sedere in cathedra pestilentiæ. — Did. Stell. in c. 14. Luc. — Quare serpens sine examine fuerit damnatus.

3. Nemo ignorat, quod per Babyloniam in sacris litteris, nidus quidam & centrum omnis iniquitatis intelligatur, hæc autem Babylonia à peccato malitiæ primam suam traxit originem, utpote, quod prima illius jecit fundamenta, quod evidenter probare potest. Impij namque illi turrim illam cœperunt erigere, quam ad cœlum usque extollere intendebant, ut exinde Altissimo Deo bellum indicerent, ex verbis autem, quæ sacer Chronista Deum in hac occasione locutum fuisse scribit, clare satis deducitur, rebelles istos excogitato, & bene deliberato consilio, cœlum impugnare voluisse, ita enim Deus locutus fuisse legitur; *Ecce unus est populus, & unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Mirus profecto est hic loquendi modus, quo Deus hanc turrim in magnam satis sublimitatem deductam *cogitationes* appellat. Quod ipsum certus quidam Interpres advertens, quærit: *Præcelsam tam turrim ac arcem, quatuor millia jam passus altam cogitationem vocat? Quare non potius fere absolutum opus appellat? An quia inceptum opus, & non absolutum, non operis, sed mere cogitationis mereatur elogium? Plena enim, ac perfecta operis executio, opus dicitur, inchoatio autem operis, non opus inceptum, sed cogitatum appellatur.* Verum relicto sensu litterali, ad moralem transeamus, quem nobis Divus Chrysostomus his insinuat: *Ecce quomodo monstravit malitiæ eorum excellentiam.* Quidnam vero prædictus Sanctus Doctor his verbis dicere voluerit, idem citatus Interpres clarius specificat, dum ait: *Insignis malitiæ excellentia est, cum facinus alte cogitatum, consulte meditatum, atque ex condicto patratum est: Cum scelus ob meditatæ malitiæ excellentiam, cogitationis nomine designatur, tunc ejus patratores, non homines, sed filij Adam, propter malitiæ præstantiam, nominantur.* Cum igitur hoc peccatum Babyloniam erexerit, ejus incolæ variarum linguarum, & dispersionis pœna castigati fuere, ait enim sacer textus: *Divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.* Sanctus Jeremias Propheta ait: *Et non poterat Dominus ultra portare, propter malitiam studiorum vestrorum.* Quasi diceret, ideo ad condignas illis pœnas infligendas se accinxit: at vero qualenam fuit illud supplicium, quod Deus illis immisit? subdit idem Propheta: *Et facta est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum.*

Per Babyloniam intelligitur mundus iniquitatis. — Gen. 11. v. 6. — Deus vocat turrim Babyloniam cogitationis. — D. Chrysost. Hom. 30. in Gen. — Gen. 11. v. 8. — Jerem. 44. v. 44. — Ibid. v. 22.

4. Demosthenes in oratione quadam ita scribit: *Facit aliquis injuriam prudens? Iratæ leges, infesti Judices, pœnæ in eum constitutæ. Peccavit aliquis imprudens, & invitus? Huic venia datur, non supplicium quæritur.* Eumdem quoque stylum divina justitia observat: habet enim compassionem, suamque exercet misericordiam cum illis, qui ex ignorantia, fragilitate, vel impetu passionis eum offendunt; at vero inexorabilis efficitur, & ingenti cum severitate castigat illos, qui data opera, volentes, & scientes divinas ejus leges transgrediuntur.

Demosth. orat. pro Ctesiphon. — Deus quandoque misericordiam, quandoque exercet justitiam.

5. Sanctus Bonaventura peccatum in Spiritum Sanctum his verbis describit: *Peccatur in Spiritum Sanctum, ex malitia certa, hoc est, quando voluntas potest & scit resistere alicui malo, & tamen ex sola malitia illud eligit.* Idem Seraphicus in Discursu ejusdem sermonis subdit: *Peccatum in Spiritum Sanctum procedit ex libera & improba voluntate liberi arbitrij, & directe impugnat gratiam Spiritus Sancti, & ideo non habet colorem excusationis, quia quantum est de se, directe est impugnativum & medici, & remedij, per quod fieri habet remissio peccati. Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile in hoc sæculo, & in futuro, non quia dimitti non possit, sed quia raro aut vix dimittitur in hoc sæculo, quantum ad culpam, aut in futuro, quantum ad pœnam.* Similem quamdam doctrinam ejusdem Seraphici Doctoris, super cap. 12. Lucæ scribentis descriptam reperio, nam super illa verba: *Et autem qui in Spiritum blasphemaverit, non remittetur*; ita scribit: *In Spiritum Sanctum blasphemat, qui ex certa malitia veritatem impugnat; de tali dicitur, quod non remittetur, non quia talis numquam consequatur remissionem, sed quia ineptus est ad remissionem, eo quod peccatum illud nullam habeat excusationis colorem.* Unde Richardus: *Blasphemat quidam ex coactione, & hic peccat in Patrem; alius ex deceptione, & hic in Filium; alius ex sola malignitate, & hic in Spiritum Sanctum. Est autem in hoc genere sceleratissimum, in quo malitia crevit ad summum, quando quis in vituperijs Dei delectatur. Ex hoc ergo, quod hoc malum nihil videtur habere in se excusationis, nihil videtur recipere remissionis. Ineptus etiam est ad remissionem, quia impugnat divinam gratiam, per quam præparatur quis ad pœnitentiam.*

S. Bonav. tom. 7. l. 3. compend. Theol. verit. c. 29. — Quænam sint peccata in Spiritum Sanctum. — S. Bonav. in c. 12. Luc. — Peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur.

6. Unum ex atrocioribus supplicijs, quæ à sexies mille & septuaginta annis, id est, quamdiu hic stetit mundus, à divina justitia hominibus immissa fuerunt, fuit universale diluvium, quod totum inundavit mundum, & universum submersit genus humanum sola exceptâ Noë familiâ: Certum vero est, diluvium hoc immissum fuisse ad castiganda peccata malitiæ, tametsi illa ex fragilitate carnis fuerint commissa; *omnis quippe caro corruperat viam suam.* Verum observetis modum, quod idipsum evidenter probatur. Etenim homines, quotquot erant viventes, jam à centum præcedentibus annis, à Noë intellexerant, Deo apprehensum fuisse flagellum, quo irrogatam sibi ac hominibus injuriam vindicaret, & tamen surdi semper & contumaces permanserunt; & ideo inquit sacer textus: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra; cuncta enim cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*; quibus verbis obstinatio & contumacia hominum illius temporis ita efficaciter innuitur, ut significantiori phrasi exprimi non potuisset; nam ut Chrysostomus ait: *Verbum cogitat, multum momenti in se habet, non enim ex surreptione hoc illis accidit, sed in corde cogitant, & hæc per singulas horas volvunt, in his studium suum collocant, & neque semel, & iterum vel fortuito supplantati à peccato, à malitia sibi temperant, sed diligenter eam exercent, & mala operantur, hoc est, magno studio, nihil obiter, nihil negligenter ab eis fit, neque brevi tempore, sed omnibus diebus omnem suam vitam in hoc impendunt. Vidisti malitiæ immanitatem? Vidisti, quomodo dedita opera fecerunt, diligenter omnia mala operantes.*

Propter peccata malitiosa venit diluvium. — Gen. 6. v. 12. — D. Chrys. Hom. 22. in Gen.

7. Universa mala culpæ & pœnæ, quæ hactenus super terram immissa fuerunt, & quæ deinceps ad finem usque sæculorum eamdem inundabunt, à peccato originali primorum nostrorum parentum, ab astutissimo inferni serpente tentatorum, pessimam suam habuerunt originem. At vero observastisne aliquando consilij sui machinam, qua lapsum illorum orditus fuit? Nimirum iisdem, quod similem boni & mali scientiam, qualem Deus habebat, acquirere sibi possent, persuasit, dicendo; *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* At vero dices fortassis, num igitur astuto huic tentatoralia ad proponendum deerant motiva? certum est, quod talia illi non defuerint; sed audiamus Oleastrum hac de re ita scribentem: *Cogitavi sæpius apud me, quare tantopere suadere niteretur dæmon homini, appetitum scientiæ boni, & mali, aut astutiam & calliditatem. Istuc enim tendere videntur verba ejus, ut scilicet simplicem callidum faceret & astutum. Noverat quippe malignissimus insidiator, nulla esse deteriora peccata, quam quæ ex astutia & malitia fiunt. Ideo voluit homines de cætero ex malitia peccare, ut minus digni venia essent, quam si simplicitatem prætenderent, aut infirmitatem. Sed serpens erat callidior*; qui proinde malitiam prius Evæ inseruit, postea vero hâc usus est, ad eumdem effectum penes Adamum, & utrique persuasit, prohibitionem pomi eo solum fine factam fuisse, ut divina hac scientia, nec non similitudine & æqualitate cum Deo privarentur, idque artificiosè præstitit, ut majori cum malitia, impositam illis transgrederentur prohibitionem, *voluit enim, eos de cætero ex malitia peccare, ut minus digni venia essent.*

Deteriora sunt peccata quæ fiunt ex astutia. — Gen. 3. v. 5. — Oleaster. in c. 3. Gen.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Contra illos, qui ex certo studio, & præmeditatione, non vero per ignorantiam, vel passionem peccant, disseritur.

THEMA.

THEMA.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit. Psalm. 35.℣.5.

Ut contemplativus meditatur res spirituales, ita carnalis carnales.

Quid sit meditari iniquitatem in cubili.

1. PEccatum, quod *malitia* appellatur, significantioribus verbis exprimi non poterat, quam hisce: *Iniquitatem meditatus est.* Etenim contemplativus in meditatione sua res spirituales ruminat, de illis discurrit, atque ex iisdem varios interiores amoris, compunctionis, humilitatis, conformitatis voluntatis suæ cum divina, patientiæ, aliarumque similium virtutum excitat actus, estque intellectu, affectu, & corde suo illi puncto totaliter intentus, quod sibi in meditatione sua considerandum proposuit. Idem quoque facit peccator, qui non per fragilitatem, & ex subreptione, sed per malitiam, & ex proposito Deum offendit; etenim in secretioribus penetralibus suis, quiete se collocat (licet cum propriæ conscientiæ inquietudine) ad excogitanda media, quibus ad objectum concupitum pertingere possit, hoc enim fine componit litteras amatorias, præparat donativa, instruit mediatrices, cunctasque alias tentat vias, quibus ad exsatiandum effrænem appetitum carnis possit pervenire; & hoc est, quod Psalmista in verbis assumpti thematis dicere voluit, dum ait: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo:* Sanctus Augustinus notans ly *astitit*, ait: *Perseveranter peccavit, unde & de quodam pio, & bono dicitur: Et in via peccatorum non stetit. In cubili suo meditatus est, id est,* ut Dionysius Carthusianus exponit, *in corde suo, & hanc meditationem ad effectum perduxit, quoniam astitit omni viæ non bonæ, id est, omni operationi iniquæ adhæsit:* Forsitan Dionysius Carthusianus hanc interpretationem à Doctore Angelico didicit, qui ait: *In cubili suo, id est, in corde suo; vel in cubili, id est, quando stat in secreto;* adducitque textum illum Sapientis: *Cogitatio stulti peccatum est.* Prius tamen ante omnes alios Sanctus Hieronymus hunc versum sic exposuerat: *In cubili, id est, in cordis secreto, in quo compungi debuit, iniquitatem meditatus est; malitiam non odivit, sed dilexit, quia non solum illam non oderant, sed amplexati sunt.* Aptius tamen quovis alio Expositore Glossa textum illum sic interpretatur: *In cubili, id est, in corde, in quo sive complacent opera mala, & hoc est, astitit omni viæ, cum studio, & mora, invenit quidem, & scivit esse mala, sed tamen non odivit.* Porro hic Psalmus, quoad sensum litteralem, à Lyrano, de persecutione à Saule contra innocentem Davidem mota, explicatur; hujus enim peccatum non fuit fragilitatis, ignorantiæ, negligentiæ, vel passionis, quia fuit odium, diuturno tempore inveteratum. *Dolose egit, scilicet cum David, faciens enim generum suum, ut si occideretur gladio Philistinorum.* Filiam namque suam ei dare in uxorem quidem promisit, cum hac tamen conditione, ut prius centum Philisthæorum præputia coram se adferret. In qua strage speravit, licet frustra, cum ab hostibus vita exuendum esse. *Præterea cum non potuit occidere latenter ac dolose gladio Philistinorum, persecutus est eum patienter, manifestans odium, quod conceperat contra ipsum. Verba oris ejus iniquitas, & dolus, quando suasit Jonathæ, de quo confidebat David, sicut de seipso, quod adduceret David, ut moreretur.* 1. *Reg.* 20. *Noluit intelligere, quia cum Jonathas innocentiam David allegaret, Saul intelligere noluit, sed magis indignans, Jonathan lancea percutere voluit. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, quia de nocte vigilans, cogitabat, quomodo posset David capere, & eum occidere; Astitit omni viæ non bonæ, id est malæ, quia paratus fuit persequi David, per vias pessimas, scilicet super abruptas petras, quæ solis ibicibus sunt perviæ, ut habetur.* 1. *Reg.* 24. *vel astitit omni via non bonæ, quia paratus erat omni consilio malo acquiescere, ideo subditur: Malitiam autem non odivit.* Ecce tibi igitur veram impij alicujus, per malitiam peccantis, effigiem. Enimverò quod in solemnibus illis populi applausibus, in quo mulieres tympanistriæ canebant: *Percussit Saul mille, & David decem millia:* cor suum ab invidia extimulari sibi permiserit, peccatum quoddam fuit ex vehementis passionis impetu commissum; at vero quod postea venenum hoc in corde suo per tot annos fuerit, illud semper magis magisque augendo, per accessionem fatalis odij, adeoque truculentæ persecutionis, non obstante, quod ad eum mitigandum tot officiorum Jonatha ipsi exhibitorum genera, mansuetudo, item & heroica Davidis gesta, totque aliorum intercessiones, se interposuerint, hoc propriè malitiæ peccatum erat, per quod tandem in probrosæ mortis deturbatus fuit præcipitium, in quo regnum terrenum pariter & cœleste amisit.

S. August. Ibid. — *Dion. Carth.* — *S. Thom.* — *Prov. 24. v. 9.* — *S. Hieron. Ibid.* — *Gloss. Ord.*

Dolus Saul *Lyran.* — *1. Reg. 18. v. 44.* — Perseverantia Saul, peccato. *1. Reg. 20. v. 48.* — *1. Reg. 24. v. 27.* — *1. Reg. 18. v. 7.*

Gravissimum peccatum David fuit, homicidium Uriæ malitiosè commissum.

2. Davidi quoque severissima illata fuisse supplicia leguntur, juxta vaticinium, quod ei Nathan ex parte Dei pronunciavit, quorum causam, quia notissima est, hic præterimus. Porro in libr. 3. Reg. cap. 15. æterna Veritas hanc Davidi laudem attribuit, quod scilicet prævaricatus non fuerit præterquam in Uriæ homicidio; ait enim sacer textus: *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.* At vero, inquit Abulensis, numquid peccaverat adulterando cum Bersabea? Numquid numeraverat populum, in cujus erroris pœnam subditis suis pestilentiam superinduxit? Numquid medietatem possessionum Miphiboseth, donaverat Sibæ, licet dictum Miphiboseth, ab imposita ei calumnia, innocentem deprehendisset? Respondet præfatus Doctor: *David peccavit in morte Uriæ, & istud fuit maximum peccatum ejus, nam propter istud dedit ei Dominus in pœnam, quod moreretur filius ejus, quem suscepit de Bersabeè: etiam quod numquam recederet gladius de domo sua, & ex hoc habuit causam defloratio Thamar filiæ David, & mors Ammon, primogeniti David. Fecit tamen præter hoc alia peccata, quæ parva fuerunt in comparatione ad illud.* At vero, inquies, si Uriæ homicidium tam ingens malum fuit æstimatum, cur non etiam ad rigorosum divinæ justitiæ examen appensa fuit strages, quam David de Nabal, & suis instituere decreverat, nisi ab Abigail id ei dissuasum fuisset? Belli Duces pro nihilo ducunt, quod militibus suorum exercituum præcipiunt, ut se in aciem prælij primis hostium insultibus oppositurus collocent, licet illos de vita sua periclitaturos esse certo sciant; ac proinde David graviter peccasse non videtur, percipiendo Joab, ut Uriam militem in acie prælij collocaret. Interpres quidam post recensitum plurium peccatorum Davidis catalogum, respondet, sacram Scripturam hæc omnia peccata non tanti fecisse, quanti homicidium Uriæ, idque, quia valde præmeditatum, magnoque cum studio & industria Davide machinatum fuerat. In verba prædicti Authoris: *Non quia in his peccatis, quæ tamquam gravia illi imputantur, graviter non deliquerit, sed quoniam cædes Uriæ diu meditata, & alta mente præconciliata fuit. Adulterium autem exæstuans libidinis fervor, & nudæ pulchritudinis subito spectatæ blandimentum, & pariter Nabali strages furor derepente conceptus, etsi à peccato non excusant, illius tamen peccatum extenuant. At scelus Uriæ diu meditatum, callide inventum, consilij diuturnitate morosum, & quod præconciliata diuturnitas non excussit, enormissimum est, & obstinationi fere confine.*

Abul. q. 4. 3. Reg. 15. v. 6. — *3. Reg. 25. v. 6.* — Praxis belli Ducum. — Cædes Uriæ fuit diu præmeditata.

3. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Super hæc verba Sanctus Ambrosius ita scribit: *In cubilibus compungere nos debent nostra peccata, non in ipsis delinquenda committi, dicente Propheta: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* David autem, & ad imitationem ejus, omnes illi, qui à concupiscentia seducta, voluptatibus carnalibus sunt immersi, dum in secretioribus penetralibus iis fruuntur, non solum de iis detestandis, sed & de continuandis illis, nec non adinveniendis mediis, quibus ad finem suum pertingere possint, studiosè cogitant; ac proinde David, ut majori cum securitate Bersabeam possidere posset, modum excogitavit, quo Uriæ per hoc stratagema vitam mortalem eriperet.

S. Ambr. ibid. — Peccatores agunt contra hoc monitum David, in cubilibus vestris compungimini.

4. *Iniquitatem meditatus est.* In principio Prophetiæ Isaiæ, Deus contra populum Israëliticum, se contumaciter contemnentem, hisce verbis lamentatus fuisse legitur; *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverint Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedes, usque ad verticem,*

Isai. 1. v. 4. — Dei querela contra Israëlitas.

verticem, non est in eo sanitas. Et paulo post Judææ prædicit: *Desolabitur sicut in vastitate hostili, Et derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* At verò vultisne scire hujus tam deplorabilis lamenti, & flagellorum prædictorum causam? audite illam à Ruperto Abbate his verbis traditam: *Ac si dicat: Non peccatis per infirmitatem, non erratis per ignorantiam; si ita esset, scirem unde vos percutere deberem, invenirem qua plaga vos castigare possem. Planta pedis opus externus, vertex rationis, dignitas imus intelligitur, cum ergo quis per malitiam peccat velut illi, cum dicerent: In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia, cum scirent, quod in digito Dei ejiceret, rectè dicas, quia à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Igitur in quo percutiam vos? nempe hujusmodi insania non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Didacus Stella super Lucam scribens ait: *Admonendi sunt, qui in culpa ex consilio ligantur, quatenus provida consideratione perpendant, quia dum mala ex judicio faciunt, & proposito malo, & malitia peccant, quod districtius contra se judicium accendunt, ut tanto eos durior sententia feriat, quanto eos in culpa arctius vincula deliberationis ligant.* Idem supracitatus Rupertus, alio in loco, super illa verba: *Non requirat eum Deus desuper,* ita scribit: *Ac si dicat: Hominem quidem, qui ex infirmitate in culpam alienâ malitia cecidit, requirat, id est redimat, eum autem, qui nihil infirmum ex carne gestans, superbiendo, propria malitia corruit, non requirat, id est, non redimat, & non illustretur lumine, id est, numquam pristini status lumen recipiat.* Porro quanta sit gravitas peccati ex malitia, & cum scientia, cognitione, deliberatione & studio commissi ex sequenti ab Episcopo Abulensi tradita regula liquere potest: *Magnitudo peccati, vel boni operis, attenditur per hoc, quod aliquis adhæret illi ex corde suo multum, vel parum, ideò maximus cultus, quem homo Deo exhibere potest, est, quod ex toto corde suo diligat eum, vel ex toto corde vigilet ad custodienda mandata ejus; sic patet, cum dixit Deus de David: Custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo. Ita ergo quando quis toto desiderio suo adhæret alicui operi nefario, est peccatum gravissimum.* Paterculus de antiquis Romanis, qui Rempublicam, multis sæculis sapientissime gubernarunt, ita scribit: *Romani veteres magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum, factaque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum admissum foret, æstimabant.*

Isai. 1. v. 7. & 8. — *Rup. Abb. l. 1. in Isa. cap. 3.* — *Did. Stell. in cap. 14. Luc.* — *Job. 3. v. 4. Rup. Abb. l. 1.* Pœna malitiosi. — *Abul. q. 15. in c. 14. l. 3. Reg.* — Regula judicandi gravitatem peccati. — *Patercul. l. 2. c. 8.*

5. *Iniquitatem meditatus est.* David post recuperatam in virtute pœnitentiam Dei amicitiam, & familiaritatem, totum se ejus patrocinio commisit; ac proinde Psalmum 90. hisce verbis est exorsus; *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur; Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.* Specificat quoque, qua in re spem suam positam haberet, scilicet ne in inimici infernalis retia, & laqueos incidat; unde ait: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium,* & paulo post ulterius progreditur ostendendo, qualiter sub protectione Dei peccata malitiæ evasurus sit, ait enim: *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris;* circa quæ verba audiamus Bedam ad propositum nostrum in hæc verba scribentem: *Sciendum, quod quisquis ignoranter peccat, quasi in nocte peccat, qui vero scienter peccat, quasi in die peccat, per timorem itaque nocturnum, levis tentatio intelligitur, quæ fit in ignorantia, quia per nocturnum ignorantia intelligitur, per timorem vero levis, quia quamdiu malum aliquod timetur, non tantum patitur aliquis, sicut quando infertur. Per sagittam volantem in die, levis tentatio, quæ in scientibus fit, designatur, per diem quidem scientes, per sagittam vero levis tentatio,* ab hisce igitur sagittis, ab hisce inquam tentationibus à Deo defendimur, quamdiu sub ipsius patrocinio constituti sumus.

Psal. 90. v. 1. — *Ibid. v. 2.* — Qui peccat ignoranter de nocte peccat, qui scienter, quasi de die. *Ibid. v. 3.* *Ibid. v. 5.* *Ibid. v. 6.* — *Ven. Beda.*

6. *Iniquitatem meditatus est.* Quænam inter peccatum malitiæ & peccatum casualiter, & per accidens, sive ex subreptione commissum incedat differentia, ex sequenti facto à Plutarcho descripto colligitur. Refert enim quod cum Dionysius tyrannus senior intellexisset, qualiter à duobus adolescentibus bonam ejus famam per maledicentias & detractiones apud populum dilacerantibus, pessime traductus fuisset, utrumque juvenem circa vesperam invitarit ad cœnam suam, in qua observans, quod unus illorum liberaliter biberet, alter vero satis temperate vino uteretur, illum, qui se vino ingurgitabat, sive castigatione aut pœna liberum dimisit, utpote quem viderat non esse sui ipsius gubernandi capacem, propter ebrietatem, ac proinde non peccaret per voluntatem, sed per accidens; alterum vero morte punivit, quia enim illum sobrie viventem notarat, exinde arguebat, quod is famam suam, non ex subreptione, sed ex matura deliberatione & malitia dilacerasset. Inveni penes quemdam fide dignum Scriptorem citatam sequentem proposito nostro aptissimam Sanct. Paulini sententiam, dicentis: *Criminosius est peccatum excogitare, quam facere.* Cujus ratio est, quia peccatum sæpe, & ut plurimum, fragilitatis & infirmitatis humanæ solet esse abortus, & in hoc casu excusationem admittit, at vero quando est partus malitiæ, id est, peccatum præmeditatum, volitum præcedenti studio, industria, & solicitudine commissum, tunc nullam meretur excusationem aut patrocinium.

Plutarch. in Apoph. Reg. & Imper. — Historia de Dionysio tyranno. — Criminosius est peccatum excogitare quam facere.

7. *Iniquitatem meditatus est, &c.* Enimverò quod Hebræorum turba, quæ quinque diebus antea in honorem Christi, cum jubilo acclamaverat Hosannæ, subito mutata voce vociferari cœperit: *Tolle, tolle, crucifige,* nihil est mirum, quia S. Matthæus, de optione Hebræis à Pilato oblata: *Quem vultis, dimittam vobis? Barrabbam? an Jesum?* differens claris verbis dicit: *Principes Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, ut peterent Barrabbam, Jesum vero perderent,* & vero licet nulla dari possit major volubilitas, & inconstantia, quam plebis, utpote quæ non per discursum & consilium gubernatur; hoc tamen pro sacerdotibus, Principibus Synagogæ, & alijs non militat, de quibus legimus: *Mane autem facto consilium inierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores populi, adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Nam, ut Origenes verba illa: *Mane autem facto,* notans, scribit. *Qui in tenebris, & nocte offendit, veniâ dignus est, qui autem in die clara offendit, numquam potest excusare errorem, quasi continentem se, maximè quando habens in se lucernam corporis, offendit, sed incontinentiam suam. Hoc autem diximus, ostendentes, quoniam Christi quidem discipuli in nocte scandalizantur, secundùm quod Dominus eis prædixit: Omnes vos scandalum patiemini in nocte hac, & quia Petrus ante galli cantum ter denegavit. Qui autem consilium accipiunt contra Jesum, omnes Principes, & seniores plebis, mane facto in lumine peccant, id est, scientes, secundùm quod scriptum est de hoc consilio: Quoniam consiliati sunt ex consensu in unum, sicut scriptum est in Psalmis, ut morti traderent Christum.* Quod igitur Filium Dei morti tradiderint, peccatum malitiæ utique fuit.

Matth. 27. v. 17. — *Ibid. v. 20.* — Præmeditatio Judæorum contra Christum. — *Matth. 27. v. 1.* — *Orig. Tr. 35. in Matth.*

8. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ex hisce verbis considerari potest impertinens quædam homini perditæ salutis deordinatio, siquidem potentijs interioribus utitur, non ad meditandum, & contemplandum summum bonum, quo sine homini datæ fuerunt, sed ad excogitandum modum, Deum Creatorem, ultimum finem suum (*creasti nos Domine ad te*) graviter offendendum; ideo dicitur: *Iniquitatem meditatus est.* Non potest dari abusus hoc abominabilior qui, in eo consistit, quod donis, ac dotibus, & potentijs animæ, à Deo sibi datis, in ejusdem Dei offensam & opprobrium iniquissime utantur. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ,* ex affectu enim depravato, & peccaminoso, simul ad opera perversa & malitiosa prorupit. Deus olim in Deuteronomio populum suum electum (cui substituendus erat populus Christianus) quænam ipsi meditanda essent, his verbis docuit: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua.* Sed eheu quam ab hujus Divini præcepti adimpletione alieni sunt illi, qui nihil aliud meditantur nec alteri rei student, quam odio Dei, quod peccato cohæret? *Iniquitatem meditantur &c.* Quoniam obsecro Rex & Propheta David

Malitia deliberata est maximè abominabilis. — *Deuter. 9. v. 4.* Mandatum Dei. — Spernunt illud impij. — *Act. Apost. 13. v. 22.*

vid (de quo Deus ipse ait: *Inveni ... hominem secundùm cor meum*) meditationem suam quotidie dirigebat? audite ipsummet in Psalm. 76. dicentem: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meam*; & paulo post subdit: *Et meditabor in omnibus operibus tuis.* Idem in Psalm. 118. inquit: *Lex tua meditatio mea est.* Impij autem, qui ad nihil aliud attendunt, quàm ut modum excogitent prævaricandi, finem illum sortiuntur, quem Regius Vates in fine illius Psalmi prædixit, scilicet: *Ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec poterunt stare.*

Psalm. 76. v. 6. — Sequunt justi. — *Ibid. v. 13.* — *Psal. 118. v. 92.* — *Psal. 35. 13.*

9. *Iniquitatem meditatus est.* In eo sæculo, quo Salvianus vixit, prouti ex ejus contra impios conscriptis invectivis deducitur, Christiani adeo studiose divinarum legum sectabantur transgressiones, ut ipsemet in libro quarto *de providentia* in hæc memorabilia verba proruperit: *Tanto consensu omnes peccata sequimur.* Sed quis fructus illius? in Psalm. 7. dicitur de impio: *Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Doctrina est Basilij Magni super hunc Psalm. dicentis: *Quoad hujus sententiæ ordinem, confusaneus videtur esse dictionum contextus, quoniam gravidæ primum quidem concipiunt, deinde parturiunt, postremo pariunt. Hic parturigo primum sortitur locum, deinde conceptio, demum partus. Cæterum ordo hic significantissimè explicat cordis conceptionem; incontinentium enim appetitiones nullo coërcitæ fræno rationis, & insanæ prorsus concupiscentiæ hominem velut æstro quodam extimulantes parturigines quædam sunt, quod acrimoniam vehementissimi dolores in anima parere soleant.* Didimus in catena Græca inquit: *Propter malitiæ inordinationem, parturitio conceptui præposita est. Nemo autem inique agit, nisi prius à justitiæ lege desciverit, quapropter ante iniquitatem posuit prævaricationem.* Ludolphus Carthusianus similiter ita scribit: *Inordinatio litteræ inordinationem peccati signat, malus enim prius concipit voluntatem peccandi; secundo parturit per conatum adimplendi. Tertio parit in actu peccandi.* Observandum quoque, quod prius fiat mentio partus, quam conceptionis, ad denotandum, quod malitia peccati non proveniat ab aliis, præterquam ab ipsomet delinquente; *nemo enim læditur, nisi à semetipso. Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ubi nota ly *suo* non enim hic abortus, & monstrum illud nasci potest, præterquam à corde, & voluntate, ac deliberatione peccatoris. Quotquot sunt in cœlis Angeli, quot dæmones sunt in inferno, quot fuerunt, & futuri sunt ad finem usque mundi homines, ne quidem ad unicum peccatum inducere nos possent, nisi nos ipsi velimus. Porro conceptus mulieri non contingit ex virtute sua, sed opera viri, necesse enim est, ut hic semen suum in mulierem transfundat, non vero sic fit, quando de pessimo hoc semine agitur; etenim de eodem peccatore dicit Psalmista: *Parturijt, ... concepit ... & peperit iniquitatem; Iniquitatem meditatus est in cubili suo &c.*

Salvian. lib. 4. de provid. — *Psal. 7. v. 15.* — S. *Basil.* Hom. *ibid.* — Ex Psalmista præposterus est modus pariendi peccatum. — *Didim. in cat. Græc.* — *Ludolph. Ibid.* — Nemo leditur peccaminosè nisi à seipso. — *Psal. 7. v. 15.* — *Psal. 35. v. 5.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Hi, qui lumen & notitiam Dei habentes peccant, graviter perstringuntur.

THEMA.

Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Matth. 6. ℣. 23.

1. Ex quo iniquitates, & peccata, per tenebras denotantur (*Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*) sicut econtra per lucem opera bona intelliguntur, verba hujus thematis ad illos dirigi videntur, qui cum alias à Deo illuminati fuerint, & in Sancto ejus timore inculpate vixerint, tandem ab hoc timore turpiter degenerantes, in reprobum dati sunt sensum, quibus proinde merito dici potest, *si lumen, quod in vobis erat, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* si enim vita virtuosa, si opera perfectionis, quibus antea dediti eratis, in tenebras conversa sunt malitiæ, quis conceptus formari poterit de subversione, & inordinatione sensuum, lascivorumque vestrorum appetituum; quibus habenas laxatis? unde Sanctus Augustinus, qui diuturnam hujus materiæ habuit experientiam, audacter ita scribit: *Fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cæpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus pejores, quam qui in monasterijs ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Justus justior fiat, & qui in sordibus, sordescat adhuc.* Medicorum hic est infallibilis aphorismus, *corruptio optimi pessima*; unde per experientiam videmus, quod quanto cibus aliquis fuit delicatior, tanto majorem, postquam corrumpitur, generat quantitatem vermium, & horum quidem fœtidissimorum. David quidem ad aliud propositum inquit: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; nos autem econtrario de illis, qui postquam bonam inicere viam, tandem à semita recta deviant, dicere possumus: *Sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus*; quanto enim majori à Deo illustrati fuerunt lumine, tanto reprehensibilior & pœna gravissima dignior erit, si post præviam hanc luminis illustrationem, malitiose pervertatur. Lumen à natura nobis impressum, malum nos fugere docet) *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) contra hoc autem lumen operari, sine culpa esse non potest; quæ longe magis aggravatur in illis, qui præter lumen naturæ, etiam obtenebrant, & extinguunt lumen divinæ gratiæ, de quibus forsitan loqui voluit Job, quando ait: *Ipsi fuerunt rebelles lumini.*

Rom. 13. v. 12. — Meliores & pejores sunt in monasteriis. — S. *August. epist. 137.* — *Ps. 138. v. 12.* — Corruptio optimi pessima dicitur in naturalibus. — *Psal. 4. v. 7.* — Applicatur spiritualibus. — *Job 24. v. 13.*

2. Post transgressionem, à Proto-parentibus nostris, in paradiso terrestri contra divinam prohibitionem factam, primus à Deo examinatus, & interrogatus fuit Adam, & postea secundo loco Eva conjux ejus; cur ita factum est? cum forte præcedentiam dare voluit viro, utpote qui sexu imperfectiori superior esset: *Sub viri potestate eris?* nequaquam; hoc enim solum *in favorabilibus* procedit. De Eva constat, quod prima fuerit, quæ se à serpente seduci permisit, manumque suam ad pomum extendit, ut illud manducaret, illudque summo cum studio & industria marito suo porrexit, & tamen ultimo loco de crimine commisso interrogatur & examinatur. Dubium hoc tangit Sanctus Ambrosius, dum ait: *Fortassè moveat, cur ante increpatur Adam, cum mulier ante gustaverit.* Respondet ad hoc potest, quod licet prohibitio, de non manducando pomo, ambos obstrinxerit, Adamo tamen in persona propria specialiter intimata fuerit; de illo enim dicitur: *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, præcipitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*; cum igitur ipse primus præceptum illud acceperit, conveniebat utique, ut primus quoque ad rationem de transgressione reddendam postularetur, quæ utique tanto gravior in illo erat, quando major erat cognitio, quâ in illo innocentiæ statu, justitia amictus originali, dotatus fuerat, de quo proinde Psalmista ait: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Adam quoque in dignitate quadam positus erat longe superiore; conditione Evæ, eo quod hæc imperfectioris sexus esset; ac proinde Sanctus Ambrosius ait: *Sed à prævaricatione sexus infirmior cæpit à verecundia, & ab excusatione fortior, ut fœmina erroris causa fuerit, vir pudoris.* In debili illo sexu majorem habebat locum ignorantia, error, & fragilitas, quam in Adamo, qui cum majori operabatur ratiocinatione; ac proinde idem Ambrosius, alio in loco suam excusavit, dicendo: *Mobilitate magis animi quàm pravitate peccaverat.* Salvianus ait: *Criminosior culpa est, ubi honestior status, si honoratior persona peccantis, peccati quoque major invidia.* Ita enim videmus, quod macula aliqua facilius videatur, & turpior appareat, in lino candido subtili & puro, quam in grosso, & rudi cilicio; magis quoque exosa est transgressio & scandalum viri religiosi, qui ratione sui status majori cum innocentia, puritate, & exemplaritate vivere debet, quam viri alicujus sæcularis & mundani. Eva, tamquam fœmina, verbis serpentis nimium credula fuit, persuadendo sibi, quod admordendo pomum æqualis Creatori suo fieri posset; *Eritis sicut*

Gen. 3. v. 16. — Quare Adam de inobedientia fuit examinatus prior. — S. *Ambros. lib. de parad. c. 34.* — *Gen. 2. v. 15.* — Redditur ratio. — *Ps. 8. v. 6.* — S. *Ambr. Ibid.* — Eva magis peccavit inconsideratè quam malitiose. — S. *Ambr. lib. 4. in Luc.* — *Salvian. lib 4. de provid.* — Similitudo. — *Gen. 3. v. 5.*

sicut dij, scientes bonum & malum, unde ipsamet se deceptam fuisse confessa est, dicendo: *Serpens decepit me*, quod de Adamo non legitur, immo omnino contrarium de illo dicitur; *Adam enim non est seductus*, sed accepit pomum, ne suam contristaret Evam, *facilius ventri, quam Deo cessit, pabulo potius, quam præcepto annuit*, inquit Tertullianus, *salutem gula vendidit.* Divus Chrysostomus commentando super Psalm. 6. eamdem hanc inter virum & mulierem notat differentiam, scilicet quod hæc seducta sit, non ille; ait enim: *Viderit etiam quispiam supplicij differentiam, ex magna intelligentia, ut quando dicit: Servus, qui novit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis, qui autem non novit, nec fecit; vapulabit paucis. Quare & in Adam, & in Eva, non fuit idem supplicium, etsi fuerit idem peccatum? Quod non idem est, à muliere deceptum esse & à serpente; Itaque Paulus illud appellavit deceptionem, dicens: Adam non fuit deceptus, mulier autem decepta fuit in transgressione*, inquit Sanctus Paulus ad Timotheum scribens. Præterea *Adam primus formatus est, deinde Eva*, inquit ibidem Apostolus, adeoque cum Adam ante mulierem creatus fuerit, majus quoque habuit temporis spacium, ut se in lumine & notitia sibi impressa exercere posset, ac proinde Apostolus immediate subdit: *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Non deest tamen inter sacros Interpretes quidam, qui etiam transgressionem Evæ, velut gravem, accuset, considerans illam primam fuisse, quæ manum suam ad fructum illum extenderet, atque insuper fraudulento serpenti fassam fuisse, dicendo: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*; unde hanc deducit consequentiam: *Inexcusabilis prorsus prævaricatio, quia memor adhuc erat præcepti; nec enim potuit dicere, se ex ignorantia peccasse, aut oblivione. Inde major transgressio, quia memor præcepti erat, & Deus in illo tamquam præsens contemnitur, hoc enim est Dei veritatem in injustitia detinere.* Doctrina est Sanct. Antonini, quæ sequitur; ait enim: *Ratio, quare unum peccatum est gravius alio, est ex notitia, qui enim peccat ex certa scientia & industria, peccat gravius eo, qui peccat in idem ex ignorantia; ratio est, quia voluntas peccantis ex certa scientia, est magis inordinata, & hoc, quia talis scienter eligit quod malum est, scilicet pati detrimentum in majori bono, scilicet bono animæ, ut privari gratiâ, ad hoc ut potiatur minori, seu fruatur, scilicet corporali bono.*

Eva seducta fuit, non Adam. — *Tertull. de jejun. c. 3.* — *D. Chrysost. in Psal.* — *1. Tim. 2. v. 13.* — *Ibid. v. 14.* — *Gen. 3. v. 2. & 3.* — *Joan. Ferus ibid.* — Cæteris paribus gravitas peccati desumitur ex notitiâ. — *S. Antonin. p. 1. tit. 9. cap. 1.*

3. Porrò quis ambos primos parentes nostros impulerit, ut in tam profundum corruerent barathrum, non opus est multo studio inquirere, quia *ab incursu & dæmonio meridiano*, hoc illis ingens præcipitium causatum fuit. Et quidem non sine mysterio dixi: *A dæmonio meridiano*, quia prævaricati sunt in meridie, quando in illo innocentiæ & justitiæ originalis statu, maximum habebant lumen & notitiam, quod vel inde colligitur, quia sacer textus dicit: *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* In meridie inquam prævaricati sunt, id est, quando vel maxime à Sole æterno illuminabantur, tunc sponte fuerunt rebelles lumini. Unde Beda super illa Psalmistæ verba; *ab incursu & dæmonio meridiano*, ita scribit: *Gravis tribulatio, quæ ingruit scientibus, dicitur incursus, quia graviter urget, & dæmonium meridianum. Dæmonium ideo, quia per suggestionem diaboli fit instigatio, & meridianum, quia in meridie magis fervet Sol, & splendet, & intelligitur per fervorem, qui est meridie ferventissimus, persecutio; per splendorem vero, qui fit in scientibus. Sunt enim quidam nescientes rationem Christianismi sui, id est, qui nondum tantæ perfectionis sunt, ut attendant, quia necesse est, ut omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiantur; quo etiam spectat & illud aliud: Fili ad servitutem Dei accedens, sta in justitia, & in timore, & tremore, & præpara animum tuam ad tentationem. In his talibus facta graviter urgens, & perseverans tribulatio, capit eos, & ita vincuntur. Sunt alij bene scientes rationem Christianismi sui, quia intelligunt promissiones Dei non esse de hac vita, & omnia terrena esse contemnenda, & cælestia appetenda, sed instat tortor, quia graviter urget, urit, torquet, instat incursus & dæmonium meridianum, & ita vincitur.* Quod si is, qui in obscuro ambulans, nec aliquod secum lumen habens, in fossam aliquam, vel præcipitium cadat, tametsi malum hoc ab ipso proveniat, multos tamen inveniet, qui hoc ejus infortunium intelligentes, eidem compatiantur; at vero si quis sciens, & volens, in luce meridiana scilicet per insolentiam in prærupta trahi sinat, quis illi compatietur? tales autem sunt illi, qui veritatum Evangelicarum clarum habentes lumen, & notitiam, nihilominus à sensibus & inordinatis appetitibus suis ad offensas Dei se seduci sinunt, qui proinde in insolentiæ suæ pœnam severissima divinæ justitiæ supplicia accersunt.

Primi Parentes ceciderunt in meridie. — *Gen. 3. v. 8.* — *Psal. 90. v. 6. Ven. Beda.* — Variè varij vincuntur. — Similitudo.

4. Refert Dionysius Carthusianus, cuidam servo Dei ab Angelo exhibitas fuisse purgatorij pœnas, atque in iisdem ingentem vidisse personarum numerum, ex omni statu præterquam Sacerdotum, tales enim nusquam videre potuit, cumque curiositate ductus, hujus intelligere cuperet mysterium, respondit ei Angelus, nonnullos ex hisce esse valde bonos, eosque subito ascendere ad cœlum; alios verò, qui tales non fuerunt, sed vitæ carnali dediti, ob ingentem, quam corpori Christi faciebant, injuriam, nequaquam admitti ad pœnitentiam, sed protinus descendere in infernum, *sicut enim lumen eorum, ita & tenebræ eorum.* Ad idem propositum visio quædam legitur Jeremiæ exhibita, & ab eo in cap. 24. Prophetiæ suæ his verbis descripta: *Ostendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficubus, positi ante templum Domini.* Per hos autem fructus, specialiter ante templum Domini positos, indicabantur illi, qui cultui divino dedicati erant, quique majori lumine & notitia rerum divinarum fuerant illustrati, quam sæculares & homines mundani; at vero audite, quam fit verum, quod paulo ante ex Div. Augustino audivimus, scilicet, quod sicut non vidit meliores illis, qui in monasteriis profecerant, ita nec invenerit pejores eis, qui in eisdem monasteriis perversam vitam duxerant; subdit enim Jeremias: *Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis, & calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ. Et dixit Dominus ad me, quid tu vides Jeremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde, quæ comedi non possunt; eo quod sint malæ.* Hugo Cardinalis hanc visionem in sensu morali ad propositum nostrum optime exponit inquiens: *Quia calathus ex multis viminibus texitur, significat præcipuè Religiosos, quorum religio ex multis observantijs & constitutionibus construitur; unde significatur per sagenam, missam in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Ficus sunt viri claustrales, qui dulcedine devotionis debent affluere, & præ amore illius omnem prælationem respuere, ut Judic. 9. cap. dixerunt, ligna ad arborem ficum: Veni & regna super nos; quæ respondit: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, ut inter cætera ligna promovear? sic fuit quondam, quando in claustris abundabat devotio, sed nunc arefecit devotio, & ideo claustrales libenter promoventur; Joëlis primo: vinea confusa est; id est Ecclesia, & ideo elanguit.* Et paulo post subdit: *Et bene dicitur hic, quod ficus bonæ valde bonæ sint, ficus malæ valde malæ sint; sic religiosi, cum mali sint, pessimi sunt; cum boni sunt, optimi sunt.* Adducitque duorum primorum parentum foliis ficus se contegentium exemplum inquiens: *Adam & Eva consuerunt sibi perizomata de folijs ficuum, ad tegenda sua pudenda, sic hodie multi verbo & habitu religionis velant turpitudinem vitæ suæ.* Refert item mysterium, cur hi calathi ante templum positi fuerint, dum ait: *Dicuntur hi calathi esse pleni ficis, quia claustra plena sunt, sive bonis, sive malis, & dicuntur esse positi ante templum Dei, quia qui sunt boni, & qui mali, notum est Deo soli; Proverbiorum 16. omnes viæ hominum patent oculis ejus, spirituum ponderator est Dominus.* Interim verissimum est, quod diximus, scilicet, quod *corruptio optimi pessima* sit, siquidem, ut super prædicta Jeremiæ verba Cornelius à Lapide observat: *Pelagius, Eutyches, Nestorius, Jovinianus, Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, fuerunt Monachi, sed apostatantes facti sunt hæresiarchæ. Simile de Atheniensibus, apud quos vigebat sapientia & probitas, dixit Plutarchus in vita Dionis, eos esse optimos aut pessimos.* Sicut

Visio ab Angelo exhibita. — *Dion. Cart. cit. à Molina tract. 1. c. 17. §. 2.* — *Jerem. 24. v. 1.* — Quinam sint duo calathi ficubus pleni. — *Ibid. v. 2.* — *Ibid. v. 3.* — *Hug. Card.* — Quid sint calathi in sensu morali. — *Joël. 1. v. 12.* — *Corn. à Lap.* — Pessimi hæresiarchæ fuerunt monachi.

O

Attica

Columella. *Ibid.* *Attica præstantissimum mel, sic & exitiale venenum progignit.* Prosequitur hunc Discursum, per eruditionem ex Columella lib. 3. desumptam, ubi de ficubus dicit, necessium est ut illæ, quæ non matureſcunt, nec dulces evadunt, decurtiantur ex arbore in terram, nec arbor damnum inde patiatur, & vel exsiccetur, vel sterileſcat; ita à religione excutiendi sunt, qui genuinum ejus spiritum non sugunt, calorem devotionis ejus non hauriunt, ut in perfectionem matureſcant, & dulceſcant, alioqui enim hi cæteros inficient, & religioni ingens vel detrimentum vel exitium afferent.

Simile.

5. Thomas Cantipratensis sequens refert funestum exemplum: *Erant in monasterio quodam tres Monachi, in omni lascivia dissolati, eumque omnes seorsim in thalamo ad epulas considissent, unus buccella panis inversa subito strangulatur, cujus mortem, nec verecundiam saltem, passi duo residui, dereliêto loco omnino, juxta prandium perfecerunt, & sic in claustro socij mortui eventum nunciaverunt, nec die postea, cum dicti duo socij non recogitando, quid actum sit, ad balneandum in fluvium, juxta cœnobium, nudati vestibus descendissent, unus ad profundam digressus, submersus est, extractus & sepultus. Relictus post hæc tertius, cum vesperi dormitum pergeret, & se discalceasset, Monachus nudus (ille scilicet qui submersus fuerat) apparuit ei dicens: Ecce quanta pœna damnatus sum, tu autem quid facias, nunc saltem recogita, ego quidem immundus, & lubricus, digne pœnius excrucior, sed illud multum ad verecundiam damnationis accumulat, quia sine habitu nudus à dæmonibus irrideor. Tu autem da mihi, in quo signum meæ damnationis ostendam. Hæc audiens turbatur Monachus, & cito detrahens togam tibiæ femoralem; roganti dedit, & sic defunctus repente disparuit. Mira res. Vix dies illaxerat, cum tantus fœtor claustri ambitum occupavit, ut se omnes extingui horrore fœtoris, præ angustia conclamarent. Narrante autem Monacho, quod sibi vesperi contigisset, quæsita est undique dicta toga, & tandem inventa est, fœtidior omni cadavere, & super fuliginem denigrata, qua humo celerius cooperta, in admirationem conversæ Monachi ploraverunt, dictus verosocius defuncti ad ordinem Fratrum minorum repente transivit.* Unde apparet, quod ex tribus illis duo fuerint severe puniti, alteri vero Deus pietatis suæ ostendere voluerit efficaciam, si tamen prompte eidem correspondere per veram pœnitentiam & emendationem.

Thom. Cantipr. lib. 1. Apum. c. 7. §. 3.

Horrenda Historia.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Eadem materia continuatur; ubi & verba filij prodigi: *Peccavi in cœlum*, fusius declarantur.

THEMA.

Dixit ei filius: Pater peccavi in cœlum. Luc. 15. ℣. 21.

Peccare in cœlum est peccare in Deum.

2. SI filius prodigus (qui licentioſe vixerat, seque à disciplina paterna subtrahens, nullam litterarum studio operam dederat) hæc verba protulisset, aut excogitasset, nec deliberare fuisse locutum; jàm verò quidquid filius ille dixit, increata & incarnata Sapientia, quæ parabolam hanc composuit, ori hujus juvenis parabolici inseruit, ac proinde dicere convenit, verba illa mystica esse, multaque in se Sacramenta continere. Enimvero Sanctus Bonaventura per cœlum Altissimi Majestatem intelligit, ab impio indigne contumeliatam. En verba Doctoris Seraphici, *Peccavi in cœlum, per contemptum majestatis. In cœlum peccat, qui Deum cœli contemnit.* Unde impij, ut in Esdra legitur, lamentabantur dicentes: *Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum & delicta nostra creverunt usque ad cœlum.* Id est, ut Lucas Burgensis, accuratus sensus litteralis Interpres exponit: *In cœlum, seu adversus Deum, qui cœlos habitat.*

S. Bonav. in Luc.

1. Esdr. 9. 6.

Luc. Burg. ibid.

Peccare in cœlum est illud perdere. S. Bernardin. Tom. 1. ser. 24. art. 2. cap. 2.

2. *Peccavi in cœlum.* Sanctus Bernardinus in sermone quodam de hac parabola, quæ in Sabbatho 3. Quadragesimæ legitur, hæc verba ita exponit: *Peccavi in cœlum, quod amisi peccati amore. Unde Psalmista: Quid enim mihi est in cœlo & à te, quid, id est, quem vite, & transitorium volui super terram.* Quæ interpretatio conſentit cum illa, quam diu ante Theophylactus in hæc verba dederat: *Peccavi in cœlum, derelinquendo enim cœlestia, peccavi in ea, præferens ipsis voluptatem contemptibilem, & prælegens cœlesti patriæ meæ regionem famis. Quemadmodum enim, ut exempli gratia dicamus, peccare in aurum dicitur, qui illi plumbum præfert, ita in cœlum peccat, qui illi terrena præponit. Abest autem omnino à via, quæ fert in cœlum.*

Psal. 72. v. 27. Theophylact. in Luc.

3. *Peccavi in cœlum.* Hugo Cardinalis expositionem quamdam tradit parum differentem; ait enim: *Peccavi in cœlum, quod amisi per culpam, quod non quæsivi per stultitiam meam.* Quisquis peccat mortaliter, in cœlum peccat, quia illud immediate amittit: *Peccator in cœlum peccat*, inquit Dionysius Carthusianus, *quia peccando meretur cœlesti mansione privari.* S. Gregorius Nyssenus de oratione differens, de hoc prodigo ita scribit: *Non adjiceret confessioni peccatum in cœlum, nisi persuasus sibi patriam esse cœlum, quo relicto peccaverat.*

Hug. Card. Dion. Carth. S. Greg. Nyss. tract. de orat.

4. *Peccavi in cœlum.* Glossa interlinearis, ex Beda desumpta, legit: *Coram Angelicis spiritibus, sanctisque animabus, in quibus Deus sedet.* Sicut enim *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*, ita quoque dicere licet, quod totum cœlum lugeat (si luctus capax esset) propter contemptus & injurias à nobis vilissimis vermibus illi Deo irrogatas, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Dionysius Carthusianus adjungit inquiens: *Peccavi in cœlum, id est, coram spiritibus supernis, & specialiter contra Angelum vitæ meæ custodem, cujus præsentiam ignoravi, peccando, & ejus inspirationibus non acquiescendo.*

Gloss. interlin. Luc. 15. v. 17. De Peccatore cœlites lugent, Dion. Carth.

5. *Peccavi in cœlum.* Quis est qui nesciat hunc filium, qui aliquanto tempore in domo paterna sub patris obedientia commoratus fuerat, ac tandem insolens ac temerarius factus, cum audaci instantia patrimonij sui partem sibi assignari petierat: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit* (eaque habita, illam per voluptates carnales dissipavit) quis inquam est, qui nesciat, hunc præfiguraſſe hominem quemdam, timore Dei imbutum, virtutibusque & perfectioni deditum, postea vero in quævis vitiorum genera prolapsum) de his utique dici potest, quod peccent in cœlum, quia notitiam Dei plenam habentes, offendunt Deum, donis & gratijs cœlestibus abutendo, quas per aliquantum tempus à Deo participarant. *Peccato animæ cœlestia significantur bona spiritus inminuta, vel quos ab illius gremio matris, Jerusalem, quæ est in cœlo, non oportuit deviari*, inquit Glossa. Hugo Cardinalis prodigum hunc præteritum sunm errorem detestantem dicere voluisse censet: *Peccavi in cœlum, id est, contra dona cœlestia, id est, dona Spiritus Sancti, mihi collata, quæ per peccatum imminuta sunt, & jam non sum dignus vocari filius tuus, quia offendi te Patrem meum, peccando, & homagium diabolo faciendo, & ita de filio factus sum servus, quia qui facit peccatum, servus est peccati.*

Peccavi in cœlum, id est, contra dona à Spiritu Sancto collata. Luc. 15. 12. S. Ambr. ibid. in Gloss. Hug. Card.

6. *Peccavi in cœlum*, id est, ut Angelus Paz in Commentario suo super Lucam, hæc verba examinans, scribit: *In divinitatem*, quia qui lumine, Deique notitia sufficienter illustratus, Deum contemnit & offendit, is directe, & immediate contra Deum armatur, eumque injuria afficit; verba autem sequentia; *Et coram te*, sic explicat: *Id est, in humanitatem assumptam peccavi.* Angelus rebellis cum sequacibus suis in veritate dicere potuit; *Peccavi in cœlum, & coram te*, id est (huic interpretationi adhærendo) *peccavi in divinitatem & humanitatem*, quia in paradiso cœlesti, in conspectu supremæ illius Majestatis, thronum suum exaltare, & cum Creatore suo decertare voluit: *Exaltabo soliam meum, ... similis ero Altissimo; peccavit igitur in cœlum, id est, in Divinitatem; peccavit quoque in humanitatem*, siquidem, juxta multorum Theologorum opinionem, cum Angelis revelata esset Verbi incarnatio (dicente Apostolo: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*) Lucifer indignatus, quod Deus nobiscum vilissimis vermibus cognationem quamdam initurus esset (*naturam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*) dedignatus est Verbo, quod incarnandum erat, debitum præstare obsequium, unde ab ejus se obedientia subducens rebellavit, tertiam Angelicarum Hierarchiarum partem secum trahendo;

Angel. de Paz. lib. 16. in cap. 18. Luc. Peccavi in cœlum & coram te, id est, in divinitatem & assumptam humanitatem, Isa. 14. v. 13. Hebr. 1. v. 6. Hebr. 2. v. 16. Quod probatur in Lucifero.

Numquid vero tunc de illo dici potuit: *Sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus?* Unde Isaias in hæc verba ei improperat; *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? ... Qui dicebas: ... In cœlum conscendam supra astra Dei exaltabo solium meum, ... Ad infernum detraheris in profundum.* Audite obsecro, quam opportune ad propositum nostrum Sanct. Joannes Damascenus locutus fuerit, dum ait: *Cum is, qui justitiam nolebat, à justitia excideret, dicamus de eo, quod ab Isaia dictum est: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, & in terram contritus es?* Irreparabile igitur fuit ejus præcipitium. Idem quoque exitus ut plurimum evenire solet iis, qui de via Dei decidunt. Unde Sanctus Bernardinus, in principio prædicti sermonis, ex authoritate Chrysostomi inquit: *Omnis malitia confunditur aliquoties, ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorum, qui proposito malo, & non ignorantia peccant; qui ex ignorantia peccant, levius misericordiam consequuntur.* Apud Isaiam in cap. 24. Deus se fulminatricem machæram suam in cœlo vibraſſe declarat inquiens: *Inebriatus est in cœlo gladius meus*, certe non constat, quod in cœlo, in cœlesti illa Jerosolyma, quæ est visio pacis, divinæ justitiæ gladius, in alios vibratus fuerit, quam in Angelos rebelles. Ponderetis autem vos obsecro, verba illa *inebriatus est ... gladius meus*; ex Angelis enim facti sunt diaboli, ex Seraphinis & Cherubinis transmutati sunt in horribiles titiones abyssi; ex sublimiori cœli parte corruerunt per præcipitium in omnem æternitatem irreparabile, in profundissimum inferni barathrum.

Isai. 14. v. 12. Ibid. v. 13. Ibid. v. 15. S. Joan. Damasc. lib. 1. Parall. c. 14. S. Bernard. ibid. in prine. Mutatio Angeli in diabolum, Isa. 34. v. 5. Similitudo.

7. Verum enimvero numquid ipsum quoque hominem ex oblatione ab astuto serpente primis parentibus his verbis facta: *eritis sicut dij*, evanuisse constat? cur igitur ad redimendum hominem, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris*, è sinu paterno descendit, & pallibus giganteis ingens illud decurrit stadium (*exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus*) pro recuperando pugillo luti, ex omnibus venis suis effudit sanguinem, laboravit insuper usque ad sanguinis sudorem, in truncum crucis se suspendi permisit, ut esset *copiosa apud eum redemptio*; cum tamen pro tot myriadibus Thronorum, Principatuum, Dominationum, Cherubinorum & Seraphinorum redimendis, ne unicum quidem passum movit, ut illos ex miserabili lapsu suo sublevaret, non *erit impossibile apud Deum omne verbum?* De homine Spiritus Sanctus ait, quod sit *putredo & vermis*, quanto igitur nobilior est natura Angelorum, qui intimi erant & familiares in cœlesti curia Regis illius aulici, in cujus fœmore scriptum est; *Rex Regum, & Dominus dominantium?* In controversiam quidem vocari non potest, quin illud redimere potuerit, id tamen facere noluit. Porro quæstio illa, cur Filius Dei incarnatus fuerit, ut homini subveniret, & tamen spiritus Angelicos in æterna illorum perditione dereliquerit, satis inter sacros Doctores est ventilata; quorum aliqui Deum ideo nobis fuisse compassum dixerunt, quia in primo parente nostro universa generis humani massa maculam peccati originalis contraxerat, quæ illud semper à Deo, & à paradiso exulare cogebat; econtra vero ex Angelis solum tertia pars deperierat. Ita scribit Sanctus Augustinus. Alia vero ratio, quæ assignatur, hæc est, quia Angelus per propriam & intrinsecam culpam & per voluntatem suam *sciens & volens* ceciderat; nos autem culpa aliena, id est, primorum parentum nostrorum reatu lapsi fuerimus; & hi quidem ex antiqui & sagacis adversarij nostri suggestione & fomento. Ita Sanctus Bernardus. Alij vero, ut Sanctus Gregorius, & plures cum ipso, notarunt, quod spiritus cœlestes per culpam cœlestem fuerint prævaricati; cum homo se commacularit per peccatum originale, in quo si aliquam partem habuit, hæc fuit valde remota, & distans, quantum distat Ortus ab Occidente. Sanctus Athanasius lib. de Incar. Dei dicit, Filium Dei redemisse hominem, ne dæmon gloriaretur se divinæ providentiæ subvertisse ordinem, quæ hominem creaverat, ad restaurandas ruinas angelicas, & ad occupandos thronos illos, à quibus Angeli rebelles præcipitati fuerant. Leo magnus fragilitatem generis nostri considerans, existimat, redemptionem humanam fuisse vestigium divinæ misericordiæ, cui proprium est, *sustinere de pulvere egenos.*

Quare Deo Deus non fuerit compassus Angelis lapsis compassus hominibus. Joan. 1. 18. Psal. 18. v. 6. Psal. 129. v. 7. Luc. 1. v. 37. Job 25. v. 6. Triplex datur ratio. S. Aug. Enchir. cap. 29. S. Bernard. ser. 1. de Advent. S. Gregor. lib. 4. mor. cap. 9. S. Athan. de Incar. Ver.

8. Deus olim apud Jeremiam de offensis, per quas populus Israël ipsum contemnebat, lamentans inquit: *Erant filij Israël, & filij Juda, jugiter facientes malum in oculis meis, ab adolescentia*; Versio Septuaginta legit: *Erant filij Israël, & filij Juda soli facientes malum*; ubi igitur Vulgata nostra dicit: *Jugiter*, hi verterunt: *soli*, id quod originali Hebræo perfectè concordat, siquidem in Hebræo textu pro *jugiter* legitur *tantum*. Unde Sanctus Hieronymus sequens movet dubium; Numquid etiam, aliæ nationes illius sæculi, præter populum Hebræum, Deum per divinarum legum suarum transgressionem offendebant? & respondet assertive; quia excepta sola Judæa, universus mundus dæmonum simulachra adorabat; at vero, si ita est, cur igitur Deus querulatur, solos Judæos malum feciſſe in oculis suis? Sanctus Hieronymus respondet: *Qui habet notitiam Dei, & recedit ab eo, solus peccat in oculis Domini, qui vero incredulí permanserunt, quasi illo non vidente, & negligente delinquunt.* Enimvero Palæstina, inter omnes totius universi populos, dissimulare aut inficiari non poterat, magnam illam affectus partialitatem, qua Deus eamdem in ordine ad veri Dei lumen, & notitiam privilegiarat: Nam ut Palmista: *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*; Et iterum: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*; huic enim populo ipsemet in persona, in monte Sinai, sanctam suam dederat legem, sacrificia, Sacerdotium, templum, thesaurum Sacræ Scripturæ, ejusdemque clavem; ab hoc populo sacratissimam Humanitatem suam assumpserat, declarando, quod specialiter in terras descendisset, ut populum illum primo loco inter omnes redimeret; quando igitur ad imitationem gentilium falsa numina adorare, & per tot detestabiles prævaricationes, Deum verum contemnere cœperunt, merito idem ille Deus lamentabatur se à solo illo populo in facie, & in oculis suis fuisse contemptum, quia culpas & crimina ab iis, qui eum non agnoscebant commissa, cor ejus non adeo vivaciter tangunt, sicut crimina eorum, *qui habent notitiam Dei &c.*

Jerem. 32. v. 30. Quare soli Judæi dicuntur offendisse Deum ante Christum natum. S. Hieron. Psal. 75. v. 2. Psal. 147. v. 20. Acceperunt Judæi specialia beneficia illuminationis divinæ.

2. Apud S. Matthæum cap. 16. legitur, Pharisæos

seos & Saducæos à Christo signum sibi dari postulasse : *Rogaverunt eum, ut signum de cælo ostenderet eis* ; & tamen sola signa, quæ Christus fecit, illos permoverunt, ut in congregato conciliabulo mortem ejus machinarentur, dicebant enim ; *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit* ? Extra omne igitur dubium est, in hoc enormissimo Hebræorum delicto, adimpletum fuisse, quod filius prodigus confessus est dicens : *Peccavi in cælum, & coram te* ; desideratisne certum aliquod ex sacris litteris desumptum, & idipsum confirmans testimonium ? Quando Judæi in hortum se Gethsemani receperunt, ut Christum caperent, hic unico dumtaxat verbo, à se prolato, effecit, ut retrorsum caderent in terram : *Abierunt retrorsum* ; at vero quorsum adhibetur hæc circumstantia *retrorsum*, vel quod *supini* facie in cœlum versa ceciderint ? Numquid sufficisset dicere, *& ceciderunt in terram* ? parum enim referebat, sive proni sive supini corruissent. Nimirum id eis contigit, quia probe sciebant, quod *verbum Dei non est alligatum* ; aliàs enim inter se concluserant, quod scilicet adveniens Messias multa patraturus esset miracula : *Dicebant, Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit* ? Et tamen hæc omnia scientes, & præsentaneum coram illis patratum miraculum videntes, & in se experti, nihilominus in illum capiendum, manus suas injecerunt, ut sequenti die morte afficeretur. Simon de Cassia ait : *Ceciderant retrorsum, non velut ad lapidem, ad offensionem antepositum, impingentes, sed velut reverberati à luce majori, & à vehementiori potentia. Retro cadentes supinatim ad cælum, ut saltem cognoscant virtutem de super esse terrentem, & de cælo descendisse, quem venerant ligaturi : supinantur ad cælum, cujus Authorem in terra despiciunt* ; adeoque dum in voluntate capiendi illum *obstinati permanserunt, vere in cælum peccaverunt*, omnes enim qui cum sufficienti superno lumine peccant, potius peccatores cœli, quam terræ appellari possunt ; ac proinde Psalmista non sine mysterio ait : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Quinam enim sunt hi peccatores terræ ? Si solum dixisset peccatores, facilius intelligeretur sensus illius ? at vero quo fine, insuper addit : *Terræ* ? Certum est enim, quod alibi, quam in terra, peccatum locum habere non possit, videtur igitur ly *terræ* prorsus superfluum esse. Sed respondetur, Psalmistam insinuare nobis voluisse differentiam, quæ est inter peccatores terræ, & cœli peccatores ; illi etenim, qui Dei & propriæ salutis immemores, sine timore Dei, mundi sequuntur torrentem, peccatores terræ nuncupantur, at vero qui sufficiens Dei lumen, divinorumque mysteriorum scientiam habent, factique sunt participes donorum & gratiarum cœlestium, hi inquam si prævaricentur, peccatores cœli appellari debent. Audiamus hac de re expositionem Sancti Hilari dicentis : *Prophetæ sermo longe se, & ultra communem sensum tendit ; nos enim prævaricatores eos existimamus, qui susceptam fidem, & cognitionem Dei adeptam relinquunt, aliud pollicita & aliud nunc agentes.* Idem paulo post ad propositum nostrum subdit : *Novit etiam cum ait : Peccatores terræ, alios esse & cæli peccatores ; audiamus enim Evangelicæ prædicationis filium perditum, atque mortuum, de peccato suo patri confitentem : Peccavi, inquit, pater in cælum, & coram te. Quisquis cælestis doctrinæ, & spiritualis gratiæ particeps factus, in peccato demoratur, non terræ peccator est ille, sed cæli. Omnes enim credentes in se Dominus Jesus Christus excitavit, & collocavit in cælestibus, ex quibus qui decidit, tamquam cœli peccator arguitur.* Illi igitur, qui majori sunt lumine illustrati, majoribusque donis & gratiis locupletati, & tamen peccant, specialiter dici possunt *peccatores cœli.*

Matth. 16. v. 1. Judæi fictis signis à Christo contra ipsum abusi sunt.

Joan. 11. 47. Luc. 15. v. 18

Joan. 18. v. 6

2. Tim. 2. v. 9. Joan. 7. v. 31. Non obstante quod Christus miliones prostraverit in terram hi illum apprehendere unt.

Simon de Cassia lib. 3.

Psal. 118. v. 119.

Differentia inter peccatores cœli & peccatores terræ.

S. Hilar. ibid.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Quanto quis cum majori lumine, & scientia rerum divinarum peccat, tanto magis peccatum suum aggravat, majusque meretur supplicium.

THEMA.

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Jacob. 4. v. 17.

1. EX quo universa lex divina homini data, circa hosce duos volvitur polos : *Declina à malo, & fac bonum* ; jam unicuique satis notum erat, quod quando aliquis se à bene operando subducit, reus sit culpæ ; cur igitur Sanctus Jacobus Apostolus in epistola sua, fideles docet, tamquam doctrinam ignotam, *scienti bonum &c.* verum, ni fallor, prædictus Apostolus his verbis dicere voluit, quod si illi, qui minorem habent rerum divinarum scientiam, & intelligentiam, nihilominus negligentes sint, & divinas leges transgrediantur, tanto magis aggravandum sit peccatum illorum, Unde Dionysius Carthusianus ait : *Scienti bonum &c. id est ei qui scit, ad quid obligetur, quid facere, quid vitare debeat, nec tamen juxta suam peritiam laudabiliter conversatur, peccatum est illi, id est, sua scientia est sibi majoris culpæ, ac pœnæ occasio, & culpabilior est, atque damnabilior.* Glossa quoque ait : *Sanctus Jacobus per totum epistolæ textum ostendit, quod hi, quibus scribebat, scientiam boni faciendi habebant, & rectam fidem didicerant, ita ut alijs se Magistros fieri debere præsumerent, neque tamen operum perfectionem, & mentis humilitatem, neque sermonis continentiam adepti erant ; Propter quod inter alta increpationis, & exhortationis verba, modo eos multum terret, quia scientes benefacere, & non facientes, majus peccatum habent, quam si nescirent, licet ipsa boni ignorantia, magnum sit peccatum, cum scriptum sit : Ignorans ignorabitur.*

Psalm. 36. v. 27. Scientia peccantis est occasio majoris culpæ & pœnæ.

Dion. Carth.

Gloss.

2. Peccatum primi parentis nostri, prima facie leve fuisse videtur, quia inobedientia ipsius, circa rem valde levis momenti committebatur ; quid enim magni erroris in eo est, quod pomum aliquod, licet vetitum, manducaverit ? Et tamen ex pœna eidem imposita, gravitas culpæ haud difficulter deducitur. Audiamus Oleastrum sequens dubium moventem : *Mirum valde videtur, quod tam leve, ut videtur, delictum, tam gravis pœna sequatur.* Numquid Deus immensam ostendit misericordiam suam, tanta cum promptitudine, & liberalitate peccata Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & boni latronis, licet gravissima, non solum remittendo, verum etiam utroque in momento sanctos efficiendo ? Cur igitur adeo rigorosum se exhibuit erga Adamum, ob unius pomi manducationem ? Tandem vero hujus punitionis convincentem adducit rationem inquiens ? *Simul adverte mali conditionem, ut non solum factum, sed cognitum noceat*, neque enim ponderandus tantum est pomi illius præmorsus, verum etiam scientia, qua erat dotatus, ad discernendum bonum à malo, quæ tanto perfectior erat, quanto minus in illo statu turbata erat ratio, quam in statu naturæ corruptæ ; Ratio enim in Adamo domina erat, & appetitu sensitivo superior, siquidem statu justitiæ originalis etiamnum fruebatur ; hæc igitur tam perfecta notitia magnopere ejus aggravavit malitiam ; *Non solum factum, sed cognitum nocet.* Nemini ignota sunt verba illa : *Video melhora, proboque, & deteriora sequor.* Enimvero peccata ignorantiæ aliquam merentur excusationem, non vero illa, quæ ex affectata, & deliberata malitia committuntur. Similes enim transgressiones, ut in Discursu præcedenti probavimus, appellari possunt peccata cœli. Didacus Stella explicans verba illa prodigi : *Peccavi in cælum, & coram te*, exponens, inquit : *Idem est, ac si dixisset, te cognoscente, hac enim sola ratione peccatum censetur peccatum, quia ex malitia cordis prodit.* Qui enim Deum præsentem esse intelligit, quique quantum venerari, timeri, honorari, & obedientiam à nobis accipere mereatur, cognoscit, & tamen cum hoc lumine illum contemnit, & mortaliter offendit, non unum, sed mille infernos meretur.

Oleaster in Gen. c. 6. Quanto Adami major scientia erat, tanto gravius peccatum.

Peccata scientiæ nullam habent excusationem.

Luc. 15. v. 21. Did. Stel. ibid.

3. Tametsi Nathan ex jussu Dei Davidi dixerit : *Dominus transtulit peccatum tuum* ; hoc tamen solum intelligendum erat, quoad culpam, quia quod pœnam temporalem attinet, multa, eaque severissima ei intimavit toleranda supplicia, non obstante, quod se de peccatis suis magnam habere compunctionem ostendisset ; cujus causa facile colligi potest, ex sacro quodam Interprete, qui mysterium considerat, ob quod Nathan se apud Davidem

2. Reg. 12. v. 13. Gravitas peccati David patet ex relevata pœna.

Davidem insinuaverat per parabolam divitis illius, qui ex surrepta pauperi, quam habebat, unica ovicula, peregrino, quem in domum suam exceperat, mensam instruxit. En verba prædicti Interpretis : *Hospes peregrinus, cui comedendam obtulit alienam ovem, fuit libido, & pravus appetitus intemperantis concupiscentiæ, qui insaturabilis est. Est autem affectus ille immoderatus, & præceps, peregrinas ab eo, qui sacro est inunctus oleo* (observandum vero est, quod idem interpres in verbis sequentibus multa tangat puncta, ex quibus devenitur in notitiam, quod Rex ille Deo antea adeo charus, & summæ perfectionis, delictum suum, enim lumine, & cognitione præcedenti commiserit) subdit enim ; *Cui tot sunt à Domino beneficia collata ; qui domi secum Arcam habet Domini, quæ potius Dei Domus vocari poterat, à qua omnis abesse turpitudo debuit.* Verum enimvero, quia Rex ille, à Propheta jussu Dei correctus, subito respuit, & peccatum suum per asperam pœnitentiam detestatus fuit, ideo dignus factus est, qui amissam divinæ Majestatis recuperaret amicitiam, & gratiam ; non vero item filius ipsius Salomon, qui tametsi immensa dotatus esset sapientia, cooperari tamen noluit lumini interno, quod ei communicatum fuerat, ad abominandum idola mulierum illarum, quas perditè & inordinate amabat. Unde Sanctus Anselmus scribit : *Non ergo prolapsus intelligitur David in perpetratione adulterij & homicidij, de qua eito pœnitentiam egit ; sed Salomon in amore alienigenarum mulierum, per quas & à fide separatus est, respipiscere voluit, cum semel, & iterum divinitus admoneretur.* Ac proinde, quia cum tanta cognitione & lumine in sua obstinatione perseveravit, hinc falus ipsius valde dubia & perplexa relinquitur, licet ex libro Ecclesiastis, ipsum pœnitentiam egisse, deduci posse videatur ; *scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Salomon quidem per admirabilem & infusam sapientiam suam, à Spiritu Sancto ei communicatam, multos docuit, & erudivit, ac in viam cœlestem direxit, prout videri potest ex libris, quos composuit, at vero, quia contrarium opere præstitit, ideo *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum fuit illi.* Salomoni igitur, & quisquis ejusdem est conditionis cum illo, accommodari potest illud improperium, quod incredituli Hebræi Salvatori in monte Calvariæ objecerunt : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* ; super quibus verbis Sanctus Paschasius ita scribit : *Quam miseri Sacerdotes, & Scribæ, qui legerant omnia de Christo, quæ à Prophetis dicta sunt ; qui viderant, quod confitentur, viderant utique, quod alios salvos fecerat, & irridunt. Vestra vos itaque Pharisæi condemnat sententia, qui credere noluistis.* Multos reperietis, qui per prædicationem, per administrationem Sacramentorum, per conferentias spirituales, & per bonum exemplum, multas alias ad Deum converterint animas, ob oculos eis proponendo turpitudinem culpæ, atrocitatem, & æternitatem pœnæ, & tamen *seipsos non salvos faciunt*, non ex ignorantia, sed ex propria malitia, nimirum à voluptatibus, à lucris, ab ambitione, ab odio, vel alia simili passione seducti ; ac proinde *peccatum est illi, majus peccatum habet.* Nam ut Sanctus Antoninus ait : *Peccans ex electione, peccat gravius in eodem peccato, eo, qui solum ex passione. Hujus ratio est, quia talis peccat ex certa malitia, in quantum scienter eligit malum, non quod velit illud, quod est de se malum, sed quia eligit minus bonum spreto majori ; aliud enim est peccare ex electione, aliud ex passione, qui enim peccat, ex passione eligens, non tamen electione, quia electio non est in eo primum principium peccati, sed inducitur ex passione ad eligendum id, quod extra passionem non eligeret ; sed ille, qui peccat ex malitia, secundùm se eligit malum, quia scilicet spreto majori bono, vel postposito, saltem animæ, eligit minus, ut lascivus, qui magis vult habere delectationem veneream, quam gratiam, vel virtutem, & ideo electio est in eo primum principium. Scienti bonum facere &c.* id est, animæ, quæ interiores spiritus dulcedines in oratione sæpius experta fuit, & dixit : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te* ? nihilominus à carne se vinci permittens, deliberate se delectationibus & voluptatibus carnalibus in prædam cedit, *peccatum est illi.*

Salomon scivit bonum & malum fecit.

Matth. 27. 42

S. Pasch. l. 12. in Matth.

Multi per spiritualia fervitia alios salvos faciunt, non seipsos.

S. Antonin. p. 1. tit. 9. c. 1. Gravius peccat peccans ex electione quam ex passione.

Psal. 30. v. 19.

Ratio, quare diabolus deduxerit super pinnaculum templi Christum.

Matth. 4. 6.

S. Anſel. Hebr. 6.

Obstinatio Salomonis.

Li ; multo enim magis ejus aggravatur malitia, quia cœleste manna pro ollis carnium Ægypti rejicit. Unde Christus Sanct. Birgittæ de malis Sacerdotibus, qui cum antea sanctè & justè viventes, atque à Deo valde illuminati fuerunt, postea tamen à carne, & mundo, ac diabolo misere seducti, atque in diversa peccatorum genera infeliciter rapiati, in malitiâ suâ obtenebrantur, dixit : *Ego conspicio Paganos, & Judæos, sed nullos video eis deteriores, quia ipsi Sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.* Sanctus Isidorus Peluſiota de ejusmodi ita scribit : *Quanto honoribus alios antecellunt, tanto quoque ipsorum peccatum gravius efficitur.*

Revel. S. Birgi l. 1. c. 47.

S. Isid. Pel. l. 2. epist. 15.

4. Astutissimus serpens, apprehenso ponderoso Christi corpore, illud super pinnaculum templi, quod altissimum erat, detulit, ut lapsum, & præcipitium ei persuadere posset, dicendo ; *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim : Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c. in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* ; at vero cur non potius illum statuit supra turrim quamdam, vel super altam rupem vel similem alium eminentem locum ? Cur illum detulit supra templum ? Per hoc, ni fallor, denotatur, quod illi, qui majus & excellentius lumen habent, majorique vitæ perfectione effulgent, ut plurimum ex locis sacris, & à dignitatibus eminentiorem perfectionem postulantibus cadere soleant ; cum his enim præcipue luctatur Lucifer, qui novit irreparabilius, & lethalius futurum esse illorum præcipitium, quia quanto locus, & quo quis cadit, altior est, tanto magis corpus cadentis confringitur, & conquassatur, *scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Unde Concilium Romanum sub Hilario celebratum inquit : *Reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.*

Baron. Ann. 1181. n. 7.

5. Quisquis superiorum temporum pervolvit historias, inveniet utique deteriores semper lapsus fuisse illorum Religiosorum, qui antea in arcta regulari observantia viventes, postea in laxiorem vitam degenerarunt. Porro Sanctus Augustinus religionem hisce verbis definit : *Religio dicitur à reeligendo, quia Deum reeligere debemus, quem prius negligenter amiseramus, religat enim nos uni omnipotenti Deo.* Quisquis igitur sancto hoc religionis ligamine constringitur, cœlestis, &, ut ita dicam, divinus quasi afficitur, quia *qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo* ; econtra vero, qui ab hoc se vinculo solvit, in vitiosam & licentiosam quamdam libertatem degenerat ; Similes autem casus Sanctus Ambrosius non tam lapsus, quam præcipitia appellat. Et ideò væ illis, qui cum religio schola sit perfectionis & sanctitatis, eamdem in vitiorum sentinam transmutant, quibus merito à Deo irato his verbis exprobratur : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* Sententia est Sancti Isidori Hispalensis dicentis : *Unusquisque cæsus tanto majoris est criminis, quanto prius quam caderet, majoris erat virtutis, præcedentium namque magnitudo virtutum crescit, ad cumulum sequentium delictorum.* Annales Ecclesiastici epistolam quamdam referunt, quam Arnulphus Episcopus ad Alexandrum II. Papam, de quorumdam Monachorum relaxatione in hæc verba scripsit : *Est in Episcopatu, cui Deo permittente deservio, monasterium quoddam, nomine Grisianum, quod aliquando suavitatis odorem circumquaque diffudit, sed in diebus Abbatis istius, merito diu laboravit infamia, sic & præsentes vidisse constat, & remotos audisse. Nec enim intra domesticos parietes contineri scandala potuerunt, quæ procedente temeritatis audaciâ publicis offerebantur aspectibus, & per ora publica personabant, quoniam fratres illius, ab operibus ejusmodi, nec timor Dei, nec hominum reverentia cohibebat ; quorum quanto major immanitas exitit, tanto latius celeriusque, fama discurrente, vulgata sunt, majoremque apud omnes contraxit offensam, quod palam tanta à sanctuario procedere malitia videretur, sequidem nulla vel modica erat intrinsecus regularis observantia disciplinæ, minor extrinsecus exhibitio charitatis ; ad sanguinem prorupit insania, ut à nulla specie criminis manus eorum servaverint immunes.* Ex quo, & multis aliis, homicidiorum miraculorum falsè jactatorum aliorumque similium criminum, execrandis excessibus, clarè deducitur, quanta cum felicitate in

Pessimi sunt, qui spiritu incipiunt & carne consummant.

2. Cor. 6. v. 17.

Ferora. 11. 15. Applicatur Religiosis.

S. Isid. Hisp. l. 3. sent. c. 34.

Specificatur de quodam monasterio.

ejusmodi religiosis adimpleatur, quod Jeremias in suis lamentationibus hisce verbis deplorat: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?... Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Divus Chrysologus idipsum explicat paulo ante insinuata similitudine, ab eo desumpta, qui ex alto decidit; ita enim scribit: *Quanto altius ascenderit homo, lapsus, tanto altius cadet. Quid altius cælo? De cælo cadit, in cælestibus qui delinquit, desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit.* Et paulo post de lapsu Angeli subdit: *Diabolus cum esset Angelus, & in cælo, & coram Deo semper clarissimus versaretur, & fulgens, dum Dei teneret aures, dum in Dei superbit affectu, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolum mutatur ex Angelo.* Idem Sanct. Pater, postquam adduxisset exemplum Nadab, & Abiu, filiorum Aaronis summi Sacerdotis, qui igne miraculosè de cœlo lapso extincti sunt, subjungit: *Peccatum illis suscitarat ebrietas.* At vero audiatis obsecro, quantum hanc culpam aggravarint ex eo, quia filij erant summi Pontificis, subdit enim idem Chrysologus: *Vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis, flammam provocarat altaris, unde quia alienati vino, alienum portaverant ignem, mox divino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat vino, Sacerdos Spiritum Sanctitatis extinguit.* Salvianus, quam gravis in personis religiosis sit culpa, quæ alias in aliis levis censetur, his verbis indicat: *Atrocius sub sancti nominis professione peccamus, ubi sublimior est prærogativa, major est culpa, ipsa enim errores nostros religio, quam profitemur, accusat, criminosior est ejus impudicitia, qui promiserit castitatem.* Majori enim est dignus supplicio, qui prævio lumine, & cognitione prævaricatur, quia non potest allegare ignorantiam, nec sub ullo se titulo excusare.

Thren.4.v.1. Ibid.v.5. — D. Chrysol. ser.8. — Peccatum filiorum summi Pontificis. Levit.10. v.1. — Salvian. ad Eccles.

6. Verbum æternum Patris in terram descendens, vili hac nostra se carne vestivit, ut nos solos à pœnis infernalibus redimeret, & eriperet; at verò cur non etiam Angelis rebellibus idem hoc subsidium administravit? Audiamus Sanct. Augustinum dicentem: *Quæri posset, utrum ideò fuisset factum, quod steteramus excellentius, an quod desperatius jacebamus. Cum verò noverimus bonorum omnium Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse, cur non potius intelligimus, quod tanto damnabilior eorum judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? Tanto minus, quam nos, peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt.* Cum enim in cœlis creati fuerint, cum aliorum Angelorum sanctorum gavisi fuerint consortio, denique cum fuerint puri Spiritus, donis, & gratiis cœlestibus in magnâ abundantiâ locupletati, grandeque majestatis & Divinitatis Altissimi lumen & notitiam participarint, consequens est, ut majora etiam habuerint auxilia, ut in justitiâ se continerent, omnisque tentationis impetui, quantumcumque vehementi resisterent; non verò item homo, qui pugillus luti erat, his prærogativis decoratus fuit, ac proinde *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum fuit illi,* id est, majus peccatum. Fuit tamen homo etiam castigatus, sed minori pœnâ, quia levior erat ipsius culpa, cum minor in ipso objecti offensi notitia fuerit; Sanctus Hieronymus ad Ecclesiasticos, qui à Deo destinati sunt, ut alijs lumen præferant, ne ambulent in obscuro, verba quædam dixerit ponderatione dignissima, ait enim: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant; lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum, non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quam mæroris de sublimibus corruisse.*

S. Aug. tract. 110. in Joan. — Quò Angeli fuerunt excellentiores eò minus debuissent peccare. — S. Hieron. l.13. Ezech. 44.

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Peccatum Hebræorum inexcusabile fuisse probatur, eo quod Christi habuerint notitiam, & cum hac illum offenderint.

THEMA.

Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Joan.15.℣.22.

1. IN his verbis, quæ Salvator noster in celebri illo sermone, quem in ultimâ cœnâ habuit, ad Judæos direxit, peccatum ab illis commissum, inexcusabile esse aperte declarat, quia divinitatis suæ habuerant lumen, & perfectam notitiam; unde se illum non cognovisse dicere non poterant, ex quo deducitur, quod juxta proportionem notitiæ objecti, quod offenditur, magis quoque crescat gravitas offensæ. *Non imputaretur eis peccatum,* inquit Lucas Burgensis, *scilicet ex eo, quod non crederent in me, si excusarentur probabili ignorantia, quod nec me nossent, nec scirent, à quo missus essem; potuissent dicere, inquit Theophylactus, non audivimus;* nunc autem omni *prætextu caret eorum malitia.* Porro Christus ea, quæ dixerat, magis confirmat, inquiens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* id est, ut idem Lucas Burgensis explicat; *peccatum tantum, & tam grave non haberent.* Salmeron super hunc textum, diffusè hunc in modum discurrit, *Dixerat, Judæos per ignorantiam peccasse, quia nesciērunt Deum, mittentem Filium suum in mundum, nunc ostendit illam ignorantiam, quæ alias solet alleviare peccatum, delictum hoc non sustulisse, immò auxisse potius, & venia indignum reddidisse, ut enim tradit Philosophus in Ethicis, ea omnia, quæ voluntatis libertatem aliquo modo imminuunt ut sunt vis, metus & ignorantia eatenus excusatione digna sunt, quatenus aliquid de voluntario adimunt, atque huic doctrinæ, quæ cum prudentiâ conjuncta est, favet Sacra Scriptura; quæ sæpe ignorationem, ut circumstantiam delicta excusantem producit; unde Paulus: Misericordiam, inquit, consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. David quoque confidenter deprecatur Deum: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris; & Petrus: Scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri. Abimelech quoque Rex Geraris solo rationis naturalis lumen ductus, dixit ad Deum: Num gentem ignorantem, & justum interficies? Cernis ut ignorationem justitiæ conjungat? Cui respondit Dominus, confirmans ejus sententiam: Et ego scio, quod simplici corde feceris, & ideò custodivi te, ne peccares in me: Sed præter hanc simplicem ignorantiam, & alia, quæ dicitur crassa & affectata, & quam sponte studioseque nobis comparare nitimur, de qua David: Noluerunt intelligere, ut bene agerent; & Propheta: Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores; Et Job: Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et Dominus: Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Prima ignorantia est, oculis captum nasci. Secunda oculis sponte privari; ait ergo: Si non venissem: Et locutus fuissem eis &c.* Idem Salmeron, in progressu ejusdem Tractatus, enormitatem ejusdem peccati ipsorum declarans, subjungit: *Peccatum tantum, quantum nunc habent, non haberent; quemadmodum enim cæcus quispiam, in tenebris positus, nondum apparet cæcus, ortâ verò luce manifesta redditur ejus cæcitas, ad eum modum, peccatoribus olim in quantis tenebris versarentur, cognitum non erat, at coruscante Evangelij luce, detecti sunt, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, Græcè legitur, prætextum, qui plus est, quam excusatio, significat enim colorem, vel speciem excusandi peccatum, post tam manifestam prædicationem;* Tandem hanc subdit conclusionem, valdè notandam & ponderandam. *Peccatum, quod caret excusatione, certissimam habet damnationem.* Quis igitur manifestam hujus populi damnationem non videt, qui post mille sexcentos annos, hactenus propriæ infidelitatis tenebris magis, quam umquam involutus hæret? *sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus.* Blosius inquit: *Timeant Dei justitiam, ac furorem, qui ad Deum non convertuntur, qui peccata peccatis cumulant, & dicunt, quid feci? Qui nolunt intelligere, ut bene agant, hi enim ad iram ejus spectant, quamdiu tales permanent. In hoc miserabili statu constituti sunt Hebræi, qui quotidie de errorum suorum falsitate convicti, nihilominus magis, quam umquam indurantur, ac proindè æternæ damnationis reatum incurrant.*

Malitia Judæorum caret omni excusatione. — Luc. Burg. — Luc. Burg. — Salmeron Tom.9. tract. 61. — Quantò plus adimitur de peccato voluntatem tantò minus est. — Dicitur de ignorantiam diligentibus. — Similitudo. — Blos. parad. animæ c.2. n.1.

2. Rupertus Abbas super cap.5. Zachariæ hanc tradit doctrinam: *Hæc est amphora egrediens, & ... hæc est oculus eorum, in universâ terrâ. Notandum, quod amphoram etiam oculum nuncupavit, hic est, inquiens, oculus eorum in universâ terrâ. Constat*

Zach. c.5.6. Rup. Abb. lib.2. ibid. Judæi videntes erravgerunt.

stat enim, & in universâ terrâ notum est. Quia non per ignorantiam, sed per invidiam Christum occidendo, & Apostolos ejus persequendo, mensuram illam, sive amphoram impleverunt, & omninò scienter peccaverunt, & oculum in peccando apertum, & videntem habuerunt, nam si cæci essetis, ait, non haberetis peccatum, & alibi; nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. Verè igitur hic est, ait, oculus eorum in universâ terrâ, quia videlicet, peccatum eorum non effecit error, sive ignorantia, sed oculus nequam, id est, invidia, & hoc auditum est in universâ terrâ. Et paulò post verba ejusdem Prophetæ: *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit, hæc est impietas,* ita declarat: *Talentum plumbi, pondus est judicij, sive damnationis, magnum utique, & grave, secundùm magnitudinem, & gravedinem irremissibilis delicti, id est, cordis impœnitentis,* id quod in hoc obstinato populo ad unguem adimpletur, qui non obstante lumine, & notitiâ tot sæculis anterioribus habita, adveniente Messia, & multo magis postea, in erroribus suis, plusquam umquam alias, contumax, & impœnitens permansit.

Zachar.5.7.

3. Horribilis illa per regium Psalmistam intimata comminatio, scilicet *descendant in infernum viventes,* ad hunc populum voluntariè cæcum & induratum directa fuit. Unde Eusebius, in catena Græca citatus, versum hunc ita commentatur: *Viventes descendebant in infernum, hi, qui cognitione peccati, & sciebant quidem Salvatorem ipsum esse Christum, sed simulabant se nescire.* In eadem catenâ sequens pariter Authoris cujusdam innominati citatur expositio, ipsismet hisce Authoris verbis tradita: *Referebat quidam Seniorum, solos illos in infernum viventes descendere, qui divinis essent doctrinis instituti, nam qui vitæ sermones non degustavit, mortuus est; cum itaque Judas atque omnis populus Judæorum, legis, ac Prophetarum habuerunt institutionem, morte, quæ peccatum sequitur, super ipsos veniente, in infernum descendunt.* Hugo Cardinalis super illa verba: *Si opera non fecissem:* ita scribit: *Ut qui pavit tot millia de panibus paucis; super aquas ivit, & Petrum ire fecit;* adducitque authoritatem Chrysostomi, qui ut probet id, quod Christus dixerat, scilicet: *Excusationem non habent de peccato suo,* ita subinfert: *Destruit excusationem eorum, à sermonibus enim tribuit doctrinam;* cui Judæi acclamarunt dicentes; *Numquam sic locutus est homo.* Idem Hugo ex capite decimo octavo Deuteronomij sequens adducit signum, unde dignosci possit sermo, quem locutus est Dominus; ait enim sacer textus: *Si tacitâ cognitione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus, hoc habebis signum; Quod in nomine Domini Propheta ille dixerit; & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Subdit verò idem Hugo, *qui ab illo, qui hoc facit, & dicit, persuaderi universos jussit, cum ad pietatem ducat, & miracula tribuat maxima, & non simpliciter signa, sed quæ nullus alius fecit; & de hoc etiam ipsi fuerunt testes dicentes: Numquam sic apparuit in Israël; Et item: A sæculo non est auditum, ut quis aperuerit oculos cæci nati.* Quomodo igitur Judæi incredulitatem suam obstinatissimam excusare poterunt?

Psal.54.16. — Cat. Græc. — Indurati descendunt in infernum viventes. — Joan.15.24. Hug. Card. — Joan.15.22. — Joan.7.46. — Refutatur Judæorum excusatio.

4. In illa occasione, in quâ Judæi tumultuosè clamabant: *Tolle, crucifige,* & in qua ad extorquendam ex ore Præsidis Pilati contra Christum iniquam sententiam, eidem Præsidi metum, & timorem Panicum incusserant, Christus ei protestatus est dicens: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* At verò, quâ ratione hoc verum esse poterat, quod scilicet Judæi, qui Christum Pilato tradiderant, majus peccatum commiserint, quam Pilatus, cum tamen hic post cognitam, & sæpius manifestatam Christi innocentiam, nihilominus illum jusserit flagellari, & spinis coronari, atque insuper ad moriendum in cruce, in medio duorum latronum ipsum condemnarit? Judæi solum linguas suas, velut gladios, exacuerunt; Pilatus autem acutos illi clavos præparari jussit; illi protestati sunt dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam,* ac proinde nisi Judex illum ad crucis mortem condemnasset, Christus numquam crucifixus fuisset; & tamen, cum id dictum fuerit ab ipsomet Deo, & ab illo, qui de se dicit: *Ego sum veritas,* necessum est credere, majus fuisse peccatum Judæorum, quam Pontij Pilati. *Qui me tradidit tibi;* id est, ut Lucas Burgensis exponit, *populus Judæorum, juxta illud Joan.18.℣.35. Gens tua, & Pontifices tui, tradiderunt te mihi. Quis tradidit, aut quem premit majus delictum, rogat Cyrillus? proditorem credo discipulum, deinde Pontifices, & Sacerdotes, & postremo populum Judæorum: Majus peccatum habet,* ut exponit idem Cyrillus: *Majori tenetur peccato, gravius Deum offendit, ac proindè graviorem divinæ justitiæ vindictam sentiet. Neque enim tu id ita teneris credere me tuâ potestate exemptum esse, ut illi, quibus divinæ legisperitis satis superque monstravi, me esse olim promissum Christum, Filium Dei, Regem Israël; itaque illi facile nosse me possent, si vellent.* Dionysius Carthusianus peccatum Pilati considerans ita scribit: *Verumtamen Pilatus proprijs verbis damnavit seipsum, dicens enim, se habere potestatem dimittendi Christum, nec tamen eum dimittens, quem sciebat innoxium, demonstravit se potestate concessâ abusum, nec debuit timore humano relinquere æquitatem, sed usque ad mortem agonizare pro illâ,* & tamen Christus, qui Sapientia est Patris, de Judaismo definit, inquiens: *Majus peccatum habet.* Causa verò ob quam peccatum Judaismi gravius sit, est illa, quam paulò ante idem Dionysius Carthusianus his verbis expresserat: *Amplius peccat, qui tradit Innoxium Judici scienter quam Judex, qui ex superioris potestatis timore illum dijudicat.*

Joan.19. v.11. — Quomodo Judæi habuerint majus peccatum Pilato. — Joan.18.31. — Joan.14.6. — Joan.19.11. — Luc. Burg. ibid. — Joan.18. v.35. — Dion. Carth. Pilatus sibi ipsi contradicit. — Joan.19.11.

5. In præcedenti capite S. Joannis, leguntur Judæi contra Christum hanc coram Pilato adduxisse accusationem: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* De qua utique accusatione, & Judæis illam in medium adducentibus, magis quam de quovis alio malignitatis, & invidiæ actu dici potest: *Excusationem non habent de peccato suo.* Quia *tantum abest,* quod Christus umquam alicui quidquam mali fecerit, ut potius Sanctus Lucas dicat: *Pertransijt benefaciendo.* Porrò motivum, ob quod Concilium unanimiter in inferendam ei mortem conspiravit, hoc unicum fuit: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit?* id est, miracula patrat; omnia autem miracula, quæ Christus patrabat, vel ad benefaciendum animabus, vel corporibus pristinæ sanitati restituendis ordinata erant. Unde Chrysostomus ait: *Cum admirari, & obstupescere eos oporteret, ipsum, qui mortuum suscitaverat* (id est Lazarum) *interficere voluerunt.* Merito quoque Simon de Cassia ingrato huic populo improperavit dicens: *Cur commutasti in mendacium veritatem, ut perverso corde, perversitate loquendi, benefactorem malefactorem in judicio appellares? Nonne turba vulgaris exclamavit viso miraculo: Bene omnia fecit. Et tu nunc coram Præside aperta, falsitate, impetuosis vocibus, malefecisse causaris?* Sanctus Anselmus in dialogo *de Passione,* cum sanctissimam Virginem interrogasset, an quando Judæi filium ejus Pilato præsentarunt, aliquam liberationis suæ spem concepisset, respondit ei: *Multum speraveram, cum turba convenisset, cui sæpè dulciter prædicaverat; & quorum infirmos sanaverat, & eos in deserto paverat, quod eum de manibus Judæorum liberare deberent.* Merito igitur iterum repeto: *Excusationem non habuerunt de peccato suo.* Ante quinque dies ei tamquam Regi Israëlis acclamaverant, & paulo post clamant: *Non habemus Regem nisi Cæsarem;* tunc vestes suas in terram prosternebant, in signum obsequij, ab ipso pedibus calcandas, & paulo post, illum denudant, & ignominiosè propriis suis vestibus spoliant, in signum vilipendij; tunc ei cum ramis palmarum festini obviam procedebant, & paulo post ligni truncum ei præpararunt in patibulum. *In quo igitur malefactor vestrorum curator infirmorum, sanitatum donator, & vestros mortuos de imperio mortis eripiens, ut vocaret ad fidem, & corda vestra pro æternâ resurrectione ad seipsum juste converteret? In quo malefactor, qui vobis prædicavit regnum cælorum, & promisit æternum? In quo malefactor, quem nullum potuit maculare peccatum?* Hactenus Simon de Cassia.

Joan.18. v.30. — Christum ad mortem damnarunt ejusdem beneficia miraculosa. — Act. Apost. 10.v.38. — Joan.11. v.47. — D. Chrysost. Hom.63. in Joan. — Simon de Cassia lib. 13. — S. Anselm. dial. de pass. — Plebis Judæorum ingratitudo. — Joan.19.15. — Simon de Cassia.

6. Apud Jeremiam Deus cœlos ad stuporem, & admirationem, & portas ejus, ut è cardinibus suis

suis moveantur, invitat dicens: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* At vero quidnam cum dicturum esse existimatis, siquidem ipsas quoque spiræas cœlestes ad audiendum invitat? Nimirum: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quod si solum dixisset, ipsos sibi fodisse cisternas dissipatas, utique non tanta admirationis esset ratio; verum hoc non dixit, sed primo ostendit illos fontem degustasse vivum; observanda enim sunt verba illa: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*; ubi ly *dereliquerunt*, clarè indicat, ipsos antea ex hoc fonte vivo fuisse potatos; & verè ita fuit; quia Deus tot seculis nulli alteri rei adeò studuisse videbatur, quam ut huic populo, præ cunctis aliis totius universi nationibus beneficaret, communicando ei specialiter, præ cunctis alijs perfectam sui notitiam, veram ei dando religionem, legem suam scriptam eis promulgando, privilegiando illum per tot ritus, & ceremonias sacras, sacrificia ei præscribendo, consecrando in ejus beneficium sacerdotes, sumptuosum illud templum, ab omnibus nationibus in veneratione habitum eis erigendo; certe *non fecit taliter omni nationi*; & tamen hoc lumen habentes, *foderunt sibi cisternas*; Filius enim Dei, Salvator, non Ægypti, sed mundi, qui eorum frater per Incarnationem factus fuerat, ex motivo invidiæ pro triginta argenteis, ab eis in illam fuit demissus cisternam, in quâ ingemiscens clamavit: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Idem quoque Salvator noster per os Psalmistæ conqueritur: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*, quasi diceret, si Gentiles, si aliæ barbaræ terræ nationes, quæ dæmones in falsis idolorum simulachris adorabant, me Dei Filium, ad ipsas descendentem, persecuti fuissent, aliquam forsitan habituri fuissent excusationem, quia dicere poterant, quod me non cognovissent; at verò Hebræi, qui tot suspiriis, per tot sæcula me desideraverant, qui futuri adventus mei tot prophetias habebant, quam excusationem adducere poterunt? *si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, Tu vero ... Dux meus, & notus meus, Qui simul mecum dulces capiebas cibos*; Populus enim Hebræus, per quadraginta annos ab eo in deserto cœlesti fuerat annona sustentatus, acceperat ab eo vastam terram, featurientem lac & mel, denique cum eo triginta tribus annis familiariter conversatus fuerat, & tamen contra eum malignari, cumque persequi numquam destitit, donec eum in ignominioso crucis trunco animam exhalare viderit; ac proinde merito illum castigavit (*sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus*) siquidem in eodem Psalmo dicit: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*, quod idem est cum illo, quod paulo ante diximus.

Jerem. 2. v. 12. Prævio lumine fidei Judæi Deum dereliquerunt.

Psal. 68. v. 2. & 3. Afflictio ab amico illata major quam ab inimico.

Psal. 54. v. 13.

Ibid.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 15.

Beneficia Hebræis collata.

Ibid. v. 16.

7. Ex Judæis, qui habitabant in Nazareth, ubi conceptus fuerat, & quibuscum tot annis habitaverat, evidenter deduci poterit, quod ipsorum contra Christum mota persecutio, suum in cognitione & lumine, quod de ejus Divinitate habebant, fundamentum habuerit, siquidem sciebant, & confitebantur miracula, quæ aliis in locis patraverat: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ*, & tamen adeò adversus ipsum exacerbati fuerunt, adeo quod *ejecerunt illum extra civitatem, & duxerant illum usque in supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Et verò, quodnam erat Christi motivum, quod non æquè in patriâ suâ, sicut in aliis locis operaretur prodigia? Nimirum, ne peccatum illorum magis aggravaret, ipsosque supplicio digniores efficeret, si nimirum illum injuriâ afficerent, quem quis esset, probè sciebant. Audite Toletum dicentem: *Quando beneficijs Dei homo abutitur est, majus accipit beneficium, magisque diligitur, si ea illi non conferantur*; semper enim verissima est illa à nobis toties repetita conclusio; *Sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus.* D. Chrysologus ait: *Judæos nihil magis perditioni dedit, quam quod ingrati Deo esse voluerunt.*

Luc. 4. v. 23.

Ibid. v. 29.

Non est Propheta acceptus in patriâ.

Toletus.

D. Chrys. Hom. 52. in Matth.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Hi, qui majorem habentes rerum divinarum notitiam, & scientiam; Deum nihilominus offendunt, majora merentur supplicia.

THEMA.

Qui cognovit voluntatem Domini sui, ... & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. 12. ℣. 47.

1. Hæc à Salvatore nostro facta protestatio, Glossa non indiget, quia clarè satis edixit, quod quisquis voluntatis Domini sui conscius, illam non adimpleverit, tanto majori cum rigore ab illo sit castigandus. Inter alias Sancti Isidori sententias, hanc quoque doctrinam traditam legimus, *Quid sit iram Dei mereri, quid verò provocari, prudens lector scire debet, gravior namque ira est, quæ provocatur, quam ea, quæ meretur, nam meremur, quando ignorando peccamus; provocamus, quando scimus bonum facere, nec volumus.* Dicite igitur nunc sodes, si iram Dei provocamus, quando virtuosè vivere scientes, idipsum facere negligimus, quanto magis divinæ iræ fulmina merebimur, & irritabimus, quando præviâ scientiâ & lumine mortaliter illum offendimus? *Qui cognovit voluntatem &c.*

Quid sit iram Dei provocare & mereri.

S. Isid. Hisp. pal. lib. 2. sententiar. cap. 19.

2. In primo lib. Reg. cap. 6. scribitur, quod cum Philisthæi arcam Domini ad Hebræos retulissent, viri Bethsamitæ curiosè intra ipsam respicere volentes, in magno numero morte occubuerint, ait enim sacer textus: *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Verum quidem est, quod Philisthæi pariter ingentem stragem passi fuerint, non tamen ex eâdem causâ, licet & ipsi Arcam introspexerint, manusque suas ad eamdem, sine respectu, applicuerint. At verò quonam spectat hæc inter Bethsamitas & Philisthæos differentia, siquidem una & eadem Arca erat, & in utroque populo eadem curiositas, seu, ut melius dicam, præsumptio locum habuerit? Pro responsione observandum, quod, postquam cœlestis Magister noster dixisset: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, ... & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis*, mox subjunxerit. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hebræi igitur expressum à Deo præceptum acceperant, ne introspicerent Arcam; *Nullâ curiositate videant, quæ sunt in sanctuario*, inquit ad populum, *priusquam involvantur, alioquin morientur*; excipiebantur tamen filij Aaronis, quibus id licitum erat; cum igitur Philisthæi, utpote idolatræ, præceptum hoc nescirent, nec ad hanc legem obligarentur, mirum non est, quod ob hanc causam castigati non fuerint.

Hebræi moriuntur introspicientes arcam & Philisthæi non, de quo datur ratio, quare. 1. Reg. 6. v. 19.

Luc. 12. 47.

Ibid. v. 48.

Num. 4. v. 20.

3. Porrò ly *vapulabit* mysticum est; alludit enim ad verbera, ad flagella, quibus servi & mancipia castigari solent: Observandum est igitur, quod inter omnes alios totius terræ habitabilis populos, nullus à Deo adeò edoctus fuerit, quemadmodum populus Hebræus: hic enim probibilimè, quænam voluntas Dei esset, sciebat, siquidem ut Psalmista ait: *In lege Domini voluntas ejus*; communicaverat ei Deus legem suam, ingens ei impertitus fuerat veræ religionis, & cultus lumen; adeoque *cognovit voluntatem Domini sui*; at vero quid demum ab illo factum est? *Non fecit secundùm voluntatem ejus.* Ecce tibi igitur causam, ob quam post mille sexcentos & amplius annos *vapulat multis*; nam in omnibus mundi nationibus castigatur, & vapulat sicut servus & mancipium, eo quod notitiæ à Deo sibi communicatæ non respondeat. Per quadraginta annos, post illatam ab ipsis Messiæ suæ mortem, Præsides Judææ, Pilatus, Festus, Felix, Florus, Albinus & Cestius non destiterunt illos tamquam mancipia certatim adeo angariare, ut ob tyrannidem, quâ angustiabantur, jugum subjectionis, quo Imperio Romano subdebantur, excutere coacti fuerint, quæ tamen eorum temeritas in majorem illorum cessit ruinam, quia ex iis debellatis pars magna ferro occubuit, quotquot verò superstites remanserunt, qui ad numerum ascendebant nonaginta millium, collo catenis onusto in varias mundi partes vilissimo pretio in duram divenditi, & distracti sunt servitutem. Audite, quibus verbis Deus apud Jeremiam idipsum illis comminatus fuerit: *Quis miserebitur, inquit, tui Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti.* Quo loquendi modo declarat animi sui alienationem, ab illâ civitate, olim sacrosanctâ, quæ iram & justissimum furorem suum irritaverat, quia cum per sacrificia, per Sacerdotes in templo suo, pro aliorum peccatis, ad ipsum placandum, esse precibus suis interponere debuisset, ipsamet perversa facta fuit; ac proinde immediate subjungit: *Et extendam manum meam super te, & interficiam te, ... Et aspergam eos ventilabro in portis terræ; interfeci, & dispersidi populum meum.* Neque enim solum *cognovit voluntatem Domini sui*, utpote, qui per tot sæcula in divinis ejus legibus eruditus fuerat, verum insuper *cognovit Divinitatem Domini sui.* Observetis velim, quam sit verum, quod Psalmista facie ad Deum conversâ his verbis dixit: *Omnia in Sapientiâ fecisti.* Quo enim tempore Deus fecit, ut Judæi interius clarè cognoscerent, & confiterentur, quod Christus verus esset promissus Messias, & æterni Patris Filius? Paulò videlicet ante, quam mortem illius machinarentur. Cum enim illorum elusisset stratagemata, per quæ ipsum in errorem aliquem inducere parabant: *Tunc congregatis Pharisæis interrogavit eos Jesus, Dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergò David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum? Quomodo filius ejus est?* Quo argumento adeò illos convicit, ut sacer textus subdat: *Nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit, quisquam ex illâ die eum amplius interrogare.* Observat autem opportunè Chrysostomus, quod eos ad claram Divinitatis suæ cognitionem convincere voluerit, postquam innumeras ab eo acceperant Divinitatis suæ demonstrationes, ut inexcusabiles essent, ac proindè magis mererentur ab eo castigari. En verba Chrysostomi: *Postquam omne miraculorum genus patravit, omnia effecit, mari frænum injecit, leprosos mundavit, damones in fugam vertit, paralyticis artus constrinxit, vox de cælo descendit, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite; Dominus ipsi testimonium dixit, res ipsæ clamarunt, Spiritus in columbæ specie ad eum venit, Joannes ipse testificatus est, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, tum denique, cum ad crucem ascensurus esset, omnibus ipsis accitis, ad eos inquit, quid vobis videtur de Christo? Non initio vos interrogavi, non vos initio testes citavi, quoniam Divinitatis meæ argumentum nondum vobis præbueram. Postquam autem elementa omnia Divinitatem meam demonstrarunt, postquam doctrina mea omnes vos velut manu duxit, quid vobis videtur de Christo &c.* Cum igitur ab evidentibus argumentis illis propositis, convicti, & confusi fuerint, quid mirum, si qui cum hac clarâ notitiâ ipsum contempserunt, repudiarunt, & in truncum crucis affixerunt, deinceps adeo detestabilem in hac vitâ, ac demum in æterna inferni damnatione confusionem incurrerint, ut de ipsis verificari possit: *Vapulaverunt multis?* Alibi dixerant: *Hic est hæres, venite, occidamus eum*; undè clarè liquet, quod eum cognoverint, & ideò proprio ore confessi sint dicentes: *Malos malè perdet, & vineam suam alijs locabit agricolis.*

Propter abusum suæ scientiæ usque modò vapulant Judæi. Psal. 1. v. 2.

Matth. 21. v. 40.

Ibid. v. 38.

Ibid v. 41.

Gerson. T. 1. in reg. S. Aug. fol. 651. Quid sit trabes & quid festuca?

Exech. 9. v. 6.

4. *Qui cognovit &c.* In eruditissimo simul, & piissimo Gersone, hanc propositionem me legisse memini: *Trabes, ut dicit Chrysostomus super Matthæum, est peccatum Cleri, festuca autem sæcularium.* Qui enim rerum divinarum scientiâ, & intelligentia pollet, is si prævaricetur, longè acerbius castigabitur, quàm sæculares, qui ut plurimum in obscuro, & in tenebris ambulant; horum enim peccata, in comparatione ad Ecclesiasticorum transgressiones, sunt veluti festucæ, cum peccata Clericorum econtra grossæ sint trabes; ac proindè Deus in rigoroso judicio suo præcepit: *A sanctuario meo incipite.* Observastisne aliquando, quod Deus, *qui spirituum ponderator est*, pro expiatione peccati Sacerdotis in singulari, idem prorsus sacrificium, quod pro peccatis totius populi in universali præscripserit? Ait enim in Levitico sacer textus: *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Cur autem Deus ita præcepit? responderi potest, quod peccatum sacerdotis, qui dux est populi, hujus transgressionibus, licet multis, & gravibus præponderet, quia per malum exemplum suum, causa est, ut populus peccet; ac proindè non sine mysterio sacer textus adjungit: *Delinquere faciens populum.* Author imperfecti idipsum docet sequenti similitudine: *Sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus, si autem stomachus languerit, omnia membra incæruantur infirma: Sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omninò peccant & Sacerdotes; si autem & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet. Isa cùm videris populum indisciplinatum, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia Sacerdotium ejus non est janum.* Verum enimverò dato etiam casu, quod transgressio sacerdotis esset occulta, nec transmitteretur ad notitiam publicam, nihilominus ob majorem sanctè & innocenter vivendi obligationem, & ob magis perspicuam, quam habet, scientiam, & lumen Dei, peccatum illius in divinæ justitiæ trutinâ aggravatur, & æque ponderat, ac peccata totius populi. Nam ut Sanctus Gregorius ait: *Nemo amplius in Ecclesiâ nocet, quàm qui perversè agens, nomen & ordinem sanctitatis habet.* Et Chrysostomus super Psalm. 6. inquit: *Pro universo, qui peccavat, populo, (Levitic. 4.) tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote, id autem significat, quod quo major est authoritas, eo est gravius eorum, qui peccant, supplicium. Eâ de re, quæ simpliciter quidem fornicata erat, de medio tollebatur, Sacerdotis autem filia comburebatur.* Summus Sacerdos Heli corrigere volens filios suos, qui per extorsiones, & impudicitias suas sanctuarium dehonestabant, totique Israël: scandalo erant, hoc usus est argumento: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Sanctus Augustinus super Psalm. 36. hunc textum ad nostrum propositum explicat inquiens: *Si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos, si autem Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo? Talem ergò oportet esse Domini sacerdotem, ut quod populus pro se apud Dominum non valuerit, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit, impetrare.* Sacerdotes consecrati sunt, & præ sæcularibus majoribus sunt illustrationibus cœlestibus illuminati, ut pro peccatis populi intercedere, suisque orationibus divinam iram placare possint, ac si ipsimet prævaricentur, quis pro ipsis sacrificia offeret, quis pro illis apud Deum se interponet? Consequens igitur est, quod *vapulabunt multis.* Gregorius Magnus ad exprimendum infelicem horum exitum, sequentem adducit valdè propriam similitudinem; reflectit enim se ad aquam, quâ Sacrosanctum illud confertur lavacrum, quod ad animas à maculâ originali purificandas, & in cœlum dirigendas institutum est, velut instrumentum, peractâ autem lotione, aqua illa adjicitur, & mittitur in cloacas. En verba Sanct. Gregorij: *Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati, cælestem patriam, & Sacerdotes ipsi, per vitam reprobam, ad inferni supplicia festinant? Cui ergò rei similes dixerim malos Sacerdotes, nisi aquæ Baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cælestè mittit, & ipsa postea in cloacas descendit?*

Deut. 4. v. 3. Sacrificium pro sacerdote delinquente est idem quod offertur pro toto populo.

Levit. 4. v. 3.

Auth. imperf. Hom. 38.

Similitudo.

1. Reg. 2. v. 25.

S. August. in Psal. 36. conc.

Similitudo de aqua baptismali.

S. Gregor. Hom. 17. in Evang.

5. *Qui cognovit voluntatem &c.* Unum ex severioribus suppliciis, quibus Deus in perniciem generis humani animadvertit, universale fuit diluvium, & licet aliqualis transgressionum impiorum illorum adduci posset excusatio, eo quod peccatis fragilitatis immersi fuerint (*omnis quippè caro corruperat viam suam*) certum tamen est illos fuisse inexcusabiles, siquidem *cognoscebant voluntatem Domini sui*; ac proindè sacer Chronista, non sine mysterio, hæc verba præmittit: *Videntes filij Dei, filias hominum &c.* nam ut Div. Chrysostomus egregie considerat: *Dei filios hic vocavit eos, qui*

Gen. 6. v. 1. & 2. Quinam dicantur filij Dei.

Ibid. v. 2.

D. Chrysost. in Psal. 48.

qui antea & viris bonis nati fuerant, & Dei honorem perceperant, deindè mutati erant, & evaserant deteriores & suum honorem perdiderant. Ut enim magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum bonorem revocavit in memoriam, maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, & orti ex talibus, ad tantam se præcipitarent improbitatem; quid mirum igitur, si talem præviam cognitionem habentes, & nihilominus graviter delinquentes tanta fuerint demum cum severitate castigati? *vapulabunt multis.* Author operis imperfecti ad idem propositum efficax format argumentum, ad illum namque Jobi textum se reflectens: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Et cœlum sine crimine non est*; ita scribit: *Si ergo impeccabilis natura stellarum, & cœli, quantum ad justitiam Dei inventur esse peccatrix, quomodo antè eum homo appareat justus, cujus & sine voluntate peccandi, natura ipsa peccatum est?* Quibus verbis innuit idem, quod Apostolus de semetipso ad Romanos hisce verbis scribit: *Ego autem carnalis homo sum venumdatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*; undè sic arguere licet: Si sanctus Paulus, qui de seipso indubitatum hoc perhibet testimonium: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; *ignorans feci in incredulitate*, nihil ominus protestatur inquiens: *Venumdatus sum sub peccato*, quam rei & culpabiles, omnique ingenti supplicio digni erunt illi, *qui cognoscunt voluntatem Dei, & non faciunt, & vident meliora, probantque, & deteriora sequuntur? plagis sine dubio vapulabunt multis.*

Job. 25. v. 5. Auct. oper. imperf. Hom. 52.

Peccatum inficit stellas & cœlum, quantò magis homines.

Rom. 7. v. 14.

1. Cor. 4. v. 4.

6. Ecclesiastes ait: *In multa sapientiâ multa indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem*; quia quanto plus homo intelligit, & cognoscit illud, quod sibi operandum est, & huic scientiæ non correspondet, sed donis sapientiæ & scientiæ rerum divinarum à Deo sibi datis abutitur, tanto magis indignationi Dei ejusque suppliciis est subjectus *vapulabit multis.* Sanctus Antoninus in dist. 40. authoritatem citat Chrysostomi dicentis: *Homo Christianus fortiter cadit in peccatum, propter duas causas; aut propter magnitudinem peccati, aut propter infirmitatem humanæ naturæ, & tale peccatum minus imputatur ei, qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere; quando tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit. Quædam sunt ex deliberatione procedentia, & ista peccata tam magis imputantur alicui, quanto major est; & hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius possent resistere peccato, majores puta, qui excedunt in scientia & virtute. Unde Dominus dicit Luc. 12. Quod sciens servus voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Secundo propter multitudinem, quia omne bonum, quo quis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo sit ingratus peccando, in quantum ad hoc, qualibet majoritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundùm illud. Sapient. 6. Potentes potenter tormenta patientur. Tertio propter specialem repugnantiam actus peccati, ad magnitudinem personæ, sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos, & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quarto propter scandalum, quia, ut Gregorius dicit, in pastoralibus, In exemplum vehementer culpa extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur, ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & magis homines ea indignè ferunt.* Porrò Angeli rebelles sine ullâ redemptione, & remissione in sempiternum condemnati fuerunt, ut ardeant in abysso infernali, quia præterquam, quod in dignitate eminenti constituti fuerant, & à Creatore donis, gratiis ac clariori & perfectiori lumine illustrati, quam homo è luto plasmatus, ac proinde severius fuere puniti. Alcuinus quærit: *Cur summi Angeli peccatum insanabile fiat, & hominis sanabile?* Respondetque: *Angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude seductus. Item quanto sublimior Angelus in gloriâ, tanto major in ruinâ; homo verò quanto fragilior in naturâ, tanto facilior ad veniam.*

Eccles. 1. v. 18. Eò plus vapulabit non faciens quo plus intellexit.

S. Antonin. p. 1. Tom. 9. c. 1.

Duplex est peccatum.

Luc. 12. 47.

Peccatum deliberatum gravius est propter quatuor rationes.

Sap. 6. 7.

Alcuin. in Gen. interrog. 4.

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Peccatores habituatos ad pœnitentiam induci insuperabilem in se continet difficultatem.

THEMA.

Multo labore sudatum est, & non exivit de eâ nimia rubigo. Ezech. 24. v. 12.

1. EX his Ezechielis Prophetæ verbis colligitur, quam sit difficilis peccatoris in peccatis suis habituati, & indurati conversio; textus Hebræus legit: *Non exivit rubigo abominationis & obstinationis.* Porrò rubigo per longitudinem temporis contrahitur; optimum verò ad pellendam rubiginem remedium est ignis; eodem modo, ut anima peccatrix per longum annorum gyrum in culpâ habituata, à rubigine culpæ illius eximatur, aliud non est remedium, quam ignis infernalis, in quo tandem peccatores obstinati ultimum suum terminum inveniunt. Sanctus Ambrosius super illa verba Psalmi primi: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, de inveteratâ peccati consuetudine differens ait: *An ignoramus, quod tantam vim habeat inveterata consuetudo peccati, ut exuludat naturam? Quæ cum sit medicabilis ad salutem, tamen corroborata tempore, passionibus immedicabilis reperitur.* Propheta quoque Jeremias ad contumaciam hanc impiorum habituatorum alludebat obstinationem, quando de perversis Hebræis tractans ait: *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustrà conflavit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* Dionysius Carthusianus super Ezechielem scribens, huic quoque proposito nostro aptissimam tradit interpretationem. Etenim Propheta ille jussu Dei Jerosolymæ desolationem his verbis prædixerat: *Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. Congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent: Pone quoque eam super prunas vacuam ut incalescat, & liquefiat æs ejus, & confletur in medio ejus inquinamentum ejus, & rubigo ejus; id est, immunditia civitatis in ipsâ dispereat.* Hunc igitur Ezechielis Prophetæ textum exponens præfatus Dionysius, *per æruginem iniquitatis Jerosolymæ intelligit; & consumatur rubigo ejus, per vim incendij hujus; videtur enim locus ex vitijs habitantium quodammodo contaminari.* Tandem verò descendens ad expositionem verborum assumpti thematis: *Multo labore sudatum est*, inquit: *Id est SS. Prophetæ, ac justi fortiter laboraverunt purgare Jerusalem, eam ad pœnitentiam exhortando, ut Jeremias, & alij, & non exivit de eâ nimia rubigo ejus, id est, excessiva, & obstinata iniquitas ejus, neque per ignem adversitatis, ita quod nec vexatio dedit eis intellectum.* Hugo Cardinalis aliam tradit expositionem, eo præcipuè directam, ut peccatorum habituatorum, & contumacium, ostendat duritiam & obstinationem; undè ait: *Multo labore sudatum est &c. quasi dicat; Multum laboravi, ut converterentur, nec conversi sunt minus, nec flagellis, nec beneficijs*; undè *Jerem. 5. Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas super petram, & noluerunt reverti.* Item *Psalm. 34. dissipati sunt, nec compuncti*; *Jerem. 6. Frustra conflavit conflator &c.* Hactenus magnus ille Cardinalis.

Modus expellendi rubiginem.

S. Ambr. in Ps. 1.

Jerem. 6. v. 29.

Dion. Carth. in Ezech.

Ne quidem igne adversitatis.

Hug. Card. Ibid.

Jerem. 5. 3.

Psal. 34. 16. Jerem. 6. 29.

2. Inter alios malæ peccandi consuetudinis effectus, unus est, quem Sanctus Bernardinus in confirmationem textus illius Ezechielis: *Multo labore sudatum est*, his verbis adducit: *Sicut nec plaga infistulata curatur, & sicut fistula gravat Medicum, ita mali usus gravant Deum.* Et profectò ingens hæc est exaggeratio, quod cum de illo agitur, de Deo, qui ut Isaias ait: *Tribus digitis appendit molem terræ*, nihilominus dicatur: *Ita mali usus gravat Deum*; id est, ingens illud pondus, quod in se continet peccatum nostrum habituatum. Subdit idem Sanctus Bernardinus: *Unde Ecclesiasticus: Perversè difficile corrigantur. Perversi sunt resupinati, quando pedes vadunt sursum, & caput deorsum*; *itaque nisi inveterati morbo, quia voluus non poteris abstinere à malâ consuetudine.* In verbis autem immediate sequentibus, idem Sanctus ostendit, quam exigua spes sit impios obstinatos convertendi; siquidem postquam dixisset: *Tamen quandoque flatus est in corpore, potest te tua conscientia remordere*, immediatè ex longâ experientia, quam habuit, hæc verba subjungit: *Sed tantum volo dicere, quod isti insistulati, & indiabolati in malis usibus, cum magna difficultate liberantur, & subjacent magno periculo mortis æternæ, & pauci salvantur*, paulò post verò subdit: *Qui est affectus longo usu malo, cum venerit ultima dies vitæ, & volet incipere bene vivere, tarde venit; quia quando homo est in illa agonia mortis, nihil sit, nisi dolorem suum, & nescit quid faciat, & ideò pauci tales salvantur. Immò est majus factum, quod tales salventur, quam si quis volaret sine alis.* Verumtamen in contrarium habemus historiam sacram de Ninivitis, à Spiritu Sancto dictatam, quam Chrysostomus in hæc verba ponderat: *Quid Ninivitis irrationabilius, quid barbarius, quid stultius? Attamen barbari isti, & stulti, qui nemmem unquam Philosophum audiverant, quibus numquam talia præcepta tradita erant, audito hisce Prophetæ verbis: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, intra tres dies deposuerunt malam consuetudinem, scortator castus, ferox mansuetus, defraudator & raptor, modestus & benignus, ignavus, industrius factus est. Neque unum, aut alterum, aut tertium, aut quantum, sed omnia vitia simul correxerunt. Id undè patet? Ex verbis Prophetæ, ipse enim accusator eorum, qui dixerat, ascendisse ad se clamorem malitiæ eorum, ipse, inquam, in contrarium de illis testatus est dicens: Vidit Deus quemlibet abstitisse à pravis vijs suis; non singulatim dixit, à scortatione, adulterio aut furto, sed à vijs suis pravis. At quomodo abstiterunt? Eo modo, ut Deus vidit, non ut homines approbant.* Ex his igitur colligi videtur, non esse adeo difficile, celeriter & facilè malam deponere consuetudinem, siquidem pessimi hi Ninivitæ in unico momento veram instituerunt conversionem, & mutationem adeò perfectam & sanctam. Sed audiamus, qualiter idem Chrysostomus prædictæ æruginis Metaphoræ insistens, hac de re discurrat: *Ut vasa æruginosa, inquit, si aqua solum ablueris, etsi multum temporis immanes, nequaquam omni vitio expurgabis; qui autem ea in conflatorium immittit, brevi temporis momento splendidiora illa facit, quam quæ nova sunt & nupera; ita etiam anima peccati scoria infecta, si leviter, & utcunque sæpiùs exterserit, & per singulos dies pœnitentiam assumpserit, nihil commodi nanciscetur, quod si veluti in fornacem in Dei timorem se injecerit, brevi temporis momento, quidquid vitij est, excoquet.* Ninivitæ igitur Jonæ verbis credentes, jamque quasi vicinum considerantes ignem illum, quo civitas illorum deflagratura erat, quoque ipsi in inextinguibilibus inferni flammis erant arsuri, concepto Dei timore, non solum detestati sunt, & deposuerunt cum cordis compunctione habituata peccata sua, verum etiam in signum veræ pœnitentiæ, subito recurrerunt ad rigorosissima jejunia, vestiri sunt sacco & cilicio, cineribusque capita sua conspersunt, & hac ratione, in pelagus quoddam proprij copiosissimi & amarissimi fletus omnia præterita submerserunt peccata, vitamque novam & perfectam instituerunt. Hujusmodi autem exempla admodum rara sunt, & ideo de reliquis verissimum est, quod ut experientia in plerisque, ut plurimum, testatur, multo labore sudetur circa animam in peccatis habitatam, nec tamen exeat de ea nimia rubigo.

In agone parci verè convertuntur.

D. Chrys. Hom. 22. de ira Tom. 1.

Vera fuit pœnitentia Ninivitarum.

3. *Multo labore sudatum est &c.* Sanctus Marcus refert, desolatum quemdam Patrem, filium suum dæmoniacum, & mutum benignissimo obtulisse Salvatori, ut à maligno hoc hospite corpus ejus liberaret, quem proinde his verbis est affatus: *Attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus & arescit, & dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Quis hanc totius collegij Apostolici, & septuaginta duorum discipulorum non obstupescat impotentiam: *Et non potuerunt*; & tamen Sanctus Lucas refert, quod *reverse sint septuaginta duo, cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, quanto igitur rationabilius fuisset, quod Christus Apostolis potestatem delegasset, longe superiorem illa, quam dederat septuaginta duobus discipulis, utpote qui ad sphæram longe inferiorem spectabant; de quibus tamen idem Sanctus Lucas ait: *Dedit illis potestatem super omnia dæmonia*; & tamen afflictus hic pater apertis verbis apud Christum lamentatur inquiens, *Dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Pro hujus difficultatis resolutione notandum est, quod sacer textus subdat, Christum ad numerosam Judæorum multitudinem conversum, iisdem his verbis improperasse: *O generatio incredula! Quamdiu apud vos ero? Quamdiu vos patiar?* Quibus verbis illis dubitiem & obstinationem, qua in sua incredulitate obdurarant, acerbe quidem exprobrat; attamen quia ad beneficiendum magis, quam ad puniendum pronus erat, dixit: *Afferte illum ad me; Et attulerunt eum; & cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum, & elisus in terram, volutabatur spumans; Et interrogavit patrem ejus, quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Porrò cœlestis Magister probe noverat, quanto tempore miserabilis hic filius à dæmone obsessus fuisset; nam ut cœlestis ejus Secretarius Sanct. Joannes ait: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, ac proinde per hanc interrogationem præjudicare videbatur conceptui, qui imprimendus erat huic populo, continuo in fide divinitatis suæ, quæ *alia à longe cognoscit*, vacillanti, cur igitur hanc interrogationem huic patri proposuit? Hujus interrogationis mysterium facile deduci potest ex responso, quod dictus desolatus pater Christo his verbis subintulit; *Ab infantia*; *Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet, sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.* At vero numquid sæpius videratalios obsessos à Christo sanari, illuminari cæcos, claudos erigi, sanari infirmos, resuscitari mortuos? Cur igitur omnipotentiam Christi in dubium ponit, dicendo: *Si quid potes, adjuva nos?* Bene notanda sunt verba illa: *Ab infantia*; hic enim dæmoniacus, peccatorem præfigurabat habituatum, & in peccato obduratum; voluit igitur Christus, ut scirémus, quod eo fine patrem interrogaverat, ut filium sanando, tanto magis superhumana ejus esuceseret Sapientia, & Omnipotentia. Enimverò ex diversis Evangeliis constat, qualiter Christus cæco illi per unicum verbum, *respice*, lumen restituerit oculorum; & confestim vidit; leprosum item mundarit solum dicendo *mundare*, & confestim mundata est lepra ejus; adolescenti quoque Naimitico, imperio vocis suæ: *Adolescens tibi dico; surge*, vitam restituerit; & resedit qui erat mortuus; at verò audiatis velim, qualiter hic longe plus requisierit, majoresque admiserit potentiæ suæ conatus, ut spiritum hunc malignum expelleret; ait enim sacer textus: Jesus ait illi: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*; Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis ajebat: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*, Et *jam videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritui, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* Et quidem licet verum sit, quod imperio Christi resistere non poterit, attamen *exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est; Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. Omnia autem hæc in figura contingebant illis*; in hoc enim miraculo exprimere voluit difficultatem, quæ occurrit in curatione peccatoris alicujus habituati, in dæmonijs, id est, vitijs inveteratis depellendis; *multo minùs labore sudatum est, & non exivit de eo nimia rubigo*, nisi per Omnipotentiam Christi, de qua dicitur: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Glossa interlinearis super hanc Christi interrogationem: *Quantum temporis est?* inquit; *Non quasi ignorans interrogavit, sed ut diuturnitate ostensa, curationem graviorem faciat.* Lyranus in moralitate hujus historiæ ad nostram eruditionem ita scribit: *Per istum ab infantia vexatum à dæmone, significatur peccator, ab infantia nutritus perverse, sicut refert Beat. Gregorius de puero quinquenni, quem cum teneret pater in sinu suo, vidit dæmones in specie. Maiorum venientes, aut rapiendum ipsum,*

Similitudo.

Exemplum Ninivitarum earum est.

Marc. 9. v. 16. Discipuli non potuerunt ejicere dæmonem mutum.

Luc. 10. 17.

Luc. 9. v. 1.

Marci. 9. 18. Objicit Judæis obstinatam suam incredulitatem, Ibid. v. 18. & 19. Ibid. v. 20.

Joan. 2. v. 25.

Ps. 137. v. 6.

Marci 9. 20. Ibid. v. 21.

Alios Christus facillimè per miraculum curavit, Luc. 18. v. 42. Matth. 8. v. 3. Luc. 7. v. 14.

Marci. 9. 22. Ibid. v. 23. Ibid. v. 24.

Ibid. v. 25. & 26. In ejiciendo vero dæmone surdo & muto multa facta sunt præliminaria.

Ezech. 24. 12.

Luc. 1. 37.

Gloss. interlin. in Marc.

Lyran. ibid.

ipsum, & tunc Deum blasphemavit, & statim expiravit; Et quoniam in tali ætate crescente, crescit malitia, subditur: *Habentem spiritum mutum, quia talis non audit correctionem ad bonum, & ubicumque apprehenderit, allidit illum, quia cedit cuilibet tentationi dæmonum.*

Dæmoniacus mutus designat peccatorem ab infantia & surdum ad correctionem.

In prædictorum omnium confirmationem, observandum est, Apostolos cœlestem suum interrogasse Magistrum: *Quare nos non potuimus ejicere illum; Et dixit illis: .. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio*, quasi dicere vellet: Quando agitur de convertendis peccatoribus inveteratis, opus est Omnipotentia Dei, & ideo requiruntur orationes, jejunia, aliaque similia opera virtuosa, & sancta.

Matth. 17. 18. 19. & 20. D. Chrysost. Hom. 15. in Matth.

Divus Chrysostomus super illa verba: *Vos estis sal terræ*, ita scribit: *Quid igitur? Ipsine putrefacta medicati sunt? Nequaquam, neque enim fieri potest, ut ea, quæ jam corrupta sunt, salis perfricatione reparentur.* Quibus verbis Sanct. Doctor dicere velle videtur, tantam Apostolis non inesse virtutem, ut eos, qui in peccatis inveterati sunt, ad salutem æternam perducere possint, *liberare quippe à putredine peccatorum Christi virtus est*, & ad absolutam Christi Omnipotentiam pertinet.

Ezech. 24. 12.

4. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea rubigo.* Verba illa Psalmistæ: *Laboravi, clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, ab Interpretibus Redemptori nostro adaptantur, de quo Apostolus ad Hebræos scribit: *Cum clamore valido, & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia*; & licet pro universali generis humani redemptione exauditus fuerit, nihilominus Judæ præservationem non est assecutus, licet in horto Gethsemani genuflexus, & in terram corruens, ferventer oraret: *Factus in agonia prolixius orabat*; & quamvis in hac oratione sanguinem copiose sudarit, *multo quidem labore sudatum est*; sed nihil impetratum.

Psal. 68. v. 4. Heb. 5. v. 7. Luc. 22. v. 43. Quare oratio Christi fuit efficax pro latrone & non pro Juda.

Mira profecto res, quod Deus ille, per quem redimebatur totum genus humanum, & post quinquies mille & amplius annos aperiebatur paradisus, ut illum aditum habere posset publicus quidam viarum latro & deprædator, quem fauces abyssi devorare conabantur, nihilominus desperatum quemdam scholæ discipulum; immo Apostolum de numero electi illius gregis, cui paulo ante stipulata fide promiserat: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, ab æterna sua damnatione non præservarit. *Multo labore sudatum est.* Quia diu ante cœlestis Magister prædixerat: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscariothem, hic enim erat traditurus eum.* Idque eo ibi præsente prædixit, ut sciret, quod Filius Dei per divinitatem suam occulta perversi cordis sui diverticula penetraret.

Luc. 12. v. 32. Joan. 6. v. 71. Enarrantur à Christo Judæ præstita beneficia.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus multa enumerat auxilia, à communi Salvatore ei subministrata, ad hoc ut resipisceret, Ait enim: *In eadem mensa cum Christo cœnabat, sanctum ejus panem cum alijs comedebat ad pietatem exhortantem Christum audiebat, cum illud percepit: Unus vestrum me tradet.* Per tres annos continuos à cœlesti illo Magistro eruditus fuerat, qui ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; Evangelium, sicut alij Apostoli, annunciaverat, estque verisimile, quod etiam miracula patrarit; inter hæc omnia tamen sermo à Christo in ultima cœna habitus nihil in ipso effecit, qui aliàs ad rumpendam ejus cordis duritiem sufficere debebat; *numquid enim non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Præterea, ut Sanctus Joannes refert, ante cœnam dixit Christus: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum, Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu, & protestatus est Jesus, & dixit: Amen, Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Ubi per ly *protestatus est*, Evangelista insinuat, Christum protestatum fuisse, quod ex parte sua fecerit, quidquid potuisset, ut illum ab hoc scelere dimoveret, eumque ad pœnitentiam induceret.

S. Cyrill. Alex. lib. 11. in Joan. cap. 32. Matth. 3. v. 9. Jerem. 23. 29. Joan. 13. 18. Ibid. v. 21. Christus ex parte sua fecit pro Juda convertendo, quidquid potuit.

Voluit quoque Christus, ut Sanctus Joannes omnibus sæculis manifestum faceret, quod eodem vesperi, quo illum Judæis ad inferendam ei mortem tradiderat, ipse eumdem eodem sacratissimo corpore suo sacramentato, quod cibus æternæ vitæ erat, cibarit, quodque ad pedes illius genuflexus, eosdem lavarit, & osculatus fuerit, licet sciret pedes illos veloces futuros ad effundendum sanguinem suum. Chrysostomus inquit: *Super proditore suo turbatus est, non ideo quod crucifigendus esset ipse, sed quod ille periret.* Sanctus Augustinus, vel quisquis alius est Author, existimat, Christum specialius ad emolliendam obstinationis suæ duritiem, quam ob alia mysteria, pedum Apostolicorum instituisse lotionem: *Licet etiam propter alios discipulos humilitatis exemplum præbuerit, tamen ovem perditam recuperare valde cupiebat.*

D. Chrys. S. August.

Ad hæc cum verum sit, quod munera placant homines, considerandum quoque est, quod cum Christus Judam avaritiæ deditum esse sciret, ad hoc ut suam haberet satisfactionem totius Apostolici collegij bursam illi consignavit, in qua per providentiam illius, qui *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*, pecunia numquam deficiebat. Insuper quia minæ ad terrefaciendos & refrænandos perversos valde sunt efficaces, quoties illum per has ad pœnitendum fortiter excitavit? *Væ homini! per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Conatus est illum convertere prius per beneficium postea per minas. Matth. 26. 24.

Denique quia benignitas, & benevolentia, ad corda lucrifacienda valde est attractiva, ideo in cœna sapidissimum illi cibum dedit, & in propriam suam paropsydem admisit: *Qui intingit mecum manum in paropsyde; cui intinctum panem porrexero.* Immò Sanctus Augustinus ad hunc traditorem se vertens his verbis ei improperavit: *Numquid in furto te sæpe invenit & semper pepercit: Numquid te post Petrum ut plurimum honoravit?* Quid plura? in ipso eodem actu, quando jam factus lictorum caput, ipsum per impressum osculum illis indicabat, summo cum amore ipsum recepit, & osculum ejus accipiens, amicum appellavit: *Amice, ad quid venisti.* Lucas Burgensis verba illa ponderans: *Juda ... filium hominis tradis?* inquit: *Filium hominis, id est, propter te factum hominem cum Deus sit (ita recte Theophylactus) qui tibi nihil nocuit, immo utilissimus tibi fuit optimeque de te meritus. Hunc tradis malevolis hostibus; singula verba emphatica sunt, plenaque doloris, quibus non aliud fecit Jesus, quam pungit proditoris conscientiam, ut tanta lenitate motus resipisceret.*

Ibid. v. 23. S. August. Ibid. v. 50. Luc. 22. 48. Luc. Burg.

Præterea notitiam atrocitatis, abominationis, detestationis delicti sui ei fortissime impressit, inducendo ipsum ad restituendum argenteos, & publice suam traditionem, suique Magistri innocentiam contestandam: *Retulit triginta argenteos, dicens? Peccavi tradens sanguinem justum.* Sanctus Ambrosius à Luca Burgensi citatus ait: *Etsi cassa est pœnitentia proditoris, est tamen ullus in scelere pudor culpam agnoscere.*

Ultimatim in captivitate vocat ipsum amicum. Matth. 27. 3. S. Ambr.

At vero quænam est causa, quod terra se sub pedibus ejus aperiens illum non deglutiverit, sicut Dathan & Abiron: Aut cur fulmen de cœlo ipsum non ferivit, nimirum divina justitia disposuit, ut seipsum ex arbore suspenderet, & secundùm quorumdam opinionem rumperetur laqueus, ut etiam tunc ad resipiscendum plus temporis haberet, at vero desperatus tanto magis se agitando, *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Sed quænam fuit causa, quod *multo labore sudatum est, & non exivit de eo nimia rubigo?* Nimirum diuturno tempore Judas in pluribus peccatis habituatus erat. Sanctus Bernardinus hanc Judæ duritiem tangens ita scribit: *Christum Judæis vendiderat, tamquam venale mancipium, & vili exposuit pretio coram Judæis hominum vitam; ex quo tam diram, & duram perversi propositi obstinationem incurrit, ut nec familiaritate contubernij, nec humilitate obsequij, nec suavitate colloquij à conceptâ malitiâ potuerit revocari.*

Actor. 1. 18. Mala consuetudo omnibus illis prævalet.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Eadem materia continuatur.

THEMA.

Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Hebr. 10. v. 26.

1. Sanctus Paulus ut eorum peccatorum exprimat gravitatem, quæ post acceptum lumen, & claram notitiam veritatis, & malitiæ infinitæ, quæ est in culpa, deliberate committuntur, sequentibus utitur verbis horrore plenissimis: *Voluntarie enim peccantibus nobis &c.* immo immediate subjungit: *Terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio* (scilicet expectatur) *quæ consumptura est adversarios.*

Hebr. 10. 26. Differentia inter peccata deliberatè & indeliberate commissa.

Quæ verba Sanct. Thomas dupliciter interpretatur, semel conformiter ad Glossam, quæ hanc assignat inter peccata indeliberate, vel deliberate commissa differentiam, inquiens: *Videtur Apostolus facere differentiam inter peccantes volentes, & involuntarie, ita quod volens peccat, qui quasi passione ductus consentit de peccatis, de quo ante non cogitavit; voluntarie autem, qui ex certa malitia, cujus voluntas prona est ad peccandum, ita ut statim cedat.* Paulo post vero subdit: *Sed melius potest dici, & secundùm intentionem Apostoli, quia secundùm Augustinum, liberum arbitrium habet multiplicem statum, quia in statu extra gratiam, antequam reparetur per gratiam, non est in potestate nostra peccare mortaliter, vel non peccare, & hoc propter præconceptionem finis; & habitum inclinantem, quod quidem verum est secundùm magnum tempus, seu per aliquam moram, si operetur ex præmeditatione, potest vitare hoc peccatum vel illud. Sed postquam per gratiam reparatus est homo, omnino in potestate ejus est, vitare peccatum mortale, & etiam veniale in particulari, non autem omnino in universali, & hoc est propter auxilium gratiæ salvantis; & ideo dicit: Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, id est, post acceptam gratiam, per quam habetur notitia peccati, quia ante notitiam peccati, peccatum nostrum à Deo nobis non imputatur; unde quasi dicitur ipsum ignorare, quia non imputat nobis; sed post jam non est pro peccatis hostia &c.*

S. Thom. ibid. Multipex status liberi arbitrij.

Estius eadem verba de illis exponit, qui antiquitus baptizabantur adulti, postquam longo tempore fuissent instructi, & plenam habuissent mysteriorum fidei nostræ notitiam: hi enim quando apostatabant, ratione hujus catechismi præcedentis, longe culpabiliores erant, quam infantes, qui ad sacrum lavacrum cum hac notitia non accedunt; erant igitur inexcusabiles, omnique digni supplicio.

Estius ibid.

Hugo Cardinalis eadem verba aptius ad nostrum propositum ita exponit: *Nobis voluntarijs ad peccandum existentibus, & in voluntate, & proposito peccandi manentibus post acceptam notitiam veritatis, id est, non tantum voluntarie, sed etiam scienter, & ex deliberatione peccantibus, quod grave est, non relinquitur pro peccatis hostia, id est, talibus non prodest Christus, qui est hostia pro peccatis.* Isaiæ quadragesimo nono: *Ego dixi, in vacuum laboravi sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.*

Hug. Card. Quid sit voluntarium. Isa. 49. v. 4.

Dionysius Carthusianus hanc adhibet interpretationem: *Voluntarie, id est, ex electione, certa malitia, seu deliberatione, peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, id est, post cognitionem Christianæ doctrinæ, in qua pœnæ impiorum, gaudiaque justorum describuntur.* Ad hoc quoque propositum servit doctrina quædam Sancti Augustini contra Donatistas, dicentis: *Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post revelationem verò & inspirationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat, prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim, atque obstinatione quadam notatur, cum ratione superetur. Hoc verissimum est, longe gravius esse peccatum ejus, qui sciens, quam ejus, qui nesciens peccaverit.*

Dion. Cart. S. Aug. lib. 4. de baptis. con. Donatistas cap. 3. tom. 4.

2. Bene autem pensanda est illa à Sancto Paulo addita circumstantia: *Post acceptam notitiam veritatis*, quia ut Beat. Laurentius Justinianus bene observat: *Quanto plus fuerit instructus scientia, tanto acriori dignus erit judicio, quoniam scriptum est: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi; & merito, si enim delinquit peritus, si legem transgreditur, si post concupiscentias suas defluit, reclamante conscientia hoc facit, quæ scientia illustratur lumine, & gratiæ prævenitur splendore, nam ignorans si peccat, maximè ex parte suæ excusatur nescientiæ, dummodo non sit supina & crassa, quoniam tunc prorsus inexcusabilis est, & ignorantem facit ignorari; sciens autem & doctus nulla tergiversatione absolvitur, quoniam bene agere omnino non vult.*

Hebr. 10. 26. B. Laur. Just. de humil. cap. 16. Quid sit ignorantem facere ignorari.

Sanctus Franciscus in opusculo quodam *de peccatoribus, ex præsupposita scientia & cognitione, prævaricantibus*, ita scribit; *Cæci sunt, qui verum lumen non vident, Dominum nostrum Jesum Christum, Sapientiam non habent spiritus, quia Filium Dei in se non habent, qui est vera Sapientia Patris, de quibus dicitur: Sapientia eorum devorata est; vident, agnoscunt, & sciunt, & faciunt mala, & scienter perdunt animas suas.*

Opusc S. Francisci Tom. 1. c. 12.

Porro quam ingens sit malum cum hac notitia peccare, & ex electione, non autem ex passione peccatum velle, Sanctus Augustinus verbis valde significantibus indicat dicens: *Molestum est quidem, & nimium periculosum, immo perniciosum, & pro certo exitiabile, quod scientes peccant.* Unde invenietis, quod quando in Scriptura de iis agitur transgressoribus, qui alias observantes fuerunt, non solum divinarum legum, sed etiam consiliorum Evangelicorum, Deus communiter altius levet manum suam, ad eos castigandos, quam plectendo homines mundanos hi enim magis sunt tolerabiles, ob defectum veri luminis, qui est in ipsis.

S. Aug. in Psal. 50. Religiosi delinquentes gravius puniuntur quam sæculares.

Sanctus Hieronymus super Ezechielis scribens textum, adducit verba illa Sanct. Lucæ: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, .. & non fecit, ... vapulabit multis*; subditque idem Sanct. Doctor: *Unde & Petrus: Tempus est, ut incipiat judicium à domo Domini; & in hoc eodem Propheta præcipitur secures habentibus: A sanctis meis incipite.*

Lucæ 12. 47. S. Hieron. Tom. 4. cap. 16. in Ezech.

Sanctus Bernardus in sermone quodam aliam nos docet intelligentiam prædictorum verborum: *Post acceptam notitiam veritatis*; ait enim: *Voluntarie peccanti post agnitam gratiam, non relinquitur hostia pro peccato*; quasi vellet dicere: Deum se exhibere implacabilem & inexorabilem illis, qui post lumen & cognitionem gratiæ cœlestis acceptam eum offendunt.

S. Bernard. ser in sex tribulat.

Meretur quoque hac eadem occasione in medium adduci monitum illud Sancti Augustini dicentis: *Videamus, & caveamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiamus, sed integro corde perfectaque fide renunciemus, atque spernamus tam damnosam diaboli hæreditatem, ne pupilli & pauperes remaneamus. Recitetur in medio nostro sententia Beati Pauli Apostoli terribilis, terribiliterque prolata, quæ corda simul, & corpora nostra contremiscere facit, ait enim: Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio &c.* Moxque subjungit: *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur; Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Post adducta autem hæc Sancti Pauli verba, subdit idem Sanctus Augustinus. *Hæc verba non ex me, sed ex ipso, qui dixit: An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus, profluxerunt.*

S. Aug. l. de salut. docum. cap. 63. Exhortatio S. Augustini. Heb. 10. v. 26. Ibid. v. 28. Ibid. v. 29.

3. Dionysius Carthusianus in opusculo *de enormitate peccati* inter alia peccatum aggravantia, hoc quoque valde considerabile in medium adducit inquiens: Peccatum aggravari quoque: *Ex facilitate non peccandi, seu resistendi peccato. Quemadmodum enim in hominibus bonæ indolis, gravius est peccatum, quam in pronis ad vitia, propter quod de civitate Dei cap. 14. dicit Augustinus: Primum præceptum in paradiso tanto majori injustitia violatum est, quanto faciliori posset observantia custodiri. In peccatis autem eorum, qui bonæ sunt indolis, est magis de voluntario, quoniam ab intrinseco minus impelluntur ad mala, ideo cæteris paribus, gravius peccant, præsertim cum & Dei beneficijs infeliciter abutantur, & ingratiores sint Creatori.*

Peccatum aggravatur ex facilitate non peccandi. Dion. Carth. cap. 11. de enorm. pecc. opusc.

Porro Ecclesiastes ait: *In multa sapientia multa indignatio*; hæc autem consequentia prima facie minus bene currere videtur, quia homo sapiens, passiones suas moderari novit; & ut alibi dicitur: *Ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia*; qua igitur ratione indignatio esse potest sapientiæ partus? Sanctus Hieronymus inquit: *Quanto magis quis sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur subjacere vitijs, & procul esse à virtutibus, quas requirit. Quia autem potentes potenter tormenta patientur, cuique plus creditur, plus exigitur ab eo, propterea apponit dolorem, qui apponit scientiam, & contrista-*

Eccle. 1. v. 18. Job. 28. v. 28. S. Hieron. Ex quo fundamento sapientia dicatur indignatio.

contristatur mœrore secundùm Deum, doletque super delictis suis. Chaldæus legit: *Namque vir, qui multiplicat sapientiam, quando peccat, & non convertitur ad pœnitentiam, multiplicat indignationem à Domino.*

Exod. 16. 15.
Malè contentis Israëlitis Deus dedit manna, & secunda vice carnes.
Num. 11. v. 33.
Ps. 77. v. 30.

4. In Exodo cap. 16. legitur, Hebræos, cogitantes ollas Ægypti carnibus plenas, contra divinam murmurasse providentiam, eo quod ab illis procul positi essent; Similiter in libror. Numer. cap. 11. Allia, cæpas, & cucumeres Ægyptios appetentes, manna autem nauseantes, amarissime lamentabantur, & quidem prima vice Deus illis de cœlo panem dimisit Angelorum, omne delectamentum suavitatis in se habentem, unde stupefacti clamarunt: *Manhu*, id est, *quid est hoc?* Secunda autem vice tametsi illis carnes pretiosas, scilicet perdicum providerit, easque in magna abundantia, nihilominus eodem tempore divinæ justitiæ gladium contra eos strinxit, siquidem ut Psalmista ait: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*; mox enim ut hæ carnes ad illos demissæ fuerunt, subsecuta est strages quædam adeo numerosa, ut locus ille deinceps appellatus fuerit *sepulchra concupiscentiæ; furor enim Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* At vero quæri hoc loco posset, cur populus Hebræorum secunda vice tam enormiter castigatus fuerit, non vero in prima, cum tam in prima, quam secunda vice idem populus, in eumdem impegerit, tum murmurationis contra Deum, tum desiderij revertendi in Ægyptum, peccati scopulum? Sanctus Cyrillus Alexandrinus difficultatem hanc resolvit, considerans, quod quando populus prima vice murmuravit contra divinam providentiam, nondum gustaverit manna, neque quotidianam illam miraculosam expertus fuerit annonæ provisionem (*Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & panem de cœlo præstitisti eis*) ac proinde Deus illorum infirmitati compassus, commissam dissimulavit temeritatem & offensam; At vero secunda vice, quando appetiverunt carnes Ægypti, cæpas, & allia, idipsum fecerunt, in ignominiam panis Angelorum dicentes: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo*, jamque diuturno temporis spatio miraculosa illa annona gavisi fuerant, & quia pro tanto beneficio fuerunt ingrati, & post tantum lumen & notitiam prodigi adeo continui, & manifesti, providum suum benefactorem tam turpiter offenderunt, ideo justum erat, ut iræ suæ fulmina in illorum vibraret perniciem, quod prima vice non fecerat, quia admirabiles illos providentiæ suæ effectus nondum experti fuerant. Verum enimvero verissimum est illud Apostoli axioma: *Omnia in figura contingebant illis*; ac proinde Hebræi prima vice murmurantes, præfigurabant illos, qui in Ægypto mundi vivere assueti, nondum habent lumen & notitiam Dei, neque spiritualium gustarunt manna consolationum, neque certas illustrationes particulares participarunt, ac proinde aliqua ex parte sunt excusabiles, non vero item excusatione digna est illorum malitia, de quibus Sanctus Paulus ait: *Voluntarie peccant post acceptam notitiam veritatis, illis enim non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio &c.* Audiamus hac de re Sanct. Cyrillum dicentem: *Quoniam nuper ab Ægypto fugerint, panemque cœlestem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, facilius poterant in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni visi sunt; postea vero quam Domino fruebantur, tunc jure, quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederant supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt.*

Quare fuerint puniti in secunda petitione & non in prima.
S. Cyrill. Alex. lib. 3. in Joan. cap. 34.
Num. 21. v. 5.
Punitur ingratitudo.
In primâ murmuratione figurantur necdum illuminati.
Heb. 10. v. 26
S. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Joan. cap. 34.

5. In cap. 16. Act. Apostol. legitur, quod cum Apostolus accepisset in suam societatem Timotheum, ut in provincias Asiæ prædicationem Evangelicæ lucis diffunderet, *vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.* Et vero quis hanc prohibitionem non obstupescat? numquid Filius Dei indifferenter in redemptionem omnium populorum de cœlo in terram descenderat? Jam porta gentilibus patefacta erat, pro quorum conversione Christus Saulum in Paulum transmutarat, dixeratque: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Cur igitur Spiritus Sanctus in Asia verbum Dei loqui vetabat? Sanct. Prosper *de vocatione Paganorum* disserens dubium hoc hisce verbis solvit: *Vetati sunt à Spiritu Sancto, non utique negatâ illis populis gratiâ, sed quantum apparuit retardatâ.* At vero quonam hæc, in tanti momenti negotio, ubi de salute animarum agebatur, spectabat dilatio? nimirum, inquit Beda, ne populi illi, postquam præbuissent aures ad audiendam veritatem, & per veram veri Dei cognitionem illuminati essent, nec tamen tunc quidquam proficerent, severius punirentur. En ipsa Bedæ verba: *Et qui novit corda Deus, beneficij gratia Doctorem ab Asia removit, ne si sanctum canibus detur, error cordis iniqui gravius de contempta prædicatione judicetur.* Sanct. Thomas de Villanova in concione quadam ita scribit: *Sicut ait Chrysostomus in libro de reparatione lapsi, cecidisse non ita malum est, sicut post lapsum jacere, & non resurgere, & cum quadam veluti voluptate jam ac resolutione peccare*; quod idem est cum eo, quod Sanctus Paulus his verbis exprimit: *Voluntarie peccantibus*; subdit vero idem Sanct. Thomas: *Peccare fragilitatis est, in peccato vero perseverare, & nolle remedium quærere, contemptus.*

Act. Apost. 16. v. 6.
S. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 3.
Quare Spiritus Sanctus prohibuerit loqui verbum Dei in Asia.
Ven. Beda. Ibid.
S. Thom. à Villanov. conc. Dom. 4. Quadr.

6. Enimvero quando quis eo usque malitiæ pertingit, ut debitum Deo respectum deponat, atque insuper ab inde ad illius contemptum transeat, signum est, quod ad supremum malitiæ culmen pervenerit, *impius cum in profundum venerit, contemnit.* Porro horribilis est illa Dei adversus Heli stirpem facta protestatio; Ait namque Deus: *Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus, usque in æternum*; quæ protestatio idem dicere videtur, quod Apostolus ait: *Non relinquitur pro peccatis hostia.* Quod si vero tam severi supplicij sciscitéris causam, respondebo tibi: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis &c.* Etenim Heli summus Sacerdos erat, ac proinde ad ipsum spectabat reprehendere & punire filios, & dare legem universo Israëli, populosque ad sacrificia attrahere, & allicere, non vero eosdem ab eis alienare; & tamen nimia erga sacrilegos filios teneritudine seductus, permittebat illis omnem impudicitiam, iniquas extorsiones, & sacrilegia, in quorum pœnam infeliciter sunt mortui: *Et Heli cecidit è sella retrorsum, ... & fractis cervicibus mortuus est.* Notat vero Origenes, quod cum in loco sacro ceciderit, casus ejus irreparabilis fuerit; *voluntarie enim peccantibus, post acceptam notitiam &c. Talis est igitur iste locus*, inquit Origenes, *ubi est Heli, pro peccato enim retrorsum cadens expiravit, & nunc si quis retrorsum corruerit à veritate, necesse est ut cadat, & continuo moriatur.*

1. Reg. 3. v. 14.
Gravissima fuit punitio Heli.
1. Reg. 4. 18.
Orig. h. unica in lib. Reg.

DISCURSUS XI.
ARGUMENTUM.

Author idem prosequitur argumentum.

THEMA.

Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo. 2. Petr. 2. ỳ. 21.

Explicatio Thematis.
Dion. Carth.

1. HOc Fidelibus ex cathedra Petri dictatum oraculum, ab omnibus illis, qui post lumen, & agnitionem æternæ Veritatis, dorsum suum Creatori obvertere præsumunt, ut creaturis adhæreant, serio ponderari meretur. *Melius erat illis &c. id est*, ut Dionysius Carthusianus exponit, *minus malum, sive culpabile erat, non cognoscere viam justitiæ, id est, divina præcepta, & ea quæ necessaria sunt ad salutem, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato, id est, ab observantia Christianæ legis divertere. Nempe quo quis plura à Deo beneficia est sortitus, eo plus obligatus est Deo gratus esse, ac deservire. Idcirco doctus gravius peccat, quam indoctus, cæteris paribus, præsertim, quia qui viam agnoscit justitiæ, nec tamen observat, plus videtur Deum contemnere, quam justitiæ viam ignorans, propter quod Christus disseruit: Servus, qui cognovit voluntarem Domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit*

palabit paucis. In cujus confirmationem, textum illum citat S. Joannis: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis, quia videmus; peccatum ergo vestrum manet.*

Joan. 9. v. 41
S. Bernard. ser. 3. in die Apost. Petri & Pauli.
Petrus gravius peccavit quam Paulus.
Semel illuminati peccantes ulterius sordescunt.

2. Sanctus Bernardus inquit: *Peccavit Paulus, sed ignorans fecit, in incredulitate sua. Petrus cum cecidit, apertos habebat oculos; porro ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*; quamvis & in Sancti Petri excusationem dici posset, quod lapsus ipsius in densis tenebris noctis contigerit: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*; id est, antequam gravitatem peccati sui intelligeret, aut adverteret, peccavit, ex metu, non ex malitia. Et ideo prædictus mellifluus Doctor subjungit: *Eorum siquidem, qui peccant, antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave, & onus leve, priusquam devotionis gratiam, & consolationes acceperint Spiritus Sancti, eorum, inquam, copiosa redemptio est, & tales omnes nos fuimus.* Quia vero præfatus mellifluus Doctor in citato sermone Monachos suos Claravallenses, eximiæ virtutis & perfectionis viros alloquitur, ideo subdit: *At eorum, qui post conversionem suam peccatis & vitijs implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum, retro respiciunt, tepidi, & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retro eunt, apostatæ manifesti, eorum utique perpaucos invenias, qui post hæc redeant in gradum pristinum, sed magis in sordibus positi sordescunt adhuc, super quos Propheta deplorat. Quomodo obscuratum est aurum, inquit, mutatus est color optimus, & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora?*

Historia de B. Jordano. *Bolland. 13. Febr. fol. 732.*

3. In vita Beati Jordani Generalis Ordinis Sancti Dominici me legisse memini, quod Sæcularis quidam dixerit ei, *Magister, quid est quod nos sæculares quandoque dicimus inter nos, quod postquam fratres vestri, & minores venerunt, numquam fuit ità bonum tempus in terrâ, nec terra portavit ita bene, sicut antè? Magister respondit: Possem hoc negare, si vellem, & ostendere contrarium. Sed esto; monstro tibi, quod hoc justum est. Postquam enim nos venimus in mundum, docuimus mundum cognoscere peccata multa, quæ ante non cognoscebat, & quia ab illis noluit cavere, ideo sunt illis graviora, quia peccatum scienter commissum gravius est. Igitur propter peccata hominum graviora, Deus immittit terræ sterilitatem, sicut dicit Propheta: Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea; & ideo immittit Deus sterilitates, & tempestates. Et plus dico vobis, nisi corrigatis vos, ex quo scitis, quid debetis facere, & à quo debetis cavere, adhuc pejus faciet vobis, quia ipsemet, qui non mentitur, dicit in Evangelio: Servus sciens volantatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* Porro per experientiam videmus, quod regiones & provinciæ infidelium, specialiter Mahometanorum, ingenti fruantur bonorum temporalium abundantia, pace, divitijs, & in omnibus prospere vivant; non vero item Christiani; cujus hæc est causa, quam nobis Beatus Jordanus manifestavit, illi adhærens veritati, quam Sanctus Jacobus his verbis tradidit: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus inquit: *Non magnum est, virtutem cognoscere, sed studiose agere, id certo maximum est. Ego autem æstimo melius quodammodo essè, nescire, quam cam scias per malitiam negligere, & quod bonum esse credideris, ex desidiâ præterire. Qui voluntatem, ait, ignoravit Domini sui, & non fecit, vapulabit paucis, qui autem scivit, & contempsit, vapulabit multis. Qui enim ignoravit omnino; etsi culpa teneatur, quia discere forte neglexerit, veniæ tamen petitio idonea ignorantiæ essè videtur, scientiam autem, ipsa conditio condemnat, contempsit enim, nec fecit quod probe cognoverat.*

Infideles in terrenis beatificantur.
Jac. 4. v. 17.
S. Cyrill. Alex. lib. 9. cap. 9. in Joan.
Retrò cadere est à bono incepto deficere.
Simon de Cassia lib. 13.

4. Simon de Cassia turbas illas furibundas, quæ ad capiendum Christum in hortum Gethsemani concesserunt, aliqua ex parte excusare velle videtur, idque ob sequentem rationem, quia supini ceciderunt retrorsum. En verba ipsius, *cadunt retrorsum, & prosternantur, penitus non videntes, quia vel ignorant quod faciunt, aut quantum sit malum, nullo modo perpendunt, aut damnationem meritam non aspiciunt. Retro vero casus eos insinuat, qui ab eo, quod acceperunt, per fidei cognitionem, ex mandato Domini, & actionem justorum operum, non resipiscunt, de quibus Petrus in canonica sua dicit: Melius erat illis non agnoscere &c. quotquot enim à justis inceptis deficiunt, retro cadunt.*

Duplicata malitia Saulis consulentis magam.
1. Reg. 28. v. 10.
Lyran.
Revel. S. Birg. lib. 4. cap. 25.
S. Basil. orat. 3. de pecc.
Ponuntur duo diversimodè peccantes.
S. Gregor. lib. 1. epist. 16.

5. Consideratione digna est phrasis illa, quâ sacer textus utitur, dum prævaricationem Saulis, magam consulentis, enarrare orditur, Priusquam enim hoc factum recenseat, sequentia verba præmittit: *Saul abstulit magos, & ariolos de terrâ, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre*; quod observans Lyranus ita scribit: *Istud ponitur hic, ad declarationem sui facinoris, quia quod destruxerat quasi zelo legis, iterum requisivit*; cujus proinde criminis pœnam atrocem luere debuit, quia mox ei funestum nuntium vicinæ & miserabilis mortis suæ nunciatum fuit. In declarationibus revelationis cujusdam, quæ Sanctæ Birgittæ facta fuit, sequentia verba leguntur: *Omnis, qui scienter, & ex industria peccat contra Deum, nisi præcedente magna contradictione, incurrit judicium Dei, & tribulationem mundi.* Et ideò Saul, quia legem à semetipso promulgatam transgressus fuit, morte corporali pariter, & æterna puniri meruit, jacturam passus hujus, & alterius vitæ. Basilius Magnus in oratione quadam *de peccato* hunc discursum instituit: *Alius quidem eo peccavit, quod à puero perperam educatus sit, atque enutritus in pravis, tum verbis, tum factis; alius vero quamvis multa illi suppeterent, quæ eum ad virtutem excitarent, nempe educatio honesta, & liberalis exhortatio parentum, perfectio, ac præstantia quædam naturæ, auscultatio sermonum divinorum, victus moderatus, & alia, quibus animus ad virtutem institui, ac informari solet, tamen & ipse eodem peccato, ac scelere se obstrinxit; quomodo igitur obsecro, non longe graviori pæna talis merito erit dignus? Ille equidem ob id solum in crimen vocatur, quod non rite usus est illis salutaribus occasionibus, quæ in mentibus nostris sunt sparsæ, at hic tum ob ea ipsa, tum propterea, quod quasi omnem cooperationem, quæ ipsi erat concessâ, prodidisset.* Sanctus Gregorius Magnus in epistola quadam contra eos, qui propria voluntate à via recta declinantes, in præcipitia corruunt, ita scribit: *Sicut gradientem per devia, carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus aviditate complectitur, ita demum de deserente cognitam veritatis viam, majori mœrore, quam gaudio, quo de convertente lætatus fuerat, contristatur, quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem cognita non manere, aliudque est, quod ab errante committitur, aliud, quod per scientiam perpetratur.*

Oza in summâ festivitate morte punitus fuit.
2. Reg. 6. v. 5.
Ibid. v. 6.
Ibid. v. 7.
Illius ratio quare.
Theodoret. ibid. q. 20.

6. Vix aliquem esse credo, qui non cum ingenti admiratione, illum audierit eventum, qui in cap. 6. lib. 2. Reg. de repentina Ozæ morte refertur, quæ tanto unicuique videri debet prodigiosior, quia videlicet in die, & occasione quadam contigit maximæ solemnitatis, & festivitatis summo cum jubilo celebratæ, qualis erat processio illa, quam David Rex cum delatione Arcæ institui mandaverat. Porro sacer textus ait: *Ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*, moxque sacer textus subjungit: Ozam in media hac lætitia & instrumentorum harmonia mortuum cecidisse. *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.* At vero scire percuperem, quidnam vir ille mali fecerit, quod divina justitia ei juste irasci potuerit? Neque enim Spiritui Sancto sufficiebat dicere *iratus est*, sed insuper adjungit *indignatione*. Porro, si boves calcitrabant, & exinde Arca periclitabatur, ne caderet, & confringeretur, numquid necessum erat, ut Oza ad eam ab hoc periculo eripiendam brachium suum extenderet? Numquid Oza ex ordine Levitico, & Sacerdotali natus, ad sacrum hoc ministerium consecratus fuerat? Sed respondetur, ita quidem esse, verumtamen considerandam esse causam, quam Scriptura adducit inquiens: *Percussit eum super temeritate.* Unde Theodoretus, qui hanc quæstionem movit, eamdem pariter resolvit dicendo: *Quidam dicunt eum dedissè pœnas suæ temeritatis, ut qui tentaverat Arcæ opem ferre, quæ cum in universo populo primas haberet partes, non egebat* auxilio

auxilio alterius. Josephus dicit, quod luit pœnas, propterea quod cum non esset Levita, ausus sit Arcam tangere, est autem perspicuum, hoc esse falsum, erat enim filius Aminadab, cui Arcam dederunt Bethsamithæ, dimissam ab alienigenis; is autem erat ex tribu Levitica. Quod autem hic etiam esset filius Aminadab, docet historia; & imposuerunt Arcam Dei in currum novum, & sustulerunt eam ex domo Aminadab, quæ erat in colle, & Ozan, & fratres ejus ambulaverunt ex obliquo Arcæ. Abulensis non reprobat quidem causam illam, à multis allatam, quod scilicet Oza immundus fuerit, immunditia legali, eo quod nocte præcedenti se ab actu conjugali non continuisset, *nec licebat alicui sic immundo accedere ad sanctuarium, vel tangere rem aliquam sacram, quousque lavaret totum corpus suum aqua, & manebat sic immundus, usque ad Solis occasum, Levitic.* 15. Verumtamen licet hanc opinionem non reprobet, ei tamen contradicit, existimat enim, quod si hæc percussionis causa fuisset, utique jam antea mortuus fuisset, scilicet quando cum cum aliis fratribus suis currui imponens tetigerat. Non desunt alij, qui dicant, ipsum peccasse peccato irreverentiæ, tangendo illam in conspectu omnium, sine necessitate, non enim erat imminens lapsus periculum, prout ex lib. 1. Paralip. deduci videtur. nam cap. 17. dicitur: *Paululum inclinaverat eam.* Alij vero percussionis causam hanc fuisse asserunt, quia scilicet non erat vestitus ephod, quod erat proprius huic functioni ornatus. Verior tamen hujus supplicij causa esse videtur, quam Theodoretus, post recensitas prædictas causas, hisce verbis tradit: *Sed neque luit pœnas propter temeritatem, inclinato enim plaustro manu eam fulcijt, sed alterius delicti luit pœnas, nam cum Deus jussisset, ut Sacerdotes Arcam suis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plaustro.* At vero numquid scimus, quod Philisthæi quoque eamdem plaustro novo imposuerint, illudque à duabus vaccis trahi curarint, & tamen non constat, quod propter hanc Arcæ contrectationem ullum damnum passi fuerint? Cur igitur Oza tanto cum rigore à Deo castigatur? Theodoretus verbis quibusdam respondet, quæ opportune nostro deserviunt proposito. En verba ipsius: *Hoc autem eos fefellit, quod ea sic emissa ab alienigenis, nemini nocuit. Sed oportebat considerare; quod neque legem norant alienigenæ, neque aderant Sacerdotes, ut convenienter legi eam portarent.* Enimvero peccata commissa ab illis hominibus, qui non alia, quam mundi lege gubernari ac vivere solent, dissimulantur, & tolerantur à Deo potius, quam peccata illa, quæ committuntur à personis, jam ante in bono habituatis, & de omni eo, quod facere convenit, sufficienter instructis: *scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; Philisthæi ceremonias & religiosos Hebræorum ritus nesciebant, neque ad illorum obligabantur observantiam, sicut Levitæ, & Sacerdotes, qui proinde merito castigati fuerunt, tamquam voluntarij divinarum legum transgressores. Sanctus Hieronymus in epistola quadam *ad Sabinianum*, qui virginem quamdam solicitaverat in hæc verba scribit: *Oza Levites Arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est, quid de te futurum putas, qui stantem Arcam Domini præcipitare conatus es?*

Abul. in 1. Paral. q. 13. q. 26.

2. Paral. 13. v. 9.

Variis adductis rationibus ponitur ultima ut verior.

Theodoret. ibid.

Quare Philisthæi qui idem, quod Oza, fecerunt, non fuerint puniti.

S. Hieron. epist. 48.

7. Sanctus Thomas de Villanova illos, qui hactenus in timore Dei vixerunt, ne deinceps infeliciter cadant, hoc monito instruit: *Caveant sibi, & pertimescant, quibus datum est ad mensam Domini sedere, dapes cælestes animo degustare, suavitatem spiritus Deo largiente sentire, ne post gustatas paradisi delicias, retro ad contemptibiles Ægypti hujusmodi cæpas, & futiles carnalium voluptatum pepones respiciant, ne vindicante Deo, aut serpentum venenatorum morsibus lanientur, aut sicut uxor Loth, in salis statuam convertantur, & bestiæ lambant eos.* Idem S. Archipræsul movet dubium, cur scilicet Deus huic mulieri, aliisque de domo sua præceperit, ne fugientes de Sodoma retro respicerent, cum tamen potius videatur, quod vindicatrices flammas illas respiciendo, magnum inde fructum percipere potuissent; vel saltem ad minus, *ut qui testes fuerant criminis, testes etiam essent ultionis, ut quid non respiciant, propter quid non attendant mortem acerbissimam, quam evaserunt? horribile incendium, quod effugerunt? Flagitiorum vindictam, divinæ justitiæ ultionem? Quænam hujusmodi præcipiendi ratio? Quæ causa mandandi? Neque enim facile (fragili præcipue mulierum sexui) videbatur, huic tam severo obtemperare mandato. Quid enim? Mundus post tergum ardet, flagrant elementa, fulgurant nubes, resonant tonitrua, terra dehiscit, regio devoratur, mœnia corruunt, civitates obruuntur, & in tanto discrimine non vertant caput? Quænam virorum constantia, ne dicam mulierum, hujusmodi poterit implere mandatum? & tamen terribili ultione prævaricatio vindicatur, & inauditâ sæculis pœnâ mulctatur, ut statua fieret fœmina, quæ hujusmodi jussionem transgredi, ignis timore non timuit, neque lapidis statua, sed salis, ut ex ipso facto liqueat magnum in hac vindictâ latere mysterium. Sicut enim exusta pentapolis, perpetuis futuris temporibus, criminis nefandi reis in exemplum, ita etiam statua facta mulier, divinæ gratiæ contemptoribus, in perpetuum relicta est monimentum. Ne videlicet similia faciant, & similem ultionem incurrant.* Tandem verò Villanovanus ad suos Religiosos stylum convertit, eosque monet inquiens: *Ad nos fratres, ad nos pertinet hæc parabola, quos ad hujus sæculi nequam flagranti incendio, & libidinum æstuantium igne sulphureo divina bonitas misericorditer liberavit, statuens in loco spatioso pedes nostros, ut ad montis Domini fastigia conscendamus.* Porrò hæc uxor Loth, quæ Angelos hospitio exceperat, & viri tam sancti consors, sanctique Patriarchæ Abrahæ proxima consanguinea erat, animam illam præfigurabat, quæ spiritualibus illuminata illustrationibus, donisque, & gratiis cœlestibus locupletata, montem conscendit perfectionis, & tamen ad illecebrosas carnis voluptates faciem vertit, divinisque præceptis inobediens existit; huic enim *melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti*. Cur igitur severam Dei non experiatur per pœnas animadversionem? Sanctus Antoninus idipsum exemplificat in quibusdam, qui post cognitam veritatem, nihilominus proprio adhærent judicio, nec suo cedere volunt ingenio; adducitque sequentem Sancti Cypriani authoritatem dicentis: *Qui post veritatem manifestam perseverat prudens, & sciens scilicet in errore de aliquâ materiâ, jam non in venia ignorantiæ peccat, præsumptione enim atque obstinatione quâdam utitur, cum à ratione superetur.* Quot sunt, eheu! qui turpiter prolapsi sunt in hæreses, eo quod contra veritatem, eis optime cognitam, proprias suas pertinaciter sustinere voluere opiniones? *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ*, melius, inquam, & longe utilius, verum illud numquam habuisse lumen, quam idem in se ipsis extinguere? *Sicut lumen eorum, ita & tenebræ.* Hugo Cardinalis super illa verba Sanct. Joannis cap. 11. *Excusationem non habent de peccato suo*, ita scribit: *Quia peccata literatorum convertuntur, quasi in peccatum contra Spiritum Sanctum, eo, quod videntur peccare ex certa malitia.* Angeli, quando creati fuerunt, perfectissima habuerunt dona scientiæ & sapientiæ iisdem infusæ, ac proinde, dum cum hac cognitione peccarunt, peccatum eorum irremissibile fuit, nam ut Sanctus Bonaventura ait: *Quantum nobilior est cognitio, tanto pejor est error, servus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.*

S. Thom. à Villanov. S. Aug. conc. 3

Quare educti ex Sodoma non debebant respicere.

Ratio, quare uxor Loth sit conversa in statuam salis.

Alia datur ratio mystica.

2. Pet. 2. v. 21.

S. Antonin. p. 1. Tom. 10. c. 1.

Hæresis est peccatum in Spiritum Sanctum.

Joan. 15. v. 22.

Hug. Card. Ibid.

S. Bonav. lib. 2. compend. Theol. verit. c. 55.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Peccata multum ex eo aggravantur, quia à Christianis committuntur.

THEMA.

Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis. Isaiæ 1. v. 21.

1. DEus olim magno cum furoris sensu de Jerosolyma, civitate sancta, lamentatus fuit, quod cum hactenus ipsissimum veræ fidei centrum fuisset,

Deus magna beneficia præstitit Judæis.

postea tamen meretrix facta fuerit, id est, infidelis, liberum idololatriæ præbendo aditum. Idemque in principio prophetiæ cœlum pariter, & terram, ad porrigendas sibi aures invitaverat, dicens: *Audite cæli, & auribus percipe terra; ... filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Etenim inter omnes totius mundi populos, solum Israëlem notitiæ suæ privilegio decorat (*notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*) templum ei, sacerdotium, sacrificia, Scripturam sacram, sanctamque legem suam dederat (*non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*) ac proinde subjungit: *Civitas fidelis plena judicij, justitia habitabit in ea.* At verò inter beneficia, quæ Deus olim Hebræorum impertitus est populo, & inter beneficentiam, qua Deus nos novæ legis Evangelicæ magnificavit, nulla prorsus est proportio, certum enim est, quod lex nostra longe excedat, tum propter clarum lumen, quo nos Christiani illustrati sumus, tum propter immensitatem infinitorum bonorum; quibus sumus feliciter locupletati. Unde Apostolus legem Mosaicam noctem; nostram vero clarum, & merum diem appellavit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, quæ verba sanctus Basilius à Glossa citatus *de Ecclesia Christiana intelligenda esse dicit.* Sanctus Hieronymus pariter inquit: *Civitas fidelis, id est, communitas populi credentis*, id est, Christianismi. Dionysius Carthusianus in assumpti thematis expositione morali, quantum hodie peccatum Christianorum, si male vivant, aggravetur, his verbis indicat: *Quilibet justus considerans, quanta fuerit olim sanctitas in Ecclesia, & quanta modo reperiatur in ea iniquitas, admirando dicere potest: Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis, plena judicij? Qualiter ipsa Ecclesia Christi, quæ est civitas Dei, nunc facta est meretrix, quantum ad multos, spiritualiter fornicando per aversionem mentis suæ à Deo.* Idem ulterius progreditur demonstrando malorum Christianorum dissolutiones, veræ religioni nostræ graviter præjudicantes, atque Ecclesiæ inimicis, irreparabile præbentes scandalum. Porro licet Judæi rei fuerint, gravique supplicio digni, attamen juxta proportionem luminis, quod nos Christiani habemus, gravitas culparum nostrarum, supra malitiam Judæorum notabiliter excrescit: *Peccarunt, qui erant sub V. T.* inquit Chrysostomus, *peccant etiam qui sunt sub Novo Testamento; sed non dederunt utrique easdem pœnas, immo hi graviores; & hoc Paulus significans dicebat: Qui legem Moysis fecit irritam, sub duobus vel tribus testibus moritur; quanto putatis deteriori supplicio dignus habebitur, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti communem existimaverit? Quando autem dicit: Quanto deteriori supplicio dignus habebitur, intensum intendit supplicium.* Et paulo post efficacissimam subdit rationem, qua pœnam Christianorum irremissibiliorem fore ostendit, quam aliorum; ait enim; *Quo plus doctrinæ acceperant, eo majus subibunt supplicium*; quilibet vero Christianorum Deo vere dicere potest; *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Porro Turcæ, qui, ut ita dicam, numero sunt infiniti, in perditionis præcipitantur abyssum, sed sub obscuro, quia vivunt in sua ignorantia. Cum enim Alchoranum ipsorum, omnium illis prohibeat lecturam librorum, consequenter etiam à sacrorum librorum lectione abstinere debent, per quam humana mens de veritate fidei illustratur. Sanctus Isidorus Pelusiota in epistola quadam ait: *Qui tanto digni habiti dono, & in honorem regium evecti, & divinorum facti participes mysteriorum, & donorum gratiæ, tamen etiam sic ignavi esse ad bona opera perseverant, majori supplicio digni censebuntur, atque hoc ipsum Paulus significat, cum id profert, quod tu! discere voluisti. Irritam quis faciens legem Moysis &c.*

Isai. 1. v. 2.

Psal. 75. v. 2.

Psal. 147. v. 20.

Majora Christianis.

Rom. 13. v. 12.

S. Basil. in Gloss. Lyran.

Dion. Cart.

Magna fuit culpa Judæorum.

D. Chrys. in Psal. 6.

Major est Christianorum.

Psal. 50. v. 8.

ibid.

Turcæ utrimque excusantur per ignorantiam.

S. Isid. Pel. lib. 4. epist. 167.

2. Origenes negationem olim à Sancto Petro factam diminuere contendens, discursum quemdam texit proposito nostro aptissimum, inquiens: *Omnes denegationes factæ sunt et in nocte, & in tenebris, priusquam veniat dies, & signum diei, id est, galli cantus, qui suscitat volentes à somno, & ut verbi gratia dicam; Si post galli cantum Petrus negasset, ut diceretur, nox promovit, dies autem appropinquavit, sicut in die honeste ambulemus, nulla excusatione dignus fuisset Petrus. Forsitan autem & omnes homines, quando denegant Jesum, ita ut peccatum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur, nondum eis nato Sole justitiæ, nec appropinquante eis ortu ipsius. Si autem post ortum hujusmodi Solis ad animam, peccaverimus volentes, postquam accepimus scientiam veritatis, jam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile judicium, & zelus ignis, qui comesturus est inimicos. Et in Petro quidem tunc denegante non conveniebat dicere, quomodo ne putatis pejora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti communem existimaverit, unde sanctificati sunt, & Spiritum gratiæ injuriaverint. Nondum enim sanctificatus fuerat Petrus sanguine Christi, qui fuerat sanguis Novi Testamenti; nec injuriavit Spiritum gratiæ, quem à principio nec acceperat; quoniam Jesus nondum fuerat honorificatus, nec erat in hominibus Spiritus Sanctus.* Cœlestis Magister specifice prædixerat tempus, in quo eum erat negaturus, dicendo: *Priusquam gallus cantet*; id est, ante diem, cum enim Petrus norma futurus esset omnium Christianorum, non permisit Deus, ut illum in die negaret, caderetque in clara luce, quæ legem Evangelicam præfigurabat, quam peccata vel maxime dedecent, unde Apostolus nos adhortatur dicens: *Dies appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus*; ubi ly, *ambulare*, professionem exprimit (*ambula coram me, & esto perfectus*) ly, *honeste*, autem vitæ & morum exprimit honestatem. Alibi quoque idem Paulus nos monet dicens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus.*

Orig. tract. 35. in Matth.

Proponuntur diminutiones culpæ quam incurrit negando S. Petrus.

Ratio quare Deus noluerit permittere quod Petrus peccaret de die.

Marci. 14. v. 72.

Rom. 13. v. 12.

Gen. 17. v. 1.

Tit. 2. v. 12.

3. Ex eodem quoque Apostolo ad Romanos, validum quoque formare possumus argumentum; siquidem eo in loco dicit, inexcusabiles fuisse illos gentiles, qui Filij Dei in terram adventum præcesserunt, eo quod idola adorarint, cujus ratio est, quia gentiles illi in creaturis agnoscere debebant vestigia impressa Creatoris; *Quod notum est Dei*, inquit, *manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit, invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Unde concludit, illos omni excusatione fuisse indignos, ac proinde merito fuisse castigatos. In cap. 2. ejusdem epistolæ ad Romanos, calamum suum pariter exacuit contra Judæos, ostendendo illos culpabiliores fuisse paganis, quia hi pro fræno peccati, solum habebant lumen naturæ & rationis, illi vero insuper per legem scriptam, multisque alijs modis illuminati erant, unde caput secundum ita exorditur: *Propter quod inexcusabilis es.* Quid igitur de Christianis dicemus, qui omni cum libertate Deo dicere possunt: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis?* Sanctus Anselmus glossando verba illa Apostoli ad Hebræos: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*, hanc illius asserti reddit rationem: *Quia nobis Christianis, voluntarie peccantibus, id est, sponte Deum offendentibus, & non ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex deliberatione delinquentibus, post acceptam notitiam veritatis, id est, postquam interius illuminati sumus, & quid eligendum, quidve respuendum sit, absque dubio cognovimus, jam post hæc, non relinquitur hostia pro peccato, sicut in veteri lege mandatum erat sæpius hostias offerri pro peccato.*

Gentes fuerunt in peccatis suis inexcusabiles.

Rom. 1. v. 19.

Magis Judæi.

Rom. 2. v. 1.

Ps. 92. v. 5.

Hebr. 10. 26.

S. Anselm.

Maximè Christiani.

4. Infelix ille, qui sine veste nuptiali, nuptijs accumbere non erubuit, à Rege illo, qui Christi Judicis typus erat, irremissibiliter condemnatus fuit: *Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Sed quare miser ille non se excusavit, dicendo, se ex improviso ad nuptias fuisse raptatum, aut verò sibi non suppetivisse tempus, vestem illam accommodandi, & consuendi? Cur veniam non imploravit? *At ille obmutuit.* Sed cur in die tantæ lætitiæ, nullus inventus fuit, qui pro illo à tali supplicio liberando, & imploranda venia, se interponeret; Scitisne, quodnam, in eo lateat mysterium? Audite obsecro, quem præsumptuosus vir ille repræsentarit. Dionysius Carthusianus explicans verba illa: *Quomodo huc intrasti?* eadem verba hunc sensum habere, dicit: *Qua præsumptione intra Ecclesiam habitasti, & inter*

Matth. 22. v. 13.

Miser status illius hominis qui non habebat vestem nuptialem.

Dion. Cart.

Albert. Mag.

ter fideles apparuisti, Sacramenta quoque communicasti? Et ut Albertus Magnus interpretatur, *quomodo huc intrasti ad numerum fidelium, & Sacramentorum participationem?* Sanctus Ambrosius alio in loco clarius dicit: *Qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepisse, quam neglexisse*; Ille enim, qui sub regium Christi vexillum conscriptus est, & sub illis signis diuturno tempore militavit, demum vero rebellis evadit, non meretur veniam. Unde Chrysostomus contra malos Christianos his verbis invehitur; *Quibus te indiciis ego Christianum potero cognoscere? An quia sacrati fontis aquas ingressus es? At hoc ipsum, quod tibi datum fuerat ad salutem, sit tibi gravioris causa supplicij, honoris siquidem magnitudo his, qui non digno vivunt honore, cumulus incipit esse pœnarum.* Christianus enim, qui suppositio claro lumine, & cognitione bonorum cœlestium, Deum & seipsum offendit, torque auxilia spernit, quibus erectus stare posset, *& sciens & volens*, in peccati se præcipitat abyssum, quam talis excusationem prætendere poterit? Certe nullam meretur compassionem. Idem Chrysostomus in alio quodam sermone *de lapsu primi hominis* circa finem inquit: *Tibi Christiane excusatio nulla est, qui post servitutem liberatus es, post captivitatem redemptus, post vexationem curatus, post mœrorem restitutus. Habes in monitis quod exerceas, habes exempla, quæ imeas; Adam nec fallaciam novit, nec deceptionis cujusdam causas defleverat; qui quidam forsitan posset evadere, nisi prior cum hoste cum conflixerat, occumberet.* David, qui sapiens, & illuminatus erat, cum ex Jerosolyma fugiens, multis à Semei impetteretur injurijs, tamen illum castigare potuisset, potius tamen præcepit, ut ei diceretur, & proponeretur hoc argumentum: *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Jemini.*

S. Ambr. ser. 2. in Ps. 118.

In illo figuratur Christianus peccator.

D. Chrysost. Hom. 4. in Matth.

Obmutescens cum illo.

D. Chrysost. de lapsu primi hominis. ser.

2. Reg. 16. v. 11.

5. Verum enimvero, vestra venia mihi liceat, ad superius contra malos Christianos formatum redire argumentum, qui Dei offensas nihili æstimant. Si enim hi, qui Christi fidem profitentur, totque ab illo sunt beneficijs cumulati, omnemque spem suam in illo repositam habent, & nihilominus sine ullo respectu, injuria ipsum afficiunt, & vilipendunt, quanto magis id sibi licitum fore existimabunt infideles, Mahumetani & Atheistæ excusando se, & dicendo, quod illum non cognoverint? *Quanto magis sibi filij Jemini?* Salvianus libro. 4. *de providentia*, circa finem, ad nostram eruditionem ita scribit: *Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat, & reatus impij est piam nomen.* Porro Turcæ, Barbari & Pagani, hoc nomen nihili faciunt, nec characterem Christianis impressum, quin potius illos irridentes, hic enim titulus nudus, qui est in nobis, sine ulla nostra cum eo correspondentia, immo quo abutimur, severioris supplicij nos culpabiles efficiet. Deus apud Jeremiam inquit: *Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ à facie meâ, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. Et reddam primum duplices iniquitates & peccata eorum, quia contaminaverunt terram meam.* Porro, quid Deus per hasce duplices iniquitates indicare voluerit, ex quadam Origenis homilia satis clare colligitur, in qua ita scribit: *Quis peccata non recipit? Nempe ille, qui post credulitatem, & Baptismum, audierit Dominum dicentem: dimissa sunt tibi peccata, nec ultra peccaveris*, quod si vero ad peccata priora revertamur, supplicium nobis indicat, dum ait: *Si post lavacrum, & veniam delictorum, rursum ad pristinas sordes fuerimus reversi &c.* & paulo post subdit: *Cur vero duplicia recipio peccata? Cui respondendum est, quia servus, qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, plagis vapulabit multis. Dignum siquidem est, vos, qui gentes sunt, simplicia recipere peccata, & non duplicia, dicente Apostolo: Voluntarie peccantibus nobis, post cognitionem veritatis, jam ultra non remanet pro peccato hostia, si enim non solum non emendet, sed insuper opera sua defendere velit, tunc demum non per ignorantiam, sed scienter peccare, ac proinde excusationem de peccato suo non habere dicendus est. Est enim quædam, non tam ætatis, vel simplicitatis, quam infirmitatis ignorantia, dum in hora tentationis sic mens caligine involvitur, ut miro modo id, quod scit, nesciat, & quod videt, non videat. De hac parte ignorantiæ Apostolus dixit: Qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant; subjunxit enim: Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. His dumtaxat, qui ejusmodi sunt, ista clementiæ lex porrigit manum, & eorum tantum peccata contrahit intra redemptionis ambitum, qui peccant per ignorantiam. Nam illis, qui peccatis suis favent, qui diligunt iniquitatem, eamque libenter aspiciunt, nullus propitiationis locus est*; unde Psalmista: *Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus; & Apostolus: Voluntarie enim nobis peccantibus &c.* Salvianus, ut Christianis persuadeat, quod peccata ipsorum ratione characteris, quo sunt insigniti, & sequelæ Christi ac professionis legis Evangelicæ, præ peccatis infidelium magis aggraventur, hunc in modum discurrit: *Furtum est in omni homine malum facinus, sed damnabilius, si Senator furatur aliquando; cunctis fornicatio interdicitur, sed gravius multo erit, si de Clero aliquis, quam si de populo aliquis, fornicetur, ita & nos, qui Christiani Catholici esse dicimur, si simile aliquid barbarorum impuritatibus facimus, gravius erramus, & atrocius sub tanti nominis professione peccamus. Ubi sublimior est prærogativa, major est culpa, & ipsa etiam errores nostros religio, quam profitemur accusat.* Regius Vates in Psalm. 80 inquit: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula, id est*, ut Lyranus exponit: *Eorum damnatio erit æterna.* Sanctus Augustinus ex Christiano homine quærit: *Renuncias? Renuncio; & redit ad id, quod renunciatur. Utique quibus rebus renuncias, nisi factis malis, factis diabolicis, factis à Deo damnandis, furtis, rapinis, perjurijs, homicidijs, adulterijs, sacrilegijs, sacris abominandis curiositatibus? His omnibus renuncias, & versum his inflexus superioris. Facta sunt tibi posteriora deteriora prioribus.* Notatu dignissima sunt sequentia Salviani verba: *Injuriosissimi Deo sumus, omnes siquidem Christianorum omnium culpa, Divinitatis injuria est, nam cum illa, quæ facere à Deo vetamur, admittimus, vetantis jussa calcamus. Qui autem non cognoscit, non errat*; ac proinde cum Barbari, Turcæ, alijque infideles, Redemptorem & Salvatorem nostrum, cui nos in infinitum debitores sumus, non cognoscant, mirum non est, quod nec eum offendant; nos autem, non obstante lumine, & cognitione, quam de eo habemus, neque obstantibus infinitis ab eo receptis bonis, illum offendimus, & contumeliamur, reassumentes omnes illos peccaminosos actus, quibus in Baptismo, quando indelebilis Christiani character nobis impressus fuit, expresse renunciavimus. Sanctus Paulus ad Romanos inquit: *Lex iram operatur*; cum tamen, potius contrarium dicere debuisse videatur, maxime cum lex Dux nobis sit infallibilis actionum nostrarum, ut iram Dei, qui non nisi per transgressiones divinæ legis irritatur, à nobis removeamus; verum idem Apostolus verbis sequentibus, se melius declarat inquiens: *Ubi non est lex nec prævaricatio*; Quo dicto utique ostendit, inquit Salvianus, Christianos tantum, cum peccaverint, legis prævaricatores esse, paganos autem, qui legem nesciunt, sine prævaricatione peccare, quia nullus potest esse rei prævaricator, quam nescit.

Origen. Hom. 12. in Jerem.

Pœna recidivorum.

Salvian. l. 4. de provid.

Jerem. 16. v. 17. & 18.

Peccata fidelium sunt maximum scandalum infidelibus.

Salvian. l. 4. de provid.

Salvianus. ibid.

Peccatum materiale formaliter in diversis diversum est.

Psalm. 80. v. 16.

Lyran.

S. Augustin. Ibid.

Verificatur Christianis.

Lex iram operatur.

Rom. 7. v. 14.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Quadantenus excusabiles sunt, qui per ignorantiam peccant, valde autem culpabiles, omnique digni sunt supplicio Christiani, qui gravitatem peccati agnoscentes, delinquunt.

THEMA.

Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci, in incredulitate. 1. Tim. 1. v. 13.

1. TAmetsi verum sit, Sanctum Paulum, quamdiu Saulus erat, implacabilem fuisse Christo, & sequacium suorum persecutorem (*Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*) id tamen ab eo factum est, quando mens ejus per ignorantiam Dei illius, cui adversabatur, obtenebrata erat; at vero quando *circumfulsit eum lux de cœlo*, & audivit; *Ego sum Jesus, quem tu persequeris*, statim

Act. Apost. 9. v. 1.

Ignorantia excusavit Paulum.

Ibid. v. 3.

Ibid. v. 5.

Ibid. v. 6.

1. Tim. 1. 13.

S. August. Tom. 7. de Baptis. lib. 4. c. 5.

Quæstio, num hæreticus nesciens hæresis malitiam, sit pejor avaro sciente avaritiæ malitiam.

D. Chrysost. in Psal. 50. Hom. 52.

Sincera Pauli conversio.

tim manus victas dedit, eximiaque illa verba in medium protulit: *Domine, quid me vis facere?* Ac proinde in prima epistola ad Timotheum ita scribit: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Peccata vero ignorantiæ magis sunt tolerabilia, sicut econtra severissima merentur supplicia, peccata illa, quæ à fidelibus ex prævio lumine & notitia mysteriorum fidei nostræ committuntur. Sanctus Augustinus contra hæreticos Donatistas scribens sequens movet dubium: *Cum manifestissimum sit, multo gravius peccare scientem, quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret, si quis in hæresin incurrat, nesciens quantum malum sit, & altus ab avaritia non recedat, sciens quantum malum sit, quis eorum sit pejor?* Ac demum culpabiliorem, dignioremque supplicio hunc secundum esse concludit, in progressu autem discursus, assertum suum per supradictum probat exemplum, inquiens: *Volens demonstrare, ad facilitatem veniæ ignorantiam pertinere peccati, testimonium posuit ex Apostolo, ubi ait: Qui prius fui blasphemus &c.* Divus Chrysostomus hunc eumdem textum in homilia 52. super Psalm. 50. ponderans, inquit: *Ecclesiam infestabatur, ac pervastabat, vineas evellebat, lupum se præbebat; Prophetica scripta legebat, & Prophetas violabat. Legis patriæ patronus, cum, de quo vaticinia edita fuerant ignorabat. Quoniam igitur pallo misericordiam consecutus est? Saule, Saule, quid me persequeris? Pape! Quo usque misericordia Dei se dimisit? Deus homini ait? Quid me persequeris? Nimirum Patris sui æmulum se præbebat, nam etiam ille ad Hebræorum populum ait: Popule meus quid feci tibi, aut quid læsi te, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Eodem igitur modo ipsemet Filius ad Saulum ait: Saule, Saule, quid me persequeris? Quid igitur ille? Quisnam es Domine? statim dominationem agnovit atque confessus est; Vide animi probitatem & candorem. Subito ut illum cognovit, eum quoque adoravit.*

2. Sæpe per experientiam videmus, quod nonnulli homines priusquam scholæ Christi pedem sinum intulerint, magna cum libertate Deum offendant; *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*; Horum autem Deus peccata dissimulat, quia sub ea ab ignorantia sui suam habere originem; quod vel inde manifestum fit, quia quando deinceps iidem homines lumen & notitiam rerum spiritualium sibi acquirunt, mox inconsolabiliter peccata prætenita deplorant, ac deinceps summa cum innocentia vivunt. In libro Levitici cap. 4. dicitur: *Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam &c.* Circa quæ verba Rupertus Abbas sequens movet dubium; *Quærendum, cur quondam venialis peccati terminum præfigens, dixerit lex: Si peccaverit per ignorantiam? Si enim per ignorantiam peccare, hoc potaverimus esse discretionem boni, ac mali non habere, sive mandata Domini non legisse, vel audisse, ergo nemirem scientiam habentium, lex Domini, post peccatum, admittit intra januas propitiationis sui. Sed absit hoc; Quis enim in hac parte, scilicet in scientia legis major quam David? Et tamen post adulterium, simul & homicidium, pœnitens receptus est. Quærendum ergo, quis ille sit terminus, quem cum attigerit peccator, non per ignorantiam peccare rebelle pronuncietur. Dicimus itaque, quia cum quispiam eo processerit, ut redargutus de peccato suo, non solum id non emendet, sed insuper opera sua defendere velit, tunc demum non per ignorantiam, sed scienter peccare, & proinde excusationem de peccato suo non habere dicendus est.* Sæpe homines sub ignorantiæ tenebris, ad præcipitium properant, absque eo, quod ab alio sive per amabilem correctionem, sive per reprehensionem rigorosam, aut comminationes, vel aliis similibus modis retrotrahantur, vel coërceantur, qui proinde si quando cadunt, aliquam merentur excusationem; si vero postquam de peccato correpti sunt, nihilominus in eodem perseverant & obstinati persistunt, ignorantiam suam allegare non possunt.

Prov. 2. v. 14.

Probatio ignorantiæ moraliter propositæ.

Lev. 4. v. 27.

Rup. Abb. lib. 3. in Levit. c. 10.

Quis sit terminus intra quem per ignorantiam solum peccatur.

3. Cæterum in fidelibus bene educatis, qui in amplis vivunt civitatibus, in quibus ingens Prædicatorum Evangelicorum, Patrum spiritualium, librorumque sacrorum copia esse solet, difficulter dari potest in divinarum legum transgressionibus excusabilis ignorantia, qualis inter paganos reperitur; ac proinde ait Sanctus Augustinus: *Inest illis sanctæ legis scientia, nec tamen fanatur eorum vitiosa conceptiscentia.* Idem S. Doctor alibi opportune considerat Davidem, quando à Deo peccati sui veniam petijt, non sine mysterio dixisse; *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*; cur enim ly *magnam* addiderit Sanctus Augustinus (postquam supradictum allegasset Sancti Pauli textum: *Misericordiam consecutus à Deo, quia ignorans feci in incredulitate*) sequentem reddit rationem: *Iste David non poterat dicere: Ignorans feci, non enim ignorabat, quantum mali esset contractio conjugij alienæ, & quantum malum esset interfectio mariti nescientis, & nec saltem irascentis. Consequuntur ergo misericordiam Dei, qui ignorantes fuerunt, & qui scientes, consequuntur non quamlibet misericordiam, sed magnam misericordiam.* Ex quo Sancti Augustini loquendi modo, clare colligitur, quod ut iis, qui prævio lumine, & notitia rerum divinarum deliberate, & ex malitia peccant, peccata condonentur, quælibet misericordia non sufficiat, sed requiratur misericordia immensa, & excessiva. Ex Actis Apostolorum constat, quod cum in primis illis Ecclesiæ nascentis fervoribus, Christiani certatim voto paupertatis emisso, amplas facultates suas ad pedes deponerent Apostolorum, à terrenorum pondere expediti, tanto facilius in via perfectionis progredi possent; Ananias & Sapphira uxor ejus idipsum fecerunt, ita tamen, ut ex pecunijs suis aliquam sibi partem reservarent, quod cum se fecisse, ambo Sancto Petro temeré negarent, morte fuerunt repentina confestim puniti. At vero quidnam hi duo conjuges mali fecerant, quod ab illo Deo, in cujus manibus est vita & mors, tam severo supplicio castigati fuerint? Numquid pecunia, quam sibi reservaverant, illorum erat propria? Aut vero eamdem ab aliis deprædati fuerant? vel denique contractum facientes illicitum agri sui divenditi emptorem defraudaverant? Nihil horum; sed culpa, cujus rei erant, valde erat gravis; neque enim in sui excusationem dicere poterant: *Ignorantes fecimus*; sciebant enim interius in corde suo, prout illis Sanctus Petrus manifestavit, se defraudare Deum, eripiendo ei partem aliquam illius pecuniæ, quam ei per vorum donaverant, & consecrarant, & ideo venia indigni erant, eo vel maximè, quod errorem suum confiteri nollent. At verò, dicite obsecro, numquid in seipso detestabilius erat crimen Simonis magi, qui dona Spiritus Sancti vendere, & cum illis negotiari prætendit, à quo proinde simonia nomen suum sortita fuit? Ait enim sacer textus: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem*; Qua quidem verborum asperitate Petrus illum reprehendit, ut peccati sui apprehenderet gravitatem, non tamen illum, ut Ananiam & Sapphiram ad pedes suos morte subitanea mori fecit; & nihilominus si utrumque delictum æqua lance trutinetur, incomparabiliter crimen Simonis præponderare videtur. Respondetur igitur, quod cum Ananias & Sapphira, voti obstricti, & immediati, in schola Christi eruditi discipuli essent, in qua majori cum lumine, mysteriorumque sacrorum notitia vivebatur, peccatum ipsorum apud Christum longe majoris ponderis erat, quam crimen Simonis, qui tametsi baptizatus esset, nondum tamen sufficienter catechizatus, & in fidei nostræ dogmatibus eruditus erat, quod satis in infelici ipsius exitu videre licuit.

Qui minus excusabiles sunt requirunt Dei misericordiam magnam.

S. Augustin. de gest. Pelag. c. 3.

S. Aug. in Psal. 50.

Act. Apost. 5.

Ananias & Sapphira morte sunt puniti, quia contra votum paupertatis peccaverunt.

4. Deus apud Oseam contra Israëlem his verbis lamentatur: *Sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarum*; ecce tibi retributionem, quam ingratus hic populus divinæ majestati exhibuit pro eo, quod lumen & notitiam divinitatis suæ ei manifestando, eumdem super omnes totius universi populos privilegiasset (*Notus in Judea Deus; Non fecit taliter omni nationi*) verum in

Ose. 3. v. 1.

Punitio ingratorum.

Ose. 10. v. 10.

in progressu ejusdem prophetiæ subjungit Deus: *Juxta desiderium meum corripiam eos, congregabuntur super eos populi*; Deus siquidem illos exercitibus alienigenis in prædam fieri permisit. Verum enimvero difficultatem non modicam in se habere videntur verba sequentia: *Cum corripientur propter duas iniquitates.* Si enim hæc de idololatria intelligantur (quæ caput erat delicti, de quo Deus conquerebatur) hæc unicum dumtaxat delictum constituere videtur, licet sit gravissimum; si vero etiam de aliis transgressionibus intelligantur, hæ non solum duæ, sed innumeræ erant; dicit enim Deus apud Amos Prophetam, *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Sanctus Hieronymus, Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & alij respondent, quod Spiritus Sanctus idololatriam duorum peccatorum nomine appellarit, quia hæc committebatur à tali populo, qui licet manifestam haberet veri Dei notitiam, illum tamen falsis Gentilium numinibus postponebat, sed audiamus Rupertum Abbatem dicentem: *In quavis alia gente, quæ Deum non nosset, unum peccatum erat, cum videlicet malum per ignorantiam, eligitur pro bono; at in populo, in quo notus erat Deus, duplex peccatum est, alterum, Deum notum non colere, alterum, pro eo, sive contra eum colere deos falsos.* Quot sunt heu Christiani! qui coram damnatis abominabilium morum, & vitiorum suorum idolis genua flectunt, & in hoc culpabiliores evadunt, cæcis & ignorantibus paganis, qui muta marmora adorant: De quibus Salvianus merito in hæc verba scribit: *Quid prodesse nobis prærogativa illa religiosi nominis potest, quod nos Catholicos esse dicimus, quod fideles esse jactamus, quod Gothos, ac Wandalos hæreticî nominis comprobatione despicimus, cum ipsi hæreticæ pravitate vincamur?* Certe Christianus in sui excusationem, cum Sancto Paulo dicere nequit: *Ignorans feci*, quia ad nos directum, & in nobis adimpletum fuit illud Zachariæ oraculum; *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*; ac proinde tanto erimus inexcusabiliores, quanto nobis clarius lumen & notitia affulsit: *Sicut lumen nostrum, ita & tenebræ.*

Idololatria significatur nomine duorum peccatorum.

Amos 1. v. 3.

Rup. Abb. Ibid.

Salvian. lib. 7. de provid. Malus Christianus vivit hæreticâ pravitate.

1. Tim. 1. 13. Luc. 1. v. 79.

5. Apud Sanctum Matthæum legitur, quod Salvator noster civitatibus quibusdam asperis hisce verbis improperarit: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicij, quam vobis*, pergit quoque ulterius, & civitati Capharnaum, quæ gratias suas, suaque miracula pluribus modis, licet sine fructu, participaverat, & experta fuerat, his verbis improperat: *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*; ut autem ostendat justam malæ cooperationis ipsorum pœnam, confestim subjungit: *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicij, quam tibi*; nam ut Eusebius Emissenus ait: *Tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora se ostenderunt divina beneficia.* S. Anselmus adversus tirpem Judaicam ita scribit: *Non solum Ninivitæ condemnabunt eam comparative; sed etiam Regina Austri, quia ab ultimis terræ finibus venit audire Sapientiam Salomonis, sine lege, sine Prophetis; Judaica vero plebs habet legem, habet Prophetas, videt Christum, videt opera, & tamen sapientiam ejus non vult audire.* Verum enimvero si Judæa tot modis à Deo illuminata, totque ab eodem aucta beneficijs, adeo fuit æstimata rea, & culpabilis, ut usque ad finem sæculorum reprobanda sit, & per omnes mundi nationes, velut exul dispergenda, quanto magis dicere debebimus, in oculis Dei reprehensibilem esse, & damnabilem Christianitatem, siquidem licet majus quam Hebræi lumen acceperit, suum tamen Redemptorem & Salvatorem offendere non veretur? Justam profecto his quoque temporibus nostris exclamandi occasionem habet Salvianus, & dicendi: *Cum pene nullam Christianorum omnium partem, pene nullum Ecclesiarum omnium angulum, non plenum omni offensione, & omnium lethalium peccatorum labe videamus, quid est, in quo nobis de Christiano nomine blandiamur.* Quod aliquis numquam à vobis visus, vel cognitus, dum hospitium petiturus, ad domum vestram pulsat, indignis verbis à vobis dimittatur, adeo mirandum non est: at vero si ad domum vestram veniret amicus quidam, qui te vel tuos à tyrannica Ottomanni servitute redemisset, qui vitam periclitantem sæpius salvasset, qui ex omnibus, quæ possidet, te locupletasset, qui te sanum, & vivum conservasset, hunc si non solum hospitio non exciperes, verum etiam te illum non cognoscere diceres, fores domus tuæ ante faciem ei occluderes, lapidibus illum impeteres, immo lethaliter vulnerares, certum est, quod hoc scelere nullum excogitari detestabilius posset. Porro: quod barbari, pagani, & Turcæ debitum Dei filio cultum non reddant, illud Deum non adeo offendit, quia eum non nisi naturali lumine cognoscunt; at vero, quod idem Dei Filius moraliter offendatur à Christianis, qui se ab ipso per ejus sanguinem redemptos, & mille modis ac beneficiis cumulatos esse cognoscunt & confitentur, an non hoc delictum quoddam est inexpiabile, cui expiando plures inferni non sufficiunt? Quidam insignis Dei servus dicere solitus erat: *Ad infernum omnes Hebræi, omnes hæretici, omnes pagani, omnes Athei, omnes Mahumetani; at vero Christiani Catholici in profundissimam inferni abyssum vadunt*; nam *sicut lumen eorum, ita & tenebræ.* Audiamus hac de re in hæc verba differentem Dionysium Carthusianum: *Quanta cæteris legibus religio Christiana est perfectior, tanto ad virtuosiorem vitam suos obligat professores. Christiani enim ad profectiorem adstricti sunt vitam, quam in veteri lege tenebantur Judæi, præsertim quia & ampliora, & eminentiora beneficia desuper exhibita sunt populo Christiano, quam Judæis in Veteri Testamento, aut gentibus in lege naturæ.* Adducitque illam Gregorij Magni, de talentis differentis, sententiam: *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* Tandem Carthusianus exinde hanc deducit conclusionem: *Ideo Christiani Deo subjectiores, devotiores, & gratiores esse tenentur.* Unde sequens à minori ad majus formare licet argumentum; si ex eo, quia Christiani sumus, quia hanc lucem habemus, obligati sumus, ut irreprehensibilius, & majori cum innocentia vivamus, quanto magis, ut omne peccatum abhorreamus, & delectemur? Quanto culpabiliores erimus, si nos per offensas mortales coinquinaverimus? Quanto gravioris supplicij rei erimus? *Cognovit Dominus, qui sint ejus*, inquit Sanctus Paulus, *& discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.*

Matth. 11. v. 21.

Ibid. v. 23. Eo majora sunt delicta quò majora præcesserunt beneficia.

Ibid. v. 24.

Euseb. Emiss. Hom. 4. ad monach.

S. Ansel. in Matth. cap. 23.

Minus culpabiles sunt Judæi quam Christiani.

Salvian. lib. 3. de provid.

Similitudo ex moralitate.

Applicatio.

2. Tim. 2. v. 19.

Ex nomine Christiani sequitur major obligatio.

Dion. Carth. in cap. 2. Jac.

TRACTATUS LXXV.

DE IIS, QUI IN PECCATA

PER POENITENTIAM SEMEL REMISSA, ITERUM RELABUNTUR,

CONTINET

DISCVRSVS DECEM.

DISCURSUS I. Reincidentes in peccata pejores sunt bestiis, quæ in eadem pericula facile non reincidunt, similesque sunt canibus ad vomitum reforbendum redeuntibus, nec non & porcis in luto se volutantibus.

II. Execrabilis est illorum stultitia, qui ad peccata semel expiata denuo redeunt, hi enim majorem sibi reatum, graviusque adsciscunt supplicium.

III. Qui in peccata semel remissa reincidunt, difficilius à peccato resurgunt, quia lumen & gratias Divinas contem-

contemnunt, ac proinde à Deo deridentur & acerbe castigantur.

IV. Per relapsum in peccata priora, dæmon corroboratur, & vigorem accipit majorem, quia hos sub tyrannidem suam magis constringit, ne denuò à manibus suis elabantur.

V. Qualiter ij, qui in pristina reincidunt peccata, ex mente S. Pauli Christum de novo crucifigunt, latius exponitur.

VI. Ex historia paralytici, cui dictum fuit; *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, varia deducuntur recidivantium mala, diversa quoque præscribuntur remedia, ad non reincidendum in peccata pristina.

VII. Supplicium reincidentium in peccata semel dimissa, notabiliter augetur, ob gravem ingratitudinem, quam in pristina peccata reincidendo committunt.

VIII. Varia considerantur mala, quæ in eos, qui ad peccata pristina redeunt, derivantur, quæ proindè viri timorati pro viribus fugere nituntur.

IX. De suppliciis, quibus Deus in relabentes in peccata pristina animadvertit.

X. Execrabiles sunt illi, qui Deum, ejusque præsentiam agnoscentes temere peccant.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Recidivantes in peccata pejores sunt bestiis, quæ in eadem pericula facile non reincidunt; similesque sunt canibus, ad vomitum reforbendum redeuntibus; nec non & porcis, in luto se volutantibus.

THEMA.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Jerem. 2. ℣. 36.

1. NObis de recidivantium malitia fuse tractaturis, Jeremias in assumpti thematis verbis egregium suggerit motivum, quando peccatori recidivanti, suam improperat vilitatem dicens: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas?* Regius Vates hominem vilissima peccati spurcitie contaminatum jumentis adæquavit dicens: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*; Ubi observandum, quod licet hominem in eadem cathegoria cum jumentis constituat, non tamen cum illis postponat. At vero peccator, qui in peccata antea detestata iterum labitur, vilioris est conditionis, quia, ut per experientiam videmus, jumenta & alia animalia, non facile ad eadem loca redeunt, ubi semel vel periclitata fuerunt. Lipsius id, quod per experientiam quotidianam experimur, his quoque verbis tradit: *Cæteræ animantes, ubi semel offenderint, cavent; non vulpes ad laqueum, lepus ad foveam, canis ad fustem temerè redibunt; solus homo ab ævo in ævum peccat verè in eisdem.* Diu vero ante Lipsium hanc eruditionem Lactantius Firmianus his verbis tradidit: *Mota quoque animalia cum fraude capiuntur, si autem aliquo modo in fugam se extricaverint, sunt postmodum cautiora, vitantia ea omnia, in quibus dolos, injectasque senserunt. Sic hominem, pœnitentia cautum, ac diligentem facit, ad evitanda peccata, in quæ semel fraude ceciderit.* Quam vero inter homines perditæ salutis rari sunt, qui hoc bestiarum exemplum sequuntur, ut scilicet circumspecti sint, ne in eadem pericula incidant, in quæ antea corruerunt? Sunt igitur ejusmodi peccatores, animalibus irrationalibus inferiores, siquidem nunc cautelam omnino negligunt. Divus Chrysostomus populo Antiocheno prædicans, inter alia motiva, quibus recidivationem in peccata dissuadet, hoc quoque inculcat: *Quam veniam habebimus, quam defensionem, cum brutis simus dementiores? Avicula namque semel capta, laqueo mox elapsa, & cervus in rete incidens, & effugiens, iterum difficile capiuntur, nam cuique sit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius quidem capti, in eadem cadimus, neque brutorum providentiam, & solicitudinem, nos ratione decorati imitatur.* Et quidem valde fallimur, qui vilitatem esse existimant, in actibus virtuosis imitari creaturas irrationales, quibus Creator Deus varias ad nostram instructionem, impressit naturales instinctus, ut proinde Sapiens dicat: *Vade ad formicam, ô piger!* & Christus ipse: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ*; quin potius summa nostra vilitas; & probrum est, quod brutis irrationalibus inferiores reddamur, non fugiendo præcipitia, in quæ alias turpiter lapsi fuimus; ac proinde jure Chrysostomus improperat nobis, quod sæpius lapsi in eadem cadimus, *neque brutorum providentiam, solicitudinem, nos ratione decorati imitamur.*

Magna est hominis vilitas, nolle discere à brutis.

Psal. 48. v. 13.

Brutæ non facile in iisdem locis relabuntur.

Lipsius lib. 3. de milit. Rom. dial. 20.

Lact. Firm. divin. instit. lib. 5. cap. 27.

Homines recidivantes brutis sunt pejores.

D. Chrysost. Hom. 15. ad pop.

2. *Quam vilis facta es &c.* Vere utique dicere possumus, eos, qui in eadem peccata, quæ hactenus detestati fuere, facillime reincidunt, ea imitari animalia, quæ omnibus aliis viliora sunt, magisque abjecta; id quod Sanctus Petrus primis fidelibus opportune satis improperat; salutaria pariter in hac materia præscribendo documenta, quæ ad perpetuam memoriam, & institutionem nostram hisce verbis scripta reliquit: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Enimvero quando quis indicare vult, animal aliquod vile & abjectum, canem nominare solet; unde superbus ille Goliath se à Davide, qui cum baculo cum eo certaturus progrediebatur, contemptum esse credens, eidem dixit: *Numquid ego canis sum?* Similiter David, ut Saulì, à quo persecutionibus infestabatur, suam repræsentando vilitatem, & abjectionem, eum ad compassionem permoveret, dixit ei: *Canem mortuum persequeris.* Denique Abner se ab Isboseth male tractari advertens, eidem objecit: *Numquid caput canis ego sum?* Hoc autem animal, hunc habet naturalem instinctum, adeo abominandum, ut videntibus nauseam semper causet, quem Sanctus Petrus his verbis insinuat: *Canis reversus ad vomitum suum.* Huic igitur is, qui in peccata pristina semper reincidit, valde est similis, siquidem peccatum, quod ad pedes Confessarij, è conscientia sua, per detestationem, & abominationem, quasi evomuit, & ejecit, cum firmo ac stabili proposito illud semper abominandi, sæpè denuò resorbet, ac committit. Hanc porro similitudinem Sanctus Petrus utique à Spiritu Sancto didicit, qui calamum Sapientis direxit in parabolis suis, seu proverbiis, hæc quoque verba inferentis: *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* Septuaginta legunt: *Sicut canis ad vomitum suum regressus, sic exosus, & execrabilis; ita stultus quoque, qui per iniquam malitiam ad suum redit peccatum.* Dionysius Carthusianus hunc proverbiorum textum ita declarat: *Sic imprudens, qui iterat stultitiam suam, id est, peccator recidivans, & quod per confessionem ejecit, denuo faciens.* Hugo Cardinalis ad tanto magis detestandos recidivantes, inquit; *Abominabile est, & caninum, vomitum suum manducare, hoc est, peccatum post confessionem iterare. Qui de peccato præterito cogitat, vomitum suum in qs resumit; qui in eo delectatur, masticat; qui consentit, transgreditur; qui facit, jam convedit.* Consideratione quoque dignum est, quod Cornelius à Lapide super hunc textum his verbis scribit: *Canis, cum stomachum cibo, vel potius vermibus oneratum sentit, vomitum procurat, mandendo herbam, quæ à cane canaria dicitur, de quâ Plinius lib. 25. cap. 8. Invenerunt canes canariam, qua fastidium deducunt, eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita, ut numquam intelligatur, quæ sit, etenim depasta cernitur. Subjungit Cornelius; redeunt verò ad vomitum reforbendum, non ex fame, sed ex innata ingluvie, & voracitate, quæ tanta est, ut rem fœdissimam; qualis est vomitus, appetant. Sic peccator, dum conscientiâ compungitur, sentitque peccati omes & pondus, illud per pœnitentiam evomit, quod si illud jam evomitum repetat; id facit, non ex cupiditate, sed ex malitia, ut vertunt Septuaginta, id est, ex depravata peccandi consuetudine, qua v. g. ebriosus se inebriare assuetus, ad ebrietatem rapitur, etiam sine sitì, ex pravo bibendi usu, & habitu.* Idem à Lapide idipsum commemorat, *quod* Sanctus Bernardus his verbis prædicavit: *Reversus ad vomitum canis, edibilis est multo plus quam*

1. Pet. 2. v. 20. & 21. Recidivantes imitantur animalia omnibus aliis viliora. *Ibid. v. 22.*

1. Reg. 17. v. 43.

1 Reg. 24. v. 15.

2. Reg. 3. v. 8. Recidivans est veluti canis, qui ad vomitum revertitur.

Prov. 26. v. 11.

Dion. Carth. in Prov.

Hug. Card. in Prov.

Corn. à Lap.

Canis est vaciissimus quem imitatur recidivans.

Prov. 6. v. 6. Matth. 10. v. 16.

S. Bernard. ser. 3. de ass. sumpt.

quam ante, & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in easdem denuò sordes inciderit. Sanctus Gregorius Magnus ad idem propositum de cane ita scribit: Canis quippe cum vomit, profecto cibum, qui pectus comprimebat, projicit, sed cum ad vomitum revertitur, unde levigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam, de qua male satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo projiciunt, quam post confessionem, dum repetunt, resumunt. Equidem si verum est, quod paulo ante diximus, scilicet quod canis vermes, à quibus stomachum suum gravatum esse sentit, per vomitum ejiciat, aptior ad insinuandam peccatoris, ad pristina peccata redeuntis, abominationem, excogitari nequit similitudo, quam sit illa à canis vomitu desumpta; etenim vermes peccatorum, conscientiam peccatoris remordentes, per confessionem sacramentalem è conscientiæ stomacho emittuntur, & postquam ejecta fuerunt (ô stultitiam! ô abominandam spurcitiem!) denuo sine nausea resorbentur, id est, recommittuntur, ut adimpleatur in illis, quod Salvator eis comminatur inquiens: *Vermis eorum non morietur.* Nulli dubium est, quin similitudo illa à cane desumpta, & à Sapiente primitus, postea vero à Sancto Petro in medium adducta eo fine fuerit, ut per illam ostenderetur in pristina peccata recidivantis peccatoris abjectissima vilitas, & per eamdem iisdem manifestatam, tanto magis confunderentur & erubescerent.

S. Gregor. past. p. 3. admon. 31.
Canis per vomitum simul ejicit vermes.
Marc. 9. v. 43.
Applicatur peccatoribus.

3. Dionysius Carthusianus super illa Jeremiæ verba: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas*, inquit: *Ecce quo frequentius in pristina vitia recidivamus, eo viliores efficimur, & gravius vulneramur.* Hugo Cardinalis ly *iterans* ita exponit: *Id est, sæpe reiterans peccata.* Citansque illa verba Psalm. 82. *Disperierunt in Endor, quod interpretatur fons generationis*, subdit: *Hi sunt, qui generationem peccati semper habent in fonte, qui sunt semper in principio peccandi: Et ideo facti sunt ut stercus terræ. Isaiæ 57. Humiliata usque ad inferos in multitudine viæ tuæ laborasti, nec dixisti quiescam.* Aquila & Symmachus, in prædictum Proverbiorum textum scribentes, loco ly *vilis*, legunt, *demens, quam demens facta es nimis, iterans in stultitia tua*; quia vere hi, qui denuo ad semel confessa peccata redeunt, cerebrum suum perdidisse dici possunt, siquidem approbant, & resumunt idipsum, quod paulo ante cum perfecto judicio, & divinæ gratiæ lumine detestati fuerunt & reprobarunt. Sanctus Augustinus hosce stultos & dementes his verbis perstringit: *Contigit illis res veri proverbij; Canis reversus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisti, & revelatum est peccatum tuum.* Salazar, hunc locum referens, inquit: *Mendum suspicor, vide an satius sit ita restituere. Et relevatum est pectus tuum, facta est bona conscientia ex mala conscientia; quid rursum converteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens, horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei.* Idem Sanctus super Psalm. 30. scribens ad hujus similitudinis se reflectens vilitatem inquit: *Denique vide, quam horribili rei eos comparaverit; contingit illis res veri proverbij: Canis reversus &c.* Divus Chrysostomus quoque ait: *Ne recurras ad peccata, quæ remissa sunt tibi, neque in delictis frequenter offendas relinquens ea, & rursum recurrens in ea; neque enim ut canem ad suum vomitum, aut suem in suum volutabrum contraria humanitati irrationalium natura te ducat.* Enimverò ut per experientiam videmus, natura omnino horret, horret resorbere illud, quod quis antea evomuit, nimis enim ingentem nauseam id conjunctam habet, & ideo solus canis idipsum facit. Et tamen quot sunt homines, qui licet videri velint sapientes, vilissimum tamen hoc animal æmulantes, spurcitiem, & sordes peccati, quas evomuerunt, denuo resorbent, & iterum committunt. Joseph Hebræus de bello Judaico scribens, in quo fames incolas Jerosolymitanos ad proprios filios devorandos coëgit, ad propositum nostrum testatur inquiens: *Proprium carpere vomitum, ne in summa quidem fame ab aliquo tentatum nusquam legimus.*

Jerem. 2. 36. Dion. Cart. in Jerem. Hug. Card. ibid. Psal. 82. 11.
S. August. in Psal. 83.
Salaz. in Prov.
Recidivi dicuntur perdidisse cerebrum.
S. August. in Psal. 30. conc. 2.
D. Chrys. Hom. de militia Christ. Tom. 5.
Vomitum iterum deglutire natura abhoret.
Joseph. de bello Judaico lib. 2. cap. 7.

4. Deus apud Oseam inquit: *Facti sunt Principes Juda quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam.* Quam prophetiam Theophylactus ita exponit: *Id est, leges meas sic transponebant, æque atque in arvis terminos transponentes facere solent &c. Quando vero quispiam Princeps Juda existens confessus fuerit, ac promiserit se non iisdem pravis studijs admoturum mentem, idque secum decreverit, & interim transinoverit tales fines, atque decretum suum fecerit irritum, atque reversus fuerit instar canis ad vomitum proprium, ira Dei super talem prorsus effunditur.* Guilielmus Parisiensis similiter insinuat, quod cum in Sacramento pœnitentiæ peccata ejiciamus foras, quasi per vomitum, ideo ex hoc capite hi, qui ea denuo resumunt, & de novo committunt, non minus abominabiles sint coram Deo, sicut abominabiles sunt nobis canes, qui vomitum suum iterum resorbent. Dionysius Carthusianus super illa verba Sancti Petri; *Contigit eis, id est, recidivantibus*, ita scribit: *Nam sicut id, quod per vomitum est ejectum, resumere, est valde abominabile, fætens, ac turpe, sic peccata pœnitendo deleta, reiterare.* Hugo Cardinalis inquit: *Id quod sumptum est Proverbior. 26. hoc dicit, quia sicut canis, qui comedit tantum, quod evomit, sic isti, qui prius loti in Baptismo, postea coinquinantur recidivando, cum deberent dicere cum sponsa, Cantic. 5. Lavi pedes meos, quomodo coinquinabo eos? & talibus non prodest, imò magis obest sua lavatio.*

Ose. 5. v. 10.
Theophyl.
Guiliel. Paris. lib. de pœnit. cap. 12.
Recidivi sunt abominabiles coram Deo.
2 Pet. 2. 22.
Dion. Cart.
Hug. Card. Ibid.
Prov. 26. 11.
Cant. 5. 3.

5. *Tales sunt quasi sus lota in volutabro luti*, estque hæc secunda à Sancto Petro adducta similitudo, eaque valde serio ponderanda. Hugo legit: *Quasi sus lota in luto, in quo se revolvit; hæc lotio est inquinatio*; unde Glossa ait: *Sus, dum in luto lavatur, sordidior redditur, sic qui peccata plangit, nec tamen deserit, pœnæ graviori se subjicit, quia scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Per suem significat luxuriosos, in quibus diabolus dormit, Job 40. Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.* Et ideo qui lubrici sunt, id est, peccati carnalis luto immersi, ad relabendum in peccata pristina faciliores, & proniores existunt, prout ipsamet experientia testatur, quia licet Sacramentum culpam aboleat, vivi tamen remanent mali habitus seu inclinationes pravæ, & fomes peccati, indeque carnis, & dæmonis nascuntur tentationes, & suggestiones, ac proinde in peccata & voluptates pristinas facillime relabuntur, verum enimvero perterrefaciat hos, qui tales sunt, ardens ille divinæ iræ furor, nam Deus per Psalmistam protestatur dicens: *Ut lutum platearum delebo eos.* Observat Dionysius Carthusianus, Sanctum Petrum similitudinem canis redeuntis ad vomitum, ex Sapiente desumpsisse; aliam vero de sue in volutabro luti se agitante proprie suam esse, ait enim: *Quod vero adjungitur: Et sus lota in volutabro luti, Princeps Apostolorum de suo apposuit, valdeque apte, nam sicut ex tali lotione efficitur porca sordidior, quam fuerat ante; ita ex recidivo, gravius homo coinquinatur.* Origenes in homilia quadam ita scribit: *Porcis similes dicuntur ij, qui peccatorum fætoribus delectantur, sicut porci, qui fætorem omnem, tamquam odorem suavissimum expetunt, Considera ergo peccatorem, qui peccatis suis delectatur, & lætus est in malis suis, quoniam & ipse in stercore fætido volutatur, & nullam fætoris ejus, qui ex peccati oritur stercore, percipit sensum, ac velut in summis voluptatibus, & gratissimis delicijs delectatur.* Apud Tullium quoque hæc verba leguntur: *Velut sus quædam luto, ita stupris delectatur.* Lactantius Firmianus rationem assignat, cur hoc animal populo Judaico inter cibos fuerit prohibitum, ait enim: *Est lutulentum hoc animal, & immundum, nec umquam cælum aspicit, sed in terra, toto & corpore, & ore projectum, ventri semper & pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestiant, vel indumentum exuvijs suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant; Interdixit ergo, ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item, ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se*

Sunt ut sus lota in volutabro luti.
Job 40. v. 16.
Applicatur carnalibus.
Psal. 17. v. 43.
Dion. Cart. 2. Petr. 2.
Origen. Hom. 1. in Psal. 73.
Delectantur fœtoribus ut sus.
Cic. de arusp. resp.
Lact. Firm. lib. 4. cap. 17.
Vilitas & inutilitas porcorum & ideo caro illorum prohibita fuit Judæis.

se ingurgitat cœno; vel ne terrenis serviant simulachris ac se luto inquinent; luto enim se obliniunt, qui deos, id est, qui terram & lutum venerantur. Ex quo Discursu evidenter colligitur, quam apte hæc animalia illos præfigurent impios, qui in vitiorum suorum luto ad fauces usque immersi vivunt; Specialius tamen Sanctus Petrus per illa animalia, in pristina peccata recidivantes repræsentare contendit, quia hi, postquam per pœnitentiam mundati fuerunt, denuo ad easdem redeunt sordes, quas antea per pœnitentiam deposuerant. Sanctus Gregorius in pastorali suo ait: *Sus in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur; & qui admissum plangit, nec tamen deserit, pene graviori culpæ se subjicit, quia ipsam quam flendo potuit impetrare, veniam contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia cum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas ipsas etiam lachrymas facit.*

S. Gregor. ibid.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Execrabilis est illorum stultitia, qui ad peccata semel expiata denuo redeunt, hi enim majorem sibi reatum graviusque supplicium adsciscunt.

THEMA.

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Eccli. 34. ℣. 30.

1. Hujus textus ex Ecclesiastico desumpti, sensus litteralis facile intelligitur, si nos ad Legis Mosaicæ reflectamus ceremonias, & ritus, quibus præcipiebatur, ut qui cadaver tetigisset, immundus esset, hancque immunditiam legalem lavando expiaret; at vero quid proderat hæc expiatio ei, qui denuo ad tangendum mortui cadaver redibat? unde Lyranus hunc textum ita exponit: *Id est, qui emundatur à tactu mortui, per aquam expiationis, de qua habetur Numer. 14. & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? quasi dicat: nihil; nam immundus efficitur, sicut ante.* Idipsum Carthusianus in hæc verba scribit: *Contra recidivum subjungitur: Qui baptizatur à mortuo &c. id est, qui aqua expiationis aspergitur, & purgatur, eo quod tetigit mortuum, & iterum tangit contra legis mandatum, quid proficit lavatio illius, id est, purgatio ab illa irregularitate legali, cum mox inquinatur ut ante?* Verum ut Sanctus Paulus ait: *Omnia in figura contingebant illis.* Per hanc namque propositionem intendit Ecclesiasticus multorum indicare stultitiam, qui à sordibus peccatorum suorum abluuntur per confessionem sacramentalem, sed sine ullo effectu, eo quod denuo ad dimissas redeant iniquitates, iisque se turpius quam antea coinquinent. Hugo Cardinalis verba Ecclesiastici ita interpretatur, *qui mundatur à peccato aqua compunctionis, iterum rediens ad peccatum, quid proficit lavatio illius? nihil, quia sequens culpa pœnitentiam perdit.* Adducitque authoritatem Rabani dicentis: *Post lavacrum mundus esse negligit, qui post lachrymas, vitæ innocentiam non custodit.*

Num. 19.
Purificatio ad breve tempus tantum est quasi non esset.
Lyran.
Dion. Cart. ibid.
Hug. Card. ibid.

2. Sciendum est Ecclesiasticum antecedenter dixisse: *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis; nisi labor? unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?* Paulus de Palatio opportune ad præsens intentum notat; Totum hunc Ecclesiastici discursum, ad reprehendendum eos, qui in pristina peccata relabuntur, esse directum, ait enim: *Videtur mihi totus hic locus homines admonere, ne post actam pœnitentiam rursum in volutabrum luti devolvantur. Nam pœnitentia de crimine ædificat in cælum, sed relabi in crimen, destruit quod ædificatum est. Orat sane pœnitentia pro pœnitente, sed redire ad vomitum, maledicit redeunti; plane exaudiet Deus non pœnitentiam priorem orantem, sed recidivum maledicentem.* Radulphus in sensu morali ad propositum nostrum ita exponit: *Per mortuum significatur peccatum, eo, quod peccato anima moriatur, unde scriptum est: Qui baptizatur &c. Anima itaque immundum tangit, quando peccato alieno consensum jungit.* Porro per planctum anima mundatur ab immunditia, nihil autem hoc juvat, si plangens ad tangendum mortuum denuo redeat. Sanctus Gregorius in epistola quadam ita scribit: *Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed si quis in eadem pœnitentia perseveret; huic scriptum est: Qui baptizatur à mortuo &c. Mortuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit; baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui prava opera, quæ se meminit egisse, deplorat, sed in iisdem se iterum post lachrymas implicat. Anima itaque qualibet ejusdem mortui lavatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo, quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exurgit. Pœnitentiam enim vere agere, est commissa flere, sed iterum plangenda declinare.* Cornelius à Lapide hunc textum examinans gravitatem recidivationis his verbis insinuat: *Disce recidivam peccati ipso peccato esse graviorem, & periculosiorem, tam ob graviorem offensam & ingratitudinem, quam affert relapsus post acceptam veniam; tum quia relapsus lapsum priorem renovat, & auget, unde solet lapsus esse major, & profundior; tum quia Deus relapsum abominatur, deserit, & despicit, imò acriter castigat.* Sanctus Gregorius non solum in prædicta epistola, verum etiam in Psalm. 4. pœnitentialem scribens, commentando verba illa *cor contritum &c.* ita ait: *Illorum sacrificium Deus non suscipit, qui lachrymis quidem compunctionis se abluunt, sed ijsdem, à quibus antè mundati esse videntur peccatorum maculis, in idipsum revertentes sordescunt. De talibus scriptum est, qui baptizatur à mortuo &c. Ille quippe lavatur à mortuo, qui per pœnitentiam mundatur à peccato, quem si contigerit, eadem, quæ punierit, iterando peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo.* Sanctus Ambrosius in libror. 2. *de pœnitentia* utilissimum hoc suggerit monitum inquiens: *Eos, qui pœnitentiam agunt, hoc solum timere oportet*; at vero quidnam ex mente Sancti Ambrosij solum timendum esse existimatis? Num forte ne de novo redeant in domos suspectas, in lubricas conversationes pristinas, ad solita tripudia, aliasque similes occasiones proximas? ita quidem est, hoc enim vere timere habent pœnitentes, ne denuo in peccata redeant pristina, sed ipsummet S. Doctorem audiatis dicentem: *Hoc solum timere oportet, ne ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam.* Recidivus enim, se quidem pœnitere ostendit, non tamen de commissis peccatis, sed de confessione & detestatione, quæ illa antecedit, siquidem tanta cum promptitudine ad easdem iniquitates committendas, revertitur. Sanctus Isidorus inter alias suas sententias, unam refert, ab ea, quam ex Sancto Gregorio mox tradidimus, parum diversam; ait enim: *Isaias peccatoribus dicit: Lavamini, mundi estote. Lavatur itaque, & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non admittit. Lavatur itaque, & non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec deserit, & post lachrymas ea, quæ fleverat, repetit. Sic denique & alibi animam pœnitentem, atque iterum delinquentem sermo divinus increpat dicens: Quam vilis facta est nimis, iterans vias tuas.* Sanctus Thomas à Villanova similiter prædicta Ecclesiastici verba de recidivantibus in peccata pristina interpretatur, inquiens: *Peccator rediens ad peccatum, sicut qui abluit laterem, abluendo enim amplius sordidatur; unde Petrus: Contigit illis illud Proverbij: Canis &c.* Et paulo post subjungit: *Grandem tibi violentiam inferre debes, quisquis peccati jugum semel admissum, ab animæ tuæ cervicibus pellere contendis.*

Ad hoc propositum applicatur figura veteris Testamenti.
Paul. de Palat.
Contraria contra se invicem pugnant.
Radulph. l. 2. c. 4.
S. Greg. l. 9. epist. 34.
Corn. à Lap.
Effectus recidivationis.
Psal. 50. v. 19.
S. Gregor. in Ps. 4. pœnit.
S. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 9.
Oportet timere ne pœnitentiæ debeat agi pœnitentia.
S. Isid. l. 2. sent. cap. 16.
Illius explicatio.
S. Thom. de Villanov. ser. 6. post 4. Dom. Quadr.

3. Doctrina est ab omnibus sacris Interpretibus unanimiter recepta, quod reincidentia in peccatum pristinum, pejoris sit conditionis, & malitiæ, quam præcedentia fuerint peccata, id quod ex illis Christi verbis deducitur: *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Cardinalis Toletus hanc veritatem ex illis probat verbis: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; hæc enim ita explicat; *Si peccatum repetierit,*

Recidivi novissima fiunt pejora prioribus.
Luc. 11. v. 26.
Tolet. in annot. 10. ad c. 5. Joan.

tale

tale tunc peccatum gravius futurum ; non enim aliter deterius contingeret , gravior enim pœna culpæ graviori debetur , quod & Basilius in libror. moral. reg. 11. cap. 2. ex hoc loco annotavit ; & ita est revera ; est enim certa doctrina , peccatum sequens cæteris paribus esse gravius , propter graviorem ingrati animi significationem erga Deum. Post peccatum enim expectat Deus ad pœnitentiam ex magna misericordia , quando ergo iterum peccat , idem repetendo , aut simile committendo peccatum , gravior est culpa , quo qui peccat , Dei misericordia ad pœnitentiam expectantis , & invitantis , magis abutitur , & multo gravius est , si præcedentis peccati obtinuerat remissionem , & iterum peccat ; & adhuc gravius , si admonitus & correctus à Deo respuit , nam & ipsa correctio , Dei est beneficium. Ex quo Discursu hanc deduco consequentiam , scilicet verissimum esse id , quod hactenus probavimus , nimirum *ei , qui lavatur à mortuo , & iterum tangit eum , nihil proficere lavationem ejus* ; imo insuper addo , *plurimum nocere* , quia recidivationes , utpote prioribus peccatis culpabiliores , severius castigari merentur , *fiuntque novissima illius pejora prioribus.* Sanctus Basilius super cap. 1. Isaiæ scribens , verba illa : *Non amplius remittam peccata vestra* , de illis intelligenda esse dicit , qui cum plurima à Deo receperint beneficia , in pristina peccata relabendo , ei sunt ingrati ; *tot enim cumulati beneficijs , continenter recurrunt ad pristinam malitiam , non igitur amplius dimittam , quasi diceret Deus : Ad complexam pœnitentiæ vos sæpe invitavi ; visi quidem estis obtemperare , sed labendo ad pristinam recurristis improbitatem. Spe igitur abjecta propter impœnitens cor vestrum , non eam remittam vobis debitam condemnationem ; non enim qui dixit : Peccavi , mox si relapsus in eodem peccato perdurat , talis vere confitetur ; sed qui deprehenso peccato suo , juxta Psalmi adhortationem , etiam illud odio infenso prosequitur.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus super Evangelium Sancti Joannis scribens, hanc quoque tangit Ecclesiastici sententiam inquiens : *Audi Ecclesiasticum hanc peccatorum iterationem graviter damnantem. Unus ædificans , & unus destruens , quid prodest illis nisi labor ? unus orans , & unus maledicens , cujus vocem exaudiet Deus ? Qui baptizatur à mortuo , & iterum tangit mortuum , quid proficit lavatio illius ? sic homo , qui jejunat in peccatis suis , & iterum eadem faciens , quid proficit ?* Subdit verò idem Sanct. Doctor horrendum , quod uxori Loth accidit , exemplum, cujus etiam in præcedentibus Discursibus mentionem fecimus , quæ tanta cum asperitate punita fuit, ea solum de causa , quia ad videndum ignem , quo civitates illæ conflagrabant , retrorsum respexit , non obstante expressa illius prohibitione. En verba Sancti Doctoris : *Uxor Loth conversa retro ad Sodomam , à qua discesserat , in statuam salis mutata est , & inde sumendum esse nobis exemplum , ne ad deploratas revertamur peccatorum illecebras , admonuit Dominus ; Memores , inquit , estote uxoris Loth.*

Peccatum secundum est gravius primo.

Eccli. 34. 30. Recidivis dicitur per Isaiam, non amplius remittam peccata vestra.

S. Basil. in cap. 1. Isa.

S. Cyrill. Alex. l. 5. in Joan. c. 17. Repetitio priorum contrariorum,

Luc. 17. v. 32.

4. Sanct. Bonaventura casum quemdam refert , qui in urbe Reatina contigit eo tempore , quo Sanctus Franciscus Assisias illic pertranfivit. Huic enim Seraphico viro oblatus est Canonicus quidam graviter infirmus , ut illum crucis signo insigniret, & benediceret , quia vero , ut Seraphicus Doctor ait, valde erat *labricus & mundanus* , ideo Sanct. Vir Dei eidem dixit : *Cum vixeris olim secundum desiderio carnis , non veritus judicia Dei , quomodo te cruce signabo ? verum propter devotas intercedentium preces , signo te crucis signabo , in nomine Domini ; Tu tamen scito , te graviora passurum , si ad vomitum redieris liberatus , propter peccatum enim ingratitudinis , semper pejora prioribus inferantur.* Cumque eidem crucis signum impressisset, perfecte quidem sanatus est , sed post tempus aliquod ad vomitum rediens, corpus impudicitiæ reddidit , *cumque sero quodam cœnasset , in domo cujusdam Canonici , nolteque ille dormiret , subito super omnes corruit tectum domus , cæteris autem evadentibus mortem , solus ille miser interceptus , atque peremptus est. Justo ergo Dei judicio* , subdit idem Sanctus Bonaventura , *facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus , propter ingratitudinis vitium , cum de accepta venia gratum esse oporteat , & duplo displiceat flagitium iteratum.* Enimvero si daretur casus , quod subditus aliquis , contra vitam

Vit. S. Franc. cap. 11.

Exemplum de punitione ingrati recidivi.

juraſſet ſui Principis , tamque atrocis delicti convictus , condemnaretur ad mortem demum vero benignitas hujus Principis , ab hac illum condemnatione abſolverit , imò hujus graviſſimæ offenſæ plane immemor factus , eumdem in priſtinam ſuam gratiam reſtituere , hoc utique maximum futurum eſſet beneficium , quod ſibi in hoc mundo imaginari , nedum petere potuiſſet, ſiquidem ab ingenti facultatum , honoris & exiſtimationis , imo & vitæ jactura præſervaretur ; at vero ſi tanta clementia , & beneficentia abutens , denuo contra Dominum , & Benefactorem ſuum machinaretur conjurationem , numquid talis dignus futurus eſſet , qui multo majori cum ſeveritate caſtigaretur , quam antea prima vice ſententiatus fuerat ? Idem verò prorſus contingit circa illos , qui ſemel à peccatis ſuis abſoluti , denuo in eadem peccata relabuntur , hi enim poſtquam prima vice infinitam illam Dei majeſtatem, *quam adorant Dominationes , tremunt poteſtates* , mortaliter offendiſſent , hujuſque offenſæ plenariam à Deo recepiſſent veniam , erga hoc inexplicabile beneficium ingrati , in magnam eximiæ gratiæ illis exhibitæ ignominiam, denuo contra eumdem Deum ſe armare præſumunt , cum tamen paulo ante ab inferno liberati , vere dicere potuerint ? *Niſi quia Dominus adjuvit nos , paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.* Numquid igitur ingens hoc peccatum non unum dumtaxat, ſed mille infernos promeruiſſe videbitur ?

Similitudo moralis.

Pſ. 93. v. 17.

5. Thomas Cantipratenſis in libror. 2. apum, ſequens refert exemplum. Cum enim ipſe ſuffraganeus eſſet Epiſcopatus Cameracenſis (cui plures aliæ Diœceſes ſubjectæ erant) acceſſit ad eum ſimul cum ſuo Parocho , quidam in eadem peccata ſæpius relapſus , à quibus ſuperioribus annis eumdem ſine fructu ſæpius abſolverat. Cumque prudens hic Epiſcopus eumdem ad propriæ Diœceſis Antiſtitem remittere vellet , ut tanto majorem pateretur confuſionem , eique aſpera pro peccatis ſuis imponeretur pœnitentia , Sacerdos ille , qui eum Epiſcopo præſentaverat , rogavit Epiſcopum , ut eum à peccato abſolveret , cum hac tamen conditione , ut in præſentia illorum , prius flexis in terram genibus Deum invocaret , eidemque ſanctè promitteret , quod deinceps numquam in eadem peccata relapſurus eſſet , in caſu autem , quod id denuo facere præſumeret , ſubito per vindictam cœleſtem ſeverè in eum adverteretur. Porro Cantipratenſis , qui idem ille Epiſcopus erat , ſimulque hujus hiſtoriæ ſcriptor , hæc verba ſubjungit : *Conſenſi ego conditioni , & heu mihi miſero , quod conſenſi ; mox ille flexit genua , & vindictam in ſe recidivantem precatus eſt ; abſolvit eum ; receſſit gaudens ; ſed Feria 3. aut 4. poſt Paſcha , inſtigante diabolo , paſſus eſt recidivam, moxque honorifice clamans ; Vindicta Dei ſuper me , vindicta Dei ſuper me ; & ut mihi poſtea Sacerdos retulit, amariſſima morte mulctatus eſt.*

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 30. Praxis facta non practicabilis.

6. Obſervatiſne aliquando , quod tempore Paſchali magis, quam alio quovis tempore, multi ſubitanea & repentina morte moriantur , miræque & extraordinariæ contingant mortalitates ? ut proinde in vetuſtiſſimo illo hymno Eccleſiaſtico, Deo hiſce verbis ſupplicemus : *Quæſumus Auctor omnium , in hoc Paſchali gaudio , ab omni mortis impetu tuum defende populum* ; Hoc autem illis contingit in pœnam , qui ad peſtiferum & venenoſum peccatorum vomitum reſorbendum præſumptuoſe redeunt , licet illis antea per tot promiſiones, ſalutariaque propoſita firmiter renunciarint. Cum enim per decurſum Quadrageſimæ peccatores ferventiſſimas audierint prædicationes , jejunia obſervarint frequentarint loca ſacra, ac demum ſacris illis diebus per conſiderationem paſſionis Domini noſtri interius contriti , & in Paſchale , cum firmo emendationis propoſito communicati , ex prævio hoc lumine & notitia acquiſita , denuo in priſtina vitia relabantur , ſine ulla utique remiſſione caſtigari merentur ; *qui enim baptizatur à mortuo , & iterum tangit eum , quid proficit lavatio illius ?* Quin potius *nocet lavatio iſta* ; quia *ſicut lumen, ita & celebræ.*

Lavatio ad breve tempus nociva eſt.

Eccli. 34. 30.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Qui in peccata ſemel remiſſa reincidunt, difficilius à peccato reſurgunt , quia lumen, & gratias divinas contemnunt, ac proinde à Deo deridentur, & acerbè caſtigantur.

THEMA.

Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Luc. 11. ℣. 26.

Thema exponitur de recidivis.

1. EX hac concluſione , quam incarnata Sapientia ex parabola illa apud Sanctum Lucam deſcripta deduxit , facile colligitur , pejoris conditionis eſſe illos , qui de novo in peccata priſtina redeunt , quam fuerint , antequam primitus in dicta peccata laberentur ; tunc enim *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus* ; Quæ verba ut Dionyſius Carthuſianus exponit ; *moraliter explanantur de quolibet homine recidivante , vulnera enim repetita ſunt periculoſiora , tam in corpore , quam in anima.* Sanctus Bonaventura ex variis malis, quæ recidivantibus contingunt , primum hoc eſſe dicit , *quia homo ſit impotentior ad reſurgendum* , idque probat ex celebri illo Apoſtoli textu : *Impoſſibile eſt eos , qui ſemel illuminati ſunt , guſtaverunt etiam donum cœleſte , & participes facti ſunt Spiritus Sancti, Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum , virtutesque ſæculi venturi, Et prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Ex quibus verbis ſiniſtrè intellectis, Novatus , tempore Sancti Cypriani , ſuam Novatianorum propagavit hæreſin ; hi enim illos , qui relapſi erant , nequaquam ad pœnitentiam readmittendos eſſe aſſerebant , & in eumdem quoque ſcopulum Tertullianus impegit, prout ex 1. *lib. de pudicitia* colligitur , ubi illos , qui lapſi fuerunt, ſemel tantum ad veniam admittendos eſſe aſſerit. Sunt autem horum verborum Apoſtoli duæ veræ & orthodoxæ interpretationes ; quarum una dicit, Apoſtolum hic loqui de pœnitentia baptiſmali , impoſſibile enim eſt , ut hæc de novo apud hominem locum abeat , ſiquidem Baptiſmus numquam renovatur. Secunda expoſitio noſtro favet propoſito , ſcilicet quod Apoſtolus denotare voluit difficultates , quas perſonæ ſpirituales , & aliæ experiuntur, dum in ea , dum recidivantes , ad veram pœnitentiam inducere ſatagunt , ut veniam & remiſſionem apud Deum invenire poſſint.

Dion. Cart. ibid.

S. Bonav. Tom. 7. l. 3. c. 7. compend. Theol. verit. Heb. 6. v. 4. Ibid. v. 5. Ibid. v. 6.

Duplex alia thematis expoſitio.

2. Sanctus Anſelmus obſervat ſupplicium , quod hujusmodi ingratis à Deo immitti ſoleat ; ait enim : *In prævitatibus ſuis juſto valde judicio , relinquentur ab eo, qui dixit , quia ſine me nihil poteſtis facere , nec juvantur ab eo , ſed aſſumuntur à diabolo , ut magis adhuc alligentur , & aggraventur ab illo , ſicque ſit, ut ad pœnitentiam redire non valeant , non quia mutari homines , dum in hoc ſæculo ſunt , in melius non poſſint , ſed quia dum ex intimo corde vitia diligunt, & virtutes negligunt , nec divinitus adjuvantur , ſed ab antiquo deceptore premuntur , converti nullo modo poſſunt. Tales ſunt , qui prius ad ſumma virtutum profecere , & poſt ad ima vitiorum prolapſi ſunt, id eſt , prorſus lapſi , vel procul lapſi , vel longe lapſi, à priore ſtatu , ita ut longo tempore jaceant in ipſis vitijs , ad quæ lapſi ſunt , non enim prolapſos intelligere nunc debemus Religioſos , qui in aliqua gravia ſubito cecidere , & cito ſurrexere , ſed qui longa deliberatione , & longo uſu vitijs adhæſere , & à puritate virtutum receſſere , quia vaſa quiſpiam talium inventur egiſſe pœnitentiam ; ſi tamen uſpiam inventur.* Similem quoque Dionyſius Carthuſianus tradit expoſitionem , dum ait : *Exponitur de quocumque recidivante , qui poſt prædicta beneficia in magna peccata prolabitur , & in ijs quodammodo habitualiter ; non enim homo prædicta gratias experitur , niſi valde perfectus ; talis vero non ſubito evacuatur , ſed paulatim , donec pœnitus obtenebratur ; tales ergo ad pœnitentiam renovari , id eſt , novam emendari , & pœnitere , impoſſibile eſt , id eſt , difficile , ſecundum quem modum peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremiſſibilia.*

Dion. Carth.

3. Ponderanda quoque eſt immenſa injuria, quam à ſuis ſequacibus recipit Chriſtus , ſiquidem ut Sanctus Auguſtinus ait : *Nemo meliores indicavit eſſe*

S. Auguſt. in Pſ. 30. conc. 2.

inimicos foris poſitos , quam intus male viventes , quibus premitur , & gravatur Eccleſia ? Enimvero quisquis recidivat in priſtina peccata, non peccat per ignorantiam , ſiquidem jam manna cœleſte guſtavit gratiarum , & donorum ſpiritus vivificantis particeps fuit , divinæque miſericordiæ theſauris , in præcedentium peccatorum remiſſione fuit locupletatus ; ac proinde dum ſupremum ſuum Benefactorem , cum prævio hoc lumine , & notitia, reoffendere non veretur , non unum , ſed mille meretur infernos , ſibique ipſi per ſuam ingratitudinem & contemptum , quo Deum ejusque auxilia aſpernatur , ad novam veniam impetrandam viam occludit. Conſideratione digna eſt ſequens Anaſtaſij Niſſeni doctrina , qui varios diſtinguit modos , quibus homo divinam transgreditur legem , ait enim : *Homo peccat quatuor modis ; nempe cito arrepta occaſione , fraude , ignoratione , & affectione ; Tres quidem primi facile veniunt ad agnitionem , & pœnitentiam ; qui autem peccat ex affectione , & non tentatione , non venit ad pœnitentiam , & morbo laborat irremediabili.* Recidivantes enim ut plurimum amore ducuntur illius peccati , in quod denuo reincidunt , hocque offendiculum ab iis deliberate , ex induſtria , & ſtudio eligitur , repellendo à ſe gratias & auxilia , quæ Deus illis per pœnitentiam ſacramentalem communicaverat , ac proinde ut plurimum eſſe ſolent in culpa ſua perſeverantes , & obſtinati. Unde Sanctus Bonaventura obſervat , quod in hiſce vitium magis fortificari , firmiusque pedem figere ſoleat ; ait enim : *In his vitium fortificatur ad impugnandum. Auguſtinus do ſe loquens ; Plus , inquit , valet malum inſolitum, quam bonum inſolitum.* Abimelech Rex Gerari , vix à Deo monitus fuerat , Saram mulierem eſſe conjugalem , cum ecce eadem nocte , non expectato diluculo , eamdem Abrahæ intactam reſtituit. David quam primum ex parte Dei , à Nathan Prophera correctus fuit , ſtatim reſipuit dicendo : *Peccavi* ; at vero Herodes Rex à Sancto Joanne Baptiſta tanto cum ardore reprehenſus , non ſolum non ſe emendavit , verum etiam caput illi amputari juſſit ; & tamen ſi conſideremus vocis Præcurſoris efficaciam , ex Scriptura nobis conſtat , quod multos quoque ad Deum converterit milites , licet de his Poëta canat : *Nulla fides, pietasque viris , qui caſtra ſequuntur* ; Idem viperas tranſmutabat in columbas , ipſosque impios eo uſque permovebat , ut certatim ad ipſum properarent , ad ſuſcipiendum de ſacris manibus ejus Baptiſmum , imo de ipſomet Rege Herode teſtatur Sanctus Marcus inquiens : *Herodes enim metuebat Joannem , ſciens eum virum juſtum & ſanctum ... & audito eo , multa faciebat ; & libenter eum audiebat* ; cur igitur ex ejus prædicationibus , & efficacibus admonitionibus , nec quidquam proficiebat ? facilis ad hoc eſt reſponſio ; quia licet à ſonora hac Spiritus Sancti tuba ſæpius de peccatis ſuis monitus fuiſſet , non tamen ſe continebat ; quin ſæpius in turpes ſuos reincideret inceſtus ; licet peccati gravitatem probe intelligeret ; eamdemque penes ſe ſerio ponderaretur , nihilominus à voluptatibus ſe trahi permittebat , ac proinde in profundum illud permiſſus eſt cadere barathrum , quia *impoſſibile eſt eos , qui ſemel &c.* Et vero ſi lumen , quocum quiſpiam peccat , trutina eſt , & menſura peccati , utique homines ſpirituales , Dei legem transgredientes , præ alijs maxime iram Dei irritant , & conſequenter ſe ejus auxilijs incapaciores & indigniores efficiunt. Auſcultent igitur hi , qui tales ſunt , Villanovanum dicentem : *Spiritualis homo aſſiduitate peccandi , à ſenſu degenerans in belluam veritur , cui ſi prioris ſtatus alias in eo relinquitur ſenſus , permutatio hæc omni amaritudine amarior multo eſt , amiſſamque felicitatem , tota die implacabiliter plorat. Solet etiam nonnumquam hæc inſenſibilitas in quibusdam ex divinæ gratiæ contemptu provenire , merito namque privantur donis cœleſtibus , qui ea aut deſpiciunt , aut ignorant , quibus uſque adeo divinæ conſolationis munera vilueruut , ut ea etiam experta , pro viliſſimis voluptatibus carnis commutare non verentur. In hos Apoſtolicum illud dirigitur : Impoſſibile eſt eos , qui ſemel &c. rurſum renovari ad pœnitentiam , id eſt , per pœnitentiam in priorem ſtatum gratiæ revocari ;* rationemque difficilis revocationis aſſignans ſub-

In recidivatione Deo magna infertur injuria.

Anaſt. Niſſ. ad orthod. q. 8.

Peccatur tribus modis remiſſibiliter at quarto irremiſſibiliter.

S. Bonav. Ibid.

Gen. 20. v. 8.

Exemplificatur.

2. Reg. 2. 13.

Marc. 6. v. 20.

Quare Herodes non fuerit converſus ad prædicationes S. Joannis Baptiſtæ.

S. Thom. à Villanov. conc. 3. de S. Aug.

Obſtinati gratiam Dei contemnunt.

jungit : *Rursum crucifigentes &c.* De qua tamen spirituali crucifixione à recidivantibus renovata, paulo infra in speciali discursu tractabimus. Interea vero considerandum est, quod Sanct. Archipræsul dicit, videlicet quod *divinam gratiam contemnant ; quia in vacuum gratiam Dei accipiunt.* Cum enim hæc præcipuum sit Dei auxilium, quod peccator ad resurgendum sperare potest, consequens est, ut emendatio & pœnitentia illius prorsus sit difficillima, siquidem recidivantibus proprium est, quod inspirationes, & illustrationes cœlestes non curent, imo turpiter à se repellant.

Saul reconciliatur David.

4. In libr. 1. Reg. cap. 19. legimus, Jonathan apud Saulem patrem suum in favorem Davidis tanta cum efficacia peroratse, ut eum tunc à sæva & iniqua persecutione Davidis continuanda dimoverit : *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde, Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israël ; vidisti & lætatus es ; quare ergo peccas in sanguine innocio ?* Quibus verbis omnes invidiæ, odij, & furoris tempestates à corde Saulis adeo sunt propulsatæ, ut sacer textus dicat : *Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit, vivit Dominus, quia non occidetur. ... Introduxit Jonathas David ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudiustertius.* Observandum vero est, quod non obstante hoc facto juramento, & licet ex discursu Jonathæ de iniquitate odij contra David convictus fuerit, nihilominus sacer textus paulo post subjungat : *nisus est Saul configere David lancea in pariete, & declinavit David.* Ab hoc autem momento, cœpit Saul magis, quam umquam, fe dare in reprobum sensum, quia cum cognitione malitiæ suæ per Jonathan filium suum sibi communicata abusus, in iniqua persecutione illa perseveravit, ideo Deus in hujus temeritatis pœnam, eum in sua malitia magis magisque obstinatum fieri permisit, nam ut Chrysostomus in alia quadam occasione dixit : *Qui veluti deludens Dei bonitatem, excesserit expers gratiæ, nullo pacto valebit effugere vindictam.*

1.Reg.19. v.4.
Ibid.v.5.
Ibid.v.6.
Ibid.v.7.
Mox reincidit in prius odium.
Ibid.v.10.
D.Chrysost. Hom.5. in Acta.

5. In parabola de vinea legitur, quod pessimi illi vinitores servos Domini sui non per ignorantiam male tractarint, sed illos vere Domini sui servos esse cognoverint, & tamen *agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.* Ex verbis autem mox sequentibus illos sæpius in hoc scelus reincidisse, clare colligitur ; adeoque in illis verificatum fuit illud : *Peccator adjiciet ad peccandum* ; dicit enim sacer textus : *Iterum misit alios servos, plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum ; Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres, venite occidamus eum.* Ecce igitur qualiter ex clara notitia filij, filium quoque Patrisfamilias occiderint ac proinde de perversa illa generatione judaica, per hosce agricolas præfigurata, verificatum fuit illud Apostoli : *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt &c. renovari ad pœnitentiam.* Unde ad finem usque mundi impœnitentes permanebunt, ac proinde proprio ore, licet inadverenter, confessi sunt dicentes : *Malos male perdet.* Sanctus Anselmus quosdam, qui Deum etiam prævio lumine & notitia offenderunt, excusare nititur, eo quod in primam offensam non reincidrint, ac proinde à Deo veniam meruerunt. Supradicta enim Sancti Pauli verba : *Et prolapsi sunt &c.* explicans ita scribit : *Non prolapsus intelligitur David, in perpetratione adulterij, & homicidij, de qua cito pœnitentiam egit, sed Salomon in amore alienigenarum mulierum, per quas & à fide separatus est, nec resipiscere volait, cum semel & iterum divinitus admoneretur. Sed nec Aaron prolapsus intelligitur, dum populi, seu volens ei placere, fecit vitulum, qui ad primam Moysi vocem fecit pœnitentiam, sed prolapsus est Balaam per avaritiam, qui mercedem iniquitatis amavit, dans consilium, quomodo populus Israël Creatorem offenderet, oblitus quæ antea prophetaverat, & quæ divinitus audierat ; pro nihilo enim duxit omnia, ut avaritiæ suæ satisfaceret. Petrus quoque non est prolapsus in illa negatione, quia mox flevit amare ; sed Judas & ipse per avaritiam, in illa proditione, quam diutius excogitavit, & post implevit, nec congruam inde pœnitentiam egit. Religiosos itaque qui excogitato diu consilio nequitijs se sponte subjiciunt, & in eis diutius permanent, intelligimus prolapsos.*

Matt.21.35. Judæi figurantur per agricolas qui in Evangelio occiderunt filium Domini sui.
Eccli.3.29.
Matth.21. v. 36. 37. & 38.
Hebr.6.4.
Matth.21.41.
S.Anselm. Lapsorum & prolapsorum panuntur exempla.

6. Quotidiana ut plurimum docet experientia, præcipuam causam, cur peccatores in peccata alias confessa, & detestata facile reincidant, malam esse consuetudinem, pravumque habitum in malo contractum, hic enim non efficit contumaces. *A consuetudine homini quotidianum periculum*, inquit Seneca, *nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Subita ex consuetudine pernicies., & eo diligentius tegitur, quo propius accedit.* In primo tomo de *mortibus peccatorum pessimis.* lib. 2. cap. 12. num. 1. sequens legitur funestus casus. Dissolutus enim juvenis quidam ætatem habens 24. annorum, in lethiferæ infirmitaris lecto decumbens, ex desperatione vociferari cœpit : *Væ mihi, qui perditè haltenus vixi, & nil boni toto, quo vixi, tempore me præstitisse memini. Enimvero ut, quod verum est, fatear, vix diem unum, aut alterum integrum à peccatis continuis Deique amicitiam illibatam servavi, imo ne una quidem hora, nisi enim uno tantum sacratissimo Paschatis die, me Numini non infensum vixisse recolo, cum statim ad inolitas carnis illecebras redierim.* Subdit vero Author, eumdem cum evidentibus desperatæ salutis signis peccatricem suam efflâsse animam, ac proinde subjungit : *Væ igitur his, qui postquam Dei amicitiam consecuti sunt, iterum iteramque ad pristinas culparum fæces redeunt, Deoque injuriam jugiter recidivando infligunt, clamabunt ad Deum in tempore necessitatis, & justam ab eo repulsam patientur.* Concordat idipsum cum illis verbis Proverbior. cap. 1. ubi Deus lamentatur inquiens : *Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro videbo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit, Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.* Ecce tibi expressam causam, cur Deus in morte impiorum, qui toties in pristina peccata relabuntur, surdum se esse ostendet, quia qui hanc recidivantium malitiam bene considerat, fateatur necesse est, quod tales per continuos suos relapsus, Deum certo quodam modo derideant, & subsannent. Unde Sanctus Antoninus ait : *Canis reversus ad vomitum, est peccator iterans stultitiam suam, interpretative talis videtur irridere, id est, ad similitudinem irridentis facere ; nam si quis de offensa gravi commissa à Domino suo veniam obtineret, & subito postea ei alapam daret, & sic iteram faceret, diceretur utique talis Dominum suum irridere.*

Relapsus in priora peccata, est effectus malæ consuetudinis.
Seneca epist. 104.
Prov.1.v.24. 25.&26.
Iterans sua peccata, dicitur Deum irritare & Deus ipsum.
Ibid. v.27.
S.Antonin. p.2.Tom.6. cap.7.§.1.

7. Apud Osæam cap. 5. dicitur : *Facti sunt Principes Juda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam ;* Septuaginta legunt : *Facti sunt quasi transferentes terminos.* Quibus verbis alluditur ad malignitatem Principum populi Judaici, quæ ad summum usque creverat, de quo Deus in Deuteronomio lamentatur : *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum* ; Impij namque hi Principes, erga divinam beneficentiam se exhibuerunt ingratissimos, per frequentes suos in pristina peccata relapsus. Porro metaphora terminorum ab agricolis desumpta est, qui arando terræ propriæ transeuntes limites, alienos agros invadunt, ut tanto magis dilatent suos, & terram lucrentur ; *significatur post plurium criminum*, ut certus quidam Interpres exponit, *acceptam veniam ; in unicum crimen vorum relapso.* Hoc autem est, quod divinam iram vehementer provocat ; & ideo dicit Deus : *Effundam super eos, quasi aquam iram meam* ; id est, ut Thophilactus exponit ; *Sic irruam super ipsos, velut aqua impetuosa, & velut torrens aliquis, multis imbribus & nive exasperatus ; cumque vehementi impetu sese volutans.* Idem vero paulo post, iræ divinæ motivum, recidivationem in Dei offensis esse declarat, postquam sibi ad vomitum numquam redeundi fecerunt

Osc.5.v.10. Similitudo à terrarum futa ribus transsumpta.
Deut. 32. v.15.
Theophyl.

Punitio Pharaonis.

runt propositum ; subditque exemplum Pharaonis, cui Deus toties ignoverat, suum ab eo revocando flagellum, donec tandem, quando minus timebat, eumdem in aquis submersit ; *Ira Dei*, inquit, *super talem prorsus effunditur, perinde ac rubri maris aqua super Pharaonem, qui sæpius mentitus erat, juxtaque cor suum permutationis in melius expers servatus erat, ad ostensionem virtutis Dei, Deus enim non subsannatur.* Sententia quoque est Sancti Isidori dicentis : *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens rediens ad peccatum. Multi lachrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam, & effectum pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lachrymas fundunt nunc vero revivisscente usu, ea, quæ fleverant, iteranda committunt.*

S.Isid.l.2. sent.cap.16.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Per relapsum in peccata priora, dæmon corroboratur, & vigorem accipit majorem, quia hos sub tyrannidem suam magis constringit, ne denuò è manibus suis elabantur.

THEMA.

Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Luc.11.ỳ.26.

Exemplum de desperato.

1. Cœlestis Magister è sinu paterno descendens, non solum humanam operatus est redemptionem, sed & salutaria documenta Fidelibus in sua prædicatione præscripsit, varias componendo parabolas, ut doctrinam suam memoriæ nostræ, cæteroquin labili, tanto tenacius imprimeret ; inter has autem consideratione digna est, quam Sanctus Lucas cap. 11. describit, in qua Salvator nobis insinuare contendit, quantum in animabus nostris corroboretur, fortiterque pèdem suum figat, postquam ab hisce semel per pœnitentiam expulsus, in easdem per recidivationem in eadem peccata prius detestata, reingreditur. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens dicit : Revertar in domum meam, unde exivi ; Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam ; Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi, & sunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Enimvero spiritus infernalis non dormit, sed circuit semper, magis magisque in perniciem nostram inquietus ; quod si vero contingat, ipsum divina mediante gratia à nobis fugari, *ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens*, id est, ut Cardinalis Toletus declarat, *quia studium ac cibus ejus, ac desiderium est nocere hominibus, ubi non invenit cui noceat, requiem non habet.* Quæ verba Lucas Burgensis declarans, similiter ait : *Quia tamdiu sibi displicet, animosque torquetur, ac discruciatur, quamdiu extra homines habitat, neque illos infestat.* Unde in hanc tandem resolutionem descendit, redeundi nimirum in animam illam, è qua confessione sacramentali mediante expulsus fuerat : *Revertar in domum meam, unde exivi.* Idem Author in commentario super Matthæum, qui etiam hanc parabolam refert, de infernali inimico ita scribit : *Ut enim superbissimus est, expulsi magis acuitur rabies, ac nocendi libido* ; unde idem Author hoc monitum subjungit : *Discamus, simul ac laqueis ejus Christi gratia erepti sumus, vehementius, & acrius certamen paramus nobis esse.* Dæmon enim omnes movet machinas, omnisque generis excogitat technas, ut postquam à nobis ejectus est, nos denuo relabi faciat. *Hinc timeant sibi incipientes*, inquit Hugo Cardinalis, *quia facilius recidivant.* Sanctus Antonius de Padua in sermone quodam de astuto hoc serpente pariter inquit : *Expulsus per pœnitentiam, revertitur per recidivum.* At vero quo medio de facto nostro relapsu sperare aut considere potest ? nimirum : *Revertar in domum meam.* Verumtamen Paulus de Palatio hic contra eum sese erigit, hujusque seductori improperat dicens : *Mentiris superbe, non est domus illa tua, Dei est ; emit enim illam sanguine suo.* Verumtamen aliquas specificat idem Author prætensiones, quas diabolus super mysticam hanc domum se habere supponit ; *Habet enim in ea fomitem sibi faventem ; habet legem carnis, repugnantem legi mentis, & captivantem in lege diaboli ; si hostes nostros in nobis habet, qui arcem ei se daturos promiserunt, quid mirabis, si domum dicat suam ?* Observandum vero, quod sacer textus subdat : *Et veniens invenit eam vacantem.* Circa quæ verba Beda ita scribit : *Immundus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam esse credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Porro antiquus hic adversarius, nequaquam desponder animo, quin potius securus est, quod nos quamprimum ad resorbendum vomitum sit inducturus, eo namque fine nos denuo in pristinas occasiones, & pericula prostituit, efficitque, ut otiosè vivamus, simulque in evitandis periculis negligentes & inertes simus ; nam ut Didacus Stella ait : *Peccatorum experientia, & facilitas facit, ut homines omni deposito timore iterum ad peccata rezertantur.* Et vero quemnam verborum illorum : *Invenit eam scopis mundatam*, sensum esse existimatis ? Sanctus Bernardus ad propositum nostrum optime inquit : *Quid est aliud, quam fictio execranda ; si peccata superficietenus radas, non intrinsecus eradices ?* nisi enim radix arboris alicujus stirpitus eradicetur, nihil juvat, si rami illius amputentur, propter hoc enim humorem in truncum transmittere, & nova germina pullulare non desinet. Hæc igitur causa est, cur facile ad eadem peccata redeamus, quia scilicet originem, & occasionem illorum non tollimus ; suspectas mulierum familiaritates non cavemus, litteras amatorias ab illis receptas non dilaceramus, taxillos & chartas lusorias non abjicimus &c. Sanctus Thomas super Matthæum ita scribit : *Quod mandatur scopis, non mandatur, nisi quod leviter adhæret, unde idem est scopare, quod leviter mundare.* Sanctus Joannes Damascenus authoritatem adducit Sancti Basilij, rationem recidivationis in peccata pristina hisce verbis assignantis : *Quod quispiam post actam pœnitentiam idem rursus scelus admittat, argumentum est, primam illius peccati causam minime repurgatam esse, utpote ex qua tamquam ex radice quadam, eadem pullulare contingat, quemadmodum videlicet si quis arboris ramos amputare cupiens, radicem relinquat, nihilominus radix manens rursum fructificabit.*

Luc. 11.24. Septem spiritus nequiores se sunt peccata repetita.
Ibid.v.25.
Ibid. v. 26.
Tolet. ibid. annot.57.
Luc.Burg. ibid.
Luc.Burg.in cap.21. Matth. v.44.
Diabolus ejectus omnibus viribus conatur reverti.
Hug.Card.
S.Anton. de Pad.ser. in fer 4.post 2. Dom.Quadr.
Paul.de Paralar.in Matth.
Quale jus prætendat diabolus in peccatorem conversum.
Ven. Beda in Luc.
Did.Stell.in Luc.
S.Bern. serm.2.de assumpt.
Radix & occasio peccata tolli debet.
S.Thom.in Matth.
S.Joan.Damasc.lib.2. Parral.

2. Verum enimverò, ut melius intelligamus, quantum dæmon adversus recidivantes prævaleat, cœlestis Magister noster sequentia verba subjungit : *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Non enim sufficit ei*, ut Eusebius Emissenus ait, *ut solas talem domum possideat, socios quærit.* Quinam vero sunt hi septem spiritus, quos in sua societate conducit ? Sanctus Anselmus, & Beda declarant, quorum primus inquit : *Per septem spiritus omnia vitia intelliguntur* ; alter vero ly *nequiores* explicans inquit : *Nequiores, quia non solum habebit illa septem vitia, quæ septem spiritualibus sunt contraria virtutibus, sed etiam per hypocrisin, ipsas se virtutes habere simulabat.* Enimvero nonnulli sunt ex recidivantibus, qui dum se post habitum lumen ad notitiam sufficientem relapsos fuisse erubescunt, occulta vitia sua per hypocrisin tegere & abscondere satagunt, adeoque duplicem ipsis iniquitatem superaddunt. Sanctus Bonaventura ait : *Sunt septem simulationes, quæ virtutes se esse simulant, & mentiuntur, quæ ideò sunt nequiores vitijs apertis, quia nequiorem habent malitiæ perversitatem :* nam ut Sanctus Augustinus ait : *Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Aptius vero ad propositum nostrum hæc verba : *Nequiores se*, interpretatur Sanctus Paschasius dicens : *Quia graviora sunt vitia, quæ post perceptam legem, vel gratiam committantur, quam faverant illa, quæ nulla percepta lege operabantur.* Unde Sanctus Petrus ait : *Melius erat illis, viam justitiæ non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti* ; Sanctus Paschasius legit : *Quam post perceptam gratiam retrorsum abire ; aut sub hypocrisi ficte, ac vitiosissime vivere, quia cum quisque decidit de culmine justitiæ Dei, deinceps jam simulationem habebit.*

Euseb.Emiss. Hom.3. in 3. Dom.
Quinam sine septem spiritus nequiores.
S.Anselm. in Matth.
Ven.Beda in Luc.
S.Bonav. in Luc.
Describitur hypocrisis.
S.Pasch.lib. 6.in Matth.
2.Petr.2. v.21.

3. *Et fiant novissima hominis illius pejora prioribus.* Imaginemini vobis, si placet, quod divina justitia, postquam homo in mortale lapsus est peccatum, & ad inferni patibulum condemnatus, pro exequenda hac sententia, eumdem brachio infernali tradiderit, in hoc enim casu, prout ipsamet docet experientia, sicur captivus ille, maxime si gravissimi delicti, verbi gratia, criminis læsæ Majestatis in primo capite reus, si semel se ex unguibus lictorum eriperet, sicque mortis periculum evaderet, postea vero denuo deprehensus incarceretur, executores justitiæ, sive lictores, in majori numero multiplicantur, & accurrunt, eumque vinculis & catenis validissimis, circa manus & pedes arctissime stringunt, ne è manibus illorum iterata vice evadere possit; eodem prorsus modo dæmon, cum anima illa procedit, quæ semel per pœnitentiam è manibus ipsius elapsa, postea per reincidentiam in pristina peccata, suæ sit potestatis, circa hanc enim nihil aliud facere nititur, quam ut eamdem animam omni cum solicitudine, sub jugo servitutis suæ retineat, hoc enim fine non solum septem spiritus nequiores se, sed & innumeros adhibet, qui animam illam tot funibus stringunt, quot sunt peccata, quibus illaqueatur, nam *funibus peccatorum suorum* unusquisque *constringitur*. Sanctus Thomas de Villanova, in concione quadam super Evangelium Feriæ 4. post Domin. Quadr. verba illa: *Ingressi habitant ibi*, ita declarat: *Intrantes per consensum peccati, habitant ibi, per peccati permanentiam.* Albertus Magnus super Lucam scribens inquit: *Habitant ibi morando per consuetudinem.* Lucas Burgensis mysterium explicat, ob quod Salvator noster dixit: *Fiant novissima hominis illius pejora prioribus*; ait enim hoc Christum dixisse: *Ut sciant, quale sibi judicium accersant, qui in vanum accepta Dei gratia, januam diabolo rursum aperiunt.* Enimvero magnam Christianus Deo irrogat injuriam, & contumeliam, quando post acceptam peccatorum suorum remissionem, & degustatum redemptionis suæ, divinarumque gratiarum fructum, Deo iterata vice rebellis fieri, & dæmoni, Dei & suo inimico se subdere non erubescit. Unde Tertullianus ait: *Non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo, per pœnitentiam renunciasset, & hoc nomine illum Domino sobjecisset, rursum eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus sibi ipsum facit, ut denuo malus recuperata præda sua adversus Dominum gaudeat; Nonne, hoc dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronunciasse, eum meliorem, cujus se rursum esse malaverit.* Profecto si peccatori à Deo collata non fuisset benignissima peccatorum suorum indulgentia, si suavitatem jugi sui, si divinæ gratiæ, donorumque sanctissimi spiritus sui benignitatem non fuisset expertus, aliquam saltem adferre posset excusationem, cur à Deo se separando, dorsum illi obverterit, nunc autem, quia *illuminatus fuit, gustavit donum cœleste, particeps factus est Spiritus Sancti*, & tamen sanguinem agni immaculati, quo peccata abolentur, pedibus suis conculcat, & paradiso pro inferno, Deo pro dæmone renunciat, quidnam excusationis loco adducere poterit?

Semel elapsus ex manibus lictorum si recipiatur, fortius ligatur & à pluribus custoditur.

Similitudo.

Prov. 5. v. 22.

S. Thom. à Villanov. conc. in fer. 4. post. 1. Dom. Quadr.

Alb. Mag. in Luc.

Matt. 12. 45.

Luc. Burg. ib.

4. Salvator noster apud Sanctum Lucam de peccatore converso ait: *Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente*; ex quo Christi asserto manifeste sequitur, quod impius post peractam pœnitentiam, in peccatum reincidens, paradisum, omnesque beatos Cœlites accidentali hoc gaudio privet, ut de sua perditione infernum gaudere faciat, idque tanto majori cum vilipendio Deo, quanto certius constat, quod, ut ingeniose Tertullianus advertit, *diabolum Domino præponit, comparationem enim videtur egisse &c.* Diabolus autem, post denuo receptam, in Dei ignominiam, animæ prædam, & superatum feliciter ex parte sua prælium, omnibus viribus contendit, ut animam pœnitentem tyrannidi suæ omni cum securitate subjectam retineat, ne denuò è manibus ipsius elabatur. Quod Didacus Stella super propositum Sancti Lucæ textum scribens, sequenti declarat similitudine. *Si enim captivus aliquis à carcere fugerit, certum est, quod si iterum ad eumdem carcerem revertatur, magnam custodem curam habiturum, & vigilantiam circa ejus custodiam, & si antea simplici catena illum devinciebat, modo duplicem addet; & si antea per noctis silentium, & requiem, eum non visitabat, modo omnibus noctibus illum adit, & videt, an aliquid machinetur, vel habeat, quo possit compedes frangere, vel è carcere fugere. Hoc idem dæmon cum peccatore efficit, nam prius cum in sua potestate hominem teneat, parvam curam & diligentiam adhibet circa ejus custodiam; fugit igitur à dæmonum captivitate, & illum irridet. Si vero ita fueris infelix, ut iterum ad ejus captivitatem devenias, secunda conditio, & sors pejor est, quam prima; addet quippe majoris ponderis catenas, vigilantius te custodiet. Nam si antea unam, aut alteram offerat tentationem, modo quinquaginta substernet. Si videat, quod familiaritas studiorum ab ejus captivitate te avocavit, diligenter curabit, ne iterum cum eis familiaritatem habeas. Si videat, quod sermones audiendo liberatus sis, alio mentem distrahit, & hoc modo omnes portas claudet, quibus prius te ab ejus manibus eripuisti.* Priusquam captivus fugeret, in carcere satis commode morabatur, & in favorem captivi circumcursabant Procuratores, Advocati, & alij, ut eum defenderent, & adjuvarent, eumque de faciendis instituerent, deque statu causæ suæ quotidie eum informabant, similiter magnam recipiebat consolationem, dum illum visitarent parentes, amici, aliæque personæ devotæ, & charitativæ; at vero postquam doloso rupto carcere fugit, denuo in potestatem præfecti carceris rediens, in secreto quodam & angusto loco recluditur, à quo omnes arcentur, qui eum alloqui volent, & qui prius in amplo quodam loco positus, ambulare libere poterat, postea intra compedes, & manicas, pedes manusque coarctatas habet. Eodem modo inimicus infernalis eum tractat, qui postquam semel ex ejus unguibus elapsus est, si quando denuo in ejus potestatem per relapsum in pristina peccata redigatur; omnibus enim nervis contendit, ne conversetur cum Religiosis, aliisque personis devotis & piis, eorumque loco conversationem cum hominibus licentiosis, & perditæ salutis habendam procurat; efficit quoque, ne prædicatores auscultet vel quempiam aliorum conveniat, à quibus verbum aliquod ad animæ suæ salutem spectans, audire possit.

Captivus habet amicos & patronos qui ipsi permittuntur si vero post elapsum recipiatur, illis privatur.

Luc. 15. v. 10

Recidivans in facto judicat diabolum meliorem Deo.

Tertull. de pœnit. cap. 5.

Ideo caret omni excusatione.

Hebr. 6. 4.

5. Sanctus Bonaventura varia recenset damna, in quæ recidivantes incidunt, è quibus tertium est, quod scilicet *diabolus difficilior est ad expellendum; tunc enim assimit diabolus septem spiritus nequiores, & ingressi habitant ibi.* Præterea peccator recidivus amat vincula sua, iisque libenter adstringitur, id est, magno fertur amore erga effrænes appetitus suos, *funibus enim peccatorum suorum unusquisque* (cum gaudio) *constringitur*; & quidem tametsi etiam catenarum suarum gravamen sentiret, & cognosceret, valdeque illibenter in carcere illo degeret, quis est, à quo auxilium sperare posset, ut egrediatur? certe alius præterquam Deus illum liberare non poterit; jam vero ex quo recidivus factus est, cum se non curare, nec illum diabolo postposuisse satis ostendit. Tertullianus hanc observat injuriam, quam peccator Deo irrogat, quando post receptam peccatorum remissionem, denuò in pristinas offensas reincidit; unde scribit; *Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet*; verum audite, quamnam inde deducat consequentiam; subdit enim: *Eritque tanto magis petosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.* Verum enimverò dæmon ad ligandum arctius recidivum, ne evadere possit, his quoque aliis utitur artibus, videlicet plura procurat vincula, & catenas, quibus antea innixus non fuerat, nimirum varia ei proponit voluptatum lenocinia, ipsumque allicit, per quævis gaudiorum & recreationum genera, quæ desiderare possit, efficitque, ut licet hæc sint funes, catenæ & vincula, quibus anima in inferni carcere constringitur (*funes peccatorum circumplexi sunt me*) cæcus tamen peccator illa amet, & libenter amplectatur, ac proinde dæmon, astutus ille adversarius, tanto libentius, & in majori abundantia hæc illi procurat.

Damnum recidivi.

S. Bonav. lib. 3. cap. 7. comp. Theol. verit.

Prov. 5. 22.

Tertull. ibid.

Artes dæmonis in revinciendo fortius.

Psalm. 118. v. 61.

6. In vita Caroli Magni legitur, quod cum in prælio

Joan. Turp. Epis. Rhem. sæcul. 9. vit. Caroli Magn. Historia ex vita Caroli Magni.

prælio Pampilonensi Algelardi Saraceni dissipassent & cæcidissent exercitum, qui centies mille milites numerabat, cum nonnulli ex victoribus, nocte sequenti ad castra rediissent inimici, ut ampla sibi compararent ex devictis spolia, præcipue vero gemmas, quarum ingens apud illos erat numerus, nonnulli ex inimicis, qui communem stragem evaserant, è vicinis cavernis, in quas, ut vitam salvarent, se receperant, egressi, victores, qui prædis capiendis intenti erant, invaserint, eorumque ad numerum millenarium crudeliter trucidarint. Per hos autem, ni fallor, præfigurantur multi fidelium, qui postquam in hujus præsentis vitæ militia, contra vitia generose decertantes, gloriosam reportarunt victoriam, tandem à concupiscentia propria, per suggestionem diabolicam fomentata, seduci se finunt, ad repetendum campum inimicum, ut inde sibi comparent ampla divitiarum, honorum, voluptatum, similiumque lenociniorum spolia, atque ideo in potestatem spirituum infernalium miserabilem ex eis stragem facientium incidere merentur.

7. Contigit in cœlo inter Angelos bonos & malos ingens illud prælium, de quo in Apocalysi dicitur: *Factum est prælium magnum in cœlo.* In dubium vero revocari nequit, quin spiritus illi rebelles, illos præfigurarint fideles, qui cum prævio lumine, & notitia Dei, cum eo per peccata dimicant; at vero audiamus, qualem hi rebelles fortiti sint finem. Dicit enim sacer textus: *Locus eorum non est inventus amplius in cœlo.* Unde dicere audim, quod si de alicujus salute desperari possit, id certe futurum esset de illis, qui non ex fragilitate, passione, & ignorantia prævaricantur, sed ex malitia, & ex prævia cognitione summi illius boni, quod offendunt, peccare non erubescunt, *talium enim locus non invenitur amplius in cœlo.*

Apoc. 12. v. 7.

Ibid. v. 8.

Explicatur bellum inter Angelos.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Qualiter ij, qui in pristina reincidunt peccata, ex mente S. Pauli Christum de novo crucifigunt, latius exponitur.

THEMA.

Impossibile est enim eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, ... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Hebræor. 6. v. 4.

2. Cor. 12. v. 4.

1. SAnctus Paulus qui in cœlo edoctus (*raptus in paradisum audivit arcana verba*) atque ad erudiendam Ecclesiam suam, una cum Sancto Petro à Deo electus fuit (*Petrus Apostolus, & Paulus Doctor Gentium, ipse nos docuerunt legem tuam Domine*) de recidivantibus hanc statuit conclusionem, scilicet, quod quantum est ex parte ipsorum, tales denuo Filium Dei crucifigant: *Rursum crucifigentes &c.* Porro hic textus in sensu litterali de Sacramento Baptismi interpretatur, unde secundum Sanctum Thomam verborum illorum hic est sensus: *Impossibile est eos rursus renovari, id est, baptizari*; quia sacrosanctum hoc lavacrum semel tantum, & non amplius confertur; ac proinde inutilis erat spes illorum, qui se in virtute hujus Sacramenti, semel ab illis susceepti, denuo à peccatis mundari posse præsumebant; at verò quodnam in eo lateat mysterium, quod recidivantes denuo peccando, crucifixionem Redemptoris denuo renovare dicantur? *rursum crucifigentes, inquit, in semetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Divus Chrysostomus ait: *Hoc est autem, quod dicit, Baptisma est crux, & crucifixus est vetus noster homo, conformes enim similitudini factí sumus mortis ejus; & rursum: Consepulti cum eo sumus per Baptismum in mortem. Sicut ergo fieri non potest, ut iterum crucifigatur Christus, hoc enim est eum tradere. Nam se mors ejus non amplius dominabitur, se resurrexit, resurgendo à morte factus potentior, si per mortem, mortem devicit, ac prostravit, deinde iterum in crucem agitur, fabula sunt illi omnia, & tradítio, ac irrisio; Ita qui rursus seipsum baptizat, rursus ipsum crucifigit. Quid est autem rursus crucifigentes? Ab initio cum rursus crucifigentes; nam quomodo Christus mortuus est in cruce, ita*

Inutiliter baptismus repetitur. *S. Thom. ibid.*

D. Chrys. Hom. 9.

Id variis probatur rationibus.

Mensi Bibliothecæ Moralis tom. IV.

nos in Baptismate, non carne, sed peccato. Vide mortem, & mortem. Ille mortuus est carne nostra, vetus homo sepultus est, & resurrexit novus, factus conformis similitudini mortis ejus. Si ergò necesse est baptizari; necesse est eum ipsum rursus mori. Baptisma enim nihil est, quam ejus, qui baptizatur, peremptio, & illius excitatio, & præclarè dixit, rursum crucifigentes, nam qui hoc facit, tamquam prioris gratiæ oblitus, ignaviæque & dissolutæ vitam suam agit, sic omnia gerit, tamquam sit aliud Baptisma. S. Thomas quoque super eadem Apostoli verba ita scribit: *Qui iterato baptizantur, rursum Christum crucifigunt. Vel aliter, quod denegetur repugnantia gratiæ Christi, ut scilicet, velint frequenter peccare, est, post iterum baptizari, ut scilicet non referatur ad iterationem Baptismi, sed ad lapsum eorum, qui peccant, qui scilicet, quantum in ipsis est, rursus crucifigunt Christum, quia Christus pro peccatis nostris mortuus est semel.* 1. *Petr.* 3. *cum ergo peccas baptizatus, quantum in te est, das occasionem ut iterum Christus crucifigatur, & sic contumelia fit Christo, in cujus sanguine te lotum maculas.* Hugo Cardinalis, postquam dixisset in primo loco intelligi renovationem Baptismi, ab Apostolo condemnatam, in favorem nostrum sequentem adfert interpretationem: *Rursum crucifigentes, refertur ad hoc, quod prædixit; prolapsi sunt; propter quod debent sibi cavere, ne prolabantur, & est ideo, quia si prolabantur, & in peccatis jacent, sunt rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, id est, quantum in se, quia ejus gratiam contemnunt.* Et paulo post subdit: *Tales, qui prolabuntur post acceptam notitiam veritatis, & gratiam remissionis, iterum revertuntur ad vomitum, crucifigunt iterum, quantum in se est, Dominum, quia causam, pro qua crucifixus est Christus, iterare non desistunt. Unde Hugo de Sancto Victore; dicit tibi Christus, serva salutem tuam, ego pro illa mortuus sum, si illam amiseris, ego iterum mori non possum, tamen eadem morte amissa, salutem iterum reddere non possim, sed volo mihi injuriam facias, quia salutem tuam morte meâ voluntariè peccando amiseris, iterum quantum in te, iterum crucifigi, iterum me mori compellis.* Citatque Psalmum, in quo Redemptor his verbis lamentatur: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Job. 16. in persona Christi: *Effudit in terram viscera mea, concidit me vulnere super vulnus. Viscera Christi in terram effundit, qui amorem, quo Christus pro nobis mori voluit, pro nihilo ducens, terreno eum corde recolit, id est, duro, & arido; & consciditeum vulnere super vulnus, qui iniquitatem super iniquitatem apponit.* Galat. 3. *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus Jesus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Ubi non sine mysterio Christum ante ipsos crucifixum fuisse dicit, quia recidivi erant, unde ait: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* verba quoque illa, & *ostentui habentes*, idem Hugo hunc sensum habere dicit, *id est, derisioni habentes, qui enim gratiam ejus contemnunt, eam habent ostentui.* Dionysius Carthusianus, postquam & ipse in primis errorem circa Baptismum repetendum tetigisset, aliam subnectit expositionem, ei, quam Hugo tradidit, valde conformem, inquiens: *Secundo exponitur de quocumque recidivante, qui post prædicta beneficia in magna peccata prolabitur. Crucifigunt iterum Filium Dei, quoniam quantum in ipsis est, causam suæ crucifixionis reiterant.* Considerationem quoque digna sunt, quæ Cornelius super hunc textum hisce verbis scribit: *Omnis, qui in pristina peccata relabitur, iterum quasi crucifigit Christum, quia novo peccato, novam dat causam crucis & mortis Christi; Facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est; quare, nisi Christi mors tam efficax fuisset, ut ad omnia omnino peccata, post quantavis sæcula futura, & iteranda se extendisset, oporteret Christum toties mori, & crucifigi, quoties peccant homines, sicut Aaronica sacrificia, & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Judæi.* Per verba illa: *Ostentui habentes*, indicat Apostolus, recidivantes imitari Christi crucifixores. *Nam contemnunt, despiciunt, contumelia & ignominia afficiunt, quæ enim in peccata relabitur, hoc ipso contemnit, vilipendit, & videt Christum, Christique legem, & Ecclesiam, sicut Judæi irriserunt Christum in cruce suspensum.*

Psal. 68. v. 27.

Job. 16. v. 14.

Gal. 3. v. 1.

Myssticam dat rationem. *D. Thomas. 1. Pet. 3.*

Dion. Carth.

Nisi mors Christi esset efficax ad omnia peccata sæpius deberet iterari.

Quare in Sacramento pœnitentiæ non semper remittatur tota pœna,

2. Verumenimverò ex quo Baptismi mentionem fecimus, abs re non erit, si sequentem hoc loco moveamus quæstionem, scilicet, quia in Baptismo tanta cum facilitate remittitur non solum culpa, tametsi numero immensa, & gravissimi ponderis, verum etiam pœna eidem culpæ debita, quod in Sacramento confessionis nequaquam fit, siquidem in illa, pœna æterna in temporalem transmutatur, exsolvendam, in hac vel in altera vita, idque propter contritionis imperfectionem, undenam fit, quod culpa, secundùm utrumque reatum, per Sacramentum pœnitentiæ integrè non extinguatur, quemadmodum in Sacrosancto Baptismi lavacro contingit? Sanctus Anselmus super illa verba in Discursu præcedenti examinata, scilicet: *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se,* dicit: *Nequiores dicuntur, quia graviora sunt peccata post Baptismum, quam antea;* ac proinde Sanctus Apostolus, in verbis assumpti thematis illa perstringit dicendo: *Illuminati sunt, gustaverunt donum &c.* & ideo de peccantibus post Baptismum dici potest: *Sicut lumen eorum, ita & tenebræ.*

Matth. 12. 45. S. Anselm. Ibid.

Baron. an. 56. n. 13.

3. Baronius in annalibus Ecclesiasticis notat, Christianos à spiritibus malignis longe magis cruciatos fuisse, postquam jam baptizati, in nova recidebant peccata, quam ante Baptismum; id quod etiam Dionysius Areopagita, & Sanctus Cyprianus advertit. Chrysostomus in homilia prima in actibus Apostolorum, inquit: *Illud considera. Habuit aliquis gratia peccata, vel homicidio, vel adulterio, vel alio quopiam facinore patrata; hæc per lavacrum remissa sunt, non enim est, non est, inquam, ullum iam peccatum, ullave impietas, quæ non cedat, locumque det dono Dei; nam divina res est gratia. Denique mœchatus est aliquis, aut homicidium perpetravit, prius quidem adulterium condemnatum est, & homicidium illud simul cum adulterio cessit, ac nequaquam revocatur, neficiunt enim pœnitentiam dona, & vocatio Dei. Cæterum pro his, quæ post Baptismum commissa sunt, tantam damus pœnam, quasi & illa revocata sint, ac multo etiam graviorem. Jam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex. Quod autem his gravior pœna debeatur, audi, quid dicat Paulus;* Postquam enim dixisset: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,* confestim sequenti illud probat argumento: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quibus verbis, ut videtis, Christus non conqueritur de vulneribus sanguinem manantibus (*his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*) sed de illis lamentatur, qui pretium sanguinis, & passionis suæ proterunt & conculcant, eodem turpiter abutendo, quia sub prætextu, quod Christus pro peccatis passionis suæ pretium exolverit, ipsi eumdem de novo offendere, in pristina peccata reincidere, transgressionesque multiplicare non verentur; hi igitur sunt, qui ipsum conculcant, *& rursum prolapsi, rursum in semetipsis crucifigunt.*

D. Chrysost. Hom. 1. in Act. Apost.

Post baptismum peccatum est gravius, imo duplex vel etiam triplex, Heb. 10. v. 26

Ibid. v. 28,

Ibid. v. 29.

Zach. 13. v. 6. Abusus divinæ gratiæ.

4. Infelix Ille, qui sine veste nuptiali nuptijs accumbere præsumpsit, ideoque irremissibiliter in flammas conjectus fuit, jacturam gratiæ Baptismatis, à peccatore perpessam præfigurabat; unde Salmeron ait: *Etsi enim per Baptismum in ingressu illam vestem habuerit, de qua dicitur: Accipe vestem candidam, & immaculatam, quam perfer, ac postea tamen illam suo vitio amisit.* Paulus de Palatio similiter ait: *Est vestis tibi concessa pretiosissima, magno sumptu texta est, lota est in sanguine agni; gravissima est injuria, illam amittere.* Concilium vero Tridentinum de necessitate satisfactionis tractans hanc, quæ Baptismum inter & pœnitentiam Sacramentalem intercedit, differentiam his verbis manifestat: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; Aliter vero, qui semel à peccato, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

Ille qui non habebat vestem nuptialem illam perdiderat. Salmeron. Tom. 7. tract. 37. Matth. 22. Paul. de Palat. ibid.

Conc. Trid. sess. 2. c. 8. de satisfact. necess.

5. *Rursum crucifigentes &c.* Hi qui baptizantur, in sanguinem & merita agni immaculati immerguntur, crucifixionisque Redemptoris efficiuntur participes, qui vero post Baptisma recidivant in peccata, sciant, quod asserente Sancto Paulo, quantum est ex parte ipsorum, denuo illum crucifigant. *Rursum sibimetipsis crucifigentes &c.* Deus per os Psalmistæ, ut supra diximus, lamentatur inquiens: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt;* malignitati enim Hebræorum non sufficiebat, quod linguas suas instar gladiorum exacuerint, ad transfigendum eum, quando clamarunt: *Crucifige, crucifige &c.* nisi insuper vulneribus improperia adjungerent. Sanctus Thomas de Villanova in concione tertia *de laudibus Sancti Augustini*, thematis nostri verba explicans, inquit: *Hoc est, quia Filio Dei, & Spiritui gratiæ immanem inferunt contumeliam, delicias spiritus lubricis voluptatibus postponentes, & paradisi flores odoratos, degustatosque, pro vilibus porcorum siliquis commutantes, quos si experti non fuissent, hujusmodi contemptus non ita imputaretur ad culpam, ac quia gustaverunt, & contempserunt, reatus eorum manet.* Glossa authoritatem adducens Origenis, hanc quoque stabilit veritatem, quod scilicet recidivantes Christum de novo configant in crucem; ait enim: *Christus in illis moritur, qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquendo, quasi insultant morti Jesu, rursus sibimetipsis crucifigentes Filium Dei; non solum ergo in peccantibus monstratur, sed etiam crucifigitur, & illuditur.* Porro Hebræi eodem tempore, quo ante Christum genua sua flectentes, signa eidem adorationis exhibebant, illum pariter irridebant & contemnebant: *Genu flexo ante eum, illudebant ei,* tales sunt recidivantes, prout ex sequenti Sancti Gregorij doctrina colligitur, qui ait: *Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut ante districti Judicis oculos, eis se esse similes agnoscant, qui venientes ad faciem quorumdam hominum, magna eis submissione blandiuntur, recedentes autem, inimicitias ac damna, quæ valent, atrociter inferunt. Quid est enim culpam flere, nisi humilitatem Deo suæ devotionis ostendere? Et quid est post fletum parva agere, nisi superbas in eum, quem rogaverat, inimicitias exercere?* Observanda quoque est in incredulis illis, qui Christum in monte Calvariæ blasphemabant, notabilis quædam à Sancto Matthæo indicata circumstantia; ait enim sacer textus: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. Transeuntes*, inquam, *hoc faciebant, non stantes*, inquit Sanctus Ambrosius, *stantes enim, non transeuntes sunt pedes benedicentium. Denique & vineam, cujus soluta monitio est, transeuntes vindemiant, non manentes; transeuntes sibilant, sicut in Threnis Jeremiæ legimus: Tenuerunt super te manus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt & moverunt caput suum.* Hi igitur qui sæpius recidivant, & in via Dei instabiles existunt, præfigurantur per illos, qui sub patibulo Christum blasphemabant, quia per instabilitatem ad peccata redeuntes illum contemnunt.

Recidivans privatur donis in Baptismate acceptis.

Psal. 62. 27.

S. Thom. à Villanov. conc. 3. de S. August.

Gloss. ord. Indic. c. 2. Faciunt, ut Hebræi qui genuflexo illudebant Christo.

Matth. 27. v. 29.

S. Greg. Pastor. p. 3. adm. 31.

Matth. 27. v. 39. S. Ambr. in Psal. 61. Transeuntes Christum in in cruce blasphemabant non verò stantes.

6. Acetum, quo Christus in monte Calvariæ potatus fuit, adeo atrociter illum cruciavit, ut mortem ei accelerarit, ait enim Sanctus Joannes: *Cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est; Et inclinato capite, tradidit spiritum.* At verò, inquies fortasse, qua ratione fieri potuit, ut acetum majorem Christo dolorem, præ cunctis alijs suppliciis attulerit? Origenes inquit: *Quidam dant Jesu bibere vinum, cum felle permixtum, quod non vult bibere Jesus, Filius Dei; alij autem non vinum, sed acetum; hi, qui cum scientia sacræ malam vitam jungunt, qui Ecclesiasticam doctrinam sapiunt, vivunt autem male, dant ei vinum cum felle permixtum.* Rabanus autem in libror. 1. in Numer. cap. 10. examinans præceptum, quod Deus Nazaræis in cap. 6. ejusdem libri præscripsit, scilicet: *Acetum non bibant*, inter alias, quas assignat rationes, una est moralis, quam ad propositum nostrum his verbis tradit: *Acetum bibant, qui post vitæ sanctitatem, in vitiorum vetustatem prætereitorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitiæ delectantur.* Per acetum igitur, quod Christi faucibus præsentatum fuit, recidivantes præsignificantur peccatores, à quibus longe acerbiores Christo infligiuntur dolores, quam ab omnibus alijs. Hi enim

Joan. 19. v. 30.

Origen. tract. 35. in Joan. Acetum acceleravit Christi mortem.

Raban. l. 1. in Num. c. 10. Num. 6.

Applicatur recidivis.

enim sunt, qui cum vivacissimo sensu doloris cor ejus transadigunt quod nobilissima, magisque sensitiva corporis nostri pars est. Unde ex innumerabilibus ei inflictis ictibus, nullus cor ejus ita transfixit, quemadmodum ictus lanceæ, quam proinde Sancta Mater Ecclesia non sine mysterio diram appellat dicendo: *Mucrone diræ lanceæ*, cum tamen alijs instrumentis opitherà tribuat directè contraria, dum ait: *Dulce lignum, dulces clavos.*

Joan. 19. v. 37.

7. *Videbunt in quem transfixerunt*; Verbum hoc expressivum est vulneris illius, quo per lanceæ cuspidem ad cor usque penetrantem transfixum est latus Salvatoris. Porro contemplativi quidam meditantur, quod tametsi Christus, antequam expiraret, omnes alios sibi inflictos ictus vivacissimè persensérit, nihilominus tunc, quando totum sunm effuderat sanguinem, prodegerat vitam, universumque pro homine debitum exolverat, omnibus illis minimè contentus, etiam post mortem cor sibi transfigi voluerit. Ad propositum vero nostrum dicunt iidem Contemplativi, eos, qui longinum cæcum in transfigendo Christi latere, lanceam sustentando & dirigendo juverunt, peccatores præfiguraße recidivos, eo, quod semel illuminati fuerunt, prout ex eo deducitur, quod Sanctus Lucas his verbis refert: *Et obscuratus est Sol, & velum templi scissum est; ... videns autem Centurio, quod factum fuerit, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus est, & omnis turba eorum, qui simul aderant, ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Ex quibus verbis colligitur, Judæos pœnituisse, compunctos fuisse, & quis esset, fuisse confessos: *Vere Filius Dei erat iste.* Supposita igitur veritate hujus historiæ, quæ certissima est, advertendum est, quod ex contextu Evangelico Sancti Joannis clare colligatur, multum temporis effluxisse, priusquam lancea lateri Christi infigeretur; ait enim sacer textus: *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, ... rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur, venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo; ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Et verò si hic Pilati miles erat, & consequenter idololatra, & Paganus quonam motivo contra hoc cadaver adeo ferocire cœpit, cum à Præside Christum innocentem esse sæpius audierit, præterquam quod Christus *pertransierit benefaciendo & sanando omnes.* Huic autem dubio respondet Chrysostomus inquiens: *Ad Judæorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt*; cito igitur hæc compunctio evanuit lumenque illud, quo Christum Dei Filium esse agnoscebant, subito extinctum fuit, intra paucas enim horas ad malignandum, & recidivandum in odium inveteratum, redierunt.

Act. 10. 38.

D. Chrysost. Hom. 84. in Joan.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Ex historiâ paralytici, cui dictum fuit: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, varia deducuntur recidivantium mala, diversa quoque præscribuntur remedia, ad non reincidendum in peccata pristina.

THEMA.

Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. v. 14.

Dicitur quid thematis.

1. IN hac præ cæteris utilissima, de non reforbendo peccati vomitu, materiâ, incarnatâ Sapientia pro firmiori illius in mentes nostras impressione, exemplum nobis practicum, in persona paralytici miraculosè ab eadem sanati, proponere voluit, siquidem eumdem postea in templo repertum monuit, dicendo; *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Cujus asserti Sanctus Athanasius hanc reddit rationem: *Vult gratiam, quam largitur, permanere, & cum meditatur, irrecidivam esse suam medelam; præmonet certe paralyticum, ecce, inquiens, sanus factus es, ne amplius pecces.*

S. Athan. de pass. & cruc.

2. Sanctus Paulus metuens Corinthiorum recenter ad legem Evangelicam conversorum instabilitatem, iisdem in Epistola secunda in hæc verba scripsit: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; magnam enim Deo facimus injuriam, quando divina ejus gratia abutimur, contemnendo illam, sanctissimique Spiritus sui dona rejiciendo; *vult enim gratiam, quam largitur, permanere.* Sanctus Bernardus proinde monet dicens, *Timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa longe plus pro recuperata*; & paulo post subjicit: *Jam si gratia propitiata recesserit, multo magis tunc timendum, ne forte contingat recidivam pati, juxta illud: Jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; audis recidere, quam incidere esse deterius? *prorsus invalescente periculo, invalescat & metus.*

2. Cor. 6. v. 1. Vult Deus gratiam datam donato permanere. S. Bern. ser. 59. in Cant.

3. Sanctus Bonaventura, ut efficax nobis ad non reincidendum in peccata pristina suggerat remedium, sequentem instituit utilissimam observationem; notans enim verba illa: *Postea invenit eum Jesus in templo*; *in hæc verba scribit: Et in hoc religionis edidit signum, non enim secesserat ad nundinas, nec voluptati dedit seipsum, sed in templo conversabatur.* Pro gratia accepta gratum se exhibuit, ad templum se recipiendo, ut Deo gratias ageret, suamque ad eumdem orationem effunderet; etenim ad hoc ne recidivemus in peccata, plurimum proderit, si quis se à periculis, & occasionibus, in quibus antea lapsus fuerat, sequestret, devotionique incumbat; Considerationis dignus est discursus ille, quem Didacus Stella ad hoc propositum his verbis instituit: *Duo præcipua mala peccatum efficit. Primum, separat animam à Deo, juxta illud Isaiæ: Iniquitates vestræ divisérunt inter vos & Deum; Secundum, quod efficit, est, ut ipsa voluntas bonum creatum amplectatur. Primum gratia resarcit, quæ amicum Dei hominem constituit; Secundum vero, quod est, ipsam voluntatem ad bonum creatum inclinari, hic quidem non omnino sanatur, nam interius manent quædam reliquiæ, & appetitus nescio quæ desiderii, & secundum tempus, quo fuisti in peccato detentus; secundum hoc sunt majores vel minores reliquiæ, ut etiam, si cum gratia pristinam valetudinem recuperes, nihilominus semper remanent quidam appetitus earum rerum, quas antea diligebas, atque ita, etiamsi peccator in anima omnino sanetur, ex hac altera non ita citius, sed paulatim incrementum sanationis accipit; ne igitur te incolumem omnino & sanum existimes; sed potius infirmum te judica, & ab occasionibus peccati recede.* Porro peccatum pesti assimilatur, prout ex hisce primi Psalmi verbis deducitur: *In cathedra pestilentiæ non sedit*; unde Sanctus Ambrosius: *Gravia irritamenta sunt voluptatum, gravis fomes avaritiæ, cupiditas potestatum, honoris ambitio, quæ velut veneno quodam mentes hominum, & quadam animas pestilenti vitiorum tabe contaminant.* Qui autem contagium vult fugere, fugiat loca pestifera, & à rerum infectarum contactu, nec non pestiferorum commercio abstineat necessum est. Et hoc idem observare debet, qui cavere sibi vult à recidivo in peccata pristina: *Ab occasionibus peccati recedat*; unde paralyticus ad templum mittitur, ut à relapsu peccati tanto magis sibi caveat.

Psal. 1. v. 1. S. Ambr. Peccatum pesti assimilatur.

Did. Stell. in c. 11. Luc. Duo præcipua mala efficit peccatum.

4. S. Basilius Magnus super cap. 1. Isaiæ diu ante in hæc verba scripserat: *Quid emolumenti adfert ægroto cura Medici, quando is, qui adversa valetudine conflictatur, suæ vitæ exitialia conquirit? sic ex culpis condonatis, nihil accedit utilitatis ei qui ad iniquitates, & offendicula redit; ex vemissis in temperantia flagitijs nihil lucri in eam resilit, qui adhuc in ijsdem versatur lasciviæ vitijs.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus exemplum adulteræ coram Salvatore præsentatæ adducit, inquiens: *Absolutam abire jussit, id solum ei injungens, quodammodo sibi à peccato cavere, & ne in priora relaberetur mala, summo studio vigilaret, nam incassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit, in pristinum incidit morbum*; hoc autem facillime contingit, prout per experientiam videmus, quando quis ad easdem vitæ inordinationes, quæ infirmitati suæ causam dederunt, revertitur; Didacus Stella eamdem infirmi similitudinem prosequitur inquiens: *Quando aliquis ex gravi quadam infirmitate liberatus est, cum jam vires incipit recuperare nisi diligenter sibi*

S. Basil. mag. in c. 1. Isa. Similitudo ab infirmo & Medico.

S. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Joan.

Did. Stell.

caveat, iterum in ægritudinem recidet. Tametsi enim medicinæ imminens sustulerint mortis periculum; remanet tamen mala illa inhabitudo & indispositio; sicut enim candela recenter extincta, & tametsi flamma abiit, tamen si vel è longinquo fumo parva quædam approximet scintilla, hæc omnino sufficit, ut candela ignem denuo subito concipiat; eodem modo jam ex infirmitate convalescenti, quælibet minima deordinatio victus, & inobedientia erga Medicum, ad hoc, ut malum recrudescat, abunde sufficit. Hic pariter est scopulus ille, in quem recidivi impingere solent; licet enim per absolutionem sacramentalem extincta, & abolita sit culpa; vivæ tamen remanent malæ inclinationes, pravique contracti habitus, & ideo ad quamvis minimam occasionem, vel incauti aspectus, vel lascivi verbi, vel gestus impudici, vel lubrici alicujus nuntij, ignis concupiscentiæ carnalis facile denuo reaccenditur. *Putant se jam sanos & valentes esse*, inquit Didacus Stella; *quia videbis aliquem, qui febri acuta longo tempore laboravit, cui si febris accessus, uno vel altero die defecerit, inquit statim, jam volo bibere, & comedere, usque ad satietatem, & iterum infirmitate laborat.* Necessum est igitur, ut infirmus, quoad usque perfecte sanatus sit, in continuo semper timore vivat, & *cum metu & tremore salutem operetur.* Idem quoque in multis contingit, qui se jam vires ad resistendum tentationibus habere præsumunt, eo quod firma sibi fecerint proposita, & tamen mox, ut in occasiones & pericula incidunt, de virtute propria confisi, turpiter relabuntur, ita accidit cuidam pœnitenti Sancti Philippi Nerij, ut in ejus vita refertur, qui postquam per aliquod tempus malam habuisset & lubricam cum lasciva quadam muliere familiaritatem, eaque tandem relicta, auxiliante Sancto Philippo in virum valde spiritualem evasisset, tandem proponere sibi cœpit, (non consulto Sancto Philippo) ad mulierem illam impudicam convertendam se recipere, at vero omnino contrarium evenit, siquidem ab eadem plane iterum perversus fictus fuit. Præfatus Didacus Stella in progressu ejusdem Discursus subdit sequentia: *Secunda ratio, quare quis in peccatum relabatur, est, quia debilem, & languidam virtutem habet, cum infirmitas multum duraverit, & hunc quicumque ventus adeo levis prosternit, vel robustus cibus, vel mala nox. Et hic talis opus habet, ut optimis, & delicatis cibis pascatur, ut naturalis virtus ad suum robur, & integritatem perveniat. Sic, qui antea ctum vitam maximis peccatis involverant, si virtutis vires recuperare velint, optimis vescantur cibis, scilicet sacris rebus, & concionibus interfint, sacros libros & spirituales legant, probis & rectis viris conversentur, & Sacramenta frequentent.* Idem Author ex sanato à Christo paralytico aliud quoddam documentum deducit inquiens: *Paralyticus opus habet, ut paulatim se moveat, ut membra ejus exerceantur. Sic qui ab ægritudine, & affectu peccati liberatus est, bonis actibus & operibus sanctis se exerceat. Cum hæc non adimpleantur, eum dæmon domum inveniat vacantem, & scopis mundatam, mirum non est, si redit peccator ad pristina peccata.* Quis umquam invenietur adeo sævipsius inimicus, qui cum lethaliter sit vulneratus & ab eodem vulnere postea curatus, sponte propria vulnus illud sibi reaperiat, ut inde moriatur, hoc autem facit, qui in pristina peccata relabitur, siquidem ex voluntate propria ad peccatum revertitur. *Nemo, nemo sic de ægritudine gratulatur*, inquit Chrysologus, *ut velit in vulnere permanere.* Et Sanctus Chrysostomus ad populum suum Antiochenum prædicans inquit: *Vix priore curato vulnere, ratione in eadem labimur, & ab ijsdem expugnamur.*

5. Serio ponderanda est pœna, quam Salvator paralytico, si quando ad peccandum rediret, his verbis prædixit: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* At vero quid huic homini deterius contingere poterat, qui 38. annorum spatio omni destitutus auxilio, lecto immobiliter affixus fuerat? Sanctus Cyprianus ait: *Sospitantis verba sunt & docentis*, ubi ly *sospitantis*, idem significat, quod *incolumem servantis, curantis pariter & monentis.* Salvator enim duplex illi præservativum submini-

Candela mox extincta ad minimum ignem reaccenditur.

Did. Stell.

Philipp. 2. v. 12.

Habens initium sanitatis debet cautè ambulare.

Exemplum.

Debet à nocivis abstinere.

Et delicatioribus foveri.

D. Chrysol. ser. 113.

D. Chrysost. Hom. 15. ad pop.

Duplex Christi præservativum.

S. Cypr. lib. de discip. & habitu virg.

pore, alterum pro anima. *Gravius comminatur, quod scilicet nulla sit venia ultra delinquere, postquam Dominum nosse cœpisti.* Sanctus Thomas hunc eumdem Sancti Joannis textum declarans, pariter inquit: *Quia qui post beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravioris supplicij reus efficitur, propter ingratitudinem, secundum illud 2. Petri 2. Melius erat eis, viam veritatis &c. Similiter etiam, quia postquam homo ad peccatum semel redierit, facilius peccat, secundum illud Matth. 12. Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Dionysius Carthusianus in expositione horum verborum sequens nobis tradit consilium: *Proponitum habe cavendi omne peccatum, ne major pœna tibi in præsenti, vel æterna damnatio infligatur, quoniam recidivantes, atque ingrati, graviorem pœnam merentur.* Nullum dari potest desperatæ salutis evidentius signum, quam quando medicina infirmo in venenum transmutatur. Unde ad eumdem populum Antiochenum Divus Chrysostomus in homilia quadam in hæc verba prædicavit: *Timor nos parvus, & periculum non mediocre, ne rursus ad ea redeamus, & vulnus nobis fiat de medicina; quanto namque major gratia, tanto amplius postea peccantibus pœna.* Subditus, qui contra vitam sui Principis conjuravit, nonnumquam ab eodem rogitam obtinet veniam; at vero si ad eamdem conjurationem machinandam denuo rediret, tunc utique illum irremissibiliter, & acerbissime castigari meruisse diceretis? Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait: *Relapsus in ægritudinem, periculosior esse solet, & exitio propior, quam prior ille languor, & quos prima valetudo adversa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio, sustulit è vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes redituri; Hæc enim secunda admodum periculosa est animæ febricitatio, proinde Dominus noster languido, qui octo & triginta annos decubuerat infirmus, jam sanato, & jussò tollere grabatum suum, atque ambulare, deinde dixisse legitur; Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, quibus sanè verbis significavit, per peccati iterationem hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodest obsecro studiosè vestes ablucre, & lotas rursum luto inquinare? sicut sus lota, dicit Sapiens, in volutabro luti; ita stultus, qui iterat stultitiam suam.*

6. Porro causa, cur in infirmo convalescente quæliber modica deordinatio recidivationem mortalem pariat, hæc est, quia complexionem, per præcedentem infirmitatem plane debilitatem invenit, & cum omni sit vigore destituta, malignitati supervenienti resistere nequit, ob nimiam naturæ dejectionem. Et vero omnis noster vigor ad resistendum vehementiæ tentationum, in divinæ gratiæ fundatur auxilio, dicente Apostolo: *Non ego sed gratia Dei mecum; omnia possum in eo, qui me confortat.* Et ideo si quispiam à mortifera peccati sui infirmitate sanatus fuerit, jamque paulatim convalescens, ex propriæ voluntatis electione deordinare vivit, id est, fit recidivus, ingentes ad denuo resurgendum experietur difficultates, quia non meretur sibi subveniri per auxilium gratiæ illius, qua fuit abusus, neque ab illo Deo adjuvari, cui sæpius dorsum obvertit, ut dæmonis partibus accederet. Sanctus Eligius Episcopus in homilia quadam exemplum adducit illius, cui crus fractum, vel manus aut brachium luxatum est, huic enim ossa in suum locum non nisi cum acerbissimis doloribus reponuntur; quod si vero ossibus in suas compages repositis, bis, ter, vel quater, eidem succumbat infortunio, impossibilis quasi, & nimis dolorosa ejus curatio censetur; *Similis ratio in animarum fracturis censenda est.* Omnis lepra in sacris litteris abominabilis, & detestabilis erat, eo quod figura esset peccati; nulla tamen erat abominabilior illa, quæ in cicatrice vulneris coaliti denuo progerminabat, prout videre est in libro Levitici cap. 13. Unde Sanctus Hieronymus ait: *Qui curatus est, caveat ne iterum peccet; ne ruptum ei aliquid deterius fiat. Legimus in Leutico (si tamen oculis apertis legimus, & velamen, quod in lege positum est, interius oculi non excludit intuitum) in vibice & cicatrice combustura lepram solere generari, & mature colorem pili, & ad priorem deformationem cicatricis novellam accedere fœditatem. Hoc propterea,*

S. Thom. in Joan. 2. Pet. 2. 20.

Matth. 12. 45.

Dion. Cart. Signum desperatæ salutis.

D. Chrysost. Hom. 21. ad pop.

S. Cyrill. ibid. In morbum relapsi difficulter curantur.

S. Elig. Noviom. Homil. 15.

Exemplificatur in illo qui passus est crurifragium.

Unde proveniat facilis recidivatio.

Levit. 13. v. 20.

S. Hieron. in cap. 7. Mich.

Lepra generatur in cicatrice.

propterea, ne quis securus de pœnitentia, eo, quod peccator possit dicere, iram Dei sustinebo, quoniam peccavi ei, donec justificet causam meam, peccet, & cauterio indigeat, & sanatus iterum vulneretur. Cui Hieronymiano asserto addere possumus, quod sicut vulnus, super eodem vulnere recenter sanato de novo inflictum, difficillime curatur, ita quoque difficilis sit curatio & pœnitentia peccati alicujus, post veniam præcedentis peccati noviter receptam, renovati. Divus Chrysostomus ait: *Te jam instituit Dominus, tibi gestorum exempla proposuit. Ecce, inquit, sanus factus es, noli jam amplius peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro, qui post absolutionem non peccat, præmium meretur; qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum; qui gratiam illæsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Gravius est enim hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare; servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit.* Petrus Blesensis de confessione differens authoritatem adducit Sancti Augustini dicendo: *Verbum Augustini est? Inanis est pœnitentia, quam jequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius; sic lugens & peccans veniam non meretur. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata; nec valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare.* Quidnam obsecro diceres de illo vulnerato, qui postquam cum ingenti pecuniarum dispendio, cum acerbis corporis sui doloribus, & fatigationibus, post longam temporis moram vulnus lethale tandem sanatum accepit, si idem ille propria sponte vulnus illud per ferrum quoddam reaperiret, illudque multo lethalius & periculosius efficeret, quam antea erat; hoc autem facit peccator recidivus, & ideo sensus verborum illorum. *Ne deterius tibi aliquid contingat, noli amplius peccare*; hic est, prout exponit Cardinalis Toletus: *si iterum peccaveris, si peccatum repetieris, scio non priorem morbum, sed multo pejorem te contracturum.* Idem Cardinalis vim verbi, *contingat*, ponderans subjungit: *Attende verbum, contingat, licet non statim venerit, tamen quando minime expectaveris, quando magis tibi tutus videberis, veniet pejus hoc, & deterius, quam priusquam.* Idem in Annotatione decima inquit: *Post peccatum expectat Deus ad pœnitentiam, ex magna misericordia, quando ergo iterum peccat, idem repetendo, aut simile committendo peccatum, gravior est culpa, quo qui peccat, Dei misericordia, ad pœnitentiam expectantis & invitantis magis abutitur, & multo gravius est, si præcedentis peccati obtinuerat remissionem, & iterum peccet, & adhuc gravius, si admonitus, & correctus à Deo, respuit. Si ergo languidus peccatum repetisset, gravissimum fuisset, quia à Deo expectatus, correctus, sanatus, remissionem consecutus, & admonitus, ne iterum peccaret, nihilominus peccatum commisisset.*

D. Chrysost. ser. de lapsu prim. hom. in fin.

Vulnus in cicatrice inflictum difficulter curatur.

Petr. Bles. de confess. sacram.

Joan 5. 14.

Tolet. ibid. Explicatur quid sit contingat.

Tolet. annot. 10. ibid.

S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2.

Salmeron. Tom. 7. tract. 8. Reprehensio ingratitudinis.

Orig. tract. 7. in Matth.

Matth. 18. 32. Ibid. v. 33.

Debitoris evangelici post ingratitudinem pœna fuit aucta.

S. Antonin. p. 2. Tom. 3. cap. 9. §. 4.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Supplicium reincidentium in peccata semel dimissa, notabiliter augetur, ob gravem ingratitudinem, quam in pristina peccata reincidendo committunt.

THEMA.

Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus. Matth. 18. ℣. 34.

1. INfelix ille servus, cujus in hac à Salvatore composita parabola sit mentio, peccatorem præfigurabat recidivantem, cui recidivationi adjungitur velut circumstantia aggravans, ipsa ingratitudo. Decem millia talentorum, quorum Regi suo debitor erat, infinitum præfigurabant debitum, quo peccator Deo obstringitur. Unde Christus in oratione Dominica, culpam debitorum nomine exprimit, nam ubi Sanctus Matthæus habet: *Dimitte nobis debita nostra*, Sanctus Lucas scribit: *Peccata nostra.* Peccatum vero per imperceptibilem & indissolubilem hanc summam delineatur, quia, ut Doctor Angelicus ait: *Peccatum habet quamdam infinitatem, ex infinitate divinæ Majestatis, tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.* Cumque immensum hoc debitum huic ingrato tanta cum liberalitate condonatum fuisset, id est, dimissum ei esset omne ipsius delictum, paulo post nihilominus benefactorem suum offendere non erubuit, in illatione injuriæ illius, quam cuidam debitori suo, ejusdem Regis Aulico irrogavit, sine ullo Regis respectu, in cujus contemptum injuria illa quoque resultabat. Salmeron de hoc debitore ait: *Significatur insignis & ingratissimus peccator.* Unde circa hoc propositum ingeniosa est illa ab Origene conscripta observatio. Reflectit enim se ad hoc, quod quando Rex debiti sui rationes ab ipso postulabat, ille vero non habebat, unde satisfaceret, *jussit eum Dominus ejus bona venumdari*; at vero certior factus de crudelitate & inhumanitate, ab hoc servo erga suum creditorem exercita, magis indignatus accerbis hisce verbis eum reprehendit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui ...? tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* At verò cur non præcepit, ut tamquam mancipium venderetur, quemadmodum prius ordinaverat? cur nunc illum multo indignius, quam antea tractat, siquidem non solum irascitur ei, sed & illi comminatur, eumque injurioso verbo reprehensum tam sævere castigat, dum illum carnificum manibus consignat? Respondet Origenes: *Tradidit eum tortoribus, & jam non jussit eum venumdari, & uxorem ejus, & filios, quia pejus oportebat pati, propter malitiam suam, traditum tortoribus.* Sanctus Antoninus ait: *Servus liberatus à servitute, propter ingratitudinem commissam erga Dominum suum, redigitur in servitutem, secundum jura.* Rex ille huic temerario servo magnum contulerat beneficium, non solum in eo, quod condemnationem contra ipsum fulminatam, ut scilicet ipse, & uxor, & filij ejus venderentur, relaxarit, verum etiam quia totum illud infinitum debitum ei condonarit, justum igitur erat, ut qui per suam ingratitudinem debitum erga Regem & Benefactorem suum deposuerat respectum, atrociori quam servitutis pœna castigaretur, *tradidit eum tortoribus &c.*

Peccatum habet quamdam infinitatem.

Matth. 6. 12. Luc. 11. v. 4.

2. Paulus de Palatio inter alias hujus servi allegatas malitias, hanc quoque recenset: *Peccavit ex ingratitudine, servus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis; ergo recepisse summa beneficia à Domino, fratrum amorem summe cupiente, & jubente, & torquere fratrem, tam exigui æris debitorem, id mortale Domino visum est.* Porro ex contextu parabolæ deduci posse videtur, quod cum Rex ille debitum infelici huic servo semel remissum, in pœnam ingratitudinis suæ denuo resuscitet, illudque ab eo exegerit, *quoadusque redderet universum debitum*, idem pariter in recidivis contingere dici possit. Verumtamen ne in materia tanti momenti erremus, operæ pretium esse duxi, illas adducere doctrinas, quas interpretes pro hujus dubij solutione in medium attulisse reperio. Et quidem Abulensis, qui hanc quæstionem diffuse discussit, tandem in hæc verba concludit: *Dicendum peccata redire dicuntur, non quidem quantum ad se, quod est redire quantum ad actum, culpam, maculam, reatum ad pœnam, quia omnia ista sunt aliquid in peccato, sed redeunt peccata dimissa quantum ad effectum suum, quia ex peccatis commissis, relinquitur aliquid in sequentibus peccatis, etiam postquam illa remissa fuerunt, ex eo enim, quod homo per peccatum offendit Deum, postquam remissionem præcedentium peccatorum accepit, actus sequens peccati incurrit quamdam deformitatem ingratitudinis, quia gravius reputatur peccatum, quod quis facit, postquam accepit remissionem, quam prius; sicut gravius peccat, qui offendit illum, à quo beneficia suscepit, quam si offendat eum, à quo nulla unquam beneficia susceperit; & quia remissio peccatorum est beneficium quoddam; quod à Deo recepimus ultra cætera beneficia, magis ingratus est, qui post remissionem peccatorum peccat, quam prius. Et ista deformitas ingratitudinis, addit aliquam magnitudinem peccato, & quantum ad hoc redeunt peccata dimissa, quæ nisi illa præcessissent, non esset ista magnitudo peccati.* Idem Episcopus Abulensis in

Paul. de Pal. in Matth. Quare in evangelio exigitur à servo debitum semel dimissum.

Abul. Tom. 4. in Matth. c. 18. q. 140.

Redeunt peccata quoad effectum.

[Abul. ibid. q. 145. — In omnibus recidivis involvitur ingratitudo.]

q. 143. denuo hoc punctum declarat sequentibus verbis : Sciendum , quod peccata dimissa dicuntur redire , non solum quando quis peccat in primo peccato post remissionem peccatorum ; sed etiam omnibus alijs vicibus , possunt dici redire longe , quia iste reditus non est , nisi quantum ad circumstantiam ingratitudinis , & tamen non solum in primo peccato post remissionem, committit ingratitudinem qui peccat , sed etiam in omnibus alijs , ideo possent in quolibet peccato dici redire , quia tanta ingratitudo est in secundo peccato , post remissionem , quanta in primo , & ita de alijs. Hæc tamen ultima verba difficultatem in se continere videntur, atque ideo declaratione indigent , quia nullus est, qui non dicat , multo majorem esse ingratitudinem illius , qui Deum offendit, postquam ab eo non semel, sed sæpissime remissionis beneficium accepit. Sanctus Antoninus diu ante Abulensem hanc difficultatem definivit inquiens : Propter ingratitudinem peccata dimissa redeunt , unde Dominus in parabola de servo debitore decem millium talentorum , qui ut ingratus noluit misereri conservo suo, pro parvo debito centum denariorum , ob amorem Domini sui, qui sibi remiserat decem millia talenta , iratus contra eum tradidit tortoribus , quoadusque redderet universum debitum ; ubi dicit Rabanus : Considerandum est , quia dicit universum debitum , quia non solum peccata , quæ homo egit post Baptismum, imputabuntur ei ad pœnam , sed etiam originalia , quæ ei in Baptismo remissa erant. Ut autem , qualiter hoc intelligendum sit , exponat , authoritatem adducit Doctoris Angelici, de quo ita scribit : Post alias opiniones , determinando dicit , quod peccata dimissa realiter numquam redeunt ad animam , nec quoad culpam , nec quoad pœnam , ut scilicet pro omnibus dimissis sustineat pœnam , sicut si numquam fuissent dimissa. Nec etiam sequens culpa recidivi , est tantæ gravitatis , sicut omnia dimissa peccata simul, nec est etiam digna tanta pœna , quantam merebantur omnia illa , sed redire dicuntur secundùm quid, non simpliciter, id est , secundùm quemdam effectum aggravationis , propter illam circumstantiam ingratitudinis. Habet enim illa culpa recidivi , quamdam majorem gravitatem , propter illam ingratitudinem. Paulò post vero subdit idem Sanctus Antoninus : Hoc idem confirmat Gratianus de pœnitent. distinct. 4. 5. verum dicens , ubi ait : Illa peccata dimissa redire dicuntur , quia quisquis post acceptam remissionem ad vomitum redierit , tanto gravius punietur , quanto benignitate Dei abusus , singulorum remissioni acceptæ , ingratus exstitit. Cajetanus hoc quoque dubium ventilat inquiens : Quomodo sine pœnitentia sunt dona Dei , ut Apostolus dicit ad Roman. 1. si debita semel donata à Deo , postea repetuntur ? & respondet : Repetuntur , non ut fuerunt prius debita , sed ut modo effecta sunt materia ingratitudinis tam inhumanæ , ingrata siquidem hæc inhumanitas , tanto magis pensanda est , quanto majus fuit beneficium donationis tantorum delictorum. Paulus de Palatio similiter ait : Cum quis summa beneficia post summa debita , & peccata recepit à Domino , si iterum offendit in scelere grandi, hoc peccatum ex ingratitudine fit gravissimum ; adeo ut gravitatem præcedentium delictorum , aut superet , aut æquet. Dionysius Carthusianus similem habet expositionem : Indirecte , & aliquo modo redire dicuntur, in quantum sequentia vitia graviora, & damnabiliora sunt , propter ingratitudinem , indultæ pietatis , & propter recidivum in eadem mala , sicut & periculosius est , eamdem corporis partem vulnerari , quæ læsa est semel.

[S. Antonin. Ibid. — Redeunt peccata secundùm effectum aggravationis. — Cajetan. — Paul. de Palat. — Dion. Cart.]

3. Non potest dari donum aliquod cœleste homini magis necessarium , quam sit donum remissionis peccatorum ; Unde Concilium Tridentinum ita decidit : Fuit pœnitentia universis hominibus , qui se mortali aliquo peccato inquinassent , quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria. Cum enim nos ad cadendum adeo proni simus , Deus nobis in pœnitentia de beneficio remissionis peccatorum prospexit , quo ab inferno eruti in paradisum remittimur , recidivi autem huic quasi infinito beneficio ingrati abutuntur, indeque occasionem sumunt majori cum licentia peccandi , dum per facilitatem remedij & divinæ misericordiæ præsumptionem ad peccandum animantur. Unde Tertullianus ait : Hoc enim dico , pœnitentiam , quæ per Dei gratiam ostensa , & indicta nobis , in gratiam nos Domino revocat , semel cognitam, atque susceptam , numquam posthac iteratione delicti, resignari oportere : Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur , quod Domino agnito , præceptisque ejus admissis , denique pœnitentia delictorum functus , rursus te in delicta restituis. Ita , in quantum ignorantia segregaris , in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam si idcircò te deliquisse pœnituerat , quia Dominum cœperas timere , cur quod metus gratia gessisti , rescindere maluisti , nisi quia metuere desiisti ? Neque timorem alia res , quam contumacia subvertit. Cum enim ignorantes Dominum , nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto constitutum , & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quanto cognitum despici periculosum est ? Despicit porrò , qui bonorum , ac malorum intellectum ab illo consecutus , quod intelligit fugiendum , quodque jam fugit resumens intellectui suo , id est , Dei dono , contumeliam facit , respuit datorem , cum datum deserit , negat beneficum , cum beneficium non ignorat. Quemadmodum ei potest placere , cujus munus sibi displicet ? Ita in Dominum non modo contumax , sed etiam ingratus apparet. Quanto enim divinæ gratiæ, in abolenda culpa præcedenti , abundantiores fuerunt , tanto injuriosior est contemptus , qui ei per hoc irrogatur , quod amicitiæ & gratiæ Dei illius , qui tantis nos beneficiis auxit , renunciemus , atque ad illum offendendum retrogredi non vereamur. Ingratus existit , inquit Sanctus Augustinus, qui plenus virtutibus , Deum non omnino timuit. In hoc enim quisque fit culpabilior , quo est Deo acceptior ; ideo enim Adamus plus peccavit , quia omni bono abundavit. Sanctus Cyprianus de iis differens , qui à pœnitentia recidunt , inquit : Deus quantum patris pietate indulgens semper , & bonus est, tantum Judicis majestate metuendus est.

[Conc. Trid. sess. 14. c. 1. — Necessitas doni remissionis peccatorum. — Tertull. l. de pœnit. cap. 5. — Recidivus desinit Deum timere. — S. August. lib. de pœnit. — S. Cypr. ser. de lapsis.]

4. Postquam Salvator suam erga paralyticum illum exhibuisset benignitatem , eumdem monuit dicens : Noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat ; ubi Sanctus Bonaventura ad ly deterius se reflectens , inquit : Merito deterius contingit tali , ob majorem ingratificationem , & inexcusabilitatem. Sanctus Chrysostomus in Homilia prima in Acta Apostol. rationem assignat , cur recidivus relabitur ; ait enim : Ideo namque posteaquam acceperimus, socordes sumus , quod priusquam acceperimus , non vigilaverimus. Ideo complures, posteaquam acceperunt , protinus redierunt ad priorem vomitum , redditi deteriores , gravius supplicium sibi accerserunt, eo quod à prioribus peccatis liberati , hoc pacto etiam gravius Judicis iram in se provocarunt, dum tanto liberati morbo , nec sic quidem ad sanitatem mentis converti potuerint ; quin illud potius illis usu venit , quod paralytico comminabatur Dominus dicens : Ecce sanus factus es , jam noli peccare , ne quid tibi deterius eveniat. Item quod Judæis prædicabat , ostendens , quod illos ob ingratitudinem immedicabilia manerent mala. Si non venissem , & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Itaque posthac , dupla , & quadrupla peccata fiunt. Qui sic ? Quoniam post exhibitam nobis dignationem, ingrati sumus, & improbi. Quapropter nihil nobis proficit lavacrum , ad hoc ut mitius puniamur.

[Joan. 5. v. 14 — S. Bonav. Ibid. — D. Chrysost. Hom. 1. in Acta. — Ratio, cur à peccatis liberati facilè relabantur.]

5. Ex quo ingrati hujus populi mentionem fecimus , observandum est , quod sacer textus in libro Judicum cap. 3. inquit : Quievit terra quadraginta annis ; & confestim subdit : Addiderunt autem filij Israël facere malum in conspectu Domini. Ubi ly addiderunt , mysterium in se continet , per hoc enim vult dicere , non suffecisse illis , quod coram falsis numinibus Gentilium genua sua flexerint, quin etiam gravissimo ingratitudinis scelere peccarint , quia cum Deus illos per quadraginta annos ab inimicis tutatus fuisset , ipsi eidem hanc retulerunt retributionem , quod scilicet idola adorarent ; unde severissimum sibi accerserunt supplicium , videlicet , ut à populis alienigenis infestati, ipsorum fierent servi. Confortavit enim adversus eos Eglon Regem Moab.

[Judic. 3. v. 11. — Quid sit addere facere malum. — Ibid. v. 12.]

6. Abulensis inquit : Quæret aliquis , quare tanto tempore nunc Deus presserit Israëlitas , cum antehac solum sex annis eos presserit sub jugo Syriæ pro idololatria ? Responderi posset , quod hoc factum est propter majorem contumaciam , nam quanto peccatum pluries iteratur , est major contumacia , & pœna major infligenda est. Cum ergo ibi non fuerint castigati , nunc pœna augmentata est ; sic etiam

[Abul. ibid. q. 16.]

factum

factum est sequenti capite , nam cum iterum rediissent Israëlitæ ad idololatriam , Deus tradidit illos vinginti annis sub manu Jabin , Regis Asor. In libro Tobiæ legitur, Sanctum hunc senem morti vicinum prædixisse , non procul abesse urbis Ninive exterminium : Prope erit interitus Ninive. At vero undenam hanc imminentem præsagiebat desolationem , siquidem sciebat , quod ad prædicationem tam austeram Ninivitæ fecissent pœnitentiam quodque Deus ab illis removisset flagellum , à Jona his verbis comminatum : Adhuc quadraginta dies , & Ninive subvertetur ? Respondeo, hanc eamdem pœnitentiam ruinæ ipsius veram fuisse causam, quia cum post lumen & notitiam veri Dei , postque suam conversionem , in scelera pristina reinciderit , merebatur utique, ut in pœnam abusus divinæ gratiæ , suæque ingratitudinis, omni cum severitate castigaretur : Jonas Propheta prius denunciaverat Ninive subversionem , inquit Lyranus , sed quoniam ad verbum ejus egerunt pœnitentiam , ideo subversio illius fuit dilata , postea vero Ninivitæ reversi ad vitia consueta , propter quod destructionem ejus iterum dixit Dominus per Naham Prophetam , quæ destructio facta est per Chaldæos , & hanc destructionis appropinquationem prædixit hic Tobias. Sanctus Leo Attilam victoriis obtentis tumidum , ne in destructione Italiæ ulterius progrederetur , eloquentiæ suæ facundia nec non orationum suarum efficacia repressit , & coërcuit , & licet pari quoque modo Gensericum Regem ab Urbis Romanæ invasione deterrere potuisset , nihilominus huic ingratæ urbi prædixit , quod in pœnam ingratitudinis suæ , quia nimirum primo beneficio , quo ab Attila liberata fuit , Deus illam severe castigaturus esset , quemadmodum postea per inimicum hunc exercitum revera contigit.

[Major contumacia majorem meretur pœnam. — Tob. 14. v. 6. — Jona. 3. v. 4. — Ninivitæ recidivi gravissimè puniuntur. — Lyran. ibid. — Ingrata Roma punitur.]

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Varia considerantur mala , quæ in eos , qui ad peccata pristina redeunt , derivantur , quæ proinde viri timorati pro viribus fugere nituntur.

THEMA.

Fili peccasti ? non adjicias iterum , sed de pristinis deprecare , ut tibi dimittantur. Eccli. 21. ℣. 1.

[Recidivatio est signum de priori peccato non fuisse pœnitentiam sufficientem. — Eccli. 5. v. 5.]

1. Ecclesiasticus , præclarus ille spiritualis vitæ præceptor , omne studium nostrum in eo positum esse vult, ut Deum precemur, ad dimittendum nobis olim à nobis commissa peccata nostra (id quod in capite primo ejusdem libri similiter suaserat dicendo : De propitiato peccato noli esse sine metu) tantum igitur abest , ut in peccata pristina recidivantes toleret , ut etiam à nobis requirat , ut toti in eo simus , ut divinam Majestatem propter peccata antecedentia placemus , cum firmo eadem numquam reiterandi proposito : Fili peccasti ? non adjicias iterum. Enimvero is , qui ad vomitum redit , se cibum priorem nondum digessisse ostendit : sic quoque qui in eadem peccata relabitur , pariter severam pro peccatis antecedentibus non esse pœnitentiam indicat. Salvianus illis , qui adeo ad relapsum proclives sunt, his verbis execrabatur. Nam taliter ferme omnia agant , ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse , quam postea ipsius pœnitentiæ pœnitere , nec tam prius pœnituisse , quod male vixerint , quam postea , quod se promiserint bene victuros. Tertullianus de pœnitentia ait : Siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti , quia locum non habet nisi in delicto. Qui autem crimen suum in tribunali pœnitentiæ sacramentalis confitetur , illud necessariò detestari , & abhorrere debet , simulque stabile & resolutum facere propositum , illud numquam deinceps amplius committendi : neque hoc solum , verum insuper in eo sibi complacere, vel illud approbare non debet , ne quidem in interiori sinu conscientiæ ; quando autem Christianus idipsum vere & ex corde operatur , qua ratione tanta cum facilitate , & dispositione , ad illud denuo redire , vel tamquam canis vomitum suum resorbere potest.

[Salvian. lib. 3. de guber. — Tertull. de carne Christi c. 8. — Pœnitentia requirit propositum emendationis.]

2. Salvator noster Lazaro , tamquam vero peccatoris typo , præcepit , ut à morte peccati ad gratiam resurgeret , dicendo : Veni foras. Richardus à S. Victore exinde ad propositum nostrum sequentem eruit moralitatem , inquiens : Quid est autem resuscitatum , inde , unde mortuus jacuerat , exire , nisi peccatum suum penitus , & in perpetuum deserere ? Sanctus Isidorus ait : Confessio erroris , professio est desinendi , desinendum ergo à peccatis , dum confessio est. P. Lucas Pinelli, ut multorum redarguat errorem , qui sibi persuadent, veram se egisse pœnitentiam , eo solum , quia peccata sua confessi sunt , licet in ea confessione non fuerint soliciti de faciendo sibi firmo & stabili non recidivandi proposito , sequens refert exemplum. Erat Canonicus quidam Parisinus, qui licet recreationibus & deliciis deditus esset , cum signis tamen veræ pœnitentiæ mortuus fuit , qui tamen paulo post cuidam amico suo apparuit, eique se damnatum esse dixit, cumque hic eum interrogaret : Nonne salutis remedia ante mortem recepisti ? Respondit miser : Recepi , sed mero mortis metu , sine emendationis proposito , & si supervixissem , iterum ad pristinas delicias reversus fuissem. Sanctus Augustinus igitur veræ cujusdam pœnitentiæ indicium indicat , dum ait : Magnum est salutis medicamentum , non iterare , quæ impie gessimus , nec priores cicatrices vulnerum resauciare. In infirmo aliquo nullum potest esse majus malum , quam si de infirmitate sua gaudeat, eamque gratam habens , continuo foveat , medicum autem , & præscripta ab eodem remedia detestetur & abhorreat ; hoc autem ut plurimum in his, qui secundùm animum infirmi sunt , contingere solet , siquidem erga peccata sua afficiuntur , à confessione autem à patribus spiritualibus , & præscriptis ab iisdem salutaribus remedijs , nec non ab omni alio , per quod mortem æternam evadere possent , nauseam & aversionem habent.

[Joan. 11. 43. — Explicantur verba Christi dicta Lazaro; veni foras. — Richard. de S. Vict. lib. de potest. sol. & lig. cap. 7. — S. Isidor. lib. 6. orig. cap. 19. — Luc. Pinell. lib. 1. de alt. vit. cap. 5. — Exemplum de non sincere pœnitente damnato. — S. August. ser. 66. de temp. — Pessimum malum si infirmus suam infirmitatem foveat.]

3. In libro Josue maledictionem quamdam legimus , fulminatam contra illos , qui muros Jericho denuo reerigere præsumerent : Maledictus vir coram Domino , qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. Dionysius Carthusianus sensum hujus textus spiritualem his verbis exponit : Per Jericho intelligitur unaquæque prava & vitiosa societas , quæ increpari , & corrigi dedignatur , & contra Prædicatores & Prælatos virtuosos se armat varijs modis , quam tamen Christus frequenter per sanctos Prædicatores dejicit , & convertit. Qui Jericho suscitat , atque ædificat , id est , vitia sæcularia renovat, & mundanas societates fovet , maledictioni subjicitur. Consideratione digna est doctrina , quam Sanctus Hilarius super Psalm. 137. scribens in hæc verba tradit : Nullus id , quod peccatum esse confessus est , deinceps debet admittere , quia confessio peccati , professio est desinendi. Unde necessariò sequitur , quod qui facile ad pristina peccata redit , exiguam vel nullam illius habuerit pœnitentiam , vel propositum deserendi illud. Porro quale sit damnum , quod recidivantes sibi ipsis procurant , Sanctus Isidorus in sententiis suis sequenti similitudine declarat inquiens : Iteratio peccati gravior est , sicut si morbus super morbum veniat; sicut enim recidivatio in eamdem infirmitatem sæpe lethifera est & irremediabilis , ita recidivatio in peccatum valde est periculosa. Non sine mysterio Sanctus Paulus ad Romanos ita scribit : Quid ergo dicemus ? permanebimus in peccato ? ... Absit. Qui enim mortui sumus peccato , quomodo adhuc vivemus in illo ? An ignoratis , quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu , in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum , in mortem , ut quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris , ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Verbis autem sequentibus egregie ostendit , pœnitentem nulla ratione fieri debere recidivum , subdit enim : Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est , ut destruatur corpus peccati , & ultra non serviamus peccato ; & paulo post ait : Scientes , quod Christus resurgens ex mortuis , jam non moritur , mors illi ultra non dominabitur ; Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, ita & vos existimate , vos mortuos quidem esse peccato. Sanctus Ambrosius ad illa se verba reflectens : Christus mortuus est semel , unumquemque Christianum hortatur inquiens : Cave ne cum mortuus fueris semel , moriaris iterum , jam non peccato morieris , sed veniâ. Enimvero justitia punitiva Dei majori

[Jos. 6. v. 26. — Dion. Cart. Ibid. — S. Hilar. in Psalm. 137. — Iterum peccare est reædificare muros Jericho. — S. Isid. lib. 2. sent. cap. 23. — Rom. 6. v. 1. & 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 4. — Ibid. v. 5. — Sicut Christus non amplius moritur, ita homo non debet amplius peccare. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 9. — Ibid. v. 10. — Ibid. v. 11. — S. Ambros. ser. 18. in Psal. 118.]

cum

cum indulgentia adversus prima delicta procedere solet; at vero quando peccator sæpius prolapsus est, ingenti utitur rigore.

4. Bina vice Salvator noster adversus templi profanatores graviter indignatus fuisse legitur, & quidem primo, ut Sanctus Joannes cap. 2. refert, id fecit appropinquante jam Paschate, secunda vero vice idipsum apud Sanctum Matthæum cap. 21. eodem die fecit, quando cum jubilo, & pompa triumphali ei Jerosolymam contendenti obviam occurrerunt; hanc tamen inter utramque vicem indignationis reperio servatam esse differentiam, quod prima vice majorem exhibuerit benignitatem, & benevolentiam; *Auferte ista hinc, & nolite facere domum meam domum negotiationis*; at vero secunda vice, adeo se exhibuit iracundum, ut licet nullam virtutem majori cum solicitudine docuerit, quam virtutem mansuetudinis: *Discite à me, quia mitis sum*, attamen tunc à justissimo zelo suo adeo se rapi permisit, ut *mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas everterit, & dixerit eis: Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Verum enimvero quisnam ex vobis differentiæ hujus causam indicare valebit? causa illius haud alia fuit, quam quia secunda vice severiorem promeriti fuerint reprehensionem, & supplicium, quam prima, eo, quod secunda vice in eamdem reincidirint sacrilegam profanationem, neque à prima se emendaverint, *servus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* Unde Sanctus Thomas ait: *Quia ex earum duritia adhuc à tali negotiatione non cessabant; ideo Dominus alia vice eos expellens, duritas eos increpat, vocans latrocinium, quod primo vocaverat negotiationem.*

Matth. 21. 13 Christus secundâ vice ferventius increpavit profanatores templi, quam prima. Joan. 2. v. 16. Matth. 11. v. 29. Marci. 11. 15 Ibid. v. 17. Luc. 12. v. 47. S. Thom. ibid.

5. Sanctus Bonaventura postquam examinasset monitum Salvatoris, quod paralytico in templo reperto dederat, dicendo: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; mox adducit sequens Ecclesiastici documentum: *Fili peccasti? non adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi remittantur*; Et paulo post idem Ecclesiasticus subdit, *quasi à facie colubri fuge peccata.* Porro is, qui semel à serpente morsum accepit, numquam adeo sibimetipsi inimicus erit, ut serpentem denuo manibus apprehendat, & in sinum suum recondat, & tamen idipsum facit, qui in peccatum recidivat, hic enim, postquam semel à serpente infernali sauciatus, pestiferum peccati venenum imbibit, adeo est temerarius, ut denuo mortiferum illud toxicum in sinum suæ conscientiæ recondat. Subdit vero Sanctus Bonaventura: *Hoc est thesaurizare iram Dei, peccata iterare; ignorasi, quia misericordia te ad pœnitentiam adducit?* Misericordia nim Dei, quam semel adeo benignam erga nos experti fuimus, nos in pœnitentia confirmare & stabilire, non vero ausum suggerere deberet ad eamdem Dei misericordiam denuo offendendam, & irritandam. Merito contra ejusmodi recidivantes Beatus Laurentius Justinianus in hæc verba exclamat: *O peccantium conditio miserabilis! ô tentationum horrendum genus sub specie indulgentiæ facinora graviora committere!* Est hic horrendus divinæ pietatis abusus, licet ab impiis parum consideratus, quod scilicet ea utantur, non ad persistendum in pœnitentia peccati dimissi, sed ad committenda nova peccata. *Non enim ad multiplicanda*, inquit Chrysologus, *sed ad delenda delicta imbrem suæ pietatis effudit.* Quis invenietur adeo delirus, qui postquam per aliquam vitæ deordinationem infirmitatem quamdam mortiferam contraxit, & ab eadem per peritum quemdam Medicum, per ferri incisiones, vel ignitas cucurbitulas, medicinarumque amaritudinem sanatus fuit, subito ad eamdem inordinationem repetendam revertatur, ea ductus spe, quod denuo sanari possit; & tamen huic temerariæ præsumptioni solus innititur recidivus, idque in negotio adeo periculoso, tantique momenti, quale est salus æterna animæ. Ratio autem hujus præsumptionis est; quia peccator in longanimitatem & patientiam Dei sperat, non tam ad abolendas, quam ad multiplicanda, & continuanda peccata sua, *ingratus medico, inimicus est curæ*, inquit Chrysologus, *qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat sanari, & ita Dei gratiam sibi cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari. Miser, qui tali voto reus esse contendit per veniam. Fugienda dementia ista est, fugienda, quæ etiam post curam captiva tenetur amore morborum, recidiva enim lethalis est sæpius ægritudo.*

Horrendus est divinæ pietatis abusus. B. Laur. Just. de triumph. Christ. ago. cap. 9. D. Chrysol. ser. 113. Cui motivo innitatur recidivus. D. Chrysol. ibid. Joan. 5. 14. Eccl. 21. v. 1. Læsus semel à serpente non illum fovet in manibus suis. S. Bonav. in collat. 25. c. 5. Joan.

6. *Non adjicias iterum.* Enimvero qui aliquem offendit, cujus dignitatem personæ non agnoscit, aliqualem meretur excusationem, neque tanta cum severitate castigandus est, quam si illum prius, quis esset, cognovisset. Hæc autem est recidivantis excellens malitia, quod injurius sit divinæ gratiæ, & benignissimæ misericordiæ quæ prius veniam illi indulgendo, tam peramanter eum excepit. Sanctus Apostolus scribit ad Galatas illorum peccata ante conversionem ipsorum aliqualem habuisse excusationem ob defectum veræ notitiæ veri Dei, post conversionem vero omni excusatione indigna esse. *Tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt dij, serviebatis; nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Et verò recidivum aliquem interrogare percupierem: Conculcastine, quando veniti ad pœnitentiam voluptatum tuarum, & effræmium appetituum tuorum idola? Acquisistine ubi lumen & notitiam veritatis? si ita, qua igitur temeritate ad erigenda eadem falsa numina, & ad offerendum dæmoni incensum reverteris? In libro Josue Deus huic heroi dixisse legitur: *Hodie abstulit opprobrium Ægypti à vobis.* At vero qua ratione nos securi esse poterimus, hoc Ægypti opprobrium à nobis esse sublatum? Respondet Origenes: *Si post remissionem peccatorum ultra non pecces, vere ablatum est à te opprobrium Ægypti; si vero iterum peccaveris, iterum in te reverterunt vetera opprobria.* Auscultetis velim, qualiter Salvianus his, qui adeo faciles sunt ad reincidendum in pristina peccata, his verbis improperet: *Qui Christum jam agnovisti, & negligis, quem agnovisti, qui susceptus es quasi intra os Dei, projicieris per torporem, quod quidem etiam Beatus Apostolus Petrus eziderenter exposuit, dicens de male viventibus Christianis: Melius erat illis non agnoscere veritatem, quam cognoscentibus retrorsum reflectere à traditio sibi mandato. Contigit illis res vera proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Sanctus Bonaventura inter alia recidivationis damna, etiam sequentia enumerat inquiens: *Culpa fit difficilior ad curandam, unde Jerem. 2. cap. O quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas, unde etiam dicitur, quod vulnus iteratum tardius sanatur.* Est & aliud damnum à Doctore Seraphico pariter insinuatum: *Deus fit difficilior ad placandum*, quod patet in exemplo Semei, *qui ad primam petitionem invenit misericordiam, eo tamen pacto, quod staret in Jerusalem, sed quando secundario peccavit, sine ulla misericordia occisus est.* Clemens Alexandrinus super illa verba: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis &c.* ita scribit: *Continuæ autem, & se vicissim excipientes propter peccata, pœnitentiæ, nihil differunt ab ijs, qui omnino non crediderant, prætergnam in eo solo, quod se peccare senserant; neque scio, utram sit deterius, prudentemne, ac scientem peccare, an cum pro ijs, quæ peccavit, pœnitentia dultus fuerit, rursus peccare.*

Gal. 4. v. 8. Qui offendit excellentissimum Dominum ignoranter, veniam meretur, non vero qui scienter. Jos. 5. v. 9. Origen. Hom. 5. in Jos. Salvian. l. 4. de provid. causa fin. S. Bonav. Tom. 7. lib. 3. c. 7. comp. Theol. verit. Vulnus iteratum tardius sanatur. Heb. 10. v. 26 Clement. Alex. lib. 2. strom. Caut 5. v. 3. S. Ambr. l. 3. de virg. S. Ambr. l. de Isa cap. 6. David non fuit relapsus, Rom 8. v. 28.

7. Quotquot fuere viri magis timorati, hunc recidivationis scopulum summo studio, & pro viribus suis cavere semper conati sunt, scientes, quod relapsus ut plurimum ad inevitabilia perducat præcipitia. *Expoliavi me tunicâ meâ*, dicebat sancta illa anima, *quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Circa quæ verba Sanctus Ambrosius ait: *Vide, anima devota, quid dicat, sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, possit induere.* Idem S. Doctor alibi ita scribit: *Exuo enim tunicam illam pelliceam, quam acceperant Adam & Eva post culpam, tantam pelliceam, tantam passionum, quomodo induam illam? Non requirit ut induat, sed ita significat abjectam, ut jam indumento sibi esse non possit.* Sanctus Propheta David utpote *vir secundum cor Dei*, summe fuit Deo acceptus; & ideo licet ceciderit, attamen quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, voluit Deus ut sanctus hic Rex omnibus sæculis futuris speculum

sulum esset, & norma verorum pœnitentium, quia licet ceciderit, non tamen relapsus est, quia ut ab hoc sibi caveret, post acceptam peccatorum remissionem dicebat: *Observabo me ab iniquitate mea*; ubi notandum, ei non sufficisse dicere: *Observabo me ab iniquitate*, verum insuper addidisse *mea*, quasi vellet dicere, non solum mihi cavebo ab omni iniquitate, sed specialiter à mea, in quam fui prolapsus, ne iterato in eamdem reincidam. Enimvero voluptas cor hominis rapit, fascinat intellectum, voluntatem attrahit, atque ideo nisi cauti & circumspecti simus, utique ad vomitum redibimus. S. Basilius Magnus ait: *Verum non in eo tantum elaborandum nobis est, ut motus animi in cogitando moderemur, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissime fugiendum est, cum primum quacumque in conspectum nobis adducta, vestigia libidinum memoria, consilium rationisque vim nobis perturbant, atque confundant, bellaque & solicitos in animo angores suscitant.* Lactantius Firmianus de viro, qui postquam lapsus est, à recidivatione sibi cavet, salutique animæ propriæ invigilat, ita scribit: *Resipiscit, ac mentem suam, quasi ab insania recipit quem errasi piget, castigatique seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius vivendum, tum illud ipsum maximè cavet, ne rursum in eosdem laqueos inducatur.*

Ps. 17. v. 24. Solicitè relapsus cavendi. S. Basil. l. 4. const. Monast. Lact. Firm. divin. inst. l. 6. c. 24.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

De supplicijs, quibus Deus in relabentes in peccata prisina animadvertit.

THEMA.

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum. Amos 1. v. 3.

1: VIx credo, quod in amplo sacrarum litterarum volumine, testimonium inveniri possit, aptius illo, quod in themate adduximus, ad ostendendum, quantopere Deus à recidivantibus offendatur peccatoribus, & quam juste eosdem severissime castiget. Porro S. Hieronymus verba thematis ita exponit: *Si semel populum meum esset persecutus, aut secundo darem ventum, nunc vero eum tertio & quarto crudelis extiterit, ut captivum multitudinem plausuris ferreis tereret, nonne debeo eum plagis corripere, nonne clementiæ meæ vultum avertere ab eo? Juxta tropologiam vero hoc possumus dicere. Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt; Secundum, cogitationibus acquievisse perversis; Tertium, quod mente decreveris, opere complesse; Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto. Super quatuor non convertam eum*; Enimvero gaudere sibique placere in peccato, illudque post receptam peccatorum veniam denuo committere, hoc est, quod divinæ justitiæ fulmina à Dei manibus extorquet. Porro condonavit nobis quidem Deus prima & secunda vice; & forsitan etiam tertia, postea vero justo suo judicio manum suam amplius non porriget ad nos sublevandos. *Super quatuor non convertam eum.*

S. Hieron. ibid. Quæ sint quatuor scelera Damasci.

2. In Psalmo 80. sequentem reperio regij Prophetæ propositionem: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.* At vero quinam sunt hi inimici, qui Deo mentiti fuisse dicuntur? Non eos specificat; Et quodnam est tempus illud, de quo dicit: *Et erit tempus eorum in sæcula?* Hugo Cardinalis hunc versum ita exponit: *Mentitur Domino, qui ei promissa non solvit.* Etenim experientia docet, quod quando peccator peccatorum venia indiget, stipulata fide Deo inviolabiliter promittat, quod ipsum amplius offendere nolit, pœniteat ipsum commissæ transgressionis, & detestatur illam, sed quod dolendum est, promissiones hæ postea non observentur. Glossa interlinearis inquit: *Mentiti sunt ei, resumendo quibus renunciaverant, & sunt nonissima pejora prioribus*; sed qualenam exinde reportabunt supplicium? *Et erit tempus eorum in sæcula, id est*, ut Lyranus exponit, *eorum damnatio erit æterna.* Audire cum quali invectiva S. Augustinus hosce recidivantes perstringat: *Quare, inquit, non prosternuntur? Quare non truncantur? Quare non terra dehiscente forbentur? Quare non cælo flagrante incenduntur? Quia magna patientia Domini. Et erant impuniti? Absit; non sibi tantum de Dei misericordia blandiantur, ut sibi ejus injustitiam polliceantur. Ignoras, quia Dei patientia ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ. Si modo non redditur, tunc reddet non convertenti, nec correcto, in æternum reddet.*

Hug. Card. Mentitur Deo, qui promissam emendationē non exequitur. Gloss. interlin. Lyran. S. August. ibid. Ejus damnatio est æterna.

3. Rex Pharao aperte se Dei inimicum declaraverat, seque illum minime agnoscere professus fuerat, expresse dicendo: *Nescio Dominum*; at vero postquam illum deinceps, licet invitus, agnovisset, ejusque in tot flagellis, quæ ipsum, & universum Ægyptum afflixerant, confessus fuerat omnipotentiam, quot non fecit promissiones, ut ab illis se flagellis eximeret? Nec tamen vel unicam ex illis executus fuit, utpote qui semper recidivaverit, & in duritia sua obstinatus fuerit. *Quoties ad eadem peccata*, inquit Chrysostomus, *lapsi sumus, & usque adhuc in clementia, & misericordia sua perseverat? Non tamen propter misericordiam suam nobis confidendum est magis, quam pertimescendum; nam & Pharao si confessum percussione prima fuisset admonitus, neque posteriores plagas habuisset, neque tandem eam ea tantas exercites demersus perisset.* S. Cyrillus Alexandrinus, exemplum adducit Semei, (cujus etiam S. Bonaventura meminit, ut in Discursu præcedenti diximus) inquiens: *Semei cum primæ offensionis in David impetrasset veniam, & jussus esset muros urbis Jerusalem non excedere, quia secundo deprehensus est deliquisse, & mandatum Regis neglexisse, morte maledictus est. Quid aliud nobis hic Semei casus innuit, nisi timendam esse & graviter formidandam Dei iram, si iterum, atque iterum eadem perpetramus flagitia?* Salvator noster in castigandis templi profanatoribus (prout pariter in Discursu præcedenti notavimus) prima vice miris fuit & mansuetus; non vero item secunda vice; *tunc enim vehementiori castigatione usus lavonum speluncam appellavit, nunc in ipso principio remissius agit. Quæsitu dignum est*, inquit Chrysostomus, *qua causa Christus hic indignatus est, & maxime cum altas injurijs contumelijsque affectus, Samaritanus & demonium habens appellatus, nihil tale fecerit, nunc non contentus flagello, verbis etiam in eos invehitur*; causa autem hujus differentiæ est, quia profanatores illi secunda vice, in eamdem reincidebant profanationem, abutentes mansuetudine, quam ijs prima vice exhibuerat. *Aggravat Judæorum causam*, inquit Victor Antiochenus, *non parum, quod Dominus idem factum semel, iterumque repetens, ipsi nihilominus in sua illa arte cauponaria, & infami mundinatione obstinate usque perstabant*; In lib. 3. legitur, quod Deus Regi Achab impio, idololatræ, verique Dei inimico comminatus fuerit, dicens: *Ecce ego inducam super te malum &c.* & tamen in progressu ejusdem capitis ait sacer textus: *Quia igitur Achab humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus*; quo non obstante, constat ex sacris litteris, quam infelicem habuerit exitum, siquidem paulo post in bello miserabiliter occisus, ejusque exercitus, dilapsus & profligatus fuit; cur igitur circa ipsum non fuit adimpleta divina promissio? S. Ambrosius respondet, quod quia Achab confilium in pejus muravit, atque in novam impietatem contra Deum relapsus est, Deus quoque se obligatum esse exiistimavit, ad ipsum irremissibiliter castigandum. *Considera*, inquit Ambrosius, *quia Jezabel habuit uxorem, cujus ducebatur arbitrio, quæ avertit cor ejus, & hanc ejus pœnitentiæ revocavit affectum.*

D. Chrysost. Hom. 44. in Matth. S. Cyrill. A. lex. l. 5. in Joan. c. 17. Semei primâ vice peccans impetravit veniam non secunda vice. D. Chrysost. Hom. 22. in Joan. Vict. Antioch. in cap. 11. Marc. 3. Reg. 21. 21. Propter relapsum Achab punitus fuit. Ibid. v. 29. S. Ambr. l. de Naboth c. 17.

4. In Exodo cap. 12. dicitur: *Vocatis Pharao Moyse & Aaron nocte ait: Surgite, & egredimini, ite, & immolate Domino.* Et tamen in cap. 14. sacer textus ait: *Nunciatum est Regi Ægyptiorum, quod fugisset populus, junxit ergo currum, & omnem populum secum assumpsit, & persecutus est.* At vero numquid Pharao Israëlitis abeundi dederat licentiam, dicens: *Ite & immolate Domino?* Verum quidem hoc est, verumtamen Moyses non sine mysterio inquit: *Immutatumque est cor Pharaonis, & servorum ejus*; nimirum quando Deum ab ipsis flagellum sunum amovisse viderant, in pristinam suam reincidernt obstinationem. *Pharao enim tot miraculis, beneficijs ac flagellis emendari nolait*, inquit Lippomanus. *Ad horum tantum pœnitentiam finxerat, nec servaverat, nam persecutus est filios Israël*, & ideò quo-

Exod. 5. v. 2. Pharao numquam vere pœnituit. D. Chrysost. Hom. 44. in Matth. S. Ambr. l. de Naboth c. 17. Exod. 12. 31. Exod 14. 5. Recedente plaga recedebat pœnitentia Pharaonis. Lipp. ibid.

que meritum luere debuit supplicium. Verumenimvero notandum hoc loco est, quod cum Deus Pharaonem punierit, eo quod in priorem suam reinciderat malitiam, multo utique acerbius varijs temporibus populum quoque suum Israëliticum castigarit, eo, quod sæpius reciderit in pristina sua scelera. *Reputare animo soleo*, inquit Severus Sulpi-
Sever. Sulpit. l. 1. Hist. tius, *populum tot beneficijs obligatum, tot cladibus, cum peccasset, coërcitum, expertumque misericordiam Dei, nequaquam emendatum, & cum semper veniam mœroris acciperet, semper peccasse post veniam. Nihil igitur mirum videri potest, Christum ab eo non esse receptum.* Quasi diceret ingratissimam hujus populi recidivationem cæcitatis illius, qua Messiam
Similitudo. non agnoverunt, tandem exterminij illius fuisse
Luc. 11. 24. causam. D. Chrysostomus super illa verba : *Cum im-*
D. Chrysost. Hom. 44. in Matth. *mundus spiritus exierit ab homine &c.* ita scribit : *Quemadmodum dæmoniaci, cum ab infesto dæmone sunt liberati, si negligentia corrumpantur, graviores adversum se attrahunt imaginationes, sic nobis accidet ; Dæmonio enim tunc vexabamini, quando idola colebatis, & dæmonijs filios vestros occisos offerebatis, ingentem hac ex re insaniam ostendentes, nec tamen dereliqui vos, sed per Prophetas dæmonem ejeci, & nunc per memetipsam curare penitus vos constitui. Verum quoniam advertere non vultis, sed ad majorem prævitatem sponte ruitis, quippe cum malo deterius sit, in meum, quam in Prophetarum interitum sævire, idcirco multo graviora vobis imminent, quam Babylonis, quam Ægypti, quam Antiochi mala fuere ; nam quæ Vespasiano Duce, ac Tito, ipsis acciderunt, multo magis omnibus illis aspera, duriorâque fuerunt, quapropter dicebat ; Erit tribulatio magna, qualis non fuit, nec erit.* Rupertus Abbas de hac eadem materia ita discurrit : *Usque illuc patientia, & mansuetudo agni, quam*
Rup. Abb. l. 9. c. 15. de glorific. Trin. & processu Spir. S. *columba significaverat, erga vos, ô oves domus Israël, ad quos missus venerat, unde & dicebat : Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël, ex tunc vobis peccantibus peccatum vestrum in spiritum blasphemiæ reputatur, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur. Jam enim non est vobis hostia, quippe quibus Filius Dei, cum esset agnus, in leonem conversus est, & Spiritus Sanctus, qui ut columba visus fuerat, quasi ignis demonstratus est, quia non per ignorantiam delinquitis, sed voluntarie peccatis, subversi, & proprio judicio condemnati.*

5. Advertendum quoque est, quod priusquam Amos verba assumpti thematis nostri proferret, paulo ante præmiserit : *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem* (rugitus autem proprius est Leonis) & postea subjunxerit : *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* S. Cyrillus Alexandrinus supplicium, quo Hebræi in deserto puniti fuerunt, commemorans, inquit : *Filij Israël in deserto suspirantes post ollas carnium Ægypti, & panem in saturitate manducatum, quibus in mentem venerunt pepones, cæpa & allia, prostrati sunt ab ira Dei. Qui dixerunt : Constituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum, prostigati sunt ab hostibus, illorum gerentes typum, qui virtutis iter ingressi, ad præteritæ vitæ tenebras pedem retroferre laborant.* Enimvero nemo est, qui nesciat, quot beneficijs Deus populum hunc in Ægypto constitutum cumularit, siquidem à duræ servitutis illius compedibus eum liberavit, per plagas admodum prodigiosas flagellavit Pharaonem, illum persequentem, locupletavit illum pretiosioribus regni illius vasis aureis & argenteis, in columna nubis per diem, & ignis per noctem, Ducem se itineris illorum præbuit, in mari rubro floridas aperuit semitas, ut siccis pedibus illud pertransire possent, inimicum in eodem mari submersit exercitum, quadraginta annis per admirabilem providentiam cœlesti illos manna cibavit, ex petra torrentes aquæ limpidissimæ, & melle dulciores scaturire fecit ; *quid ultra potuit facere vineæ suæ, & non fecit :* At vero, quando postea idololatrabant in vitulo aureo, disperdere illos voluit, nisi Moysis precibus suis se interposuisset, & tamen verisimile est, eosdem Hebræos in Ægypto pariter idololatrasse, præterea in deserto petierunt carnes, & mox cum *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum*, *Ps. 77. v. 30. Exod. 16. 3.* *ira Dei ascendit super eos*, & tamen in Ægypto *sedebant super ollas carnium*, nec tamen puniebantur. Quænam igitur est hæc in puniendi Dei par-
Dei in puniendo parcialitas. tialitas ? Facilis est ad hoc responsio ; nimirum *si-*
cut lumen eorum, ita & tenebræ eorum. Ipsorum namque transgressiones inter tenebras illas Ægyptiacas commissæ, non erant adeo graves, sicut eæ, quæ commissæ fuerunt in clara luce divinæ beneficentiæ, tot varijs modis ipsis exhibitæ, & tamen tam multifariam ab ipsis contemptæ & contumeliatæ. Merito igitur inquit D. Chrysostomus :
D. Chrysost. ibid. *Si divina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursum ad eamdem malignitatem revertamur, gravior punitio nos profectò expectabit, ideo Christus quoque paralyticum admonebat dicens : Sanus jam factus es, noli ergo amplius peccare, ne quid pejus tibi eveniat ; sed quid pejus, inquiens, illi accidere poterat, qui triginta & octo annos agrotus jacuit ? Multa profectò majora, & graviora diuturno illo morbo possint excogitari, utinamque tot tantaque nobis non accidant, quot, quantaque pati possumus.*

6. Aaron vitulum aureum in deserto fundendo, eumdemque simul cum populo cultu latreutico adorando, grave commisit scelus ; idem quo-
Aaron peccando secunda vice punitus fuit. que una cum fratre suo Moyse in deserto Cades, juxta aquas contradictionis Deum graviter offendit, de divina illius erga populum tam ingratum & rebellem diffidendo providentia, unde Deus rationabile videbatur habere motivum, ipsum acerbissime puniendi ; & tamen pro primo delicto, quod gravissimum fuit, illum castigatum fuisse non legimus, bene tamen propter secundum, licet hoc leve fuisse videatur siquidem prohibitus ei fuit adeo ab ipso desideratus ad terram promissionis ingressus. Cupitisne causam illius scire ? nimirum prima vice peccavit ex timore, metuebat enim, ne populus ille tumultuando eum necaret, nisi obediret ; præterquam quod peccatum illud prima transgressio fuerit, quam proinde Deus dissimulavit ; at vero peccatum secunda vice non ex fragilitate, vel ex timore, sed ex malitia commissum fuit, dubitando de Dei bonitate, & liberalitate, quam toties & per tot annos expertus fuerat ; dicebant enim : *Num de petra hac poterit* *Num. 20. 10.* *&c. Cum in omnibus alijs fructualiter egissent Moyses, & Aaron*, inquit Hugo Cardinalis, *hic diffidenter egerant, & peccaverunt.* *Hug. Card.* David adulterium, & Uriæ pariter homicidium commisit, & tamen Deus peccata illa, ob Davidis pœnitentiam, promptissime abolevit *Dominus quoque transtulit peccatum* *2. Reg. 24. v. 12.* *tuum* ; quando vero idem David numeravit populum, Deus nullo modo placari potuit, sed optionem ei dedit, ut unum ex tribus intimatis flagellis eligeret, ac tandem per pestilentiam tantam in innocenti illo populo stragem fecit ; Quis autem primum peccatum incomparabiliter gravius fuisse non dicet ? Verumtamen notandum est tempus, quò David divinum hac numeratione transgressus fuit præceptum, tunc videlicet, quando primum peccatum deploraverat, rigidamque pro illo pœnitentiam egerat, firmiterque sibi de futuris peccatis cavendis propositum fecerat ; ac proinde quando post prævium hoc lumen factus est iterum recidivus, merito secunda hac vice majori cum severitate punitus fuit. D. Chrysostomus ait : *Quem-*
D. Chrysost. Hom. 1. in Act. Apost. *admodum hi, qui post Baptismum delinquunt, ob id gravius puniuntur, quam catechumeni, ita qui sciunt esse pœnitentiæ remedium, nec eo volunt uti, graviora luent supplicia ; etenim quo major est Dei benignitas erga nos, eo major erit ultio, nisi illius benignitate, sicut oportet, utamur. Quid ais homo, qui tantis peccatis plenus es, & deploratus ? Semel factus es amicus, semel ultioni supremæ subductus es, haud quaquam ex propriis laboribus sed ex Dei dono. Rursus ad pristinam turpitudinem revolutus es, dignus qui graviter puniaris.*

7. In cap. 4. Exodi dicitur de Moyse : *Cum* *Exod 4. 24.* *esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, &* Moysi meditanti reditum in Ægyptum Angelus minatur mortē. *volebat occidere eum.* At vero causam scire percuperem, cur Deus viro huic tantis apud eum meritis conspicuo, qui pro defensione populi sui, divinique cultus, regiam & sceptrum Ægypti deseruerat, jamque ex ejus præcepto, & propter eamdem causam in Ægyptum redire parabat, hanc mortem comminatus fuerit ? Porro idem ille Angelus, qui ad comminandam ei mortem cœlitus missus fuerat, in deserto postea ducis loco ei

ei servivit, cur igitur nunc adversus ipsum ferrum apprehendit ? *Omnia in figura contingebant illis.* Moyses enim ex illa solitudine egrediens, ut rediret in Ægyptum, illos præfigurabat, qui postquam semel peccato & mundo dorsum obverterunt, ad relapsum denuo revertuntur, qui proinde iram Dei merentur, maxime quando antea ejus habuerunt lumen & notitiam. Quando Rex Ezechias missis ad
Punitio Ezechiæ Regis. ipsum Babyloniæ Legatis suos ostentavit thesauros, adeo id ipsum Deo displicuit, ut subito ad eum
Isa. 39. v. 6. Isaiam miserit, qui ei diceret : *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui, non relinquetur quidquam, & de filijs tuis tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* At vero, dicet aliquis, numquid potentibus Principibus usitatum est, quod thesauri sui gazam, palatij ornatus, viridaria, & pomeria, æraria denique, aliasque res pretiosas Legatis extraneis, imo & peregrinis quibuscumque ostendant ? Quid igitur Ezechias mali in hoc fecit, ut propterea tam acerbum ei intimaretur supplicium ?
Quia gloriâ Deo debitam sibi attribuerat. S. Hieronymus traditionem dicit esse inter Hebræos, quod quando Ezechias gloriosam illam de Assyrijs retulit victoriam in qua una nocte ab Angelo occisa fuerunt centum octoginta quinque millia militum Assyriorum, conveniens ac debitum divinæ Majestati gratiarum non exsolverit tributum, pront Moyses & Debbora per composita à se cantica fecerant ; Præterea cum miraculosam à Deo recepisset sanitatem, in cujus signum Sol aliquot gradibus retrogressus fuerat, Ezechias, qui hasce eximias gratias divinitus acceptas, hisce Babyloniæ Legatis, ad majorem Dei gloriam manifestare debuerat, ut veræ Religionis existimationem, & notitiam illis imprimeret, à vanitate per superfluam hanc ostentationem se fedùci permisit, ac proinde à Deo castigari meruit.

8. Dionysius Carthusianus scribens super illa Ecclesiastici verba : *Qui baptizatur à mortuo, & ite-*
Eccli. 34. 30. & 31. *rum tangit eum, quid proficit lavatio ejus ? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit ?* sequens formatargumentum :
Jejunium sine pœnitentia est inutile. *Si enim de præteritis non pœnituit, jejunando nil meruit ; si autem pœnituit, tamen tam cito recidivando, incurrit specialem quamdam ingratitudinis, aggravationisque notam, sicut & vulnera renovata sunt magis nociva ; gratiam quoque, quam pœnitendo & jejunando promeruit, recidivando mox perdit.* Paulò post vero ex-
Dion. Carth. plicans verba sequentia : *Orationem illius quis exau-*
Ibid. v. 31. Dion. Carth. *diet ?* inquit : *Id est, Deus eam non audiet, non quod recidivans non possit veniam mereri, pœnitere, ac surgere, sed quod non exaudiet, quamdiu manet in recidivo, ac voluntate peccandi.*

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Execrabiles sunt illi, qui Deum, ejusque præsentiam agnoscentes temerè peccant.

THEMA.

Malum coram te feci. Psalm. 50. ℣. 16.

Christianus peccat in præsentia divinæ Majestatis sic paganus. 1. PRopheta Regius, postquam à peccato suo resipuit, mox in fervida illa pœnitentia infinitam sceleris sui gravitatem agnovit, idque ex eo vel maxime motivo, quod peccatum suum ante oculos Dei commiserit, unde ait : *Malum coram te feci* ; quasi diceret : In conspectu divinæ Majestatis tuæ, in tua tremenda præsentia, te offendere non erubui. Chrysostomus differentiam quamdam insinuat, inter Christianos divinam legem transgredientes, paganos, qui veri Dei notitiam non habent, ait enim : *Qui habet notitiam Dei, &*
D. Chrysost. Hom. 21. ad pop. *recedit ab eo, peccat in oculis Domini, qui vero increduli permanserint, quasi illo non vidente, & negligente delinquunt ; unde David vir sanctus, quia coram erat in peccatum uxoris Uriæ Bersabee, agens postea pœnitentiam, dicit : Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, id est, in conspectu tuo.* Necessum enim est infallibilem hanc apprehendere veritatem, quod scilicet Deus præsens sit, non solum omnibus nostris operibus, verum etiam intimis cogitationibus nostris. Unde idem Chrysostomus in alia quadam Homilia ait : *Ne dicas, circum circa sunt tenebræ, &*
D. Chrysost. Hom. 11. in 1. ad Cor. *parietes, quis me videt ? Nam qui sigillatim finxit corda nostra, ipse scit omnia. Recte dicit peccator, circum circa sunt tenebræ, & parietes, nam si tenebræ non essent in mente, non ejecto Dei timore, fecare, & intrepide ageret. Nam si non sit obtenebrata principatum tenens facultas animæ, non potest cum securitate ac licentia ingredi peccatum.* Sicut enim nullus in conspectu sui principis (nisi forsitan omne penitus amisisset judicium) eum contumeliari auderet, licet hoc
Argumentū à minori ad majus. procul ab illo constitutus facillime faciat ; ita quoque nisi homo à propriæ passionis vehementia sit fascinatus, caliginosamque in intellectu suo contraxerit cæcitatem, Deum numquam offendere audebit, si illum consideraverit sibi vere esse præsentem. Unde Chrysologus ait : *Desperatus incurrit, qui in*
Chrysolog. serm. 28. *ipsis dominantis oculis offendit, & excusatione caret, qui factinus ipso Judice teste committit, aut quam defensionem sperat, quem testimonium cognoris accusat ? sic diabolus cum esset Angelus, & in cœlo, & coram Deo semper clarissimus versaretur, & fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolum mutatur ex Angelo.* Qui enim divinam illam serio recogitans præsentiam, *quam adorant Dominationes, tremunt potestates*, nihilominus eamdem cum hoc lumine offendit, & contemnit, hic alter quidam dæmon esse vere dici potest, dum in Dei superbit aspectu.

2. Philo Hebræus præcepta olim à Deo electo
Exod. 20. 3. populo sua tradita, præcipue vero illud : *Non ha-*
Philo de Decal. *bebis Deos alienos coram me, . . . non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, &c.* considerans, interrogat, quonam mysterio Deus post intimata hæc præcepta, non simul pœnam transgressoribus illorum debitam præscripserit ; ac tandem ad propositum nostrum scribit, ne sequitur : *Ne quis putet de*
pœnis silere oracula, ut qui peccant, impunitatem sibi pollicentur, sed magis cogitent assidere se Deo justitiæ, illumque inspectare, quidquid agunt homines, nec dissimulare, at naturam infensam sontibus, & ex officio plectentem juris violatores. Dissolutus ille, immorigerusque filius prodigus, tunc primum in semetipsum redijt, ac malam vitam suam emendare, subjque
Prodigus resipuit dū agnoscebat se coram Deo peccasse. obedientiæ paternæ jugum redire statuit, quando se coram Deo peccasse, in mentem sibi revocavit, dicendo : *Peccavi in cœlum & coram te.* Quidnam
Luc. 15. 18. enim hisce verbis insinuare voluerit, Chrysologus exponit dum ait : *Cui in cœlo, & in terra ante oculos sunt omnia, quæ geruntur Peregre profectus est iste,*
Chrysolog. serm. 2. *& in regionem longinquam fugit, sed accusatores suos, sed testes suos, divini Patris oculos non effugit.* Hoc David clarius aperit, dicendo : *Quo ibo à Spiritu*
Ps. 138. v. 6. *tuo ? & à facie tua fugiam ? si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades ; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Videt iste per to-*
Deus videt omnia. *tum mundum, nuda Dei oculis delicta consistere, non cœlum, non mavia, non abyssum, non ipsam noctem Deo posse velare peccata. Sentit, quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu, & ideo clamat : Tibi soli peccavi & malum coram te feci ; unde & iste adolescentior similiter vociferatur, & clamat : Peccavi in cœlum, & coram te. Tibi soli peccavi,* inquit S. Ambrosius, *hoc est, etsi homines non videant, tu vides, &*
S. Ambr. Apol. David. cap. 12. *si homines me judicare non possunt, qui participes delictorum sunt, tu tamen Judex es singulorum ; dicit igitur tibi soli peccavi ; homines testimonium declinans ;* subdit vero idem S. Doctor : *Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo ipso teste peccamus.*

3. Regius Propheta David Deum super justos,
Oculi Domini sunt super justos, & nullus Domini super facientes mala. id est, qui illum timent, defixos habere oculos dicit : *Oculi Domini super justos. Beneplacitum est Domino*
Ps. 33. v. 16. *super timentes eum & in eis, qui sperant super misericordia*
Ps. 146. 11. *ejus* ; at vero quando de perversis ei sermo est, id est, de illis, qui illum intimè ipsis præsentem, tantaque cum diligentiâ facta eorum notantem offen-
Ps. 33. v. 17. dunt, & contemnunt, quid dicit ? *Vultus autem Domini super facientes mala* ; sed quo fine ? *Ut perdat de terra memoriam eorum. Qui plantavit aurem,*
S. Bern. ser. 10. de Conversio. ad Cleric. inquit S. Bernardus, *& qui finxit oculum, ipse considerat, non modo cernit, sed & discernit cogitationum vias, & medullas affectionum.* B. Laurentius Justinianus pariter ait : *Deo nihil potest abscondi* ; unde Apostolus : *Et non est ulla creatura invisibilis in*
B. Laur. Justi. de Timore cap. 4. *conspectu ejus, omnia namque nuda & aperta sunt oculis ejus* ; Ex quibus Apostoli verbis notanter in-
Hebr. 4. 13. fert

fert dicens : *Magna proinde dementia est si dissimulare voluimus , & non timere : indicta namque nobis est probitatis necessitas , cum agamus coram oculis judicis cuncta cernentis.* Judæi quidem in prætorio Pilati oculos Filij Dei obvelaverant, eique, tamquam insolentias , & temeritatem eorum minimè videnti , infligebant alapas , dicendo : *Prophetiza, quis est , qui te percussit ?* non tamen intelligebant, oculos ejus Sole lucidiores esse , magisque penetrativos , dicente Ecclesiastico : *Oculi Domini . . . lucidiores sunt super Solem.* Simon de Cassia super illa verba : *Prophetiza, quis est, &c.* inquit : *Ac si Prophetia careret anima Salvatoris , sive tanta sit ignorantia judicis , quod nesciens culpam , non inferat pœnam.* Credunt nonnulli se oculos Domini fasciolis ignorantiæ obvelasse , ut nec ipse speculator desuper esset ; sed misere fallantur , quia oculi Dei adeo sunt aperti, ut licet mille fasciolis abvelarentur , ipse tamen reconditissimas intueatur cordium cogitationes , quantumvis millenis sæculis à nobis remotas, quia omnia ei præsentia sunt in æternitate. Unde S. Gregorius ait : *Non ante oculos Dei vacuæ transeunt cogitationes nostræ , intus videt Deus.* Et alibi de hoc eodem puncto differens ait : *Intus est , qui judicat , intus quod judicatur. Cum ergo in corde delinquimus, latet homines , quod apud nos agimus , sed tamen ipso judice teste peccamus.* Oleaster mysterium, cur Deus olim magnum illud candelabrum diu noctuque lumen ut spargeret præceperit , explicans ideo factum esse dicit , *ut intelligas , quod sive in die , sive in nocte impie egeris , ab eo videaris , Et dixi : forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis , quia tenebræ non obscurabuntur à te , & nox sicut dies illuminabitur.*

Luc. 22. 64.

Eccli. 23. v. 28.

Simon. de Cassia lib. 13. Mali videntur velle velare oculos Domini.

S. Greg Patr. c. 4. p. 1.

Oleaster.

4. Enimvero unica causa , ob quam Christianus , ex fide licet sciens infinitam illam Dei Majestatem sibi intimè esse præsentem , eamdem nihilominus in oculis eius tam pervicaciter aspernetur , & offendat , hæc est , quia scilicet ad eamdem mente sua recogitandam non se applicat , ob quem unicum defectum infernus mire adimpletur , prout S. Propheta Jeremias opportune notat inquiens : *Desolatione desolata est omnis terra , quia nullus est qui recogitet corde.* Porro primum quod Antiochus Rex è templo rapuit , fuit candelabrum illud aureum , cujus jamjam mentionem fecit : *Accepit... candelabrum luminis* ; ut per hoc nobis insinuetur , quod quando Dæmon animæ nostræ invadit templum (*templum Dei , vos estis*) ante omnia inde eripiat applicationem & reflexionem mentis , seu meditationem quoad bona spiritualia , & salutem æternam ; *Candelabrum luminis* , inquit Hugo Cardinalis , *id est , gratiam contemplationis :* Ex hujus autem direptione nascitur omnis temeritas peccatoris ; nam ut Gregorius Magnus ait : *Perversi quoque dum interna non appetunt , in suis se cogitationibus foras fundunt.* Unde eis per Prophetam dicitur : *Redite prævaricatores ad cor* ; Et iterum : *Væ qui cogitatis inutile :* In actionibus quippe suis verentur homines , quos corporaliter vident , & Deum sibi præsentem esse , non æstimant , quem non vident ; Econtra in laudem justi dicitur : *Cum Ægypti Regem contemneret, ut Dei mandatis obediret , quia invisibilem tamquam videns sustinuit.*

Christianus liberius peccat quia de Deo non cogitat.

Jer. 12. v. 11. Quid sit candelabrum luminis.

1. Mach. 1. v. 23.

2. Cor. 6. 16.

Hug. Card. ibid.

S. Greg. lib. 19. Mor. cap. 9.

Isaiæ 46. 8.

5. S. Apostolus de Christi differens Crucifixione (in qua Hebræi detestabilissimum commiserunt scelus , quod umquam sive ab humana sive à Diabolica excogitari potuit malitia) hanc unice cognitionis defectui attribuit , inquiens : *Nemo principum hujus sæculi cognovit ; si enim cognovissent , numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quem enim cognitionis defectum , Salvator noster , Apostolis suis feroces , quibus infestandi erant , persecutiones prædicens , insinuavit , dum ait : *Absque Synagogis facient vos , sed venit hora , ut omnis , qui interficit vos , arbitretur obsequium se præstare Deo* ; cujus protinus hanc subdit rationem : *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem , neque me.* Regius Propheta in Psalm. 93. Deum his verbis precatur: *Redde retributionem superbis ; Usquequo peccatores Domine , usquequo peccatores gloriabuntur ? Effabuntur & loquentur iniquitatem:... Populum tuum Domine humiliaverunt , & hæreditatem tuam vexaverunt ; Viduam , & advenam interfecerunt , & pupillos occiderunt , &c.* At verò undenam hæc tanta peccatorum malitia procedebat ? Ad hoc idem Propheta respondet , subdendo : *Et dixerunt : Non videbit Dominus , nec intelliget Deus Jacob :* Circa quæ Psalmistæ verba Author imperfecti ita scribit: *Non quia talia fuerunt specialiter verba illorum , sed quia tales sunt cogitationes hominum facientium malum , non enim facerent mala , si cogitarent , Deum aut intelligere , aut videre , quod facium.* Joseph ab hera sua tanta cum vehementia his verbis : *Dormi mecum* , solicitatus , respondit : *Quomodo possim hoc malum facere , & peccare in Deum meum ?* At verò,quæret fortasse aliquis , Joseph heræ suæ libidini consentire non poterat ? numquid homo erat , similis nobis ? numquid eum nonnumquam carnis stimuli agitabant ? cur igitur in optimo & pulcherrimo ætatis flore , imo & in prompta occasione lubricitatis constitutus , se id facere non posse dicit? Quod si dixisset : *Nolo hoc malum facere , & peccare in Deum meum* , cessaret omne dubium : nunc verò dixit : *Quomodo possim , &c.* Oleaster hanc respondi à Josepho dati assignat rationem : *Quomodo faciam malum grande ? Hoc malum peccatores , dum peccare volunt , habent , quod cum peccare cupiunt , peccatum attenuant , justi verò omnes nervos extendunt, & tam grave , & magnum faciunt , ut vires eorum omnino excedat , & sic dimittunt , nec se posse , aut scire facere fatentur ; excedit enim justorum vires peccatum.* Præter hanc verò causam aliam assignare possumus , huic nostro proposito multo aptiorem, hanc videlicet : Cum enim Joseph adolescens esset ingenti virtute præditus, de illo nequaquam dubitare licet, quin in cunctis operibus suis Dei jugiter in mente sua recoluerit præsentiam , memoriæque suæ illud proavo suo magno Patriarchæ Abrahæ à Deo impositum præceptum habuerit infixum : *Ambula coram me, & esto perfectus* ; Hoc igitur frænum illud erat, quo ab omni Dei offensa committenda coërcebatur ; unde alij prædicta Josephi verba ita legunt : *Quomodo possum hoc malum facere , & peccare coram Deo ?* Nam ut S. Augustinus ait : *Evidentior transgressio est, cum præceptum memoria retinetur , & tamquam in illo Deus assistens , præsensque contemnitur.*

Auth. Imperf. hom. 53.

Gen. 39. v. 9. Peccans in facto dicit ; non videbit Dominus.

Oleast. Justi aggravant, injusti extenuant peccati quantitatem.

Renuit peccare Joseph ob præsentiã Dei.

Gen. 17. v. 1.

S. Aug. lib. 12. de Gen. ad lib. cap. 30.

6. Didacus Stella verba illa filij prodigi pœnitentis : *Peccavi in cælum, & coram te* , devota hac illustrat paraphrasi : *O bone Deus ! quam parvi te feci ? Equidem considerare debuissem , in tua me esse præsentia , ut etiamsi multum , diuque à carne solicitatus, & interpellatus essem , tamen præsentia tua , memoriaque tuæ authoritatis , qui præsens aderas , confirmatus , me à peccato continuerem.* S. Anselmus exponens verba illa S. Pauli ad Romanos: *Qui cum justitiam Dei cognovissent , non intellexerunt , &c.* ita scribit : *Quoniam si intellexissent ; tamissent , numquam talia commisissent. Amiserunt enim lumen intelligentiæ , ex quo deseruerunt fontem cælestis Sapientiæ.* Valde periculosum est in tenebris sine lumine prævio incedere , facile enim homo impingit , cespitat , in foveas aut præcipitia corruit ; econtra vero dum quis in clara luce ambulat , omnia prospicit ante se, & evitat pericula obvia. Sapiens ait in Proverbijs : *Septies cadit justus & resurget , impij autem corruent in malum* ; hæc enim impios inter & justos est differentia , quod hi , licet venialiter cadant , subito tamen post lapsum resurgant, non item perversi , qui peccant mortaliter , hi enim corruent in malum, quia non resurgent, quia iterum cadant,quia in tenebris ambulant, id est,Deum sibi præsentem esse mente sua numquam recolunt. Audite hac de re S.Bernardum in hæc verba scribentem : *Septies in die cadit justus , & septies resurget, si tamen cadat in die , & se cadere videat , & cecidisse se sciat.* S. Thomas de Villa nova in Concione quadam ait : *Pœnitentiæ acceleratio nobis à Deo reputabitur ad justitiam ; scriptum est enim ; Septies in die cadit justus ; si justus, quomodo toties cadit ? Et si toties cadit, quomodo justus ? utique quia non meretur nomen justi amittere, teste Hieronymo , quia licet ita fragilis fiat , ut septies caderet , sic tamen diligens fiat , ut septies in die resurgeret.* Per diem enim lumen & notitiam Dei præsentis ubique intelligere possumus , quam homo justus mente sua jugiter recolit , & proinde casus illius non sunt mortales , sed veniales, & ab his facile quis resurgit, & in pedes sese erigit.

Luc. 15. 18. Did. Stell. ib.

Rom. 1. 32. S. Anselm.

Periculosum est in tenebris incedere.

Prov. 24. 16.

S. Bern. ser. 17. in Cant.

S. Thom. de Villa nova Conc. Dom. 4. Quadr.

7. Videmus per experientiam , quod virorum honoratorum præsentia à peccatis committendis peccatorem coërceat , quæ alias indubitate commissurus fuisset ; Quanto igitur efficacius recogitata à nobis præsentia supremæ illius Majestatis , *quam tremunt potestates* , nos à peccando refrænare valebit : quod autem hoc apud nos non obtineat , ex eo solum

Argumentũ à minori ad majus.

lum venit , quia nullus est qui illum recogitet corde ; alias enim, ut Seneca inquit : *Magna pars peccatorum tollitur , si peccaturis testis assistat.* Qua igitur ratione possibile esset , ut peccator peccaret , si Deum illum , quem graviter offendit vere & realiter præsentem esse recogitaret ; & quidem præsentem esse peccaminoso ipsius actui , non solum tamquam criminis commissi veridicum testem , verum etiam tamquam implacabilem ipsius judicem. David inquit de impio : *Non est Deus in conspectu ejus* ; sed audi quid inde mox subsecutum fuerit : *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore ; Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Nullus etenim reperietur malefactor , qui quantumvis sit sceleratus , qui in facie & præsentia illius judicis , à quo processandus , & condemnandus foret , delictum suum committere , nedum illum mortaliter offendere & contumeliari ausit. Hanc autem temeritatem , & insolentiam Christianus exercere non erubescit , hic enim per reatum mortalem offendere non veretur Deum illum , à quo se judicandum & condemnandum esse novit ; id quod tamen ex eo solum capite ab eodem fit , quia hanc Dei præsentiam non recogitat corde. Verumenimvero , si daretur casus , qui tamen difficillime continget , quod aliquis adeo esset audax & temerarius , ut oculis fidei recolendo Divinæ Majestatis præsentiam , nihilominus eamdem peccando contemneret , quis talem ad summum malitiæ & & impietatis infelicem gradum pertigisse non diceret? D. Chrysostomus ait : *Hoc universum orbem conturbat,quod ad homines aspicientes , omnia agimus,& despecto Deo homines formidamus. Præsente quidem homine , nemo voluerit peccari , vincitur tyrannis vitij à pudore hominum , Deo autem videnti , non solum adulterium admittitur , sed etiam alia multo graviora multis admittere ausi sunt , & audent.*

Senec. Ep. 11.

Psalm. 10. 5. Ibid. v. 5.

Peccat homo in præsentia sui Judicis.

D. Chrysost. Hom 12. in 1. ad Cor.

TRACTATUS LXXVI.

DE PECCATIS VENIALIBUS;

CONTINET

DISCVRSVS XXIII.

DISCURSUS I. Dæmon solicite curat , ut in peccata levia nos pertrahat , ut hac ratione ad graviora committenda paulatim nos inducat.

II. Peccata leviora non curantes, in magna paulatim labuntur præcipitia.

III. Idem argumentum varijs rationibus probatur.

IV. Continuatur eadem materia.

V. Solicite à peccatis etiam levibus abstinendum nobis est , quia per illa nos Dæmon multum illaqueat.

VI. Qui modicas transgressiones flocci pendet,paulatim incidet in graviores.

VII. Peccata venialia animam commaculant , nosque in charitate tepidos,& in bonis operibus , & contra tentationes debiles efficiunt.

VIII. Peccata venialia animam à prompta consecutione retardant , efficiuntque , ut notabili temporis spatio in purgatorio detineatur.

IX. Gravitas peccati , etiam venialis , ex pœnâ damni & sensus , qua Deus illud in alterâ vita castigat, deducitur.

X Alia considerantur supplicia , quibus Deus in Expiationem peccatorum mortalium nos punit.

XI. Correctio etiam quoad peccata venialia nos obligat , si ab his aliquod derivari possit scandalum, aut grave damnum , quia sæpe ex modico in gravia præcipitia sit lapsus.

XII. Lapsum & prævaricationem Evæ suam à multis antecedentibus,licet venialibus transgressionibus , originem & causam habuisse probatur.

XIII Licet multa peccata venialia peccatum aliquod mortale constituere nequeant ; illa tamen ad hoc disponere probatur.

XIV. Peccatum , quantumvis sit modicum , suum tamen habet secum venenum,ac proinde timendum est,ne in graviora nos ruere faciat.

XV. Peccatum veniale nequaquam parvipendendum est, cum vera sit offensa Dei.

XVI. Perfectio in fugiendis pro viribus nostris defectibus & culpis venialibus consistit.

XVII. Peccata, quantumvis levia , impediunt acquisitionem spiritus & devotionis , ac proinde servi Dei illa anxiè persequuntur.

XVIII. Animæ timoratæ culpas etiam minimas fugiunt, utpote scientes, eas à Christo Judice severe judicandas esse

XIX Lex divina ex omni parte observanda est , quia à transgressionibus minimis ad majores fit aditus.

XX. Peccatum veniale non minus fugiendum est, quam

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Dæmon solicite curat, ut in peccata levia nos pertrahat, ut hac ratione ad graviora committenda paulatim nos inducat.

THEMA.

Halitus ejus prunas ardere facit. Job 41. ℣. 12.

1. SPropheta Job inimicum humani generis describere satagens , eum veluti in ignem sufflantem , lignaque majori cum vehementia ardere facientem repræsentat ; Sed observetis velim , quonam modo hæc insufflatio ab illo fiat ; nimirum levi quadam aspiratione , seu halitu id facit : *Halitus ejus prunas ardere facit.* Idem verò superbus hostis & adversarius noster apud Isaiam dixerat : *Sedebo in lateribus Aquilonis* ; Cur igitur ad magis accendendam ignis flammam , ventos aquilonares non laxat, quorum major est , quam levis cujusdam halitus, potentia ? Poterat quidem idipsum facere , & quidem facillime, nec tamen ventis hisce utitur,sed halitu : *Halitus ejus* ; ad accendendum enim in nobis peccati mortalis ignem , qui incendij infernalis quoddam est præludium , tenuis ei aspiratio, seu halitus abunde sufficit : *Si sufflaveris in scintillam , quasi ignis exardebit* , inquit Ecclesiasticus. Hæc etenim est serpentis fraudulenti astutia , quod homines timoratos nequaquam adoriatur per peccata mortalia sed à principio ignem levi habitu accendit , id est,illos ad culpam aliquam venialem committendam inducit ; scit namque quod *à scintilla una augetur ignis* ; si enim vel unica scintilla nutriatur , & non subito extinguatur , hæc ad vastam quamdam , densamque sylvam deflagrandam sufficit. Idem quoque efficit levis qualiscumque transgressio , nisi illa , velut scintilla quædam in primis suis principijs extinguatur. David

Quare diabolus habitu dicatur inflare, & non magno vento cũ hoc possit.

Isai. 14. 13.

Eccli. 28. 12.

Eccli. 11. 34. Timoratos ad levia dum taxat impellit peccata.

Ps. 100. v. 2.

vid vir erat summa innocentia decoratus : *Perambulabam in innocentia cordis mei , in medio domus meæ* ; Erat *vir secundum cor Dei* ; & tamen culpa sua ingens tam in domo sua, quam in populo Israëlitico per publicum scandalum , indeque natas seditiones , excitavit incendium. Amnon enim filius ejus Thamar sororem suam constupravit ; Hunc Absalon traditoriè occidit ; idemque adversus patrem suum se armavit , ut regnum pariter & vitam ei eriperet , & paulo post cum incredibili patris sui vilipendio concubinas ejus in conspectu Israëlis violavit : Tandem vero tribus lanceis à Joab transfossus fuit ; Adonias denique à Rege Salomone pariter filio Davidis est trucidatus. Uno verbo dicam : *Non recedet gladius de domo sua.* Undenam vero hæc tot ærumnarum & afflictionum Davidis congeries suam habuit originem ? Ab unica dumtaxat scintilla , id est , ab unico incauto & lascivo aspectu : *Viditque mulierem se lavantem* ; Dæmoni enim unicam dumtaxat amoris adulterini in innocenti Davidis anima insufflasse scintillam sufficiebat , ut exinde ingens postea exoriretur incendium.

Ab unico levi lascivo aspectu David recepit plurima mala.
2. Reg. 12. v. 10.
2. Reg. 11. 2.

2. S. Bernardinus inquit : *Tantæ quippe astutiæ est serpens antiquus , ut hominem Deum timentem non mox invadat suggestione aperti sceleris , sed primum paulatim restringat rigorem justæ discretionis , qui autem modica spernit* , ut dicit Ecclesiasticus , *paulatim decidet.* Primo igitur viro timorato suaviter insinuat , aspectum aliquem , aliud non esse, quam curiositatem & complacentiam quamdam , quæ ad transgressionem mortalem neutiquam pertingat : interea vero venenum abscondit , tacetque , quod *à scintilla una augetur ignis.* Porro multis per hujus serpentis astutiam idem contingit , quod Goliath evenit ; cum enim hic à capite ad calces usque valida esset armatura communitus ; David nihilominus fundam suam tanta cum dexteritate vibrare novit , ut lapis fundæ immissus in modicam vasti illius Colossi partem , quæ chalybe contecta non erat , ac vix videri poterat, id est , in frontem illius evibraretur,& sic interiret. *Exemplum à militibus cape* , inquit S. Ephrem , *nonne totum corpus militis ferreo thorace munitur ? Accidit autem & illud ob laxiorem constitutionem lædi , nam si per tenuem aliquam rimulam telo aditus patefiat , strenuo militi mortem adfert.* Argute observavit sagacissimus serpens , *quod eo tempore , quo solent Reges ad bella procedere , David remansit in Jerusalem.* Glossa addit : *Otiosus* , ut scilicet honesta aliqua recreatione , Regni, & militiæ curas nonnihil alleviaret ; ac proinde hanc occasionem nactus Dæmon , eamdem sibi neutiquam negligendam esse duxit ; *Dum igitur... surgeret David de strato suo post meridiem , & deambularet in solario domus regiæ , viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum ; Erat autem mulier pulchra valde* ; idque Dæmoni ad accendendum in anima hujus Regis carnalis concupiscentiæ ignem abunde suffecit. Unde S. Cyprianus ait : *Dominus prudentes esse nos jussit , & cauta solicitudine vigilare præcepit , ne adversarius vigilans semper , & semper insidians , quando in pectus obrepat , de scintillis conflet , incendia de parvis maxima exaggeret , & dum remissis , & incautis lentiore aura , & flatu blandiore molitatur , procellis ac turbinibus excitatis , salutis ac vitæ naufragia molatur.*

S. Bern. Tom. 3. fer. 3. fer. 3. post Pent.
Modus tentandi timoratos diabolo usitatus.
Eccli. 19. 1.
1. Reg. 17. v. 49.
S. Ephrem. de mor. ling.
2. Reg. 11. 1.
Diabolus prius suasit David otium & illo mediante adulterium.
Ibid. v. 2.
Cyprian. ser. 2. de zelo. & liv.

3. Porro quod Dæmon ad hoc specialiter connitatur , ut homini peccatum veniale nihil faciendum esse persuadeat , ex historia quadam in vita S. Philippi Nerij relata efficaciter probatur. Etenim Florentiæ in monasterio S. Marci , quod est Ordinis Prædicatorum , duo erant hujus ejusdem Ordinis sacerdotes , quorum unus F. Zenobius Mediceus , alter vero F. Servantius Minius vocabatur. Convenerant isti inter se , ut singulis quibusque noctibus , priusquam ad Matutinas accederent , mutuo peccata confiterentur. At humani generis hostis , tanti boni invidus , nocte quadam duas circiter horas, antequam consuetum daretur signum , Zenobij cubiculum pulsat, inclamatque : Heus tu, surge, imminet hora. Hac voce experrectus ille , statim lecto exiliens , ad Ecclesiam se confert , ibique ementitum Servantium reperit , prope sedem deambulantem. Quamobrem Zenobius ratus ipsum vere esse Servantium , supplex genuflectit , ut peccata confiteatur. Assidet Dæmon & confessionem excipit. Ad singulas tamen culpas , quas pœnitens confitebatur : Nil illud , nil culpæ , ajebat. Imo cum culpam sibi graviorem visum Zenobius subjungeret : ajebat itidem : Futilia sunt ista. Hæc audiens Zenobius , Satanæ laqueos veritus , crucis signo se muniens, mendacij parentem ita compellat : Num tu Dæmon infernalis ? Ad hæc is spe lucri frustratus , ignominiæ plenus evanuit. *Nullus* igitur , inquit Chrysostomus , *se frivola illa ratione consoletur , qua universa protervitas in animam introducitur : Illa inquam ratione nullus utatur , dicens : Quid hoc est , aut illud ? Mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cum sit , magnâ malitiâ , multâ operâ , ingenti studio , condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit , quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pytonissæ nugas , ac deliramenta Saül Regem detrudere , sed id si ab initio suasisset , mentem ille non adhibuisset , quando enim id fecisset , qui Pythonissas expellebat ? Propterea sensim & paulatim illum inducit , nam quoniam Samuël non obtemperavit & holocausta illo absente offerri præparavit , accusatus ait : Necessitas hostium facta est major : Cumque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur. Jussit rursum nonnulla de Amalecitis Deus , & quoque transgressus fuit. Hinc adversus David insanivit , & sic paulatim labens , ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit.* Idque pariter in primo reprobo , Cain videlicet , exemplificat , quem astutus ille serpens sensim , & paulatim in magnum illud præcipitium deturbavit ; subdit enim : *Similiter etiam de Cain factum esse videmus , non enim confestim cædem fratris ille suggessit , ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur, sed prius permisit, sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum , deinde invidiæ veneno succendit , nihil enim hinc mali secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessavit , quam malorum omnium verticem imposuit.*

Historia in qua diabolus audit confessionem.
D. Chrysost. hom. 87. in Matth.
Contemptus leviorum est via ad majora.
Id ostenditur in Cain.

4. Communis est inter sacros Interpretes opinio , Judam eo tempore , quo ad Apostolatum evectus fuit , virum fuisse timentem Deum , & tamen ad tantam paulatim pervenit malitiam , ut is , de quo S. Joannes ait : *Ipse enim sciebat , quid esset in homine* , de eo pronuntiaverit : *Ex vobis unus Diabolus est* : At vero quonam Dæmon usus est modo , ut degenerem hunc Apostolum in tantam malitiam præcipitaret ? Priusquam ad hoc respondeam , libeat obsecro sequentem à S. Isidoro Pelusiota traditam audire similitudinem. *Dæmon* , inquit sanctus hic scriptor , *eum , qui in hujus mundi mari navigat , nequaquam ex improviso aggreditur , sed prius explorare nititur ejus genium , malas ejus inclinationes , & humorem illius peccantem , suggestumque tormentarium ex adverso loci illius erigit , ubi mœnia debiliora esse noscuntur , ut quassationem muralem facere possit ; De inimicis sibi prospicit intestinis , procuratque clandestinos traditores , denique passiones nostras adhibet, & appetitus inordinatos , ut nos in potestatem suam redigat* ; Unde S. Jacobus dicebat : *Unde bella , & lites in vobis ? nonne hinc , ex concupiscentijs vestris , quæ militant in membris ?* Vidit igitur Judam non ad superbiam , nec ad delectationes carnis , vel gulam , sed ad auri & argenti cupiditatem esse propensum ; & quia Cœlestis Magister Collegij Apostolici bursam ei consignaverat , adeoque pecuniam semper ad libitum suum promptam habebat , hac commoditate ex instigatione Diabolica abutenti , Diabolus sensim & paulatim furta suggessit minuta , ut tandem ad graviora committenda eum seduceret , illudque eo usque facere continuavit , donec à pessimo hoc vitio eousque inductus fuerit , ut Christum pro triginta venderet argenteis. *Itaque Judam in barathrum nequitiæ præcipitavit* , inquit Hugo à S. Victore , *neglecta minimorum cautio.* Est quoque quorumdam Doctorum opinio, Judam , quia pauperes parentes habuit , ex pecunia custodiæ illius commissa , ijsdem sine Christi licentia subvenisse , & paulatim summam aliquam , quantumvis levem , in eumdem finem seposuisse penes se seorsim , donec tandem avaritia ipsius ad summum usque culmen pervenit. *Immisit ei primum Satanas* , inquit Origenes , *motus leviter malos. Hæ erant vulpes parvulæ , quas cum capere negligeret , demolitæ sunt ejus vineas.* Chrysostomus similiter de Juda ait : *Sic in Juda maximum proditionis malum concrevit , nisi enim putasset parvum esse , pecuniam pauperum surripere , in tantam protervitatem non devenisset , sic à minimis ad maxima gradatim Diabolus ducit.* Ubi specialiter notanda sunt verba illa : *à minimis ad maxima gradatim ducit.*

Joa. 2. v. 25.
Joa. 6. v. 71.
S. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 385.
Diabolus aggreditur homines in parte debiliori.
Jacob. 4. 1.
Judas prius peccavit per minuta furta.
Hug. de S. Vict. l. 2. cap. 26. de erudit. inter hom.
Orig. n. 4. in Sanct.
D. Chrysost. hom. 87. in Matth.

Modus, quo paulatim inducit ad carnalia.

5. Eodem modo quando Diabolus virum aliquem probum & perfectionis studio deditum in carnalis vitæ præcipitare vult barathrum , non eum subito ad adulterium , sacrilegum inducit , sed è longinquo eum ad hoc audendum paulatim disponit , efficiendo ut in aliquod carnis peccatum veniale labatur , vel ut parum sit circumspectus & cautus in custodia sensuum , vel ut de proprijs viribus nimium præsumat ; Similiter sub prætextu pietatis inducit illum , ut ad excolendam in vita spirituali filiam aliquam innocentis vitæ operam suam impendat , ita tamen ut ejus erga illam affectionem , quæ in principio recta fuit , per suggestiones suas , in carnalem affectum degenerare faciat ; Quam Diabolicam fraudem eximius ille spiritualis vitæ director , P. Alvarez his verbis in manifestam lucem eduxit : *Fraudatur continentia , si corpore & mente castus sit aliquis , tamen sit specie utilitatis , vel consulendi , suggeritur ei , ut familiaritatem aliquarum mulierum habeat , ad quod enim pia intentione ducitur, prompta est etiam & facile acquiescit natura , in quo negotio occulte se jungit vitium , quo & usu ad hoc perducit , ut homo seipsum non intelligat , & magis hoc agat , quod delectat , quam quod expediat.*

Alvarez. lib. 1. p. 1. cap. 12.

6. Consideratione dignum est certamen illud , quod serpens infernalis cum Christo eo tempore in deserto aggressus est , quando per quadraginta dies & noctes adeo rigide jejunando se extenuarat , ut ne mucidi panis frustulo fami suæ subvenerit Tunc enim aliquot in manu sua lapides ferens , hoc ei consilium persuadere nisus est ; *Dic , ut lapides isti panes fiant.* Sed quis est hic adeo peregrinus modus restaurandi fragilitatem hominis alicujus , qui post tam rigorosum jejunium emaciatus, *postea esurijt*, ut pro fame illius exsatianda præsententur in panes transmutandi durissimi lapides ? Et quidem si Christum in peccatum gulæ præcipitare erat animus , cur non potius lautum aliquod & delicatum ei ferculum obtulit ? Dubium hoc majori cum energia auget D. Chrysologus inquiens : *Miser , malus vir esse , sed non potes ; cupis tentare , sed nescis , esurienti tenera offerre non dura debuisti , famem non asperis palpare , sed blandis , inediam non horridis urgere debueras , sed gulosis.* Verumtamen si technarum machinas , quibus versutissimus tentator circa Christum in deserto usus fuit , penitus introspiciamus , reperiemus , eumdem non sine mysterio lapides Christo obtulisse in panes transmutandos ; Etenim in hac tentatione fraudulentus hic inimicus noster verisimum esse , opere ipso comprobavit , quod vitæ spiritualis ac mysticæ præceptores de eodem communiter tradunt , scilicet , quod Dæmon numquam nos transire faciat ab uno extremo ad aliud , scit enim , quod hac ratione difficulter suum esset consecuturus intentum , quia potius suadet nobis , ut ab actu aliquo virtutis transeamus ad vitium aliquod à tali virtute non adeo remotum : sed potius vicinum , v. g. eum , qui liberalis est, non facile tentabit de furto rei alienæ committendo, bene tamen de prodigalitate admittenda. Cum igitur Salvator noster ad summum pervenisset jejunij rigorem (*cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus*) huic autem rigorosissimo jejunio, velut alterum extremum , opponerentur cibi lauti & delicati , Diabolus astutissimo consilio , ut Christum ad rumpendum rigorosum illud jejunium induceret , non cibos delicatos eidem obtulit , sed potius lapides , simul ejus stimulando Omnipotentiam , qua lapides illos in panes convertere poterat , hac enim ratione facilius sperare poterat , se assecuturum esse suum intentum , scilicet ut aliquid , quantumvis modicum , circa ipsius personam lucraretur, hoc enim semel obtento , paulatim se illum ad graviores lapsus dispositurum esse sperabat. Verum enimvero relicta hac prima tentatione , tertiæ tentationis insultum obsecro nonnihil accuratius consideretis. Et quidem cum in duobus primi insultibus victus succubuerit , ingens utique Dæmonis erat temeritas , velle ipsimet Dei Filio persuadere , ut coram se genuflexus ipsum adoraret , à quo in duabus præcedentibus minoris momenti tentationibus turpi repulsa rejectus fuerat. Quod si enim tu ab aliquo decem tibi scuta mutuari peteres , illeque sibi tantam pecuniam minime suppetere diceret ; tu vero ita respondentem , majori cum instantia , ut centum scuta tibi daret , rogares ; ille autem quod tametsi illa tibi dare posset , numquam tamen se id facturum esse responderet , futurusne esset adeo impudens ac temerarius , ut ab eodem mille scuta exigeres ? Hic autem proprie est casus ille , in quo versamur ; Etenim cum Christus primam tentationem de lapidibus in panes transmutandis , peregregie repudiasset , Dæmon secundam fecit instantiam , eamque vehementiorem prima , scilicet ut è templi pinnaculo sese deorsum mitteret ; Cumque iterata fuisset vice rejectus , tandem pro finali tentatione à Christo sui adorationem exegit. O temeritas inaudita ! O impudentia omni carens exemplo ! Qua ratione in hac præsumptuosa actione Dæmonis salvari poterit astutia ? Verum enimvero respondeo , Dæmonis , in hac suggesta sui adoratione , intentum fuisse , aliquid , quantumvis modum , penes Christum lucrari , verbi causa , ut Christus in actum aliquem impatientiæ , & furoris , vel in verbum aliquod contumeliosum prorumperet ; quilibet namque modicus defectus , vel culpa venialis sufficit Dæmoni , ut parvum aliquem in cor nostrum aditum habere , indeque sensim & paulatim ruinam nostram machinari possit ; ac proinde S. Paulus Ephesios hisce verbis monuit : *Nolite locum dare diabolo.* S. Ephrem in cap. *de intemperantia & incontinentia* , similiter hortatur inquiens : *Vos hortor, obtestorque fratres , ut non solum à gravioribus peccatis ac vitijs temperetis , sed etiam ab illis , quæ parva apparent , & levia , quæ tamquam minimi ac nullius momenti , fere ab hominibus negligi , sternique solent , quasi nulla de similibus reddenda foret ratio , cum interim per ejusmodi nos spernere etiam quærat Diabolus. Omni ergo diligentia ac studio , etiam in minimis illis , dolos atque insidias Diaboli cavete , ut cum Christo sempiterna gloria fruamini.* S. Hieronymus ad prædicta S. Pauli verba : *Nolite locum dare Diabolo* , se reflectens : *Quomodo enim Pater & Filius stant antè ostium , & pulsant , ut introeant & cœnent cum eo , qui se receperit , ita & adversarius semper in nos est paratus irrumpere , & cum locum dederimus , ingreditur* ; Quod si enim nos ei locum aliquem cesserimus , id est , si peccatum aliquod veniale commiserimus , licet per hoc animam nostram possidere nondum valeat , attamen quælibet transgressio , quantumvis levis sit , illum ad nos tentandum fortiorem & animosiorem , nos vero ad resistendum ei debiliores efficit.

Matt. 4. v. 3.
Calliditas Dæmonis in tentando Christum.
Chrysol. Serm. 11.
Matth. 4. 2.
Dæmon bis victus per summam temeritatem petiit adorari.
Hoc etsi poterat præscire non futurū, sperabat tamen minimum quid impatientiæ æræ :
Ephes. 4. 27.
S. Ephrem. hom. 1. de virt. & vit.
Adhortatio ad vitanda peccata minuta.
S. Hieron. Tom. 6.

7. Porro quam Diabolus ex peccatis levibus & venialibus præsumptuosus efficiatur & audax, sequens declarabit exemplum, quod Surius in vita S. Aichadri Abbatis , Gimesiensis refert ; Cum enim sanctus hic Abbas in negotijs monasterij sui occupatus inadvertenter in die festo accito tonsore capillos capitis forcipe sibi æquari jussisset , *vidit , cum hoc ageretur , humanæ salutis adversarium , quam promptus sit ad nocendum , quomodo de nostris offensionibus exultet. Et ecce Diabolus intra tenebrosum cellæ angulum se continebat , nefandam cautionem in manibus tenens & semper ut attonsa coma deorsum influebat , ipse colligere , & in numerum capillaturam omnem redigere videbatur. Res tremenda & solicite pensanda* , subjungit Historia. *Cum enim sanctus vir Dei Dæmonem reprehendisset , eique temerarium ausum suum improperasset ; Respondit Dæmon : Meum est officium servorum Dei habitacula revisere , & offensas singulorum Breviario meo adnotare , & sic principi nostro referre , ne ad concilium ipsius revertentem vacuum , supplicijs durioribus jubeat excruciari. Nam hujus ministerij sors mihi de te singularem hodie palmam apud Principem meum obtinebit , dum te Dominicæ noctis festivum tempus illicito opere transgredi renuntio. Minime à tonsione , minime unquam cessa , ut de numero capillorum nostræ cautionis abacus accumuletur.* Ex quo Dæmonis discursu & actione evidenter colligitur , quam parvi faciat illos , qui se culpis , etiam venialibus , coinquinare non formidant , & quanti æstimet eadem venialia peccata , ad prosternendos quantumcumque sanctos homines. Unde non immerito Richardus de S. Victore inquit : *Quantum parvis suggestionibus inimici succumbit , tantum hunc contra se robustum facit.*

Serm. 15. Sept. num. 13.
Diabolus quod ex peccatis venialibus præhabitis efficiatur audacior, probatur exemplo.
Rich. de S. Vict.

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.

Peccata leviora non curantes, in magna paulatim labuntur præcipitia.

THEMA.

A scintilla una augetur ignis. Eccli.11.℣.34.

A parva scintilla magnum incendium.

1. Similitudo, quam Ecclesiasticus eo fine, ut peccata levia evitemus, ne in graviora labamur, adducit, magis propria aut opportuna esse nequit, scilicet quod unica scintilla sufficiat ad causandum ingens incendium: *A scintilla una augetur ignis*, vel ut textu Græco legitur: *A scintilla parva exardescit focus.* Cujus Dionysius Carthusianus hanc assignat rationem, inquiens: *Quia ex parva scintilla gignitur ignis, qui paulatim fit magnus, juxta illud in Canonica Jacobi: Quantus (id est, quam parvus) ignis, quam magnam sylvam incendit?* Salustius quoque ait: *Parva scintilla contempta, magnum excitavit incendium.* S. Gregorius Nazianzenus, ut nobis vehemens imprimat erga culpas veniales odium, sequentem in sententijs suis adfert similitudinem: *Ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat;* quæ verba coincidunt cum illis Ecclesiastici: *A scintilla una augetur ignis;* Et vere ita est, sæpissime enim contingit, quod ab unico dumtaxat malo homine occasio præbeatur, ut ingens effundatur humani sanguinis copia; dicique possit: *Ab uno doloso augetur sanguis.* Unicum verbum pungens, & contumeliosum, cum ut plurimum variarum sit controversiarum, rixarum & contentionum causa, efficit, ut in factiones concitentur, non solum familiæ, sed & integræ civitates. Undenam monarchia Ottomannica, quæ hactenus à tot sæculis floridissima mundi regna, cum tanta Christianæ Religionis nostræ jactura, totque populorum à Mahometanæ barbariei violentia & tyrannide debellatorum exterminijs, sibi subjecit, undenam inquam hæc originaria sua deducit primordia? Ab unico verbo contumelioso, ab Imperatoris Catholici iracundo ministro inconsiderate prolato, prout Tarcagnota in Historijs suis in hæc verba refert: *Revertamur ad Heraclium, qui per suam ministrorumque suorum avaritiam Saracenis occasionem præbuit accelerandi totius Imperij orientalis excidialem ruinam. Cum enim in urbe Constantinopolitana, militibus Imperatoris sua distribuerentur consueta stipendia, interque hoc Saraceni, quos Heraclius ex Arabia ad sibi militandum collegerat, sua quoque debita stipendia exposcerent, Thesaurarius Imperij, qui Eunuchus erat, asperrime illis, se panem canibus dandum non habere, respondens, contumelioso hoc responso omnium Saracenorum corda adeo transfixit, ut subito conspirantes in Arabiam redierint, & electo sibi in Belli ducem Mahomete, qui in regionibus illis viri magnæ authoritatis & sapientiæ famam comparaverat, manifestam Imperatori rebellionem & bellum indixerint.* Progreditur vero jam dictus Author prolixius, enarrando victorias, quas paulatim diversis in locis ingenti cum Christianorum damno ab iisdem reportarunt, magnosque quos per variorum regnorum comparationem fecere progressus, fusius recensendo. Quod quidem si verum est, patet exinde, qualiter adimpletum fuerit prædictum Sapientis oraculum: *A scintilla una augetur ignis; Ecce quantus, id est, quam parvus ignis, quam magnam sylvam incendit.* Unicum igitur verbum asperum & contumeliosum ex ira prolatum hactenus à mille & amplius annis causa fuit, ut potior mundi pars in totale redacta fuerit exterminium.

Dion. Carth. ibid. — Salust. in Catilin. — Nazianz. in Sent. — Ab uno verbo injurioso magnum bellum. — Tarcag. p.2. l.4. fol.181. — Probatur Historia.

2. S. Gregorius inquit: *Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inclytæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur: cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israeliticæ damna conspiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis.* Pergit ibidem sanctus Doctor enarrare, undenam idololatria in populo electo suam habuerit originem: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: Esus quippe, potusque ad ludum impulit, ludus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ad iniquitatem protinus mens incauta devoratur, Salomone attestante,* qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidit: si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.* Enimvero Dæmon ab omnibus totius mundi populis olim in falsis numinibus adorabatur, solo excepto Hebraismo, qui à tot retroactis sæculis soli vero Deo genuflectebat: (*Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*) at vero qua de causa ipse quoque Hebraismus, post visa à tot sæculis à Deo in ipsius favorem patrata miracula, tam turpi se macula, qualis est idololatria, coinquinavit? ob impatienter toleratam, quam Moyses priusquam è monte Sinai descenderet, protraxerat moram; quam porro impatientiam, ut nonnihil mitigarent Hebræi, cœperunt largius solito comedere & bibere; Et hic scopulus ille fuit, qui illos naufragari fecit in fide & cultu veri Dei, in cujus criminis pœnam, Deus post illatam illis cruentam stragem populum illum totaliter exterminare decreverat, nisi Moyses efficacibus precibus suis se apud Deum interposuisset.

S. Gregor. l.10. mor. c.9. — Qui modica spernit, paulatim decidit. — Exod.32.v.6. — Ps.75.v.2. — Ordo quo Hebræi devenerunt ad idololatriam.

3. Didacus Stella ad nostram instructionem ita scribit: *Cavendum est diligenter à prioribus peccatis, nam licet parva tibi in principio videantur, paulatim, & sensim in gravissima incides, & in profundum malorum, ideoque Ecclesiasticus ait: Tamquam à facie colubri fuge peccatum. Videbitur tibi parum commendasse fugam peccati, siquidem non dixit: Fuge peccatum tamquam ab unguibus leonis; aut tamquam à Tygridis dentibus, aut tamquam à facie Draconis, nam coluber parum veneni habet, nec ab illo fugiunt, nisi pueri. Per colubrum, qui inter animalia venenosa minus veneni habet; intelligit hic Ecclesiasticus parvum peccatum, à quo fugere debet. Quare? quia Isaias dicit cap. 24. quod ex radice colubri egredietur regulus. Basiliscus inter reliqua animalia venenosissimus est, & adeo malus est, ut solo intuitu homines interficiat, atque ideo per illud intelligitur gravissimum omnium peccatorum. Fuge igitur à parvis, & à prioribus peccatis, ne forte oculis Basilisci interficiaris, siquidem ex parvis peccatis gravissima oriuntur. In Ægyptum misit Dominus cyniphes, quæ musculæ sunt parvæ, ac postea magnas muscas misit, ut inde intelligas, post parva mala majora subsequi.* Quid si in vasti alicujus regni ingrediens metropolim, videres eamdem plusquam millione incolarum populosam, thesauris refertam, superbis ædificijs admodum sumptuosam, cunctique generis mercibus ex uno polo mundi ad alterum transvectis plenam; post biduum vero eamdem cerneres in quemdam cinerum & favillarum cumulum redactam, atque insuper hujus ei illatæ miseriæ causam fuisse intelligeres, unicam dumtaxat scintillam ignis in materiam facile combustibilem dilapsam, quid diceres? *A scintilla una augetur ignis.* Talis scintilla est unicus ille error, quem Dæmon majori Christianorum parti instillat, scilicet, quod sufficiat à peccatis abstinere mortalibus, cæterum vero à peccatis sibi cavere venialibus parum vel nihil intersit, hæc enim unica scintilla Christianorum mundum non solum hactenus subvertit, & in desolationem redegit, sed & idipsum factura est deinceps. Audite non me, sed Chrysostomum in hæc verba scribentem: *Exhortor in initio, ut caveamus, vel in Silla fugientes mala, nam magna ab his nascuntur; Etenim qui in unoquoque peccato dicere edoctus est, non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia pessumdabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, hoc januas reseravit prædoni, hoc urbis mœnia dejecit, nimirum, quoties ad unumquodque peccatum dicis, non hoc ad rem magnopere pertinet, sic & in ipsis corporibus usu venire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus.* Porro qui hoc jam dicto modo discurrunt, scilicet quod solum mortale peccatum sit illud, quod nos ad ignem gehennalem sustinendum condemnat, utique non considerant id, quod à principio dictum est, scilicet: *A scintilla una augetur ignis.* Etenim peccatum veniale quædam est ignis scintilla, sed talis naturæ, ut nisi præcaveamus, magnum incendium causare possit. Dionysius Carthusianus *de enormitate peccati* tractans, ita scribit: *Quibusdam satis videtur, si à peccatis mortalibus abstineant, infernalaque tormenta evadant; unde venialia vitare non enituntur, nec diligenti cordis insistunt custodiæ, nec ad perfectionem feruntur, sed cum quadam mediocritate Deo servire contenti sunt, non cum metu, timore, atque tremore suam ipsorum operantes salutem, juxta Apostolicum documentum.*

Did. Stell. in c.3. Luc. — Jubemur fugere à facie colubri, id est, à peccatis venialibus. — Similitudo. — Chrysost. Hom.12. ad Rom. — Dæmon conatur laborare, ut venialia non curentur. — Scit enim quod sint principia majorum. — Dion. Carth. opusc. de enormit. pecc. art.19.

Isti sunt plurimum imperfecti, & sæpenumero damnabiliter fallunt seipsos, ac pereunt; non attendentes peccatorum venialium nocumenta, & quod mortale nequeat evitare, qui venialia abjicere non conatur: unde secundum Hugonem, talium conversatio est plerumque periculosior, quam eorum, qui graviter peccant, non quod in seipsa deterior sit, sed quia interdum difficilius convertuntur, & non putantes in peccatis se esse mortalibus, mortalibus contabescunt.

Olaus Magn. lib.14. c.15. — Historia de ave volante in summitate montis, & alijs parum nivis dejiciente.

4. Refert Olaus Magnus, quod dum avis quædam in Suecia in celsissimis montibus Doffrinis densissima nive contectis volitaret contigerit, ut alarum suarum concussione aliquantulam nivem commoverit, quæ super aliam nivem decidens, eamdem secum raptabat, donec tandem magis magisque adauctæ nives in vastam quamdam molem, & veluti montem niveum excreverint, quæ ingenti cum impetu deorsum cadens, omniaque obvia saxa & ligna secum raptans, in castellum quoddam cecidit, ad radices dicti montis situatum, ejusque muros, domusque cunctis castelli incolis interfectis, in terram prostravit. Quam historiam credibilem esse existimo, cum factum quod in ea refertur non sit impossibile; Et vero sicut castri hujus totalis destructio, & tot hominum inibi habitantium strages, à modica nive per volitantem avem in montis vertice commota suam traxit originem, ita quoque multæ civitates in periculosas sæpe rediguntur factiones & schismata, & per strages & intestina ac irreparabilia bella totaliter desolantur, & si in harum irreconciliabilium inimicitiarum inquiratur causam, omnes hasce calamitates sæpe ex unico lascivo aspectu, vel verbo pungente & contumelioso suam traxisse originem deprænenditur.

Cervus ab Aquila vincitur mediante pulvere.

5. Cervus natura sua munitus est cornibus altis & robustis, corpus quoque amplum habet, & validum, pedesque agiles & veloces, & tamen cum Aquila ipso longe quoad corporis molem & vires longe inferiori decertans, ab eadem vincitur, & præcipitatur. Quibus autem armis Aquilam ad hanc victoriam obtinendam uti existimatis? Num forte unguibus, vel rostro cervum invadit & dilacerat? Nequaquam, sed modico pulvere totam conficit victoriam; Nam ut scribit Plinius: *Pulverem volatu collectum insidens ipsorum cornibus, excutit in oculos ejus, ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.* Regius Propheta quidem se ad evadendum quævis pericula pedibus cervinis dotatum fuisse gloriabatur inquiens: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum;* sed vana erat hæc gloriatio, quia ut S. Leo Magnus de peccatis levioribus sub pulveris metaphora loquens ait: *Necesse est de mundano pulvere, etiam Religiosa corda sordescere;* Dæmon enim oculis Davidis, ad eum excæcandum, pulverem injecit, quando *vidit mulierem lavantem se;* Etenim hæc curiositas ad illum in ingens illud præcipitium deturbandum suffecit, non obstante eximia ipsius virtute & perfectione, in qua se per longum tempus exercuerat. Ægyptij validissimis armis communiti, procedebant dimicaturi contra Hebræos, & tamen omnibus viribus suis exuti & debilitati fuerunt, eo quod se à ranis, quæ dentes non habent, à muscis item, à Cyniphibus alijsque similibus vilibus & minutis animalibus infestari & vinci viderent; unde Rupertus Abbas ait: *Ecce quales instruxerit acies.* Sapor Persarum Rex potentissimus, cum omnibus exercitibus suis, qui totum Imperium Romanum contremiscere faciebant, Nisibim Civitatem Mesopotamiæ fortissimam arctissima obsidione cinxit; Eo autem tempore S. Jacobus Ecclesiam illam Nisibitanam gubernabat, qui totis viribus in hoc incubuit, ut ab hoc furibundo lupo gregem suum defenderet, prout re ipsa præstitit, siquidem formidabilem Saporis exercitum devicit & profligavit. Quoniam vero illum ad heroicum hoc facinus patrandum usum fuisse medio existimatis? Num forte per stratagema bellicum victoriam illam obtinuit? vel aliorum principum potenti auxilio adjutus prævaluit? Nequaquam: *Ecce quales instruxit acies.* Etenim *Deus exercituum* precibus S. Jacobi Episcopi ad clementiam permotus, tantam exercitui hostili immisit Cyniphum, aliorumque similium minutissimorum animalculorum copiam, ut nubes esse viderentur, quæ per aculeos suos, quos Elephantibus & equis infigebant, tantam illis animantibus intulerunt molestiam, ut barbarus hostis ille ad solvendam obsidionem civitatis illius coactus fuerit. At vero quidnam me per hujus narrationem historiæ insinuare velle existimatis; Nimirum Religiones Monachorum in Ecclesia Dei velut turres quædam & fortalitia fundata sunt adversus infernum, Dæmon autem multas illorum demolitus est, efficiendo, ut à primævæ institutionis rigore relaxarentur, & deficerent, hoc autem vel maxime per Cyniphes effecit, id est, per leves Religiosorum transgressiones, à quibus relaxatio paulatim cœpit, & magis magisque postea invaluit, scit enim Diabolus, quod à transgressionibus levibus homines paulatim incidant & inducantur in graviores. Cornelius à Lapide citat Abbatem quemdam Liuriacensem qui diversarum Religionum relaxationes varijs attribuit causis. Cluniacenses enim defecisse dicit propter otium; Cistertienses ob nimiam mentis applicationem ad labores rurales; Præmonstratenses per chori assiduitatem & prolixitatem; Mendicantes per nimiam cum sæcularibus familiaritatem; Hæ autem causæ omnes, leves quædam culpæ, non vero scandala erant; & tamen progressu temporis, faciem instituti, quam à suis Patriarchis acceperant, notabiliter mutarunt, adeo ut de talibus religionibus nunc dici possit, quod Jeremias in Threnis ait: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea? Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum.* Eo tempore, quo sancti Ordinum fundatores etiamnum vivebant, *Candidiores Nazaræi ejus nive* erant; & vero modo *denigrata est super carbones facies eorum.* Undenam vero relaxatio illa Ordinum sanctissimorū originem suam accepit? Ecce tibi perversionis veram causam? *Non sunt cogniti in plateis;* quasi Propheta diceret: Vagabuntur per plateas, solitudinem non diligebant, nec de peccatis venialibus ullum sibi faciebant scrupulum.

Plin.10.c.4. — Ps.17.v.34. — S.Leo. ser.4. de Quadrag. — 2.Reg. c.11. v.2. — Ægyptij à vilissimis animalculis victi fuerunt. — Baron. An. 338. v.22. — Historia de Rege Persarum. — Cornel. à Lapid. in c.2. Ose. — In quibus minutis plures Religiones defecerint primitus. — Thren.4.v.1. — Ibid.v.2. — Ibid. v.5.

6. Chrysostomus verba illa S. Pauli exponens: *Nolite locum dare Diabolo*, aptam captuque facilem ad hujus materiæ meliorem intelligentiam, adducit similitudinem inquiens: *Quomodo quamdiu quidem sunt condensati, & bene compacti lapides, neque quidquam habent vacuum, stant infracti; sin autem contigerit solius acus fieri per forationem, aut rupturam, quæ unius pili solum locum teneat, hoc omnia dissolvit, & perdit; Ita etiam in Diabolo, quamdiu quidem fuerimus conjuncti, condensatique ac bene compacti, nihil omnino infert ex ijs, quæ sua sunt. Quando autem nos parum laxaverit, tamquam torrens quidam insiliit: ei enim semper solo opus est initio, hoc autem facto omnia sibi ipsi dilatant.* S. Theodorus Studita, præcipitium refert, in quod lapsus fuerat quidam raræ perfectionis Monachus; Ita enim scribit: *Non audistis quid acciderit miserabili Expræpiano, defuncto non temporali, sed æterna morte? Splendebat cum morigerationis, tum probitatis lucerna. An non olim pro confessione obeunda mecum reclusus est? Bis flagris mulctatus, ac fortissime perpessus.* Tandem vero lapsus illius subjungit causam, ei, quæ Judam adeo miserabiliter cadere fecit, haud dissimilem: *Habebat, inquit, ut Oeconomus marsupium monasterij, & quæ injicerentur, auro illectus, atque avaritia confixus, heu Christum Judæ instar prodidit, & virginitatis deposito voto, & Giezice agris, vineis; bobus, ovibus coemptis.* Et paulo post ad propositum nostrum subjungit: *Digna fratres dolore atque planctu tragœdia est. Qui stat, inquit, videat ne cadat. Qui bene currit, caveto ne prosternatur prostratum cernens, qui prius bene currebat. Angelum qui, opinor facilius casurum, quam fratrem, eum duxisset, & tamen cecidit:* Sed quomodo cecidit? Quod fuit lapsus sui offendiculum? *Cecidit dormitans*, id est, vivendo desidiose, transgressiones leves vitare neglexit.

Chrysost. hom.14. ad Ephes.4. — Similitudo. — S.Theod. Studita ser.4. Catech. — Historia.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Author progreditur probando, quod ex peccatis venialibus neglectis, subsequi possint lapsus gravissimi.

THEMA.

Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit. Jac. 3. ℣. 5.

Ut scintilla incendium, ita lingua

1. Ut gravissima damna, quæ ex peccatis venialibus neglectis nasci possunt, melius apprehendere valeamus, aptissimam S. Jacobus Aposto-

lus

maximum damnum inferre potest.

lus in Epistola sua canonica adducit similitudinem inquiens; *Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit.* Unica enim scintilla accendere potest ignem, qui non solum sylvam, sed integram quamdam provinciam, si arboribus dense juxta se invicem plantatis obsita esset, absumat. *Quantus ignis*, id est, ut Lyranus exponit, *quam modicus*. Verbum quoque à lingua prolatum scintillæ sæpe producit effectum, atque ideo idem S. Jacobus linguam igni assimilat: *Et lingua ignis est*, à qua verbum velut scintilla prosiliens, ad accendendum in anima ignem infernalem sufficit: *Inflammata à gehenna.* Unicum verbum detractorium, contra aliquem, qui mundum regit & gubernat, prolatum, eumdem contemptibilem efficit. Verbum aliquod hæresin insinuans, integras conflagrare potest nationes, & regna. *Lingua ignis est, universitas iniquitatis.*

Lyranus.

Jacob. 3. v. 6.

2. Videbitis aliquando ædificij alicujus valde magnifici, solide fundati, & ex omni parte contra lapsum adeo muniti, ut æternitati ædificatum fuisse credidissetis, præstantiam, & tamen paulo post idem ædificium in magnum quemdam cæmentorum, lignorum, & lapidum cumulum redactum fuisse conspicietis, idque cum pretiosissimæ supellectilis, qua interius adornata erat ingenti jactura, cum incredibili superborum apparatuum, sculpturarum & picturarum insignium damno, imo cum improvisa strage multorum, qui domum illam incolebant; Quod si vero in magnæ hujus desolationis inquiratur causam, depræhendetur, quod modicum quoddam ab initio aquæ stillicidium, unam ex magis præcipuis, totamque ædificij molem sustinentem putrefecerit trabem, quæ tandem corruens universum post se tectum traxit, quod mole sua pavimentum conclavium subteriorum dirumpens, super alia inferiora conclavia decidendo, omnia in terram prosternit. Comparationem hanc considerans Cassianus ait: *Eleganter mentis injuriam domari comparavit, tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & posthæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali, id est, in tempore tentationis, ingruente tentatione Diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum.* Hujus quoque comparationis meminit S. Augustinus, dum de Christiana perfectione disserens ait: *Cogitas magnam fabricam construere? &c.* Ubi ab humilitatis fundamento incipiens, ad singularum tigna virtutum progreditur; Virtutes enim, merita, bona opera, dona gratiæ, quibus anima bona locupletatur, hoc fabricant palatium, quod quantumvis sit excellens per levis tamen cujuscumque culpæ negligentiam, in ruinam, & desolationem redigitur, v. g. per vanam gloriam & præsumptionem, prout Pharisæo accidit, vane de se glorianti, vel per defectum circumspectionis quoad fugiendas occasiones, & pericula, vel per non refrenatam linguam, seu vim irascibilem; *Ecce quam modicus ignis, &c.*

Unicum aquæ stillicidium est ruina totius domus.

Cass. coll 6. cap. 17.

S. August. serm. 10. de Verb. Dom

Applicatur moraliter.

3. Per experientiam constat, quod si in aliquo conclavi esca sulphuri licet in minima quantitate, intincta accendatur, mox sulphuris fumus, & fœtor per universum dilatetur domum. Porro unicum solum peccatum veniale esca est sive sulphur ad ignem infernalem accendendum deserviens; hoc enim ad animam malo odore imbuendam, eamque ad hoc disponendam, ut peccati mortalis incendium facile concipiat, abunde sufficit, Dæmonique ad nos vehementius tentandos, vires, & ausus majores suggerit. Unde S. Augustinus ait: *Sæpe Dominus vigilate clamat, & ambulate inquit, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant:* Itemque dicit: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit, ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud, quod à Propheta dictum est: Qui spernit modica, paulatim decidet? De qua sententia si opportunum esset festinantibus copiosissime disputare, atque id si à nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus, quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi & sacrilegi homines, deridendo non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt.*

Minimum quid sulphuris accensum inficit totum conclave.

S. August. lib. 1. de Moribus Eccle. c. 24.

4. *Difficile est, ut non cadere in gravia permittatur,* inquit Eusebius Emissenus: *Qui minus gravia non veretur. Periculosus morbus est malæ conscientiæ usus, & irrevocabilis ad deteriora descensus.* Sæpe contingit, quod modicum aliquod seminis granum, à validissimo vento in altissimas deferatur parietinas, ibidemque in lapidum cæmentique commissuris progerminans intra centum annorum progressum in proceram excrescat arborem, in multos sese ramos extendentem, quæ radicibus suis intra antiqui illius muri commissuras profunde penetret; Tandem vero dum validus quidam & impetuosus exurgens ventus instar turbinis vehementis ramos arboris illius exagitat, radices pariter illius intra muri commissuras dispersas evellat, totamque arborem cum irreparabili vastæ illius molis desolatione in terram dejiciat. Sed undenam hujus ruinæ prima derivantur principia? nimirum à minutissimo illo per ventum in parietinas illas translati seminis grano. Audiatis obsecro Senecam hac de re in hæc verba scribentem: *Consideremus quam ingentem vim agant parvula admodum semina, & quorum exilitas in commissura lapidum vix locum invenerat, in tantum convalescunt, ut ingentia saxa distrahant, & in momento dissolvant, scopulos, rupesque radices minutissimæ & tenuissimæ.* Unicum sæpe verbum inconsiderate prolatum in arma coegit populos, excitavit seditiones, integras excidit familias & civitates, unde Dionysius Carthusianus in Sermone quodam ait: *Detractio, susurratio, contumeliosum verbum, non aliud quam Diabolica semina reputentur à nobis.*

Euseb. Emiss. Hom. init. Quadr.

Similitudo ab arbore.

Seneca lib. nat. quæst.

Dion. Carth. serm. 6. in fest. S. Andreæ.

5. Nabuchodonosori Regi ingens quædam statua, varijs ex ferri, æris, argenti, & auri metallis composita, in somnis exhibita fuit: *Statua grandis, magna, sublimis*, quæ tamen in momento in terram prostrata concidit, & in minutissimum pulverem comminuta fuit, *redacta quasi in favillam æstivæ areæ quæ rapta sunt vento.* Sed quibus adhibitis viribus aut medijs statua illa grandis sic desolata fuit. Num forte fulmen aliquod in eamdem cœlitus immissum illam demolivit? Aut vero per positos subtus illam in sinu terræ & accensos ignis cuniculos in aëra evibrata fuit? vel denique ligonibus & palis atque harpagibus ejus fundamenta subversa fuerunt? Nihil horum ei contigit. Sed *abscissus est parvis lapis de monte, sine manibus, & percussit statuam; . . . tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum. Hæc autem omnia*, ut ait Apostolus, *in figura contingebant illis*, ac proinde audite obsecro, quam inde Richardus à S. Victore deducat moralitatem: Ita enim scribit: *Debet nos semper illud Nabuchodonosoris somnium, & cautos reddere, & solicitos efficere; Vide obsecro visionis ejus statuam, vide inquam à quanta sublimitate incipitur, & in qualem tandem finem deducitur.* Sæpe videmus aliquos, quibus aliud in vita sua transacta non fuit studium, quam ut in virtutibus & perfectione Christiana proficientes quotidie, vitam agerent integerrimam, optimis moribus decoram, exemplarem, & ædificatoriam, postea nihilominus horrendum in modum, quasi *de cœlo in cœnum*, ut S. Bernardus ait, fuisse prolapsos. At vero quisnam terribilis illius naufragij scopulus extitit? Quisnam aries aut quænam machina fuit, quæ ingentem hunc Colossum in terram miserabiliter prostravit? *Abscissus est lapis sine manibus*; exiguus lapillus, id est unicus impudicus aspectus id ipsum fecit; unicum verbum ex iræ passione prolatum, intestinum aliquod & inveteratum odium parturire prævalet. *Statua, quæ ex auro incipit*, inquit præfatus Richardus, *& in testam desinit, puto, quia nemo repente fit turpissimus, sed qui minima negligit, paulatim defluit.* Caput aureum erat, pectus & brachia argentea, venter, lumbi & tibiæ ferreæ, pedes autem fictiles erant; unde colligitur, quod ab auro ad terram immediate non fiat transitus, sed ab auro transeatur ad argentum quod metallum est inferioris notæ & pretij, & ab hoc ad ferrum, quod est infimi generis metallum, à ferro autem ad terræ glebam, ut per hoc nobis insinuetur, quod nullus ex statu aliquo summæ perfectionis subito in vitam peccaminosam & impiam degeneret, sed gradatim, sensim, & paulatim relaxatio vitæ contingat: negligendo videlicet leviorum peccatorum emendationem.

Dan. 2. v. 31

Grandis statua contrita fuit lapsu de monte parvi lapidis.

Ibid. v. 35.

Ibid. v. 34.

Ibid. v. 35.

Undenam, quod diu virtutibus studentes tandem deficiant.

Rich. de S. Vict. lib. 1. cap. 21. de judic. inter hom.

Nemo repente fit pessimus.

6. Christus Salvator noster apud S. Lucam nobis improperat dicens: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Ubi per trabem peccatum grave intelligitur, quo sumus obnoxij existentes, leves aliorum reprehendimus defectus; Merito peccatum grave trabis nomine appellatur, quia ex trabibus multa cæduntur ligna igni fovendo deservientia. S. Augustinus circa præfata Christi verba ingeniosam habet observationem:

Luc. 6 41.

Quid sit trabes & festuca.

S. August. Serm. 16. de Verb. Dom.

servationem: Ait enim: *Festuca initium trabis est, nam trabs quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam perducis ad trabem, alendo iram malis suspicionibus, perducis ad odium.* Quod si inquireres, undenam processerit inimicitia illa, per quam ditissima illa & nobilissima familia totaliter subversa fuit, invenires utique hanc ex actu aliquo subsannationis, derisionis, & ludibrij, quem alter, cui derisio illa facta est, dirigere non potuit, primordialiter fuisse exortam: *Ecce quam modicus ignis, quam magnam sylvam incendit?* Nullum umquam scelus in mundo commissum fuit, quod execrabilius eo, quod Judas patravit, tradendo & vendendo Christum, verum Dei Filium in mortem: Hoc autem horrendum scelus derivatum est ex hujus Apostoli avaritia, in primis initijs ab eodem neglecta, prout sacri observarunt Interpretes; Non enim constat de commissis per illum furtis, aut extorsionibus, sed quia in sua custodia illas habebat Eleëmosynas, quæ Christo ad conservandam pauperculam suam familiam tribuebantur à fidelibus, ipse hac commoditate abutens, occulte sibi ex illis pecunijs aliquas reservavit in usus suos privatos, sicque ab invalescente paulatim in ipso inordinato hoc avaritiæ vitio, ut tringenta illos sibi compararet argenteos, cœlestem Magistrum in mortem divendidit. Merito igitur Chrysostomus monet inquiens: *Ne priora negligamus, ne mala in majus crescant. Judas si pecuniæ amorem coërcuisset, non venisset ad sacrilegium. Christus non solum fornicationem, & adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimit, radicem ab imo evellens, ut facilius possit superari vitium.* Idem sanctus Doctor in progressu ejusdem Psalmi, hanc quoque utilissimam tradit doctrinam, inquiens: *Quando parvam animæ perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit, sed consideres, quod id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus, non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius animam excedit vitium. Oportet itaque prævenire, nam si fuerimus negligentes, id correctu evadet difficilius.* Torrentes ex dilapsis è cœlo imbribus magnopere aucti, quique sua inundatione agris tanta accersunt damna, ex innumerabili quadam guttarum aquearum multitudine suum habent incrementum, licet singulæ guttæ seorsim consideratæ nihil fiant, nec quidquam male facere possint, sicut faciunt singulæ simul in torrente collectæ. Hac similitudine quoque utitur S. Gregorius Magnus, inquiens: *Admonendi sunt, qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent, qualia, sed quanta committant, facta enim sua si despiciunt timere dum pensant, debent formidare dum numerant. Altos quippe gurgites fluminum, parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod potenter procella sæviens. Et minuta sunt, quæ prorumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat.*

Quodam innominata familia verbo irrisorio fuit eversa.

Chrysost. in Psal. 6.

Christus impudicum obtutum prohibuit.

In initio oportet respicere finẽ.

S. Gregor. 3. p. past. adm. 34.

7. *Ecce quam modicus ignis, &c.* Ante non multos annos fuit hic Romæ sacerdos quidam, qui cum magna totius hujusce urbis ædificatione vitam ducebat integerrimam, totus saluti animarum procurandæ intentus, continuisque sanctis exercitijs apprime deditus. Cum vero die quadam plateam quamdam inambularet, oculosque fortuito sursum incaute levaret, se à muliere quadam maritata salutari observavit, ex quo incauto aspectu velut alter David adeo interius sauciatus fuit, ut sæpius eamdem plateam repetiverit, cumque primæ ignis in corde accensi scintillæ suum semper invenirent fomentum, correspondentiam, talis in ejus animo exardescere cœpit impuræ concupiscentiæ ardor, ut dictam mulierem marito suo eripiendo, post aliquod tempus miserabiliter occisus fuerit, simulque, ut metuendum est nimis, cum vita corporali, animæ quoque vitam, & propriam & existimationem amiserit. S. Hieronymus Sabiniano Diacono quamdam transcripsit Epistolam, in qua eidem enormia crimina exprobrat, inquiens: *Plures virgines stuprasse narratis, per te violata nobilium matrimonia, impuras & heluo per lupanaria cucurristi.* Quonam vero impulsu in grande hoc præcipitium deturbatus fuerit, sequentibus verbis enarrat: *Nimirum virginem in Ecclesia videras, sudariolum accepisti, & per fenestras palatij tantum fuerat facultas colloquendi.* S. Isidorus quoque hac de re ita scribit: *Experimento minorum peccatorum majora peccata committi, ut durius feriantur pro magnis sceleribus, qui de parvis corrigi noluerunt. Judicio autem divino in reatum nequiorum labuntur, qui distringere minora sua facta contemnunt.* Enimvero peccata leviora quoque nos submersionis periculo involvere Christus in persona S. Petri indicare nobis voluisse videtur: Nam Matthæus cap. 14. refert, S. Petrum quidem succinctis vestibus suis à navi exiliendo, mare calcare cœpisse, ut ad Christum aquis marinis inambulantem properaret: *Ambulabat super aquas, ut veniret ad Jesum; videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit: Domine salvum me fac.* Sed quænam erat ratio, quod de submersione periclitaretur? Num forte ideo quia aliquod monstrum maximum ei occurrit? Nequaquam, sed Christus ei improperavit dicendo: *Modicæ fidei quare dubitasti?* ubi observandum est Ly illud: *Modicæ*, hoc enim adjecit Salvator noster, ut nos doceret, quod etiam culpæ leves nos in abyssum perditionis demergere possint, non quidem per se-ipsas, sed per malam consequentiam, quam secum ferunt, nisi reprimantur. *Cum igitur descendisset de navi*, inquit Chrysostomus, *ad ipsum ibat, non tantum gaudens, quia super mare ambulabat, quantum quod ad Jesum itinere mirabili veniebat. Ita quod majus erat, super maria, scilicet, de navigio confidenter descendere, magno animo fecit, vi autem ventorum, & impetu fluctuum, quod erat minus, superatus timuit; Naturæ quippe humanæ hæc conditio est, ut difficilioribus nonnumquam superatis, succumbat in minoribus, &c.* Et paulo post subdit: *Ut ostenderet, non à procellis, neque à ventis, sed à modica fide sua ipsum everti; ait: Quid hæsitasti modicæ fidei? Nisi enim labefactatus in fide aliquo modo fuisset, etiam ventis facile restitisset.*

Historia de nociva salutatione.

S. Hieron. Epist. 46. ad Sabin. Diac.

Alia similis Historia.

S. Isid. lib. 2. Sent. cap. 19.

Matth. 14. v. 29.

Ibid. v. 31.

Chrysost. hom. 5. in Matth.

Propter modicam fidem id est peccatum veniale Petrus cœpit mergi.

8. *Ecce quam modicus ignis, &c.* S. Augustinus concupiscentiam carnalem igni assimilat dicens: *Concupiscentia mala quasi ardor est ignis; Ignis consumit vestem, libido adulterij consumit animam? De cogitatu adulterij dum loqueretur, Scriptura ait: Alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet?* Nec est quod mihi dicas, unicam dumtaxat esse scintillam, quia *modicus ignis magnam sylvam incendit.* Unica passio, unica carnis tentatio non suffocata ad ingens quoddam & inextinguibile incendium excitandum sufficit, idque etiam in anima quantumvis virtuosa & perfecta. Sunt nonnulli, qui de proprijs viribus confisi, occasiones etiam minimas peccati luxuriæ omni studio evitare non student, eo quod tantum sint veniales, de quibus Chrysostomus populo Antiocheno in hæc verba prædicavit: *Juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit tamen, & sæpenumero ab ipso subversus timore decidit, ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens cum timore vivit, & in ipsa labitur sæpius.* Tertullianus eosdem funambulonibus in aëre super funes saltitantibus assimilat; hi enim quovis momento in evidenti sunt præcipitij periculo, & communiter talis esse solet infelix ipsorum exitus. En verba Tertulliani: *Age tu funambulæ pudicitiæ & castitatis, qui tenuissimum filium pendenti vestigio ingrederis.*

Concupiscentia assimilatur igni.

S. August. in Psal. 57.

Chrysost. hom. 5. ad pop.

Tertull. de Pudic. c. 10.

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Continuatur eadem Materia.

THEMA.

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. 16. ỷ. 10.

1. SAlvator noster hisce verbis aperte indicat, quod peccatorum venialium fuga nos quoque à peccatis mortalibus committendis abarceat: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Unde S. Valerianus in Homilia 16. circa finem ita scribit: *Virtus magna in majoribus semper experimentum capit. Virtus, quæ in parvis promitur, facilius in maximis exhibetur; sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus tolerare;* econtra vero qui in transgressionibus levioribus committendis licentiosus est & dissolutus, ad graviora patranda sibi facile habenas

Qui abstinet à minimis peccatis, magis à maximis.

S. Valerian. hom. 16. circa fin.

Anima venialibus obnoxia, est quasi febricitans.

nas laxabit. Videmus enim per experientiam, quod si corpori levibus licet febribus & line periculo laboranti, accidens aliquod seu febris valida superveniat, ob debilitatas vires & resistendi impotentiam Natura succumbat; eodem igitur modo de spiritualibus animæ malis discurrere possumus; tametsi enim peccata venialia mortem animæ æternam inferre nequeant, vires tamen animæ adeo enervant & debilitant, ut vehementioribus tentationibus resistere nequeant, quibus proinde eam infestantibus, cedens, infeliciter succumbit. Quod si enim vires ex levi quadam febricula adeo debilitantur, quanto minus eam, quæ vehemens & mortifera est, sustinere valebit; Eodem igitur modo dicere licebit: *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.*

Chrysost. in Psalm. 6.

Et ideo Chrysostomus super Psalm. 6. scribens ait: *Ne simus in parvis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum magna vehementia, ut liberemur à majoribus.* Vulnera modica non curata insultantur, & sanam carnem corrumpunt: eodem modo culpæ, licet leves, si non curantur, sed negliguntur, gangræna spiritualem inducunt. Huc spectat quod non ita pridem hic Romæ accidit; Vir enim quidam à culice punctus, cum pruritum, qui post punctionem in loco læso remanet, unguibus scalperet, modicus quidam tumor eodem in loco obortus fuit, cui vir ille nonnihil unguenti superimposuit, sed quia hoc tumori illi contrarium, seu potius noxium erat, contigit, quod læsio illa, licet in principio leviuscula fuisset, magis magisque aucta in vulnus degeneravit, quod sensim & paulatim magis computrescens partes vicinas infecit, ac tandem universam sanguinis massam ita corrupit, ut intra triginta dierum spatium mortuus fuerit. Quis utinquam creditur us esset, quod morsus culicis alicujus homini necem inferre posset, nisi modum, quod id fieri solet, audivisset? Idem vero sæpenumero spiritualiter personis quoque cæteroquin timoratis contingit, quæ dum ex sola curiositate motæ oculis hinc inde circumvagantur, pulchram aliquam mulierem obiter quidem aspiciunt, interior vero imago & effigies personæ; cum delectatione conspectæ; phantasiæ firmiter impressa remanet, carnem extimulat, delectationemque morosam secum ducit, cujus violentia voluntas tandem trahitur, & sic ex hoc aspectu obiter & incaute facto aspiciens tandem in peccatum turpiter incidit.

Vir quidam ex punctura culicis mortuus est.

2. Cum certus quidam vir de parricidio commisso accusatus fuisset, crimine videlicet enormissimo; Advocatus patrocinium illius sustinens, omnibus modis crimen hoc à suo cliente commissum fuisse avertere satagens, dixit: *Interrogabo quid ante perditè, quid flagitiosè, quid impiè fecerit, per quæ se parricidij scelerì permiserit; Innocentia per gradus certos ab homine discedit, & ne in maximis trepidet audacia, diu vires in minoribus colligit. Nemo inde repit, quo incredibile est pervenisse.* Chrysostomus in oratione quadam *de anima*, supradictam adducens similitudinem, inquit: *Sicut corporibus, qui vulnera negligunt, febres, putredines, & morbos sibi pariunt, ita & in animis, qui ad parva peccata connivent, majora inducunt.* Fabianus Justiniani in Commentario suo super Tobiam, sequentem tradit eruditionem: *In occidentalis Indiæ insula, Isabella dicta, minutissimi infecti genus inter arenas nasci ferunt, quod Ninguam vocant, id postquam pedes incedentium invaserit, intrans digitorum ungues, & cutem; vix initio sentitur, attamen nisi statim crebra lotione, & scalpro interimatur, quidam in cute oriuntur foliculi, in quibus maxima lendium copia, ab eo generata, ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta excedens, nullam aliud deinde remedium relinquat, nisi membri præcisionem, aut ustionem.* Quam historiam ad pernitiosam peccatorum venialium neglectorum qualitatem applicat dicens: *His plane Ninguis similima sunt peccata venialia, quæ cum primum hominis invadunt animam, nisi statim abjiciantur pœnitentiæ aqua, vel timore ignium, ad gravissimum mortiferæ culpæ interitum ducunt.* Intra naves per laterum seu fundi rimas, quantumvis guttatim quidem aquæ ingrediuntur, verumtamen nisi nautæ, quoad illas exhauriendas & evacuandas, soliciti essent; nimia aquarum quantitas, quæ sensim navigium occupat, illud in profundum demergeret; Qua similitudine S. Augustinus uritur inquiens: *Non impediatur hujus nostri cursus navigij operemur manibus ac hoc possimus. Manibus suis feminam exhauriebat, qui dicebat: Manibus meis nolle coram eo, & non*

Quintil. declam. 1. Praxis cujusdam advocati in cognoscendo crimine.

Chrysost. Tom. 5. orat. de anima. Fabian. Justinian. in Tob. 4. v. 22. docum. 3.

Peccata venialia sunt similia Ninguis.

S. Augustin. Tom. 9 lib. de Cantico novo.

sum deceptus; Non negligamus nostra peccata, minuta sunt, sed multa sunt; stultus unus validus invasus obruit navem, minutaque naufragium. Humor autem per rimas influens, & in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Alibi quoque idem Sanctus Doctor ad eamdem alludit similitudinem, dum peccatorum levium neglectum in hæc verba perstringit; *Dum homines negligentes in primis despiciant peccata sua, quia parva sunt, crescentibus peccatis minutis, adduntur & crimina, & cumulum faciunt & demergunt, quod cum factum fuerit, impletur hoc, quod scriptum est, Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit.*

Item aquis navim instantibus per minimas rimas.

S. August. Serm. 66. de Temp.

3. Cibus quidem ad corporis sustentationem omnino est necessarius, neque illius excessus, ut plurimum peccatum mortale esse solet, ex natura, & genere suo, sed solum propter circumstantias aggravantes, v. g. si notabile exinde sequatur damnum, vel sanitatis amittendæ causet periculum, vel per ebrietatem sine causa usu se rationis destituat, & tamen qui per gulam à nimio cibo & potu se non continet, prout ipsa docet experientia, præter notabilissimum salutis corporalis damnum, pudicitiæ insuper & honestatis incurret naufragium. Blosius de gravibus Religiosorum lapsibus ex leviorum defectuum neglectu & contemptu ortum suum ducentibus ita scribit: *Leviorum culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant, libertatem largioris vitæ desiderant, à divinis officijs, cæterisque actionibus conventualibus abesse gaudent, delicatum, superfluumque cibum, ac potum percipere gestiunt, opportunitates nugandi exquirunt, inordinati risus solutis affectant, jocularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares usus accipere ardent. Propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos cæteraque hujusmodi vitia aut non esse vitia, aut vix esse vitia judicant, & ideo sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibles effecti, vulneribus acceptis se sanos existimant, ob idque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student; sed quid dicunt? Non sunt, inquiunt, vulnera, aut si sunt, vulnera admodum parva, & fere nulla sunt. O Monachos infelices! O Monachos dementes! O Monachos non Monachos! Nam quantumlibet parva vulnera videantur, quia tamen non cavent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperunt, debitam curam adhibent, omnino mortifera reddantur; Ut interim omittam, quod etiam ex tali negligentia, frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, & alia enormia peccata corruant.* Ex his autem, quæ magnus hic Dei servus eximie à Deo illuminatus (quem P. Bollandus Beati titulo in descriptione sanctæ vitæ ejus nuper edita condecorat) conscripsit, hanc deducere licet consequentiam: *Si hæc in viridi, quid in arido?* Quod si enim culpæ veniales in personis religiosis, inter quos spiritus viget, totque præsto sunt subsidia spiritualia, adeo sunt periculosæ, quanto periculosiores erunt sæcularibus & mundanis hominibus, qui aridi sunt, & omnis spiritus atque devotionis experres, cum veritimum sit illud S. Pauli pronuntiatum: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus?* D. Chrysostomus nos eorum exhortatur exemplo, qui in aëre super extensis inambulant funibus, hi enim valde cavent, ne pedibus suis vel minimum à fune aberrent. En verba sancti hujus Doctoris: *Nos omnes ex parte componamus, & sicut eos, qui super funem intensum ingrediuntur, ne parum quidem licet esse socordes (nam quod parum est, magnum adfert damnum, eversus enim statim est præcipitatus, & perijt) ita nec fieri potest, ut nos simus socordes & desides. Augustam ingrediamur viam, præcipitijs undique circumdatam, quæ simul duos non capit pedes; videsque quanta sit opus nobis diligentia; vides quod ij, qui hujusmodi viæ ingrediuntur, non solum pedes muniunt, sed etiam oculos. Nam etsi alibi videantur attendere, & pes firmo haveat vestigio, à profundo caligans oculus minimum dejicit, sed sibi oportet, & suo ingressui attendere; propterea dicit: Neque ad dexteram, neque ad sinistram. Magnum est vitij profundum, magna præcipitia, magnæ insidiæ tenebræ, angustias observemus, cum timore & tremore ambulemus.*

Nimius cibus per se non est peccatum mortale sed via ad illud.

Bloss. instruct. vit. asset. div 7.

4. Reflexissimè vos ad illam Christi de decem virginibus parabolam? Ego quidem opportune ad præsens propositum observandum esse existimo, omnes

Proponuntur peccata venialia religiosorum.

Matth. 25. v. 1.

omnes hasce tam stultas, quam prudentes, vere fuisse virgines; omnes pariter in manibus suis ferentes lampades, unanimiter Sponso obviam procedebant: *Accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso*; Imo & ipsæ prudentes dormierunt, nec tamen hoc ijs ad culpam imputatum fuit; *Dormitaverunt omnes & dormierunt*: Qua igitur de causa hæ quinque appellatæ sunt stultæ? Cur clausa ante faciem earum cœli janua asperis hisce verbis: *Nescio vos*, à nuptijs fuerunt exclusæ. Porro facer textus unicum dumtaxat earum specificat defectum, scilicet defectum olei ad hoc necessarij, ut tempore debito earum quoque lampades arderent. Cardinalis Cajetanus aptissime ad propositum nostrum inquit, quinque has stultas virgines non præsignasse homines mundanos, multis dissolutionibus manifestè immersos, sed animas illas, quæ secundum exteriorem apparentiam, Christiano homine dignam, piamque vitam ducunt; quorum tamen pars ex hoc solum capite damnatur, quia culpas & defectus leviores nihili æstimant, aut curant. En verba Cajetani! *Parabola ista ad litteram tractat non de omnibus Christianis (nam multorum extrinseca opera manifestè sunt mala) sed de illis tantum, qui profitentur se studere factis ad continuum progressum versus patriam cælestem, horum enim lampades exteriorum operum lucentes apparent. Quinque autem ex eis erant fatuæ &c. Terribilis sententia, qua media tantum pars, quorum lucent, tam opera, quam studia ad obviandum Sponso, salvari dicitur.* S. Hieronymus super illa fatuarum virginum petitione: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro &c.* ita scribit: *Quæ lampades suas quærentur extingui, ostendant eas ex parte lucere, si quis habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exolescunt, & exorto cæumate arefiunt, sed perfectas virtutes sequantur, ut lumen habeat sempiternum.*

Cajet. ibid.

Matth. 25. 8. S. Hieron. ibid.

Multi casus etiam leviores causant debilitatem.

2. Cor. 2. 15.

5. Qui in via Dei cespitat & cadit, licet casus sit levis, attamen si contemnatur, & sæpius reiteretur, fiet inde, ut multi repetiti casus cum gravi periculo animam debilem efficiant. Apostolus sæculi fidelibus ita scribit: *Christi bonus odor sumus.* Quonam vero modo bonus hic odor, id est, bona fama & existimatio, quam Christianorum professio spirare debet, deperditur? Certe non per scandala tantum, & dissoluriones manifestas deperditur, & evanescit; verum etiam per negligentiam & desidiam, dum scilicet peccata minus gravia non curantur. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, inquit Ecclesiastes; Ubi observandum est Ly illud: *morientes*; Etenim muscæ, quæ ab unguento

Eccli. 10. 1.

Peccata levia comparantur muscis,

aliquo odorifero depelluntur, fragrantiam illius minime disperdunt, bene tamen illæ, quæ intus in vase, quo unguentum asservatur, moriuntur, ita quoque peccata venialia, quæ in nobis sunt *per modum transeuntis*, eo, quod illa continuo à nobis per veram displicentiam pellamus, non contaminant cor nostrum, sed illa, quæ in nobis moriuntur & marcescunt, id est, quæ advertenter, voluntarie seu ex proposito committuntur, quibusque per affectum adhæretcimus.

6. S. Propheta Ezechiel ab invisibili quadam manu ex cincinno comæ capitis sui apprehensus, in Jerusalem deportatus fuisse legitur: *Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei.* Dum autem Jerosolymis esset, ostendit illi Deus idolum quoddam, quod divinam ejus justitiam supra modum irritabat: *Ubi erat statutum idolum zeli, ad provocandam æmulationem*; Hebræus legit: *Ubi erat habitatio idoli zeli, zelare facientis Deum* Vultisne scire, quale idolum hoc fuerit, quod iram Dei tantopere extimulabat? S. Hieronymus, & alij idolum hoc Beelzebub fuisse dicunt, id est, Deus musca. At vero, inquies, poteratne animal hoc adeo exiguum & vile tantopere iram Dei exasperare? Imo vero; Deus enim nequaquam tolerare potest, quod in mystico animæ Christianæ templo (*templum Dei,...quod estis vos*) cultus exhibeatur, non solum Crocodilis, Centauris, aliisque grandioribus animalibus, per quæ peccata mortalia denotantur, sed ne quidem muscis, quæ venialia peccata præsignant, eo quod hæ ad disperdendum virtutis & professionis Christianæ bonum odorem abunde sufficiant.

Exech 8. v. 3. Idolum quod musca vocatur, Deus execratur.

Ibid. v. 3.

S. Hieron.

1. Cor. 3. 17.

7. S. Bernardus illa Canticorum verba exponens: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*, ita scribit:

Sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec cavendum à gravioribus tantum offensis, v. g. ab aperto convitio, seu maledicto, sed à clandestino quoque & venenato susurrio. Non inquam sufficit os custodire ab his, & his similibus; Cavenda sunt & levia, si tamen leve debeat dici, quodcumque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi, cum hoc solo, si irascaris illi, divini reus judicij teneatis. Merito quidem, nam quod tu leve putas, & ob hoc levius præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tamquam homo videns in facie, & secundum faciem indicans, paratus festucam trahem suspicari, & similiam putare fornacem. Porro nos si stultum quempiam ex contemptu appellamus, leve quid hoc esse existimamus, & tamen Salvator noster, qui *spirituum ponderator est*, in sua æquissima bilance illud adeo grave esse censet, ut dicere non dubitarit: *Qui dixerit fratri suo raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Theophylactus ly raca idem significare dicit, quod *tu*, ut cum ad aliquem per contemptum dicimus: *Abi tu.* S. Hilarius ait: *Vacuitatis opprobium est.* Chrysostomus inquit: *Non grandis alicujus est verbum convitij, sed magis de contemptu veniens impatientiaque dicentis, ut ipsi nonnumquam vel servulis, vel infernis quibusque aliquid imperantes dicimus: Vade tu.* Moxque rationem subnectit, cur Christus levem hanc transgressionem sub tam gravi & enormi pœna vetuerit; Ait enim: *Misericors Dominus cum majoribus etiam minima quæque delicta pariter evellit, præcipiens, ut mutuo nobismetipsis, & honorabilius utamur & cautius, ut per hæc majora quoque peccata auferantur.* Idem quoque S. Doctor ly, *fatue*; ponderans ita scribit: *Noli aspicere, quod unum hoc verbum sit, sed quantum periculi habeat, expende; An ignoras inimicitiarum tempore, incandescente ira, animoque prorsus ardente, etiam minimam videri aliquid magnum? Hæc parvula & homicidia sæpe pepererunt, & urbes sæpe integras subruerunt.* Similiter in Commentario Psalmi 6. inquit: *Neglecta peccatorum vulnera sæpe majora evadant, nec usque ad vulnera solum sistit morbus, & infirmitas, sed sæpe etiam mortem parit immortalem; quemadmodum etiamsi ab initio parva sustulerimus, nec magna consequentur.*

S. Bern. serm. 29. in Cant.

Homo altera rius leviora peccata judicat majora.

Prov. 16. 2.

Matth. 5. 22.

Theophyl. in Hilar. D. Chrysost. hom. 16. in Matth.

Christus venialia efficaciter prohibet ut vitentur majora.

D. Chrysost. in Psalm. 6.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Solicitè à peccatis etiam levibus abstinendum nobis est, quia per illa nos Dæmon multum illaqueat.

THEMA.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. Cant. 2. ℣. 15.

1. SPiritus Sanctus ea, quæ nobis ad profectum nostrum spiritualem imprimere nititur, in sacris Litteris variis sub metaphoris proponere consuevit, ac proinde cum in prædictis thematis nostri verbis non hortari satagat, ut peccata levia procul à nobis arceamus, nos monet, ut capiamus vulpes parvulas: *Capite nobis vulpes parvulas &c.* At vero cur potius vulpium mentionem facit, quam aliorum animalium, quæ, utpote ferociora, magisque crudelia majorem potuissent nobis peccati horrorem incutere? Porro quoad sensum litteralem dici posset, verba hæc à Rege Salomone fuisse decantata, qui in Palæstina regnabat, ubi vulpium ingens est numerus, ut proinde Samsoni haudquaquam difficile fuerit trecentas illas in sacro texteu memoratas vulpes simul congregare, ad conflagrandas illis mediantibus Philisthæorum segetes. Dici quoque posset vulpes præ cæteris animalibus vineis magis esse nocivas, non solum quia hæ illarum devorant fructus, verum etiam quia intra vineas suas effodiendo cavernas, magnum vitium radicibus damnum inferunt. Verumenimvero forsitan curiosior quispiam scire percupiet, cur potius dixerit: *Capite vulpes parvulas*, nullam vero majorum seu adultarum fecerit mentionem; Præterea cur hanc consilij istius assignaverit rationem: *Nam vinea nostra floruit*; siquidem vulpes vitibus damna non inferunt,

Vulpes sunt maximè nocivæ vineis.

Parvulæ jubentur capi, ne factæ magis noceant in autumno.

præterquam in autumno, quando uvæ jam sunt maturæ. Denique cur eo potissimum tempore vulpeculas capi jusserit, quo vites in pleno flore suavissimè fragrabant? Enimvero si nobis juxta sensum litteralem respondendum esset, dicere possemus, ideo voluisse vulpes capi, dum eriamnum parvulæ sunt, eo quod in ætate ista constitutæ majori cum facilitate capiantur, quia cum majoribus annis crescit pariter in ipsis astutia & velocitas, & ideo tunc difficilius capiuntur. Præterea dici potest, prudentiæ actum esse prævidere pericula, ijsque prospicere, ne eveniant, capiendo vulpes priusquam excreverint, & antequam uvæ maturescant. Verumtamen si à sensu litterali ad spiritualem transire velimus, Sciendum nobis erit, quod nomine parvularum vulpium peccata levia seu venialia intelligantur. Ratio autem cur hæc potius interimere jubeamur, quam mortalia peccata, hæc esse potest, quia sicut magnas vulpes naturaliter fugere solemus, eo quod hæ dentibus suis eos, qui illas apprehendere audent, mordent, & graviter lædunt, parvulæ vulpes, quæ vix è nido sunt egressæ, econtra non fuguntur à nobis, sed studiosè inquiruntur ad recreationem, cum enim hæ non mordeant, nec lædant, cum illis ludere licet, & ideo illas nutrimus, non vero occidimus; ita quoque ij, qui virtuosi sunt, & conscientiæ suæ habent rationem, peccata mortalia exhorrescunt & fugiunt, scientes quod hæc mortem animæ æternam accersant, econtra vero peccata venialia, quia tam exitiosa non sunt, adeo fugiuntur à multis, nec timentur, siquidem nulla ab illis damna nobis illatum iri existimant; licet in hoc turpiter fallantur, quia prouti in sequentium Discursuum progressu dicturi sumus, *demoliuntur vineas*, id est, magnum animabus damnum inferunt. *Vivo sapienti*, inquit sanctus Bernardus, *sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia.* Et paulo post subdit: *Bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ nostræ.* Hos autem adeo utiles fructus vulpes parvulæ in hac vinea demoliuntur & diripiunt, dum ad mortale peccatum inducunt; ac proinde idem mellifluus Doctor opportune monet inquiens: *Sapiens erit solicitus servare vineam suam, non minus quam expolire, nec sinet eam devorari à vulpibus.* Et in Serm. 64. & 65. quænam vel quales vulpes illæ vineam animæ nostræ devastantes sint, exemplificat: Non enim per vulpes illas parvulas peccata & transgressiones graves intelliguntur, sed technæ quædam Diabolicæ boni alicujus prætextu coloratæ, cujusmodi vulpibus infestatus fuit Monachus ille, demum apostata factus, ex eo, quia ut hæreditatem, quam sibi contigisse arbitrabatur, in pauperes distribueret, monasterio ad tempus relicto, domum paternam repetens miserrime lapsus fuit; Id quod pariter multis alijs contingit, qui dum animas ad Deum convertere nituntur, à astuti serpentis laqueos misere incidunt, maxime vero illis, qui eo fine cum mulieribus devotis familiaritatem ineunt, ut easdem ad statum perfectionis perducant, multi enim ex illis, dum non satis suas metiuntur vires, dum illas perficere satagunt, ab ijsdem pervertuntur.

Explicatur mysticè.

S. Bernard. serm. 13.

Vulpeculæ vocantur technæ diabolicæ quibus nocet sub specie boni.

2. Dionysius Carthusianus per vulpes hasce parvulas, modicas, nec adeo vehementes intelligit *suggestiones parvas, tentationum exordia, inchoationes culparum, quæ mox in principio sunt penitus extirpanda, ne paulatim totam inficiant animæ vineam.* P. Alvarez super eadem hæc verba: *Capite nobis vulpes parvulas*, ita scribit: *Vere culpæ leves, & imperfectiones vulpes parvulæ sunt, in quibus nihil magnum, nihil nimis noxium aspicimus, sed hæ vineam, id est, animam demoliuntur, quia eam stertere faciunt, dum cœlum ei æneum esse faciunt, & plusquam cœlestis auxilij impediunt.* Et vero ex quo vineæ vinum prodeuntis mentionem fecimus, nequaquam abs re futurum fore existimo, si ex confessionibus sancti Augustini exemplum quoddam adduxero, è quo quantam, peccata levia, à suis primis principijs non suppressa, vim hominem pervertendi habeant, clare colligitur. Refert enim gloriosus hic Doctor de matre sua sancta Monica, quod cum tenellæ eriamnum esset ætatis, *surrepserat ei vinolentia. Nam cum de more tamquam puella sobria juberetur à parentibus de cuppa vinum deprometo, submisso poculo, quo desuper patet, priusquam in*

Dion. Carth.

Cant. 2. 15. Alvarez. tom. 1. l. 5. p. 2. c. 16.

Historia de S. Monica.

S. August. l. Conf. cap. 16.

laguncula funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius sensu recusante. Non enim ulla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessibus, qui lubrici motibus ebulliunt, & in puerilibus animis majorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo, quoniam qui modica spernit, paulatim decidit, in eam consuetudinem lapsa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Et hoc quidem huic Sanctæ contigit, non obstante cautela, & circumspectione, qua sapiens & provectæ ætatis matrona, quæ in domo illius paterna serviebat, illam ab hoc vitio absterrere conabatur; de qua sanctus Doctor ita scribit: *Authoritate imperandi frænabat aviditatem teneritoris ætatis, & ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, ut jam non liberet, quod non deceret.*

Cum Nazaræis vinum non tantum sed etiam ab usu abstinere mandavit. Num. 6. v. 1.

3. Reflexistisne vos aliquando ad ritum illum, quem Deus olim Nazaræis in lege Mosaica præscripsisse legitur? ut enim in summa viverent temperantia & continentia, Deus illis vinum districtè prohibuit; Neque hoc tantum illis interdixit, sed audite, quo rigore illis vini usum veruerit: *A vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt; acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent; Uvas recentes siccasque non comedent.* Et vero quis umquam aceti potum interdicendum à Deo fore credidisset? Ad hæc cum finis hujus legis hic solum fuerit abstinentia à vino, cur insuper Nazaræis non solum ut ab uvis recentibus & siccis, sed & ab acinis abstinerent, præcipit? Ratio autem illius legis clara est & manifesta, quia etiam ab acinis in uvæ devenire poterant notitiam, & ab hoc ad vinum desiderandum induci, atque ideo ut omne vinum bibendi periculum, quantumvis remotum, ijsdem amputaret, non solum uvarum botros, verum etiam uvarum acina quantumvis sicca illis prohibuit. *Sed omnia hæc in figura contingebant illis.* Per hoc namque Deus nos instruere voluit, quod non solum ipsummet peccatum mortale, verum etiam omnem minimam quantumvis remotam peccati umbram pro viribus evitare debeamus.

S. Bonav. in vita. S. Francisc. cap. 5. Inquit S. Franciscus diabolus ex capillo facit crescere trabem. S. Bernard. serm. 2. de S. Andr. Dæmon ab omni parte nos oppugnat.

4. Considerationè dignissima est illa sancti & Seraphici Francisci doctrina, qua, ut S. Bonaventura in ejus vita refert, dicere solitus erat: *Diabolus si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem.* Ex minutissimo enim semine paulatim post multos elapsos annos ingens quædam excrescit arbor, ex qua deinceps trabes formari possunt; Et ideo ut S. Bernardus notat, cauti & circumspecti esse debemus, quia Dæmon omni ex parte nobis insidiatur, nosque obsidet, ut aliquem quantumvis modicum per transgressiones veniales, intra nos aditum habere queat. Unde idem mellifluus Doctor in Sermone quodam in hæc verba scribit: *Ad quid fratres scuto circumdamur, nisi quia nos undique bella circumdant? Denique quid causæ sit, ut te scuto circumdet, attende: scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus. Ad quid enim? Non timebis à timore nocturno; à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano? Videsne quam necesse sit, ut scuto circumdet te veritas, quem sic hostium tela circumdant. Ab inferiori enim parte timor nocturnus insurgit; à sinistris sagitta volat in die; à dextris perambulat negotium tenebrosum; Et ut nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianum * insurgit. Nos autem miserabiles vicinis tot serpentibus, & igneis telis undique volantibus, insurgentibus inimicis, nihilominus periculosa securitate & negligentia dormitamus, torpemus otio, vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si jam pax sit & fecaritas, & non sit militia vita hominis super terram? Hoc est, dico vobis charissimi, quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transverberat animam meam, quod inter tanta pericula minus timorati, minus* exercitati, minus quam necesse sit, solicitei videamur, siquidem unum de duobus hæc ipsa negligentia probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire, aut si inter hæc conservamur, ei, qui tuetur nos, ingratos nimium inzeniri, quorum utrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, & instantia eorum maligna, qua tam seduli, tam soliciti sunt in nostram * perditionem, nos quoque solicitos faciat & circumspectos, ut in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur.*

* Occurrit.

Negligentia expellendi venialia est maximè nociva.

* Excitati.

* Persecutionem.

vemur. Ex qua S. Bernardi, sicut & ex præcedenti S. Francisci doctrina differere possumus, quanta cum facilitate Dæmon intra nos pedem figere possit, si ei per culpam venialem, aliquem in nos aditum indulgeamus. Opportune igitur monet nos S. Bernardus, ne dormiamus, aut dormitemus, sed ex omni parte nos muniamus, ne serpens in nos ingredi possit.

Historia de capillis mulierum.

5. Quis umquam persuadere sibi potuisset, capillos, qui adeo subtiles sunt & fragiles, eo usque prævalituros fuisse, ut validum quoddam fortalitium expugnare, & ad vastam quamdam turrim demoliendam, velut instrumentum servire possent? Non jam de Samsonis loquor capillis, quibus supernaturalis à Deo virtus indita erat, sed de capillis mere naturalibus loqui intendo. Ecenim in antiquis legitur Historijs, quod dum ad transferendas ingentis magnitudinis & ponderis militares machinas canabini funes sive rudentes deessent, fœminæ loci illius ad communem patriæ defensionem, capitum suorum comas unanimiter sibi præscindi fecerint, ex ijsdemque in locum rudentum ex canabe complexorum, validissimi confecti fuerint funes; canabis minime cedentes. *Militia est vita hominis super terram*, in qua inimicus infernalis, munitissimum animæ justæ fortalitium strenue impugnat; quia vero hujc ad deducendas in suggestus tormentarios machinas suas peccatorum gravium & mortalium validissimi rudentes desunt, ideo peccata venialia, levia licet instar capillorum eousque multiplicare satagit, ut exinde rudentes, validique ad promovendas machinas suas funes fiant. Forsitan ad hoc stratagema David alludere voluit, quando dicebat: *Adultiplicatæ sunt super capillos capitis mei*; circa quæ verba ita sanctus Augustinus scribit: *Quis numerat capillos capitis sui? & multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, sed multa sunt; Præcavisti magna; Jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas; non blasphemas, non dicis falsum testimonium, moles istæ sunt peccatorum: Magna præcavisti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projecisti molem, vide ne arena obruaris.*

Abjecta mole cavendum ne quis arena obruatur.

Ps. 39. 13. S. August. in Psalm. 49.

Cant. 4. v. 9.

6. Cœlestis Sponsus in sacris Canticis valde viscerose lamentabatur, inquiens: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum;* & quidem non semel tantum, sed bis, se vulneratum esse lamentabatur. Sed ubi vulneratus, aut in qua corporis parte sauciatus fuit? Num forte in tibijs? Minime, Quia *crura illius columnæ marmoreæ*, in manibus fortassè? Neque ibi sauciatus fuit, quia *manus ejus tornatiles aureæ.* Ergone læsus fuit in capite? Multo minus, quia *caput ejus aurum optimum.* An forsitan in collo? haudquaquam, quia *collum tuum sicut turris eburnea*; In cunctis igitur hisce locis suam gladij ictus inventurus fuisset resistentiam; ac proinde hic vulneris ictus cordi inflictus fuit, quod pars est corporis nobilior, magisque sensitiva: *Vulnerasti cor meum.* Quibus verbis Sponsus exprimere voluit dolorem, quo nullus dari poterat acutior; Et vero tanto hic dolor acutior erat, quanto ab anima connubiali nexu secum devincta infligebatur; tales autem sunt animæ justæ & timoratæ, quæ ut plurimum culpis venialibus Sponsum suum cruentant; quod facilius persuaderi poterit, si respiciatur instrumentum, quo vulnus hoc cordi Sponsi inflictum fuit. Quibus igitur armis vel sagittis cor illud nobilissimum impetitum fuit? Audite ipsummet dilectum Sponsum ipsiusmet claris verbis enuntiantem: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quæ verba interpretans Richardus à S. Victore, per oculum curam & solicitudinem propriæ salutis intelligit: *Hanc spiritualem visum salutis tuæ desiderium esse dicit.* Quot verò sunt homines, qui exinde propriam salutem offendunt, & negligunt, quia leviores culpas nihili faciunt? David de se gloriabatur inquiens: *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis:* Ubi notandum est Ly: *in omnibus*; Et ideo Deus ipse de eo protestabatur dicens: *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum*; Sed qua ratione David se virum secundùm cor Dei effecerat? nimirum, quia *faciet omnes voluntates meas.* Et tamen serpens malignus eo usque contra ipsum prævaluit, ut ipsum per unum oculorum suorum cor Dei vulnerare fecerit; ac proinde Deus ad litteram de hac Davidis adeo sibi dilecta anima lamentari voluisse videtur, quando ait: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*; Id quod tunc

Cant. 5. v. 9.

Rich. à S. Vict. c. 27. in Cant.

Ps. 118. v. 6.

Act. Apost. 13. v. 22. Hoc ipsum fecit David, quando vidit mulierem lavantem se.

præcipue fecit, quando *vidit mulierem lavantem se.* Scitis utique præceptum, in quod David per hunc incautum oculorum suorum obtutum corruit: Aponius per oculum dextrum bonorum cœlestium contemplationem intelligit, per oculum vero sinistrum bonorum terrenorum curam & solicitudinem intelligendam esse dicit; & per hanc Deum sæpiùme offendimus: & primo quidem venialiter, postea vero, dum animus bonis hisce terrenis plus nimium adhæresit, oculus excæcatur (nam ut S. Leo ait: *De mundano pulvere corda religiosa fordescunt*) & tandem per hanc cæcitatem homo ad contructandum in bonis hisce terrenis finem suum ultimum incitur; sicque ex nimio creaturarum amore ad vertendum Creatori suo dorsum infeliciter movetur. *In uno crine colli tui.* Nec sine mysterio colli hic fit mentio, quia circa collum jugum portatur, per quod divinæ legis observantia denotatur; Per crinem vero colli, ut diximus, peccata levia & venialia symbolizantur. Unicus itaque pilus, id est, unica culpa venialis neglecta, cor sæpe ferit Dei illius, qui *alta à longe cognoscit*; Deus enim inevitabilia prævidet præcipitia, in quæ anima talis in pœnam voluntariæ negligentiæ suæ tandem incurret, & inde vulneratur; quia ut in Discursu sequenti probabimus: *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

S. Leo ser. 12. de Quadr. Tandem homo in terreno ponit ultimum suum finem

Cant. 5. 9.

Ps. 137. 6.

Eccli. 19. 1.

7. In isdem sacris Canticis aliud pariter ejusdem sponsi legitur lamentum; Dicit enim: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Enimvero quis hoc sponsi lamentum non obstupefecat? Numquid S. Joannes de illo dicit: *Deus charitas est?* Numquid vero charitas in igne symbolizatur? *Deus ignis consumens*; Qua igitur ratione igneus hic sponsus capillos suos rore plenos fuisse conqueri potuit? verum, ut Apostolus ait; *Hæc sunt per allegoriam dicta.* Etiam nox peccatum prægurat: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*; *abjiciamus opera tenebrarum*; per stillas autem roris deciduas, quæ non nisi illo labuntur tempore, in quo somno sepulti tenemur, peccata venialia intelliguntur, quæ à nobis pigritiæ lethargo correptis committi solent. Sponsus igitur animarum nostrarum de his lamentatur, quod peccatis suis venialibus, licet stillæ quædam sint, capillos seu cincinnos suos velut rore quodam madefaciant, & caput plurimum offendant. Unde ubi Vulgata nostra legit: *Dormitavit anima mea præ tædio*, versio Græca habet: *Præ acedia*: Et loco ly, *Dormitavit.* S. Ambrosius & Hieronymus legunt: *Distillavit anima mea &c.*

Cant. 5. 2. Stillæ roris in capite, de quibus lamentatur sponsus, sunt peccata venialia. 1 Joan. 4. 7. Hebr. 12. 29. Gal. 4. 24. Rom. 13. 12.

Psal. 118. 28.

Longiores capilli Absalonis per se non erant ultra peccatum veniale. 2. Reg. 18. v. 9.

8. Reflexistisne vos aliquando ad id, quod Absaloni per capillos suos accidit? Porro quod hic comam nutrierit, quod eosdem eodem quo aurum pretio vendiderit, quod elegantem adeo & speciosum in capite suo capillaturam portarit, soli vanitati attribui, adeoque parvi æstimari poterat; & tamen videte, quisnam hujus capillaturæ ejus finis fuerit; Ait enim sacer textus: *Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens malo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus querco, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.* Hocque modo ex capillis suis ad quercum suspensus, tribus lanceis perfossus fuit. In quo facto Deus nobis insinuare voluit, quod dum capilli, id est, peccata levia multiplicantur, ipso permittente fiat, ut in peccata mortalia incidamus, ideoque tandem in paribulo infernali suspensi hærere cogamur. Verum quidem est, quod cor ejus tribus lanceis transfossum fuerit, hoc tamen infortunium capillorum suorum culpa ei accidit; Licet enim sola peccata mortalia mortem homini æternam adferant, attamen hæc homini ut plurimum contingit, in pœnam peccatorum venialium, quorum emendationem sordiditer neglexit.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Qui modicas transgressiones flocci pendit, paulatim in graviores incidit.

THEMA.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19. v. 1.

1. Ecclesiasticus, qui per salutarium monitorum suorum, in libro suo nobis præscriptorum,

Eccli. 19. 1. — Matth. 3. 10. Gloſſ ibid. — Non ſemper quæ homo parva judicat ſemper ſunt talia. — Lyran. — Dion. Carth. — Hug. Card. — Monaſterium eſt quaſi navis. — Matth. 5. v. 19. — Cornel. à Lapid. — Demonſtratur per enumerationem partium.

multiplicitatem ſpirituali animarum noſtrarum ſaluti maximopere invigilavit, inter alia monita ſua hoc unum expreſſe tradit: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Circa quæ verba Gloſſa Chromatij in cap. 3. Matthæi ſcribentis adducens authoritatem, inquit: *Cum mandata minima ſolvere impium ſit, multo magis magna, & maxima. Unde per Salomonem id ipſum Spiritus Sanctus conteſtatur dicens: Qui modica ſpernit, paulatim decidet: Et idcirco nihil eſt de præceptis divinis ſolvendum, nihil mutilandum, ſed totum fideli ac devota mente ſervandum, atque dicendum, ne cæleſtis regni gloria amittatur, quia quæ judicio infidelium, vel hominum ſæculi minima putantur, & parva, hæc apud Deum non ſunt parva, ſed neceſſaria.* Lyranus aſſumpti thematis verba ita explicat: *Qui ſpernit modica, id eſt, levia peccata, paulatim decidet in graviora.* Dionyſius Carthuſianus ſimiliter ita exponit: *Qui ſpernit modica, id eſt, qui non curat vitare parva peccata, ſucceſſive corruit ad majora; venialia namque minora, diſponunt ad venialia craſſiora, & omnia ſimul ad mortalia; adducitque teſtimonium Eccleſiaſtis dicentis: Qui timet Deum, nihil negligit, nempe quo quis magis illuminatur à Deo, tanto amplius ponderat & abhorret etiam minimas culpas.* Hugo Cardinalis ly, *modica*, ita exponit, *id eſt, peccata venialia, verbi cauſa, verbum otioſum, riſum, potationes, & cætera hujuſmodi; qui enim talia ſpernit, paulatim decidet, id eſt, caſui vicinatur.* Maxime vero hunc textum quoad Clauſtrales exponens inquit: *Qui ſpernit modica, id eſt, minima inſtituta regularis vitæ, verbi cauſa, ſilentium, inclinationes, & hujuſmodi, paulatim decidet in contemptum majorum, vel in peccatum mortale; Vita enim clauſtralis eſt ſicut navis, in qua ſi minima deficiant, id eſt, ſtupa, clavus, & ferra, & hujuſmodi, paulatim ſubintrat aqua, & demergitur in profundum.* Unde Matth. 5. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum, id eſt, in Eccleſia.* P. Cornelius à Lapide multa in medium adducit exempla, ex quibus verba Thematis ex Eccleſiaſtico deſumpta in ipſa praxi veriſſima eſſe colligitur: Ita enim ſcribit: *Hic quidem applicatur operario ebrioſo, ſed in ſe generalis eſt, unde cuilibet rei aptari poteſt; ut ſtudioſo, qui parva negligit, in ſcholis & ſtudijs, paulatim decidet, nec ſcientiam acquiret, ſed perdet; Infirmo, qui morbos modicos negligit, incidet in majores: Militi & Capitaneo, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, ſeque & exercitum perdet; Patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna; Mercatori, qui parva lucra ſpernit, amittet majora: Unde mercatorum diteſcere ſatagentium hoc eſt axioma: Nullum lucrum quantumvis exiguum negligito. Idem ſibi præfigat mercium ſpiritualium, id eſt, virtutum, meritorum & coronarum cæleſtium mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis, meriti, & coronæ occaſionem amittat. Quocirca Patres paſſim hanc ſententiam adaptant peccatis levibus, quaſi dicat: Qui ſpernit peccata levia & venialia, ſenſim defluet, & tandem incidet in gravia & lethalia.*

Vit. Patrum lib 3. cap. ult. — Refertur ordo, quo quidam Monachus paulatim apoſtatavit. — Simili modo Diabolus decepit aliquem nobilem per luſum.

2. In Diſcurſu præcedenti obiter inſinuavimus lapſum apoſtatantis illius Monachi, cujus miſerabilis lapſus non ſimul & ſemel una vice contigit; ſed fraudulentus ſerpens, qui numquam quieſcit, eidem, ut à propoſito cellam ſuam numquam deſerendi reſiliret, hoc ordine perſuaſit; Primo quidem ſub eo prætextu, ut ad Eccleſiam vicinam ſacram ſumpturus communionem accederet; demum vero eidem metum conſcientiæ ipſius incuſſit, fore nimirum, ut niſi amplum à patre ſuo (quem mortuum, mendaciter aſſerebat) ſibi relictum patrimonium inter pauperes manu ſua propria diſtribueret, difficilem ſibi, rationis de ejuſdem patrimonij neglectu, coram tribunali Divino reddendæ, obligationem impoſiturus eſſet; hiſque præmiſſis technis, eum paulatim in profundum adeo præcipitium deturbavit, ut non ſolum à ſuſceptæ religioſæ vitæ propoſito apoſtatando reſilierit, verum etiam ſcortum aliquod ſibi in uxorem ſacrilego auſu adſciſcere non erubuerit. Pari quoque fraude vaferrimus ille ſpiritus infernalis nobili alicui viro ſuadet, ut animi relaxandi cauſa ludo cum alijs det operam, qui quidem ludus à principio propter honeſtam recreationem ſuſceptus, actus quidam eſſe poterat illius virtutis, quam S. Thomas Eutrapeliam appellat, at vero eodem maligno ſpiritu inſtigante ludus ille poſtea in pernitioſum degenerat vitium, adeo ut ruina ſit miſeri illius nobilis, & totius ſuæ perilluſtris familiæ, contemptis namque bonorum amicorum correctionibus, boniſque ac ſalutaribus virorum illuſtrium monitis, totas noctes ludendo inſumit, pecuniam cunctamque ſubſtantiam ſuam ludi diſcrimini exponit, imo totaliter diſſipat, famam negligit, ſtudet fraudibus, in blaſphemias erumpit, ſuſcitat rixas, ſicque ſenſim & paulatim miſer & plane deſperatus efficitur. Eheu quot ſunt hiſce noſtris temporibus, qui per hanc Diaboli fraudem à magnis divitijs tandem ad incitas ſunt redacti! Medicina niſi cum certa & limitata drachmarum & unciarum quantitate ſumatur, hominem necat infirmum, & ideo in illius ſumptione opus eſt definitis doſibus, idem quoque in ludo obſervandum eſt, ne paulatim in vitium degeneret; ac proinde Plato ludum ſapientiſſime medicinæ nomine indigitat inquiens: *Ludus voluptatis cauſa comparatus eſt, & relaxatio voluptate afficitur, quippe quæ moleſtijs ijs, quæ ex laboribus capiuntur, medicinam affert.*

Plat. de Repub. l. 16. c. 5. — S. Greg. l. 10. Mor. c. 9. — Culpa levis neglecta mox in delictum degenerat. — S. Doroth. Sermo 3.

3. S. Gregorius Magnus ait: *Ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta deflectimus.* Ubi obſervandum eſt, quod ſanctus hic Pontifex ſimul conjungat ly *levia*, & ly *delicta*, cum tamen delictum culpam indicet enormem, non vero levem; id quod ipſum hoc myſterio feciſſe exiſtimo, quia culpa levis neglecta mox in delictum, ſive peccatum grave degenerat. Unde idem ſanctus Pontifex ſubdit: *Ut aſu cuncta levigante, nequaquam poſt committere etiam graviora timeamus.* Saluberrime itaque monet S. Dorotheus inquiens: *Studeamus & annitamur, ut dum in præſenti ſæculo ſumus, noſtram cuſtodiamus conſcientiam, ne ſi eam dimiſerimus, redarguat nos in aliquo, neque conculcemus prorſus eam in re quamvis minima. Ut enim pernoſcatis, quod ex minimis his, & natura vilibus, ad magna, & prægrandia contemnenda perfacile dilabamur, cum cæperit quiſpiam dicere: Quid refert, ſi verbum hoc dixero? Quid refert, ſi modicum hoc comedero? Quid refert, ſi rem hanc intendero & incubuero? Ex hoc enim, quid eſt hoc, & quid eſt illud, quid refert hoc, quid refert illud, mala, ac perverſa, & amara conſuetudo admittitur & imbibitur, & datur initium, ut magna ac graviora contemnamus, & conſcientiam noſtram conculcemus, & ſic demum per partes offendentes, periculum eſt, ne in perfectam inſenſibilitatem deveniamus. Idcirco fratres videte, ne parva ac minima contemnamus. Videte, ne ita ea ſpernamus, ut vilia ac nullius pretij, non enim ſunt parva.* Et paulo poſt ſubdit: *Accuratè in minimis ac levibus caveamus, dum minima ſunt, & levia, ne magna ſiant & graviora. Nam rectè agere & peccare, à minimis ortum habent, & ad magna paulatim vel bona, vel mala perducunt.* Detur mihi aliquis, qui ad jurandum inconſiderate ſit facilis, experientia ipſa docebit, talem paulatim non minus pronum futurum eſſe ad perjuria. Si quis eſt, qui linguam ſuam à verbis contemptu & vilipendio proximi plenis coërcere neſciat, videbitis quod talis paulo poſt facile prorumpat in verba contumelioſa, cum ingenti alienæ famæ & exiſtimationis præjudicio, nec non grandi propriæ conſcientiæ damno. S. Auguſtinus ſuper Pſalm. 129. ſcribens, ait: *Audi ſermonem Evangelij; Qui dixerit fratri ſuo, fatue, &c. Ab iſtis etiam peccatis linguæ minutiſſimis quis abſtinet?* In margine vero ex oppoſito dictorum verborum, ſcriptum eſt: *Immaniſſimis*; quod forte eo myſterio ad marginem poſitum fuit, *quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt*; unde S. Jacobus de effrænis linguæ damnis differens: *Ecce quantus ignis, quam magnam ſylvam incendit.* Subdit vero in loco citato S. Auguſtinus: *Sed forte dicis, parva ſunt. Reus erit*, inquit, *gehennæ ignis, ſi parvum tibi videtur, aut modicum, dicere fratri tuo, fatue, vel gehenna ignis videatur tibi magna. Si contemnebas minus peccatum, vel pœnæ magnitudine deterreare.*

Parva non ſunt parva quia magna oriuntur ex illis. — Oſtenditur conſequentia à minoribus ad majora. — S. Auguſt. in Pſ. 129. — Jacob. 3. v. 5.

Praxis Diaboli in capiendis hominibus. — Did. Stell. in c. 1. Luc.

4. Inimicus infernalis hunc ſtylum communiter obſervat, quod hominem non ſubito, ſed ſenſim & paulatim in peccata enormia inducat, codemque modo etiam utitur quoad peccata minus gravia, ſcit enim hunc eſſe hominis inſtinctum, quod ſcilicet ſpernendo modica, paulatim in graviora decidat. Didacus in cap. 1. S. Lucæ ita ſcribit: *Cum Diabolus inimicus noſter aliquem peccatorem ſuo hamo devinctum habet, ſcilicet ſcelere aliquo mortifero conſtrictum, & voluptatum illecebris alligatum, non illum ſtatim vehementer opprimit, aut diſcruciat, ne vel hoc irritatus abrumpat vincula, & celeriter evadat, ſed potius demulcet illum, & ſinit aliquibus virtutum actionibus incumbere, & quoad fieri poteſt, funiculum extendit, ut ſecurius illum teneat, & poſſideat. Idem paulo ante hanc à piſcatore deſumptam adduxerat ſimilitudinem inquiens: Cum piſcator magnum aliquem piſcem habet captum, non ſtatim violenter extrahit, ſed funiculum extendit, donec piſcis hamum ſimul & eſcam deglutiverit, nam ſi confeſtim nimis depreſſerit, ſcindetur funiculus, & effugiet piſcis.* Probat idipſum impij Herodis exemplo; cui Diabolus quidem permittebat, ut de S. Joanne Baptiſta, tamquam viro ſancto bene ſentiret, cumque libenter auſcultaret, imo audito eo multa quoque faceret, non tamen illum omnia, de quibus ab eodem reprehenſus fuerat, declinare ſinebat; ſufficiebat namque ei, quod inceſtuoſæ conſuetudini cum Herodiade inſordeſceret. Idem quoque Stella ſequentem adducit ſimilitudinem: *Quemadmodum avis, ſi alterum pedem vinctum habeat, nequaquam volare poteſt; Ita homo, licet ad Eleemoſynas faciendas, & preces fundendas liber eſſe videatur, nihilominus totus ligatus eſt; ſi vel ſolo uno vitio fuerit detentus.* Eumdem quoque morem in tranſgreſſionibus obſervat levioribus, quando enim ipſi cum animabus negotium eſt, ſufficit ipſi, ſi modicum quid circa illas lucretur, ſcit enim, quod *qui modica ſpernit, paulatim decidet.*

Fuit demonſtrata in Herode. — Similitudo.

D. Chryſoſt. hom. 13. in Gen. — D. Chryſoſt. hom. 27. in Matth. — Ordo, quo à minori venitur ad majus. — Suri. 14. Maij.

5. D. Chryſoſtomus pulchrum inſinuat modum, quo Chriſtianam poſſimus conſervare innocentiam; Ita namque ſcribit: *Perſuaſum nobis ſit, ut virtutem arripiamus, & diligenter noſtram vitam inſtituamus, & à peccatis, cum adhuc parva apparent, ſive in ſermone, ſive in opere, ſtatim deſiſtere ſtudeamus. Neque enim umquam in majora incidemus peccata; ſi à parvis nobis caverimus, & ſic procedente tempore poterimus, ſuperna gratia favente, excelſam virtutem apprehendere.* Idem S. Doctor in Homilia quadam ſuper Matthæum, in quonam malitia peccati venialis, cui in principio reſiſtendum eſt, ne fortior evadat, conſiſtat, in hæc verba exemplificat: *Conſideremus, ſi nimium quidam ac importune riſit; reprehenſus à quopiam eſt, reſpondit alius; nihil eſſe id mali. Quid enim eſt riſus, aut quid umquam ex riſu mali ſequetur? Orta tamen ex immoderato riſu pauliſper ſcurrilitas, à ſcurrilitate turpiloquium; à turpiloquio operatio turpis profecta eſt.* Mox quoque aliud ſubjicit exemplum inquiens: *Cum alius proximo malediceret, ac convitia diceret, reprehenſuſque eſſet, contempſit, dicens, nihil eſſe mali, hujuſmodi verbis uti; ſed hinc diſſidia, & odia nata ſunt, indeque inimicitiæ capitales, hinc contumeliæ, à contumelijs cædes plerumque; ſic à minimis ad maxima gradatim Diabolus ducit.* In vita S. Pachomij à Surio relata ſcribitur; Sanctum hunc ſpiritus malignos in hiſce actionibus conſpexiſſe occupatos. *Videbantur multo conſenſu concutere multa folia arboris, allatiſque funibus ea fortiter colligabant. Utrimque autem ſtantes ſe invicem hortabantur trahere folia, tamquam maximum aliquem lapidem.* Quonam vero fine ridiculam hanc actionem exercuerint; Hiſtoria his verbis manifeſtat: *Hoc vero faciebant, ſic exiſtimantes cor Sancti ad riſum diſſolvere; ut vel in hoc poſſent de eo gloriari.* Nimirum malignis hiſce & ſagacibus ſpiritibus ſufficiebat, modicum hoc lucrum, ſcilicet ut ſanctum virum Dei; ad aliquem inducerent defectum, ſive ille foret riſus, ſive detractio, ſcit enim veriſſimum eſſe, quod *qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

Ridicula actio Diaboli ad decipiendũ inſtituta. — Epheſ. 4. 27. S. Hieron. Epiſt. 4. — Diabolus præmittit ſuos nuncios.

6. S. Hieronymus ſuper illa S. Pauli verba: *Nolite locum dare Diabolo*, ita ſcribit: *Adverſarius ſemper in nos eſt paratus irrumpere, & cum locum dederimus, ingreditur, ſolet autem antequam veniat, quædam jacula præmittere, & præcurſorem adventus ſui facere cogitationem, hanc ſi nos in corde noſtro ſuſceptam nutrierimus intrinſecus, & creſcere fecerimus, cum in nobis prolem ſuam auctam viderit, & ipſe audebit intrare. Poteſtas Diaboli non in temeritate illius, atque jactantia, ſed in tua eſt voluntate.* Et ideo ei oportet reſiſtere, non contemnendo culpas leviores, quia hiſce mediantibus ſeſe intra nos inſinuat, & fortis evadit, noſque ad reſiſtendum ei infirmos & debiles efficit.

7. *Paulatim decidet.* Verbum hoc, decidet, lapſum, quo quis in terram corruit, indicat, Hic autem lapſus ex defectu virium, & debilitate ut plurimum contingit. Quemadmodum in corporibus noſtris debilitas ex lentis febribus naſcitur; ita vigor animæ per culpas veniales enervatur; & ideo ab inimico infernali impugnata facillime vincitur, & in Dæmonis cedit poteſtatem P. Alvarez inter alia peccatorum venialium damna, hoc quoque recenſet: *Peccata levia in bonis operibus vires animæ debilitant, quæ imperfectis & malis operibus aſſuetæ, bona opera exercere non valent.* Idem Author in capit. 10. antecedenti dixerat: *Qui aſſuetus eſt è loco infimo cadere, facile cadit, & neſciet ſubſiſtere in loco ſublimi poſitus; ita qui modicis peccatorum levium tentationibus vincitur, gravi tentatione pulſatus, difficulter à gratia in mentis ſtabilitate retinetur.* S. Bonaventura diu ante idipſum in hæc verba docuerat: *Poteſtas animæ in bonis operibus laſſatur (per tranſgreſſiones ſcilicet veniales) ſicut quando ponitur pondus ſuper equum, minus erit promptus ad ambulandum.* Et ideo quando Deus Abrahæ dicebat: *Ambula coram me*, immediate ſubjunxit: *Et eſto perfectus.* Qui expedite decurrere vult, curriculum illud, de quo Regius Propheta ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, ei opus eſt, ut ſimul cum eodem Propheta verè dicere poſſit: *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Qui enim vigorem habere vult, ne cadat, in cunctarum legum divinarum obſervantia exactus ſit oportet. Tametſi enim verum ſit, quod venialiter peccando, gratia & amicitia Dei non amittatur; diminuitur tamen, dum propter illa ſpecialia quædam auxilia denegantur, quibus ſi communiti eſſemus, ad reſiſtendum inimici infernalis inſultibus, & ad ejus inſidias inutiles reddendas; majori eſſemus vigore corroborati. *Parvæ negligentiæ obſcurant animam*, inquit Richardus à S. Victore, *& impedimentum faciunt amplioris gratiæ*; Hoc autem divinæ gratiæ in nobis deficiente ſubſidio; inimici noſtri vires & auſus augentur. S. Anſelmus modum obſervat, quo Satanas S. Petrum, qui Eccleſiæ Dei columna & lapis fundamentalis erat, paulatim ſubverterit; Ait enim: *Nota, quia primo ait: neſcio quid dicis; Secundo cum juramento negat; Tertio cæpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem; perſeverare quippe in peccato, dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, cadit in majora.*

Peccata levia animæ vires debilitant. — Alvarez. Tom. 2. lib. 5. p. 1. cap. 12. — S. Bon. Tom. 7. l. 3. cap. 15. comp. Theol. verit. — Gen. 17. v. 1. — Pſ. 118. 32. — Pſ. 118. v. 6. — Propter peccata venialia ſpecialia Dei auxilia non dantur. — Rich. à S. Vict. cap. 25. in Cant. — S. Anſelm. — Matth. 27. v. 71.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Peccata venialia animam commaculant; noſque in charitate tepidos, & in bonis operibus, & contra tentationes debiles efficiunt.

THEMA.

Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti. Eccle. 10. ℣. 1.

Dion. Carth. — Per unum peccatũ mortale priora merita perduntur. — S. Bonav. cap. 5. vitæ S. Franciſc. — Gen. 15. 12.

1. SEnſum porro litteralem horum verborum Eccleſiaſtis, ipſamet declarat experientia, nam ut Dionyſius Carthuſianus ait: *Dum muſca infirma cadit in unguentum ſuave, manendo & moriendo in illo, deſtruit ejus valorem, atque odorem.* Quæ quidem ſimilitudo illis proprie adaptatur, qui ob unius dumtaxat peccati mortalis demerita, omnia antecedentia bonorum operum merita perdunt: Et ideo idem Carthuſianus ſubdit: *Sic qui in uno reus eſt, plurima perdit bona, & tota meritorum congeries, uno peccato mortali deſtruitur.* Verumtamen idem Author aliam quamdam propoſito noſtro opportuniorem adducit expoſitionem, in qua per haſce muſcas, peccata levia, & negligentias voluntarias intelligit, inquiens: *Spiritualiter muſcæ morientes ſunt cogitationes vanæ, inutiles, affectiones illicitæ, diſtractiones moroſæ, quæ perdunt ſuavitatem unguenti, id eſt, experimentalem dulcedinem ſpiritualium exercitiorum.* S. Bonaventura in vita Seraphici & ſancti Franciſci in hæc verba de eo ſcribit: *ſi quem videbat otioſum, & vagum, fratrem muſcam nominandum cenſebat, eo quod talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem omnibus ſe reddat.* Quemadmodum igitur Abraham totus

S. Franciscus otiosos vocat muscas.

totus in eo occupatus erat, ut à sacrificio suo, aves, aliaque animalia victimæ insidentia fugaret, ita quoque nos hasce muscas, id est, transgressiones veniales à nobis fugare debemus; nam ut Hugo Cardinalis inquit: *Qui muscas istas ab unguento & sacrificio orationis, prout potest, non abigit, Deo, cui offert, ipsum abominabilem reddit.* Quod idem de quovis alio sacrificio, quod orationis non sit, scilicet, de quovis virtuoso opere dici potest; Musca enim provocat ad vomitum, sicut qui ferculum pretiosum alicui opponeret, totum desuper muscarum agminibus coopertum. *Nemo habitat libenter in domo plena muscis, imo fugit & abominatur eam: sic Deus mentes muscosas declinat; Nec habitat in animabus peccatorum veniarum sordibus contaminatis*, id est, per gratiarum cœlestium & specialium auxiliorum abundantiam non assistit, sicut facturus fuisset, si, quantum humana fert fragilitas, immaculatam se conservasset.

Hugo Card. ibid.

Muscæ id est peccata venialia frigore tolluntur.

2. Idem Hugo Cardinalis inter alia remedia, quibus hæ muscæ subito è medio tolli & occidi possunt, frigus quoque recenset, id est, inquit, timor divini judicij, omnino eas interficit, sicut muscas visibiles illud frigus materiale; ad quem porro timorem concipiendum, multum juvabit, si consideremus, quod etiam de quolibet verbo otioso coram tribunali Christi, tamquam judicis inexorabilis, rigide examinandi simus. Audiamus quoque S. Antoninum varia damna, ex culparum venialium neglectu dimanantia, hisce verbis describentem: *Effectus peccati venialis, sea nocumentum, est multiplex; Primus est macula animæ, id est, impeditio exterioris fulgoris, & nitoris actualis operum bonorum; Nam propriè, fumendo maculam, sic tantum mortale, non vero veniale causat eam*, ut dicit S. Thomas in Jer. 2. Quæst. 89. Porro de hac anima Sponsus cœlestis dicere nequit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Siquidem coinquinata est culpa; licet veniali, atque ideo licet à cœlestibus nuptijs non rejiciatur, nihilominus, quia *nil coinquinatum intrat in Regnum Cælorum*, necessum est, ut prius maculæ ejus, quantumvis minimæ, per ignem purgantem purificentur. P. Alvarez ad imprimendam nobis punctualis observantiæ divinorum præceptorum curam & solicitudinem, inter alia hoc quoque motivum adducit: *Omnia magna ex pusillis pendent, nec magna, & mirabilia sunt, si non etiam minimas imperfectiones excludant. Pulchritudo magna, nonnulla macie ex infirmitate contracta statim inficitur, & vel minimo navo fusicatur.* Gerson de hac deformitate, quam anima contrahit, ita scribit: *Maculam quamdam in animam inducit, prout, juxta aliquos Doctores, potest exemplum poni de imagine picta, quæ aliquando denigrari potest, in tantum, ut nullo modo videri possit. Aliquando vero sic solum obscuratur, ut videri quidem possit, sed non plane discerni, propter quam similitudinem dicit B. Gregorius, quod peccatum veniale obscurat, mortale vero obtenebrat. Respecta autem istius maculæ dici solet, quod in salvandis omne peccatum veniale in præsenti vita à gratia finali, id est, quæ in fine habetur (alias salvandi non essent) deletur, & secundùm aliquos quantum ad culpam, non quantum ad pœnam.* De hac quoque macula B. Laurentius Justinianus ita scribit: *Porro licet veniale delictum se perpetrantem æternæ mortis nequaquam faciat reum, maculat nihilominus animam.* S. Bonaventura varia enumerans damna à culpa veniali procedentia, & secundo loco etiam sequens recenset: *Secundus effectus est, quod peccatum veniale animam maculat, & ponitur tale exemplum; Aliquando enim denigratur aliqua imago depicta &c.* S. Bernardus ante omnes alios de hac deformitate in sermone quodam ita scribit: *In corporibus, si quilibet deformis color cutem tantum inficiat, corpus quidem turpius redditur, sed nihil ei de sua sanitate ex hoc adimitur. Si ergo carni putredo aliqua, vel lividus tumor insederit, jam non solum decus corporis, sed salus quoque perturbatur. Quod si languor forsitan invalescens cum ipsa carne ossa quoque medullitus occuparit, tunc demum de vita non immerito potest desperari. Eodem modo in anima, si peccatum saggeritur memoriæ, per cogitationem, nullam tamen præbuerit aut voluntas affectum, aut deliberatio ipsa consensum, fateor quidem, deformitas est, nec audire interim anima illa meretur: tota pulchra es amica mea, & si naevus est, sed non morbus. Quod si voluntas quoque præoccupata sensu delectationis afficitur, resistit tamen adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidem, sed nec dum moritur anima; clamet tamen necesse est: Ama me Domine, & sanabor. Tunc vero moritur, quando & ipsa ratio ad peccatum per intentionem cavatur, tunc enim consentit.*

S. Anton. 1. p. tit. 10. c. 1.

Cant. 4. v. 7. Effectus peccati venialis.

Alvarez Tom. 1. lib. 5. p. 2. c. 16. Magna ex pusillis pendent.

Gerson t. 2. regul. mor. fol. 252.

3. Isaias cap. 59. ait: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis*; cujus hanc reddit rationem: *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.* Sed numquid sufficiebat Propheræ, mentionem se fecisse de manibus, in quibus simul sunt digiti, cur igitur insuper de digitis specialiter meminit? Oleaster latens in hoc aperit mysterium inquiens: *Opera vestra tam majora, quæ per manus intelliguntur, quam minora, quæ per digitos innuenda sunt:* Et quidem licet hæ maculæ non semper faciem Dei nobis abscondant, visionemque beatificam adimant, attamen tales sunt, quæ nonnumquam spatio annorum aut sæculorum Purgatorium cum acerbissimorum dolorum tolerantia nobis prolongat. Cardinalis Toletus considerat, Christum S. Petro dixisse: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, & tamen lotio hæc ad auferendas solum culpas veniales adhibebatur, siquidem Christus ipse dicebat: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet:* Quo supposito Magnus ille Cardinalis ita scribit: *Attende, non habiturum Petrum partem cum Christo, dictum esse, quia nisi lotus esset, carnis & sanguinis Christi sumptione privatus fuisset, per quam Christus in eo, & ipse in Christo mansuras erat, ad hoc enim præcipue lavabat suorum pedes, ut dispositis & mundis seipsum in cibum daret.* P. Alvarez sequentem ex Nazianzeno adducit similitudinem: *Si splendidæ vestis luculentiores sunt sordes, animæ secundùm suam naturam purissimæ, & secundùm substantiam incorpoream, fædæ erunt sordes, quæ illam conspurcant, & gratiæ nitorem inficiunt. Tales quidem sunt, quas Dominus ipse proprijs voluit in nobis suis lavare manibus, & linteo suæ purissimæ humanitatis abstergere, hoc enim significavit, cum lotis discipulorum pedibus asserit: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Subdit vero idem P. Alvarez: *Erant quappe illi mundi, quoad gravia peccata attinet, ut interpretati sunt Augustinus & Beda, sed in pedibus habebant sordes, quas oportebat Salvatoris ablutione mundari. Non sunt autem parvipendendæ sordes, quas Christus per seipsum lavat, & discipulis suis inesse non patitur.*

Isai. 59. v. 3. Manus & digiti majora & minora designant peccata.

Oleaster.

Tol. in c. 13. Joan.

Joan. 13. 10.

Alvarez tom. 2. lib. 1. p. 1. c. 11. Nazianz. Lotio pedum Apostolorum per Christum facta designat ablutionem à peccatis venialibus.

4. Secundum damnum culpæ venialis à S. Antonino notatum, valde etiam notabile est, nam ut ipse ait: *Minuit fervorem charitatis; sicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat;* Id quod S. hic Præsul fortasse à S. Bonaventura didicit, qui idem ijsdem quasi verbis asserit in libris, quos S. Franciscus de Sales *de amore Dei* composuit, similitudo quædam ab Adamante desumpta legitur, per quam mala à culpis levibus provenientia perspicue declarantur. Hæc enim gemma Magnetem sua præsentia impedit, quo minus ferrum sibi attrahat, nec tamen Magnetem ideo naturali sua virtute & proprietate privat, sed solum pro tunc eamdem suspendit, videmus enim per experientiam, quod quamprimum Adamas à Magnete recedit, subito hic ferrum ad se trahat. Eodem modo licet peccatum veniale amorem Dei ab anima non auferat, ejus tamen æstum refrigerat, ejusque fervorem adeo retardat, ut illas virtutum actiones non operetur, quibus alias incubitura fuisset. Notandus proinde est ille loquendi modus, quo Spiritus Sanctus in Apocalypsi per os S. Joannis loquens utitur, ex speciali enim Dei jussu Episcopum alloquens, eidem dicit: *Primam charitatem tuam dereliquisti*; Non dicit quod charitatem totaliter deseruerit, sed infinuare voluit, quod à primo charitatis fervore notabiliter defecisset. Enimvero videmus per experientiam, quod quando calor naturalis nimium se in exteriores corporis nostri partes extendit, stomachum magno ad bonam digestionem subsidio privet, ac proinde generantur cruditates, & pravi humores, qui febres, aliasque infirmitates mortales causant: Eodem modo si cor hominis Christiani, quod ad Creatorem suum diligendum omnino intentum esse deberet, per inordinatas affectiones ad amorem diffundatur creaturarum, amor ille, quem Creatori nostro

S. Anton. ibid.

S. Franc. de Sales lib. 4. cap. 2. de amor. div. Minuit peccatum veniale fervorem charitatis.

Adamas impedit virtutem Magnetis.

nostro debemus, tanto magis intepescat, & diminuatur. Unde Alvarez tale format argumentum: *Si magna perfectio, magna charitas est, & magna charitas est magnus amor, & magnus & ardens amor eum, quem amamus, nec leviter contristare permittit, quamodo eximiè amabimus Deum, & perfectam erga illum charitatem habebimus, quam quotidianis imperfectionibus lædere non fervorem.* Idem quoque alio in loco sequentem adducit similitudinem: *Cinis carbonibus superinjectus ipsorum tum splendorem offuscat, tum ardorem impedit, adeo ut juxta eos positi nullum sentiamus calorem. Peccata hæc pulvis & cinis sunt; pulvis, quia splendorem charitatis obnubilant; cinis, quia debilitant conceptum ex charitate fervorem. Videbis aliquos justos in meditatione frigidos in oratione segnes, in divinis laudibus tepidos, qui nunquam lacrymis irrigantur, nunquam interna suavitate irrorantur, vix compunctionis sensu tanguntur; & si causam hujus insensibilitatis scruteris, non aliam quam defectuum multitudinem, & in vitandis modicis peccatis insignem oscitantiam invenies.* Idem author in cap. sequenti, quod est 12. hanc tradit rationem: *signum est amoris satis repidi, velle amatum in solis rebus gravibus, & magni momenti non offendere, & in alijs, quæ non tanta severitate præcepit, ejus placitum ac voluntatem procaciter violare.*

Alvar. t. 1. l. 5. p. 2. c. 16.

Alvar. ibid. cap. 12.

5. Idem supracitatus S. Antoninus aliud insinuat notabile damnum, inquiens: *Potestas animæ in bonis operibus lassatur!* Hancque veritatem varijs similitudinibus admodum proprijs declarans de peccatis levibus in hæc verba discurrit: *Sunt veluti modici sumptus imprudenter iterati, qui magnam etiam substantiam exhaurunt, & dum minus putavus, divitem pecunijs, vacuum & egenum relinquunt: sic per levia peccata passionibus crebrescentibus, & insolentius se ostentantibus, virtutes fabruuntur, & ingruente gravi tentatione, dum ex quis assistum præbet, manifestè deficiunt. Sunt velut irremissæ ægrotationculæ, quæ vitam quidem non dissolvunt, sed ita corpus extenuant, ut accedente aliqua gravi morbo, corpus vires non habeat resistendi.* Ballista quædam globo suæ vastitati proportionato onusta, habilis est & idonea, ut repetitis explosionibus turrim quamdam optime munitam in terram prosternere & demoliri possit, & tamen parvulus quidam clavus digiti longitudinem dumtaxat habens, ad eamdem militarem machinam inutilem reddendam abunde sufficit. Idem quoque in hac spirituali militia, quæ ab animo contra infernum geritur, contingit. Etenim unica culpa venialis, unica inordinata affectio, unica demum non penitus refrænata passio satis superque sufficit, ut dum cum adversario pugnam inire paramus, omnem nostrum vigorem & fortitudinem plane enervet. Pharao Moysi indulgebat licentiam, ut omnes Israëlitas ex Ægypto sacrificij offerendi causa educeret, cum hac tamen conditione, ut greges & armenta sua post se in Ægypto relinquerent. Idem quoque est astuti serpentis gehennalis artificium; permittit enim ut in multis bonis operibus exerceamur, ita tamen, ut peccato alicui veniali per affectum adhæreſcamus. Porro Moyses, qui latentem sub hac à Pharaone data licentia dolum subodorat, eidem Pharaoni protestatus est dicens: *Non remanebit ex eis ungula.* Gerson in eodem supra citato loco inquit: *Qui minima neglicit, paulatim decidet, nam venialia peccatum, etsi non perimit per se vitam gratiæ, infirmat tamen operationem ejus, quæ est vita secunda, & ad mortem, si multiplicatur, disponit.* Idem quoque damnum à B. Laurentio Justiniano his verbis insinuatur; *Potentiam animæ in bonis operibus debilitat, & sæpè sit mortalis peccati occasio.*

Alvarez t. 1. l. 5. p. 2. c. 16. Per peccatum veniale virtus animæ lassatur.

Ballista unico clavo perdi potest ita fervor charitatis unico peccato veniali.

Pharaonis & diaboli idem est dolus. Exod. 10. 26.

Gerson.

B. Laurent. Justin.

6. Etenim sancti Patres concorditer asserunt, quod sæpe unum peccatum alterius peccati pœna esse soleat, quia cum anima per suam negligentiam specialibus auxilijs à Deo recipiendis indignam se fecerit, ideo viribus ad resistendum deficientibus, violentis inimici insultibus victas dat manus, eique cedit; *Quia tepidus es... incipiam te evomere.* Seneca ad idem intentum probandum hac utitur similitudine: *Quamvis levia initia morborum serpant, & ægra corpora minima interdum mergit accessio.* Etenim in corpore aliquo ab antecedentibus, quantumvis lentis febribus debilitato, sæpe contingit, quod novi accidentis accessio, quamvis leviuscula, infirmum posternat. Eodem modo anima à parvis defectuum & peccatorum levium febribus extenuata, sæpe ab unica tentatione, licet non adeo vehementi, succumbere cogitur. De hac eadem materia P. Alvarez egregiè hunc in modum discurrit: *Quod si justi leviter peccant, & in minima peccata labantur (cum non sit homo, qui non peccet, & septies in die cadit justus) id non fiunt quia justi sunt, sed quia homines infirmi & imbecilles ex corrupta Adæ radice prodeuntes, & sic non tantum humilitatis gratia, sed vere & ex animo vocare se possint peccatores. Hæc opera ad vitam spiritualem non pertinent, sed de latere illi insidiantur, ut ejus fervorem minuant, robur labefactent, & quod in illis est, ad interitum, excidiumque disponant. Sedit populus manducare & bibere (quod non magnum & exitiosum apparet malum) & surrexerunt ludere, hoc est, idolis immolare.*

Alvarez t. 1. l. 2. c. 6. p. 8.

Apoc. 3. 16.

Seneca. Epist. 167.

Justi peccant non qua justi, sed qua infirmi.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Peccata venialia animam à prompta consecutione gloriæ retardant, efficiuntque ut notabili temporis spatio in Purgatorio detineatur.

THEMA.

Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis... Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Isaiæ 59. ℣. 2. & 3.

1. INter alia culpæ venialis pernitiosa damna, valde enorme est illud, cujus S. Propheta Isaias in hoc assumpto themate meminit, scilicet quod peccatum faciem Dei nobis abscondat, non quidem in sempiternum, sed ad limitatū usque tempus, & vero Oleaster per manus peccata mortalia, per digitos autem venialia culpas intelligendas esse dicit: Ex quibus illa nos visione beatifica in sempiternum privant, hæc vero ideo usque faciunt, donec pro illis in Purgatorio satis passi fuerimus; *Retardat à gloria*, inquit S. Bonaventura, *quia homo, qui decedens aliquo posset statim evolare ad cælum post mortem, cogitur per venialia ad tempus in purgatorio expectare, numquam enim ab aliquo faciles ejus videbitur, donec solvat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per pœnam.*

Peccatum veniale abscondit à nobis faciem Dei.

S. Bonav. t. 7. comp. Theol. verit.

2. Cum populus Hebræorum in deserto vehementer sitibundus, ad divinam confugeret providentiam, per Moysen Deum in eorum precibus exaudiendis non adeo futurum esse liberalem suspicabatur, quemadmodum alias fuerat, idque in pœnam ingratitudinis, murmurationis, & rebellionis erga Deum; unde quando ad aquam eliciendam petram percutiebat, dixit: *Audite rebelles, & incredduli, num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Quæ diffidentia, utpote quæ non procedebat ex zelo, Divinæ Majestati adeo displicuit, ut illi & Aaroni dixerit: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*; Quod pariter ita accidit, nam ut in ultimo capite Deuteronomij legitur, Deus quidem eis, ut terram promissionis è longinquo aspicerent, indulsit, ipsos tamen suos in eam pedes figere nequaquam concedere voluit: *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.* Et quidem licet, prout ex communi sacrorum Interpretum expositione colligitur, certum sit, Moysis culpam venialem fuisse; attamen tam rigida pœna mulctatus fuit: scilicet quod ab ingressu terræ promissionis fuerit irrevocabiliter prohibitus. *Sed omnia in figura contingebant illis*; Per hoc namque Deus fidelibus suis insinuare voluit, quod quamdiu aliquo reatu veniali fuerint obnoxij, quantocumque cæteroquin apud Deum effulserint merito, vel quantumvis Deo sint familiaritate conjuncti, nulla illis spes reliqua sit, quod veram promissionis terram, id est, cœlestem Paradisum immediate post mortem sint ingressuri, sed solum eumdem sint conspecturi è longinquo, donec tandem reatu per ignes purgatorij expiato, pleneque exsoluto, peccatorum venialium debito, eis illuc ingredi permittatur. *Pharaonis licet signis atque miraculis claruisset Moyses*, inquit S. Ephrem, *ubi modice lingua lapsus est, è terra promissionis excidit, magnum & horrendum mare viam ei præcludere non potuit, sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis ei obstitit, ne ulterius progredi posset.* S. Basilius Magnus, qui apud sanctum Ephrem in summa veneratione fuit, similiter hac de re ita scribit: *Illum magnum, & qui tanto honore à Deo dignus habitus est, ut illud audiret, novi te præter cæteros omnes, & invenisti gratiam in conspectu meo, hic vero de aqua contentio esset, nec ullius alterius rei gratia, nisi quod solum populo murmuranti ob penuriam aquæ dixisset: Num ex hac petra*

Moysi propter veniale peccatū prohibitum fuit transire ad terram promissionis. Num. 20. 10.

Ibid. v. 12.

Deut. 34. 4.

S. Ephr. t. 2. de morbo linguæ. Applicatio mystica.

S. Basil. orat. 3. de pœn.

petra educam vobis aquam ? hujus solius, ei causa, statim ei Deus minitatus est, dicendo ; In terram, quam recepi me vobis daturum, non intrabis, quæ erat tam ex his promissionibus, quæ facta erant Judæis ; princeps & primaria.

Quid sit ? si non lavero te, non habebis partem mecum. *Matth. 16. v. 19.* *Joan. 15. 3.* *Joan. 13. v. 10.*

3. S. Petro claves regni Cœlorum promissæ fuerant : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, deque eo certum est, quod in ultima cœna vere in gratia & amicitia Dei constitutus, & consequenter nullius peccati gravis reus erat, siquidem Christus de ipso & Apostolis dixerat : *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* ; non tamen omnino omnis nævi peccati venialis expertes manserant, ac proinde Christus lavit eorum pedes : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Hoc igitur tamquam certissimo & indubitato supposito, merito quærendum venit, cur Salvator sancto Petro pedum suorum ablutionem admittere renuenti dixerit : *Si non lavero te, non habebis partem mecum ?* Cui dubio respondetur, quod nulla anima aditum in regnum cœlorum sperare possit, nisi prius à contracta culpæ venialis macula expurgata fuerit. Porro Sapiens *Spes, quæ differtur, affligit animam*, & quidem quanto bonum illud, cui spes tamquam fundamento innititur, majus est, quantoque hæc spes illius diutius differetur, tanto major erit afflictio, quæ ex hac dilatione nascetur. Jam vero licet securitas, quam anima habet, quæ in gratia ex hac vita discedit, perveniendi ad gloriam certissima sit, peccatum tamen veniale per annos, imo & per sæcula hanc tanti boni consecutionem tardat & prolongat, & consequenter eum, qui peccati venialis reus, ex hac vita discedit, non solum torquebit hæc spei dilatæ afflictio : verum etiam pœna acerbissima ignis Purgatorij, quæ ab infernali non aliter, quam sola duratione discrepat. Neque solum in hoc sibimetipsi præjudicat, verum etiam ipsi Deo injuriam infert, siquidem ex voluntatis propriæ electione consecutionem tanti præmij, quantum Deus ipse est, sibi retardat, seque ad tantam pœnam, qualis est ignis gehennalis temporalis cruciatus, voluntarie condemnat. Sunt Authores nonnulli, ut refert Becanus, qui licet sine rationis fundamento existimant, quod si peccatum veniale remissum non sit in hac vita, tunc in morte in mortale peccatum transeat, idque hac ratione probant ; Ex quo enim anima aliqua eligit ex hac vita cum culpa veniali recedere, eo ipso se gloriam cœlestem parvi æstimare declarat, ex quo enim illam voluntarie differt, clare satis ostendit, quod perfectam unionem cum Deo, qui ultimus illius finis est, ob quem creata & redempta fuit, parum curet. Hanc autem injuriam, dicunt hi authores, cedere in injuriam & contemptum Dei, & beatitudinis, quæ gravissima quædam est deordinatio. Et vero licet hæc opinio recepta non sit, multum tamen deservit ad cognoscendum notabilissimum præjudicium, quod à peccatis venialibus quoad solicitam tanti boni, quale regnum cœlorum est, comparationem neglectis iii committentem resultat. Magnus ille Cancellarius Parisiensis inquit : *Veniale peccatum retardat à profectu meriti, & ab acceleratione visionis Dei, in via enim non progredi, regredi est.* Idem in Tomo 3. in libro *de vita spirituali animæ*, ita scribit : *Quælibet offensa Dei, nisi remitteretur, repelleret à gloria Dei, ac perpetuo, & absque termino puniretur.* Ubi notandum, quod indifferenter dicat : *Quælibet offensa*, quia *nil coinquinatum intrat in regnum cœlorum.* Porro quonam modo illæ animæ, quæ ab hac vita sine peccato mortali, sed solum venialibus coinquinatæ discedunt, salventur. S. Bonaventura his verbis declarat : *De macula autem illa dicitur, quod in salvandis omne peccatum veniale deletur in præsenti à gratia finali, & hoc quantum ad culpam, & non quantum ad pœnam, imo illa solvetur in Purgatorio. Delet autem gratia finalis peccatum veniale, in ipsa dissolutione corporis & animæ, ex virtute suæ complexionis, & sui status, quamvis non sit motus contritionis ad illud directus.* Gerson Doctoris Seraphici doctrinæ inhærens, ejusque verba in medium adducens, subjungit : *Oportet quemlibet ita mundum ante introitum Paradisi esse, sicut fuit in innocentia baptismali.*

Gerson tom. 2 veg. mor fol. 9 *Gerson tom. 3 lib. de vit. Spir. anim. fol. 167.*

S. Bonav. Quomodo remittatur culpa venialis in fine vitæ.

Prov. 13. v. 12. Peccatum veniale retardat gloriam.

Becan. de pœnit. c. 32. q. 9. Refertur sententia vere probabilis.

Gerson tom. 2 fol. 253.

4. Ante Paradisum terrestrem, qui cœlestis Paradisi typus & figura extitit, Deus Cherubinum gladium flammeum atque versatilem in manu sua deferentem collocavit : *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem :* Id autem Deus fecit, postquam primi parentes nostri, post prævaricationem, & amissam innocentiam originalem, recepti fuerant ad pœnitentiam. Porro Cherubim ille, utpote Spiritus beatus, Cœlestem symbolizabat gloriam ; Gladius vero flammeus atque versatilis pœnam denotabat Purgatorij ; ac proinde Deus per Cherubim hunc & flammeum gladium denotare nobis voluit, quod qui peccati venialis reus existens, ad cœlestem Paradisum aditum habere desiderat, necessario prius per ignis purgantis tormenta transire debeat. *Gen. 3. v. 24.*

5. Gerson aliud quoddam peccati venialis insinuat damnum, quod tamen ante ipsum Doctor Seraphicus indicarat. En verba ipsius : *Bona gloriæ diminuit, non quidem illa, quæ jam debentur, & quæ jam habemus ibi per meritum deposita, sed quæ deberentur, si venialia non fierent, quia in eo tempore possent aliqua bona fieri, quando illa fiunt. Propterea post perpetrationem venialium, oportet nos opera quædam convertere ad solutionem hujusmodi debitorum, per quæ nobis deberet cumulus crescere æterni præmij.* Sanctus Antoninus quoque de præjudicijs à culpis venialibus in nos redundantibus differens, inquit : *Effectus peccati venialis est, quod retardat à gloria, quia homo, qui ea non committeret, deberet, & posset statim post mortem evolare, cogetur propter venialia ad tempus in Purgatorio expectare, numquid enim ab aliquo facies Dei videbitur, donec solvat ultimum quadrantem venialium peccatorum.* *S. Bonav. ibid.* Per peccata venialia bona gloriæ diminuuntur. *S. Anton. 3. p. tom. 10. c. 1. §. 4.*

6. P. Alvarez de hoc puncto tractans citat Pierium Valerianum libr. 13. referentem sequentem Armellini naturalem instinctum ; *De mare quidem Armenico, mundissimo animaculo apud aliquos legitur, quod si ostium cavea ejus luto illinatur, ita ut non possit sine sui contaminatione venatores effugere, sinit se potius à venatoribus capi, quam suam munditiem luti imparitate fœdari. Quod de egressu istius animalis dicitur, de Salvatoris nostri ingressu in animam enuntiare possemus, quod scilicet videns animam peccatis & negligentijs cinctam, & omnes sensus ac vires defectibus ac sordibus clausas, horret in eam ingredi, & inter tantas fœditates commorari.* Quia tamen anima talis divina sua præcepta adimplevit, & pro illorum retributione : regnum cœlorum promisit, eam prius ad purgatorium transmittit, ut ibi immunditias illas per ignem expurget. Et quidem hactenus dicta varijs confirmare exemplis haudquaquam difficile erit. Argumentum de mure puissimo. *Alvarez. tom. 2. l. 1. part. 1. cap. 12.*

7. S. Gregorius Turonensis refert de Vitalina virgine, quod S. Martinus Episcopus Turonensis post factam juxta ejus sepulchrum prolixam orationem, eamdem an beatifica Dei visione frueretur, interrogarit, quæ ei respondit, se etiamnum in flammis purgantibus ardere, idque ea solum de causa, quod capillos suos lavarit in die Veneris, quod cum magnus hic Sanctus audisset, exclamavit : *Væ nobis, qui in hoc mundo versamur.* *S. Gregor. Turon. l. de glor. Conf. cap. 5.* Probatur exemplis ac primo de Vitalina virgine.

8. B. Petrus Damianus de S. Severino Archiepiscopo Coloniensi in Epistola quadam ita scribit : *Clericus Coloniensis Ecclesiæ, vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus, equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens sistit. Cumque ille in stuporem versus, & graviter admiratus, cur illic tam clarus & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret : Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cumque datam manum fluctibus Episcopus impressisset : Tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ diffluerent, ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus : Nomen, inquit, tuum in tanta benedictione est apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconijs tam celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringis, tantoque, prò dolor ! incendio cruciaris ? Ad quem sanctus Episcopus : Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia cum in aula regia constitutus, imperialibus me consilijs vehementer implicui, canonicæ synaxis officia, per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans, tota die negotijs ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium.* Neque solum patiebatur tormentum ex pœna sensus, verum etiam damni. Secundum est de S. Severino. *B. Petr. Dam. ord. Desid. Epist. 15. lib. 2.*

9. S. Gregorius in Dialogis suis simile quid enarrat, quod animæ Paschalij Diaconi, irreprehensibilis vitæ *S. Gregor. l. 4. Dial.*

Tertium de Paschasio Diacono.

viri contigit, ad cujus vestium contactum, subito ut fuit mortuus, ex corpore cujusdam obsessi spiritus egressi sunt maligni, & tamen intra flammas Purgatorij, in lacu quodam igneo sævissimos passus est cruciatus, idque ob nullum aliud peccatum, quam quod erga certum quemdam Laurentium, quem ad summum Pontificatum ascendere enixe cupiebat, nimio ferretur affectu.

Revel. S. Birg. lib. 6. cap. 52. Tertium habetur in revelatione S. Birgittæ. *Lib. 4. c. 11. ibid.*

10. S. Birgittæ de anima juvenis cujusdam revelatum fuit, ipsum ad purgatorij ignem fuisse condemnatum, idque ex hisce dumtaxat causis, scilicet quia ultra quam necessitas exigebat, manducasset ; quod sopori plus nimium fuisset deditus ; denique quod in vestimentis suis admodum fuisset curiosus. Alibi quoque alia similis eidem sanctæ matronæ facta fuisse revelatio legitur quoad aliam quamdam animam in Purgatorio pariter detentam, non aliunde, quam quod divinis inspirationibus parum fuerat cooperata, sanctissimaque confessionis & communionis Sacramenta raro frequentasset.

Martin Del-Rio disq. Magic l. 2. q. 26. Sect. 5. Quartum de Joanne Pico Mirandulano, qui omnes propter leviissima sunt damnati ad purgatorium.

11. De Joanne Pico Comite Mirandulano legitur, quod paulo post suum ex hac vita discessum, anima ipsius Hieronymo Savanarolæ apparens eidem dixerit : *Se ideo in flammis purgantibus cruciari, quod non satis diligenter & fœcundè talentum à Deo sibi creditum dezotionis, & ingenij multiplicasset, & quia non, quanti par erat, fecisset intentas Dei suggestiones, inspirationesque, quæ adhortabantur ad honestos labores, quos inchoarat, abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atque perficere.*

S. Bonav. ibid.

12. Porro hæc pœna damni, infelix illa à tam immenso bono, quale est cœlestis gloria, distantia & elongatio, non est æqualis in omnibus, sed proportionata est summæ debitorum, pro quibus anima satisfacere debet. S. Bonaventura quoad peccatum veniale ait : *Ad pœnam obligat, non autem determinatè, neque præcisè obligat ad pœnam æternam, vel purgatoriam, vel præsentis satisfactionis, sed ad aliquam illarum pœnarum, quia secundum formam præsentis Ecclesiæ, satisfacit homo leniter, sed secundùm formam purgatorij punitur gravius.* Omnes sacri Doctores in eo consentiunt, quod pœna damni in inferno sit major pœna sensus ; In purgatorio autem culpa venialis subjacet pœnæ sensus, quæ similis est illi, quæ in inferno cruciat, & insuper ad tempus pœnam damni subire cogitur, siquidem anima à consecutione gloriæ, usque dum expiata fuerit, retardatur. S. Philippus Nerius, qui in vita sua in prodigiosis patrandis miraculis insignis fuit, in mortem dominium & authoritatem habuit, prout videre est in casu illo, qui circa insignem quamdam Dominam evenit, quæ cum in magno versaretur periculo, ne vehementibus Dæmonis tentationibus succumberet, eidem infirmanti, ut moreretur præcepit, quæ subito ejus imperio parens, mortua fuit. Filium quoque Fabritij de Maximis ex Livania de Rusticis natum, Paulum nomine, & hunc solum, revocavit ad vitam, sed quonam, putas, fine id fecit ? Num forte ut illum à pœnarum infernalium æternitate eriperet ? Nequaquam ; erat namque puer annos agens fere quatuordecim, cujus ipse a prima ætate fuscepérat confessionis, candidisque inter pares præfulgebat moribus, tantæque virtutis, ut dum à quodam Patre nostræ Congregationis in ea infirmitate, qua & mortuus est, interrogaretur ; num sanitate donari vellet ; Nequaquam, respondérit, sum enim mea infirmitate contentus. Hoc igitur, absente S. Philippo, mortuo, supervenit post mediæ horæ spatium vir Dei, factaque cum solita cordis sui palpitatione per medium horæ quadrantem, oratione, acceptam aquam benedictam faciei defuncti pueri inspersit, modicumque ex ea labijs instillans, in ora insufflat. Quo peracto, imposita fronti dextera, his alta & sonora voce inclamat : Paule ! ad quam vocem puer repente, non secus ac si à somno excitaretur, oculos aperuit, respondítque : Quid Pater ? hæcque ratione resuscitatus in præsentia multorum subsistit, & perinde ac si sinus esset, solida semper, claraque voce respondit, imo & facies ac genæ eo fuerant rubore perfusæ, ut spectantibus nihil penitus ægrotasse videretur. Sermo inter eos fuit tum de matre, tum de sorore præmortuis. Colloquio ad semihoram producto, Philippus Paulum interrogat ; Num libenter è vita discederet ? utique libenter responderet. Tum secundo interrogat : An vere libenter ? libentissime, iterat, eo maximè, ut matrem, & sororem invisam. Ad hæc Philippus benedictionem adolescenti imperiens ait : *Abi igitur fili, Deumque pro me ora.* Atque his dictis Paulus inter ulnas beati parentis animam efflat. Verum enimvero ex vobis ego hic scisciror, quonam sine existimetis hunc adolescentem à S. Philippo in vitam fuisse revocatum, quem paulo post denuo ex sua licentia morturum esse sciebat ? Certum est, quod id non ad ostentationem fecerit, siquidem ab hoc alienissimus erat, multoque minus miraculum resuscitationis ad instantiam patris, vel aliorum patravit. Pro responsione igitur observandum est, quod subito, ut adolescens hic ad vitam redijt, in hæc primitus verba prorumpsit : *Pater, peccatum memoria excederat, illudque confiteri desidero.* Cujus proinde confessionem vir sanctus excepit. Unde colligitur, quod cum S. Philippus donum habuerit impetrandi occulta cordium, sciveritque quis animarum hac vita defunctarum, specialiter vero pœnitentium suorum, status esset, operæ pretium futurum esse existimavit, si hunc mortuum ad vitam resuscitaret, ut hac ratione animam ejus ab aliquo vel aliquibus peccatis venialibus purificaret, quæ alias eamdem ab ingressu in cœlestem Paradisum retardare, & in pœnis purgatorij affligere potuissent, pœnis, inquam, tum sensus, tum damni..

Efficacia S. Philippi Nerei in mortem dum mulierem mori præcipit.

Vit. S. Philip. Nerij l. 3. cap. 12. Et juvenem mortuum resuscitat.

Causa resuscitati juvenis fuit, ut conparentis animam efflat. Verum enimvero ex vobis ego hic scisciror, quonam sine existimetis hunc adolescentem à S. Philippo in vitam fuisse revocatum, quem paulo post denuo ex sua licentia morturum esse sciebat ? Certum est, quod id non ad ostentationem fecerit, siquidem ab hoc alienissimus erat, multoque minus miraculum resuscitationis ad instantiam patris, vel aliorum patravit. Pro responsione igitur observandum est, quod subito, ut adolescens hic ad vitam redijt, in hæc primitus verba prorumpsit : *Pater, peccatum memoria excederat, illudque confiteri desidero.* Cujus proinde confessionem vir sanctus excepit. Unde colligitur, quod cum S. Philippus donum habuerit impetrandi occulta cordium, sciveritque quis animarum hac vita defunctarum, specialiter vero pœnitentium suorum, status esset, operæ pretium futurum esse existimavit, si hunc mortuum ad vitam resuscitaret, ut hac ratione animam ejus ab aliquo vel aliquibus peccatis venialibus purificaret, quæ alias eamdem ab ingressu in cœlestem Paradisum retardare, & in pœnis purgatorij affligere potuissent, pœnis, inquam, tum sensus, tum damni..

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Gravitas peccati etiam venialis, ex pœna damni, & sensus, qua Deus illud in altera vita castigat, clare deducitur.

THEMA.

Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit : 1. Corinth. 3. ℣. 13.

Peccatum etiam veniale habet maximam pœnam.

1. EX pœna, quam Divina justitia peccatori infligit, gravitas culparum facile deducitur. Sic enim peccatis mortalibus loco pœnæ destinatus est ignis, sed æternus ; peccatis autem venialibus pariter quidem destinatus est ignis, sed ad tempus limitatum duraturus. Et vero licet pœna peccatorum venialium solum duret ad certum tempus, nihilominus pœna hæc satis ostendit, quantum Deo transgressio venialis displiceat, siquidem illam in hac vita præsenti punit per ignem variarum tribulationum & adversitatum, in altera autem vita eamdem per flammas purgantes acerbe castigat. Certum quidem est, quod anima, quæ delicto aliquo mortifero non est coinquinata, vere in gratia & amicitia Dei sit constituta, verumtamen quia inseparabile Dei attributum est Justitia, ideo Deus necessarium esse ducit, talem animam, quantumvis amica ejus sit, post hanc vitam cruciatibus adeo atrocibus castigare, cujusmodi sunt supplicia illa, quibus in peccata venialia tum in hac, tum in altera vita animadvertit ; & quia ut Sapiens ait : *Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti*, ideo evidenter colligitur, malitiam venialem non ideo esse exiguam, quemadmodum nos falsò existimamus. *Sap. 11. v. 21.*

2. S. Gregorius exponendo illum Jobi textum : *Ipse novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat*, circa finem illius capitis in moralibus ita scribit : *Notandum, quod non videri, sed considerari iniquitas dicitur. Studiosius quippe conspicimus, quæ consideramus. Deus itaque hominum vanitatem novit, iniquitatem considerat, quia nec minora delicta inulta deserit, & ad majora ferienda sese intensius accingit. Quia igitur à lezioribus malis incipitur, & ad majora pervenitur, vanitas meritem obnubilat, iniquitas cæcat.* *Job. 11. v. 11.* *S. Gregor. lib. 10. mor. c. 9.*

3. Communis est Theologorum doctrina, quod licet peccatum veniale in purgatorio pœna expietur quoad tempus limitata, in inferno tamen idem cum peccato mortali conjunctum tormento castigetur æterno. *Existens in purgatorio, punitur pro veniali temporaliter*, inquit Abulensis, *& in inferno existens pro eodem punitur æternaliter, quia existens in purgatorio habet gratiam & charitatem, in cujus virtute purgantur & diminuuntur peccata.* Idem Author paulo Dicit peccatum veniale in inferno æternaliter puniri. *Abul. Tom. 7. in Matth. c. 25. q. 704.*

ante dixerat : *Secunda propositio est tenenda, quod maneat pœna pro veniali in æternum, Deus enim nihil inordinatum reliquit, sed non potest ordinari culpa nisi per pœnam, ideo nunquam dimittitur culpa sine pœna, in illis autem qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, neque aliquis reatus tolli, eam sine charitate maneant, per quam culpa purgatur, & remittitur reatus : Et ideo in morientibus in mortali, semper remanebit culpa venialis, si erat, quando decesserunt, aut manebit reatus pœnæ, si erant obligati ad aliquam pœnam pro venialibus, dato quod culpa venialis dimissa fuisset, & in illa pœna manebit in æternum, quæ sit eis æterna per accidens, scilicet quia est sine charitate.*

Per ligna, fœnum, &c. intelliguntur peccata venialia.

4. Sciendum porro est, quod S. Paulus dicat : *Unusquisque autem videat, quomodo superædificet, Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, Uniusujusque opus manifestum erit ; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & unusquisque opus, quale sit, ignis probabit.* Ubi sacri Interpretes per ligna, fœnum & stipulam unanimiter culpas veniales intelligunt : verumtamen ut idem Abulensis opportunè notat : *Apparet quod quando venialia sunt adjuncta mortalibus* (scilicet post mortem) *non possent vocari lignum, fœnum, stipula, quia eorum purgatio non finitur cito, sicut consumantur cito in igne lignum, fœnum, stipula, sed debetur eis per accidens pœna æterna, sicut mortalibus.*

1. Cor. 3. 10.
Ibid. v. 11.
Ibid. v. 12.
Ibid. v. 13.

Abul. ibid.

Increpantur qui peccata venialia in purgatorio expianda differunt.

5. Ingens profecto est error illorum, qui peccata venialia, eorumque expiationem, vel satisfactionem hic negligentes, ad purgatorium usque differre malunt ; eorumque pœnam levem futuram esse existimantes, hisce peccatis venialibus cum omni libertate committendis sine fræno vacant ; Hi enim attendant id, quod in Annalibus PP. Capucinorum de F. Antonio Corso insignis virtutis & perfectionis Religioso scribitur ; Hic enim cum quemdam sui Ordinis Religiosum dicentem audisset ; Contentus sum ire in Purgatorium ; his cum verbis affatus est ; Nescis profecto, quid desideres, aut petas, neque statum, ad quem Deus te clementer vocavit, satis agnoscis ; cœpitque ei vocationis suæ ob oculos ponere obligationem ad vivendū majori cum reformatione, quam status sæcularis requirat. Verumtamen efficacius forsitan movebit te severa illa invectiva, qua S. Augustinus eos, qui debitorum, id est, peccatorum venialium in hac vita commissorum exolutionem faciendam usque in alteram vitam sponte reservant. En igitur verba S. Doctoris : *Sed dicet aliquis : Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam si tamen ad vitam æternam pervexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior est, quam qui potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri ; Et cum de die judicij scriptum sit, quod erit dies unus tamquam mille, & mille anni tamquam dies unus ; unde scit unusquisque utrum diebus, an mensibus, an forte etiam & annis per illum ignem sit transiturus.*

Hos increpat S. August.

S. August. serm. 41. de Sanct.

Vit. S. Phil. Ner. l. 3. c. 2. c. 11.

6. In vita S. Philippi Nerij sequens legitur historia : Joannes Animuccius, qui sanctī Philippi Ordinarius pœnitens, & Musicæ in Vaticana S. Petri Basilica præfectus fuerat, quique ad oratorium quotidie accedens, completis ad populum quatuor quotidianis sermonibus, musicum instituebat concentum (erat enim in arte insignis) tantæ puritatis & castimoniæ vir, ut postquam, Philippo duce, Christo inservire cœpit, non aliter, ac si cum sorore, cum uxore vixerit, jam dudum diem suum fatalem obierat, Accidit autem, ut is tribus jam annis e vivis sublatus, die quodam solitis expletis concionibus, Alphonso cuidam Lusitano apparuerit, atque inter eundum sic illum interrogaverit : Jamne Oratorium dimissum ? Dimissum, respondet Alphonsus. Iterat ille : Meis quæso verbis Philippum roga, ut pro me apud Dominum orationibus instet ; Hisque dictis evanuit. Tum Alphonsus secum reputans, Joannem Animuccium jam dudum vita perfunctum, revocat gradum, ut hominem revisat, inventoque nemine, pavidus, ac tremens Philippum adit, eique rem omnem enarrat, qui præcipit, ut die postero facti seriem in Oratorio ipse ad amussim edisserat. Deinde mandat, ut Missas in diversis urbis Ecclesijs pro defuncto celebrandas curent. His omnibus peractis cunctis palam Philippus edixit : Animuccius noster jam pervenit, significans ipsum è Purgatorio ad cœleste regnum evolasse. Ex qua historia tale formare licet argumentum : Quod si vir ille, tantæ virtutis, in urbe Romana, ubi tot quotidianæ sunt indulgentiæ (quam ob causam Christus S. Birgittæ suaserat, ut huc Romam se transferret, eo quod hic per viam compendiosam pertingere posset ad Paradisum) à tam eximio spiritualis vitæ Magistro tanto tempore edoctus, nihilominus integro triennio in Purgatorio hæsit, quantum nobis contremiscendum erit, qui nostram examinantes Conscientiam, de iniquitatibus nostris dicere possumus : *Multiplicatæ sunt super capillos capitis nostri* ; Et cum S. Jobo merito dicere deberemus : *Insipienter locutus sum ... idcirco ago pœnitentiam in favilla & cinere.* S. Augustinus de fœno, stipula & lignis, de quibus paulo ante ex S. Paulo docti fuimus, ita scribit : *Illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ, vel lordidæ, illic multitudo levium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerunt, exundabunt, quæ omnia hic ab anima separari per Eleëmosynas & lachrymas, compendiosa transactione potuissent.* S. Gregorius peccatorum venialium malitiam hac sequenti, cunctisque nota declarat similitudine, inquiens : *Sicut ad lucem Solis minimi conspiciuntur atomi, qui Sole absente oculis etiam lynceis invisibiles sunt : ita culpæ etiam levissimæ, quas nos nihili ducimus, vel non advertimus, aut minime agnoscimus, coram oculis Dei graves sunt, quæ proinde à nobis ex ejusdem Dei ordinatione per ignem diluendæ sunt.*

Ps. 39. 13.
Job. 42. v. 3.
S. August. hom. 16. Epist. 50. Explicatur malitia peccatorum venialium.
S. Gregor. l. 4. Dial. c. 40.

Ignis purgatorius est similis infernali.

Cæsar. Arel. hom. 6.

Considerantur simul omnes pœnæ in ordine ad ignem purgatorij.

Taul. serm. de omnib. Sanct.

7. Martinus Delrio scribit, Fratrem quemdam Ord. S. Francisci post mortem purgatorij sui pœnas in Choro fratrum sustinuisse, eo quod sub versu : *Gloria Patri*, caput suum, non sicut alij, inclinasset. Præterea alium quemdam Religiosum pariter in Purgatorio ideo fuisse detentum, quod acceptis novis calceamentis, calceos suos veteres custodi vestium, juxta Regulæ præscriptum, non consignasset. Denique prædicatorem quemdam, non obstante, quod prædicatione sua magnum inter auditores fructum pareret, igne purgante castigatum fuisse, ob nimiam quam cum sæcularibus continuo habuerat familiaritatem. Unde optime ait S. Bernardus : *Scitote, quod post hanc vitam, quæ hic neglecta sunt, in purgatorijs pœnis centupliciter reddentur.*

Martin. Delrio. Etiam levissima damnantur ad ignem purgatorium.
S. Bern. serm. de obitu Humberti.

Et adhuc pœna damni est multo major pœna illa sensus.

Abul. t. 7. in c. 25. Matth. quæst. 665.

8. Laurentius Surius in vita Hugonis Abbatis Cluniacensis, refert de durando Archiepiscopo Toletano (qui olim ejusdem Ordinis Religiosus fuerat) quod quia is sibi mire in facetijs complacuerat, idcoque ab eodem Hugone multoties fuerat correctus & monitus, quod nisi à similibus se facetijs averteret, pro illis condignas post mortem pœnas esset luiturus, ideo idipsum ei post mortem revera acciderit, siquidem defunctus Durandus post aliquod tempus, cuidam Monacho, cui Sigwinus nomen erat, apparuit, præ se ferens in facie os inflatum, & labia ulceribus plena, eumdemque rogavit, ut nomine suo Abbatem requireret, pro faciendis pro salute animæ ipsius accelerandis, orationibus. Quare dictus Abbas septem præcepit Novitijs, ut septem diebus continuis sese per rigorosum & indispensabile mortificarent silentium, illudque in subsidium & favorem animæ dicti defuncti Deo offerrent ; Quia vero unus illorum septem impositum sibi mandatum transgressus fuerat, ideo Archiepiscopus eidem apparuit, lamentando vehementer de Novitij illius inobedientia, utpote ob quam liberatio ejus etiamnum retardabatur ; mox vero ut præfata pœnitentia alteri imposita, & ab eodem executioni mandata fuit, anima Archiepiscopi in cœlum feliciter evolavit, optime igitur S. Augustinus ait : *Qui modo nec unam digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc parvo tempore, cum anima & toto corpore cruciari.* Abulensis quoque dicit : *Cum aliquis multa commiserit, quæ cuilibet respondet sua acerbitas, & diuturnitas, colligetur ex omnibus acerbitas & diuturnitas, & ita taxabitur illi morienti in purgatorio.* Quod si reum aliquem ad supplicij locum educi videres, ut ibidem vivus combureretur, utique Tribunalia justa & incorrupta esse scires, talem graviter justitiam offendisse, suoque Principi gravem intulisse injuriam existimares. Et vero licet nos culpas veniales, secundum nostram æstimationem, parvi momenti transgressiones esse credamus ; attamen Deus, de quo Psalmista ait : *Justus Dominus & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*, quique se mitem esse gloriatur & punit citra condignum, easdem culpas

S. August. serm. 41. de Sanct.
Abul. tom. 7. in Matth. c. 25. p. 73 g. Pœnæ hujus vitæ respectu vè sunt nullæ.

Ps. 10. v. 8.

culpas in justissima bilance adeo exacte ponderat, ut eas dignas esse comperiat, quæ in plures annos usque per ignem castigentur.

9. Verum enimvero ut de abominatione, qua Deus justus judex peccata levia execratur, & acerbe punit, dignum nobis formare valeamus conceptum ; videamus obsecro quale sit hoc supplicium, quod Deus de peccatis levibus sumit. Et primo quidem de pœna sensus discurrere incipiamus. Certum est igitur ; quod ignis Purgatorij verus quidam, realis & vorax sit ignis, similis illi, quo damnati in inferno ardent ; quodque, tamquam Divinæ justitiæ instrumentum miraculose in animam, utpote quæ purus est spiritus, operetur ; De qua proinde Cæsarius Arelatensis ita scribit : *Ille purgatorius ignis durior est, quam quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri* ; At vero quia ei, se modicum nimis de hoc igne dixisse videbatur, protinus addit, *aut excogitari* ; quasi diceret, conjungatis simul omnes ærumnas, dolores, martyrum tormenta, cunctaque alia innumera suppliciorum genera, omniaque alia cœlestis vindictæ supplicia & flagella, quæ hactenus ulli hominum hic in terris immissa fuerunt, vel deinceps ad finem usque sæculorum immittenda erunt, hæc tamen omnia simul congregata, ne minimam quidem cum unica dumtaxat flammarum illarum scintilla habitura sunt proportionem. Taulerus in Sermone quodam *de omnibus Sanctis*, volens nos inducere, ut etiam à levioribus prævaricationibus abstineremus, consideranda nobis proponit omnia illa tormenta, quæ omnes Sancti in suis persecutionibus fuere Martyrijs (de quibus Ecclesia in Antiphona quadam ita canit : *Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta*) ac tandem subjungit : *Majorem pro aliqua terrena delectatione in uno peccato veniali pœnam lueremus, quam sint omnium illorum mortuorum, quorum hodie festa colimus, pœnæ in unum conferuntur.* Abulensis ad idem propositum hanc proponit Quæstionem : *An pœna sensus, quæ est in Purgatorio, sit major omni pœna, quæ sit in hac vita* ; Et per adductam à nobis paulo ante S. Augustini authoritatem pro parte affirmativa Quæstionem resolvit.

Ignis purgatorius est similis infernali.

Cæsar. Arel. hom. 6.

Considerantur simul omnes pœnæ in ordine ad ignem purgatorij.

Taul. serm. de omnib. Sanct.

Et adhuc pœna damni est multo major pœna illa sensus.

Abul. t. 7. in c. 25. Matth. quæst. 665.

10. Verum enimvero pœna damni sine ulla comparatione atrocior existit ; Nam ut idem Toletanus Episcopus Abulensis ait : *Pœna damni est carentia divinæ visionis, in quantum animæ, quamdiu ibi puniuntur, retardantur à divina visione. Paulo post, quam excessiva hæc pœna sit, his verbis declarat : Quia quanto aliquid magis desideratur, tanto absentia ejus magis contristat in eo, qui erat aptus recipere illud bonum ; Et quia affectus, quo desideratur summum bonum, est intensior post hanc vitam in animabus sanctis, quia non retardatur prædictus affectus mole corporis, sicut nunc, etiam quia solato corpore, jam est in termino fruendi, & realiter jam frueretur, nisi advenisset aliquid, quod jam impediret, & ideo de retardatione ista maxime dolet, id est, magis dolet anima separata, quam conjuncta.* S. Augustinus quoque hanc visionis beatificæ dilationem unum ex acerbissimis supplicijs esse censet ; Ita enim scribit : *Alienari à regno, carere multitudine dulcedinis Dei, tam grandis pœna est, ut nulla et possint tormenta, quæ novimus, comparari.*

S. August in Enchir.

Loquitur Job de purgatorio ejusque pœnis.

Job. 13. 24.

Hinc procedunt lamentabilia illa verba, quibus Job in persona animæ in flammis illis ultricibus purgantis, in hæc verba conqueritur : *Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum ? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Salvator non adeo dolebat, quod traditus esset ad crucifigendum, sicut quod in manus lictorum datus fuisset à quodam Apostolo, & scholæ suæ discipulo : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Porro quod damnati visione Dei privati existant, idipsum jure merentur, eo quod Dei sint inimici, & rebelles obstinati, at vero animæ purgantes in gratia & amicitia Dei sunt constitutæ, & tamen castigantur, tempore scilicet limitato, eadem privatione gloriæ, quemadmodum damnati, & consequenter anima purgans inconsolabiliter plorat dicens : *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum ?* P. Alvarez ait : *Dicendum est, animas Purgatorij pœnam damni pati, imo hanc esse præcipuam pœnam, quam ibi patiuntur.* Tametsi Absalon gratiam regij Patris sui recuperasset, attamen quia coram ejus facie comparere, eamque intueri prohibitus erat (*revertatur in domum suam, & faciem meam non videat*) adeo vivaci dolore cor suum perfodi sentit, ut vivere se diutius non posse crederet ; ac proinde ad stellas usque exclamabat : *Obsecro, ut videam faciem Regis, quod si memor est iniquitatis meæ, occidat me*, malebat propriæ vitæ suæ pati jacturam, quam præsentia Patris sui semper vel diu carere. Quid igitur de illis animabus dicemus, quæ licet solum ad tempus in horridis illis Purgatorij degant tenebris, notitia tamen illius summi boni sunt illuminatæ, de cujus possessione sunt securæ. Quid, inquam, de ipsarum dicemus doloribus ? Utique quasi nihilum æstimant pœnam sensus, in comparatione pœnæ damni ; utique etiam exclamant dicentes : *Obsecramus, ut videamus faciem Regis, &c.* Doctor Angelicus inquit : *Pœna damni maxima est pœnarum, quæ in Purgatorio reperiri possunt.* Blosius refert, B. Virginem, sanctæ Birgittæ, orationibus pro quodam defuncto Eremita (qui sanctissime vixerat) fundendis intentæ, apparentem ; eidem dixisse : *Hujus Eremitæ amici mei anima è corpore egressa, mox pervenisset ad cælum ; si in morte perfectum habuisset desiderium pertingendi ad præsentiam Dei, ejusque visionem quod quia non habuit ; detinetur nunc in Purgatorio desiderij, ubi nulla est pœna, nisi solum desiderium perveniendi ad Deum.* Ecce tibi demeritum, propter quod anima illa pœnam adeo atrocem & acerbam sustinebat, scilicet culpam quamdam venialem, quam quilibet homo, qui est in mundo, non solum talem esse non reputat, verum etiam summæ prudentiæ actum esse existimat, si quis pro viribus, & quantum potest, transitum ad alteram vitam, longiorem hic vitam trahendo, differat, cum solis servis Dei proprium sit, ut S. Philippus Nerius dicebat : *Habere vitam in patientia, & mortem in desiderio.* Unde Propheta Regius dicebat : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* ; Doctor Gentium pariter ajebat : *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Cæterum vero quoad alios mundi hujus vanos homines verissimum est illud Apostoli effatum. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus* ; Hic enim nequaquam in eo defectum, vel culpam venialem inesse agnoscit, quod scilicet quis careat desiderio intenso, confestim se uniendi cum fine suo ultimo, qui Deus est.

Ibid. v. 3.

S. Thom. in 4. dist. 20. art. 2. q. 1.
Blos. in conclav. anim. cap. 13. n. 6.
Apparitio facta S. Birgittæ.

Pf. 119. 5.
Philip. 1. 23.

1. Cor. 2. 14.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Alia considerantur supplicia, quibus Deus in expiationem peccatorum venialium nos punit.

THEMA.

Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Deut. 25. v. 2.

Gravitas peccatorum venialium patet ex pœnis, quas Deus infligit in hac vita propter illa.

1. ENimvero quam peccatum veniale Deo exosum sit, non solum ex pœnis, quibus Deus in altera vita animadvertit, verum etiam ex flagellis, quibus Deus illud in hac præsenti vita castigat, aperte colligitur. Si enim verum est (est autem verissimum) quod in Deuteronomio dicitur, scilicet : *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus*, certumque sit, quod propter venialia peccata asperrimæ inflictæ sint pœnæ, consequens est, malitiam peccati venialis apud Deum proportionaliter malam æstimari. S. Antoninus ait : *veniale obligat ad pœnam, vel temporalem præsentem, si hic satisfacit, vel purgatoriam, si moritur in gratia, vel æternalem, si moritur in mortali.* Et vero sæpe Deus magnopere sibi in eo complacet, quod debitum à nobis penes divinam justitiam contractum, nos per flagella, tribulationes, infortunia, infirmitates, mortes repentinas, aliasque similes nos exolvere faciat. Non dubito, quin sæpe plurimum admirati fueritis intensissimum illum dolorem, quo Jacob à filijs suis perfusus, quod fera dilectum filium suum Josephi devorasset, per plures annos fuit afflictus ; Qua enim ratione Jacob adeo erga filiorum suorum relationem credulus esse & manere potuit, ut quoad hoc sibi à filijs divenditum mendacium, hunc in modum intra se non discurrerit : si fera devoravit Josephi, quomodo non etiam tunicam filij mei, qua erat indutus, in mille partes discerpsit, cum ad carnes illius devorandas pervenire non potuerit, nisi prius illius dilaceratiet vestes ? Præterea cum Joseph in ætate 16. annorum fuerit, quando à fratribus suis vendebatur, quomodo tam erga

S. Anton. t. 3. p. 2. tit. 10. c. 3. §. 4.

Probatur in Jacob.

patrem

patrem ſuum inhumanus eſſe potuit, ut in tantis anguſtijs conſtitutus, maxime poſtquam è carceris compedibus liberatus fuit, patrem de ſtatu & conditione ſua certiorem non fecerit, præcipue cum maximum eſſet Ægyptum inter & terram Chanaan commercium? ſaltem idipſum ad minus facere debuiſſe videtur, poſtquam à Pharaone ad regium thronum evectus fuerat? Difficultatem vero hanc reſolvit S. Auguſtinus, idque ad propoſitum noſtrum aptiſſime, Ita enim diſcurrit: Deus, qui Jacob amabat (*Jacob dilexi*) per altiſſimam ſuam providentiam permiſit, ut bonus ille ſenex tot annis in illa viveret cæcitate, & ignorantia, idque ut per hanc afflictionem venialia in hac vita commiſſa expiaret peccata. En verba S. Doctoris: *Ut ſanctum Jacob Deus noſter, velut aurum purgatum, in futuro judicio præſentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum abſterſit, ut in eo ignis ille arbiter, quod exureret, invenire non poſſet.*

[*S. Auguſt. ſerm 62. de Temp.*]

[*Levit. 10. 1.* Filij Aaron morte puniuntur propter peccatum veniale. *Abul. ibid. q. 5.*]

2. In libro Levitici cap. 10. ſacer Chroniſta inquit *Arreptus Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* Porro ſi ex me ſciſcitaremini, num hujus præcepti transgreſſio culpa mortalis fuerit, utique negative reſponderem, idque innixus ſequenti Epiſcopi Abulenſis doctrinæ, dicentis: *Fecerunt hoc ex quadam inadvertentia, & ignorantia, nam hoc facile fatu erat, quia novi in miniſtratione erant, cum numquam ante miniſtraſſent, incipientibus autem aliquam miniſtrationem, facile eſt, errores contingere, nec poſſunt ita caute operari ſicut illi, qui ex habitu operantur; nec erat difficile, eos ignorare ea, quæ dicta fuerant ſibi de offerendo ignem ſacrum ſuper altare, quoniam incipientes aliquas res novas exequi, frequenter ſtupeſiunt propter non habere habitum, qui hominem habilitat, & agit, ut faciliter operetur*; Hancque opinionem cæteris veriſimiliorem eſſe arbitratur; Qua proinde tamquam tali ſuppoſita, Deo in hoc caſu dici merito potuiſſe videtur: *Num gentem ignorantem & juſtam interficies?* Numquid enim propter inadvertentiam, vel negligentiam aliquam, tam rigidum inferendum erat ſupplicium? Ait enim ſacer textus: *Egreſſus ignis à Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino*; Et quidem ignis ille ad eos conflagrandos ex altari miraculoſe proſilijt. Audite Salvianum hac de re in hæc verba ſcribentem: *Quid enim aliud, quam extenſam ſuper nos dextram ſuam, & imminentem jugiter gladium voluit oſtendere, qui errorem in ipſo ſtatim opere punivit, nec peractum prius eſt facinus peccantium, quam ulciſceretur pœna peccatum? Quamvis non tantum hoc in hac re actum ſit, ſed etiam multa alia cum enim in illis tunc non meus impia, ſed facilitas nimium inconſulta punita ſit, declaravit profecto Dominus, quo ſupplicio digni eſſent, qui contemptu Divinitatis aliquid admitterent, quando etiam illi percuſſi à Deo eſſent, qui ſola mentis inconſideratione peccaſſent.*

[*Gen. 20. 4.*]

[*Salvian. lib. 1 de gub. & provid.* Si ita puniantur peccata venialia, quomodo punientur mortalia.]

[Graviſſimæ proponuntur David pœnæ. *2. Reg. 24. v. 12.*]

3. In libris Regum legitur, quod Deus Davidi ſervo ſuo adeo dilecto, imo viro ſecundùm cor Dei iratus, eidem per Gad Prophetam dici juſſerit: *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris, ut faciam tibi... aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur; aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Sed dicite ſodes, quodnam erat delictum à Davide commiſſum, propter quod tot acerbis merebatur ſubjacere ſupplicijs; Delictum iſtud ſacer textus his verbis commemorat: *Dixit Rex ad Joab principem exercitus ſui; Perambula omnes tribus Iſrael, & numera populum, ut ſciam numerum ejus.* At vero quid in hoc facto Davidis mali erat, ſcilicet quod ipſe, tamquam Rex, cui, ut ſe ab inimicis ſuis circumvicinis defenderet, arma continuo ut manibus tractaret, neceſſum erat, quod inquam ipſe populum ſuum ab exercitus ſui ſupremo Præfecto juſſerit numerari? Et vero hanc à Davide juſtam populi numerationem grave & mortale peccatum non fuiſſe, ex eo, quod æterna veritas in ejus pronuntiavit encomium haud obſcure deducitur; Ait enim ſacer textus: *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi*; Dici quoque aliunde poteſt, non fuiſſe in ea numeratione à Davide facta mortiferam malitiam, videlicet, quia ſacer textus ait: *Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus eſt populus.* Ex quibus verbis colligitur aperte, quod poſt factam numerationem pœnituerit, quod manifeſtius verba ſequentia indicant: *Et dixit ad Dominum; Peccavi valde in hoc facto, ſed precor Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis.* Et tamen hoc non obſtante, ex ſacris literis, Deum, quoad pœnæ immiſſionem, placatum fuiſſe nuſquam conſtat, quin potius ſacer textus expreſſe ait: *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael,...& mortui ſunt ex populo...ſeptuaginta millia virorum.* Ecce igitur, quam rigide Deus unicam transgreſſionem, licet non mortalem, mulctarit.

[*Ibid. v. 2.*]

[*3. Reg 15. 5.*]

[Propter peccatum veniale. *2. Reg 24. 10*]

[*2. Reg. 24. 10*]

[*2. Reg. 24. 15*]

4. Varia quoque in Hiſtorijs leguntur pro culpis levibus inflicta ſupplicia & flagella; Etenim ut Caſſianus refert: *Abbas Paulus in tantam cordis puritatem, quietæ ſolicitudinis, ſilentioque profecerat, ut ne dicam vultum fœmineum, ſed ne veſtimenta quidem ſexus illius conſpectui ſuo pateretur offerri; nam cum eidem pergenti ad cujuſdam ſenioris cellam, una cum Abbate Archenio, ejuſdem ſolitudinis accola, caſu mulier obviaſſet, offenſus occurſu ejus, tanta fuga ad ſuum monaſterium (prætermiſſo quod arripuerat piæ viſitationis officio) recurrit, quanta nullus à facie leonis, vel immaniſſimi draconis aufugeret, ita ut ne memorati quidem Abbatis Archenij, revocantis eum, clamore, ac precibus flecteretur, ut ad requirendum ſenem quemadmodum propoſuerat, cœpto itinere tenderet. Quod licet zelo caſtitatis, & puritatis, ardore ſit factum, tamen quia non ſecundùm ſcientiam præſumptum eſt, ſed obſervantia diſciplinæ juſtaque diſtrictionis exceſſus eſt modus (non enim ſolam familiaritatem, quæ vere eſt noxia, fœminarum, ſed ij ſam quoque figuram ſexus illius credidit execrandam) tali confeſtim correptione percuſſus eſt, ut ejus univerſum corpus paralyſeos valetudine ſolveretur, nullumque in eo membrum penitus explere ſuum prævaleret officium; ſiquidem non ſolum pedes ac manus, ſed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipſæque aures ita auditus proprij amiſerant ſenſum, ut in eo nihil amplius ex homine, quam immobilis atque inſenſibilis figura remaneret. Eo autem redactus eſt, ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentia deſervire ſufficeret, niſi ſola ei muliebris ſedulitas miniſtraſſet, per annos ferme quatuor, id eſt, uſque ad vitæ ſuæ terminum.*

[*Caſſ. coll. 7. cap. 36.*]

[Paulus Abbas punitur paralyſi.]

5. Idem Caſſianus de Abbate Moyſe viro ſanctiſſimæ vitæ ita ſcribit: *Moyſes Abbas, qui in deſerto commorabatur, cum ipſe ſingularis & incomparabilis eſſet, ob reprehenſionem unius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulit, quadam ſcilicet opinione præventus, tam dire confeſtim traditus eſt Dæmoni, ut humanas egeſtiones ore ſuo ſuppletas ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis ejus, atque authore remedij demonſtravit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequaquam ſpiritus ab eo fugatus abſceſſit.*

[*Caſſian. ibid. cap. 27.*]

[Moyſes Abbas traditus Dæmoni.]

6. In ſacris quoque literis aliquot habemus mortis repentinæ exempla, qua Divina juſtitia quaſdam punivit transgreſſiones, licet culpæ mortalis reatum annexum non haberent. Celebris enim eſt Hiſtoria illa, quæ in perſona Ozæ contigit, qui, dum Arca in proceſſione deportaretur, videns imminere periculum, ne Arca ex curru decideret, manum ſuam protinus extendit, ut eam ſuſtentaret, quo facto ſubito cecidit in terram mortuus: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam: Iratusque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi juxta arcam.* Porro hoc Ozæ factum nequaquam fuiſſe grave peccatum, ex quibusdam Salviani verbis colligi videtur, hic enim factum illud in hæc verba deſcribit: *Oza ille Levites Dei, ipſo in officio inofficioſus fuit, qui injuſta præſumpſit.* Ad idem quoque probandum efficax videtur illa ratio, quam Abulenſis, declarare volens, in quonam conſiſteret Ozæ peccatum, ſcilicet in ſolo Arcæ contactu, his verbis adducit: *Quod apparet ex duobus; Primo, quia non fuit percuſſus à Deo immediate, ut poſuit arcam ſuper plauſtrum, ſed poſtea, quando tetigit eam in via, & tunc illico mortuus eſt coram arca. Secundo apparet hoc, quod litera ponit iſtam tamquam cauſam principalem mortis Ozæ.* 1. Paral. 13. cum dicitur: *Iratus itaque eſt Dominus contra Ozam, & percuſſit eum, eo quod tetigiſſet arcam Dei.* At vero ex quo arca manifeſte periclitabatur de lapſu, eo quod boves calcitrarent, imo de facto ex una parte declinabat verſus terram, qua ratione Oza temeritatis redargui poterit in eo quod ad arcam ſuſtentandam, & lapſum illius præcavendum, manum ſuam extenderit? Non eſt quidem improbabile, quod Hebræorum Rabbani dicunt, ſcilicet, *quod peccaverit Oza, eo quod voluit tenere arcam,*

[Oza punitus morte.]

[*2. Reg. 6. 6.*]

[*Salvian. lib. 6. de provid.*]

[*Abul. ibid. quæſt. 10.* Propter peccatum veniale.]

[*1. Paral. 13. v. 10.*]

quia

quia in hoc innuebat, quod Arca poſſet cadere, & quod indigeret ſuſtentari ab aliquo, ſed in hoc negligebat eam, quia ipſa à nullo indiget teneri, ſed potius illa portabat portitores ſuos; Verumtamen quia Oza ſolum Levita, non vero ſacerdos erat, mirum non eſt, quod hujus myſterij fuerit ignarus; ac proinde non deſunt, qui illum à peccato mortali excuſent, licet pœna ipſius mortifera fuerit. Cornelius à Lapide inquit: *Porro Angelomus, Abulenſis, Dionyſius, & alij cenſent, Ozam iſta temporali morte caſtigatum, æternam evaſiſſe.*

[*Cornel. à Lapid.*]

7. S. Lucas in Actibus Apoſtolorum ſcribit de primis Chriſtianis (in quorum cordibus ſanguis Chriſti recenter effuſus etiamnum bulliebat) quod certatim bonis ſe temporalibus ſpoliantes, pretium illorum ad pedes tulerint Apoſtolorum; Quorum exempla imitati duo conjuges Ananias & Sapphyra idipſum fecerunt; ita tamen quod maritus præhabito cum conjuge ſua conſilio, & conſenſu, partem comparatæ ex bonis ſuis pecuniæ ſibi reſervarint, propter quod factum S. Petrus zelo armatus ardenti, eis improperavit dicens: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S. & fraudare de pretio agri.* Circa hanc vero Hiſtoriam ſcire in primis percuperem, an hæc Ananiæ actio in ſe comprehenderit mendacium aliquod pernitioſum? Puto enim quod non; cum ambo illi conjuges facultatum ſuarum domini fuerint, eaſdem retinere, & non vendere, ijſque uti bona conſcientia poterant, abſque eo, quod S. Petro vel minimum darent teruncium, adeoque quidquid ad Petri pedes attulerunt, ſupererogatoria erant. Et tamen cum S. Petrus ambos hoſce conjuges morte repentina mulctaverit, neceſſum eſt, quod hæc pœna culpam aliquam vel mortalem, vel venialem reſpiciat. Obſervandum porro eſt, quod S. Petrus Ananiæ dixerit: *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate?* Et ideo communis eſt ſacrorum Interpretum opinio, Ananiam una cum conjuge ad imitationem multorum aliorum fidelium, votum emiſiſſe paupertatis, eoque ſuppoſito conjuges illi jam pecuniæ illius domini amplius non erant, utpote quam Deo donaverant, Et tamen P. Cornelius à Lapide quorumdam refert opinionem dicentium, eos propter culpam venialem fuiſſe punitos, ac proinde ad æternæ ſalutis portum feliciter appuliſſe; *Niſi dicas eos non expreſſum votum, ſed tacitam tantum bonorum abrenuntiationem ipſa eorum oblatione feciſſe, ac proinde verum Evangelicarum adhuc rudes cenſuiſſe, ſine gravi peccato poſſe ſe aliquid ex ijs in ſuos uſus ſervare; itaque per ignorantiam excuſari, & venialiter tantum deliquiſſe.* Ita Petr. Damianus Epiſt. 15. c. 3. *Sic enim Deus percuſſit Ozam, ob arcæ contactum, quod ſcilicet eam labantem ſuſtentaſſet. Sic Prophetam per leonem occidit, quod contra præceptum ſuum in Bethel comediſſet.* Quæ hiſtoria in l. 3. Reg. c. 13. conſcripta legitur: Deus enim Prophetam quemdam ad Jeroboam ingratitudinis & impietatis ergo redarguendum ſeveriſſimaque ei ſupplicia comminanda mittens, eidem pariter, ne in confinibus illis manducaret, præceperat; Verum caſus aliquis ei accidit, in quo unuſquiſque homo, etiam ſapientiſſimus, labi & ceſpitare poterat. Etenim alius quidam Propheta maturæ ætatis, illum inveniens famelicum, ſub terebyntho jacentem, rogavit eum, ut ſecum deſcenderet in domum ſuam manducare panem; Cui cum ille, id ſibi à Deo prohibitum eſſe, reſponderet, alter Propheta ſubjunxit: *Ego Propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam, & fefellit eum, & reduxit ſecum.* Sed panis ille male ipſi evenit, quia ipſo panem manducante, Deus prophetæ falſi linguam movit, ut diceret: *Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, non inferatur cadaver tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* Neque hic ira Dei ſubſtitit; ſed duriori illum adhuc pœna mulctavit. *Cum enim abiiſſet, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere; Aſinus autem ſtabat juxta illum, & leo ſtabat juxta cadaver.* S. Hieronymus hujus Prophetæ occiſi nomen exprimit inquiens: *Sic Samajas eadem die, qua mirabilia fecerat gratia prophetali, à leone dejectus occiditur.* Mira profecto res! Hic enim Propheta virili pectore Jeroboam exprobrarat, quæcumque illis Deus dicenda commiſerat, verbis ſuis altare profanum & idololatricum confringi & difrumpi fecerat, effecerat, ut brachium Jeroboam exareſceret, idemque brachium confeſtim ſanitati priſtinæ reſtituerat, oblatum ſibi convivium regium repudiarat, & tamen quia à Pſeudopropheta illo ſeductus panem & aquam contra mandatum Domini ſumpſerat, tam immane retulit pro hoc facto ſupplicium. Cajetanus ſuper illa verba: *Non inferetur cadaver tuum in ſepulchrum patrum tuorum*, ita ſcribit: *Levis pœna, monſtrat veniale fuiſſe peccatum iſtius ſancti viri, non enim ex intentione, ſed deceptus peccavit, peccato inobedientiæ.* Idem vero Cajetanus paulo poſt aliam quamdam obſervationem his verbis ſubjungit. *Majori pœna punitus eſt, quam fuerat revelata Prophetæ Samajæ; nam ſola privatio paterni ſepulchri prædicta fuerat, & præter eam punitus eſt occiſione à leone.* At vero dubium quoddam hoc loco mihi ſuboritur, videlicet, ex quo Deus mortem hujus Prophetæ, impium illum Regem in ſua obſtinatione pertinaciorem facturam eſſe ſciebat, & prævidebat cur illum pro tunc adeo atrociter caſtigabat? numquid hanc ejus inobedientiam alio convenientiori tempore plectere potuiſſet? Numquid pœna hæc verbis ejus fidem diminuebat? Sed reſpondetur, Divinam juſtitiam per hujus Prophetæ punitionem oſtendere voluiſſe, quanta Deo per hoc contumelia & ignominia à ſervis ſuis irrogetur, quando ab eis etiam per peccata venialia offenditur, & ideo non tardat infligere pœnam ad terrorem alijs incutiendum; Cæterum vero Deus in caſu præſenti Prophetæ occiſi, ut notat idem Cajetanus, cauſam ſuam juſtificare non prætermiſit; ad illa namque Scripturæ verba, *Et erat cadaver ejus projectum in via & aſinus juxta illud, & leo ſtans juxta cadaver*, ſubjungit Cajetanus: *Ad teſtificandam publice, tum divinam punitionem inobedientiæ, tum divinum fuiſſe ſermonem, dictum de iſto occiſo, effecit Deus duo; Et quod leo occidit eum, & quod Cuſtos tam occiſi quam aſinæ eſſet leo, ut ex pœna inobedientis; & ex cuſtodia leonina pateret omnibus, quod verè Deus miſerit illum, verusque fuerit ſermo ejus.* S. Gregorius hac de re in Dialogis ſuis ſpeciale quoddam caput conſcripſit, & inter alia hæc dicit: *Ex qua re oſtenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipſa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præſumpſit occidere, contingere non præſumpſit occiſum, qui enim occidendi auſum habuit, de occiſi cadavere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia, erat jam juſtus ex morte.* Lyranus ait: *Ex hoc conſiderandum eſt, quam durè puniturus eſt Deus peccata gravia iniquorum, qui pœna mortis punivit peccatum leve ſancti hominis.*

[*Abul. Apoſt. c. 5.* Refertur opinio quod Ananias fuerit morte punitus propter peccatū dumtaxat veniale.]

[*Cornel. à Lapid.*]

[*3. Reg. 13. v. 18.*]

[Alia ſimilis Hiſtoria.]

[*S. Hieron. tom. 9. de Scient. Divinæ legis.* Dei rigor in puniendo.]

[*Cajetan.*]

[Leo occidens cuſtodit cadaver.]

[*S. Gregor. l. 4. Dial. c. 24.*]

[*Lyran.*]

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Correctio etiam quoad peccata venialia nos obligat, ſi ab his aliquod derivari poſſit ſcandalum aut grave damnum, quia ſæpe ex modico in gravia præcipitia fit lapſus.

THEMA.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Matth. 18. ℣. 15.

1. CORnelius à Lapide ſuper hujus thematis verba ſcribens majorem ſacrorum Doctorum partem opinatam fuiſſe refert, præceptum fraternæ correctionis ſolum obligare quoad peccata mortalia, non autem quoad venialia, ipſe tamen ſequentia verba notatu digna ſubjungit: *Licet Cajetanus, Valentia, & Dominicus Soto cenſeant, nos obligari etiam ad corripiendum, cum peccatum eſt veniale, tamen id communiter non videtur verum, nec in praxi uſitatum, niſi ex veniali ſequatur grave damnum aut ſcandalum.* Origenes ſingularem alicujus refert opinionem, Chriſtum præceptum correctionis fraternæ etiam ad peccata minus gravia extendiſſe opinantium; ait enim; *Alius autem ipſa verba cautè conſiderans, & nihil extrinſecus ſubaudire volens, non de omni peccato hæc dicta defendit, quoniam qui grandia illa peccat, non eſt frater, niſi forte nominetur frater.* Et poſtquam ad idipſum confirmandum longum produxiſſet diſcurſum, inquit: *Memores eſſe debemus ejus quod dictum eſt: ſic non eſt voluntas Patris mei, ut unus ex minimis iſtis pereat.* Et paulo poſt ſubdit: *Qui ergo in peccato levi correptus ter, non ſe emendat, nos quidem ſic eum debemus habere, quaſi publicanum & Ethnicum, abſtinentes ab eo ut confundatur*; At vero quænam eſt cauſa, quod etiam de peccatis levibus diſſerens, tam rigide loquatur? Reſpondeo per do-

[Movetur quæſtio, num præceptum correctionis fraternæ obliget in venialibus. *Corn. à Lap.*]

[*Orig. tr. 6. in Matth.*]

ctrinam, quam S. Thomas tradit in 1.2. Q.88. ibi enim in Art. 3. quærit: *Utrum peccatum veniale sit dispositio ad mortale*; & concludit pro parte affirmante; conclusionem vero suam hac ratione probat, juxta Ecclesiasticum c. 19. *Qui spernit modica, paulatim defluit*; sed ille, qui peccat venialiter, videtur minima spernere. *Ergo paulatim disponitur ad hoc, quod totaliter defluat per peccatum mortale.* Numquam enim videbitur, quod homo aliquis ab uno extremo labatur in aliud, sed paulatim ad aliud extremum transit. Unde idem Doctor Angelicus alio in loco dicit: *Ut in pluribus, tam in bono, quam in malo, proceditur ab imperfecto ad perfectum*; Et ideo valde est difficile, quod aliquis in momento cadat in peccatum omnium aliorum gravissimum, & pessimus fiat, quia, ut habet tritum illud axioma: *A minimis incipiunt, qui in maxima prorunt.* Origenes alio in loco ad propositum nostrum ita scribit: *Non arbitror, quod aliquis ex his, qui in summo perfectionis gradu consisterit subito evacuetur, & decidat, sed paulatim ac per partes eum decidere necessum est.* Quod si aliquem, qui alias in loquendo circumspectus fuerat, diligenterque cavebat, ne quempiam vitio linguæ suæ scandalizaret, tandem in verba obscœna prorumpere audiatis nolite credere, quod talis subito à silentio ad obscœnitatem transierit, quin potius verum est illud S. Bernardi dogma dicentis: *Dum otiosa tamquam minima spernimus, ad turpia, atque inhonesta dilabimur.*

S. Thom. 1.2. q.88. art. 3. Veniale est dispositio ad mortale.

S. Thom. 2.2. q 14. art. 4.

Orig l. 1. Periarch. c 3. Successive fit transitus de extremo ad extremum.

S. Bern. in Floribus c. 166.

2. Rex Salomon à Deo electus fuerat, ut templum illud tam admirandum in ejus honorem ædificaret, in eoque cultum divinum per sacrificia, ceremonias, illamque tam numerosam & pretiosam supellectilem sacram, totque alios modos, quorum plenus est sacer textus, promoveret; Altissimam ei communicarat sapientiam, qualem nullus umquam purus homo adæquare posset; De ipso quoque apertis verbis protestatus fuerat dicens: *Ipsum elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem, & firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea.* Quod inæstimabile donum idem Salomon pariter Divinæ Majestati grata mente in acceptis retulit, inquiens: *Sortitus sum animam bonam*; Imo de ipso Spiritus Sanctus testatur, quod *dilexit Salomon Dominum ambulans in præceptis David patris sui.* Et tamen finis illius abominabilis fuit, *cumque esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Quam Salomonis perversionem S. Augustinus in hæc verba deplorat: *Salomon in profundam idololatriæ elapsus fuit atque demersus.* Eo usque enim impietatis pervenit, ut falsa profanæ Deitatis simulachra erigere non dubitarit, ut fœminis suis obsequeretur, quarum integrum & numerosum penes se semper habuit consortium, septingenta videlicet reginas, & trecentas concubinas, & adolescentularum non erat numerus. Et ideo, ut idem S. Doctor ait: *Improbatus est à Deo, & reprehensus.* Et alibi inter patrem ejus Davidem, & ipsum Salomonem hanc assignat differentiam; *In Davide immoderatæ libidinis furor non permansit, sed transitus fuit, propterea etiam ab arguente Propheta, ille illicitus appetitus, hospes vocatus est; at vero in ejus filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit.* Unde vero ingens hoc præcipitium suam duxisse originem existimatis? Nimirum à neglectu & contemptu leviorum transgressionum; præterquam quod verisimile sit, quod nullus ipsum corrigere, vel ad meliorem vitam hortari ausus fuerit, vel etiam quod correctiones flocci fecerit, & contempserit. Unde D. Chrysostomus de ipso ait: *Quis Salomone felicior? sed cum negligentia dormitasset, decidit in profundum.* In principio enim delicijs, luxui convivijs, cantibus, recreationibus, & voluptatibus, ac mulierum consortio nimium deditus esse cœpit. Unde observandum, quod sacer textus primò dicat: *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas*; postea vero subjungat; *His itaque copulatus est ardentissimo amore*; Ex affectu igitur moderato paulatim postea in ardentissimum transiit amorem indeque factum est, quod ut Scriptura dicit: *Averterunt mulieres cor ejus*; scilicet à Deo ad idololatriam, ut Hugo Cardinalis ait: *Tot templa constituit, de quot nationibus habebat uxores.* In principio quidem regni sui cœlestibus gavisus est visionibus, in quibus Deus ad illum bene dirigendum, suæ voluntatis revelabat beneplacitum; hæc autem dona, divinosque favores postea amisit. Ac proinde P. Alvarez de damnis, quæ

Salomon Deo gratissimus. 1. Paralip. 28.

Sap. 8. v. 19.

3. Reg. 3.

3. Reg. 11. v. 4.

S. August. l. 1. cont. Faust. c. 18. Transiit ad gravissima peccata.

S. August. lib. 3. de doct. Christ. c. 21.

Neglectis minimis.

D. Chrysost. hom. 68. in Matth.

3 Reg. 11. v. 1.

3. Reg. 11.

Hug Card. Meruit privari visionibus cœlestibus.

homini à peccatis levioribus accidunt, differens ait: *Divinis donis nos privant, quorum acceptionem, ac sponsi desideratum amplexum impediunt. Dum enim ob quotidianas culpas plectimur, ut ad eas lachrymis & gemitibus diluendas hortemur, cœlestium consolationum privatione castigamur. Quæ culpæ cum nimis crescunt, & sine timore fiunt, ac sine compunctione & pœna relinquuntur, mirum est, quantum erga nos divinæ largitatis fontem obturent.*

Alvar. t. 2. l. 1. p. 1. c. 12.

3. Suetonius de Cajo Caligula Imperatore refert, quod cum in principio optimæ indolis fuisset, postea sensim & paulatim adeo degenerarit, ut præfatus Historicus, postquam de illo multa recensuisset bona, & virtuosa opera, tandem ita scripserit: *Hactenus quasi de Principe, reliqua ut de monstro narranda sunt.* Hoc autem non simul & semel unica vice ei accidit, sed, ut idem Author notat: *paulatim incalescentibus vitijs ad majora palam erupit.* Saül in principio à regni sceptro acceptando adeo alienus fuit, ut sentica, qua asinos ad velociores cogebat gressus, contentus, dum ad regnum quæreretur, sese absconderit; Imo Scriptura præclarum hoc de illo perhibuit testimonium: *Saül electus & bonus, & non erat vir de filijs Israël melior illo*; & tamen paulo post subito rationem status addidicit, & Politicam Diabolicam; siquidem erga Davidem, tamquam regnum ejus affectantem invidia & furore plenus, tot annis ad mortem usque illum dire est persecutus, non obstante, quod idem David per præcisum Goliathi caput, regiam in capite ipsius firmasset coronam. At vero dicite sodes, quomodo infelix Rex ille ex tanta probitate in tam profundum barathrum declinavit? D. Chrys. ait: *Dum Samuëli non obtemperavit, paulatim atque paulatim labens, non stetit, quoad usque in perditionis barathrum seipsum immisit.* Quis abyssi illius non detestetur profunditatem, in quam se Apostolus ille immersit, qui cœlestem Magistrum suum, à quo adeo sublimiter evectus, totque beneficijs auctus fuerat, pro 30. denarijs divendidit; De quo Rupertus Abbas ait: *Tanto nequior cunctis hominibus, quanto serpens callidior cunctis animantibus, & ob opportunius homicidæ Diabolo satellitium, sicut serpens eidem Diabolo ad decipiendum primum hominem compotentius extitit diversorium. Sicut enim tunc serpente usus est ad occidendum in anima terrenum hominem, sic nunc isto traditore utebatur idem Satanas, ad occidendum in corpore hunc cœlestem & novum hominem.* Traditor ille de Christo, quem, tamquam oculatus testis, tot patrare miracula viderat, in quo omnes thesauri absconditi erant, tam vilem & exiguum habebat conceptum & æstimationem, ut illum inferiori, quam ovem, vel aliud simile vile animal, pretio vendiderit. At vero scirene vultis, unde tam horrendum scelus suum habuerit exordium. Audiamus S. Hieronymum in Tom. 9. de scientia divinæ legis, idem, quod in regulis Monachorum tradiderat, in hæc verba scribentem: *Sic infelicissimus Judas, cum post electionis meritum, post signorum gloriam, post Apostolicam dignitatem, exiguæ stipis amore decentus est, cui tribunal promittebatur in cœlo, laqueo captus est in terra.* Ubi notanda sunt verba illa: *Exiguæ stipis*; Non enim illum astutus ille serpens aucupatus est per extorsiones, rapinas, vel Assassinia, sed per furta minima, sensim enim & paulatim modicas illas avaritiæ scintillas, quas in ejus corde, tunc vel maxime accendit, quando communis Apostolici collegij bursa ejus custodiæ fuit commissa, fovit & auxit. Certum est, quod Noë magna cum solicitudine bonæ familiæ suæ educationi intentus fuerit, filiosque suos in optima disciplina, & timore Dei provexerit, & tamen Cham filius ejus pessime ab hac sua educatione degeneravit; Cujus hæc causa fuit, quia cum Deo suspendere flagellum, jam cessasset diluvium cum jurata à Deo certitudine, de illo iteratò numquam immittendo, paulatim laxius vivere cœpit, dormientem patrem, ejusque nuditatem contempsit ac derisit, factusque est irreverens, & temerarius; inde vero in graviores transiit excessus, siquidem artis magicæ factus est author, per frequentem cum Dæmonibus familiaritatem, prout Clemens Papa, à Bellovacensi citatus in Speculi sui historialis l. 1. cap. 101. hisce verbis testatur: *Cham filius Noë, à quo Ægyptiorum, Babyloniorum & Persarum dicitur genus, male compertam magicæ artis tradidit disciplinam. Hic voluit apud homines videri Deus.* Et vero quia magicæ mentionem facere cœpimus, nequaquam mihi Balaam prætereundus videtur,

Priora confirmantur historijs de Caligula & Saüle.

1. Reg. 9. v. 2.

D. Chrysost. hom. 87. in Matth.

Rup. Abb. l. 13. in Joan. Confirmatur secundo Historia Judæ proditoris.

S. Hieron. tom. 9. Cham paulatim transiit ad magiam.

videtur, qui avaritia illum extimulante, populo Dei maledicere præsumpsit; Nec tamen impius ille semper sceleratus fuit, sed à principio sanctus, amicus Dei, & Propheta fuisse noscitur, imo idem ille erat, qui in libro Job Eliu appellatur, paulo post vero sensim in timore Dei refriguit, amissoque gustu spiritualis vitæ & conversationis, pecuniarum factus est amator, & studiosus inquisitor, quas ut abundanter sibi conquireret, Dæmonem adoravit. Audite obsecro Rupertum Abbatem dicentem: *Fuit ille Balaam idem, qui in libro Job dicitur Eliu; primum Propheta, & vir sanctus, postea propter avaritiam, divini vel arioli vocabulo nuncupatus.*

Num. 22. Balaam prius Propheta Dei postea factus est Ariolus.

Rup. Abb. in c. 2. Apoc.

4. S. Bernardinus Senensis cujusdam sui temporis honestissimæ virginis refert lapsum: nam postquam hoc salutare præmisisset monitum: *Cautela adhibenda in auditu, nam ex auditu Cedrus Libani corruit*; postea subjungit: *vidi virginem quamdam triginta & octo annis in virginitate permansisse propter Christum.* Quis ob habitum per tot annos comparatarum virtutum, impossibile futurum esse non judicasset, quod tandem hæc virgo à virginali suo proposito resiliret? Et tamen infeliciter lapsa fuit; sed quonam medio adhibito hoc accidit? Num forsitan à præpotenti aliqua persona solicitata fuit, cum fraudulenta addita promissione, quod eam ad magnas dignitates eveheret? aut vero à lascivo quodam juvene seducta, & vehementer de illicitis actibus tentata fuit? Minime quin potius audite; quam sit verum, quod; nisi circumspecti simus culpæ veniales ad periculosa præcipitia nos petrahant; subdit enim præfatus S. Bernardus: *Ex uno verbo inhonesto audito, vidi corruisse ita terribiliter, quod si Diabolus carnem haberet, non caliter corruisset.*

S. Bern. Sen. t. 4. serm. 20. de Luxur.

Virgo diu castissima ex uno verbo inhonesto audito lapsa fuit carnaliter.

5. Vigliega peregrinum quemdam refert casum, è quo facile discere possumus; quam sit necessum omnem tentationibus aditum amputare; omnes removendo illis succumbendi commoditates & occasiones; Cum enim Goffredus Pilosus loci cujusdam; prope montem Serarium, Comes; filiam quamdam haberet à Dæmone obsessam; hic vero sæpius exorcizatus dixisset, se inde nequaquam ejiciendum, nisi juvencula ad Garinum duceretur, quo nomine quidam Dei servus appellabatur; qui prope dictum lacum in Eremo sanctam vitam agebat: Quare pater filiam ad hunc Garinum adduxit, à quo etiam paulo post ab hoc maligno spiritu liberata fuit; at vero, ut de assecuta hac liberatione securior esset; rogavit dictum sanctum Eremitam, ut filiam suam novem dierum spatio penes se in sua disciplina retineret; Cui petitioni Garinus haud difficulter assensit; at vero subito vehementes carnis stimulos in se experiri cœpit (fructus nimirum temerariæ suæ præsumptionis) quibus tamen fortiter resistebat, verumtamen prope antrum, in quo dictus Garinus Eremita habitabat, alius quidam demorari cœpit, specie quidem exterioritenus etiam Eremita, revera tamen ipsemet Diabolus, speciem Eremitæ fallaciter indutus, cui Garinus tamquam viro in spirituali ac mystica vita valde exercitato, cor suum aperuit, suas ei manifestando tentationes, & ijs resistendi ab eo postulando efficacia remedia; asseruitque insuper, sæpius à se patrem filiæ rogatum fuisse, per nuntium, ad eum hanc ob causam specialiter missum, ut suam quantocius ad se adduci curaret filiam; Cui fictus ille Eremita, abjecti animi indicium esse respondit tentationibus cedere, virili potius animo illis generose resistendum esse. Verum observetis velim, quænam culpa ipsi offendiculo fuerit, ut turpiter caderet; certe non alia, quam nimia de viribus suis proprijs præsumptio & confidentia, & neglectus hujus tam salutaris sententiæ: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sed quisnam obsecro fuit hujus infelicis Eremitæ infaustus exitus? Hic nimirum. *Itaque implanatus perverso consilio Garinus, hæsit in specu cum puella, & impetu vehementissimæ tentationis dejectus, puellæ vim intulit; mox verò à patrato scelere pudore nimio obrutus, ad veteratorem, quem pro sodali habebat, regressus, & casum fassus immanem, retulit ab immani consultore consilium trucidandæ puellæ, ut scelus lateret, id quod in cellam retrogressus perfecit, cultro in puellæ dormientis jugulum adacto.* Verumtamen Divina pietas nec ipsum, nec illam in æternum perire permisit, siquidem ipsa propter ardentem, qua erga Beatissimam virginem ferebatur, devotionem à mortuis resuscitata fuit, ibidemque paulo post monasterium virginum fundavit; Garinus vero Eremita austerissimam pro commisso scelere egit pœnitentiam.

Vigliег. Flos. SS. 2. p. c. 23. Exorcista ejiciens dæmonem decipitur.

Astutia Diaboli.

Eccli. 3. 27.

Prævia fornicatione suadentis homicidium.

6. In vita B. Jordani, qui tamquam Prior Generalis universam gubernavit Dominicanorum Religionem, refertur, Fratrem quemdam in Capitulo fuisse accusatum, quod mulieris cujusdam, sine ulla tamen malitia, manum tetigisset; Cumque ille, mulierem istam non vanam, aut sæcularem; sed sanctitate vitæ famosam fuisse respondisset, sanctus vir Dei subintulit: *Pluvia bona est, & bona terra, tamen ex eorum commixtione fit lutum; quo fœdantur cæteræ res; sic & manus viri, licet bona fuerit, similiter & mulieris, ex commixtione tamen istarum, nonnumquam cogitatio, vel affectio mala consurgit.* In Franciscanorum annalibus virtuosus & heroicus cujusdam Religiosi actus refertur, ex quo parum sæpe scintillam magnum excitare posse incendium, luculenter edíscere possumus. Refert enim Ordinis illius Historiographus P. Lucas Wadingus, quod mulieris cujusdam Principis valde devotæ pedisequa, *Religiosum, vere qui religiosi erant; curantem, sæpius invisebat; quo nihil ei molestius, nec quod magis horreret, aut fugeret, accidere poterat. Dum ergo semel orantem per nuntium interpellaret, rogaretque ut se allocuturus in Ecclesiam prodiret, illeque renueret, & illa demum pro mulierum conditione magis instaret cum lachrymis, suamque causaretur mæstitiam ex denegato sancti viri alloquio, & pia exhortatione, tandem importunè rogatus accessit, ignem una, paleas altera manu ferens, quas ut ipsi admovit, & subito succenderentur, adjunxit: Domina, ideo tuum, quantumvis pium, recuso consortium, & familiare colloquium, quia idipsum, quod paleæ ex approximatione ad ignem lucratæ sunt, lucrantur etiam Religiosi, qui fœminis familiarius, aut sæpius colloquuntur, ingentemque illum perdant fructum, quem ex divino alloquio, & sancta oratione possent acquirere.*

Vit. B. Jord. c. 43. Tactus manus etiam mulieris reprobatur.

Luc. Wading. Ann. 1217. n. 24.

Historia sancta.

7. S. Dorotheus illis; qui animam suam secure salvare serio contendunt, sequens dedit saluberrimum documentum, videlicet illis valde cavenda esse prima peccati semina; quod si tamen illis aliquis incaute & inconsiderate patefactus esset aditus, subito extirpanda esse, ob ingens quod ex ijsdem eis immineret aliàs periculum: Hic statim, nisi se revocet, & resipiscat; sensim labitur; Idem quoque lapsum refert cujusdam Monachi qui Religiosum aliquem laudari audiens, eum deridendo contemnens, dicere solebat, neminem laude dignum esse, præterquam Zosimum, & monasterij ipsius Fratres; Postea nec illos alicujus æstimavit asserendo neminem laudem mereri, præter Macharium; Paulò post vero dicebat; Et quis est Macharius? nemo in pretio haberi meretur, quam solus Basilius & Gregorius; Nec multum præteribat temporis cum ecce & hosce contemnebat, dicendo solos Apostolos Petrum & Paulum passim ab omnibus in veneratione esse habendos. *Cui ego prædixi,* inquit S. Dorotheus, *quod & evenit, fore ut hoc quoque suo tempore contemneret, quod sane factum est, nam eos quoque sprevit, & nullo habendos esse in pretio, præter Trinitatem, asserere cœpit, statimque in Deum quoque factus insolentior, exarsit, intimuit.* Demum vero idem sanctus Pater in hæc verba concludit: *Nobis igitur luctandum est cum prima, ne in secundam paulatim labamur superbiam.*

S. Doroth. doct. 2. Documentũ S. Dorothei.

Monachus quidam gradatim superbivit.

8. In vita illius servi Dei Camilli de Lellis, Religionis clericorum ministrantium infirmis eximij fundatoris legitur, quod cum per modicam pedis frictionem sibi causasset parvum aliquod vulnus, illudque penitus neglexisset, paulatim vulnus illud eousque excreverit, ut per multos annos acerbissimos inde passus fuerit dolores cumque ad lucrandum sibi victum in medijs hisce doloribus cogeretur pro vulneris sui cura habenda, ministrare infirmis, progressu temporis se sub directione S. Philippi Nerij vitæ spirituali addixerit, in eaque paulatim ad eam usque perfectionem pervenerit, ut tandem dignus factus fuerit, qui tam sancti bonoque publico adeo proficui instituti, religionis videlicet clericorum infirmis ministrantium, prima fundamenta jaceret.

Exiguum vulnus dum negligitur, accrescit.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Lapsum, & prævaricationem Evæ, suam, à multis antecedentibus, licet venialibus transgressionibus, originem, & causam habuisse probatur.

THEMA.

Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Gen. 3. ℣. 6.

Invidia diaboli.

1. Rebellis ille Angelus, considerans, hominem creatum, ut illos beatitudinis thronos, è quibus ipse, una cum sequacibus suis præcipitatus fuerat, occuparet, ejusdem hominis innocentiæ invidens, eumdem omni cum studio supplantare, eique Creatoris sui gratiam pariter & gloriam, ad quam electus fuerat, eripere est machinatus; Nec est, quod vobis persuadeatis, quasi ad hoc intentum obtinendum, totum contra ipsum susciterit infernum, cunctasque vires suas exeruerit; Nequaquam enim id fecit, *sed serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus*; ut enim hominem in præcipitium profundum, una cum tota sua progenie deturbaret, astutia utens sensim & paulatim processit, eique ruinam suam unico dumtaxat pomo mediante fabricavit; ô quam exiguo & vili medio, quam ingens & inexplicabile damnum procuratum fuit. Merito igitur S. Bernardus in hæc verba exclamat: *Hostis offert pomum, & surripit Paradisum.* S. Guilielmus quondam Dux Aquitaniæ (qui ante conversionem suam, monstrum quoddam fuit iniquitatis, postea verò veræ pœnitentiæ factus est speculum) dicere solebat: *Aqua servis Dei mensuratim bibenda est*, id est, cavere quoque debent transgressiones leviores, & veniales, quia hæ sæpe offendiculum sunt, unde gravior sequitur lapsus, adducebatque Adæ exemplum, qui non de cujusdam perdicis, sed pomi alicujus esu tentatus fuit; Item Esau, qui pro vili lentis edulio, primogenituram suam amisit. Hoc quoque eodem exemplo diu ante usus fuit S. Hieronymus, qui Monachos, ne culpas quantumvis leves contemnant, exhortari volens inquit: *Invenimus etiam Dei amicos, ob unius contemptus errorem, bonorum vetro fastorum munificentiam perdidisse. Sic Adam facile cum Diabolo credidit seducenti, post familiaritatem & colloquium Dei, unius pomi cupiditate superatus, perdidit Paradisum, & quia per transgressionem unam habere præsumpsit, multa simul bona amisit.* Porro circa hanc prævaricationem, sacris interpretibus ducibus, in præsenti discursu fusius discurremus; evidenter etenim probare conabimur, magnam illam protoparentum nostrorum ruinam, ex multis præcedentibus culpis venialibus suam traxisse causam, & originem.

Genes. 3. 1.

Aqua mensuratim bibenda est.

S. Hier. T. 9. Reg. Monast.

2. *Serpens erat callidior &c. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Fuit quorumdam satis probabilis opinio, quod scilicet serpens ille tortuosus intra delitiosi illius viridarij districtum ingredi neutiquam ausus fuerit, sed quod foris steterit, & cum Eva, quæ ea, quæ deforis extra Paradisum erant, curioso oculo perlustrabat, sermones miscuerit. *Libera nobis relinquatur facultas asserendi*, inquit Rupertus Abbas, *quod non serpens præsertim à Diabolo corporaliter invadente, possessus, in Paradiso fuerit, sed mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, forte prospectans, qualis extra Paradisum mandus haberetur, & serpens, utpote astutus, dulcedini terræ propius vel ambitiosius inniteret, locus Diabolo datus est, & occasio porrecta, unde tentaret.* Porro Eva, utpote quæ paulo ante à Deo creata, & ad tam sublimem statum evecta fuerat, ut esset mater cunctorum viventium; & de qua Psalmista dicere non dubitabat: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eam, & constituisti eam super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*, ipsa inquam potius tunc Creatori suo immensas gratias agere, mentemque suam per orationem ad Deum levare, non vero curiosè circumvagari debuisset; hoc enim si fecisset, tentator utique adversus eam numquam prævaluisset.

Rup. Abb. l. 5. c. 2. in Gen. Eva intra, serpenti extra paradisum loquitur.

Oleast.

3. Eva à conjuge suo divisa erat, sed quonam putas fine? Hæc quidem separatio, ut S. Paulus ad Corinthios scribit, ad tempus permitti poterat, sed eo tantum fine, *ut vacetis orationi*, non vero ut oculorum paseret curiositatem. Audiamus Ambrosium Catherinum in hæc verba scribentem: *Sola erat Eva, nec dum enim conjunctus illi erat Adam, secundum carnem, credo enim (ut apud quemdam me legisse recordor) sejunctos tantisper matro consensu fuisse, nolentes copulari invicem carnalibus nuptijs, priusquam gratias Deo agerent, pro tanti acceptis beneficijs, ut copularentur Deo, secundum mentem, nuptijs spiritualibus, sicut dignum erat, ea quippe via primum quærendum erat regnum Dei. Proposuerant autem sibimet triduo abstinere, vitamque à contemplatione inchoare, quod mihi valde credibile videtur, nam ita esse faciendum, Divina Scriptura in libro Tobiæ commonefacit; non enim decebat fructus Spiritus postponi carnis exercitio. Hoc ipsa ratio dictabat, & status illius integritas ita faciendum esse postulabat. Quo factum est, ut vehementius ad tentandum accingeretur Diabolus, inventens mulierem solam, aversam ab oratione, quo magis expositam se præbuit tentationi. Ut enim solitudo est orationi potissimum accommoda, ita sine meditatione, ac serio aliquo bono studio, est tentationi per otium, quo abundabat, maxime pervia.* Unde Oleaster pro sexu muliebri sequentem deducit utilissimam moralitatem: *Admonet locus iste fœminas, ne maritis mœsijs, & absentibus, cum aliquo colloquium habere præsumant, præsertim cum astutis & callidis, sed cognoscant se facile posse decipi.*

Eva ab Adam separata tentata fuit.

1. Cor. 7. v. 5.

Amb. Catb. in c. 3. Gen.

S. Thom. de Villa nova Conc. 2. de Annun. Debuisset Eva serpentis colloquium habere suspectum.

4. *Cui respondit mulier.* At vero fierinè poterat, ut cum Eva sapientiam quamdam, & notitiam infusam, altissimamque habuerit rerum divinarum, præclaro illi innocentiæ statui congruentem, nihilominus petulantem serpentis non agnoverit arrogantiam, & temeritatem, quando ille secretorum judiciorum altissimi Dei causam, & mysteria indagare non dubitabat? Audiamus hac de re S. Thomam à Villa nova ita scribentem: *Quid insolentius, quid procacius, quam ab omnium conditore Domino dati præcepti rationem perquirere? Rationis injustæ causam expetere?* Et vero Eva serpentem loquentem audiens, colloquium istud suspectum habere debuisset, maxime quando illum audiebat de ipsorum excellentia magis adaugenda solicitum, & zelosè industrium. *Debebat mulier ex ipso aggressu eminentem conjectare malitiam*, inquit D. Chrysostomus, *tum quod de industria, quæ non erant, dicebat, tum quod, quasi curam ipsorum gereret, at scire posset, quæ illis à Deo præcepta, & sic ad prævaricationem ipsos traheret. Igitur cum posset statim illius impostturam videre, & aversari verba uti nugacia, & serpentem in tantam humilitatem non decisere, voluit. Oportebat, inquam, initio colloquium illius non ferre, sed illi soli loqui, propter quem, & in cujus adjutorijs producta erat, participes dignitatis illius facta.* Lyranus ingeniosè, Evam non per ignorantiam, & fragilitatem, sed scienter, & malitiosè prævaricatam fuisse, ponderat, inquiens: *Non fuit ex Dæmonis electione, quod serpentem Diabolus intravit, sed magis ex divina dispensatione, quæ non permisit, hominem tentari per Diabolum, in specie gratiosa, & nobili, per quam posset facilius decipi, sed magis in specie horribili, in qua fallacia Dæmonis faulius posset deprehendi.* Quenam, obsecro, erat illa primæ mulieris stultitia, quod sibi persuaserit, horribilem quemdam, & deformem serpentem, corpore suo per terram reptantem, & evomentem ex ore toxicum, ad dandum ei consilium procurandamque illi majorem dignitatis suæ excellentiam, habilem esse & idoneum? *Poterat Evam intentatæ fraudis, colubri commonere figura*, inquit idem Villanovanus, *si mens non læva fuisset, quid enim à serpente expectari poterat, nisi virus?* *Non ovis aut agni speciem Diabolus assumere permissus est non vultu Angeli splendore corusco, ne esset potestas in fraude, excusatio in incredulitate.* Quod si illum serpentem esse sciebat, illum utique contemnere & abominari debebat; quod si vero Diabolum per ipsum loqui suspicari poterat, multo magis illi exhorrescendus erat. *Etiam in hoc peccavit*, inquit alius quidam Interpres, *quod diutius cum Diabolo confabulabatur, cum oporteret primam ejus suggestionem statim allidere ad petram; nemo securas loquatur cum Diabolo.* Et paulo post subnectit: *In hoc peccavit Eva, quod virum non interrogat, sed sibi videbatur sapient.*

S. Thom. de Villa nova Conc. 2. de Annun.

Diutius colloquium cum serpente fuit peccaminosum.

Ferus.

5. Verum enimvero scire hoc loco percuperem, an in ipsa illud Ecclesiastici adimpletum fuerit oraculum: *Qui credit cito, levis est corde, & minorabitur?* Neque enim verisimile est, quod quæ justitiam & innocentiam originalem nondum exuerat, infusam sibi amiserit sapientiam: Quod enim Psalmista ait: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus*, pro statu naturæ corruptæ intelligendum venit. Sacer quidam Interpres & Ecclesiastes olim Moguntinus, Evam ex solo curiositatis motivo, longum cum serpente miscuisse sermonem, his verbis asserit: *Nihil aliud persuasit mulieri, ut serpenti auscultaret, quam curiositas: sciebat serpentem esse animal irrationale, mirabatur*

Eccli. 19. 3.

Psal. 48. 13.

Ferus.

Eva malitiose se prævaricata fuit.

Lyran.

tur tamen loquelam ejus. S. Thomas Doct. Angelicus ex testimonio S. Augustini, ita scribit: *Potest responderi, sicut dicit S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam cap. 16. quod aliqua elatio præcessit in muliere, quæ excæcavit ejus intellectum, & inclinavit ad credendum, & fuit forte elata ex blando modo loquendi, & reverenti modo, quem tenuit, loquendo cum ea.* Abulensis punctum aliquod notatu dignum in medium adducit, propter quod Evam tortuoso huic animali aures præbuisse censet, licet Dæmonem in illo absconditum delitescere suspicaretur; Ait enim: *Immoderate honorem & excellentiam appetendo*; Eva enim supra conditionem suam sublimius elevari ambiebat: *Loquimini nobis placentia.* Idem quoque morivum diu ante Abulensem infinuavit Alcuinus inquiens: *Quomodo potuit mulier credere serpentis sermonibus? Respondeo. Quia forte inerat ante menti illius amor quidam propriæ potestatis, & quædam de superbia præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat vincenda, & humilianda.*

S. Thom. in cap. 3. Gen. In Eva præcessit quædã superbia.

Abul. q. 6. in c. 3. Gen.

Alcuin. interrog. 65. in Gen.

6. *Cui respondit mulier.* Ex quo Eva jam audiendo Dæmoni aures suas præbuerat, debuisset meritò os & linguam suam omni cum solicitudine constringere, & cavere, ne illi minimo quoquo verbo responderet; id quod notans Ambrosius Catherinus ait: *Reprehenditur curiositas, & temeritas, non in dicto quidem ipso, quod respondit, sed in facto, nam ei respondit, quem mox contemnere debuerat*; Et vero alius quidam Ambrosius scilicet sanctissimus Ecclesiæ Doctor diu ante dixerat: *Vicissimus, si Eva tacuisset*; Ergo primum illud *processit ex voce peccatum*; Neque enim ex sacra Scriptura ipsam eo usque locutam fuisse constat, & utinam ad majus bonum nostrum muta fuisset; Primo enim, quod protulit, verbo serpenti ad se aditum indulsit, qui caurim & paulatim ulterius progrediebatur, ut illam demum in præcipitium protraheret. *Tacere debuerat mulier, & indicare protinus marito; periculosum est, confabulari veteratoribus, Dæmonum persuasionibus præbere aurem, & obsequi*, inquit Lipomannus.

Ambr. Catherin.

S. Ambr. in Psalm 38. Eva debuisset se referre ad Adamum.

Lipomann.

7. *Cui respondit mulier.* Porro fagax & versipellis Dæmon omni studio ex ore Evæ conatus est extorquere, quid: Deus ambobus præcepisset, quæ promptè cuncta ei revelavit, ac proinde ait Chrysostomus: *Non solum non est illum aversata, sed omne mandatum illi detexit, & porro margaritas objecit, impleturque quod à Christo dictum est: Ne mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent illas pedibus suis, & conversi vos dirumpant, id quod & hic factum est.* Idem quoque alius quidam Interpres his verbis indicat: *Etiam in hoc peccat Eva, quod Diabolo Dei mysteria pandit; malam est quibusvis detegere mysteria Dei. Dixisse debuerat mulier: Quid ad te de præcepto nobis dato?*

Chryst. ibid. Eva non debebat Diabolo pandere secreta Dei.

Ferus ibid.

8. *Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Ex quibus verbis Rupertus Abbas aliam quamdam manifestat Evæ malitiam, inquiens: *Hæc verba jam vitiatæ mentis sunt indicia, nam quantum in se erat, depravavit mulier verba præceptoris Domini tribus modis, quibus usque hodie depravare nititur sacram Scripturam; omnis, qui est ex parte Diaboli, scilicet appositione, diminutione, mutatione; Appositit namque dicendo: Ne tangeremus illud, quia videlicet Dominus Deus hoc tantum dixerat: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Diminuit vero, quia cum certa & enuntiativa affirmativa dixerit Deus: In quocumque die comederis, ex eo morte morieris, hæc dubium vel frivolum voluus esse illud: Ne forte, inquit, moriamur. Mutatione autem, quia cum dixisset Dominus: Ex omni ligno Paradisi comede, & unum solummodo interdixerit, lignum scientiæ boni & mali, hæc autem: De ligno, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis, & mentita est; nam & lignum vitæ erat in medio Paradisi, quod Deus non interdixit. Ergo jam impatienter ferebat, & murmurabat, quod quasi parcus, vel avarus Deus, pretiosa media Paradisi reservaret, & viliora quæque per circuitum colligendo, in cibum homini concessisset.* Idem quoque lamentum ab alijs observatum fuit. Et quidem doctissimus Ferus inquit: *Non tam gratam se ostendit, de tot concessis fructibus, quam querula erat de uno prohibito.* Abulensis existimat Dæmonem dicendo: *Cur præcepit vobis Deus &c.* dicere voluisse: *Quare aggravavit vos Deus tantum, subjiciendo in servitutem, ut non comederetis de fructu? Nulla autem Eva, quæ non attendit, quod melius erat subditam esse Deo, quam in seipsa elevari, indicavit se in hoc præcepto fuisse gravatam; quare jugum hoc judicavit esse abjiciendum, de fructu vetito comedendo.* Abulensis Dæmonem quisnam fru-

Rup. Abb. ibid. c 5. Eva verba Dei auxit, diminuit & mutavit.

Ferus ibid. Eva in unico præcepto gravata, fuit ingrata pro omnibus alijs fructibus.

Abul. ibid. q. 3.

9. *Ne tangeremus illud.* Quod si verum erat, Evam à Deo accepisse præceptum non solum non manducandi, sed nec tangendi fructus illius arboris, ecce tibi alium ejusdem Evæ errorem, quia scilicet manifesto se exponebat prævaricationis periculo, siquidem ut Ambrosius Catherinus ait: *Creditur Eva fuisse tunc juxta vetitam arborem, absens à viro, quando adorsus est illam serpens, & forsitan cogitabat jocum tantùm de illo Dei mandato, disquirens rationem præcepti, cur Deus vetuerit, ne de ligni illius fructibus vescerentur, quod non est veri obedientis; non quod hæc cogitatio & disquisitio sit peccatum in se, nisi quatenus res est periculosa, quæ & facile trahit ad peccatum.* Abulensis Evam ex semetipsa adjunxisse putat illa verba: *Et ne tangeremus: Hoc*, inquit, *addidit à seipsa, ad demonstrandum, quod Deus gravabat imponendo tam durum præceptum, quia modus displicentium in rebus aliquibus est, cum libenter non fevant sermonibus exaggerare.* Cui displicentiæ insuper accessit mendacium, contemptui conjunctum.

Ambros. Catherin. Probabile quod serpens invenerit Evam sub arbore vetita.

Abul. ibid.

10. *Ne forte moriamur.* Notatu dignum est illud ly: *Forte.* Per hoc enim primæ & æternæ Veritatis infallibiles decisiones in dubium vocavit. Unde Hugo de S. Victore ita scribit: *Considerate incrementa perditionis. Primum dixerit Deus: In quocumque die comederis, ex eo morte morieris; Deinde dixit mulier: Ne forte moriamur. Novissime serpens dixit: Nequaquam morte moriemini. Deus affirmavit, mulier dubitavit, Diabolus negavit. Nequaquam autem Diabolus coram muliere verba Dei negare præsumpsisset, si non prius ipsam mulierem dubitantem invenisset. Quæ ergo dubitavit, ab affirmante recessit, & neganti appropinquavit. Ipsa igitur secundum aliquid inchoavit malitiam, quæ tentatori iniquæ persuasioni dedit audaciam.*

Hug. de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 7. cap. 4. Eva vocavit verba Dei in dubium.

11. *Ne moriamur.* Arias Montanus notat, Evam à ligno prohibito abstinuisse ex servili & indigno motivo, scilicet ex motivo timoris, non vero ex reverentia & amore erga Deum *Metu magis, quam voluntate sese duci; & agi fœminea sapientia declarabat*, inquit Arias præfatus, *pœnaque formidine detentam, jussum illud observare. In vulgari & proverbiali versu communiter dicitur: Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Abstinuit à ligno vetito ex motivo timoris.

Arias Mont. de generat. & Regenerat. Adam lib. 1. c. 14.

12. *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Circa hæc verba Abulensis ita scribit: *Diabolus, quia vidit mulierem de morte comminata dubitantem, statim constanter asserit, mortem nullo modo pro illo alta secuturam, ut de assertione Dei ad dubitationem mulieris, & deinde ad negationem Dæmonis gradatim veniretur.* Ambrosius Catherinus hanc notat esse Diaboli astutiam; quod scilicet peccati malitiam semper diminuat, ut ad levia committenda nos pertrahat, scit enim quod à minimis incipiunt, qui in maxima prorumpunt. Idem Author notat, quod in Hebræo non habeatur: *Car præcepit vobis Deus &c. Non sic legitur, sed quasi antea aliquid prælocutus esset cum illa, adjecit: Etiam quia dixit Deus, non comederis de omni ligno horti, ac si dixerit: Certo deprehendo verum esse, quod jam tibi dixi &c. Extenuavit etiam subdolè vim mandati, non enim dixit: Etiam quia præcepit Deus, sed etiam, quia dixit Deus, dixisse illum, inquit, non præcepisse.* Minime contentus, quod afferendo: *Nequaquam morieminí*, Deum fecerit mendacem, hic insuper illum tamquam invidum, malignum & avarum calumniatur, prouti statim audietis. Unde bene Ferus ait: *Perpendens Diabolus se non parum profecisse apud mulierem, persuasam jam infidelitate circa Domini verbum nunc apertius aggrediturnon enim cessat, ubi semel admittitur.*

Abul. ibid. quæst. 4.

Ambros. Catherin. Diabolus malitiam diminuit.

Ferus.

13. *Scit Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.* Quid hac blasphemia Draconis horribilius, inquit Rupertus Abbas, *quid hac præsumptione nequissimi nebulonis scelerabius? quasi parum fecerit, quod superbiendo, Dei similitudinem perdidit, adhuc detrabendo, sibi similem asserere Deum, præsumit.* Ambrosius Catherinus temeritatem serpentis ulterius progredi dicit, quasi in hæc verba protoparentibus suggerendo: *Parum amat vos Deus, qui potuisset multo majora vobis, si voluisset donare; sed invidit vobis sicut & mihi, ne ea severis, quæ tamen sunt scitu dignissima, prohibuit, ne de omni ligno vescerentini, eripiens vobis*

Rup. Abb. ibid. cap. 5.

Ambros. Catherin.

Virtualiter Diabolus accusat Deũ invidiæ.

libertatem veſtram natura vobis debitam, & ſic capit irritare fœminæ animum. Ad hæc autem blaſphema verba Dæmonis Eva merito fugere debuiſſet, utpote quæ loquentem Dæmonem manifeſte indicabant; Unde

Chryſoſt. ibid. D. Chryſoſtomus ait: *Congruum erat ſtatim, cum diſceret ex verbis ab illo dictis, quod diverſa à verbis Dei eſſent, & quod alia quidem Conditor imperaſſet, alia autem ille, & plane contraria Deo diceret, at ipſa averſaretur, & fugeret illius conſuetudinem, abominaretur que illum, qui ſuam linguam contra datum illis mandatum acuere audebat.* Lipomanus inquit: *Non dicit: ſic eſt voluntas creatoris, quare ſic ordinavit, ipſe novit, nobis ſufficit obedire, quia vita noſtra in voluntate ejus.*

Lipoman.

Chryſoſt. Chryſoſtomus ſimiliter ait: *Oportebat te averſabundam ab eo, qui diverſa à Deo dixerat, dicere: Apage, impoſtor es tu. Quali venia dignabitur illius mulierem omnino enim aures occludere potuerat, illo temeraria hæc dicente.* Gravitſimus quoque Evæ error fuit, quod majorem patri mendaciorum, quam primæ & æternæ veritati, Creatori, inquam, ſuo, adhibuerit fidem. *Etiam in hoc peccavit Eva,* inquit Ferus, *quod ſtetit & audivit à ſerpente, cum Deus ſe Doctorem hominis futurum oſtenderit.*

Ferus.

Eva temerè expoſuit ſe periculo. *Eccli. 3. 27.* *Chryſoſt. t. 5.*

13. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet &c.* Fuit hoc poſtremum diſcrimen, in quod ſe conjecit, in medium occaſionis male agendi ſeſe exponendo: *Qui autem amat periculum, in illo peribit.* Chryſoſtomus de levium peccatorum periculis diſſerens inquit: *Guſtus vel viſus leve quiddam & inane forſitan videtur. Guſtus levis non eſt, qui Adam protoplaſtum in origine mundi decepit, & cum eo genus humanum ſententiæ mortis addixit.* S. Auguſtinus aliam lapſus Adami aſſignat rationem, ſcilicet nimium ergà conjugem ſuam amoris affectum, non enim abnuendo pomum, illam contriſtari voluit: *ne contriſtaret delicias ſuas;* adeoque à primo ad ultimum, certum eſſe ex hoc diſcurſu colligitur, quod plura peccata in unum congregara primam matrem ſeu potius novercam noſtram in illud ſe duxerit præcipitium, in quod Adam cum univerſo humano genere prolapſus fuit. Concludo igitur cum ſequentibus S. Auguſtini verbis: *Tam leve præceptum ad obſervandum, tam breve ad memoriam retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de fœna tranſgreſſionis poſtea ſubſecutus eſt, tanto majori injuſtitia violatum eſt, quanto faciliori poſſet obſervantia cuſtodiri.*

S. Auguſt. l. 1. de Civ. Dei cap. 12.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Licet multa peccata venialia peccatum aliquod mortale conſtituere nequeant; illa tamen ad mortalia diſponere probatur.

THEMA.

Amen dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex, non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Matth. 5. ℣. 18.

1. SAlvator noſter in cap. 5. S. Matthæi Apoſtolis ſuis qui univerſum mundum ad fidem converſuri, & ſub jugum novæ legis gratiæ perducturi erant, ſerio, ut in adimpletione divinorum præceptorum exactiſſimi eſſent, hiſce verbis præcepit: *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, non veni ſolvere, ſed adimplere*; Et immediate ſubjungit: *Amen dico vobis* (qui loquendi modus in ſacris litteris formam in ſe continet juramenti) *donec tranſeat, &c.* circa quæ verba S. Auguſtinus ita ſcribit: *iota, quæ dicimus peccata levia, noli contemnere*; Moxque convincentem ſubdit rationem, ob quam peccata etiam levia, quando ſpecialiter in magno numero contracta ſunt, nequaquam contemnere debeamus. Ait enim: *ſi contemnis, quando appendis, expaveſce, quando numeras; Multa enim levia faciunt unum grande.* Hæc porro ultima S. Auguſtini verba communi Theologorum doctrinæ adverſari videntur, & ſpecialiter Scholæ S. Thomæ Doctoris Angelici, qui in prima ſecundæ hunc diſcutit articulum: *Utrum peccatum veniale poſſit fieri mortale,* & ſtatuit pro parte negativa, cujus hanc aſſignat rationem, *quia ea, quæ differunt in infinitum, non tranſmutantur in invicem, ſed peccatum mortale & veniale differunt in infinitum. Ergo non poteſt fieri mortale.* Melius tamen ſe in ſtabilita à ſe concluſione declarat, dum ait: *Veniale peccatum impoſſibile eſt ſic fieri mortale, quod idem actus venialis manens, fiat mortale, vel multa venialia fiant unum mortale, ſed veniale ex genere, ſit mortale ſecundùm intentionem finis.* Sanctus quoque Doctor modum conſiderans, quo fieri poſſit, ut malitia levis in gravem & mortalem tranſeat, ita ſcribit: *Alio modo poteſt intelligi, ut id, quod eſt veniale ex genere, fiat mortale; & hoc quidem poſſibile eſt, in quantum conſtituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, ſicut ad finem.* Subditque aliam quamdam diſtinctionem ſcitu neceſſariam, inquiens: *Tertio modo poteſt intelligi, ita quod multa peccata venialia conſtituant unum peccatum mortale; Quod ſi ſic intelligitur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt; non enim omnia peccata venialia de mundo, poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale, quod patet ex parte durationis, quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, peccatum autem veniale, reatum pœnæ temporalis: Patet etiam ex parte pœnæ damni, quia peccatum mortale meretur carentiam viſionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſoſtomus dicit: Patet ex parte pœnæ ſenſus, quantum ad vermem conſcientiæ, licet forte quantum ad pœnam ignis, non ſint improportionabiles pœnæ;* Demum vero ad caſum noſtrum deſcendens, culpæ venialis damna inſinuat dicens: *ſi vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale diſpoſitive, ſic verum eſt*; Et ſic eſt in præſenti caſu noſtri diſcurſus.

Non realiter & integraliter.

Sed diſpoſitivè.

2. S. Antonius poſt adductam præfatam S. Thomæ doctrinam, declarare contendit, quomodo peccata venialia ad mortalia diſpoſitiones exiſtant. Ita enim docet: *Qui peccat venialiter ex genere, præmittit aliquem ordinem, & ex hoc, quod conſuevit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubjecere, diſponitur ad hoc, quod etiam voluntatem ſuam non ſubjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod eſt peccatum mortale ex genere; & ſecundùm hunc ordinem, id eſt, diſpoſitionem, intelligendum eſt, quod dicit Auguſtinus de pœnit. diſt. 1. c. Tres ſunt*, ſcilicet *quod illa peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt, ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unus aliquod grande peccatum, ſcilicet mortale.* Ex lectione S. Auguſtini varias notavi ſimilitudines, quibus S. Doctor nobis conatur imprimere periculum evidens, quod peccata venialia quotidie magis magisque augendo, eademque ut talia negligendo incurrere poſſumus. Et quidem in ſerm. 244. de tempore ita ſcribit: *Tu, qui dicis, quia parvum peccatum eſt, velim ſcire, quoties tale peccatum admittis, ſi tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas, aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis.* Verum quidem quamlibet ex modicis illis plagis, modicum quoque ſaluti corporali inferre poſſe periculum, veruntamen omnes ſimul junctæ vires corporales adeo extenuare poſſent, ut deinceps alteri ſuperventuro malo nequaquam poſſent reſiſtere; Eodem igitur modo licet ſingula peccata venialia animam necare nequeant; attamen quia, ut ſuo loco probavimus, quodlibet peccatum veniale ſpirituale animæ vigorem debilitat, tentatoriſque vires & temeritatem valde adauget, contingere poſſet, quod à tam impetuoſo infeſtaremur inſultu, ut inermes, ac aliunde uſque quaque haud bene proviſi, cederemus turpiter, & laberemur. Unde S. Auguſtinus ex ſuis præmiſſis haſce in confuſionem & improperium noſtrum deducit conſequentias; Quod ſi nos metu ſalutis corporalis plures in corpore noſtro parvulas plagas, vel in veſtibus modica foramina & laceraciones tolerare nolumus, cur in anima noſtra parva peccatorum venialium vulnera & plagas admittimus? *Qui fronte hoc facere in anima tua non metuis? At ſic, quicumque hoc fecerit, plus amat veſtem, & carnem ſuam, quam animam. Cum enim ad imaginem Dei facti ſimus, quoties aliquid turpe, aut loquimur, aut facimus, totics Dei imaginem ſordidamus.* Porro picturæ alicujus effigiei, ejus non tollitur perſpectiva, aut ſymmetria, per unicam dumtaxat leviuſculam maculam: at vero ſi innumeræ maculæ talem picturam afficiant, illam adeo deformant, ut illam vix aliquis diſcernere aut agnoſcere valeat. Et quidem hoc eſt, quod multis perſæpe contingere ſolet, qui dum in exacta divinorum præceptorum imo & conſiliorum Evangelicorum obſervantia viventes, leves tamen aliquos defectus nonnumquam committunt, his enim omnes compatiuntur, ſiquidem nemo mundus à ſorde, at vero ſi ijdem cuilibet peccato veniali committendo habenas laxent, vix eos ipſosmet eſſe dignoſcetis, qui antea fuerant, amittunt enim omnem ſpiritualis & perfecti hominis, quam hactenus quod omnes habuerant, famam & exiſtimationem, & lapſibus mortalibus valde ſunt propinqui.

Similitudo de minutis vulneribus.

In pictura plurimæ minutæ maculæ æquivalent majori.

Quomodo ad mortale diſponant.

S. Auguſt. ſerm. 244. de Temp.

Quodlibet peccatum veniale minuit fervorem charitatis, & plura quæ tollunt.

Ariſtot. l. 6. c. 1. de gener. anim. Similitudo tertia.

3. Doctrina eſt Ariſtotelis, ab ipſamet experientia quotidiana confirmata, quod ſcilicet *in veſte candida atque munda, vel minima macula perſpicua ſit, navusque quaſcumque in vulta elegani & ſpecioſo magis reluceat, quam in facie turpi & obſcura*; Idem vero peccatum quoque operatur veniale; ſiquidem in anima pura, Religioſa, optimique nominis magis diſplicet, magisque eſt ſcandaloſa & periculoſa, quia per illud Dei imaginem fordidamus. S. Thomas authoritatem quamdam citat ejuſdem S. Auguſtini ſuper illa verba S. Joannis: *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam*, ita ſcribentis: *Peccata minima, id eſt, venialia, ſi negligantur, occidunt.* Et quia ut dici ſolet: *Mutus eſt Auguſtinus, ubi Thomas non loquitur*, ideo Doctor Angelicus eamdem exponit, dicens: *Dicendum, quod Auguſtinus loquitur in illo ſenſu, quod multa peccata venialia, diſpoſitive cauſant mortale.* P. Alvarez aliam quamdam exponit S. Auguſtini ſimilitudinem, cujus licet alibi quoque fecerimus mentionem, eamdem tamen hic repetere operæ pretium eſſe duximus, ad aſſumptum noſtrum tanto magis confirmandum; ita igitur præfatus Alvarez ſcribit: *Levia peccata contempta, nos in manifeſtum perditionis diſcrimen adducant, non quia ipſa ſufficiant nos perdere, ſed quia ſæpè ſufficiunt ad grave crimen inclinare, in quo ſenſu dixit Auguſtinus Epiſt. 108. de levibus peccatis; Quæ ſi collecta contra nos fuerint ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum aliquod grave peccatum; quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno gravi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navim, atque ſubmergat? Neque enim id ſapientiſſimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata, uni gravi coæquari, ſed quia hæc, ſi non navim noſtri cordis aperiant, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis ſuſcitabunt.*

S. Auguſt. t. 9. lib. de decem Chord. c. 11. *Jon. 3. v. 36.* *S. Auguſt. cit. à S. Thom. ibid.* *Alvarez t. 1. l. 1. p. 2. c. 16.*

Quid referat num navis paulatim minoribus fluctibus vel unico maximo abſorbeatur.

4. Incipit ſæpe aliquis honeſtæ recreationis cauſa ludere, & modicam pecuniæ ſummam ludi diſcriminis exponit, at vero dum contrariantem ſibi videt fortunam, turbatur, movetur, iraſcitur, & ad recuperandum, quod amiſit, majorem pecuniam alcæ committendo, ad idipſum revertitur, & majori cum rabie iniquiori fortunæ ſe exponit, hacque ratione id, quod à principio recreatio fuit, tandem degenerat in diſſolutionem, obſtinationem, ſcandalum, & ſic ſit vitium, quod illum mox præcipitat & in ruinam agit. Idem S. Auguſtinus alibi de peccatis levioribus quoque diſſerens ait: *Noli contemnere quia minora ſunt, ſed time, quia plura ſunt. Attendite fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna. Non eſt beſtia quaſi leo, ut uno morſu guttur frangat, ſed beſtiæ pleramque minutæ multæ necant. Si projicitur quiſquam in locum pecudibus plenum, namquid non moritur ibi? Non ſunt quidem majores, ſed infirma eſt natura humana, quæ etiam à minutiſſimis beſtijs interimi poteſt, ſic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cavete, quia plura ſunt;* Apud eumdem alia legitur ſimilitudo, à multis granis frumenti deſumpta: licet enim quodlibet horum non magni æſtimetur, multa tamen ſimul ſumpta in magnum excrefcunt cumulum; quod idem quoque notat in aquæ guttulis, quæ cum irreparabili agrorum & ſegetum damno, inundare faciunt maximos torrentes. *Sed dicis*, inquit, *minora ſunt, minuta ſunt, ſine quibus non poteſt eſſe iſta vita. Congere minuta, & faciunt ingentem acervum, nam & grana minuta ſunt, & tamen maſſam faciunt, & guttæ minutæ ſunt, & flumina implent, & moles trahunt. Ideo & ille conſiderans, quam multa peccata minuta quotidiana committat homo, ſi nihil aliud, vel per cogitationes, & linguam attendit, quam multa ſunt, & ſi attendit quam minuta ſint, videt, per multa minuta fieri acervum magnum, & non quaſi peccata ſua priſtina cogitans, ſed ipſum fragilitatem humanam jam attendens, clamat: De profundis clamavi &c.*

Adducitur paulatim ferventius ludens.

Alia ſimilitudo deſumitur à multis granis frumentorum. *S. Auguſt. in Pſalm. 129.*

Quinta ſimilitudo ſumitur ab arena maris.

5. Poteſtne granum aliquod dari minutius arena maris? Et tamen quis diceret, quod hæc tam minuta granula ſufficiunt ad navim aliquam ſubmergendam, quæ inſtar mobilis cujuſdam caſtri aut fortalitij, per Oceanum oberrat, & in ſe integrum quaſi ſuſtinet militum exercitum? Quam ſimilitudinem idem S. Auguſtinus adducit, inquiens: *Quam minutiſſima ſunt grana arenæ? ſi avenæ amplius in navi mittatur, mergit illam, ut pereat.* Quis crederet, quod ſtilla aquæ ſublime aliquod & à ſuis fundamentis optime ſtabilitum ædificium in terram proſternere poſſet? Et tamen Eccleſiaſtes ait: *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* Dum enim ſtillicidium aliquod aquæ prohiberi negligitur, illud excipiens & imbibens trabs aliqua, cui omnes reliquæ contignationes innituntur, diuturnitate temporis marceſcit, ac tandem a mole ſuperimminente confracta, tectum ſecum rapit, lapſuque ſuo omnia alijs inferiora conclavia cum totali palatij ruina & deſolatione in terram proſternit. *Quam minutæ ſunt guttæ pluviæ*, inquit Auguſtinus, *nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Quotidiana & pluvia timenda eſt ruina multitudinis, eſt non magnitudinis.* Idem S. Auguſtinus in Homilia quadam ad idem nos exhortans inquit: *Quam multa ſunt alia peccata, ſive in loquendo de rebus & negotijs alienis; quæ ad te non pertinent, ſive in vanis cachinnationibus; cum ſcriptum ſit: Stultus in riſu exaltat vocem ſuam, ſapiens autem vix tacitè ridebit, ſive in ipſis ejus; quæ ad ſuſtentandam hujus vitæ neceſſitatem præparantur, avidior, atque immoderatior appetitus, ſæpe exceſſum modum poſtridiana cruditate conteſtans, ſive in vendendis & emendis rebus, caritatis & vilitatis nota perverſa? Piget cuncta colligere, quæ quiſque in ſe ipſo certius comprehendit, ſi divinarum ſcripturarum ſpeculum non negligenter attendat. Quæ quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, ſicut homicidium, vel adulterium, vel cætera hujuſmodi, tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies, quo plura ſunt, necant.* Verum quidem eſt, quod ſcabies, vel lepra aliquanto temporalis infirmitas mortalis non ſit, ſucceſſu tamen temporis malignatur, & necem infert. Ita quoque peccatum veniale omni caret mortali malitia, paulatim tamen in enormem degenerat malignitatem. Neque ſolum S. Auguſtinus damna illa pernitioſa peccatorum levium, maxime, quando multa ſunt, & tamen nihil æſtimantur, conſideravit. Verum etiam B. Laurentius Juſtinianus de ijſdem in hæc verba ſcribit: *Ex diſpoſitione quoque labitur facile quis in mortale. Dum enim homo per frequentem lapſum abſque ullo timore venialia peccata committit, diſponitur ad mortalia. Quare quiſquis cupit placere Deo, & per virtutum ſtudia anhelat ad perfectionis culmen aſcendere, omni qua valet induſtria, conetur, nedum mortalia, verum etiam venialia vitare peccata.*

S. Auguſt. l. 9. lib. de decem Chord. c. 11. *S. Auguſt. hom. 50. ex 50.* Recenſentur plura peccata venialia. *B. Laur. Juſt. de perfect. grad. c. 2.*

6. S. Bonaventura quoque ſupradictam doctrinam, ſcilicet quod licet innumera venialia mortale facere nequeant, certo tamen modo quodam veniale peccatum in mortale tranſire poſſit, in hæc verba confirmat: *Sciendum, quod peccatum veniale nunquam poteſt fieri mortale, videlicet ſi intelligatur idem ſecundùm ſubſtantiam, quod prius fuit veniale, mortale nunquam fieri poteſt, & hoc, nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam; Ratio hujus eſt, quia nulla res poteſt mutare ſuam ſpeciem, peccatum autem mortale & veniale diverſæ ſpecies ſunt. Verumtamen actus, qui ex ſe eſt de genere venialis, poteſt fieri mortalis, quatuor modis. Primo ex conſcientia, quia quidquid ſit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. Secundo ex complacentia; Unde Auguſtinus: Nullum peccatum adeo eſt veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Tertio ex diſpoſitione, quia frequenter per lapſum in venialia diſponitur homo ad mortalia, & hoc ſecundùm illud Gregorij: Vitaſti ſaxa grandia, vide ne obruaris arena; & hoc ideo dicit, quia ſæpe de minimis peccatis venitur ad magna, ſicut de modica ſcintilla quandoque ſurgit magnus ignis. Quarto ex progreſſu, quia quando inſurgit veniale, ſi non prohiberetur, poſſet progredi uſque ad mortale, non quia ipſum veniale in ſubſtantia poſſit fieri mortale, ſed quia ex ipſo occaſionaliter fieret progreſſus ad mortale, & iſtud patet in primis motibus, qui inter venialia computantur, quando delectatio convaleſcit in tantum, quod conſenſus accedit, jam peccatum eſt mortale.* Furta parva, ſi quodlibet ſeorſim conſideretur, non ſunt peccata mortalia, nec delicta gravia, ſed multa ſimul junctа ſummam faciunt notabilem, & latrones ſeveri ſupplicij reos conſtituunt. Unumquodque peccatum veniale ex ſe ſolo ſuam habet malitiam, quia eſt offenſa Dei & tranſgreſſio legis, licet mediocris, ſimul tamen unita, licet mortis æternæ hominem non efficiant reum, nec gratia Dei illum privent, illam tamen diminuunt, nosque eam amittendi periculo exponunt, eo quod ad culpas graviores inclinent.

S. Bonav. lib. 3. comp. Theolog. Verit. c. 12.

Actus de genere ſuo venialis poteſt fieri mortalis quatuor modis.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Peccatum, quantumvis ſit modicum, ſuum tamen ſecum habet venenum, ac proinde ſemper timendum eſt, ne in pejora nos paulatim ruere faciat.

THEMA.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 1. Cor. 5. v. 6.

Etiam peccatum venenum est.

1. S. Apostolus per hanc fermenti similitudinem, peccati venialis, quantumvis levis insinuare voluit malitiam; ac proinde de industria adjunxit Ly., *modicum*. Porro unica dumtaxat stilla mala in vasto quodam & amplo vase, bono liquore referto, parum quidem damni factura esset, multum vero, si stilla venenum & toxicum esset; Peccatum autem veniale quod animam aliquam donis, gratijs, virtutibus & meritis ample exornatam afficit, licet leve sit, attamen peccatum est, offensa Dei est, & ideo venenum est, quod dum malignari incipit, mortem animæ tali inferre potest. *Modicum fermentum, &c.* Enimvero fermentum peccati typum esse certissimum est, ideo enim Apostolus in eadem Epistola subjungit: *Non in fermento malitiæ.* Et in Epistola ad Galatas ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit;*

Gal. 5. v. 9.

Hug. Card.

Quæ verba exponens Hugo Cardinalis ait: *Dico vobis, non consentiatis neque in minimo, quia minimum hæreticæ pravitatis, corrumpit quidquid boni est in homine.* Et paulo post ad propositum nostrum subjungit: *Similiter & à modicis peccatis debet homo cavere;* Ideo namque in Levitico præcipitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet; nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio.* *Ubi per fermentum significatur nequitia & malitia, per mel concupiscentia.* 1. Corinth. 5. *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.*

Levit. 2. 11.

1. Cor. 5. v. 8.

Fermentum non debebat adhiberi in sacrificio, quia designat minora peccata.

Enimvero similitudo, quæ est inter fermentum, & peccatum, in eo consistit, quod sicut modicum fermenti ingentem farinæ subactam massam alterat, & diverso ab eo, quem ante habebat, sapore imbuit, ita quoque unica dumtaxat culpa mortalis sufficit, ut Paradisi candidatum, in titionem mutet inferni; Quod si dicas, id quidem bene culpæ adaptari mortali, non vero pari proportione veniali hanc similitudinem applicari, siquidem hæc non efficit, ut amicitia, charitas, & gratia Dei amittatur. Respondeo, in controversiam quidem revocari non posse, quin, ut hactenus in Discursibus præcedentibus vidimus, & deinceps in sequentibus ostendemus, veniale peccatum multos non producat effectus adeo malos, nec tam perniciosa mala, sicut mortale, attamen etiam dubitari non possit, quod peccatum veniale vera sit Dei offensio, ipsique Deo displiceat, ac proinde ab illo studiosissime cavendum esse.

In quo consistat similitudo inter peccatum & fermentum.

Ephes 4. v. 27. 28.

2. *Nolite locum dare Diabolo; Qui furabatur, jam non furetur.* Verum inquires forsitan, quodnam in eo lateat mysterium, quod cum dixisset: *Nolite dare*, vel minimum in vos *aditum Diabolo* (quod utique non nisi per peccatum fieri potest) doctrinam illam confestim in furto exemplificet, dicendo: *Qui furabatur, jam non furetur?* Pro responsione observandum, quod licet furta rerum minimarum non censeantur esse peccata mortalia ex genere suo (præcisis tamen circumstantijs, neque in tribunalibus pœna capitali plectantur; attamen furtum etiam modicum, vere furtum sit, & infame ac ignominiosum homini esse censeatur, & à furtis modicis paulatim ad majora facile transeatur, prouti quotidiana testatur experientia. Idem quoque nobis cum Dæmone contingere solet, hic enim pedetentim & paulatim nos ad graviores protrahit lapsus, efficiendo, ut leviores transgressiones nihili æstimemus, hoc enim si penes hominem obtinuerit, jam ad animam illius patulum sibi aditum invenit; Quo enim serpens capite tenus penetrare valet, eo quoque totum reliquum corpus suum protinus subinfert. Unde Diabolo sufficit, se minimum veneni sui semen in animam seminasse, ut illud ibidem fructum à se desideratum producat. In vitis Patrum legitur in vita sancti Macharij Romani, cujusdam viri divitis ac valde nobilis, Romanorumque Imperatori familiaris filij, quod cum in nuptijs suis, ad imitationem sancti Alexij, eadem nocte, priusquam conjugij frueretur fructibus, relicta post se sponsa, secreto se, Angelo suo sancto Duce, in desertum quoddam horridum contulisset, ad faciendam ibidem austerissimam pœnitentiam, acciderit post aliquod tempus, quod gravissime tentaretur à Diabolo, idque sequenti adhibito stratagemate: *Die quadam hora quasi septima* (verba sunt ipsiusmet sancti Macharij) *è spelunca foras egressus, Sole fervescenti refe-*

Furta minora tendunt ad majora.

Vit. Patr. l. 1. c. 20.

Primus actus stratagematis diabolici.

di, tunc subito subtile fasciolum, & oculis delectabile juxta me in terra positum aspexi. Ego vero in memetipso cogitans, dixi: Unde in hac solitudine fasciolum? Æstimans tamen quia in veritate esset fasciolum, oblitusque ego miserrimus me signo crucis munire, quoniam quidem sacrosanctæ crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam, misi manum, & levans fasciolum, reportavi in speluncam. Ecce qualiter in hoc facto transgressus fuerit, licet ignoranter, illud S. Pauli consilium: *Nolite locum dare Diabolo.* Hoc autem modicum lucratum pignus ei sufficiebat, ad audenda circa ipsum majora, progrediendumque ulterius ad validiores ei tentationes inferendas, subdit enim idem S. Macharius: *Altera nihilominus die egressus, calceos fœmineos reperi jacentes in terra, sed nec tunc miser ego insidias Diaboli advertens, nec crucis vexillo me muniens, calceos levavi, & in speluncam portans, fasciolo junxi.* Secundus

Tertia autem die jam iterum exiens, Diabolum in decore, vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, stantem inveni, ego vero miserabilis, nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, ajo ad illam: Unde huc advenisti? Aut quis te in hanc adduxit solitudinem? Illa continuò flere amarissimè cœpit. Tunc ego miscellus simul cum illa, veluti compatiendo, valde ploravi. Post hæc respondens dixit: Ego miserrima, ô Pater sanctissime, filia sum viri Romani, quæ cum me invitam ac nolentem desponsasset juveni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, & thalamum ac convivium ordinarent, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cumque turbati omnes huc illucque eum inquirendo turbarentur, ego gavisa effecta clam exivi, & nocte eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens, per angusta montium & vallium errando huc usque perveni. Hæc ego cum audissem, & omnia ita esse credidissem, simul & sponsam meam fore sperans, per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi speluncam: Tertius

Lachrymæ vero ab ejus oculis nullatenus cessabant. Tunc ergo misertus & lachrymis ejus compatiens, & valde super eam dolens, sedere eam juxta me feci, similiter & glandes illi ad manducandum præbui; non enim insidias Diaboli intellexi, neque ullatenus crucis me signo munivi, sed similiter sedentes diutius colloquia simul habuimus. Quartus

Ecce in quo S. Macharius se errasse agnoscat, in eo nimirum, quod signum crucis facere neglexerit; Et licet hæc culpa sit levis, audite tamen infelicem lapsum illius: subdit enim idem S. Macharius: *Tunc cœpi quasi de labore nimio somno gravari, at illa manibus suis mea omnia membra mulcendo palpavit, & eo amplius somno gravatus sum. Quid morer? miser ego, qui antea numquam cum fœmina peccare consensi, in somnis me peccatum perpetrasse cognovi: nam subito expergefactus è somno, quasi cum fœmina discoopertum in terra jacentem inveni, ipsa vero jam non apparuit.* Ecce tibi igitur in hoc facto, unde Dæmon occasionem sumpserit, efficiendi, ut Macharius ille tam turpiter caderet; nimirum ex eo, quod à principio nimiam de se confidentiam habuerit, nullum de astuto serpente malum suspicando, sed fasciolum de terra levando, secumque deferendo in speluncam suam, sicut & fœmineos calceos, ut statim diximus. *Mox enim ut Diabolus pro se unicum dumtaxat pilum habere potest, hunc ille in trabem facit excrescere vastissimam*, ut ait S. Franciscus. Quintus

Vit. S. Franc. S. Bonav. c. 5.

3. Alciatus fabulam quamdam adducit Æsopi in quodam Emblematum suorum, cui titulus est: *A minimis quoque timendum*; quam & Poëta quidam hisce versibus innuit: *Parva necat morsu spaciosum vipera taurum; A cane non magno sæpe tenetur aper.* Plinius de minutis animalibus in sua de animalibus historia tractare incipiens, ingeniosam hanc præmittit sententiam: *Rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est.* Ad nostrum igitur propositum dicere possumus, quod licet in peccato veniali non contineatur tota malitia transgressionis mortalis, attamen quia in eo verè est malitia aliqualis peccati, sæpe per illud nobis contingit, quod in semine minuto fieri videmus, hoc enim licet priusquam seminetur, aut plantetur, minutum sit, aptum tamen est, ut progressu temporis progerminet, & in proceram quamdam arborem excrescat. In aspectu curioso Davidis, quo Bersabeam contuebatur, non inerat peccatum, vel malitia adulterij, attamen ad suggerendam occasionem, & addendum ei ad illud committendum stimulum, sufficiens fuit. Tertullianus ait; *At cum & animalia irrides minutiora,*

Ovid. l. de remed. 2.

Ex parvo semine crescit arbor.

Plin. l. 11. cap. 2.

quæ

Tertull. l. 1. contra Marcion. c. 14.

Animalculorum artificia.

quæ maximus Artifex de industria, ingenijs aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate secundùm Apostolum; Imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina. Sustine, si potes, illas ipsas lectuli & segetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt majora, cum tam modicis aut juvaris, aut læderis, ut nec in modicis despicias Creatorem? Author quidam non contemnendus super illa verba Apostoli: *Itaque virtus in infirmitate perficitur*, ita scribit: *Idem est, ac virtus sæpe apparet perfecta in minimis virtutis operibus, ad quæ virtus infima sufficere videbatur. Porro arguta summi Artificis industria, minutiores bestiolas, sic ingenijs & viribus ampliavit, ut rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota sit, totas artis ac ingenij vires in eis contendens. Ad eum ergo modum virtus in infirmitate perficitur, id est, apparet perfecta in his modicis, seu minutioribus operibus, & quæ ab infirma, seu languida potentia (præ operis gravitate) procedere videntur.* Etenim virtus solida; & vera aliqua perfectio, ut suo loco probabimus, in eo præcipue consistit, ut quis sibi à culpis venialibus caveat, licet minutis sint animalculis similes quia etiam hæc magna damna afferunt, magnamque homini creant molestiam, licet non sint ursi, leones, elephantes, vel alia similia.

Peccatum veniale est gravius omnibus pœnis.

Cornel. à Lap. in c. 2. Jerem.

4. Ad culparum levium concipiendam abominationem, consideratione digna est ponderatio illa, quam P. Cornelius à Lapide in cap. 2. Jeremiæ scribens, his verbis exprimit: *Peccatum unum, etiam veniale, est majus malum, quam omnia mala pœnæ in unum collata, illud enim est malum culpæ, hæ pœnæ, malum autem culpæ altioris est ordinis, quam mala pœnæ, Peccati malitia nullo bono creato compensari potest, adeo, ut ne quidem ad convertendum totum mundum licitum sit, vel unicum peccatum veniale facere. Plane ut malitia ejus non solum ineffabilis, sed etiam incomprehensibilis dicenda sit.*

Principia perdendæ pudicitiæ.

5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Mundus quolibet sæculo in materia temeratæ aut violatæ pudicitiæ, irreparabilia vidit præcipitia, quæ tamen à modicis & exiguis principijs suam duxerunt originem, v. g. ab unico dumtaxat inconsiderato verbo, ab aspectu incauto, à gestu aliquo inordinato, à salutatiuncula quadam imprudenter insinuata, à nuntio quodam secreto per literas insinuato, & similibus. Socrates in sententia Xenophontis ait: *Fieri nequit, ut qui formosos attingit, modestus sit & continens.* S. Hieron. quoque in conscripta à se S. Hilarionis vita, majori cum authoritate dicit: *Tactum & jocos esse morituræ virginitatis principia.* Consideretis velim vastum illum gygantem Goliath, à Davide pastorculo, saxo quodam fundæ inserto in fronte percussum; qui percussit, parvulus erat, instrumentum, quo cum ferivit, vilis & parvus quidam erat lapillus, & tamen ad vastum illum Colossum humi prosternendum sufficiebat, licet, quia gygas ille mons quidam ferreus esse videbatur, qui integrum trepidare faciebat Israëlitarum exercitum, ad eum superandum multis machinis militaribus opus esse videretur. Notat insuper S. Augustinus, quod licet gygas ille in omnibus corporis sui partibus optime esset armatus, hoc tamen impedire non potuerit, quo minus in parvula quadam ipsius parte armis minimè contecta lethaliter vulneraretur, & subdit: *Ergone ista sana tot membra non valent ad ejus vitam, & illud unum vulneratum valet ad ejus mortem?* Idem quoque multis contingit, qui studiose quidem sibi cavent à peccatis gravioribus, sed quia linguam oculos, aures, non satis bene custodiunt, peccatis venialibus aditum indulgent, quæ paulatim ad malitiam mortalem usque hominem perurgent,

Lib. de dictis Socratis.

S. Hieron.

Goliath à parvo David vili instrumento occisus fuit.

S. August. l. 1. de Baptis.

M. Varro l. de Agricult. c. 12

Horti circa paludes non debent plantari.

6. Marcus Varro in lib. 1. *De Agricultura*, hanc post se scriptam reliquit circa hortos erigendos instructionem, scilicet, *Ne plantentur juxta paludes*; Et quidem licet multa concurrant motiva in contrarium, quia scilicet horti paludibus vicini, fertiliores sunt, magisque deliciosi, nihilominus una est ratio, quare horti paludibus vicini esse non debeant, hæc videlicet; *Quia crescunt animalia quædam minuta, quæ non possunt oculi consequi, & per aëra intus in corpus, per os & nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos.* Cum igitur de anima in sacris Canticis dicatur: *Hortus conclusus soror mea sponsa*, advertendum est mystico huic horto, ne paludes propinquius accedat, in quibus aqua, licet exigua, stagnans tamen, non vero currens semper corrumpitur, per quam ani-

Cant. 4. v. 12

ma pigra & negligens præfiguratur, peccata etiam levia non cavet, quæ tamen velut animalia minuta generant difficiles morbos. Unde Alvarez ait: *Non sane despicienda sunt mala hæc, si minuta in se sunt, non sunt minimorum, sed maximorum malorum exordia.* Nazianzenus de propensione & facilitate, qua correpta natura nostra vitijs imbuitur differens, sequentem adducit similitudinem, inquiens: *Ad vitij perceptionem omnes ferè mortales promptos, idoneosque esse, non secus, ut opinor, ac stipula quædam ad scintillam, & ventum, ob naturæ siccitatem facile accenditur, atque consumitur, citius enim exiguum vitium, uberrimè largissimeque cuipiam impertiri queat, quam vel copiosissima virtus parce communicare.* Unicum enim verbum, quod famæ ventus ad aliorum aures defert, talis persæpe est malitiæ, ut inextinguibilem odiorum & inimicitiarum mortalium ignem accendat, qui demum in divisiones, & factiones, non solum familias redigit, sed & civitates integras in ruinam & exterminium traducit. *Ecce & naves cum magnæ sint*, inquit S. Jacobus, *Et à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat; Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit, & lingua ignis est, universitas iniquitatis.*

Nazian. in Apol.

Unicum verbum incautum potest esse maxime nocivum.

Jacob. 3. v. 4.

Econtra parvum gubernaculum regit maximam navim.

7. Mendacium aliquod jocosum, & officiosum, ab aliquibus non reputatur culpa venialis, & tamen trangressio est, & peccatum. Unde S. Bernardinus ait: *Quisquis aliquod genus mendacij putaverit, non esse peccatum, decipit turpiter semetipsum.* Non enim sine causa S. Job protestatus est inquiens: *Donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Circa quæ verba S. Gregorius ita scribit: *Quod prius iniquitatem, hoc postea mendacium repetens dicit, nam & omne mendacium iniquitas est.* Imo vero vos qui mendacium pro nihilo habetis, audite quam illud accurate in pondere sanctuarij trutinaverit S. Isidorus inquiens: *Mendacio fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur; nullum justum mendacium, omne mendacium peccatum est, omne, quod à veritate discordat, iniquitas est.* Unde tametsi quis per mendacium aliquod claudere & obfirmare posset infernum, & universum salvare mundum, minime tamen id ei liceret, eo quod vera sit offensa Dei. Abulensis ait: *Numquam est licitum fieri peccatum aliquod, pro aliqua causa, licet ad hoc multi ex pietate quadam inclinarentur, sed dici debet, quod id, quod alias peccatum veniale esset, factum sine causa, nunc factum cum causa, erit licitum, & sic nullum peccatum erit, quia pro pietate sit. Et tamen quamdiu manet peccatum veniale, numquam licet illud fieri pro aliqua re; sicut dicere aliquod verbum jocosum, quod esset otiosum, esset peccatum veniale: si tamen dicatur illud idem ad consolationem alicujus, vel ad aliquam piam utilitatem, jam non erit veniale.* Rupertus Abbas illud Evæ mendacium, quo Deum non solum prohibuisse ne manducarent, sed etiam ne tangerent lignum vetitum, asserebat (*ne tangeremus illud*) considerans ait: *Præceptum Domini mulier stulta depravare contendit. Porro quantæ damnationis sit apponere quid, vel diminuere de verbo Dei, Joannes testatur dicens: Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto; Et si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri hujus, auferat Deus partem ejus de ligno vitæ, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.*

Omne mendacium est peccatum.

S. Bern. ser. de multipl. mendac. art. 1 cap. 3.

S. Gregor. l. 18. Mor. c. 4.

S. Isid. l. 2. Synon. c. 10.

Abul. t. 2. in Matth. quæst. 247. in cap. 5. Matth.

Et ideo non committendum pro quacumque re.

Rup. l. 3. in Gen. c. 5.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Peccatum veniale nequaquam parvi pendendum est, cum vera sit offensa Dei.

THEMA.

Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Malach. 1. vers. 6.

1. ARgumentum hoc, quod Deus apud Malachiam formavit, solvi nequit, omnem convincit humanum intellectum, voluntatemque inclinat, quantumvis sit obstinata. Enimvero quotidiana nos docet experientia, quod filius patrem suum filiali affectu revereatur, eique obediat, etiam in

Naturaliter filij inclinantur ad honorem parentibus exhibendum.

rebus

rebus levibus, caveat illum vel offendere, vel indigne tractare in rebus gravibus imo & in aliis, quæ levioris sunt momenti; multo vero obsequiosior & promptior est servus erga suum Dominum, ad nutum ei serviendo, tametsi ei nullum alicujus momenti imponat præceptum. Numquid igitur summo studio, cura & solicitudine cavendum erit, ne Deum supremæ & infinitæ Majestatis, qui Deus & Pater noster est, offendamus, & contemnamus, non solum gravibus delictis, verum etiam levioribus transgressionibus? *Si Pater ego sum, &c.* Ergone Deo minus deferemus, quam filius patri suo terreno aut servus Domino suo præstat? *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Enimvero verba hæc merito frænum nobis injicere deberent, ne Deum vel venialiter etiam offenderemus. *Dominus ego sum.* Rabanus inquit: *Advertendum & notandum est in Deum peccare;* At vero de quibus Rabanum illis verbis loqui existimatis? Num forte de perjuris, blasphemiis, idololatriis, adulteriis? Audite quid subjungat: *Quando talia committuntur, quæ putant homines leviter habenda;* Nam etiam divinam legem leviter transgredi, est offensa Dei, & injuria, licet venialis. *Quod si dixeris, illum non tam leviter,* inquit S. Bernardus, *Pro tam levi causa debuisse turbari; Respondeo: Quanto levior est, tanto à te levius potuit non committi; quamquam nescio, quo modo leve dicas, quidquid amplius est, quam iracundia, cum vel hoc ipsum obnoxium esse judico, ex ore ipsius acceperis judicis.* Verba autem quæ sequuntur, propositio nostro vel maxime deservient, & ponderari merentur. Subdit enim: *Quid enim: Tunc leve dixeris, in quo offenditur Christus, unde ad Dei judicium pertrahi habet cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis.* Salvianus Episcopus Massiliensis de hoc puncto ita scribit: *Perfecta & syncerissimæ sanctitatis volent cultores suos facere Salvator, jussit ab eis cautissimè etiam minima servari, scilicet, ut quanti pura est pupilla hominis, tam pura esset Christiani hominis vita.* Quis autem est, qui nesciat pupillam nostram non solum obfuscari & obtenebrari per trabes & ligna grossa, verum etiam per festucas, paleas, imo & per minimum pulverem, per quæ peccata significantur leviora & venialia? Audite, qualiter ipsemet Deus veritatem istam per os & calamum Sapientis claris verbis expresserit, dum ait: *Fili, serva mandata mea & vives, & legem meam, quasi pupillam oculi tui.* Ubi observandum in primis est, quo nomine hominem fidelem appellet: *Fili*, inquit. Quisnam vero adeo irreverens & ingratus erit filius, qui voleris patri occasionem subministret irascendi, eique etiam in rebus levibus disobediat, & reluctetur? *Filius honorat patrem; Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Nos quotidie Deum sub patris nomine invocamus, dicentes: *Pater noster, qui es in cœlis;* qua igitur fronte cum fine ullo respectu offendere & contristari audebimus? Idem Episcopus Massiliensis alibi hoc idem tangit motivum inquiens: *Nihil leve æstimetur, quo Deus lædatur.* Culpa venialis levis dicitur, non quia non sit offensa, & injuria Deo irrogata, sed quia comparata cum transgressionibus enormibus, facilиorem quam illæ merentur veniam. S. Hieronymus ad Celantiam, vel ut alii volunt ad S. Paulinum ita scribit: *Sane nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur, estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum sit, quam quis jusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.* Quomodo enim nos, qui fœtidi vermes & lutum sumus, contemnere aut aspernari audebimus supremam illam Majestatem, *quam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates?* Jam vero certum est, quod etiam culpa venialis in contemptum & vilipendium cedat Dei, licet enim venialis sit, culpa tamen est, & peccatum, ac transgressio legis. Videmus per experientiam, quod servi, subditi intimioresque magisque familiares terreni alicujus Principis aulici, illius omni cum studio explorent beneplacitum & genium, eique obsequiosos & obedientes se exhibeant, etiam in rebus minimis. Qua igitur ratione nos, qui servi sumus Dei illius, in cujus fœmore scriptum legitur: *Rex regum, & Dominus dominantium*, cui tanta cum punctualitate universa obtemperat cœlestis curia (*ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*) adeo audaces & temerarij erimus, ut sine ullo timoris fræno illum quotidie per transgressiones licet veniales, cum offendere, & injuriari non dubitemus? S. Basilius Magnus hanc statuit notatu dignam conclusionem: *Quis est, qui peccatum ullum, cujuscumque modi illud sit, leve audeat appellare, cum asseruerit Apostolus, quod per transgressionem legis Deum inhonoras?*

Quem homines peccatis venialibus non curant.

Rabanus.

S. Bern. ser. 2. in Cant. Invectivæ in peccata venialia.

Salvian. l. 3. de provid.

Prov. 7. v. 2. Deum nos vocamus Patrem, illi nos filios qui deficimus in debito cultu.

Salvian. lib. 6.

S. Hier. lib. 2. Epist. 29. Quodlibet peccatum veniale est in vilipendium Dei.

Ps 102. 21. Major observantia servorum in aula erga principem quam erga Deum.

S. Basil. in Reg.

2. Refert Lyranus, Rabbinos quosdam Hebræos opinatos fuisse, causam, ob quam Rex Ægypti duos servorum suorum, scilicet Pincernam, & magistrum Pistorum, in vincula seu carceres conjecerit, hanc fuisse, quia nimirum hic inadvertenter in panem modicum quemdam immiscuerit calculum, alter vero calicem Regi propinaverit, cujus vino musca insidebat. At vero dicet fortasse aliquis, si nullam commiserant culpam; quamobrem igitur illos tam dura squalidi carceris pœna mulctavit? Respondeo, quod si hæc negligentia cuidam privatæ conditionis viro contigisset, delictum hoc nequaquam tali adeo graviter fuisset imputatum, at vero quia negligentia hæc committebatur circa Regem, ideo rigorosè castigari merebatur, quia enim hic utriusque tam magistri Pistorum, quam Pincernæ ministerium regio compensabat stipendio, justum erat, ut quilibet illorum in suo munere exequendo, non vulgarem, sed exquisitam adhiberet diligentiam & curam, qualem nimirum in re propria adhibiturus fuisset: *Omnia in figura contingebant illis.* Enimvero quod infideles, Turcæ, Athei, & tot alij impij homines, qui Dei lumen & notitiam non habent, eum offendant, aliquam quidem meretur excusationem, quia in albo Christi conscripti non sunt, at vero Christiani, qui tamquam servi a Deo sustentantur, per annonam Eucharisticam, qui in domo sua habitant, qui tot thesaurorum spiritualium, gratiarum, donorumque cœlestium quotidiana merentur & accipiunt stipendia, nihilominus debitam erga Deum obedientiam & respectum se ponere audeant, hæc est prævaricatio, quæ licet non pœnas inferni, pœnas tamen purgatorij minime evadet; Nam ut Christus apud S. Lucam ait: *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Ubi observandum est illud Ly: *Domini sui.* Hoc enim vel maxime attendendum est, quod scilicet per peccatum veniale offendatur Deus licet injuria in semetipsa exigui sit momenti, magnum tamen in se pondus habet, respectu objecti, adeo digni, quod offenditur, licet dignum sit & mille titulis exactissimæ punctualitatis a nobis obsequia mereatur. *Nullum peccatum adeo parvum*, inquit S. Augustinus, *quod non crescat neglectum.* At vero undenam S. Augustinus gravitatem deducit peccati, licet venialis, vel ex quo malitiæ ejus desumit argumentum? Audite, quid subdat ibidem: *Non enim considerandum est, quid fecerit, sed quem offenderit, quam bonus est, quam benignus, quam pius.*

Lyran. in Gen. c. 40. Propter mustam in calice & calculum in pane pincerna & magister pistorum in vincula conjecti fuerunt.

Peccatum veniale aggravatur quia contra Deum est.

Luc. 12. v. 47.

S. Aug. t. 4. de Pœnit. c. 7.

3. Porro certum est, quod peccata venialia transgressiones sint, & deordinationes voluntati Dei contrariantes, *quia in lege Domini voluntas ejus*, licet enim nos Dei gratia non privent, illam tamen diminuunt. Neque in dubium revocari potest, quin Deo peccata etiam venialia valde displiceant, seque per illa injuriatum & contemptum esse censeat, eo ipso, quod vera sint peccata, quonam igitur motivo Deum, & quidem Deum adeo erga nos beneficum, nosque sic ardenter amantem, & tam magnificentem, per similia peccata offendere præsumemus? Et vero motivum hoc, unum est ex ijs, quod animas justas ab omni nævo culpæ, quantum fert humana fragilitas, efficacissime abarcet, quia scilicet tanto Benefactori suo nolunt esse ingrati, illiusque objecti, quod per peccatum etiam veniale offenditur, majestatem & dignitatem, prout meretur, considerant. S. Hieronymus pœnam, qua uxor Loth propterea, quod contra Dei voluntatem retrospexerit, punita fuit, considerans subjungit. *Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, ut cum sanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos esse, & nos quotidie in majoribus & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus. Quamquam nequam leve sit, Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem respicit peccati, sed etiam ad personæ contemptum, propter quod non solum homini intendendum, quale sit, quod jubetur, sed quantus sit ille, qui jubet.* Idem enim ipse, quem nos, licet venialiter offendimus, est illemet, qui nobis proprio suo ore prædixit: *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Et vero hanc ejus voluntatem Psalmista diu ante manifestarat, dum ait: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis; Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas:*

Peccatum veniale meruit gratiam Dei.

S. Hier. tom. 9. regul. mon.

Deo in omnibus perfecte est obediendum. Matth. 5.

Psal 118. v. 4.

Tuna

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Præterea si ejus, qui hanc à nobis exigit divinæ voluntatis, & legis suæ tam exactam observantiam, consideremus authoritatem, de hac ipsummet in Script. S. legimus in hæc verba loquentem: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Cum igitur hisce regibus, & principibus, voluntatem suam, de rebus etiam minimis, per leges conditas declarantibus, prompte pareamus, qua ratione eamdem punctualillimam observantiam Deo infinitæ majestatis & omnipotentiæ denegare audebimus? S. Anselmus quærit: *Quid si necesse esset totum mandum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi, aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei?* Moxque ad propositum nostrum egregiè respondet inquiens: *Cum considero actionem ipsam, levissimum quiddam video esse, sed cum eam intueor, quod sit contra voluntatem Dei, gravissimum quiddam, & nolli damno comparabilem intelligo.* Gerson *de vita spirituali animæ* tractans, primo quidem loco hanc statuit conclusionem: *Potius toleranda esset omnis mors pœnalis, & annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum.* Paulo post vero sequentem subdit notatu dignam propositionem: *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud posset justissime.* Unde satis potest colligi, quod omnis offensa, quantumvis levis, contra Deum commissa, respectu objecti, quod offenditur, semper futura esset mortalis, nisi divina misericordia (*quæ sit figmentum nostrum*) in eo dispensasset. At vero num ex eo, quod Deus fragilitati nostræ condescenderit, nos adeo temerarij erimus, ut sine ullo fræno hac Dei benignitate abutamur? Minima potius cum Tertulliano, licet in alia materia scribente, dixero: *Absit, ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis; nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est.*

Prov. 8. v. 15.

S. Anselm. Cur Deus homo cap. 21.

Gerson. t. 3. fol. 166. 167 Unde peccatum veniale fit tale.

Tertull.

Similitudo.

4. Est author aliquis, qui in hanc rem sequens format efficax & urgens argumentum: *Quid fieri potest, ut leve judicetur, quod à Deo imperatur ne fiat; & morte etiam sæpissime punivit effectum? Aut quomodo leve dicendum est, quod Deo autore & criminum ponderatore justissimo, & æquissimo, tantis pœnis judicatur dignissimum?* Qui Principem suum etiam leviter audet offendere, licet aliud non faceret, quam quod ad comminandum ei manum suam levaret, delictum committit capitale, & mortem meretur. Deus porro ut nostræ debilitati condescenderet, solam offensam mortalem ad infernum remitti voluit, culpam vero venialem, licet hanc infinitæ majestatis suæ veram esse offensam agnoscat, solum per ignem purgatorij castigandam esse decrevit, qui tamen ab igne infernali, quoad pœnam sensus, non differt, præterquam sola durationc ad tempus.

Amicus amicum in minimo non offendit. S. Bernard. serm. 1. in cœna Dom.

Similitudo ex evangelio.

5. Devotus quidam author sequentem tradit magni ponderis & momenti considerationem: *Non est veras amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino amicus non esset, sic qui non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicus Dei.* Per peccatum quidem veniale amicitia Dei non amittitur, per illud tamen multum frigescit, & diminuitur; at vero dicite obsecro, numquid magna futura esset stultitia, si quis leve aliquod vulnus amico suo infligendo, efficeret, ut idem illud vulnus in se recideret, sibique irremediabile & incurabile esset, nisi per sanguinem illius, qui leviter ab eo vulneratus fuerat, curaretur? Peccatum & offensa, quæ Deo irrogatur, recidit super irrogantem illam, nec curari potest vulnus, quantumvis sit leve, sine balsamo pretiosissimi sanguinis Christi. Audiamus S. Bernardum hac de re ita loquentem: *Unde fumus quia ad dilucida peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plane excuse non possumus ante mortem, ablatio ista pertinuit? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput pariter ad ablucndum, responsum est; Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio, & conversatio mundi est, sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando voluntati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus quam oportet, cedat animus vel ad horum: in multis enim offendimus omnes. Veramamen nemo contemnat,*

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Præterea si ejus, qui hanc à nobis exigit divinæ voluntatis, & legis suæ tam exactam observantiam, consideremus authoritatem, de hac ipsummet in Script. S. legimus in hæc verba loquentem: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Cum igitur hisce regibus, & principibus, voluntatem suam, de rebus etiam minimis, per leges conditas declarantibus, prompte pareamus, qua ratione eamdem punctualillimam observantiam Deo infinitæ majestatis & omnipotentiæ denegare audebimus? S. Anselmus quærit: *Quid si necesse esset totum mandum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi, aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei?* Moxque ad propositum nostrum egregiè respondet inquiens: *Cum considero actionem ipsam, levissimum quiddam video esse, sed cum eam intueor, quod sit contra voluntatem Dei, gravissimum quiddam, & nolli damno comparabilem intelligo.* Gerson *de vita spirituali animæ* tractans, primo quidem loco hanc statuit conclusionem: *Potius toleranda esset omnis mors pœnalis, & annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum.* Paulo post vero sequentem subdit notatu dignam propositionem: *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud posset justissime.* Unde satis potest colligi, quod omnis offensa, quantumvis levis, contra Deum commissa, respectu objecti, quod offenditur, semper futura esset mortalis, nisi divina misericordia (*quæ sit figmentum nostrum*) in eo dispensasset. At vero num ex eo, quod Deus fragilitati nostræ condescenderit, nos adeo temerarij erimus, ut sine ullo fræno hac Dei benignitate abutamur? Minima potius cum Tertulliano, licet in alia materia scribente, dixero: *Absit, ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis; nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est.*

Prov. 8. v. 15.

S. Anselm. Cur Deus homo cap. 21.

Gerson. t. 3. fol. 166. 167 Unde peccatum veniale fit tale.

Tertull.

Similitudo.

4. Est author aliquis, qui in hanc rem sequens format efficax & urgens argumentum: *Quid fieri potest, ut leve judicetur, quod à Deo imperatur ne fiat; & morte etiam sæpissime punivit effectum? Aut quomodo leve dicendum est, quod Deo autore & criminum ponderatore justissimo, & æquissimo, tantis pœnis judicatur dignissimum?* Qui Principem suum etiam leviter audet offendere, licet aliud non faceret, quam quod ad comminandum ei manum suam levaret, delictum committit capitale, & mortem meretur. Deus porro ut nostræ debilitati condescenderet, solam offensam mortalem ad infernum remitti voluit, culpam vero venialem, licet hanc infinitæ majestatis suæ veram esse offensam agnoscat, solum per ignem purgatorij castigandam esse decrevit, qui tamen ab igne infernali, quoad pœnam sensus, non differt, præterquam sola durationc ad tempus.

Amicus amicum in minimo non offendit. S. Bernard. serm. 1. in cœna Dom.

Similitudo ex evangelio.

5. Devotus quidam author sequentem tradit magni ponderis & momenti considerationem: *Non est veras amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino amicus non esset, sic qui non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicus Dei.* Per peccatum quidem veniale amicitia Dei non amittitur, per illud tamen multum frigescit, & diminuitur; at vero dicite obsecro, numquid magna futura esset stultitia, si quis leve aliquod vulnus amico suo infligendo, efficeret, ut idem illud vulnus in se recideret, sibique irremediabile & incurabile esset, nisi per sanguinem illius, qui leviter ab eo vulneratus fuerat, curaretur? Peccatum & offensa, quæ Deo irrogatur, recidit super irrogantem illam, nec curari potest vulnus, quantumvis sit leve, sine balsamo pretiosissimi sanguinis Christi. Audiamus S. Bernardum hac de re ita loquentem: *Unde fumus quia ad dilucida peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plane excuse non possumus ante mortem, ablatio ista pertinuit? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput pariter ad ablucndum, responsum est; Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio, & conversatio mundi est, sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando voluntati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus quam oportet, cedat animus vel ad horum: in multis enim offendimus omnes. Veramamen nemo contemnat,*

In veteri lege non fuit facta declaratio distinctionis inter peccatum mortale & veniale. S. Augustf. 9. de verb. Dom.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Perfectio in fugiendis pro viribus defectibus & culpis venialibus consistit.

THEMA.

Perfecti & integri, in nullo deficientes. Jacob. 1. v. 4.

1. S. Jacobus in principio Epistolæ suæ clare nos docet, in quonam perfectio hominis Christiani præcipue consistit, Dicit enim: *Perfecti & integri*; quibus verbis perfectionem conjungit, cum integra omnium divinorum præceptorum observantia, eaque adeo exacta & punctuali, ut in nullo prorsus deficiat: *In nullo deficientes.* Undenam eminentem sanctitatem Baptistæ Joannis (cui mundus post magnam Dei genitricem parem non habuit, nec umquam habebit) sua accepisse incrementa existimas? Nimirum de ipso sancta Mater Ecclesia canit: *Antra deserti teneris sub annis, civium turmas fugiens, petisti:* at vero cur se in desertum illud se recepit? Num forte ideo, ut se per sanctam contemplationem, cum Deo arctius uniret (*Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus &c.*) aut vero ut factus scorpionum aliarumque ferarum sodalis, auditeriorem, rigidioremque ageret pœnitentiam? Non dicit hoc sancta Ecclesia, sed causa hujus præcipua hæc ab eadem assignatur, ut scilicet culpas quoque veniales tanto securius fugere posset: *Ne levi saltem maculare vitam crimine posset.* Ipse quoque Seneca, licet Gentilis fuerit, ad propositum nostrum ita scribit: *Non diminutionem malorum in bono viro intelligo, sed vacationem, nulla debent esse, non parva. Nam si ulla sint, crescent, & iterum impedient. Quomodo oculos major & perfecta suffusio excæcat, sic modica turbat.*

In quo consistat perfectio Christiana.

Ose. 2. v. 14.

Senec. Ep. 82.

2. In lib. Deuteronomij ingens cura, qua Deus populi sui electi custodiæ incubuit, his verbis exprimitur: *Custodivit eos ut pupillam oculi sui.* Pupilla autem etiam per invisibilem quemvis arenæ atomum obfuscatur: Idem quoque animæ alicui puræ & immaculatæ evenit, quæ se vel unico tantum leviusculo peccato contaminare audet, ac proinde Salvianus, ut in discursibus præcedentibus diximus, hac pupillæ utitur similitudine, postquam sequentia præmisisset verba: *Perfectæ & syncerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab eis cautissime etiam minima vitari.* Et postquam supradictum adduxisset exemplum, subjungit: *Sicut salva intuitus incolumitate pulveris*

Deut. 32. v. 10. Pura conscientia comparatur pupillæ oculi.

Salvian. l. 3. de provid.

S. Basil. de abdicat. rerum.
Peccatum veniale est tinea.

pulveris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus non haberet. S. Basilius in sermone *de abdicatione rerum*, eos, qui perfectioni vitæ acquirendæ incumbunt, exhortatur inquiens: *Nullum omnino sit erratum, quod parvipendas, esto quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit.* Tinea aliqua in ligno enata, minutissima est, & paulatim tamen illud devorat, adeoque consumit, ut sublime quoddam subvertere ædificium possit, si quando in præcipua quadam trabe, quæ totius ædificij fulcrum est, delitescat. Idem quoque multis accidit, qui post eminens quoddam virtutis & perfectioni erectum ædificium, vanæ gloriæ præsumptionis, vel alterius cujusdam similis imperfectionis tineam non curantes, aut negligentes, animæ suæ superioribus temporibus vere sanctæ patiuntur ruinam. Sicut igitur perfectio hominis Christiani omnium culparum, etiam minimarum fuga acquiritur (*quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*) eodem modo eadem perditur, quando culpæ leves in anima negliguntur, & voluntarie admittuntur.

Matth. 25. v. 21. & 25.

Dictum B. Catharinæ Genuensis.

3. In vita B. Catharinæ Genuensis legitur, hanc virginem quodvis minimum peccatum adeo exhorruisse, ut solita fuerit dicere, quod si esset in Inferno, nec aliud ei superesset inde evadendi remedium, quam ut veniale aliquod peccatum committeret, potius in illo igne in sempiternum perennare eligeret, ne sponsum suum cœlestem in quavis re minima offenderet. P. Alvarez, qui de perfectione Christiana grandia, dignissimaque luce composuit volumina, inter alia ita scribit: *Spirituales viri, qui suarum animarum puritatem zelo Dei zelant, ad hanc leviorum peccatorum detestationem deberent se auxilio divinæ gratiæ movere, ut tamquam filij Dei dilectissimi, minimam Patris displicentiam, melius quam servi mali & pigri magnam detestari solent, effugerent. Nec deest illis causa satis efficax, ut hoc detestationis genus de levibus peccatis concipiant, si considerent, se his culpis illum Patrem benignum offendere, à quo sunt ad vitam spiritualem & Angelicam evocati, & super alios homines, qui mundanis inhærent, tenerrimo amore dilecti. Tantum Dominum, ac talem Patrem offendere, etiam leviter, malum est in justorum oculis.* Qui est, qui nesciat, quantum Monarchia Ecclesiastica sedecim ab hinc sæculis (prout ex Annalibus Ecclesiasticis, alijsque innumeris sacris Historijs, clare liquet) excreverit, dum quotidie illorum sacrorum heroum, qui per factam à summis Pontificibus Canonizationem Sanctorum Catalogo inseruntur, numerus notabiliter augescit. Hoc autem sine dubio nulli alteri rei attribuendum venit, præterquam solicitudini & punctuali observantiæ, qua, dum in terris vixerunt, adimplere studuerunt non solum præcepta, sed etiam consilia Evangelica.

Alvar. t. 2. l. 1. c. 13.
Quare peccata venialia sint fugienda.

Matth. 5. v. 18.
Explicatur Iota unum.

4. *Iota unum aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant; Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Porro per hoc Regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia intelligitur, quia cœlum nullus ingreditur, nisi Rex sit: *Ingredientur per portas ejus Reges*, omnes coronatis capitibus refulgent. At vero quisnam in hoc Ecclesiæ regno sanctitate & perfectione magnus vocandus erit? Sacer Evangelij textus ait: *Qui fecerit,... magnus vocabitur in regno cælorum*, id est, qui præcepta omnia quantumvis minima perfectè adimpleverit.

Jerem. 17. v. 25.
Matth. 5. v. 19.

4. Quænam umquam in terris visa est Monarchia, Republica Romana potentior, utpote cujus dominium in omnes se universi partes extendebat? Hæc autem in tantam excrevit amplitudinem, quia etiam de rebus minimis speciali cura tangebatur, adeo ut etiam de cantu avium, de modo pascendi gallinarum, curare non omiserit. Non me idipsum fingere existimetis, quin imo prudentissimus ille Senator Romanus Appius Claudius idipsum expressis verbis asserere non dubitavit. Unde populo Romano persuadere volens, Consulatus non nisi viris nobilibus esse conferendos, eo quod ad hos, non vero ad alios auspicia & auguria pertinebant, inter alia dixit: *Quid igitur aliud quam tollit ex civitate auspicia, qui plebejos Consules creando Patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet Religiones. Quid enim est, si pulli non pascentur, si ex cavea tardius exiverint, si occinuerit avis? Parva sunt hæc, sed parva ista non contemnendo, majores nostri maximam hanc rem fecerunt.* Extra omne quidem est dubium, quod hic cantus avium, aliæque simi-les vanissimæ observationes, superstitiones fuerint diabolicæ, & tamen *parva ista non contemnendo, &c.* Multo vero melius nos Christiani dicere possumus, quod servi Dei, qui per virtutem & perfectionem suam totum illustrarunt Christianismum, ad hanc pervenerint sublimitatem, minutas non contemnendo transgressiones, seque ipsos etiam in rebus minimis vincendo & mortificando. S. Antoninus de Religionibus à pristina sua perfectione per vitam laxiorem collapsis ita scribit: *Religiones, quæ cum magno fervore, & vitæ sanctitate initium habuere, minima negligentes traditionum paternarum, in progressu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt, usque ad fundamentum in eis; scilicet usque ad vota substantialia.* Sicut enim primi Patres per exactam Regularum minimarum observantiam ad perfectionem magnis passibus contenderunt, ita posteri eorum per earumdem neglectum paulatim ad omnimodam usque relaxationem declinarunt.

Parva non sunt contemnenda.
Tit. Livius lib. 6.
Illa contemnendo religiones deficiunt.
S. Anton. 2. part. Hist. c. 15. §. 2.

Vit. Joan. Berchm. fol. 47. p. 2.
Historia.

5. In vita insignis servi Dei Joannis Berchmans Religiosi è Societate Jesu legitur, quod cum aliquando animi causa una cum alijs sodalibus suis in vinea quadam obambularet, quidam ejus condiscipulus videns, quod in limite dictæ vineæ, ubi erat paries arboribus nucum, quæ jam decussæ erant, obsepta, una adhuc nux in quodam arboris ramo reliqua mansisset, eamdem decusserit: Moxque Joannes sciens ex Regulæ præscripto non licere cuipiam illius instituti Religioso quidquam ex fructibus vineæ decerpere aut comedere, socio suo dixerit: *Frater, quid facis?* Qui subridendo subjunxit, jam nuces à vinitore fuisse decussas, hancque reliquam velut pro derelicta haberi, ac proinde non se credere, hanc nucem ejusque fruitionem dispositioni Regulæ subjacere; verumtamen sanctus hic adolescens contractis humeris eidem dixit: *Ego profecto idipsum non facerem, nec similes interpretationes admitterem*; Et quidem licet ijs, qui laxam habent conscientiam, hæ, aliæque similes minutæ ridiculæ, & nimium scrupulosæ esse videantur; viris tamen spirituali vitæ deditis, & ad perfectionem religiosam omni studio contendentibus, non idem erit judicium, quin potius res ejusmodi minutas in via Dei æstimabunt, velut gemmas admodum pretiosas, & candidæ mundæque conscientiæ testes. Ita venerabilis hic Religiosus. Sicut enim minutissimi & fere invisibiles atomi in obscuritate noctis discerni nequeunt, ad Solis vero radios clare conspiciuntur; ita quoque homines mundani, qui in tenebris ambulant, transgressiones veniales parvi faciunt, non vero ita servi Dei timoratam habentes conscientiam. Inter alias S. Isidori sententias, hæc quoque legitur: *Tanto majus cognoscitur esse peccatum, quanto major, qui peccat, habetur; crescit enim delicti cumulus juxta Ordinem meritorum, & sæpe quod minoribus ignoscitur majoribus imputatur.* Dionysius Carthusianus in Articulo 19. *Opusculi de enormitate peccati*, in hæc verba scribit: *Veniale perfectionis adeptionem tanto plus impedit, quanto minus vigilanter vitatur, ac deploratur. Idcirco & multi religiosi ad veram Religionem parum propinquant, vel numquam attingunt, quoniam venialia cum incessabili diligentia non declinant nec mentem suam in divinæ æternæque lucis præsentia semper timorate constituunt, imo facilius ad inania resolvuntur.* Audiamus Plutarchum Philosophum gentilem *de profectu bonorum morum*, ita scribentem: *Recte proficiens nullum jam peccatum exiguum putat, sed omnia studiose vitat, atque observat.* Quidnam S. Hieronymus vel alius similis Ecclesiæ Doctor Sanctius & Religiosius scribere potuisset? S. Anselmus in libro *de similitudinibus rerum* de observantia & disciplina religiosa differens, inquit: *Ipsa est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarij, quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpè crepant, nec reficiuntur, ita omnis Religio Monastici Ordinis, funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum paulatim à fervore sui tepescit, attestante Scriptura, quæ dicit: Qui modica spernit, paulatim decidet.*

Minores transgressiones avertunt viri religiosi.
S. Isid. lib. 2. sent. cap. 18.
Dion. Carth. Opusc. de enormit. peccat. art. 19.
Contemptus venialium impedit perfectionem.
Plutarch. de profectu morum.
S. Ansel. lib. de similit. c. 122.

6. Omnibus passim nota est Naaman Syri Historia qui Elisæo irascebatur eo quod hic per nuntium sibi dici fecerat: *Vade, lavare septies in Jordane, &c.* Absque eo, quod ipsum personaliter tamquam Principem veneratus fuisset; imo in Syriam leprosus reverti statuerat, nisi fidelis quidam ejus servus dixisset ei: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, profecto facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare & mundaberis*; His enim verbis auditis sese mortificans, reluctantem in verba Elisæi inclinavit voluntatem, abijtque ad lavandum se in Jordane, adeoque integre sanatus fuit, ut caro ejus munda facta fuerit, sicut caro pueri. Qua in historia increata Sapientia docere nos voluit, quod sæpe in rebus exigui momenti, quæque ob sui exilitatem non magni fiunt, nostra consistat spiritualis perfectio. S. Philippus Nerius spiritualis vitæ eximius director, manu sua frontem propriam tangens, dicere solebat: In quatuor hisce digitis sanctitas nostra consistit, scilicet, si nos retrahamus à rebus illis; quæ genio & sensualitati nostræ quam maximè placent, si verbis iracundis per verba aspera non respondeamus, si ab argutis abstineamus proverbijs vel sententijs. Denique si oculum & auditum nostrum refrænemus; in similibus enim vis nostræ rationalis mortificationibus plura nobis lucra comparamus. S. Augustinus in libro *De Natura & gratia contra Pelagianos cap. 38.* nos monet inquiens: *Hinc vitiosæ affectionis appetitum qui magna ex parte frænarunt; ut non obedirent desiderijs ejus, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis; justi appellari meruerunt; & hoc adjutorio gratiæ Dei.* In vita magni illius servi Dei Joannis Baptistæ Vitelli, de Fulginio; me legisse memini, quod cum ei à quodam suorum aliqua ediceretur propositio; quæ à quodam, solo nomine; non vero re ipsa religioso emanarat; scilicet; quod hisce nostris diebus sufficiat; si quis à peccatis solum mortalibus abstineat; in hunc modum eidem sanctus hic vir responderit: In more olim positum erat; quod sagittæ vel globi exploderentur in parmam quamdam, in cujus medio album sive signum quoddam fixum erat, quod tangentes propositum merebantur præmium; quotquot igitur bombardas explodebant; globum quidem in prædictum dirigebant signum, sed ex millenis ne unus quidem illud attingere poterat; scopus; sive signum nobis propositum Deus est, ad hunc quidem omnes collimamus, sed pauci illum attingunt, quia ad hunc assequendum non quævis ejaculatio sufficit; sed sola perfectio illum attingit. Qua responsione nulla dari poterat aptior; quia qui pro pallio seu præmio assequendo decertat, nisi meditullium scopi attingat, jacturam patitur irreparabilem; Verum quidem est; quod ad hoc, ut salvemur, sufficiat; si quis à peccatis mortalibus abstineat, ut plurimum vero contingit, quod qui pro viribus peccata minora non fugit; in mortalia turpiter cadat; prouti experientia quotidiana testatur.

Historia Naaman Syri hic applicatur.
4. Reg. 5. v. 10.
Ibid. v. 13.

Sanctitas consistit in quatuor.
Vit. Joan. Baptist. Vitel. lib. 4. cap. 6.
Similitudo à lusu desumpta.

Chronic. Capucc. An. 1548 n. 214
Historia in qua reprehenditur dictum.

7. In Chronicis PP. Capuccinorum, de F. Antonio Corso viro, tum quoad virtutes, quibus præfulgebat, tum quoad prodigiosa miracula, quæ Deus quotidie ipso mediante operabatur, prorsus eximio legitur, quod dum quidam ejusdem Ordinis Religiosus eidem dixisset, se optare, ut destinetur ad subeundum Purgatorium; subjunxerit dictus F. Antonius. Profecto nescis quid desideres, aut petas; neque statum, ad quem à Deo vocatus es, satis cognoscis; Numquid te hujus nostræ Seraphicæ religionis professio ad culmen virtutum Evangelicarum invitat & extimulat? Quid vero pœnas Purgatorij desiderare est aliud, quam se in prosecutione Evangelicæ & Seraphicæ perfectionis declarare inertem & negligentem? Cum enim peccata venialia maculæ illæ sint quæ dum animam offuscant, eidem aditum in regnum cælorum interdicunt, donec per flammas purgantes totaliter expurgatæ & deletæ fuerint, hi, qui pœnas Purgatorij desiderant, se per amorem terrenorum illaqueatos esse, non vero eumdem, prout merito deberent, abhorrere ostendunt. Unde non cum illa animi alacritate ad perfectionem contendunt, per quam pervenitur ad cœlestem patriam; vel à perfectione consectanda desistunt, vel negligenter eidem incumbunt: quæ omnia in ijs, qui vitam religiosam profitentur, valde sunt culpabilia, & evidens tepiditatis animæ argumentum. Hi quoque, qui in eradicandis culpis levioribus adeo non sunt soliciti; quam status & perfectio religiosa ab ijs requirit, valde timere debent, ne dum illas sibi familiares efficiunt, paulatim in graviora & mortifera peccata corruant; dumque pœnas Purgatorij fugere non curant; tandem inferni flammis absorbeantur. Hactenus F. Antonius Capuccinus.

Optarem destinari ad purgatorium.
Quia est tendentia ad infernum.

8. Hæcque causa est, ob quam multi servi Dei, mox ut in aliquem errorem, seu defectum, ex humana fragilitate fuere prolapsi; spontaneam austerissimam subiere pœnitentiam, ne perfectionis suæ meritum perderent. Laurentius Surius in vita S. Macharij Alexandrini refert, quod eidem nocte quadam in cella sua quiescenti, vespa quædam ejus momorderit pedem, propter quod ipse iratus vespam occidit. Ad se vero reversus, ut errorem emendaret commissum; semetipsum hac pœna mulctavit, ut scilicet per sex menses continuos; in agris Scythicis, in quibus circumvagantium vesparum non est numerus nudus persistens, ab ijsdem cousque transfigeretur aculeis morsibusque infestaretur, donec, quis esset; dignosci, nisi ex sola voce; non posset. Refertur quoque in vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini, quod aliquando temporis injurijs & molestijs aliquamdiu infestatus, tandem in verba impatientiæ proruperit, dicendo: Quousque igitur hoc triste & molestum tempus durabit? Postea vero considerans, quod hac in re voluntatem suam divino non conformasset beneplacito; primo quidem erroris à se commissi à Deo humiliter postularit veniam, postea vero ad culpam hanc in seipso castigandam, gravi quadam corpus suum accinxerit catena; camque sera aliqua clauserit; clavem vero seræ illius, ne eam aperire posset, in Arnum Florentiam perlabentem fluvium conjecerit. Tandem vero post integrum elapsum septennium; dum in culina ejus piscis quidam exenteraretur, clavicula prædicta, in piscis hujus visceribus inventa, Sancto Archiepiscopo allata fuerit; qui cum claviculam hanc, illam ipsam esse agnosceret, quam ipse ante septem annos in Arnum fluvium conjecerat, exinde conjecit, Deum hanc clavem ei remisisse, ut illa mediante catenam suam dissolveret, ac proinde illam aperuit, & licet invitus à se abjecit; videbatur enim ei, quod pro culpa hac, licet veniali, nondum sufficientem sustinuisset pœnitentiam.

Sur. in vit. S. Machar. Alex.
Vindicta in seipsum propter occisam vespam.
Alia Historia referens magnam pœnitentiam propter peccatum veniale.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Peccata, quantumvis levia, impediunt acquisitionem spiritus, & devotionis; ac proinde servi Dei illa semper anxiè persequuntur.

THEMA.

Serva Legem meam quasi pupillam oculi tui. Prov. 7. vers. 2.

Prov. 7. v. 1.
Ut pulvis oculum, ita peccatum veniale offuscat animam.

1. Deus per os Sapientis in cap. 7. Proverb. his nos verbis exhortatur: *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi; Fili serva madata mea, & vives.* Quæ verba de illorum præceptorum adimpletione intelliguntur, quorum transgressio peccatum mortale inducit, demum vero de peccatis venialibus loquens phrasin loquendi mutat; Dicit enim: *Legem meam serva quasi pupillam oculi tui*; quasi dicere vellet: Legem meam serva; non solum in ijs, quæ sunt præcepta formalia, quorumque transgressio peccatum infert mortale; sed etiam abstinendum est à peccatis minutis & venialibus; quia sicut pulvis, licet minutus, offuscat oculum, ita transgressio venialis illustrationibus, lumine & auxilijs specialibus, quæ Deus nobis alias communicaturus esset: nos privat. *Lege eam in digitis tuis*: Ubi per digitos, uti in Discursibus præcedentibus diximus, observantiæ minores intelliguntur, quæ pari cum punctualitate qua leges principales servari debent, si filij Dei fieri & esse velimus. Regius quoque Vates Deum rogabat dicens: *Custodi me ut pupillam oculi.* Quæ verba exponens S. Ambrosius inquit: *Ideo Deus pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est, quia innocentia & integritas levi sorde aspersa violatur.* Per pulverem vero culpa venialis intelligitur, quæ ad pulchritudinem & splendorem animæ offuscandum sufficit. Unde Dionysius Carthusianus in opusculo sæpius à nobis in hujus Tomi decursu citato, *de enormitate peccati*, inquit: *Peccatum veniale animæ pulchritudinem minuit, rationisque lumen partim offuscat, sicut & modici pulveres in oculum corruentes.* Christus quidem Salvator noster de seipso ait: *Ego sum lux mundi*; Sancta quoque mater Ecclesia de Spiritu

Ps. 16. v. 8.
S. Ambr. l. 6. Exam. cap. 4.
Dion. Carth. de enormit. pecc. opusc. art. 19.
Joan. 8. v. 12.

Ut conserve-tur lux gratiæ, vitari debent peccata venialia.

tu Sancto pariter canit: *O lux beatissima*, Verumtamen hic peccatorum venialium pulvis, præstantissimæ hujus lucis divinos splendores plurimum hebetat, & caligare facit. Unde præfatus Carthusianus, ibidem subjungit: *Familiaritatem mentis cum Deo, spiritualemque illam secretam consolationem Spiritus Sancti, & gustum bonitatis divinæ non modicè impedit, nisi quis quotidiano fervore venialia ista deploret, castiget, extirpet.*

2. Zacharias Propheta novæ legis Evangelicæ statum in Spiritu Prophetico è longinquo prospiciens, animas electas, Deoque charas sub specie oculorum conspexit: *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Porro numerus septenarius, numerus est multitudinis; Unde ubi Vulgata nostra legit: *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est*; legunt Septuaginta: *Quæ septem peperit.* Vidit autem septem illos oculos super lapidem unum defixos: *Petra autem erat Christus*, inquit Apostolus. Omnes namque fideles oculos suos in mysticam hanc petram, sive in ipsum summum Angularem lapidem Christum Jesum directos habent; at vero quodnam in eo latet mysterium, quod fideles Christianos, oculorum seu pupillarum nomine indigitet? Deus apud eumdem Zachariam in præcedenti capite dixerat: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sicut enim quilibet arenæ vel pulveris atomus, vel subtilissima quævis festuca pupillam offuscat, & offendit, ita quoque Deus noster ab animabus mundis offenditur, per culpam quamvis venialem, quæ impedit, quo minus illis lumen & consolationem specialem, quam alias illis daturus fuisset, communicare valeat; Imo ut S. Prosper ait: *Merita obscurat grandia culpa levis.* Quantis meritis David apud Deum præfulgebat, priusquam in adulterium misere corrueret? Et tamen unicus curiosus oculorum suorum obtutus in Bethsabeam defixus, eumdem in miserabile præcipitium deturbavit; ac proinde deinceps Deum enixè rogabat: *Custodi me ut pupillam oculi*, quod idem erat, ac si dixisset: Præserva me ô Deus, à culpis quibuscumque etiam levibus & venialibus, quia sicut minimus pulvis in oculum lapsus eumdem hebetat, ita quoque minima culpa venialis oculum mentis offuscat, & offendit. Quia S. Bernardus etiamnum in juvenili ætate constitutus lascivam quamdam conspexerat fœminam, ideo ad austeram illam se condemnavit pœnitentiam, qua corpus suum gelido aquarum lacui immersit. Idem mellifluus Doctor ostendere volens: quanta cum cautela homines Deo consecrati, etiam circa res leves, quas homines mundani pro nihilo reputant, procedere debeant, ad Eugenium Papam in hæc verba scribit: *Inter sæculares, nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemia; Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul ab aure relegandum est.* Unicus curiosus aspectus, ab homine sæculari rebus mundanis dedito factus, culpa gravis non æstimatur, persona autem spiritualis eumdem tanti facit, ut sibi & alijs sæpe scandalum generare existimet. Doctor Angelicus ait: *Per peccatum mortale mens omnino à Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur.*

Zach. 3. v. 9. — *1. Reg. 2. v. 5.* — *1. Cor. 10. v. 4.* — *Quare à Deo fideles dicuntur oculi.* — *Zach. 2. v. 8.* — *S. Prosp. in lib. Epigram.* — *Historia de David.* — *Ps. 16. v. 8.* — *Idem actu potest esse peccatum mortale vel veniale.* — *S. Bern. l. 2. de Consid.* — *S. Thom. 3. p. 1. q. 87. art. 1.*

3. Videbitis nonnumquam vastum aliquod navigium, opulentis mercibus onustum, explicatis undique ventoque tumidis velis Oceani undas tanta cum velocitate pererrans, ac si alas haberet, mox vero idem videbitis navigium, adeo fortiter in ijsdem undis immobiliter hærere defixum, ac si ad ejectam hæreret anchoram, è tamen hujus morosæ hæsitationis & defixionis causa, est parvulus quidam pisciculus, Remma communi nomine à Naucleris appellatus. Quis diceret, hunc pisciculum tanta esse naturali vi præditum, ut in alto mari vastum aliquod tam immobiliter, tantoque tempore firmare & immobiliter sistere posset navigium? *Quæ ergo talis mora*, inquit Cassiodorus, *ut in tantis tranquillitatibus velocia necdum fuerint destinata navigia? Cum stellarum non mergentium lucidum sydus tendi carbasa festinanter invitet, & aëris sereni fides, properantium nequeant vota terrere. Aut forte incumbente Austro, remigijsque fervantibus meatus navium Æcheneis morsus inter undas liquidas alligavit. Aut Indici maris conchæ, simili potentia labijs suis navium dorsa fixerunt. Quarum quietus tactus plus dicitur retinere, quam exagitata possint elementa compellere. Stat pigra ratis, tumentibus alata velis, & cursum non habet, cui ventus arridet. Sine anchora figitur, sine rudentibus alligatur, & tam parva animalia plus resistunt, quam tot auxilia prosperitatis impellunt.* Enimvero anima nostra cœlo possidendo à Deo creata, & pretioso Christi sanguine redempta, instar navigij cujusdam, pretiosis virtutum, donorum & gratiarum cœlestium mercibus onusti, in hujus mundi mari magno explicatis & vento tumidis velis velociter progreditur, ut ad fortunata beati Regni littora feliciter appellat; & tamen sæpe contingit, quod in medio cursu, per aliquod notabile tempus, firmiter sistatur, & retardetur, ut Deo se conjungere, & ad portum ardenter desideratum pertingere non possit; ideoque suspirat & ingemiscens sæpe dicit: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Undenam vero fastidiosam hanc moram provenire existimas? Nimirum ab unica *Remora*, ab unico parvo pisciculo, id est: peccato veniali, idipsum animæ nostræ navigio contingit. Anima enim in pœnam peccati venialis non solum per dilationem beatificæ visionis Dei punitur, quando jam est soluta à corpore, verum etiam quando adhuc corpori unita est, *retardatur*, ut S. Thomas de Aquino ait, *ne prompte in Deum feratur.* P. Alvarez de peccatis venialibus discurrens, idipsum sequenti pulchra similitudine declarat inquiens: *Sunt compedes, qui affectus tenent infimis rebus obstrictos, ne ad cœlestia & superiora ferantur, sunt catenæ, quæ manus animæ ligant, ne nostram perfectionem operentur. Retardant hæc levia peccata hinc migrantes ad gloriam. Quantum damnum hoc sit, norunt illi, qui sciunt quam intolerabile malum est animæ hinc discedenti, vel ad momentum Dei conspectu, ac fruitione privari.* Idem Pius Author in cap. 12. alia insinuat damna, à peccatorum venialium neglectu promanantia: Ait enim: *Minuunt peccata levia verum nostrum honorem, quem non in alio, quam in eo, quod simus Christo fideles, positum judicamus. Hæc est enim gloria nostra, inquit Paulus, testimonium conscientiæ nostræ.* Tametsi enim peccata levia Conscientiam bonam non extinguant, negari tamen non potest, quin illam perturbent, & inquietam efficiant. *Mirum est, quantum erga nos divinæ largitatis fontem obturent. Videbis aliquem semper in oratione aridum, in divinis laudibus desolatum, in Eucharistiæ susceptione durum, & in omni tempore nullo fere gustu cœlestis consolationis affectum, nulla rerum divinarum cognitione compunctum, & tantæ paupertatis nullam aliam causam, nisi vivendi negligentiam, & incuriam quotidianorum defectuum vitandorum invenies.* Idem quoque aliud tangit considerabile damnum, inquiens: *Nec dubium est, peccata levia studiosas actiones inficere. Cibus quidem, quamvis de se salubris, ac suavis, duabus de causis minus gratus invenitur, aut quia ipse insulsus est, & male præparatus, aut quia in vase immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minus gratæ Domino, quas offerimus virtutis actiones, si cor nostrum, in quo velut in catino offeruntur, peccatis immundum invenitur? Ubi organum vitiosum est, inquit Ambrosius in Psalm. 35. in principio, quomodo potest cantus non esse vitiosus?* Mox idem P. Alvarez subjungit: *Homo peccatis, licet minoribus, immundus, organum vitiosum est, cum divinas laudes decantat, atque ideo illa à tali organo prodeuntia, minus grata esse Deo, necesse est. At si peccata levia ipsis actionibus bonis insideant, ut puta, quia tepide oras, distracte psallis, sine debita devotione celebras, non sine tristitia laboras, nec sine repugnantia, & stridore murmurationis obtemperas, quis non agnoscat, hujusmodi opera similibus defectibus undique offuscari.* Eusebius Emissenus discursum suum ad Monachos dirigens inquit: *Bellum quodammodo pietati ipsi indiximus, & nunc ad declinandas negligentias, ad expugnanda levissima vitia,*

Pisciculus Remma navim in pleno cursu facit quiescere. — *Cassian. lib. 1. var. 35.* — *Applicatur animæ.* — *Ps. 119. v. 5.* — *Ps. 41. v. 3.* — *Venialibus obnoxia.* — *S. Isid. c. 12.* — *Peccatum veniale conscientiam reddit inquietam.* — *Describitur tepidus in spiritualibus.* — *Cibus duabus de causis redditur insipidus.* — *Signa exteriora peccatorum venialium.* — *Eus. Emiss. hom. 8. ad Monach.*

infirmi ac desides sumus; nimirum ex hac negligentia perfectionis defectum in ipsis arguebat.

4. Hinc porro factum est, quod veri servi Dei, quovis tempore omni cum solicitudine viam perfectionis cum exactissima punctualitate decurrere sategerint, David Saulis persecutionem fugiens, in speluncam Odollæ se recepit, in quam paulo post ipsemet quoque Saul incautè intravit, cumque David à militibus suis vehementer ad amputandum, vitæ propriæ salvandæ causa, Saulis caput instigaretur id facere renuit, sed solum minutissimum vestis Regis Lymbum præscidit, & tamen ait sacer textus: *Percussit cor suum David, eo, quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Quænam vero causa fuit, quod Davidem hujus facti pœnituerit? Num forte in ea actione levem quamdam vanæ gloriæ culpam inesse timuit? Aut vero se per hanc Lymbi præcisionem mansuetudinem suam solitam diminuisse existimavit? Respondet Sanctius: *Fidelis erat, & pius, pavidus animus, in illa tanta continentia aliquid habuit, quod non probaret, & quo læsam arbitraretur Regiam majestatem, cum decurtata chlamyde temeratam putaret Regiam personam, quam Deus sacro delibutam oleo, ad Regni culmen destinasset.* Licet enim in speluncæ illius obscuritate delitesceret, à Deo tamen illuminatus, verum esse sciebat, quod Ecclesiasticus postea dixit, scilicet: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, timuit igitur ne post præcisam Regiæ chlamydis oram, ad facinora majora tentando audacior fieret, quia si Diabolo solum porrigamus digitum, ipse sensim eo contendet, ut lucretur & manum & brachium, ac demum totum hominem; *Domum meam non modo crimine, sed etiam criminis suspicione carere oportet.* Plutarchus *de profectu virtutum* differens inquit: *Non mediocre argumentum est in virtute progredi; si nullam jam peccatum leve & exiguum putemus, sed omnia studiose vitemus, atque observemus.* Et vero per hanc exactam & punctualem observantiam duo nobis egregia lucra comparamus; quorum primum est, quod profectus spiritualis removeamus obicem. Secundum vero quod majorem acquiramus in divino servitio facilitatem & dispositionem. Quando vir ille, qui cum paucis talentis provide beneque negotiatus fuerat, ad mercedem accipiendam invitabatur, hisce verbis commendari meruit: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quâ parabolâ incarnata Sapientia docere nos voluit, quod multi Sancti ideo præcipue ad sublimes gloriæ gradus exaltentur, quod divina præcepta etiam in rebus levibus adimplere studuerint; *Quia super pauca fuisti fidelis*; ex eo namque, quod quis in rebus minutis observandis fidelis & solicitus existit, sui erga Deum probat syncceritatem amoris, suamque ostendit erga eumdem fidelitatem. Bonus namque servus non solum agnoscitur ex punctuali executione illorum servitiorum, ad quæ est obligatus, vel ratione quorum pactis suis gaudet stipendijs, sed affectus & fidelitas ejus multo magis ex eo colligitur, si Domino suo in ijs rebus pari cum solicitudine serviat, ad quas præstandas ex justitia minime est adstrictus: Eodem modo si anima aliqua solum in ijs Deo servire velit, quæ ipsi præscribuntur in Decalogo, de illa haud immerito quis conjicere poterit, quod id faciat ex solo metu æterni supplicij, vel regni cœlestis amittendi; econtra vero quando insuper accurate quoque servat consilia, in hoc verum suum erga Deum amorem veramque devotionem manifeste probat. Ad hæc numquid summa nobis ignominia esse censebitur, si qui in vehementissimis tentationibus nequaquam hosti nostro cessimus, qui stantibus impetuosissimis ventis naufragium passi non fuimus, tandem levibus spirantibus Zephyris submergamur? *Absit à servis Christi tale inquinamentum*, inquit Tertullianus, *ut patientia majoribus tentationibus præparata, in frivolis cedat.*

5. In Historijs sacris, viri sancti, culpas leves summa cum severitate & rigore, semper castigasse leguntur. Refert enim Surius, quod cum S. Pachomius in loco quodam sui monasterij una cum multis alijs Monachis consideret, quidam ejusdem monasterij sui Religiosus, parvulas quasdam storeas, quas ea die contexuerat, ante cellam ex opposito loci illius, ubi Pachomius sedebat situatam, collocarit, ut ab illis storeas illas videntibus, tamquam assiduus, solicitus, & industrius laborator laudem reportaret; siquidem Regula Pachomij unicam solummodo per diem stoream confici præcipiebat. Cognovit igitur vir sanctus laborem Monachi illius non alio fine ab eo factum fuisse, quam ut vanam ab alijs gloriam aucuparetur, ad circumstantes se vertens, gemebundus dixit: Monachus ille in sui peracto labore mundi potius, quam Dei gloriam quæsivit, Cui proinde ad se accersito, post asperam reprehensionem hanc injunxit pœnitentiam, videlicet ut coram alijs Monachis, ad orationem faciendam congregatis, ipse in medium illorum prodiret, & duas in humeris suis storeas ferens, alta voce clamaret dicens. *Patres, Fratresque mei charissimi, propter amorem Dei enixe vos obtestor, ut pro me Deum exorent, qui duas hasce storeas pluris æstimavi, quam regnum cælorum.* Neque hic terminabatur injuncta ei pœnitentia, verum insuper in angusta quadam cella, illum quinque mensium spatio recludi fecit, non permittendo, ut à quopiam hominum visitaretur; & præterquam quod solo pane & aqua illum sustentaret, insuper eum ad faciendas quotidie duas storeas, nemini ad ostentationem exhibendas serio obstrinxit.

6. Davidem aliquando ingens incessit, aquam ex cisterna Bethlehem eo tempore, quo hæc Civitas à Philistæis obsidebatur, haustam bibendi desiderium, quod cum in castris suis inter milites percrebuisset, aliqui eorum cum manifesto vitæ discrimine ad cisternam illam usque, per exercitum penetrarunt hostilem, & haustam inde aquam Davidi obtulerunt: Quam ille oblatam effudit in terram. Enimvero non existimo Davidem in generosa hac actione Catonem imitari voluisse, qui exercitu suo vehementer sitibundo conspectu, dum nil haberet, unde sitim illorum compesceret, aquam sibi quoque sitienti oblatam in terram effudit; Unde Poëta ille cecinit inquiens:

Augebat spectata sitim procul omnibus unda,
Jam sparsa, excussit omnibus unda sitim.

Potius igitur audiamus D. Chrysostomum dicentem: *Agnovit Rex quid fecisset, nempe quod in bello illo sitim suam minime compressisset, qua re animadversa, quid fecit? sumpta aqua haudquaquam bibit, verum Deo libavit. Non enim aqua erat, sed sanguis; sanguis, inquam, si non naturam, sed militum illorum voluntatem, animique sententiam spectes. Videsne igitur, quo pacto à priori concupiscentia eruditus, prudentior imposterum factus sit? Nam qui corporum cupiditate prius flagraverat, aquam jam minime appetebat.* Sanctius quoque ad idem propositum egregie in hæc verba scribit: *Vide aliquid est, & leve vas aqua plenum, sed sane non leve est pro alicujus voto emptum, allatumque periculo.* Non vile ergo existimavit donum, alioqui exiguum, quia videbat in eo non sanguinem solum, sed etiam animos illorum, à quibus fuerat oblatum. Et vero utinam omnes illi, qui *bibunt quasi aquam iniquitatem*, considerarent, se non aquam bibere, sed sanguinem, id est, se corpus & animam propriam mittere in perditionem, utique hoc fræni loco illis servire posset, ad illos reprimendos.

1. Reg. 24. v. 26. — *Pœnituit David abscidisse Saulis oram chlamydis.* — *Sanctius ibid. Ratio quare.* — *Eccli. 19. v. 1.* — *Plutarch. de perfect. virt.* — *Duo exinde provenientes fructus.* — *Matt. 25. 23.* — *Effectus amoris est facere supererogatoria.* — *Tertull. c. 8. de patient.* — *Sur. ibid.* — *Parva cujusdam Religiosi gloriola.* — *Graviter à superiore punitur.* — *2. Reg. 23. v. 15.* — *Factum Catonis.* — *D. Chrys. H. 1. in Ps. 50.* — *Explicatio facti Davidis.* — *Sanct. ibid.* — *Job. 15. v. 16.*

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Animæ timoratæ culpas etiam minimas fugiunt, utpote scientes, eas à Christo Judice severè judicandas esse.

THEMA.

Qui timet Deum, nihil negligit. Eccle. 7. v. 19.

1. QUi vero Spiritu Dei ducitur, nihil negligit ne quidem culpas illas, quæ pro levioribus reputantur: *Qui timet Deum, nihil negligit*, inquit Ecclesiastes. S. Paulus de anima sub Ecclesiæ metaphora loquens Christum illam omnis etiam minimi nævi expertem esse velle dicit: *Christus dilexit Ecclesiam; & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ubi S. Apostolus non de materialibus templorum muris, sed de animabus loquitur: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*; Subdit vero idem Apostolus: *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Ubi per ly, *maculam*, culpa

Per maculam intelligitur mortalis, per rugam venialis culpa. — *Eph. 5. v. 27.* — *1. Cor. 3. v. 16. & 17.*

culpa mortalis, per *ragam*, vero venialis intelligitur. Quamdiu enim anima vel minimum peccati nævum in se habet, Deo perfectè uniri nequit; sed prius, ut purgetur, necessum est; ut de ea dici possit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Cant. 4. v. 7.

S. Bern. de triplici cohæren.

2. S. Bernardus de viro timorato inquit: *Terribilius, & horribilius ipsa gehenna judicat in te levissima vultum Omnipotentis offendere*; scit enim, quod in talis levis peccati pœnam Purgatorium post hanc vitam reportet, quæ quoad pœnam sensus à pœna infernali nec quidquam differt, nisi sola temporis durationc. Cum Orsino Presbytero Nurciæ jamjam in alteram vitam migraturo & agonizanti, legitima ejus quondam uxor, quacum quadraginta annos in matrimonio vixerat, & à qua ipse consentiente, divortium fecerat, vicinius aliquantulum approximasset, ut experiretur; num etiamnum spiritum duceret, Ille eamdem à se repulit dicendo: *Recede mulier, ad hæc ignicubus vivit, palcam tolle.*

Historia de Orsino Presbytero.

S. Greg. l. 4. Dial. cap. 11.

3. Anima sancta in sacris Canticis assimilatur columbæ: *Una est columba mea; oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum.* Sed quænam hujus similitudinis est ratio? Num forte columbæ similes, esse dicitur propter candorem? vel propter simplicitatem, aut ob ejus miram fœcunditatem? minime; sed audite quod S. Cyrillus Alexandrinus hujus similitudinis reddit mysterium, Ait enim: *Ad aquarum plenitudinem operandum est, in his enim sponsæ describitur pulchritudo. Ferunt hoc genus avis, cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum volitantis umbra in aqua conspecta deprehendere, & oculorum perspicacis fraudem periculi imminentis evadere. Quod & si tu ita prospicere potueris insidias Diaboli, & cavere, sacrificium Deo columbas obtuleris.* Ubi observandum, quod S. Cyrillus præfatus columbam non solum fugere accipitrem dicat, verum etiam ejus umbram à longinquo prospicientem exhorrescere; ac proinde columba verus est typus animæ alicujus timoratæ, quæ non solum peccatum, sed etiam quamvis illius licet remotam exhorrescit imaginem seu similitudinem.

Cant. 6. v. 8. Cant. 5. 12. Quare anima assimilatur columbæ.

S. Cyrill. Alex. l. 3. Levit.

Alvar. t. 1. l. 4. p. 2. cap. 16. Oportet hostem arcere à longe.

4. Alvarez inquit: *Quemadmodum cum alio pugnans, qui nec permittit ad se hostem accedere, numquam ab eo dejicietur, neque illidetur in terram; sic qui primum adversarij fugit accessum, difficillime in peccatum aliquod momenti deturbabitur. Sciebat hoc optime Eusebius sanctissimus apud Theodoretum, qui Zona ferrea in collum injecta, curvus & inclinatus incedens, cum interrogaretur, quamnam utilitatem ex illa mortificatione susciperet, ista memorabili sententia respondit; Ne malignus Dæmon de magnis bellum gerat, conatus auferre temperantiam; & justitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & ut festa efferar, & superbia intumescam efficiens, & quæcumque adversus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc parva traducere.* Cum Sanctus hic vir Dei die quodam una cum Amiano Evangelium legeret, ita ut Eusebius textum pronuntiaret. Amianus vero eumdem interpretaretur ac declararet, accidit, quod dum bubulci quidam prope non procul ab illis suos ararent agros, Eusebius ex curiositate dictos aratores aspiciens adeo distractus fuerit, ut nec ad id, quod legebat, sese reflectere, nec sodali suo lectionem declarare potuerit. Unde propter hanc distractionem, quam perpessus fuerat, ita mente compunctus fuit, ut deinceps oculis inviolabili lege, ne agros illos sicut nec cœlos deinceps amplius aspicerent, interdixerit: Hocque concepto proposito ad tugurium quoddam statim properavit, è quo reliquo vitæ suæ tempore, id est, per annos quadraginta numquam egressus fuit; Et quidem ut in hoc tugurio firmiter stare cogeretur, lumbos suos catena quadam ferrea accinxit, alia vero pariter ferrea catena, eaque ponderosiori collum circumdedit, cui aliam annexuit, quæ terræ infixa illum incurvatum, & terram jugiter aspicientem tenuit, planeque ne à loco illo procedere, aut sursum respicere posset impedivit. Uxor Loth, Abrahæ Patriarchæ proxima cognata, quæ Paradisi Angelos præcedenti vespere hospitio exceperat, acerbâ profectò pœnâ luere debuit illam à Deo sibi interdictam remospexionem, & tamen aspectus ille tam pernitiosus non erat, sicut fuit aspectus à Davide in Bethsabeam directus, siquidem hic illum ad adulterium committendum accendit; neque tam noxius, prout fuit obtutus ab Eva in pomum defixus,

Pœnitentia Eusebij de quadam levi curiositate.

Pœnæ uxoris Loth.

qui illam ad decerpendum fructum vetitum instigavit, sed aspectus mulieris illius potius à compassione, quam ex curiositate ortum suum ducebat: Respexit enim retro, non tam ut Sodomam videret, quam ut miserabilium civitatum illarum incendium deploraret, & tamen in unico momento desijt vivere, & in quamdam salis statuam transmutata fuit, eo quod præcepto Dei de non retrospiciendo, non obedivit: *Qui timet Deum, nihil negligit.* Unde D. Chrysostomus de hac terribili pœna, qua uxor Loth mulctata fuit, in hæc verba scribit: *Divina vindicta ipsam in salis materiam transmutavit, ut ex hoc appareat, non qualitatem delicti debere quemquam intendere, sed divina jussa tota veneratione servare; nec debere hominem, quid jubeatur, expendere, sed magis, quis jusserit, cogitare.* Utinam salutare illud S. Anselmi effatum una cum ipso veridice afferere possemus. Ita enim se resolvit: *Si hic peccati pudorem & illinc cernerem inferni horrorem; & necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem, mallem enim purus & innocens à peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Alius quidam Archiepisc. Cantuar. scilicet S. Edmundus pariter dicere solebat; *Malo insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum ullum sciens admittere.*

D. Chrysf. de levior. pecc. peric.

S. Anselm. de Simil. c. 190.

S. Anselmi summa derestatio peccati.

Sur. ibid.

5. Cœlestis Magister hanc nobis apud S. Lucam tradidit doctrinam: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Enimvero servus aliquis erga Dominum suum evidentius edere nequit amoris & fidelitatis indicium ac testimonium, quam si probet se in custodia facultatum Domini sui, etiam quoad minima accuratum, & punctualem, & in operibus supererogationis se exhibeat diligentem atque solicitum; Quod enim in his se fidelem probaverit & accuratum, aperte ostendit, quod in rebus gravioris momenti longe magis futurus sit circumspectus: Et ideo Deus profectum nostrum spiritualem, in fuga prævaricationum, non solum mortiferarum, verum etiam venialium positum esse voluit. S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani ita scribit: *Ut enim Creatorem non in cœlo tantum miramur, & terra, Sole, & Oceano, Elephantis, Camelis, equis, & bobus, pardis, leonibus, sed in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & ejusmodi generis, quorum magis scimus, corpora quam nomina, eamdemque in cunctis veneramur solertiam; ita mens Christo, æque & in majoribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.*

Luc. 16. 10.

Qui in minimo fidelis est, erit & in majori.

S. Hier. l. 2. Epist. ad Elioder.

6. Refert Surius de S. Elzeario Comite Ariani, quod cum jussus aliquando à Roberto Rege Neapolitano Domino suo, profectus fuisset Romam, cum Joanne fratre ejusdem Regis & armato milite, ad bellandum contra Imperatorem, accederit, ut bello confecto, hic Romæ tam acri febre corriperetur, ut sibi visum fuerit, se inter duos lectos igneos totum inflammari. Reminiscens vero belli jam confecti, admodum dolere cœpit se illi interfuisse. Cumque in ea cogitatione perseveraret, audivit corporeis auribus Christum sibi dicentem: *Scias Elzeari, in hoc bello, cui armatus adfuisti, expositum te fuisse periculo amittendi gratiam meam. Sed quia ejus tepæ, volo te flagellare.* Tum ille inclinavit se cœpitque dicere Psalmum 50. *Miserere.* Ad singulos autem versus Christus cum ter in dorso fortiter cæcidit, Deinde somno correptus, febre recedente, perfecte se curatum invenit. Ex quo exemplo liquido constat, quanto cum rigore transgressiones leviores etiam in viris sanctissimis à Deo castigentur.

Sur. 27. Sept. c. 31. Historia de S. Elzeario.

7. In vita S. Odonis legitur, quod Monachus quidam morti proximus clamare cœperit: *Modo raptus sum ad judicium, ibique protulit accusator humani generis contra me de micis panis sacculum plenum, quas colligere secundum consuetudinem nolui, & de mensa ceciderunt.* Ecce tibi quibus ex rebus Dæmon adversus Dei servos corroboretur & invalescat, nempe ex negligentijs & transgressionibus levibus, dum in illorum anima graviores non deprehendit.

Dæmon accusat de levissimis.

8. Alvarez ad hoc, ut nos permoveat ad cautelam, qua curemus, ne Deum, etiam per minima peccata, offendamus, sequens adducit motivum efficacissimum inquiens: *An litigator in re minima, Judicis sui filium offenderet, si posset, ob illam levem offensam, expeditioni causæ suæ aliquam afferre jacturam?*

Alvar. t. 2. l. 1. p. 1. c. 17.

S Greg. l. 21. mor. c. 4.

jacturam? At vero ut S. Gregorius ait: *Sic Dominus minuscujusque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes, ejus judicio, ne verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant.* Et in progressu ejusdem capitis in hæc verba concludit: *Sancti viri tanta se subtilius in cogitatione constringunt, quanto se à superno judice districtius considerari conspicunt.* Opportunum proinde est illud B. Petri Damiani salutare consilium dicentis: *Hujus vitæ idoneus executor, sic se per majora opera ex desiderij fervore dilatat, ut etiam cautus, quæ sunt minima, non relinquat.* S. Gregorius quoque super illa se reflectens ejusdem Judicis Christi verba: *Qui irascitur fratri suo &c. qui dixerit raca &c.* ita scribit: *Raca quippe in Hebræo eloquio vox indignantis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce; postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata; ad extremum quoque, cum dicitur, fatue, ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis; Et notandum, quod in tra perhibet reum esse judicio; in voce iræ, quod est raca, reum concilio; in verbo vocis, quod est fatue, reum gehennæ.* Nos quidem similes iræ motus, illaque verba *raca*, & *fatue* gravia peccata esse nequaquam æstimare solemus, & tamen quanti sint ponderis, quodnam in justissimis illius, qui nos judicaturus est, bilancibus trutinabuntur, S. Ephrem de intemperantia & incontinentia differens ostendit, dum ait: *Quam excusationem afferet, qui abominata ista tunc accusabitur? Quod tibi lucrum vel voluptas, ex tam lubricis atque caducis istis esse poterit? At quæ difficultas ista vitare? Quæ cum ita sint, vos hortor, obtestorque fratres; ne quis vestrum aliquod ejusmodi tunc damnationis sententiam audiat, ut non solum à gravibus peccatis ac vitijs temperetis, sed viam ab illis, quæ parva & levia, quæ tamquam minima, ac nullius momenti fere ab hominibus negligi, spernique solent.*

S. Ephrem c. 1. Exhortatio S. Ephrem.

9. In vita S. Philippi Benitij legitur, quod cum morti vicinus esset, visum ei fuerit, se coram Divino Tribunali fuisse præsentatum, coram quo Diabolus ei leves quosdam improperabat defectus, ut illum ad desperationem induceret, alta voce librum suum sibi dari petierit: *Date mihi librum meum, porrigite illum mihi, quærite illum velocius; Quis illum mihi sustulit?* Cumque ex circumstantibus hic unum ei librum porrigeret, alius vero alium, & alium nec tamen sancto viro Dei per quemquam illorum satisfieret; videntes quod oculos suos in Crucifixum firmiter defixos teneret, hunc ei porrexerunt, eoque intra ulnas accepto vultus ejus serenior effectus fuit. Quod si tam præclari Sancti etiam minima peccata ita exhorrescunt, dum in hora mortis illis ob oculos à Dæmone ponuntur, qualis terror nostet tunc erit? *Quando liber scriptus proferetur, in quo totum continetur*, non solum mortalia, sed etiam venialia, eaque sigillatim, ac minutim secundùm omnes circumstantias expressa: *In quo totum continetur.* Audite S. Hieronymum dicentem: *Ecce Rex in manu potenti venit, à cunctis vult exigere rationem, certe de cogitationibus minimis, certe de levibus & otiosis verbis.* S. Bernardus quoque in meditationibus suis ait: *Quis consideare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona facere neglgimus? sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni.*

Lib. 3. 6. Vit. B. Philipp. Historia de S. Philippo Benitio.

S. Hier. regul. Mon. c. 30.

S. Bern. c. 2. Medit.

10. Notatu dignissima sunt illa regij Psalmistæ verba: *Beatus vir, qui timet Dominum.* At vero ô David ex quonam signo colligere potero, hunc timorem homini alicui inesse, ut propterea velut beatus habeatur? Nimirum subdit idem Psaltes: *Qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis*, quasi diceret: *Qui timet Dominum, non solum præcepta servat, sed etiam adimplet consilia*; Et quia hæc tanta cum punctualitate adimplet, ut ne latum quidem unguem, sive ad dextram, sive ad sinistram deflectat, ideo subdit: *Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur; Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Isaias Propheta in spiritu Propherico de Ecclesia legis gratiæ loquens, prædixit de Christo inquiens: *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus*; videri forsitan cuipiam posset, Isaiam potius dicere debuisse: *Ambulabimus in vijs ejus*; Dicebat enim Psalmista: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, cur igitur ait: *Ambulabimus in semitis ejus?* Pro responsione observandum est, Prophetam prius viarum fecisse mentionem, quæ largæ sunt & spatiosæ; Secundo vero loco meminisse semitarum quæ strictæ sunt & angustæ, ut per hoc insinuet, non solum observanda esse divina ejus præcepta, quæ per vias præsignantur, verum etiam consilia, quæ per semitas intelliguntur. *Expende verba*, inquit Oleaster, *Dominus vias docet, sed ipse in semitis ambulant, quoniam multa præter leges hominas inspirati fecerunt, quæ consilia dicuntur, & arctiora legibus sunt.* S. Anselmus Monachis suis scribens inquit: *Ubi minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur.* At vero dicet aliquis, ex quo S. Anselmus in prædictis de defectibus minimis loquitur, cur illos excessus appellat: *Minimi excessus?* Ideo nimirum, quia qui leves defectus negligunt, tandem in graves & enormes degenerant. Atqui viri perfecti, & divino lumine illustrati, defectus etiam illos, qui exigui momenti esse videntur, minimè negligunt.

Psal. 118. v. 32.

Oleast. ibid. Ambulat justas & per semitas Domini.

S. Anselm. *Epist. 6. ad Monach.*

11. Salomon ad stellas usque mulierem illam extollit fortem, & sanctitate conspicuam, tum propter actus illius heroicos: *Manum suam misit ad fortia*, tum etiam quia *digiti ejus apprehenderunt fusum.* Quo in encomio observandum est, quod primo dicat: *Manum suam misit ad fortia.* Sed quænam sunt fortia illa, ad quæ mulierem hanc manum suam extendisse dicit? Si dixisset, illam apprehendisse lanceam, frameam, vel hastam, armis sese ferreis & loricis induisse, munitissima expugnasse castra, & fortalitia, vel simile quid, mens Salomonis facilius intelligi potuisset; Sed sapiens hic Rex ita loqui noluit, sed ostendere volens in quonam hæc generositas & fortitudo consistat, subjunxit: *Digiti ejus apprehenderunt fusum.* Enimvero mulier hæc animam præfigurat perfectam, quæ rebus minimis solicite intendit, operibusque, proprio statui, & vocationi convenientibus libenter insistat, ita tamen ut eadem ad Deum ordinet; curetque, ut cuivis minimæ imperfectioni omnem aditum occludat. Anima electa, in sacris Canticis dicebat: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* At vero quo mysterio ostium illud solis tabulis cedrinis, non vero ex quovis alio ligni genere formatis occludi voluit? Pro responsione notandum est, quod lignum cedrinum solidum sit, & densum, nec ullas rimas admittat, nec tineas patiatur; Per ostium vero cor intelligitur: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Vult igitur ut ostium illud, id est, cor compingatur ex tabulis cedrinis, id est, ita obturetur & occludatur Diabolo, ne etiam per minimum quodvis peccatum eo penetrare possit: *Nolite locum dare Diabolo.* Audite S. Bernardum dicentem: *Quid à te quæsivit, qui tanta solicitudine te quæsivit, nisi te solicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc autem solicitudinem non facit, nisi Spiritus Sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet, habitaculum patitur residere.*

Prov. 31. 19. Quid sit quod mulier miserit manum suam fortia.

Cant. 8. v. 9. Quid sit ostium occludere tabulis cedrinis.

Apoc. 3. v. 20.

S. Bern. Serm. 1. de Spiritu S.

12. Isaias Propheta olim Sancte gloriabatur dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me*: Qualisnam vero hæc prærogativa qua sanctus hic Prophera gaudebat, fuerit, ex sequenti S. Gregorij doctrina intelligere possumus; Hic enim ita scribit: *Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento. Vestimento utique, dum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit, nam qui in alijs actionibus justus est, in alijs injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera, quæ subortis alijs pravis operibus inquinantur.* Quod si nonnumquam ferculum aliquod seu epulum pretiosum multis contegatur muscis, propter hoc suam quidem non amittit substantiam & saporem, verumtamen is, qui inde gustaturus est, fastidium illius propter hoc facile concipit, & nauseam. Eodem quoque modo in præsenti proposito nostro dicere possumus, quod tametsi culpæ veniales nos Dei amicitia, bonorumque operum meritis hactenus comparatis non privent, Deo tamen aliqualem displicentiam & nauseam afferant: *Quia tepidus es, incipiam te evomere.*

Isa. 61. v. 10.

S. Greg. l. 19. Moral. c. 12. Justus ut vestimento tegitur justitia.

Psal. 111. v. 1. Signum timentre Deum.

Isa. 2. v. 3.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Lex Divina ex omni parte observanda est, quia à levibus transgressionibus ad majores facilis sit transitus.

THEMA.

Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Ps. 118. v. 128.

1. HÆc Davidis sententia in prædicto loco expressa, optime consentit cum illa, quam in principio ejusdem Psalmi dixerat, quando ait: *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Porro lex Moysaica, prout in se tam moralia, quam judicialia, & ceremonialia comprehendebat, numero legum quasi immensa erat, huic tamen tam ponderoso jugo pauci admodum humeros suos submiserunt, ac proinde etiam in illa pauci inveniebantur Sancti: Nam ut S. Jacobus Apostolus in Epistola sua cap. 2. ait: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Pro quorum verborum explicatione, præter eam, quam idem Apostolus ibidem adducit, in medium quoque adduci potest sequens doctrina Apostoli dicentis: *Non mihi dicas: Non scortor; Quæ enim utilitas, si non scortaris quidem, sed avarus es? Captus certe es; non hoc quæritur, quomodo captus sis, sed quod captus es. Ne dicas adolescens, non sum avarus, sed forsan scortaris, & quæ iterum utilitas?*

Ps. 118. v. 6.
Pauci totam legem Moysaicam servabant.
Jacob. 2. 10.
D. Chrys. H. 29. in Act.

2. Regius Propheta David in Psalm. 32. nos hortatur, ut Deum in Psalterio decem chordarum collaudemus; Hoc vero Psalterium, musicum quoddam erat instrumentum, decem chordis ad harmoniam musicam edendam apte dispositum, alludebatque per hoc instrumentum ad observantiam Decalogi, qui decem continebat præcepta divina; *In Psalterio decem chordarum psallite illi.* Estque similitudo hæc ad explicandum intentum nostrum omnino aptissima, quia licet ex decem illis chordis novem aptæ sint ad harmoniam faciendam dispositæ, si tamen una ex illis discordet, hæc unica totam confundit & destruit aliarum consonantiam, ita quoque observantia novem præceptorum prorsus est ad salutem inutilis, si vel unius dumtaxat præcepti obedientia deficiat; *Omne enim instrumentum musicum,* ut Philo Hebræus ait, *deficit, etiamsi unum tantum discrepet.* Idem vero alius quidam Author melius hisce verbis exponit: *Vide sæpe cymbala magna, & bene sonantia inutilia redacta, non quia in frusta confracta fuerint, sed quia nescio quo vulnere scissa & perdita reperiuntur. Dum autem vis in eis inutilitatis causam inquirere, etsi millies ea undique circumlustres, non invenies, senties tamen, si pulses, quia raucè sonant; nam scissura illa adeo subtilis, & imperceptibilis est, ut percipi, aut discerni nullo modo possit.* Sic quoque sæpe videbitis virum æstimatum ab omnibus tamquam eximia virtute & perfectione præditum, juvandis animabus plane deditum, austeritate vitæ, continentia, & solitudine se conficientem, cujus tamen vox in auribus Dei ingrata erit, nec tamen hujus displicentiæ causam, etiamsi studiose inquiratis, invenire poteritis; licet revera causa illius sit, vel occulta quædam illius superbia, & præsumptio de suipsius virtute & perfectione, vel aliqua interius in animo delitescens inordinata ambitio, vel alia similis passio, hæc enim sola ad confundendam & destruendam omnium operum suorum cæteroquin virtuosorum & meritoriorum harmoniam sufficit. Unde S. Gregorius Magnus super illa verba Sapientis: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit,* ita scribit: *Dicturus custodia, præmisit omni, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat, & quamdiu in hac vita est, contra spirituales inimicos, in acie se positum sciat.* Subditque hanc omnibus notam similitudinem: *Si qua civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde procul dubio hostis ingreditur, qui undique exclusus videbatur. Pharisæus namque ille, qui in templum oraturus ascendit, civitatem mentis suæ quanta munitione vallaverit, audiamus. Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo; cui præmisit: Gratias ago tibi; magna certe munimina adhibuit; Sed videamus, ubi insidianti hosti immunitum foramen reliquit; quia non sum sicut publicanus iste. Ecce civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunia, & eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias recte agit, sed perverse se super publicanum extulit; Civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo servavit. Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluvies, superata est largitate tenacitas. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores uno vitio percussi ceciderunt? quanta bona unius culpæ gladio sunt perempta;* Id quod Deus à nobis primo omnium loco requirit, est cor mundum, & ab omni inordinato affectu depuratum; ac proinde Emissenus Monachos suos in hæc verba exhortabatur: *Quid prodest, quod nos pretiosis vigiliis, laboribusque conficimus, & ea, quæ maximè Deus noster desiderat, non habemus? Hoc est cor mundum, & liberum ab istis minutiis negligentiarum.*

Psalterium decem chordarum fuit instrumentum musicum.
Ps. 32. v. 2.
Philo lib. de temulentia.
In quo nulla chorda debet deficere.
Applicatur moraliter.
Prov. 4. v. 23. S. Greg. l. 19. Moral. c. 12.
Civitas alioquin ubique munita excepto unico loco patente non est fortis.
Eus. Emiss. hom. 6. ad Monach.

3. Salvator noster regnum cœlorum margaritæ comparat dicens: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* De margaritis autem Nazianzenus ad intentum nostrum ita scribit: *Quæcumque margaritæ pars vitiata fuerit, tota gemmæ gratia extincta est.* Sic quoque si anima aliqua unica dumtaxat macula contaminata, Deoque exosa fuerit, hæc unica ad illam repudiandam sufficit, licet multa alia opera virtuosa perfecerit. *Bonum enim ex integra causa provenit, malum ex quocumque defectu.* Observatione dignum est, quod Didacus Stella his verbis scribit: *Christus legem appellavit jugum omnium præceptorum. Tollite, inquit, jugum meum super vos; ubi diligenter est animadvertendum, quod non dicit: Tollite jugum super collum vestrum, aut super humeros vestros, sed super vos totos; Universa enim Christiani hominis pars, jugum Legis asportare debet, quo sane argumento concludimus; quod qui hujus oneris partem recusaverit, sciat se totum jugum abjecisse.* Christianis incumbit, ut agnum immaculatum sequantur, quocumque ierit, ac proinde, ut bene notat B. Petrus Damianus, una nos virtute præfulgere nequaquam sufficit; *Ille enim agnum, quocumque ierit, sequitur, qui non sola virginitate ejus vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas imitatur, non enim sufficit ad capessenda præmia solus pudor, nisi & aliis fuerit ditatus virtutibus.* Idipsum S. Ephrem sequenti intellectu facili similitudine confirmat inquiens: *Si unum è membris tuis valeat, & aliud langueat, totus laboras uno membro laborante.* Tali autem defectu potior pars hominum laborat, videmus enim per experientiam, quam pauci sint fideles, qui ex omni parte virtutibus sint communiti, aut qui non sint in una vel altera virtute defectuosi. Audiamus S. Thomam à Villa Nova in Concione 1. de S. Augustino in hæc verba perorantem: *Peccatoris lux vacua, & dimidiata, non enim ex omni parte lucidus est, sed ex una parte lucidus, & ex altera obscurus. Da mihi hodie hominem undequaque lucidum; vere rara avis in terris, rarus homo, qui non habeat aliquam partem tenebrarum. Quidam est castus, sed iracundus; alius mitis, sed lubricus; alius quidem & mitis & castus, sed superbus; alius mitis, & castus, & humilis, sed cupidus; Denique nemo sine crimine vivit, & rarissimus est, qui de hac lucis plenitudine gloriari possit.* Episcopi illi, qui primo nascentis Ecclesiæ exordio ab Apostolis electi & consecrati fuerant, ex parte quidem aliqua boni erant, prout ex Apocalypsi colligitur, erant tamen pariter multis defectibus obnoxii. Unde S. Gregorius Magnus citans cap. 2. Apocalypseos dicit: *Angelum Ecclesiæ Pergami in quibusdam laudat, & in quibusdam coarguit, dicens: Scio, ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam; Et paulo post: Sed habeo adversum te pauca, quia habes ibi tenentes doctrinam Balaam. Hinc Angelo Thiatyræ dicitur: Novi opera tua, & charitatem tuam, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus, sed habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, & fornicari, & manducare Idolothitum. Ecce bona memorat, nec tamen resecanda mala, sine pænitentia relaxat; quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat, ut subtili examine perpendat, vel quantum quisque ad bona proficiat, vel quantum ad mala devians, suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritorum, quod bonæ vitæ studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur, & bonum, quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertitur.*

Matt. 13. 45.
Nazian. Orat. in dicta Evang.
Regnum cœlorum comparatur margaritæ, & quare.
Did. Stella in Luc. 1.
S. Petr. Dam. serm. 3. de Nat. virg.
S. Ephrem T. 1. de morbo linguæ.
Pauci ex omni parte virtuosi.
S. Th. de Vill. Conc. 1. de S. August.
S. Greg. l. 28. Moral. c. 4.
Episcopi in primitiva Ecclesia in variis culpantur.

4. Richardus de S. Victore super illa Canticorum verba: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii,* ad propositum nostrum ita scribit: *Pigmen est quælibet virtus, seu quodlibet opus virtutis, quæ in pulverem comminuitur, cum subtiliter discutitur, & discernitur, ne quid in ea mali lateat. Pigmentarius est homo, qui pulverem hunc terit, id est, singula opera sua discutit, providendum est enim ut bona sine admixtione malorum fiant, quia mala majora bona necant, minora hominem maculant.* Hinc quoque proposito apte inservit sequens à B. Petro Damiano his verbis adducta similitudo: *Si tenuissima veneni stilla pleno oleris aheno diffunditur, nonne totum esculentum & edulium prorsus abominabile judicatur? Sic ergo per exigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt, quo pacto te de lenocinante conscientia jactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum, privata proprietate possideas? nam juxta Apostolum: Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hac quoque fermenti similitudine Origenes utitur, dum pernitiosa à culpis levibus dimanantia damna declaraturus, præcepti illius Exodi 12. traditi, scilicet: *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris; qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cætu Israël:* Mentionem faciens, subjungit; *præceptum hoc tam arduum, & sub pæna mortis injunctum, utique propter fermentum materiale non est conditum, sed potius propter mysterium, siquidem omnia in figura contingebant illis: Non mihi videtur,* inquit Origenes, *hæc divinis legibus digna intelligentia, sed illud magis est, quod horrescit, & merito horrescit Deus, si malitiæ, si iræ, si nequitiæ spiritu infermentetur anima, & intumescat ad flagitia.* Per hoc igitur fermentum passiones inordinatæ præsignantur, quæ nisi in suis principiis à corde rejiciantur, & eliminentur, figunt paulatim in eo pedem, crescunt, confortantur; ac tandem in vitia & peccata enormia degenerant, ac proinde consilii loco subjicit: *Sed ne contemnas, etiamsi parvam videris intra te fermentari malitiam, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & ideo neque de parvo peccato negligas, quia ex uno generatur & aliud.* Chrysostomus similiter insinuare volens à principio primas passionum nostrarum scintillas esse reprimendas, alia utitur similitudine, inquiens: *Quando parvam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit, sed considera, quod id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stupæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus, non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus.* S. Basilius Magnus ait: *Si quis pro levissimis etiam peccatis fratres acriter minis urgeat, ac dicat; de iis pænitentiam agere debere, numquid is inclemens habendus est, & eversor charitatis?* Ipse vero respondet, ipsammet æternam veritatem claris verbis dixisse: *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant;* ac proinde idem S. Doctor concludit inquiens: *Nihil omnino tamquam minutum contemni debet, qui enim rem contemnit, contemnetur ab ea.* S. Paschasius mox citatum Matthæi textum ad propositum nostrum exponens inquit: *Iota enim apud Græcos sicut decima est in ordine alphabeti, sic decem significat, in eorum numero, unde liquido decem mandatorum agendæ vitæ summa colligitur.* S. Thomas inquit: *Secundum Rabanum jota significat Decalogum apex significat minimam particulam præcepti, vel minimum significativum legis. Vult ergo dicere quod jota unum; id est, unum de decem mandatis, aut unus apex, id est, minimum significativum in lege, non peribit à lege, donec omnia fiant, id est, non remanebit, quin impleantur & perficiantur.*

Cant. 3. v. 6. Rich. de S. Vict. c. 9. in Cant.
Minimum malum inficit totum opus virtuosum, de hoc est similitudo prima.
B. Petr. Dam. c. 7. Apol. Secunda.
1. Cor. 5. v. 6. Tertia.
Exod. 12. 15.
Orig. hom. 23. in Num.
Fermentum denotat inordinatas passiones.
D. Chrys. in Ps. 6.
Quæ in initio debent supprimi.
S. Basil. in Reg. interrogat. 4.
Matth. 5. 18.
S. Pasch. ibid.
S. Thom. ibid.

5. Quidam ex antiquis Eremi Patribus, Abbas Achilles nomine, ut damna, quæ ex transgressionibus divinæ legis, quantumvis minutis, resultare in nos possunt, clarius explicaret sequentem adduxit considerationem. Fingamus inquit, quod alicui in monte Libano constituto, datum fuisset parvum quoddam lignum, ex eoque ille manubrium faciat pro securi aliqua ad eum finem accomodanda, ut ad ligna cædenda servire possit; Numquid hoc manubrio (licet modicum quoddam sit lignum) omnes hujus celeberrimi montis cedros, cypressos, terebynthos aliasque pretiosas similes arbores amputare valeret, si vellet? Idem quoque sæpenumero multis contingit cæteroquin virtuosis hominibus, unicus enim vanus fœminæ alicujus aspectus, nisi in principio supprimatur, sed sæpius libere fiat, ad omnes illius hominis virtutes & merita prosternenda sufficit; *quia una sæpe scintilla magnum excitavit incendium.* Qualis & quis Samson fuerit, sacra Scriptura sufficienter insinuat, cum toties heroica illius facinora repetit: *Irruit Spiritus Domini in eum.* Arrepta asini cujusdam mortui maxilla, solus mille Philisthæos prostravit; ex eadem aquam limpidam manare fecit, hostium denique segetes incendit, & tamen ut optime S. Ambrosius notat: *Is qui messes incendit alienigenas, unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit;* at vero quanam in re miraculosa ejus fortitudo præcipue consistebat? num forte in vasti corporis sui bona complexione? vel in artis militaris experientia? aut vero in brachiorum suorum vigore? denique in dextera armorum tractatione? Nequaquam; quin potius audiatis velim, quid faciendo Dalila eumdem Samsonem omni sua fortitudine exuerit; Sacer textus enim ait: *Dalila vocavit tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cæpit abjicere eum, & à se repellere:* hacque ratione omni amissa fortitudine inimicis suis in prædam cessit. Per septem vero hosce capillos, septem denotabantur dona Spiritus Sancti, hæc enim in illis esse amant animabus, quæ etiam de capillis, id est, de cavendis transgressionibus minutissimis curam & solicitudinem gerunt, utpote scientes ipsum quoque Sponsum cœlestem easdem abominari & exhorrescere: *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* D. Chrysostomus hanc materiam nobis inculcare satagens inquit: *Hoc exiguum neglectum, & omne reliquum destruit, sæpius namque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt; Et in vestimentis hoc ipsum evenire, quis cernere possit, etenim parva in illis facta scissura magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties evenit, etenim & illi, si vel minimum cœperint ingressum, totum introducunt fluentum. Ita & tu, licet te undique munieris, si tamen aliqua pars immunita dimissa est, etiam hanc Diabolo obstrue, ut sis ab omni parte firmatus.* Idem Sanctus Pater in alia Homilia alias ad intentum nostrum adducit similitudines, inquiens: *Ædificium, si vel parum debilicat, dissolvetur; si sufflaveris in ignem, quasi ignis exardescet, & palmes si à radice parum fuerit abscissus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum non est parum, imo vero est fere totum. Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri & socordes fuerimus, ne illud parum negligamus, cito enim neglectum fit magnum.* Gerson super illa S. Jacobi verba: *Qui in uno offendit &c.* eâdem, quam supra insinuavimus, utitur similitudine inquiens; *Pervertit harmoniam universi, velut chorda discors in cithara, aut fistula mutata vel stridula in organo. Infirmat exercitum spiritualis militiæ, tamquam fugitivus & proditor.*

Similitudo.
Judic. 15. 14.
S. Ambr. lib. Apol. David.
Septem crines Samsonis erant septem dona Spiritus Sancti.
Judic. 16. v. 19.
Cant. 4. v. 9.
D. Chrys. H. 19. ad pop.
Principiis obstare debemus.
D. Chrys. H. 8. in 1. ad Cor.
Jacob. 2. 10. Gerson t. 2. de Dominio Evang. & Serv.

DISCURSUS XX.

ARGUMENTUM.

Peccatum veniale non minus fugiendem est, quam mortale, imo forsitan magis illo; Deus enim opera nostra nauseat, si cum peccatis permixta sint venialibus.

THEMA.

Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. 3. v. 15.

1. QUod si, ut SS. Patres unanimiter asserunt, per frigus peccatum grave denotatur (*abundavit iniquitas, refrigescet charitas*) per teporem vero culpa & negligentia venialis intelligitur, certe ex hac adducta Apocalypseos authoritate prima facie colligi videtur, quod Deo transgressiones leves neglectæ, & expresse volitæ, molestiorem inferant nauseam, quam prævaricationes mortales: Utinam

Matt. 24. 12.
Explicatur quid sit esse calidum, frigidum, tepidum.

nam frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Cornelius à Lapide hunc Apocalypticum textum prolixe examinans, post varias illius in medium allatas interpretationes, tandem ad intentum præsens adducit sequentem : *Tepidus est, qui Deum quidem non audet offendere mortaliter, sciens, & volens, ideoque se putat justum, sed purioris, & perfectioris vitæ studium negligit; unde se facile proprijs concupiscentijs permittit, & quævis peccata devorat, quæ sibi venialia videntur. Hic licet possit esse in statu gratiæ, si videlicet gravis tentatio concupiscentiæ non occurrat, facile tamen, ea occurrente, in peccatum mortale cadit; unde in magno versatur peccati & salutis, periculo.* In controversiam quidem vocari nequit, quia longe deterior sit status peccati mortalis veniali; at vero ille, subito ut patratum est peccatum, agnoscitur, timetur, gravem infert conscientiæ remorsum, & ideo in illo statu positus homo de peccato suo mortali per pœnitentiam abolendo statim est solicitus : at vero status peccati venialis non æstimatur, & ideo fovetur, non vero emendatur, & ab hac negligentia voluntaria tandem in peccata graviora homo dilabitur. Et ideo unanimis est gravissimorum authorum doctrina, quod scilicet majori cum zelo & solicitudine procedendum sit in hisce extirpandis. Illa enim, utpote nobis cognita & ob oculos & mentem semper versantia, horrorem nobis incutiunt, hæc vero econtra secure nos indormiscere faciunt, omnemque à nobis scrupulum abigunt, non considerantibus nobis, quod favillæ sint, sub quibus magni incendij periculum delitescit. Nam ut S. Gregorius ait : *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audentes etiam majora perpetramus.* Notate ly : *Insensibiliter seducti*; quando enim à peccatore jam acquisitus est parvus habitus hic vel ille, inadvertenter cadit, absque eo quod se reflectat ad id, quod operatur. Sic enim videmus per experientiam, quod qui murmurationibus assuevit, facile, & sine ulla præmeditatione in verba detractionis prorumpat; similiter qui non habet curam moderandi linguam suam inter verba faceta & jocosa, facilè quoque proferet ea, quæ obscœna sunt, & scandalum creare possunt.

Corn. à Lap. ibid.

Parva est cura in emendandis peccatis venialibus.

S Greg. l. 10. Moral. c. 9. Ideo multi insensibiliter seducuntur ad majora.

2. Idem S. Gregorius alio in loco præcipitium hoc, à levibus transgressionibus originatum, considerans inquit : *Isti sunt quotidiani defectus, qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indesinenter ad deteriora descendunt, quia dum minora incautè negligunt, ad majora pernitiosè prorumpunt.* Moyses in fiscella scirpea Nili undis impositus, puer erat speciosus, amabilis, & delicatus, ac proinde ad Nili littus appellens gratiam mox sibi acquisivit filiæ Pharaonis, licet ipse de illa esset stirpe progenitus, quam Pharao Rex pater ejus omni studio extirpare & abolere satagebat. Hæc Pharaonis filia utique numquam sibi persuadere potuisset, eumdem illum puerum progressu temporis, regnum illud decem severissimis flagellis percussurum, ab eodemque patrem suum in maris Erythræi undis submergendum esse. Sic quoque peccata venialia in primis principijs, eo quod exilia sint, nobisque satisfactionem & complacentiam pariant, non repelluntur, aut fugantur a nobis, imo fovemus & nutrimus ea, non considerantes quam nobis in progressu temporis caro sint pretio diluenda. Ludus v. g. velut rationabilis & honesta recreatio inchoatur, & tamen paulatim declinat in vitium, post se enim trahit rixas, inimicitias, blasphemias, & jacturas facultatum valde notabiles, sitque tam lusori, quam domui ipsius in manifestam ruinam. *Isti sunt quotidiani defectus &c* Didacus Stella super illa verba S. Lucæ : *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, ingeniose observat, quod Evangelista dicat, quod socrus Petri non qualicumque febri, sed *magnis febribus* tenebatur. Et subdit : *Febris magna, ut erat hæc, qua laborabat socrus Petri, cito curatur, at febris, quæ in ossibus latet, hæc vitam rapit, & ad interitum ducit. Ita magnum peccatum raro nos in Infernum ducit, nam ipsius magnitudo nos terret, ita ut in cognitionem ejus veniamus, quo fit, ut illius pœnitentiam agamus cum mentis nostræ meliori resipiscentia. At hæc peccata parva, in quæ quotidie delabimur, & ad quæ, ob ipsorum parvitatem, non respicimus; hæc inquam sunt, quæ in interitum celeri cursu nos vocant.* Animæ timoratæ peccatum mortale exhorrescunt; & si in illud per fragilitatem humanam forte lapsæ fuerint, subito resurgunt; econtra vero peccatum veniale sæpenumero sibi valde familiare habent & retinent, quia licet illud committentes gratia divina & amicitia Dei non privet, non tamen considerant, quod vere lateat anguis in herba, qui paulatim & pedetentim in anima tali, certis auxilijs specialibus destituta majoren vigorem acquirens, efficit, ut facilius in tentationes graves corruat, ijsque consentiat, & peccatum, quod antea veniale erat, in mortale degeneret. *Magna & aperta peccata*, inquit P. Alvarez, *eo justis minus periculosa sunt, quo vel aspectum eorum satis enormem & tetrum exhorrent, at minima eo ipso, quod minima periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, & absconditè ad miserabilem ruinam disponunt.*

S.Greg. l.24. Moral. c.13.

Similitudo de Moyse.

Modus quo minora ducunt ad majora.

Did. Stell. in Luc. 4.

Timorati in mortale lapsi statim resurgunt.

Alvarez t. 1. lib. 5. p. 2. c. 16.

3. Refert Bollandus in vita B. Laurentij Justiniani, magnum hunc Venetiarum Patriarcham dicere fuisse solitum : *Servi Dei non est à magnis peccatis cavere; id enim est sæcularis hominis sed parva vitare, ne charitas refrigescat.* Unde servis Dei potius : quam hominibus sæcularibus imprimendum est illud Ecclesiastici consilium, quo dicit : *Quasi à facie colubri fuge peccata*, quia serpens quantumvis exilis sit, suum semper congenitum habet venenum, & ideo sive parvus, sive magnus, semper cavendus est : Ita & culpa sive parva, sive magna, semper cavenda est: Et quidem ij qui majori sunt lumine præditi, magis quoque periculum culpæ licet venialis discernere & declinare debet. Verum quidem est, quod ut plurimum distincta habeatur à plerisque notitia, qua venialia à mortalibus discernuntur, & dignoscuntur; multa tamen sunt, quorum gravitatem, an scilicet mortalis, an vero venialis sit, distinguere nequimus, sed dubij & ambigui hæremus. In qua porro perplexitate nos Deus per suam paternam providentiam relinquit, ut tam unum, quam alterum ob hanc ambiguitatem, pro virium nostrarum possibilitate fugiamus. Quoties contingit, quod à propria passione fascinati culpam aliquam levem & exilem esse existimemus, quæ in conspectu Dei gravis est, quamque pariter viri prudentes & literati talem esse arbitrantur? Quis umquam credidisset, quod si quis proximum suum stultum appellet, per hoc se pœnæ gehennæ reum facturus esset, & tamen supremus Judex hanc pronuntiavit sententiam : *Qui dixerit fratri suo : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* S Gregorius in suo Pastorali hoc nobis documentum post se scriptum reliquit : *Admonendi sunt, qui in minimis frequenter excedunt, ut solicitè considerent, quia nonnumquam in parva deterius, quam in majori culpa peccatur.* Quod documentum prima facie paradoxum, captuque difficillimum esse videtur, verumtamen Sanctus ille Pontifex optimam asserti sui assignat rationem, videlicet, quia peccatum mortale, ab homine conscientioso, magna cum resolutione rejicitur, ob sui turpitudinem & enormitatem : At vero venialia neglecta animæ inviscerantur, & intra ipsam inveterascunt, cum ingenti semper incrementi superventuri periculo, per quod tandem ad mortalem usque malitiam pertingant. *Major enim quo citius, quia sit culpa, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur, minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo & securius in usu retinetur, unde fit plerumque, ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, & tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.*

Bolland. 8. Dan. fol. 560. col. 1.

Eccli. 21. v. 2. Proprium est piorum vitare venialia.

Sæpe erramus in judicando quantitatem peccati.

Matt. 5. v. 22.

S Greg. 3. part. post admon. 34.

Quandoque deterius in parvâ, quam magnâ culpa peccatur.

4. Quod si objeceris, quod mille peccata venialia unum peccatum mortale constituere nequeant; id quidem libenter tibi concedam; simul tamen libere dicam, unicum dumtaxat peccatum veniale neglectum & non emendatum, in peccatum mortale facile degenerare posse. Quid enim est aspectus objecti alicujus lascivi curiosus? Et tamen nisi hic caveatur, sed species objecti visi foveatur in animo, jam ab aspectu transitur ad suggestionem, à suggestione ad delectationem, exinde ad desiderium, ac tandem à desiderio ad peccati consummationem. Porro damna, quæ multa peccata venialia simul collecta homini inferre solent, sequenti à S. August. explicantur similitudine : *Sicut autem levia peccata & minuta, quæ devitari omnino non possunt, quæ quidem videntur minora, sed multitudine premunt, nam & acervus frumenti è minutissimis granis colligitur, & tamen onerantur inde naves, & si amplius onerentur, submerguntur.* Refertur de viro quodam quod cum aliquamdiu vitulum etiamnum tenellum & juvencum in humeris suis portare assuevisset, eumdem quoque, postquam in magnum, pinguemque bovem excrevisset, haud difficulter portare potuerit, eo quod consuetudo paulatim & pedetentim acquisita, tanti ponderis incrementum viribus ejus insensibile quasi reddidisset. Idem quoque in actionibus moralibus sæpe contingit. Si enim quis v. g. nullum sibi scrupulum faciat, dum jocose mentitur; tandem malum sibi mentiendi habitum contrahens, sæpe incidet in mendacium officiosum, exinde in pernitiosum, demum descendet ad juramenta, ac tandem in perjuria pari facilitate labetur. Post Sanctos Patres audiri quoque meretur sequens utilissima Senecæ gentilis Philosophi doctrina dicentis : *Si das aliquos affectus sapienti, impar illis erit ratio, & velut torrente quodam auferetur, præsertim cum illi non unum, sed universum affectuum cœtum relinquis, cum quo colluctetur. Plus potest quamvis mediocrium turba, quam posset unius magni violentia. Habet pecuniæ cupiditatem, sed modicam; habet ambitionem, sed non concitatam; habet iracundiam, sed placabilem; habet inconstantiam, sed minus vagam, ac mobilem; Habet libidinem, non insaniam. Melius cum illo ageretur, qui unum vitium integrum haberet, quam cum eo, qui leviora quidem; sed omnia.* Idem in decursu ejusdem Epistolæ, hæc à se dicta sequenti declarat similitudine, inquiens : *Facilius est initia illorum cohibere, quam impetum regere. Falsa est itaque ista mediocritas & inutilis, eodemque loco habenda, quo si quis diceret, modicè insaniendum, modice ægrotandum. Sola virtus habet; non recipiunt animi mala temperamentum.* S. Augustinus examinans illa S. Pauli verba : *Ligna, fænum, stipula &c. quale sit uniuscujusque opus ignis probabit*, ita scribit : *Illo transitorio igne, dè quo paulo ante Apostolus; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem; non capitalia, sed minuta peccata purgantur; & quamvis quod pejus est, non solum majora, sed etiam minuta nimium plura sint, mergunt.* Ratio autem hujus naufragij, non est illa, quia scilicet peccata sint venialia, sed quia neglecta fiunt mortalia, ad eum fere modum, quo vulnera neglecta gangrænam facile concipiunt, & paulatim mortifera evadunt.

Scala peccatorum hominis carnalis.

S. Aug. ser. 31. de levib. c. 12.

Similitudo.

Senec. Ep. 87. A mendacio jocoso paulatim venitur ad peccata gravissima.

S. Aug. ser. 41. de Sanct. Quomodo venialia fiant mortalia.

5. Celebris est in hac materia sequens satis nota D. Chrysostomi doctrina, dicentis : *Solet mihi nonnumquam non tanto studio, magna videri esse peccata vitanda, quanto parva & vilia; illa enim natura sponte aversatur, hæc autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt. Dum contemnuntur, non potest ad eorum expulsionem animus generose insurgere, unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra.* Et ideo in sacris Canticis dicitur : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Porro jam ex discursu præcedenti nostis, per hanc vineam in sensu mystico animas denotari fideles, per vulpeculas vero parvas culpas veniales neglectas intelligi, quæ fructibus spiritualibus, quos cæteroquin ex sequela haurire possemus, ingens damnum inferunt; ac vero quænam est ratio cur sacer textus non suadet nobis, ut alias capiamus feras, v. g. lupos, apros, vel similes : *Et singularis ferus depastus est eam?* Respondeo, ideo Spiritum Sanct. nos non hortari ad capiendos lupos, ursos, apros, leones &c. quia hæ feræ facile videntur, capiuntur, & abiguntur, & ideo peccata mortalia præfigurant, quæ si timoratam habeamus conscientiam, communiter exhorrescere solemus : at vero peccata venialia per vulpes parvulas præsignata non capiamus, quia illa non timemus, nec cognoscimus, neque ullum ab illis damnum timemus; & tamen hæc eadem gravissimo nos damno afficiunt; quia demoliuntur vineas. D. Chrysostomus in Homilia quadam T. 5. de levium peccatorum periculis, ita scribit : *Si levium peccatorum magnitudo noscatur, & majorum facillime pernities noscitur, unde fit sic, ut perpensa diversitate culparum, declinentur levia, detestentur enormia, & omnia ab hoc omnino damnentur peccata.* Eadem quoque doctrina à P. Alvarez his verbis traditur : *Cura fugiendi minora peccata, quodammodo à casu majorum liberat, & ad ea declinanda facilem viam nobis ostendit; quo enim pacto in detractionem incidet, qui verbum otiosum timet, aut in rei minus honestæ consensum impinget, qui levissimam cogitationem virtuti adversam fugit.*

D. Chrys. H. 87. in Matth.

Cant. 2. v. 15.

Ps. 79. v. 14. Repetitur similitudo de vulpeculis capiendis.

D. Chrys. H. de levium pecc. peric.

Alvar. t. 1. l. 5. p. 2. c. 16.

6. D. Chrysost. in præcitata Homilia dicit : *Quidquid leve quis dixerit, comparatione pejoris est leve*; nam ut habet commune axioma : *Magis & minus non sunt nisi comparativè*; sic enim facula magna est in comparatione ad candelam, parva autem si conferatur cum ingenti quadam flamma; sic quoque peccatum veniale appellatur leve, non quia revera & in substantia sua leve sit, sed comparative ad mortale; siquidem ut suo loco diximus : *Tu ne leve dixeris, in quo offenditur Deus*, ac proinde idem Chrysost. hanc propositionem, quæ exaggeratio quædam esse videtur, subjungit : *Cæterum leve non est, quod hominem ex interdicto occidit, & quod ex jussu interficit. Dum enim vetita fiunt; contemnuntur jussa, & imperata audaci contumacia negliguntur, sic & authoritas Dei jubentis offenditur.*

D. Chrys. ib. Veniale dicitur leve respectu mortalis.

7. *Quia tepidus es, incipiam te evomere.* Ferculum aliquod, quantumcumque sit exquisitum, si fœtido aliquo, etiam in modica quantitate, conspersum fuerit excremento, nauseam causat comedenti. Cum igitur opera meritoria & virtuosa in scriptura sub cibi metaphora exprimantur, dicente ipsomet cœlesti Magistro nostro : *Ego cibum habeo manducare &c. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; idem quoque de operibus nostris verum est, quod scilicet quantumcumque opera nostra perfecta sint & sancta. Deo nihilominus abominabilia & nauseabunda sint, si cum imperfectionibus, & defectibus venialibus fuerint conjuncta. Unde Richardus à S. Victor. ait : *Singula discutienda sunt opera, eleemosynæ, vigiliæ, orationes, & alij corporis labores, si purè fiant propter Deum, si aliud sit in causa principaliter, vel secundarie, si fiant discretè & cum debito moderamine, si finis sit profectus & perseverantia, si possibilitas proficiendi, si tempus, quando id fieri expediat, si modus, quo, & quantum, & quam frequenter. Item, si quando aliquid sit intermittendum, & quando vehementius insistendum. Item si cum damno aliorum fiat; si ad hoc impellat levitas, inconstantia, curiositas, si laus appetatur vel latenter subrepat, si humana delectatio, si terrenum commodum est discutiendum. Denique si virtutes sunt puræ, & perfectæ, si Deus super omnia diligatur, si aliquid amori ejus æquatur, vel præponatur; si dilectio proximi habeatur, si sincere propter Deum exhibeatur si diligatur in Deo amicus, si dilectio hæc spiritualiter, non carnaliter impendatur, si non accipitur persona, si non consideretur causa.* Et ideo supremus ille Judex per os Psalmistæ dicit : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Quæ verba S. Bern. considerans inquit : *Valde verendum est, ne sub tam subtili examine, multæ nostræ justitiæ (ut putantur (peccata appareant*

Joan. 4. v. 32. Opera bona conjuncta peccatis venialibus Deo minus sunt grata.

Rich. de S. Vict. ibid.

Justitias nostras Deus judicabit.

Ps. 74. v. 3.

S. Bern. ser. 55. in Cant.

DISCURSUS XXI.

ARGUMENTUM.

De nonnullis inter peccata venialia & mortalia distinctionibus : Ubi etiam de horum malitia differitur, & nonnulla illorum speciatim assignantur.

THEMA.

Si quis autem superædificat super fundamentum ... hoc ligna fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. 1. Cor. 3. v. 12.

1. S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus in l. 2. Q. 89. Articulum quemdam habet, in quo quærit : *Utrum convenienter peccata venialia per lignum, fænum, & stipulam designentur*; huicque Apostoli textui innixus respondet : *Quæcumque venialia peccata, ad lignum, fænum & stipulam reducuntur, secundùm eorum gravitatem & purgationem.* In corpore Articuli similiter inquit : *Dicunt quidam, quod per lignum, & fænum, & stipulam, significantur opera bona, quæ quidem superædificantur spirituali ædificio, sed tamen commiscent se eis peccata venialia, sicut cum aliquis habet curam rei familiaris, quod bonum est, commiscet se superfluus amor vel uxoris, vel filiorum, vel possessionum, sub Deo tamen, ita scilicet, ut pro his homo nihil vellet facere contra Deum, sed hoc non videtur convenienter dici; manifestum est enim, quod omnia opera bona referuntur ad charitatem Dei & proximi; unde pertinent ad aurum, argentum, & lapides pretiosos : Non ergo ad lignum, fænum & stipulam. Et ideo dicendum est, quod ipsa peccata venialia, quæ admiscent se procurantibus terrena, significantur per lignum, fænum & stipulam; sicut enim hæc congregantur in domo, & non pertinent ad substantiam ædificij, & possunt comburi ædificio manente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine manente spirituali ædificio, & pro istis patitur ignem vel temporalis*

S. Thom. p. 2. q. 89. art. 2.

Explicatio Thematis.

ralis tribulationis in hac vita, vel purgatorij post hanc vitam, & tamen consequitur vitam æternam. Reliquum igitur est, ut authoritate SS. Patrum innixi, distincte, quid per hæc ligna, fœnum, & stipulam significetur, exponamus.

B. Laur. Just. de perfect. grad. c. 1.

2. B. Laurentius Justinianus asserit, quod quamvis peccatum veniale *hominem ad reatum perpetuæ mortis non gravet; meretur tamen pœnam. Ideo namque puniri meretur, quia semper est à voluntate movente, vel permittente, aut non prohibente. Cæterum etiam in hoc differt à mortali, quia peccatum veniale est libido; sive voluptas in creatura citra Deum, seu æque Deo.* Gerson eamdem distinctionem adducens, fusius eamdem explicat, inquiens: *Peccatum veniale est complacentia, seu voluptas in creatura, infra, vel citra Deum, id est, quod non plus quam Deo, nec æque sicut Deo, quia quod non vellet quis illi finaliter adhærere, vel propter illud Deo displicere, aut scienter contra ejus præcepta, & mandata quidquam facere.* S. Gregor. supra illa Jobi verba scribens: *Ipse novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat?* Peccatum veniale sub nomine vanitatis describit inquiens: *Optime post vanitatem protinus iniquitas subjungitur, quia dum per quædam transitoria ducimur, in quibusdam noxie ligamur cumque mens incommutabilitatis statum non tenet, à semetipsa defluens ad vitia prorumpit. Potest autem & vanitas culpa intelligi, & iniquitatis nomine reatus gravior demonstrari, si enim aliquando vanitas culpa non esset, Psalmista non diceret: Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur &c. Ex vanitate ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus.* Idem quoque S. Pontifex quosdam ambarum harum culparum discernit effectus, inquiens: *Quia à levioribus malis incipitur, & ad graviora pervenitur, vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat;* differentiam quoque assignat, quæ est inter oculum obfuscatum, & totaliter excæcatum. S. Bonavent. supra dicta B. Laurentij Justian. ponderans, pro majori eorumdem declaratione subjungit: *Rectus autem ordo est, ut bonum immutabile præferatur bono commutabili, & honestum utili, & voluntas Dei voluntati nostræ, & ratio sensualitati, & quando iste ordo pervertitur, tunc peccatum committitur.*

Gerson T. 2. reg. moral. Descriptio peccati venialis.
S. Greg. l. 10. Moral. c. 9.
Ex vanitate ad iniquitatem ducimur.
S. Bonav. lib. 3. comp. Theol. verit. c. 12.

2. Abulensis sequentem tradit distinctionem. *Considerandum quod peccatum mortale per hoc differt à veniali, quia licet in utroque sit quædam conversio ad creaturam, qua delectamur in creatura, tamen in mortalibus est conversio tanta ad creaturam, quod convertimur ad eam, fruendo ea, & constituendo ipsam ut finem, ideo necessè est, ut avertamur à Deo, quem jam non habemus ut finem, & in hoc consistit tota prævaricatio. In veniali autem est conversio quædam ad creaturam, in qua delectamur, non tamen tanta, ut fruamur creatura, constituendo illam ut finem, & avertendo nos à Deo, qui finis essè debebat, sed manente Deo ut fine, delectamur in creatura, quæ delectatio non est fruitio, qua potius vellemus carere delectatione illa creaturæ quam offendere Deum, & ideo ibi non est aversio & ista est causa, quare non pereat hic charitas.* S. Bonavent. hanc differentiam quoque in alijs locis discutit, & quidem in Centiloquio ita scribit: *Distinguitur veniale tripliciter, nam quoddam est veniale ex subreptione, & ideo veniale est, quia non potest vitari tunc, & quia committitur præter rationem, semper est veniale. Quoddam est veniale ex cogitatione, sine consensu, & ideo veniale, quia non plene convertitur, ut in cogitatione; & delectatione de muliere, citra consensum in delectationem, & ideo veniale sit mortale per complacentiam & consensum. Quoddam est veniale cum delectatione & consensu, & ideo veniale est, quia non est deordinatio contra præceptum.* S. Vinc. Ferr. in Serm. quodam prædictum S. Pauli textum considerans ait: *Nota tria genera peccatorum venialium. De istius tribus differentijs peccatorum venialium dicit Apostolus: Si quis ædificaverit super fundamentum hoc, scilicet fidei, ligna, fœnum, stipulam, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, si tamen quasi per ignem, Nota lignum, fœnum stipulam. Hæc tria significant tria peccata venialia; lignum, quod difficilius comburitur, quam fœnum; significat peccata venialia majora, quia pro talibus multum stant in Purgatorio. Fœnum, quod citius comburitur, venialia peccata mediocria. Stipula, id est, palea, significat peccata venialia minima, de quibus statim purgantur, & purificantur transeundo per Purgatorium.* Alvarez de hoc eodem puncto diffuse & per multas distinctiones magna cum claritate discurrens inquit: *Veniale peccatum est actio libera, dictamini quidem rationis, & jussioni legis adversa, ac ob id Deo invisa, sed quæ ob sui parvitatem, nec vitam spiritualem animæ auferat, neque hominem à regno cælesti excludat, nec æternis cruciatibus destinet.* Moxque sequentem intellectu facilem subjungit similitudinem: *Sicut levi ægritudine corporis incolumitas leviter læditur, ita levi peccato aliquantulum rationis fulgor inficit.* Subdit quoque aliud exemplum, ex quo natura & deordinatio defectuum venialium facillime capitur, ait enim; *Quemadmodum in humana Republica sunt aliquæ leges, sine quarum observatione omnino stare non potest, quas præterire gravissimum essè cognoscitur; aliæ vero optimæ gubernationi conducibiles, quas transgredi, leve, & non magni momenti judicatur:* Ita in regno Dei *quædam sunt leges, ex quarum custodia charitas, & animæ vita dependet, aliæ vero sine quarum observatione charitas & spiritualis vita adhuc stare potest, & illarum transgressio peccata mortalia; istarum vero peccata levia, & venialia constituit. Et sicut inter homines, licet qualibet offensa amicitiam aliquo modo lædat, non tamen offensa levis amicitiam dissolvit; nec amicum à participatione bonorum amici omnino rejicit, sed aliqua levi satisfactione remittitur; Eodem prorsus modo leves offensæ adversus Deum, quas homines ex humana fragilitate committunt, erga Deum contractam, per charitatem & gratiam, amicitiam non auferunt, atque ideo nec animam interficiunt, nec regnum illi cæleste claudunt.* Distinctiones porro, quas inter transgressionem mortiferam & levem assignat, sunt hæ sequentes: *Peccatum mortale charitatem & gratiam tollit; veniale servata charitate ejus fervorem extinguit. Illud præfert creaturam Deo, quia ob amorem creaturæ Deum deserit; istud non præfert, quia licet se ad creaturam inclinet, non tamen Deum propter illam derelinquit. Illud constituit ultimum finem in creatura, quia ab ultimo, propter quem creati sumus, sine recedit: Istud non ponit finem in creatura, quia gratiæ decorem, & charitatis pulchritudinem, qua homo, tamquam in finem, tendit in Deum, non amittit. Illud animam interficit, istud fœdat. Quare Greg. dixit lib. 21. Moral. c. 9. In peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt.*

Abul. T. 7. in Matth cap. 27. q. 730. Distinctio venialis à mortali.
S. Bonav. Centil. p. 1. Sect. 6. Peccatum veniale est triplex.
S. Vinc. Ferr. Dom. 2. post Trin. ser. 2.
Triplex figura trium peccatorum venialium.
Alvarez t. 2. l. 1. p. 1. c. 1.
Similitudo desumpta à republica.
Aliæ mortalis à veniali distinctiones ab effectu.

4. S. Thomas, ubi supra in articulo quodam quærit: *Utrum peccatum veniale causet maculam in anima?* hancque quæstionem sequenti conclusione resolvit: *Peccatum veniale, cum non tollat habitum charitatis, neque aliarum virtutum, sed magis impediat actus illarum, non nisi per accidens maculam inducere dicitur.* Citatque S. August. dicentem: *Peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant, ut à cœlestis sponsi amplexibus nos separent.* Quæ verba tamen D. Angelicus hoc sensu exponit inquiens: *Loquitur August. eo casu, in quo multa peccata venialia dispositive inducant ad mortale.* Cui expositioni addi posset, verum quidem esse, quod peccata venialia multiplicata à Sponsi cœlestis amplexibus nos separent, hoc tamen non nisi ad tempus facit, scilicet quamdiu anima à sordibus, quantumvis levibus, per ignem purgantem purificata non fuerit. Habet quoque idem D. Angelicus in præcitato articulo sequentem doctrinam: *Macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen maculæ ad animam transfertur. Sicut autem in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum, & coloris; alius autem ex exteriori charitate superveniente, ita etiam in anima est duplex nitor. Unus quidem habitualis, quasi intrinsecus; Alius autem actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis, & aliarum virtutum, sed solum impedit earum actum.* P. Alvarez in ejusdem lib. cap. 10. hac de re ita scribit: *Est peccatum veniale, si attente ipsum inspiciamus, non quidem mors animæ, quod tantum crimini, seu peccato lethali competit, sed est adversa valetudo & infirmitas animæ, quæ & ipsam animam fœdat, atque deformat, & à debita dispositione bene & fervide operandi disjungit.* Citatque S. Bern. in Serm. de triplici genere bonorum; ita scribentem: *Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas, quia turbato oculo non videbitur Deus, & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si vero sanitati corporis solicita est providenda custodia, puritati cordis tanto solicitior est impendenda, quanto pars isto dignior illa esse convincitur.* Subditque idem P. Alvarez hanc similitudinem inquiens: *Sunt peccata ista levia, sicut pestilentes morbi, quos si diligentissima medicina non comprimas; certissimam & citissimam mortem intentant.*

S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 1.
S. Aug. l. de pœnit.
Quid sit macula animæ.
Alvar. ibid. c. 10. Macula est infirmitas animæ.

Alvar. ibid.

5. Quod attinet peccata venialia in specie, reperiuntur illa apud sacros Doctores notata, ut sequitur. Et quidem in primis Abulensis de hisce ita scribit: *Cum rebus istis magis de affectu impendimus; quam ratio suadet, sed nondum in eas tendimus, non avertimur à Deo, sed retardamur in progressu in Deum, in quæ tendimus fruendo ipso, quia cum totum affectum Deo impendere debeamus, quantum rebus dederimus ultra rationis decretum, tantum Deo subtrahimus, & tanto in progressu Dei retardamur, id est, ut tardius eamus, & minus ardenter; contingit autem majus & minus rebus de affectu impendere; nondum fruendo eis; sicut in amore conjugis, filiorum & possessionum, nam non æqualiter diligant ista homines boni, sed quidam nimis, alij minus, licet nulli boni eis fruantur; ideo licet æquali tempore ament quidam gravius venialiter peccant, quam alij, nam qui intensius amant, magis peccant.* S. August. longum culparum levium texit catalogum, dum in Serm. quodam ita scribit: *Quæ sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur, quam oportet, aut plus tacet, quam expedit. Quoties pauperem importune petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, alijs jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit; Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardius requisierit; Quoties infirmos tardius visitaverit; Si discordes ad concordiam revocare neglexerit; Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium aut servum exasperaverit, quam oportet; si amplius fuerit blanditus, quam expedit; si cuicumque majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit; si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium sumptuosa aut delitiosa sibi convivia præparaverit; si se in Ecclesia aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicij ratio reddenda est, occupaverit; Si dum incaute juramus, & cum hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique perjuramus. Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus; & cum aliquid suspicamur temere, quod tamen plerumque non ita, ut credimus; comprobatur; hæc & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quibus licet occidi animam non credamus, ita tamen eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt.* Idem Sanctus Doctor paulo post alias pariter veniales tangit deordinationes, inquiens: *Si nec in tribulatione Deo gratias agimus; nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tamquam lignum, fœnum, & stipula consumantur.* Rich. à S. Vict. quoad defectus culpabiles, qui etiam in operibus bonis reperiuntur, ita scribit: *Vigiliæ & orationes sunt tibi inutiles, si sic ista exerceas, ut eo tempore dormias ac torpeas, quo debes orare, & vigilare, si singularitatem quamdam in his teneas, per quam communia, & ad quæ magis teneris, omittas:* Idem paulo ante hunc quoque defectum tetigerat, inquiens: *Fallitur aliquis, si sub occasione sustentandi corporis, delectationi serviat, vel sustentationem necessariam sibi subtrahat.*

Abul. ibid. q. 731. Exponuntur modi peccandi venialiter.
S. Aug. ser. 41. de Sanctis. Specificantur hic multa peccata venialia.
Rich. de S. Vict. c. 9. in Cant. Peccata venialia in operibus bonis.

6. Blosius huic nostro proposito haud inopportunam refert Historiam, dum ita scribit. *Quædam monastici ordinis virgo, quæ pie admodum vixerat, veniens ad mortis horam, purgari ante exitum debuit ab hac culpa, quod quandoque gratiam sacramentalis confessionis neglexerat; nonnumquam enim cum aliæ sociæ virgines ad confessionem coram Sacerdote faciendam sese præpararent, illa nullum in conscientia sua gravioris culpæ sentiens remorsum, minime satagebat per verba Sacerdotis absolvi saltem à pulvere venialium culparum, sine quibus humana vita non ducitur, sed simulabat se interdum dormire, quando Sacerdos confessiones recepturus aderat.*

Blosius cond. animæ c. 5. n. 2. Historia de quadam virgine.

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

Scriptura Sacra, & Sancti Patres, valde detestantur illa peccata venialia, quæ voluntariè, scienter, deliberate & cum complacentia committuntur.

THEMA:

Septies cadet justus, & resurget. Prov. 24. v. 16.

1. SAcræ Literæ & Sancti Patres plurimis in locis hanc confirmant veritatem, scilicet, neminem, quantumcumque etiam Sanctus sit, ab aliqua culpa veniali totaliter esse exemptum & immunem. *Necessè enim est*, ut S. Leo Magnus ait, *de mundano pulvere etiam corda religiosa sordescere.* Ubi notanda sunt verba illa: *Necessè est.* Idem quoque sanctissimus Pontifex alio in loco considerans, quod *militia est vita hominis super terram*, neminem esse dicit, quantumvis sit pugnandi expertus & generosus, qui ab inimico victoriam reportare possit, quin cum vulnere aliquo revertatur ex habito contra Dæmonem prælio: *Nec facile, inquit, provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentesque conflictus, etiamsi sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere.* Et ideo Sapiens ita disponente æterna Veritate expresse dicit: *Septies cadet justus*; quod licet verum sit, immediate tamen subjungit: *Et resurget.*

S. Leo ser. 4. de Quadr. Generaliter nullus est liber à peccato veniali.
S. Leo ser. 4. de jejun. decimi mensis.

2. Et vero non adeo condemnantur à Doctoribus illa peccata venialia, quæ depravatæ naturæ nostræ fragilitati sunt adhærescentia, quæque ex ignorantia, & inadvertentia, & quasi contranitente voluntate committuntur; sed illa præcipue, quæ à nobis fiunt ex industria & deliberatione, sive ex malitia. Etenim si justus in die septies cadat, eodem tamen tempore à lapsibus suis, qui ei non sunt voluntarij, subito resurgere, eosdemque detestari non differt. Et quidem si illum mihi ex sacris Canticis objicias textum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; Mox tibi cum venerabili Beda respondebo: *Macula non est in te, quia celeriter omni conatu te expurgas, nec in te manere peccatum ullum pateris.* Quando vero contracta labes subito abstergitur, per hoc satis labem illam odio haberi, non vero amari significatur. Superius Ecclesiastem de damnis culparum venialium locutum fuisse ostendimus, quando ait: *Muscæ morientes perdun suavitatem ungienti*; Et vero præter ea, quæ superius circa hæc verba notavimus, observandum est insuper, sapientem non fuisse contentum se dixisse: *Muscæ*, nisi insuper adderet, *morientes*; quia tunc peccata levia devotionem, & spiritum in homine extinguunt, diminuunt charitatem, & perfectioni acquirendæ obsistunt, quando animæ infixa hærent, inde pelluntur; *morientes perdunt suavitatem.* Verum dices fortasse, cur non potius ab apibus desumpsit similitudinem, quarum punctura profundior est, atque dolentior: Respondeo igitur; verum quidem esse, quod apes acutius & profundius pungant; verumtamen quia hæ aculeum suum in loco corporis læso relinquunt; ideo potius illos præsignant, qui licet venialiter peccent, à remorsu tamen commissi peccati transfixi, culpam commissam subito detestantur, fugant, & veraciter se emendant. Magis vero propria est similitudo muscæ, qua Ecclesiastes utitur, quia hæc importunissima est, centies abacta, centies revertitur, & circumvagatur, donec necetur; Et ideo præfigurat illos, qui peccata venialia sæpius reiterant, quibus proinde eadem in corde defixa manent.

In genere peccatorum venialium gravissima sunt, quæ fiunt ex industria.
Cant. 4. v. 7.
Eccle. 10. v. 1.
Ratio quare dicantur muscæ quæ non statim retractantur.

3. S. Bernardinus testimonio S. Augustini innixus, in ea est opinione, quod scilicet nemini umquam in quocumque demum casu liceat culpam venialem committere, *scienter videlicet.* S. Anselmus quoque ait: *Sic graviter peccamus, quotiescumque scienter aliquid, quantumlibet parvum, contra voluntatem Dei facimus, quoniam semper sumus in conspectu ejus. Et semper ipse præcipit nobis, ne peccemus.* Observandum quoque quod S. Paulus, postquam dixisset: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, mox hæc verba subdat: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Sciebat enim admodum difficile esse semper stare & numquam cadere: *Quia septies cadit justus*

S. Bern. t. 1. ser. 17. art. 2. c. 1.
S. Anselm. l. 1. Cur Deus homo c. 21.
1. Cor. 10. 12.
S. Anselm. ib. Tentatio humana dicitur peccatum per ignorantiam vel fragilitatem.

ſtus; tentatio eſt vita hominis, qui non eſt tentatus, quid ſcit? & ideo Apoſtolus dicere volebat, ex quo præſentem hanc vitam ſine ullo etiam levi lapſu transfigere non poteſtis, date operam, ut tentatio ad minus humana ſit, id eſt, ſit ſine præmeditatione, ſed potius ex ignorantia; nam ut S. Anſelmus ait: *Dæmonis eſt ſcienter & voluntarie peccare, cum nulla ad hoc fragilitate trahatur, hominis autem eſt per ignorantiam vel per infirmitatem peccare.* Ludovicus Bloſius inquit: *Aliud eſt labi in levia peccata ex occaſione, aut humana fragilitate duntaxat, & aliud labi ex affectata negligentia; nam qui ex infirmitate ſola delinquit, dum liber apud ſemetipſum eſt, odit vitia, eorumque vitat occaſiones, quando tamen ſeſe offerant ipſæ occaſiones, facile aut linguæ incontinentia, aut ſenſuum nimia libertate, aut paſſione affectioneque indigna, aut conſimili aliqua transgreſſione offendit, ſed mox ut ad ſe redierit, dolet, & penitus averſatur vel minimam peccatorum labem, ob idque veniam repente conſequitur. Ille vero qui ex affectata negligentia peccat, dum malorum occaſionibus è medio ſublatis, liber apud ſemetipſum eſſe poteſt, miris modis concupiſcit eaſdem occaſiones, illiſque plurimum afficitur, non ſane propter peccatum, ſed propter oblectationem, labitur quidem & ipſe ex fragilitate fortaſſis, ſed non ex mera fragilitate; qui tamen, ſi ſtatim poſt culpam admiſſam invocato propoſito vere pœnitentiam ageret, ipſe quoque celerrime obtineret delicti remiſſionem.*

Bloſ. de parad. animæ c. 3 n. 3. Quid ſit peccare ex fragilitate & non mera fragilitate.

4. S. Bernardus in ſer. 1. *De converſione S. Pauli*, ita ſcribit: *Quis es, inquit? Ignotum perſequebatur, & ideo conſecutus eſt miſericordiam, quia ignorans in incredulitate fecit. Diſcite ex hoc fratres, juſtum judicem Deum, non modo quid fiat, ſed quo animo fiat, conſiderate, & cavete deinceps, ne quis parva reputet, ſi quælibet parva ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo, levia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimiſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum.* Porro quod voluntarius transgreſſionum venialium neglectus vocetur blaſphemia in Spiritum Sanctum, paradoxum non nemini videri poſſet, attamen quia propoſitio hæc è melliflui S. Bernardi calamo emanavit, eamdem omnino rationabilem & congruam eſſe credendum eſt. S. Thomas blaſphemiam ita definit: *Eſt contumeliam vel aliquod convitium inferre in injuriam Creatoris.* Qua definitione veluti legitima ſuppoſita, vere dici poteſt, quod qui ſtatuit in corde ſuo abſtinere quidem à peccatis mortalibus, non tamen à venialibus, ac proinde ſine ullo fræno illa libere & inſolenter committit, injuriam Deo faciat, illumque offendat, eo præcipue, quod hac ratione evidenti ſe exponat mortaliter peccandi periculo. S. Bonaventura *in Prologo Speculi diſciplinæ* ita ſcribit: *Minima neglecta eo turpius moribus maculam ingerunt, quo vitare facilius cognita potuerunt.* P. Alvarez quidem notat, Deum quibuſdam hanc elargiri gratiam, ut poſt converſionem ſuam ſeſe præſervent à culparum etiam venialium commiſſione, hoc tamen talibus verbis enuntiat, ut veluti rem prodigioſam eſſe, ſatis inſinuet: Ita enim ſcribit: *Numquam, aut rariſſime peccata venialia ſcienter, & ex induſtria, & ex plena deliberatione committunt.* Cæterum in progreſſu hujus libri cap. 18. ita ſcribit: *Peccata illa, quæ ſtipulis deſignantur, & non ex vitijs noſtræ menti inſidentibus, neque ex malitia, & inverecundia ſcienter peccantis, ſed ex infirmitate carnis, & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillime caventur, adeo ut nullus Sanctorum præter Chriſtum Salvatorem, qui Deus eſt, & peccare non potuit, & præter B. Virginem, quæ mater Dei eſt, & ſingulari privilegio omni caruit peccati nævo, ab illis inveniatur immunis.* Idem in lib. 3. ejuſdem Tomi in hæc verba ſcribit: *Dictum eſt; perfectam charitatem leviſſima quæque peccata non admittere, quia diligentiſſima cura ea cavet, & ſi inciderint, lachrymis & gemitibus diluit. Perfectionis ergo hujus vitæ puritas in hoc ſita reperitur, ut omnia gravia peccata penitus fugiat, & corporalem mortem, imo & ipſos gehennæ cruciatus potius, quam aliquod grave crimen admittat, & ut levia peccata numquam de induſtria perpetret, & quæ humana fragilitas ſecum affert, quotidie numero minuat, imminuta qualitate extenuet, extenuata ſæpiſſime odio ipſorum, & Dei ferventiſſimo amore conſumat.*

S. Bern. de Converſ. S. Pauli ſer. 1.

S. Bonav. Spec. diſc. Deſcribitur blaſphemia quam committit venialiter peccans ex deliberatione.

Peccata indeliberata omnia vitari non poſſunt extra privilegium.

S. Iſidor. c. 18.

S. Iſid. l. 3. Ep. 2. c. 13.

5. S. Propheta probe quidem ſciebat, *quod nemo mundus ſit à ſorde*, quodque veriſſimum ſit illud Davidis effatum: *Omnis homo mendax*; Verumtamen audite eumdem dicentem: *Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Porro meditatio propria eſt cordis, nec quidquam illi commune eſt cum lingua verumtamen quia ſciebat, *quod ex abundantia cordis os loquitur*, ſcire nos voluit, quod licet nonnumquam in transgreſſionem & culpam aliquam levem lapſus fuiſſet, id tamen numquam illi accidiſſet voluntarie & præmeditate, ſed ex ſubreptione proceſſiſſe. S. Auguſtinus in libro *de natura & gratia contra Pelagianos cap.* 38. multa enumerat peccata venialia Abeli, quæ Scriptura ſubticuit; ita enim ſcribit: *Ita nec commemorandum fuit, ſi Abel, quamvis merito juſtus appellatus eſt, paulo immoderatius ſi aliquando riſit, vel animi remiſſione jocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquando immoderatius poma decerpſit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cum oraret, cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, & quoties illi iſta, aut ſimilia multa ſubrepſerint.* Ubi præcipue ponderanda ſunt hæc ultima verba. Non enim à Deo nobis imputantur culpæ illæ, quæ ſunt ſubreptitiæ, & contra voluntatem noſtram, & ſine deliberatione & induſtria nobis accidunt. Idem Sanctus Doctor alibi *de vera & falſa pœnitentia* differens, inquit: *Hæc peccata etſi ſint parva per Dei miſericordiam, magna fiunt in peccatoribus negligentia, nullum enim peccatum adeo parvum, quod non creſcat neglectum.* Qui enim peccatum veniale non curat, ſed illud in anima inveteraſcere ſinit, illudque fovet, & in eo ſe oblectat, adeoque deliberate & data opera illud committit, paulatim illud creſcere & gravius fieri permittit. Abulenſis hac de re ita ſcribit: *Quædam venialia ſunt graviora alijs; uno modo ex duratione in aſſuetudine peccati; vel complacentia ejus: Alio modo ex genere peccati;* Nimirum peccati venialis malitiam ex pondere majoris vel minoris affectus & complacentiæ arguendam eſſe inſinuat. Unde ſubdit: *Sunt quædam alijs majora, ex majori affectione, nam in eodem genere peccati mortalis contingit aliquem magis aut minus peccare, ex affectione majori vel minori.* Demum vero ad propoſitum noſtrum inquit: *Quidam gravius venialiter peccant, quam alij, nam qui intenſius amant, magis peccant. In hoc proprie attenditur majoritas vel minoritas venialium, ſecundùm quod animus noſter magis afficitur ad res.*

Job. 27. v. 4. David ex ſubreptione non verò præmeditate locutus eſt mendacium.

S. Aug. t. 7.

S. Aug. de vera & falſa pœn. cap. 8.

Sunt graviora & minora peccata venialia.

Abul. T. 7. in cap 25. Matt. q. 731.

6. Religioſiſſimus Ludovicus Bloſius animabus timoratis ſæpius in transgreſſiones leviores præter voluntatem ſuam incidentibus, ſequens ſuggerit conſolationis motivum, inquiens: *Non fueris nimium puſillanimis propter quotidiana peccata, quæ invitus committis. Nam quemadmodum ſingulis diebus in multis ſaltem leviter offendimus, ita quotidianas expiationes habemus in promptu.* De hiſce autem remedijs loquemur in diſcurſu ſequenti. Beat. Laurentius Juſtinianus poſtquam de peccato mortali differuiſſet, hæc verba ſubjungit: *Non ſic veniale peccatum, quod non malitia, nec animi deliberato conſenſu, ſed ut plurimum ex ignorantia, & ſæpiſſimè ex fragilitate, atque delinquendi conſuetudine perpetratur. Nam veniale ideo dicitur, quia facile meretur veniam.* Quia vero Salvator noſter ait: *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis*; ideo prædictus Juſtinianus ſubjungit: *Quamvis ad reatum perpetuæ pœnæ non gravet, meretur tamen pœnam*; Omnis quippe culpa caſtigatur pœnis temporalibus in hac vita, & in altera per ignem purgantem, id eſt, per pœnam ſenſus uſque ad limitatum tempus, & per pœnam damni, divinam videlicet retardando beatitudinem. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis*, inquit idem Chriſtus. Sed audiatis velim, quibus verbis Alvarez perſtringat eum, qui ſciens & volens Deum venialiter offendit; *Frontem*, inquit, *meretricis habet, qui poſt Divinam majeſtatem intime cognitam, poſt ampliſſima ejus dona ſuſcepta, poſt guſtatam cœleſtium contemplationum ſuavitatem, audet ſciens, & advertens aliquid Domino diſplicere, illud licet leviſſimum, coram oculis ſui Domini & Creatoris patrare.* D. Chryſoſtomus idipſum confirmat, dum ita ſcribit: *Cur juſſa contemnis, ſi ſervis? cur operaris vetita, ſi obſequeris? aut cur imperata negligis, ſi famularis?* Verum enimvero te-

meritas

Bloſ. ibid. n. 2. Peccatum veniale indeliberatum facile veniam meretur.

B. Laur. Juſt. de perfect. grat. c. 1.

Luc. 12. v. 47.

Alvarez t. 2. l. 1. p. 1. c. 9. Frontem habet meretricis, qui deliberatè peccat.

D. Chryſ. t. 5. ſer. de levium pecc. peric.

meritas illorum, qui ſcientes & volentes Deum per peccata venialia offendere non verentur, melius & clarius ex ſequenti declarari poterit ſimilitudine. Si enim quemdam videres Aulicum à Principe ſuo valde dilectum, magniſque beneficijs auctum, ſuum nihilominus negligere ſervitium, vel tempore debito in anticamera non comparere, vel ſine ullo Principis ſui reſpectu male de eo loqui, ejuſque favoribus prorſus abuti, numquid eum proximum eſſe diceres gravi Domini ſui indignationi? numquid illum propediem tamquam malum & infidelem ſervum ex aula Principis ſui turpiter eliminandum eſſe conjiceres? Hoc autem eſt offendiculum, quod multos cadere facit homines; qui ſe ſpirituales eſſe credentes, relaxantur in ſpiritu peccata venialia non curant, ſed ea penes ſe nutriunt, ac proinde paulatim à divino excidunt ſervitio. Alvarez ad hoc intentum efficax format argumentum, ad quod, quid reſponderi poſſit, ignoro; Ita enim diſcurrit: *Si non ſolàm mortem corporis, & ea, quæ mortem important, ſed quæcumque etiam adverſa corpori fugimus, cur ſolam mortem animæ & quæ ad illam diſponunt, & non quoque quæcumque mala alia fugiamus? maxime quod iſta mala, ſeu damna leviorum peccatorum non levia ſunt, ſed magni momenti.* Nullus utique adeo ſuiipſius eſt inimicus, ut ex propriæ voluntatis electione vulnera in ſe admittat, tametſi mortalia non ſint; quomodo igitur adeo fatui ſumus, ut vulnera in anima noſtra fovere audeamus, tametſi ea lethifera non ſint. D. Chryſoſtomus ait: *Cum innumerabilia quotidie vulnera accipiant, numquam ſentiunt, in quibus ſint malis, ſed corpus quidem exquiſita diligentia curant, animam vero negligunt ſqualentem, & ſordentem, & innumerabilibus affectionibus perturbatam.*

Similitudo ab aulico deſumpta.

Alvar. T. 2. l. 1. p. 1. c. 11. Secunda à vulneribus.

D. Chryſ. t. 1. orat. de anima.

7. *Septies cadit juſtus & reſurgit.* Homo juſtus & timoratus nullam habet in lapſibus ſuis complacentiam, cujus ſignum eſt, quia poſtquam per fragilitatem cecidit, ſubito reſurgit, idque non ſolum ab offenſis mortalibus, ſed etiam à venialibus. S. Anſelmus ſuper illa verba Apoſtoli: *Qui ſtat, videat ne cadat*, præter obſervationes ſuperius adductas ita ſcribit: *Nec quod penitus ſine caſu perſeverare poſſit, ſed hoc ſaltem videtur, ut tentatio, id eſt, delectatio peccati vos non apprehendat, id eſt, rationem veſtram in conſenſum non trahat, niſi humana, id eſt, niſi de his levibus peccatis, ſine quibus humana vita non poteſt duci.* S. Auguſtinus ſermone quodam *de verbis Apoſtoli*, ita ſcribit: *Nemo dicat ſe eſſe ſine peccato, ſed tamen non ideo debemus amare peccatum; oderimus ea fratres, etſi non ſimus ſine peccatis, oderimus tamen ea* Doctrina Bloſij eſt dicentis: *Pij Monachi, etiamſi nonnumquam, vel etiam frequenter delinquunt, delinquere tamen & oderunt, & cavent ſemper, dolentque poſtquam offenderint; perverſi vero Monachi, & delinquunt, & delinquere nec oderunt, nec cavent, leviorum enim culparum nec affectus extinguere, nec occaſiones vitare laborant.* Neque hoc loco prætereunda nobis eſt propoſitio quædam Gerſonis, qui *de vita ſpirituali animæ* differens ait: *Peccans venialiter ex deliberatione, abutitur Dei miſericordia; quæ conceſſit peccatum illud eſſe veniale, non mortale.* Ubi obſervandum eſt illud, *ex deliberatione*, quia dum per ignorantiam & fragilitatem peccatur, venia digni ſumus. Richardus à S. Victore conſiderans, quantopere ſoliciti ſimus circa res temporales, eos, qui licet venialiter, non ex malitia, ſed per negligentiam peccant, his verbis perſtringit: *Debemus non ſolum in ſtudijs & exercitijs ſpiritualibus, verum etiam in negotijs ſæcularibus & neceſſitatis uſibus, nihil incircumſcripte, nihil improvide facere. Itaque in his etiam, in quibus humanæ neceſſitati conſulimus, vel communi infirmitati deſervimus, nihil ſine modeſtia, nihil ſine intentione bona, nihil præter ordinem, nihil præter rationem agamus*; ſed potius ita res noſtras agamus, ut nobis dici poſſit: *Filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.*

1. Cor. 10. Signum diſplicentiæ peccati venialis commiſſi.

1. Cor. 10. 12.

S. Anſelm. ib.

S. Auguſt. de verb. Apoſt. ſer. 29. c. 6.

Bloſius inſtruct. vit. Aſcet. diviſ. 7. Diſtinctio fervidi & minus fervidi Religioſi.

Gerſon t. 3. l. 3. de vita ſpirit. animæ fol. 168.

Rich. de S. Vict. c. 43. de erudit. inter hom.

Luc. 18. v. 8.

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

Tametſi nullus à culpa veniali exemptus ſit, attamen præter præſervativa, quibus efficitur, ne in illa cadamus, multa quoque habemus, poſtquam in illa lapſi ſumus, pro illis remedia.

THEMA.

Auferte offendicula de via. Iſa. 57. v. 14.

1. QUamdiu in hac præſenti vita viatores ſumus ferè ad quemvis greſſum in offendicula incidimus, ac proinde Propheta Evangelicus omnia hæc offendicula (quantumvis parva, id eſt, peccata venialia, è medio tollere ſuadet: *Auferte offendicula de via.* Enimvero in hac materia duæ veritates certæ ſunt, quas in præſenti diſcurſu examinabimus; quarum prima eſt, quod unuſquiſque ad hæc offendicula ceſpitet, nulluſque, quamdiu in hoc mundo vivit, ſe à culpa aliqua levi eximere poſſit: Secunda eſt, quod de ſufficientibus remedijs ſimus proviſi, quibus remiſſionem & expiationem ſimilium peccatorum obtinere valeamus.

Intentio proponitur dicendorum in hoc diſcurſu.

2. Porro cauſa, cur nullus ſibi immunitatem à lapſu promittere poſſit, hæc eſt, quia naſcimur filij iræ, & in peccatis concipimur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Notandum vero eſt, quod quoad hoc punctum Alvarez in hæc verba ſcribat: *Gratia Dei poſt Adæ peccatum, licet in hac vita ſanet mentem, numquam tamen omnino reparat carnem, dicente Paulo: Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Caro verò nondum reparata, nec ad plenum damnata, motus ſuos habet ſive iræ, ſive concupiſcentiæ, præceptis Dei contradicentes, & adverſus rationem rebellantes. At illos motus ratio etiam vigilantiſſima per totam vitam non reprimit, ſunt enim innumerabiles, nec illis in omni occaſione reſiſtit. Quis gloriari poteſt caſtum ſe habere cor, id eſt, ab omni fæce peccati purgatum? Quis aliquando non eſt in oratione diſtractus? Quis in pſalmodia non eſt minori reverentia quam par erat, affectus? Quis interdum in Miſſæ ſacrificio non tepuit? Quis non fuit cogitationum inanium vanitate deluſus, aut deſideriorum terreſtrium vilitate pulſatus, aut affectus inordinati ſubreptione commotus? Quis aliquando cum loqui debuiſſet, non ſiluit, aut tempore ſilentij verbum non protulit, & in otioſo ſermone non exceſſit? Quis cibi, potus, & ſomni menſuram ita diſtricte ſervavit, ut numquam neceſſariò aut minus acceperit?* S. Jacobus Minor, qui ad tam eminentem vitæ ſanctitatem pervenit, ut *frater Domini* appellatus fuerit hic, inquam, hac ſanctitate ſua non obſtante, in Epiſtola ſua ita ſcribit: *In multis offendimus omnes*; ubi notandum, quod non dicat, *multi*, ſed *omnes*, nullus enim ab omni prorſus offenſa liber & immunis in hac vita perſiſtere valet, niſi ſolum Chriſtus Salvator noſter ex natura ſua, & ſanctiſſima ejus mater ex ſpeciali privilegio. S. Joannes Apoſtolus, qui licet quoad annos maturus fuerit propter innocentiam tamen & puritatem *puer* appellari meruit: *Ecce puer meus*, hic inquam, quantumvis ſit excellenter purus, in prima Epiſtola ſua dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Verum quidem eſt, quod paulo poſt ſubjungat: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate*; ſubdit tamen: *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum & verbum ejus non eſt in nobis.* S. Propheta Job ait: *Quid eſt homo, ut immaculatus ſit? & ut juſtus appareat, natus de muliere? Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus, Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?*

Pſ. 50. v. 7.

Alvar. T. 2. l. 1. p. 1. c. 9. Dicitur ratio, cur omnes peccent venialiter.

Jacob. 3. v. 2. Apoſtoli ſe dicunt peccatores.

Matt. 12. 18.

1. Joan. 1. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 10.

Job. 15. v. 14.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 16.

3. *Auferte offendicula de via.* Hic mundus typice per mare præfiguratur: *Hoc mare magnum & ſpatioſum*, naves autem, quæ in hiſce aquis oberrant, nos ipſi ſumus, qui ad beati regni littora trajicimur. Quiſnam vero noſtrum adeo ſolicite obfirmatus eſt, in quem hujus mundi ſtilla aquæ non penetret? verum quidem eſt, quod hæc aqua per confeſſionem & compunctionem, alijſque pluribus modis ejiciatur, navigiumque noſtrum exoneretur, quia Deus nobis pro peccatorum expiatione de multis proſpexit remedijs, attamen: Non eſt homo, qui non peccet, nam ut in Diſcurſu præcedenti diximus: *ſepties cadet juſtus*, licet immediate ſubjungat: *Et reſurget.* Tertullianus de peccatis venialibus differens ait: *Delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſumus ſubjecti. In negotijs, in officijs, in victu, in viſu, in auditu quantum tentamur? ut ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat.* S. Auguſtinus neminem noſtrum, quantamcumque adhibeat diligentiam, ab omnibus defectibus levibus in ge-

Similitudo de navi.

Prov. 24. 16.

Tertull. Flor. c. 11.

nere

S. Aug. T. 6. de sanct. virginit. c. 50.

nere abstinere posse censet: *Quia satagentibus, vigilantibusque, ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis pauca, non tamen nulla; eadem ipsa magna fiunt, & gravia, si eis superbia incrementum & pondus adjecerit.* Hanc porro veritatem apud S. Bonaventuram his verbis expressam legimus: *Nota, quod homo potest esse sine peccato mortali, sed non sine veniali; Et ratio hujus est, quia homo, dum unum veniale vitat, aliud incurrit. Unde dicunt Doctores, quod homo potest vitare quodlibet veniale in particulari, sed non in generali, & est exemplum de navi, in qua sunt multa foramina, quorum quodlibet in particulari nauta oppilare potest, sed non omnia simul, & ideo sine veniali vix homo esse potest, dicente Joanne: si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* Hoc tamen ita intelligendum est, prout ex S. Augustino audivimus, quod scilicet illa peccata venialia sint inevitabilia, quæ à nostra fragilitate procedunt; illa enim quæ committuntur ex malitia, ut in Discursu præcedenti diximus, non solum evitare possumus, verum etiam quovis modo possibili evitare tenemur: *Plane beati sunt,* inquit P. Alvarez, *qui licet ex infirmitate peccent (quemadmodum enim ait Job: Nemo mundus à sorde) tamen numquam scienter, & ex malitia delinquunt: Nam ex infirmitate peccare, infirmæ carnis opus est, numquam tamen ex deliberata voluntate delinquere, nec levissime, opus est abundantis charitatis, quæ non tantum Creatorem suum omnibus prætulit, sed nec minimam ejus offensam sciens & volens admisit.* Idem quoque alibi ad propositum nostrum illum adducit textum Propheticum: *Si reverteris Israël, ait Dominus, ad me convertere, si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoveberis; si inquam peccata deseris, & veterem conversationem derelinquis; serio considera, quoniam non cum homine amicitiam resarcis; sed ad me converteris, quem neque in minimis deberes noxa pulsare. Si abstuleris non solum offensas, quæ amicitiam discindunt, sed etiam offendicula, id est, levia perfectionis obstacula, ita ut (quantum hæc vita plena peccatorum, & imperfectionum fert) ea quotidie aboleas & destruas, tunc non commoveberis.*

S. Bonav. t. 6. de tribus ternar. peccat. infam. c. 5. Alia ratio cur homines omnes peccent venialiter. *1. Joan. 1. 8.* *Alvar. ibid.* *Alvarez t. 1. l. 5. p. 2. c. 16.* Quid sit non commoveri.

Ubi nascitur herba venenosa, natura pariter suppeditat medicinalem.

4. *Auferte offendicula de via.* Cum omnes viæ hujus vitæ nostræ passim refertæ sint aliquo scopulo seu offendiculo, licet parvo, ideo si neutiquam in illa offendicula impingere & cespitare volumus, in ijs removendis cauti & circumspecti esse debemus: Asserunt Philosophi naturales, quod natura, rerum omnium providissima mater, ita nobis prospexerit, ut ubicumque terra herbam aliquam progerminat venenosam, ibi pariter juxta illam enascifaciat herbam aliquam medicinalem, quæ securum sit adversus venenum antidotum, & remedium. Porro Deus non minori providentia fidelium curat animas, quam natura corporibus prospicit, siquidem major est providentia in operibus gratiæ, quam in operibus naturæ, ac proinde cum Deus perfectissime sciat figmentum nostrum, quam scilicet faciles simus ad lapsum, hinc est; quod multa nobis subministrarit auxilia & remedia, quibus nos à culpis venialibus præservare, easque, si quas contraximus, expiare valeamus. Et quidem ad culpas veniales evitandas S. Bernardus hoc nobis insinuat optimum præservativum, inquiens: *Oportet, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longe agentibus cogitationibus, hujusmodi multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum otiosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex id est, non inhærens, sed fœtens, nisi fortè diutius immoretur in nobis, & per incuriam & negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quotidie experimur. Dum enim otiosa, tamquam minima, spernimus, ad turpia atque inhonesta delabimur.* P. Alvarez sequentia motiva, tamquam transgressionum venialium frænum suggerit: *Hi sane, qui scienter, & data opera à peccatis levibus non abstinent, & eo quod criminalia delicta non sunt, seipsos consolantur, indigent more puerorum edoceri, & rerum transeuntium similitudinibus erudiri. Dicant itaque nobis, an auderent mendacium officiosum proferre, si scirent statim oculos suos cæcitate plectendos, & aspectu amabilis lucis hujus orbandos? Et quomodo audent ipsum effutire, quod oculos mentis obnubilat, & cælestis claritatis visionem abscondit? Estne oculus mentis corporis luminibus contemptibilior, ut propter ista mendacio fuerit abstinendum, & non propter illum, sed nihil de ejus amissione curandum? Delevi, ait Dominus, ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua; revertere ad me, quoniam redemi te. Et postquam reversi sunt ad Dominum, & ejus sanguine liberati, dignum ducent alias nubes, & nebulas, licet leviores, quæ istas obscurent & contristent, ex industria suscitare? Quis non videat hanc ignorantiam esse stultissimam? Dicant etiam, an in verba otiosa diffluerent, si compertum haberent, quod è vestigio extingueretur ignis, quo tempore hyemis suas manus calefaciant? Quo pacto igitur in verba otiosa scienter diffluant, cum certo etiam sciant, quia divinus ille charitatis ignis, qui animam fovet, atque calefacit, his otiosis sermonibus detrimentum patitur, & suo fervore privatur? Nam si non convertitur in aquam crassam, ut ille ignis absconditus à Jeremia, qui terra obrutus vim urendi & splendendi perdiderat, ac sic hujusmodi peccatis intepescit, ut animam quasi frigidam, & ad perfectionis opera quasi tepidam derelinquat.*

Præservativum contra venialia. *Alvar. t. 2. l. 1. p. 1. c. 17.* Scienter peccantes more puerorum docendi sunt.

5. Quod vero illa attinet remedia, quibus peccata venialia jam commissa abolentur, de his S. Bonaventura in hæc verba scribit: *Quoad indulgentiam, nota, quod sicut veniale multipliciter incurritur, ita multipliciter purgatur; Modi autem purgationis his versibus continentur:*

Confiteor, tundo, conspergo, conteror, oro;
Signor, edo, dono; per hæc venialia pono.

Id est, depono, & tollo. Remittuntur ergo per generalem confessionem; per pectoris tunsionem; per aquæ benedictæ aspersionem; per cordis contritionem; per Dominicam orationem; per confirmationem ac Episcopalem benedictionem; Eucharistiæ sumptionem; offensæ condonationem; extremam unctionem, levem pænitentiam, compassionem fraternam. Doctor Angelicus in 3. p. Q. 87. Art. 1. quærit: *Utrum peccatum veniale possit remitti sine pænitentia:* Et in hæc verba respondet: *Non potest venialium peccatorum aliquod sine pænitentiæ virtute remitti, etsi non tantum à Deo separet, quantum mortale.* Citatque authoritatem S. Augustini in lib. *de pænitentia* dicentis: *Est quædam pænitentia, quæ quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus; quæ frustra esset, si sine pænitentia peccata venialia possent dimitti.* Concedit tamen Sanctus Doctor, quod ad hanc venialium remissionem, non sit necessarius actus tam intensus pœnitentiæ, sicut ad remissionem peccati mortalis. *Exigitur enim ad remissionem peccati mortalis perfectior pænitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur, sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum.* S. Gregorius ab Alvarez cap. 9. citatus inquit: *Considerare magnopere, quid agere jussi soleant, debemus, qui plerumque si qua in se quamlibet leviter carnalia esse deprehendant, hæc in internis sensibus retractantes, vehementer in semetipsis insequuntur, afflictione se conterunt, magnisque cruciatibus vel minima in se parva dijudicant, atque hæc per pænitentiam damnant.* Quod idcirco agunt, *ut in conspectu æterni judicis, & ipsi inveniri, in quantum est possibile, irreprehensibiles debeant: Et hi, qui eos se judicare conspiciunt, emendare semetipsos à culpis gravioribus inardescunt.*

S. Bonav. ib. Modi enarrantur quibus peccata venialia dimittuntur. *S. Thom. 3. p. q. 87. art. 1.* Ad remissionem venialium non requiritur actus pœnitentiæ intensior.

6. Blosius dicit: *Quemadmodum singulis diebus in multis saltem leviter offendimus, ita quotidianas expiationes habemus in promptu, quibus hujusmodi peccata deleantur. Est Sancta Confessio, est gemitus, & fletus, est sacra lectio seu verbum Dei, est eleemosyna, est hospitalitas, vel oratio, qua Domino dicimus. Dimitte nobis debita nostra; sunt aliæ precationes, aliaque pietatis, misericordiæ, & charitatis opera.* Porro, quod ad Confessionem attinet, idem religiosissimus author in lib. *de consolat. pusillanimium* §. 4. adducta authoritate Tauleri, ita scribit: *Quod ad veniales, quotidianasque culpas attinet (à quibus, dum hic vivimus, omnino liberi esse non valemus) monendi estis charissimi, ne nimis solciti sitis, neque conturbemini, si non omnes in Confessione expresseritis. Illis humiliter ac seriò Deo confitebimini, & contrito, devotoque corde vos reos coram eo accusabitis; sic enim ijs, qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur. Sanè tales culpas generaliter exposuisse satis est. Peccata venialia multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ orationis prolatione, genuflexione, aquæ benedictæ aspersione.* Idem venerabilis Abbas in *Paradiso animæ num.* 5. dixerat: *Scito quia ipsa leviora peccata efficacius in te delebuntur, si culpam agnoscens, humiliter & amanter te ad Deum converteris, quam si ea morosius apud te pertractare, & in eorum consideratione diutius cum pusillanimitate occupare volueris.* Idem alibi in hæc verba scribit: *Christus audiente S. Birgitta ait: Et qui spiritum & gratiam meam adipisci ac retinere desiderat, utile est crebro peccata, & negligentias suas coram sacerdote confiteri, ut expurgetur; Et cum ipsa Birgitta videret animam mariti sui Ulfonis in Purgatorio, dixit: O felix anima, quid præcipue tibi profuit ad salutem? Ille respondit: Confessio mea, quam Ferijs sextis, dum sacerdotis copiam habebam, facere solitus, cum firmo me emendandi proposito.*

Blos. parad. animæ c. 3. n. 2. *Blos. de consolat. pusillan. §. 4.* Modus confitendi venialia.

Blos. parad. anim. n. 5. *Blosius cond. ani. c. 5 n. 1.* Revelatio S. Birgittæ facta.

7. S. Thomas de Aquino in Quæstione præcitata Art. 3. hanc statuit conclusionem: *Quamvis novæ gratiæ infusio ad venialium remissionem minime necessaria sit, aliqua tamen gratiæ infusionem sequuntur, quibus venialia deleri possunt, ut generalis confessio, pectoris tunsio, & Dominica oratio, prout motu quodam detestationis peccati fiunt. Benedictio autem Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, & alia hujusmodi eorumdem operantur remissionem, & quodam fiunt reverentiæ in Deum motu.* Idem quoque sanctus Doctor hactenus dicta fusius sequentibus declarat verbis: *Ad remissionem peccati venialis, non requiritur novæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem peccatorum venialium, Uno modo, inquantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata; & hoc modo per Eucharistiam, extremam unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & hoc modo confessio generalis tunsio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas; Et hoc modo Benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, qualibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.* S. Augustinus post specificatos multos in particulari defectus veniales, tandem quoque pro eisdem expiandis specialia assignat remedia inquiens: *Continuis orationibus, & frequentibus jejunijs, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assidue redimantur, ne forte simul collecta cumulum faciant, & demergant animam. Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus: Quia in igne revelabitur, & si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Aut enim dum in hoc mundo vivimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certe volente & permittente Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, & si Deo gratias agimus, liberamur.*

S. Thom. ib. art. 3. Dum delentur venialia, infunditur gratia. Per omnia Sacramenta delentur peccata venialia. *S. Aug. ser. 41. de Sanctis.*

TRACTATUS LXXVII.

DE PECCATIS MORTALIBUS,

CONTINET.

DISCURSUS XXXI.

DISCURSUS I. Peccata sunt veluti ignis quidam, quo anima tum in hac, tum in altera vita aduritur.

II. Peccatum mortale, & peccatores, inferni nomine describuntur,

III. Peccatum non solum inferno simile, sed & deterius esse ostenditur, maxime ob malam conscientiam.

IV. Peccata mortalia committentes, ut plurimum, mortem sibi accelerant, & ex improviso pereunt.

V. Mortem mortaliter peccantium, in extremo vitæ articulo, pessimam esse, ex varijs considerationibus probatur.

VI. Peccatum mortale animæ simul & corpori mortem infert, efficit enim, ut corpus vivum quoddam fiat cadaver, citiusque disponatur ad interitum.

VII. De morte, quam peccatum mortale animæ infert.

VIII. Deus propter peccatum mortale animam deserit; ubi quam ingens malum hæc jactura sit, serio ponderatur.

IX. Propter peccatum mortale, omnia bonorum operum merita, ante illius commissionem facta, destruuntur.

X. Varia examinantur mala, à peccato in animam ream derivantia.

XI. Alia recensentur damna peccati mortalis, à quo ex nobisipsis resurgere non possumus.

XII. Omnia opera bona, quæ extra Dei gratiam constituti facimus, peccatum mortale ad æternam salutem consequendam inutilia efficit, nec tamen ob id ab illis est desistendum, ob multa alia bona, quæ bona opera secum ferunt.

XIII. Peccatores, dum suis satisfaciunt appetitibus, laborare & fatigari se sentiunt.

XIV. Confirmatur idipsum, dum de peccato mortali, sub spinarum metaphora differitur.

XV. De inquietudine, quam peccatum mortale sibi annexam habet in Impijs

XVI. Dolores, ærumnæ, & pœnæ, quibus peccatores subjacent, peccati mortalis sunt partus.

XVII. Alia considerantur Impiorum mala, & afflictiones internæ.

XVIII. Continuatur idem argumentum,

XIX De metu, & timore, quem peccatum mortale in Impijs causat.

XX. Peccatum mortale, tamquam ferox inimicus peccatorem accusat, condemnat, & persequitur.

XXI. De remorsu malæ conscientiæ, quæ quemvis impium, quantumvis magnus, & potens sit, conturbat, & affligit.

XXII De verme, & remorsu interno, ejusque tormento, à peccato mortali causato.

XXIII. De peccati mortalis gravissimo onere.

XXIV. Eadem materia continuatur.

XXV. Peccatum mortale peccatorem adeo constringit, ut per effrænes appetitus suos, eum suiipsius carnificem efficiat.

XXVI. Peccator mortaliter peccando, semetipsum offendit & damnificat.

XXVII. Odit animam suam, qui mortaliter peccat, idque varijs rationibus probatur.

XXVIII. Peccata sunt vincula, quibus nosmetipsos stringimus, dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem à peccato mortali derivantem, non attendimus.

XXIX. Flagella, quibus Deus transgressores castigat, hæc sæpe in manibus iniquitatis ipsorum invenit, eaque ex illis contexit.

XXX. Peccatum mortale occultari nequit, sed tum à Deo, tum à propria mala conscientia manifestatur.

XXXI. Continuatur idem argumentum.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Peccata sunt veluti ignis quidam, quo anima tum in hac, tum in altera vita aduritur.

THEMA.

Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. Isa. 50. v. 11.

Peccata sunt velut ignis.

1. INcendium, quod impius sibiipsi per peccata sua accendit, aptioribus quam hisce assumpti thematis verbis nequaquam exprimi poterat; Etenim crimina & scelera impiorum non solum ab Isaia, sed & ab alijs in sacris Literis, imo & ab integro sacrorum Interpretum torrente sub ignis metaphora descripta reperiuntur. S. Hieronymus in expositione hujus in themate adducti textus inquit: *Discimus pro qualitate peccati ignem sibi unumquemque succendere, & quomodo in eodem manentes loco, & si dici potest, lectulo, alij sani sunt, alij febrium succenduntur ardoribus, ex diversitate humorum, atque pituitæ diversa supplicia sentientes, sic & ignis, qui à peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet, & in iniquitate, de qua scriptum est: Ardebit sicut ignis iniquitas, & sicut gramen siccum vorabitur incendio.* S. Ambrosius super primum psalmum scribens, dum ad illum alludit textum Sapientis: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant*, ad propositum nostrum ita discurrit: *Etenim qui semel in sinu mentis flagitij flammam ferventis adoleverit, cito vestimenta comburet: Et ut in stipulam ignis exiliens inhæret, ac permanet, ut omne, quod corripuit, absumat, ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat;* ac proinde idem S. Doctor paulo post consulit inquiens: *Posuisti vestigium super voraginem culpæ? cito aufer pedem.*

S. Hier. in Isa. ibid.

Prov. 6. v. 27.

Ignis infernalis fovetur nostris peccatis.

2. Et vero non persuadeamus nobis, ignem illum tartareum pice, sulphure, bitumine vel alia simili combustibili materia nutriri, aut foveri, hoc enim si credimus, magnopere erramus, quin potius ligna ignis illius peccata nostra sunt, hisce enim divina justitia, ad continuandum flammarum illarum ardorem utitur. Neque terræ centrum huic igni umquam indulsisset locum, cum centrum illud improprius sit locus ignis; utpote qui sphæram suam in sublimi semper obtinet, nisi peccatum Angelorum rebellium: & consequenter omnium aliorum impiorum scelera illum istuc detinerent inclusum & constrictum. S. Propheta Ezechiel postquam scelera à contumaci illo Hebræorum populo commissa pluribus fuisset execratus, tandem in persona Dei ob profanatum cultum suum divinum vehementer irati, subjungit: *Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te.* Sed quemnam verborum illorum sensum esse existimatis Auditores? Num forte vult dicere, cor peccatoris futurum esse, velut silicem quemdam igniario deservientem, qui percussus scintillas emittit, unde ignis accendatur? Nequaquam, sed potius Deus dicere intendit, quod eo ipso, quo in corde impiorum culpa committitur, illa velut ignis quidam in corde latens animam peccatricem adurat. Unde S. Augustinus quamdam profanis amoribus deditam alloquens ait: *Amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ? Stipulas ad te congeris, veniet ad te ignis, ignis in conspectu ejus exardescet.* Et Salvianus Episcopus Massiliensis peccatores sui sæculi his verbis affatur: *Propheticum hoc ad nos dicitur: Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ; ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ, quam accendistis, totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo Scriptura memoravit. Primum enim ignem accendit, postea vero vires ignibus præbet, postremo flammam ingreditur, quam paravit. Quando igitur sibi primum homo æternum accendit ignem? Scilicet cum primum peccare incipit; Quando autem vires ignibus præbet? Cum utique peccata peccatis cumulavit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem jam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate complevit.*

Ezech. 28. v. 18.

S. Aug. in Ps. 49. post. Princ.

Salvian. l. 4. de provid.

Ordo, quo hic ignis instruitur.

3. Memorandum est hoc loco, quod Salvator noster hominem sub arboris metaphora describat, dum ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur.* Cæcus quoque ille à Christo illuminatus dicebat: *Video homines velut arbores ambulantes.* Philosophus pariter hominem arborem inversam esse dicebat. Quod vero proposito nostro vel maxime deservit, est, quod textus Græcus non legat in tempore futuro, sed in præsenti dicit: *Exscinditur, & in ignem mittitur;* id quod valde est intellectu difficile, nisi ad sensum recurramus spiritualem, hunc videlicet; quando enim homo intra se peccatum mortale concepit, & in illud consensit, jam pariter ignem intra se accensum habet, cui adeo est propinquus, ut non nisi unica respiratione ab illo distet, nam secundum præsentem justitiam ad flammas infernales est condemnatus. O quot sunt circa quos Deus justo suo judicio disposuit, ut ignem hunc etiam in hac vita, dum adhuc mortales viverent, experirentur, ut hac ratione etiam in hoc mundo illos castigare inciperet? Prout civitatibus illis Pentapolitanis evenit, de quibus Salvianus ita scribit: *Diu flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat, quo peribat, & ideo completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum;* id quod manifeste probatur ex eo, quod Thomas Cantipratensis in hæc verba scribit: *Vidi & quemdam hujus vitij nefandum virum, de quo mihi vir boni testimonij Presbyter referebat, quia cum ille per viride pratum anteiret, Presbyter vero sequeretur, invenit vestigia præeuntis in gramine, quasi igne contacta, manifestissime palluisse, quem & nos postea percepimus, pro vita scelestissima morte turpissima perijsse.*

Matth. 7. 19. Homo dicitur arbor. Marc. 8. 24.

Punitur peccatum etiam in hac vita.

Salvian. ibid.

Thom. Cant. l. 2. apum c. 30. n. 1.

4. Sanctus Ambrosius in Lucam scribens, dicere videtur, stridorem dentium, vermes, & fletum in inferno proprie, & effective non esse, sed Scripturam sacram solum per stridorem dentium &c. exprimere voluisse immensam acerbitatem pœnarum inferni. En verba ipsiusmet Sancti Doctoris: *Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis, sed hæc ideo, quia sicut ex mala cruditate febres nascuntur & vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate & abstinentia; sed miscendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur; Unde & Isaias ait: Ambulate in lumine ignis vestri &c. Ignis est, quem generat mæstitia delictorum; Vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungant, & quadam exedant viscera conscientiæ, quæ tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris. Denique Dominus id per Isaiam declaravit dicens: Et videbunt membra hominum prævaricantium in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque pœniteat.

S. Ambr. l. 7. in Luc.

Stridor dentium quid sit.

5. Sanctus Apostolus sub fœni, stipulæ & lignorum metaphora varia nobis repræsentat magis minusve gravia peccata, non solum mortalia, sed & venialia, utpote quæ pariter igni purganti sunt subjecta, ad quam metaphoram D. Hieronymus alludit, dum verba assumpti thematis exponens inquit: *Omnes sibi ignem succendunt, flammamque corroborant, habent enim in se fœnum, ligna, stipulam, spinas, & tribulos ac lolium, quæ æterno tradentur incendio; unde & in Proverbijs scriptum est: In multis lignis viget ignis.* Sanctus Augustinus idipsum in quibusdam exemplificat vitijs, quæ totidem mystico huic incendio destinata ligna esse ostendit, inquiens: *Audite pœnam impiorum; sicut cera, inquit, liquefacta, auferentur. Dixi per concupiscentias suas hoc eis fieri, Concupiscentia mala quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterij non consumit animam? De cogitata adulterij cum loqueretur Scriptura, ait: Alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet? Gestas in sinu prunas, perforatur tunica: gestas in corde adulterium & integra est anima? sed istas pœnas pauci vident, propterea & ipsi eunies in libidines suas, soluti & fluxi dicuntur. Unde fluxi? unde soluti? Ab igne concupiscentiarum.*

1. Cor. 3. v. 12.

Omnia peccata subjiciuntur igni.

S. Hieron. in Isai.

S. Aug. in Ps. 57.

6. Sanctus Antonius de Padua sequentem adducens Ezechielis Prophetæ textum: *Fili hominis fient ligna vitis ad comburendum; & ex omnibus ligna nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum, numquid tolletur ab ea, ut opus fiat, aut fabricetur de ea paxillus, ut dependeat in ea quodcumque vas. Ecce igni hoc lignum datum est in escam, utramque partem ejus consumpsit ignis* hæc verba subjungit: *Vere homo Deo non fructificans, ad nihilum aliud valet, nisi ut fiat esca ignis.* Venerabilis Beda de Furseo viro sanctissimo, sequentem proposito nostro valde

Ezech. 15. 4.

S. Anton. de Pad. fer. 6. post 1. Dom. Quadr.

valde opportunam refert visionem: *Cum in altum esset elatus, jussus est ab Angelis, qui eum ducebant, respicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quasi vallem tenebrosam subtus se in imo positam. Vidit & quatuor ignes in aëre non multum ab invicem distantes, & interrogans Angelos, qui essent hi ignes, audivit hos esse ignes, qui mundum succendentes essent consumpturi. Primum scilicet esse mendacij, cum hoc, quod in Baptismo renuntiare nos Satanæ, & omnibus operibus ejus promisimus, minime implemus. Secundum cupiditatis, cum mundi divitias amori cælestium præponimus. Tertium dissensionis, cum animas proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidamus. Quartum impietatis cum infirmiores spoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Crescentes vero paulatim ignes usque ad invicem sese extenderunt, atque in immensam adunati sunt flammam: Cumque appropinquassent, pertimescens ille dixit Angelo: Domine ecce ignis mihi appropinquat; At ille: Quod non incendisti non ardebit te, nam etsi terribilis iste & grandis rogus ille videatur, tamen juxta merita operum singulos examinat, quia uniuscujusque cupiditas in hoc igne ardebit; sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita solutus corpore ardebit per debitam pœnam.* Quisquis enim carnalem concupiscentiam sibi dominari permisit, jam intrinsecus adurentem se ignem concepit, de quo Theodorus Studita in sermone quodam ita scribit; *Voluptas hamus est Diaboli, inextincti ignis suscitabulum, & tamen rapimur ad eam mortales; quasi quidam dedititij servi.* Isaias quibusdam explendis appetitibus suis totaliter intentis improperat dicens: *Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos, & erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ ignis comburentur.* Quibus verbis ad voluptatum carnalium finem alludit, quia ignis ardens concupiscentiæ in cinere, id est, in morte ab hoc vitio accelerata, communiter terminatur. Porro Septuaginta legunt: *Ignis devorabit vos, & erunt gentes combustæ, ut spina in agro projecta, & exusta.* Etenim spinæ communiter alligantur in fasciculos, & cum jam siccæ factæ sunt, facile concipiunt incendium; nec ad aliud quidquam valent, quam ad accendendum ignem: Eodem modo nec peccatores ad aliud serviunt, quam ad nutriendum ignem infernalem; si tamen in hac vita concupiscentiæ flammis adusti fuerint.

Beda l. 3. hist. Eccle. gentis Anglorum. Visio venerabilis Bedæ.

Sunt quatuor ignes in mundo.

Theodor. Stud. cat. 26.

Is. 33. v. 11. Voluntas est hamus Diaboli.

7. Observandum quoque est peccatum à Psalmista fumi nomine indigitari: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit;* Enimvero ubicumque ardet ignis, ibi pariter est fumus; sicut vero fumus necessariam cum igne habet connexionem, ita quoque peccatum cum flammis infernalibus habet correspondentiam. Dionysius Carthusianus *de enormitate peccati* tractans, considerabilem hanc post se scriptam reliquit sententiam: *Sicut in inferno sunt ignis, & frigus, fœtor, caligo, vermis confusio; sitis &c. ita in peccatore est ignis iræ, impatientiæ; avaritiæ, frigus invidiæ, fœtor luxuriæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, inordinatio, atque perversitas animi; detestatioque virtutum.* Et paulo post subdit: *Peccando quisque seipsum magis magisque onerat; & gravat, & opprimit; ligna, quibus in inferno; crematur, sibi supra dorsum ponit, & colligit.* Porro quantum in delinquentibus ignis facere prævaleat; & qualiter, ubi locum non habet culpa, sed pœnitentia, ignis ille omnem suum amittat vigorem, ex eo miraculo clare deducitur, quod Cæsarius hisce verbis enarrat: *Decem hæretici in urbe Argentina, quæ est Strasburg, comprehensi sunt, qui cum negarent, per judicium candentis ferri convicti, sententia incendij sunt damnati. Die statuto cum ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus uni illorum dicebat: Miser, damnatus es, age vel nunc pœnitentiam, ne post incendia corporis, quæ momentanea sunt, animam tuam ignis gehennalis æternaliter comburat. Cui cum ille diceret: Considero quidem, inquit, me errasse, sed timeo pœnitentiam tantæ necessitatis minus acceptam esse Deo. Respondit: Ex corde tantum confitere, Deus est misericors, & pœnitentem suscipiet. Mira res, mox enim ut homo confessus est perfidiam, manus ejus plenam recepit sanitatem. Tardante in confessione, cum à Judice vocaretur ad pœnam, Confessor ejus judici respondit: Non justum est, ut homo innocens damnetur injuste. In cujus manu cum nullum vestigium combustionis reperiretur, dimissus est. Habebat idem homo uxorem, non longe à Civitate manentem, horum, quæ dicta sunt, prorsus ignaram; ad quam cum venisset gaudens, dixissetque: Benedictus Deus, qui me liberavit hodie ab interitu corporis & animæ, causam ei exponens: Respondit illa: Quid fecisti ô miserrime? quid egisti? ut quid propter momentaneum dolorem recessisti à fide tua sana & sancta? Immemor ille beneficij sibi divinitus collati, immemor tam evidentis miraculi, consilio uxoris acquievit, & errorem pristinum resumpsit. Deus vero non immemor vindictæ; pro tanta ingratitudine, manum plagavit utriusque. Renovatum est incendium in manu hæretici, & quia conjux auctrix extitit resumpti erroris, consors facta est redivivi doloris. Tam vehemens erat incendium, ut ossa manuum penetraret, & cum ubi non auderent clamoribus in villa, quos vis extorsit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic ut lupi ululantes. Quid verbis immorer? Proditi sunt, in civitatem reducti sunt, simulque in ignem nondum plane extinctum missi; & in cinerem redacti.* Ecce tibi in hoc prodigioso successu verificatum omne id, quod hactenus diximus, scilicet quod peccatum sit ignis comburens, sæpe etiam ignem infernalem, quo anima & corpus pariter comburuntur, in hac vita anticipans. Ubi Vulgata nostra apud Isaiam legit: *Erunt populi quasi de incendio cinis*, Oleaster ex Hebræo vertit: *Erunt populi quasi incendia calcis;* Quæ verba exponens ait: *Fortia nimis sunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio calcis, quod lapides ipsos ita comburit, ut licet integri videantur, intus tamen dissoluti sunt, aut proximi dissolutioni.*

Ps. 17. v. 9. Peccatum dicitur fumus.

Dion. Carth. opusc. de enormit. pecc. art. 18.

Cæsar. l. 3. c. 17. Historia de Hæretico converso.

Ejus[illegible] divi maxima pœna.

Isaie 33. 12.

Oleast. ib.

Serm 33. v. 10.

8. In fornace Babylonica admirabile illud contigit tormentum, quod scilicet flamma illa, quæ impij Regis jussione septuplo plus succensa erat, quam succendi consueverat, ministros quidem, qui eamdem hoc modo succenderant, exusserit, & in cineres redegerit, tres vero illos innocentes pueros in eamdem fornacem projectos, ne leviter quidem ustulaverit, vel læserit; Hujus autem hæc ab Emisseno assignatur causa; scilicet quod tres illi pueri innocentes; irreprehensibiles, omnisque culpæ immunes fuerint, impij vero & sacrilegi lictores peccatores gravissimi, ideoque ad ignem illum facillime concipiendum omnino dispositi: *Ecce*, inquit Eusebius citatus; *nescio, quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes, extrinsecus sæviunt, intrinsecus parcunt; extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur; quanta castis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit.*

Ignis Babylonicus lictores combussit, tres pueros servavit.

Eus. Emiss. ibid.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Peccatum mortale, & peccatores, sub inferni nomine describuntur.

THEMA.

Domine eduxisti ab inferno animam meam. Ps. 29. v. 4.

1. QUandoquidem indubitata veritas sit, quod in inferno nulla sit redemptio, mirum profecto est, qua ratione Propheta regius dicere potuerit; *Domine eduxisti ab inferno animam meam;* Alij legunt: *Extraxisti.* Verumtamen ex Psalmi illius decursu clare satis colligitur, prædictum regium Vatem eo in loco non de inferno, qui damnatorum locus est, loqui, sed de illa à Deo ipsi collata eximia gratia, qua anima ejus gravissimo adulterij reatu obstricta, ex illa tam enormis peccati abysso misericorditer fuit erepta. Sic enim & in alio loco scilicet in Psal. 17. lamentabiliter clamans ait: *Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis*, non de eo conqueritur, quod scilicet ab inextinguibili illo barathro (*non est qui agnitus sit reversus ab inferis*) jam fuisset absorptus, sed ad peccata sua alludebat, in quæ cum scandalo publico lapsus fuerat; id quod per verba antecedentia clarius declaraverat, dum ait: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

Animam educere ab inferno quid sit.

Ps. 17. v. 6.

Sap. 2. v. 1.

Ps. 17. v. 5.

2. B. Petrus Damianus in Epistola quadam, postquam animam viri justi paradiso similem esse ostendisset, mox econtra animam peccatricem vivum quemdam infernum esse probat, dum ait: *Notandum vero, quia & reproba cujuslibet anima sit confusio tartari: & è contra sancta, munda atque perfecta species Paradisi. Mens enim odiosa, cupida, curis tantummodo sæcularibus dedita, libidinis igne succensa, nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet & Diabolus* habitat,

S. Petr. Dam. l. 2 Epist. 5.

Anima peccatrix vivus quidam infernus est.

habitat, & concupiscentiarum ignes æstuare non cessant? Illic enim de luxuria sulphureus fætor oboritur, & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine tamquam teterrimi fumi volumina generantur. Nam dum hoc amat, illud timet, in alijs gaudet, hoc odit, illud avide concupiscit, sit infelix mens suspecta semper & vaga, curiosa, anxia simul atque solicita, quæ curis impellentibus in multa dividitur, diversarumque passionum morsibus laceratur. Hæc itaque flebilis anima, gehenna facta est, tartarus, & infernus, quam & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vastat incendium. Et vero si nobis de libidinis vitio sermo sit, quæ magnam humani generis partem infeliciter succendit & consumit, certum est illud in pluribus Scripturæ locis inferno æquiparari. Etenim Sapiens de muliere impudica dicit:

Prov.7.v.27.

Viæ inferi domus ejus penetrantes in interiora mortis. S. Augustinus (qui utpote ante conversionem suam huic vitio ad fauces usque immersus, de eo per experientiam loqui poterat) optime notat, *quod infernum & amorem mulieris recte conjungat Scriptura.*

S. Aug. ser. 107. de temp.

S. Guerricus Abbas, dignus S. Bernardi discipulus, in sermone quodam carnis vitium his verbis acriter perstringit:

Guerr. Abb. in die Purific. Ignis libidinis.

Hæc est illa pestis, quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit; De his duobus ignibus, gehennæ, & luxuriæ, habemus authoritatem Scripturæ: De igne luxuriæ ait: Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente; De igne gehennæ: Pones eos ut clybanum ignis, in tempore vultus tui, hoc est, judicij, ut intus ardeant: Dominus ira conturbabit eos, dicens: Discedite à me operarij iniquitatis, & devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fæda opera. David diuturno tempore in adulterij sterquilinio inforduerat, Dei penitus oblitus, in suoque peccato habituatus obcalluerat: At vero divina pietas compassione erga ipsum mota, per correptionem à Nathan Propheta factam eum denuo ad bonam revocavit frugem. Sed velim observetis, qua loquendi phrasi idem David ingens hoc beneficium à Deo sibi collatum gratus recognoscat:

Ps.93.v.17.

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea; Ubi notatu dignum est ly illud, *habitare*, per hoc namque insinuare intendit, quod nisi Dominus ipsum adjuvisset, ipse utique in obstinatione sua pertinaciter remanens, numquam resipuisset, sed potius in longum usque tempus in inferno peccati sui fuisset demoratus.

Ps.54.v.16.

3. Quidnam obsecro Davidem in illa imprecatione dicere voluisse existimatis, qua ait: *Veniat mors super illos & descendant in infernum viventes?* Nimirum causam hujus imprecationis immediate subjungit inquiens:

Ibid.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum, quibus verbis ad conscientiam alludit criminibus inquinatam, quæ etiam in hac præsenti vita est velut portatilis quidam infernus, ut suo loco dicemus. Author catenæ Patrum Græcorum circa prædicta Psalmistæ verba quærit dicens:

Corder. ibid. Descendere in infernum viventes, quid sit.

Si mors super illos venerit, quomodo viventes in infernum descenderent? Et si viventes in infernum descendant, quomodo mors super illos venerat prius? Dicam, quod eo modo, quo de Curtio Romano refert Valerius Maximus libr. 5. Cum in media parte fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, ipse militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque, vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit. Hunc equum conscendere, vivumque ad infernum descendere, idem fuit. Idipsum de impijs affirmari potest. Si equum quæris? Ecce equus pallidus; si equitem, qui sedebat super eum, nomen illi mors; si calcaria, stimulus autem mortis peccatum est; si vero impium præcipitem à morte datum, en ita in momento ab inferno absorbetur, ut vix discernas, an mortuus vel vivus illuc descenderit. Hugo Cardinalis per hunc infernum, in quem impius in hac vita præsenti descendit, vitium cupiditatis intelligit; unde ait:

Hug. Card. ib.

Nec mirum, quod descendant in infernum viventes; qui hic vivunt mundo & peccato, & qui descendunt in infernum, id est, in cupiditatem; Dicitur enim cupiditas, sicut cor cupidi, infernus, quia non potest impleri.

Apoc. 20. 14. Quomodo infernus mittatur in stagnum ignis.

4. In Apocalypsi dicit sacer textus: *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* Hæc autem propositio prima facie valde peregrina, imo paradoxa videtur: Enimvero quod mors missa sit in stagnum ignis, facile quidem potest intelligi; quis autem in eumdem quoque ignis lacum projectum fuisse infernum intelligere poterit? videtur enim hoc idem esse, ac si quis diceret: Ignem missum esse in ignem. Verumtamen Author catenæ Græcæ dubium hoc solvit, per infernum intelligendo peccatum; citatque expositionem Aretæ dicens:

Corder. ibid.

Si Aretæ *locum istum interpretanti credimus, mortem & infernum vocat eos, qui digna supplicio operati sunt.* In vita B. Jordanis Prioris Generalis Ordinis Prædicatorum P. Bollandus ita scribit:

Bolland. 13. Febr. 734. col. 1. vit. B. Jordani. Peccatum est porta inferni.

Cum prædicaret semel Parisijs de commorantibus in peccato, & occurreret ei, quod peccatum in Scriptura vocabatur porta inferni, dixit: Si quis veniens hodie ad portam istam, videret unum scholarem, sedentem in porta, similiter cras, similiter multis diebus, nonne de facili cogitaret: Iste scholaris intrabit ordinem? Quomodo ergo non credibile, quod illi intrent in infernum, qui tamdiu sedent ad portam inferni? Ad idem probandum, scilicet quod peccatum sit porta inferi, valde quoque deservit sequens doctrina Origenis dicentis:

Orig. Tract. 4. in Matth.

Illud scire oportet, quod sicut civitatum portæ proprium quoque nomen habent eodem modo portæ inferorum nominari possunt juxta species peccatorum, ut una quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores; altera vero negationis, per quam qui Deum abnegant, descendunt ad inferos. Porro ad portas inferni continuus quidam est animarum reproborum fluxus & refluxus, unde eruditissimus P. Berchorius in suo dictionario ita scribit:

Diction. Berchor. verb. Peccatores.

Peccatores ab inferno transglutiuntur, quia scilicet infernus est recte Cæmeterium malignorum; sicut enim illud periculum maris, quod dicitur scylla non cessat aquas, & naves attrahere & absorbere, sic nec infernus cessat peccatores transglutire.

Luc.16.v.22. Sepeliri in inferno quid sit.

5. Sacer textus de divite epulone claris verbis dicit: *Sepultus est in inferno.* Sed quomodo idipsum accidit? Ergone inter mortem ejus & infernum nullus alius interpositus fuit locus? Quando moribundus aliquis exhalavit animam, cadaver ipsius ad cæmeterium deportatur, hunc autem alibi, quam in Inferno sepultum esse non constat. Verumtamen per hoc Christus, parabolæ illius author, insinuare voluisse videtur, quam exigua vel nulla sit inter animam peccato mortali obnoxiam, & inter infernum distantia. De hoc divite Epulone Didac. Stella in hæc verba ingeniose scribit:

Did. Stell. ib.

Usitatum est unicuique, ut in propria Parochia sepeliatur, jus suum Diabolus districtè sibi defendit, nec patitur eum, qui suæ debetur Parochiæ, alio loco sepeliri. Enimvero si Mathematicum aliquem sciscitareris, quantum anima aliqua extra Dei gratiam hic in terra vivens, ab inferno distet, hic utique globum terræ per terminos Mathematicos mensurando & ab hujus superficie usque ad centrum (ubi barathrum est perditionis æternæ) calculando, responsurus esset, utrimque majorem quam aliquot millenorum intercedere distantiam; Et tamen vere hic in sua Mathematica deciperetur; quia cum anima purus sit spiritus, utique spatium illud intercedens non decurrit gressibus & pedibus corporalibus, sed subito postquam soluta est à corpore, in inferno subsistit; adeoque omni cum libertate affirmare possumus, inter animam in peccato mortali constitutam, & inter infernum nullam esse aliam distantiam, quam unius dumtaxat respirationis, & anhelitus, hoc enim deficiente, deficit & vita, & mors æterna infallibiliter incurritur.

Anima peccatrix soluta à corpore in momento descendit ad infernum.

D. Chrysostomus effrænem aliquem peccatorem ad meliorem frugem inducere satagens, hunc in modum discurrebat:

D. Chrys. Ho. 22. in 2. ad Cor.

Cogita bene, quod quoties peccasti, toties condemnasti teipsum, peccatum enim ita se habet, ut mox atque patratum fuerit, sententiam judex ferat. Verum quidem est, quod postquam contra reum aliquem sententia mortis pronunciata est, ille nondum dici possit mortuus, nisi postquam vel resti, vel igne, vitam finierit, verumtamen prout in communi proverbio dicitur: *Proxime accingendus habetur pro accincto* adeoque peccator secundum præsentem justitiam pertinet ad infernum, imo pedes suos in eodem quasi positos habet, atque super illa inextinguibili fornace ex unico suspensus hæret subtilissimo filo, cui vita præsens innititur.

Ps.9.v.18.

6. Regius Vates inquit: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum.* Patres Græci in paraphrasi hujus loci legunt: *Ad inferos quam primum descendent*; at vero dicet aliquis, numquid quotidie videmus plures peccatores

res multis annis in peccato superviventes? Quomodo igitur David adeo absolutè & illimitatè dicit: *Ad inferos quam primum descendent?* Et ideo respondeo, quod qui peccatum mortale habet in conscientia, de facto in abyssum infernalem censeatur esse præcipitatus, quia ipsummet peccatum portatilis quidam est infernus.

Peccatum est infernus portatilis.

In Hebræo loco ly *convertantur*, est, *revertantur*, at vero quomodo peccatores dici possunt ex abysso tartarea reverti, in quam suum numquam intulere pedem? *maxime cum non sit agnitus, qui sit reversus ab inferis?* Cardinalis Bellarminus hunc versum explicans dicit:

Card. Bell. ibid.

Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. Convertantur positum videtur, pro revertantur, ut vox Hebræa sonat, ut revertantur, pro revertentur. Dicuntur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, qua peccatores sunt. Dicere quoque possemus, quod peccatores revertantur ad infernum, quando cum anima peccatis mortalibus obnoxia in flammas illas ingrediuntur, in quibus antea arserunt, quando peccatis suis immersi hic in terris vixerunt; quæ, ut in Discursu præcedenti probavimus, nihil sunt aliud, quam ligna, quibus ignis ille nutritur & conservatur.

2. Reg. 22. v.6. Peccata sunt funes inferni.

7. Peccata funes sunt, quibus in Inferno constringimur: *Funes inferni circumdederunt me.* Ubi Hebræus legit: *Castra impiorum circumdederunt me*; ex qua versione, impios in hac vita ex omni parte seu circumquaque funibus infernalibus ligari, colligitur. Observandum vero quod sacer textus subdat:

1. Cor. 15. v.56.

Præoccupaverunt me laquei mortis, quia veritas est Catholica, *quod stimulus mortis peccatum est.* Multi quidem reperiuntur homines robusti, sani, vigorosi, qui se plurimum à morte, & consequenter etiam ab inferno dissitos esse credunt, nec tamen se reflectunt ad effatum illud Isaiæ Propheticum:

Isai.1.v.28.

Conteret scelestos & peccatores simul, & qui dereliquerunt Dominum consumentur; Et paulo post subditur:

Ibid.v.31.

Et erit fortitudo vestra, ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat; Septuaginta legunt: *Succendentur iniqui*; His namque sciendum est, quod quia in hac vita igne peccati obnoxij semper incedunt, tanta cum facilitate in inferno exarsuri sint, quanta stupa cum ab igne corripitur. Unde Oleaster ait:

Oleast. ibid.

Infirmos solet reddere peccatores peccatum, & fortes viros stupam facere, ut facillime comburantur; Et ideo Hercules, Alexandri, Augusti, alijque potentissimi fortissimique Heroes, qui per potentiam suam totum contremiscere fecerunt universum, per peccata sua, ita in conscientia sua efficientur debiles, sicut stupa ad ignem.

8 S. Augustinus de afflictionibus, quæ Dei offensam consequi solent, tractans, inter alia dicit:

S. Aug. in Ps.101. Quid sit lacum aperire & effodere.

Omitto gehennam; vide ne jam ipse tibi gehenna sis. Ex quibus verbis satis colligitur, Sanctum hunc Doctorem vere existimasse, quod impius, dum etiamnum in hac vita spiritum ducit, in semet ipso quemdam portet infernum. Regius Vates dicit de impio:

Ps.7. v.16.

Lacum aperuit, & effodit eum; Quæ verba Doctissimus Incognitus, celeberrimus Religionis Carmelitanæ Generalis (soli autem sibipsi ob humilitatem suam incognitus) ad propositum nostrum ita exponit:

Incognit. ib.

Lacum aperuit, aperiendo mentem suam Diabolo suggerenti, & consentiendo; & effodit eum, id est, similis est fodienti lacum; incidit in foveam, quam fecit, id est, dignum se fecit fovea damnationis peccando. S. Augustinus alio in loco verba illa Psalmi 6. exponens:

Ps.6.v.6. S. August. ib.

In inferno autem quis confitebitur tibi, culpam mortalem inferni nomine expresse indigitat, inquiens: *Ut infernum dixerit, cæcitatem animi, quæ peccantem, id est, morientem excipit & involvit. Ab ista morte, & ab isto inferno tutam se præberi anima deprecatur, dum molitur conversionem ad Deum: Quapropter subjungit: Laboravi in gemitu meo &c.* S. Bonaventura de malitia peccati differens inquit:

S. Bonav. t.7. l.3. c.7. compend. Theol. verit.

Ex homine infernum facit, quia in peccatore est ignis avaritiæ, fætor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conscientiæ, suis concupiscentiæ, dæmones per effectum, & hujusmodi.

Quomodo peccator in hac vitâ possit gaudere.

9. Verum enimvero quænam est ratio, quod cum peccator portatilem quemdam secum deferat infernum, nihilominus tripudiet, saltet, rideat, gaudeat, & jucundetur haud secus quam si in delicijs degeret Paradisi? Pro hujus quæstionis resolutione observandum est, quod quando filij à parentibus in ea valle, à qua gehenna nomen suum desumpsit, idolo Moloch sacrificabantur, ne matres, & proximo sanguine filijs sacrificandis conjuncti ex eorum clamoribus, ululatibus, & gemitibus inauditis contristarentur, harmonicos solebant excitare organorum, cantuum, tympanorum, tubarumque strepitus, qui horribiles infantium illorum stridores penitus absorbebant, adeo ut nec quidquam audirent.

Explicantur in sacrificijs Moloch oblatis.

Eodem pariter artificio serpens ille astutus utitur circa peccatores, ne enim hi ad considerandum miserabilem, in quo degunt, statum, mentem suam applicent, eosdem voluptatum, deliciarum, gaudiorumque mundanorum blandimentis totaliter occupat:

Job.21.v.12.

Tenent tympanum & citharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Olim super Sodomam in aëre suspensa hærebant ignis & sulphur, ad eam radicitus deflagrandam, Loth quoque repetitis vicibus ab Angelo extimulabatur, ad accelerandum suum à Sodomis discessum, ipse autem differebat & tardabat, adeo ut necessum fuerit eum per quamdam quasi adhibitam violentiam cogere; *egredi coactus est* inquit Lipomannus.

Gen.19.v.16. Lipoman. ib.

Ex quo facto clare satis perspicitur, quam verum sit, quod deliciæ (*Paradisus Domini*) & voluptates, homini nequaquam permittant, ut de igne, quem per peccata sua jugiter secum portat, umquam in corde suo recogitat. *Quamvis comparatione Sodomorum Loth justus esset* (inquit Rupertus Abbas) *adhuc tamen à perfecta justitia minus habens, & minoris fidei quam Abraham, amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis pæne Paradisiacis arvis, & idcirco quasi non satis intelligeret, quasi dicebatur, cum percelleretur nuntio instantis periculi, dormitantes oculos, & amore divitiarum pressos avertebat à lumine præsenti. Sic persæpe is, qui jam cælestia novit, cui per Angelum Christi revelata est ira Dei, jamque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernitioso irretitur amore mundi, & concupiscentia sua illectus, dissimulat auditas, & bene sibi cognitas futuri judicij minas & æterni ignis pœnas sulphureas, eo intentus, ut concupiscentiæ suæ effecta quoquo modo perfruatur.*

Rupert. Abb. lib. 6. in Gen. c. 10. Tardior est perfecta conversio.

Quod si Loth vir timore Dei plenus, & vitæ irreprehensibilis, nihilominus delicijs terrestris illius Paradisi captus, ab earum fruitione sequestrare se non poterat, licet Angeli cum oculis suis conspiciendum exhiberent infernum, id est, ignem cœlitus dilapsum quid mirum, si peccatores dissoluti (de quibus Psalmista ait: *Supercecidit ignis & non viderunt Solem*) in tenebris ignorantiæ & cæcitatis suæ ambulantes, mundanisque gaudijs ad fauces usque immersi, suos ne semel quidem levent oculos, ut videant caliginem illam, seu potius illum propriorum peccatorum suorum ignem in ipsis flagrantem?

Ps.57.v.9. Sera post mortem est pœnitentia.

Confitebuntur aliquando vel inviti (quando tempus non erit amplius ad fructuose clamandum) *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus.*

Sap.5.v.8.

Pisces in lacubus seu vivarijs gelu rigidissimo obductis, nihil patiuntur, sed sunt veluti insensibiles, qui tamen tunc vel maxime moveri & agitari incipiunt; quando torrendi super prunis ardentibus in craticulis hærent: Ita quoque multis accidit reprobis, in piscibus præsignatis (quos Deus à sacrificijs suis proscripsit) dum enim in hac mortali vita degunt in terris, insensati ac proinde in libro Sapientiæ ipsimet dicunt: *Nos insensati*, ad minas, ad correctiones, denique ad flagella & supplicia iræ Dei nec quidquam moventur, solum quando jam in limine inferni se positos esse conspiciunt, ad Deum se convertere nituntur, sed serius, & sine ullo fructu.

Peccatores comparantur piscibus.

Sap.5. v.4.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Peccatum non solum Inferno simile, sed & deterius esse ostenditur, maxime ob malam conscientiam.

THEMA.

Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psalm. 85. vers. 13.

1. SAnctus & regius Propheta David, ex industria, & data opera sese ad benedicendam & laudandam Divinam Majestatem accinxit, ob sui ex profundissimo inferno liberationem; *Confitebor tibi*

Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me. Agnoscit & ex toto corde Divinam exaltat misericordiam, eo quod clementissime eum adjuverit, ubi nemo præter Deum auxiliari poterat: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* At vero quis umquam sive in Scriptura sacra, sive in aliis historijs hunc Regem ad infernum condemnatum descendisse legit, ut proinde occasionem habeat, Deo pro sui exinde misericorditer concessa liberatione agendi gratias. Ad hæc ex modo ipsius loquendi, ipsum dicere velle videtur, dari quamdam abyssum, seu barathrum quoddam profundius ipso inferno, siquidem dicit: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Respondet Titelmannus: *Posset infernus iste recte intelligi carcer malæ conscientiæ; vere enim infernus est peccatum, inferior, atque extremus infernus est.* David autem in horrendum homicidij crimen circa Uriam, occasione adulterij cum Bethsabæa conjuge ejus patrati, commissum inciderat: Quibus horrendis scleribus adjunctum fuerat scandalum publicum, pravaque consuetudo, at vero complacuit Divinæ pietati, ipsum, mediante Nathan Propheta, ex hac abysso misericorditer revocare, atque extrahere, ac proinde tam ingentes Deo gratias agit. *Per infernum profundum, peccati foveam intellige, adulterij nimirum, atque homicidij*, inquit Euthymius.

Pſ. 85. v. 13. Infernus inferior quid sit.

Titelm. ibid.

Euthym. ibid.

2. *Ex inferno.* Inferni nomine, inquit S. Augustinus, Psalmista peccatum intelligit, è cujus periculis Deus ipsum præservarat. *Eruisse Dominum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberavit se à talibus peccatis, quæ possent deduci ad tormenta inferni inferioris; Quemadmodum se medicus videat, tibi imminentem ægritudinem fore ex labore, & dicat: Parce tibi, sic te tractabis, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, ægrotabis; tu autem si feceris, & salvus fueris, recte dicis medico: Liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras.* Hugo Cardinalis super illa Psalmistæ verba: *Pericula inferni invenerunt me*, ita scribit: *Invenerunt me, non ego ea, reprobi invenium ista pericula; quia quærunt occasiones peccati.* Salvianus impiorum fidelium sui sæculi acerrimus persecutor in hæc verba loquitur: *Cum ea, quibus torqueamur, admittimus, ipsi tormentorum nostrorum authores sumus*, quasi diceret, nosipsi per culpas nostras veluti totidem adjecta ligna ignem nobis infernalem accendimus. Inter cætera à Deo populo suo tradita præcepta, unum fuit de Sabbati sanctificatione; Et quidem quoad hoc præceptum observandum est quod primus omnium, qui præceptum istud transgressus fuisse legitur, talis quidem fuit, qui in Sabbato ligna colligebat, idque non sine peculiari mysterio, ut (super illa Ezechielis verba: *Polluisti sanctificationem tuam, producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem*) bene advertit S. Hieronymus dicens: *Ut omnia, quæ superædificasti, malæ conscientiæ tuæ ignis absumat, qui cum debueras requiescere in Sabbato, & nequaquam opus facere servile, ligna in Sabbato collegisti, ut haberet quod in pectore tuo devoraret incendium*; unde Deus per hoc nobis insinuare voluit, quod justissimarum legum suarum transgressores aliud non faciant, quam ad conflagrandum in flammis illis infernalibus seipsos, ligna adferant.

Similitudo.

Pſ. 114. v. 3. Hug. Card. ib.

Salvian. lib. 4. de provid.

Num. 11. 32. Ipsi tormentorum nostrorum sumus authores.

Ezech. 28. 18.

S. Hier. ib.

Peccatum est inferno deterius.

3. *Ex inferno inferiori.* Neque ex sacris Literis, neque ex Conciliorum definitionibus plures infernos in centro terræ esse constat, præter unum (maxime si de eo, qui damnatorum est carcer, sermo sit) cur igitur regius Propheta adduxit ly, *inferiori*; Quidam valde illuminatus Dei servus dicere solebat: *Ad infernum; Pagani, ad infernum Turcæ, ad infernum Atheistæ; Christiani autem ad profundissimum inferni barathrum.* De hoc tamen inferno David hoc loco non loquitur, sed per infernum peccatum intelligit, quod, ut videbimus, incomparabiliter est inferno deterius. Etenim axioma est Philosophicum, quo dici solet: *Propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* v. g. si stellæ ideo lucent, quia splendorem suum à Sole recipiunt, consequens necessarium est, quod Sol stellis longe lucidior sit, ex quo sequens evidentissimum, ad probandum Inferno deterius esse peccatum, formatur argumentum; Nisi enim peccatum fuisset, numquam futurus fuisset infernus, adeoque infernus est propter peccatum, ergo si infernus nobis est noxius, longe nocivius nobis est peccatum; Peccatum enim voluntatis nostræ, divino arbitrio se conformare nolentis, partus est, ac proinde dicebat S. Bernardus: *Cesset propria voluntas & infernus non erit.* Utrumnam ex hisce duobus, culpa videlicet vel pœna, majus malum esse existimatis? Utique major malitia est in culpa, quam in pœna, siquidem illa causa est, hæc vero effectus à tali causa procedens. Unde D. Chrysostomus ait: *Non res ita gravis est pœna, ut gravis res est peccatum.* Peccatum enim illud æternæ perditionis barathrum fabricavit: Peccatum flammas illas accendit, earumque ardorem jugiter conservat, & ideo si peccatum annihilari posset, nullus deinceps infernus superfuturus esset. In hujusce veritatis probationem, ad id velim vos reflectatis, quod D. Chrysostomus in Homilia quadam de tribus pueris in hæc verba scripsit: *Fornax accensa erat, illi vero hanc quidem contempserunt, peccatum autem timuerunt, & ideo peccato carentes, ab omni ardentis fornacis nocumento manserunt immunes.* Fornax illa procul omni dubio gehennæ symbolum erat, siquidem eousque accensa fuerat, ut flamma ejus ad 49. ascenderet cubitos; sed cur putas illam quinquagesimum cubitum non attigisse? quia nimirum hic indulgentiæ & remissionis est numerus, nulla autem est in Inferno redemptio, quod si vero quis sine peccato in Infernum descenderet, ignis infernalis ne minimum quidem innocentis illius pilum offendere auderet, prout contigit illis, de quibus Scriptura testatur inquiens: *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.*

D. Chrysf. t. 5. ser. 6. in terræmotum.

Effectus peccati.

D. Chrys. H. 6. ad pop. Dan. 3. v. 47.

Fornax Babylonica situ gurabat infernum.

Ibid. v. 50.

4. S. Catharina Senensis cœlestem Sponsum suum, ut per animam suam os inferni obturaret, rogare solebat, ne quis deinceps illuc ingredi posset; nimirum innocens purissimaque hæc virgo nihil sibi ab hoc incendio nocumenti metuebat. D. Chrysostomus in alia quadam Homilia in hæc verba scribit: *Etsi multi gehennam omnium malorum supremum, atque ultimum putant, ego tamen sic censeo, sic assidue prædicabo, multo acerbius esse Christum offendere, quam gehennæ malis vexari.* Alibi quoque eamdem propositionem ab eodem S. Doctore his verbis repetitam invenio: *Mentem habuit, gehenna quoque formidolosius, Deum offendere.* Quando sacrilegi illi Sancto Eleazaro seniori persuadere satagebant, ut saltem se carnes à lege vetitas manducare fingeret, aut simularet, ut sacrilegi Regis Antiochi jussa exequi videretur, sanctus hic senex illos à se repellens, generose respondit: *Præmitti se velle in Infernum*; quasi dixisset, malo vivus præcipitari in Infernum, quam culpa coinquinari. Celebris quoque hoc spectat illa S. Anselmi his verbis facta protestatio: *Si hic peccati pudorem, & illic cernerem infernum horrorem, & necessario uni illorum haberem, immergi prius me in Infernum immergerem, quam peccatum in me admitterem.* Cum hac dignissima S. Anselmi sententia optime concordat illud S. Bernardi effatum, quod de homine timorato, & perfecto, qualis ipse erat, ita pronuntiat: *Terribilius & horribilius ipsa gehenna judicat, in re levissima vultum Omnipotentis offendere.* Refert Tertullianus invictam fidelium sui temporis constantiam, qui in confessione fidei adeo effervescebant, ut persecutoribus sese opponentes, libera illis voce dicere non dubitarint: *Malumus damnari, quam à Deo excidere.* Quod quidem tametsi ipsi solum de condemnatione ad supplicia sustinenda dixerint, attamen dicere quoque possumus, conducibilius nobis esse, nos ad gehennales condemnari flammas, quam adversus Deum rebellem fieri, hoc enim sine dubio majus malum est, quia ignis ille infernalis neminem potest lædere, nisi eum, qui Dei est inimicus, qui ejus in se iram provocavit.

D. Chrysf. hom. 37. in Matth. Inferno quid formidolosius.

D. Chrys. H. de orat. Annæ.

2. Macc. 6. v. 23.

S. Anselm. lib. de Simil. c. 190.

S. Bern. ser. de triplici cohar.

Tertull. adv. Gent. cap. 49. Constantia in fide.

5. Consideratione dignissimus est ille ex Proverbijs Salomonis desumptus sacer textus: *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.* Et vero certum est, hoc loco sermonem esse de assistentia & protectione Dei erga hominem justum, ut ab inferno ultimo & novissimo præservetur. Porro Lyranus textum citatum exponens inquit: *Qui est infernus damnatorum.* Interlinearis similiter inquit: *Infernus novissimas est pœna ultima damnationis:* versio Chaldaica legit: *De inferno infernorum.* Hebræus habet: *De inferno infimo.* Rabanus, quem Glossa ordinaria citat, hanc textus illius radit intelligentiam: *Eruditum dicit, non solum scientia, sed & operatione perfectum, huic enim jure semita vitæ aperta est, huic cæli janua patet; infernus autem novissimus, ultima est pœna damnationis; nam primus est infernus, cæcitas animæ peccantis, de quo dicitur in Psalmo: Descendant in infernum viventes, id est, scientes labantur in peccatum.* Advertendum porro est, quod infernus, qui in centro terræ situatus & ad reprobos puniendos deputatus est in tantum infimus appelletur & ultimus, in quantum est ultima damnatorum pœna: Infernus autem novissimus ultima est pœna damnationis, non vero, quia pejor sit alio inferno, qui dicitur primus. Primus enim infernus est cæcitas animæ peccantis; Primo, quia alterius inferni causa est & origo; Secundo, quia non solum præcedit novissimum tempore, verum etiam quoad malitiam, siquidem, ut diximus, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* Primus igitur infernus, id est, principalior, horribilior, Deo abominabilior, hominique pœnosior est malitia culpæ. Unde contemplativus quidam ostendere volens quousque malæ alicujus conscientiæ tormentum pertingat, ita scribit: *Quamvis infernus sit domicilium externum serpentis antiqui, tamen ab illius tormentis transfertur ad diuturna tormenta.* Quænam vero aut qualia hæc acerbiora tormenta esse existimatis, ad quæ Deus Dæmonem acerbius castigandum destinat? ut inhabitet peccatores, quia peccatum horribilius est Dæmone. Enimvero S. Basilius Magnus peccata atrociores pœnas inferre, quam sint tormenta tartarea, his verbis insinuat: *Qui male fecerint, in probrum & confusionem resurgent, in scipsis amaritudinem, & formas eorum, quæ peccarunt, conspicientes impressas.* Hæc eremin præteritorum peccatorum recordatio pœnosius erit tormentum ipsomet barathro infernali. *Erit verte confusionis ejusmodi impressio istis tanto plus horror, quam vel ipsæ tenebræ, aut ignis æternus, quod in ea visitari sunt peccatores, semper ob oculos versantes vestigia illa peccati in carne commissi, quasi notæ cujuspiam cruciatæ, nec ulla aspergine elabibilis in memoria animæ perpetuo duraturæ.*

Distinctio inferni ab inferno.

Quænam sint inferno acerbiora toleranda à diabolo.

S. Basil. Hom. in Pſ. 33.

Peccata dicuntur animalia venenosa.

6. Enimvero animalia illa horrenda & venenosa, quæ in pluribus Sacræ Scripturæ locis in Inferno esse dicuntur, non sunt alia, quam enormia in hac vita commissa peccata, quæ animam peccatricem in illa abysso summe perturbabunt, & affligent. *Sed & raquiescent ibi bestiæ*, inquit Isaias, *& replebuntur domus eorum draconibus; & habitabant ibi struthiones, & pilosa saltabant ibi, & respondebant ibi ululæ & syrenes.* Quæ verba S. Elredus ita exponit: *Sed & singula quæque crimina, quibus hic homines delectabiliter implicantur, speciali recordatione miserorum conscientiam contorquebunt; unde & habitare ibi struthiones, & saltare ibi pilosi, & respondere sibi ululæ, sed & syrenæ in delubris voluptatis perhibentur. Per struthiones simulatio hypocritarum, per pilosos incentiva libidinum, per ululas suffarratio detrahentium, per syrenes fallacias adulantium.* Idem paulo ante dixerat: *Si domus uniuscujusque conscientia propria est, tunc replebuntur domus illorum draconibus, quando vitia, quæ nunc jucunda videntur, & dulcia, in hominis conscientia draconis speciem referent, cujus & faciem horrent, & flammam non ferat; Dicuntur enim hæ bestiæ terribilis esse vultus, naturæ tam ignæ, ut flammas ex se emittere videantur. Ita profecto vitia & peccata, quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, & materiam æterni incendij administrantia.*

S. Bern. t. 2. ser. 52. art. 3. c. 1.

Isa. 13. 21.

Vermis est mala conscientia.

7. Inter alias rationes, quibus peccatum inferno deterius esse convincitur, hæc quoque una est, & fere potissima, quia scilicet impius præter sulphuris aliosque fœtores, tenebras, ignem, consortium Dæmoniorum, cunctamque aliarum atrocissimarum pœnarum congeriem, insuperà mala sua cruciabitur conscientia: *Vermis eorum non morietur*, ejusque hic velut alius quidam novus infernus, prout sacri Doctores communiter asserunt. Et quidem S. Bernardinus ait: *Quamvis humana judicia subterfugiat, qui male agit, judicium tamen conscientiæ suæ effugere non potest nam etsi alijs celat, quod agit, sibi ipsi celare non potest, qui novit, quod gessit.* Et vero paulo infra malam hanc conscientiam tartaream quamdam appellat abyssum; subdit enim: *Quia & hic conscientiæ suæ reatu punitur, & illic perpetua pœna damnatur, unde dicitur: Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum; Abyssum invocare abyssum, est de judicio conscientiæ ire ad judicium perpetuæ damnationis.* Primus reprobus, Cain videlicet, post commissum fratricidium, & superbum Dei contemptum, merebatur utique, ut terra dehiscens in patulum ipsum præcipitaret infernum, non vero ut divina justitia tot sæculis filum vitæ ipsius detruncare differret; Cur igitur terra ipsum quantocius post commissum delictum, vivum non absorbuit? Existimatisne hanc dilationem factam fuisse ex motivo misericordiæ, & non potius ex dictamine severissimæ justitiæ? Erratis profecto graviter, si id creditis, quin potius ut S. Hieronymus ait: *Noluit Deus compendio mortis finiri cruciatus.* At vero dices fortasse, numquid Cain civitatem ædificavit? numquid numerosa prole beatus fuit? numquid bonorum terrenorum abundantia fuit gavisus? Numquid sanus semper & incolumis vixit? Qua igitur ratione tempore vitæ suæ ab ultrice Dei justitia fuit castigatus? Audite ipsummet Deum per os prædicti Sancti Doctoris in hæc verba loquentem: *Nolo mortem pro remedio accipias, sed usque ad septem generationes conscientiæ tuæ igne torqueberis.* Tametsi enim Infernus ipsum non confessum, ut peccavit, vivum deglutiverit, ipse tamen ubique quamdiu vixit, vivum quemdam remordentis malæ suæ conscientiæ Infernum in semetipso graviter & acerbissime ipsum cruciantem circumtulit: *Usque ad septem generationes conscientiæ tuæ igne torqueberis.* Pro hujus veritatis majori evidentia observandum est, quod Salvator noster apud S. Marcum cap. 9. tribus repetitis vicibus hujus tormenti rodentis conscientiæ vermis cum Inferno conjuncti mentionem fecerit: *Ignem inextinguibilem, Ubi vermis eorum non moritur.* Legatis quoque in Tomo 2. hujus meæ Bibliothecæ moralis in Tractatu de Inferno, Discursum integrum, & nunc inveniens quam hic vermis conscientiæ atrox pœna sit, & supertior cunctis alijs pœnis infernalibus. S. Petrus Chrysologus proinde merito ait: *Reus plus de conscientia, quam de gehenna erubescit incendio.* S. Augustinus quoque in Epistola quadam ad Cæcilianum de hoc tormento ita scribit: *Omnes non tantum carceres; sed etiam inferos vincit scelerata hominis conscientia.* S. Bernardus pariter asserit: *Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia est.* S. Bernardinus in alio quodam sermone in hæc verba detonavit: *Nonne percipitis quia mali in hoc mundo incipiant esse in Inferno, quia licet videatur, quod conscientia non remordeat, tamen est in peccatis, & in amaritudine* quasi dicere vellet, amaritudinem tormentorum infernalium, quam damnati experiuntur, ipsamet esse damnatorum quæ commiserunt peccata.

Marc. 9. v. 42. & 43.

Vermis conscientiæ supertat alias pœnas.

D. Chrys. ser. 125.

S. Augustin. Epist. 259.

S. Bern. Serm. 4. de Assumpt.

S. Bern. T. 4. ser. 42. part. 1. principalis.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Peccata mortalia committentes ut plurimum mortem sibi accelerant, & ex improviso pereunt.

THEMA.

In interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Prov. 1. v. 27.

1. SApiens in hoc capite antecedente varias blandas & amabiles recensuerat à divina bonitate factas peccatorum vocationes & suaves invitationes, nec non varia illis exhibita auxilia, ad eos ad pœnitentiam veramque vitæ suæ emendationem inducendos, quæ tamen ipsi contumaciter & obstinate à se repulerant: *Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum*; ac proinde improvisam & repentinam illis merito comminatur mortem, utpote proprium suppliciuum, quo divina justitia peccatores impœnitentes & obstinatos ut plurimum castigare solet: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, cum irruerit repentina calamitas &c.* Quæ verba à duobus Rabbinis à Cornelio à Lapide citatis, scilicet Rabbi Levi, & Rabbi Salomone ita explicantur: *Sicut nubes quæ repentino motu cietur, ac ingenti strepitu & fragore detonat.* Videt nonnumquam nauclerus cœlum serenum, aëremque ab omnibus ventis plane feriantem, indeque sibi magnam in mari promittens tranquillitatem, vela pandit, & à littore solvere incipit, bona spe fretus, quod ad optatum portum feliciter sit appulsurus; dum autem jam in alto mari constitutus est, exurgens siniſter quidam ventus, in momento aëra replet nubibus, tonitruis, fulguribus & fulminibus,

Sæpe vocatos Deus tandem irridebit. Prov. 1. v. 24.

Cur Cain non statim absorbuit terra.

Ut vivus diutius torqueretur vermè malæ conscientiæ.

Corn. à Lap.

Ut navis cœlo sereno solvit & orta tempestate pecit.

Ita pereunt mundani in medio gaudiorum. — Cajet. ibid. — Tempestas solet venire ab improviso. — Hug. Card. ib. — Job 21. v. 7. — Ibid. v. 12. — Ibid. v. 13. — Ibid. — Ibid. v. 14. — Ibid. v. 15.

nibus, obscuratur inde cœlum, undæ agitantur; ipsumque navigium, postquam diu cum furiosis ventorum turbinibus sub naucleri directione strenue dimicavit, in profundum maris tandem infeliciter submergitur. Unde Seneca ait: *Noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur, eodem loco, ubi luserunt navigia, sorbentur.* Quot sunt & fuere juvenes licentiosi & dissoluti, qui in medio gaudiorum, hastiludiorum, comœdiarum, conviviorum, tripudiorum constituti, ex improviso ab Assassino quodam vel traditore occulto, vel jurato inimico vulneribus lethiferis sauciantur, indeque eodem prorsus tempore corporis sanitatem, honorem, famam, imo & animam ex improviso miserrime amittunt? Cajetanus verba prædicta Sapientis exponens inquit: *Juxta Hebræum habetur: Veniente sicut desolatione timore vestro, & fractione vestra, sicut turbine, veniente super vos angustia.* Etenim turbo, sævaque tempestas tunc vel maxime exoritur, quando minime expectatur aut timetur. Septuaginta legunt: *Cum venerit vobis subito tumultus, & subversio similis procellæ.* Theodotio vertit: *Conturbatio, præcipitatio.* Hugo Cardinalis notat, Sapientem eo in loco exprimere voluisse mortem repentinam & subitaneam, quæ impijs communiter supervenire consuevit; unde ait: *Quasi tempestas, id est, subito, ingruerit, id est, sine grue, quæ habent ordinem in volatu, id est, sine ordine venerit, evertens omnia.* Similem quamdam tempestatem post summam tranquillitatem & serenitatem, unico in momento exortam S. Job describere volens, primo longum quemdam prosperitatum, quibus impij in hac vita gaudent, contexit catalogum *Quare ergo*, inquit, *impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitijs: Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, Ducunt in bonis dies suos;* Ecce tibi serenitatem, vultisne autem subitam videre tempestatem consequentem, repentinumque eorumdem præcipitium? *Et in puncto ad inferna descendunt; Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, Quis est omnipotens, ut serviamus ei?* Ecce tibi igitur finem, nimirum subito & ex improviso moriuntur.

Isa. 47. v. 10. — Ibid. v. 11. — Ps. 72. v. 2. & 3. — Miratur David peccatoris felicitatem in mundo. — Ib. v. 4. & 5. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 11. — Ibid. v. 12. — Ibid. v. 13. — Ibid. v. 14. — Hoc scrutari dicit laboriosum usque cum Deus revelaverit. — Ibid. v. 16. — Ibid. v. 17. — S. Remig. ib. — D. Carth. ib. — Ibid. v. 18. — D. Carth. ib. — Desuper facta revelatio. — Job. 15. 32. — Ps. 72. v. 19. — Ibid. v. 20.

2. Apud Isaiam simile quoddam supplicium temerario cuidam & præsumptuoso comminatum fuit, qui dicebat: *Ego sum, & præter me non est altera;* sed immediate subditur: *Veniet super te malum, & nescies ortum ejus, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, veniet super te repente miseria, quam nescies.* Legatis velim Psalmum 72. & videbitis, quod regius Propheta à principio Psalmi, videns in impijs admirabilem mundanarum prosperitatum Favonium, attonitus plane & obstupefactus intra se dicat: *Mei autem penè moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum; In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua, Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Paulo post vero interrogat: *Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias; Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, Et fui flagellatus tota die,* quasi diceret: Ego, qui prorsus innocenter vivere satago, non solum non prosperor, sed & insuper acerbe flagellor; quid igitur mihi prodest, quod sim Dei illius, qui tam novercante manu justos, tam benigno & paterno affectu peccatores tractat, servus fidelis atque solicitus. Tandem vero ne forsitan in mente sua Deum temere dijudicet, experiri voluit, an hujus impijs deservientis venti Favonij veram indagare causam posset; unde subdit: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, Donec intrem in Sanctuarium Dei & intelligam in novissimis eorum,* quasi dicere vellet, ut exponit S. Remigius: *Labor est ante me, subaudi, cognoscere & inquirere est labor ante me, id est, major me, donec intrem, videlicet consideratione, in Sanctuarium Dei, in occultam dispositionem Domini, ut intelligam in novissimis eorum, id est, considerem novissima eorum.* Dionysius Carthusianus similiter hanc verborum prædictorum Psalmistæ tradit interpretationem; Ita enim scribit: *Putavi me posse scire rationem hujus, scrutari, & invenire, cur impij prosperantur; labor est ante me, id est, hanc causam cognoscere laboriosum est mihi, donec intrem in sanctuarium Dei, id est, donec Deus mihi revelet incerta & occulta sapientiæ suæ, & intelligam in novissimis eorum, id est, considerem, quid finaliter instet perversis.* Tandem vero revelatum fuit illi mysterium, cur scilicet impij sæpenumero adeo prosperitatibus superabundent; subdit enim: *Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur. Posuisti eis, id est; impijs,* inquit Dionys. *finem vitæ breviorem, quam alias habuissent, sæpe enim homines propter peccata sua intempestive moriuntur, quando videlicet impletæ sunt iniquitates eorum. Unde de peccatore apud Job scriptum est: Antequam dies ejus impleantur, peribit.* At vero quonam modo mors hæc illis contingit? Audite quid Psalmista hac de re ex divina revelatione astruat: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Apoc. 12. v. 12. — Peccator subito, & sine debita præparatione moritur. — Hug. Card. ib. — Thren. 1. v. 2. — Prov. 1. 27. — Alb. Magn. ibi.

3. Porro quod quis ex improviso morte subitanea intereat, sæpe magnus Dei favor est (dummodo talis sit in gratia Dei constitutus) non enim experitur acerbissimos illos agoniæ dolores, & horribilem luctam, quam homo moribundus cum inimico infernali subire cogitur, de quo scriptum est: *Descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Miseria igitur animæ peccatricis in eo consistit, quod non solum morte subitanea, sed & improvisa occumbat, ac proinde observandum est, quod Sancta mater Ecclesia in litanijs nos doceat, hanc à Deo postulare gratiam, ut liberemur non solum à subitanea, sed & ab improvisa morte: *A subitanea & improvisa morte libera nos Domine.* Hæc igitur est reproborum pœna, quod ex hac vita abripiantur tunc, quando ad mortem subeundum non sunt præparati aut dispositi, sed extra gratiam & amicitiam Dei constituti, & quia in extremo illo momento sacramentum Confessionis recipere possent, Deus justo judicio efficit & permittit, ut illo beneficio priventur. *Quomodo facti sunt in desolationem, scilicet in morte,* ut Hugo Cardinalis explicat, *nullus enim tunc eos juvat.* Citatque ex lamentis Jeremiæ textum illum: *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus,* scilicet animam mortui. Ubi nostra Vulgata in c. 1. Prov. legit: *Et interitus.* Aquila habet: *Similis concussioni & terræ motui.* Quot sunt qui à terræ motibus intra viscera terræ ad infernum proxime accedentia vivi absorbentur, dum minime sperabant? quot in fundo maris ex improviso submerguntur? quot percutiuntur à fulmine sani existentes & incolumes? *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, quando in majori se credebant prosperitate positos,* inquit Albertus Magnus.

1. Thess. 5. v. 1. — Mors, ut latrones & fures, venit de nocte. — Ibid. v. 3. — Luc. 12. v. 19. — Ibid. v. 20. — Dan. 5. v. 1. — Exemplificatur in avaro Evangelico & Balthasare Rege.

4. S. Paulus ad Thess. ita scribit: *De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis, ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Et quidem licet de extremo & finali judicio ibi Apostolus loquatur, judicio tamen uniuscujusque particulari, & ultimo mortis momento verba illa facile accommodari possunt, quia sicut latro se furti non exponit discrimini, nisi quando incola domus omnis timoris expers profundo sepultus somno quiescit, eodem modo mors ijs, qui imparati sunt ad moriendum supervenire solet, quando id futurum minime credebant: *Cum enim dixerint, Pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Avarus ille, cujus apud S. Luc. 12. fit mentio, post congregatam à se copiosam messam varia in mente sua machinabatur consilia dicens: *Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Ecce tibi quam ab avaritia sua retulit dignam retributionem, repentinam videlicet mortem: *Stulte hac nocte repetunt à te animam tuam.* Balth. in medio gaudiorum positus erat. *Nam fecit grande convivium Optimatibus suis mille;* accumbebant grandi huic convivio uxores ejus & concubinæ. *In eadem autem hora apparuerunt digiti &c.* Nota est historia, ac proinde illi prolixius recensendæ supersedeo. In eadem igitur nocte regnum pariter & vitam amisit, idque in pœnam probrosæ profanationis vasorum sacrorum templi Jerosolymitani, è quibus uxores & concubinæ illius in magnum Dei vilipendium bibebant. Ipse quidem puniti ob similem temeritatem Nabuchodonosoris horrendum viderat exemplum, nec tamen inde quidquam profecit, ac proinde horribilis hæc pœna super illum cecidit.

5. Sa-

Prov. 29. v. 1. — Apoc. 6. v. 8. — Similitudo ab Equite calcaribus equum impellente. — Eccle. 7. v. 18. — Baron. An. 518. — Ps. 36. v. 35. — Ibid. v. 36. — Ibid. v. 37. — Hug. Card. ib. — Prov. 10. 27 — Ose. 10. v. 2.

5. Sapiens ait: *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* S. Joannes in Apocalypsi vidit in visione quadam equum pallidum: *Et ecce equus pallidus & qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Qui equum macilentum, debilem, & emaciatum ad velocius gradiendum urgere contendit, admotis ad latera calcaribus illum concutit, sic enim in loco à se destinato celerius appellat, quam si lentis gressibus procedere sineretur. Mors lento passu progreditur, atque ideo sæpe 60. vel 70. elabuntur anni, priusquam ad ultimam suam metam, id est, ad tumulum hominem transvehat, at vero quando calcaribus adigitur, mox properat, & ex improviso ad ultimam vitæ humanæ metam hominem portat, quando minus id futurum credebat, ac proinde dicebat Ecclesiastes: *Ne impie agas multum, ... ne moriaris in tempore non tuo.* Sic Anastasio Imperatori de ætate 14. subtracti sunt anni, quos alias supervicturus fuisset: *En ob tuam improbitatem, quatuordecim tibi vitæ annos deleo.* Regius Propheta ait: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus; Custodi innocentiam, & vide æquitatem.* Fastus porro & superbia impiorum in momento, & ex improviso, & ex una hora in alteram deficit, eaque in re divina manifesta se prodit justitia. Unde Hugo Cardinalis ait: *Vide æquitatem Dei, qua malos condemnabit, ut sic fugias mala.* Econtra vero, ut Sapiens ait: *Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breviabuntur.* Oseas Propheta de peccatoribus divisum cor habentibus differens, punctum hoc de morte improvisa ita fatur: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Chaldæus legit; *Nunc delinquent;* Ubi observandum est illud ly *nunc*, quod idem est; ac si diceretur: In unico puncto, sive momento interibunt.

Sap. 2. v. 8. 9. — Gaudium hujus mundi brevissimum est. — Ib. v. 5. & 3. — Isa. 22. v. 13. — Haymo in Apocal. — 1. Cor. 6. v. 20. — Pallidi equi sunt peccatores, quibus insidet diabolus. — S. Ambr. l. 2. de Jacob. — Job. 18. v. 14. — Hug. Card. ib. — Injustus subditur Dæmoni. — Isaiæ 25. v. 8. — Job. 18. v. 14. — Isa. 25. v. 8.

6. In libro Sapientiæ licentiosi & dissoluti illi juvenes sese mutuo provocabant dicentes: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ.* Et tamen paulo ante fassi fuerant dicentes: *Umbræ transitus est tempus nostrum, Transibit vita nostra, tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radijs Solis.* Alij similes insolentes juvenes apud Isaiam similiter carni habenas laxare desiderabant, ea solum de causa, quod mors falcem suam in proximo eorum admotura esset capitibus: *Ecce gaudium & lætitia; occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, bibere vinum; Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Haymo Halberstadiensis Episcopus super præcitatum Apocalypseos textum scribens, per equum illum pallidum & macilentum intelligendos esse dicit peccatores: *Designantur per equum album omnes reprobi,* per sessorem vero, qui illi insidebat, quique à S. Joanne mors appellatur, Dæmonem interpretatur; adeoque ad eum modum, quo justi tamquam generosi equi Deum portant; dicente Apostolo: *Portate Deum in corpore vestro,* improbis econtra tamquam pallidis & macilentis equis insidet Diabolus; at vero quodnam in eo latet mysterium, quod Diabolus equi hujus insessor mors appelletur, equus autem ille stragula quadam pallida, & mortis speciem referente instratus esse dicatur? Nimirum per hoc significatur, quod qui in statu peccati mortalis est constitutus, corpore pariter & anima mortuus sit, ideoque in pallido hoc equo veluti in feretro quodam mortuorum portatili circumferatur; Nam ut S. Ambrosius ait: *Etiamsi videantur vivere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam;* at vero quia astutus ille serpens tartareus, quanti peccatori referat & utile sit quodlibet breve temporis spatium, ut sacramentaliter confiteri, simulque actus contritionis elicere possit, ad affecurandam suam salutem, ideo cum acutam mortis falcem suam in manu sua habeat, impius vero, utpote secundùm præsentem justitiam ad infernum condemnatus, à divinæ Justitiæ brachio ejus sit potestati relictus, filum vitæ ejus eidem ex improviso detruncat & abrumpit, quando id minime expectat. *Calcet super eum quasi Rex interitus:* Dicebat S. Propheta Job. Quæ verba explicans Hugo Cardinalis, differentiam assignat, quæ est inter hominem justum & Dei servum, & peccatorem; super hunc enim mors, vel potius Dæmon in manu sua falcem mortis portans equitat, illumque Dominio suo subjectum tenens conculcat, suaque tyrannide pro libitu suo exagitat; non vero eadem est ratio cum homine justo, hic enim nequaquam subjicitur Dæmoni, sed potius econtra Dæmonem & mortem sibi subjectos habet, Et ijs dominatur, de quibus proinde Isaias ait: *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Unde Hugo super illa verba Jobi: *Conculcet super eum quasi Rex interitus, & in eodem consumat brachia illius primogenita mors,* ita scribit: *Sic ergo & mors super malos, sed non sic super bonos, imo sub eis.* Isaiæ 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum.*

Vit. S. Philip. Ner. l. 1. c. 16. n. 8. — Exemplum primum de subitanea morte. — Ibid. l. 2. c. 20. n. 13. — Secundum. — Prov. 6. v. 12. — Proprietates Apostatæ.

7. Sacræ Literæ, nec non Annales Ecclesiastici, omnesque aliæ Historiæ plenissimæ sunt funestissimis casibus infelicissimæ & repentinæ mortis, quam Deus reprobis in pœnam peccatorum inferre consuevit, de quibus doctissimus P. Paulus Aringus, sacræ nostræ Congregationis dignissimus Presbyter, duos integros Tomos non ita pridem elucubravit, qui hunc præ se ferunt titulum: *Mortes peccatorum pessimæ.* In vita S. Philippi Nerij duo leguntur horrendi eventus, qui ejus tempore acciderunt. Dum enim S. Philippi noviter inchoatum institutum nostrum maximos faceret progressus, varij contra illud insurrexerunt persecutores malignitatem suam sub prætextu zeli palliantes, licet verus illorum finis hic esset, ut novellam illam plantam, miros pietatis fructus edere incipientem, radicitus extirparent, Inter alios vero Prælatus quidam tunc in urbe summi Pontificis Vicarius Generalis, de hoc instituto Pontificem Maximum sinistre informando; illi se præ cunctis alijs opposuit, acriter illud reprehendendo, gravibusque onerando injurijs & dicterijs. Quare sanctus vir Dei ad orationis confugit asylum, moxque instituti sanctitas & innocentia, accusationis vero falsitas manifestata fuit; Prælatus namque ille (ut Sanctus Philippus in spiritu præviderat) intra quindecim dies, dum ad Papam falsè informandum abiret, repentina & improvisa morte interijt. Alia quadam vice Præsul quidam, cujus nomen modestiæ gratia reticetur, ut visitationem septem Ecclesiarum urbis, à S. Philippo cum ingenti impiorum hominum turba, in die Jovis, Dominicam Quinquagesimæ antecedenti obire solitam impediret, Philippum apud unum ex purpuratis Patribus atrocissimis calumnijs asperserat, eo dumtaxat consilio, ut ad notitiam publicam deducta re, oratorij institutum funditus dissolveretur, & prædicta devotio in fumum abiret, adeoque graves fuerunt calumniæ, ut Purpuratus rem Pontifici detulerit. Attamen Philippus, quamvis cuncta rescivisset, ne mutire quidem valuit. Interim contigit, ut Oliveranæ familiæ Monachi, Præsuli illi objicerent, ipsum à religione per apostasiam descivisse, quod is gravius ferens, ex molestia in morbum incidit, ex quo brevi è vivis excessit, cum simultanea vitæ, honoris, & quod timendum merito, pariter & animæ jactura. Cum enim S. Philippus demum audisset Prælatum jam spiritum efflasse, ingemiscens jussit sacra sibi Biblia adferri, mox librum aperiens, in hæc Proverbiorum verba incidit: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat; Huic exemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Mortem mortaliter peccantium in extremo vitæ articulo pessimam esse, ex varijs considerationibus probatur.

THEMA.

Mors peccatorum pessima. Prov. 33. v. 22.

Ps. 115. v. 15. — Ps. 39. v. 13.

1. Quemadmodum Sancta mater Ecclesia quotidie ad Primam officij divini hæc verba pronuntiari instituit: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus;* ita Spiritus veritatis econtra per os Psalmistæ nobis inclamat verba illa: *Mors peccatorum pessima.* Enimvero anima peccatrix in extremo illo mortis articulo jure merito dicere potest: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus,*

merus, comprehenderant me iniquitates meæ. S. Antonius de Padua in sermone quodam ita scribit : *Dicit Isaias de homine laborante in articulo mortis ; Suspicit sursum, & ad terram intuebitur, & ecce tenebræ, & tribulatio, & dissolatio, & angustia & caligo persequens, & non poterit avolare de angustia sua. In mortis articulo est tribulatio infirmitatis, tenebræ in oculis, qui tunc privantur lumine, dissolutio membrorum, angustia mortis, & caligo persequens, id est, timor gehennæ, vel præsentia Diaboli animam egressuram rapere machinantis. Heu miser homo, sive sursum respiciat, sive deorsum, non poterit avolare de sua angustia.* Quicumque tandem sit homo, sive Monarcha sit, qui armorum suorum potentia totum mundum facit contremiscere, postquam ad mortis articulum perducitur, necessum est, ut contremiscat, & expavescat. Huc quoque spectant celebria illa S. Hieronymi verba dicentis : *Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabant.* D. Chrysostomus de hoc eodem puncto ita discurit : *Quemadmodum qui carcerem inhabitant, semper quidem in anxietate ac doloribus sunt, sed maxime eo die, quo sunt educendi, & ad ipsas fores judicantis ducendi, & ante cancellos stantes, judicantisque vocem intus audientes meru suffocantur, & nihilo meliori sunt specie, quam mortui, sic & anima & ipso quidem peccati tempore maxime affligitur & premitur, sed multo magis quando hinc avulsa, adrationes illic reddendas, & ad terribile illud judicium adduci debet :* Ubi notanda sunt verba illa : *Ad rationes illic reddendas.* S. Antoninus hujus examinis severitatem aliqua saltem ex parte ita declarat, inquiens : *Conflat, quæ fiunt, adducit Dominus in judicium, pro omni errato, sive malum, sive bonum, exigetur ratio. Non solum de malo opere in se, sed etiam in eo, quod de se est bonum, vel aliis videtur bonum, & propter malum aliquam circumstantiam error est, in judicium adducetur, & quantumcumque occultum opus fuerit, manifestabit absconditia tenebrarum, id est, peccatorum, ait Apostolus,* adducitque textum illum Matth. cap. 12. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij, primo quidem in die particularis judicij, qui est in morte. O quis unquam numeraret multitudinem verborum otiosorum, quæ quotidie dicimus, nullam nobis de hoc conscientiam facientes ? Quod si de otiosis ratio exigetur cum pœna, quid de contumeliosis, de detractoriis, de perjuriis, & blasphemijs, de adulationibus & alijs malis ?* Pergit idem Sanctus Archi-præsul ulterius, & narrat eventum quemdam, qui uni ex Sanctis illis Eremi Patribus accidit, qui cum esset morti vicinus, multi alij Monachi ipsum visitantes viderunt enim mire contremiscentem ; Unde vehementer admirati dixerunt ei : *Et tu Pater times mori, cum semper in pœnitentia vixeris.* Verum audite obsecro, quale illis reposuerit responsum, hoc enim tale fuit, quod merito unumquemque deberet peccatorem perterrefacere, *Si enim Cedri hbani trepidant, qualiter inanes paludum agitabuntur arundines.* In hæc igitur verba respondit eis : *Vere timeo, nam licet per quadraginta annos laboraverim in ista solitudine ad serviendum Deo, tamen quia alia sunt judicia Dei, quam hominum, ideo timeo ne forte non placuerim Deo.* Unde & Job 31. c. ait : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Plurima sunt peccata nostra, quæ nobis levissima, vel nulla videntur, quæ tamen Deus discutit & punit.*

2. *Mors peccatorum pessima.* Adduximus in Discursu præcedenti illam Sapientis sententiam. *Cum invaserit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia ;* Quibus verbis mors repentina peccatori superveniens procellosæ comparatur tempestati. Porro mare tranquillum & placatum immunditias, quas undæ marinæ in illud secum advexerant à se non ejicit, sed hoc solæ faciunt tempestates & undarum fusque deque vertentes procellæ, tunc enim furibundum mare cadavera, morticinia, aliaque immunda & abominabilia in fundo maris absconditia, inde extolluntur, & ad littora ejiciuntur ; Ita quoque contingit hominibus impijs, quorum corda ab Isaia efferveſcenti mari comparantur : *Cor impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest ;* Quamdiu enim reprobi in mari hujus sæculi, prosperitatis ferenitate, & tranquillitate gaudent, propria peccata in conscientiæ suæ fundo occultant ; *Impias enim cum in profundum peccatorum venerit, contemnit,* neque peccata sua quidquam curat aut æstimat, quia cum timorem Dei perdiderit remorsum illum conscientiæ non sentit : At vero ubi tempestas mortis excitata fuerit, tunc volens profundam animæ suæ peccatricis abyssum omnes totius vitæ suæ sordes & munditias sigillatim & distincte si poterit, prodere non intermittit. *In puncto transitus animæ,* inquit S. Bernardinus, *revelatur quanta iniquitas est peccatum ; & quanta pœna datur animæ per peccata, & aperiuntur sibi cataractæ inferni, & jam videt pœnas per intelligentiam, antequam per experientiam;* Unde merito dicit Propheta : *Dolores inferni circumdederunt me ; Et ; Pericula inferni invenerunt me.*

3. Porro in eodem momento, in quo animæ demonstrantur pœnæ, eidem pariter omnes sigillatim manifestantur commissæ culpæ, pro quibus pœnas tales est luitura. S. Bonaventura ait : *Videndum est, qualiter peccatum premat hominem post mortem ; confusionem habebit ex malorum operum denudatione.* Citatque testimonium Nahum Prophetæ dicentis : *Revelabo pudenda tua in facie tua, ostendam nuditatem tuam, & ignominiam tuam, & projiciam super te abominationes.* De talpa scribunt naturales Philosophi, quod intra terram cæca vivat, eaque pascatur & nutriatur, oculos autem suos numquam aperiat nisi quando moritur. Certe in ordine ad explicandam impij peccatoris conditionem, nulla potest in medium adduci aptior similitudo ; hic enim ad imitationem serpentis infernalis patris sui (*vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere*) *terram comedit omnibus diebus vitæ suæ ; statuerunt oculos suos declinare in terram, conculcatus est in terra venter noster* ; ipsoque Sapiente teste, *cæci sunt. Excæcavit enim eos malitia eorum* ; in articulo autem mortis aperiunt oculos suos, numquam in æternum in tenebris illis infernalibus claudendos. Unde S. Gregorius Magnus ait : *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit* ; tunc igitur quantumvis inviti, distincte videbunt, & intelligent omnia peccata sua, quibus tot annis Creatorem & Salvatorem suum offenderunt ; qui tamen tunc Salvator ipsorum non erit, utpote cujus justissima sententia fuerunt ad æternæ perditionis barathrum condemnati. *Tunc sive quis rapuit, sive avare quæsivit, sive injuste inimicus cujusquam fuit,* inquit D. Chrysostomus, *sive quid aliud improbum designavit, universus peccatorum chorus designatur, & oculis sese offert, statque acerbus conscientiæ accusator.* Apud Danielem dicitur : *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Sancta quoque Ecclesia in sequentia Missæ Defunctorum canit. *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.* Reprobus autem quamdiu vivit, hunc conscientiæ suæ librum firmiter clausum tenet, nec vult audire ejus remorsus. In articulo autem mortis, omne folium sigillatim discurietur ; tunc quodvis verbum quævis virgula, imo minimus quisque apex clare apparebit. Simili fere similitudine utitur S. Thomas de Villa Nova ; dum ait : *Sicut in radio Solis atomi, qui prius non apparebant oculis, fiunt noti; ita in radio divinæ lucis omnis illa congeries cogitationum, affectionum & operum, veluti, atomorum multitudo, aperte & clare videbitur.* In Apocalypsi dicitur: *Libri aperti sunt ... & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Quæ verba Rupertus Abbas ita exponit : *Apertio librorum manifestatio est conscientiarum.* Animæ enim peccatrici in illo mortis articulo aperte indicabitur omnis ejus malitia, cum omnibus suis circumstantijs loci, temporis, & finistræ intentionis ; Deus enim illi claram & distinctam communicabit notitiam enormitatis, gravitatis, & deformitatis omnis culpæ. *Liber apertus est, id est,* inquit Albertus Magnus, *quædam vis divina, ostendens unicuique facta sua.* Episcopus Bellovacensis hæc de re ita scribit : *Tunc virtute divina fiet, ut unicuique omnia opera sua bona vel mala ad memoriam revocentur, ac mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut hominem vel accuset conscientia, vel excuset, eaque teste, vel damnetur æternaliter, vel salvetur.*

4. *Mors peccatorum pessima.* Enimvero Diabolus in illo novissimo vitæ articulo omnes suas exerit vires, omnes sibi possibiles tendit insidias, ut hominem perdere, sibique vendicare possit : Nam ut S. Bernardinus ait : *Antequam migrat anima malè è corpore, Diabolus sibi ostendit omnia mala, & pudenda sua, & dat sibi videre, quod est damnatus.* Imo

S. Ant. de Pad. ser. in Dom. 1. Adv. Miser status hominis peccatoris dum moritur.

D Chrys. t. 5. nat. de anima. Comparatur condemnando ad mortem.

S Anton. p. 4. tit 14. c. 9. §. 6. Minutissima ad judicium adducentur.

Matt. 12. 36.

Timent illud etiam sanctiores.

Job. 31. v. 23.

Prov. 1. v. 27.

Isaiæ 57. 20.

Prov. 18. v. 3.

In ultimo fine vitæ quandoque agnoscit gravitatem suorum peccatorum.

S. Bern. T. 4. ser. 42. parte 2. primo.

Ps. 17. v. 6.

S. Bonav. ser. l. 3. c. 7. compos. Theol. verit.

Nahum 3. 5.

Talpa non nisi moriens aperit oculos.

Joan. 8. v. 44. Gen. 3. v. 14. Ps. 16. v. 11. Ps. 43. v. 25. Sap. 2. v. 21.

In fine vitæ manifestantur culpæ & illis debitæ pœnæ.

D. Chrys. ibi.

Dan. 7. v. 10.

S. Th. de Villa conc. 2. in Dom. 1. Adv.

Apoc. 20. 12.

Rup Abb. ib. Idque secundum omnes circumstantias.

Alb. Magn. ib. Bellovac. specul. mor. l. 2. dist. 5.

S. Bern. ibid.

In ultimo fine vitæ quandoque agnoscit gravitatem suorum peccatorum.

S. Antonin. ibid. Exemplum de quodam pio Religioso.

ut tanto vehementius illum in desperationem adigat, sæpissime etiam illa moribund,o objcit, quæ numquam fecit. In cujus probationem in dicit S. Antoninus : In vitis Patrum legitur, *quod cum quidam vir valde religiosus, & sanctus infirmatus esset ad mortem, læta facie, & totus exhilaratus dixerit astantibus, qui eum visitaverant : Ecce beata Maria Dei, salutemus eam, quod cum omnes fecissent, & magnam consolationem percepissent, licet nil viderent, dixit infirmus ; O quam gratè, & jucundè recepit beata Mater Dei vestram salutationem, & ipsa quoque vos resalutavit. Post paululum vero cœpit expavescere, & valde anxiari, adeo quod socius ejus vix sufficeret ad extergendum sudorem ex labore, & factus in agonia, quasi tunc Deo redderet rationem de vita sua, aliquando dicebat, quasi ad alium loquens : Hoc non est verum, forte de aliquo peccato id dicebat, quod diabolus ei objecerat, ad eum inducendum in desperationem. Aliquando dicebat : O Domine, condona mihi, & parce hoc modicum. Dixit ei socius ; Quid est hoc frater ? Etiamne parva peccata requiruntur, & de eis Deus exigit rationem ? Qui ait : Utique & ea, quæ nulla putant homines esse peccata.*

Etiam Christus exprobrabit moribundo peccatori. S. Bonav. ibid.

In illo namque mortis articulo non solum Judex iratus, verum etiam Dæmones, qui adversus animam peccatricem tunc arrogantes fiunt & superbi, hominem moribundo improperabunt. Unde S. Bonaventura ait : *Tunc moribundus etiam exprobrationem Christi audiet.* Regius Vates in Psalmo 49. in persona Christi Salvatoris nostri, tamquam severi judicis variarum iniquitatum, hominis cujusdam perditæ salutis longum texit catalogum inquiens : *Peccatori dixit Deus &c. Hæc fecisti, & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quæ verba exponens S. Augustinus inquit : *Quid tibi faciam arguendo te ? Modo te non vides, faciam ut te videas, constituam te ante faciem tuam.* In Psalmo 43. anima quædam acerbissime dolens inquit : *Verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis.* Per hanc autem faciem conscientia intelligitur, unde Author Operis imperfecti verba illa apud Matthæum : *Faciem tuam lava*, de conscientia interpretatur inquiens : *Facies animæ conscientia intelligitur ; projice ergo abs te avaritiæ sordes, perjurij stercora, malitiæque putredinem, & lavasti faciem, id est, conscientiam tuam ;* tunc autem, id est, in illo extremo mortis articulo, tempus non erit amplius faciem abluendi ; quin imo omnes 50. vel 60. annorum immunditiæ in hac abominabili facie, detegentur, erit tanto majus improperium & confusio illius, quanto minus in illa similitudinis & imaginis eidem à Creatore suo impressæ, fupererit vel minimum vestigium. Unde apud Ezechielem dicitur : *Finis venit, venit finis... Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt.*

S. Antonin. ibid.

Matth. 6. 17.

Auth. oper. imperf. hom. 15.

Ezech. 7. v. 2. & 3.

Ibid. v. 4.

5. *Mors peccatorum pessima.* Valde expaveſcenda sunt illa apud Ezechielem, æternæ & infallibilis Veritatis, ore pronuntiata verba : *Non miserebor.* In illo namque extremo vitæ articulo, non est amplius tempus misericordiæ. Unde S. Bonaventura ait : *E statu pœnitentiæ cadit, transit æstas, finita est messis, omnis spes misericordiæ præcidetur, non remanebit testa, ut portetur igniculus scilicet charitatis de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea, scilicet divina misericordia.* S. Bernardinus authoritatem citans sancti Augustini, peccatorem obstinatum in hæc verba affatur : *Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te diserunt, non tu illa, ad minus non tu illa liberè peccata dimittis, sicut facit senex, & ideo quantum deficit in te de libertate, tantum secundum rigorem requiritur in te intensior modus, quem vix numquam poterit in talibus extremis anima infœlix habere.*

S. Bonav.

S. Bernard. t. 1. serm. 13. art. 1. c. 4. In fine vitæ cessat tempus misericordiæ.

Habitus mali & corporis infirmitas vix admittunt veram pœnitentiam.

Ibid. ser. 14. art. 1. c. 2.

Idem S. Pater paulo ante sequentem aliam hujus veritatis suggesserat rationem inquiens : *Habitus usque tunc contractus multum ab actu pœnitentiæ retrahit peccatorem. Hoc periculum tangit Augustinus de pœnit. dist. 7. cap. Nullus, ubi ait : Timendum est de pœnitente sero, quem enim morbus urget, & pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem. Ex vehementia habitus continuati, multum inclinant ad se inordinatè amandum, & per consequens, magnum faciunt difficultatem, ne sit sufficiens dispositio ad culpæ deletionem.* Idem Sanctus in sermone sequenti differentiam assignat, quæ in ultimo illo articulo reperitur inter timorem animæ electæ, & timorem animæ peccatricis ; ita enim scribit : *Licet justus naturaliter timeat mortem (nam etiam eam exstinuit Christus) longe tamen aliter timet eam peccator, & justus, sicut si duo in carcere sint, quorum unus expectat suspendi, & alter liberari ; tempore autem statuto cum ambo de carcere evocantur, unus timet inde exire, alius egredi jucundatur, sic utique contingit de carcere corporali, cum inde per mortem egrediuntur justi, & peccatores ; hinc Apostolus Philippensium 1. ait : Cupio dissolvi, & esse cum Christo ; & in Psalmo : Educ de custodia animam meam ; sed peccator timet coram judice comparere, & conscius quidem sibi quod expaveſcit, expectat.* Idem S. Pater, ut quam difficulter homo in extremo vitæ articulo ad veram reduci pœnitentiam possit, demonstret, sequentem addicit convincentem rationem : *Naturale est, & experientia hoc clarè ostendit, quod ea, quæ versantur in mente viventis, versantur etiam commenter in mente morientis. Dilexit in vita gloriam, & honorem, fastum & pompam, dominationes, & tyrannidas, videt quæ tantum dilexit, in se annihilari. O quantus dolor ! quantus horror ! O quantus animæ mœror, dum conspicit his omnibus brevi puncto in æternum privari, quibus tantam invisceratus irretitus est ! O quot anxietates, quot timores, quot innumerabiles, & variæ cogitationes à Dæmonibus, à carne, à mundo, à consuetudine mala, ab ipsa propria malitia sua, in tali extremo ejus ingeruntur menti.* Dumque in hisce anxietatibus posita anima, ex nulla parte inveniat, unde se salvare possit, in æternæ desperationis barathrum sese præcipitat. Idem S. Bernardinus in serm. 14. sequentem citat Eccles. textum : *In fine hominis denudatio operum illius ;* & subjungit : *Tantus est dolor ex his proveniens, & tentatio ista tam gravis, quod anima turbata in desperationis barathrum se præcipitare cogitur propter peccata sua, mentis clamore valido lamentabiliter dicens : Torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Torrens præceps, flumen, & terreus dictus est, & designat peccatum, quod quidem maxime tunc præcipitando in desperationem, terret animam infœlicem, dum ipsa conspicit, & intelligit infinitam malitiam ejus.*

Diversis modis justus & peccator timent mortem. Ibid. ser. 13. art. 2. c. 2.

Dolet peccator amatis mundanis privari. Eccli. 11. v. 29. S. Bern. ibid. ser. 14. art. 2. c. 12.

Validissimè diabolus tentat moribundum. S. Bernard. serm. 13. art. 2. cap. 1.

S. Bern. t. 4. ser. 42. parte 2. princ.

S. Antonin. p. 1. t. 7. c. 3. §. 4.

Gen. 3. v. 15. Illi apparebit tunc Christus & Diabolus.

Eccli. 41. v. 1.

6. *Mors peccatorum pessima.* Erit utique mors reprobi pessima, ob validissimos insultus, quibus dæmon tunc potius, quam aliàs contra hominem prævalebit ; Nam ut S. Bernardinus ex sancto Gregorio scribit : *Tanto diabolus majores tempestates ingerit, quanto magis peccatorem appropinquare sibi conspicit, insidiatur enim in abscondito, quasi leo in spelunca sua ? Tali peccatori Ecclesiasticus cap. 11. præcavet dicens : Attende tibi à pestifero, id est, Diabolo, fabricat enim mala, scilicet culpæ, in vita, ne forte hora, scilicet mortis, inducat super te subsannationem in perpetuum. Si igitur peccator non potuit impias tentationes tolerare, quin caderet, quando erat sanus, quomodo graviores tolerabit, quando erit infirmus ?* Idem Sanctus in alio quodam sermone Tomi quarti ita scribit : *Dolor est, quia in extremo puncto mortis aspicient visibiliter Dæmones, & similiter videtur Dominus noster Jesus Christus ; Diaboli venient jubilando, & Christus apparet iratus contra peccatores.* S. Antoninus insuper ait : *Scient Diabolus sibi non superesse plus temporis ad decipiendum hominem ultra terminum vitæ, totum virus malitiæ suæ in cauda reservat,* id est, in fine ; Unde in figura dictum fuit serpenti, Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo ejus,* id est, animæ vel creaturæ rationali, cujus calcaneum est terminus vitæ. Idem S. Antoninus paulò ante dixerat : *Justo judicio Dei sæpe contingit, ut nec de pœnitentia, nec de Deo aliquid curet, sed desperatus, vel cæcus ad inferna descendat ;* unde Augustinus ait : *Hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei.*

7. *Mors peccatorum pessima.* Pessima erit mors impiorum, propter nimiam adhærescentiam, & affectum, quo impij voluptatibus, divitijs, delicijs, cunctisque alijs terræ bonis adhærescunt ; Unde Ecclesiasticus nomine impiorum exclamat dicens : *O mors quam amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantijs suis !* Agag Rex pinguissimus, viri divitis & scelerati verissimus typus (*prodijt enim quasi ex adipe iniquitas eorum*) ingemiscebat

Ps. 72. v. 7.

1.Reg.15.32
Pessima est mors propter nimium affectum terrenorum.

gemiscebat dicens : *Siccine separat amara mors ?* S.Bernardinus ait : *Sicut justi mors est pretiosa in conspectu Domini, ita est pessima peccatoribus.* Primus dolor est, quia se videt privari omnibus delectationibus, quas habere potest in hoc mundo ; quia quanto major est peccator, tanto magis amat omnia transitoria. S.Thomas de Villa nova super illa verba : *Peccator... fremet & tabescet , desiderium peccatorum peribit ,* ita scribit : *hoc est , cum ipso peccatore omnia sua opera & desideria finientur. Exibit spiritus ejus , & revertetur in terram suam ; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum , omnia negotia , omnes fraudes , omnes solicitudines , omnia solatia , omnia opera , quæ in fovenda , nutrienda , saginanda carne expensa sunt , & vana cum ipsa carne finientur. Nihil illius remanebit , nisi sola misera anima , quæ perpetuo incendio punienda reservabitur.* S. Antoninus doloris illius, quo omnia peccatoris in extremo mortis articulo affligetur, hanc reddit rationem dicens : *Certum est , quod dolor ex amore procedit ; Dolet quis , cum privatur eo , quod amat ; & quanto plus amat rem , tanto ex carentia & privatione illius magis dolet. Miser peccator diligit varias creaturas , plus quam Deum , & animam suam , ibi constituens finem suum , ut divitias , honores , possessiones , venereas delectationes , filios , & alios , vel alia , & quando aliquid de hujusmodi perdit , multum dolet , sed veniens ad mortem , cum videt se omnibus privari , ubi suum amorem posuerat , nimis dolet , sciens se illis omnibus in perpetuum privari.*

Psal.111.10
S.Thom. de Villa nov. ser. de S.Ægid.
Omnis delectatio carnis cum carne peribit.

S.Antonin. ibid.
Dolor ex amore procedit.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Peccatum mortale animæ simul & corpori mortem infert, efficit enim, ut corpus vivum quoddam fiat cadaver, citiusque disponatur ad interitum.

THEMA.

Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Eccli. 21. ℣. 4.

Iniquitas dicitur rhomphæa bis acuta.
Matth. 10. v.28.

1. MErito Ecclesiasticus iniquitatem rhomphæam bis acutam appellat, quia corpus pariter & animam mortaliter sauciat, de hac rhomphæa loquitur Salvator noster, quando Matthæi cap.10. nobis suadet dicens : *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum , qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Glossa interlinearis verba illa : *Rhomphæa bis acuta* , ita exponit: *corpori & animæ nocet , utrumque enim pro iniquitate damnabitur.* Lyranus, in sensibus litteralibus explicandis accuratus Interpres, hunc textum similiter ita interpretatur : *Rhomphæa bis acuta , quia lædit animam , & corpus.* Dionysius Carthusianus quoque ita scribit : *Bis acuta , quia ex omni parte lædit , & necat omnis culpa mortalis , peccantem occidens , aspicientem scandalizans , & corpus , & animam ad mortem trahens gehennæ.* Rebecca, minas Esau adversus Jacob, ob surreptam sibi benedictionem paternam indignantis, audiens, consultum esse duxit, ut pro assecuranda vita Jacob, eumdem in Mesopotamiam dimitteret ; in hac autem perplexitate constituta dixit : *Cur utroque orbabor filio in uno die ?* At verò cum videamus quotidie, quod ex duobus in duello inter se congredientibus, ut plurimum unus illorum prævalere & supervivere soleat, alio occumbente, cur prudens hæc mulier utriusque filij mortem metuebat ? Respondeo, quod cum mulier hæc sapiens, & à Deo illuminata esset, probè cognoscebat, unum illorum occubiturum esse morte corporali, alium vero, qui necem fratri intulerat, spirituali animæ morte esse moriturum ; Hocque est, quod semper in malitia mortali accidit, culpa enim mortalis corpori, & animæ nocet ; quia corpori & animæ necem infert. Cœlestis Magister noster, ut statum peccatoris à Deo deviantis nobis insinuet, parabolam proponit filij prodigi ; in qua evidenter duplex hæc mors filio prodigo illata conspicitur, quia si de morte corporali sermo sit, in eam redactus erat miseriam, ut fame mori cogeretur ; Unde ait : *Ego autem hic fame pereo ;* erat quoque sicut mortuus, quasi nudus, & ideo à patre revestiri debuit ; quod vero animæ mortem spectat, de hac pater ejus dicebat : *Mortuus erat, & revixit* , quibus verbis spiritualem animæ mortem filij sui insinuat.

Gloss. Interl.

Lyran.

Dion. Carth.

Gen.27.45.
Quo sensu dixerit Rebecca : utroque orbabor filio.

Peccato occiditur corpus & anima.

Luc.15.17.

2. Seriam meretur considerationem historia Susannæ à duobus illis libidinosis senibus calumniatæ ; cum enim hi Susannæ optionem proponerent, ut vel consentiret adulterio, vel tamquam adultera per lapidationem sub lapidum imbre moreretur, ipsa aliquamdiu intra se, quid factura esset, deliberans, tandem liberrime respondit : *Si hoc egero , mors mihi est , si autem non egero , non effugiam manus vestras.* At vero dum hanc castæ Susannæ sententiam penitius considero, male mihi argumentata fuisse videtur ; quia si in adulterium consensisset, utique lapidata non fuisset, adeoque mortem corporalem evasisset, cur igitur dicit ; *Si hoc egero , mors mihi est ?* Respondeo, castam hanc mulierem de spirituali animæ morte locutam fuisse, hanc enim sine dubio incurrisset, si per adulterium, mortaliter peccando, Deum offendisset. Præterea probè sciebat, quod peccata, quamvis in occulto fiant, successu tamen temporis in publicam hominum deveniant notitiam, ac proinde merito timere poterat, ne præter spiritualem animæ mortem quoque corporalem in pœnam commissi adulterij subire cogeretur. Porro sacer textus non sine Mysterio in principio hujus historiæ, sanctam hanc mulierem appellat. *Timentem Deum , Parentes enim illius cum essent justi , erudierunt filiam suam secundum legem Moysis ;* ac proinde cum in timore Dei educata fuisset, satis comprehendebat peccati enormitatem, utpote quod aptum est inferre mortem animæ, quæ vera mors est, quæque cum corporis morte comparata, pro nihilo ducenda est. Merito igitur Psalmista mortem impiorum hisce verbis deplangit : *Mors peccatorum pessima ;* quia in morte corporali, solum separatur anima ab hoc nostro corpore, at vero mors peccati animam dividit à Deo, & à divina ejus gratia, simulque condemnat animam & corpus ad mortem sempiternam ; at proinde Ecclesiasticus subjungit : *Plagæ illius non est sanitas.* Porro veritas est catholica, quod dum homo in statu peccati mortalis, & extra gratiam Dei moritur, mors peccati corpus & animam perdat in gehennam. Quamvis acutissima mortis falx, licet per omnem suam potentiam, à sexies mille sexcentis septuaginta hactenus annis, omnes proculcarit & debellarit hujus mundi Reges, Imperatores, & Monarchas, nihilominus numquam eo usque pertingere potuit, ut mortem animæ inferret, licet corpus destruxerit ; At vero peccatum aliud genus mortis producit, & generat, quo scilicet occiduntur animæ, & corpora etiam in hac præsenti vita, propter peccatum enim efficiuntur peccatores velut viva cadavera, & tamquam tumuli & sepulchra portatilia. Audite hac de re varia sacrorum Interpretum testimonia : S. Hieronymus illa explicans S. Pauli verba : *Canet enim tuba , & mortui resurgent incorrupti , & nos immutabimur* , per hosce mortuos peccatores intelligit ; Ait enim : *Peccatores intelligendi sunt , qui etiam viventes mortui esse dicuntur.* At verò dices, primâ facie difficulter intelligi posse, quod qui in peccato mortali est constitutus, sit veluti vivum quoddam cadaver, quodque rhomphæa iniquitatis non solum animam, verum etiam corpus sauciarit, siquidem nihil tale extrinsecus apparet, quin potius post peccatum commissum vivaciores sæpe sunt, quàm antea fuerant, siquidem *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Sed respondetur, quod etiam in oculis nostris non appareat mors, quam anima incurrit, & tamen infallibilis est veritas, quod *Per peccatum mors inferatur.* Contingit sæpe, quod per fulmen aurum, quod intra bursam continetur, totaliter absorbeatur & consumatur, bursa sicut prius manente illæsa ; similem igitur effectum fulmen peccati operatur in anima ; infert enim animæ mortem, auferendo ab ipsa divinam gratiam, in qua vita spiritualis consistebat, corpore, quoad sensus nostros externos, sicut antea manente illæso, simile quoque accidit corpori, quia tametsi anima, quæ Deo mortua est, illud etiamnum informet & vivificet,

Dan.13.22.
Sententia castæ Susannæ examinatur.

Ibid. v.2.
Ibid. v.3.

Ps.33.v.22.
Mors animæ est mors pessima.

Eccli.21.4.

1.Cor.15. v.52.
Per mortuos designantur peccatores.

Prov.2.14.

Rom.5.12.
Fulmen aurum in bursâ illæsa absorbet.

1.Cor.15. v.56.

cet, attamen illud morti vicinius approximat, quia *Stimulus autem mortis peccatum est* , ac proinde corpus officium præstat feretri, quo cadavera circumferuntur.

3. Vix primi parentes nostri prævaricati fuerant, cum ecce Deus noster de excoriandis animalibus, solicitus erat, ut de pellibus eorum prævaricatores induerct ; Ait enim sacer textus : *Fecit quoque Dominus Deus Adæ , & uxori ejus tunicas pelliceas , & induit eos.* At vero numquid Deus est, qui *in principio creavit cælum & terram ?* Cur igitur nunc se eousque demittit, ut ad contegendam horum miserabilium nuditatem, vestes pelliceas consuere dignatus fuerit ? Si dicas, id Deum fecisse, ne de sua erubescerent nuditate, objici potest, quia huic necessitati jam ipsimet sibi prospexerant, siquidem sacer textus paulo ante dixerat : *Consuerunt folia ficus , & fecerunt sibi perizomata ;* si dicas, Deum id fecisse, ut frigus ab illis arceret, certe in hunc finem non serviebant pelles, sed lanæ potius adhiberi debuissent. Dubium hoc Interpres quidam modernus solvit dicens : *Deus docere voluit Adamum quod ignorabat , sciebat se esse nudum , sed ignorabat se spirantem adhuc , viventemque meliori sui parte defunctum.* Jam enim in transgressionis suæ pœnam à Deo in tempore præsenti, non in tempore futuro sibi dici audierat : *Pulvis es ; es* , inquam, non *eris* ; sed quia inter peccatorem, & mortem, nihil aliud intermediat, præterquam subtilissimus quidam anhelitus vel respiratio. S. Apostolus de vidua quadam disserens in delicijs vivente (de qua probabiliter omne malum suspicari licet) ita scribit : *Quæ in delicijs est , vivens mortua est.* Porro, vidua hæc in memoriam mihi revocat viduam illam Naimiticam, cujus filius efferebatur ad sepulchrum. Circa quam historiam S. Ambrosius ita scribit : *Quid aliud , nisi quasi in quodam feretro , hoc est , supremi funeris instrumento , jacemus exanimes , cum vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat , vel frigidus humor exundat , vel pigra quadam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum , vel concreta noster spiritus labe puræ lucis vacuus mentem alit ? Hi sunt nostri funeris portitores.* Guerricus Abbas, dignus sancti Bernardi discipulus, inquit : *Corpora peccatorum quid sunt , nisi sepulchra mortuorum ?* Theodoretus textum illum sancti Pauli, cujus paulo ante mentionem fecimus, exponens inquit : *Immodicæ deliciæ rationem obruunt , & efficiunt , ut in corpore , tamquam in aliquo sepulchro jaceant.* S. Gregorius Magnus quoque ait : *Omnis , qui in peccati mortem ceciderit , non inconvenienter poterit cadaver vocari. Quasi exanimis namque jacet , qui justitiæ vivificantem spiritum non habet.* Reflexistisne vos aliquando ad illum Psalmistæ versum : *Sicut viventes , sic in ira absorbet eos ?* Circa quæ verba S.Augustinus quærit : *Quare non dixit viventes , sed tamquam viventes , nisi quia falsa est hæc vita impiorum ? Neque enim vivunt , sed vivere sibi videntur.* Tametsi enim verum quidem sit, vitam uniuscujusque in hac vita viventis, ab unico dumtaxat dependere anhelitu, quo deficiente homo moritur, vita tamen peccatoris morti vicinior est, qui & à morte, & à Dæmone patitur insidias, nam ut Apostolus ait : *Stimulus mortis peccatum est* , quasi diceret, peccatum est veluti calcar quoddam, quod mortem extimulando accelerat.

Gen.3.v.21.
Cur Deus primis parentibus fecerit tunicas pelliceas.

Gen.3.v.7.

Inter peccatorē & mortem mediat non nisi respiratio.
1.Tim.5.6.

S.Ambros. l.5. in Luc.

Guerr.Abb. serm. 1. pro devoto Ps.
Theodor. 1.Tim.5.6.

S.Greg.l.31. mor.cap.12.
Corpora peccatorū sunt sepulchra mortuorum.
Ps.57.v.10.
S.Aug.
Peccator dicitur quasi vivens, & quare.

4. Apud Ezechiëlem cap. 18. sequens prima facie contradictoria legitur propositio : *Nolo mortem morientis , dicit Dominus ;* Quod si dixisset, *viventis* , facile quidem intelligi potuisset ; At vero cum illum jam dicat mortuum, quomodo mortem ejus se non velle dicit ? Nodum hunc difficultatis idem Propheta alio in loco, alijs verbis resolvit, dum ait : *Nolo mortem impij* ; Deus enim impium in statum gratiæ reducere satagebat, quem quoad usque extra gratiam suam constitutus erat, morientem appellat, quia præterquam quod anima ejus defuncta sit, corpus pariter hujus mortis particeps efficitur. In libro 1. Reg. cap. 19. legitur, quod Michol Davidem à persecutione patris sui hunc in modum liberaverit. Ipsum namque in fugam se recipere jussit, interea vero in lectum ejus statuam quamdam reposuit, quæ Davidem referebat ; Ait enim sacer textus : *Tulit autem Michol statuam , & posuit eam super lectum , & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus , & operuit eam vestimentis ; Misit autem Saül apparitores , qui raperent David ; & responsum est , quod ægrotaret.* Quam historiam ad propositum nostrum applicare non est difficile. Homo etenim in peccato mortali constitutus, est velut statua quædam, licet enim extrinsecus idem videatur esse, qui antea fuit; verumtamen in parte principali, id est, anima, mortuus est, & in corpore pariter ad interitum valde est dispositus. Abulensis circa eamdem historiam sequentem habet ingeniosam observationem. Quodnam enim, inquit, in eo latet mysterium, quod Michol potius Davidem infirmari dixerit, quam dormire ? Respondet vero, ideo illam Davidem non dormire, sed ægrotare dixisse, quia si eum dormire dixisset, nemo utique id crediturus fuisset, quomodo enim suaviter dormire posset, qui à tam potente Rege (qui longas habere manus dicitur) ad mortem quæritur ; facile autem omnibus erat credere, quod inter tot persecutiones infirmaretur. Hæc autem est innumerabilium perditæ salutis hominum inaudita insania, quod in corporibus suis velut in feretro animam suam mortuam portantes, non solum somnum suum dormiant, verum etiam ludant, jocentur, rideant, non considerantes deplorabilem statum, in quo tamquam mortis æternæ rei, & à morte corporali solâ respiratione distantes, constituti sunt ; cum tamen S.Thomas de Aquino, licet ob incredibilem sapientiam suam omniscius appelletur, numquam tamen capere potuerit, qualiter possibile esset, quod homini animam peccato mortali obnoxiam habenti ridere liberet. S.Augustinus de impijs disserens similiter ait : *Mortui ambulant , & viventes portant funera sua , vivere quidem videntur in corpore , sed mortui probantur in corde.*

Ezech.18. v.32.
Quid significet, nolo mortem morientis.
Ezech.18.11.

1.Reg.19. v.13.
Modus quo Michol salvaverit David.

Quare Michol dicit David infirmari & non dormire.

S.Aug. lib. de decem plagis.

5. Mors tametsi, utpote extenuata & macilenta existens, lentis passibus ambulet, attamen calcaribus lateribus ejus admotis agitata gressus suos accelerat ; scirene autem cupitis, qualis hæc sint calcaria ? Audite Apostolum dicentem ; *Ubi est mors , stimulus tuus ? stimulus autem mortis peccatum est* , dum enim anima peccato mortali obnoxia mortua est, peccatum ad instar acutissimi calcaris mortis falcem diu noctuque incessanter extimulare non desinit, ad recidendum subtilissimum vitæ peccatoris stamen. *Aculeus autem mortis peccatum est* ; Vel ut S.Ambrosius legit : *sagitta mortis peccatum , per quod animæ jugulantur.* Audite D. Chrysostomum hac de re in hæc verba loquentem : *Proprium , conveniensque mortis alimentum est peccati natura , inde nata est , inde corroborata est , inde etiam alitur.* Porro in Israël duos reperimus Reges graviter infirmatos, Ezechiam videlicet, & Ochoziam, cum hac tamen differentia, quod hic irremissibiliter mortuus fuerit, alteri verò quindecim anni superstitis vitæ fuerint adjecti. Scirenè cupitis hujus differentiæ rationem ? Nimirum Ezechias, tametsi erraverit, Deumque quadantenus offenderit, *flevit* tamen *fletu magno* , culpamque suam veræ compunctionis actibus absterfit, unde audire meruit : *Vidi lacbrymas tuas, adjiciam super dies tuos quindecim annos :* Non vero sic Ochozias ; hic enim licet è scalis lapsus fuerit, ob hoc tamen nequaquam periisset, & vero quia nuntios misit in Accaron, ad consulendum falsa numina, quæ idololatræ illi adorabant, ut sciret, an ex lapsu illo convaliturus esset, unicum hoc peccatum abunde suffecit, ad malum suum adeo aggravandum, ut inde mori debuerit. *Mittis* , inquit Elias, *ut consulatur Beelsebub , Deus Accaron ? Idcirco de lectulo , super quem ascendisti , non descendes , sed morte morieris.* Ubi notandum est ly illud, *Idcirco* , id est, propter hanc caussam morieris, quia consuluisti Beelzebub, non vero propter lapsum è scalis. Porro mors communiter depingi solet macilenta, & extenuata, estque adeo famelica & insatiabilis, ut licet à sexaginta seu sæculis hactenus infinita, ut ita dicam, corpora devoraverit, famem tamen numquam exatiare possit, quisnam vero cibus morti magis arridet, estque gratissimus ? Idipsum paulo ante ex sancto Chrysostomo intelleximus, dicente : *Proprium mortis alimentum esse peccatum , hoc enim velut sapidissimo cibo fruitur, hoc pascitur, hoc saginatur ;* ac proinde in corporibus, ab anima quadam peccato mortali obnoxia informatis, centrum suum invenit, eademque in cinerem velociter reducit.

1.Cor.15. v.56.
Quibus calcaribus mors impellatur.

S.Ambr.ibid.

D.Chrysost. t.5. ser.56.

Pœnitentia vita prolongatur.

Isai.38.v.5.

4.Reg.1.3.
Peccato abbreviatur.

6. Non est nobis hoc loco prætereunda sequens utilissima consideratio. Quam enim unusquisque homo solicitus est, & curiosus, pro custodienda, & pro viribus suis extremis perpetuanda salute sua corporali ? & tamen quando de peccato mortali agitur, quod pestis est sanitatis, omnemque corporis vigorem consumens tinea, illud nihilominus placet,

Pro corporis sanitate homo solicitus est, non pro animæ.

occasio illius committendi studiosè quæritur, tametsi homo ex fide certo sciat, quod *corpus & animam perdat in Gehennam.* O quam bene S. Chrysostomus nobis suadet, ne corpus nostrum consolemur, si quando ratio se ei opponit, ejusque appetitibus & desiderijs recalcitrat, ne peccato aditum indulgeat. *D. Chrysost. hom. 16. in Matth.* En verba sancti Doctoris: *Nequaquam nos umbra hæc fugitiva seducat, largissimam profectò mercedem pro contempta temporali voluptate capiemus, atque ipse ad tuam animam loquere: Trissaris, quia te corporis voluptate defraudo? sed lætare potius, quia tibi cœlorum regna providebo.* Is enim, qui corpus suum à peccato illæsum custodit, paradiso potiendo illud conservat, quia quatuor glorioforum corporum dotibus ornatum suo tempore resurget; At vero si moriatur in peccato, corpus & animam perdit in Gehennam. S. Augustinus in Homilia quadam in hæc verba scribit: *Peccatum generat mortem, vel mortem time. Si peccatum non times, time, quo perducit peccatum; Dulce est peccatum, sed amara est mors.* Considerationi quoque dignissima est sequens sancti Cypriani sententia dicentis: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemiscere dolenter, & flere, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam miserè perdidisti, spiritualiter mortua; supervivere hic tibi videris & ipsa ambulans, funus tuum portare capisti, & non acriùs plangis? non jugiter ingemiscis?* Sed S. Cyprianus, ut mihi videtur, parum nimis dixit, dum ait: *Animam tuam miserè perdidisti*; dicere enim debuisset: *Animam & corpus perdidisti*, quia peccato mortali proprium est; *Corpus & animam perdere in Gehennam.* Audite obsecro, quid sanctus quidam Eremita in animo suo senserit, quando hominem quemdam sanguinarium coram se positum conspexit: *Iste quidem*, inquit, *hoc solùm peccatum fecit, ego autem omni hora homicidium committo, meipsum peccando interficiens.* *S. Aug. hom. 42. Exam. 70. cap. 8.* *S. Cypr. de lapsis num. 104.* *Vit. Patr. l. 3. n. 130.*

Virtus animæ in corpus redundat. Mortem corporis deflemus, non animæ. Mortem peccati homo studiosè quærit.

6. In libro Sapientiæ sequens indubitata veritas legitur: *Deus mortem non fecit.* At vero inquies, quomodo mors, quæ in hoc mundo tantam stragem facit, esse suum habuit, si Dei non est creatura? Imo quomodo verum esse potest, quod sacer textus in eodem loco statim subjungit: *Nec lætatur*, scilicet Deus, *in perditione vivorum?* Respondetur. Mortem esse monstrum quoddam, quod peccatum parturivit; dicit enim Scriptura: *Per peccatum mors*; certum vero est, quod Deus nullam in peccato partem habeat, quin potius illud in infinitum abhorreat. Et tamen homo hanc mortem adeo truculentam, adeoque implacabilem, manibus & pedibus, id est, omnium virium suarum conatu, & contentione, fectatur & quærit, quia semper meditatur occasiones peccata committendi, fruendique voluptatibus, suisque appetitibus bestialibus satisfaciendi: *Impij*, inquit Sapiens, *manibus & verbis accersierunt illam.* Cajetanus ait, Sapientem illis verbis exprimere voluisse peccati efficaciam, utpote quod est veluti calcar quoddam, quod adversus impios mortem extimulat: *Aculeum mortis explicat esse peccatum.* Theophylactus pariter inquit: *Per illud enim (id est, per peccatum) potens fuit, ipso ceu armis quibusdam, & stimulo uteus. Perinde namque ut scorpius, animalculum est exiguum, in aculeo autem robur habet, consimilem ad rationem, mors per peccatum robusta fuit, alias ineffcax.* *Sap. 1. v. 13.* *Sap. 1. v. 16.* *Cajet.* *Theophyl.*

Mortem corporis summe abhoremus & non animæ. Quare Martyres læti sustinuerint mortem corporis.

7. Novit unusquisque nostrum, quantum nos mors corporalis perterreat, utpote quæ est ultimum terribilium; sed utinam eadem proportione, nos mors animæ perterrefaceret maximè cum hæc corporis quoque mortem acceleret, illudque in inferno per mortem assiduam in æternum torqueri faciat. Enimvero quando deficiente præsenti vita, anima nulla est culpæ macula inquinata, maxima hæc est fœlicitas: scimus enim, ut ait Apostolus; *Quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis, nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* Et quidem hoc erat mysterium, ob quod sancti Martyres, supplicia, quibus ipsorum dilacerabantur corpora, adeuntes, toto corde triumphabant, & exultarint, quia scilicet probè sciebant, quod anima post illa patienter tolerata, tandem evolatura esset in cœlum, corpus vero cuique deponendum esset in terra, donec cœlesti gloria accinctum, in universali resurrectione in publicum prodiret & ipsum: *Pretiosa* igitur *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*; Econtra vero *mors peccatorum pessima*, quia præter mortem hanc temporalem, in inferno quoque mortem subibunt æternam. *2. Cor. 5. v. 1.* *Psal. 115. 15*

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

De Morte, quam peccatum mortale animæ infert.

THEMA.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Rom. 5. ℣. 12.

Thema duplicem involvit veritatem.

1. S. Paulus mysticis hisce verbis duas nobis veritates insinuat; quarum prima est, quod homo peccatum in hunc mundum introduxerit, Deus autem nullam in eo partem habeat: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; Altera autem veritas est, quod mors ejusdem peccati monstrosus quidam sit abortus: *& per peccatum mors.* Objicietis fortasse, quod licet protoparentes nostri prævaricati fuerint, Deusque illis post prævaricationem comminatus fuerit mortem: *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*; ab hac tamen mortis falce nequaquam correpti aut fauciati fuerint, utpote qui multis postea fœculis supervixerunt, ac proinde veraciorem fuisse serpentem, dum ait: *Nequaquam moriemini*, quam fuerit prima & æterna Veritas, cum dixit: *in quacumque hora comederis ex eo, morte morieris.* Sed respondeo: Nodum hujus difficultatis multifariam posse resolvi. D. Chrysologus ait: *Deus naturam ita fecerat, ut homines crearet ad vitam.* Deus enim non solum animam cœlo possidendo creaverat immortalem, verum etiam corpus, nisi homo se peccato inquinasset; in hujus namque pœnam, hanc condemnationis sententiam accepit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; quando igitur Deus dixit: *Morte morieris*, mox scilicet, ut pomum vetitum comederis, idem erat, ac si diceret, mortis reatui subjicieris, illiusque efficieris mancipium. Sanctus Isidorus Pelusiota in Epistola quadam ait: *Vehementer miror, ac stupore defigor, qui fiat, ut ij, quos peccata delectant, cum semper moriantur, nunquam tamen mortuos se esse extimient. Unde etiam, quemadmodum scripsisti, in Quæstionem illud venire potest, quod ad primos fictos homines dictum est: In quacumque die de ligno comederitis, morte moriemini. Facinorosus enim, ac sicarius tum demum proprie moritur, cum leges violat, ac scelus admittit, quantumlibet aliogua vitæ usura frui videatur.* Respondeti quoque potest, non sine mysterio dictum fuisse: *Morte morieris*; si enim illis verbis solius mortis corporalis facta fuisset mentio, sufficeret dicere: *Morieris*, at vero dicendo: *Morte morieris*, mortem innuere volebat spiritualem animæ, quæ suo tempore mortem corporalem subinfert. Audiamus sanctum Eucherium à Lipomanno citatum in hæc verba loquentem: *Mortem dicit animæ, non corporis, quia non eo tempore mortui sunt, quando comederunt, ergo hanc, quam nunc Deus comminatus est mortem, non eam debemus accipere, qua caro separatur ab anima, sed hanc, qua hæc alienatur à Deo, qui est vita sua, tamquam si diceret: Qua die me deseruerit in inobedientiam, deseram vos per justitiam, sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beatè vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta à Deo anima jure dicitur mortua, ex qua tres postea secutæ sunt mortes; Prima in anima; Secunda in carne; Tertia in damnatione.* Philo Hebræus ad idem propositum, comminationem mortis, primis parentibus intentatam, adimpletam fuisse, dicit, si duplex mortis genus consideretur, *alia videlicet hominis, alia vero animæ propria; hominis mors est animæ à corpore separatio; animæ vero mors, corruptio virtutis, & assumptio vitiorum, ideo non contentus dicere, ex moriturus, sed morte, inquit, morieris, indicans, non communem hanc, sed illam æternam, quæ per excellentiam mors dicitur, quæ est, quoties anima insepelitur affectibus, vitijsque omnibus.* Origenes similem habet expositionem, ait enim: *Statim ut prævaricatus est mandatum, mortuus est; mortua est enim quæ peccavit, & arguitur serpens fefellisse, qui dixit: Non moriemini.* *Gen. 3. v. 4.* *Chrysolog. serm. 111.* *Gen. 3. v. 19.* *S. Isid. Pelus. l. 3. Epist. 252.* *Orig. hom. 8. in Gen.*

Describitur mors spiritualis inducit mortem animæ.

2. *Per peccatum mors.* Hoc mortis nomine sacri Doctores culpam exprimunt mortalem; hæc enim animam vita sua privat, quæ in divina gratia consistit; *Spiritus enim est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Idem supracitatus Pelusiota inquit: *Joan. 6. v. 64.*

Im-

Alia similis descriptio.

Immortalis animæ mortem Spiritus Sancti absessionem esse; neque enim in corpore peccatis obnoxio domicilium habebit. Ut enim corpus præsente anima vivit, sic etiam anima divino Spiritu præsente; & quemadmodum recedente anima corpus mortuum manet, sic etiam recedente Spiritu Sancto, anima beatam vitam amittet, non quidem illa in nihilum dilabens, verum morte quavis acerbiorem vitam ducens. Sanctus Augustinus quemdam inducit de anima sua hunc in modum interrogantem: *Unde scio, si mea non moritur, quomodo, inquis, ego possum occidere animam meam? ut alia peccata interim taceam, os, quod mentitur, occidit animam. Quomodo, inquis, securas sum, quia non moritur? Ipsum Dominum audi dantem servo suo fecuritatem. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & postea non habent, quid faciant; sed plane quid ait? Eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam occidere in Gehennam. Ecce quia moritur; Ecce quia non moritur; Quid est mori ipsius? Quid est mori carni tuæ? Mori carni tuæ, est, amittere vitam tuam, vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus; quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est ejus, sic moritur anima, amisso Deo, qui vita est ejus.* Rabanus præceptum protoparenti impositum: *In quacumque die comederis &c.* Exponens inquit: *Mortuus namque est homo in anima, cum peccavit, quia recessit ab eo Deus, qui est vita animæ, cujus merito mortis, secuta est etiam mors corporis, discedente ab illo anima, quæ est vita ejus.* Origenes illud in Levitico datum præceptum: *Ad omnem animam defunctam non intrabit*, exponens interrogat: *Quæ est anima defuncta? Quam mortuam Prophera dicit: Anima, quæ peccat, ipsa morietur; super hanc ergo animam mortuam Christus non supervenit, quia sapientia non intrat ad animam malevolam, ipsa est enim mortua, quia cui inest malitia, inest & peccatum, peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem, & propter hoc Jesus non intrat ad animam mortuam; si autem vivat anima, hoc est, si non habeat in se mortale peccatum, tunc Christus, qui est vita, venit ad animam viventem.* *Abul. in cap. 32.* *Exod. q. 36.* *Origen. hom. 12. in Lev.*

Reconciliatio. *D. Chrysost. hom. 7. ex var. in Matt. locis.*

3. Sanctus Ambrosius in libro *De Noë & Arca*, *cap. 10.* de peccato differens, hunc format discursum: *Recedit itaque ab omni respectu honestatis, & in eo terrena omnia moriantur, lethalis peccati acerbitate, quæ vera perpetua morte peccatorem delet. Nemo enim gravius moritur, quam qui peccato vivit. Moriantur in eo passiones singulæ; moritur visus, qui peccatum annuntiat, qui meliori fallaci intendit, qui capitur alieni vultus decore; quem oculi meretricis ligaverint, quem aspectus illaqueaverit fornicariæ. Annon videtur mori, qui sibi lilidinis telum impresserit? Moritur & auditus, cum refert crimina, cum solicitantis adulteri sermonem annunciat, cum inserit animis verba meretricis, quæ seducit juvenem multo blandimento sermonis, laqueis autem labiorum suorum illigat eum. Moritur ex silentio, si non confiteatur Deo. Moritur multiloquio, quia scriptum est: Ex multiloquio non effugies peccatum. Moritur per iracundiam, cum prætergreditur mensuram ultionis. Omnis namque postremo sensus moritur, si minister sit iniquitatis.* *S. Ambr. l. de Noë & Arca c. 10.* Nemo gravius moritur, quam peccato vivens.

Textus Hebræus videtur nostro contrarius.

4. Abulensis dubium quoddam movet, ex cujus resolutione, peccatum animæ mortem esse, clarè colligitur. Enimvero textus Hebræus in strage illa, cujus in capite 32. Exodi fit mentio, solum tria millia periisse affirmat, cum tamen in nostra Vulgata viginti tria millia cecidisse dicantur; Ait enim facer textus expresse: *Ceciderunt que in die illa, quasi viginti tria millia hominum.* Quâ igitur ratione duo hi textus adeo inter se pugnantes conciliari ad invicem poterunt? Magna enim inter tria millia & inter viginti tria millia est differentia. Præfatus Doctor Abulensis, vir tanta authoritate, & sapientia conspicuus, respondet, textum Hebræum solum numerasse illos, qui in ore gladij mortui fuerant, illorum namque solum tria millia fuerunt; At vero Vulgata nostra illos enumerat, qui propter idololatriæ peccatum, quo coram bove aureo genua sua flexerant, occubuerunt, horum enim numerus ad viginti tria millia ascendit. D. Chrysostomus similiter culpam mortis nomine appellat, dum ait: *Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat, & horret vitam, qui peccata morte debita desperatâ mente frequentat. Ut enim per observantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors à contumacibus invenitur.* Unde venerabilis Beda præsentem hanc vitam vitæ nomen minime mereri censet, quia quamdiu vivimus, Deum mortaliter offendimus, quod etiam Regius Vates insinuare voluisse videtur, dum ait: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Non dicit omnibus diebus mortis meæ, sed veræ vitæ meæ, id est, æternaliter; dies enim præsentis vitæ, non dies vitæ, sed mortis dies dicuntur, quoniam dum in præsenti vita sumus, assidue peccamus, & peccando morimur, peccatum enim mors est animæ, dies vero futuræ vitæ, quando jam mors novissima destructa erit, & aculeus ejus, id est, peccatum, recte dies vitæ dicuntur, quoniam illos nulla nox adversitatis interpolabit.* Apostolus quoque ad Romanos claris verbis dicit, quod *stipendium peccati mors sit.* Et quidem stipendij metaphora studiosè utitur, ut hanc illis veritatem tanto tenacius imprimeret, quia Romani præ cunctis mundi nationibus artis militaris professioni addicti erant. Unde S. Thomas dictionem illam *stipendium* ita interpretatur inquiens; *Dicuntur stipendia mercedes militum, à stipe pendenda, id est, ponderanda, quia pecunia distribuenda militibus ponderabatur.* Quia igitur peccatores sub peccati vexillo militant, suaque membra, velut arma iniquitatis, ad iniquitatem patrandam adhibent, consequens est, ut illis quoque pendatur peccati stipendium, quod aliud non est, quam mors, dicente Apostolo: *Stipendium peccati, id est, retributio, quam peccatum retribuit sibi servientibus, mors est.* Theophilactus ex significato vocis Græcæ colligit, quod stipendij nomine non sola pecunia, verum etiam omne id, quod militibus subministrabatur, intelligi debeat; Unde S. Paulus vult dicere: Sicut cibus est alimentum & sustentatio vitæ, ita peccatum alimentum est mortis, nisi enim fuisset peccatum, mors nobis numquam supervenisset, hæc enim sicut per peccatum nata est, ita per peccatum nutritur. *Idco dixit stipendium peccati mortem*, inquit Sedulius, *at mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret*; quasi diceret, mors iniquitatem per necessariam consequentiam consequitur. Hugo Cardinalis inquit: *Stipendium peccati, id est, retributio pro peccato, mors æterna.* *Psalm. 26.* Dies hujus vitæ dicuntur dies mortis. *S. Thom. ibid.* *Rom. 6. v. 23.* *Theophyl.* Peccatum est alimentum mortis. *Sedul.* *Hug. Card.*

Variæ sunt similitudines inter mortem corporalē & spiritualem. *S. Anton. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 12.*

5. *Per peccatum mors.* Variæ inter mortalem, corporalem, & spiritualem animæ, per culpam causatam, à sanctis Patribus recensentur analogiæ & similitudines. S. Antoninus specialiter hac de re differens inquit: *Per peccatum occidit homo animam suam; Ubi nota, quod peccator assimilatur mortuo propter tria. Primo propter consimilem defectum; propter similem effectum, propter consimilem aspectum. Primo, corpus distemperatur; Secundo infirmatur; Tertio moritur; Quarto portatur extra domum; Quinto sepelitur; Sexto à vermibus consumitur. Isto modo anima Primo distemperatur, & discretiatur per tentationem, & cogitationem de peccato; Secundo infirmatur per comitantem delectationem; Tertio moritur per consensum; Quarto asportatur, & elongatur ab hominibus, per culpæ suæ abominationem, & diffamationem apud homines; Quinto sepelitur per malam consuetudinem; similiter enim ut terra vel lapis superpositus onerat, & opprimit corpus, ut non resurgat; Ita mala consuetudo, quæ est quædam moles gravissima, opprimens, & incitans homines ad peccandum. Sexto corpus mortuum à vermibus consumitur, & mens privata vita gratiæ, à verme conscientiæ, desperationis, & finalis impœnitentiæ, corroditur, & mordetur.* Idem S. Antonius pergit ulterius alios referendo parallelos, qui cadaver inter & animam in peccato mortuam reperiuntur; ait enim: *Mors facit corpus rigidum, frigidum, puridum, horridum, terreum, atque ponderosum; Isto modo peccatum mortale facit animam rigidam, & superbam, & inobedientem ad Deum; Frigidam per invidiam; Fœtidam per luxuriam; Puridam per gulæ immoderantiam. Quantumcunque homo fuerit amabilis, pulcher & delicatus, statim post mortem erit abominabilis, turpis & abominabilis, & à communione hominum separandus; Sic anima ante peccatum pulcherrima, & formosa videtur, adeo, ut de illa dici possit illud Canticorum quarto. Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te; sed per peccatum spoliatur gratuitis, & vulneratur donis naturalibus: fit fœtida, & abominabilis coram Deo*, ut dicat illud Ezechielis 16. *Abominabilem fecisti decorem tuam, & tunc per peccatum anima misera separatur à communione Fidelium, & ab amicitia Dei, & Angelorum bonorum.* Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.* Aliæ adhuc superadduntur ab eodē. *S. Antonin.* *Ezech. 16.* *Prov. 14.*

6. *Per peccatum mors*; Et quidem non quælibet mors

per peccatum sequitur, sed cum Psalmista dicere possumus: *Per peccatum mors peccatorum pessima.*
Psal.33.22.
Peccator est homicida suiipsius.
Quis umquam reperietur, qui contra omnes naturæ leges, tam horrendo odio prosequatur seipsũ, ut sibi mortẽ quamdam inferat, per quam nõ solum in hac, sed & in altera vita moriatur in sempiternum? Solus peccator est hic homicida, & irreconciliabilis, & implacabilis suiipsius inimicus, qui ex propriæ voluntatis electione peccatum committens, corpori suo pariter, & animæ necem infert.
Tob.12.10.
Unde Tobias ait: *Qui autem faciunt peccatum,... hostes sunt animæ suæ*; Et Psalmista similiter ait:
Ps.10.v.6.
Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, imo & carnem suam, ut ait sanctus Bernardus, quia culpa mortalis corpus & animam perdit in Gehennam. Nullum est tam pestilens venenum, quod mortem inferat serpenti, illud secum portanti; solum peccatum pessimæ hujus est indolis, ut mortaliter vulneret animam, quæ illud concipit dicente Ezechiele:
Ezech.18.4.
Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; Ab anima autem venenum hoc pariter transfunditur in corpus, siquidem ut paulo ante diximus:
1.Cor.15. v.56.
Stimulus mortis peccatum est; Unde Ecclesiastes ait:
Eccle.7.18.
Ne impie agas multum... ne moriaris in tempore non tuo.
Peccatum est pessimum venenum.
Porro venenis & infirmitatibus quantumvis malignis curandis, semper aliquod invenitur antidotum sive remedium: at vero peccati per pœnitentiam non expiati, nulla est medicina,
Eccli.21.4.
plagæ illius non est sanitas; Est enim malum sine remedio, quia *in inferno nulla est redemptio.* Unde Jeremias ait:
Jerem.15. v.18.
Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari? Luctus mortui septem dies, inquit Ecclesiasticus,
Eccli.22.13.
fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum. Didacus Stella hac de re sequentem habet considerationem:
Didac.Stell. in c.11.Luc.
Vipera non interficitur suo proprio veneno, nec basiliscus, nec aliquis alius serpens, nec quidem bestiæ suo proprio veneno interimuntur, at vero peccatum ita pessimæ conditionis, & naturæ est, ut sua propria subjecta perdat, & destruat. Apud Isaiam dicitur:
Isa.59.v.5.
Ova aspidum ruperunt... qui comederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in Regulum.
Describuntur ova aspidum.
Porro ova aspidum exteriorem speciem habent pulcherrimam, valdeque placentem: at vero interius venenum continent pestiferum, & ex ijs, dum fota sunt, aspides egrediuntur; Ita quoque voluptates, & deliciæ mundanæ & carnales, appetitibus nostris quidem placent, sensusque carnis recreant, & oblectant, cum tamen animæ & corpori necem & ærumnas inferant æternas. S. Fulgentius ait:
S.Fulgent. ad Monima l.1.
Prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa, & secunda mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis est pœna. Et quia istam sibi homo injustus injustè intulit, illam à justo judice justè percepit, ut qui in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improvidus, in illa metat fructum punitionis invitus. At vero pœna hæc, qua culpa (licet in momento præterierit) punietur, quantum putas durabit? Num forte centum aut mille annis? vel centum mille sæculis? Haudquaquam, sed durabit per omnem æternitatem; dicet enim supremus Judex:
Matth.25. v.41.
Discedite à me maledicti in ignem æternum.

7. Sanctus Eucherius considerans verba illa Apostoli: *Vidua, quæ in delicijs est, vivens mortua est*, ita scribit:
S.Euch. hom. init. Quadr.
Divina sententia est, quæ dicit: Anima, quæ in delicijs est, mortua est; Tunc plane vera mors est, quando homo anima præmoriente, deteriore sui parte hominis, fit superstes.
Pejor est mors animæ quam corporis.
Porro mors naturalis non pertingit ulterius, quam ut carnem devoret, & ossa denudet, vel etiam consumat, *At vero mors peccatorum pessima*, quia ad medullas animæ usque penetrat, divinam
Ps.33.v.22.
consumendo & rapiendo gratiam, charitatem, bonorum operum merita, dona, virtutes, & quidquid boni anima habet, unde Deo & cœlo digna efficiatur, simulque eidem pœnarum infernalium in sempiternum durantium atrocitatem adsciscit. Gerson in sermone quodam contra septem peccata mortalia in hæc verba scribit:
Gerson. t.4. fol.305.
Peccatum interimit, & occidit animas mille & mille modis mortis, non quidem temporalis, sed æternæ. Sanctus Isidorus Pelusiota peccatum morte deterius, magisque timendum esse his verbis ostendit:
S.Isid. Pelus. l.4. Epist.52.
Peccatum morte pejus est.
Peccatum multo gravius est morte; Quocirca Paulus quoque qui accuratissimè omnium talia perspicere poterat, illud quidem Reginam esse dixit, istam vero stipendium militare, quasi qui hanc (scilicet mortem) infra illud (scilicet peccatum) collocaret. Reginam autem peccatum fecit, non dignitatis ergo (nihil enim deformius cogitari aut fingi potest) sed propter vehemens obediendi studium, quo flagrant, quoscumque peccatum occupavit. Quare si peccati stipendium mors est, ne regnet in vobis peccatum, quod morte (apud eos quidem, quibus sana mens est) gravius est. Si igitur optio detur, & fieri posset, equidem mori mallem, ita ut immunis à peccato remanerem, quam admisso peccato mortem effugere. Tanto illud hac est gravius, me judice, mors enim à resurrectione extinguetur. Nihil igitur lucri ferret is, qui peccaret, sed mortem effugeret (ex hypothesi autem hoc dictum est (siquidem etiam post resurrectionem supplicium subiturus esset. Alio quoque evidenti exemplo hoc declaravit idem Apostolus, cum ait: Stimulus autem mortis est peccatum.
Similitudo qua mors dumtaxat propter peccatum vitari debet.
Quemadmodum igitur serpentem, aut scorpionem, dentibus aut stimulo destitutos, quibus mordentes virus suum transfundant, nemo facile pertimescat: sic mors quoque, si non ob peccatum afferatur, imperterrito animo excipienda est. Porro, de impijs inquit David: *Mors peccatorum pessima*; de Justis vero idem ait:
Ps.33.v.22.
Cooperuit nos umbra mortis. Quam mortis Justorum & impiorum differentiam considerans sanctus Gregorius ait:
S.Greg. l.4. Moral. cap. 17.
Quos constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra mortis dicunt operiri; umbra enim mortis mors carnalis accipitur, qua caro separatur ab anima; mors autem pessima est, quando anima in sempiternum separatur à Deo, & tamen homo hanc mortem quærit, hanc studiose sectatur, hac intime gaudet, aliam vero, quæ ab hujus vitæ ærumnis nos liberat, omni conatu fugit & abhorret. Quod si quis te multis lethiferis sauciaret vulneribus, illum utique mortali odio prosequereris, acerbissimamque de illo sumeres vindictam, dummodo posses; & tamen videmus per experientiam, quod licet peccatum animam & corpus incurabilibus sauciet vulneribus (*plagæ illius non est sanitas*) illud tamen amas, illud sectaris, illique blandiris. Audiamus Rupertum Abbatem dicentem:
Rup. Abb. l.12. in Jerem. cap.79.
Quot in anima mea peccati vulnera, tot manus ejus in me sunt vulnera. Cæsarius Arelatensis in Homilia quadam ait:
Cæs. Arelat. Hom.1.
Carnem, quam non possimus resuscitare, plangimus, & animam mortuam non plangimus, quam possumus ad statum pristinum revocare. Hoc enim gaudemus beneficio, quamdiu durat præsens hæc vita,
Mortuus corporaliter non reviviscit: mortuus spiritualiter reviviscere potest.
quod licet mortis corporalis nullum sit remedium, quia mortuus in vitam revocari nequit, nisi per divinæ omnipotentiæ miraculum, is tamen qui spiritualiter mortuus est, facile ad vitam redire possit, quia divina gratia nos ad pœnitentiam invitare non desinit; & tamen, eheu quotidie videmus, quanta sit peccatoris in recuperanda vita spirituali amissa, negligentia.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Deus propter peccatum mortale animam deserit; ubi quam ingens malum hæc jactura sit, seriò ponderatur.

THEMA.

Væ eis! cùm recessero ab eis. Oseæ 9. ℣.12.

1. Dictio, *Væ*, in sacris Litteris ærumnarum æternarum est expressiva; certum vero est,
Explicatio Væ.
quod recessus Dei ab anima, atrocissimum sit supplicium, quod homini evenire possit. Unde S. Basilius Magnus ait:
S. Basil. in cap. 2. Isa.
Nulla atrocior pœna, cæteras omnes vincit calamitas hæc, deseri à Deo. Unde Christus ab obstinatis & ingratis Judæis recedere volens, ijsdem dixit:
Joa.8.v.21.
Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Ipsi quidem olim, quando Deus illos præcedebat in columna nubis, & ignis, dum per desertum procederent, sanctè gloriabantur, dicentes:
Deut.4.v.7.
Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. At vero quando Deum à se rejecerunt dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos; non habemus Regem nisi Cæsarem*, tunc vel inviti experti fuerunt horrendum illud *Væ*, siquidem ab illo tempore tamquam mancipia dispersi fuerunt in omnes mundi nationes, & tamquã ligna ad ignem infernalem fuerunt destinati:
Devotio gentilium ad suos Deos.
Porro quantum malum sit superiori Deitatis assistentia privari, vel ipsi cœci agnovere Gentiles, licet solo naturali lumine collustrati, qui licet fictos falsosque adorarent Deos, nullum tamen opus ad fœlicem se perducturos esse credebant exitum, nisi Dei assistentia fuissent suffulti; hinc qui propitium sibi non habebant Jovem, recurrebant ad Mercurium, quibusque Juno propitia non erat, suum ad Minervam habebant refugium, hacque ratione semper actionibus suis præsentem ambiebant aliquam Deitatem, licet hæc de facto illis non assisteret, sed solus Dæmon, cui in falsis illis simulachris exhibebant

exhibebant cultum. At vero dicite, ô Auditores, ex quo nos per lumen fidei unicum dumtaxat agnoscimus Deum, quod si hic per peccatum à nobis amittatur, si hic à nobis procul abscesserit, ad quem alium Deum recurremus.

Furtum Idoli.
2. Olim in monte Ephraim certus quidam vir nomine Micha habitabat, qui fabricatum quoddam à se idolum, in capellam quamdam collocarat, atque ad idem debito cultu venerandum, prædivite stipendio Levitam quemdam, qui ei ministraret, conduxerat? Accidit autem, ut nonnulli de tribu Dan in illis finibus circumvagarentur milites, armata manu domum viri illius ingressi, ut tamquam in regione illa prorsus peregrini, de via, quam inituri essent, ab ipso informarentur, conjectoque oculo in prædictum idolum, quod pretiosum erat, illud una cum ornamentis sacerdotalibus sustulerunt, reclamantem vero Levitam, ne se illis opponeret, Tribus suæ sacerdotio provisum secum duxerunt; Micha autem domum revertens, furtumque idoli sui subito notans, propero gressu milites est insecutus, clamans & ejulans; Milites autem se ejulatus hujus causam nescire fingentes, cum interrogarunt:
Judic.18.v.23.
Quid tibi vis? Cur clamas? Quibus desolatus Micha respondit:
Ibid. v.24.
Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis mihi, quid tibi est?
Micha Idolũ suum prætulit omnibus bonis suis.
Mira profecto res hæc fuit, etenim hic Micha nihil aliud perdiderat, quam partem quamdam marmoris vel metalli, id est, falsum quoddam simulachrum, ex marmore vel metallo fabricatum, in quo Deum suum venerabatur, tametsi revera Dæmon honorem illum acciperet, & tamen tam amarè plorabat, dicebatque, omnia sibi sublata esse, quæ habebat: *Et omnia, quæ habeo.* Nos vero revera sumus illi, qui, quando per peccatum Deus nobis eripitur, seu à nobis recedit, vere dicere possumus, *Deum meum & omnia, quæ habeo, amisi.* Unde & S. Seraphicus Franciscus dicere solebat: *Deus meus & omnia*; & tamen tantum abest, ut propter hoc lamentemur & ploremus, ut potius lætemur cum malefecerimus & exultemus. Porro Michæ invito fictum hoc numen sublatum fuit; nos vero facimus quidquid possumus, omnemque industriam adhibemus, ut verum amittere valeamus, siquidem multis cum sudoribus & molestijs peccandi occasiones inquirimus, ut vere dicere possimus:
Sap.5. v.7.
Lassati sumus in via iniquitatis,... ambulavimus vias difficiles; cæterum vero nemo infinitum hoc bonum, id est, Deum, nobis eripere potest, nisi ultro citroque volentibus, ac proinde sanctus ille
Monachus quidam semper hilaris fuit.
Monachus, qui jugi semper gaudio perfusus conspiciebatur, gaudij sui causam edicere rogatus, Respondit: *Quia Christum à me tollere nemo potest.* Eximia profecto est hæc hominis Christiani prærogativa, quod scilicet securus sit, quod Deum amittere non possit, nisi nos primi illum voluntarie dimittamus, & ab eo nos separemus Petrus, qui toties apud cœlestem Magistrum suum sese jactaverat, quod licet ab omnibus discipulis desereretur, ipse tamen illum numquam desereret, sed potius cum ipso in mortem ire vellet, hic, inquam, Petrus nihilominus eumdem Magistrum suum tam turpiter abnegavit, & licet ipse solus inter omnes alios Apostolos Christum filium Dei esse confessus fuisset, in illa tamen occasione cum perjurio affirmavit dicens:
Petrus aliàs promptus in occasione prestandæ fidei defecit.
Matt.26.72.
Non novi hominem. Scitisne, ad quod offendiculum allidens Petrus turpiter adeo lapsus fuerit? Nimirum, quia *sequebatur eum à longe*; ipse igitur primus fuit, qui à
Matt.26.58.
Christo se separavit, mirum igitur non fuit, quod Christus quoque ad tempus ab eo abscesserit.
Psal.72.27.
Ecce enim qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Unde & sacrum Concilium Tridentinum ita definivit:
Concil. Trid. Sess. 6. 11.
Numquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Sanct. Basilius Magnus super illa verba Isaiæ cap. 5.
S.Basil. in c. 5. Isa.
Dimittam vineam meam, & non putabitur, & non fodietur, ita scribit:
Peccatores primò deserunt Deum.
Quod à Deo deserantur peccatores, fit per eorum ignaviam, ut vel hinc liquet; ait enim Scriptura de his, quorum saluti consulit: Non te deseram, nec umquam te derelinquam. De quorum autem salute desperat, tales sinit abire ad explendas voluntates carnis, & cogitationum suarum, quando hujusmodi institutio vitæ eis cessura sit in perniciem; Itaque ait: Dimittam vineam. Hi igitur qui Deum per peccatum derelinquunt, primi sunt, qui Deo dorsum obvertunt, à quibus proinde Deus quoque recedit, quia Deum à se repellentes, Diabolo in cordibus suis aditum & incolatum indulgent.

3. *Væ eis! cum recessero ab eis*, Didacus Stella mo-
Didac. Stel. in c.11. Luc.
dum declarat, quo expulso ab anima Deo, Dæmon eamdem ingreditur; ait enim: *Peccatum Deum in anima per gratiam existentem ab ipsa rejicit, non eo modo, quo alter te fortior, & excellentior à loco aliquo expellit, nam peccatum non est fortius Deo; ejicit tamen illum per propria demerita; nam cum peccator Deum existentem in anima, vitijs turpitudinibusque inhonorat, tunc dicitur Deus ejici, & expelli à peccatore. Videt Deus, pluris æstimare nos stercora, glandes hujus mundi, quam ipsum, & ideo hospitium deserit, & abit, tot contemptus & injurijs affectus. Nam si tu in domo tua in capite mensæ Aethiopissam accumbere faceres immundam, incomptam, & inhonestam, & ipsa tamquam Domina sederet, uxori vero
Ab anima dum expellitur Deus, quomodo eamdem intret Diabolus.
præciperes, quæ illustris & Princeps est, ut mensæ ministraret, nonne gravem injuriam Dominæ huic inferres? Hoc modo peccator cum Deo agit, suos appetitus & libidines pluris habet, quam illum, & creaturas creatori anteponit, propter quod moleste ferens hæc omnia, domum & hospitium Deus deserit.* Quid vero in hoc mirum est, si is, qui ex propria culpa Deum, qui summum bonum est, amittit, in omnia deinceps malorum & infelicitatum genera miserrime incidat? Rupertus Abbas à Glossa in Oseam citatus inquit:
Rup. Abb. in Gloss. in Osee.
Non solum hoc malum eis erit, ut fiant absque liberis, sed postquam sic recessero ab eis, postquam tradidero eos in manu hostili, sequitur adhuc Væ, id est, judicium æternæ damnationis. Quo loquendi modo ostendit, quod eo ipso, quo Deum amittimus, multa quoque bona temporalia amittamus, præterquam quod ad æternas ærumnas sustinendas condemnemur. Didacus Stella animæ peccato mortali obnoxiæ summam miseriam sequenti exponit haud inepta similitudine:
Didac. Stell. ibid.
Quemadmodum, inquit, multi adversus viduam insurgere solent, quia neminem habet, qui suas partes possit defendere, ita omnes Dæmones, & omnes creaturæ insurgunt adversus animam, Dei præsidio & auxilio destitutam;
Qui Deum dereliquit est ut derelicta vidua.
unde Regius vates: Qui quærebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, comprehendite, quia non est, qui eripiat;
Ps.70.10.
Tametsi enim David à puero assuefactus fuerit dilacerandi ora leonum, interficiendi ursos, gygantes prosternendi, denique in gloriosissima vita sua plures numerandi victorias, quam dies, attamen se per adulterium Deum amisisse videns, coram inimicis suis formidare & contremiscere cœpit, metuens semper, ne propter peccatum suum ijsdem in prædam cederet; In tantum enim antea metuebatur ab hostibus, velut invincibilis, in quantum Deum secum habebat; Unde ipsemet ait:
Probatur in Davide.
Ps.22.v.4.
Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Unde & inimici ejus eum extra Dei gratiam positum, & ad luendas adulterij & homicidij sui pœnas condemnatum esse scientes, licet ipsi viles & abjecti homines essent, illum licet numeroso & prævalido exercitu cinctum, haud secus ac vilem quemdam rusticum & pastorem ovium pessime tractarunt, prout constat de Nabal & Semei. Unde David merito cum Sanct. Augustino dicere potuisset:
S. August. c. 6. Soliloq.
Qui ideo Deum rogat pro auxilio.
Heu Domine, vita mea, qui fecisti me, defensor vitæ meæ miserere mei, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea in die tribulationis meæ. Respice inimicos meos, & eripe me, fugiant à facie mea, quia oderunt me, & ego vivam in te, per te. Ipsi enim Domine consideraverunt me, videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me, fecerunt sibi viam per me, sub pedibus suis conculcaverunt me. Samson quoque leonem manibus suis discerpserat, cum maxilla asini mille Philisthæorum stragem instituit, solus validis exercitibus se victor objecit, & tamen postea inimicorum suorum præda, imo fabula factus est; siquidem eum erutis oculis excæcatum loco asini ad molendinum vertendum applicuerunt.
Samson punitus quia Deum reliquit.
Undenam vero hæc processit tam ingens mutatio? Nimirum peccatum carnale cum Dalila commissum, Spiritum divinum in corde ejus hactenus expulit:
Judic.16. v. 20.
Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus, quem cum apprehendissent, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Dionysius Carthusianus in Opusculo, *de enormitate peccati*, ita scribit:
Dion. Carth. Opusc. de enorm. pecc. art. 3.
Cum Deus sit fons totius salutis, omnisque nobilitatis ac suavitatis origo causalis, constat, quod mens creata ab ipso aversa, vera beatitudine spolietur, spiritali gratuita nobilitate privetur, & omni syncera dulcedine denudetur.

4. Simon de Cassia de malis homini à Deo derelicto obvenientibus, sequentes habet considerationes:
Simon de Cassia. l.13.
Qui relinquit Christum, vitam relinquit, & quærens vivere, fugit in mortem. Relinquens Christum, viam rectam, abhorruit, timoris agitatus à stimulo, fugiendo, vias in-

Quid sit Christum deserere describitur.

ingreditur tenebrosas; proinde per sapientiam de iniquis dicitur: Relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebrosas. Relictor Christi vitam negavit, ipse siquidem secundum Apostolum est vita nostra, qua relicta omnis amaritudo subsequitur: Hinc per Prophetam dicitur: Vide quam malum & amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum. Isto malo nullum pejus, & amaritudo nulla sævior in sensibus adest, quam mortem incurrere, maxime si subsequatur æterna. Omnem obliquitatem fugiendo incurrit, qui Christum reliquit, quem credimus altissimam veritatem, de his siquidem ipse prædixerat: Ego sum via, veritas, & vita. Relinquit sæpe amicum malefidus amicus, benefidus vero etiam in morte non deserit. Deficit in charitate, qui deserit non deserendum. Idem pius Author ad hoc, ut Deum numquam à nobis repellamus, paulo post sequens subjungit efficacissimum motivum inquiens: *Relinquere Christum, est invenire Sathanam. Tutius esset ad modicum mortis tolerare dolores, cum invincibili vita, quam modicum vivere præter ipsam.* S. Gregorius aliud considerat notabile damnum, quod ex Dei à nobis recessu in nos dimanat; Ait enim: *Quo longe nos conditor deserit, eo mens nostra insensibilius obdurescit, nulla, quæ Dei sunt, diligit, numquam superna concupiscit, & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor, cumque unde sit lapsa non meminit, & supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit, nescit.* S. Isidorus ad hæc, & alia innumera mala, quæ ex hoc Dei a nobis recessu procedunt, se reflectens, inquit: *Ingemiscendum est jugiter, & postposita securitate lugendum, ne Dei secreto & justo judicio deseratur homo, & perdendus in potestate Dæmonum relinquatur, nam revera quem Deus deserit, Dæmones suscipiunt.* Basilius Magnus in Oratione quadam *de futuro judicio* hunc Dei à nobis recessum hisce ponderat emphaticis verbis: *Dei abalienatio, ac aversio, inter eas omnes pœnas, quæ in Gehenna expectantur, longe intolerabilior, ac gravior ei est, qui plectitur.* Nihil autem deterius aut horribilius dici potest, quam quod amissio Dei, & infernus ad eamdem prorsus spectent Cathegoriam. Dionysius Alexandrinus à Sancto Joanne Damasceno lib. 1. Parallel. cap. 12. citatus inquit: *Nihil exitiosius est, quam à Deo ita deseri, ut nulla nostri cura, & providentia tangatur, nec ullum ob gravissima crimina gravius supplicium irrogari potest, quam ut quispiam à Deo destituatur, qui enim Servatoris Dei ope ac præsidio caret, hic sub hostium ac prædonum potestate est.* Sententia quoque est S. Gregorij Nysseni dicentis: *Nulla alia mali substantia est, quam disjunctio à bono;* quod idem est ac si diceret, nullum dari potest majus malum, quam esse divisum à Deo omnium bonorum fonte.

S. Greg. l. 9. Mor. c. 34. Alia similis descriptio. *S. Isid l. 2. Sent. c. 15.* *S. Basil. orat. 53.* Quem Deus deserit, dæmones suscipiunt. *Dionys. Alexand.* *S. Greg. Nyss. de prof. viri.*

5. Certum vero est, nihil à Deo nos separare posse, præterquam peccatum; Unde Psalmista ait: *Longe à peccatoribus salus;* & ideo certissimum est, omnem peccatorem sano rationis usu destitui, dum voluntarie hanc jacturam subdit, scilicet ut Deum amittat. Unde S. Basilius à S. Joanne Damasceno in supradicto loco citatus ait: *Acerbissimus cruciatus, apud eos qui mente præditi sunt, est à Deo sejungi.* Quisquis igitur pœnam acerbissimam esse non sentit, quando Deus ab anima sua recedit, se cerebrum & rationem amisisse manifestè indicat. Chrysologus de filio prodigo differens verba illa ejusdem Parabolæ: *In se autem reversus,* considerat inquiens: *In se reversus est, in se ante redit, ut rediret ad patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Porro per hunc patrem spiritualiter ille intelligitur, quem in oratione quotidiana invocamus dicentes: *Pater noster, qui es in cælis,* quisquis igitur ab hoc Patre se separat, is se in bestiam degenerasse, & extra se positum esse significat. S. Augustinus in soliloquijs suis miserum statum suum, in quo erat, quando priusquam in aquis Baptismalibus regeneraretur, à Deo prorsus divisus licentiosam vitam agebat, in hæc verba deplorat: *Cum fui sine te, non fui, sed nihil fui, & ideo cæcus eram, surdus, & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi, vulneraverunt me, & non dolui, traxerunt, & non sensi, quia nihil eram, quia sine vita eram, quæ est verbum, per quod facta sunt omnia. Ideo Domine, lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, vulneraverunt, & occiderunt me, quia recessi à te, & factus sum nihil sine te.* Idem S. Doctor jam mirabiliter conversus, & a Deo illustratus in sermone quodam cuidam impio in hæc verba improperat: *An vero non in te sunt viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus, à quo discessit anima, & non plangas animam, à qua recessit Deus?* Quænam divisio tibi lachrymabilior esse videtur, an illa, qua anima dividitur à corpore nostro, an vero ea, qua Deus recedit anima? Enimvero quam hic recessus sit deplorabilis D. Chrysologus sequentibus verbis exponit: *Quomodo mortui sepeliunt mortuos suos? fratres, ipse dixit: Ego sum vita; quod est anima corpori, hoc est animæ Christus; sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo; recedente anima mox corpori fætor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror & omnia visu detestabilia succedunt.* Porro separationem, qua Deus ab anima recedit, incomparabiliter pejorem esse ex sequentibus ejusdem Chrysologi verbis deducitur: *Discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fætor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ.* Confirmari idipsum potest authoritate S. Bernardi, qui in sermone quodam super Psalmum; *Qui habitat*, ita scribit: *Cavendum magis peccatum, quam peccati pœna, & eo studiosius à malo, quam à flagello declinandum, & infælicius omnino sit à Deo animam, quam à corpore separari.* Quot sunt, qui lachrymantur & amarè deplangunt substantiæ suæ, messium, gregum, aliarumque facultatum amissarum, vel direptarum jacturam, & tamen se effræni appetitui suo satisfaciendo divinam amisisse gratiam & amicitiam cum risu referunt. Audiamus nobilem quamdam Doctoris Seraphici ponderationem, aptam nimirum, ad confundendum unumquemque, qui quam per peccatum patitur Dei jacturam, inconsolabiliter non deplorat; Ita enim scribit: *Perdit homo bovem, & solicite eum quærit, perdit equum, & non quiescit, perdit ovem, & post eam vadit, sed perdit homo peccando Christum, & quiescit, comedit, & bibit, & non quærit.* Quanta cum solicitudine custodiuntur vestimenta, vel aurea argenteaque supellex, maxime ea, quæ pretiosior est? Quot clavibus subjicitur, ne diripiatur? Divinæ autem gratiæ, quæ animarum nostrarum thesaurus est, quænam nobis est cura, quænam solicitudo pro hac geritur, ne nobis eripiatur? *Quid tantopere servas, quod auferre potest scintilla ignis, & aliqua parva bestiola?* Inquit S. Augustinus. Salvatorem nostrum ejusque amorem, quo cœlum à nobis comparatur, cum gaudio & risu abjicimus, & conculcamus, ut turpi aliquo scorto potiri valeamus. Verum enimvero bene nobis advertendum est, quod tametsi Deus per gratiam suam procul à nobis sit positus, ejus tamen nobis immittenda supplicia procul à nobis minime absint; id quod S. Bernardinus opportune indicat dicens: *Qui elongant se à te, peribunt. Licet enim Deus ubique sit, atque* Jerem. 23. dicat? *Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe, longe tamen est ab impijs per gratiam, licet eis sit de prope per justitiam.* Unde notanter Psalmista ait: *Quia ecce qui elongant se à te*, non dicit *te à se*, cum hominibus sit semper prope, justis per gratiam, malis autem per justitiam. Quod si is, qui magnis beneficijs, divitijs, & honoribus virum quemdam antea vilem pauperem, & ignorantem affecerat, postea ab eodem turpiter repelleretur, ut jurato ejus inimico, mortem ei machinanti, hospitium exhibeat, quonam talis ingratus castigandus esset supplicio? Quousque vero Deus hominem terræ vermiculum evexit? ad quos honores sublimavit? quantâ naturæ nobilitate eum insignivit? Et tamen ingratus hic homo Deum benefactorem suum à se repellit, ut Dæmoni & peccato in animam suam aditum dare possit, jure igitur meretur, ut Deum ultorem sibi vicinum habeat, qui ultrice severæ suæ justitiæ romphæa in eum animadvertat.

Ps. 118. 155. *S. Basilius.* Intelligenti maxima est pœna separatio à Deo. *Chrysolog. serm. 2.* Sententia S. Auguſt de vitâ suâ licentiosâ. *S. Aug. ibid.* *S. August. serm. 13. de Sanctis.* *Chrysolog. serm. 19.* Miserabilior est recessus à Deo quam animæ à corpore. *S. Bernard. serm. 10. in Psalm.* Qui habitat. Maxima incuria hominum de suâ salute. *S. Bonav. ser. de S. Maria Magd.* *S. August.* Deus se derelinquentes puniendo non deserit. *Bernardin. t. 1. ser. 28. art. 2. c. 7.*

6. Enimvero (quod ad nostram consolationem prætereundum non est) in hac jactura, per quam Deum amisimus, hoc habemus præclarum Privilegium, quod Deum, ejusque amicitiam recuperare valeamus. S Hieronymus super illa verba Isaiæ: *Quærite Dominum, dum inveniri potest,* ita scribit: *Quomodo quæratur Deus in alio loco plenius dicitur. Sapite de Domino in bonitate; unde & nos scientes illud dictum de peccatoribus: Qui longe recedant à te peribunt, loquamur ad Dominum: Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? invocemus eum, dum prope est, ne nostris vitijs, atq; peccatis procul recedat, appropinquat enim appropinquantibus sibi, & filio longo post tempore revertenti lætus occurrit.*

Deus resipiscentibus reconciliatur. *Isa. 55. v. 6.* *S. Hieron. ib.* *Ps. 70. v. 12.*

7. Ex

7. Ex quo Philisthæi probè sciebant, quanam in re Samsonis fortitudo consisteret, scilicet, quod in capillis ejus lateret, merito inquiri potest, quare non fuerint soliciti quoad illos continuo radendos, ne in altum excrescerent. Respondet Abulensis: *Putabant ipsum à Deo desertum esse;* qua quidem in re minime errabant, quia Samson à Deo derelictus fuit, postquam impurus Dalilæ amoribus deditus esse cœpit: verumtamen non intellexerunt, ipsum facile per interiores veræ compunctionis & pœnitentiæ actus cum Deo se reconciliare, eumque placare, & consequenter amissam fortitudinem recuperare potuisse, quemadmodum postea reipsa recuperavit, nam ad pristinam suam reversus fortitudinem domum prætoriam, in qua Philisthæi Senatores confidebant, subvertens, eosdem sub illius ruinis sepelivit. Idipsum quoque quilibet peccator facere potest, nam per veram contritionem, & Sacramentalem pœnitentiam efficere potest, ut Deus vicissim animam ejus ingrediatur, omnesque inde exterminet inimicos infernales, & peccatum exturbet.

Abulens. qu. 25. in judic. Quare Philisthæi Samsoni capto non continuo abraserint crines.

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Propter peccatum mortale, omnia bonorum operum merita, ante illius commissionem comparata, destruuntur.

THEMA.

Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, ... numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Ezech. 18. ℣. 24.

Unicum peccatum mortale sufficit ad omnia præhabita merita mortificanda.

1. Hoc frœnum solum cuilibet Christiano sufficere deberet, ad eum à mortali Dei offensa deterrendum, si videlicet per veram fidem apprehendat, quod omnia bonorum operum merita, quæ per longum vitæ suæ decursum laboriose sibi comparaverat, per unicam dumtaxat divinorum præceptorum transgressionem mortalem, plane amittantur: *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, ... omnes justitiæ ejus; quas fecerat, non recordabuntur.* Ubi in primis ponderanda est dictio illa; *omnes*; quidquid enim per triginta vel quinquaginta annos boni operatus fuit, plane deperditur: ad eum fere modum, ac si interminabilis quidam Oceanus Nectare & Ambrosia plenus, per unicam dumtaxat fellis guttam amaricaretur. Detur v. g. anima quædam omnino sanctissima, quæ omnium Beatorum cœlestis Paradisi merita sibi comparaverit, adeo ut vere dicere possit: *In plenitudine sanctorum detentio mea*; si tamen in hanc unicum dumtaxat peccatum mortale aditum habere queat, hoc ipsum ad omnia illa dona, gratias, virtutes, merita, aliaque innumera bona, quibus redundabat, destruenda, nec non ad hominem illum, Dei inimicum, & inferni mancipium faciendum, abunde sufficiet, quia omnes justitiæ, quas fecerant, non recordabuntur. Ex hac igitur veritate clare cognosci potest, quam sit pestilens illud peccati lethiferum venenum.

Eccli. 24. 16.

2. Gedeon septuaginta habebat filios legitimos, naturales, & unicum dumtaxat filium spurium, nomine Abimelech; qui ab immani superbia sua extimulatus, & regnandi avidus omnes septuaginta fratres suos necavit; dicente Scriptura: *Occidit fratres suos filios Jerobaal, septuaginta viros super lapidem unum:* Eheu, quot sunt; qui numerosam quidem habent filiorum multitudinem, qui omnes ad regnandum in cœlo idonei essent, id est, plurima opera vitæ æternæ meritoria haberent; quæ tamen omnia per unius filij spurij superbiam misere interimuntur, quia *initium omnis peccati superbia?* Sine dubio sæpius admirati fueritis illud Synagogæ à Deo in lege scripta impositum præceptum: *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel:* Quid enim Deo intererat, quod populus ejus panem comederet fermentatum, qui in semetipso saluti non est noxius, quin potius sapidus, ut proinde sub eadem pœna panem fermentatum in domibus conservari prohibuerit: *Non erit fermentum in domibus vestris?* Petrus Cellensis huic dubio respondet, reflectendo se ad illud Apostoli effatum: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: Sicut enim modicum fermentum totam massam corrumpit*, ita quoque unicum dumtaxat peccatum mortale, ad corrumpendum, id est, ad reddendum inutilia innumera Sanctorum & perfectorum operum merita abunde sufficit; Unde Ecclesiastes ait: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.*

Judic. 9. 5. Tyrannis Abimelech. *Eccli. 10. 15.* *Exod. 12. 15.* Quare Judæis fuerit prohibitum vesci fermentato. *1. Cor. 5. 6.* *Petrus Cellens. lib. de Pat. ib. c. 3.* *Eccle. 9. v. 18*

3. Omnibus passim nota est Parabola illa, vel ut alij volunt, Historia infelicis illius hominis, qui ab Jerusalem in Jericho descendens, & in latrones incidens, rebus omnibus, quas habebat, fuit exutus. S. Bernardinus idipsum applicat ad spoliationem, quam peccatum in anima facit; ait enim: *Maledictio peccati est, quia peccatum est omnis boni spoliativum & fugativum, quia cum tu peccasti, omnia bona, quæ toto tempore vitæ tuæ fecisti, fugantur, & delentur, & perduntur, & hoc est, quod multum me fecit tremiscere. O frater Bernardine, quid facient memorati peccatores? ex quo tu vides, quod ille, qui semper bene, & virtuose toto tempore vitæ suæ vixerit, & in solo puncto mortis, propter unum solum peccatum mortale damnabitur?* S. Antonius de Padua, hanc despoliationem ad vivum expressurus, sequentem adducit civitatis ab inimicis deprædatæ similitudinem inquiens: *Perdit populum multum, quia omnia præcedentia opera annihilat; accipit spolia, quia ipsam (scilicet animam) spoliat gratia; succendit eam igni, id est, quasi fervorem mali desiderij excitat; destruit domos, id est, habitaculum conscientiæ: dissipat muros; id est; divina præcepta, quibus ab hostibus defendebatur; captivat mulieres, id est, opera misericordiæ: natos; id est; stabilitatem; pecora, id est; simplicitatem cordis; vel domos destructas possumus intelligere exempla sanctorum, in quibus debet homo habitare, quæ omnia exciduntur à corde.* Deus Apocalypsi cap. 3. Sancto Joanni præcepit, ut ad Episcopum Sardis in hæc verba scriberet: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Prælatus ille Sardensis, in conceptu quidem populi habebatur tamquam vir valde spiritualis, & perfectus; & tamen licet in multis actionibus virtuose operaretur, peccato aliquo occulto coinquinatus erat, quo omnia ejus opera, cunctaque vitæ suæ merita inutilia reddebantur, & nulla. Audiamus hac de re sanctum Anselmum in hæc verba differentem: *Scio opera tua; &c. id est, quod in operibus tuis amas humanam laudem, & mortuus es in peccatis, quia qui in uno offendit, omnium est reus. Esto vigilans; id est; ideo esto diligens, & solicitus de salute, & confirma cætera: Hic innuitur, quod qui in aliquo criminalis invenitur, perdit omnia benefacta; quantum ad salvationem, cum dicitur, moritura erant, illo autem correcto, omnia simul valent ad vitam. Vigila dico; non enim invenio opera tua plena, non sunt plena opera, quia sunt sine charitate; vel quoniam fiunt pro laude, vel quoniam sunt associata alicui criminali; coram Deo; licet in facie hominis plena sunt, Deo tamen non sunt.*

S. Bernard. t. 4. serm. 42. par. 1. princip. Vulneratio evangelica denotat effectum peccati. *S. Anton. de Pad. in Dom. Pass.* Peccatum spoliat animam ut hostis Civitatem. *Apoc. 3. v. 1.* Historia de Sancto coram mundo non Deo. *S. Ansel. ibid.*

4. Quid dicturus esses de illo, qui cum per triginta, vel quadraginta annos, inter varias maris tempestates, ab uno polo ad alterum navigando, ingenti cum labore, magnum sibi comparasset divitiarum thesaurum, eumdem tamen unico taxillorum jactu insolenter perderet? Hæc propria est multorum Christianorum stultitia, qui postquam longo tempore in divino servitio, in jejunijs, cilicijs, operibus misericordiæ corporalibus, & spiritualibus, sanctisque peregrinationibus, multo labore sudarunt, attamen quidquid per ea lucrati fuerunt, pro momentanea voluptate, pro vili aliquo interesse, aut vana reputatione, à se abjiciunt, & disperdunt. Basilius Magnus, à sancto Joanne Damasceno in lib. 1. Parallell. cap. 14. ad propositum nostrum præclarè in hæc verba scribit: *Miserandum sanè spectaculum: Post jejunium; post asperā degendæ vitæ rationem, post assiduas preces, post uberes lachrymas, post continentiam annorum fortasse viginti, aut triginta, propter animæ negligentiam, & incuriam, omnibus orbari, ac similem esse eum, qui mandatorum divinorum operatione ac quæstu affluebat, locupletissimo cuidam negotiatori, qui amplissimas merces secum efferens, ac secundo vento periculosa maria emensus, in ipso littore fractâ navi, omnibus opibus repente privatur; siquidem hic quoque ea, quæ innumeris laboribus, & sudoribus quæsiverat, unico Dæmonis impetu perdat, peccato nimirum, non secus ac sævo quodam turbine pressus ac submersus. Huic sane, qui virtutes omnes tamquam naufragio amiserit, vox hæc convenit: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Apud Abdiam Prophetam dicitur: *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Nullus enim reperitur tam avidus, & avarus latro, qui domus despolians, potiorem saltem facultatum partem in eadem non relinquat, sed

Similitudo moralis. *S. Basil. hom. in Princip. Proverb.* *Abdiæ 5.* Peccatum est Latro insatiabilis.

omnia

omnia rapiat, nec tam cupidus ullus erit vindemiator, qui dum vineæ alicujus uvas decerpit, hinc inde non aliquos superstites botros relinquat. Qua in similitudine egregiè expressam videmus infinitam peccati mortalis malitiam, siquidem hoc velut insatiabilis quidam latro, omnes meritorum operumque bonorum divitias, quas in anima invenit, diripit; *omnes justitiæ, quas fecerat, non recordabuntur.* Doctoris Angelici axioma est; *Sola gratia omne bonum naturæ superat*; quantus igitur & quam rapax est latro peccati, qui animam omnibus gratijs cœlestibus, virtutibus, donis Spiritus Sancti, cunctisque alijs bonis per integrum sæculum pro cœlo possidendo comparatis despoliat, & denudat.

S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9 ad 2.

S. Vincent. Ferr. serm. 2. in Sabb. post Reminiscere. Offendens in uno factus est omnium reus.

5. S. Vincentius Ferrerius de filio prodigo, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*, ita scribit: *Ex isto textu habetur, quod quilibet, qui peccat mortaliter, perdit omnia bona, & merita, quæ congregavit. Unde si quis haberet omnia merita Prophetarum & Apostolorum, si peccaret mortaliter, statim perderet omnia illa, & nihil remaneret sibi. Peccatum mortale adinstar mortis omnia mortificat. In morte homo omnia dimittit, etiamsi esset Dominus totius mundi, sic peccatum mortale aufert homini omnia merita; Non solum perduntur virtutes contrariæ, sed etiam omnia alia v. g. si perdas per superbiam, non credas, solum perdere merita, quæ acquisisti per humilitatem, sed etiam omnia alia; ratio est, quia omnia merita in gratia Dei fundantur, qua perdita, omnia merita perduntur, quia destructo fundamento, cadit omne ædificium.*

Agg. 1. v. 6.

6. Apud Aggæum cap. 1. dicitur: *Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Accidit nonnumquam in Apulia, quod dum messores in procinctu sunt, demetendi copiosam frumentorum segetem ex improviso in agris illis innumeram deprehendant murium multitudinem, omnia frumenta devorantium; quo in casu vere dici potest, *seminastis multum, & intulistis parum*; Quod idem dici potest illis, qui diuturno tempore in Dei quidem servitio laborarunt, at vero dum in propinquo est tempus colligendi fructum, in culpam mortalem se seduci permittunt, quæ licet unica sit, ad absorbenda & consumenda omnia illorum bonorum operum, in quibus hactenus se exercuerant merita; sufficit. Qui in sacculum pertusum argentum & aurum immittit, omnia perdit, quia quod superius ingreditur, inferius excidit, & disperditur. Unde Aggæus, ut interpres quidam exponit, prædictis verbis vult dicere; *qui acquirit aliqua merita per opera virtuosa, ea amittit per peccatum, quod postea committit, si est tale, quod perforet, id est, tollat unitatem animæ ejus, ut est mortale.* S. Antoninus ait: *Peccatum spoliat hominem cunctis bonis spiritualibus, quod dixit* Lucæ 1. *Beata Maria, divites, scilicet maritis dimisit inanes, id est, vacuos. Threnorum 1. Manum suam misit, scilicet hostis diabolus, vel peccatum, ad omnia desiderabilia ejus, id est, pretiosa auferendo. In hujus figuram Judicum 6. habetur, quod post septem annos veniebant Madianitæ in terram Israel, postquam malum fecerant in conspectu Domini filij Israel, & cuncta vastabant, & nihil omnino relinquebant ad vitam pertinens. Sic Dæmones peccatoribus malum facientibus, & sibi servientibus in septem peccatis mortalibus, faciunt, qui spoliant animam virtutibus, nec relinquunt in ea aliquid pertinens ad vitam gratiæ vel gloriæ.*

Historia.

S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 6. §. 7. Figura ex veteri testamento.

Judic. 6. Rebellium pœna.

7. Quonam putas nomine Job peccatores appellat? vocat illos rebelles, dicens: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus.* Rebelles autem, ut per experientiam constat, non solum privatione gratiæ principis, verum etiam omnium bonorum confiscatione castigantur, insuper ab omnibus officijs, honoribus, & præeminentijs, quibus gaudebant, exauthorantur. Unde cum Siba Miphiboseth Dominum suum de rebellionis, seu proditionis crimine accusasset, David eumdem sine ullo alio processu omnibus, quæ possidebat, privavit. Ecce igitur tibi pœnam, quæ Dei rebelles consequitur, non solum enim ab amicitia Dei excidunt, verum etiam omnibus spoliantur meritis, quæ sibi acquisierant, ut in regno cœlorum filij sui fierent cohæredes. Doctor Seraphicus S. Bonaventura pulchram hanc in rem adducit similitudinem inquiens: *Nota, quod peccatum est sicut putredo in pomo, sicut enim putredo aufert pomo decorem, colorem, saporem, odorem, sic peccatum aufert animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ; Unde dicitur: Quasi putredo consumendus sum.*

S. Bonav. Dieta Salut. tit. 1 c. 2. Job. 24. 13.

Per spoliatum in Evangelio quidam Adamum intelligunt. *Luc. 10. 30.*

8. Incarnata Sapientia, ut hactenus dicta clarius intelligeremus, paulo ante insinuatam miserabilis viatoris illius, qui priusquam in Jericho appelleret, à latronibus despoliatus fuit Lucæ 10. proposuit parabolam. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum.* Porro per hunc despoliatum nonnulli interpretes protoparentem nostrum intelligunt, qui ab Jerusalem, id est, à statu innocentiæ & justitiæ originalis in miserabilem incidit peccati statum, in quo inæstimabilibus despoliatus fuit Thesauris, quibus à Deo locupletatus fuerat dicente Psalmista: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, &c.* S. Augustinus ait: *Incidit in latrones, id est, in potestatem Angelorum noctis, qui se transfigurant in Angelos lucis.* Porro direptorum spoliorum qualitatem Salmeron insinuat dicens: *Despoliaverunt eum gratuitis & divinis donis, quæ interna animæ vestimenta sunt, ut gratia adoptionis, sapientia infusa, justitia originali, immortalitatis veste, tunica fidei, fascia spei, quæ constringit pectus, toga charitatis, cingulo castitatis, in auribus obedientiæ, armillis bonorum operum; Et ideo ut se cognoverunt esse nudos,* ut sacer textus inquit, ficulneæ frondibus sese contexerunt; O quam miserabilis est hæc commutatio! Quæ enim proportio esse potest inter illa folia, & inter pretiosissimam & inæstimabilem innocentiæ & justitiæ originalis, gratiarum & donorum supernaturalium & cœlestium chlamidem, qua propter transgressionem suam exuti fuere? David celeberrimum illum Psalmum 118. ab his verbis exorditur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; Tandem vero ad divinæ legis transgressores descendens, sequentem statuit conclusionem: *Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs ejus ambulaverunt?* Quæ verba difficultatem in se haud modicam continent. Ergone enim quotquot post peractam diuturno tempore irreprehensibilem vitam, tandem in peccatum mortale inciderunt, à vijs Dei aberrarunt? Idem Regius Propheta, qui conclusionem hanc statuit, ante adulterium, & homicidium commissum de se gloriatus fuit dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ; Viam mandatorum tuorum cucurri, &c.* Quo igitur modo asserere potest, quod in vijs Dei non ambularint, qui operantur iniquitatem? Facilis ad hoc est responsio, eo ipso enim, quo quis per peccatum mortale divinam gratiam, & consequenter omnia bonorum merita hactenus comparata (quæ divinæ gratiæ innituntur) amittit, in eodem statu censetur, ac si pedem suum divinis semitis numquam intulisset, quia *justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

S. Aug. l. 2. quæst. Evang.
Salmeron. t. 7. tr. 16. Bona quibus fuerit spoliatus.
Gen. 3. v. 7.
Ps. 118. v. 1.
Movetur difficultas ex loco Psalmi.
Ps. 100. v. 2. Ps. 118. 32.

9. Idem Regius Psaltes in alio quodam Psalmo ait: *In circuitu impij ambulant*, circa quæ verba S. Bernardus notat, quod *qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed nihil proficit*; qui enim in gyrum graditur, quanto magis à termino, à quo recedit, tanto magis ad eumdem redeundo appropinquat, quantumcumque enim ambulat, semper ad terminum, unde incepit, revertitur; Talis quoque est via, per quam impius incedit; licet enim aliquanto tempore in via præceptorum divinorum progressus fuerit, attamen quamdiu in affectu peccati continuat, semper ad principium sui motus retrocedit. S. Bernardus in uno ex sermonibus *de modo bene vivendi*, ait: *Per unum malum pereunt multa bona; Custodi animam tuam à peccato; qui in uno peccavit, factus est omnium reus; Per unum peccatum multæ justitiæ pereunt.*

Psal. 11. v. 9.
Quid sit ambulare in circuitu. Resolvitur.
S. Bernard. serm. 26. de modo bene vivendi.

10. In Epistola prima Joannis cap. 3. dicitur: *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* At vero quis est, qui nesciat, multos eximios Dei servos illum offendisse, de quibus tamen dubium esse nequit, quin illum viderint, & cognoverint? S. Petrus Dei filium præ cunctis alijs Apostolis perfectissime noverat, siquidem admirabilem hanc fidei ediderat professionem: *Tu es Christus filius Dei vivi*; Idem quoque illum sæpius intuitive vidit, & tamen eumdem postea negavit; qua igitur ratione S. Joannes asserit: *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit?* Respondetur; Quod quisquis in peccato suo persistit, ac perseverat, eo ipso, quo peccatum illud ad pedes Confessarij non detestatur, nec deponit, eodem modo se habeat, ac si numquam Deum vidisset, & cognovisset; imo hæc cognitio ei ad æternæ salutis comparationem non solum non proderit, verum etiam potius oberit, quia *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Didacus Stella ad insinuandum

1. Joan. 3. v. 6.
Alia difficultas movetur & solvitur ex evangelio.

nuandum effectum, quem peccatum in anima illius, qui antea in gratia Dei fuerat, producit, sequenti utitur similitudine: *Quemadmodum in discessu Regis omnes, qui sunt in curia, abeunt, ita cum Deus discedit ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in statu gratiæ est operatus, amittit, & nullius sunt valoris.* Apud Isaiam dicitur: *Desolabitur sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario*; quod vaticinium dictus Propheta de illo edidit exterminio, quod Jerosolymæ tandem supervenit, hanc enim prædicebat redigendam in illum statum, in quo est tugurium aliquod extemporaneum, in vinea vel in agro cucumerum erectum, hoc enim pro eo solum tempore durat, quo vel uvæ in vinea, vel cucumeres in cucumerario colliguntur, & custodiuntur, postea vero in ignem conjicitur. Anima in gratia Dei constituta, per Jerosolymam typice designatur; At vero si eadem ab inimico per peccatum invadatur, *desolabitur sicut in vastitate hostili.* Enimvero quando in civitate aliqua in constanti pace vivitur, magnus ad eam quotidie est viatorum negotiantium, & incolarum concursus, rigida quoque in ea regnare solet justitia, vigetque ingens abundantia, tranquillitas, & civium unio, soletque in ea optimum florere regimen; at vero postquam ab inimicis aggressa, & invasa fuit, in lapidum redigitur cumulum, fitque scorpionum, & ferarum receptaculum, ac in tantam redigitur miseriam, ut demolitorum mœnium vix relinquantur vestigia, per quam quidem metaphoram Isaias veram sanctæ illius civitatis desolationem delineare voluit, spiritualiter autem etiam describere intendit desolationem animæ illius, in quam inimicus infernalis per peccatum mortale ingressus fuit, dum enim hanc deprædatur, omnia donorum, virtutum gratiarum, & meritorum bona, quæ antea possidebat, diripit, & devastat. Deus in libro Proverbiorum inquit: *Qui in me peccaverit, lædet animam suam*, Pagninus legit: *expoliat animam suam*; adeoque de illa dici potest, quod ibi nullus sit ordo, sed sempiternus horror inhabitet. S. Bonaventura ait: *Peccatum annihilat hominem, & deficere facit à vero esse.* S. Augustinus hanc desolationem, quam peccatum in animam inducit, his verbis exponit: *Peccata non habent substantiam, inopiam habent, non substantiam, egestatem habent, non substantiam. Idque exemplo filij prodigi ostendit inquiens: Nostis, quia minor filius peregrinatus est, & dixit Patri: Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Quid tibi vis? Melius apud Patrem servatur, tua est. Dilapidare illam vis? Proficisci vis longius? vivens prodige cum meretricibus perdidit totam substantiam, egens remansit, porcos pavit, in egestate sua patris divitias recordatur, considerent ergo omnes peccata sua, videant si habeant substantiam ipsa peccata.*

Didac. Stell. in c. 11. Luc.
Isai. 1. v. 7.
Similitudo à tugurio desumpta.
Alia de Civitate florente, quæ ab hostibus vastatur.
Prov. 8. v. 36
S. Bonav. t. 7 comp. Theol. Verit. lib. 3. cap. 3.
S. August. in Psal. 123.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Varia examinantur mala, à peccato in animam ream derivantia.

THEMA.

Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Ecclesiastæ. 8. ỳ. 5.

Contrariorum eadem est disciplina.

1. Quod si vera est illa regula, qua dicitur: *Contrariorum est eadem disciplina*, sequitur necessario, quod cum sapiens de divinam legem observantibus dixerit: *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali*, transgressoribus ejusdem legis omne malum evenire debeat, maxime causa peccati omni bono priventur. Doctrina est Episcopi Bellovacensis: *Si peccatum non esset, nihil posset esse, quod homini obesset, si peccatum non esset, quidquid est, homini prodesset.* Ecclesiasticus ait: *Bona bonis creata sunt ab initio.* Omnes enim creaturæ homini subjectæ & obedientes erant, quamdiu innocentia & justitia originali condecorabatur, tunc enim verum erat illud Psalmistæ: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; subdit vero Ecclesiasticus: *Sic nequissimis bona, & mala.* Idem, postquam multa enumerasset bona naturalia, subjungit: *Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs, & peccatoribus in mala convertentur.* Regius Psaltes de Protoparente nostro ait: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, Et constituisti eum super opera manuum tuarum*; At vero quo tempore Deus hoc fecit? tunc nimirum, quando justitia originali amictus erat, quia postquam simul cum Eva divinum prævaricatus est præceptum, mox *cognoverunt se esse nudos.* S. Ambrosius ad illum se reflectens diem, quo Deus Adam interrogavit: *Adam ubi es?* inquit: *Quid est, Adam ubi es? id est, non in quo, sed in quibus es? non ergo interrogatio est, sed increpatio; quasi diceret: De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti?* Idem S. Doctor in capite præcedenti eosdem folijs se vestientes considerans, dixerat: *Docet me Adam quæ sint folia, qui posteaquam peccavit, de folijs ficus fecerit sibi succinctorium, qui magis de fructibus ejus gustare debuerit. Justus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus? Fructus, inquit, spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio. Non habebat fructum, qui gaudium non habebat; non habebat fidem, qui prævaricatus erat mandatum Dei; non habebat continentiam, qui de interdicto sibi gustaverat ligno. Ergo quicumque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur, atque nudatur.* Vultisne scire, qualisnam fuerit hæc nuditas? Nimirum nuditas à divinâ gratiâ, cui proprium est, hominem in oculis Dei facere gratum & acceptabilem, unde manserunt deformes, inimici, & filij iræ, licet ad imaginem & similitudinem creatoris plasmati fuissent, hanc enim adeo deformarunt, ut Psalmista dicat: *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis:* Spoliati fuerunt jure, quod habebant ad gloriam, & condemnati secundum præsentem justitiam ad æternæ perditionis barathrum; perdiderunt illum amorem, quo antea Deum plus amabant quam semetipsos; spoliati fuerunt justitia originali, quæ sensum reprimendi, illumque rectæ rationi perfecte subjiciendi virtutem habebat; abjecerunt dona Spiritus Sancti, gratiam sanctificantem, & merita hactenus acquisita, nec non omnes thesauros, quos Deus plena manu in ipsos effuderat. Quærunt nonnulli interpretes, cur Deus Paradisum terrestrem adeo amœnum, & deliciosum pro homine plantarit, quem sciebat brevissimo temporis spatio eo gavisurum, indeque quantocius expellendum esse. Ad quod in primis responderi posset, Deum per hoc homini ad instar parvi mundi creato suum manifestare voluisse amorem, & æstimationem, quanti nimirum illum faceret, verumque esse quod Sapiens in persona Dei inquit: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; ex alia vero parte etiam patefacere voluit, quanto prosequatur odio peccatum, quamque severe illud castiget. S. Bonaventura aliam illius reddit rationem inquiens: *Ut per ejus ejectionem de Paradiso de loco voluptatis cognosceret sensibiliter, quanta bona spiritualia per culpam amisisset.*

Bellovac. Spec. Mor. l. 3. dist. 19. part. 2.
Psal. 8. v. 7. Eccli. 39. 30.
Ibid. v. 32.
Ps. 8. v. 6. Ibid. v. 7.
Gen. 3. v. 7.
Ibid v. 9. S. Ambr. lib. de Parad. cap. 14.
Ibid. c. 13.
Prævaricator privatur omnibus bonis.
Ps. 48. v. 13.
Quibus bonis primi Parentes fuerint denudati.
Quare Deus plantaverit Paradisum pro tam brevi tempore.
Prov. 8. 31.
Resolvitur.
S. Bonav. Sentent. 7. distinct. 17.

2. In libro Machabæorum cap. 1. Primum spolium primaque ab impio Rege Antiocho in templo Jerosolymitano capta præda his verbis describitur: *Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis & libatoria, &c.* Omnia in figura contingebant illis, hæc enim templi deprædatio illud præsignabat spolium, quod peccatum è Mystico animæ Christianæ templo (*templum Dei,... quod estis vos*) diripere solet Unde S. Antoninus ait: *Intrat templum Dei, scilicet cor, cum superbia, & aufert septem genera bonorum spiritualium ibi figurata. Primo quidem altare aureum, quod significat Christum. Secundo aufert candelabrum cum septem lucernis, id est, gratiam Spiritus sancti cum septem donis ejus. Tertio furatur mensam propositionis, in qua continue manebant duodecim panes propositionis, & hæc est fides formata cum duodecim Articulis. Quarto aufert de templo animæ cortinas; seu vela de quatuor coloribus, quæ significant quatuor virtutes Cardinales, prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam; imo vasa templi, & libatoria, id est, in quibus solida ponebantur, ut farina, vel panis, vel hujusmodi, & significant pertinentia ad spem, quæ futuram beatitudinem facit prælibare. Phialas quoque, in quibus continebantur liquida, ut vinum, oleum, & hujusmodi; & significant viscera pietatis, ut colliquescat lacrymis compunctionis, devotionis, & compassionis. Mortariola etiam, in quibus aromata, & thus, & thymiama redigebantur in pulverem, quæ sunt meditationes & affectiones humilitatis, quod cæteras virtu-*

1. Machab. 1. v. 23.
1. Cor. 3. 17.
S. Antonin. 4. tit. 14. cap. 6. §. 7.
Privatur hanc septem bonis per peccatum.

tes

tes humiliant, & quasi in pulverem redigant odoriferam, dum humilia de se sentit virtuosus. Quinto vela, seu cortinas de sagis cilicinis, id est, fructum, seu opus pœnitentiæ, & asperitatis. Sexto ornamentum aurcum scilicet charitatis & coronæ præmia; Septimo aufert, vasa concupiscibilia, id est, opera facta in gratia, quoad meritum, dum moratur in peccato.

Adducitur exemplum prodigi,

3. Increata & incarnata Sapientia parabolam filij prodigi, velut doctrinam quamdam nobis tradere voluit, ad cognoscendum inde deplorabilem statum, in quem impius per peccatum præcipitatur; Etenim omnem suam dilexit substantiam. Unde Chrysologus ait: *Ecce quemadmodum sine patre census nudavit filium; census situm tulit de gremio patris ejecit è domo, exemit patria, spoliavit fama, exuit castitate. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod sit gloriæ, nil reliquit; Civem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutavit in servum; Junxit porcis, à patre piissimo, quem sejunxit, ut serviret cænoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit.* Quisnam vero peccatum quoque similes in animabus producere effectus non videt? Berchorius in suo Dictionario de malitia peccati tractans, multa considerat motiva, ob quæ illud nobis est detestandum, ita enim scribit: *Fugiendum est peccatum propter multa, videlicet, quia peccatum solet generare menti lezitatem, indurare, & capitware mentis libertatem, procurare mentis ubertatem, subjugare mentis dignitatem, occulture culpæ veritatem, denegare cæli voluptatem, procurave mortis gravitatem, aggravare mentis agilitatem, obstinare cordis nobilitatem, frequentare casus necessitatem, dissipare morum fertilitatem. Ista sunt duodecim mala, quæ facit nobis peccatum, generaliter loquendo.* Beatus Laurentius Justinianus similiter multa indicat mala ab infernali hoc monstro derivantia; Ait enim: *Peccatum donæ naturalia vulnerat, spoliat gratuitis, animam maculat, amaricat conscientiam, cor indurat, insensibilem hominem reddit, ad alia peccata trahit, bona, quæ fiunt, infructuosa esse facit, stultum hominem esse ostendit, & ipsam animam possidendo interimit.* Idem S. Patriarcha alibi in sermone quodam de *Sancto Joanne Apostolo*, alia his verbis damna recenset: *Pro dolor, unico peccati consensu immensas animæ ac corporis spirituales amisit dignitas, febrique cum dolore vendicat, quod gratis & sine labore percepcrat. Innocentiæ quippe candorem, immortalitatis stolam, carnis incorruptibilitatem, animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, spiritum libertatis, regnum cœlorum, Angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit.*

Chrysolog. serm. 1. Luc. 15. v. 13

Berchor. Diction. verb. Peccatum. Effectus peccatorum.

B. Laurent. Justin. de perfect. grad. cap. 1.

4. Sanct. Bonaventura *in compendio veritatis Theologiæ* multa pariter peccati mala recensct inquiens: *Naturalia vulnerat, ut significatur in illo, qui incidit in latrones.* Idem super Sanctum Lucam scribens, illaque verba: *Plagis impositis*, exponens inquit: *Vulneraverunt in naturalibus.* Etenim per peccatum natura nostra in donis naturalibus graviter vulnerata fuit, siquidem contraxit cœcitatem in intellectu, odium in voluntate, oblivionem in memoria, pessimam propensionem in sensibus, in oculis invidiam, curiositatem in auribus, in lingua licentiam. Unde clarus ille Isaiæ textus dicentis: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens.*

B. Laurent. Justin. de perfect. grad. cap. 1.

S. Bonav. t. 7. l. 3. c. 7. comp. Theol. verit. Mala peccatorum.

Isai. 1. v. 5.

5. Item *intellectus*, ut idem Bonaventura ait, *observatur in cognitione veri.* Quod idem damnum Dionysius Carthusianus opusculo *de enormitate peccati* his verbis insinuat: *Quo quis gravius, diutius, atque frequentius peccat, eo ratio ejus amplius excæcatur, tanto plus errat sumendo mala pro bonis, falsa pro veris, nociva, vana, & vilia, pro salutaribus, & fixis, & pretiosis. Affectus repescit*, inquit idem Bonaventura *in operatione boni.* Quam veritatem, unusquisque in peccatum, & consequenter in indignationem Dei incidens, manifeste in semetipso experitur, siquidem videmus, quod peccando concipiamus aversionem à bono. Idem Carthusianus idipsum confirmat dicens: *Sicut virtutes, ac dona Spiritus Sancti vires animæ reddunt ad bene agendum expeditas, ac faciles, à ratione quoque, & Spiritu Sancto bene promptesque mobiles, sic peccata, & habitus viciosi vires præfatas à bonis retardant, ad bona agenda infirmas efficiunt, ad mala pronas constituunt, ad Diabolicam suggestum, passionumque impetum assequendum faciles reddunt.* Confirmat quoque idipsum Beatus Laurentius Justinianus dicens: *Quod homini adversatur in homine, de peccati radice procedit. Tolle peccatum, & naturæ gratiam recognosces. Nil*

S. Bonav. ibi. Dion. Carth. Opusc. de enormit. pecc. art. 18. Quo plura sunt peccata plus intellectus obscuratur. S. Bonav. ib. Dion. Carthus. ibid. Argum. è contrario.

B. Laurent. Justin. fascimor. c. 21.

ante peccatum homini repugnabat. Sanct. Vincentius Ferrerius rationem reddit earum proportionum, quæ peccatum inter & febrim, cui peccatum assimilatur, intercedunt; Ita enim scribit: *Febris in Sacra Scriptura significat peccatum mortale; ratio, quia peccatum mortale habet conditiones febris; quoniam sicut febris aufert appetitum comedendi, & deordinat gustum corporis, quia cibus dulcis videtur amarus, & è converso infirmus appetit nociva, & contraria, hoc idem facit peccatum mortale, quando enim persona est sana, quæ scilicet est in gratia Dei, & in bona vita, sentit magnum saporem & dulcedinem in cibis animæ, quæ sunt orationes, lectiones, & contemplationes, Missæ, sermones, & hujusmodi, quibus anima vivit, & impinguatur, sed quando adest febris peccati mortalis, statim perdit gustum, nec saporem sentit, nec dulcedinem, imo si vult orare, statim ataedatur, & sic de alijs.* Unde Augustinus ait: *Impius non sentit dulcedinem Dei, quia de febre iniquitatis palatum cordis gustum amisit.* Doctrina quoque est Alvarezij Magni illius spiritualis vitæ Magistri, *de incitamentis religiosorum ad perfectionem* in hæc verba differentis: *Humanus animus, peccati vulnere saucius, & à prima illa innocentiæ sanitate, in qua à Deo conditus erat, ejectus, adeo manet infirmus, ut virtutem aliàs suavissimam, tamquam insuavem horreat, & vitæ spiritualis itinere, homini vegeto, & firmo valde prona, non solum difficilia, verum etiam inaccessa dijudicet. Quemadmodum enim ægrotus cibos dulcissimos, & opiparos aversatur, non quia illi amari sint; sed quia ejus palato humoribus noxijs infecto, amari videntur, ita homo peccati tabe corruptus, & prope examinis effectus, virtutem ori non admovet, non quia illa sit injucunda, sed quia palatum animæ, perditis moribus, quasi malis humoribus vitiatum, ejus suavitatem non valet percipere.*

S. Vinc. Ferr. § post oculi serm. 2. Proportio inter peccatum & febrim. Alvar. t. 3. § procem. de incitamentis religios. Pessimam peccatum inducit metamorphosim.

6. *Gratuitis spoliat; Dispersi sunt lapides sanctuarij.* Ecce tibi aliud peccati damnum. De quo audiamus Dionysium Carthusianum in hac verba scribentem: *Peccatum mortale primo spoliat mentem gratuitis; gratia gratum faciente, charitate infusa, cæterisque virtutibus, quantum ad hoc, quod sunt meritoria in agendo, septemque donis Spiritus Sancti.* S. Bonaventura ubi supra subjungit: *Sed ne aliquod bonum pereat, illa bona, quæ quis peccando mortificat, alijs salvandis dabuntur, sicut cum corporali morte quis moritur, fratres & propinqui in bonis ejus succedunt.* Justit Deus in Apocalypsi, ut S. Joannes quemdam Episcoporum Asiæ horraretur, ut constans maneret in virtutibus, ab ijsque non declinaret: *Tene quod habes, ut nemo alius accipiat coronam tuam.* Est que hoc unum ex ijs damnis, quæ peccatorem ab offensa Dei efficaciter retrahunt; videlicet, quod dona gratiæ, & bona spiritualia, quæ acquisiturus fuisset, si in adimpletione divinorum præceptorum perseveraffet, dentur alijs, qui majorem ex illis facturi sunt fructum, proque ijs Deo gratiores erunt.

S. Bonav. ib. Dion. Carth. ibid. Peccatum spoliat bonis gratuitis. Apoc. 3. v. 11

7. *Animam maculat, denigrata est super carbones facies eorum.* Dic obsecro quanam in re anima creatori suo se vel maxime similem esse probare poterit? Insinuat idipsum S. Augustinus, dum ait: *Appareat similitudo in morbus pro natura, in operibus pro justitia, in virtutibus pro gratia.* Similitudo enim in Christi imitatione consistit, prout etiam observavit D. Chrysostomus, dum ait: *Similitudinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo, manifactudine, & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur, quod & Christus dicit: Similes estote patri vestro, qui in cœlis est.* De reprobis autem adimpletur id, quod Salvator noster incredulis Hebræis improperavit, dum ait: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Innocentius Tertius super illa verba tertij Psalmi pœnitentialis: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*, ita scribit: *Heu, si quis videret animam peccatricem, quam sit fœda, quam fœtida, & putrida, profecto leprosior est carne leprosa.*

S. Bonav. ibi. Similitudo hominis cum Deo consistit in imitatione Christi. S. August. de spirit. & anim. c. 39. Chrys. hom. 9. in Gen. Joan. 8. 44. Pf. 37. v. 6. Innoc. 3. in Pf. 3. pœnit.

8. Est & aliud peccati mortalis notabilissimum damnum, ab eodem S. Bonaventura his verbis insinuatum: *Ad pœnam æternam obligat.* Unde gravitas culpæ vel maxime deducitur; Etenim in tribunalibus nostris in notitiam delicti devenitur per severitatem condemnationis & supplicij, cui reus per sententiam adjudicatur. Quis autem adæquatum de pœnarum infernalium atrocitate formare poterit conceptum? Quis umquam suo, quantumvis perspicacissimo intellectu, ad æternitatem capiendam pertingere poterit? Enimvero unicum dumtaxat peccatum mortale, adeo excessivum penes divinam justitiam contrahit

S. Bonav. ibi. Quantitas delicti per quantitatem pœnæ manifestatur.

trahit debitum, ut si anima peccatrix in æternæ perditionis carcere millenis imo centies, millenis sæculis pareretur, numquam pro ejusdem vel minima parte satisfactura, sed semper in capite, seu principio ejusdem pœnæ hæsura esset. Est enim obligatio quædam, quæ numquam dilui aut expiari poterit, nisi forsitan in hac vita per veram pœnitentiam expiatum fuisset. Vide Tomum secundum hujus Bibliothecæ in 30. discursibus de inferno, in quibus quam gravis sit hæc æternæ pœnæ exolvendæ obligatio fusissime declaratur.

S. Bonav. ib.

9. *Consentiam amaricat*, inquit S. Bonaventura estque hic alius culpæ mortalis effectus, quem etiam Sacra Scriptura indicat, dum ait: *Vide quam malum & quam amarum est deseruisse te Deum tuum*; Etenim nulla datur rosa, nulla reperitur voluptas quin spinam suam secum adferat; Unde trita est illa S. Gregorij sententia: *Rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit.* Mel quoque quamdiu fauces nostras transit, suavi ac amabili sapore easdem imbuit, at vero in stomacho receptum, in amarissimam sæpe convertitur bilem. Eodem modo inquit Philosophus ille de voluptate: *Quod dulce est, transit, quod turpe, remanet*; Sic quoque rosa subito efflorescit, at vero spina transfigens toto anno superstes remanet. Est & aliud peccati damnum ab eodem S. Bonaventura insinuatum, dum ait: *Indurat & insensibilem reddit; Peccator enim, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, & si quis eum reprehendat, visus est ei quasi ludens loqui.*

Causat peccatum amaritudinem animæ.

S. Bonav. ib.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Alia recensentur damna peccati mortalis, à quo ex nobis ipsis refurgere non possumus.

THEMA.

Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Ps. 118. ℣. 21.

1. INter alias impiorum miserias una est, quod sint à Deo maledicti, id est, omnibus malis subjecti; Ait enim Psalmista: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis*; ac proinde sanctorum Patrum sectantes vestigia, præter mala in discursu præcedenti considerata alia quoque in præsenti examinabimus.

S. Bern. t. 3. ser. de calamit. senect. art. 1. c. 4. Bonum est triplex.

2. S. Bernardinus ait: *Advertendum est secundum S. Thom. 2. 2. Q. 86. quod triplex est bonum. Primum naturæ, secundum gratiæ, tertium habilitatis ad actum, seu aptitudinis ad benefaciendum. Primum est bonum naturæ, ut puta intellectus, atque voluntas, & hoc bonum, per quodcumque peccatum nec tollitur, nec minuitur, sicut nec per tenebras aër tollitur, nec substantia aëris minuitur. Secundum est bonum gratiæ, & hoc per peccatum omnino ab anima removetur, unde sicut lumen per tenebras, & per cæcitatem, sic per culpam gratia amovetur: Tertium, est bonum habilitatis ad actum, & hoc non tollitur, sed per peccatum diminuitur.* Verum quidem est, quod liberi arbitrij nostri libertas à peccati malitia magna ex parte offendatur; Unde S. Antoninus ait: *Libertas magnum bonum æstimatur, non enim bene pro toto libertas venditur auro; sicut econtra servitus est maxima miseria, quia per peccatum autem inducta est servitus*; Hanc quoque liberi arbitrij læsionem agnovit Apostolus, dum ait: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*; Natura enim nostra per culpam vitiata ad vitium semper propender. Doctrina est Sanct. Antonini dicentis: *Voluntas multum est remissa ad bonum propter peccatum, adeo quod bonum, quod intelligit, & in generali proponit, agere non valeat. Figuratur per claudum, qui videt quidem quo pergere debeat, sed retro gressa incedere non valet, quibus claudis per Eliam. dicitur 3. Regum 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Claudicat ex parte dextra, qui præcepta ad Deum nos ordinantia non servat. Claudicat ad sinistram, qui mandata erga proximum nos dirigentia non custodit, nec talis diu in peccatis permanere potest, quin labatur in alia. Pergit idem Antonius ostendere, qualiter pars inferior, & sensitiva, ratione culpæ rebellet; Ait enim: Potentia sensitiva multipliciter vexatur passionibus propter peccatum, sic enim Deus instituit hominem, ut ratio subjiceretur sibi, & inde sensualitas omnino erat subdita rationi, sed propter peccatum inobedientiæ, rebellans ratio Deo immediate, & caro recalcitravit spiritui; in cujus signum secundum Augustinum, primi parentes senserunt stimulum carnis; propter quod erubescentes ad invicem, fecerant sibi perizomata, id est, coopertoria & potentia quidem concupiscibilis non ap-*

S. Antonin. p. 1. t. 7. c. 3. §. 1. Rom. 7. v. 15. Per peccatū liberum arbitrium læsum est. Læsum arbitrium exprimitur in claudo.

petit nisi delectabilia sensibus, esset contraria spiritui, caro enim concupiscit adversus spiritum, ut dicitur Gal. 5. in cujus figuram ancilla Achar concepisse se videns ex Abraham, despiciebat proterva Dominam suam Sarai, & cum verberibus augeretur, ab ea fugam arripuit, ad designandum, quod sensualitas, quæ est ancilla rationis, postquam per concupiscentiam conceperit peccatum, ex viro, ex appetitu rationali, deficit postea rationem, nec vult ei obedire. Sed etsi aliquando cogatur quibusdam pœnis, ut jejunijs, & disciplinis; ipsa sensualitas fugit à ratione, nec propter hoc ei obedit, sed ut libera vagatur, & in tantum excrescit concupiscentia, ut nec deferat naturali fœderi, seu propinquis; ut patet in Amnon primogenito David, qui amore concupiscentiæ infantem in Thamar sororem suam, violenter constupravit eam, & de Raben, qui ascendit cubile patris sui, & de Semiramide bellicosissima Regina Ninive, quæ duxit in maritum filium suum, sed ab ipso interfecta est. Irascibilis potentia plena est perturbationibus, & vindictis illicitis; Unde Saul, qui prius erat pacatissimus, adeo quod despicientes dominium ejus, sibi à Domino traditum, patienter toleravit, nec in aliquo molestari voluit, post victoriam autem magnam habitam contra Ammonitas, postquam à Domino recessit per peccatum, ita turbulentus, & furiosus effectus est, ut per se, & per alios, mortem quæsierit generi sui David ei fideliissimi, & octoginta quinque sacerdotes occidi fecerit, quia Abimelech Princeps eorum favorem fecerat Davidi, concedendo panes & gladium Goliath, & consulendo pro eo Dominum. Doctor Seraphicus lib. 3. compendij verit. Theolog. in hæc verba scribit: *Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrij dupliciter, scilicet in agendo & suscipiendo; in agendo quidem, quia non potest semper facere quod oportet, nec vitare quod nocet. In suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter, scilicet quantum ad discretionem judicij, inter bonum & malum, & quantum ad deliberationem consilij, inter expediens, & inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter, scilicet in ordine, & in modo, quia nec semper est ordinatus, nec semper moderatus.*

Peccatum induxit rebellionem inter rationem & sensualitatē. Sensualitas prævaluit contra naturæ leges. Depravatio potentiæ irascibilis. S. Bonav. comp. Theol. verit. l. 3. c. 7.

3. Dionysius Carthusianus in Opusculo *de enormitate peccati*, de culpa mortali ita scribit: *Maculat animam, quæ maculatio gratuitorum spoliationem concomitatur, est que amissio spiritualis pulchritudinis, & nitoris; nam sicut in corporalibus macula est perditio propriæ pulchritudinis ac nitoris; ex contactu alicujus immundi, ita in spiritualibus, ponitur macula pro amissione spiritualis nitoris. Anima autem duplicem sortitur nitorem; unus est luminis naturalis, seu rationis; Alius est divinæ illuminationis per gratiam. Porro dum anima inferioribus, terrenis, atque carnalibus rebus inhæret, agit utique contra lumen naturalis rationis; & gratiam divinæ illustrationis, sicque spiritualis nitor, quantum ad lumen naturale, minoratur, & offuscatur, sed quoad lumen gratiæ omnino auferter.* Author quidam modernus variorum præjudiciorum, quæ anima à peccato patitur, contexit congeriem, inquiens: *Destruit in homine gratiam, charitatem, & virtutes supernaturales, solam fidem, & spem ei relinquit, sed informes & mortuas, velut muros subruta domō: Privat Spiritu sancto inhabitante, & jure cœlestis hæreditatis; extinguitur subito vita ejus cœlestis, & pulchritudo supernaturalis, quæ Angelis sanctis, & Deo similis erat, & fit ex Dei templo spelunca latronum, ex aula Regis stabulum peccatorum, ex filio Dei hostis, ex cæli hæredereas Gehennæ.*

Dion. Carth. Opusc. de enormit. pecc. art. 18. Per maculam corporalem figuratur spiritualis. Varia à peccato anima patitur præjudicia.

4. Est certum quoddam genus fulminis; quod aurum sacculo inclusum absorbet, & consumit, sacculo exterius remanente, sicut prius erat sine ullo læsionis vestigio. Idem quoque per culpam mortalem accidit animæ, hæc enim insensibiliter thesaurum divinæ gratiæ, animæ Christiani eripit; ipsa anima in oculis nostris manente, sicut prius erat, adeo ut licet peccator ad ignem condemnatus sit immortalem, & extra gratiam Dei positus, potestati Dæmonis sit traditus, nihilominus sæpè post exsatiatos appetitus suos lætior & jucundior erit quam umquam alias fuerit. S. Bonaventura damnum quoddam insinuat peccati notatu dignissimum, scilicet quod *ad resistendum tentationibus debilitat.* Estne aliquis vestrum, qui facerdotem brachio sæculari extradendum ab Episcopo degradari conspexit? certe spectaculo hoc nullū dari potest funestius; aut lachrymabilius, quia eidem indumentis sacerdotalibus amicto, & calicem in manibus portanti, hic ab Episcopo è manibus illius tollitur, ornamentis quoque

Efficacia peccati videtur in fulmine. S. Bonav. ib.

Degradatio criminosi explicatur & peccato applicatur.

& vestibus sacerdotalibus sigillatim exuitur; idque verbis improperiorum indignitatis suæ expressivis, adhibitis, ac tandem justitiæ sæculari traditur; ut per sententiam criminalem mortis supplicio pro merito adjudicetur. Sed Eheu, quam est funestior, & compatibilior degradatio, qua anima ab æterno Pontifice Christo in conspectu totius curiæ cœlestis degradatur, dum opulentis despoliatur gratiarum, donorum, virtutum, & meritorum, omniumque aliorum bonorum operum ornamentis, ac tandem in manibus & potestate Dæmonum relinquitur; Quid mirum igitur, si eidem animæ, in potestate Dæmonis relictæ, vires amplius non suppetant, eidem Diabolo resistendi? Sanct. Bernardinus per Samsonem à Philisthæis incarceratum durisque vinculis innexum, peccatorem interpretatur; ita enim scribit:

S. Bern. t. 4. 1. part. princip.
Dalila est figura peccatoris.

Dalila significat sitim & desiderium mundanæ delectationis, & anima consentiendo sibi, alligatur; primo, desiderio cupiditatis; secundo, ligatur fune peccatorum; operando peccata numquam prius facta, deinde tonsis capillis, scilicet illuminatione mentis; & veritatis, quia capillus significat illuminationem clari intellectus; elevatur ab anima omnis cogitatio boni, & cogitatio veri; & tunc perdit vim; quia non potest resistere peccatis; excæcatur à Philisthæis, scilicet à Diabolis; quia non videt viam veritatis, & cadit in ignorantiam. Beda super illa verba Psalm. 34. *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti*, ita ad propositum nostrum scribit:

Psal. 34. 5.
Beda ibid.

Pulvis terræ facile aufertur à vento; hic autem per ventum accipitur quicumque carnalis motus, & tentatio; vel suggestio Diabolica. Pulvis vero peccatores dicuntur, carentes humore affectionis, & misericordiæ, qui facile subruuntur à vento tentationis, & est dicere: Tales fiant, ut ad nullos motus pravos subsistant; sed omnibus cedant.

Judic. 3. 12.
Gloss. Interl. ibid.

5. Cum populus Hebræus per peccatum Idololatriæ fuisset prævaricatus, sacer textus de Deo justissimo judice ait: *Confortavit adversus eos Eglon.* Circa quæ verba Glossa Interlinearis inquit: *Vides quia peccata nostra vires hostibus præbent, & reddunt. Quando malum facimus, confortantur à Domino Adversarij nostri.* Origenes ly, *Confortavit*, notans, inquit:

Orig. hom. 3. ibid.
Peccata nostra præbent vires hostibus nostris.

Sacrum textum hoc loquendi modo dicere voluisse, hostes Hebræorum insufficientes futuros fuisse ad prævalendum contra populum suum; nisi ipsemet Deus ad illum castigandum huic Regi cor & animum suggessisset. S. Ambrosius illa Psalmistæ verba considerans: *Domine Deus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, ita scribit:

Psal. 7. 4.
S. Ambr. ibid.

Illud metuendum est, ne quis innocentiæ velamen amittat, ac impij sacrilega persecutionis intentione justitiæ terminos prætergressi, vestimentum animæ ac mentis eripiant, quod non accidit, nisi prius aliquem vox suæ iniquitatis eruerit; Unde Psalmista ait:

Ps. 7. v. 4.

Si est iniquitas in manibus meis, decidam, &c. Nemo ergo ex inimicis potest animam tuam comprehendere, nisi prius inanis fuerit effecta. Mox vero ut anima exinanita est à gratia, præda inimici efficitur, assistentia & protectio Dei ab eo aufertur.

Psal. 1. 4.
Beda ibid.
Propter priora peccata Deus posteriora permittit.

6. Sciendum quoque est, quod Beda super prædictum versum scilicet: *Fiant tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*, scribens, aliud insinuet damnum, quod per peccati malitiam multis contingit; En verba ipsius: *Vel etiam, ut à quolibet vento hæreticæ doctrinæ facile subvertantur, vel circumferantur, & ad hoc sic eos coarctans, (id est, compellens, ut magis præcipitentur) Angelus Domini pravus, per quos etiam Dominus operatur, juxta illud: Facit Dominus immissionem per Angelos malos. Fiat quoque via, id est, tota præsens vita illorum, tenebræ, id est, ignorantia veritatis, & lubricum, id est, lapsus omnis carnalis concupiscentiæ, & ad hoc rursum sit eos persequens, id est, compellens Angelus Domini pravus*:

Act. Eccles. Mediol. f. 770
Vita peccaminosa est dispositio ad hæresin.

S. Carolus Borromæus post procuratas in visitationibus Vallis-Tellinæ hæreticorum Grisonum & Helvetorum conversiones, malorumque morum & conversationum extirpationes, tandem in Concilio secundo Provinciali in Concione quadam libere dixit, quod quisquis sine timore Dei male vivit, tandem ad hæresin amplectendam disponatur, hocque dicere voluisse Sanct. Paulum, quando Timotheum his verbis monuit:

1. Tim. 1. 19.

Et Bonam conscientiam quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. Unde enim tot veteres hæreses, quæ olim restinctæ in hæc tempora inciderunt, nisi ex depravatis, contaminatisque gentium moribus? Nos quoque in primo Tomo hujus Bibliothecæ, in Tractatu de vitio carnis, in discursu quinto late ostendimus Connexionem, quam inter se habent peccatum carnis & idololatriæ; & in sequenti discursu hoc idem peccatum originem, fomentum, & causam hæresin esse probavimus. Forsitan ad hoc quoque alludere voluit S. Bonaventura, quando præter multa in hoc & præcedenti discursu insinuata peccati damna inquit:

S. Bonav. ib.

Obscurat oculum cognitionis & hoc propter trabem, quæ intus erat & propter stercora hirundinum, quæ intus excæcaverant; ut patet in Tobia.

Catalogus malorũ peccati.

7. Enimvero si mala & damna peccati compendiose enumerare velimus, illa revera, & in substantia ad sequentia reducuntur capita. Ex peccato enim nascitur jactura amicitiæ, & gratiæ Dei, quæ pretiosissimus est totius cœli & terræ thesaurus; præterea privatio donorum, & virtutum infusarum à Spiritu sancto, juris item quod habemus ad supernam hæreditatem regni cœlestis, adoptionis & filiationis divinæ, protectionisque, & providentiæ paternæ, quam Deus circa justos gerit; quibus omnia cooperantur in bonum; Insuper peccatum à nobis tollit pacem & serenitatem bonæ conscientiæ, consolationes internas spirituales, quibus servi Dei etiam in summis adversitatibus abundare solent; spoliat nos quoque, ut in hujus Tractatus Discursu nono probavimus, omnibus meritis bonorum operum, quæ in decursu totius ætatis nostræ fecimus; insuper etiam participatione innumerorum bonorum, aliarum animarum justarum, qua cœteroquin gavisi fuissemus, tamquam membra unita corpori mystico Ecclesiæ, cujus caput est Christus; Unde David dicebat: *Particeps ego sum omnium timentium te.*

Ps. 118. 63.
Præter alia privat meritis bon. oper.

Adhuc peccator, quantum est ex parte sua, inutilem reddit, & conculcat sanguinem Salvatoris, infinitum scilicet redemptionis nostræ pretium, infructuosa efficit & inutilia omnia opera sua, quantumvis virtuosa, & bona, scilicet jejunia, Eleëmosynas, orationes, disciplinas aliaque opera similia, quia hæc si in peccato mortali fiant, Deo non sunt grata, ut in sequenti discursu ostendemus. Præterea unum peccatum alterius est pœna, dum enim unum peccatum super aliud accumulatur, longa quædam contexitur catena, qua tamquam servi & mancipia Dæmonis, ad infernum per totam æternitatem tolerandum raptamur.

Privat honesta indole.

Deinde peccatum contristat Deum, Angelos, & omnes cœli cives (si hi alicujus essent tristitiæ capaces.) Debilitat, & enervat in nobis inclinationem & promptitudinem illam, quam alias à natura & ratione haberemus, ad virtuose operandum. Excæcat quoque intellectum nostrum, vulneratque alias potentias, bestiisque nos similes efficit. Damnum infert non solum animæ, sed & corpori, ut suo loco probavimus, abbreviando vitam, & mortem accelerando; Verum enimvero id, quod inter omnia deplorabilius est, ex hoc tot ærumnarum inextricabili, & profundo barathro, numquam à nobismetipsis, resurgere valeremus, nisi Deus, etiamsi à nobis offensus, per summam & infinitam bonitatem suam manum nobis porrigeret. S. Antoninus proinde ait:

S. Antonin. p. 2. tit. 8. c. 8.
Peccatum est fovea.

Si liber homo ambulans per viam, juxta quam est fovea profundissima, projiceret se in eam, non est liber ad exeundum, nisi alterius adjutorio, ita & in foveam peccati, quod ad infernum ducit, liber est quilibet per se ad intrandum, sed non ad exeundum, nisi Deus porrigat ei manum gratiæ, quod agnoscens David Psalm. 143. dicebat: Emitte manum tuam de alto, libera me, & eripe me de aquis multis, scilicet vitiorum, quia scilicet per me non valeo. Abulensis super illa verba, quæ de debitore decem millium talentorum (per quem peccator denotabatur) dicuntur, scilicet:

Matt. 18. 25.
Abul. q. 136. in c. 18. Matt.

Cum non haberet unde redderet, ita scribit: *Non habet unde solvat, quia non habet, per quid se liberet, potest enim homo per seipsum cadere, sed nemo per seipsum potest à peccato resurgere, sed gratia indiget suscitante; sic dicit Remigius: sua sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet, & non habet, unde reddat, quia nihil per se, & in se invenit, per quod se à peccatis absolvat.* S. Anselmus super eumdem textum ita scribit:

S. Ansel. ibid.
Potest homo per seipsum peccare sed non per se resurgere.
S. August. in Psalm. 98.

Quia ex seipso habebat, unde in culpam caderet, sed ex seipso non habebat, unde ad veniam resurgeret. S. Augustinus quoque hanc habet considerationem inquiens: *Idoneus est homo ad vulnerandum se, numquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult, ægrotat, non quando vult, surgit. Ut jaceret ægrotus, intemperantiam suam habuit necessariam, ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam.*

Sic ergo, ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad peccandum; ut justificetur, non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur qui solus est justus. Idem sanctus Doctor alijs in locis de hoc puncto tractans inquit;

S. August. tom. 3. Enchirid. cap. 30.
S. August. lib. Retract. cap. 19.
Sola Dei gratia resurgere potest.

Non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest. In suo Enchiridio inquit: *Quid boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio male utens homo, & se perdidit; & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cum occiderit; ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato, amissum est, & liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* In alio quodam loco pariter ait:

S. August. t. 4. lib. 83. quæst. 68.

Imploret auxilium qui sic positus est, & noverit suum esse quod cecidit, non suum esse; quod surgit. Jam enim liberatus agnoscens gratiam liberatoris sui dicit: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: Clarus etenim est sequens Oseæ textus: *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.*

Osee 13. 9.

8. Possumus & alia adducere peccati in nos derivantia præjudicia, quæ S. Antoninus his verbis insinuat:

S. Antonin. p. 4. tit. 14. cap. 6.
Peccatum injuriam infert sanctis.
Eccli. 28. 11.

Peccatum sanctis injuriam infert, quia offendit Regem & Dominam; Qui enim offendit Dominum, offendit totam familiam suam quæ sunt sancti. Eccli. 28. *Vir peccator turbabit amicos, scilicet æterni Regis, vel quia à communione sanctorum se subtrahit, & societate militantis & triumphantis Ecclesiæ, quasi si excommunicatos eos judicaret; Vel quia se contrarium sanctis efficit, dum contrariæ potestati militat.* Luc. 11.

Luce 11. 23.

Qui non est mecum, contra me est. Vel quia quantum in se est, gloriam sanctorum & gaudium minuit, qui de ejus gloria gauderent, & in præsenti de bonis ejus exemplis jucundarentur. Unde B. Augustinus in lib. de pœnit. dicit: *Quod peccator debet de hoc dolere, quod multum boni contristati sunt de malis suis operibus.* Dionysius Carthusianus in eodem superius allegato articulo, alia à peccato provenientia damna commemorat, inquiens:

Dion. Carth. opusc. de enormit. pecc. art. 18.
Peccatum semper pluribus nocet.

Peccatum semper pluribus nocet: Primo ei, qui peccat; Secundo proximis & toti Ecclesiæ, quia interim proximus scandalizatur, & ipsa Ecclesiæ acies ad standum contra Diabolum quodammodo minoratur, ac infirmatur in eo; qui impie conversatur. Nocet in Purgatorio constitutis, quia non juvantur tam efficaciter ab injustis, sicut à bonis. Nocet damnatis, quia quo plures in Infernum descendunt, tanto est illic major horror, ululatus, ac cruciatus, siquidem ibi locum non habet; quod dicitur: Solatium est miseris, socios habere miseriæ. Nocet quodammodo beatis in patria, per modum subtractionis; quo etenim copiosior est numerus beatorum, eo præmium accidentale fit majus, ex societate felici, uno de felicitate alterius gloriante.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Omnia opera bona, quæ extra Dei gratiam constituti facimus, peccatum mortale ad æternam salutem consequendam inutilia efficit, nec tamen ob id ab illis est desistendum; ob multa alia bona, quæ bona opera secum afferunt.

THEMA.

Dona iniquorum non probat altissimus; nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis: Eccli. 34. ℣. 23.

Bonum opus in peccato mortali factum caret suo fructu.

1. DEus per Ecclesiasticum apertis verbis se declarat, quod oblationes & dona impiorum acceptare, neque illorum causa ijsdem propitiari aut parcere nolit, quia quantumvis opus aliquod in se perfectum sit & sanctum, si tamen anima facientis illud, est propter mortale peccatum extra Dei gratiam constituta, apud Deum non est meritorium, neque utile ad æternam salutem. Sapiens pariter in duobus Proverbiorum suorum locis hanc eamdem veritatem insinuat; Nam in cap. 21. ait:

Prov. 21. 27.
Prov. 15. 8.
Ibid. v. 9.

Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere; In capite 15. ejusdem libri similiter dixerat: *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia, Abominatio est Domino, via impij, qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.* Apud Isaiam cap. 1. Deus populum suum sacrificia sua & victimas in altaribus templi offerentem, interius vero cordis templum (*templum Dei quod estis vos*) innumerabilium scelerum sanguine contaminantem his verbis affatur:

Isa. 1. v. 11.
Ibid. v. 13.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 15.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?... Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, ... & hircorum nolui;... Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, ... iniqui sunt cœtus vestri, Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea... Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. At verò dicet quispiam; numquid omnes hi actus, in prædictis verbis recensiti, actus sunt Religionis erga cultum divinum? De hoc nullum est dubium, cur igitur Deus omnes illos actus non solum inutiles esse, sed & sibi displicere declarat? Ecce tibi hujus rationem:

Illius datur ratio quare.
Ibid. v. 15.
Ibid. v. 16.

Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt... Auferte malum cogitationum vestrarum, ...quiescite agere perverse.

2. Videmus quotidie per experientiam, quod non solum cadaver, verum etiam illa, quæ ab ipsis scaturiunt, omnibus sint abominabilia. Imaginemini igitur vobis, animam in peccato constitutam, esse velut cadaver quoddam [*anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*] opera vero, quæ ab anima reproba exercentur, opera mortua esse, sicut revera sunt dicente Abulense:

Ezech. 18. 4.
Abul. t. 7. in c. 35. Matth. quæst. 341.

Opera facta in mortali; sunt mortua, id est, tunc quando fiunt, non sunt meritoria vitæ æternæ; sed quod res non habuit in sua origine; si sit de substantialibus, numquam potest postea habere, cum ergo non fuerit, prædictum opus à principio meritorium, numquam poterit postea effici meritorium; atque ideo mirum non est, quod anima peccatrix, & quæ ab illa, dum in statu peccati est, fiunt opera, Deo sint abominabilia. S. Antoninus diu ante hoc idem punctum tetigerat, dum ait:

S. Antonin. p. 1. tit. 7. cap. 3.
Anima peccatrix est velut cadaver.
1. Cor. 13. 3.

Quia charitas est radix merendi, secundum S. Thomam in 4. Quodlibet autem mortale contrariatur charitati, ideo existens in mortali; nullo modo potest mereri; nec pro se, nec pro alio aliquod bonum gloriæ, seu gradum præmij æterni. Nec etiam reverso tali ad veram pœnitentiam illa bona reviviscunt ad præmium gloriæ; Unde Apostolus 1. ad Cor. 13. ait: *Si distribuero omnes facultates meas &c.* Porro magistri & directores spirituales ad hanc materiam melius explicandam sequenti uti solent aptissima similitudine.

Explicatur similitudine.

Esto enim; cibus aliquis sit delicatissimus, substantiosus; sanus; palato sapidus; & in paropside aurea bene conditus; si tamen postea stilla aliqua potentis & pestiferi veneni conspergatur; quis cibum illum non solum è faucibus suis evomeret, sed etiam eum, qui reliquus est, è mensa subito tolli juberet, imo & extra domum ejiceret? verum quidem est, quod sacrificia, communiones, orationes, jejunia, aliaque virtutis & perfectionis opera, velut pretiosæ quædam sint epulæ, quibus Salvator noster certo quodam modo libenter vescitur; (*Ego cibum habeo mandacare, quem vos nescitis.*) At vero si sub hoc spirituali cibo peccati mortalis toxicum absconditum fuerit, utique opus illud quantumvis sanctum à se abjiciet, & abominabitur: *Numquid enim gustari potest, quod gustatum mortem adfert?* Ut Job inquit.

Joa. 4. v. 32.
Job 6. v. 6.
Levit. 5. 11.

3. Deus in libro Levitici Moysi, quoad offerentes sacrificia, præcepit dicens: *Offeret pro peccato suo similæ partem, Ephi decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Porro, *omnia hæc in figura contingebant illis: numquid enim de bobus cura est Deo?* Quid intereat sapientiæ illi increatæ, ejusmodi ritus, & minutias pro oblationibus faciendis præscribere, nisi in illis latuisset aliquod mysterium, animabusque utile & salutare documentum?

1. Cor. 10. 11.
1. Cor 4. v. 9.
Ratio ob quã oleum similæ offerendæ nõ debebat misceri.
Ps. 44. v. 8.

Porro quod in hoc sacrificio pro peccato faciendo, exclusum fuerit oleum, hujus ratio facile intelligitur, quia cum per oleum denotetur lætitia; (*unxit te Deus tuus oleo lætitiæ,*) minime conveniebat oleum, quia quando de peccati expiatione agitur, compunctio potius, & planctus requiritur; At vero quamobrem etiam incensum, quod orationis est symbolum, ab oblatione facienda rejicitur? Oleaster nodum hunc solvit dicens:

Oleast. ibid.

Si enim per thus orationes intelligas; deprehendes quam ægre feret Dominus bona malis involuta. S. Hieronymus in Epistola quadam *ad Celantiam*, multorum reprehendit errorem, qui multa bona opera, cum conscientia & remorsu gravis peccati conjungunt, persuadentes sibi, illa quoque Deo placitura esse, seque inde habituros esse meritum salutis æternæ; Ita enim scribit:

S. Hieron. l. 2. Epist. 20. cir. fin.

Quid autem prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunij, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira, atque odio inebriari?

Gen.3.

4. Dæmon idem nobiscum facit, quod facere solet auceps, qui laqueos avibus tendit; hic enim nihil curat, quod avicula toto corpore extra rete volitet, dummodo per ungulam capta sit laqueo. Exemplum istud à S. Ephrem adducitur, dum ait: *Cum totum sit corpus extra laqueum totum, tamen retinetur per angulum*; eodem modo licet anima multa exerceat opera Christiana & virtuosa, videaturque sibi se libertate filiorum Dei gaudere, sæpe tamen Dæmon, quod in corde operantis lateat culpa mortalis. V. G. affectus vel desiderium aliquod impurum delibeate conceptum, & hoc ei sufficit, ut ei in prædam cedat. Unde S. Jacobus ait: *Qui totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* Esto enim quod aliquis novem præcepta Decalogi accuratissime observet, multa quoque opera misericordiæ corporalia & spiritualia exerceat, si tamen vel solo corde, vel sola voluntate unius præcepti sit transgressor, est quasi omnium reus. Goliath, qui instar Chalybei montis alicujus aut ferrei, ex omni corporis parte, præterquam in fronte, armatus, validèque munitus erat, is inquam in eadem fronte lapillo per fundam à Davide impacto, vulneratus, in terram cecidit mortuus, hanc similitudinem adducit author operis imperfecti inquiens: *Si miles aliquis ex omni parte bene sit munitus, si tamen ex una fuerit nudus, & in ea parte lethaliter fuerit saucius; sic cadit, quemadmodum totus fuerit nudus; sic & Christianus, si justitiam fecerit, & in uno peccaverit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset.* Etsi omnes muri, & fortalitia civitatis alicujus bene fuerint fortificata, sufficientiæque præsidiariorum militum numero munita, si tamen vel minima fuerit apertura subterranea, per quam occulte penetrare possit inimicus, hæc unica sufficit, ut omnes diligentiæ, omniaque defensorum præsidia inutilia reddantur. Faciat anima Christiana ad evidendas inimici infernalis insidias, quidquid poterit, per jejunia, cilicia, disciplinas, orationes, Eleëmosynas, aliaque Christianarum virtutum exercitia, hæc tamen omnia nihil juvabunt, si intra animam peccatum mortale lateat, hoc enim ad illam diripiendam, atque ab omni merito spoliandam, cunctaque opera bona infructuosa reddenda abunde sufficit. Advertenda quoque hic est doctrina quædam S. Antonini dicentis: *Genus principale spiritualium bonorum sunt virtutes, & dona*; Psalm. 37. *Dereliquit me virtus mea, scilicet, quam habebam, & secundum Magistrum in 3. sententiarum, virtutes omnes sunt connexæ, ita quod una sine altera haberi non potest, cum quis committit aliquod mortale, illud directè aportet, quod contrarietur alicui virtuti, & per consequens ut suum contrarium eam expellit, & cum illa omnes aliæ ab anima recedant.* Paulo post vero ostendit incompatibilitatem, quam gratia & virtutes cum peccato habent, subdit enim: *Dona spiritus in peccatore reperiri non possunt, nam sapientia per insipientiam dejicitur, ut divina non gustet, intellectus per hebetudinem obscuratur. Consilium per præcipitationem perit, ut sine examinatione cuncta faciat; Fortitudo per pusillanimitatem & impatientiam prosternitur: scientia per ignorantiam concedatur, non sufficienter discernens verum à falso, circa mores & fidem; Pietas, quæ est Dei cultus, vel proximo subveniens, ab impietate dejicitur; & timor per superbiam absorbetur.*

Ecclesia assimilatur corpori humano.

Ps.118.63.

Goliath in fola fronte armatus non erat, ideo perijt.

Antonin. hom.31.

Sufficit unica via patens ad expugnationē Civitatis.

S. Antonin. ibid.

Incompatibilitas peccati cum gratia.

5. Celebris est textus ille S. Pauli: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens... Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qui enim non est in gratia Dei, vel qui non amat Deum, sed mortaliter illum offendit, quidquid boni talis in se habuerit, Deo placere non poterit, quia Deus primo omnium loco vult amorem, & cor nostrum: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Cain omnium primus fuit, qui actus religionis & cultus erga Deum exercuit; Ait enim sacer textus: *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui... & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.* Porro sacer textus causam non exprimit, ob quam Deus hoc devotionis tributum à Cain præstitum gratum non habuerit, sicut gratum habuit, quod Abel ob-

2 Cor.13. 2.

Ibid. v.3.

Causa cur Deus respexerit ad munera Abel & non Cain.

Prov.23.26.

Gen 4. v.3.
Ibid v.4.
Ibid. v.5.

tulit, hanc vero causam S. Gregorius manifestavit dicens: *Ivam judicis placare nescit oblatio, nisi ea munditia placeat offerentis, unde scriptum est: Ad Cain, & ad munera ejus non respexit.* S. Bonaventura in *compendio verit. Theol.* de damnis peccati mortalis differens inquit: *Bona, quæ fiunt, infructuosa reddit, & quantum ad meritum, & quantum ad præmium, sicut ramus præcisus ab arbore, non profert fructum, sed arescit, & habilitatur ad incendium.* Enimvero quando radix arboris est vitiata, omnes fructus, ad quos vitiatum humorem suum transfundit, infecti redduntur & perditi. Necessarium proinde est, hoc statuere fundamentum, quod scilicet nullum opus Deo acceptum sit, nisi sibi impressum habeat divinæ gratiæ & amoris sui signaculum; *non quod simus sufficientes, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; qui autem in peccato mortali est constitutus, gratia, amicitia, & amore Dei est privatus, ac proinde operetur bene moraliter quantum potest, non tamen per hoc merebitur, aut gratus erit apud Deum. In vitis Patrum refert Abbas Daniel de S. Arsenio, hunc audivisse hanc visionem factam in eremo seniori cuidam Eremitæ, quamvis ille visionem hanc Arsenio factam fuisse credat; Ita igitur S. Arsenius referebat: *Sedebat quidam de senioribus Monachis in cellula sua; & subito venit ad eum vox dicens: Egredere foras, & ostendam tibi opera hominum, & surrexit, & egressus est foras, dixit autem eum, & ostendit ei æthiopem nigrum, cum securi cadentem ligna, & facientem grandem sarcinam, & tentabat sublevare sarcinam illam, & non poterat præ magnitudine portare eam, sed redibat, & cadebat iterum alia ligna, & addebat super sarcinam illam. Iterum autem ostendit ei alterum hominem stantem super lacum, & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, & de alia parte defluebat aqua de fubter in eodem loco. Quid vero hæc visio significavit, declarat idem Arsenius dicens: Ille, qui aquam de lacu hauriebat, homo est, qui aliqua bona operatur, sed quia mala etiam amplius per peccata operatur, ea ideo pereunt, & delentur etiam opera bona, quæ facit.* Quibus proinde illa Psalmistæ verba accommodari possunt: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit, de quo non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.* Rupertus Abbas in capite quodam de sententia Prophetica, qua dictum est: *Si tulerit carnem sanctificatam in oram vestimenti sui, numquid sanctificabitur?* Ita scribit: *huic sensui illud nequaquam contrarium videri debet, quod in Aggæo Propheta, cum interrogasset ex ore Domini sacerdotes dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in oram vestimenti sui, & tetigerit de summitate ejus panem, aut fundamentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerant. Non, &c.* Tandem vero Rupertus Abbas in hæc verba concludit: *Itaque & nos alludentes dicimus, si signaculo crucis frontem aut pectus suum signaverit impius, numquid hoc signo Diabolus de illo effugabitur? Non utique, sed arctius inducetur, imo & ipsa ejus anima nihilominus erit Diabolo, juxta Scripturam dicentem: Cum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam.*

S. Greg. l. 32. moral. c. 12.

S. Bonav. t. 2. l. 3. c. 7. comp. Theol

Peccatum est gangræna.

2. Cor. 3. 5.

Visio cujusdam Eremitæ.

Vit. Patr. l. 5. num. 38.

6. Consideranda porro est differentia, quæ est inter animas in gratia constitutas, & alias, quæ Dei sunt inimicæ, illis enim omne minimum bonum in gradu eminenti imputatur ad meritum, licet sit unicum tantum suspirium, unica lacrymula, vel unicus actus charitatis vel compassionis: *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ, . . . non perdet mercedem suam*; econtra vero si peccator omnia bona opera, quæ fiunt in mundo, faciat, hæc tamen omnia nihil valebunt ad promerendum gloriam & & æternam salutem. *Quæcumque quis faciat*, inquit S. Antoninus, *jejunia, Eleëmosynas, martyria sustineat, non placent Deo si sint cum mortali*; Eccli. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Idem S. Archipræsul de participatione bonorum differens, qua gaudent justi, impij vero privantur, ex Angelico Doctore & alijs hanc adfert similitudinem inquiens: *Ecclesiam assimilant corpori humano quam similitudinem notavit Apostolus ad Rom. 12. dicens: Omnes, scilicet fideles, sumus unum corpus in Christo, videmus enim quod in corpore humano ex cibo assumpto omnia membra recipiunt nutrimentum & robur, nisi sint præcisa vel aruerint, ut manus arida, vel pes. A simili: Ex omnibus operibus bonis,*

Differentia inter animam sanctam & injustam.

Matth. 10. v. 42.

S. Antonin. p. 4. t. 14. cap. 6.

Eccli. 34. 23.

S. Antonin. p. 1. t. 7. c. 2.

bonis, quæ fiunt à bonis, quilibet verus fidelis recipit participationem, & fortificationem, nisi sit membrum præcisum, scilicet per sententiam excommunicationis vel aridum quod evenit per privationem vivacitatis gratiæ, id est, per mortale. Hoc intelligens Psalmista orabat: Particeps sum ego omnium timentium te. His suffragijs privatus peccator, non mirum si diabolus habet majorem potestatem super eum, ad nocendum spiritualiter, & temporaliter, quam super alios. Idem Antoninus aliam adducit similitudinem corporis mortui, per quam ostendit, qualiter is, qui peccato mortali est obnoxius, inhabilis sit ad operandum meritorie, vel ut ab alijs juvari possit; Ita enim scribit: *Sciendum, quod sicut corpus mortuum non potest aliquem juvare, nec ab aliquo juvari, ita mortuus per peccatum in anima, non est capax operis boni, quod sit pro eo, in quantum est ipsum satisfactivum; nec per se satisfacere potest per opera quantumcumque pœnalia, ut jejunia, peregrinationes, & Eleëmosynas, & hujusmodi; Peccator enim inimicus Dei constituitur propter offensam commissam. Durante ergo inimicitia, non acceptat Deus aliquam satisfactionem, cum deficiat amicitia, qua acceptatur.* Author operis imperfecti rationem adfignat, quare damnatus aliquis per omnem æternitatem divinæ justitiæ satisfacere nequeat, quantumlibet atrocia patiatur supplicia; Exponens enim verba illa: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem*, egregie advertit, quod non dicatur in tempore præterito: *Qui operati estis*, sed *qui operamini iniquitatem: ideo* inquit *non dicit illis: Discedite à me, qui operati estis iniquitatem, sed qui operamini, quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.* Eodem quoque modo dicere possumus, quod licet peccator in statu peccati mortalis multa bona opera faciat, illa tamen ad consequendam gloriam nihil conducant, quia peccandi propositum tenet; neque enim suum revocavit peccatum, nec illud est detestatus, sed etiamnum Dei inimicus manet. Valde considerabilis est sequens S. Bernardini doctrina dicentis: *Patet, quod quicunque mortaliter peccat, totam summam debitorum Deo in futurum servitiorum, quantum in se est, aufert illi. Dum enim Dei gratiam in se extinguit, si habet, aut à se magis elongat, si non habet, impotentem proculdubio se efficit, aut magis impotentem ad reddendum Deo debita servitia, facit. Servitia quippe quæ Dei gratia grata non efficit, servitia putanda non sunt. Manifestum est omnem, qui mortaliter peccat, quantum in se est, in infinitum Deum damnificare, & infinitam rapinam in ipsum committere, ex quo sequitur evidenter, ipsum infinitam pœnam meruisse, quia Deum debito servitio absque fine defraudat. Si quemadmodum quis in aliqua domo haberet perpetuum censum, qui illam irreparabiliter destrueret domum, non solum unius anni census, sed infinitorum annorum census eidem auferet, sic & qui seipsum irreparabiliter destruit, non unius diei servitium solum sibi aufert, sed totius futuræ perpetuitatis innumerabilia infinitaque servitia; Non enim sola præsentis temporis servitia Deo debentur, sed etiam futura, quo tanto præstantiora sunt præsentibus, quantum gratiam gloria antecellit.*

Peccator assimilatur corpori mortuo.

Matth. 7. 23.

Auth. oper. imperf. hom. 29.

Quare peccator, per æternas pœnas non satisfaciet justitiæ Divinæ.

S. Bern. t. 2. ser. 12. art. 1. cap. 4.

Opera mortua non sunt omninò inutilia.

B. Laur. Just. l. de Spirit. anim. interit.

De hoc similitudo.

7. Verumenimvero ut ad propositum nostrum revertamur; tametsi bona opera in statu peccati mortalis facta mortua sint, & sine merito vitæ æternæ, non tamen ob id à virtuosis operibus desistendum est, cujus, si placet, auscultate rationes. Aurifaber aliquis fabricabit aliquando vas aliquod argenteum, quia vero idipsum ad votum ei non successit, sed præter opinionem multis obnoxium est defectibus, idipsum destruit, & resolvit, ita tamen, ut non perdat materiam, sed solam facturam; verum quidem est, quod per opera bona extra Dei gratiam facta, non acquiratur meritum gloriæ, verumtamen sæpe divina movebitur misericordia ad conferendum ei in præmium talium operum alia bona, V. G. dilationem supplicij quod peccatis nostris meruimus; removebit inimicorum infernalium & mortis impetum, quæ alias tamen vitæ nostræ subito detruncatura esset. B. Laurentius Justin. *de spirituali animæ interitu*, ita scribit; *Ex sola charitate singulorum merita causantur, suffragantur tamen, sed non ad æternæ vitæ meritum; cætera bona opera sine charitate, & non bene consummata valent ad mitigandam pœnam, quæ juste ex omissione & præcepti transgressione debetur, si non fierent; præstant temporalia bona, honores videlicet, divitiæ; incolumitatem corporis, longævitatem vitæ, terrenam felicitatem, propagationem filiorum, successusque prosperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad exteriora labi. Assuefaciunt ad bene operandum, delectant mentem, restringunt fomitem, arcent peccati fluxum, atque ad susceptionem gratiæ gratum facientis habilitant cor. Exigua verò universa sunt hæc in comparatione retributionis æternæ.* Gerson Cancellarius Parisiensis quoque ait: *Hæc interim, scilicet dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut Deus illustret cor tuum, nam bonum opus de genere, & morale etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam, quoniam propter tale opus disponitur homo ad opera virtutum, & ad facilius resurgendum trahitur.* Cornelius Centurio licet adoraret idola, attamen quia liberalis erat in faciendis Eleëmosynis, alijsque operibus charitatis, Deus illum vera fide illuminavit, misitque illi Petrum, qui ipsum cum omni sua familia ad veram fidem revocaret. Alius quoque Centurio Capharnaita, qui Synagogam Judæis ædificaverat, dum etiamnum Gentilis esset, charitativus erga servum suum infirmum existens pariter à Salvatore illuminatus fuit, ab eoque insigne hoc laudis præconium audire meruit: *Non inveni tantam fidem in Israël.*

Eorum utilitates.

Gerson. t. 2. in preleg. regul. moral.

Probantur in Cornelio Centurione.

Matth. 8. 10.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Peccatores, dum suis satisfaciunt appetitibus, se pariter laborare, & fatigari sentiunt.

THEMA.

Labor in medio ejus, & injustitia. Psalm. 54. *v.* 12.

1. REgius Propheta amaritudinem, & angustiam internam impij alicujus; vivacius exprimere non potuisset, quàm dicendo: *Labor in medio ejus.* Per hoc enim medium cor intelligitur, quod refidet in medio corporis humani; In hoc igitur laboratur, quando iniquitas committitur; Unde Jeremias ait: *Ut iniquè agerent, laboraverunt*; Porro natura gratiæ non opponitur, sed in omnibus dictamina sequitur rationis; Et ideò ut homo suum offendat creatorem, necessium est, ut naturæ quasi vim & violentiam inferat, malæque conscientiæ sentiat remorsum, & synderesis tormentum; falsi sunt idipsum ipsimet impij in libro Sapientiæ, dicentes: *Ambalavimus vias difficiles*; at verò quænam causa erat difficultatis viarum illarum? Nimirum, quia *viam Domini ignoravimus.* Porrò quænam sint hæ viæ difficiles, Hugo Cardinalis declarat, inquiens: *Esse vias peccatorum, quæ ducunt ad infernum.* At verò paulò post hanc movet difficultatem, interrogans: *Quomodo dicuntur viæ difficiles, cùm dicat Poëta: Facilis descensus averni. Et Dominus Matthæi septimo: Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Respondetque: *Via inferni facilis est in superficie, quia floribus divitiarum est cooperta, & hoc tantùm in principio, sed postea ulterius procedentibus est magis difficilis; in fine difficillima & amarissima; quia tunc deficiunt flores, quibus tecta erat in principio. Quod satis evidenter ostendit mulier vaga*, Proverb. 7. dicens Juveni vecordi: *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, aloë, & cinnamomo. Dicitur enim via infernalis difficilis, quia tenebrosa*; Unde Proverb. 4. *Via impiorum tenebrosa, nescitunt, ubi corruant. Via peccantium complanata est lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ, & propter hoc dicit Psalmista: Contritio & infelicitas in viis eorum*; Et Eccle. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere*, Et Jeremiæ nono: *Ut iniquè agerent, laboraverunt.* Hactenus Hugo Cardinalis. Verumtamè mea sententia verissimè affirmari posse censeo, quòd scilicet impij, eò ipsò, quo appetitibus suis indulgent, laborent, sudent, & fatigentur. Unde Dionysius Carthusianus inquit: *O quam difficiles ac molestas vias, occupationes, labores, incidant ambitiosi, & lubrici, quot resistentias patiantur, quoties cassatur eorum conatus, & frustratur sine intentò! Quam malè è regione contra eos meedent, à quibus multoties opprimuntur, ita quod veriè in libro Job dictum est: Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.* Sanctus Gregorius Nazianzenus à Cornelio à Lapide citatus inquit: *Considera, an avaro si*

Impij labor in medio ejus.

Jer. 9. v. 5.

Sap. 5. v. 7.

Hug. Card.

Matth. 7. 13.

Via inferni est facilis in principio, difficillima in fine.

Prov. 4. 19.

Eccli. 21. 11.

Psal. 13. v. 3.

Eccle. 10. 15.

Jerem. 9. 5.

Dion. Carth. ibid.

Difficultates in via peccatorum.

Job 6. v. 18.

Nazianz. tr. de Vit. Itiner.

sit difficile maria & terras obire, ut opes congreget? Guloso ventrem infarcire, ut capite doleat; Stomacho nauseet, membris torpeat, febribus æstuet, crapula, milleque morbis crucietur? Luxurioso Veneri vacare, ut luem Veneream, sordes, vomicas, & carcinomata patiatur? Superbo, irato, invido, ut mille animi æstibus, timoribus, doloribus agitetur, dum se despici, æmulum suspici, sibique anteferri videt?

Matt. 11, 28
Auth. imperf. homil. 24.

2. Author operis imperfecti examinans verba illa Salvatoris: *Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis*; interrogat, quinam illi sint, qui se oneratos & aggravatos esse censent; *qui sunt, qui laborant? Qui legis justitiam operantur*; Vult igitur Christus insinuare observantiam divinæ legis, sensualitati videri laboriosam & onerosam. Verumtamen in progressu Homiliæ inquit: *Christianos peccatorum pondere prægravatos ad requiem pœnitentiæ vocat. Putas, quod peccatores istius mundi non laborant? Verè enim majores labores & solicitudines habent, quam servi Dei.* Et paulò post rationem reddit, cur nonnumquam nec sentiant, nec affligantur, propter laborem, quem in sua dissolutione & prævaricatione experiuntur. *Ergo laborant multum*, inquit, *& conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt, spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus, sic & qui jugum suscipiunt Diaboli, Diabolus eos delectat, & decipit, ne discedant à malo impij, usque ad mortem suam.* Nec tamen ideò etiam in ipsa adimpletione turpium appetituum suorum, labores, molestias & difficultates experiri non desinunt. Unde interpres quidam super illa verba Jeremiæ: *Ut inique agerent, laboraverunt*, ita scribit: *In scelerum patrandorum studium ita operam, ingeniumque suum contulerant universum, ut nec magnis, quæ propterea subeundæ essent, pepercerint molestijs, vel animi, & corporis ægritudinibus; imo vel etiam lassi & defatigati, in eo ipso durius perstiterint.* Enimverò licet textus ille Ecclesiastis cap. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere*, varias variorum patiatur interpretationes, illa tamen, quæ huic proposito in sensu morali quam maximè deservit, est illa, quam S. Gregorius Taumathurgus adducit, hic enim per hanc urbem Jerosolymam, cœlestem intelligit, de qua Psalmista ait; *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas*; & iterum: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*: De qua etiam Apostolus ait: *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*; id est, Jerosolymam cœlestem. Qui igitur ad hanc urbem ambulare nescit, qui ab hac semita deviat, molestos experietur labores & fatigationes, quia via peccati molesta est, & laboriosa. Observastisne aliquando, quo titulo Psalmista peccatum indigitet? Nimirum appellat illud *puteum*, dicens: *Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Job pariter iniquitatem per aquam designat, inquiens: *Bibit quasi aquam iniquitatem*; Ad fontem cum facilitate immediatè accedis, si aquam inde bibere cupis, non verò item ad puteum; qui enim ex puteo aquam haurire vult, necessum est, ut fatigetur, & laboret; requiritur enim situla, & funis, eritque pondus, quod sursum trahitur, tanto majus, quanto profundior est puteus. Samaritana illa Evangelica de puteo illo, ad quem pro haurienda aqua accesserat, Christo dixit: *Puteus altus est*, & quidem meritò hoc dixit, quia licet tot annis in continuo concubinatu vixisset, nihilominus ad eam redacta fuerat miseriam, ut necessum ei fuerit, hydriam fictilem in meridie, in ardentissimis Solis ardoribus, foras extra civitatem in propria persona in capite portare, ut ex tam alto & tam profundo puteo aquas laboriosè haurire posset. S. Bernardinus ait: *Puteus profunditas est concupiscentiæ, superbiæ, luxuriæ, avaritiæ, gulæ, iræ, & acediæ.* In Apocalypsi capite nono dicitur: *Et exivit fumus de puteo abyssi*; scilicet, superbiæ, luxuriæ; avaritiæ. Beda per profunditatem & altitudinem hujus putei, labores & molestias intelligit impiorum, quas subire coguntur, donec appetitus suos bestiales adimpleant & assequantur; Ait enim: *Ergo nunc puteus mundi hujus terrenum laborem & errorem tenebrosa profunditate significat.* Audite verò, quænam fuerit differentia aquæ illius; quam Christus illi obtulit & dedit, non ex puteo, sed ex fonte aquæ vivæ; Ait enim Salvator: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum*, scilicet qui bibit ex aqua putei illius, *aqua in puteo voluptas est*, inquit S. Augustinus, *cum pervenerit quisque ad voluptatem sæculi hujus, numquid non iterum sitiet?* De aqua autem fontis aquæ vivæ subjungit Christus: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Unde Samaritana oblata ei hac aqua, tota hilaris dixit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire*; quasi cum hactenus sub ponderoso voluptatum carnalium jugo laborasset, & fatigata fuisset, intenderet in sensu spirituali ab hoc puteo se subducere; ut nonnihil respirare posset; id quod notans Albertus Magnus hoc in loco ait: *Scivit hæc mulier, & experta fuerat, quod cupiditas facultatum, concupiscentia deliciarum, & ambitio honorum, numquam satiantur, sed semper cum labore hauriri oportet.* Unde S. Thomas de Villa Nova de hac Samaritana loquens, in sequentes prorupit affectuosas exclamationes: *O anima misera & fatua, quid anxiaris? Quid fatigaris?* & reflectens se ad illa Dei verba, in Threnis Jeremiæ expressa, scilicet: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*; in hæc verba subjungit: *Aquam mundissimam, limpidissimam, clarissimam, dulcissimam, saluberrimam fontis vitæ, gratis oblatam neglexerunt, & cum magno labore foderunt sibi cisternas perforatas, ut bibant ex eis aquam turbidam, fœtidam, mortiferam, venenatam. Verè cisterna dissipata honor, cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas mundialis.*

Quare peccatores ad tempus non sentiunt difficultates in peccatis.
Jerem. 9. 5. Mich. Christier.
Non tamen desinunt omninò non sentire difficultates suas.
Eccle. 10. 15.
Ps. 121. v. 3.
Ps. 86. v. 3.
Hebr. 12. 14.
Ps. 68. v. 16.
Job 15. 16.
Quare peccatum vocetur puteus.
Joa. 4. v. 11.
S. Bernard. t. 4. ser. 24.
Puteus est profunditas omniū peccatorum.
Beda in Joan.
Joan. 4. 13.
S. Aug. tr. 15. in Joan.
Joan. 4. 14.
Ibid. v. 15.
Differentia aquarum putei & fontis vivi.
Alb. Magn.
S. Thom. de Vill. serm. in fer. 6. post Dom. 3. Quadr.
Jerem. 2. 13.

3. In capite decimo quinto S. Lucæ inter alias parabolas, quas Incarnata Sapientia composuit, ad insinuandam reductionem animæ peccatricis ad veram pœnitentiam, una quoque fuit illa, in qua illius Pastoris fit mentio, qui ovem unicam ex centum ovibus deperditam, & inter prærupta montium deserti oberrantem, summo cum labore inquisivit. Porro Albertus Magnus dicit, quod ovis illius *perditio sit per peccatum*; Abivit igitur Christus hanc ovem investigans, *cum Judaicis laceratus est vepribus*; vel secundum sensum litteralem, quem Cajetanus exponit, *adventus ad quærendam ovem perditam incarnatio est Filij Dei.* Enimvero unica in hac parabola mihi occurrit difficultas, consideratione haud indigna, scilicet, quod hic pastor oviculam inventam humeris suis imposuerit; Ait enim sacer textus: *Et cùm invenerit, eam imponit in humeros suos.* Porro quod ligna, frumentum, vinum, vel aliæ similes sarcinæ humeris imponantur, quotidie videmus, non verò quod animalia viva portentur in humeris, hæc enim proprijs pedibus progredi & ambulare possunt, quo igitur fine portarentur in humeris, & tamen non sine mysterio sacer textus ait: *Imponit in humeros suos.* S. Ambrosius cœlestem Magistrum per hoc illis, quibus regimen incumbit animarum, salutare quoddam tradere voluisse documentum, dicit scilicet: *Quod qui studet, humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere & quoddammodo pensare humeris; non abjicere, nam pastor ille Evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse.* Glossa aliam quamdam tradit rationem mysticam, inquiens: *Ovem in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit; Unde humeri Christi, crucis brachia sunt, illic peccata nostra deposuit, in illa nobili patibuli cervice requiescit.* Tertullianus præ cunctis alijs aptius ad propositum nostrum considerat, quod in illa ove, quamdiu perdita erat, & à grege suo devians per sylvarum opaca, per prærupta montium oberrabat, impius peccator designatus fuerit, quem divina misericordia solicite requirit, ut ad pœnitentiam eumdem inducat; quia igitur peccatores apud Sapientem lamentantur dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles*, ideo tamquam lassi & defatigati, super humeros pastoris cœlestis ut portentur, quam maxime indigent.

Luc. 15.
Alb. Magn. ibid.
S. August. in Psalm. 128.
Cajetan.
Quare pastor cùm invenerit ovē perditam, imponat in humeros suos.
Luca 15. 5.
Prima illius ratio.
S. Ambr. c. 13. de pœn.
Gloss. ibid.
Secunda.
Tertull. de pœnit. c. 8.
Tertia.
Sap. 5. v. 7.

4. S. Thomas de Aquino super illa verba: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*; onere scilicet peccatorum, inquirit: *Et quid habebimus, si veniemus ad te? Tollite jugum meum super vos &c. Sed quid hoc est? Tu dicis, quia vis nos reficere, & à nobis auferre laborem: & statim præcipis ferre jugum? nos credebamus esse sine jugo. Dico quod verum est; vos futuros esse sine jugo, sed sine jugo peccati*, cœterum vero portabitis jugum Christi. Etenim

Matt. 11. 28.
S. Thom.

hoc

Jugum simpliciter dicitur peccati.

hoc peccati jugum solum est, quod animam pariter & corpus aggravat, quodque labores & fatigationes intolerabiles subire cogit, non vero sic jugum observantiæ divinorum præceptorum, de quo infallibilis veritas attestatur: *Quod sub illo invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* S. Gregorius de hoc jugo ita discurrit: *Asperum jugum, & durum servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Deum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, postea pavore amissionis premunt.* Porro Christus eo fine ad suum nos jugum invitarat, ut à ponderoso & molesto peccati jugo nos subduceret, ut bene notat Chrysostomus, verba Christi hac paraphrasi illustrans: *Venite, qui in peccatis estis, non ut expetam noxas, sed ut solvam peccata; non dixit, salvabo solum, sed, quod multo amplius erat, reficiam vos, id est, in omni quiete vos constituam.* Hugo Cardinalis super prædicta Jeremiæ verba: *Ut inique agerent, laboraverunt*, ita scribit: *Id est, cum studio & labore iniqua peregerunt, in actione enim perversa est labor*; Unde Isaiæ 1. dicitur: *Quiescite agere perverse.*

S. Greg. in Caten. D. Thomæ.
Chrysost. Hom. 39. in Matth.
Hug. Card.
Isaiæ 1. 6.
Eccli. 21. v. 11.
Via peccantium saxosa est.

5. Ecclesiasticus ait: *Via peccantium complanata lapidibus*; quæ verba omnino videntur indicare contrarium illius, quod diximus, videtur enim Sapiens dicere velle, quod peccatores ambulent per vias pavimentatas, planas & faciles; verumtamen ad hoc responderi potest, quod viæ lapidibus pavimentatæ, & saxosæ, pariter duræ fuerint; ac proinde impij dicunt: *Ambulavimus vias difficiles*; Versio Syriaca ad propositum nostrum legit: *Sicut ascensus arenæ pedibus viri senis (alia lectio habet, duri, asperi) ita robur iniquorum juxta ignem, & semita impij, offendiculum est illi, quia finis ejus fovea profunda est.* Porro iniquitas apud Isaiam pariter laboris, & fatigationis nomine appellatur, siquidem ingrato illi populo improperare volens falsorum numinum erectionem, & cultum, inquit: *In multitudine viæ tuæ laborasti, non dixisti, quiescam*; Enimvero per experientiam videmus, quod unusquisque circa Idolum, quod proprio cordi præstituit ad adorandum, incessanter laboret. De avaritia inquit Apostolus: *Avaritia, quæ est simulacrorum servitus*, vultis autem videre, quantum circa hoc idolum laboret avarus? S. Ambrosius cupidorum laboribus compatiens inquit: *Elementa concutit, mare sulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat*; avari circumvagantur ventorum indiscretioni expositi, ab uno polo ad alterum à tempestatibus conquassati, in continuisque pyratarum, scopulorum, & arenarum periculis viventes, non plus à morte distant, quam ad crassitiem ligni, quod illos ab aquis dividit, quod sæpe digiti latitudinem non adæquat, idque solum hoc fine, ut merces suas distrahentes, pecunias sibi exinde congregent. S. Bernardinus divites, pecunias sibi accumulantes, suamque solicitudinem excusantes, dicendo: *Laboramus, ut quiescamus*, his verbis reprehendit: *Non est ita, ut dicis, quia hoc vitium semper cruciat in labore & ærumna: in vigilijs plurimis, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate, in mortibus frequenter, præter illa, quæ extrinsecus sunt instantia quotidiana, solicitudo possessionum, anxietas lucrorum, & cum his omnibus insatiabilitas terrenorum.* Idem S. Pater alibi ita scribit: *Consideret homo, quot labores & ærumnas tulerit in divitijs congregandis; præterquam quod ad conservandum male acquisita, sæpe necessum sit subjacere litibus & molestijs interessatorum, aliorumque se opponere violentijs.*

Sap. 5. 7.
Isa. 57. v. 10.
Colos. 3. v. 5.
Labores mercatoris avari.
S. Ambr. lib. de Cain. & Abel c. 5.
S. Bernard. t. 1. serm. 50. a. 1. c. 1.
Idem t. 3. serm. in Dom. 16. post Pent. a. 1. c. 1.

6. S. Bonaventura super illa Apocalypseos verba: *Qui dicis, quia dives sum; & locupletatus, & nullius egeo, nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; optime notat *hic quinque infortunia avari; Est enim miser, qui divitias cum labore acquirit; pauper, quia cum dolore perdit, cæcus, quia nihil aliud respicit; & nudus, quia nihil aliud bonum facit.* Verum enimvero si ab avaritia ad ambitionem transire volumus, quis est qui nesciat, aut non videat, quantum ambitiosus in honoris prætensi consecutione laboret? S. Thomas de Villa nova pulchre observat, quid duo illi germani fratres, Christo Domino interroganti: *Potestis bibere calicem, &c.* Libere respondentes: *Possumus*, dicere voluerint; Ait enim hoc idem fuisse, ac si dixissent: *Omnes labores, omnes sudores, tormenta, & mortem sustinebimus.* Tempore, quo S. Bernardus vixit, nullus fuit, qui majori cum animi contentione ambitionem Ecclesiasticorum detestatus fuerit, quam ipse, prout videri potest in libris, quos de consideratione conscriptos transmisit ad Eugenium Papam. Et quo putas titulo ambitionem insignivit? *Patibulum*, seu *Crucem* illam appellavit: *O ambitio ambientium Crux.* S. Stephanus Cantuariensis de falsis Baal Sacerdotibus disserens, ita loquitur: *Deus habet suam victimam, Diabolus suam; Qui enim macerant se, & labores sustinent, ut superiores efficiantur in hoc mundo, sunt hos interfectus à Prophetis Baal, qui superior interpretatur, incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Quanta sustinent? quot vilia subeunt servitia? quænam patiantur, ut ad Prælaturas, & dignitates sublimes, quas sectantur pertingere possint? *Labor in medio eorum, & injustitia.*

Apoc. 3. v. 17.
S. Bonav. t. 6 in diata salut. c. 6.
Quinque sunt infortunia avari.
Matth. 20. v. 22.
S. Thom. de Villa nova ser. de S. Jacob.
Labores ambitiosi.
3. Reg. 18. v. 23.
Steph. Cantuar.

8. Quod si de illis disserere velimus, qui carnis voluptates sectantur, quos hi non subeunt labores, ut perversos suos fines assequi valeant; Est hæc veritas adeo evidens, ut probatione, & argumentis eam convincentibus minime indigeat; Et verò ut de hac veritate magis certificentur, videantque quantas molestias & fastidia libenter subeant, ut ad momentaneas carnis voluptates pertingere possint, remitto Lectorem ad Tomum primum hujus Bibliothecæ prædicabilis, ibi namque *in Tractatu de carnis vitio*, materiam hanc per triginta quinque discursus fusissime discussimus.

Labores hominis carnalis remissivè.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Confirmatur idipsum, dum de peccato mortali, sub spinarum metaphora disseritur.

THEMA.

Maledicta terra, ... spinas, & tribulos germinabit tibi. Gen. 3. ℣. 17.

Mutatio terræ propter peccatum.

1. Ecce tibi, quæ terra post peccatum maledicta produxit infelicissima germina, spinas videlicet, & tribulos pungentes. Porro hujus nostri corporis terra, si in statu innocentiæ permansisset, ab omni utique remorsus & afflictionis punctura libera futura fuisset; Non verò item post culpæ maledictionem, ex quo enim caro adversus rationem rebellavit, Deus in pœnam peccati justè disposuit, ut in actuali appetituum suorum expletione acerbissimas experiatur puncturas. Doctrina est S. Augustini, dicentis: *Ex ira ipsius est, quod hic homo peregrinatur, quod laborat. Non ex ira ipsius, fratres mei; In sudore vultus tui & in labore edes panem tuum, & terra spinas & tribulos pariet tibi? Aut si est aliud vita nostra? Si poteris convertere ad aliquam voluptatem, ubi spinas non sentias? Elige, quod volueris; Esto avarus, luxuriosus, imo ut duo ista sola non dicamus, adde & tertium, ambitiosus. In honorum cupiditate quantæ spinæ? In luxuria libidinum quantæ spinæ? in ardore avaritiæ quantæ spinæ? Amores turpes quantas molestias habent? quantas solicitudines nunc in ista vita.* Considerastisne aliquando, quot modis protoparentes nostri pomi vetiti præmorsum luere debuerint? Nimirum propter hunc confusibilem passi sunt nuditatem, fugam, erubescentiam, propter hunc se ab oculis Domini absconderunt, Dei judicis examini subjecti fuerunt, & coram illo accusati, processati, convicti, condemnati, inæstimabili innocentiæ & justitiæ originalis paludamento spoliati, è paradiso pulsi, mortales declarati (*Pulvis es, & in pulverem reverteris*:) ad manducandum in sudore vultus panem sententiati fuerunt, & qui antea super omnia animalia habuerant dominium, non solum eo fuere privati, verùm etiam ijsdem subjecti, adeo ut nunc ab iisdem miserè lacerentur, & habeantur; O spinas! Tribulos pungentes, quibus protoparentes transfixi fuerunt, & posteri eorum usque modo transfiguntur! hæ spinæ à primo transgressionis momento in universa hujus nostræ depravatæ & vitiatæ naturæ terra, in pœnam supradictæ maledictionis progerminarunt; dicente Isaia Propheta: *Vepres, & spinæ erant in universa terra*, quia iniquitates ubique inundant.

S. August. in Psalm. 102.
Pœnæ peccati primorum parentum.
Isa. 7. v. 24.

2. Videmus quotidie per experientiam, quòd sub

spinis,

Lolium & spinæ sunt latibulum serpentum. — Did. Stell. in Luc. c. 8. — S. Paulin. Epist. 2. — Luc. 8. v. 7. — Dion. Carth. ibid.

spinis, lolijs, & tribulis, communiter scorpiones, bufones, serpentes, aliaque similia animalia venenosa delitescant, prout circa sepes videtur; Unde Didacus Stella: *Sicut spineta suapte natura latibulum omnium reptilium, venenatorumque omnium animalium confugium sunt, ita divitiæ vitiorum sunt receptaculum & sedes.* S. Paulinus, qui opulentissimo se exuit patrimonio, ut illud inter pauperes totaliter distribueret; hic, inquam, de cupiditate bonorum temporalium loquens, inquit: *Una est omnibus armata criminibus.* Dionysius Carthusianus illa verba: *Et aliud cecidit inter spinas*, sic interpretatur: *Hoc est, in corda passionata, ambitiosa, & vana, qui superfluis curis, inordinatis timoribus, mortiferisque tristitijs afficiuntur, punguntur, torquentur, dum ad temporales divitias, & caducos honores immoderatè aspirant. Perdere trepidant, habentibus invident, & perditis contristantur.* Nonnullorum quondam fuit opinio, terram ante peccatum inter omnes arbores & plantas suas, quas innumeræ fuerunt, nullam habuisse, quæ spinas aut tribulos produceret, sed hosce post peccatum dumtaxat, & post terræ maledictionem fuisse productos, id quod Basilius Magnus asserere videtur, dum in oratione quadam de peccato ita scribit: *Sic & rosa à principio sine spinis prodierat, sed post ad pulchritudinem floris vepres accessère, ut haberemus oblectationem summo cum dolore conjunctam, memores peccati, ob quod spinas & tribulos nobis terra producere jussa est.* At verò quodnam in eo est mysterium, quod terra solum propter peccatum spinas germinarit, certè non aliud, quàm ut per hoc insinuarentur nobis puncturæ, quibus à peccato affligendi, & perforandi eramus.

Ante peccatum terra non produxisset spinas, &c. — S. Basil. Mag. orat. 3. de pecc.

3. S. Thomas de Villa Nova in sermone quodam valde detestatur impiorum, & perditæ salutis hominum stultitiam, qui cùm in hac vita præsenti viam sibi ad cœlum sternere possint, per vias faciles, jucundas, & deliciosas potius eligunt per spinas & tribulos ad infernum procedere. Adducensque illa Psalmistæ verba: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet*, hanc illius assignat rationem: *Quia tanta bona tam stultè perdidit. Annon merito fremet, annon juste tabescet, qui cum posset per viam planam & deliciosam, floribus & rosis stratam ire ad cœlestem gloriam, elegit potius per spinas, & saxa tendere in gehennam?* At vero mirum est, quod S. Thomas Villanovanus idipsum asserat, scilicet quod impij per spinas & saxa in gehennam contendunt, cum tamen ipsimet dissoluti & mundani homines apertè dicant: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*; Verumtamen Interpres quidam antiquus super librum Sapientiæ scribens, hanc tradit verborum illorum interpretationem: *Convenienter dicunt, quod volunt coronari rosis, at sciendum, quod omnis mundi lascivia brevis & transitoria; Rosa inter spinas crescit, sic est & lascivia mundi, non est sine punctura conscientiæ.* Verum quidem est, quòd rosis se coronari voluerunt, at vero quamdiu hæ durant, vix uno die, & ideo subdunt: *Antequam marcescant*, his enim verbis ipsimet fatentur, rosam subitò efflorescere, & marcescere. Prata in diluculo matutino viridia conspiciuntur, vesperi autem in quemdam fœni cumulum redacta videntur; Rosa à diluculo matutino usque ad vespertinum crepusculum floret, & efflorescit, spina autem, quæ manus transfigit, permanet semper, eadem est ratio delectationis & voluptatis peccati. Gaudium enim, lætitia, voluptas, & delectatio subitò transit, cordi verò acerbum infligunt & perpetuum vulnus, quod numquam coalescit. Unde Poëta ille cecinit:

Est rosa flos Veneris, Venerisque simillima flori,
Quod cruciat longum est, quod placet exiguum.

Psal. 111. 10. — Reprehensio peccatorum. — S. Thom. de Vill. no. ser. de S. Ægid. — Sap. 2. v. 8. — Rupert. Holkot. ibid. — Diutius spina quam rosa manet in roseto.

Porro ex Græcò textu alia quædam eruitur versio, non enim dicit: *Coronemus nos rosis*, sed *rosarum caliculis, aut baccis*, id est, rosis etiamnum clausis, quod dixisse videntur ex metu, ne apertæ subitò deflorescant, & deficiant. Audiamus eumdem Basilium alio in loco de rosa dicentem: *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit, nam quotiescumque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas, & tribulos proferret, condemnata est.* Enimverò rosa, quæ florum est Regina (in cujus signum purpura vestita, & redimita corona in medium prodit) voluptatem, & delicias repræsentat humanas, ac proinde specialiter inter alios flores pungentissimis cingitur spinis, ad denotandum, quòd licèt voluptates sensuales, & carnales aliquod secum gaudium adferant, in longè tamen majori numero sint spinæ, quibus affligunt eos, qui earum se faciunt participes. Subdit idem S. Doctor: *Transitoria ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc desiderantes destituit, nondum ab eorum collectione domum reversi sumus, & in ipsis adhuc manibus nostris constituti marcescunt.* Porro delectatio, eo ipso, quod cum transgressione mortali conjuncta sit, cor interius pungit per remorsum, licet hæc punctura à solo peccatore sentiatur, quod si vero contingat, quod hic dolor etiam aliorum oculis fiat manifestus, tunc spinarum illarum puncturæ acutiorem parere dolorem solent, prout S. Ambrosius optime considerat, dum ait: *Tunc caro tribulos, & spinas animo, hoc est, curarum morsus & solicitudinum generat, æstusque, quos sibi per concupiscentiam carnis animus ipse circumdedit. Etenim quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus.*

Lorin. — S. Basil. hom. de Parad. — Rosa designat voluptates mundanas. — Peccato peracto mox oritur remorsus. — S. Ambr. l. 4. in Luc.

4. D. Chrysostomus de puncturis Regem Davidem, in actualibus suis cum adultera habitis voluptatibus, acerbè transfigentibus, fusè discurrit; inter alia verò ita scribit: *Consideres velim, quantum malum sit peccatum; Rex militem timet, non enim quisquam servus est, nisi qui peccatum admittit, diadema gerebat, & probrum metuebat. Quid? Annon enim Rex es? Annon gladij penes te potestas est? Est ita, inquit, verùm grave peccatum perpetravi. O peccatum, quod formidinem procreas! O ignominia accusatrix! Pertimesco, tremo, quia me ignominia perfudisti, atque habeo, qui scelus meum prodat.* Idē S. Doctor alibi, in Psalmum septimum scribens, hasce spinarum puncturas, in homine exemplificat vindicativo, inquiens: *Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur. Furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur, invadit timor, pavor ac tremor, quomodo offendet, quomodo ulciscetur, & ante eum, quem est injuria affecturus, seipsum perdit. Qui autem iram expulit, ab his omnibus liber est.*

Quam puncturam adulterij senserit David. — Chrysost. hom. in Psal. 50. — Chrysost. in Psalm. 7. — Puncturæ vindicativi.

5. Regius Psalmista in principio Psalm. 31. eo, quod è turpi adulterij luto erutus, & gratiæ ac amicitiæ Dei restitutus esset, totus hilaris ac lætus cecinit dicens: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; id verò, quod præsenti proposito quàm maxime deservit, est declaratio, quam fecit in ordine ad puncturas, ipsum transfigentes, dum adhuc adulter esset; Ait enim: *Inveteraverunt ossa mea, ... Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua.* Ubi notanda est phrasis illa: *Gravata est super me manus tua.* Job quoque Scopus fuit, in quem totus infernus collimavit, utpote qui Deo, non in damnum, sed in profectum illius, permittente, adversus eum conjuraverat, & tamen solùm dixit; *Manus Domini tetigit me*; nec mirum, quia intensissimi Jobi dolores solum affligebant corpus, non vero animam, utpote quæ semper immaculata permansit; At verò dolores Davidis spinæ erant, quæ veluti totidem sagittæ, animam & conscientiam ejus transadigebant, hæcque suffecerunt, ut eum ad resipiscendum inducerent; Unde ait: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina; Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi*; Peccata enim non solum sunt spinæ, sed & clavi cor peccatoris transadigentes. *Per spinam omne peccatum ideo accipitur*, inquit S. Gregorius, *Quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.* S. Antonius de Padua in sermone quodam super illa verba: *Spinas & tribulos germinabit*, inquit: *Spinæ à pungendo dictæ, eo quod sint acutæ ut spicæ. Tribulus dicitur à tribulo, tribulas; Spinæ doloris pungant animam, tribuli tribulationum pungunt & tribulant corpus, & ideo parturit lacrymas, & gemitus.* Oculus quidem ex rosæ elegantia & pulchritudine, odoratus similiter ex ejus suavissima fragrantia miras capit voluptates, verumtamen multo major est, quam ex spinis sentiunt, spinarum asperitas, quia spinæ semper manent, voluptas autem oculi & odoratus vix uno die continuatur. Unde S. Bernardus de conscientia ita scribit: *Dum pasci se voluptatibus credit, anxietatibus cecidit humanis, pudoribus, & confusionibus reverberata, sicut scriptum: In operibus manuum suarum comprehensus est peccator v. g. appetit quis adulterium ad voluptatem, sed comprehenditur ibi ad anxietatem, & multo major est anxietas, quàm voluptas, ad omnem verecundiam & angustiam hominis, qui hominem & vivit, & sapit.*

Dolores David animam. — Psal. 31. v. 1. — Ibid. v. 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 4. — Job. 19. v. 21. — Job solum corpus penetrabant. — Ibid. v. 4. — Ibid. v. 5. — S. Greg. ibid. — Gen. 3. v. 18. — S. Anton. de Pad. — Rosæ fragrantia momentanea est, spinarum asperitas perseverat. — S. Bernard. lib. de Consc. cap. 4.

6. Cœlestis Magister noster apud S. Lucam cap. 12. puncturas anxietatum & solicitudinum, quibus avari transfiguntur, insinuare volens, parabolam illam composuit hominis divitis, qui in horrea sua ex agris suis copiosam congregaverat messem, de quo inter cætera ait: *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea.* Dicite, obsecro, numquid hi fructus in mente hujus avari hominis potiùs in spinas & tribulos degenerasse videntur, utpote cujus cor adeo transfigebant, ut ne quidem ad capiendum somnum oculum claudere posset? Audite Basilium Magnum dicentem: *Utilitate miser erat ac timidus; non enim proventus annui fruitionem ei terra ferebat, sed fletus & suspiria, non fructuum copiam, sed curas, & dolores & graves anxietates sibi colligebat.* Spinæ etenim, juxta Sapientiæ incarnatæ infallibilem sententiam; Divitias symbolicè denotant: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, ... Qui à divitijs euntes suffocantur.* Spinæ autem hanc habent proprietatem, quod si illas in manu aperta teneas, non te pungant, sed tunc tantum te lædunt, quando illas manu tua claudis; Ita quoque se res habet ad divitias, si enim liberali & benefica manu tractentur, aliorum subveniendo necessitatibus, conscientiam nequaquam transfigunt; At verò si divitias in manu stringere coneris, id est, tibi soli reservare, & pauperes inanes dimittere velis, lacerabunt, & perforabunt conscientiam, ita ut perpetuas remorsuum sentias puncturas. Potest quoque ad hoc propositum alia quoad spinas fieri consideratio; Spinæ enim dolorem inferunt, dum carnem pungunt, majorem verò, dum intra vulnus remanent, acerbissimum verò, si violenter ex vulnere extrahantur. Eodem modo Beda de divitijs discurrit, inquiens: *Divitiæ, etsi delectare videantur, possessoribus suis spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem laterant, quæ avidè quæruntur, & solicitè servantur.* Voluptates, deliciæ, convivia, cunctæque aliæ recreationes, quamdiu illis fruimur, rosæ sunt, mox verò ut gustus illarum deficit, quanti constent homini, & quamdiu illas luere debeat, unusquisque experitur. Divus Chrysostomus ait: *Ne mireris, si nomine spinarum delicias appellavit, acerbissimos dolores, tam animæ, quam corpori inferentes*; & paulò post subdit: *Quemadmodum acutæ vepres, undecumque capiuntur, & constringuntur, manus cruentant, eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt.* Spinæ, id est, peccata per spinas præfigurata, non solùm transfigunt conscientiam, sed sæpè puncturæ eorum etiam ad corpus usque transfunduntur. Idem Chrysostomus in alia quadam homilia varias transgressiones spinarum nomine describit, inquiens: *Stant inter vos sicut spinæ, perjurium, mendacium, hypocrisis, dolus, malignitas, convitia; Scommata, risuum excitationes, turpiloquia, sales. Iterum ex alia parte avaritia, rapina, injustitia, calumnia, insidiæ. Iterum concupiscentia mala, immunditia, luxuria, scortatio, adulterium. Iterum invidia, æmulatio, ira, furor, vindictæ cupiditas, retaliatio, blasphemia, & innumera talia.*

Luc. 12. v. 16. — Ibid. v. 17. — Ibid. v. 18. — Avarus utilitate miser est. — S. Basil. hom. in divit. avar. — Luc. 8. v. 14. — Proprietas spinarum moraliter applicata. — Bed. citatus à S. Bonav. Luc. 8. — Chrysost. hom. 25. in Matth. — Spinarum nomine varia peccata describuntur. Chrysost. hom. 8. in Act. Apost.

7. Unus ex ijs erroribus, qui majorem mortalium partem effascinant, est, quod oculos suos ad rosas, non verò ad spinas dirigant; non enim pensatur, quod delectatio subitò evanescet, econtra verò remorsus peccati numquam deficiet; *vermis eorum non morietur.* Apud Jobum de quibusdam impijs dicitur: *Radix juniperorum erat cibus eorum.* Quæ verba satis obscura sunt, & difficultate non carent; Quomodo enim verum esse potest, quod impij hisce se nutriant radicibus, qui alias lautas & delicatas epulas avidè quærere solent? Quidnam igitur in hac arbore latet mysterij? Audiamus Gregorium Magnum, dicentem: *Arbor enim Juniperi pro folijs punctiones habet, sic quippe sunt hirsuta quæ profert, ut spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina verò est omne peccatum, quia dum trahit ad se delectationem, quasi pungendo lacerat mentem, unde justi voce & pœnitentis dicitur: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Observandum verò est, quod licet frondes Juniperi acutæ sunt & pungitivæ ad instar spinarum, non tamen tales sunt radices illius, è quibus Juniperi frondes humorem attrahunt, hæ enim omninò sunt delicatæ; Ita quoque impijs evenit; In radicibus enim, id est, in voluptatum suarum, quibus vacant, principio, delectationem habent, & experiuntur delicias, & satisfactionem, non considerantes puncturas, quæ ab his aliquando procedent, *Juniperorum radicem comedunt*, inquit Gregorius: *Sed hujus radicis, quam sint rami asperi, non attendunt, quia nimirum prava actio modo ex radice delectat in culpa, sed postmodum quasi ex ramis pungit in pœna.* Huic ponderationi similem ferè adducit Sanctus Augustinus, dum supra illum versum Psalm. 57. quem ipse hoc modo legit: *Priusquam producat spinas vestras Rhamnus*, ita scribit: *Quid est Rhamnus? Spinarum genus est; Densissimæ quidem spinæ esse dicuntur. Primo herba est, & cùm herba est, mollis ac pulchra est; inde sunt tamen spinæ postea processuræ, modo ergo delectant peccata, & quasi non compungunt; Herba est Rhamnus, & modo tamen est spina; Priusquam producat spinas Rhamnus, priusquam miserarum delectationum & voluptatum manifesta procedant. Interrogent se, qui aliquid amant, & ad id pervenire non possint, videant, si non cruciantur desiderio, & cùm pervenerint ad id, quod illicitè desiderant, attendant, si non cruciantur timore. Videant ergo hic pœnas suas.* Albertus Magnus alludens ad Juniperum illam, sub qua lassus Propheta Elias decubuit, ut defatigata sua membra nonnihil restauraret, in hæc verba scribit: *Per Juniperum, quæ spinas habet pro folijs, & tamen projicit umbram, intelligitur pungitivi sæculi delectatio*; licet enim peccatores nonnumquam in mundanis voluptatibus suis somnum capiant, & obdormiscant, non tamen ideò malæ conscientiæ puncturas, & remorsum sentire definunt, quia sæpè etiam in ipso somno horribilia somnia illos conturbant.

Job. 30. v. 4. — Impij radice juniperi nutriuntur. — S. Greg. l. 20. Moral. c. 12. — S. Greg. c. 15. — Juniperi rami sunt asperi, radix dulcis. — S. Aug. in Psalm. 57. 10. — Alb. Magn. ser. in Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

De inquietudine, quam peccatum mortale sibi annexam habet in impijs.

THEMA.

Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Isaiæ 57. ℣. 20.

1. ISaias divinæ legis transgressores mari inquieto assimilans, insinuare nobis vult eorum inquietudinem, qua propter inordinatas passiones suas continuò agitantur: *Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Porro Oceanus, quando tempestatibus agitatur navigium aliquod apprehendens, quasi ad stellas usque exaltat, idemque in momento demittit usque in abyssum; eodem modo impius de divina misericordia tanta cum arrogantia præsumit, ut sibi persuadeat, quod per unicum contritionis actum elicitum cœlum quasi in manu sua habeat, dum interim pedibus suis in inferno consistit. Præterea undæ marinæ, velut cristallinæ, lucidæ, & transparentes in altum eriguntur, cum tamen salsæ sint & amaræ, tales quoque oculis nostris esse videntur gaudia & lætitiæ peccatorum, videntur enim esse gaudia illorum accepta, & delectabilia, cum tamen in interiori conscientiæ illorum amara sint, & felle aspersa: *Dulcedo illius vermes.* Præterea mare quidem intumescit, exaltatur, rumores & minas edit, atque circa unumquemque, quantumcumque magnus sit & potens, tyrannidem suam exercet, sed hæc omnia vento, tamquam effectus causæ, attribui debent, hoc enim deficiente omnis ejus evanescit superbia & fastus: *Impij quasi mare fervens*; *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros libani*; At vero subitò fastus sui ventus detumuit, & defecit; ideoque subditur: *Transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*; ac proinde immediate hoc subjungit consilium; *Custodi innocentiam, & vide æquitatem.* Adhæc mare in continuo est motu, aquæ enim illius incessanter agitantur, ita ut una unda alteri confestim succedat. S. Antonius de Padua de S. Maria Magdalena peccatrice disserens, opportunè considerat illam nomine Mariæ insignitam fuisse, unde hunc eruit conceptum; *Mulier pecca-*

Agitationes navis in tempestatibus. — Job. 24. v. 20. — Cessat omnis superbia maris cessante vento. — Isaia 57. 20. — Ps. 36. v. 35. — Ibid. v. 36. — Ibid. v. 37. — S. Anton. de Pad. ser. Fer. 5. pass.

peccatrix est anima, quæ bene vocatur Maria, à mari; Asare propter multitudinem amaritudinis peccatorum. Idem in alio quodam sermone inter mare, & conturbatam impij conscientiam, & mentem, hanc instituit comparationem: *De fluctu malorum cogitationum inquit* Isaias cap. 57. *Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus. Cor impij quasi mare fervens, tumet superbia, fervet luxuria, & sic fluctus malarum cogitationum redundant in conculcationem & luctum.* Mens porro Isaiæ mari impios comparantis, hæc præcipuè fuit, ut eorum insinuaret inquietudinem; & ideo ait: *Quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Omnes enim aliæ creaturæ, ut S. Ambrosius observat, aliquam habent quietem, solis exceptis aquis marinis, tametsi enim mare tranquillum sit, ejus tamen undæ numquam quiescunt. *Mare temporum vicibus solet fluctuare*, inquit idem Ambrosius; *caro nostra semper exæstuat, ibique ipsi tempestas est, nec unquam à motibus procellarum miserandisque naufragijs feriatur.*

Conscientia mala est mare turbatum. *S. Anton. Dom. 15. post Trinit.*

Isaiæ 57. 20.

S. Ambr. l. 1. de Interpel. Job.

2. Psalmus decimus tertius ab his verbis incipit: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; Mox verò longum scelerum contexit catalogum, ab hoc Atheista derivantium, multisque enarratis tandem subjungit: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt*; cujus hanc reddit rationem, quia *non est timor Dei ante oculos eorum.* Idem Regius Propheta in Psalmo 37. in quo suum adulterij peccatum commemorat, expressè fatetur, inquiens: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, ... non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Super quæ verba S. Ambrosius ita scribit: *Ergo non est pax animæ vitijs, quando ante oculos nobis nostra peccata concurrunt, & effiandant se mentibus nostris, & hoc bene interpretatus est Gentium Doctor electus in Epistola secunda ad Corinthios, scribens: Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed in omnibus sumus afflicti; foris pugnæ, intus timores. Illum Macedonum peccata vexabant, quanto magis propria unumquemque nostram peccata perturbant; ut requies nobis esse non possit? Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat Lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis astringimur, sine venditore vendimur; unde & Scriptura dicit: Peccatis vestris venditi estis. Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt, ut dixit Propheta: Venditederant nos, & dominantur nobis.* Cùm igitur vitia suam in nos tyrannidem exerceant, nostræ nos passiones servos & mancipia faciant, quid mirum est, si inquietam & molestam hic agimus vitam? Philo Hebræus Mysterium pandit, ob quod peccator in serpente signatus fuerit, qui primus extitit peccati instigator, & instrumentum. Super illa namque maledictionis verba, quibus Creator serpentem ferivit, scilicet: *Super pectus tuum gradieris*, ita scribit: *Rectè quoque additur, gradieris super pectus tuum & super ventrem; voluptas enim non est quiescentium & stantium, sed commotorum, & perturbatione plenorum; & sicut flamma continuò movetur, ita in flammæ cujusdam morem affectus in anima excitus non sinit eam quiescere.* S. Augustinus meditatur statum, non quidem illum, in quo tunc actualiter meditans anima ejus, quæ tunc pacatissima, & totaliter in Deum absorpta erat, existebat, sed illum, in quo erat, quando vocationibus divinis contumax, & surdus, sceleribus suis per triginta tres annos insordescebat; hunc, inquam, statum præfatus Doctor hisce verbis meditatur: *Torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accæsat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, vanitas objergat, discordia dissipat, ira perturbat, levitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis tollit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit. Ecce cum quibus vixi à die nativitatis meæ, quibus & studui, quibus & fidem servavi, ipsa me, quæ dilexeram, studia damnant, quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt, quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi Dominj.* Quid igitur mirum est, quod se veluti catena quadam voluntatis propriæ ferrea ligatum esse lamentabatur, dicens: *Suspirabam ligatus, non ferro, sed mea ferrea voluntate?* Ecce tibi quot vitiorum fuerit mancipium, quæ eum quiescere non sinebant; *non est pax impijs.*

Paulus inquietus ob sola peccata aliena.

Peccator est serpens inquietus.

Gen 3. v. 14. Phill. 2. de Alleg. leg.

Confessio S Augustini de seipso ante conversionem suam.

S. Aug. c. 4. Medit.

3. Didacus Stella textum quemdam adducit Jeremiæ, ad intentum nostrum probandum apprimè idoneum; *Tam grave est Dæmonum servitium (Ad de & peccati tyrannis) ut Deus per Propheram Jeremiam dixerit: Servietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte* Adducit quoque testimonium Regis Salomonis, qui licet in capite 2. Ecclesiastæ ingentem texat Catalogum innumerabilium deliciarum, thesaurorum, ædificiorum sublimium, amœnorum hortorum, &c. *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & obletaret se in his*; & tamen his omnibus non obstantibus, libera voce fassus est, dicens: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaverat, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Erat Salomon immoderato septingentarum Reginarum & trecentarum concubinarum amori totaliter implicitus; Quid igitur mirum, si in omnibus delicijs & voluptatibus, quæ innumerabiles & inæstimabiles erant, nullum prorsus invenerit animi gaudium, sed afflictionem? Ubi Deus non est, sed Dæmon & detestabile peccati monstrum, pax esse nequit; quia *non est pax impijs. Quam infelix est illa conscientia*, inquit S. Augustinus, *Tot lachrymarum fonte lugenda, quæ se ita malis operibus cruentavit, ut in ea non Christus requiescere, sed Diabolus inciptat dominari? Talis anima, si medicamentum pœnitentiæ non citò subvenerit, à luce relinquatur, à tenebris occupatur, vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, à morte invaditur, à vita repudiatur.*

Did. Stell. in c. 16. Luc.

Eccle. 2. v. 10

Salomon in omnibus suis delicijs non nisi afflictionem animi habuit.

Ibid. v. 11.

Non est pax impijs.

S. Aug. ser. 24 de temp.

4. In libro Judicum cap. 16. refertur de Samsone, quod Gazam civitatem ingressus, domum intraverit meretricis cujusdam, cujus impuris captus erat amoribus, qua de re Philisthæi, qui in civitate erant, certiores facti, ad fores domus posuerunt custodias, ne ex ulla parte domo egredi posset, totamque nocte insomnes transegerunt, ut advenienti diluculo eum occiderent; Ipse verò circa mediam noctem evigilans, erutas è cardinibus urbis Gazæ portas, suisque humeris impositas ad verticem usque montis, qui è regione Hebron positus erat, portavit. Cogitate, obsecro, quales noctis illius Samson voluptates habuerit, qui foram civitatem, ut illum caperent, & minutatim dilacerarent, in armis positam esse, & vigilare sciebat? Quot sunt, qui, dum in ipso voluptuoso carnis actu agunt, eâdem cordis angustiâ & metu agitantur? Dum videlicet timent, ne ab alijs ejusdem scorti procis, fratribus, parentibus, vel amicis, aut etiam adulteræ marito in flagranti crimine deprehendantur, simulque cum honore & existimatione, vitam & animam cogantur amittere? Samson sine dubio vitæ suæ jacturam passus fuisset, nisi Deus illi per miraculosum illam fortitudinem incessanter astitisset; At verò divina patientia plus nimium abutens, eadem fortitudine postea privatus, ignominiosa inimicorum suorum factus est præda, oculisque orbatus, velut jumentum quoddam molendinum vertere debuit. Profectò si Samson verè voluptatibus carnis fruitus fuit, valdè caro pretio easdem sibi comparavit. Idipsum quoque plurimis contingit, qui licet libidinem suam opere carnali expleverint, irreconciliabilem tamen vel cum marito, vel cum cognatis, vel cum alio pariter proco contraxerunt inimicitiam, respectu quorum in continuo metu esse debent, ne illis tendentes insidias, illam vindicent sibi illatam ignominiam, qua per furtivos cognatæ suæ amores, ipsorum vulnerarunt existimationem & honorem, ac priondè in continua vivent inquietudine, metu, & periculo, quia *non est pax impijs.* Quibus proinde adaptari posse videtur illa S. Gregorij doctrina: *Luctatus damna præsentia nequaquam videt; sæpe dum præsentibus invigilat, ad instantia prævidenda dormitat.* Etli enim nonnumquam pericula de facto imminentia prævideat, & prospiciat, oculum suum tamen ad ea, quæ in futurum ei accidere possunt, directum non habebit, quia immoderata passio judicium liberum esse non finit. Idem S. Gregorius subdit: *Plerumque tantis cogitationum volumnibus impletur, ut ipsa ferre vix valeat, quæ intra se providus versat, & cum nil opere faciat, sub magno cordis sui pondere vehementer insudat. Plerumque quasi ventura animus conspicit, totamque contra hæc intentionem proponit, magnus ardor contentionis se inserit, sopor fugit, non in diem vertitur, & cum quieta foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur.*

Fruebatur Samson carnis delicijs in summo periculo & eius tis.

S. Greg. l. 2. mor. c. 25. Judic. 16.

Sequitur peccatum inquietudo. *S. Greg.*

5. Non obstante, quòd Achab potens, thesaurorumque

3. Reg. 2. v. 6. rorumque & deliciarum abundans esset, nihilominus quia ad dilatandum hortum suum anhelabat, eoque fine vineæ Naboth, quam habere non poterat, opus habebat; adeò inquietus est, ut in lectulo infirmus cibum nullo modo gustare voluerit; *Non est pax impijs.* Anna Mater Samuelis in Cantico suo ait: *Dominum formidabunt adversarij ejus*; Ubi Pagninus ex Hebræo legit: *Rixantes ejus*; impij enim continuos in animis suis interius experiuntur conflictus; *Unde enim bella & lites in vobis?* inquit

1. Reg. 2. v. 10.

Jacob. 4. v. 1. S. Jacobus, *Nonne hinc? Ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Experiuntur enim in se crudele inordinatorum appetituum suorum bellum, quod nullam ijs quietem indulget. Observandum verò est, quòd postquam Mater Samuelis dixisset: *Dominum formidabunt adversarij ejus*; subdit: *Et super ipsos in cælis tonabit.* Et quidem non solum fulmina & tonitrua illos terrebunt, sed sæpe etiam folij unius strepitus, & agitatio pavorem illis incutiet: *Terret eos sonitus folij volantis.* Sciunt enim, quod illis reus sit cum tali Deo, qui longas manus habet; & consequenter facillime eos invadere potest. Impossibile est, quod quieto & tranquillo animo vivat is, qui rebellis est Principi alicui potenti; qui multorum millium scutorum præmium decrevit ei, qui talis rebellis præcisum à busto caput ad se attulerit; Peccator autem & ipse rebellis est, & inimicus Dei; Præmium verò decretum ei, qui illum interceperit, est peccatricis animæ suæ lucrum, quæ pluris valet, quam universus mundus; pro qua proinde intercipienda, & ad inferni præcipitium trahenda, Dæmon omnes vires suas exerit. S. Bernardus illum Jobi textum observans, in quo dicit: *O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* In hæc verba scribit: *Ita est; Non potest Deo esse contrarium quod, & sibimetipsi cohærere, sed qui arguetur à Deo, arguetur & à seipso. Nonne hoc est perpetuo tundi, perpetuoque confundi?* Observandum vero, quod Job subjungit: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferis iniquitatem meam?* quasi dicere vellet; Tolle dumtaxat peccatum meum, & iniquitatem meam auferas à me, & statim respirabo, meamque recuperabo quietem:

Terret peccatores minimus sonus folij volantis.

Levit. 26. 36

Patet in banito.

Job. 7. 20.

S. Bernard. lib. 1. de Consid.

Job. 7. v. 22.

Chrysost. hom. 69. in Matth.

6. D. Chrysostomus mundanos homines voluptatibus totaliter deditos considerans ait: *Etsi mille voluptatibus abundare videantur, quamvis delectationum flumina adesse illis credantur, multis tamen amarissimis telis perfossi plerumque jacent.* Goliath à Davide pastorculo lapillo quodam ex funda in frontem ejus vibrato & fortiter infixo in terram prostratus fuerat mortuus, & licet per hoc scepterum in manu, & diadema regium Israëlis in capite Saulis stabiliter firmatum fuisset, hic tamen malignus ex hoc generoso Davidis facinore longe lethalius in corde suo fauciatus fuit, quam Gigas in fronte: Audite autem & intelligite, quid per hoc velim insinuare; Audiens enim Saul populum Davidi acclamantem: *Saul percussit mille, & David decem millia*, venenosa invidia extimulatus, pacem amisit: *Non enim est pax impijs*; hancque effrænem passionem sibi tyrannicè prædominari sinentem Diabolus introivit, vixitque per tot annos etiamnum in hac mortali vita vivens, quasi in inferno, Davidem, licet generum suum, per derestabilem & inauditam ingratitudinem persequendo ad mortem. Sciendum quoque est; quod verba illa: *Non est pax impijs, dicit Dominus*, quæ in fine cap. 48. Isaias dixerat, relationem habuerint ad verba antecedentia, quæ paulo ante dixerat, scilicet: *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua*; Nunc autem in peccatore, qui divina mandata non adimplet, pax esse nequaquam potest. *Pax enim multa* solum est *diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* S. Hieronymus proinde inquit: *Sicut mare fervens quiescere non potest, sed redundant fluctus ejus, & revolvuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fractis latum efficium, quod pedibus conculcatur, sic impij æternæ conculcationi subjacebunt, quorum nullum est gaudium, qui & nulla pace requiescunt, in eo quod impij perseverant.* Et paulo post hujus similitudinis subdit causam, inquiens: *Impios comparat mari, quod nunquam potest quiescere, sed etiam in summa tranquillitate, fractis ad littora volvitur fluctibus, finisque ejus lutum est, & conculcatio.* Idem S. Hieronymus super illa verba Ezechielis: *Immittam in vos famem & bestias pessimas*, eadem de inordinatis passionibus nostris incessanter nos cruciantibus exponit, dicens: *Etiam in nostram Jerusalè immittuntur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones, quæ exercuant, & dilacerant animum nostrum.*

Plus Saul in corde quam Goliath in fronte vulneratus fuit.

1. Reg. 18. v. 7.

Isai. 48. v. 22.

Ibid. v. 18.

Psal. 118. v. 165. S. Hieron.

Repetitur similitudo maris fervantis.

Ezech. 5. v. 17.

Hieron.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Dolores, ærumnæ, & pœnæ, quibus peccatores subjacent, peccati mortalis sunt partus.

THEMA.

Parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Psalm. 7. v. 15.

1. PEregrinus profecto est hic Propheræ Regij loquendi modus, quo dicit: *Parturiit injustitiam, concepit dolorem*; Etenim secundum cursum naturalem conceptus parturitionem præcedit; & tamen ipse in hoc Psalmo 1. dicit: *Parturiit injustitiam*, & postea subjungit: *Concepit dolorem.* Quodnam igitur in eo latet mysterium, quod vir ille tam sapiens, & illuminatus hunc ordinem perverterit? Responderi posset, quòd cum locutus fuerit de peccato, quod est quædam à recta ratione & à Deo deordinatio, per hanc loquendi phrasim culpæ exprimere voluerit confusionem, utpote in qua *nullus est ordo, sed sempiternus horror*; Pervertit enim esse naturale, morale, & rationale, omnes transgreditur leges; tam humanas quam divinas; neque ulla est deordinatio & confusio, cujus abominabile hoc monstrum non sit instrumentum. Alia tamen ejusdem paradoxi loquendi modi dari potest ratio, scilicet; quod idem sit, *concepit dolorem*, quam si diceret, *concepit peccatum*; Peccatum enim & dolor coincidunt, utpote quod committentibus ipsum tormentum & dolorem conciliat pœnosissimum. Unde Chrysostomus in Homilia quadam ad populum ait: *Magnum supplicium peccare, etiamsi non puniamur.* Author incognitus, nutic vero famosissimus; Carmelitanæ Religionis splendor eximius; in expositione horum verborum ita scribit: *Peccatum dolor dicitur, quia est causa omnis doloris.* Etenim si omnes dolores, qui hactenus afflixerunt, & deinceps ad finem usque sæculorum universum affligent genus humanum, in unum cumulum conjecerit is, ac denium dolores illos, peccati partus, seu potius abortus esse dixeritis, non procul à vero abetrabitis; Ecquid enim Jobum dicere voluisse existimatis, quando Deum in hæc verba rogavit: *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam?* Quid, inquam, aliud ipsum dicere voluisse creditis, quam rogare Deum, ut hanc ei concederet gratiam, prius scilicet deplorandi suum peccatum, quod doloris nomine appellabat, antequam ad futuram vitam transmigraret? Observandum quoque est, Psalmistam in eodem loco paulo post subjungere: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*; Quibus verbis David aperte nomine doloris iniquitatem describit. Enimvero qui ingentem quemdam dolorem, acerbissimos cruciatus inferentem vult exprimere, communiter (ut patet ex literis) dicere solet: *Est dolor sicut dolor parturientis*; Ecce tibi igitur, quantopere offensa Dei animam interius cruciet, siquidem cruciatus illius cruciatibus parturientis assimilantur.

In peccatis nullus est ordo.

Peccatum & dolor coincidunt.

Chrysost. Hom. 6. ad pop. Incogniti ibid.

Dum peccatum sumitur causaliter. *Job. 10. v. 20.*

Psal. 7. 17.

2. Advertenda insuper est alia quædam circumstantia, ex qua quantum peccati dolor, à dolore parturientis, in acerbitate differat; facile colligitur; Mulier enim in suo conceptu voluptatem perfentiscit, licet eamdem postea, conceptum fœtum in lucem edendo, graviter luere debeat; Non tamen ita contingit in peccato, quia spiritu veritatis per Davidis calamum attestante, *concepit dolorem*, id est, anima etiam in conceptu peccati amarè dolet, & contristatur. Audiamus Chrysostomum prædicta Davidis verba hunc in modum exponentem: *Dicebat Propheta: Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem; Ex hoc intendit, injustitiam non esse nobis secundum naturam, sed esse quid alienum, & ideo grave est, & donec ab eo fuerimus liberati, nobis dolores immittit.* Et paulo post subdit, quod nos paulo ante observavimus: *Illic prius fit conceptio, & deinde dolor partus, hic autem primùm parturit, & deinde concepit, & peperit. Quid autem hoc sibi vult? Quod illic quidem in tempore partus est dolor, hic autem dolor est à principio?* Simul ac enim quis de malo consultavit, etiam priusquam in cogitationem concreverit, tumultus, ac turba est in cogitatione. *In multere dejectum*

Major est peccati dolor quam dolor parturientis.

Chrysost. in Psalm. 7.

Ratio illius differentiæ.

dejectum semel semen ipsum etiam formatur, in ijs autem qui dolos construunt; hæc hodie dejecta est cogitatio, & cras rursum alia, & sunt innumerabiles malorum seminum dejectiones, & sunt singulis diebus conceptiones, & partus dolores, & periment cogitationem, à qua ista pariuntur. Non enim talis partus, qualis est in mulieribus, sed quemadmodum in viperis, uterum discerpunt, & latera dilaniantes fœtus procedunt. Fuit nonnemo, qui emblema formaturus, viperam quamdam depingi fecit, quæ filios suos parturiendo moriebatur; hi enim moræ impatientes, quam in utero matris trahunt, ut in lucem edantur, viscera rodunt materna; fuitque emblema istud hac subsignatum epigraphe: *& parit, & perit.* Ita quoque de conceptu culpæ mortalis, quo anima impregnata est, dicere possumus, quod in eodem conceptu, priusquam partus edatur in lucem, anima Deo moriatur, dicique possit: *Et concipit, & perit; Concepit dolorem, & peperit iniquitatem,* siquidem veritas est Catholica, quod *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Estque ad hoc explicandum aptissima illa à vipera desumpta similitudo, hæc enim secum adfert venenum mortiferum, atque ad lethalissimam peccati malignitatem alludit.

Parit & perit, explicatur emblematicè. *Ps. 7. v. 15.*

3. Divus Chrysostomus hanc veritatem in homine vindicativo exemplificat, inquiens: *Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide, quot mala patitur; Furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, quomodo offendet, quomodo ulciscetur, & ante eum, quem est injuria affecturus, seipsum perdit.* Sanctus Ambrosius de homine carnali inquit: Quod à voluptatibus suis intoxicetur, & ideo de voluptate carnali, licet illi apparenter dulcis & suavis esse videatur, ita scribit: *Venenum in dentibus habet; Unusquisque se eviscerat luxuriosus. Cave ne decipiaris, ne deludat te oculus tuus:* Et Sapiens ait: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blande, Sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Vini quidem sapor & amabilitas, quoadusque fauces pertransit, percipitur, at vero vix dum stomachum penetravit, dolores experiri facit bibentem acerbissimos, propter venenum, quod in illo absconditum latet. Audiatis obsecro, quam congrue ad propositum præsens B. Job. peccati effectus delinearit; ait enim: *Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua, Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo, Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum, intrinsecus ... Caput aspidum suget & occidet eum lingua viperæ (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri) Luet quæ fecit omnia.* Berchorius in dictionario suo de peccato differens ait: *Peccatum est sicut venenum aspidum, quod primo facit dormire, antequam occidat.* Quot enim sunt, qui somnum suum dormiunt, licet culpæ lethalis venenum in corde habeant? Hic autem somnus, hicque lethargus, non vitæ signum est, sed intoxicantis veneni effectus, quod stupidos efficit sensus; malitia enim peccati excæcat intellectum, ac tum demum sequitur illud, quod Jeremias his verbis deplanxit: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde* Esto enim quis omnium hominum sit fœlicissimus, eo ipso tamen, quo extra Dei gratiam est constitutus interius (nisi insensibilis quidam sit truncus) afflictionem sentiet & dolorem; ita attestante S. Ambrosio, dum ait: *Peccator quamvis foris abundet, delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit.*

Exemplificatur in vindicativo. *Chrys. ibid.* *S. Ambr. Epist. ad Sabin.* Item in carnali. *Prov. 23. v. 31. 32.* *Job. 20. v. 12* Effectus peccatorum. *Ibid. v. 13. Ibid. v. 14. Ibid. v. 16. Ibid. v. 17. Ibid. v. 18. Berchor. in Dict. V. Peccatum.* *Jer. 12. v. 11* *S. Ambr. lib. 1 Offic. cap. 12.*

4. Sunt aliquæ febres malignæ, viscera torquentes, virtutemque consumentes vitalem, licet foris non appareant; venenum enim ipsarum absconditum est, & furtive ad cor subrependo, necem ei infert. Eodem quoque modo multis contingit, qui propter culpam mortalem, cui sunt obnoxij, vita quidem gratiæ divinæ sunt destituti, & tamen in hoc mundo saltitant, ludunt, jocantur, epulantur, mulierculis obsequuntur, ac si nihil prorsus in corde suo afflictionis haberent; Venenum vero intra viscera animæ proserpens, divinæ gratiæ, donorum cœlestium, virtutum, & meritorum bonorum operum vigorem illis eripit; At vero quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus*, spiritualem hanc mortem non considerant, neque sentiunt, imo *lætantur, cum malefecerint & exultant in rebus pessimis.* Unde Sanctus Ambrosius ait: *Vides convivium peccatoris, interroga conscientiam ejus. Nonne gravius fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam; introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mæstitudinem.* Prodeunte noctua, vel etiam ad aviarium vicinius appropinquante, turtures communiter strepitulosum edunt cantum, qui tamen cantus timoris est indicium, quia timent mortem à noctua sibi inferendam; Multi quoque viatores nocturno tempore continuo cantant, non quidem ex lætitia animi, sed potius ad periculorum, quæ apprehendunt, & quæ illis in opacis sylvis, sub obscura nocte evenire possunt, mitigandam formidinem. Qui in Apulia à stellionibus pestiferis, qui exitiosissimi cujusdam serpentis genus est, mordentur, subito saltare & tripudiare incipiunt, non quidem ex lætitia, sed quia hic est venenosi illius serpentis effectus, quod hominem à se læsum, continuo tripudiare faciat, donec moriatur.

Febres interiores mortiferæ. *1. Cor. 2. v. 14. Prov. 2. v. 14 S Ambros. ibid.* Turtures timent noctuam. Stellionis morsus est venenosissimus.

5. Vir quidam eruditus ingeniosè observat, quod inter dictionem lætum, quæ hilarem significat, & dictionem lethum, quæ mortis est expressiva, nulla alia intercedat differentia, præterquam unica litera aspirativa H, de qua communiter dicitur: *non est litera, sed aspirationis nota*, Ecce tibi igitur, quam sibi vicinæ sint lætitia, & mortis hora, adeo nimirum sibi vicina sunt, quantum respiratio, vel anhelitus à morte distat, quia revera à morte æterna non plus distat quam unico dumtaxat oris flatu; Qua igitur ratione fieri poterit, ut Christianus aliquis in animo suo sit lætus & hilaris, & non potius in eo experiatur dolores? *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, inquit Job; Enimvero quod gaudium sit instar puncti, quodque in unico momento lætitia mundana transeat, & evanescat; facile quidem intelligitur, at vero cur hominibus dissolutis & licentiosis, hypocritarum nomen attribuit, qui utique pluribus alijs peccatis se commaculant, quam hypocrisi? sed notandum est, quod versio Septuaginta legat: *Gaudium impiorum ad instar puncti*; Estque hæc diversitas lectionis omnino mystica, quia tametsi extrinsecus lætitia, recreatio, & gaudium verum esse videatur, nihilominus tamen sciendum est, quod sit fictum, & hypocriticum, non enim revera est tale intus, quale foris apparet. Herba Sardonica, herba est venenosa, quam qui manducat, paulo post moritur; verumtamen mortem hanc toxicum illud ita operatur, ut moriens continuo ridere videatur; Unde risum fictum, non verum, *risum Sardonicum* appellare solemus, de quo Salvianus ita scribit: *Omnem Romanorum populum herbis Sardonicis putes exaturatum, moritur & ridet*; Et ideo, ut bene S. Augustinus notat, gaudia hæc de tua ægritudine sunt, non de sanitate.

Exigua differentia est inter lætum & Lethum. *Job. 20. v. 5* Gaudium est instar puncti. Omnis peccator gaudens est hypocrita.

6. Consideratione dignissima est illa ab Isaia, Dei nomine, dictata propositio: *Non est pax impijs*; hujusque veritatis non ipse Propheta Authorem se esse dixit, sed ad illam tanto magis authenticandam subjecit; *Dicit Dominus*, quasi diceret, Deus est qui hoc dicit, non vero ego: Ac proinde veritas est omnino indubitata. S. Cyprianus de impijs tranctans, hanc tradit sententiam: *Quamvis necdum dies venerit pœnæ, pœna incepit, unde cœpit & crimen*, quasi diceret, licet infernus impio reservatus sit post hanc vitam, nihilominus etiam in hac vita experiri incipit alium quemdam infernum, tunc videlicet, quando in corde suo peccato aditum indulsit, hoc enim, ut suo loco probatum est, infernus quidam est portatilis, imo inferno longe deterius. Ubi vulgata nostra legit: *Sed quod debetis reddite ei pro peccato*, Septuaginta legunt; *Reddentes reddite ei pro cruciatu.* Aristoteles in sua morali Philosophia doctrinam quamdam habet, qua nulla ab illo, dummodo veram habuisset fidem, salutarior tradi poterat; Ait enim: *Paulo post dolet pravus, nolletque ea sibi jucunda extitisse, pœnitentia enim pravi pleni sunt.* Etenim communiter videmus, quantumcumque homo sit barbarus & inhumanus, mox tamen ut mali aliquid commisit, conscientia illum interius remordeat, quia *vermis eorum non morietur*; Syndæresis illa & morsus conscientiæ semper vivit, numquam extinguetur, licet omnis inferni ignis adhibeatur. Theodoretus verba illa Apostoli ad Romanos: *Et mercedem quam oportuit, erroris sui in se recipientes*, in hæc verba exponit: *Hujus enim animi perturbationis extremum est supplicium, ignominia. Quæ enim nullus umquam hostis in eos perpetraverit, ea libentissime, & promptissime amplectantur, & quod nullus umquam Judex in eos supplicium statuerit, illi ipsi in seipsos attrahunt; Et quanam malorum causa est? Ut sicut non probaverant Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Datum vero esse in reprobum sensum, tantum est supplicium, ut nullum eo dari majus potest, quia multiplicando Dei offensas, simul etiam in corde suo pungentes accumulat

Effectus herbæ Sardonicæ. *Isa. 57. v. 21* *S. Cyprian. de lapsis.* *1. Reg. 6. v. 3* *Arist. l. 9. Ethic c. 4.* Peccatum sequitur remorsus. *Isa. 66. v. 24* *Rom. 1. 27. Theodor.* Esse datum in reprobum sensum, maximum est supplicium. *Isai. 3. v. 9*

cumulat clavos. Unde Isaias ait: *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* At vero quænam sunt hæc mala, quænam hæ pœnæ & supplicia, quibus divina justitia in delinquentes advertit? S.Hieronymus ait: *Juxta Hebraicum, & cæteros interpretes hunc sensum habent verba illa: Væ illis, qui sua scelera receperunt.* Scio equidem, quod mirabimini, quod hoc S. Hieronymi assertum authoritate cujusdam Authoris Gentilis confirmare satagam; Verumtamen existimo, hanc authoritatem tanto majorem mereri fidem, quanto author illius ex instinctu solius luminis naturæ fuit locutus? Seneca igitur in Epistola nonagesima septima ita scribit: *Prima, & maxima peccantium est pœna peccasse, nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est.*

Isaia 3. v. 9. *S.Hieron. ibid.* Maxima pœna peccantium est peccasse. *Senec. Epist. 97.*

7. Deus in principio Prophetiæ Isaiæ adversus populum suum indignatus inquit: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverant me; Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit; Væ Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra?* quasi diceret, nullum pro peccatis inferri potest atrocius supplicium, quam si dentur peccatores in reprobum sensum, in eoque statu peccata peccatis accumulent; Ac proinde subjungit, *addentes prævaricationem*; Siquidem ut ex Seneca audistis: *Sceleris in scelere supplicium est.* B. Alcuinus causam investigat, cur Cain mortem suam desideravit, cum tamen adeo fuerit bonorum terrenorum abundans, neque etiamnum ullus in mundo tunc homo fuerit, qui ipsum infestare aut occidere posset; Et tamen ait: *Omnis, qui invenerit me, occidet*; Respondeo, Deus noluit, ut subito moreretur, sed diuturno tempore superviveret, licet fratricidium commisisset, & tamquam primus reprobus in æternæ perditionis abyssum præcipitandus esset; Et ideo unicuique tunc viventi Deus dixit: *Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Sed audiamus Alcuinum dicentem: *Cur ipse se damnavit morte, dicendo, omnis qui inveniet me occidet me? Responsio: ut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes*; At vero quis est, qui eum cruciabat, qui in supremo deliciarum culmine constitutus totius terræ dominium possidebat, atque insuper numerosa prole beatus erat? S. Ambrosius respondet inquiens: *Meruerat quidem, ut percussor inhiberetur, sed sine ulla intermissione ipse sibi carnifex erat, ipse percussor.* Ecce tibi pœnam & supplicium, cui Deus justus judex illum reservaverat, ut per abominabilis sceleris sui recordationem, totidem in se experiretur carnifices, quot erant, qui cor ejus continuo perforabant, conscientiæ ipsius acerbissimi remorsus & puncturæ. S. Antoninus sequentem ad hoc nostrum propositum recenset historiam: *Legitur de quadam virgine, quæ diu caste vixerat, & cum instigaretur à Diabolo de luxuria, ad experiendam delectationem ejus maximam, & quidam etiam vivens honeste, nimis familiariter cum ea conversaretur, etiam virgo, tentatus est ipse ad experiendam hujusmodi delectationem; Demum victi à Diabolo, commixti sunt simul. Qua delectatione experta, ad tantam amaritudinem devenit, quod virginitatem amisisset, propter tam vilem, & turpem, & momentaneam delectationem, quod præ amaritudine mortua est.*

Isai. 1. v. 2. Ibid. v. 3. Sceleris in scelere supplicium est. *Ibid. v. 4. Ibid. v. 5. Gen. 4. v. 14.* Cain continuò sibi ipsi carnifex erat. *Ibid. v. 15 Alcuin. interrog. 89. in Gen. S. Ambros in Psalm. 35. S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 6. §. 7.* Historia de puellâ ex dolore deflorationis mortuâ.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Alia considerantur impiorum mala, & afflictiones animi interiores.

THEMA.

Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, metunt eos, Job. 4. ℣. 8.

1. APostoli sententia est, per quotidianam experientiam confirmata, quod scilicet: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Cui consonat illud, quod Job in assumpto themate dicit: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos.* Quisquis enim author est iniquitatis in semetipso, hic & ærumnas & dolores seminat, huicque semini messis, quam collecturus est, correspondebit, *& metunt eos*; peccata enim cum doloribus & pœnis confundit, & inter se unit, quia culpa infausta est genitrix pœnæ. In catena Græca legimus: *Vidi judicij divini calculum subeuntes, & merito quidem, suis enim operibus fructum ferunt dignum; Improbi enim homines vitijs, quæ seminant, congruum supplicium pro manipulo reportabunt.*

Gal. 6. v. 8. Messis correspondet seminationi.

2. Sciendum quoque est, quod in Hebræo legatur: *Arantes iniquitatem*; & Septuaginta vertunt: *Qui arabant absurda*; Idque ut Corderius ait: *Ut sit elegans metaphora ex agricolis petita, & qui arando, seminando, & metendo, totum munus suum exequuntur. Ita nimirum homines iniqui scelus arant, id est, mente concipiunt, cum illud admittere secum decreverunt; seminant, id est, moliuntur, cum dant operam, rationes, & auxilia quærunt ad illud perpetrandum; Metunt, id est, exequuntur, & in lucem edunt, cum scelus, quod cogitaverant, & moliebantur, tam opere perficiunt. Perquam apte, atque eleganter hac similitudine describuntur peccatores, quorum vita plane misera est, & innumeris doloribus referta. Sicut hi, qui seminant, haud parum laborant, ita qui operantur iniquitatem, haud exiguis molestijs fatigantur.* Et paulo post eamdem prosequens metaphoram, considerat, quod sicut is, qui seminat, copiosissimam inde messem congregat, ita quoque, qui licet unicum dumtaxat commisit peccatum, sæpius majorem inde colliget afflictionem & dolorem, quam si multa commisisset; & hæc forte causa est, cur Job non dixerit in numero plurali: *Qui operantur iniquitates*, sed *iniquitatem*, in singulari, *ut sicut ex unico grano seminato multa pullulant, sic vel ex unica iniquitate hic admissa, plurimos in inferno dolores nasci intelligeremus; Id quod Psalmista quoque insinuavit, dum ait: Circumdederunt me dolores inferni, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Verumtamen non solum in inferno, verum etiam hic in hac vita præsente impius per peccatum seminat, & ex eodem sibi congregat ærumnas & miserias. Porro quinam sint dolores, quos divinorum præceptorum transgressor sibi metit. Chrysostomus à Bouthuco citatus hisce verbis insinuat: *Qui in carne deposuerit delicias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc proveniunt, metet. Quæ autem sunt ista? Supplicium, ultio, probrum, risus, corruptio.* Magni quidem à nobis fit existimatio mundi, & boni nominis integra fama; Et tamen hoc totum per peccatum amittitur, quia vitiosi contemnuntur, & digito monstrantur.

Peccator laboriosè progreditur ut Agricola. Similitudo. *Chrysost. citat. à Bouth.*

3. Consideratione quoque digna sunt verba illa Ezechielis, dicentis: *Si conversus justus à justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*; porro quidnam per ly *offendiculum* insinuare voluerit, declarat Hieronymus, inquiens: *Justus si fecerit iniquitatem, atque peccatum, non statim moritur, sed ponitur offendiculum coram eo, sive tormentum, ut torqueatur.* Hoc autem tormentum non est securis, neque ensis, vel aliud justitiæ publicæ supplicium, sed remorsus, & pœnitentia, quam unusquisque post commissum delictum in semetipso experitur. *Prodest justos intelligere delictum suum*, inquit S.Hieronymus, *conscientiæque tormentum, & dicere cum Psalmista: Conversus sum in ærumna mea, dum mihi configitur spina.* Chrysostomus in Homilia quadam de homine perverso ita scribit: *Quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam, & accusatricem? Quemadmodum enim semetipsam nemo potest effugere, ita nec illam ejus curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, & à Deo nostris impositum mentibus.* Profecto hujus sæculi Magnates, qui neminem supra se, subditis leges condentem agnoscunt, qui neminem in terra habent, cui actionum suarum teneantur reddere rationes, nimis fœlices forent, si etiam in hac vita mortali impune peccare possent; At vero id Deus nequaquam permittere voluit, quin potius disposuit, ut pari modo, quo alij, imo plus quam alij, in conscientia sua, à remorsu, & à syndæresi, qui velut carnifex quidam animam pungit, & cor transgressoris affligit, flagellentur. Unde licet in summis degant delicijs, gaudijs, ludis, theatris, convivijs, puellarum conversationibus, non tamen ob id in intimo conscientiæ suæ penetrali gaudium aliquod experiuntur, sed quemadmodum Sapiens ait: *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.*

Ezech. 3. 20. *S.Hieron.* Remorsus vocatur offendiculum. *Chrysost. hom. 3. de verb. Isa.* Magnates accusantur à syndæresi & cruciantur. *Prov. 14. 10.*

4. Saül Rex ab asinorum gubernatione ad regnorum transierat imperium, & nihilominus quia cor ejus invidiæ & odij extimulabatur aculeis, adeo infœlix fuit, ut præ nimia tristitia & melancholia sua spiritibus malignis in corpore suo aditum præ-

1. Reg 16. v. 23.

buerit : *Spiritus Domini malus arripiebat Saül* ; ac proinde inter omnes thesauros, imperia, delicias & voluptates, quas ei propitius offerebat mundus, acerbissimo cordis dolore oppressus vivebat ; ideoque amarè lamentabatur, dicens : *Non est, qui vicem meam doleat*. Mira res, quod cum calamitatibus paupertatis, persecutionis, infirmitatum, & bellorum aliorumque similium infortuniorum miserijs compassio correspondeat amicorum, nihil tale Saüli acciderit ; Quidnam ergo Saüli regnanti deerat, cujus penuriam sine compassione tolerare debebat ? nimirum deerat illi pax cordis & quies interna. At verò quis hanc ei impediebat ? Nullus alius quam ipsemet sibi : *Quin etiam vidi eos, qui operantur iniquitatem, seminant dolores, & metunt eos.* Etenim valde ei displicuerat, quòd cùm ille Rex esset in Israël, nihilominus post reportatum à Davide contra Goliath gloriosum triumphum ; majores hic à populo recepisset applausus, ideoque verebatur, ne paulatim se ex throno Regio deturbaret ; Quæ passio adeò in ipso prævaluit, ut pacem se habere non posse, stultè sibi persuaserit, nisi prius Davidem mortuum videret. Cajetanus super illa sacri textus verba : *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, ita scribit : *Quemadmodum spiritus bonus in Davide non significat Angelum sanctum, sed gratuitum donum internum divini impulsus, ita spiritus malus in Saüle non significat Dæmonem, sed spiritum melancholicum, impellentem ad malum, terrendo Saülem ; Ubi interveniebat duplex passio immissa à Deo ; altera corporis, in motu spiritus melancholici mali, hoc est, nocivi, altera animi, quoniam ex motu spiritus melancholici formabantur in internis sensibus apparitiones exterrentes Saülem ; & utraque passio est ægritudinis naturalis, sed Deo attribuitur ; tum quia opus naturæ est opus Dei, tum quia subtrahente Deo gratuitum donum interni impulsus divini, compescentis hujusmodi passionem in Saüle, invaluit spiritus melancholicus, terrens, & impellens ad malas actiones, nam impellebat eum ad occidendum Davidem.*

1. Reg. 22. 8. — Nullus Saüli compatiebatur. — 1. Reg. 16. 14. Cajet. ibid. — Duplex passio immissa Saüli à Deo.

Corn. Tacit. l. 6. Annal.

5. Tacitus de Tyberio Imperatore totius universi Monarcha refert, quod impressionem quamdam cordis in se sentiens, qua totus reddebatur stupidus, & attonitus, ut hanc melancholiam mitigare, seque pro dilatatione animi per voluptates nonnihil licentiosiùs recreare posset, Roma relicta in Insulam, quæ di Capri appellatur, parum ab urbe Neapolitana distantem se receperit: At verò quia verissimum est, quod Poëta ille cecinit :

Cælum, non animum mutat, qui trans mare currit.

Maximus remorsus fuit Tiberio Imperatori.

Hinc factum est, quod ferocissimam quamdam tristitiam cordi suo adeo tenaciter impresserit, ut se minimè continere potuerit, quin ad Senatum Romanum hæc in verba scriberet : *Quid scribam vobis Patres conscripti ? Aut quomodo scribam ? Aut quid omnino non scribam hoc tempore ? Dij, Deæque me pejus perdant, quam perire me quotidiè sentio, si scio :* Enimverò quidnam Tyberius hisce verbis dicere voluerit, Tacitus hisce verbis declarat: *Adeo facinora & flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant.* Porrò hic Tyberius licet totius mundi dominator esset, quia tamen vitiosissimus erat, innumeros interius viscera sua transfadigentes experiebatur dolores. Neque enim detestabilior, magisque sacrilega dari potest impietas, quam sit illa, qua mundi potestates, ipsiusmet Ecclesiæ fiunt persecutores, adeò ut ipsimet in propria persona Martyrum carnificinæ assistere non erubescant. Regius Psalmista in persona generosi & constantis cujusdam Martyris & Athletæ Dei ait : *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.* Quod verum esse ex eo constat, quia teneræ & inermes puellæ in conspectu tyrannorum consistentes, plus eos faciebant rubescere ex verecundia, quam ex proprio illarum sanguine manus aut vestes suas rubricarint. Sanctus Laurentius Valeriano Imperatori constanter improperavit, dicens : *Disce miser, quod carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium æternum.* S. Agatha quoque hisce judicem suum verbis acriter aggrediebatur : *Non te pudet amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti ?* Mirum ergo non est, quod in rabiem agerentur, & confusi erubescerent, videntes, quod quo plures Christianorum dilaniabant, eo magis excresceret Christianorum numerus.

Ps. 29. v. 1. Fortitudo Martyrum maximè enituit.

Sap. 17. v. 11.

6. *Seminant dolores* in libro Sapientiæ dicitur : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis.* Enimverò si dixisset, Deum in pœnam iniquitatis decrevisse impijs infernum, facilius hoc Sapientis effatum intelligi potuisset ; At verò quisnam hic est loquendi modus : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis ?* Enimverò verba subsequentia sensum hujus asserti declarant; Nam immediatè post dicitur: *Semper enim præsumit sæva perturbata conscientia*, quasi dicat, ut explicat Hugo Cardinalis : *Timida nequitia, id est, timor annexus nequitiæ ; conscientia, datus est in condemnationem omnium peccatorum, urens mentem.* Ita enim Deus disposuit, ut mala commissorum scelerum conscientia, etiam in hac præsenti vita, interius nos ignis instar adureret. Dionysius Carthusianus sequentem tradit prædictorum verborum declarationem, inquiens: *Pœnalia mala sæpe præveniunt, seu citiùs adesse putantur, quam adsint; Redarguente conscientia, id est, ex remorsu propriæ conscientiæ, qua impius sibi suorum conscius vitiorum suspicatur, sibi assiduè adversa instare, quæ se noscit promeruisse; Cùm sit enim timida nequitia, id est, timidum faciat hominem, ratione prætacta, propter quod fures & latrones semper sunt pavidi, metuentes jugiter deprehendi; Dat testimonium condemnata, id est, accusat seipsam, & justè se damnari testatur, atque puniri ipsa sua inordinata formidine. Alij habent ; data est in omnium condemnationem, id est, à Deo judice ordinatur ad ipsorum reorum punitionem, & condemnationem, inordinatus etenim animus sibiipsi frequenter est gravis, & timor, quem parit nequitia in suo subjecto, est quædam ejus punitio ; Semper enim præsumit sæva perturbata conscientia, id est, conscientia nequiora jugiter suspicatur, præsupponit, seu putat sibi affutura, & propinqua esse dura, ferociaque tormenta, sicque patitur supplicia antequam veniant, sicut & Leo Papa testatur ; quod rea conscientia intra se patitur, quidquid Dei bonitate differtur.* Præterea ne impius, qui scelus suum in secretissimis cordis sui penetralibus commisit, illud negare possit, Deus illi hunc remorsum imprimere voluit, ut eum accuset, atque condemnet.

Mala conscientia ad instar ignis nos adurit. Hug. Card. — Dion. Carth. — Pœna malæ conscientiæ.

7. Syriaca legit : *Quoniam malitia eorum testatur de illis, & condemnat eos, qui fecerunt mala.* Arabicus vertit : *Malum testatur illi, & judicat de eo.* Porro hoc judicium etiam quoad potentissimos mundi Magnates instituitur, qui adhibitis etiam omnibus exercitibus suis hunc accusatorem ne latum quidem unguem ad retrocedendum coërcere possunt, *semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Audiamus hac de re Philosophum quemdam Gentilem : Etenim Plutarchus in libro *de tranquillitate animi* ita scribit : *Facinorosa conscientia in anima instar est ulceris in corpore, utpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem jugiter, pervellentemque animam.* Idem Philosophus in libro *de sera numinis vindicta* ad propositum nostrum inquit: *Malitia, conjunctum, assiduoque ipsam torquentem, ac affligentem gestat dolorem, quemadmodum enim flagitiosus quisque ultimo affligendus supplicio corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex seipsa supplicium sibi struit* ; & ideo, ut Sapiens ait, licet nullus sit, qui reum criminis ad supplicium quærat, ipse tamen præ timore in fugam se recipit : *Fugit impius nemine persequente;* Cujus causam S. Job his verbis insinuat : *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur; Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem circumspectans undique gladium.* S. Cyrillus Alexandrinus defixo in hoc tribunal oculo suo ad nostram eruditionem ita scribit: *Magna quædam res, conscientiæ certæ stimulus est, qui quando perperam aliquid agimus etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.* Observetis velim, quibus verbis D. Chrysostomus divitis Epulonis statum exponat ; ita enim loquitur : *Explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem.* Et paulo post subdit : *Qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus. Timor undique ac tremor, suspicio & anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsos famulos conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia, obambulat, & amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius judicio damnatus, & nec ad breve tempus possit respirare.* Chrysologus de abominabili hoc monstro in sermone quodam, cui titulus est ; *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, ita scribit : *Et quid ? Peccatum natura, an substantia ? Nec natura est, nec substantia, sed accidens, & adversa est hæc potestas, quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat confunditque naturam. Et quid plura Fratres ? Hoc est peccatum natura, quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara sal-*

Judicium conscientiæ est indeclinabile. — Plutarch. de tranquill. animi. — Prov. 28. 1. Job 15. 21. — S. Cyrill. l. 18. in Jon. c. 3. — Fugit impius nemine persequente. — D. Chrysost. hom. 1. de Lazar. — Chrysolog. serm. 111. — Peccatum est accidens naturæ perniciosissimum.

sedo.

sedo. Utique purus & lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur & obscuratur injuriam, at corpus membrorum partibus & sensibus suis, per hoc, quod est à Deo conditum, viget, sed ubi vis febrium cœperit & procella dominari, totum iners, totum efficitur imbecillum ; tunc amaritudo oris, tunc oculorum caligo, tunc gressuum nutabunda vestigia, tunc inimica aura, tunc cibari graves, tunc ipsa obsequia videntur otiosa, & fontes quantum grati sunt per suam dulcedinem & naturam, tantum efficiuntur ingrati, cum aliquod vitium ex accessione susceperint. Porro comparationem fumi à pluribus alijs consideratam fuisse reperio, & specialiter à Propheta Regio in Psalm. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei.* At vero inquies, cur non potius aliam adhibuit similitudinem, V. G. floris, qui mane elegans est, vigorosus, gratissimoque colore & odore imbutus, at vero vesperi à falce præcisus, in aridum fœnum redigitur ? cur non potius similitudinem adhibet somni, qui in unico momento venit, & in unico alio momento evanescit ? Respondeo igitur Sapientem non solum repræsentare voluisse fugacitatem gaudiorum, & deliciarum, quibus licentiosi mundani in hac vita præsente tenaciter adhærescunt, verum etiam amaritudinem & afflictionem, quam inde sibi congregant. D. Chrysostomus in Homilia secunda super Matth. inquit : *Nonne vides, corporis oculos, cum in fumo forte remorantur, lacrymas semper effundere, si vero potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multoque majori aciei fulgore rutilare ? Talis profectò est & mentis oculus ; si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perlustrans, si verò in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur, & flebit, & in hoc quidem sæculo, sed multo amarius in futuro ; Fumo enim sunt humana negotia comparanda ; Propterea & ille ait : Defecerunt sicut fumus dies mei.*

Ps. 101. v. 4. — Quare peccatum potius comparatur fumo quam alteri rei. — D. Chrysost. hom. 2. in Matth. — Fumus nocet oculis. — Explicatur moraliter.

8. Fieri nequit, quin semper scandalizemini, quotiescumque in sacris Litteris legitis impertinentes illas Hebræorum Deo ipsimet propositas solicitationes, quibus sibi in deserto alliorum & ceparum provisionem sibi ministrari rogabant, maximè quando etiamnum cœlesti manna abundanter provisi erant. Quod si fortasse solas Ægypti sibi dari postulassent carnes, in hoc aliquod gulositatis suæ edidissent specimen ; At vero quid boni in allijs & cepis, cibis adeo abjectis & contemptibilibus invenire poterant, ut in illorum comparatione panem Angelorum fastidirent ? B. Petrus Damianus in Epistola quadam *ad Alexandrum secundum Pontificem Romanum*, hujus rei pandit mysterium, dum ait: *Sibi deesse cepas conqueruntur, & allia, quæ nimirum species, dum vi naturalis acredinis mordent faucium gustum, lacrymas provocant oculorum.* Et ideo *omnia in figura contingebant illis* ; Increduli enim hi Hebræi, qui ab immoderatis suis appetitibus se seduci sinentes, dum ad terram promissionis proficiscebantur, Deo rebellabant, omnes illos repræsentabant fideles, qui in hac præsenti vita desiderijs suis habenas laxant & tamquam inimici Dei vivunt ; Hi enim amant cepas & allia, harum voluptatum, gaudiorumque terrenorum & carnalium ; quæ illos inconsolabiliter, tum in hac ; tum in altera vita plorare facient ; propter inexplicabiles dolores & tormenta, quibus vel inviti ibidem subjacebunt.

Petr. Dam. l. 1. Epist. 15. — Per cepas Ægypti intelliguntur voluptates hujus vitæ.

DISCURSUS XVIII.
ARGUMENTUM.
Continuatur idem argumentum.

THEMA.
Contritio, & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Psalm. 13. ℣. 3.

Pœna peccati in hoc mundo.

1. REgius Propheta in Psalm. 13. malitiam exprimit perversorum, divinis legibus insolenter rebellantium, de quibus tamen prædicit, quod hujus rebellionis pœnam, etiam in hac præsenti vita, sint reportaturi, quia innumeras experiuntur in hac vita miserias & ærumnas : *Contritio & infœlicitas in vijs eorum &c.* S. Antoninus de hoc puncto illud Apocalypseos cap. 3. adducens textum : *Dicis quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, ita discurrit: *Quod amaritudinem inducat peccatum, habes Jerem. 2. ubi dicit Dominus animæ peccatrici : Scito, & vide, quia malum est, & amarum tibi, dereliquisse te Deum tuum, scilicet per peccatum; Amarum, quia inquietudinem, & punctionem inducit ; Unde Philosophus dixit, quod omnis malus impletur pœnitudine, propter remorsum conscientiæ ; Idque probat authoritate Isaiæ dicentis : Cor impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest* ; nec non & sententia illa S. Augustini, quam in confessionibus suis tradit inquiens : *Jussisti Domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus ipse sibi pœna sit* ; spargit enim Deus amaritudines super illicitas cupiditates. Citat quoque testimonium S. Ambrosij dicentis: *O quam magna est amaritudo peccatorum meorum, pro qua tollenda tanta fuit necessaria amaritudo, scilicet passionis & mortis Christi* : Cur vero major pars impiorum hanc amaritudinem non sentiat, hujus præfatus S. Doctor hanc reddit rationem : *Verum tamen est, quod nutriti in peccatis, non sentiunt istam amaritudinem, quia similes sunt piscibus maris, qui propter assuetudinem nutrimenti, ex aqua maris amara seu salsa, æstimant aquam illam dulcem. Similes etiam sunt, mulieri prægnanti, cui amara sapiunt, & suavia fastidiunt. Sic qui conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem, ponunt dulce in amarum, amarum in dulce*, ut dicitur Isaiæ 5. *& hoc propter palatum infectum febre peccati.* S. Augustinus aliam quamdam adducit piscis similitudinem, qui totus lætus, & alacer in aquis natitat, ob escam deglutitam non advertens, quod simul cum esca deglutiverit hamum, quo capitur : *Noli gaudere ad piscem, qui adhuc in esca sua exultat, nondum piscator traxit hamum.* Peccator in actuali vindicta, quam de inimico suo sumit; vel in actuali furtiva delectatione, qua corpore mulieris inhoneste utendo fruitur, gaudet, & exultat, quod passionem suam explere potuerit; At verò non multum temporis abibit, quin ei superveniat pœnitentia & dolor ; quando scilicet recogitat, se mortalem cum parentibus occisi inimici sui contraxisse inimicitiã, Aut vero quia timet, ne impudicitia sua, cum honoris sui jactura, & manifesto vitæ suæ periculo detegatur, cunctisq; manifesta evadat, sæpe tamen tunc ipsum pœnitet commissi erroris, quando se emendandi tempus ei amplius non suppetit. Seneca *in libro de tranquillitate vitæ* ; multa nobis ob oculos mala objicit ; quæ vitium annexum habent ; Ait enim : *Innumerabiles proprietates sunt ; sed unus effectus vitijs, displicere sibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis &c. Parum in se solatiorum habent, ideoque detractis oblectationibus ; quas ipsæ occupationes discurrentibus præbent, domum, solitudinem, parietes non fert, invitus aspicit se sibi relictus. Hinc illud est tædium, & displicentia sui, & nusquam residentis animi volutatio, & otij sui tristis, atque ægra patientia. Utique ubi causas fateri pudet, tormenta introrsum agit verecundia, in angusto inclusæ cupiditates sine exitu seipsas strangulant. Inde mæror, marcorque, & mille fluctus mentis incertæ ; quam inchoata habent suspensam, deplorata tristem.* Quis umquam in tam præclaram erupisset sententiam, etiamsi veræ fidei lumine illustratus, evidenter scivisset, animam sine Deo in potestate Dæmonis esse positam, cunctisque donorum cœlestium, gratiarum, virtutum, & meritorum auxilijs spoliatam, & à subtilissimo filo, id est, respiratione vel anhelitu dependentem agere vitam, quo filo rupto in inextinguibilem inferni proruat fornacem ? Quis in tam deplorabili ; & tremendo statu videre poterit ? Certe qui hæc omnia considerans non inconsolabiliter affligitur, clare indicat, se vel insensatum esse, vel prorsus non credere, quæ fides divina credenda proposuit; Verumtamen idipsum nequaquam mirandum est, quia primum, quod facit, peccatum est, quod intellectum excæcet : *excæcavit illos malitia.*

Apoc. 3. v. 17. S. Antonin. p. 4. tit 14. c. 6. §. 7. Jerem. 2. 19. — Isaia 57. 20. — Cur impij non sentiant amaritudinẽ peccatorum suorum. — Piscis cum esca trahit hamum. — Peccatum sequitur pœnitentia naturalis. — Seneca de tranquill. vit. c. 2. — Peccatum occultam relinquit post se tristitiam. — Peccator aut fidelis non est, aut fatuus est.

2. Divus Chrysostomus ait : *Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt passiones.* Quis umquam crederet, ex peccato nasci tristitiam, & melancholiam, maxime cum non solum Sacra Scriptura, verum etiam quotidiana experientia de perversis attestentur, quod *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis ?* S. Bonaventura considerat filium prodigum hilarem prorsus & lætum ; quando ruptis paternæ obedientiæ vinculis, acceptaque à patre pecunia, & licentiosa libertate carnalibus desiderijs suis laxabat habenas ; At vero subito eousque redactus est, ut rustici cujusdam in pascendis porcis fieret servus, totusque famelicus, *cuperet implere ventrem suum de silijquis porcorum, & nemo illi daret.* Subdit vero S. Bonaventura : *His delectationibus tamquam delicijs suis peccator quærit, & appetit satiari ; At vero quid sit ? Et nemo illi dabit, quia cum peccator hujusmodi quærit delicias, justo Dei judicio perdet illas.* Unde

Chrys. t. 6. hom. 5. — Prov. 2. v. 14. — Luc. 15. 16. S. Bonav. ib.

Osea 2. 5.
Dum peccatores in peccatis suis quærunt delicias, persæpe non inveniunt.

in Osea dicit anima peccatrix. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & lanam meam, & linum meum, & oleum meum, & potum meum, propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet; Et post cessare faciam omne gaudium ejus.* Deus enim sæpe in justam peccatorum vindictam, non solum sepit omnes peccatoribus vias, per quas ad explendos appetitus suos post multos toleratos dolores, pertingere possent: (*Contritio & infœlicitas in vijs eorum*) Verum etiam frequenter efficit, ut postquam ad occasionem desideria sua explendi pervenerint, illas in ijs non reperiant voluptates & gaudia, qualia se in ijs reperturos fuisse credebant, imo loco favi mellis, nihil aliud quam duras & insipidas glandes deprehendant.

Luc. 22. 31.
Quid sit vexare sicut triticum.
S. August. in Psalm. 100.
S. Bonav.

3. Incarnata sapientia de cibo, quo serpens infernalis pascitur differens, hanc adhibet similitudinem: *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Porro triticum symbolum est electorum, ac proinde potius alium parallelum Christum adhibere debuisse videtur; Verumtamen ut S. Augustinus bene observat, Christus prædictis verbis ad reproborum alludere voluit infœlicitatem, & miseriam, qui non prius præda fiunt dæmonis, quam in hac præsenti vita cribrati, id est, quam laboribus & ignominijs præcedentibus exagitati fuerint. *Quid est vexare sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, ut panem faciat, sic neminem manducat Diabolus, nisi primo per tribulationem everterit, contriverit, ut manducet, Contritio & infœlicitas in vijs eorum.* S. Bonaventura *in opusculo mysticæ Theologiæ cap. 2. petit. 6. fol.* 709. pro impij cujusdam informatione sequentem tradit doctrinam: *Scito, & vide, quia durum, & asperum est reliquisse te Dominum Deum tuum, duplicem infœlicitatem ipsum significans incurrisse, quia enim per malitiam creaturæ inferiori inverecundè adhæsit, propter momentaneam delectationem, justo Dei judicio non oblectationem, sed amaritudinem potius reportabit, ut qui satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur.*

Isa. 34. 13.
Sap. 2. v. 8.
Ab eisdem rosis progerminant pungentissimæ spinæ.
S. Antonin. ibid. §. 8.
Hebr. 12. 15.
D. Chrysost. Hom. 31. ibid.
Peccatum est radix amaritudinis.
Ps 71. v. 14.
Beda ibid.
Supplicium peccati dicitur usura.

4. Apud Isaiam dicitur: *Orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ, & erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent Dæmonia.* Quis hic diceret, sermonem esse de impijs, qui rosis tempora sua cingunt: *Coronemus nos rosis*; Quænam enim esse potest proportio inter Dracones, carnaliumque & mundanorum mollissimos lectos? Inter lauta convivia & struthionum pascua? Respondeo, quod ab ijsdem illis rosis, quibus impiorum cinguntur tempora, pungentissimæ progerminent spinæ, quæ conscientiam illorum, imo & corpus aliquando transadigunt; In lectis mollibus voluptates transmutantur in pestilentissima draconum venena, hi enim non nisi mortem corporalem inferre possunt. Præterquam quod sæpe etiam astringantur ad degluttiendum & digerendum bolos longe duriores illis, quos struthiones chalybem deglutire solent. S. Antoninus hunc textum ad propositum nostrum adaptans, per hasce domos & cubilia, in quibus nascuntur spinæ & urticæ, impiorum interpretatur conscientias, ac demum subdit: *Hæc animalia significant diversa vitia peccatorum, per quæ illis assimilantur.* D. Chrysostomus super illa verba Apostoli ad Hebræos: *Contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat*, &c. ita scribit: *Merito amarum vocavit peccatum; revera enim nihil est peccato amarius; non dixit radix amara, sed radix amaritudinis, nam fieri quidem potest, ut radix amara dulces ferat fructus, sed fieri non potest, ut amaritudinis radix dulcem umquam ferat fructum; Omnia enim sunt amara, nihil habet dulce.* Enimvero in offensa Dei nullum prorsus inveniri potest motivum delectationis, quia per injuriam Creatoris, injuria pariter afficiuntur omnes creaturæ; Et quidem si nonnumquam aliqua in ijs reperiatur delectatio, hæc est velut rosa quædam, mille spinis circumdata; adeoque multo major in ea est afflictio, quam satisfactio. Beda versum illum Psalmistæ. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum*, propositum nostrum in hæc verba exponit: *Id est, ex supplicijs peccatorum, quæ tandem debentur malis, liberabit à supplicijs, quia redimet ab iniquitate, quia causam aufert suppliciorum, id est, peccatum.* Quod vero immediate subditur, magna dignum est consideratione, ait enim: *Supplicium autem ipsum ideo usura dicitur, quia plus mali contingit invenire in supplicio, quam delectationis in peccato.*

Psal. 10. 13.
S. August. in Psalm. 123.

5. Sanctus Augustinus super illa verba Psalmistæ: *Propter quid irritavit impius Deum*, ita scribit: *Si non vides peccatum tuum antequam facias, vel jam cum fecisti, considera. Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem postea convertetur:* Primum peccatum, quod cunctis alijs criminibus viam aperuit, in mundum ingressum est sub blanda & lenocinante forma, siquidem serpens, priusquam venenosus fieret, blandus, & amabilis fuit, adeo ut non desint, qui crediderunt, serpentem præ se tulisse faciem fœmineam, pulcherrimam, & amabilem, hoc idem ut plurimum in peccato contingit: *Ingreditur enim blande, sed, in novissimo mordebit ut coluber.* Merito igitur Ecclesiasticus nos monet, dicens: *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Berchorius in suo dictionario, de peccato differens inquit: *Dico, quod peccatum est dimittendum, quia offert blandimentum dulcis tentationis, quod supponitur, cum habere faciem ostenditur. A facie colubri fuge peccata, quia enim per faciem, quæ est prima pars hominis, homo homini apparet, alloquitur, & blanditur, quia scilicet facies est inter cæteras partes hominis magis grata, cum ibi vigeant, & appareant omnes sensus, sic quia per tentationem, suggestionem, & delectationem, quæ primæ partes sunt peccati, quæ etiam in peccato primo occurrunt, Diabolus, & peccatum, nobis adblandiuntur, attrahunt, & alliciunt, & alloquuntur; Bene dico, quod per faciem peccati prima tentatio designatur. A facie, inquit; Sicut enim scorpio facie lambit, & cauda pungit; Sic peccatum in principio per tentationem allicit, & ultimo per mortem æternam officit. Ideo dicebat David: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Idem author progreditur explicando mysterium, ob quod peccatum serpenti assimilatur; subdit enim: *Adverte, quod peccatum dicitur coluber, quia via ejus non cognoscitur propter subtilem subintrationem, quia faciliter collabitur; & deinde dicitur coluber, propter blandientem delectationem, quia acriter mordet, percutit, & pungit; propter venenosam delectationem.* De hoc eodem puncto quoque tractat Pater Alvarez; dum adhibita sequenti idonea similitudine ita discurrit: *Glutit ille quidem buccellam impurissimæ voluptatis, sed tot pressuris & amaritudinibus involutam, ut præ inquietudine & timore fere voluptatem non sentiat. Si enim quis cogeretur guttulam mellis in magnum vas fellis & absynthij injectam potare, non dulcedinem, sed amaritudinem sentiret; Ita qui modicam, & umbratilem peccati dulcedinem, tot angoribus, & conscientiæ accusationibus circumdatam bibit; concupitam suavitatem experiri non valet. Arguet te malitia tua, inquit Jeremias, & aversio tua increpabit te, quia videlicet conscientia iniquitate fœdata, statim se conspurcantem arguit. Ista autem prima peccati pœna non multum diuque differtur; sed ab ipsa admissione peccati mentem discerpit.* Adducitque sequentem S. Augustini super Psalm. 36. scribentis authoritatem: *Peccatoribus non est locus in his; quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conscientia illos non consolatur. Non est bene illis secum, quia bene esse cum malo non potest. Quisquis autem malus est, male secum est, torqueatur necesse est sibi seipso tormento; ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua; Fugit ab inimico, quo potuerit, à se quo fugiet?*

Primum peccatum venit in mundum sub forma dulci quasi mulieris.
Prov. 23. 32.
Eccli. 21. 2.
Berch. Dict. Verb. pecc.
Per faciem peccati designatur prima tentatio.
Ps. 37. v. 4.
Jacob. Alvar. t. 2. l. 1. p. 1. cap. 4.
Similitudo.
Ab extraneo inimico quis fugere potest non verò à semetipso.

6. B. Petrus Damianus Dæmonem spinoso herinacio assimilans, hanc ejus refert proprietatem: *Diaboli figuram etiam herinacius repræsentat, qui nimirum cum toto corpore spinis sit obsitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, & quam meliorem viderit, occupat uvam, quam mox tam violenter exagitat, ut omnia ejus in humum grana prosternat, indeque descendens, tamdiu super eadem grana provolvitur, donec spinarum ejus aculeis omnia transfigantur:* Idem quoque dæmon facit circa eos, quos possidet, transfigit enim illos, millenisque ærumnis, zelotypijs, suspicionibus, timoribus, remorsibus, anxietatibus, inquietudinibus, perforat, & exagitat; Unde Isaias de anima peccatrice vaticinatur inquiens: *Ponam eam in possessionem Ericij*, id est, *immundis spiritibus*; Terra enim hujus corporis nostri post culpam huic maledictioni subjecta fuit; *spinas & tribulos germinabit tibi*; Et quidem ex quo anima nulli rei ita studet, quam seminandis in terram corporis sui inordinatarum affectionum spinis, quomodo ab illis suaves pacis, quietis, internarumque consolationum fructus colligere poterit? *Numquid colligunt ex spinis uvas, aut ex tribulis ficus? Contritio & infœlicitas in vijs eorum*; Quæ verba Hugo Card. de quibuscumque peccatoribus exponens inquit: *Contritio & infœlicitas id est labor & miseria, in vijs eorum id est, peccatorum, est enim in vijs eorum labor & dolor, tam cordis, quam corporis.* Citatque sequentem Gregorij Magni sententiam dicentis: *Nihil laboriosius quam terrenis desiderijs æstuare, nihil quietius, quam*

Petr. Dami. Opusc. 32. cap. 6.
Diabolus est herinacius.
Isa. 14. v. 23. Gloss.
Gen. 3. v. 18.
Matth. 7. 16.
Hug. Card. in Psal. 13.

Psal. 36. 20.
S. August. ib.
Quod ambitio sit crux ambientium probatur historiâ.

quam in mundo nihil appetere, Israël enim accepit Sabbatum in manere, Ægyptus percutitur muscarum multitudine. S. Augustin. super illa verba Psalm. 36. *Quia peccatores peribunt*, refert, quemdam Hæreticum Donatistam, contra suos exasperatum, eo quod ad illa, quæ ambiebat, munia ab eis non promoveretur, ijs derelictis transisse ad Catholicos, sperando se ab illis subito exaltandum fore; At vero plurimum in hoc erravit, siquidem ab ijs infimum in locum collocatus fuit; Unde facile colligere licet, Donatistam hunc eam expertum fuisse crucem, de qua S. Bernardus ait: *O Ambitio ambientium crux*; quia ut S. August. subdit: *Gemebat saucius, & non consolabatur, erant enim in conscientia ejus Equulei horribiles taciti:* vitia enim & inordinatæ passiones, interius non minus acerbe nos cruciant, quam catastæ, & equulei, quibus olim torquebantur Martyres; imo tanto acerbius affligunt, quanto his corpus distorquentibus, hæ ipsammet transadigunt animam; equulei brevi tempore finiuntur, at vero hæ mentem lacerant, & conscientiam incessanter transfigunt. Donatista ille semper gemebat, tristabatur, suspirabat, innumerosque interius in animo experiebatur angores, nec tamen illos aperiebat; Unde S. August. subdit: *Videbamus & dolebamus vehementer, Deus scit tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas Gehennas, tanta tormenta*; Ecce quibus verbis sanctus hic Doctor inordinatas describat passiones, quæ ambitiosum excruciant: Quid igitur de illo dicemus, qui sibi omne genus vitij & sceleris prædominari sinit? quanto magis pœnæ & Martyria illius adaugebuntur?

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

De metu & timore, quem peccatum mortale in impijs causat.

THEMA.

Pavor his, qui operantur malum. Prov. 10. ℣. 29.

Prov. 10. 29.
Ibid.
Dion. Carth.
Impius semper est pavidus justus immobilis.
Ibid. v. 30.
Tull. orat. pro Milone.
Matth. 25. 8.
Auth. imperf. hom. 52.
Similitudo ex parabola evangelicâ.
B. Laur. Just. de ling. vitijs. cap. 3.
Prov. 28. 1.
Ibid.

1. Sapiens hominem justum & impium ad invicem comparando, dicit de illo: *Fortitudo simplicis via Domini*; de hoc vero ait: *Pavor his, qui operantur malum.* Versio septuaginta habet: *Contritio operantibus mala*; Vatablus legit: *Animi consternatio.* Dionysius Carth. hæc Sapientis verba exponens ait: *Horrenda formido imminet eis, & inordinati timores sunt in ipsis frequenter, cum metuunt deprehendi, sicut de furibus, adulteris, & consimilibus constat.* Econtra vero sacer textus de anima innocente subjungit: *Justus in æternum non commovebitur.* Reflexione dignum est, quod Tullius in oratione in favorem Milonis habita in hæc verba scribit: *Magna est vis conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam ante oculos semper versari putent, qui peccarint.* Author operis imperfecti super illa fatuarum virginum verba: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, ita scribit: *Extinguitur lampas hominis, quando fides ejus deficit, & desperat. Sicut enim qui sibi bene conscius est, fiducialiter & magnanimiter agit, quemadmodum si quis infuso oleo addat lumen lucernæ, sic & ille consideratione operum bonorum semetipsum confortat, & fidei suæ addit audaciam. Qui autem sibi male conscius est, semper pusillanimis ac timidus est; & quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernæ; sic & ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit.* B. Laurentius Justinianus considerationem quamdam habet à professione militari desumptam; Ait enim: *Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic etiam omne infortunium instat timenti.* Enimvero qui rectam habet conscientiam cor leoninum habet: *Justus quasi leo confidens absque terrore erit*; Impius vero non item, de hoc enim antecedenter dixerat: *Fugit impius nemine persequente.*

Isa. 66. 24.

2. Quod si vermem aliquem videres, qui in fugam ageret aliquem elephantem, quid diceres? Et vero invenietis sæpe homines, quibus non deest animus integris se opponendi armatis exercitibus; attamen ut cum certo quodam verme congrediantur, nec vires sufficientes habent, nec animum; At vero quisnam est hic vermis, qui omnibus bella indicit, cunctosque etiam fortissimos prosternit? Nimirum ille, quem Isaias numquam interfici posse asserit: *Vermis eorum non morietur*; Talis vermis est synderesis, & malæ conscientiæ remorsus, qui omnes arrodit, quantumvis magni, potentes & robusti existant. *Fugit impius*, &c. *semper est pavidus, sive timidus*, inquit de impio Hugo Cardinalis, *non ut dicit Philosophus: Qui timet Deum, omnia timent eum, qui vero Deum non timet, omnia timet: Omni enim iniquitati annexa est timiditas.*

Vermis conscientiæ quosque fortissimos oppugnat.
Hug. Card. Prov. 28.

Desiderant omnes auroram excepto adultero.
Job 24. 15.
Sap. 17. 10.
Levit. 26. v. 36.
Deut. 28. 65.
Ibid. v. 66.
Ibid. v. 67.
Timor est pœna peccati.
Timet enim omni momento deturbari ad inferos.
Act. Apost. 17. v. 28.
Stobæus serm. 40.
Conscientia ante peccatũ est frænum, post flagrũ.

3. Unusquisque hominum post caliginosæ noctis tenebras suspirat auroram, eaque adveniente, volucres cœli præ lætitia in varios prorumpunt concentuum modulos, & tamen adulter adveniente aurora concipit timorem; Unde Job ait: *Oculus adulteri observat caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum suum, & si subito apparuerit aurora, arbitratur umbram mortis*; cujus rationem liber Sapientiæ his verbis assignat: *Cum sit timida nequitia.* Audiatis velim, quid Deus populo suo comminetur in casu, quo legibus suis rebellis futurus esset; sic enim habet sacer textus: *Qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis; & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente.* Similem pœnam Deus pariter in Deuteronomio comminatur inquiens: *Dabit tibi Dominus ... cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, Et erit vita tua quasi pendens ante te; timebis nocte, ac die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices: quis mihi det vesperam? Et vespere; quis mihi det mane? Propter cordis tui formidinem, qua terreberis.* Unaquæque anima Christiana oculo fidei considerare debet, quod dum est in peccato mortali constituta, de facto per æternæ condemnationis sententiam tradita sit in spirituum infernalium potestatem, quodque hi camdem super fornace infernali, ex unico dumtaxat capillo teneant suspensam, siquidem vita nostra ex unico tantum dependet halitu, seu respiratione, quæ longe minor est, quam sit capillus; ac proinde cum in tanto sit periculo, quo nullum dari potest majus, [cum agatur de æternitate pœnarum,] quis non pertimescet? quis non trepidabit? Præterea considerandum est peccatori, quod mortaliter peccando, Deum infinitum & potentissimum mortaliter offenderit; quod si hominem aliquem offendisset, aliqualem saltem sibi promittere posset securitatem, constituendo excubitores, exploratores emittendo, conscribendo multa virorum armatorum millia, & ab hoste suo procul recedendo; At vero, quisnam à Deo fugere, vel recedere valet, de quo scriptum est: *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Est hic inimicus potentissimus, longasque manus habet, quia ad quemvis locum, ad quodvis tempus ipse pertingit, adeo ut Philosophus quidam Gentilis de impijs in hæc verba scripserit: *An fieri potest, ut Deum effugiant? certe quocumque fugerint, deprehendentur.* Vir quidam eruditus de conscientia nostra præclaram hanc tradit sententiam; *Conscientia ante peccatum est frænum, post peccatum est flagrum.* Quisquis enim peccat, propriarum passionum & sensuum suorum, nec non spirituum infernalium servus sit & mancipium; Quis autem est qui nesciat, quod mancipia flagellum & virgam semper in metu habeant.

Job 15. 20.
Ideo peccator timet, quia Deum ubiq; præsentẽ habet inimicũ.
Corder. in Cat. Græc.
Mala conscientia est inconsolabilis.

4. S. Propheta Job adversus impium in cap. 15. his verbis invehitur: *Cunctis diebus suis impius superbit, Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur; non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium; cum se moverit ad quærendum panem, novit, quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies; terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium.* At vero undenam hi timores, & tremores adeo vehementes derivantur? Jamjam idipsum diximus; Peccator enim in prælium quoddam singulare cum Deo congreditur, Deum sibi facit inimicum, Deum injuriatur, & mortaliter offendit, Deum, inquam, illum, qui longas habet manus, quas nulla creaturarum potest effugere; *Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Author Catenæ Græcæ super hunc Jobi textum ita scribit: *Subito ac scelus hominem occupavit, ut Thyphone Poëtica, ferro & flamma & multiplici dracone cincta, feriali motu circumsistit, nec terrificus illius aspectus, & crudeles minæ vitari possunt. Adest domi, foris, ubique, etiam in lecto, medijsque noctis tenebris, neque sceptra Coronatorum Regum, nec excubias*

cubias militares Principum , non crepantes auro vestes ; non palatia marmoribus radiantia , non antitheta concinna , eloquentiam aureamque dicendi flumen, non contorta Dialecticorum dicta veretur. Audacter ingerit se , atque inter mimos , & ludiones tragœdiam cruentam excitat. Licet dulcis harmonia resonet , & oblectet aures in elegantia opulenti convivij , & amicorum suavitate inter jocos delicatos , & risum ludentium ; dilacerat pectus conscientia. Confirmat idipsum egregie , quod in cap. 5. Danielis refertur. Rex enim Balthasar lautissimam instruxerat cœnam , cui præter Reginas , & concubinas suas , quæ sine numero erant , mille accumbebant Principes , nobilitabant autem magnum hoc convivium , opulentia , varietas , multitudo , & delicatus apparatus ferculorum , supellex , item opulentissima , & Musicæ symphoniæ , scænicis repræsentationibus conjunctæ; Quid vero tandem factum est , quando cœna hæc ad maximum sui fervorem pervenit ;

Dan.5.v.5.

In eadem hora apparuerunt digiti , quasi manus hominis , scribentis contra candelabrum , in superficie parietis aulæ Regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.

Ibid. v.6.

Tunc facies Regis commutata est , & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur , & genua ejus ad se invicem collidebantur.

Subita mutatio Balthasaris.

Verumenimvero quærendum hic venit , undenam hic tam vehemens timor & tremor processerit ? Num forte certior factus fuerat , inimicum suum eousque fuisse progressum , ut muros Babyloniæ ad eam deprædandam conscendere cœperit ? Nequaquam , Non solum enim hoc illum latebat , verum insuper securum se esse credebat , quod hostis eousque numquam penetrare posset. Num igitur de imminente aliqua contra ipsius vitam conjuratione nuntium acceperat ? Minime ; Quin potius sacra Scriptura dubium hoc resolvit , manifestando , duos illos digitos fuisse adinstar duarum sagittarum , quæ in cor ejus vibrata fuerant.

Ibid. v.7.

Exclamavit itaque Rex fortiter , ut introducerent Magos , Chaldæos , & Aruspices. Cumque omnes Babyloniæ sapientes introducti fuissent , nec ullus illorum verba illa sive legere , sive interpretari posset , angustiæ Regis majoribus auctæ fuerunt incrementis , dicente sacro textu :

Ibid. v. 9.

Unde Rex Balthasar satis conturbatus est , & vultus illius immutatus est. Cumque accersitus fuisset Daniel , hic prodigiosæ illius scripturæ declaravit mysterium , & primo quidem in memoriam ei revocavit supplicium , quo Deus in Nabuchodonosorem animadverterat , eo quod contra ipsum dimicare , eique bellum indicere præsumpsisset , videlicet qualiter condemnatus fuerit per multos annos ad vivendum in societate ferarum in densissimis sylvis ; mox vero dicto Balthasari prædixit , quod quia ex terribili hoc patris exemplo nequidquam profecisset , quin potius per temerariam & sacrilegam impietatem sacra templi vasa , quæ ab Jerosolymis Rex ille transvexerat , profanasset , ideo justo Dei judicio ipsum in hac eadem nocte, & regno, & vita exuendum esse :

Gravis pœna Balthasaris eo quod Patris pœnâ nō fuerit correctus.

Ibid. v.26.

Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud , appensus es in statera , & inventus es minus habens ; divisum est regnum tuum , & datum est Medis & Persis ; Enimvero non solum Balthasar toto corpore contremuit , postquam à tam fide digno viro , qualis Daniel erat , tam funestam prodigiosæ illius scripturæ interpretationem intellexit , sed diu ante hanc Danielis explicationem , solum illos duos digitos aspiciendo , præ nimio pavore & tremore tota facie impalluit.

Omnia media consolationis erant inefficacia.

Verisimile quidem est, multos coram illo è Principibus comparuisse , ut illum consolarentur ; Multas è concubinis suis ad eum accessisse, ut blando verborum lenocinio animum ejus mitigarent , multos quoque Aulicos ipsi adulando animi mœstitiam fugare conatos fuisse, varios quoque moriones per multiplicem ridicularum rerum seriem risum ei provocare studuisse, at vero , quia conscientia ipsum remordebat , de indicto per sacræ supellectilis vilipendium bello ipsimet Deo (cui Nabuchodonosor omnem semper detulit respectum & reverentiam) ideo quæcumque illi adhibebatur recreatio, adulatio, vel ebrietas (quæ alias omnem solet sepelire animi molestiam) hunc à corde suo timorem, & tremorem depellere nequaquam potuit ; *Pavor enim his, qui operantur malum.*

5. Audite quid liber Sapientiæ de perversis pronuntiet :

Sap.4. v.18.

Illos Dominus irridebit, inquit, *& erunt post hæc decidentes sine honore , & in contumelia inter mortuos in perpetuum , quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos à fundamentis , & usque ad supremum desolabuntur , & erunt gementes , & memoria illorum peribit , venient in cogitatione peccatorum suorum timidi , & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum*, idque ex S.Bonaventura exponit :

Quo plura sunt peccata eò major est timor.

Ibid. v. 20.

Remordente eos conscientia timidi de pœna inferenda. Glossa ab eodem Seraphico Doctore citatus ait :

S.Bonav.ib.

Accusantes eos , sicut adversarius accusat adversarium suum , iniquitates ipsorum , id est , peccata ab eis perpetrata , corde , ore , vel opere, Jerem. 2. *Arguet te malitia tua.*

Jer.2. 19.

Sap. 9.v.14.

In eodem sapientiæ libro dicitur : *Cogitationes mortalium timidæ , & incertæ providentiæ nostræ ; corpus enim , quod corrumpitur , aggravat animam.* Et quidem quanto pluribus anima obnoxia fuerit peccatis , tanto magis in eadem timiditas & pavor augetur. Dicit autem Sapiens , cogitationes mortalium timidas esse , non quod cogitationes illorum timidæ sint , aut metum in se habeant , sed quia cogitationes meticulosum , tremulum , & quasi exanimem reddunt.

6. Primum crimen , quod post contractum peccatum originale in Scriptura sacra refertur , fuit horrendum illud innocentis Abeli fratricidium ; At vero quemnam hoc crimen in illo reprobo produxit effectum ?

Gen.4.v.14.

Omnis, qui invenerit me , occidet me. Sed quisnam erit ille , qui hoc facturus est ? Forsitan Eva mater illius ? vel Adam ejus Pater ? Quis enim alius manus suas in ejus sanguine cruentare potuisset ? Ecce tibi peccati effectum ; *Pavor his , qui operantur malum.* Et quidem quamdiu Cain vixit , in continuo semper timore , & tremore fuit.

Cain post fratricidium fuit in continuo timore.

Job.15.21.

Certus quidam Interpres illum Jobi textum : *Sonitus terroris semper in auribus impij* ; ad propositum nostrum ita exponit : *Semper suspicax est de conscientia malo , quemadmodum in sapientia de Ægyptijs dicitur , qui hoc malo formidinis conscientiæ cruciatu percussi pavebant. Aut enim spiritus sibilans , aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis , aut mox aquæ decurrentis nimiæ , aut sonus validus præcipitatarum petrarum aut ludentium animalium cursus invisus , aut mugientium valida bestiarum vox , aut resonans de altissimis montibus Echo deficientes faciebant illos præ timore.*

7. Hunc porro timorem peccatum originale à primis suis natalibus secum traxit, siquidem primi nostri parentes , coram Deo , comparere formidantes, præ nimio metu se absconderunt :

Gen. 3.

Timor ille est effectus peccati originalis.

Unde Chrysostomus quærit inquiens : *Unde cogitavit , quod Deus deambularet in paradiso ? Nempe talis est peccantium consuetudo , omnia suspecta habent , umbras tremunt , omnem strepitum timent , quemque putant contra se venire ; talis enim res peccatum est , nullo prodit arguente , nullo condemnat accusante , pavidum facit , & timidum.*

D.Chrysost. hom. 8. ad pop.

Salvator noster apud S. Lucam de judicio finali differens differentiam insinuat , quæ est inter electos & reprobos ; Illos enim hisce verbis consolatur :

Luc.21.28.

Respicite , & levate capita vestra , quoniam appropinquat redemptio vestra ; At vero ut impijs præcipuum peccati insinuet effectum , de ijsdem in hæc verba loquitur :

ibid v 26.

Arescentibus hominibus præ timore ; Unde S. Ambrosius ait :

S.Ambr.l 10. in Luc.

Sic probantur boni , sic produntur infirmi. Ergo varij animorum æstus ita graves erunt , ut multitudine delictorum male conscij , futuri judicij metu sacri in nobis ros fontis arescat , aret enim perfidia.

Justi sperant finem mundi, formidant illum peccatores.

S Hieron ad Demetriad.

S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem in hæc verba scribit : *Quid illud , obsecro est , quod ad omne peccatum aut erubescimus , aut timemus ; aut delicti teste effugimus , in bono vero læti sumus , & intrepidi, nisi quod testimonio est ipsa sibi natura, quæ bonum solum esse quod se deceat ostendit ; contra hinc est , quod sæpe occulto carnifice in auctorem sceleris conscientiæ tormenta desæviant , & latentem reum secreta mentis pœna persequatur.*

8. Fratres Josephi in miserabili illa annonæ caritate in Ægyptum concesserant , ut sibi de frumento sufficienter providerent ;

Gen. 43.

Postquam vero illud non solum abundanter recepissent , verum etiam in sacculis suis pretium , quod Josepho numerarant , restitutum vidissent , *magis anxij facti sunt* , ut advertit Chrysostomus , *suspicantes , ne & hoc argumentum eis esset criminum* ; at vero undenam hic timor nasceretur in illis , qui prorsus innocentes erant , idque culpa ipsorum minime factum fuisse probe sciebant ?

Timidi fuerunt fratres Josephi, etiā dum erant innocentes , propter peccatum præteritum.

Causam idem author manifestat, dicens : *A conscientia accusati, omnia tribuebant peccata, quod in Josepho commiserant* ; In cujus probationem observandum , quod licet à Joseph amabiliter reciperentur , licet lautissimis ab eo exciperentur convivijs, summisque honoris

& benevolentiæ significationibus à fratre suo Joseph honorarentur , nihilominus timebant , omniaque suspecta habebant , cujus timoris author Catenæ super Genesin hanc assignat rationem. *Quia sic semper præsumit sæva conturbata conscientia* , & Ambrosius similiter ait :

S. Ambr.

Qui invitabantur ad gratiam , & ad salutaris mensæ convivium , & calumniam sibi parari , & injuriam fieri suspicabantur. Ac proinde Lippomanus in loco præcitato subjungit :

Lippom. ibid.

Tales impiorum conscientiæ sunt , ut etiam in prosperis expavescant , malorum enim cum sibi conscij sint , bona etiam mala esse suspicantur. Observastisne aliquando quo nomine incarnata Sapientia in Oratione Dominica, quam nobis tradidit , peccata appellarit ? Nimirum debita vocavit dicens : *Dimitte nobis debita nostra* ;

Peccata dicuntur debita.

qui autem debitis est onustus , & mandatum contra se à judice obtentum esse novit , semper in metu est & formidine , ne in manus incidat apparitorum , ab iisdemque traducatur in carcerem. Peccator vero ad satisfaciendum immenso huic debito , secundùm præsentem justitiam æternæ damnationis contra se recepit sententiam :

Matth.5.26.

Amen dico tibi , non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem ; Quid igitur mirum , si Sapiens dicat :

Prov.10.29.

Pavor his , qui operantur malum.

DISCURSUS XX.
ARGUMENTUM.

Peccatum mortale , tamquam ferox inimicus peccatorem accusat , condemnat , & persequitur.

THEMA.

Peccatum meum contra me est semper. Psal.50.ṽ.5.

1. S. Ambrosius *in Apologia Davidis* , culpam cordibus nostris stylo ferreo indelebiliter inscribi asserit, inquiens :

S. Ambr. Apol.David.

Quæ vitiosa graphio ferreo , & ungue adamantino talis propemodum scriptura , qualis est pœna peccati ; & paulo post subdit : *Scripta est culpa ; videamus ubi ; Non foris , sed intus in corde tuo ; & in pectore tuo. Non Deus testimonijs ad revincendum te , argumentisque indiget , tua te culpa accusat , & prodit.*

Propria culpa accusat.

Hæc eadem veritas , scilicet , quod peccatum non negligatur , nec evanescat quantum ad reatum & debitum , quod contrahit , etiam apud

Jer.17. v.1.

Jeremiam cap. 17. his verbis revelata fuit : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo , in ungue adamantino , exaratum super latitudinem cordis eorum.*

Peccatum scribitur stylo ferreo indelebiliter.

Etenim tametsi cor humanum carneum , tenerum , & delicatum sit , quod ad quemvis levissimum tactum læsivum deficit , nihilominus super ipsum , quasi super unguem adamantinum , inciditur , & in perpetuum inscriptum manet peccatum ; Unde Psalmista ait : *Peccatum meum contra me est semper , nimirum ut opera sacrilega* (ut S. Hieronymus super Jeremiam loquitur) *in æternam memoriam perseverent.*

S.Hieron. ib. Hug. Card. in Jerem.

Hugo Cardinalis similiter ait : *Id est , non delebitur , sicut illud , quod scribitur stylo ferreo.* Porro id , quod sacer textus de peccatis Judæorum affirmat , asseri quoque de omnibus alijs potest peccatis ; *Quasi dicat ; Apud sententiam Dei peccatum Judæorum sine fine manebit , ut numquam ab ejus memoria avellatur , scilicet , scilicet per districtionis irreparabilis inflictionem.* Theodoretus hunc textum ad propositum nostrum de conscientia interpretatur , in qua indelebiliter impressa videbuntur omnia peccata nostra : *Nihil enim potentius conscientia* , inquit præfatus

Theod. ibid.

Theodoretus , *In qua scilicet confixæ literæ sunt solidæ; Quamvis enim omnes homines suæ ipsorum conscientiæ de bona vita testificari conentur , peccata nihilominus eorum , qui mentiuntur , conscientia ferre nequit , sed percutiatur , ac perforetur , incorruptam profert sententiam. Quod & hic dicit. Facinora tua videlicet te arguunt , & conscientia tua testimonium præbet.*

Peccatum est accusator

Hugo Card. in Psal.50. Rom.2. 15.

Hugo Cardinalis assumpti Thematis verba hoc modo exponit : *Nota , quod peccatum stat contra hominem , ut accusator* ; Unde Apostolus ad Romanos ait : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum , & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, &c.*

Peccata ut serpentes in proprio sinu nutriuntur.

2. Quod si in sinu tuo venenosos foveres serpentes , hi utique à calore illo vigorem recipientes , te mordendo intoxicarent , & veneno implerent. Talia autem sunt peccata in anima peccatrice. Unde Sapiens de voluptatibus differens , quibus dissolutus juvenis impudicæ mulieris corpore abutens fruitur, hac utitur phrasi loquendi :

Prov.9.18. Clem Alex. Pædag. l.3. c.11.

Ignoravit , quod ibi sint gigantes. Clemens Alexandrinus loco Ly *gigantes*, legit *serpentes* , dum ita vertit. *Miser autem nescit, quod serpentes apud ipsam habitent.* Serpentes autem hanc habent pessimam indolem , quod quantumcumque quis illos blandimentis deliniat , semper tamen maneant venenosi serpentes , suumque venenum numquam abjiciant ;

Serpentum natura applicatur peccato.

Eodem modo tametsi peccata specie & colore lætitiæ , thesaurorum , deliciarum , delectationum aliarumque similium satisfactionum venustentur ; non tamen ideo conscientiam , & syndæresin venenosis malitiæ suæ dentibus mordere desinent. Albertus Magnus hanc habet considerationem :

Albert. Mag. de paup. Eccle.5.19.

Peccata se occultant , nunc sub voluptate Ecclesiastæ 5. *Non satis bene recordabitur dierum vitæ suæ , eo quod occupet Deus cor ejus delicijs, nunc sub adulantium laude ; laudatur peccator , & in desiderijs animæ suæ benedicitur* ; Citatque Glossam dicentem : *Delectatur ea facere , ubi non solum non metuitur reprehensor , sed etiam auditor laudatur.* Et tamen licet venenum suavitate mellis contectum sit, mox ut deglutitum est , mortiferum venenum per viscera deglutientis diffundens , acerbissimos illi infert dolores. Imo & ipsam mortem, eamque subitam accersit.

Æger in lecto aureo portat secum infirmitatem suam.

3. Seneca Philosophus Gentilis elegantissima similitudine idipsum confirmat , licet enim infirmus in lecto aureo gemmis distincto quiescat, varijsque gaudijs , canticis , cytharæ modulis recreetur , febris tamen & venenum , quo imbutus est , intus ipsum affligere & enecare non cessat. En verba prædicti sapientissimi Philosophi.

Senec. de paupert.

Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo , aut in aureo colloces , quocumque illum transtuleris , morbum suum secum adfert, sic nihil refert , utrum æger animus in divitijs , vel in paupertate sit , malum suum sequitur. Eodem quoque modo licet tu extra Dei gratiam constitutus, omnibus excogitabilibus voluptatibus , delicijs & gaudijs te recreare contendas , non tamen ideo canis in corde tuo latrantis morsus à te arcere poteris : Neque febris intus in anima tua desævire desinet , *Peccatum meum contra me est semper.* Sapiens in Proverbijs ait :

Prov.12.10.

Novit Justus jumentorum suorum animas , viscera autem impiorum crudelia. At vero undenam hæc viscerum impiorum procedit crudelitas , maxime cum ipsa hujus blandientis vitæ gaudijs & voluptatibus sint immersa ?

Viscera peccatorum sunt crudelia, & quare.

Respondeo viscera impiorum adversus semetipsa crudelia esse , eo quod intra se pestifero peccati veneno aditum præbeant , quod per incessabilem remorsum continuo eadem arrodit. Adhæc sicut is , qui bibit , in actuali intemperantia sua, nihil aliud sentit præterquam gustum vini & saporem illius, postea vero peregrinos ebrietatis experitur effectus , propter damnum , quod animæ & corpori adfert , eodem modo quoad peccatum accidere solet ;

Vinum inebrians dulciter sumitur.

Dum enim committitur , magnam sensualitati & inordinato appetitui præbet satisfactionem, mox vero ut patratum est peccatum , acerbissimum peccator experitur remorsum, quia peccatum nostrum contra nos est semper. Audite D. Chrysostomum dicentem :

Chrysost. in Psal. 48.

Tale est peccatum, ut priusquam factum sit, suam velet turpitudinem , ebrietate voluptatis suam prætexens abominationem, sed postquam factum fuerit, & libidinis quidem voluptas parumper cessavit , conscientiæ autem accusatio invaserit , nudam , ac solam rationem flagellans , tunc maxime cernitur quam sit perniciosum.

Peccatum etiam per somnia cruciat.

4. Qui aliquam cum persona valde potente contraxerit inimicitiam , etiam dormiens se ab eadem persecutionibus infestari , apprehendi , & sauciari somniat : Unde S. Job. ait :

Job.7.v.13.

Si dixero , consolabitur me lectulus meus ... terrebis me per somnia , & per visiones horrore concuties. Quot leguntur in historijs hominum impiorum visiones , utpote qui etiam dormientes , somnijs horribilibus territi fuerunt , & infestati ? *Perpetua in animo ejus tempestas est* , inquit Chrysostomus , *& reciprocantes , ac contrarij fluctus. Insuper neque somnus ei suavis , sed & terrore, & formidine plenus.*

Chrysost. hom.20. in Gen.

Job.7.15.

S.Propheta Job in eodem statim citato loco subjungit : *Quamobrem elegit suspendium anima mea & mortem ossa mea ; desperavi , nequaquam ultra jam vivam.* Porro inevitabile est hoc peccati supplicium , quod scilicet timore nos exagitet , tametsi peccatum commissum ad aliorum nondum venerit notitiam , & licet nos soli illius conscij simus , inde tamen erubescimus, & ne alijs quoque manifestetur , indesinenter metuimus.

S.Greg.l.27. moral.c.16.

Unde S. Gregorius ait : *Ipsi sibi*

testes sunt, quia sciunt, malum esse, quod agunt, quod videri ab alijs verentur, si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab alijs formidarent; Unde & bene per quemdam sapientem dicitur; Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi, quia cum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet, damnabile esse, quod agit. Econtra per Joannem dicitur: Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum. Fugiant igitur iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt, quia si malum, quod faciunt, noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt, prius contra se judicium suæ rationis inveniunt, & post ad districtionem æterni examinis perducuntur; & hoc est fortasse quod per Psalmistam dicitur: Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum, quia dum miro ordine dispositionis occultæ malum non permittitur nesciri quod agitur, & suo se jam judicio peccator in conscientia condemnat, & post condemnationem propriam ad æterni judicis sententiam properat. Abyssus abyssum invocare, est, de judicio in judicium pervenire. Porro divites & potentes, illi præcipue, qui dominia habent, & jurisdictionem supremam exercent, ut plurimum omni carent metu rigoris legum humanarum, & si quando illarum facti fuissent transgressores, ne propterea legum rigorem sentire cogantur, multos habent defensores, qui illos tueantur & protegant, & ideo Magnates non subjacent pœnæ, quam alijs imponunt; non tamen se res ita habet quoad illos, qui legum divinarum noscuntur esse transgressores: Etenim licet David in Regio Israëlis throno consideret, nec ullum in mundo tribunal suo superius agnosceret, propriæ tamen conscientiæ tribunal supra modum formidabat, unde dicebat: *Peccatum meum contra me est semper.* Id quod considerans S. Isidorus in sententijs suis ita scribit: *Quamvis humana judicia subterfugiat omnis, qui male agit, judicium tamen conscientiæ suæ effugere non poterit, nam etsi alijs celat, quod egit, sibi tamen celare non potest, quod plene novit, malum esse id quod gessit.* B. Laurentius Justinianus quoque occultum hunc peccati carnificem, impium interius in animo dilacerantem his verbis insinuat: *Naturæ lex unumquemque divinorum prævaricatorem præceptorum convincit in corde: Hinc cogitationes sentit in secreto conscientiæ peccator, ita conspicue & recte, ut nullo accusatore indigeat; quippe cum adversus seipsum sit testis, accusator, & reus. Hanc plane coactionem interni examinis, hanc constrictionem justitiæ & veritatis, patitur, & percipit justus, & innocens; Dives & pauper, Prælatus & subditus, infirmus & sanus.* Cujuscumque enim homo sit status, ætatis, conditionis, vel professionis, licet etiam totius sit universi Monarcha, peccatum tamen valide se ei opponit, & intrinsecus cum unoquoque confligit.

Nequitia est timida.

Bona conscientia habet fiduciam in Deum.

David in terris monarcha internum habuit accusatorem suum peccatum.

Ps. 50. v. 5.

S. Isid. l. 2. Sent. cap. 26.

B. Laur. Justin. lib. de Obed. c. 5.

5. Considerandum quoque hoc loco est, quod David in numero singulari dixerit: *Peccatum meum contra me est semper*, quia loquebatur de peccato adulterij; quod homicidium annexum habebat; cæterum vere nullo alio peccato gravi contaminatus erat, siquidem de eo in tertio libro Regum legitur: *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.* Major tamen pars hominum in numero plurali dicere potest, *peccata nostra contra nos sunt semper*; Quis enim est, qui nesciat, totidem nos contra nosipsos semper habituros esse sævissimos accusatores, quot fuerint culpæ mortales, quibus Deum injuria affecerimus? S. Bernardus ait: *Accusaberis innumeris criminibus, non uno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua.* Observandus quoque est sequens Sapientiæ textus: *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum*; Ubi mysterio non caret Ly: *Ex adverso*, siquidem consonat cum illo Psalmistæ versiculo: *Peccatum meum contra me est semper.* S. Ambrosius verba prædicta Sapientis hunc in modum explicat: *Adversarius nobis omnis vitiorum est usus, adversaria est nobis libido, adversaria avaritia, adversaria omnis improbitas, adversaria omnis iniqua cogitatio, omnis denique mala conscientia, quæ nos & hic afficit, & in futuro accusabit & prodet.* Imaginemini vobis quod contra vos procedentem videatis inexpugnabilem quemdam totidem inimicorum implacabilem exercitum, quot fuerint peccaminosi appetitus vestri, qui omnes in pernitiem vestram testimonia perhibebunt, ut in æternæ perditionis barathrum deturbemini. B. Laurentius Justinianus ait: *Accusator erit proprium scelus; tunc loquentia simul opera nostra dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum erimus, & tecum ad judicium pergemus.*

3. Reg. 15. 5.

Quot fuerint peccata tot erunt accusatores.

S. Bernard. de inter. domo. c. 28.

Sap. 4. 20.

S. Ambr. l. 7. in Luc. in cap. 12.

Usus vitiorū erit noster adversarius.

B. Laur. Justin. de lign. vit. c. 4.

6. Advertendum est insuper, Prophetam Regium dicere: *Peccatum meum contra me est semper*, quia numquam nos deseret, numquam per totam æternitatem nos torquere intermittet: *Vermis eorum non moritur.* S. Ephrem Syrus ait: *Constituta uniuscujusque coram ipso erunt opera*, exurgent contra miserabilem peccatorem omnes iniquitates hactenus ab eodem commissæ scilicet perjuria, blasphemiæ, sacrilegia, homicidia, extorsiones, adulteria, detractiones, & sic de alijs discurrendo, quæ sine numero erunt, animæque peccatrici perterritæ improperabunt: *Tu nos fecisti.* Hactenus S. Ephrem. Regius Propheta in persona Dei ait: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*; id est, ut Hugo Cardinalis exponit: *Faciam te argui à peccatis tuis, peccata enim quasi quædam personæ apparebunt in judicio, accusantes peccatorem.* S. Augustinus quoque peccata velut magnam quamdam testium turbam his verbis describit: *Ordinabuntur ante infœlicem animam peccata & crimina sua, ut eam & convincat probatio, & confundat agnitio.* Et quidem licet delectatio in momento transierit; licet impura cogitatio per breve temporis spatium in corde locum habuerit, attamen descripta reperientur in magno illo libro; de quo S. Ecclesia canit: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur.* De hoc quoque Bellovacensis inquit: *Unusquisque librum suæ condemnationis portabit, & apertum coram omnibus demonstrabit, qui omnibus alijs evidentior & irrefragabilior testis erit.* Sciendum quoque est, culpas contra ipsummet peccatorem, à quo commissæ fuerunt adeo futuras esse implacabiles persecutores, ut S. Basilius Magnus dicat: *Nemo alius accusator sistetur; quam propria facta, quæ gesta sunt forma, unumquodque assistens, ceu sunt adulterium, furtum, fornicatio, cum ipsa nocte, cum modo, cum proprijs notis formam peccati designantibus.*

Isa. 66. 24.

S. Ephr. t. 2. de Adven. 2. Domini.

Accusatio de peccatis erit continua.

Ps. 49. v. 21.

Hug Card. ibid.

Peccata apparebunt ut personæ accusantes.

S. August. ser. 54. in append. de diver. c. 8.

Bellov. Spec. Mor lib. 2. distinct. 8.

S. Basil. in Psalm. 48.

7. Quod si curiosius sciscitaris, an peccatum pie detestatum, & deploratum, ideoque nobis remissum & condonatum, nobis quoque bellum movere, & molestum esse possit? Respondebo cum Ecclesiastico: *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* Etenim experientia docet, quod ij, qui alias in corde suo peccatum admiserunt, licet illud confessi & detestati fuerint; perque rigorosam pœnitentiam expiaverint, licet illud exhorrescant, sæpe tamen intra se sentiunt, quod spiritus fornicationis iisdem voluptates in memoriam revocet præteritas, licet ante multos annos habitas. Unde S. Hieronymus non solum à provecta ætate, verum etiam à rigorosissimæ vitæ austeritate quasi detritus, & consumptus, dum in deserto socius tantum esset scorpionum, & ferarum, in mente sua præsentia habuit tripudia, & choreas puellarum, quas obiter per transennam & obiter spectaverat, à quibus etiam in senectute sævos patiebatur insultus. D. Chrysostomus cervi adducit similitudinem, qui licet, postquam à venatore per infixum telum sauciatus fuerit, aufugiat, ita ut à nemine assequi possit, hæc tamen fuga illum non juvat, siquidem telum sibi impressum defert, quod tandem mortis telo eumdem conficiet. *Quid prodest*, inquit Chrysostomus, *quod sonantem fugit arcum, si jaculum portat infixum? Sic & anima concepto concupiscentiæ jaculo, & lascivo curiosoque aspectu, etiamsi cum jaculo permutator abire, tamen ipsa per se corrumpitur, ubique videns hostem.* Tametsi igitur peccatum deploratum nobis sit remissum, & ab anima deletum, nihilominus nos infestare non desinit, quamdiu miserabilis vita nostra duraverit, idque per phantasmata, & turpes reminiscentias, per lubricas suggestiones, idque nonnumquam adeo vehementer, ut vere dicere possimus: *Peccata nostra contra nos sunt semper.*

Eccli. 5. 5.

Peccatum etiam dimissum pugnare potest.

Similitudo.

Chrysost. hom. 3 de verb. Isa.

Euseb. Emis. hom. 3. de Pan.

8. *Peccatum meum contra me est semper.* S. Remigius & alij cum ipso legunt: *Coram me est semper*, ut sit sensus: Quotiescumque enormitatem & gravitatem peccati recogitavi & agnovi (quod fere semper à me fiebat) amaris lachrymis illud deflevi; *Non habeo post me, ut non videam, quemadmodum tunc habui,*

S. Remig. ib.

habui, quando tam severam sententiam in alios dedi, quia enim suum peccatum cognoscebat, ideo alieno non ignoscebat. Quibus verbis, quasi ex S. Augustino desumptis S. Remigius ad illam alludit condemnationem, quam David pronunciavit contra divitem illum, qui unicam viri pauperis oviculam eidem rapuit, integro ovium suarum gregi parcendo, hanc enim iniquitatem audiens dixit: *Filius mortis est vir qui fecit hoc, ovem reddet in quadruplum*; Non enim intelligebat, parabolam illam ad ipsius conscientiam commovendam, & extimulandam collimare. Audiamus S. Augustinum dicentem: *Non posui post dorsum meum quod feci, peccatum meum ante me est, non post me, fuit post me, quando ad me missus est Propheta.* S. Thomas modum nobis insinuat, quo Davidem imitantes peccatum nostrum coram nobis semper habere debeamus; ait enim: *Peccatum suum contra se posuit, ut contrarium, ut nocivum, & detestabile, & dicit semper, quia sunt, qui ad horam detestantur peccatum* Jobi 1. *Consideravit se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Cassiodorus Davidem hoc loquendi modo quasi in spiritu Prophetico ad judicium extremum respexisse asserit, & hac cogitatione impellente se excitasse ad veram pœnitentiam: *Juste*, inquit, *se petebat absolvi, qui jam hic formam illam visus est sibi fecisse futuri judicij. Hic enim quasi jam in venturo judicio constitutus, delictorum suorum aspectus deterrimos pertimescit.* Innocentius Tertius super septem Psalmos Pœnitentiales commentatus verba Davidis sic exponit: *Contra me est semper, ut videlicet quasi contrarium illud persequar, non velut amicum amplectar.*

Peccatum est contra, & ante peccatorem, non post.

2. Reg. 12. 56

S. August. in Psal. 50.

S. Thom. ibid.

Jobi 1.

Ut detestetur tamquam contrarium.

Cassiod. ibid.

Innoc. 3. in Ps. 3. pœn.

DISCURSUS XXI.

ARGUMENTUM.

De remorsu malæ conscientiæ, quæ quemvis impium, quantumvis magnus, & potens sit, conturbat, & affligit.

THEMA.

Semper præsumit sæva perturbata conscientia. Sap. 17. vers. 10.

1. SI peccatum nullum aliud sibi annexum haberet tormentum, quam quod per malam conscientiam peccatori irrogatur, hoc solum ad illud detestandum sufficiens esse deberet stimulus; Hanc enim conscientiam Sapiens crudelem & turbulentam appellat: *Sæva, perturbata conscientia.* S. Ambrosius in *Apologia Davidis* sensum indagans verborum illorum Psalmi 50. scilicet: *Peccatum meum contra me est semper*, ita scribit: *Sapiens adversum se judicat esse delictum suum, & tamquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum, adversantium modo, sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, increpuerit, culpa ei propria semper occurrit? Quidquid fuerit dictum aut lectum in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur, ante oculos ejus semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, oblivisci sinit velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur adversa habet, quia ipse sibi displicet; ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec invenit quo fugiat, quippe se perurget & stimulat.*

Ps. 50. v. 5.

S. Ambr. in Apol. David.

Operationes malæ conscientiæ.

2. Tametsi multi anni elapsi fuissent, à quibus Joseph à fratribus suis venditus fuerat, nihilominus quando fratres ejus in Ægypto existentes, disponente Josepho, in varia inciderunt infortunia & contradictiones, mox corda sua velut clavo transfixa esse credebant, propter scelus, quod ante multos annos in fratrem suum commiserant, unde se mutuo aspicientes dicebant: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, id quod ponderans Chrysostomus in hæc verba scribit: *Ita se habet peccatum, quando consummatum est, & opere perfectum, tunc suæ absurditatis ostendit excessum. Et sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnum, postea autem sentit experimento, quantum sit damnum, ita & peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, & quasi densa nubes, ita mentem corrumpit, inde conscientia insurgit, & quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti.* Illa etenim delectatio, quam homo carnalis in explendo inordinato appetitu suo apprehendit, illa conversatio suspecta, cum muliere inordinate amata, diu continuata, voluptas, licet momentanea, adeo solent fascinare, & hebetare discursum & rationem, ut nihil aliud cogitetur, nec mens ad aliud se applicare possit, quam ut se ad decerpendam rosam resolvat; Subito autem, ut eamdem decerpsit, manum suam à pluribus spinis transfixam esse cognoscit; Unde trita est illa Gregorij Magni sententia: *Rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit*; Ac proinde si persona est honorata, de turpitudine commissa erubescit, & confunditur, timetque ne cum periculo honoris & existimationis suæ manifestetur; Vel etiam cogitat de dispendio pecuniæ, quam eam in rem impendit, de damno item sanitatis, cui se exposuit, de periculis sibi imminentibus, ab alijs Amasiæ procis, & parentibus; Denique cogitat de præjudicio, quod in suis prætensionibus, & consilijs forte pati cogetur, ac tandem *inde conscientia insurgit, & quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti.* Idem S. Chrysostomus alias considerat peccatorum angustias; vel etiam indignos fines suos non sunt assecuti, & tunc valde in semetipsis inquietantur, aut vero si impura sua desideria semel expleverunt, puncturas spinarum potius quam rosæ fragrantiam sese expertos fuisse fateri debent; *Numquam est eis ulla tranquillitas*, inquit sanctus Doctor, *nulla animi securitas, sed perturbantur magis, quam ullum pelagus; non nox, non dies eis concedit, ut sedetur tempestas, sed undequaque vexantur, & si nullus sit, qui eis molestiam exhibeat, bellum intestinum ac domesticum habentes, nec ijs, quæ jam acceperunt, fruuntur; eorum quæ nondum advenerant sollicitudine lacerati, laniati.*

Filij Jacob miserias suas imputant peccatis suis.

Gen. 42. 21.

Chrys. Hom. 64. in Gen.

Similitudo de ebrietate.

Industria magna peccatum desideratur.

Commissum sequitur dolor.

Chrys. in Ps. 142.

3. Ex quo David adeo potens Rex & Monarcha erat, qui nullum habebat Principem se superiorem, cui actionum suarum rationes reddere cogeretur, merito lætus & contentus vivere debuisset, etiā postquam impuris Bethsabeæ amoribus perfruitus fuerat; At vero peccatum hanc ei felicitatem non permisit: Sententia est Tertulliani *contra Marcionem* ita scribentis: *Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui.* Vultisne ut per infallibile quoddam argumentum evincam, Davidem nequaquam post peccatum hilarem fuisse, aut lætum, quin potius acutissimas sensisse propriæ conscientiæ puncturas? In Psalm. 4. Pœnitentiali, Deum his verbis deprecatur: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*; Ubi notandum est Ly illud, *Redde*, hoc enim satis significat serenitatem & pacem internam ab ipso amissam fuisse, & perditam, alias enim illam sibi non petiisset restitui: Procopius super caput 3. Genesis ita scribit: *Si quis vel parum se peccato dediderit, redarguitur clam ab omnibus animi conceptibus, quos Deus animo hominis impressit. Hi enim semper sic intonant, volente Deo: Homo quid fecisti: Quod fœdissimo te mancipasti peccato?* Satis est verisimile, conscientiam interius Davidem acerbe reprehendisse, eique in hæc fere verba improperasse; O vir stulte, & lubrice, quænam est hæc tua malignitas, & animi incontinentis impudicitia, ut multas uxores habens, cujusdam non quidem vulgaris militis, sed de tua corona optime meriti, proque salute publica, & armorum tuorum gloria mortis periculo se exponere non dubitantis, dilectam & unicam uxorem violenter rapere non erubescas? *Quid fecisti?* Numquid tu es David ille, qui de te gloriabaris: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ?* Quomodo igitur ab unico obtutu te ad tam illicita trahi sinis? Et dum per solarium domus Regiæ obambulas, innocentiam conculcas, & à tua te concupiscentia vinci permittis? Facile unusquisque conjicere potest, sancto huic Regi idem accidisse, quod certus quidam author de cervo vulnerato in hæc verba scribit: *Cervus, qui jaculum secum portat infixum, licet ingurgitetur de limpidissimo torrente, & lympharum lavacro submersus & innatet, de aquarum refocillatione non tollit vitæ pericula, dum de jaculi transfixi punctura laceratur. Sic animus de male moratæ conscientiæ sagitta confossus, clavum suffixum in corde portat, illud continuo lancinantem.* Enimvero Davidi, qui Rex erat, opportune applicari potest, quod Chrysostomus de Magnatibus hujus sæculi scribit; probat enim, quod licet in summis delicijs & gaudijs vivant, non tamen ideo à malæ conscientiæ puncturis exempti existant. Audi verba sancti Docto-

Tertul. l. 4. contr. Marc. c. 7.

Nullum maleficium sine formidine est.

Psal. 50. 10.

Procop. in c. 3. Gen.

Increpatio contra David à propria conscientia sua.

Psalm. 100. v. 2.

ris;

Chrys. conc. 1. de Lazar.

Exterius utcumque teguntur non tolluntur cordis anxietates.

ris : *Antequam illic puniantur, jam nunc qui improbe agunt, ac in peccatis vivunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris, illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro, sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem; Videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse Regalem, & tamquam judicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem in Equuleo suspendentem lateraque conscientiæ rodentem, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat nisi quod solus Deus hæc videre noverit. Neque enim ulla ratione judicium illud potest corrumpi muneribus.*

Matt. 14. v. 1.

Difficultas in hoc, quod Herodes putavit Joannem resurrexisse & facere miracula.

4. Apud S. Matth. cap. 14. sui Evangelij refertur de Herode Rege: *Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit à mortuis; & ideo virtutes operantur in eo.* In quibus verbis duas præcipuè reperio difficultates; quarum prima hæc est, scilicet quomodo Herodes sibi persuadere poterat, Baptistam resurrexisse? cum hoc secundùm naturæ leges non solum difficile sit, sed & impossibile, maximè, ut quis semetipsum à mortuis suscitet; secunda difficultas est, qualiter sibi Herodes persuadere potuerit, hunc resuscitatum Baptistam edere miracula? quando ipsum in triginta annorum decursu nullum umquam miraculum patrasse ex Sacra Scriptura constat. Ad utramque hanc difficultatem vix invenio quid respondeam, præterquam id, quod in principio hujus discursus ex S. Ambrosio diximus; scilicet: *Momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci sinit, velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo.* Tametsi hic Rex Herodes ingentes possideret thesauros, imperia, delicias, &c. Nihilominus in corde suo fixus ei hærebat culter, propter remorsum, quem ipsius patiebatur conscientia, ob mortem adeo iniquam illatam viro illi, quem S. Marco teste virum justum & sanctum esse sciebat: *Sciens eum virum justum & sanctum.* Sævum hoc conscientiæ vulnus de nulla alia re illum discurrere permittebat, quam de Joanne iniquissime occiso; quidquid ei de Joanne dicebatur, facillime credebat; & ob ejus mortem sævissima quæque formidabat. Ut Herodiadi complaceret, cujus incestuoso suo connubio turpiter innexus erat, Præcursorem decollari fecit. Cumque jam gaudium tripudij, voluptas cœnæ, omniumque convivantium lætitia dudum præteriisset; remorsus tamen tam abominandi sceleris ipsum incessanter torquebat. S. Bernardus facis adducit Exemplum, quæ quamdiu ardet, splendet quidem; sed finis luminis illius caliginosus est fumus: *Ipse ignis propria fomenta consumit; nec nisi propria consumptione fovetur; sicut ergo flammæ illius novissima fumus occupat & caligo; sic lætitia rei in tristitiam commutatur.* Videbitis aliquando in arbore quadam venustissimum quoddam pomum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile, bonum ad vescendum, bene coloratum, odoriferum, rore desuper conspersum; sed quid demum? *Dulcedo illius vermes.* Quod si enim illud aperueritis, interius illud à venenoso quodam verme corrosum & corruptum esse deprehendetis. Idem quoque multis in hac vita contingit, qui coram oculis nostris læti, hilares, & optimè contenti esse videntur, sed ingrediamini in cor illorum, ibi enim conscientiæ malæ vermem illos continuo devorantem reperietis. De Rege Eglon inquit Scriptura Sacra: *Erat Eglon crassus nimis.* Ac proinde hic Rex talem præfigurabat, qui in lacu butyri, & lactis, ut dici solet, continuo natitat, quod tamen ut plurimum pessimum signum est, quia ut alius quidam Rex ait: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Non semper est aurum id, quod splendet. S. Hieronymus loco illorum verborum: *Crassus nimis:* legit *exilis valde*, quia impij quanto magis divitijs, delicijs, & authoritate abundant, tanto pariter magis sensualitati habenas relaxant, & consequenter totidem habent carnifices corda ipsorum lacerantes, quot fuerunt inordinati appetitus, quibus explendis dederunt operam.

Erat accusatio conscientiæ.

Marc. 6. 20.

Fax ardens resolvitur in fumum.

S. Bern. ser. de fallacia vitæ.

Job. 24 20.

Pomum exterius pulchrum scatet interius vermibus.

Jud. 3. 17.

Psal. 72. 7.

S. Hieron. ib.

Non semper quod splendet aurum est.

Judic. 3. 21.

5. Aod lethaliter sauciavit Eglon Regem; ast vero audiatis modum, quo factum fuit, *Extendit sinistram manum, & tulit sicam de dextero femore ejus, infixitque eam in ventre ejus tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur.* Cum in Magnatibus aliud nihil in oculis nostris compareat præterquam fastus, pompa, potentia, &c. Eos communiter fœlices & fortunatos esse censemus, non intelligentes, quod à remorsu propriæ conscientiæ, etiam in ipsa fœlicitatum terrenarum pinguedine, profundo sint vulnere sauciati. Ab hoc remorsu nullus, quantumvis sit potens, & magnus reperitur exemptus: *Nec est qui se abscondat à calore ejus.* B. Laurentius Justinianus in sermone quodam de S. Marco inquit: *Est humana ratio arbiter quidam æquissimus, eruditur per legem veritatis, quæ lumine suo neminem facit exortem, sed lucet super bonos & malos; & se infundit super justos atque injustos. Hæc universos complectitur, servos & liberos, Scythas & barbaros; mares & fœminas; Judæos & Græcos; fideles ac gentiles; lege quippe sua veritas; non solum qui sub lege sunt, sed etiam qui sine lege esse creduntur; absque errore dijudicat. Illos sibiipsis insinuat; atque conscientiæ propriæ facit esse notissimos. Clamat pro veritate conscientia; ipsius irradiata splendore in cordibus mortalium, atque juxta qualitates operum, gloriam pollicetur; sive minatur ipsa supplicium.* Adducitque illum Apostoli textum ad Romanos cap. 2. cujus in præcedenti discursu mentionem fecimus. Ac tandem subjungit: *Unde oro, qui sine lege sunt, sibiipsis sunt lex? Utique per rationem, conscientia ipsorum judicante; quæ in arcano à veritatis eruditur lege. Nam conscientiam adhuc nihil esse arbitror; quam rationis judicium in veritatis lumine, propalatum atque discussum.*

Ps. 18. v. 7.

B. Laur. Justin. de S. Marco.

Ratio est æquissimus judex respectu omnium.

7. Quod si quæsieris; quemnam transgressores timeant; quisque illos contremiscere faciat, & cur impedire non possint; quo minus impleatur in illis illud Jobi: *Sonitus terroris semper in auribus impij?* Facilis ad hoc est responsio, quia tremunt hi in interiori cordis sui, eo quod illi subjecti sunt Deo; *Qui respicit terram, & facit eam tremere;* præterquam, quod, ut sanctus Hieronymus scribit: *Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Quod si dixeris, id solum illis in judicio universali esse eventurum, falleris utique, quia divina justitia etiam in hac præsenti vita, tribunal hoc invisibiliter erigit, hocque rigorosum judicium in peccaminosa impiorum exercet conscientia; quantumvis etiam sint potentes, prout in Rege Balthasare verificatum fuisse videtur, qui licet lautissimæ accumberet cœnæ, atque à mille satrapis, ipsum reverenter honorantibus, circumdaretur; nihilominus toto corpore contremiscebat, & formidabat. Audiatis velim textus illius Jobi, paulo ante adducti, varias interpretationes: Etenim Catena Græca legit: *Omnis vita impij in solicitudine;* Aquila vertit: *In dolore;* Theodotion habet: *Inepte transigitur;* Polychronius inquit: *Impius quamvis in rerum abundantia vivere videatur, non tamen in securitate vivit: sed cum perpetua perturbatione, anxiam & solicitam vitam semper gerit, in suspicione semper vivit, & si quando in tuto res suas collocari existimabit, apparentis illius fælicitatis subita & inopinata ingruet eversio, & extrema supplicia subibit.* S. Gregorius in favorem electorum illum adducit textum Proverb. cap. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis, &c.* ac demum subjungit: *At contra, mens prava semper est in laboribus; fit undique suspecta, undique trepida. Cui tranquillitas securitatis deest, huic procul dubio terroris sonitus semper in auribus est.* Seneca de *Providentia* disserens inquit: *Puta Deum dicere: Quid habetis, quod de me queri possitis; vos, quibus recta placuerunt? Alijs bona falsa circumdedi; & animos inanes, velut longo fallacique somno lusi; auro illos argento, & ebore ornavi, intus boni nihil est. Isti, quos pro fælicibus aspicitis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera fælicitas, crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent, & imponunt, cum aliquid incidit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet, quantum altæ, ac veræ fæditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura, quanto magis versaveritis, & undique inspexeritis meliora, majoraque.* Quidnam hic Gentilis Philosophus dicturus fuisset, si ei notum fuisset, quod vitium & peccatum mortale omnes & singulos homines, etiam mundi Magnates, inimicos Dei, & inferni reos constituit? Quando intra cor Peccatoris

Job. 15. 21.

Ps. 103. 32.

Trepidatio Balthasaris Regis.

Dan. 5.

Impius semper est anxius.

Prov. 14. 26.

S. Greg. l. 12. mor. c. 21.

Senec. de prov. c. 6.

Exterior splendor abscondit interiorem fœditatem.

catoris culpæ mortali locus indulgetur, tunc apparet quantum fœditatis alienus splendor absconderit. D. Chrysostomus de Magnatibus, qui nullas in hoc mundo verentur accusationes, nec ullos processus, inquit: *Quamvis nullum hominum viderit, numquam tamen accusare te desinet conscientia, sed quocumque perrexeris, te sequetur accusans, & magna voce te persequens accusator iste.* Parum refert, inquit Lactantius Firmianus, quod nullum in peccato tuo habueris complicem, neque enim per hoc effugere poteris conscientiam tuam, quæ suo tempore contra te etiam invitum testificabitur; *Quid tibi prodest non habere conscium,* inquit Lactantius, *habenti conscientiam?* Hæc etenim scientia, quam de tua transgressione habes, te accusabit, te convincet, te condemnabit, in omni loco, in omni tempore, in omni, in qua constitutus fueris, dignitate, etiamsi totius universi Monarcha esses.

Chrys. to. 5. ser. 14. de libell. repud.

Lact. Firm. lib. de div. instit. c. 24.

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

De verme, & remorsu interno, ejusque tormento, à peccato mortali causato.

THEMA.

Vermis eorum non morietur. Isaiæ 66. ỷ. 24.

Inter omnes vermes, conscientiæ fortissimus est.

1. ISaias de divinarum legum transgressoribus, deque varijs illis à Deo immittendis supplicijs differens, inter alia quoque vermem enumerat voracem & immortalem, qui numquam deficiet. *Vermis eorum numquam morietur;* Verum dicet fortasse aliquis; quis est, qui nescit, quam facile vermis aliquis conculcetur & proteratur? Cui proinde respondeo, verum id quidem esse, sed non de hoc verme, de quo Propheta loquitur, qui nihil est aliud quam remorsus malæ conscientiæ, quæ nos & in hac, & in alia vita semper arrodit; *Non morietur.* Hic vermis uniuscujusque rodit conscientiam; mox ut peccator factus est Dei inimicus, prout in primis nostris parentibus videmus, qui post commissam contra divinum interdictum inobedientiam, statim se absconderunt; timentes sibi ob suam transgressionem: *Audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in horto ad meridiem;* inquit Chrysostomus; *voluit illos hæc tali modo sentire, ut in magno mentis angore constituerentur, id quod & factum est. Mox enim ut intravit peccatum & prævaricatio, tumultuatio simul eos invasit, & erubescentia. Quippe judex incorruptus, conscientiam puta cum adversus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem; camque ob rem benignus Dominus principio cum formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam; quæ decipi, & deceptionem ferre posset numquam; & licet quis admisso peccato omnes homines celet, illam tamen accusatricem non poterit latere; Nam hanc intrinsecus habentes ubicumque sumus, circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, numquam quiescit; sed & domi, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit.* Tu forsitan tibi persuadebis, peccatum tuum in corde tuo conceptum, eo quod numquam prodierit in lucem, ibidem inter perpetuæ oblivionis tenebras esse sepeliendum, at vero enormiter deciperis, quia revera res ita se non habet. *An ignoras ô miser,* inquit S. Ephrem, *quia omnes cogitationes tuæ, atque sermones, conscripti illic erunt, & si mentiri volueris, arguet te conscientia tua adjutrix, ac testis?* Sed audiatis velim quibus in membranis peccata nostra, ad perpetuam illorum memoriam, & pœnam, impressa erunt. Ait enim S. Ambrosius: *Qui libri aperti, nisi conscientiæ nostræ velut libri, peccatorum nostrorum seriem continentes?* Id quod S. Ambrosius ait occasione textus cujusdam Danielis cap. 7. ubi ulterius subjungit: *Conscientia se prodit, quæ latere non potest occultorum arbitrum.* Et paulo post interrogat inquiens: *Quomodo libri aperti sunt? Non utique atramento scripti, sed vestigijs delictorum, & flagitiorum inquinamento.* Apud Jeremiam dicitur: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo*, in Hebræo legitur; *Insculptum*, quod verbum tenaciorem, & stabiliorem exprimit impressionem. Origenes in Homilia quadam super hunc Jeremiæ textum ita scribit: *Cum conscientia peccati imaginem sumpserit, habeo formam illius, & ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur. Et quidem si esset peccatum atramento conscriptum, deleri posset, sed scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino super pectus cordis.*

Chrys. Hom. 17. in Gen.

Officium judicis incorrupti.

S. Ephr. ser. Ascetic. de vit. Relig.

Conscientia latere non potest.

S. Ambr. in Psal. 35.

Jer. 17. v. 1.

Orig. hom. 12. in Jerem.

2. Adam & Eva interius in mentibus suis remorsum peccati sentientes, absque eo quod aliunde urgerentur, in fugam se conjecerunt, & quæsiverunt, in quibus absconderentur, montium & rupium latibula, sed frustra & incassum; quia ut bene notat S. Isidorus: *Omnia fugere poterit homo, præter cor suum, non enim potest à se quisque recedere, ubicumque enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit.* Eamdem ponderationem diu ante S. Augustinus tradidit; cujus sunt sequentia verba: *Non fugit seipsam mala conscientia; non est, quo eat; sequitur se, imo non recedit à se; peccatum enim, quod facit, intus est. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem. Voluptas transit, peccatum manet, præterijt, quod delectabat, remansit, quod pungat.* Rosa in momento efflorescit, spinæ autem semper permanent. In hac materia consideratione digna est quædam à S. Bernardo, Eugenio Papæ olim in sua clara valle Monacho & discipulo in libro 5. *de consideratione* his verbis transcripta doctrina: *Non est aspectus, sive in cælo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas; se vident, quæ aliud non vident. Opera tenebrarum sequuntur illas, nec est, qui se abscondat ab illis, nec in tenebris quidem. Hic est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus vel potius innatus per peccatum, firmiter hæsit, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam; eaque pastus, esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem & mortem & mortem vivacem; Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis, hæc est secunda mors quæ numquam peroccidit.* S. Ambrosius similiter protoparentes se post peccatum abscondentes, considerans inquit: *Adam, ubi es? Hoc est, cur te abscondis? Cur lates? Cur fugis eum, quem videre desiderabas? Ita gravis culpa est conscientiæ, ut sine judice ipsa se puniat, & velare se cupiat, & tamen ante Deum nuda sit.* Idem S. Doctor alio in loco dicit: *Magna vis obnoxiæ conscientiæ. Magna supplicia timebant Adam & Eva, & cum Domini vocem in Paradiso ambulantis audirent, cupiebant se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoque metuebat, ne omnis eum, quicumque inveniret, occideret: Ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset, cui nullus ignosceret. Unde bene ait: Et delictum meum contra me est semper, hoc est sine intervallo aliquo recordatio & species ipsa mei me erroris impugnant.* Verum quidem est, nullum esse in cœlo fulmen, quod in reprobum illum divina justitia evibrare non debuisset, & tamen, ut illum tanto severius puniret, melius esse duxit, si illum, quoadusque viveret, alio quodam inferno torqueret. Unde idem S. Doctor super Psalmum 35. ita scribit: *Vivus à facie Domini repellebatur, & cum adhuc à Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum; latebat miser, tremens & timens, & cum adhuc percussor deesset, ipse sese injusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne aliquis eum occideret, non ut vitæ suavitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, ut percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur, sed sine ulla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor. Quæ pœna major, quam timere, quod vitare non possis, nec quod timueris evadere? Unde præclare David exprimens commotionem gravissimam conscientiæ peccatricis ait: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum coram me est semper. Offunditur enim nobis ultrix nostri imago peccati, nec quietum reum suum esse permittit inferens miseram servitutem, atque in sua vincula trahit, ut enodare se non queat.*

Homo cor suum fugere non potest.

S. Isid. lib. 2. Sentent. c. 26.

S. August. tract. 41. in Joan.

Tenebræ nõ nisi seipsas vident.

S. Bernard. lib. 5. de consid. c. 12.

S. Ambr. l. 2. de pœnit. circ. fin.

S. Ambros. Apologia David. c. 9.

Peccator quærit latere.

S. Ambr. in Psal. 35.

Impius sibi ipsi carnifex est.

3. Legimus quoque in quadam S. Hieronymi Epistola, quod Deus Cainum multis sæculis inter vivos superstitem reliquerit, ad majus illius supplicium. *Deus enim nolens cum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnam, qua seipse damnaverat, ait: Non fiet hoc, id est, non ut existimas, morieris, & mortem pro remedio accipias; Verum vives*

S. Hieron. Epist. 129.

usque

Mala conscientia est velati ignis infernalis.

S. Isid. ibid.

usque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis. Cruciatus enim malæ conscientiæ, est velut ignis, & flamma quædam infernalis, de qua S. Isidorus in hæc verba scribit; *Humana conditio, dum diversis vitiositatibus mentem conturbat, etiam ante pœnas Gehennæ per incognitum animæ appetitum, jam pœnas conscientiæ patitur.*

Ps. 20. v. 9.

4. Regius Psalmista Dei rebellibus comminatur dicens: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.* Quasi diceret, extendatur divina justitia ad puniendum legum suarum transgressores, & exaltetur dextera ejus, *Inveniatur manus tua, dextera tua inveniat, &c.* Job atrocissimis doloribus & calamitatibus obnoxius, lamentabatur dicens: *Dextera tua inveniet, &c.* Quale autem erit supplicium illud adeo atrox, quod odientibus, & offendentibus se irrogare decrevit? Nimirum *ponet eos ut clibanum ignis.* At vero numquid sufficiebat dicere, quod eos condemnaturus esset ad infernum, cur igitur dixit Psalmista, Deum impios in illum statum reducturum esse, ut sint veluti Clibanus quidam accensus, Clibanus enim omnibus patet, ideoque divina denotat supplicia, quæ Deus delinquentibus manifeste est immissurus; Flamma autem illa, quæ occulte ardet, tormentum malæ conscientiæ, & vermis remorsum symbolizat, hæc enim exterius non apparent, quamvis interius acerbissime affligant: *Constitue eos ardentes intrinsecus, conscientia impietatis suæ.*

Job. 19. 9.

Impius est veluti clibanus accensus.

S. Bernard. t. 2. ser. 52. art. 3. c. 2.

5. Doctrina est S. Bernardini authenticata per authoritatem S. Ambrosij *lib. 3. officiorum cap. 4.* dicentis: *Quæ enim pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ; quod severius judicium, quam domesticum, quo unusquisque sibi est reus.* Subdit vero S. Bernardinus: *Hoc magis fugiendum quam mors, quam suspendium.* Mors etenim, quantum violenta, semel tamen finem accipit, solamque hanc vitam mortalem abrumpit, at vero malæ conscientiæ supplicium, mors quædam est continua, quæ nullo fine clauditur, quia *vermis eorum non morietur*, estque adeo atrox, ut multi potius infernum elegerint, quam hunc conscientiæ cruciatum diutius sustinere. Judas gratiam & amicitiam sibi comparaverat Principum Synagogæ, iniqui mercatus sui pretium jam receperat, nec quidquam ab ullo hic in terris tribunali sinistri timere poterat, scilicet quod in judicium pro puniendo ejus scelere vocaretur. Redemptor noster eum benevolenter exceperat, & tamquam amicum salutaverat dicendo: *Amice, ad quid venisti?* Habebat velut transgressionis commissæ socium S. Petrum Collegij Apostolici supremum Principem, siquidem & ipse Christum abnegaverat, imo omnes alij Apostoli eum dereliquerant, & tamen hunc pœnosissimum vermem, cor suum continuo arrodentem sentiens, quem remorsum his verbis insinuavit: *Peccavi, tradens sanguinem justum*, haud secus ac si à furijs infernalibus agitatus fuisset, nullam in animo suo habebat quietem. *Conarguentem itaque conscientiam minime sufferens*, inquit Chrysostomus: *ad laqueum se contulit, eoque vitam sibi ademit. Posteaquam scelus peregit, pecuniamque sumpsit, at lucri quidem voluptas finem accepit, criminis autem accusatio vigere incepit, tum denique nemine accusante, nemine vim afferente, nemine cohortante, sponte sua abiens, tum pecuniam ijs, à quibus acceperat, projecit, tum scelus suum illis audientibus confessus est, his verbis usus: Peccavi tradens sanguinem justum, neque enim conscientiam, quæ ipsummet arguebat, ferre potuit, ea namque peccati natura est, ut priusquam perpetratum sit, hominem temulentia afficiat, postea quam autem expletum & perfectum est, tunc ea voluptas sese proripiat, ac solus deinceps stet accusator, conscientia nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis gravius ipsi incumbente.* S. Basilius, à S. Joanne Damasceno *lib. 2. Parallelorum cap. 12.* citatus, similiter ad propositum nostrum ita fatur; *Voluptas diaboli hamus est, ad exitium trahens. Voluptas peccati mater est, mortis stimulus; voluptas æterni vermis nutrix est, quæ ad breve quidem tempus peccantem lasciat, post autem, felle amarius digeritur.* Manna infinita erat suavitate imbutum, utpote quod omnem excogitabilem delicatum saporem in se continebat, & tamen qui illud colligendo excedebat, quantitatem seu mensuram à Deo præscriptam, subito vermes inde scaturientes videbant; id quod considerans S. Ambrosius ait: *Ita ut quisquis avidior duplam mannæ cibum sibi collegerat, hic hac injuria feriretur, ut non tam cibum sibi invenisse videretur servasse, quam vermes, scilicet, ut quia supra moderatam refectionem concupierat, velut stimulis quibusdam conscientiæ in morem vermium urgeretur.* Idem quoque multis accidit, illis videlicet, qui in hac vita manna, id est, voluptatibus in divinarum legum contemptum perfrui contendunt, hi enim subito post præteritas voluptates, subnascentes in corde remorsus & syndereses vermes sentient, viscera animarum suarum jugiter arrodentes. S. Thomas de Villa Nova in concione quadam id, quod post decerptas voluptatum rosas accidere solet, his verbis considerat. *Evenire solet, ut vacuati spiritu, libidinibus repleantur, post quas acutissimos peccatorum aculeos, atrocissimosque conscientiæ remorsus, & amarissimos tota vita sustineant, ut sic tormentorum magisterio discant, & quid boni sibi ipsis perdiderint, & quid mali contra Dominum commiserint, illius munera contemnentes.*

Fuit Judas à remorsu conscientiæ agitatus velut à furijs infernalibus.

Matth. 27. 4. Chryst. to. 4. Epist. 7.

Pœnitentia ejusdem.

6. Drogo Hostiensis, ex colaphis, redemptori nostro, in faciem velo obductam, impactis, sequentem proposito nostro aptissimam eruit moralitatem inquiens: *In domo Principis Sacerdotum velata facie colaphizatur Christus, quia in Dono conscientiæ excæcata mente colaphizatur Christianus, quod enim Christus in publico ego patior in occulto.* Harum interiorum malæ conscientiæ percussionum solo naturæ lumine collustratus Seneca hisce verbis meminit? *Malo facinore conscientiam flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illa sollicitudo urget, ac verberat.* Eusebius Emissenus de serpente ait: *Serpens ille, etsi revocavit morsum, reliquit venenum. Fecit quisque peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem? Remanet quod damnat, præterit quod delectat; Consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit.* S. Gregorius super illa verba Jobi cap. 12. scribens: *Si inclauserit hominem, nullus est, qui aperiat*, tormentum remorsus conscientiæ his verbis declarat: *Quia omnis homo per id, quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accusat? Qui cum judicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra seipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime veretur.*

Drogo de Sacram. Dom. Pass.

Eusseb. Emiss. hom. 3. de Pasch.

Job. 12. 14. S. Greg. l. 11. mor. c. 5.

7. In parabola filij prodigi (quam incarnata sapientia eo fine adinvenit, ut per illam statum animæ cujusdam impiæ, sed postea ad Deum conversæ insinuaret) legitur, quod cum pater filium lacerum & seminudum è longinquo approperantem videret, licet servos cum debitis vestimentis, ad tegendum eumdem filium perquisitis, paratos esse jussisset: *Cito proferte stolam primam*, ipsi nihilominus ingenti cum celeritate ex solario domus suæ descenderit, eidemque occurrerit, & inter paternos amplexus suos benigne & cum infixo osculo exceperit, cujus Guerricus Abbas hanc assignat rationem. *Sic festinabat absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui.* Ex quo enim benignus hic pater evidenter videbat, quod vermis malæ conscientiæ filium, eo quod turpiter à patre suo recessit, multo amplius cruciaret, quam omnes aliæ miseriæ, ideo ut ipsum ab hoc verme eximeret, cordialiter eumdem inter paternæ brachia suæ amplexando strinxit. Quidnam, obsecro, Deum Cain primo reprobo dicere voluisse existimatis, quando ait: *Nonne si male egeris, statim in foribus peccatum aderit?* Audite Authorem Catenæ dicentem: *Ad ostium, id est, cordis, ubi mala & bona versantur, accubabit peccatum tuum, scelere igitur & flagitijs nos pollui excruciamur à conscientia, quæ ad nostri cordis fores semper excubat, quæ quidquid agimus aut molimur, illico nobis præsto est, neque latos umquam esse permittit, atque hæc prima supplicia sunt, quæ ex male actis reportamus. Hanc pœnam Deum dicunt protestatam esse ipsi Cain, quæ certè est omnium miserabilissima; quæ neque ad tempus desinit, sed post multa temporum spatia ad plectendum, lacerandumque animum revertitur.*

Guerr. Abb. ser. in Sab. Dom. 2. Quadr.

Quid sit, statim in foribus peccatum aderit. Gen. 4. v. 7. Lippom.

8. Verum enimvero optimum & gratissimum nobis S. Thomas Archiepiscopus Valentin. refert nuntium, dum hunc vermem suffocandi & proterendi modum his verbis nos docet: *Confessio extinguit illum remorsum, & vermem intus rodentem conscientiam, qui si modo extinctus non fuerit, postea in æternum animam morsibus lacerabit, de quo Isaias: Vermis eorum non morietur. Hanc autem experientia teste nihil mortifi-*

S. Thom. à Vill. nov. ibid.

Festinavit pater recipere prodigum filium ut liberaret à remorsu conscientiæ. *Luc. 15. v. 22.*

Manna ad necessitatem dumtaxat serviebat.

S. Ambr. ser. 34.

Quid sit Cœlum.

Modus extinguendi vermem illum.

cat, sicut confessio peccatorum. Etiamsi doleas, & pœniteas, & jejunes, & innumeras eleemosynas facias, non quietatur conscientia, & peccatorum onere suo non levatur, sicut stomachus corruptis humoribus, & putridis plenus, donec evomat, anxiè laborat, sic donec per confessionem peccata sua homo evomuerit, conscientia sua non quietatur.

DISCURSUS XXIII.

ARGUMENTUM.

De peccati mortalis gravissimo onere.

THEMA.

Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum. Hebr. 12. ℣. 1.

1. NEgari quidem non potest, S. Paulum Apostolum, competentem non fuisse judicem, qui perfectum de peccato judicium formare posset, siquidem ipsemet de se testatur: *Nihil mihi conscius sum*; adeoque dicere poterat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Similiter de pondere peccati nihil dicere poterat, quia illud vix umquam per experientiam probarat. Verumtamen die quadam peccati pondus & gravitatem in pondere sanctuarij trutinare volens, illud valde grave & ponderosum esse invenit, & proinde in Epistola ad Hebræos ita scribit: *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Hocque eodem ponderis nomine peccatum in sacris Litteris, nec non à sanctis Patribus, Dei lumine illustratis, appellari frequenter deprehendemus, prout ex præsentis discursus deductione clarius patebit.

2. Cor. 4. 4. Joa. 8. v. 46.

Cœli non erant sufficientes portare pondus peccati.

2. Cœlum Empyreum, cœlum itidem Cristallinum, Firmamentum quoque, & omnes alij cœli, licet ære fuso solidiores fuerint, ad sustinendum tamen immensum peccati, quantumvis ex levitate, vanitare & superbia commissi, id est, peccati rebellium Angelorum pondus & gravitatem, insufficientes fuerunt, ac proinde rebelles illi spiritus in unico momento post commissum peccatum in profundissimum terræ centrum, ubi fabricatus est infernus, è cœlis misere corruerunt. S. Antoninus de peccati gravitate hanc habet observationem: *Si massa plumbea esset, ubi est luna, cum caderet, eam terra retineret, sed peccatum spiritum Angelicum non potuit retinere firmamentum, quod sic dicitur (propter suam firmitatem) nec terra, nec aliqua corporea creatura, vel natura retinere potuit, quin caderet ad infernum novissima.* Quam agilis Lucifer pulcherrimus ille Paradisi Angelus fuerit, ex vanissimis ejus prætensionibus clarè satis deduci poterit; Haud secus enim ac si aquilæ alis instructus fuisset, dicere non dubitabat: *Supra astra Dei exaltabo solium meum.* At vero vix ipse, & sequaces illius peccati sarcina aggravati fuerunt, cum ecce in unico momento in infimum terræ barathrum usque ceciderunt, Et vero, ut Astrologi fundamentaliter ostendunt, si immensa quædam licet ex chalybe fabricata mola, à cœlo Empyreo recta præcipitaretur deorsum in terram, propter immensam, qua cœlum Empyreum à terra abest, distantiam, priusquam terras attingeret, non solum aliquot præterirent essent menses, sed & anni elapsuri essent, priusquam mola ista ad terram deveniret; Peccatum vero pondus adeo immensum imo infinitum in se continet, ut à suprema & altissima cœli Empyrei parte in profundissimum mundi situm, propter inexplicabilem suam gravitatem, pulcherrimum Angelum deturbavit: *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram; qui dicebas, ascendam super altitudinem nubium, verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

8. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 6. §. 3.

Agilitas Luciferi.

Isa. 14. v. 13.

Maximam distantiam cœli à terra.

Transit peccatum in momento.

Ibid. v. 12.

3. Videmus per experientiam, quod canis in aquas conjectus, quantumvis profundissimas, non tamen submergatur, sed industria sua, & natandi arte facile ab omni se periculo proripiat; at vero si ejus collo ponderosum quoddam saxum alligetur, sine dubio mergetur in profundum. Porro Cerberus ille infernalis, dum in Paradiso cœlesti tot thesauris cœlestibus locupletatus, ijsdem tamen minime cooperatus fuisset, per immensum peccati sui pondus, in profundum lacus infernalis demersus fuit, ut per omnem æternitatem nullo umquam tempore inde enatare possit. Qui vero pondus ingens humeris suis portat, caput suum versus pectus semper inclinat. Baruch autem Propheta similiter dicit: *Anima, quæ vexatis est super magnitudine mali, incedit curva.* Observandum vero est, quod quando sicer Chronista prima omnium vice peccati in primo reprobo, scilicet Cain, mentionem facit, eum ita delineat, ac si ingens quoddam pondus in humeris suis portaret; Ac proinde post conceptam adversus Abel invidiam, & odium contra Deum, interrogatus est à Deo, *quare iratus es? Et cur concidit facies tua?* Propheta quoque Regius, post commissum adulterij peccatum similiter lamentabatur dicens: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ, miser factus sum, & curvatus.* Immensum quoque pondus humeris impositum colludit, & fatigat humeros. S. Augustinus, *sicut fascis gravis*, ubi vulgata legit, *sicut onus grave.* Peccata enim sunt veluti fasces lignorum gravissimi, qui eodem tempore, quo animam in profundum inferni trahunt, ibidem quoque tamquam ligna ignem inextinguibilem accendunt. Lorinus ad fabulam quamdam alludit Poëticam, siquidem verba illa: *Sicut onus grave*, exponens inquit: *Recte appellaveris hujusmodi peccatum Sisyphium saxum, quod Sisyphus magno molebat nisu, & contentione per arduum montem sursum, denuo autem cum jam prope verticem promovisset, isque inde magno impetu deorsum ruevet, laborem eumdem integrabat.* Regius Propheta David liberationem populi electi ab indigna illa Ægypti servitute declarare volens, hac utitur phrasi: *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.* Quæ verba exponens venerabilis Beda ad propositum nostrum ita scribit: *Hoc est, quasi multis oneribus sarcina peccatorum incurvatum erexit, & à quibus oneribus eum divertisset, ostendit dicens: Quia manus ejus servierunt in cophino. Cophinus est vas stercorarium, & ideo per cophinum concupiscentiæ carnales intelliguntur, & est dicere manus ejus servierunt in cophino, id est, opera ejus fuerunt in explerione carnalium desideriorum, quod vere servitus erat, quia qui facit peccatum, servus est peccati, & ab his oneribus, id est, mortuis operibus, liberavit eum ille, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego refician vos.* Super quæ ultima verba, quæ Matthæi cap. 11. leguntur, Hugo Cardinalis ita scribit: *Onerati estis peccatis, quæ significantur per undecim onera Isaiæ.* Hic enim Prophetæ solemne sibi habebat, peccata populorum oneris nomine describere. Dum V.G. ait: *Onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci*, &c.

Gen. 4. v. 6. Maximum est onus peccati. Ps. 37. v. 5. Ibid. v. 6. S. Augustin. ibid. Lorin. ibid. Perpetuum onus peccati explicatur in Sisypho. Ps. 80. v. 7. Beda ibid. Quid sit Cophinus. Hugo Card. in Matth. 11. Isa. 13. 15. & 17. v. 1.

Anima munda à corpore liberata in momento transit in cœlum.

Ambros. in Psalm. 43.

4. S. Ambrosius in præfatione super psalmum 37. notat, quod quando Deus in Sabbatho onera portare prohibuit, maxime de peccatis locutus fuerit; Ait enim: *Quid est ergo Sabbathum, nisi requies futurorum, levamen præsentium, quo lex jubet hominum opera feriari, onera deponi? Quæ sunt graviora onera nisi nostra peccata? Hæc deponantur in Sabbatho eo diebus, id est, in hoc vitæ istius tempore*, & paulo post sub eadem ponderis metaphora subdit: *Si hic peccata gravia portaveris, illic requiem non habebis. Exonera igitur tuam mentem, rejice omnia, quibus conscientia gravatur, & premitur, ne fiat fuga tua in hyeme, vel Sabbatho. Vita hæc in labore est, illa in requie. Leviorem te sæculi hujus reperiat consummatio, ne oneratus peccatis fugere non possis.* Anima nostra utique summa cum agilitate in cœlum evolaret (utpote pro quo possidendo creata & redempta fuit) nisi ab onere peccati aggravata deprimeretur, unde S. Antoninus ait: *Anima quidem nostra de se levissima est, nullum pondus materiale habens, sed corpus, quod corrumpitur, ait Sapiens, Aggravat animam, cum est unitum cum ea. Separata autem, si sit sine peccato, levis est, quia in momento, in ictu oculi supra cælum pervenit usque ad conspectum Dei, quo pervenire non posset, scilicet usque ad primum etiam cælum, quo nec aquila, nec alia avis, etiam toto tempore vitæ suæ pertingit; In mortali autem egressu, ita ponderosa est per peccatum quod consistere non potest vel in modico, quin ad profundum inferni descendat. Et in hoc patet, quod etiam ponderosior est anima propter peccatum omne ponderosa.* Ponatis licet in bilancem universam terram, sarcinam scilicet pondere suo infinitam, & postea libere pronuntietis; *Ponderosior est anima propter peccatum.* Idem S. Archiepiscopus alibi super Psalmum 43. scribens, & considerans id, quod Salvator noster Pharisæis & Scribis improperavit dicens: *Alligant onera gravia, & imponunt super humeros hominum*, quænam onera hæc gravia sint, his verbis declarat: *Gravia sunt, quæ contraria jugo Christi sunt*; Ac proinde Christus illos, qui à divina lege sua recesserant, his verbis invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* S. Ambrosius in Epistola quadam

Matth. 23. 4. Matth. 11. v. 28.

S. Ambros. l. 5. Epist. 18. At fœdata peccato ponderosissima est.

dam ad Horontianum idipsum, quod ex S. Antonino diximus, scilicet quod nullum dari possit pondus majus, quam sit pondus peccati, his verbis confirmat: *Nullus major est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam, neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia sunt, gravia nimis delictorum pondera. Denique illa in Evangelio mulier, quæ curvata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi.*

Undecim onera. Explicatio illorum onerum. Primum est gravissimum. *S. Bernard.*

5. Bernardus pondera illa, quorum paulo ante ex Isaia mentionem fecimus, in sensu morali explicat dicens: *S. Isaias undecim nobis onera Prophetico sermone describit. Primum onus Babylonis; secundum onus Philisthiim; Tertium onus Moab; Quartum onus Damasci; Quintum onus deserti maris; Sextum onus Ægypti; Septimum onus Duma, Octavum onus in Arabia; Nonum onus Vallis visionis; Decimum onus Tyri; Undecimum onus jumentorum Austri.* Demum vero Mysteria horum onerum moralia his verbis declarat; *Et quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, & hoc onus Babylonis: Aliquando ex immundorum spirituum immissione, & hoc onus Philisthiim. Aliquando ex naturali quadam, & inevitabili necessitate, & hoc onus Moab: Aliquando ex tenebris ignorantiæ & hoc onus Ægypti; Aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc onus Damasci; Aliquando ex malorum persecutione, & hoc onus deserti maris; Aliquando ex occulta animi vexatione, & hoc onus Dumæ; Aliquando ex timore mortis, & hoc onus in Arabia: Aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc onus Vallis visionis: Aliquando ex angustia pro his, quæ toleramus, & hoc onus Tyri; Aliquando ex charitate, quando aliis prodesse desideramus, & hoc onus jumentorum Austri.* Inter omnia autem hæc onera quodnam cæteris tibi ponderosius esse videtur? Certe nullum gravius est primo scilicet onere Babylonis, per quod denotatur peccatum, quia deprimit animam, & ad terram inclinat. *Primum onus Babylonis est*, inquit Mellifluus Doctor, *quod necesse est, ut auferatur ab humeris nostris, Babylon significat mundum, cujus amor cupiditas est, onus itaque grave multa premens, & ad inferiora incurvans.*

Zach. 5. v. 5. Explicatio visionis. *1. Tim. 6. 10.* *Zachar. 5. 8.* *Theodor. in c. 4. Zach.* Peccati pœna plumbũ vocatur. *S. Greg. l. 1. in Ezech. hom. 2.* *S. Isid. Pel. l. 3. Epist. 33.* Idque propter plumbi gravitatem.

6. Apud Zachariam cap. 5. quædam huic Prophetæ facta visio his verbis describitur: *Egressus est angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide, quid est hoc, quod egreditur; & dixi: quidnam est? & ait, hæc est amphora egrediens... Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas.* Porro quod impietas, & peccatum, talento plumbi superinsedeant, adeo facile non intelligitur, quia licet *radix omnium malorum sit cupiditas*, hæc tamen inordinata cupiditas, non se occupat, nec versatur circa plumbum, sed potius circa argentum & aurum. Augetur difficultas ex eo, quod sacer textus subjicit: *Et projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbi in os ejus.* Verumtamen facilis est responsio, si nos ad ea, quæ hactenus diximus, reflectamus. Plumbum enim gravis & ponderosa est materia, ac proinde Deus Zachariæ impietatem ostendit plumbo insidentem. Theodoretus ait: *Peccati pœnam sacra Scriptura plumbum appellat, quod natura grave est, peccati vero pondus gravissimum, id quod nos docet Divinus David: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, &c. Quin etiam divinus Zacharias videt peccatum, speciem mulieris referens, nam ex voluptate plura peccata nascuntur, videt punitionem tamquam plumbum gravissimum ad os iniquitatis incumbentem.* S. Gregorius Magn. idem quoque Mysterium in Homilia quadam super Ezechiëlem his verbis indicat: *Iniquitas in talentum plumbi sedet, omne enim peccatum grave est, quia non permittit animam ad sublimia levari, unde & per Psalmistam dicitur: Filii hominum usquequo gravi corde?* S. Isidorus Pelusiota olim à quodam interrogatus, cur Zacharias iniquitatem talento plumbi insidentem viderit, eidem in quadam Epistola sequens responsum transcripsit: *Quoniam quæris, quidnam causæ sit, cur Zacharias iniquitatem super mensuram plumbi sedentem viderit, respondeo, hoc idcirco contigisse, quia plumbum peccati pondus & gravitatem designat, neque enim quidquam peccato gravius atque onerosius est, quippe quod ad ima inferni eos, quos ceperit, deturbet.* Dentur licet montes chalybei, imo tametsi universus mundus ferreus esset, illius tamen pondus adeo grave futurum non esset, ut animam quamdam in imum terræ centrum detrahere posset, quemadmodum facit unicum dumtaxat mortale peccatum; quod profundius animam dejicere non posset, quam in abyssum infernalem, quæ in totius hujus ingentis mundi machinæ centro situata est.

Hypocritæ Deo sunt graves. *Psal. 37. 5.* *Isa. 1. v. 13.* *Matt. 26. 37.* Christus ad passionem suam aliàs lætus. *Ps. 18. v. 6.* *Joan. 13. 27.* *Joan. 13. 31.* *Luc. 22. 44.* Quare etiam timuit. *Isa. 53. v. 6.* *Ps. 128. v. 3.* *Isa. 38. v. 17.* *Isa. 40. 12.* *Matt. 26. 39.*

7. Notastisne, quod Davidi non suffecerit dicere, quod iniquitates ejus graves essent, verum insuper adjunxerit: *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me?* Deus per Isaiam exprimere volens ingentem illam nauseam, quam circa simulatam & hypocriticam perversi illius populi Religionem & cultum habuerat, inquit: *Iniqui sunt cœtus vestri,... solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens*; In quibus verbis præcipue observanda sunt ultima illa verba: *Laboravi sustinens*; In Hebræo idem est quod *onus tollere in humeros.* In memoriam quoque revocandum est, quod Christus in horto Gethsemani *cœpit contristari, & mœstus esse dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quæ omnia non sine admiratione leguntur, vel legi audiuntur; Numquid enim Christus idem ipse Dei Filius erat, de quo Psalmista prædixerat: *Exultavit ut gigas ad currendam viam?* Numquid in cœnaculo impatiens erat moræ, donec amarum illum biberet calicem? Numquid Judæ dixerat, *quod facis, fac citius?* Numquid traditorem ad exequendam proditionem suam abire videns, totus jucundus ac festivus dixit: *Nunc clarificatus est filius hominis?* Cur igitur in horto Gethsemani timuit, tremuit, & *procidit in faciem suam super terram, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram?* Respondetur, quod cum omnia totius humani generis peccata in se assumpsisset, ut pro iis æterno Patri suo *de toto rigore justitiæ* satisfaceret, peccata hæc, excessivo pondere suo, adeo eum compresserint, ut ex omnibus corporis poris sudor sanguineus copiose manaret, & in terram ipsum prosternerent, quasi is, qui tribus digitis totum sustinet mundum, ad tam immensum pondus & onus portandum minime sufficeret. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, inquit Isaias. Propheta quoque Regius in persona Redemptoris dixit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* S. Rex Ezechias pariter Dei filium his verbis affectuose affatur: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Hebræus textus significantius dicit: *Deus irruere fecit in eum iniquitates omnium*; ac proinde tametsi Christus divinus ille fuerit Atlas, de quo scriptum est: *Appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes*, attamen ab infinito hoc omnium peccatorum nostrorum pondere depressus *procidit in faciem suam.*

Magnũ erat pondus crucis Christi. *1. Petr. 2. 24.* Materialem Christi crucẽ solus Cyrenæus portare potuisset. Quia oneris peccatorum, quod soli Christo incumbebat, particeps non fuit. *Luc. 23. 46.*

8. Tametsi verum sit, quod lignum crucis humeris Christi, tot innumeris tormentis tota illa nocte debilitatis, impositum, immensi ponderis, & magnitudinis fuerit, nihilominus divina natura humanam fragilitatem sustinente, & confortante, non solum illud pondus, verum etiam integrum mundum humeris suis sustinuisset, nisi huic patibulo omnia totius generis humani peccata per Christum expianda imposita fuissent, prout S. Petrus insinuat dicens: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum.* Cæterum vero Simon Cyrenæus huic cruci portandæ sufficiebat, quanto magis Christus illi portandæ suffecisset siquidem Christus naturaliter non minus robur, & vigorem corporis habebat, utpote qui tot asperis tormentis sustinendis suffecerat, licet tam in horto, quam per Jerosolymæ vicos & plateas, imo & in ipso Pilati prætorio copiosissimum effudisset sanguinem. Quod si autem rationem scire cupias, cur Christus sub cruce portanda in via defecerit, quam Simon Cyrenæus sine magna difficultate portavit, sciendum tibi est, quod Christus, utpote humani generis Redemptor, ponderosissima omnium peccatorum nostrorum sarcina onustus fuerit, cujus oneris Simon Cyrenæus particeps non fuit; & propter idem Mysterium Christus capite terram versus inclinato expiravit, licet enim contrarium potius facere debuisset, quando in ipso spiritum exhalandi momento, affectuosa verba illa: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, ad æternum Patrem suum in cœlo dirigebat, *& hæc dicens expiravit*; Nam ut Doctissimus Salmeron ingeniose notat, cum peccata nostra in corpore suo super lignum crucis portasset,

Salmer. t. 7. de Parab. tract. 28. Terra tremuit quia pondus peccati sustinere non potuit. *Hilar. lib. 3. de Trinit. ante med.*

ut pro illis per passionem & mortem suam satisfaceret, jam emisso spiritu, ingens pondus illud in centrum terræ projecit, atque ideo adinstar illius, qui ingenti quadam sarcina dorsum suum exonerat, eoque fine caput inclinat, *inclinato capite tradidit spiritum*: En verba Salmeronis: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ubi præ gravitate oneris caput inclinavit.* Ac proinde mirum non est, quod eodem tempore universa terra tam ingenti terræmotu concussa fuerit, dicente Matthæo: *Terra mota est*; Hic enim terræmotus ex eadem processit causa, quia scilicet terra pondus adeo immensum sustinere non potuit. Unde S. Hilarius ait: *Terra contremuit ad onus Domini in ligno*; Imo dehiscens os suum aperuit, & onus peccatorum à Christi humeris in terram dejectum in profundissimam inferni abyssum cadere permisit.

DISCURSUS XXIV.

ARGUMENTUM.

Peccatum grave in se pondus continere, per alia Scripturæ loca probatur.

THEMA.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum. Thren. 1. vers. 14.

Gillib. Abb. ser. 40. in Cant. Juga boum quinque significant quinque sensus. *Luc. 14. 19. S. August. serm. 33. de Verb. Dom.* *S. August. ser. 111. de temp.* Malunt homines jugum peccati, quam Christi. *Didac. Stell. ibid.* *Matt. 11. 28.* Probatur suavitas in jugo Christi.

1. Ecce tibi, quonam nomine Spiritus sanctus peccatum appellet [utpote quod lenociniis & blandimentis suis majorem filiorum Adæ partem decipit & seducit] vocat enim illud jugum ponderosum & grave; *Vigilavit jugum iniquitatum mearum.* Unde Gillibertus Abbas verba illa Ecclesiastici 40. ℣. 1. *Grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum*, de peccato originali intelligit; At vero quid de peccato actuali dicemus? Porro infortunatus ille, qui magnam illam cœnam, ad quam invitatus fuerat, adire renuit, id est, participatione meritorum Redemptoris se ultro privavit, dum potius appetitibus suis obsecundare voluit, hic, inquam, excusationis loco dixit: *Juga boum emi quinque*, quod idem erat, ac si diceret, statui quinque corporis mei sensibus, ut voluptates inde percipere valeam, omnem licentiam indulgere, parum curando de salute animæ meæ. At vero inquit S. Augustinus nonne sufficeret dicere, boves emi, cur igitur dicit, *juga boum emi quinque?* & respondet: *Aliquid proculdubio est quæstione dignum, quod nos ad quærendum & intelligendum obscuritate sui provocat, & quia clausum est, ut pulsemus hortatur. Quinque juga boum sensus hujus carnis quinque numerantur. Quinque sunt, & juga sunt. Quare boum dicuntur juga? Quia per sensus istos carnis terrena requiruntur, boves enim terram versant.* Idem S. Doctor in alio quodam sermone id, quod proposito nostro quam maxime servit, his verbis insinuat: *Quod pessimum est, multi sunt, qui durissimum & amarissimum avaritiæ jugum cum multis laboribus volunt ferre, & dulce jugum Christi & onus ejus leve dissimulant humeris suis imponere; Malunt sub multis peccatis, sub sarcina gravi succumbere, quam jugum Christi, quod eos potest in cœlum elevare, suscipere.* Didacus Stella in commentario super Lucam ita scribit: *Diaboli quinque sunt juga, quia nullus est sensus, quem sibi Diabolus subjicere non desideret; Dicit enim, quod emit ea. Ego profecto gratis, & sine ullo pretio humeris meis non susciperem quinque talia juga, ne dum emerem. Certe sic est, quod emimus cum dispendio animarum nostrarum divitias, honores, delectationes hujus mundi, quæ nobis nihil aliud, nisi onus afferunt.* Potestne major hac dari fatuitas, quam quod quis sibi per labores & sudores pondera comparet gravissima, quæ in bilance Redemptoris collocata, animam, quam ipse tanto sanguine redemit, in profundissimam inferni abyssum secum trahunt? Hoc est, quod benignissimus Redemptor noster dicere voluit, dum ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos; Tollite jugum meum super vos; Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Jugum divinæ legis leve est, & suave, quia ut S. Paulus dicebat: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et vero quando boves non sunt paris, vel magnitudinis, vel fortitudinis, sed unus alio altior est & vigorosior, tunc semper is, qui altior est & robustior, majorem ponderis & jugi partem portando, sodalis sui onus notabiliter imminuit; Et hoc est, quod in observantia divinorum præceptorum contingit, gratia enim Dei adeo nos adjuvat, ut non solum non sentiamus laborem, sed etiam in labore gaudium & exultationem percipiamus, quia *pax multa diligentibus legem tuam*; Non vero sic se res habet in transgressione divinæ legis, in qua gravissimum prævaricator experitur peccati pondus, & ideo Christus ait; *Laboratis, & onerati estis.*

Psalm. 118. v. 165. Cadaver est ponderosius corpore vivo. *2. Cor. 3. 6.* *Rup. Abb. l. 1. in Exod. c. 5.* *S. Hieron. in c. 58. Isaiæ.* Omne peccatum onus est. *Orig. hom. 23. in Num.* *Joan. 5.* *S. Thom. ibid.*

2. Porro homo mortuus longe ponderosior est, quam vivus, quia spiritus vitales alleviant corpus. *Spiritus vivificat*, econtra vero *qui non diligit, manet in morte*, tuncque pridem culpæ mortalis gravitas sentitur. Rupertus Abbas commentando verba illa Exodi: *Sapienter opprimamus eum*, ita scribit: *Hujus sapientis, & sapienter opprimentis quam gravia sint onera, quibus humanum genus afflixit, jam dudum persentiscere cœpimus, ex quo vocem audivimus in Evangelio suo sic dicentis liberatoris: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum, &c. Jugum meum leve. Nam antequam hoc dixisset, nos laborem nostrum nesciebamus, imo peccati oneribus delectabamur, sub quibus & animæ sensum vitæ expiraverant & corpora nostra instante mortalitate languebant. Tot autem juga sunt servitutis illius, quot vitia, tot onera, quot peccata.* S. Hieronymus super caput 58. Isaiæ scribens, Salvatorem nostrum dicere voluisse ait: *Dabo vobis requiem ut scilicet peccatorum onera deponentes, sabbathizemus in Christo.* Ubi ad illud alludit præceptum, quo Deus in lege Moysaica vetuerat, portare onera vel sarcinas in die Sabbathi. Origenes verba illa de peccatis exponit, quæ sunt velut gravis quædam sarcina; *Onus enim est omne peccatum.* Similem ponderationem adducit Angelicus Doctor considerans, qualiter miraculose sanatus paralyticus, lectum suum in domum suam portare jussus, Christo restiterit, eo quod dies Sabbathi esset, Ita enim scribit S. Thomas; *Hoc tamen mandatum Prophetæ mysticum est, nam per onera non portanda, intendebat eos inducere, ut in die Sabbathi requiescerent ab operibus peccatorum.*

Jerem. 17. *Amos 2. 15.* *S. Cyrill. Alex. ibid.* Peccator est currus onere stridens. *Ps. 128. v. 3.* *Isa. 38. v. 17.*

3. Deus apud Amos Prophetam, populum, divinarum legum suarum transgressorem, sub immensi & immobilis cujusdam ponderis nomine describit idque tali modo loquendi, ac si gravissima prævaricationum ipsorum sarcina eodem modo illum stridere faceret, *sicut stridere solet carpentum gravi sarcina onustum.* Audiamus verba Amos, & quem super illa conscripsit commentarium S. Cyrillus Alexandrinus; Ita igitur Propheta ait: *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Plaustris agrorum fructus*, inquit S. Cyrillus, *& quæ aream complent, transvehere mos fuit veteribus, qui mos hodie in Oriente & Occidente viget. Volvuntur autem circum axes rotæ, lignis gravi, & ingrato modo stridentibus, prope clamantibus, quæ illis imposita sunt, oneribus. Ero igitur ipse quoque (inquit universorum Dominus) ut quod volvitur in curru, id est, axis; Ille enim, ut dixi, sibi rotas infixas & aptatas habens, circumvolvit. Clamabo vero, quasi qui onus grave peccatorum, ab impiis acervatorum, amplius sustinere nequeam. Rejecerunt enim legem Domini.* At vero hoc abjicere divinam legem post tergum, idem erat, quod onus hoc immensum ipsimet Deo imponere; Et ideo per Psalmistam ipse lamentatur: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, & clarius apud Isaiam dicitur, *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

Isa. 9. v. 1. *S. Anton. de Pad. Dom. 4. Adv.* Conversio explicatur per tres vias.

4. Apud eumdem Prophetam inter alios Evangelicæ legis eventus ab ipso prophetatos hic quoque reperitur: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, & novissimo aggravata est via maris.* Quæ verba S. Antonius de Padua ad propositum nostrum ita exponit: *Hoc est triduum, de quo Exodi 3. Ibimus viam trium dierum. Primo tempore, id est, gratiæ infusione, quæ primo prævenit peccatorem; Terra, id est, mens alleviatur in contritione à peccati onere, & tunc est terra Zabulon, quæ interpretatur habitaculum fortitudinis, quem enim inhabitat gratia, fortitudine constantiæ corroboratur*, unde Isaiæ 40. *Qui dat lasso fortitudinem & virtutem, alleviatur in confessione, dum peccatum, & peccati circumstantias deponit.* Porro usus communis est, quod quando Christianus aliquis multa commisit peccata, de ipso dici soleat, quod aggravarit conscientiam suam, quia magnum in se onus sentire videtur, qui tamen mox ut confessus est, & peccatorum suorum absolutionem acceperit, se valde alleviatum, & exoneratum esse experitur. S. Hieronymus hunc eumdem Isaiæ textum explicando ostendit, quod ly *aggravata*, non intelliga-

tur de gravamine tributorum, gravaminum, impositionum, censuum, & similium, sed de absolutione peccatorum; Unde ait: *Hæ duæ tribus ab Assyrijs captæ sunt, & deserta Galilæa est, quam Propheta dicit esse alleviatam, eo quod peccata populi sustineret*, id est, quia ab hominibus impijs, sacrilegis, ingratis, & Deo rebellibus inhabitabatur.

S. Hieron. ibid.

Num. 16. Terra nō potuit sustinere peccata Dathan & Abiron.

5. In supplicio, quo divina Majestas in Dathan & Abiron animadvertit, peccatum gravissimum in se pondus continere, manifeste apparuit, siquidem terra insolentem illorum arrogantiam sustinere non valens, & à sceleris illorum immenso pondere aggravata, os suum sub pedibus illorum aperuit, & vivos deglutivit in infernum egerendos. *Sic vindicatum est*, inquit Philo Hebræus, *ut terra patefacta atque debiscens, eos ut gravia sibi tunc pondera corriperet, atque absorberet.* Et vero eadem hæc veritas in historia Jonæ clarius apparebit. Cum enim Jonas jussus se transferre in Niniven, ad annuntiandum incolis illius imminens totius urbis exterminium, ipse viam contrariam ingrediens, navigavit in Tharsim: Mox vero ut in alto mari constitutus fuit, sæva & horrida exurrexit tempestas, quam S. Zeno his verbis egregie describit: *Ventorum flatu violento lacessitum fremit mare, solicitique gurgitis præruptorum montium canis voluminibus repugnantium, littorum spumantia ora contundens minatur per momenta naufragium; Procellæ crebrescentes insaniunt, horrendum sibilant funes, gemunt cedentibus velis antennæ, retonsa undique tier non invenit prora, trepidant nautæ, festinant incassum, jactura vasorum navem levare ponderibus:* sed omnia irrito eventu, quia magis magisque semper ferocire pergebat Oceanus, quamdiu navis illam non deponebat farcinam, quæ eam submergebat. At vero quænam erat hæc farcina? Nimirum *Prophetæ pondere premebator.* At vero num extenuatum & mitescentem hujus Prophetæ corpus adeo erat ponderosum, ut navim plus aggravaret, quam tot aliæ merces, quibus navis onusta erat? Ita est omnino; Nam inobedientia Jonæ pondus erat, quod navem deorsum & in fundum trahebat. Eodem prorsus tempore navigabant in eodem mari aliæ naves, idque magna cum celeritate & cœlo sereno, Unde Theodoretus ait: *Cum omnes aliæ naves secundo vento cursum tenerent in hanc unam tempestas maris fluctibus incumbebat. Plus enim ponderis habebat solum Jonæ peccatum*, inquit Chrysostomus, *quam alia omnia, quæ navis portabat. Apud se periculi farcinam retinebant, & magis magisque Prophetæ corpore gravabantur, non corporis magnitudine, sed peccati, nihil enim æque grave & onerosum inveniet, quam peccatum, ideoque Zacharias plumbo illud figuravit.* S. Hieronymus ad hunc Jonæ textum commentandum digressus, compatitur naucleris illis, qui merces navi suæ concreditas, inter aquarum ejecerunt procellas, navim inde alleviandam esse credentes, *Arbitrantur*, inquit, *navem solito onere prægravari, & non intelligant, totum pondus esse fugitivi Prophetæ.*

Philo l 3. de vit. Moysis.

Jonæ. 1.

S. Zeno serm. de Jona. Descriptio navis in tempestate.

Quam causabat inobedientia Jonæ.

Chrysost. hom de Jona. Gravius erat peccatum Jonæ, quam omnes aliæ merces.

6. Refert Cæsarius, quod cum viatores aliqui Palæstinam versus navigarent, horrida confestim exurrexerit tempestas, quæ vicinum comminabatur naufragium; quare imminentem formidantes mortem, unus alteri peccata propria cum ferventibus compunctionis actibus confiteri cœpit, idque non infructuose, quia cum inter illos magnus quidam esset peccator, cujus causa mare in tantam furiam redactum fuerat. Hic timore perculsus, & in pedes sese erigens protestatus est, dicens: Si tempestas hæc propter peccata nostra excitata fuit, certe ego præ cunctis aliis eam excitavi, & proinde vehementis in se compunctionis & doloris actus excitando, omnium criminum suorum confessionem publicam instituit, moxque mare ad pristinam tranquillitatem & quietem redijt; cui miraculo aliud quoddam non minus insigne accessit, siquidem Deus in omnibus, qui in navi illa fuerant, peccatorum, ex publicis confessionibus auditorum, memoriam adeo perfecte abolevit, ut nullius prorsus ne vel minimi quidem peccati recordari potuerint.

S. Hieron. ibid.

Spec. Exempl. l. 3. cap. 28. Historia miraculosa.

7. Ægyptij una cum Pharaone, qui symbolice reprobos repræsentabat, in mari rubro submersi fuerunt, dicente Scriptura: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Unde Origenes ait: *Peccatores graves sunt, Sancti autem leves, quia ambulant super aquas. Dominus & Salvator noster super aquas ambulavit, ipse est enim, qui vere peccatum nescit; Ambulavit & discipulus ejus Petrus, licet pauludum trepidaverit, non enim tantus erat ac talis, qui nihil omnino de spiritu plumbi, id est, peccati intra se haberet admixtum; habuit, licet parum, propter quod dicit ad eum Dominus: Modicæ fidei quare dubitasti?* Nota est omnibus historia. A principio quidem bases pedum suorum, super aquas firmavit, haud secus ac si solido inambulasset elemento; At vero postea vacillare cœpit, timuitque submergi, cujus S. Hieronymus hanc rationem assignat: *Petrus, qui ante pendulo gressu calcabat undas; postquam infidelitate aggravatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini sublevatur.* Quam eamdem reflexionem Origenes prius habuerat, dum ait: *Simul atque dubitavit, videt ventum validum haud quaquam validum ei, qui depositerat exiguam fidem, & hæsitationem.* In alia quadam occasione, quando etiam Christus in navicula, in qua omnes Apostoli simul congregati, trajicere parabat; mare pariter furere, & sævire cœpit; dicit enim sacer textus: *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Undenam vero hæc tempestas processerit, S. Ambrosius insinuat, dum ob Judæ in eadem navi præsentiam, mare conturbatum fuisse notat, inquiens: *Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & Judas, quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia eam conturbabat. Unius delicto cunctorum merita quatiuntur;* Ecce quantum immensa hæc peccati farcina navim hanc aggravet, ut scilicet innumera multorum Apostolorum merita supplantare valeat. S. Matthæus, etiamnum Publicanus existens, pro eo tempore, quo Christus eum ad Apostolatum vocavit, à sacra Scriptura fedisse dicitur: *Sedentem in Telonio*, id est, ut Glossa ait, *lucris pertinaciter inhiantem*; longè autem melius ait Chrysologus: *Sedebat utique, quæ stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totius conscientia fraudis incurvus; Aurum natura grave, gravius sit avaritia nimis. Hinc est, quod plus habentem deprimit, quam ferentem, & vehementius aggravat corda, quam corpora.* S. Augustinus verba illa, quæ S. Lucas de Divite epulone pronuntiat, scilicet *sepultus est in inferno*, considerans ait: *Quia hic pecuniarum pondere pressus, velocius descenderat, quam ut venisse diceretur.* S. Paulinus in Epistola quadam *de capillatura Absalonis* in hæc verba ingeniose scribit: *Ut Scriptura divina nos docet, levis est Sanctorum coma, impiorum gravis. Hæc autem aut virtutis, ut in Samsone, aut sanctificationis, ut in Samuële; illa autem aut ponderis, ut in Absalone, aut æquaboris, ut in Nabuchodonosore, qua hominum, consuetudoque discordia docemur, in capillis opera censere.* Paulo post vero de Absalone subjungit: *Tondebat caput suum, quia gravaretur, cum autem detonsus esset, ponderabat capillos capitis sui; & erant centum siclos pondere regali. Quo apertius exprimi potest, pro operibus numerari capillos? Cum in impij capite non aliquam virtutem, sed tantum farcinam capillorum Scriptura significet. Ponderabat, inquit, capillos capitis sui; Gloria enim impio est iniquitas sua.*

Exod. 15. 10. Peccatores sunt graves Sancti leves.

Matth. 9. 9.

Chrysolog. serm. 29.

Matthæus in telonio stare non potérat; quia premebatur pondere cupiditatis.

Luce 16. 22.

S. August. serm. 15. de Verb. Dom.

S. Paulin. Epist. 4. ad Severum.

Capilli impiorum sunt graves, proborum leves.

2. Reg. 14. v. 26.

8. S. Ambrosius utilissimam nobis insinuat doctrinam, dum verba illa Sapientis: *Narratio fatui, quasi farcina in via*, considerans ait: *Quid enim aliud est peccatum, nisi farcina, quæ hujus seculi gravat viatorem, gravi depressum fasce delicti, qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes, qui onerati estis.* Et vero quisquis peccatum suum confitetur, hujus se farcinæ onere exonerat; qui autem divinam legem observat, hujus oneris timendi causam non habet. Pessimum vero signum est, quando quis hoc onere peccati gravatus, idipsum non sentit, vere enim talis in profundum malitiæ perveniisse dici poterit: *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Ad eum enim modum talis impius se habet, quo is, qui intra undas maris natitat, hic enim sæpe supra corpus suum mille plaustra aquæ habebit, & tamen pondus illorum non sentit, sed sub illis instar piscis agiliter natando progreditur; econtra vero qui extra aquas vel mediam amiam aquæ supra se portat, onus illius gravissimum esse experietur; Et vero undenam hæc proficiscitur differentia? Respondetur per axioma illud Philosophicum; *Elementa intra propriam sphæram non gravitant*; aqua autem intra lacum, flumen, vel mare constituta, est veluti in propria sphæra, ac proinde pondus illius in aquis non sentitur, quemadmodum quando extra suum centrum est

Ecclī. 21. 15. S. Ambros. de Interpell. S. Job l. 1. c. 3.

Jugum peccatorum dicitur farcina.

Prov. 18. 3.

Elementa in propria sphæra non gravitant.

est extracta. Verumenimvero quid per hanc instructionem me dicere velle existimatis? Nimirum contingit sæpissime, quod peccator aliquis conscientiam habeat centenis, & millenis peccatis mortalibus aggravatam, (*abominabilis homo bibit quasi aquam iniquitatem,*) & tamen lætatur etiamnum & ridet, nec ulla ratione peccatorum suorum sentit gravitatem; cujus ratio est, quia peccatum, & iniquitas est in illo, velut in suo centro; & hoc manifestum est reprobationis suæ signum; siquidem omnem amisit remorsum, & syndæresin; Econtra vero quando anima peccati sui pondus persentiscit, tametsi illud nondum deponat, signum tamen est, quod peccatum in eo non sit sicut in suo centro, quodque timorata etiamnum in eo supersit conscientia. Salmeron idipsum explicat sequenti adhibita similitudine: Ait enim: *Est peccatum in conscientia, dum perpetratur, tamquam lignum in aqua, quod facile movetur super illam, at ubi perpetratum est, tamquam lignum de aqua extractum ponderosum est valde.* Et ideo qui infinitum peccati pondus dignoscere cupit, huic necessum est, ut illud in rigorosissimæ divinæ justitiæ stateram reponat. Fecit idipsum S. Antonius de Padua, cum ait: *O quantum gravia, quæ faciunt hominem cadere in profundum.* Idipsum quoque D. Chrysostomus in hæc verba scribens: *Grave onus est peccatum, & deorsum ferens premit, & quomodo qui in puteum ceciderunt, non facile ascendent, sed opus habebunt alijs, qui sursum tollant, ita etiam qui venerit in profundum peccatorum.* Quod si aliquis ex unico dumtaxat capitis capillo, super fornacem ardentem suspensus hærens, ad pedes alligatum haberet montem quemdam marmoreum, inexplicabilis ponderis, qui continuo cum deorsum traheret, quemnam tibi de illo conceptum formaturus esses? Diceres utique, ingens esse Divinæ omnipotentiæ miraculum, quod talis sustentaretur, nec capillus ille vel minimum rumpi videretur, tum propter activitatem flammæ, tum propter pili subtilitatem. In hoc autem statu positus est impius, in mortali peccato constitutus; habet enim sibi adhærescens pondus infinitum, quod illum ad infernum continuo trahit, utpote super quo *secundum præsentem justitiam*, hæret pendulus, quasi ex pilo capitis, cum inter ipsum & ignem illum infernalem non sit major distantia, quam unius dumtaxat respirationis vel anhelitus, à quo vita nostra dependet, quæ longe quid minus est, quam sit pilus capitis. Quisnam vero est, qui se reflectat ad tam manifestum & potens divinæ pietatis miraculum, quo fit, ut hic pilus non rumpatur? Audiamus S. Archiepiscopum Valentinum, Thomam, inquam, de Villa nova, qui eorum negligentiam, qui ex tanto periculo evadere ne minimum curant, obstupescit inquiens: *Quam justè ardent in inferno, qui contempserant tam levem adhibere medicinam. Infelix anima, quæ tam longo tempore vivit sine Deo, facta habitaculum Dæmoniorum, à quibus captiva tenetur, ad suam voluntatem! O cor, quod talia sustinet! O quanta audacia, ardet infernus sub pedibus, expectat ore aperto, & solo capillo vitæ pendet anima, ne cadat in illo, & ridet, & dormit.*

Job 15. v. 16. Illius moralis applicatio.

Salmer. tom. 10. tract. 16. Similitudo.

S. Anton. de Pad serm. 3. Dom. 2. Quad.

D. Chrysost. hom. 8. in 1. ad Cor.

S. Thom. à Vill Nova Conc. fer. 6. post 1. Dom. Quadr.

DISCURSUS XXV.

ARGUMENTUM.

Peccatum mortale peccatorem adeo constringit, ut per effrænes appetitus suos, eum suipsius carnificem efficiat.

THEMA.

Iniquitates suæ capiunt impium. Prov. 5. ℣. 22.

Piscis in reti & avis in laqueo privatur sua libertate.

1. QUando dicere volumus, aliquem ab alio eo esse redactum, ut ei ad nutum servire cogatur, Proverbio vulgato dicere solemus, *Tenet ipsum per capillos suspensum*, scilicet, ut de ipso facere possit quodlibet. Idem igitur Sapiens in prædictis verbis dicere velle videtur, quando vim & violentiam peccati exprimere volens, qua efficit, ut nos faciamus quod illi libet, dicit: *Iniquitates suæ capiunt impium.* Sicut enim is, qui in carcere, & inter compedes captivus degit, facere cogitur, quod carceris præfecto collibuerit, ita quoque peccatum eumdem operatur effectum, ac proinde Salomon subjungit: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Quamdiu piscis non est in reti, nec avis laqueo claditur, salva est utriusque libertas, non vero quando intra rete piscatoris, vel aucupis laqueum clauduntur; *Iniquitates suæ capiant impium*, id est, ut Hugo Cardinalis exponit; *Sint laqueus aves, & sicut hamus pisces.* Anima enim quæ antea libera erat, per peccatum efficitur appetituum suorum mancipium, & ancilla. Numquid lachrymis illum dignum judicares, qui ex propriæ voluntatis electione, sponte, & libere, se conjiceret intra compedes, furcas, aliaque similia infamium supplicium instrumenta intromitteret? *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Propriæ autem passiones miserum peccatorem ad hanc deplorandam stultitiam subeundam veluti cogunt, ut proinde Angelicus Doctor de ejusmodi misero homine merito dicat: *Peccator ad seipsum male se habet, quoniam plus vult se esse malum, quam bonum; Diaboli servum, quam Dei Filium; in statu latronis, quam in statu Regis: Qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adjudicatus.*

Hug. Card.

Anima peccato.

S. Thom. l. 5. de erudit. Princip. c. 3.

2. In libro Josue cap. 16. legitur: *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc Tributarius.* At vero inquies, numquid Deus totale Chananæorum præceperat exterminium? Cur igitur contra jussum Dei servantur illæsi, & etiamnum inter filios Ephraim vivere permittuntur? Responsum ex ly *Tributarij* facile colligitur; Hoc enim filij Ephraim solo lucri motivo decepti fecerunt, ex quo enim ab ijs tributum extorquere poterant, ad transgrediendum divinum præceptum se seduci permiserunt; Lucrum igitur voluptas, vel similis alius amor inordinatus, ad transgredienda Dei præcepta nos extimulant; At vero quidnam talibus justo Dei judicio evenire solet? Nimirum qui ejusmodi sunt, laqueum seu funem collo inferentes, sensuum suorum se mancipia constituunt. Etenim Chananæi totam tribum Ephraim continuo tenebant timore constrictam, eamque indigne tractabant, adeoque quamdiu inter illos nutriebantur, filij Ephraim continuis exagitabantur suspicionibus & timoribus, & tamen inimicum suum in proprijs visceribus nutriebant; *Omnia in figura contingebant illis.* Audite igitur S. Gregorium dicentem: *Quid enim Chananæus, Gentilis populus, nisi vitium significat? Vivere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat.* Verum quidem est, quod ex divitijs, ex voluptatibus, ex vindicta in inimicum exercita, aliqua perfruaris satisfactione humana, at vero quis non videt, majores esse tyrannides, violentias, & ærumnas, quas progressu temporis in sua secum sequela abducunt? Vivere in se hostes conspicit? Vitia enim sunt vitiosorum carnifices; suntque velut totidem vultures, viscera peccatoris devorantes. Antiqui Romani inter falsa, quæ venerabantur, Numina, unum habebant, cui nomen erat *Angeronia*, alterum vero *Volupia* appellabatur, quorum Plinius & Macrobius *in Saturnalibus* meminere; Ex his Angeronia adversitatibus præerat, Volupia vero, id est, Venus, voluptatum Præfecta erat; Angeroniæ non offerebatur sacrificium, præterquam in templo Veneris, quasi & ipsi Gentiles, licet in intellectu suo cœci, quoad capiendas veritates æternas, per hoc insinuare voluissent, quod etiam in actualibus voluptatibus, permixta reperiatur miseria, labor, & ærumna. Unde Seneca ait: *Prima, & maxima peccantium pœna est, peccasse.* Unde si peccator nullam aliam pœnam reciperet, hæc asperrima esset, quod scilicet iniquitas, & peccatum verus sit animæ peccatricis carnifex.

Plin. l. 3. c. 5. Macrob. l. 1. cap. 10. Explicatio Angeroniæ & Volupiæ.

Senec. Epist. 92.

3. Nota est universis famosa illa nuptiarum parabola, in qua temerarius ille, qui sine veste nuptiali mensæ accumbere præsumpsit, terribilem hanc audire debuit condemnationem: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Ast vero merito quæret hic aliquis, qua ratione hæc condemnationis sententia in tempore & loco tanto gaudio, quale nuptiarum esse solet, destinato promptæ executioni mandari potuerit? Ubi enim erant prompti lictores? ubi vincula? ubi compedes? ubi carceres in domo aliqua, tunc convivijs, cantibus, choræis & tripudijs, similibusque alijs recreationibus destinata? Nimirum *omnia in figura contingebant illis.* Infelix enim ille, qui veste carebat nuptiali, eum designabat, qui propter culpæ mortalis demerita divina gratia, charitate, amicitia Dei, cunctisque bonorum operum meritis spoliatus fuit, hi autem, qui tales sunt, suos semper fines, catenas, & carnifices

Matt. 22. 13. Ubi cito potuerint in nuptijs Evangelicis adesse executores sententiæ contra nō vestitum.

Mala conscientia, testis Judex, tortor, & carcer fuit. *Prov. 5. 22. S. Bernad. lib. de Conscient. S. August. in Psalm. 130.*

nifices adducunt, hi enim alij non sunt, quam inordinati illorum proprij appetitus, quorum subjacent tyrannidi : *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Unde S. Bernardus de mala differens conscientia ait : *Ipsa est testis, ipsa Judex, ipsa tortor, ipsa carcer.* S. Augustinus super Psalmos scribens, hanc introducens parabolam, sequentem instituit, non minus ingeniosam, quam utilem considerationem : *Non ergo esset, unde illi ligarentur manus, & pedes, nisi ipse sibi restim fecisset. Unde alio in loco scriptum est : Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.*

Ps 80. v. 12. Deus peccatores punit, illos dimittendo suis desideriis. *Ibid. v. 13.*

4. Deus de inobediente, rebelli, divinaque præcepta surdis auribus excipiente populo suo in hæc verba lamentatur : *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi :* At vero qualem ipsos inde pœnam retulisse existimatis ? Num forte leones, ursos, aliasque feras emisit in illos, ut sicut olim in confinibus Samariæ factum fuerat, ab ijsdem devorarentur ? Nequaquam ; Quid ergo eis fecit ? Sacer Textus ibidem ait : *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis.* At vero dices ; hoc non est punire impios, eorumque iniquitates coërcere ; sed potius eosdem in illis fovere, impijque namque nihil aliud quærunt, quam si eis habena relaxetur, omnisque indulgeatur libertas faciendi, quod volunt. Respondeo, id quidem verum esse, impios vero à peccatis suis excæcatos minime intelligere, quod longe deterius sit, cedere illos in propriorum inordinatorum appetitum prædam, quam si ferarum truculentiæ & fœvitiei traderentur, hæ enim aliud non lacerant, quam corpus, inordinatæ autem passiones corpus pariter & animam dilaniant, sunque tyrannide ijsdem violentiam inferunt ; Cæterum trita est illa in confessionibus S. Augustini sententia dicentis : *Justisti Domine, & sic est, ut omnis sibi pœna sit inordinatus amor* ; Et alibi pariter ita scribit : *Cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum dimittit, juxta illud : Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Enimvero appetitus, sive effrænis quædam passio, talis est violentiæ, ut nos oculis clausis in præcipitium & desperationem pertrahat ; In cujus probationem B. Petrus Damianus facinus quoddam refert, ex quo evidenter deducitur, eum, qui periculum submersionis in flumine evaserat, tandem, ut ita dicam, in cratere aqua pleno fuisse submersum. Et quidem Historia, quam Sanct. Cardinalis refert, sibi à Sanct. Hugone Abbate Cluniacensi relatam fuisse dicit. En igitur historiam ipsissimis Sancti Petri Damiani verbis conscriptam : *Religiosus quidam Episcopus, in expeditione positus, cum venisset ad ripam cujusdam fluminis, substitit, ibique lassus recreare spiritum cœpit, cumque illic tranquille quiesceret, audivit vocem de fluminis alveo prodeuntem, & hæc verba clarius exprimentem : Hora venit, homo non venit. His auditis, Episcopus solicitus redditur, & recogitans, hoc sine mysterio esse non posse ; eventum rei solerti custodia præstolatur. Sed dum attentus explorator expectat, dumque hæc & illa recogitat ; ecce quidam clericus agillimus properabat, equumque calcaribus attereus, annem transire quantocius festinabat. Admonuit autem suos Episcopus, ut obvios se venienti festinanter objicerent, eumque à sui cursus impetu retinerent ; Cumque ille pertinaciter properans flumen aggrederetur præcipitanter invadere ; ac sine mora transire ; illique contra violenter obsisterent, & gradum figere compulissent, ait : Quiescite, quæso ; dimittite me, recedite, quia jussio Regis urget, non est res, quæ differri possit in posterum ; Mysterium Regis instat, inevitabilis necessitas imperat. Quid plura ? S. Episcopus eum violentissime retentum, superveniente nocte, secum habere hospitium coëgit. Sed misera hominis ac lugenda conditio, quæ facilius valet sibi conficere mala, dum desunt, quam vitare, cum imminent. Episcopo scilicet cum suis gravi sopore depresso, ille vas aquæ in hospitio reperit, in quod caput immergens, suus ipse tortor effectus, se feraliter enecavit.* Ubi notanda sunt verba illa, *suus ipse tortor effectus*, &c. Siquidem ut Plutarchus quoque, licet Gentilis Philosophus, refert : *Malitia conjunctam, & assidue ipsam torquentem gestat pœnam, atque dolorem, non postquam scelus perfecerit, sed tunc maxime fingitiosam pœnam exsolvit, cum injuriam atrociter inferre videtur.*

Inordinatus amor, in initio gratus, fit pœna peccati. *S. August.*

Suicidium.

Plut. de sera numinis vindicta.

5. Saül intrinsecus propter Davidis applausus & triumphos, ab invidia extimulatus, concepto contra Davidem odio, eumdem licet generum suum, adeoque bene meritum suum benefactorem, qui sceptrum & coronam in capite ejus stabilierat, adeo indigne ferebat, ut se præ dolore moriturum esse metueret, cujusmodi doloris verba erant illa : *non est, qui vicem meam doleat* ; atque ideo ad sævissimam in ipsum excitandam persecutionem se extimulari sentiebat ; tametsi ab ejusmodi persecutione sæpius sibi proposuisset desistere. Judæi similiter videntes numerum Discipulorum Christi quotidie crescere, ipsumque ob miraculorum præstantiam, majorem sibi famam acquirere, suamque doctrinam Evangelicam quotidie magis magisque confirmari, rabie quadam agebantur interius in animis suis, adeo, ut in concilio congregati anxij & afflicti, seque mutuo aspicientes dixerint : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ?* Ubi Salmeron ait : *Expende admirabilem sitim malefaciendi* ; Et vero quanta mala alia contra Christum maledicti hi Hebræi machinati non fuerant ? Ejus calumniati fuerant doctrinam, sanctitati vitæ suæ detraxerant, tamquam Samaritanum, ebrium, ac temulentum, publicanumque proclamaverant, eum tamquam in virtute Beelzebub Dæmonia ejicientem traduxerant, & de monte eum præcipitare, in vincula conjicere, arreptisque lapidibus eum lapidare conati fuerant ; & tamen post tot Christo illatas injurias, *tamquam nihil egissent, dicunt : Quid facimus ?* Quorum verborum sensum genuinum Albertus Magnus his verbis expressit : *Est autem verbum angustiati dicere, quid facimus. Cogitationes meæ,* (verba sunt S. Prophetæ,) *dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Pagninus legit : *Evulsæ sunt, torquentes cor meum.*

Invidia Saülis.

1. Reg. 22. 8.

S. Ambr. in Psal. 35.

Deut. 28. 65.

Joan. 11. 47. Salmer. t. 8. tract. 54.

Invidia Judæorum contra Christum.

Alb. Magn. Job. 17. 11.

6. In Themate hujus discursus dicitur : *Iniquitates suæ capiunt impium* ; Post captivitatem vero & carceres sequuntur vincula, funes, & catenæ ; *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* ; & consequenter quod reus tormentis subjiciatur, ad extorquendam veritatis ingenuam confessionem ; Ita enim in judicis criminalibus quotidie practicatur. Ecce igitur quam bene idipsum Job expresserit dicens : *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*, vel ut originale Hebræorum legit ; *Cogitationes meæ convulsæ sunt* ; quod plus quidpiam dicit, quam, cogitationes meas dissipatas esse, quia convulsiones dolores secum habent acerbissimos ; Septuaginta vertunt ; *Rupti sunt articuli cordis mei.* S. Augustinus habet : *Convulsæ sunt compages cordis mei.* Et vero ex quo dolor excessivus, sæpe causa esse solet delirij, non sine causa Polychronius legit : *Præ mœrore cordis mei parum abfuit, quin in dementiam abierim* ; Etenim vehemens & immoderata passio, præterquam quod corpus torqueat ; mentem quoque interius ita perturbat, ut eamdem in rationis deliquium & insaniam sæpe redigat ; Ac proinde, ut suo loco probavimus, culpa & iniquitas in sacra Scriptura sæpe fatuitatis & insipientiæ nomine appellatur. S. Basilius hominem ira exardescentem his verbis repræsentat : *A dæmonibus detenti, irati, nihil nec forma, nec animi affectu differunt à deliro.* D. Chrysostomus pariter hominem vindicativum his verbis affatur : *O pœnas, cur perseveras semper, ut te punias, ut illum semel flagelles ? Quare bestiam in viscera tua includis ? Melius esset viperam, vel serpentem in corde positum esse, quam iram.* Serpens enim soli corpori mortem inferret, idque semel dumtaxat, odium vero, & ira vindicativa animam continuo affligit & diferuciat, mortemque eidem æternam adfert, imo sæpe etiam mortis corporalis est causa, juxta illam Psalmistæ imprecationem : *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Porro si gulæ violentia consideretur, quis est, qui non videat, qualiter hæc epulonem adeo tenaciter occupet, & molestet, ut vere de ipso dici possit, *semper animus insatiabilis ?* Diu enim noctuque, sive vigilans, sive dormiens, aliud non cogitat, nec alteri rei studet, quam solis cibis sapidis, lautis & delicatis, suamque conditionem, & possibilitatem longe excedentibus præparandis, licet sciat & frequenter experiatur, per ejusmodi cibos magnas sibi causari indigestiones, infirmitates, cruditates, aliosque acerbissimos dolores ? *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Judas quidem in ultima cœna sapidissimum quemdam bolum de manu Redemptoris acceperat ; *cui intinctum panem porrexero* ; At vero bolus iste cure nimis

Post captivitatem sequitur sæpe tortura.

Prov. 5. 22.

Descriptio Gulosi.

Ps. 77. v. 30.

Joan. 13. 26.

Assor. t. 18. Judas repræsentat gulosos.

nimis pretio ei constitit, siquem *diffusa sunt omnia viscera ejus.* Prætigurabat proinde Judas epulones illos, qui in contemptum Dei suos nituntur adimplere, & exstatiare appetitus, qui tandem ex vitiosis & sceleratis suimetipsius efficiuntur carnifices. *Ipse sibi laqueum paravit*, inquit quidam interpres : *ipse sibi illigat, ipse se præcipitat, ipse suspensus crepuit medius* : sive ut legit Syriacus : *Crepuit per medium sui, impetu malitiæ suæ se rupit, & tamquam in frusta se scidit. Ipse se proprio ore egit in mortem*, inquit S. Ambrosius : *Quantos putamus in ipso fuisse torrores, ut sibiipse tam gravis pœnæ exactor incumberet, & semetipsum laqueo strangularet. Dixit injustus, ut delinquat sibi.*

7. Ex parte Dei in libro Deuteronomij sequens impijs intentata fuit comminatio ; *Dabit tibi Dominus animam mœrore confectam, & erit vita tua quasi pendens ante te.* Quisquis enim vitijs incipit esse deditus, carnique & sensualitati suæ omnem libertatem indulget, infeliciter vivit, quia semper inquietus est & anxius, continuisque periculis expositus, & quasi semper moritur ; Syndæresis enim malæ conscientiæ ipsum continuo transfigere non desinit. Tametsi Rex ille Babyloniæ apud Danielem, totum fecerit contremiscere mundum, ejus tamen mala conscientia, ipsum etiam in somno positum, toto corpore trepidare fecit, dicente sacro Textu : *Vidit somnium, & conterritus est spiritus ejus* : vocavit quidem sapientes & Ariolos suos, quibus tamen nec ipsemet, quod habuerat somnium, recensere poterat, unde ait : *Mente confusus, Ignovi, quid viderim.* At vero si somnij sui non recordabatur amplius, quamnam habere poterat concipiendæ tristitiæ causam ? *Sat est peccatori*, inquit sacer quidam interpres, *vel ipsa somnij ignorata figura, ut non solum eum excutiat à lecto, sed & vigilem, & stantem, vel de oblivionis pungat memoria.*

Malus semper est inquietus : pater in Rege Babyloniæ. *Dan. 2. 1.*

Deut. 28. 65.

Ibid. v. 3.

8. Ex quo Nabuchodonosor Rex sacrilegus, impius, Atheus, Deoque vero rebellis erat, justam omnino causam sibi metuendi habebat, siquidem cum ipsamet altissima Majestate contendere non dubitarat ; *Altissimus autem odio habet peccatores.* D. Chrysostomus considerans verba illa : *Herodes enim metuebat Joannem* ; Interrogat inquiens : Cur eum in carcerem conjecit ? *Cur non eum contempsit ? Num Joannes eum in judicium tracturus erat ? Num adulterij pœnas ab eo expetijt ? Nonne reprehensio dumtaxat erant quæ dicebantur ? Quid ergo metuit, ac tremit ? Annon verba erant, ac simplex sermo ? Certe. Sed hujusmodi verba magis, quam res ipsæ eum pungebant. Non eum ad judicium, sed ad conscientiæ tribunal trahebat.* Conscientia autem verminosa, & cariosa, simul & semel rei accusatoris testis, judicis, & carnificis sustinet partes. S. Gregorius Magnus optime considerat, quod de illo, qui eo, quod ad nuptias sine nuptiali veste accedere non erubuisset, ligatis manibus & pedibus ad tenebras exteriores sustinendas fuerat condemnatus, facer textus dicat : *At ille obmutuit* ; Unde sequentem deducit moralitatem : *Omne argumentum cessat excusationis, quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intus animam accusat.*

Ecel. 12. 3.

Marci. 6. 20.

Chrysost. hom. 28 in 2. ad Cor.

Ecce igitur quam bene idipsum Job expresserit dicens : *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*, vel ut originale Hebræorum legit ; *Cogitationes meæ convulsæ sunt* ; quod plus quidpiam dicit, quam, cogitationes meas dissipatas esse, quia convulsiones dolores secum habent acerbissimos ; Septuaginta vertunt ; *Rupti sunt articuli cordis mei.* S. Augustinus habet : *Convulsæ sunt compages cordis mei.* Et vero ex quo dolor excessivus, sæpe causa esse solet delirij, non sine causa Polychronius legit : *Præ mœrore cordis mei parum abfuit, quin in dementiam abierim* ; Etenim vehemens & immoderata passio, præterquam quod corpus torqueat ; mentem quoque interius ita perturbat, ut eamdem in rationis deliquium & insaniam sæpe redigat ; Ac proinde, ut suo loco probavimus, culpa & iniquitas in sacra Scriptura sæpe fatuitatis & insipientiæ nomine appellatur. S. Basilius hominem ira exardescentem his verbis repræsentat : *A dæmonibus detenti, irati, nihil nec forma, nec animi affectu differunt à deliro.* D. Chrysostomus pariter hominem vindicativum his verbis affatur : *O pœnas, cur perseveras semper, ut te punias, ut illum semel flagelles ? Quare bestiam in viscera tua includis ? Melius esset viperam, vel serpentem in corde positum esse, quam iram.* Serpens enim soli corpori mortem inferret, idque semel dumtaxat, odium vero, & ira vindicativa animam continuo affligit & diferuciat, mortemque eidem æternam adfert, imo sæpe etiam mortis corporalis est causa, juxta illam Psalmistæ imprecationem : *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Porro si gulæ violentia consideretur, quis est, qui non videat, qualiter hæc epulonem adeo tenaciter occupet, & molestet, ut vere de ipso dici possit, *semper animus insatiabilis ?* Diu enim noctuque, sive vigilans, sive dormiens, aliud non cogitat, nec alteri rei studet, quam solis cibis sapidis, lautis & delicatis, suamque conditionem, & possibilitatem longe excedentibus præparandis, licet sciat & frequenter experiatur, per ejusmodi cibos magnas sibi causari indigestiones, infirmitates, cruditates, aliosque acerbissimos dolores ? *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Judas quidem in ultima cœna sapidissimum quemdam bolum de manu Redemptoris acceperat ; *cui intinctum panem porrexero* ; At vero bolus iste cure nimis

Joannes Herodem citavit ad tribunal conscientiæ.

Matt. 22. 12. S. Gregor. hom. 38. in Evang.

Psal. 90. 10.

Job. 35. 6.

Ibid. v. 8.

tem offendat, Deo autem offensam, vel damnum adferre non possit, tametsi multis à nobis lacessatur injurijs & contumelijs, quia *non accedet ad te malum.* Ubi vulgata nostra in Deuteronomio legit : *Peccaverunt ei, & non filij ejus in sordibus* ; S. Augustinus cum Septuaginta interpretibus vertit : *Peccaverunt non ei, filij ejus vituperabiles* ; & rationem assignat : *Quoniam qui peccat, non peccat ei, id est, non Deo nocet, sed sibipsi* ; Chaldæus pariter legit ; *Dissipaverunt seipsos, & non illum.* Item S. Augustinus super Psalmum decimum scribens, ut damnum, quod nobis ipsis peccando inferimus, quodque Deum ne minimum quidem tangit, declaret, sequentem adhibet idoneam similitudinem : Etenim necessarium est, ut facula aliam materiam accensura, ipsa prius ardeat, & consumat seipsam : *Nemo malus, qui sibi non prius noceat ; Facula est, hanc faculam apponit, ut aliquid incendat ; Numquid non ipsa facula, quam apponit, prius ardet, ut aliquid possit incendere ? Malitia autem procedit ex se, & quem prius vastat ; nisi se ?* Præterea si facula alium vellet ignem comburere aut conflagrare, nihil utique mali ei adferret ? *Deus ignis consumens est*, ignis autem major semper extinguit minorem, ita quoque homini contingit, cum Deo confligere, & congredi volenti, nihil enim ex hoc nisi caput faucium reportat ; Cæterum vero *ignis ejus non extinguitur*, sed potius magis accenditur, ut in inferno æternaliter ardeat. Doctrina est Origenis dicentis : *Invenimus in Isaia Propheta designari, uniuscujusque esse, proprium ignem, quo punitur, accendere* ; Isaiæ 50. *Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma, quam accendistis. Per quos sermones hoc videtur indicari peccatori, ut flammam sibiipsi proprij ignis accendat, & non in alienum ignem, qui antea fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum subsliterit, demergatur. Cujus ignis materia, atque esca, nostra sunt peccata, quæ ab Apostolo lignum, & fœnum, & stipula nominantur.*

Deut. 32. 5.

S. August. in Psal. 10. 6. Malus sibipsi prius nocet ut fax prius seipsam consumit antequam aliam accendit.

Hebr. 12. 29. Quilibet ignem sibi sui punitivum accendit.

Orig. l. 2. Periarch. cap. 11.

Isaiæ 50. 11.

9. Apostolus ad profligandam peccati tyrannidem, ne in anima nostra regnet, his verbis nos exhortatur : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* ; Vultisne autem scire, quonam modo Dominum hoc sit abolendum, ut ab hac servitute nos eximere valeamus ? Modum hunc docet Apostolus inquiens : *Non regnet, ... ut obedialis concupiscentijs ejus. Non obediendum dicit peccato*, inquit S. Ambrosius, *Ne regnet in vestro mortali corpore.* Subdit vero S. Paulus, *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccati*, ubi, ut idem S. Doctor ad propositum nostrum exponit ; *Offendit, Diabolum nostris nos jaculis expugnare ; Occasio enim datur illi per nostra peccata, ut deserente nos Deo, accepta potestate, illudat, & mortificet nos.* Bellovacensis in speculo suo morali assertum S. Ambrosij confirmat, dum peccatoris observans stultitiam ait : *Spontaneus Diabolo se tradens, hosti pessimo, cum non habeat, unde possit eum ligare, & tenere, & suspendere, propriis manibus faunem facit, per quem eum Diabolus ligat, ducit, & demum suspendit.* Diabolus Judam intrare non potuisset, nisi is ei in corde suo locum indulsisset, ac proinde Apostolus ait : *Nolite locum dare Diabolo* ; qui in traditore portas invenit apertas, per quas in eum, quodvis malum, quod volebat, imo etiam ipsummet traditionis scelus introduxit, dicente S. Joanne, *tam Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas*, &c. Observastisne aliquando modum à Diabolo observatum, quando cor Judæ immisit desperationem ut laqueo sibi vitam finiret, nimirum : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Ipse igitur sibiipsi funem contexuit & laqueum ; *Restis enim peccata significat* : ut S. Augustinus ait : *Sicut dicitur per Prophetam, væ eis, qui trahunt peccata velut restem longam. Illi autem trahunt peccata sicut restem longam, qui addunt peccata peccatis.* Idipsum plane Judas fecerat, qui ab eo tempore, quo in Collegio Apostolico fuerat, multa avaritiæ, latrociniorum, detractionum, aliaque commiserat peccata, per quæ paulatim restem sibi longum contexuerat qua se suspenderet. Subdit quoque eodem in loco S. Augustinus, inquiens : *Quo valet autem ista restis, nisi ut inde ligentur ei manus, & pedes, & projiciatur quisque in tenebras exteriores ? Meministis enim dictam de quodam peccatore in Evangelio : Ligate illi manus, & pedes, & projicite illum in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium. Non ergo esset, unde illi ligarentur manus, & pedes, nisi*

Ibid.

S. Ambrosius ibid. v. 13. Iniquus trahit arma Diaboli.

Bellovac. Spec. mor. l. 3. part. 2. dist. 5.

Eph. 4. 27.

John. 13. 2. Judas sibi composuit funem suspendii. *Prov. 5. 23.*

S. August. in Psal. 130.

DISCURSUS XXVI.

ARGUMENTUM.

Peccator mortaliter peccando, semetipsum offendit, & damnificat.

THEMA.

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eorum. Psal. 35. v. 2.

Homo peccando offendit seipsum. *S. Ambr. ib.*

1. HOmo offendendo Deum, offendit seipsum ; estque sibiipsi proprij sui mali solus faber. S. Ambrosius proinde legit : *Dixit injustus, ut delinquat sibi* ; quia peccatum in suum refertur authorem ; Sicut viperæ partus, qui primo suam scindit parentem ; sibi ergo delinquit. S. Job ait de impio : *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est* ; Unde nihil aliud, quam caput pessime fauciatum reportat, quia infallibilis est veritas Psalmistæ dicentis : *Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Idem Job similiter in capite 35. Prophetiæ suæ ait : *Si peccaveris, quid ei nocebis ? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum ? Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua.* Ex quo discursu, S. Jobo à Spiritu Sancto dictato, deducitur evidenter, quod peccatum committen-

ipse sibi restim fecisset ; unde apertissime alio loco scriptum est : Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. Ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de resticula fecit. At vero dices forsitan, multi quidem sunt, qui in patibulo suspenduntur, nec tamen ideo venter eorum rumpitur, nec interiora ipsorum intestina effunduntur, cur igitur Judæ accidit, ut *suspensus crepuerit medius, & diffusa sint omnia viscera ejus?* Drogo Hostiensis ait : *Jam diu quidem à Domino recesserat, & avaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit; Exterioris pœnæ qualitas supplicij modum aperuit, quia per quæ peccaverit homo, per hæc punietur. Suspensus crepuit medius; Plenus erat venter, & ruptus est uter; Crepuit medius ubi sedes Sathanæ; Crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vasis figuli, quæ probantur in fornace; Propter quod in agro figuli, in sepultura peregrinorum, sortem non habuit, sed velut testa crepitans, per inane dissolvitur, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Pecuniæ viscera sunt avari, illæ diffunduntur, & perduntur.* Enimvero quonam putas S. Paulum titulo cupiditatem divitiarum indigitasse? Nimirum ait : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum;* Et quidem hunc sibi laqueum Judas diu ante contexuerat; Jam enim ex Drogone Hostiensi audistis : *Quod jam diu avaritiæ laqueo se suspenderat.* Sed eheu, quot sunt, qui se hisce laqueis constringere, eosdemque non collo solum, sed & animæ inserere solicite satagunt? *Quam paucos invenimus*, inquit Hugo Cardinalis, *qui ab hoc laqueo liberari exultent? Quam multos, qui dolent, quod sibi parum videntur irretiti, & quantum ipsi possunt, se involvere, & intricare laborant?*

[Quare intestina Judæ fuerint effusa? *Act.1.v.18.* — Respondetur. — Avari incidunt in laqueum. *1.Tim.6.9.* — *Hug. Card. ibid.*]

3. Curiosa est historia illa, in libro Judicum cap. 15. relata; Cum enim Samson decrevisset Philisthæos magnis damnis afficere, sequenti usus est consilio, *Perrexit, & cæpit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, quas igne succendens dimisit; ut huc illucque discurrerent, quæ statim pervenerunt in segetes Philisthinorum, quibus succensis, & comportatæ jam fruges, & adhuc stantes in stipula concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque & oliveta flamma consumeret.* Didacus Stella super Lucam scribens, argute considerat, quod quemadmodum hæ vulpes, Philistæis tam ingentis damni causa fuerunt, ita quoque hujus iniquitatis justam retulerint pœnam, siquidem & ipsæ ambustæ fuerunt, ab eodem igne, quem aliorum segeti cum tam ingenti damno applicuerunt; Unde sequentem proposito nostro idoneam deducit moralitatem, inquiens : *Sic impij astuti, & dolosi, sicut vulpes, conjunguntur ad invicem, ut faciant malum proximis, eisque damnum ingerant. Sed vide, quo pacto vulpes illæ, etsi damnum intulerint, & ipsæ concrematæ sunt. Sic mali, & peccatores, non tantum alijs, sed sibi nocent, quia se interimunt, sibiipsis inferentes malum. Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.* Qui justitiam commutativam offendit, damnificando alios, tametsi illis eorum inique auferat facultates, non tamen animam eripere potest; Atque ideo longe majus damnum est, quod peccator sibiipsi infert, siquidem spiritualiter animæ propriæ necem adsciscit, simulque obligationem sibi imponit, omnia illata damna resarciendi, & restituendi inique ablata. S. Augustinus super illa Psalmistæ verba : *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum*, hanc veritatem in homine vindicativo & homicida exemplificat; Rationem enim reddens, cur Psalmista iniquitati usuræ nomen attribuerit, ita scribit : *Quæ sunt istæ usuræ nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? Usuras etiam appellatas puto, quia plus mali invenitur in supplicijs, quam commissum est in peccatis; Nam v.g. cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit, ipsius & anima, & corpus perditur in gehenna.* Sæpe enim contingit, quod vindicativus vindictæ suæ pœnam à parentibus, vel cognatis personæ occisæ, per mortem quoque suam luere, aut vero sub manibus carnificis vitam amittere cogatur.

[Historia de vulpibus Sampsonis. *Judic.15.4.* — Applicatur Impijs. — *Didac. Stell. in Luc. c.20.* — *Ps.71.v.14. S. August. ibid.*]

4. Propriissima est illa similitudo, qua peccata funibus comparantur, hi enim quanto diutius elaborantur, tanto magis ingrossantur, & in eumdem laborem contorsio, & involutio filorum pariter adhibetur. Idem quoque in peccatis accidit, quæ quanto diutius continuantur, tanto magis adaugentur, quia unum trahit ad alterum, ipsique peccatori magnas conciliant afflictiones & ærumnas. *Peccata dicuntur funes*, inquit Beda, *quia is, qui funem facit, torquendo semper, & involvendo, fila adauget; Talis est fortitudo operum malorum, in quibus prava pravis nectentes, nihil aliud, quam ut se arctius obligent, agunt.* Achitophel Absalonis Consiliarius, eidem rebellionem & bellum contra patrem ineundum persuasit; Fuitque in hoc sensualitatis nostræ verus typus, quæ, utpote ad quodvis malum proclivis, voluntatem nostram ad rebellandum contra Deum, & ad deficiendum à divinæ legis adimpletione inducit; hic autem proprijs manibus restim sibi accommodavit, qua tandem suspensus interijt; *Disposita domo sua suspendio interijt.* In eadem proportione Achitophel ille hominem reprobum præfigurat, quia sicut Achitophel de omnibus rebus domesticis rite ordinandis solicitus fuit, nullam vero salutis suæ curam habuit, siquidem disposuit de tota domo sua, de anima vero sua minime cogitavit; ita quoque impij in hac vita faciunt, hi enim sibiipsis restes & laqueos contexunt, quibuscum ad inferni patibulum tandem suspendantur.

[Similitudo à funibus infieri. *Prov.5.22.* — *Beda.* — Probatur ab Achitophel. — *2.Reg.17.23.*]

5. Observandus porro est modus, quo S. Evangelista Joannes de Juda loquitur; Ait enim : *Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas*, post traditionis vero executionem subjungit Evangelista : *Abiens laqueo se suspendit.* Enimvero Diabolus accepto libero in cor Judæ aditu, eidem inseruit avaritiam, & traditionem, postea vero Diabolus in ipso amplius sese prodidisse non legitur, quia post jactatum malum semen suum, perversum traditorem illud nutrire, & ad incrementum perducere permisit, sibi vero solicitudinem reservavit, contexendi laqueum, utpote qui novit, quod *funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur, quodque iniquitates suæ capiunt impium.* S. Paschasius ex adducta Origenis authoritate ita scribit : *Callidissimus explorator Diabolus, postquam in eo, & de eo fecit, quod voluit, ut traderetur Jesus in mortem, recessit mox à Juda, quo recedente, intellexit continuo malum, quod fecerat*, quasi diceret : postquam illum induxit in adeo horrendi criminis consensum, recessit à Juda, utpote certus, quod consensus iste futurus esset offendiculum, quo mediante lapsurus esset in præcipitium, sibique ipsi finaliter præparaturus esset laqueum.

[*Joan.13.2.* — *Matth.27.5.* — Homo tentatione victus relinquitur sibiipsi. — *S. Pasch. l.12. in Matt.*]

6. In capite 8. S. Matthæi quamdam reperimus historiam, per quam evidenter probari videtur, quod unusquisque sibiipsi ruinarum suarum sit faber. Enimvero spiritus illi rebelles, & maligni ex energumenorum corporibus jam jam pellendi, petierunt à Christo dicentes : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum; Et ait illis : Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* S. Ambrosius per immunda hæc animalia homines carnales intelligit inquiens : *Qui sunt isti porci, nisi forte illi, de quibus dictum est; Nolite dare sanctum canibus, nec miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis? Illi scilicet, qui immundorum usu animalium, vocis & rationis expertes, lutulentis vitæ suæ actibus naturalium coinquinaverint ornamenta virtutum.* Porro grex iste nullo adigente, ex seipso, ultro citroque in mare se præcipitem egit, ut exinde hæc veritas jam dicta liquesceret, videremusque, quia homo sibiipsi est author ærumnæ. Paulo ante de Diabolica hac legione dixerat Evangelista : *Cæpit orare, ut introeundi in porcos acciperet facultatem. Et primam, inquit Ambrosius, clementiam Domini debemus advertere, quod nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque sibi est author pœnæ.* Ex quo enim hi Dæmones, ne quidem in porcos (animalia vilissima, & à Deo in antiqua lege à suis sacrificijs proscripta,) ingrediendi facultatem non habebant, nisi prius à Christo hanc obtinuissent licentiam, multo minus in animas nostras, cœlo possidendo creatas, Christique pretioso sanguine redemptas, introeundi potestatem habebunt, nisi nosipsi in magnam Salvatoris contumeliam fores cordis nostri aperiremus. *Nisi quis porci more vixisset*, inquit S. Ambrosius, *numquam accepisset in eum Diabolus potestatem.*

[Carnales dicuntur porci seipsos submergentes. — *Matt.8.31.* *Ibid. v.32.* — *S. Ambros. l.6. in c.8. Luc.* — Quilibet sibi auctor est pœnæ.]

7. Consideranda nobis quoque hoc loco est supplicatio, quam Dæmon Christo omnium Spirituum collegarum nomine proposuit; ait enim sacer textus : *Videns Jesum à longe, cucurrit, & adoravit eum, Et clamans voce magna dixit; Quid mihi & tibi, Jesu Fili altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas.* Circa quæ verba Chrysostomus egregie observat, Dæmonem lingua hujus miserabilis hominis, à Dæmone afflicti, velut instrumento formandi memorialis, Salvatori nostro exhibendi usum fuisse, licet in magnum obsessi hominis damnum, quia Dæmon per hoc solicitabat à Christo, ne à corpore hominis illius ejiceretur. Homo igitur ille Dæmoni subministrabat faucium & linguæ suæ organum, in præjudicium proprium, quod idem in plurimis impijs quotidie fieri videtur, qui sensuum, potentiarum animæ & corporis sui dominium Dæmoni in ordine ad peccata patranda præbent : *Exhibentque membra sua arma iniquitatis peccato*, in perpetuam æternæ, & sæpe etiam corporalis salutis pernitiem. Audite hac de re loquentem Divum Chrysologum, & dicentem : *Quid agit? Quid patitur fragilitas humana, talibus & tantis subjecta miserijs? Ecce Diabolus patrona voce hominis, hominem petiturus inclamat, & tota membra hominis hosti suc suam militant in ruinam.*

[*Marc.5.6.* *Ibid. v.7.* — Peccator usum suorum membrorum dæmoni tradit. — *Rom.6.13.* — *D. Chrysol. serm.17.*]

8. Regius Psalmista de impio canit dicens : *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*; quæ verba Pater Michael Ayguanus Carmelitanus, alias incognitus appellatus, hunc in modum interpretatur : *Lacum aperuit, aperiendo mentem suam Diabolo suggerenti, consentiendo; Et effodit eum; Qui instar populi peccati lacum effodit, sic est iste, paravit sibi foveam, id est, dignum se fecit fovea damnationis peccando.* Quod si quis Regi Pharaoni de Moyse, à filia Pharaonis in filium adoptato, & per spatium quadraginta annorum in Regalibus aulæ Regiæ delicijs enutrito dixisset : Hic, hic est ille, qui te cum universo exercitu tuo in aquis maris rubri pessumdabit; hic evictum decem acerbissimis flagellis percutiet, in extremum rediget exterminium; hic faciet mori primogenitum tuum, & omnes alios regni tui primogenitos : Quidnam, obsecro, Pharao dicturus fuisset? Quodnam initurus fuisset consilium? Non per indubitatam fidem nostram probe scimus, quod commoditatibus vitæ, delicijs, nostrisque inordinatis appetitibus vacando, nutriamus in nobis sensualitatem, ambitionem, iram, invidiam, avaritiam, & alia similia peccata, quibus mediantibus per omnem æternitatem in perditionis submergetur abyssum, nec tamen hac de re umquam cogitamus, neque de eo magis soliciti sumus, quam si res illa nos nequaquam tangeret. Holofernes multos devicerat, sibi subjugarat populos, varias reportarat gloriosissimas victorias, & triumphos, at vero propriam concupiscentiam suam vincere nescivit, eaque suadente Judith in tabernaculum suum admisit, quæ mortem ei machinata fuit. Ex quo S. Bernardus de ambitiosis loquens, ambitionem crucem vocare non dubitavit dicendo? *O ambitio ambientium crux.* Epitethon hoc exemplo Aman ambitiosi opportune confirmatur, hic enim ex motivo ambitionis, dum videret, quod à Mardochæo Judæo, solitos venerationis & honoris cultus non acciperet, graviter contra eum exasperatus, eidem in domo sua patibulum erexerat, in quo paulo post suspenderetur, nec tamen intellexit, quod patibulum illud sibimetipsi crexisset : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, ut delinquat sibi.*

[*Psal.7.16.* — *Ayguan. Carmel.* — Paradoxon Moysis cum Pharaone. — Holofernes victus fuit à propria concupiscentia. — *S Bernard.* Ambitio Aman. — *Ps.35.v.2.*]

DISCURSUS XXVII.
ARGUMENTUM.

Odit animam suam, qui mortaliter peccat, idque varijs rationibus probatur.

THEMA.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ps.10.℣.6.

1. S. Paulus Apostolus in Epistola ad Ephesios transcripta, quamdam declarat conclusionem, quæ nulla prorsus probatione indiget, utpote quam continua experientia fecit esse indubitatam; ait enim : *Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* At vero quid de peccatore dicemus, qui tam inordinate corpus suum diligit, animam vero odio habet? Revera enim *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Abulensis inter alias quæstiones, sequentem quoque ventilat, scilicet : *An peccatores diligant seipsos?* Et sine ulla hæsitatione negative respondet inquiens : *Dicendum, quod mali non amant seipsos, quia qui non amat animam suam, non amat seipsum, mali autem non solum non amant animam suam, sed eam oderunt; Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Sanctus Antoninus pariter ait : *Clare sacra Scriptura testatur, quia peccatum facit hominem sibiipsi inimicum & odiosum*; Psalm.10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*, & Tobiæ 12. *Qui faciunt iniquitatem, & peccatum, hostes sunt animæ suæ, non enim majus odium & inimicitia potest ad aliquem demonstrari quam cum quis illum occidit, & vita privat, quod est maximum bonum in temporalibus bonis, sed, ut dicitur*, Sap. 16. *Per malitiam, scilicet peccati, occidit homo animam suam, quia scilicet privat eam vita gratiæ, (si peccatum mortale est,) quæ excedit incomparabiliter temporalia, & naturalia.* S. Augustinus dictum Psalmistæ ita declarat : *Non ei, qui credit Deo, sed tantum animæ suæ nocet dilector iniquitatis* : Ac proinde indubitatum hoc statuit axioma : *Nemo malus, qui sibi non prius noceat.* P. Alvarez, magnus spiritualis vitæ director, talem hac de re texit discursum : *Si quis seipsum diligere nescit, & in sui amore fallitur, in sui dilectione decipitur, & putans seipsum amare, seipsum odit, & perdit; Curans amare proximum, sicut seipsum, revera non illum amabit, sed odio habebit & perdet tamquam seipsum. Ut ergo quis diligat seipsum, primo odio habeat omne peccatum, & omnem iniquitatem necesse est. Si enim amat iniquitatem, & vult eam inesse sibi, procul dubio nimis odit se, & si amat, non jam crimina, sed peccata leviora, & patitur ea sibi inesse, licet non tam vehementer & desperanter, tamen etiam aliquantulum odit se; odisse namque aliquem, ut omnis schola proclamat, est velle malum illi, ut malum illius est. Si ergo quis vult sibi magnum malum, scilicet iniquitatem, & grave crimen, ut falsum bonum, atque adeo ut verum malum, non dubiam quin seipsum nimis odit, & si vult sibi minus malum, scilicet vitam tepidam & imperfectam, & in sterquilinio innumerabilium imperfectionum jacet, certum est, quia seipsum odio habet, unde in Psalm. scriptum est, qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Cornelius à Lapide de damnis, quæ nobismetipsis per peccatum accersimus, hunc in modum discurrit : *Etiamsi omnes Angeli boni, & mali, omnisque creatura, atque adeo Creator ipse in te conjurassent, omnemque affligendi potentiam in te expromere statuissent, nequaquam tantum tibi nocere, etiam de absoluta potentia, possent, quantum ipse tibi noces, dum unum peccatum, etiam veniale tantum admittis.* Abulensis nonnullas adducit rationes, quibus impios semetipsos non diligere probat, dicens : *Mali non vere diligunt seipsos, quia non volunt conservare integritatem interioris hominis, neque appetunt bona spiritualia ejus, neque operantur ad hoc, neque est eis delectabile convivere sibiipsis, redeundo ad proprium cor, quia non inveniunt ibi nisi mala, quæ abhorrent, præsentia, quæ cogitant, præterita, quæ egerunt, futura, quæ timent se facturos, & passuros, & est dissensio neque concordans sibiipsis propter conscientiam remordentem.*

[Nemo odit carnem suam. — *Eph.5.29.* — *Abul t.6. in Matth. quæst. 293. c.22.* — At bene animam suam. — *S. Anton. p.4. tit.14. cap.6.* — *S. August. in Psal. ibid.* — *Alvar. t.1. l.3. p.3. c.25.* — Qui amat animam suam, perdet eam. — Angeli non sunt potentes nocere sicut peccatum. — *Corn. à Lap. in c.2. Jer.* — Non habent mali mutuum amorem. — *Abul. ibid.*]

2. *Odit animam suam.* Porro peccatum communiter offensa Dei appellatur, licet cæteroquin multo majus sit damnum & offensa, quæ in præjudicium peccatoris redundat. Unde Sanctus Augustinus ait : *Dicuntur in Scripturis inimici Dei, qui non natura, sed vitijs adversantur ejus imperio, nihil ei valentes nocere, sed sibi; Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi. Vitium, quo resistunt Deo, qui ejus appellantur inimici, non est Deo, sed ipsis malum.* Verum quidem est, quod Deus in pluribus Scripturæ locis se à nobis vocet offensum, &, ut Nazianzenus notat, ostendit, sed damnum, quod iniquitas nostra ei adfert, moleste & graviter sentire ac ferre, (*Prolapsionibus nostris Deum nostrum afficimus detrimento*;) nihilominus hanc subnectit rationem : *Nam Deus pro divitijs nos habet.* Ex quo igitur amorem suum erga hominem omni cum animi contentione direxisset, (utpote qui a Tertulliano *cura divini ingenij appellatur*,) videns notabilissimam jacturam, quam per peccatum patitur (utpote per quod ab eo, tamquam centro omnis boni, abalienatur, & in cujusvis mali abyssum præceps agitur,) jacturam hanc hominis æquali fert molestia, ac si in proprium ejus damnum cederet, immensumque inde persentisceret dolorem, nisi impassibilis & inalterabilis esset. Quidnam obsecro dicturus esses de eo, qui sponte propria, suismet manibus ad mortem ipsam se sauciaret? Utique de tali sine ulla temeritate

[Peccatum peccatoribus nocet. — *S. August. l.12. de Civ. Dei, cap.3.* — *Nazianz. orat.12.* — Homines sunt divitiæ Dei.]

temeritate æstimari posset, quod revera vitam suam odio habeat: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Imo quod & animam suam parum diligat, dum in desperationem se adigi sinit. Sanct. Gregorius super illa verba Jobi: *De mane usque ad vesperam succidentur*, ita scribit: *De mane usque ad vesperam peccator succiditur, dum à vitæ suæ exordio usque ad terminum, iniquitatis perpetratione vulneratur.* Idem Sanct. Doctor modum declarat, quo impij in decursu totius ætatis suæ continuo vulnerantur; Ait enim: *Omni namque tempore reprobi, per augmentum malitiæ, contra se ictus ingeminant, quibus occisi in profundum ruunt.* Consideratione quoque digna sunt illa S. Joannis Baptistæ verba: *Jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Ubi per arborem homo intelligitur, utpote quem Philosophus arborem inversam appellavit, de quo pariter Propheta Regius in Psalmo 1. inquit: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Per ferrum vero, ad radicem arboris positum, imminens illi in transgressionum suarum pœnam intelligitur supplicium; *securis ad radicem arboris posita est*; At vero quis est, qui hanc securim radici admovit? Num forte divina justitia? Nihil hac de re Scriptura dicit; Num igitur ab aliquo homine vindicativo? Multo minus; vel ab inimico nostro infernali; sed nec hujus aliqua fit mentio; nos igitur ipsi sumus illi, qui acutam securim hujus arboris radicibus admovemus subito, quando peccamus; *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*; Nos ipsimet ærumnarum nostrarum fabri sumus.

S. Greg. l. 5. Mor. c. 38.

Matth. 3.

Peccando quilibet sibi nocet.

Ps. 1. v. 3.

Ezech. 18. 4.

3. Observandum, quod Præcursor solum dixerit: *Securis ad radicem arboris posita est*, non dixit, quod radices arboris præsciderit, neque quod ferrum elevatum fuerit ad amputandum arborem; Quid autem mali securis sine brachio, & manu apprehendentis illam facere poterit? Certe nihil omnino; sed necessum est, ut sit manus, quæ apprehendat illam, ut amputatio subsequatur; peccator autem est, qui divinæ justitiæ ensem in damnum suum proprium apprehendit, qui alias in vagina æruginaret, siquidem Deus non vult mortem peccatoris, ideoque dicitur: *Deus, qui dives est in misericordia*, nos vero sumus, qui gladium è vagina educimus; Unde in libro Sapientiæ dicitur: *Justitia perpetua est & immortalis, Impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Ecclesiasticus quoque, ni fallor, ad præjudicium hoc, quod divinarum legum transgressor sibimetipsi infert, alludere voluit, dum ait: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas*; Si enim ensem apprehenderis per laminam utrimque acutam, & ancipitem, eamque stringas, fieri nequit, quin te vulneres. Eumdem quoque effectum iniquitas in reprobo operatur; Tametsi enim reprobus offendat Deum, tametsi suum damnificet proximum, simul tamen etiam mortaliter sauciat animam suam: Audite Glossam Hugonis Cardinalis super illa verba: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas*, dicentem: *Quia corpori & animæ nocet, in præsenti, & in futuro, utrumque enim damnabitur pro iniquitate.* Etenim magna pars hominum, etiam in hac vita, pœnas temporales luere debet iniquitatum suarum, vincula scilicet seu carceres, confiscationes bonorum, exilia, morbos incurabiles, atroces persecutiones, inimicitias irreconciliabiles, imo sæpe infamem mortem aliaque multa horrenda supplicia. *Romphæa bis acuta*, inquit Paulus de Palatio, *De qua dicitur gladius eorum intret in corda ipsorum, quæ corda & corpora ita dividit in malum, ut sermo divinus, qui à Paulo dicitur gladius acutus, dividit in bonum.* Porro de damno, quod anima propter culpam mortalem patitur, nullum prorsus est dubium; de corporis vero damno, S. Birgittæ in hæc verba revelatum fuit: *Corpus cum nimium peccato adhæret, ipsum peccatum corpus consumit.* Unde in discursu quodam suo loco probavimus, quod peccatum hominis vitam abbreviet, & miserabilem efficiat. Porro in commento hujus revelationis S. Birgittæ de peccati damnis ita scribitur: *Virtutes extirpantur, intellectus densa quadam caligine offunditur, voluntas ad bonum inhabilis redditur, ad malum proclivis; Memoria in his, quæ Dei sunt, labitur, & cuncta corporis membra in sordido terrenarum rerum cœno morantur. Corpus quoque per peccatum, quoad naturales facultates infirmatur, sicque sensim, si homo diu remoretur in eo, consumitur.*

Securis sine brachio nocere non potest.

Sap. 1. 15. & 16.

Eccli. 21. 4.

Hugo Card. ibid.

Impij etiam in hac vita puniuntur.

Paul. de Pal. in Eccl.

Revel. S. Birgit. l. 1. c. 47.

Corporis damna, quæ infert peccatum.

4. Sententia est S. Jobi dicentis: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu oris ejus esse consumptos.* Quem textum S. Gregorius ad propositum nostrum ita exponit: *Bene autem dicitur, quod qui dolores seminant, flante Deo pereunt, quia unde foris perversa faciunt, inde ab intimis recte feriuntur.* D. Chrysostomus verba illa Psalmistæ considerans: *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me*, audacter asserit, hominem nulli umquam damno subjacere, nisi solius causa peccati, cujus alius præter hominem author esse nequit. *Ubi sunt*, exclamat Sanctus Chrysostomus; *Qui de feris, serpentibus, alijsque nocivis lamentantur animalibus? Ecce enim inventum est animal, quod majorem ostendit improbitatem, non ex natura, sed sponte, & ex libera animi voluntate: Nihil enim est, quod lædat hominem, nisi solum peccatum.* Idem quoque Sanct. Doctor hujus vocis, *improbitas*, refert Etymologiam, quæ ex verbo Græco desumpta, idem significat, quod malitiam peccati authori suo afflictionem adferre, & laborem, sive *quod laborem & ærumnam possessori afferat.*

Job. 4. v. 8.

S. Greg. l. 5. Mor. c. 15.

Impij flante Deo pereunt.

Psal. 139. v. 1.

D. Chrysost.

5. Sanctus Antoninus fatuitatem impij sequentibus detestatur verbis: *Fatuissimus operarius est ille, qui difficillimis laboribus se fatigat, & tamen nihil stipendij, vel mercedis in fine reportat. Quot laboribus & periculis difficillimis se exponunt homines pro peccato? Isti pro voluptatibus, illi pro cupiditatibus, isti pro vanitatibus. Inexplicabile est dicere; Et quod erit stipendium? Certe mortis supplicium & infernale dispendium.* Rom. 6. *Stipendium peccati mors. Et ideo postquam Salomon præmisit* Sap. 1. *nolite celare mortem in errore vitæ vestræ, signanter adjunxit: Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum; Quasi dicat, nullum aliud lucrum habebitis per peccatum.*

S. Anton. p. 1. tr. 5. c. 2. §. 12.

Peccatoris difficillimi labores sunt inutiles.

6. Drogo Hostiensis considerat quatuor homines, qui vitam suam in aëre inter cœlum & terram infeliciter terminarunt; quibus tamen quintum adjungere licet, scilicet Aman. Ecce tibi verba ipsissima Drogonis: *Achitophel, Absalon, & Jezabel, Judas, accipientes in vano animas, in vano efflaverunt eas:* erant autem animæ perditæ salutis, vitijsque superbiæ, & ambitionis dominandi totaliter immersæ. Enimvero quod si quis sententiam condemnationis suæ propria manu subscriberet, claro utique signo indicaret, odisse se vitam, simulque propriam reputationem & honorem; jam vero sententia damnationis æternæ, à divina justitia promulgari, aut executioni mandari non potest, nisi nos ipsi manum applicemus, non enim dari potest pœna sine culpa, nec hæc committi potest, nisi à nobis volentibus; Et ideo venenum & malitia peccati à voluntate nostra procedit, utpote quæ voluntati Dei subordinari renuit. Legatis velim parabolam illam œconomi illius dissipatoris, qui à Domino suo ad rationes villicationis reddendas postulatus fuit; Quibus porro usus fuerit consilijs ad conciliandum sibi amicos, hic porro non repeto, utpote quæ omnibus manifesta est suppono. Solum adduco huc id, quod notavit Origenes, scilicet, quod omnes debitores, debitum ab ipsis contractum, propria manu scripserunt, idque peccatoribus adaptat, utpote qui à seipsis propriæ mortis sententiam subscribunt, & stabiliunt. *Hujus enim rei & illa imago est, quæ in Evangelio, de villico iniquitatis, qui ad unumquemque debitorem dicit: & sedens scribe octoginta, & cætera, quæ referuntur. Vides ergo quia unicuique dicitur: Accipe litteras tuas; Unde constat, nostras esse literas peccati? Si vero delinquis, ipse tibi scribis peccati chirographum.*

Quatuor in aere perierunt.

Drog. de Sacr. Dom. Pass.

Debitor subscribit nomen suum pro debito suo.

Orig. Hom. 14. in Gen.

7. *Odit animam suam.* Quando anima coram Dei tribunali est comparitura, ibidemque auditura; *Redde rationem villicationis tuæ:* (Non solum autem reddemus rationem de bonis dissipatis, sed etiam de lucris bonorum neglectis, ut Sanctus Bonaventura exponit,) adeo tremendum futurum est hoc judicium, rationumque coram Filio Dei inexorabili, implacabili, & inappellabili judice reddendarum exercitium, ut Sanctus Petrus dicat: *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Quis igitur non dicat, impium summo animam suam prosequi odio, siquidem vivendo nulla alteri rei dedit operam, quam ut per varias contumelias & injurias illum sibi exacerbaret judicem, ante cujus tribunal judicandus erit? Sanctus Hieronymus super illa verba: *Portes ignominiam & confundaris*, de peccatore ita scribit: *Ideo confundatur & erubescat, quia Deum ad iracundiam provocavit, ex quo per-*

Impius de commissis, & neglectis reddet rationem.

1. Pet. 4. 18.

S. Bonav. ser. 2. in Dom. 8. post Pent.

S. Hieron. tom. 4. c. 16. in Ezech.

persricuum est, non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitijs clementissimum & mansuetissimum Deum ad iracundiam provocari, dicente Apostolo; An divitias bonitatis ejus, patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit! Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei, Qui reddet unicuique secundùm opera ejus. Enimvero magnum nobis fiduciæ motivum suggerunt verba illa Psalm. 79. *Deus converte nos, ostende faciem tuam, & salvi erimus*; Verumtamen cum peccator inimicus sit animæ suæ, ad Deum converti utique renuit, ac proinde faciem Dei serenam numquam videbit. Apud Isaiam dicitur: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*; Hæ autem nubes non dissipantur, quia impius per obstinationem suam semper ponit obstaculum; Imo ipsemet est ille, qui iniquitatum suarum vapores, & exhalationes putridas cœlum versus emittit, ex quibus nubes, caligines, & nebulæ, & quidquid est aliorum, lucem veri Solis justitiæ impediunt, generantur. *Nubium instar sunt peccata*, inquit sacer quidam interpres, *quia sunt teteri vapores è corde ascendentes, quasi ex caliginosa & palustri terra, qui Dei aspectum, beneficentiam, & benevolentiam nobis adimunt. Ut enim ex nubibus fulmina & tonitrua, sic ex peccatis supplicia & vindictæ Dei procedunt.*

Rom. 2. v. 4.

Ibid. v. 5.

Ibid. v. 6.

Psal. 79. 4.

Impius odit animam suam.

Isa. 44. v. 22

DISCURSUS XXVIII.
ARGUMENTUM.

Peccata sunt vincula, quibus nosmetipsos stringimus, dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem, à peccato mortali derivantem, non attendimus.

THEMA.

Funibus peccatorum suorum constringitur. Prov. 5. vers. 22.

1. SApiens de quodam perditæ salutis homine disserens, eumdem propriorum peccatorum funibus constringi & ligari asserit: *Funibus peccatorum suorum constringitur*, id quod cum illo Regij Prophetæ lamento concordat: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Euthymius super illa verba Psalm. *Dirupisti vincula mea*, per hæc vincula peccata interpretatur; Vincula peccatorum, de quibus Albertus Magnus ait: *Hæc vincula disrumpuntur per confessionem.* Ad idem quoque alludere voluit Isaias Propheta, quando populum illum rebellem ad divina præcepta observanda exhortabatur inquiens: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes:* & in capite eodem idem Propheta inquit: *Si abstuleris de medio tui catenam*, id est, ut Glossa commentatur, *catenam peccatorum*, & Dionysius Carthusianus: *Iniquitatis obligationem vitiorum dicit esse ligaturam.* Verumenimvero, quisnam harum catenarum faber existit? Super quibus incudibus conduntur, & tunduntur? Ad quem ignem elaborantur? Audite Sanct. Augustinum, qui per experientiam, quam habuit frequentem, antequam converteretur, ita loquitur: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me; Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Verum quidem est, quod S. Doctor in hac sententia fateatur, quod Dæmon in hujus catenæ fabricatione magnam partem obtineat; At vero quis est, qui metallum, & materiam ad hanc catenam fabricandam ei subministravit? Ipsemet homo peccator hoc ipsum fecit, suam ei consignando voluntatem; Unde Sanctus Doctor ait; *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat.* Cæterum vero faber hic infernalis, cum universo igne inextinguibilis fornacis illius, cum omnibus mallearionibus suis, quas super incude indefessæ suggestionis suæ continuat, ne vel unicum hujus catenæ annulum fabricare posset, si nos ei ferrum non subministremus. *Cum eo hoste dimicandum habemus*, inquit Nazianzenus, *quis nos interne impugnat & certamine lacessit, nobis ipsis (quo nihil miserius,) tamquam armis in perniciem nostram utens.* Inter alias sententias S. Isidori, hanc quoque ab eodem conscriptam reperio: *Diabolus non est immissor,*

Psal. 118. 61

Psal. 115. 17

Euthymius.

Alb. Magn.

Vincula peccatorum confessione delentur.

Isa. 58. 6.

Isa. 58. v. 9.

Gloss.

Dion. Carth.

S. August. l. 8. Conf. cap. 5.

Impius fabricat sibi catenam peccatorum.

Nazianz. orat. 1.

Diabolus sine nobis non facit nos peccare.

sed incensor potius vitiorum, neque enim alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi ubi prius pravæ cogitationis delectationes aspexerit. Et Sanctus Basilius orationem tertiam de peccato ab his verbis exorditur: *Maximum bellum, ac varium in dies singulos nobis veritatis hostis infert.* Mox tamen idipsum armis nostris subnixum facere asserit inquiens: *Infert enim, ut scitis nostras cupiditates, contra nos tela faciens, & à nobis ipsis ad lædendum nos semper robur atque vires sumens.*

S. Isid. lib. 3. Sent. c. 3.

S. Basil. orat. 3. de pecc.

2. Sanctus Gregorius super illa verba Jobi: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos*, acutè observat, Prophetam non dicere: *Vulneravit*, sed *convulneravit*; *Sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui vero duorum, vel fortasse multorum, sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc, quod ille malum suggerit, nos sequentes, & voluntate propria implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus, qui ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur.* Quonam respicere creditis illud à S. Paulo nobis suggestum consilium: *Nolite locum dare Diabolo?* Quisnam adeo reperietur incurius, qui vel in domum suam, vel in lectum suum, maxime vero in sinum excipere, aut admittere velit serpentem? Multo igitur minus admittet Dæmonem. Et tamen quotidie videmus, quod illi indulgeatur aditus, non solum intra sinum, verum etiam intra cor nostrum; Sed quonam modo id à nobis obtinet? Audiamus Origenem dicentem. *Valde infirmus esset adversus nos, nisi nos eum fortem peccando faceremus, nisi per peccata nostra locum introeundi & dominandi invenit in nobis, & propterea Apostolus præmonet dicens: Nolite locum dare Diabolo.* Enimvero ne quidem vel unici pedis spatium intra nos sibi posset acquirere, (quantumvis adeo sit agilis, ut dicere non dubitarit: *Circuivi & perambulavi eam:*) nisi nos ei sponte locum cederemus. *Casus tamen, nisi ille, qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio, & irridenda repellitur. Dant autem homines locum Diabolo ex concupiscentijs suis*, inquit Sanctus Augustinus. Hi igitur inordinati appetitus nostri, sunt veluti funes, & catenæ, quibus nos servituti suæ adstrictos, & alligatos tenet.

Job. 16. v. 14

S. Greg. l. 13. Moral. c. 9.

Ideo dicitur hominem convulnerare.

Eph. 4. 27.

Diabolus infirmus fit peccato nostro fortis.

Orig. ibid.

S. August. ser. 72. de temp.

3. D. Chrysostomus super Psalmum 7. scribens, postquam turbationem animæ peccatricis comparasset cum tempestate maris, quamdam inter utramque subnectit differentiam proposito nostro haud inidoneam, dicens: *Non quemadmodum in mari ex ventorum impetu, ita etiam in anima ex inopinato casu, sed ex nostra socordia evenit; nam ut vel fiat, vel non fiat, ipsi in causa sumus, ut v. g. ex orta cupiditate, nisi tu flammam excitaveris, fornax non accenditur, nisi materiæ dederis alimentum. Non accenditur autem fornax nisi de speciosis vultibus curiose investigatis, nisi de aliena pulchritudine fueris nimium sollicitus, nisi in theatra iniquitatis ascenderis. Nisi enim carnem delicijs, ac lautitijs pinguefeceris, nisi vino rationem obrueris, flamma non excitatur, fornax non accenditur; non evadit bellua ferocior, non tamquam à ventis immanibus exscinditur cogitationis puritas.* Didymus in catena Græca super illa ejusdem Psalmi verba: *Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, ita scribit: *Malitia ante alios authorem suum lædit, nam vecordia viri corrumpit vias ejus. Pulchre autem dicitur, quod peccatores persequantur mala. Porro cisterna est malitia, nam de anima peccante dictum est; Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit malitia ejus; Quin & fovea est malitia, ut patet in illo; si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* Axioma est, & quidem valde considerabile viri cujusdam gentilis, Plutarchi videlicet, dicentis: *Quisquis peccat, in seipsum peccat.* Sapiens quoque in Proverbijs inquit: *Quasi per risum stultus operatur scelus ... quod timet, veniet super eum; ... Quasi tempestas transiens non erit*; Moxque duas subnectit similitudines inquiens: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis*; Unusquisque per experientiam probe novit, quantum tam acetum dentibus, quam fumus oculis displiceant: verumtamen ut Job ait: Non sunt nobis mala, nisi cum illa sponte admittimus: *Et manus illius reddent ei dolorem suum.* Sanctus Augustinus in Scholijs legit, *& manus ejus succendentur doloribus*, id est, operibus suis cruciabuntur. Habemus alium quemdam clarum textum in

Differentiæ inter maris tempestatem & animam peccatricem.

D. Chrysost. in Psal. 7.

Psalm. 7. 15.

Didym. in caten. Græc.

Plutarch. de Stoic. pugn.

Prov. 10. 23.

Ibid. v. 26.

Similitudines de aceto & fumo.

Job. 20. 10.

Eccli.3.29.
in Ecclesiastico dicente : *Cor nequam gravabitur in doloribus , & peccator adjiciet ad peccandum.* Psalmista impios nobis ob oculos ponit velut in gyrum ambulantes : *In circuitu impij ambulant :* qui autem per motum circularem in gyrum ambulant , facile capitis vertiginem pati solent. Sanctus Gregorius inquit : *Solet per gyrum circuitus anxietas laboris designari, Sathan laborans terram circuit , quia quietus in cæli culmine stare contempsit.* Nullus utique hac vertigine ipso Satana magis laborat , ac proinde Scriptura Sacra de ipso loquens frequenter hoc verbo , *circuit* , uti solet : *Circuivi terram ; circuit quærens quem devoret* ; Idem ergo motus reprobis adaptatur , *In circuitu impij ambulant* , ad denotandum inquietudinem , molestias , & anxietates , quas ijs adferre solet ipsorum iniquitas.

Psal.11.9.
S.Greg.l.7. Mor.c.4.
Impij laborant vertigine.
Job.1.7.
1.Pet.5.18.

4. In Libro Levitici alios inter ritus , qui pro sacrificijs offerendis præscripti fuerunt , unus quoque hic fuit : *Offeret pro peccato suo similæ partem Ephi decimam , non mittet in eam oleum , nec thuris aliquid imponet.* Econtra vero in cap. 2. ejusdem libri pro multis oblationibus præceptum fuit , ut illis adjungerentur oleum & incensum, hic autem utrumq; omnino interdicitur: cujus rationem sacer textus immediate subjungit : *Quia pro peccato est.* Audiamus hac de re Theodoretum ita scribentem : *Sacrificium , quod offerri solebat pro peccato , sine thure & oleo offerebatur , carent enim alimento lucis , qui sedent in tenebris peccati ; Et qui lugere debent , expertes sunt lætitiæ.* In ejusdem libri cap. 24. dicitur : *Homo , qui maledixerit Deo suo , portabit peccatum suum , & qui blasphemaverit nomen Domini , morte moriatur.* At vero dices , quænam inter maledicere nomen Dei & blasphemare est differentia , ob quam blasphemia morte punitur , maledictio vero sanctissimi nominis Dei impunita remanet ? Origenes , nequaquam verum esse , ait , quod maledicens nomini Dei impunis transeat , imo vero magnâ pœnâ eumdem mulctari dicit , quia proprium peccatum portare , idem est , quod sævissimum quemdam carnificem secum habere , qui à torquendo interius delinquente numquam desistat , sicut nec à tormentis extrinsecus inferendis. Nos communiter credimus , quod per detractionem , extorsiones , vindictam , &c. proximis nostris magnum malum inferamus , & tamen longe majus est malum illud , quod in nosmetipsos exinde resultat ; quia *funibus peccatorum nostrorum constringimur* ; *Interdum Diabolus , cum adverterit animam fide vacuam* , inquit Eusebius Emissenus , *& Dei timore nudatam , ita diversis passionibus inebriat mentem , ut quando maledicimus , aut irascimur aut obtrectamus , alijs nos nocere credamus , sed non ita est , nam uniuscujusque vitij malum in suum recurrit authorem , sicut dicit sermo divinus : Fili , si malus fueris , solus hauries mala ; Suam linguam maliloquus maculat , suum cor obtrectator exulcerat , suæ mentis lumen iracundus obcæcat , suam invidus animam , velut quadam caligine , pestifero livore corrumpit.* Demum vero adducto viperarum exemplo , à nobis in discursibus præcedentibus sæpius insinuato subjungit : *Et sicut exulceratis parentibus nascuntur viperæ , sicut , inquam nasci viperei fœtus disruptis matrum visceribus asseruntur , ita humana præcordia ipsis primitus , quas conceperint , passionibus dilacerantur. Illa , inquam , præcordia, de quibus vitiorum generatio serpentina profertur , ipsa primitus monstrosa partus fœcunditate violantur. De tali partu dicit sermo divinus : Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem ; Convertetur dolor ejus in caput ejus , & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Lev.5.11.
Ibid.
Theod. q.1. in Levit.
Lev.24.15.
Differentia sacrificiorum cum vel sine oleo.
Plus sibi, quam alijs nocet peccator.
Euseb. Emiss. Hom. 9. ad Monach.
Modus nascendi viperarum.

5. *Funibus peccatorum suorum constringitur.* Feræ laqueo capiuntur , volucres innectuntur reti , ita tamen , quod & feræ in laqueum , & volucres in rete nemine cogente , imo sponte propria approperent ; Per quod denotantur illæ animæ , quæ se à delectationibus , & ab inordinatorum appetituum vehementia seduci permittentes , in suspectarum mulierum se ingerunt consortia , apud quas tum sanitatem , tum honorem & æstimationem , tum denique pecunias suas misere perdunt , & animæ salutem in sempiternum amittunt. Sapiens de lasciva muliere inquit : *Irretivit eam ... sequitur quasi bos ductus ad victimam , & quasi agnus lasciviens , & ignorans , quod ad vincula stultus trahatur.* Salomon , licet septingentas haberet Reginas , & concubinas trecentas , attamen in Ecclesiaste scribere non dubitavit : *Inveni amariorem morte mulierem , quæ laqueus venatorum est , & sagena cor ejus , vincula sunt manus illius , qui placet Deo , effugiet illam , qui autem peccator est , capietur ab illa.* Et tamen quot sunt , qui hoc rete , hæc vincula , studiose requirunt & desiderant , illisque libenter irretiuntur. Verum enimvero Hugo Cardinalis quærit , cur Sapiens manus mulieris impudicæ vinculorum nomine appellarit , cum vincula unusquisque abhorreat , manus vero gemmatis annulis prædivites vanarum mulierum , unusquisque diligat & consectetur ? Respondet vero : *Quemcumque mulier amplectitur , non amplexatus , sed captivus potius & vinculatus debet dici.* Porro quousque hæc vitij carnalis violentia procedit , hominem carnalem , velut mancipium , ligando & vinculando , præter supra adductum Samsonis à Dalila in manus inimicorum suorum traditi exemplum , satis ex eo liquet , quod de Nino Babyloniæ Rege narratur. Hic enim in concubinæ cujusdam , cui Semiramides nomen erat , inciderat laqueos , quæ tam validum in Regem hunc sibi vendicarat dominium & possessionem , ut quidquid illi liberet , Rex protinus faceret. Sæpius à Rege quippiam specialiter à se desideratum solicitarat ; Cumque Rex semper subjunxisset , ut audacter peteret , certaque esset , nihil ipsi denegandum fore , subjunxit : Hoc unicum te rogo , ut unico dumtaxat die absolutum mihi cedas imperium , ita ut mihi præcipienti omnes parere cogantur. Præcepit itaque Rex omnibus , ut sub mortis pœna promptam ei in omnibus exhiberent obedientiam. Prodiit igitur ipsa , custodijs imperialibus , publicisque justitiæ ministris stipata , in conspectum omnium , thronum Cæsareum occupans , varia non magni momenti negotia præcipiens , quæ subito executioni mandata fuere : Mox vero alia , quæ gravissimum in se momentum habebant fieri mandavit , & tamen æque promptam à ministris accepit obedientiam ; finaliter autem Regem ipsum vinculis constringi , & ligari , & hoc modo ante se duci mandavit , usque ad locum , in quo à lictore occidendus esset ; idque pariter sine mora executum fuit , hacque ratione ipsa tandem ad imperij possessionem seu potius tyrannidem subintravit. Numquid hic ad literam in Rege Nino verificatum fuit , quod Salomon dixit : *Quasi agnus lasciviens , & ignorans , quod ad vincula , (imo & ad mortem :) stultus trahatur ?* Quoties vindicativus ingemiscere conspicitur sub compedibus & catenis , ac tandem à ministris justitiæ inserto in collum fune strangulatur ? *Funibus peccatorum suorum constringitur* ; Homicidia enim & vindictæ , quas explere voluit , manibus quasi suis ipsi laqueum contexuerunt. Avarus similiter & rei alienæ cupidus , in hæc vincula propria culpa frequentissime incidit , unde vitium hoc non sine mysterio laquei nomine describitur : *Qui volunt divites fieri , incidunt in laqueum* ; Et Ecclesiasticus ait : *In medio laqueorum ingredieris* , quia qui non est cautus , sed bonis hisce creatis abutitur , laqueo veluti captus propter peccatum Dæmonis præda efficitur.

Prov.5.22.
Homines ut feræ, & volucres capiuntur.
Prov.7.v.22
Eccle.7.27.
Manus mulieris vinculum est.
Hug.Card. ibid.
Sabell. apud Maj.l.3.coll.2.
Ninus Rex tradidit regnum Reginæ suæ ad diem.
Ab eadem prima illa die occisus fuit.
Prov.7.22.
1.Tim.6.9.
Eccli.9.20.

6. Quod si quæras , undenam hæc impiorum stultitia procedat , quod ultro citroque , nec ullo cogente , laqueis & retibus prædictis se sponte irretiant ? Respondeo. Impios piscibus & avibus similes esse , qui ab esca se trahi sinunt , unde Ecclesiastes ait : *Sicut pisces capiuntur hamo , & sicut aves laqueo comprehenduntur , sic capiuntur homines.* Job inquit : *Abominabilis ei fit panis , & animæ illius cibus ante desiderabilis.* Quæ verba S. Gregorius hunc in modum exponit : *Afflicta mens sibi in amaritudinem verti considerat , quidquid se antea blande , libenterque satiabat ; Per panem jucunditas humanæ delectationis accipitur ; Omne , quod prius de prosperitate vivendi dulce sapiebat , postmodum amarescit , &c. Evacuatus virtutibus tristis animas solo mærore possidetur.* Cassiodorus sirenarum adducens exemplum inquit : *Sirenas in miraculum cantasse , curiosa prodit antiquitas , & quamvis navigantes fluctus adduceret , carbasa ventus inflaret , eligebant suaviter decepti scopulos incurrere , ne tanta paterentur dulcedine præterire.* Dionysius Carthusianus in opusculo *de enormitate peccati* inquit : *Sicut esca in hamo decipit piscem , sic peccatum fallit peccantem , quia dum sane impie delectat , ad tristitiam sempiternam perducit.* Adducitque authoritatem S. Augustini in libro 14. de civitate Dei dicentis : *Dicere possumus , omne peccatum esse mendacium , non enim peccamus , nisi ea voluntate , ut bene sit nobis , & tamen hinc male est nobis.* Chrysostomus comparatione utitur à stultis desumpta , qui in proprijs stultitijs suis hilares existunt , cum tamen ab alijs deplorentur ; Dum enim glossa sua sequentia verba illustrat : *Et mercedem , quam oportuit erroris sui , in semetipsis respicientes &c.* ita de impio scribit : *Ostendit , in ipsa demum voluptate supplicium residere , quod si minime persentiunt , sed delectantur , nil mirum tibi sit , etenim qui insaniunt , ac phrænesim patiuntur , ij certe multas , & eas miserandas in semet injurias dum inferunt , ob quæ facta lacrymas alijs cient , ob ea rident quidem ipsi & insolescunt.* Didacus Stella sequentem adducens ingeniosam considerationem , salutari hoc monito peccatorem prævenire satagit , inquiens : *Tu quisquis es , qui Deum audes offendere , fac illud , quod Angelus Raphaël consuluit Tobiæ , exentera piscem , & tolle fel , bonum enim est ad visum : sic tu exentera peccatum , ut videre possis ipsius amaritudinem , quo facto expelles ignorantiam , & oculos aperies , & videbis , quanta sit peccati malitia , & feritas.* Inter alia Jeremiæ lamenta , quibus Jerosolymæ (per quam anima Christiani figuratur) deploravit exterminium , unum quoque hoc est : *Et ipsa oppressa est amaritudine :* melius ad propositum nostrum in Hebræo legitur : *Et ipsa sibi est amaritudo.* Anima enim reproba ex proprio motu falso amaritudinum suarum mari se immergit , quas tum in hac , tum vel maxime in altera vita experietur.

Eccle.9.12.
Job.33.20.
S.Gregor. l.2 Mor. 17.
Prius dulce amarescit.
Cassiod l.2 variar. Epist. 40.
Dion. Carth. opusc. de enormit. peccat. art.18.
Omne peccatum est mendacium.

D.Chrysost. hom 4. ad Roman.
Gaudenti in peccato suo alij compatiuntur.
Didac. Stell. in c.2. Luc.
Thren.1.4.

DISCURSUS XXIX.

ARGUMENTUM.

Flagella , quibus Deus transgressores castigat , hæc sæpe in manibus iniquitatis ipsorum invenit , eaque ex ipsis contexit.

THEMA.

Abscondisti faciem tuam à nobis , & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Isa.64. ℣.7.

Deus nostro flagello nos castigat.

1. QUod si Deus nonnumquam divinæ faciei suæ nobis abscondit serenitatem , nosque iratus punit non mireris , ecce enim tibi genuinam hujus rationem : *Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ* , id est , in manibus nostris invenisti virgam , & flagellum , quo à te vapulamur. Dionysius Carthusianus ita exponit : *Graviter afflixisti , & pene in nihilum redegisti nos propter vitia nostra.* Glossa interlinearis ita interpretatur : *Allisisti nos opere , quo vitia nos retinent , sicut manibus.* Hugo Cardinalis ait : *Ex hoc , quod hic dicitur : In manu iniquitatis nostræ , discimus , quod iniquitas manus habet , & omnia peccata , quæ nos strictos tenere desiderant.* Paulo post vero subdit verba illa , quæ in quadam Missæ collecta leguntur : *Nulla noceret adversitas , si nulla dominaretur iniquitas* ; Quia igitur manibus nostris culpa patratur , ex ijsdemmet culpis flagellum contexitur , quod in pœnam culpæ irrogatur.

Dion.Carth.
Interl.
Hugo Card.

2. Regius Psalmista in Psalm. 7. ait : *Convertetur dolor ejus in caput ejus , & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Circa quæ verba S. Augustinus ita scribit : *Justum veniet judicium. Intelligamus , unicuique homini supplicium fieri de peccato suo , & ejus iniquitatem in pœnam converti. Nec putemus illam tranquillitatem , & ineffabile lumen Dei de se proferre , unde peccata puniantur , sed ipsa peccata sic ordinare , ut quæ fuerunt delectamento homini peccanti , sint instrumenta Domino punienti.* Judas , utpote abominabilissimum impietatis monstrum , jure merebatur , ut pater æternus omnia vindicativæ justitiæ suæ fulmina contra eum evibraret ; Etenim licet Pilatus gravissime peccarit , tam crudelem Christo, Dei Filio, mortem inferendo , de traditore tamen incarnata veritas dicit : *Qui me tradidit tibi , majus peccatum habet.* At vero quisnam ad tam grave ipsius scelus puniendum carnifex ejus fuit ? nullus profecto , nisi præterquam ipsemet sibi hoc munus præstitit , quia laqueo se suspendit. Audiamus hujus proprijs manibus illatæ mortis à Leone Magno traditum mysterium : Ait enim : *Merito tibi tua pœna commissa est , quia supplicium tuum nemo te sævior invenire potuit.* Enimvero inter omnes crudelissimos , & immanissimos hujus mundi carnifices , nullus poterat reperiri Juda barbarior & truculentior , utpote qui innocentissimum Dei Filium , à quo summis auctus fuerat beneficijs , in manus , & potestatem implacabilium persecutorum suorum tradidit crucifigendum ; Justum igitur erat , ut qui Christum in manus carnificum consignarat , is in tanti sceleris pœnam sui ipsius carnifex fieret ; Idem sanctissimus Pontifex in alio quodam sermone ait : *Iniquitatem , quam in Sanctorum omnium armaveras caput , in tuum verticem retorsisti , ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat , te haberet impietas tua judicem , te pateretur tua pœna carnificem.* Salvianus Episcopus Massiliensis in libro quarto *de providentia* in hæc verba scribit : *Cum illa , quæ facere à Deo vetamur , admittimus , vetantis jussa calcamus , ac per hoc impie in calamitatibus nostris severitatem divinam accusamus , nos quippe nobis , nos accusandi sumus , nam cum ea , quibus torqueamur , admittimus , ipsi tormentorum nostrorum sumus authores. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur ? Unusquisque nostrûm se punit , & ideo propheticum hoc ad nos dicitur : Ecce omnes vos ignem accenditis , & vires præbuistis flammæ.*

Ps.7.v.17.
S.August. ibid.
Joa.19.11.
Traditionē Christi in semetipsum punivit Judas.
S.Leo ser 16. de Pass.

Salvian.l.4. de provid.
Quilibet se punit.

3. Enimvero quia ignis mentionem facere cœpimus , merito quærendum venit , quodnam sit ultimum reprobo præparatum supplicium ? Non utique tam ignis , quam sulphur , quod ignis est nutrimentum. S. Gregorius , exponendo textum illum Jobi : *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur* , hanc supplicij hujus reddit rationem , *sulphur enim quid aliud , quam fomentum ignis est ? quod tamen sic ignem nutrit , ut fœtorem gravissimum exhalet. Quid itaque in sulphure nisi peccatum carnis accipimus ? Quod dum perversis cogitationibus , quasi quibusdam fœtoribus mentem replet , æterna ei incendia præparat , & cum fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat , contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat. Nam quia per sulphur fœtor carnis accipitur , ipsa sacri eloquij historia testatur , quæ contra Sodomam , ignem , & sulphur pluisse Dominum narrat. Qui cum carnis ejus scelera punire decrevisset , ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet , ignis ardorem. Qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit , ut simul & igne & sulphure perirent.*

Job 18.15.
S.Greg.l.18. Moral. c.12.
Sulphur designat peccatum carnis.

4. S. Joannes in cap. 2. id , quod in templo à sacerdotibus emendo & vendendo profanato , contigit , his verbis enarrat : *Invenit in templo vendentes oves , & boves , & columbas , & nummularios sedentes , & cum fecisset quasi flagellum de funiculis , omnes ejecit de templo.* Porro Jansenius *in concordantijs Evangelicis* , pœnæ hujus , ementibus & vendentibus à Christo irrogatæ , observans mysterium , inquit : *Veluti canes è Domo Dei profligans , nam hi funiculis ejici solent.* Cajetanus similiter ita scribit : *Flagello adhibito , tamquam canes nimirum , aut quod Cyrillus ait : Iniquos servos fustuario dignos , ut ostenderet dura hos manere flagella ob profanationem templi Dei.* At vero quisnam Christo ad flagellum hoc contexendum subministravit funiculos ? Certum est , id non fecisse Apostolos , alias enim S. Joannes , qui factum hoc refert , eidemque tamquam spectator adstitit , idipsum scripsisset. Multo minus funiculos hosce in loco aliquo vicino pretio comparari fecit , quia sacer textus clare dicit , ipsummet contexuisse flagellum ; *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.* Isaias Propheta de Christo prædicit inquiens : *Irascetur , ut faciat opus suum* ; Cum enim justitia inseparabile sit Dei attributum , Christus Filius Dei intermittere nequibat , quin se justum quoque esse frequenter ostenderet , verumtamen quia punire , valde alienum est à naturali Christi inclinatione , ideo Isaias ibidem subdit : *Alienum opus ejus , peregrinum est opus ejus ab eo* ; Tametsi enim Deus non minus sit justus , quam misericors , attamen pluris facit , & libentius exercet misericordiam ; Et ideo in Scriptura dicitur : *Dives in misericordia* , Et Ecclesia in oratione quadam dicit : *Deus , cui proprium est misereri semper & parcere* ; Quia vero hæc ita revera se habeant , atque ipsemet Christus semper prædicaverit dicens : *Discite à me , quia mitis sum :* qua igitur ratione de ipso dici poterit , quod ad flagellandum & castigandum delinquentes funiculos secum portaverit ? Absit hoc, non enim est verum , quod secum portaverit funiculos , ad conficiendum flagellum , quin potius hosce apud ipsosmet templi profanatores invenit , dicente Cajetano : *De funiculis , quos illic invenit , pecorum venditorum.* Et quidem notandum vero est , S. Joannem in numero plurali dicere , *de funiculis* , ut intelli-

Joan.2.14.
Christus mercatores ut canes ejecit ex templo.
Jansen. Concord. Evang. c.19.
Cajet.
Quis Christo fecit funiculos flagelli.
Isa.28.21.
Ibid.
Ephes.2.v.4.
Matth.11. v.29.
Non enim habuerat apud se flagellum.
Cajetan.

intelligas, funiculos inventos ibi, ubi erant boves, & ex his coëgisse flagellum. *Omnia in figura contingebant.* Incarnata namque & increata sapientia per hanc actionem insinuare nobis voluit, quod Deus castigare nos volens, in nobismetipsis inveniat flagella, quibuscum nos castiget; Hujusmodi enim flagella sunt peccata nostra, effrænes appetitus nostri, indomitæque nostræ passiones; Unde S. Thomas de Aquino ait: *Facit flagellum de funiculis, quia de peccatis nostris sumit materiam, unde nos puniat.* Nam ut in discursu præcedenti de impio probavimus: *Funibus peccatorum suorum impius constringitur.* De his funiculis, inquit Hugo Cardinalis, *Facit Dominus flagellum, quando peccatori peccata convertit in tormentum.* S. Antonius de Padua in sermone quodam quadragesimali similem fere habet considerationem, dum ait: *Flagello facto de peccato, quia convertit ipsorum peccatum in pœnam, ut fiant graves etiam sibiipsis.* Beda ante omnes alios ad idem propositum ita scripserat: *Funiculi, quibus flagellando impios de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos Judici datur: Hinc enim Isaias dicit: Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Doctrina est Salviani dicentis: *Cum ejus naturæ sit mens Dei, atque majestas, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci: Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ; Cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.* S. Augustinus ex hoc Christi facto, funes aliaque ad castigandos templi profanatores necessaria instrumenta ab ipsimet profanatoribus mutuantis, sequentem deducit moralitatem: *Quia unusquisque peccatis suis cæditur, Dominus male versantes in templo, flagello de resticulis facto exclusit.*

S. Thom ibid. — *Hug. Card.* — *S. Anton. de Pad. ser in fer. 2 post 4. Dom. Quad.* — *Beda.* — *Isaia 5. 18.* — *Salvian l. 5 de Provid.* — Deus peccatis nostris cogitur ad vindictam. — *S. August. in Psalm. 57.*

5. Regius Propheta de flagellis ab ultrice altissimi justitia impiis immissis differens, ingeniosa quadam phrasi loquitur dicens: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum: ... Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Observandum est vero, quod sulphur, & ignem, laqueorum nomine appellet, ad denotandum, quod in hosce laqueos sponte propria, & sine coactione incidamus; Præterea dicit: *spiritus procellarum*, quia castigationes Dei opera sunt peccatorum nostrorum. Quod si terra lamentaretur contra ventos, grandines, impetuosas aquas, tempestates, semina terræ mandata destruentes, & devastantes, cœlum utique excusare se posset dicendo: Ipsammet terram, omnium horum malorum fuisse causam, utpore quæ vapores, & exhalationes suas subministravit, quæ in media aëris regione, in ejusmodi maligna & nociva transmutantur meteora. Simili modo si homo aliquis perditæ salutis de sua conquereretur captivitate, de processu criminali contra eum instituto, de dispendio, & confiscatione bonorum, de familiæ suæ paupertate, & totali ruina, stulte utique faceret, quia eidem veridice dici posset, ipsummet omnium horum malorum sibi fuisse fabrum, eo quod potius vindicativos suos secundare voluerit appetitus, quam legem adimplere Dei præcipientis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Ps. 10 v. 7. — *Ibid. v. 8.* — Sulphur & ignis sunt laquei. — Tempestates terram vastātes proveniunt ab ipsamet terra. — *Matt. 5. 44.*

6. Guerricus Abbas de carnis vitio tractans, egregie ad propositum nostrum illud ostendit quoddam esse flammarum infernalium nutrimentum, à nobismetipsis subministratum; Ita enim scribit: *Hæc est illa pestis, quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, ut vegetum sit & robustum, ad libidinem explendam, quæ illi igni inextinguibili materiam semper apponit, & vires ministrat, ut de suo semper habeat, unde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ, & gehennæ, habemus authoritatem Scripturæ. De igne luxuriæ ait: Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. De igne gehennæ ait: Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, hoc est, judicij, ut intus ardeant, (sicut clibanus accensus:) in conscientia, Dominus in ira sua conturbabit eos dicens: Discedite à me operarij iniquitatis; Et devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fœda opera. Sit ergo, fratres, summa cura, & studium his, qui in talibus sunt, de talibus evadere & fugere.* S. Joannes in prima Epistola Canonica inquit: *Mundus totus in maligno positus est*, id est, in malo igne, quia ut ipsemet S. Joannes declarat: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia... est, &c. Radix omnium malorum cupiditas*; Hoc igitur igne nostro, Deus justus judex ad nos castigandos, velut æterni supplicij utitur instrumento. *Ecce vos omnes accendentes ignem*, inquit Isaias, *accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis.*

Guerr. Abb. ser. 5. de Purific. — *Osee. 7. 4.* Peccatum est fomentum ignis infernalis. — *Ps. 20 v. 10.* — *Lucæ 13. 27.* — *1. Joa. 5. 16.* — *1. Joan. 2. 16* — *1. Tim. 6. 10* — *Isai. 50. 11.*

7. Quonam, obsecro, modo Goliath, populi à Deo electi inimicus, & ad ejus anhelans exterminium, sanctumque Dei nomen impudenter blasphemans, vita exutus fuit? Si verum fateri vultis, fatendum vobis erit, lapidem quidem à Davide Pastorculo è funda sua evibratum, vastum illum chalybeum montem prostrasse in terram, nondum tamen mortuum, & ideo Davidem ipsiusmet gigantis armis caput ei amputando, ultimum ei dedisse ictum; Ait enim sacer textus: *Cum gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput ejus.* Unde Basilius Seleucus ait: *Cum Goliath arma fabricaret, id se in usus Davidis facere, & proprij jugulatoris bajulum, in adversarij habitu, se Davidi ventre subsidio, ignorabat.* Enimvero ut hujus aliquod vobis proponam exemplum; Multis frequenter contingit, quod justo Dei ita permittente & ordinante judicio, inter hujus vel illius hominis scriptas chartas caput reperiatur delicti alicujus, de quo hactenus multifariam inquisitum fuit, nec tamen quidquam de authoritate illius resciri potuit, & proinde talis homo ex propria sua scriptura, cum perpetua familiæ suæ infamia, mortis condemnabitur probrosissimæ? Quot sunt, qui ex frequentatis voluptatibus carnalibus, fastidiosissimas, incurabiles, & lethiferas, contrahunt infirmitates, ut proinde vere dici possit, quod Deus in hujusmodi transgressoribus flagella inveniat, & suppliciorum, quibus puniri merentur, propria instrumenta. *Manus illius*, inquit Job, *reddent ei dolorem suum.* Exemplo sit Adolescens quidam Romanus valde nobilis, opulentus; magnique nominis, in pulcherrimo annorum flore constitutus, rara pulchritudine præditus, speciosissimæ cujusdam puellæ, quæ eximij cujusdam Cardinalis soror erat, prædilectus sponsus, cum tempore Bacchanalium, cum magno sanitatis suæ præjudicio larvatus, per vicos, & plateas oberrasset, inflammato capite, adeo contumacem & pœnosam contraxit distillationem, ut necessariò multis mensibus, pœnosissimis Medicorum curis, quarum continuo tormento oculorum lumen totaliter quasi amiserat, subjacere, acerbissimosque sustinere dolores debuerit; *Manus illius reddiderunt ei dolorem suum.*

Goliath periit proprio gladio suo. — *1. Reg. 17. v. 50.* — *Basil. Seleuc. orat. 15.* — Multi puniuntur convicti ex propria sua Scriptura. — *Job 20. 10.* — Ex propria libidine, ut testatur Historia.

8. Quis adeo duri cordis erit, qui ad intimam non moveatur cordis compassionem, quando legerit caput decimum sextum libri Judicum, in quo vindicta, quam Philistæi de Samsone sumpserunt, describitur? Et quidem sacer textus ait: *Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus.* Mira profecto Samsonem torquendi ratio, quis enim non credidisset, quod primum supplicium, quod de Samsone, post perpessam tam numerosam Philistæorum stragem, sumpturi erant, hoc futurum esset, ut scilicet strictum pugionem cordi ejus infigerent, & mori cogerent? Verumtamen aliud erat eorum consilium, quia *statim eruerunt oculos ejus*; Et tamen nemo est, qui nesciat, quod sicut serpens, quamdiu vivit, ab omnibus timetur, ita quoque Samson etiam cæcus, illis formidabilis esse debebat; Numquid igitur alia excogitare nequibant tormenta, per quæ suum in eum evomere furorem potuissent? Sed respondetur, ipsum quidem varijs potuisse torqueri modis, verumtamen divinam justitiam omnino voluisse, ut Propheticum illud in eo adimpleretur oraculum: *Allisit eum in manu iniquitatis suæ.* Etenim origo omnium malorum suorum hæc unica fuit, quod scilicet prævaricatus fuerit Legem divinam, quæ populo Dei electo, cum mulieribus alienigenis, & gentilibus sese desponsare interdicebat; Licet enim Samson à suis fuisset parentibus acriter ob hoc, quod meditabatur connubium, reprehensus, ipse tamen ab effreni appetitu suo instigatus, omnino cum infami illa Dalila conjugium inire, etiam invitis parentibus, decreverat. *Descendit Samson Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistijm, ascendit, & nuntiavit*

Judic. 16. 21. — Philistæi primitus eruerunt oculos Samsoni. — *ibid.* — *Isaiæ 64. 7.* — Quia oculi erant principium peccati cum Dalilâ. — *Judic. 14. 1.*

tiavit patri suo, & matri suæ dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quæso ut mihi accipiatis uxorem: Cui dixerunt pater, & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistijm, qui incircumcisi sunt? Verum observandum est, quod Samson parentibus suis respondit, (hoc enim proposito nostro multum deservit:) *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Oculi igitur Samsonis, ejus fuerunt seductores, has ei infaustas cum muliere traditrice, dolosa, & lasciva muliere, ineundas nuptias persuaserunt, Ac proinde Deus illos castigare volens, eos ab inimicis erui permisit, absque eo, quod ulla alia pars corporis in eo mutilaretur: *Statim eruerunt oculos ejus:* justum enim erat, ut qui commiserant culpam, luerent quoque & pœnam. *Oculi illius reddiderunt ei dolorem suum.* Quotidiana nos docet experientia, multos perditæ salutis homines, post relaxatas sensibus habenas, in varia incidere præcipitia, per quæ vulnera sibi lethalia, & funestas mortes accersunt, suosque tenebris infernalibus occludere oculos, luci deinceps in sempiternum non aperiendos; & quidem si omnium horum malorum attente examinaverimus originem, inveniemus, hanc præcipue subministratam fuisse per oculos, quos nimium habuere apertos, quibusque nullam prorsus adhibuerunt custodiam.

Judic. 14. 2. — *Ibid. v. 3.* — *Ibid.* — Ratio cur Sampson petierit Dalilam uxorem. — *Judic. 16, 21.*

DISCURSUS XXX.

ARGUMENTUM.

Peccatum mortale occultari nequit, sed tum à Deo, tum à propria mala conscientia manifestatur.

THEMA.

Lucerna impiorum peccatum. Proverb. 21. ℣. 4.

1. UNum ex majoribus incentivis, quibus homo perditæ salutis ad relaxandas inordinatis appetitibus suis habenas urgetur, est illud, quod ex ore impiorum refert Ecclesiasticus; Dum enim impius ad peccandum se accingit, dicit intra seipsum: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus.* At vero quantopere in hoc decipiatur impius, idem Sapiens in propositi thematis verbis præclare indicat, quia sicut lucerna profligat obscuritatem, & tenebras noctis, illudque, quod in terra illa caligine abscondebatur, manifestat: ita quoque peccatum hujus est naturæ, ut licet in secreto, & in abscondito commissum fuerit, nihilominus paulatim detegatur, & in notitiam deveniat singulorum, quia, *lucerna impiorum peccatum.* Apostolus ad Corinthios in hæc verba de Deo scribit: *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, illas namque cogitationes, quæ in intimis & reconditissimis cordium nostrorum recluduntur penetralibus, Deus tandem revelabit; Unde sceleratus non potest ad hoc confugere asylum, ut scilicet sperare possit, quod peccatum suum à nullo umquam homine cognoscetur, quia *Deus illuminabit, manifestabit, &c.* Nam ut S. Bernardus ait: *Est turpium pœna Deus, lux est enim; Et quid tam invisum obscœnis flagitiosisque mentibus? profecto omnis, qui male agit, odit lucem.* Sed dico; Numquid non *poterunt declinare? minime; lucet ubique, etsi non omnibus. Denique in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt. Videt tenebras lux, cui hoc est videre, quod lucere, sed vicissim à tenebris ipsa non videtur, quia tenebræ eam non comprehendent.*

Eccli. 23. 26. — Errat impius se posse latere. — *1. Cor. 4. v. 5.* — Quia Deus omnia manifestavit. — *S. Bernard. l. 1. de consid. c. 12.*

2. Ecclesiasticus eos, qui sibi persuadent, quod in densis tenebris commissa peccata celari possint, ad meliorem volens reducere mentem, inquit; *Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius... Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Notatu digna est prærogativa illa, quam Sapiens Dei oculis attribuit, dum illos Sole lucidiores esse asserit, Sol enim, licet per influxuum suorum efficaciam in reconditissimis terræ visceribus pretiosissima argenti & auri generet mineralia, montium tamen cavernas, speluncas, secretissima latibula, & concavitates nequaquam illuminat; Non sic oculi Dei, qui cousque pertingunt, ut profundissimas & secretissimas hominum illustrare queant cogitationes, *Illuminant abscondita tenebrarum, & manifestant consilia cordium; Scrutantur Jerusalem in lucernis.* Et vero licet horum verborum Sophoniæ sensus litteralis, ad obsidionem Jerosolymitanam, sub Tito factam, alludat, quando Hebræi in cavernis, speluncis, alijsque subterraneis locis occultati, lucernarum adminiculo investigabantur: in sensu tamen spirituali intelliguntur, de manifestatione, quam Deus in mystica Jerosolyma animæ nostræ facturus est, dum desideria, cogitationes, & secretissimas imaginationes, in omnium deducet publicam notitiam.

Eccli. 23. 27. & 28. — Oculi Dei sunt lucidiores Sole. — *1. Cor. 4. v. 5.* — *Soph. 1. 12.* — Mystica Jerosolyma totaliter lustrabitur.

3. S. Anselmus sequentia S. Pauli ad Romanos verba: *Inter se invicem cogitationibus accusantibus &c.* ita exponit: *Ita vel accusabunt, vel defendent nos cogitationes nostræ, non utique illæ, quæ tunc erunt, sed istæ, quæ nunc sunt in nobis; Cum enim sive bona, sive mala cogitamus, velut in cera, sic in corde nostro, tam bonarum, quam malarum cogitationum notæ quædam & signacula relinquuntur, quæ in occulto nunc pectoris posita, revelabuntur ab eo, qui solus potest occulta hominis scire.* Cœlestis Magister noster cum Nicodemo Principe Synagogæ, die quadam discurrens eidem dixit: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera; Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* S. Propheta Job de adultero differens inquit: *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum suum, Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem; Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant;* At vero quam turpiter hi, qui tales sunt, hallucinantur, fidem *oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem*; Et ideo Deus etiam sub obscurissima noctis caligine eosdem manifestat, quia *illuminabit abscondita tenebrarum.*

Rom. 2. 15. — *S. Anselm.* — *Joa. 3. v. 19.* — Qui male agit, odit lucē. — *Job 24. 15.* — *Ibid. v. 16.* — *Ibid. v. 17.*

4. Apud Oseam dicitur; *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Quibus verbis tam apta insinuatur ad propositum nostrum similitudo, ut aptior fere dari non possit: licet enim adultera furtivè, & in abscondito corporis sui aliis permiserit usuram, illudque adulterium ad tempus aliquod abscondere possit, postquam tamen concepit, inde nasciturus infans iniquitatem suo tempore suis propalabit vagitibus, & ejulatibus. Unde Rupertus Abbas ait: *Sicut mulier conceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem parturiendo, doloribus attestantibus, occulta prodit; sic quisquis ejusmodi est, peccatum suum utcumque dissimulare ad tempus, & abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifestabuntur, juxta illud: Nihil opertum, quod non reveletur, neque occultum, quod non sciatur:* Quodnam, obsecro, primum ab humana malitia post peccatum originale commissum fuit delictum? Nimirum detestabile à Caino patratum fratricidium; Credebat hic infelix, neminem in hujus delicti venturum esse notitiam, ac proinde negative Deo respondit: *Numquid custos fratris mei sum ego?* At vero quia Deus illud manifestavit, sanguisque Abeli innocens in cœlum usque vociferatus fuit, infelix hic fratricida sibi dici audivit; *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit.* In cujus sententiæ ultimis verbis mystica quædam phrasis, & similitudo minime spernenda, observari meretur; Sæpe enim latro sub noctis tenebris ad deprædandam hanc vel illam domum ingredi vellet, at vero canis, qui portæ domus habet custodiam, latrando & mordendo illum manifestat. Idem quoque peccato accidit; ex quo enim animam thesauris cœlestibus, bonorumque operum meritis despoliare intendit, abscondite quidem latere vellet, at vero canis, id est, remorsus conscientiæ, illud prodit & manifestum facit. Unde & Seneca, solo naturali lumine illustratus, in Epistola quadam ita scribit: *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? Quia infixa nobis ejus rei aversatio est, quam natura damnavit. Ideo numquam fides latendo fit etiam latentibus latens, quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem, & judicem effugiunt, & scripta supplicia, nisi illa naturalia & gravia, de præsen-*

Ose. 13. 12. — Occulte corrupta proditur vagitibus infantis. — *Rup. Abb. l. 6. in Ose.* — Putabat Cain fratricidium suum latere. — *Gen. 4. v. 9.* — Conscientia est canis latrans. — *Senec. Epist. 97.*

præsentibus solverentur, & in locum patientiæ timor cederet. S. Cyrillus Jerosolymitanus ad motivum se reflectens, ob quod nonnulli idololatræ cœlestia non dubitarint adorare luminaria, sequentem statuit ingeniosam ponderationem: *Ab uno Deo mali diversis modis aberrarunt, quidam namque Solem Deum fecerunt, ut occidente Sole nocturno tempore sine Deo permanerent; Alij Lunam, ut de die Deum non haberent* Hi igitur, non solum à propria remordebantur conscientia, verum etiam timebant, ne Dij, quos adorabant, velut oculati testes, scelerum suorum, licet in secreto commissorum, fierent propalatores.

Quare quidā adorarint Solē ut Deum. *S. Cyrill Jerosol. cath. 4.*

5. Enimvero unica causa, ob quam ex omni parte mundi, innumeræ redundant peccatorum malitiæ, est, quia homines Deum, qui illuminabit abscondita, sibi præsentem esse minime considerant; unde apud Ezechiëlem dicitur: *Iniquitas domus Israël, & Juda, magna nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & civitas repleta est aversione.* Causa autem, ob quam iniquitas tantopere multiplicata fuerit, sequentibus verbis insinuatur: *Dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Ad summam quoque pertigerant temeritatem impij illi, de quibus Psalm. 72. dicitur: *Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Quorum uni S. Job in hæc verba improperat: *An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur? Et dicis, quid enim novit Deus? Quasi per caliginem judicat; Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat;* Nimirum facile id sibi impius persuadet, quod verum esse optaret; Si enim penes illum staret, utique ubiquitatis attributum, quod in eo consistit, quod Deus in omni loco, omni tempore, semper & necessario præsens existat, Deo eriperet, & denegaret, ac proinde sanctus Bernardus dicebat: *Ibi pecca, ubi Deus non est;* Verumtamen vel ipsis invitis verissimum est, quod *oculi ejus lucidiores sunt super Solem*, quodque *Deus illuminat abscondita, & manifestat consilia:* David pœnitens, suamque culpam agnoscens dicebat; *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci;* Quia adulterium, cum Bethsabea commissum, omni cum industria occultare satagebat, ne, quam sibi comparaverat, bonam famam, & existimationem, perderet, aut populum scandalizaret; unde Uriam instigavit, ut cum Bethsabea conjuge sua concumberet, hocque modo peccatum suum occultaret. Sed Deus illud non solum coram Israël, verum & omnibus futuris sæculis, ad finem usque mundi, manifestavit, disponendo, ut adulterium & homicidium illius à veridico Spiritus sancti calamo in annalibus æternitatis ad perpetuam memoriam descriptum legeretur à cunctis.

Ezech. 9. v. 9. Liberius peccant, qui Deū non considerant. *ibid.* *Ps. 72. v. 11.* *Job. 22. v. 12.* *Ibid. v. 13.* *Ibid. v. 14.* Vellent impij Deum non esse omniscium. *Eccli. 23. 28.* *1. Cor. 4. 5.* *Ps. 50. v. 6.* David peccatū suum occultabat, & Deus manifestabat.

6. *Illuminabit abscondita.* Saül expressum à Domino præceptum acceperat occidendi in ore gladij omnes Amalecitas, & conflagrandi quævis obvia, cuncta quoque interficiendi ipsorum animalia, ipse vero divinum transgressus præceptum, multa animalia sibi reservarat, idque sub colorato religionis titulo, ne scilicet sibi deessent victimæ, quas in sacrificium Deo immolare decreverat. Cumque Propheta Samuël supervenisset, Saül eumdem convenit dicens: *Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini: Dixitque ei Samuël: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum quam ego audio?* Ecce qualiter Deus transgressionem, quam Saül coram Samuële Propheta abscondere conabatur, eidem Samuëli palam fecerit, per clamores animalium, quos unumquodque juxta speciem suam edebat. Acham in invasione urbis Jericho, contra expressum Dei præceptum, aliqua sibi rapuerat spolia, eaque subtus terram modo adeo secreto defodit & occultavit, ut ex toto exercitu ejus ne unus quidem idipsum advertere potuerit; at vero Deus illud summa cum Achami infamia, & damno illud manifestavit, siquidem ad eum accusandum, lingua auri illius, quod rapuerat, non obstante, quod alias proprium ei sit, vix aliquem edere sonum, nequaquam muta, sed valde loquax fuit. Fratres Joseph Jacob patri suo venditionem fratris sui omni studio occultarunt, eique persuaserunt dicentes: *Fera pessima devoravit filium tuum:* & tamen Deus suo tempore crudele hoc facinus coram toto mundo manifestavit. Moyses cum in aula Pharaonis moraretur, videns Ægyptium quemdam indignis modis quemdam suæ progeniei consortem tractantem, zelo armatus, necem ei mox intulit, ejusque cadaver subito, subtus terram, magna cum cautela, abscondit (dicente sacra Scriptura: *Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset:*) nihilominus cum die sequenti duo Judæi manus inter se conseruissent, ipseque unum ab alio sequestrare niteretur, unus eorum homicidium circa Ægyptium pridie à Moyse patratum eidem objecit: Unde occasionem sumpsit, ne videlicet in vindices Pharaonis manus incideret, Ægyptum deserendi, terramque Madiam abeundi. *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur.* Duo illi seniores, qui castam accusarant Susannam, impostuiram ejus honestati inustam, tanto cum artificio machinati fuerant, ut omnibus, ipsam adulteram esse, firmiter persuaserint, cumque populus de facto in procinctu staret, ut ex horum seniorum jussu illam lapidarent, eique præter honestatis & pudicitiæ jacturam bonam quoque famam & vitam eriperent, Deus spiritum Danielis adolescentis suscitavit, qui multitudinem contra Susannam furibundam contineret, efficeretque ut vel mutæ, & insensatæ arbores, ad amborum senum convincendam calumniam loquerentur, contraque illos, testimonium perhiberent; Unde quemadmodum Christus ad aliud licet propositum dixit: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt:* ita hic contrarium accidit, lapidibus enim, quibus ad eam lapidandam manus obarmaverant, tacentibus, arbores illæ os suum aperientes, manifestarunt calumniam, & sceleris à senioribus machinati enormitatem. Herodes incestum suum publice à Joanne Baptista in concione perstringi audiens, ne scelus magis divulgaretur, eum misit in carcerem, ac tandem decollari jussit; at vero quid demum factum est? *Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant*, inquit Psalmista de impijs; conatus enim Herodis omnino contrarium sortitus est effectum; Nam ut D. Chrysologus ait: *Joannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum trahit ad se inquisitores injuriæ, facit, ut tuus cunctis innotescat incestus, agitque, ut te habeat confusio publica.*

Palliatio Saülis detegitur. *1. Reg 15. 13.* *Ibid. v. 14.* *Jos. 7. v. 21.* Item spolium Acham. Tertio, venditio Joseph *Gen. 37. 33.* *Exod 2. 12.* Quarto homicidium Moysis. *Matt. 10. 26.* *Dan. 13.* Quinto tentatum adulterium Seniorū Judicum. *Luc. 19. 40.* *Psal. 10. 2.* *D. Chrysol. serm. 127.*

7. *Lucerna impiorum peccatum.* Et vero posito etiam casu, quod peccatum nostrum omnino celaretur hominibus, nihilominus per continuum & indefinentem remorsum conscientiæ, jugiter manifestaretur nobis ipsis. Unde Seneca in Epistola quadam ita scribit: *Tunc felicem te esse judica, cum poteris in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abscondent, quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius? Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros, vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia apposuit. Sic vivimus, ut deprehendi, sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare. Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia, atque solicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias, (O te miseram, si contemnis hunc testem.)* Reperiuntur nonnulli, qui latratum quidem canis malæ conscientiæ intra se reprimere & compescere student, sed frustra. Jonas à vanitate extimulatus, contra Dei præcepta recalcitrabat, timens, ne tamquam falsus Propheta deinceps haberetur, cum enim probe sciret, quam sit immensa divina misericordia, facile eamdem placandam fore prævidebat, mox scilicet ut Ninive aggrederetur pœnitentiam, ideoque vaticinij sui minime adimplendum fore effectum, suamque inde consequenter diminuendam esse fidem, ac proinde totus afflictus extra civitatem se recipit. Dicente sacro textu; *Et egressus est Jonas de civitate, & sedit contra orientem civitatis, & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati. Et præparavit Dominus Deus hæderam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum; laboraverat enim, & lætatus est Jonas super hæderam, lætitia magna, Et paravit Deus vermem ascensu diluculi, in crastinum, & percussit hæderam, & exaruit. Et cum ortus fuisset Sol, præcepit Dominus vento calido & urenti, & percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat, At vero omnia autem hæc in figura contingebant illis;* Multi quippe

Etsi peccatū quandoque celetur hominibus, non tamen propriæ conscientiæ. *Senec. Epist. 43.* Vanitas Jonæ. *Jonæ 4. v. 5.* *Ibid. v. 6.* *Ibid. v. 7.* *Ibid. v. 8.*

quippe sunt, qui intimum malæ conscientiæ remorsum interius ipsos excruciantem, per hortorum, viridariorum, venationum, piscationum, conviviorum, ludorum delicias, aliarumque similium delectabilium recreationum exercitium mitigare contendunt, sed frustra, & sine fructu, quia vermis illius voracitas, omnem arrodit, & consumit gaudiorum externorum virorem, pœnamque culpæ correspondentem nobis etiam invitis manifestat. Septuaginta legunt, *cucurbitæ*, ac proinde Theophylactus super illa verba: *Mandavit Dominus Deus cucurbitæ &c.* ita scribit: *Umbra cucurbitæ, hoc est, gloria hujus mundi (siquidem omnis gloria hominis sicut flos fœni:) refrigerare nos videtur in hoc afflictionum æstu, ideoque à nobis expetitur. Enimvero feriat eum vermis matutinus, ipsa nimirum conscientia nostra, cui nihil eorum, quæ nostra sunt, tenebricosum, atque obscurum est. Hinc & vermis est, numquam non peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim sensibilis tinea ossium, cordisque, ob oculos nobis ponens nostra scelera, docens juxta nos vel gravioribus pœnis dignos, peccatorum nostrorum causa, feriet cupiditatem gloriæ, persuadebitque dicere cum Propheta: Iram Domini sustinebo, quippe quia peccavi ipsi.* Hugo de sancto Victore super illa ad primum reprobum, Cain videlicet, dicta verba: *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit*, ita scribit: *Peccatum quod est in foribus, ut exeat, prava voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo signo.* S. Thomas glossando verba illa; *Cur concidit vultus tuus*, adjicit: *Et intra, & extra. Intra, quasi per quamdam desperationem, extra, per faciei, & oculorum depressionem, & pallorem, & immutationem, & hoc propter nimiam tristitiam. Concidit autem ejus vultus exterior, quia ab interiori consternatione mentis, vel cordis, exterior aspectus faciei cadit, in vultu enim communiter lucet passio mentis.*

Ejus punitio explicatur moraliter. *Theophyl.* Tegit se impius umbra hujus mundi. *Gen. 4. v. 7.* *Hugo de S. Vict. in cat.* *Gen. 4. v. 6.* *S. Thomas.*

DISCURSUS XXXI.

ARGUMENTUM.

Valde decipimur, si peccatum abscondi posse credimus, quod facillimè manifestatur.

THEMA.

Putant se latere in occultis peccatis. Sap. 17. v. 3.

1. Certissimum est, quod cum naturæ humanæ naturaliter inditum sit, quod de malo erubescat, ad hoc videlicet ut homo minime se induci pateretur, ut malum à se commissum in secreto servari posse speraret; ne de illorum sit numero, de quibus Sapiens ait: *Putant se latere in occultis peccatis*, de quibus etiam Psalmista in Psalmo 93. dicit: *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob;* Hinc enim errori David immediate se opponit, in hæc illis verba improperans: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum.* Quia vero, ut Cassiodorus ait: *Æstimant dementes Deum non videre mala illorum;* ideo Deus ipse per Nahum Prophetam apertis & terribilibus verbis: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam.*

De malo naturaliter homo erubescit. *Ps. 93. v. 7.* *Ibid. v. 8.* *Ibid. v. 9.* *Ibid. v. 10.* *Ibid. v. 11.* *Cassiod. ibid.* *Nahum. 3. 5.*

2. Porro vana hæc spes, commissum scilicet nos abscondere posse peccatum, suam à primis humani generis natalibus traxit primam originem, eamdemque ab Adam & Eva hæreditasse videmur, siquidem hi vix divinum transgressi fuerant præceptum, cum ecce se ab oculis Dei abscondi posse credebant. *Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Ubi specimen videtur illius insipientiæ, quam Psalmista in homine peccatore his verbis insinuat: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Dum enim fuga sibi consulere vellent, in medium paradisi se constituerunt, idque sub illa eadem arbore boni & mali, à qua paulo ante pomum vetitum decerpserant, Eva enim paulo ante serpenti dixerat: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud;* Et ecce nunc, dum se occultare volunt, viderique, quod prævaricati nequaquam fuissent, ecce, inquam, locum, in quem fugiunt, *in medio paradisi;* hæc enim est pœna, quam Deus, justissimus Judex, divinarum suarum legum transgressoribus infligit, ut quanto hi peccatum suum occultare magis student, tanto manifestius detegantur. S. Maximus in Homilia quadam *de pœnitentia S. Petri*, de Adamo inquit: *Tamquam deprehensus, festinat ad latebras. Velut latenti enim, & celanti se à divinitate, Adæ dicitur: Adam, ubi es? Non quod Adam conspectum Domini latere potuerit, sed quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit, dum metuit deprehendi.* Sapiens iniquitatem igni assimilat dicens: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Quasi dicere vellet: Nemo id facere potest, quin potius, quanto magis ignem in sinu suo recondit, ne videatur, tanto magis manifestabitur, per vestium ambustionem, per fumum, per fœtorem & dolorem ejusdemmet, qui illum abscondere satagebat. Eumdem quoque operatur effectum ipsum peccatum in ijs, qui illud in corde suo occultare, ibidemque fovere contendunt, exhalabit enim infallibiliter alicujus inordinatæ passionis, sive illa sit iracundiæ, sive carnalis concupiscentiæ, sive invidiæ, sive alterius similis evidentia signa.

Primi parentes peccatum suum conabantur tegere. *Gen. 3. v. 8.* *Ps. 48. v. 13.* *Gen. 3. v. 3.* Modo incongruo. *S. Maxim. Hom 3. de pœn. Petri.* *Prov. 6. 27.* Iniquitas dicitur ignis.

3. Jonas in interiori sinu conscientiæ suæ se Deo rebellem, & inobedientem esse probe sciebat, nec tamen hanc suam contumaciam ulli manifestaverat, sed intra cordis sui penetralia occultatam servabat, Deus autem, de quo scriptum est, *armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, undas maris furere, impetuososque Aquilones mare in horrendas tempestates agitare fecit, quæ ipsum, ad se naucleris, quis esset, manifestandum, coëgerunt; Disposuitque Deus, ut ejus inobedientia in sacras Litteras relata, omnibus futuris sæculis innotesceret.

Sap. 5. v. 18. Manifestatur peccatū Jonæ.

4. David certo quodam adhibito artificio politico Uriæ mortem intulit, sub colore enim, quod illum in acie certantis exercitus, tamquam generosum militem collocando, eumdem honore afficere velle videretur, potius eumdem internecionis infallibilitati exposuit, ut hac ratione occisionem & mortem ipsius omnibus occultaret; At vero quid fecit Deus? *Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.* Unde D. Chrysostomus in persona Dei eidem improperat dicens: *Tu timuisti homines, & erubuisti magis, quam Deum, oculum autem Dei viventis non es reveritus, propterea in hoc ipso punieris; Redarguam namque te, ante oculos omnium ponens peccata tua.* S. Bernardus ad illa se reflectit ficulneæ folia, quibus protoparentes nostri, post peccatum se contexerunt, ex eisque ad propositum nostrum sequentem eruit moralitatem. De peccatore namque inquit: *Fugit, & abscondit se in similitudine prævaricatoris Adæ. Sed heu, quam vile operimentum quæris misera anima, quam inutile quæris operimentum? Folia enim sunt, quæ intexis, folia, inquam, quæ caloris nil tibi præbeant, nil habeant soliditatis. Orto denique Sole arescent, & ventus urens disperget illa. Tu vero nuda & misera remanebis. Tunc ergo nihil opertum, quod non reveletur, quoniam veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Non erit jam quo lateas misera.*

David politicè occidit Uriam. *2. Reg. 12. 12.* *D. Chrysost. Hom. 31. ad Hebr.* Folia sunt miserum tegūtum. *S. Bernard. serm. de verb. Habac.*

5. Paciuchellus in Lectione 17. super Jonam memorabilem hanc refert historiam, quæ cuidam mercatori Lucensi, patriotæ meo, contigit, historiæ autem hujus Stephanum Pasquierium in disquisitionibus Franciæ, asserit esse authorem. Hic igitur mercator comparatis in regno Anglicano ingentibus divitijs, tandem Lucam redire, ibidemque vitæ suæ dies claudere decreverat, ac proinde Lucam ad amicos suos Litteras scripserat, eosdem requirendo, ut sibi in urbe Lucensi commodam domum conducere, cunctoque necessariæ & honestæ supellectilis apparatu adornare non gravarentur, in quam post sex menses, ad patriam reversus, divertere posset. Discessit igitur unico tantum famulo natione Gallo comitatus, ingentem secum deferens pecuniam, præter litteras cambiales, aliasque crediti sui apochas. Postquam vero Rothomagum venit, ibidem aliquantulum substitit, ut Parisios adiret, ac tandem cum montem Argentveil transire pararet, in eodem à famulo

Perfidum & occultum homicidium.

lo suo occisus, & in vineam quamdam projectus fuit, existimante famulo, facinus istud nulli unquam hominum palam futurum esse; accidit vero, quod cœcus quidam, præcedentis canis sui ductum strenue insequens locum, in quo mercator occisus fuerat, præteriret, qui eum à longinquo vocem hominis valde ejulantis audiret, obvium sibi homicidam illum, quidnam ejulatus ille significasset, curiose interrogavit, cui sicarius, vocem fuisse alicujus infirmi, pro rebus suis expediendis itinerantis, respondit, quapropter cœcus progressus est, alter vero, scilicet perfidus mercatoris occisi famulus, pecuniis, litterisque cambialibus onustus; Parisios se recepit, unde receptis virtute cambiorum pecuniis, dives valde & opulentus, Rothomagum est reversus. Quia vero mercatoris hujus amici Lucenses post integri anni moram, eum non comparere viderunt, de industria virum quemdam expedierunt, qui statum hujus infelicis mercatoris solicite inquireret; Hic Londini appulsus, ibidem tempus exploravit, quo Rothomagum versus abvectus fuisset, Rothomagi vero appellens, in hospitio quodam pariter intellexit, ibidem mercatorem quemdam Lucensem ante sex menses fuisse hospitatum, cum proposito urbem adeundi Parisiensem. Parisios itaque profectus, coram Parlamento dictæ civitatis, quoad dictum mercatorem, ejusque occisionem, suas deposuit querelas, rogavitque, ut de remedijs indagandæ veritatis ubicumque locorum solicite perquirerent; quapropter officialibus criminalibus Rothomagensibus serio commissum fuit, ut quoad funestum illum casum, quam diligentissime fieri posset, investigarent. Inter alia vero serio explorarent, an à septem vel octo mensibus hactenus elapsis, peregrinus aliquis eadem in urbe domum aliquam incolere vel officinam pandere cœpisset. Ab executore, igitur, cui munus hoc incumbebat, unus talis repertus est peregrinus, cujus nomen cum exploratum fuisset, locum tenens criminalis, fictam quamdam expediri fecit obligationem, vi cujus mercator occisus, solvere prætendebatur, intra certi temporis terminum ducentorum scutorum summam; Et in virtute hujus obligationis, justus est peregrinus ille dictam summam in prompta pecunia expedire. Qui obligationem fictam esse, seque illum, ex cujus parte obligatio illa facta fuerat, nequaquam cognoscere respondit; Satelles igitur responsum hoc ad declinandum forum depromptum fuisse præsumens, eumdem è domo sua captivum abduxit, cumque per viam simul procederent, mercator satellitem sæpius, an alius quispiam, præter locum tenentem, criminalem actionem contra eum intentaret, anxie interrogavit; Quam sæpius repetitam interrogationem satelles locum tenenti criminali, mox ut ad illum venit, secreto manifestavit, qui proinde dictam interrogationem serio considerans, peregrinum illum captivum coram se adduci præcepit; Quo facto, cunctis, qui aderant, dimissis, cum inter se soli essent, locum tenens viro huic, coram se adducto, dixit, fateor quidem obligationem hanc, quam ad te per satellitem misi, fictitiam plane esse, à me tamen eo solum excogitatam, ut te occasione hujus obligationis in meam acciperem potestatem; Cæterum vero licet mercatorem illum Lucensem à te in monte Argentveil occisum esse probe sciam, illudque evidentibus argumentis probare possem, tecum tamen quoad hoc commissum facinus omni cum benevolentia procedere, eo vel maxime decrevi, quod cum mercator mortuus peregrinus, omnisque patrocinij expers sit, factum hoc in oblivionem facile transire possit, hoc tamen à te exspectans, ut tuo quoque erga me debito plenè satisfacias. Peregrinus igitur à conscientiæ remorsu stimulatus, ex alia vero parte se pecunia mediante vitam suam salvare posse sperans, prompte se obtulit, ad enuntiandam & fatendam totius rei gestæ veridicam seriem. At vero cum Judex Notarium accersiri juberet, malefactor phrasin mutavit loquendi, dixitque se hujus criminis nullam prorsus habere notitiam, ac proinde ad quævis sibi proposita interrogatoria obstinato animo negative respondit, ipsumque locum tenentem criminalem, sicut & ab eo missum satellitem, tamquam suspectos allegavit, reclamando, & appellando ad Parisiense Parlamentum; Quod de tractatu, inter ipsum & locum tenentem criminalitam, habito probè informatum, omnem possibilem instituit fecit diligentiam, per totam viam, quæ Rothomagum inter & Parisios intercedebat. Accidit autem, quod Judex Argentveilensis quemdam circa cadaver in vineis prope dictum montem repertum, & ex media parte à canibus devoratum instituisset processum, à quo cum missus à Parlamento officialis circa causam coram eo agitatam informationem caperet, casualiter seu potius divinæ providentiæ dispositione supervenit idem ille cœcus, eleëmosynas hinc inde conquirens, qui post crimen recenter commissum, homicidam sibi obvium, quidnam miserabilis ille ejulatus, quem paulo ante audiverat, significasset, scisciatus fuerat; Hic igitur perplexitatem circa homicidium commissum inaudiens, quidquid inter se & homicidam in monte acciderat, manifestavit. Cumque cœcus ille requireretur, an eum, qui in monte sibi locutus fuerat, distincte ex loquela agnoscere posset, illeque affirmative responderet, jussus est captivus coram eo loqui, quem confestim ex voce agnovit. Quid vero captivus pertinaciter se illum esse negabat, ad majorem veritatis evidentiam, plures coram cœco adducti sunt loquentes, quos cœcus se agnoscere negavit, statim vero ut reus locutus fuit, fassus est, hunc eumdem illum esse, qui secum in monte Argentveil fuerat locutus, quapropter crumfragij in rota sustinendi contra illum pronuntiata fuit sententia, qui proinde se evadere supplicium non posse videns, totius rei gestæ veritatem plane edixit. *Nihil opertum, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur.*

De illo homicidio fit inquisitio.

Praxis à Judice adhibita.

Sicarius in secreto crimē fatetur.

Publicè reclamat & appellat.

Modus quo fuerit convictus.

6. Mysterio turgent verba illa Psalmistę de peccatore asserentis: *Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Enimvero quidnam conceptui & partui intereſt cum iniquitate, quæ non tam partus, quam perversæ voluntatis humanæ abortus esse censetur? Pro resolutione observandum, quod in præcedenti discursu diximus; Licet enim sæpe contingat, quod mulier aliqua post conceptum fœtum per aliquot menses forinsecus gravida non appareat, attamen difficillimum est, ut gravidationem suam dissimulare possit appropinquante tempore partus, & multo magis in ipsomet actu pariendi, non enim pariet, nisi prius conceperit, & gravida fuerit; Idipsum quoque in peccato contingit, licet enim hoc nonnumquam per aliquod temporis spatium occultatum remaneat, attamen progressu temporis manifestatur. Dic, obsecro, quonam titulo Spiritus sanctus in Deuteronomio peccatum indigitet? Certe non alio quam veneni nomine illud appellat; *Venenum aspidum insanabile.* Porro venenum aspidis hanc habet naturalem proprietatem, quod magnum dolorem non infligat, ac proinde eodem veneno usa est Cleopatra, facitque insuper, ut sensus & potentiæ animæ obstupescant & velut indormiscant. Eumdem quoque effectum lethiferum peccati venenum operatur, utpote quod per voluptates, delectationes, honores, divitias, delicias, aliasque similes illecebras, homines insensibiles efficit, quod vero proposito nostro quam maximè deservit, est, quod venenum facile detegatur & manifestetur ex signis externis, & internis, ita ut nulla ratione celari queat; ita quoque res se habet quoad toxicum peccati, ex multis namque signis externis adeo manifeste se prodit, ut negari non possit.

Psal. 37. 4.

Natura veneni aspidis.

7. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, inquit Ecclesiasticus. At vero cur Sapiens ad incutiendum nobis culpæ mortalis horrorem, non potius dicit: Quasi à facie leonis, vel à facie Tigris fuge peccatum? Num forte alia magis horribilia deerant animalia, quibus peccati malitia & noxa comparari poterat? Respondeo, non quidem deerant alia horribiliora, nullius tamen quantumvis sævi animalis comparatio magis propria adduci poterat, quam colubri, prout ex varijs patebit similitudinibus, & analogijs, quæ intercedunt colubrum inter & peccatum. Primo enim alia animalia, quantumvis natura sua sæva sint, & ferocia, quamdiu tamen in nidis etiamnum parvula degunt, nullum homini horrorem incutiunt, non vero ita se res cum serpente habet, hic enim quantumvis sit modicus & exiguus, suo tamen veneno non caret; Eadem quoque est peccati natura, hoc enim terrorem nobis merito incutere deberet, etiamsi solum in primis suis consistat principijs, qua de re suo loco fusius disseretur. Secundo, licet serpens in plures dissecetur partes &

Eccli. 21. 2.

Proprietates colubri conveniunt peccato.

Serpens à primo suo esse habet venenum.

& interficiatur, in illis tamen membris recisis certus quidam remanet calor, qui partes præcisas saltitare, & movere se facit, haud secus, ac si viverent; ita quoque licet peccato per confessionem Sacramentalem mors inferatur, remanet tamen in nobis fomes illius, mala inclinatio, pravique contracti habitus, ac proinde magnopere timendum est. Tertio, serpens umbram diligit, & sub illa nascitur, unde colubet dicitur, quasi umbram, colens; S. quoque Job de Behemoth, per quem serpens infernalis figuratur, loquens inquit: *Sub umbra dormit in secreto calami*; ut per hoc nobis insinuetur, quod peccatum quoque diligat tenebras, ametque abscondi. Quarto, serpentes nasci solent inter se complexi, adinstar catenæ, quæ ex multis complexis annulis conficitur: Peccata pariter hanc habent proprietatem, quod unum trahere soleat ad aliud. Quinto, inter serpentes vipera partus suos paulatim edere solet, atque ideo multi illorum moræ egrediendi impatientes, matris rodentes viscera egrediuntur. Eodem modo peccatum, in corde & mente conceptum, absconditur quidem, sed veniet aliquando tempus, quo de corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, fornicationes, &c.

Partes serpentis secti adhuc vivunt.

Quærit serpens umbrā. *Job. 40. 16.*

Matt. 15. 19.

8. Reflexistisne vos aliquando ad illam à Psalmista de peccato differente adductam similitudinem, quando ait: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Porro nihil homo excogitare potest magis occultum, & reconditum, atque ab oculis nostris magis dissitum, quam sit illud; quod intra ossa nostra recluditur, quia præter oculum impenetrabilem duritiem, insuper ossa obducuntur carne, cartilagine, ac pelle; Unde per hoc Psalmista alludere voluit ad peccatum, quod in intimis hominis præcordijs absconditur; Verumtamen si bene advertistis, Psalmista immediate mentionem fecit faciei, inquiens: *A facie peccatorum meorum*; quorum verborum mysterium in hoc consistit, quia peccata, quantumvis in mente nostra sint occulta, per aliquod tamen signum externum in vultu transparere solent, ut omnibus fiant manifesta. Idem Ecclesiasticus in alio quodam loco dicit: *Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.* Enimvero multæ inter lepram & peccatum intercedunt similitudines, (*Et ecce vir plenus lepra:*) inter alias vero una hæc est, quod scilicet morbus quidam sit, qui celari non possit, siquidem in exteriori corporis superficie apparet, & sicut Hugo Cardinalis super illa verba: *Occurrerunt ei decem viri leprosi*, optime observat; *Lepra quanto reprimitur studiosius, tanto tandem ebullit turpius, sic peccatum, quanto diutius occultatur, tanto turpius apparebit.* Esau in corde suo decreverat, post mortem patris sui, Jacob, fratrem suum, interficere, quam consilij sui machinam nulli umquam hominum patefecerat: quia facer textus ait: *Dixitque in corde suo: Veniet dies luctus patris mei, & occidam Jacob, fratrem meum.* Et tamen paulo post facer textus subdit: *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ*; At vero inquies, ex quo hæc cogitatio occulta erat, cujus solum cor Esau notitiam habebat, quâ ratione vel via matri quoque suæ innotescere poterat? Quomodo renuntiata sunt verba Esau Rebeccæ, quærit S. Augustinus, cum Scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse? Respondetur, hanc esse peccati conditionem, quod licet interius in corde concipiatur, per exteriora tamen indicia reddatur manifestum. Hugo Cardinalis ex divisione veli, quæ tempore passionis Salvatoris nostri in templo accidit, de qua S. Marcus ita scribit: *Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum*; egregiam quamdam nostroque aptam

Peccatum interum edit signum in facie.

Eccli. 13. 31.

Luc. 5. 12. Peccatum quo diutius latet, turpius erumpit.

Luce 17. 12. Hugo Card.

Gen. 27. 41. Ibid. v. 42. Unde Rebecca scivit cogitationes Esau.

S. August. 28 in Gen.

Marc. 15. 38

proposito deducit moralitatem; Et primo quidem duo vela fuisse censet, quorum unum dividebat Sancta Sanctorum, alterum vero Sancta separabat; Paulo post per hoc velum in sensu mystico peccatum interpretatur, utpote quod solum à Sancto Sanctorum nos separat, horum autem velorum duo sunt, unum internum, & alterum externum. *Sic etiam duo vela duo genera peccatorum sunt, spiritualia, & carnalia; Velum interius significat peccata spiritualia, velum exterius peccata carnalia; quorum utrumque velat nobis faciem animæ, ut non possit videre veritatem*; Unde Psalmista post commissum adulterij peccatum, Deum rogavit inquiens: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*; Utrumque autem velum dividitur, quia omne peccatum, quantumvis sit occultum, manifestatur.

Vela templi moraliter explicantur.

Psal. 118. 18.

9. Præter expositiones superius hisce verbis adhibitas: *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit*, advertendum est, quod judicia tribunalia, ad ferenda causarum judicia, olim in portis civitatum posita fuerint, idque eo fine, ut qui forinsecus ad litigandum venirent, tanto citius expedirentur, præcidereturque illis omnis occasio, intus cum civitatis incolis conversandi, eorumque addiscendi vitia; Ac proinde in prædictis Psalmistæ verbis Deus noster nobis insinuare intendit, quod quisquis vitiose operabitur, ejus peccatum confestim ad notitiam deducendum sit aliorum, haud secus ac si in publicum deductum fuisset judicium. Quando Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad Salvatorem maligne adduxerunt, Christus se *inclinans digito scribebat in terra*; Et quidem juxta multorum sacrorum Interpretum opinionem, peccata perfidorum illorum accusatorum scribebat, qui proinde peccata sua detecta esse videntes, unus post alterum paulatim omnes abscedentes, solum adulteram cum solo Christo relinquerunt; In quo facto cœlestis Magister noster insinuare voluit, quod peccata eorum speciālius manifestabuntur, qui defectus aliorum accusare & revelare fuere conati. Enimvero hujus asserti occasione quæri posset, cur Christus qui adeo cautus fuit, ne proximorum detegeret occulta peccata, Hypocrisin nihilominus Pharisæi, quæ alijs nota non erat, (quippe cum Pharisæus ille ab omnibus vir raræ perfectionis haberetur, (coram alijs publice manifestarit? Pro responsione itaque observandum est, quod quia malignitas Pharisæi illius, publicanum illum in templo orantem, velut infamem peccatorem, publice in templo injuriari & contemnere pro nihilo habuit, dicendo: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus*; Ideo Salvator noster justum esse censuerit Pharisæi illius supplicium, si. nimirum hypocrisin illius, quamvis occultam, detegeret. Deus olim Isaiæ præcepit dicens: *Annuntia populo meo scelera eorum*: quippe qui in propalandis aliorum peccatis magnam habuerant complacentiam, & contra Deum lamentati fuerant, dicentes: *Quare jejunavimus, & non aspexisti?* Quibus tamen responsi loco dictum est: *Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra, ... Percutitis pugno impie*, id est, ut facer quidam Interpres exponit: Quasi *pugno percutitis proximum, cum digitis indicatis ejus opera crimina*, id quod optime concordat cum alijs Scripturæ verbis, quibus dicitur; *Si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest*; Jure igitur hi, qui peccata aliorum manifestaverant, merebantur, ut illorum quoque vitia Deo ipso detegerentur.

Gen. 4. 7. Publicum judicium olim erat in portis Civitatum.

Quare occultam, Pharisæi hypocrisin Christus publicavit.

Luc. 18. 11.

Isai. 58. v. 1.

Ibid. v. 3.

Ibid.

Ibid. v. 4.

Ibid. v. 9.

TRACTATUS LXXVIII.
DE
POENIS PECCATORUM,
CONTINET
DISCURSUS XXXV.

DISCURSUS I. Ærumnæ & Infortunia, quæ nos vel in communi, vel in particulari affligunt, pœnæ sunt peccatorum.

II. Ex peccatis nascitur civitatum, & populorum exterminium.

III. De odio creaturarum adversus peccatorem, in cujus perniciem tamquam divinæ justitiæ instrumenta, sæpe armantur.

IV. Terræmotus à Deo permittuntur, tum in pœnam peccatorum, tum ut emendemur & revocemur ad pœnitentiam.

V. Fames, sterilitas, annonæ caritas peccatorum nostrorum sunt effectus.

VI. Ariditas & siccitas terræ à peccatis nostris provenit, & per eorumdem pœnitentiam removetur.

VII. Pluviæ excessivæ, inundationes aquarum à peccatis derivantur populorum, cessantque mox ut peccatores se ad Deum convertunt.

VIII. Grandines aliæque similes calamitates pœnæ esse solent peccatorum.

IX. Mare per tempestates & naufragia impios sæpe punit.

X. Ignis injurias communi Creatori illatas, per incendia vindicat, & sæpe parcit illis, in quibus peccatum non invenit.

XI. Deus tonitrua excitat ad incutiendum peccatoribus metum, illosque convertendos, suaque in illos fulmina immittit, & suam adversus peccata iram effundat.

XII. Peccata nostra inimicos nostros in bello contra nos roborant, nostrasque vires debilitant.

XIII. Deus bella & inimicos contra nos excitat, ut peccata in nobis castiget, illisque sublatis pacem facile sperare possumus.

XIV. Pestis ab ira Dei per peccata irritata immediate procedit, pestilentiæ autem remedium est concepta de ijsdem pœnitentia.

XV. Non solum animalia ferocia, verum etiam minima animalcula, sæpe sunt divinæ Justitiæ instrumenta, quibus impij castigantur

XVI. Multæ considerantur miseriæ & calamitates publicæ, quæ peccatorum nostrorum sunt pœnæ.

XVII. Infirmitates temporales utplurimum peccatorum nostrorum sunt fructus.

XVIII. Sententia illa Sapientis, *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur:* per adducta exempla verissima esse ostenditur.

XIX. Author eamdem materiam prosequitur.

XX. Idem argumentum per alia exempla demonstratur.

XXI. De eadem materia differitur.

XXII. Idem argumentum continuatur.

XXIII. Eadem doctrina per alias rationes, & Exempla probatur.

XXIV. Per Exemplum decem plagarum, quibus Deus percussit Ægyptum, verissimum esse probatur illud Sapientis oraculum: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

XXV. Confirmatur idem argumentum, Exemplo Hebræorum persecutorum Christi, qui per eadem media à Deo puniti sunt, quibus Christum cruciarunt.

XXVI. Impij in perversis consilijs suis deluduntur, siquidem malum, quod alijs machinatur, in ipsosmet communiter recidit.

XXVII. Eadem materia per alias Scripturæ Authoritates, & exempla confirmatur.

XXVIII. Continuatur idem argumentum.

XXIX. Specialis peccati pœna est, quod unum peccatum mox post se trahat aliud.

XXX. Peccatum semper aliud post se trahit, nisi deponatur per pœnitentiam.

XXXI. De eodem argumento differitur.

XXXII. Impunitas, & prosperitas peccatorum in hac vita, infallibile est Dei contra illos indignantis indicium.

XXXIII. Prosperitas impij, signum est iræ Dei, quæ tandem suo tempore illos involvet.

XXXIV. Prosperitas impij in vita æternæ perditionis est indicium.

XXXV. Reprobis in hoc mundo felices esse, Deum eis esse iratum, manifeste ostendit.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.

Ærumnæ, & infortunia, quæ nos vel in communi, vel in particulari affligunt, pœnæ sunt peccatorum.

THEMA.

Miseros facit populos peccatum. Prov. 14. ℣. 34.

1. Ecce ipsissimam originem, & primitivum fontem, unde miseriæ & calamitates deplorandæ, quæ populos affligunt, civitatesque ac provincias infelicissimas efficiunt, unice dimanant; videlicet, peccatum, teste Sapiente, qui ait: *Miseros facit populos peccatum.* S. Basilius Magnus, ærumnarum nos opprimentium causam his verbis indicat: *Nemo se anxio labore torqueat, in inquirendis causis afflictionum, & molestiarum, puta quam ob causam squaleat siccitate; cur vis imbrium, aut redundantia pluviæ cœlo delabitur; ut quid plena terroris fulmina; qua ex causa ex aëre grandines. Nostri causa hæc invehuntur, qui retinemus cor impœnitens.* Credibile est, B. Laurentium Justinianum ab hoc S. Basilio didicisse doctrinam illam, Basiliano dogmati valde conformem, quam in hac materia in hæc verba tradidit: *Nemo prorsus reserare valet, quam perniciosum sit peccatum, & quanta homini per illud inflicta sint mala. Unde, quæso, pestilentiæ, fames, bellua, deprædationes, furta, rapinæ, rixæ, æmulationes, contentiones, flagitia pessima, horrenda crimina, stupra, incestus, adulteria, homicidia, veneficia, proditiones, blasphemiæ, sacrilegia, & idololatriæ proveniunt, nisi ex fomite & radice peccati, unde aëris intemperies, inundationes aquarum, grandines, tempestates, fragores æquoris, eversiones urbium, Provinciarum incommoda, strages hominum tam crebro emergunt, nisi occasione peccati?* Justinianus Imperator in quadam Constitutionum suarum omnibus vasti imperij sui subditis serio præcepit, ut mores suos in timore Dei moderentur & dirigant, speciatim vero à juramentis & blasphemijs, quæ iram Dei provocare solent, abstineant. En verba prædicti Imperatoris: *Quoniam quidem blasphema verba, & Sacramenta de Deo jurant, Deum ad iracundiam provocantes, istis injungimus abstinere ab hujusmodi, & alijs blasphemis verbis, & non jurare. Si enim contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur, multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Propterea igitur omnibus præcipimus à prædictis delictis abstinere, & Dei hominibus timorem in corde accipere, & sequi eos, qui bene vivunt. Propter talia enim delicta & fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt.* Enimvero quia Justinianus Cæsar pacis & felicitatis populorum subditorum cupidissimus erat, ideo præter promulgatas leges, efficacissimum, removendum ab illis quodvis infortunium, medium esse censuit; si nimirum illos in viam timoris Dei dirigeret, omnemque Dei offendendi præcideret occasionem, quippe qui verissimum esse sciebat, quod *miseros facit populos peccatum.*

Origo omnis miseriæ peccatum est.
S. Basil. in c. 9. Isaiæ.
B. Laurent. Justin. c. 1. de perfect. grad.
Authent. coll. 6. tit. 9. novella 77.
Imperator prohibet juramenta & blasphemias.

2. Hujusce veritatis evidentissimum habemus in Deuteronomio testimonium, siquidem Deus per Moysen populo suo protestatus est dicens: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus, ... venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate; maledictus in agro; Maledictum horreum tuum; & maledictæ reliquiæ tuæ; Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum ... Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te, & perdat ... Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra; ... Percutiat te egestate, febri, & frigore, ardore, & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine ... Sit cælum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris; Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos... Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Porro in his maledictionibus, magis præcipua comprehenduntur supplicia, quibus ultrix Dei justitia in peccatores solet animadvertere, nec non miserabiliores calamitates, quæ genus humanum in hac lacrymarum valle possunt affligere, quæ omnia declarant esse pœnas, quas propter inobedientiam erga divina præcepta luere debemus. Psalmista quoque ait: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Chrysostomus quoque monet dicens: *Peccatum, fontem malorum, reprimamus;* quibus verbis peccatum agnoscit omnium malorum nostrorum esse scaturiginem. S. Thomas de Villa Nova longum quemdam malorum culpæ texit Catalogum, quibus mala pœnæ in nostram pernitiem irritare solent. *Multa*, inquit, *peccata* Jeremias capite 5. *numeravit, ait enim: Super quo propitius tibi esse potero? Filij tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt Dij;* Ecce idololatriam loquitur; sequitur: *Saturavi eos & mæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur, Equi amatores, & emissarij facti sunt, Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat;* Ecce luxuriam. Et infra: *Quia inventi sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros,... Ideo magnificati sunt & dilatati;* Ecce avaritiam. *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt;* Ecce injustitiam. *Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia;* Ecce fallaciam: Et adjungit: *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gente hujusmodi non ulciscetur anima mea? Vides certe, quod ultio illa eversionis, non propter solam idololatriam, sed propter luxuriam, avaritiam, injustitiam, & fallaciam in populo suo futura designatur? Hæc in populo Christiano satis abundant: Quis maritus hodie uxori conservat fidem? Quis non hinnivit ad uxorem proximi sui? Quot usurarij? Quot in civitatibus nostris laqueos parant & pedicas, ad venandas pecunias proximorum, quando pauperes magis oppressi sunt? Quid mirum igitur si tam frequenter publicis infortunijs flagellemur?* Verum quidem est, quod, ut S. Basilius notat, divina pietas, & infallibilis Dei providentia non tam ad nos puniendos hæc immittat flagella, quam sæpissime ad nos emendandos, ut videlicet culpa deposita, cesset pariter & pœna. S. Basilius in homilia, cui titulus est, *Quod Deus non est author malorum:* ita scribit: *Quando audiveris, non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit, intellige hic mali nomine vexationem, ac calamitatem significare, quam Deus peccantibus ad delicta corrigenda infligit. Afflixi, inquit, & fame pressi, ut benefaciant antequam propter intemperantiam prorsus perdantur. Hac de causa civitatum ac gentium morbi, siccitates aëris, terræ sterilitates, ac qui cuilibet in vita duri casus emergunt, quæ omnia, ne malum ulterius progrediatur, efficiunt; Civitatum interitus, terræmotus, inundationes, exercituum clades, naufragia, & omnes denique calamitates illæ, quibus magna hominum multitudo simul absumitur, sive ex terra, sive ex mari, ex aëre, ex igne, seu quacumque nascantur causa, propter superstites ad sobrietatem reducendos, eveniunt ipso Deo publicis pœnis publicam castigante iniquitatem.* Quocumque demum modo divinæ iræ fulmina de cœlo decidant, sive in pœnam peccantium, sive ad emendationem illorum, hoc saltem certum est, quod omnis mali causa sit peccatum, quia *miseros facit populos peccatum.*

Plurimæ maledictiones contra prævaricationes.
Deut. 28. 15.
Ibid. v. 16. & 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 20.
Ibid. v. 21.
Ibid v. 22.
Ibid. v. 23.
Ibid. v. 24.
Ibid. v. 25.
Ibid. v. 26.
Ps. 118. 21.
D. Chrysost. in Psal. 3.
Catalogus malorum ac primo idololatriæ.
S. Thomas à Vill. Nov. conc. 6. in fer. 6. post Dom. 2. Quadr.
Jerem. 5. 7.
Ibid. v. 8. & 9.
Luxuriæ.
Ibid. v. 26.
Ibid. v. 27.
Avaritiæ.
Ibid. v. 28.
Injustitiæ.
Ibid. v. 31.
Propter quæ meritò flagellamur.
S. Basil. hom. 4.
Mala sunt medicinæ præservativæ.

3. Doctrina est Gregorij Magni dicentis: *Sensus nostri malitia exigit, ut à rebus insensibilibus feriatur; Ecce enim cernimus, quod ad correctionem nostram, expectatus imber arente terra suspenditur, & caliginosus aër inardescente Sole siccatur; Mare procellis intumescentibus sævit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit, alijs desideratum iter erecta in cumulum unda interdicit; Terra, non solum germina fœcunditatis imminuit, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc, quod quidam Sapiens de Domino testatur dicens: Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos; Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat, quando in pœnam delinquentium, & elementorum adversitas militat.* S. Carolus Borromæus similiter populo suo ob oculos statuit causam, unde calamitates, quibus cum damnis & miserijs publicis flagellabatur, procederent; Et primo quidem adducit textum illum Ezechielis cap. 33. *Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus; Quomodo ergo vivere poterimus?* Ad quod Deus respondebat: *Dic ad eos; Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini Domus Israël. Vos quoque, Charissimi filij mei, quando in medio harum afflictionum, invitamini nonnunquam ad novas orationes publicas, ad processiones, aliaque similia officia, cogitate, & pro certo habete, quod Deus tunc nos & vos illis Joëlis Prophetæ verbis invitet: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu, & planctu, & scindite corda vestra, &c.* Hactenus S. Carolus Borromæus.

S. Gregor. l. 6. mor. c. 6.
Fiunt in pœnam peccati mare & terra.
Act. Eccl. Med.
Ezech. 33. 10
Deus nos ad pœnitentiam invitat.
Ibid. v. 11.
Joël. 2. 3.

4. *Miseros facit populos peccatum.* Sæpe graviter decipimur, quando miserias, quibus affligimur, malo reipublicæ regimini, alijsque accidentibus humanis adscribimus; non enim inde proveniunt miseriæ nostræ, sed peccatum est flagellum, quo vapulamus. Quando quis malam & noxiam contendit extirpare arborem, necessum habet, ut ferrum non ad folia, vel ramos, vel truncum, sed ad radicem adhibeat; Unde Baptista ait: *Securis ad radicem arboris posita est.* Ubi author operis imperfecti inquit: *Vide autem quod non ad ramos posita dicitur esse securis, ut cum præcisi fuerint, iterum progerminarent, sed ad radices, ut irreparabiliter extirpentur.* Sæpe belli hujus vel illius causa, indignationi inter Principes enatæ attribuitur, ac proinde aliorum Potentatum intercessio ad illos reconciliandos, utrimque adhibetur, sed frustra, non enim hæc belli illius causa est; Fames nonnumquam attribuitur causis naturalibus, videlicet constellationibus, planetarum mutuis occursibus; naufragium in mari perpessum, sæpe in ignorantiam vel negligentiam naucleri conjicitur; Incendium ex neglectu dormitantium servorum exsurrexisse existimabitur, sed valde erronèe, non enim miseriæ illæ ab hisce proveniunt causis, sed radicem extirpare oportet, id est, peccatum, quia *miseros facit populos peccatum.* Prædictæ causæ sunt causæ secundæ, prima autem & principalis causa est, quia Deus vult punire peccata; quia propter peccata veniunt adversa. Quando fratres Josephi se in Ægypto à vice-Rege, quem nondum agnoscebant, tam indigne tractari conspexerunt, quia calumniabatur illos tamquam exploratores, & proditores regni, mox vero tamquam latrones & ingratos in carcerem conjecit, causam harum miseriarum non asperitati Josephi, nec judicijs temerarijs contra eum factis attribuerunt, sed ad radicem, & primariam miseriarum illarum recurrerunt originem, dicentes ad invicem: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, cum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio:* circa quæ verba Oleaster ita scribit: *Merito desolati sumus propter fratrem nostrum. Optima consideratio cum senseris pœnam, culpæ meminisse. Cum enim Christi discipuli,* (ut Joannis 9. scribitur:) *cæcum à nativitate vidissent, statim culparum memores, Christo dixerunt; Quis peccavit? hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur.*

Non aliunde quam peccato vapulamur.
Matt. 3. 10.
Aut. op. imperf. hom. 3.
Malè attribuimus extraneis causis pœnas nostras.
Gen. 42. 2.
Agnoscebant id fratres Josephi.
Gen. 42. 21.
Oleaster.

5. P. Bol-

Bolland. 3. Mart car. 290. col. 3.
Historia.

5. P. Bollandus in vita S. Friderici Abbatis, de quadam muliere scribit, quam prædictus S. Abbas aspera quadam reprehensione perstrinxerat, ut in timore Dei vivere inciperet, in casu vero non subsecutæ emendationis, gravia eidem supplicia comminatus fuerat. Quia vero salutares hæ admonitiones nihil quoad ipsam profecerunt, cæcitate percussa est, simulque mortem subsecuturam esse metuens, S. Abbati indicari fecit, se de ipsius bono consilio de rebus suis disponere statuisse, eo quod morti se vicinam esse æstimaret; *Tunc ille subridens dicebat; Castigans castigavit te Dominus, sed hac vice morti te non tradet, visum quoque recipies oculorum, modo satagas vitam tuam in melius commutare.* Salvianus sæculi sui inundantem considerans malitiam, quæ cum scandalo publico specialiter in Christianismo conspiciebatur, ex alia vero parte miserabiles & innumeras, quibus Christianismus afficiebatur, considerans calamitates interrogat inquiens: *Quid miraris, si cædimur? Quid miraris ergo si castigamur? si in jus hostium tradimur? si infirmiores omnibus sumus? sive miseriæ nostræ, sive infirmitates, sive eversiones, sive captivitates, & pene improbæ servitutes, testimonia sunt mali servi.* Mox vero validam subnectit rationem, ob quam flagellis divinæ justitiæ castigati dolere non debeamus; Ait enim: *Sed quid miramur, si peccantes nos Deus verberat, cum ipsi peccantes servulos verberemus? Injusti judices sumus; homunculos nos flagellari à Deo nolumus, cum ipsi conditionis nostræ homines flagellemus.* Seriam plane merentur reflexionem verba quædam Divi Chrysologi de maris differentis tempestate, qua Aquilones impetuosissimi præsentaneum comminabantur naufragij periculum, ita enim scribit: *Dei, Dei est, quod urgemur malis, quod verberamur semper, quod gentes valent, quod ruit grando, quod rubigo inficit, quod impietas potest, quod dominantur morbi, quod sævit mors, quod tremit terra; nos tamen nec tremimus, nec timemus, nec declinamus à malis nec appetimus bona.* Idem aureus Orator ventos, qui mare hujus mundi agitant, id est, calamitates, & infortunia, quæ nobis immittuntur, hisce verbis recenset: *Avaritia furit; Anhelat pompa, iniquitas placet; aliena delectant, sed nostra pereunt; Dei flagella veniunt, sed nostræ provocant culpæ. Si Deus justus, utique etiam nostri est misericors: fratres, revertamur ad Dominum, ut revertatur ad nos Deus, renuntiemus malis; ut respondeant bona.*

Salvian. l. 4. de Prov.
Merito castigamur, ideo dolere non debemus.
D. Chrysol. serm. 20.
à Deo pœnæ emittuntur.

Peccata mercatorum
Mich. 6. 10.

6. Apud Michæam Prophetam dicitur: *Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena; numquid justificabo stateram impiam; & sacculi pondera dolosa?* Quot eheu! inter emendum & vendendum committuntur peccata, tum per mensuras & pondera justo minuriora, tum per dolos, & fraudes, mendacia item, & juramenta falsa? *Cum hoc facerent Principes vestri*, inquit S. Hieronymus, *Nolui vos statim subvertere, sed paulatim cœpi percutere, & plagis varijs admonere; Misi in vos famem, misi sitim, misi morbos, & hostilem in circuitu vastitatem; Seges frumenta non attulit; Oleum pressa oliva non fecit; Vinum steriles vindemiæ negaverunt; Adversus iniquitates & mensuras dolosas, & pondera fraudulenta hæc intuli supplicia.* Salvianus in eodem præcitato libro pergit ostendere, quod nos ipsi per scelera nostra flagella in manus Dei consignemus, quibus ipse licet invitus nos percutit; En verba illius: *Quamlibet aspera & adversa patiamur, minora patimur, quam meremur. Quid querimur, quod dure agat nobiscum Deus? Multo nos durius cum Deo agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum, cumque ejus naturæ sit mens Dei atque Majestas, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, cumque ejus benignitatis sit, ut velit jugiter nobis parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.*

S. Hieron. ibid.
Homo ad iram provocat Deum.
Salvian. ibid.

7. Opponet forsitan quispiam, quod etiam super homines justos & sanctos, qui in vera innocentia hic in terris vitam degunt, miserabiles non minus immittantur calamitates. Quis enim nescit, quantis Job exagitatus fuerit ærumnis, adeo ut in sterquilinio sedere coactus, saniem ex ulceribus, quibus verminosum ejus corpus à vertice usque ad pedes plenum erat, dimanantem, testa figulina abradere debuerit. Et tamen ditissimus & potentissimus in Oriente Princeps erat, deque ejus bonitate æterna veritas indubitatum perhibuit testimonium, *quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Dubium porro istud resolvit S. Gregorius, egregie notans, S. Jobum in sterquilinio sedentem linguam suam laxasse in acerbam contra peccatum originale invectivam, utpote quo ipse non minus, quam alij, contaminatus fuerat; Et tamersi momento conceptionis suæ dira, imprecatus fuerit, dicendo: *Pereat dies, in qua natus sum*, nequaquam tamen maledictum hoc per impatientiam protulit, quin potius, ut idem S. Gregorius cap. 5. declarat: *Vir sanctus in dolore proprio causam totius generis humani deflens, & nihil speciale omnimodo in speciali vulnere cogitans, reducit ad animum originem culpæ.* Solum enim peccatum originale, ad provocandas super nos omnigenas adversitates abunde sufficit, quanto magis peccatum actuale? Imo, ut suo loco vidimus, Deus peccata etiam venialia, quantumvis levia, severe punit, licet ab ijs ne ipsi quidem eximij Dei servi exempti esse possint.

Castigantur & boni, ut Job, at diversimode.
Job. 2. 3.
Job 3. v. 3.
S. Gregor. l. 4. Mor. c. 5. & cap. 9.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Ex peccatis nascitur civitatum, & populorum exterminium.

THEMA.

Qui malignantur, exterminabuntur, Ps. 36. ℣. 9.

Peccatum est exterminium civitatum.

1. INter alia supplicia, per quæ Deus, æquissimus Judex, humanam punit malitiam, unum est civitatum, populorum, provinciarumque desolatio & exterminium: *Qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.* Isaias Propheta proinde cap. 24. suæ Prophetiæ ab his verbis exorditur: *Ecce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam,... & disperget habitatores ejus;... Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur; ... Defluxit orbis.* Undenam vero suam hæc exterminia desumpserint causam & originem, idem Propheta sequentibus verbis insinuat: *Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges,... Propter hoc maledictio vorabit terram,... ideoque insanient cultores ejus, & relinquentur homines pauci.* Opportunissime huic proposito congruit profana illa historia, quam S. Augustinus his verbis enarrat: *Fabius Tarentinæ eversor urbis, à simulacrorum deprædatione se abstinuisse laudatur, nam cum ei Scriba suggessisset, quid de signis Deorum, quæ multa capta fuerant, fieri juberet, continentiam suam etiam jocando condivit; Quæsivit enim cujusmodi essent, & cum ei; non solum multa grandia, verum etiam renuntiarentur armata; Relinquamus, inquit, Tarentinis Deos iratos.* Quo ex facto clare ediscere possumus, dari non posse ad procurandum civitatum exterminium & desolationem potentiores machinas, quam sint nostræ iniquitates, quæ justum contra nos Dei furorem atque iram provocant & exasperant; Unde, ut suo loco dicemus, hæ sunt, quæ in perniciem nostram armant, animantque exercitus, eosdemque in nostram ruinam victores efficiunt.

Isa. 24. v. 1.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.
S. August. de civit. Dei c. 6.
Historia.

2. Justinianus Imperator pro subditorum suorum tranquilla pace solicitus, in perpetuam rei memoriam sequentia verba post se scripta reliquit. *Quoniam quidem diabolica instigatione comprehensi, & gravissimis luxurijs semetipsos inserunt, & ipsi naturæ contraria agunt, istis injungimus, in sensibus accipere Dei timorem, & futurum judicium, & abstinere ab hujusmodi diabolicis & illicitis luxurijs, ut non propter hujusmodi impios actus, ab ira Dei justa inveniantur, & civitates cum earum habitatoribus pereant.* Docemur enim à Divinis Scripturis, quia ex hujusmodi impijs actibus, & civitates cum hominibus pariter perierunt. Imo non solum civitates, sed & universus mundus, in pœnam peccati carnalis, universalis diluvij aquis tunc submersus fuit, quando *omnis caro corruperat viam suam*, tunc enim ex tot hominum myriadibus, octo duntaxat, sed familiam Noë pertinentes suam salvarunt vitam. Enimvero ad hoc vitium detestandum utilissima est observatio illa, quam Salvianus in hæc verba tradidit: *Dupliciter in illa Hispanorum captivitate ostendere Deus voluit, quantum & odisset libidinem, & diligeret castitatem, cum & Wandalis, ob solam*

maxime

Dictum Justiniani Imperatoris.
Authen. coll. 6. tit. 5. novell. 77.
Gen. 6. v. 12.
Diluvium fuit pœna peccati.
Salvian. l. 7. de Prov.

Puniuntur à Deo Hispani propter luxuriam.

maxime pudicitiam illos supponeret, Hispanos vero ob solam vel maxime impudicitiam subjugaret. Infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam, neque tunc ignavissimorum quorundam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum impuritate superari.

Propter raptam Dinæ periit princeps Sichemitarum.
Gen. 34. 27.

3. Junior Sichemitarum Princeps mira captus pulchritudine Dinæ, quæ ex curiositate egressa fuerat, ut alias sui sexus videret consortes, eamdem rapuit & violavit, perque hoc facinus, ut ex Sacra Scriptura constat, & sibi mortem, & universo populo stragem, cunctisque Sichemitis exterminium machinatus fuit; Nam *Hemor, & Sichem pariter necaverunt, interfectisque omnibus depopulati sunt urbem.* Quænam hactenus visa est formidabilior Monarchia, quam fuerit illa Assyriorum, utpote cujus Metropolis, Babylonica videlicet, inexpugnabilibus munita erat mœnijs, & fortalitijs, totque virorum bellatorum, præsidiorumque insuperabilium exercitibus, optimeque custoditis altissimis turribus, quaquaversum defendebatur? & tamen Balthasar eo tempore, quo Sacra Templi vasa, cœna cum concubinis suis accumbens, profanare non dubitavit, per supervenientem ex improviso iram Dei, vita pariter & regno privatus fuit, ipsaque tam vasta civitas, Persis, inimicis suis, in prædam cessit. Ipsorum quoque Persarum ingens potentia, quæ ob sui vastitatem & magnificentiam universum faciebat contremiscere mundum, tandem in luxus, fastus, & superbiæ suæ pœnam, ad Græcos devoluta fuit; Græcorum vero Monarchia, quæ immortalis esse videbatur, in condignum gulæ, & ebrietatis supplicium, pariter humiliata fuit, utpote quæ à Romanis subjugari meruit, ut Propheticum illud verificaretur oraculum; *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur*; Unde S. Zeno de pudicitiæ laudibus disserens, simulque de impudicitiæ damnis tractare incipiens inquit: *Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum, hæc aliquoties robusta regna subvertit.* Bollandus transgressionem sanctæ Julianæ Virginis & Martyris, quæ Anno 1207. contigit, enarrans inquit: *Cum civitas Cumana, quæ propter inhabitantium malitiam, civitatis nomen amiserat, & latrocinantium locus, & malorum omnium sentina effecta, tam civitati Neapoli, quam Aversæ, & omnibus tenimentis earum nimis esset infesta, omnipotens Deus qui per aquas diluvij, propter mala, quæ multiplicata erant in terra, totum genus humanum delevit, & Sodomitas, & Gomorrhæos: propter immanitatem scelerum suorum in igne & sulphure judicavit, ipse utique prædictæ urbis excidium, quod mirabiliter comminatus erat, explevit.*

Diversorum regnorum translatio propter peccata.
S. Zeno. l. 1. serm. 7.
Bolland. 16. Feb. 882.
Excidium civitatis Cumanæ.

4. In revelationibus S. Birgittæ refertur, quod cum sancta hæc Matrona huc Romam advenisset, quidam qui Garganum montem in Appulia conspexerat, & veneratus fuerat: *Dixerit inter alia, se multum mirari, quare illa magna, & famosa civitas Sipontina, ubi tot Sanctorum corpora quiescunt, destructa erat; tunc sequenti die Filius Dei apparens Dominæ dixit: Ille amicus tuus miratur de civitate, quæ destructa est. Vere filia, hoc meruerunt peccata inhabitantium, nam etiam aliæ civitates meruerunt consimilia, sed unus amicus meus habitabat ibi, qui perfectam habens ad me charitatem, continuo increpabat, & impugnabat mores eorum, qui videns obstinationem eorum, rogabat me cum lachrymis, ut magis desolaretur locus, quam tot animæ quotidie periclitarentur. Ego vero videns lachrymas ejus, & quia nullus se perfecte poneret ad placandum me, permisi ea fieri, quæ nunc audiuntur.*

Revelatio Dei cur civitas Sipontina fuerit destructa
Revel. S. Birg. l. 4. c. 114.

5. Boterus de Matthæo Visconti refert, quod cum Mediolanensi Dominio, quod hactenus veluti proprium administraverat, exutus fuisset, Veronamque se recipiens, vitam ibi cœpisset agere privatam, Guido de turri, qui sibi prædicti Dominij imperium vendicaverat, nonnullos suorum ad prædictum Visconti submiserit, ut suo nomine tria præcipua ab eodem explorarent; Videlicet primo quidnam faceret, aut quanam in re se occuparet; Secundo, an aliqua sibi Mediolanum redeundi spes superesset; Tertio quonam tempore, & quando spes illa complenda foret. Hi igitur Veronam cum venissent, prædictum Visconti prope Athesim plane cogitabundum stantem repererunt; Qui ad propositas sibi hasce interrogationes, hunc in modum respondit: Quoad primum, scilicet quid agam, vos ipsi videtis; Quoad secundum respondete, omnino Mediolanum me reversurum esse spero. Quoad tertium vero, scilicet quandonam hoc ipsum futurum sit, dicite, id futurum esse quamprimum peccata Guidonis de Turri asseclarumque suorum eousque excreverint, & audacta fuerint, ut numero peccata mea longe exuperent. Et vero responsum hoc ipsissimam continebat veritatem, siquidem per omnium sæculorum experientiam constat, semper adimpleri illud Psalmistæ oraculum: *Malignantes exterminabuntur*, siquidem per iniquitatum multiplicationem, diminutis adversus hostes nostros viribus, Provinciæ & regna integra misere devastantur & pereunt. Salvianus doctrinam hanc pulchra comprobat similitudine, inquiens: *Sicut illi solent, qui munitissimas urbes obsident, aut firmissimas arces urbium capere, & subruere conantur, omnibus absque dubio eas, & telorum, & machinarum generibus oppugnant, ita nos ad oppugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere quasi omnium telorum genere pugnamus, & injuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi injuriosissimi Deo simus.* Enimvero dum sæpenumero diversos bellorum calamitatibus è nationibus, & patrijs suis exterminatos, & profugos deploramus, idipsum ijs ut plurimum ideo accidisse credendum est, quia sæpius optimum Deum per peccata sua ex animabus proprijs pepulerunt, ut in easdem diabolum, Dei inimicum, exciperent, ideoque promeritos fuisse, ut Deus similem ijs rependeret retributionem, dando locum inimicis ipsorum, in domibus eorum, ut ab iisdem subvertantur. Atque ideo Deus populum suum priusquam eumdem in terræ promissionis possessionem stabilivisset, antecedenter monuerat dicens: *Omnes execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos. Cavete ergo, ne & vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.*

Joan. Boter. lib. 1. dict. Memorab.
Malignantes exterminabuntur, probatur Historia.
Salvian. l. 4. de Prov.
Mali peccatis pugnant contra Deū.
Levit. 18. 27.

6. Deus olim terram Chanaan Abrahæ, ejusque posteris promiserat quidem, tarde admodum vero exterminatis Chananæis promissionem suam fuit executus; Sed cur, obsecro, Deus promissionem hanc adeo tardavit? Nimirum sacer textus ait: *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Hesichius super Leviticum scribens, quoad præceptorum Dei transgressionem in hæc verba disserit: *In tantum sunt gravia, ut gentes integras perderent, & terram polluerent, pollutamque respui facerent, & eos, qui in ea talia commiserunt, evomeret, atque renueret; Non quia poterat expellere à se vel evomere, vel sicut Theodotion edidit, respuere eos, sed eosdem nocentes, qua ingemiscit naturaliter in transgressionibus suis, quemadmodum Paulus dicit. Quia ipsa creatura ingemiscit, & parturit usque nunc. Deus autem tam gemitum ejus vindicat quàm legem suam, & creaturam utpote propriam, quæ demonstrat ex his, quæ nunc dixit: Cujus ego scelera visitabo: & hoc aperte ostendit, quia à Deo virtutem terra evomendi eos, qui in ea injuste agunt, accepit, unde & carbones in perditionem habitantium produxit.* Unde de Cain, primo reprobo, constat, nullum fuisse in mundo terræ locum, qui sustinere eumdem posset, ob quam causam in continua, nec umquam intermissa cordis angustia vixit; De impio namque vere dici potest: *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras.*

Gen. 15. 16.
Hesich. ibid.
Expectat Deus usque peccata fuerint completa.
Rom. 8. 22.
Matt. 5. 13.

7. Oleaster super Leviticum scribens, sequentem adducit moralem ponderationem inquiens: *Quemadmodum stomachus corruptos & indigestos cibos ferre nequit, sed statim evomit, ita & terra ægre fert habitatores immundos, ideo à se rejicit.* Enimvero licet Palæstina, quæ terra sancta communi nomine appellatur, postquam Christi pedibus triginta tribus annis calcata fuisset, longo tempore sustinuerit Judæos, attamen experientia docuit, quod quamprimum enormibus sese coinquinavere peccatis, à se illos rejecerit, ita ut veluti peregrini & mancipia per alienas nationes oberrent; Donec tandem post crucifixionem Messiæ, suamque in cæcitate, & peccato suo obstinationem, per omnes mundi nationes ad finem usque mundi exterminati sunt atque dispersi. Unde S. Zeno ad propositum nostrum in hæc verba egregie scribit: *Quem mare sustinuit adnatum, non potest terra bajulare aspersum.* Etenim licet maris Erithræi undæ, haud secus, ac si ex ære fusæ fuissent, plusquam integrum millio-

nem

Oleaster. in Levit.
Similitudo.
Errant in extraneis Judæi ut peregrini.
S. Zeno. ser. 11. in Gen.

nem ac dimidium Judæorum sustinuerunt, attamen jam à mille sexcentis & amplius annis, nullus ubiam reperitur in terra locus, in quo velut in proprio stabilire se possint, sed in omni loco velut exules vagantur, & oberrant. Contingit proinde Judæis, quod multis accidit, qui in pœnam propriæ malignitatis desolati vivunt, dum simul cum patria omnes facultates & possessiones suas deserere coguntur, cujus Abulensis sequentes adducit rationes inquiens: *Abul. in c. 13 Gen. quæst. 687.* *Deus interdum jubet fieri deteriorationes circa res inanimatas propter detestationem peccati; hoc apparet in exemplo allegato, ubi occidantur pecora, & cremantur omnia supellectilia, & ipsæ urbes, & ædificia diruuntur, ipsi autem homines in pœnam peccatorum suorum occidantur, sed res ad vos pertinentes destruuntur, partim in pœnam ipsorum, in quantum ipsi dolere possunt pro illis, quia sunt res eorum, & hoc maxime pro filijs, & filiabus parvulis, qui pro peccato patrum occidantur, de quibus necesse est dolere parentes, partim in abominationem delicti hoc modo, quia ostenditur, valde magnum esse delictum, cum non solum peccantes inficiuntur ex eo, sed etiam res, quas illi tangunt, reputantur infectæ.* Porro peccata contra Principem conjurantium, velut crimina primi capitis læsæ majestatis, summa cum severitate puniri solent, siquidem ob ipsa, etiam filij delinquentis, licet innocentes, proscribuntur in exilium, everruntur eorum domus, cunctæque facultates dissipantur, & disperduntur, præterquam quod capitali sententia delictum suum luere debeant, idque ut tale criminosum facinus omnibus posteris exosum fiat, & detestabile. Eodem quoque modo divina justitia sese habet erga multos transgressores; Ut enim toti mundo, infinitum, quo peccatum prosequitur, odium, apertius manifestet, civitatibus, & populis famem, pestem, incendia, inundationes aquarum, terræmotus, bellorum strepitus immittit, ut hac ratione desolentur familiæ, civitates subvertantur, absumantur facultates, populique in servitutem abigantur, devastatiq; agri in cœmeteria redigantur, integræque provinciæ in inculta deserta, tandemque multi exules & vagabundi in regionibus alienis panem suum mendicare cogantur. Pœna criminum læsæ Majestatis.

Zach. 5. 3. Differentia inter librum & falcem.

8. Zacharias Propheta olim interrogatus: *Quid tu vides?* Respondit: *Ego video volumen volans*; Ubi versio Septuaginta habet. *Ego video falcem volantem.* At vero, quænam ingentem librum inter & falcem esse potest proportio? Cum hæc mortis sit instrumentum, & strages indicet, siquidem videmus, quod per falcem in brevi temporis spatio omnes integri alicujus prati succendantur herbæ, eæque paulo post in aridum redigantur, ac proinde per falcem exprimitur genus aliquod armaturæ, exterminijs & ingenti mortalitati inferendæ deserviens. Quam igitur falx cum volumine habere potest relationem? Respondetur, per hunc librum intelligi illum, de quo in offertorio defunctorum ita canit Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.* Conjungatis igitur nunc, si placet, simul inter se peccata & falcem, & videbitis, quod, ubi peccata abundant, ibi pariter & consequenter strages & exterminia multiplicentur. *Volumen autem volans ostenditur*, inquit S Hieronymus, *In quo omnia peccata scripta sunt, ut unusquisque recipiat secundum opera sua.* Circa hunc igitur librum vertitur falx mortis tanto acutior ad cædendum, quanto majoris malitiæ, majorisque numeri fuerit, peccatum, siquidem *stimulus mortis peccatum est.*

S. Hieron. in Zach.

Gravissima pœna contumacibus illata.

Jerem 19. 7.

Ibid. v. 8.

Ibid. v 9.

9. Apud Jeremiam adversus populum illum contumacem, ad deterrendos omnes illos, qui divinis legibus sunt rebelles, sequens legitur vaticinium: *Subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quærentium animas eorum, & dabo cadavera eorum escam volatilibus cæli, & bestijs terræ; Et ponam civitatem hanc in stuporem, & sibilum, omnis, qui prætereierit per eam, obstupescet, & sibilabit super universa plaga ejus, Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum, & unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, & in angustia, in qua concludent eos inimici eorum.* Has autem deplorandas miserias, Deus super populum illum se immissurum esse protestatur, eo quod *derelinquerent me*; siquidem omnis peccati malitia in aversione à Deo, & ad creaturam conversione consistit. Audiamus hunc textum sequentibus verbis exponentem S. Hieronymum, & dicentem: *Ista sunt præmia contemptorum, & verba Dei audire nolentium. Quidquid igitur mali super nos adducitur, nostra peccata fuerunt, omnesque gentes, ut tunc adducta sunt contra Jerusalem, sic hodie adducentur contra Ecclesiam negligentem, ut interficiat eam, & ponat in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* Apud eumdem Jeremiam cap. 44. Deus pariter in hæc verba loquens introducitur: *Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, & super omnes urbes Juda, & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator, Propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent.*

S. Hieron.

Jerem. 44. 2.

Ibid. v. 3.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

De odio creaturarum adversus peccatorem, in cujus pernitiem, tamquam divinæ justitiæ instrumenta, sæpe armantur.

THEMA.

Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Sap. 5. vers. 18.

Dei modus se vindicandi.

1. OMnis culpæ inordinatio, prouti Doctores sacri unanimiter concludunt, in aversione peccatoris à Deo Creatore, & in conversione ad creaturas consistit; Ut igitur Deus de infinita hac sibi illata injuria se vindicet quid facit? *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum*; & paulo post idem Sapiens subdit: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*; illæ igitur ipsamet creaturæ, ad quarum fruitionem habendam, ingratus homo Creatori suo dorsum obvertit, adversus peccatorem sese erigent, ut injuriam, quam Creator ab illis accepit, vindicare valeant; ac proinde Sapiens subjungit: *Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, ...Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, &c.* Enimvero cœli inter omnes creaturas primi erunt, qui in pernitiem nostram armabuntur, ac deinceps successive aliæ creaturæ terrestres. Prius enim Christus apud S. Lucam ait: *Erunt signa in Sole, Luna, & stellis*, & postea subjungit: *Et in terris pressura gentium, &c.* Magnus ille Parisiensis Cancellarius Gerson inquit: *An ignoras, quod omne peccatum offendit nedum Deum, sed omnem imperio suo subditam creaturam? Quæ ideirco armatur & pugnat contra insensatos.* D. Chrysostomus super illa verba: *In principio erat verbum*, ad propositum nostrum ita scribit: *Cum homo peccat, indignatur cælum, indignatur terra, ut ait Jeremias, obstupuit cælum super hoc, & inhorruit terra; quia duo mala fecit populus. Ecce quomodo cælum exhorrescit, & terra, quoties homines sese sceleribus contaminant. Cum vero se transmutant in pietatem, audi Prophetam dicentem: Lætentur cæli, & exultet terra, erumpant montes lætitiam, & colles exultationem, quia misertus est Deus populi sui.* Rex ille Ægyptiorum atheus, qui dicere non dubitaverat, *Nescio Dominum*; quique inaudita cum inhumanitate populum Dei angariaverat, Creatoris in se vindictam manifeste expertus fuit, prouti certus quidam author his verbis optime probat: *Cælum lumen retrahebat, & igneos globulos grandine confertos jaculabatur; aër jugi nocte innocentium stragem impediebat, dum tenebris vinciebat manus; Mare bestiarum examina in ipsius adoratores emittebat, ut qui Hebræorum infantes vagientes ne audivet, fluentis tradiderat, digno commercio ranas maris partus, aurium verbera ab undis acciperet.*

Luc. 21. 25.

Ibid.

Gerson. t. 3. prof. 4. 13. de consolat. Theolog

Cœlum & terra armantur contra impium.

D. Chrysost. t. 6. Græc. Lat. f. 239.

Exod. 5. 2.

2. Et vero causam, cur creaturæ insensatæ in transgressorum supplicium adeo unanimiter conspiraturæ sint, Philo Hebræus his verbis insinuat: *Elementa mundi, terra, aqua, aër, ignis, conspiravant in impios, Deo vindice, ad declarandam ejus potentiam, ea, quibus ad creationem, salutemque rerum usus est, vertente quomodolibet in impiorum pernitiem.* D. Chrysologus ait: *Quidquid cæli micat, radiat, & splendet ornatus, quidquid terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostro amore factum, nostræ additum est servituti.* Regius Psalmista diu ante cecinerat inquiens: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, &c.* At vero quonam sine supremus ille Artifex tot creaturas à se formatas nostro subjecit Dominio, ut Psalmista dicat: *Omnia subjecisti*

Philo. de vit. Moys l. 1.

D. Chrysol.

Ps 8. v. 8.

Subjiciuntur bestiæ hominis & homo Deo.

subjecisti sub pedibus ejus? Nimirum, ut homo Creatori, adeo erga se benefico, solicite serviret, eumdemque amaret, non vero ut in creaturis ultimum suum finem collocaret, & consequenter Creatorem pedibus suis substernneret, divinasque ejus leges ob creaturæ amorem conculcaret.

Oppositiones terræ contra impium.

3. Quandonam Deus cœlos ad obstupescendum invitavit? Qua occasione à sphæris cœlestibus, quæ inanimatæ, admirationisque incapaces sunt, ut lamentationes suas auscultarent, expetijt? Tunc nimirum, quando ingrato homini infinitam exprobrare voluit injuriam, quam Creatori suo irrogabat, quando creaturarum amore captus, Deum Creatorem, & summum bonum suum turpiter deseruit: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas:* quæ verba P. Cornelius à Lapide in sequenti sensu exponit: *Malum est contrarium honori Dei, inquit de peccato, peccator enim relicto Creatore, adhæret creaturæ, V. G. Fœminæ, vino, eamque præfert Creatori, ideoque tacite & interpretative summum suum bonum in ea ponit, ac consequenter privat Deum sua quasi bonitate summa, & divinitate, ita ut si Deus aliquo gladio, aut telo perimi posset, non alio perimeretur, quam peccato.* Atque hinc est, quod creaturæ tam indignam & abominabilem, à temerario & ingrato homine, Deo irrogatam videntes injuriam, sine dubio ex zelo honoris divini sese armaturæ essent ad annihilandum ingratum illum hominem, nisi ab illa potentia, quam scholæ obedientialem appellant, coërcerentur; prout observat Apostolus inquiens: *Vanitati creatura subjecta est, non volens; sed propter eum, qui subjecit eam.* Ubi bene notanda & ponderanda sunt verba illa: *Vanitati subjecta est non volens*, id est, contra nitente inclinatione sua, hominibus vanitati, id est, peccato deditis subjicitur; at vero tandem aliquando veniet tempus, inquit S. Paulus, in quo *ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis.*

Obstupescunt cœli peccato hominum.

Jerem. 2. v. 12.

Corn. à Lap.

Creaturæ quasi impediuntur quo minus impium perdant.

Rom. 8. v. 20

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 22.

4. Idem quoque Apostolus ait: *Scimus, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc*, quasi dicere vellet, omnes hæ res creatæ, licet insensibiles, & rationis expertes, suos tamen experiuntur veluti partus dolores, idque ex eo solum, quia impijs deservire coguntur. Sic enim aurum, si aliquo esset sensu præditum, sine dubio ingenti cruciaretur dolore, ex eo, quod furtorum & rapinarum fiat materia, vel in luxum, crapulam, ludos, impudicitiam, vel alium similem excessum expendatur, cum tamen adhiberi mallet in subsidium periclitantis pudicitiæ, vel in cleëmosynas, ad pellendam famem, & angustias pauperum, vel in majorem cultus divini decorem & splendorem; Sic quoque carnes animalium delicatorum, volucrum videlicet, & similes, velut invitæ serviunt ad fomentandam hujus vel illius licentiosi & dissoluti juvenis libidinem, quasi mallent adhiberi ad restaurandas vires alicujus infirmi, vel etiam ad resciendum corpus jejunijs extenuatum, boni alicujus religiosi; & ideo, quod hæ creaturæ homini, licet Dei inimico, sine contradictione deserviant, singulare opus est, & dispositio divinæ providentiæ, seu potius divinæ misericordiæ. Cæterum vero ut Blosius meditatur: *Admirare vehementer, quod omnia elementa, omnesque creaturæ non insurrexerint adversum te, ut injuriam sui Creatoris ulciscerentur. Obstupesce, quomodo non se aperuerit terra, ut te vivum deglutiret, & ad infernum transmitteret.* In Evangelio quidem Christus de æterno Patre suo dicit, quod *Solem suum oriri faciat super bonos & malos, pluatque super justos & injustos.* Verumtamen observandum est, quod nubes pluviam istam, vel cœlum Solem suum, ad ministrandum peccatoribus, non ultro citroque ministret, sed solum ex Dei Patris imperio, hoc enim nisi adesset, sine dubio una cum alijs creaturis, ad disperdendum peccatorem sese armaturæ essent. Audiamus hac de re in hæc verba scribentem S. Anselmum: *Ex offensione non solum iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus, etenim si servus alicujus à Domino suo recederet, & inimico Domini adhæret, non solum ipsum Dominum exacerbaret, sed etiam totam ejus familiam justissime irritaret. Cum igitur Creatorem cunctorum offenderimus, adversum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram commovi-*

Blos. instr. vit. asset. medit. 1. divis. 5.

Matth. 5. 45. Ex singulari Dei imperio oritur sol super justos.

S. Anselm. de similit. c. 101. Similitudo.

Insensibilia quasi dolent servire iniquitati.

mus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere, non debeo vos sustinere, sed potius absorbere, quoniam à Creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus diabolo servire, & adhærere. Potest etiam cibus dicere, & potus, non meruistis, ut vos pascere debeamus, imo potius; ut confusionem, & necem vobis præparemus, ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esuriit. Sol quoque vobis ad salutem non debet lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminis, penitus coërcere; Sic & singulæ quæque creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. Porro de flagellis, quibus divina justitia Ægyptum percussit, Sanctus Augustinus, vel quisquis author est *libri de mirabilibus Sacræ Scripturæ*, ita loquitur: *Ipsarum modus plagarum undique, hoc est, de terra, aquis, animantibus, igne, aëre, nubibus, cœlo, & Angelis conflatus, ut ostenderetur, quod contra Dei rebelles, & contumaces, sese pariter universus orbis armat.* In hac namque occasione, Deus creaturas suæ quasi remisit libertati, ut contra Pharaonem & Ægyptios de injurijs, Creatori, & sibi factis, se vindicarent, id quod etiam sæpenumero facere solet, dum castigare vult peccatores aliquos, præ reliquis contumaciores; ac proinde quisquis sacras pervolvit literas & annales Ecclesiasticos, aliasque superiorum temporum historias, inveniet utique, quod terra nonnumquam os suum aperuerit, ut intra profundas suas voragines vivos deglutiret aliquos Dei rebelles; vel quod cœlum sua in ipsos evibrarit fulmina, vel quod à feris fuerint dilaniati, aliasque similes indignantis Dei demonstrationes, quibus creaturas in exercendis vindictis suis suæ reliquit libertati.

Anct. Mir. Sacr. Script. quæst. 19.

Terra quandoque impios sustinere non potuit.

Sap. 5. v. 18.

Job 5. v. 6.

5. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum*; circa quæ verba advertenda est insignis quædam Gregorij Magni super illa Jobi verba: *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor*; scribentis doctrina, postquam enim prædicta Sapientiæ verba: *Armabit &c. & pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*, adduxisset in medium, subjungit; *Sed tamen de humo dolor non egreditur, quia res quælibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostræ actionis excitatur. De humo dolor non egreditur, quia nequaquam pœna de ea nascitur creatura, quæ percutit, sed de ea procul dubio, quæ peccando vim percussionis extorsit.* Unde D. Chrysologus rationem assignans, cur omnes quasi creaturæ insensibiles in morte Creatoris sui susque deque versæ fuerint, ita scribit: *Creatoris injuriam tota fugerat creatura, necem Domini sui mundus evitare contendit, sciens ad totam domum vindictam pertendere; in qua fuerit servorum scelere Dominator occisus; hinc est, quod suis se deserentibus fundamentis terra tremuit, Sol, ne videret, aufugit, dies, ne interesset, abscessit, petræ, quia non valebant discedere per naturam, nonum scindentur per vulpus, facinus tantum sono, quia voce non poterant, accusantes.* Dicere quoque possumus, creaturas illas in morte Christi, non solum suam justificare voluisse propriam innocentiam, simulque demonstrare intimam, erga supremi illius artificis, à quo esse suum acceperant, mortem, compassionem, verum etiam sese adversus lictores & crucifixores armare, & inter se conspirare voluisse, ad fumendam de tanti criminis excessu condignam vindictam; at vero ab ipsomet Christo crucifixo per potentiam obedientialem fuisse prohibitas, hic enim postquam in cruce suspensus hæsit, primam Patri supplicationem pro condonatione & venia Crucifixoribus impertienda porrexit, hacque ratione omnes creaturas, exemplo suo, tacite docuit, ut & ipsæ peccatoribus ignoscerent & parcerent.

Cur creaturæ in morte creatoris fuerint immutatæ.

D. Chrysol. ser. 78.

Conspirabant vindictam, quam exequi prohibebantur.

S. Cyrill. in Isa. c. 13.

Utitur Deus castigandum creatura ad peccatum.

6. Cæterum vero in dubium revocari nequit, verissimum esse, quod omnes creaturæ inimicæ sint inimicorum Creatoris sui, qui illarum opera sæpe utitur ad castigandum peccatum. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Commentario super Isaiæ sequentem tradit doctrinam inquiens: *Semper irato Deo simul etiam ad iram exacuitur serva creatura, perpetuo eam hac excitante eo, qui omnibus imperat; succensait enim ille Ægyptijs, creatura autem nil agere non potuit. Transivit quippe in sanguinem aqua, scaturivit terra ranas, cælum dimisit grandinem, profundæ tenebræ trium dierum spatio per totam eorum regionem dissipatæ sunt. Itaque, inquit, irascetur etiam ipsum cœlum, &*

velut à fundamentis terra concutietur, propter furorem iræ Domini, pugnabit enim etiam una adversus stultos ipsa creatura, & commoto Domino, etiam ipsa ad hoc propemodum instructa est, omnia siquidem cum suprema voluntate conspirant, atque concurrunt, & nihil in rerum natura, quod non divino nutu, & consilio cadat. Et vero tametsi sequentia Sancti Gregorij verba, ex hom. 35. super Evangelia desumpta, nostris frequenter insonent auribus, illa tamen, utpote proposito nostro congruentissima, hic præterire nequeo. Dicit igitur sanctissimus Pontifex : *Quia omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur, & quia in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur : Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos ; Omnia namque, quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ, sed cuncta, quæ ad usum provitatis infleximus, ad usum nobis veruntur ultionis.* Moxque modum declarat, quo peccatores rebus hisce creatis aburuntur, subdit enim : *Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus humanæ securitatis ; peregrinationem terræ pro habitatione deleximus patriæ, salutem corporum redeginus in usum vitiorum ; ubertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem interiorum voluptatis, ipsa serena blanditmenta aëris, ad amorem nobis servire coëgimus terrenæ delectationis. Jure ergo restat, ut simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitijs nostris male subactis serviebant, ut quos prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.* Observandum vero verissimum esse, quod in prædictis verbis sanctissimus Pontifex dicit, scilicet : *Quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ :* Etenim homo vino à Deo sibi concesso abutitur ad ebrietatem, & ad magis accendendum carnalis concupiscentiæ ignem ; vestibus non ad contegendam membrorum nuditatem utitur, sed ad luxum, vanam pompam, & superbiam ; ferro abutitur, dum ex eo arma sibi fabricat, ut per rixas, homicidia, & duella, humanum sanguinem effundat, divitiis ad avaritiam fovendam, & sic de cæteris.

S. Gregor. hom. 35. in Evang.

In cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.

Qualiter fit abusus creaturarum.

Sap. 5. v. 21. Hug. Card.

7. Hugo Cardinalis illa verba : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*, ita exponit, id est, *omnis creatura congreditur de ipsis, qui abusi sunt ea.* Porro qualiter creaturæ se ad faciendam vindictam obarment, Regius Psalmista pluribus in locis clarius exponit ; nam in Psalmo 17. inquit : *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo :* & paulo post subdit : *Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis, & misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos, & apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Enimvero cum creaturæ insensibiles, & rationis expertes, ad hunc zelum, atque ad hanc de peccatoribus fumendam vindictam à semetipsis excitari nequeunt, hinc non sine mysterio David ait : *Ad increpationem tua Domine &c.* Quia Deus per potentiam obedientialem creaturas eo modo operari facit, qui sibi vel maximè placet. Stellas in campo firmamenti in suos redigit ordines, & acies, ut in favorem suum prælientur, dicente Scriptura : *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo, & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Qua de re inferius latius discurremus, de varijs separatim agentes infortunijs, terræmotuum, inundationum, incendiorum, sterilitatis, pestilentiæ, bellorum, aliorumque similium, quæ omnia peccatorum nostrorum esse supplicia, & pœnas, evidenter probavimus.

Psal. 17. v. 9.

Ibid. v. 14.

Qualiter creaturæ contra peccatores sumunt vindictam.

Ibid. v. 16.

Jud. 5. v. 20.

8. Audiamus quid hac de re Basilius Magnus *in homil. 8. contra divites avaros* in hæc verba scribit : *Aspicite, quæso nunc, quemadmodum nostrorum pondus peccatorum, anni temporumque naturas mutaverit, statutasque semel rerum formas in alienas temperamenta, novasque mixturas deduxerit. Hyems solitum humorem cum sicco non retinuit, sed in glaciem tota abiit, nivis, & imbris penitus expers. Vernum tempus alteram quidem sui officij partem ostendit, caliditatem dico, humiditatem vero nullam illi conjunxit. Æstus vero immensus, & frigora naturæ leges prætercurrit, ac in nos, damnumque nostrum conjuratæ, mortales ad vitas, vitæque simul trahunt discrimina.* Tandem vero S. Doctor hanc temporum anni promiscuam subversionem, inordinatorum appetituum, & passionum nostrarum effectum esse, his verbis concludit ; *Ob hoc campi steriles, quoniam charitas friguit ; supplicantium vox frustra clamat, & in aëra evanescit, ac dissipatur, nam & nos rogantes minime audimus. Adulterum hominum multitudo, ac vulgus peccatis obnoxium, per urbem remissi ac temere discurrunt gaudentes, & hilares, qui horum causam malorum, in propritjs gerunt animabus, calamitatumque hanc, ipsi nobis incitant, & causantur.* Enimvero mundus qui divinæ justitiæ & providentiæ periodos non intelligit, omnino sibi persuasum habet, hasce astrorum & elementorum præter morem factas inordinationes, hancque temporum anni perversionem, à constellationibus, causisque naturalibus derivari, verum hic error in mundano homine mirandus non est, siquidem *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus ;* Econtra vero Prælati Ecclesiastici, in regimine gregis sui à Deo illuminati, in similibus occurrentibus occasionibus, ad jejunia, ad processiones, ad confessiones, aliaque ad divinam iram placandam congrua remedia solent recurrere, quod manifestum signum est unde omnes possunt agnoscere, insolitos in astris & elementis eventus peccatorum nostrorum esse pœnas, pro quibus proinde avertendis, necessum sit sinceram facere pœnitentiam.

S. Basil. Hom. 8. in divit. avar.

Propter peccata anni tempora sunt mutata.

Campi facti steriles.

1. Cor. 2. v. 14.

Horum causas mundani dicunt naturales, religiosiores ipsum Deum.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Terræmotus à Deo permittuntur, tum in pœnam peccatorum, tum ut emendemur, & revocemur ad pœnitentiam.

THEMA.

Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Psal. 17. ℣. 8.

1. REgius Psalmista hisce verbis causam subindicat, cur terra nonnumquam, velut à fundamentis suis concutiatur, dum is, qui eam creavit, per horribiles & formidabiles terræmotus eam concutit & exagitat ; *Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis ;* ira enim, quam propter peccata nostra Deus adversum nos concepit, efficit, ut civitates & regiones, in quibus degimus, per motus illos horribiles conquassentur, & castigentur, imo nonnumquam terræ aperiuntur voragines, ad impios illius incolas devorandos : Subdit vero Psalmista : *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, & carbones succensi sunt ab eo ;* videmus enim per frequentem experientiam, quod una cum terræmotibus, globi flammarum, & sulphuris, ex terræ exhalentur viscеribus, ut per hoc divina justitia iram suam tanto exprimat evidentius, siquidem de homine vehementer iracundo dicere solemus, quod ignem spiret, & fumiget. Sanctus Hieronymus in codicibus regijs solum legit : *Quoniam iratus est*, quam etiam lectionem Complutenses amplectuntur. Aquila apud Euthymium legit : *Mota est, & concussa.* Deus apud Isaiam repræsentare nobis volens, quam sit irritatus ad indignandum, comminatur inquiens : *Super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus* : in alio quoque ejusdem Prophetæ loco, diu ante hic divinus furor, sub hac eadem phrasi descriptus fuerat ; siquidem facer textus ait : *In ira Domini exercituum conturbata est terra.* Sanctus Basilius Magnus super caput decimum tertium Isaiæ scribens ait : *Creatura suam operam strenue navans Creatori, totam se quidem exporrigit ad expetendam de iniquis ultionem. Terra concutietur à fundamentis suis. Declinat terræmotum illuc non superficietenus, neque ut assolet, adfore tunc, cum circa adventum Domini fiet, siquidem ipsam terram à fundamentis sursum & deorsum evertet, & ea concussio*

Terra tremit quia iratus est Deus.

Psal. 103. v. 32.

Experientia de terræmotu.

Isa. 13. v. 13.

Isa. 9. v. 19.

S. Basil. in c. 13. Isa.

Quid sit terram concuti à fundamentis.

concussio nullam non terræ partem attingit. Fundamenta autem terræ ignota sunt humanæ naturæ, uti per Job didicimus, dicente Domino : Ubi eras, quando jaciebam fundamenta terræ ? Et vero ex quo in discursu præcedenti ostendimus, creaturas pronas admodum & promptas esse, ut ad vindicandas injurias communi Creatori ab impijs irrogatas sese obarment, Deumque illis uti velut divinæ justitiæ suæ instrumentis, observanda hoc loco est phrasis illa, qua Sanctus Basilius hoc terræmotus supplicium exprimere volens utitur ; ait enim : *Creatura suam operam strenue navans Creatori, totam se exporrigit ad expetendam de iniquis ultionem.*

2. Enimvero si causam considerare velimus, unde terræmotus nascitur, terror utique, & ruinæ tam horrendæ inde subsequentes ingentem unicuique adferent admirationem, adeo ut necessum sit dicere, quod sicut Deus unico oculorum suorum obtutu totum contremiscere facit universum (*qui respicit terram, & facit eam tremere :*) ita pariter modicus aër reclusus, vel ventus quidam exiguus, velut iræ suæ minister, & tamquam creatura ad injurias Creatori irrogatas, castigandas deputata, omnes suas adhibeat vires, ut peccatores similium injuriarum authores, in ultimum & miserabile redigat exterminium. Porro quidnam terræmotus sit, ab Abulensi discamus, dicente : *Terræmotus fit ex inclusis spiritibus ventorum, & fortificatis per aliqua tempora, per grossitiem terræ, exhalationes, & vapores, quibus cum non pateat aditus, si fortiter concusserint, necessarium est terræ fieri quamdam apertionem, ut inclusus exhalet ventorum spiritus, & concutiatur terra ex interiori impulsu ventorum collidentium, & ex apertione eorum in exitu.* In substantia igitur causa terræmotus ventus quidam est, & aër reclusus, extra sphæram & elementum suum constitutus, & tamen subvertit montes, civitates conquatit, prosternit ædificia, populosque & nationes integras in abyssum præcipites agit. Sanctus Augustinus, vel quisquis author est libri *de mirabilibus sacræ Scripturæ*, in hæc verba scribit : *In famoso illo terræmotu, centum Lybiæ urbes corruerunt ; & in terræmotu Dominicæ passionis undecim in Thracia submersæ sunt.* Varij quoque à scriptoribus Classicis in hisce occasionibus facti referuntur eventus, valde mirabiles, & peregrini ; etenim ut Plinius refert : *In agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque, flamma, fumoque, inter eos interdiu exeunt, in cælum, eo concursu villæ omnes elisæ.* Cui similis est alius quidam, qui in Papho ex simili causa pariter contigit eventus ; nam ut Cæsarius refert : *Duo montes in Papho, habentes inter se stagnum, coierunt, ita ut efficeretur unus mons*, Abulensis super Vaticinium à Salvatore Matthæi 24. capite editum, ita scribit : *Per terræmotum interdum integræ civitates & ædificia evertuntur, & nusquam comparent, sed lacus sunt, ubi prius fuerunt magnæ urbes, sicut refert Seneca lib. de Quæst. naturæ.* Ad hos porro lacus emergentes David in progressu ejusdem Psalmi 17. alludere voluisse videtur ; dum ait : *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum ;* in illa namque terræ apertura, indeque emergente voragine, terræ fundamenta, certo quodam modo, detegi, & manifestari videntur. Eumdem quoque hunc terræmotus effectum Abulensis alio in loco his verbis recenset : *In terræmotibus sæpe fit, quod submersis aliquibus locis, aquæ apparebant in locis, ubi fuerant oppida.* Author Theatri vitæ humanæ, de hac materia differens, horribilem quemdam hujus tremendi infortunij pavorem sequentibus verbis describit : *Mugitus, murmur ; clamor, ululatus, fragor, fremitus, terræmotum comitantur, quem subinde metum auget tectorum crepitus, parietum natatio, raptis compagibus debiscent solum, horror subitæ mortis.* Adhæc in ærumnis, quæ oriuntur ex fame, incendiis, pestilentia, bellis, civitatum depræda tionibus, tempestatibus, &c. aliqua saltem spes superesse potest, easdem evadendi, sive per industriam & diligentiam, sive per pecuniam, vel amicorum subsidia : at vero ab hoc flagello vix aliquis se eximere posse, sperare, aut confidere potest, unde Abulensis ait : *Grave periculum est terræmotus, & quod nullis viribus, & nulla arte vitari potest.*

Multæ civitates terræmotu subversæ fuerunt.

Plin. l. 2. c. 83.

Cæsar. l. 10. c. 49.

Abul. in c. 24. Matth. quæst. 64.

Montes corruerunt.

Ps. 17. v. 16.

Abul. in c. 13. Gen. quæst. 75.

Theatr. Vit. hum.

Sæpè subversis oppidis substituuntur, aquæ.

Abul. q. 64. in 6. 24. Matth.

3. Porro supplicium hoc unum est ex severioribus ultricis iræ Dei flagellis, prout idem Abulensis notat inquiens : *Sunt mala nostra interdum ab hominibus, interdum ab elementis, interdum à Deo, mala enim ab hominibus sunt bella, & seditiones ; Mala ab elementis sunt fames, & pestilentiæ, licet etiam hæc possint dici à Deo esse, à Deo autem est terræmotus :* adducitque sequentem omnibus notam Sancti Gregorij authoritatem inquiens : *Dicit Gregorius in Homilia : Necesse est, ut alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur ;* Unde Abulensis hanc deducit consequentiam inquiens : *Terræmotus autem est de malis, quæ à Deo, vel de cælo proveniunt, id est, non sine quadam speciali Dei influxu ;* Unde Chrysostomus dicit : *Terræmotus est respectus iræ desuper.* Porro terræmotus, ut paulo ante diximus, à vento in cavernis terræ reclusо, & extra suum elementum posito causatur. Quis autem est, qui nesciat, ventos inter omnes alias creaturas à Deo specialissime & immediate regulari & dirigi, ejusque nutibus subordinari ? & hoc forte est, quod Psalmista dicere voluit, dum ait : *Qui producit ventos de thesauris suis ;* Deus enim ex profundissimis montium mineralibus, reclusos inibi ventos, pro suo educit beneplacito, qui integras civitates, una cum habitatoribus suis, in aëra evibrant, atque à dehiscente sub pedibus terrâ in profundissimas voragines deglutiri faciunt ; Et hæc quidem omnia Deus, vento reclusо mediante, per unicum dumtaxat torvi, & iracundi oculi obtutum operatur.

Diversa mala homines patiuntur.

Immediatè venti à Deo diriguntur.

Ps. 134. v. 7.

4. *Quoniam iratus est.* Paulo ante flagellum hoc iræ Dei effectum esse diximus, nostris peccatis irritatæ, unde perspicue apparet, quod Deus ad castiganda peccata, & ut illa per veram pœnitentiam aboleantur, terram contremiscere, seque in immensam voraginem aperire faciat : ac proinde Chrysostomus occasione illius terræmotus, qui suo tempore in urbe Antiochena contigit, in hæc verba ad ejusdem urbis populum prædicavit : *Alij quidem omnes ob terræmotum timore correpti erant, ego vero propter causam terræmotus. Satisne capitis, quid dixerim ? Illi quidem pertimescebant, ne consideret civitas, & interirent, ego vero, quod Dominus nobis iratus esset, metuebam, non enim grave est, mortem obijsse, sed grave est, Dominum irritasse ; itaque non jam ob terræmotum pavebam, sed ob causam terræmotus, causa enim terræmotus Dei est ira, porro causa divinæ iræ nostra sunt peccata ; noli autem supplicium timere, sed supplicij parentem peccatum.* Enimvero post peccatum originale protoparentum nostrorum primum omnium, quod in Scriptura sacra narratur peccatum, est illud, quod Cain primus reprobus commisit, hunc autem divina justitia, etiam in hac vita, ut ita dicam, certo quodam terræmotus genere castigavit, quia terra sub pedibus ejus contremiscebat ; ac proinde ubi vulgata nostra in sacro textu legit : *Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit : *Ad terram fluctuantem.* Similiter ad devorandum Dathan & Abiron terra sese aperuit, dicente Philone : *Sic vindicatum est, ut terra patefacta atque debiscens, eos ut gravia sibi tunc pondera absorberet.* Sunt & alia similia ejusdem supplicij irrogata innumera exempla, quæ prætereo.

D. Chrysost. tom. 5. ser. 6. in terræmotum.

Terræmotus causa magis quam ipse timendus est.

Cain habitavit in terra fluctuante. Gen. 4. v. 16.

S. Hieron.

Philo l. 3. de vita Moysis.

5. In capite primo Prophetæ Amos cujusdam terræmotus fit mentio, qui tempore Oziæ Regis Jerosolymis accidit, cujus pariter Zacharias Propheta meminit ; Vultisne autem hujus terræmotus causam edicere ? Albertus Magnus Prologum Sancti Hieronymi, in Amos Prophetam explicans inquit : *Demonstravit Deus peccati enormitatem. Narrat Josephus, quod propter peccatum illud, ante civitatem scissa est media pars montis per quatuor stadia ad Occidentem, ita ut vias clauderet, & urbes regias destrueret.* Terra autem eo tempore tunc præcipue contremuit, quando, ut Sanctus Hieronymus scribit, sacrilegus ille & temerarius Rex ministerium Sacerdotale usurpare præsumpsit ; En verba Hieronymi : *Terræmotum eo tempore accidisse creditur, quo ingressus Oxias in templum Dei, sibi sacerdotium vendicabat, & terra percussa est, & cineres altaris effusi sunt,*

Amos 1. v. 1.

Zach. 14. 5.

Alb. Magn. in Amos.

Causa moralis terræmotus.

S. Hieron. c. 4. in Isa. 7.

Baron. An. 117.

sunt, *& ipse Rex percussus est lepra.* Anno 117. prout in annalibus Ecclesiasticis legitur, alius quidam Antiochiæ terræmotus contigerat, idque in pœnam mortis Sancti Ignatij Episcopi, & Martyris, eo quod illum Romam cum tot injurijs, contumelijs, & tormentis à militibus in via toleratis dimisissent, ut ibidem Martyrij lanienam subiret.

Diversi terræmotus acciderunt.

Alio quoque tempore, dum in eadem civitate varia Arianorum adversus catholicos celebrarentur conciliabula, per discursum quasi unius integri anni civitas, illa pariter sæpius à terræmotibus conquassata fuit; In ejusdem quoque persecutionis Arianæ pœnam, multæ in Oriente civitates subtus terram sepultæ fuerunt; & quidem infortunia ista non ex causis naturalibus, sed in manifestam iræ divinæ manifestationem accidisse, Sanctus Ephrem evidenter probat.

Baron. An. 340.n.34.

Baron. An. 587.n.22.

Anno 587. Deus in eadem civitate Antiochena suam demonstravit justitiam circa illos, qui Episcopum suum persequebantur, siquidem post quatuor menses, à celebrata synodo, Episcopo ad Ecclesiam suam reverso, horribilis quidam ex improviso contigit terræmotus, per quem multa solotenus diruta fuerunt ædificia, sub quorum ruinis sexaginta hominum millia remanserunt sepulta, interque hos unus præcipue perversus homo, *Asterius* nomine, qui persecutorum caput fuerat, dum nuptialibus gaudiis accumberet, pariter interijt, Episcopo, cum omnibus ad familiam suam pertinentibus, ab omni periculo remanente illæso.

Baron. An. 558.
Terræmotus cum miraculo.

Eadem quoque civitas Antiochena Anno 458. ob receptam intra se Nestorianam hæresin & schisma similiter per terræmotum castigata fuit; & quidem quisquis historias diligenter pervolverit, hanc pœnam multos Ecclesiæ Romanæ & fidei catholicæ hostes infallibiliter quasi confectatos fuisse reperiet. Sic enim quia insula Ponti Eutichianorum erroribus patulas præbuerat aures, cum ingenti multorum strage per concussionem & voragines terræ asperrime punita fuit.

Contigit terræmotus in insula Ponti.
Baron. An. 499.

Ob eamdem quoque causam Anno 518. 20. castella in Dardania per assiduum terræmotum in unico quasi momento singula interierunt.

Ann. 518.

Cornelius à Lapide, qui omnes has refert historias, sequentem quoque subjungit, quæ in persona Sancti Joannis Chrysostomi contigit; Cum enim Sanctus hic Præsul, persecutoribus suis procurantibus, & instigantibus ejectus fuisset in exilium, civitas Constantinopolitana terribili quodam terræmotu contremuit, adeo ut una pars pavimenti, in qua lectus Imperatoris positus erat, ceciderit: unde perterritus Imperator subito ad Sanctum Præsulem notarium quemdam ablegavit, qui injustam contra ipsum pronuntiatam sententiam revocaret, prout scribunt Palladius, & Theodoretus in historia sua Ecclesiastica.

Corn. à Lap. in Amos. c. 1.
Pallad. in Dial.
Item in Dardania.
Theod. l. 5. Hist. c. 33.

Similiter quando Antoninus Pius Imperator Sanct. Thelesphorum Papam, aliosque multos pro fide Christi pugnantes, per illatum Martyrium è vivis sustulisset, Deus, ut Cardinalis Baronius bene advertit, in condignum crudelitatis hujusce supplicium, urbi Romæ, totique imperio famis, incendiorum; & terræmotuum dira immisit supplicia, cum totali multarum civitatum subsecuta desolatione; Unde Imperator justissimam Dei super se conceptam iram agnoscens, crudelitatem continuare veritus, cœptam contra Ecclesiam persecutionem revocavit.

Baron. An. 154.n.3.
Tertio Romæ.

Baron. An. 1169.n.45.
Quarto in Sicilia.

6. Anno 1169. inusitatus quidam in Sicilia excitatus terræmotus universam illam insulam adeo conquassavit, ut ejus strepitus, etiam in Calabria auditus fuerit, & quidem civitas Catanensis adeo totaliter corruit, ut ne quidem unicæ domus in ea remanserit vestigium. Petrus autem Blesensis (qui in aula Guilielmi Regis Junioris degebat) in Epistola 46. terribilis hujus terræmotus causam hanc fuisse dicit, enormia peccata, quæ civitatis illius populi committebant, nec mirum; quia Episcopus in civitatis illius sedem, pecunia mediante intrusus, fuerat, ipseque Rex jus providendi Ecclesijs, de sacerdotibus, & ministris, sibi temerarie usurparat. Hugo Cardinalis verba illa Isaiæ: *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius*, ita exponit: *Evomet enim peccatores.* Eutropius circa annum 136. in hæc verba scribit: *Cum mereretur Constantinus Imperator Mopsuestenus, magno terræ motu bona pars Constantinopolis diruta est; Honorius vero eodem terræmotu multas etiam Orientis civitates esse dejectas affirmat. Nec est dubium, quin Deus tot terræmotibus, qui acciderant sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias adversus Filium Dei omnino displicere.*

Isa. 24. v. 12.
Hug. Card.
Eutrop. l. 13.
Quinto Constantinopoli.

Cæsarius sequentem refert historiam: *In adventu Domini hæretici Mediolanenses hæretici, qui erant in Brixia, multa plaustra cum victualibus transmiserunt, in ipsa vero die Nativitatis Domini, dum convivarentur, Dominus terram concussit, & cadentibus ædificijs, plusquam duodecim millia extinxit.*

Cæsar. ibid.

Similiter in civitate Nicea quidam terræmotus majorem domuum partem cum ingenti incolarum civitatis illius strage est demolitus, eo quod Constantius Episcopus instigante Eudoxio, (qui post Leontium Ecclesiam Antiochenam occupaverat,) in eamdem civitatem quoddam evocaverat conciliabulum, ut in eodem mala quævis contra Leontium machinarentur, ut scribit Theodoretus.

Niceph. l. 9. c. 18.
Sexto in Civitate Nicea.
Theodor. l. 2. c. 26.

7. Nulli dubium esse potest, quin Redemptoris nostri crucifixio unum fuerit ex maxime execrandis sceleribus, quæ umquam Sol conspexit, aut deinceps est conspecturus, imo quod Sol ne quidem conspicere potuit, (quia ne lachrymabile hoc intueretur spectaculum, vultum suum funesta tenebrarum chlamyde contexit,) Sciendum vero est, terræmotum, qui tempore Passionis evenit, eo præcipue fine accidisse, ut Deus suam contra genus humanum ostenderet justam indignationem.

Terræmotus tempore passionis Christi.

Commentator Nazianzeni hac de re ita scribit: *Terra tremore concussa, quod adversus eos, qui petulanter & furiose Christum acerbissimis contumelijs vexatum interfecerant, ira excandesceret.* Confirmat idipsum Abulensis per adductam Chrysostomi authoritatem dicentis: *Terræmotus iræ signum est, nam & quando crucifixus est Dominus, terra mota est.* Idem quoque author in Quæstione sequenti ait: *Terræmotus magnus in Jerusalem factus est, ita quod lapides non solum moverentur, sed etiam scinderentur, non solum in Jerusalem, sed etiam per totum orbem, sic dicit Paulus Orosius lib. 7. de Ormestra mundi, scilicet anno ejusdem 17. cum Dominus Jesus Christus voluntarie se tradidit passioni, sed impie à Judæis apprehensus, & patibulo affixus est, maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumque urbium partes plus solita concussione ceciderunt.*

Nicet. Nazianz. orat. 42.
Abul. q. 64. in cap. 24. Matth.
Ibid. q. 65.

8. Advertendum tamen est, divinam providentiam has nobis sæpius immittere calamitates, non tam ad annihilandam terram, quam ut per terræmotum, & tremorem, corda commoveat peccatorum, efficiatque, ut hi sanctum ejus timorem concipiant. *Terræmotus motionem cordium solet designare*, inquit Sanctus Ambrosius, & Sanctus Chrysostomus similiter ait: *Terram benignus Dominus expertem animæ commovit, ut eam, quæ anima prædita est, ab inordinatis motibus revocaret.* Idem S. Doctor paulo ante dixerat: *Quod terræ columnas concusserit, hoc ipso de nobis solicitum ac misericordem se prodidit. Vidit enim prævaricatores nos esse, atque irritare illum solere; vidit rapinas adamare, vidit domum domui jungere, & agrum cum agro copulare, ut proximo quidpiam auferamus; Vidit orphanorum nequaquam miserere, neque judicio viduarum operam dare; Vidit turbidis theatrorum spectaculis addictos; vidit in nequitia & injuria vivere; vidit fraudem cum invidia copulare; vidit simulationis procellas tamquam navigia simpliciores submergere; vidit quantum possumus injuriam inferre, vidit naufragium pati charitatem, fraudem vero in hoc vitæ pelago navigationis secundum cursum tepere; vidit à veritate resilire, atque mendacio adhærere. Denique, ut uno verbo dicam, vidit Mammonæ potius, quam Deo servire.*

Terræmotus est peccatoribus medicinalis.
S Ambr. in c. 11. Apoc.
D. Chrysost. t. 5. ser. 66. de S. Basso.

Tandem vero post recensitum prolixum iniquitatum, Antiochiæ regnantium, catalogum, causam subjungit terræmotuum, quibus Deus in illam frequenter animadvertit. Ita enim discursum suum prosequitur: *Sicque terram trementem nobis tamquam pædagogum admovit, & indulgentis matris viscera exhibuit, quæ sæpenumero pendentem ad ubera filium suum, ac plorantem, ab illa volens abducere consuetudine, parvum illum lectulum vehementer concutit, non ut percutiat infantem, sed ut terreat; sic nimirum Dominus universorum, qui*

Probatur similitudinibus.

terrarum

terrarum orbem manu gestat, illum concutit, non ut evertat, sed ut eos, qui insolenter se gerant, ad salutem convertat. Idem S. Doctor in sermone de terræ motu, cujus paulo ante meminimus, in hæc verba scripserat: *Concutitur civitas, quid tunc postea? Mens vero tua non conquassetur? Quandoquidem & in morbis, & vulneribus, non eos lugemus, qui curantur, sed qui insanabili morbo laborant.* Paulo ante ibidem dixerat; *Concussit, at non prostravit, si enim prosternere voluisset, minime profecto concussisset, sed quoniam id nolebat, præcessit tamquam præco terræ motus, iram Dei ante denuntians, ut timore meliores effecti, supplicium reipsa inferendam repellamus.*

D. Chrysost. ser. 6. citat.
Est Dei præmonitio.

Idem S. Doctor, postquam imminens præteriisset periculum, hisce verbis gregem suum est affatus: *Cum fieret terræ motus, sic ego apud me cogitabam; Ubi nunc rapinæ? Ubi fraudationes? Ubi imperia injusta: Ubi fastus? Ubi principatus? Ubi oppressiones? Ubi spoliationes egenorum? Ubi divitum superba fastigia? Ubi Principum imperia? Ubi minæ? Ubi timores? Unum temporis monumentum facilius, quam aranearum telas omnia diripuit, omnia destruxit, ecce venit terræ motus, quid profuerunt opes? Perijt unà cum possessione Possessor, domicilium cum eo, qui construxerat; Omnium commune sepulchrum facta est civitas, sepulchrum ex tempore structum, non ab artificum manibus, sed à calamitate fabricatum.*

Terræ motus omnia absorbentur.

Hugo Cardinalis ex adducta Sancti Gregorij authoritate, undenam hæc terræ concussio, & commotio derivetur, his verbis nos docet: *Prius corda hominum, & post elementa turbantur?* Quasi dicere vellet, ideo terra concutitur, quia prius sensus nostri in offensam Creatoris in nobis conturbati & deordinati fuerunt, *turbantur, ut cum rerum ordo confunditur, ex qua re tribulatio veniat, monstretur. Terræ commotio, est à bonis moribus alienatio.* In nostra igitur potestate est positum, ut si velimus, efficere valeamus, ut terræmotus subito cessent; siquidem ad hoc bona malorum morum nostrorum reformatio abunde sufficit.

Hug. Card.

Sanctus Augustinus super illa verba: *Qui respicit terram, & facit eam tremere*, ita scribit: *Videte, quomodo aspiciat, & faciat eam tremere; ad terram loquitur Apostolus, dum ait: Cum timore, & tremore vestram salutem operamini; sit terræ metus aspiciente Deo, tremant corda nostra, nam tunc ibi requiescet Deus. Audi illum alio loco: Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem, & quietum, & trementem verba mea.*

Ps. 103. 32.
S. August.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Fames, sterilitas, annonæ caritas, peccatorum nostrorum sunt effectus.

THEMA.

Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. Psalm. 106. ℣. 34.

1. IDem ille Deus, qui postquam incarnatus fuit, de semetipso dixit: *Pater meus agricola est:* Protoparentes nostros legem suam temere transgressos, terræ sterilitate punire voluit, siquidem post peccatum commissum homo prævaricator audire debuit: *Maledicta terra, ... spinas & tribulos germinabit tibi*; Sic quoque Cain post commissum scelus fratricidij, eadem fuit pœna mulctatus, dicente Deo: *Maledictus eris super terram, ... cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*; id est, ut Cajetanus exponit, *non respondebit secundum vim suam fructificando tibi colenti illam*, quæ non parva pœna est agricolæ.

Joan. 15. v. 1.
Propter peccatum terra sterilitata fuit.
Gen. 4. v. 11.
Ibid.
Cajet.

Eamdem quoque reflexionem apud Divum Chrysostomum reperio, qui in caput quintum Isaiæ scribens inquit: *Ubi operantur decem juga boum, facient laguncalam unam, & qui seminat artabas sex, faciet mensuras tres. Sermonem è civitate educit, ad exprimendam impendentem regionis vastitatem; neque enim domus, ait, habituræ sunt habitatores, sed neque terra suam vim operatoriam exeret, etenim initio conditi orbis propter peccatum Adam, spinas, & tribulos protulit; Secundùm hoc etiam propter Caini scelus in fratrem multo exhibuit proventum minorem, quam exigebat agricolatio illius, aut nativæ virtutis ubertas. Sed enim alias etiam nosse potest quis, plerumque contigisse, ut per hominum peccata sua fœcunditate orbata sit terra.* Apud Cœlium Rhodiginum sequens legitur Bedæ testimonium dicentis: *Ante hominis peccatum nihil noxium à terra progerminari audivimus, non herbam veneno pestilentem, non arborem sterilitatis inutilem vitio.*

D. Chrysost.
Adam primus & Cain secundus peccando terram destruxit.
Cœl. Rhod. c. 3. lect. ant. lib. 3.

2. Sanctus Ambrosius circa Cain reprobum innocentem fratrem suum Abel in agrum evocantem, sequentem instituit ingeniosam observationem; Ita enim scribit, *Quid sibi vult, quod ait: Eamus in campum? Nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio? Ubi enim frater habebat occidi, nisi ubi fructus deesset? Tamquam præsagiens natura tanti sceleris loco germina denegaverat, quia non conveniebat, ut idem solum, & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret.*

S. Ambr. l. 2. c. 8. de Abel & Cain.

Sanctus Thomas à Villanova in concione quadam sterilitatem agrorum, cæteroquin fertilium, in peccata, veluti unicam causam, refundit inquiens: *Maledictio, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra propter quod, inquit, lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Ubi per dictionem, *lugebit*, ad sterilitatem & penuriam agrorum alludit; nam Isaiæ cap. 24. dicitur; *Maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores ejus;... Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur.*

Allusio ad sterilitatem.
S. Thom. à Villanov. Conc. in fer. 6. post 2. Dom. Quad.
Isa. 24. v. 6.

Hugo Cardinalis verba illa Psalmistæ: *Terram fructiferam in salsuginem*, ita exponit, ut sensus sit, *terram fertilem in sterilitatem adducit; Salsus enim humor fœcunditatem tollit.* Lorinus super hunc eumdem Psalmistæ textum, Gratianum ad propositam sibi quæstionem, cur scilicet multæ creaturæ irrationales, & insensibiles à Deo percutiantur, & exterminentur, ita respondisse refert, fieri scilicet idipsum, *Non participatione peccati, sed causa Sacramenti, vel detestatione peccati, vel flagello delinquentium*; in cujus probationem subjungit: *Sed & terra Israëlitarum in salsuginem versa est, & segetibus eorum imbres adversi sunt, ut auctorem suum, quem per beneficia recognoscere noluerunt, saltem inter beneficia sentirent.*

Psal. 106. v. 34.
Hug. Card. ibid.
Gratian. 1. q. 4. 1. Eccl. §. his ita.

3. A primo quidem momento, quo Deus terram creavit, virtutem quoque ei impressit germinandi omnis generis herbas, arbores, & præcipue fructus illos, quibus ad nostram sustentationem indigebamus: Unde ait: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen &c.* & tamen post commissum peccatum hominem panem sibi procurare volentem, ad colendam in sudore vultus sui terram comdemnavit; *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea*; imo omnium sæculorum experientia clare satis edocuit, & etiamnum docet, quod post adhibitam quoque summam in colenda terra industriam, & laborem, terra nihilominus exiguum, & parcissimum pariat fructum, ut verissimum esse intelligatur, quod *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

Terra fuit creata fructifera.
Gen. 1. v. 11.
Ibid. v. 17.
1. Cor. 3. v. 7.

Deus autem per peccata nostra exasperatus, ad fœcundandam per benignos influxus suos terram, minime concurrit; *Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem, turbabuntur.* Deus, postquam apud Ezechielem dixisset: *Multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me*, hanc confestim pœnam subnectit: *Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam justificationem tuam*, ubi aliqui legunt: *Diminuam statutum cibum tuum.*

Peccato fertilitatem perdidit.
Psal. 103. 28.
Ezech. 16. v. 26.
Ibid. v. 27.

4. Huc spectat, quod secundo libro Regum cap. 14. legitur, scilicet quod quando Joab ab Absalone ad David Regem ire jussus, contumaciter Absalonis jussui obedire noluit, Absalon in pœnam hujus proterviæ segetes illius in agro incendi & conflagrari præceperit; ita quoque divina justitia sæpè nobiscum facit, ut enim prævaricatores suos ad præceptorum & legum suarum revocet obedientiam, simili utitur supplicio efficiendo, ut agri vel sterilescant, vel speratis per inimicos priventur fructibus.

2. Reg. 14.
Segetes incenduntur propter inobedientiam.

Sic quoque Deus olim, dum populus Israëliticus sacerdotibus suis debitas negaret oblationes, & victimas pro sacrificijs, eidem apud Amos Prophetam protestatus est dicens: *Et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reversi ad me, di-*

Amos 4. v. 6.

cit

est Dominus : Ego quoque prohibui à vobis imbrem.
Baron. An. 484. n. 123. Apud Baronium circa annum 484. legitur, quod in Africa per diuturnum tempus ne gutta quidem pluviæ de cœlo descenderit, adeo ut terra facta fuerit arida, & sterilis ubique, indeque subsecuta fuerit tanta fames, ut inde ingens hominum multitudo enecta fuerit, fami quoque adjuncta fuit pestilentia; ipsaque elementa, quasi vociferabantur, tantam hanc stragem, per quam omnes illæ civitates desolatæ fuerant, in pœnam accidisse peccatorum, quæ Afri commiserant, dum hæresi Ariana infecti, catholicos persequebantur.

Historia de sterilitate Afrorum.

Spond. An. 1315. n. 6. Apud Spondanum in hæc verba scribitur : *Hæresibus, & impietatibus infecto orbe, semiuibus insolita aquarum abundantia corruptis, tam horrendam famem partes præcipue septentrionales, Germaniæ, Poloniæ, Angliæ, Daniæ, finitimasque invasit, præsentibus & sequentibus annis, ut parentes à proprijs liberis, & hi ab illis, ac passim omnes à cadaveribus, immanditissimisque cibis non abstinuerint.* Legatur principium capitis octavi Amos, ubi variæ populi illius recensentur injustitiæ, iniquitates, & impietates, ob quas Deus iratus ibidem

Maxima fames propter hæresin.

Amos. 8. v. 7. protestatur inquiens : *Juravit Dominus, si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus?* Et paulo post subdit : *Mittam famem in terram.* Sanctus Hieronymus ab Hugone Cardinali citatus inquiens : *Nihil fame durius, quæ sæpe compellit, humanis carnibus vesci,*

Ibid. v. 11. *& in suam lavire naturam.*

S. Hieron. citat. ab Hug. Card. Ibid.

5. Inter alia supplicia, quæ Deus præter Jerosolymæ exterminium, servitutem, exilium, & dispersionem incolarum illius propter filij sui crucifixionem Judaismo immisit, unum quoque fuit illud horrendissimæ famis, quam in prædictæ urbis obsidione sustinuerunt, quæ, ut annales Ecclesiastici attestantur, tanta fuit, ut in manus se inimicorum crucifigendos tradere maluerint, quam extremos flagelli illius tolerare cruciatus. Occluserat illis Titus omnem exitum, adeo ut ne quidem ad depascendas herbas egredi potuerint. Cumque milites Arabes explorassent, nonnullos Judæorum aurum deglutivisse, factum est, quod in nocte quadam plusquam duo millia Hebræorum dissecuerint, ut latens in visceribus eorum aurum eriperent. Cardinalis Baronius sequens refert Josephi Hebræi oculati testis effatum, dicentis : Pro certo mihi persuasum habeo, quod si Romani tardius nos aggressi fuissent, civitas hæc Jerosolymitana vel à terra debiscente deglutita, vel ab aquis diluvij submersa, vel denique tamquam Sodoma, & Gomorrha igne cœlesti correpta conflagrasset. A die 14. Aprilis usque ad primum Julij, centies quindecies mille & octoginta fame mortui sunt, postquam prius famis rabie adacti pecorum manducassent coria, & excrementa, imo & proprios in cibum decoxissent filios. Quis autem est, qui nesciat, supplicium hoc Judæis immissum fuisse, propter execrandum & immane crucifixionis Christi facinus, nec non in pœnam obstinationis, qua Apostolorum prædicationi nequaquam credere, sed potius in propria contumacia, & cœcitate perseverare voluerunt? In iisdem annalibus

Baron. An. 72. n. 5. Fames in obsidione Jerosolymitana.

Tertia fames in Angliâ fuit. An. 681. n. 61. circa annum 681. legitur, quod regnum Angliæ magna fuerit afflictum fame, quando Sanctus Willefridus, Episcopus Eboracensis, Roma recenter reversus, suam nequivit recuperare sedem, ab aliis tyrannice usurpatam, ac proinde ad prædicandum Saxonibus Australibus infidelibus Evangelium se accinxit, eosdemque Christiana fide imbuit.

Summa sterilitas terræ. 6. Et vero annonæ caritatem, sterilitatem terræ, famisque angustias, à peccatis derivari, ex sequenti historia clare deducitur; cum enim, ut Beda scribit, truculenta quædam fames regiones illas affligeret, ob diuturnam agrorum sterilitatem, ex suspensa trium annorum spatio pluvia provenientem, indeque ingens populi multitudo miserrime periret, & sæpenumero quadraginta vel quinquaginta famelici apprehensis invicem manibus præ desperatione in præcipitia se simul deturbarent, vel in mare ultro citroque profilirent. Tandem res mira contigit, siquidem eodem die, quo populi illi sacro tincti fuerunt Baptismi lavacro, & consequenter peccata eorum per gratiam Baptismalem fuere abolita, subito copiosissima de cœlo lapsa est pluvia, agros quaquaversum locupletissime fœcundans. Bene igitur apud Jobum dicitur : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eam*; quasi diceret, eo ipso, quo cœli suos terræ negant influxus, & consequenter eidem terræ contrariantur, cessabunt pariter eidem terræ consuetam imprimere ad fructificandum fertilitatem & vigorem; hacque ratione agricolæ peccata à cœlis manifestabuntur. Inter alia, quæ Deus populo suo, divinas leges suas transgredienti, comminatus est infortunia, unum hoc fuit : *Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam, quoniam vastabitur vermibus, olivas habebis in omnibus termmis tuis, & non ungeris oleo, quia defluent, & peribunt. Omnes arbores tuas, & fruges terræ rubigo consumet.* Enimvero ubi vulgata nostra in Exodo legit : *Non erit fœcunda, nec sterilis*, Glossa interlinearis hæc verba subnectit : *Quod propter peccata hominum sterilitas mulierum, & animalium, & ipsius terræ sæpe contingit.* Jeremias Propheta ait : *Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur? Propter malitiam habitantium in ea consumptum est animal*; Deus enim animalia terram arantia sæpissime mori permittit, ut hæc sine cultura toraliter sylvescat. Baronius circa annum 539. refert, quod omnibus per diuturnum bellum Gothicum in Italia consumptis, & desolatis, in Oriente ingens exsurrexerit annonæ caritas, & fames universalis, siquidem Deus ob commissas iniquitates indignatus, *vocavit famem super terram, & omne firmamentum panis contrivit*; completumque est illud sequens divinum oraculum : *Residuum eruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Imo fames illa, ut idem Baronius refert, adeo immaniter desæviit, ut multi coacti fuerint in mutuas se resolvere neces, ut alterutrum manducare possent. Contigitque, quod duæ mulieres, peregrinos hospitio excipientes, nocturno tempore eosdem profundo somno sepultos occiderint, & devorarint; & quidem postquam septemdecim ex illis occidissent, tandem cum idem alteri cuipiam, qui in ipsarum diversorium declinaverat, facere intentarent, hic imminens sibi animadvertens periculum, easdem violenter invadens, occidit, & in minutas partes, dissecuit: alij ad herbas depascendas properantes, cum eis ad easdem evellendas vires deessent, super herbas corruentes spiritum exhalabant, ibidemque diu insepulti jacebant; denique multæ matres ad hanc degenerarunt impietatem, ut proprios manducare filios non dubitarint.

Deut. 28. v. 26. Labores infructuosi.

Exod. 23. 26. Interlin.

Jerem. 12. 4.

Baron. An. 539. n. 12. Historia famis in Italia.

Occiduntur latrones.

7. Et vero undenam hoc flagellum derivetur, Sanctus Augustinus ad famem universalem Samariæ, diuturno tempore arcta obsidione cinctæ, suum dirigens discursum, egregie exponit. Præmissus enim hisce Scripturæ verbis : *Facta est fames magna, ita ut venumdaretur caput asini 80. siclis argenti, & 5. siclis argenti quarta pars cabi stercoris columbini*; *in hæc verba scribit : Cur famem O miserrime pateris? Cur inopiam deterrimam sentis? Cur tanta penuria laceraris? Crevit famis quotidie pœna, quia quotidie crescit & culpa; perseverant flagella, quia in populo perseverant & delicta, propter te enim hostis irrait, inimicus obsedit, adversarius tua pabula devoravit. Tu esuris, & ille pinguescit; tu famem horridam pateris, & ille de tuis pabulis suis vacat epulis; tu cadavera, & stercora columbarum argento mercaris. Damna peccata, delicta compesce, ad Deum converteve, relinque idolum, tunc poteris hostes divino adjutorio vincere, & cœlesti præsidio superare, nec quisquam poterit tibi nocere ulterius, si damnato scelere, divinus in te germinaverit cultus.* Basilius Magnus in homilia quadam sui temporis deplorans annonæ caritatem, adversus divites avaros coram grege suo in hæc verba detonabat : *Ob hoc campi steriles, quoniam charitas frigvit, & consequenter iniquitas abundavit*, dicente Scriptura : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Idem S. Doctor paulo post causam insinuat, cur orationes ad Deum pro concedenda terræ fœcunditate effusæ, exauditæ non fuerint; ait enim : *Supplicantium vox frustra clamat, & in aëra evanescit, ac dissipatur, nam & nos rogantes minime audimus.*

4. Reg. 6. 25. S. August. ser. 13. in app. de diversis. Descripta fame ponit remedia.

S. Basil. hom. 8. in divit. avar. Matth. 24. v. 12.

Causæ famis. *audimus.* Neque solum peccata omissionis, sed vel maxime commissionis delicta hoc illis flagellum accersierant; Unde idem Basilius subdit : *Scinde libellum aris alieni injustum, ut sic peccatum solvatur; dele gravissimorum fœnorum nomina, ut terra solidum tibi fœnus reddat.* Similem fere agros fertiles reddendi modum Sapiens his verbis insinuat :

Prov. 3. v. 9. *Honora Dominum de tua substantia, ... & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Idem Sapiens in progressu ejusdem Capitis locum indicat, cui ex ordine & dispositione Dei annonæ caritas immittitur; ait enim : *Egestas à Domino in domo impij, habitacula autem justorum benedicentur.* Enimvero famem peccati partum esse, ex parabola filij prodigi evidenter colligitur, siquidem Christus, qui eamdem parabolam ad nostram institutionem composuit, de hoc dissoluto juvene prius dixit : *Dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè*, & postea immediate subjunxit : *Facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, Et abijt, & adhæsit uni civium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Et vero quam sit veritati consonum, quod Sapiens paulo ante ait, scilicet, *habitacula justorum benedicentur*, ex sequentibus perspicue colligitur, tunc enim, id est, famis illius tempore miser Prodigus paternæ domus, in qua timor Dei passim apud omnes vigebat, memor factus, seriam vitæ suæ sibi proponens emendationem inquit : *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo; Surgam & ibo ad patrem meum, &c.* Et vero nequaquam mirandum est, filium hunc prodigum fame fere fuisse enectum, atque in tantæ ignominiæ statum redactum, qui à patris sui se disciplina insolenter subduxerat, nam ut Sapiens ait : *Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam.* Et ibidem cap. 19. ait : *Anima dissoluta esuriet.*

Luc. 15. v. 13. Fames prodigi.

Ibid. v. 14. 15 & 16.

Prov. 13. 18.

Prov. 19. 15. Privatio bonæ messis quasi maturæ est magis pœnosa.

Ose. 2. v. 8.

Ibid. v. 9.

8. Porro hoc à divina justitia nobis immissum supplicium, tunc acerbius in puniendo esse solet, quando, ut sæpe sit, messis jam pene matura, & falcem expectans, per eventus extraordinarios nobis eripitur; id quod Deus Oseæ cap. 2. nobis insinuare velle videtur, dum ait : *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum & argentum multiplicavi ei & aurum, quæ fecerunt Baal; Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo. Gravior enim pœna est*, inquit Sanctus Hieronymus, *quando in tempore messis, & vindemiæ speratæ fruges auferuntur, & vinum, & quodammodo tentæ tolluntur è manibus; Sin autem in tempore areæ & preli, & torcularis, quando sterilitatem præteritam novis frugibus terra fœcundat, omnium rerum penuria est, quid de reliquo anni tempore, quando vetera conservantur, æstimare debemus?* Huc quoque spectat, quod Ecclesia in hymno, qui feria tertia ad vesperas canitur, his verbis indicat : *Ut aptum proferens fulcis decora floribus, fœcunda fructu sisteret, pastumque gratum redderet, mentis pruritæ vulnera, munda virore gratiæ, ut facta fletu diluat, motusque pravos atterat.* Optimus enim modus terræ consequendi fœcunditatem, & fructuum illius abundantiam, hic est, si homines regionis illius à peccato procul remoti in gratia vivant.

S. Hieron. ibid.

Psal. 106. v. 34.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Ariditas & siccitas terræ, à peccatis nostris provenit, & per eorumdem pœnitentiam removetur.

THEMA.

Propter peccata vestra, ... Dabo vobis cœlum desuper, sicut ferrum, & terram æneam, Levit. 26. v. 18. & 19.

1. COmminationes hæ à Deo olim, ob Israëlitarum peccata, exasperato, eisdem in antiqua lege intentata, in progressu sæculorum sequentium, in multis quoque aliis populis sæpius adimpletæ fuerunt, prouti ex variarum historiarum testimoniis perspicue liquescit. Et vero post adducti thematis verba sacer textus subjungit : *Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Observandum porro est, quod priusquam Regius Vates in Psalmo 106. sterilitatis terræ mentionem faceret, dicendo : *Terram fructiferam in Salsaginem à malitia inhabitantium in ea*; jam antea illius præmiserat causam, scilicet, nimiam siccitatem & ardorem, prout ibidem videre est : *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus ad populum suum inquit : *Cessant aliquando imbres ac pluviæ, quamvis illorum copiam anni tempus expostcat, tum fluviatilium aquarum defectus maxime contorbat; agricolarum irriti sudores, nulla in agris fruges, pereunt matari arborum fructus, graves morbi ac difficiles corpora infestant. Squalor inde, lamentationesque, & lamenta, variique per urbes, vicosque incolæ. Agite igitur, præstantissimos imitati medicos, sedulo ingravamus ejusmodi ægritudinis causam. Habet igitur radicem velati pravam quamdam, multiformemque peccatum, ex eo nobis hæc ærumnosa nascuntur, nec aliam molestiarum originem quispiam protulerit ab ijs, quæ veteribus contigerunt, ad eorum, quæ nobis accidunt, cognitionem facile adductus.* Eamdem siccitatis, annonæque caritatem inducentis, causam Deus apud Jeremiam his verbis insinuat; *Pollauisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis; quamobrem prohibitæ sunt plaviarum stillæ, & serotinus imber non fuit.*

Psal. 106. 34.

Ibid. v. 33.

S. Cyrill. Alexand. hom. 9. de fest. Pasch.

Peccatum est causa sterilitatis terræ.

Jerem. 3. 2.

2. Verum enimvero dicet fortasse aliquis, cur Deus pœnam siccitatis omnibus tam insontibus, quam nocentibus, communem esse semper faciat, cum tamen culpa, quæ iram Dei irritavit, paucorum exiterit? Quidam non vulgaris notæ Author respondet? *Quia publice ab omnibus peccari censetur, dum alij ferunt, alij dissimulant, alij reticent, alij approbant, alij excusant, alij defendunt, alij imitantur, alij inde quæstum habent.* Enimvero quasi miraculosa fuit siccitas illa, quæ universam fere Palæstinam, circa annum 513. afflixit, siquidem ab hoc anno, in quo sanctissimus Episcopus Elias pestilentiarum Severianorum opera sua fuit sede destitutus, usque ad mortem Anastasij Imperatoris, qui una cum Severo tanti sceleris architectus fuerat, universa illa provincia, solido quinquennij spatio, terribili fuit siccitate, indeque consecuta fame afflicta. Discursus est Basilij Magni dicentis : *Cœlum videmus solidum, nudum, ac sine nubibus, serenitate sua & puritate nos contristans, quam antea jam desideravimus, quando profundum, cooperuum nubibus, & procellosos reddebat, & Sole privabat* : quæ verba S. Doctor occasione ingentis cujusdam siccitatis & ardoris Cæsaream affligentes dixisse noscitur; Siquidem subjungit : *Terra jam exsiccata, & ad extremum aspectu est horrida, & ad agriculturam sterilis, & infœcunda, deinde ob siccitatem scissa; hiatus patefacit maximos, ut in imis visceribus Solis excipiat radios; fontes plurimi, & perennes nos deseruerunt, fluminum quoque magnorum cursus desierunt;* Tandem post delineatam agrorum siccitatem, civiumque ærumnas, & lamenta, sequentem Scripturæ textum subjungit : *Ego triam mensium pluviam ante videmiæ tempus à vobis prohibebo, & pluam super civitatem unam, & super civitatem unam non pluam, & pars una inundabitur, & pars altera, super quam non pluam, arescet. Convenient duæ aut tres civitates, ut bibant aquam, & non implebuntur; quoniam non conversi estis ad me, ait Dominus. Discamus igitur ex his verbis, quod ob aversionem nostram bis nobis calamitates inflixit Deus.* Similem quoque maledictionem Job adversus impium his verbis fulminavit : *Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.*

Cur dum pauci peccant omnes puniuntur.

Amos 4. v. 7. Soli culpabiles puniuntur.

Job. 18. v. 16.

3. Sacer Chronista Moyses de paradiso terrestri scribens, ex eodem fontem quemdam emanasse asserit, qui universam terram irrigabat : *Fons ascendebat è terra, irrigans universam superficiem terræ.* At vero inquies fortasse, quidnam de hoc fonte factum fuerit; siquidem amplius in rerum natura non superfit? Sanctus Augustinus ait : *Fortassis ergo peccatum hominum hanc etiam pœnam commeruit, ut tanta illius fontis repressa largitas, facillimam terræ auferret fœcunditatem.* Inter alias magis præcipuas petitiones, quas Salomon Rex, post erectum in honorem Dei sumptuosissimum illud templum, ad Deum direxerat, primo omnium loco hanc proposuit. *Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto pœnitentiam egerint, ... exaudi eos in cœlo.* Ex quibus verbis duas præcipue veritates edidere posstimus, quarum prima est, quod cœlum ob culpam peccatorum

Gen. 2. v. 6. Ubi manserit fons Paradisi.

S. August. l. 5. de Gen. ad litt.

3. Reg. 8. v. 35.

torum nostrorum æneum efficiatur; secunda vero est, quod pluvia non decidet, nisi prius peccata per veram pœnitentiam, ferventemque orationem abolita fuerint. Enimvero sciendum est, à solo Deo sperandam nobis esse pluviam, siquidem elementa ab ejus nutibus dependent; Unde Psalmista ait: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam.* Apud Isaiam Deus inquit; *Nubibus mandabo, ne pluant.* Job interrogat, inquiens; *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris.* Zacharias suadet dicens: *Petite à Domino pluviam, in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit.* At vero quibusnam cum conditionibus hanc nobis daturus est pluviam opportunam? Deus ad hoc in Levitico respondet, inquiens: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, Et terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur; Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate.* In Deuteronomio pariter hæc promissio scripta legitur: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum.* At vero qualesnam ex hoc thesauro super terram divitiæ emanabunt? *Ut tribuat pluviam terræ suæ in tempore suo.* Quæ verba interlinearis ita exponit: *Aperiet Dominus thesaurum suum placatus, qui aliquando claudit iratus.* Lyranus mysterium explicat, ob quod pluvia opportuna thesauri nomine à Spiritu sancto appelletur, nimirum: *Quia tota fertilitas bonorum, in istis inferioribus, provenit ex influentia cæli.*

Propter pœnitentiam datur pluvia. *Ps.146. v.8. Isa.5. v.6. Job.38.v.28. Zach.10.v.1. Levit.26. 3.& 4.* Promittit Deus pluviam conditionatè. *Ibid.v.5. Deut.28. v.12. Ibid. Lyran.*

4. Observandum quoque est, quod in principio capitis primi præmiserit, inquiens: *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus*; quasi diceret, hunc thesaurum habebitis, si legem meam observaveritis, minime vero illo potiemini, si mandatis meis inobedientes fueritis; ac proinde Jeremias Propheta salubriter nos monens inquit: *Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis:* neque enim solum nobis elargitur messem, verum etiam eamdem per totum annum conservat, cum hac tamen conditione, ut divina ejus præcepta custodiamus; unde subdit; *Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis, quia inventi sunt in populo meo impij.* Glossa interlinearis proinde ad illam ab eodem Jeremia factam interrogationem: *Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur?* Respondet inquiens: *Donec scilicet animus peccantium mutetur; herba omnis regionis siccabitur; quæ in usus hominum creata sunt, consumuntur pro peccatis eorum.* Nec mirum est, quod creaturæ insensatæ ordinem suum naturalem pervertant, quia ut Sanctus Eucherius bene advertit, *Elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiant Conditoris.* Similia enim flagella spiritnali cooperantur hominum saluti, quia cum peccatores flagellati convertantur ad Deum, per scelerum suorum detestationem, flagella quoque honori Dei promovendo cooperantur, hic enim à peccatoribus contumeliatus, per eorumdem pœnitentiam, magna ex parte resarcitur. Sanctus Basilius hac de re sequentem instituit discursum: *Cum Deum res insolitas præter naturam, & anni tempora ostendentem videris, sic tecum loquere, sic existima. Non deest Domino facultas fructus edendi, ac homines nutriendi? Quonam modo? Cum sit Dominus cæli ac totius dispositionis rerum, & tempora, & anni tempestates dispenset, simulque omnia gubernet, & quasi chorum quemdam probe ordinatum, anni tempestates ita inter se mutua successione disposuerit, ac determinaverit, ut varietate sua varijs nostris ac differentibus usibus subsidio sint, & jam pro temporis ratione humectetur tellus; deinde succedat æstus, & postea frigus suam anni portionem obtineat, & postremo effecerit, ut & siccitatis usu non careamus. Palam igitur cum sit, inquis, eum posse rebus adesse, easque uti vult administrare, potentiæ bonitatem non esse conjunctam, quis dubitet? Nec ista rationem habent. Quænam enim necessitas, si bonus non esset, eum ad creandum hominem impulisset? Quis, inquam, tam vehemens impulsor, Conditorem minime volentem, humum sumere, & ex luto tantam excitare pulchritudinem coëgit? Quis hominis formæ ad imaginem suam jam constitutæ, rationem addere suasit, ut artium, disciplinarumque capax esset, & de rebus altissimis philosopharetur, quas sensibiliter nullo modo attingeret? Quin si Deo in istam bonitatem recte consideres, vel hoc tempore, quamquam duro, minime deficientem videbis. Quis, dic mihi, prohibet hanc, quam admiraris, siccitatem, non potius esse orbis incendium, ac conflagrationem? Solem insuper à via solita errantem, & terrenis propinquantem corporibus omnia cremare? Ignem denique de cælo descendentem mortales omnes ob eorum scelera jure punire? Quamobrem te homo, te inquam, considera, tuamque pensita conscientiam.* Ubi in pondere sanctuarij ponderanda sunt ultima hæc Sancti Basilij verba, quibus suis suadet populis, ut in afflictione siccitatis & ariditatis terræ, suam pensitent conscientiam, quam si aggravatam aliquo peccato inveniant, se nullam lamentandi causam habere certo credant.

Ibid.v.1. Jerem.5.24. Deficiente conditione promissio est nulla. *Jerem.12. v.4. Gloss.Interl. S.Basil.* Deus omnia creat & gubernat. Ex infinita sua bonitate.

5. S. Jacobus Apostolus de Elia Propheta inquit: *Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Circa quæ verba scire percuperem mysterium, ob quod prædictus Apostolus de Elia dixerit, quod fuerit homo similis nobis; quis enim hac de re dubitare poterat? Me quod attinet, Apostolum hunc dicere voluisse existimo, quod, ex quo Elias homo fuit similis nobis, cœlo utique præcipere non potuerit aut prohibere, ne annos tres & menses sex umquam plueret, nisi Deus huic ejus imperio consensisset; verumtamen exinde alia quædam nascitur difficultas; cum enim oratio definiatur, quod *sit petitio decentium à Deo*, qua ratione Deus huic tam præjudiciosæ, & prima facie indiscretæ Eliæ petitioni acquiescere potuit? Sed facilis est responsio, siquidem populus Israël Deum supra omnem modum enormiter offenderat, siquidem in idololatriam prolapsus erat, divinumque ejus cultum Baal exhibendo penitus conculcarat; Elias autem honorem ejus zelaverat, & pro viribus defenderat; ac proinde supplicium illud triennalis siccitatis justissimum erat; observandum insuper, siccitatem hanc tunc, & non prius post copiosam pluviam cessasse, quando Pseudo-Prophetæ Baalitici in ore gladij fuere trucidati, cunctusque populus Deo Israëlis, velut vero, & vivo Deo, devotissimè acclamavit.

Jac.5. v.17. In quo Elias fuerit similis nobis. Quare petierit Elias populum puniri. *2.Reg.18.*

6. S. Basilius illius siccitatis miseriam, quæ circa civitatem Cæsareæ in Capadocia agros mire devastavit, ad vivum hisce verbis describit: *Vidi campos steriles, & arentia rura, dudum sine fructibus, lachrymansque mæstas edidi querelas, quod pluvia nobis nulla data esset, ex quo nec sata nascuntur, & eodem modo, quo & aratrum occultavit, permanent; aut si forte nata, statim tenera æstu sunt absumpta, adeo, ut pulchre Evangelicum illud verti possit; Operarij quidem multi, messis autem pauca. Coloni per campos sedent manibus genua complexi, qui habitus lugentis est, & arvorum tristi aspectu conterriti, suos, boumque labores perditum iri vehementer dolent, ac lachrymantur. Mox tenues & aridos germinum calamos considerantes, atque attrectantes, ad natos, & uxores sese vertunt, ac miseros edunt ululatus, haud aliter quam si eos ætate florida raptos efferrent.* Non enim intelligebant, quod ad suam deplorandam calamitatem, frustra se ad uxorem, & filios converterent, siquidem Ecclesia in ejusmodi casibus, preces suas ad cœlum dirigere solet, dicendo: *Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, pluviam nobis tribue congruentem;* neque enim hanc ab alijs consequi possumus, quā à Deo.

S.Basil.ibid. Descriptio siccitatis Cæsareæ in Capadocia.

7. Porro in sacris Literis prima omnium vice pluviæ mentio fit in capite secundo Geneseos; sed notandum est, Moysen ibidem loqui, haud secus, ac si Deus ipse plueret, sic enim ait: *Non enim pluerat Dominus super terram;* Cujusmodi loquendi hanc Oleaster assignat rationem: *Ne putares, ea, quæ natura habet bona, non esse Dei munera, ostendit omnia hæc egere pluvia, ab eo demissa, nihil enim hominis labor, nihil natura ipsa omnium parens promoveret, si author naturæ pluviam suam, & cælorum influentias denegaret.* At vero quis umquam gratias exposcere audebit ab eo, quem offendit, cuique & ipse jugiter offensus est, nisi eumdem prius sibi reconciliet, ejusque gratiam sibi denuo recuperet? Cum igitur tempore siccitatis, & diutissime suspensæ pluviæ, aliquod postulare volumus remedium, ad nullum profecto alium recurrere possumus, præterquam ad Deum, verum aquæ vivæ fontem. Verumtamen necesse est, ut per veram pœnitentiam prius ei reconciliemur, omnesque Dei offensas penitus aboleamus; nam ut Scriptura ait: *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum.* Regius Psalmista pariter inquit: *Educens*

Gen.2. v.3. Oleaster. Ab offenso non petuntur beneficia nisi fuerit prius reconciliatus. *Psal.134. v.7.*

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Apud Baruch quoque dicitur: *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo perambulare universum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis.* Verumtamen Deus hisce nubibus, ut in beneficium nostrum pluviæ aquas depromant, non præcipit, quando nos castigare decrevit, & ideo Deus, postquam apud Aggæum Prophetam dixisset: *Seminastis multum, & intulistis parum:* paulo post de irrogatis sibi injuriis lamentans subdit: *Dicit Dominus, quia domus mea deserta est, propter hoc, propter vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super omnem laborem manuum.* At verò quodnam est illud, quod S. Basilius adversus hasce calamitates suggerit remedium? Audiatis eumdem in hæc verba loquentem: *Nos peccata velociter quidem promptoque animo admittimus, pigre vero postmodum ac sero pænitentiam agimus. Quisnam orans aut supplicans, lachrymam ex corde mittit, ut imbrem terris tempestivum provocet? Quis scelera relinquens, sanctum David imitatur, qui lachrymis stratum rigavit?* Et paulo post avaros ad usurarios rescindendos contractus hoc sequenti adducto motivo exhortatur: *Dele gravissimorum fœnorum nomina, ut terra solitum tibi fœnus reddat. Ære namque, & auro, & similibus fœcundis metallis, præter naturam fœtus edentibus, jure germina, quæ naturaliter pariunt, sterilia fiunt, & ad habitantium mulctam fructibus carent.*

Baruch.6. v.61. Agg.1.6. S.Basil. Remedia accipiendi pluviam.

8. S. Apostolus auri cupiditatem pestiferam appellat omnis mali radicem, & propaginem inquiens: *Radix omnium malorum cupiditas;* Observandum vero, quod ubicumque argenti & auri reperiuntur mineralia, ibi pariter terra sterilis fit, & infœcunda. Porro S. Basilius, ubi supra ulterius progreditur, varia insinuando opera virtuosa, quibus Deum in hoc flagello constituti, placare valeamus; ait enim: *Quis hospitum lavit pedes, aut pulverem ex itinere aspersum abstersit, ut in hac siccitatis calamitate Deum exorare valeat? Quis orphanum aliquem parvulum pavit, ut & nobis Dominus frugem telluris aleret?* In vita B. Fratris Nicolai Franciscani legitur, quod in magna quadam sui temporis siccitate, vicinos sibi exhortatus fuerit populos, quibus prædicare solebat, ut orationibus & processionibus instituendis insisterent; cumque omnes simul publicas Deo processionaliter porrexissent preces, nec tamen illo die exauditi fuissent, cunctos de novo monuit, ut in veræ pœnitentiæ actibus constanter persisterent, ipse verò una cum suis Religiosis sese subducens, ut iram Dei mitigare possent, rigorosissimam ad sanguinem usque unanimiter fecerunt disciplinam: (*apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis,*) & ecce subito in unico momento cœlum nubibus contectum, copiosam edidit pluviam, qua omnes sitibundi agri fœcundati fuerunt. Deus olim electo populo suo peculiarem manifestavit prærogativam, qua gavisuri erant in terra promissionis, in quam illos introduxerat, quaque in terra Ægypti, ex cujus servitute illos redemerat, hactenus caruerant, ita enim populum hunc alloquebatur: *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ;* In Ægypto enim pluvia è cœlo non decidit, sed terram illius Nilus turbidis & palustribus aquis suis inundat, nam montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluvias. Ægyptus igitur, id est, ij, qui sine lumine & timore Dei vivunt, aquam de cœlo lapsam non expectent, neque sperent, sed solum veri Israëlitæ, in quibus dolus non est, de cœlo expectent pluviam.

1.Tim.6. v.10. Ubi crescit aurum, ibi est sterilitas. *Hist. Franc. p.4.l.8.c.5. Psal.2. v.12.* De Franciscano gratiosa Historia. *Deut.11. v.10.*

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Pluviæ excessivæ, inundationesque aquarum, à peccatis derivantur populorum, cessantque mox ut peccatores se ad Deum convertunt.

THEMA.

Convenerant omnes ... in platea domus Dei, trementes pro peccato & pluvijs. 1.Esdræ 10.ỳ.9.

1. IN 1. libro Esdræ cap. 10. legitur, quod Hebræi, tempore cujusdam copiosissimæ pluviæ, meticulosi & plane perterriti, Jerosolymis in templo convenerint, primo quidem ob peccatorum suorum remorsum, secundario vero ob influentiam excessivam aquarum inundantium, in publicum totius Hebraismi detrimentum: *Convenerunt omnes in platea domus Dei, trementes pro peccato & pluvijs.* Ubi Lyranus ait: *Tempus illud quidem de communi cursu frigidum & pluviosum erat, sed tunc erat plus solito, pro peccati sui demerito.* Enimvero ut populus ille tanto fieret certior de causa, ex qua flagellum illud derivabatur, *surrexit Esdras sacerdos*, inquit sacer textus, *& dixit ad eos: Vos transgressi estis, & nunc date confessionem Domino Deo;* cum enim, ut habet axioma Philosophicum, *remota causa, removeatur effectus*, Esdras desolatis illis populis persuadere nititur, ut peccata sua deplangant, & confiteantur, veramque faciant pœnitentiam, de cætero securi existentes, quod remotis peccatis, ira Dei placanda, cœlumque vicissim serenandum esset. Sancta quoque Mater Ecclesia in similibus occasionibus nos ad Deum recurrere, hancque ad eumdem orationem effundere docet: *Ad te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus &c.*

Fuit inundatio aquarum Jerosolymis. *Lyran.ibid. Esdra 10.10.* Oratio Ecclesiæ.

2. Anno 589. sub Pontificatu Pelagij secundi miserabilis hic Romæ contigit inundatio Tiberis, qua multa ædificia solotenus diruta fuerunt; in hac porro totius civitatis inundatione; horribilis quidam, & vastæ magnitudinis Draco, veluti trabs quædam ingentis molis, ab aquarum torrente agitata, una cum plurimis serpentibus urbem pertransijt, qui demum serpentes mortui & ad littus ejecti, aërem contaminarunt, adeo ut morbus ille, qui inguinaria appellabatur, & pestiferus erat, subsecutus fuerit. Hoc quoque inundationis flagellum, teste Cardinale Baronio, causa fuit pestilentiæ, quæ verissimus est iræ Dei propter peccata & iniquitates populi juste exasperati effectus, prout S. Gregorio Papæ clare demonstratum fuit, dum sagittas visibiliter è cœlo cadentes, impiosque in puncto mortis lethaliter percutientes conspexit. De quo etiam flagello Anastasius, in iisdem annalibus citatus, scripsisse fertur. In eodem quoque tempore adeo immoderate, & præter omnem usitatum morem pluere cœpit, ut velut in diluvio cataractæ cœli apertæ esse viderentur, quæ pluvia tantam causavit stragem, & ruinam, ut similis ab hominum memoria numquam fuisse credatur. Pergit vero eadem historia enarrare id, quod omnibus passim notum esse existimo, scilicet, quod cum Litaniæ ab Ecclesia institutæ, à sanctissimo hoc Pontifice recitarentur, universus populus, postquam ad molem Adriani pervenisset, Angelum quemdam ensem intra vaginam recondentem conspexerit, hocque signo justam Dei iram cessasse agnoverit: quo tempore de S.Gregorio vere adimpletum fuit illud Scripturæ effatum: *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

Baron.An. 589.n.53. Inundatio aquarum Romæ cum adjunctis aliis pœnis. Visio Angelica.

3. Alia quoque vice sub Gregorio hujus nominis secundo Pontifice circa annum 717. eadem hæc urbs, prout Anastasius Bibliothecarius post se scriptum reliquit, iterata vice magna ex parte submersa fuit, Tiberis enim adeo inordinate terminos suos fuit egressus, ut omnia loca campestria inundarit, adeoque crevit, ut per portam Flamineam ingressus, imo quibusdam in locis ipsamet urbis mœnia supergressus fuerit. In via lata aqua se una mensura cum dimidia extulit; omniaque à porta S. Petri usq; ad pontem Milvium occupavit, domos solotenus evertit, arbores radicitus evulsit, agros penitus devastavit, aliaq; ingentia damna intulit; eaque inundatio urbis Romanæ septem diebus continuavit. Pontifex igitur inundationem istam divinæ justitiæ, per peccata nostra irritatæ, flagellum esse agnoscens, eamdem exemplo alterius Gregorij Prædecessoris sui, per insignes pœnitentiæ actus placare contendit; unde factum est, quod flumen denuo ad consuetos suos limites redierit. Anno 791. sub Adriano Papa alia contigit similis inundatio, in qua denuo in via lata aquæ plus quam ad duas hominum statuas excreverunt in altum, per omnes civitatis partes discurrentes, haud secus ac si tota civitas ordinarius ejus lectus esset; postquam vero dictus Pontifex per ferventes orationes suas ad Dei iram placandam se interposuisset, post triduum calamitas hæc cessare visa est. Nostro quoque sæculo, cum regnante Clemente octavo tota Roma majori inundatione stagnaret, adeo ut similis ab hominum memoria visa non fuerit, ab omnibus eadem inundatio hominum tunc viventium peccatis attributa fuit. In cujus inundationis perpetuam memoriam Romæ in loco quodam publico, ad quem

Descriptio secundæ inundationis Romanæ. *Baron. an. 791.n.6.* Descriptio tertia. Descriptio quartæ.

quem fluminis altitudo pervenerat, duo sequentes versus lapidi incisi hodie dum leguntur:

Ultrices huc usque Tibris dum extolleret undas,
Extincta est partu Virginis ira Dei.

Sciendum namque est, aquas Tiberinas in ipsa Natalis Dominici nocte, ea præcise hora, qua Salvator noster in lucem editus fuisse creditur, deficere, ac diminui cœpisse, id quod Paranymphus ille cœlestis prædixisse videtur, dum ad Beatam Virginem ait: *Ipse enim salvum faciet populum suum.*

Samuel in pœnam rogavit à Deo pluviam.

4. Porro ejusccemodi excessivas pluvias condignas esse scelerum nostrorum pœnas, indubitato quodam, quod in lib. 1. Regum c.12. legitur, testimonio confirmatur:Cum enim Samuel Deo rebelli,& ingratissimo Hebræorum populo ostendere voluisset, quantum Deum per hoc exacerbassent, quod sibi adinstar aliarum mundi nationum, Regem præfici postulassent, sequens patravit prodigiosum portentum, nimirum tempore æstivo, quo homines in colligenda messe occupati erant, copiosam fecit descendere pluviam; unde ait; *Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias.* Id vero, quod proposito nostro quam maxime deservit, sunt verba sequentia: *Et scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vos in conspectu Domini, petentes super vos Regem; Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluvias in illa die.* Verum dices fortasse, numquid Samuel alia à Deo super populum Hebræorum exposcere poterat flagella & infortunia, ad castigandum illius tam grave delictum? Respondeo igitur, poterat quidem Samuel alias super Hebræos evocare pœnas, ipse tamen, utpote Propheta à Deo valde illuminatus, probe sciebat, quod illo anni tempore quo in colligenda messe occupandi erant, non aqua indigerent, utpote quæ tunc messi perniciosa futura esset, sed Sole ad exsiccandum aristas, ideo copiosam petiit demitti pluviam, quia sciebat, quod illam ægro admodum & dolenti animo excepturi essent, prout revera contigit, nam Hebræi videntes excessivam hanc & prodigiosam pluviam, errorem commissum agnoscere, confiteri, & pro illo pœnitentiam agere cœperunt; Unde sacer textus ait: *Et timuit omnis populus nimis Dominum & dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur, addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis Regem.* Samuel autem modum, quo hoc à se flagellum removere possent, edocuit, nam ut sacer textus ait: *Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc, verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro.*

(Margin: 1. Reg. 12. v. 16. — Ibid. v. 17. — Ibid. v. 18. — Qua ratione petierit pluviam, ejusque quæ sit pœnalitas. — Ibid. v. 19. Hebræi convertuntur. — Ibid. v. 20.)

Historia cum miraculo contigit Veronæ.

5. Advertendum porro est, quod quando aquæ, quibus Deus velut instrumento puniendi utitur, nullam in populo inveniunt Creatoris offensam, sæpius per experientiam comprobatum fuerit, quod eædem innocentes offendere nequaquam præsumant, sed eosdem ab impetuosiori undarũ furia elabi, & salvari permittant. In annalibus Ecclesiasticis circa an. 589. legitur, S.Gregorium Papam mirabilem quamdam recensere historiam, quæ eodem anno Veronæ Athesi fluvio excessive inundante contigit; nimirum, aquam Ecclesiam S.Zenonis Episcopi & Martyris, ingredi nequaquam ausam fuisse, licet omnes ejusdem Ecclesiæ fores patulę fuissent, quin potius pedetentim crescendo usq; ad Ecclesiæ fenestras tecto vicinas pervenisse, in eaque altitudine perseverantem aquam, Ecclesiæ fores adeo firmiter obturasse, ac si liquidum illud elementum in solidum conversum fuisset murum. Idem hoc prodigium superioribus annis in hac urbe Roma renovatum fuit, nam prout ex veridica Seniorum nostri temporis traditione constat, quando in supradicta inundatione, quæ tempore Clementis Octavi contigit, Tibris cousque excreverat, ut altare S. Bartholomæi, in quo corpus ejus in insula quiescit, superinundasset; illius tamen aquæ sepulchrum prædicti Apostoli revereri visæ sunt, siquidem illud ne minima quidem illarum stilla penetravit, in cujus signum, telæ aranearum, quæ hinc inde circa sepulchrum extensæ fuerant, intactæ permanserunt; unde verissimum esse colligitur, quod licet Deus armet creaturam, id tamen non alio fine faciat, quam ad ultionem inimicorum, id est, ad solos puniendos peccatores. Enimvero homines impij (de quibus Apostolus ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus:*) sibi quidem persuadent, inundationes, & pluvias impetuosas intempestive decidentes, naturales quosdam esse effectus, sed graviter decipiuntur, quia, ut bene Beda advertit, dum de supradicto per Samuelem patrato miraculo disserit, flagellum hoc potius è cœlo, quam ab aquis elementaribus immittitur: *Signum de cælo quærebant ab eo*, inquit Beda, *vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere; quasi non possent & alia calumniari, & dicere, ex occultis, & varijs aëris passionibus accidisse. At tu, qui calumniaris ea, quæ oculis vides, manu tenes, utilitate sentis, quid feceris de ijs, quæ de cælo venerint?*

(Margin: Baron. An. 589. n. 56. — Romæ alia prorsus similis. — Sap. 5. v. 18. — 1. Cor. 2 v. 14. — Inundationes fiunt ex speciali Dei providentiâ. — Ven. Beda. hom. in 3. Dom. Quad. t. 7.)

Ulterior illius probatio.

6. Abulensis impetuosam illam pluviam, quam Samuel tempore messis descendere fecit, nequaquam effectum naturalem, sed prorsus miraculosum fuisse, variis rationibus diffuse probat, ut per illam denotaretur, illam vere esse supplicium illud, quod Samuel in pœnam transgressionis illorum postulaverat; super illa namque verba: *Scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis*, ita scribit præfatus Abulensis: *Quasi dicat: Per istas pluvias cognoscetis manifeste, quod peccaveritis petendo Regem.* Et paulo post subdit: *Immediate misit procellam aquarum multarum, & magnitudinem tonitruorum, credendum est enim, quod ista fuerint valde magna, quia ea, quæ Deus per se facit, ad hoc, quod videantur habere differentiam à rebus naturalibus, semper sunt valde excellentia, hoc autem est, quia pluviæ essent magnæ, subitaneæ, & impetuosæ. Aliquando tamen Deus mittit aquas miraculose, & illæ veniunt, non subito, sed successive; Sic patet infra lib. 3. c. 19. Cum dixit Elias ad Achab Regem: Ascende, comede, & bibe; quia sonus multæ pluviæ est.* Observandum quoque est, quod quando idem hic populus sub Esdra per continuas affligebatur pluvias, omnes confessi fuerint dicentes: *Prævaricati sumus in Deum nostrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ, & nunc si est pœnitentia in Israël, super hoc percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, & eos, qui de his nati sunt.* Esdras quoque in obstinata illa inundatione & pluvia, Hebræis suum improperavit peccatum, ut eos ad pœnitentiæ actus faciendos induceret, ait enim sacer textus: *Surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos; Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël, & nunc date confessionem Domino Deo Patrum vestrorum, & facite placitum ejus*, id est, *Deum honorate*, ut inquit Dionys. Carthus. *vestra peccata recognoscendo.*

(Margin: 1. Reg. 12. 17. — 3. Reg. 18. 41. — 1. Esdr. 10. v. 2. — Exhortatio ad pœnitentiam. — Ibid. v. 10. — Dion. Cart. Ibid.)

7. Ex quo mentionem facere cœpimus peccati illius, scilicet quod contra ordinationem Dei uxores alienigenas, & idololatriæ deditas duxerint, ideoq; excessivas è cœlo pluvias provocarint, opportune mihi in memoriam incidit causa & origo, ob quam justitia vindicativa Dei contra universum genus humanum exarsit, quando illud per diluvium universale castigavit, qua de re sacer textus ita loquitur: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, (id est, posteri Seth concupiscentes mulieres, ex maledicta reprobi Caini progenie natas,) *acceperunt sibi uxores ex omnibus. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. ... Videns quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ.* At vero quonam supplicio Deus in illos animadvertit? Num forte terram se aperire fecit, ad eos deglutiendos, quemadmodum Dathan & Abiron contigit? Aut vero ignem de cœlo descendere jussit, sicut super Pentapolim? Vel feras è sylvis ad ipsos dilaniandos evocavit, quemadmodum pueris Elisæum deridentibus contigit? Nihil horum eis evenit; sed sacer textus ait: *Adducam aquas diluvij super terram, & interficiam omnem carnem.* At vero quamnam aquæ proportionem habent ad hoc, ut in tot, tamque enormium peccatorum pœnam adhibeantur? Responderi posset, ideo peccata per aquas puniri, quia aquis assimilantur, unde Jacob Ruben filio suo incestum in memoriam revocare volens, his eum affatus est verbis: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* S.Augustinus in confessionibus suis de hoc vitio ita loquitur: *Exhalabant nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & obnubilabant, atque offuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis, à caligine libidinis, mersabat gurgite flagitiorum.* Richardus de S. Victore hac pariter phrasi loquendi utitur inquiens: *Carnalium desideriorum aquæ euntes & redeuntes.* S. Augustinus similiter ebrietatem excessivæ cuidam inundationi assimilat inquiens: *Quomodo pluvia nimium grandis*

(Margin: Gen. 6. v. 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 5. Diluvium universale. — Ibid. v. 6. — Gen. 6. v. 17. — Gen. 49. v. 4. Proportio inter diluvium & pœnam peccati. — S. Aug. l. 2. Conf. c. 2. — Rich. à S. Vict. in Ps. 28. — S. Aug. ser. 231. de temp.)

grandis & diuturna si fuerit terra infunditur, & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura possit fieri, sic & caro nostra quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Iram & excandescentiam Virgilius similiter aquarum assimilat impetui: *Magnoque irarum fluctuat æstu.* Apud Oseam Deus apertius protestatur inquiens: *Super eos effundam quasi aquam iram meam.* De avaris quoque Poëta ita canit: *Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.* Impietas & infidelitas à Deo apud Jeremiam per cisternas, in quibus aquæ congregantur, repræsentantur: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas.* Ubi Chaldæus legit: *Cultum meum reliquit.* In Apocalypsi solemnis illa legitur apparitio Sancto Joanni Apostolo ab Angelo facta: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui habitant super terram.* Sive autem per meretricem hanc magnam Babylonia intelligatur, sive Roma, quæ etiam hoc probroso nomine appellata fuisse noscitur; (utpote de qua Leo Magnus ait: *Omnium gentium serviebat erroribus:*) hoc saltem in hac visione constat, quod mulier illa de medio aquarum visa fuerit, id est, circumquaque cincta innumeris iniquitatibus, quæ per aquas repræsentantur. Porro de hac meretrice Dionysius Carthusianus ita scribit: *Civitas diaboli, quæ est generatio reproborum, collectio impiorum, sedet super aquas multas, id est, residet in concupiscentiæ aquis atque in discordium fluctibus populorum.* Et vero quis est, qui nesciat, Spiritum Sanctum iniquitatem in genere delineare volentem, inter solemniores Parallelos specialiter illum adhibere, qui ab aquis desumitur. Sic enim Job decimo quinto ait: *Abominabilis & inutilis homo bibit quasi aquam iniquitatem.* Eliu quoque Jobum calumniari volens inquit: *Quis est vir, ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam?* Ipsemet quoq; Seneca moralis Philosophus ad impium quemdam ita scribit: *Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit.* Enimvero sicut aqua facillime bibitur, nobisque inviscratur, pari quoque cum facilitate committitur peccatum, nobisque incarnatur. Merito igitur Deus peccatum castigare volens, aquas adhibet, ut *per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur.* Observastisne aliquando, quonam tempore aquæ diluvij cessare cœperunt? Tunc nimirum quando abolitum fuit peccatum, omnesque simul impij puniti fuerunt: *Cum mundus intra generis humani primordia per deflenda*, inquit Chrysologus: *nefanda vitiorum squalore sordesceret, & totus criminum fæteret horrore, ac pene ipso iniquitatis suæ fumo fuscare cæli tantam contenderent claritatem, quadraginta diebus ac noctibus, expiaturus terram cælestis imber infunditur.* Tunc igitur cessante diluvio, aër pristinam serenitatem recuperavit, quando sordes & immunditiæ humanæ malitiæ à tot pluvijs dilutæ & sublatæ fuerunt. Enimvero ubi vulgata nostra de Noë Genesios quinto legit: *Consolabitur nos:* Septuaginta verterunt: *Requiescere nos faciet:* Quasi autem quiete mundus à diluvio submersus tempore Noë perfruitus fuerit, D. Chrysostomus his verbis declarat: *Tantam calamitatem, tantaque mala quietem vocas? Profecto dicit, nam homines in magna malitia vivebant, diluvium autem, quia malitiam resecavit, ideo liberati illi à malitia, quiescere dicuntur.* Quod si igitur in aquis, quibus in pernitiem nostram agri inundantur, & submerguntur, refrigerium & solatium aliquod invenire volumus, extinguamus peccatum, culpam suffocemus.

(Margin: Similitudo. — Virg. l. 4. Æneid. — Ose. 5. v. 10. — Ovid. Fastor. 1. — Jerem. 2. v. 13. — Apoc. 17. v. 1. — Quæ sit meretrix magna in libro Apocalypsis. — S. Leo ser. in Nat. Apost. Petri & Pauli. — Dion. Cart. — Job. 15. v. 16. — Job. 34. v. 7. — Ut aqua, sic peccatum homini incorporatur. — Senec. l. 1. de Ira. — Sap. 11. v. 17. — D. Chrysol. ser. 166. — Peccatis cessantibus cessavit diluvium. — Gen. 5. v. 29. — D. Chrysost. Hom. de habenda cura salutis proximi.)

8. S.Augustinus, vel quisquis alius author est libri de mirabilibus sacræ Scripturæ, de pluvijs, quas ut paulo ante diximus, Samuel à Deo postulavit, in hæc verba scribit: *Per Samuelis Dominus deprecationem illas compescuit, sed notetis velim, quando præcipue pluviæ illius vehementiam represserit; tunc videlicet, post quam populi de hac re pœnitudinem intus aspexit.* Ubi specialiter ponderandum est ly, *intus*, non enim Prophetæ satisfaciebat pœnitentia exterior, sed interiorem volebat, multi enim à peccando abstinent, non ex detestatione culpæ, sed ex timore pœnæ: *Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ.* S. Gregorius in sensu morali ita scribit: *Dominus vocem dat, quia peccatorum corda excitat, ut pravitatis suæ nequitiam recognoscant: dat pluvias, quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adjuvat, ut non solum deserat mala quisque, quæ fecit, sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit. Non est minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aëris; non minus miraculum est arentia corda reviviscere, quam æstivis ardoribus insitato more pluvias inundare.* Porro Deus per similes inundantes pluvias non solum peccatum submergere intendit, verum etiam humectare, virorem & vigorem subministrare virtutibus, bonisque operibus nostris, quæ antea in nobis arida, & exsuccida erant. Enimvero certè mihi fide compertum est, quod nobili cuidam diviti, magnisque talentis prædito, & in optimo annorum flore constituto viro accidit; huic enim in quadam valde deliciosa villa constituto, diluvium quoddam supervenit aquarum adeo immoderatum, ut subito aquæ ad prima usque palatij sui, ad hospitio commode excipiendos quatuor Cardinales fabricati, conclavia ascenderint, quo ex spectaculo metu perculsus, ferventesque ad Deum preces effundens, omnia sua ad Dei servitium impendere decrevit, prout & reipsa fecit, dum omnes facultates & possessiones suas pauperibus distribuit, ipseque Patrum Camaldulensium religionem professus fuit, in qua etiamnum hisce diebus nostris summa cum exemplaritate & perfectione, omniumque sui ordinis religiosorum stupore vivit.

(Margin: S. August. de mirab. sacr. scrip. lib. 2. cap. 9. — Interior requiritur pœnitentia. — S. Greg. Ibid. — Modi quibus utitur Deus in hominibus convertendis. — Historia de quodam Nobili.)

9. In vita S.Francisci Sales, ab ejus nepote conscripta, pœna quædam legitur hospiti cuidam inflicta, qui non solum urbanitatis, verum etiam charitatis illius, cujus unusquisque proximo suo debitor est, hostis & inimicus erat. Verba autem historiæ sunt hæc sequentia: *Hospitium elegerat ad Tiberis ripas, quod cum ab hospite, Magnatum quorumdam sui loco excipiendorum causa, vacuare coactus esset diversareturque alio, ipsa eadem nocte continuis inflatus imbribus Tiberis domum illam rapidis percussam fluctibus, cum omnibus in ea habitantibus ruina subito in Tyrrenum pelagus exportavit. Evitati periculi gratijs actis, non distulit recessum Franciscus, per Spoletum & Maceratam Lauretum venit.* Ecce tibi pœnam, quam inhumanus hic hospes incivilitate sua reportavit. In oratione quadam, quam sancta Mater Ecclesia ad extorquendum è Dei manibus hoc flagellum recitare solet, ita dicitur: *Quæsumus clementiam tuam, ut inundantiam coërceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris.* At vero ex alia parte Deum apud Isaiam audio dicentem: *Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis*; frustra igitur Deo supplicamus, ut hilaritatem vultus sui nobis impertiatur, quamdiu terras peccatorum nostrorum nubes à nobis ipsis non depulerimus. Frustra lingua nostra ad cœlum usque clamabit: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*, id est, ut Agellius exponit: *Mitte auxilium tuum de cælo*: quamdiu terra carnis nostræ sensualis & lutosa terrestres culparum suarum vapores, è quibus flagellorum nos castigantium tempestates producuntur, exhalare non destiterit.

(Margin: Lib. 1. vit. S. Franc. Sales. — Pœna inhumani hospitis. — Isa. 59. v. 2. — Psal. 143. v. 7. — Agellius Ibid.)

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Grandines, aliæque similes calamitates, pœnæ esse solent peccatorum.

THEMA.

Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Psal. 10. ÿ. 7.

1. AMarus calix ille, quem divina justitia impiis in scelerum suorum condignum supplicium destinavit, est infernus; verum quidem est, quod hujus calicis unam partem, sive prælibamen Deus in hac quoque vita ab iisdem impiis degustari velit, ac proinde eosdem multis hujus vitæ ærumnis subjiciat, inter quas hoc loco specialiter examinandæ sunt impetuosæ grandines, agros, & vineas totaliter devastantes, easque fructibus suis despoliantes: *Spiritus procellarum, pars calicis eorum, quoniam justus Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*; Deus enim licet hisce flagellis in nos animadvertat, justum tamen & æquitatis cupidissimum se esse probat. Apud Jeremiam Deus vehementer de Hebræorum populo lamentatur inquiens: *Nonne vides, quid isti faciunt in civitatibus Juda & in plateis Jerusalem? Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli, & libent Dijs alienis, & me ad iracundiam provocent. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui?* Porro impij peccatores se Deum tantum, non vero semetipsos peccando offendere existimant, & tamen omne malum in proprium illorum damnum redundat, & retorquetur. Audiamus enim, quid sacer textus ibidem subdat: *Ideo hæc dicit Dominus Deus; Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super*

(Margin: Impij in hac vita degustant prælibamen inferni. — Ibid. v. 8. — Jerem. 7. v. 17. & 18. — Ibid. v. 19. — Ibid. v. 20.)

Impij puniuntur tempestatibus.

Super locum istum, super vivos, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ, & succenderetur, & non extinguetur. Quibus verbis clare indicatur omnium infortuniorum, mortalitatis, maligna rum influentiarum, tam super homines, quam super animalia descendentium causa, *super vivos, & super jumenta:*) nec non causa tempestatum ac turbinum, quæ in unico momento omnes terræ fructus, & segetum messes è medio auferunt, (*& super lignum regionis, & super fruges terræ:*) causa enim totalis horum omnium, sunt nostra peccata, sacrilegium videlicet, impietas, & alia similia: Tametsi enim verum sit propriam Deo esse misericordiam, juxta id, quod Ecclesia in oratione dicit: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere:* attamen S. Hieronymus ly *conflatur* exponens, inquit: *Sed & conflata indignatio sic intelligi potest, ut quod Deus diu facere noluit, peccatorum multitudine facere compellatur.*

S. Hieron.

2. Legatur caput 32. Deuteronomij, in quo Deus se veluti rabidam tigridem in castigando ferocire demonstrat; At vero observandum est, qua phrasi loquendi idipsum exprimat; ait enim: *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, ... Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* At vero quodnam in eo latet mysterium, quod divinę justitiæ suæ gladium fulguri assimilet? Pro resolutione sciendum est, quod fulgur in media aëris regione generetur, per vapores & exhalationes, quas terra in sublime emittit, est enim fulgur exhalatio quædam in aëre intra nubem colore igneo tinctam accensa, cujus accensio fit à superveniente materia extrinseca, unde, ut experientia docet, cœlum non semper fulgurat, sed tunc solum, quando terra ei tales vapores, qui ad fulgur producendum dispositi sunt, submministrat; eodem modo de Deo asserere possumus, quod licet *omnipotentiam suam parcendo maxime, & miserando manifestet, miserator & misericors Dominus;* Attamen dum nos cœlum versus pestiferos vapores, & palustres iniquitatum nostrarum exhalationes, contra Deum exhalamus, manum ejus fulgure armamus, quod in nostram pernitiem evibrare cogitur, dum summam ejus pietatem constringimus, ut *quod diu facere noluit, peccatorum multitudine facere compellatur.* Unde sicut si terra, ventorum turbine, grandinis tempestate, vel copiosæ pluviæ, & inundationis impetu segete sua spoliata, suisque fructibus destituta adversus Deum lamentari vellet, eo quod tam pernitiosas illi tempestates immiserit, Deus utique terræ respondere posset, ipsammet harum fuisse tempestatum causam, per vapores, & exhalationes, aliasque malignas impressiones in aëra emissas, per quas ejusmodi generatæ sunt grandines & tempestates; dicere, inquam, posset: *Mala, quæ pateris, mala tua meruerunt.* Ita quoque Deus sæpe agros & vineas per immissas grandines dissipat, & disperdit, non ex proptia inclementia vel crudelitate, sed quia per peccata nostra ad id faciendum adigitur, scilicet, vel quia agros non ex necessitate, sed ex avaritia in die prohibito arando excoluisti, idque in contemptum præcepti divini defestorum sanctificationes; vel quia debitas operariorum mercedes denegasti, vel injuste diminusti, vel quia præcedentis messis abundantiam per varias Dei offensas dissipasti. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum;* sic enim inter alias causas, cur incolæ Pentapolitani nefandis peccatis habenas laxarint, una fuit *saturitas panis;* hæc igitur sunt pessimæ illæ exhalationes, ex quibus divini furoris fulmina generantur; unde Ecclesiasticus ait: *Mors, sanguis, contentio, & rompheæ, oppressiones, fames, & contritio, & flagella; super iniquos creata sunt hæc omnia.* Qui idem in capite præcedenti clarius dixerat: *Ignis, grando, fames, & mors omnia hæc ad vindictam creata sunt;* fulgura enim & fulmina, è cœlo veluti ignem evibrantia, & grandines ad castigandum peccatores delinquentes, sunt veluti iræ divinæ instrumenta; ac proinde Regius Psalmista merito dicit: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus;* licet enim hæc omnia creaturæ sint inanimatæ; attamen per potentiam obedientialem adhibentur ad implendam Creatoris voluntatem, circa puniendos rebelles suos.

Enumerantur peccata fulmen provocantia.

Psal. 72. v. 7.

Ezech. 16. v. 49.

Eccli. 40. v. 9.

Eccli. 39. v. 35.

Ratio quare.

Psal. 148. v. 8.

3. Tormenta bellica majora, uuris conquassandis & infringendis deservientia, nec non globi, quos evomunt, contra solos exonerantur inimicos; eodem modo, quando cœlum adinstar bombardarum evomit sagittas, & fulmina, terribiliumque tonitruorum suorum edit fragores, signum est, quod prælium inimicis suis, id est, peccatis insinuet, atque ideo nullam prorsus habemus lamentandi occasionem, si ab ejusmodi malis infestemur; si enim tu arma, bombardas, enses, arcus, clavas ferratas, globos, pulverem tormentarium fieri procurares, ut tuis prospiceres adversarijs, interitum tuum machinantibus, frustra utique lamentareris de illis, lethaliter te vulnerantibus; nos sumus illi, qui Deo propter scelera nostra irato fulmina intra manus damus, quæ in nos evibret, talia enim fulmina sunt nostræ transgressiones; & ideo S. Gregorius merito dicit: *Mala, quæ patimur, mala nostra meruerunt.* S. Augustinus existimat, per grandinem Ægyptiis immissam, peccatum latrocinij ipsorum fuisse punitum; sic quoque hodie multis grandinis tempestates immittuntur, quia scilicet per injustas lites, per usurarios & illicitos contractus, possessiones suas sine ullo justo titulo acquisiverunt, *qui enim suo judicio foris secus furantur, justo judicio Dei intrinsecus grandinantur.* Unde in multis regionibus, imo in majori parte locorum, calamitates tempestatum & grandinum semper magis magisque adaugentur & multiplicantur, quia in iisdem semper quoque peccata augescunt & prævalere incipiunt, unde S. Cyprianus ait: *Miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur?* Regius Propheta, postquam in Psalmo 77. præmisisset: *Sanctum Israël exacerbaverunt*, paulo post subdit: *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos, Et dedit ærugini fructus eorum, ... Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina, Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni.* Ejusmodi calamitatibus nos quoque sæpe subjici & exerceri contingit, sed numquam aliter, quam in culparum nostrarum pœnam, ac proinde S. Augustinus in sensu morali scribit, quod *per cœnomyiam intelligantur canini mores. Rubigo occulte nocet, quam etiam nonnulli æruginem interpretantur, alij caniculam, quod malum, cui vitiorum aptius comparatur, nisi quod difficillime appareat, sicuti est, multum de se fidere? Aura est etiam noxia, quæ hoc in fructibus latenter operatur, sicut in moribus occulta superbia, quando se putat aliquid esse, cum nihil sit. Grando est iniquitas, res alienas auferens, unde furta, rapinæ, prædationesque nascuntur. Pruina significatur vitium, quo charitas proximi stultitiæ tenebris velut nocturno frigore congelascit.*

Tormentis bellicis soli inimici oppugnantur.

S. Augustè.

S. Cypr. Cod. Demetriam.

Psal. 77. v. 41. & 45.

Ibid. v. 46.

Ibid. v. 47.

Ibid. v. 48.

Fulmine puniri Deus impios.

S. Aug. ibid.

4. Idem S. Doctor alibi rationem assignat, cur multi spirituum rebellium, ad commorandum in aëre sint condemnati; de quibus Apostolus ait: *Spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Porro verba S. Augustini sunt sequentia: *Non mirum, si post peccatum in hanc sunt detrusi caligmem.* Ex quo loquendi modo deduci posse videtur, peccatum esse unicam inordinationis, & distemperamenti elementorum causam. *Ubi & aër sit, & humore tenui contexatur, qui commotus, ventos & vehementius conciatus, etiam ignes, & tonitrua, & contractus nubila, & conspissatus pluviam, & congelantibus nebulis nivem, & turbulentias congelantibus densioribus nebulis grandinem.* Et vero tametsi verum sit, quod elementa secundùm suas operentur proprietates; & instinctus naturales, attamen Regius Psalmista, ut paulo ante diximus, satis indicat, illa specialiter & immediate ab altissimi dependere nutibus, ait enim: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus;* divina enim justitia illis utitur ad rebelles suos pro demeritis suis castigandos; ac proinde Lippomannus admonet, dicens: *Quamquam grandines generentur naturalibus causis, tamen quia & harum causarum Deus Creator & administrator est, quemadmodum habet Ps. 148. Grandines pro supplicijs Dei aguoscendæ sunt. Cum igitur videmus grandinem in regione nostra, revocemus nobis in memoriam & peccata, propter quæ Ægyptus grandine afflicta est, & sentiamus, se idem supplicium patimur, quia eadem etiam peccata inter nos grassantur.*

Eph. 6. v. 12.

S. Aug. l. 3. de Gen. ad litt. cap. 10.

Quare multi dæmones morentur in aëre.

Psal. 148. v. 8.

Lippom. in Cat. c. 9. Exod.

5. Verùm enimvero quia hoc flagellum grandinis, quo segetes penitus devastantur, frequentius cum tanto populorum detrimento contingit, operæ pretium esse duxi, fusius nonnihil de eo hoc loco tractare. Advertendum est igitur, quod David post factam grandinis mentionem, qua Deus Ægyptum castigavit, immediate subjungat: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos, Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte conclusit;* Unde clare colligitur, grandines iracundiæ divinæ esse instrumenta

Grando præter agrorum devastationem etiam mortem infert.

Psal. 77. v. 49.

Ibid. v. 50.

Eccli. 46. v. 6. Tempore Josue erat indurata ut lapides.

Jos. 10. v. 11.

menta, maxime quando nonnumquam adeo sunt monstrosæ & ponderosæ, ut animalibus pariter & hominibus mortem inferant, cujus plurima habemus exempla. Tempore Josue Deus è cœlo tot bombardarum evibrare videbatur globos, quot erant in terram dilapsæ grandines, saxo duriores; ad disperdendum hostiles inimicorum exercitus; *Invocavit Altissimum potentem, in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis.* In libro Josue grandines vocantur magni lapides, quia instar lapidum induratæ & congelatæ erant: *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo.... & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israël.* Cum sub Imperatore Heraclio, adversus Cosroam, potentissimum Persarum Regem præliante, Theodorus frater ejus, in actuali prælio intercessionem magnæ Dei matris imploraset, confestim grando quædam ingentis magnitudinis super barbaros decidens, plurimos illorum in terram prostravit, cum tamen exercitus Christianus sereno gauderet aëre. In Theatro vitæ humanæ sequentia prodigiosarum grandinum leguntur exempla. Narrat Isidorus, *cecidisse nonnumquam grandines, humano capite non minores.* Ludovicus Clavilleius narrat, anno Domini 1524. die 5. Augusti, Cremonæ *pluisse grandinem magnitudine ovi galli gallinacei.* Idem scribit, in agro Bononiensi, anno 1537. mense Augusti, *pluisse grandinem sanguine mixtam, ex qua inventa sunt grana excedisse libras XXVII. in pondere.* Olaus Magnus lib. 1. cap. 22. memorat, in Septentrione decidere subinde grandinem majorem humano capite. *Certe anno superiore, millesimo sexcentesimo decimo nono, mense Junio in quodam Flandriæ territorio, quod Wastam vocant, vico celebri de Dempsta, cecidit sub meridiem inusitatæ, & invisæ Belgis magnitudinis grando, eaque dentibus ac angulis aspera, pugni maximi, tum puerilis capitis magnitudinem exæquans.* Ex quibus monstrosis effectibus, præter omnem ordinem naturalem contingentibus, evidenter colligitur, quod ira Dei ad castigandum suos rebelles, creaturas suas, modo sibi bene viso, obarmet ad prælium: *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Unde Lippomannus ait: *Grando conjecratur in publicum supplicium regionum.* In Apocalypsi dicitur: *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus; Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi;* Ultimo verò loco velut rigidissimum ultricis iræ divinæ supplicium monstrosam commemorat grandinem inquiens: *Et grando magna, sicut talentum, descendit de cœlo in homines, & blasphemaverunt Deum homines, propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.*

Narrantur diversæ grandinum mirę magnitudinis.

Sap. 5. v. 18.

Lippom. Ibid.

Apoc. 16. v. 19.

Ibid. v. 20.

Ibid. v. 21.

6. Sæpenumero deciduæ grandine, cœlum scintillare, & fulmina velut ignitas flammas evibrare solet; porro de illa grandine, quæ super Ægyptum cecidit, ait Sapiens, illam in pœnam impietatis Ægyptiorum cecidisse, siquidem Psalmo apertis verbis dixerat: *Nescito Dominum;* Ægyptij autem idololatræ erant, & inimici non solùm veri Dei, verum etiam Hebræorum verum Deum adorantium. En verba Sapientis, *negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: novis aquis, & grandinibus, & pluvijs persecutionem passi, & per ignem consumpti;* Quod enim mirabile erat, *in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat;* & paulo post subdit: *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluvia corrosiva;* horum autem insultatorum effectuum hanc Sapiens assignat rationem: *Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.* B. Petrus Damianus in Epistola quadam decem Ægypti plagas variis peccatorum generibus adaptans, & tandem ad hanc grandinis plagam descendens ita scribit: *Plaga grandinis ponitur, ubi scilicet grando & ignis pariter ferebantur. Porro autem duo hæc contraria sunt, frigus in grandine, calor in igne, sic qui aliena furantur, & à fraterna charitate sunt frigidi, & ardore cupiditatis accensi.* Sanctus Augustinus ante omnes alios hanc tradidit doctrinam, notans, quod transgressioni septimi præcepti, in quo furtum interdicitur, grandinis plaga respondeat, quia quod per furtum quis contra Dei præceptum subducit, de cœlo perdit. Prosequitur copius super illa verba: *Grando & ignis mixta pariter ferebantur,* inquit: *Aptum est circa unum idemque subjectum pugnantis versari substantias, nempe ignem & grandinem, non liquescere grandinem ignis virtute, ignem non extingui frigoris vi, hinc patet, naturam cedere voluntati Creatoris.* Porro ignis symbolum est iræ Dei, juxta illud: *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida;* & ideo sæpe inter medias grandines, ignis fulgura & fulmina videntur, ut per hoc denotetur, quod sint instrumenta iræ divinæ per peccata nostra exasperatæ.

Plaga Ægyptiaca.

Sap. 16. v. 16.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 24.

B. Petr. Dam. l. 6. Epist. 11.

S. Aug. tr. de convers. pœn. & plag.

7. Moyses grandinis plagam Ægypto immittens, Pharaoni, ab eo, ut plagam hanc tolleret, postulanti, causam grandinis illius expresse edixit inquiens; *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, .. & grando non erit, ut scias, quia Domini est terra, Novi autem, quod & tu & servi tui nondum timeatis Dominum Deum.* Observandum quoque, quod licet in tetra Gessen, tam Ægyptij, quam Hebræi simul commorarentur, attamen hi non solùm in personis propriis, verum nec in gregibus, armentis, & jumentis suis ullum patiebantur damnum, quale impij Ægyptij indifferenter sustinebant, dicente Scriptura: *In terra Gessen, ubi erant filij Israël, grando non cecidit.* Gratia Dei prædicatur, *qua suos novit* inquit Lippomannus, *prosequitur, & defendit, percuntibus impijs.* Abulensis idipsum clarius exprimit inquiens: *Dicendum hic, quod jumenta, & pecora Ægyptiorum, quæ erant in agris, & ipsæ eorum segetes consumptæ sunt; jumenta autem Hebræorum & pecora non perierunt.* Enimvero filij Israël magnam habebant occasionem, ut in cultu & observantia legum veri Dei exacti, & prompti essent, utpote qui portenta, quæ in beneficium illorum Deus operabatur clare videbant, & ex alia parte multis angustijs obnoxij erant, *mala autem, quæ nos hic premunt,* ut Gregorius ait: *ad Deum ire compellunt;* atque ideo hæc unica causa fuit, cur Hebræi à grandine fuerunt præservati, non vero impij Ægyptij, de quibus idem Abulensis inquit: *Ista plaga cadens, omnes segetes virentes destruxit, & arbores germinantes, redigens segetes ad siccam, confractamque stipulam, ut correspondeat afflictioni, quam Hebræis Ægyptij intulerunt, cogentes eos stipulas colligere, per universam Ægyptum, laterum numerum non minuentes.* Lyranus eamdem tangit rationem, dum ait: *Correspondet ista plaga, per quam terræ nascentia fuerunt contrita, & in modum palearum redacta, culpæ Ægyptiorum, qua Hebræos percusserunt in palearum congregatione.* Novarinus ad idem propositum in vita Moysis Hebraicè scripta inquit: *Agros suos arari, ac seminari à Judæis imperabant Ægyptij.* Ac proinde quia hi impij populum Dei tot modis angariaverant, per divinam justitiam illis correspondit hoc grandinis grave incommodum.

Furto correspondet grandinis plaga.

Exod. 9. 24.

Procop. ibid.

Causa grandinis Ægyptiacæ.

Exod. 9. v. 29.

Ibid. v. 30.

Abul. ibid.

Soli Ægyptij non Hebræi, puniebantur.

Abul.

Damna illata per grandinem.

Lyran. ibid.

Navar. ibid.

8. Lippomannus tamen Deum, non tam ad pœnam intentum fuisse existimat, in immissione grandinis, quam ad emendationem, quam ab illis desiderabat; Unde grandinem illis immissam esse dicit, *ut invitaret peccatores ad respiscentiam.* Grando *enim non est externum Dei supplicium, velut gladius carnifices, sed est tantum virga paterna, qua inobedientes ad pœnitentiam vocantur, sic enim dicit Dominus in Aggæo capite secundo: Percussi vos vento urente & ærugine, & grandine, omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis, qui revertereturad me;* Quibus verbis perspicue significatur, *grandinem esse organum, quo Deus vocat peccatores ad pœnitentiam.* Inter alia decreta, quæ in Synodo Diœcesana Tertia à S. Carolo emanarunt, unum sequentibus verbis conceptum fuit: *Cum grandines, nimbi, turbines, & aliæ temporum procellæ imminent, ad eas tempestates sedandas, vel ut vocant signandas, ne Sacerdos vasculum, in quo sanctissimum Christi Domini asservatur, adibeat, sed tabernaculum aperiis luminibus patefactat, ut ea nimborum vi imminente, rogationes, & preces à Clero, populoque coram Domino religiose fiant.* Quibus verbis Sanct. Cardinalis nullam aliud efficacius, ad placandam iram Dei, remedium esse indicat, quam si ad Deum per orationes & actus pœnitentiæ recurramus. Sanctus Bonaventura in vita S. Francisci ita scribit: *Morem eo faciente, tempore quodam, in*

Puniendo Deus vocat ad pœnitentiam.

Lippom.

Act. Eccl. Mediol. 3. 9. Decretum S. Caroli.

S. Bonav. c. 8 Vit. S. Franc.

Remedium S.Francisci contra grandinem.

Eremitorio Græci loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur; nam & luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed & homines consumebat; & grando annua tempestate blada & vineas devastabat; dum igitur sic afflictas præco sancti Evangelij prædicaret, dixit ad eos: Ad honorem & laudem Dei omnipotentis, sidere vos jubeo, quod pestilentia hæc omnis abscedet, & respiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri, ut vera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus, Ecce tibi antidota à Seraphico Francisco indicata, ad amovendas à nobis grandinum tempestates, agros nostros devastantes, pœnitentiam nimirum, & peccatorum detestationem; *ut vera confessione præmissâ dignos faciamus pœnitentiæ fructus.*

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Mare per tempestates & naufragia impios sæpe punit.

THEMA.

Scio ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Jonæ 1. ℣.12.

Historia Jonæ fugientis.
Jonæ 1.v.3.
Ibid.v.4.
Turbatur mare specialiter à Deo.
Ps.94.v.5.
Ps.134.v.7.
Jonæ 1. v.8.
Ibid.v.11.
Jonas se reum fatetur, & mittitur in mare.
Ibid.v.12.
Ibid.v.15.
S.Hieron. Ibid.

1. HIstoria Jonæ evidens nobis subministrat argumentum probandi, quod mare sæpenumero sæviat, procellas & tempestates excitet, naves una cum mercibus, & viatoribus in ijs constitutis submergat, & suffocet, idque eo solum fine, ut peccata puniat, utpote quæ, veluti ingens, & intolerabile quoddam pondus, naves pariter & homines in profundum maris trahunt. Hic enim Propheta accepta à Deo commissione eundi in Niniven, ad prædicandum huic dissoluto populo imminens exterminium, divinis mandatis inobediens, navigio sese commisit, ut in partes longinquas fugiens, impositam sibi commissionem declinaret, *surrexit*, inquit sacer Textus, *ut fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis, & dedit naulum ejus, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini? Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.* Ubi in primis observandum, quod Spiritus Sanctus, (qui hagiographorum dirigit calamos,) hanc tempestatem, vehementemque maris commotionem, naufragium minitantem, nequaquam causarum naturalium asserat esse effectum, quin potius Deum huic instabili & salsuginoso elemento, ut hasce procellas, vehementesque undarum commotiones edat, præcepisse affirmet. Regius Psaltes ait: *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit.* quasi dicere vellet, quod licet Deus omnes produxerit creaturas, specialius tamen mare fecisse censeatur, utpote creaturam præ cunctis aliis magis obedientem, siquidem aquæ marinæ agitantur à ventis, hi autem specialiter & immediate à Dei nutibus dependent, *qui producit ventos de thesauris suis.* Jure igitur merito sacer textus ait: *Dominus autem misit ventum magnum in mare.* Observandum præterea, quod nautæ, licet luminis notitiæ veri Dei expertes, soloque naturali lumine præditi fuerint, hanc tamen tempestatem nequaquam cœlestibus attribuerint influxibus, & constellationibus, sed recurrerint ad Jonam, & dixerint ad eum: *Indica nobis; cujus causa malum istud sit nobis; quod est opus tuum? ... Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? Quia mare ibat, & intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis; scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Qui cum aliquanto temporis spatio Jonam in oceani fauces abjicere detrectassent; tandem videntes, quod crescente ventorum furia sine dubio submergendi essent, *tulerunt Jonam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo.* S. Hieronymus super illa verba: *Ibat & intumescebat*, ita scribit: *Ibat in vindictam Domini sui persequens fugitivum Prophetam; intumescebat autem per singula momenta temporum, & quasi nautis morantibus, in fluctus majores suscitabatur, ut ostenderet, ultionem peccatoris se differre non posse.*

S.Ambros. l.3.c.2. Exo.
Proprietas aquarum est tendere deorsum.
Job.38. v.11.
Beneficia aquarum.
Thom. à Kemp.p.1. ser.16.n.17.
Utitur Deus aquis in vindictam malè factorum.
D.Chrysost. hom.5.ad pop.
Gen.7.18.
Actus aquarum vindicantium.
Hug.Card.
Sap.5.v.18.
Ibid.v.23.
Ibid.v.24.

2. Naturalis quidem aquarum proprietas est, quod tendat deorsum, dicente Sancto Ambrosio: *Natura aquarum sponte in inferiora prolabitur;* Idem tamen Ambrosius ibidem probare nititur, aquas hunc instinctum habuisse, priusquam contrarium à Creatore præceptum reciperent: *Ante præceptum Domini*, inquit, *hæc aquarum fuit natura, ut laberetur & flueret; nunc autem idem elementum, prout in tempestuoso mari videmus, aqua adeo elevatur, ut naves in supremam aëris regionem transportare velle videatur*, idque faciendo naves concutit, & conquassat, ut injuriam Creatoris suo ab iis hominibus, qui navi vehuntur, irrogatam vindicet. In dubium quidem revocari nequit, quin littus arenosum maris sit frænum & limes, quo mare coërcetur: *Hac usque venies, & non procedes amplius, hic confringes tumentes fluctus tuos:* hoc tamen frænum locum non habet in mari, quando juxta divinæ justitiæ periodos Dei castigandi sunt rebelles, intumescebat igitur in vindictam Domini sui. Thomas à Kempis innumera quidem considerat bona à liquido hoc aquarum elemento in hominis beneficium scaturientia, adeo ut aqua dicere possit: ego per opportunas & salutiferas pluvias terram irrigo, fontes produco, flumina derivo, ingentem piscium copiam alo, vastissima navigia mercibus onusta ad provinciarum & regnorum provisionem in superficie mea sustineo, & deveho, variarum rerum admirabilium faciendarum tam in terra, quam in mari aptissimum sum instrumentum; Verumtamen idem Thomas à Kempis nomine hujus elementi loquens subjungit: *Et quia peccata vindictam exigunt, ideo graviter Deo offenso sæpe naves tempestate frango, sæpe homines submergo, pretiosas rerum copias absorbeo, & tamquam lutum platearum, argentum, & aurum, in quibus homines confidunt, in imum prosterno;* adeoque mare zelo honoris divini à peccatoribus contumeliati urgeri videtur, siquidem peccatores castigat. Divus Chrysostomus de Jona inquit: *Postquam navigium ille ingressus est, statim excitavit mare, ut discat, quod ubi peccatum, ibi procella, ubi inobedientia, ibi fluctuatio. Et quatiebatur quidem civitas propter peccata Ninivitarum, quatiebatur autem & navigium propter Prophetæ inobedientiam.* Similiter divina providentia & justitia sapientissime ordinante, aquæ, non vero aliæ creaturæ, de infinitis totius generis humani sceleribus, diluvio universali mediante, sumpsere vindictam; quia ut Scriptura ait: *Vehementer inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ;* super quæ verba Hugo Cardinalis ita scribit: *Hoc factum est, ut & creatura Creatoris injuriam in homines vindicaret.* Citatque sequentia Sapientiæ verba: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum;* & paulo post in hujus vindictæ probationem subdit: *Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter; Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos.* Unde quotquot sunt in mari navigantes, ubi frequentissima sunt naufragiorum pericula, vere dicere possunt; *Sicut ventus est vita nostra;* Modicus enim contrarius ventus ad evertendam navim, qua vehuntur, affatim sufficit; & quidem tanto sunt morti viciniores, quanto subtilior est lignea illa tabula, quæ illos ab undis dividit.

Hug.Card.
Impij per aquam pereunt, salvantur justi.
Sap.16.24.
S.Gregor. l.6. Mor.c.12.
Jonæ 2.v.1.

3. Hugo Cardinalis quoad aquam diluvij hanc habet elegantem considerationem, ait enim: *Licet aqua illa contra inimicos Dei desævierit, tamen Noë, & suis nihil nocuit, imo tamquam justis servivit, unde Sap. 16. dicitur; Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum contra injustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Unde Oceanus non nisi ob Jonæ transgressionem fuit perturbatus, & in hac perturbatione & inquietudine eousque permansit, donec Jonas errorem suum agnoscere cœpit. Unde Sanctus Gregorius ait: *Jonas prædicationis officium implere recusavit, navim petijt, fugere in Tharsis elegit, sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, ut videlicet cognoscatur, cujus culpa mare turbetur. Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur;* Moxque mare tranquillatur, postquam rebellis Prophetæ castigavit inobedientiam, hicque suum agnovit, & confessus est errorem, siquidem *præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat in ventre*

piscis

piscis tribus diebus, & tribus noctibus; & oravit Jonas ad Dominum Deum suum, moxque ut cum Deo reconciliatus fuit, mare contra ipsum sævire deinceps non præsumpsit.

S.Aug.in Psal.64.
S.Aug.ser.2. in Dom.3. post Oct. Epiph.
Profundum maris est cor impiorum.
Exod.15. v.10.
Ut plumbum descendant impij.
Zachar.5.7.

4. Regius Propheta ait: *Qui conturbat profundum maris;* quæ verba considerans Sanctus Augustinus ita scribit: *Non dixit, qui conturbas mare, sed profundum maris; profundum maris est cor impiorum.* Idem quoque Sanctus Doctor peccatorem procellæ maritimæ comparat, dum alio in loco ita scribit: *Navigantes sunt animæ in ligno sæculum transeuntes. Unusquisque in corde suo navigat, nec facit naufragium, si bona cogitat. Audisti convitium? Ventus est; Iratus es? Fluctus est; Vento agitur flante, fluctu surgente periclitatur navis, periclitatur cor tuum. Audito convitio vindicari desideras, & ecce vindicatus es, & malo alieno cedens fecisti naufragium.* Et vero vir iracundus, vir vindicativus, vir talis, qui à suis se gubernari patitur inordinatis appetitibus, non sine mysterio maris tempestati comparatur, hæc enim ut plurimum ad peccata punienda, & in pœnam vitiosorum excitatur. Notatu digna est phrasis illa, qua sacer textus utitur, submersionem Ægyptiorum & Pharaonis in mari erythræo factam exprimere volens; ait enim: *Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus;* cur enim non potius illos velut ponderosissimum quemdam lapidem, vel chalybem, aut similem aliam materiam submersos esse dicit? Quidnam in hoc plumbo mysterij latet? Zacharias Propheta iniquitatem conspexit sedentem super talentum, non argenti, non auri, sed plumbi. *Et ecce*, inquit sacer textus, *talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit; hæc est impietas, & projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus.* Nimirum per hoc Spiritus Sanctus insinuare voluit, quod plumbum, id est, impietas, & iniquitas, adinstar ponderosissimi plumbi in profundum nos lacuum, fluminum, & maris detrahant.

Exod.15.v.7.
Author turbati maris & naufragiorum Deus est.
Isa.47.v.8.
S.Thom. Ibid.

5. Filij Israël in eodem Cantico paulo ante cecinerant: *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ; Flavit spiritus tuus.* Enimvero licet sævierint venti, licet furerint, & tumultuatæ fuerint undæ marinæ, nihilominus Spiritus Sanctus de illis subticens, solum dicit Deum iratum adinstar Aquilonis in mare sufflasse, quia ipse est, qui directe & immediate mari præcipit, *quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Symmachus legit: *Per ventum violentem confringes naves Tharsis.* Deus enim est velut immediatus naufragiorum author, quia ad divinam ejus justitiam impios castigare pertinet. Sanctus Thomas inquit: *Ex illa civitate Tharsis vocatur totum mare mundi. Per naves autem, quæ ad negotiandum vadunt, signatur cupiditas, quis autem hanc omnium malorum radicem esse ignorat?* Hujusmodi igitur radix, hujusmodi nidus, & centrum omnis malitiæ, naves maritimæ esse solent, de quarum una S. Gregorius Nissenus ait: *Erat innatans vitiositas.*

Hab.3.v.8.
Maria sunt instrumenta divinæ justitiæ.
Abul.q.69. in c.8. Matt.
Isa.2. v.12.
Ibid v.16.
Corn.à Lap. Ibid.

6. Habacuc Propheta Deum interrogat inquiens: *Numquid in fluminibus iratus es Domine, ... vel in mari indignatio tua?* Quasi dicere vellet, ergone fluminibus & mari irasceris, quæ tibi obedientes & obsequiosas se exhibent creaturas? Minime, sed potius cum flumina & maria à te assumpta sint velut furoris tui instrumenta, hinc nobis quidem te illis irasci videtur, cum tamen revera iram tuam adversus impios exeras, dum per impetuosos hosce ventos furibundas in mari suscitas tempestates, quæ naufragiorum causa existunt. Abulensis textum illum citat Psalmi 148. in quo dicitur: *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, id est, venti fortes & impetuosi obediunt Deo.* Isaias de potentia Dei disserens inquit: *Dies Domini exercituum, super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem & humiliabitur*, ac tandem subjungit: *Et super omnes naves Tharsis*, quasi diceret, inter alia quæ hanc tuam experientur potentiam, naves quoque Tharsis annumerabuntur. Porro circa hæc Isaiæ verba Cornelius à Lapide ad propositum nostrum hunc in modum egregiè scribit: *Naves quantumvis fortes & firmæ, non sustinebunt ultricem, & infensam manum Dei.* Legatis, si placet, totum caput 27. Ezechielis, & videbitis ibidem fuse scriptam civitatis Tyri opulentiam, post

Ezech.27.25.
Nulla est navium fortitudo contra Deum.
Hug.Card. ibid.
S.Ambr.de Elia & jejun.c.18.
Fit navigatio ex cupiditate Lucri.
Navis est innatans vitiositas.

multa vero ibidem dicta ait: *Repleta es, & glorificata nimis in corde maris*, ac tandem subdit: *Ventus Auster contrivit te in corde maris;* simulque prolixum quemdam naufragiorum, desolationum, & calamitatum negotiatoribus Tyriis antea adeo prospere agentibus immissarum texit catalogum, quarum omnium causam Hugo Cardinalis indicat dicens; *Negotiatori frequenter comes est peccatum*, unde dicit Leo Papa: *Inter ementis & vendentis commercium, difficile est non intervenire peccatum. Ille negotiator abominandus est, qui per immoderatam ambitionem, merces suas plus perjurio onerat quam pretio.* Huc spectat insignis quædam doctrina, quam Sanctus Ambrosius in hac materia tradit inquiens: *Utique accusatis crebra naufragia, quis vos navigare compellit? Quasi non invidia opum, & terras faciatis intutas, & ad latrocinium plurimos excitetis. Mare non ad navigandum fecit Deus, sed propter elementi pulchritudinem. Latius pelagi fudit æquora, certe ut freto includeret terras, ne longius tu vagus & exul errares: Sed tempestate jactatur mare. Temere ergo non usurpare debetis: Elementum innocens nihil deliquit, temeritas humana sibi est ipsa discrimini. Dominus dixit: Dominamini piscibus maris, non dixit: Navigate in fluctibus; piscibus dedit, non hominibus perambulare semitas maris; ad escam tibi mare datum est, non ad periculum, cibo, non mercatu utere; cur tibi periculum generas de voluptate? Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplicabilis avaritia mercatorum! Cede tu, ubi & pelagus, & mare inquietudinem tuam non potest sustinere. Denique toties recurrentibus mercatoribus exaratum: Erubesce Sidon, ait mare; tamquam fatigati elementi vox ista dicentis est; Erubesce Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior, & erubesce velut pudore, quoniam periculo non moveris. Verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates.* Et paulo post de Carthagine mari adjacente subdit: *Ite in Carthaginem, ululate, qui habitatis insulas*, supra dixit, *ululate naves Carthaginis; Carthaginem etenim Tyrij condiderunt, & ideo Carthaginenses sequuntur luxuriam conditorum, transfusa in se decolora successione nequitiæ, pessimorum vitiorum hæredes deteriores.* Porro per experientiam videmus, mare jam factum esse veluti arenam quamdam ineundi certaminis ob frequentia quæ in eo committuntur prælia, item sylvam quamdam, in qua delitescunt pyratæ ac prædones, ad deprædandas naves, forum denique, & domus institorum, ad negotiandum in diversis mercium generibus; imo nusquam reperietis civitates omnigenis vitiis magis refertas, quam sint illæ, quæ navigiorum sunt receptacula, & potius navigantium, quia de unaquaque navi verissimum est dicere, quod sit *innatans vitiositas.*

Matth.8. v.24.
S.Ambr. serm.62.
Cur navis Christi periclitabatur.
Matth.14. v.16.
Quare periclitabatur ambulans super aquas.
S.August. ser.14.de Verb.Dom.
S.Hieron. in Nah.c.3.

7. Innumera porro in medium adduci possunt exempla, quibus peccata tempestatum maritimarum causas esse manifeste probatur. S. Ambrosius quærit, cur mare naufragium comminatum fuerit navigio illi, in quo Christus cum Apostolis suis vehebatur, & respondet inquiens: *Hæc autem est causa periculi; Erat ibi Simon Petrus, sederat pariter & proditor Judas. Quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat; tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas, ubi Judas adjungitur; licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus Proditoris.* Et vero licet undæ adversus proditorem sævierint, quamprimum tamen jussionem audiverunt Christi, sine dilatione tranquillatæ fuerunt. Enimvero ex quo Petri mentionem facere cœpimus, in memoriam mihi occurrit idem Apostolus, quando ad occurrendum cœlesti Magistro suo audacter se in mare commisit, liquidumque & instabile hoc elementum haud secus calcavit, ac si in terra firma obambulasset; at vero undenam contigit, quod idem mare paulo post agitari cœperit, & Petro sui submersionem comminatum fuerit? Christus Redemptor noster ipsemet discipuli sui detexit errorem dicendo: *Modicæ fidei quare dubitasti;* cœpit igitur Petrus de potentia Magistri sui dubitare, ac proinde aquæ in procinctu erant, ut eum castigarent, nisi Christus opportune idipsum prohibuisset; Voluit forte idipsum S. Augustinus dicere, quando ait: *Non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Sanctus Hieronymus quoque ait: *Petrus, qui ante levis pendulo gressu calcabat undas, postquam infidelitate aggravatus,*

vatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini sublevatur. In vita S. Mariæ Ægyptiacæ narratur, Abbatem Zosimum dixisset: *Stupesco, quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias.* Et vero undenam putas derivatum fuisse navis Josaphat naufragium? Nimirum Scriptura ait: *Percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis*; in quonam vero opera ipsius reprehensibilia fuerint, sacer textus indicat, dum subdit: *Iniit amicitias Josaphat Rex Juda cum Ochozia Rege Israël, cujus opera fuerunt impiissima.* Refert Nicephorus Calistus, quod *toto tempore regnantis Juliani Apostatæ iratus Deus varias calamitates, & innumera mala Romanorum immiserit ditioni. Siquidem terra ingenti motu concussa effecit, ut neque in domibus tuto homines manerent, neque sub dio etiam nocte versarentur. Sub ipsius quoque imperio decantatissima illa urbi Alexandrinæ calamitas accidit, cum mare vehementi æstu concitum, & ultra fines suos progressum, ita ut diluvium aridam, & continentem terram inundarit, ut eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ.*

2. Paral. 20. v. 37.
Ibid. v. 35.
Niceph. Cal. lixt. l. 10. c. 35.
Propter peccata Juliani apostatæ variæ calamitates immissæ fuerunt.

8. Verum enimvero in omnibus hisce tempestatum & naufragiorum periculis ingens quoddam habemus solatium, ab Isaia nobis his verbis suggestum: *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Quod miraculum populus Israëliticus in mari rubro manifesto experimento comprobavit, ibi namque Deus unicuique tribui populi sui viam aperuit floridam, per quam siccis pedibus maris vadum pertransire posset, unde Psalmista ait: *Qui divisit mare rubrum in divisiones*, id est, in duodecim vias seu semitas; & iterum: *Filij autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.* Contra vero Ægyptios submersit, quia Dei inimici erant, quos optime ab amicis Dei discernere noverat. In hujus quoque solatij comprobationem legatur Epistola quædam S. Paulini, in qua de sene quodam Catechumeno, qui in Baptismo Victor appellatus fuit, refert, quod cum navigio cuidam sine temone, sine cibo, ulloque vitæ subsidio impositus, pluribus septimanis super inquietis & procellosis maris undis vectus fuisset, illæsus tamen semper manserit, atque ab Angelis defensus fuerit & nutritus; *Ipse enim Christus nunc suo vultu coruscus, nunc S. Fælicis ore venerabilis sedebat in puppa, senemque allectabat, qui inter ejus genua caput reclinabat. Vidit & sæpius Angelos excubare navigio, & cuncta nautici munera administrare. Nec sane navim illam nec Angeli nautæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo, non modo à terris, sed ab hominibus exclusus; omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diversi maris hospes, & exors generis humani, inter fluctus & belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejunijs, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cur ergo obscurum sit, Deum in illo fuisse? Navis primo ad urbem acta Romani portus Pharum vidit, deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatisque turbinibus in Africæ littora transvolavit, atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transcurrit; Ita freta sulcans, ut quasi divina navis, & immisso divino Spiritu sapiens sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret. Tandem finem errorum, atque discriminum in Lucanis posuit littoribus.* Ad solatium quoque navigantium observandum est, quod advertit Chrysostomus inquiens: *Illi Jonam in mare dejecerunt, & stetit navigium; nos quoque peccata submergamus:* unde natam fuisse existimo piam plurium fidelium consuetudinem, qui longas aggressuri navigationes, sacramentali confessione suam solent expiare conscientiam, non solum quia in mari confessorum non est copia, sed potius ut navigatio sine tempestatibus felicem sortiatur cursum, siquidem mare non solet ferocire nisi solum contra peccatum. Sanctus Hieronymus de eodem Jona Propheta ita scribit: *Stetit mare quia invenerat quem quærebat, velut si quis persequatur fugitivum, & concito pergat gradu, postquam fuerit persecutus, desistit currere, & stat, ac tenet quem apprehenderit. Ita & mare, quod absente Jona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens, gaudet & confovet, & ex gaudio tranquillitas redit.*

Isa. 43. v. 2.
Mare rubrum fuit divisum in decem vias.
Ps. 135. v. 13.
Exod. 15. v. 19.
S. Paulin. Epist. ad Macarium.
Historia in qua S. Victoris navim dirigit Deus.
D. Chrysost. hom. 5. ad pop.
Praxis piè navigantium.

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.

Ignis injurias communi Creatori illatas, per incendia vindicat, & sæpe parcit illis, in quibus peccatum non invenit,

THEMA.

Terribilis ... ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Hebr. 10. ℣. 7.

1. Apostolus, qui ab eo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi*, in cœlesti Academia edoctus fuit, non sine mysterio de igne, sicut de re animata, & zelum habente loquitur, dum ait: *Terribilis ignis æmulatio*; Ubi Græcus textus legit: *Terribilis ignis zelus*, ubi Glossa ait: *Adverte, ut veluti animatum fecerit ignem.* Theophylactus propriissima quadam similitudine adhibita hac de re hunc in modum discurrit: *Perinde ut bellua exacerbata non desistit tantisper, dum apprehenderit quempiam, quo devorato exsaturet cupiditatem suam, sic & ille ignis pro transgressione mandatorum sæviens, ac propter illa efferatus, quemcumque apprehenderit, devorat. Terribilis ignis æmulatio*, inquit Apostolus, *quæ consumptura est adversarios.* Quinam porro hi sint adversarij, de quibus Apostolus loquitur dicta glossa clare satis explicat, dum ait: *Fideles, indigna mandatis Dei opera patrantes.* Naturalis quidem est ignis proprietas, ad sphæram suam sursum ascendere, & tamen per experientiam videmus, quod ad peccatores puniendos, etiam deorsum descendat, utique extimulatus zelo vindicandi injurias communi Creatori irrogatas. Sicut enim non obstante, quod de Christo prædictum fuerit: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*: idem Christus nihilominus eodem die, in quo hoc adimplendum erat oraculum, manum suam flagello armavit, ut templi profanatores è domo Dei profligaret, eo quod se obligatum esse censuerit, zelare & vindicare injurias domui æterni Patris sui irrogatas; eodem modo de hoc ignis elemento dici potest, quod licet alioquin generi humano valde sit beneficus, suaque natura sursum semper ascendat; attamen ad zelandum & vindicandum injurias Deo factas, contra impios armetur, & super eosdem deorsum descendat, ut simul cum corporibus & animabus, substantias & facultates ipsorum pariter comburendo consumat; *Terribilis ignis æmulatio.*

Glos.
Theophyl. ibid.
Similitudo.
Matth. 21. 5.
Ignis naturaliter levis, quandoque descendit.

2. In Genesi cap. 19. dicitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Licet enim sulphur venas suas in terræ visceribus habeat; attamen Spiritus sanctus illud de cœlo descendisse asserit, ut per hoc insinuetur, quod quando elementa & cunctæ aliæ creaturæ à Deo ad puniendos ejus rebelles adhibentur, suam mutent naturam, suumque ordinem naturalem plane pervertant. Divus Chrysostomus ait: *Erat justa retributio his, qui naturæ subverterant leges, fœminas in masculis quærentes, ut invertatur & in eis naturæ ordo, & fiant eis naufragium ex igne quasi ex aqua.* Sapiens in libro Sapientiæ, illius meminit prodigij, quod olim in Ægypto contigit, quando una cum pluvijs & grandinibus copiosis & vehementibus visus est pariter descendere & ignis; ait enim: *Quod mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Scitisne causam, ob quam id accidit: *Terribilis ignis æmulatio, quæ consumptura erat adversarios*; Sacer enim textus paulo ante dixerat: *Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt*; Mystice in grandine & igne, inquit Glossa, *dura increpatio innuitur, qua Scriptura divina peccatores cruciat.* Notandum quoque est, Sapientem, postquam illud retulisset prodigium, immediate subjungere: *Vindex est enim orbis justorum, Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia, sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio persecutionem patiuntur. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis, exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.* Audiamus hac de re Dionysium Carthusianum in hæc verba scribentem: *Ignis ille, qui simul ferebatur cum*

Gen. 19. v. 24.
D. Chrysost. de Sodom. & Ach.
Immutant modum naturalem quibus Deus utitur in puniendo.
Sap. 16. v. 17.
Ibid. v. 16.
Gloss. ord.
Ibid v. 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 19.

grandine & pluvia, intensius viguit, & gravius nocuit ipsis Ægyptijs, quosdam eorum incendendo, & terræ nascentia quædam vastando. Idem Extaticus Doctor super ista verba: *Vindex est enim orbis justorum*, ita scribit: *Id est, universitas creaturarum, te jubente, ulciscitur justorum injurias, & contra injustos consurgit, & Creatoris inhonorationem parata est vindicare. Dum Ægyptij varijs plagis puniebantur, mansuetabatur ignis, id est, vim sui caloris non exercebat in quædam.* Id quod Cornelius à Lapide magis speciatim declarat inquiens: *Cum Ægyptij ignem utique accenderent, ut eo objecto sese à ranis, muscis, cinipbibus, & alijs bestijs liberarent, quas Deus immittebat opera Moysis, ut eos plagis afficeret, tunc nullam vim ignis in animalia illa exerebat, sed divina virtute continebat sese, ne illa combureret, ut illa Dei voluntati per omnia parerent, & Ægyptios cruciarent.* Dionysius Carthusianus in eodem capite ulterius prosequitur inquiens: *Ut Ægyptij conspicientes, qualiter ignis ille non egit in illas bestiolas ipsis nocivas, sed eorum jumenta utilia, scilicet equos, boves, vaccas combussit, ex tanto signo adverterent, quod Deo jubente paterentur hujusmodi plagas.* In eodem libro Sapientiæ notat Salomon aliud quoddam prodigium ad probandum ignem contra impios divinæ justitiæ iratæ speciale esse instrumentum & vindicem; ait enim: *Nix autem, & glacies, sustinebant vim ignis, & non tabescebant, ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & in pluvia coruscans.* Naturaliter quidem ignis à grandine extingui, & grandinem liquefacere debuisset, cujus tamen contrarium factum est, flamma ignis in media grandine magis invalescente, ut per hoc castigarentur peccatores athei & rebelles.

Dion. Carth.
Sap. 16. 17.
Universitas creaturarum ulciscitur injurias justorum.
Corn. à Lap.
Ignis non consumebat ciniphes & muscas Ægyptiacas.
Dion. Cart.
Sap. 16. v. 22.

3. *Terribilis ignis*: in dubium revocari nequit, quin ignis, inter omnes alias creaturas, ab infallibili altissimi providentia, & ultrice ejus justitia electus fuerit in condignam impiorum peccatorum supplicium & pœnam; Unde Judex in novissimo judicij die dicturus erit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, quasi dicere vellet, si homo in statu innocentiæ perseverasset, nullam ab hoc elemento umquam passurus fuisset offensam & læsionem, quia ignis infernalis non pro nobis, sed pro angelis malis accensus fuit, quia vero eorum facti sumus consortes in culpa, Deus justo suo judicio disposuit, ut cum peccatores simus, etiam in hac præsenti vita flamma ignis nos præveniat, & castigemur ab incendijs & flammis, cujus tam in Scriptura sacra, quam in historijs multa leguntur exempla. Postquam filij Aaron thuribulis suis profanum imponendo ignem, divinum transgressi fuissent præceptum, *egressus ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.* Similiter milites illi, qui ad capiendum Eliam Prophetam missi fuerant, ejusdem Prophetæ jussu ab igne de cœlo lapso fuere consumpti. Filij quoque Israël, qui contra Moysen murmuraverant, ab ignitis & venenosis serpentibus fuerunt ambusti; *ut cognoscant impij*, inquit Rabanus, *quod omnis creatura parata est ulcisci injuriam Creatoris.* In Apocalypsi c. 10. S. Joannes hanc sibi exhibitam refert visionem: *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertum.* At vero quodnam in hoc libello aperto, in manibus cœlestis hujus Angeli, (cujus pedes tamquam columnæ ignis erant:) reposito, latere existimatis mysterium? enimvero quam frequenter audiuntur exorbitantia domuum, mercium, hominum, & civitatum incendia cum irreparabilibus populorum damnis conjuncta? Et unde illa derivari putatis, quam à gravibus nostris delictis atque sceleribus, quæ in hoc libro accurate descripta reperiuntur, de quo sancta Ecclesia canit: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur?* Audiamus Andream Cæsariensem dicentem: *Libellus ille veluti parvus magnaque cum diminutione expressus, hominum insigniter nequam & sceleratorum nomina & acta continere videtur, cujusmodi inter cæteros sunt, qui latrocinia in terra, aut pyraticam in mari exercent, aut quovis alio modo impietati student,*

Matth. 25. v. 41.
Ignis inferni pro dæmonibus accensus fuit & casualiter pro hominibus.
Levit. 10. v. 2.
Varij in Scriptura puniti fuerunt per ignem.
4. Reg. 1. v. 10.
Num. 21.
Raban. in Glossa.
Sap. 16.
Apoc. 10. v. 1.
Proponitur liber delictorum.
And. Cæsar.

quorum suppliciumi; post hoc insinuat Angelus, quod inflammatos pedes simul super terram & mare ostendit; subdit enim sacer textus: *Posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram*: erantque hi pedes sicut columnæ ignis, quia fulmina iræ Dei in pœnam peccatorum terra marique evibrantur in multis incendiis.

Ibid. v. 2.

4. In Catechismo exemplorum scribitur, quod *Stocholm, insigne Sueciæ Emporium, ingenti de cælo clade afflictum fuerit, nam fulmine tactum oppidum bene totum conflagravit. Perieruntque incendio ad mille sexcentos homines*: Author vero, qui hoc flagellum enarrat, sequentem illius assignat rationem, dum ait: *Emporium cremabatur ob delicta.* Amplissima quoque urbs Constantinopolitana magna ex parte non semel, sed sæpius in variarum transgressionum pœnam conflagravit. Apud eumdem authorem Catechismi sequens illius legitur exemplum, ita enim scribit: *Quomodo populus Constantinopolitanus incendij cladem, peccatis id exigentibus, malè manibus Dei extorserit, audiamus Marcellinum ita loquentem; Ex actibus sancti Danielis Stilitæ: In maxima, atque regia civitate incipit incendium, quod usque adeo est excitatum, & adeo invaluit, ut fere universam contriverit civitatem.* Et quidem Baronius in Annalibus Ecclesiasticis inquit, S. Danielem Stilitam hoc prædixisse incendium, simulque omnes exhortatum fuisse ad agendam peccatorum pœnitentiam. In iisdem annalibus Ecclesiasticis scribitur quod cum S. Joannes Chrysostomus ab impia Eudoxia è civitate pelleretur, ab ejus cathedra, in qua sedere & prædicare consueverat, flamma quædam ignis egressa fuerit, quæ dum cathedram conflagrasset, versus altissimum templi tectum se extulit, illudque totaliter conflagravit, demum vero in forum se recipiens in conspectu maximæ multitudinis populi, transivit ad locum, in quo Senatus congregatus erat, qui licet procul à templo dissitus esset, ab eodem tamen igne consumptus fuit, sola intacta manente capella, in qua sacra supellex conservabatur, ad defendendum sanctum Præsulem, cumque ab omni suspicione purgandum, quasi aliquid sacræ secum supellectilis sustulisset. Et quidem quoquot hujus incendij meminerunt, omnes in eo unanimiter consentiunt, prædictum incendium prorsus fuisse miraculosum. Paulo post anno 433. ignis eamdem civitatem corripuit, fuitque incendium istud adeo impetuosum, ut major civitatis pars in cineres abierit, incendio tres dies atque noctes incessanter continuante, idque in pœnam, quod Nestorium hæc civitas exceperit, ejusque partes secuta fuerit, postquam in Concilio Ephesino fuisset condemnatus. Anno 718. Saraceni urbis Constantinopolitanæ obsidionem intercessione magnæ matris Dei summa cum ipsorum verecundia deserere coacti, pro majore parte partim ab aquis absorpti, partim ab igne incinerati fuerunt, siquidem grando quædam ignita super ipsos de cœlo lapsa aquam maris bullire, & picem, qua navium tabulæ compaginabantur, colliquescere fecit, unde naves submersæ fuerunt, ex tota illa Saracenorum multitudine solum decem remanentibus residuis. Anno 507. cum Alaricus persequeretur Sanct. Cæsarium, eo quod impositæ sibi calumniæ, quasi civitatem Arelatensem Burgundionibus extradere voluisset, adhibuisset fidem, eumdem Burdigalam relegavit in exilium, ubi cum in pœnam hujus injustitiæ, fortuito excitatus ignis conflagraret civitatem, omnes incolæ suum ad illum acceperunt refugium, qui proinde ad faciendam orationem in terram prostratus, eumdem protinus extinxit. Simile miraculum in hac urbe Romana renovavit circa annum 823. Paschalis Papa, hic enim dum civitas ingenti incendio conflagraret, facta ferventi oratione, pedibus nudis ad incendium accurrens, illud ipsum extinxit. Aliud quoddam refertur incendium, quod anno 1194. factum præ cunctis aliis prædictis exemplis, hoc elementum etiam in hac vita specialem impiorum esse vindicem, manifeste probat. Cum enim Leopoldus Dux Austriæ in excommunicatione, quam Cœlestinus Papa contra ipsum fulminaverat, pertinaciter perseveraret, nec converti vellet, Deus ei subditas regiones hunc in modum flagellavit, siquidem omnes conflagrarunt civitates, absque eo, quod modus obortorum incendiorum in ullo loco explorari posset. Prosequitur quidem idem Cardinalis Baronius in annalibus suis plu-

Catech. Exempl. t. 1. cit. 2. n. 3.
Ob peccata incendio perierunt.
Constantinopolis.
Ibid. num. 1.
Stocholm.
Baron. An. 465. n. 2.
An. 404. n 43.
Constantinopolis secundo.
An. 433. n. 23.
Eadem urbs tertio.
Saraceni igne puniti sunt.
An. 507. n. 6.
Idem Burdigala.
An. 823. n. 4. Baron.
Roma.
An 1194. n. Baron.
Omnes Civitates Austriæ.

rium aliorum similium exemplorum seriem, sed quia illa proposito nostro parum deserviunt, libenter ea præterimus.

Ignis universalis non nocebit justis.

5. *Ignis æmulatio consumptura est adversarios.* Ex his verbis manifeste sequitur, amicos Dei optime sperare posse, se ab igne mansuros illæsos, siquidem hic solum in vindictam inimicorum, & ad peccata castiganda immissus, bonos utique à malis optime discernere valebit. Huc forsitan respexit
1. Cor. 3. 13. Apostolus inquiens; *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Sanctus Eucherius de incendio universali in fine mundi futuro differens inquit; *Illic*
S. Euch. Hom. 3. de Epiph. *justi velut per amœnos gurgites, incendijs naturam suam mutantibus transweabunt, intacta ignibus corpora, ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis.* Thomas Cantipratensis historiam quamdam refert, quæ in confinibus Burgundiæ circa
Thom. Cantip. l. 2. Apum. c. 36. §. 2. adolescentem quemdam, qui utpote à primis annis inter monachos Sancti Benedicti educatus, summa cum innocentia vixerat, contigit. Cum enim adolescens ille una cum Abbate suo extra Monasterium degeret, contigit, ut in domo quadam cujusdam vetinarij seu equarij, qui ferreos equorum

Historia de Juvene pio. calces fabricabat, requiescerent, cumque juvenis in officina dicti vetinarij unum ex ferreis equorum calcibus rubicundum ignitum, & splendentem cerneret, nesciretque quid esset, curiositate ductus ferrum illud ignitum *nuda manu sine adustione aliqua vel læsura elevans contrectavit; Abbas stupefactus, & omnes, qui præsentes aderant, innocentiam in juvene venerati sunt, & rem iterato, ac pluries probaverunt.* Qua in occasione experientia verissimum esse comprobavit, quod Sanctus Ambrosius de rubo ardente, non tamen comburente in hæc verba scripsit: *Rubus non exurebatur, sed tantum splendere ignis speciei videbatur alterum igitur munus ignis*
S. Ambr. l. 4. Hexam. c. 3. *vacabat, alterum operabatur. Vacabat exactionis vis, operabatur illuminationis. Ideo stupebat Moyses, quia contra naturam suam ignis non exurebat.* Ac tandem concludens subdit: *Domini ignis illuminare solet, exurere non solet; non solet consumere nisi sola peccata. In retributionibus meritorum, colligimus dividi ignis naturam; ut alios illuminet, alios exurat; illuminet justos, exurat impios.* Et quidem utrumque hunc effectum experientia in hoc

Alia natura est ignis divini, alia ignis communis. juvene probavit, siquidem idem Cantipratensis in eadem historia subdit: *Posthæc Abbate cum suis alias occupato, juvenis mox interiora domicilij est ingressus, ubi uxorem fabri tenentem puerum super genua inveniens, cum parvulo, cui numquam similem viderat, jocari cœpit. Illico autem mulier juvenem, quasi inexpertum, malitia simulata, si talem habere vellet, inquirit,*
Thom. Cant. ibid. *& ille, libentissime, inquit, quæ mox nescium ad concubitum instruens, puerum sic fieri promittebat. Ergo ubi juvenis post concubitum innocentia spoliatus egressus est, ferram candens, ut prius contrectare existimans, graviter adustas exclamavit, qua in re non modice turbatur Abbas, & mirabatur, animadvertit, ex interiori lasura animæ, juvenem foris læsum, & priori, quæ eum contra ignem protexerat, innocentia nudatum.*

Pietatem juvenis illius sustulit mulier.

6. In Apocalypsi Angelus quidam visus est, qui thuribulum manu tenens igne plenum, illud ipsum in terram subvertit. *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in*
Apoc. 8. v. 5. *terram*; Super quem textum Richardus de S. Victore ita scribit: *Hoc igne peccatores, tamquam vasa fragilia in fornace fatiscentia, novimus reprobari, quia*
Richard. de S. Vict. *per unum ignem, non eamdem pœnam impiorum cum justis sortitur effectum, sicut nec stipula, nec aurum, quorum alterum consumi, alterum probari cognoscimus.* Deus ipse, qui falli aut fallere nequit, apud Isaiam pollicetur, inquiens: *Cum transieris per aquas, tecum*
Isa. 43. v. 2. *ero*, (nimirum talem alloquitur, qui nequaquam ab ipso est separatus, sed in gratia & amicitia ejus actualiter vivit) *Flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.*
Ibid. Hæc eadem, quæ impios inter & justos intercedit, differentia, in historia trium puerorum, quos Rex impius in fornacis Babylonicæ flammas conjici jussit, manifeste apparet. Tametsi enim sacrilegus ille Rex fornacem septuplo vehementius accendi jussisset, ut hac ratione ignis in conflagrandis tribus illis pueris impetuosior esset, ignis tamen ille prædictos pueros
Dan. 3. v. 48. penitus illæsos reliquit; econtra vero *effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit, & incendit, quos reperit juxta fornacem de*

Historia trium puerorum in Babylonia. *Chaldæis*; nimirum fornax illa non ardebat, ut Ananiam, ejusque collegas, qui regio Nabuchodonosoris præcepto parere detrectaverant, conflagrarent, nam ut Scriptura ait: *Non tetigit eos omnino ignis,* Ibid. v. 50. *neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* At vero inquies, cur igitur Nabuchodonosoris ministros, qui dictam fornacem accenderant, consumpsit? Audiamus Eusebium Emissenum ad hoc dicentem: *Extra fornacem sapiens ignis trahitur, & intus in fornace famulatur; quanta castis visceribus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit.* Euseb. Emiss. Hom. 3. de Epiph.

7. Simile miraculum de S. Agnete Virgine & Martyre legitur. Cum enim tyrannus hanc quoque in rogum ardentem conjici præcepisset, elementum hoc, velut si animatum fuisset, discernere noverat, quis supplicium illud ignis mereretur, & cui deberetur veneratio; (*Arbiter ignis agnovit*:) suas enim dividens flammas, sanctissimam hanc Virginem suos inter constrinxit splendores, caloris vero activitatem & voracitatem in circumstantes idololatras, impiosque ac truculentos ejus persecutores effudit, Martyre penitus remanente illæsa. Historia de S. Agnete.

8. Columna illa, quæ Israëlitas in deserto associavit, licet ignea fuerit, attamen non solum sua contra Ægyptios fulmina emisit, dicente Scriptura: *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per co-*
Exod. 14. 24. *lumnam ignis, interfecit exercitum eorum*; verum insuper idem ille ignis Hebræis venerabunda obsequia exhibuit; Unde Clemens Alexandrinus inquit: *Ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ & timoris indicium; si obedieris, lucem habebis, si non obedieris, ignem.* Observasti ne aliquando, qualiter eo tempore, quo Deus in monte Sinai legem dedit, mons ille velut totus exardescens, flammarum globos ingentes ediderit? *Totus mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum.* At vero quidnam lex, quam Deus promulgare volebat, cum igne commercij habet? Ecce tibi hujus ignis mysterium: *Si enim obedieris, lucem, si non obedieris, ignem habebis.*
Exod. 19. v. 18. Eadem columna ignea lucebat Hebræis & nocebat Ægyptijs. Clem. Alex. exhort. ad Gentes.

DISCURSUS XI.
ARGUMENTUM.

Deus tonitrua excitat, ad ingutiendum peccatoribus metum, illosque convertendos, suaque in illos fulmina immittit, ut suam adversus peccata iram effundat.

THEMA.

De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apoc. 4. ℣. 5.

1. EX quo Deus in Apocalypsi, veluti in Throno summa cum majestate & magnificentia positus, atque à viginti quatuor sublimibus Monarchis præ summa reverentia coram ipso prostratus, suaque diademata ad ejus pedes projicientibus adoratus, Sancti Joanni exhibitus fuit, merito inter alia omnipotentiæ, & magnificentiæ ipsius indicia hoc loco subjungitur: *De Throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Enimvero vel ipsi Gentiles fulmina Jovis (quem ipsi velut supremum inter Numina falso colebant) manibus inferentes, per hoc absolutam ejus potestatem indicare voluerunt. Unde Seneca ait: *Mira fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec quidquam dubij relinquentia, quin divina insit illis & subtilis potentia.* Cornelius à Lapide super assumpti thematis verbis ita scribit: *His symbolis Deus suam potentiam, majestatem, & magnificentiam ostendit.* Salvator noster paulo ante, quam passionem suam adoriretur, Divinitatis suæ quoddam insinuare volens indicium, & specimen, æterno Patri suo dixit: *Pater clarifica nomen tuum*; *venit vox de cœlo: Et clarificavi, & iteram clarificabo*: Subdit vero Evangelista: *Turba, quæ stabat, & audierat, dicebat, tonitruum esse factum.* Porro certum est, prouti ex verbis præfatis colligitur, quod quanto major est altissimi in Throno illo beato considentis majestas, tanto magis Angeli contremiscant: *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.* Tonitrua autem voces sunt Dei, quibus nos perterrere, & metu percellere intendit, ut erga ipsum tanto simus obsequiosiores, magisque obedientes. *Tonabit voce magnitudinis suæ*, inquit Job, *tonabit Deus in voce sua*; ac proinde

Declarant fulmina divinam potentiam. Seneca l. 2. nat. q. c. 31. Corn. à Lap. Joan 12. v. 28. Ibid. v. 29. Tonitrua sunt voces Dei. Job. 37. v. 5.

postquam Sanctus Joannes dixisset *fulgura*, mox subdit *voces & tonitrua*, quasi duas voces idem significantes. Idem S. Propheta in alio loco pariter interrogat: *Si habes brachium sicut Deus, & si simili*
Job 40. v. 4. *voce tonas?*

2. Samuel populo Israëlitico, Regem sibi constitui contumaciter postulanti, evidens aliquod divinæ omnipotentiæ signum dare volens, cœlum subito turbari, indeque tonitrua audiri, copiososque pluviarum imbres descendere fecit, at vero audiatis velim, qua phrasi seu modo loquendi tonitrua appellaverit: *Invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias, & scietis, & videbitis, quia*
1. Reg. 12. 17. *grande malum feceritis vobis in conspectu Domini.* Vatablus loco ly *voces*, legit, *tonitrua*, & merito quidem, quia etiam Psalmista tonitrua eodem nomine nuncupavit dicendo: *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ig-*
Psal. 17. 14. *nis, Et misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura*
Ibid. v. 15. *multiplicavit, & conturbavit eos, Et apparuerunt fon-*
Ibid. v. 16. *tes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, quia sæpius contigit, quod post tonitrua, & vibrata sint fulmina, exurrexerint turbines, tempestates, diluvia, ipsaque terra per terræmotus & concussiones in profundas voragines aperta fuerit, ut proinde merito dici possit: *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* S. Propheta Isaias de horribili illa tempestate, quam Deus Assyrijs immissurus erat, differens, eamdem sub hisce terminis describit: *Audiam faciet Dominus gloriam vocis suæ,*
Isa. 30. v. 30. *& terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris.* Ecclesiasticus similiter tonitru vocem Dei appellat
Eccli. 43. v. 18. inquiens: *Vox tonitrui ejus verberabit terram*: Deus enim peccatores terrefacere volens, vocem suam, id est, tonitrua emittit. Advertendum quoque est, quod, priusquam Job fulminis mentionem faceret,
Job. 38. 34. præmiserit dicens: *Numquid elevabis in nebula vocem tuam? Hæc autem elevatio vocis*, ut in catena
Cat. Græc. Corder. Græca dicitur: *imperium Dei est, eleganséque significatio contentæ vocis, qua ex longinquis terræ marisque regionibus materia nubium aut nebularum evocetur.* Sanctus Thomas vocem tonitruum esse putat, *quod vox dicitur Dei, adeoque loqui censetur, cum tonat Deus.*

3. Videmus per experientiam, quod insonante & obstrepente tonitru homo naturaliter timore percellatur, unde & Seneca ait: *Humanas motura to-*
Seneca ibid. cap. 1. *nitrua mentes.* Sanctus Ambrosius præcitatum Apocalypsios textum exponens inquit: *Per tonitrua ter-*
S. Ambr. in Apoc. *vor gehennæ ignis designatur.* Hugo Cardinalis ra-
Naturaliter homo horret tonitru. tionem assignat: *Coruscationes judicij tui, quia nimi-*
Hug. Card. Eccli. 43. 5. *rum timorem incutiunt*; *vel quia memoriam de judicio*
Ps. 94. v. 8. *facturi, vel quia ex Dei judicio & arbitrio fiunt.* Regius Psalmista finem infinuat, quem Deus ut plurimum sibi propositum habet, dum vocem suam, id est, tonitrua edit; ait enim: *Hodie si vocem*
Ps. 103. v. 7. *ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; clarius
Tonitru est monitorium Dei. autem alibi dicit: *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.* Deus olim in Exodo Ægyptiorum armenta, greges, & messes per grandines,
Exod. 9. v. 23. fulgura, & pluvias dispergere, magnamque inter illos stragem facere voles, primo tonitrua præmisit,
Oleaster. dicente Scriptura: *Dominus dedit tonitrua*; Oleaster legit *voces*, quia nimirum præmunire illos voluit, ut securitati suæ consulerent, vitamque suam emendantes iram suam placarent. Unde ipsemet quoque Sene-
Senec. ibid. cap. 49. ca fulgura vocat *Monitoria, quibus Deus docet quid cavendum sit*; Quod idem multo magis de tonitribus dici potest, utpote quæ fulmina præcedunt, tempestque contrionis actus eliciendi, & ad Deum recurrendi indulgent. Oleaster inquit: *Admonemur hic, ut*
Oleast. Exod. 9. *cum tonitrua audierimus, sciamus Deum nos voce sua terribili velle admonere, & alloqui, ut à malo recedamus.* Abulensis de tonitribus, quibus Ægyptij perterrefacti fuerunt, loquens, inquit: *Causantur to-*
Abul. in c. 9. Exod. *nitrua ex illisione, & erant magna valde ad terrendos Ægyptios peccatores.* Sanctus Augustinus à Glossa citatus inquit: *Samuele invocante Dominum, horribiles*
S. Aug. in Gloss. in 1. Reg. 12. *voces Dominus intonuit, quibus plebs, quæ audierat se Dominum repulisse, ne regnaret sibi, intelligeret, & ut confiteretur pertinaciam populi.*

4. Reflexistisne vos aliquando ad illum Psalmistæ versiculum, in quo ait: *Vox Domini præparantis cer-*
Ps. 28. v. 9. *vos?* Quidnam obsecro voci Dei, vel tonitribus, Tonitru partus cervarum acceleratur. cum cervis intercedit? Pro resolutione sciendum est, versionem Chaldaicam habere: *Parturire faciens cervas?* hæc enim animalia fœtus suos difficulter in lucem edunt, quando autem tonitrua vehementer insonant, viscera ipsorum, ob terrorem, quem inde contremiscentia concipiunt, dilatantur, ruptisque uteri membranis facile parturiunt. Eheu! quot sunt, de quibus cum Isaia dicere possumus, *vevexerunt... usque ad*
Isa. 37. v. 3. *partum, & virtus non est pariendi?* Multi enim bonam quidem habent voluntatem peccatum ab animabus ejiciendi, at vero voluntatem illam numquam exequuntur, nisi quando tonitrua per cœlos discurrere audiunt, tunc enim ad pedes confessarij recurrentes pœnitere incipiunt. *Quis enim poterit toni-*
Job 26. v. 14. *truum magnitudinis illius intueri?* Saulus mox in Paulum, & ex persecutore in Apostolum, ex lupo in ovem transmutatus fuit, mox ut terribilem illam cœlitus detonantem audivit vocem: *Saule, Saule, quid me per-*
Act. 9. v. 4. *sequeris?* Quodnam in eo latere existimatis mysterium, quod quando Deus in monte Sinai legem suam
Exod. 19. v. 16. dedit, simul etiam tonitrua audiri voluerit? *Cæperunt audiri tonitrua.* Respondet Novarius inquiens: *Ut al-*
Novar. *tius tudis ille populus legem suam menti infigeret, & tonitruum & fulgurum memoria à legis violatione revocaretur.* Oleaster diu ante sibi interroganti: *Ad quid hæc Domine Deus?* In hæc verba respondet: *Arbitratus est Dominus, quod quoties lex ejus homini frangenda occurreret, tonitrua, ac micantia fulgura, quæ in ejus promulgatione contigerant, ad memoriam revocata, eum à peccato facienda deterreret, & ad memoriam revocaret Deum, cujus leges frangit, horum Dominum tonitrua aut fulgure interficere, imo comminuere posse: sed humana malitia divinæ formidinis expers, Deum offendere, ejusque leges quotidie infringere non veretur.*

5. *Et fulgura.* Enimvero communiter tonitrua fulmina præcedere, eorumque prodromi esse solent. Et quidem ex illo Deuteronomij textu, in quo Deus iratus ait: *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arri-*
Deut. 32. v. 4. *puerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis &c.* Clare colligitur, fulgur, ejusque sagittam, speciale esse iræ divinæ indicium, ac instrumentum. In judicio finali, quando furor ejus ad summum usque gradum pertigerit, Christus furorem suum fulmini similem futurum esse prædixit inquiens: *Sicut*
Gladius Dei est ut fulgur. Matth. 24. v. 27. *fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit & adventus Filij hominis.* Lorinus super præcitata Deuteronomii verba scribens, rationem reddit, cur gladium iræ suæ potius fulmini assimilaverit, quam cuivis alteri supplicij instrumento, ita enim scribit: *Ira, vindictaque Dei fulgori comparatur, ut annotat Le-*
Lorin. in Deut. *donicus de Leon, quia Deus adversus impios utitur sæpe fulgure, seu fulmine.* S. Nilus ait: *Ira quasi fulmen in*
S. Nilus or. de ira. *anima*; Cum igitur fulmina iræ Dei sunt effectus, merito hoc nomine describuntur. Sicut enim nemo reperitur, qui fulminis ictibus resistere possit, ita quoque certo constat, neminem iræ divinæ aliquod ponere posse obstaculum, quando ex justitia sua castigare decrevit; Unde S. Job ait: *Deus cujus iræ resistere*
Job 9. v. 13. *nemo potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem.*
Eccli. 43. 14. Dionysius Carthusianus verba illa Ecclesiastici; *Ac-*
Dion. Carth. *celerat coruscationes emittere judicij sui*, de fulminibus
Ibid. interpretatur, ut sensus sit: *Fulgura velocissime emittit, vel ad ostensionem terroris; & rigoris divini judicij, aut etiam ad puniendum.* Hinc Job 36. scriptum est: *Si*
Job 36. *volverit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.* In libro Sapientiæ dicitur: *Ibunt directè emissiones ful-*
Sap. 5. v. 22. *gurum, & tamquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Psalmista de igne velut fulminis prodromo loquitur dum ait: *Ignis*
Ps. 96. v. 3. *ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra.* Dionysius Carthusianus præcitata Deuteronomij verba: *Si acuero ut fulgur gladium meum,*
Deut. 32. 42. Dion. Carth. gloss sua illustrans, hunc illorum sensum, esse dicit: *Si ad vindicandum me præparavero, inebriabo sagittas meas sanguine, id est, per pœnas & jacula penetrantia, tantum impiorum sanguinem effundam, seu tantos occidam, quod instar ebrij videbuntur esse repletæ.*

6. *Et fulgura.* Consideratisne aliquando quonam modo fulgur generetur? Audite Lorinum dicentem: *Materia fulminis est exhalatio terrea*
Lorin. in Deut. 32. *sensim ascendens, & subito impetu descendens, post-*
Modus, quo generatur fulmen. *quam formata & exacuta est; ad eumdem modum ex nostris peccatis ante divinum conspectum sahentibus, divina fabricatur vindicta, conficiturque.* Et vero variæ inter fulmen & peccatores proportiones & similitudines intercedunt. Etenim ut Cornelius à Lapide ait: *Fulmina, quæ iræ divinæ sunt sym-*
Corn. à Lap. in cap. 20. Apoc. *bola*, igne sulphureo constant, & sulphur olent; De peccato quoque nos suo loco diximus, quod tam

cœlum, quam terram versus abominabilem fœtorem exhalet. De Themistocle legitur, quod scuto quodam munitus fuerit, in quo Cupido & fulmen quoddam effigiata cernebantur, apta nimirum inter se unione, quia omnia peccata, speciatim vero carnis peccatum, in sulphure denotatum, ex mente Sancti Gregorii fulmina è cœlo provocare solent. Lorinus sequentem habet diversam ponderationem; ait enim:

Historia.

Lorin. ibid.

Sicut ictu fulmine & extincti, nullum exterius plagæ signum præ se ferunt, ita flagitiosi secundùm externam spectem valere videntur, ac florere, cum tamen à Deo percussi, multis interim malis miserrime laborent, quia gladius iste fulgureus divinæ justitiæ, ut ferrum comminuit impium, justum velut vaginam illæsum præterit. Quia sicut pernde ut fulmen ex improviso & in momento prosternit, idque sæpius calida tempestate, quando aër minus nubilosus, tellus vero hilarius vernat: si tunc maximè percellantur scelerati, cum cuncta ijs rideant, & ad votum; feliciterque procedant, ita ut cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniat interitus. Me quod attinet, sæpius illam consideravi similitudinem, qua incarnata sapientia Satanam è cœlo præcipitem, utpote primum peccati authorem, & ad quævis scelera ad finem usque sæculorum instigatorem, ad vivum exprimere volens, aptius reperire nequivit epithetum quam fulguris, ait enim: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*; revera enim nulla dari potest creatura, in qua magis vivaciter culpa eidemque debita pœna exprimatur, quam in fulguris sagitta. Cornelius à Lapide aliam considerat utriusque proportionem, ait enim: *Sicut fulgur in cœlo splendidissimum in terra desinit in lapidem, quem instar teli ejaculatur, sic superbia Luciferi fulgidissimum Angelum convertit in deterrimum Cacodæmonem. Detracta est ad inferos superbia tua. Fulmen enim superbiæ est symbolum, dicente Poëta: Ferium altos fulmina montes; Initium omnis peccati superbia*; at vero in quid fulmen desinit? aut in quo terminatur? Nimirum in profundissimas terræ voragines, & in momento deficit, ita quoque peccatoribus contigit, de quibus Psalmista ait: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Porro fulmen, quod terram concutit, civitates populosissimas contremiscere facit, ipsumque cœlum in prælium obarmat, si post longum inquisitionis laborem reperiatur, nihil est aliud, quàm sparvulus quidam & durus lapillus, & tamen tamquam minister Altissimi ad vindicandas ejus offensas, & tamquam divinæ justitiæ instrumentum, à peccatis nostris corroboratum, fortissimas sæpe turres in ruinam agit, & ad terram prosternit.

Vulnus fulminis exterius sæpe non apparet.

Luc. 10. v. 18.

Corn. à Lap. Proportio inter peccatum & fulgur.

Isa. 14. v. 11.

Ps. 36. v. 35.

Maximi effectus lapilli fulguris.

7. *Fulgura.* Deus promptiores fidelioresque furoris sui executores non habet ipsis fulminibus, unde Job interrogat inquiens: *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus?* Quæ verba Sanctus Thomas ita exponit: *Numquid per tuam virtutem erit motus eorum, & ibunt, quasi scilicet obediant tuo imperio? Solent autem motus fulgurum repercuti ab uno loco in alium, & hoc designat, subdens: Et reverentia dicent tibi adsumus, quasi in sua reversione parata essent, ut iterum obediant divino imperio, & ad alium locum vadant, seu mittantur.* Quod si peregrinos observaveritis modos, quibuscum fulgura sese vertunt, & revertunt, effectusque extravagantes, quos post se relinquunt, nec non personas, quas offendunt, illa non solum vobis animata, sed & judicio & discursu prædita esse videbuntur; neque id mirum est, quia *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, Ex iis, quæ Sanctus Paulus ad Romanos scribit, clare colligitur, omnes creaturas ad serviendum impijs admodum esse invitas; ita enim scribit: *Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute.* Unde si in illarum staret arbitrio, utique ad castigandum impium sese obarmarent; & quidem in casu, quo Deus creaturas suæ libertati relinqueret, utique ad castigandum impios *pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*, inter omnes tamen alias creaturas, fulmen cæteris omnibus velocius existit, estque instrumentum præ cæteris ad supplicium sceleratorum proportionatissimum. Verum tamen est, quod de Deo dici possit & debeat, *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*; quia prius quam fulgurat, anticipare tonitrnat, ut à peccatis resipiscamus. Audite de fulmine in hæc verba scribentem Senecam; *Quid quod maiorum serpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis inest, cum fulmine ista sunt, venenum omne consumitur? Unde, inquis, scis? In venenatis corporibus vermis non nascitur; fulmine icta intra paucos dies verminant.* Hic porro finis est, quem Deus, fulmina in impios immittens, sibi habet propositum, scilicet ut extinguatur in illis, qui post fulmina superstites manent, peccati venenum. Verumtamen quemadmodum electi à Deo puniti emendantur, ita perversi magis indurantur, ac proinde S. Cyrillus Jerosolymitanus de Manichæis hæreticis ita scribit: *Tonat Deus, & nos omnes tremimus; illi autem blasphemant; fulgurat Deus, & omnes ad terram inclinamur, illi vero nefandas in cœlum movent linguas.*

Effectus fulguris sunt extravagantes.

Rom. 8. v. 20.

Sap. 5. v. 21.

Velocissimum fulgur, contra ut præmonitio præcedit.

Job. 38. v. 35.

S. Thom. Ibid.

Senec. ibid. cap. 31.

Similitudo.

S. Cyrill. Jer. cath. 6.

8. Insignis quidam author modum refert, quo fideles nonnulli sese contra fulmina obarmare solent; ait enim: *A signis cœli ne timueritis, quæ timent gentes. quia ego vobiscum sum Dominus Deus vester. Hæc quoque verba inter tonandum, vel audita, vel dicta, scribantur à quibusdam noxam fulminis amovisse.* In vita S. Thomæ de Aquino novissimè à Patre Paulo Frigerio in lucem edita legitur, quod adversus tonitrua & fulmina hisce se verbis obarmare consueverit, dicendo: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* In actis Sanctæ Hedvvigis Duciss Poloniæ scribitur: *Convulsationes, & tonitrua multum formidabat, quod his elementorum commotionibus extremæ ultricis judicium, & divinæ ultionis gladium revocaret ad memoriam, eaque commemorans, tota contremisceret, ut cum B. Job quasi tumentes super se fluctus semper Dominum timeret, nec cessavit in tremor, donec accitus aliquis Sacerdos, sacratas manus pro divinæ protectione: scuto ejus capiti imponeret, sub quarum umbraculo, tamquam jam secura de periculo evadendo, genuflexionibus & orationibus durante tempestate insistebat. Tranquillitate post intempestum reddita, pro gratiarum actione illas manus osculabatur, quas idcirco putabat resistere noxiæ potestati, ut iram Dei avertant, vel Deum iratum concitent, quod sacratæ sint.* De S. Geadda refert Lippelous, quod novissimorum memoriam adeo firmiter cordi suo impressam habuerit; ut quotiescumque vel impetuosus spiraret ventus, vel turbo aliquis exurgeret, ad orationem faciendam se prosternere consueverit; emicantibus autem fulguribus, vel insonantibus tonitrubus, ad Ecclesiam se receperit, neque inde egressa fuerit donec aër pristinæ esset serenitati restitutus. De hujus autem formidinis causa interrogata respondit: *Nunquid apud Psalmistam legisti: Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam; misit sagittas suas, & dissipavit eos? Ergone ignoratis, quod sæpe post fulgura, & tonitrua fulmen sequi soleat?*

Joan. Sarisberiensis lib. 1. de nugis Curial. c. 13. Munimen contra fulmina.

Vit. S. Thom. Aquin. lib. 2. c. 3. n. 10.

Historia.

Lippel. Mar.

DISCURSUS XII.
ARGUMENTUM.

Peccata nostra inimicos nostros in bella contra nos corroborant, nostrasque debilitant vires.

THEMA.

Non poterit Israël stare contra hostes suos eosque fugiet. Josue 7. ℣. 12.

1. Postquam Deus exercituum, qui populum suum ad Palæstinam occupandam & possidendam direxerat, ut in ea post Ægyptiorum submersionem, aliasque in deserto ab hostibus gloriose reportatas victorias, triumphales plantaret & erigeret lauros, populos deserti illius incolas metu & formidine replesset, illisque subjugandis fœlix fecisset principium, tandem in optimo fortunatissimorum progressuum cursu, rotam fortunæ ipsorum stitit, hocque infaustum oraculi æterni vaticinium auribus illorum insonari fecit: *Non poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet.* At vero dicet fortasse aliquis, quamobrem infelix hic eventus Israëlitis obtigit? Num forte artis bellandi obliti erant, aut vero quoad numerum & vires bellatorum nimis notabiliter erant diminuti, aut vero hoc illis contigit, quia annonæ, vel munitionum, vel expertorum belli Ducum patiebantur inopiam? Ex nullo horum capite hæc illis infelicitas evenit, quin potius Deus ipse eodem in loco ipsissimam insinuat causam, cur animi generositatem amiserint, & inimico, cæteroquin segni, imbelli, & vili, terga verterint; nimirum: *Quia pollutus est anathemate, non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui*

Punitio Hebræorum quia anathemate pollueti erunt.

Ibid. v. 12.

hujus sceleris reus est. Josue videns populum Israëliticum in prælio contra Hai (quod longe inferius fuit illo, quo contra Jericho dimicatum fuerat,) turpem se in fugam conjicere, non solum ipse perterritus fuit, sed & universi *ceciderant per prona fugientes, pertimuitque cor populi, & instar aquæ liquefactum est.* Quia verò peregrinæ hujus metamorphoseos ignorabat causam, cùr scilicet ex generosis leonibus in timidos degenerassent cuniculos, dixit illi Deus: *Peccavit Israël, & prævaricatus est pactum meum.* Ecce tibi veram causam, ob quam inimici nostri in multis prælijs in commune populorum detrimentum contra nos sæpe prævaleant. Et quidem ex hac historia clarè colligitur, quod ad deperdendam victoriam, non requirantur peccata multorum, sed sufficiat, si unus iram Dei exacerbet, siquidem in prædicta historia ob peccatum unius in prædam inimicorum cedit integer exercitus, integer populus, & civitas numerosissima. Sanctus Basilius Magnus in oratione quadam *de peccato*, hujus facti meminit dicens: *Non solum sibi ipsi, sed etiam conjugi, liberis, toti domui, & omnibus denique suis nocuit; ac sane peccati illius tempestas universum populum, veluti ignis quidam absumpsisset.* Idem quoque S. Doctor hoc ipsum factum alio in loco commemorat dicens: *Animadverte, quando Achan furatus est linguam illam auream, quomodo in cunctum populum fœnerit ira Domini, quodque majus est, qui etiam delicti authorem, & delictum ipsum ignoraret, usque dum is ipse, quem dixi, manifesto deprehensus est, & horribile illud, una cum suis omnibus exitium subivit.* Et vero exercitui Israëlitico non solum fuerunt restituræ vires, donec peccatum Achan expiatum & abolitum fuisset, ut inde intelligamus, nequaquam à nobis sperari posse, quod futuri simus inimicis nostris superiores, quamdiu Dei inimicos, id est, peccata à conscientia nostra non extirpaverimus. Quamdiu enim propter peccata extra gratiam Dei constituti, eique rebelles sumus, duos habemus inimicos, quorum tamen unus altero fortior est, atque potentior, scilicet Deus, de quo Psalmista ait: *Dominus fortis & potens in prælio*; econtra vero exercitus nobis contrarij, hanc habent prærogativam, quod præter proprias vires, à nostris sceleribus corroboratas, Deum quoque exercituum in adjutorium suum promptum habeant & paratum, utpote, qui ad vindicandas sibi continuo irrogatas injurias illorum opera utitur.

Degenerant Judæi in pusillanimes. Jos. 7. v. 5.

Ibid. v. 11.

Propter peccatum unius. S. Basil. or. 3. de pecc.

S. Basil. reg. brev. interrog. 47.

Peccato duo constituuntur inimici.

Ps. 23. v. 8.

2. Celebris est sequens Sancti Hieronymi sententia dicentis: *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus, non sua hostes arma, sed nostra eos peccata in nos roborant.* In Psalmo 149. insignes recensentur victoriæ, & stragis nationum, Regumque captivitates; Sanctus Chrysostomus autem Psalmum prædictum exponens, ad propositum nostrum ita scribit: *Ostendit hic bellum cum Chorea gerendum, & quod canentes & laudantes, sic vincent, exaltationes enim, dicit, hymnos, psalmos, gratiarum actiones ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Quid hoc est? Quoniam qui vicerant, assiduè probra in eos ingerebant, pollicetur se rebus ipsis eos redargaturum*, (quod vero nobis quam maximè deservit, sunt verba sequentia:) *& ostensurum quod non Dei imbecillitas, sed ipsorum peccata dederant eis victoriam; cum itaque suis pœnarum dedissent, vide insignem victoriam, subjungit enim & dicit: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis &c.* Quod igitur inimici exercitus, victores, nobisque superiores evadant, nequaquam defectui assistentiæ & potentiæ divinæ, neque exercituum nostrorum debilitati, sed peccatis nostris attribuendum venit: *Non sua illos arma, sed nostra eos peccata in nos roborant.* Quis umquam Davide generosior, aut formidabilior Goliath repertus fuit? Hic enim solus integro exercitui sese opponere non formidavit, siquidem velut inexpugnabile quoddam, & chalybe communitum fortalitium esse visus, universum populum Israël, quantumvis armatum & potentem contremiscere fecit; & tamen per parvulum quemdam lapillum ex funda fronti ejus infixum, in terram prostratus fuit, sed ecce tibi hujus perpetiæ stragis causam: *exprobravit enim acies Dei, ausus maledicere exercitui Dei viventis.* Audiamus Basilium Seleucum Israëlis nomine in hæc verba loquentem: *Deo contumelia dicitur; & quis in pugnam non armetur? Ipsum Deum contumelia lacessitum in auxilijs numero, maledictum illam inimici linguam victoriæ pignus teneo. Corpore præsidens est, & thorace, ego vero immortali de-*

S. Hieron. lib. 1. ep. ult. de Epitaph. Nepotian. 1.

D. Chrysost. in Ps. 149. Propter peccatum transfertur victoria.

Basil. Seleuc. orat. 1. 5.

fensione munior; scutum objectat, verum hostem à Deo oppugnatum non metuo ego.

3. David, qui tam insignem reportavit victoriam, totque triumphis gloriosus extitit, quique de se gloriari non dubitavit dicendo: *Leonem & ursum interfeci*, hic inquam, postea adeo vilis, abjectus, & debilitatus fuit, ut licet caput ejus diademate Regio cinctum esset, attamen jam non gigantes, sed militem quemdam privatum formidaverit, prout bene observat Chrysostomus, à Sancto Joanne Damasceno lib. 2. Parallelorum cap. 60. citatus, quando enim Bethsabeam ex commisso cum ipsa adulterio gravidam esse intellexit, Uriæ in castris suis militantis timore perculsus fuit. *Hinc cogites velim*, inquit Chrysostomus, *quantum malum sit peccatum; Rex militem timet. Quid? Nonne Rex est? Nonne gladij potestatem habes? Ita est, inquit, sed grave peccatum admisi.* Quapropter omnes bene gubernati Christiani exercitus, priusquam descendant ad prælium, magna cum solicitudine curant, ut omnes peccata sua confiteantur, & reconcilientur cum Deo, ne peccata ipsorum majores inimicis suis vires suggerant; *Nostra enim eos peccata in nos roborant.* David nequaquam asseveret audire nuntios stragem militum suorum sibi indicantes, siquidem ipse & exercitus ejus semper victores esse solebant, & tamen generalis militiæ suæ Dux Joab significavit per nuntios dicentes: *Prævaluerunt adversùm nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum ... direxerunt jacula sagittarij ad servos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de servis Regis*: Verumtamen jactura hæc nequaquam miranda est, siquidem eo contigit tempore, quo David adulterio & homicidio coinquinatus erat, unde idem nuntius subjunxit: *Quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est.* Ubi enim timor Dei simul cum militibus non nullitat, necessum est, ut miles quamvis jacturam sibi obventuram formidet. Unde S. Ambrosius ait: *Præcepta Christi arma sunt Christianis, & divinus timor terrorem à nobis expellit hostilem.* Verum quidem est, quod timor cor militis invadens, velut tinea quædam omnem ipsius fortitudinem & animositatem corrodendo consumat, verumtamen idipsum timor Dei nequaquam operatur, quin potius Deum timentem fortificat & corroborat. Unde postquam Deus populum suum, Sancto Dei timore, legumque suarum observantia bene communitum vidisset, eumdem omnem inimicorum alienigenarum metum deponere justit, ecntra vero pro casu, quo futuri essent mandati divini transgressores, minatus est eis dicens: *Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium, cadent, nullo persequente, Et corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere, Peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumet, Quod si & de ijs aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum.* Audiamus venerabilem Bedam in prologo super librum Judicum in hæc verba scribentem: *In hoc volumine delicta Judaici populi, & servitutis, clamor quoque eorum, & miserationes Dei scribuntur; nam multis annis pro suis offensis malorum Regum servi erant, & iterum conversi liberati sunt; Sed quid est, quod sæpè peccantes in manu hostili tradantur, nisi quod nostra peccata, quando delinquimus, vires hostibus præbent? Et quando nos facimus malum in conspectu Domini, tunc confortantur adversarij nostri.*

4. Holofernes potentissimum & victoriosum numerabat militum suorum exercitum, sub duræ servitutis suæ jugo innumeri ingemiscebant populi, multas sibi subjugaverat provincias, acquisierat regna, exercitus profligarat, & tamen quando ad Bethuliam accedens, eos ad defensionem se præparare intellexit; eorum admiratus temeritatem, à Principibus suis de statu Hebræorum, de viribus suis adeo magnanimiter præsumentium informari petijt. Achior igitur Princeps Amonitarum, fusius attentiam, quam Deus Hebraismo quovis tempore fideliter exhibuit, exposuit, ac tandem subjunxit: *Non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui; Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium, ... Usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem; Nam & ante hos annos, cum recessissent à via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus.* Atque ideo sequens Holoferni suggessit consilium. *Nunc ergo, mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu*

Degenerant Judæi in pusillanimes. Jos. 7. v. 5.

Ibid. v. 11.

Propter peccatum unius. S. Basil. or. 3. de pecc.

D. Chrysost. Hom. in Psal. 50. David alias generosus post peccatum timuit unicum Militem.

Solent Christiani ante pugnam confiteri.

1. Reg. 17. v. 36.

Ibid. v. 24.

S. Ambros. ser. 86. Timor mundanus enervat, Dei confortat.

Lev. 26. v. 36.

Ibid. v. 37.

Ibid. v. 38. & 39.

Ven. Beda proleg. in quæst. in lib. Judic.

Consultatio Holofernis de Hebræis.

1. Reg. 17. v. 4. Causa cur Goliath fuerit prostratus, erat blasphemia.

Jud. 5. v. 17. & seqq.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 24. Consilium Achior.

Spiritu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi; si vero non est offensio populi hujus coram Deo, non potermus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium universæ terræ. Dic sodes, quodnam erat principale Holofernis præsidium, cujus virtute tot alias nationes per arma sua debellabat? Nimirum peccata illarum, siquidem omnes ab Holoferne subjugatæ nationes dæmones in falsis numinibus adorabant, non vero item populus Hebræus, quin potius hic veram zelabat religionem, innocenterque vivens, divinas constanter observabat leges; & ideo Deus armis Holofernis nullas adversus Hebræos addebat vires, quin potius omnem ab iis vigorem sustulit, idque in virtute pœnitentiæ, qua iram Dei placarant. Unde expiatis peccatis suis cum S. Hieronymo dicere non poterant: *Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius in nos vra desæviat*, jam enim ab omnibus se peccatis exoneraverant. S. *Hier. ibid.*

5. Sanctus Chrysostomus circa tres pueros Hebræos, Nabuchodonosoris præceptum de statua adoranda constanter negligentes, sequentem instituit ingeniosam ponderationem; Si enim, inquit, hi pueri soli, & inermes, tanti Regis vicerunt potentiam, qua ratione idem Rex universum in suam redigere potuisset potestatem Hebraismum, nisi forsitan hic peccatis suis majores illi vires addidissent? En verba D. Chrysostomi: *Ostendit eorum civitatem cepisse non suis viribus, sed propter peccatum multitudinis, nam si decies tot superare non potuit, & maximè in fornacem intrusos, quorum pacto omnes, cum tales essent, lege belli superasset.* Annales Ecclesiastici in recensendis insignibus Bellizarij virturibus valde sunt prolixi, (hic enim in quorumdam annorum felicissimo decursu, plures quasi in anno victorias, quam dies numerare poterat:) & specialiter quidem admirandam ejus extollunt continentiam, utpote quæ in militæ rarissima est virtus; prudentiam item, generositatem, aliasque similes dotes, & tamen, ut unicuique constat, finis ejus valde infaustus fuit; *Qui* cæteroquin, ut Cardinalis Baronius scribit, *felicissimus annumerari Ducibus potuisset, nisi mulierem quandam, id est, Theodoram Deo antepojuisset.* Idem Baronius circa annum 549. declinantis hujus Bellizarij fortunæ indicat causam, siquidem, ut impiæ Theodoræ Augustæ complaceret, suas in sanctum Sylverium Papam sacrilegas extendit manus, & ab illo tempore omnis, tam in ipso, quam in exercitu Romano, cujus caput erat, cœpit deficere vigor, econtra vero barbarorum vires adeo sunt adauctæ, ut iisdem Italiam regno suo subjicere haud quaquam difficile fuerit, idque per Longobardos populos, nimirum juxta flumen Istrum habitantes, quorum opera ingreth sunt Pannoniam, regionesque vicinas, totamque Dalmatiam & Illyricum sunt deprædati. Baron. An. 543. n. 6. Libido Bellizarium alias victoriosissimum devicit. Baron. 549. n. 3. Propter quod sequitur pœna.

6. Eo sæculo, quo S. Thomas à Villanova etiamnum inter mortales vixit, ingentes instituebantur armorum apparatus, ad resistendum Turcæ, qui toti mundo tremotem incutiebat, ac proinde Sanctus hic Archipræsul eodem tempore in concione quadam in hæc verba prædicavit: *Non est cur Turcarum ferocitatem timeamus nos, quibus Deus præsidio est, qui illis est contrarius. Alium Turcam ego magis timeo, qui intra nos latet, peccatum scilicet, ingratitudinem, aversionem; ita dico Fratres hunc Turcam timete. Si enim te infensum non habemus, Bone Deus: quis nocere nobis poterit? Tuam indignationem Domine, non Turcam ego timeo. Psalmo 80. Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Quid mirum si hoc agnoscat Christianus, cum etiam hoc olim agnoverit Achior Gentilis? Simile etiam Prophetæ illi iniquus Balaam dixit Balach Regi, suadenti, ut malediceret populo, ita dedit consilium pessimum, sed utile ad victoriam, ut peccare faceret Israëlem objectis mulieribus, quia alias non posset populum Dei superare, quod & fecit. Optimum suasorem, sed Prophetam verum, ita enim erat, ut dixit, sine peccato populus Dei toti mundo invincibilis est, etiamsi modicus numero sit.* Observatio est Basilij Magni dicentis: *Per paucos mala avertuntur, & unius ob noxam, tota quandoque gens everritur; Achan sacrilegium admisit, ac totus est afflictus exercitus. Zambri cum scorto Madianitide concubuit, ac Israël pœnas dedit. Igitur filij charissimi, omnes privatim ac publicè nostras conscientias exoneremus.* S. *Thom. à Villanov. conc. pro exped. adv. Turc.* Offensa Dei Turcâ multò deterior est. S. Basil. Hom. 8.

7. Hebræi Philistæos non semel, sed pluries superarant, quia ut plurimum Deus cum ipsis pugnare solebat; tandem verò hostibus suis Philistæis cedere, deteriorem que fortunæ sortem experiri cœperunt, propter quod ad arcam Domini confugientes, eamdem defensionis causa, secum in campum exulerunt; at vero & hæc, in qua protectionis spem positam habebant, incircumcisis in prædam cessit, præterquam, quod ingens Hebræorum multitudo cæsa occubuerit. Vultisne hujus in Hebræis mutatæ felicitatis causam audire? Hanc vobis idem indicabit Basilius, qui causam hujus infelicitatis Hebræorum in omissionem debitæ reprehensionis, qua Heli rapaces & sacrilegos filios suos reprehendere, & castigare debebat, refundit; En verba illius: *Usque eo Dei iracundiam irritavit, ut & populus una cum filijs ipsius imensecione consumptus sit, & arca ipsa capta in hostium potestatem devenerit, & sub hac omnia ipse miserabili exitu vitam terminavit.* Non dubito quin unusquisque temeritati Semei attributurus sit, quod se manifestis trucidationis expositurit periculo, quando David Regem suum, regia custodia, & numeroso exercitu circumdatum, acriter injuriatus fuit; maximè cum ad improperia, lapidum quoque jactus addiderit; & tamen si actio illa exactius examinetur, invenietur utique, quod aliqualem præsumptæ securitatis habuerit causam, credendo, Davidem nullam ob hanc injuriam circa illum sumpturum vindictam, neque permissurum, ut alij ob ipsius respectum & reverentiam talem injuriam ulciscerentur, & ratio est, quia Semei audiens Davidem manifeste fatentem, hanc sibi irrogari injuriam, ad peccati sui expiationem, facile judicare poterat, quod donec David peccatum suum per pœnitentiam expiasset, idem peccatum sibi, in pernitiem Davidis, robur ministraturum esset, & fortitudinem, Davidem vero inde magis magisque debilitandum. Audiamus Salvianum hac de re dicentem: *Quale illud fuit, cum tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo major &c. dejectus usque in servorum suorum, vel quod grave est, contumeliam, vel quod gravius misericordiam, ut vel sibi comparetur, vel maledicere publicè non timeret. Ita Dei judicio à se aliter effectus, ut ei, quem timuerat totus orbis, sanus in faciem insultaret inimicus.* Unde idem David alia in occasione constitutus in Psalmo quodam fatebatur inquiens: *Si est iniquitas in manibus meis, ... decidam merito ab inimicis meis inanis.* Idem Salvianus alibi, id est, in libro quarto *de providentia*, ita scribit: *Sicut illi solent, qui munitissimas urbes obsident, aut fortissimas arces urbium capere, & subruere conantur, omnibus absque dubio eas & teloram & machinarum generibus oppugnare: ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omnium telorum genere pugnamus, & injuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi injuriosissimi Deo simus.* Idem Salvianus ibidem Christianorum refert lamenta, quæ edere solebant, quando se barbarorum prævalentium viribus inferiores esse videbant. *Si, inquiunt, respicit res humanas Deus, si curat, si diligit, si gubernat, cur nos infirmiores cæteris gentibus, & miseriores esse permittit? Cur vimur à barbaris patitur? Cur juri hostium subjugari? Brevissimè, ut ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur, ut ista patiamur. Respiciamus enim ad turpitudines & flagitia, ad scelera illa Romanæ plebis, & intelligemus si protectionem mereri possumus, cum in tanta impuritate vivamus*, quando enim Deum exercituum, *qui respicit terram, & facit eam tremere*, nobis habemus inimicum, qua ratione nos inimicos nostros superaturos esse sperare possumus, maximè cum ille inimicorum opera utatur, eosque corroboret, ut se mediantibus illis, de injuriis, quibus illum continuo offendimus, ulcisci queat: Quid utilitatis nobis promittere poterimus, ex locis inaccessibilibus, turribus altissimis, optimeque munitis fortalitiis, quando nobis constat, quod *turris fortissima sit nomen Domini?* Audite Deum ipsum per os Abdiæ Prophetæ in hæc verba loquentem: *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Præsumebant olim Idumæi de semetipsis, tamquam si inexpugnabiles essent, eo quod se inter inaccessibiles montes situatos esse conspicerent; his ergo dicit Deus: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, excelsitatem solium tuum, qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram?* Et ideo in pœnam arrogantiæ & superbiæ suæ tandem filijs Israël in prædam cessurunt. Peccatum Heli perdidit populum & Arcam Dei. 2. *Reg.* 16. S. *Basil. in c.* 9. *Isa.* Cur Semei se David tam temerariè opposuit. *Salvian. lib.* 2. *de provid.* *Ps.* 7. *v.* 4. Similitudo ab expugnatione Civitatis. *Salvian. lib.* 4. *de Provid.* *Abdias* 4. Contra Deum nulla est potentia. *Abdias.* 3. *Ibid. v.* 4. Peccata nostra merentur afflictionem.

8. Cain primus reprobus, post illatam innocenti fratri suo mortem, timens ne unusquisque commissum à se ulciscereture fratricidium, ut se defenderet, primus omnium fuit, qui civitatem fabricare eamdemque muris cingere cœpit, ut tanto esset à feris, & à quocumque alio inimico securior. At verò ubi enormitas reperitur offensæ Dei, muri quantumvis inexpugnabiles, telis aranearum similes existunt; econtra vero cædem aranearum telæ S. Fœlici Nolanæ Ecclesiæ sanctissimo Pastori inaccessibilis fortalitij loco servierunt, ut illum à suis persecutoribus liberarent. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* S. Ambrosius de bellico tumultu differens inquit: *Tunc civitatis porta munita esse poterit, si prius in nobis portæ justitiæ muniantur, cæterum nihil prodest murum munire propugnaculis, & Deum provocare peccatis.* Vultisne arctam quamdam cernere obsidionem? Talem Psalmista his verbis indicat: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, & subdit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, hæ enim sunt, quæ mœnia & fortalitia subvertunt, nosque arcta obsidione circumcingunt. Consilium igitur est Sancti Thomæ à Villanova dicentis: *Si emendaremus vitam, & peccata præterita ploraremus coram Domino, ipse averteret à nobis flagellum suum, & daret de inimicis victoriam.* Ubi observandum, quod dicat, *flagellum suum*; nos quidem credimus, malum, quo premimur, ab inimicis nostris provenire, sed graviter decipimur, sunt enim bella Dei flagella, quibus nos castigat, sive in peccatorum nostrorum pœnam, sive in vitæ peccaminosæ emendationem. *Non dico, ut arma relinquamus, nam hoc esset stultum, & tentare Deum, sed ut prius Deum placemus, & deinde arma sumamus.* Gen. 4. *v.* 15. Defensus à Deo non eget scuto ferreo. *Psal.* 126. *v.* 1. *S. Ambros. serm. de bell. tumultu.* *Psal.* 39. *v.* 13 *ibid.* *S. Thomas à villan. conc. for.* 6. *circ.*

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Deus bella & inimicos contra nos excitat, ut peccata in nobis castiget; illisque sublatis pacem facile sperare possumus.

THEMA.

Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israël. Exod. 17. ℣. 7.

Propter diffidentiam in Deum puniuntur Hebræi. *Oleaster. ibid.*

1. CUm Israël Deum ad aquas contradictionis exasperasset, prout in capite 17. Exodi legitur, atque ad divinam justitiam spectaret, nullum peccatum relinquere impunitum, confestim Deus virga & flagello uti cœpit Amalecitarum; quod opportune considerans Oleaster inquit: *Advertere quæliter sequitur pœna peccatum, quamprimum enim populus peccavit, adfuit peccati ultor.* Vix ingratus ille populus suam manifestaverat circa Deum diffidentiam, contrajque ejusdem providentiam murmuraverat, cum statim lateribus suis adhærentem vidit exercitum inimicum armatum. Deus apud Jeremiam ait: *Non audistis me, dicit Dominus, ita me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum in malum vestrum; Propterea hæc dicit Dominus exercituum, pro eo, quod non audistis verba mea, Ecce ego mittam, & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum.* Quæ ultima verba aliquam in se continere videntur difficultatem, quomodo enim Nabuchodonosor servus Dei dici poterat, qui inimicus veri Dei erat, qui falsos Deos adorabat, quique dæmonibus serviebat? Sed respondetur: Nabuchodonosorem servum Dei fuisse, quia in illo bello, quod Israëlitis movebat, divinam voluntatem adimplebat, Deus enim illum elegerat velut instrumentum, ad Hebræos rebelles suos debitè castigandos. S. Hieronymus in expositione hujus textus ita scribit: *Quia me ad iracundiam provocastis, & feci-tis malum in interitum vestrum, & provocantem ad pœnitentiam superbo calcastis pede, mittam ad universas cognationes, sive nationes Aquilonis, & adducam Principes earum, Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum. Mittit autem Dominus, vel angelos, ut concient gentes, vel certe hujusmodi movet cognationes, ut sciant Domini voluntatem. Quodque vocat servum Nabuchodonosor, non sic servus vocatur, ut Propheræ, & omnes Sancti, qui vere serviunt Domino, sed quod in eversione, Jerusalem, Domini serviat voluntati, secundum quod & Apostolus loquitur, dum ait: Quos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare.* Idolodatra dicitur servus Dei, quia est executor divinæ voluntatis. *S. Hieron. lib.* 5. *in Jer. ibid.*

2. Isaias capite 7. eidem populo ingentem comminatus fuit desolationem & exterminium, ita enim Propheta ibidem loquitur: *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, Et venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, ... & ... fratetis.* At vero, inquies fortasse, qualenam ex hisce muscis & apibus resultare poterat ingens supplicium? Sciendum est igitur, per muscas intelligendos esse Ægyptios, qui numerosi erant veluti muscæ; per apes verò intelligendos Assyrios, qui fortes sunt & animosi; ac proinde, si verum est, quod Plinius scribit, scilicet quod apes ex leone generentur mortuo, muscæ autem ex mortuo cane nascantur, verba illa Isaiæ Prophetæ prædicta, ut facer quidam interpres bene observat, hunc sensum habent, videlicet, quod ex peccatis populi per canem denotati, & Principis significati per leonem, congregentur inimici exercitus armatæ cohortes, quæ agros devastant, devorantque messes. Apud Baronium circa annum 146. legitur, quod Wandali & Alani trajecto Rheno pervagati & deprædati fuerint Gallias, prout referunt S. Prosper, Cassiodorus, & Zosimus, ex quibus hic insuper addit, cum Wandalis Suecos commixtos fuisse. Et vero jure hi Galliarum populi à Deo merebantur hisce barbaris in prædam consignari, utpote qui vitam agebant valde dissolutam, prout multis cum lachrymis Salvianus Episcopus Massiliensis, novus sui sæculi Jeremias, refert, qui tunc etiamnum vivebat, dissolutorumque illorum morum testis oculatus fuerat. *Isa.* 7. *v.* 18. *Ibid. v.* 19. Ægyptij dicuntur muscæ Assyrij apes. *Baron. An.* 407. *n.* 54. Wandali vastant Galliam.

3. S. Isidorus in capite primo commentariorum super Judices de Judæis inquit: *Multis annis pro suis offensis multorum Regum imperijs serviebant*; ubi ut videtis, servitutis causa ipsorum attribuitur peccatis; Unde Abulensis inter alias rationes, ob quas Deus permisit, ut in terra promissionis multi remanerent gentiles, quantumvis veræ religioni contrarij, nec inde exterminarentur, unam quoque hanc assignat inquiens: *Una erat pœna, quia ipsi relicti in terra, erant Israëlitis sicut clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, ut patet Num.* 33. & *Job* 23. *si autem non peccassent Israëlitæ, quamquam aliquanto tempore detinuisset Deus Chananæos in terra, tamen non tanto tempore, sicut patet præcedenti capite, scilicet dimisit Dominus omnes has nationes, & cito subvertere voluit, quasi dicat: Citius subversura eram eas, si non peccasset Israël?* Pervolvatis velim librum Judicum, imo omnes sacras literas, & inveniet is ultorem divinæ justitiæ gladium exercitum scilicet alienigenarum; huic populo semper immissum fuisse; quotiescumque per enormem aliquam transgressionem adversus illum rebellabat. D. Chrysostomus monet, jacturas, quas in bello frequenter patimur, nequaquam attribuendas esse debilitati armorum, nec imperitiæ belli Ducum, aut simili alteri causæ, sed proprijs suis imputandas esse transgressionibus; *Nec enim ex corporis infirmitate, sed à peccato vincebantur, si quando & victi fuissent.* Adducitque Madianitarum (de quibus in discursu præcedenti diximus) exemplum, inquiens: *Hoc scientes Madianitæ, & cognoscentes, quod gens illa inexpugnabilis esset, & machinis quidem, & armis expugnari non posset, peccato vero tantum illam capi facile, virgines speciosas ornantes, & ante castra statuentes, ad lasciviam milites provocabant, per fornicationem Dei auxilium auferre studentes, quod quidem & evenit, postquam enim in peccatum ceciderunt, omnibus facti sunt expugnabiles.* Rabanus super historiam Judicum, quamdam habet reflexionem, qua hactenus dicta egregie confirmantur, mortem enim Othonielis observat inquiens: *Defuncto est Othoniel. Quare? quia jam indignus erat populus, qui haberet judicem talem. Denique in consequentibus dicit: Illo defuncto: Et adjecerunt, inquit, filij Israël facere malum in conspectu Domini, & confortavit Dominus Eglon Regem Moab adversus Israël. Considera, quia pro eo, quod indigni erant habere Principem talem, propterea auferitur ab eis bonus judex; & quia jacimus malum in conspectu Domini, & delinquimus, tunc convertuntur à Domino adversarij nostri, tunc vires contrarijs dantur, hoc sive secundum literam quæras, ita invenies, quia non invalescerent; sive in spiritu consideres, similiter contrariæ virtutes non invalescerent adversum nos.* D. *Chrysost. Hom* 14. *ad p.* Modus pugnandi per Virgines. *Raban. tom.* 3. *l.* 1. *in Jud.*

4. Contingit persæpe, quod Principes, cæteroquin sapientes, & timorati, in regimine suo gravissimè errantes, Quare Chananæi mansserint in medio Israëlitarum. Propter peccata populi auferitur belli Dux.

Principes alias etiam sapientes sæpe pernitiosè errant.

errantes, permitiosissima subditis suis bella concilient, quibus civitates exterminantur, integræque devastantur Provinciæ; Undenam quæso hæc talis patriæ provenit castigatio? Certe non aliunde, quam à peccatis populorum, quibus Deum exasperarunt, in cujus manu sunt corda Principum, juxta illud Sapientis: *Sicut dizisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*; hic enim sæpe permittit, ut Principes etiam prudentissimi in grave subditorum suorum præjudicium turpiter hallucinentur. Quis sapientior, & in divinarum legum observantia exactior fuit Davide? *Sedens in cathedra sapientissimus, tunc non confundor, cum perspexero in omnibus mandatis tuis*; Et tamen etiam ipse, populum suum numerando, graviter lapsus fuit, & ideo populus ei subditus pestilentiæ flagello est castigatus, eo quod hoc potius, quam famem & bellum subire David elegerat. Audiamus S. Eucherium à Glosa citatum dicentem: *Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis, etiam viri boni delinquant?* Nimirum divina justitia, quæ nullam umquam culpam sine pœna transire finit, ea in occasione populum illum castigare intendebat, propter rebellionem Sebæ filij Bochri, viri pessimi, & seditiosi, ad seditionem excitandam à plebe concitati, ob hanc enim rebellionem permisit Deus, ut servus suus David, ad commissam à se transgressionem minimè se reflectens, subito illud exequeretur, quod circa numerationem illam populi ei primitus in mentem venerat. Porro peccata in cœlos, pro vindicta exptenda, clamantia, majori ex parte castigantur per bella, siquidem injustæ exactiones, usuræ, contractus illiciti, avaritia &c. communiter puniuntur per violentas civitatum deprædationes, domuum demolitiones, incendia messium, amputationes virium, & arborum, &c. peccata vero impudicitiæ pariter per insolentiam, & dissolutionem castigantur militum, pudicitiæ virginum, & uxorum indifferenter insidiantium, nec non per stragem & mortem innumerorum cujuslibet status, ætatis, sexus, conditionis, & professionis hominum, denique per virginum Deo consecratarum defloorationem; peccata autem quæ committuntur per luxum, pompam, fastum, ambitionem, superbiam, suam in paupertate, & mendicitate, in depressione, in injurijs, & contemptu ab inimicis irrogato, pœnam inveniunt, ac proinde populi dicere possunt: *Mala, quæ patimur, mala nostra meruerunt.* Denique crapula, ebrietates, & sumptuosa convivia, Deus compensat sæpe per extremam famem, efficiendo, ut ejusmodi epulones in actis civitatum obsidionibus, ad manducandas vilium animalium carnes adigantur, adeo ut de illis dici possit: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Psal. 118. v. 6.

2. Reg. 24. v. 8.

Ex quo totus populus sentit malum.

S. Eucher. in Gloss.

Thren. 4. v. 4.

Singulorum peccatorum particularis statuitur pœna.

Remedium contra supplicia peccatis debita.

5. Sed quodnam adversus hæc peccatoribus imminentia supplicia adhiberi poterit remedium? Respondeo, potentius & infallibilius in ejusmodi occasionibus adhiberi nequit remedium, quam si peccato quis bellum indicat, illudque penitus desoletur, & extirpet, ne in extremum nos exterminium redigere valeat; nam ut D. Chrysostomus ait: *Peccatum solum est terribile, quod undique circuit eos, qui capiuntur, quovis exercita gravius.* Tempore S. Thomæ à Villanova magnus Turca ad destruendam Austriacorum potentiam, magnam coëgerat potentiam, cumque omnes passim Christiani, in sui pariter defensionem, ingentem conscriberent bellatorum multitudinem, præfatus S. Archipræsul, utpote vir à Deo valde illuminatus, in quadam concione sua in hæc verba prædicavit: *Quid prodest colligere exercitus, & colligere peccata? An æstimas quia Turca iste, & bella, flagella Dei sunt?* Cardinalis Baronius in annalibus Ecclesiasticis refert, quod cum Maximus tyrannus ingenteni, ubique circumvagando, excitaret belli tempestatem, civitatesque & provincias integras devastaret, Mediolanenses implacabilem hunc tyrannum sibi appropinquare intelligentes, suumque timentes excidium, domos suas, & civitatem Mediolanensem deserere decreverint, & quidem omnes in fugam se utique recepissent, nisi vigilantissimus ipsorum Pastor, Sanctus Ambrosius, per prædicationum suarum efficacium illos continuisset; hic enim in cunctis sermonibus illos adversus omnem inimici insultum jubit esse securos, dummodo è civitatibus peccata eliminantes cum Deo per veram pœnitentiam reconciliarentur. Unde ea in occasione in sequentia memorabilia verba prorupit; *Civitati non nisi propter civium peccata infertur excidium, desine ergo peccare; & civitas non peribit.* Sanctus Thomas à Villanova in alia quadam concione, habita in Rogationibus, de expeditione adversus Turcas, nobis Christianis gloriosum contra Turcas promittit victoriam, cum hac tamen conditione, ut *vitam nostram corrigamus, & Deo appropinquemus; peccata publica per Magistratus rigidius coërgantur, & vindicentur; peccatores, blasphematores, usurarij, adulteri, & concubinarij tollantur, confitentur peccata occulta, & mandemus conscientias, nostras*: sine peccato enim populus Dei toti mundo invincibilis est.

S. Ambr. serm. 85.

S. Thom à Villanov. de expedit. adv. Turc.

6. Seba, cujus paulo ante mentionem fecimus, post excitatam in regno seditionem, ab exercitu Davidis, quem Joab gubernabat, in civitatem Abelam sese subducere, illamque fortificare coactus est. Quapropter *circumdederunt muntionibus civitatem, & obsessa est urbs; Omnis autem turba, quæ erat cum Joab, molichatur destruere muros. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, & loquar tecum. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ; qui respondit, audio. Kursumque illa: Sermo inquit, dicebatur in veteri proverbio, qui interrogant, interrogent in Abela, & sic proficiebant. Nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israël, & tu quæris subvertere civitatem, & evertere matrem in Israël? Quare præcipitas hæreditatem Domini? Respondensque Joab ait: Absit, absit hoc à me, non præcipito, neque demolior. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba filius Bochri cognomine levavit manum suam contra Regem David, tradite illum solum, & recedemus à civitate.* Ecce tibi veram bellorum originem, ecce tibi omnium, quæ bella sequuntur, ærumnarum causam, injuriam videlicet, vero David, id est, Christo à nobis irrogatam, nos sumus, qui Principes ad bella, & ad malum regimen, ad rationes status, & politicas humanas consectandas adigimus: *Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim &c.* Et vero quodnam prudens hæc mulier Joabo subintulit responsum: *Ecce caput ejus mitteur ad te per murum, Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Seba...projecerunt ad Joab, & ille cecinit tuba, & recesserunt ab urbe.* Eodem prorsus modo Deus à nobis, dum obsidentur civitates, vel bella pernitiosissima imminent, aliud nihil prætendit, quàm ut peccato caput præscindamus. Sanctus Ambrosius de Ninivitis proximum sibi Jona annuntiante excidium audientibus, ita scribit: *Quanto proximius annuntiabatur excidium, tanto magis religiosis actibus armabantur, nec reliquerunt evertendam civitatem suam, sed in ea potius permanserunt, sapientes scilicet, ut quæ civium vexabatur peccatis, civium orationibus salvaretur, & cui perditionem mala conversatio inculerat, ei salutem devotio religiosa conferret.* Tandem discursum suum ad Mediolanenses, qui, ut dictum est, fuga se salvare volebant, dirigens inquit: *Quid fugis patriam? Si vis salvus esse, tua potius peccata subterfuge; Si tu peccare desieris, victus est inimicus.* Idem S. Doctor in alio quodam sermone de bellico tumultu inquit: *Cernimus armari civitatis portas, debemus etiam prius in nobis portas armare justitiæ; sunt enim portæ justitiæ, de quibus S. Propheta dixit: Aperite mihi portas justitiæ.* Et paulo post de materiali civitatis porta subdit: *Illa construitur ferro, saxis, & subditus, hæc armetur misericordia, innocentia, castitate. Illa telorum multitudine custoditur, hæc orationum frequentia defendatur.*

2. Reg. 20. v. 15. Ibid. v. 16. Ibid. v. 17. Ibid. v. 18.

Colloquium petit & obtinet cum Joab Mulier Abelensis. Ibid. v. 19. Ibid. v. 20.

Ibid. v. 21.

Ex consilio mulieris mittitur caput Sebæ abscissum. Ibid. v. 21. Ibid. v. 22.

S. Ambr. serm. 87.

Ulterior exhortatio ad Mediolanenses. S. Ambros. serm. 88.

7. Primum, quod generosa Heroina Judith, concivibus suis, in obsidione civitatis suæ Bethuliæ, faciendum esse præcepit, hoc fuit: *Pœnitemus, & indulgentiam fusis lachrymis postulemus*; Certo namque Holofernis exercitum profligandum esse sperabat, eo, quod Bethulienses nequaquam tam enormibus erant coinquinati sceleribus, quemadmodum alij populi circumvicini erant; unde ait: *Quoniam non fames fecati peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adoraverunt Deos alienos, Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis; nos autem alterum Deum nescimus, præter ipsum; Ex. peltemus humiles consolationem ejus, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, &*

Judith. 8. v. 14.

Ibid. v. 18. Oratio Judith ad Bethulienses. Ibid. v. 19. Ibid. v. 20.

& humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgant contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster: Et ita revera factum est, siquidem numerosissimus ille exercitus, summa cum ignominia dissipatus, Bethulia autem summa cum gloria liberata fuit. *Dicant omnes fideles*, inquit Chrysostomus, *quod Christi timor omnem potentiam refrænare potest.* Et ideo Prælati Ecclesiastici in similibus occasionibus ad auxilia, & propugnacula spiritualia, id est, orationem, confugere solent, præ cæteris vero ad confessiones, ad pœnitentiam, ad vitiorum emendationem.

D. Chrys. H. 8. ad pop.

8. Doctrina est ejusdem S. Ambrosij super caput quartum Jonæ scribentis, qua Regem Ninive cilicio se induentem, cunctis alijs idipsum faciendi exemplum dedisse, his verbis insinuat: *Exemplo suo præparat religionis exercitum, non armis, sed sola devotione munitum.* Apud Ilsanum dicitur: *Ascende Ælam, obside Mede*, quibus verbis certam promittit victoriam; at vero scitisne hujus futuræ victoriæ causam? Nimirum: *Omnem gemitum ejus cessare fecit.* Quando enim Deus videt, quod populus à se flagellatus siccis remaneat oculis, suaque peccata non defleat, nec detestetur, infallibile hoc signum est, talem populum inimico suo in prædam esse cessurum: *Obside Mede, omnem gemitum ejus cessare feci*; & ideo quantumvis civitates sint inexpugnabiles, & fortes, inimici tamen easdem secure obsidere possunt, certi quod illas in suam potestatem sint redacturi, dummodo in ijsdem obsessorum peccata, ad civitatum illarum expugnationem subsidium conferant.

S. Ambr. T. 2. in c. 4. Jonæ. Bonum exemplum Regis Ninive. Isa. 21. v. 2.

Ibid.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Pestis ab ira Dei, per peccata irritata, immediate procedit; pestilentiæ autem remedium, est concepta de ijsdem pœnitentia.

THEMA.

Extendens manum, percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra. Exod. 9. v. 15.

Miraculum in peste Ægyptiâ.

1. INter alia flagella, quibus Deus Pharaonem in sua obstinatione perseverantem, populumque electum ab Ægypto dimittere renuentem, percussit, unum fuit pestilentiæ grave supplicium, de quo minimè dubitari potest, quin sit furoris divini per peccata impiorum irritati præcipuum quoddam instrumentum. Porro in pestilentia illa de qua in verbis assumti thematis fit mentio, certum quoddam contigit miraculum, in principio illius capitis 9. insinuatum, unde flagellum hoc immediate à Deo processisse evidenter colligi potest. Ait enim sacer textus: *Pestis valde gravis, & faciet Dominus mirabilia inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israël.* Circa quæ verba Abulensis hanc habet considerationem: *Si de Ægyptijs multa armenta perijssent, de Hebræis autem aliqua, saltem valde pauca, ex aliquo casu factum esse putarent; nunc autem, quia de Ægyptiorum jumentis valde multa perierunt, de Hebræorum pecoribus nihil, omnino satis magnum fuit miraculum.* Considerandum quoque est, quod Deus Pharaoni per Moysen anticipatè hoc flagellum indicari fecerit, ut hac ratione sciret, illud non derivari ab elementorum intemperie, neque ab aliis causis secundis, sed ab ipso Deo immediate derivari.

Exod. 9. v. 4.

Abul. ibid.

Pestis vehementissima.

Abul. ibid. q. 27.

S. Carolus Borromæus instituit processiones contra pestem.

Claud. Achyllini.

Duæ recentiores contagiones in Italia.

2. Variorum quidem temporum hactenus nos docuit experientia, specialiter vero in hoc nostro sæculo, (in quo ad hoc usque tempus Italia duas prævalidas vidit contagiones:) Quod pestilentia in nonnullis locis pedem quidem fixerit, alia vero loca intrare nequaquam præsumpserit, quia *calix in manu Domini vini veri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc*; Deus enim ad castiganda populorum peccata, hunc iræ suæ calicem super illa effundit loca, super quæ illum sibi effundere libet. Anno 680. prout referunt annales Ecclesiastici, nocturno tempore circuire videbantur Angelus bonus pariter & Angelus malus, quorum hic in manu sua venabulum, seu hastam venatoriam portare videbatur, & quoties hac hasta, Angelo bono imperante, domus fores percutiebat, totidem die sequenti in ijsdem domibus moriebantur ex peste. *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*, inquit Psalmista. Anno 565. in Liguria maxima pestilentia, quam inguinariam appellabant, exorta est. Subito enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta; quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant. Post annum vero expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum, & alijs delicatioribus locis, glandulæ, in modum nucis, seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis æstus, ita ut in triduo homo extingueretur. Erat ubique luctus, ubique lachrymæ cernebantur. Fugientes cladem, aut vitantes, relinquebant domos desertas habitatoribus, pecuaria sola remanebant in pascuis nullo astante pastore, fugiebant filij, insepulta parentum relinquentes cadavera. Si quem forte antiqua pietas astringebat, ut vellet sepelire proximum, relabat ipse insepultus, nocturnis horis personabat tuba bellantium; audiebatur à pluribus, quasi murmur exercitus, nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor; Verèque dici poterat, *nova bella elegit Deus*; quæ omnia sine dubio in peccatorum fiebant vindictam. Idem Cardinalis Baronius refert circa annum 544. quod in Oriente ijs, qui peste moriebantur, visum fuerit, percuti se à Dæmonibus humana specie coram illis se præsentantibus, contingebat autem idipsum quibusdam vigilantibus, nonnullis vero in somnis hæc eadem accidebant; post has autem percussiones corripiebantur statim febre, & tussi quadam, usque ad vesperam, ità tamen ut nullius opinionem periculi præberent, præterquam die sequenti, alijs vero non multo post tuber succrescebat; præterea quibusdam somnus inerat profundus, nonnullis acuta quædam stultitia; & primum quidem omnium obliti rerum, etiam cibum negligentes moriebantur. Similiter in urbe Constantinopolitana sæpe uno eodemque die decies mille homines peste interibant. Procopius autem libro 2. *de bello Persico* expresse inquit: *Ingenti huic pestilitiæ remedium nullum inventum, præterquam ex Deo, unde venit.*

Baron. An. 544. n. 7.

Pestis effectus diversi.

Procop. lib. 2. de bello Persico.

Pf. 74. v. 9.

3. Spiritus Sanctus, qui sacri Chronistæ Moysis calamum gubernavit, expresse voluit, ut nobis innotesceret, authorem pestilentiæ illius, quæ tempore Davidis Jerosolymis septuaginta millia hominum consumpsit, nullum alium fuisse immediatum, præterquam ipsummet Deum, licet Angelo tamquam executore fuerit usus; ait enim sacer textus: *Immisit Dominus pestilentiam in Israël*; & postea: *Cum extendisset manum suam Angelus Domini.* David data sibi optione, ut unum ex tribus hisce supplicijs, scilicet, belli, famis, & pestilentiæ seligeret, hoc ultimum acceptavit, cum hac subnexa ratione: *Melius est, ut incidam in manus Domini*; at verò quid dicis ô David! Ergone alia flagella à manibus Domini minimè proveniunt? Nequaquam idipsum Prophetа negare voluit, sed hoc solum dicere intendit, quod scilicet hoc flagellum specialius, quam alia, ut plurimum non à causis secundis, sed ab ipsomet Deo immediatè procedat. Unde Abulensis ait: *Elegit pestem, quia utraque pœna, licet à Deo sit, tamen pestis magis est à Deo, eo, quod fames aliquo modo pendebat ex dispositione terræ, pestis autem totum ventebat ab Angelo percutiente.* Enimvero quando tempore Sanct. Caroli Borromæi sævum illud pestilentiæ contagium Mediolani prævalere cœpit, ratio quidem, & prudentia humana exposcere videbatur, ut omnes prohiberentur numerosæ populi congregationes, eo quod malum hoc per mutuum contactum, & halitus participationem facillimè adhæresat; Et tamen præfatus sanctissimus Cardinalis, utpote à Deo eximiè illuminatus, multas instituit processiones solemnes, quia sciebat, quod cum pestis specialiter à Deo procedat, is quoque per publicam pœnitentiam necessario placari debeat; unde dicere solitus erat, nequit hic populi concursus tam ingens causare periculum, quin semper majus inde sperandum sit emolumentum; qua in re imitatus fuit S. Gregorij Magni exemplum, quia licet in litanijs ab ipso in remedium pestilentiæ institutis, ad quas omnes passim concurrebant, octoginta nonnumquam morerentur homines, Deus tamen eodem tempore signum placationis & reconciliationis suæ manifestè ostendit in Angelo illo, quem S. Pontifex supra molem Adrianam constitutum, gladium depuo intra vaginam reconderè conspexit.

Probatur pestem à Deo venire.

2. Reg. 24. 15.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 15.

4. Anno 1631. duæ pestilitiæ literæ duorum virorum illius temporis ob literaturæ præstantiam famosissimorum, scilicet Augustini Mascardi, & Claudij Acquilini circumvolarunt, è quibus hic Mascardi literis respondens, pulchram quamdam habet ponderationem, ex qua pestilentiæ contagium, superhumanum potius

[Quidam Author philosophicè conatur probare pestilentiam esse superhumanam.]

potius, quàm naturale esse; evidenter colligitur; in hunc tamque modum discurrit. Quidnam obsecro est fomes iste, vel pestiferum illud seminarium, quod pannis impressum manet; & fœcunditate quadam adeo tragicâ integrarum familiarum & populorum gignit morbum? Estne accidens vel substantia? Si accidens est, vel est ab uno loco ad alium translatum, vel de novo productum; primum dici nequit, quia primo dicendi modo Philosophia repugnat, hæc enim transitum accidentium ab uno subjecto ad aliud nequaquam admittit. Secundo vero modo repugnat, non posse intelligi, qua energia peste infectus, qualitatem aliquam adeo notabilem, è radicibus vel potentijs pannorum traducere possit ad actum; præterquam quod non adeo facile foret assignare speciem qualitatis, ad quam dicta qualitas revocanda esset. Quod si vero est substantia, prout omnes antiqui volunt, tam Græci, quam Latini; vel est substantia simplex, vel est composita; si simplex est, vel illa erit aëria, & statim exurgit quæstio; cur intra breve tempus ad suam non evolet sphæram, pannos deserendo? Vel est aquea, & tunc iterum quæritur, cur non madescat, vel à corpore ambiente sæpissimè accidentaliter sicco, non quoque exsiccetur, & consumatur? Vel est ignea; & cur non comburit? vel est terrea? & cur vel non videtur; vel per tactum non sentitur? Si vero est substantia composita, iterum dico, quod vel per oculum vel per tactum discerni deberet, & tamen verissimum est, quod pannus quidam albus, qui oculis nostris apparet mundissimus, integram quamdam necaturus esset civitatem. Ac proinde in hac opinionum confusione dicendum esse statuo, pestem infallibile quoddam esse flagellum à manibus Dei agitatum, tuncque flagellum hoc cessare, quando Deus manum suam ab eodem amovere dignatur. Hactenus eximius supracitatus Achyllinus.

[Ratione probatur pestis flagellum Dei.]

5. Clarum porro argumentum, ex quo pestilentiam immediatum irati Dei flagellum esse perspicuè colligitur, est, quod plerumque omnem eludat artem, omnem diligentiam, omnemque hominis industriam; ac proinde idem supracitatus Achyllinus subjungit: Hic derisa vident Hippocratis oracula, hic subvertuntur Galeni experientiæ profunditates; omnesque Mithridatis providentiæ incassum abeunt. P. Odericus Raynaldus circa annum 1348. pestilentiam ab Oriente in Occidentem, relicta post se tertiæ partis generis humanæ strage, transijsse refert: *quidam enim evomendo sanguinem expirabant subito; alij morbo cancri vel vermis. In signum vero mortis, quasi omnibus nascebantur glandes circa genitalia, vel sub brachijs, vel alijs partibus, venenosis febribus simul sociatis. Hi prima vel secunda die expirabant; Post tertiam, licet raro esset aliqua spes salutis, aliqui somno capti, numquam excitati transibant. Contra hoc medici palam profitebantur, se nescire remedium, quorum hac peste potissima pars defecit. Proximæ vero mortis imagine omnes consternati, se piè ad deflenda crimina, & sacramenta frequentanda comparasse referunt.* [Rayn. An. 1348. n. 30.] [Peste infecti moriuntur diversissimè.]

6. Enimvero pestilentiam non solum immediatum iræ divinæ esse flagellum, verum etiam ingens severissimi divini furoris esse indicium, ex funestissimis colligi potest effectibus, quos in magnam mortalium operatur stragem & detrimentum. Siquidem ut Mascardus scribit, terra ad quemvis passum in funerales aperitur voragines, & propter incredibilem cadaverum, quæ recipit, numerum, viscera sua nedum angustiata, sed & angusta esse experitur. Hic occidentis cujusdam pulchritudinis obnubilata conspicitur serenitas, languentis juventutis siccatur vigor, flos pereuntis gratiositatis decoloratur, ecclipsatæ gloriæ impallescit splendor, inutilis sapientiæ mundanæ aurum æruginatur, exarescit fons doctrinæ defectuosæ. Alibi amissum audies deplorari valorem, titulos obscuratos, vacantes dignitates, dispersas memorias, honores defecisse evanidos, extincta ingenia; alio in loco lamentantes audies familias fulcris suis privatas, hæredibus destituta patrimonia, desertam à posteris nobilitatem, agros sine agricolis derelictos, artes artificibus privatas, quamvis denique virtutem à suis desertam sequacibus, hic aliud non videtur, quam simulachra horroris; aliud non auditur, quam pereuntium gemitus; nil aliud expectatur, quam mortis insultus; non desideratur aliud, quam velocitas imminentis mortis. Achyllinus pariter funestum hoc spectaculum describens inquit; pestilentiæ tempore plateæ in funestissimos conversæ torrentes, aliud non ferunt, quam feretra, humana corpora pestiferorum carbonum efficiuntur officinæ, in quibus sub instabili humanæ patientiæ incude syncopes elaborantur & dolores; agri cadaveribus potius, quam granis seminati conspiciuntur. [Mascard.] [Mala pestis rhetoricè descripta.] [Ejusdem mali ulterior descriptio Acyllini.]

Sanctus Carolus pro concione, quam tempore pestilentiæ ad populum habuit, verba illa Jeremiæ Prophetæ, thematis loco sibi assumpsit, videlicet: *Quomodo sedet sola, civitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentium;* [Thren. 1. v. 1.] quorum occasione verborum amplissimam illam, nobilissimamque civitatem Mediolanensem quasi desolatam repræsentavit, & in cœmeterium quoddam redactam, vias illius herbis succrescentibus sylvescentes, fora deserta, intermissas negotiationes & commercia, fores occlusas, domus vacuas, tribunalia sine judicibus, sine artificibus artes, agros sine agricolis, sine Sacerdotibus Ecclesias. [Peste humana commercia cessant.] Et ideo civitas hæc *plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Insuper auditoribus ob oculos posuit Hospitalia infirmis pestiferis referta, nec non Lazareta ijsdem accumulata: Auribus quasi ex omni parte insonari fecit planctus, singultus, stridores, clamores, & ejulatus; quid autem omnes hæ ærumnæ, omnesque miserabilium horum hominum calamitates, aliud sunt, quam iræ Dei, per impiorum peccata provocatæ effectus? Audiamus quid idem Sanctus Carolus Borromæus in amplo illo volumine suo, quod *Acta Ecclesiæ Mediolanensis* intitulatur, subditis suis fidelibus salutaris moniti loco præscribat. [Acta Ecclesiæ Mediolan. Car. 225.] *Secum, inquit, totâ mentis cogitatione, totoque animo reputabant omnes homines, quæ & quanta pestilentiæ vis sit, quam terra illius contagio, quantas, & quam varias strages brevi edat; quam multas miserias, quamque horribiles calamitates rebus publicis importet; quam brevi animi consternatione cunctos, vel fortissimos viros aliquando afficiat.* Tandem ad severissimi hujus flagelli causam exprimendam descendens subjungat: [Pestem provocantia.] *Causas, quamobrem peste Deus mortales affligat, diligenti indagatione perquirent. Atque in ijs quidem causis, cum multa aliæ afferantur, ob quas calamitatibus, miserijs, adversisque rebus homines divexet, tamen hoc sibi certo persuadeant, quod à sanctissimis Patribus traditum est, cum Dei Majestatem multis hominum peccatis, flagitijsque lædi, ac violari vident, hanc ipsam causam potius esse, cur is calamitates, & plagas infligat.* Quando David Angelum strictum in manu sua gladium tenentem conspexit, qui per pestilentiæ morbum septuagies millenos homines, brevi temporis spatio, terræ visceribus immisit, ad Deum se vertens inquit: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi, vertatur manus tua contra me.* [2. Reg. 24. 17.] Econtra vero homines mundani, (de quibus Apostolus ait: *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus,*) [1. Cor. 2. 14.] contagium hoc cœli constellationibus, vel perperam gesto Principum regimini, vel alijs causis secundis attribuere solent; sed misere decipiuntur; est enim pestis horrenda contagio, certissimus peccatorum nostrorum partus. [Quod David fatetur de se plures concernit.] Etenim si David, eo quod populum numerando, unicam duntaxat Dei legem offenderat, tanta cum asperitate castigatus fuit, quanto magis non solum hoc, sed & quodvis aliud flagellum super nos provocabimus, si omnis legis transgressores fuerimus? Anno 170. atrocissima quædam pestilentia Romam afflixit; sed undenam hæc primam originem habuit? Ex Babylonia, ubi ex parva quadam aurea cassa, seu armariolo, quod in templo Apollinis à milite quodam infeliciter ruptum, subsistit, pestilens quidam egressus est spiritus, qui Parthos, ac demum universum mundum corrupit, adeoque pestis illa ab idolo quodam in Babyloniam derivata fuit. [Baron. An. 170. n. 1.] [Origo pestis à quodam milite.] Per hanc autem calamitatem, quæ universalis fuit, Deus suam contra persecutores illius temporis nominis Christiani, gravissimam iram monstravit; tanta enim gentilium multitudo tunc mortua fuit, ut Imperator ad redintegrandum contra Marcomannos exercitum suum, ipsa quoque mancipia armis induere coactus fuerit.

[Inter pestem & peccatum est correlatio.]

7. Magna profecto inter cogitationem pestiferam & peccatum intercedit similitudinis relatio. Sanctus Augustinus verba illa Psalmi: *In cathedra pestilentiæ non sedit,* sic exponit inquiens: [Psal. 1. v. 1.] [S. Aug. ibi.] *Nolunt regnum terrenum cum superbia, quæ ideo cathedra pestilentiæ rectè intelligitur, quia non fere quisquam est, qui careat amore dominandi. Pestilentia est morbus latè pervagatus, & omnes, aut pene omnes involvens.* Hugo Cardinalis pestis indicat etymologiam inquiens: *Pestis dicitur, quæ latè depascitur homines, propriè pestis à pastu herbæ nocivæ proveniens, quasi pastulentia.* [Hugo in expos. 24. Matt.] Et ideo peccatum merito pestilentia dicitur, quia illius contagium latissimè

mè serpit, dicente Psalmista: *Omnes declinaverunt.* [Ps. 13. v. 3.] S. Ambrosius super eumdem Psalmum primum scribens, voluptates, honores, & divitias pestilentiæ nomine indigitat, dum ait: [S. Ambr. in Ps. 1.] *Gravia irritamenta sunt voluptatum, gravis fomes avaritiæ, cupiditas potestatum, honoris ambitio, quæ velut veneno quodam mentis hominum, & quædam animas pestilenti vitiorum tabe contaminant.*

8. Verum enimvero scire percuperem, quodnam in eo lateat mysterium, quod solo Davide, per numerationem populi errante, pœnam erroris illius, non David, sed populus luere debuerit, per supradictam pestilentiam, qua Deus Jerosolymam afflixit? Respondet Abulensis, populum nequaquam fuisse punitum ob culpam Davidis, sed ob alias, quarum ipse reus erat, citatque authoritatem Sanct. Gregorij dicentis: [Abul. ibid. q. 31.] [Quare ob peccatum David fuit populus punitus peste.] *Non permissus fuisset peccare David, nisi propter peccata Israëlitarum, quia secundùm merita populorum, disponuntur acta rectorum; & tunc dicitur, quod quamquam ista pestis dicatur missa propter computationem populi, tamen ipsa fuit principaliter missa propter alia peccata populi.* Populus enim peccavit, transgressioni Regis cooperando, cui se opponere debebat, *obedire enim oportet magis Deo, quam hominibus;* præterquam quod insuper post numerationem errarunt, non solvendo medietatem sicli, quem lex solvi decreverat, quotiescumque hic computus instituendus erat, prout videre est in capite 30. Exodi. Consideratione dignissima sunt sequentia supradictæ epistolæ Achyllini verba, quibus Mascardo respondet dicendo: [Achyllin.] Nequaquam præsentia à te deploranda sunt supplicia, sed potius Angelicum talentum tuum exercere deberent exaggerando abominabiles præsentis sæculi corruptelas, sic enim non solum non admirareris harum calamitatum truculentiam, sed potius attonitus hæsurus esses admirando, qua ratione prohiberi possit, ne omnes è cœlo cadentes pluviæ meræ sint pestilentiæ, & ne omnes Solis radij meræ sint fulminum cœlestium sagittæ: Eo enim hodie proh dolor! sæculi malitia devenit, ut in pectoribus humanis agonizare fides, ipsaque charitas palpitare videatur. [Malitia hujus temporis.] Lucrum & interesse privatum ubique triumphat, & quod pejus est, honorem Dei, velut in curru ostentationi expositum, catenisque vinctum circumducit. Calumniæ coronantur, miseramque innocentiam serviliter sibi subjiciunt. Tanto cum præcipitio ad propositum curritur finem, ut amici in cursu certatim contendentes sese mutuo opprimant. Calcatur fides, veritas in terram projicitur, ipseque Deus per effrænem cœcitatem non agnoscitur. Omnis ordo, omnisque congregatio hodie adeo corrupta esse cernitur, ut ibidem cuivis alteri sententiæ semper prævaleant consilia invidiæ, opiniones in odio fundatæ; & tyrannicæ proprij interesse dictaturæ. [Negotia hominum præcipuè ad tria tendunt.] Omnes humani tractatus ad tria præcipuè capita reducuntur, scilicet ad mundanæ fortunæ perfectum, ad carnalium voluptatum adimpletionem, & machinatæ vindictæ reale complementum; & hæc quidem objecta, hominum mentes adeo occupant, ac si Deus vel non esset; vel illa non intelligeret, vel non puniret. Obsecro te, ut per sublime ingenium tuum nonnihil consideres corruptos hujus sæculi mores, hoc enim si feceris, certus sum, quod si forte propter injustitiam demeriti contristeris, attamen considerata illati supplicij justitia multum consolaberis, illamque benedices divinam manum, per quam punita conspicitur perfidia, inhumanitas calcata, dissipata lucra & interesse privata, raptatæ ad laqueum calumniæ, honoresque mundani dehonestati. Hactenus elegantissimus Achyllinus, qui pestem, condignum esse Dei, scelera nostra castigantis, flagellum, probè sciebat.

9. Multa equidem habemus ejusmodi pestilentiarum, propter peccata nobis immissarum exempla. Sanctus Gregorius Nyssenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi sequens factum recenset: In urbe namque Neocæsariensi in Ponto, cæci illi gentiles solemne quoddam in honorem Dæmonis celebrabant spectaculum; [S. Greg. Nyss. in Vit. S. Greg. Thaumaturgi.] [Gentile spectaculum Dijs oblatum] *eorum vero, qui concurrerant, theatrum plenum erat, & eorum, qui postremi affluxerant, multitudo, subsellijs undique superfundebatur, atque omnibus ad spectacula, atque adornata Orchestram intueri cupientibus, plena scæna erat tumultus, & trepidationis, irritaque præstigiatoribus, mirabilium spectaculorum artificibus ostentatio, tumultu sese mutuo constipantium, non modo oblectationem musicæ impediente, sed ne circulatoribus quidem, & præstigiatoribus ostendendi tempus concedente. Tum verò communis ab omni multitudine erumpit vox, Dæmonem, cui diem festum agebant, implorantium, & ab illo sibi laxitatem fieri pe-*

tentium. Posteaquam autem omnibus simul loquentibus, in altum vox tollebatur; ac totius civitatis velut unius oris sermo esse videbatur, quo hæ preces Dæmoni adhibebantur, (erat enim precatio, ut ipsa verba ejus audiebantur: Jupiter fac nobis locum;) audito sane magnus ille vir sono, nominatim invocantium Dæmonem, à quo laxitatem civitati fieri petebant, quodam ex astantibus ad eos missò, laxitatem ait, illos mox datum iri majorem, quam optarent; hac autem ab eo voce, tamquam tristi quadam sententia, prolata, pestilentia frequentem illum, ferias agentium, & ludos celebrantium, conventum excipit, ac statim tripudiantium choris lamentatio miscebatur, adeo ut in luctus & calamitates eis voluptates converterentur. [Tristia Jovis oracula.] Idem pergit S. Gregorius Nyssenus ostendere, qualiter pestilentia immensam & atrocem in hominibus fecerit stragem, donec agnoscerent & detestarentur peccatum suum, quod Dæmonem adorando & implorando patraverant, mox enim, ut de peccatis suis fecerunt pœnitentiam, à S. Episcopo ad fidem nostram conversi, atque totaliter liberati fuerunt. Anno 467. ut scribit Gelasius Papa, illi, qui lupercalia nequaquam è medio tollenda esse contentiosè sustinebant in hac alma urbe Romana atroci sunt castigati pestilentia. [Baron. An. 467. n. 2.] Anno 746. impio Constantino Copronymo regnante, ira Dei in urbe Constantinopolitana multo evidentius apparuit, siquidem ibidem per integrum triennium pestilentia tam crudeliter desævijt, ut omnia sepulchra, omnes cisternæ, & profundissimæ fossæ, omnes denique horti & vineæ cadaveribus repletæ fuerint, adeo ut vix superfuerit locus mortuis inhumandis. [Baron. An. 746. n. 2.] [Parvæ cruces in vestibus erant certum signum mortis.] Repente quoque in vestibus cruces apparuerunt parvulæ, cœrulei coloris, omnes autem, quibus illæ adhærescebant, inevitabiliter moriebantur. Cruces autem illæ cœlestem præ se ferebant colorem, ut per hunc indicaretur, flagellum hoc cœlitus immissum fuisse, in pœna Imperatoris sacrilegi, sacrarumque imaginum & Ecclesiæ hostis infestissimi. Anno 1167. cum Fredericus Tertius, Romani Pontificis Alexandri Tertij persecutor pariter, & inimicus, Basilicæ S. Petri conflagrandæ ignem admovisset, confestim exercitus ejus peste correptus, & intra septem dierũ spatiũ quasi totaliter deletus, morteque extinctus fuit; unde magna cum sui confusione, cum paucis comitibus in Germaniam denuo reverti coactus, atque in itinere à nonnullis Lombardiæ populis pessimè tractatus fuit. [Baron. An. 1167. n. 6.] [Historia de Frederico Imperatore.]

10. Porro securum, & unicum adversus hoc flagellum remedium, est pœnitentia peccatorum, per quam divina justitia placatur: remota enim causa removetur effectus. Abulensis rationem assignat, cur morientibus ex peste Hebræis ad numerũ circiter septuagesies mille, David nihilominus, licet causa fuerit hujus pestilentiæ, Deumque per suam transgressionem ad iracundiam graviter irritaverit, omnino remanserit illæsus, ita enim scribit: [Quare populi moriebantur propter peccatum David.] *Indutus est cilicio, ut vidit Angelum, exposuit se ad hoc, quod vellet mori, ne moreretur populus, & oravit in se transferri mortem. Puniendus quidem erat pro hoc peccato, tanta tamen fuit contritio ejus, quod meruit sibi pœnam remitti.* [2. Reg. 24. 32.] [Abul. ibid.] S. Carolus Borromæus, in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi prædicans, populo suo ex parte Dei serio promisit futurum, ut si à peccatis suis desistentes, vitam emendarent in melius, pestilentiæ contagium ante solemnitatem Natalis Domini totaliter extinguendum foret; prout re ipsa factum est; [Promissio S. Car. Borrom.] & quidem licet in illa processione, quam Sanctus Gregorius hic Romæ, tempore sævientis pestilentiæ, instituit, octoginta homines in via ex pestilentiæ contagio mortui fuerint, in processionibus tamen à S. Carolo Borromæo institutis, ne unum quidem mortuum fuisse constat, videns enim iratus Deus populum illum pœnitentem, cineribusque in capite conspersum, & Sanct. Cardinalem restim ex collo suspensam gerentem, & ponderosissimam crucem bajulantem, seque ipsum pro peccatis gregis sui in sacrificium offerentem, pedibusque nudis, & sanguine manantibus ambulantem, divinæ justitiæ gladium avertit.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Non solum animalia ferocia, verum etiam minima animalcula, sæpe sunt divinæ iracundiæ instrumenta, quibus impij castigantur.

THEMA.

Bestiarum dentes, scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. Eccli. 39. v. 36.

[Post peccatum bestiæ pugnant contra impium.]

1. TAmetsi, ut suo loco examinavimus, omnes creaturæ in eo concordes sunt, ut injurias commu-

communi Creatori irrogatas atrociter vindicent; attamen, ut Ecclesiasticus asserit, præ cæteris in damnum impiorum libentius se ingerunt, suamque operam præstant feræ, & animalia venenosa, cunctæque aliæ creaturæ sensibiles; licet irrationales. *Bestiarum dentes, & scorpij &c. Omnia homini ante peccatum obediebant*, inquit Glossa, *post peccatum vero pugnat contra eum orbis terrarum. Inde fames, & mors, & mille pericula mortis, bestiæ quoque contra eum sæviunt, & romphæa cælestis vindictæ.* Porro quantopere creaturæ, rebelles Dei castigando, gaudeant; idem Ecclesiasticus immediatè post his verbis declarat: *In mandatis ejus epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum* Quibus verbis Sapiens scorpionibus, serpentibus, & feris, usum rationis & discursum attribuere videtur, siquidem illas ob acceptam à Deo potestatem vindicandi injurias, Creatori ab impijs irrogatas, saginandas, incrassandas, & impinguandas esse dicit. Unde bufones, scorpiones, serpentes, vermes, aliaque similia animalia in sepulchris gaudent, se illas posse manducare carnes, quæ multis sensualitatibus, crapulis, & ebrietatibus committendis speciali fuerunt instrumenta. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Deo jubente per modum epulantis devorabunt iniquos.*

Eccli 39. 36.
Gloss. ibid.
Ibid. v. 37.
Etiam contra cadavera illorum.
Dion. Carth. ibid.

2. Memorandum porro est, quod licet homini à Deo absolutum super animalia collatum fuerit dominium, (*præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, omnique reptili,*) attamen post amissam innocentiam & justitiam originalem, homo hac potestate simul privatus fuit, ac proinde observandum est, quod mox ut Cain execrabile illud fratricidij commisit scelus, simul quoque vehementer timere cœperit, dixeritque: *Omnis, qui invenit me, occidet me.* At vero quem timebat Cain, quandoquidem terra nondum à populosa hominum multitudine habitabatur? Audiamus S. Ambrosium dicentem: *Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat.* Disposuit enim Deus, velut ad refrænandum nos à peccato, ut delinquentes scirent, quod ab ipsis mundi primis natalibus talem feris, brutis, cunctisque alijs animalibus communicaverit instinctum, ut injurias sibi à divinarum legum suarum transgressoribus irrogatas vindicarent. Canis quidem Domino suo, qui illum sustentat, obsequiosus est & fidelis attamen si larvam induat, eumdem non agnoscens, statim invadit & mordet; eodem modo animalia, quamdiu in homine conservatam intuentur Creatoris imaginem, & similitudinem, propter innocentiam, tamdiu ei respectum deferunt, & promptè obediunt, at vero hac imagine per peccatum amissa, eumdem mordent & dilacerant; *Adamus, quamdiu puram servavit vultum*, inquit Chrysostomus, *ei bestiæ tamquam servæ parebant, quando autem vultum fædavit inobedientia, non agnoscentes illum, tamquam alienum odio habebant.* Omnia creata aliquod in se recludunt artificis vestigium, qui illa produxit. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; At vero si contra hominem malignentur, & desæviant, hoc illi contingit in pœnam malitiæ suæ, quia scilicet Deo est contrarius; creavit quidem illa Deus, ut homini servirent, & subsidia afferrent; si vero deinceps illi noceant, ipsemet homo in culpa est, quia Deus *armat creaturam ad ultionem inimicorum.* Refert Cælius Rhodiginius testimonium Bedæ dicentis, serpentes, scorpiones, & alia similia animalia à primis natalibus suis nequaquam fuisse cum veneno creata, ac proinde in statu innocentiæ homini nequaquam fuisse nocitura; venenum autem ijsdem post primorum parentum prævaricationem supervenisse. En verba illius: *Ante hominis peccatum nihil noxium à terra progerminari, non herbam veneno pestilentem, sequestrata item virulentia viperarum.*

Gen. 1. v. 26.
Ex instinctu naturæ bruta insurgunt contra impios.
Gen. 4. v. 14.
S. Ambr. lib. 2. de Cain c. 9.
Similitudo.
D. Chrys. in Ps. 3.
Gen. 1. v. 31.
Creata sunt bruta in subsidium hominum & pœnam simul impiorum.
Sap 5. v. 18.
Venenum est post peccatum.

3. Inter alia severissima supplicia ingrato & rebelli illi populo Israëlitico per Ezechielem comminata, unum quoque hoc fuit; *Et immittam in vos famem, & bestias pessimas, usque ad internecionem*, S. Hieronymus super hæc verba ita scribit: *Famem, & pestilentiam, & bestias pessimas, & quidquid aliud malorum sustinemus in sæculo, propter nostra venire peccata manifestum est.* Idem S. Doctor hanc comminationem suis quoque temporibus adimpletam fuisse docet inquiens: *Bestias pessimas induci super terram solitudinis, quæ fame, gladio, & peste vastata est, præsentia quoque ostendunt tempora, quando familiaria animalia, ut canes in Dominorum carnes rabie concitantur, & ursis, lupis, cunctisque alijs generibus bestiarum terra completur.* Porro, quod ferocientes contra nos bestiæ specialis quædam sit peccatorum nostrorum pœna, ex sequenti historia efficaciter probatur. Cum enim filij Israël, tamquam mancipia, deducti essent inter Assyrios, Rex Babyloniæ ad incolendam civitatem & confinia Samariæ, alios populos submisit; at vero, quid factum est? *Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* Ecce tibi declaratam causam, cur Deus illos leonibus dederit in prædam, scilicet quia non timebant Dominum. *Nuntiatumque est Regi Assyriorum & dictum: Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei.* Multa quoque leguntur exempla, in quibus perspicuum fit, quod similes feroces bestiæ, non obstante congenita sibi truculentia, servis Dei, qui cum innocentia Christiana vitam agebant, sese mansuetas exhibuerint. Refert Cardinalis Baronius, quod Zosimo iter quodam tempore Cæsaream facienti, secumque asinum, cui res quasdam sibi necessarias imposuerat adducenti, occurrit leo, & asino Zosimi abrepto, discedit. Quem Zosimus per sylvam usque eo insequitur, quoad leo voratis asini carnibus satur esset, in quem hilari vultu, & subridenti, intuitus dixit: At vero, ô amice! cum annis plurimis onustus, & ætate admodum provectus, nequeam ea, quæ asino erant imposita, humeris portare; tu hoc onus contra naturæ tuæ consuetudinem gestes necesse est. Tum leo furoris prorsus oblitus subblandiri, & placidus ad Zosimum accurrere cœpit, cui Zosimus onus, quod asinus gestaverat, imponit, eumque ad portas usque Cæsareæ deduxit. Idem Cardinalis eodem in loco mortem refert S. Mariæ Ægyptiacæ, cui alius quidam Sanctus Cœnobita ejusdem pariter nominis interfuit, cui simile quoddam contigit miraculum seu prodigium à leone patratum, utpote qui pedibus suis fossam profundam excavavit, in quam S. Mariæ Ægyptiacæ cadaver fuit reconditum. Idem quoque S. Antonio Magno evenit, quando enim hic hærebat perplexus, quonam modo terram excavare posset, ad sepeliendum corpus S. Pauli primi Eremitæ, mox ex vicina sylva duo accurrerunt leones, qui suam in fossa excavanda præstiterunt operam, eademque absoluta denuo recesserunt. Miraculum quoque prodigiosum, valdeque celebre fuit illud, quod in libro Danielis refertur, cum enim hic non semel, sed bis inter leones diuturno tempore famelicos depositus fuisset, hi eum nequidquam lædere præsumpserunt, sed potius eum reverenter sunt venerati, eumque à suis inimicis, invictisque persecutoribus custodierunt. Anno 574. ut Annales Ecclesiastici referunt, cum S. Simeon Stylita, etiamnum juvenculus, in montanis, ut proprium est illius ætatis, saltitaret & luderet; obvium habuit pardum, quem felem esse existimans, ad monasterium adduxit, in quo deinceps sine ullius læsione est commoratus. Dum idem Simeon Stylita alia quadam vice, annis provectior esset, contigit, quod cum puer aliquis, nocturno tempore cum alijs iter faciens, à comitum suorum societate aberrasset, leo quidam eidem occurrens, illum apprehensum, & dorso impositum penitus illæsum & incolumem ad monasterium ejusdem Sancti fideliter detulerit. Nimirum ferocia hæc animalia ex instinctu quodam, non naturali, sed cœlitus communicato, optimarum animarum illarum agnoscebant puritatem & simplicitatem, simulque intelligebant communem Creatorem illis permisisse, ut in solos ejus inimicos & rebelles innatam suam exercerent crudelitatem. Nota est illa in 3. lib. Reg. cap. 13. descripta historia. Cum enim Deus Prophetam quemdam ad Jeroboam destinasset, qui eidem ejus nomine execrabile improperaret idololatriæ peccatum, (in quod ex humanæ, seu potius diabolicæ politicæ motivo suos induxerat subditos:) operari cœpit miracula, efficiendo, ut altare rumperetur, manusque sacrilegi Principis confestim exaresceret: Et tamen, quia post acceptam à Deo commissionem; in illis confinibus nequaquam manducandi, ab alio quodam Pseudo-Propheta seductus, seque fatigatum & famelicum animadvertens ab appetitus violentia vinci permisit, cibumque licet modicum sumpsit, mox ut è domo egressus est, obvium sibi habuit leonem, à quo & occisus, non vero devoratus fuit, quin potius ad cadaveris illius custodiam
prope

Ezech. 5. 17.
S. Hier. ib.
Historia ex Scriptura.
4. Reg. 17. 25.
Ibid. v. 26.
Baron. An. 525. n. 21.
Respectu piorum Historia contraria.
Pluries Leones servierunt Sanctis.
Dan. 6. v. 22.
Baron. An. 574. n. 8.
Alia similis Historia.
3. Reg. 13. v. 24.
Leo occidit Prophetam peccantem & cadaver defendit.

Propè substitit, ne quispiam illud offendere præsumeret; *Et erat cadaver ejus projectum in itinere, ... & eo stabat juxta cadaver.* At vero ex quo sanguinis & carnium humanarum insatiabilis fera huic Prophetæ vitam ademit, quæ excellentius quoddam bonum est, cur ejusdem Prophetæ ne digitum quidem unum tangere præsumpsit? Pro resolutione observandum est, Deum quidem in pœnam inobedientiæ hujus Prophetæ disposuisse, ut leo illum occideret, sed quia hic Propheta interea, dum à leone dilaniaretur, peccatum suum per veram compunctionem expiaverat, jamque anima ejus in locum salutis migrasset, leo in corpus ejus nullam amplius potestatem habebat, quia jam nullum amplius peccatum supererat. *Ex qua re ostenditur*, inquit S. Gregorius, *quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum; leo ergo, qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi.* Observandum est insuper, leonem hunc, qui alias nulli solet parcere animali, in hac tamen occasione, licet hora opportuna capiendi prædam præsto esset, nihilominus ne asinam quidem hujus Prophetæ tangere ausum fuisse; unde Chrysostomus ait: *Jacebat itaque mortuus Propheta, stabat vero asina ejus viva, quasi leo discernere potuisset, Prophetam inobedientem ob suam transgressionem promeritum fuisse mortem, non vero stolidum asinum, qui omni culpa carebat*; in simili occasione plures alij leones optime noverunt distinguere & discernere reos ab innocentibus, siquidem Danieli Prophetæ detulerunt respectum & venerationem, at vero invidos Satrapas, qui servum Dei persecuti fuerant statim invaserunt & dilaniarunt. Unde Chrysostomus de prædicto Propheta ait: *Erat mendacis fuligine atratus, & leo eum non cognovit, si Prophetam vidisset, ut Danielem, eum honorasset.*

3. Reg. 13. 24.
S. Greg. l. 4. Dial. cap. 24.
Facti illius explicatio.
D. Chrys. ser. 1. de jejun.
Leo non nocuit Asinæ Prophetæ, quia illa non peccaverat.
Dan. 6. v. 24.
D. Chrys. in Ps. 3.

4. Plenæ sunt historiæ innumeris exemplis, ex quibus clare colligitur, animalia natura sua ferocia, non solum servis Dei nullum intulisse nocumentum, verum eisdem ad minimum ipsorum nutum obsequiosa & morigera se exhibuisse; quot enim Martyres leonibus objecti, ab illis manserunt intacti & illæsi? Refert Palladius de Macario Alexandrino, quod cum serpens quidam eum momordisset, is eumdem ambabus manibus apprehensum discerpserit, dicendo eidem: *Cum te non misisset Deus meus, quomodo ausus es ad me accedere?* In capite 28. Actuum Apostolorum quædam describitur historia, qua evidenter probatur, quam parum efficere possint animalia nociva circa illos, in quibus nullum inveniunt peccatum. Etenim cum ij, qui cum S. Paulo navigaverant, meritis ejusdem Sancti Apostoli, post superatum terribilis naufragij periculum, salvi & incolumes, in insula Melitensi appulissent, S. autem Apostolus sarmentis quibusdam ad ignem accendendum colligendis intentus esset, latitans sub sarmentis vipera quædam manum ejus momordit. *Ut viderunt barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic; qui cum evaserit de mari; ultio non sinit eum vivere.* Videntes enim S Apostolum à vipera illa læsum, id ei in pœnam peccatorum suorum accidisse existimarunt, at vero subito se in hoc deceptos fuisse aperte viderunt; ait enim sacer textus: *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, & subito casurum & mori; diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se dicebant, eum esse Deum.* Ubi vides, qualiter hi Apostolum à vipera læsum esse videntes, illum judicarint esse impium, econtra vero plus quam hominem esse credebant; quando eum viderunt à vipera nequidquam læsum. Unde Oecumenicus ait: *Vipera injectis manui Apostoli dentibus, cum peccati mollitiem non reperisset, protinus resilut, ac in ignem salit, tamquam sibi ipsi pœnam infligens, quod corpus nullo modo sibi conveniens petisset ac oppugnasset.* Nos bestias timemus, quod armatura virtutis muniti minimè sumus. Optimè igitur S. Augustinus monet inquiens: *Agnosce eum, qui supra te est, ut agnoscant te, quæ infra te sunt, hac enim ratione super aspidem & basiliscum ambulabis.*

Pallad. cap. 20. Hist. Lau. Siac.
Historia de S. Paulo Apostolo viperam comburente.
Act. Apost. 28. v. 4.
Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.
Oecum. ibid.
S. Aug. tr. 13. in Joan.

5. Ratio, ob quam animalia ferocia adversus impios sine dubio desævirent, nisi Deus illa per potentiæ obedientialis frænum coërceret, hæc est, quia etiam ipsa propter impiorum transgressiones, suas quoque luere coacta sunt pœnas, siquidem olim omnia in aquis universalis diluvij submersa fuerunt, dicente Scriptura: *Delebo hominem, quem creavi, ... usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cœli.* Unde Chrysostomus ait: *Istam pœnam communem ferunt, ut culpæ gravitatem addiscant.* His accedit odium inveteratum, & zelus, quo ad vindicandas Creatori irrogatas offensas abripiuntur, quorum proinde opera Deus utitur, tamquam si sint divinæ justitiæ executores. Deus olim Hebræis dixit: *Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra, immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ.* Quando insolentes illi, à parentibus suis pessimè educati pueri Elisæi deridebant calvitiem dicentes: *Ascende calve!* confestim ex vicina sylva duo prosilierunt ursi, qui quadraginta duos ex illis devorarunt. Hebræis quoque contra divinam providentiam murmurantibus immissi sunt venenosi deserti serpentes, ut eosdem mordendo intoxicarent, sic enim *armat creaturam ad ultionem inimicorum.* S. Hieronymus super Jeremiam ita scribit: *Quatuor plagas, quibus traditus est populus Judæorum, etiam Ezechielis Prophetia demonstrat, gladium, pestilentiam, famem, bestias, captivitatem. Inter bestias autem canes quoque & volatilia intellige, quibus laceranda, & devoranda, & dissipanda corpora tradita sunt. Nec enim fieri poterat, ut Creatore neglecto, non universa creatura consurgeret in peccatores.* Doctrina est S. Augustini dicentis: *Intelligite, quia Deus fecit omnia, & in suis gradibus collocavit. Quare autem patimur multa mala à creatura, quam fecit Deus, nisi quia offendimus Deum? Numquid hæc Angeli patiuntur? Fortassis & nos in vita ista illa non timeremus. De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem. Nam propter superbiam instituit Deus istam creaturam minimam, & abjectissimam, ut ipsa nos torqueret, ut cum superbus fuerit homo, & se jactaverit adversus Deum, & cum sit mortalis, mortalem terruerit, & cum homo sit, proximum hominem non agnoverit, cum se erexerit, pulicibus subdatur. Quid est, quod te inflat humana superbia? Homo tibi dixit convitium, & tumuisti, & iratus es, pulicibus resiste, ut dormias, cognosce qui sis.* Herodes quoque cum omni sua potentia, licet ei à populo tamquam Deo acclamatum fuisset, vermes à se abigere nequivit, quin eum in justam superbiæ suæ pœnam devorarent. Antiochus, qui cum ipsomet Deo in certamen descendere non dubitabat, quique universam terram validissimis exercitibus suis contremiscere faciebat, adeo in sacrilego, & impio suo corpore multiplicatos vidit vermes, ut ab ijsdem brevi tempore consumptus fuerit. *Pulicibus resiste, ut dormias, cognosce qui sis.* Arnolphus Cæsar, tametsi Imperator esset, quia tamen ex fortunatis imperij sui eventibus elatus, eosdem suæ attribuit prudentiæ & fortitudini, Deumque contempsit, *minutis vermiculis, qui pediculi nominantur corpus adeo scatuiebat, ut nullis Medicorum curis minui possent.*

Feræ in impios desæviunt quia propter eos patiuntur mala.
Gen. 6. v. 7.
D. Chrys. Hom. 22. in Gen.
Lev. 26. 21.
Sunt Executores divinæ justitiæ
4. Reg. 2. 23.
Num. 21. 6.
Sap. 5. v. 18.
S. Hieron. in Jerem. 15.
S. Aug. tr. 1. in Joan.
Puniuntur impij à vilissimis vermibus.
Patet in Herode.
Act. Apost. 12. v. 23.
2. Macc. 9. 9.
Item in Antiocho Rege.
Joan. Cuspin. in Arnolph. An. 894.

6. Quin imo contra impios omnia conjurant animalia, non solum quadrupedia, & reptilia, verum etiam volatilia. Unde in Deuteronomio dicitur: *Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia.* Refert Surius, quod anno 1541. infinitus quidam in Polonia fuerit locustarum insolitæ magnitudinis exercitus. *Hæ primo nullas habebant alas, sed magnos dabant saltus; paulo post illas adeptæ sunt, tantaque multitudine provolarunt, ut duo milliaria in longum, & latum cubito tenus ita occuparent, ut Solis quoque splendorem à toto illo terræ spatio sua densitate excluderent. Transvolabant aquas, arbores, ædes, & obvia quæque. Cum alæ succrevissent, erant magnitudinis humani digiti, & tunc atrocius grassabantur in fruges, & ea, quæ in usus hominum necessario gignit humus, tota æstate nulla neque arte, neque vi earum sævitia retardari potuit. Fuit ea procul dubio plaga, & animadversio in hominum peccata.* Ecce tibi cohortes bellatrices, quibus divina justitia adversus suos utitur rebelles, de quibus Scriptura ait: *Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.* Ad deprimendam Philistæorum, ob victoriam contra Hebræos, una cum arcæ deprædatione obtentam, superbientium fastum, & elationem, opera usus est murium: *Aggravata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos; ... nati sunt mures, & facta*
est

Deut. 28. 38.
In Polonia locustæ omnes fruges devorarunt.
Sur. in Chron. An. 1541.
Sap. 12. v. 8.
Philistæi à muribus vexantur.
1. Reg. 5. 6.

Flor. Exempl. Tom. 3. tit. 2. c. 6. n. 10.

est confusio mortis magnæ in civitate, In Catechismo exemplorum sequentia leguntur : *Pompilius, seu Popyel, quem teutones Osseriæ vocant, suscepto regno, in vita sua nihil egregium edidit, solitus erat in omni exercitatione dicere, utinam me mures vorarent ; utique omine malo, nam filium ejus devorarunt mures, qui Pompilius appellatus fuit. Relictus post patrem in ætate puerili : Patrui ejus administraverunt regnum, quoad ille adultus factus uxorem duxerat. Tunc illum convivia celebrantem, mero madentem, sertis coronatum, unguentis delibutum, crapula & luxu resolutum, invadunt mures, de cadaveribus patruorum, quos ipse & uxor ejus Regina veneno interfecerant, ingenti magnitudine egressi, & in convivantem tyrannum, consortem ejus, & filios rabidis morsibus insiliunt, milium caterva nequidquam abigente, nam humano suffragio fatigato, mures infatigati perseverabant die noctuque ; Exstruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatur Pompilius, conjux, & filij ; illuc autem & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non desistebant. Ad aliud tandem elementum ventum est. In navibus abducitur occisor patruorum, Pompilius, cum suis, in stagni altitudinem ; mures tamen incessanter secuti abductos, & naves rodebant, in tantum, ut aqua perforatis rimis ingressa submersionem minaretur, ideo nautæ timentes præfocationem ab aquis, deduxerunt navem in lutus, unde alia caterva murium occurrentium junctis prioribus, acrius infestabat. His visis, Defensores divinam ultionem cognoscentes, omnes fugerunt. Pompilius autem protectoribus nudatus recipit se in turrim altiorem, Crusinza, ubi mures rapido cursu ascendentes consumpserunt, & voraverunt duos filios, uxorem, & facinorosum Pompilium. Ecce non est potestas aut consilium contra Dominum, minuta enim animalia, imbelles mures, eum miserabiliter consumpserunt.*

Historia de moribus contra Pompilium.

Der Maus-Thurn.

Baron. An. 1034. n. 31.

7. In Annalibus Ecclesiasticis alia à Deo inflicta pœna legitur, cum enim Patriarcha Alexius in nocte passionis Christi ab Imperatore vocatus esset, ad palatium concedens, Imperatorem Romanum invenit mortuum, & requisitus à Zoë, ut una cum ipsa Michaelem consecraret, ipse ad hæc verba stupefactus obticuit, hærebatque dubius : At vero, quia Joannes una cum eadem Zoë, quinquaginta Patriarchæ dabant libras, & alias quinquaginta Clero, eosdem consecravit. Enimvero Deum hunc tam enormem excessum abominatum fuisse, sine mora demonstratum fuit, siquidem hora undecima diei Paschatis, ingens de cœlo tempestas, & grando decidit, quæ non solum arbores, sed & domos in terram prostravit. Accesserunt & alia clara divinæ iræ indicia, quia in hoc & duobus diebus sequentibus, tanta grillorum & locustarum multitudo visa fuit, ut totam regionem contexerint, omniaque destruxerint, & devorarint.

Punitio propter impiam consecrationem.

8. In Tomo tertio Surius in vita S. Medardi sequentem refert pœnam, privato cuidam viro illatam. Cum enim latro quidam multas rapuisset apes, ad reditus Ecclesiæ spectantes, *illæ collecto agmine furem aggressæ, in fugam verterunt, aculeatis stimulis hominem pungentes, nec dimittentes, donec ad ipsum S. Medardum totas vulneratas venisset, adhuc undequaque apibus circumseptus, quo cum vellet nollet pervenisset, provolutus ad S. Medardi vestigia supplex sibi admissum crimen dimitti postulavit.* Cumque sanctus vir Dei manu sua ipsum benedixisset, eique peccatum condonasset, apes ab eo recesserunt, sed notate verba, quibus Historiographus ad id recensendum utitur : *Apes*, inquit, *velut non ignaræ Episcopalem benedictionem homini crimen abrogasse, & Ecclesiæ reconciliatum hominem non esse ulterius defatigandum, à molestia cessarunt, dimissoque homine, velut parentes Medardi jussui in loca sua redierunt.* Factum hoc à Fortunato Presbytero enarratur, cujus historia Surius usus fuit. In Catechismo exemplorum sequens narratur eventus : *Nullum adeo exiguum & imbecillum animal est, quod non possit contra peccantem hominem esse potentissimus hostis. Nam id fuit maximè perspicuum eo miraculo, quod in Hispania accidit anno 1286. sub Petro Rege Aragonum, quando capta Geranda per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum Reges, ex sepulchro S. Narcissi, quod violare attentarunt milites, muscarum examen egressum, in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam vertit, & à cœptis desistere coegit.* Quo in casu opportunè dici poterat: *1. Cor. 1. 27. Infirma mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat.*

Sur. Tom. 3. V. t. S. Medard. Fur apium ab ijsdem impugnatur.

Flor. Exempl. num. 9. ibid. Historia Hispanica de Musçis.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Multæ considerantur miseriæ, & calamitates publicæ, quæ peccatorum nostrorum sunt pœnæ.

THEMA.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. Thren. 1. v. 8.

Explicatio ly instabilis.

1. JEremias admirandas Jerosolymæ calamitates inconsolabilibus deplorans lachrymis, easdem peccatis illius ; tamquam causis attribuit. Porro ly *instabilis*, varias apud Interpretes habet versiones ; Vatablus legit : *Propterea variè jactata est*, alludens nimirum ad navim temone & nauclero destitutam, varijsque procellosis tempestatibus in mari agitatam. Pagninus legit : *Facta est in commotionem.* Observandum vero est, Prophetam non sine mysterio dicere : *Sordes in pedibus ejus* ; Etenim S. Gregorius Magnus in epistola quadam inquit : *In flagellis positos, flagellis digna commuere contra ferientem, est specialiter superbire, & sævientis acrius iracundiam concitare, atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis juste quiescere, & Deum injustè à sua velle ultione cessare.* Ex quo loquendi modo clarè cognoscitur, supplicia & flagella irati Dei nostrorum esse peccatorum effectus ; *Sordes in pedibus nostris*, in cujus probationem verba illa deserviunt, quæ in oratione feriæ quartæ Cinerum ad vesperas leguntur, scilicet : *Tuere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda, quia ei nulla nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas.*

S. Greg. l. 8. Epist. 41.

Ovat. infer. 4. Ciner.

2. Tertullianus peccatum ingenioso quodam epitheto indigitat, dum ait : *Possumus igitur demandata pœnitentiæ distinctione, ad ipsorum jam delictorum regredi censum.* At vero quænam censum inter & peccatum esse potest proportio ? Magna equidem ; Natura enim census perpetui hæc est, quod omni anno solvatur fructus rei fructiferæ, juxta rationem numeratæ pecuniæ, capitali tamen, & forte principali semper integra, & viva permanente. Ex hoc igitur capite merito peccatum mortale census appellatur, quia debito pœnæ æternæ, eousque donec per veram pœnitentiam extinguatur, vivo semper & integro remanente, fructus, id est, multæ pœnæ temporales totque miseriæ & calamitates, quæ quotidie super impios immittuntur, in hac præsenti vita, non solum annuè, sed & per singulos dies solvuntur. S. Hieronymus de Xerxe Persarum Monarcha refert, quod cum ex loco eminente innumerabilem illum fixis oculis contuitus esset exercitum, per quem montes complanare, exsiccare flumina, integrasque provincias & regna sibi subjicere poterat, simulque se reflecteret, quod post centum annos ne unus quidem ex tanto numero futurus esset in vita superstes, amarè fleverit, per hoc denotando instabilitatem Monarchiarum, & Potentatum hujus terræ debilitatem ; O quam futurum esset animæ alicui Christianæ, in virtutibus proficere volenti, utile, & proficuum, quantumque anima talis abominatura esset peccatum, si omnes calamitates, & miserias, quæ à sexies mille sexcentis & amplius annis ad finem usque sæculorum generi humano evenerunt, & evenient, fixo oculo intueri, illasque omnes primi peccati originalis partus & effectus esse intelligere posset ? Utique talis dicturus esset, *circumdederunt me mala, quorum non est numerus* ; qualia sunt vita brevis, & plurimum infirma, fortunæ instabilitas, oppressio paupertatis, jacturæ honoris & famæ, calumniæ, persecutiones, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus, naufragia, incendia, tempestates, inundationes, revolutiones status, bellorum civilium motus, ruinæ populorum, mutationes dominiorum, subditorum rebelliones, tyrannides Principum, domesticorum conjurationes & tradimenta, aliaque similia innumera infortunia, quæ omnia velut abortus pessimi à peccato non jam in lucem, sed potius in tenebras eduntur.

S. Hier. in Epitaph. Nepot.

Fletus Xerxis de instabilitate humana.

Tertull. lib. de pudicit. c. 4. Proportio inter censum & peccatum.

Pf. 39. v. 13. Miseriæ hujus mundi.

3. Multi quidem homines existimant, mala, quæ illis accidunt, casualiter eis evenire, vel à causis naturalibus derivari, non considerantes, quod verissima sint divinæ iræ supplicia. Cum Deus nonnullis Palæstinæ populis, id est, Tyri Sidonis, Ascalonis, & Gazæ incolis vehementer indignaretur, Jeremias

Errant, qui volunt pœnas casu evenire.

remias ensem quemdam in aëre oberrantem conspiciens, prædictisque hominibus ob imminentes calamitates, his eumdem ensem affatus est verbis :

Jerem. 47. 6. *O mucro Domini, usquequo non quiesces ? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile*, at vero subito vocem quamdam audijt dicentem : *Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, & adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi* ; quasi diceret, ensis ille, quem vides, non fortuito, & casualiter sese prodit, sed peccata hominum, civitates prædictas incolentium, eumdem ab ultrice Dei justitia quodammodo extorserunt. Enimvero ensis omnis est sensus expers, nec quoquam movetur, nisi adhibeatur manus, quæ illum dirigat & vibret ; eodem modo nobis discurrendum est, quando turbines, grandines, tempestates, locustas, & similia in aëre conspicimus, vel quando seditiones, tumultus, bella &c. exurgere videmus, hæc enim omnia enses & gladij sunt excidium nobis comminantes, sed nequidquam nobis nocerent, nisi Dei justè nobis irati vindex manus ensem illum moveret. S. Gregorius Magnus suo tempore Romæ, multis à Deo flagellis castigatæ, in hæc verba prædicabant : *Ecce cuncta plebs cælestis, iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur :* (De sæva namque pestilentia multas hominum Miriades suo tempore absumente loquebatur :) Unusquisque ergo nostrûm ad pœnitentiæ lamenta confugiat ; ecce tibi modum, quem sanctissimus Pontifex Romanus docebat, vindicem Dei gladium remittendi in vaginam, si nimirum peccatores pœnitentiam agendo peccatum aboleant, & ad nihilum reducant. S. Ambrosius quærit, qualis ille fuerit arcus, quem Deus se post diluvium in cœlo posituram esse promiserat ; ac tandem promissionem illam de alio arcu, quam illo, quem iris in aëre formare solet, nequaquam intelligendam esse probat ; postquam vero multa hac de re dixisset, pergit ostendere, quidnam hic arcus fuerit ; ait enim : *Est virtus invisibilis Dei* ; ex quo patet, verè à nobis dici posse, per hunc arcum intelligendam esse justitiam divinam, quæ virtus seu attributum quoddam est Dei, oculis nostris prorsus invisibile. Arcus autem ad quid sine sagittis deservire poterit ? *Arcum meum ponam in nube, non dicit sagittam meam ponam* ; inquit Sanctus Ambrosius. Quis igitur huic arcui immittit sagittas ? Facit idipsum peccator, qui tot sagittas in Dei arcum immittit, quot peccata committit : *Arcus enim instrumentum jaculandæ sagittæ est. Itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta* ; sagittas autem nos subministramus. Videmus, quod nonnumquam fulminum sagittæ è cœlo evibrentur, sed quis vapores & exhalationes, ex quibus ejusmodi sagittæ generantur, produxit, & in sublime direxit, præterquam terra ? Ergo *mala, quæ patimur, mala nostra meruerunt.* Cœlum non emittit sagittas, nec strepitosa edit tonitrua, vel furiosos tempestatum producit turbines, nisi ei primo è terris subministrentur vapores ; enimvero Deus libenter nobis semper communicaret, serenos & benignos misericordiæ suæ influxus, utpote *cui proprium est misereri semper & parcere*, nos autem per tetras inordinatorum appetituum nostrorum exhalationes divinæ bonitatis suæ serenitatem offuscamus, divinisque manibus severæ justitiæ suæ fulmina inferimus. Deus olim apud Jeremiam dicebat : *Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? Ideo hæc dicit Dominus Deus : Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ* ; quæ verba S. Hieronymus in favorem nostrum exponit dicens : *Nec intelligant miseri, quod ista contentio non me lædat, quem numquam ira commutat, sed semetipsos in confusionem vultus sui, & ignominiam sempiternam. Quidquid igitur facimus, non Deum lædimus, qui lædi nunquam potest, sed nobis interitum præparamus. Qui supra dixerat : Numquid me ad iracundiam provocant, quomodo nunc dicit : Ecce furor meus & indignatio mea stillavit super locum istum ? Et est sensus : Ego quidem naturaliter non irascor, sed illi ita agunt, ut me ad iracundiam provocent, ut meam videar mutare naturam, sentiant igitur iratum, quod quantum in se est facere conantur.* Etenim offensæ, quibus impij Deum lædere contendunt, super ipsosmet recidunt, quemadmodum vapores, quos terra ad cœli serenitatem turbandam exhalat, in ipsusmet terræ damnum per grandines, tempestates, fulgura, & fulmina semper recidunt.

Ibid. v. 7.

Similitudo à gladio.

Cœlum ex suppeditatis terræ vaporibus causat tonitru & fulmina.

Jerem. 7. 19.

Ibid. v. 20.

S. Hier. ib.

Applicatur moraliter.

4. Porro quemnam divinarum legum transgressores habituri sint exitum, Ecclesiasticus declarat, dum ait : *Substantiæ injustorum, sicut fluvius, siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.* In textu Græco loco ly. *substantiæ*, legitur, *Peccatæ & opes.* Cornelius à Lapide hunc textum ad propositum nostrum exponens, affert : Quinque manuscripta apud Francisum Lucam ; loco ly *personabunt*, legere *manabunt*, *effundent. Ut sensus sit, quasi dicat : Opera iniquorum affluent instar torrentis exæscentis subito, sed sicut torrens mox ut cessat pluvia, siccatur, sic pariter opes iniquorum mox evanescent.* Etenim per experientiam videmus, quod sæpe per unicam grandinem vindemiantur omnes vineæ, per unicam nebulam tota messis destruatur, & exinaniatur, per unicam inundationem innumeræ eradicentur arbores, & terra fertilis ex agris abripiatur, relicta in ejus locum sterili arena. Versio Syriaca legit : *Bona mendacij sicut torrens dilabentur, & sicut flumina, quæ replentur à nubibus lenibus, cum illæ cessant, deficiunt, & germen hominibus impijs non erit.* Rabanus ab eodem citatus inquit : *Iniquorum thesauras, sicut inopportunè concitare indiscretè colligitur, ita valdè & velociter dissipatur ; qui ad tonitrui similitudinem in impetu avaritiæ tempestatem facit, sed cito in ipso tumultu fatiscit, unde scriptum est Psalmo 9. v. 7. Inimici defecerunt framneæ in finem, & civitates eorum destruxisti, perijt memoria eorum cum sonitu.*

Eccli. 40. 13.

Corn. à Lap. ibid.

Substantiæ iniquorum subjacent multis periculis.

Raban. ibid.

Ps. 9. v. 7.

5. Deus olim Jobum servum suum interrogavit dicens : *Numquid ingressus es thesauros nivis ?* Porro nix efficiendo, ut semina solidius in terra radicentur, simul quoque efficit, ut eadem semina majorem fructum edant ; & ideo facile intelligere est mysterium, cur Deus nivem thesauri nomine appellet, at vero difficultas in verbis sequentibus consistit : *Aut thesauros grandinis aspexisti, Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli ?* Et vero quando Deus rebellibus suis vult bellum indicere, efficit, ut aquæ in nubibus hærentes ab Aquilonibus spirantibus congelentur in nives, dispergit è cœlo grandinis furiam, spirare facit ventum Australem, quo nives colliquescunt, efficit, ut agri densissima messe referti inundentur : submergantque segetes, Ecce tibi thesauros, quibus Deus utitur ad bellandum & dispergendum suos inimicos. Nonnumquam etiam cum ingenti messis damno, & contra omnem temporum anni consuetudinem, nives & glacies accelerat, dicente Ecclesiastico : *Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat corusationes emittere judicij sui, Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ, sicut aves ; In magnitudine sua posuit nubes ; & confracti sunt lapides grandinis, In conspectu ejus commoverebuntur montes, & in voluntate ejus aspirabit Notus. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus ... Aspergit nivem, & sicut locusta demergens descendes ejus ; Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, & super imbrem ejus expavescet cor.* Quasi dicere vellet, quod flocci nivei è cœlo velut locustæ descendentes ; ac demum per ventum Australem liquefacti & resoluti, terribiles causent inundationes, magnorum damnorum causas. *Nam ex resolutione subita nivium in aquam, frequenter contingit subversio hominum.* Dionysius Carthusianus eadem verba similiter exponit dicens : *Corda habitantium in terra verentur inundationem aquarum ex nivium resolutione provenientium, ex qua frequenter contingunt adversa, subversiones que flominum, juxta illud S. Job : Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi & pertransibunt.*

Pugnat Deus grandine.

Eccli. 43. 14.

Ibid. v. 15

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 19.

Ibid. v. 20.

Ex resolutione fit aquarum inundatio.

Lyran. ibid.

D. Carth. ibi.

Job. 34. 26.

6. In Annalibus Ecclesiasticis sequens legitur funestus eventus ; Etenim in diebus parasceves, post crucis adorationem, usque ad Sabbathum sanctum, appropinquante ferotino tempore, Roma per insuetatam quamdam ventorum tempestatem conquassata fuit, mortuique sunt quasi omnes Romani, tam Christiani quam Judæi ; idque evenit eis in pœnam cujusdam injuriæ, à pessimis & obstinatis Judæis cuidam Salvatoris imagini irrogatæ. Deus apud Jeremiam cap. 15. se impijs quasi inexorabilem ostendit, ideoque Prophetæ suo apertis verbis dixit : *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, ejice illos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint ad te, quo egrediemur ? Dices ad eos ; Hæc dicit Dominus : Qui ad*

Baron. An. 1017. n. 6. Historia quæ Romæ contigit.

Ibid.

Jerem. 15. 1.

Ibid. v. 2.

Jerem. 15. 2.
Ibid. v. 3.
S. Hier. ib.

ad mortem, *ad mortem*, *& qui ad gladium*, *ad gladium*, *& qui ad famem*, *ad famem*, *& qui ad captivitatem*, *ad captivitatem*, *Et visitabo super eos quatuor species*, *dicit Dominus: Gladium ad occisionem*, *& canes ad lacerandum*, *& volatilia cœli*; *& bestias terræ ad devorandum & dissipandum*. Ecce quantopere divinæ justitiæ gladius exacutus & limatus fuerit. S. Hieronymus ait: *Nullus potest offenso Deo, pro flagitijs rogare peccantium, quia nec tam clemens potest creatura, quam conditor esse.*

S. August. de Civ. Dei lib. 3. c. 17.
Enormia peccata causant publicas calamitates.
Ezech. 8. v. 6.
Ibid.
Ibid. v. 9.
Egesipp. lib. 5. cap. 16. de Exc. Civit.
Propter Heli negligentiam puniuntur Hebræi.
Agg. 1. v. 10.
Ibid. v. 11.
S. Bonav. ser. de S. Apost.

7. Certissimum est, causam multorum infortuniorum, & calamitatum publicarum, esse commissa contra Deum, & nondum satis castigata, vel expiata enormia peccata nostra. Sanctus Augustinus in libro tertio *de civitate Dei cap.* 17. scribit, Romanos per bella & pestilentiam magnopere afflictos, cum Sybillarum consuluisset oraculum, hoc inde retulisse responsum, scilicet ideo hoc eis velut in pœnam accidisse, quia multa loca sacra injustè occupaverant. Desolatio Jerosolymitana, & populi Dei dispersio pœna fuit sacrilegiorum & profanationis templi, dicente Deo apud Ezechielem: *Procul recedam à Sanctuario meo*; sed ecce subito subnexam causam: *Vides tu, quod isti faciant abominationes magnas? ... Ingredere, & vide abominationes pessimas.* Egesippus *libro quinto excidij Jerosolymitani cap.* 16. ostendit, Hebræos à Philistæis fuisse profligatos, ipsamque Dei arcam eisdem cessisse in prædam, in pœnam contemptus, & negligentiæ, qua peragebatur ab illis cultus divinus. *Intermissa erat*, inquit Egesippus, *sacræ cura religionis*, *Heli Sacerdotis negligentia*, *victi Hebræi*, *arca Dei capta est.* Apud Aggæum Deus apertè protestatur inquiens: *Quia Domus mea deserta est*, *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli*, *ne darent rorem*, *& terra prohibita est*, *ne daret germen suum*, ... *Et vocavi siccitatem super terram*, ... *& super vinum*, *& super oleum*, *& quæcumque profert humus*, *& super homines*, *& super jumenta*, *& super omnem laborem manuum.* Sanctus Bonaventura ad prodigiosam illam Assyriorum à Sennacherib missorum se reflectit stragem inquiens; *Cum Judæos invaderet*, *& Deum blasphemaret*, *in ipsa nocte Angelus Domini occidit centum octoginta quinque millia virorum*, *& Regem ipsum cum paucis fugientem in suis curribus*, *manu filiorum*, *in templo Neroch Dei sui occidit.*

2. Macch. 15. v. 22.
Judas vindicavit blasphemiam Nicanoris.
Ibid. v. 23.
Ibid. v. 24.
Ibid. v. 27.
S. Zeno lib. 1. ser. 7.
Gen. 34.
Historia Balthasaris.
Dan. 5.
Nahum. 3. 1.
Ibid. v. 1.
Ibid. v. 2.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.

8. Quando temerarius ille, & impius Nicanor templo Dei comminabatur exterminium, Deumque Israël blasphemabat dicendo: Se in cœlo non minus quam in terra potentem esse; in eodem momento Judas sciens, quod peccata iræ divinæ supplicia super homines provocare soleant, hac occasione bene utens, Deo supplicavit dicendo: *Tu Domine*, *qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Juda*, *& interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia*, *Et nunc dominator cœlorum*, *mitte Angelum tuum bonum ante nos*, *in timore & tremore magnitudinis brachij tui*, *Ut metuant*, *qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum.* Et quidem qualis hanc blasphemiam subsecuta fuerit pœna, ex sequentibus licet colligere, ait enim sacer textus: *Prostraverunt non minus triginta quinque millia.* Præcepit Judas amputari caput Nicanoris; & manum cum humero abscissam Jerosolymam perferri, linguam præcisam jussit particulatim avibus dari. Sanct. Zeno *de pudicitiæ laudibus* differens, de ejus vitio contrario, impudicitia scilicet, ita scribit: *Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum*, *hæc aliquoties robusta regna subvertit.* Etenim Sichemitæ in summa vivebant pace, quando filius Principis, Dinæ amore captus, eamdem rapuit, idque faciendo stragis totius populi illius causa fuit. Balthasari cum concubinis suis, crapulæ, ebrietate, & impudicitiæ intento, sacramque templi supellectilem ex contemptu Dei profananti, prodigiosi illi apparuerunt digiti, suam ei mortem, & regni in eadem nocte sustinendam jacturam intimarunt. Apud Nahum Prophetam dicitur: *Væ civitas sanguinum!* id est, civitas luxurijs dedita, per hunc enim sanguinem peccatū carnale intelligitur. Sed audite quale secum subintulerit supplicium; subdit enim sacer textus: *Dilaceratione plena: non recedet à te rapina*, *Vox flagelli & vox impetus rotæ*, *& equi frementis*, *& quadrigæ ferventis*, *Fulgurantis hastæ*, *& multitudinis interfectæ*, *& gravis ruinæ*; *nec est finis cadaverum*, *Propter multitudinem fornicationum.* Ecce tibi, quam sint abominabiles peccati fructus. B. Petrus Damianus libro sexto epistolarum, epistola undecima, de decem plagis, quibus Ægyptus percussa fuit, diffusè discurrit, declarando, unamquamque illarum mysticam habuisse relationem ad speciale aliquod peccatum & vitium.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Infirmitates corporales, ut plurimum peccatorum nostrorum sunt fructus.

THEMA.

Qui delinquunt in conspectu ejus, *qui fecit eum*, *incident in manus Medici.* Eccli. 38. v. 15.

Experientia docet causam infirmitatum peccatum esse.
Tertull. l. de Idololatr. c. 1.
Job. 4. v. 7.
S. Ambr. epist. ad Sabin.
Job. 5. v. 6.
Ante peccatum de humo non oritur dolor.
Gen. 3. v. 18.
Ps. 7. v. 15.
Bene post peccatum.
S. Ambr. de Noe & Arc. cap. 1.

1. Ecclesiasticus practicam quamdam hisce verbis manifestat veritatem, siquidem quotidiana nos docet experientia, majorem infirmitatum partem peccatorum nostrorum fructum existere; Unde antiquus Tertullianus crimina nostra sequentibus valde emphaticis describit terminis inquiens: *Crimina tam exitiosa*, *tam devoratoria salutis.* Peccatum enim velut avida quædam & insatiabilis fera corporalem nostram invadit sanitatem, ut illam dilaceret: *Devoratorium salutis.* Unde S. Job interrogat: *Quis umquam innocens perijt? Quin potius vidi eos*, *qui operantur iniquitatem*, *& seminant dolores*, *& metunt eos*; quibus verbis cum iniquitate non solum semen calamitatum, & infirmitatum, verum etiam abundantem illarum messem conjungit, quia offensa Creatoris in offensam creaturæ offendentis communiter recidit. Videbitis nonnumquam hunc vel illum colicos patientem dolores, vel intolerabilem stomachi cruciatum, & languorem; undenam vero hæc mala derivari existimatis? Sanctus Ambrosius inquit: *Unusquisque se eviscerat luxuriosus*, *belluo internecat*; *quantos rapuerunt vina*, *dissolvit ebrietas*, *distendit crudelitas?* Enimvero quidnam Jobum dicere voluisse existimatis, quando ait: *Nihil in terra sine causa fit*, *& de humo non oritur dolor?* Porro licet supremi artificis manibus è luto plasmati simus, attamen fictile hoc corpus nostrum ex semetipso ad contrahenda tormenta, dolores, & morbos acerbos non est, quia *de humo non oritur dolor.* Erit igitur alia quædam noxia radix, quæ pestiferos hosce progerminet fructus. Illamne scire desideratis? Nimirum maledictio illa huic terræ post peccatum intentata fuit, tunc enim dictum fuit homini: *Spinas & tribulos germinabit tibi*; Unde & Psalmista ait: *Ecce parturijt injustitiam.* Quid verò inde subsecutum fuit? *Concepit dolorem.* Unde Sanctus Ambrosius doctrinam quamdam tradit ad piorum hominum consolationem consideratione dignissimam; ait enim: *Nihil timemus*, *pura conscientiæ securitate*, *non dolemus gravi dolore*; *nihil est enim*, *quod majoris doloris sit*, *quam culpæ reatus. Requiescamus etiam ab omni cura terrenæ conversationis*, *quæ corpus nostrum atque animam frequentibus vexat doloribus*, *vitamque atterit.*

Ps. 30. v. 11.
Quænam erat Davidis paupertas.
2. Cor. 12. 9.
Erat iniquitas.
Ps. 7. v. 10.
Peccatum ut terredo in ligno corpus consumit.

2. Observastisne aliquando verba illa Psalmi 30. quibus Propheta Regius inquit; *Infirmata est in paupertate virtus mea*, *& ossa mea conturbata sunt?* De quanam enim paupertate Propheta hic loquitur, num forte de illa, quam in domo patris sui Isai privatam vitam agens experiebatur, quando simplici sago indutus, temporum injurijs expositus, atque ab alijs fratribus suis contemptus, gregem patris sui in agris pascebat? Nequaquam, quia tunc vel maxime in virtutibus, divinarumque Legum observantia radicatus fuisse noscitur. Quod si vero verba illa de paupertate spiritus, id est, de humilitate, intelligantur; quasnam David passus fuit infirmitates, quæ ipsum timore Dei exuissent? Planè contrarium se expertum fuisse protestatur Sanctus Paulus dicens: *Virtus in infirmitate perficitur*; *Gloriabor in infirmitatibus meis*, *ut inhabitet in me virtus Christi.* Respondetur igitur, Davidem dicere voluisse, sibi salutem suam corporalem plurimum diminutam fuisse, in pœnam peccati adulterij; Nam alia quædam versio legit: *Infirmata est in iniquitate virtus mea*; tametsi enim David robustæ fuerit complexionis; attamen, quando post peccatum ætate senili gravari cœpit, incalescere dormiens non poterat, ideoque Abisag Sunamitis in uno & eodem lecto cum ipso concumbere debebat. Ubi vulgata nostra habet: *Consumetur nequitia peccatorum.* Hebræus legit, *Consumet nequitia*; est enim peccatum velut terredo in ligno, vel sicut tinea in panno, sicut enim hæc insensibiliter, paulatim tamen consumunt,

S. Isid. Pel. l. 2. Epist. 117.
Ps. 15. v. 4.
Ps. 17. v. 5.
Ibid.

consumunt, illa lignum, hæc vero vestem, ita quoque peccatum sensim & paulatim peccatorem in corpore inficit & debilitat. Unde Sanctus Isidorus Pelusiota ait: *Imbecillitas proprie est malorum perpetratio*, *unde etiam Paulus qui hæc compertissima habebat*, *peccata infirmitates appellabat*, *his verbis utens: Si enim Christus cum adhuc infirmi essemus*, *secundùm tempus*, *pro impijs mortuus est*, *atque etiam Psalmistæ sermo hoc ipsum confirmat? Multiplicatæ sunt enim*, *inquit*, *infirmitates eorum*, *hoc est*, *peccata.* Idem quoque Psalmista alia quadam vice acerbissimos, & quasi lethiferos dolores se pati conquerebatur inquiens: *Circumdederunt me dolores mortis*, At vero undenam hi dolores procedebant? Fateatur idipsum Regius Propheta ipsemet; Subdit enim: *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Chaldæus legit, *Circumdedit me angustia*, *sicut mulieris*, *quæ sedet in partu*, *nec vis est ei pariendi*, *ipsaque periclitatur ad mortem.* Vatablus loco ly *conturbaverunt*, legit *examinaverunt.*

Exod. 15. 26.
Oleast. ibid.
Ezech. 3. 20.
Quodnam est offendiculum peccatoris.
Infirmitas torquens.
S. Ambr. ib.

3. Sed audiatis velim pulchram quamdam populo Israëlitico à Deo factam promissionem, dummodo ei obediens esset, cumque timeret; ait enim: *Cunctum languorem*, *quem posui in Ægypto*, *non inducam super te*; Ubi versio Septuaginta habet: *Omnem infirmitatem*; Quæ verba Oleaster ponderans inquit: *Adverte causam infirmitatum nostrarum*, *quas hic patimur*, *esse peccatum.* Examinanda quoque est quædam Dei ad hominem perditæ salutis apud Ezechielem cap. 3. facta protestatio, ait enim; *Si conversus justus à justitia sua fuerit*, *& fecerit iniquitatem*, *ponam offendiculum coram eo*, *ipse morietur.* Primo etenim scire percuperem, qualenam sit hoc offendiculum pedibus peccatoris oppositum, ad quod offendens lethaliter casurus dicitur; præterea divinæ bonitati repugnare videtur, quod peccatori ansam, & fomentum subministret ad lapsum. Porro variæ hujus textus versiones difficultatis hujus nodum facile solvent. Sanctus Hieronymus igitur legit: *Dabo tormentum in faciem ejus*; Aptius vero ad propositum nostrum vertit Theodoretus: *Dabo infirmitatem*, *ut torqueatur.* Frequenter enim contingit, quod Deus gravissimas nobis immittat infirmitates, non solum à peccatis originatas, & veluti pœnas à nobis ipsis per nostra scelera, V.G. per gulam, fornicationem, iracundiam, vindictam, aliaque similia fabricatas; verum etiam tales, per quas nos ad detestandam culpam inducit, siquidem sublata causa removetur effectus. Vix post culpam originalem, horribile peccati mortalis monstrum in persona Caini sese prodidit, cum ecce eodem tempore continuo quodam totius corporis tremore correptus fuit; & licet diuturno tempore supervixerit, attamen, ut Sanctus Ambrosius advertit: *Longævitas vitæ indulta Cain vindicta est.*

Unde abbreviatio vitæ.
Gen. 6. v. 5.
Ibid. v. 6.
Ibid. v. 7.
Ps. 89. v. 8.
Ibid. v. 9.
Responsio est per similitudinem ab aranea.
D. Chrys. in Isaiæ 3.
B. Laur. Justin. cap. 1. de perfect. grad.

4. In primis quidem sæculis, in quibus homines summa cum innocentia inter se vivebant, plurimis annis sani victitabant; unde ergo tanta vitæ humanæ decurtio & abbreviatio derivata fuit? Nimirum *videns Deus*, *quod cuncta malitia hominum esset in terra & cuncta cogitatio cordis*, *intenta esset ad malum omni tempore*, *Pœnituit eum*, *quod hominem fecisset in terra*; *& tactus dolore cordis intrinsecus*, *Delebo inquit*, *hominem.* Porro veritatem hanc efficaciter convincunt verba illa Psalmi 86. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, *sæculum nostrum in illuminatione vultus tui*; & quid inde subsecutum fuit? *Quoniam omnes dies nostri defecerunt & in ira tua defecimus*, *anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Quod idem est ac si diceret, quia Deus iratus nostras sibi ob oculos posuit transgressiones, ideo filum vitæ nostræ plurimum abbreviavit, efficiendo, ut anni nostri fragiles sint, sicut sunt fila telarum araneæ; siquidem corpus nostrum infirmitatibus & indispositionibus continuis ita exercetur, ut semper mortem sibi vicinam timere possit. Aranea eodem tempore, quo telam suam orditur, fila illius ab interioribus suis educens semetipsam eviscerat; ita quoque eodem tempore, quo impius orditur perversorum appetituum suorum satisfactionem, aliud non facit, quam quod in visceribus suis morbos generet, & infirmitates mortales. Chrysostomus se reflectens ad id, quod paulo ante de primo reprobo diximus, inquit: *Ab initio conditi orbis liquet*, *plerumque peccata fuisse primigenias causas corporeæ infirmitatis. Patet hoc in Cain*, *is enim*, *quod non esset usus robore corporis*, *ut conveniebat*, *merito illius nervi sunt resoluti.* Beat. Laurentius multarum indispositionum nos continuo affligentium scaturiginem indicare volens ait: *Ex peccati pœna in humanis corporibus vigent febres*, *dolores capitis*, *obturationes aurium*, *oculorum*, *& luminis amissio*, *fœtor anhelitus*, *cruciatus ventris*, *stomachi repressio*, *humorum ebullitio*, *libidinis ardor*, *lepra*, *scabies*, *podagræ*, *iliorum*, *cordis*, *pulmonis & jecoris passiones*, *& pene innumerabilia morborum omnium similium genera*, *quæ profecto universa minimè accidissent*, *si peccatum esse desijsset.*

Matth. 9. 12.
Revel. S. Birg. l. 2. c. 1.
In statu innocentiæ corpus hominis erat incapax infirmitatis.
Gen. 3. v. 19.
Ibid. v. 16.
S. Anton. 1. p. tit. 7. c. 3. §. 1.
Studia conservandæ Sanitatis.
Job. 2. 4.
Joan. 5. 14.
Isaia. 38. 1.
Num. 12.

5. Ipsemet Salvator, qui de seipso ait: *Non est opus valentibus Medicus*, *sed malè habentibus*; Sanct. Birgittæ rationem assignavit, tot defectuum naturalium, claudicationis scilicet, cæcitatis, surditatis, paralysis, aliorumque similium, ait enim ad illam: *Quod autem unus cæcus*, *alter claudus efficitur*, *vel aliquid ejusmodi*, *hoc non est propter præscientiam meam*, *cum omnia ita præscio*, *quod nullus fiet ex ea deterior*, *vel aliquibus obsit præscientia mea*; *nec fit ex elementorum cursu & statione*, *sed ex occulta justitia*, *indispositione*, *& conservatione naturæ. Peccatum enim & indispositio naturæ multipliciter deformitatem adducit membrorum*, *nec ideo fit*, *quia volo*, *sed quia ex justitia permitto fieri.* Enimvero tametsi artifex ille, qui in principio creavit cœlum & terram, corpus hoc nostrum de terra plasmaverit, illud tamen in pulverem numquam resolutum fuisset, nec illam passum fuisset intemperiem, & humorum commotionem, imo incapax futurum fuisset indispositionum, infirmitatum, & dolorum, nisi prius intervenisset peccati inordinatio; post hanc enim pridem, & non antea audivit, sibi dici: *Pulvis es*, *& in pulverem reverteris*; Et mulieri: *In dolore paries.* Sanctus Antoninus varia adfert exempla, quibus probare nititur, quod Deus frequenter corpus castiget per infirmitates naturales, in pœnam infirmitatum spiritualium, quæ aggravant animam. Etenim longum texit discursum, ut summam manifestet solicitudinem, qua saluti corporali invigilamus. *Consistentia corporalis*, inquit, *seu conservatio vitæ corporalis*, *quantum ametur*, *præcipue cum sanitate*, *quilibet experitur in seipso ut induci non oporteat illud*, *quod Sathan dixit Domino Job 2. Pellem pro pelle*, *& cuncta &c. id est*, *pro vita conservanda*, *propter hoc tempore pestis vitantur etiam consanguinei*, *ne inficiant*; *quæruntur diligentissimè Medici*, *sumuntur potiones amarissimæ*, *ustiones & incisiones sustinentur*, *varia tormentorum genera patiuntur*, *& multa illicita perpetrantur*, *ne vita perdatur*, *sed ut dicitur extra de pœnit. & remiss. c. cum infirmitas. Infirmitas corporis nonnumquam ex infirmitate animi procedit*, *dicente Domino languido*, *qui jacebat in portico piscinæ: Ecce sanus factus es*, *vade*, *& noli amplius peccare*, *ne deterius tibi aliquid contingat*, *Joannis 5. Et exempla patent de Ezechia Rege Juda*, *qui ægrotavit usque ad mortem Isaiæ 38. Et hoc propter peccata ingratitudinis*, *vel superbiæ de victoria habita seu liberatione ab exercitu Sennacherib. Exemplum etiam in Maria sorore Aaron*, *quæ effecta est leprosa propter murmurationem factam contra Moysen*, *ut patet Numer. 12.*

Joan. 5. 14.
Languidus in Evangelio ob peccatum languebat.
Beda ibid.
S. Thom. in Joan.
D. Chrys. H. 37. in Joan.
Malitia animæ in corpus redundat.

6. Seriam quoque meretur reflexionem id, quod idem Sanctus de Paralytico piscinæ obiter tetigit, cui postquam triginta octo annis languidus lecto affixus fuisset, tandem miraculosè sanitati restituto efficacissimum hoc ad non recidivandum præscripsit præservativum dicendo: *Ecce sanus factus es*, *jam noli peccare*, *ne deterius tibi aliquid contingat*; circa quæ verba Beda finem insinuat, ob quem Salvator hoc ei præscripserit remedium, ut scilicet idem ad omnes nos transmitteretur: *Quibus verbis aperte monstratur*, inquit Beda, *quia propter peccata languebat*, *nec nisi dimissis eisdem poterat sanari.* Et vero Christus non solum huic paralytico peccata commemoravit, priusquam illum sanaret, verum etiam alteri, de quo paulo post tractabimus, quod tamen circa tot alios infirmos minimè fecit, licet in illis pariter omnipotentiam suam miraculosè manifestarit; idque ut Doctor Angelicus ait, *ideo fecit*, *ut ostendat per hoc infirmitatem aliquibus ex peccatis prioribus provenire.* Optime ad idem propositum ait Chrysostomus: *Res gravis est peccatum*, *& animi pernities*, *ut nonnumquam vi & exuperantia sua corpora quoque inficiat*: & paulo post sequentem subnectit utilissimam doctrinam: *Sed cum graviter ægrotante anima nullo dolore efficiamur*, *parvo autem corporis morbo summa diligentia medicinam perquiramus*, *ideo Deus ob animi peccatum corpus flagellat*, *ut deterioris partis supplicio*, *melior ad quærendum remedium convertatur.*

7. Matthæi 9. legimus, devotos aliquos homines coram Salvatoris nostri pedibus alium quemdā demi-

fisse

Matt. 9. v. 2. Christus tollit originem infirmitatis dimittendo peccatum.

fisse paralyticum, *videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Porro ex Evangelio non constat, turbas illas pro hoc languido remissionem postulasse peccatorum, multo minus ipsemet languidus eamdem solicitavit, & ramen Incarnatæ Sapientiæ, de qua Sanctus Joannes ait : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, prima cura fuit, ut spiritualem animæ infirmitatem ab illo auferret. Sanctus Thomas idipsum insinuat, dum prius eamdem jam propositam quæstionem addúcit inquiens : *Quid est, quod iste petebat sanitatem corporis, & Dominus dat sanitatem animæ?* Mox subjungit rationem, cur id fecerit, *quia scilicet tamquam bonus Medicus auferre voluit omnis mali radicem.* Contingit nonnumquam, ut capitis sentiatis dolores, vobisque vel diæta medicinæ loco ordinetur, vel apertio venæ, vel aliud simile remedium : Licet medicina talis non solum ad capitis solius, sed etiam totius corporis indispositionem fugandam spectet; cur autem per diætam illam toti corpori curando intenditur? Nimirum Medicus sapienter idipsum facit, scilicet ad tollendam indispositionis illius originem & causam, quæ sæpe in superfluitate & ardore sanguinis consistit, vel à nimio cibo, aut ab indigestione procedit. Eodem igitur modo Christus hunc paralyticum sanavit, prius enim peccatum sustulit; quia ut Sanctus Thomas ait, *peccatum erat causa ægritudinis.* Sanctus Hieronymus diu ante alios in hæc verba scripserat : *Datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque evenire corporum debilitates, & idcirco fortasan dimittuntur prius peccata, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.* Ecclesia in collecta quadam feriæ quartæ post Dominicam quartam quadragesimæ Deum rogat; ut per merita sacrificii offerendi nostras mundare animas dignetur : *Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut hos sacrificios peccata nostra mundentur;* sed quo fructu id fieri postulat? Audite : *Quia tunc veram nobis tribuis & mentis, & corporis sanitatem.* Chrysostomus de paralytico juxta piscinam languente ita scribit : *Quod peccata fuerint fons ipsius languoris, testatur Christus, qui dixit illi : Ecce, sanus factus es, jam noli amplius peccare. Paulus item : Propter hoc inter vos multi infirmi, quandoquidem peccabant, quod participes fierent mysteriorum, non expurgata ad plenum conscientia.* Porro peccata omnium infirmitatum scaturiginem esse, ex capite 1. Isaiæ evidenter probatur; ibi namque Deus per os Isaiæ exclamat dicens : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quod testimonium hujus veritatis probationem adeo efficaciter convincit, ut existimem, in toto sacrarum literarum volumine nullum esse veritatis hujus testimonium evidentius & infallibilius.

S. Thom. in Matth.

Isa. 1. v. 4.

S. praxis Ecclesiæ erga infirmos.

8. Nescio an aliquando vos reflexeritis ad summam illam curam, qua S. Mater Ecclesia filiorum suorum salutem solicite zelat, præcipiendo Medicis, ut infirmos in principio infirmitatis ad confessionem peccatorum faciendam adigant, quod Ecclesiam præcipere existimo, non tam propter imminens mortis periculum, ut scilicet securitati salutis animæ consulat, quam in subsidium sanandorum corporum, ut scilicet infirmi à peccato exonerati, tanto magis sint dispositi ad pristinam recuperandam sanitatem. S. Antonius de Padua hac de re ita scribit : *Secundum quod ait Isidorus de summo bono libro 1. cap. 33. de causis infirmitatis : Infirmitates accidunt videlicet ex peccato; & ex complexionis intemperantia, & ideo licet hanc novissima possit humana medicina fieri curare, aliis potest sola ratione subvenire pietas divinæ misericordiæ; hæc Isidorus. Et quia infirmitas sciri non potest, ideireo præcipit Medicus decretalis, ut semper Medicus curam animæ præmittere debeat.* S. Bernardinus pariter ait : *At quantum periculum sit, primo Medicis de propria & infirmorum anima non curantibus, ostendit decretalis extra de pœn. & remiss. c. cum infirmitas, ubi dicitur : Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat : vade & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; præsenti scripto statuimus, & districte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos an-*

S. Ant. de Pad. fer. 6. post 1. Dom. Quadr.

S. Bern. T. 1. fer. 13. art. 3. c. 2.

Observandum in dies, quo infirmitas à peccato proveniat.

te omnia moneant, & inducant, ut Medicos advocent animæ, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cessat effectus. Ponderat omnes rationem, *quam ponit decretalis, scilicet : Cum causa cessante cessat & effectus, causa infirmitatis sopita, sicut dicitur ibi, sunt crimina, & peccata, quibus per confessionem veram cessantibus, cessat & effectus scilicet infirmitas.* Ecclesiasticus unicuique ægrotanti homini hoc suggerit consilium; *Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te, averte à delicto, ab omni scandalo munda cor tuum, ... & da locum Medico.* Prius recurrendum esse dicit ad purgandam conscientiam, demum vero ad Medicos pro corpore purgando. In vita S. Philippi Nerij legitur, quod dum Torquatus Conti gravissimam quamdam contraxisset indispositionem, P. Franciscus Maira Thaurugius nostræ Congregationis Presbyter (qui ob raras ejus virtutes postea ad Cardinalatum fuit assumptus,) ipsum visitans, eidem ut S. Philippo confiteretur, suasserit, simulque assecurarit, eum subito esse sanandum. Accersito igitur viro Dei sancto, confessus confestim pristinæ se sanitati restituram sensit. Forsitan non nemo hanc sanitatem dono miraculorum, quo S. Philippus præditus erat, attribuet, dicetque hunc effectum nequaquam secuturum fuisse ex confessione alteri confessario facta; & quidem, ut verum fatear, à veritate talis haud multum aberrabit; at vero sciendum est, neminem quoque ex alijs adeo perfecte purgaturum fuisse hujus infirmi conscientiam, sicut S. Philippus, qui occultas cordium penetrabat latebras, & peccata commissa non solum ipsemet pœnitente melius sciebat, verum etiam omnes illis prædicebat suggestiones & tentationes, quæ illis in progressu temporis obventuræ fuissent. In eodem capite alij referuntur similes; circa infirmos, ab eodem viro Dei, per solam confessionem sibi factam, sanitati pristinæ restitutos, realiter operatos, eventus. P. Joannes Bonifacius, *in opusculo de institutione puerorum Christianorum*, in oratione de religione sequentem narrat historiam. Cum enim factiosus quidam homo in carcere ergastulo constitutus, sæpius à probo quodam sacerdote, ut conscientiam suam per confessionem expiaret, monitus, sæpius restitisset, eidem grave aliquod supplicium à Deo inferendum ferio comminatus fuit; nec tardavit eventus, siquidem captivus ille ad mortem usque infirmatus fuit, moxque Sacerdotem præfatum accersiri fecit, coramque ipso conscientiam suam cum ingenti compunctione exoneranda, adeo se ab infirmitate paulatim deseri sensit, ut sequenti die totaliter se convaluisse gavisus fuerit; cumque Confessarius eumdem ut pro tanto à Deo recepto beneficio benefactori suo gratum se exhiberet, hortaretur, idque ab eo meliori modo fieri non posse diceret, quam per communionem sacramentalem, ingratus autem id facere renueret, justè promeritam luere debuit pœnam, in eamdem denuo reincidendo infirmitatem, in qua constitutus, peccatum suum agnoscens, & detestans in pristinam denuo restitutus sanitatem, magna demum cum devotione sanctissimam communionem accepit.

Ecclesi. 38. v. 9.

Vit. S. Philip Ner. l. 5. c. 5. num. 1.

Historia de infirmo,

S. Phil. Neri conscientiâ penetrabat,

Joan. Bonif. de instit. puer. Christ. orat. de Relig.

Infirmus quidam mediante confessione sanatur.

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Sententia illa Sapientis, *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, per adducta exempla verissima esse ostenditur.

THEMA.

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

1. AXioma est à Sapiente nobis traditum, quod scilicet impius ijsdem modis à Deo punitur, quibus eum offendit : *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*; & quidem varias hujus veritatis tum in Scripturis sacris, tum in historijs Ecclesiasticis & alijs habemus probationes, prout in hoc, & alijs subsequentibus discursibus visuri sumus.

2. David à carnali concupiscentia seductus, ut majori cum libertate Bethsabeæ conversatione & amplexibus frui posset, Joab generalis militiæ suæ Ducis usus est opera, ut occideretur Urias, & ideo divina justitia, prouti Nathan Propheta ei prædixerat, juste ordinavit, ut & ipse simili pœna castigaretur, siquidem sequentem

2 Reg. 12 30. Peccavit David adulterio & homicidio.

2. Reg. 12. 9. sequentem ei indicari fecit sententiam; *Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon, quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.* Abulensis hac de re ad propositum nostrum ita scribit : *Deus observat in pœnis similitudinem & quantitatem; similitudinem quidem, quia per quæ quis peccat, per hæc aut similia torquetur; De quantitate patet, quia juxta mensuram delicti est plagarum modus Deuteron. 25. Utrumque observatum est in punitione Davidi. De similitudine patet, nam ipse commisit adulterium, & homicidium, ideo in utroque punitus est. De adulterio patet, quia infra dicitur : Suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. De homicidio patet, quia dictum est : Non recedet gladius de domo tua. Secundum autem, scilicet quantitas punitionis, apparet, quantum ad primum peccatum, quia fecit David homicida fuit, ita ipse occidi debebat; Deus tamen pepercit ei, quantum ad hoc, & transtulit mortem in filium suum, ut pater infra, scilicet : Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris; verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et quia David sententiaverat, quod vir ille solveret quadruplum, de quo locutus fuerat Nathan, imposita sunt quadrupla super David, scilicet quod morerentur quatuor filij ejus pro Uria.* Primus fuit ille, *qui per adulterium conceptus est de Bethsabea.* Secundus *fuit Amnon filius primogenitus David, quem occidit Absalon propter Thamar sororem suam.* Tertius fuit *Absalon, quem occidit Joab in bello.* Quartus fuit *Adonias, quem occidit frater suus Salomon. De quantitate autem punitionis dicendum, quod fuit punitus quantum deliquerat, nam ipse acceperat unicam uxorem, & acceptæ sunt decem uxores ejus. Item ipse cognovit uxorem extraneæ, uxores autem suæ cognitæ sunt à filio suo, quod horrendum erat. Item ipse cognovit in occulto uxorem Uriæ, & decem uxores suæ cognitæ sunt publicè, videntе toto Israële in platea Jerusalem.*

In utroque punitus fuit.

Quartuòr filij ejus pro Uriâ mortui sunt.

Abul. ibid. q. 7.

Idem Abulensis pergit in fine quæstionis ostendere, quod deinceps in domicilio David perlongum tempus variæ subsecutæ sint inimicitiæ & mortes; *multi*, inquit, *de posteris ejus gladio perierunt, vel inter se, vel pugnando cum hostibus.* In Quæstione autem sequenti sensum hujus dictionis *in sempiternum* his verbis declarat : *Æternum in Sacra Scriptura vocatur aliquid durans magno tempore, licet non semper duret. Et. ubi vocatur sempiternum magis proprie, pro omni tempore, quo duravit domus Davidi, quia semper fuerunt in ea bella, & gladius in posteris ejus; Incepit autem gladius tempore David, nam filius ejus, quem susceperat ex Bethsabea, à Deo percussus est morte violenta, tamquam si percuteretur gladio.* Enimvero præter alios tres filios Davidis, refert Abulensis, quod factum est in progenie illius; nam Josaphat sex habebat filios; Joram autem, qui unus illorum fuit, quinque fratres suos occidit, prout videre est 2. Paral. c. 21. Omnes autem filij Joram à latronibus necati fuerunt, nec remansit ex eis præter unicum teneræ ætatis filium, qui postea regnavit, omnes autem alij posteritatis suæ perierunt. Ochozias à Rege Israëlis occisus fuit; cujus quidem filius Joas regnavit, sed omnes ejus fratres ab Athalia fuerunt extincti. Joas quoque postquam quadraginta annis reghasset, à servis suis è vita sublatus fuit, id quod etiam Amasiæ filio ejus contigit. Josias, qui inter omnes Reges Juda innocentissimus fuit, in bello mortuus est. Filij Sedeciæ à Nabuchodonosore fuerunt trucidati, ipsi vero eruti fuerunt oculi, atque in illo ferie Regum ex progenie David finem suum accepit. Tandem Abulensis, cujus totus hic est discursus, in hæc verba concludit : *Fuit gladius in domo David usque in sempiternum, id est, quamdiu mansit domus David.* Idem quoque author tantam considerat, quam Prophera quasi ex ore Dei loquens adduxit, dum ait : *Eo, quod despexeris me, scilicet, quia despexisti præceptum meum, & accepisti uxorem. Nam pro hoc dicit se fore positas gladius in domo David.* D. Chrysostomus super Psalmum 3. scribens ait : *Unde est fons peccati illinc est plaga supplicij; quia ergo à præcepto Domini exul, fugitivusque fuerat, propterea filium fugiebat.* Et paulo post subdit : *Nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret.*

Catalogus occisorum in domo David.

Abul. q. 9.

Æternum dicitur diu durans.

D. Chrys. in Ps. 3.

3. In prædictorum verborum probationem memorabilis est Historia illa Judicum cap. 15. Ubi de Samsone ita scribitur : *Cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, Quas igne succendens dimisit, ut huc illuque discurrerent, quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum, quibus succensis &c.* Circa quam historiam quærendum venit, cur Samson Philisthæis damnum inferre volens, his usus sit vulpibus, & non potius alio modo magis usitato, fecerit vindictam, sicut alias fecerat? Abulensis eamdem ventilat quæstionem scilicet, cur vulpes simul ligarit : *Ad quid ligabat eas simul? Sufficiebat; quod qualibet vulpis ligata face ad caudam, dimitteretur, discurreret per segetes & vineas, & cremaret. Sicut si omnes simul ligarentur, & postea mitterentur.* Respondet vero causam illius fuisse sequentem : *Intentio enim Samsonis fuit, ut cremaretur terra Philistinorum, ad omnem partem, & si mitteretur qualibet vulpis per se, non fieret sic, quia contingeret omnes vulpes, aut plures earum concurrere in eamdem partem; nunc autem ligando omnes simul; necesse erat, quod discurrerent ad partes contrarias; & non relinquerent aliqua loca intacta, ad quæ non pergerent, & sic omnia cremarentur.* Porro modus, quem Samson tenuit, motivum nobis suggerit, sequentem inde eliciendi moralitatem, ab Abulense his verbis expressam; *Scientium, quod modus erat, quod capitis omnibus vulpibus ponerentur funes magni, quibus ligarentur, ita ut omnes simul reverentur ligatæ uno ligamine, & præter hoc, esset qualibet vulpi aliquis funis singulariter ligatus, in quo penderet aliqua facula vel torris, artificiosè & diligenter incensus.* Porro David in persona impiorum ait : *Funes peccatorum circumplexi sunt me*; & alibi dicitur : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Hi autem funes, quibus colligata erant hæc animalia, odium præfigurabant, in universali & particulari uniuscujusque Philistæorum, implacabilium Samsonis hostium, utpote cujus mortem pro viribus machinabantur. Idem Abulensis in quæstione nona examinans mysterium, ob quod Samson vulpibus potius, quam alijs animalibus usus fuerit; Respondet quantum ad sensum literalem; *quia erant in terra illa animalia communiora, quam alia, quia facilius capi poterant multæ de illis, & non possent capi sic alia animalia.* Verumtamen ad propositum nostrum nequaquam contemnenda est alia quædam opinio, quam Rabinus quidam refert. Respondet enim Rabbi David Kimchi, & alij Hebræi, *quod fecit hoc ad humiliandum Philistinorum, nam merebantur puniri per vulpes, cum ipsi essent vulpes, quia sicut vulpes sunt animalia dolosa retrocedentia, ita Philistini erant dolosi, & retrocedentes à pacto juramenti; nam socer Samsonis, non obstantibus fœderibus matrimonialibus, dedit filiam suam alteri in uxorem, & sic retrocessit.* Sententia est Lysandri dicentis : *Silenon exuviæ non sufficiant, vulpis pellem eis assue*; Quibus verbis vult dicere, quod id, ad quod quis pertingere non potest per vires proprias, tentandum sit per astutiam. Verum quidem est, Samsonem; velut fortem quemdam leonem, integros profligasse exercitus, & cum unica asini maxilla, millenos & millenos dissipasse milites, verumtamen quia veritimum esse sciebat, quod *per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur*, ideo quia inimicos suos sæpius expertos fuerat astutos & fraudulentos, non solum in dissolvendo problemate, verum etiam, quia in exploratione secreti illius, in quo nimirum ejus fortitudo principaliter consisteret, Dalilæ ministerio sagaciter uti fuerant, & tamquam insidiosæ vulpes ejus fortitudini insidias struxerant, ideo intra semetipsum dixisse videbatur : *Comprehendam sapientes in astutia eorum*; si enim velut astutæ vulpes me deceperint, per vulpes pariter vindictam de eis sumam. Hoc porro mysterium S. Ambrosius subindicare videtur, dum ait : *Uxor ei auferitur, & ideo vulpes incendunt manipulos alienigenarum, eos enim, qui adversus divina sacramenta contendunt, decipere sua consuevit astutia.* Fraudulenti Philistæi, qui Samsoni insidias parabant, timentes ne illas evaderet, Dalilæ tamquam astutæ vulpi præceperunt, ut teneram ergà Samsonem fingeret compassionem, ut hac ratione ex Samsonis ore propositi problematis erueret solutionem; *Dixerunt ad uxorem Samsonis : Blandire viro tuo, & suade ei, ut indicet tibi, quod significet problema.* Quæ per vulpinam astutiam, & sagacitatem simulando, executa est, quod justa fuerat : *Fundebas enim apud Samson lachrymas, & querebaris dicens :*

Judic. 15. 4.

Ibid. v. 5.

Abul. q. 7. ib.

Cur Samson colligaverat vulpes.

Philistæi sunt vulpes.

1. Cor. 3. v. 19.

S. Ambr. l. 2. procem. de Spir. S.

Samson à Dalila ut vulpe deceptus fuit, ideo per vulpes decepit Philistæos.

Judic. 14. 15.

dicens : Odisti me, & non diligis, idcirco problema, quod proposuisti filijs populi mei, non vis mihi exponere. Observanda quoque est comminatio, quam Dalilæ hoc fine intentarunt; ait enim sacer textus : *Quod si facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui.* Ecce igitur in castigatione illorum adimpletum id, quod Dalilæ inique fuerant comminati, siquidem ignis devoravit omnes segetes Philistinorum, idque à Samsone factum est, irritato per hanc uxoris suæ traditionem, quam ex illa hora deseruit, redeunte ipso ad domum patris sui, illa vero alteri nubente.

Philistæi incendium minati, incendio perdiderunt proprias segetes. *Judic.14.15.*

4. Est & alia evidentior hujus veritatis probatio in novo Testamento, scilicet Joannis cap. 11. ubi conciliabulum illud describitur, in quo mors Christi determinata fuit, idque ex eo potissimum motivo : *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem*; Vatablus legit : *Transferent nos alio.* S. Augustinus in homilia currente *in feriam sextam passionis* hæc verba habet : *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, & sic utrumque amiserunt. Tulerant autem Romani & locum, & gentem, expugnando, & transferendo.*

Joan.11.48.

5. In schismate Anglicano sub Henrico Octavo suscitato legitur, Volsæum, Caroli Quinti juratum inimicum, prædicto persuasisse Regi, ut Catharinam conjugem suam, stricto consanguinitatis vinculo Imperatori conjunctam, repudiaret, quod quidem consilium tanto impensius ursit, quanto erat certior, illud ejusdem Henrici genio quam maximè arridere; Permisit autem Deus justo suo judicio, ut per idem medium, per quod se majorem Henrici gratiam sibi comparaturum esse sperabat, majorem ejus indignationem sibi conciliaret : unde jam factus captivus dicebat : *Juste hæc patior, quia dum Regis gratiam offensâ Dei aucupatus sum, Dei gratiam amisi, nec Regis gratiam acquisivi.* Cardinalis Pallavicinus in historia Concilij Tridentini hanc habet proposito nostro opportunissimam reflexionem, scilicet Henricum Octavum prolis masculinæ mansisse expertem, dum Eduardus filius ejus unicus, in ætate sedecim annorum, post aliquod tempus, in eodem currente die moreretur, in quo Henricus, tanta cum impietate, Thomam Morum, magnum Regni Angliæ Cancellarium & gloriosum Martyrem, eo quod se fidei Catholicæ Romanæ solidissimam columnam exhibuerat, vita exuit.

Sander. in Schism. Anglic.

Punitur Rex Angliæ propter mortem Thomæ Mori.

Card. Pallav. Hist. Conc. Trid. p.2.l.33.c.6.

6. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* S. Bernardinus in sermone quodam refert, se à persona fide digna sequens audivisse memorabile facinus, quod sæculo suo contigerat. Etenim cum temerarius quidam filius, germanum patrem suum, multis improperijs oneratum domo expulisset, eumque pugnis & calcibus contusum, per capillos, & barbam, procul satis in plateam raptasset, tandem prædictus ejus genitor, memor indigni illius facti, quo ipse diu ante in proprium suum parentem commiserat, cum usque ad eum locum, in quem filius eum protraxerat, pervenisset, filio suo dixit : *Non plus, non plus, fili mi, quia huc usque traxi patrem meum, & tu, fili mi, fecisti vindictam ejus.* Ubi S. Bernardinus egregiè ponderat, Deum hunc patrem à filio suo iniquè raptatum, illuminasse, ut sponte fateretur, in se adimpleri justum Dei judicium, quo communiter disponit, ut *per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur.* Idem Bernardinus aliud quoque refert simile exemplum, quod Forolivij in territorio Spilenbergensi contigit, cum enim illius castelli Dominus lamentabiles in domo quadam audiret strepitus & ejulatus, illuc ingressus, invenit filium patrem suum crudeliter percutientem, unde motus compassione, & furore contra arrogantem & impium hunc filium stimulatus, eumdem pariter pro demeritis graviter percutere cœpit; sed audite quid pater hic fecerit & dixerit; Subdit S. Bernardinus : *Pater genuflectens coram Domino dixit : Ne percutias filium meum, quia etiam ego verberabam genitorem meum; quod audiens ille, & considerans judicium Dei, jussit, ut de cætero ad libitum ipsum impune verberaret.* Idem Bernardinus in eodem sermone refert, quod sequitur : *In villa rusticus unus labium faciebat, & puerulus suus ait : Pater, quid vis facere ? Et rusticus inquit : Volo in labio isto dare comedere avo tuo; & puer à Deo inspiratus dixit : Pater mi, fac ipsum bene magnum, quia cum eris senex, sicut est avus meus, ego similiter dabo tibi comedere intus. Villanus autem puerum supra ætatem & ingenium suum loquentem audiens, divinumque cognoscens judicium compunctus est, & à proposito suo destitit.*

S. Bern. T.2. in Dom. 2. Quad. fer. 17. a. 1. §.7.

Historia in quâ impietatem puniendo, illa committitur.

Aliud exemplum prorsus simile.

Pater illuminatur à filio.

7. Non minus prodigiosum, & admirabile est aliud quoddam exemplum, quod Mantuæ contigit, etenim cum filius quidam nuptias pararet, patremque haberet seniculum pauperem, & male vestitum : ne in mensa ob ejus præsentiam erubescere cogeretur, eumdem extra civitatem ad Ecclesiam aliquantulum distantem eduxit; Pater autem videns se abduci à filio, nesciensque quonam, & quo fine abducendus esset, valde lamentabatur, ac tandem plane defatigatus, super lapidem sedem replicatis vicibus filium, quonam abducendus esset, interrogavit, qui cum tandem ei, quod res erat, manifestasset; senex pater illius in hæc verba prorupit : *O digna & vera Dei justitia ! memini fili mi, quod similiter feci patri meo, quando duxi matrem tuam, & duxi eum per istam viam, & ad istam Ecclesiam, & pausavit super hoc lapide, sicut & ego, ideo bene facis, fili mi, satisfaciendo mihi eo pretio, quo ego satisfeci patri meo; sed unum tibi significo, quod posteris tuis relinquam, ut similiter tibi faciant, sicut tu mihi fecisti; quod audiens filius, exterritus, magnam Dei justitiam contemplando, reduxit patrem ad proprios lares, & ipsum ad nuptias primatem de mensa locavit, ut decuit.*

Per Patrem resipiscit filius.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Author eamdem materiam prosequitur.

THEMA.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap.11.v.17.

1. Non est, quod divinarum legum transgressor sibi de impunitate blandiatur; quia divinæ justitiæ bene meritum supplicium, non solum super ipsum, etiam sæpe in hac vita, descendet, verum insuper simile erit delicto, quod commisit, siquidem infallibilis Dei providentia justo judicio disposuit, ut *per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur.*

2. Quando S. Propheta Samuel Regem Agag morti traditurus erat, dixit : *Adducite ad me Agag Regem Amalec, & oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens; & dixit Agag : Siccine separat amara mors ? Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua, & in frusta concidit eum.* Ecce Rex hic sanguinarius multos occiderat, indeque plurium mulierum viduitas subsecuta fuerat, ac proinde justum erat, ut eamdem pœnam mater ejus lueret.

1. Reg 15.33. Fecit Agag mulieres absque liberis, & ita matri ejus est factum.

3. Longe autem prodigiosius fuit illud Dei judicium, quod in alium quemdam Regem Palæstinæ, pariter gentilem, exercuit, cujus in libro Judicum cap. 1. his verbis fit mentio : *Invenerunt Adonibezec in Bezec, & pugnaverunt contra eum; fugit autem, quem persecuti, comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum.* Et vero nusquam constat : populum Israëliticum in tot alijs reportatis victorijs adeo crudeliter alijs in occasionibus contra inimicos captivos desævisse; cur igitur in hac occasione hunc Regem, in bello captum, qui nullius traditionis, vel alterius enormis excessus reus erat, tam crudeliter mutilarunt ? Num forte hoc fecerunt, ad incutiendum in principio acquisitionis terræ promissæ alijs populis terrorem ? Hoc dici nequit, quia hoc potius esset, omnes illas provincias exasperare, & quodam modo in desperationem redigere, quia timere poterant, ne vel unico hoc privarentur solatio, de quo Poëta cecinit :

Judic.1.v.5.

Una salus victis nullam sperare salutem.

Verumtamen dubium hoc eisdem verbis solvitur, quæ prædictus Rex Adonibezec proprio ore fassus fuit : Teste enim Sacra Scriptura ipsemet dixit : *Septuaginta Reges amputatis manuum & pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Est enim valde considerabilis, & per frequentem experientiam authenticata, illa æternæ veritatis propositio : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur & vobis.* Persuadebit sibi forte non nemo, quod quia homo, quem offendit, ipso viribus sit inferior, vel quia tamquam vir timoratus, noxam ei illatam sibi dimiserit, vel injuriæ irrogatæ oblitus fuerit, vel quia mortuus sit, nequaquam sibi de reciproca vindicta timendum superesse; cui proinde respondeo, quod tametsi omnia illa vere ita se habeant, talis tamen scire debeat, noxæ illius justitiam Dei nequaquam esse oblitam; hæc enim continuo vigilat, & semper vivit, suoque tempore delictum ipsius, prout decet, vindicabit : dicit enim Deus ipse : *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.*

Judic.1.v.7. Rex Adonibezec alijs Regibus amputavit digitos & ipsi amputati fuerunt.

Luc.6.v.38.

Deut.32.35.

4. In quarto libro Regum sequens legitur celebris historia; Etenim Jehu ex ipsiusmet Dei jussu ad thronum Israël assumptus fuerat, qui, ut se in dominio suo tanto solidius firmaret, misit literas in Samariam, ad omnes Præceptores, & Magistros filiorum Achab, qui ante ipsum regnaverat, tenor autem literarum hic erat : *Si mei estis, & obedietis mihi; tollite capita omnium filiorum Domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras :* qui Regijs literis non aliter, quam per executionem facti responderunt, nam sacer textus ait : *Cumque venissent literæ ad eos, tulerunt omnes filios Regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Israel.* At vero quodnam in eo latet mysterium, quod hæc capita transmiserint in cophinis, qui alias vindemiæ, & messi colligendæ servire solent ? Cur non potius ea miserunt hastis infixa, vel à lictoribus alijsque ministris per capillos deportata, ad terrorem aliorum, qui forsitan novi Regis obedientiæ recalcitrare præsumerent ? Verissimum semper est illud axioma Scripturæ : *Omnia in sapientia fecisti*, nec non & illud : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Pro cujus intelligentia revocanda est in memoriam crudelitas, quam Achab contra Naboth exercuit, cujus vineam sibi violenter usurpare volens, eumdem vita pariter privavit; quia vero per divinæ justitiæ periodos decretum est, ut *per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur*, ideo Deus ordinavit, ut ex omnibus hujus vineæ vitibus, id est, ex progenie Achab septuaginta botri recisi portarentur in cophinis, quæ alias instrumenta sunt, vindemijs colligendis deputata, ut adimpleretur illud : *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis &c.* Præterea quando tandem per sævitiem suam ad possessionem vineæ illius, sanguine innocente potius, quam vino redundantis pervenit, Sanctus Elias Propheta zelo accensus imminentem ei pœnam ex parte Dei intimavit, nam ut sacer textus ait : *Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens : Surge, & descende in occursum Achab, Regis Israel, qui est in Samaria; ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam, Et loqueris ad eum, dicens : Hæc dicit Dominus; Occidisti, insuper & possedisti; & post hæc addes : Hæc dicit Dominus; In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* In sequenti autem capite refertur, quod cum in bello letaliter vulneratus esset, ad unguem hæc Prophetia adimpleta fuerit. Dicit enim Scriptura : *Mortuus est Rex, & perlatus est in Samariam, & linxerunt canes sanguinem ejus.* Porro hi canes, memorem me faciunt illius, quod in Annalibus Ecclesiasticis perfidis hæreticis Donatistis accidisse refertur; cum enim hi sacrilegi sacrosanctam Eucharistiam, è templi tabernaculo sublatam, ex mero vilipendio canibus objecissent, hi repente accensi rabie, proprios Dominos suos, quasi latrones, Sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniaverunt In hac autem Ecclesia, quæ in S. Felicis honorem dedicata erat, S. Paulinus à dexterea parte absidis Ecclesiæ, ubi asservari solita erat Eucharistia, sequentes versus incidi fecit :

4. Reg. 10. 6. Mittebantur capita filiorum Regis in Cophinis. *Ibid.v.7.*

Illius mystica interpretatio.

3. Reg. 21. 17. *Ibid.v.18.*

Ibid.v.19.

3. Reg. 22. 37.

Baron. An. 57.n.152. Canes contra proprios Dominos insurgunt.

Hic locus, est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.

Sacer quidam Interpres, de canibus, Achabi sanguinem lingentibus, hanc habet considerationem : *Nulla pœna rapaci commensuratior, nihil enim canina famé sævius, nihil rabidius, ideo avaræ cupiditatis typus; Sic mortuus Achab, caninæ fami objicitur, qui vivus rabidæ avaritiæ indulserat, ut Naboth occideret, rapturus vineam, occisus fœdè à canibus raperetur,* Diu vero ante hunc Sanctus Ambrosius dixerat : *Digna avarum, digna avaritiam pœna consumit.* Idem Sanctus, circa justum Dei in hac morte judicium, multas alias ponderat circumstantias, inquiens : *Divina movetur justitia, & avarum digna severitate condemnat, dicens : Occidisti, & possedisti hæreditatem, propter hoc, in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, in eo lingent canes sanguinem tuum, & meretrices lavabantur in sanguine tuo. Quam justa, quam severa sententia, ut quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipse mortis suæ horrore dissolvere proderetur. Inhumatum pauperem Deus aspicit, & ideo insepultum divitem jacere decernit, ut & mortuus luat suæ iniquitatis ærumnam, qui nec mortuo putavit esse parcendum, itaque vulneris sui cruore perfusum cadaver, specie funeris vitæ suæ prodidit crudelitatem. Hæc cum prodidit pauper, dives arguebatur, cum dives excepit pœnam, pauper vindicabatur.* Idem S. Doctor mysterium pandit, ob quod, juxta Eliæ vaticinium, meretrices in illo se sanguine laverint, ait enim : *Quid sibi vult, quod meretrices laverunt se in sanguine ejus, nisi forte, ut meretricia quædam in illa feritate fuisse Regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, ut olus desideraret, sic cruentum, ut propter olus hominem occideret :* Et paulo post altum quoque Dei judicium, in morte Jezabelis conjugis suæ se prodens, ostendit, dum ait : *Denique & Jezabel ipsam comederunt canes, & volucres cæli, ut ostenderet, quod spiritualis nequitiæ sunt præda divitis sepultura.*

S. Ambr. l. de Nabuth. c.11. Pœna avaritiæ.

Meretrices laverunt se in sanguine Achab.

5. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Aliam quamdam habemus in libro Esther, assumptum nostrum probantem insignem historiam; Enimvero in magna Assueri Regis aula dominabatur Aman: qui apud dictum Regem valde conspicuus erat. Hic autem Aman, tum ob gratiam, qua apud Regem valebat, tum ob supremam authoritatem, qua præditus erat, supra modum superbus & arrogans, ab unoquoque se timeri & formidari faciebat. Solus Marchæus desideratum ei honorem & cultum exhibere renuebat; unde in tantam accensus est rabiem, ut omne adversus ipsum machinaretur malum, imo vitæ ejus insidiaretur, hoc enim fine domi suæ altum erexerat patibulum, in quod suspenderetur; præterquam quod totum populum Judæorum, qui in vasto illo Assueri regno dispersus morabatur, extinguere, & occidere pararet. Sed *justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* In hoc enim superbo Aman ad literam adimpletum fuit axioma illud : *Per quæ peccat quis, per hæc & punietur.* Etenim Aman adversus innocentem Mardochæum tria machinabatur severissima supplicia; videlicet primo pœnam infamiæ, dum eum in patibulum suspendere, & suffocare intendebat; secundùm parabat contra ejus reputationem, dum eum velut coronæ Regiæ rebellem & inimicum declarare nitebatur; tertium vero erat totius populi Judæorum universale exterminium. Ac proinde Deus cum eisdem instrumentis eum punivit, quæ Mardochæo præparaverat; Disposuit enim, ut manibus ejusdem Aman, Mardochæus, velut triumphator, & primus post Assuerum Princeps, circumduceretur, ipseque Aman, velut pedissequus illius, ei serviret, acclamando : *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare*; secundo disposuit, ut in idem patibulum, quod suo inimico præparaverat, ex ordine ipsiusmet Regis infamem subiret mortem; ac demum, quia universum Hebraismum extinguere tentaverat, voluit Deus, ut universa ejus familia, uno eodemque die pariter per ignominiosam patibuli mortem extirparetur, quemadmodum Aman contra innocentem Judæorum plebem facere meditabatur.

Esth. 6.

Aman Mardochæo meditatur patibulum, & ipsemet suspenditur.

Aman tria mala machinabatur in Mardochæum, quæ ipsemet passus fuit.

6. Habemus quoque aliud exemplum in Juda, qui omnino merebatur, ut cœlum sua in ipsum vibraret fulmina, terraque sub pedibus ipsius dehiscens, vivum ipsum deglutiret, quemadmodum Dathan & Abiron contigit; imo ut Diabolus, à quo possidebatur, ipsum corpore & anima tenus in æternæ perditionis raptaret barathrum; & tamen Dei justitia, ut semetipsum strangularet, permisit; quia *laqueo se suspendit*; Scitisne causam, inquit Beda ? *Nimirum dignam sibi pœnam traditor amens invenit, ut videlicet guttur, quo vox proditionis exierat, laquei nodus necaret. Dignum etiam locum interitus quæsivit, ut qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, cœlo terræque prorsus quasi aëris tantummodo spiritibus sociandus, juxta exemplum Achitophel & Absalon, qui Regem David persecuti sunt, aëris medio periret.*

Beda in cap. 1. Actor.

7. In Annalibus Ecclesiasticis mentio fit Reginæ cujusdem à Deo castigatæ, ut in ipsa verificaretur dictum illud Psalmistæ : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa :* Siquidem coacta fuit sustinere idipsum, quod alijs patiendum paraverat, quodq; eidem S. Arnolphus, tunc Abbas, postea vero factus Episcopus Suessionensis prædixerat Refert enim Baronius, quid acciderit in expulsione Geraldi Abbatis Monasterij S. Beraldi, id quod pro majori dicendorum fide, verbis ipsismet Lisiardi, itidem Suessionensis Episcopi S. Arnolphi successoris, cujus vitæ acta conscripsit, referemus; ita igitur scribit : Geraldo Abbate vix etiamnum instituto, derepente advolat furiosus & vesanus Pontius, monastici ordinis temerator, ducens secum Reginam Bertam, quæ authoritate Regia Geraldum expelleret

Baron. An. 1094.n.8. Ps.18.

Historia de intruso.

pelleret, & Pontium contra fas in ſancti loci adminiſtrationem intruderet. Id ubi reſcivit Chriſti ſervus Arnolphus, è cella egreditur, Reginam furibundam blanditer appellat, ſubmiſsè rogat, ut licet Regina ſit, memor tamen muliebris conditionis, memor divinorum judiciorum, contra leges Eccleſiaſticas venire formidet, ab injuria tanti viri verecundè ſe temperet. Cùm autem ea, præ Regio faſtu, & tumore, Viri ſancti monita non admitteret, Prophetico ſpiritu dixit ei: Crede, ſi lubet, ô Regina? fratri Arnolpho, imò potius crede Spiritui Sancto. Nam ſi tu fratrem Geraldum hinc ejeceris, Deo vindice tu quoque ante obitum tuum regno extruderis, contempta quæ & ærumnoſâ morieris. Eam Viri Dei Prophetiam, luce clarius eſt, completam eſſe, quando omnes norunt, Reginam illam poſt annos aliquot Regis animam adeo offendiſſe, ut conciliari prorſus nollet, amotamque à regni conſortio; & in pagum Pontinum tranſlatam; poſt diuturnam calamitatem, illic plebejo more defunctam eſſe & ſepultam, poſtquam Rex, diu ante mortem ejus, aliam ſibi deſponſaſſet Reginam.

Regina intrudens ejicitur è ſolio regio.

8. In ijſdem Annalibus circa annum 1089. legitur, quod cum devotio erga S. Antonium Magnum in Provincia Viennenſi; ubi ejus corpus tranſlatum, juſſu Urbani Papæ fuerat collocatum, magnopere percrebuiſſet, contigerit, quod hæc erga prædictum Sanctum reverentia eo amplius aucta fuerit, quod ſicut illi, qui morbum, communi nomine, *ignis ſacer*, appellatum, patiebantur, eo ipſo quo ad ejus interceſſionem recurrebant, ſanari conſueverint; ita ſani in eumdem Sanctum peccantes, ſive perjurio, aliave irrogata in eum blaſphemia, vel contumelia, eumdem mox experiri ſolerent ultorem, eodemque confeſtim morbo ignis ſacri percuterentur, in pœnam ſuæ irreverentiæ, quod pavendum cunctis prodigium hactenus perſeverat, adeo ut in Proverbium verſum ſit: *In Sanctum Antonium neminem impunè peccare.* Hiſce noſtris diebus ſuperioribus, ſub obſidione Cremonenſi, alius quidam funeſtus caſus, per omnes mundi partes illo tempore divulgatus accidit. Siquidem globus è ſclopeto militis laxatus Gubernatori principali linguam ſuſtulit, omnibus reliquis corporis partibus intactis remanentibus, quod evidens miraculum omnes condignæ pœnæ attribuebant, eo, quòd impius ille nomen Dei frequenter blaſphemare ſoleret. S. Bernardinus alIud quoddam refert exemplum, quod ſuo tempore in urbe Alexandriæ della Paglia contigit, *cum enim quidam impius filius, capite patrem deorſum traheret per ſcalam, demum filius ejus per eamdem ſcalam hoc idem et fecit.* In hiſtorijs Hiſpaniæ legitur de Alphonſo Sexto, quod cum Tereſiam matrem ſuam vinculis carceris injeciſſet, hæc filio prophetando dixerit: *Quia vinculis crura mea ſtrinxiſti, Deum precor, ut ab hoſtibus capiaris, & crura tua fracta conſpicias.* Neque in vanum ceſſit hæc imprecatio, ſiquidem per omnes circumſtantias adimpleta eſt. In libro 2. Paral. cap. 16. ſequentia verbotenus leguntur: *In tempore illo venit Hanani Propheta ad Aſa Regem Juda, & dixit ei: Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo idcirco evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum; Stultè igitur egiſti; & propter hoc ex præſenti tempore adverſum te bella conſurgent.* Enimvero Propheta hic, Aſæ Regi, non ſua, ſed Dei decreta annuntiaverat, & tamen ab Aſa injuſtè punitus fuit, dicente Scriptura: *Iratus Aſa adverſus videntem, juſſit eum mitti in nervum, valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus.* Sed pœnam ſibi condignam minime evaſit, ſiquidem ſacer textus poſt tres lineas ſubdit: *Ægrotavit etiam Aſa, anno 39. regni ſui, dolore pedum vehementiſſimo;* cujus Liran. hanc aſſignat cauſã: *Ut ſic puniretur in quo peccaverat, ponendo Prophetam in cippo per pedes.* Abulenſis in quæſtione trigeſima ſecunda multas adfert rationes, ob quas hi dolores podagrici dici poſſint profecti ab infirmitate naturali, quam pati ſolent divites, alijque delicate viventes; verumtamen magis ex pluribus rationibus ad hoc inclinat, hanc Aſæ infirmitatem, & dolores fuiſſe ſupernaturales, ita enim ſcribit: *Dicendum, quod iſta ægritudo evenit ſupernaturaliter, Deo infligente illam, in pœnam peccati ejus;* & paulo poſt hanc ſtatuit concluſionem: *Iſta pœna fuit convenienter inflicta ad peccatum Regis, quia Rex peccaverat ponendo Prophetam in carcere, poſuit namque pedes ejus in vinculis, adeo percuſſit Regem in pedibus, dando podagram, & illud eſt conveniens, quia Deus vult, quod per ea per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur, & quia fecerat Rex, quod Propheta exiſtens in vinculis non poſſet moveri huc & illuc, nec ire, quo vellet, fecit Deus, quod Rex percuteretur in pedibus, ita ut moveri non poſſet. Et quia Propheta ſuſtinuerat aliqualem dolorem; in carcere manendo, & in vinculis, fecit Deus, quod dolor proveniens ex hac paſſione in Regem eſſet vehementiſſimus. Et ſicut Propheta in carcere manens privabatur aliquibus delectabilibus, quæ non poterat videre, ita & Rex in tota vita ſua, poſt percusſionem iſtam caruit magna parte delectabilium, quia non poterat diſcurrere ad videndum illa, ſed manebat ipſe velut in carcere, nam erat carcer à Deo inflictus, qui erat deterior, quam carcer datus ab homine.*

An. 1089. num. 18.

In S. Antonium nemo impunè peccat.

Tollitur lingua blaſphemo.

S. Bern. T. 2. in Dom. 2. Quadr. ſer. 37. art. 1. c. 7.

Rodr. Sana. hiſt. Hiſpan. p. 1. c. 14.

2. Paral. 16. 7. Plura exempla in quibus impij repercutiuntur. Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 12.

Lyran. ibid.

Abul. q. 32. ibid. Q. 33. ibid. Podagra à Deo immiſſa.

DISCURSUS XX.

ARGUMENTUM.

De eadem materia rurſus diſſeritur.

THEMA.

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

1. TAmetſi hæc à Spiritu Sancto dictata veritas indubitata ſit, clarius tamen, magiſque perſpicuè elucebit, ſi eamdem, præter illa, quæ in diſcurſibus præcedentibus adduximus, novis alijs exemplis confirmaverimus.

2. Porro veritatis propoſitionis, à Sapiente in verbis thematis traditæ, evidens edere teſtimonium poteſt primum peccatum à protoparentibus noſtris commiſſum, unde originale peccatum fuit derivatum, quia enim primi parentes per divini præcepti transgreſſionem ſeſe ab obedientia & ſubjectione Creatoris ſubducere moliti fuerant, ideo in ſemetipſis propriorum ſenſuum ſubito experiebantur inobedientiam & rebellionem. Unde S. Auguſtinus ait: *Hæc eſt pœna inobedienti homini reddita in ſemetipſo; ut ei viciſſim non obediatur, neque à ſemetipſo:* Similiter priusquam homo crearetur; pulcherrimus in cœlo Angelus pariter peccavit, quia dicebat in corde ſuo: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ... aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo;* at vero quonam modo hæc tam arrogans ſuperbia punita fuit? *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur;* punita enim fuit per quamdam ejuſdem ſpiritus humiliationem, adeo profundam, ut profundior non ſolum non dari, ſed nec ab intellectu creato per imaginationem excogitari poſſit; unde apud Iſaiam dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea.* Locus igitur in quem Angelus rebellis dejectus fuit, adeo fuit demiſſus, ut totius inferni infimus fuerit; factuſque eſt nigerrimus & abominabiliſſimus totius ignis infernalis torris, & qui ſimilis Deo eſſe, & cum eo de primatu contendere volebat, maledictus fuit: *Maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ:* Adeoque viliſſimis maximeque deformibus animalibus fuit ſubjectus. Dicente Lyrano; *hæc eſt magna pœna ſuperbo, quod inferiora & vilia ei præponantur.* Apud Iſaiam inquit Deus: *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Quibus verbis pœnam exprimit, qua ſuperbum Regem Sennacherib puniturus erat; at verò inquies fortaſſe, ex quo Deus ſuperbum hunc Sennacherib caſtigare volebat, cur non potius in eum fulmen de cœlo evibravit, aut vero terram ſub pedibus ejus in profundam voraginem dehiſcere fecit? Quodnam in eo latet myſterium, quod ei veluti bubalo, vel equo, aut mulo comminetur, ſe poſiturum circulum in naribus ejus, & frænum in labijs ſuis, ut proinde Cornelius à Lapide hunc comminationis illius ſenſum eſſe dicat: *Te quaſi mulum, aut bubalum, vel circulo, aut fræno injecto circumagam, & reducam in Aſſyriam, unde te eduxi.* Pro reſponſione optime ad propoſitum noſtrum ſervit ſequens Sanctij ponderatio dicentis: *Hic aliquid magis odorari videor, quod curioſo Lectori indicabo breviter. Objectum nuper fuerat Aſſyrio, quod ſubſannaſſet virginem filiam Sion; ſubſannatio vero ſit, aut naſo diſtorto, ore & exerta lingua inſtar canis, aut naſo rugato, & adunco. In ſubſannatione illa ſuperbi Regis veriſimile eſt, cum moveret caput, vibraſſe quoque naſum contumelioſè & os diſtorſiſſe, ac linguam exeruiſſe petulanter. Punit ergo Dominus ſannas illas ſupplicio, maximè ad Regis contumeliam attemperato; naſo enim infiget hamum ſeu circulum, ori vero frænum injiciet, ne pars, quæ Aſſyrij arrogantiæ ſervierat, maneret impunita.*

Adam nolens obedire Deo repulit à ſe obedientiam creaturarum.

S. Aug. lib. cont. adver. leg. & proph. c. 14.

Iſa. 14. v. 13.

Lucifer volens eſſe altiſſimus, detruſus fuit ad noviſſima. Ibid. v. 11.

Gen. 3. v. 14.

Lyran. ibid. Iſa. 37. v. 29.

Sennacherib ſuperbia ſupreſſa.

Corn. à Lap. ibid.

Sanct. ibid.

Subſannationis deſcriptio.

3. Per

3. *Per quæ peccat quis, &c.* Deus in Deuteronomio filium contumacem lapidibus obrui præcepit inquiens: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat Patris; aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; Apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius, & ad portam judicij, Dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ, ... Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri.* Ac proinde cum in Lege Moſaica ſupplicium; filijs, patri rebellibus infligendum, præſcriptum reperiatur, nequaquam miranda eſt mors, quæ juſto Dei judicio Abſaloni contigit; poſtquam enim tribus lanceis à Joab transfoſſus, & vita privatus fuiſſet, videbatur omnino, quod idem Joab, qui à Davide Abſalonem vivum reſervare juſſus fuerat, contra dicti Abſalonis cadaver minus deſævire debebat; & tamen juſtus Dominus, qui juſtitiam diligit, diſponendo ut pœna culpæ correſpondeat, eumdem inobedientem, & rebellem filium, ſub lapidum ingenti congerie ſepeliri voluit, dicente Scriptura: *Tulerunt Abſalon, & projecerunt eum in ſaltu, & in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis.* Porro Scriptor quidam non vulgaris, qui de mundi itineribus tractat, Palæſtinæ itinera deſcribens, etiamnum in more poſitum eſſe dicit, tam apud Mahometanos, quam apud Judæos, quod ſepulchrum Abſalonis tranſeuntes, lapides in eumdem acervum ſinguli projiciant; Chriſtiani verò, qui filios ſecum in ſocietate habent, in deteſtationem ſceleris, & impietatis ab Abſalone erga patrem ſuum commiſſæ, filijs, ut idem ſepulchrum lapidibus impetant, præcipiunt. Et vero hujus veritatis in impio & rebelli hoc filio adimpletæ, plures aliæ occurrunt conſiderationes, ſiquidem quemadmodum per laſcivum & immoderatum faſtum in elegantia capillaturæ ſuæ efferebatur, ita eadem capillatura ei laquei loco deſervivit, dum ex illa, velut ex laqueo in quercu ſuſpenſus remanſit. Porro Sanctus Paulus de avaritia ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum Diaboli;* hic autem Abſalon; non ſolum ex motivo vanitatis, verum etiam ex avaritia, deauratas veluti comas ſuas nutriebat, easque caro vendebat pretio; *Ponderabat enim capillos capitis ſui, ducentis ſiclis, pondere publico;* ecce igitur qualiter adimpletum fuerit, quod, *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur:* Siquidem hi ſicli in totidem converſi ſunt laqueos & reſtes, qui ipſum in aëre pendulum ſuſpenderunt. Ait enim ſacer textus: *Accidit autem, ut occurreret Abſalon ſervis David ſedens mulo, cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſijt.* Et vero capilli Abſalonis in adeo magno numero erant, ut non obſtante, quod ipſe gravis molis & ſtaturæ; atque à capite ad pedes uſque ferro armatus eſſet, ut ſatis eſt veriſimile, capillatura tamen ejus ſeſe dilatando, & ramos quercus circumplectendo ad grave & ponderoſum hoc corpus ſuſtentandum ſufficeret. Præterea impius hic Abſalon, omnes ad Joab pertinentes meſſes, & ſegetes, flammis ſuccenderat, licet idem Joab, poſt longum illius exilium, pro eodem in priſtinam gratiam reſtituendo apud patrem interceſſiſſet, ac proinde optimè merebatur, ut tamquam ingratus, manibus Joab tribus transfigeretur lanceis, non obſtante hoc Regis præcepto, *Cuſtodite mihi puerum Abſalon.*

Deut. 21. 18.

Ibid. v. 19. Ibid. v. 20. Inobediens parentibus lapidatur. Ibid. v. 21.

2. Reg. 18. 17.

Ideo Abſalon ſub congerie lapidum ſepultus fuit.

2. Reg. 18. 17.

Joan. Bo. in faſc. pereg. l. 2. cap. 21.

In capillatura ſuperbivit, in eâdem ſuſpenſus fuit. 1. Tim. 6. 9. 1. Reg. 14. 20.

2. Reg. 18. 9.

Ingratitudo Abſalonis erga Joab.

Ibid. v. 12.

4. *Per quæ peccat quis &c.* Enimvero ex quo Joab mentionem facere cœpimus, certiſſimum eſſe ſuppono, quod cum dictus Joab præceptum à Rege emanatum, ſcilicet, *Cuſtodite mihi puerũ Abſalon*, transgreſſus fuerit, eum contra patris voluntatem occidendo, graviter peccaverit, licet Abſalon propter bellum patri intentatum læſæ Majeſtatis reus eſſet, ac proinde milites illius, ob non illatam Abſaloni mortem, apud Joab, velut generalem militiæ Ducem, ſe excuſarint, dicendo: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis; audientibus enim nobis præcepit Rex tibi, & Abiſai, & Ethai dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalon.* Præterea Joab aliorum criminum commiſſorum reus erat, & præcipue quod traditorio modo Amaſam interfeciſſet, cur igitur David, qui monitum illud, regnorum gubernatoribus traditum: *Vos, qui judicatis terram, diligite juſtitiam*, probè ſciebat, cur inquam Joabum in vita ſua non occidit, ſed ſolum poſt mortem ſuam, eum à Salomone filio ſuo morte puniri præcepit? Reſpondetur, quod ſicut Joab Amaſam, præter omnem expectationem, ſub ſpecie pacis, traditoriè occiderat dicendo: *Salve mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, ... qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus;* Ita quoque divina juſtitia diſpoſuit, ut eidem Joab mors, non à Davide bellatore inferretur, ſed à filio ejus Salomone, Rege pacifico, idque eo præcipuè tempore, quando mortem minime timebat, nec expectabat; ut *per quæ peccaverat, per hæc & torqueretur.*

2. Reg. 18. 12.

Joab proditoriè occiderat Amaſam, proditorie, ipſe occiditur.

2. Reg. 20. 9.

5. Et vero priusquam libros Regum deſeramus, aliam ex libro 2. cap. 10. habemus hiſtoriam, multa diſcuſſione dignam. Etenim cum David ſuos ad Regem Ammonitarum, ob mortem patris illius, deſtinaſſet Legatos, qui ei Davidis nomine condolerent, Rex Ammonitarum etiamnum novitius, hanc legationem ſuſpectam habens, credenſque eamdem potius ad explorandam regionem, quam ad ſibi condolendum inſtitutam fuiſſe, magnis illos affecit contumelijs; dicit enim Sacra Scriptura: *Tulit Hanon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum, medias uſque ad nates, & dimiſit eos.* David igitur, ut tantam ſibi irrogatam vindicaret injuriam, potentem quemdam, Joab Duce & rectore, contra Hanon miſit exercitum, cumque in prælio victor evaſiſſet, ſequens de Ammonitis ſumpſit ſupplicium: *Populum ejus adducens, ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum; ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Legatis licet cunctas hiſtorias, ſacras, & profanas, nec tamen invenietis ſimilem in malefactores, etiam atrociſſimorum criminum reos, exercitam fuiſſe pœnæ atrocitatem; & tamen hæc pœna, dictis Ammonitis irrogata fuit, conſentiente illo Rege, qui peculiariter de ſua gloriabatur manſuetudine inquiens: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Nonnulli quidem ad Davidem aliquo ſaltem modo excuſandũ ad hoc ſe reflexerunt, quod cum David Chriſti referret figuram, in hac actione ſeveriſſimam, quam Chriſtus in judicio finali, adverſus reprobos, exercitaturus eſt juſtitiam repræſentarit. Alij pariter ſe reflectunt ad tempus, quo contra hoſce populos deſævijt; hoc enim fecit, dum etiamnum adulterij ſordibus, & ſcandalis immerſus eſſet; hujus autem peccati proprium eſt, peccatorem excœcare, ipſumque omni humanitate exuere. Præter has tamen obſervationes, inſuper dicere licebit: Deum voluiſſe, ut in illis illud verificaretur axioma: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quemadmodum enim ab Ammonitis veſtes Legatorum Davidis præciſæ fuerant, ita quoque corpora Ammonitarum per medium fuêre diſſecta; præterea ſicut Ammonitæ medietatem barbæ novaculis raſerant, in Davidis vilipendium: ita pariter Ammonitæ novaculis & cultris in minutiſſimas particulas fuerunt præſciſſi & trucidati; deinde, quemadmodum Legati Davidis, per deriſum & ludibrium, curribus fuerunt impoſiti, & dimiſſi, ut in illo improperio conſtituti, magis eſſent uniuscujusque conſpectui expoſiti; ita quoque parem luerunt pœnam, dum ſub ferratis curruum rotis oſſa eorum diffringerentur. Notandum eſt inſuper, quod quia Ammonitæ, filios ſuos idolo Moloch ſacrificantes, per ignem tranſire, & conflagrari faciebant, ideo diſpoſuit Deus, ut in tantæ impietatis condignum ſupplicium parentes quoque eorum per ignem tranſirent: *Traduxit in typo laterum.*

Rex Ammonitarum David Legatos injuriavit. 2. Reg. 10. 1.

2. Reg. 12. 31.

Simili modo & atrociori Ammonitæ vindicati fuerunt per David.

Pſ. 131. v. 1.

Diverſimodè explicatur vindicta illa David.

Oſtenditur reciprocatio in pœnis.

6. *Per quæ quis peccat, &c.* Baronius in annalibus Eccleſiaſticis de Juſtina Auguſta, quæ una cum Valentiniano filio ſuo, perſecutionem adverſus S. Ambroſium Vigilantem, & Zeloſum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem, nec non univerſalis Romanæ Catholicæ defenſorem denuo reſuſcitarat, refert, quod videns ſe dictum Ambroſium difficulter in exilium mittere poſſe, quin tumultus & ſtrepitus excitaretur in populo, utpote apud quem in magna veneratione erat, ingentia promiſſa pollicita fuerit ei, qui eum è medio ſuſtuliſſet. Et quidẽ multi, hiſce propoſitis præmijs allecti, facinus tentarunt, at vero omnes illorum adhibiti conatus caſſi fuerunt & irriti. Tandem unus cæteris præſumptuoſior, Euthymius nomine, domum quamdam reſidentiæ Archiepiſcopali contiguam conduxit, & cum diluculo quodam currum, in quo Sanctum Epiſcopum è civitate educere moliebatur, præparaſſet, nec tamen intentum ſuum aſſequi potuiſſet, Deus juſto ſuo judicio diſpoſuit, ut dictus Euthymius anno ſequenti eodem die, ſuper eodem curru, & ex eadem domo in conſpectu omnium ſumma cum ignominia duceretur in exilium.

Baron. An. 387. n. 1.

Præparatus currus ut educat S. Ambroſium in Exilium præparatorem eduxit.

7. In

7. In historijs Anglicanis, ijs præcipuè, quæ sub dominio, seu potius tyrannide Henrici VIII. adversùs Ecclesiam Romanam rebellantis contigerunt, de Cromvelo Consiliario ejus refertus, cum sequentem promulgasse legem valde iniquam, scilicet: *Ut si quis, etiam absens, in dicta causa læsæ Majestatis damnaretur, non minus rite damnatus haberetur, quam si omnibus adhibitis legitimis formulis per duodecim-virale judicium condemnatus fuisset.* Cumque ipse, eo præcipue fine, hanc promulgasset legem, ut alijs mortis esset offendiculum, Deus justè permisit, ut ipse primus esset, qui eamdem in proprium damnum experiretur; Cum enim infidelitatis apud Regem accusatus esset, juxta legem ab eo inventam, in dicta causa mortis condemnatus fuit, atque in pœnam tanti criminis igne combustus.

Plorim. Remon. lib. 6. de orig. Hæres. c. 4. Cromvel ex propria sua lege combustus fuit.

8. Nemini ignotum est illud hujusce veritatis testimonium, quod eidem Poëta quidam gentilis perhibuit; tametsi enim hic de numero sit illorum, quibus ut plurimum solemne est fabulas & nugas vendere, in hac tamen occasione Ovidius veridicum quoddam refert factum, ab alijs quoque fide dignis authoribus traditum. Cum enim in Ægypto ficcitas quædam, & ardor cœli adeo contumax fuisset, ut per integrum novennium terra ne minima quidem pluviæ stilla rigata fuisset; gubernantem idem regnum Busiridem, certus quidam convenit homo, Thrasia nomine, qui Regi dixit, quod si primum sibi obvium peregrinum Jovi in sacrificium offerret, numen illud utique propitiandum fore, & copiosissimam pluviam daturum esse. Tyrannus igitur huic fidem adhibens, eumque in regno suo plane peregrinum primumque sibi præ alijs præsentatum esse considerans, eumdem sine mora decoriari, & Jovi offerri mandavit, eique dixit: *Primus in Ægypto tu dabis hospes aquas.* Nota pariter est alia similis historia, eodem Poëta authore conscripta, & ab alijs confirmata. Etenim Phalaris crudelissimus Siciliæ tyrannus, huic soli dabat operam, ut ad cruciandum reos immanissima & crudelissima excogitaret supplicia. Perillus igitur, ut hujus tigridis crudeli obsecundaret ingenio, eidem suasit, ut taurum quemdam æneum fundi faceret, interius concavum, ad capiendum hominem, in latere autem ejusdem bovis fieri juberet aperturam, per quam homo vivus in eumdem bovem immitti posset; fore enim prædixit, ut si sub eodem bove ignis luculentus accenderetur, miser homo bovi incluso, præ nimio ignis ardore stridens, horribiles editurus esset mugitus, non sine ingenti ipsius tyranni complacentia. Cum igitur diabolica hæc machina Phalaridi complaceret, subito talem bovem juxta normam à Perillo præscriptam fabricari jussit, absolutoque opere, neminem futuri eventus melius editurum esse specimen censuit, quam eumdem, qui illius inventor fuerat, ac proinde illum, vel invitum, in dictum bovem injici fecit, in quo desperatus conflagravit. Unde Poëta hisce versibus concludit:

Justus uterque fuit, nec enim lex æquior ulla
Quam necis artifices arte perire sua.

Suadens pro pluviâ habendâ hominem Jovi offerri debere, ipsemet oblatus fuit.

Alia similis Historia.

Drexelius *de lingua male consulente* scribens, sequentem refert de duobus mercatoribus Lucenfibus in civitate Antverpiensi consummatum funestum casum; cum enim hi mercatores (quorum unus Simon Durchi, alter vero Joannes Baptista Dionati vocabatur) in mutuas devenissent rixas, Joannes Baptista Simonem in faciem cecidit, quo facto pacem quidem mutuam inter se pacti sunt, sed ex parte Durchi non veram, sed simulatam; unde post aliquod elapsum tempus, Simon furoris sui ignem in corde suo fovens, Diodatum quadam vesperâ in hortum suum invitavit ad cœnam, cumque mensæ in tali sella accumberet, quæ eo artificio facta fuerat, ut quam primum aliquis sessum se recepisset, sedes sponte claudereturr, & sessorem arctè undique constringeret; Simon stricto gladio, Jam es, inquit, in manibus meis improbe; eo te pertraxi, quo volebam; & licet ille veniam peteret, perque omnes cœlites sibi vitam donari supplicaret, frustra clamores, frustra fuerunt preces. Simon enim multis prius vulneribus affectum hominem misere vociferantem confodit; At verò *cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*; disposuit enim Deus, ut post lapsum temporis Simon eventu inopinato deprehensus, in eadem omnino cathedra, totidem etiam vulneribus confoderetur. Ibidem apud eumdem authorem refertur de quodam è Calvini schola factioso homine, Petrino nomine, qui cum ex ara sacrum lapidem, in quo Christi corpus offerri consueverat, in infamem supplicij locum, ubi rei plectebantur, transferri curasset, Deus justissimus judex disposuit, ut hic Petrinus ad hunc ipsum lapidem capite truncaretur cum ingenti ipsius vilipendio.

Fer. Drexel. de ling. male consulente cap. 8. Similis quæ contigit Antverpiæ.

Ps. 9. v. 17.

Drexel. ibid.

DISCURSUS XXI.

ARGUMENTUM.

De eadem materia disseritur.

THEMA.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

1. PRæterquam, quod hæc à Sapiente nobis tradita veritas, per antiquam in Scripturis, tam sacris, quam profanis, corroboretur experientiam, insuper præter hactenus allegata exempla, pluribus alijs confirmari potest, prout in præsenti discursu patebit.

2. Jacob in domo Laban septem annis sedulo servierat, ut ad desideratas Rachelis nuptias pertingere posset; *Servivit Jacob*, inquit Scriptura, *pro Rachel septem annis, ... Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam; Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.* Verumtamen in hisce nuptijs, modò satis improbo, suo defraudatus fuit desiderio; etenim ut Scriptura ait: *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum. ... Facto mane vidit Liam, & dixit ad socerum suum: Quid est, quod facere voluisti? Nonne pro Rachel servivi tibi? Quare imposuisti mihi?* At vero ex quo Deus Jacob à primo momento, quo domo paterna egressus est, particularem in cunctis actionibus suis promisit assistentiam, [ut proinde Psalmista dicat: *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus*] cur igitur eumdem in re tanti momenti decipi permisit? Nimirum voluit Deus, ut etiam in Jacob locum haberet illud Sapientis oraculum, ut *per quæ peccaverat; per hæc & torqueretur.* Unde Oleaster ait: *Vides ab initio fuisse etiam fraudes inter cognatos, & forte hac fraude voluit Dominus punire illam, quam fecerat ipse Esau.* Etenim Jacob, ut cœci patris sui Isaac præoccuparet, & usurparet paternam benedictionem, stratagemate illo omnibus noto se Esau esse simulavit, dicens: *Ego sum filius tuus primogenitus Esau*; ac proinde Deus hic illi condebitam retribuere voluit pœnam, atque efficere, ut in similem ipse quoque incideret fraudem, & fictionem, dum scilicet lippa & deformis Lia, pulcherrimæ Rachelis loco substituebatur.

Gen. 29. 20. *Ibid. v. 21.* *Ibid. v. 22.* *Jacob accepit Liam pro Rachel.* *Ibid. v. 23.* *Ibid. v. 24.* *& 25.* *Ps. 145. v. 5.* *Oleast. in Gen.* *Quia finxerat se esse Esau.* *Gen. 27. v. 19.*

3. In cap. 32. Exodi scribitur, qualiter Moyses, videns populum sua coram vitulo aureo flectere genua, *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* At vero dices fortasse, ex quo Moyses falsum illud simulachrum totaliter abolere volebat, numquid ei sufficere poterat, quod illud in pulverem redactum, ventorum spiraculis committeret dispergendum? Quo igitur fine pulverem illum aquis insperfit, ipsisque idololatris potandum exhibuit? Profecto Moysi ea in occasione dici poterat: *Omnia in sapientia fecisti.* Etenim nonnulli existimant, Moysen id fecisse, ut Israëlitæ idololatrantes in maleolentia & fœtore abominabili excrementorum suorum experirentur, qualis fuisset Deus ille, quem sibi fabricaverant. Alij vero apud Lyranum & Abulensem advertunt, illos, qui aquam illam pulveribus permixtam biberant, ex pulverum illorum sumptione pallidos, & consequenter auri colore tinctos fuisse effectos, ac proinde de illis verificatum fuisse illud Davidis: *In verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Sicut enim ipsi ad bovem illum fundendum subministrarunt aurum, quod pallidum præ se fert colorem, ita Deus disposuit, ut idem aurum, in pulverem redactum ab ijs in aqua potatum, viscera eorum torqueret, fuumque in vultum ipsorum transmitteret colorem, ut *per quæ peccaverunt, per hæc & torquerentur*; portando videlicet in vultibus suis impietatis commissæ impressos characteres.

Exod. 32. 20. *Qui aureum vitulum adoraverunt, aureum accepe-runt colorem.* *Ps. 7. v. 17.*

4. In 3. libro Regum cap. 21. legitur de Achab, quod quando à Naboth ratione venditionis vineæ passus fuerat repulsam, desperatus quasi in lectum se conjecerit: *Projiciens se in lectulum suum, & non comedit panem.* Ex quo clarè colligitur, quod licet alienis possessionibus avidè inhiaret, attamen vel invitus tunc jejunavit. At vero quodnam existimas in eo latere mysterium, quod Deus Achab per hanc inappetentiam punire voluerit? Num forte deerant Deo longe severiora supplicia? Innumerabiles videlicet infirmitates, quæ corpus ejus cruciare poterant, sine hac cibi nausea? Respondeo, avaris proprium esse, quod immo-

3. Reg. 21. 4.

Proprietas Avari convenit Achab.

immodica fame aliorum appetant facultates, quodque numquam se saturos esse experiantur, utpote qui ab hoc sibi domum relinqui optarent, ab alio vineam, ab alijs alias possessiones, dumque eorum desiderijs satisfieri contingit, multis pauperibus panis eripitur, quia per extortiones, lites injustas, & illicitos contractus facultatibus suis exuuntur, adeo ut postea abstinere, & famem tolerare cogantur. Quid igitur hic Deus faciat? Nimirum *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur ab eo*; disponit enim, ut tales

Pœnâ Avari punito.

avari per eadem prorsus castigentur media, quibus alios ærumnas pati fecerunt, id est, ut & ipsi jejunare cogantur, non solum coacti ab avaritia propria, ut facultatibus suis pareant, verum etiam sæpe per cibi inappetentiam & nauseam. Unde S. Ambrosius inquit:

S. Ambr. lib. de Naboth c. 4.

Divites eripitis quidem pauperibus universa, vibi relinquitis, pœnam tamen pauperum vos potius divites sustinetis, illi jejunant cum non habent, vos cum habetis, à vobis igitur prius pœnam exigitis, quam pauperibus irrogatis.

5. Et vero ex quo famis mentionem facere cœpimus, opportunè memoriæ occurrit filius ille prodigus, qui apud villicum, à quo ad pascendos porcos conductus fuerat, præ fame quasi mori cogebatur, dicit enim

Luc. 15. 14.

facer textus: *Facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere; ... cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*; at vero numquid divina justitia hunc patri contumacem, cunctisque alijs scandalosum juvenem alijs supplicijs castigare poterat, quam fame? potius utique; sed voluit; ut in eo adimpleretur illud sæpius repetitum Sapientis oraculum: *Per quæ peccat quis, &c.* id quod

Fames Prodigi.

D. Chrysostomus super illa verba: *Et ipse cœpit egere*, opportune notavit, dum ait: *Filium data facit egere substantia, quæ divitem negata servabat, ut penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundaverat non habendo.* Idem paulo ante dixerat: *Luxuria ventri, gulæ fames tortor apponitur, ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœnalis reatus exarserat.*

D. Chrysost. ser. 1.

6. *Per quæ peccat quis &c.* Paulo ante mentionem fecimus Jacob, patrem suum decipientis, dum se Esau primogenitum illius esse simulabat, nunc audiatis velim, quid Rebecca, ad fraudem hanc magis colorandam effecerit, dicit enim Scriptura Sacra: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus*; imo fraudem hanc adeo aptè machinata fuerat, ut sacer textus dicat: *Statim ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait.: Ecce odor filij mei &c.* At vero probus Jacob fictionem hanc successu temporis sæpius luere debuit, quia præterquam in eo deceptus fuerit, quod, sicut paulo ante diximus, Lia in locum Rachelis à Laban subdolè ei substituta fuerit, Deus insuper permisit, ut diuturno tempore animo suo afflictus, & anxius hæreret, dum quod filij ejus mendaciter dixerant, scilicet Joseph ea terrimè ab ipso dilectum à fera quadam devoratum esse, credidit, idque ob visam a filijs sibi exhibitam Josephi vestem sanguine cruentatam, quem filij sui sanguinem esse fallaciter asserebant, cum revera vestis illa in occisi hœdi sanguine volutata fuisset; *Tulerunt tunicam ejus*, inquit Scriptura, *& in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt*; at verò cur potius vestem illam sanguini hœdi intinxerunt, quam sanguini agni vel ovis? Factum id existimo hoc mysterio, ut scilicet fraus, qua Jacob Isaac patrem suum decepit, & hæc, qua disponente Deo à filijs suis circumventus fuit, majorem inter se proportionem haberent; vesti namque odorosæ ipsius Esau correspondet vestis hœdi sanguini intincta, nec non & pelles ejusdem hœdi, quibus manus suæ contectæ fuerunt: *Pelliculas hœdorum &c.* Ut *per quæ peccavit per hæc & torqueretur.*

Gen. 27. v. 15. *Ibid. v. 27.* *Fuit Jacob etiam deceptus in causa Joseph venditi.* *Gen. 37. 31.*

7. *Per quæ peccat quis &c.* In libro 2. Regum cap. 17. gloriosa illa refertur victoria, quam David pastorculus contra Goliath reportavit; & quidem in primis certum est, ictum illum, quem David fronti Goliath impegit, nequaquam casualem fuisse, sed à divina manu invisibiliter directum, fiquidem lapidem illum præinvocato superno Dei auxilio è funda evibravit, dicendo: *Ego vento ad te in nomine Domini exercituum*; at vero cum lapis ille à tali manu directus, quæ viribus humanis superior erat, plurima vasti illius corporis membra penetrare potuerit, cur obsecro frontem præcisè tetigit? Dicit enim Scriptura: *Tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Quia igitur gigas ille impudens, & perfrictæ frontis, inaudita cum temeritate integrum quemdam deridebat, & contra se evocabat exercitum, Deum quoque Israël arroganter blasphemaverat, ideo justè in faciem suam cadere promeruit, voluit enim per hoc Deus ostendere, quod careret facie, quam exhiberet; præterea justum erat, ut in fronte læderetur, quia adeo effrons fuerat; unde S. Augustinus ait: *Quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide dejectus est.*

1. Reg. 17. 45. *Impudens Goliath in fronte percutitur.* *Ibid. v. 49.* *S. August. ser. hom. de diversis.*

8. *Per quæ peccat quis &c.* Miraculum illud, quod in uxore Loth non solum in statuam, sed & in statuam salis conversa contigit, sacrorum Doctorum & Interpretum ingenia plurimum exagitavit, ut varia inde eruerent à Deo infinuata mysteria, è quibus vel maximè proposito nostro deservit, quod Lyranus his verbis adducit: *Dicant autem Hebræi, quod hoc fecit, quia nocte præcedente peccaverat in sale, ut sic pœna correspondaret peccato*; & confestim sequentem subnectit rationem: *Petenti enim Loth pro condimento cibi Angelorum, quos homines credebat, ipsa venuit apportare, quia secundum morem Sodomorum, inter quos habitabat, afflictum ad hospites non habebat.*

Gen. 19. 26. *Lyran. ibid.* *Quare uxor Loth fuerit transmutata in statuam salis.*

9. *Per quæ peccat quis &c.* In libro Judicum cap. 9. legitur de Abimelech, filio spurio Gedeonis, quod ex dominandi ambitione, ne à fratribus suis ullum ambitioni suæ poneretur obstaculum, septuaginta fratres suos crudelissima strage interemerit: *Et venit*, inquit sacer textus, *in domum fratris sui in Ephra, & occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem unum.* At vero quid fecit Deus, ut eumdem juxta arrogantiæ & ambitionis suæ proportionem puniret? Nimirum fastum & elationem animi illius Deus deprimere, & humiliare voluit efficiendo, ut per manum vilis alicujus mulierculæ mors ei inferretur; & quia ipse super lapidem unum fratres suos decapitaverat, disposuit Deus, ut fragmen molæ, à muliere ex fortalitio quodam dejectum, super caput ejus caderet, eumque supprimeret. *Et ecce una mulier*, inquit sacer textus, *fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Hac eadem occasione per memoriam, ad historiam quamdam, in libro secundo Machabæorum cap. 13. descriptam, libet transcurrere; ibi namque pariter fortalitij cujusdam fit mentio. Etenim quia Menelaus profanato templo, vasa illius sacra violaverat, aliaque execranda commiserat sacrilegia, Deus in condignum ejus supplicium, ut in indignationem Antiochi caderet, ab eoque severissimè puniretur, permisit; sed audiatis velim modum, quo id contigit, *Rex Regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem, & suggerente Lisia, hanc esse causam omnium malorum, jussit apprehensum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris; hæc prospectum habebat in præceps, Inde in cinerem dejici jussit sacrilegum, omnibus eum compellentibus ad interitum, Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum, Et quidem satis justè, nam quia multa ergaram Dei delicta commisit, cujus ignis, & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.* Notus, ut reor, est omnibus, eventus ille in speculo exemplorum relatus. Etenim cum impius quidam, qui, utpote justitiæ publicus minister, infamem professionem agebat, in tempore bacchanalium; una cum alio quodam suo confodali totam noctem simul in taberna bibendo & crapulando transegerat, contigit, ut dum mane pulsaretur ad missam, & sodalis cum ad eamdem auscultandam sacrosque cineres recipiendos invitaret, hic sacrum illum ritum impiè deridere cœperit, in cujus signum dixit sodali: Sede hic juxta me, ego enim tibi dabo cineres, & tu illos mihi imperties, acceptumque è terra pulverem capiti ejus imposuit: At vero ultrix Dei ira non diu tardavit, confestim enim furiosa cinerum suscitata est tempestas quæ cineres & terræ pulverem tanta cum vehementia in ejus adegit faciem, ut fauces illius adeo impleræ fuerint pulveribus, ut licet tunc non suffocatus fuerit. Multi enim in ejus accurrerunt auxilium, ut cum in parvulam quamdam insulam, in qua nec cinis, nec pulvis, sed solum herbæ reperiebantur, transportarent; at vero inutilis fuit eorum, quantumvis pius, conatus, terra enim insulæ illius tanto cum impetu adversus sacrilegum cinerem & pulverem exhalando

Abimelech occidit & occisus est. *Judic. 9. 53.* *2. Mach. 13. v. 4.* *Ibid. v. 5.* *Ibid. v. 6.* *Ibid. v. 7.* *Ibid. v. 8.* *Despiciens cineres sacros, cineribus suffocatus fuit.*

concitavit, ut tandem, prouti meritus fuerat, suffocatus interierit.

Duellans Clericus blasphemat.

10. *Per quæ peccat quis &c.* B. Petrus Damianus de dissoluto quodam & rixis dedito Clerico refert, quod cum adversario suo (qui aliquas possessiones ad beneficium ejus spectantes sibi usurpaverat,) diem condixisset, ut inter se armis & pugnis congrederentur; acciderit, quod mane, dum Missæ assistens audiret verba illa: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur;* Clericus ille hisce verbis auditis, in hanc proruperit horrendam blasphemiam: *Hæc sententia vera non est; nam si ego me meis adversarijs humiliter inclinassem, hodie tot possessionum copias, atque clientum non haberem.* Aderat fortuito præsens servus quidam, illuc à suo adversario missus, ut quid circa inimicum suum ageretur, per eum intelligeret; qui cum auditam blasphemiam Domino suo nuntiasset; *tunc ille plaudens in Domino lætus efficitur; atque ad spem proculdubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur.* Cum igitur paulo post manus ad invicem conferturi essent; & consererent, Deus temerarium illum castigare volens, disposuit, ut jumentum ejus, quod præcedenti nocte quemdam salis acervum obvium habens, inde in satis magna quantitate comederat, ac proinde sitiburidus erat, in vicinum aquæ torrentem sese immerserit, nec inde quacumque tandem adhibita violentia divelli potuerit, quid igitur tandem accidit? Audiamus prædictum S. Cardinalem dicentem: *Ille dum ea manu, qua scutum tenebat, cum jumento confligit, hostilibus jaculis faciem coactus exponit, ecce repente gladius os ejus fulminis more transfigit; talique reprobus vitam suam fine conclusit. O quam congruè in illa pertulit corporis parte vindictam, quam nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam; & cum Propheta de talibus dicat: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus; qui linguam suam & dentes adversus Deum gladij more vibravit, dignè per eadem membra materialis gladij pœnas exolvit.*

B. Petr. Dam. l. 2. epist. 15.

Et occiditur.

Baron. An. 420. n. 26.

11. In Annalibus Ecclesiasticis de Gororane Persarum Rege scribitur, quod cum sub Imperio Theodosij Imperatoris civitatem Imperatoris nomine appellatam cum omnibus copijs suis circumsedisset, & multa instrumenta bellica ad urbes capiendas accommodata ad murum applicasset, solus divus Eunomius illius urbis Episcopus ei restiterit, & machinationum adjectarum impetum penitus represserit; cum enim exercitus Imperialis Duces præliari contra hostes renuerent, & obsessis opem ferre non auderent, bona fortuna contingit, quod unus ex Regulis barbaris blasphemiam in Deum jaceret, & in morem Rabsacis & Sennacherib verba execrabilia funderet, furoreque incitatus minaretur, se sacrosanctum Dei templum incendio vastaturum; S. igitur Pastor rabiem illius non ferens, balistam Thomæ Apostoli nomine inscriptam, ad pinnas muri statui, & ingentem lapidem in ea imponi, nomineque illius, in quem barbari blasphemiam conjecerant, cum emitti jubet; qui directe in illum Regulum delatus, & in nefarium ejus os impactus, vultum deformavit, caput comminuit, & cerebro conspersit humum: Quod Gororanes Rex videns, terrore perculsus obsidionem solvit. Ecce qualiter cognitus fuerit Dominus judicia faciens, & quam verum sit, quod, *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

Blasphemiâ Ethnici animantur Christiani, & blasphemans occiditur.

12. S. Bernardinus sequens refert supplicium, quo divina justitia in nauclerum quemdam blasphemum severissimè animadvertit: *Nauta enim qui blasphemavit Deum,* inquit Bernardinus; *subito submersus est, quem frater ejus invenit in littore, illæso corpore, sed radicitus avulsa lingua, & consumpta.* Unde merito, ut Nicephorus, & Evagrius scribunt, Justinus primus Imperator imperij sui anno primo blasphemo linguam radicitus evelli præcepit.

S. Bern. T. 1. ser. 42. art. 3. cap. 3. Aliud Exemplum de blasphemo.

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

Idem argumentum continuatur.

THEMA.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11 vers. 17.

1. REgius Psaltes in Psalmo 36. id, quod vindicativis frequenter contingere solet, scilicet quod machinæ, quas ipsi in aliorum damnum fabricare student, tandem in ipsosmet recidant, & exonerentur, his verbis confirmat: *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde;* at vero quid tandem in condignum eorum supplicium eisdem evenit? *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur,* quæ verba exponens S. Ambrosius inquit: *Ut quemadmodum revertitur pax in Dei servulos ab eis, qui non receperint benedicentiam pacem, ita etiam malitia peccatorum, qua justo nocere conantur, in eorum pernitiem revertatur, quo suis telis, & vulneribus trucidentur; sæpe enim jacula in ipsos, qui ea jecerint refunduntur.* Narratque idem S. Doctor exemplum quoddam valde prodigiosum, quod suis contigit temporibus: Subdit enim: *Quod proximo accidit bello, cum infideles, & sacrilegi lacesserent aliquem in Domino confidentem, & regnum ejus eripere contenderent, Ecclesijs Domini persecutionum sæva minitantes, ut subito ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium; atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat, etiam illi ventorum prælia ferre non poterant; suisque spiculis sternebantur; & quod pejus est, non erant corporum graviora illa vulnera, quam mentium; deficiebant enim corde, cum Deum adversum se pugnare cognoscerent. Exierant itaque provocantes; & de pharetra cordis sui adversum populum Christianum venenata perfidiæ jacula proferebant, sed in caput eorum sua revertebatur impietas.* Videmus per experientiam, quod quanto majore cum impetu pila in terram duram & solidam conjicitur, tanto magis versus percutientem resiliat; ita quoque cum peccator sceleribus suis Deum offendere non dubitat, (de quo Psalmista ait: *Dominus fortis & potens in prælio;* & alibi: *Non accedet ad te malum:*) Omne malum; omnisque offensa super illum recidit; dicente eodem Psalmista: *In verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Qui idem Regius Vates paulo ante de impio dixerat: *Peperit iniquitatem;* paulo post, ut quales hujus abortus sint fructus; exprimat, subjungit: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit,* id quod majori parti humanas divinasque leges transgredientium ut plurimum contingit.

Ps. 36. v. 14. Vindicativi proprio gladio jugulantur.

S. Ambr. ib.

De hoc miraculum.

Similitudo à pilâ fortiter in terram projectâ.

Ps. 23. v. 8.

Ps. 90. v. 10.

Ps. 7. v. 17.

Ibid. v. 15.

Ps. 7. v. 16.

2. Filij Jacob fortunæ Joseph fratris sui invidentes, [utpote quem ob somnia sua, quibus se sceptra aliquando administraturum esse, omnesque illos sub suo habiturum dominio prædixit, ingenti prosequebantur odio] inter se quoad inferendum ei necem conjurant dicentes: *Numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Tandem verò uno illorum conceptum de inferenda ei nece consilium dissuadente, ut se ab hac servitute, & subjectione eximerent, eum Ismaëlitis prætereuntibus vendiderunt; hæcque venditio, per quam in Ægyptum deportatus fuit, causa extitit, ut licet ipsi ei miserabilis cujusdam servitutis foveam præparassent, gloriosus tamen inde subsecutus fuerit eventus, siquidem à Rege Ægypti ad thronum usque Regium successu temporis evectum, fratres ipsius, qui, ne ipsi subjicerentur, eum vendiderant, tandem tamquam Vice-Regem adorarunt, & post aliquot sæcula tota illorum progenies in Ægyptiacam redacta fuit miserabilem servitutem. Verum enimvero in hac Josephi venditione observanda est mirabilis quædam circumstantia; dicit enim sacer textus: *Sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaëlitas &c.* Ex quibus verbis patet, Josephum à fratribus suis, dum epularentur, venditum fuisse; ac proinde mirum non est, quod Deus illos postea per famem castigarit (nam *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:*) Post multos enim annos, cogente fame, in Ægyptum se recipere coacti sunt, ubi Josepho fratri suo fuere subjecti, ac tandem multo post tempore ibidem duro servitutis jugo fuerunt oppressi. De hac Josephi venditione scribens Rupertus Abbas, verba illa adducens Psalmistæ: *Et vocavit famem super terram, & omne frumentum panis contrivit,* in hæc verba scribit: *Hoc ergo ostendit, quia vocaturus esset famem super terram, durum utique carnificem, tristemque ministrum, cujus austeritate confringeret eos, qui comederant fratris sui pretium;* quibus ultimis verbis venerabilis hic author clarè insinuat fratres Josephi ex pecunia per venditionem Josephi comparata epulatos fuisse, interque se genialiter vixisse. Immediatè vero post prædicta verba idem Rupertus sequentes subjungit considerationes; *Numquid qui in servum vendiderant fratrem, & ipsi servi facti sunt? Et qui quasi in prædam subduxerant hominem, non & ipsi in prædam hominum ierant?* Hoc nempe *firmiter memoriæ commendandum est, quia justè in servitutem Ægyptiorum traducti sunt filij Israël, & alijs merito servierunt, quibus eorum scelere in servum venumdatus est Joseph.*

Gen. 37. v. 8. Fratres vendiderunt Joseph ne servirent ei, & servire debuerunt.

Ibid. v. 25.

Gen. 42.

Ps. 104. v. 16. Rupert. Abb. lib. 8. in Gen. 39. Pecunia venditionis epulati sint, ideo esurierunt.

Lapides Susannæ præparati occiderunt accusatores. Dan. 13.

3. *Per quæ peccat quis &c.* Duo illi seniores in Babylonia judices, videntes quod conceptam ex conspecta Susannæ pulchritudine carnalem concupiscentiam exsatiare non possent, amore in odium converso, eamdem mortis condemnarunt, sub lapidum imbre subeundæ, quo fine eamdem velut adulteram calumniabantur; at vero lapides, quos illi præparaverant, cum summa ipsorum infamia super ipsos ceciderunt; *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt, in laqueo isto, quem absconderant, comprehensus est pes eorum, Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Quæ verba aptissime sequens confirmat exemplum; Quidam namque avarus, foris in agro sub arbore quadam notabilem abscondit pecuniæ quantitatem, accidit vero, quod inops quidam, & in omnibus rebus suis infortunatus homo, post multa contracta debita, lictores fugiens, sibimet ipsi laqueum texeret, ad se suspendendum; cumque ad eamdem arborem, sub qua avarus suas defoderat pecunias, laqueum injicere pararet, videns terram ad radicem arboris recenter inversam, curiositate motus, priusquam se suspenderet, videre voluit, quidnam in eadem fossa recenter repleta absconditum delitesceret, ac tandem fodiendo, thesaurum illum ab avaro ibidem sepultum invenit, & sustulit, atque in locum pecuniæ laqueum deposuit: Post aliquod vero tempus avarus ad resumendam pecuniam suam reversus eamque sublatam esse videns, in tantam commotus est iracundiam, ut laqueo, quem pecuniæ loco in fossa invenit, sibimetipsi ad eamdem arborem vitam finiverit; numquid in hoc avaro perfecte adimpletum fuit illud Sapientis oraculum: *Per quæ peccat quis, &c.* Avaritia enim verus est Dæmonis laqueus, dicente Apostolo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli;* & hoc cupiditatis laqueo prædictus avarus, factus carnifex suiipsius, semetipsum interemit, quemadmodum & Judas fecerat; de quo Beda ita scribit: *Cui utique satis digno exitu mors ipsa successit; ut viscera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent, & vacuas evolverentur in auras; Cujus simillima pœnæ mors Arrium Hæresiarcham damnasse refertur, ut quia ille humanitatem Christi, iste divinitatem extinguere moliebatur; ambo sicut sensu inanes vixerant, sic quoque ventre vacui perirent.*

Ps. 9. v. 16.

Ibid. v. 17.

Notabilis Historia de avaro.

1. Tim. 6. v. 9.

Beda in c. 1. Act. Apost. Finis Arrij sicut Judæ proditoris.

4. *Per quæ quis peccat, &c.* Quod si Scripturas Sacras diligenter examinaveritis, invenietis utique, quod ab illo momento, quo Judæi idololatrarunt, licet ob id ingenti cum severitate à Moyse fuerint castigati, in progressu tamen sæculorum magis magisque facti fuerint sacrilegi, cultuique veri Dei rebelles; Undenam vero hoc malum in illos derivatum fuerit; S. Bruno Carthusianorum Patriarcha à Titelmanno in suis allegorijs citatus his verbis exponit: *Bibunt aurum idoli, quia idololatræ, & sacrilegi; sic enim hæc mortifera potio eorum viscera penetravit, ut vix aliquando ab idolorum cultura potuerint avelli.* Tametsi enim Moyses bovem illum aureum in minutissimum redegisset pulverem, hic tamen pulvis ab Hebræis potatus, adeo tenaciter ipsorum visceribus inhæsit, ut tempore Jeroboam duos alios similes boves aureos fuderint; Unde Oleaster inquit: *Si tempore Jeroboam vitulum in pulverem redactum suscitarunt, quid facerent, si ejus reliquias integras invenissent?*

Idololatria difficulter extirpatur.

5. *Per quæ peccat quis &c.* Saul ne vivus in manus deveniret inimicorum, sibimetipsi necem inferre voluit, quamvis id frustra tentarit, eo, quod armiger ejus eum occidere noluerit, donec tandem alius quidam miles superveniens, & Saulem semimortuum ex inflicto sibimetipsi lethifero vulnere cernens, eumdem occideret. Sed audiamus quidnam miles ille, qui Amalecita erat, hac de re Davidi enarret, dicit enim sacer textus eum hisce verbis fuisse Davidi locutum: *Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat super hastam suam. Porro currus & equites appropinquabant ei, & conversus post tergum suum, vidensque me, vocavit; cui cum respondissem, adsum; dixit mihi: Quisnam es tu? Et ajo ad eum: Amalecites ego sum; & locutus est mihi, sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est; Stansque super eum occidi illum.* Ubi quærendum venit, quo fine hic Rex in tam atrocibus doloribus positus, & mox coram divino tribunali præsentandus, in extremo vitæ suæ momento, curiosus fuerit sciendi natales, patriam, aliasque militis hujus qualitates, cum tamen ad inferendã ei necem aliud nihil requireretur, præterquam quod ictum lethalem inferret? sed respondetur, quod Saul, metuens neminem futurum, qui illum occidere auderet, mox ut eum Amalecitam esse audivit, spem firmam conceperit, ab illo se infallibiliter occidendum esse, quia à nemine alio hunc ictum mortalem majori cum justitia postulare poterat, quam ab Amalecita; quia enim Saul hunc populum contra Dei mandatum viventem reliquerat, sciebat que verum esse illud Sapientis effatum: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur,* mox ut hunc virum Amalecitam esse audivit; horam inobedientiæ suæ luendi pœnam jam adesse intellexit. Unde Salianus ita scribit: *Facile autem hic se Amalecitam prodit, quia Saul eos olim indulgentius tractaverat, magno suo malo, permisitque Dominus ab Amalecita interfici, qui Amalecitas Deo jubente penitus delere noluerat.*

2. Reg. 1. v. 6. Quare Saul desiderãs suicidium, perivit, quisnam es tu.

Salian. ibid.

6. *Per quæ peccat quis &c.* Lib. 2. Machabæorum cap. 5. de Jasone in hæc verba scribitur: *Principatum non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, ... fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum, & execrabilis, ut patriæ, & civium hostis in Ægyptum extrusus est, Et qui multos de patria sua expulerat, peregre perijt, ... Et qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans.*

2. Machab. 5. v. 7. & 8. Jason peregrè perijt, quia multos expulit ex Patriâ. Ibid. v. 9. & 10.

7. *Per quæ peccat quis &c.* Nadab & Abiud filij Aaronis, summi Sacerdotis, postquam ministerium suum, offerendo in thuribulis suis incensum, plenè exercuissent, igne cœlitus dilapso concremati sunt, ait enim, sacer textus: *Posuerunt ignem & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressusque ignis à Domino, devoravit eos;* Deus illos per ignem castigavit, quia per adhibitum ignem profanum peccaverant. Unde Chrysologus ait: *Dum contaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio, ut sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum illis suscitarat ebrietas, nam vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammam provocarat altaris, unde quia alienati vino, alienum portaverant ignem, mox divino igne referuntur extincti.*

Levit. 10. 1. Filij Aaron per ignem peccarunt & per ignem perierunt. D. Chrys. ser. 26.

8. *Per quæ peccat quis &c.* Lyranus in caput ultimum quarti libri Regum scribens, observat, quod cum Nabuchodonosor cadaver Regis Joachim in campum super sterquilinium projici fecisset; (ut hac ratione illud de ipso prolatum Jeremiæ vaticinium verificaretur, scilicet, *Sepultura asini sepelietur.*) postea filius ejus in Babylonica servitute positus, sed ab Elvimerodach filio Nabuchodonosoris à servitute liberatus, & super omnes Principes exaltatus fuerit, tandem vero hoc Rege persuadente, & instigante, Elvimerodach cadaver Nabuchodonosoris patris sui minutim discerpserit, metuensque ne resuscitaretur, carnes hoc modo concisas, varijs avibus rapacibus; quarum numerus ad trecentas ascendebat, manducandas projecerit, varijsque in locis disperserit, conversusque ad Joachim eidem dixerit: *Tunc Nabuchodonosor pater meus resurget, quando aves illæ inter se fuerint unitæ.*

Jerem. 22. 19. Filius Nabuchodonosoris Patris sui cadaver avibus distribuit.

8. *Per quæ peccat quis &c.* In libro 2. Paral. cap. 26. legitur: Quod Rex Ozias præter diadema Regium, mitram quoque sacerdotalem capiti suo imponere, officioque Pontificali sese ingerere præsumpserit: *Ingressus templum Domini, adolere voluit incensum super altare Thymiamatis, statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini, octoginta viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron; ... egredere de sanctuario: ... Iratus Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus: Statimque orta est lepra in fronte ejus, coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare Thymiamatis. ... Perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias leprosus usque ad diem mortis suæ.* Ubi quærendum venit, cur lepra illa potius in fronte Oziæ, quam in manibus, quibuscum thuribulum portaverat, vel in alia corporis parte apparuerit?

2. Paral. 26. v. 16. Rex Ozias volens sacrificare percussus est Leprâ in fronte.

Quare Ozias fuit punitus in fronte & non alibi.

Nimirum: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:* Frons enim fedes est superbiæ, fastus & imprudentiæ, ob quam Ozias lepra percutiebatur, ipse enim non obstante summi Pontificis, omniumque aliorum Sacerdotum admonitione, non solum in sacrilega sua præsumptione obstinatior reddebatur, verum insuper Sacerdotibus, minas intentabat; facer autem

Galfrid. apud Godofrid. in Isa. 6.

textus paulo ante dixerat: *Cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* Ubi facer quidam Interpres ita scribit: *Pro præsumptione frontosa, in fronte percussus est lepra.* Deus quoque huic Regi tale immisit supplicium; quod proprium esse solet personarum abjectarum & vilium, ut tanto magis humiliaret ejus superbiam. Porro id, quod huic Oziæ contigit, supplicium in memoriam mihi revocat historiam à Nicephoro relatam, huic nostro proposito mirè deservientem. Cum enim Leo quartus hujus nominis Imperator Constantinopoli in Ecclesia Sanctæ Sophiæ pulcherrimam quamdam valdeque divitem vidisset coronam, gemmis elegantissime adornatam, quæ illi Basilicæ à Mauritio Imperatore dono data fuerat; inter alias vero immensi valoris gemmas, carbunculus quidam erat extraordinariæ magnitudinis; cum vero prædictus Leo præfatam coronam sustulisset, mox expertus fuit in se adimperi propheticum illud oraculum: *In verticem ipsius iniquitas ejus descendet;*

Nicoph. lib. 18. cap. 42.

Vix enim dictum diadema capiti suo imposuerat, ecce acerbissimi illum adoriuntur dolores, siquidem in capite apostemate quodam percussus erat, eo præcipue in loco, quem corona capiti imposita circumdederat, quod Medici carbonem appellare, solent, ut ex hoc clarè verissimum esse cognosceretur illud Sapientis: *Per quæ quis peccat, &c.* In præcedentibus discursibus mentionem fecimus pœnæ illius, quæ divina justitia Absalonis contra patrem rebellionem castigavit; circa quam hoc loco alia quædam mihi occurrit ponderatio. Superbus enim & elatus hic Princeps ad hoc semper aspiraverat, ut comas suas (quas, ut diximus, tanto in pretio habebat,) diademate Regio circumcingeret, eoque fine coronæ tam digni Regis, qualis David pater ejus erat, insidiabatur, populumque subditum contra patrem suscitabat, dirumque contra illum bellum movebat, sperans patrem suum in eo occidendum; at verò quid tandem ei evenit? *Per quæ peccat quis &c.* Deus enim justus Judex disposuit, ut comæ ejus ab alijs caperentur comis. id est, à frondibus quernis; unde Chrysostomus

Repetitur Absalon capillis suis suspensus.

D. Chrys. in Ps. 3.

ait: *Coma à coma tenebatur, & coma tenebat comæ tyrannum, illuc eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat. Caput detinebatur, qui genitoris caput auferre moliebatur, & tamquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat scindere, & in corde jaculo fossus est, illic occisus, ubi eadem parabat.*

Baron. An. 791. num. 2.

10. Baronius circa annum 791. refert, quod cum sub Imperio Constantini Solius Imperatoris collecti essent ordines militares, ut Nicephorum filium Copronymi, & Constantini regnantis Imperatoris patruum in Imperatorem eligerent, Constantinus Imperator hanc conjurationem percepta Nicephoro oculos eruì, alijs vero quatuor fratribus linguam amputari jusserit. Notat vero Historicus, tantos crudelitatis actus mense Augusti, in die Sabbathi, sub horam nonam fuisse commissos, simulque notat, non in longum Dei justitiam hanc iniquam ultionem reliquisse inultam. Nam post quinquennium, eodem mense, & eodem die Sabbathi, orbatus est oculis à propria matre idem Constantinus. Huc quoque spectat sequens exemplum; nam novem illi ficarij, qui jussu Philippi Imperatoris Gordianum ejus in Imperio Collegam occiderunt, eodem ferro postea trucidarunt semetipsos.

Constantinus patruum suum privavit oculis & ipse suis à propriâ matre privatus fuit.

Baron. An. 240. n. 10.

DISCURSUS XXIII.

ARGUMENTUM.

Eadem doctrina, per alias rationes, & exempla probatur.

THEMA.

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

Peccatum est peccatoris tormentum.

AXioma istud, quod hactenus varijs argumentis indubitatum esse ostendimus, tanto efficitur certius, quanto unusquisque vitiosus in semetipso anxietates, inquietudines, remorsus, contradictiones, pugnas; cruciatus, vehementesque passiones, quibus ipsamet vitia illum transfigunt, experitur. Didacus Stella, magnus spiritualis vitæ Magister, prout opera ejus clare satis demonstrant, hunc ad propositum nostrum texit considerabilem discursum: *Ipsum peccatum, tormentum & supplicium gravissimum est peccatoris. Omnia peccatoris sunt doloris plena, nam si prosperà utitur fortunà, timore felicitatis suæ amittendæ jugiter conficitur. Si verò adversùm fortunam patitur, in dolore & mœrore assiduo vivens, interno quodam cruciatu, qui semper pungit, semperque excruciat miseram animam, nullo puncto, aut momento temporis quiescit. O infelicissimam miserrimamque vitam hominis! libidinibus suis servientis. Attende ejus importunitatem, nam si quis impius injuria ab aliquo afficitur, videre est, quamta insania domum se conferat, cibo, potuque abstineat, dormire, aut quiescere recuset, armatos amicos suos undequaque congregat, ut se ulciscatur.* Idem paulo post subjungit: *Quæro à luxurioso, quis sit major labor, servire castitati, an luxuriæ? Major est luxuriæ, nam ut gratum te faciæ mulieri illi, quam amas, bona tua impendis, honoris jacturam facis, amoris causa vigilijs, infirmitatibus corporis, aliisque laboribus innumeris affligeris, & non raro capitis discrimen subis.* Alvares idipsum de superbo exemplificat, hic enim à propria animi elatione pariter cruciatur, quod sequentibus Gregorij Magni verbis probat: *Superbis inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione.* Et paulo post ærumnas exponit, quæ avarum licet divitem continuo pungunt & agunt; ita enim scribit: *Peccatum avaritiæ corpus extenuat, quod ne marsupium evacuet, necessarijs alimentis, & indumentis privat; non solum alios, sed seipsum quoque bonorum participatione facit extorrem. Peccatum luxuriæ corpus exedit, & consumit, & fœtidum, & misse abilem senectutem affert. Peccatum invidiæ corpus tabefacit; peccatum gulæ corpus gravat, morbos generat, vitam abbreviat. Peccatum iræ corpus accendit, & quasi furijs exagitat, & ad similitudinem amentium efferatæ movet, de quo inquit Chrysostomus Hom. 20. ad pop. Quis torror ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela ita corpus perforarent? Peccatum acediæ ossa ipsa consumit, nam spiritus mœstis exsiccat ossa.* Martinus Delrius quoddam refert exemplum viri cujusdam, qui in vita sua illi fervierat idolo, de quo Sanctus Apostolus ait: *Quorum Deus venter est*, id est, qui nullius rei tantam habebat curam, quam ut delicatè manducaret, hic igitur à Deo castigatus est per immissam sibi tantam cibi inappetentiam, ut ne bolum quidem deglutire posset.

Tormenta fortunati.

Infortunati.

Vindicativi.

Luxuriosi.

Invidi.

Iracundi.

Avari.

Iterum ostenditur per septem peccata mortalia.

Did. Stell. in Luc. 16.

Mart. Delrius Adag. 444. Phil. 3. v. 19.

2. Didacus Stella super caput nonum Lucæ ita scribit: *Sunt quædam peccata, quæ crucem suam secum bajulant, non inquam Christi, nec boni latronis, sed durissimam mundi supplicium; ea sunt ambitio, odium, & invidia, quæ maxime vitia torquent cor, somnum & quietem auferunt, ac totum hominem inanibus curis, & sollicitudine obruunt. Si invidus es, omnia proximi bona erunt tibi tormenta; si odium geris, quidquid boni accidit illi, quem odisti, innumerum cruciatuum causa existit. Si ambitiosus, quoties alios evectos cernis, nimio dolore compressus, cogitabundus semper incidis, tecum revolvens cujusmodi dignitate à Rege, vel Papa, vel alio Principe decorari possis.* Verumtamen, quia de hoc puncto suo loco diffuse tractavimus, ad alias nunc consideraciones transeamus, quibus propositum Sapientis oraculum mire confirmabitur.

Did. Stell. in Luc. 9. Extensio præcedentium.

3. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, id est, ut Dionysius Carthusianus exponit, *per hæc, id est, per eadem vel similia torquetur, ut pœna correspondeat culpæ; Sicut Sodomitæ, qui per ardorem & fœtorem scelerat is simæ immunditiæ peccaverunt, per ardorem intensissimum, & fœtorem terrimum ignis sulphurei sunt puniti.* Alcuinus, Caroli Magni Præceptor, ex eo, quod ignis super Sodomitas contra naturam suam de cœlo deorsum descenderit, cum alias ex naturali sua indole cœlum versus elevetur, motivum accepit sequentis interrogationis instituendæ. *Quæritur, quare de cœlo vindicta data est super habitatores impios civitatum illarum?* Sacer textus ait: *Pluit ignem à Domino de cœlo.* Potuisset haud dubie efficere, ut terra in diversas aperiretur voragines, ignem & sulphur exhalantes, ut quid igitur à supernis illis cœlorum sphæris eumdem demittit? *Respondetur, quia clamor peccantium in cœlum ascendisse dicitur, idcirco de cœlo puniendi erant.* Aptius vero ad nostrum propositum respondet Chrysostom. inquiens: *Ignis eructans imbrem, manans flamma in flumen solvebatur; retributionem erroris sui in seipsis recipiebant; erat autem justa retributio ijs, qui naturæ subvertebant leges.*

D. Carth. ibi. Corruperant legem naturæ, ideo ignis contra naturam descendit super Sodomitas.

Alc. q. 150. in Gen. Gen. 19. 24.

4. *Per quæ quis peccat, &c.* In Parabola, vel ut alij volunt, in historia epulonis de eodem dicitur: *Sepultus est in inferno.* Erat enim non solum ad gulam

Luc. 16. 22. Quare speciosius epulo petit refrigerari linguam.

usque ignì infernali immersus, verum insuper ibidem totaliter sepultus, etiam, prout probabiliter creditur, quantum ad corpus, & tamen non conquerebatur de alio tormento, quam de vehementia ignis, qua lingua ejus cruciabatur. Unde huic soli postulabat refrigerium, Abrahami auxilium hisce verbis implorando: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Porro si ex me quæseris, cur atrociores in lingua senserit dolores, facilis ad hoc est responsio, nimirum, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Epulabatur quotidiè splendidè, in lingua autem residet sensus gustus; qui sapores discernit. Quod si vero dixeris, cur flammæ illius voracitatem in omnibus alijs quoque corporis partibus non senserit, cum tamen substantia ciborum pretiosorum & delicatorum per totum corpus diffundatur? Respondeo, quod insuper ex alio capite in lingua punitus fuerit, quia scilicet contumeliabatur Lazarum, cique verbis maledicis insultabat, Audiamus Sanctum Augustinum dicentem: *Ideo in lingua majorem sensit ardorem, quia per eam superbe loquendo contempserat pauperem, ipsa enim lingua, quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi donaretur, gravius gehennæ flamma exaritur.* Glossa interlinearis reflectens se ad hoc, quod dives ille epulabatur quotidie splendide, aliam assignat rationem; Valde enim verisimile est, quod inter epulas linguam suam laxaverit in verba obscœna, maledica, & ridicula. *In hoc nota*, inquit, *quia sicut mos est, etiam inter convivia loquacitati studuit.* Sanctus Bonaventura autem primum punctum tangit inquiens: *Hæc præcedit ad judicium, quæ præcessit ad peccatum, hæc prima degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos & odorifera pocula degustavit, secundùm illud: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Videmus per experientiam, quod in suppliciorum publicorum executione, justitia sæpe eisdem in locis exerceatur in reum, in quibus commisit delictum, & quidem sæpius justitia exercetur per eadem instrumenta, quibuscum scelus suum commisit.

Ratio prima.

S. Augustin. ser. 227. de Temp.

Secunda. Gloss. int.

S. Bonav. in Luc.

Tertia.

4. *Per quæ peccat quis, &c.* Dum Sanctus Zacharias Pater Præcursoris incensum in templo juxta ministerium suum offerret, apparuit ei Sanctus Gabriel, vicinam ei annuntians Baptistæ nativitatem; Verumtamen, quia Elisabeth post multos annorum circulos sterilis, & in ætate provecta constituta erat, interrogavit dicens: *Unde hoc sciam, ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi Evangelizare; & ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Ubi merito quæritur, cur Deus in occasione, tàm fœlicis nuntij, hujus seniculi lætitiam perturbari voluerit? Didacus Stella

Luc. 1. v. 18. S. Zacharias per linguam peccat, & in linguâ punitur.

Did. Stell. ib.

respondet, *per ea, quibus quis peccat, punitur. Quia non obedierat, factus est surdus, & quia contradixerat, damnatur, ut teneat silentium.*

Joan. 21. 4.

6. *Per quæ peccat quis &c.* Apostoli post Christi resurrectionem adeo hallucinabantur, ut eum minime cognoscerent; *Non cognoverant discipuli, quia Jesus est.* Enimvero, quod hæc sensuum & intellectus offuscatio in alijs Apostolis fuerit, non adeo admirandum esse censeo. At vero qua ratione possibile est, quod Petrus in hac occasione humanitatem Christi non agnoverit, tametsi per resurrectionem glorificata fuerit, siquidem Petrus per divinam revelationem divinam ejus essentiam mundo manifestarat, & contestatam fecerat? S. Joannes solus fuit, qui Christi personam detexit, eidem acclamando: *Dominus est*, id quod Divo Chrysologo motivum exhibuit interrogandi & dicendi: *Quæ res illam Petri fic tardaverat, meniem, ut ab alto audiret Dominum, qui cæteris consueverat nuntiare? Ubi est illud ipsius singulare: Tu es Christus Filius Dei vivi? Ubi est? In domo aufugerat Caiphæ Principis Judæorum, tardius suum Dominum videbat, qui vocem facile ancillæ fustarantis audivit.* Timore perculsus, non semel, sed sæpius cum perjurio se Christum non agnoscere affirmaverat, ac proinde licet suam negationem planxisset, Deus tamen illam impunitam manere noluit, sed fecit, ut in pœnam negationis, eum non agnosceret, ut hac ratione impleretur illud Sapientis: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Simile quoddam suppliciam ipse Simoni Mago intulit, prout ex homilia quadam Sanct. Maximi *de S. Apostolis, Petro & Paulo*, deducitur, in qua hæc verba habentur: *Inter cætera mirabilia, magnum illum Simonem orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostravit, cum enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam filium ad patrem asseveret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cæpisset, tunc Petrus flexis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem, prior enim ascendit ad Dominum oratio, quam volatus, & ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio. Tunc Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre depositit, & quodam præcipitio in saxo allidens ejus crura confregit, & hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, ambulare non posset, & qui pennas assumperat, plantas amitteret.*

S. Maxim. hom. 5. de SS. Apost. Pet. Paulo. Simon Magus volens volare perdidit incessum.

7. *Per quæ peccat quis, &c.* Aristobulus fratri suo Antigono mortem quidem intulit, hujus tamen fratricidij gravem pœnam luere debuit, cum enim, ut Josephus Hebræus narrat, atrocissimis cruciaretur doloribus, in eodem loco, ubi sanguinem fratris sui impiè effuderat, sanguinem suum copiosissime evomuit, unde Dei circa se justitiam agnoscens, exclamavit inquiens: *Ergo non latet Deum meum impium, & sceleratum facta, quando tam cito reposcor ad pœnam cognati sanguinis;* proprioque ore se vita prolixiore indignum esse confitens, impiam exhalavit animam. Plutarchus in libro *apophthegmatum Regum & Imperatorum* refert de Brasidæ, quod cum ab inimico jaculo trajectus fuisset, illud è vulnere erutum, ad percutiendum adversarium adhibuerit, quem etiam lethaliter vulneravit, sicque adimpletum fuit in ipso Davidicum illud oraculum: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Enimvero antiqua in Scripturis sacris est veritas, quod *quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Unde ipsemet Redemptor noster, in nocte passionis suæ, utilissimum illud nobis reliquit documentum: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Apud Isaiam quoque dicitur: *Væ! qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne & ipse sperneris?* In Habacuc quoque legitur: *Væ ei! qui multiplicat non suas, usquequo & aggravat contra se densum lutum? Numquid non repente consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur luctantes te, & eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis.* Hugo Cardinalis super illa verba Sapientiæ: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, ita scribit: *Sæpe instrumento suæ offensionis puniantur peccatores.* Hisce nostris diebus à Principe quodam, per ingentem pecuniæ summam conductus fuit quidam sicarius, ut sclopetum suum in quemdam magni nominis nobilem exoneraret, hoc autem sclopetum eo modo factum erat, ut dupliciter sese exoneraret, adeo ut globorum unus peteret personam, versus quam explodebatur, alter vero globus ipsummet peteret sicarium, ut ipso hac ratione subito occiso, in manus justitiæ publicæ tradi, ipseque subornator sicarij manifestari non posset. Referunt annales Ecclesiastici, quod Hunni in Scythas frequentius excurrentes, à Sancto Theotimo Episcopo ingenti cum liberalitate recepti fuerint, siquidem lauto eosdem pascebat convivio, varijsque muneribus donatos à se dimittebat; unde unus illorum Episcopum hunc valde divitem esse credens, laqueum præparatum, scuto suo alligavit, ad eum modum, quo contra inimicos suos procedens, facere solebat, cum vero S. viro Dei colloquens, brachium elevaret, ad injiciendum collo ejus laqueum, impius ille immobilis remansit, quem servus Dei, postquam sicarius miraculum agnoscens, compunctus fuit, preces suas ad Deum fundendo, in pristinum denuo statum restituit.

Similis punitio in fratricidio.

Joseph Hebr. Lib. 13. Antiq. c. 19.

Plutarch. ibi. Vulneratus extractum telum in vulnerantem retorsit lethaliter.

Ps. 36. v. 15. Gen. 9. v. 6.

Matt. 26. 52. Isa. 33. v. 2. Habac. 2. 6?

Hug. Card. in Sap. 11. Maxima furia vindictæ.

Miraculum.

8. In ijsdem Annalibus infelicissimus ille narratur finis, quem filia Herodiadis habuit; hæc enim, quia in præmium saltationis suæ, recisum Joannis Baptistæ caput in disco sibi dari ab Herode petijt, divina justitia disponente, hyberno tempore flumen quoddam congelatum transire connitens, rupta glacie ad collum usque submersa, capite intra glaciem intercepto, reliquo corpore, ad eum fere modum agitavit, quemadmodum saltando facere solebat, idque facere continuavit, donec caput à corpore per glaciem recisum, in superficie glaciei publico spectaculo maneret expositum.

Baron. An. 33. n. 6. Mors filiæ Herodiadis.

Turſellin. lib. 6. Comp. Hiſtorial.
Rex iniquè occidens, mortuus eſt deſperatus.

9. *In compendio hiſtoriarum mundi* Turſellinus iniquam refert mortem, a Theodorico Rege, Symmacho, viro Conſulari, illatam, eo quod Rex illum ſibi tamquam miniſtrum minimè fidelem fuiſſe ſuſpicatus fuerat, quando eumdem ad Juſtinum Imperatorem ablegaverat; At vero vindex Dei ira contra ipſum nequaquam tardavit, aut ambigua ſtetit. Cum enim prædictus Rex impius cœnaret, menſæque magni alicujus piſcis caput inferretur, viſum eſt oculis & imaginationi ſuæ, ac ſi caput iſtud caput eſſet decollati Symmachi, illudque ſibi vicinam comminaretur mortem, ex quo ſpectaculo omnino perterritus, præcipitem ſuam accuſando crudelitatem mortuus eſt deſperatus.

Baron. An. 399. n. 8.
Arcadius iniquè ſuſtulit immunitatem Eccleſiæ, eadem ipſemet privatus.

10. Celebre eſt illud, quod annales Eccleſiaſtici de Eutropio, Eunucho, magno & confidenti Imperatoris amico referunt. Hic enim procurarat, ut Arcadius iniquam quamdam adverſus Eccleſiæ immunitatem promulgaret legem, ſcilicet, quod nullus reus in nullo ſe loco ſacro ſalvare poſſet; in cujus executionē multos fecit capi reos, qui ad Eccleſiam ſalutis ſervandæ cauſa confugerant; ſed *cognoſcetur Dominus judicia faciens*; Diſpoſuit enim Deus juſto ſuo judicio; ut cum maxima illa adverſus Imperatorem excitaretur tempeſtas, armis Gainæ prævalentibus, Arcadius coactus fuerit, ut primo loco in ejus manus Eunuchum juratum inimicum ſuum conſignaret; qui cum videret, nullum ſibi aliud ſupereſſe refugium, in Eccleſia ſe ſalvare contendit, ubi per eloquentiam & authoritatem Chryſoſtomi protectus fuit; Deo tamen omnia ita diſponente, ut in eumdem allideret ſcopulum, quem ad lapſum aliorum procurandum in viam conjecerat; S. enim Chryſoſtomus eousque laboraverat, donec tandem ſuſpenſa mortis in eum pronuntiata ſententia ſuum in Cypri inſula cogeretur ſubire exilium. Optimè igitur Sapiens ait: *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum, & qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet.*

Prov. 26. v. 27.

Chacondylas lib. 3.
Captivus ſuperbè contra ſeipſum fert ſententiam.

11. Refert Hiſtoricus quidam, quod cum Tamerlanes Tartarorum Imperator, Bajazethem, Turcarum Regem, in bello accepiſſet captivum, illum ad ſe accerſitum, in magnifico quodam throno juxta latus ſuum ſedere juſſerit, eumque quidnam, in caſu, quo à Tamerlane captus fuiſſet, facere ſtatuiſſet, interrogarit, qui temerarie reſpondit: *Ratum mihi erat, te mittere in caveam ferream, & cum ludibrio per loca omnia circumducere, atque ad conſcendendum equum, dorſo tuo, quaſi ſcabello uti.* Quo audito, Tamerlanes dixit ei: *Ex ore tuo judico te, idem plane ſuperbia, crudelitasque tua ſentiet, quod mihi deſtinaverat.*

Prat. flor. p. 2. c. 3.
Punitio avari.

12. In Prato florido ſcribitur, quod cum avarus quidam, quamdiu vixerat, impius in pauperes exiſtens, ne clamores & neceſſitates illorum audiret, quando eleemoſynas depoſcebant, aures ſuas utraque manu obturare conſueviſſet; acciderit, quod cum à Clero poſt mortem ejus miſſa decantaretur, obſervatum fuerit, quod ad illa verba: *Requiem æternam dona ei Domine, &c.* Crucifixus ſolutis ultro à cruce manibus aures quoque ſuas obturarit, in eademque poſitura deinceps ſemper manſerit.

DISCURSUS XXIV.

ARGUMENTUM.

Per exemplum decem plagarum, quibus Deus percuſſit Ægyptum, veriſſimum eſſe probatur illud Sapientis: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

THEMA.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

Ægyptij colentes beſtias, à beſtijs vexati fuerunt. Sap. 11. 16.

1. INitio equidem obſervandum, qua occaſione hæc propoſitio, ſeu potius hoc à Spiritu Sancto in libro Sapientiæ dictatum, bonoque publico promovendo, impiiſque coërcendis maxime proficuum oraculum cœlitus fuerit revelatum; tunc nimirum, quando Sapiens de plagis, quas divina juſtitia ſuper Ægyptum, & ſuper Pharaonem, qui mundanos, impios, & obſtinatos peccatores præfigurabant, immiſit, tractare cœpit. Sacer enim textus de ſuperſtitionibus, & ſacrilego Ægyptiorum cultu prius differens, inquit: *Pro cogitationibus inſenſatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſupervacuas*; poſtea immediate ſubjungit: *Immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, Ut ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* At vero dicet fortaſſe quiſpiam, cur Deus noſter qui in ſacris literis *Deus exercituum* appellatur, quique, ut Pſalmiſta ait; *Reſpicit terram, & facit eam tremere*, cur, inquam, ille ad debellandum hoſce inimicos rebelles, ſuique nominis ac populi ſui immanes perſecutores, Ægyptios inquam, animalium adeo vilium & abjectorum opera uſus fuit? Nam ut idem Sapiens ait: *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis multitudinem urſorum aut audaces leones, Aut novi generis ira plenas ignotas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes.* Reſpondeo igitur, Deum potius ſe facturum cenſuiſſe, ſi ad illos multis plagis flagellandos (ubi paulo poſt dicemus,) minuta illa animalia adhiberet, ut intelligerent; quia *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Unde Rupertus Abbas ait: *Ecce quales inſtruxit acies, quibus ex ordinibus ſua caſtra complevit Dominus, pugnando pro Iſraël; ranæ, cyniphes, muſcæ, atque locuſtæ, fuerunt caſtrorum ejus acies, & ex hujuſmodi cohortibus, totas contra fortes Ægyptios compoſuit legiones.* Singuli milites ſecundùm ſe, breves quidem, & infirmi, verum pro exercitibus Pharaonis ſatis valentes fuêre, duce imperio Dei. Et vero Deus varia hæc animalia nociva elegit, non ſolum ad Ægyptum, in pœnam injuriarum populo ſuo irrogatarum, caſtigandam, verum etiam ad vindicandam contumeliam, quam mediantibus tot animalibus, divinus ejus paſſus fuerat cultus, ſacrilegi enim Ægyptij multis animalium illorum cultum latreuticum exhibebant. Dionyſius Carthuſianus exponens verba illa Sapientiæ: *Pro cogitationibus autē inſenſatis &c.* inquit: *Id eſt, per inſipientiſſimas Ægyptiorum cogitationes, quibus ſenſerunt cultum latriæ creaturis exhibendum, permiſſi ſunt ad graviſſima corruere, atque in ſuis obdurari exceſſibus, ut ſcirent, & ex qualitate pœnarum ſuarum adverterent, quia per quæ peccat quis, per hæc, id eſt, per eadem, vel ſimilia torquetur.* Poterat quidem Deus etiam ſine minutis hiſce animalculis condignam de Ægyptijs, inimicis ſuis, ſumere vindictam, per ſpiritum virtutis ſuæ; verumtamen omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit, ut omnes videntes Ægyptiorum flagella & plagas, viderent quoque relationem, & correſpondentiam, quæ intercedebat inter haſce, & Ægyptiorum iniquitates, quibus electum populum ſuum moleſtarant; nam ut Abulenſis ait: *Quia Ægyptij peccaverant male utendo Dei creaturis, ita in ipſis creaturis puniti ſunt, ut per quæ quis peccat, in ipſis & torqueatur; & ſicut creaturæ Deo nobis propitio ad ſerviendum, & proficiendum ſubordinantur; Ita eodem nobis irato contra nos armantur.*

Ibid.
Ibid. v. 17.
Pſ. 103. 32.
Sap. 11. 18.
Ibid. v. 19.
Cur Deus contra Ægyptios voluerit uti vilibus animalibus.
Rup. Abb. lib. 1. in Exod. c. 38.
Sap. 11.
D. Carth. ib.
Quia illa latreuticè adoraverant.
Abul. c. 7. in Exod.

Voluit Pharao Hebræum perire ſubmerſione, & ipſe ſubmerſus fuit.

2. *Per quæ peccat quis, &c.* Cùm Pharao univerſum populum Hebræum è regno ſuo extirpare moliretur, omnes hujus progeniei natos maſculos in aquis Nili ſubmergi præcepit; hocque mandatum cum incredibili barbarie & inhumanitate executum fuit; at vero infallibilis Dei providentia, quæ juſto ſuo judicio ita ſemper diſponit omnia, ut *per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur*, omnino oppoſitum ordinavit, ſcilicet: Ut omnes Ægyptij in magno numero per flagella divina diſſiparentur, ac demum in fine ingens eorum multitudo ſubmergeretur in mari rubro. Verum enimvero, ut veritas propoſiti oraculi tanto evidentius clareſceret, voluit, ut Moyſes Hebræus infantulus, eodem modo, quo alij infantes, Nilo impoſitus, oculos & affectum filiæ Pharaonis ſibi attraheret, iſque per quadraginta annorum ſpatium, tamquam ſtirpis Regis filius, in aula Regia Pharaonis enutriretur, hacque ratione ab iiſdem aquis, quas Pharao in Hebræorum deſolationem deſtinaverat, illæſus extractus fuit ille, qui eoſdem Hebræos à Pharaonis tyrannide liberaturus, & univerſum Ægyptum in deſolationem acturus erat. Lippomannus hac de re in hæc verba ſcribit: *Quem Rex pater perſequitur ad mortem, illum Deus per filiam nutriendam deſtinat. Sic ſolent ſtudia impiorum, velint, nolint converti, contra quam intendant. Ut rumpantur ubi ilia Pharao, tu in tua aula nutrire & educare cogeris eum, qui ſalvaturus eſt eos, quos tu perſequeris, & te digna morte puniturus; dum in peccatorum abyſſum perveniens, ſatis Deum irritaveris.* Ponderatio eſt S. Auguſtini

Lippom. in Cat. Exod.
Moyſes ſervatus fuit contra Pharaonem.

S. Aug. in Cat.

dicentis: *Cum paſſim parvulorum corpuſcula deſicerentur in flumine, Moyſen manus excepit humana, quem pro totius vindictæ cauſa quærebant. Novum miraculum genus fecit miſericordiæ filia parricidæ. Dignum malitiæ ejus, & ſceleris erat, ut filiæ proviſione periret, qui genetrices interdixerat parturire. Competens proceſſit divina vindicta, ut ſuis affectibus puniretur, & Moyſes pro alijs erueretur.*

Ægyptij Hebræos flagellis percuſſerant, & virga Moyſis percuſſi fuerunt.
Exod. 7. v. 17.
Ibid. v. 18.
Philo Hebr. l. 1. de vit. Moyſ.
Procop. ibid.
Verſa eſt aqua in ſanguinem, quia puerorum ſanguine tincta erat.
S. Aug. l. 1. c. 8 de mirab. S. Script.
Orig. in Cat.

3. *Per quæ peccat quis, &c.* Inſtrumentum per quod Moyſes tot regnum illud percutiendo, patravit portenta, virga quædam fuit, quam Moyſes manu ſua portabat; bene autem per virgam caſtigatur; qui Iſraëlitas veluti ſervos, & mancipia ſæpius per virgas crudeliter percuſſerant. Porro Moyſes ante faciem Regis obſtinati ſe ſiſtens, eidem ex parte Dei dixit: *Hæc dicit Dominus, in hoc ſcies, quod ſim Dominus, ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem; Piſces quoque, qui ſunt in fluvio, morientur.* Philo hujus flagelli ſequentem aſſignat rationem: *Ut peccato pœna reſpondeat, ab aqua fuit initium, hanc, quoniam honorant Ægyptij præ cæteris, tamquam rerum omnium primam adhibuit Deus ad terrendos, caſtigandoſque noxios.* Procopius eamdem quoque indicat cauſam dicens: *Maximis, & divinis honoribus coluerunt aquam, proinde aquæ primo affliguntur, ut diſcant quàm vanæ rei ſerviant.* Alia ratio, quæ inter ſacros Interpretes communior eſt, hæc eſſe poteſt, quia videlicet Ægyptij tantum infantum Hebræorum ſanguinem in aquas illas effuderant. Unde S. Auguſtinus inquit: *Hæc primitus vindicta Ægyptijs cum Rege ſuo convenienter evenerat, ut qui Dei populi infantes, in flumen jactare præceperat, ejuſmodi fluminis aqua in ſanguinem verſa, exitium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam præſtaret.* Origenes ante omnes alios hac de re ita ſcribit: *Quod aquæ fluminis convertantur in ſanguinem, ſatis convenienter aptatur, ut is fluvius, cui Hebræorum parvulos crudeli nece tradiderant, authoribus ſceleris poculum ſanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculaverant, potando ſentirent.*

Exod. 8. v. 6.
Quare Deus punivit Ægyptios ranis.
Ibid. v. 3.
Luc. 6. v. 38.
Abul. ibid.
Ranarum moleſtiæ.
Lyran. ibid.
Abul. ibid.
Ut de aquis puerorum mortem exclamarent.
Novar. ibid.

4. *Per quæ peccat quis, &c.* Sacer textus aliam Ægypti plagam commemorans ait: *Extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* Et vero quam aſpera hæc plaga fuerit, ex verbis antecedentibus ſatis colligitur; *aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & ſuper ſtratum tuum, & in reliquias ciborum tuorum.* At vero inquies forſitan; ex quo Deus illos ſeveriſſime caſtigare intendebat, cur non potius generari fecit ingentem quantitatem bufonum, viperarum, aſpidum, vel aliorum ſimilium ſerpentum aſpectu horribilium, ſuoque veneno perniciotiorum? Reſpondeo, divinam juſtitiam voluiſſe, ut adimpleretur illud: *Eadem quippe menſura, qua menſi eſtis, remetietur & vobis.* Enimvero tametſi ranæ dentes ad mordendū non habeant, attamen abominabiles omnibus exiſtunt; & *ideo ſatis magna plaga erat*, inquit Abulenſis, *quia quædam iſtarum erant peſtifero veneno afficientes, aliæ ita erant magnæ, & horribiles, & in tanta numeroſitate, quod nullo modo permittebant quietem Ægyptiorum, nam cum comedere vellent; ſaliebant ſuper cibos, & tabe ſua fluida univerſa fœdabant; intrabant etiam vaſa, in quibus fiebant pulmentorum decoctiones, ſic etiam lectos.* Porro quo fine Deus Ægyptios hoc flagello afflixerit, declarat Lyranus inquiens: *Iſta plaga correſpondet culpæ, quia pueri mergebantur, ut cum minori tumultu, & ſtrepitu extinguerentur, propter quod, juſto Dei judicio, inde exierunt ranæ in maxima multitudine eos infeſtantes ſua importunitate.* Abulenſis ſimiliter ita ſcribit: *Sicut Ægyptij volebant occidere pueros in aqua, ut ſecurius, & ſine majori clamore occiderent, ita Deus de flumine loquaces ranas exire coegit, ut quaſi puerorum mortem exclamarent, & vindicarent.* Author quidam eruditus obſervat, ranas eodem modo ambulare, quo infantes in ætate infantili ambulare ſolent: *Infantes*, inquit, *cum gradiuntur, imitantur quodammodo ranas, ſimilemque vocem edunt.* Novarinus hanc habet ponderationem: *Qui infantium ſpreverant vagitus, & parentum ululatibus qui aures occluſerant, merito ranarum ſtrepitu puniuntur.*

Exod. 8. v. 17.
Abul. ibid.
Philo in Cat. Lippom. ibid.
D. Carth. ib.
Abul. ibid.
Quia Ægyptij vexaverant Hebræos in luto.

5. *Per quæ peccat quis, &c. Extendit Aaron manum, virgam tenens, percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt cyniphes in hominibus, & in jumentis; Omnis pulvis terræ verſus eſt in cyniphes, per totam terram Ægypti*; vocantur autem cyniphes muſcæ minutiſſimæ, inquit Abulenſis, *ita ut viſum cernentis effugiant, quæ acutiſſimis ſtimulis carnem terebrant, atque cruciant.* Philo Hebræus à Lippomanno citatus, inquit: *Ea beſtiola, tametſi exigua admodum ſit, infeſtiſſima tamen ſolet eſſe.* Idem author Catenæ ſupplicij hujus declarat myſterium, dicens: *Infligitur hæc plaga ex terræ elemento; aptè quidem, Iſraël enim ex operibus terrenis luti & lateris afflixerat, ut per quæ peccaverat, per eadem puniretur*, Dionyſius Carthuſianus inquit: *Hæ plagæ, quibus affligebantur Ægyptij ab iſtis cyniphum & diverſarum muſcarum punctionibus, inquietudinibus, tædioſiſque ſonis, correſpondent impietatibus Ægyptiorum, quas exercuerunt in Hebræos, impellendo, trudendo, pungendo, & cum cachinno ſubſannando.* Abulenſis ſimilem adfert rationem inquiens: *Correſpondet iſta plaga culpæ Ægyptiorum, qua oppreſſerant gentem Hebræorum in duris operibus terræ & luti, & cunctis mercibus, de quo ſupra capite primo.*

Exod. 9. v. 2.
Abul. ibid.
Origo peſtis.
Illi puniuntur, quia Hebræorum animalia occiderant nimis onerando.

6. *Per quæ peccat quis, &c.* Deus inſuper Ægyptum alia plaga ſcilicet peſtilentia caſtigavit: *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boves, & oves, peſtis valde gravis.* Abulenſis de hac peſte ita ſcribit: *Ita peſtis fuit quædam corruptio, voluntate divina cadens in agros, & animalia, non ex aliqua naturali cauſa, & hoc quia Deus dixit: Manus mea, quaſi dicat, ego faciam hoc ſpecialiter, & non ex aliquo naturali incentivo. Alio modo dici poteſt, quod iſta peſtis fuerit corruptio aëris lædentis agros ſolos, & hoc fuit ſupernaturaliter; deinde omnia animalia, quæ ex herbis paſcebantur, naturaliter tabefacta, & mortua ſunt, tamquam aſſumentia cibum indebitum.* Idem author proportionem, quam hæc pœna ad culpam habet, ſequentibus verbis declarat: *De hac plaga dicendum, quod evenit Ægyptijs, ſecundùm correſpondentiam pœnæ, quam ipſi infligebant Hebræis, quia non ſolum eos puniebant, ſed etiam eorum animalia enecabant, dura & importabilia onera imponendo.* Quam eamdem cauſam pariter tetigit Dionyſius Carthuſianus.

Exod. 9. v. 8.
Ib. v. 9. & 10.
Cauſantur ulcera veſicæ mediante cinere.
D. Carth. ib.
Oleaſt. ib.
Dion. Carth. ibid.
Quia coquendo lateres vexaverunt Hebræos.

7. *Per quæ peccat quis, &c.* Enimvero, quia Pharao per hæc flagella nihil fiebat melior, ſed magis in dies indurabatur; ideo Deus Ægyptijs etiam quamdam plagam ulcerum immiſit, *Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone, Sitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti: ... Tuleruntque cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cœlum, factaque ſunt ulcera veſicarum turgentium in hominibus, & jumentis.* Dionyſius Carthuſianus circa hanc plagam interrogat: *Cur eſt ſumptus cinis de camino? Dici poteſt, quod plaga iſta correſpondebat iniquitati Ægyptiorum, qua oppreſſerunt filios Iſraël, imponendo eis decoctionem laterum in fornace ardente.* Oleaſter eamdem faciens reflexionem inquit: *Laborare fecerant Ægyptij filios Iſraël in decoquendis lateribus in fornace, nunc vero favilla fornacis diſcrutiantur.* Porro qualis hic fuerit cruciatus, Carthuſianus in hæc verba expreſſit: *In veſicis Ægyptiorum fuit interior læſio, ſcilicet calefactio pungens. Ex qua primo ulcera naſcebantur, deinde ruptis veſicis facta ſunt vulnera in eiſdem. Et hoc juſto Dei judicio, quia in filijs Iſraël ex magnitudine oppreſſionum, dolorum, laborum, anguſtiarumque, fuit multiplex læſio viſcerum interiorum ex perſecutione Ægyptiorum.*

Exod. 9. v. 23.
Vexantur tempeſtatibus.
Ibid. v. 24.
Ibid. v. 26.
D. Carth. in Exod. 8.
Quia injuſte coegerant Hebræos agriculturam.

8. *Per quæ peccat quis &c. Extendit Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram, pluitque Dominus grandinem ſuper terram; Et grando & ignis miſta pariter ferebantur, tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in univerſa terra Ægypti. ... Cunctam herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit. Tantum in terram Geſſen, ubi erant filij Iſraël, grando non cecidit.* Dionyſius Carthuſianus ſuper caput octavum Exodi hac de re ita ſcribit: *Juſtiſſimè autem per tot & tantas plagas afflixit omnipotens Pharaonem, & populum ejus, per plagas, inquam, ex terra, aqua, & aëre provenientes quia Ægyptij tam injuſtè, dire, & multipliciter afflixerunt Hebræos in elementis præfatis, in vilibus quoque operibus.* Et ideo flagellum hoc magnam cum demerito Ægyptiorum habuit relationem, quia ingenti cum tyrannide & crudelitate Hebræos cum ſudoribus, & laboribus indefeſſis agros ſuos arare & cultivare cogebant, nulla illis in retributionem reddita mercede. Dionyſius Carthuſianus hac de re ita

D. Carth. in Exod. 9.

ita scribit : *Hæc plaga partim erat ex aqua, quia grando & pluvia erant in ea, partim ex igne, quia ignis & grando commixtim ferebantur in aëre, partim quoque ex aëre propter tonitrua, quæ erant soni in aëre facti cum ingenti collisione; commotioneque aëris. Correspondet hæc plaga culpæ Ægyptiorum, qua Hebræos multipliciter afflixerunt in decoctione laterum, per aquam & ignis incendium, & in collectionibus palearum per terram & aërem.*

Alia interpretatio.

9. *Per quæ peccat quis &c. Extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum urentem, tota die illa & nocte, & mane facto, ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ; & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilque omnino vireas relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Ægypto.* Rupertus Abbas exterminium totius illius vasti regni à locustis factum his verbis considerat : *Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset; istæ phalanges locustarum strenua peregêre militia.* Dionysius Carthusianus de his animalibus in sensu spirituali ita scribit : *Recte accipiuntur simulatores, & callidi adulatores.* Hi enim fuerunt, qui cor Pharaonis indurarunt, persuadendo ei, plagas hasce naturales esse effectus, vel à magia & incantationibus provenire, non vero à vero Deo proficisci, qui populum suum ab illis angariatum & oppressum protegebat. Abulensis inquit : *Fuerunt locustæ in domibus in magna copia, ut ipsos Ægyptios aut morderent, aut impetu, ut assolent, percuterent, impetendo vultus eorum; & ut eos inquietos redderent, nec comedere sinerent, prolabentes super cibos, & omnia replentes, & deturpantes.* Erant enim hæ locustæ omnium injuriarum, insultuum, vilipendiorum, & gravaminum Hebræis tamquam vilissimis mancipijs illatorum vindices.

Exod. 10. 13. — Verberantur locustis quæ figurant Adulatores. — Rup. Abb. lib. 1. in Exod 38. — Dion. Carth. ibid. — Quia Ægyptij Pharaoni dicebant illas plagas naturaliter evenire. — Abul. ibid.

10. *Per quæ peccat quis, &c. Extendit Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat; ubicumque autem habitabant filij Israël, lux erat.* Erat porro hoc nonum flagellum, quo divina justitia Ægyptum percussit. Doctrina est Ruperti Abbatis dicentis : *Hæc tenebrarum terribilium densitas; recte Ægyptijs, secundùm nomen & meritum suum illata est, Ægyptij namque nomine dicuntur, & merito, quia videlicet invidia & odio filiorum Israel oculi eorum fuerant obtenebrati.* Et verò quænam dari potest miserabilior caligo & cæcitas, quam sit illa, quam Atheismus subinfert, quo Ægyptij laborabant, Deum aliquem esse minimè credentes? Pharao namque expresſè dixerat, *Nescio Dominum*; quia veri luminis expers erat, illius, inquam, lucis, de qua dicitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dionysius Carthusianus de hisce tenebris ita scribit : *Densissimarum harum plaga tenebrarum apertissime correspondet excæcationi Pharaonis internæ, & vitiosæ, qui post tot & tanta prodigia in sua mansit perfidia, atque malitia.* Denotabant pariter tenebræ illæ æternam Ægyptiorum reprobationem, juxta nuptiarum parabolam, in qua dicitur; *Ejicite eum in tenebras exteriores &c.* Unde S. Gregorius ita scribit : *Ibi quippe sub unius damnati specie, multitudo omnis exprimitur reproborum, cum voce veritatis dicitur : Ligatis manibus &c. Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte injecerunt, ut veritatis lumen nec credendo, nec bene operando sequerentur. Ex quibus ligatis pedibus ac manibus mitti præcipiuntur, quia nunc, dum tempus operandi, atque currendi est, habere manus & pedes liberos in bona actione noluerunt.*

Exod. 10. 21. — Rupert. Abb. ibid. c. 39. — Percussi sunt tenebris quia laborabant tenebris atheismi. — Exod. 5. v. 2. — Joan. 1. v. 9. — D. Carth. ib. — Matt. 25. 30. — S. Greg. l. 1. hom. 9. in Ezech.

11. *Per quæ peccat quis &c.* Ultima plaga mors fuit omnium primogenitorum Ægypti, etiam Regij hæredis, qui in regno ei successurus erat. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.* Author Catenæ hujus mortis hanc assignat rationem, *Regis tam impij primogenitus evadere non debebat, qui tot filios fidelium occidi jusserat. Æqua evadere non potuerunt infimæ conditionis homines, omnes enim pariter à planta pedis usque ad verticem conspiraverant in favorem tyranni in odium Israëlitarum.* Theodoretus pariter ita scribit: *Deus primogenita Ægyptiorum occidi voluit, propterea quod Israëlem populum, qui primogenitus Dei erat, nimis durè tractaverant.*

Exod. 11. 5. — Omnium primogeniti moriuntur. — Lippoman. ib. — Theodor. in Cat.

12. *Per quæ peccat quis &c.* In hujus axiomatis confirmationem observare quoque possumus, quod quia Ægyptij per tot annos ex laboribus & sudoribus Hebræorum sese locupletarunt, per retentas mercedes & stipendia, illis pro laboribus suis debita, ideo quoque castigati fuerint, videntes se spoliari omni opulenta & pretiosa supellectile, quam Hebræis mutuaverant, quamque præ nimia animi consternatione repostulare intermiserant eo quod unusquisque domi suæ ex filij primogeniti morte intimè affligebatur.

Spoliantur pretiosâ supellectile, quia labore Hebræorum acquisiverant.

DISCURSUS XXV.

ARGUMENTUM.

Confirmatur idem argumentum exemplo Hebræorum Christum persequentium, qui per eadem media à Deo puniti sunt, quibus Christum cruciarunt.

THEMA.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 17.

1. Cum in præcedenti discursu hanc Sapientis sententiam in Ægyptijs, propter Hebræorum oppressionem, à divina justitia castigatis adimpletam fuisse probaverimus, superest nunc, ut in summam Hebræorum ignominiam, aliud quoddam punctum examinemus, videlicet qualiter Hebræi per eadem media, quibus Christum persecuti sunt, à Deo Vindice puniti fuerint, quod in discursu præsenti facere decrevimus.

2. *In propria venit & sui eum non receperunt.* Enimvero tamersi Filius Dei inter Hebræos specialissimè præ cunctis alijs nationibus incarnatus fuerit, ac propterea Psalmista dicat : *Non fecit taliter omni nationi*; imo ipsemet Christus protestatus fuerit dicens : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël*, attamen in toto illo Hebræorum populo nullus inventus est, qui eum pro die suo Natalitio domi suæ excepisset; *non enim erat ei locus in diversorio, & ideo reclinavit eum in præsepio*; ob quam inhumanitatem S. Thomas de Villa Nova divinum infantem sequentibus verbis introducit lamentantem, & dicentem : *Israël, pro quo veni, pro quo hæc omnia pertuli, me cæteris omnibus adorantibus ignoravit, abjecit, & vilipendit.* Et ideo cum ingenti damno suo experiri debuerunt, verum esse illud Sapientis : *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Deus enim in pœnam tantæ ingratitudinis, justo suo judicio disposuit, ut Judaismus, qui illum noluit recipere, ad finem usque sæculorum, nullibi certum & securum commorandi locum invenire possit, sed exul circumvagetur per omnes terræ nationes, atque ab omnibus sit gentibus contemptus, & abjectus, veluti servus quidam emptitius, quemadmodum hactenus experientia clarè demonstravit. Habebant olim Hebræi clavem, id est, sacrarum literarum perspicuam intelligentiam, qua mediante Herodi referre potuerunt, Messiam in Bethlehem nasciturum esse, at verò ut Simon de Cassia ait : *Dum locum Nativitatis ostendunt, à seipsis sunt accusati, & condemnati, à nemine excusati.* Stella, quæ illuminavit & movit Gentiles, ut ad Christum adorandum accederent, vere excœcavit Hebræos; ac proinde S. Augustinus de tribus Regibus merito ait : *In terra eorum isti requirebant, quod illi in sua non agnoscebant, Hæc Magorum illuminatio, magnum testimonium cæcitatis Judæorum.* Herodes quidem per innocentum puerorum stragem regni sui securitati se consulturum esse putabat, & tamen Christus solus evasit; *unus tot inter funera impune Christus tollitur*; Econtra vero proprius ejus filius sub gladio paterno mori fuit coactus, ac proinde tyrannus ille à Chrysologo appellatur : *Hostis naturæ, malus omnibus, suis pejor, pessimus sibi.* Porro Josephus Hebræus infirmitatem, qua Herodes mortuus fuit, distinctè enarrans, satis ostendit, quod propter tot occisos innocentes sævissimam luere pœnam debuerit. Etenim licet foris in corporis superficie moderatum haberet calorem, intus tamen veluti succensus clibanus ardebat; caninam quoque & insatiabilem patiebatur famem, ejusque viscera ex omni parte vulnerata, ex toto corpore à capite usque ad pedes putridum scaturiebant humorem, omnia pariter ejus membra tumida & putrefacta vermibus-

Joan. 1. v. 11. — Ps. 147. v. 20. — Matt. 15. 24. — Luc. 2. v. 7. — Judæi Christum natum non susceperunt. — S. Th. de Vill. conc. 1. in Nativ. — Ideo vagantur usque modo. — Sim. de Cassia lib. — S. Aug. ser. 2. de Epiph. — In carnificina infantum Christus evadit, filius Herodis occiditur. — D. Chrys. ser. 152. — Gravissimi morbi Herodis infanticidæ.

que

que plena erant; halitus quoque & spiritus, quem ducebant, erant venenosi & pestilentiales, omnia quoque ejus membra luxata fuere, & à naturali loco suo dimota, adeo ut ipsius quoque oculi distorti essent, denique tantus ejus dolor fuit, ut veluti rabidus post enecatos tres filios suos, filium quoque tertio loco genitum, qui solus ei velut futurus in solio regio successor superstes manserat, coram facie sua decoriari jusserit, ac tandem infixo præcordijs suis cultro sibimetipsi vitam crudeliter ademerit. Numquid igitur in hoc impio verè adimpletum fuit illud Sapientis : *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Tandem seipsum occidit.

3. *Per quæ peccat quis &c.* S. Joannes Evangelista Judæos Christum lapidare voluisse refert : *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se : Ubi apparet manifestus furor*, inquit Cajetanus, *sine processu, sine authoritate Judicis, sine sententia procedere ad lapidationem, non habita ratione loci, scilicet templi.* Toletus authoritatem adfert Augustini dicentis : *Rei ac nocentes, pœnam, qua digni erant, parant*; Deus autem justus Judex sacrilegam hanc temeritatem illa punivit comminatione, quæ circa Jerosolymam ipsorum Metropolim adimpleta fuit; scilicet : *Non relinquent in te lapidem super lapidem* : Antiqua enim civitas totaliter destructa fuit, dicente Glossa : *Cum Jerusalem modo sit constructa extra portam, ubi Dominus crucifixus erat, apparet illam ex toto destructam fuisse.* Dionysius Carthusianus refert, quod cum post eversam à Tito Jerosolymam Hebræi, qui intra speluncas latitaverant, inde egressi, domos quasdam erexissent, idipsum intelligentes Romani, miserint illuc Ælium Adrianum, qui postea evectus fuit ad imperium, à quo civitas Jerusalem fuit tunc omnino subversa, *ut non remaneret lapis super lapidem.*

Joan. 8. 59. — Cajet. ibid. — Tolet. ibid. — Luc. 19. 44. — Gloss. ibid. — Judæi Christum lapidare volebant ideo non mansit eis lapis super lapidem. — D. Carth. ib.

4. *Per quæ peccat quis, &c.* Motivum præcipuum, quo Judæi ad machinandam Christi mortem fuerè permoti, fuit metus, ne totus mundus post eum abiret, crescensque Discipulorum & sequacium suorum numerus ipsis apud Romanos pararet exitium; unde dicebant : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem*, hancque difficultatem Pontifices ac Pharisæi in congregato solemni Synedrim Concilio operosè ventilarunt, quod sane omni est admiratione dignissimum; Nam si populus humilis, abjectus, & tumultuosus, qui utpote ignorans nescit discurrere, sibique iram prædominari sinit subitaneam, in ejusmodi præsumptuosas resolutiones descendisset, nequaquam mirum fuisset; at vero, quod hic Christus à totius Hebraismi Sapientioribus, Pontificibus nimirum, Pharisæis & Senioribus populi, postquam Christi innocentiam, & miracula confessi & admirati fuissent, nihilominus condemnatus fuerit ad mortem, inexpiabile quoddam scelus fuit, quod ad finem usque mundi atrociter castigabitur.

Joan. 11. 48. — Judæi Christi memoriam tollere volebant.

5. *Per quæ peccat quis, &c.* Judæi quidem per Christi crucifixionem se ejus memoriam sub perpetuæ oblivionis lapide sepulturos esse credebant, & tamen contrarium accidit, siquidem hæc crucifixio in causa fuit, cur ab omnibus totius terræ populis, velut verus Deus fuerit agnitus, & adoratus, id quod clarè his verbis prædixerat : *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, ac proinde gloriosus ille titulus non sine mysterio in tribus principalioribus mundi linguis conscriptus cruci fuit affixus, ut per hoc intelligeretur, adimplendum fore sequens Davidis oraculum : *Dominus regnavit à ligno.* Cæterum vero Deus in pœnam crucifixionis Filij sui Romanum misit exercitum, ad eos exterminandos. Observat D. Chrysostomus in illis adimpletum fuisse, quod Regius Psaltes prophetavit dicens : *In laqueo isto, quem absconderunt comprehensus est pes eorum, quod Judæis verè contigit.* Sanctus Augustinus enim modum declarat, quo Judæi eodem prorsus modo castigati fuerunt, quo Christo machinati fuerant mortem : *Romani enim post Domini Passionem & glorificationem, tulerunt eis & locum, & gentem, expugnando illos & transferendo.* Doctrina est Cardinalis Toleti dicentis: *Decepti sunt, & erràverunt, imo quia non dimiserunt, sed occiderunt, propterea venerunt Romani, & tulerunt locum, & gentem. Hoc enim prædixerat Daniel cap. 9. Occidetur Christus, & civitatem cum Sanctuario dissipabit populus, cum duce venturo. Recte dicit Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 34. Si Judæi Christum non occidissent, in suo regno permansissent.* Cornelius Jansenius ad idem propositum ita scribit: *Impletum est in illis illud Prov. Quod timet impius, veniet super eum, & illud quod ad impios loquitur Sapientia, quæ est Christus: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Joan. 12. 32. — Quæ eo gloriosior permanet. — Baron. An. 72. n. 33. — D. Chrys. hom. 64. in Joan. — S. Aug. tr. 49. in Joan. — Tolet. ibid. — Dan. 9. 26. — S. Aug. de Civ. Dei l. 4. c. 34. — Corn. Jan. Concord. Evang. cap. 103.

6. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Judæi magna perfusi fuerunt lætitia, quando soluto in manus Judæ triginta denariorum pretio desideratam prædam, id est, Christum, in suam acceperunt potestatem : At vero gaudium hoc caro illis stetit, quia in progressu sedecim & amplius sæculorum in omnibus mundi populis, tamquam servi & mancipia pro vilissimo pretio fuerint venditi, adeo ut quoad illos adimpleta fuerit Davidis Prophetia dicentis : *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Porro, ut de persona Christi tanto essent securiores, Judas, accedente Judæorum consilio, à Præside Judææ Pilato integram accepit militum Romanorum cohortem : *Judas ergo*, ait sacer textus, *cum accepisset cohortem*, sub hujus namque cohortis protectione non solum certos se faciebant, quod Christum in sua retinerent potestate, verum insuper quod omnem prævenire possent populi seditionem, quæ in favorem Christi excitari potuisset ab ijs, quibus Christus per sua miracula variasque concessas gratias benefecerat; sed quid factum est? *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*; divina namque justitia disposuit, ut non una, sed multæ advenirent militum Romanorum cohortes, quæ ipsos caperent, strictissimaque obsidione Judaismum cingerent, idque in pœnam illius tam iniquæ capturæ, de qua Christus lamentabatur inquiens: *Tamquam ad latronem existis cum gladijs, &c.* Audiamus Rupertum Abbatem dicentem : *Ita gladium evaginaverunt peccatores, & intenderunt arcum suum; merito ergo retributum est illis, ut gladius eorum intraret in corda eorum, & arcus illorum confringeretur. Intraret inquam gladius eorum in corda ipsorum, ita ut pro una cohorte Romana, quam adversus Dominum, & Regem suum conduxerunt, immensum Romanæ fortitudinis adversus rebellionem suam commoverent exercitum.* Sanct. Ambrosius quoque circa armaturã à Judæis in hortũ Gethsemani adductam, hanc habet ponderationem: *Venere cũ armis, significantes, armis se perituros esse Romanis, usque ad excidiũ totius civitatis, & templi, qui pacem Domini recusarunt.* S. Leo Papa Judæ jam satellitum & lictorum Duci facto improperat inquiens : *Iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem extorsisti, ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua Judicem, te pateretur tua pœna carnificem.*

Emerunt Christum & ipsi venditi sunt. — Ps. 43. v. 13. — Joan. 18. v. 3. — Quare acceperunt integram cohortem captivando Christum. — Matt. 26. 55. — Rup. Abb. lib. 13. in Joan. — Venit in pœnam contra Judæos totus exercitus Romanus. — S. Ambr. in Ps. 37.

7. *Per quæ peccat quis &c.* Sanct. Joannes in referendis punctualiter captivitatis Christi circumstantijs, mysticis verbis utitur; ait enim : *Venit illuc cum laternis & facibus.* Apud Sophoniam sequens legitur considerabile vaticinium, scilicet : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Pro cujus quidem explicatione nonnulli ad sensum recurrentes spiritualem, & præcipue Sanct. Bernardus, per Jerusalem intelligentes animam, hunc Sophoniæ textum de severitate, qua peccatores in judicio examinabuntur, sunt interpretati, unde idem S. Bernardus ait : *Quid tutum in Babylone, si in Jerusalem manet scrutinium?* Sanct. Hieronymus vero eumdem textum ad propositum nostrum in sensu explicat literali, asserens, quod in obsidione hujus civitatis, à Romanis instituenda, omnes secretiores cavernarum, specuum, omniumque aliorum subterraneorum locorum latebræ, adhibito lucernarum lumine essent explorandæ, ut qui illic absconditi latebant, foras extraherentur, ac proinde quemadmodum Christum cum laternis & facibus acceperunt captivum, ita quoque ipsi cum ijsdem instrumentis fuerunt inquisiti, & ad mortem captivi abducti. Sanctus Ambrosius aliud nobis pandit mysterium, dum ait: *Cum laterna persecutor advenit, laterna enim clausum habet, non liberum lumen. Lumen Judæorum quasi lucerna sub modio, vel fax sub velamine potest videri, sed non vidit. Nos autem revelata facie gloriam Domini speculamur æternam, ut ad ejus imaginem à gloria in gloriam per Spiritum Sanctum reformemur. Venit ergo persecutorum turba cum laternis, & ideo inclusam in eis lucem videre eorum oculi nequiverunt.* Pergit idem Sanct. Doctor ulterius facularum accensarum declarare mysterium, inquiens : *Venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quam splendoris in lumine. Denique facibus mortuorum cadavera ardere consueverunt, Sibi ergo Judæi jam ferebant incendia, qui persequebantur salutis authorem.* Sanctus Leo in alio quodam sermone de *Passione* ita scribit:

Joan. 18. v. 3. — Christus cum lucernis fuit captus. — Sophon. 1. 12. — S. Hier. ib. — In expugnatione Jerusalem lucernis quæsiti sunt ad capturam. — S. Ambr. ib. — Mystica explicatio Laternæ. — S. Leo ser. 8. de Pass.

scribit: *Irruerunt ergo in lumen verum filij tenebrarum, & utentes faculis atque laternis, non evaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem.*

8. *Per quæ peccat quis, &c.* Clara est illa à cœlesti Magistro de vinea composita parabola, per quam Synagoga intelligitur: sicut per vinitores Judæi, qui Christum velut Messiam repudiantes occiderunt. Observandus vero est Christi loquendi modus: *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum.* Circa quæ verba optimè observat doctissimus Salmeron, quod sicut lapis super aliquem cadens non rumpitur, sed percutit, imo sæpe vulnerat eum, super quem decidit, ita Judæi à Christo, qui lapis angularis erat, fuerunt confracti & collisi, ipsum vero nequaquam fregerunt. *Ita Judæi contriti sunt*, inquit Salmeron, *non solum quod Romanis militibus in direptionem omnium bonorum, & templi, & civitatis, & internecionem sunt traditi, sed quia in æternum duplici contritione (nempe in corpore & anima,) in præsenti sæculo, & in futuro contriti fuerint.* Judæi adeo facultatibus suis omnibus fuerunt spoliati, ut cum aliqui illorum aurum deglutivissent, ut ab inimicis liberati; illud in ventris evacuatione denuo reinvenirent, Romani, qui hanc Judæorum explorarant astutiã, in una nocte plus quam bis mille Judæos vivos dissecuerint, ut auri in corporibus latentis compotes fierent. Judæi Christum è monte præcipitare conati fuerunt, & ideo, ut Josephus Hebræus refert, multi Judæorum præ desperatione una cum uxoribus & filijs suis sese egerunt præcipites, quidam à montium præruptis, alij in aquas ut submergerentur. Quemadmodum Judæi in Jerusalem in solemnitate Paschali, quæ omnium maxima erat, & ad quam immensus concurrebat populus, crucifixerunt Christum Messiam, ita pariter disposuit Deus, ut in eadem civitate, vigente Paschali solemnitate, arctissima clauderentur obsidione, crudelissimæque stragi subjicerentur. Quemadmodum Judæi clamarunt: *Tolle, tolle, Crucifige eum*, ita pariter, ut ex Annalibus Ecclesiasticis colligitur, adeo immensus fuit Hebræorum crucifixorum numerus, ut nec locus plantandis crucibus, nec lignum pro ijsdem fabricandis superesset. Quemadmodum Christo potum dederunt ex felle, aceto, & myrrha mixtum, ita quoque Judæi ad tam extremam redacti sunt famem, ut equorum stercora, coria cingulorum, aliaque vilissimorum animalium excrementa manducare fuerint coacti, imo matres ipsæmet proprios sibi filios ad manducandum præpararint. *Super lapidem istum confringetur*; siquidem ex hoc populo homicida, seu potius Messiæ sui Deicida, ferro, & alijs tormentis necatus est integer quidam millio, & centum millia Judæorum, idque solum in Jerosolymitana obsidione, præter innumerabiles alios in civitatibus circum vicinis interfectos, hi vero qui à septemdecim & duodecim annis in vita manserunt superstites, injectis collo catenis, velut mancipia, ad eruenda metalla, laboresque durissimos in Ægypto subeundos, abducti fuerunt; prædicta vero ætate minores, in varias mundi partes distracti, & in perpetuam servitutem fuere divenditi, quorum numerum ad nonaginta millia ascendit. Alij multi accurata vigilia custoditi fuerunt, ut in theatris, ad recreationem populi Romani, ferarum faucibus injicerentur devorandi. Denique quando Imperator, post captam urbem, vidit inexpugnabilem Jerosolymæ fortitudinem, simulque acerbissima consideravit supplicia huic populo adhibita, sese excusavit dicendo: *Non ego solus, sed Deus mecum contra illos pugnavit, ad majus ipsorum supplicium.*

Matt. 21. 44.

Comparatur Christus lapidi.

Salmer. T. 7. tr. 36.

Qui aurum deglutiverant vivi sunt secti.

Luc. 4. v. 29.

In Paschate Christus passus est, in Paschate Judæi obsessi fuerunt à Romanis.

Vastatio & dispersio Judæorum.

9. *Per quæ peccat quis, &c.* Tametsi Pilatus clare agnovisset, imo publice manifestasset, & contestatus fuisset Christi innocentiam, attamen ad eumdem condemnandum se seduci permisit, non ex alio motivo, quam ex metu, ne propter calumnias & imposturas invidi illius populi Cæsaris gratiam amitteret; Deus autem disposuit, ut hujus omnimodam pateretur jacturam, & tametsi ipse ad complacendum Hebræis, tam iniquam pronuntiarat sententiam, ab ijsdem tamen Hebræis per sparsas de eo calumnias, effectum fuit, ut Viennam in Gallis mitteretur in exilium, ibidemque ex desperatione violentam sibi mortem acciverit, quemadmodum & traditor Judas, Judæi; ut à Pilato Christi crucifixionem extorquerent, clamarunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, ac proinde hunc deinceps experiri debuerunt non jam Regem, sed sævissimum tyrannum, utpote qui illos tanto cum furore extirpavit. Clamaverunt Judæi: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, quasi dicerent, ut Hugo Cardinalis exponit: *Culpa & pœna effusionis sanguinis ejus veniat super nos*, quam quidem imprecationem non ideo faciebant, ut ex pretiosissimo ejus sanguine quidquam proficerent, sed ut eumdem effunderent & conculcarent; sed *in verticem illorum iniquitas eorum descendit.* Nam ut Sanctus Hieronymus ait: *Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos, & sanguis Domini non aufertur ab eis.* Hugo Cardinalis super illa verba Psalmi: *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*, eadem ad propositum nostrum exponit asserendo, gentem illam præ alijs frequentissime pati fluxum sanguinis, ac proinde in facie sua pallidos esse, & quasi emortuos. S. Vincentius Ferrerius in sermone *de feria sexta Parasceves*, refert, quod filij masculi Judæorum nascentes, manum dexteram plenam sanguine capiti habeant superpositam.

Pilatus Christum condemnavit ut servaret gratiam Cæsaris.

Illam perdidit Missus in exilium.

Joan. 19. 15.

Matt. 27. 25.

Hug. Card. ib. Aliorum suorum peccatorum.

Ps. 77. v. 66.

Ps. 7 v. 17.

Hug. Card. ib.

S. Vinc. Ferr. in Parasc.

10. *Per quæ peccat quis, &c.* Judæi contra Christum valde malignati sunt, efficiendo, ut ad montem Calvariæ in medio duorum latronum educeretur, idque non solum ad illum magis exasperandum, utpote qui in horto Gethsemani conquestus fuerat dicens: *Tamquam ad latronem existis comprehendere me*, sed potius, ut advertit Chrysostomus, *ut par & de ipso esset existimatio*; Unde per hoc conati sunt obscurare gloriam, & infinitum honorem & famam, quam sibi intra triginta annos per miracula, prædicationem, & vitæ suæ sanctitatem comparaverat, ut hac ratione populus, & præcipuè peregrini, qui in immenso numero aderant præsentes, illum vere caput & principem latronem esse crederent; at vero quid accidit? *Per quæ peccat quis &c.* Tametsi enim ipsemet Petrus se illum non nosse juramento affirmarit, tametsi ne vel unus pro manifestanda ejus innocentia & divinitate, os suum aperuerit, bonus tamen latro in conspectu totius populi ipsum injuste condemnatum esse protestatus est dicendo: *Hic autem quid mali fecit?* confessus quoque est ipsum esse Dominum absolutum Regni cœlorum, dum ait: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Frustratus est hostium Christi conatus*, inquit Lucas Burgensis, *non tantum enim non aspersum est nomen Jesu ex latronum consortio, ea, quæ de latronibus esse consuevit opinione, verum etiam clarioris sanctitatis evasit, omni Judæorum machinamento, ut Euthymius ait, in caput eorum converso.*

Matt. 26. 55.

D. Chrys. H. 7. ad Ephes.

Judæi Christum Principem Latronum habere volebant.

Matt. 27. 23.

Luc. 23. 42.

Luc. Burg. in Matth. 27.

Latro in cruce dicit contrarium.

DISCURSUS XXVI.
ARGUMENTUM.

Impij in perversis consilijs suis deluduntur, siquidem malum, quod alijs machinantur, in ipsosmet communiter recidit.

THEMA.

Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant. Ps. 10. vers. 2.

1. Divina justitia provide disposuit, ut impij in suis consilijs, & conatibus, quibus alijs offendicula ad lapsum struere moliuntur, misere deludantur, id quod Regius Vates in præcitatis verbis dicere voluit, dum ait: *Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.*

2. Enimvero nota est omnibus solemnis illa à concilio Synedrin ad S. Joannem Baptistam instituta legatio, de qua Joan. 1. dicitur: *Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, Tu quis es?* Et vero quis umquam crediturus fuisset; legationem hanc alio fine fuisse institutam, quam ad inquirendam veritatem, & promovendam majorem S. Joannis gloriam? Et tamen revera expedita fuit ex mera Judæorum invidia, Christo eximiam, quam sibi apud populum comparat, existimationem, & famam, ac discipulorum multitudinem invidentium. Enimvero videntes eum, juxta communem hominum opinionem, pauperibus parentibus natum, credentesque eum à fabro lignario, Josepho videlicet, fuisse progenitum, *Nonne hic est filius fabri?* Scientes denique, quod indifferenter & promiscuè cum unoquoque conversaretur, (*Cum Publicanis & Peccatoribus manducat*;) econtra vero probè scientes, Præcursorem filium esse Principis Sacerdotum, & consequenter nobilissima prosapia oriundum, eumdemque cum hactenus inaudita austeritate à primis ætatis suæ annis, in horridis Judææ desertis degentem, innumerabiles per pœnitentiam ad Deum convertere peccatores, magnamque post se trahere discipulorum perfectissimorum turbam, eumdem per oblatam sublimem hanc Messiatus dignitatem seducere, hominumque à Christo sequelam revocare, ac demum perhibitum de ipso à S. Joanne divinitatis suæ testimonium irritum facere voluerunt. At vero *comprehensi sunt in consilijs, quibus cogitabant*: Siquidem per hanc legationem factum est omnino oppositum illius, quod ipsi facere machinabantur, quia Christum verum Dei Filium pro humana redemptione in hanc terram missum atque ab omnibus Patriarchis & Prophetis tantopere desideratum esse, præfatus sanctissimus Præcursor non solum Hebraismo, sed universo mundo veridico testimonio perhibuit, insuper se indignum esse protestando, qui corrigiam calceamentorum ejus solveret; & quidem ut hanc illis veritatem tanto firmius imprimeret, continuo fere sermocinatus est de æterna Christi generatione, de donorum & gratiarum cœlestium plenitudine, quam super terram diffusurus in hunc mundum venerat, die enim sequente in conspectu omnium, indicavit universis magnum hoc de Christo encomium: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi!* se autem ejus tassus est esse Præcursorem, singulari Dei dispositione ad hoc natum, ut illum Judaismo manifestaret; *Ut manifestaretur in Israël propterea veni ego.* Toletus per adductam authoritatem Chrysostomi hom. 15. super Joannem idipsum confirmat inquiens: *Judæos non esse motos opinione, aut suspicione ulla, quia Joannem Christum esse suspicarentur, sciebant enim non esse Christum, sed odio potius, quo Christum persequebantur.* Enimvero ex quo de Præcursore discurrere cœpimus, in memoriam mihi incidit, quod idem Joannes, paulo postquam ex deserti illius speluncis egressus fuerat, spiritu Apostolico armatus, divinique honoris, per scandalosum Herodis Regis incestum contumeliati, zelo stimulatus, eidem audacter crimen suum improperarit dicendo: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Herodiades autem incestuosum concubinatum suum occultare volens, operæ pretium fore duxit, si per Præcursoris mortem hanc sibi ex oculis spinam eximeret, at verò in iniquis consilijs suis delusa permansit, id quod D. Chrysostomus sapienter advertit, dum ait: *Sed quod illa tunc fecit, putans nullam amplius quidquam de fornicatione sua dicturum, evenit autem oppositum, quia majori & clariori voce postea Joannes exclamavit*, adeo ut atrocissimum illud scelus, scilicet quod sanctissimo & innocentissimo totius mundi viro, caput amputatum, atque ad instantiam Herodiadis filiæ suæ in præmium unius saltatiunculæ datũ fuerit, non solum in Palæstina, sed in omni loco fuit divulgatum, & consequenter abominandus & detestabilis ille incestus ubique magis magisque publicatus fuit.

Joan. 1. v. 19.

Judæi ex invidiâ miserunt Legatos.

Christum vilipendebant.

Matt. 13. 55.

Luc. 5. v. 30.

Joannem Baptistam æstimabant.

Joannes econtra Christum extollit.

Joan. 1. 29.

Ibid. v. 31.

Tolet. ibid.

Redarguit Herodem.

Marc. 6. 18.

D. Chrys. hom. 49. in Matth.

Herodias volens latere incestum suum, magis publicavit.

3. *Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.* Consonant hisce verbis alia ejusdem Psalmistæ verba, in quibus de impio differens ait: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Satrapæ Regis Babylonici, videntes Danielem apud Regem in magnis favoribus positum, præ invidia & odio quasi crepabant, toto conatu ad hoc contendentes, ut per excogitatas imposturas & calumnias Regi persuaderent, imo per artificium violenter eum inducerent ad conjiciendum in lacum leonum innocentem Danielem, violenter inquam, quia in ipsomet actu, quo Rex Danielem leonibus objici præcipiebat, satis liquet, pristinum in animo Regis erga Danielem continuasse amoris affectum, nam dixit ei: *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Qua in re veridicè prophetavit, quia cum æmuli Danielis nullum aliud contra eum adducere possent caput delicti, præterquam quod is Regium transgressus fuisset edictum, Deum suum non vero idolum à Rege erectum colendo, quia *obedire oportet magis Deo quam hominibus*, Deus velut interessatus causa Danielis velut sibi propria assumpta, Danielem liberavit, ipsomet Daniele dicente: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Maligni quidem Satrapæ omnem moverunt machinam, ut Danielem extra Regis gratiam & favorem constituerent; at verò miserè fuerunt delusi, siquidem eodem tempore, quo Rex Danielem à Deo præservandum sperabat, multas ei exhibuit Regiæ benevolentiæ, & compassionis demonstrationes, ait enim sacer textus: *Allatus est lapis unus, & positus est super os laci, quem obsignavit Rex*

Ps. 7. v. 16.

Satrapæ Babylonici invidebant Danieli gratiam Regis.

Dan. 6. v. 16.

Act. Apost. 5. v. 29.

Act. Apost. 5. v. 29.

In hoc delusi.

Dan. 6. v. 17

annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem, & abijt Rex in domum suam, & dormivit incœnatus cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Postquam vero Daniel cum tanta gloria sua hoc evasisset periculum, ait sacer textus, Regem hoc miraculo permotum, veri Dei confessum fuisse, & recognovisse omnipotentiam, quem Propheta adorabat. Præterea *Daniel perseveravit usque ad regnum Darij, regnumque Cyri Persæ*; at vero quid de persecutoribus illius factum est? *Jubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem, & in lacum leonum missi sunt, ipsi filij, & uxores eorum, & non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.* In eodem lib. Danielis capite ultimo legitur, Prophetam hunc, per Satraparum ejusdem curiæ Regiæ invidiam, tanta cum truculentia fuisse infestatum, ut veluti vim facientes ad Regem accesserint, Danielem ad iniquam mortem rapturi; ait enim sacer textus: *Dixerunt cum venissent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam: Vidit ergo Rex, quod irruerunt in eum vehementer, & necessitate compulsus tradidit eis Danielem.* Deus autem è cœlo Angelum misit, qui servum suum inter leones, in lacu positum nutriret, simulque effecit, ut leones, quantumvis famelici, circum Danielem coronam facientes, reverenter & obsequiose ei assisterent; post septem vero dies Rex portentum hoc continuari videns: *Exclamavit voce magna dicens: Magnus es Domine Deus Danielis, & extraxit eam de lacu leonum: Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo.* Quibus proinde ad literam evenit, quod Sapiens de insidioso impio prædixerat, scilicet: *Qui fodit foveam, incidet in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum.*

Ibid. v. 28.

Missi sunt in lacum Leonum ab illis comminuti.

Ibid. v. 24.

Dan. 14. 28.

Deus Danielem servavit.

Dan. 14. 40.

Ibid. v. 41.

Prov. 20. 27.

4. P. Cæsar Franciotti in libro, quem de ijs composuit Sanctus, quorum in urbe Lucensi, charissima patria mea, corpora quiescunt, in vita S. Frediani (qui ibidem insignis & venerabilis fuit Episcopus, in cujus proinde honorem sumptuosum ibidem erectum est templum,) eventum quemdam refert nostro proposito accomodatissimum. Cum enim Sanctus hic, filius Regis existens, in ultimis Hyberniæ partibus degeret, convertendisque ad sanctam fidem sua prædicatione animabus incessanter intentus esset, apud populum in summa veneratione erat, utpote quem, tum ob natalium suorum nobilitatem, tum ob austeritatem vitæ, & illibatorum morum suorum innocentiam suspiciebant tamquam Sanctum. Magister autem ejus nomine Mugentius, pati non valens, quod is, qui Discipulus ejus erat, majori à populo honoraretur applausu, quam ipse, ex motivo invidiæ duos instigavit scholares suos, ut scilicet nocturno tempore, quo S. Fredianus surgere, & matutinum frequentare solebat, eum aggredientes trucidarent, & sine cunctatione sepelirent. Contigit autem, quod cum Sanct. Fredianus à quodam accidente impeditus surgere non posset, divina providentia ita disponente, æmulus exitum pacti facinoris explorandi impatiens, ad locum, in quo sicarij S. Fredianum præstolabantur, in tenebris accederet, ac proinde ab homicidis, illum S. Episcopum esse credentibus, subito necatus & sepultus fuit, ut ad literam verificaretur illud: *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* Simillimum huic est, quod in vita Sanct. Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ narratur. Habebat namque Sancta hæc mulier quemdam inter alios optimis moribus & timorata conscientia imbutum Ephebum, quem proinde ob bonitatem suam majori præ cæteris prosequebatur favore, suisque adhibebat ministerijs, quidam vero ex collegis Ephebi invidia motus, ut se de numero impiorum illorum esse ostenderet; qui in libro Sapientiæ inter se paciscentes dixerunt: *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ*, probum hunc ephebum apud Regem calumniari & diffamare non erubuit dicendo: Reginam carnali hunc juvenem amore deperire. Rex porro nimium credulus, consilio cum calumniatore habito, cum ministris suis in officina, in qua ferrum fundebatur, laborantibus, convenit, ut ephebum, quem condicta hora ad ipsos missurus esset, intra fornacis flammas continuo conjicerent; sed *justus est Dominus, & justitiam dilexit, Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.* Cum enim innocens Ephebus ad prædictam

Assassinos subornans ab eisdem necatur.

Sap. 2. v. 12.

Struitur innocenti ignis qui calumniatorem consumit.

Ps. 10. v. 16.

Auditione sacri conservatur vita Innocentis. — Innocentia manifestatur. — Sap. 11. v. 17.

ctam officinam Missus, per viam in Ecclesia quadam Missæ legendæ signum sonare audisset, ejusdem auscultandæ causa dictam Ecclesiam est ingressus, & quia post absolutam primam Missam confestim subsequebatur & alia, hanc quoque audire sibi licitum fore duxit. Interea vero malignus ille calumniator, cupidus sciendi, quidnam per commissionis Regiæ executionem factum fuisset, ad officinam prædictam se recepit, indutus eadem livrea, qua cæteri; servi igitur Regij fornarij illum eumdem esse credentes, circa quem acceptum ordinem Regium executuri erant, illum apprehensum conjecerunt indilate in fornacem, cumque alter quoque suam expediturus commissionem ad eamdem officinam accederet, ministri jusserunt, ut Regi, jussa ejus perfectè adimpleta esse, annuntiaret. Quo ad curiam reverso, & coram Rege comparente, magnam in animo Regio excitavit admirationem, at vero postquam instituto circa ipsum examine, causam tardioris ad officinam accessus intellexisset, simulque jussa sua in ejus æmulo executa fuisse perciperet, vidit manifestè divinæ justitiæ vestigium, cujus dispositione communiter fit, quod *per quæ peccat quis, per hæc & torquetatur*.

Ps. 139. v. 9. — Ibid. v. 10. — D. Chrys. ib. — Ex tribulatione David evasit clarior. — Ps. 10. v. 2. — Fidelitas Michol erga David. — 1. Reg. 19. 11. — Ibid. v. 12. — Basil. Seleuc. tract. 16.

5. David ab æmulis suis magnas patiebatur persecutiones, & calumnias; ac proinde Deum rogabat dicens: *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.* Mox vero in spiritu Prophetico subdit: *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos, cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos.* Sed audiamus Chrysostomi super hæc verba commentarium: Alius textus habet: *Exacerbatio eorum, qui me circumdant; labor labiorum ipsorum operiet ipsos. Circuitum hic dicit improbam officinam, scelesta consilia; quod autem dicit, est ejusmodi: Ipsa scelerata consilia & caput, ac summa improbi ac depravati animi, ipsa eos obruerit, & perdiderit. Labor labiorum ipsorum; laborem hic vocat improbitatem. Res est enim ejusmodi improbitas, affert ei, qui illam possidet, exitium, & ut obruatur efficit. Hoc in David accidit; Expectabant enim fore, ut in mala gravissima incideret, ille vero evasit clarior.* Saul Davidi in verbo Regis, & sub stricta obligatione, quamdam filiarum suarum, in retributionem victoriæ de Goliath obtentæ, in sponsam dare promiserat; quem tamen mox factæ promissionis pœnituit, ac proinde potius modum vitam ei eripiendi excogitavit, sed quia nullum invenire modum poterat, quo salvo honore suo promissionem Davidi factam negligere posset, hanc ei promissionis adimplendæ conditionem adjecit, scilicet, filia sua ipsum potiturum esse, si prius centum adferret Philistæorum præputia, Saul enim futurum sperabat, Davidem hostium ensibus extinguendum esse, utpote qui solus centum superare, & profligare debebat; at vero quid accidit? *Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant;* David enim centum illos devicit milites Philistæos, sibique impositam prædam exactissime attulit, & quia Saul spem concipere poterat, quod Michol filia sua, vindicativo patris affectui adhærendo, contra maritum suum malignatura esset, ipsa econtra tanto amore Davidem est prosecuta, ut ad salvandam adversus patris machinas Davidis vitam summum studium suum adhibuerit: *Misit Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur mane, quod cum annuntiasset David Michol uxor sua dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris: Deposuit eum per fenestram; porro ille abijt, & aufugit, atque salvatus est. Ignorabat interim Saul auxiliatricem, non insidiatricem dedisse*, inquit Basilius Seleucus, *se vitæ custodem, non mortis adjutricem; illa vero improbato parentis furore virum à jugulatione ereptum fuga dimittit.*

Drexel. c. 8. de ling. malè consulente.

6. *Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.* Ariani S. Hilarium, qui religionis Catholicæ Romanæ solidissima columna erat, in exilium ejecerant, ut hac ratione fidei nostræ egregium hoc fulcrum subverterent, at vero Sanctum hunc Doctorem in hoc suo exilio occasionem habuisse, ut sublimi ingenio suo eximios illos de Trinitate libros, quibus omnia perversa ipsorum dogmata eliminantur, conscriberet, minime considerarunt. P. Jeremias Drexelius *de lingua malè consulente* cap. 8. sequentem refert historiam. Cum enim Solimannus Turcarum Imperator, in expugnatione Rhodensi, Gubernatori loci illius Christiano, sed traditori, filiam suam in uxorem promisisset, hicque traditionis suæ feliciter complevisset facinus, Solimannus, qui quantum sibi in traditione complacebat, tantumdem imo magis traditorem abominabatur, nesciens quo modo fidem suam, promissionem non servando, salvare posset, filiam suam Regio more adornatam coram se, & pessimo hoc traditore accersivit, moxque ad hunc conversus eidem dixit: Ecce tibi illam, de qua pacti sumus; verumtamen conjugium hoc à vobis ineundum, infausto claudendum esse exitu prævideo, nisi tu quoque intrinsecus in corde tuo Mahometanus evadas; ac proinde non solum Christum tuum abnegare debes, verum etiam pellis tua mutanda est, & alia inducenda, ac proinde eum vivum decoriari, ejusque carnes sale conspergi jussit, quo in tormento infelix ille miseram animam exhalavit, nimirum *in caput ejus iniquitas ejus descendit.* Nam *frangenti fidem fides frangatur eidem.*

Ps. 7. v. 17. — Baron. An. 630. n. 3. — Ibid. n. 9.

7. Ex quo Mahometanorum mentionem facere cœpimus, alia quædam mihi ad propositum incidit historia, in Annalibus Ecclesiasticis de Mahomete conscripta. Cum enim hic à Diabolo & morbo epileptico infestatus, conjugi suæ (quæ semper se viro pauperi, hisque malis subjecto, in matrimonium datam fuisse conquerebatur,) persuasisset; se eo tempore, quo malo corripiebatur epileptico, in conspectu Angeli Gabrielis sibi apparentis corruere, hæc idipsum cum quodam Monacho amico suo, hæretico Ariano, ibidem in exilio degente contulit, à quo in hac opinione, quod scilicet maritus ejus Propheta esset, confirmata, fabulam hanc tamquam veram alijs narravit mulieribus. Ipse vero hoc suum figmentum in multorum animis fidem accepisse advertens, librum quemdam de vanis Prophetijs & revelationibus composuit, in quo se suas revelationes cœlitus accepisse probare conatus fuit. Et vero quia sacrilegus ille, se tertio post mortem suam die ab Angelo Gabriele resuscitandum esse prædixerat, familiares ejus soliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua custodia cadaver ejus custodierunt quem cum tertia die fœtentem olfacerent, & resurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentia suorum terrerentur. Invento igitur salubri, ut putabant, consilio, cadaver ejus sine custodia reliquerunt, statimque vice Angelorum, ad ejus custodiam canes ingressi latus ejus devoraverunt. Quod reperientes factum, residuum cadaveris ejus humo dederunt. Ecce tibi Angelos, quos Mahometes venturos prædixerat.

DISCURSUS XXVII.
ARGUMENTUM.

Eadem materia per alias Scripturæ authoritates, & exempla confirmatur.

THEMA.

Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.
Eccli. 27. v. 30.

Corn. Jan. ib. — Malum alteri præparatum revertitur in suum Authorem. — Probatur diversis similitudinibus. — Ps. 7. v. 17.

1. A Sapiente hoc loco, ut Cornelius Jansenius notat, varijs similitudinibus indicatur malum, quod alijs paratur, in suum semper reverti authorem, adeo ut is patiatur malum, quod alteri struxit. Et quidem prima similitudo ab eo desumitur, qui lapidem super caput alterius projiciens, illum super se recidere, sibique caput confringere experitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet*, sicque in ipso Propheticum illud verificatur oraculum: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Secunda similitudo est: *Plaga dolosa dividet vulnera*, id est, ut idem Jansenius exponit: *Qui dolosè & occultè alteri plagam inferre conatur, seipsum improvide lædit, ut fit nonnumquam in his, qui jaculari in aliquem occulte student.* Itaque quod dicitur: *Plaga dolosa dividet vulnera*, hoc significat, quod intentatum dolosè alteri vulnus, causa sæpe est, ut authoris & dolosi illius vulnera deducantur, & lata fiant, atque magna. Tertia similitudo ab eo desumitur qui dum fossam alteri præparat, ipsemet justo Deo judicio primus in eamdem cadit. *Qui foveam fodit, incidit in eam.* Quarta similitudo est illius, qui ad offendiculum alteri in via ad lapsum positum, primus ad illud allidens infeliciter labitur: *Qui statuit lapidem proximo, offendet in eo.* Quinta similitudo est: *Et qui laqueum illi ponit, peribit in illo*; quæ omnes similitudines, veluti promissæ quædam sunt, ad stabiliendum conclusionem in verbis thematis insinuatam, scilicet *facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.*

2. Qui

Eccli. 27. 28. — Paul. de Pal. ibid. — Thematis explicatio moralis. — D. Carth. ib. — Hug. Card. ib. — Paul. de Pal. ibid.

2. *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Græcus legit: *Qui in altum mittit lapidem, super caput suum mittit.* Syriaca habet: *Qui projicit petram, contra eum convertetur.* Tygurina: *Qui lapidem in altum mittit, in caput suum miserit;* sæpe enim contingit, ut lapis cœlum versus projectus, super caput recidit projicientis. Paulus de Palatio hunc textum in favorem nostrum sic explicat: *Qui consilium Principi dat in malum aliorum, is in altum projiciens lapidem, ab eo in capite ferietur*, Deus enim faciet, ut ipse simile referat supplicium, quale fuit illud, quod in alijs causavit. *Sæpe contingit*, inquit Dionys. Carth. *eos temporalia incommoda ac tormenta incurrere, & eadem specie tolerare, qui alijs quærunt nocere. Plaga dolosi dividet vulnera*, quia ut Hugo Cardinalis ait: *Una partem pœnæ dabat animæ, alteram corpori, quia duplici contritione conteretur.* Impius enim lethali vulnere animam sauciat, & præter hoc sæpe etiam corpus patitur & moritur. Paulus de Palatio inquit: *Ex dolosa plaga, qua alios ferire voluit, vulnus rumpet in eo.*

Eccli. 27. 29. — Raban. l. 6. in Eccli. c. 7. — Eccle. 10. v. 8. — Modus fodiendi foveam. — Corn. à Lap. ibid. — Ps. 9. v. 17. — Arist. l. 5. Ethic. — Paul. de Pal. ibid.

3. *Qui foveam fodit, incidit in eam.* Super quæ verba Rabanus ita scribit: *Qui parat alteri perditionis foveam, ipse decidet in illam.* Cornelius à Lapide naturalem assignat hujus similitudinis rationem; observat enim quod is, qui profundam aliquam fodit foveam, fodiendo calcare soleat circumcirca terram illam, fodiendo nonnihil circum margines commotam, & solutam, ac proinde facile ei est, ut in foveam incidat. Syriaca legit: *Qui fodit foveam, statura sua implebit eam*, Ecclesiastes quoque diu ante scripserat: *Qui fodit foveam, incidet in eam;* Ubi Cornelius à Lapide sequentem adducit aliam observationem inquiens: *Sumpta est metaphora à venatoribus, qui feris, & à militibus, qui hostibus dolosè parant fossas, easque cespite contegunt, in quas incautè hostes & feræ incidunt, sed ipsimet venatores non raro incogitanter in easdem labuntur.* Est tamen inter venatores & impios hæc differentia, quod impij, si quando in præcipitia, ad perniciem aliorum præparata, corruant, non casualiter, & inconsideratè, sed ex speciali divinæ justitiæ dispositione cadant: *Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Imo ipsemet Aristoteles solo lumine naturali idipsum agnovit, dum in Ethica sua ita scribit: *Justum est, ut quæ quis fecit injustè, eadem & patiatur. Cadet in foveam vel laqueum, quem alijs parabat; & denique malum consilium Consultori pessimum. Exemplum sit Aman Assuero pestilens consilium dans contra Judæos, ideo consilium recidit in caput ejus, qua miser parte non credebat*, inquit Paulus de Palatio.

Eccli. 27. 29. — Qui alteri quærit nocere lædit seipsum. — Job. 18. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 8. — Ib. v. 9. & 10. — Ibid. v. 11. — Eccle. 10. 18. — D. Carth. ib. — Prov. 11. 6.

4. *Qui laqueum alij ponit, peribit in illo.* Sæpius contingit, quod venator feris laqueum tendens, eumque cooperiens, ut feræ incautæ incidant, ipsemet tensi laquei oblitus, inconsideratè ab eodem stringatur. S. Propheta Job hominem quemdam perditæ salutis in cap. 18. describens primo loco eum velut judicij, & discursus inopem repræsentat inquiens: *Lux obtenebrescit in tabernaculo illius.* Unde provenit, quod in obscuro ambulans, vacillet, & in quodvis præcipitium corruat, & ideo subdit: *Præcipitabit eum consilium suum, Immisit enim in rete pedes suos,... Tenebitur planta illius laqueo; ... Abscondita est in ra pedica ejus, & decipula illius super semitam, Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus.* Ecclesiastes inquit: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber;* sub spinis namque sepium serpentes suas habere latebras solent; & ideo, qui sepes dissipat, facile ab ijs mordetur, & veneno imbuitur. Dionysius super dicta verba ita scribit: *Qui alteri quærit nocere, & deceptionis laqueum præparare, atque extendere, lædit seipsum in anima, & debitas luet pœnas, ac similia patietur. Hinc Prov. 11. scriptum est: In insidijs suis capientur iniqui.*

Eccli. 27. 30. — D. Carth. ib. — Probatur in Regibus & Imperatoribus. — Eccli. 27. 30. — Ps. 9. v. 17. — Ps. 35. v. 7.

5. *Facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur.* Id quod Dionysius Carthusianus varijs Sacræ Scripturæ probat exemplis inquiens: *Sicut in libris Regum narratur de Zamri, & alijs quibusdam Regibus Israël, qui traditoriè interfecerant suos Dominos, ut regnarent, & ipsi paulo post similiter fuerunt occisi, etiam ab his, de quibus non suspicabantur*, & quidem improvisè, ac proinde Ecclesiasticus subjungit: *Eam non agnoscet unde adveniat illi;* causa autem est, quia *cognoscetur Dominus judicia faciens; judicia autem Dei abyssus multa.* Legatis, si placet, Imperatorum vitas, & in multis illorum hanc Dei vindictam adimpletam reperietis; verissimum namque semper est, quod *qui gladio ferit, gladio perit.* Pharao per rationem status seductus, divinas, vel humanas leges non considerans, in illam se permisit rapi inhumanam barbariem, qua masculos è mulieribus Hebræis nascentes in aquis Nili submergi præcepit; sed *facienti nequissimum consilium, super ipsum devolutum est.* Narrat enim Josephus Hebræus a Cornelio à Lapide citatus, quod Amram Pater Moysis, dum conjux ejus partui vicina esset, considerans se communibus à Pharaone conditis legibus esse subjectum, valde afflictus fuerit, cumque se Deo efficaciter commendaret, apparens illi Deus, hanc ei revelationem enuntiarit: *Scito mihi esse cordi, & publicam vestram incolumitatem, & privatam tuam gloriam; puer enim iste, cujus Nativitatis metu Ægyptij vestros fœtus ad necem damnaverunt, tibi nascetur, qui gentem suam ex Ægyptia servitute liberabit.* Pharao præcepit, ut in aquis Nili submergerentur Hebræi, Deus autem per suam infallibilem providentiam ordinavit, ut filia ejusdem Regis pulchritudine illius infantis capta, eumdem ab aquis subtraheret, nutriendum & adoptandum velut proprium in aula sibi natum filium, ut postea multis elapsis annis Pharaonem cum toto suo exercitu, non in aquis Nili, sed maris rubri submergeret: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Eccli. 27. 30. — Exod. 2. — Joseph. Hebr. cit. à Corn. à Lap. — Ex c. 2. Apparet Deus Patri Moysis. — Exod. 15. 10.

Eccli. 27. 30. — Judic. 9. 2. — Fratricidia. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 4. — Ibid. v. 5. — Ibid. v. 6. — Parabola. — Ibid. v. 15. — Explicatio parabolæ. — Ibid. v. 16. — Ibid. v. 18. — Ibid. v. 19. — Ibid. v. 20. — Ibid. v. 2.

6. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.* Post mortem Gedeonis, Abimelech filius ejus spurius, in Sichem se contulit, ut filios matris suæ induceret ad persuadendum populo illi, ut ipsum posthabitis alijs legitimis Jerobaal filijs in Regem eligerent. Motiva autem, quæ illis ad sibi consentiendum adduxit, fuerunt sequentia: *Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Jerobaal, an ut dominetur unus vir? Simulque considerate, quod os vestrum, & caro vestra sum.* Quibus proinde rationibus permoti filij matris suæ, omnia susque deque verterunt, eoque rem totam redegerunt, ut Sichemitæ morti omnibus Gedeonis filijs inferendæ manum admoverint, quos impios Abimelech, ad numerum septuagesimum ascendentes, omnes trucidavit super lapidem unum. Ait enim sacer textus: *Inclinaverunt cor eorum post Abimelech dicentes: Frater noster est; Dederuntque illi septuaginta pondo argenti, de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos, secutique sunt eum. Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, ... & constituerunt Regem Abimelech.* Ab hac tamen strage filius Gedeonis, inter omnes natu minor, evasit, qui intellecta inthronisatione Abimelech à Sichemitis facta, ad verticem montis Garizin ascendens, ut perfectius intelligeretur ab omnibus, alta voce eorum captata attentione sequentem ijs proposuit parabolam: ierunt arbores, ut eligerent sibi Regem, cumque ad olivam venissent, hæc regnum à se repudiavit, asserens se suam non posse deserere pinguedinem; pariter ficus sua se dulcedine destituere noluit: nec vitis oblatum sibi regnum admisit, eo quod deserere non posset vinum, quod producit. Post omnes vero hasce repulsas cum tandem sceptrum Rhamno præsentassent, hic confestim respondit: *Si vere me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Eoque dicto subjunxit ad populum dicens: *Nunc igitur; si rectè, & absque peccato constituistis super vos Regem Abimelech, & bene egistis cum Jerobaal & cũ domo ejus, & reddidistis vicem beneficijs ejus, ... Et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, & constituistis Regem Abimelech filium ancillæ ejus, ... eo quod frater vester sit: Si ergo rectè & absque vitio egistis cum Jerobaal & domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis, Sin autem perversè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, ... egrediaturque ignis de viris Sichem, & devoret Abimelech.* Et vero hic Gedeonis filius verus fuit eorum suppliciorum vates; quæ à divina justitia infligenda erant huic populo adeo ingrato erga beneficia Gedeonis, qui illum à duro Madianitarum jugo liberaverat, in cujus beneficij vicem ipsi septuaginta filios Gedeonis in cruento illo macello misere mactaverunt. Porro motivum eligendi Abimelech, hoc unicum fuit: *Os vestrum, & caro vestra est;* sibi namque persuadebant futurum, ut sub ejus Dominio in summa quiete victuri essent, multisque ab Abimelech tamquam concive suo augen-

di essent beneficijs, econtra vero de filijs Gedeonis sibi timebant, tum quia dubitari ab illis poterat, ne inter illos, quorum multi erant, facile nascereturdiscordia & divitio, tum quia plurium personarum è Regia stirpe descendentium sustentatio, multas ipsorum consumptura esset facultates. At vero quid tandem accidit? *Facienti nequissimum consilium, super ipsum dissolvetur. Misit enim Dominus spiritum pessimum super Abimelech, & habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari, Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jeroboal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech, ... Posuerantque insidias adversus eum.* At vero audiatis tandè miserabilem hujus populi exitum, ait enim sacer textus: *Oppugnabat urbem, quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeretur.*

Pœniter Sichemitas ingratitudinis. *Judic. 9. 23. Ibid. v. 24.*

Ibid. v. 25.

Judic. 9. 45.

7. *Facienti nequissimum consilium.* Jeroboam Regis Salomonis servus fuerat, & humili parentela natus, verumtamen Deus, ut Roboam castigaret, eumdem ad regnum Israël extulit, in quo super decem tribus regnavit, & vero videri poterat, hunc Jeroboam nullam habuisse de stabilitate regni, ad quod assumptus fuerat, dubitandi rationem, quia Deus hoc ei dederat ob Salomonis, & filij ejus demerita, *hæc dicit Dominus Deus Israël, ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus; Eo, quod dereliquerit me, ... & nonambulaverit in viis meis. ... Te autem assumam, & ... eris Rex super Israël, ... Et si feceris, quod rectum est coram me, custodiens mandata mea, ... Ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem*, id est, firmam, & stabilem. Et quidem oraculum istud ei à Propheta Ahia revelatum fuerat, ac proinde de ejus adimpletione nequidquam ei dubitandum erat; & tamen à ratione status, quæ legi Dei opponitur, se seduci permittens, in hunc modum intra se discurrere cœpit: *Si ascenderit populus iste in Jerusalem, ut faciat sacrificia in domo Domini, & converretur cor populi hujus ad Dominum suum Roboam*, ac proinde, ut hoc declinaret periculum, in pessimam, sacrilegam, & detestabilem se resolutionem præcipitavit. Sed quid dico præcipitavit? Cum sacra Scriptura hanc referens historiam non sine mysterio dixerit, ipsum scelus hoc commisisse excogitato consilio, non vero præcipitanter; de quibus specialiter Ecclesiasticus ait: *Facienti nequissimam consilium*; loquitur enim de illis, qui prius intra seipsos consiliantur, machinasque in contumeliam Dei & damnum proximi movendas adaptant. Resolutio autem, in quam tandem descendit, hæc fuit, quod scilicet duos fuderit vitulos aureos, ei similes, qui in Horeb erectus fuerat, suisque interdixerit subditis, ne amplius in civitatem sanctam ad adorandum in templo, suaque ibidem offerenda sacrificia ascenderent: *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos dicens: Nolite ultra ascendere in Jerusalem: Ecce Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quodnam vero divina justicia huic sacrilego Regi supplicium immisit? Nimirum totale sui, suæque progeniei exterminium; his enim verbis Deus ipsum aggressus fuit: *Projecisti me post corpus tuum, ... Et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem; ... & mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum.* Ubi stirpem Jeroboam fœtidam appellat sicut fimum, disponitque, ut quisquis ex hac descensurus esset, suam in ventre bestiarum habiturus esset sepulturam, quia omnes, qui morituri erant in civitate, devorandi erant à canibus, qui vero in agro occubituri, à corvis, alijsque volucribus rapacibus discerpendi erant, quæ omnia ad unguem adimpleta fuerunt.

3. Reg. 11. v. 32. & 33. Jeroboam fit Rex Israël. *Ibid. v. 37. Ibid. v. 38.*

3. Reg. 12. 27.

Ut se conservet, impiâ utitur ratione politica.

3. Reg. 12. 28.

3. Reg. 14. 9. *Ibid. v. 10.*

Pœna quam luit Jeroboàm.

8. *Facienti nequissimum consiliam, &c.* S. Gregorius Episcopus Agrigentinus ex communi consensu, à Clero pariter, & populo, pro recepto illius temporis more, Ecclesiæ suæ Episcopus & Pastor electus fuerat, sed quia Sabinus & Crescentinus eamdem dignitatem ambiebant, adversus virum sanctum indignati, ad eum diffamandum sequentem struxerunt calumniam. Cum enim munusculis & donarijs servos Episcopi in suam partem traxissent, nocturno tempore in ejus cameram publicam quamdam introduxerunt meretricem, eamque in lectum Episcopi, eo tempore, quo is in Ecclesiam ad matutinum descenderat, decumbere fecerunt, quo terminato officio, cum Episcopus pro recepto more suo cum numerosa sacerdotum Cleri illius societate ad sua redire cubilia, temeraria illa mulier, prouti prædictis Epi

Sur. 23. Nov.

S. Greg. tentatur calumnia.

copi æmulis ibidem præsentibus instructa fuerat, inconditis clamoribus se tamquam sancti prælati accusatricem audiri & videri fecit, ad quod spectaculum circumstantium vultus non minori erubescentiæ rubore verecundati sunt, quam impostores impudentia & temerario ausu animati, Sanctus vero Episcopus, licet puram haberet conscientiam, totaliter impalluit, idque tanto vehementius, quo impij ipsius æmuli, una cum fautoribus suis, majori cum vehementia ipsum innocentem infamitimis improperijs dehonestare cœperunt, appellando eum fornicarium, hypocritam, scandalosum, & dignitate illa indignum, suscitando quoque clamoribus suis omni parte strepitum, ad vilipendium, & diffamationem ejus tanto iniquius divulgandam & dilatandam: Cumque impudentem & inverecundam illam meretricem eo dispositissent, ut contra Episcopum mediante juramento deponeret, quod ab hora serotina usque ad tempus matutinarum continuum secum habuisset commercium, in squalidum eum detruserunt carcerem; sed *facienti nequissimum consilium, super ipsum dissolvetur.* Deus enim servi sui defendendi partes sibi vendicans, Angelum è cœlo misit, qui eum consolaretur, & subatis à tibijs compedibus carcerem aperiret, quo miraculo à multis viso, homines ad ejus pedes reverenter recurrere cœperunt. Dæmon quoque impudicam illam ingressus est meretricem, at vero æmuli sacrilego ore suo, id per S. Episcopi incantationem factum esse sunt calumniati. Tandem Episcopus vinctus Missus est Romam, ubi summus Pontifex, nondum informatus, illum in principio asperrimè habuit, eumque catenis fortiter stringi fecit, quas tamen sequenti nocte Sancti Apostoli, Petrus & Paulus, diruperunt. Demum vero causa ejus à Summo Pontifice examinata fuit, sanctique Gregorij declarata innocentia, ac tandem prædicta infamis mulier, per orationes servi Dei à maligno spiritu plane liberata, postquam tamen prius in præsentia centum quinquaginta Episcoporum machinatum adversus Episcopum nefandum scelus detexisset. Sabinus & Crescentinus quoque eo modo castigati fuere, qui à Jeremia describitur, dicente: *Denigrata est super carbones facies eorum*; nigri enim facti sunt instar carbonum, contractis adeo ipsorum labijs, ut loqui non possent, factique sunt in conspectu omnium perpetuo exosi & detestabiles: Sanctus vero Episcopus ab unoquoque majorem venerationem, quam alias numquam, ob toleratam tanta cum patientia, & animi in divinam voluntatem resignatione persecutionem, habuit, & semper conservavit, utpote vir sanctitate & virtute perfectus & gloriosus. D. Chrysostomus super illa verba Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deficies eos*, inquit: *Carbones ignis, & ignem hic dicit supplicium, quod à superis immittetur*; Unde quam Deus contra prædictos sacrilegos exercuit, vindicta, sæpe memoratum oraculum nostrum corroborat & confirmat.

Calumniatores ut victores insurgunt in Sanctum.

Mittunt in carcerem.

Liberatur per Angelum.

Liberatur secundo per S. Petrum & Paulum.

Thren 4. v. 8.

Innocentia detegitur calumniatores puniuntur.

Psal. 139. 11. D. Chrysost.

9. *Facienti nequissimum consilium &c.* Refert Baronius circa annum 1173. quod ex divina vindicta implacabilis quædam inter Regem Angliæ patrem & filium exarserit discordia, dum scilicet hic quamdam in Anglia vel Normandia exquisivit civitatem, in qua una cum conjuge, quam recens duxerat, & Regis Franciæ filia erat, quiete habitare posset, quam tamen pater ei constanter denegavit. Unde filius factus rebellis, patri suo bellum indicere non est veritus, utpote à fratribus suis, & Principibus confœderatis adjutus, cujusmodi erant Rex Franciæ, & Scotiæ, Comites itidem Pictavienses, & Flandriæ, alijque permulti, unde Regni Anglicani status in summam redactus est miseriam. Observant autem annales idipsum justo Dei judicio accidisse, prout ipsemet Pater summo Pontifici fassus fuit, asserendo, quod quia ipsemet S. Thomam Cantuariensem, spiritualem Patrem suum, diris modis fuerat persecutus, merito Deus in justum noxæ suæ supplicium, hanc contra ipsum movissee filij sui persecutionem, ut delictum adeo grave condigna pœna mulctaretur.

Baron. An. 1173. n. 10.

Justè Rex Angliæ punitur à filio

DISCURSUS XXVIII.
Continuatur idem argumentum.

THEMA.

Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in vertícem ipsius iniquitas ejus descendet. Ps. 7. v. 17.

1. REgis Prophetæ David, juxta expositionem Cajetani, intendit hisce verbis demonstrare, perse-

Cajet. ibid.

persecutionem iniquam, quam Saul in suam machinatus est pernitiem, super ipsum prædixisse Saulem; ait enim Cajetanus: *Saul movendo executionem in Davidem, ut fieret, posuit sibipsi occasionem ruinæ, quoniam posuit in reputationem Davidem, & dedit illi occasionem congregandi viros ad se contra Saulem, & sic Saul perdidit Regnum.* Porro David pauper pastor, & Isai Bethlehemitæ filius erat, cumque fortitudinem, & generositatem suam, gigantem prosternendo, & jugulando probasset, postea Saulis ingressus est aulam, atque in magnæ illius victoriæ condignum præmium filiam Saulis sibi accepit in uxorem, ac proinde sine dubio tamquam gener Saulis omnes suas vires in favorem soceri sui adhibuisset, nisi hic ex motivo invidiæ, omnem movisset lapidem ad eum occidendum; quia vero adversus tam injustam sui oppressionem sese cogebant defendere, omnes quotquot in Regno Saulis male contenti erant, sese ei conjunxerunt, nam sacer textus ait: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps, fueruntque cum eo, quasi quadringenti viri.* Crevitque exercitus ejus quotidie, in tam ingentem numerum, ut factus formidabilis, non solum ab armis & furore Saulis sese defenderit, verum etiam eo mediante ad thronum Israëlis evectus fuerit, utpote ad quem jussu Dei à Samuële fuerat consecratus. Ac proinde subdit Cajetanus: *Si Saul non movisset persecutionem contra Davidem, nullam habuisset David occasionem insurgendi contra domum Saulis.* Sed ipsa persecutio Saulis fecit Davidem Regem, & propterea hic dicit, quod Saul aperuit foveam, & fodit eam, magnam persecutionem movendo, ut David non succederet in regno, & incidit in foveam, quam operabatur, quia inde perdidit regnum. Paulo ante in eodem Psalmo dixerat: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit, quia*, ut S. Thomas exponit, *cogitabat occidere, & fuit occisus*; *Psalmo 57. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.* Et in Psalmo 36. inquit de impio: *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod venient dies ejus* At vero quonam modo Deus perversa Saulis adversus innocentem Davidem concepta consilia delusit? Nimirum effecit, ut gladius ille, quem ipse toties adversus eum exacuerat, ad inferendam sibimetipsi mortem serviret, verificareturque ad unguem, quod David subjungit, dicens: *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Notat enim Cajetanus quod Saul occidit seipsum, irruens super proprium gladium. Idem Regius vates dixerat in Psalmo 9 *Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Iniqua persecutio Saulis contra Davide Sauli nociva fuit.

1. Reg. 22. 2.

Saul voluit Davidem occidere & Saul occisus fuit. *Cajetan. in Ps. 7.*

S. Thom. ib. Ps. 7. v. 16.

Ps. 56. 7.

Ps. 36. 12.

Ps. 36. v. 14.

Saul occidit seipsum. *Ps. 9. v. 17.*

2. Aſt vero quænam fuit prima origo, per quam invidus Saul permotus fuit, ut Davidem ad mortem quæreret? Hujus profecto nulla alia causa fuit, nisi quia Davide caput Goliath giganti præcisum, in manu sua, velut in triumpho, tenente, & portante, populus acclamavit dicens: *percussit Saul mille, & David decem milia*; Audiens igitur majores applausus Davidi quam sibi fieri, in iniquam illam & detestabilem præcipitatus est caput Davidis amputandi resolutionem; at vero quid factum est? *Cognoscetur Dominus judicia faciens*; sicut enim ingratus Saul caput ei amputare molitus est, qui per victoriam contra Philistæum gigantem, Regnum in capite ipsius coronam firmaverat; ita Deus per justissimam tuam dispositionem ordinavit, ut Philistæi caput Saulis amputarent, illudque ingenti cum ludibrio, & vilipendio, velut spectaculum quoddam, circumferrent. Observat insuper Cajetanus, *quod quia Saul sapius tentaverat, ut David à Philistæis occideretur, ideo Deum disposuisse, ut ipse eorumdem Philistæorum ignominiosa præda fieret; quia Saul procurabat, quod David occideretur à Philistæis, justo Dei judicio ipse Saul ruit sub Philistæis*, & huic sensui consonat, quod subjungit de illius capite (scilicet *convertetur dolor ejus in caput ejus &c.*) nam Saulis caput abscissum miserunt Philistæi, ut ostenderetur idolorum templis, & populis, & sic super caput Saulis conversum est malum. Valerius Maximus in capite, cui titulus est *de Sapienter dictis*, in hæc verba scribit: *Megarenses diem caperentur à Caleno, cavere effrænatis, leones in hostes immisserunt, parantes se obicem lascivienti jam in cavium capita mucrone objecturos, sed misere ab ipsidem tristi, & vel ipsis hostibus miserabili spectaculo sunt lacerati & devorati.* Porro is, qui Davidi de Saulis morte nuntium tulit, dicendo, se ad sollicitationem Saulis, vitam ei eripuisse, simulque eidem Davidi Regia attulit insignia, veritatem expertus est oraculi in themate propositi, scilicet: *In veritatem ipsius iniquitas ejus descendet*; quia qui ingens à Davide sperabat præmium, præmij loco mortem retulit, eo, quod in sanguinem Regium, etiam ad desperati Saulis sollicitationem, manus suas mittere præsumpsisset.

2. Reg. 1. 15.

Origo odij contra David.

1. Reg. 18. 7.

3. *Convertetur dolor ejus &c.* Jezabel innocentis Naboth sanguinem à canibus lingi procuravit: *Linxerunt canes sanguinem Naboth*; at vero quisnam hujus sacrilegæ infortunatus finis fuit? *Ostendit caput suum, & respexit per fenestram*; siquidem per capitis sui oppressionem sese cogebant defendere, omnes quotquot in Regno Saulis male contenti erant, sese ei conjunxerunt, nam sacer textus ait: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps, fueruntque cum eo, quasi quadringenti viri.* Crevitque exercitus ejus quotidie, in tam ingentem numerum, ut factus formidabilis, non solum ab armis & furore Saulis sese defenderit, verum etiam eo mediante ad thronum Israëlis evectus fuerit, utpote ad quem jussu Dei à Samuële fuerat consecratus. Ac proinde subdit Cajetanus: *Si Saul non movisset persecutionem contra Davidem, nullam habuisset David occasionem insurgendi contra domum Saulis.* Sed ipsa persecutio Saulis fecit Davidem Regem, & propterea hic dicit, quod Saul aperuit foveam, & fodit eam, magnam persecutionem movendo, ut David non succederet in regno, & incidit in foveam, quam operabatur, quia inde perdidit regnum. Paulo ante in eodem Psalmo dixerat: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit, quia*, ut S. Thomas exponit, *cogitabat occidere, & fuit occisus*; *Psalmo 57. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.* Et in Psalmo 36. inquit de impio: *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod venient dies ejus* At vero quonam modo Deus perversa Saulis adversus innocentem Davidem concepta consilia delusit? Nimirum effecit, ut gladius ille, quem ipse toties adversus eum exacuerat, ad inferendam sibimetipsi mortem serviret, verificareturque ad unguem, quod David subjungit, dicens: *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Notat enim Cajetanus quod Saul occidit seipsum, irruens super proprium gladium. Idem Regius vates dixerat in Psalmo 9 *Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

3. Reg. 21. 19.

4. Reg. 9. 30.

Ibid v. 33. Ibid v. 36. Devorant canes Jezabel quia illa sic procuraverat Naboth.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 26.

Dan. 9. 2. v. 3.

Ibid. v. 93. Ibid. v. 95.

4. *Convertetur dolor ejus in caput ejus &c.* Nabuchodonosor edictum quoddam, sub pœna mortis obligans, promulgavit, ut scilicet unusquisque statuam illam auream in campo Dura à se erectam adoraret, qui cultus utique cultui veri Dei notabiliter detrahebat, & præjudicabat, quem pueri Hebræi defendere fatagebant; Cum igitur hi ex zelo tuendi honoris divini huic edicto Regio obedire renuissent, in fornacem subito projecti fuerunt, sed cum pessimo ejusdem Regis idololatræ eventu, siquidem in eadem fornace in specie visibili vidit verum Deum comparentem, qui servos suos defendebat, & à flamma præservabat illæsos, unde ait: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, ... & species quarti similis Filio Dei, ...* & ait: *... Servi Dei excelsi, egredimini ... & ait: Benedictus Deus eorum.* Imo legem statuit, ne quisquam sub pœna mortis Deum Hebræorum blasphemare præsumeret. Id vero, unde vel maxime propositum nostrum relucet, est quod sequitur, Ministri enim, qui fornacem in septuplum plus solito ex sulphure, bitumine, aliaque materia combustibili accenderant, ut tres illos pueros conflagrarent, sed illud in damnum proprium facere minime intelligebant; *Erupit enim flamma, & incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.*

Ministri fornacis Babylonicæ igne consumpti sunt.

Ibid. v. 48.

5. *In verticem ipsius &c.* Holofernes in fortitudine invincibilium armorum suorum innumeros quidem captivaverat populos; at vero quodnam inde retulit supplicium? Nimirum & ipse viduæ cujusdam

Holofernes multos occiderat.

Hebrææ factus est captivus & mancipium ; Unde facer textus Holofernem pulchritudine Judith illaqueatum exprimere volens, non sine mysterio ait : *Statim captus est in oculis suis Holofernes*, id quod sancta hæc vidua ferventibus precibus a Deo postulaverat, dicens: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutiet eum in labijs charitatis meæ* ; Holofernes quidem innumeros percusserat, vitæque stamen plurimis præciderat; sed *conversus est dolor ejus in caput ejus, & iniquitas &c. Gladius ejus intravit in cor ejus*, id quod pariter Judith perierat dicendo : *Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur, Accessit* igitur *ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit, Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, ...Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.*

Judith. 10. 17.
Judith. 9. 13.
Ps. 7. v. 17.
Ps. 36. v. 15.
Ibid. v. 12.
Judith. 13. 8.
A Judith occisus fuit.
Ibid. v. 9.
Ibid. v. 10.

6. *In verticem ipsius &c.* Dionysius Carthusianus verba illa : *Parturijt injustitiam, concepit dolorem &c.* de Judæis Christo adversantibus interpretatur inquiens : *Populus Judæorum concepit injustitiam, calumniando opera Christi, & Dæmoni ei attribuendo ; Concepit dolorem, quia tristabantur propter gloriam miraculorum Christi, & de hoc, quod multi credebant in eum ; unde etiam cogitabant occidere Lazarum à Christo resuscitatum ; & peperit iniquitatem, id est, plebs Judæorum ex dolore, quem contra Christum concepit, ad gravissimam illam iniquitatem prorupit, qua unigenitum Filium Dei sceleratissimis, atque sacrilegis manibus occidit. Lacum aperuit, id est, Christo occasionem ruinæ proposuit, seu laqueum mortis præparavit, & effodit eum, profundando consilium, quomodo nomen atque memoriam Jesu prorsus extingueret, & incidit in foveam, quam fecit, quoniam Christum occidendo, meruerunt occidi, dispergi & minorari. Convertetur dolor ejus in caput ejus, quia quod populus Judæorum Christo facere cogitavit, ipsemet passus est.* Paulus de Palatio exponens dictum illud Ecclesiastici : *Illusio, & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi, laqueo peribunt, qui oblectantur casu justorum* ; ita scribit : *Solent superbi illusione & improperio alios afficere ; sed ei illusioni, & improperio parata vindicta est ; ut leo insidijs paratur venationi, & ut leo prodijt, unde quam venatur fera nesciebat, unde & vindicta à Deo prodibit, unde illusor ignorabat. Exemplo sit illusio & improperium Judæorum contra Christum, quibus ex insidijs prodijt Titus & Vespasianus, omnes ut leo communens.* Porro irrisionibus & ludibrijs, quibus Messiam suum exsibilarunt, succedent ad finem usque sæculorum, improperia innumera, quibuscum ab omnibus terræ populis digito monstrabuntur. Idolatræ, qui post Judæos per tot Martyrum neces fidem Christi extinguere parabant, eamdem magis magisque semper augebant ; unde S. Leo de Cathedra Petri inquit : *Reges mundi, & omnes sæculi potestates, cruenta impietate in Dei populum sæviebant, cum ad maximam pertinere gloriam suam ducerent, si de terris nomen Christianum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri, quoniam in sapphajs & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.* In actibus S. Laurentij legitur, gloriosum hunc Martyrem Valeriano improperasse dicendo: *Disce miser, quod carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium æternum.* In rabiem agebantur truculenti persecutores, Reges, & Imperatores, videntes omnem suam potentiam à teneris virgunculis derideri & superari, utpote quæ illis cæcitatem & ignorantiam, in qua vivebant, nec non crudelitatem, & barbariem; quam in illas exercebant, animose exprobrabant. S. Augustinus super illa verba Psalmi 9. *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerant* ita scribit : *Animadverte quemadmodum servetur pœna peccato de operibus suis, & quemadmodum qui voluerunt persequi Ecclesiam, in ea corruptione sint fixi, quam se inferre arbitrabantur.* In vita S. Josaphat à S. Joanne Damasceno conscripta refertur, quod cum Rex pater ejus, fidei nostræ infestissimus inimicus, ad filium ab hac doctrina Christiana divertendum, disputationem quamdam sub dolo instituere pararit, in qua Nacor simulans se esse Sanctum Barlaam, qui Josaphat converterat, revocare debebat, quidquid eum antea docuerat, Deus mira sua providentia disposuerit, quod Nacor compunctus, & in eadem disputatione conversus, fraudes ejus detegeret, ipsumque Josaphat in religionis nostræ dogmatibus stabilius confirmaret. S. Apostolus ad Philippenses in hæc verba scribit : *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelij, ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæteris omnibus.* Sanctus Hieronymus in Epistolam S. Pauli ad Philemonem scribens notat, quod Imperator existimans se per Apostoli incarcerationem fidem Christi extincturum, eamdem magis magisque suscitaverit. *A Cæsare*, inquit, *missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam*, in cujus probationem advertendum est, S. Apostolum scribere : *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem, qui de domo Cæsaris sunt.*

Ps. 7. 15.
D. Carth. ib.
Ex Psalm. 7. gradatim explicatur peccatum Judæorum contra Christum.
Eccli. 37. 31.
Paul. de Pal. ibid.
Gloria Ecclesiæ augescit persecutione iniquorum.
S. Leo ser. 6. de Epiph.
Irridentur Reges à martyribus etiam juvenculis.
Ps. 9. 6.
S. August. ib.
Ordinatur deceptio per Nacor ut abducatur Josaphat à fide.
Nacor facit contrarium.
Phil. 1. a v. 12.
S. Hier. Epist. ad Philemon.
Phil. 4. v. 22.

7. *In verticem ipsius &c.* Dionysius Carthusianus super illa Ecclesiastis : *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber* scribens, illudque Sapientis dictum adducens : *In insidijs suis capientur iniqui*, hunc in modum discurrit : *Uniuscujusque malum redundat in suum authorem ; propriam linguam detractor coinquinat, propriam mentem invidiosus exulcerat, seipsum iracundus conturbat. Qui vitiorum occasiones non vitant, sed sponte assumunt, sibiipsis foveam parant, & in eam labuntur.* S. Augustinus explicans illa verba Psalmi : *Lacum aperuit, & effodit eum*; interrogat, dicens: *Unde fieri potest ut iniquitas prius lædat hominem justum, in quem procedit, quam eor injustum, unde procedit? Itaque fraudator pecuniæ V.G. dum cupit alium damno lacerare, ipse avaritiæ vulnere saucIatur. Quis autem vel demens non videat, quantum inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecuniæ, ille innocentiæ ?*

Ecclé. 10. 8.
Prov. 11. 6.
D. Carth. ib.
Malum redundat in suum Authorem.
Ps. 7. 16.
S. Aug. ib.

8. *In verticem ipsorum &c.* Cum malignè Pharisæi mulierem quamdam in flagranti adulterio deprehendissent, bonam se nactos esse censuerunt occasionem, exhibendi speciminis odij illius, quo Christum prosequebantur, ac proinde illâ coram Christo adductâ, eum interrogarunt : *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare, tu ergo quid dicis ? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum.* Sed *in verticem ipsorum iniquitas eorum descendit*, quia cœlestis Magister *scrutans corda & renes, inclinans se deorsum, digito scribebat in terra :* In ijs autem characteribus, quos pulveri imprimebat, peccata accusatorum exarabat, & detegebat, & quidem, ut satis est verisimile, in eadem scriptura exprimebat quoque, eos, ad illam accusandam; per malignitatem potius moveri, quam per zelum. *Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat ; Et iterum se inclinans scribebat in terra, Audientes autem unus post unum exibant ; incipientes à senioribus*, Audiamus hæc de re canentem Sedulium :

Joan. 8. v. 4.
Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.
Ps. 7. v. 17.
Ibid. v. 10.
Joan. 8. 6.
Accusantes adulterium in terra legunt delicta propria.
Ibid. v. 7.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 9.

Ecce trahebatur, magna stipante caterva,
Turpis adulterij mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisæa manus placido sub judice sistens,
Cum damnare parat, plus liberat omnibus illis.

Sedul. lib. 3.

9. *In verticem ipsius &c.* Refert Plinius, quod cum Appelles Regi Ptolomæo esset invisus, æmuli ejus hac volentes uti notitia, prædictum Regem asperius contra ipsum irritare fategerint, sequentem machinando fraudem : Vespere enim quodam eumdem ex parte Regis invitarunt ad cœnam ; cumque hora opportuna comparuisset in cœnaculo Rex eum, à quonam invitatus esset, vultu quidem austero, & ad iracundiam compositio interrogavit ; Appelles autem deceptorem suum inter circumstantes non videns, subito accepto carbone vultum ejus in pariete ad vivum expressit, unde in notitiam venerunt authoris insidiarum, quæ detectæ, acerbe à Rege punitæ fuerunt.

Plin. lib. 35. c. 10.
Fraus.
Punitur.

10. In historijs Anglicanis manifestum est, quod in ijs de Thoma Eboracensi, familiari amico Henrici Octavi, ab Ecclesia Romana facto apostata refertur, cum enim hic minister ob violentum suum dominium Reginæ Catharinæ valde esset invisus, eique à quodam Astrologo prædictum fuisset, mulierem quamdam extremæ ruinæ suæ futuram esse causam, contra eamdem sequentem orditus est technam, sciens enim Regem domicellæ cujusdam aulicæ, cui nomen Anna Bolena erat, amoribus esse captum, adeo ut deficiente Catharina eam sibi desponsare decreviset, hac utens occasione, Henrico persuasit, eum in continuo pectori mortalis statu positum esse, quamdiu in matrimonio, cui jam innexus esset perseveraret, eo, quod Papa non habuisset facultatem concedendi dispensationem, quam olim impertitus fuerat, eo, quod Regina alterius fratris sui vera conjux fuisset ; hac igitur imbutus persuasione, Catharinam Reginam repudiavit, ut satis est notum, Bolenam vero existimato matrimonij vinculo sibi astrinxit; hæc

Qui Henricus Octavo suasit repudiare Catharinam Reginam.

Seipsum veneno occidit.

Drexel. de ling. malè consulente c. 8.

Nadasti Budæ Gubernator cogitur ut civitatem tradat.

hæc autem tandem causa fuit, ut Eboracensis suo exueretur munere, & extra gratiam Regis positus, plane desperatus, ut noonulli ajunt, veneno à semetipso sibi præparato mortem sibi acciverit.

11. Drexelius in capite octavo *de lingua male consulente* refert, quod cum Solimannus Imperator Turcarum Budam, Pannoniæ civitatem, ab habitatoribus planè desertam occupasset, Nadasti, loci gubernator animosus & fidelis, arcem in manus inimici nequaquam cedere voluerit ; sed non ejusdem mentis erant ejus subditi milites, hi enim ne inimicis suis in prædam cederent, hostes ad deditionem pacíscendam advocarunt, interea vero gubernatorem arreptum vinxerunt, & in carcerem contruserunt, tandemque arcem dediderunt hosti. Promiserat quidem Solimannus militi securum abitum castro tradito : At audita hac in Ducem commissa fœvitia, omnes trucidari, Nadasti vero è vinculis salvum abire jussit. Ad idem propositum deservit celebris illa historia, quam Eusebius de Maxentio tyranno narrat ; hic enim pontem quemdam mobilem & navibus compactum Tiberi tali cum artificio instraverat, ut sub transeuntium pedibus dehiscens omnes submergeret, sibi namque persuasum habebat, Constantinum, cujus quo sibi præhandum erat, hoc stratagemate submergendum esse ; at vero Constantino Maxentij exercitum à tergo persequente, Maxentius cum suis in illo impetu Tiberim trajicere coactus, per idem artificium, quod inimico paraverat, submersus fuit.

At Turcæ Milites occiderunt servato Nadasti.
Eus. lib. 9. Hist. cap. 8.

12. Accidit Parisijs, quod rustici cujusdam divitis filius, patris sui conditionem in die nuptiarum erubescens, eo, quod natalium suorum vilitatem sponsæ & parentibus ejus antea occultasset, in cameram quamdam velut carcerem incluserit ; sed *in verticem ipsius iniquitas ejus descendit*, quia quanto magis Natales suos per hanc actionem abscondere contendit, tanto magis illos omnibus manifestos reddidit, quia Pater ipsius post triduum è carcere illo eductus, receptam illam à filio injuriam Magistratui indicavit, de cujus consensu exhæreditavit filium, solam ei legitimam competentem relinquendo.

Chaval. de prud. lib. 1. cap. 12.
Erubuit filius Rustici divitem Patrem.
Exhæreditatur.

13. Thomas Cantipratensis aliud quoddam huic non dissimile refert facinus. Cum enim pater quidem, qui per suos fudores magnas congregaverat divitias, unicum haberet filium, eumdem nobili quodam decoravit conjugio. Quia vero nurus, ejus mulier, erat raræ pulchritudinis, affectum mariti sui adeo sibi fortiter conciliavit, ut is eam facere permitteret quidquid liberet. Hæc igitur socerum suum indigne tractabat, vix ei indulgens, unde se pro necessitate sustentare posset, die quadam eidem, cogente fame, cibum postulanti, fabas quasdam marcidas porrexit, asperisque verbis à se abire jussit, & conversa ad maritum dixit : *Modo possumus comedere in pace, vade ad arcam, & accipe caponem coctum.* Sed ecce adimpletum reperit oraculum illud Davidicum : *Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Subdit enim historia, quod cum aperuisset arcam, mutatus est capo in bufonem, qui subito saliens in faciem ejus, duos pedes ad mentum, & duos ad frontem firmiter applicuit, & operuit totam faciem ejus, nec fuit qui sciret eum amovere; sicque mala morte mortuus est.

Thom. Cant. l. 2. Apum. c. 7. n. 4.
Alia similis historia.
Ps. 9. v. 17.

DISCURSUS XXIX.

ARGUMENTUM.

Specialis peccati pœna est, quod unum peccatum mox post se trahat aliud.

THEMA.

Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22. v. 11.

Prius peccatum est dispositio ad posterius.

1. HIsce verbis Apocalypticis gravissimum quoddam insinuatur supplicium, cui propter peccatum subjicimur, scilicet, quod peccatum efficiat, ut peccata peccatis cumulemus & multiplicemus : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Etenim teste experientia, quanto quis in luto se magis circumvolvit, tanto magis sese coinquinat & defœdat. Porro Abulensis modum insinuat, quo unum peccatum ad alterum inviret ; ait enim : *Dici potest, quod unum peccatum est dispositio ad aliud, non quidem quod directè unum peccatum sequatur ex alio sed quia cum homo magis perseverat in malo ; fit pigrior ad bonum, & ad malum promtior.*

Abul. q. 147. in cap. 5. Matth.

2. Apud Isaiam cap. 5. hæc verba leguntur : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustra peccatum.* Quibus verbis Deus per os Prophetæ sui omnia illa comminatur, quæ ad funem contexendum concurrunt, ac demum illum ita incrassant, ut fiat velut crassus quidam rudens, qui ad currum trahendum sufficeret. At vero quænam est hæc Prophetæ Evangelici, adeo eruditi, phrasis, qua iniquitatem funibus adnimilat ? Pro hujus resolutione observandum, quod funes à principio parvi sint & tenues, postea vero paulatim tenues inter se complexi funes adeo incrassantur, ut crassi quidam fiant rudentes, qui immensi cujusdam ponderis machinas & moles sustentare sufficiunt; ita quoque sæpe quoad peccata contingit ; etenim primo peccatum ex fragilitate committitur, cadit enim peccator, vel ex vehementia tentationis, aut familiaritatis suspectæ, vel ex occasionis proximæ promptitudine, sed quia confessionem longo tempore negligit, & differt ; suggerit ipsi astutus serpens, idem esse, sive confiteatur triginta vel quinquaginta peccata, sive unum duntaxat in confessione proferat, una enim confessione ab omnibus se expedit ; hacque suggestione efficit, ut anima peccatrix in innumerabilium peccatorum se præcipitet abyssum, & cogitet penes se, *qui sordescit, sordescat adhuc.* S. Gregorius Magnus explicans verba illa Jobi : *Inducet noctem, & conterentur*, ita scribit : *In nocte iniquus conteritur, cum peccatorum præcedentium confusione damnatus, veritatis lumen non invenit, & quid deinceps agere debeat, non agnoscit. Omne quippe peccatum, quod citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est, & causa peccati ; aut peccatum, & pœna peccati ; Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso jam pondere mox ad aliud trahit, unde fit, ut non solum peccatum sit, sed peccatum, & causa peccati, ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, & pœna peccati, quia justo in judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito, etiam in alijs cadat.*

Isa. 5. v. 18.
Ps. 57. 3.
S. Aug. ib.
Catena peccatorum.
Isaiæ. 5. 18.
Job. 35. v. 25.
S. Greg. l. 25. Moral. cap. 9.
Peccatum est pœna peccati.

3. Didacus Stella id, quod Samsoni, inpudicis Dalilæ amoribus illaqueato contigit, in hæc verba considerat : *Ligatura Samsonis semper de malo in deterius procedebat, nam prius fuit ligatus decem nervicleis funibus ; secundo nervis funibus ; tertio tandem & ultimo clavo in terram defixo fuit ligatus à crinibus. Sic peccator de uno in aliud peccatum tendens, semper ejus status deterioris sit conditionis, & fortius ligatur à Dæmone ligamentis, & funibus peccatorum, ita ut mentis tenebris obcæcatus, in circuitu Diabolo serviat.* Considerationi digna est observatio illa Sancti. Augustini, quam explicando verba illa Psalmi 57. *Iniquitates manus vestræ concinnant*, his verbis tradit : *Quid est concinnant, vel connectunt ? De peccato peccatum, & ad peccatum peccatum, propter peccatum. Quid est hoc ? Furtum fecit peccatum est ; Visus est, occidere quærit eum, à quo visus est, Connexum est peccatum peccato. Permisit Deus occulto judicio, occidere eum, quem voluit occidere. Sentit sciri, quærit & alterum occidere, connexas tertium. Dum ea molitur, forte ne inveniatur, aut quia fecit, ne convincatur, consulit Mathematicum, additum est quartum. Respondit forte aliqua dura & mala Mathematicus, currit ad aruspicem, ut expietur, respondet aruspex, non se posse expiare ; maleficus quæritur, & quis omnia possit numerare, quæ connectuntur peccata peccatis :* Ecce tibi hic explicatum modum, quo ex parvis funiculis, tandem grossi intexuntur rudentes. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis.* Sanct. Augustinus ipsemet quoad se declarat, qua ratione ante suam conversionem jacuerit miserabilis, & ab immensa innumerabilium peccatorum multitudine oppressus ; ait enim in libris confessionum suarum : *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me ; quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Usque ad trigesimum tertium ætatis suæ annum in immundo sensualitatum suarum luto se circumvolutavit, adeo ut in ipso adimpleta fuerit Apocalyptica illa comminatio, & pœna in verbis assumpti thematis intimata, scilicet, *qui in sordibus erat, sordescebat adhuc* ; surdis auribus sanctæ suæ matris excipiebat reprehensiones, sicut & aliorum charitativas admonitiones, quemadmodum ipsemet in ijsdem confessionibus de se refitatur.

Ps. 57. 3.
S. Aug. ib.
Catena peccatorum.
Isaiæ. 5. 18.
S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.
Testatur de se quam difficulter fuerit conversus.

4. Chrysostomus infelicem considerat Davidis statum, quando in profundum adulterij cecidit barathrum,

thrum, quod occultare volens post se traxit execrabile Uriæ homicidium, & postea diuturno tempore sceleris illius cum publico scandalo continuationem. *Quid igitur Rex?* inquit idem Chrysostomus, *peccatum peccato cumulat, & scelas scelere obtegere molitur?* Adducitque citatum Isaiæ textum, licet eumdem differenter à nostra vulgata hoc modo legat: *Væ! qui trahitis vanitatem in funiculo longo*; ac tandem paulo post subjungit: *Cum quispiam peccavit, nisi statim se revocet, & peccatum agnoscat, in illud vorsum labitur.*

D. Chrys. in Ps. 50. In David adulterium causavit homicidium.

S. Hier. in Isa.

5. Sanctus Hieronymus aliud nobis explicat mysterium, ob quod peccata ab Isaia *funiculi vanitatis* appellantur; scilicet, quia peccatum cum facilitate committitur, idque adinstar funis, qui facile contexitur, at vero quando ab illis nos liberare molimur, eum instar rudentis crassum & fortem experimur, ob repugnantiam & difficultatem quam illa deserimus, quia cum inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur. Erit nonnumquam aliquis, qui voluptati carnali operam dare incipit, sibi persuadens voluptatem illam funiculum quemdam esse, quem facile rumpere possit, vel impudicum amorem à se pro libitu suo se posse eximere, sed graviter fallitur, quia, ut suo loco probavimus, *peccator funibus peccatorum suorum constringitur*, se enim ab illo impudico affectu, vel concupiscentia carnali adeo experietur illaqueatum & constrictum, ac si forti aliquo & crasso fune innexus teneretur. Audite Salomonem dicentem: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* Idem quoque Salomon alibi carnalem hominem ab impudica fœmina, instar bovis per laqueum tractum introducit inquiens: *Eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur.*

Alia proportio inter peccatum & funem.

Prov. 5. v. 22.

Eccli. 7. v. 27.

Prov. 7. v. 22.

6. Observandum est insuper, quod Spiritus Sanctus, qui calamum sacri Chronistæ Moysis direxit, peccatum carnalitatis, quod ante diluvium cœlum infecerat, & terram, exprimere volens, illud nomine mali seu malitiæ, quod nomen est genericum, describserit dicendo: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*; Porro D. Chrysostomus hujus appellationis hanc reddit rationem: *Ex hoc enim malo opere, quasi ex fonte quodam, multa etiam alia laboriebantur peccata, & ideo dicit: Malitiæ hominum, nam ibi scortatio, & luxuria, verisimile est, ibi & ebrietatem, & crapulam, & magnam injustitiam, & avaritiam, & innumera alia nasci mala*, quæ Sanctus Apostolus in Epistola ad Galatas cap. 5. his verbis recenset: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes &c.* Et vero numquid hæc omnia vobis totidem videntur esse funiculi, ad contexendum hunc laqueum concurrentes? *Væ! qui trahitis iniquitatem.* Ingeniosum est epipheton illud, quo Eusebius Cæsariensis hoc vitium indigitat, dum illud *hydram multorum capitum* appellat, Sanct. Ambrosius quoque hanc veritatem: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, egregiè confirmat, homo enim perditæ salutis de peccato in peccatum, de vitio in vitium semper magis magisque se præcipitat, præcipuè vero homo carnalis: *Luxuria enim feminarum, & origo vitiorum est.* Similiter quis est, qui ignoret, Apostolum de avaritia dicere: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Sanct. Bonaventura ait: *Diabolus quando potest in corde hominis invenire avaritiam, omnia vitia inserit, quia jam habet omnium malorum radicem & principium.* Cassiodorus quoque pessimam hujus vitij naturam, & consequentiam, sequentibus verbis egregie exprimit, dum ait: *Reginam illam procacium vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur.*

Gen. 6. v. 5. Luxuria est fons multorum peccatorum. D. Chrys. ib.

Gal. 5. v. 19.

Ibid. v. 20.

Ibid. v. 21.

Euseb. lib. 7. præc. Evang.

Apoc. 22. 11.

S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 19. Radix omnium malorum est cupiditas.

1. Tim. 6. 10.

S. Bonav. c. 6. diæta sal. c. 6.

Cassiod. l. 12. var. 2.

7. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Videtene cupitis, quo modo in Herode Rege, postquam in tam profundum, scandalosi, & publici cum Herodiade incestus, corruit præcipitium, adimpletum fuerit illud, quod scilicet peccatum sit pœna peccati? Audiebat ipse perlibenter Joannis Baptistæ prædicationem (*libenter eum audiebat*) sed audita omnia non exequebatur opere ipso, non enim sine mysterio Evangelista ait: *Audito eo multa faciebat; multa*, inquam, non tamen *omnia*, unde in illum impingebat populum, quem Sanctus Jacobus Apostolus his verbis detexit: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus.* Præterea magnæ inter ipsum, & fratrem suum excitatæ fuerunt contentiones, iræ, rixæ, & æmulationes, ob raptam sibi uxorem, deinde ad hujus incestuosæ mulieris instantiam, incarceravit Sanctum Joannem Baptistam, ejusque divinis admonitionibus aures suas obturavit, universamque Judæam scandalizando seducere pro nihilo duxit; adhæc crapulæ, choreis, & tripudijs deditus, atque ad juramenta, & perjuria proferenda valde proclivis erat, donec tandem in scelus adeo detestandum se præcipitaret, quale vix umquam vidit mundus, scilicet, quod in præmium unius saltatunculæ Præcursoris caput amputari jusserit, licet hic magnam apud ipsum sanctitatis opinionem habuerit; nec mirum, nam ut Sapiens ait: *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Quando enim homo timorem Dei, omnemque verecundiam exuit, nullum est adeo enorme peccatum, ad quod sibi habenas non laxet.

Joan. 1. v. 26.

Matt. 13. 55.

Beda ibid.

Toletus in Luc.

Prov. 18. 3.

8. Nazareni ad tantam pervenerunt extremam malitiam, ut referente Sancto Luca Evangelista, Salvatorem nostrum ignominiosè à se repellere, & ex monte quodam præcipitare moliti fuerint: *Ejecerunt illum extra civitatem, & duxerant illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.* Ad hanc vero extremam malitiam non pertigerunt subito, sed sensim & paulatim. A principio namque Capharnaitis invidere cœperunt, eo quod multa inter illos patrasset miracula, qualia in Nazareth, ubi natus erat, minime patravit: *Qualia fecisti in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Porro Albertus Magnus, quod Christus in Nazareth miracula non patrarit, ob hanc rationem factum id esse asserit, quia scilicet *hoc impedivit eorum incredulitas, & indevotio, quia id in fide & devotè non petebant.* S. Bernardinus ideo id Christum non fecisse dicit, quia ad miracula petenda sinistro, & terreno movebantur fine; *nam ex infidelitate, & animo contradicendi, & detrahendi, & contemnendi dicunt ei, quanta audivimus facta &c. quasi dicere vellent, nisi aliqua magna mirabilia feceris, fama tua videtur falsa, & ideo non tibi credimus.* Præter invidiam autem, & incredulitatem, militabat quoque in hoc populo detestabilis quædam ingratitudo, siquidem de civitate Nazareth jure merito dici poterat: *Non fecit taliter omni nationi*; ad nullam namque urbem ex tot nobilibus, antiquis, populosis, amplisque totius Palæstinæ civitatibus, Deus solemnem illam de incarnatione Altissimi direxit legationem, præterquam ad civitatem Nazareth, in ea namque Filius Dei carnem assumere, totque annis habitare dignatus est, & tamen Nazarenis potius, quam cunctis alijs Judææ vel Galilææ incolis exprobrari poterat illud: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*: Imo verisimile est, quod illum, velut hominem vilem, & abjectum deriserint, & contempserint, prout ex S. Matthæo facile deducitur, apud quem dixisse referuntur: *Nonne hic est filius fabri, & mater ejus dicitur Maria?* Beda ait: *Ab invidentibus civibus sæpsum curare, hoc est, in sua patria virtutes facere monetur.* Toletus aliam quamdam illorum insinuat deordinationem: *Non hi miracula fieri apud se cupiebant propter fidem, sed propter ambitionem quamdam.* Hæc igitur defectuum multiplicitas in hoc illos barathrum deturbavit, de quo Chrysostomus ita scribit: *Considera, post quantam signorum manifestationem, ad ipsos venerit, & ne sic quidem rursus sustinuerint, quin rursus sæo instammarentur.* Idem S. Doctor in catena citatus, causam, cur Christus in Nazareth miracula non patravit, his verbis manifestat: *A miraculis abstinet, ne provocaret eos ad majorem livorem.* S. Lucas enim scribit: *Repleti sunt omnes in Synagoga ira, & surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem &c.* Ecce tibi igitur, qualiter parvi hi funiculi, tandem in grossum & magnum funem adaucti fuerint: *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis.* Sacer quidam Interpres modum declarat, quo peccata, nisi subito deponantur, & in detestatione habeantur, paulatim magis magisque multiplicentur, ait enim: *Unum peccatum semel admissum semper solicitat, & instigat hominem, ad nova peccata committenda, nec facile valet homo ei resistere, quin moveatur ad imperium peccati, tamquam Domini sui, contra rationem, tanta est enim debilitas hominis per peccatum, ut facile succumbat novis peccatis, peccato tamquam Domino suo traditus, ut ei serviat, & obediat.* Citatque textum illum Apostoli dicentis: *Carnalis sum venumdatus sub peccato.* Peccator igitur dæmonis & peccati est mancipium, ac proinde vera filiorum Dei libertate privatus, duobus c ipium.

Invidia Nazarenorum.

Machinantur mortem Christo.

Ibid. v. 23.

Alb. Magn. ibi.

S. Bern. ser. 2. post Dom. 3. Quadr. Sunt incredibiles.

Ps. 147. v. 2.

Rom. 7. 14.

Peccator est peccati mancipium.

duobus hisce obedit tyrannis, qui eum in quamvis faciunt præcipitari abyssum. Abulensis in quæstione quadam hanc nostram declarat infœlicitatem, cui dum peccatis obnoxij sumus, miserè subjicimur, Ita enim discurrit: *Quando quis manet in peccato mortali, nondum salvatus per gratiam, est ratio deordinata, quia non est in ea fixum, quod non recedat à Deo, propter bona aliqua consequenda, vel mala evitanda, & ideo advenientè tentatione aliqua, ad concupiscendum bonum, vel fugiendum visse, cum facilius sit hoc agere: Quam contrarium faciet illud homo, nisi forte sit in eo aliquid, quod ad contrarium inclinet, & tamen non est, quia non est ibi gratia, quæ rationem ordinet in Deum, sed est deordinatio in anima, secundum quam naturaliter est ei movere deordinate ad bonum judicandum in creatura, & ille motus est peccatum mortale, & sic manenti in peccato mortali, est quasi naturale peccare mortaliter, quousque sanetur per gratiam, facere autem bonum est difficile, id est, contra naturam*; infallibile namque est axioma Apostoli dicentis: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; nam in ordine ad vitam æternam, opus bonum & meritorium facere non possumus, sine auxilio & concomitantia divinæ gratiæ, quam quia peccator per peccatum à se abjecit, consequens est, ut ab hujus violentia & dominio, quasi coactus, semper magis magisque de peccato in peccatum cadat, verificeturque illud: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

Abul. q. 179. in cap. 19. Matth. Manenti in peccato mortali est naturale peccare mortaliter.

1. Cor. 15. 10.

Rom. 1. v. 18.

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

S. Anselm. ibi. Gravissima est pœna quod Deus peccatores dimittat desiderijs suis.

DISCURSUS XXX.

ARGUMENTUM.

Peccatum semper post se aliud trahit, nisi deponatur per pœnitentiam.

THEMA.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Ps. 68. v. 28.

1. INter alias imprecationes, per quas Propheta Regius, à Deo inspiratus, homini perditæ salutis mala comminatur, una fuit peccatorum multiplicitas, quam justo Dei judicio sunt incursuri: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in justitiam tuam, deleantur de libro viventium &c.* Et vero hanc peccatorum multiplicitatem, severum esse vindicis justitiæ divinæ supplicium, ex quadam S. Gregorij expositione facile colligitur: Hic enim explicans verba illa: *Viam fecit semitæ iræ suæ; ita scribit: Cor quippe Dominus prioribus meritis aggravatum, justè permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli, quod cum digne in culpa trahitur, veratus ejus in pœna cumulatur, unde & iræ suæ Dominus viam de semita fecisse perhibetur, latior enim est via, quam semita; ex semita vero iræ suæ viam facere, est iræ causas districtè judicando dilatare, & qui illuminati agere rectè noluerunt, justè cæcati adhuc faciunt, unde amplius puniri mereantur.* Alvarez de hac materia differens, sequentem adfert aptissimam similitudinem: *Sicut solet paterfamilias furem (jam sua diligentia non potentem fugere, nec domo exire, pro libitu sinere, ut plura furetur, & in sinu ac in sacco recondat, quo comprehensum severius puniat, & evidentius de furto convincat; ita Dominus sinit peccatorem, qui haud dubiè suam justitiam non fugiet, ut magis, ac magis peccet, & flagitia flagitijs accumulet, quo tandem multi bene oneratum immensis supplicijs bene oneret, & pro iniquitatis mensura, cruciatus, & pœnas infligat.*

Ps. 77. v. 50. S. Greg. l. 25. Moral. c. 9. Ex semitâ peccatorum fit via.

Alvar. l. 1. p. 1. c. 4. t. 2. Similitudo à fure.

Ordo peccatorum Absalonis. Ps. 68 v. 28. D. Chrys. H. de Absal.

2. Absalon in primis per abominabilem traditionem prorupit in medio convivij in fratricidium Amnonis, idque cum summo Davidis patris sui dolore; quia vero propter hoc crimen punitus non fuit, ad alium transijt horrendum excessum excitando ad seditionem, contra Regem, bene meritum suum genitorem, subditum ei populum; deinde ad inferendam ei mortem, Regiumque Diadema è capite rapiendum, ad indicendum eidem patri suo bellum processit, tandem in tantam insolentiam prorupit, ut in conspectu totius Jerosolymæ; ejusdem patris sui uxores ad majorem ipsius contemptum & vilipendium carnaliter cognoscere non erubesceret. Numquid in hoc infelici Absalone adimpletum vobis videtur supradictum oraculum: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum?* *Semper scelera, dum non reparantur, increscunt*, inquit Chrysostomus: *Et in augmentum facinoris profilitur, quoties impunita secuitate peccatur. Dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur.* S. Apostolus ita primo capite Epistolæ ad Romanos de divina justitia sub his terminis loquitur: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*; & paulo post subdit: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*; *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Verba autem, quæ subsequuntur, vel maxime proposito nostro deserviunt; utpote illius expressiva supplicij, quod illis Psalmistæ verbis insinuatur: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*; Subdit enim S. Paulus: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam &c.* Ubi Sanctus Anselmus explicat, quomodo ly illud, *tradidit*, sit intelligendum, dicit enim sensum illius hunc esse: *Dimisit illos in desideria cordis eorum; tradere enim dicitur Deus, cum non retinet delinquentes propter arbitrij libertatem ad malum promptissimam. Manifestum quoque est, Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona, pro sua misericordia, sive ad mala, pro meritis eorum, judicio utique suo, nonnumquam aperto, nonnumquam occulto, semper autem justo; nam propter præcedentia peccata multiplicantur sequentia, & Deus, qui peccatores diu expectat, ut redeant, non redeuntes, atque contemnentes, ponit adhuc, ubi gravius impingant; Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati; aut peccatum simul & causa, & pœna peccati. Omne enim quod prius male committitur, peccatum est, sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere.* Unde Sanctus Ambrosius explicans verba illa Psalmi 1. *In Cathedra pestilentiæ non sedit*, sequens nobis suggerit salutare consilium inquiens: *Ut in stipulam ignis exiliens inhæret, ac permanet, donec omne, quod corripuit, absumat, ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat, noli ergo stare in peccato. Postremo posuisti vestigium supra voraginem culpæ, cito aufer pedem, ne supra plantam tibi ascendat pollutio, & lapsa facilitori deceptus, supra lutum resideas. Cavenda ergo prima sunt vitia, ne in plura deinde graviora proserpant. Etenim sicut si, qui se in lato versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui semel se lato improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, gratias sibi dedecoris sui cænum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit.*

Ps. 1. v. 2. S. Ambr. ibi. Cavenda sunt prima vitia ne ulterius serpant.

3. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Inter alias patientissimi Jobi querelas, una quoque hæc fuit: *Concidit me vulnere super vulnus*; quæ quidem quoad sensum literalem facilis est, quia *à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas*, sensum vero moralem S. Gregorius ad propositum nostrum ita exponit: *In infirmis suis Sancta Ecclesia vulnere super vulnus concidit, quando peccatum peccato additur, ut culpa vehementius exaggeretur. Quem enim avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, ut perpetrata culpa ex falsitate etiam defendatur; quid iste nisi super vulnus concisus est vulnere; unde bene quoque per Prophetam dicitur: Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Solet enim sanguinis nomine signari peccatum.* Enimvero quanto magis vulnus aliquod inveteraſcit, & excrescit, tanto magis caro sana dilatatur, & corrumpitur, eumdem quoque effectum spirituale animarum vulnus per peccatum inflictum producit, nisi enim hoc subito curetur, magis crescit, multosque generat vermes, id est, malæ conscientiæ adauget remorsus, & puncturas, quia *apponit iniquitatem super iniquitatem.*

Job. 16. v. 15. Job. 2. v. 7. S. Greg. ibid. Explicatur similitudine. Trahit unum peccatum alterum.

4. Apud Jeremiam dicitur: *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum.* Multi etenim sunt, qui leoni & lupo infernali in prædam cedunt, eo, quod in magno numero iniquitates suas multiplicarint, eo ipso enim, quo illas confiteri detrectarunt, confortatæ sunt aversiones eorum. S. Isidorus inter alias sententias tradit quoque sequentem: *Pœna peccati peccatum admittitur, quando pro merito cujusque peccati, Deo deserente, in aliud peccatum deterius itur, de quo amplius, qui admisit, sordidetur. Ergo præcedens peccatum causa est sequentis peccati, sequens vero peccatum pœna est præcedentis delicti. Præcedentia itaque peccata sequentium [illegible]*

Jerem. 5. v. 6. S. Isidor. l. 2. Sent. cap. 19.

sunt criminum causa, ut quæ sequantur, sunt præcedentium pœna.

5. Domus Jacob in Scriptura Sacra in tanta est existimatione, ut S. Gabriel incarnationem Verbi Mariæ annuntians dixerit: *Regnabit in domo Jacob:* Ab hac enim familia duodecim egressi sunt Patriarchæ, stipites & cardines electi populi Israëlitici, & tamen in quos excessus hæc familia non prorupit, ? Vultisne scire horum excessuum causam ? Nimirum tunc quando Josephum plus aliis fratribus à patre diligi viderunt, conceptum invidiæ livorem in primis suis scintillis non extinxerunt, ac proinde magna in ipsis flamma accensa fuit; audito enim Josephi somnio, adversus innocentem odio & vindictæ exarserunt, atque in tam profundum & fœtidum lutum sese conjecerunt, ut Moyses illud *crimen pessimum* appellare non dubitarit; in primis enim mortem ejus machinari cœperunt, & licet mutato consilio illum Madianitis velut mancipium vendiderunt, senectutem tamen patris contristari & affligere minimè curarunt, persuadentes eidem prædilectum filium suum à fera fuisse dilaniatum; unde Oleaster inquit: *Multa peccata secum affert unum peccatum, nam hic homicidium peperit mendacium & patris mœstitiam, cui non pepercit invidia.*

6. Isaias Propheta ait: *Ecce iniquitatibus vestris venditi estis.* Enimvero mancipium aliquod alijs in servitutem divenditum, ab hac servitute alterius auxilio redimi & liberari potest; non tamen idem peccatori contingit, hujus enim, quamdiu talis est, peccatum, velut implacabilis tyrannus, nullam prorsus redemptionem admittit. Præterea considerandum est, quod servus, qui à Domino suo alteri divenditur, liber evadat ab illo, qui eum vendidit, & solum subjiciatur alteri, cui est divenditus; at vero impius, qui factus effrænis, & bestialis appetitus sui servus, in servitutem transit alterius peccati, non propterea à præcedentis peccati tyrannide eximitur; & ideo Psalmista ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Ponderatione quoque dignus est ille Psalmi 37. textus: *Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Enimvero quousque iniquitates in hoc miserabili viro excreverint, ex immenso pondere, quo humeros suos onustos sensit, facile colligitur; idque magis sequentibus verbis exprimitur: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, miser factus; & curvatus sum usque in finem;* Ecce quousque peccatum non expiatum pauperem redegerit peccatorem; cum enim antea solum aggravarat caput (*supergressæ sunt caput meum:*) postea auctum & multiplicatum, in pondus immensum transiit, quod dorso ejus insupportabile & intolerabile factum fuit. Opportune igitur Sanctus Ambrosius super hunc Psalmum scribens ita monet: *Ergo quando nos ingravant nostra peccata, & talento quodam iniquitatis plumbeo ad terrena deprimimur, dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Idem Sanctus Doctor paulo post, quantopere peccatum animum destruat, nisi subito rejiciatur, his verbis declarat: *Pulchrè & illud Isaiæ huic loco adaptatur: Omne caput in dolore, & omne cor in mœstitia, à pedibus usque ad caput non est vulnus, neque cicatrix, neque plaga cum fervore, fervet enim iniquitas cum dominatur, super caput nostrum se extollens, & locum occupans, ne eum Christus Magister teneat pœnitentiæ.*

7. *Appone iniquitatem super iniquitatem.* Traditor Christi multis enormibus se peccatis coinquinavit, prout ex contextu Evangelico clare deducitur, hujus autem ratio fuit, quia dæmon animum & cor ejus adeo fortiter possederat, ut cœlestis Magister de eo dixerit: *Diabolus est. Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Hugo Cardinalis verba illa Apocalypsios, *Ubi sedes est Sathanæ*, ita exponit, *id est, Mansio, non transitus, in illis enim mansionem facit Diabolus, qui peccata nolunt confiteri, sed celant ea in gutture suo; sed in illis transit, qui etsi peccant aliquando ex fragilitate, flatim tamen confitentur.* Potro illi, qui in peccato mortali persistentes, confessionem nauseant, pluribus titulis dæmonis servi & mancipia efficiuntur, qui illos pro libitu suo in omnis generis scelera præcipitat, ut illis innumeris catenis constrictis, & illaqueatis, tanto fiat difficilior eorum liberatio; *Apponit iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in justitiam tuam, & deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Noverit igitur peccator, hunc inimici infernalis evitare laqueum, qui à S. Augustino his verbis detegitur: *Deprecor te, ô homo, ut confiteri non paveas, frequenter enim Diabolus cor tuum constringit, ne confiteatis; quandocumque hoc persenseris, Diabolo tentationem esse non dubites, qui cupit te astringere nequiter, ut in peccato positus, sine magna tentatione semper agas, quæ placita sunt ei.* Et vero qui in statu peccati est constitutus, vigore caret & virtute resistendi tentationibus, contra nos prævalentis inimici, quia divinæ gratiæ destituti sumus auxilijs, quæ alias ad nos sustinendos, ne caderemus, omnino esset idonea, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Gen. 37. Ordo peccantium fratrum Josephi.

Luc. 1. v. 32.

Oleast. ib.

Isa. 50. v. 1.

Peccator est mancipio deterior.

Ps. 68. v. 28.

Ps. 37. v. 4.

Incurvatus fuit David pondere peccatorum. Ibid. v. 6.

S. Ambr. in Ps. 37.

Ps. 68. v. 28.

Erat Judas oneratus multis peccatis.

Joan. 6. 71. Joan. 13. v. 2. Apoc. 2. 13. Hug. Card. ib.

Qui confiteri negligit est mancipium Diaboli.

S. Aug. ser. 30. ad frat.

D. Carth. ib. Peccator de minori ad majus.

Phil. 4. v. 13.

7. *Appone iniquitatem super iniquitatem.* Observandum quoque est, Regium Psaltem peccatum usuræ nomine indigitare, dum ait: *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Sed quænam usuram inter & iniquitatem esse potest proportio? Pro responsione notandum est, quod usurarius fructum numerati capitalis cum rigore exigat, ita ut solito & honesto fructu sit abundantior; eodem modo peccatum, quod cordis impij & obstinati peccatoris possessionem habet, velut rigidus quidam exactor fructus capitalis, qui multi omnino sunt, exigit, de quibus fructibus Apostolus ait: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia &c.* fructus avaritiæ sunt fraudes, exactiones, rapinæ, contractus illiciti, perjuria, pauperum familiarum oppressiones, lites injustæ &c. Concupiscentia carnalis à Clemente Alexandrino omnium vitiorum appellatur metropolis; Unde quando hæc concupiscentia cor Davidis invaserat: ab eo exigebat velut fructus, adulterium, deinde homicidium, postea scandalum publicum, denique longi temporis insordescentiam, pravamque consuetudinem, adeoque apposuit iniquitatem super iniquitatem, imo hæc peccati usura nonnumquam adeo excrescit, ut ipsummet absorbeat capitale adeoque nihil supersit, quo vel pro hoc, vel pro fructibus elapsis satisfieri possit, adeoque debitor, veluti in perpetuo quodam carcere positus moriatur. Ita enim evenit illi perditæ salutis homini, de quo S. Apostolus ait: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum tibi &c.* At vero quidnam est illud, quod thesaurizat, num forte thesauros accumulat, quorum debito penes divinam justitiam contracto satisfacere possit? Nequaquam, quamdiu enim peccati sui luto insordescit, semper ad satisfaciendum impotens manet, ipsemet igitur Apostolus satis clare explicat, quidnam sit illud: quod obstinatus peccator sibi thesaurizat, scilicet, quod summè est deplorandum *thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei*; unde consequenter fit, quod post accumulatum tam excessivum debitum, (*oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta*) non habens unde solvat, in æterno inferni carcere debitum illud per omnes æternitates luere debeat. [*Projicite eum in tenebras exteriores.*] Cœlestis Magister noster, qui non solum omnia in sapientia fecit; verum etiam omnia in sapientia dixit, reprobos hædos appellavit dicendo: *Statuet hædos à sinistris*; at verò cur non potius illos vocavit Tygrides, aspides, vel basiliscos? Maxime cum hœdi animalia domestica esse soleant. S. Thomas inquit: *Per hædos intelligit peccatores, quia est animal per præcipitia vadens*; Væ Dei ad æternæ salutis portum perducunt, & ideo impij hasce vias non terunt; *non enim, qui operantur iniquitatem, in vijs ejus ambulaverunt.* Secundam rationem esse dicit, quia hœdus animal ad coitum ferv idum est, denique tertio, quia pro peccato offerebatur. Lyranus aliud tangit mysterium inquiens: *Bene dicit hœdos, non capras, quæ fœtus habere possunt. Hœdas enim petulium animal est, & stolidum.* Didacus Stella aliam proposito nostro aptiorem rationem adducit inquiens: *Dominus per Matthæum malos contulit cum hœdis, quia hœdus semper procedit de malo in pejus, nam quanto magis adolescit, tanto pejor fit ad manducandum, ita ut quando ad maturam ætatem perventi, comedi à nemine possit; sic mali semper in pejus prodeunt, quousque in profundum malorum deveniunt.*

Ps. 118. v. 3.

Lyran. ibid.

Did. Stell. in Luc. 3.

DISCURSUS XXXI.
ARGUMENTUM.

De eodem argumento disseritur.

THEMA.

THEMA.

Peccator adjiciet ad peccandum. Eccli. 3. v. 29.

1. Ecclesiasticus hisce verbis quamdam nobis manifestat veritatem, continua impiorum experientia comprobatam, hi enim, postquam timorem Dei deposuerunt, in cujusvis peccati barathrum sese præcipites agunt, & hoc est, quod in themate dicitur: *Peccator adjiciet ad peccandum*, Græcus textus legit: *Peccator addet peccata super peccata.* Tygurina habet: *Scelerosus peccata peccatis accumulabit.* Dionysius Carthusianus: *De minoribus corruet ad majora, scandalizabitque proximum, & tandem sic excæcatur, ut glorietur, cum malefecerit, vel excusat se falsè, ac in pessimam confuetudinem ruat, ita ut vitia sua, quamvis enormia, parum, aut nil ponderet; peccatum namque quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud; nam sequens peccatum, est peccatum, & pœna peccati; ideo quanto quis frequentius ac gravius Deum offendit, tanto plus meretur relinqui ab eo, at justè relictus, cadit assiduè gravius,* B. Laurentius Justinianus post citatum illum Psalmi 35. textum: *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus, Quomodo dolose egit, ... ut inveniatur iniquitas ejus ad odium,* mox subjungit: *Desperans de salute propria demergit se sponte in sceleribus universis. Diligenter tamen considera, quod perditus hic peccator nequaquam repente, sed per incrementa malitiæ, & à justitiæ descensu hucusque devenit.* Exemplificat verò idipsum in S. Petro Christum turpiter abnegante, *prius quippe Christum simpliciter negavit dicens: Mulier, non sum. Deinde ex priore delicto effectus debilior, cum juramento veritatem se nescire fatetur, postremo tamquam sine resurrectionis spe mortuus, sub anathematizatione Dei filium spernit, & abjicit. De similibus ait Propheta: Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Hugo Cardinalis super propositi thematis verba ita scribit: *Peccator adjiciet ad peccandum, per desperationem, sicut dicitur Prov. 18. Impius cum venerit in profundum vitiorum, contemnit.* Idem quoque aliam adducit rationem, ob quam impij in quævis se peccata demittant. *Adjiciet ad peccandum*, inquit, *per præsumptionem, non cessans peccare, quia nimis præsumit de misericordia Dei.*

D. Carth. ib. Peccator de minori ad majus.

Ps. 35. 2. & 3.

B. Laur. Just. de triump. Christ. agone 6. 9.

Probatur in Petro Apost.

Eccli. 3. 29.

Prov. 18. 3.

Hug. Card. ib.

2. Sententia est Sapientis: *Impietas peccatorem supplantat*, id est peccatori omnem fortitudinem & vigorem, qua se in pedibus conservare possit, eripit; quando autem plantæ sunt debiles, facile & frequenter homo cadit, vel saltem ad quemvis gressum titubat. Symmachus legit: *Injustitia vero attrahit peccatum*; Quod venerabilis Beda sequenti similitudine à magnete desumpta declarat inquiens: *Sicut magnes ferrum, sic concupiscentia peccatum ad se trahit. Item, ut ferri annulus magneti adhærens alium levat, & hic alium, donec catena fiat, sic peccata, alta ex alijs pendent.* Basilius Magnus explicans verba illa Isaiæ: *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis &c.* similitudinem adducit eorum, qui juncinas texunt storeas, prout antiqui cremitæ facere solebant, ait enim: *Pari modo, qui in profundum malorum festinant se protradere, priusquam priori peccato sit impositus finis, adoriantur secundum, rursus huic aliud continenter coaptant. Atque ita vita, quæ per peccatorum gradus progreditur, assimilis videtur funiculo cuipiam contexto, & in longum protracto, quippe quæ & quod prius cæperat connectere, retinet, & quod semper adest coaptat, & adjungit ad similitudinem præcedentis. Ob hoc ait: Væ! qui attrahitis peccata quasi funiculo longo.* Paulo post eamdem continuando metaphoram conjungit: *Certe ad hunc modum hi funiculi, quantalibet longitudine extendantur, per quam difficilis sunt salutis ob vigorem peccantium, confirmatum consuetudine peccandi; quique involvant se vehementer peccatis crebrius repetitis.* Observandū porro est; Ecclesiast. prius dixisse *cor nequam gravabitur in doloribus*, & postea subjunxisse: *Et peccator adjiciet ad peccandum*, & quidem licet verba præcedentia, aliud à sequentibus innuere videantur, tamen revera ita non est, quia idem est dicere, *Gravabitur doloribus*, ac dicere: *Adjiciet ad peccandum*, quia per ly *doloribus*, peccata intelliguntur, ut patet ex illo textu Psalmi septimi: *Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*; cur igitur malum & malitiosum aggravatur doloribus, id est, peccatis, illa semper magis magisque multiplicando: *De corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria &c.*

Ps. 7. v. 15.

Matt. 15. 19.

Eccli. 3. 29.

Lyran. ibid.

Abyssus abyssum invocat, id est culpa culpam parit.

D. Chrys. ib.

Ose. 4. 2.

S. Greg. l. 13. mor. cap. 6.

Ose. 10. 13.

Isa. 34. v. 14.

S. Greg. l. 7. mor. c. 12.

Eccli. 8. v. 11.

S. Ambr. ser. 2.

Judith. 10. 6.

S. Bonav. comp. Theol. ver. l. 3. c. 7.

Superbia est mater reliquorum sex peccatorum capitalium.

3. *Peccator adjiciet ad peccandum.* Celebre est illud Davidicum oraculum: *Abyssus abyssum invocat*, id est, ut Lyranus ad propositum nostrum exponit: *Culpa culpam parit*, quia per experientiam videmus, quod quando frænum timoris à peccatore abjicitur, dissolutus, & petulans peccator, velut equus indomitus, in quemvis lapsum & præcipitium se induci permittat. D. Chrysostomus Tom. 5. lib. unico *contra gentiles*, sequentem tradit doctrinam. *Anima, quæ peccati gustum semel fecerit, & quæ nullius doloris aut pœnitentiæ stimulis tangitur, magnum certe auctarium morbo adjicere solet.* S. Gregorius verba illa Oseæ: *Sanguis sanguinem tetigit*, ad propositum nostrum ita explicat: *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Apud eumdem Oseam legitur: *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis*, quis autem adeo est rerum ignarus, qui messem semente semper abundantiorem & copiosiorem esse nesciat? Quisquis igitur arat, id est, seminat peccatum, ejusdem pessimæ & venenosæ sementis copiosam quamdam messem expectare habet, quia *peccator adjiciet ad peccandum.* Idem S. Gregorius alibi explicans verba illa Isaiæ: *Et pilosas clamabat, alter ad alterum*, ita scribit: *Pilosas autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam malitiam provocat, & quasi quadam cogitationis voce, commissa jam culpa, ad culpam adhuc, quæ committatur, invitat.* Contingit præterea, quod divinarum legum transgressores audaciores sint in dissolutionibus suis, ob causam illam, quam Ecclesiasticus cap. 8. his verbis insinuat: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Unde S. Ambrosius ait: *Impunitatem sperans peccatorum, non solum durat inconvertibilis, & intractabilis manens, sed adhuc acerbius peccat.* Et vero hæc peccatorum sine ullo fræno, & sine cura detestationis illorum, temeraria multiplicatio super populum Israëliticum Dei provocavit flagella: *Filij Israël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini.* S. Bonaventura de damnis peccati differens, inter alia hoc quoque magnæ considerationis assignat, quod scilicet; *Ad alia peccata trahit. Exemplum habemus de Cain, qui egressus in agrum occidit fratrem suum Abel*; demum vero post alia adducta exempla, quorum in præcedentibus discursibus meminimus, subdit inquiens: *Patet, quod peccatum est pœna peccati. Peccatum enim, secundum quod in se est, præcedentis peccati dicitur pœna, & ita dicitur aliquid simul culpa & pœna.* Idem paulo post, quomodo ab uno peccato fiat lapsus in aliud, his verbis declarat: *Quod autem unum peccatum nascatur ex alio, sic apparet. Superbia enim, quia vult omnes excellere, dolet, si aliquis ei æquetur, & sic ex ea nascitur invidia; invidus vero, quia de facili trascitur ei, cui invidet, ideo ex ea nascitur ira; sed ira, cum non potest se vindicare, tristatur, & ideo ex ea nascitur acedia; acedia vero consolationem quærens in exterioribus, facit avarum; avaritia autem, quia in temporalibus abundat, potest magis exercere gulam, gula vero propter ventris repletionem, de facili spumat in libidinem, & ita generat luxuriam.*

Matt. 15. 19.

Ps. 41. v. 2.

4. *Peccator adjiciet ad peccandum.* Achab, ut hortorum suorum magis augeret amœnitatem, & delicias, à pruritu possidendæ vineæ Naboth se permisit seduci, quia vero in Naboth renitentiam invenit, adeo est contristatus, quod languens in lectum se conjecerit, cum tali inappetentia, ut ne bolum quidem cibi deglutire posset, aut vellet. Regina autem hujus tristitiæ facta certior se eum desiderij sui compotem facturam esse, illi promisit; modus autem idipsum faciendi hic fuit, nimirum nomine Regis literas scribit, Regioque sigillo obsignari jussit; signatasque Optimatibus Jezraël transmisit, rigidum illis intimans jejunium, pro felici exitu negotij cujusdam ardui, quod erat tractandū porro est; Ecclesiast. prius dixisse *cor nequam gravabitur in doloribus*, & postea subjunxisse: *Et peccator adjiciet ad peccandum*, & quidem licet verba præcedentia, aliud à sequentibus innuere videantur, tamen revera ita non est, quia idem est dicere, *Gravabitur doloribus*, ac dicere: *Adjiciet ad peccandum*, quia per ly *doloribus*, peccata intelliguntur, ut patet ex illo textu Psalmi septimi: *Ecce parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*; cur igitur malum & malitiosum aggravatur doloribus, id est, peccatis, illa semper magis magisque multiplicando: *De corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria &c.*

Peccata Achab & Jezrael. 3. Reg. 21. 7.

imponit, & quod valde ponderandum est, non contentus Nabothi suam eripuisse vineam, eidem aufert & vitam pariter & bonam famam, quæ vita longe præstat; efficiendo ut tamquam blasphemus ad mortem condemnetur. Abulensis quorumdam citat authoritatem, qui scripserunt, *Achab non solam fecisse occidi Naboth, sed etiam omnes filios ejus, ita ut non maneret aliquis hæres.* Numquid his omnibus consideratis, in Achab adimpletum fuisse vobis videtur, quod *peccator adjiciet ad peccandum?* Didacus Stella de impio ita scribit: *Ex uno in aliud devenit peccatum, & unum peccatum aliud impellit, & nullum finem & terminum hoc genus mali haberet, nisi divina misericordia nostris peccatis imponat finem.* Adducitque quamdam omnibus notam similitudinem, qua modum insinuat, quo culpa quotidie, magis magisque multiplicatur. *Quemadmodum lapide projecto in aquas, excitatur fluctus, qui simul ut oritur, alterum quoque excitat, & ille alterum, quousque in magnum, & pene infinitum numerum fluctus perveniant, sic ex uno peccato commisso, aliud oritur, & ex illo aliud, ut fluctus.* Sanctus Anselmus in commentario super primum caput ad Romanos ita scribit: *Peccatum, quod ex peccato, id est, ex secundo sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati, quia crescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Prioris peccati merito peccatorum subsequentium fovea regitur, ut, qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alijs etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpis culpæ feriantur.* Sanctus Ambrosius peccatorum petulantiam & insolentiam hisce verbis detestatur, inquiens: *Peccator unusquisque quo graviora flagitia commiserit, eo fit insolentior, namque usu & exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur audacia.* Sanctus Augustinus super Psalmum 57. scribens adducit textum S. Pauli, ex Epistola ad Romanos capite primo desumptum; *Audi Apostolum dicentem: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Ecce ignis, à cujus facie, tamquam cera liquescunt. Solvuntur enim à quadam constantia castitatis, propterea, & ipsi euntes in libidines suas, soluti & fluxi dicuntur. Enumerat multa, quæ peccata sunt, & pœnas dicit esse peccatorum, nam dicit primam pœnam superbiam, imo non pœnam, sed primum peccatum superbiam. Primum peccatum superbia est, ultima pœna est ignis æternus, aut ignis inferni jam damnatorum. Inter illud peccatum, & hanc ultimam pœnam, media quæ sunt, & peccata sunt, & pœna peccatorum.* Advertendum porro est, quod priusquam Ecclesiasticus diceret: *Peccator adjiciet ad peccandum*, paulo ante obdurationis, & obstinationis impij mentionem fecerit dicendo: *Cor durum habebit malè in novissimo*, hoc enim advertens Sanctus Isidorus ait: *Præcedentium peccatorum pœna, ipsa vocatur induratio, veniens de divina justitia. Hinc est*, quod ait Propheta: *Indurasti cor nostrum, ne timeremus te, neque enim, dum quicumque justi sunt, à Deo impelluntur sed, dum mali jam sunt, indurantur, ut deteriores existant, sicut & Apostolus dicit. Quoniam charitatem veritatis Dei non receperunt, ut salvi fierent, immisit illis Deus spiritum erroris. Facit ergo Deus quosdam peccare, sed in quibus talia jam peccata processerint, ut justo judicio ejus mereantur in deterius ire. Talia quippe peccata præcedentibus alijs peccatis, prolabuntur in pœnam, quam peccata merentur.*

Abul. q. 6. ib. — *Did. Stell. in Luc. 3.* — Similitudo. — *S. Anselm. in cap. 1. ad Rom.* — Quò gravior est peccator eo est insolentior. — *S. Ambr. l. de Noe & Arc. cap. 10.* — *S. August. in Ps. 57.* — *Eccli. 3. 29.* — *Ibid. v. 27.* — *S. Isidor. l. 2. sent. c. 19.* — Induratio est pœna præcedentium peccatorum.

5. Sanctus Propheta Job ait; *Tenebitur planta ejus laqueo, & exardescet contra eum sitis*; quibus verbis de impio loquitur, cui sæpe contingit ijsdem laqueis capi, quos in damnum aliorum tetenderat, quemadmodum suo loco diffusè probavimus. Verumtamen ijsdem verbis aliud quoddam peccatoris insinuatur præjudicium, scilicet quod semper magis magisque sitibundus fiat. Sicut avis visco capta, dum ab illius tenacitate vult declinare, quanto magis alas concutiendo in eum finem vim facit, tanto magis inviscatur, ipseque auceps de capta præda securior evadit; Et sicut is, qui aquam salsam bibit, quanto plus de illa potat, tanto ardentiorem in se sitim accendit: Ita quoque S. Job vult dicere, quod quanto quis Deum atrocius offendit, tanto graviorem sibi pœnam & supplicium conciliet, scilicet, quod magis magisque semper offendat & prævaricetur: *Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum*; Sic enim V. G. avarus quanto magis crescit in avaritia; homo carnalis, quanto diutius in suis voluptatibus perseverat; ambitiosus, quanto altiores dignitates desiderat, & sic de alijs (nisi peccata sua detestentur) tanto magis adjicient ad peccandum.

Job 18. v. 9. — Peccator est ut avis capta visco. — *Eccli. 3. v. 29.*

6. Apud S. Lucam cap. 24. hydropicus coram Salvatore nostro demittitur, ut curetur; per hunc autem hydropicum Dionysius Carthusianus peccatorem septem vitijs capitalibus spiritualiter infirmantem intelligit, inquiens: *Septem ponuntur proprietates hydropici, per quas septem peccata mortalia denotantur.* Mysterium vero, propter quod peccator potius per hunc infirmum, quam per alium quemlibet præfiguretur, est, quia quanto hydropicus plus bibit, tanto majorem sibi sitim accendit; ita quoque homini vitioso contingit, quanto enim magis hic suis indulget appetitibus, tanto se insatiabiliorem esse experitur. Unde S. Gregorius ait: *In ejus quippe animo contra eum sitis exardescet, quia quo agere perversa consuevit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur.* Apud Oseam dicitur: *Comedent, & non saturabuntur.* At vero quisnam est hic cibus, qui adeo tenuis est substantiæ, ut hominem se comedentem non satiet? Propheta paulo post subdit: *Fornicati sunt, & non cessaverunt*; ubi glossa interlinearis ait: *Vires fornicationis deficiunt, sed desiderium ardescit.* Alvarez de hac materia differens ita scribit: *Sicut corpus mortuum, & anima destitutum, non potest non fœtere, ac indicia absentiæ animæ ac privationis vitæ monstrare, ita non potest anima Deo mortua, non signa suæ spiritualis mortis ostendere, & multo tempore fœtorem novi alicujus peccati non emittere.* Enimvero cadaver vermes, bufones, & similia alia deformia & putrida gignit; ita quoque anima Deo mortua vermes, remorsus, & malæ conscientiæ puncturas generat; *Peccator adjiciet ad peccandum.*

Luc. 14. v. 2. — Hydropicus in Evangelio repræsentat septem peccata capitalia. — *D. Carth. ib.* — *S. Greg. l. 14. mor. c. 5.* — *Ose. 4. v. 10.* — *Ibid.* — Vires fornicationis deficiunt non desiderium. — *Gloss. interl.* — *Jac. Alvar. Tom. 1. lib. 2. p. 1. c. 3.* — Anima Deo mortua fœtet.

7. Cum Salvator noster à duobus illis Dæmoniacis, qui è sepulchris egressi fuerant, malignos expulerat spiritus, hi protinus ab eodem petierunt dicentes: *Mitte nos in gregem porcorum.* At vero qua ratione fieri potest, ut spiritus natura sua adeo nobiles, in tantam inducantur vilitatem, ut in ejusmodi immundis & fœtidis animalibus habitare desiderent, quod si à Christo in porcos ingredi jussi fuissent, nequaquam mirarer, tunc enim obligati fuissent ad præstandam obedientiam. D. Chrysologus notat verba illa, quæ S. Evangelista Matthæus dixerat, scilicet, quod *viri illi erant de monumentis exeuntes*, ac proinde dicit, obsessos hosce illos præfigurasse peccatores, qui in potestate Dæmonis constituti, immunditiei assuefacti sunt, & in peccatorum suorum stercore habituati, horum enim proprium est, quod ex luto & sordibus peccatorum se extricare non possint, sed magis magisque quotidie in profundum defigantur. *Peccator adjiciet ad peccandum. Nequitia enim*, ut Chrysologus ait, *fœtores nescit amittere, sed mutare*, sic enim si aliquando contingat, quod vir lubricus & carnalis, per mortem, vel aliud quodvis accidens, scortum suum amittat, non propterea à vitio carnis prosequendo cessat, sed aliud quoddam simile scortum superinducit, quia *nequitia fœtores nescit amittere, sed mutare.*

Matth. 8. 31. — Quare Dæmones in obsessis petierint transire in porcos. — *Ibid. v. 28.* — *D. Chrys. ser. 16.*

8. *Peccator adjiciet ad peccandum.* Populus Dei electus, de quo Psalmista canit: *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*, postquam per tot sæcula, etiam in medio Ægypti, inter idololatras inviolabilem vero Deo præstitisset cultum, tandem in Horeb turpiter lapsus est in idololatriam; vultisne hujus lapsus scire causam? *Peccator adjiciet ad peccandum*; nimirum furorem & impatientiam, ex mora & dilatione Moysis conceptam, quæ grave delictum erat, refrænare non potuit; imo cum imperio, & adjunctis minis ab Aarone Deos sibi fieri petijt, *Videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*; bovemque ex metallo fusum adorarunt, eique sacrificia obtulerunt, paulo post quam crapulæ indulserunt, & ebrietati: *Sedit populus manducare, & bibere*, imo choræas, tripudia, aliosque ludos profanos adjunxerunt, *& surrexerunt ludere*; Ecce igitur qualiter verum sit, quod *peccator adjiciet ad peccandum.* Hanc quoque veritatem in parabola de vinea, cujus apud S. Matthæum cap. 21. fit mentio, expressam reperiemus. Illi namque agricolæ negligenter annuum fructum Domino suo tempore debito solverunt, expectantes donec à Domino per citationem accerserentur; ad hanc negligentiam paulo post accessit servorum à Domino ablegatorum indigna tractatio, siquidem aliquos eorum percusserunt, alios vulnerarunt, alios ferro occiderunt, alios lapidarunt, ideoque in contumacibus illis quotidie crescebat obstinatio, donec tandem execrabile illud

Ps. 75. v. 2. — *Exod. 32. 1.* — Ordo quo peccavit populus Israeliticus petens sibi fabricari Deos. — *Ibid. v. 6.* — *Eccli. 3. v. 29.* — *Matt. 21.*

illud scelus homicidij in filium adjungerent, hunc enim apprehensum ejecerunt extra vineam & occiderunt.

DISCURSUS XXXII.

ARGUMENTUM.

Impunitas, & prosperitas peccatorum in hac vita, infallibile est Dei contra illos indignantis indicium.

THEMA.

Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Ps. 10. v. 4.

1. Antiquum inter homines est lamentum, quod Malachiæ secundo exprimitur, & à majori parte tribulatorum hominum audiri solet scilicet, quod dum ipsi à peccatis se continent, ex altera parte impios in hac vita prosperari videant, se vero abjectos; contemptos & angustiatos. De his enim loquens Malachias ait: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo, quod dicitis: Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent; aut certe, ubi est Deus judicij.* De his quoque Regius Propheta David loquitur, dum ait: *Exacerbavit Dominum peccator*, scilicet dum contra Dei providentiam murmurat, videns, quod licet impius divinam exasperaverit justitiam, Deus quoque adversus illum acriter sit indignatus, attamen nullum adversus ipsius delicta processum instituat, *secundùm multitudinem iræ suæ non quæret*; quasi diceret, impius impune peccabit; cum tamen infallibilis sit veritas, quod *justus sit Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Pro hujus difficultatis resolutione notandum est, quod in dubium revocari nequeat, quin Deus peccatori sit iratus, hoc enim ex illo verbo, *exacerbavit*, clare colligitur, non enim solum irascitur peccatori, sed & vehementer ei indignatur *secundùm multitudinem iræ suæ*, quod vero in hoc iræ suæ calore, impium delinquentem non castiget, exinde nequaquam credendum est, quod mansurus sit omnis deinceps pœnæ expers; imo dum peccatori habenas laxat, omnemque peccandi libertatem diu indulget, eodem tempore eum adigit, ad comportanda ligna pro igne infernali accendendo & continuando; ac proinde immediatè Psalmista subjungit: *Non est Deus in conspectu ejus; cujus maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo.* Et paulo post inquit: *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Sed utinam homo perditæ salutis, dum in hac vita prosperitatibus abundat, oracula cœlestia salubriaque Sanctorum Patrum monita surda aure non excipiat; utinam auscultet Sanctum Augustinum dicentem: *Multum irascitur, dum non requirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata.* Venerabilis Beda ad verba præcedentia Psalmi se reflectit, quibus dicitur; *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ & iniquus benedicitur*, tunc enim mox subjungit, *exacerbavit Dominum peccator.* En verba ipsius Bedæ: *Dixit B. Augustinus: Nemo aggratuletur homini, qui prosperatur in via sua mala, cujus peccati deest ultor, & adest adulator. magis enim per hoc sibi Deus irascitur, quod sic in libro dicitur; Peccator dum ab adulatore laudatur, exacerbavit, id est, valde acerbum & asperum fecit sibi Dominum.* Et paulo post, ut iram Dei adversus peccatorem, quasi irreconciliabilem demonstret, subjungit: *B. Augustinus dicit: Ille Dominum sibi exacerbat, qui peccando incidit in eam infirmitatem, ut cibum veritatis, quo sanæ animæ gaudent, gustare non possit; & quia exacerbavit sibi Dominum, id est, non quæret eum Dominus per gratiæ illuminationem; vel ipse peccator non quæret, id est, negliget Dominum, secundùm multitudinem iræ suæ, id est, Domini, quia multipliciter iratus est ei Dominus; vel iræ suæ, id est, peccatoris, quia ipse peccator multam sibi iram Domini acquisivit.*

Mal. 2. v. 17. — Peccat impius quasi impunè. — *Ps. 10. v. 8.* — Minime immunis. — *Ibid. v. 5.* — *Ibid. v. 3.* — Eo gravius punietur. — *S. Aug. ibid.* — *Beda in Ps. 10.* — Dum hic relinquitur.

2. Deus apud Ezechielem cap. 16. se adversus Jerosolymam & populum ejus iratum esse, jamque de facto ad sumendum de sceleribus illius justum & severissimum supplicium, flagellum apprehendisse dicit, & tamen in vindicativi furoris sui summo fervore expressis verbis dicit: *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Porro terribiles illæ desolationum, exterminiorum, aliarumque miserabilium ærumnarum comminationes, quibus antecedenter hunc sibi rebellem populum consternaverat, ad inferendum uniuscujusque illas legentis, vel audientis pectori Sanctum Dei timorem, & ad perterrefaciendum omnes abunde sufficiunt, & tamen post illas protestatur dicens: *Requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Quod ipsum, ut Sanctus Hieronymus ait: *Pessimum signum est, tunc enim Deus peccatori vel maxime irascitur, cum illius peccata dissimulare videtur, & impune transire permittit. Ex quo perspicimus*, inquit S. Hieronymus, *grandem offensam esse, nequaquam curæ haberi à Deo, sed permittit hominem sceleribus suis.* Verum enimvero hic modus castigandi ipsius Dei, à paucis intelligitur, scilicet, quando Deus à nobis in hac vita castigandis supersedet, licet per culpas nostras divina flagella mereamur. Videbitis nonnumquam, quod is, qui ingentem quamdam fossam vult transilire, communiter aliquot passus retrocedat, sed quo putatis fine id facit? Nimirum ut saltum magis promoveat, & vehementius saliat; eodem modo de divina justitia, circa divinorum præceptorum suorum prævaricatores sese habet; Dissimulat enim peccata illa, differt pœnam, summam exhibet patientiam, in tot injuriarum toleratione: At vero quonam fine id Deum facere existimatis? Num forte ut peccatores impuniti remaneant? Nequaquam. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.*

Ezech. 16. 42. — Malum est signum si Deus dissimulet peccata. — Similitudo à modo transeundi fossam. — *Rom. 2. v. 4.* — *Ibid. v. 5.*

3. Imprecatio est Prophetæ Regij in Psalm. 9. dicentis: *Convertantur peccatores in infernum.* Et hoc quidem ultimum est impiorum supplicium, scilicet carcer ignis sempiterni; Sanct. Augustinus verò modum insinuat, quod in hunc carcerem major hominum pars proturbatur, dum prædicta Psalmistæ verba ita exponit: *Id est, Dentur in manus suas, cum eis parcitur, & illaqueentur delectatione mortifera.* Porro per experientiam videmus, multos in hac terra vivere, ac si post hanc vitam alia non superesset, indulgent enim voluptatibus, omnium tribulationum & adversitatum expertes, vento semper favorabili navigant, *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur*; At vero hæc est pessima tempestas, inquit S. Augustinus, ad navim in æternæ damnationis abyssum submergendam, dum enim parcitur, *illaqueatur delectatione mortifera.* Unde Seneca monet dicens: *Noli huic tranquillitati confidere, in momento mare vertitur.* Dum enim peccatores sibi impune permitti vident, quod suis satisfaciant appetitibus, & desiderijs, quod ab iræ divinæ exempti sint flagellis, in securo se statu positos credentes, dissolutiores fiunt, magisque temerarij, ad quævis scelera committenda, idque facientes, pro igne illo inextinguibili ligna sibi in majori numero quotidie accumulant. S. Hieronymus, postquam in epistola quadam ostendisset, hunc Dei morem esse, quod servos suos fideles in hac vita per persecutiones & adversitates exerceat, & pessimè tractet, licet in continua innocentia Christiana sanctissimè vivant, tandem subjungit: *Et tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi & delicijs perfruuntur?* Et paulo post confirmans ea, quæ super textum Ezechielis dixerat, subjungit: *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus, unde & in Ezechiele ad Jerusalem, jam, inquit, non irascar tibi, zelus meus recessit à te.* Quando vulnus saucij alicujus hominis caratione indiget, Chirurgus autem ne vulnerato dolorem infligat, plagam non aperit, nec carnem putridam adurit, neque alia unguenta corrosiva applicat, ne dolorem inferat, pessimum hoc signum est, sine dubio enim vulnus hoc gangræna afficietur, sicque homini saucio dolores, & tormenta atrocissima, ac tandem irreparabilem conciliabit mortem. Audiamus S. Isidorum Pelusiotam dicentem: *Delinquentes, heus tu, & in hac vita castigati; deplorandi non sunt, sed qui impuniti abeunt; ut enim non tam molestum est ægrotare, quam morbo medelam non adferri, ac neque putrescens ulcus lamentis sit dignum, sed potius remedium à Medico non adhiberi. Qui enim secatur, uriturque, ad curationem properat, dolorum percepturus medelam. Idem animis usu venire existimandum est, quæ enim hic pœnæ, suppliciaque tolerantur, ad salutem traducunt; at impunè qui ferunt, ij fere mali sui sensum amittunt.*

Ps. 9. v. 18. — Modus, quo plures descendunt in infernum. — *S. Aug. ibid.* — *Ps. 72. v. 5.* — *S. Aug. l. 1. epist. 38. ad Castrus.* — Bonæ fortunæ non est fidendum. — *S. Isidor. Pel. lib. 5. epist. 269.* — Vulnus neglectum causat gangrænam.

4. Pro majori verborum assumpti thematis intelligentia advertendũ est, quod licet Psalmista de peccatore dixerit, quod Deus illum non quæret, nec processum contra illum instituet, attamẽ præmiserit de peccatore;

Exacerbavit Dominum, id est, ad iram eum provocavit, & quidem ad iram non vulgarem, sed excessivam & transcendentem: *Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Videbis sæpe homines*, inquit Oleaster, *peccatis plenos, vestibus pretiosis ornari; sericis indùi, pretiosis unguentis ungi, lætos, ac gaudentes, ac si Deum non haberent offensum, neque super capita eorum ensis divinæ ultionis penderet*; quæ verba memorem me faciunt illius; quod de Dionysio tyranno narratur, & passim notum est omnibus, cum enim hic Dionysius tamquam Rex à quodam familiari suo felix & beatus existimaretur, hic eum melius instruere volens, ut apprehenderet, non esse aurum omne id, quod splendet, cum juxta se sedere fecit, sive in theatris, sive in mensâ, sive in quibuscumque alijs recreationibus, eumque supra modum honoravit, ita tamen ut supra se videret acutissimum quemdam, & limatissimum ensem, ex subtilissimo quodam filo suspensum, unde præ timore nullo potuerat gaudio frui, ob continuam cordis angustiam. Similis quoque est deplorandus illius hominis status, qui extra Dei gratiam ridet, ludit, jocatur, epulatur, dormit, imperat, deliciatur, faciatque quidquid sibi libet, nec ulla infestatur tribulatione, at vero caveat talis, ne securum se, & extra omne periculum positum existimet, quia divinæ justitiæ gladius semper super ipsum invisibiliter hæret suspensus, *super caput ejus ensis divinæ ultionis pendet*. Doctrina est S. Augustini in quodam sermone apte ad propositum nostrum dicentis: *Sæculi lætitia est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis mugantur, ebrietate ingurgitentur turpitudine fœdentur, mihil mali patiantur, & videte sæculi gaudium. Ista mala, quæ commemoravi non castiget fames, non belli timor, non aliquis morbus, non aliquæ adversitates, sed sint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in securitate malæ mentis, & videte sæculi gaudium.* Sed audite quid idem S. Doctor subdat: *Sed non cogitat Deus sicut homo, alia est Dei cogitatio, alia hominis; magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare, nam vis nosse, nulla pœna quanta sit pœna, non tamen justo, sed peccatori, cui est temporalis pœna, ne succedat æterna? Vis ergo nosse nulla pœna, quanta sit pœna? Psalmistam interroga. Irritavit Dominum peccator. Quare obsecro? Quid vidisti? Qui autem hoc exclamavit, vidit peccatorem impune luxuriantem, male facientem, bonis abundantem, & exclamavit: Irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requirit.* Quando igitur videmus homines Dei & æternæ salutis plenè oblitos, (qui nulli rei adeo invigilant, quam ut licentiosè, & secundùm desideria cordis sui vivere possint,) in hac vita nihilominus honoratos, locupletatos, & felices beatosque existimatos, eo, quod ab ira Dei non flagellentur, certum nobis esse debet, apud ejusmodi homines locum habere Propheticum illud oraculum: *Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.* Et quidem verisimile est, quod magnus ille Parisiensis Cancellarius Gerson multos hujusmodi viderit homines, siquidem in sermone quodam *de Spiritu Sancto* in Concilio Constantiensi publicè recitato, ad nostram institutionem ita peroravit: *Est fallax quædam libertas, omni servitute deterior, quam notat Petrus, cum subdit: Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed ut servi Dei. Talis est peccator, qui velut onagram liberam se putat, dum mittitur ire post desideria cordis sui, in adinventionibus suis pessimis, quasi bos lascivieus, sed nihil est infelicius, (dicente Augustino,) felicitate & impunitate peccantium. O infelix! inquit de quodam, cui peccare licebat, sic ex sententia Platonis deducit Boëtius.*

5. Regius vates in Psalmo 80. Deum nostrum introducit lamentantem de pessimis populi sui moribus, & exiguis erga ipsum divini cultus obsequijs, licet ipsum tot cumulatum beneficijs adeo sublimiter exaltasset, ita enim in persona Dei loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud*; at vero paulo post lamentando subjungit: *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi.* At vero quamnam exinde luere debuerunt pœnam? Sequitur: *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* At vero dicet fortasse aliquis, hoc proprie est illud, quod reprobi desiderant, scilicet ut fræna illis laxentur, faciantque, quod volunt pro libitu; Respondeo, id quidem verum esse, verumtamen illos non intelligere, manifestum hoc esse indicium, quod in quævis horrenda lapsuri sint scelera. Unde Sanctus Hieronymus ait: *Infelix est, qui à Deo non corripitur, si quis peccans non percutitur, iste miser est, ideo dixit: Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum.* Filij Heli omnia divinæ iræ fulmina super se experti sunt descendere, quia correctionis paternæ virga non fuerant mulctati, quando Dei prorsus obliti, per sacrilegarum impudiciriarum, extorsionumque suarum fœtorem divinum dehonestabant cultum; Audiamus Gregorium Magnum dicentem: *Una ergo die ambo moriuntur quia in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris, reverentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæculariter amata, dies est, sed quæ interficit. ad mortem itaque properat, quoties vanè de temporali felicitate gratulatur.* Nullum dari potest desperatæ sanitatis pejus signum, quam quando Medicus indulget infirmo quidquid ei libet, eumque per medicinarum amaritudinem, vel ferri incisiones nequidquam juvat, hoc enim indicat, nullum superesse vitæ ipsius salvandæ remedium. Idem quoque de infirmis spiritualibus dicere possumus, quando enim Deus, qui ille ipse est Medicus, qui ait: *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*, ejusmodi spiritualiter infirmos per amaritudinem tribulationum, per ferrum persecutionum, per paupertatem, per infirmitates, vel alias similes ærumnas curare non latagit, sed illos voluptatibus, delicijs, hujusque vitæ prosperitate jugiter frui permittit, manifestè per hoc indicat, exiguam superesse spem æternæ ipsorum salutis. *Itaque cum sine modo peccantes*, inquit Chrysostomus, *mihi mali patimur, non acquiescendum, sed timendum potius est; Nam licet hic à Deo minimè puniantur, illic tamen cum mundo damnabimur.*

6. Sanctus Augustinus ad propositum nostrum egregiam adducens ab hortulano desumptam similitudinem inquit, quod sicut ille, qui siccos arboris alicujus ramos amputare volens, prius per aliquod temporis spatium in acuenda securi, qua sibi utendum est, occupatur, ita quoque in præsenti dici possit, quod si Deus ferrum supplicij sui ad peccatores castigandos non adhibet, signum id sit, quod interea ferrum exacuat, ut ad secandum acutius evadat. Sanctissimus Præcursor in desertis Judææ, publicanis, aljisque publicis, & scandalosis peccatoribus prædicans, dicebat: *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Eremum divina supplicia multis impijs sæpe inferuntur subito, & sine mora; quoad alios vero eadem tardius immittuntur, Deo illa per justa judicia sua differente; verumtamen impius peccator certus esse debet, quod *secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Exacuit agricola ferrum, amputat inutile lignum, abscissum fervat incendio concremandum. Hoc nunc agitur à vero agricola. Videntur quidem sibi mali adhuc stare, adhuc florere. Quisquis malus es, quisquis corrigi non vis, non te consoletur altitudo tua, quia major te expectat ruina, amphoræque sustinet flamma, quia securis hæc nondum ad te venit. Ideo putas, te posse semper stare? Non videas, vel audias alias arbores te amphores cecidisse?* Ingens profectò Dei favor est, si postquam Deum offendimus, in hac vita castigemur, quia cum impunitate vivere, & tamen scire se esse extra Dei gratiam, eumque irritasse, nullamque inde reportasse pœnam, res est profectò valde tremenda & formidanda. Confirmat idipsum Chrysostomus dicens: *Si quid grave in præsenti patimur, multa peccata dissolvimus, ideirco magnum bonum est, hic luere peccata, & non illic; etenim dives hic grave nihil recepit, & propterea illic torquebatur. Audi quid dicat Abraham: Fili, recepisti bona in vita tua, & ideo cruciaris.*

DISCURSUS XXXIII.

ARGUMENTUM.

Prosperitas impij signum est iræ Dei, quæ tandem suo tempore illum quoque involvet.

THEMA.

Quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitijs? Job. 21. v. 7.

1. PAtientissimus Propheta Job in cap. 21. continere se nequit, quin toti mundo patefaciat admirationem, ne dicam scandalum, quo percellebatur, quando impios in hoc mundo prosperari videbat. *Attendite me*, inquit, *obstupescite, & superponite digitum oris vestri, & ego, quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.* Post multas vero ejusmodi factas protestationes, supradictam subjungit interrogationem inquiens: *Quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitijs?* Ac demum prolixum variarum fœlicitatum temporalium texere pergit catalogum, quibus perversi in hoc mundo gaudere videntur; at vero quisnam harum fœlicitatum temporalium finis erit; Nimirum: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus; Quis est omnipotens, ut serviamus ei?* Ecce tibi ad vivum delineatos impios, qui in hac vita præsente prosperrime vivunt. ita tamen ut vitam agant atheistarum, dorsumque Deo jugiter vertant, qui proinde severissimum divinum timere debent supplicium. Neque solus Job hanc reproborum admiratus est prosperitatem, quin etiam Jeremias die quadam his Deum verbis est affatus: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt:* Sed audite, quod pro hujus difficillimæ quæstionis solutione ipsemet ex instinctu Spiritus Sancti subnectit responsum, subdit enim: *Congrega eos quasi gregem ad victimam.* Profectò non poterat Prophetæ efficacius loqui. Animalia enim, quæ olim pro sacrificijs destinata erant, subduci solebant à jugo, à labore, morabantur in pascuis, ut saginarentur, pinguioraque fierent, eo, quod mox occisonda eorum carnes manducandæ essent; suo loco vidimus, reprobos esse victimas, quæ dæmoni in sacrificium offeruntur, quid mirum igitur, si prius hic saginentur in voluptatibus, delicijs, aljisque hujus mundi gaudijs? *Congrega eos quasi gregem ad victimam.*

2. David de se in Psalmo 50. gloriabatur dicendo: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, & tamen in Ps. 72. expresse dicit, se intelligere non posse, qua ratione Deus in hoc sæculo impios exaltet, & prosperari faciat, ait enim: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum video, Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua, Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, &c.* In progressu verò ejusdem Psalmi? Deo illuminatus David ait: *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum;* Verbis autem sequentibus præcedentia egregie dilucidantur; subdit enim Regius Propheta: *Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos, dum allevarentur, Quomodo facti sunt in desolationem; subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*: Quæ omnia optime consonant cum alio quodam textu Psalmi 36. in quo dicitur: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani*; hæc autem exaltatio tam debili fulcro, quale est impietas, innixa, subito defecit; subditur enim: *Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Ecclesiasticus inquit: *Multi tyranni sederunt in throno, & inspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valde, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.*

3. Primus peccati author Lucifer fuit, cum Deo altissimo contendere nitebatur: *Ero similis altissimo, sedebo in lateribus Aquilonis.* Non vero sine mysterio in Scriptura dicitur: *Ab Aquilone pandetur omne malum;* Inde enim omne malum derivatur; subito quoque abinde omnis Luciferi ruina & præcipitium obortum fuit. *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum.* S. Thomas *de regimine Principum* ita scribit: *Quid est potestas culminis? Tempestas montis, specialiter perflat ibi Aquilo, juxta verbum Luciferi, sedebo in lateribus Aquilonis.* Enimvero quisquis aliquam sacrarum literarum habet notitiam, sine dubio probe noverit, ad quantam impietatem Nabuchodonosor pertigerit, utpote qui civitatem Sanctam Jerusalem devastaverat, populum electum in Babylonem traduxerat, templum conflagrarat, cunctamque supellectilem sacram sacrilegis manibus abstulerat. Insuper ad tantam pervenerat arrogantiam, ut cum illo Deo, *quem adorant dominationes, tremunt potestates*, contendere non dubitarit; de quo proinde vere dici poterat: *Vidi impium superexaltatum & elevatè sicut cedros Libani*, siquidem per potentiam suam totum faciebat contremiscere universum. At vero erigatis velim nonnihil oculos vestros in illam statuam, quæ ipsi in somno exhibita fuit; ibi namque dicitur: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, Et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus & comminuit eos*; quæ verba optimè cum illis consentiunt: *Et transivi, & ecce non erat*, Hugo Cardinalis ait: *Statuam percutit in pedibus, quando majores aliquos in sæculo, qui mundum videntur sustinere, & portare, deficit in paupertatem vel mortem.* Divina ergo justitia sacrilegum & arrogantem hunc Regem castigavit, eum in bestiam transmutando, & in incultam cogendo sylvam, ubi sub dio, & aperto aëre depasceret herbam, sicut aliæ feræ & bestiæ: *Dejecisti eos, dum allevarentur, quomodo facti sunt in desolationem?*

4. De Eutropio, Arcadij quidem Imperatoris familiari amico, Dei vero impio & sacrilego inimico, verificabatur illud: *Vidi impium exaltatum & elevatum sicut cedros Libani*, de quo Chrysostomus in hæc verba perorat: *Quis hoc homine fuit excelsior? Nonne in toto orbe divitijs præcellebat? Nonne ad ista fastigia honorum conscendit? Nonne eum omnes formidabant, ac reverebantur? Sed ecce factus est, & cunctis miserior, & servis miserabilior, & mendicis fame tabescentibus indigentior, per singulos dies præ oculis habens gladios in se exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam, quæ ad supplicium ducit.* Horum similium lapsuum plenæ sunt tum sacræ, tum profanæ historiæ, ut mundus intelligat, quod licet providentia & justitia Dei, per aliquod temporis spatium, ob justa judicia sua, impios patiatur, illos tamen postea irreparabili puniat præcipitio. Notum est omnibus, cometas in aëre splendescere, nostrisq; oculis ipsis firmamenti stellis videri majores, cum tamen funesta quædam lux sit, præsaga mortalitatis magnorum Principum, bellorum, famis, pestilentiæ, aliorumque similium infortuniorum. Eodem modo discurrere licet de multis, qui hic ad honores, dignitates, & munia sublimia evehuntur, licet in vilibus sint oriundi natalibus, valdeque debilibus & indignis sint imbuti talentis, & qualitatibus. Quemadmodum enim cometæ ex terræ exhalationibus, & fœtidarum paludum vaporibus veluti nascuntur, at vero de tali impio vere admpletur Propheticum illud oraculum: *Elevans allisisti me*; nam sicut cometes evanescit & disperditur; *deficientes quemadmodum fumus deficient. Fumus quippe ascendendo deficit*, inquit S. Gregorius, *& sese dilatando evanescit, Sic videlicet sit, cum peccatorum vitam præsens felicitas comitatur; quia unde ostenditur, ut altus sit, inde agitur, ut non sit.* S. Bernardinus aptissimam, & intellectu facilem adducit similitudinem, à luctatoribus desumptam, qui æmulum in terram prosternere volentes, prius eum in altum extollunt. Citato namque illo Jobi textu: *Cucurrit adversum Deum erecto collo, & pingui cervice armatas est.* Subdit præfatus S. Pater, *sed sicut, qui cum homine luctatur, elevat eum, ut fortius illum ad terram prosternat, sic Deus tales exaltat: vel exaltari permittit, ut ex altiori loco gravius ruant, & prosternantur; Unde Psalmista ait: Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur.*

5. Matathias Machabæus, ut filios suos ad resistendum veræ religionis & cultus divini persecutoribus hortaretur, postquam multa adduxisset virorum celebrium exempla, qui Dei honorem zelaverant, subjungit: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est; Hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus perijt.* Ubi observanda sunt verba illa: *Conversus est in terram suam*, numquid enim sufficiebat dicere *in terram* omittendo ly *suam*? Respondeo nequaquam ly *suam* supervacaneum esse, aut carere mysterio. Magnates enim hujus sæculi, & Principes multas possident terras, quæ tamen hic remanent, solamque proprij corporis terram secum ad sepulchrum deferunt; idque cum alio textu Psalmi 145. consonat, in quo dicitur: *Nolite confidere in Principibus; exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Porro Matathias in spiritu Prophetico prædixit: *Gloria ejus stercus & vermis*, siquidem arrogans Antiochus Jerosolymæ comminatus est exterminium; Lysiæque præcepit, *ut misereret exercitum ad comerendam, & extirpandam virtutem Israël, reliquias Jerusalem, & auferendam memoriam de loco; promisit insuper se venturum Jerosolymam, & congeriem sepulchri Judæorum eam facturam.* At vero res longe aliter evenit, nam factum est, prout S. ille vir Matathias prænuntiaverat, quia licet potentissimum

Pſ. 80. v. 11. Impij in pœnam dimittuntur suis adinventionibus. *Ibid. v. 12. Ibid. v. 13.*

Pſ. 49. v. 4. Oleast. in Iſa. 22.

Periculum ostendit factum Dionysij Regis.

S. Aug. ſer. 37. de Verb. Dom. cap. 4. Describitur gaudium mundi.

Nulla pœna, quanta sit pœna.

Fallax est mundi Libertas.

Gerſon tom. 2. fol 772.

S. Hieron. ib.

Probatur in filijs Heli.

S. Greg. l. 2. in 1. Reg. 3.

Infirmis desperatis omnia permittuntur.

Matth. 9. 12.

D. Chryſ. T. 2. de virginit. c. 14.

S. Aug. T. 9. tr. 5. de Temp. barbarico.

Similitudo ab hortulano desumpta.

Matth. 3. 10.

Beneficium est puniri in hac vita & contra.

D. Chryſ. T. 6. ad pop.

Impij.

Job. 21. v. 7.

Pſ. 72. v. 2. *Ibid. v. 3.* Conqueritur de prosperitate impiorum. *Ibid. v. 4. Ibid. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7. Ibid. v. 16. Ibid. v. 17. Ibid. v. 18* Quam tamen dicit momentaneam esse. *Ibid. v. 19. Ibid. v. 20.*

Pſ. 36. v. 35. *Ibid. v. 36.*

Eccli. 11. v. 5. *Ibid. v. 6.*

Iſai. 14. v. 14.

Jerem. 1. 14.

Iſai. v. 14. 15. S. Thom. l. 1. de regim. Princip. c. 1.

Peccata Nabuchodonosoris.

Pſ. 36. v. 35.

Dan. 2. v. 34.

Mutatur in bestiam. Pſ. 36 v. 36. Hug. Card. ib.

Pſ. 72. v. 18.

Pſ. 36. v. 35.

D. Chryſ. ord. in Eutrop. Eutropij metamorphosis.

Pſ. 36. v. 36.

Quid significent Cometæ.

Pſ. 101. v. 11.

Pſ. 36. v. 20.

S. Greg. l. 11. epiſt. 54.

Exaltantur ut gravius ruant. Pſ. 72. v. 18.

1. Machab. 2. v. 62. *Ibid. v. 63.*

Explicatur converti in terram suam.

Pſ. 145. v. 4.

1. Machab. 9. v. 35. Antiochus superbus.

2. Mach. 9. 28.

Job. 15. 22. S. Bern. t. 2. ſer. 22. art. 3. c. 2.

tentissimum secum duceret exercitum, Deus tamen illum invisibiliter adeo percussit, ut corpus ejus omni ex parte vermes scaturiret, fœteretque velut horrendum quoddam sterquilinium, adeo ut nemo illi appropinquare auderet; Enimvero ubi vulgata nostra legit: *Stercus & vermis*, in Græco habetur, *in stercora & vermes*; verificatumque fuit id, quod Ecclesiasticus de impio exaltato dixerat: *Cum morietur, hæreditabit serpentes & bestias, & vermes.* Et vero in sacris literis, quando in illis de fine reproborum agitur, frequens est hic loquendi modus. Etenim in Psalmo 82. dicitur: *Facti sunt ut stercus terræ.* De Jezabel Regina vero Deo inimicissima (utpote in cujus contumeliam Baalaiticum cultum promoverat:) dicitur: *Carnes Jezabel sicut stercus*, Ecclesiasticus inquit: *Mulier fornicaria est quasi stercus in via.* Apud Isaiam pariter dicitur: *Morticinia facta sunt quasi stercus in medio platearum.* In Sophonia habetur: *Corpora eorum sunt stercora.* Neque vacat mysterio, quod homo potens perditæ salutis stercori assimiletur; vult enim Deus omnibus palam fieri, ut ejus fœlicitas & prosperitas, ob quam superbit, & inflatur, tandem aliquando terminanda sit; ac proinde Sapiens ait: *Nomen impiorum putrescet*; Sicut enim putredo generat quantitatem vermium, eodem modo impij in propriam suam perniciem multos producunt vermes remorsuum, quibus irremissibiliter cor eorum per omnem æternitatem arrodetur, quia *vermis eorum non morietur.*

[1. Machab. 2. v. 62. — Eccli. 10. 13. — Ps. 82. v. 11. — 4. Reg. 9. 10. — Eccli 9. 10. — Isa. 5. v. 25. — Sophon. 1. 17. — Impius potens cur comparetur stercori. — Prov. 10 v. 7.]

6. Refert Strabo de Nobothæis, quod monumenta Regum in sterquilinijs construere consueverint, quasi cadavera illa, licet Regia, sterquilinio viliora essent. Enimvero de Antiocho Sacra Scriptura testimonium perhibet, quod quando etiamnum respirabat, adeo miser fuerit, *ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.* Potentes hujus sæculi Principes, qui Deo sunt rebelles, brevem communiter vitam habere solent; unde Ecclesiasticus ait: *Rex hodie est, & cras morietur.* Quidam etiam ex Regibus valde illuminatus hanc tradit sententiam: *Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum ejus, & non invenies.* Lorinus super illa verba Psalmi 125. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam*, postquam explicasset, quid sit reverti pulverem in terram suam, unde erat, paulo post epitaphium quoddam refert Regis cujusdam Franciæ, quem tamen non nominat; verba autem epitaphij illius sunt sequentia:

[Strab. lib. 16. — 2. Machab. 9. v. 9. — Potentiores citius moriuntur. — Eccli. 10. 12. — Ps. 36. v. 10. — Ps. 125. v. 4. — Lorin. ib. — Epitaphium Regis Franciæ.]

Risi, ploro; fui, non sum; studui, requiesco.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio: pavi
Corpus, alo vermes; vigilavi, dormio; dixi
Salve, dico vale; rapui, rapior; superavi,
Vincor; certavi, pace utor; jure ego vixi,
Jure igitur morior; non obsto, obstare nequirem,
Terra fui quondam, rursum sum terra, nihil sum.
Terra caduca vale; vermes salvete; recumbo.

Porro hæc veritas, scilicet, quod exaltatio, prosperique reproborum in hoc mundo progressus fugaces sint & labiles, eisque repentinum & perpetuum succedat præcipitium, S. Propheta Job non solum in cap. 21. verum & in 20. capite his verbis contestatur: *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ adinstar puncti.*

[Job. 20. v. 4.]

7. Consideratione digna est illa ab Ecclesiastico his verbis tradita similitudo: *Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.* Quibus verbis Sapiens pompam & fastum impiorum Magnatum strepitoso cuidam, & cum vehementi pluvia conjuncto tonitruo assimilat; cujus similitudinis author quidam haud ignobilis hanc reddit rationem: *Sicut in tonitruo nubes conspiciuntur, imbribus onustæ, magnus terror auditur, fugiunt ex agris omnes, sed mox ubi pluvia ad modicum tempus decidit, redit plena serenitas, & ex illo tonitruo, ejusque tanto apparatu, nihil remanet nisi parum luti ex imbre confecti, quod omnium pedibus conculcatur; Eodem modo iniqui Potentes hujus sæculi, ad tempus quidem magnum strepitum in mundo faciunt, famulorum caterva, & stipantium multitudine, & vario imperio tonant, quasi totam mundum confunderent, sed brevi momento accedens mors, omnem illum strepitum in lutum convertit, terra in terram, & cinere in cinerem redactus.*

[Eccli 40. 13. — Assimilatur fastus impiorum tonitru.]

8. D. Chrysostomus illos, qui in hac vita in delicijs & dignitatibus positi, Dei tamen & salutis æternæ obliti vivunt, si hic puniantur, infallibile salutis suæ indicium præ se ferre dicit, pessimum vero signum esse, si delicias illas sine supplicio, & cum continua impunitate continuent. Id vero sequenti egregia similitudine luculentius exponit inquiens: *Sicut splene, & intercute laborantes, cum larga fruantur mensa, & frigida potione, & delicatis ferculis, & saporibus, tunc præcipuè omnium sunt miserrimi, delicijs morbum augentes, si vero siti & fame, secundùm Medicorum leges, cracientur, aliquem salutis spem habent; sic & in iniquitate viventes, si puniantur, quidem bonam spem habent, si vero cum iniquitate fruantur licentia, & delicijs, & hydrope laborantibus simul & crapulantibus, sunt multo miseriores, & tanto magis, quanto corpus melius est anima.* Undenam desumendam esse existimas tormenti infernalis mensuram? Num forte ex sacrilegijs, blasphemijs, Simonijs, usuris, homicidijs, adulterijs, vel alijs similibus excessibus? Nequaquam; sacer enim textus nullam horum scelerum facit expressam & specialem mentionem, sed solum dicit, *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Verba autem, quæ sequuntur, iram Dei evidenter ostendunt; subdit enim sacer textus ibidem: *Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit.* Hugo Cardinalis prædicta Apocalypseos verba ita exponit: *Quantum glorificavit se, per superbiam, & vanam gloriam, & in delicijs fuit, per nimiam affluentiam, & carnis petulantiam.* Illa autem verba: *Sedeo Regina*, sic explicat: *Sedeo in tranquillitate, & pace magna; vel de honore, & dignitate moveri non timeo, & vidua non sum, quia consolationes multas habeo in mundo; & luctum, id est, damnationem, quam mihi minantur, non videbo.* Moxque hanc notatu dignam subdit propositionem: *Meritis suis exigentibus sic excæcantur aliquando mali, ut nec se formident spoliari prosperis, nec cruciari adversis.* At vero in ipsis adimpletur, quod ait Apostolus: *Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Ac proinde Sanctus Joannes subdit: *Ideo*, id est, ut Hugo glossat: *Quia se jactat, in una die venient plagæ &c. id est, ultiones debitæ iniquitatibus ejus.*

[Signum prædestinationis & reprobationis. — D. Chrys. H. 6. ad pop. — Probatur similitudine. — Apoc. 18. v. 7. — Unde desumatur mensura pœnarum in inferno. — Ibid. v. 8. — Hug. Card. ib. — 1. Thess. 5. 3.]

DISCURSUS XXXIV.
ARGUMENTUM.

Prosperitas Impij in hac vita æternæ perditionis est indicium.

THEMA.

Prosperitas stultorum perdet illos. Prov. 1. v. 32.

1. NUllum prorsus habemus rationabile motivum fœlices existimandi perversos illos, qui in hac vita prosperrimè vivunt; quia hæc fœlicitas offendiculum illis est ad corruendum in æternæ perditionis abyssum, teste Sapiente, qui ait: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Gregorius Magnus (qui cum posset in summis dignitatibus, delicijs, & fœlicitatibus in hoc mundo prosperrime vivere, ut nudus & pauper in religione Deo secure serviret, omnes suas facultates, quæ valde erant ingentes, partim pauperibus sustentandis, partim erigendis sacris Monasterijs applicuit) in hæc verba scribit: *Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit.* Quasi diceret, si V. G. homo carnalis sensualitati suæ satisfacere volens, mulierem, quam concupiscit, promptam inveniat, omnemque difficultatem superatam experiens, securè peccat, hoc merito æstimari debet maximum illius infortunium, quod illi accidere posset. Similiter si quispiam per vias indirectas sese locupletare desiderans, fœlices habeat successus, in usuris, & contractibus illicitis, lites injustas prospere vincat, gravamina extorqueat, suosque multiplicando debitores, ingentem sibi, & quantam concupivit, pecuniam accumulet, hoc ipsum haud secus æstimandum est, ac extrema illius ruina; nam *si dives fueris, non eris immunis à delicto. Et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.*

[Impij prosperitas est signum reprobationis. — S. Greg. l. 26. Moral. c. 14. — Probatur in carnali. — Item in Avaro. — Eccli. 11. 10. — Ps. 72. v. 12.]

2. Post Luciferum nullus reperitur scelerator Deique major inimicus, Anti-Christo, utpote qui ab Apostolo vocatur, *homo peccati, filius perditionis.* At vero, audiatis, quid de ipso Daniel ex divina revelatione prædixerit: *Prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum Sanctorum secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu ejus, &*

cor

cor suum magnificabit. At vero S. Paulus de eodem Anti-Christo scribit: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* At vero quænam est hæc cœlestis iræ revelatio, de qua S. Paulus loquitur? *Justitia vindicativa*, inquit Cajetanus, *ira siquidem Dei de cœlo vindicta est æternæ damnationis.* Super quos vero ira hæc vindicativa descendet? *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, inquit Apostolus in eodem capite, quia eo ipso, quo impij pro libidine sua suis satisfacere desiderijs, permittuntur, in abyssum infernalem præcipitantur: *Prosperitas stultorum perdet illos. Traditi sunt*, inquit S. Ambrosius, *non ut illa agerent, quæ nolebant, sed ut illa perficerent, quæ desiderabant.* Primus reprobus, post commissum execrandum illud fratricidium; unumquodque ex arbore deciduum folium, à vento excussum, velut acutissimum metuebat gladium, quo transfigeretur; formidabatque, ne quodvis ei obvium animal, adversum se desæviret: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*; At vero ex quo eo tempore nullus ex toto genere humano vivebat, præterquam ejus genitores, quemnam formidare poterat? Omnes creaturas; sed numquid Deus præceperat dicens: *Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur?* Imò ad eum magis adversus quemlibet sinistrum eventum assecurandum, ei ut civitatem hic in terris ædificare posset, expresse permisit, præterea numerosam ei concessit progeniem, innumeras ei contulit divitias, cumque multis sæculis inter vivos superstitem esse fecit; at vero num forsitan existimatis hæc omnia divini erga ipsum amoris fuisse indicia? S. Ambrosius ait: *Longævitas ergo vitæ indulta Cain, vindicta est. Favor enim specialis impiorum est, si subito moriantur, & non diu vivant, quia finem non naturæ, sed culpæ adipiscantur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus est delictorum.* Quapropter impios in hac vita quoad impunitatem scelerum suorum prorsus esse securos, ingens profecto est Dei vindicta.

[Rom. 1. v. 18. — Cajetan. ib. — Ibid. v. 24. — Prov. 1. 32. — Qui ideo reprobatur. — S. Ambr. ibid. — Gen. 4. v. 14. — Ibid. v. 15. — Vita diuturna & in prosperitate in Cain pœna fuit. — S. Ambr. l. 2. de Abel & Cain c. 9.]

3. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Hebræi post regimen à Judicibus aliquamdiu administratum, sibi haud secus ac alijs populis idololatris Regem præfici petierunt; id quod Deo pariter & Samueli vehementer displicuit, siquidem ex eo illos exiguam de Deo existimationem habere clare ostendebant, qui se illos immediate gubernaturos esse sæpius protestatus fuerat. Unde Procopius ait: *Deus Domini, & Regis loco erat.* Verumtamen audita hac populi iterata petitione, Propheta ad cœleste recurrit oraculum, indeque sequens retulit responsum: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerant, sed me, ne regnem super eos.* At vero, dices forsitan, hoc propriè erat, quod populus desiderabat, scilicet ut voluntati ipsius plene satisfieret, eique Rex aliquis præficeretur, cur igitur Deus petitioni ipsius, quæ adeo ei displicuit, tam subito consensit? Respondeo ideo Deum consensisse desiderio illorum, concedendo, quod postulabant, quia eidem vehementer iratus erat, ac proinde postulata in propriam pernitiem, libenter concessit. *Ex quo patet*, inquit Lyranus, *quod aliquando Dominus exaudit concedendo aliquid, quod non cedit ad bonum petentis, eo, quod male petit, & talis exauditio, magis est punitio.* Unde apud Oseam Deus inquit: *Dabo tibi Regem in furore meo.* S. Augustinus monet, ne fortunatos æstimemus illos, quibus fortuna est propitia, licet cæteroquin non sint positi in divina gratia: *Nolite*, inquit, *zelare, quando illos videritis esse fœlices infœliciter; sæculi enim homines infœliciter fœlices sunt.* S. Bernardinus idipsum sequenti explicat similitudine inquiens: *Sicut fulgur tonitrua portat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat.* Fulgur quidem clare promicat, & resplendet, sed tonitrui est prodromus, & sæpe fulminis, quod turres quantumvis fortissimas prosternit. Eodem modo honores, divitiæ, mundique prosperitates, alliciunt; adblandiuntur, placent quidem, sed caro pretio exolvi debent, quia viam sternunt ad æternam perditionem.

[Prov. 1. 32. — Petentibus Hebræis Regem. — Procop. ibid. — 1. Reg. 8. v. 7. — Cur Deus statim consenserit. — Lyran. ibid. — Os. 13. v. 11. — S. August. in Ps. 127. — S. Bern. ser. fer. 5. post Dom. 2. Quadr.]

4. Inter alias imprecationes, quibus Psalmista ex divina inspiratione reprobos gravat, una fuit sequens: *Deus meus pone illos ut rotam.* At vero quidnam in eo est mali, quod peccatores severissima supplicia promereri, rotæ similes efficiantur? Num forte per hoc illos brevem habituros esse vitam vult innuere, siquidem hoc instrumentum figura est instabilitatis & fugacitatis vitæ humanæ? *Antequam confringatur rota*, inquit Ecclesiastes, *& revertatur pulvis in terram suam, unde erat.* Aut vero ad instabilitatem & fugacitatem voluptatum, gaudiorum, & prosperitatum hominum improborum alludere voluit, utpote quæ subito evanescunt, magnæque mutabilitati subjiciuntur? S. Bernardus ait: *Sicut rota numquam stat, sed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota, nulla stabilitas, aut securitas reperiri potest.* Longe vero melius ad propositum nostrum S. Gregorius per rotam prosperitatem bonorum temporalium intelligit, quæ homini perditæ salutis periculosus est scopulus, ad naufragandum, usque in profundum inferni. *Rota quippe*, inquit idem Gregorius, *ex posterioribus attollitur, & in anterioribus cadit; posteriora autem sunt nobis bona præsentis mundi, quæ relinquimus, anteriora vero sunt æterna, & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo testante, qui ait: Quæ retro oblitus, in ea, quæ sunt priora, me extendens. Peccator autem cum in præsenti vita profecerit, ut rota ponitur, quia in anterioribus corruens, ex posterioribus elevatur, nam cum in hac vita gloriam percipit, quam relinquit, ad illa cadit, quæ post hanc venit.* Unde ei, qui in bonis terrenis, quibus abundat, suam habens fiduciam Deo rebellis vivit, idipsum, quod Rabsaces ad Ezechiam dixit, merito improperari potest, scilicet: *Quæ est ista fiducia, qua niteris? ... In quo confidis, ut audeas rebellare? An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam?* Quem Scripturæ locum S. Antonius de Padua nostro proposito egregiè accommodat, dum ait: *In mortis articulo securus erit, qui ita animam suam levaverit; Deus meus in te confido, hoc est, quod dicit Isaiæ 10. Et erit in die illa non adjiciet residuum Israël inniti super eo, scilicet Assyrio, id est, Diabolo, qui percutit eos, sed innitetur super Dominum Sanctum Israël; In te, inquit, confide, non in carne, non in mundo, de cujus confidentia dicit Isaias: Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit manum ejus, & perforabit eam. Abundantia rerum mundi, & sanitas corporis, sunt quasi arundo, quæ radicem habet in luto, interius vacua, & exterius pulchra. Hæc arundo, si super illam homo in morte innititur, confringitur, confracta vulnerat animam, quæ vulnerata cadit in gehennam.*

[Ps. 8. v. 14. — Rota peccatoris variè explicatur. — Eccle. 12. 6. — S. Bern. ser. de fallacia sæculi. — S. Greg. l. 8. epist. 5. — 4. Reg. 18. 19. — Ibid. v. 21. — Ibid. v. 22. — S. Ant. de Pad. ser. in Dom. 1. Advent. — Isaia 10. 20. — Abundantia terrenorum est arundo.]

5. Hugo Cardinalis super illa verba S. Joannis cap. 4. *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum*, inquit: *Notandum ubi infirmatur, in Capharnaum, quod interpretatur villa consolationis, vel pinguedinis, in hoc notatur causa morbi, id est, peccati, abundantia scilicet temporalis.* Merito igitur exclamando S. Bernardus dicebat: *O sæculum nequam, quod tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos, consequenter & indignos concilio beatorum.* Nautæ maritimi magis experti, ex diuturna & serena maris tranquillitate horrendas augurari solent ejusdem maris tempestates. In multis quoque civitatibus usitatum est, quod ijs, qui ad patibulum educuntur, pridie exquisitum exhiberi soleat convivium; Unde quando post Uriam secutus est cibus Regius, pessimum & funestum hoc ei signum fuit; sicut etiam quando Aman à Regina Esther ad Regium invitatus fuit epulum; & quando Holofernes sumptuosum sibi & Judith instituit cœnæ apparatum. Ecclesiastes ait: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Enimvero quando pisces projectam sibi deglutiverunt escam, hilares & jucundi per aquas circumnatant, alijque eisdem invident, nescientes, quod simul cum esca hamum deglutiverint, quodque paulo post ex aquis extracti in littore palpitabunt, ac tandem super prunis assandi sint. Unde Sanctus Augustinus monebat inquiens: *Noli gaudere ad piscem, qui adhuc in esca sua exultat, nondum traxit hamum piscator.* Idem quoque volucri per laqueum captæ contingit, hæc enim tunc præda fit aucupis, quando se per escam illam saginandam sperabat. Præsagium laquei, quo desperatus traditor semetipsum strangulavit, fuit intinctus panis, quem Christus ei in ultima cœna porrexit: *Cui intinctum panem porrexero.* Advertendum est præterea, Cœlestem Magistrum nostrum, qui omnia in sapientia fecit, spiritum suum Patri, Joanni matrem, matri Joannem, Petro Ecclesiam, corpus suum post mortem Nicodemo commendasse, bursam vero, in qua pecunia erat, urgentioribus pauperculæ familiæ suæ necessitatibus subveniendis deservituram, homini cuidam reprobo, scelerato,

[Joan. 4. v. 46. — Hug. Card. ib. — S. Bern. epist. 107. — Esth. 5. 12. — Eccle. 9. 12. — Similitudo à piscibus hamo captis. — Joan. 13. 26. — Reprobo credidit Christus suam bursam.]

hypo-

hypocritæ commisisse, ut per hoc intelligeremus, pessimum esse signum, quando reprobi in hac vita omnia, quæ eis placent, abundanter possident, quemadmodum Judas, qui avarus erat, habebat pecunias; *ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.*

Ps.72.v.12.

Similitudo à Nautis.

6. Hi, qui artis nauticæ in mari exercendæ periti sunt, naves onustas melius ab aquis salsis marinis quam ab aquis fluminum dulcibus sustineri affirmant, imo easdem in his facilius submergi asserunt. Audiamus S. Augustinum dicentem: *Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus, & magis cavendus, cum illicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni.* Confirmat idipsum Salvianus per sæculi, in quo vixit, experientiam inquiens: *Ampla & locuples facultas perditionem inferre dicitur; Refugienda est itaque ampla possessio, ne sequatur profunda perditio.* Sanctus Basilius à Sanct. Joanne Damasceno lib. 1. parallel. cap. 12. citatus ita scribit: *Qui in delicijs atque omni voluptatis genere, & mollitie degit, purpuraque & bysso induitur, & splendide quotidie epulatur, nec virtutis adipiscendæ causa quidquam laboris subire vult, is nec laboravit in hoc sæculo, nec vivet in futuro.* Adam quidem in statu innocentiæ terrestri perfruitus est paradiso, at vero post transgressionem inde fuit eliminatus, eique dictum fuit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi;* etenim ut ei consequendi cœlestis Paradisi spem ingereret, viam ad illum spinis & tribulis pungentibus, non vero rosis & floribus conspersit. Hoc est, quod dicere voluit Sanctus Bernardus, dum ait: *Difficile est, imo impossibile, ut præsentibus quis fruatur bonis & futuris, ut de delicijs transeat ad delicias, & in cœlo, & in terra gloriosus appareat;* & vero si mellifluus hic Doctor idipsum indifferenter de omnibus asseruit hominibus, quanto magis adimplebitur in reprobis, quorum culpis pœnæ, non vero gaudia ex justitia debentur.

S. Aug. epist. 144. — Salvian. l.2. ad Eccles. — S. Basil. ib. — Gen.3. v.18. — Nemo bis beatus. — S.Bern. c.45. de intern. domo.

7. S. Antonius de Padua textum quemdam cap. 33. lib. 2. Paralip. in sensu morali hoc modo exponit: *Dicitur, quod Principes & exercitus Regis Assyriorum ceperunt Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt eum in Babylonem &c. Manasses interpretatur oblitus, & significat peccatorem, qui Dei & præceptorum ejus prosperis succedentibus obliviscitur, unde Gen. 40. dicitur, quod prosperis succedentibus, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Interpres noster est Christus, qui nobis vitam æternam interpretatur, cujus obliviscimur, dum prosperis transitorijs sublevamur. Tunc ab Assyrijs, qui interpretantur dirigentes, id est, à Dæmonibus, qui tentationis sagittas ab arcu malitiæ dirigunt, ut animam interficiant, capimur in consensu mentis, ut catenis malæ operationis, atque compedibus malæ consuetudinis vincimur, & sic in Babylonem, id est, excæcatæ mentis confusionem ducimur;* quod idem est, quod ejiciamur *in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* Ad idem hoc intentum apte deservit sequens S. Augustini super Psalmum 129. in hæc verba formatus discursus; *Dicit Scriptura: Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit. Jam videte fratres, quale profundum sit, ubi contemnitur Deus. Cum quisque viderit se quotidianis peccatis obrutum, acervis quibusdam & molibus iniquitatum premi, si dictum illi fuerit, ut Deum roget, irridet. Quibus modis? Primo dicitur: Si Deo displicerent facinora mea, egone viverem? Si curaret Deus res humanas, ad tanta scelera, quæ feci, annon solum viverem, sed & bene mihi esset? Solet enim hoc illis evenire, qui multum in profundo sunt, & prosperantur in iniquitatibus suis; & tanto magis in profundum merguntur, quanto magis videntur esse felices; fallax enim felicitas, ipsa est major infelicitas.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 3. Quadr. — 2. Paral. 33. — Gen.40. 9. — Manasses interpretatur oblitus & adumbrat impium. — S. Aug. in Ps. 129. — Argumentum Atheistarum.

8. B. Laurentius Justinianus illam considerat Christi comminationem dicentis: *Væ vobis! qui ridetis nunc, quoniam flebitis; Iterumque: Væ vobis divitibus! qui consolationem habetis in hoc sæculo, quoniam in futuro lugebitis.* Lactantius Firmianus, postquam homines in adversitatibus, non vero in prosperitate Dei recordari ostendisset, subjungit: *Adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero, ut vitia omnia, sic impietas adversum Deum nascitur.* Moyses in Deuteronomio de populo electo erga benefactorem suum ingrato his verbis conqueritur: *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum & arietum, filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum;* At vero quid inde est subsecutum? *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum & recessit à Deo, salutari suo, Provocaverunt eum in Dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.* Sanctus Bernardinus de licentiosis & dissolutis ita scribit: *Permittit Deus in mundanis deliciari, ut gravius crucientur;* Unde Jerem.2. *Obtrivit Dominus confidentiam tuam, scilicet, quia vis in vita præsenti facere paradisum; sequitur: Et nihil habebis prosperũ in ea.* Adducitque paulo post textum illum Ecclesiastici: *Non celes gloriam, & opes peccatoris, non enim scis, quæ futura sit illius subversio.* Quod monitum optime consonat cum illo Prophetæ Regij: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tamquam fœnum velociter arescent,* id est, ut Sanctus Hieronymus ait: *Velociter conterentur, & quemadmodum olera herbarum cito decident.* Porro herbæ, & quæ in hortis nascuntur germina, mox ut ad perfectionem & maturitatem suam pervenerunt, ferro præcisa, in fœnili reponuntur, ut vel bestijs sint in pabulum, vel ad ignem coctæ deserviant hominibus, idem quoque impijs contingit, quando enim hi in summo se prosperitatis & gaudiorum apice positos esse credunt, à superveniente mortis falce demetuntur, & ex hac vita auferuntur, & flammarum infernalium esca fiunt & nutrimentum; Unde apud Amos dicitur: *Væ! qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israël;* at verò quisnam tandem horum perversorum futurus est finis? Sequitur: *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis;* Septuaginta legunt: *Venientes in diem malum;* ecce tibi impiorum peccatorum finem; Vult enim Spiritus Sanctus dicere, quod mox ut saginati fuerint, ad Dæmonis destinandi sint macellum.

Luc. 6. 25. — B.Laur.Just. fasc. amor. c.14. — Lact. Firm. lib.2. c.1. — Hebræi delicijs abundantes deserunt Deum. — Deut.32.13. — Ibid. v.14. — Ibid.v.15. — Ibid.v.16. — S.Bern. T. 1. ser.22. art.3. c.2. — Jerem.2. 37. — Eccli. 9. 16. — Ps.36. v.1. — Divites ut herbæ dum fuerint maturæ abscinduntur. — Amos.6. v.1. — Ibid.v.3.

DISCURSUS XXXV.

ARGUMENTUM.

Reprobos in hoc mundo felices esse, Deum eis esse iratum manifeste ostendit.

THEMA.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias. Ps. 36. v. 7.

1. Regius Propheta David in hoc Psalmo 36. mundanorum hominum vult corrigere errorem, qui eos reputant felices, qui voluptatibus & delicijs hujus mundi pro suo perfruuntur desiderio; ac proinde discursum suum ad virum quemdam timoratum dirigens, his eum verbis hortatur: *Noli æmulari &c.* subditque: *Qui malignantur, exterminabuntur; adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum ejus, & non invenies.* Paulo ante sensatum quemvis hominem monuerat, ne malos in hac vita prosperari videns, divinæ irascatur justitiæ, & infallibili providentiæ, dicendo: *Desine ab ira, & derelinque furorem,* quasi diceret: Noli irasci contra Deum, nec adversum impios; quin potius expecta; *quia adhuc pusillum & non erit peccator &c.* Sanctus Augustinus peracutè observat, Psalmistam de peccatore dicere, quod prosperetur in via sua: *Prosperatur,* inquit, *sed in via sua. Laboras? Sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas; tibi labor in via, in perventione felicitas, quoniam iter impiorum peribit.*

Ps. 36. 1. — Error divitum. — Ibid.v.8 — Ibid.v.10. — S.Aug. ibid.

2. Apud Ezechielem textum quemdam habemus, quo manifestum iræ Dei signum, graveque supplicium esse clarè probatur, quando perditæ salutis homines in hac vita sunt felices, & non solum non puniuntur, verum etiam in sæculo honorabiles & formidabiles efficiuntur. Ait enim sacer textus: *Si conversus justus à justitia sua fuerit & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur.* At verò quodnam est hoc offendiculum, aut scopulus, quem Deus se coram rebellibus suis positurum esse comminatur? Septuaginta legunt: *Tormentum.* Theodotion, *infirmitatem.* Vatablus & R. David, à Cornelio à Lapide citati, offendiculum istud hoc sensu explicant: *Ponam offendiculum, id est, faciam, ut omnia habeant prospera.* At vero inquies, hoc est, quod quærunt & desiderant. Verum quidem hoc est, illa tamen omnia non aliter, quam in pœnam & supplicium suum consequuntur; siquidem, *si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Rosæ enim innumeris sunt circumdatæ pungentibus spinis; ita quoque felicitates terrenæ conscientiam transfigunt & arrodunt innumeris remorsibus.

Ezech.3. 20. — Prosperitas mundana dicitur offendiculum. — Eccle.11. 10.

3. Deus se adversus Israëlem valde olim exhibuit iracundum, prout ex sacro textu Jerem. 51. deducitur; at

at vero quonam spectabat hæc indignatio? Nimirum Spiritus Sanctus ait: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant.* At vero quidnam Deus per hoc homini pœnalitatis, aut mali infert; quando aliud non facit, quam quod ardentem hominis sitibundi sitim exsatiet, qui aliud nihil æque desiderat, quam ut sitim suam extinguere queat? Audite, si placet, quidnam in hoc mali lateat; febricitans aliquis in maximo febris ardore potum sibi dari postulat, id quod medicus severissimè prohibuit, eo, quod hoc nihil aliud futurum esset, quam si quis igni injiceret ligna, vel oleum superinfunderet; Omnis enim aqua vel vinum, quod appetit, æque illi futurum esset noxium, quam si tantumdem veneni per fauces trajecisset, quia licet ex hoc vino vel aqua tantisper recreatur infirmus, quamdiu liquor ille fauces pertransit, attamen potum illum infallibili morte luere debebit; quis igitur adeo demens erit, ut languentis censeat esse felicitatem, si eo tempore sitim suam extinguere possit. Porro divinarum legum transgressores infirmi sunt in anima, id quod malum ipsorum magis aggravat, quod si igitur Deus tali infirmo sitim suam lamentanti (*febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est,* inquit S. Ambrosius,) permittat, ut in summo harum febrium, & inordinatorum appetituum ardore desiderio suo satisfaciat, & sitim, qua laborat, extinguat, hoc sine dubio signum erit, quod reprobum talem irreparabiliter ad æternam mortem destinarit. Enimvero ex quo infirmi mentionem facere cœpimus, opportune memoriæ occurrit, quod olim D. Chrysostomus populo suo in hæc verba prædicavit: *Peccatum sanies est; pœna ferrum medicinale; sicut igitur saniem habens, si secatur, male habet, & cum non secatur, tunc est in majoribus malis, ita etiam peccans etiamsi non puniatur, omnium est miserrimus, & tunc maxime miser, dum non punitur, & grave nihil patitur.*

Jerem.51.39. — Deus punit dando potum sitienti. — Quia impio potus divitiarum nocet ut febricitanti. — S. Ambr. l.4. in Luc.4. — D. Chrys. H. 5. ad pop.

4. Deus apud Isaiam inquit: *Misereamur impio.* Itane? Ergone etiam impius meretur, ut Deus ei compatiatur, eique misericordiam tunc exhibeat, quando contra ipsum armatur, eumque pro viribus offendit? Sed audite quæso, in quonam hæc misericordia posita fuerit; nimirum, ut impius faceret quidquid sibi liberet, ut impius se neutiquam emendaret, denique ut ab omni pœna post peccata commissa in hac vita immunis maneret: *Et non discet justitiam, in terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* At vero absit, absit, inquit S. Bernardus, à me hæc misericordia & compassio, si quando mala fortuna mea illum offendero. *Hiccine est totus misericordiæ finis? Hanc ego misericordiam nolo; Procul fiat à me miseratio tam crudelis.* Quando pater vel Præceptor filijs, vel discipulis contumacibus virgam non adhibent, signum hoc est, quod bono ipsorum minimè invigilent, eodem modo exigui amoris Dei erga nos indicium est, si nobis à via recta divinorum præceptorum suorum errantibus & deviantibus, Deus per virgam suam nos denuo in semitam rectam non revocet; *Quem enim diligit Dominus, castigat,* inquit Apostolus; & Deus ipse in Apocalypsi ait: *Quos amo, arguo, & castigo.* Unde idem Sanctus Bernardus præcitatus dicit: *Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris; vides quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur?* Idemmet Sanctus Bernardus sermonem suum *de triplici misericordia* à verbis illis Psalmi 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam,* exordiens, subjungit: *Parvam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccantem. Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere, parvam, non quidem in seipsa, sed aliarum comparatione nominavi, quia hæc, siquidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem, imo vero judicium damnationis accumulat, ut dicatur: Hæc fecisti & tacui. Apostolum proinde audiamus more suo terribiliter intonantem: An divitias bonitatis ejus &c.* Audiamus S. Anselmum in commentario hujus Apostolici textus dicentem: *Dives esse monstratur & patientia ejus, qui tot & tanta mala facientes patienter sustinet. Dives est & longanimitas ejus, quoniam non statim punit eos sed expectat ad pœnitentiam per multa tempora. Sed has divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnit, qui non sic utitur eis ad pœnitentiam, ut Deus intendit, sed ad vanam securitatem vertit. Thesaurizas tibi iram in die iræ &c. Nam qui converti non vis, etiam spatio temporis accepto, per hoc mala tua ad reatum auges. De benignitate Dei iram sibi reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitentiam tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ.*

Isa.26.v.10. — Misericordia nociva. — Ibid. — S. Bern. ser. 42. in Cant. — Similitudo à Parentibus. — Hebr.12.v.6. — Apoc.3.v.19. — Cum Deus non irascitur, magis irascitur. — Ps. 50. 3. — S.Bern. ibid. — S. Bern. de triplici miser. — Rom.2. 4. — S. Anselm. ib. — Impius abutitur bonitate Dei.

5. Sanctus Augustinus symbolum fidei nostræ explicans, in persona alicujus Catechumeni hanc proponit quæstionem: *Quomodo cuncta gubernat & regit? Ecce tanta mala fiunt in mundo, & non judicat.* Respondet vero Sanct. Doctor: *O homo, ideo negas ejus potentiam, quia magnam ille exhibet patientiam? Peccantem quidem impunitum non dimittit, servat eum, aut pœnitendo corrigendum, aut ultimo supplicio puniendum.* Sanctus Thomas de Villa Nova miserabiles, & compassione dignos censet esse illos, qui in peccatis impune inveterascunt. *Væ,* inquit, *miseris, quos in peccatis consenescere permittit; hæc grandis ira Dei, & post infernum secunda, cum peccator pro suo libitu peccare permittitur, unde sicut idem Propheta alibi ait: Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret, & miseri sæpius pro hac impunitate & licentia stulti Deo gratias agunt, cum deberent potius cum eodem Propheta rogare: Ad te Domine clamabo; ne quando sileas, aut taceas à me, nam si tacueris, si dissimulaveris, assimilabor utique descendentibus in lacum.*

S. August. l.4. de symb. ad Catech. 2. — S.Th. de Vill. Conc. de S. Adel. — Peccatoris cæcitas.

6. Reflexistisne vos aliquando ad illum Psalmistæ versiculum, ubi ait: *Domine, Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis,* in quo enim se Deus nobis propitium, & favorabilem exhibuit? Num forte benefaciendo nobis, aut bonorum temporalium nobis indulgendo prosperitatem, vel denique dissimulando peccata, vel condonando condebita illis supplicia? Nequaquam: sed in hoc, quia scilicet fuit *ulciscens in omnes adinventiones eorum. Magnæ misericordiæ est,* inquit Sanctus Augustinus, *nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnari, modo flagello dignatur castigare. Corripiet me justus,* dicebat David; Væ enim illi, nisi Deus illi submisisset Nathan, ad eum reprehendendum, & ad comminandum ei tot supplicia, quæ illi ob peccatum suum erant obventura, numquam enim ex peccati sui luto se eruere potuisset. *Magna est ira Dei,* inquit Sanctus Hieronymus, *quando non nobis irascitur, reservat enim nos sicut vitulum in occisionem. Ad Jerusalem dicit: Multa sunt peccata tua, & multæ iniquitates, propterea non irascar tibi. Pone hic Magistrum aliquem, aut patrem, aut Medicum. Si viderit Medicus in corpore carnes putridas, & dicat, quid ad me pertinet? Scias quia crudelis est, si autem præcidat, & cauterium imponat, misericors est, quia sanat hominem. Similiter & Magister, si dimittat puerum, & non in eo exigit disciplinam, odit eum: Si autem exigat, & Medicus curet, quæ putatur esse asperitas, clementia est.*

Ps.98.v.8. — Deus temporaliter puniendo propitius est. — S.August. ser. 37. de Verb. Dom. — Ps.140.v.5. — S. Hier. ib. — Similitudo à Medico.

7. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua.* Populus electus à Deo liberatus fuit à duræ servitutis Ægyptiacæ compedibus, siquidem in Ægypto aliud non tractabant, prætérquam batilla, & ligones, lutum item & lateres, econtra vero è servitute hac erepti in Palæstinam deducti fuerunt, ut gloriosa commutatione ligones in sceptra, lutum vero in lauros converterent. Deus illos veluti Dux præcessit per diem quidem in specie miraculosæ columnæ nubeæ, à solaribus illos defendendo radijs, nocte vero in columna ignis, eos illuminando; pretiosissimis quoque regni illius divitijs eos locupletavit, inaudito prodigio floridam in mari rubro viam illis aperuit; in qua pariter Pharao & exercitus ejus submersus fuit, & tamen per ingratitudinem omni exemplo carentem Deum tot modis injuria & contumelia affecit; & specialiter, quando quotidie cœlesti annona cibatus, inaudita cum insolentia carnes à Deo poposcit, quas etiam Deus illi, & quidem delicatissimas perdicum carnes, in magna abundantia subministravit; Unde Psalmista ait: *Manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, Non sunt fraudati à desiderio suo.* At vero existimatisne, quod Deus appetitum illorum exsatians, idipsum in signum amoris & benevolentiæ suæ erga eos præstiterit? Audite eumdem Psalmistam dicentem: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, Et ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.* At vero quidnam Davidem dicere voluisse existimatis, quando in prædictis ultimis verbis ait: *Et electos Israël impedivit?* Nimirum insinuare voluit, iram divinam eousque ascendisse, ut electorum servorum suorum impediverit orationes, & intercessiones, ne forte se interponendo pro ipsis, flagellum à manu ejus eriperent. *Adhuc comedebant volatilia,* inquit S. Bruno, *& ira Dei venit super eos, & occidit pingues eorum, id est, qui ex pinguedine prosperitatis arrogantes erant.* Ponderatione digna est sequens Sanct. Augustini propositio: *Nonnullis Dominus Deus, quod petebant, concessit iratus.* Etenim si quis cœcum aliquem pro libitu

Deus Hebræis contulit plurima beneficia. — Ps.77. v.29. & 30 — Petentibus carnes dedit eis sed mortiferas. — Ibid.v.30. — Ibid.v.31. — S. Bruno. ib. — S.Aug. epist. 121. c.14.

Similitudo à Cæco.

libitu suo in loco præcipitijs pleno ambulare permittat; in magnum ejus damnum utique hoc facit; hæc autem est pœna, qua Deus reprobos post amissum timoris & notitiæ Dei lumen castigat, quod videlicet illos in hoc mundo pro libitu suo vivere & agere permittat; tunc enim *abyssus abyssum invocat*, id est, de peccato in peccatum corruunt, nec quidquam curant, quia *impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Ps.41.v.8. *Prov.18.3.*

Herodot. l. 3. Summa Policratis prosperitas.

8. Herodotus de Amasi Ægypti Rege, qui Policrati Samitarum tyranno confœderatus erat, refert, huic homini omnia tanta cum prosperitate successisse, ut meliores sibi rerum suarum eventus imaginari minimè potuerit. Abundabat enim thesauris, statibus, regnis, voluptatibus, & quidquid in hoc sæculo desiderari poterat. Huic igitur Amasis compatiens, epistolam quamdam scripsit tenoris sequentis: Amice tanta tua felicitas, tamque prosperi successus, qui tibi cumulatim eveniunt, minimè placent mihi; unde has tibi literas scribo, non ut tibi ob fortunæ præstantiam congratuler, tibique illam bene evenire precer, sed solum ut velut amicus te moneam, Deos tibi iratos esse, & licet in præsenti iram suam dissimulent, pœnam tamen tibi debitam ad illud usque tempus, quò minus cogitaveris, sibi reservent. Porro Policrates se in omnibus adeo fortunatum esse videns, die quadam hujus fortunæ suæ experimentum tentare voluit, ac proinde opulentissimum quemdam smaragdum, quem carissimo pretio æstimabat, utpote inæstimabilis valoris gemmam in mare ultro conjecit, cui post elapsos sex dies; piscator quidam piscem insolitæ magnitudinis doni loco præsentavit; in cujus exenterati visceribus dictus smaragdus reinveniebatur, quod Policrates Amasi Regi confestim transcripsit, qui audito hoc prodigio in sua magis est opinione confirmatus, impossibile esse asserens, hominem adeo fortunatum vitæ suæ dies fausto posse fine concludere: Unde iterato ad eum scripsit: Porro certo mihi compertum est, Deos suam tecum dissimulare tyrannidem, eamque ad certum usque momentum sibi reservare. Et vero ipsum veridicum fuisse vatem, exitus probavit, quia post paucos dies ab Orete Persa Regis Cyri præfecto miserabiliter trucidatus, Beda super illa verba Psalm. 72. *Zelavi super iniquos, paces peccatorum videns; quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum*, ita scribit: *Id est, si aliquando plagantur, id non fit, ut ibi firmamentum, id est, stabilitas ponatur, quia si interdum evenit, eos aliqua tristitia mori succedunt læta, vel in plaga eorum est firmamentum, id est, non laxatur plaga eorum, sed firmatur, id est, consolidatur. Aliter quoque hunc totum versum legere potes, ut sit ostensio, quod felicitas non datur hic peccatoribus ad salvationem, sed ad damnationem. Quare autem datur eis pax illa? Ad perditionem utique ipsorum datur eis, ideo morti ipsorum non est respectus.* Doctrina est Sancti Augustini dicentis: *Videte fratres mei, advertite; illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat, nam cui verè propitius est, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.* Job quidem in hoc mundo vitam egit immaculatam, omnisque noxæ expertem; nec tamen à culpis venialibus immunis erat, ac proinde dicebat: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcas;* Sanctus tamen Gregorius divinam justitiam justo suo judicio hunc morem cum aliquibus impijs servare asserit, *quod hic quibusdam parcit, ut in perpetuum feriat.* Minutius Felix inquit: *Nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitijs affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus, Miseri in hoc altius, tolluntur, ut decidant altius, hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur.* Et vero licet nonnumquam supplicium differatur, non tamen omnino evaditur; Unde S. Cyprianus ait: *Nec evasisse se credat, si interim pœna distulerit, eum, quem sibi Dei judicis Censura servavit.* Procopius verba illa Isaiæ: *Væ! qui trahitis iniquitatem, tamquam funiculo longo*, ita ad propositum nostrum exponit: *Funiculus longus ipsa sunt, quo longè remota scelera, id est, scelerum pœnas in nostrum caput attrahimus, solet enim hoc nomine sæpe scriptura flagitia nominare,*

Est suspecta Amasi.

Et in miseram mortem commutata.

Ps. 72. 3. *Beda ib.*

S. Aug. in Ps. 98.

Job.6. v.10.

S. Greg. l.8. mor. c.4. *Minut. Felix in Oct.* Consolatio Job erat à Deo affligi.

S. Cypr. de lapsis. *Isa.5.18.* *Procop. ib.*

re, & numinis vindictam persæpe tamquam vi in nos attrahimus, unde non immeritò omnibus dici queat: An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis? Bellovacensis in speculo doctrinali ex Propertio sequentem tradit considerationem:

Bellov. spec. Doctr. c. 17.

Qui se peccatis gaudet feliciter uti,
Infelix nimis est prosperitate sua;
Cum datur injusto peccandi optata potestas,
Ut mala mens pravè cum cupit efficiat,
Ira magna Dei quam multos sic quoque punit,
Ut quibus exultant criminibus, pereant.

Videmus per experientiam, quod quando equus laxatis habenis currere permittitur, quo illi libet, communiter in foveas, & præcipitia periculosa corruat; Idem quoque licentiosis & dissolutis evenit, quando desiderijs suis liberè obsequi impunè permittuntur: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*; nullus enim est excessus, in quem non corruant, & quod maximum illorum est supplicium, per hoc ipsum majorem pro igne æterno lignorum multitudinem accumulant. Chrysostomus à S. Joanne Damasceno lib. 1. Paral. cap. 12. citatus inquit: *Qui cum multa peccent, nullis tamen supplicijs afficiuntur, in metu ac tremore versari debent, etenim per impunitatem, ac lenitatem Dei, pœna illorum incrementum capit*, quia Apostolo teste, *thesaurizant sibi iram &c.* S. Bernardus in suis meditationibus ait: *Si tecum non est per gratiam, adest per vindictam, sed væ tibi, si ita tecum non adest, illi enim irascitur Deus, quem peccantem non flagellat, nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat.* De hac peccatorum impunitate discurrit S. Paulus in cap. 1. Epistolæ ad Romanos, ubi S. Ambrosius ita scribit: *Quia impunitatem horum existimaverunt, injuriosum Deum judicantes, ac per hoc negligendum, hinc additum est, ut magis, ac magis sceleratim ad omnia mala admittenda fierent promptiores, ut facta, quæ omnibus non ambigerent displicere, Deum non crederent vindicare. Nunc enumerat omnia mala, quæ illis superaddita sunt, ut vel sic conversi ad naturalem intellectum, intelligerent irato Deo hæc sibi provenisse; repletos omni iniquitate, hoc summatim locutus est, & subjicit membra iniquitatis, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidijs; contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obsequentes, insipientes, incompositos, sine intellectu, sine charitate.* Quis autem non advertit omnia hæc peccata, quæ impij, quamdiu vivunt, impuniti, & prosperati committunt, ardentem in inferno ignem, vehementius accensura esse? *Majori differantur malo*, inquit Chrysostomus, *multa enim mala perpetrantes, nec dantes pœnas, terrere magis, & timere debent, augebuntur enim supplicia propter impunitatem, & Dei longanimitatem; non igitur attendamus, an modo puniamur, sed an peccemus, quod si peccantes non pœnas damus, magis pavere debemus.* Sanct. Bernardinus ait: *Permittit Dominus hominem cadere in ruinam, & in potestatem suorum vitiorum, & passionum, sicut ait Psalmista. Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum*; hoc autem maximum malum est, quod illis evenire possit, ut notat idem Sanctus, dum ait: *Ergo male, imo pessime, sicut dicitur ad Romanos primo: Ideo tradidit illos Deus, scilicet permissivè, in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ.*

Similitudo ab Equo sine fræno.

Ps.80.v.13.

D. Chrys. in 1.Paral. 12.

S. Bern. meditat. c.6. Si Deus non adsit per gratiam adest per vindictam.

S. Ambr. in Rom.1.

D.Chrys. H. 27. ad pop. Impunitas auget supplicia.

S.Bern. T. 2. v.20. art. 1. cap.2.

9. Sæpe contingit, ut Chrysostomus acutè, notat, quod infallibilis Dei providentia, in hac præsenti vita, opus aliquod bonum à reprobis factum remunerare intendat, idque facit per impunitatem & dilationem bene meriti supplicij, perque bonorum hujus vitæ affluentiam & prosperitatem. En verba D. Chrysostomi: *Peccatorem si videris rapientem, fraudantem, sexcenta mala perpetrantem, qui prosperis tamen successibus utatur, tum tu recogita, bonum aliquod eum olim fecisse, ac bona illum hic recipere, ne illic mercedem reposcat.* Idipsum vero in persona epulonis exemplicat inquiens: *Aliquod bonum habere contigerat, propterea dicit Abraham: Nihil hic require, bona illic tua recepisti. Recepisti bona tua. Quæ tandem? Fecisti aliquid boni? Recepisti opes tuas, sanitatem, delicias, potentiam, honores, nihil tibi debetur, recepisti bona tua.*

D.Chrys. t.5. ser 6. in paralyt. & Laz. Impij cum Epulone in hac vitâ recipiunt bona sua.

TRACTATUS

TRACTATUS LXXIX.

DE REMEDIIS PECCATORUM,

CONTINET.

DISCVRSVS IV.

DISCURSUS I. Variæ instituuntur considerationes, quibus à peccato arceamur, illudque detestemur.

II. Alia contra peccatum remedia adducuntur.

III. Peccatum, quantumvis leve sit, in primis suis principijs est suffocandum, ejusque extirpanda est radix.

IV. Ne vel minimus serpenti infernali in cor nostrum indulgendus est aditus, ne in illud cum omni suo veneno ingrediatur.

DISCURSUS I. ARGUMENTUM.

Variæ instituuntur considerationes, quibus à peccato arceamur, illudque detestemur.

THEMA.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ. Rom. 2. v. 4. 5.

1. S. Apostolus in præcitatis verbis duo tangit essentialia puncta, quæ homini à peccato coercendo merito servire deberent, scilicet benignitatem, & tolerantiam, quam Deus à nobis offensus erga nos exercet, ut ad ipsum convertamur; ait enim: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quæ licet magnæ nobis consolationi esse debeant, ex alia tamen parte, si huic ejus beneficentiæ non cooperemur, sed abutamur eadem, tanto magis severissima ejus supplicia sunt formidanda! Unde Apostolus subdit: *Secundùm autem duritiam tuam &c.* S. Thomas à Villa Nova utrumque hoc punctum simul indicat dum ait: *Per varia media nos dirigit in finem, nonnumquam minis, & terroribus nos concutit, objiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, & miserias peccatorum, assidua flagella, & frequentes molestias inimicorum, & importabile tormentum iniquorum, malum enim & amarum nimis est, Deum habere inimicum. Quod si minæ non sufficiunt, flagellis, & infortunijs affligit nos, in camo & fræno maxillas nostras constringens, ut revertamur ad ipsum; & si hac via magis induratur cor nostrum, mille blanditijs, & favoribus nos mulcet, augens dona, subsidia multiplicans, accumulans beneficia, si forte vel sic ad amorem largitoris provocemur. Quod si hæc parva videntur, multa majora promittit, ingerens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus se, & innumerabiles gratias, quas hic confert custodientibus præcepta ejus.* Idem S. Archipræsul ulterius progreditur demonstrando media, quibus divina benignitas utitur, ad dimovendum nos ab offensis suis, nosque, postquam illum offendimus, ad veram pœnitentiam reducendos. *His itaque & multis alijs modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut Pater pijssimus, ac munificentissimus, vitam salutemque nostram inquirit, nihil omittens omnino eorum, quæ nobis prodesse poterunt ad salutem; unde per Prophetam ait: Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Juda? Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Sed ô duritiam! O pertinaciam cordis nostri! Hæc omnia Dei incitamenta & blandimenta, quasi nihil, contemnimus, & flocci pendimus, neque dignamur vel à longe, ea inspicere, & considerare, quasi ex debito redderentur neque terroribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficijs allicimur, neque promissionibus provocamur.*

Applicat Deus varia merita pro nostra conversione.

S.Th. de Vill. Conc. de S. Ægid. Abb.

Minas, flagella, beneficia.

Ut pijssimus Pater.

2. *Thesaurizas tibi iram.* Remedium, & frænum culpæ est, vel saltem esse deberet, necessaria illa connexio, & relatio, quam culpa habet cum pœna, non solum temporali, sed & æterna. S. Propheta Jeremias in lamentationibus suis ait: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu enim ejus*; Ubi nonnulli ex Hebræo legunt; *Punctis notatum est*; quasi dicere vellet, cum de peccatis agitur, iniquitates nostræ à Deo diligenter, usque ad puncta notantur, & excipiuntur. Agellius inquit: *Ex Hebræo aliqui hunc textum explicant; notatæ sunt iniquitates meæ in manu ejus, & quasi punctis quibusdam numerus earum signatus, non earum illum oblivio capiet, optimè novit, quo numero sint, quidve illis retribuendum, & qua pœna plectendæ sint, juxta illud Job: Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Veritas autem indubitata fidei est, omnia peccata quantumvis minima, licet in profundissimis cordium nostrorum latibulis abscondita, & occultata lateant, cunctis spiritibus, & animabus beatis, cunctis item spiritibus infernalibus, omnibusque hominibus, qui in mundo sunt manifestanda, atque insuper pœna sua plectenda &c. quia *iota unum, aut unus apex non præteribit.* S. Augustinus ait: *Supplicia terreant, quem præmia non invitant; vile tibi est, quod Deus pollicetur? Contremisce quod minatur.* Laërtius in vita Diogenis scribit, quod dum hic Athenis legeret, suis se sapientiam vendere indicarit; quod cum à Rege quodam auditum fuisset, hic thesaurarium suum ad Diogenem miserit, ut cujuscumque ingentis sumptus dispendio sapientiam à Diogene emeret. Hic igitur cum ante conspectum Philosophi venisset, ut sapientiam compararet, accepit à Diogene chartam, paucis sed ponderosis hisce verbis inscriptam: *In omnibus respice finem.* Quam sententiam Rex ad se allatam tanti æstimavit, ut eamdem super aulæ suæ Regiæ portam in lapidem incidi fecerit; contigit autem, quod cum die quodam sicarij quidam ære magno conducti ad aulam accessissent, ut prædicto Regi necem inferrent, in aula expectantes, ad prædictæ sententiæ inscriptionem oculos suos elevarint, qua lecta seriam super illius intelligentia reflectionem facientes, ab iniquis conatibus suis penitus declinarunt. Enimvero si quæras, in quonam vera Christiani hominis sapientia veraciter consistat? respondebo cum Sancto Job Propheta: *Ecce timor Domini ipse est sapientia, & recedere à malo, intelligentia.* Porro de timore Dei Doctor Seraphicus ita scribit: *Timor Domini est sicut infirmorum medicina, nam sicut medicina bene temperata repellit omnes morbos nocivos, & omnes nocivos humores, sic timor Dei omne peccatum, & omnes peccati occasiones expellit.* Modus porro hunc timorem, hancque sapientiam, quæ nos à peccato procul abarceat, acquirendi, hic est, scilicet si respiciamus finem, quo tandem actiones & consilia nostra terminanda sunt, observanda namque est fraudulenti serpentis sagacitas & astutia, qui cum in tenebris patiatur, magnamque in peccatis nostris partem obtineat, ut illa in obscuro committamus, pro viribus efficit, ac proinde peccata *opera tenebrarum* appellantur. Tempore gentilium circa templa idolorum densas faciebat plantari sylvas & lucos, ut post absoluta indigna sacrificia, inter obscuras illas umbras sequaces sui multis operam darent impudicitijs & obscœnitatibus; inde quoque fit, quod pro viribus suis impedire conetur, ne deformitatem, damna, & pœnas peccati resciamus, vel cogitemus. S. Bonaventura: *Peccatum est sicut falsitas in panno; nam sicut mercator de falso panno non ostendit emptori medium, neque finem, sed tantum caput, sic Diabolus, qui est mercator peccati, ostendit fatuo emptori solum caput panni, id est, delectationem culpæ, non medium, id est, remorsum conscientiæ, vel finem, id est pœnam gehennæ.* S. Hieronymus de pœnitentia peccatorum tractans, ita scribit: *Ego arbitror, quod sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas vel quantitas cibi contraria febres generat, & febres diversi vel modi vel temporis, secundùm eam mensuram, quam intemperies collecta materiam suggerit,* ac-

Thren. 1. 14.

Agell. ibid. Punctualiter peccata notantur.

Matth. 5. 18. *S. Aug. in Ps.49.* Sapientia Diogenis.

In bonum cujusdam Regis probata.

Job.28.v.28.

S. Bonav. diat. salut. tit.6. a. c. 1.

Sapientia Christiana est timor Domini.

S. Bonav. ib. T.1. c. 2. Peccatum est vitium in panno.

S. Hier. T.9. de pœnit. pecc.

ac fomitem febrium, quæ materiæ qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit: Ita anima, cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas. Quem etiam eumdem discursum ab Origine conscriptum reperio.

Pœnitentia Lysimachi Regis.
Plutarch. in Apoph. Reg. & Imper.

3. Plutarchus de Lysimacho Rege refert, quod cum obsidione ab inimico exercitu cinctus, omni prorsus potu careret, ad sui deditionem coactus fuerit; postquam vero intra manus adversarij sui se positum esse vidit, exclamavit dicens: *Dij boni, quam ob brevem voluptatem regnum amisi, & ex Rege me servum effeci.* Idem quoque peccati est supplicium, idemque finis, scilicet quod hominem, qui Filius Dei, & cœlestis regni hæres erat, mancipium faciat esse dæmonis, ignisque infernalis æternaliter reum, idque pro voluptatula aliqua turpi, & momentanea. Multum profecto ad infirmitatem aliquam curandam juvat, si Medicus causam, unde derivatur, evidenter agnoscat, & sciat, ut infirmitatem mature tollere, ejusque curationi opportunum & securum remedium applicare valeat. Peccata autem ut plurimum suam à voluptatibus & delectationibus originem trahunt; & ideo hisce specialiter inferni atrocitas comminando interminatur: *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.* Considerandum quoque est, quod S. Augustinus in hæc verba scribit: *Post dulcedines momentaneas, & horarias suavitates ad sempiternas amaritudines deferuntur.* S. Joannes Damascenus quoque ita scribit: *Turbæ vitiorum universæ resisti poterit, si semper, & assiduè cogitaverit, Deum operum suorum inspectorem, Angelum custodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium, seu cruciatum sempiternum, puræ conscientiæ pacem, hominis dignitatem, Dei beneficium, & super omnia Christi vitam, mortem, & crucem. Quæ enim, & qualis vita, si vix homo ex sepulchro progressus, rursum ad sepulchrum pergat, & demum in perpetua gehennæ flamma se sepeliat.*

Similitudo à Medico.
Apoc. 18. v. 7.
S. Joan. Dam. de octo Passion.
Media resistendi peccatis.

4. *Thesaurizat sibi iram*; Tametsi ira & furor non nisi improprie Deo conveniat, attamen Spiritus Sanctus, quando de peccatis agitur, æternum Patrem iræ & furoris sui fulmina manibus suis vibrantes, ob oculos ponit. Unde S. Basilius ait: *Tonitrua & fulmina ideo jaciuntur, ne contemptui habeatur bonitas divina. Ille, qui Solem exoriri facit, etiam delictum punit.* S. Bonaventura quantopere Deus peccatum detestetur, hisce verbis exponit: *Nota, quod nihil posset cogitari funesti, quin Deus fecerit propter odium peccati, ipse enim propter peccatum semel fere dissipavit omnia opera sua, scilicet totum mundum per diluvium. Alij Reges, & potentes in præjudicium inimicorum suorum, depopulant terras eorum, Deus autem dissipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram suam.* S. Paulus Apostolus impios mystico quodam appellat epithero, dum ait: *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Enimvero vas fictile facile à quovis homine irato, quantumvis debili, in minutas partes confringitur; quid igitur de Deo dicemus, de quo Job ait: *Deus, cujus iræ resistere nemo potest?* Apostolus autem præcitatis verbis sequentia præmisit: *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam,* Regius Propheta David de Monarchis terræ rebellibus differens inquit: *Loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos,* & paulo post subdit: *Tamquam vas figuli confringes eos,* siquidem ut S. Hieronymus notat: *Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Reprobos quidem in hac vita præsenti Deus sustinet, tolerat, conservat, sed quo fine? Ut *thesaurizant sibi iram in die iræ,* quia magis accendendis flammis infernalibus plura semper ligna adjiciunt, & accumulant. S. Basilius ad propositum nostrum interrogat, qua ratione quis assequi possit, ut adversus peccata odium concipiat? & respondet: *Tristis & acerbus rei cujusque eventus odium adversus eos conciliat, qui ejus authores fuerunt. Si cui igitur persuasum sit, quot & quam grandium malorum causa peccata sint, sponte sua ipse, & ex animo adversus ea odium concipit, ejusmodique quale is indicavit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Porro tam excessivo debito, quale peccatum est, nemo alius præterquam filius Dei ex toto rigore justitiæ satisfacere poterat; & tametsi de ipso scriptum sit: *Tribus digitis appendit molem terræ;* attamen per os Isaiæ protestatur inquiens: *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Oleaster ex Hebræo traducit; *Laborare me fecisti:* Unde facile colligitur, quantum pondus Redemptor noster in peccato senserit, quod nos tanta cum facilitate committimus, ac si calicem aquæ frigidæ epotaremus; *Bibunt quasi aquam iniquitatem.*

S. Basil. orat. 3. de pecc.
S. Bonav. ib. T. 1 c. 1.
Omnia funesta fiunt in odium peccati.
Rom. 9. v. 22.
Job. 9. v. 13.
Rom. 9. v. 22.
Ps. 2. v. 5.
Ibid. v. 9.
S. Basil. reg. brev. interrogat. 11.
Ingratus est Author mali.
Isaiæ 40. 12.
Isaiæ 43. 24.
Oleast. ibid.
Job. 15. v. 16.

2. S. Augustinus adversus peccatum sequens tradit perservativum, inquiens: *Quando peccatum quodcumque delectat, aut sabrepit, sit nobis in memoria, quod jam deleta sunt peccata nostra: Non perdamus pretium sanguinis Christi, nec maculemus stolam animæ per iniquitatem. Jacuimus, jam erecti sumus; Vulnerati fueramus, jam sanati sumus,* Qua fronte sanguinem agni occisi, pro nostra redemptione effusum, conculcare, totque labores & tormenta pro iniquitatibus nostris expiandis tolerata inutilia reddere audebimus? Væ nobis! si id facere præsumamus, sic enim sine dubio adimplerentur in nobis minæ illæ ab Apostolo intentatæ: *Thesaurizas tibi iram in die iræ.*

S. August. ser. 7. de Temp.
Præservativum peccati.
Rom. 2. v. 5.

6. S. Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos sequens format argumentum: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, Terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur, Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* De Scythis narratur, quod cum ab inimicis suis invasi essent, in sylvas vicinas fugientes, domos & facultates suas sibi deprædari, & in ruinam agi permiserint, eo, quod se ad resistendum illis insufficientes esse viderent. Bello autem finito inter se congregati, an domos dirutas reædificare; ruinasque perpessas restaurare consultum foret inter se deliberarunt, ad quam quæstionem tandem per majora vota pro parte negativa resolutum fuit, idque ob hanc rationem, ut posteri hoc illorum exterminium semper ob oculos habentes, vivum semper adversus Scythas conservarent odium, & vindictam, nec umquam ijs deinceps placarentur. Idem nobis merito faciendum esset, à quibus Dæmon inimicus infernalis per peccatum deprædatus est, operum bonorum merita, dona & gratias Spiritus Sancti, & insuper ab eodem è paradiso velut exules protrusi sumus, hæc inquam, damna, quæ à peccato in nos redundarunt, nec non supplicia, quibus propter ea subjecti sumus, vivaciter apprehendere, & adversus quamlibet iniquitatem irreconciliabile & perpetuum odium in cordibus nostris stabilire deberemus. Sic enim David, postquam acerbissima expertus fuisset mala, in quæ in pœnam adulterij sui inciderat, dixit: *Iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi.* Sequendum nobis est Sancti Bernardi consilium, his verbis expressum: *Primum consideres peccata sua, qualia, & quanta perpetravit, quæ considerare non multum prodesset, si non pro illis in gehenna puniri metueret, & ideo considerationi peccatorum recte adjungitur consideratio gehennæ. Item si considerentur, quæ & quanta sint tormenta gehennæ, & nulla peccatorum memoria haberetur, secura mens forsitan gehennam consideraret, cum nulla eam recordatio peccatorum perterret; Hac de causa in mente contemplatoris utrumque, & peccata, & gehenna conjungitur, ut ex utroque terror incutiatur, & timor,* utpote securissimum est peccati frænum, unde Poëta canit: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Chrysostomus ad populum suum Antiochenum prædicans ait: *Nihil tantum peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit, & germinare, quantum continui timoris natura, propterea, qui non vivit in timore, recte illum agere non est possibile, sicut vicissim cum timore viventem est impossibile peccare.*

Hebr. 10. 26.
Ibid. v. 27.
Ibid. v. 28.
Ibid. v. 29.
Historia de Scythis.
Damna peccati semper ponderari debent.
Ps. 118. 163.
S. Bern. parab. de nupt. filij Reg.
Odium peccati ex consilio S. Bernardi.
D. Chrys. H. 15. ad pop.

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.

Alia contra peccatum remedia adducuntur.

THEMA.

Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Ps. 37. v. 19.

1. PRopheta Regius, qui & ipse in gravia peccata incidit, modum nos edocet, quem ipse observavit, ut à peccato suo resurgens, majori deinceps cum cautela viveret, nimirum ingressus semetipsum, deplorandumque considerans statum, in quo velut Dei & suiipsius inimicus, soli dæmoni & inferno acceptus, misere jacebat, in corde suo statuit dicens: *Iniquitatem meam annuntiabo &c.* S. Antonius de Padua super illa ejusdem Prophetæ verba: *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum,* ita scribit: *Nota ista tria Meditari, exercitari, scopare. Peccator in nocte peccati existens debet meditari corde suo quid commisit, quid amisit, quid sibi acquisivit. Commisit animæ suæ mortem; amisit gloriam; acquisivit gehennam. Et pro his debet se exercitare in contritione & amaritudine cordis, & scopare, id est, mundare fœtorem cordis peccati in confessione oris.*

Debet peccator meditari, exercitari, & scopare.
Ps. 37. v. 19.
S. Ant. de Pad. Dom. 16. post Trin.

2. In antiqua lege velut cibus immundus, populoque electo cavendus habebatur, animal quod non ruminabat, econtra vero admittebatur cæterisque censebatur mundius illud, quod ruminabat, & ungulas divisas habebat: Audite ipsamet sacri textus verba: *Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Dicite filijs Israël; hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ; omne, quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.* At vero. *Numquid de bobus cura est Deo?* ut S. Paulus ait, cur suprema illa majestas eo se demisit, ut minutissimas hasce leges Hebraismo præscriberet? *Omnia in figura contingebant illis*; in illa namque ruminatione denotabatur consideratio, & meditatio, qua anima sustentare se debet ad salutem æternam; in ungula autem divisa firmitas significabatur & stabilitas, quam anima in virtutibus habere debet, quia pes, qui ungulam divisam habet, firmius & fortius in terram pedem figit, quam pes, qui habet ungulam integram. Porro consideratio non permittit intellectum decipi, constantia autem voluntatem tenet immobilem, nec illam seduci permittit S. Augustinus in sermone quodam ita scribit: *Scriptum est eis Deuteronomij 14. Ut quæ sunt ruminantia, & fissa ungula, ipsa manducent, quibus autem vel utrumq; vel unum horum defuerit, non manducent. Homines quidam significantur, non pertinentes ad societatē Sanctorū, fissa enim ungula ad mores, ruminatio vero ad sapientiam pertinet. Quare ad mores fissa ungula? Quia difficile labitur, lapsus enim signum est peccati; ruminatio vero ad sapientiæ doctrinam quomodo pertinet? Quia dixit Scriptura, thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis, vir autem stultus glutit illum.* S. Antonius de Padua in alio quodam sermone de probatica piscina, quæ quinque porticus habebat, hanc inde eruit doctrinam moralem: *Quinque porticus sunt quinque considerationes, quas debet habere peccator. Debet enim considerare majestatem, quam offendit; si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus, si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. *Maculam, quam contraxit; Quid ei tam fœdum, quam peccatum?* Jerem. 2. *Eleva oculos tuos in directum, & vide ubinam prostrata sis. Bonitatem; quam contempsit;* Rom. *An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis illius contemnas? Gloriam, quam amisit,* Ps. 108. *Qui noluerit benedictionem, elongabitur ab eo. Pœnam, quam promeruit æternam;* Matth. 23. *Ite Maledicti in ignem æternum.* Idem Sanctus ulterius progreditur, ostendendo & perstringendo negligentiam & inertiam illorum impiorum hominum, qui in suis lethiferis infirmitatibus libenter languent: *Sed in veritate,* inquit, *multi jacent, & pigritant sub istis porticibus, qui videlicet languent per torporem; languor autem prolixior gravat Medicum,* Eccles. 10. *Cæcutiant per ignorantiam* Isai. 42. *Quis populus meus cadens apertos habet oculos? Claudicant per inconstantiam; faciam, non faciam. Arescunt per cordis ariditatem.* Ps. 10. *Aruit cor meum.*

Levit. 11. 1. & 2.
Explicatio ruminationis & ungulæ divisæ.
1. Cor. 9. v. 9.
Deut. 14. 6.
S. Aug. ser. 26. de diver.
Prov. 21. 20.
S. Anton. de Pad. ser. 6. post. Dom. Quad.
Peccator quinque considerare debet.
1. Reg. 2.
Jerem. 2.
Rom.
Ps. 108.
Matth. 23.
Eccle. 10.
Isa. 42. v. 23.
Ps. 10.

3. *Cogitabo pro peccato meo.* Regius Propheta David in Psalmo 80. se præservativi loco peccatum suum semper sibi ob oculos positum habuisse dicit: *Peccatum meum contra me est semper.* S. Chrysostomus idem quoque insinuat præservativum, inquiens: *Decet nos purgatos à peccatis, eadem ante oculos habere peccata; Quamquam Deus multum de clementia ignoscat peccatum, quo tuæ tamen animæ stabilitate & salute habe ante oculos peccatum, etenim præcedentium memoria, futurorum continentia fit, & qui in prioribus morsus est, in secundis firmiorum ostendit sententiam, propterea David, peccatum, inquit, contra me est semper, ut ante oculos habens præcedentia, in futura non incidat. Quod vero hunc ipsum Deus à nobis expetit statum, ipsum audi dicentem. Ego enim sum, qui deleo peccata tua, & non recordabor, tu autem recordare peccata tua, & judicemur,* dicit Dominus, *dic peccata tua prius, ut justificeris.* Alcuinus supradicta verba exponens, scilicet: *Peccatum meum contra me est semper,* ita scribit: *Delictum nostrum contra nos ponimus, vel coram nobis semper habemus, quando in memoria illud jugiter tenemus, ad supplicandum pro eo, donec vincatur à nobis, mortique detur sempiternæ, nec iterum nos debellare valeat, sicut pridem fecit, nam toties peccata respicimus, quoties commissa deploramus.* Enimvero qualis ex habitis coram oculis peccatis nostris in nos resultet utilitas. S. Hieronymus his verbis insinuat: *Utinam nos in hoc sæculo poneremus ante nos peccata nostra & non Deus ea statueret in judicio ante faciem nostram.*

Ps. 50. v. 5.
D. Chrys. H. 55. de pœnit. 5.
Continua debet esse peccati consideratio.
Ps. 50. 5. Alcuin ib.
Quomodo peccatum considerare debeamus.
S. Hieron. in Ps. 4.

4. *Cogitabo pro peccato meo.* Efficax quoque peccati remedium, & frænum erit, si consideremus, quam breviter voluptas peccati transeat, vel quam sint labiles, fugaces, & vanæ res illæ, ob quas peccatur, & quam durabilia, imo sempiterna sint supplicia, & pœnæ, quas impius pro illis patietur. S. Augustinus quemdam, qui facultatibus insidiabatur alienis, in hæc verba affatur: *Non es dives, & rapere vis? Quid invenis? Quid perdis? O lucra damnosa! Invenis pecuniam, perdis justitiam. In rapina ne concupiscatis. Pauper sum, non habeo; ideo rapere vis? Quid rapias, vides, & à quo rapiaris, non vides? Nescis circumire inimicum tamquam leonem rapientem, & quærentem quid rapiat? Præda illa, quam vis rapere, in muscipula est, peccas propter mulierem, hæc dimittenda est, & quidquid est, propter quod peccas, quando oculos in morte clauseris, hic dimittis, & ipsum peccatum, quod committis, tecum portas.* Jactura, quam patimur, bonorum est æternorum; pœna, ad quam nos condemnamus, si quando mortaliter Deum offendimus, infernus quidam est per totam æternitatem nos cruciaturus. S. Isidorus olim causam interrogatus, ob quam gentiles in omne vitium se agerent præcipites, respondit: *Quæsivisti quid sit illud; Ausculta igitur: Non mors ipsa, ô bone, sed judicium, quod post mortem futurum est, avertit à peccatis, impij enim cum existimarent animam esse scintillam quamdam qua extincta, ut ajebant, corpus in cinerem abibat, mori se tantum more brutorum putantes, non autem post mortem judicari. Hæc autem omnia in libro, quem Sapientiæ Salomon inscripsit, dixerunt, ut nosti; nihil intentatum, vel inausum relinquebant.*

Voluptas peccati momentanea est.
S. Aug. in Ps. 61.
Ostenditur in meditante rapinam.
S. Isidor. Pel. l. 4. epist. 146.

5. *Cogitabo pro peccato meo.* Ad hoc ut peccata efficaciter caveamus, vitamque traducamus honestam & innocentem, operæ pretium erit, diligenter examinare, quænam fuerint offendicula, & scopuli, ad quos allidentes cecidimus, ut illos deinceps fugientes, omnem à nobis peccandi occasionem removeamus. *Qui enim mortui sumus peccato,* inquit S. Paulus ad Romanos scribens, *quomodo adhuc vivemus in illo? Mortuos peccato vocat eos,* inquit Estius, *qui respectu peccati mortui sunt, quibusque cum peccato non plus negotij est, aut commercij, quam mortuis esse solet cum viventibus.* D. Chrysostomus observat, S. Paulum Corinthijs in hæc verba scripsisse: *Expurgate vetus fermentum, hoc est, accusate, & perfecte purgate, ut nulla sit ejus umbra, nec reliquiæ.* S. Antonius de Padua de muliere Chananæa à finibus suis egressa ita scribit: *Nota, quod oportet hanc mulierem, id est, animam, non solum egredi à peccato, sed etiam à finibus peccati; frequenter enim dimittit Diabolus usque ad confessionem peccatorum, sed tamen in confinijs peccatorum retinere nititur, sicut habemus exemplum Exodi 8. Quod Pharao filios Israël permittebat, ut irent in desertum ad sacrificandum Deo suo, sed non patiebatur eos procul abire, ne terminis egressi Ægypti, ab eo fugerent.*

Rom. 6. v. 2.
Estius.
1. Cor. 5. v. 7.
D. Chrys. H. 15. ibid.
S. Anton. de Pad. ser. 5.
Exod. 8.

6. *Cogitabo pro peccato meo.* Sanctus Bernardus observat, quod inter omnes totius terræ creaturas soli homini, propter libertatem arbitrij, concessa fuerit potestas peccandi. At vero quonam fine hanc ei Deus potestatem dedit? *Ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset; quid namque gloriosius ei esse poterat, quam si de ipso diceretur, quod Scriptura perhibet; Quis est hic, & laudabimus eum? Unde ista laudatio? Fecit enim mirabilia in vita sua.* At vero quænam sunt hæc mirabilia, quæ fecit homo, ob quæ meretur summa laude deprædicari? Nimirum *potuit transgredi, & non est trangressus, facere mala & non fecit.* Etenim homo summa quadam se tum in terris, tum in cœlis privat honorificentia & gloria, si innocenter non vivat. Cur Sanctos in tanta haberi veneratione, in altaribus incensari, totque honoribus glorificari

Habet homo libertatem ad majus meritum.
S. Bern. lib. de grat. & libero arbitrio.
Eccli. 31. 10.

Ps.138.v.17.

glorificari existimes, tam vivos quam mortuos? (*nimis honorificati sunt amici tui Deus,*) Certe ob nihil aliud, quam quia abstinuerunt à peccatis. Et vero quot sunt, qui ut hunc finem assequerentur, vivos sese per totum annorum suorum decursum intra deserti sepelierunt speluncas? Quot sunt, qui se permiserunt super prunis torreri & assari? Quot sunt, qui vivi edentati sunt, volentes excoriati sunt? De quibus omnibus Apostolus ait: *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, Quibus dignus non erat mundus,* vel ut alij legunt: *Pro quibus nō erat dignitas in mundo,) in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.*

Honorantur sancti propter bona opera.

Hebr.11.37.

Ibid.v.38.

Ibid.

7. *Cogitabo pro peccato meo.* Efficacissimum præ cæteris ad extinguendum, & suffocandum peccatum remedium est auricularis peccatorum confessio: Quam ut David legitime institueret, dicebat: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* Richardus à S. Victore ait: *Mali quotidiè descendunt, quia de peccato in peccatum corruunt; & cum in sordibus sint, sordescunt adhuc. Item demergit eos tempestas aquæ, id est, peccatum, & absorbet profundum, id est, involvit iniquitas eorum, & urget super eos puteus os suum, id est, profundum iniquitatis, quando non solum merguntur in peccatis, sed etiam perdunt aditum confessionis.* Dici solet in Proverbio; Non est opus expectare, donec lapis ceciderit in puteum; cujus proverbij sensus est, non est necessum permittere, ut peccatum in anima inveterascat, & gangræna afficiatur, quia fortiorem semper in eadem pedem figet, & quotidie major ad illud deponendum concipietur aversio. David dicebat: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ponderatio est S. Bonaventuræ dicentis: *Per confessionem liberamur à malo culpæ & miseria gehennæ.* 1. *Joan.* 2. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. O quam stultus esset leprosus, qui se proprijs verbis curare posset, & non faceret? Et certe peccator leprosus est coram Deo & Angelis, qui propria confessione curatur, & quandoque desiderio confitendi. Ite, & ostendite vos Sacerdotibus; & dum irent, mundati sunt.*

Isa.38.v.15.

Rich. de S. Vict. in Cant.9.

Ps.31.v.5.

S.Bonav. ser. 5. in Rogat.

Modus quo peccavimus eliminari debet.

8. *Cogitabo pro peccato meo.* Necessum quoque est considerare, quo modo peccatum in animam nostram ingressum fuerit, & deinceps fidelem ad illam portam constituere vigiliam, ne deinceps denuo per eamdem ingredi præsumat. Axioma est Philosophicum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Ac proinde necessum est, ut sensibus nostris bona adhibeatur custodia, nam ut Jeremias ait: *Mors intrat per fenestras,* per quas fenestras hujus nostri corporis intelliguntur sensus, qui necessario in nobis custodiendi sunt, quia *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Hic autem armatus vigil, quinque sensuum nostrorum vigilans est custodia, quæ inimicum ad perturbandam bonæ conscientiæ pacem intrare non permittit. Ecclesiasticus ait: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo fac ostia & seras.* Porro Salvator noster filium viduæ defunctum juxta portas Nain resuscitavit, ut per hoc insinuaret, quod Ecclesia ad imitationem hujus matris suos deploret filios, qui ut plurimum propter peccatum moriuntur, (*anima, quæ peccaverit, ipsa morietur,*) & per sensuum nostrorum portas ad tumulum infernalem deportantur. Ipsemet quoque Seneca solo lumine naturali imbutus, hoc nobis suggerit consilium: *In primis finibus hostis arcendus est, nam cum intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.*

Jerem.9.21.

Luc.11.21.

Eccli.28.28.

Quinque sensus sunt custodiendi.

Seneca lib. de ira c.8.

9. *Cogitabo pro peccato meo.* Non desunt, qui aliqualem peccatori promittunt fiduciam, quod scilicet à Deo expectandus, & convertendus sit ad pœnitentiam, dummodo in actibus devotionum exteriorum se exercere non desinat, dummodo divina non abutatur clementia, nec illis utatur eo fine, ut tanto animosius peccata multiplicet. Populi Gabaon strategemate omnibus passim noto recurrerunt ad Josue, ut se cum illo confœderarent, seque ex regionibus valde longinquis venire simulabant; & quidem tametsi totum, id quod fecerunt & dixerunt, ex motivo processerit timoris, quia scilicet timebant, ne Josuæ fierent in prædam licet quoque mens illorum non esset detestari idololatriam, veramque religionem & legem Mosaicam profiteri, attamen quia confœderati erant, hæc illis fortuna accidit, quod scilicet in ore gladij trucidati non fuerint, nec exterminati, prout alijs populis contigerat. *Crediderant Deo,* inquit Sanctus Augustinus, *quem audierant suo populo promisisse, quod illas gentes subverteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorum fidem, non eos perdendo, remuneravit quodammodo.* Centurio Capharnaita, tametsi idololatra fuerit, dignus tamen factus est, qui in vera fide illuminaretur, eo, quod in synagoga quadam proprijs sumptibus erigenda adeo se liberalem exhibuisset. Alius quoque ille Cornelius centurio, paganus quoque & ipse, ob eleemosynas suas quas faciebat, una cum omnibus domus suæ familiaribus ad fidem Christianam à Deo promotus fuit. Chananæa similiter idololatra, fiduciam tamen habens in Christi miraculis, à Christo audire meruit: *O mulier, magna est fides tua!* Ex quibus alijsque innumeris exemplis clare colligitur, quod opera in semetipsis moraliter bona, licet non sint facta in gratia, suo tamen merito nequaquam totaliter destituantur, sed ad divinas gratias recipiendas nos disponant.

Fraus populi Gabaon.

S. Aug. lib. 6. quæst. c.14.

Probatur exemplis quod opera moraliter tantum bona disponant ad gratiam.

Matt.15.28.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Peccatum, quantumvis leve sit, in primis suis principijs est suffocandum, ejusque extirpanda est radix.

THEMA.

Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram. Ps. 136. v. 9.

1. AD resistendum peccato, efficax, & securum est remedium, omnem eidem in primis suis principijs amputare viam, & aditum, & præservativam accelerare medicinam, priusquam infirmitas majorem in corpore vigorem acceperit; Unde Poëta canit:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Porro per hosce parvulos, qui ad petræ duritiem allidendi sunt, Origenes cogitationes, desideria, primasque suggestiones, quibus nondum consensus est præstitus, intelligit. Enimvero David antecedenter dixerat: *Filia Babylonis misera,* & postea subdit: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos,* id est, ut ait Origenes, *Babylonis parvulos, qui nulli alij videntur, nisi cogitationes pravæ, quæ cor nostrum conturbant & confundant.* Hæ igitur allidendæ sunt ad petram, id est, per considerationem Christi, qui nullo modo debet offendi; *Petra autem erat Christus,* inquit Sanctus Paulus, & quidem hi parvuli in primis suis principijs repellendi sunt, & suffocandi. Sanctus Augustinus à glossa citatus ait: *Nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, facilius vincuntur.* Sanctus Hieronymus quoque Sanct. Eustochio Virgini filiæ S. Paulæ, idem hoc insinuat documentum inquiens: *Quia impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim ut cœperit cogitare, interficit cogitatus.*

Quinam sint parvuli allidendi ad petram.

Ps.136.v.8.

Orig. hom. 16. in Jos.

1.Cor.10.4.

S. Aug. in Gloss.

S. Hier. ad Eustochium.

2. In libro Judicum de Abimelech, filio Gedeonis spurio, legitur, quod, ut solus regnaret, omnes fratres suos occiderit: *Venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos, filios Jeroboam, septuaginta viros, super lapidem unum.* Nos quoque occidere debemus ad mysticam petram Christum (id est, per considerationem respectus & obedientiæ ipsi debitæ,) omnes suggestiones & tentationes; sed quo fine? *Ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut obediamus concupiscentijs ejus, neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato.* Sanct. Ephrem de malis ab effræni lingua derivantibus differens, similitudinem adducit aviculæ laqueo captæ, quæ licet solum ex ungula capta fuerit, hæc tamen ad captivandum totum reliquum corpus abunde sufficit, Idem sæpe in culpis levibus contingit, licet enim anima in culpam mortalem nondum sit lapsa, nec extra Dei gratiam constituta, attamen si affectum aliquem inordinatum (licet in primis suis principijs levem, sibi prædominari permiserit, sensim & paulatim majora sumens incrementa nos aucupis infernalis prædam esse faciet, nisi prius totaliter eliminetur. P. Alvarez ait: *Primum ungula, id est, cogitatio illaqueat, sed nisi quam citissime homo suam ungulam liberet, & pedes, & manus, & corpus, & mentem, peccati laqueus illigabit, & totum hominem in Diaboli servitutem rediget, & manifesti criminis gladio conficiet.* Sanctus Hieronymus eidem Virgini Eustochio in hæc verba scribit: *Dum parvus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.* Leones, ursi, aliaque similia crudelia & ferocia animalia, si confestim post partum, dum adhuc lactantur, paulatim venæ illis enerventur, membraque illorum luxentur, nulla ratione timenda sunt, non vero item, si adoleverint, simulque cum ætate robur corporis acceperint; *Dum parvus est hostis, interfice.* Enimvero passiones nostræ sunt veluti feræ in anima, eamdem dilacerantes, dilaniantes & morte afficientes, nam *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Væ nobis autem si succreverint, vel nisi omne studium nostrum in ijsdem in suis primis principijs suffocandis & extinguendis posuerimus! *dum parvus est hostis, interfice.*

Judich. 9. 5.

Abimelech occidit fratres suos.

Rom.6.v.12.

S. Ephrem de mor. ling.

Similitudo ab ave in sola ungulâ captâ.

P. Jac. Alvar. Tom. 2. lib. 1. p. 1. cap. 10.

Similitudo de adhuc parvulis, & magnis leonibus.

S. Hier. ib.

Ezech.18.4.

3. *Beatus, qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram,* Venerabilis Beda inquit: *Oriuntur cuncta peccata ex carnali concupiscentia. Quidquid est peccatorum in dictis, in cogitationibus, in factis, non exoriuntur nisi à mala cupiditate, non exoriuntur, nisi ex illicita cogitatione. Huic ergo illicitæ cogitationi resistamus, si non consentiamus, si non velut arma ministremus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore, peccatum enim ante regnum perdit, & sic perit; regnum perdit, quando post concupiscentias nostras non imus.* Observandum est bene, quonam titulo Regius Psalmista illum condecoret, qui peccatum in prima sua origine, id est, suggestione, reprimere, omnemque aditum peccato præcludere novit, nimirum audacter illum beatum esse pronuntiat: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos,* quia securus esse poterit, se in mystica animæ suæ Jerosolyma imperturbabili pace & quiete gavisurum esse, secundùm quod ipsemet David alibi dixit: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Sanctus Augustinus consilium à Psalmista in verbis thematis nobis traditum considerans, in hæc verba scribit: *Qui sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates, sunt enim, qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversus te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas, nequaquam pravæ consuetudinis robur accipiat, cum parvula est, elide illam. Sed times, ne elisa non moriatur; ad petram allide, petra autem erat Christus.*

Ps.136.v.9.

Beda ibid.

Concupiscentia est origo omnium peccatorum.

Rom. 6. 12.

Ps.118.165.

Parvuli Babyloniæ qui sint.

4. Omnino mihi persuasum habeo, Psalmistam in spiritu Prophetico prædicere voluisse, quod in adventu Christi, in lege Evangelica Deus majora nobis subministraturus esset gratiæ auxilia, efficacioresque ad abstinendum à peccatis levioribus præscripturum esse leges, quam fecerit legis scriptæ professoribus: *Allidet parvulos suos ad petram,* id est, reflectendo se ad præcepta & documenta à Christo, Magistro, nostro nobis tradita; Unde D. Chrysostomus ait: *Si qui ante legem vixerunt, ij per hanc pigritiam sensim ad ipsam vitiositatis radicem pervenere, considera, quid nobis evenire possit ad majora stadia vocatis, nisi diligenter nobis attenderimus, ac malorum scintillas nondum accensas antevertentes restrinxerimus. V.G. pejeras assiduè; ne ad hoc solum te obfirmaveris; sed & jusjurandum tolle, ac tibi res citra laborem succedet, multo enim difficilius est, jurantem non pejerare, quam prorsus à jurejurando abstinere. Injuriarum illator es, convitiator, percussor? Legem tibi præscribito nec succensurum te, nec quovis clamaturum modo; sic fiet, ut una cum radice fructus intereat Lascivus es? Ne mulierem aspicias, neque in theatrum ascendas, neque in foro formæ alienæ pulchritudinem curiose perscruteris, minus enim laboriosum fuerit prorsus abstinere à formosæ mulieris aspectu, quam ea conspecta, ac desiderio semel admisso animi motum ab eo desiderio proficiscentem repudiare; sunt enim certamina ipsis in exordijs leviora; imo vero ne concertatione quidem indigemus, nisi adversario valvas adaperuerimus, vitiositatisque semina admiserimus.*

D. Chrys. H. 12. ad Rom.

Radix peccatorum extirpanda est.

5. Et vero quandoquidem radicum mentionem fecimus, interrogandi mihi estis, an aliquando ad rosarum vos reflexeritis radices? Sunt quippe molles; delicatæ, & teneræ; quod si enim illas in manus acceptas strinxeritis, illas experiemini molles, & tamen asperæ ex hisce, acutæ, & pungentes progerminantur spinæ, quæ manus transforantes dolenter cruentant; scitisne quid per hanc similitudinem velim innuere? Nimirum peccata venialia ignem charitatis non extinguunt, nec divinam gratiam ab anima fugant, neque cor vulneribus lethiferis fauciant, verumtamen si eadem peccata permiseris crescere, erunt veluti radices tribulorum & spinarum, quæ conscientiam nostram per peccatorum gravissimorum remorsus aliquando transfigent. Forsitan idipsum dicere voluit Sanctus Augustinus, quando super Psalmum 52. in hæc verba scripsit: *Illi, qui corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, quid dixerunt? Non est Deus: Occidamus eum, non est Deus. Habes vocem ipsorum in libro Sapientiæ. Sed primo illos vidi corruptos, ut possint dicere in corde suo: Non est Deus. Præmisso versu, dixit imprudens in corde suo, non est Deus; tamquam causæ quærentur, unde hoc potest dicere imprudens, subjicit: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Audi illos correptos? Dixerunt enim apud se, non recte cogitantes.* Idem Sanctus Doctor, à qualibus principijs ingens hoc præcipitium derivarit, considerans inquit: *Cœpit corruptio à mala fide; inde itur in turpes mores; inde in acerrimas iniquitates; gradus isti sunt; quid enim apud se dixerunt cogitantes non recte? Exiguum, & cum tædio est vita nostra; ab hac mala fide sequitur illud, quod & Apostolus dixit: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Ibi autem latius luxuria ipsa describitur: Coronemus nos rosis, antequam marcescant; Ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ; post illam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? Occidamus pauperem justum; hoc est ergo dicere, non est Deus. Lenia videbantur jam dudum loqui, Coronemus nos rosis, antequam marcescant; quid delicatius? Quid lenius? Sperare ex hac lenitate truces gladios? Noli mirari; Lenes sunt, & radices spinarum, si quis eas contrectat, non pungitur, sed quo pungeris, inde nascitur.* Videbitis nonnumquam impetuosum aliquem torrentem, qui retinaculum non habet, & margine caret, quo retineatur, & ideo agros inundat, evertit domos, omnesque evellit radices, & tamen invenietis, quod in prima sua origine ex parvulo nascatur fonticulo. Idem quoque frequenter in peccatis, magnam post se consequentiam trahentibus, contingit. Videbitis enim integram civitatem in rixas, & bella suscitari intestina, audietis homicidia, irreconciliabiles inimicitias, & familias in diversas factiones divisas; Et unde hæc derivatur ruina? nimirum ex rancore aliquo, ex aversione, in principio nutrita, & fomentata, nequaquam vero ex corde evulsa; hæcque aversio post sui incrementa prorupit in verba contumeliosa, & injuriosa, hæcque fuerunt scintillæ, quæ magnum hunc ignem accenderunt. Sanctus Hieronymus proinde monet inquiens: *Ibi te maxime oportet observare peccatum, ubi nasci solet, statimque ad primam tentationem repugnare faciem, & malum, antequam crescat extinguere; nec enim expectandum est augmentum ejus rei, quæ timeri deberet parva.* Quando nominamus ignem ex stupa suscitatum, flammam exprimimus debilem, & infirmam, quæ subito deficit, & extinguitur; & tamen, prout videmus per experientiam, unica dumtaxat hujus incendij favilla, nisi in suis principijs extinguatur, ad integram quamdam deflagrandam civitatem, nedum domum, sufficit. Chrysostomus hac utitur similitudine, ut irreparabilia insinuet damna, quæ ex peccatis levibus neglectis resultant: *Hoc,* inquit, *igne vehementius exedit animam peccatum.* Amor aliquis, vel certus quidam affectus, in principio nonnumquam videtur Platonicus, & præ se fert colorem aliquem pietatis, sive prætextum excitandi certam quamdam puellam, vel mulierem ad timorem Dei, ad spiritualem profectum, at vero, quia in principio non fuit repressus, & refrænatus, paulatim in amorem profanum, & tandem in carnalem concupiscentiam degenerare videbitur, atque ex illo antea viso licito amore, ingens quædam accendetur flamma, quæ tandem in gehennali inferni ardore terminabitur.

Radix Rosarum est mollis & producit spinas.

S. Aug. in Ps. 52.

Mansi tom. Moralis Bibliothecæ IV.

Gradus iniquitatis.

Origo peccati est torrens accrescens.

S. Hier. ad Demetriad.

Parvus ignis magnum causat incendium.

D. Chrys. in Ps.6.

Etiam amor spiritualis in carnalem degenerat.

6. Consideratione digna sunt illa ad propositum nostrum opportuna Ps. 52. verba: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum;* quis enim est hic loquendi modus, quo Deus de peccato agens utitur? Sanctus Hieronymus & Symmachus legunt: *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum;* spinæ enim quoadusque sunt teneræ & germinantes, nondum vero solidæ, manus non pungunt, neque lacerant vestes, secus vero quando in rhamnum degenerarunt; peccatum quoadusque in suggestione, vel in tentatione consistit, damnum nullum efficit, *non enim nocet sensus, ubi non adest consensus. Quid est rhamnus?* Quærit Sanctus Augustinus, & respondet: *Spinarum genus est, & densissimæ quædam spinæ esse dicuntur. Primo herba est, & cum herba est, mollis & pulchra est, ibi sunt tamen spinæ postea processuræ. Modo ergo delectant peccata, & quasi non compungunt; Herba est rhamnus, & modo tamen est spina, priusquam producat spinas rhamnus, priusquam miserarum delectationum & voluptatum manifesta tormenta, procedant.* Quapropter provideamus, seu potius prævideamus, ut hæc peccatorum spinæ, quæ ad nihil valent, quam ad ignem excitandum, in animarum nostrarum campo non crescant; Ad hoc autem

Ps.57.v.10.

Quomodo spinæ fiant in rhamnum.

S.Aug. ibid.

D. Chrys. H. 12. ad Rom.

obtinendum, necessum est, ut, dum herba sunt, evellantur, prinsquam crescant spinæ in rhamnum. D.Chrysostomus egregie nos hortatur: *Abstineamus à prima quaque vitiorum libidine, seu potius nulla ex parte libidini hujusmodi inhæreamus, statim ipso in exordio pedem ab ea referentes.*

Vit. S. Joseph lib. 3. Cautela peccati.

7. In vita S. Josaphat, per S. Hieronymum conscripta, quoddam legimus monitum, eidem in ordine ad peccati cautelam his verbis traditum; *Donec recens est, parvam radicem è pectore tuo evelle, ne alioqui cum pullularit, & radices suas altè infixerit, postea non nisi longo tempore, ac magno cum labore extirpari possit. Ob id enim majora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent, quoniam ijs, quæ minora esse videntur, hoc est, improbis cogitationibus, inhonestis sermonibus, malisque colloquijs consentanea correctio minime adhibetur. Ut enim in corporibus, qui parva vulnera negligunt, saniem plerumque, ac mortem sibi ipsis accersunt, ad eumdem modum etiam in animis hoc usu venit, ut qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, graviora sibi invehant.* Quando timetur, ne pessimum aliquod germen pullulet, illud radicitus evelli solet, D.Chrysostomus sibiipsi similes, in alia quadam homilia ita scribit: *Repellenda malorum initia sunt, nam etiamsi ad majora non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum; nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt; quapropter omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda. Non enim vim delicti solam consideres, nec quia parvum sit cogites, sed illud præcipuè tene, quia si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescet.*

D. Chrys. H. 87. in Matth. Principijs obstare debemus.

8. Interpres quidam eruditus, super thematis nostri verba scribens, considerat, Psalmistam non sine mysterio dixisse: *Filia Babylonis misera*, habet enim ly *Babylonis* ingentem significandi emphasin, siquidem tametsi incolæ ejus, qui in ea vivunt, tenelli sint parvuli, valde tamen sibi timere debent, quia sunt in Babylone. *Per Babylonem enim nequitiæ principatum Propheta intelligit, & insigniter beat eos, qui ejus parvulos ad petram allidat, id est, penitus perdat. Sapienter dixit Aristoteles: Pusillum malum non attenditur; pusillum autem malùm non est, quod de Babylone, id est de malitiæ metropoli ortum habet, etsi modicum videatur; & quæ illud præfocat, illidit, ac perimit, beatus prædicatur.* Proposito quoque nostro utilissima est illa Hugonis Cardinalis expositio dicentis: *Beatus, qui tenebit, id est, qui etiam parvulos, qui ex carne nascuntur, id est, motus malos, antequam crescant, retinet, ne sint liberi; & allidet parvulos suos ad petram Christum, ut confracti dispereant; dicuntur enim mali motus parvuli, propter proprietates parvulorum malis; fætent enim immunditia, sic mali motus in anima fætent in conspectu Dei.*

Ps. 136. v. 8. Explicatio Babylonis. Hug. Card. ib.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Ne vel minimus serpenti infernali in cor nostrum indulgendus est aditus, ne illud cum omni suo veneno ingrediatur.

THEMA.

Nolite locum dare Diabolo. Ephes. 4. v. 27.

Per minimum peccatum datur locus Diabolo.

1. INter alia documenta, quæ Sanctus Paulus in Epistola sua ad Ephesios ijsdem transmisit, unum fuit, quo illos hortabatur, ut circumspecti essent, ne Diabolo aditum præberent; *Nolite locum dare Diabolo.* Locum vero in corde nostro Diabolo cedimus, prout D. Chrysostomus in Homilia 14. super Epistolam ad Ephesios exponit, quando in illo culpam aliquam levem committimus, vel fovemus; nam ut idem Chrysostomus ait: *Illi dumtaxat initijs opus.* Ecclesiasticus à peccato haud secus ac à serpentis aspectu nos fugere monet inquiens: *Quasi à facie colubri fuge peccata*; at vero cur non potius dixit, quasi à facie ursi, vel leonis, vel tygridis? Rationem illius hanc esse credo, quia per hasce similitudines, non satis expressisset documentum illud, quod nobis in hac materia tradere voluit, nimirum ut peccatum, quantumvis leve, & parvum sit, pro viribus evitemus, quia si aliquod tale peccatum in corde nostro delituerit, paulatim in universam malitiam suam sese dilatabit, hæc enim est serpentis naturalis proprietas, quod quo capite suo ingredi valet, eo pariter cum universo residuo corpore penetret, quia *illi dumtaxat initijs opus*, ac proinde Sanctus Apostolus opportune nos monet inquiens: *Nolite locum dare Diabolo*, huic enim ut universum venenum suum in nos effundere possit, abundè sufficit, si exiguum aliquem in mente nostra habere aditum quiverit. Clarum atque perspicuum est omnibus, quod alia animalia, quantumvis natura sua sæva sint & ferocia, quamdiu tamen etiamnum in nido morantur, nequaquam sint formidabilia, imo pro illo tempore familiariter illa tractare, & cum illis ludere solemus, non vero idem cum serpentibus, hi enim quantumvis sint parvi & modici, semper tamen timeri debent, quia numquam veneno suo carent. Idem quoque de peccato, etiam veniali, dicere possumus, ad illud namque cavendum sufficere debet, quod peccatum esse sciamus, peccatum enim qualecumque illud sit, pessimum est serpentis seminarium, & zizania infernalis, nec umquam sua ei deest malitia, quia facile in mortale degenerat, nisi subito curetur: *Illi dumtaxat initijs opus est.*

D.Chrys. H. 14. ad Ephes. Eccli. 21. v. 2. Proprietas serpentis. Serpentes etiam parvi venenum habent.

Cancer marinus venatur ostreas.

2. Cancer marinus, dum ostreis, & conchylijs venando insidiatur, à naturæ magisterio hac præditus est proprietate, ut ad hoc, ut ostreæ compos fiat, occasionem expectet, qua illa suam aperiat domunculam, in qua latet, mox enim ut hæc aperitur, ipse subito quemdam ejus labijs interjicit lapillum, vel lignum, vel aliud quid simile, ne totaliter claudi possit; & hoc adhibito artificio ingreditur domunculam, & ostream devorat. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*; id est, Diabolus; hic enim animæ nostræ, quam Redemptor noster margaritæ similem esse dixit, indefessè insidiatur; hic igitur mox ut cor nostrum, quod mysticum quoddam est conchylium, creaturis aperimus, in ijsque affectum aliquem inordinatum reponimus, hac occasione bene uti sciens, per suggestiones, blandimenta, & illecebras, suas, tantum efficit, ut sensim & paulatim animam ingrediatur, ejusque possessionem capiens, inæstimabilem illam devoret, aut deprædetur gemmam, de qua sacer textus ait: *Inventa una pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

Gen. 3. v. 1. Diabolus animas nostras. Matt. 13. 46.

Ericius decepit vulpem.

3. In Apologo quodam de erycio dicitur, quod spinis toto corpore refertus, cum se velut in rotundum quemdam & parvulum globulum constrinxisset, à diversis animalibus locum sibi in eorum cavernis indulgeri petierit, eo, quod venatores suum latibulum totaliter destruxissent; at vero cum apud omnia petitionis suæ passus esset repulsam, adeo blande se apud vulpem insinuare novit, ut de nulla sibi inferenda molestia secura eam sic intra se contractam hospitiolo suo exceperit; postquam vero erycius vulpis foveam ingressus fuisset, paulatim adeo se dilatare cœpit, ut spinæ vulpem pungentes eamdem foveam suam egredi, & derelinquere coëgerit; ex qua fabula utilissimam quamdam nobis elicere moralitatem licet, quæ, ni fallor, ab Isaia Propheta tacitus insinuata fuit; nam de anima quadam Deo rebelli in sensu morali disserens ait: *Ponam eam in possessionem erycy*; enimvero dæmon se ex multis animabus perfectis exclusum videns, ab ijsdem parvulum sibi in corde ipsorum aditum indulgeri postulat, blandam illis ingerendo suggestionem, appetitui nostro consentaneam, V.G. voluptatis sensualis, honoris, gulæ, vel alterius similis, & si contingat primos hosce motus ab illis recipi, & per aliquam indultam moram blandè tractari, mox ipse pro obtinendo in peccatum consensu strenuè laborare non cessat, donec impetret, quod intendebat; *hoc pacto*, inquit Chrysostomus, *si introierit, cuncta dilatat & amplificat, illi enim dumtaxat initijs opus, si vero nactus fuerit initium nocendi, omnia sibiipsi suopte ingenio vestigat, & amplificat.*

Isa. 14. v. 23. Ericium imitatur dæmon. D. Chrys. ibid.

4. S.Propheta Job se cum oculis suis fœdus quoddam stipulasse ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis*, & quidem si fœderis hujus scire vultis capitulationes, eas immediate post idem Propheta expressit, inquiens: *Ut ne cogitarem quidem de virgine*, at vero, dicet aliquis, modus hic loquendi valde est improprius, quia cogitare non pertinet ad sensus corporeos, sed ad spirituales animæ potentias, quomodo igitur de oculis ait: *Ut ne cogitarem.* Nimirum hoc loquendi modo exprimere voluit violentiam, quam unica dumtaxat culpa, licet venialis, V.G. curiositatis, vani alicujus aspectus, in se habet, hæc enim nonnumquam ad cor fascinandum, illudque post eliminatum Deum, in dæmonis nidum convertendum abunde sufficit; ideo namque hanc subjicit rationem: *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus*

Job. 31. v. 1. Ibid. v. 1. Job pepigit fœdus cum oculis suis.

rantibus

S. Ephrem T. 1. de morbis ling. Unicâ ungulâ capta tota avis capta est.

rantibus injustitiam? Ingeniosa est illa in discursu præcedenti insinuata S.Ephrem reflexio his verbis expressa: *Ex volucrum aucupio disce, quæ parva videntur, non ideo contemnenda, contingit enim, ut avis in laqueum incidens, minima capiatur ungucula, & alarum vires franguntur, & debilitantur ob unguem vilem, & cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.* Hæc pariter est venatoris infernalis sagacitas, permittit enim, ut Christianus aliquis se filiorum Dei libertate frui existimet, dum in omnibus virtuosè vivit, unico tantum præcepto excepto; hujus namque solius transgressio ad illaqueandam animam abunde sufficit, *cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.* Vivit V. G. persona aliqua magnæ exemplaritatis in summa innocentia, verbum Dei, & orationem frequentat; in operibus misericordiæ corporalibus & spiritualibus se exercet, & tamen odium aliquod contra proximum conceptum, cujus venenum cor ejus imbuit, deponere renuit; *cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.* Latrones magis experti hanc habent consuetudinem, ut quando domum aliquam directè & immediate ingredi nequeunt, ne dejiciendo portas, vel ostia, aut aperiendo fenestras strepitum faciant, qui illos in auribus incolarum prodat, parvulum quemdam astutum, & ad hoc edoctum juvenem, per crates ferreas, vel alias modicas domus aperturas, in eamdem domum immittant, qui tandem fores domus intus aperiat, per quas commode ad deprædandam domum ingrediuntur. Eodem quoque artificio latro infernalis nobiscum frequenter utitur, ut domum animæ nostræ omnibus spiritualibus donorum, gratiarum, & meritorum thesauris, quæ cœlo comparando congregaveramus, despoliare possit. In Apocalypsi quidem Deus ipse dicit: *Veniam ad te tamquam fur*, melius autem verba ist inimico generis humani adaptari possunt, hic enim, ut nobis in tenebris ignorantiæ & cæcitatis constitutis cœlum, & salutem æternam furando eripere possit, diligenter attendit ad aperturam malæ alicujus nostræ propensionis, per quam postea modicam quamdam venialis culpæ intromittit suggestionem, V. G. alicujus verbi inhonesti, incauti obtutus, vani gestus, vel blandæ alicujus salutationis singula enim ista ei sufficiunt, ut portam cordis ad delectationem morosam, ad desiderium, ad consensum, ac denique ad opus aperiri faciat; & sic misera anima omnibus bonis suis exuitur & spoliatur. Unde S. Gregorius Nazianzenus in sacro quodam Poëmate ita de dæmone canit:

Nequitia latronum. Apoc. 3. v. 3. Eadem utitur Diabolus.

Tu minimis primo vitijs in pectora nostra
Influis, ac velut exiguis illaberis undis,
Ac simul atque tibi datus est locus, illico magnus
Irrumpis, rapideque fluis latissimus amnis,
Donec me chaos arripiat, barathrumque profundum.

S. Hieronymus pariter inquit: *Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni ejus non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur, tentationum Diabolicarum initia flagitia sunt.*

S. Hier. in cap. 9. Eccle.

5. Verum enimvero, qua ratione S.Hieronymus falva veritate dicere potuit, quod tentationum principia, quæ nobis minime volentibus, multo minus consentientibus obveniunt, scelera sint atque delicta? Notandum igitur, quod S. Doctor antecedenter dixerit: *Si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, &c.* si enim, dum serpens per suggestionem modicum quemdam in cor nostrum habere aditum quærit, & permittatur, ut capite suo ingredi possit, principiumque tentationis non repellatur, magnum utique est periculum, ne tentatio ista cum omni sua malitia in animam se insinuet, ac proinde necessum est, ut caput serpentis semper conteramus, hoc enim obtrito, reliquum corpus ingredi non poterit. Notandum quoque est, S. Hieronymum hanc tradidisse sententiam, dum illa commentaretur Ecclesiastis verba: *Civitas parva, & pauci in ea viri; Venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam.* Quem textum idem S. Hieronymus sequenti modo exponit: *Civitas parva homo est, qui etiam apud Philosophos mundus minor vocatur, & viri pauci in ea membra sunt, de quibus ipse homo contexitur. Cum autem venerit adversus eam Rex magnus, Diabolus, & quæsierit locum, per quem possit irrumpere, invenitur in ea humilis, & sapiens, & quietus interioris hominis sensus, & eruet urbem, quæ obsessa ab hostibus cingebatur.* Quonam vero modo Sapiens hic vir, civitatem hanc mysticam, ab imminenti liberaverit ruina, Ecclesiastes quidem non exprimit, verumtamen idipsum facile colligere possumus à prudentia & experientia boni alicujus gubernatoris, seu commendantis, qui civitate sibi commissa, in magno periculo constituta, civitatem circumit, omnesque etiam minimas mœnium explorat aperturas, ne per illas aditum sibi in civitatem sternere possit inimicus. Simile quid S. Cyprianus de dæmone in hæc verba scribit: *Tamquam hostis clausos obsidens muros explorat, an sit aliqua pars murorum minus stabilis, cujus adortu ad interiora penetretur.* Quævis enim minima apertura ei sufficit, ut cum omnibus suis viribus ingredi, murosque etiam fortissimos rumpere possit. *Omnes ergo rimæ*, inquit S. Episcopus, *ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur, & universa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat.*

Caput serpentis conterendum est. Eccle. 9. 14. Ibid. v. 15. Vigilans Gubernator explorat minimas aperturas mœnium. S. Cypr. singul. Cler.

6. S. Bernardinus explicans verba illa; *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, modum nobis tradit, quo huic inimico non minus astuto, quam potenti resistere valeamus; ita enim scribit: *Quid dictum est Ecclesiæ? Jam modo audite, intelligite, cavete; ipsa tuum observabit caput, & tu ejus calcaneum. O Ecclesia caput serpentis observa. Quid est caput serpentis? Prima suggestio peccati. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum? Noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc, quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, & evades cæteros motus. Quid est caput calca? Ipsam suggestionem contemne.* Porro idem S. Augustinus, quod ore & calamo docuit, opere ipso complevit, quia licet usque ad ætatem triginta trium annorum carnali vitæ suæ ad fauces usque fuerit immersus, & verisimile sit, astutissimum fornicationis spiritum præteritas ei carnis voluptates sæpius revocasse in memoriam, ipse tamen per tot & amplius annos, baptismalem suam conservavit, innocentiam, idque non alia ratione, nisi quia caput serpentis, id est, primas suggestiones suppressit, & à se repulit, neque minimum illis aditum indulsit.

S. Bern. conc. 4. in Ps. 103. Modus resistendi Diabolo.

7. Hesichius ad Theobolum scribens, & ad verba illa in discursu præcedenti discussa, scilicet: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram*, alludens, ita discurrit: *Si certare statuisti, imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam; illa quidem minutas venatur muscas, quod si tu eodem labore, & exemplo quietem animi comparare volueris, irremisse pueros interfice Babylonicos.* Abigendæ quoque à nobis sunt muscæ, id est, peccata levia, quia Beelzebub, id est, Deus muscarum, qui Princeps est dæmonum, earum quoque opera utitur, ut animarum nostrarum possessione fruatur; & vero omnibus notum esse existimo illud ab eodem S. Patre narratum, nostro vero proposito aptissimum exemplum. Etenim cum quidam orthodoxo-Catholicus die quadam magnas à musca quadam pateretur molestias, hæreticus quidam Manichæus, in ejus societate constitutus, ad inquietudinem, & impatientiam boni illius viri se reflectens, oblatam sibi occasionem nequaquam negligere volens, suam ei ingessit hæresin, scilicet duo esse rerum principia unum creaturarum invisibilium, id est, Deum, alterum vero visibilium, & corporeorum, quarum authorem hæretici illi dæmonem esse asserebant, pro cujus erroris explosione, symbolo ad Missam dici solito, verba illa: *Visibilium omnium, & invisibilium*, fuere inserta. Enimvero hæreticus ille Catholicum angustiatum esse videns, eumdem, quisnam muscas creasset, interrogavit; qui ab illis valde molestatus, easdem à Deo creatas esse dicere non præsumpsit; unde hæreticus hanc Catholici observans hæsitationem, interrogationem prosecutus est dicendo; Ecquis igitur illas creare potuit, præterquam Diabolus; cui Catholicus se idipsum certo credere confestim respondit. Ecce igitur tibi in hoc homine completam fuisse consilij illius in verbis thematis propositi; scilicet: *Nolite locum dare Diabolo*, transgressionem; sufficit enim astuto serpenti hic aditus, ut cum omni sua malitia cor hominis ingrediatur, indeque Deum perpetuo expellat, quemadmodum statim audietis. Etenim Manichæus ille videns, Catholicum jam admisisse, dæmonem muscarum esse creatorem, subjunxit: Et apes quis creavit, quæ muscis sunt paulo majores? Numquid Diabolus? Quod miser ille pariter negare haud fuit ausus; Perfidus igitur hæreticus gradatim ab ape procedens ad locustam, ab

Ps. 136. v. 9. Hes. Presb. l. de temp. & virt. cen. 1. n. 17. Imitari oportet araneam. Nequitia hæretici Manichæi. S. Aug. Tr. 1. in Joan. Ephes. 4. 27. Descendit impius usque ad extrema.

hac

hac ad lacertam, ad avem, ad oves, ad elephantem, mox quoque ad hominem defcendit, & perfuafit homini, quia non à Deo factus eft homo; ita ille miſer, cum tædium paſſus eſt à muſcis, muſca factus eſt, quem Diabolus potiderat; *Beelzebub* quippe interpretari dicitur *Princeps muſcarum*. Per experientiam videmus, quod aucupes, ut multarum fiant avium captura facilices, vel reti multas ſoleant innectere muſcas: Hac pariter arte aſtutus ſerpens multos capit homines; nimirum ad culpas primo leves eosdem inſtigat, poſtea per transgreſſiones delectabiles, & apparenter exiguam in ſe malitiam habentes inveſcat, ut eoſdem primis principijs non reſiſtentes, ſed aditum præbentes, paulatim in graviora flagitia corruere faciat.

Aucupes muſcis aves capiunt.

8. Eccleſiaſticus ait: *Quaſi à facie colubri fuge peccata*; at vero ubinam coluber ſuum habet venenum reconditum? In facie, & dentibus, non vero in corpore; ac proinde Sapiens non dixit: *Quaſi a colubro*, ſed *à facie colubri*, ut intelligeremus, quod ſicut qui non vult à ſerpente intoxicari, ſpecialiter caput fugere debet; ita, qui peccato mortali non vult infici, cavere debeat caput, id eſt, primum principium peccati, ſi non vult in omni parte animæ infici. *Eccli. 21. 2.* Coluber habet ſuum venenum in facie & dentibus.

TRACTATUS LXXX.

DE PERSEVERANTIA,

CONTINET.

DISCURSUS VII.

DISCURSUS I. Perſeverantia proprius eſt Chriſtiani hominis character quam Filius Dei nos docuit, dum omnia ſua ad perfectionem perduxit.

II. Qui propter peccatum perſeverantiam negligit, præterquam, quod Deo injuriam faciat, ſtultum ſe eſſe probat, ſibique ipſi, niſi perſeveret, multorum gravium damnorum eſt cauſa.

III. De non perſeverantium pœnis & ſupplicijs, utpote quos Deus abominatur, & reprobat, dæmon vero ſui cooperatores habet.

IV. Perſeverantia cœli porta merita noſtra adauget, & præmiat, ſemperque ad ſtatum hominis finalem reſpicit.

V. Varia conſiderantur media, quæ magno nobis ad perſeverandum ſunt adjumento.

VI. Chriſtianus ſemper in virtutibus progredi & proficere, nequaquam vero eo virtutum ſtatu, in quo nunc eſt, contentus eſſe debet.

VII. De perſeveranti in vita ſpirituali & pœnitente tolerantia, quæ habenda eſt cum reſpectu ad cœleſtem remunerationem.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Perſeverantia proprius eſt Chriſtiani hominis character, eamque nos Dei Filius docuit, dum omnia opera ſua ad perfectionem perduxit.

THEMA.

Stabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper. 1. Cor. 15. v. 58.

Finis coronat opus.

1. S. Paulus Apoſtolus Corinthios, quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perſeverantiæ in operibus bonis, utpote proprium veri hominis Chriſtiani characterem, præcipue commendavit; Nam ut S. Hieronymus in Epiſtola quadam ait: *Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis; Paulus male cœpit, ſed bene finivit; Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.* S. Auguſtinus usque ad triginta & amplius annorum ætatem ſenſualitati habenas laxavit; Reſipiſcens autem, divinoque ſe ſervitio addicens, ad ultimam & decrepitam usque ætatem baptiſmalem conſervavit innocentiam. Idem S. Paulus Coloſſenſes pariter ita monet: *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati.* Ubi D. Chryſoſtomus ly *radicati* in favorem noſtrum hoc modo exponit: *Radicati, hoc eſt, fixi, ac ſtabiles; Quod enim eſt radicatum, ſeu radices egerit, non poterit tranſponi amari. Vide quam proprias & appoſitas ponit diſtinctiones.* Similiter aliud verbum, ſcilicet *& confirmati in ipſo*, ponderans ait: *Hoc eſt, ipſum tenentes tanquam ſuper fundamentum ædificati: Si quis in illo non ædificaverit, labeſcit.* Enimvero radix eſt, quæ truncum arboris ſuſtinet, ramos arboris vegetat, totamque arborem fructificare facit. Cumque profundius in terram penetraverit radix, arborem evellere, aut eradicare impoſſibile eſt, niſi forte regenter plantata fuerit. Apoſtolus igitur in primis illis fidelibus, adinſtar fundamenti alicujus, requirebat ſtabilitatem & firmitatem, ut bonorum operum fructus reddere poſſent.

Coloſſ. 2. v. 6.

D. Chryſ. ib. Hom. 6.

Radix eſt fundementum totius arboris.

2. Regius Pſaltes in ſpiritu Prophetico Pſalmos ſuos quotidie in nova lege Evangelica, in choris cantandos, vel recitandos eſſe prævidens, ait: *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te*, ubi ait: *In Eccleſia magna*, ut Hugo Cardinalis exponit: *quia de omnibus gentibus collectis*; In ſenſu vero morali idem Hugo adjungit: *Quia debet eſſe longa per perſeverantiam.* At vero quemnam verborum ſequentium ſenſum eſſe exiſtimatis? ſcilicet, *in populo gravi*. Num forte per hanc gravitatem, novæ legis jugum, in Meſſiæ adventu promulgandum, indicare voluit? Nequaquam, quia ad hoc jugum Chriſtiani amabili exhortatione invitandi erant: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*; Jugum quidem legis Moyſaicæ ſupra modum grave & ponderoſum fuit, non vero noſtrum; Quia *plenitudo legis eſt dilectio*, Quonam igitur myſterio populum Chriſtianum populum gravem appellat? (*In populo gravi*. Nimirum prædicere voluit, quod in populo Chriſtiano adimplendum erat, ſcilicet ſtabilitatem, ut *in populo gravi* idem ſit, quod *in populo ſtabili*, quia perſeverantia Chriſtianorum character eſſe debet, per quem ab infidelibus & hæreticis contra diſtinguantur, qui, ut experientia docet, in ſectis ſuis admodum ſunt inſtabiles. Unde cœleſtis Magiſter noſter Simoni prima vice dixit: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, quando vero ipſum ſuum in terris Vicarium declaravit, dixit ei: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; ubi petræ nomine, fidei, Eccleſiæ, profeſſorumque illius ſtabilitatem & conſtantiam intendebat exprimere. Enimvero P. Ludovicus Granatenſis *in introductione ad ſymbolum*, refert, quod dum quidam ex Germaniæ Primatibus interrogaretur, quamnam ſectam populi territorio ſuo vicini profiterentur? reſpondit: Anno ſuperiori talem quidem tenebant, qualem autem hoc anno profiteantur, profecto ignoro. Imo idem Granateuſis de ſuperiori ſuo ſæculo, id eſt, immediate præterito, ſcribit, quod habita ſectarum, ad illud usque tempus in diverſis locis traditarum ratione, deprehenſum fuerit, quod hæretici à primo hæreſcos exordio, usque ad tempus illud centum octodecim diverſas ſectas profeſti fuerint; Quid vero ſcriptor ille hodie dicturus fuiſſet, quando per medium ſæculum tot peſtifera germina, in Anglia præcipue, hiſce noſtris diebus, infeliciter progerminarunt? Eſt igitur hæreſibus & ſectis, omnibusque falſitatibus congenita, & quaſi propria inſtabilitas & variabilitas, ecentra vero *non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem*, id eſt, in Eccleſia orthodoxa-Catholica, cujus in 3. Reg. cap. 6. valde opportunam lego figuram, ibi namque facer textus de templo Dei differens, in ingreſſu oraculi portas quasdam fabricatas fuiſſe refert: *Et in ingreſſu oraculi fecit duo oſtia de lignis olivarum, & ſculpſit in eis picturam Cherubim & palmarum ſpecies.* Et vero ſcire percuperem quid myſterij in hiſce palmis latuerit. Beda per Cherubim

Pſ. 54. v. 18.

Hug. Card. ib. Quisnam eſt populus gravis.

Matt. 11. 28. Ibid. v. 30.

Rom. 13. 10.

Hug. Card. ib. Eccleſia eſt petra ſtabilis.

Ioan. 1. v. 42.

Matt. 16. 18.

Granat. introduct. ad ſymb. p. 2. c. 8. Inſtabilitas ſectariorum.

Stabilitas Eccleſiæ veræ.

Pſ. 124. v. 1.

3. Reg. 6. 32.

Juſti vocantur Cherubim.

rubim homines juſtos interpretatur, qui Angelicam in terris vitam agunt, proinde dicere poſſumus: *Noſtra converſatio in cœlis*; Ad hoc vero ut hi Eccleſiæ ſint ornamento, ſuoque tempore illis ad templum gloriæ aditus pateat, neceſſum eſt, ut palmarum ſpecies præ ſe ferant, id eſt, in ſanctitate & perfectione perſeverent, *non* enim *qui incœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Cunctis haud dubie notum eſt illud Spiritus S. teſtimonium dicentis: *Juſtus ut palma florebit.* S. Gregorius exponens locum illum Jobi: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies*, de palma ita ſcribit: *Palma tarde proficit, ſed die in virtutis ſubſiſtit.* Idem S. Doctor aliàm ejusdem palmæ aſſignat proprietatem, inquiens: *Palma vaſtior in ſummitate eſt, quam eſſe cœperit in radice, quia ſæpe electorum converſio plus ſentiendo peragit, quam proponi inchoando.* Quam eamdem proprietatem paulo poſt melius declarat dicens: *Hoc habet palma, quo à cunctis alijs arborum generibus differt. Omnis namque arbor in ſuo robore juxta terram vaſta ſubſiſtit, ſed creſcendo ſuperius angaſtatur, & quanto paulliper ſublimior, tanto in altum ſubtilior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit.* Cum igitur palma, quæ paulatim magis ſemper proficit, virtutem Perſeverantiæ adeo vivaciter repræſentet, conſequens eſt, ut ab illa deſumpta ſimilitudo juſtis & fidelibus aptiſſime conveniat.

Pſ. 91. v. 13. *Job. 29. v. 18.* *S. Greg. l. 19. mor. c. 16.* Intellectus palmarum.

3. Eſt & alia hiſtoria in Sacra Scriptura propoſito noſtro admodum accommoda; Etenim Spiritus Sanctus, qui Hagiographorum movit, & direxit calamos, totus eſt in vaccis quibusdam nobis commendandis, animalibus cæteroquin, prout conſtat, ſtolidis, ut proinde de illis Apoſtolus dicat: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Cum enim Philiſtæi arcam plauſtro novo ſuperimpoſuiſſent, eidem trahendo duas admoverunt vaccas. *Ibant autem in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur; pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*; ob quam in gradiendo conſtantiam & ſtabilitatem, absque eo, quod retroſpicerent, licet vitulos ſuos mugientes audirent, dignæ æſtimatæ ſunt, quæ in ſacrificium, divinæ Majeſtati offerrentur, & excitato ex lignis plauſtri, quod traxerant, igne, concremarentur. *Omnia* autem *in figura contingebant illis.* Etenim in arca, quam vaccæ ſuper plauſtrum deducebant, recluſæ erant divinæ legis tabulæ; Animalia autem hæc, quæ arcam hanc, absque eo, quod retrograderentur, aut retroſpicerent, portabant, illos præfigurabant fideles, qui conſtanter & perſeveranter, *non reſpicientes retro*, humeris ſub præceptorum Evangelicorum jugum ſubmiſſis gradiuntur in Bethſames, id eſt, in veram Solis illius civitatem, qui tribus radijs ſeu luminibus in una luce reſplendet. Adhæc pariter repræſentabant illos, quos Apoſtolus exhortabatur dicens: *Obſecro itaque vos ... ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

1. Cor. 9. 9.

1. Reg. 6. 12.

Vaccæ portantes Arcam ſignant ſtabilitatem.

Rom. 12. v. 1.

Cant. 1. 16. Fideles ſunt fundamenta domus Dei.

S. Bern. ſer. 20. de modo bene viv.

2. Petr. 1. 10.

Gloſſ. ibid.

Chriſtiani Chriſtum imitari debent.

Hebr. 12. v. 2.

4. S. Bernardus in ſermone quodam de *modo bene vivendi*, illa Canticorum verba; *Tigna domorum noſtrarum cedrina*, ad propoſitum noſtrum adaptans, per trabes illas, quæ domum ſuſtentant, Chriſtianos in divino ſervitio perſeverantes intelligit, utpote qui Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, vera ſunt fulcra & ſuſtentacula; Hæ autem trabes ſeu tigna cedrina ſunt, quia hoc lignum in ſua ſoliditate & incorruptibilitate ſemper perſiſtit, & ideo *ſignat ſanctos Dei, qui infatigabili atque immarceſſibili deſiderio conditoris ſui flagrant, & in bonis operibus usque ad conſummationem vitæ perſeverant.* S. Petrus primos fideles, & cum illis omnes ſucceſſive illorum poſteros in Epiſtola ſua paterne monet, ne in hoc nimium confidant, quod ſcilicet ad fidem vocati fuerint, niſi etiam eidem per opera bona perſeveranter fuerint cooperati; *Satagite*, inquit, *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Quonam vero modo vocationem noſtram certam facere poſſimus, Gloſſa nos docet, inquiens: *Certam facit vocationem, qui in bonis operibus perſeverat.*

5. S. Bernardus ait: *A Chriſto dicti ſumus Chriſtiani; Nonne igitur ea via, qua Chriſtus ambulavit, & nos debemus ambulare?* Enimvero Filius Dei non ſolum ad redemptionem noſtram conſummandam de cœlo in terram deſcendit, verum etiam ut nobis Chriſtianis in operibus noſtris velut norma, ſpeculum, & exemplar imitandum ob oculos verſaretur. Unde S. Paulus exhortabatur Hebræos, dicens: *Curramus ad propoſitum nobis certamen; aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum*, quaſi diceret, ne in ſtadio virtutis cutrentes aberremus, vel defatigemur, vivæ conſiderationis oculum in Salvatorem dirigamus, qui nullum umquam opus inchoavit, quod non pariter ad ultimam ſuam perfectionem usque perduxerit, Ac proinde priusquam in cruce expiraret, in celebri illo ſermone, quem præcedentis veſperæ crepuſculo ad Apoſtolos ſuos peroravit, his æternum Patrem ſuum verbis eſt affatus: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.*

Ioan. 17. 4.

6. Idem Verbum æternum, priusquam incarnaretur, jam antea totum creaverat univerſum, dicente S. Joanne Apoſtolo: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; Conſiderandum vero eſt, quod in primo Geneſios capite Deus dicatur omnia opera à ſe facta ſingulis diebus ſigillatim benedixiſſe, & approbaſſe, præterquam illa, quæ in die ſecundo creata fuerunt. De primo die dicitur: *Vidit lucem, quod eſſet bona*; De tertio pariter ait ſacer textus: *Vidit Deus, quod eſſet bonum*; Et idem de quarto & alijs legitur usque ad ultimum. Quænam vero cauſa eſt hujus diverſitatis, quod ſcilicet opera ſecundi diei non benedixerit, nec approbarit? S. Hieronymus ſuper Achæum Prophetam ſcribens, id hoc myſterio factum fuiſſe opinatur, quia eo die de diviſione tractatum fuerit: *Dividat aquas ab aquis; Diviſitque aquas, quæ erant ſub firmamento &c.* quaſi S. Doctor dicere vellet, ubicumque eſt diviſio, locum habere nequit benedictio. Alij à Lyrano citati hanc adducunt cauſam, quia ſcilicet ea die Angeli rebelles è cœlo corruerunt. Ratio tamen à Lyrano aſſignata mihi verior eſſe videtur, ſcilicet, quod opera ſecundæ diei non approbarit, neque benedixerit, eo, quod illo die opus quoddam inchoaſſet, quod tamen non perfeciſſet, niſi die ſequenti, ſiquidem aquæ ſecunda die diviſæ tertio die in unum locum fuerunt congregatæ, & mare appellatæ, ut ſiccies terræ, quam habitabilem efficere volebat, ab aquis denudaretur: *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida, & vocavit Deus aridam terram, congregationemque aquarum appellavit maria*; Tuncque Moyſes ſubjungit: *Et vidit Deus quod eſſet bonum*; Unde patet, Deũ à primis mundi cœpundijs infinuare nobis voluiſſe, quanti referat cœptum aliquod opus perficere, ut benedictionem & approbationem ipſius mereatur; Ab omnium creaturarum viſibilium, & inviſibilium creatione numquam deſtitit, donec ultimũ illis addidiſſet complementum, dicente Scriptura; *Igitur perfecti ſunt cœli & terra.*

Gen. 1. v. 3. Deus non benedixit ſecundæ diei.

Gen. 1. v. 4.

Gen. 2. v. 1. Speculum fidelis perſeverantiæ Chriſtus eſt.

7. Demum vero cum in progreſſu ſæculorum ad redimendum genus humanum noſtram induiſſet mortalitatem, S. Paulus eodem in loco præcitato illum nobis proponit velut perſeverantiæ finalis ſpeculum, ut nos animoſos reddat, adusque in finem Chriſtianè operandum; Ait enim: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.* In Apoc. cap. 2. nos exhortatur: *Eſto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Circa quæ verba Rupertus Abbas ita ſcribit: *Ejusdem perſeverantiæ, quam perſuadet dicens: Eſto fidelis usque ad mortem, in ſemetipſo exemplum præbuit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quando in crucis patibulo ſuſpenſus hærebat, obſtinatiſſimi Hebræi hiſce verbis ei acclamarunt; *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Quam vero ob cauſam de cruce deſcendere noluit, maxime quando id faciendo omnes Hebræos ad fidem amplectendam inducere poterat. Numquid de cœlo eo fine deſcendebat, ut ſe Filium Dei eſſe manifeſtaret: *Ut credat mundus, quia tu me miſiſti?* Numquid ſpecialiter Judæis proteſtatus fuerat, dicendo: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël?* Enimvero ad hoc, ut in eum crederent, per triginta tres annos inter ipſos cœleſtem potius, quam humanam vitam duxerat, Evangelium prædicarat, patraverat miracula, Eccleſiam fundarat, inſtituerat Sacramenta; Ob eumdem quoque finem præcedenti veſpere ſe captivum abduci permiſerat, ſanguinem ſudarat, amariſſimumque paſſionis calicem lubens acceptarat; Et tamen nunc quando ſe in ipſum credere velle proteſtantur, dummodo de cruce deſcendat, nullum eis præbet auditum, & haud ſecus ac ſi ſurdus eſſet, eorum petitionibus ne verbum quidem reposuit. Quid ad hæc dicemus? S. Bernardus in Ser. 1. de reſurrectione ita ſcribit: *Sed dicunt: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere? Imo vero ſi deſcenderit, neminem ſalvum faciet. Cum enim ſalvus eſſe non poſſit, niſi qui perſeveraverit usque in finem, quanto minus poterit eſſe Salvator? Alios ergo ſalvos fecit, nam ſalvatione, cum ſit ſalus, ipſe non indiget. Operatur ſalutem noſtram, nec eamdem deeſſe patietur.*

Ioan. 17. 21.

Matt. 15. 24. Opera Chriſti.

Hebr. 12. v. 3.

Apoc. 2. 10.

Rup. Abb. T. 2. lib. 2. in Apoc. 2.

Matt. 27. 42.

S. Bern. ſer. 1. de die Paſchæ.

patitur sacrificio vespertino, hostiæ salutari. Novit, iniqua, quid cogites. Non tibi dabit occasionem subripiendæ nobis perseverantiæ, quæ solæ coronantur. Hugo Cardinalis

Matt. 24. 13. *Hug. Card. ib.* super illa verba : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, similiter ita scribit : *Christus tunc præmisit perseverantiam moneri fidei* ; Et bene quidem perseverantiam fidei antepositit quia, ut suo loco dicetur, tam hæc virtus, quam aliæ, sine perseverantia nihil valent.

8. Quodnam S. Apostolus divinæ filiationis adoptivæ signum demonstrativum præscripsit, unde quis Filius Dei adoptivus esse, dignosci possit ? Apostolus ipsemet respondet : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* At vero dicet aliquis, in quonam hic Spiritus Dei consistit ? In eo videlicet, quod opus inceptum ad suam perfectionem perducat. Sic enim quotiescumque alicui languenti sanitatem conferebat, hanc perfectam esse faciebat, id est, ut sanitas esset corporis pariter & animæ. *Dei enim perfecta sunt opera.* Et quidem, ut hanc virtutem nobis tanto efficacius imprimeret, in cruce perseverantiam in ore ferens expirare, & mori voluit, siquidem ex septem in cruce, prolatis verbis ultimum fuit : *Consummatum est, Et inclinato capite tradidit spiritum*, quasi dicere vellet, spiritum hunc vobis relinquo, ut in virtuose operando vos quoque ad ultimum spiritum perseveretis. Hoc igitur innuunt verba illa Apostoli : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Audiamus hac de re D. Chrysostomum ita scribentem : *Ut ne lavacri dono confisi vitam subsequentem negligerent, ait, quamvis baptisma acceperis, nisi spiritu postea ducaris, dignitatem datam perdidisti, & adoptionis prærogativam.* Et paulo post ad modum loquendi Doctoris Gentium ingeniose alludens, subdit : *Propterea non dixit, quicumque spiritum acceperint, sed quicumque spiritu ducuntur, hoc est, quicumque omnem vitam ita vixerint, hi sunt Filii Dei.*

Ephes. 4. 30. Idem S. Apostolus in Epist. ad Ephes. ita scribit : *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in die redemptionis.* Quæ verba prima facie aliquam in se difficultatem continere videntur. Quomodo enim Spiritus S. qui omnis veri gaudij & consolationis causa est, & origo, tristitiæ capax esse poterit ? Maxime cum fructus Spiritus Sancti gaudium sit, dicente Apostolo : *Fructus autem Spiritus ... gaudium.* Respondetur, quod cum Spiritus S. nostræ ad fidem vocationis patrinus fuerit, nosque per gratias suas in Filios Dei adoptavit, (*Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater*,) hinc si Spiritus S. tristitiæ aut mœroris capax esset, is sine dubio ab illo vel maxime inde conciperetur, quod nos à bono incepto retrogredi, & cessare videat. Unde S. Ambrosius ait : *Contristatur, quia non habet profectum in nobis*, idque intelligendum est, non solum quoad progressum nostrum spiritualem, verum etiam quoad finalem perseverantiam.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Qui propter peccatum Perseverantiam negligit præterquam, quod Deo injuriam faciat, stultum se esse probat, sibique ipsi, nisi perseveret, multorum gravium damnorum est causa.

THEMA.

Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini ? Tanta passi estis sine causa. Gal. 3. v. 3.

Explicatio thematis. 1. S. Apostolus ad perseverandũ in bono feliciter incepto his verbis hortaturus, duo præcipue valde efficacia tangit motiva ad perseverantiam extimulantia ; Primum est, quia stultum esse censetur, quod quis Spiritum rejiciat, ut carni adhærescat : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Stultitia enim maxima est nuncium remittere Spiritui Sancto, ut carnis desiderijs vacare quis possit : *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate ? Aut, quæ societas luci ad tenebras ? Quæ autem conventio Christi ad Belial ?* Alterum verum damnum, quod Apostolus prædictis verbis tangit, est jactura omnium meritorum bonorum operum, utpote quæ nobis non prosunt, nisi in illis ad ultimum usque spiritum perseveremus ; Et ideo dicit : *Tanta passi estis sine causa*, id est, sine merito.

Spiritus principalis perseverantiæ est. 2. Porro Spiritus nomine, virtutem Perseverantiæ appellatam fuisse, dicere possumus ; Hanc enim sibi à Deo dari postulabat, quando dicebat : *Spiritu principali* *Ps.* 50. *v.* 14. *confirma me.* Vocat illam autem spiritum principalem, quia sine hac virtute, nullus præmium, vel coronam recipere potest. Est enim donum Spiritus Sancti, qui, quod bene advertendum est, in die Pentecostes sub signo visibili super Apostolos descendens, non sine mysterio, ut S. Lucas ait, *sedit supra singulos eorum.* Alias sacer textus de eodem Spiritu Sancto differens, alia phrasi loquendi usus fuit, V. G. vel dicendo : *Accipiebant Spiritum Sanctum* ; Vel : *Cecidit Spiritus Sanctus* ; Hic autem super Apostolis *sedit*, *Stabilitatem, ac permanentiam significans*, ut Oecumenius exponit ; *dictio enim sedit, idem significat, quod permansit.* S. Bonaventura similiter inquit : *Potest tamen & melius in sessione Spiritus Sancti significari, quod ipse sit mansionarius in perseverantibus.* Observandum quoque est, quomodo Christus hunc Spiritum Apostolis à Patre promiserit ; Sub hac verborum forma idipsum præstitit : *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Quem textum explicans doctissimus Salmeron, sequentem tradit utilissimam moralitatem, inquiens : *Ejus sessio denotabat stabilia esse dona, quæ dabat, nisi nostro vitio ea respuamus.* Spiritus enim Sanctus ex parte sua quidem vellet, quod donum Perseverantiæ ab ipso nobis communicatum, in finem usque penes nos persisteret, nos vero illud rejicimus, quia *sic stulti sumus, ut cum spiritu cœperimus, carne consummemur* ; Adeo stolidi sumus, ut præter damnum in nosipsos resultans, injuriam, quam Spiritui Sancto facimus, dum illum à nobis repellimus, ut Dæmoni aditum pandamus, minime consideremus : *Hoc est autem judicium*, quia *lux venit in mundum.* (Ita Salvator noster, seu potius Spiritus Sanctus lamentatur, de quo S. mater Ecclesia canit : *O lux beatissima.*) *Sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Ubi interlinearis ait : *Hoc est judicium, id est, causa damnationis.* Quidnam vero incarnata Sapientia per ly *tenebras* intellexerit, Rupertus Abbas declarat, dum sequentia verba : *Erant enim eorum mala opera*, exponens inquit : *Fornicationes, adulteria, homicidia, veneficia, commessationes, furta, perjuria.* His namque infernalibus monstris locus datur, ut Spiritus Sanctus una cum omnibus thesauris cœlestibus proscribatur. Hugo Cardinalis ita circa hunc textum scribit : *Dilexerunt homines, super quos venit, magis tenebras, id est, carnis delicias, & mundi divitias rationem obtenebrantes*, ac proinde S. Paulus ait : *Sic stulti estis ?* Cajetanus eadem verba sic exponit : *Ex hoc, quod homines perseverant in malis operibus, diligunt magis tenebras, quam lucem.* Sicut enim talpæ tenebras diligunt, lucem oderunt, ita pariter hæc est tot animarum stultitia, quæ potius in vitijs & peccatis, quam in vitæ æternæ meritis, in sanctitate & virtutibus, quæ regno beato acquirendo viam nobis sternunt, persistere & perseverare malunt.

Act. Apost. 2. *v.* 3. *Oecumen. ib.* *S. Bonav. ibi* *Joan.* 14. 10. *Salmer. ibid.* Ex parte suâ Spiritus in nobis stabilis est. *Joan.* 3. *v.* 19. *Ibid.* *Interlin. ibi.* *Rupert. Abb. ibid.* Quæ sint tenebræ, quas amant homines. *Hug. Card. ib.* *Cajet. ibid.*

3. *Tanta passi estis sine causa ?* Contexatis velim longum quemdam jejuniorum, eleemosynarum, orationum, sacrificiorum, macerationum corporalium, aliorumque operum meritoriorum, in quibus per longum vos exercuistis, catalogum, ac demum serio meditemini, quod nisi perseveraveritis, hæc omnia in ordine ad salutem æternam comparandam vobis inutilia & vana futura sint ; Numquid igitur merito Apostolus dicit : *Tanta passi estis sine causa ?* Idem quoque motivum S. Paulus Corinthijs in prima Epistola inculcare nisus est, ut in cœpto divini servitij cursu eos perseverare faceret ; Ita enim ibi scribit : *Stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis.* Hugo Cardinalis de hac Perseverantiæ virtute ita scribit : *Virtus est, quæ bona acquisita custodit. Desistere ab opere inchoato bonum inchoatum destruit.* Quamdiu in hac vita degimus, viatores sumus, qui in vasto hoc mundi mari in lignis fragilibus navigamus, ijsdemque opulentissimis, quæ cœlo comparando æquivalent, mercibus copiose onustis ; Quas quidem merces si ab omni periculo securas esse volumus, ecce tibi modum, scilicet firmam in ijsdem stabilitatem, & perseverantiam ; Econtra vero, qui in virtutibus stabilis non est, naufragatur, & quidquid per multos annos lucratus fuit, amittit ; Unde *tanta passi sumus sine causa.* Apud Ezechielem dicitur : *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, ... nunquid vivet ? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.* Psalmista Regius inter alias Psalterij sui propositionem unam habet, quæ prima facie difficultatem haud exiguam præ se fert, hanc nimirum : *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt ?* Itane ? Ergone nec ille, qui de se gloriari non dubitabat dicendo: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus*

Omnia opera bona nisi perseveraverint inutilia sunt. *Hug. Card. in Matt.* 24. 13. Viatores sumus periculosè navigantes. *Ezech.* 18. 24. *Ibid. v.* 25. *Psal.* 118. *v.* 3. *Psal.* 100. *v.* 2.

In fine deficientes quomodo dicuntur in vijs Domini non ambulasse. *Ezech.* 18. 24. *mea*, in divinæ legis stadio magnis non processerat passibus, quando postea in peccatum adulterij lapsus fuit ? Quot sunt, qui postquam antea bono temporis spatio irreprehensibiliter vixissent demum vero per fragilitatem, vel per malitiam lapsi fuerunt ? Ergone de illis ob hunc lapsum dici poterit, quod antea in via Dei non ambulaverunt ? Respondetur, Davidem illis verbis exprimere voluisse præjudicium, quod in eos, qui in bono cœpto non persistunt, infallibiliter redundat, scilicet, quod omnium bonorum operum merita adeo amittant, ac si virtutum stadio pedem suum numquam intulissent ; Quia *omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabantur ; Tanta passi estis sine causa ?*

Ut Mercator unico lusu perdit pecunias multis annis conquisitas. 4. Quod si quis triginta vel quadraginta annis inter continuas maris tempestates vitam suam traduxisset, monstrorum maritimorum faucibus, piratarum & naufragiorum periculis expositus, atque insuper fœpius ad antipodas usque profectus, copiosissimum sibi congregasset pecuniarum, gemmarum, auri argentique hæreditatem, ut inde in patriam suam reversus in quiete vivere posset : si inquam, ille ad suos redux feliciter factus in eodem portu, ubi appulit, unico alearum jactu thesaurum illum tot curis & sudoribus accumulatum ludendo perderet, numquid illum stultum & catena dignum esse pronunciares ? Hæc autem stultitia à multis Christianis hodie quotidie exercetur, qui postquam in mari hujus mundi diuturno tempore per varia operum bonorum genera pro cœlo acquirendo multa sibi accumularunt merita, postea quando cœlo vicini consilium illud adimpleverunt Evangelicum : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, à turpi quadam voluptate, vel à vili quodam emolumento, vel simili inordinato appetitu seducti, totum illum copiosum thesaurum, quem sibi eo fine acquisierant, ut eodem in Patria cœlesti perfruerentur æternum, simul & semel pro brevis momenti voluptate habenda perdunt, seu potius abjiciunt, factoque ipso ostendunt, se stultos, & Satanæ mancipia factos fuisse. *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, carne consummemini.*

Matth. 6. 20. Ita peccator unicâ voluptate merita præcedentia. *Gal.* 3. *v.* 3.

Dan. 28. 31. Statua Nabuchodonosori exponitur de incipiente & non perficiente.

5. Ingens illa statua Nabuchodonosori in somno repræsentata caput habebat aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, tibias ferreas, ac denique pedes testaceos. Quæ statua adeo vivaciter delineat illum, qui virtuose vivendo cœpit, pessime tamen postea consummat, ut aptior ad illum exprimendum similitudo excogitari non posset. Etenim in auro amor Dei denotatur, qui vitæ perfectioris est fundamentum ; Per argentum vero divinæ legis observantia innuitur, juxta illud Psalmi : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* ; Per ferrum & chalybem, solidissima metalla ; diuturna in operibus bonis stabilitas & perseverantia designatur ; Per pedes vero testaceos, qui causa fuerunt, ut ingens illa statua corrueret, & comminueretur, omniaque prædicta metalla in pulverem redigerentur, pessimus intelligitur finis, quem illi, qui ad ultimum usque spiritum non perseverant, communiter habere solent. Unde Richardus de S. Victore ait : *Opus detestabile, & dignum confusione, quod inchoatur ex auro, & consummatur in testa & ferro. O confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, & consummant in luto !* Olim summa merita, Olius Cordubensis Episcopus sub Diocletiano fidem orthodoxam constanter confessus, & à S. Athanasio dignus æstimatus, qui Patris Episcoporum & Confessorum titulo honoraretur, fidem Catholico-Romanam longo tempore contra Arrium invicta constantia sustinuit, & ob virtutes heroicas, nec non prudentiam, quæ in ipso admirabilis erat, in Concilio Nicæno Legatus Apostolicus ab omnibus est agnitus, quem S. Athanasius magnum appellabat, & sanctum, utpote qui egregium hunc Patriarcham contra Constantium sæpius defenderat ; Hic, inquam, post innumera hæc, quæ sibi apud universam Ecclesiam comparaverat, merita, post omnes persecutiones patienter toleratas, in conciliabulo Sirmij habito, dum centum annorum ætatem attigisset, miserabiliter cecidit. Immenso sane luctu, & implacabilibus lamentis, ut Baronius ait, prosecuti sunt sancti Patres præclarissimi hujus viri lapsum, qui cum navem, qua tot, tantaque maria navigarat, inter syrtes, scopulos, atque Piratas, validis undique urgentibus adversarijs ventis, jam ad portum salutis magna gloria perduxerat incolumem, ibi insperato naufragium fecit, universa Ecclesia Catholica expavescente. Ejusmodi Olij plane miserabili casu Catholicus orbis contremuit, concussæ-

Richard. de S. Vict. lib. de erud. int. hom. cap. 23. *Baron. An.* 357. *n.* 17. Perierunt in conciliabulo Sirmij.

que sunt solidissimæ petræ. Quis rogo de sui exitu potuerit esse securus, si omnium Synodorum laudibus Osij celebratum, totque ex diversis certaminibus coronis auctum hominem, in concilijs agentem Patronum atque Magistrum, videat tam inopinate prosterni, ac instar salis infatuati pedibus proculcari, tantumque ducem effici exercitus desertorem, imo ad hostes deficientem, & in castris hostium profitentem, transfugam adeo ignominiose constitui, idque eo potissimum tempore (proh dolor !) quo de laboribus immensis præmium accepturus, & de innumeris victorijs erat donandus à summo Imperatore coronis ? Merito igitur viri sancti sibimetipsis timentes, ad Deum clamantes, prophetico illud occinuerunt : *Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* *Ps.* 70. *v.* 9.

6. Eusebius Emissenus in homilia quadam Monachis suis de Virtute perseverantiæ prædicans, sequentem adduxit aptissimam similitudinem ; Videbitis, inquit, nonnumquam vineam optime cultam, quæ vires suas pergratum palmitum fuorum virorem, perque florum abundantiam quaquaversum expandens, copiosam promittit vindemiam ; Cujus tamen uvæ deinceps, vel non maturantur, ob aëris & auræ inclementiam, vel à feris, vel latronibus deprædatæ, vel ex alio simili accidente plurimum passæ destruuntur ; *Quid* igitur *mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incursus, vel vastitas grandinis spem omnem in consummationem subducat ? Ideoque omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit.* Unicus ventus, unica influentia maligna, unica pruina, vel grando ad omnes labores per multos menses in vineæ culturam adhibitos, inutiles reddendos, vel ad destruendum omnes fructus abunde sufficiunt. Ita quoque multis fidelibus animabus contingit, qui in divinorum præceptorum observantia minimè sunt stabiles aut perseverantes ; Unicus enim venti flatus unicus superbiæ spiritus, unicus turbo odij aut vindictæ, unica denique nimis effervescens effrænis æstas, ad perdenda omnia bonorum operum, multis annis exercitorum, merita, abunde sufficiunt : *Tanta passi estis sine causa ?*

Eccli. 34. 30. 7. Sententia est Ecclesiastici : *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus ?* Quisnam vero horum verborum sensus sit, Glossa interlinearis exponit inquiens : *Qui baptizatur à mortuo, id est, fletibus à peccato, & iterum tangit, rediens ad peccatum, quid proficit ? Quia non permanet emendatio ipsius.* S. Gregorius quoque ad propositum nostrum ita scribit : *Baptizantur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui prava opera, quæ se meminit egisse, deplorat, sed in ijsdem se post lacrymas implicat.* At vero nonnihil accuratius verba illa : *Quid proficit lavatio illius*, examinemus, videtur enim dicere velle, quid prosunt tot confessiones, quibus peccatorum vestrorum sordes abstersistis, tot lachrymæ, ex dolore ob Deum offensum effusæ, tot disciplinæ, quibus corpus macerastis, tot communiones ad quid vobis proficiunt, quando in amicitia & gratia Dei non persistitis, sed ad peccatum denuo reditis ? *Quid proficit lavatio ? Tanta passi estis sine causa ?* Quam forêt tam in terra, quam in cœlis gloriosus summus ille Judææ Præses, Pontius Pilatus, si ad finem usque in defendenda & manifestanda Christi innocentia, Hebræorumque malignitate declaranda constanter perseveraffet ? *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum ; Ego nullam causam mortis invenio in eo* ; At vero in pio hoc conatu perseverantia ausus non fuit, quando audivit : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, ac proinde ex solo perseverantiæ defectu ad condemnandum Christum extimulatus fuit, prout optime Simon de Cassia advertit inquiens : *Humanitate nimii agebat in Christum, quam si usque in finem causæ ipse servasset, mortis non dixisset ullo modo sententiam.* Et paulo post subdit : *Ejus perversitas, quia non transit, ut cœpit, nostrum acceleravit remedium.*

Eccli. 34. 30. *Gloss. interl.* Emendatio non stabilis inutilis est. *S. Greg. l.* 9. *regist. Epist.* 99. *Matt.* 27. 18. *Luc.* 22. 23. *Joan.* 12. 12. Si perseverasset. *Sim. de Cassia lib.* 13.

8. *Tanta passi estis sine causa ?* Sacra Scriptura de Saule hoc perhibet testimonium, quod scilicet in omni populo Israël nemo illo melior ; etenim ne ad sceptrum Regium capessendum traheretur, quod verè exhorrescebat, latibula quæsivit, seque abscondit, similiter Spiritu Dei repletus, donisque & gratijs cœlestibus exornatus fuit, & tamen non solum à regno terreno, sed, quod vel maxime deplorandum est, à cœlesti regno infeliciter decidit. Vultisne demerita ipsius scire, ob quæ hoc ipsi accidit ? Nimirum licet per aliquod temporis spatium Dei jussibus obtemperaverit, in hac tamen obedientia non perseveravit ; Timens enim ne exercitus dilaberetur, expectan-

1. Reg. 13. 13.

Saul finaliter defecit. 1.Reg.13.13. Ibid.v.14. S. Greg. ibid

di Samuelis impatiens, ministeriumque sacerdotale temere usurpans, sacrificium obtulit. Sed audiamus reprehensionem, qua zelo ardens Propheta Samuel ipsum perstrinxit: *Stultè egisti*, inquit Samuel, *nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi, quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* Quæ verba commentans S. Gregorius inquit: *Ecce quam magna perdidit, qui, ut putabat, nulla contempsit; Ecce septem diebus Prophetam sustinuit, sed dum præstolari eum in fine diei desijt, gloriam tantæ dignitatis amisit.* Quinque virgines fatuæ, non minus, quam prudentes specialissimo virginitatis decore dotatæ erant, in manibus suis non minus, quam aliæ lampades ferebant cumque illis simul & concorditer sponso obviam procedebant, (*Accipientes lampades suas exierunt obviam sponso*) ab initio quoque oleum habebant, & lampades ardentes, & tamen sibi dici audierunt: *Nescio vos*; ipsæque cœlorum fores coram facie ipsarum fuerunt reclusæ; *Clausa est janua.* Undenam obsecro hæc nata est repulsa, seu, quod idem est, æterna ipsarum reprobatio: Nimirum: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt, datæ nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, videlicet non curaverant sibi sufficientem olei provisionem, ut quoadusque opus esset, lampades ardentes in promptu semper habere possent. *Omnia in figura*, hanc enim parabolam incarnata Sapientia composuit, ut in hoc tam utili puncto suos erudiret fideles, moneretque, quod si ad nuptias cœlestis gloriæ ingredi desiderent, necessum sit, ut usque ad ultimum semper sint parati, nec umquam in animabus illorum charitas, amor Dei, & bonorum operum perseverantia deficiat, quia *non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Math.25.1. Virgines fatuæ in fine carebant oleo. Ibid. v.12. Ibid. v.10. Ibid.v.8. Matt.10.22.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

De non Perseverantium pœnis & supplicijs, utpote quos Deus abominatur, & reprobat, Dæmon vero sui cooperatores habet.

THEMA.

Memores estote uxoris Loth. Luc. 17. v. 32.

Uxor Loth ob unicam inobedientiam gravissime punitur. Gen. 19. 26. Ibid.v.17. Peccatum uxoris Loth videbatur habere excusationem. Luc.9. v.62. Quam tamen Deus non acceptavit. Lib. 16. de Civ. Dei cap. 30.

1. INcarnata Sapientia in virtute perseverantiæ nos stabilire volens, infaustum nobis ob oculos posuit uxoris Loth exemplum, terribile prorsus, planeque tremendum. Neque enim illo sæculo quisquam erat Deo charior, cœloque acceptior, Abrahamo, cui ipsa stricto Parentelæ vinculo conjuncta erat; Erat quoque conjux viri sanctissimi, & diuturno tempore in medio impiorum, & sacrilegorum hominum innocentissimè vixerat, quod magnæ perfectionis signum erat, vespere quoque præcedenti Angelos hospitio exceperat, ijsdemque ministrarat, singulari denique Dei privilegio ex communi incendio Sodomæ erepta fuerat, & tamen postea in unico momento, ob levem oculorum obtutum in statuam salis conversa fuit: *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Scire profecto percuperem, quænam aut qualis fuerit transgressio, ob cujus reatum tanta cum severitate castigata fuit, quia quodnam in eo esse poterat grave delictum, quod ex compassione illas igne flagrantes civitates aspexerit? Sciendum est igitur, Angelos, dum Loth, conjugem, & filios è Sodoma extraxerunt, ijsdem dixisse: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum. Sed omnia in figura contingebant illis*; In hoc namque facto omnes animas salvandas, vel salutis suæ cupidas instruere voluit, quod ab incepta via timoris Dei nequaquam retrocedere debeant, quia ut alibi protestatur: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Enimvero quis non existimasset excusatione dignissimum actum aliquem inobedientiæ, per actionem, quæ honesta videbatur, elicitum, utpote ex motivo compassionis, vel curiositatis, à muliere, cujus sexus fragilis est, commissum? Et tamen Deus per hanc rigidam pœnam, qua factum hoc castigavit, solicite nos docere voluit, quanti referat, ne aliquis, qui semel peccato terga vertit, jamque virtutis montem ascendere cœpit, unquam retrogradiatur; Ac proinde per altissimam suam providentiam disposuit, ut uxor Loth non statuam aliquam ligneam, testaceam, marmoream, vel metallinam, sed in salis statuam converteretur; Sic enim, ut Sanctus Augustinus ait: *Hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum.* Enimvero quis est, qui salem hanc habere virtutem nesciat, ut carnes à corruptione præservet? Videtur itaque Deus per hunc salem fideles in secuturis sæculis præservare voluisse, ne in peccatis recidivi fierent, maxime vero in peccatis carnis, de quibus S. Paulus ait: *Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem.* Sanct. Cyrillus Alexandrinus idipsum confirmat dicens: *Inde sumendum esse nobis exemplum, ne ad deploratas revertamur peccatorum illecebras.* Rupertus Abbas similiter rationem assignans, cur potius uxor Loth in statuam salis, quam in alterius materiæ simulacrum conversa fuerit, ita scribit: *Ut exemplum fieret, & condimentum, unde alij salvarentur, & nos scilicet, tamquam sale condiret.* Origenes sequens movet dubium: *Putamusne, inquit, tantum sceleris in hoc esse commissum, ut quia respexit mulier, interitum, quem divino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit, si solicita mulieris mens retrorsum, unde nimio flammarum crepitu terrebatur, aspexit?* Demum vero supplicium hoc in exemplum & terrorem fidelium immissum fuisse concludit, ne à servitio Dei retrocederent, in cujus probationem supradicta adducit: *Memores estote &c. Lex enim spiritualis est, & quæ contingebant antiquis, in figura illis contingebant.*

Gal.6. v.8. S.Cyr.Alex. lib.5.in Joan. cap.17. Rup.Abb.l.6. in Gen. 2. Orig. hom.5. in Gen.

Non datur uxori Loth tempus resipiscendi. Explicantur moraliter diversæ statuæ. Ps.113.6.

2. Observandum quoque, supplicium huic mulieri illatum, tale fuisse, ut nullum ei resipiscendi tempus indultum fuerit, sed immediate, & ex improviso, quando se à morte, quam universa Pentapolis luebat, eripiendam esse credebat, mox ut retrospexit, flagellum quoque iræ Dei in ipsam animadvertit; Id quod ut plurimum illis animabus in pœnam evenire solet, quæ postquam per aliquod tempus virtuose vixerunt, in illo tamen vitæ genere minime perseverant, sed morte repentina è vivis eripiuntur. At vero quonam mysterio Deus hanc mulierem in statuam convertit, utique quia Deus *omnia in sapientia facit*, idipsum sine ratione factum non fuit. Nisi itaque fallar, Deum demonstrare voluisse illud existimo, quod ut plurimum evenire solet illis, qui ad peccata nuper detestata denuo redeunt; Hi enim tales communiter Hypocritæ fieri solent, ostendentes extrinsecus se tales esse, quales fuerunt hactenus, ne digito monstrentur ab alijs, & ideo sunt velut statuæ, repræsentantes statum animæ priorem, licet intrinsecus in tali statu revera non sint. Præterea sunt statuæ, quia Prædicatorum voces, Superiorum reprehensiones, admonitiones amicorum, surda aure excipiunt: Et ideo sicut statuæ *aures habent, & non audiunt.* Sunt denique statuæ, quia ad Dei flagella sunt insensibiles, atque ideo ex tribulationibus, infirmitatibus, & quibuscumque alijs adversitatibus nihil proficiunt.

S. Bern.T.2. ser. 66. art.2 c.2. Historia de duellantibus. Gen.19. Luc. 9. 62. B.Laur.Just. c.2. de lig. vit. c.4.

3. S. Bernardinus, postquam fusius ostendisset, quantum serpens infernalis perseverantiam nostram temerare satagat, sequentem refert curiosam historiolam: *Erant duo pugiles, qui ad invicem pugnare volebant; Videns autem unus, quod alius eum aggredi volebat, dum ad insultum se præparabat, ait illi: Ego cum duobus non pugnabo, unus vestrûm recedat; Alter autem credens aliquem esse post eum, retrospexit, & dum retrospiceret, alter percussit eum in capite, & subito eum interemit. Sic qui non perseverando retro respicit, statim eum Diabolus decipit. Merito ergo Gen. 19. dixerunt Angeli ad Loth: Salva animam tuam, noli respicere post tergum tuum, respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis; Unde Dominus Luc.9. dicit; Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Porro dæmon, quoad potest, Perseverantiæ insidiari conatur, dicente B. Laurentio Justin. *Semper solet Diabolus Perseverantiæ insidiari, quam solam inter virtutes novit coronari.* Sic quoque, teste experientia, piratæ maxime persequuntur illa navigia, quæ præstantioribus mercibus sunt onusta, quæ etiam in majori sunt timore posita, quando portui sunt proxime vicina.

Ps. 12. 5. S. Bern. ibid. cap. 1. Quid sit insidiari calcaneo. Rom.13.10. S. Bern. ibid. cap.2.

4. S. Bernardinus explicans versum illum Psalmistæ: *Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero*; Ad propositum nostrum ait: *Dæmones tribulant justos, unde ait Gregorius? Quotidie nos inimicus impugnat, ut saltem tædio dejiciat, & hi exultant, quando ille à Sancto proposito movetur.* Unde Deus ab exordio mundi nos monuit, quod serpens tartareus in hujus virtutis perniciem suum præcipue sit evomiturus venenum, dum ad serpentem ait; *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est, ultimo vitæ ipsius, ut eum pro illo tempore operum bonorum merito prives. *Mystice ad Diabolum de anima inquit*, (verba sunt Bernardini:) *tu insidiaberis calcaneo ejus, id est, fini vitæ ejus.* Qui sine dubio idipsum

S. Aug. ser.8. ad frat. 1.Cor.9.24. Luca 9.62.

ipsum à S. Augustino didicit, qui in sermone quodam de hac virtute ita scribit: *Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare.* Quot, eheu! bravium suum perdiderunt, eo, quod in medio cursu fatigati defecerunt? *Sic currite, ut comprehendatis.* Nulla profecto dari potest major jactura quam si quis ab æterno decidat, & tamen infallibilis est veritas, quod *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Gen.3.v.24. Quatuor nos impediunt à beatitudine.

5. Paradisus utique terrestris, cœlestis paradisus verus est typus; Observastisne autem, quodnam Deus ad illius paradisi januam statuerit impedimentum, ut aditum nobis ad eumdem præcluderet: *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem*, ad denotandum, quatuor præcipue esse, quæ nobis obstaculo sunt, ne consequamur gloriam, scilicet cupiditas nimia sciendi, quæ in Cherubino denotatur, cui propria est scientia; Secundum, Concupiscentiæ carnali nimis deditum esse, quæ significatur in igne (*flammeum*) Tertium est odium, sive vindictæ, quarum typus est ensis, vel gladius; Quartum denique nimia nostra in bene operando instabilitas, & volubilitas (*versatilem.*)

Is.26.v.7. Via impij est curva. Ps.11.v.9. Eccli. 33. 5. Joan.8.v.44. Job.2.v.2. 1.Pet.5.v.8. Isaiæ 26.7. Ps. 118. 32. Philip.3.14. Ibid.v.14. S.Bern.ser.12. super Ps. Qui habitat.

6. Isaias inquit, *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* Dic sodes, quænam est differentia inter viam rectam & curvam? Hæc nimirum, quod in via recta, quanto magis proceditur, tanto magis homo à termino *à quo* elongatur; Non vero id fit in via, quæ in gyrum vertitur, quanto enim diutius in illa procedis, tanto magis appropinquas ad locum, unde recesseras. Idem prorsus accidit reprobis, de quibus dicitur: *In circuitu impij ambulant:* Tametsi enim ab hac vel illa suspecta conversatione recessisse videantur, in bonis tamen propositis nequaquam persistunt, sed subito ad peccata pristina revertuntur. *Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatio illius*, inquit Ecclesiasticus. Talibus proinde dici potest: *Vos ex patre Diabolo estis, desideria patris vestri vultis perficere*, tales enim eadem cum ipso via incedunt, circumeundo; Ipsemet namque dæmon apud Jobum ait: *Circuivi terram*, Et S. Petrus de eodem inquit: *Circuit quærens quem devoret.* Cæterum via viri justi & perfecti recta est, *rectus callis justi*; *Viam mandatorum tuorum cucurri*, inquit Psalmista; Et S. Apostolus ad Philippenses de ipso scribit: *Ad anteriora extendens meipsum, Ad supernæ vocationis bravium.* Consideratione digna sunt, quæ S. Bernardus in hæc verba scribit: *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed nihil proficit; Væ homini, qui sequitur hunc circuitum! Si conaris avellere, paululum sequi videbitur, sed in dolo, circuitus est, aliunde reditum parat. Væ homini illi, qui sequitur hunc circuitum!* Ly autem *Væ*; communiter est æternæ comminatio damnationis.

Jerem. 8. 6. Facilitas ad relapsum. Jerem. 8. 6. 1.Reg.5.v.9.

7. Deus olim per Jeremiam Prophetam conquerebatur inquiens: *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo.* Quæ utique querimonia, ut multi quidem existimant, hisce nostris temporibus locum habitura non erit, siquidem hodie confessionalia ingenti hominum multitudine cincta & stipata cernuntur; Verumtamen licet hoc verum sit, proposita tamen, quæ ab hujusmodi pœnitentibus fiunt, omnino sunt volubilia, & inconstantia, quod vel ex eo patet, quod subito minima quavis data occasione ad vomitum redeant: Ac proinde apud eumdem Jeremiam subditur: *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Arca Domini à quocumque demum sive à Philistæis, sive ab Hebræis processionaliter circumferebatur, irreparabiles ubique strages faciebat, dicente Scriptura: *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Quam historiam Venerabilis Beda præsenti nostro proposito adaptat, sequentem inde eruens moralitatem: *Qui fidem transitoriè, nec fixa intentione recipiunt, non solum nihil commodi credendo merentur, sed & pœnam de pretio salutis miseri mercantur æternam.*

Matt.12.32. Quid sit peccare contra Patrem, Filium, & Spiritum S. 1.Tim.1.13.

8. Reflexistisne vos aliquando ad illa Christi verba Matth. cap.12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Solent porro Theologi Patri potentiam, Filio sapientiam, & Spiritui Sancto bonitatem attribuere; Et ideo qui ex fragilitate contra potentiam Patris peccat, aliquam videtur excusationem posse prætendere; Dicere enim potest: *Tu scis figmentum nostrum.* Similiter qui ex ignorantia contra sapientiam Filij peccat, aliqualiter se excusare potest cum Apostolo, dicendo: *Ignorans feci, & ideo misericordiam sum consecutus*; At vero qui ex malitia peccat contra bonitatem Spiritus Sancti, qui tot ei gratias & auxilia pro æterna salute conquirenda dedit, quique tantum lumen, notitiam, & amorem Dei ei contulit, & nihilominus illo relicto dæmoni adhæresit, ut turpibus voluptatibus gaudeat, vel propter vile quoddam interesse huic sanctissimo Spiritui animarum sanctificatori, una cum cœlestibus thesauris suis renunciat, illumque ignominiose à se repellit, talis certe non meretur remissionem, sive in hac vita, sive in futura. Israëlitæ per evidentia divinæ omnipotentiæ & Providentiæ portenta ex servitute Ægypti liberati, opulentissima regni illius supellectile locupletati, agno Paschali bene pasti & refecti, miraculosè columna nubis per diem, & columna ignis per noctem per avia & devia ducti fuere, floridas quoque & apertas in mari rubro reperere vias, per desertum ad terram promissionis proficiscentes, tot annis cœlesti annona fuere sustentati; Et tamen quam paucis illorum Palæstinam ingressis, loco cophini, & luti, sceptra & lauros contrectare concessum fuit? Nec mirum, quia dicti Israëlitæ typus erant eorum, qui in deserto vitæ cujusdam solitariæ, defatigati quiescunt, priusquam ad terminum præscriptum perveniant: *Non enim qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Deus quidem ex parte sua non defuit, curando ne retrocederent seque Ægyptiæ servitutis compedibus denuo submitterent, [id quod S. Eucherius optime observavit inquiens: *Aperuit Deus inter aquas vias maris, & circumfusis deinde aquis texit illud, ut desertum expetentibus patefaceret iter, clauderet reditum,*] at vero Dei auxilijs non cooperantes, ad ollas Ægypti, ad porros & cæpas, semper anhelabant, & ideo pœnas luere debuerunt in deserto hujus suæ instabilitatis, infeliciter moriendo in illa solitudine.

Plurima acceperunt Israelitæ beneficia. At deficientes pauci intrarunt terram promissam. Eucher. de vit. solit.

Ezech.9.v.6. Immunitas literæ Thau. Hug. Card. ib. Omnia primo genita Deo sacrificabantur. Exod.13.13. Excepto primogenito Asini. Matth.5.23. Rationes quarere. Historia de novitio egrediente monasterium.

9. Nulli ignota est ingens illa strages, quam Deus Ezech. cap. 9. inter homines cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, & professionis, cum hoc tamen pacto instituit: *Omnem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Verum scire percuperem, cur omnes illi, qui hoc signo Thau insigniti erant, ab hoc flagello remanserint immunes & exempti? Hugo Cardinalis observat, hanc literam Thau in alphabeto Hebraico esse postremam, figuramque Crucis præ se ferre; Ac proinde figurare Perseverantiam: *Ultima littera in Alphabeto signatur*, inquit Hugo, *ad denotandum, quod qui omnia præcepta non servaverit usque ad ultimum, occiditur.* Idem quoque S. Bernardinus in supradicto sermone innuit. Ecce igitur qualiter in hac strage à Deo ordinata universum genus humanum edoceatur, qualiter irreparabilia æternæ mortis damna redundent in eos, qui hoc perseverantiæ charactere signati non sunt. In confirmationem hujus servit & alia quædam historia; Deus enim in antiqua lege omnia primogenita, tam de hominibus, quam de pecoribus & animalibus, sibi in sacrificium offerri præcepit, solum ab altaribus suis asinum proscriptum esse voluit: *Primogenitum*, inquit, *asini mutabis ove.* Circa quam legem sacri interpretes studiose rejecti asini investigant mysterium, siquidem asinus animal est homini utilissimum, in portandis patienter cujusvis generis oneribus. Aliqui igitur ideo asinum rejectum fuisse existimant, quia ex pelle ipsius tympana, quæ belli sunt instrumenta, conficiunter. Deus autem abominatur omnes illos, qui pacis sunt hostes, unde Christus ait: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris &c.* Alij considerant, quod asinus non nisi virga coactus procedat, ac proinde symbolum sit eorum, qui non nisi ex timore pœnæ Deo serviunt, qui Deo penitus non placent. Verum enimvero, ad præsens propositum aptius dicendum videtur, quod per asinos denotentur illi, qui bene quidem incipiunt, sed in medio itinere fatigati conquiescunt; Solet enim communi proverbio dici: *Cursus asini parum durat.* Hoc igitur Deus à se rejicit, & tamquam sua protectione indignos abominatur; Cujus Sancius in vita S. Roberti Abbatis sequens refert exemplum: *Nocte quadam vir Sanctus vidit Malignum ad chori aditum consistere, & conari quidem sæpius ingredi, sed frustra tamen. Habebat formam rustici præcincti, nudis, longisque tibijs, ferentis à tergo sportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Cœpit porro producto collo circumire chorum, oculos in fratres attentè conjicere, si quid posset forsitan gratum sibi in aliquo cernere. At viro Dei instantius orante & fratres à*

corpore

torpore excitante, improbus explorator diu frustra expectans, cum nihil se proficere videret, indignabundus ad chorum fratrum conversorum se contulit; Illic quoque cunctas curiose contemplans, si quos videret somnolentes cachinnans sprevit, si noxijs cogitationibus occupatos, miram in modum tripudians applausit. Tandem inter novitios reperit juvenem quemdam animo ad illicita vagantem, nec nisi solo corpore illic præsentem, imo etiam clandestinam fugam meditantem. Animadvertens itaque illum suæ sortis esse, fuscinula apprehensum in suam siscellam projecit, & celeriter inde se proripuit. Cernens id vir sanctus, multum pro salute illius anxius, & solicitus, mane diligenter jussit illum inquiri. Sed ille ante auroram vagus; & profugus, excusso suavi jugo Christi secutus erat inimicum. Adjunxit autem se hominibus sceleratis, deditusque latrocinijs, non diu post captus est, & capite plexus miserrime è vita excessit.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Perseverantia, quæ cœli porta est, merita nostra adauget, & præmiat, semperque ad statum hominis finalem respicit.

THEMA.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 24. vers. 13.

1. INter immensa perseverantiæ bona, illud prorsus eximium est, quod salutem nobis comparat æternam: *Qui perseveraverit &c.* Unde B. Laurentius Justinianus ait: *Perseverantia & stabilitas in operatione patenter ostendit, operantem in electorum numero computandum, ac virtute Perseverantiæ esse redimitum; Solum non perseverasse est amisisse coronam.* Idem huic virtuti idipsum, quod Ecclesia magnæ Dei matri attribuit Epitherum, dum ab ea vocatur *cœli janua, paradisi porta, & regni introitus.*

B. Laur. Just. de lig. vit. c. 4.

Mala punica in veste sacerdotis designant boni operis finem.

2. In Exodo increata Sapientia vestem nobis describit summi Sacerdotis, qua Sanctuarium ingressurus indui debebat; Inter alias autem hujus vestis conditiones, una est, quod scilicet in extremitate seu fimbria vestis illius, quæ ad pedes usque propendebat, mala punica per circuitum suspendi debuerint: *Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies.* Circa quod nascitur quæstio, cur potius Deus mala punica, seu poma granata, non vero alia poma, maxime in fimbria vestis suspendi voluerit? *Omnia in figura contingebant illis.* Petrus Blesensis in Epistola quadam ita scribit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis; Fimbriæ sunt vestimenti extremitates; Est ergo gloria sanctimonialis in fimbrijs nihil enim prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi sit gloriosus & finis.* Porro nemo est, qui malum granatum inter omnes alios arborum fructus hoc privilegio gaudere ignoret, quod scilicet verticem coronatum habeat; Atque ideo symbolum est Perseverantiæ, quæ sola coronatur; Unde anima, quæ in cœleste sanctuarium ingredi desiderat (de quo Psalmista canit: *Donec intrem in sanctuarium Dei &c.*) in fimbria vestis, id est, in vitæ suæ fine perseverantiam habere debet. Rupertus Abbas super illa verba Apocal. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, ita scribit: *Coronam remunerationis, quam repromittit dicens: Et dabo tibi coronam vitæ, certitudinem atque fiduciam in suo præsentat capite, Apostolo ibidem proloquente &c.*

Exod. 28. 33. Ps. 44. v. 14. Petr. Bles. Epist. 36. Malum punicum coronatum est. Ps. 72. v. 17. Apoc. 2. 10. Rup. Abb. lib. 2. ibid.

3. Observastisne aliquando quatuor illa mystica animalia ab Ezechiele conspecta, quasi currum Dei gloriam Altissimi repræsentantem, trahentia? *Aperti sunt cœli;* Inquit sacer textus: *Firmamentum erat super caput eorum*; Scirene cupitis mysterium, cur scilicet his animalibus cœli aperti fuerint, & firmamentum super caput suum habuerint? Nimirum *non revertebantur, cum incederent; Sed unumquodque ante faciem suã gradiebatur; Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur nec revertebantur, cum ambularent;* Nihil itaque mirandum est, quod cœlos super capita sua apertos habuerint, quia perseverantibus, & in via virtutum non retrocedentibus, immarcessibiles cœli coronæ præparantur.

Ezech. 1. 1. Ibid. v. 25. Explicatio quatuor animalium apud Ezechielem. Ibid. v. 9. Ibid. v. 12.

4. Ingeniosam apud Doctorem Seraphicum invenio observationem, siquidem ad illum se Apostoli textum reflectens: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, ita scribit: *Sic de virtutibus potest dici, nam virtutes ad regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemosyna, abstinentia, patientia, sed sola Perseverantia coronatur, nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Circa eadem verba: *Unus accipiat bravium*, potest & alia institui ponderatio, ut sensus verborum illorum sit, is, qui semper est unus, id est, is, qui semper est idemmet, non volubilis, & in bono incepto instabilis, hic accipit bravium. Sicut enim nullum bonum opus est meritorium, aut à Deo acceptatur, sine charitate & dilectione Dei (*si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* ita quoque nulla virtus, nec ullum bonum opus remunerationem expectare debet, nisi fuerit Perseverantiæ conjunctum.

1. Cor. 9. 24. S. Bonav. in Ps. 67. Inter omnes virtutes unica accipit bravium. 1. Cor. 13. 1.

5. David cum vastam illam giganteam Goliathi molem, impacto in frontem ejus lapillo in terram prosternens, gloriosam de eodem reportasset victoriam, non legitur in trophæum suspendisse vel lapidem illum, vel fundam, qua is evibratus fuerat, sed solum ensem, quo caput ejus detruncavit. Et quonam id mysterio factum fuisse existimatis? Forsitan dicetis, illum per ensem in trophæum erectum, vel suspensum ostendere voluisse, quod militari, non vere pastorali more contra Goliatn pugnaverit, ideoque ensem, & non fundam, seu lapidem militiæ suæ instrumentum jactasse. Sed nequaquam res ita se habet, non enim ab ejusmodi ambitiosis cogitationibus David tunc agitabatur, potius igitur hoc facti illius mysterium extitit, quia scilicet lapis quidem victoriæ initium dederat, utpote per quem in terram fuerat dejectus, at vero ensis tandem totam victoriam consummarat, utpote per quem caput Goliath præscissum fuit; Ac proinde gladius, non vero lapis aut funda in trophæum & triumphum fuit suspensus, quia Perseverantia sola est, quæ nos coronat. Unde S. Ambrosius ait: *Lauda navigantis felicitatem, sed cum pervenerit ad portum; lauda ducis virtutem, sed cum productus est ad triumphum.*

David an gladium Goliath suspenderit in triumphum. S. Ambr. de confess. Pont.

6. In quarto libro Regum cap. 13. refertur, quod cum Josias Rex Israël Elisæum infirmum visitasset, Elisæus eidem dixerit: *Affer arcum & sagittas, sagittam vero Orientem versus jace*, quod cum fecisset, exclamavit Propheta: *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam, percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eum*; Circa quæ verba dubium exurgit, cur potius Josiæ vincendum fuerit jaciendo sagittam *in Aphec*, quam in aliam partem? Quod dubium Rabanus solvit dicendo, quod *Aphec* idem significet ac *Perseverantia*, ac proinde Propheta insinuare voluit, quod ubicumque hæc virtus intercedit, ubi quoque certa sit victoria, pariter & corona, quia ut B. Laurentius Justinianus ait: *Perseverantia filia singularis est summi Regis, finis virtutum, earumque consummatio, sine qua neque qui pugnat, victoriam, nec victor palmam consequitur*, Denique post multa recensita Perseverantiæ encomia, in hæc verba concludit: *Sola est, cui æternitas redditur vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde & S. Hieronymus ait: *Felix, & omni dignus beatitudine, quem extrema dies Christo occupat servientem, quem Salvatori militantem invenit, qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* In capitolio enim cœli empyrei triumphus nequaquam obtinetur, nisi prius dissipati & prostrati sint adversarij, & nisi in campo ad finem usque ita dimicaverimus, ut inimicus sese minime recolligere, aut caput exaltare valeat. *Nullus* enim *legitime certat*, inquit S. Augustinus, *nisi qui in campo usque ad finem certat, & si certat usque ad finem, legitime certat, ideo merito coronatur.*

4 Reg. 13. 15. Ibid v. 17. Aphec Significatio. Ibid. v. 17. Raban. ibid. B. L. Just. ib. c. 2. S. Hieron. Epist. 34. Ante triumphum omnes hostes dissipari debent. S. August. ser. 8. ad frat.

7. Axioma est Philosophicum ab omnibus receptum, quod scilicet *forma dat esse rei;* Sicut igitur charitas est, quæ operibus nostris valorem, & pretium attribuit, ita perseverantia omnibus virtutibus dat formam, omniaque merita ita extollit, ut neque Charitas, & amor Dei præmium vitæ æternæ sine Perseverantia acquirerent, quia ut S. Augustinus ait: *Perseverantia informat meritum.* Et S. Bernardus in Epistola quadam dicit: *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus.* Metaphrastes varia refert à S. Pachomio Monachis suis in hac materia tradita documenta; *Nam frustra ajebat eos ad bravium salutis currere, nisi sic currant ut comprehendant; Frustra cum hoste confligere, nisi sic certent, ut vincant, dicente Apostolo: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Legitimè autem certare, esse certando non defatigari.* Quod si objeceris, ipsummet S. Paulum Philippenses hisce verbis exhortari: *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi;* Mox respondebo, quod verbum *state* non opponatur verbo *currite;* Quia Apostolus utrobique loquitur de cursu & stadio profectus spiritualis, ut virtutis obtinere possint bravium, & ad perfectionis apicem pertingere, in quo tandem firmiter & stabiliter standum & persistendum est; *Sic currite, ut comprehendatis;* Alius quidam sacer interpres modernus per verbum *state* stabilitatem insinuatam esse tradit: *De instantia enim & Perseverantia loquitur in virtutum stadio, unde idem fuit dicere, sic state, ac si dixisset: Durate in cursu, sive firmiter in currendo persistite.* Neque enim ei, qui ad bravium currit, sufficit, quod ad bravium currere, nisi prius ad terminum præfixum, præ quovis alio pertingat; Nam ut S. Bernardus ait: *Inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur.* S. Joannes Damascenus Salvatorem nostrum introducit in hæc verba loquentem: *Ubi vos invenero, ibi etiam judicabo; Atque in unaquaque re finis omnium clamat. Itaque licet quis per universum vitæ curriculum virtutem apprime coluerit, ac in vitæ fine in vitium provolutus sit, nullum ex pristinis omnibus laboribus fructum consequetur, ut qui sub fabulæ catastrophen animo defecerit.*

Perseverantia dat formam rei. S. Bern. Epist. 120. ad Jansen. Philip. 4. v. 1. Inchoantibus præmium promittitur, perseverantibus datur. Novar. ibid. S. Bern. ser. 6. de modo bene vivendi. S. Joan. Dam. lib. 1. Parall. c. 14.

8. Observastisne aliquando, quisnam in lege Evangelica primus fuerit, qui cœlum paulo minus, quam apertum nobis ostenderit? Certum est, hunc illum fuisse, qui illud quasi nobis proxime vicinum annunciavit, dicendo: *Appropinquavit regnum cœlorum*, Id est illum, qui ab utero materno innocentiam perseveranter conservavit, siquidem sanctificatus in ventre matris, ab infantia in deserto quodam se abscondit, idque ut Ecclesia de ipso canit: *Ne levi saltem maculare vitam flamine posset*; & in hac innocentia, donec ei caput amputaretur, immobilis permansit; Cui proinde à Christo specialis hæc laus attributa fuit: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quem etiam idem Dominus noster propterea Angelum appellavit, quia hi in illo, quod semel apprehenderunt, inflexibiles permanent. De hoc eodem Dionysius Carthusianus ait: *Joannes vir justus, & stabilis est, quem nulla culpa, vel passio à rectitudine dejicit, quemadmodum scriptum est: Homo sanctus permanet in sapientia sicut Sol, stultus ut Luna mutatur.* Ecce igitur, quam convenienter is, qui veræ stabilitatis & Perseverantiæ in virtutibus speculum fuit, paradisum cœlestem nobis vicinum esse annunciavit.

Matt. 3. v. 2. Perseverantia S. Joan. Bapt. Matt. 11. v. 7. D. Carth. ib.

9. S. Cyprianus, à S. Bernardino citatus, Perseverantiam apud Regem gloriæ officium Magistri de Camera obire dicit, quia scilicet ad illius penetralia nos introducit; Hocque munus Perseverantiæ soli competere asserit: *Perseverantia*, inquit, *sola ante Deum nos introducit.* Et quidem in eo statu, in quo nos invenit, aditum nobis facit ad illum inexorabilem & inappellabilem judicem. *Suo* enim *fine quisque aut justificabitur, aut condemnabitur.* Ac proinde S. Isidorus merito nos exhortatur inquiens: *Esto in Pænitentia firmiter confirmatus, vitam bonam, quam cœpisti tenere, non deseras, propositum bonæ vitæ conserva jugiter, beatus eris, si permanseris, beatus, si perseveraveris; Salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur. Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore; Non est beatus, qui bonum fecit, sed qui bonum incessabiliter fecit.* Enimvero valde notabilis est sequens S. Hieronymi doctrina: *Non ex præteritis, sed ex præsentibus judicamur; Cavendum est, & semper timendum, ne veterem gloriam, & solidam firmitatem unius horæ procella subvertat.* Henricus Octavus Angliæ Rex regia manu sua contra Lutherum de septem Sacramentis librum conscripsit, qui apud summum Pontificem, & Cardinales in tanta æstimatione habitus fuit, ut ob eumdem illum Defensoris Ecclesiæ titulo honorarint. Quis autem umquam hunc eumdem Regem postea pejus, quam si Anti-Christus aliquis fuisset, subditum sibi Angliæ regnum in fide orthodoxa subversurum esse credere potuisset? Et tamen idipsum cum maximo & irreparabili Ecclesiæ damno & scandalo præstitit. Sponsa in sacris Canticis (per quam Ecclesia figurabatur) de cœlesti Sponso suo ait: *Crura illius columnæ marmorea, quæ fundatæ sunt super bases aureas*; Ex quibus verbis deduci posse videtur, tam caput, quam plantas Sponsi aureas fuisse, nam paulo ante eadem Sponsa dixerat: *Caput ejus aurum optimum.* Ergone viliorem, & infirmam corporis partem, qualis pes est, qui sordes & immunditias continuo tangit, & calcat, à Sponsa per instinctum Spiritus Sancti ex eodem metallo concretam fuisse dicit, ex quo caput factum fuerat: Ergone tam caput, quam pedes aurei sunt? Omnino, ita se res habet, sed *omnia in figura*; Per caput enim aureum principium operis boni ex amore Dei eliciti, & in gratia Dei facti intelligitur, per pedem vero, qui ultima corporis pars est, quod super aurum fundatur, finalis in ijsdem operibus bonis Perseverantia intelligitur; Quando vero in anima hæc capitis & pedum mutua relatio & correspondentia reperitur, certum nobis æternæ prædestinationis signum ab eadem insinuatur, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et vero hæc unica fuit causa ruinæ illius immensæ statuæ, quam Nabuchodonosor in somnis viderat, nam tametsi caput statuæ illius aureum esset, pedes tamen ejus testacei, sive sicteles erant, ac proinde illos præfigurabat, qui bene quidem incipiunt, sed finiunt pessimè. De quibus S. Bernardinus in hæc verba scribit: *De quantis legimus in Vitis Patrum viris potentibus in vigilijs & jejunijs, in laboribus supra modum humanum, imo & in miraculis coruscantibus, quia deciderunt, quia non perseveraverunt?* S. Joannes Damascenus ait: *Posteaquam homo per pietatis studium, ac probam vitæ rationem numeros omnes virtutis absolvit, atque omnibus exploratum est, eum pietate, ac Dei metu præditum esse, ac deinde in peccatum labitur, hoc demum est, ad cœli fastigium evectus in imum inferni postea decidit.* Boleslaus Rex Poloniæ in principio assumpti diadematis optimi quidem Principis specimina edidit; Quis autem umquam persuadere sibi potuisset, illum tandem ad tantam ac talem perventurum fuisse impietatem, ut S. Stanislao sanctum Missæ sacrificium actualiter offerenti propria manu necem inferret?

Perseverantia introducit ad Deum. S. Bern. T. 2. ser. 66. art. 2. cap. 2. S. Isidor. l. 1. synonym. in fin. S. Hieron. in Ezech. 27. Historia de Henrico octavo Rege Angliæ inconstanti. Cant. 5. 15. Caput & pedes in opere bono debent esse uniformes. S. Bern. c. 14. de Pass. Dom. S. Joan. Dam. ibid. Sacrilega crudelitas Boleslai Regis Poloniæ.

10. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* B. Laurentius Justinianus inquit: *Etsi omnes virtutes ad cœlum possessorem suum trahant, solam tamen perseverantiam esse cognoscant, quæ accipit bravium.* Et in capite sequenti hanc adducit similitudinem: *Sicut oculis corporalibus necessaria est lux, ut suo perfruantur fine, ita & omnibus prædestinatis, & vocatis ad regnum cœlorum virtus Perseverantiæ.* Et paulo post subdit: *Nutrix est ad meritum, mediatrix est ad præmium.* Porro operarij, qui hora undecima, Sole ad occasum jam fere inclinante, à patrefamilas ad vineam suam missi fuerunt, eamdem cum primis operarijs accepere mercedem, imo illos in mercede accipienda prævenerunt, quia procurator mercedem solvit, *incipiens à novissimis;* Per quod Salvator docere nos voluit, verissimum esse, quod Deus *non respicit quales ante fuerimus, sed quales circa finem vitæ extiterimus.*

B. Laur. Just. Ibid. cap. 1. Ibid. cap. 2.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Varia considerantur media, quæ magno nobis ad perseverandum sunt adjumento.

THEMA.

Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Job. 27. v. 6.

1. TEmpore patientissimi Jobi, ipsâmet æterna veritate teste, nullus reperiebatur homo, eidem in innocentia & sanctitate similis; En vero fundamentalia sanctitatis illius principia: *Justificationem meam, quam cœpi tenere; non deseram, non recedam ab innocentia mea*; Ut enim quis ad finem usque in virtutibus & perfectione continuet, unicum remedium est, ut devotiones suas consuetas non interrumpat, loquor tamen de illis devotionibus, quæ solidæ, & sanctificationis sunt operativæ, de illis enim intelligenda videntur verba illa: *Justificationem, & innocentiam.* Dico autem hoc ipsum, quia sunt nonnulli, qui sæpe devotionem suam maximè in rebus aliquibus externis positam habent, cujusmodi sunt, recitare officia, dicere coronas, visitare Ecclesias, servare jejunia, & alia similia, cum tamen in ijs, quæ majoris sunt momenti & necessitatis curam nullam habeant, cujusmodi sunt frequentia orationis mentalis, studium virtutum, extirpatio vitiorum, maxime vero frequentia Sacramentorum, utpote quæ gratiam nobis conferunt, & à peccatis liberant.

Differentia inter devotiones.

2. Utilissimum porro fuit illud ab Apostolo Ephesijs suggestum consilium: *Nolite locum dare Diabolo.* Huic enim Serpenti tartareo proprium est, quod ubi capite ingredi potest, eo quoque totum reliquum corpus pariter subinferat: Unde quando malignus ille Spiritus

Ephes. 4. 27.

Utitur dæmon modo expugnandi civitatem.

spiritus vel minimum in animam hominis habere potest aditum, efficiendo, ut paulatim in cœpto, & per aliquod tempus continuato virtutum studio intepescat, ibi non quiescat, donec eamdem in peccata graviora corruere faciat, ad eum fere modum, quo civitates inexpugnabiles, quæ per obsidiones intercipiuntur, de palmo in palmo paulatim invaduntur, donec tandem totaliter in hostis potestatem transeant; Ita quoque inimicus infernalis se habet in comparandis sibi animabus antea perfectis, curat enim, ut paulatim leves quasdam committant transgressiones, & peccata omissionum, quæ prima facie venialia esse videntur, non curent, hacque ratione pedem in ijsdem figit, quia *qui spernit modica, paulatim decidit.* Enimvero inter alia utilissima documenta, quæ S. Athanasius vitam S. Anthonij magni scribens post se reliquit, unum hoc fuit: *Tenendus est continuus instituti rigor, Deus enim, in quo nos invenerit, in eo judicaturus est, nam & infelix Judas propter unius noctis impietatem omni præteriti temporis labore privatus est.* Quod documentum utique à S. Antonio Magno didicit, qui suis commendare hoc unice solitus fuisse perhibetur: *Hoc autem sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit.* Per quotidianam enim experientiam videmus, quod multi in bonis operibus Perseverantiam amittant, quia eadem aliquamdiu intermittunt.

Eccli. 19. v. 1.
S. Athanas. in vit. S. Antonij.
Documentum S. Athanasij.

Statua Nabuchodonosoris à capite usque ad pedes degenerat ad viliora.

3. Statua Nabuchodonosoris à capite aureo declinabat in argentum, quod est metallum ignobilius; Ab argento degenerabat in æs, postea in ferrum, ac tandem in fine in creta seu terra fictili terminabatur. Hoc est, quod plurimis contingit, qui magno cum fervore incipiunt, at vero in amore Dei, & in primo spiritu, postea insensibiliter intepescunt, sensim & paulatim à recta perfectionis semita deviando, donec tandem à propria fragilitate stimulati turpiter cadant; Parvulus quidam lapillus ingentem à Nabuchodonosore visum colossum demolitus est, ut per hoc doceremur, quod sæpe quævis levis occasio ad turpe præcipitium incurrendum sufficiat. S. Bernardinus similitudinem quamdam adfert, quam se à sanctis eremi Patribus accepisse his verbis fatetur: *In collationibus Patrum lib. 11. quidam de Sanctis ait; Non debet esse mens justi ut cera mollis, quamlibet recipiens impressionem de facili, sed ut adamas, in perpetuum retinens primam impressionem.* De S. Philippo Nerio in ejus vita legitur, quod die quadam à quodam rogatus, ut Deum rogaret, quatenus manus suas capiti ipsius impositas conservaret, responderit, se id facturum, cum hac tamen conditione, ut ipse caput firmum & immotum retineret, alludere nimirum volens ad stabilitatem & continuationem in virtutibus procurandam. Idem quoque sanctus vir Dei tantus fuit Perseverantiæ amicus & cultor, & postquam voluntatem Dei esse cognovisset, ut Romæ manens, bono spirituali publico illius urbis deserviret, ibidem sexaginta annis firmiter permanserit, absque eo, quod numquam inde egressus fuerit, præterquam ad visitandas septem basilicas, ac proinde jure dicere potuit: *Justificationem, quam cœpi tenere, numquam deserui.* Suis quoque illud passim insinuando repetebat: *Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem; hic salvus erit.* Asserebat præterea, non facile intermittenda esse pietatis opera, quæ unusquisque sibi præscripserit, ideoque minus prudenter agere eos, qui spiritualibus exercitationibus plus nimio se onerant. Suos igitur monebat, ut modicam sibi rerum spiritualium provinciam deligerent, eamque semel susceptam numquam deponerent: Quoniam si dæmon vel semel ad quidpiam intermittendum hominem inducat, eumdem iterum ac tertio ad idem inducere non desistet, quo tandem prorsus omnia evanescant. Quam ob causam illud sæpenumero suis repetebat: *Nulla dies sine linea.* Eosdem itidem hortabatur, ut quotidie optima quæque renovarent proposita, nec umquam in tentationibus, quæ contra illa à dæmone patiuntur, à spe deciderent. quoniam Deus, quotiescumque hominem vult insigni aliqua decorare virtute, vitijs eum prius oppugnari oppositis permittit. Docebat amplius, spiritum devotionis initio abunde cœlitus impertiri, sed postea Dominum nonnumquam *fingere se longius ire*, ac proinde in tali casu hominem constantem esse debere. Adolescentes hortabatur, ut tanta cum diligentia fugerent perditorum hominum consuetudinem, proborumque consortijs inhærerent, quanta eum sedulitate student Sacramenta obire. Non facile tamen adolescentibus credebat; Adeo ut si aliquando in via Dei puberes aliquos sat profecisse prædicarent, confestim responderet; Sinite eos instrui pennis, & de volatu tunc judicabitis. Exhortabatur quoque, ut Dominum continue rogarent pro doni Perseverantiæ concessione; ac proinde laudabilem illam introduxit consuetudinem, quotidie circa crepusculum dicendi quinque Pater, & quinque Ave Maria, ut Deus ijs permotus, constantem in ejus servitio Perseverantiam clementer concederet.

S. Bern. T. 2. ser. 66. art. 1. cap. 3.
Historia de S. Philip. Ner.
Vit. S. Philip. Ner. lib. 2. c. 21. n. 5.
Nulla dies sine linea.
Adolescentibus non facile credendum.

4. *Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram.* S. Bernardinus ad hanc stabilitatem nos exhortaturus, varias adducit considerationes; Et in primis quidem *exemplum Dei apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ut dicit Jacobus cap. 1. Boetius quoque ait: Immobilisque manens dat cuncta moveri.* Sancti quoque Cœlites, nec non spiritus Angelici, cœlestisque curiæ Ephebi, in amando, & fruendo Deo omnes sunt fixi, stabiles, & immobiles, absque eo, quod umquam per totam æternitatem retrocedere possint; *In qua beatitudine*, inquit S. Augustinus, *quod semel adipiscitur, semper tenetur.* S. quoque Bernardinus de cœlestis paradisi incolis ait: *Incessanter laudant Creatorem suum.* Idem quoque Sanctus alia adducit sequentia Perseverantiæ suadendæ motiva: *Cœlestia corpora, ex quo à Deo creata sunt, continuo peragunt cursus suos. Idem aquæ fontium, & fluminum servant, quæ continue fluunt. Naturæ arborum, & plantarum semper continuant quoadusque perveniant ad debitum fructuum complementum. 2. Petr. 3. Omnia perseverant ab initio creaturæ; Et dicit Ecclesiasticus: Opera, quæ fecit Deus, perseverant; Unde Propheta ait: Ordinatione tua perseverat dies.* Descendit præterea idem Sanctus à natura ad artem, subditque varia artis exempla dicens: *Artifices magna sollicitudine invigilant, quousque perficiant opera sua, semper continuant usque ad operis complementum; Sicut Genesis in summo opifice mundi, qui non legitur quievisse, quousque die septima opus suum complevit; creando, distinguendo, & ordinando.*

S. Bern. ibid.
Jacob. 1. 17.
Cœlitum summa stabilitas.
S. Aug. T. 9. de rec. cath. conv. tr. 20.
Perseverantia in naturalibus.
2. Petr. 3. 4.
Item in artificialibus.
Gen. 2.

5. Optimum pariter ad perseverandum erit medium, si considerantur bona, quæ ab inde resultant. *Consideremus*, inquit S. Bernardinus, *Perseverantiæ descriptionem; Nam devotus Bernardus sic eam in Epistola quadam describit dicens: Absque Perseverantia neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur; Victrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror Patientiæ, constantiæ filia, amica Pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum; sanctitatis propugnaculum.* Regius Psalmista insignem quemdam insinuat favorem, quem Deus illis, qui in divino ejus servitio stabiliter persistunt, exhibere solet: *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor*; Id est, ut Cajetanus exponit: *In eos, qui non revertuntur ad stultitiam.*

S. Bern. ibid.
Descriptio Perseverantiæ.
Ps. 84. v. 9.
Cajetan. ib.

6. Beatus Laurentius Justin. aliam quamdam adducit Perseverantiæ prærogativam, ait enim: *Impetrat quod vult, unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, ut panem petat, si perseveraverit pulsans, etsi non dabit, eo, quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit quotquot habet necessarios; Si enim homo perseveranti petenti dat ex tædio, multo magis Deus, qui sine tædio largissime donat, quod petitur, perseveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perseverantibus in prece, qui ut gratis tribuat nobis, hortatur, ut petamus?* Est & aliud, quod à Perseverantia accipimus, incomparabile beneficium, videlicet, innocentiæ baptismalis conservatio; Si enim baptizatus post sacrosanctum baptismi lavacrum acceptum in illo statu persisteret, animam utique suam ne minimo quidem culpæ nævo maculaturus esset. In libro Josuæ legitur, quod quando Sacerdotes arcam portantes in medio Jordanis subsistebant, donec populus Israëliticus vastum illud flumen pedibus transeundo trajecisset: *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparebant.* Unde Origenes à Glossa citatus sequentem deducit moralitatem: *Si enim omnes, qui baptizantur, acceptæ cœlestis gratiæ dulcedinem custodirent, nullus in amaritudinem peccatorum verteretur. Pars illa, quæ in stabilitate permanet, & dulcedinem servat, significat eos, qui acceptum munus Dei firmiter tenent.* S. Bernardinus aliud Perseverantiæ tangit emolumentum, inquiens: *Omnes virtutes absque perseverantia contra vitia pugnare possunt, sed sine perseverantia omnino vincere non possunt, Domino dicente: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Beatus Laurentius Justin. suadet, ut si hanc

B. Laur. Just. de lig. vit. c. 2.
Prærogativa Perseverantiæ est desiderata accipere.
Jos. 3. v. 16.
Orig. in Gloss.
Perseverantia perfecte vincit vitia.
S. Bern. ibid. c. 3.

virtutem

virtutem nobis comparare velimus, ad damna respiciamus, quæ ex hujus virtutis defectu communiter resultant; Ait enim: *Quam ut facilius assequantur sibiipsis, proponant instabilitatis damna, & Perseverantiæ merita & coronas, quatenus & alliciantur dulcedine meritorum, & consideratione cohibeantur pœnarum.*

B. L. Just. ib. c. 1.

7. Quando Abraham, primus credentium pater in Chanaan jussu Dei profecturus, ex Ur Chaldæorum recessit, simul quoque cum ipso abijt Thare pater ejus, cum Loth nepote ipsius; At vero scire percuperem, qua de causa Spiritus Sanctus Abrahæ pietatem ad stellas usque laudibus extollens, nullam Thare faciat mentionem, cum tamen & ipse tergum patriæ vertens, omnes domus commoditates, parentes & amicos deseruerit, seque rebus sibi longe charissimis privarit, cujusmodi erat filius adeo dignus, adeo sancta ipsius nurus, nec non & nepos tam raræ virtutis? Cornelius à Lapide dubium hoc solvit dicens: *Eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi.* S. Thomas, vel quisquis alius sit author commentariorum super Genesin, hunc Thare illos præfigurasse dicit, qui in servitio Dei bene quidem incipiunt, sed in eodem minime perseverant; *Ad terminum vix non perveniunt, imo in via remanent.*

Gen. 11.
Quare Abraham laudatur, & non Thare pater ejus.
Corn. à Lap. ibid.
S. Thom. ibid.

8. Porro hi, qui post bene cœpta retrogrediuntur, & in bonis propositis instabiles sunt, in præcipitia è sublimi cadentes incurrere solent, *sicut lumen eorum, ita & tenebræ eorum.* Unde Christiani instabiles præsignantur per illos, qui sub cruce Christi stantes, Christum crucifixum deridebant, & blasphemabant, dicit enim sacer textus: *Prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua.* Ubi S. Ambrosius argute notat, quod *non stantes, sed prætereuntes blasphemabant*, cujus Origenes hanc assignat rationem: *Nemo stans Jesum blasphemat; Transeuntes blasphemabant eum, & sic in Græco habet, prætereuntes, qui etiam macerie vineæ dissoluta à Deo, vindemiant eos, qui remanserunt; Scriptum est enim: Ut quid posuisti maceriem ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætereunt eam? Quamdiu ergo quis non præterivit viam, neque declinavit à via, stans dicere potest Deo: Statuisti supra petram pedes meos, & non blasphemat Jesum. Si autem ceciderit, præterierit, vel transierit, vel declinaverit, tunc eum blasphemat.* Idem quoque Origenes ly *moventes capita sua* considerans, sequens inde elicit documentum: *Blasphemant Jesum non habentes caput firmum, sed moventes ipsum sursum, & deorsum.* Eodem quoque modo S. Anselmus hæc verba exponit: *Moventes capita sua; In quo comprobatur*, inquit, *mobilitas mentis, significata motione capitis.*

Christum blasphemantes præteribant.
Matt. 27. 40.
S. Ambr. ibid.
Orig. Tr. 35. in Matth.
Moventes capita sua.
S. Anselm. ib.

9. S. Hieronymus super illum textum Ezechielis scribens: *Numquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ*; Pro conservanda Perseverantia sequens nobis tradit antidotum præservativum, illudque brevibus verbis conceptum, ait enim; *Aliorum ruinæ exempla justorum sunt.* Quamtumvis enim Tertullianus zelotissimus fuerit fidei Catholicæ professor; quantacumque etiam Origenes penes eamdem Ecclesiam sibi merita compararit, prout de utroque tum ex eorum libris pietate & doctrina plenis, tum ex annalibus Ecclesiasticis abunde constat; attamen ambo in heresin turpiter sunt prolapsi, unde deducitur, quanti referat illud observare documentum Apostolicum: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Seneca moralis ait: *Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia.* S. Franciscus Assisias aliud quoddam insinuat damnum, quod in eos, qui in bono non perseverant, redundare solet; Cum enim prædictus vir Seraphicus quibusdam populis, quorum segetes & vineæ, quasi singulis annis à grandine alijsque infortunijs devastabantur, dixisset, quod veram agendo pœnitentiam hoc à se amoturi essent flagellum, subjunxit: *Iteram hoc annuncio vobis, quod si beneficijs ingrati ad vomitum reversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, & major in vos ira desæviet*; idque in pœnam ingratitudinis, & abusus beneficiorum & luminis, quod antecedenter à Deo acceperunt. Verum enimvero quis est, qui non insuper consideret similium inconstantium hominum confusionem, quam penes mundum sibi adsciscunt, dum ab unoquoque digito monstrantur & contemnuntur tamquam homines instabiles & perditæ salutis; Tales enim neque Dei sunt, utpote cui terga verterunt, neque ad mundum pertinent, quia hic illos tamquam suos agnoscere erubescit, utpote quem antea deseruerant. Samson quamdiu *Spiritus Domini irruit in eum*, omnibus formidabilis fuit, quamprimum vero hic eum deseruit, Dalilæ adhærescens, inimicorum suorum factus est præda ac ludibrium.

Ezech. 26. 15.
S. Hieron. ib.
Aliorum ruinæ sunt exempla justorum.
Philip. 2. 12.
Seneca.
Recidivus duplicatam meretur pœnam.
S. Bonav. cap. 8. Vit. S. Franc.
Instabiles etiam à mundo irridentur.

10. Porro huic eximio Perseverantiæ dono (siquidem vere donum Dei est,) conservando, opportunum quoque medium erit, si videlicet agnoscamus, hoc à Deo revera, non vero ab industria nostra in nos derivari, ac proinde ei gratias agamus, strenue ex parte nostra eidem cooperantes. Psalmista in Psalmo 72. ait: *Ecce, qui elongant se à te, peribunt; Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te; Mihi autem adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Sacrum Concilium Tridentinum de hac materia tractans in hæc verba loquitur: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Et postquam ostendisset, necessarium esse, ut ex parte nostra huic dono cooperemur, cum hoc magna ex parte à libero arbitrio nostro dependeat; subjungit; *Veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, in oblationibus, in jejunijs, in castitate.* S. Bernardinus super illa Psalmistæ verba: *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum*, ita scribit: *In abundantia scilicet bonorum operum, & virtutum; Non movebor in æternum, id est, firmiter proposui persistere in bona vita. Sed ne talis sermo præsumptioni & jactantiæ adscribi possit, subdit: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; quasi dicat, hoc non habeo à meipso, sed tu Domine præstitisti virtutem stabilitatis, præstitisti non ex meritis meis, sed in voluntate, id est, beneplacito tuo.* S. Paulus ad perseverandum nos extimulare volens, sub mysticis verbis in hunc modum loquitur: *Odientes malum, adhærentes bono.* Ubi D. Chrysostomus ponderat, quod *Non dicit facientes solum, sed & animo erga bonum appositi. Hoc enim declarat: Adhærere bono jubet; Ita & Deus mulieri virum conjungens dicit: Adhærebit uxori suæ*; In Græco habentur *adhærentes, conglutinati bono.* Quia enim Jobo teste: *Homo natus de muliere ... Numquã in eodẽ statu permanet*, ideo, qui ad perfectionem aspirant, Deo se per vota vel juramenta astringere solent. Isaac quidem ad vitam suam Deo in sacrificium offerendam & prodigendam, paratissimus erat, neque hoc Abrahæ erat ignotum, & tamen arcte illum ligavit; cur id eum fecisse putas? Nempe ut tanto esset de illius Perseverantia securior, quia ut experientia quovis tempore docuit, ipsæmet quoque nonnumquam contremiscunt columnæ, & qui putabantur Cedri Libani miserabiliter corruunt. Est quoque notandum ex S. Bernardo, hanc Perseverantiæ virtutem à tribus præcipue plurimum adjuvari, videlicet ex lectione vitæ Sanctorum, ex brevitatis vitæ nostræ, nec non fragilitatis corporis nostri consideratione. *Imitatio Sanctorum, brevitas vitæ, fragilitas corporum.*

Ps. 72. v. 27.
Ibid. v. 28.
Perseverantia donum Dei est.
Conc. Trid. sess. 6. c. 11.
Ps. 29. 7.
S. Bern. art. 2. c. 1.
Cui cooperari oportet.
Rom. 12. v. 9.
D. Chrys. H. 21. ibid.
Ephes. 5. 31.
Job. 14. v. 1.
Ibid. v. 2.
Quibus perseverantia adjuvetur.
S. Bern. de grad. conf.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Christianus semper in virtutibus progredi, & proficere, nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est, contentus esse debet.

THEMA.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. Prov. 4. v. 18.

1. Sapiens in verbis præsentis thematis securum nobis suggerit modum, per quem in virtutibus stabiliri valeamus, scilicet, si continuo, nec umquam intermisso spirituali profectui studeamus: *Justorum semita quasi lux &c.* Porro Sol numquam firmatur, sed in horizonte exurgens, semper magis magisque ascendit usque ad Meridiem, & licet ab hoc ad occasum tendat, sequenti tamen die de novo promicare incipit, nec umquam cursum suum sistit, idque non in suum, sed in omnium viventium beneficium. Idem quoque vir justus & perfectus imitari debet, si in perfectione perseverare, progredi, procedere, *& crescere velit usque ad perfectam diem*: Numquam sibi sufficiens videri debet illa virtutis periodus, in qua de facto est constitutus, sed semper ad majorem sanctitatem ei est ascendendum. S. Augustinus super Psalmum 69. ita scribit: *Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat; sufficit mihi, justus sum. Qui ita dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit; Vide,*

Solem imitari debemus.
S. Aug. in Ps. 69.

quomodo se vult adjuvari, donec perveniat; Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse, ne illi sibi viderentur apprehendisse, quibus rursum dicit: Qui se putat aliquid, scit quemadmodum oporteat eum scire. Et paulo post scribit: *Ille cucurrit, tu hæsisti?* S. Apostolus sæpius in cœlum fuerat raptus, (*Raptus in paradisum*) particeps factus fuerat arcanorum cœlestium, (*audivit arcana verba*) jam de seipso dixerat: *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ;* Et tamen semper & quotidie in perfectione ulterius proficere satagebat, minime contentus sublimi illo statu, in quo de facto constitutus erat; Unde ait: *Fratres, ego me nõ arbitror comprehendisse; Unũ autem, quæ quidẽ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum, Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Unde S. Augustinus hunc in modum argumentatur: *Ille dicit nondum se perfectum, & tu de perfectione gloriaris?* Idem S. Doctor alio in loco ostendit, cavendum nobis esse, ne umquam nobis ipsis complaceamus in eo, quod fecimus, quin potius vehementer id nobis displiceat; Unde ait; *Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es, nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti, si autem dixisti sufficit, perijsti.*

2. Cor. 12. 4. — 2. Tim. 4. v. 7. — Apostolus Paulus semper conabatur proficere. — *Phil. 3. v. 13. — Ibid. v. 14. — Ibid. v. 15. — S. Aug. ib. — S. Aug. ser. 15. de verb. Apost.*

Similitudo ab impetu aquarum.

2. Cassianus & alij spiritualis vitæ directores veritatem hanc sequenti illustrant similitudine: Si in medio præcipitis & impetuosi torrentis constitutus, firmari velles, & nequaquam ulterius progredi, utique in manifesto esses periculo ne ab impetu præcipitis aquæ deorsum raptus mergereris; Ita quoque in vita spirituali accidit, siquidem hæc naturæ nostræ à peccato depravatæ & corruptæ, adeo est contraria, ut nisi violentiam tibi inferas, ad faciendum progressum & profectum majorem, in evidenti sis periculo, ne à propriarum passionum impetu raptus pereas, quemadmodum ijs, qui adverso flumine navigant, evenire solet. Unde Salvator ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* At vero dices fortasse, si ad cœlum comparandum necessaria sunt operum bonorum merita, ad hæc vero concilianda liberum arbitrium nostrum est necessarium, ergo omnis debet abesse violentia, quæ libertati repugnat; Cur igitur Christus ait: *Vim patitur, & violenti rapiunt?* Præterea Deus à nobis hic in terris & in cœlis servitium vult spontaneum, non vero coactum, unde Psalmista ait: *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo.* Sed respondetur, violentiam hanc in abnegatione propriæ voluntatis, & passionum nostrarum mortificatione præcipue consistere.

Matt. 11. 12. — Ps. 53. v. 8.

Nolle proficere deficere est.

3. Axioma est tritum, atque ab omnibus scholis spiritualibus receptum: *Nolle proficere, deficere est;* Via etenim perfectionis à S. Paulo stadio sive cursui ad bravium acquirendum instituto comparatur; unde ait: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, Sic currite, ut comprehendatis;* Quod si autem quis in medio cursu sistere, eumdemque non cum cœpta in principio velocitate prosequi vellet; is utique bravium numquam acciperet; Ideo vero multis accidit qui sibi persuadent, se tantum profecisse, quantum illis sufficit, ideoque in eo statu manere decreverunt, in quo de facto sunt, non cogitantes, quod se retrogrediendi periculo exponant. Scala, quam Jacob in somnis vidit, vitam præfigurabat religiosam & perfectam, prout S. Romualdo Camaldulensium fundatori ostensum fuit; Per hanc autem scalam Angeli ascendebant & descendebant, nullus vero illorum firmus consistebat, *Omnia in figura contingebant;* per hoc namque docemur, quod in via virtutis inter retrogredi & progredi non detur medium. Natura enim nostra corrupta deorsum semper trahit; dicente Apostolo: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio: ... Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati:* Ac proinde necessum est, ut, qui ad perfectionis & sanctitatis portum pertingere contendit, adverso semper flumine procedat.

1. Cor. 9. 24. — Ibid. v. 25. — Gen. 28. 12. — Scala Jacob est vita religiosa. — *Rom. 7. v. 15.*

4. Author quidam non spernendus pulchre considerat, neminem in antiquo testamento reperiri, qui super aquis ambulaverit; Filij quidem Israël mare rubrum, & Jordanem siccis pertransiere pedibus, non tamen in superiori aquarum superficie pedem fixerunt, sed in fundo maris; Elias quoque fluminis aquas divisit, ut per easdem transiret, verumtamen non in aquis, sed in fundi arenis pedem fixit; Solummodo de Spiritu S. in principio Genes. legitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* Quod si idemmet de Christo legatur, id mirum non est, siquidem hic ejusdem cum Spiritu Sancto naturæ & essentiæ erat. Hanc autem virtutem liquidum aquæ elementum pedibus calcandi cœlestis Magister specialiter S. Petro communicavit ad ejus instantiam dicentis: *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Unde cum S. Petrus à Christo in caput Christianorum electus fuerit, videtur Christus per hoc, quod eum super aquas ambulare fecerit, eidem insinuare voluisse, quod ipse nos quoque super aquas ambulare, id est, contra naturalem nostram inclinationem, contra inordinatorum appetituum nostrorum torrentem procedere, nobisque ipsis per sensuũ nostrorum mortificationem violentiã inferre doceret.

Nullus ex antiquis super aquas ambulasse legitur. — *Gen. 1. v. 2. — Matt. 14. 28.* — Moralis applicatio.

5. Inter alias beatitudines hæc quoque recensetur: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Clarum est autem, quod nomine justitiæ in multis Scripturæ locis perfectio, omnisque virtutis professio intelligatur; Ac proinde Christus illos specialiter nominat beatos, qui magna cum aviditate quotidie magis magisque sancti fieri desiderant. Et vero hæc beatitudo, ut S. Bernardus observat, valde convenit cum illo, quod Sapiens ait: *Qui edit me, adhuc esuriet, & qui bibit me, adhuc sitiet.* Salvator noster non ait: *Beati, qui esuriunt humilitatem, obedientiam, castitatem; sed, qui esuriunt justitiam*, quia à nobis non unam dumtaxat virtutem, sed omnium virtutum cumulum desiderat. Præterea notandum est, Christum non dicere, *Beati qui edunt*, sed *qui esuriunt*, quia hæc est differentia inter famem alicujus cibi, & inter cibum, quem de facto deglutivimus, quod hic nobiscum uniatur, fiatque nobiscum una & eadem res, cum tamen fames solum sit appetitus quidam & desiderium cibi; Deus autem optime novit, quod ob fragilitatem nostram admodum sit nobis difficile, animam nostram cum omnibus virtutibus unire, ac proinde hoc nequaquam nobis præcipit, sed solum à nobis desiderium acquirendæ virtutis requirit, vultque, ut idem adhibeamus studium, in ordine ad profectum in virtutibus, quod in procurandum corpori nostro cibum adhibemus; Ac proinde sicuti hunc in finem quotidie magnam diligentiam adhibemus, (*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:*) ita quoque à nobis requirit, ut in actibus virtuosis & perfectis nos continuo exerceamus.

Matt. 5. v. 6. — Explicatur qui sint Beati. — *Eccli. 24. 29. — S. Bern. Epist. 341.* — Similitudo à Cibo.

6. S. Evangelista Lucas non sine mysterio de Redemptore nostro dicit: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.* Tametsi S. Joannes de ipso scripsisset, quod esset gratia plenus, (*plenum gratiæ.*) Ac vero dices fortasse, vas aliquod ad orificium usque liquore plenum nequit habere ullam capacitatem alterius liquoris supervenientis, qua igitur ratione de Christo dicere potuit, *Proficiebat?* Respondetur, quod cum Christus actionum nostrarum prototypon sit & exemplar, ideo Evangelista per ly *proficiebat*, insinuare voluerit continuum, quem in vita spirituali procurare debemus, progressum.

Luc. 2. v. 52. — Joan. 1. 14. — Quomodo Christus proficiebat.

7. S. Hieronymus ingeniose observat, quod Ezechiel, postquam templum, & omnia alia ad illud spectantia descripsisset, ad gradus illius describendos descendens, aliud non dixerit, præterquam: *Gradus ejus ad Orientem*, absque eo, quod eorum sigillatim numerum exprimeret; Hancque illius assignat rationem: *Propterea graduum numerus incertus relinquitur, ut quantocumque studio ascendere ad altiora potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos, & cogitemus illud Psalmistæ: Ibunt de virtute in virtutem.* S. Leo Magnus similiter ait: *Quantumlibet quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior.* Propheta Regius inquit: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Circa quæ verba S. Hieronymus ita scribit: *Propterea dicuntur & in Psalterio Psalmi graduum quindecim, & primus dicitur: Ad Dominum, cum tribularer, clamavi; Et in secundo: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi, & semper procedit, & proficit, & ascendit in sublimiora. Quod dicit, hoc est, ascensiones in corde suo disposuit, felix est, qui quotidie proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est quotidie proficit, ita, qui peccator est, quotidie decrescit. Beatus vir, qui disponit ascensiones in corde; Videte consequentiam Scripturarum: Etenim benedictionem dabit &c.*

Ezech. 43. 17. — Ps. 83. v. 8. — S. Leo. ser. 8. de Pass. — Ibid. v. 6. — S. Hier. in Ps. 83. — Psalmi graduales explicant perfectionis viam.

8. De Alexandro Macedone scribitur, quod dum Adolescens etiamnum esset, videns felices Philippi Magni patris sui progressus, contristatus fuerit, deque motivo mœroris interrogatus responderit, se ideo contristari, quia videret nihil sibi reliquum esse, quod gladio suo acquirere posset? Quod si igitur juvenis quidam impubes in rebus hujus mundi acquirendis ejusmodi habuit cogitationes, quid nobis Christianis in ordine ad progressus in perfectione, veraque sanctitate faciendos cogitandum non erit? Inter progressus in bonis terrenis, & progressus in bonis spiritualibus hæc est differentia, quod quanto quis amplius in rebus terrenis sibi acquirit, tanto minus sibi acquirendum, sibique subjiciendum superfit; Non vero eadem est ratio bonorum cœlestium, & lucri spiritualis, quanto enim quis in illis magis proficit, tanto se pauperiorem esse agnoscit, videtque se etiamnum in primis hærere principijs; Juxta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient;* Unde S. Leo ait: *Sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat, & hæc perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant, se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidat deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerit appetitum.* Ex quo Deus Abrahamum ex toto genere humano elegit, ut omnibus fidelibus veræ perfectionis esset speculum, & exemplar (*Ambula coram me, & esto perfectus*) ideo observandum est, qua phrasi loquendi sacer Chronista de ipso scribat: *Perrexit Abraham, vadens & ultra progrediens ad meridiem.* Primo ait: *Perrexit;* Postea subdit: *Vadens*, nec hoc contentus, mox addit: *Ultra progrediens*, ac tandem in fine dicit: *Ad meridiem*, quando scilicet Sol in supremo est apice, ut per hoc insinuet, quam verum sit quod *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Rupertus Abbas circa prædicta Geneseos verba ita scribit: *Meridies significat perfectionem, bene ergo progredi dicitur ad meridiem, quia ad auram fidei suæ ultra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio ad plenum & æternum pervenit perfectionis diem.* Porro, quando Deus Abrahæ in Mambre apparuit sedenti juxta tabernaculi sui fores, *in ipso fervore diei, cucurrit in occursum eorum;* Et Saræ conjugi suæ præcepit: *Accelera;* De ipsomet quoque Abraha Moyses dicit: *Festinavit, ad armentum cucurrit;* Adeoque ut Hildebertus in Epistola quadam notat: *Tota domus festinat, tota fervet obsequio, nihil negligenter fit in domo justi.*

Historia de Alexandro Magno. — *Eccli. 24. 29. — S. Leo. ser. 2. de Quadr.* — Perfecti humiliter de se sentiunt. — *Gen. 17. v. 1. — Gen. 12. v. 9. — Prov. 4. 18. — Rup. Abb. ib. — Gen. 18. v. 2. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7. — Hildebert. Epist. 66.*

9. *Justorum semita &c.* Si opulento cuidam negotiatori diceretur; Omnes, quos hactenus congregasti thesauros, in evidenti, & manifesto amissionis periculo positos esse scito, quamdiu illos otiosos esse permiseris, atque cum illis nihil penitus negotiatus fueris, econtra vero, si thesauros tuos ad mercimonia adhibueris, magnopere multiplicabuntur, atque securissimi erunt: Numquid talis negotiator stultus dicendus esset, si cum evidenti facultatum suarum periculo consilium illud negligeret? Simili modo quisquis sibi merita pro regno cœlorum comparando acquisivit, illa otiosa esse nequaquam sinat, sed consilium, imo præceptum Salvatoris nostri sequens, quo ait: *Negotiamini dum venio*, talenta virtutum, donorum & gratiarum, quæ Deus nobis dedit, in negotiationem & mercaturam adhibeamus, sic enim non solum secura erunt, sed ingentes quoque nobis thesauros per illa comparabimus; Væ autem nobis, si illa otiosa manere permiserimus. S. Gregorius in Pastorali suo ait: *Admonendi sunt, qui inchoata bona minime consummant, ut cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt.* Videmus per quotidianam experientiam, quod avari in habitis divitijs non quiescant, sed eas magis magisque semper accumulent; Carnales in voluptatibus carnalibus sectandis insatiabiles existant; Ambitiosi, tametsi ad dignitates & honores capacitate & meritis suis superiores ascenderint, ijs tamen minime acquiescant, sed ad gradus ulteriores se evehere continuo studio satagant; *Erubescat igitur anima conversa ad Deum*, verba sunt S. Bernardi *minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur.* Sed audite differentiam quam sanctus & mellifluus Doctor hac in re assignat; Ita enim ibidẽ subdit: *Est enim quoq; causa valde dissimilis, stipendia quippe peccati mors, fructus autem Spiritus vita æterna; Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, & minori studio salutis acquirere, quam perditionis argumentum. Nonne ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certe spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri.*

Pecunia mercatoris non debet esse otiosa. — *Luc. 19. v. 14. — S. Greg. 3. P. past. cap. 35.* — Impij in suis peccatis explendis studiosi sunt. — *S. Bern. Epist. 141.* — Multo magis esse deberent justi pro justitiâ.

10. Ad hoc propositum ingeniosam quamdam pariter & utilem observationem me legisse memini, quando enim sermo est de aliquo servitio Principi vel Cardinali alicui præstando, dicere solemus, Talis stat apud talem Principem vel Cardinalem in qualitate Secretarij, Pincernæ, vel Camerarij; At vero longe alius est modus loquendi sacræ Sacripturæ, quando de servitio Deo præstando, vel præstito loquitur, numquam enim sacra Scriptura utitur verbo *stare*, quod quietem dicit, sed semper talibus utitur verbis, quæ motum dicunt, V. G. *Ambulare, sequi, venire, ire, progredi*, & similibus; Sic Abrahæ dictum fuit; *Ambula coram me, & esto perfectus;* Matthæo dictum fuit: *Sequere me;* Alij Apostoli his verbis invitati fuerunt: *Venite post me*, & sic de alijs. At vero, quodnam putas hujus diversitatis esse mysterium? Hoc nimirum, quando agitur de servitio alteri homini præstando, verbo standi uti solemus, dicendo: Stat apud illum in tali & tali servitio, quia ut tale servitium bene exequatur, sufficere videtur, ut semper perseveret & maneat in illa bona voluntate, respectu, subjectione, sedulitate & diligentia, qua primis diebus tale servitium fuit aggressus. At vero Deus longe plus à nobis requirit; vult enim non solum, ut in illo spiritu, & virtute, quacum divinum ejus servitium incepimus, constanter permaneamus, verum insuper prætendit, ut virtutem & perfectionem illam quotidie magis magisque adaugeamus: *Ibunt de virtute in virtutem.* D. Chrysologus de magni Baptistæ genitoribus disserens, (de quibus sacer textus hoc perhibet testimonium: *Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis,*) inquit: *Incedentes dixit, ut eos ostenderet cucurrisse in virtutibus, non stetisse, & ambulasse in via justitiæ, non sedisse.*

Differentia inter servitium hominum. — *Gen. 17. v. 1. — Matth. 9. v. 9. — Matt. 4. v. 19.* — Et servitium Dei. — *Ps. 83. 8. — Luc 1. — D. Chrys. ser. 91. ib.*

11. In sacris Canticis anima sancta tribus vicibus in sublime ascendisse legitur, & quotiescumque de hisce ascensionibus fit mentio, sacer textus semper loquitur cum admiratione. Etenim Canticorum 3. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* Cant. 6. habetur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Denique Cant. 8. dicitur; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Sciendum vero est, quod tribus hisce ascensionibus tres correspondeant gradus vel status vitæ spiritualis, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum. Prima ascensio fit à terra, & è deserto ad instar fumi, qui suam à terra habet originem, & hæc est ascensio eorum, qui se noviter Dei servitio dedicare incipiunt; Horum enim conversio fumo assimilatur incensi & myrrhæ, ob amaritudinem, quam pœnitentia extrinsecus solet habere annexam. Secunda ascensio est proficientium, eaque cœlum versus dirigitur, ubi planetæ lucidissimi, stellæ nimirum, Luna, Sol resplendent, & virtutes, exempla, operumque virtuosorum & sanctorum merita denotant; Unde Christus ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Tertia ascensio est Perfectorum, & hæc donis & gratijs adeo copiosis & abundantibus est referta, ut dicatur *delicijs affluens;* siquidem consolationes, quibus anima Deum intime amans perfunditur; sunt inexplicabiles; Observandum vero est id, quod vel maxime proposito nostro deservit; quod in omnibus hisce tribus statibus, etiam perfectorum semper fiat mentio saliendi, ascendendi &c. quia ut S. Bernardus ait: *Nemo quippe perfectus est, qui perfectior esse non appetit, & in eo quippe perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem.*

Cant. 3. v. 6. — Cant. 6. v. 9. — Cant. 8. v. 5. — Tres gradus perfectionis. — *Matth. 5. 16. — S. Bern. Epist. 341.*

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

De Perseverantia in vita spirituali, & pœnitente tolerantia, quæ habenda est cum respectu ad cœlestem remunerationem.

THEMA.

Sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Eccli. 2. v. 3.

1. Ecclesiasticus salutari nos animat consilio, ut sustineamus ad persistendum patienter in ardua vitæ pœnitentis via, ut tandem in hujus viæ fine cum majori beatitudinis augmento crescat in nobis vita æterna. Porro antecedenter dixerat: *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo.* Ubi per ultima verba status vitæ perfectæ intelligitur, cum enim vitæ spiritualis tres assignentur viæ, scilicet: Purgativa, illuminativa, & unitiva; harum ultima, qua Deo conjungimur & unimur, perfectorum esse noscitur; Ut vero hanc unionem assequamur, necessum est prius, ut exerceamur in sustinentia omnium eventuum, quos vita pœnitens solet

Eccli. 2. v. 3. — Est via purgativa illuminativa & unitiva.

solet habere annexos, siquidem in hac via spinæ occurrunt tentationum, ariditatum, mortificationum, desolationis spiritus, & aliæ similes. [*Prov. 13. 12.*] Præterea *spes, quæ differtur, affligit animam*; Ac proinde Propheta Regius lamentabatur dicens: [*Ps. 119 v. 5.*] *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* [*Ps. 33. v. 20.*] Verumtamen licet *multæ* sint *tribulationes justorum*, nequaquam tamen ijs despondendum est animo, quin potius *sustine, conjungere Deo*, scilicet, [*Hug. Card. ib.*] ut exponit Hugo Cardinalis, *conformando voluntatem tuam voluntati divinæ, ut non solum patienter, sed ex amore, & lætanter tribulationes sustineas. Sustine, ut sic augmentetur tibi meritum vitæ æternæ.* Subdit vero Ecclesiasticus: [*Eccli. 2. v. 4.*] *Omne, quod tibi fuerit applicitum, accipe, & in dolore sustine.* [In adversis æquè ac prosperis Deo sunt agendæ gratiæ.] Enimvero scire nequimus, quosnam in decursu triginta, quinquaginta, vel septuaginta annorum habituri simus eventus, per quos probemur, & infestemur sive per adversa, sive per prospera, ac proinde ut tanto constantiores in timore Dei semper persistamus, Ecclesiasticus nos hortatur inquiens: *Omne, quod tibi applicitum fuerit*, id est, [*Hug. Card. ib.*] ut Hugo Cardinalis exponit: *Sive infirmitas, sive sanitas, sive contumelia sive injuria, sive molestia, accipe, id est, ad te cape cum gratiarum actione, quia si est adversitas, medicamentum est; Si prosperitas, beneficium; Et ita pro utroque debes gratias agere.* Quod si vero homo in dono perseverantiæ constans permanserit, quidquid [*Prov. 12. 21.*] ei acciderit, illum non contristabit: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Idem Ecclesiasticus eos, qui se divino servitio dedicaverant, in principio capi- [*Eccli. 2. v. 1.*] tis salutari hoc consilio præmunierat: *Præpara animam ad tentationem*, id est, ut Dionysius Carthusianus ait: *Ad æquanimiter suscipiendum; & ad fortiter expugnandum ac superandum tentationes Diaboli, mundi & carnis; Tentatio enim seu militia est vita hominis super terram, quia adhuc factus & positus est homo in sæculi hujus campo, ut pro Creatoris, ac Regis, & Dei sui honore efficaciter prælietur, contra adversarios divini honoris, ac suæ salutis, & contra aciem vitiorum.* Enimvero verba, quæ apud eumdem Doctorem sequuntur, feriam apud illos, qui ad finem usque in timore ex amore Dei volunt persistere, merentur ponderationem; [Justis magis tentatur quam injustis.] Subdit enim: *Quanto quis fortius nititur Deo servire, & in omni virtute proficere, tanto acrius contra eum sævit, insurgit, & resistit adversarius humanæ salutis. Propter quod, teste Apostolo 2. Tim. 3. omnes, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patien-* [*2. Tim. 3. 12.*] *tur. Hinc admonet Augustinus; Persevera usque in finem, quia tentatio perseverat usque in finem. Usque in quem finem? Certe quousque finias viam, id est, vitam* [*S. Bonav. in Ps. 67.*] *præsentem.* Seraphicus Bonaventura ait: *Obedientia semen recipit, Patientia fructificat, Perseverantia metit;* Ac proinde Salvator noster Apostolos suos ad persistendum in divino ejus servitio usque in finem anima- [*Luc. 21. 19.*] re volens, inquit: *In Patientia vestra possidebitis animas vestras.*

[*Eccli. 2. v. 3.*] 2. *Sustine, ut crescas &c.* Dionysius Carthusianus illa [*D. Carth. ib.*] verba: *Sustine sustentationes Dei*, inquit: *Sustine, juxta* [*Ps. 26. v. 14.*] *illud Psalmi 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, id est, ut idem [*D. Carth. in Ps. 36.*] suo loco super hunc Psalmum explicat: *Sustine Dominum inter prospera, & adversa, ne fatigeris animo tuo.* [Hortatio ad perseverandum.] *Versus iste dulcissimus, omnem militem Christi, omnem utique laboratorem, qui Deo cum metu & reverentia servire contendit, ineffabiliter consolatur, ac roborat. Itaque ô famule Christi, expecta Dominum. Apparebit Dominus in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta eum quia veniens veniet, & non tardabit. Unde Jacobus admonet: Exemplum accipite longanimitatis, laboris, & patientiæ, Prophetas ecce beatificamus, eos qui sustinuerunt; Sufferentiam Job audistis; & finem Domini vidistis.* [Bona perseverantiæ.] Paulo post vero subdit: *Postremo sustine Dominum, quatenus dicere queas cum S. Job, etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Versus iste acediam fugat, charitatem inflammat, longanimitatem instruit, stabilitatem inducit, omnemque torporem, diffidentiam, pusillanimitatem, negligentiam, ac desperationem expellit.* Hugo Cardinalis ver- [*Hug. Card. ib.*] bum hoc *sustine* simili modo exponit inquiens: *Si differat præmium, sustine patienter Dominum qui promisit, & verax est in promissis. Sustine tardantem ad augendum* [*Abacuc. 2. 3.*] *meritum, & præmium. Abacuc. 2. Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet.* Subdit statim: *Expecta* [*Luc. 12. 36.*] *dignè remunerantem Luc. 12. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Viriliter age, ardua & difficilia bona aggrediendo, adversa tolerando, carnem domando.* S. Augustinus à Lorino citatus ad nostrum [*S. Aug. cit. à Lorino ibid.*] propositum melius dicere non poterat, siquidem in una ex 50. homilijs ita scribit: *Sustinere Dominum, est tunc accipere, quando dabit, non tunc exigere, quando vis, ut cum sustinuerit te, ut mutares vitam tuam malam, sustineas illum, ut coronet vitam tuam bonam:* Quasi diceret, revoca in memoriam tot actus contemptus contra Deum commissos, quando tot inspirationes & invitationes ejus contemptibiliter & ignominiose repulisti, cogita serio, quot occasiones benignissimo Salvatori [In bonum nostrum Deus sæpe desiderata differt.] tuo dederis, ut Patientiam erga te haberet, expectando te ad pœnitentiam, hæcque consideranti tibi, non videatur mirum, quod Deus ad majus bonum tuum, scilicet, ut peccata commissa magis expurges, majorem tibi meritorum cumulum in cœlo acquiras, æternam retributionem per aliquantulum temporis tibi dare differat; *Expecta, viriliter age, confortetur cor tuum, sustine Dominum*, ex quo enim Deus patienter tecum egit, ut te eriperet ex inferno, ubi *secundùm præsentem justitiam* eras, numquid dignum est, ut tu illum in majus beneficium tuum pariter sustineas, *ut crescat in novissimo vita tua.*

3. Si rusticum aliquem videres in tempore cariores annonæ frumentum suum è granario suo acceptum in agrum, quem magno cũ sudore araverat, quem fimo magno pretio comparato stercoraverat, & à quo lolia & tribulos laboriose extirpaverat, spargentem, & tamen postea tempus maturitatis debitæ, in quo nascentem inde segetem metere, & quinquagies aut centies magis multiplicatam, quam seminata fuerat, inde colligere poterat, expectare nolentem, numquid illum stultum esse diceres? Audite S. Jacobum dicentem: [*Jacob. 5. v. 7.*] *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum;* [Agricola debet expectare tempus messis.] Si autem talis moræ impatiens messem expectare nollet, nihil præter paleam igni deservientem ex laboribus suis colligeret. Hic idem multorum est error, qui non habentes patientiam ad perseverandum in mortificationibus, jejunijs, disciplinis, confessionibus, alijsque similibus rigoribus, quos propria annexos habet vocatio, relaxantur, tempusque messis expectare nolunt, hi enim utique non nisi paleæ sunt ad ignem infernalem destinatæ: [*Matth. 3. 12.*] *Paleas comburet igni.* In Deuteronomio dici- [*Deut. 28. 12.*] tur: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum;* At vero quandonam Deus hoc ærarium aperturus erit: [*Ibid.*] *In tempore suo;* Deus enim tempus hoc opportunum longe melius novit, quam nos. Unde S. Mater Ecclesia in collecta quadam sic Deum precatur: *Tua nos quæsumus Domine gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos;* Cum igitur quando mysticæ hujus messis tempus futurum sit, ignoremus necessum est, ut semper præparati simus, atque in operibus bonis perseveremus. Nam ut S. Anacletus Papa, à Cornelio à Lapide citatus, in Epistola prima scribit: [*Anacl. Pap. Epist. 1.*] *Si agricolæ hæc patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro æternis patientes esse debetis? Estote ergo patientes, & confirmate corda vestra, ut adveniente judice Christo, læti, & probati esse valeatis.*

4. S. Petrus Apostolus primitivæ Ecclesiæ fideles [Momentaneum est tribulationis temporalis.] Evangelij sequaces à tot persecutionum, exiliorum, paupertatum, carcerum, atrocissimorumque martyriorum tempestatibus conquassatos considerans, ut eosdem ad perseverantiam animaret, in hæc verba illis scripsit: [*1. Petr. 5. 10.*] *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Quod si opponeris, sæpe fieri, ut verba illa *modicum passos* vera non sint, quia nonnumquam passiones vitæ pœnitentis & religiosæ sunt prolixissimæ, & diutissimè durant, prout patet in vita S. Joannis Evangelistæ, S. Antonij Magni, & tot aliorum, qui in suis rigoribus ad centesimum usque vitæ annum pertigerunt. Respondeo, nihilominus verissimum esse, scilicet, quod licet diu ejusmodi rigoribus subjacuerint, modica tamen revera passi sint, si respiciatur ad illud S. Pauli effatum: [*2. Cor. 4. 17.*] *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* [*D. Carth. ib.*] Dionysius Carthusianus, qui religionem quamdam professus est inter omnes alias rigidissimam, per hunc S. Jacobi textum nos animat in hæc verba: [*Jacob. 5. v. 8.*] *Cum fructus æternæ salutis sit omni fructu terreno incomparabiliter dulcior,* [Et leve respectu divinæ retributionis æternæ.] *præstantior, jucundior, plenior, diuturnior, patientissime ferre debemus omnem præsentis vitæ afflictionem, propter æternam remunerationem: Nec enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad gloriam illam. Hinc subditur: Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, id est, virtuosis operibus roborate, & per futuræ beatitudinis fiduciam,*

duciam, per divinæ justitiæ contemplationem, per considerationem æternalis supplicij reproborum, per quotidianum profectum virtutum, per fortitudinem mentis, constabilite, atque in Deo defigite, ac firmate animas vestras. Non enim procul abest Deus omnes passiones vestras remu- [*Jacob 5. v. 8.*] neraturus, siquidem S. Jacobus subjungit: *Adventus Domini appropinquabit, imo*, adjungit Carthusianus: *Indesinenter appropinquat.* Perseverare igitur debemus in [*Luc. 12. 40.*] operibus bonis, quia *qua hora non putatis, filius hominis* [*Apoc. 22. 12.*] *veniet.* In Apocalypsi dicitur: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, dare unicuique juxta opera sua.* Et ideo Propheta Evangelicus gaudium describit animæ, post diu expectatam remunerationem, magnis sudoribus & laboribus comparatam, ex periculis hujus vitæ tandem feliciter ereptæ, ita enim ex ore prædictæ ani- [*Is. 25. v. 9.*] mæ loquitur: *Ecce Deus noster iste, ... expectavimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari ejus.*

[Sequentes Christum post triduum jejunij saturantur.] 5. *Sustine &c.* Apud S. Marcum cap. 7. legitur: copiosam quamdam multitudinem pedestri itinere nulla prorsus ciborum annona provisam, in asperum quoddam desertum Christum secutam fuisse diu, noctuque, idque non uno aut duobus diebus, sed per inte- [*Marc. 8. v. 1.*] grum triduum, (*Cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent*, vel ut Syriaca legit: *Nec esset quidquam quod ederent*; (tandem vero miraculoso illo convivio ad satietatem usque fuisse refectam, nam [*Ibid. v. 8.*] sacer textus ait: *Manducaverunt*; Nec hoc solum, [*Ibid. v. 43.*] verum etiam *saturati sunt*, *Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* Hæc autem saturitas illam figurabat cœlestis convivij abundantiam, de qua [*Ps. 16. v. 25.*] David ait: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* At vero quinam illi fuerunt, qui huic mensæ accubuerunt? [Saturitas illa figurabat abundantiam convivij cœlestis.] Utique non omnes, qui Christum à principio fuere secuti, sed illi tantum, qui cum patientia ad finem usque illum sustinuerunt, & ad tertium usque diem in fame & siti illum perseveranter fuere secuti. Unde Paulus de Palatio ait: [*Paul. de Pal. ibid.*] *Satiantur in fine tridui, non initio conversionis, vel in medio, sed in fine.* Motivum quoque, quod Salvatorem nostrum induxit, ut tam lauto illos convivio pasceret, fuit illa perseverans Patientia, quam triduo in fame & siti illum sequendo exhibuerant; ait enim: *Ecce jam triduo sustinent me.* [*Marci 8. 2.*] Apud S. Matthæum loco *sustinent*, habetur: *Perse-* [*Matt. 15. 32.*] *verant mecum.* Merito igitur Psalmista ait: *Sustinentes* [*Ps. 36. v. 9.*] *autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram*, ubi Hugo [*Hug. Card. ib.*] Cardinalis ait: *Id est, patientes Dominum flagellantem, vel sustinentes, id est, sperantes in Dominum præmia differentem, hæreditabunt, id est, in æternum possidebunt terram viventium.* In eodem Eccli. 2. capite, ex quo præsentis discursus thema desumptum fuit, se- [*Eccli. 2. v. 16.*] quens describitur comminatio: *Væ, his, qui perdiderunt sustinentiam, & dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.* [Quid sit sustinentiam pondere.] Alia quædam versio legit: *Patientiam.* Qua vero ratione hanc sustinentiam perdamus, [*S. Greg. l. 7. mor. c. 14.*] S. Gregorius in hæc verba docet: *Sustinentiam perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt, cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improvisa perveniunt.* Idem S. Pontifex alio in loco [*S. Greg. l. 5. 1. Reg. c. 13.*] ita scribit: *Sustinentiam perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant.* Econtra vero Salvator noster Apostolis motivum, ob quod illis in cœlo tantam gloriam præpararit, his verbis indicat: [*Luc. 22. 28.*] *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo;* Ubi observandum est ly *permansistis*, quod perseverantiam subindicat.

6. *Sustine, ut crescat in novissimo vita tua.* Revocanda est hic in memoriam famosa illa de 40. Martyribus historia. Etenim hi quadraginta generosi Christi milites ob fidei constantem confessionem in stagnum gelidissimum conjecti sunt, cui proxime vicinum erat tepefactum quoddam balneum, [Historia de 40. Martyribus.] ut qui immenso stagni illius frigori ferendo impar esset, in tepidum illud balneum insilire, corporisque membra refocillare posset. Omnes gelu illud magnanimiter ingressi sunt, utpote interius divini amoris igne flagrantes, eratque omnium una hæc oratio: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine corona donemur, ne una quidem huic numero desit;* Et tamen unus dumtaxat frigoris tormento amplius resistere non valens, ex stagno gelido egrediens in tepefactum balneum insilivit, ibidemque subito miseram animam exhalavit, ut proinde in hoc misero homine verificatum fuerit illud, quod apud Jobum in hæc verba exprimitur: [*Job. 24. 19.*] *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.* Alij vero omnes constanter perseverarunt, videruntque super se descendentes è cœlo Angelos, tamquam à Rege missos, qui coronas triginta novem militibus tamquam ovantibus triumphatoribus distribuerent. [Generositas matris.] Cum vero inter hosce Martyres adolescentulus quidam, Meliton nomine, etiamnum viveret, reliquis eo in supplicio mortuis, accidit hoc generosum matris suæ facinus, quod ad perpetuam facti memoriam lectionibus illius festi hisce verbis insertum fuit: *Quem cum præsens mater ejus fractis cruribus adhuc viventem vidisset, sic cohortata est: Fili paulisper sustine, ecce Christus ad januam stat adjuvans te.* Cum vero reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium relinqui, quod speraret impia turba, puerum, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse, Ipso in humeros sublato, sancta mater vehicula martyrum corporibus onusta strenue prosequebatur; in cujus amplexu, Meliton spiritum Deo reddidit; Ejusque corpus in eumdem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater injecit.

7. *Sustine, ut crescat &c. Sustinuit anima mea in* [*Ps. 129. v. 4.*] *verbo ejus.* Sæpe accidit, quod ex motivo ambitionis, vel lucri, vel ob spem quamdam remotam, ex verbo alterius conceptam, homo aliquis cæteroquin sapiens sese resolvat ad sustinendam per longam ætatem du- [Multa propter temporale lucrum sustinentur.] ram quamdam subeundam servitutem, qui talis, quamdiu spirat, sperabit in Dominum, *sustinuit in verbo ejus.* Numquid igitur indignum foret, si nos minorem exhiberemus in divino servitio perseverantiam; cum tamen habeamus infallibilem certitudinem, quod exinde reportaturi simus æternæ gloriæ præmium? Non sic anima illa sancta fecit, quæ apud Psalmistam dice- [*Ps. 24. v. 5.*] bat: *Te sustinui tota die.*

8. In libro Judith legitur, quod cum invicta illa Heroina audivisset, Oziam cum Holoferne pacisci voluisse, ut nisi intra quinque dies obtinerent subsidiorum suppetias, sese ejus potestati dedere velle, ipsa eum hisce generosis verbis perstrinxerit: [*Judith 8. 12.*] *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* [*Ibid. v. 13.*] *Posuistis tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Enimvero, quod tu regni illius beati reddaris particeps, certe hoc *non est volentis, & currentis,* [*Rom. 9. v. 16.*] *sed miserentis Dei.* [Fortitudo Judith.] Hæc enim misericordia in arbitrio Dei, non vero nostro debet esse constituta, nostrum est, patienter ejus expectare beneplacitum, ipsius vero est, pro suo arbitrio & beneplacito nos glorificare; Filius quidem Dei in oratione Dominica nos sic orare docuit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Non vero sic regnum ipsius à nobis voluit exorari, sed tantum ut diceremus: *Adveniat regnum tuum*, scilicet, quando tibi placitum fuerit, non vero hodie, vel cras; Interim vero *sustine, ut crescat in novissimo vita tua.*

TRACTATUS LXXXI.

DE POENITENTIA NON PROCRASTINANDA,

CONTINET.

DISCVRSVS XXVI.

DISCURSUS I. Damna expenduntur, quæ pœnitentiam & conversionem procrastinantibus eveniunt.

II. Deo ad pœnitentiam vocanti sine mora parendum est.

III. Solicitius bona temporalia, & salutem corporis, quam spiritualia, & bonum animæ curamus.

IV. Commendantur nonnulli, qui Deo ad pœnitentiam vocanti prompte parentes, ab eo sunt remunerati.

V. Procrastinata vitæ emendatio & hominis ad Deum conversio severe punitur.

VI. Morte repentina sæpe præveniuntur, qui Deo ad pœnitentiam vocanti tardius respondent.

VII. Ex quo conversionem nostram differimus, & peccata, quæ stimulus sunt ad mortem, jugiter multiplicamus, sequitur, quod pœnitentiam numquam facturi simus, quia prout homo vivit, ita & moritur.

VIII. Consuetudo inveterata peccandi, pœnitentiam in extremo reddit difficilem, & quasi impossibilem.

IX. Peccatores eadem in mente sua revolvere solent in morte, quibus dediti fuerunt in vita, & ideo ad pœnitentiam parum sunt dispositi.

X. Agonia mortis non est tempus negotio tam arduo, ut est pœnitentia, expediendo opportunum.

XI. Infirmitas mortalis non est pœnitentiæ faciendæ tempus idoneum.

XII. Exteriores devotionis demonstrationes, quas impii in morte sua præ se ferunt, valde sunt fallaces.

XIII. Actus amoris Dei super omnia, sine quo peccator salvari nequit, in mortis articulo difficulter eliciuntur.

XIV. Variæ assignantur rationes, ob quas confessio, contritio, & lachrymæ in mortis hora effutæ & factæ inutiles sint.

XV. Pœnitentia non est in nostro arbitrio posita, sed innitur auxilio divinæ gratiæ, ex mera Dei bonitate nobis datæ, quam proinde ad nostram emendationem implorare debemus.

XVI. Deum illos, qui ad usque vitæ finem emendationem suam differunt, totaliter abominari, & rigide castigare, variis probatur rationibus & exemplis.

XVII. Techna specialis est Dæmonis, quod nos pœnitentiam procrastinare faciat, ut postea nos in hora mortis ad desperationem inducat.

XVIII. Quam fallax sit impiorum, circa tempus pœnitendi eligendum, dispositio.

XIX. Mors die, & hora, qua minime expectabatur, superveniet, ac proinde in manifesto est perditionis suæ periculo, qui pœnitentiam ad mortem usque differt.

XX. Multæ expenduntur illorum stultitiæ, qui ad extremum usque conversionem suam procrastinant.

XXI. Varia considerantur damna, quæ hi, qui in peccatis suis diutissime insordescunt, suamque emendationem ad mortem usque differunt, sibi conciliant.

XXII. Deus quidem nobis qualibet hora promisit veniam, non tamen quod veram nobis compunctionem dare, aut ad illam usque nos expectare velit; Varijs quòque similitudinibus ostenditur, quam simus ad peccandum veloces, tardi autem ad pœnitentiam.

XXIII. Hi, qui in exemplis aliorum in fine vitæ serio respiscentium, & in uno, *forsitan*, confisi, pœnitentiam diutissime differunt, graviter perstringuntur.

XXIV. Peccatores surdi, & in peccatis indurati, misericordia divina efficiuntur indigni, non vero, qui ex fragilitate peccant, & subito Deo ad respiscentiam vocanti respondent.

XXV. Velocitas, qua Deus nostram procuravit, & operatus est salutem, nec non quam solicite Deus hanc accelerationem desideret, consideratur.

XXVI. Deus ætatis nostræ primitias quærit, & ideo male faciunt, qui ad senectutem usque pœnitentiam differunt.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Damna expenduntur, quæ pœnitentiam & conversionem procrastinantibus eveniunt,

THEMA.

Non tardes converti ad Dominum. Eccli. 5. v. 8.

1. SPiritus Sanctus, qui Ecclesiastici calamum direxit, inter alia salutaria monita, quibus liber ejus refertus est, hoc quoque maximi momenti, summæque utilitatis de non procrastinanda pœnitentia pronunciavit effatum, quia major pars hominum, in hunc scopulum impingens, in æternæ perditionis abyssum usque naufragatur, quia licet, ut S. Augustinus ait: *Ut ac indulgentia dixima nemo diffidat, Dominus per Prophetam, zelat Pater piissimus conjulator dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua: Ista tamen tam magna misericordia tunc nobis prodest, cum non tardamus converti ad Dominum.* Enimvero per experientiam videmus, quanta cum velocitate bestialibus appetitibus nostris, ut satisfiat, procuremus, quantaque cum impatientia blandas maxime fœtemus voluptates. Unde lubrica illa Herodiadis filia dicebat: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ*; Et Psalmista ait: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; At vero quantum sumus ad lapsum præcipites & veloces, tantumdem sumus ad resurgendum tardi, & pigri. Hocque est, quod S. Basilius Magnus se capere non posse dicebat, dum ait: *Nos peccata velociter quidem prontoque animo committimus, pigre vero postmodum ac sero pœnitentiam agimus.*

S. Aug. ser. 58. de Temp. Veloces sumus ad casum.

Marc. 6. 25.

Ps. 13. v. 3. Ad resurgendum tardi.

S. Basil. H. 8. in divit. avar.

2. Reflexistisne vos aliquando ad specialem illam prærogativam, qua S. mater Ecclesia in sacris ritibus suis à Spiritu S. directa S. Paulum honorat, dum ipsi soli inter multos alios hoc attribuit privilegium, ut ejus conversionem solemni quadam festivitate celebret? Cujus mysterium Dionysius Carthusianus in sermone quodam de hoc festo his verbis exponit: *Admirabilissima fuit tam repentina & integra mutatio mentis & voluntatis ipsius*; Subito enim postquam ad cognoscendam veritatem per lucem cœlitus delapsam interius illuminatus fuit; (*Circumfulsit eum lux de cœlo,*) claves animæ suæ Christo, tamquam absoluto Domino suo & Patrono, statim consignavit, ipsique voluntatis suæ donum est imperitus, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Audiæ, quidnam ipsemet de hac sua repentina conversione Galathis scribat: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, Ut revelaret filium suum in me, ut Evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni, & sanguini &c.* Ubi observanda est dictio illa *continuo*, per hanc enim indicat, quod ne momentum quidem temporis præterire permiserit, quin Christo ipsum ad conversionem suam invitanti promptissime responderet; Quia igitur Ecclesia in institutione hujus festi præcipue fructum intendit, qui ex illo in fideles redundare potest (Siquidem, ut S. Bernardus dicebat: *Ut quid Sanctis laus nostra? bonorum nostrorum non egent,*) hinc est, quod hujus Sancti potius, quam aliorum celebret conversionem, ut omnibus Christianis exemplo sit, & stimulum addat, ut ad imitationem ipsius, ne momento quidem temporis ad Deum converti tardemus. Quod si Ecclesia de Conversione S. Augustini officium instituisset, vel festivitatem, nequaquam inde tantam accipere potuissemus utilitatem & exemplaritatem, quantam ex conversione S. Pauli: Etenim S. Antoninus de S. Augustino ita scribit: *De tarditate ad conversionem accusabat se Augustinus in libro Confessionum dicens: Non erat, quod responderem tibi, scilicet Deo dicenti mihi: Surge, qui dormis, scilicet in peccatis, nisi verba somnolenta, & lento modo, Cras, cras, sine modo, sine paululum; Sed illud modo non habebas modum, & illud paululum erat in longum.*

D. Cart. ser. de Conv. S. Pauli.

Act. Apost. 9. v. 3.

Ibid. v. 6.

Galat. 1. 15.

Ibid. v. 16.

Continuo obedivit Christo.

S. Bern. ser. in festo omn. SS. Ideo Ecclesia specialiter celebrat illius conversionem.

S. Anton. P. 2. T. 9. c. 13. §. 8.

3. Bellovacensis hanc de re sequentem tradit doctrinam: *Periculosa est dilatio Conversionis, quia qui converti differt, iniquus est in Deum, Job. 31. Iniquitas maxima, & tentatio contra Deum est osculari manum suam, scilicet blandiri sibi de opere suo malo, & differre conversionem. Iniquus est in Deum; Primo, quia in esca ejus, fel ponit, scilicet dilationem in bono. Secundo, quia illud quod maxime odit Dominus, ante oculos ejus gerit. Tertio, quia eum misericordiæ vocantem contemnit. Quarto, quia Patrem misericordem dies moræ suæ computantem, sua tarditate affligit. Tob. 10. Scis, quia dies computat Pater meus, & si tardaverò una die plus, contristabitur anima ejus. Quinto, quia Diabolo meliorem Deo detestorem partem vitæ suæ tribuit. Illi florem, Deo fæces. Sexto, Dei misericordiam in damnationem suam convertit, scilicet hoc, quod sperat, quod eum Deus misericorditer debet expectare, ipse econtra ei incessanter repugnet. Rom. 2. Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundam duritiam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, hoc est, de misericordia Dei congregas tibi malitiam peccatorum.* Mox quoque idem Auctor prosequitur iniquitatem, quam erga Angelum committit, qui suam procrastinat pœnitentiam, ita enim scribit: *In Angelum est impius, quem de expectatione gaudij, quod sperat de ejus conversione affligit, Prov. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam, quia ad meliorem se non corrigit sed eam potius contemnit, quia apud Deum irreverenter se gerit. Iniquè agit contra ipsum, quem potius vult habere malum, quam bonum; Infirmum, quam sanum; Servum, quam liberum, Mortuum, quam vivum; In statu latronis, quam Regis; Pauperem, quam*

Bellovac. spec. mor. l. 3. dist. 2. §. 6. Fob. 31. 29. Differens. converti iniquus est in Deum.

Prov. 13. 12.

quam divitem; Et omnium bonorum Ecclesiasticorum expertem, quam participem; Et consortem dæmonum potius, quam Angelorum.

4. Tametsi per divinam revelationem infallibilem, & indubitatam de facienda in articulo mortis pœnitentia, & de assecuranda æterna tua salute certus & securus esses, nullo tamen modo ad illud usque tempus tuam deberes procrastinare conversionem, ob multa damna, quæ inde resultant, non solum lucri cessantis, sed & damni emergentis. Et quidem damnum lucri cessantis pateris, quia in decursu multorum annorum vitam agens virtuosam, & in gratia Dei constitutus, ingens comparaturus esses pro cœlo acquirendo multorum insignium meritorum lucrum; Unde si animæ beatæ in cœlis alicujus essent capaces tristitiæ, hæc sine dubio vel maxima foret, quod scilicet non plus laboraverint tempore vitæ tuæ mortalis, ut hac ratione sublimiori in cœlis fruerentur beatitudine. Præterea summum in mundo sibi comparare potuissent honorem, juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Pateris quoque jacturam per damnum emergens, quia quando culpa in articulo mortis dimittitur, pœna in flammis purgantibus ad expiandam culpam sustinenda nihilominus residua manet; Præterquam, quod damnum notabilissimum sit illud, de quo illi, licèt incassum, lamentabantur peccatores dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, ... justitiæ lumen non luxit nobis.* Huic quoque proposito nostro adaptare possumus, quod Seneca in hæc verba scribit: *Omnis benignitas properat, & proprium facientis libenter est cito facere; Si dè die in diem trahens distulit, non ex animo fecit; Itaque duas res maximas perdit, & gratiam, & tempus.* Et ideo Apostolus nos exhortatur inquiens: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; Et subdit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Porro arduum æternæ salutis, & pœnitentiæ agendæ negotium libenti, & prompto animo, atque ex toto cordis nostri affectu peragi debet, qui enim tardat, & piger est, manifeste suam indicat repugnantiam; *Proprium enim facientis libenter est, cito facere.*

Patitur damnum lucri cessantis.

Patitur etiam damnum emergens.

Sap. 5. v. 7.

Seneca.

2. Cor. 6. v. 1.

Ibid. v. 2.

5. Quod si quis in bilance trutinare & accurate cum pondere sanctuarij ponderare posset, quid sit perdere gratiam, inveniret utique, animâ illam, quæ ad Deum se convertere distulit intra viginti vel triginta annos, quos in dissolutionibus suis transegit, exercere potuisse innumeros omnium virtutum Christianarum actus, seque ad recipienda dona, & thesauros cœlestes, quos divina liberalitas dilectis suis communicare solet, disponere. Unde non immerito S. Augustinus in hæc verba coram Deo lamentabatur: *Sero te amavi, sero te cognovi.* Patet igitur, quod conversionis dilatio, non solum nobis præjudicet per lucrum cessans infinitorum meritorum, quæ per pœnitentiæ dilationem amittimus, verum etiam per damnum emergens, ætatis in offensis non solum Dei, sed & nostri ipsius inutiliter consumptæ. Nam ut Dionysius Carthusianus ait: *Amplius pœnitentiam & conversionem differre, non est aliud, quam in peccatis manere, alios scandalizare, carnaliter vivere, quod quam damnabile sit, Dominus pandit ita loquens apud Matthæum cap. 14. Si dixerit in corde suo servus malus, moram facit Dominus meus venire &c. Dividet eum, id est, ab electorum grege, & à præmio separabit, & partem ejus cum infidelibus &c.* Et vero quid aliud facit is, qui frænum laxat voluptatibus, & genio indulget, quam quod ad ignem infernalem, in quo æternaliter concremandus est, majorem ignorum struem accumulet? Id quod præfatus Carthusianus sequenti consideratione confirmat inquiens: *Conversionem pœnitentiamque differre, est tempus non solum infructuose, imo & vitiose expendere, spiritualia lucra neglegere, hoc est, profectum in omni gratia & virtute multiplicatione meritorum, in incremento cœlestium præmiorum, propriam animam vitijs lacerare; dæmonibus deservire, Deo altissimo prorsus ingratum existere, qui conversionem tuam tam misericorditer præstolatur, qui eis pro malis tot bona largitur, & ipsum ad meliora hortatur, qui in seipso infinitæ est bonitatis, sanctitatis, ac dignitatis, ut solo ejus amore debeamus ad honorificentiam, & amorem ejus allici, & accendi.* S. Antonius sequentem habet reflexionem. *Peccator*, inquit, *dissipat bona naturæ, id est, virtutes naturales, secundum quod dicitur Lucæ 15. de Prodigo: Qui dissipavit substantiam suam, id est, inclinationes naturales, quæ sunt in nobis tamquam semina quædam, & principia virtutum, sed peccator tales inclinationes quasi annihilat, & tanto magis, quanto magis moratur in peccato, unde difficilius convertitur.* S. Basilius Magnus ad confundendum illos, qui pœnitentiam differunt, ut voluptatibus suis vacent, in hæc verba discurrit: *Sine me quæso, inquis, utar carne ad perfruendas res turpes, & voluter in cœno voluptatum, sanguine imbuam manus; diripiam aliena, circumscribam, pejerabo, mentiar, & tunc pœnitentiam, ubi abstinuero à malis, agam. At si bona res est peccatum, tuere ac tene hoc usque in finem; Sin verò ei, qui illud perpetrat, noxium est, quid rebus perniciosis adhæresis? Num putas, Deum non videre, quæ agantur? Num non percipit tuas cogitationes? Num opem fert tuis iniquitatibus? Ingemis te scelere adstrinxisti, inquit ille, eo, quod existimaris, me tui similem fore. Tu cum mortalis viri amicitiam ambis, beneficijs illum ad te, dicendo, & faciendo, quibus intellexeris hominem gaudere, allicis; At quando cum Deo conjungi, ac in numerum filiorum te recipi vis, ea, quæ inimica sunt Deo, perpetrans, & legem transcendendo ignominia ipsum afficiens, ex his, quibus ipsum vel maxime offendis, conjunctionem, & consortium speras? Vide ne redemptioni studendo malorum multitudinem tibi coacerves, ac peccatum aggreges, nec tamen veniam impetres.* Quam stultus est, qui sibi persuadet, & confidenter sperat, quod Deus illum in fine vitæ tamquam sanctum ulnis suis sit amplexaturus, eique tamquam filio daturus sit gloriæ hæreditatem, pro qua adipiscenda nullum aliud habet meritum, quam quod per totum dissolutæ vitæ suæ cursum nulli alteri rei studuerit, quam ut eum pro viribus offendere, & exasperare posset? Quænam est hæc stolida præsumptio, & vana temeritas, qua quis pœnitentiam procrastinat, ut Deum majoribus affiecre injurijs posset, & tamen sibi inaniter persuadet, eumdem Deum sibi fore propitium, benignum, & ad noxas condonandas perfacilem.

Ulterior ejusdem demonstratio.

Vana est spes in ultimo termino vitæ de conversione.

6. S. Antoninus ejusmodi stolidos homines sequenti perstringit efficacissimo argumento: *Quanto quis magis peccat, tanto magis elongatur à Deo Psal. 118. Longè à peccatoribus salus; Sed non est verisimile, quod ille, qui se elongavit à Deo per quadraginta annos, de facili redire possit, & converti ad Deum.* Opportunum est igitur illud commentatoris Nazianzeni consilium dicentis: *Timeamus, ne dum redemptionis ac veniæ spe multa vitia nobis colligimus, ita peccatum aggeramus, ut remissionem interim non consequamur. Quandoquidem navis majus mercium pondus aliquousque suffert, ultra modum autem onerata deprimitur, aquisque obruitur. Caveamus, ne cum simili ijs, atque adeo veniâ majora & graviora flagitia perpetraverimus, antequam speratos portus respicere queamus, naufragium faciamus.*

S. Anton. ibid.

Ejus probatio per rationem scripturæ & similitudinis.

7. Omnibus nota est illa de operarijs ad vineæ culturam à Patrefamilias invitatis à Christo pronunciata parabola: Horum enim aliqui summo mane vocati fuere, alij vero circa tertiam, alij tardius circa sextam & nonam; alij denique circa vesperam; Omnes laborarunt, & terminato die omnibus idem prorsus datum est stipendium. Cum igitur hæc parabola eos proprie concernat, qui à Deo ad divinum ipsius vocati sunt servitium, videtur omnino etiam illos firmam salutis æternæ consequendæ spem concipere posse, qui sui conversionem & pœnitentiam ad ultimum usque vitæ articulum differunt; sed respondeo cum ultimis illis operarijs, qui die ad vesperam declinante à Patrefamilias ad vineam fuere invitati; cum enim hic illis improperasset dicendo: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam*; Responderunt illi: *Quia nemo nos conduxit.* Conducti autem sine mora concesserunt ad vineam. Hi igitur præfigurant homines illos mundanos, qui ad hoc, ut se Deo consecrent, non habuerunt à Deo certa auxilia efficacia, vel lumina specialia, & vehementes inspirationes, quibus mox ut Deus illos prævertit, subito communicatis respondent auxilijs & inspirationibus, & brevissimo temporis spatio contritionis & amoris Dei præfervidos eliciunt actus. Unde S. Anselmus ait: *Quid est dicere, quia nemo nos conduxit, nisi quia vitæ vias nullus nobis demonstravit?* Et Doctor Angelicus similiter inquit: *Significatur, quod quibusdam non datur occasio revertendi ad Deum usque ad finem*, & paulo post subdit: *Quando consentiunt, efficaciter magis resurgunt.* Hic autem non est casus noster præsens, quem prætacta difficultas movebat.

Matth. 20. 6. Ibid. v. 7.

Refutatio & explicatio.

Objectio de operarijs in vinea circa vesperam vocatis.

Anselm. ibid.

S. Thom. ib.

8. Sacra Scriptura illos, qui malitiose, id est, scientes & volentes conversionem suam procrastinant, ut quamdiu

quamdiu sani sunt, voluptatibus & dissolutionibus vacare possint, brevibus hisce verbis salubriter monet: *Non tardes converti ad Dominum.* Enimvero quonam
Eccli. 5. v. 8. Periculum tardantium. in periculo hi, qui consilium istud spernunt, versentur, facilè conjicere licet ex eo, quod jamjam dicturus sum. Etenim ultimi ex hisce prædictis operarijs illos præfigurant, qui sine sua culpa ad divinum servitium efficaciter vocati non sunt, neque ullam, vel imaginativam accipiendæ retributionis spem habuerunt, tametsi ad laborandum in vinea fuerint conducti; Primi autem, qui summo mane conducti fuere, illos repræsentant, qui à primis vitæ annis
Matt. 20. 2. divino se servitio dedicant; Atque hi fecuram habent suam mercedem, ex *conventione facta de denario diurno.* Alijs vero, qui typice repræsentabant illos, qui in progressu ætatis Deo se dedicant, à Patrefamilias dictum fuit: *Quod justum fuerit, dabo vobis.*
Ibid. v. 4. Ultimis vero nulla facta est promissio, nec sperandi stipendij ulla quantumvis minima mentio facta fuit, quia repræsentant illos, qui in extremo vitæ ad conversionem morum, & pœnitentiam converterunt: & hi si salvantur, per meram bonitatem & misericordiam Dei salvantur, sed horum rarissima sunt exempla.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Deo ad Pœnitentiam vocanti sine mora parendum est.

THEMA.

Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Matth. 8. v. 22.

1. A Pud Matthæum in cap. 8. sequens narratur historia. *Alias de Discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum; Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quod utique Christi responsum multis videbitur omnino paradoxum; Si enim ipse in primo præcepto secundæ tabulæ parentes honorari præcepit, quid convenientius, magisque debitum esse poterat, quam defunctum sepelire patrem? Adhæc tempus, quod in hanc sepulturam adhiberi debebat, breve erat, ipseque sepultura consummata ad redeundum ad ejus sequelam & disciplinam promptissimus erat; Cur igitur ipsum ad hoc pietatis officium dimittere noluit? Verisimile est, Christum multum prævidisse pericula, ex hac dilatione secutura, siquidem post sepultum patrem aperiendum erat testamentum, adeunda hæreditas, solvenda debita, census exigendi, terminandæ lites, recipiendæ cognatorum ob defunctum patrem condolentiæ, & dum hæc facta fuissent, sine dubio pristinus vocationis suæ fervor intepuisset, seu potius evanuisset penitus. D. Chrysostomus hac de re ita scribit: *Sepelire patrem discipulus voluit, & non permisit Dominus. Atqui nulla res tam necessaria videtur, quam sepeliendi patris officium; Christus autem non permisit; Quamobrem? paratus semper Diabolus est, ut ingressum ubique attente quæritet, & si parvæ tardiatis causam apprehenderit, magnam inde conflabit desidiam.*
Matth. 8. 21. Quare Christus noluerit ut filius prius sepeliret patrem suum.
Sequela.
Sepultura.
D. Chrys. H. 69. ibid.

2. In vita insignis illius servi Dei Joannis Baptistæ Vitelli de Fulgineo viri magna sanctitate conspicui legitur, quod juvenis quidam Presbyter diuturno tempore in vocatione, qua ad religionem Capucinorum amplectendam ducebatur, probatus fuerit, cumque semper constans mansisset, præfatus Dei servus tandem ei ad habitum illius religionis assumendum licentiam indulsit, cumque jam à superioribus acceptatus fuisset, die sequenti, qua vestiendus erat, ad venerabilem hunc virum, ei ut valediceret, ejusque benedictionem acciperet, accessit, qui ei, ut recta ad conventum properaret, præcepit; Quod Presbyter ille se factu-
Vit. Joan. Bapt. Vitell. l. 1. c. 18. Historia de negligente vocationem suam. rum promisit, dummodo prius domum pro pileo suo quærendo abiret; Cui vir sanctus dixit: Noli domum ire, noli ire, iterato repeto, quid tibi pileo opus est? Cum vero is obedire nollet, accidit, ut in via obvium haberet Presbyterem quemdam magnæ authoritatis virum, & in mundi negotijs prudentem & politicum, qui de proposito hujus Presbyteri certior factus, quod scilicet Capucinorum religionem ingredi meditaretur, paulatim sub prætextu apparentis boni adeo illum lucratus est, ut Presbyter ille pro eo die conventum ingredi distulerit, quæ dilatio effecit, quod in suo proposito intepuerit, ut à vocatione sua tandem totaliter re-
Et tandem propter adulterium occisus. cesserit, & in reprobum sensum datus alterius viri uxorem rapuit, à cujus cognatis & parentibus demum miserabiliter occisus fuit.

3. S. Basilius magnus de promptitudine, quam Eunuchus Reginæ Candacis, internæ inspirationi à Deo illi pro recipiendo sacrosancto Baptismi Sacramento immissæ correspondendo, exhibuit, ita scribit: *Qui vocat benignus, qui minister at paratissimus, gratia abunde exposita, modo alacritas adsit, impedimentum cessat. Unus est prohibens, qui nobis ad salutem obstruit viam, quem omni studio ac prudentia vitare oportet. Ille, inquam, torporem ac desperationem nobis injicit.* S. Philippus Nerius solitus erat dicere, quod transitus à malo ad bonum, subito & sine mora fieri debeat; At vero transitus à bono ad melius bonum, id est, à vita timorata & pia ad vitam religiosam & perfectam, tempore, consilio, & oratione indigeat: At vero omnibus hisce in executionem positis, & absolutis, nequaquam tardandum esse: Et hoc forte est, quod S. Bernardinus quoque dicere voluit, dum ait: *Cum homo instincta Spiritus S. movetur ad religionis ingressum, non est utique differendum, ut humanum consilium requiratur, sed statim impetum Spiritus Sancti debet sequi.* Idque exemplo S. Matthæi in Telonio sedentis ostendit; Qui licet in Telonio sedens lucris pertinaciter inhiaret, attamen ad vocationem Domini *surgens secutus est eum;* Ubi Chrysostomus ait: *Disce vocati obedientiam; Neque restitit, neque domum adire rogavit, & suis hoc communicare. Humana etiam pericula, quæ et à Principibus accidere poterant, parvipendit, dum scilicet rationes officij imperfectas reliquit, secundum Remigium. Ex quibus omnibus patet, quod nihil humanum debet nos retardare à servitute Dei.* Citatque S. Augustinum de Verb. Dom. dicentem: *Vocat te oriens, & tu accedis ad occidentem; Oriens vero Christus est, juxta illud: Ecce vir oriens nomen; Occidens vero est quilibet homo in mortem cadens, & in tenebras peccati. Igitur injuriam facit Christo, in quo sunt omnes thesauri absconditi sapientiæ, ejus audito consilio, adhuc mortalis hominis consilium æstimat requirendum. Dubitare, an id, quod Christus consuluit, melius sit, sacrilegium est; Dubitare vero an propter contristationem animorum, vel quodcumque temporalium detrimentum homo debeat religionis propositum prætermittere, est utique animi adhuc carnali amore multipliciter irretiti; Unde Hieronymus in Epistola ad Heliodorum ait: Licet parvulus è collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem per calcatam perge matrem.*
S. Basil. Exhort. ad Bapt. Hom. 13.
Matt. 9. v. 9. Prompti ssima fuit conversio S. Matthæi Apostoli.
Zachar. 6. 12.
S. Hier. ad Heliod.

4. S. Augustinus ingeniose, & cum magno fructu nostro observat, quod Christus nos ad sequelam suam invitans, in tempore præsenti dicat: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ;* Non dicit; *Qui sequetur me.* in tempore futuro. Quod *promisit, futuri temporis verbo posuit; Non enim ait: Habet, sed habebit, inquit, lumen vitæ; Non ait tamen, qui sequetur me, sed qui sequitur me. In eo, quod facere debemus, tempus præsens posuit; Quod autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significat. Qui sequitur, habebit.* Ubi specialiter ponderanda sunt ultima hæc verba. Porro illi, qui, cum de mundo deserendo agitur, oculos suos ad tempus futurum defixos habent, regnum Dei non habebunt, sicut nec verum lumen; Bene tamen illi, qui in præsenti tempore, & sine mora Christum eos vocantem sequuntur. Similiter Christus ei, qui se divino ejus servitio mancipare volebat, dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* Non dixit illi in tempore futuro, *servabis,* sed in præsenti tempore, *serva.* Zacharus publicus peccator erat, & Princeps publicanorum, maledictam Jericho civitatem, mundi typum, incolebat, usuris, avaritiæ, & fraudibus deditus erat, (*Si quid aliquem defraudavi; Et ipse dives:*) Audita vero per famam Christi sanctitate, curiositate sola ductus Christum videre cupiebat, quando inde erat transiturus, non vero se Christi sequelæ consecrare intendebat: Et tamen se vocari audiens, (*Dedit voci suæ vocem virtutis*) laborante interius in ipso Spiritu Dei, cum eadem celeritate, qua ex Sycomoro descenderat (*Zachæe festinans descende:*) & ipse pariter festinus obedivit, quia sacer textus ait: *Festinans descendit;* Ac proinde felicem illam vocem audire meruit: *Hodie hanc domui salus à Deo facta est.* Notandum quoque, quod idem Zacharus, ut Deo vocanti digne pareret, non diserit in tempore futuro: *Dabo, reddam,* sed in præsenti tempore: *Do, reddo.* S. Ambrosius ait: *Pœnitentia*
Joan. 8. 12. S. August. Tr. 34. ibi.
Luca 19. 8. Proponitur exemplum Zachæi.
Ps. 67. v. 35.
Luc 19. v. 5.
Ibid. v. 6.
Ibid. v. 9.
S. Ambr. lib. ad virgi-nem lapsam cap. 8.

tentia non verbis agenda est, sed & actu. Etenim promissionibus nostris non creditur, nec sufficit dare verba, vota emittere, & juramenta præstare, verum insuper prompta requiritur executio.

Isai. 37. v. 3. Plurimi inefficaciter volunt. 4. Apud Isaiam dicitur: *Venerunt filij usque ad partum, & virtus non est pariendi.* Multos namque videmus, qui bona habent proposita de mundo deserendo, & de consecrando se Deo, in executione tamen non sunt efficacia, sed de die in diem procrastinant, & proposita sua exequi differunt, interea vero succedit aversio & repugnantia à statu perfectionis, quæ sensui repugnare solet; Et ideo tali, dilatio verum est Dei supplicium, quo castigamur in pœnam pigritiæ nostræ, qua Deo vocanti respondere negleximus, Deus quoque per os ejusdem Prophetæ comminatur inquiens: *Ponam eam in possessionem ericij.* Porro Ericius, quando in lucem editurus est suos fœtus, metuens ne à fœtuum suorum spinis transfigatur, quantum potest, & valet, parturire differt, sed non intelligit, quod hoc faciendo majus sibiipsi damnum inferat, quia quanto longius differt, tanto magis pungentes fœtuum suorum spinæ crescunt, & indurantur. Idem quoque multis contingit qui conversionem suam procrastinant, metuentes ne vitæ pœnitentis rigores subire debeant, nec tamen cogitant, quod quanto amplius pœnitentiam prolongant, tanto magis peccata in ipsis multiplicentur, & crescant, simulque cum ipsis nascatur ingens ab omni pietate & virtute aversio, & nausea. Theophylactus de Zachæo inquit: *Talia promittens, tamo faciens; Non enim dixit: Dabo dimidium, & reddam quadruplum, sed ecce do, & reddo; Audierat enim Salomonis admonitionem: Ne dicas, rediens redi, & cras dabo. Christus Evangelizat ei salutem: Hodie enim, inquit das, hodie tibi & salus.*
Proprietas Ericij.
Theophil. ib.

6. In confessionibus S. Augustini legitur, quod dum sub arbore ficus ploraret, Deum his verbis affatus fuerit: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ. Quamdiu? Quamdiu? Cras, & cras? Quare non modo? Quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* Mox vero vocem quamdam cœlitus delapsam audivit sibi dicentem: *Tolle, lege.* Aperuitque Epistolas S. Pauli, in quibus illi hæc verba occurrerunt: *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, sed induimini Dominum Jesum Christum.* Quæ verba acutum animæ ipsius calcar addiderunt, ut se quantotyus & perfecte ad Deum converteret. S. Basilius Magnus in eadem homilia in fidias nobis insinuat, quibus astutus serpens bona nostra proposita retardare satagit; Ira enim scribit: *Torporem nobis injicit, vana spe corda nostra deludit; Ipsius ergo cogitationes non ignoremus. Annon hodie peccare; cras vero juste agere, pietatem differre nos exhortatur? Idcirco Dominus occurrens ejus insidijs, hodie, inquit, si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ille vero ait: Mihi hodie, cras Deo; Dominus contra: Hodie vocem meam audite.* Ecclesia salutis æternæ filiorum suorum præcupida punctum istud, de obtemperando divinæ voci sine ulla mora interposita, & de correspondendo immediate cœlestibus inspirationibus fidelium suorum cordibus infinuare, imo ijsdem vivaciter & tenaciter illud imprimere contendit; Ac proinde voluit, ut singulis diebus ad matutinum in omnibus totius Christianitatis choris, & ab omnibus alijs divinum officium privatim recitantibus verba illa recitentur: *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*
S. Basil. ib.
Joan. 3. v. 8. Dum Spiritus sanctus spirat sequi illum debemus.
Prov. 1. v. 24.
D. Chrys. ibi.
Jerem. 30. 13.
Ibid. v. 12.
Prov. 1. 28.

8. Cœlum verno tempore totem suum super vastissimam maris distillat superficiem; Conchæ autem eodem tempore sese aperientes acceptas in sinu suo roris stillas; in pretiosissimas transmutant margaritas; Quæ vero ex conchilijs sese non pandunt, inanes & gemmæ illius expertes manent, sed propria ipsarum culpa. Porro divinus inspirationum gratiarumque cœlestium ros ex parte sua in animas nostras influere non desinit; Quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde S. Ecclesia Deum his verbis frequenter interpellat: *Sancti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fecundet;* At vero quid fit? Animæ illæ, quæ sinum & eos suum distillanti aperiunt, illumque excipiunt; nec bonam sitiunt sibi elabi occasionem, egregie locupletantur; at vero quæ tardæ sunt & pigræ, gratiæ cœlestis expertes manent, cum irreparabili ipsius quoque gloriæ amissæ damno: *Quia vocavit & ei.*
Quando in Conchis briantur margaritæ.
Rom. 5. 5.

9. Erat Jerosolymæ probatica quædam piscina, juxta quam, ut S. Joannes scribit, ingens jacebat languentium; claudorum; cœcorum, & aridorum multitudo, qui omnes aquarum illarum præstolabantur motum. *Qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Quodnam vero in eo latet mysterium, quod primus, qui post aquarum illarum agitationem in piscinam hanc descendebat, subito sanaretur; non vero alij? *Omnia in figura contingebant illis.* Mundus enim iste est veluti ingens quædam infirmaria, & hospitale, in quo *languentes signantur peccatores,* ut S. Bonaventura ait. De aquarum vero motu Theophylactus ita scribit: *Quod in ipsa piscina pœnitentiæ turbantur spiritus malitiæ, contriti, & suffocati gratia spiritus.* Angelus, qui hanc piscinam turbat, est ille, de quo scriptum est: *Magni consilij Angelus;* Quando autem hic voluntatem commovet, eamque per lumen & inspirationes suas ad resipiscendum, ad vitam mutandam, & perfectionis studium extimulat; nequaquam tardandum nobis est, si æternam recipere desideremus salutem; *Qui enim prior descendet, sanus fiet à quacumque detinetur infirmitate.*
Primus in piscinam descendens sanabatur.
Joan. 5. v. 4. Primus in piscinam descendens sanabatur.
S. Bonav. ibi. Theophyl. ib.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Majori cum solicitudine bona temporalia, & salutem corporis, quam spiritualia, & bonum animæ curamus.

THEMA.

Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum. Luc. 14. v. 5.

1. INcarnata Sapientia nullum formare poterat argumentum, quo Christiano sua efficacius majorique cum energia exprobraretur in procuratione salutis animæ inexcusabilis lentitudo, ut per ejusmodi improperium eripiatur ab inferno, quam dum solicitudinem exponit, quo jumentum aliquod in puteum delapsum foras solicite extrahitur, ne pereat: *Cujus vestrum asinus &c.* ubi observanda est dictio illa *continuo;* Quod si enim bos vel asinus per diem integrum
Asinus in puteum incidens, subito extrahitur.

in tali jaceret puteo ; submergeretur utique ; Ac proinde cum celeritate inde extrahitur, ne moriatur. Anima per peccatum mortale *secundum præsentem justitiam* in profundum usque inferni corruit, siquidem ab illo non nisi flatu aut anhelitu unico distat; Tardabimusne igitur, illamque cum tanto æternæ mortis periculo, per dies, septimanas, menses & annos in pernicioso hoc puteo jacere permittemus ? *Ab ore putei gehennæ eripiar, & inducias petam ?* Ergone a Christiano pluris asinus, quam anima propria æstimabitur, de qua S. Apostolus ait : *Empti estis pretio magno ?* Puteus porro profundus peccatum est. Unde David orabat : *Neque urgeat super me puteus os suum* ; Quemadmodum igitur jumentum in puteum collapsum per suas vires, quantæcumque illæ sint, inde egredi nequit, sed alieno indiget adjutorio, ita quoque qui in peccatum lapsus est, inde sine efficaci divinæ gratiæ auxilio egredi non potest; Unde Deus apud Oseam inquit : *Perditio tua, tantummodo in me auxilium tuum*; Similiter quemadmodum indignus foret, qui in simili lapsu amplius juvaretur, qui alias in puteum lapsus, porrectam sibi manum auxiliatricem acceptare aut apprehendere sæpius noluit; Ita à Deo relevari, & auxilium accipere non meretur, qui divinum sæpius repudiavit subsidium.

1.Cor.6. 20. — Ps.68. v.16. — Jumentum in puteo ab alijs extrahi debet. — Osea 13 v.9.

2. Considerastisne aliquando infinitam illam solicitudinem, qua homines lucra venantur temporalia, vel honores, divitias, voluptates, & similia terrestria? Pro ijs acquirendis nullam sinunt præterire occasionem, quin illam sine mora amplectantur. Dissoluti illi juvenes sese mutuo certatim invitabant dicentes : *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, utamur creatura celeriter.* Vindictam spirantes, occasionem nullam sese vindicandi negligunt. Herodiades, ut se de Joanne Baptista vindicaret, quo modo caput ejus à filia sua postulari voluit ? *Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* S. Gregorius Nazianzenus sine fructu perorabat dicens : *Ad scelus quidem, & ad fraudem tardus eris, celer autem ad salutem, paria enim in viro sunt promptitudo ad vitium, & procrastinatio ad salutem.* Date mihi ambitiosum quemdam, ad honores & dignitates suas adaugendas ex industria ab alio invitatum, nequaquam oblatam sibi occasionem differet, sed sine ulla replica acceptabit, ne ab æmolis suis inde arceatur. Quando Laban offerebatur consilium illud in Genesi cap. 30. descriptum, notanda est quæ ibidem specificatur circumstantia ; Dicit enim sacer textus : *Respondebit mihi cras justitia tua, quando placiti tempus &c.* Cujus solicitudinis mysterium Abulensis sic explicat : *Quia tantum lætabatur Laban intendens lucrari ex illo pacto, quod noluerit dilatare hujusmodi rem in alienum diem.* Quam merito ad confusionem nostram dici potest : *Filij hujus sæculi velociores sunt filijs lucis ?* Homines enim mundani velocissimi sunt in acquirendis bonis, nos vero ad comparanda cœlestia & æterna bona pigri sumus & tardi. *Omnis ars sæculi hujus*, inquit S. Isidorus, *strenuos amatores habet, & ad exequendum promptissimos, non vero item Deus, hic enim plerosque habet sectatores languidos, tepidos, ac pigritiæ inertia congelatos.* Homo aliquis lucris deditus, quam est ad omnia obvia emolumenta promptus & paratus, & ne quidem momentum ab illis conquirendis sibi perire sinit ? *Quid procrastinatis ?* (Verba sunt Ambrosij, quibus improperat ijs, qui divinis inspirationibus respondere negligunt) *Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras veniam, sed jam exigis. Aurum accipere nemo differt, nullus excusat, redemptio animæ promittitur, & nemo festinat.* Experimur quotidie, quod res valde pretiosas unusquisque, quamprimum potest, assequi conetur quia tritum est proverbium: *Omnis mora tribuitur vitio*, & Poeta ille canit : *Nescit verus amor moras* ; Nostra autem ad Deum conversio pœnitentia, per quam regnum cœlorum acquirimus, de die in diem, imo de mense in mensem, & de anno in annum procrastinatur, imo & magna Christianorum pars pœnitentiam ad ultimam usque vitæ periodum reservant ; Id quod indubitatum est signum, quod illam abominemur, siquidem illam tamquam rem à nostro genio alienam totis viribus fugimus ; Ac proinde qua ratione fieri poterit, ut illam in extremo articulo mortis validam efficiamus, ac ut, quod unice requiritur, sit voluntaria, & è corde procedat? hoc enim difficulter fieri poterit quoad illum, qui per totam vitæ suæ ætatem animi aversionem ac repugnantiam ab illa habuit.

Vindicativus celer est ad vindictam. — Sap.2. v.8. — Marci 6.25. — Nazian orat. in S. Baptistam. — Gen. 30. 33. — Abul. ibid. — S. Isidor. l.2. de summo bono cap.10. — Filij hujus seculi sunt velociores filijs lucis. — S. Ambr. l. de Elia & jejunio cap.22. — Dilatio pœnitentiæ est signum odij in illam.

5. Verum ut ad nostrum discursum revertamur, reflectendum nobis est ad summam solicitudinem, qua, dum infirmamur, corporis nostri saluti prospicimus ; Nam ut S. Gregorius Nazianzenus ait : *Absurdum fuerit, cum pecunias avide præripias, sanitatem in longius differre atque extrahere ; Cum corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reservans.* Mox ut infirmaris, non tardas vocare Medicum ; qui priusquam malum vires majores accipiat; & in malignam febrem degeneret, opportuna tibi remedia præscribat. Quam parum vero in comparatione ad illam solicitudinem æterna salus nostra curatur ? Febris peccati, quæ in anima malignatur, cum quanta lentitudine curatur ? Numquid confessio per septimanas & menses procrastinatur ? Sapiens monet in libro Ecclesiastici : *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Episcopus Bellovacensis in speculo morali scribit : *Peccatorum ad mortem currentium magna velocitas* ; S. Bernardus ait : *Alacrius currunt ad mortem, quam nos ad vitam.* Etenim non solum solicite Medicum advocari faciunt, quando jàm de facto in lecto à vi morbi prostrati jacent, verum etiam si infirmitatem prævidere possint, remedia quoque anticipant præservativa, adimplentes illud ejusdem Ecclesiastici monitum : *Ante languorem adhibe medicinam.* Idem Bellovacensis iterum monet inquiens : *Fatua est dilatio in rebus, quas tempus & opportunitas transit, ut est in arboribus plantandis, vineis putandis, & similibus, & virgis resecandis, dùm scilicet novæ sunt, & antequam duruerint, & malam formam, & contrariam ceperint; Similiter in morbis & vulneribus curandis.* Quando enim quis vulneratus est, non videbitis, quod tardet in aliquot dies, & multo minus in septimanas, in advocando Chyrurgo, qui vulnera emplastris opportunis curare satagat. Merito S. Thomas de Villa Nova suo tempore in hæc verba exclamabat : *O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus ! Quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute ? Atroces ustiones, terribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem ; Sed si animæ languor curandus est, quidquid injungitur, durissimum est.*

Nazianz. orat. 40. — Currunt impij velocius ad mortem, quam justi ad vitam. — Eccli. 31. 27. — Bellovac. spec. mor. lib. 3. dist.2 §.6. — S. Bern. ibid. — Eccli. 18. 20. — Bellovac. ib. — Opportunitate præterita medicina caret effectu. — S.Th. de Vill. fer. 6. post 4 Dom. Quad.

4. At vero fortasse dices, rem duram fore, si sine ulla interposità temporis mora recurrere cogaris ad Medicum spiritualem, & ab eo pro veneno pellendo Theriacam accipere ? Sed respondeo hanc esse multorum stultitiam, quod scilicet pro pellendo corporis veneno, pro vita corporali assecuranda nullam prorsus moram faciant, sed quantocyus ad Medicum properent, econtra verò multos menses expectent, ut mortiferum peccati venenum in anima nutriant, mortemque sempiternam sibi accersant. Cum de hisce Propheta Evangelicus in hæc verba lamentabatur : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filijs sceleratis ?* Ubi notanda sunt verba illa : *Populo gravi iniquitate* ; Hæc enim est phrasis quædam loquendi, quæ gravitatem multorum peccatorum, quibus populus ille onustus erat, exprimere intendit ; Dictio autem *Væ*, æternæ reprobationis est comminatio, quasi clarius dicere vellet, populo gravi iniquitate æterna imminet damnatio ; At vero undenam hæc derivabatur desolatio ? Non aliunde, quam à pigritia, qua ad pœnitentiam recurrere negligebant ; Unde idem Propheta subjungit : *A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo sanitas; Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quando enim vulneribus non subvenitur per promptum aliquod remedium, una cum sanguine vita egreditur. Quod idem frequenter in vulneribus accidit spiritualibus animarum, nisi prompte & solicite curentur. Ac proinde S. Augustinus inquit : *Et quia calidis vulneribus solent medicamenta celerius subvenire, quotiescumque peccavimus, non expectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, nec iterum vulnera vulneribus augeamus, sed continuo ad spiritualem Medicum recurrentes, salutem recipere festinemus. Et ideo quomodo, quando in corpore vulnus accipimus, si statim medicamenta requirimus, cito sanitatem recipere poterimus, ita si moram fecerimus, necesse est, ut tardius ad sanitatem plaga ipsa redeat ; aut aliqua fœda cicatrix in corpore nostro remaneat. Si hæc in corpore facimus, quanto magis in animæ vulneribus adhibere debemus, ubi ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus ?* S. Joannes Chrysostomus exponens versum illum Psalmi sex-

Merito Medicus animæ prius vocari deberet quam corporis. — Isa. 1. v.4. — Ibid. v.6. — S.Aug. ser. 102. de Temp. — Vulnera recentiora sunt sanabiliora.

ti

ti : *Convertantur, & erubescant valde velociter*, inquit, *Fur autem equum nisi quis cito represserit, cito peribit. Ita etiam Medici serpentis alicujus venenum sæpe serpens, & in totum corpus emanans, maxima celeritate, ne ulterius progrediatur, sistunt, ejus vitium incidentes. Hoc autem nos quoque faciamus, & quod in nobis est vitium, maxima celeritate reprimamus, ne ulterius progrediens, morbum augeat.*

3. Hæc celeritas, qua sine mora medicina in tempore utimur, ad sananda vulnera maxime mortifera, longe est aptissima. Observastisne aliquando in sacris litteris, quod Saül in pœnam inobedientiæ suæ sine ulla remissione à regno terreno, simul & cœlesti deciderit ? Econtra vero David, qui enormium peccatorum, adulterij scilicet & homicidij, nec non & scandali publici reus erat, non solum à Deo in gratiam denuo fuit admissus, verum insuper ab eodem multis prærogativis fuit honoratus ? Quonam hæc spectat differentia Saülem inter & Davidem ? S. Augustinus de Davide ita scribit: *Quia pœnitentiam agere mortifera securitate non distulit, cito Dei miserationem ita revocavit, ut non solum regnum non amitteret, sed etiam S. Spiritus donum recipere mereretur.* Enimvero vix David à Nathan Dei jussu reprehensus fuerat, quando & ipse peccatum suum confessus est, dicendo : *Peccavi.* Psalmum quoque 50. composuit, & ab his verbis exorsus fuit : *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Ubi Sanctus Augustinus ait : *Ista tam magna misericordia tunc nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum ; Denique in ipsis vulneribus, vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum*, quasi diceret, sicut prompta vulneribus adhibita cura eadem ut plurimum sanitati confestim restituit, ita quoque idipsum multo magis contingit in vulneribus animarum.

Ps.6. v.11. — Chrysost. ibid. — David major erat peccator quã Saül & tamen propter continuã conversionẽ meruit gratiam & non Saül. — S. August. serm. 58. de Temp. — Ps.50. v.2. — S. August. ibid.

6. Observastisne aliquando in quanam occasione Salvator noster, qui ad sanandas infirmitates nostras in terram descenderat, nomen Medici sibi vendicarit, quando malignis Pharisæis semetipsum Medici nomen appellans dixit : *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus ?* Nimirum occasione imminentis conversionis S. Matthæi hoc ipsum dixit. Enimvero vulnera inveterata, & immedicabili cancro affecta censeri possunt peccata ab avaritia promanantia, hæc enim ossibus adeo inviseratur, ut radicem penetrantem in ijsdem agat, & cor avari terræ inseparabiliter annectat, *radix* enim *omnium malorum est cupiditas.* Quemnam vero cœlestis hic Protomedicus ad sanandum hunc Publicanum modum servavit, de quo sacer textus ait : *Sedentem in Telonio*, id est, ut Glossa interlinearis ait : *Lucris pertinaciter inhiantem?* Si Matthæum, postquam à Domino vocatus fuit, fixis oculis intueamini, non invenietis, ipsum, postquam à Christo audijt : *Sequere me*, minimo quidem temporis momento sequelam hanc Christi distulisse, sed potius statim *surgens secutus est eum.* Unde B.Petrus Damianus ait : *Mox ut vocantis se Salvatoris audivit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsivit inducias, non amicorum communicanda consilia, sed illico divitias sprevit, carnalium affectuum nexus abrupit, sicque solutus, post Christi vestigia lætus & impiger properavit.* At vero quid tanta festinatione opus, ut Christum sequatur : *Et surgens secutus est eum?* Num forsitan ipsi tempus Christum sequendi deerat ? Hoc dici nequit, quia divina pietas semper prompta est, ut ad pœnitentiam nos recipiat ; Sed cur non prius se expedivit à lucris suis, chartas revidit, & scripturas, cur de facultatibus multis cum sudoribus acquisitis non prius disposuit ? Sed omnia sine ullo ordine deserta dereliquit ? Pro resolutione observandus est modus, quo Evangelistæ hanc Christi vocationem describunt. S. Matthæus ait : *Cum transiret inde Jesus.* S. Marcus dicit : *Cum præteriret* ; Ex quibus duobus textibus evidenter deducitur, quod Salvator noster *per modum transeuntis, non vero permanentis* hujus publicani officinam collybisticam transierit, eumque, nullum firmando gressum, sed continuo eundo, vocaverit ; Unde S.Matthæus interius illuminatus tunc agnovit, divinas vocationes sæpenumero repentinas esse, & nisi illis subito respondeatur, magnum subesse periculum, ne Deus deinceps nos amplius efficaciter vocet. *Cum transiret Jesus*, inquit D.Chrysologus, *non dixit, cum staret ibi, transivit & pertransivit inde Jesus, ne Matthæus remaneret ibi.* Enimvero, tametsi in nostra sit facultate positum, cor nostrum divinis inspirationibus claudere, & cœli voces surda aure excipere in nostra tamen non est potestate, ut efficiamus Spiritum S. propitiam nobis auram aspirare, quando nobis placet, quia *Spiritus ubi vult*, adde, & quando volt, *spirat.* Dic sodes, quænam est causa, quod Astrologus aliquis, quantumvis scientificus, & in artis astronomicæ regulis maxime expertus, quoad eventus, quos juxta suam scientiam prædicit, assecurare nequaquam possit. V.G. An sit futurus dies serenus vel nubilus, vel humidus, vel turbulentus, & ventis agitatus? Causa hujus est ventorum instabilitas, & variatio, quorum dispositionẽ auctor naturæ suo dumtaxat arbitrio reservavit, dicente Davide: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Cum igitur nos scire nequeamus, quando ventus Spiritus Sancti, qui unicus est conversionis nostræ motor, spiraturus sit, nec ejus spiramẽ in nostro habemus arbitrio, ideo necessum est, ut subito, quando spirat, vela cordium & animarum nostrarum, sine ulla interposita mora velocissime explicemus.

Christus se dicit medicũ. — Matth. 9. v.12. — 1.Tim.6.10. — Matth.9.9. — Glossa interlin. — Sanavit Matthæum ab avaritia. — Matth. 9. 9. — Petr. Dam. ser. de S. Matthæo. — Matth.9.9. — Marc 2.14. — Christus transijt telonium nõ hæsit in illo. — Chrysolog. serm.28.

Joan.3. v.8. — Expertissimus Astrologus non assecurat de aura futura. — Ps.134. v.8.

7. Piscis *Remora* dictus, hunc habet admirabilem naturæ suæ instinctum, ut vastissima quæque navigia explicatis undique velis navigantia, immobiliter hærere faciat, non tamen hanc habet potestatem, ut ventũ aliquem favorabilem excitare possit, navium cursum tardare potest, non vero velociter illas movere. Ita pariter liberum hominis arbitrium Dei inspirationibus resistere potest, verum ut illæ nobis inspirentur, in ejus non est positum facultate, nec de hoc sibi quidquam potest compromittere ; *Spiritus, ubi vult, spirat*, nec ejus motiones à nostra dependent voluntate, sed ab ejus liberalitate & beneplacito, ac proinde necessum est, ut prompte Dei inspirationes acceptemus, quamprimum nobis immittuntur. In die Pentecostes sanctissimus hic spiritus, super Apostolos, velut ventus quidam impetuosissimus descendit, *Tamquam advenientis spiritus vehementis* ; At vero quidnam hæc repentina indicat vehementia ? *Factus est repente de cœlo sonus*, ut doceamur, inquit S. Ambrosius à Glossa interlineari citatus, quod *nescit tarda molimina Spiritus S. gratia* ; Cum eadem igitur velocitate & promptitudine, qua ad nos de cœlo Spiritus descendit, & spirat, nos quoque illum recipere debemus.

Remora navi nocere non prodesse potest. — Act. Apost.2. v. 2. — Ibid. — S. Ambr. à Gloss. interl. cit.

8. Observastisne aliquando celeritatem, qua Magdalena ad Christum recurrit, pro sanandis lethiferis animæ suæ vulneribus ? Etenim parum discreta videbatur in ea properatione, neque convivium, in quo multi alij præter Salvatorem accumbebant, locus, & tempus illi functioni commodum & conveniens erat, & tamen mox ut in templo à gladio illo, de quo postea Apostolus ait : *Gladium Spiritus, quod est verbum Dei* ; Et iterum : *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.* Postquam, inquam, ab hoc gladio interius vulnerata fuit, sine ulla mora ad cœlestem Protomedicum, ut ab eo curaretur, accurrere voluit. S. Augustinus in homilia, quæ in ejus festivitate legitur, inquit : *Vidisti mulierem in civitate famosam, mala utique fama, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse in convivium, ubi suus Medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quem venerat, sciebat.* At vero cur non eo usque expectavit, donec terminatum esset convivium ? Respondetur, quod quia incarnata Sapientia illam omnibus secuturis sæculis tamquam veræ conversionis normam & speculum proponere destinavit, ideo per hoc ejus factum nos erudire voluit, quod divinæ ipsius vocationes & inspirationes immediate, postquam illas in nobis experimur, absque ulla mora acceptandæ sint, & executioni mandandæ, quemadmodum ipsa fecit, de qua S.Lucas ait : *Ut cognovit, attulit alabastrum &c.* Spiritualis vitæ Magistri & Directores tres tradunt vias, quibus ad perfectionem & ad Deum ipsum pervenire valeamus. Primam appellant viam purgativam, per quam anima purgatur, & ab omnibus malis habitibus, & inordinatis affectibus expeditur, & mundatur. Secunda est via illuminativa, in qua anima lumen & notitiam Dei sibi acquirit, seque in actibus virtuosis exercens ad perfectionem assequendam dirigit. Tertia vocatur via unitiva, quando videlicet anima amore Dei totaliter accensa contemplatione & amore mediante Deo unitur ; Quam igitur sancta M. Magdalena Pœnitens in tribus hisce vijs terendis velox & festina fuerit, ex textu Evangelico clare satis deducitur, quia in brevissimo temporis spatio, id est, intra unam horam, per purgativam processit ab omnibus se mundando peccatis, per illuminativam quoq; progressa fuit, *ut cognovit*, ingens à Deo lumen recipiendo, unitivã vero citissime absolvit, quia *dilexit multum.*

Ephes.6.17. — Hebr.4.12. — Maria Magdalena dum vocatur continuò convertitur. — S.August. lib. 50. Hom.23. — Luca 7.37. — Tres sunt viæ perfectionis.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Commendantur nonnulli, qui Deo ad Pœnitentiam vocanti prompte parentes ab eo sunt remunerati.

THEMA.

Confestim mundata est lepra ejus. Matth. 8. ℣. 3.

Subito Christus sanavit infirmos. Matth. 20. v. 34. Marc. 5. 42. Luc. 8. v. 44.

1. SAlvator noster in miraculis, quæ varios curando infirmos patravit, repentinam semper, velocem, & subitaneam curationem exhibuit; Sic enim in præsenti themate dicitur: *Confestim mundata est lepra ejus.* Duo illi cæci prope urbem Jerichuntinam *confestim viderunt, & secuti sunt eum.* Filia Archisynagogi in momento surrexit, dicente Evangelista: *Confestim surrexit puella.* Hæmorrhoissa subito à malo suo liberata fuit, quia *confestim stetit fluxus sanguinis.* Quodnam vero in eo reconditum est mysterium, quod non solum miracula hæc adeo repente à Christo facta fuerint, verum insuper ab Evangelistis repentina illa curatio tamquam notabilis & mysterijs turgens circumstantia fuerit expressa? Clara & facilis ad hoc est responsio; Etenim Salvator simul cum salute corporis ijs, quos curabat, aut beneficijs afficiebat, salutem quoque animæ solebat impertiri; Cum igitur *omnis Christi actio nostra sit instructio*, per repentinam illam curationem insinuare nobis voluit, quanta cum celeritate animæ salus à nobis procuranda sit. In illa omnibus nota parabola, quæ incipit: *Sint lumbi vestri præcincti &c.* vigilantiam & promptitudinem nobis imponit, quam in aperienda ei subito porta requirebat inquiens: *Ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei*; Notandum vero, quod immediate sequitur: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, quasi diceret, magna vigilantes manent præmia. Ac proinde in præsenti Discursu examinabimus, quantum Deus illos, qui divinæ voci respondendo prompti fuerunt, remuneravit.

Ratio quare. Luc. 12. 36. Ibid. Ibid. v. 37.

Promptissime obedivit Abraham Deo transmigrans. Gen. 12. 1. Ibid. v. 4. Item in sacrificando filio. Gen. 20. v. 8.

2. Primus omnium credentium Pater Abraham, ex cujus progenie in progressu sæculorum Filius altissimi carnem nostram assumere voluit, in Ur Chaldæorum patria sua inter paternæ & opulentæ domus delicias, & commoditates morabatur, parentibus suis unice dilectus, omnibusque amicis suis in primis charus valdeque acceptus, cum ecce vocem se in hæc verba vocantem audivit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Cui voci promptissime obedire nec quidquam distulit; Dicit enim sacer textus: *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus.* Quam promptitudinem Deus tanti fecit, ut in veteri Testamento summæ sibi gloriæ duxerit vocari *Deus Abraham.* Voluit itaque Deus per hoc Abrahæ exemplum omnes suos erudire sequaces, & imprimere solicitudinem, qua nos quoque in ejus nos disciplinam recipiamus. Eamdem hanc promptam obedientiam Deus ab eodem Abraha Patriarcha perclarius & evidentius testimonium & exemplum exhiberi voluit, quando ei, ut unicum filium suum Isaac sibi in sacrificium offerret præcepit; Mox enim, ut præceptum Domini intellexit, non expectato diei diluculo, neque ullo Saræ conjugi suæ communicato verbo, *de nocte consurgens abijt*, ut divinam exequeretur voluntatem.

S. Bernard. tom. 2 serm. 24. argum. 20. Idem fecit Petrus & Andreas.

3. In nova lege Evangelica Christus S. Petrum in caput Ecclesiæ suæ elegit, qui *Simon* etiam dicebatur, *quod idem est ac obediens.* Observandum vero, quod subito ut ad se sequendum vocatus fuit, omnia, quæcumque possidebat, confestim dimiserit. De quo proinde S. Bernardinus ait: *Contemplare Petrum, & Andræam, nam sicut dicitur Matth. 4. Continuo vocati à Domino relictis retibus secuti sunt eum*; *In quorum commendationem Chrysostomus ait: In medijs operationibus existentes, audientes jubentem, non distulerunt, sed nec dixerunt: Revertentes domum loquamur amicis, sed omnia dimittentes secuti sunt eum*; *Et sicut Hilarius super Matthæum ait: Ecce artem, & patriam, & domum relinquentibus, docemur Christum sectari, & sæcularis vitæ solicitudine, & patriæ domus consuetudine non teneri.* Sancta Ecclesia de sanctis Apostolis in responsorio quodam ita canit: *Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.* Et quia Ecclesiam Dei hic in terris plantarunt, ideo Christus illos quoque nobis in solicitudine, & velocitate, parendi vocationibus divinis prælucere voluit; Et ideo eadem Ecclesia canit: *Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentium ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Sic quoque cœlestis Magister voluit, ut S. Paulus mundo, quem ad Christianam fidem conversurus erat, exempla relinqueret velociter divinis inspirationibus correspondendi. Unde ipsemet Timotheo Discipulo suo in hæc verba scripsit: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi.* Imo quia Deus omnes Christianos in S. Paulo informare voluit de omni eo, quod illis faciendum est, ut ad Deum converti possint, ideo disposuit, ut ipsemet, tametsi etiamnum actualis Ecclesiæ persecutor esset (*Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini*) nihilominus subito ut de cœlo vocaretur, divinæ voci pareret, prout in discursu primo latius vidimus.

1. Tim. 1. 15. Ibid. v. 16. Vult Deus convertendos conformari Apostolo Paulo. Actor. 9. 1.

4. Verumenimvero quia in Acta Apostolorum ingressi sumus, memorandum est, quod quando Æthiops ille Eunuchus Reginæ Candacis Thesaurarius, à Jerusalem in Æthiopiam revertens, in curru suo Isaiæ Prophetiam legebat; *Angelus Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra Meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam.* Finis autem Angeli id jubentis hic erat, ut Eunuchum in doctrina Christiana catechizaret; Unde sacer textus subdit: *Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum; Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis*; Cumque hac occasione accepta juxta Eunuchum sederet, illique sensum Prophetiæ illius, aliaque ad salutem necessaria exponeret, occurrit eis aqua, unde Eunuchus dixit Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Sed inquies, quonam fine Eunuchus ille ad Sacrosanctum illud Baptismi lavacrum recipiendum adeo festinavit? Cur non expectavit, donec in doctrina sacra magis instructus esset? Audiamus quid S. Lucas paulo post subjungat: *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus; Ibat autem per viam suam gaudens*; Et merito omnino gaudens, & jucundus erat, quia sine mora baptismum receperat, optimamque illam S. Philippi occasionem sibi inutiliter præterire minime permiserat. *Imitare igitur Eunuchum* (verba sunt Basilij Magni) *incidit ille in instruentem, docentemque, nec disciplinam sprevit, verum statim dives pauperem in currum accepit, Idiotam & despectum, magnificus ac sublimis, ac demum doctus Evangelium regni, continuo fidem in cordis penetralibus concepit, nec obsignationem Spiritus distulit, nam mox ut incidit in aquam, ecce, inquit, aqua. Cum gaudio hoc dicebat, ecce quam quærebamus; Et quid me baptizari prohibet? Ubi namque prompta voluntas, nihil est, quod impediatur.*

Act. Apost. 8. v. 26. Ibid. v. 29. Subita conversio Æthiopis in Actis Apostolorum. Ibid. v. 36. Ibid. v. 39. S. Basil. Hom. 13. exhort. ad Baptis.

5. Ipsemet ille Dei filius, qui ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, parabolam de filio prodigo proposuit, ad animandum illos ad conversionem, qui aliquo tempore à vera salutis via aberrarunt; In hac autem parabola manifestat pariter, quanta cum solicitudine illustrationes internæ acceptandæ, pariter & exequendæ sint. Dicit enim sacer textus: *In se autem reversus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad patrem meum*; Nec quidquam temporis medij interposuit, sed confestim propositum suum executus fuit. *Velox enim confessio*; ut S. Bernardus ait, *velociter medicinam facit.* Multos quoque alios invenietis, qui in tenebris malæ vitæ suæ à Deo illuminati, acceptæque à Deo gratiæ velocissime correspondentes; magnis passibus ad perfectionem properarunt; Quod indicare Psalmista voluit inquiens: *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Saülus ex equo deturbatus, & cæcus factus, dum se voci Dominicæ promptum obtulit, dicendo: *Domine, quid me vis facere, factus est*, ut supra diximus, *vas electionis.* Nobilis quidam ex familia de Lojola professione miles, dum ex tormenti bellici ictu lecto affixus esset, mox ut ex lectione spirituali divino lumine illustratus fuisset, Deo se adeo consecravit, ut postea factus fuerit Patriarcha Religionis cujusdam ex illustrioribus, magisque bene meritis, quæ sunt in Ecclesia Dei. B. Joannes Columbinus, antea vir plane mundanus, cum in similem incidisset lectionem, lu-

Matth. 9. 13. Conversio Prodigi. Luc. 15. 17. S. Bern. de inter. domo c. 37. Ps. 15. v. 3. Ibid. v. 6. Act. 9. 6. Conversio S. Ignatij Lojolæ. Item B. Columbini.

men,

men, quod in eadem ei Deus contulit, sequi & prosequi nequaquam distulit, ideoque intra breve tempus ad magnam sanctitatem pervenit. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*; Divina misericordia illos, qui ad eamdem excipiendam prompti sunt & veloces, subito, ut ita dicam, amplexari, sibique astringere videtur. Descendit ipsemet Christus in persona propria ad confinia Damasci, ex aëre altum inclamans: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris*, illisque, qui ad acceptanda cœli auxilia promptos se exhibent, specialissimas confert gratias, & in vacuum gratiam non recipiunt. *Cavendum itaque est*, inquit S. Ambrosius, *ne nos ei reconciliationis faciamus moram, quam non fecit pater*; Quibus verbis alludit ad Patrem filij prodigi, qui filium suum licet dissolutum, non expectavit domi suæ, *sed cum adhuc longe esset*, filium suum amplexaturus; procul ei obviam processit; Cumque filius coram eo se humiliare, suamque contumaciam confiteri & accusare decrevisset, ipsum ut audiret, expectare non potuit, sed *misericordia motus est, & accurrens, cecidit super collum ejus, & osculatus est eum; Dixitque ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum &c.* Quonam obsecro spectat hæc tanta Patris celeritas? Nimirum quia filios post receptas cœlitus bonas inspirationes, ijsdem velociter est obsecutus, eisque fideliter respondit, Pater quoque illius non solum pari cum proportione, sed majori cum solicitudine ei paternam benevolentiam rependere voluit, ejusque promptam emendationem per superabundantem & excessivam misericordiam præmiavit. Unde Petrus Blesensis ait: *Prodigum filium redeuntem videt, non à longe, atque festinantior est indulgendo misero, quam miser indulgentiam postulando. S. Hieronymus ad Rusticum ait: David à Nathan Propheta correptus, respondit: Peccavi; statimque audire meruit: Et Dominus abstulit peccatum à te.*

Ps. 76. v. 11. Act. 22. v. 8. S. Ambr. lib. 7. in Luc. Pater prodigi resipiscentiam cito acceptat. Luc. 15. 20. Ibid. Ibid. v. 22. Petr. Bles. Opusc. de Confess. sacr.

6. Præter id, quod in Discursu præcedenti de Magdalena pœnitente diximus, S. Augustinus in sermone quodam in ejus laudem ita scribit: *Meretrix illa, quæ pedes Domini lavit lachrymis, & capillis suis extersit, ubi cælestem Medicum venisse cognovit, ultro se ingessit in domum; ubi rogata non fuerat, & quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem, & ideo audire meruit, quod ei omnia fuerint peccata dimissa. Nec ipsa se adhuc reservavit, ut in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret, sed dum adhuc peccare poterat, voluit sic Deo inspirante peccata deserere, ut illam de adulterijs suis, non necessitas subtraheret, sed voluntas.* Origenes in Homilia quadam super Ps. 36. verba illa ponderans: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, cum ceciderit, non conturbabitur*, ita scribit: *Superius dicens, quia à Domino diriguntur gressus ejus, hic de casu ejus loquitur. Vide ergo, quia etiam his, qui iter hoc incedunt, aliquando accidat cadere, etiam his, qui à Domino diriguntur, sed est multa differentia inter casum justi, & casum injusti; Justus, inquit, cum ceciderit, non prosternitur, injustus, & qui non habet spem in Deo positam, si ceciderit, prosternitur, & non surgit.* Quænam vero causa est, quod si homo justus nonnumquam cadat, subito quoque resurgat? nimirum quia divinam manum, quæ ad illum sublevandum extenditur, subito apprehendit, reprobus vero non item, sed idipsum ex uno die in alium facere differt. Adducitque citatus scriptor exemplum S. Petri, qui postquam Christum negaverat, mox ut gallus cantavit, & cœlestis Magister ipsius cum benigno oculorum suorum obtutu dignatus fuit, in amarissimas Lachrymas prorupit: *Egressus foras flevit amare.* Et subdit: *Offendit justus, sed scit emendare, scit corrigere; scit ille, qui dixerat: Nescio hominem; paulo post cum respectus fuisset à Domino, flere amarissime cæpit. Scit & ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, dicere: Peccavi, quia tibi soli peccavi, & malum coram te feci; Si ergo cum ceciderit justus, non prosternitur, non permanebit in peccato, sed exiliet cito, tamquam Damula ex retibus, & tamquam avis de laqueo.*

S. August. serm. 58. de temp. S. Maria Magdalena celerrimè pœnituit. Psal. 36. 23. Orig. Hom. 4. Ibid. Justus facile emendatur non item reprobus. Matth. 26. v. 75.

7. Celebris est illa S. Ambrosij doctrina dicentis: *Sancti Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte, ut homines, corruerint, naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, acrius ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum attulisse existimetur lapsus impedimentum; sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Ex verbis S. Bernardini mox adferendis colligitur, quod quando Deus nos voce externa & interna simul voca, prout sæpe in prædicationibus evenire solet, quasi impossibile sit voci Dei vocantis non obtemperare. En verba ipsius: *Si conditoris voci prolatæ exterius, statim obediendum est, multo magis interiori locutioni, qua Spiritus Sanctus mentem immutat; nullus resistere debet, sed absque dubitatione illius jussioni parere.* Unde Isaiæ 50. Propheta ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, scilicet interius inspirando; ego autem non contradico, retrorsum non abij &c. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*; *Ibidem Glossa Augustini ait: Non quia nihil agunt, sed quia impetu agitur Spiritus Sancti, qui tali vocationi resistit, vel tardat.*

S. Ambr. de Apologia David 1. cap. 5. Ex fragilitate cadentes facile resurgunt. S. Bern. ibid. Isa. 50. v. 5.

8. In Annalibus Religionis S. Dominici narratur, quod cum F. Reginaldus, Prædicator sui sæculi admodum celebris, Bononiæ prædicaret, numerosasque virorum dissolutorum & lascivorum causaret conversiones, lector quidam ex primarijs illius studij, Magister Moneta nomine, propositum sibi fecerit, non solum pro sua persona numquam ipsum auscultandi, verum etiam omnes, quotquot posset, ab ipsius prædicatione auscultanda dehortandi & divertendi, idque sollicite ex metu, ne & ipse in ejus sermonibus ad meliora traheretur; Verumtamen scholarium suorum persuasiones tantam apud illum habuere energiam & efficaciam, ut inductus fuerit ad promittendum illis, quod ad minus semel ad illius sermonem auscultandum accessurus esset. Convenerunt igitur in die S. Stephani, & cum illis Magister Moneta, sed omni studio subterfugia ad eximendum se à promissionis executione quærens; Et quidem priusquam ad Concionem accederet, plures voluit Missas audire, sperans se hac ratione ad finem circiter auscultandæ concionis, & non citius adventurum, prout reipsa contigit; Cumque circa finem Concionis adveniens, præ nimia auditorum multitudine ingredi vix posset, in limine Ecclesiæ substitit; Moxque auditis primis verbis efficaciter se interius ad compunctionem moveri sensit; Verba autem prædicatoris hæc erant: *Ecce video cælos apertos; In præsenti aperti sunt cæli ad introeundum; quilibet qui vult potest januas apertas intrare; Videant, & timeant miseri negligentes, ne eis, qui claudunt Deo cor suum, & os, & manus, regnum cælorum claudatur, & introire non possint. Quid ergo tardatis? Ecce aperti sunt cæli.* Et ecce cum sermo vix finitus esset, vir ille ad F. Reginaldi pedes se projecit, & habitum S. Dominici sibi dari postulavit. Cornelius à Lapide super prædicta Protomartyris verba: *Ecce video cælos apertos &c.* ad nostrum propositum scribit; Protomartyrem visionem illam Hebræis eo præcipue fine revelasse, ut obstinatione sua relicta resipiscentes ad Deum converterentur. *His verbis* inquit, *invitavit eos ad pœnitentiam, quasi diceret: Cælum æterni gaudij & salutis apertum est, videte, ut accurratis, & introeatis, antequam claudatur.*

Annal. S. Domin. 1. p. l. 1. c. Historia de magistro Moneta. Qui subitò in concione convertitur. Act. 7. v. 55. Corn. à Lap.

9. Apud Bollandum in vita S. Agnetis, cui S. Birgitta devotissima fuit, legitur, sanctam illam virginem S. Birgittæ apparentem, eidem *pro Episcopo quodam oranti dixisse: Homines sæpe gratiæ Dei, qua ad virtutis studium trahuntur, resistere, & periculosè differre bonorum operum studium in finem vitæ.* Bellovac. ut nobis ingentia insinuet præjudicia, quæ ij, qui conversionem suam de die in diem procrastinant, sibi ipsis adsciscunt, sequentem adducit curiosam historiam, inquiens: *Similes sunt cuidam latroni, de quo dicit Petrus Alphonsus, qui cum intrasset thesauros Regios, vidit ibi multitudinem vasorum pretiosorum, incepit librare, quod vas esset pretiosius, & ponderosius, quod secum differret, & tantam fecit moram in deliberatione & ponderatione, quod dies supervenit; Affuerunt itaque custodes, ceperunt eum, & suspenderunt. Sic aliqui, qui voverunt intrare religionem, quando morantur considerando & ponderando conditiones diversas, diversarum Religionum, aspirat dies mortis, & ab hostibus infernalibus capiuntur, & in patibulo inferni suspenduntur.* Sponsa, per quam anima electa præfiguratur, in sacris Canticis à sponso suo dulcibus hisce verbis invitata fuit. *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ex quibus postremis verbis, sponsam dilectum sponsum aliquanto tempore ad serenum usque diem sine ullo dato responso stare permisisse colligitur; Et quidem quam ad aperiendum illi invita fuerit, quando tandem ei respondere cæpit ex sequentibus illius verbis clare satis deducitur: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo coinquinabo illos?* Quæ equidem excusationes typice illarum animarum præfigurant prætextus, quæ cum pigræ & inertes sint, sub va-

Bolland. 21. Jan. fol. 361. Bellov. spec. mor. l. 3. diss. 2. p. 6. Historia de tardantibus converti. Cant. 5. v. 2. Ibid. v. 3.

Figura de sponsa non aperiente sponso.

riorum prætextuum colore, excusatas se esse existimant, si divinis vocationibus non cum ea, qua par est, promptitudine respondeant. At vero quidnam tandem ijs sic pigritantibus accidit? Calamitates, infortunia, ærumnæ inextricabiles, quemadmodum sponsæ evenit, ut ex sequentibus illius verbis colligitur: *Surrexit, ut aperirem dilecto meo; Pessulum ostij mei aperui dilecto, at ille declinaverat; atque transierat.* Imo sacer textus insuper addit: *Quæsivi, & non inveni illum; Vocavi, & non respondit mihi; Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Verumtamen de pœnis, quæ illos manent, qui pœnitentiam procrastinant, in sequenti, & alijs discursibus tractandi locus redibit.

Cant. 5. & 6 — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Procrastinata vitæ emendatio, & hominis ad Deum conversio dilata severe punitur.

THEMA.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccli. 5. ℣. 8.

Gigantes sub aquis qui gemant?

1. Ecclesiasticus hac sententia non minus clara & perspicua, quam formidabilis, ijs, qui se ad Deum convertere de die in diem differunt, inevitabilia divinæ vindictæ supplicia eis imminentia comminatur, inquiens: *Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Reflexistisne vos aliquando ad illum Jobi textum: *Ecce gigantes gemunt sub aquis?* Dicite sodes, quinam sunt gigantes illi, quos hic Propheta sub aquis ingemiscere asserit? Glossa per hasce, superbos significari existimat, Dominij aucupandi avidos & cupidos, qui scilicet alijs dominari desiderant; hi enim sæpe sub pondere Dominij gemunt, utpote quod in praxi laboriosum est, & periculosum, licet in apparentia exteriori speciosum esse videatur; *Honos enim & onus*, sicut in pronuntiatione similia sibi sunt, ita pariter conjuncta esse solent; *Aquæ enim multæ; populi multi.* Verumtamen quoad sensum litteralem ad illos alludit impios, qui tempore Noë è stirpe gigantea progeniti Vetulo huic Patriarchæ bene & salubriter illos de imminenti orbis per diluvium interitu monenti, intentatis eis à Deo minis, inspirationibusque interioribus surdas præbentes aures, obstinati & increduli manserunt, postea vero in aquis diluvij circumnatantes gemebant; suamque calamitatem sub aquis, licet sero nimis, & in cassum deplorabant. De his & eorum similibus Regius vates in hæc verba vaticinatus fuit: *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt; In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum: Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, Convertantur peccatores in infernum.*

Job 26. v. 5. — Glossa. — Ps. 9. v. 16. — Ibid. v. 17. — Ibid. v. 18.

Pertinacia Pharaonis.

2. Quot anni indulti sunt Pharaoni à Deo, ut eum agnosceret ut vitam suam emendaret, populumque Dei electum è tyrannica servitute sua liberaret? Et tamen omnes Dei conatus derisit; *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Flagellis quidem iræ Dei castigatus bona verba dabat, licentiam tamen Deo extra Ægyptum sacrificandi indulgere illis de die in diem differebat, donec tandem hac licentia illis cum spe redeundi data, illusum se ab illis videns, cum potenti exercitu illos insecutus, strages inter illos & vindictas machinabatur, sed omnino contrarium illi evenit, siquidem ipse cum universo exercitu suo in aquis maris rubri fuit submersus. Dicit quidem sacer textus: *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis,* atque ad hunc Dei super castra Ægyptiorum directum obtutum obstinatus hic Rex Dei veri omnipotentiam agnoscere & confiteri, eique cedere disposuerat, inquiens: *Fugiamus Israëlem Dominus enim pugnat pro eis,* at vero jam non erat amplius resipiscendi tempus, sed justam sustinendi vindictam tempus aderat. Quot hisce temporibus impij homines exemplo hujus Atheistæ, Prædicatorum, Confessorum, bonorumque amicorum salutaria monita derident, omnibusque ad pœnitentiam propositis motivis surdas aures adhibent, qui tamen postea vel ex infausto aliquo accidenti, vel ex infirmitate lethifera in mortis angustijs constituti, libenter quidem ad resipiscentiam conarentur, sed cor suum tunc quovis silice durius esse experiuntur? Circa quos tunc propheticum illud verificatur oraculum: *Convertantur in infernum*; ibi enim tunc illorum erit conversio, eo, quod in hac vita à Deo divinisque legibus illius aversi vixerint.

Exod. 5. v. 2. — Exod. 14. 24 — Propter quã plurimi pereunt.

3. Apud Sapientem porro in Proverbijs dicitur: *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum;* Quod vero ij, quibus amicabiles illæ exhortationes propositæ fuere, easdem cum risu & sannis exceperint, ex verbis paulo post sequentibus clare liquet; Dicit enim Deus ibidem: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*; sed quam putas ob causam? *Quia* scilicet *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Consilia de bonis agendis despexistis* (ita verba illa Lyranus exponit) *illa respuendo & increpationes meas de malis peractis, neglexistis, pœnitentiam non agendo.* Imo subdit Deus: *Non exaudiam*, quia scilicet, idem Lyranus exponit: *Transiit tempus meriti.* In Apocalypsi Deus pariter inquit: *Ego sto ad ostium, & pulso.* Quæ verba cum verbis jam statim dictis: *Convertimini, vocavi, extendi manum meam*, optime concordant; Nihil enim est, quod Deus magis desideret, & circa quod majorem conatum aut solicitudinem adhibeat, quam circa æternam animæ nostræ salutem, utpote quam ad imaginem & similitudinem suam creavit, suoque pretiosissimo sanguine redemit; Et ideo dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat.* Et tamen apud Isaiam sequens legitur ejusdem Dei nostri præceptum: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum:* Ut proinde haud immerito dicere quis posset; Quod si verum est, quod Deus peccatoris salutem tantopere desideret, cur omnino contrarium per hunc Prophetam comminatur; Sed facilis est ad hoc responsio, si verba thematis respiciantur: *Ne tardes converti ad Dominum &c.* Si enim Deo ad pœnitentiam nos vocanti cor promptum, & faciles aures præbuerimus, superabundantem utique ejus misericordiam in nobis ad salutem recipiendis sperare licebit, at vero si ad ipsius benignas voces surdi fuerimus, mirum non erit, quod nos quoque in extremo mortis articulo ipsum invocantes surdo quoque aure excipiat: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, eo, quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.* Audiatis velim qua ratione Hugo Cardinalis verba illa exponat: *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum*; hunc enim verborum illorum sensum esse dicit: *Nisi conversi fueritis ad correctionem meam, proferam vobis Spiritum meum, id est, vindictam.* In cujus probationem textum illum adducit Exodi, in quo dicitur: *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.* Idem quoque purpuratus scriptor verba illa, quæ supradictum Sapientis textum paulo post sequuntur, scilicet: *Ostendam vobis verba mea*, hunc in modum declarat: *Ostendam vobis experimento verba mea esse vera, quibus comminatur Psalmista: Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis.* Et quare hoc Domine? *Quia vocavi ad pœnitentiam, & renuistis pœnitentiam, vel vocationem.*

Prov. 1. 23. — Lyran. — Apoc. 3. 20. — Conatur Deus omnes convertere. — Isa. 6. v. 10. — Qui volunt converti. — Prov. 1. 28. — Ibid. v. 23. — Hug. Card. — Exod. 15. 7. — Nolentes punit. — Prov. 1. 23.

Similitudo à Medico.

4. Enimverò doctrina hactenus tradita, licet clara satis sit & perspicua, majorem tamen claritatem ex sequenti sortietur similitudine. Si enim Medicus aliquis certum quemdam infirmum totaliter desolatum, omnique humano subsidio destitutum, sine remedijs, sine infirmario, sine nutritio super paleam misere jacentem videns, illius misertus sponte se offerret gratis sanare illum, omniaque in illum finem necessaria medicamenta ex sua bursa solvere; hic autem infirmus talem Medicum turpiter repudiaret, injurijs afficeret, & probrose derisum mortaliter offenderet, numquid talem non unam dumtaxat, sed plures mortes meritum esse diceretis. Talis autem est casus noster quoad peccatorem, qui ad mortem usque ad temporalem pariter & æternam lethaliter infirmatur per peccatum, *quia stimulus mortis peccatum est*; Quam quidem infirmitatem nemo alius præter solum Deum valet curare; *tantummodo in me auxilium tuum*; Quia vero Deus illum invitat & extimulat, ut se curari, & in statum æternæ salutis reduci permittat, ipse vero Deum contemnit, multo minus auscultat, imo rejicit & mortaliter offendit, quid aliud de ipso pronuntiandum erit, quam quod impœnitens mori mereatur? Quod si quis vulnera aperta, & sanguine manantia habeat, Chyrurgo illum curare volenti diceret, Hodie mihi non vacat, ut

1 Cor. 15. 56. — Ose. 13 v. 9. — Impius Deũ contemnit.

circa vulnera mea curanda me occupem, cras manè revertere, numquid illum una cum sanguine vitam profundere velle diceres? *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Simili vero modo res se habet cum peccatore; Hic enim effundit sanguinem, & morti vicinus est; Unde David ob vulnerum suorum acerbitatem curandam ad cœlestem Protomedicum properavit dicens: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* De hoc quoque sanguine apud Isaiam dicitur: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et nisi hic sanguis cito sistatur, vulneratus periclitatur de vita. Nam in lingua Hebræa loco verbi illius: *Despexistis*, legitur: *Evacuastis, otiosum & irritum fecistis*, scilicet medicamen. Septuaginta legunt: *Exauthorata fecistis, authoritatem eis ademistis, irrita fecistis.* Symmachus & Theodotion legunt: *Dissipastis:* Septuaginta iterum vertunt: *Rebelles fuistis.* Quis autem rebelles pœna capitali, & confiscatione bonorum, aliisque acerbis modis castigari ignorat. Eodem igitur modo à divina justitia puniuntur illi, qui divinas ad pœnitentiam vocationes, scelerumque suorum emendationem exequi contemnunt.

Ezech. 18. v. 20. — Ps. 50. v. 16. — Isa. 1. v. 15. — Septuaginta. — Symmach. Theodotion.

Historia de procrastinatione.

5. Dionysius Carthusianus, de quodam defuncto scribit, illum ex divina dispensatione alteri apparentem ad nostram eruditionem in memorabilia hæc prorupisse verba: *O cras, cras, quam longam vestem mihi fecisti, & in barathrum mortis me procrastinando traxisti?* Multi porro sunt, qui in lachrymis & fletu suo magnam habent fiduciam; verumtamen licet verissimum sit, has ad peccata nostra delenda valde esse efficaces, non tamen omnes hunc habent effectum; Quis enim amarius flevit, quam Esau? Cujus fletum Moyses hac phrasi loquendi expressit: *Irrugijt clamore magno consternatus*, & tamen sacer textus ait: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Unde S. Anselm. ait: *Cum Esau de venatu rediisset, & cognovisset, quod Jacob benedictionem, quam ipse expectabat, accepisset, vehementer doluit, & flevit, quod & antea primogenita, & nunc benedictionem perdidisset. Sed licet ubertim fleret, tamen pœnitentiæ locum non invenit, per quam primogenita, quæ dudum vendiderat, recuperaret, vel benedictionem, quam frater ejus acceperat, ipse sumeret, quia sero flevit, & sero pœnitentiam quæsivit. Sic & vos præcavete, ne cum post mortem debetis recipere benedictionem, reprobemini, & locum pœnitentiæ tunc non inveniatis, si modo primatum vestræ dignitatis propter brevem aliquam delectationem perdideritis. Tarde enim in illo sæculo quæritur pœnitentia, cum jam fratres nostros benedictionem, quam sperabamus, accepisse cognovimus, & nos sine benedictione relictos esse, Nunc enim tempus est pœnitentiæ, non tunc.*

Dion. Carth. in spec. de amator. mundi. — Gen. 27. 34. — Hebr. 12. 17. — S. Anselm. — Non omnis dolor sufficit ad recipiendam gratiam.

6. Cœna illa ad quam multi fuere invitati, præfigurabat vocationem, qua Deus impios quotidie vocat ad pœnitentiam, & ad fruitionem ac gaudium bonæ conscientiæ, quam Sapiens sub nomine convivij exprimit inquiens: *Secura mens quasi juge convivium.* Ad hoc autem convivium invitati convivæ, sub varijs prætextibus, quo minus venire possent, se excusarunt, quia, ut per experientiam in multis videmus, hi, qui à Deo ad pœnitentiam & conversionem vocantur, emendationem suam de die in diem per varias excusationes procrastinant. Qui seria consideratione ad clausulam hujus parabolæ attendere debent, hæc enim instar fulminis inevitabiliter ferit illos, qui ad pœnitentiam in fine vitæ agendam sese remittunt, & misere decipiuntur; Ita enim hanc parabolam Salvator noster concludit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Audiamus proinde, quid Ven. Beda hac de re hisce verbis scribat: *valde est tremenda sententia. Ecce per se vocat; per angelos vocat; per Patres vocat: per Prophetas vocat; per Apostolos vocat; per Pastores vocat; Aliquando per mundi hujus prospera vocat; Aliquando per adversa. Nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluerit, intrare non valeat.*

Luc. 14. — Prov. 15. 15. — Mundani varias prætendunt excusationes de procrastinatione. — Luca 14. 24. — Beda ibid.

Quare pœnitentia Judæ non fuerit acceptata.

7. Quis Judæ pœnitentiam in die illo à Salvatore minimè acceptandam fuisse credidisset, in quo latroni, qui paulo ante simul cum suo contubernali eum blasphemaverat, aperuit paradisum? In quo in monte Golgotha nihil adeo solicite curavit, quam ut apud æternum Patrem suum Crucifixoribus suis veniam impetraret & remissionem, dicendo: *Pater dimitte illis?* In die, inquam, illo, in quo etiam Centurio, qui in cadaver Christi mortui, post mortem adeo sævit, multique alij Carnifices & Lictores, qui ipsum crucifixerant, totque atrocibus injurijs affecerant, *revertebantur percutientes pectora sua?* Quis inquam in illa die etiam Judæ pœnitentiam acceptandam fore non credidisset? Etenim si, ut S. Augustinus ait, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, Judas *retulit* 30. *argenteos Principibus Sacerdotum;... Et projectis argenteis in templo, recessit*; suam quoque publice confessus est traditionem, sicut & cœlestis Magistri sui innocentiam dicendo: *Peccavi tradens sanguinem justum*; Et tamen pœnitentia ejus rejecta fuit, quia tot auxilijs à Salvatore ipsi subministratis, tardius fuit usus. Unde S. Ambrosius super illa verba: *Non me derelinquas usquequaque*, inquit: *Dereliquit Judam, cui ait: Quod facis, fac celerius; Dereliquit enim penitus, quem sceleris sui permisit effectui.* S. Hieronymus quoque de causa impœnitentiæ ipsius ita scribit: *Nihil profuit illi sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando sic frater peccavit in fratrem, ut emendare valeat, quod peccavit, potest ei dimitti, sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est, quod in Psalmo de eodem infelicissimo Juda dicitur: Et oratio ejus fiat in peccatum, ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprij homicidij crimen addiderit.* Cum enim Salvator noster antecedenter eum tot modis monuerit, omnia ejus machinamenta detegendo, & manifestando, & tamen ad omnia hæc ei apposita calcaria surdior & contumacior evadens, pœnitentiam ad ultimum usque vitæ terminum distulerit, juste deludi meruit.

Matth. 27. 4. — Matth. 27. 3. — Ibid. v. 5. — Ibid. v. 4. — S. Ambr. ser. 1. in Ps. 118. — S. Hier. in Matth. — Quid sit orationem fieri in peccatum.

8. Impij illi homines, qui ante obortum diluvium, per centum & amplius annos, vocibus justi Noë miserabile diluvium illis prædicentis nec non internis divinæ gratiæ impulsibus, restiterunt, & fabulæ loco habuerunt, imo dum aquæ diluvij jam in magnam usque altitudinem excrevissent, in montium verticibus salvos se fore sperarunt; valde fuere decepti, nam spes illorum irrita fuit, dicente Cajetano: *Nec propterea salvati sunt homines aliqui in cacuminibus montium, quoniam ut Dominus in Evangelio Matth. 24. & Luc. 17. testatur, homines Noë tempore non credebant diluvium futurum, & irruentibus repente tam ingentibus aquis, sub, & supra, ruentibusque ex montibus immensis aquis in præceps, impediebatur accessus ad tantam altitudinem. Et eo magis, quod non credentes diluvium, per multos dies expectabant serenitatem.* Quot sunt eheu! qui pœnitentiam ad vitæ finem usque procrastinantes simile pariter inopinate experientur diluvium, ut clamare cogantur: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi; & non est substantia.* Etenim peccata intra viginti vel triginta annos commissa, veluti continui quidam fluxus & refluxus ream ipsorum agitabunt conscientiam; ut eamdem in desperationis & inferni abysso naufragari faciant. Isaias ait; *Impij quasi mare fervens;* In vita enim sua *biberunt quasi aquam iniquitatem*; Quæ aquæ illos ab ascensu montis divinæ misericordiæ plane impedient.

Cajet. in c. 7. Gen. — Tempore Noë prædicatio de diluvio contemnebatur. — Ps. 68. v. 2. — Isa. 57. 20. — Job 15. 16.

9. Consideratione digna sunt S. Judæ Thadæi in Epistola ejus exarata verba: *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, &c.* Quæ autem proposito nostro vel maxime deserviunt, sunt sequentia: *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones.* Porro de hisce arboribus autumnalibus Cajetanus ita scribit: *Autumnales, hoc est, in autumno florentes, quod est contra naturam arborum, arbores enim florentes in autumno infructuosæ sunt*, communiter enim arbores tempore verno progerminare solent flores, & postea in autumno fructus referunt; quæ propterea illos proprie significant; qui meliores vitæ suæ annos operibus virtuosis impendunt; Econtra vero arbores, quæ in autumno florent, superveniente hyeme, tempus maturandi fructus non habent, ac proinde tamquam arbores infructuosæ, ad nihilum valent, nisi ad ignem. Idem quoque illis contingere solet, qui bonorum desideriorum & consequenter debilitatis & impotentiæ, quam ætas illa habet annexam, nec non supervenientibus malis habitibus pravaque consuetudine à multis annis contracta bona proposita executioni mandari non possunt, unde illis contingit idem, quod arbori infructuosæ, ut scilicet ligna sint ad ignem inextinguibilem fovendum & continuandum destinata. Tales quoque arbores *bis mortuæ sunt*, ut exponit Cajetanus, *eo, quod moriantur quoad fructum, & deinde quoad ipsam arborem, & hoc convenire dicitur arboribus florentibus in extremo autumno; Ajunt enim subsequi arboris mortem; Unde merito subditur: Eradicatæ, quia subsequitur eradicatio earum.*

Juda v. 11. — Ibid. v. 12. — Cajetan. — Quænã sint arbores autumnales. — Cajetan. — Et bis mortuæ.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Morte repentina sæpe præveniuntur, qui Deo ad pœnitentiam vocanti, tardius respondent.

THEMA.

Vocavi, & renuistis ... ego quoque in interitu vestro ridebo. Prov. 1. ℣. 24.

Quomodo Deus rideat.

1. SPiritus Sanctus calamo Sapientis ijs, qui voci Dei, illos ad resipiscentiam vocantis, surdas præbent aures, futurum indicat, quod in morte sua à Deo sint deridendi; Atque insuper mortem hanc illorum futuram esse subitaneam; Ait enim: *Cum vobis id, quod timebatis, advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia.* Hugo Cardinalis ly *videbo* idem significare dicit, quod *risibiles demonstrabo in die judicij*, quando fit judicium particulare, cui demum judicium universale conformatur. *Ridere Dei*, inquit, *est afflictioni Deum nolle misereri*, ut dicit Gregorius super illud Job 9. *Si flagellat, occidat semel &c.* Dionysius Carthusianus sensum hujus dictionis clarius exponit inquiens: *Id est, in morte vestra, in vestro particulari judicio ac condemnatione videbo, exercendo in vobis cum gaudio effectu justitiæ meæ*, juxta illud Isaiæ 1. *Consolabor super hostibus meis &c.* S. Augustinus in sermone quodam ita scribit: *Quemadmodum processit ad illos, qui male desperaverunt, & perierunt desperando, & revocavit eos in spem, sic procedit etiam ad illos, qui male sperando volant perire, & dicit eis per aliam librum: Ne tardes converti ad Dominum, quomodo illis dixerat: In quacumque die iniquas conversus fuerit à via sua pessima, omnes iniquitates ejus oblivisci, & tulit eis desperationem, qua jam dederant animas suas perditioni, omnimodo indulgentiam desperantes: Sic procedit etiam ad illos, qui sperando & differendo volunt perire, & loquitur ad eos, & increpat eos; Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & tempore vindictæ perdet te; Ergo noli differre: Noli.* Hæc autem verba: *Subito enim veniet ira illius*, optime concordant cum prædictis: *Cum irruerit repentina calamitas, & interitus*, utrisque namque verbis, ut Cajetanus ait: *Declarat qualis est mors istorum. Primo, quod venit sicut desolatio; Deinde quod venit sicut turbo. Et demum, quod venit cum angustia*; turbo inopinate supervenit, cum paulo ante cœlum fuerit serenum, ut tempore æstivo fieri solet: *Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Repentina calamitas, id est*, ut Dionysius Carthus. exponit, *improvisum periculum, & interitus quasi &c.* juxta illud Psalmi: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

Ibid.v.27.

Rup. Card.

Job.9.23.

Dion. Carth.

Isaiæ 1.24.

S. Aug. serm. 54. de Ver. Dom.

Cito veniet ira Dei.

Cajet.

1.Thes 5.3.

Dion. Carth.

Psal.72.19.

2. Non est profectò levis transgressio, salutares instructiones, quas Deus nobis pro salute nostra subministrare dignatur contemptibiliter ridere & subsannare, de qua proinde Deus acerbè conqueritur dicens: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, id est*, ut Dionysius Carthusianus exponit: *exhortationes, quæ in divinis sunt Scripturis, & consilia, quæ dedit de evitandis occasionibus transgressionum, ac de operibus supererogationum; Evangelica quoque consilia Christi.* Unde Act. Apost. 20. Paulus differuit: *Non subterfugi quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Et ideo irrisio illa, de qua Sapiens ait: *Ego quoque in interitu vestro ridebo*, supplicium & pœna est illius, qua impij timoratos & pios, ad emendationem & pœnitentiam illos exhortantes, subsannarunt, ridentes bonitatem & innocentiam vitæ illorum; Unde tandem ipsimet confitebuntur dicentes: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum &c.* Audiamus hac de re Augustinum, dum de stultis virginibus differit, in hæc verba scribentem: *Illæ fatuæ postea venerunt; sed numquid oleum emerunt, aut à quibus emerent, invenerunt? Ideo januas clausas invenerunt: pulsare cœperunt, sed sero. Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est: Pulsate, & aperietur vobis, sed modo, quando tempus est misericordiæ, non quando tempus est judicij. Tempus est misericordiæ, age pœnitentiam, tempore judicij illam hales agere? Eris in virginibus illis, contra quas clausum est ostium; Domine, Domine, aperi nobis. Numquid non pœnitentiam egerunt, quia secum oleum non portaverunt? Et quid illis profuit sera pœnitentia, quando eas irridebat vera sapientia? Clausum est ergo ostium; Et quid illis dictum est? Non novi vos; Reprobo vos.* Multi quidem sibi persuadent, quod in extremo vitæ suæ inventuri sint misericordiam, eo, quod exterius aliqua bona opera fecerint, in peccato tamen perseverantes, & tamen ex improviso, præter omnem expectationem suam, audient contra se diram illam fulminari reprobationis sententiam.

Prov.1.25.

Dion. Carth.

Actor.20.27

Sap.5.v.3.

S. Aug. serm. 25. de Ver. Dom.

Post mortem non est tempus pœnitentiæ.

3. Jonas Propheta in spiritu Prophetico prædixit: *Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt*; Quidnam vero hac sententia dicere voluerit, Lyranus explicat dicens: *Id est, in eis perseverantes, misericordiam suam derelinquunt, id est, reddunt se indignos divina misericordia, pro vanitatibus sicis sequendis, quæ nullius sunt momenti.* Etenim, qui pœnitentiam in ultimos usque dies differunt, se quidem in divina fundant misericordia, non considerantes, quod hæc illos tunc præcipue derelinquet, quando illam vel maxime sperabunt: Deus enim expressè dicit: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me.* David Rex, ut in libro 2. Regum legitur, misit Amasam belli Ducem, cum imposito illi mandato, ut intra tridui spatium copiosum ei congregaret exercitum, illoque congregato protinus rediret; *Sed moratus est extra placitum, quod constituerat ei Rex.* Quantum vero hæc mora ei præjudicium attulerit, satis colligitur ex eo, quod sacer textus mox subdit; Joab namque amico & cognato suo, qui adversus eum traditionem machinatus fuerat, quando minus de suo infortunio cogitabat, infelicissime occurrit, qui *tenuit manu dextera mentum quasi osculans eum*, & quando se ab eo amoris & benevolentiæ signo recipere existimabat, hic crudelem ei necem intulit; *Percussit enim eum in latere, & effudit intestina ejus.* Ecce tibi fructus, quos ex dilatione & mora, nec non ex inobedientia sua erga Regem exhibita reportavit. *Omnia* autem hæc *in figura contingebant*; In hoc etenim facto Deus nobis mortalia insinuare voluit pericula, quæ ex tarditate in exequendo divino ejus beneplacito inexpectare & ab improviso incurrimus.

Jon.2. v.9.

Lyran.

Malè differtur pœnitentia ad finem vitæ.

Prov.1.28.

2.Reg.20.5.

Ibid. v. 9.

Perfidum homicidium Joab.

Ibid. v. 10.

4. S. Antoninus sequentem Isaiæ textum in favorem hujus nostri propositi in hunc modum exponit: *Erit eis verbum Domini: Manda, remanda, scilicet aliquam commoditatem; Expecta, reexpecta, me scilicet ad pœnitentiam; Modicum ibi, modicum ibi, ut vadant, & cadant retrorsum. Non enim videt, qui cadit retrorsum, quo cadit, & lethaliter cadit, sicut Heli ex tali casu mortuus.* Unde dicitur Eccli. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit. Repromissio, scilicet cogitatio, qua peccator pluries promisit sibi longam vitam, tamquam esset de ea certus, & ex qua disponit multa facere in mundo, & propter mundum, & inter cætera etiam pœnitere. Ista est nequam, nequior, & nequissima. Nequam* Cogitatio nequam. *siquidem est ista repromissio, quia sibi usurpat peccator hoc, quod est proprium Dei, scilicet de futuro disponere, nam dicit Christus Actor. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Bernardus contra talem de futuro præsumentem ait: Quid de futuro miser tam temerarie præsumis, tamquam Pater tempora & momenta in tua, non in sua posuerit potestate? Nequior est ista repromissio, quia tempus est* Nequior. *infiniti valoris, sibi à Deo datum, fatue expendit, & cum hoc præsumit, quod adhuc sit ei daturus. Nequissima est, quia non solum tempus datum perdidit, sed & in contumeliam creatoris convertit, & ati disponit.* Nequissima. Numquid igitur vobis hunc talem mortem repentinam in condignum supplicium commeruisse videtur?

S. Antonini P.2.T.9. c. 13. §.1.

5. In Tom. 2. libri, cujus titulus est: *Mortes peccatorum pessimæ*, sequens narratur factum, quod hoc nostro sæculo in persona cujusdam Marchionis Parisijs contigit, qui dum in se interius ad Societatem Jesu amplectendam moveri sentiret, jamque omnino quidem hanc vocationem exequi reipsa decrevisset; Mundum tamen deferere vix valens, propositum hoc exequi de die in diem procrastinavit; Quid vero ei tandem acciderit, ex ipsiusmet authoris verbis clarius & distinctius intelligere non pigeat: *Infelix turpi se, dum præceps in mortem currit, vitæ vitiorumque capitivum dedidit servituti. Quia vero vocanti Deo cordis januam clauserat; adhuc quoque sacrum, ne religiosorum hominum voces, monitaque illuc se infunderent, militari custodia addibita, fores clausit, illud in primis sub mandans, ne ullum Societatis Jesu hominem, qui se alloqui vellet, intus admitterent. Quamvis vero non est sapientia, non est prudentia contra Deum, hominumque cogitationes Altissimus salutis cupidus non secus* Excluduntur Patres Societatis. Mort. Peccat. pess. l. 8. c. 10. n. 14. Historia.

secus ac manifestè deliras à cœlo respicit, subsannatque, dum miso à negotijs sociisque liber atque expeditus, juxta per diem in remotiori cubiculo manet, en tibi duo cultæ religionis viri in cubiculum extemplo intrant, hominem amice salutant, qui ab eo perhumaniter, etsi per simulationem excepti, ubi divinis de rebus cum ipso verba facere, nonnulla in rem salubriter adjicientes monitan, è loco jam discessuri hæc habent: Tace jam, tace, inquiunt, negotium animæ, dum per tempus vacat, serio posthac, constanterque agita, neque ad Dei voces infelix adeo obsurdescas, quibus dictis se ab ejus oculis statim proripiunt. Vir interim, cui inexpectatus adeo, inopinatusque religiosorum hominum adventus, ac sermo item de cœlestibus parum gratus fuit, visitem, quem suis custodiendis adibus præfixerat, ad se vocatum acerbis verbis increpat, incusatque quod se invito ac nolente, intra domesticos lares, atque ad sui insuper conspectum admiserit. Obstupuit miles, utpote sibi de re fideliter gesta conscius, adeoque quidquid herus amaralento animo dixit, nedum agre tulit, sed & somnium aut fabulam credidit, id unum pro omnimoda sui excusatione asserens, quod ab ostio domus ne latum quidem unguem recessisset, & quod religiosos, quos ille meminerat, non vidisset, juvejurando affirmans; Dominus vero rem totam mendacio confici, & se à famulo decipi arbitratus, quantocius ad Societatis Jesu Collegium quemdam certum hominem mittit, num aliqui inde ex Patribus in domum suam venissent, exploraturus. Certior vero corundem Patrum testimonio redditus, ad se è loco neminem divertisse, haud quidquam viso divinitus objecto proficiens, parumque salutis providus, omnem prorsus una cum verbis ab animo sua curam, & à corde metum excussit, adeo, ut anteactorum oblitus, domo egressus, cura per urbem, recreandi animi causa excurreret. At suis miser impendentem cervicibus, quem admonitus præcavere noluit, ultionis gladium, intellexit. Armatos quippe homines casu per viam offendit, qui districtis irruentes gladijs hominem confecere; Unico namque ictu is, cui propria parum cordi salus fuerat, in corde percussus, nullo Sacramentorum remedio relevatus, & absque ulla salutis spe, illico bumi examinis cecidit. Sic qui Dei voces audire neglexit, & Deo cordis ostium pulsanti pertinacissime clausit, à cælo demum & Dei regno exclusus, ait perditus, in exteriores tenebras projectus est.

Tom. 1. l. 2. c. 13. n. 1. B. Petr. Dam. l. 1. Ep. 9.

Historia priori similis.

6. In primo Tomo ejusdem operis aliud legimus exemplum à B. Petro Damiano primitus traditum, quod cuidam Campimarschallo Equitatus Neapolitani contigit, qui licet vitam ageret sceleratissimam, Deus tamen cor ejus ob id salutaribus monitis pulsare neutiquam omisit. *Hic*, inquit Author, *Cum perditissime vitam duceret, Deique beneficio de anteactæ vitæ erroribus pœnitentiæ Pharmaco expiandis, ac de se ad meliorem frugem traducendo monitus fuisset, bonum mentis propositum, quod semel, atque iterum, Deo aspirante, conceperat, ad religiosæ vitæ institutum convolando, posthac opere exhibiturum, vita comite, cogitabat, sed morte præventus, semetipsum, insulciter diem claudens, perdidit.* Verba Petri Damiani sunt sequentia: *Porro dum styli hujus exarat dictator articulum; Ecce Desiderius religiosus Monasterij Cassinensis Abbas accedit. Qui nimirum sicut B. Danieli cognatione jungitur nominis, sic illum ab eo non separat assertio veritatis. Hic itaque mihi narrat aliquid, quod ipsa ratio persuadet, ut scribam. Servus, inquit, Dei Neapolitanæ regionis in præceps sæpe juxta viam publicam solitarius habitabat. Qui nimirum dum nocturno tempore psalleret, & fenestram cellulæ horarum explorator aperiret, ecce videt multos nigros homines tamquam æthiopes iter carpere, & longo tractu onustos fœno sigmarios comminare. Cumque eos curiosus inquireret, qui essent, cujusve rei gratia hæc jumentorum pabula devectarent; Maligni, inquiunt, spiritus sumus, & paramus, non pabula pecoribus alendis, sed famosa potius ignium hominibus combarendis. Præstolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandolphum, qui jam decumbit, & Joannem Magistrum Neapolitanæ civitatis, qui adhuc incolumis vivit. Illico vir Dei præfatum Joannem impiger adijt, quæ viderat, quæque audiverat, fideliter cuncta narravit. Per idem tempus Imperator Otto Secundus adversus Saracenos prædaturus Calabriam festinabat. His igitur auditis, Joannes ait: Modo nos necesse est Imperatori reverenter occurrere, & cum eo simul de hujus terræ statu provida consideratione tractare. Porro post Imperatoris abscessum spondeo, quoniam & sæculum deseram, & monasticæ ordini habitum sumam. Ut autem probaret utrum verum esset, quod ille narrabat, nuncium protinus ad mæ-*

Effata Dæmonum.

Readmittuntur.

Recedentes disparuerunt.

Monitoria rejiciens occiditur.

Dictorum veritas.

Sophon. 2. 14.

Vox corvi in fenestra.

Hug. Card. in c. 2. Gen.

Apoc. 3. 20.

Garritus corvorum rejici debet.

Isa. 5. 18.

S. Isid. l. 2. sent. c. 23.

Pſ 128. 4.

Obstinatis Deus justè irascitur.

Act. 7. 51.

Pſal. 9. 17.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Ex quo conversionem nostram differrimus & peccata, quæ stimulus sunt ad mortem, jugiter multiplicamus, sequitur, quod pœnitentiam numquam facturi simus, quia prout homo vivit, ita & moritur.

THEMA.

Ne impie agas multum... ne moriaris in tempore non tuo. Eccle. 7. ℣. 18.

Quando quis indulgeat peccatis, accelerat mortem.

1. QUotidiana nos docet experientia, quod ideo major pars hominum suam procrastinet conversionem, ut voluptatibus mundi diutius frui, suosque appetitus exsaturare possit; Hic igitur Ecclesiastes, scilicet Rex Salomon ex Rege factus prædicator, dicit:

Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. Quæ enim in mente tua statuis, non habebunt successum; Quia quanto magis sensibus tuis laxaveris frænum, tanto citius præter omnem expectationem vitæ tuæ imponere cogeris finem. Sententia porro irrefragabilis est, S. Paulo Apostolo à Spiritu Sancto dictata, videlicet: *Stimulus autem mortis peccatum est*; Enimvero calcaris stimulus expeditus & velocius facit currere equum, qui alias lento passu incederet, ita quoque peccatum velut stimulus mortis velocius facit approperare mortem, quæ alias lentius & tardius hominem invaderet; In Apocalypsi dicitur: *Et ecce equus pallidus; & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.* Et vero, ut modo diximus, qui sine calcaribus uno die non plus v.g. quam 5. milliaria absolvere potes, adhibitis calcaribus equum ad 10. milliaria facienda facile compelles, multoque citius ad locum tibi destinatum pervenies. Omnes nos quoadusque in hac præsenti vita spiritum trahimus, viatores sumus, dicente S. Petro Apostolo: *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos*; Et tamquam tales *peregrinamur à Domino*, ut S. Paulus ait; Ac proinde observandum est quod cum ratione complexionis tuæ corporalis ad sexagesimum, vel septuagesimum annum vitam tuam producere possis, nihilominus si calcaribus equum agitaveris, id est, si peccata peccatis addideris, eademque multiplicaveris, iter præsentis vitæ longe citius terminabis; Ac proinde ab Ecclesiaste moneris: *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.*

1. Cor. 15. 56. — Apoc. 6. 8. — Calcaribus cursus equi promovetur. — 1. Petr. 2. 11 — 2. Cor. 5. 6.

2. Doctrina est S. Augustini ab omnibus recepta, quod videlicet Deus peccatorem ad certum & limitatum terminum usque expectare decreverit, & non amplius. Terram promissionis Abrahæ promissam, posteris suis per multos annos dare distulit, *Quia nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum* præfatam terram incolentium. Expectavit v. g. Deus hunc vel illum impium, donec mille peccata mortalia, & non plura commiserit, quod si autem is hæc peccata festinanter, & in brevi tempore compleat, tanto citius magisque inexpectate vita ipsum deficiet. Cum enim tempore tibi à Deo dato in ejus offensam abutaris, justum est, ut illud cito tibi abrumpat & abbreviet. Dilucidari hæc veritas poterit funesto illo casu, quem S. Bernardinus opportune ad præsens propositum his verbis enarrat: *Stupendum exemplum accidit in Cathalonia diebus nostris in Civitate Sui prope Valentiæ de juvene quasi decem & octo annorum, qui parentibus inobediens latro, & criminosas effectus, propter mala sua opera captus, & patibulo suspensus fuit; Famaque illo defuncto, & adhuc in patibulo pendente, cum esset omnino imberbis, veniente ac mirante cuncto populo, paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim senescens, ac canens, usque ad decrepitam senectutem, & quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus est. Cucurrit ad miraculum Episcopus cum universo clero, & cuncto quasi Civitatis populo; Stupent omnes, ignorant mysterium, expectant ejus revelari secretum. Surgit in loco eminenti Episcopus doctus, manuque silentium indicens, turbæ ait: Viri, fratres, & filij mei dilecti, nostis juvenem hunc, qua culpa, qua vita, qua etiam ætate interiit; Conspicite eum nunc ætate senem, decrepitum, atque canum, ut intelligatis per hoc patens judicium Dei, quod hunc diu victuro, à Deo misericorditer propter sua crimina, & parentum inobedientiam abbreviata est vita, ut verificetur illud Psalmi: Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Quod si igitur inobedientia parentibus carnalibus exhibita id effecit, ut Deus huic impio notabiliter vitam decurtarit, quanto magis vitam abbreviatam merebitur, quisquis erga illum patrem contumax & rebellis existit quem quotidie his verbis invocamus: *Pater noster, qui es in cœlis*, quique de nobis lamentatur dicens: *Vocavi, & renuistis, ... despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.*

Gen. 15. 16. — Completis peccatis sequitur mors. — Prov. 1. 24.

3. In vitis sanctorum Patrum legitur, quod postquam Anastasius Imperator sanctos Patriarchas Euphemium & Macedonium egisset in exilium, in somno vir quidam venerandi aspectus, & veste candida indutus, coram eo se præsentarit, qui librum quemdam manibus tenens versus quinque foliis nomen ejus legit, fixisque in illum oculis eidem dixerit: *Ecce propter persidiam tuam deleo quatuordecim*, moxque quatuordecim annos digito suo delevit; Accidit igitur, quod post biduum descendente de cœlo fragoso quodam & horribili tonitru mortuus fuerit inventus. Qua igitur fronte tu pœnitentiam tibi pro arbitrio tuo faciendam protelas, qui tempus, quod in hac intermedia mora transigitur, in meras Dei offensas expendis? Deciperis itaque cum inevitabili tuo præjudicio, quia hoc modo vitam potius tibi certo abbreviabis. Audi quid hac de re in sacris Literis recenseatur. Etenim Deus ante diluvium mundo manifestum fecerat, quod priusquam illum castigaret, & per diluvium universale submergeret, per centum viginti annos antecedentes illius præsolaturus esset pœnitentiam: *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Et tamen de fide est, quod post elapsos centum dumtaxat annos cataractæ cœlorum apertæ fuerint; Dic sodes quidnam causæ intervenerit, quod tempus illos castigandi tam notabiliter, id est, viginti annis anticiparit? *Porro ne videretur in eo esse crudelis*, inquit S. Hieronym. *quod peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit: Eruntque dies eorum centum viginti annorum, hoc est, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta est; sed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati sunt; Quia vero pœnitentiam agere contempserant, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatijs amputatis, adduxit diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* Moyses quoque, cujus calamus à Spiritu Sancto moderatus fuit, hanc, ni fallor, anticipationis hujus causam manifestare nobis voluit sequentibus verbis: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Enimvero Deus tempus nobis indulget, ut nos emendemus, non vero ut tempus in ejus ignominiam, & in damnum animæ nostræ dilapidemus; Et tamen hi, qui conversionem suam differunt, soliti sunt dicere: Læti simus & hilares, ac genialiter vivamus, ad faciendam tandem pœnitentiam tempus nequaquam deerit; Sed audiamus voces S. Matris Ecclesiæ, nos tamquam filios obedientes in hæc verba alloquentis: *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus* (notanter in tempore præsenti loquitur, non vero in futuro) *ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus.*

Gen. 6. 3. — Viginti annis diluvium anticipatur. — S. Hier. t. 3. Quæst. in Gen. — Causa anticipationis illius. — Gen. 6. 5. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7.

4. Propheta Regius die quadam suos filios ad se accersitos, obedientiam divinis legibus præstandam esse docuit, ac tum demum illis pro mercede observantiæ divinæ legis longam vitam promisit: *Venite filij*, inquit, *audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum; Diverte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam, oculi Domini super justos*, quapropter non est bonum consilium ad assecurandum sibi diuturnioris vitæ spatium condignam prolongare pœnitentiam; Quin potius exinde omnino contrarium sequitur; Ac proinde idem Psalmista comminatur dicens: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Verum quidem est, quod etiam animæ justæ nonnunquam in peccata labantur, sed veloces quoque sunt, ut ab illis resurgant; Unde Scriptura ait: *Septies cadit justus, & resurgit*; Atque ideo S. Paschasius inquit: *Cadit quidem per varios delictorum excessus, sine quibus nostra mortalitas non subsistit, sed resurgit illico per humilem confessionem, si modo in proposito, etsi fragilis incentatur in excessu, aliquando non justus interea censeretur, dum incideret in reatum, si non justificatus continuo veniam resumeret ex indultu.* Regius vates in Psalmo 89. ita canit: *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus, posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & in seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* At vero speratisne fortasse ex hoc textu, quod Deus videns transgressiones, quas postquam per internas illustrationes invitatus fuisti ad pœnitentiam, committere præsumpsisti, inde movendus sit ad compassionem, ut tibi alios annos vel menses propter hoc ad vitam tuam adjiciat? Falleris profecto, si id credis, imo David ne unicum quidem tibi promittit, quin potius immediate subjungit: *Quoniam omnes* (nota hanc dictionem: *Omnes*) *dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus, anni nostri sicut aranea meditabantur.* S. Ambrosius proinde impio improperat dicens: *Quousque ad delectationes? Quousque ad comessationes? Dum differs gratiam, mors appropinquat.*

Finis temporis nostri. — Merces boni operis est vita longæva. — Psal. 33. 13. 14. — Ibid. v. 17. — Justus si ceciderit, stabilitur resurget. — Prov. 24. 16. — S. Paschas. l. 2. in c. 3. Matth. — Psal. 89. 7. — Ibid. v. 10. — S. Ambr. l. de Elia & Jejun. c. 22. — Ochozias ob peccatum mori debebat.

5. In Principio libri secundi Regum periculosus Regis Ochoziæ lapsus refertur, propter quem in lectulo infirmus decumbens, quosdam è suis ad Beelzebub misit Accaronitarum idolum, ut explorarent, an ex illo lapsu & infirmitate convaliturus esset; Angelus autem Domini monuit Eliam, ut nuncijs Ochoziæ occurrens ex parte Dei iisdem diceret: *Hæc dicit Dominus, de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Ex decursu autè sacri textus clare satis deducitur, naturaliter casum hunc non fuisse mortalem, sed mortem, ei tantum accidisse propter injuriam per Dæmonem à Rege consultum Deo irrogatam: *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem, hæc dicit Dominus: De lectulo, &c.* Ubi notanda est causalis hæc dictio *Quamobrem.* Econtra vero Rex Ezechias secundum cursum naturalem perire debebat, quia tamen summa cum pietate & compunctione ad Deum recurrit, ideo per portentosum quoddam prodigium alij quindecim anni vitæ ejus fuerunt adjecti. Audi igitur D. Chrysostomum dicentem: *Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat, & horret vitam, qui peccata morti debita desperata mente frequentat, ut enim per observantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors à contumacibus invehitur.*

4. Reg. 4. 6. — 4. Reg. 1. 3. — Propter pœnitentiâ convalescit. — Chrys. ho. 7. Ex var. in Matth. locis. — Homo est arbor inversa. — Bellarm. de arte bene moriendi l. 1. cap. 1. — Matth. 3. 10.

6. Quotidiana nos experientia docet, quod quisquis male vivit, male moriatur. Unde Cardinalis Bellarminus in libro *de arte bene morendi* inquit: *Qui male semper vixit, male moretur.* Philosophi gentiles hominem arbori assimilarunt, eumque *arborem inversam vocarunt*; Et ideo Psalmista in Psalmo 1. ait: *Et erit tamquam lignum*; Arbor autem certo certius ad illam partem cadet, ad quam rami ejus propendent; Cum igitur *securis ad radicem arboris posita sit*, cavendum est homini, ne dum vivens & sanus pro inferno acquirendo laborat, & in infernum quoque, tamquam lignum ad inextinguibiles illas flammas destinatum corruat. Dic sodes, credisne, quod si arbori alicui, quæ in multos annos te fructibus suis destituisset, securim ad illam exscindendam adhiberes, propter hoc illa subito flores germinaret, & fructus maturatura esset? Hæc miracula natura non operatur, illa tamen operari potest divina omnipotentia, quæ tam in arboribus quam in hominibus pari facilitate miracula patrat; *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum*, inquit Isaias, *& peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.*

Matth. 3. 10. — Isa. 59. 1.

7. Postquam Deus per os Sapientis dixisset: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*, paulo post subjungit: *Quando venerit super vos angustia, tunc invocabunt me, & non exaudiam*; Similiter David in Psalmo 1. de nomine justo & timorato inquit: *Et erit tamquam lignum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur; Non sic impij, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*: Nec est, quod dicas, impios bona habere desideria, bonaque de vita mutanda fecisse proposita, *quia protestatio contraria est facto*, Major enim damnatorum pars, quæ est in æternæ perditionis abyssо, multa habuit in vita bona proposita, sed nullum eorum adimpletum fuit. Solemnis est artis medicæ aphorismus, quod illa medicamenta, quæ humorem peccantem commovent quidem, sed non resolvunt, perniciosa potius sint quam proficua; Eodem quoque modo afferere possumus quod juxta mensuram luminis, inspirationum, & auxiliorum, quæ impijs pro ipsorum salute subministrata fuere, sed ab illis vel rejecta, vel dilata, majus quoque illis accrescet tormentum; *Nam servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.*

Prov. 1. 24. — Protestatio facto contraria est nulla. — Psal. 1. v. 3. — Doctrina medicorum. — Luc. 12. 47.

8. Bzovius in annalibus suis sequentem refert historiam: *In regno Poloniæ miles quidam in proprios subditos juxta ac in exteros impius, & sævus, de vita futura nihil pensigerens, cum assiduis prævaricationibus in Deum, confiteri, & pœnitere pro ludibrio ducens, tras in se cælitum concerdasset, in gravem incidit languorem. Sed ne tunc quidem scelerum conscientia perterritus, quidquam sibi de imperanda propitiatione dæmona, ratus se superviturum, & suas transgressiones resumpturum, prospexit. Invalescente tandem morbo, fratres prædicatores per consortem illius, pro sananda mente ægri acciti, militem ad pœnitendum multifarie per salutaria monita inducebant. Quibus miser homo commotus serius inquit, me ad pœnitentiam impellitis, serius confessionem judicato, & jam damnato persuadetis, cum pœnitentia & gratiæ tempore elapso, confessionis & pœnitendi spatio mihi subrepto, justo Dei judicio in potestatem traditus sum spirituum tenebrarum. Urgentibus deinde majori instantia agrum fratribus, ne qua desperatione commissorum factorum à confitendo & pœnitendo abstraheretur, spem divinam, si confiteri & pœnitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem: Frustra, inquit, ingeris de confitendo monita proprio damnato arbitrio, & jam in Dæmonum potestate confitenti, à quo cum cæteris superimminentibus torquendus, & flagellandus jam apperor. Auditæ illico sunt percussiones horrendæ, ictus horrendi, & atrocissimo ex ictuum & collisione, atque ex reciprocatione flagellationum verba, & in ægri corporis livore plagæ vulneraque à fratribus circumstantibus visibiliter, ac invisibilibus tortoribus illata, conspecta. Inter quæ ille infelix & exterandus nec vocem, nec gemitum edens, miserabiliter expiravit. In quo B. Augustini sermo, pro divino oraculo cælitibus pœnitentia retinendus, impletus est. Hæc est, inquit, justissima lex Dei, ut qui vivendo obliviscebatur Dei, moriendo obliviscatur sui.* Hactenus Bzovius Historicus. Unde cum D. Chrysost. dicere possimus: *Qui sic vixit, sic moritur*; ut plurimum namque contigit, ut finis vitæ tori vitæ nostræ decursui & progressui respondeat.

Bzov. Ann. t. 3. Anno 1276. n. 17. Miles quisquis semper fuerat impius. — In fine vitæ desperat. — Horribiliter rapitur anima illius ad infernum.

9. Non sine mysterio sapiens illa mulier Thecuitis cum Davide loquens mortem nostram ex divino instinctu aquis decurrentibus in terram similem esse dixit: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.* Porro inter aquas in fluminibus & rivulis seu fontibus decurrentibus, & inter alias, quæ subtus terrâ scaturiunt hæc est differentia, quod illæ ex aquæductibus, per quos manant, nullum attrahant saporem, odorem, vel aliam qualitatem, sicut faciunt illæ, quæ à terra imbibuntur, hæ enim si per venas sulphureas transeant, sulphuris sibi vendicant odorem; Si vero terra finito referta sit, odorem pariter fœtidum referunt, &c. Idem vero hominibus mortalibus accidit: *Omnes enim morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram*; In morte enim eosdem retinemus affectus, eadem vitia, easdemque propensiones, quibuscum hanc vitam nostram transegimus; cumque illis ad aliam vitam infeliciter transvadamus. S. Gregorius proinde in oratione quadam de Juliano Apostata ait: *Atque ille quidem cum sic & imperium cæpisset, præstum administrasset, sic quoque vitam finit.*

2. Reg. 14. 14 — Differentia aquarum ab aquis. — Nazianz. Orat. 4.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Consuetudo inveterata peccandi, pœnitentiam in extremo reddit difficilem, & quasi impossibilem.

THEMA.

Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job. 20. v. 11.

1. Vitia malæque inclinationes in tenerioribus annis imbibitæ, ac denique in ætatis progressu continuatæ intra ossa peccantium tanta cum tenacitate invisceranter, & quasi incarnantur, ut eas dem ut plurimum ad sepulchri fossam usque circumferre soleamus: *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Nusquam enim in bona Philosophia reperietur, quod ætas matura hanc in se habeat virtutem, quod voluntatem transmutare, malosque habitus per longum annorum curriculum contractos abolere possit, quin potius multas invenietis rationes, & testimonia infallibilia, quibus totaliter oppositum perhibeatur; *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

Inveterata consuetudo est insuperabilis. — Prov. 22. v. 6

2. Ecclesiasticus ait: *Languor prolixior gravat medicum.* Multum enim medici laborare, seque fatigare debent, ut malis habituatis & inveteratis medelam adhibere possint, utpote quæ difficillimæ sunt curationis. S. Gregorius difficultatem malam expellendi consuetudinem his verbis explicat: *Quia duræ in eo pravitatem consuetudines à vitio simplæ sunt pessimæ inchoationis; Unde scriptum est in Proverbijs: Adolescens juxta viam suam, &c. Quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eo usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis pulverem pertrahant. Cum eo enim ossa vel vitia dormire, est usque ad pulverem ea non deserere, id est, usque ad mortem ab iniquitate minime cessare. Tenent igitur illum pravæ consuetudines, quæ semel experunt, atque quotidie deteriores existunt, & cum illo in pulvere dormiant, quia non nisi cum ejus vita finiantur.*

Eccli. 10. 11. — Et non nisi cum morte expirat.

Eccli. 10. 11. Ibid. v. 12. Lyran ibid. Vulnus recens facile. Hug. de S. Vict t. 2 in Reg. S. Aug. c. 9.

3. Ecclesiasticus, postquam dixisset: *Languor prolixior gravat medicum*, confestim subjunxit: *Brevem languorem præcidit medicus*; *Id est*, ut Lyranus explicat, *recentem infirmitatem cito curat*. Quando enim peccata recentia sunt, & non inveterata, facilius abolentur: Unde Poëta cecinit: *Sero medicina paratur, cum mala per longas convaluere moras.* Et Hugo de S. Vict. ait: *Facile culpa corrigitur, quæ cito cognoscitur: Hinc est quod Dominus de muliere ad serpentem dicit: Ipsa conteret caput tuum; Caput serpentis conteritur, quando peccatum ibi corrigitur, ubi nascitur; Debet ergo quisquis esse solicitus, ut mox ibi se studeat emendare, ubi se noverit deliquisse. Contrariorum enim est eadem disciplina*;

Inveteratum difficulter curatur. S. Bern. t. 1. ser. 21. a. 3. c. 1.

Et ideo quanto plus mali habitus in nobis firmantur, tanto extirpantur difficilius. S. Bernardinus idipsum quibusdam confirmat similitudinibus, inquiens: *Tenella virgula facile ad rectitudinem flecti potest, transplantata altas radices figit; Parvula avis ex ipso nido ejecta, melius quam alta domestica fieri solet: Sic consuetudo nova de facili immutatur, antiqua vero difficillime, aut numquam, nisi cum divino quasi miraculo amovetur. Hinc Hieronymus ait: Græca historia narrat, Alexandrum orbis Dominum moribus Leonidis Pædagogi sui non potuisse carere, & vitiis, quibus adhuc parvulus infectus erat, & merito quidem, quia ubi senilis est morbus, frustra adjungitur medicina. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Arbor arida non revirescit.

Quis credere possit, aliquem efficere posse, ut arbor aliqua, quæ longo temporis spatio arida, & sine fructu fuit, pro suo beneplacito revirescat, & fructifera efficiatur? Et tamen hæc est multorum stoliditas, qui cum per triginta vel quadraginta annos pro igne infernali ligna ceciderint, postea in momento pro suo beneplacito scalam quamdam ad cœlum conscendendum se facere posse credant.

S. Bern. t. 1. ser 13. a. 1. c. 3.

Unde S. Bernardinus ait: *Habitus usque tunc contractus multum ab actu pœnitentiæ retrahit peccatorem. Ampla est via, per quam piscis intrat in nassam, lætusque comedit inventam escam, sed postea, quando vult inde exire, non potest. Sic evenit peccatori, qui habitum vitiorum induit; Propterea clamans David dicebat: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Difficilius curatur antiquum vulnus, sordesque inveteratæ magno abluuntur labore.*

S. August. sentiens Dei gratiam statim convertitur. S. Aug. ser. 28. de Temp.

4. Verum quidem est, S. Augustinus post contractum & inveteratum habitum malum, in ætate triginta trium annorum tandem ad pœnitentiam fuisse reductum; At vero prout ex ejus confessionibus liquet, quando à Deo ad sui emendationem efficaciter vocatus fuit, sine mora vocanti respondit & paruit. Et ideo in sermone quodam de hac materia in hæc verba prædicavit: *Nemo nec post centum peccata, nec post mille crimina, de misericordia divina desperet. Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne forte si consuetudinem peccandi fecerit, etiam velit de diaboli laqueis liberari, non possit.*

Idem fecerunt Apostoli Petrus & Paulus. Actor. 9. 3. Ibid. v. 6.

Idem quoque docet S. Bernardus in sermone de sanctis Apostolis Petro & Paulo, quorum primus cum Christum negasset, subito compunctus fuit, quamprimum errorem suum agnovit. Secundum vero, dum etiamnum actualis Ecclesiæ persecutor esset, *vix circumfulsit lux de cælo*, cum ecce sine dilatione in Domini voluntatem se resignavit dicendo: *Domine, quid me vis facere.* Idem tamen Bernardus, postquam ostendisset, quantæ difficultatis sit pœnitentia in illis, qui, postquam à Deo lumen & gratiam receperunt, eumdem temere offendunt; paulo post hæc verba subdit:

S. Bern. ser. 3 de SS. Ap. Petro & Paulo. Similitudo de fractura membrorum. S. Cæsar. Arel hom. 7.

Nec tamen si quis hujusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit cito. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius. Beatus vero qui tenebit & allidet parvulos Babylonis ad petram; etenim si creverint, vix poterunt superari. S. Cæsarius Arelatensis sequentem adducit omnibus notam similitudinem: *In ipsis vulneribus & fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus & animarum; si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari: si vero secundo & tertio frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere Charitas Vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sint: Et tamen post longas & multas curas, si vixerit homo, ad pristinum statum membra ipsa vix valent revocare.*

Applicatur fracturis animæ.

Similis ratio in animarum fracturis, seu vulneribus credenda est; si semel aliquis, vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamentum confugerit, pristinam incolumitatem sine mora aliqua recipiet, si vero peccata peccatis experit addere, & animarum vulnera tegendo vel defendendo putrescere, quæ confitendo & pœnitentiam agendo curare noluit, timendum est, ne illud impleatur quod Apostolus dixit: An ignoras, quod benignitas Dei, &c.

Visio Ezechielis de ossibus. Ezech. 37. 9.

5. Apud Ezechielem cap. 37. legitur, hunc Prophetam in campum quemdam nudis ossibus plenam fuisse perductum, ut eadem reviviscaret. Quod vero in ea visione proposito nostro vel maxime servit, est sequens Dei jussio eidem Prophetæ intimata: *Dices ad spiritum; Hæc dicit Dominus Deus; A quatuor ventis veni spiritus & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Circa illa namque verba quærendum merito venit, cur Deus ventos quatuor exurgeret hanc ingentem ossium struem ab illis afflari voluerit; scimus etenim, quod ipsemet unica tantum anhelitus aspiratione vitam homini donarit; multique servi illius ad ejus imitationem multa extincta hominum mortuorum cadavera à morte ad vitam revocarint? Quid igitur illis omnibus hisce ventis opus habebat?

S. Irenæus l. 3. adv. Hær. c. 31. Gen. 2. 7. Unico spiritu Dei factus est Adam vivens.

Nimirum ut S. Irenæus ait: *Protoplastus ille Adam de rudi terra, & adhuc virgine; nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram; habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei.* Sex enim & non plures dies post terram creatam transierant, adeoque terra etiamnum nova recens, & virgo erat, ideoque unicus dumtaxat halitus ad eam animandam sufficiebat: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*: illa autem ossa, quæ Prophetæ opera revivificari debebant, cariosa erant, *putrida & inveterata*, ac proinde unicum spiraculum ad hoc opus minime sufficiebat, quin potius aliquis Aquilonis, imo ventorum omnium impetus ad id necessarius erat. *Omnia* autem hæc *in figura contingebant illis*; Deus enim voluit, ut ex hoc facto disceremus, quod longe facilius sit, divinæ gratiæ spiritum in animam quamdam recenter in peccato mortuam revocare, quam per eumdem spiritum resuscitare illas, quæ longo temporis tractu in malis consuetudinibus inveteravere; hic enim miraculis opus est; estque necessum, ut sanctus quidam Propheta, qualis Ezechiel erat, ad opus tam arduum adhibeatur;

Explicatio moralis de ossibus vivificatis. Actor. 7. 51. Salvian. l. 1. ad Eccli. Vix dum peccatum fuerit pœnitentia subsequi debet.

cujusmodi prodigia tamen rarissime contingunt; ut plurimum enim per experientiam videmus, quod in majori hominum parte illa sancti Protomartyris adimpleatur exprobratio Hebræis intentata; *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Saluberrimum proinde est illud Salviani consilium dicentis: *Illico, ubi concidere, consurgant, & elevationem protinus meditentur in lapsu; & si fieri ullo modo solertia ac pernicitate pœnitudinis potest, tam velox sit remedium resurgentis, ut vix possit vestigium apparere collapsi. Ego in hujusmodi lapsis hac primum medela opus est, ut morbos suos languentes horreant curare plagas festinent saucii; & illico è corporibus sagittas rapiant vulnerati, Optime enim malagma, vel fibula semper calidis adhuc vulneribus imponitur. Ulcus quippe in corpore si computruerit, dilatatur, & si plagas cancroma sequitur, cancrum necesse est consequatur occasus.*

S. Anton. p. 2. t. 9 c. 13. §. 1. Similitudo à fermento. S. Thom. à Villa Nova.

S. Antonin. quoque monet dicens: *Non debet quis esse tardus & piger ad conversionem ex eo præcipue, quia conversio dilata difficilior est, accelerata facilior; Unde Beda dicit, quod diabolus quanto diutius possedit, tanto difficilius dimittit.* S. Thomas de Villa Nova, ut quam difficile sit à peccatis resurgere, quando peccata jam sunt inveterata, hac utitur similitudine: *Sicut fermentatam massam azimam reddere, difficillimum est, ita carnem & mentem fermento peccatorum, & amurca vitiorum infectam, in pristinam restitui munditiam, solius Dei opus est. Peccator unius diei, aut duorum dierum perfacile curatur, quia non ita omnino peccato infectus est, sed quatriduanus vix umquam à peccato resurgit.*

Fides Archisynagogi. Marc. 5. 22. Matth. 9. 18. Joan. 11. 27.

6. Jairus Archisynagogus tam præclarum habebat de omnipotentia Salvatoris conceptum, ut de resuscitatione filiæ suæ nec quidquam dubitaret: *Procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum, multum dicens: quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam ut salva sit, & vivat:* Imo S. Matthæus Archisynagogum Christo filiam suam jam mortuam annuntiasse dicit: *Filia mea modo defuncta est*, & tamen spem firmam habuisse, quod ab eo revocanda iterum esset ad vitam; Econtra vero S. Martha, licet frequenter Christum recipiebat hospitio, eousque fides adeo esset eximia, ut teste S. Joanne ad Christum dixerit: *Ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*, ac denique licet

Martha non solicitavit pro resuscitatione Lazari. Joan. 11. 39.

Christum innumera prodigiosa etiam in resuscitatione mortuorum patrasse miracula sciret, nihilominus fratris sui Lazari resuscitationem vix & ne vix quidem sperare audebat, ideoque pro illius quantumvis à Christo magnopere dilecti resuscitatione non supplicabat. Quamnam hujus causam fuisse dicemus? Num forte id facere omisit ex defectu fidei erga divinum hunc suum Magistrum? Aut vero in ea defectus fuit compassionis & dilectionis erga dilectum fratrem suum? Nihil horum. Sed difficultatem hanc verba illa: *jam fœtet; Quatriduanus est enim*, plenarie solvunt.

Luc. 7. 14. Matth. 9. 25. Ratio moralis quare.

Filius porro viduæ Naimiticæ præterquam quod jamjam recenter mortuus fuerat, adolescens etiamnum erat: *Adolescens tibi dico surge:* Filia pariter Archisynagogi juvencula erat: *Et surrexit puella*: atque insuper vix ante horam è vivis excesserat; Hi autem duo mortui illas designant animas, quæ non diu in morte peccati hæserunt; his enim prompto remedio succurrere, easque ad vitam gratiæ resuscitare facile est: at vero Lazarus peccatorem habituatum, & in malis peccandi consuetudinibus inveteratum præfigurabat; qui ut ad vitam revocentur, omnipotentia & misericordia Dei interveniat, necessum est, siquidem duritiam & obstinationem peccatoris vincere difficillimum est.

Matth. 9. 25. Joan. 11. v. 35. Ibid. v. 38. Ibid. v. 33. Ibid. v. 41. Ibid. v. 43. Ibid. v. 45. Diversus modus mortuos resuscitandi à Christo. S. Thom. à Vill. Nov. Conc. in fer. 6. post. 4. Dom. Q.

Alios duos mortuos summa cum facilitate vitæ restituit: *Tenuit manum ejus & surrexit puella; Adolescens tibi dico surge, & resedit, qui erat mortuus.* At vero in resuscitatione Lazari ipsemet in persona ad sepulchrum accedere voluit; atque insuper *lacrymatus est Jesu; fremens in semetipso venit ad monumentum, infremuit spiritu, & turbavit seipsum; Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quia tu semper audisti me; voce magna clamavit: Tollite lapidem, solvite eum, &c.* Quonam obsecro spectant hæc tot, & tam notabiles hujus resuscitationis circumstantiæ? Respondeo; Resuscitatio Lazari conversionem animæ in peccatis inveteratæ præfigurabat, ad quam perficiendam necessaria sunt miracula, quia talis *jam mortuus est à corde, in vitiis & peccatis sepultus*, ut ait S. Thomas à Villa Nova. Hugo Cardinalis ex illis verbis: *Invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem*; hanc deducit moralitatem: *Quatuor dies mortis sunt quatuor ætates; in quibus peccant, etiam in decrepita ætate.*

Joan. 11. 17. Hug. Card. Marc. 9. 17. Luc. 10. 17.

7. Hæc veritas certior evadet ex illo, quod S. Marcus cap. 9. scribit, quod pater Dæmoniaci illius Christo dixerit: *Dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt*; Et tamen ex Scriptura Christum discipulis suis Dæmones è corporibus obsessis ejiciendi potestatem dedisse constat; Imo ipsimet alias dixerant: *Etiam Dæmonia subjiciuntur nobis*: Quod si hi, qui de numero septuaginta duorum discipulorum erant, hoc dono in Dæmones præditi erant, multo magis credendum est, eamdem potestatem habuisse Apostolos;

Apostoli non potuerunt ejicere dæmonem in Evangelio. Marci 9. 22. Ibid. v. 24. Ibid. v. 25. Ibid. v. 26. Ibid. v. 20.

Cur igitur in hac occasione nihil circa Dæmoniacum efficere potuerunt? Pro resolutione observandum, quod ipsemet quoque Dei Filius, qui infirmos sanitatis desperatæ unico verbo sanabat, quique integras Dæmonum legiones in fugam agebat, nihilominus in patre illius Dæmoniaci fidem exegerit; *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti... Comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo;... Et exclamans, & multum decerpens eum, exiit ab eo: Et factus est sicut mortuus.... Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Scirene cupitis, quænam fuerit inter hunc Dæmoniacum, & alios Energumenos differentia? nimirum ex eodem textu differentia hæc clare colligitur; Nam Christus *interrogavit patrem ejus; Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.*

Quia repræsentabat peccatorem inveteratum. Bellovac. Spec. Mor. l. 3 dist. 2. Duodecim causæ difficilioris conversionis.

Significabat igitur Dæmoniacus iste animam in culpis inveteratam; ad hanc autem sanandam sæpe discipuli Christi, vel Apostoli per se non sufficiunt; Quot enim eminentissimorum sanctorum intercessiones ad inveteratum peccatorem convertendum infructuosæ manent, adeoque ut miracula Christi interveniant, necessum est. Idem in peccatore obstinato & inveterato obstaculum à Bellovacensi in hæc verba memoratur: *Difficultas exeundi malam consuetudinem: Quanto enim hæc diuturnior est; tanto fortior est, vehementius figit, & fortius tenet, & impedit, ne homo convertatur, vel facit, ut difficilius convertatur.* Citat quoque authoritatem S. Bernardi dicentis: *Voluptas habita libenter repetitur, repetita blanditur, consuetudo ligat, ratio consopitur.* Moxque multa alia adducit consideratione dignissima impedimenta, inquiens: *Difficilior est conversio dilata propter causas duodecim. Primo propter malæ consuetudinis indurationem. Secundo propter malitiæ occupationem, quæ est tinctura mala, in qua cum pannus diu mansit, non potest de facili recipere aliam contrarium colorem. Tertio facit ad hoc bonorum naturalium consumptio. Quarto vasis cordis longa infectio. Quinto peccatorum longa & assidua oneratio. Sexto elongatio à Deo, qui difficilius addit clamantem, difficilius potest redire ad eum. Septimo cura circa mortem est maxime difficilis, propter solicitudinem de rerum & domus dispositione. Octavo, quia justum est, ut in fine à Deo condemnetur, qui eum contempsit, quamdiu vixit. Nono; quia tunc Diabolus magis insidiatur, & tunc magis paratur contra eum. Decimo amaritudo diuturnæ infirmitatis, quæ tunc maxime sentitur, scilicet veteris peccati, quod facit bona desipere. Undecimo amaritudo memoriæ mortis, quæ separat à præsentibus bonis. Duodecimo timenda est dilatio conversionis usque ad finem, maxime propter malorum diversorum occasionem, quæ concurrunt, & incurrunt circa mortem, quæ ducit hominem in boni oblivionem, propter malorum oppressionem; vel etiam in desperationem.*

Potentia malæ consuetudinis. S. Greg. h. 38. in Evang.

Circa quæ verba observandum, doctissimum hunc Præsulem inter omnia hæc conversionis obstacula, primum locum assignare malæ consuetudini, quæ profecto potentissimus est inimicus, qui voluntati nostræ quantumvis dissolute in illo extremo mortis articulo pœnitentiæ à nobis rite faciendæ opponere se possit; quia nimis est violenta, & difficilis, ne dicam impossibilis ad removendum, idque propter habitum contrarium, cui est conjuncta; *Usitata enim culpa*, ut S. Gregorius in Homilia quadam ait, *obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem; Conatur & labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit, coacta cadit.*

Temeritas in differenda pœnitentiam. S. Isid. lib. 2. Sent. cap. 25. Salvian. ibid.

Et ideo magna est temeritas, si quis sibi persuadeat, quod, postquam per triginta vel quadraginta annos odit Deum, à violentia perversæ illius consuetudinis quasi tractus, demum in articulo mortis Deum amare possit, quando illum supra se tamquam inexorabilem conspicit judicem, qui in procinctu est ad illum æternaliter condemnandum. S. Isidorus ait: *Peccatum admittere; cadere est in puteum, consuetudinem vero peccandi facere, os putei est coangustare, ne is, qui cecidit, valeat exire.* Tandem discursum præsentem sequentibus Salviani verbis concludo, qui ait: *Quod si aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis curam & labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam, nescio, quid promittam, penitus ignoro. Revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durum & impium, spondere autem aliquid in tam seria curatione temerarium.* Pauloque post subdit: *Unum scio, quod quicumque in hanc miseriam longævi languoris extrema perduxerit, ineffabile dicta, sit; quantum lamentationis erroribus suis debeat, quia numquam errata cognovit. Et quid inter hæc fiet? Quando enim lugebit, qui dies lugendi perdidit? Quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit?*

Fasti Senenses 5. Decembr. Historia de B. Petro de pettini.

In libro, cui titulus est: *Fasti Senenses*, legitur, quod cum B. Petrus de pettini, sive de pectinibus, sic à professione pectinum faciendorum, quam profitebatur, cognominatur, morti vicinus esset, cuidam amicorum suorum, eum, ut se in illo extremo articulo ad mortem præpararet, exhortanti, responderit: *Væ mihi, si dilata in hoc tempus bene moriendi cogitatione, salutis meæ negotium implicatum, turbidumque ab exitu incertum reddidissem.*

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Peccatores eadem in mente revolvere solent in morte, quibus in vita dediti fuere, & ideo ad pœnitentiam parum sunt dispositi.

THEMA.

Nolite errare; Deus non irridetur; Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Ad Galat. 6. v. 7.

Sap. 5. v. 3.

1. HÆc Apostoli verba, ad id se referre existimo, quod Sapiens in duobus diversis locis scriptum reliquit; In libro enim Sapientiæ derisiones & sannæ impiorum contra electos bonis operibus deditos factæ memorantur, dum in persona ipsorum ait: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum; & in simili-*

similitudinem improperij ; In libro vero Prov. expressius dicitur : *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum* ; Et Paulo post dicitur : *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum* ; Quas tamen salutares monitiones ibidem cum risu & contemptu excepisse dicuntur : *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis* ; *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.*

Ac proinde Apostolus merito una cum Galatis omnes monet fideles, qui pessime viventes, bene se morituros esse confidunt, ridentque illos, qui in hac vita agunt pœnitentiam ; Merito, inquam, dicit : *Nolite errare, Deus non irridetur* ; Cujus mox validissimam assignat rationem naturalem, inquiens ; *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; Qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Similiter ut nos ad perseverandum in operibus bonis usque ad finem extimuler, subjungit : *Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes ; Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Enimvero quisnam adeo stultus esse poterit, ut sibi persuadeat, quod seminando in agro suo zizania, messis tempore ex hoc semine triticum demetere possit? Multo minus sperare quis poterit, quod cum in decursu vitæ suæ multas offensas mortales commiserit, tandem in fine vitæ ob easdem reportaturus sit mercedem aut præmium : quod solis operibus bonis debetur ; *Nolite itaque errare* ; Cœlestis enim agricola, qui ait : *Pater meus agricola est*, non jubebit, quaod opera vestra peccaminosa dicendo; *Triticum congregate in horreum meum*, sed si zizania seminaveris, sine dubio audies : *Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Vidistisne unquam quod natura hoc operata fuerit miraculum, ut lolium à falce messoris jamjam præcidendum in frumentum, vel triticum transmutarit ? Numquam sine dubio tale quid visum est à vobis ; Ac proinde si natura talia miracula non operetur, quænam igitur est illa vestra temeraria præsumptio, ut credatis, simile miraculum in beneficium vestrum patrandum esse à divina gratia? Verum quidem est, quod divina gratia simile prodigium producere possit, at vero quonam id merito sperabis, vel postulare poteris ? *Ego Deus & non mutor*, inquit Altissimus ; Et Christus ait : *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt* ; Cum igitur æternæ veritatis sententia sit hæc : *Mors peccatorum pessima*, numquid præsumptuosa est illa arrogantia, si præsumas, te moriturum in gratia Dei, qui semper quoadusque vixisti, Deo rebellis fuisti, ejusque amicitiam abjecte nimis contempsisti ? *Deus non irridetur.*

Prov. 1. 15.
Ibid. v. 25.
Deus non irridetur.
Galat. 6. 7.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 9.
Ex zizania non nascitur triticum.
Matt. 13. 30
Alia similitudo concordans.

2. S. Bernardinus in hac materia essentiale quoddam punctum tangit, quod ipsamet experientia ostendit esse verissimum. Ait enim : *Naturale est, & experientia hoc clarè ostendit : quod ea, quæ versantur in mente viventis, versantur communiter etiam in mente morientis. Dilexit in vita sua gloriam & honores, fastum, & pompam, & dominationem, &c. iisdem quoque in morte affectus erit.* Quod evidenter constat in illis, qui in delirium inciderunt, hi enim in mente sua semper versant ea, quibus sani existentes affecti erant. Cum igitur impij quoadusque vixerunt, semper in horrore habuerint, pietatem, religiosos, opera virtuosa & Christiana, stultum esse credere, quod Deus in articulo mortis ad infundendum cordibus illorum Spiritum sanctum miracula patrare velit. Axioma est philosophicum : *Intus existens prohibet extraneum.* Cum igitur tota cura impiorum, eorumque desideria & affectus, circa salutem versentur corporalem, nihilque adeo desiderent, quam sanitatis recuperationem, certum est, quod in morte hæ curæ & solicitudines, solicitudinem de salute æterna sibi procuranda omnino excludent ; *Quia intus existens prohibet extraneum.* Quando aliquis in vita sana mente & intellectu testamentum suum condidit, in eoque Joannem v. g. hæredem instituit, postea infirmus factus, & in delirio positus non potest mutare voluntatem suam, instituendo Petrum hæredem, quia ad revocandam valide dispositionem præcedentem, sanitate mentis opus est. Hoc idem sæpe contingit illis, qui male & impie vixerunt ; Si enim v. g. per triginta annos mente & corpore sani & incolumes vitiose vixerunt, idcoque in dæmonis potestatem devenerunt, qua ratione persuadere sibi poterunt, quod in mortis articulo, quando homines ut plurimum delirant, intellectum offuscatum & perturbatum habent, memoriam perdiderunt, & obtenebratum habent judicium, voluntatem tot annis in malo habituatam revocare possint, maxime cum ad hoc necessarius sit concursus divinæ misericordiæ, ab ipsis per plurima annorum curricula exacerbatæ.

S Bernardin. Tom. 1. ser. 13 art 3. c. 2.
Quæ versantur in mente sani sunt etiam in mente moribundi.
Intus existens prohibet extraneũ
Moribundi operationes sunt debiliores.

3. Impij illi homines, qui tempore Noë vixerunt, per sæculum integrum, tot invitationes & vocationes, quibus ad resipiscentiam extimulabantur, surdis semper & contumacibus auribus exceperunt, pœnitentiamque ipsorum imaginariam, ad ultimum usque spiritum distulerunt. Cœpit tandem Deus paulatim pluvias demittere, æremque obscurare, ut de comminato flagello jamjam imminenti certificati ingemiscerent & pœniterent ; At vero quænam ipsi eo tempore agitabant consilia, & cogitationes ? Eas ipsas videlicet, quas per centum annos in animo suo volverant, *Nam quæ seminaverit homo, hæc & metet* ; Cogitationes nimirum dilationis & procrastinationis versabant in mente. *Væ ! qui trahitis iniquitatem in funiculis* ; Qui bus verbis Deus per Isaiam æternam damnationem comminatur illis, qui peccata peccatis quotidie adjiciunt, ad eum fere modum, quo funes ex multis filis contexuntur ; Quod si enim impollibile tibi viderur peccata vincere in principio, quando adhuc sunt veluti minutissima fila, nondum habituata aut multiplicata, qua ratione sperare poteris, quod in articulo mortis, viribus totaliter extenuatus & debilis, omni cœlesti auxilio destitutus innumerabilium peccatorum rumpere poteris fortissimos funes ? Etenim Syriaca legit : *Væ ! qui protrahunt peccata sua tamquam funem oblongum, & quasi vinculum currus peccatum suum.*

Isai. 5. 18.
Impij tempore Noë etiam veniente plurima diluvij non convertebantur.

4. Verum enimvero ab hisce funibus ad capillos transeamus perditi Absalonis, cujus historia nemini est incognita. Hic enim perditæ vitæ juvenis, quoadusque vixit, in nutriendis, pectendis, poliendis comis suis tantam habuit sensualitatem, tantique illam fecit, ut illam se gravantem à capite detonsam magno pretio vendiderit ; Hi autem iidem capilli tandem mortis suæ funesta fuerunt instrumenta, quia ex his ad Quercum suspensus, tres Joabi lanceas evadere nequaquam potuit. *Omnia* autem hæc *in figura contingebant* ; Per capillos enim, qui capitis ornamentum sunt, symbolizantur desideria, affectus, & cogitationes nostræ, hæ enim quales in vita fuerint, tales pariter & in morte erunt ; *Iniquitates enim suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Porro quod ingratum & impium hunc filium observandum est, quod tametsi apud Patrem suum mille mortes commeruerit, hic tamen ejus perditionem nequaquam voluerit, imo invitus audierit, jam enim dixerat : *Servate mihi puerum Absalon* ; Verumtamen tandem *cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator* ; Cum enim furdus fuisset, quoad voces Dei ad emendationem cum excitantes, permisit Deus, ut cæcus fieret non videndo, nec providendo saluti suæ corporali & æternæ ; Comas enim illas, quibus ad quercum suspensus erat, gladio præcidere poterat, ac proinde miortem suam evadendi occasionem habebat, siquidem nullus alius contra datum à Rege præceptum manus suas in sanguine filij Regi cruentare præsumpsiffet ; verum divina & infallibilis Dei providentia voluit, ut hic omnibus sæculis, cunctisque difficilis serviret velut exemplum, ne damnationis evasionem in extremum usque mortis articulum differant, quia in pœnam præcedentis impœnitentiæ, divina justitia efficit, ut apud tales omnino evanescat applicatio mentis & reflexio ad ea, quæ ad salutem æternam sunt necessaria, quando constituti sunt in articulo mortis. Audiamus hac de re Abulensem in hæc verba scribentem: *Absaloni multa occiderunt hic, à quibus videbatur posse liberari, nisi Deus voluisset eum perdere, nam potuisset tenere equum, ne introisset subter quercum ramosam ; Etiam post quam introivit, & allegatt sunt capilli ejus, poterat ipse tenens mulum solvere illos & fugere. Etiam dato, quod manssisset pendens, poterat capillos amputare, vel si non habebat gladium, poterat manibus tenens arborem illos solvere, vel rumpere, sed nihil horum fecit, eo quod Deus habebat exosum Absalonem, & volebat eum tradere in manus hostium ; Unde tanto eum timore concussit, quod malum tenere nequivit, & cum fuit sub arbore, habenas reliquit, & mulus omni impetu fugit, ipse autem Absalon jam moriturus, non attendebat, quid ad liberationem suam facere posset, sed sententiam Domini pavefactus expectabat.* Unde ad salvandum in vivis hunc impium nihil profuerunt Regis Patris sui factæ prohibitiones, ingensque ejus authoritas, & efficax voluntas, ut unusquisque intelligat, quod dum agitur de castigandis obstinatis,

Absalon in suis capillis suspenditur.
Prov. 5. 22.
Abulensis 2. Reg. 15. Q. 12.
Absalon fuit in mente excæcatus.
2. Reg. 18. 5.
Psal. 9. v. 17.

natis, qui ad ultimum usque vitæ momentum emendationem suam procrastinarunt, Deus sæpe ipsas quoque sanctorum interessiones, quantumvis illæ potentes sint, non admittat.

5. Apud Ecclesiasticum cap. 41. dicitur : *O mors, quam amara est memoria tua.* Sed unde hæc amaritudo in moribundo nascitur, forte quia propter peccata commissa veræ contritionis actus in se excitat ? Nequaquam ; Peccatores enim habituati in illo extremo vitæ momento tales cogitationes in mente sua non habent ; Potius igitur hæc amaritudo inde provenit, quia scilicet deserendæ illis sunt divitiæ, deliciæ, voluptates, honores &c. ac proinde in præcitato loco protinus subjungitur : *Amara homini pacem habenti in substantijs suis.* Ad hoc propositum considerationem merentur verba quædam S. Gregorij de morte improvisa duorum filiorum Heli uno eodemque die facta in hæc verba differentis : *Una ergo die ambo morientur, quia in appetitu mundanæ felicitatis interierunt.* Ubi notanda est illa dictio in *appetitu*, moribundi enim in fine vitæ suæ id appetunt, quod in totius vitæ cursu ante defideraruntt ; At vero quia vident deserendos esse thesauros, dominia, honores, servorum obsequia, voluptates &c. hinc dolent, hinc suspirant, & lacrymantur, non vero ob offensas Deo irrogatas, vel si etiam hoc faciant exterius, id tamen ab illis fit ob solum pœnarum timorem, non vero ob filialem amorem erga Deum. Subdit idem S. Gregorius: *Gloria sæcularis honoris, reverentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæculariter amata, dies est, sed quæ interficit. Ad mortem itaque properant, quoties vane de temporali felicitate gratulantur.*

Eccli. 41. 1. Memoria mortis est amara impio moribundo.
S. Greg. l. 2. in Reg. c. 3.

6. Dives ille Evangelicus in eadem nocte, in qua ipsi moriendum erat, has in mente sua versabat cogitationes, agitabatque consilia: *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, & epulare* ; Moxque vocem audiit sibi dicentem : *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam.* Infelix dives ille in vita facultatibus accumulandis incubuerat, & cum eadem mentis applicatione miseram animam efflavit. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Quod si in pomario tuo arborem aliquam haberes, quæ per viginti aut triginta annos alios non produxisset fructus, quam verminosos, aut sylvestres, & porcis tantum saginandis idoneos, persuaderesne tibi arborem illam fructus productuam esse optimos, suaves, nulloque vitio laborantes, si securim ad illam amputandam ei admoveres ? Non certe, quia *arbor mala, malos fructus facit* ; Quomodo igitur qui in operibus vitiosis atque perversis annos vitæ tuæ consumpsisti, præsumere poteris, quod infra octo dies, quibus forsitan infirmitas tua mortalis duratura est, veram validamque facturus sis pœnitentiam, quando vix reparare poteris ? *A fructibus eorum cognoscetis eos; numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ? ... Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Per spinas autem bonorum temporalium anxiæ solicitudines, & carnis voluptates intelliguntur, juxta illud : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui à solicitudinibus, & divitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Numquid paulo ante Evangelici illius divitis audistis exemplum ? Qui eodem tempore, quo se divitiarum suarum cumulo per multos annos gravisurum esse dicebat, suffocatus & extinctus fuit. Porro Spiritus veritatis, qui mentiri aut decipere nescit, claris verbis protestatur. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore* ; Notate hæc ultima verba *omni tempore*, id est, etiam in extremo articulo mortis; Nam ut glossa ait: *Voluptates sui importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit intrare, quasi aditum vitalis strangulant flatus. Numquid igitur colligunt de spinis uvas ?* Num forte credent, quod pro peccatis enormibus, quæ & in quantitate, & in qualitate execrabilissima commiserunt, divinæ misericordiæ reportaturi sint miracula ? Vel quod in animas ipsorum descensurus sit ros Spiritus Sancti, cui ipsi per tot annos restiterunt; S. Petrus anteriori tempore cœlesti Magistro suo fidelissimus fuerat, adeoque erga ipsum dilectionis fervore succensus, ut sæpius ei promiserit dicens : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* ; *Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*, & tamen constat, quod ad unius mulierculæ vocem adeo tremuerit, & trepidarit, ut Christum Magistrum suum abnegare non erubuerit. Enimvero hi, qui male vivunt, virtutem S. Petri utique non habent, multo minus assistentiam Dei sibi promittere possunt, quem pro viribus suis quotidie contumelijs afficiunt, & tamen adeo præsumptuosi sunt, ut in articulo mortis suæ dona & auxilia cœlestia, pietatisque sensus, aut contritionis actus sibi promittere audeant. Quod si una mulierecula, non per amorem illicitum, sed per timorem causavit, ut Petrus in fundamentalem Ecclesiæ petram electus, tam turpiter caderet, qua ratione carnales homines sperare poterunt, se in extremo vitæ suæ per pœnitentiam resurrecturos, quando impudicitia diuturno tempore ipsis inviscerata & spiritus fornicationis junctis viribus ipsos validissime omnes cum impudicis mulieribus habitas voluptates, quibuscum, dum sani essent, insaniverunt, in memoriam revocando urgebunt ? *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum.* Sed quam ob rem cogitationes ad Deum convertendo compunctionis actus in se minime excitaturi esse dicuntur ? *Quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*, ut dicitur apud Oseam.

Luc. 12. 19. Constat in divite Evangelico.
Ibid. v. 20.
Gal. 6. v. 8.
Similitudo ab arbore.
Matth. 7. 17.
Matth. 7. v. 16. Per spinas intelliguntur bona temporalia
Luc. 8. v. 15.
Gen. 6. v. 5.
Gloss. ibid.
De spinis nõ colliguntur uvæ.
Matt. 26. 35.
Petrus ecclesiæ dicit propter mulierculam ex timore multo facilius cadent peccatores invisceratã.
Osea 5. v. 4.
Ibid.

7. Observastisne aliquando corvi proprietates ? Hic enim verissime dici potest esse figura obstinati peccatoris, pœnitentiam de die in diem differentis, siquidem cum omnes aliæ aviculæ cantum suum habeant, quo viatores demulcent, corvus semper crocitat *cras, cras*, idque vel maxime dum putridis bestiarum cadaveribus & morticinijs infidet. Ita quoque major pars obstinatorum peccatorum, qui de die in diem, de anno in annum pœnitentiam differunt, ideo præcipue hoc faciunt, quia totum suum affectum in desiderijs carnalibus positum habent, ideoque à cœlo abhorrent, & nauseant ; *Semimant in carne, & de carne metunt corruptionem.* Audiant hi tales saluberrimum illud S. Augustini consilium : *Tempus misericordiæ nunc est, tempus judicij tunc erit ; Nemo dicat, revoca me ad priores annos ; Pœnitebit & tunc, sed frustra pœnitebit. Modo pœniteat, cum fructus est pœnitendi. Modo adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, id est, cordis luctus, & lacrymarum, ne veniat ventus & eradicet ; Cum enim eradicaverit, jam ignis expectatur, modo esse fracti sunt rami, possunt versum inseri. Tunc omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Proprietas corvi.
S. August. in Psalm. 49.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Agonia mortis, non est tempus negocio tam arduo, ut est pœnitentia, expediendo opportunum.

THEMA.

Cor durum habebit male in die novissimo.
Eccli. 3. ℣. 27.

1. PEtrus Blesensis in Epistola 16. ijs, qui pœnitentiam ad extremum usque vitæ momentum procrastinant, sequens post se scriptum reliquit dignissimum monitum: *Mors subita, & incerta, remedium pœnitentiæ frequenter anticipat ; Morbi etiam, qui sæpissime graves, & invalescentes sunt, angustia sensualis spiritum devotionis extinguunt*, frequenter enim in Dei servis etiam ferventissimis accidit, quod in infirmitatis violentia ariditatem maximam experiantur ; Quanto igitur magis ab omni devotione & spiritu exhaustum se is inveniet, qui, dum vixit, ab omni devotione & spiritu alienus fuit; Cui proinde sacra Scriptura comminatur dicens: *Cor durum habebit male in die novissimo.* Deus quoque apud Sapientem in Proverbijs, postquam dixisset : *Vocavi & renuistis &c.* apertis verbis protestando subjungit : *Quando venerit super vos tribulatio & angustia, Tunc invocabunt me, & non exaudiam* (scilicet in angustijs agoniæ mortis : *Quod præcipue*, ut Dionysius Carthusianus explicat, *fit in morte, quæ miris & ineffabilibus modis molestat, premit, ac tribulat morientem. Tunc invocabunt, & non exaudiam eos, multi enim in tempore mortis venient petunt, nec obtinent, confitentur, nec exaudiuntur, quia solo servili timore hoc faciunt, non zelo justitiæ.* In extremo namque agone adimpleturr illa ab Isaia adducta, omnibusque nota similitudo ; Videlicet : *Impij quasi mare ferven* ; Quasi mare enim procellosum hinc inde agitatur & fluctuant, non solum propter atrocitatem dolorum corporis, quod in illo momento pænosissimam in omnibus membris suis experitur revolutionem, verũ etiam, & quidem longe magis, ob varios tristitiæ, horroris, desperationis, tentationum, minarum, anxietatum turbines, quibus mens, memoria, & conscientia hominis,

Petr. Bles. epist. 16.
In agonia Deus peccatores non exaudiet.
Prov 1. 24.
Ibid. v. 27.
Ibid v. 28.
Dion Carth.
Quia ducuntur timore servili nõ filiali.
Isa. 57. 20.

Prov. 1. 27. nis , velut procellosum mare continuo hinc inde agitatur , & horret. *Cum interitus quasi tempestas ingruerit.*

Joël. 2. v. 11. Dies mortis est dies Domini.

2. Apud Joëlem dicitur : *Magnus dies Domini , & terribilis valde , quis sustinebit eum.* Dies autem mortis ideo dies Domini appellatur , qui tunc manifeste apparebit, quod ipse sit is , qui suam in illos exercet potestatem , & ideo tunc vere *cognoscetur Dominus judicia faciens.* Idem quoque Propheta ex ore Dei subjungit: *Nunc ergo dicit Dominus:..Convertimini ad Dominum Deum vestrum , quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ;* Ubi notanter dicit: *Nunc dicit Dominus* , quasi diceret , si in hoc præsenti tempore, dum sani estis, ad Deum convertamini , benignum ipsum in vestra conversione sentietis, econtra vero si ad ultimum usque mortis articulum tardaveritis, *dies Domini terribilis valde erit , & quis sustinebit eum ?* Rex Aglah infaustum mortis suæ nuncium recipiens, ut sacer textus ait : *Pinguissimus & tremens* exclamavit : *Siccine separat amara mors ?* Sensus etenim nostri, & inferior portio, in mortali infirmitate, animæ potentias cum ingenti impetu ad se trahunt , easque cum ijsdem laqueis vinctas & ligatas tenent, quibus sanitatis tempore per multos annos constrictæ permanserunt, & ideo potentiæ animæ in moriente , ad nihil aliud sese applicant , quam ad lamenta ob vicinam mortem, quæ morientem in sempiternum separat à filijs, uxore, parentibus , amicis, delicijs, divitijs, voluptatibus, & ab omnibus alijs hujus vitæ bonis , quibus antea toto amoris affectu addictus fuerat.

Ibid. v. 12. Ibid. v. 13. In morte operatio potentionis inferioris. 1. Reg. 15. v. 32.

Job 20. 14. 3. Job cap. 20. ait : *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus* ; Quia quanto magis anima per affectum rebus hisce temporalibus immersa fuerit, tanto separatio ab illis, & inde nascens dolor, tristitia, mentis & potentiarum animæ applicatio pœnosior erit, quia semper mente sua volvent & revolvent , relinquenda esse peccata , voluptates, divitias, cognatos , & amicos, propter Deum vero offensum minime contristantur. Unde Basilius Magnus in oratione 4. de Pœnitentia de quodam , qui pœnitentiam ad agonem usque mortis distulit , differens ait : *Tui mœrore conficiuntur , aliena spernunt , atque nihili pendunt , amicus etiam ad commonefaciendum tardus est , timens ne te magis perturbet. Quid si te medicus sanitatem tibi promittendo decipiat , tu de sanitate non desperas , eo quod naturâ vitæ sis cupidus ? Mors impendet; & qui abducunt, urgent, quis te amabo eximet , ac ex tantis malis eripiet ? Deusne ille , quem contempsisti ? At hic minime preces tuas audiet, cum & tu ipsum non exaudieris. Promissane exsolvet ? Quasi vero prius datis probe usus sis. Nemo te inanibus verbis circumveniat : Imminebit enim tibi subita pernicies , & mors procellæ instar aderit. Veniet angelus mœstus, & horridus violenter abducens ac trahens animam tuam peccatorum vinculis constrictam, ac frequenter se convertentem ad ea, quæ hic sunt. Denique lugentem sine voce, cum jam lamentationis instrumentum sit sublatum. O quam teipsum excruciabis ! O quantum ingemisces, frustra jam pœnitentiam ob mala consilia agens !*

S. Basil orat. 4 de Pœnit. Descriptio pœnitentiã differentis usque in finem.

4. S. Antoninus in eadem materia considerationem quamdam habet , quam experientia docet esse verissimam ; ait enim : *Quilibet naturaliter fugit tristitiam , & quod potest eum contristari , sed ille , qui diu permansit in malo , tota delectatio & gaudium ejus in malo , secundùm illud Prov. 2. Lætantur cum malè fecerint &c. Unde cum cogitat peccator , quod debeat dimittere omnia illa mala , in quibus delectatus fuit , multum contristatur , secundùm sensualitatem saltem , & frequenter accidit sicut simiæ avidæ dulcedinis nuclei nucis , quæ accedit ad arborem , & mordendo sentit amaritudinem corticis , & totam tale arbitrans , non pervenit ad dulcedinem cupitam medullæ. Sic peccator , cum cupiat dulcedinem veniæ , propter quod incipit velle pœnitere , cum percipit , quod oportet vitia dimittere , & odia , & lascivias , sumere confusionem confessionis , evacuare bursam pro restitutione , petere veniam à læsis , qui numquam se humiliavit , videtur sibi nimis amarum , unde dimittit facere.* In excursibus solemnibus equestribus , quos Ambasciatores , seu legati Regij , aut Ducales hic Romæ pro præstanda sedi Apostolicæ obedientia facere solent , super mulos sæpe sub calcibus argento clavatos sarcinæ videntur stragulis & peristromaribus Phrygio opere opulenter confectis magnifice contectæ, fræni quoque laminis argenteis, auro hinc inde superbe distinctis in fronte , & ad utrumque oculum communiti sunt , & in vertice capitis vario colore tinctis , auroque & argento Regio more dilatatis cristis seu plumis ornati incedunt, adeo

S. Anton. p. 2. t. 9. c. 13. §. 1. Naturam simiæ imitatur peccator. Ornamenta muli Regij.

ut spectantium omnium oculos sibi rapiant ; Hoc autem equestri excursu finito muli circa vesperam omnibus ornamentis exuti ad stabulum perducuntur , ubi illis nihil manet residuum , nisi livores, vulnera, & excorticationes, ex oneribus, quibus indiscrete onerati fuerunt, contractæ. Idem quoque multis contingit, qui in hujus præsentis vitæ decursu in dignitate, authoritate, & splendido dominio conspicui in delicijs , voluptatibus terrenisque prosperitatibus splendidissime vixerunt. Appropinquante enim vespere, id est, in extremo vitæ momento, hac scena finita, lecto per fœtentes ipsorum infirmitates affixi, ministris sibi inservientibus horrori sunt, ob spirantem è corporibus eorum puteolentiam , & quia dum vixerunt, à sacramentis , à viris Religiosis, à spiritu , & devotione alieni fuerunt , Deus frequenter illos sine Sacramentis mori permittit , aut vero ex eo, quod mundum , qui blandus illis semper extitit, relinquere debeant , supra modum angustiati in desperationem incidunt , dum innumerabilia malæ conscientiæ vulnera, cum ingenti remorsus dolore sentiunt, multasque injustitias, extorsiones, vindicta , adulteria, aliaque similia horrenda crimina recogitantes auribus suis continuo terribilem illam comminationem insonare existimant : *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum*

Huic comparantur divites in morte. Apoc. 18. 7.

5. Præterea infirmitates graves communiter cum lethargo, delirio, rabie , & spasmis horrendis conjunctæ esse solent , quæ mentem ad operationes suas obeundas liberam minime relinquunt. Medici similiter, qui assistunt, & servi , qui ministrant , parentes item & amici ad hoc unice conantur, ut infirmus ab omni anxietate & cogitatione molesta liber, quietem capiat & somnum , de salute animæ parum curantes , circa corporis curam vero totaliter anxij & soliciti , prouti à celebri quodam medico emphatice exponi audivi. His accedit tamquam certum, videlicet quod *corpus , quod corrumpitur, aggravat animam* ; Quando enim corpus graviter infirmatur, ipsam quoque animam certo quodam modo languere facit. *Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quærunt quidam* , inquit Hugo de S. Victore , *quid de ijs sentiendum sit , qui in peccatis suis usque ad finem vitæ perseverant , & tamen in extremis morte imminente territi , compunguntur , & ex toto corde misericordiam & indulgentiam quærunt , etiamsi satisfactionem articulo mortis præventi , persolvere non possint. Breviter quid mihi videatur , absolvo. Ego puto hominem , quamdiu in hac vita vivit , sicut malum facere potest , ita & emendare se posse , & numquam quocumque tempore etiam in extremis , & in articulo necessitatis , pœnitentiam hominis infructuosam esse , si vera fuerit* ; Quorum verborum omnis difficultas in ultimis hisce verbis vertitur , scilicet : *Si vera fuerit*; Rarissime autem veram esse contingit ; Et ratio convincens est , quia cum Deus nobis hujus vitæ usuram eo fine assignarit , ut in ea obeamus pœnitentiam , quæ unica arduissimum est , quod in hac vita præ manibus habemus , negocium, impossibile est , illam in paucis horis, non jam dico vitæ , sed agoniæ mortis , prout convenit, & necessum est , institui posse. Dionysius Carthusianus in Opusc. *De Conversione peccatoris* , postquam exemplum Esau attulisset in medium , qui *non invenit pœnitentiæ locum , quamquam cum lacrymis inquisisset eam*, mox subjungit : *Præterea his , qui tempestive renuunt Deo servire , ac tempore suæ angustiæ clamant ad eum , Dominus per Salomonem ita respondet : Quia vocavi , & renuistis , &c.*

Consanguinei curant de corpore, vix de anima. Sap. 9. v. 15. Ibid. Hug. de S. Vict. t. 3. l. 2. p. 14. de sacra. fid. c. 5. Rarissima est in fine vitæ pœnitentia vera. Hebr. 12. 17. Prov. 1. 24.

6. Validum quoque argumentum eruere licet ex eodem Sapiente , Eccle. cap. 9. ubi dicitur : *Sunt justi, atque sapientes , & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo , utrum amore an odio dignus sit* ; Tametsi enim merita, quæ virtuose vivens , pro cœlo lucrando sibi accumulat , in manibus Dei sint depositata , illa tamen operantem de æterna salute sua certum facere nequeunt ; Quid igitur de impijs dicendum erit , qui in vita sua aliud nihil fecerunt , quam quod ligna pro inferni incendio adaugendo accumularint, cunctasque operationes suas , non in manus Dei , sed in manus diaboli depositarunt ? Hinc Deo , quem semper odio habuerunt, in ultimo vitæ momento in agonia mortis, quando potentias animæ ligatas habent, & totaliter extra se positi sunt, per Dei amorem & veram contritionem delicta sua expiare se posse præsument? Quisnam enim illorum futurus sit exitus , nequaquam anxie inquiri necessum est, siquidem Deus in cap. 1. Prov. claris verbis ijsdem comminatus fuit , dicens : *Vocavi &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo &c.* Deus enim , suam

Eccle. 9. v. 1. Nescit homo etiam pius utrum amore dignus sit. Quid ergo præsumet impius ? Prov. 1. 24. Ibid. v. 26.

suam volens ostentare justitiam, ridet medicos , qui , ut infirmum per medicamenta ordinanda vigorosiorem, & animosiorem efficiant, parentibusque & amicis complaceant, eidem longioris vitæ spem ingerere audent; at vero ad bonam confessionem illum præparare totaliter negligunt , vel tunc pridem ad confessarium & sacramenta convolant, quando infirmum occupavit lethargus, vel delirium rationis judicium sustulit , ipseque infirmus loquelam , & sensuum usuum penitus amisit. Ridet quoque parentes, qui pro testamento condendo soliciti sunt , non vero de assecuranda æternitate; Nullus vero illorum reperietur, qui infirmo vicinæ mortis funestum nuncium libenter insinuet.

Job 10. 20. 7. Patientissimus Propheta Job his Deum verbis rogasse legitur : *Dimitte ergo me , ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam . . . ad terram tenebrosam &c.* Porro certus quidam sacer interpres per hunc dolorem peccatum interpretatur , pro quo spatium sibi indulgeri postulabat , priusquam ad extremam vitæ suæ periodum perveniret. Non igitur doloris nomine vocat mortem filiorum , domus desolationem, & ruinam, omnium facultatum suarum copiosissimarum jacturam, totum infernum in ærumnas sibi conciliandas conjurantem ; Sterquilinium, in quo ulcere à capite ad pedes usque coopertus, vermesque scaturiens sedebat, nec insultus, & improperia conjugis suæ & subditorum suorum, sed solum peccatum dolorem appellat. At vero dic sodes , qua culpa Job obnoxius erat , ob quam tantopere pro facienda ante mortem pœnitentia, solicitus fuit ? Numquid Deus hoc de illo testimonium perhibuerat: *In omnibus his non peccavit Job? Vir timens Deum, & adhuc retinens innocentiam.* Ex hoc igitur Jobi pœnitentia ad præsens propositum arguendo sequentem deducere licet consequentiam ; si vir aliquis adeo sanctus , & ipsamet æterna Veritate teste innocens (qui proinde dicere poterat : *Qui autem judicat me, Dominus est*) cum tantis bonorum operum meritis, ex humilitate sua se alicujus tantum transgressionis venialis reum agnoscens , nihilominus tempus à Deo sibi indulgeri petijt, quo non in ipsa morte, sed anticipate ante mortem condignam agere posset pœnitentiam, quæ & quanta erit illorum peccatorum temeritas, qui in peccatis habituati, iniquitatum suarum quæ multitudine sua capillorum suorum numerum longe excedunt, expiationem & pœnitentiam ad mortis agonem usque reservare audent ? Qua ratione quis intra paucas horas ab inextricabilibus vindictarum, contractuum illicitorum, restitutionis famæ & facultatum, incestuum, Simoniarum usurarum, sacrilegiorum censurarumque nodis expedire se poterit? Dicite obsecro, cuinam in re tam ardua, qualis est illa, in qua de salute æterna agitur, fides adhibenda erit , Scripturisne divinis sanctis Evangelijs, sanctis Patribus, Magistris spiritualibus, alijsque illuminatissimis Dei servis , an vero impijs, sceleratis, ac dissolutis hominibus, qui aliam non habent legem, quam illam , quam effrænes & inordinati ipsorum appetitus eis dictant? Omnes sancti, quotiescumque judicium particulare, in quo crimina ipsorum à severissimo & districto ac supremo inappellabili judice discutientur & judicabuntur, mente sua recogitant, toto corpore contremiscent, prouti in Tomo secundo, in Tractatu de judicio finali probavimus, non obstante , quod toto vitæ tempore per tot opera bona ad illud studiosissime se præparaverint , & peccatores , qui in vita sua aliud nihil fecerunt, quam quod offensas mortales de die in diem accumulaverint, in illo extremo vitæ momento, in quo Filius Dei severissimus , & implacabilis judex erit , atque minimi etiam verbi otiosi à nobis prolati rationes exquiret , se validam, Deoque acceptam pœnitentiam acturos esse sperare poterunt ? *Periculosus* profecto *est status peccatorum*, inquit Bellovacensis , *est enim in magno periculo, qui gladium iræ Dei habet super caput suum, quem vibrat, ut secet eum medium. Psalm. Gladium suum vibrabit , arcum suum &c. Undique spectat multiplicis mortis gladium evaginatum , quo diversimode feriatur*, Job. 15. *Qui est in domo lutea , fragiliori quam si esset vitrea , qui ictu lapidis satis parvi potest atteri , obsessus ab infernalibus hostibus, sanguinem suum sitientibus , qui etiam in cubili secum habet plures hostes capitales spirituales, qui ibi eum ligant , & ad inferni patibulum secum ligatum trahunt. Qui usque ad portas inferi deductus non distat ab eo, nisi per transitum corporis transversum ; qui in puteum Inferni est statim projiciendus , & in puncto descensurus ibi, & in igne perpetuo concremandus , & à draconibus devorandus.* Et in hoc deplorabili & desperato statu constitutus peccator persuadere sibi audebit , quod in

Peccatũ vocatur dolor à Job. 1. Cor. 4. 4. Argumentũ ex Job à minori ad majus. An justis vel injustis magis credendũ. Bellov. spec. Mor. l. 3. dist. 2 p. 6. Peccator habet gladium iræ Dei super caput suum.

tam brevi temporis spatio à semetipso & viribus suis, sine divinæ omnipotentiæ miraculo hasce catenas rumpere aut dissolvere poterit. Porro impius tria præcipuè tempora distinguit, scilicet tempus præsens, quod in hac vita decurrit; secundum est articulus mortis ; Tertium denique est æternitas ; de hisce autem tribus temporis differentijs ita disponit; Præsens vitæ tempus, annos floridæ ætatis & sanitatis corporalis consecrabo vanitatibus & inordinatis appetitibus meis ; In extremo vero dierum meorum agam pœnitentiam, scilicet in agone mortis ; Æternitatem vero mihi reservo ad fruendum Deo in sempiternum: numquid hanc temporis distributionem stultam & bestialem esse dices? Numquid stolidissima temeritas est, credere, quod per pauca suspiria, quæ non tam pœnitentiæ , quam agoniæ sunt adscribenda, Deum placare poteris, quem per annos plurimos toties & tam varijs modis offendisti ? Nazianzenus proinde optimè & saluberrime monet , quod hoc arduissimum salutis æternæ negotium non sit tale , quod in novissimo mortis articulo expediri queat; Ait enim: *Quamdiu lateri tuo non hæret imperitus medicus , horas tibi largiens , quarum potestas penes eum non est, capitisque nutu salutem velut ad lancem expendens, ac de morbo post mortem disputans, aut recessibus suis mercedem augens, aut deploratum morbum esse significans ?* Pergit ulterius, & ad promptam conversionem aliud calcar peccatori adhibens, inquit : *Quid febrim, quæ te beneficio afficiat, expectas, ac non Deum ? Quid tempus, & non rationem? Quid insidiosum amicum , & non salutare desiderium ?* Idem paulo ante ad assecurandam peccatoris salutem, in qua summa rerum totalis consistit, sequens suggesserat consilium : *Quamdiu mentis adhuc compos es, ad domum accurre. Quamdiu nondum corpore & anima æger es, aut his, qui adsunt esse videris , etiamsi mente integra sis ; quamdiu bonum tuum non in alijs situm est, verum in tua ipsius potestate ; quamdiu lingua non titubat, nec frigore confecta est, nec, ut nihil amplius dicam sacræ initiationis pronunciandæ vim , & facultatem amisit* , tempus est de salute æterna & vitæ emendatione cogitandi & curandi, non vero postquam illæ occasiones præterierint: nimirum prædictis verbis ad illos alludit, qui, ut olim apud quosdam in usu erat , sacrosanctum Baptismi lavacrum usque ad ultimum dierum suorum finem recipere differebant, quod & illis adaptari potest, qui hunc alium baptismum, *flaminis* appellatum, eousque differunt. Tandem præsentem discursum cum dignissimis illis Basilij Magni verbis concludamus, qui ait : *Quis tibi vitæ finem præscripsit ? Quis terminum senectutis constituit ? Quis vero fide dignus apud te futurorum vas ac sponsor est? Non vides pueros ac ætate florentes abripi ? Nullum tempus me hercule præstitutum vita habet. Quid expectas , ut te tam fabulis ad pœnitentiam vocet, cum neque salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris , cum in ipso capite morbus inhabitet , non manus ad cœlum amplius tollere , non in pedes erigi, non genuflectere , cum precatio erit habenda , non commode dolere, non certo confiteri, non redire in gratiam cum Deo , non renuntiare inimicitijs , & fortassis neque intelligentia , neque animo comprehendere mysteria divina poteris , siquidem præsentes ambigant , an acceperis beneficium , an aliquem sensum eorum, quæ fiunt , habeas.*

Distributio temporis ab impio facta. Nazianz. orat. 40. Temeraria facta. S. Basil. ibid. Vita hominis non est ad cognitũ tempus.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Infirmitas mortalis non est pœnitentiæ faciendæ tempus idoneum.

THEMA.

Virum injustum mala capient in interitu. Psal. 139. ℣. 12.

1. UTinam tandem resipiscat , qui in peccato vivens, in ultimo mortis articulo ad veram pœnitentiam se reducendum esse sperat , non enim hanc ei spem Propheta Regius suggerit, quin potius hic protestatur ei, quod in morte male ipsi erit , illaqueabitur enim à peccatis, quibus in hac præsenti vita insorduit ; *Virum injustum mala capient in interitu* ; In quonam enim spes & fiducia illius fundatur, quod scilicet Deus in peccatricem , & per tot annos Deo rebellem ipsius animam in ultimo vitæ momento bona , gratiasque cœlestes liberali manu , sit infusurus ? Ubinam hoc Deus illi promisit ? Nusquam profecto , & ideo spes hæc nequaquam ei eveniet, quin potius *Virum injustum mala capient in interitu.* Quo Regij Psaltis testimonio libere uti possumus adversus illos, qui ad finem usque ætatis conversionem suam procrastinant , quia testimonium hoc indubitatum est, nec ulla glossa indiget, & ratio est, quia ut salvemur, necessaria est pœnitentia non quæcumque, sed quæ vere talis sit, ejusmodi autem pœni-

Deus non promisit assistere peccatori morienti.

pœnitentiam homo facere nequit sine gratia Dei, quia necessarium est, ut Deus homini in peccatū lapso auxiliatricem manū suam porrigat. Hic autē apertis verbis se declarat inquiens: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Ac proinde *tantum abest*, quod Deus in ultimo illo momento peccatorē habituatum adjuvare velit, ut potius per æternæ veritatis verba protestetur inquiens: *Ego quoq; in interitu vestro ridebo.*

Prov. 1. 24.

2. Quando Sanctissimus Christi Præcursor prima omnium vice regnum cœlorum nobis propinquum esse nunciavit, in hæc verba locutus fuit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ecce tibi qualiter pro regno cœlorū acquirendo pœnitentiam exegerit, & hanc nō qualemcumque, sed veram, sed fructuosam, sed dignam pœnitentiam, ideo enim expresse subjungit: *Facite fructum dignum pœnitentiæ;* Hic pariter est S. Matris nostræ Ecclesiæ sensus, quæ in litanijs ita nos orare docet: *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris;* Quonam vero modo homo aliquis per multos annos in peccatis inveteratus in illo ultimo vitæ momento dignos pœnitentiæ fructus producere poterit? S. Bernardus interrogat dicens: *Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub unius horæ articulo revocari possunt omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare, sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, id est, de ijs, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis, antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo.* Et ideo merito quilibet Christianus cū S. Rege Ezechia Deo dicere deberet: *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie;* Ubi observa, quod non dicat *cras*, sed *hodie* ac proinde securam salutis suæ spē concepit. Audiamus consiliū Ecclesiastici dicentis: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula; Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitia tua, & nimis odito execrationem.* Et paulo post subdit: *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius;* Sed quibus illa continget? *Convertentibus ad se;* Idem Sapiens in alio loco quoad hoc punctū ita monet: *Nō tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Observandum quoque quod Psalmista, postquam dixisset: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus,* Mox subdat: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Matth. 3. 2. — Ibid. v. 8. — Oportet facere fructus dignos pœnitentiæ. — S. Bernad. serm. 38. in parvis. — Isa. 38. 19. — Eccli. 17. 21. — Suadetur hodierna pœnitentia non crastina. — Ibid. v. 26. — Eccli. 5. v. 8. — Psal. 15. 4.

3. Author imperfecti observat id, quod virginibus fatuis evenit, quibus ante faciem *clausa est janua*, alijs ad nuptias gaudenter introeuntibus, nam *quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Dicit igitur: *Ostenditur nobis per hæc verba, quod illo in tempore inter angustias diversorum errorum videntes se peccatores, anxiabuntur, & current huc & illuc ad sacerdotes, doctrinam & pœnitentiam sibi quærentes. Alij autem interrogantes, quid eos oporteat facere, sed festinante judicio:* (Quod idem de particulari uniuscujusque judicio, statim post mortem sustinendo, intelligi potest) *& necessitatibus alijs super alias venientibus, cum non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ justitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hæc enim & in quotidiano usu videmus fieri.* Quoties enim contingit, quod dum sacerdotes festinanter inquiruntur, ob necessitatem urgentem, nec tamen inveniuntur; aut vero si hi pro parte sua prompti sint, domum tamen ingredientes infirmum loquela & sensibus destitutum inveniunt? Idem paulo post in progressu ejusdem homiliæ subdit: *Mors vestra non tardat, & nemo credit, nemo obaudit. Cum autem venerit super illos mors, festinant, & anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando jam pœnitentiæ locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiant pœnitentiæ tempus: & præcepta justitiæ, capitur anima eorum, & vadunt vacui, magis autem ligati justo judicio Dei, quia non propter odium peccatorum displicentes sibi, volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem; Adhuc enim si vivere potuissent, non sibi displicuissent.* Huic eidem veritati adhærens S. Augustinus ita scribit: *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed authores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; Pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo ne & ipsa moriatur.*

Matt 25. 10 — Ibid. — Auth. Imperf. h. 12. — Tempore imminentis mortis ut virgines fatuæ quærent oleum impij. — Deserit illos occasio peccandi. — S. Aug. s. 57. de Temp.

4. Doctor subtilis Joannes Dunz Scotus quatuor assignat rationes, per quas insufficientia conversionis in finem vitæ usque dilatæ convincitur. Prima desumitur ab angustijs & anxietatibus mortalis infirmitatis nimis vehementibus, ob quas passiones voluntatem ad se attrahendi magnam vim obtinent. Secunda ratio est, quia pœnitentia proficisci debet à voluntate libera non vero à necessitate; Impius vero in tantum pœnitet, in quantum se necessitate constrictum videt, eo quod uno pede in inferno se positum conspiciat. Tertia ratio est, quia malum habitum suum ex peccato contractum, in naturam convertit; Naturaliter enim homo eo modo, quo vivit, ita pariter mori solet. Quarta ratio est, quia Pœnitentia illorum, qui diu in quotidianis sceleribus insorduerunt, longo indiget examine, multisq; circumspectionibus, cum multa in ijs solvenda sint vincula; Unde longo opus esset tempore, diligenti mentis applicatione, in infirmo quoque requireretur intellectus serenus, atque tranquillus, & ingens memoria, quæ in ultimo vitæ momento adesse non possunt. Ex quibus omnibus clarè convincitur, mortis articulum pro facienda vera pœnitentia non esse opportunum.

Scot. 4. sent. dist. 20. q. 1. — Propter quatuor rationes Scotus dicit in agonia: pœnitentiam esse insufficientem.

5. Ecclesiastes quoque temerarios illos Pœnitentiæ procrastinatores in hæc verba instituit: *Ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Sed quodnam est illud tempus, quod non est nostrum? Tale specialiter est tempus gravis infirmitatis; Videmus enim, quod Medici tunc infirmo præcipiant, ut quiescat supra quam potest; Tunc etiam multum temporis in corporalibus insumitur remedijs; Aliud impenditur à parentibus & amicis factis visitationibus, quas repudiare non licet; Aliud tempus negocijs adhibetur domesticis, ac tandem modicum hoc tempus, quod ipsi supererit, pro cura & salute animæ, artificiose ei eripitur, ne ex mortis propinquitate nimium consternatur. S. Augustinus, vel quisquis est auctor Sermonum *ad fratres*, sequens tangit considerabile punctum inquiens: *Nolite differre confiteri peccata vestra, nam qui usque ad ultimum vitæ suæ distulerit confiteri, dat signum, quod hoc libenter non facit, non gratiose, non puro corde, sed coactus hoc facere videtur; Sed coacta servitia quantum Deo, vel hominibus placeant, considerate.* Dicebat Psalmista: *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo.* Taulerus quoque ait: *Conversio dilata difficilis est, propter tria. Primo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto erit major pœna peccati:* Unde S. Hieronymus: *Quanto autem major est numerus temporum, quibus obliviscimur Deum, tanto erit major pœna peccati. Secundo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto amplius oneratur à peccatis;* Unde S. Augustinus: *Perseverare in peccato, dat augmentum scelerum; Et Gregorius: Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, ideo difficilius surgit; Qui ergo non surgit oneratus parum, quomodo surget, quando multum? Tertio, quia homo circa mortem habet multa impedimenta, videlicet, de dispositione domus, & filiorum; De infirmitate, quæ non permittit eum cogitare de anima sua; Sicut dicit Hieronymus: Dum infirmitate opprimeris, nil aliud cogitare potes, quam quod sentis; Propter hoc Augustinus dicebat. Pœnitentiam scio, nec laudo, nec vitupero; Nam morbus urget, pœna terret, filij & uxor, quos illicite diligit, & mundus eum ad se vocat, & sæpe ex divino judicio hoc accidit homini, quod moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* Alius quoque dignissimus author in probationem hujus ita scribit: *Si morbus præoccupaverit, tunc res est cum morbo, qui nihil aliud agi sinit, nisi cum medicis, cum uxore, liberis, hæredibus, creditoribus, famulis, amicis, & inimicis.* Audiamus insuper quid B. Laurentius Justinianus in hac materia moneat: *Recogitabis, inquit, ipsa hora transactos annos tuos in amaritudine animæ tuæ, talique consideratione cruciabuntur, interiora tua, atque indicibili pœna damni dilaniabitur cor tuum, quoniam uno fine & æquali conditione defecerunt tibi peccati delectatio, peccandi facultas, & tempus pœnitentiam agendi. Non erit qui te de tam laborioso valeat liberare conflictu, neque qui vel unius horæ spatium tibi possit indulgere ad tuorum satisfactionem delictorum; Non scientia diu studiose acquisita; Non facultates per multa tempora congregatæ; Non amicorum, propinquorumque solatia, & lachrymæ, te ab examine justi judicij erigere valebunt.* Qui enim acerbissimis cruciatur doloribus, magis est dispositus ad desperationem & impatientiam, quam ut de Pœnitentia

Eccle. 7. 18. — Tempus mortis non est infirmitatis. — S. Aug. s. 36. ad Fratres. — Ps. 53. v. 8. — Tauler. de Christiana Instit. — Conversio dilata est difficilis propter tria. — Viguerius de orig. pecc. c. 18. §. 4. v. 6. — B. Laur. Just. de Discip. & Perfect. mon. Conver. c. 14. — In fine vitæ solus infirmus pugnare debet.

tia quidquam cogitet, febris enim v. g. maligna, nullum habet virtutem commovendi cor ad excitandum actus amoris Dei, veræ contritionis & pœnitentiæ; Hi enim effectus utpote supernaturales produci nequeunt præterquam à sola divina gratia; Quam cum per tot annos contemptibiliter repudiaveris, qua ratione illam tunc sperare poteris, cum illam promerendi tempus amplius non erit. Malignitas v.g. pestifera potius apta erit ad causandum mentis alienationem & delirium, quam applicationē mentis ad negocium aliquod adeo arduum, quantum est dignam facere pœnitentiam.

Infirmus est indispositus ad verā contritionem.

6. Isaias ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos;* Sed quando, num forte quando memoria evanuit, intellectus obfuscatus, vel voluntas in tot annorum inordinatis affectibus immersa est, & infirmus se paulatim in mortis angustias se redigi videns contristatur. Profecto tunc tempus non est recogitandi annos suos in amaritudine animæ suæ, habet enim tunc quod agat, ut dolores suos æquanimiter sustineat. Medicamenta humores quidem corporis evacuant, dolores autem ex remorsu malæ conscientiæ provenientes evacuandi virtutem non habent. Tullius inquit: *Quemadmodum oculus turbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum, reliquumque corpus cum à statu motum, officio suo ac munere deest, sic conturbatus animus, non est aptus ad exequendum munus suum.* Plutarchus quoque *de tranquillitate animi* differens inquit: *Ægrotis uxor molesta est, & medicum incusant, & lectulum moleste ferunt, ex amicis etiam, si quis accedit, gravis est, & qui discedit, molestus.* Infirmitates malignæ & febres ut plurimum caput vehementer offendere solent, adeo ut mentem suam ad nihilum applicare possint; Quo igitur modo infirmus in extremis illis angustijs positus animum suum ad tale negotium applicare poterit, quod requirit totum hominem? Author quidam à Matthia Fabri in themate 3. Dom. 7. post Pentec. citatus ita scribit: *Novi adolescentem nobilem, qui lascivis amoribus implicatus dictitabat, satis sibi fore ad salutem, si ante mortem unam horam vel alteram ad pœnitentiam haberet. Enimvero tunc actum à se perfectæ contritionis eliciendam, quo salvus fieret. Infelix, cum quadam nocte post epulas ad peccandum accederet, repentino lapsu, confracta cervice, non una, aut altera, sed novem aut decem horis supervixit, & sine voce, sine sensu ac nullo edito pœnitentiæ signo misere perijt.*

Isa. 38. 15. — Cic. 2. Thuscul. — Similitudo ab oculo turbato. — Plutarch. de Tranquill. animi. — Cæsar. Recupit. — Exemplum de juvene lascivo.

7. S. Bernardinus alia tangit impedimenta, veram pœnitentiam in extremis tardantia, vel destruentia; Ita enim scribit: *Adest in tali peccatoris extremitate in sensitiva parte maximus dolor, & cruciatus, vel maximus timor, & quandoque uterque simul, & utraque passio vehemens apta est impedire liberum arbitrium, & usum liberæ rationis, & voluntatis. Actus autem displicentiæ de peccato, ad hoc, quod sit sufficiens ad veram pœnitentiam, necessario requirit usum liberum rationis, & voluntatis, qui quasi impossibile videtur talis adesse. Si vero dicas, quod dolor, vel timor, qui mentem hominis non totaliter impedit, nec intellectum, vel voluntatem, concedo quidem, multum tamen impedimenti præstat, & per consequens remissus, & imperfectus usus intellectus, & voluntatis tunc potest haberi, qui vix sufficit ad sufficientem displicentiam, & requisitam ad pœnitentiam veram. Hoc periculum tangit Augustinus de pœnit. dist. 7. cap. Nullus;* ubi ait: *Nullus expectet, quando peccare non potest, arbitrij enim quærat libertatem, ut delere possit commissa, non necessitate. Qui prius itaque à peccatis relinquitur, quam ipse ea relinquat, non ea libere, sed quasi necessitate condemnat.* Idem S. Bernardinus in progressu ejusdem sermonis subdit: *Periculum est mentis alienatio, alienatur enim in talibus mens, multis oppressa vexationibus. Hinc etenim vexat dolor, inde mortis expectatæ, & non expectatæ timor; Hinc peccatorum servitus; inde tentantes Dæmones, illinc mundi affectiones & intricationes; Perdit sensum, amittit memoriam, nihilque minus curat, quam propriam animam; Propterea Psalmista de talibus ait: Non est in morte, qui memor sit tui, & per consequens nec etiam sui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Quasi dicat, nullus, sicut quasi nullus peccator hujusmodi in morte recordatur tui.* Nec est intermittendum aliud pœnitentiæ in vitæ extremis faciendæ offendiculum, ab eodem S. Prædicatore adductum; Scilicet: *Justa à Deo & à mundo in manibus Diaboli derelictio.* Pro quo declarando citat S. Augustinum dicentem: *Ad veram vix veniet homo satisfactionem. Quando persona nobilis infirmatur, vix invenitur aliquis, qui de salute animæ suæ audeat sibi loqui. Executores solicitantur circa divitias, & Thesauros; Medici circa corporis medicinam; Uxor, filij & amici consolantur infirmum; Et sic miser non permittitur de peccatis suis cogitare, nec statum, nec finem vitæ salubriter ordinare:* Concludamus hactenus dicta, dicendo, quod hora mortis minime sit tempus opportunum, & sufficiens, ad faciendam veram pœnitentiam, maxime, si hanc consideremus S. Ambrosij sententiam dicentis: *Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina; Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.*

S. Bern. t. 1. ser. 13. a. 1. — Liberè non ex necessitate peccata sunt vitanda. — Ib. a. 3. c. 2. — Alia impedimenta veræ pœnitentiæ. — Ibid. c. 3. — Cogitatur de temporali nō æterna salute. — S. Ambr. ad Virg. Lapsam c. 8.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Exteriores devotionis demonstrationes, quas impij in morte sua præ se ferunt, valde sunt fallaces.

THEMA.

Tunc invocabunt me, & non exaudiam. Prov. 1. ℣. 28.

1. POstquam Deus in cap. 1. Parabolarum Salomonis impijs improperasset quod ex parte sua eis non defuisset, illos ad vitæ emendationem invitando, atque hunc in finem manum illis auxiliatricem porrexisset, mox illis prædicit, quod in contumaciæ ipsorum castigationem, illos morte inopina & inexpectata esset mulctaturus: *Cum irruerit,* inquit, *repentina calamitas, & interitus, tunc invocabunt me, & non exaudiam mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ.* Protestatur insuper illis, qui correctiones illius surdis excepere auribus, qui vocationes & inspirationes suas contempserunt, quique divinæ suæ legis jugo se subtraxerunt, quod in hora mortis frustra speraturi sint aditum ad suam misericordiam, vel quod preces eorum sint exaudiendæ; Unde clarè deducitur, quod tametsi multi impiorum in extremo agone se Deo commendent, vere se compunctos esse ostendant pectus suum percutiant, emendationem vitæ suæ firmiter promittant, peccata sua deplorent, crucifixum cordi astringant, & osculentur, de ipsorum tamen salute nequidquam confidere possimus, hæc enim verba protestativa adeo sunt clara, ut glossa nulla indigeant, quibus Deus ait: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam &c. quia non vere pœnitebant,* ut exponit Lyranus, *scilicet amore boni, sed tantum timore, & horrore mali pœnæ, qualis fuit pœnitentia Antiochi.* Hugo Cardinalis aliter illa verba interpretatur dicens: *Tunc invocabunt me, sed nimis sero, quia clausa erit janua misericordiæ, & de cætero non aperietur. Quare autem non inveniant, subdit: Eo, quod exosam, &c. id est, flagelli correctionem, vel vitæ & morum reformationem, de qua Psalmista: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa; Et nota, quod dicitur: Exosam habuerunt, quasi dicat, non solum in se non habuerunt disciplinam, sed etiam in alijs eam oderunt, & timorem Dei non susceperunt in se.* Dionysius Carthusianus explicat verba illa: *Mane consurgent ad me,* dicitque illorum sensum hunc esse: *Id est, acerbitate pœnarum inducti festinabunt me invocare, non amore virtutis.* In Bibliotheca veterum Patrum Lucas Abbas S. Cornelij in summarijs ad Commentaria Aponij super sacra Cantica in persona redemptoris nostri ita fatur: *Clamabam, & non exaudiebatis; Extendebam verba mea, & non intendebatis; Itaque & ego vestram perditionem videbo.* Et subdit: *Hæc terribilis locutio, quæ liquefaciet animam contemnentem Dei præcepta, lacrymabiliter demonstrat, qualia perpessa sit, eo quod pulsanti Domino aperire contempserit.*

Sæpè in fine dantur multa signa veræ pœnitentiæ sed fallacia sunt. — Lyran. — Hug. Card. — Prov. 1. 28. — Dion. Carth. — Bibliothec. S. Patr. t. 1. — Quia non ex amore virtutis procedunt.

2. S. Bernardinus unum ex illis considerat, qui in extremis constitutus plorat, & pectus percutit, tametsi male vixerit, vocibusque divinis surdas semper aures præbuerit, cui proinde nequaquam fidem adhibendam esse dicit: *Licet quandoque talis fundat lacrymas, inquit, tundat pectus, & misericordiam poscat, adhuc sunt dubia hæc signa; Unde Augustinus ait: Qui differt pœnitere usque in finem, vix, aut numquam bene pœnitet, quia quæ creditur vera esse contritio, mortis est instantis exasperatio.* S. Valerianus convincentem adducit rationem, cur ejusmodi pœnitentiæ procrastinatores non facile in ultimo vitæ articulo exaudiantur; Quia scilicet cum in periculis imminentibus, sive in angustijs constituti divinum, & Sanctorum cælitum implorantes auxilium, stipulatis per juramenta promissionibus

S. Bern. t. 1. s. 13. a. 3. c. 1. — Probatur efficaci ratione.

nibus emendationem ſuam promiſerint & voverint, illas tamen promiſſiones & vota minime adimplere curarunt. *Inde eſt*, inquit S. Valerianus, *quod otioſis Dei auribus hominum preces evaneſcunt, nec habet officium interceſſio lacrymarum, quia difficile eſt, ut exaudiantur, quia Deo ſuo frequenter vana promiſſione blandiuntur.* Pharao apertis verbis ſe Atheiſtam eſſe declaravit; dum ait: *Neſcio Dominum*; Sibi namque perſuadebat, nullum eſſe in terris alium Deum præter ſe: At vero dum in maris rubri procelloſis undis cum exercitu ſuo naufragaretur, perque divinæ juſtitiæ flagellum ad mortem requireretur, furorem contra populum Dei electum conceptum depoſuit, unde ait: *Fugiamus Iſraëlem*; Divinam quoque veri Dei aſſiſtentiam populum ſuum tuentem confitebatur, inquiens: *Dominus pugnat pro eis contra nos.* Ægyptij quoque tametſi nullam aliam crederent divinitatem, quam eam, quæ Dijs ſuis inerat, quos adorabant, attamen quando mortem ſibi vicinam viderunt, Deum Iſraëlis, Deum vivum & verum eſſe confeſſi ſunt. Unde Cajetanus ait: *Deum agnoſcit, qui dixerat: Et ſcient Ægyptij, quia ego Dominus, nunc enim confitentur, quod non magica arte, ſed ipſe Dominus eſt, qui pugnat pro Iſraëlitis contra Ægyptios.* Ubi notandum, quod Ægyptij hanc fecerint confeſſionem, in quantum ſe in aquarum illarum abyſſo ſubmergendos eſſe videbant; per hanc enim confeſſionem mortis metu extortam, ex periculo illo evadere moliebantur, cum tamen ſi evaſiſſent, æque fraudulenti in promiſſionibus ſuis futuri fuiſſent, quam antea fuerant. Lippomanus ſimiliter ait: *Vide, quomodo audacia impiorum vertitur in conturbationem, perſecutio ad fugam, perfidia indurata ad pœnitentiam intempeſtivam, & infructuoſam.*

S. Val. h. 4. — *Exod. 5. v. 2.* — *Ibid. 14. v. 25* — *Ibid. v. 2.* — *Cajetan.* Ægyptij in pœnis confitebantur Deũ liberati contemnebant. — *Lippom. ibid.*

3. Sacer textus extrinſecam ſacrilegi Antiochi ultricem Dei manum experientis mutationem his verbis peregregie deſcribit: *Is, qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram, in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans*; Unde rara apparentis pietatis ſpecimina confeſtim edidit; *Cœpit enim ad agnitionem ſui venire, & divina admonitus plaga ita ait: Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Et Civitatem, ad quam feſtinans veniebat, ut eam ad ſolum deduceret, ac ſepulchrum congeſtorum faceret, nunc optat liberam reddere: Et Judæos, quos nec ſepultura quidem ſe dignos habiturum, ſed avibus, ac feris diripiendos traditurum ... dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur: Templum etiam ſanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum, Super hæc & Judæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem.* Poteratne dari emendatio aliqua religioſior, & pientior iſta? Et tamen *orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Scitiſne cauſam, cur Deus hanc Antiochi mutationem oculis benignis reſpicere noluerit? Ideo nimirum quia ſolum à timore imminentis mortis mutatio hæc promanabat. Opportune ad idem propoſitum incidit mihi, quod de quibuſdam nautis me legiſſe memini, qui in tempeſtate maris conſtituti votum quoddam pro quodam loco B. Virgini miraculoſæ ſacro fecerunt, videlicet quod ſi periculum illud evaderent, oblaturi eſſent cereum tantæ longitudinis & craſſitiei, quantæ malus navis erat; Cumque unus illorum ſubjunxiſſet, quomodo votum hoc adimplere poterimus? ubinam tantam ceram inveniemus? Undenam nobis tanta erit pecunia, ut tam ingentem ceræ molem comparemus? Reſpondit alter; Eſto animo quieto; Promittamus multa, ut ex hoc imminenti periculo liberemur, ubi autem evaſerimus, B. Virgo candelæ unius obuli facile acquieſcet. Eodem prorſus modo impij, qui in vita ſua Deum ſæpius promiſſionibus ſuis defraudarunt, idem quoque ſe in extremo vitæ articulo facturos eſſe ſtulte ſibi perſuadent; Ac proinde vota emittunt, efficaciter ſe Sanctis commendant, eleëmoſynas magnas diſtribuunt, aliorum piorum hominum orationes depoſcunt. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponi faciunt, magnamque pollicentur vitæ emendationem, *ſed orant ſceleſti Dominum, à quo non ſunt miſericordiam conſecuturi. Multi in tempore mortis veniam petunt, nec obtinent, confitentur, nec exaudiuntur*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *quia ſolo ſervili timore hoc faciunt, non zelo juſtitiæ. Hinc de Antiocho fertur, quod orabat ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Citatque idem Carthuſianus textum illum Iſaiæ cap. 1. *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos, & cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam.* Pro hujus veritatis dilucidatione ſequens ſimilitudo opportune deſerviet: Duo capitales inimici in duello ſimul congrediuntur, quorum unus alteri prævalens, dum inimico in terram ſub pedibus proſtrato pugionem faucibus admovet, hic ſubito humiliatur, vitam ſibi ob Dei amorem condonari poſcit, quod ſi obtineat, ſervum & mancipium illius ſemper ſe manſurum fore promittit; Quis hic non videat omnes haſce promiſſiones ex ſolo mortis metu derivari? Remanente nihilominus in corde erga inimicum priſtino odio, adeo ut ſi eidem extra omne periculum conſtituto idem inimicus occurreret, illum utique ad mortem uſque perſequi nequaquam omitteret. Cum igitur *ſcrutans corda & renes Deus* probiſſime ſciat, in impijs agonizantibus etiamnum dominari peccaminoſos affectus; pravoſque habitus, quos in vita contraxerunt, eoſque ob ſolum mortis metum plangere; non vero quod ſeipſum offendiſſe diſpliceat, cujus ſignum eſt, quod ſi ſupervixerint, ad præteritas utique voluptates denuo redirent, mirum non eſt, quod talium impiorum in articulo mortis exhibitam pœnitentiam non admittat. Balthaſar Rex concubinarius erat peſſimus, ſacrilegus, adeoque impius, ut per ludibria ſacra templi vaſa, quæ Nabuchodonoſor pater ejus in aliquali adhuc habuerat veneratione, profanavit; Inſuper crapulæ, convivijs, tripudijs, alijſque ſimilibus diſſolutionibus deditus erat, & tamen in illa nocte, in qua terribiles digiti horrendam illam adverſus ipſum exarabant ſententiam; *facies Regis commutata eſt, cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur*, tuncque & non prius ex timore mortis adactus Daniëlem Prophetam accerſivit, ampliſſimoſque ſcripturam ad parietem extenſam interpretanti honores eſt pollicitus. Solent enim perverſi, licet in vita viros Religioſos abominentur, contemnant, & irrideant, dicantque. *Circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis*, nihilominus mortis hora appropinquante eoſdem Religioſos accerſere, ut ad lectum ipſis aſſiſtant, eorumque orationibus ſe enixe commendare; Prout etiam Rex ille impius Scriptura teſte fecit, ſiquidem Daniëlem, quem antea ne quidem coram oculis ſuſtinere poterat, tunc honorare cœpit, quia *Tunc indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo ejus, & prædicatum eſt de eo, quod haberet poteſtatem Tertius in regno ſuo.* Nec tamen ob id Regem hunc iram Dei evaſiſſe invenietis, quin potius idem ſacer textus immediate ſubjungit: *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar.*

2. Mach. 9. v. 8. — Deſcribitur magna apparentia converſionis Antiochi. — *Ibid. v. 11. 12* — *ibid. v. 14.* — *Ibid. v. 15.* — *Ibid. v. 16.* — *Ibid. v. 17.* — Non tamen erat vera. *Ibid. v. 13.* — Narratio de periclitantibus in mari. — *Dion. Carth. in c. 1. Prov.* — *Iſaiæ 1. 15.* — De duobus duellantibus. — *Pſ. 7. v. 10.* — De Balthaſare Rege. — *Dan. 5. v. 6.* — *Sap. 2. v. 12.* — Impij in neceſſitate honorant Religioſos. — *Dan. 5. 29.* — *Ibid. v. 30.*

4. In ejuſdem veritatis confirmationem, ſequens pariter conſideratio deſerviet. Tametſi enim præſes Judææ Pilatus innocentiam Chriſti, quam ſæpius conteſtatus fuerat, probe ſibi haberet perſpectam, nihilominus ipſum flagellari, pungentibus ſpinis coronari, lacera purpura per ludibrium veſtiri, ipſumque crudelium Hebræorum inſultibus, & improperijs traditum in medio duorum latronum in monte Calvariæ, publico nimirum ſupplicij loco, tamquam malefactorem crucifigi juſſit; Licet poſtea manus ſuas aqua abluendo, ab hac injuſtitia ſe purgare, & juſtificare voluerit dicendo: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Cui ſimiles ſunt multi per totum vitæ ſuæ decurſum, *rurſum ſibimetipſis crucifigentes filium Dei, & oſtentui habentes*, qui tamen ſtulte ſibi poſtea perſuadent, ſe per confeſſionem præpropere; & ex timore ſervili, metuque mortis, & inferni factam, nec non per infixa crucifixo oſcula, maculas haſce abominabiles, & fœtentes, in conſcientia ſua per triginta & quadraginta annos male contractas poſſe eluere. Petrus Cellenſis petitionem Epulonis de mittendo Lazaro in inferno factam conſiderat inquiens: *Petijt Epulo, ut Lazarus intingat extremum digiti ſui in aquam &c. ſed parum petijt, & ideo forte non impetravit. Parum, inquam, petijt, quia non in aqua, ſed in ſanguine flamma infernalis extinguitur, non enim levi, & momentanea compunctione gravis culpa detergitur, ſed eouſque penetrare debet vis doloris, quouſque acceſſit iniquitatis.* Gravis culpa non abluitur per aſperſionem aquæ ſanctæ à Parocho factam, non per tunſionem pectoris execrabilium ſcelerum inveterata ſentina tollitur, ſi enim hoc à divina miſericordia ſperare liceret, mundus utique hominibus ſceleratis adimplendus

Pilatus lavit manus ſuas, conteſtans innocentiam ſuam & ſimul tradebat Chriſtum voluntati Judæorum. — *Matth. 27. v. 24.* — *Hebr. 6. v. 6.* — Idem faciunt impij in fine vitæ. — *Petr. Cell. lib. de Pan. cap. 25.*

plendus eſſet, hi enim pro majori parte converſiones & pœnitentias ſuas ad extremum uſque mortis articulum reſervarent. Nimis evidentes ſunt illæ ab Incarnata veritate factæ proteſtationes: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt*; In quonam vero hæc divinæ voluntatis executio potiſſimum conſiſtit? Audite S. Paulum dicentem: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unusquiſque veſtrum, &c.* Examinetis igitur, an quod S. Apoſtolus præſcripſit adimpleveritis, ac tum demum regnum cœlorum ſperare licebit. *In lege Domini voluntas ejus*; Quonam vero modo eamdem obſervaſtis? *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* In extremo vitæ momento infirmus non ex motivo ſupernaturali plorat, ſed quia ſe unum pedem in ſepulchro habere, altero vero pede ſe in limine inferni ſtare conſiderat, & ideo lacrymæ ejus veræ non ſunt, ſed lacrymæ ſunt Crocodili, qui plorat quidem, ſed plorando fœtum extinctum non vivificat. *Plenam itaque manum ſanguine redemptoris, non extremum digiti in aqua tinctum expoſcat conſcientia de gravibus confitentis.* Idem Cellenſis paulo poſt modum oſtendit, quo infirmus in ultimo articulo in crucifixum cum fructu ſperare poſſit; Ait enim: *Lavet manus ſuas, non in ſanguine peccatoris, ſed in morte redemptoris. Tingat digitum in locum clavorum, & mittat manum ſuam in latus Salvatoris, ut ſicut animam ſuam pro nobis poſuit moriendo, & redimendo nos à morte ipſe Dominus, ſic iſte conſcientiam ſuam pro ſe exponat confitendo, & pœnitendo.*

Matt. 7. 10. Non omnis qui dicit Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. — *1. Theſſ. 4. 3.* — *Pſ. 1. v. 2.* — *Matt. 19. 17* — *Petr. Cell.*

5. Ubi advertendum eſt, Venerabilem hunc Scriptorem confeſſionem & pœnitentiam inſeparabiliter ſimul inter ſe conjungere. Multi quidem confitentur, at vero putaſne illos per talem confeſſionem ſalvari? Nequaquam ſalvabuntur, ſi dolor pœnitentiæ non ſit ſufficiens & validus, prout ut plurimum inſufficiens eſt in illis, qui in peccatis ſuis ſunt habituati, ſicut in ſequentibus diſcurſibus prolixius oſtendemus. In revelationibus S. Birgittæ Chriſtus huic ſanctæ fœminæ dixiſſe fertur: *Miraris cur illum non audio, quem vides multas habere lacrymas, & plurima largiri pauperibus pro honore meo. Reſpondeo tibi ad primum: Ubi duo fontes decurrunt, frequenter contingit, quod in unum convenientes, alterius aqua, quæ turbida eſt & lutoſa, maculat & deturpat aquam fontis puriſſimi, quam factam lutoſam quis poterit bibere? Sic eſt etiam de lacrymis multorum, quorumdam enim lacrymæ quandoque procedunt ex humiliatione inclinationis naturæ, quandoque ex mundi tribulatione, & dolore inferni. Talium enim lacrymæ ſunt, & fœtidæ, quia non prodeunt ex charitate Dei. Sed illæ lacrymæ ſunt mihi dulces, quæ procedunt ex conſideratione beneficiorum Dei, ex conſideratione ſuorum peccatorum, & amore ad Deum.* Plerumque per experientiam videmus, quod ſuſpiria, ſingultus, vota, preces, ſtridores, quos peccatores morti vicini edunt, ex illius horrore deriventur, non vero ex averſione & odio peccatorum commiſſorum; Pauci precantur pro anima, ſed curam habent pro corpore, ne moriantur.

Habituati ut plurimum habent dolorem inſufficientem. — *Revel. S. Birg. lib. 4. cap. 13.* — Viſio S. Birgittæ facta.

6. Malus latro Chriſto ſe commendavit dicens: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos.* Idem vicinus erat Beatiſſimæ Virgini, quæ peccatorum eſt refugium, viciniſſimus quoque crucifixo redemptori, qui in cruce pendens etiam pro crucifixoribus ſuis patrem rogabat, & tamen damnatus fuit. Judas ipſiusmet Salvatoris manibus communicatus fuerat, peccatũ ſuum publicè confitebatur, famam Redemptoris reſtituerat dicendo: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*; Similiter iniquæ venditionis comparatam pecuniam reſtituit, *quia retulit triginta argenteos.* Et tamen mortuus eſt deſperatus. Non igitur ſalutis ſignum ſemper eſt, ſi impius ſecundum exteriorem apparentiam cum devotione moriatur, ſi pœnitentia valida non ſit; Sæpe enim contingit, quod ſervi Dei quoad oculos mundi hujus male pereant, & tamen ſalventur. Lazarus mendicus in publica via jacebat, canibus circumdatus, ulceribuſque plenus, quis illum Dei inimicum fuiſſe non crediciſſet? Et tamen cœlitus ad illum miſſæ ſunt Angelorum cohortes, quæ illum in æternæ beatitudinis depoſitum deportarent; Econtra vero veriſimile eſt, quod dives Epulo circa lectum ſuum multos habuerit circumſtantes Sacerdotes, Scribas, Phariſæos, aliaſque perſonas religioſas, utpote quæ in ſimilibus occaſionibus à parentibus ſolent advocari, & tamen ſicut *duxit in bonis dies ſuos, ita & in puncto ad inferna deſcendit*, id eſt, ut ex Hebræo interpres quidam legit, *cum quiete ad inferna deſcendit*; Reprobi igitur certi ſunt, quod debita illis ſit æterna condemnatio, parum cum illis luctari habet ſpiritus malignus.

Luc. 23. 39. — *Matth. 27. 4* Damnatus latro invovocavit Chriſtum Judam pœnituit traditionis, ſed inſufficienter ad ſalutem. — Hiſtoria de Lazaro & Epulone — *Boldut.*

7. Et vero unum ex horribilioribus magiſque uſitatis ſupplicijs, quibus juſtiſſimus judex flagellat impios, eſſe ſolet, quod permittat, ut qui male vixerunt, ad ultimum uſque vitæ momentum converſionem ſuam tardantes, quoad exteriorem nihilominus apparentiam cum ſignis devotionis, & compunctionis moriantur, indeque alij ipſos imitentur in eadem via mala, non cogitantes, quod modicum hoc bonum, quod apparet, fictum ſit, & falſum. *Renuerunt enim accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſupra petram*, inquit Jeremias. Dic obſecro, quidnam tibi Echo eſſe videtur? Et unde oritur? Echo utique nihil eſt aliud, quam quædam vocis noſtræ ad ſaxum durum & concavum allidentis repercuſſio, ſaxum enim hac voce percuſſum, eamdem vocem ad clamantem redire facit. Sententia eſt Spiritus Sancti, ut ſupra probavimus: *Cor durum habebit male in noviſſimo:* Etenim per viginti & triginta annos impij corda ſua in peſſimis omnium vitiorum habitibus indurarunt, in illo autem extremo vitæ momento, dum à circumſtantibus ſibi dici audiunt. Dicas ore, vel corde, *Jeſus, Maria*, ipſi quidem repetent *Jeſus, Maria*; Percute pectus tuum, & dic, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, ipſi ſubito obedient; Oſculare vulnera Crucifixi, mox labia ſua porrigent, verumtamen duritia in ipſorum cordibus ſemper perſeverabit, eruntque hæ voces, nihil aliud, quam vanum & infructuoſum Echo, de quo Sapiens ait: *Reſonans de altiſſimis montibus Echo deficientes faciebant illos præ timore.* Timor etenim corda ipſorum in illo momento, in quo *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus*, quaſi gelu quodam conſtringit, & indurat, *& quoniã abundavit iniquitas, refrigeſcit charitas*, ſine qua, ut dicemus, aditus in cœlum haberi nequit. Scimus ex fide, *quod nemo poſſit dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*; Cum igitur hi indurati peccatores, qui toties nomen Jeſu ore nominant, per totum temporis ſpatium Spiritui Sancto reſtiterint, utique Jeſum in illo ultimo momento Salvatorem ipſis futurum eſſe ſperare non poterunt, ſed potius, ut inexorabilem judicem experiri debebunt.

Jerem. 5. 3. — Deſcribitur Echo. — *Eccli. 3. 27.* — Illi comparantur in fine pœnitentes. — *Luca 18. 13.* — *Sap. 17. 18.* — *2. Cor. 2. 14.* — *Matt. 24. 12.*

DISCURSUS XIII.
ARGUMENTUM.

Actus amoris Dei ſuper omnia, ſine quo peccator ſalvari nequit, in mortis articulo difficulter eliciuntur.

THEMA.

Qui non diligit, manet in morte, 1. Joann. 3. ℣. 15.

1. Axioma hoc S. Joanni, divini amoris Secretario, à Spiritu Sancto dictatum; de morte corporali intelligi nequit, ſiquidem per experientiam videmus, multos vivere, licet non ament Deum; Ac proinde de morte æterna intelligendum erit, quam unusquiſque Deum mortaliter offendens indubitanter incurrit, *Quia anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*; Cumque ubi amor Dei non eſt, peccatum aboleri nequeat, conſequens eſt, quod qui poſt peccatum mortale actum amoris Dei non elicit, æternam perditionem evitare non poſſit. Hic autem eſt multorum error, qui ſe de vita præterita in fine vitæ pœnitentiã acturos eſſe confidunt, quod nõ advertant, nec ſe reflectant ad hoc, quod ſcilicet illis difficile, ne dicam impoſſibile futurũ ſit, actus amoris elicere erga Deum illum, quem ſupra ſe implacabilem & rigoroſiſſimum ſentient judicem. S. Bernardinus inquit: *Auguſtinus ſcribit, ſcriptum eſt, neminem ſine charitate ſalvum eſſe, &c. quem pœnitet ſero, oportet non ſolum Deum timere judicem, ſed juſtum diligere, non tantum pœnam timeat, ſed anxietur pro gloria. Ex verbis igitur Auguſtini patet, quod licet homo timeat pœnam, timori tamen præponere debet charitatem divinam; Difficile eſt in tali extremitate habere hunc actum hac principali circumſtantia intentionatam, & regulatum, & hoc maxime propter duo. Primo, quia timet infernum, nam qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc à ſeipſo extorquere poſſe diſplicentiam novam peccatorum ſuorum, niſi timore imminentis pœnæ, non charitatis divinæ, præſumitur enim, quod ſi remotus eſſet à pœna, ſicut prius, non extorqueret à ſeipſo diſplicentiam illam, ſicut nec etiam prius. Secundo, quia timet mortem; Nam ſaltem aliquod ſimpliciter involuntarium videtur cauſa iſtius diſplicentiæ,*

Explicatur thema de morte animæ. — *Ezech. 18. 4.* — *S. Bernardin. Tom. 1. ſer. 13. art. 1. cap. 2.* — Propter mortem & infernum elicitus dolor.

scilicet expectatio mortis propinquæ, mors enim ista involuntaria est, & quod non fit nisi ex suppositione cujusdam involuntarij, non simpliciter voluntarium dici potest, sicut per exemplum patet; Non enim omnino voluntarie quis projicit merces suas in mare, nisi ex suppositione cujusdam periculationis, quam nollet. Quod autem fit, nisi sit voluntarium, non est multum acceptabile illi, cui fit, quia non videtur propter ejus amorem fieri.

1. Cor. 13. 1.

2. Celebre est illud S. Apostoli effatum: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens;... Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sunt aliqui, qui quoadusque vixerunt, crudeles fuere erga pauperes; At vero morti appropinquantes, distribuendas mittunt ingentes eleëmosynas multa pia faciunt legata, sensusque pietatis, haud secus ac si S. Francisci personam induissent, se habere ostendunt, numquid hisce velut bono latroni paradisum aperiendum esse censeretis? Si id existimatis, valde profecto decipimini, quia effatum illud S. Joannis in themate propositum minime fallit, scilicet: *Qui non diligit, manet in morte;* Neque enim moribundus talis ad faciendas eleëmosynas ex motivo amoris Dei ducitur, vel ex amore erga proximum, ut scilicet alienis prospiciat necessitatibus, sed solum ob proprium commodum, quia scilicet per illarum eleëmosynarum merita se supervicturum, & à morte liberandum esse sperat; ubi autem amor Dei non est, meritum pro vita æterna adipiscenda esse non potest, nec opus Deo gratum & acceptum produci; Præterquam quod ideo moribundus liberalius eleëmosynas in ultimo vitæ momento dispenset, quia scilicet videt, quod divitias suas secum portare non possit: *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*, cæteroquin vero adeo liberalis non esset, & quod dat, contra suam voluntatem largitur, quemadmodum illi, qui merces suas in mare projiciunt, ut navim alleviantes eamdem à naufragij periculo salvent, ut supra audivimus. Porro S. Bernardinus adductis supra dictis rationibus, hanc statuit conclusionem: *Claret igitur ex jam dictis, quod durum & arduum est, quod talis Deum super omnia amet, quem antea super omnia odiebat. Exempli causa; Si quis foret cordialis amicus regis Granatæ, naturaliter tamen subditus Regi Aragoniæ, & faveret juxta posse Regi Granatæ, atque noceret toto conamine Regi Aragoniæ, & in hac inimicitia perseveraret per quatuor annos, & superveniret casus, quod Rex Aragoniæ caperet eum, multisque cruciatibus torqueret illum, nonne quasi impossibile esset; & incredibile, quod captus talis verteret amorem ad Regem Aragoniæ, totoque corde eum diligeret super cunctos homines totius orbis, super socios, super amicos, super filios, & cæteros consanguineos suos? Insuper addatur, quod eum specialiter diligeret, quia eum captum teneret, & cruciaret, & è converso averteret amorem suum à Rege Granatæ, & illum odiret super omnes homines mundi, quem tamen prius dilexit, nullamque causam dederit ei de novo odio generando. Sic utique in proposito esset de Rege vero, Domino Jesu Christo, & ejus adversario infernali, atque homine peccatore in extremis agente prædicto modo. Detur etiam in exemplum alter, qui in furto à quodam justo judice comprehensus est, perseveravitque longo tempore in furando, finaliter justa sententia condemnatur ad mortem, ducitur ad patibulum, quod ante se conspiciens lacrymabiliter veniam poscit dicens, non se in posterum similia patraturum. Quis existimabit hoc illum dicturum amore reipublicæ, vel justi Domini, aut judicis, & non potius timore, atque pavore mortis? Sic est in proposito de eo, quem pænitet in extremis.*

Avarus in fine dat eleëmosynas quia divitias in morte deserere debet.

Ps. 48. 18.
Et quod dat, dat contra voluntatem suam.

S. Bernardin. ibid.

Exemplificatur de captivo.

Item fure suspendendo.

3. Apud Isaiam Deus expressis verbis se declarat, quod tametsi per longum annorum decursum peccata & offensas à reprobis sibi illatas patienter dissimularit, suo tamen tempore, id est, in articulo mortis ipsorum, tanto se illis iracundiorem esse futurum: *Tacui semper, silui, patiens fui; Sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul.* Similiter Apostolus illos, qui Deum ad pœnitentiam vocantem, & patienter illorũ emendationem expectantem contemnunt, his verbis perstringit: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Secundum autem duritiem tuã, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Porro tempus mortis est illud, in quo Deus, justus Judex, vel bonos præmiat, vel malos & impios severe castigat; Peccatoribus est dies iræ; dies furoris, dies vindictæ; *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ*, ut est apud Sophoniam, *dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis*; Ac proinde cum dies ille tempus illud sit, in quo (ut pluribus Scripturæ sacræ locis prædixit, & in decursu omnium sæculorum per varios funestos eventus ostendit) manum suam ad fulmina iræ suæ contra impios in malo habituatos vibranda apponet, qua ratione à divinæ irascentis justitiæ flagellis percussi tunc in tam brevi tempore actus charitatis & amoris elicere poterunt erga Deum, aspere illos tunc percutientem, in se excitare poterunt? Præterquam quod non sit in potestate illorum positum, ut similes actus pro suo arbitrio & beneplacito elicere possint, nisi speciali divinæ gratiæ auxilio ad similes actus permoveantur. Explicemus idipsum pulchra quadam, omnibusque nota similitudine: Sit enim v.g. servus aliquis emptitius, contumax, infidelis, suoque Domino rebellis, qui post fugam à Domino suo factus captivus, ab eodem cum omni severitate flagellaretur, & torqueretur; Crederetne; quod talis sub flagellis & livoribus totum corpus occupantibus constitutus, Dominum suum vehementissimo cordis affectu amaturus esset? Utique potius crederes, quod illum mortali prosecuturus esset odio, licet exterius fidelia ipsi servitia promittat. Si enim priusquam tam sævis verberibus à Domino suo affectus fuerat, illum non amavit, sed ab ejus servitute declinare & fugere voluit, quanto magis idipsum nunc faciet, quando se in procinctu mortis constitutũ videt, scitque pro certo, quod si supervixerit, flagella, ferra & compedes ipsi sine dubio sint duplicandi? Enimvero peccator est hic servus, qui amissa vera filiorum Dei libertate, à jugo divinæ legis se subducere molitur; *Vadam post amatores meos, &c.* Deus autem post longam patientiam, infidelitatem ejus per hanc vel illam infirmitatem mortalem, vel per hoc vel illud lethale vulnus, unde sibi moriendum esse videt, castigat, & flagellat, ipse vero quia se sub tam sævis flagellis constitutum cernit, fidelem deinceps ipsi per omnem vitam servitutem exhibere promittit, licet eum antea contempserit, & Vatiniano odio prosecutus fuerit. Credemusne, quod talis se in limine inferni positum esse, & à Deo juste castigari cernens, eumdem sit amaturus? Nequaquam, illum quidem timebit, sed timor hic servilis ad ejus salutem non sufficit. Etenim si quando per tot annos sibi beneficus fuit, indulgendo sanitatem, divitias, honores, delicias cunctasque alias prosperitates temporales, illum nihilominus non amavit, sed obstinatus ejus inimicus fuit, & ad omnes ejus voces surdus, credisne, quod ille tunc, quando sub virga positus est, odium in benevolentiam & amorem sit mutaturus? Si id credis, graviter erras. Fidei articulus est: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die*; Sunt enim verba Salvatoris, quibus perverso alicui promisit, quod in extremo vitæ suæ momento illum à morte peccati ad vitam gratiæ sit revocaturus, cum hoc tamen pacto, ut prius ab æterno Patre suo tractus sit, id est, quod prius divinas inspirationes acceptarit, iisque paruerit. Deus quidem ex parte sua nos invitare non prætermittit. *Sapientia enim foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum.* Ecce qualiter Deus nobis Spiritum Sanctum offerat, qui ad eliciendos actus amoris erga Deum, est necessarius; *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* At vero peccatores ad divinas ejus inspirationes surdi sunt, divinaque ejus auxilia contemptibiliter spernunt, quibus proinde dici potest: *Dura cervice vos semper Spiritui Sancto resistitis.* At vero quidnam ex hac rebellione sequitur? *Tantum abest*, quod in articulo mortis dispositi futuri sint ad amandum Deum, vel quod Spiritus Sanctus ipsorum corda occupabit, in eosque pietatis suæ thesauros effundet, ut potius apertis verbis protestetur dicens: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*; Id quod etiam à Propheta Regio his verbis vaticinatum fuit: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos; Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* Speratisne Spiritum Sanctum vobis futurum favorabilem & propitium, *qui Spiritui Sancto semper restitistis, ejus instinctum non prosequendo?* Ut Dionysius Carthusianus exponit; vel etiam ut Hugo Cardinalis interpretatur: *Qui numquam pænitentiam egistis.*

Isai. 42. 14.
Deus in morte non dissimulabit amplius.
Rom. 2. 5.

Sophon. 1. 15

Non est in libertate hominis elicere actus meritorios.

Similitudo de mancipio.

Osea 2. 5.

Applicatur peccatori usque in finem vitæ.

Joan 6. 44.

Qui tractum patris sequuntur, convertuntur.

Prov. 1. 20.

Rom. 5. 5.

Act. Apost. 7. 51.

Non vero, qui illi resistunt.

Psal. 24. 9.

Dion. Carth. ibid.
Hug. Card.

4. S. Paulus

4. S. Paulus nos monet inquiens: *Nolite contristare Spiritum Sanctum*, id est, ut Doctor angelicus exponit: *Nolite eum fugare, vel expellere per peccatum.* S. Ambrosius ait: Spiritum Sanctum *contristatum dici nostri causa, quod læserimus eum, contemnendo monita ejus; Contristatio itaque ejus indignitas nostra est.* Quonam igitur modo in ipsum confidere poterimus, quem semper exasperavimus, maxime cum S. Laurentius Justinianus dicat: *Neminem prorsus nisi contemnentem relinquit.* Quod si igitur eum in vita contempsisti, nimis temeraria erit præsumptio, si ejus favorem tibi in morte promittas. Blosius pro nostra instructione in hæc verba scribit: *Vide ne teipsum fallas, & veniam indubitatam tibi promittens in malis perseveres, resipiscereque differas, nam multi hac persuasione decepti pereunt. Tibi quidem promittitur peccatorum remissio, si etiam in extremo vitæ periculo positus, verè, id est, ex amore Dei magis, quam metu supplicij pænitentiam egeris, non tamen tibi promittitur futurum, ut tunc verè pænitentiam agas. Sane hujusmodi pænitentia, quæ usque ad extremum vitæ differtur, dubia admodum est, periculosa est, non semper vera est.* Quis persuadere sibi poterit, quod in mortis angustijs constitutus, movendus sit ad detestandum peccatum ex puro motivo amoris Dei, & non potius ex timore & horrore mortis, inferni, & divinæ justitiæ implacabiliter in ipsum ulciscentis? S. Thomas in lib. 4. Sentent. sequentem adducit S. Augustini doctrinam dicentis; *Duæ res sunt; Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur, quid horum tibi sit futurum nescio. Ergo tene certum, & dimitte incertum*; Et mox subdit Angelicus Doctor: *Sed quare hoc dixit Augustinus; Cum pænitentia, quæ in fine agitur, in Psalmo appelletur Sacrificium vespertinum, quod erat acceptabilius in Lege; Et in quocumque die invocetur, Deus adsit, & quacumque hora ingemuerit, & conversus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur. Sed illa dixit Augustinus propter illos, qui pænitentiam usque in finem vitæ protrahunt, & tunc non ex Dei amore videntur pænitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. Unde idem quasi aperiens, quare superiora dixerit, ait: Nullus expectet, quando peccare non poterit; arbitrij enim libertatem quærit Deus, ut deleri possint dimissa, non necessitatem, sed charitatem; non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem ergo serò pænitet, oportet non solum timere judicem, sed & diligere, quia sine charitate nemo salvus esse potest. Non ergo tantum timeat pænam, qui pænitet, sed anxietur pro gloria. Quæ conversio si contingeret alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione, sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de pænitente sero, maxime cum filij, quos illicite dilexit, sint præsentes, uxor & mundus ad se vocent. Multos solet serotina pænitentia decipere.*

Ephes. 4. 30.
S. Thom. ibid.
S. Ambros.
Quid sit Spiritum S. contristare.

B. Lau. Just.

Blos. Parad. animæ cap. 2.

A Deo non promittitur in fine vitæ pœnitentia vera.

5. Porro causa hujus erroris, hæc est, quia impij persuadent sibi, ad salutem in illo ultimo vitæ momento sufficere, si quis pectus suum tundat, si quis doleat, si crucifixum devote amplexetur, Deique timorem concipiat, & non considerant, vel saltem se non reflectunt, quod omnia illa, quæ faciunt, ex solo mortis imminentis timore & horrore fiant, non vero ob Deum, summum illorum bonum, ab iisdem offensum, ac proinde actus amoris & charitatis supernaturalis revera non sint. Enim vero cor moribundi in extremo mortis articulo totaliter perculsum est à timore & horrore iræ Dei, mortisq; & inferni, quæ haud procul absunt; pariterque occupatum est ab inordinatis illis affectibus, qui tot annis in ipso fuerunt radicati, juxta illud: *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cũ eo in pulvere dormient.* Quonam igitur modo moribundus producere poterit Divini amoris actus ad quos producendos specialissima quædam divinæ gratiæ assistentia & concomitantia necessario requiritur, quam ipse, quamdiu vixit, temere à se abigere studuit?

Communis error peccatorum refutatur.

Job. 20. 11.

7. Notanda quoque est alia causa, cur is, qui pœnitentiam suam usque ad mortis articulum differt, impœnitens communiter moriatur; videlicet quia cum semper à timore Dei, atque quibuscumque pietatis operibus aversionem & nauseam habuerit, verisimile est, quod quamcumque tunc secundum exteriorem apparentiam devotionem exhibuerit, illa revera à corde non procedat, sed ex necessitate & anxietate timoris proficiscatur. Audiamus hac de re S. Bernardinum in hæc verba scribentem: *Virtutum & bonorum abominatio: amaritudo enim spiritualis & diutinæ infirmitatis, videlicet peccati inveterati, quæ maxime in extremo sentitur, facit omnes virtutes & spiritualia bona desipere, imo ut odiosa sentire, ita ut in his, quæ Dei sunt, verum videatur falsum, & falsum verum.*

S. Bernard. tom. 1. ser. 13 a. 3. c. 2.

7. Considerastisne umquam illam stultarum virginum parabolam, quibus ante faciem cœlorum clausa est janua, eo quod in illa hora, qua sponsus venit, lampadibus suis de oleo necessario tarde nimis providerint. Et vero quis est, qui per hunc liquorẽ charitatem præfigurari nesciat, quia sicut oleum omnibus alijs liquoribus supernatat, ita quoque Apostolus de amore Dei ait: *Major autem horum est Charitas.* In hac igitur parabola incarnata sapientia omnes fideles docere voluit, præparationem animæ nequaquam ad ultimum usque vitæ momentum procrastinandam esse, sed conandum illis esse, ut semper parati & prompti sint, propter difficultatem veros amoris Dei actus in illo extremo articulo eliciendi, eo quod tunc timor totum hominem occupet, & prævaleat. Verum quidem est, quod ut S. Joannes ait; *Perfecta Charitas foras mittit timorem*; attamen in illo momento docet experientia, quod timor & horror prævaleant, siquidem moribundi præsentaneam videntes mortem in mera sunt anxietate & angustia animi constituti.

Oleum lampadis charitas est.

1. Cor. 13. 13.

1. Joan. 4. 18.

8. Hugo Cardinalis super prædictam parabolam quemdam proposito præsenti maxime opportunum & utilissimum habet discursum; videmus enim, inquit, quotidie, quod sacerdotes curati, & prædicatores continuo suis auditoribus prædicando persuadere satagant, quod scilicet in fine vitæ constituti, mortique vicini simus, & tamen ab omnibus ridentur, nec ullus est, qui ipsis credat; quando autem inexpectate mortifera infirmitate corripiuntur, subito advocari faciunt confessarium, cui peccata sua confitentur, vitamq; suam emendare proponunt, nec tamen ideo salvantur: *Vadunt vacui, quia non propter odium peccati, sed propter mortis timorem volunt pænitentiam agere.* Et ideo in Lampadibus suis oleum non habent, actus veræ charitatis, & dilectionis non eliciunt, qui soli peccata delendi virtutem habent; Qua igitur ratione in illo momento se innumera peccata sua deleturos esse sperare possunt? Audiamus S. Gregorium de Charitate hunc in modum discurrentem: *Incendit plane peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem; tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor charitatis igne concrematur*; Quando enim ingens est moles & summa peccatorum, ingens quoque hujus ignis ardor & flamma requiritur. Hugo de S. Victore breviter quidem, sed pulchre circumscribit limites, intra quos peccatores æternam suam possunt sperare salutem, sed audite quonam modo id faciat. Dicit igitur: *Peccator es? ama misericordiam, quia si non amas, non mereris, nec tamen sub hac spe secure tibi peccandum est.*

Hug. Card.

Matth. 25. 3.
Advocantur in morte sed sæpe sine fructu.

S. Greg. h. 33.

Hug. de S. Vict. t. 3. l. 2. Par. 14. de Sacr. fid. c. 5.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Variæ assignantur rationes, ob quas Confessio, contritio & lachrymæ in mortis articulo inutiles sint.

THEMA.

Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur. 2. Cor. 7. ℣. 10.

1. HÆc Apostoli propositio omnem reprobis faciendæ in articulo mortis veræ pœnitentiæ, & consequenter adipiscendæ æternæ salutis spem detruncat, quia licet nonnumquam pœnitere videantur, illã tamen non est vera pœnitentia, nec contritio valida. Multi quidem se in ultimo illo articulo contritionem eliciturosesse confidunt, non cogitantes, quod difficillimum & periculosissimum sit, excitare actum contritionis validum, omnibus suis debitis conditionibus & circumstantijs vestitum; non est uniuscujusque hoc opus; Unde magnus quidam Dei servus à Deo magnopere illuminatus dicere solebat: Ego quotidie centum & amplius contritionis actus elicere soleo, sperans fore quod ad minus unus illorum veræ contritionis statum & conditiones debitas attingat. Et quidem ut difficultatem hujus actus distinctius intelligas, respondeas quæso, quidnam sit vera contritio, & quænam ad eamdem requirantur? Contritio est voluntarius pœnitentiæ actus cum summo peccatorum commissorum dolore in corde nostro ex motivo amoris Dei supra omnia delicta excitatus; Adeoque si hic actus vel minimum quid de timore mortis, inferni, vel alterius similis admitteret in attritionem

Difficultas eliciendi actũ veræ contritionis.

utique

utique degeneraret, quæ ad culpam abolendam non sufficit; Porro causa impulsiva ad contritionem dilectio Dei esse debet, debet quoque esse actus quidam voluntarius,& deliberatus,non coactus; Insuper conjunctam habere debet certam & indubitatam spem recipiendi peccatorum veniam. Tandem debet habere propositum confitenti, quam primum poterit. Qua igitur ratione peccator aliquis in suis malis habitibus inveteratus,qui per naturam,ut ita dicam, peccare solet, ex quo mala consuetudo in naturam conversa est, in extremo vitæ articulo se ad inferni limen positum, desuper vero divinæ justitiæ vindicativæ gladium districtum videns præsumere poterit, se omnis timoris esse expertem ? Et consequenter innumerabilium peccatorum suorum veniam & indulgentiam plenariam certo sibi promittet ? Quod si eo tempore, quo Dei oblitus vixit, hujus virtutis actus exercere non novit, non intellexit, nec ad illos mentem suam umquam applicavit,quomodo credere poterit,quod in angustijs mortis à passionum vehementia absorptus, contritionem, quam sibi fingit, prædictis passionibus totaliter contrariam, elicere sciet ? maximo cum tunc non sit habiturus tempus ad illam faciendam, nec memoria illam in eo articulo sibi suggeret,nec Deus ei communicaturus sit gratiam ad eam faciendam, ad quem tamen hujus doni collatio unice spectat.

Explicatio partium definitionis.

2. Confessio peccati similiter ut valida sit, non debet esse extorta, sed spontanea & voluntaria esse debet, ut à Deo accepteur,unde Psalmista ait : *Voluntarie sacrificabo tibi,& confitebor*, ac proinde neque reorum per tormenta extorta confessio valida censetur, nisi prius eamdem,postquam à tormentis depositi sunt,ratificent. Nequaquam vero judicium temerarium quis committet,si credat confessionem illius,qui male vixit, ac tandem in fine vitæ ad confitendum se accingit, potius ex timore & necessitate fieri, quam ex amore pœnitentiæ Sacramentalis,à qua,quoadusque vixit,horrorem & aversionem habuit. Apud Michæam dicitur : *Projiciet in profundum maris omnia peccata*, siquidem in illo extremo articulo illud Thren. cap. 2. *Magna velut mare contritio tua*; Sed advertendum est, quod licet navigantes merces suas in mare projiciant,hoc tamen minime libenter, & sponte faciant,sed ut naufragium evadant, & ideo suum erga merces illas affectum non deponunt,licet illas in medias aquarum procellas precipitent,quia cessante tempestate illas iterum piscantur, & illas diligentissime in aquis & sub aquis investigant. Ita quoque reprobis contingit,quia dum se abysso infernali vicinos conspiciunt,de peccatis pœnitere incipiunt, illa confitentur, seque illa commisisse displicet ipsis, non quidem ex eo motivo, quia Deum offenderint, vel quod à peccato averti sint,sed potius propter infinita mala, quæ ex peccatis non confessis, nec contritione deletis alias in ipsos resultarent; Hæc autem pœnitentia violenta est, efficitque, ut peccata quidem voce detestentur exterius, interius vero animum habent ad eadem redeundi, si superviverent, id id quod sæpe fieri solet.

Psal. 53. v. 8.

Mich. 7. 19. Thren. 2. 13.

3. S. Bonaventura super illa verba S. Augustini, *Arbitrij libertatem quam Deus,ut deleri possint commissa*, ita scribit : *Appellat hic Augustinus arbitrij libertatem,non ipsam potentiæ facultatem, sed expeditionem, secundum quam dicitur quis libere facere, quando non habet retardationem, hoc autem requiritur quantum ad bene esse conversionis; Hoc autem frequenter non habetur in morte pro eo, quod anima adeo est intenta dolori mortis, & ægritudinis, quod minus potest ad seipsam redire, & cogitare,quæ spectarent ad hoc,ut haberet aliquis sufficiens remedium veræ pœnitentiæ.* Et ideo Hugo de S. Victore ait : *Valde difficile est,ut tunc pœnitentia sit vera,quando tam sera venit, quando cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest.* Tertullianus ad aliud licet propositum discursum suum dirigens inquit : *Si adhuc clausum putas cælum, momento claves regni ejus hic Dominum Petro,& per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic unusquisque interrogatus, & confessus, ferat secum.* Vis igitur in puncto mortis tuæ claves cœli tecum portare, ut aperias paradisum, necessum est, ut confitearis peccatum, idque per confessionem validam, id est, in tali statu factam, in quo (si tamen possibile est) interrogari possis, quia Tertullianus dicit : *Interrogatus & confessus ferat secum*, confessio enim *fit per modum judicij* & ideo nequaquam expectandum est, donec amissus fuerit rationis & sensuum usus, ipsique voluntas suam amplius voluntatem non habebit. Idem quoque punctum Dionysius Carthusianus his verbis tangit : *Tempore magnæ ægritudinis, & præsertim tempore mortis, natura infirmantis ita debilitatur, interioresque sensus ita divè gravantur, & ratio eam graviter offuscatur, ut difficillimum sit tunc veram habere devotionem, salubrem contritionem,perseverantiamque finalem, sine valde speciali Dei gratia,quæ illis tunc datur,qui eam tempore sanæ incolumitatis meruerunt.*

S. Bonav. 4. sent. dist. 20. p. 1. art. 1. q. 1 ad 3.

Hug. de S. Vict. Tom. 3. l. 2. p. 1. 4. de sacr. fid. c. 5. Tertull. ad Gnost. c. 10.

Dion. Carth. a. 2. de Conversf. Peccat.

4. S. Bernardinus aliud quoddam punctum inculcat, scilicet, quod confessio voluntaria esse debeat, non autem ex timore facta, dicit enim : *Quantum deficit de libertate, tantum secundum rigorem requiritur in te intentior motus,quem vix,vel numquam poterit in talibus extremis anima infelix habere.* Verum quidem est, quod quando infirmitas gravis est, medicus infirmum de confessione facienda monere teneatur, similiter domestici, quando sunt timorati, & virtuosi, nec non amici, parentes, & Parochus eamdem habet de confessione urgenda solicitudinem; At vero infirmus, qui tot annis à Confessione tantam habuit animi repugnantiam, eamdem hoc solum fine facit, ne deferatur à medico, ne sepultura afinorum sepeliatur in locis profanis, vel ut se Christianum esse exterius demonstret, interius vero propter offensam Dei verum dolorem non habet, quia eodem tempore in corde suo dolet, ob deserendas voluptates, amores, delicias, divitias,aliaque hujus vitæ bona dimittenda; Unde non confiteretur,nisi ab hisce respectibus humanis, vel à pavore inferni extimulatus.

S. Bonav. ser. 13. a. 2. c. 4.

Fit etiam malè confessio propter respectus extrinsecos.

5. Achan commissum à se furtum punctualissime confessus est,prout ex sacro textu clare satis deducitur nec tamen propter hoc à supplicio moriendi sub saxis & lapidibus exemptus fuit; Cujus Rupertus Abbas sequentem assignat rationem : *Quamvis illo dicente : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, confitere, & indica mihi quid feceris, & ne absondas, ille confitendo respondevet : Verè ego peccavi Domino Deo Israel, & sic, & sic feci, non tamen ullam meveri ventam debuit, quia videlicet confessio nimium tarda fuit*, cui addi potest, quod Achan tunc peccatum suum fuerit confessus, quia se per confessionem illius mortem evasurum esse sperabat. Estque hic scopulus ille, in quem reprobi ut plurimum impingunt,scilicet quod confiteantur ex timore pœnæ æternæ, non vero ex odio peccati,vel ex dolore,ob Deum summum bonum offensum. Apud S. Hieronymum sequentia notatu digniissima verba, etiam ab Eusebio de morte S. hujus Doctoris differente relata, me legisse memini, videlicet : *Quæ est pœnitentia, quam solam quis accipit, quia se vivere non posse amplius cernit, qui se ex infirmitate convalescerat, pejor quam prius fierat ! Scio non multos pecuniosorum accepta in mortis articulo pœnitentia convaluisse corpore, & pejoratos vitam. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod bonus ei non est finis, cui mala semper fuit vita, qui peccare non timuit, sed in mundi vanitatibus semper vixit.* Seraphicus Bonaventura supra citatus super illa verba : *Tunc clamabunt,& non exaudiam*, ita scribit : *Dicendum, quod invocatio potest venire ex duplici principio, scilicet ex timore pœnæ, vel ex amore divinæ misericordiæ; Primum est servilis, & hanc vocationem Dominus non exaudiet. Secundum est filialis, & veritatis,& hanc invocationem exaudit, secundum illud Psalmi: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Idem Seraphicus in dubio præcedenti dixerat : *Qui sanus pœnitet, cum ei prospera arrident, tunc signum est, quod dolor suus est ex Dei gratia, non ex affectione terrena.*

S. Rup. Abb. l. in Jos. c. 2.

S. Bonav. ib dub. 2.

Multi post morbum fiunt pejores.

Ib. dub. 3.

6. Dionysius Carthusianus textum quemdam declarat S. Augustini, dicentis, quod non assecuret aliquem de sua salute,tametsi sanctis Sacramentis fuerit munitus, circa quam doctrinam dictus Carthusianus ita scribit : *Hoc loquitur Augustinus, non quod debitaverit, an tales salventur, dummodo ex vera pœniteant contritione, & decedant in ea, sed quia paucissimi taliumveram habent contritionem, & confitentur ex consuetudine quadam Ecclesiæ, aut ex servili timore distinctionis judicij divini, atque æterni supplicij, non ex vero zelo justitiæ, & charitate Dei, sine qua nihil proficit ad salutem. Hujus rei satis probabile signum est, quod si crederent se diutius vivere posse, non confiterentur, nec à solutis respiscerent culpis, ideo non amore boni, sed timore mali ad hujusmodi pœnitentiam inducantur, quamvis ex speciali gratia omnipotentis queat accidere, ut pœniteant verè.* Tandem vero concludendo dicit, quod si aliquis in illo articulo valide pœniteat, hoc contingat per miraculum omnipotentiæ Altissimi; Miracula autem rarissime, contingunt, & ideo ad

Dion. Carth. ibid.

Achan confessus est se non meruisse gratiam.

Miraculum Dei est ribundus si verè pœnitent.

ad ostendendum quam raro talis pœnitentia valeat, & à Deo accepetur, sufficit dicere, quod sit miraculum. Ac proinde Hugo de S. Vict. merito suadet dicens : *Si vis securus esse, pœnitentiam age dum sanus es, dum mens tibi vacare potest, exercе illam in opere suo. Valde suspecta debet esse pœnitentia, quæ coacta videtur esse. Facile est, ut homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optime voluntatem probat; Si non facis, dum potes, manifeste ostendis, quod non vis.* S. Ambrosius in exhortatione ad pœnitentiam, ad nostram instructionem idem, quod apud S. Augustinum legitur,in hæc verba scribit : *Qui posius in ultima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam,& mox reconciliatus fuit, & exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere, quia bene hinc exit; Non præsumo, non pollicor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Agens pœnitentiam, dum sanus est, & reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est.* Idem in progressu ejusdem tractatus subdit : *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite; Ego illud planius expono, ne aliquis me male intelligat. Numquid dico damnabitur ? Non dico, sed nec liberabitur dico. An aliud mihi dicis Sancte Episcope ? Quid tibi dicam, nescio. Dixit, non præsumo, non promitto, prorsus nescio ac Dei voluntate.* Ubi de illis loquitur,qui confessi sunt, quos tamen nequaquam securos esse pronunciat,quid igitur dicemus de illis, qui in actus contritionis sine Sacramentis elicitos confidere audent ?

Hug. de S. Vict. ibid.

S. Ambr. Exhort. ad pœnit.

De hoc datur experientia.

Blos. in Margar. c. 1.

Lacrymæ sunt fallaces.

Luc. 12. 49.

7. Cornelius à Lapide super illa Dei verba Prov. cap. 1. *Invocabunt me, & non exaudiam*, interrogat : *Ergone in hora mortis sera est invocatio Dei, & peccatoris pœnitentia ! Respondeo; Numquam sera est in hac vita, si vera, sed raro vera, quæ sera. Hi enim impij invocant Deum, postulantque remissionem non culpæ; sed pœnæ, ut scilicet mortem evadant; Et idcirco non exaudiuntur,nec dimittitur eis culpa, utpote cum id non petant, sintque impœnitentes.* Per experientiam quotidie videmus, quod ejusmodi peccatores in fine vitæ magnas de futura vitæ emendatione faciant, promissiones, vota emittant, jturamentis se adstringant, quod deinceps in austerissima velint vivere pœnitentia, hæc tamen omnia suam à timore mortis, non vero ab odio peccati habent originem. Unde S. Valerianus in homilia quadam ita scribit : *Solent aliquando imminentibus periculis ita animorum vota componere, ut accedente tempore obliviscantur, se aliquid Domino promisisse. Hic hostiam corporis sui offert; Ille pœnitentiæ lacrymas repromittit; Alius in amore Ecclesiarum, alius in honore Sanctorum vota reus existit; Sed ista tam facile est promittere, quam negare, circa quos tamdiu durat spes devotionis implendæ, quamdiu dolor sentitur in capite. Ita paulatim desuescit promissa denegare, postquam mortem caperit non timere.* Quod si ab effectu argumentari licet, experientia ut plurimum demonstrat, quod cum ejusmodi impij promissiones Deo factas suo tempore minime adimpleant, pœnitentia & dolor, quem in extremis exhiberunt, effectus & partus fuerit timoris imminentis mortis, non vero detestationis & aversionis à peccatis. Blosius igitur ad differendam veram pœnitentiam à ficta, sequentem modum insinuat : *Sat displicentia, inquit, & seria numquam peccandi voluntas, veraque erga Deum confidentia, & amor vera pœnitentia.*

S. Valer. h. 4.

8. Multi lacrymas, quæ nonnumquam ab impiorum oculis, in illo extremo vitæ momento dimanant, veræ compunctionis indicium esse existimant, sed & hoc signum sæpenumero fallax existit. Etenim calor & activitas ignis, herbarum & florum humores distillare facit, eosque in aquam, vel alium liquorem convertit. At vero quidnam per hanc similitudinem dicere intendo ? Nimirum nos quidem credemus, lacrymas à tali infirmo effusas effectus esse ab illo igne productos, de que Salvator ait : *Ignem veni mittere in terram, & quid volo,nisi ut accendatur ?* Verumtamen in Discursu præcedenti aliud credere edocti sumus. Etenim valde timendum, imo certum est, vel saltem raro fallit, quod lacrymæ illorum sint similes lachrymis Esau, vel Antiochi. Potius enim ignis inferni, cui se adeo vident vicinos, illos plorare facit,eo quod appropinquent illi loco,de quo scribitur : *Ibi erit fletus, & stridor dentium*, quemadmodum econtra electi in hac vita consolationes anticipant, & exordiuntur paradisi, dicente Psalmista : *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, ita ipsi anticipant in hac vita fletum, & stridorem inferni, S. Isidorus ait : *Multi lachrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt.* Quot enim sunt, qui ex desperatione, vel ob acerbitatem dolorum infirmitatis lacrymantur ? Quot sunt, qui perpetuum ab omni eo, cui in hac vita tam tenaciter adhæserunt, separationem deplorant : *O Mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantijs suis ?* Flent etiam tæpe amarissime, eo quod uxorem, & filios, pauperes & mendicos deserere cogantur.

Proposita bona infirmi oriuntur ex timore.

S. Isid. l. 2. sent. c. 16.

Eccli. 41. 1.

9. S. Gregorius Magnus exponens illa fatuarum virginum verba : *Domine, Domine aperi nobis.*, inquit, *Tunc regni janua lugentibus claudetur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur.* Ex quo loquendi modo, quo magnus hic Pontifex utitur, evidenter deducitur, dari in extremo mortis articulo lacrymas, nec tamen à similibus lacrymantibus veram sperari posse pœnitentiam. Manifesta est omnibus illa S. Regis Ezechiæ in lectulo infirmitatis decumbentis ad Deum fusa oratio : *Converti Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum, Et dixit : Obsecro Domine,memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate,& in corde perfecto,& quod bonum est, in oculis tuis fecerim, & flevit Ezechias fletu magno.* Quid igitur mirum, si Sancti hujus Regis exaudita fuerit oratio, vitæque ejus alij quindecim anni fuerint adjecti ? *Volumatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*; De illis vero,qui ad voces Dei surdos se exhibent, jam dici audivimus : *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Quod vero in prædicta Ezechiæ Regis historia, proposito nostro quam maxime deservit, hoc est, quod scilicet, ubi nostra vulgata legit : *Hæc dicit Dominus Deus, vidi lacrymas tuas*, Glossa, Hugo Cardinalis, & alij legunt in numero singulari *lacrymam*; At vero cum sacer textus clare dicat : *Flevit Ezechias fletu magno*, cur prædicti Scriptores legunt *lacrymam*, & non *lacrymas* ? Respondeo, quod cum S. hic Rex in maxima innocentia vitam suam transegisset, non habebat opus multarum lacrymarum effusione pro suis peccatis,ac proinde modicæ illæ lacrymæ, quas hoc fine effudit,multæ æstimantur ex alijs capitibus. Idem quoque multis evenire solet moribundis, tametsi enim hi sæpe lacrymis immadescant, Deus tamen optime novit, vix unam illarum effundi ex motivo offensæ in eum commissæ, major enim pars effunditur, vel ob infirmitatis pœnosissimæ angustias,vel propter separationem à conjuge, filijs,& amicis, vel ob ærumnarum sempiternarum apprehensionem.

Matt. 25. 11.

S. Greg. h. 12 in Evang.

Oratio Ezechiæ Regis infirmi fuit exaudita.

Isai. 38. 2.

Ibid. v. 3.

Ps. 144. 19.

Prov. 1. 28.

Isaiæ 38. 5.

Finis lacrymarum respicitur.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Pœnitentia non est in nostro arbitrio posita, sed auxilio divinæ gratiæ, ex mera Dei bonitate nobis datæ innititur, quam proinde ad obtinendam emendationem nostram implorare debemus.

THEMA.

Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Oseæ 13. ℣. 9.

1. DEus in præcitato Oseæ Prophetæ capite, & præcipue in assumpti thematis verbis populo Israëlitico improperat, quod sibimetipsi proprias fabricarit ruinas, exercitus alienigenos in sui perniciem super se advocando,unde eidem in suis miserijs ingemiscenti dicit : *Ubi est Rex tuus ? Maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis*, simulque indicat, omnia alia auxilia sibi fore inutilia,nullumque aliud sperare posse subsidium,quam ab omniponenti manu sua. Albertus Magnus verba illa cap. 8. lib. 1. Regum adducens : *Nam exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem ?* subjungit : *Humana enim virtus salvare non potuit.* Applicemus autem hæc verba in sensu morali ad præsens nostrum propositum. Etenim ex multis offendiculis, ad quæ homines impingentes in gravissima peccata corruunt, unum est,quod innumeros impios in profundissimam perditionis abyssum corruere facit,scilicet,quod sibi persuadeant, quod perversorum morum suorum emendatio, peccatorum commissorum condigna pœnitentia, & reditus ad amissam divinam gratiam, in ipsorum voluntate,arbitrio & beneplacito consistant, ita ut se emendare, de peccatis pœnitere, ad gratiam redire se posse putent, quando illis

Oseæ 13. 10.

Alb. Magn. 1. Reg 8. Error est quod impius possit reverti ad gratiam pro libitu suo.

illis placet & libet, cum tamen infallibilis veritas protestetur inquiens : *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum*, id est, ut Glosla interlinearis exponit : *Non ex te, vel quolibet alio erit, si pœnitentiam egeris.* Osee 13. v. 9.

2. In Tomo secundo hujus Operis in tractatu *de Judicio finali Discursu XII.* fusius probatum est, quod tunc omnes Sanctorum Angelorum, nec non beatissimæ Virginis pro peccatoribus cessabunt intercessiones, quod licet ibidem de tempore judicij universalis dictum fuerit, ad particulare tamen judicium quoque idipsum extendere licet, ac proinde non sine mysterio Deus ait : *Tantummodo in me auxilium tuum.* Nullus enim hominum sperare potest, quod ex voluntate propria etiam adhibito omni studio & solicitudine, à peccato resurgere, aut pœnitentiam agere possit, ni Deus per gratiam suam misericordiam ad eum sublevandum suam ei dexteram porrexerit; Et quidem tametsi etiam idipsum faciat, nisi efficacia ei præbeantur auxilia, peccator auxilianti Deo sæpe non cooperabitur, unde in Proverbijs lamentatur, inquiens : *Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Porro hujus veritatis plenæ sunt sacræ literæ, quod scilicet nemo habere possit vel minimam cogitationem, aut desiderium bonum, nisi Deus hoc illi dederit; Id quod S. Paulus apertis verbis asserit, inquiens : *Fiduciam habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Salvator quoque noster apud S. Joannem inquit : *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*; Et in progressu ejusdem capitis, Judæ, & aliorum incredulorum damnationem prædicens idipsum repetit, inquiens : *Dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* In cap. 15. Joan. sequentem omnibus intelligibilem adducit similitudinem : *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis. ... Sine me nihil potestis facere.* S. Paulus alio in loco ita scribit : *Notum vobis facio... quod nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Job pariter fatetur inquiens : *Ecce non est auxilium mihi in me*, Isaias vero expressius dicit : *Dominus meus, auxiliator meus*; Quem vero inde fructum perceperit, mox indicat subdendo : *Et ideo non sum confusus.* Deus quoque contumaci populo his verbis improperat : *Ubi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum; Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant; Videte, quod ego sim solus, & non sit altus præter me; ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere.*

Ex Deibonitate conjicimur. Prov. 1. 24. 2. Cor. 3. 4. Probatur ex variis Scripturæ locis. Joan. 6. 44. Ibid. v. 66. Joan. 15. 4. Ibid. v. 5. 1. Cor. 12. 3. Job. 6. 13. Isai. 50. 7. Ibid. Deut. 32. 37. Probat Deus Majestatem suam. Ibid. v. 38. Ibid. v. 39.

3. Ac proinde, cum hæc verissime ita se habeant, mirum profecto est, qua ratione reprobus persuadere sibi possit, vel ausit, quasi ipse ad pœnitentiam, post qualiacumque commissa peccata, pro libitu suo confugere possit, cum hæc directe & immediatè à divina misericordia, ejusque beneplacito dependeat: *Tantummodo in me auxilium tuum.* Unde S. Thomas ait : *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Osee. Perditio tua, &c.* Axioma est ab omnibus scholis receptum : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*; Si enim homo divinæ gratiæ ex parte sua cooperatus fuerit, hæc in ejus favorem mirabiliter adaugebitur; *Habenti enim dabitur, & abundabit*; qua vero reprobi quamdiu vivunt, divinam gratiam continuo à se repudient, qua fronte illam se in puncto mortis pro suo arbitrio & beneplacito habituros esse sperare poterunt? Stulta profecto & temeraria nimis est istiusmodi persuasio. Idem Doctor Angelicus alio in loco, de hoc ad conversionem nostram promovendam cœlitus nobis dato auxilio ita scribit : *Quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur*, Et ideo nemo est, qui sibi illud auxilium arrogare possit, cum ex mera Dei liberalitate proveniat; subdit vero sanctus Doctor : *Quibus vero non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati.* Habere igitur auxilium quoddam tantæ utilitatis, quantæ est hoc, quod scilicet homini servit ad eruendum pedes ejus ab inferno, & ad æternam beatitudinem illum dispondendum; Opportune vero Ecclesiasticus quoad hoc monet inquiens : *Neque adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas; Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Quæ verba Paulus de Palatio ita exponit : *Miseratio Domini magna est, non ut adjectas peccata, sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decreveris.* Gratia quomodo detur & non detur. S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Rom. 9. v. 16. Eccli. 5. 5. Paul. de Pal.

4. Verum enimvero ut omnino convincaris, divinam hanc pietatem nequaquam in tuo esse arbitrio positam, audi Dionysium Carthusianum dicentem : *Ne dicas, dando tibi ipsi audaciam perseverandi in peccatis, & peccandi in spe. Nec vera contritio potest proprijs viribus obtineri, absque respectu & immutatione Spiritus Sancti, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Denique hoc modo, ut Climacus plenius docet, seducit diabolus miseros homines, quia dum sani sunt, suggerit eis, infinitam esse misericordiam Dei, & posse facilius veniam impetrari; dum vero in extremis sunt, proponit eis rigorem divinæ justitiæ, & multitudinem, magnitudinemque culparum suarum, ut desperent.* Idem quoque punctum, scilicet quod ad Deum pertineat nostram operari salutem, nostrum vero esse, ut ejus auxilijs cooperemur, Bernardus hisce verbis tradit : *Initium revertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster sed Dei.* Idem quoque *de gratia & libero arbitrio* in peculiari tractatu differens ait : *Lapsus ex voluntate, non æque ex voluntate resurgere jam liberam habet, quia ei si datum fuit voluntari, posse stare ne caderet, non tamen resurgere, si caderet, non enim tam facile exire de fovea quis valet, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere.* B. Laurentius Justinianus rationem assignat, cur Salvator noster in pluribus Evangelij locis, nos, ut præparati semper simus, tam solicite hortetur; Ita enim scribit : *Sciens quod nihil sic reddit hominem tardum ad bene operandum, atque in sceleribus perdurandum, quemadmodum ad benepla citum consequendæ veniæ, subdola, vanaque fiducia. O quantos decepit hæc pestis? & quantosque hujusmodi inconsulta spes dejecit in tartarum?* Deceptio diabolica. Dion. Carth. S. Bernard. ser 1. de Pentecost. S Bernard. Tract. de gratia & lib. arbitr. B Lau. Just. de perfect. gra. cap. 2.

5. Hoc igitur præjacto fundamento, quod scilicet solius Dei sit præstare auxilium ad faciendam pœnitentiam, juxta illud : *Tantummodo in me auxilium tuum*, qua ratione, quaque temeritate peccator sibi tanta cum facilitate promittere poterit, maxime cum in vita sua aliud nihil fecerit, quam quod Deum ad se castigandum exasperarit, & provocarit? *Benignus est Spiritus Sapientiæ*, inquit S. Bernardus, *sed non liberabit maledictum à labijs suis; Audi, quis ille sit : Maledictus, qui peccat in spe.* Audiamus S. Fulgentium dicentem : *Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deferat pœnitentem, ac per hoc, si ex toto corde quisquam venientes peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo, etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit; unum, dum onerat, comprimit, alterum, dum elevat, dejicit.* Qui per multos annos Deo rebellis fuit, divinisque vocibus ejus surdum se exhibuit, atque ejus comminationes risui habuit, qua fronte is in extremo articulo ipsum invocare præsumet, cum ipse Deus claris verbis talibus comminetur : *Ego quoque in interitu vestro ridebo?* Quibus meritis innixus sperare poterit, quod Deus dona sua cœlestia, divinasque gratias suas in peccatricem, totque annis obstinatam animam suam sit infusurus? Numquid enim hoc forte facturus est ideo, quia multas animas tot malis exemplis, & scandalis a te commissis, ab eo seduxisti? Vel qua temetipsum innumeris sacrilegiorum, homicidiorum, incestuum, blasphemiarum, aliorumque criminum turpissimis sordibus te coinquinasti? Verissimum quidem est, quod Deus sit misericors, verumtamen etiam protestatur dicendo : *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Quodnam vero hoc tempus Deo acceptum esse existimas? Idipsum explicans subdit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, quasi diceret, tempus illud non est tempus futurum, sed præsens; Sicuti enim Deus est misericors, ita pariter & justus existit. Quisnam obsecro sui liberationem, & à pœnis evasionem firmius sperare potuit, quam Achan; Hic enim præterquam quod tempus fugiendi habuerit, insuper postquam furtum suum confessus fuerat, veniam haud inaniter sperare poterat; Et tamen nec hanc obtinuit, nec umquam, ut fuga se salvaret, ei in mentem venit; Scitisne causam? Causa hæc est, quia Deus in extremis illis angustijs omne 2. Cor. 6. 2. Ibid. Maledictus qui peccat in spe Osee 13. 9. S. Bern. ser. 38. in parvis. S Fulgent. Epist. 7. c. 54. ad Venantium. Temeraria præsumptio. Prov. 1. 26. Quinam sint dies salutis.

omne consilium peccatori adimit. *Denunciatum fuit per unam diem ante*, inquit Abulensis, *& jussum est, quod sequenti die omnes venirent coram Domino, ad declarandum quis peccasset.* Demum vero ad nostrum propositum concludit inquiens : *Dicit potest, quod quamquam Achan timeret futuram sibi mortem, tamen Deus perverti cor ejus, ita ut nec maneret ei consilium, neque vires.* Abul. q. 42. in cap. 7. Jos.

6. S. Anselmus saluberrimum nos modum docet, à nobis in tentationibus observandum, ne in eis & nostram offensam de divina misericordia præsumamus, ait enim : *Quando quis tentatur, non debet dicere : Misericordia Domini magna est, sed hoc potius : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Quando appetitus luxuriæ quemcumque pulsat, ut cogitet tunc : Quacumque die peccator ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur, sed potius sæpe recogitando trahet, quod maledictus omnis quis peccat in lege.* Advertendus hic quoque est Discursus quidam S. Augustini super Psalm. 101. Quia enim, ut idem sanctus Doctor ibidem scribit, gentiles Christianos in hoc accusare consueverant, quod scilicet ex eo, quod Deus ipsorum peccatoribus tempus indulgeat pœnitentiæ & impunitatis excessiuum ipsorum, dummodo de illis postea pœniteant, ipsi exinde majorem eum offendendi præsumptionem habeant, confidentes, misericordiam ejus semper fore promptam ad ipsis condonandum. His igitur sanctus Doctor in hæc verba respondit : *Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, & nulla erit peccatorum indulgentia, ubi eris? Sed tamen, inquies, augent homines peccata spe veniæ. Hoc portu proposito, deponis vela iniquitatis, convertis puppim, velificas ad justitiam, & speras vitam, non neglegis medicinam. Ne desperatione homines pejus viverent, promisit indulgentiæ portum; Rursum ne de spe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum, prudentissime utramque constituens, & reverentes, quo recipiantur, & differentes, unde terreantur.* Et ideo benignitas Dei, qua nos recipit, & ad pœnitentiam expectat, nequaquam nos ad eum offendendum, & in rebellione contra ipsum diutius perseverandum, reddere debet animosiores & audaciores. D. Chrysologus in sermone quodam illum explicans S. Pauli textum : *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet, &c.* ita scribit : *Si enim, ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia, si prona est delinquentibus pietas, si gratia copiosa peccantibus, si injustis amica largitas est divina, certe si futura bona malis præsentibus acquirantur, quid nobis virtutum iter arduum? quid durus obtinendæ justitiæ labor? quid inter malos jugis servandæ innocentiæ cruciatus? Augeantur humana facinora, ut bonitas cœlestis exuberet, permaneamus in peccato, ut gratia abundet. Ad hæc fratres idem, qui interrogat Apostolus, ipse respondit : Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Enimvero misericordia & auxilia Dei immensa sunt, efficacissima, & promptissima sunt, sed quo putas fine? Ut nos à peccatis resurgere faciant, non vero ut ad persistendum in illis pœnitentiamque procrastinandam nos animent. S. Fulgentium auscultemus, quo modo is comminetur illis, qui in divina pietate subnixi, emendationem suam procrastinant, præmisso enim sequenti Psalmistæ versiculo : *Quoniam justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*, ita scribit : *Quisquis igitur hæc audiens in præsenti tempore misericordiam Dei noluerit per conversionem quærere, in futuro eam numquam poterit invenire.* Hujusque comminationis evidentissimam affignat rationem, nimirum, quod Deus per S. Jacobum Apostolum significari nobis fecerit, quod *Judicium sine misericordia illi fiet, qui non fecerit misericordiam; Ordo autem misericordiæ continet, ut misericordiam, quam homo impendere jubetur alteri, prius exhibeat sibi*, dicente Scriptura Eccli. 30. ℣. 24. *Misérere animæ tuæ placens Deo, proinde si quis Deo placere non vult, animæ suæ misericordiam denegat, & qui animæ suæ misericordiam in præsenti sæculo noluerit donare, nullatenus misericordiam apud Deum poterit invenire.* Finis misericordiæ Dei. S. August. Conc. 1. in Psalm. 101. Remedium non peccandi, & post peccatum resurgendi. S. Fulgent. lib. 2. de remiss. peccat. Jacobi 2. 13. Eccli. 30. 24.

7. S. Gregorius Nazianzenus illos, qui suo tempore Sacrosanctum Baptismi lavacrum differebant accipere, ut tanto diutius majori cum libertate carnaliter possent vivere, his verbis reprehendit : *Baptizemur hodie, ne oras vi aliqua cogamur, Ne beneficium tamquam injuriam differamus, nec expectemus, ut plura peccata conferamus, quo plura nobis condonentur, nec Manssi Bibliothec. Tom. IV.* Hortatur ad maturius suscipiendum baptismum. Nazianz. orat. 40. Christo cauponum, & negotiatorum ritu abutamur, nec graviori sarcina oneremur, quam vires nostræ ferre queant, ne una cum navi demergamur. Ad eumdem execrabilem benignitatis & beneficentiæ Dei abusum detestandum, sequens quoque adjungit motivum : *Quia gratuita misericordia proponitur, ideirco tibi promptia & exposita beneficentia & liberalitas contemptum parit.*

8. S. Ambrosius lib. 2. De Pœnitentia cap. 11. eum, qui conversionem suam procrastinat, his verbis interrogat : *Quid enim quod differas? An ut plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus est, tu malus es, & divitias bonitatis ejus & patientiæ contemnis?* c. 11. *Sed bonitas Domini magis ad pœnitentiam te debet inducere.* Subdit postea utilissimum monitum pro illis, qui in peccatis persistentes, Sacramenta sibi promittunt, ut illis uti possint, quando eis videtur, & placet : *Nemo*, inquit, *in peccato positus arrogare sibi debet authoritatem aut usurpationem Sacramentorum, quia scriptum est : Peccasti? Quiesce.* D. Chrysologus ad idem propositum sequentem habet ingeniosam confiderationem : *Medicus non vulneri, sed curæ proficit, & salutí; Nec putredini, nec morbis, sed sibi congaudet ille sanitati; Ita & Deus, qui pro magnitudine vulneris, adhibuit magnitudinem, vigoremque medicinæ, & nec peccato, sed homini largitus est gratiam, nec ad multiplicanda, sed ad delenda delicta imbrem suæ pietatis effudit. Nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. Ingratus medico, inimicus est curæ, qui semper curari æstuat, nec umquam desideret hic sanari, & ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari.* Quisquis sperat se in fine vitæ fine operibus bonis salvari, idem facit, ac si præsumeret, ut avis aliqua sine alis volaret; *Opera enim illorum sequantur illos.* Quatuor illa ab Ezechiële visa mystica animalia, quæ currum illum trahebant, qui æternam præfigurabat beatitudinem (propter quod in eadem visione Propheta cœlos apertos conspexit) teste sacro textu *manus hominis sub pennis eorum habebant in quatuor partibus*; Per manus autem denotantur opera, quæ ad volandum in paradisum omnino sunt necessaria. Qui autem male vivunt, & ad extremum vitæ suæ fine operibus meritorijs redacti, nihilominus de pietate divina præsumunt, quam per tot annos turpiter adeo repudiarunt, temeritatem inexcusabilem committunt; Nam ut S. Augustinus ait : *Promisit Deus indulgentiam, si me mutavero; Video, scio, promisit Deus indulgentiam, per S. Prophetam hanc promisit, & per me minimum servum suum promisit. Verum est, quod promisit, hanc promisit per unicum filium suum. Sed quid vis addere dies malos, diebus malis? Sufficiat diei malitia sua. Malus dies hesternus, malus & hodiernus, malus & crastinus. An putas esse bonos dies, quando satisfacis voluptatibus tais? Quando in luxurijs enutris cor tuum? Quando insidiaris alienæ pudicitiæ? Quando fraude contristas proximum tuum? Quando fassum pro nummo juras? Quando exhibes tibi bonum prandium, ideo putas, quia bonum diem ducis?* Cum hisne operibus peccaminosis, quibus per totam vitam nostram ultricem Dei justitiam & iracundiam irritavimus, divinam misericordiam in extremo vitæ nos impetraturos esse sperabimus? S. Cyprianus de bono Patientiæ differens, ad nostrum propositum ita scribit : *Numquid opulentiam bonitatis ejus, & sustinentiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia & benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* S. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 11. Chrysolog. ibid. Similitudo de Medico. Ezech. 1. v. 8. Ibid. Per manus significantur opera. S. August. Hom. 11. Exod. 50. Boni dies impiorum. S. Cypr. de bono Patient.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Deum illos, qui ad usque finem emendationem suam differunt, totaliter abominari, & rigide castigare, varijs probatur rationibus & exemplis.

THEMA.

Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum. Prov. 1. ℣. 23.

1. DEus apud Sapientem in parabolis illis, qui cor suum divinis vocibus occludunt, comminatur inquiens : *Convertimini ad correptionem meam*; Porro vocatio, qua Deus impios ad emendationem extimulat, quamque illi furda aure excipiunt, hæc est : *Vocavi, & renuistis*, ac proinde protinus la-

Prov. 1. 25. — *Ibid. v. 23.* — *Dion Carth.* — Hic spiritus vocatur vindicta.

mentatur inquiens : *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis* ; Merito igitur severum hoc illis interminat supplicium : *Proferam vobis Spiritum meum*, id est, ut Dionysius Carthusianus exponit, *vindictam meam*, quasi diceret : *æternam damnationem pronuntiabo, ut vel ex timore cessetis peccare* ; *Solet enim Spiritus pro indignatione, ira, seu ultione accipi in Scripturis* ; Cum enim Deum in expectatione illorum ad pœnitentiam, nec non in innumerabilium scelerum ipsorum dissimulatione experti fuerint patientem, cur non etiam eumdem experturi credentur justum, cum ex æquo tam justitia quam misericordia proprium Dei sint attributum. Unde S. Augustinus ait : *Intendant, qui amant in Domino mansuetudinem, timeant veritatem* ; *Etenim dulcis & rectus Dominus, Amas, quod dulcis est ? Time, quod rectus est. Tamquam mansuetus dixi. Tacui ; sed tamquam rectus. Numquid semper tacebo ? Misericors & miserator Dominus. Ita plane, adhuc adde, Longanimis ; adhuc adde : Et multum misericors, sed time quod est in novissimo : Et verax ; quos enim modo sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. An divitias longanimitatis & mansuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam Dei te adducit ? Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei.* Hactenus Augustinus.

S. Aug. Tr. 33. in Joan. — Debet Deus amari & timeri.

2. Salvator noster apud S. Lucam excidium Jerosolymitanum præcedens ait : *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, Et ad terram prosternent te* ; cujus desolationis causam paulo ante his verbis insinuaverat : *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* ; Insuper subdit : *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Porro quis ignorat, quod Jerusalem uniuscujusque nostrum animam designet ; Hæc autem in agone mortis in talibus reperietur constituta angustijs, de quibus Deus, ob frequentes, quas à peccatore passus est vocationum & inspirationum suarum repulsas, in cap. 1. Proverb. prædixit inquiens : *Cum irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia.* In articulo enim mortis in ijs, qui male vixerint, adimplebitur illud : *Circumdabunt te inimici tui &c. qui enim umquam sunt humanæ animæ majores inimici, quam maligni Spiritus ? Qui animam à corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam, deceptorijs delectationibus fovent, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes, coarctant. Animam coangustant undique, quando eis non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ prius se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione.* Arctissima erit tunc in illo extremo mortis articulo animæ obsidio, quando *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, quando à doloribus atrocissimis omnia moribundi torquebuntur membra, & mens ab horrendis mortis, judicij, & inferni agitabitur pavoribus ; Unde S. Gregorius Magnus ait : *Quam angustæ viæ erunt undique reprobis ? Superius erit Judex iratus, subtus horrendum chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus conscientia urens. Miser peccator sic deprehensus, quo effugiet ?* Quod si dixeris, non defuturam ibi Dei misericordiam ; Respondeo quod tunc amplius tempus non erit, ac proinde Salvator aperte ait : *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi* ; *In hac die* inquit, quasi diceret, deinceps tarde nimis id cognosces. Dux aliquis bellicus civitatem hostilem obsidens, inducias quidem pro aliquo tempore cum eadem inibit, ut se ad capitulandum secum resolvat, & cum pactis conditionibus sese tradat ; At vero si obstinata fuerit, obsidionem urget, machinis militaribus eamdem concutiet, cuniculos aget, sicque tandem violenta manu eamdem invadens, deprædabitur illam, & igne conflagrabit, terram sanguine inundari faciet, muros demolietur, totamque civitatem in miserabilem quemdam lapidum acervum rediget. Idem prorsus sæpenumero mysticæ animæ civitati contingit, Deus enim ipsi per multos annos inducias quidem indulgebit, emendationem præstolabitur, dissimulabit, suos mittet Heroldos, & legatos, id est, sanctas suas inspirationes ; qui eam ad sui deditionem inducant ; At vero si obstinata permanserit, spirituum rebellium exercitum illi immittit, ut is eam in suam potestatem redigat ; *Hi coangustant undique, & ad terram prosternunt, .. eo quod non cognoverit tempus visitationis suæ.* Petrus Blesensis *de Confessione Sacramentali* scribens, verba illa Christi : *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illa die &c.* in favorem nostrum declarat inquiens : *De his, qui pœnitentiam differunt, donec suis desiderijs satientur, scriptum est : Væ prægnantibus & nutrientibus in illa die.*

Luc. 19. 43. — *Ibid. v. 44.* — *Ibid. v. 42.* — *Ibid. v. 44.* — Turbanda Jerosolyma designat animam peccatricem. — *Prov. 1. 27.* — Coangustationes dæmonis in morte. — *Sap. 9. v. 15.* — Moribundi angustiæ sunt ab omni parte. — *Luca 19. 42.* — Praxin belli ducum imitatur Deus. — *Luca 19. 44.* — *Petr. Bles. de Confess. sacram.*

3. S. Augustinus super Psalmum 144. scribens ait : *Ille quidem longanimis, tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Non enim modo sic longanimis in sustinendo, ut nequaquam justus in vindicando ; Distribuit tempora, vocat te nunc, exhortatur te nunc, expectat, donec resipiscas, & tu tardas ? Magna ejus misericordia & in hoc, quod diem vitæ tibi incertum fecit, ut nescias, quando hinc emigrabis, & cum quotidie speras te emigrare, aliquando converetaris, & in hoc magna ejus misericordia : Cæterum si statuisset diem omnibus, faceret abundare peccata de securitate.* S. Cæsarius Arelatensis misericordiam Dei utilem esse docet, dummodo eadem prompte uti non tardemus : *Licet*, inquit, *sit ista tam magna misericordia, tamen tunc nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddamus.* In principio matutini quotidie dicimus : *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ* ; At vero quodnam est signum illud, unde nos de numero electorum esse, certo dignoscere possumus ? Ipsemet cœlestis Pastor signum illud nobis insinuat, dum ait : *Oves meæ vocem meam audiunt . . . & ego vitam æternam do eis* ; Advertendum tamen est, nequaquam in divinis vocibus ejus prompte auscultandis differendum esse, sed *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Qui enim crastinum expectat, similis est corvo, qui figura est reproborum. *Hi enim, qui in peccatis versantur*, ut S. Clemens Papa ait, *nisi pœnitentiam egerint, non solum non exaudiuntur, cum supplicant, sed etiam Deum irritant, in memoriam ei reducentes suam improbitatem.* Nequaquam nobis malignandum est, eo quod patientiam Dei ad nos puniendum tardam esse videamus, quia ut S. Augustinus advertit : *Quanto diutius expectat, tanto gravius vindicat ; Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est, non negligentia, non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit.*

S. August. in Psalm. 144. — Est Deus longanimis & simul justus. — *S. Cæsar. Arel. Hom. 7.* — Signum prædestinationis si oves audiant vocem pastoris. — *Joa. 10. 27.* — *Hebr. 3. v. 8.* — *S. Clem. lib. 4. const. cap. 7.* — *S. Aug. ser. 102. de Temp.*

4. In libro Proverbiorum cap. 20. dicitur : *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Quodnam est frigus illud, quod manus hominis congelat, & socordes efficit, adeo ut arare non possint ? Frigus hoc, ni fallor, aliud non est, quam illud, de quo scribitur : *Abundat iniquitas, refrigescit charitas* ; Inde enim sequitur, quod *non mittens manum ad aratrum . . . non sit aptus regno Dei* ; Quia qui *non laborat, non manducet* ; *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit* ; Hi autem, qui de die in diem laborare tardant, illam Psalmistæ comminationem incurrunt : *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* S. Gregorius docet, quod tametsi reprobus in fine vitæ aliquos edat pœnitentiæ actus, hoc tamen sine ulla sui utilitate faciat : *Erit & tunc pœnitentia*, inquit, *sed fructuosa jam non erit ; quia nequaquam tunc veniam invenit, qui modo aptum veniæ tempus perdidit.* Idem sanctus Pontifex super illud virginibus fatuis redditum responsum : *Amen dico vobis, nescio vos*, ita scribit : *Ibi jam à Deo non potest mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod jussit, quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni januam cum precibus venit.*

Prov. 20. 4. — Frigus designat defectum charitatis. — *Matth. 24. v. 12.* — *Luc 9. v. 62.* — *Ps. 127. v. 2.* — *Psal. 127. 2.* — *S. Greg. Hom. 12. in Evang.* — *Matth. 25. v. 12.*

5. Apud S. Lucam in cap. 15. legimus, quod cum mulier illa drachmam suam amisisset intempesta nocte, non expectato diluculo matutino, lucernam accenderit, universamque domum susque deque verterit, ut illam inveniret : *Nonne accendit lucernam, & evertit domum & quærit diligenter, donec inveniat ? Per hanc autem drachmam*, ut Hugo Cardinalis explicat, *significatur quælibet anima Dei imagine insignita.* Ubi autem de salute animæ res agitur, nequaquam tardandum est de die in diem, ut illam nobis reddamus securam ; Quot enim sani ad lectum concedunt, qui ex eodem ex improviso transeunt ad sepulchrum ? Plutarchus de

Julio

Mulier amissam drachmã solertissimè quærit. — *Luc. 15. v. 8.* — *Hug. Card.*

Plutarch. — Historia de Archia occiso per conspirationem.

Julio Cæsare refert, quod *libellum sibi in senatum eunti, ubi à conjuratis interfectus est, conjurationis seriem edisserentem oblatum, in sinum conjecerit, apud inferos scilicet per otium lecturus.* Hæc igitur rei tanti momenti dilatio, insuper cum aliquali incredulitate conjuncta, vitam ipsi pariter & imperium ademit. Cum Archias Thebarum Tyrannus in solemnitate quadam lætus & jucundus fasciculum quemdam reciperet litterarum, in quibus de machinata contra ipsum conjuratione, mox ut è loco solemnis tripudij, cui assistebat egressurus esset, contra ipsum exequenda reddebatur certior, ipseque litteras porrigenti, simulq; monenti, quod arduum valde omnisque moræ impatiens concernerent negotium, responderit : *Seria in crastinum*, paulo post miserabiliter à conjuratoribus trucidatus fuit.

6. Nescio an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod videlicet Deus inter omnium animalium sacrificia, qualia multa erant, pisces rejecerit, cum tamen multa admisisset volatilia, quæ communem cum piscibus habent originem, dicente hymno Ecclesiastico : *Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.* Et vero si volatilia pennas habent, pisces plumarum, & alarum loco, squamis sunt provisi ; Si aves per aëra volitant, pisces in aquis natitant ; Cur igitur pisces à tam honorifico Creatoris sui cultu, ad quem tot aliæ creaturæ animatæ & inanimatæ admittuntur, proscripti fuerunt ? Responsio litteralis hæc est, quia cum sacrificium animalium in eo consistat, quod tempore quo in altari offeruntur, actualis eisdem in Dei honorem mors inferatur, id in piscibus difficulter fieri poterat, siquidem hi extra aquas vivere non possunt, ac proinde non nisi agonizantes offerri poterant ; Ex qua litterali responsione optima ad præsens propositum eruitur moralitas ; siquidem *omnia in figura contingebant illis*, per hanc piscium à sacrificijs prohibitionem (utpote qui non nisi agonizantes ad altare deduci poterant) insinuatur, quod animæ moribundæ, homines agonizantes, in sacrificium in solo mortis articulo oblati, cum antea quotidie se Dæmonis servitio consecrare consueverint, eorumque conversiones ad mortem usque dilatæ, Deo nequaquam sint acceptæ, sed à se repudiet, atque proscribat ; *Quia vivens, vivens confitebitur tibi, sicut & ego hodie.*

Quare pisces non fuerint sacrificati Deo. — *Isai. 38. 19.*

7. Observastisne aliquando quisnam in toto genere humano primus fuerit, qui Deo sacrificia obtulit, num forte Adam, vel Eva, vel Abel is fuit ? Nequaquam ; sed Cain ; primus ille reprobus ; Id quod ex sacra scriptura clare deducitur. Cur igitur sacrificium illius à Deo acceptatum non fuit, sed repudiatum ? Num forte id contigit, quia Cain de fructibus terræ obtulit ? Dicente Scriptura : *Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, nequaquam oblatio ejus ideo rejecta fuit, dedit enim ipse in oblationem id, quod habebat ; *fuit autem Cain agricola*, qui præter fruges terræ nil habent. *Abel quoque* qui Pastor erat, *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum ; Et respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus ; Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.* Quid igitur dicemus, quandoquidem ut S. Paulus ait, *non est personarum acceptio apud Deum* ; Cum igitur Cain prius quam frater ejus ad sacrificium offerendum permotus fuerit, sacrificium illius præ fratris sui oblatione Deo longe gratius esse debuisse, haud immerito videri posset. Verumenimvero ipsamet scriptura sacra dubium hoc solvit, dum ait : *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain... munera Domino* ; Ac proinde Cain typus erat illorum, qui conversionem suam in longum usque tempus procrastinant, id quod probabile est reprobationis indicium. S. Ambrosius hujus repudiationis, sacrificij à Cain oblati duas assignat rationes, inquiens : *Duplex in Cain culpa fuit, una est quod post dies multos obtulit ; Altera, quod non ex primis fructibus.* Unde quando quis Dæmoni, mundo, & Carni primum dat ætatis suæ florem, annosque meliores, reservatis Deo ultimis vitæ fæcibus, hoc vere est imitari primum reprobum, & ad ejus imitationem vitam suam pessimo fine claudere. S. Ambrosius ibidem subdit : *Sacrificium & celeritate commendatur, & gratia ; Unde præceptum est : Si voveris votum, non facias moram reddere illud.* Bellovacensis idipsum per ingeniosam quamdam declarat similitudinem inquiens : *Similis est peccator piger cuidam Luadrigario, cujus cum quadriga cecidisset, & ipse sedens in luto à transeuntibus adjutorium peteret, quidam nobilis manum extendit, ut eum juvaret, sed cum miser nec vellet surgere, nec ad quadrigam sublevandam manum mittere, sed differre, recessit nobilis indignans, & dicens : Ex quo tu miser non juvas te nec ego curo de te. Sic faciet Dominus de eo, qui differt se juvare, permittit enim eum putrescere in lacu miseriæ & in luto fæcis, manum gratiæ, & adjutorij sui ei subtrahendo.*

Gen. 4. 3. — *Ibid. v. 2.* — *Ibid. v. 4.* — *Ibid. v. 5.* — *Coloss. 3. 25.* — Cain primus obtulit sacrificium. — *Ibid. v. 3.* — *S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel.* — Deo nõ gratum & quare. — *Bellovac. spec. mor. lib. 3. dist. 2. p. 6.* — Historia de pigro.

8. Insignis quidam fideque dignissimus Author sequens refert exemplum : *Toleti in Hispania nobilis Adolescens ante annos non adeo multos, ignobilem sane, & vel sanguineis deplorandam lacrymis vitæ suæ clausulam imposuit. Exuto religionis suscipiendæ consilio, quod aliquando secum deliberarat, Canonicum induit. Et initio quidem officio suo functus est non inlaudabili industria. Sed quemadmodum æra facilis inventus est ad omnem ductum, ita improvidus homo nactus pessimos ductores, presso vestigio secutus est præeuntes ad vitia ; Tandem & ipse factus aliorum antesignanus ad scelera non mediocria duxit sequentem. Miserum juvenem, si putabat turpitudines suas, aut citius abscondi sub toga serica, aut speciosius palliari ; Sed tandem sicut Deum habuit inspectorem suæ improbitatis, ita & vindicem expertus est. Nam brevi eum febricula expedivit, jussitque ad plures ire, sive sub terra in cinere suo facescentes mortuos, sive ad ipsos Erebi incolas, magnum infelicissimæ societatis numerum. Audi O bone, & obstupesce, non tantum vim ; roburque imbibitæ semel impietatis, sed etiam severi Numinis formidanda judicia. Vix rumor urbem pervasit de morbo Canonici, jam passim à probris suis insolentiaque infamis, cum Toletanus Ecclesiastes ægrum adit, monetque ut Conscientiam excutiat, erratorumque semper periculoso onere sese levet. Negare ille ejus rei necessitatem, ut alter dicebat, tunc esse, si ægritudo accreverit, memorem fore animum datæ admonitionis. Interim Medicus pone assistens, nescio ex quibus signis deprehenderit, mortem intra paucula horas adfuturam. Quare consternatus Ecclesiastes magis cœpit instare, etiam divini judicij interposito rigore. Ubi vero æthiopem se lavare vidit, cubili egressus, nobiles quos obvios sibi habuit familiares decumbentis, in partem laboris sanctissimi vocat, jamque hominem omnes Christiani officij in eo discriminis articulo commonefaciunt ; Sed nullo effectu. Adest iterum Medicus, iterumque vicinam denunciat periculum, post horam actum fore cum vita ægrotantis. Itaque Ecclesiastes, cæterique lecto circumfusi, maxima qua possunt vehementia contendunt, ut salutarem Canonico moriturienti dolorem suadeant scelerum ex præscripto divinæ legis faciendam confessionem ; Sed neque tunc quidem proficiunt, asserente ægro periculum remotius esse, quam ipsi arbitrentur. Mox obmutuit miser, & ratione turbata, nihil amplius pro sano egit. Ergo desperatis jam prope rebus, opem à Numine implorandam censuit Ecclesiastes, simulque apprehensa Christi è cruce pendentis effigie, psalmum de profundis exorsus est, jamque ad illa venerat Davidis verba : Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, cum ecce tibi lignea imago, tota præsentium corona inspectante, brachia ad crucem fixa resolvit, & utraque manu aures obserans, formidabilem hanc vocem misit : Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo. Fulmen hoc fuit, quod ubi ab imagine jactum est, infelicem animam ex corpore scelerati Juvenis in tartarum deturbavit.* Unde hoc loco juvat memorare illam S. Bernardi sententiam : *Quanta est hæc injuria, & quam graviter vindicanda, cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis ?* Et ideo mirandum non est, quod Salvator noster vocibus & precibus illorum qui pro infortunato hoc homine Deo supplicabant aures suas obturaverit, siquidem per hanc occasionem ostendere voluit, quam verum sit, quod alias dixerat, videlicet : *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Olim namque apertis verbis dixerat : *Quia vocavi & renuistis... Ego quoque in interitu vestro ridebo. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, Eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, Nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ.*

Zehentner in mala spei promontorio l. 4. §. 2. n. 25. fol. 577. — Pessima vita adolescentis Toletani. — Omnes conatus ad conversionem rejiciuntur. — Post mortem quoque crucifixus obserat aures suas. — *S. Bern. ser. de sept. spir.* — *Matt. 24. 35* — *Prov. 1. 24.* — *Ibid. v. 26.* — *Ibid. v. 28.* — *Ibid. v. 29.* — *Ibid. v. 30.*

DISCURSUS XVII.
ARGUMENTUM.

Tectura specialis est Dæmonis, quod nos pœnitentiam procrastinare faciat, id enim ideo facit, ut in hora mortis nostræ in desperationem nos inducat.

THEMA.

Mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris, Judic. 19. ℣. 9.

1. IN capite 19. Judicum scribitur de Levita quodam, qui postquam cum socero suo in aliquot

 dies

Modus retardandi gratum hospitē.

dies genialiter vixisset, jamque in procinctu esset, ut rediret in patriam: *Dixit Pater puellæ ad Generum suum Quæsò te, ut hodie hic maneas, paritérque lætemur; At ille consurgens cæpit velle proficisci, & nihilominus obnixe eum socer tenuit; & apud se fecit manere. Mane autem facto parabat Lezites iter, cui socer rursum; Oro te, inquit, ut paululum cibi capias; & assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris; Comederunt ergo simul; Surrexitque Adolescens, ut pergeret cum uxore sua, cui rursum locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, & propinquat ad vesperam, mane apud me etiam hodie; & duc lætum diem, & cras proficiscêris. Omnia autem hæc in figura contingebant;* Hæc namque historia consuetudinem agendi serpentis antiqui ad vivum delineat; siquidem hic aliquos ab ejus se servitute eximere, & in divinorum præceptorum viam abire; veraque filiorum Dei libertate frui velle videns eosdem de die in diem, de septimana in septimanam morari, bonumque illorum propositum procrastinare facit; Prout S. Basilius Magnus his verbis

S. Basil. Hom. 4. de Pœnit.

vivaciter exponit, inquiens; *Criminator ille serpens est ad mala perpetranda, videt nos homines in diem vivere; videt omnem actionem nostram juxta id quod instat peragi, ideò hodiernum diem per fraudem nobis abripiens; spem nobis crastini relinquit. Quod siquidem peccatum hodie committere non cogit, justitiam tamen in crastinum ut reservemus persuadet; Deinde ubi crastinus dies illuxerit, rursum accedit iniquus ille partium divisor; & hodiernum diem sibi ipsi cedere expedit, crastinum vero, Domino ut tribuamus concedit, atque hac ratione sane nos præsens nimirum tempus per voluptatem subtrahendo; futurum vero spei nostræ relinquendo, ne sentientes quidem, è vita expellit.*

Applicatur Dæmoni.

2. Mercator quidam fuisse legitur, qui super ostium tabernæ seu officinæ suæ hæc verba majusculis litteris inscribi fecerat: *Hodie in hoc loco nihil venditur credito sed cras*; Ac proinde numquam tempus illud

Praxin mercatoris hodie nō credentis.

appro, inquabat; in quo sub credito quidpiam apud ipsum comparari posset; quia quocumque die veniebant emptores, semper eamdem deprehendebant ostij domus suæ inscriptionem. Eadem prorsus astutia sagacissimus Dæmon cum peccatore utitur, cui semper persuadet, *hodie mihi, cras Domino*; Die autem sequenti superveniente tot illum moratur illecebris, ut crastinus dies ad serviendum Domino numquam adveniat. Certum est autem, quod quanto diutius nos moratur, & à servitio Dei retrahit, tanto majus sibi in nos jus possessionis acquirat, majorique cum Dominij Tyrannide nobis principetur, quia crescunt catenæ, de quibus Ecclesia ait: *Delictorum catena constringitur*, id quod S. Bonaventura sequenti declarat similitudine, inquiens: *Peccatum est sicut rete, & sicut virga invisca-*

Imitatur Dæmon.

S. Bon. Tom. 6. in Dicta salutis Tit. 1. cap. 2.

tans; Nam sicut piscis in retibus se agitando, amplius se involvit, & avis plus ambulans per virgam inviscatam fortius se capit sic peccator magis elongatur à Deo, & strictius illaqueatur à Diabolo, quia de tali dicitur: Tenebitur planta illius laqueis.

Plutarch. in Apoph.

3. Refert Plutarchus, quod cum Antiochus Epiphanes Alexandriam obsidione cinxisset, quæ sub Romanorum protectione posita erat, senatus Romanus

Popilius Lena.

Popilium Lenam senatorem ad eum amandarit, ut ei obsidionem solvere senatus nomine demandaret, aut vero cum Reipublicæ Romanæ hostem expresse declararet. Qui respondit: Responsum hoc mora indiget temporis; Popilius autem sine mora lineam quamdam circa regem Antiochum trahens eidem dixit: *Hoccine in dubium revocandum est an hostis Romanorum sis? Non præteribis hanc lineam, donec id definitas ac decernas.* Cui Antiochus in his angustijs se esse cernens respondit: Parebo, & confestim civitatem liberam relinquens promissum implevit. Antiochus tartareus, in societate sua nostrum habens appetitum sensitivum sibi addictissimum animam nostram obsidet, Salvator autem qui eamdem sanguinis sui pretio

Figurat Christum.

comparavit, ad illam legatos suos, id est, cœlestes suas invitationes, inspirationes sanctas, bonaque proposita ad eamdem ablegare non desinit; Dæmon autem efficit, ut quantum potest animam retardet in respondendo & obtemperando; Comminatur itaque eidem, nisi obediat, severa sua supplicia; Quibus interminatis an anima ab insidijs Diaboli liberanda sit, tunc cognoscetur, si nimirum supernæ gratiæ impulsus prompte acceptaverit, quod si fecerit, vere dici poterit: *Ecce nunc tempus acceptabile.*

S. Basil. Ibid.

4. S. Basilius avis cujusdam referens proprietatem inquit: *Vidi ego jam avis ætatæ miram artem, cum pullos suos videat adhuc ob debilitatem prædæ pe-*

Natura cujusdam avis.

riculo expositos sese, aucupi ante illos; ut prædæ paratam offerre, ita sese verrentem, ac gestus dispensantem, ut nec periculo pennas, aut manibus se præbeat, neque item insidianti spem omnino eripiat. Sic itaque illum inter utramque versando, occupando, in se retinendo, spatium dat natis ultrò fugiendi; Ac demum ipsa ad extremum quoque evolat. Cave igitur ne tu aucupi similia patiaris tentare, certa pro incertis relinquens, spem firmam vana commutans. Trade itaque te Christo totum, da nomen tuum, adscribeque Ecclesiæ; Nimirum illos alloquitur, qui differebant Baptismum; eosque celeritate baptismum accipiant exhortatur. Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis differens inquit: *Præcipua Diaboli intentio est, luctum pœnitentiæ, & timorem mortis repellere à te per suggestionem benignitatis divinæ.* Id quod diu ante ipsum S. Fulgentius in hæc verba scripserat: *Plerosque sub vana spe indulgentiæ in peccatis Diabolus tenet, compellit eos Dei justitiam non metuere, quos inaniter suadet de Dei bonitate gaudere.*

Dion. Carth. de quatuor novis. p. 1. Art. 4. S. Fulgent. Epist. 7. c. 6.

5. In speculo Exemplorum sequens factum recensetur: Vir quidam, qui perdite & impie vixerat, cum morti vicinus se ab horrendis, Dæmonijs nigra veste indutis se cinctum videret, clamabat: *Domine adjuva me*; Quem tamen Deus non exaudivit, sed per astantem ei in hæc verba improperari fecit: *Nunc memor factus es Dei, quando tibi sol obscuratus est? Quare usque in hodiernum diem non exquisivisti eum, dum adhuc tibi splendor erat diei?* Dæmon ut nos in rebellione contra Deum perseverare faciat, nobis hoc unice persuadet, ut credamus Deum misericordem esse, promptumque, ut cum pectus tundendo dicimus: *Deus propitius esto mihi peccatori*, omnia nostra peccata, liberaliter condonet; Postea vero cum in extremo vitæ momento positi sumus; in desperationem nos adigit, ob oculos nobis ponendo divinæ justitiæ rigorem, innumerabiliumque peccatorum multitudinem, quibus eum, dum viximus, exasperare non formidavimus. Unde S. Antoninus ait: *Cum quis moratur in peccato, Diabolus non multum eum impugnat, qui suus est, sed cum perpendit, quod velit recedere ab eo per pœnitentiam, multum repugnat, & quidem tanto plus, quanto diutius possedit, & vel maxime in articulo mortis, quia scit se amplius tempus non habere.* Dum sani sumus, pœnitentiam à nobis procrastinari suadet, at vero dum in agone mortis luctamur, ad veniæ desperationem nos adigit. Porro ad hoc ut pœnitentia sit valida, necesse est, ut fiat per actus voluntatis, ob commissas transgressiones compunctæ, & pœnitentis; Talis autem pœnitentia, infirmo & moribundo in extremo mortis articulo admodum est difficilis, quia pœnitentia fieri nequit, nisi voluntas ducem habeat intellectum, qui illam vivaciter apprehendere faciat, Deum ab ipsa indigne, & summa cum ingratitudine offensum, & contumeliatum, gravitatem item peccati, divinæ pietatis efficaciam, Sacramentorum virtutem, aversionem à culpa, amorem erga Deum, compunctionem internam, aliosque similes actus, qui pro vita male transacta expianda expediunt. Ecce igitur astuti serpentis sagacissimum stratagema, qui usque ad illud ultimum momentum nos ad sperandum inducit, probe sciens, quod intellectus in illo articulo plane obtenebratus voluntati ad eliciendum ejusmodi actus, nullum possit dare subsidium. Cum enim caput, in quo hæ operationes exercentur, ab infirmitate supra modum sit debilitatum, ad ejusmodi seria se applicare nequit, aut si se ad aliqua cogitanda applicet, de nulla re minus, quam de Deo pensat, utpote à quo per tot annos per rebellionem aversus fuit potius enim mentem suam occupat circa delectationes, honores, filios, uxorem, amicos & alios quos prius inordinate dilexit, doletque inconsolabiliter, quod illos in sempiternum cogatur relinquere, præterquam quod de salute corporali recuperanda totaliter occupetur. Unde Blosius qui expertissimus vitæ spiritualis Magister fuit, ita scribit: *Diabolus hoc malignitatis dolo ferè uti consuevit, ut ei qui peccare statuit, ipsum Dominum clementissimum & misericordissimum esse polliceatur; Ubi vero peccato admisso pœnitentiam agere voluerit, jam illam inplacabilem, nimiumque severum esse omnibus modis suadeat.* Porro licet idem Dæmon mendaciorum Pater existat, nihilominus dum reprobis ne à mala vita sua desistant, pœnitentiam promittit, postea suo tempore promissum nihilominus servat, sed quomodo? Nimirum efficiendo ut sint *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, quæ Diabolica est pœnitentia, qualis in inferno æternaliter fieri solet.

Exemplum de moribundo. Magn. spec. Exempl. Dist. 2. Exempl. 262.

Dæmon contraria studia.

S. Antonius p. 2. Tit. 9. c. 13. §. 1.

Difficultas vero pœnitentiæ in agone.

Sap. 5. v. 3.

6. Apud

Occurrunt plurimæ distractiones in agone. Blosius in Parad. animæ c. 2. n. 4.

Isa. 28. 14.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 16. Pactum cum morte est mendacium.

6. Apud Isaiam postquam de procrastinatione conversionis facta fuisset mentio his verbis: *Manda, remanda, expecta, reexpecta*, sacer textus subjungit: *Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*; Sed quis tandem hujus fœderis, & pacti finis fuit? Audite idipsum ex propria illorum confessione: *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus*; Dum enim impiam exhalabunt animam, serpentis tartarei experientur fraudem, & deceptionem. In Vita Ven. Thomæ Mori Regni Anglicani Magni Cancellarij, & Martyris, sequens impij cujusdam legitur exemplum, in Tom. 1. lib. 2. cap. 13. Operis, quod *Mortes peccatorum pessimæ* intitulatur, his verbis recensitum: *Rogabant amici amicè hominem, ut maturaret ad meliorem mentem redire, sed respondit aliud non tulerunt, quam plenum illud vanissima præsumptione, cum migrandum hinc fuerit, tribus se verbulis Deum ad clementiam expugnaturum, & cœlum exoraturum. Verum res aliter cecidit, cum enim postea equitando transiret in ponte fluvium, & improvidum pedem equus impingeret saxo, una secum sessorem Herum in subjectam aquam effudit. Jam miserando casu præcipitabat eques, cum subito ubi periculum animadvertit, sensitque intra fluctus non sicca se morte occubiturum, contentissimo nisu clamavit tria novissima verba. Et quæ illa? Utique quibus salutem, & astra momento tuno apud Deum impetraret, quemadmodum jactaverat non semel fabrarum se in ultimo vitæ discrimine? Dixerit itaque cum Regio Vate: Miserere mei Deus; aut illud: Tibi soli peccavi; Vel cum Publicano: Deus propitius esto: Sed heu! De sceleribus suis, de cœlo, de Deo altum servavit silentium. Illud unum ingeminavit; Rapiat omnia Dæmon. Ita miserum sua memoria destituit, & cum deberet in eo casu tria salutis verba dicere, tria desperationis protulit, tractus inter Vortices ad eum, quem vocibus ultimis compellavit.*

Vit. Thom. Mori c. 32. Mortes peccator. pessimæ Tom. 1. l. 2. cap. 18.

Baron. Ann. 1001. n. 12.

7. In annalibus Ecclesiasticis de Ottone Tertio Imperatore legitur, quod cum S. Romualdo (quo confessario utebatur) promisisset, quod deposito imperij diademate, in expiationem patrati delicti, ob necem Crescentianam, vitam esset monasticam amplexurus, accesserit exactor Romualdus, eoque magis importunus, quo divino afflatus spiritu intellexisset, instare jam obitum ejus; Ut sponte faceret, quod necessitate urgente pati cogeretur invitus, & Deo in odorem suavitatis offerret, quod retinere non posset. Infelix autem Otto non quidem renuit, sed distulit, & ex causa quidem, ut videbatur ipsi, legitima. Sic plane homines versutus decipit assidue Cacodæmon, quos à bono non potest avertere, ne facere meditentur, ut differant saltem, prætextus ingerit varios necessitatis dolore fucatos; Et sic distineat miseros, donec improvisa mors irrepat. Subdunt vero ijdem annales Imperatorem Romualdo promisisse facturum se quidem quod exigebatur, nimirum ut cucullam indueret monasticam; Si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, imperet, & ea devicta Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: *Si Romam*, inquit, *ieris, Ravennam ulterius non videbis*, fuit igitur Romæ factus captivus, è qua captivitate tamen cum nonnullis alijs occulta se fuga subduxit; Cumque iterata vice cum forti exercitu Romam rediisset ob urgentes tumultuum in Germania obortorum necessitates eo reverti coactus, in itinere vita functus fuit. Unde S. Augustinus in Sermone quodam

Otto tertius Imperator negligit pœnitentiam promissam.

S. Aug. Serm. 45. in Append.

ait: *Immittit Diabolus securitatem, ut inferat perditionem, neque dinumerari possunt, quamos hæc inanis spei umbra deceperit.*

Dæmon sub specie Medici decipit Medicum.

8. In vita S. Philippi Nerij narratur, quod cum medicus quidam pœnitens ipsius graviter infirmatus fuisset, à Dæmone speciem medici induto quotidie visitatus fuerit, infirmumque de restituenda sanitate securum reddiderit, non obstante manifesto periculo mortis, in quo constitutus erat; At vero Sanctus vir diabolicam detexit fraudem, ut infirmus ille ad ultimum mortis agonem sustinendum tanto se melius posset disponere; Quod si igitur Dæmon ejusmodi insidiarum machinas moliatur in extremo vitæ articulo etiam circa illos, qui in timore Dei vixerunt, quanto magis illas adhibebit circa eos, quos in vita habuit servos & mancipia sua, ne scilicet in morte ejus potestati surripiantur? Nazianzenus proinde optime monet

Nazianz. Orat. 40.

inquiens: *Quod si hodiernum semper præterviens, crastinum observes, paulatim differendo, non animadvertis te à præsto illo deludi, ut illius confuetudo fert: Da mihi præsens, inquit, futurum Deo.* Hac enim arte servus, id est peccator, in ejus semper remanet servitute. Et-

enim mancipia in triremibus servientia, quæ voluntaria appellari solent, eo quod ad triremes non sint condemnati per sententiam, sed quia in illis remigando voluntarie laborant propter stipendium, hæc inquam mancipia capitanei sive triremis præfecti per anticipata stipendia ita ad remanendum in triremibus obligare solent, ut remum numquam deserere possint, etiamsi velint. Sic quoque multi sunt, qui bonam habent pœnitentiam ampleckendi voluntatem, at vero asturus serpens de die in diem adeo novit illos inescare voluptatibus, alijsque desiderijs ipsorum respondentibus satisfactionibus, ut à compedibus illius, & catena, qua ab ipso vincti tenentur, numquam se exolvant.

Similitudo à mancipijs.

9. In Exodo cap. 21. inter alias populo Dei electo à Deo datas leges hæc quoque recensetur: *Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* Paulo post vero subditur: *Quod si dixerit servus: Diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber, Offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum.* Enimvero trita est illa scripturæ regula: *Qui facit peccatum, servus est peccati*; Nec solum peccati, verum etiam Dæmonis servus exisitit. Hic quidem anno septimo, id est per gratiam & auxilium Spiritus Sancti (de quo Ecclesia canit: *Tu septiformis munere*) ab hac se Tyrannide potest eximere, acceptando nimirum vocationem & gratiam, qua ad pœnitentiam invitatur; At vero si ad culpam affectum habuerit, & Diaboli servus manere voluerit, *erit ei servus in sæculum*, adeoque disponat se & præparet ad portandas hasce catenas usque ad mortem, imo usque in infernum, neque enim est quod speret se pro libitu ab hisce compedibus egredi posse, semper enim charactere ipsius velut servus emptitius signatus manebit.

Exod. 21. 2 Ibid. 5. & 6. Servum, qui non vult liberari à servitute imitatur peccator. Joan. 8. 34.

10. In præcitato opere, quod *mortes peccatorum pessimæ* inscribitur, sequens exemplum refertur: *Non videtur mihi prætereundum hoc loco, quod de duobus amicis legitur, quorum unus laudi, atque virtuti, voluptatibus alter studebat; Mortuus est voluptuarius ille, aliquanto post conspectus & auditus ab altero, qui superstes fuerat, verba illa proferre: Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis consturbat me; Et interrogatus cur reticeret ea quæ sequuntur: Miserere mei Deus, & salva me; Quia misero mihi, inquit, sempiternis etiam acerbissimis apud inferos ignibus tradito, nulla neque salutis neque misericordiæ relicta spes est; Quæ cum dixisset è conspectu evolavit, intolerabilis odoris deterrimi fœditatem ex se relinquens. Væ igitur his qui cum morte fœdus, & cum inferno pactum meuntes, manifestam tandem animæ ruinam incurrunt. Quod his potissimum contingit, qui terrenarum rerum amore, pravisque insuper cupiditatibus irretiti, se tamquam vilissima Diaboli mancipia ejus obsequio, ac nutibus devovent; Et ut res hac nostra ætate exemplis comprobetur; Juvenis quidam in urbe suæ provehendæ conditionis percupidus, cum rudi præditus ingenio, litterarumque ignarus, haud studiorum scientiarumque opera suam adaugere fortunam posset, ad militiam confugiens, armis inter alios præcellere, ac palmam certaminibus ferre tentavit, quibus audax magis, quam fortis, desperatorum instar, nec absque periculo periculosa quæque prælia aggressus, miles non tam fortis alieno judicio, strenuusque, quam præceps, stultusque magis, quam cordatus armorum pertractator haberi cæpit. Verum cum nec fortuna homini, nec operi vota responderent, aliam miser sibi aleam pertentandam ratus, dum multa secum animo volvens, per viam tristis incederet, hominem casu offendit, à quo tristitiæ, perturbatique animi, quem vultu præ se ferebat, causam, & quonam tunc pergeret interrogatus, incerto se gradu, ambiguisque gressibus, parum sibi, votisque suis fortunæ arridente alea viam terere respondit; Nec scire cuinam se operi adjiceret, eo quod cunctis, quibus manum admoveret, sinistro claudicrentur exitu; Quibus ille auditis, ut suis tubantem dictis relevaret, confirmaretque, bene tu, inquit, vir bone, quid times? Bonam tibi futuram sortem certissime vopromitto, divitiarumque tibi copiam, dummodo meis annuas verbis, haud defuturam certo scias. At priusquam quæ tibi præstituras sum, aperiam, firmum inter nos fœdus incundum est; Ad quæ Juvenis hæc plane verba respondit: Et quodnam pactum istud, quod tu à me in præsens ulvro poscis, exigisque? Unico, inquit alter, verbo proferam, nec multa ex te requiro, hoc uno dumtaxat contentus, animam mihi tuam oppignoratam velis, futuras subinde mortalium felicitates. Hæsit aliquantisper ob inexpe-*

Mortes peccatorum pessimæ Tom. 1. l. 2. cap. 13. v. 7.

Damnatus apparet post mortem.

Miles quidā ad desperata descendit.

Pactum cū Diabolo.

ſtatæ rei quæſitum Juvenis, ſuæque experiendæ aleæ cauſa animoſior factus; Sed quoto, inquit, tempore votis fortuna meis arridebit, proſperiſque in ſeculo obventibus, ut tu dicis, fruar? Per longa temporum ſpatia, ſubdit alter, optatis altero bonis potieris. Quid plura? Ambiguis negotium tenebroſum à tenebrarum principe verbis, utpote qui dolis maxime ad fallendum nititur, altero conſenſum præbente peractum eſt, adeo ut cum Juvenis certos viginti ex ſponſione annos in ſumma rerum affluentia jam ſibi repromitteret; ſponſor econtra decem tantum, & nil ultra pollicitus fuiſſet.

Fraus Diaboli.

Deluſor itaque ubi primum Juvenem, velut vile mancipium ſibi addictum vidit, varijs eumdem verbis ſubdoliſque demulcens: Heus tu, inquit, bono animo eſto, futurum eſt enim, ut patrocinandis cauſis, locum principem tenens, divitias profecto plurimas, una cum honorum infulis, ſis conſecuturus, ſi quod ſuadeo, opere adimpleveris.

Miles ille advocatia diteſcit.

Annuit miſer ſuadenti, cauſarumque in urbe patrocinio ſuſcepto cum egregie ſemel ad præſidis tribunal ſuo munere perfunctus fuiſſet, peritiam, & doctrinam alter demiratus, exinde adeo benevolo erga eum animo eſſe cœpit, ut filiam, quam unice diligebat, multo dotatam aſſe, illi matrimonio copulaverit, ex qua ſuſceptis liberis, cum præſidis, tum conſanguinitate, tum gratia, & in patrocinando peritia indies præcelleret, divitias immane auxit. At dum ſic res ſe haberet, & fortuna hominem magis magiſque indies ad ampliora proveheret, decem jam exacto annorum curriculo, ultimus inſtabat dies, cum en tibi præſtigiator, qui jam pridem ſpoponderat, hominem in cubiculo convenit, animam videlicet quam ſibi devoverat, præterlapſo jam ſponſionis tempore, bonus uti exactor ab eo repetens.

Dœmon petit promiſſa animam.

Juvenis igitur ubi ſe dolis circumventum videt, irritum caſſumque pactum, in quo dolus tam manifeſtus obtigerat, magnis vocibus inclamans aſſerenſque obteſtabatur, & ut illi promiſſis ſtaret, complendum viginti annorum numerum aſſirmabat; Quoniam vero ſponſor callidus, Fœdifraguſque veterator vim fraudibus nectere conſuevit, timens Juvenis ne per vim extorqueret, quod alter injuſte repetebat, divinum illico auxilium implorans, in te Domine, inquit, ſperavi, non confundar in æternum; Quibus dictis tamquam valido perculſus fulmine tartareus hoſtis ſe ab ejus oculis in hæc verba proripuit: Ab eo, & te invitus, coactuſque relinquo, ſed infauſtus diſceſſus procaldubio tibi meus futurus eſt, proſpera enim, quæ hactenus affulſit, me abeunte, fortuna te in opem, ac miſerum, cunctiſque commiſerandum relinquet. Extimuit ille ad comminatam ſibi felicioris aleæ, rerumque ſuarum inverſionem, fugientemque hoſtem iterum compellans, ineamus ſi vis, inquit, denuo quod ſimul ante pepigeramus, ad alios decem annos fœdus. Quibus humani generis hoſtis, qui alienum detrimentum ſuum computat lucrum, & animæ unius lucrandæ cupidus, cuncta plus quam libenter diſtrahit, aſſenſum incunctanter præbuit.

Renovatur pactum.

Dum vero iſthæc aguntur, ac ſponſio denuo inter utrumque inſtauratur, famulus, qui forte in angulo deliteſcebat, cuncta ex ordine, quæ dicebantur, auribus percepit, narravitque ſubinde, ubi rem, ſicut audierat, adimpleri vidit. Uxor præterea nequiſſimi hominis, mulier utpote valde pia, cum virum nulla Chriſtiani nominis ſigna præ ſe ferentem, ſed totum ſeculi negocijs, cauſarumque ſtudijs immerſum cerneret, malum de viro omnem conjiciens, impendentemque conſortis capiti divinæ gladium animadverſionis veritæ, mæſtiſſime vitam obibat.

Tandem à Dœmone ſimul corpus & anima abducitur.

Currebat interim alter, ſui ac ſalutis immemor, ad perditionem præceps, ſed ubi ejus completa eſt malitia, & ultionis tempus poſt ſibi impertitam miſericordiam advenit, viginti annorum curſu vix impleto Diabolus adfuit, & ſubito ingentique ſtrepitu è vita impœnitentem hominem abripuit; At qui ut ſubinde cadaver, ut ſepulturæ demandaretur, adinventum non eſſet, ut famæ conſuleretur, ingens quoddam pro cadavere ſaxum tegumentis involutum tumulo illatum eſt.

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Quam fallax ſit impiorum circa tempus pœnitendi eligendum diſpoſitio, oſtenditur.

THEMA.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. Cor. 6. ℣. 2.

1. S. Paulus Apoſtolus circa maxime arduum æternæ ſalutis negotium omnes fideles erudire volens, inquit: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Demum vero tempus in quo

2. Cor. 6. 1.

animæ noſtræ ſalutem operari debemus, ad noſtram deducere volens notitiam, ſubjungit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Enimvero, nullus quidem eſt cui non ſit chara anima ſua, unuſquiſque etiam cœlum deſiderat, propter quod creatus, & redemptus fuit. At vero quænam eſt cauſa, quod cum tamquam viatores ad ſupernam patriam omnes properemus, tam facili negotio extra ſemitam rectam digrediamur, noſtros inordinatos ſequentes appetitus? Nimirum ſpes longævæ vitæ, & in illius fine faciendæ pœnitentiæ, nos decipit & ſeducit; Hanc igitur fraudem ab omnibus hoc in diſcurſu depellere conabimur.

Spes vitæ longere cauſat facilitatem peccandi.

2. S. Gregorius Nazianzenus peſſimum quemdam ſui temporis redarguit impiorum hominum abuſum, qui ut diutius carnalibus ſuis vacare poſſent deſiderijs, ſacroſanctum Baptiſmi lavacrum recipere in longum tempus uſque differebant, ſcientes quod per hoc ſacramentum homini omnium peccatorum ſuorum tribuatur remiſſio: contra hos igitur inquit: *Omne tibi tempus ad ablutionem idoneum eſt;* tremenda autem ſunt verba quæ ſequuntur: *Quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat.* Quiſquis enim extra Dei gratiam conſtitutus, ſpe vitæ longioris emendationem ſuam differt, ſcire debet, quod nullus ab eo transigatur annus, menſis, ſeptimana, dies, hora, imo nec momentum ullum, in quo morti non ſit viciniſſimus. *Cum Paulo ad te clamo,* inquit Nazianzenus, *& cum magna inquam illa voce: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; quo loco particula, nunc, non certum aliquod tempus, ſed tempus omne deſignat.*

Nazianz. Orat. 40.

Iterum increpantur differenter Baptiſmum.

Seneca Tragicus pariter hoc nobis tradit utiliſſimum documentum: *Nemo tam Divos habuit faventes, craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.* Imo huic ſententiæ magis roborandæ ſequentem utiliſſimam reflectionem ſubjungo, ſcilicet; Quod ſi v. g. per divinam revelationem infallibilem diem mortis tuæ perſpectum haberes, non tamen ob id aſſecuratus eſſes, quod ante mortem tuam, veram peccatorum tuorum acturus eſſes pœnitentiam. Si enim Deus certo tibi promiſiſſet, quod te ad certum uſque tempus expectaturus eſſet, non vero tibi ſimul pollicitus fuiſſet plenariam peccatorum tuorum indulgentiam, utique de felici morte ſecurus non eſſes, quanto igitur nunc minus es ſecurus, quando non ſolum incertus es de peccatorum tuorum in fine vitæ obtinenda remiſſione, verum etiam de annorum vitæ tuæ numero.

Seneca in Thyeſte.

Nemo de felice morte ſecurus eſt.

Audiatis velim hac de re mirabilem hiſtoriam, quam S. Antoninus in hæc fere verba refert: Etenim juvenis quidam dives, & nobilis, voluptatibus, delicijs, otio, alijſque hujus mundi vanitatibus totaliter deditus, quotidie precabatur Deum; ne mortem ei videre permitteret, niſi prius de tempore quo moriturus eſſet, monitus fuiſſet. Quadam die dum huic Orationi inſtaret, Angelus quidam ei apparens Orationem ejus à Deo exauditam eſſe nuntiavit; Non enim cum ex hac vita emigraturum eſſe, niſi mors ei imminens antecedenter intimaretur. De hac autem gratia ſecurus exiſtens, tanto majori cum libertate, & ſine ullo timoris fræno, cuilibet ſe vitio immerſit. Poſt aliquot vero elapſos annos contigit, quod cum mane expergefactus è lecto ſurgeret, caput ſibi dolere ſenſerit, ac proinde domi manere coactus fuerit, amici tamen, & in vanitatibus collegæ, & ſodales, ipſius notantes abſentiam, ad eum acceſſerunt, omnigeniſque gaudijs illum conati ſunt recreare; Interea vero die ſequenti corripuit eum febris, quæ valida cum eſſet, eumque tecto affixum teneret, à proximis cognatis ad Confeſſionem peccatorum ſuorum inſtituendam cohortabatur; quos ille hac de re ſilere juſſit, eo quod infirmitatem ſuam omni diceret carere periculo; Verum cum febris malignitas de hora in horam majora acciperet incrementa, ideoque amici denuo ad confeſſionem faciendam eum hortarentur, reſpondit illam quidem ſe facturum, non prius tamen quam febris nonnihil remitteret, & diminueretur; at vero cum hæc in ſingula momenta majores faceret progreſſus, ac proinde parentes, amici, & omnes circumſtantes eum de novo de ſacramentis ſuſcipiendis monerent, infirmus ſe à febris vehementia adeo agitari, reſpondit, ut quid in confeſſione dicturus eſſet, penitus ignoraret, ac proinde decrementum illius præſtolarentur, tunc enim ſe confeſtim per ſacerdotem ſacramentis muniri velle; At vero inopinatum mortis periculum, & cum eo pariter angelus ſupervenit, qui prouti infirmo promiſerat, mortis tempus jam adeſſe ſignificavit dicendo: *Tempus eſt ut egrediatur anima*

S. Antonin. p. 2. Tit. 9. cap. 13. §. 4.

Juvenis de inſtanti morte monendus aſſecuratur per Angelum & ideo liberius vivit.

Incidit in febrim mortalem.

tua de corpore, finis tuus venit; Conqueritur iſte dicens: *Dominus decepit me, quia promiſit mihi, quia non morerer ſine aviſamento, ecce de hoc non fui aviſatus;* Cui Angelus: *Imo de hoc fuiſti aviſatus, quia cum ſupervenit infirmitas, illud fuit aviſamentum unum mortis; Cum tibi à conſanguineis dicebatur, ut confitereris, illud fuit aliud; Cum tibi à ſacerdote idem dictum fuit, illud fuit novum; Noluiſti audire, non datur tibi aliud tempus, oportet quod moriaris; Et ſic ſine confeſſione moriens ad infernum deductus eſt à Dæmonijs.*

Jam morienti demonſtrat Angelus monitiones præceſſiſſe.

3. Credendum proinde eſt Spiritui ſancto, per os S. Pauli dicenti: *Ecce nunc tempus acceptabile;* Hic enim Apoſtolus, qui in Paradiſum raptus fuit, probe cognoſcebat, illos iſtuc habituros aditum, qui in ſalute ſua promovenda ſoliciti ſunt, multoſque eamdem ſalutem ſuam, pœnitentiam differendo, perdidiſſe. Porro tempori tres præcipue partes aſſignantur à doctis; prout S. Auguſtinus diſcurrit, ſcilicet Præteritum, præſens, & futurum. Cuinam vero harum partium temporis impius pœnitentiam ſuam procraſtinans innititur, non præterito, quia hoc jam elapſum, & ab impio Deum continuo offendendo conſumptum eſt, qua de re rigoroſam Deus ab illis exacturus eſt rationem; Nec præſenti tempori inniti poteſt, quia illud ſagitta velocius avolat, dicente Poëta: *Heu fugit interea, fugit irrevocabile tempus.* Reſtat igitur, ut ſoli innitatur tempori futuro; At vero dicito ſodes numquid hæc temeraria eſt præſumptio, diſponere velle de tempore, quod ſolum directe à nutibus, & diſpoſitione Dei dependet? *Ecce nunc, qui dicitis hodie; aut craſtino ibimus in illam civitatem,* inquit S. Jacobus Apoſtolus, *& faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; Qui ignoratis, quid erit in craſtino; Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens.* Cum enim vita noſtra, uni dumtaxat reſpirationi innitatur, magna utique ſtultitia eſt, ſuper unicum anhelitum, ſive reſpirationem tanti negotij fundare velle machinam? Cumque tempori ſubjectiſſimus, cujus ne unicum quidem momentum in noſtra habemus poteſtate, qua ratione nobis menſes ad annos promittere poterimus? Anima à parte poſt, æterna eſt, & quamdiu in hoc noſtro moratur corpore, illud animando, quanto temporis ſpatio ibi reſpiratura ſit, prorſus ignorat? Neque aliud habemus tempus, ad aſſecurandam nobis felicem & beatam æternitatem, quam præſentem hanc vitam! Erimus ne igitur adeo ſtolidi, & felicitatis noſtræ inimici, ut rejecta beata æternitate tempus noſtrum conſumamus, in confectando inferno? Abſit *dum tempus habemus operemur;* Sed quid operabimur? Num forte delicias? Honores? Divicias? Palatia? Voluptates? Nihil horum? Quid ergo? *Operemur bonum.*

S. Aug. l. 11. Confeſſ. cap. 14.

Triplex eſt temporis differentia.

Job. 4. v. 13.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 15.

Tempus non eſt in noſtra poteſtate.

Gal. 6. v. 10.

4. Procopius ſuper illa verba: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ;* ita ſcribit: *Spiraculum ſub tempus cadit, ſpiritus vero æternus eſſe perhibetur; Spiraculum exiguo viget tempore, & deinde abit, adimens ſpirandi, ſeu reſpirandi vim, ſeu potentiam corpori, in quo prius hærebat.* Enimvero regnum cœlorum, æternitas beata, ſalus animæ æterna, negotia ſunt maximi momenti, ſummeque ardua, propter quæ in hanc vitam poſiti ſumus; Ergone tam temerarij erimus, ut fragilem hanc vitam in voluptatibus & gaudijs tranſigere velimus, negotio tanti momenti ad ultimum uſque mortis articulum procraſtinato? Decipimur utique; Neque enim hæc mens Jobi fuit, dicentis: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Seneca mortalis ſequens nobis ſcriptum reliquit ſalutare monitum: *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere, dum ne craſtino quidem dominamur, ſingulos dies ſingulas vitas puta, qui hoc modo ſe aptavit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt.* Idem Philoſophus in alio quodam loco, ubi *de vitæ brevitate* diſcurrit, in hæc nobis verba improperat: *Tamquam ſemper victuri vivitis, numquam vobis fragilitas veſtra ſuccurrit. Non obſervatis quantum temporis tranſierit, velut ex pleno, & abundanti perditis, cum interim fortaſſe ille ipſe alicui vel homini, vel rei donatus ultimus dies ſit. Omnia tamquam mortales timetis, omnia tamquam immortales concupiſcitis; Audies pleroſque dicentes: A quinquageſimo in otium ſecedam, ſexageſimus annus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis iſta, ſicut diſponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quam ſerum eſt tunc vivere incipere, cum deſinendum eſt? Quæ tam ſtulta mortalitatis oblivio, in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?* Quidnam obſecro Philoſophus iſte dicturus fuiſſet, ſi veræ fidei lumine fuiſſet illuſtratus, multorumque Chriſtianorum intellexiſſet blaſphemias, qui conſilia ſua ſuper tempus fundant, multos ſibi promittentes annos, quos in delicijs & recreationibus conſumant, quaſi certi eſſent, quod in brevi extremæ infirmitatis tempore ad Deum ſint convertendi? Tandem vero idem ſapientiſſimus Philoſophus ſpem illorum, qui poſtquam mundi ſunt ſaturi, in ultimo tandem vitæ momento ſe quieti daturos eſſe confidunt, paucis quidem, ſed efficaciſſimis verbis deridet, inquiens: *Sed iſta fieri ſpecioſius, quam promitti poſſunt.* Qua enim authoritate de futuro tempore diſponere præſumis?

Gen. 2. v. 7. Procopius ibid.

Propter vile quid negligitur pretioſiſſimum.

Job 21. 13.

Seneca Epiſt. 101.

Seneca cap. 4. de brevit. vitæ.

Anni inutiles male dantur Deo.

5. S. Thomas verba illa Eccleſiaſtici: *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit,* in favorem præſentis propoſiti exponit inquiens: *Hæc repromiſſio eſt nequam, quia repromittens ſibi, uſurpat quod eſt Dei, ſcilicet diſponere de tempore futuro.* De quo Act. Apoſt. 1. dicitur: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Bernardus: Quid de futuro miſer temerarie præſumis, tamquam pater tempora & momenta in tua, & non magis in ſua poſuerit poteſtate? Nequior eſt, quia cum tempus infiniti valoris ſibi à Patre cœleſti conceſſum fatue expenderit in contumeliam Dei, damnum ſui, & ſcandalum proximi, tamen præſumit, quod Deus ei multum temporis daturus ſit. Nequiſſima vero eſt, quia tempus dandum in Patris contumeliam expendere proponit.* Stultitia profecto eſt manifeſta, multum ſibi temporis promittere, quando Deus ſe ſolum temporis Dominum, & diſpenſatorem eſſe apertis verbis declarat. *Tempora & momenta Pater poſuit in ſua poteſtate;* Unicuique enim ſuum tempus per partes & momenta diſpenſat. Regius Vates in Pſalm. 60. ita canit: *Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, ut reddam vota mea de die in diem;* Non ſibi annos promittebat, quia dietim ſemper vivebat. Unde S. Valerianus ait: *Numquid dixit de anno in annum? Minime; Sed dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis eſt dilectiſſimi, debitum autem Deo & promiſſum munus, non eſt tempore prolongandum. Nihil futuro judicio debet, qui quotidie vota perſolverit; Non eſt unde rationem impoſterum præſtet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus juſto labore ditatus obtulerit.*

Eccli. 29. 24. S. Thom. de erudit. Principum c. 8. l. 5 ibid.

Act. 1. 7.

Repromiſſio eſt nequam nequior nequiſſima.

Pſ. 60. v. 9.

S. Valerian. Hom. 4.

Tempus eſt in poteſtate ſolius Dei.

6. Apud Iſaiam cap. 49. Deus proteſtatur dicens: *In tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui.* Quodnam vero eſt illud tempus, Deo adeo gratum, & acceptum, in qua ei ſua nobis dare auxilia, noſtramque operari ſalutem complacuit? Tempus hoc tempus eſt præſens; Ait enim. *In die ſalutis,* non vero dicit, *in anno, in menſe.* S. Paulus ſpatium hoc arctius limitat, dum ait: *Ecce nunc dies ſalutis, nunc* enim non tempus, ſed temporis momentum deſignat. S. Bernardus hac de re ſequentem inſtituit conſiderationem: *Conſidera quam multi modo moriuntur, quibus ſi hæc hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi conceſſa eſt, quomodo per altaria, & quam feſtinanter currerent & ibi flexis genibus, vel certe toto corpore in terram proſtrato, tamdiu ſuſpirarent, plorarent, & orarent, donec pleniſſimam peccatorum veniam à Deo conſequi mererentur. Tu vero comedendo, bibendo, jocando, & ridendo tempus otioſe vivendo perdis, quod tibi indulſerat Deus, ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam quot animæ nunc in inferno cruciantur ſine ſpe veniæ & miſericordiæ.* Idem quoque S. Doctor in alio quodam loco mellifluo calamo ſuo de non differenda pœnitentia ſequentia nobis præſcripſit ſalutaria conſilia, inquiens; *Quid excuſationis poterunt habere de peccato? Numquid tunc dicere incipient, modo, ecce modo, ſine paululum? Sic enim nunc diſſimulant infelices, & modo, & modo, non habet modum, & ſine paululum in longum vadit. Bonus eſt inquiunt, Deus, qui in proximo juvat. Magna quidem divina promiſſio, ſed longa valde dilatio & moleſta expectatio eſt. Terrenas deſerere ſortes, & necdum retinere cœleſtem, afflictio intolerabilis, & inconſolabilis dolor. Quid accelerare neceſſe eſt, ut miſeria prolongetur? Aſpera prorſus & ſeductoria cogitatio. Nova ſiquidem hæc querela eſt, nec prolixiorem vitam filij hominis hactenus cauſabantur. Breves dies hominis ſunt, donec conſcientia ſtimulante de Pœnitentia, & converſione, vel intus à Spiritu, vel foris commoveantur ab homine. Ex tunc ſane novum concipitur tædium longioris vitæ, differendæ mortis oritur. Fiducia nova. Sed eſto multa tibi annorum curricula reſtant, adoleſcens es, uſque ad ſenectutem victurus, & ſenium quid neceſſe habes amittere, tempora tanta, perdere*

Iſa. 49. v. 8.

2. Cor. 6. 2.

S. Bern. c. 2. de inter. domo.

Pretioſitas temporis.

S. Bern. in Declamationibus.

tanta lucra? Nihil pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius æstimatur.

Proprietas temporis.

7. Tempus, si Senecæ credere volumus, hanc habet proprietatem, quod quanto nos illius diu fruendi avidiores & cupidiores esse cognoscit, tanto nos citius & velocius deserat. *Fluit tempus, & avidissimos sui deserit*, inquit Seneca, *nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit, in puncto fugientis temporis pendeo.* Impij in hac vita quantum possunt diutissime superstites esse desiderant, nec oculos, nec corda sua ad aliam vitam considerandam elevant, ac proinde per experientiam videmus illos velocissime, & quando id minus expectant, morte interveniente perire, prouti in sequenti discursu videbimus. In vita S. Joannis Eleëmosynarij Patriarchæ Alexandrini legitur, quod cum in beneficium pauperum nonnihil cum Nizeta magnæ existimationis viro, in sententia sua discreparet, cum eoque contenderet, ut eum rationis capacem efficeret, eum oretenus alloqui decreverit, at vero ex mutua oretenus facta conferentia, contentio non solum non compescebatur, sed potius majora exacerbationis hinc inde nascebantur incrementa (Sanctus enim Patriarcha in damnum pauperum Nizetæ prætensioni cedere noluit) ac proinde ab invicem discesserunt; Verum cum S. Joannes vir mansuetissimus esset, semetipsum de pertinacia reprehendit, vidensque solem ad occasum declinantem, memor illius Apostoli: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, aliquos ad se accersitos Sacerdotes ad Nizetam dimisit, qui ei ex parte sua dicerent: *Sol ad occasum est*; Quorum verborum mysterium intelligens Nizetas, protinus compunctus, ad servum Dei properavit, qui in mutuos corruentes amplexus, sibi invicem fuere reconciliati. Hanc obsecro historiam proposito nostro applicemus. *Sol ad occasum est*; Vita nostra non nisi modico aëri, unicæ dumtaxat respirationi aut anhelitui innititur, *quia ventus est vita mea*; Tempus nostrum brevissimum est, & ne quidem unicum momentum in nostra est potestate, aut dispositione; Potentissimus totius universi Monarcha, cum omnibus thesauris suis, ne quidem unam horam sibi valet comparare, multo minus de eadem habenda se securum reddere, & ideo si forte, quod absit, in ira Dei constituti sumus, cogitemus, & dicamus, *Sol ad occasum est*, non tardemus nos reconciliare cum Deo, ne forte sole justitiæ recedente in tenebris æternaliter remaneamus. S. Bernardus ait: *Quid illud sapientis consilium ingeram: Ne tardes converti ad Dominum? nescis quid superventura pariat dies. Quid insaniam causet de futuro tam temerariè præsumentis, quasi vero tempora & momenta Pater in tua, & non magis in sua posuerit potestate, vel voluntate?* Quod si homo nonnumquam de tempore, quoad bona temporalia, divitias nimirum, honores, successionem prolis, delicias, aliaque similia disponens, delusus remaneat, jacturam non adeo magnam patitur, quia solum hæc bona temporalia per hoc dimittere cogitur, & idem est, si vitæ jacturam patiatur, per hoc namque sexaginta vel septuaginta somniatæ prosperitatis annos circiter amittet; At vero si supra tempus æternitatem boni alicujus vel mali infiniti fundans, à scopo suo aberrèt, & deludatur, damnum irreparabile patietur, *agitur enim de summa rerum.*

Seneca lib. nat. Quæst. 6 cap. 32. — Historia de S. Joanne Eleëmosynario. — *Ephes. 4. 26.* — *Job. 7. v. 7.* — Moraliter dicitur; Sol ad occasum est. — *S. Bernard.*

Error procrastinantis.

8. Verum enimvero impius pœnitentiam suam procrastinans alium quemdam, quem non advertit, committit errorem, siquidem sibi persuadere præsumit, quod Deus ipsi pro suo beneplacito concessurus sit tempus, quantum ipse desideraverit, ut illud in offensam sui benefactoris, & damnum suum proprium inutiliter consumat; Simulque sperare audet, quod Deus minime vindicaturus sit hanc sibi illatam contumeliam, de qua apud Isaiam conqueritur dicens: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Sed turpiter fallitur, & decipitur, peccata enim tempus vitæ nostræ abbreviant; Unde regius Psaltes ait: *Prolongaverunt iniquitates suas*, & quid inde subsecutum fuit? *Dominus justus concidit cervices peccatorum, Confundantur, & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion, Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*

Isai. 43. 24. — *Psal. 128. 3.* — *Ibid. v. 4.* — *Ibid. v. 5.* — *Ibid. v. 6.*

9. Tandem quoque alius occurrit scopulus, in quem iidem pœnitentiæ procrastinatores impingere solent, quem Dionysius Carthus. in opusculo *de Conversione peccatoris* his verbis indicat: *Quo diutius in vitijs perseverant, eo plus habituantur, radicantur, & assuescunt in eis, sicque mole vitiosæ ac pessimæ consuetudinis opprimuntur, ut vix queant consurgere, atque per hoc quotidie ineptiores ad conversionem redduntur, & vix umquam veraciter pœnitent.* Adeoque tempus, quod Deus illis ad vitam beatam acquirendam concessit, in gaudijs & voluptatibus, omnisque generis vitijs consumentes, pessimos contrahunt habitus firmiter adeo radicatos, ut inde ad faciendam pœnitentiam inhabiles prorsus & incapaces efficiantur; Nam ut S. Chrysostomus ait: *Quodvis peccatum senem efficere eum solet, qui illud commiserit; Quod autem inveterascit jam & consenescit, interitui proximum est.* Unde nequaquam judiciũ temerarium committet, qui hominem in peccato inveteratum, morti non solum temporali, sed & æternæ vicinum esse credet. Thomas Cantipratensis hac de re sequens refert exemplum. Etenim cum Episcopus quidam in Germania, nobilissimo sanguine oriundus totum se avaritiæ, & carnalibus voluptatibus daret, Deus, *Qui non vult mortem peccatoris, ut magis sed convertatur & vivat*, multa quidem, ut eum ad pœnitentiam reduceret, adhibuit remedia, verum hæc omnia ejus culpa, nullum prorsus habuere fructum; Ac proinde ex improviso mortuus fuit; Cum verò eodem sæculo vivens Conradus Episcopus Hildesheimensis eadem hora ad matutinum surrexisset, terminato officio nocturno pro concione facienda studere incipiens, & à sensibus abstractus sequentem habuit visionem. Visum enim fuit sibi, se Episcopum quemdam videre, facie obvelata, ad tribunal Judicis ductum, ubi multi comparuere, qui ipsum de rapinis varijs, impudicitijsque accusabant. Judex igitur ad Assessores suos se convertens, iisdem, ut causam illam diligenter examinarent, & examinatam justa sententia terminarent, præcepit; Quod cum ab illis præstitum fuisset, mox comparuerunt Lictores, alijsque justitiæ ministri, qui ipsum mitra, annulo, planeta, omnibusque alijs ornamentis sacris exutum ad supremi illius judicis pedes collocarunt. Quo facto assessores è locis suis surrexerunt, & abeuntes nil aliud, quam hæc solum verba identidem repetebant: *Ergò dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Reversus autem ad se Conradus, deque subitanea illius Episcopi morte certior factus, flere cœpit, & pariter dicere: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.*

Dion. Carth. Art. 2. Opusc. de Convers. peccat. — Peccando senescimus. — *D. Chrysost. Hom. 10 ad Rom.* — *Thom. Cantipr. lib. 1. cap. 3.* — Visio Episcopo Conrado exhibita.

DISCURSUS XIX.
ARGUMENTUM.

Mors die, & hora, qua minime expectabatur, superveniet, ac proinde in manifesto est perditionis suæ periculo, qui pœnitentiam suam ad mortem usque differt.

THEMA.

Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit, Eccle. 9. ℣. 12.

1. VIdetur prima facie Ecclesiastes in hisce verbis sibimetipsi contradicere, siquidem asserit hominem nullam finis & mortis suæ habere notitiam: *Nescit homo finem suum*; Et tamen ipse immediate subjungit: *Sed sicut pisces, &c.* Hinc enim satis liquet impijs tempus superventuræ mortis obscurum nõ esse, siquidem superveniet illis quando illam longissime abesse existimantes, convivijs, voluptatibus, recreationibus, alijsque similibus gaudijs immersi erunt. *Quando enim non æstimant* (Ita S. Hieronymus exponit) *repentina morte subducti ad judicium venient, & quomodo pisces hamo capiuntur & retibus, & aves per aërem libere, laqueo, dum nesciunt, alligantur, sic & homines pro merito suo ad æterna supplicia deducentur, cum repente mors veniet.*

Sensus Thematis. — *S. Hieron. ibid.*

2. Dives ille Evangelicus qui copiosam horreo suo messem intulerat, diuturno tempore se supervicturum omnino credebat; Unde ait: *Anima* mea *habes multa bona posita in annos plurimos.* Sed quo fine hasce sibi divitias reposuerat? Num forte partem illarum inter pauperes distribuere decreverat, ut vel sic cœlesti benefactori justissimo jure debitas ageret gratias, vel in alios pios usus adhibiturus erat, pro conciliando sibi æternæ salutis subsidio? *Divitiæ* enim; ut S. Ambrosius ait, *ut impedimenta sunt improbis, ita probis sunt adjumenta virtutis.* Quem igitur hujus viri divitias finem spectasse existimatis? Hic ejus finis satis in ipsius se verbis prodit; Ait enim: *Comede, bibe, epulare.* At vero quantum ipse se ab omni infortunio procul magis positum esse credebat, quantoque plures futuræ vitæ suæ annos numerabat, tanto imminentis mortis improvisa & repentina falx cervicibus ipsius proximius incumbebat; Nam ut sacer textus ait: *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*; E vero quod eidem ne unum quidem verbum loquendi, deque opulenta ejus hæreditate disponendi spatium indultum fuerit, ex sequentibus verbis satis clare deducitur, subdit enim sacer textus: *Quæ autem parasti, cujus erunt?* Solent enim impij conversionis & pœnitentiæ suæ procrastinatores, repentina & improvisa morte communiter mori, adeo ut ne verbum quidem in beneficium animæ, vel pro rebus suis temporalibus disponendis loqui valeant.

Malus finis divitiarum. — *Luc. 12. 19.* — *S. Ambr. in cap. 12. Luca.* — *Luca 12. 20.* — Mors inopinata. — *Ibid.*

3. Apud Isaiam Deus quosdam ad faciendam pœnitentiam invitaturum se esse, his verbis dicit: *Et vocabit Dominus Deus... in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum sacci; Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, bibere vinum, comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Porrò reprobi pluribus à Deo modis ad emendationem invitantur, ipsi vero adhuc tempus superesse respondent, in quo id faciendi commoditas aderit, interea vero bonos dies ducunt, & splendide vivunt, priusquam mors illis superveniat; at vero licet per Ironiam videantur dixisse: *Cras enim moriemur*, id tamen ut plurimum revera contingit, quia fere semper *extrema gaudij luctus occupat*, prout à tot sæculis quotidiana docuit experientia. In eodem Isaiæ loco, subjungitur: *Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum, si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini? dicit Dominus Deus.* S. Cæsarius Arelatensis in homilia quadam ita scribit: *Sed dicet aliquis; Cum ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamentum confugiam. Quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cum unum diem vitæ suæ in potestate non habeat? Quam multi se credunt longo tempore victuros, & ita illos mors repentina subtraxit, ut nec ad illam momentaneam possint pœnitentiam pervenire?* Superbus ille & arrogantissimus Aman, qui typus erat peccatoris (*Nam initium omnis peccati superbia*) quando in supremo fortunarum suarum apice constitutus erat, seque à morte per multa lustra abesse putabat; præter omnem expectationem, & plane ex improviso se ad idem patibulum, quod Mardochæo æmulò suo in domo suâ præpararat, at divina vindicta ita disponente, se adjudicari audivit ejusque deprecationes surdas apud Assuerum aures repererunt. Ita enim reprobis contingere solet, *Cum dixerint Pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Et ideo causa ob quam ad mortem semper præparati esse debemus, hæc est, quia nullus morti fidere potest, cum sit infidelis, fraudulenta, sagax, inexorabilis, omnisque expers respectus, nullaque apud eam sit personarum acceptio. Præterea cum vita nostra ab aëre, id est à respiratione aëris, quem per anhelitum ad nos trahimus, dependeat, quis vitæ nostræ confidere ausit? Quanta enim cum facilitate hoc vitæ spiraculum homini subtrahi potest? Ac proinde optime in hanc rem peroravit Nazianzenus inquiens: *Quanto in periculo versaris? Quot, quamque inopinati rerum casus? vel bellum oppresserit; Vel terræmotus obruerit; Vel mare exceperit; Vel bellua rapuerit, Vel morbus extinxerit; Vel mica panis transversè per fauces currens; Res vilissima (Quid enim hominis interitu facilius, quantumvis ob divinam imaginem glorieris) vel immodica crapula; Vel ventus in præceps agens; Vel equus sessorem secum abripiens; Vel pharmacum de industria ad insidias comparatum; Fortassis etiam pro salutari pestiferum inventum.* Sternutatio, quæ saluti corporali subsidio sæpe esse solet, licet à bona causa non derivetur, hæc inquam hic Romæ pistori cuidam prope suburram habitanti mortem accersivit, nam postquam viginti quatuor consequentibus vicibus sternutasset, tandem subito mortuus corruit; Id quod percelebri cuidam oratori eruditissimam & hoc casu compositionem Rhetoricam contexendi occasionem præbuit. Quot casus legimus hominum, qui in ipsomet actu copulæ carnalis, vel dum lautis accumbebant mensi, animam exhalarunt? Merito igitur S. Ambrosius ita ad Sabinum scribit: *Unusquisque se eviscerat luxuriosus, belluo internecat; Quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas?*

Isai. 22. 12. — *Ibid. v. 13.* — Impijs semper superest tempus. — *Ibid. v. 14.* — *S. Cæsar. Arelat Hom. 6.* — Aman proximus suspendio multum temporis sibi promittebat. — *1. Thessal. 5. v. 3.* — Ad mortem semper debemus esse parati. — *Nazianz. Orat. 40.* — Diversissimæ viæ subitaneæ mortis. — *S. Ambr. ad Sabinum.*

4. Idem quoque melleus Doctor de Pœnitentia, differens ita suadet: *Agenda est pœnitentia, non solum solicite, sed etiam mature, ne forte Evangelicus ille Paterfamilias, qui arborem ficum plantavit in vinea sua, veniat, & quærens fructum in ea, si non invenerit, dicat cultori vineæ: Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* Enimvero incarnatam sapientiam duarum ficulnearum in Evangelio mentionem fecisse legimus, videlicet hujus de qua loquimur, & alterius cui maledixit. At vero cur putas Christum hanc expectasse donec fructificaret, alteri vero fructificandi tempus non indulsisse, cum tamen ambæ ficulneæ infructuosæ essent? Porro homo in Scriptura arbori assimilatur, dicente Psalmista: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*; Et idcirco quidquid hic circa ficulneas factum est, *omnia in figura contingebant*; Nimirum Salvator insinuare nobis voluit, sæpe fieri, quod nonnemo ex improviso ad æternam condemnetur maledictionem, eo quod illum pro eo tempore omnis fructus expertem & vacuum invenerit: *Arefacta est continuo ficulnea*; Alios vero per aliquod temporis spatium patienter præstolabitur; Sed quo putas fine? *Siquidem fecerit fructum*, cum hoc enim pacto peccatores expectat, ut se emendent, & veram agant pœnitentiam; *Sin autem, succides eam.* S. Ambrosius ait: *Eos qui pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum; Nescimus qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte à nobis reposcatur anima.* Dionysius Carthusianus in opusc. *de conversione peccatoris* nos pariter monet dicens: *Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente inveniat vos dormientes, id est torpore vitiorum oppressos.*

S. Ambr. l. 2. de Pœnit. cap. 1. — *Psal. 1. v. 3.* — Quidam subito trahuntur ad infernum, quorumdam expectatur emendatio. — *Matt. 21. 19.* — *S. Ambr. ibid. cap. 11.* — *Dion. Carth. de Convers. peccat. art. 2.*

5. Observandum quoque est, quod virgines fatuæ non minus, quam prudentes dono fuerint præditæ virginitatis, in manibus quoque lampades tulerint, ac denique sponso suo obviam exierunt, non Minus quam Sapientes; *Accipientes lampades suas* inquit sacer textus, *exierunt obviam sponso*, unicum, dumtaxat illis defuit; Videlicet oleum: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Novissime vero veniunt & reliquæ virgines*; Ubi speciali nota digna est dictio illa *Novissime*; per hanc namque illæ præfigurantur animæ, quæ ad finem usque vitæ veram pœnitentiam agere differunt; Et vero multi sunt, qui dum in vivis degunt, multa quidem opera bona faciunt, sed in tali statu, in quo extra Dei gratiam positi sunt; Et tamen opera illa in ultimo mortis articulo illis suffragatura esse omnino credunt; sed inexpectata superveniens mors; illas abripit; Se quidem supplices Deo sistunt dicendo: *Domine, Domine, aperi nobis*, sed respondetur illis: *Nescio vos*, quia *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei.* Verum quidem est, quod Salvator noster apud S. Joannem cœli portam se esse dixerit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*; In illa autem occasione omnino se implacabilem exhibebit; *Quia clausa est janua*; *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*, non dixit, *annum, mensem, hebdomadam*; sed momentum illud ad diem dumtaxat, & horam adstrinxit. Unde S. Basilius in Orat. 4. de Pœnitentia in hæc verba nos monet: *Vide ne ex anno in annum, ex mense in mensem, ex die in diem pœnitentiam producendo, incurras aliquando in diem, quam non expectabas, nimirum quando deficiet vita & consilij inopia, omni ex parte te circumdabit.* Et subdit: *Proferes quidem verba mollia & effœminata, verum non erit, qui aures det, sed quidquid tum proferes, quasi res stulta pro nihilo ducetur. Quis tum te Pœnitentiæ, ex perturbatione mente captum ac stupidum commonefaciet?* Sensus hominis in agonia positi omnino obstupescunt, intellectus obtenebratur, deficit memoria, voluntas illaqueatur affectibus terrenis, qui prius ei prædominabantur; Ac proinde actus veræ pœnitentiæ in illo articulo producere, difficillimum est. Et tamen adeo reprobus ab inordinatis appetitibus suis in vita fascinatur, ut se non solum tempus, verum etiam modum Deum in extremo mortis articulo sibi propitium reddendi habere, sibi ausit promittere; Dicente B. Laurentio Justiniano: *Sibi blanditur compunctionis gratiam, suadens sibi se illam posse obtinere ad libitum, immemor divinorum eloquiorum dicentium: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*

Utræque tam fatuæ quam prudentes, erant virgines. — *Matth. 25. 1.* — *Ibid. v. 8.* — *Ibid. v. 11.* — *Ibid. v. 11.* — *Matth. 7. 21.* — Serius venientibus clausa est janua. — *Joan. 10. 9.* — *Matt. 25. 10.* — *Ibid. v. 13.* — *S. Basil. orat. 4. de Pœnit.* — Status agonizantis. — *B. Laur. Justin de perf. grad. c. 2.*

6. S. Augustinus *in speculo peccatoris* illum adducit Psalmistæ versiculum: *Apprehendite disciplinam ne quando, &c.* & subdit: *Quam terribilis est sententia & nimis metuenda his, qui disciplinam non apprehendunt, ex hac Spiritus Sancti sententia patet, quod peribunt. Hinc est quod Dominus per Moysen ait: Omnis anima quæ non fuerit afflicta Die hac peribit de populo meo.*

Ps. 2. v. 13. — *S. Aug. in spec. peccat.*

Anima

Anima, inquit, quæ non fuerit afflicta, subaudi, per disciplinam, per morum correctionem, per pœnitentiæ satisfactionem, per cordis contritionem, per conscientiæ purificationem. Notandum vero Moysen claris verbis dicere: *Die hac*, idque consonat cum sequentibus Prophetæ Regij verbis, dicentis: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*; Nusquam vero reperietis spem dari pœnitentiæ illis, qui vocati respondere differunt. Unde idem S. Augustinus alio in loco quærit dicens: *O homo, quare differs de die in diem, forte hodie habiturus ultimum diem? Semper cum ingenti timore, atque tremore ad memoriam revocemus, quod tanta sit apud Dominum nostrum justitia, ut de sexcentis millibus; duo tantum terram promissionis intraverint.* Legetur forsitan in superiorum temporum historijs alicujus exemplum, qui in ultimo illo agone salvatus fuerit, postquam per longum temporis spatium pœnitentiam procrastinavit, verumtamen hoc miraculi loco habendum est, fit enim hoc nonnumquam ijs, qui tali sorte gaudent, ut antea ad pœnitentiam efficaciter vocati fuerint, Vel quia forsitan multa fecerunt opera moraliter bona, vel quia omnipotentibus gavisi fuerunt Sanctorum intercessionibus; At vero numquid manifesta stultitia est, velle salvari per miraculum? S. Augustinus ad latera sua continuo sibi assistentem habebat S. Monicam matrem suam, quæ per tot annos amare flevit, ut filij sui conversionem impetraret, eamdem quoque conversionem multis Dei servis cum lacrymis commendabat, ut proinde ad illam consolandam optimus ille Episcopus ei dixerit: *Non potest perire filius tantarum lacrymarum.* Quantum S. Ambrosius laboravit, ut eum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reduceret? Tandem vero Deo efficaciter vocanti obedivit.

Omnis dies ultima censeri debet. *Ps. 94. v. 8.*

S. Aug. ser. 302. de temp.

Si differens conversionem in fine convertatur miraculum est.

7. Idem S. Augustinus in tract. 33. super Joannem inquit: *Propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniet ultimus dies, nescis; Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris.* Enim vero certum est, Deum uniuscujusque omnes enumerasse passus & gressus quibus à divinorum præceptorum suorum semita deviavit; Dicente patientiæ speculo: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*; Et paulo post clarius inquit: *Signasti quasi in sacculo delicta mea*; Divina enim justitia certum quemdam limitavit peccatorum præfixum numerum, ad quem usque tolerare vult impium, filum vitæ ipsius detruncaturus, mox ut ad illum peccatorum numerum impius pervenerit; Unde apud S. Jobum Spiritus Sanctus ait: *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* Cum igitur, ad quem usque peccatorum numerum, Deus nos expectare decreverit, ignoremus, merito de unoquoq; peccato, quod futurum sit ultimum, timendum nobis erit. In libro Numerorum Deus lamentatur inquiens: *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ*; At vero quanam inde pœna mulctati fuere? *Non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum.* Similiter in cap. 15. lib. 1. Regum, Deus ait: *Recensui quæcumque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto.* Porro multa jam elapsa fuerant sæcula, & tamen Deus injurias, & contumelias populo suo illatas, post tot annorum sæcula vindicare distulit, nec tamen justæ vindictæ suo tempore inferendæ oblitus fuit. Peccator quidem, qui tot modis Deum offendit, & non solum pro criminibus suis non fuit castigatus, quin potius diuturna prosperitate gavisus, Deum peccatorum suorum oblitum esse, eademque impune dissimulare velle credit, sed valde decipitur, quin potius vindictam illorum ad ultimum usque mortis articulum sibi reservat. Ac proinde manifesta est peccatoris stoliditas, qui Deum in extremo vitæ momento sinum ejus divinarum gratiarum suarum thesauris adimpleturum esse sibi persuadet. Contrarium enim in Amalech Deus ostendit, cujus transgressiones & scelera tam graviter castigavit: *Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus, non parcas ei.* Difficile est igitur, quod impius, qui in vita sua Deo rebellis & ingratus fuit, in mortis hora ejus auxilium implorans, veniam scelerum suorum invenire queat, quando Deus se illo tempore ultricem gladium suum vibrare velle comminatus fuit.

S. Aug. tract. 33. in Joan.

Job. 14. v. 16
Ibid. v. 17.
Completo numero peccatorum veniet mors.

Job. 38. v. 11

Num. 14. v. 22.
Ibid. v. 23.
1. Reg. 15. v. 2.

Errat impius in prosperitate mundi ponens stabilitatem.

Ibid. v. 3.

8. Innocentius Tertius in Serm. 2. de Adventu super hæc verba: *Hora est jam nos de somno surgere*, ita scribit: *Sed dices, Cum semper sit hora surgendi à somno culpæ (juxta quod inquit Propheta: Quacumque hora conversus fuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor, dicit Dominus) quid est hoc quod dicit Apostolus, Hora est jam nos de somno surgere, tamquam non semper sit hora? Teneamus ergo quod veritas ait: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Et ideo monet Propheta: Quærere Dominum dum inveniri potest: Non igitur sibi blandiatur peccator frustra, & dicat: Secure possum ad tempus peccare, quia quacumque hora convertar, omnium iniquitatum mearum non recordabitur Dominus, quia nescio diem neque horam.* Verum quid est Deum æternæ veritatis verbo nobis promisisse, veniam se nobis peccatorum nostrorum indulturum, quotiescumque veram egerimus pœnitentiam, quod tamen nos ad pœnitentiam usque expectare velit; nusquam promisit, quin potius frequenter, ut semper parati simus, est cohortatus, ideo namque diem & horam mortis nostræ occultam & absconditam nobis esse voluit. Unde Innocentius Tertius in hæc verba concludit: *Justo namque Dei judicio fit, ut quia cum potest homo converti, & non vult, cum vult, forte converti non possit; Tunc enim securum est homini pœnitere, cum potest ipse peccare.*

Rom. 13. 11.
Innoc. III. ser. de Adv. 2.

Deus non promisit quamdiu velit expectare pœnitentiã.

DISCURSUS XX.
ARGUMENTUM.

Multæ expenduntur illorum stultitiæ, qui ad extremum usque conversionem suam procrastinant.

THEMA.

Usquequo... stulti ea, qui sibi sunt noxia, cupient? Proverb. 1. ℣. 22.

1. SApientissimus Regum Salomon omnes illos, qui proprias sectantur ruinas, stultos vocat dicens: *Usquequo stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient?* Paulo post vero, quinam illi stulti sint, qui sibi ipsis mala & damna conquirunt, declarat, dicendo omnes illos esse ejusmodi, qui à Deo ad sui conversionem & emendationem his verbis vocati: *Convertimini ad correptionem meam*, eamdem insolenter rejiciunt: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Hi iidem in libro Sapientiæ cap. 5. se insensatos fuisse rotundo ore fatentur: *Nos insensati, &c.* Ac proinde in præsenti discursu in illis qui pœnitentiam ad extremum usque vitæ procrastinant, diversa nobis stultitiæ argumenta examinanda erunt, quod deinceps præstabimus.

Ibid. v. 23.
Ibid. v. 24.
Sap. 5. 4.

2. *Stulti ea quæ sunt noxia cupient.* Neque in hac, neque in futura vita dari aut imaginatione concipi potest damnum aliquod irreparabilius, magisque damnosum, æterna damnatione; Hujus autem manifesto periculo subjacet is, qui conversionem suam ad extremum usque mortis articulum differre determinat. *Ipse se seducit*, inquit S. Augustinus, *& de morte sua ludit, qui hoc cogitat; Potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Non est hoc: Primum quia periculosissimum est in ultimum diem promissa securitas; Deinde stultissimum est, ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, in utilibus vitæ deficientis committatur extremis.* Per totam æternitatem nullum habemus, aut habituri sumus arduum magis, majorisque momenti negotium, quam ut nos securos reddamus de bono aliquo infinito semper & in æternum possidendo vel de ærumnis sempiternis declinandis; Et tamen nos adeo stulti sumus, ut negotium hoc ad extremum usque vitæ nostræ momentum differre velimus, quando vel propter infirmitatis vehementiam, vel ob mortis jamjam imminentis horrorem, ut plurimum extra nos, id est extra usum rationis positi sumus; Quod si quis illorum spem suam in aliquo constituat exemplo cujusdam, qui in fine vitæ salutem assecutus est æternam, temeraria hæc est præsumptio, prouti sequens exemplum manifeste probabit. Etenim hic Romæ confraternitas S. Joannis Baptistæ decollati quovis anno hoc illi à summis Pontificibus indulto gaudet privilegio, quod in die festo decollationis S. Joannis Baptistæ quemdam ex malefactoribus, ad patibuli supplicium condemnatis è carceris liberare possit ergastulo, at vero dic mihi sodes numquid fatuum judicares illum, qui omni cum libertate homicidia, Assasinia, rapinas, proditiones, & alia capitalia scelera committeret sub spe illa, quod sors liberationis super illum casura sit, cum tamen sors illa ex centum reis unico dumtaxat contingit? Simili prorsus modo si ex eo quod exemplum noveris cujusdam, in extremo mortis articulo salvati, spem concipis etiam te in eodem ultimo vitæ momento salvandum esse, cur non potius times, ne forte sis de numero illorum centum, qui damnabuntur, aut desperati morientur. *Si bene*

S. Aug. ser. 4. in Append.

Æterna damnatio est damnum inconceptibile.

Privilegium Confraternitatis S. Joannis Baptistæ.

memini

memini (Verba sunt S. Bernardi) *in toto Canone scripturarum unum latronem invenies sic salvatum, noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum.* Quisnam vero in sacris litteris experientior reperiri poterit S. Bernardo, cujus libri quædam sacræ Bibliæ medulla existunt? Et tamen asserit audacter, quod toto sacrarum litterarum volumine diligentissime pervolutato, ab initio mundi usque ad ipsius tempora, id est per decursum quinquies millium & amplius annorum, neminem salutem æternam assecutum inveniri ex ijs, qui solum in fine vitæ egere pœnitentiam præterquam bonum latronem. Verum in ipso tot concurrerunt circumstantiæ, merita, & prærogativæ tam speciales & eximiæ, ut in ipsius laudem & honorem suo loco alibi septemdecim contexuerimus discursus, unde ipse nequaquam allegandus est in exemplum.

S. Bern. ser. 38. in Ps.

Similitudo.

3. *Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt.* Numquid manifesta stultitia est, fidem adhibere velle ijs, quæ nobis appetitus noster suggerit sensitivus, ex passionis vehementia excæcatus, econtra vero authoritatibus & doctrinis omnium Sanctorum Patrum, imo quod plus est, sacrarum litterarum infallibilium, quæ omnes unanimiter pœnitentiæ ad mortem usque factam dilationem, tamquam æternæ perditionis scopulum condemnant, fidem abnuere? Dionysius Carthusianus de conversione peccatoris differens, ita discurrit: *In omni materia acquiescendum est prudentibus, & expertis in illa materia. Cum ergo ipsemet Dominus noster Jesus Christus, sapientia Dei Patris, & magni Consilij Angelus, & universi sancti ipsius Apostoli, & Prophetæ, & sancti Doctores, hanc pœnitentiæ dilationem omnino dissuadeant, concorditer reprobent, ac vehementer condemnent, certum est, quod stultissimum & iniquum sit, pœnitentiam sic differre.* S. Augustinus in homilia quadam ita scribit: *Audiant omnes, verba recito scripturæ divinæ. O male dilator, O Crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi scripturam sanctam prædicentem. De isto loco speculator sum. Ne tardes converti ad Dominum neque differas de die in diem, subito enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Numquid ego scripsi hoc? Numquid ego delere illud possum? Si delevero, timeo deleri. Illud possum tacere. Timeo tacere. Prædicare cogor; territus terreo.* Numquid igitur manifesta est stultitia proprio potius credere velle judicio, quam claris & indubitatis sacratum litterarum, omnium Sanctorum Patrum, Theologorum, Magistrorumque spiritualium decisionibus.

Cuilibet in sua arte credendum.

Dion. Carth. Art. 2. de Convers. peccat.

S. Aug. Hom. 11. ex 30.

4. *Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt.* Stultitia eorum qui pœnitentiam ad extremum usque procrastinant, discursibus & consilijs facile innotescit. S. Augustinus in alio quodam loco contra illos in hæc verba pronunciat: *Sed ne de misericordia tantum securi existamus, ut peccata peccatis augeamus, neque dicamus: Donec viget ætas, nostræ carnis concupiscentias exerceamus, & postea senectute malorum nostrorum pœnitentiam agamus; pius est enim Dominus, & misericors, nec ultra facinorum nostrorum recordabitur; stultitia est hæc cogitare, cum & impium sit, talem licentiam à Deo postulare quempiam velle, cujus initium est nos separare à Deo.* S. Thomas eorum, qui ad senectutem usque debita Deo servitia præstare differunt, sequenti discursu confundit stultitiam: *Cum majoris rei bonitas sit magis optanda, & pravitas magis timenda, si certum esset, quod vita futura esset longa magis esset providendum quod esset bona. Unde Augustinus: Qui differs in crastinum, vita longa erit, ipsa longa bona sit, si longa erit, melius bona erit. Insipitos Diabolus hoc mendacio duxit ad infernum, promittebat enim quod in matura ætate Deo servirent, & ipsi sperabant se aliquando Deo servituros, nunc sunt in inferno, numquam pœnitentiam facturi. Væ illis qui adhuc Patri mendacij tali mendacium dicenti credunt.* Numquid manifesta est stultitia fidem potius adhibere Dæmoni, Patri mendaciorum, qui animabus nostris insidiatur, quam credere Deo primæ veritati, *Qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat?* Eusebius de morte S. Hieronymi scribens in hæc prorumpit memorabilia verba: *Heu quam vana suspicio & falsa meditatio. Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus. Vir totus in peccatis genitus, & enutritus, qui nec Deum vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec se peccasse cognoscit, nec quid pœnitentia sit, nisi forte dormiendo novit, totus adhuc sæcularibus innodatus negotijs; quem angustia premit filiorum, quos deserit, quem infirmitas conterit, quem dolor divitiarum & temporalium honorum concutit, cum eis non posse frui amplius se cernit, quam acceptam à Deo accipit pœnitentiam, quam non acciperet, si adhuc se posse sanari crederet? Certe vere concludam, qui cum sanus est, & juvenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam.* S. Birgittæ sequentia à Deo revelata fuere horum impiorum stolida consilia: *Talium cogitationum viri inveniuntur hodie multi, qui cogitant taliter secum. Onerosum est, inquiunt, ire per viam arctam, durum est relinquere voluntatem propriam & honorem, propterea ponunt sibi spem falsam periculosam longa, inquiunt, est vita nostra, misericordia Dei est maxima, delectabilis est mundus iste, & ad delectationem creatus, ideo nil obest, si ad tempus utar mundo secundùm velle meum quia in fine vitæ sequi volo Deum, est enim compendium quoddam viæ hujus mundi, id est contritio & confessio, hanc si obtinuero, salvus ero. Talis cogitatio, velle scilicet peccare usque in finem, & tunc confiteri, est valde debilis spes, quia nesciunt antequam cadunt. Quibus & in extremis inspiratur quandoque tantus dolor, & subitus finis, quod nullo modo fructuosam invenire poterunt contritionem. Et merito, noluerunt enim prævidere futura mala cum potuerant, sed in arbitrio, & limitatione sua posuerunt tempus misericordiæ Dei.* Evidens est hæc stultitia, pro suo libitu disponere & ordinare velle circa tempus adhibendæ nobis divinæ misericordiæ. Amentia inexcusabilis est, si quis credat quod intra paucas horas invenire possit viam ad cœlum, qui tot annis vias ad infernum ingressus fuit. Æternæ veritatis est propositio, comprobata ab omnium præteritorum sæculorum experientia, scilicet: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Qua ratione is, qui mille libras ponderis ad pedes suos suspensas habet, sperare poterit expeditum ad cœlum volatum? impius porro pœnitentiam differendo pondus peccatorum suorum semper adauget, quomodo igitur ad Paradisum cum facilitate se ascensurum esse sperare poterit? Potius igitur, qui sunt de hoc genere hominum, audiant Isaiam Prophetam dicentem. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, & omne onus disrumpe*; Quæ vero inde consequitur spes, ab eodem confestim subjungitur: *Et gloria Domini colliget te.*

S. Aug. Tom. 4. de salut. docum. c. 39.

S. Thom. de erudit. Princip. lib. 11. c. 10.

Majus bonũ magis optandum est.

Euseb. de morte S. Hieron. Tom. 9. fol 240.

Revelatio S. Birgittæ facta.

Revelat. S. Birgittæ lib. 3. cap. 12.

Ab adolescentia mala consuetudo perseverat in fine vitæ.

Prov. 22. 6.

Similitudo.

Isa. 58. v. 6.

5. *Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt.* In vitis Patrum legitur, quod sanctus Abbas Arsenius in cellula sua constitutus, vocem quamdam eum inde evocantem audierit, & dicentem: *Egredere foras, & ostendam tibi opera hominum.* Egressus autem deformem quemdam vidit Æthiopem qui postquã secata à se ligna in magnum congessisset fascem, omnes vires suas ad eum de terra sublevandum adhibebat, nec tamen ob nimiam lignorum multitudinem id facere poterat; Quare cædenda plura ligna properavit, iisque in eumdem fascem congregatis, de novo an fascem elevare posset, tentavit, suoque humeros tunc ad fascem illum portandum minus sufficientes esse cognovit. Quo viso Arsenius à Deo visionis illius significatum sibi manifestari poposcit; Cui responsum fuit, Æthiopem illum significare peccatorem, ob culpas suas plane horridum & deformem, immensoque peccatorum suorum pondere licet aggravatum, plura tamen in dies peccata sibi accumulantem. *Quem* enim *opportebat magis, ut pœnitentiam ageret de prioribus peccatis, negligens vitia emendare peccatorum priorum magis & alia addit supra priora peccata.* Quanto enim magis impius conversionem suam differt, tanto magis pondus peccatorum suorum augetur, & consequenter intolerabilius sibi semper efficitur, & tamen hic non solum non desperat, sed potius majorem pondus illud evadendi spem concipit, & quænam cogitari poterit major stultitia? Non potes portare pondus centum librarum (id est horres confiteri centum peccata mortalia) & sperabis, quod supportaturus sis mille, id est quod facili negotio detestaturus & confessurus sis decies mille peccata? Soli Eliæ qui magnus Dei Propheta fuit, cuique datum fuisse noscitur, stupenda, & prodigiosa patrare portenta, huic, inquam, soli concessum fuit, ut ligna antea, aqua conspersa & humefacta ab igne confestim conflagrari faceret; Tunc idem miraculum patrandi facultatem tibi concessam esse præsumes? Peccatores hujusmodi per triginta aut quadraginta annos *biberunt quasi aquam iniquitatem*, & sperare audebunt quod in unico momento accendendus sit ignis divini amoris (ad quem solum peccata delere spectat) cum tamen per totum vitæ decursum maximam à Deo aversionem habueris? Quod si bonam haberes te convertendi intentionem, feriamque pro peccatis tuis agendi pœnitentiam, illud utique sequentibus signis tibi demonstrandum esset, videlicet quia procul

Vitæ Patr. lib. 3.

Visio Abbati Arsenio exhibita.

Explicatio ejusdem.

Miraculum ab Elia factum.

Joan. 15. 16.

Signa vero pœnitentiæ.

ab

abarces omnes peccandi occasiones, quia Sacramentalem sæpius frequentas confessionem, quia orationi, jejuniis, aliisque operibus meritoris es deditus, hæc enim verè sunt signa, unde colligi potest te seriam vitæ tuæ meditari emendationem, at vero tu omnino oppositum facis, vis enim habitum quemdam contrahere vitiosum, cujus expulsio quotidie redditur difficilior, adeoque virtutem & voluntatem tuam depravabit, ut tandem transiturus sit in naturam, quanto enim magis peccata augentur, tanto magis in nobis invalescit averso eadem peccata deponendi. *Peccatum* enim *quod ex peccato oritur, est peccatum & pœna peccati.* Qui quotidie plura furatur, majoris se supplicij rerum constituit, seque ad restitutionem faciendam magis indispositum reddit. Et tamen peccator adeo stultus est, ut sibi persuadere audeat quod quanto magis ad finem vitæ appropinquat, tanto citius Dei misericordiam sit consecuturus, & non cogitat, fiduciam hanc fundari in fundamento plane contrario, quia non solum se ad misericordiam Dei consequendam non disponit, verum etiam nihil aliud facit, quam quod divinam manum ad se majori cum severitate castigandum, majoribus vindictæ fulminibus obarmet. Unde S. Cæsarius Arelatensis ait: *Cum in pelago mundi hujus innumerabilibus fluctibus fatigemur, ad experiendum portum pœnitentiæ post longa nos temporum spatia reservamus, non intelligentes, quod de multitudine peccatorum desperatio nascitur, ex desperatione vero absque ulla reverentia peccatorum frana laxantur, & impletis illud, quod scriptum est: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnet.*

6. *Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt.* Porro reprobi qui conversionem suam prolongant, oculos suos in misericordiam Dei defixos habent, verum eadem abutentes non intelligunt, quod tanto amplius divinam contra se exasperant justitiam, *& thesaurizant sibi iram in die iræ*, siquidem tanto severiorem illum contra se judicem futurum esse experientur. Enim vero si aliquis, qui eo quod contra Regem suum conjurasset, condemnatus fuisset ad patibulum, ab eodem Rege rogaretur à se sceleris sui poltulare veniam, cum annexa promissione, quod non solum in pristinam illum denuo gratiam esset admissurus, verum etiam quod tamquam adoptivus Regis filius, regni sui hæres esset instituendus, si inquam talis hanc gratiam acceptare renueret, cœptamque contra Regem conjurationem prosequeretur, numquid talem stultum esse, milliaque patibula promeruisse diceres? In tali autem conditione positus est, qui post multas à Deo sibi oblatas vocationes & invitationes ad regnum suum, pœnitentiam nihilominus procrastinat, ut in peccatis suis perseverare possit. In libro Judicum cap. 11. de Jephte insignibelli Duce, qui in Galaad commorabatur, inter cætera refertur, quod Præsides Regiminis nationalis simul congregati eumdem sine ulla data causa aut prævio demerito à se expulerint. Accidit autem, quod dum ab Ammonitis durum illis bellum moventibus, arctaque illos obsidione cingentibus, opprimerentur, nec ullum habentibus à quo defensionis expectare præsidia possent, quique majorem in arte militari, quam Jephte haberet peritiam in experientiam, illum rogare coacti fuerunt, ut ipsorum in se suscipere dignaretur protectionem & tutelam: *Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* At vero quodnam illos responsum retulisse existimatis? Sacer textus Jephte hunc modum respondisse subjungit: *Nonne vos estis, qui odistis me, & ejecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi?* Enimvero, scire ab impijs illis percuperem, an verum sit, quod toties Deum à se rejecerint, ejusque divinis inspirationibus restiterint, ut Diabolicis suggestionibus aditum panderent? Quod si hoc verum est, qua fronte se Deum, ejusque dispositiones in suo habere beneplacito credere præsument? Porro de quibus paulo ante dictum fuerat, quod ad tantam venissent mentis vesaniam, ut dicere auderent: *Recede à nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus*, de illis paulo post subditur. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Idem timendum est ijs, qui quamdiu vivunt, surdas Dei vocibus aures præbent, & tamen Deum in hora mortis impertinentes illorum preces exauditurum esse sibi stulte promittunt. In cap. 2. lib. 2. Reg. sequentia leguntur: *Exclamavit Abner ad Joab, & ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? An ignoras quod periculosa est desperatio? Usque quo non dicis populo, ut omittat persequi fratres suos? Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus fuisses mane recessisset populus persequens fratrem suum:* Idem quoque

D Chrysost. Hom. de Adam.

Fiducia impij malè fundata est.

S. Cæsar. Arelat. Hom. 6

Similitudo.

Jud. 11. v. 6.

Jephte abjicitur.

In necessitate repetitur.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 7.

Responsio Jephte.

Job. 21. 14.

Ibid. v. 13.

2. Reg. 2. 26.

Ibid. v. 27.

responsum expectare habent pœnitentiæ procrastinatores, si enim impij illi in primis vitæ annis, & deinceps divinam imploraslent misericordiam, si vocationibus divinis toties repetitis obtemperassent, veniam utique peccatorum suorum impetrarent; At vero tantæ sunt tementatis, ut veniæ peccatorum suorum postulationem ad illud usque tempus, in quo peccare amplius non possunt, distulerint, & tamen Dei in sine vitæ implorant auxilium, idque nō libenter, sed coacti, quando nullum aliud habent spei suæ præsidium qua de re ipsemet Deus in hæc verba lamentatur: *Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: Surge & libera nos; Ubi sunt Dij quos fecisti tibi? Surgant & liberent te in die afflictionis tuæ.*

Jerem. 2. 27.

7. *Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt.* Quod si aliquem audires, qui comparare sibi meditaretur statis & Dominia, superba fabricare palatia, suam per status & jurisdictiones acquisitas magnificare familiam, nec tamen obulum in sua haberet facultate, sed omnia hæc molimina fundaret super reditus Regios Hispaniarum vel Galliarum, numquid illum cerebri expertem esse diceres? Hæc est autem propria illorum fatuitas, qui ut licentiosè vivant, de tempore pro suo beneplacito disponunt, cum tamen ne unicum quidem illius momentum in sua habeant dispositione, quia *tempora & momenta pater in sua posuit potestate. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores*, inquit Isaias Propheta, *Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte.* Appellat autem impios illos, illusores, quia dum ad se emendandum invitantur, rident invitantem, satis sibi ad hoc temporis superfuturum esse dicentes, aliosque qui in timore Dei vivunt, ostentui habentes, *Vitam illorum æstimabamus insaniam.* Cornelius à Lapide citat Vatablum dicentem: *Sic vulgo dicunt impij, Diabolus non est tam ater, sicut pingitur.* S. Gregorius Magnus ait: *Impœnitentes ut Saul percusserunt fœdus cum morte & inferno. Cum morte quidem fœdus percutere, est mala audaciter perpetrare, & ea semper agenda promittere.* S. Augustinus temerarijs illis imperat dicens: *Qua fronte salutem suam in tempore senectutis dissimulat, cum anilus diei spatio certus esse non possit? Et ideo si mortem timere nolumus semper parati esse debemus, ut cum eos Dominus de hoc sæculo jusserit vocari, cum secura conscientiæ, non cum desperatione, sed cum gaudio ante conspectum Judicis veniamus.* Petrus Blesensis in opusc. de Sacramentali Confessione similiter monet: *Confessionem ne differas, nam nescis quid ventura pariat dies; Nescis si hac ipsa die mors repentina te rapiet, & non sit qui eripiat; Frequens est illud judicium cœlestis iræ, ut qui non vult pœnitere quando potest, non possit quando voluerit.* Quid de eo dicturus esses quem infiniti valoris gemmam aliquam à se in sterquilinium projicere videres? Utique illum stultum esse diceres. S. Antoninus vero ait: *Tempus infiniti valoris sibi à Deo datum fatue expendit;* Ubi de reprobo tali loquitur, qui pœnitentiam differt, ut diutius peccare possit.

Dictum Joab applicatur.

Stultè fabricantur palatia in aëre.

Sap. 5. v. 4.

Vatabl.

S. Greg. l. 6. in lib. Reg. cap. 2.

S. Aug. ser. 44. de temp.

Petr. Blesen. de Confess.

S. Antonin. p. 2. Tit. 4. §. 13. §. 1.

DISCURSUS XXI.

ARGUMENTUM.

Varia considerantur damna, quæ hi, qui in peccatis suis diutissime insordescunt, suamque emendationem ad mortem usque differunt, sibi consiliant.

THEMA.

Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Deut. 23. vers. 21.

S. Propheta Moyses, de morosa satisfactione votorum Deo præstitorum, in Deuteronomio differens, illam sine peccato fieri non posse protestatur inquiens: *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quæ verba ijs quoque qui malitioso sine pœnitentiam procrastinant, ut tanto diutius voluptatibus sensualibus vacent, applicari facili negotio possunt. S. Antoninus damna ex prolongata confessione Sacramentali derivantia, compendiosè in hæc verba recensct: *Damnum incurrunt, quia multorum ex tanta dilatione obliviscuntur peccatorum, quæ non ita quoad pœnam remittuntur, per generalem confessionem oblitorum, sicut si particulariter confiteretur, quod melius facere posset, & plenius, si non tantum differret. Damnum etiam incurrit, & privationem illorum bonorum, quæ consequeretur pluries in anno confitendo, ut suffragijs orationum Confessoris, admonitionum per confessionem, augmentationis gratiæ, remissionis pœnæ.* S. Joannes Damascenus

Damna dilatæ Confessionis.

S. Antonin. p. 2. Tit. 4. §. 13. §. 1.

S. Basil. cit. à Damasceno l. 1. Parall. c. 12.

ex adducta S. Basilij magni authoritate ita scribit: *Nihil aliud clamat dilatio quam ista: Regnum in me tenebat peccatum, possea regnabit quoque aliquando Christus. Exhibebo membra mea, arma justitiæ ad iniquitatem, deinde exhibebo etiam ea arma Deo. Sic nimirum Cain quoque sacrificium offerebat, nempe prima ac præstantiora usui suo, ac voluptati; Secunda ac deteriora Creatori ac Donatori Deo.*

Peccatum unum trahit ad aliud.

2. Sciendum quoque est peccatori, quod quanto diutius pœnitentiam differt sacramentalem tanto magis in ejus conscientia crescat multitudo & pondus peccatorum. *Peccatum* enim *est quoddam pondus aggravans animam, ut ad Deum non possit surgere*, inquit S. Antoninus, *vel respicere.* Unde in Psalmo 37. dicitur: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me, scilicet iniquitates.* Et paulo post subdit: *Figuratur peccatum per illam mulierem, quæ à Diabolo fuit incurvata, adeo ut non posset sursum aspicere per multum tempus*, Luc. 13. *Et quanto quis plus peccat, tanto magis aggravatur, quia quodlibet peccatum habet suum gravamen quasi infinium culpæ & pœnæ; Manifestum est autem, quanto majus habet gravamen super se, tanto magis est sibi difficile surgere.* Infallibilis est illa cœlestis oraculi sententia: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui autem odit animam, ejusque æternam salutem, consequens est, ut in cujusvis sceleris profundissimum baratrum præcipitetur. *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quanto magis anima venenum evacuare differt, tanto idem venenum in ejus perniciem fortius figit pedem; Et ideo *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, scilicet nisi venenum peccati cito per confessionem evomat; *Stimulus* enim *mortis peccatum est.* Quisquis mortem timet, multo magis „ qui cum hac pariter formidat infernum, tristitia extrema perturbari solet; Et quia *Spiritus tristis exsiccat ossa*, consequens est quod peccatum non solum animæ sed pariter corpori damnosum sit, utpote quod citius inde trahitur ad mortem. Quemadmodum enim Seneca moralis ait: *Quidquid animum erexit, etiam corpori prodest*; Ita è contrario quod animam deprimit & impugnat, quemadmodum peccatum facit, ad corporis quoque destructionem transfunditur. Unde S. Cæsarius Arelatensis monet dicens: *Securitatem mortiferam vespuentes, quotidianis diebus peccatis nostris pœnitentiæ medicamenta apponere studeamus, timentes illud, quod dictum est: Memento quoniam mors non tardat.*

Ps. 37. v. 5.

S. Antonin. ibid.

Ps. 10. v. 6.

Ezech. 18. 4.

Ibid. v. 4.

1. Cor. 15. v. 56.

Prov. 17. 22.

Seneca Epist. 78.

Corpus & anima in bonis & malis participant.

S. Cæsar. Arelat. Hom. 5.

3. S. Thomas de Aquino ex adducta Glossæ authoritate hanc tradit doctrinam: *Super illud Psalmi 136. Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea, dicit Glossa: Quod coacervatione vitiorum subrepit diffidentia:* Quanto enim magis in anima peccatum crescit, tanto plus peccator de divina misericordia debet diffidere, utpote quam quotidie pro viribus suis magis magisque exacerbit. Citatque idem Doctor Angelicus illum S. Pauli textum 1. Tim. 1. *Quam quidem repellentes*, id est conscientiam bonam *circa fidem naufragaverunt.* Tertullianus inquit: *Pœnitentiam malo quam mortem; Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti.* Enimvero qui vult vitam sperare longævam, condignam agat pœnitentiam, qui enim peccando hanc differt simul cum peccato lateribus suis vicinam experietur mortis falcem. Ratio quidem ob quam emendatio in homine non subsequitur, est, quia diu vivere, & consequenter tempus confitendi se habiturum esse sperat; Nec tamen ad hoc se reflectit, quod transgressiones multiplicando, vitam quoque sibi abbreviet. *Scio ego, & mecum omnis homo*, inquit S. Augustinus, *qui paulo attentius consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi qui putat, quia pius habet vivere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt, cras, cras, & subito ei, qui de die in diem pœnitentiam differt, ostium clauditur.*

Psalm. 136. 7. S. Thom. 2. 2. q. 162. Art. 7. ad 3.

1. Timoth. 1. v. 19.

Tertull. lib. de Patient c. 4.

Pœnitentia causat vitam longævam.

S. Aug. serm. 16. in Matt.

V. Beda Tom. 3.

Duæ Moniales differunt Confessionē.

2. Cor. 11. 14.

4. Venerabilis Beda in vita S. Burgundophoræ Abbatissæ refert, Dæmonem duas sanctimoniales seduxisse, ad hoc, ut confessionem tribus septimanæ diebus, quibus à Regula præcipiebantur, negligerent, non accusando peccata in sæculo commissa, neque ea quæ in quotidiana conversatione ab ijs committebantur; Cumque illas hoc vinculo illaqueasset, ulterius progressus est, persuadendo illis temerariam è monasterio nocturno tempore instituendam fugam. Accidit autem quod illa nocte, in qua egredi decreverant, utpote quæ valde caliginosa erat, viam invenire non possent; Quare astutus ille serpens *in Angelum lucis se transfigurans* illas non solum ad fugam animavit, verum etiam lucem illis præferens, ducatum illis præbuit. Postquam vero è claustura egressæ fuissent, à superioribus diligenter perquæsitæ, ac tandem inventæ, ut ad monasterium redirent, coactæ fuerunt. Cumque à Sancta Abbatissa, cæterisque monialibus de causa fugæ interrogarentur, ad hanc se à Dæmone instigatas fuisse responderunt, cui quidem Dæmonis conatui se causam dedisse adjiciebant, eo quod per correctiones & reprehensiones superiorum monitæ, surdas semper aures præbuissent. Tandem Deus easdem per infirmitatem lethiferam visitare disposuit, in qua cum de confessione facienda monerentur, non solum ad hanc se invitas ostenderunt, verum elata voce dixerunt: *Sustinete paululum, sustinete, nec prorsus expectantes arguite. Inquirentibus quæ aderant sororibus, à quibus sustinere rogarant, ajani illæ: Non aspicitis turbas æthiopum adventantium, quæ nos rapere, & abducere volunt? Inter hæc audius est fragor maximus supra cellulam & tegumenta personans, ostiumque cellulæ vi patefactum est, tria ni nigrescentes umbras astantes cernerent, & clamantes eas nomina febricitantium sororum audirent, adeo ut vix quæ aderant, signo crucis armatæ, & psallendi officio detentæ, valerent astare. Tanto mœroris, ac doloris eventu anxia mater Burgundophora, urget in extremo constitutas, ut vel adhuc per confessionem pandantur vitia, & sacramento Corporis Christi animæ roborentur. At illæ, ut infelices, & à Diabolo penitus possessæ, audita sacri corporis mentione, garrire, dentibusque frendere cœperunt, & stridentes dicere: Cras, cras & iterum dictam vocem repetere: Sustinete, expectate paululum, sustinete; Inter quas voces extremum halitum emiserant.* Ex quo exemplo evidenter deducitur, quod qui longo tempore in peccato consistit, tanto magis in eodem indueretur, & finaliter in baratrum desperationis corruat.

Dion. Carth. de Convers. peccat. Art. 2.

Dicunt impij Diabolus nō est tam ater ut pingitur.

Desperatæ moriuntur.

Modus pœnitendi.

5. Dionysius Carthusianus efficax quoddam in hac materia conficit argumentum, inquiens: *In extremis agonizantes iam acriter à Dæmone impugnantur, ut etiam si virtuose jam ante fuerint conversati, absque præcipue Dei auxilio nequeant prævalere, atque ut sanctus vir Climacus scribit, Dæmones, qui peccatoribus adhuc somni fallaciter persuadent, peccata non esse ita enormia, sicut fertur, Deum quoque misericordissimum esse, & omni momento, etiam in extremis, paratum ad indulgendum; Tempore mortis è contrario ostendunt agonizanti, quam multa & enormia fuerint ejus peccata, quanta fuerit sua ingratitudo, quam injusta sit justitia Dei, & quam horrendum sit in manus ejus incidere, sicque infelicem inducunt ad desperandum, nisi forte saccatrat omnipotens, qui tunc eos non derelinquit, qui in sua juventute ac sanitate ei fideliter servierunt.* S. Antoninus adversus illos qui suam tardant conversionem, sequentem tradit doctrinam: *Non potest diu peccator manere, quin quotidie ad alia peccata labatur, nec propterea excusatur, quia ipse sibi est causa hujusmodi, propter tarditatem conversionis ad pœnitentiam.* Citatque textum illum Prov. *Ne dicas amico tuo, qui scilicet Christus est, vade, & cras revertere, cum statim possis dare, scilicet te ad conversionem; Hoc est enim vox corvina, Cras, cras; Sed advertendum, quod corvus egressus de arca, non est reversus ad eam amplius, sed super cadavera inventa requievit: Columba vero cujus vox est, Ur, id est, nunc, reversa est.* S. Augustinus se intelligere non posse profitetur, qua ratione possibile sit, ut homo ad extremum mortis articulum perductus pœnitentiam agere possit, juxta suggestum nobis à Joële consilium: *Convertimini ad Deum in toto corde vestro; in jejunio, planctu, & fletu; Ecce enim quia dicit in toto corde, nos docet Propheta, quod in corde est fons pœnitentiæ, fletus quidem ad oculum, planctus autem ad os, sed jejunium ad totum corpus refertur. O homo ne tardes converti ad Deum, discute mentem tuam, prospice singula secreta cordis, considera antequam ad confessionem accedas, quod cor nec cavit mala appetendo, oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, auris mendacia audiendo, manus verba & homicidia perpetrando, & si non opere, saltem voluntate O Fratres, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra servire Deo in sanctificationem. Primo cor, quod mala cogitavit, & concupivit, pœniteat, & doleat; Et oculus fleat; Os sine intermissione oret; Aures audiant verbum Dei; Manus Eleëmosynas porrigant, peregrinos suscipiant, infirmos foveant, undos induant; Pedes ventant ad Ecclesiam, quia sicut nullum fuit membrum, quod peccando Deo non displicuerit, ita nullum sit quod pœnam non patiatur condignam.* Verumenimvero qua ratione homo in agone mortis constitutus, hanc facere poterit pœnitentiam, quando febris malignitari immersus, vel à delirio, vel à lethargo, vel ab acerbissimorum dolorum vehementia, vel ab agonis lucta absorptus erit?

S. Antonin. ibid.

Joël. 2. v. 12.

S. Aug. serm. 36. ad fratres.

S. Bernard. Tom 1. serm. 13. Artic. 2. cap. 4.
Impius Deũ vocantem despicit.
Jud. Art. 3. cap. 1.
S. Aug. serm. 63. de temp.
Apoc. 12. 12
Operatur habitus malus.
Sap. 9. v. 15.
Historia de Religioso. Cæsar. lib. 2. cap. 14.

6. S. Bernardinus ad extremas se reflectit illorum angustias; à quibus Deus justus Judex ob eorumdem demerita procul aberit. *Longe à peccatoribus salus, ait Psalmista, quia igitur à Deo sunt elongati, difficilius audiunt Deum clamantem. Clamat ad peccatorem quotidie Deus, vocat, pulsat, ipse vero ad instar Aspidis aures suas obturat: Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas terra, id est terrenorum amore, & cauda, id est vana spe longioris vitæ, ne audiat Dominum se vocantem.* Unde validum hoc format argumentum: *Si peccator non potuit impias tentationes tolerare, quin caderet, quando erat sanus, quomodo graviores tolerabit, quando erit infirmus?* S. Augustinus similiter interrogat: *Quomodo pœnitentiam agere potest, quia nulla jam per se opera satisfactionis operari poterit?* Imo non solum in faciendis meritorijs, & satisfactorijs pœnitentiæ operibus difficultatem habebit, sed ob contractum peccatorum suorum pessimum habitum potius ad multiplicanda peccata dispositus erit, in vehementiores à Diabolo tunc, quam umquam alias, suggestas tentationes incidendo; Nam ut in Apocalypsi dicitur: *Descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Arduum profecto negotium est agere pœnitentiam, cujus homo, ut plurimum, in extremo vitæ suæ incapax esse videtur, quando operationes intellectus ab infirmitatis violentia sunt obtenebratæ; *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam.* Quod si enim, dum sanus esset, in astuti inimici laqueos incidit, in ijsque tot annis constrictus permansit, numquid summa erit temeritas sperare, quod ab ijsdem tunc se eximere, & extricare possit, quando inimicus omnes suas contra infirmum exeret vires, totumque in ejus perniciem infernum excitabit? Cæsarius Heisterbacensis sequens narrat factum. Etenim conversus quidam ordinis sui per multos annos grave quoddam peccatum subticuerat, qui alias quoad exteriorem conversationem valde virtuose vivebat; In fine tandem vitæ, peccatum illud, cum alijs confessus fuit. Idem vero Cæsarius postquam hanc historiam recensuit, cuidam, quam sibi objecerat, quæstioni scilicet, *quid sentis de salvatione hujus hominis*, in hæc verba respondet: *Dico, sicut Augustinum lego sensisse; Si contritio ejus fuit in charitate, salvatus est, sin autem aliter, damnatus; Qui sero pœnitet, oportet non solum timere judicem, sed diligere.* Reprobi enim in extremo agone peccata sua confiteri solent, ex puro timore pœnæ æternæ, non vero ex dolore propter Deum à se offensum concepto.

1. Tim. 1. 13.
Differentes conversionẽ non merentur compassionem.
Ps. 58. v. 6.
2. Reg. 12. v. 13.
Ps. 58. v. 7. & 15.
Modus tractandi canes.
Matth. 15. v. 27.
Apoc. 22. 15.

7. *Si moratus fueris.* Ponderanda hoc loco sunt verba illa: *Moratus fueris*, quia aliter judicandum est de eo, qui male vixit, eo quod in ipso verum lumen, & notitia Dei abfuerit, hic enim cum Apostolo excusare se potest, dicendo: *Ignorans feci:* Econtra vero qui tempus sibi indultum, per totum vitæ suæ decursum, in Dei offensas multiplicandas impendit, cum intentione in extremo vitæ suæ articulo animæ suæ saluti pridem vacandi, venia prorsus indignus est. Regius Propheta David aliquando dixit: *Non misereris omnibus, qui operantur iniquitatem.* Quæ petitio Davidis paradoxa plane videtur; Numquid enim sacræ litteræ ubique mentionem faciunt confidentiæ, à peccatoribus in divinam misericordiam collocandæ? Vel si hoc fieri non debet, qua ratione Nathan ipsimet David ex parte Dei promittere poterat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, si in tempestate hic portus servire non potest? Verumtamen facile hoc dubium solvitur, si attendatur, Psalmistam, ut ex sequentibus verbis deducitur, dicere voluisse, nequaquam compassionem promereri illos, qui totam vitam suam voluntarie in peccatis consumunt, conversionem suam in articulo mortis differentes; Ac proinde subjungit: *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes;* Ibi namque de illis loquitur, qui per malitiam, non vero per fragilitatem peccant, id quod in verbo illo, *operantur*, satis denotatur. At vero quonam hæc canum similitudo spectat? Notandum, quod canibus à Dominis suis os, vel frustum panis projici soleat; Hoc tamen numquam fit, nisi Domino in mensa accumbente; Ac proinde, si canis osse vel pane gaudere desiderat, necessum est, ut tempestive adsit, secus enim nec os, nec panem habebit (*Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*) Mensa enim finita, canes baculo foras pelluntur: *Foris canes.* Idem proprie peccatoribus contingit. Si enim hi ad divinam misericordiam eo tempore recurrant, quo mensa etiamnum strata est. (*Alium cibum habeo manducare*) id est eo tempore, quod in scriptura sacra misericordiæ impendendæ præscriptum est, aliquam divinæ pietatis suæ micam sperare poterunt; At vero mensa finita, & sublatis ferculis, *tempus non erit amplius, Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem;* In sempiternum namque è domo Dei proscribentur. Unde Concilium Tridentinum inquit: *Nullum tempus est, quo vehementius ille omnes versutiæ suæ nervos intendat, ad perdendum nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Hi igitur, qui quoadusque vixerunt, peccato semper dediti fuerunt, in ultimo quoque vitæ articulo plus quam alias eumdem affectum retinent, ac proinde Dæmoni tunc facilius est, ut nos armis nostris sine difficultate vincat. Apud Jonam Prophetam dicitur: *Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt.* Ubi Ly *custodiunt* affectum & adhæsionem ad peccatum exprimit, qui autem hunc in se affectum semper habent, divina se misericordia indignos constituunt. S. Hieronymus à Glossa citatus verba prædicta sic exponit: *Cum omnia sint vanitas, omnes ex necessitate faciunt vanitatem, sed non omnes custodiunt, quasi thesaurum, nec diligunt, quod faciunt.* Lyranus Ly *custodiunt* ita exponit, *id est qui perseverant in eis, frustra misericordiam &c. id est reddunt se indignos divina misericordia.* Gillibertus Abbas verba illa exponens: *Pulcherrima mulierum*, per eamdem Ecclesiam intelligit, quam suam pulchritudinem nequaquam perdere dicit, propter maculas illorum fidelium, qui easdem subito abluunt. En verba ipsius: *Si quibus videtur inesse deformitas, etsi aliquibus de membris ejus, ad horam respergitur deformis macula, non tamen imputatur, dum non immoratur. Multæ & fideles, & spirituales animæ in eo pulcherrimæ sunt, quod aut per sanctam conversationem maculas non admittunt, aut per solicitam, & sinceram confessionem subinde diluunt.*

Applicatur peccatoribus.
Apoc. 10. 6.
Ps. 58 v. 7. & 15.
Concil. Trid. sess. 14.
Jonæ 2. v. 9.
S. Hieron. in Glossa.
Differens pœnitentiam indignus est misericordia.
Cant. 5. v. 9.
Gillib. Abb. serm 47. in Cant.

Descriptio alicujus pusillanimis.
S. Cæsar. Arelat. Hom. 17.
Blos. cap. 33. n. 1. Consolat. Pusillan.
In fine non omnes merentur divinã gratiam.

8. Consideratione dignissimum est ad hoc propositum à S. Cæsario Arelatensi traditum monitum, in quo dicit: *Si quis templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet, sed cito de malo iniquitatis suæ resurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat. Non enim qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit.* Blosius in tractatu *de Consolatione Pusillanimium*, ita scribit: *Quamvis senio jam prægravatus, seu vitæ hujus termino proximus inceperis te corrigere, & forte non nisi uno anno, vel uno mense, aut uno die hic vivere habeas, non est tamen quod perturberis, nimiave pusillanimitate dejiciaris, sed est unde plurimum gaudeas, considerans immensam Dei erga te clementiam, qui te ante obitum suum ad se revocavit, bonam voluntatem tibi donans, quique (ut B. Bernardus ait) non admodum attendit hominem quid fuerit, sed quid jam esse velit.* Advertendum tamen est, speciale Dei donum esse, quod non omnibus datum est, scilicet in fine vitæ vocari, sed hoc solum dari illis, non qui in vita sua in peccato perseverare decreverunt, sed ijs qui ex propria fragilitate, non per malitiam, nec per voluntatem, sed per propriam negligentiam male vixerunt, sine efficacibus ad conversionem suam perceptis impulsibus, hi enim minus culpabiles sunt, ac proinde hujus doni capaciores existunt. Idem Blosius alibi post recensitum boni latronis exemplum inquit: *Sed esto non obtingat sane omnibus, qui sero pœnitentiam agunt, id quod illi obtigit (neque omnes sic affecti sunt sicut ille affectus fuit) multum tamen est, vitæ correctionem hic vel inchoasse; Qui enim in hac peregrinatione vitam corrigere inceperit, sed morte interceptus correctionem consummare non potuerit, nequaquam peribit, utpote in quo fundamentum charitatis Dei permanserit.*

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

Deus quidem nobis qualibet hora promisit veniam, non tamen quod veram nobis compunctionem dare, aut ad illam usque nos expectare velit; Varijs quoque similitudinibus ostenditur, quam simus ad peccandum veloces, tardi autem ad pœnitentiam.

THEMA.

Nemini dedit spatium peccandi. Eccli. 15. ℣. 21.

1. NE homo spatium temporis, quod Deus in hac præsenti vita indulsit, ad ostendendum Deum suum

suum temere & arroganter impenderet, præmissam ei ex Ecclesiastico sententiam intimari fecit, scilicet: *Nemini dedit spatium peccandi*, id est, ut Dionysius Carthusianus exponit, *nemini dedit tempus ad hoc ut peccet, sed ut bene vivendo gloriam mereatur æternam; Ideo scriptum est*, Job 24. *Deus dedit illi locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Cornelius à Lap. ex Græco *spatium* idem quod *dilatio* significare deducit; Id quod proposito nostro congrue deservit, ad erudiendum illos, qui sibi persuadent, Deum ideo nobis prolongare vitam, ut eum tanto diutius, & liberius offendamus; Quod utique verum non est, *quia nemini dedit Deus spatium, id est, dilationem peccandi.*

Eccli. 15. 21
Dion. Carth.
Job 24. 23
Spatium idẽ est ac dilatio.

Ezech. 18. v. 27.
Matth. 25. v. 13.
Qui non est hodie cras minus aptus erit.
S. Antonin. p. 2. Tit. 9. c. 13. §. 1.
S. August. in Psalm. 144.
S. Aug. Tr. 33. in Joa.
Peccatori nõ promittitur longior vita.

2. Celebris est textus ille Ezechiëlis, à pluribus sacris Doctoribus, sub quibusdam quidem verbis relatus, quæ tamen nec in vulgata, nec in versionibus Bibliæ Regiæ, nec in alijs quantum mihi saltem constat, reperiuntur, textus autem sub hoc verborum schemate adducitur: *In quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor amplius;* Textus autem vulgatæ hic est: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Porro, ut verum fatear, intelligere nequeo, qua ratione hic textus, ab ijs qui illum referunt, licet sine ipsorum culpa, accomodatus sit, ad soporandos impios in Lethargo peccatorum, promittendo ipsis ad eorum conversionem pro libitu & beneplacito ipsorum quamcumque horam: *In quacumque hora ingemuerit peccator &c.* Et vero certum est, quod prima & æterna veritas, quæ pro nostra redemptione pariter & eruditione incarnari dignata fuit, longe aliter nos doceat dicendo: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam;* Imo in pluribus Scripturæ locis adhuc clarioribus verbis impijs pœnitentiam suam procrastinantibus improvisam, repentinam, & subitaneam comminatus fit mortem. Unde S. Antoninus ait: *Periculosa est procrastinatio, non solum ex eo, quod ait Ovidius: Qui non est hodie, cras minus aptus erit, sed quia subito veniet tibi ira illius, scilicet mortis.* S. Augustinus super Psalm. 144. scribens, egregie ad præsens discurrit propositum, postquam enim, impium nequaquam de divina pietate desperare debere, docuisset, subjungit: *Timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo & tu dicebas; qui spe magis peccas? Audi scripturam: Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere, cras me convertam. Verum quidem dico, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationis tuæ diem crastinum non promisit.* Idem S. Doctor in pluribus alijs locis utilissimam hanc veritatem docet. Et quidem in tractatibus super Evang. S. Joannis ita scribit: *Semper expectas, & de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit etiam tibi longiorem vitam. Recte dicis in corde tuo, quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet, negare non possumus, quod correctis atque conversis Deus indulgentiam promisit: Nam in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam, vitam.* Idem paulo ante dixerat: *Longanimis Dominus, misericors Dominus, sed justus Dominus, & verax Dominus largitur tibi spatium;* Sed quodnam est illud tempus seu spatium, quod Deus nobis largitur? Paulo ante in præsenti themate dictum fuit: *Nemini dedit spatium peccandi;* Ac proinde idem S. Augustinus subdit: *Spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem, quam emendationem.*

Jerem. 2. 27.
S. Hieron. ib.
Historia de Carolo quinto.

3. S. Hieronymus illam à Deo populo suo objectam considerat exprobrationem: *Ubi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? Surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Circa quæ verba præcitatus S. Doctor ait: *Impudens postulatio, tempore necessitatis, & angustiæ, ab eo quærere auxilium, quem in pace contempserint; Legendumque increpantis affectu: Liberent te Dij tui, quos fecisti tibi, ut cum Deus creator sit hominum, homo fecerit Deum, probet necessitas quid possint, quos securus, ante coluisti.* Ludovicus Guicciardinus de Carolo V. Imperatore refert, quod cum dictus Imperator in victoria prope sylvam lovanam contra Joannem Fredericum Saxoniæ Ducem & Electorem gloriosè obtenta (in qua dictus Imperator gloriari auditus fuit dicendo: *Veni, vidi, & Dominus Deus vicit*) præfatum electorem hæreticum Lutheranum captivum accepisset, hicque in conspectum ejus adductus, sacræ ejus majestatis pedibus humilis & supplex advolutus dixisset: *Ego jam tuus jure belli captivus, clementissime Cæsar, te rogo, ut tuam mihi clementiam exhibere, & custodiam Principe dignam mihi designare digneris;* Imperator ei responderit: *Itane? Jamne tuus sum Cæsar? Pro merito tuo præmiaberis;* atque sine mora eum decapitari fecerit; Cujus causa fuit; quia antea eum contempserat, illum Carolum ab Austria appellando, quasi illum tamquam Imperatorem agnoscere dedignaretur; At vero quando jam restis quasi faucibus circumvoluta erat, tunc ex pavore mortis adactus, licet serius, Cæsaris nomine illum appellarit; Deus pariter per os sapientis protestatur dicens: *Quando venerit super vos tribulatio & angustia, Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Apud S. Matthæum cap. 7. inexorabilis Judex dicit: *Multi dicent mihi in illa die*, id est in articulo mortis: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos, discedite à me.* Quod si igitur hi, qui prophetarunt, dæmonia ab alijs ejecerunt, multosque operati sunt actus virtutum, nihilominus in extremo illo vitæ momento à Deo, qui *scrutatur renes & corda*, reprobabuntur, quam æternæ salutis spem concipere illi poterunt, qui quoadusque vixerunt, non fecerunt aliud, quam quod Prophetas Dei deriderent, Dæmonibus servirent, vitijs dediti essent, divinis legibus rebellarent, bonas inspirationes & stimulos cœlestes ad pœnitentiam extimulantes, animo obstinato à se repellerent.

Qui Electorẽ Saxoniæ serius pœnitentem decollavit.
Prov. 1. 27.
Matth. 7. 22.
Ibid. v. 23.

Exemplum boni latronis nullius seram pœnitentiam reddit securã & veram.
Apta similitudo.
Luca 1. 37.

4. Advertendum quoque hoc loco est, quod promissio apud Ezechiëlem facta, fuerit *de re mere possibili, non* vero *de re ut plurimum contingenti.* Etenim Deus per occulta sua judicia nonnumquam infinitæ suæ omnipotentiæ & misericordiæ specimen edere voluit, hunc vel illum sceleratum hominem, per communicatam illi clementer veram compunctionem, in extremo illo mortis articulo salvando, hoc tamen exemplum nequaquam trahendum est ad alios. Bonum latronem de æterna sua salute assecuratum fuisse, pro certo novimus, mille tamen sexcentis & amplius annis, alios in simili occasione in portum salutis reductos fuisse, per fidem non constat. Posset equidem summus Pontifex *de plenitudine potestatis* quemdam à pedibus famulum; seu pedissequum in Cardinalium numerum annotare, id tamen illum hactenus fecisse, nec visum est umquam, nec auditum. Pari quoque modo Deus titionem inferni in Seraphinum paradisiacum transmutare posset, quia *non est impossibile apud eum omne verbum;* Qua autem fronte aut quo merito tu præsumere poteris, quod Deus tecum similia patraturus sit prodigia, siquidem à pluribus annis innumera apud eumdem Deum tibi congregasti demerita, propter quæ in infernum millies præcipitari mereris?

Diabolus multos decipit persuadens illis quod Deus omni hora illos in gratiam recipere paratus sit.
Osea 13. 9.
S. Anselm. de similit. c. 115.
Luc. 3. v. 8.

5. Consideratione dignissima est illa astutissimi serpentis fraudulenta deceptio, qua hominibus persuadet, Deum illis promisisse, quod quavis hora eos in suam recepturus esset amicitiam: *In quacumque hora ingemuerit peccator &c.* Etenim tametsi hoc verum sit, Dæmon tamen tibi occultat & abscondit quamdam maximi momenti veritatem, scilicet quod peccatori non promiserit, quod in extremo mortis articulo, cordi ejus veram esset infusurus compunctionem, cum tamen sine efficaci divinæ gratiæ suæ auxilio ad veram pœnitentiam excitari nequeas, quia *tantummodo in me auxilium tuum.* Confirmat idipsum S. Anselmus dicens: *Licet Deus veniam promiserit pœnitenti, non tamen spopondit delinquenti, ut ei daret voluntatem pœnitendi. Cum autem certum sit, quod Dei gratiam promeretur, quisquis declinat à malo, & facit bonum, & iram & indignationem incurrit omnis, qui operatur peccatum; magnopere curandum est, ut & vitia vitemus, & virtutibus adhæreamus.* Hic Romæ in Capitolio urbis equus quidam æneus conspicitur, qui ut sæpius dici audivi, quamprimum sonum campanæ *Ave Maria* pulsantis, auribus suis percipit, mox ad idem *Ave Maria* dicendum, genua flectat, quod concesso primo, id est si audiat, etiam quoad secundum concedendum esset. Idem quoque in præsenti dicere possumus; Verissimum enim est quod *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*, tota vero difficultas in eo consistit, an hæc potentia umquam sit proditura in actum. Omnes sacræ litteræ, præteritorum temporum exempla, divinæ justitiæ ordo, recta ratio, infallibilis providentiæ & gubernationis suæ periodi, habitus nostri inveterati, omnia

inquam hæc simul conjuncta plane dicunt oppositum. Enimvero non caret mysterio verbum illud, *ingemuerit*, quod impij pœnitentiæ procrastinatores haud satis bene intelligunt, quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus*. Hugo à S. Victore ad propositam sibi ab alio quæstionem, scilicet an qui in extremo mortis articulo pœnitet, salvari possit, in hæc verba respondet: *Breviter quod mihi videtur, absolvo. Ego puto hominem quamdiu in hac vita vivit, sicut malum facere potest, ita & emendare posse, si fecerit, & numquam quocumque tempore, etiam in extremo, & in articulo necessitatis pœnitentiam hominis infructuosam esse, si vera fuerit.* Ubi bene, & quidem in pondere sanctuarij trutinanda sunt ultima illa verba: *Si vera fuerit.* Quot enim circumstantiæ requiruntur, ut pœnitentia in extremo mortis articulo elicita, valida, & vera censeri possit? Ego illas pro isto momento homini moribundo difficillimas, & quasi impossibiles esse existimo; Unde idem Author subdit: *Ego scripturam audio dicentem, quia in quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit*, Ezech. 33. *Non dicit biduo, aut biennio ante mortem si ingemuerit, sed in quacumque hora ingemuerit, salvus erit*; At vero mox paulo post subjungit: *Nec tamen sub hac spe secure tibi peccandum est, propterea quod in fine, si conversus fueris, salus tibi promittitur. Nam quamvis etiam tunc venia tibi, si vere pœnitueris, promittatur, non tamen tibi, ut tunc vere pœnitere debeas, promittitur. Valde difficile est, ut tunc vera sit pœnitentia.* Enimvero Ly *gemere* majoris doloris expressivum est, quam Ly *flere*, vel *plangere*; Etenim *gemere* lamentum denotat singultibus & suspirijs à corde angustato derivatis interruptum, quod amaro fletui, locum dare nequit; Ac proinde multo plus importat verbum hoc *ingemuerit*, quam si dixisset, *fleverit*, vel *planxerit*. Præterea tametsi peccator in ultimo illo vitæ momento in planctum & fletum prorumpat (prout alibi quoque à nobis notatum fuit) major tamen lacrymarum & suspiriorum pars directa est ad fines à vera compunctione longe disparatos, quia tunc moribundus flet propter acerbitatem dolorum & agoniæ, ob filiorum, conjugis amicorum, & divitiarum derelictionem; Ob angustias, quas natura experitur, ob vicinam sibi animæ à corpore separationem; Sæpe etiam ploratur ex desperatione. Verumenimvero dato etiam casu, quod unus illorum veræ compunctionis actus elicuisset, quis illum de perseverantia usque ad ultimum spiritum assecuravit.

1. Cor. 2. v. 14. — *Hug. de S. Vict. Tom. 3. l. 2. p. 14. de sacr. Fidei cap. 5.* — Proponitur & resolvitur quæstio an in extremo mortis articulo pœnitens salvari possit. — Quid intelligatur per Ly: Ingemuerit.

6. Sæpius ex pulpito enarrari his auribus audivi casum quemdam, qui Laureti contigit, cui etiam Patres Societatis Jesu testimonium authenticum perhibuerunt. Etenim Juvenis quidam per tempus aliquod in via Dei laudabiliter processerat; Postea vero ab amore lascivo seductus, per aliquot annos suspectæ societatis cujusdam sordibus se immersit; Cumque Deus ipsum mortali quadam infirmitate corripuisset, Patri cuidam è præfata societate cum ingenti compunctione generalem peccatorum suorum confessionem recensuit, qui proinde animam ejus in securo beatitudinis suæ statu de facto esse non dubitavit. Die autem sequenti, cum dictus Pater pro hujus Juvenis anima Missam celebraret, sub introitu horribilis quædam ei umbra apparuit, asserens se esse animam juvenis illius jam à Deo condemnatam; Eumque monuit, ne pro sui liberatione sacrificium istud prosequeretur. Ergone, interrogabat Pater, confessio tua simulata fuit? Nequaquam, respondit ille, imo vera, & valida fuit, sed in eo momento quo anima emigrabat ex corpore, Dæmon speciem lascivæ illius mulieris, cujus amoribus, ut nostis, dum sanus essem, immersus eram, indutus lamentabatur, quod eam desererem, cui ego me supervicturum sperans, numquam me illam derelicturum esse respondi; Et subito in eo ipso momento mors filum vitæ mihi præscidit. Ex quo funesto casu facile colligi potest, quam fallax sit spes & fiducia, quam quis de sua salute habet, tametsi etiam in ultima mortis hora ad veram perduceretur pœnitentiam, quia scire nequit, an Deus ipsi concessurus sit vires, perseverandi in illo statu usque ad ultimum spiritum. In illo extremo vitæ momento positus S. Hilarion, ab insidijs serpentis tartarei totus contremiscebat, & homo aliquis in omni scelerum genere habituatus in illo momento de salute sua securè sperare poterit?

Horribile exemplum damnati Juvenis.

7. Verumenimvero quis incurabilem hanc non detestetur stultitiam, qua homines ad faciendum peccatum tam sunt veloces, ad illud vero abolendum & deponendum tam sunt tardi & lenti, ut etiam per multos annos talia peccata in sinu suo circumferant. Hos S. Augustinus in sermone quodam his verbis alloquitur: *Forte dicis, longa erit vita mea; Dico, si longa erit, bona sit, si brevis, & ipsa bona sit; Prandium, etsi longum, non vis habere malum; Et vitam longam vis habere malam? Villam emis? Bonam desideras. Uxorem vis ducere? Bonam quæris; Filios tibi nasci bonos optas; Et ut etiam de rebus vilissimis loquar, caligas emis, & non vis malas; Quid ergo vitam amas malam? Si vitam vis malam, inter omnia bona tua eris malus.* Nazianzenus aliud paulo ante insinuatum punctum de celeritate, qua homo in barathrum peccati se præcipitat, his verbis tangit; *Enimvero si mihi auscultandum putabis, ad scelus quidem & fraudem tardus eris, celer autem ad salutem. Par enim in vitio sunt, promptitudo ad vitium, & segnities ad virtutem. Si ad comessationem vocatus fueris, ne festines; Si ad fidei abjurationem, fac pedem retro celerrime referas; Si tibi flagitiosorum, ac perditorum hominum sodalitium dixerit, veni nobiscum, particeps esto sanguinis, virum justum injuste in terram abscondamus, ne auribus quidem hos sermones admitte; At si tibi magnus David dicat: Venite exultemus Domino; Si alius Propheta: Venite ascendamus ad montem Domini; Si ipse salutis nostræ vindex: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, surgite, abeamus.*

Dolendum est quod ad vitia celeres, & ad virtutes tardi simus. — *S. Aug. ser. 71. ad Frat.* — *Nazianz. Orat. 40.*

8. Insigne est illud Ecclesiastici documentum: *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Sed cur ad imprimendum nobis majorem peccati horrorem, non potius adhibuit similitudinem Tauri, Ursi, Leonis, vel Tigridis? Respondeo, quod per propositam serpentis similitudinem, vivacius nobis ob oculos ponere voluerit peccati malignitatem, utpote quod noxium quoddam animæ venenum est, dum ab alijs animalibus vulneramur, non est opus tanta velocitate, & acceleratione ad illud curandum, quanta requiritur ad pellendum venenum, quod ad cor usque velocissime penetrat; Et ideo contra morsum serpentis remedium, ne quidem ad momentum differtur; Nam ut habet ille medicinæ Aphorismus: *Venenata inducias non patiuntur*; Ergone ad curandum mortiferum animæ venenum, in annos & annos usque tardabimus? *Quis umquam sit stultus*, quærit S. Bonaventura, *ut per unum annum teneat vulnus carnis, vel mensem, vel diem, quin non vocet medicum, petat antidotum, & spondeat præmium?* Talis autem negligentia quotidie ab impijs Christianis circa animæ vulnera exercetur S. Antoninus pariter ita scribit: *Magna fatuitas ostenditur, non facere diligentiam pro anima, quam facit pro caliga; Unde Bernardus: O nimia insania hominum, pudet sordes abstergere sui cordis per confessionem, & non pudet contrahere, abstergitur caliga, scilicet à luto, & contemnitur anima, & manifestum est, quod non solum in capite anni abstergatur caliga à luto, sed quasi quotidie, ne corrodatur à luto.*

Eccli. 21. 2. — Peccatū comparatur serpenti propter venenositatē. — *S. Bonav. ser. 2. de uno Confess. in ord 35.* — *S. Antonin. p. 2. Tit. 9. c. 13. §. 2.*

9. Enimvero ut majori cum odio & detestatione hanc nostram inexcusabilem pigritiam condemnemus, aliud quoque adhibeamus exemplum. Etenim si te in domo tua capitalem quemdam inimicum habere scires, qui mortem tibi machinaretur, essesne futurus tantus vitæ tuæ inimicus, ut ad illum perquirendum, dimittendum, & è domo tua violenter ejiciendum in annos & menses usque expectares? Majorem utique inimicum habere nequimus, quam sit peccatum, quod mortem corporis nobis machinatur, quia *stimulus mortis peccatum est*; Nec non æternam animæ mortem inferre molitur, quia *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, & tu ipsum mediante confessione è domo animæ tuæ ejicere in septimanas, menses, & annos usque tardabis? *Fatua est dilatio in rebus, in quibus continuo succurrendum*, inquit Episcopus Bellovacensis, *ut in igne excutiendo à domo quæ comburitur: S. Bernardus: Abscondi ignem in sinu meo, & excusso jam latere nudatis visceribus jam sanie effluente, adhuc consulendum est, an excutiam illum?* Certus sum, quod si tu in lecto decumbens monereris, quod ignis certam domus tuæ partem corripuisset, subito è lecto exilires, ut illum extinguere, & meliorem domus supellectilem salvare posses; imo omnes servos, filios, vicinos, transeuntes viatores in auxilium advocares. Jam vero indubitata Christiana veritas est, quod quando peccatum mortale in animam aliquam aditum habuit, subito

Stultitia pœnitentiam in longum tempus differentium exploditur varijs similitudinibus. — *1. Cor. 15. v. 56.* — *Ezech. 18. v. 4. & 20.* — *Bellovac. spec. mor. l. 3. dist. 2. p. 6.*

subito talis anima igne infernali ardere incipiat, quia *secundum præsentem justitiam* anima inextinguibilibus illis flammis est vicina, ut non nisi unico habitu, à quo vita dependet, distare censeatur; Jam igitur hæc flamma incepit consumere merita, gratias, & dona, quibus locupletatus eras, & tamen de illo incendio per aquam veræ compunctionis extinguendo, nihil cogitas, sed tempori indulges, & expectas non considerando quod sit *ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Videmus, quod homines cum periculo vitæ suæ per medias flammas penetrent, ut supellectilem, aliasque facultates à flammarum incendio eripere possint, & tamen ad salvandam animam ne quidem digitum moves, quin potius lubenti animo ignem illum Diabolicum libenter nutris & promoves? Ad salvanda ligna, vestes, lintea, lectos, sedes, aliamque similem supellectilem vilem sine mora aquam acceleras, & tamen ad animam salvandam, qua non habemus thesaurum inæstimabiliorem, aquam fletus & planctus longo tempore effundere negligimus? Et quidem tanto reprehensibilior & damnabilior est hæc nostra dilatio, quanto divina liberalitas modo promptior est ad hanc aquam, id est divinam gratiam ultro nobis offerendam: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Væ igitur illis, de quibus dicitur. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* D. Chrysostomus ait: *Postquam in domo tua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, concurrimus, ut totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius animam exedit vitium; Oportet itaque prævenire.* Huc quoque spectant sequentia sancti Augustini verba, quæ hinc inde apud Scriptores citata reperio: *Quid dicis amens? Percutiam me modo vulnere, postea ad Medicum pergam? Heu miser, nescis quod unius horæ peccato vulnus accipitur, sed vix longo tempore sanatur; Timeo ne subitanea febricula, vel mors superveniens rapiat, & pereat dilatio, & succedat æterna damnatio.* Ergone febri alicui malignæ; arduissimum negotium, quale est reddere se de æternitate quadam securum, confidere volumus? Ergone vitam sempiternam, propter quam nobis data est tota vita nostra, brevi unius horæ spatio committere non erubescimus?

Job 31. v. 12. — *Isaiæ 44. 3.* — *Actor. 7. 51.* — *D. Chrysost. in Psalm. 6.*

DISCURSUS XXIII.

ARGUMENTUM.

Hi qui in exemplis aliorum in fine vitæ serio resipiscentium, & in uno, *forsitan*, confisi, pœnitentiam diutissime differunt, graviter perstringuntur.

THEMA.

Forsitan salvabit animas nostras. 3. Reg. 20. ℣. 31.

1. QUidam ex dissipato Benhadad exercitu residui milites inter se convenerunt, ut Regis Israëlis se discretioni committerent, dicebant enim: *Ecce audivimus, quod Reges domus Israël clementes sint, ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israël, forsitan salvabit animas nostras.* Hi milites in habitu pœnitentium comparentes, loricæ loco aspero cilicio induti suspensis ad collum restibus supplices vitam sibi condonari postularunt, & tamen num petitam consecuturi essent gratiam plane dubitabant, licet non ex voluntate propria Regi Israël bellum movissent, sed tamquam subditi coacti, Regem suum secuti fuissent, ac proinde venia digniores erant. Verumenimvero exemplum istud impios peccatores, qui per multos annos Deo obstinate fuere rebelles, nequaquam animare potest, ut in fine vitæ se perditos esse videntes, de divina clementia quidquam sperare possint, siquidem in mortis subitaneæ, vel mortalis infirmitatis angustijs, nullum illis suppetit tempus vestiendi se cilicio, vel sperandi in divinam clementiam & pietatem, quippe quibus jam dudum prædictum fuit, quod *secundum duritiam suam thesaurizent sibi iram in die iræ.* Nihilominus remanet illis subtilissimum quoddam spei filum, in ly *forsitan* fundatum, dicunt enim; Forsitan auditum vel lectum est aliquod exemplum, quod superioribus temporibus quispiam perditè vivens in extremo vitæ momento salvatus fuerit, ac proinde *forsitan* etiam *salvabit animas nostras.* Sed exempla incerta sunt & fallacissima.

Qui aliorum exemplo nimus procrastinat pœnitentiam, seipsum periculo damnationis exponit. — *Rom. 2. v. 5.*

2. Postquam Manasses regnare cœpisset, regnum suum continuavit quinquaginta quinque annis, quos omnes in tyrannide, alijsque sceleribus, & impietatibus enormibus consumpsit; Tandem vero in fine mirabili supremæ misericordiæ prodigio mortuus est pœnitens, & salvatus est; Huic in regno Amnon successit, qui patris sui sectatus est vestigia, sine ullo respectu justitiam, fidem & religionem violando; Huic tamen in capite duorum annorum subditi ejus vitam eripuerunt. At vero quonam pertinet illa patrem inter & filium tam ingens differentia, quod scilicet patrem per totam vitæ ætatem expectando, in brevissimo deinde temporis spatio eumdem salvet, filium vero nonnisi per duos annos tolerando in æternam perditionem redigat? Respondeo, Deum quoad utrumque patrem scilicet & filium, dicere potuisse: *Aut non licet mihi quod volo facere?* Glossa Amnon Manassis filium hunc in modum intra se ratiocinatum fuisse dicit: *Pater meus à puero multa scelera fecit, & in senectute pœnitentiam egit, ego quoque hac in ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me convertam*; At vero hæc ejus consilia cassa & irrita fuere, longe enim aliter ei evenit. Tametsi enim Deus per sua occulta judicia, quæ nobis non revelavit, aliquem privilegio donare voluerit, *bene omnia fecit*, sed præsumemus, ne & nos propterea, quod ejusdem favoris & prærogativæ futuri simus participes? Princeps aliquis permittit circa eos qui mortis condemnati sunt, executionem fieri, secundum quod omnes à suis judicibus condemnati fuere; Accidit tamen nonnumquam, quod ex Principis favore propter aliquod interesse publicum, vel ob alium maximi momenti respectum inter mille condemnatos uni soli vita condonetur; Sperabitisne exemplo hujus solius, in vestris quoque delictis similem impunitatem, confidendo seu committendo vitam & reputationem vestram uni *forsitan?* *Forsitan salvabit animas nostras.* Temeraria profecto & impudens foret præsumptio, prætendere privilegia specialia, quæ supremi Principes uni dumtaxat speciali amico exhibere solent. Sanctus Augustinus exemplum nobis Samsonis ob oculos ponit, dicens: *Num forte aliquis adeo stultus & imprudens est futurus, ut quia Samsonem non aliter, quam maxilla asini munitum prælium inijsse, magnamque inter inimicos stragem fecisse novit, ipse pariter ad ejus imitationem non alijs armis, quam solo mortui animalis osse munitus prælium adoriri vellet? Sicuti nec aliquis* (verba sunt sancti Augustini) *præsumit hostes inermis invadere, quia Samson cum mandibula asini multos hostes peremit.* Hoc porro Samsonis facinus rarum fuit, omnique caret exemplo; quod ab eo cum facilitate commissum fuit, eo quod *Spiritus Domini irruerit in Samson.* Quod si quis promittere sibi posset, quod pro libitu suo quotiescumque desiderat, habere possit Spiritum Sanctum, multa quidem similia sibi posset promittere, sed ut in Discursu secundo vidimus, omnino contrarium est verum, ergo stulte spes talis concipitur, nam ut habet aphorismus ille legalis: *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.*

Hoc patet exemplo Manassis, & filij ejus Amnon. — *Matth. 20. v. 15.* — *Glossa.* — Hoc ipsum declaratur similitudine. — *S. August. c. 22. de bono conjugali.* — *Judic. 14.*

3. *Forsitan salvabit.* Audiamus quam acribus verbis Divus Chrysostomus hoc *forsitan* perstringat; Ita enim scribit: *Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima senectute confiterentur. Quid igitur? Numquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis; Cur dicis fortasse? Contingit aliquando; Sed cogita, quod de anima deliberas.* Sancta & Seraphica virgo & mater Theresia, suis emphatica hæc verba specialissime inculcare solebat: *Cogita unicam esse vitam, unicam esse animam, unicam esse gloriam.* Enimvero si ludendo domum perdis, pecuniarum jacturam pateris, vel moritur tibi filius, spem quidem alterius filij habendi concipere poteris, aliam domum fabricare, alias pecunias lucrari quidem valebis, sed res ita non se habet quoad animam, hac enim semel perdita, manebit, semper unicam enim habemus vitam, unicam animam, pro cujus assecuratione negotiandum nobis est, quamdiu hæc præsens vita durat; Et ideo *cogita quod de anima deliberas*, inquit D. Chrysostomus, quod

D. Chrysost. h. 22. in 2. ad Cor. — Acriter perstringuntur procrastinatores pœnitentiæ.

Quare Noë septem diebus ante inceptum diluvium ingressus fuerit arcam.

quod negotium nequaquam uni *forsitan* committendum est. Deus olim genus humanum per universale quoddam diluvium submergere decreverat, & de facto submersit, ut per tot aquarum inundationem, tot sceleratorum hominum sordes posset abstergere, de quibus sacer Chronista ait: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Verumtamen parvulam

Gen.6.v.12.

quamdam generis humani scintillam in familia Noë conservare volens, eidem arcam ut fabricaret præcepit, qua vastæ molis fabrica completa, divina justitia strictum ensem manu sua vibrans, ut cataractas cœli aperiret, sancto huic seni animalia in arcam introduceret imperavit, eo quod post septem dies di-

Gen.7.v.4.

luvium inchoandum esset: *Adhuc enim & post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Circa quæ verba curiosus quispiam quærere posset, cur non solum animalia, sed & ipsemet Noë cum tota sua familia ante inchoatos septem illos dies, quibus diluvium differendum erat,

Gen.7.v.13.

in arcam fuerit ingressus? Dicit enim Scriptura: *In articulo diei illius ingressus est Noë, Sem, Cham, Japhet, filij ejus, uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam.* Enimvero ex quo Deus ipsemet ore suo illis dixerat, quod supplicium diluvij comminatum, nonnisi post septem dies universæ terræ immissurus esset, cur Noë cum sua familia in angustum illum carcerem anticipate introibat? Num forte de divini verbi veritate dubitare poterat, Et quidem non sine mysterio sacer textus ait: *In articulo diei illius*; Cajetanus ex Hebræo vertit: *In proprietate diei illius*; Lipomanus legit: *In puncto diei illius*; Ex his enim diversis lectionibus satis colligitur Noë ingressum suum in arcam ne unico quidem momento tardasse, aut distulisse, Sed quonam hæc tanta spectat celeritas? Responsio in promptu est; Cum enim Noë probe sciret, Deum qui hominibus promiserat, quod illos centum viginti annis ad pœnitentiam expectare vellet, & tamen postea viginti defalcavit, eo quod patientia ipsius abutentes potius iniquitates multiplicarent, quam emendarent, Noë merito metuere poterat, ne forte Deus hoc pariter septem dierum spatium abbreviaret; Ac proinde negotium tanti momenti nequaquam uni *forsitan* committere, sed potius de omni possibili securitate, sibi prospicere voluit, tametsi solum de vita præsenti non vero de æterna animæ salute ageretur. Porro cum nobis negotium est de corporalis sanitatis periculo cavendo, quis adeo reperietur incurius, ut cum secure periculum illud antevertere possit, mature de remedijs cogitando, nihilominus periculum hoc uni *forsitan* committere ausit. Trita est inter medicos regula, quod quando medicamentum certum præsto est, incertum & dubium nequaquam applicari possit; Minusne igitur animæ nostræ salutem periclitantem æstimabimus? Quando in lucris temporalibus certum quoddam suppetit medium, ingens quoddam bonum acquirendi, utique non utemur illo, quod à casu, fortuna, & ab uno forsitan mere dependet. Medium vero moraliter securissimum est, pœnitentiam antecedenter facere, & mature satis ad mortem se præparare, ad extremum vero usque pœnitentiam differre, eo quod aliquod aliorum in extremo vitæ momento æterna salute donatorum audivimus exemplum, hoc à mera contingentia dependet, estque æternitatem beatam vel damnatam manifesto committere periculo.

Ninivitæ moniti pœnitentiā statim aggressi fuerunt.

4. Ninivitæ iram Dei per scelera sua acerbissime irritaverant, adeo ut Deus post quadraginta dies elapsos, totale comminatus fuerit excidium; Scitisne autem, qua ratione comminatum hoc evaserint periculum? Nimirum tametsi quadraginta dierum spatium illis indultum esset, nihilominus manus suas ad cilicia induenda applicare, ne quidem per unicam horulam distulerunt; Non sunt usi maledicta illa dictione *forsitan*, non dixerunt, adhuc tempus habemus sufficiens, nos emendandi, sed potius ad incertitudinem pœnitentiæ ipsorum à Deo acceptandæ se

Jonæ 3.v.9.

reflexerunt dicentes: *Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus & revertatur à furore iræ suæ, & non*

Ibid.v.10.

peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Subito, ut de supplicijs à Deo inferendis moniti fuerunt, suamque agnoverunt iniquitatem, emendationem suam nequaquam in uno *forsitan* collocarunt, sed potius in peccatorum remissionem, oculos videlicet ad hoc dirigentes, nec quidquam præsumentes de divina clementia.

Stultè se fundant procrastinatores pœnitentiæ in exemplo unius serò conversi.

5. *Forsitan salvabit nos.* Sine dubio sæpius audieritis nonnullos, qui se ut è malæ vitæ suæ luto sese eruant, resolvere nequeunt, ad sui defensionem dicentes: Legitur frequenter homines perditæ vitæ bona & felici morte vitam suam clausisse; Hi tamen minime considerant, quod sæpe per integrum sæculum ex centum millibus vix unus iram Dei evaserit, numquid igitur stultitia est, quod in hunc unum confidentes, similem quoque mortem ipsis obventuram esse sibi persuadeant. Exploratores terræ promissionis in domo Rahab hospitio furtive suscepti, & ab eadem cum ingenti vitæ periculo profecti, moti sunt, ut in retributionem hujus beneficij illi promiserint, quod in communi Civitatis illius excidio, ipsa cum omnibus familiaribus domus suæ præservanda esset illæsa, in cujus signum funiculum coccineum ei dederunt, ut eumdem ad fenestram suspenderet, hicque illi loco Salvæ Guardiæ seu salvi conductus deserviret. *Dimittens eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* At vero dicet fortasse aliquis, ex quo multum temporis etiamnum supererat priusquam exercitus Israëliticus civitatem Jerichuntinam circumvallationibus cingeret, cur in præfato funiculo suspendendo tanta Raab usa fuit celeritate, maxime cum probe sciret dictos exploratores, priusquam ad Josue redirent, per triduum integrum in domo sua esse occultandos? Respondetur igitur, quod cum de negotio tam arduo, quale est illud, ubi de vita conservanda agitur, tractaretur, securitati suæ anticipate consulere voluerit, quia contingere poterat, quod civitas per stratagemata, & insidias invaderetur, nocturnoque tempore per vias occultas exercitus ex improviso appelleret, & ideo hoc periculum prævenire voluit, & beneficium hoc adeo eximium & præclarum nequaquam fortunæ aut casui exponere. Quot sunt, eheu, qui ab hac Raab meretrice in futuro judicio condemnabuntur, qui scilicet de æterna sua salute sunt securi, ac si illa per chirographum manu ipsiusmet Dei subsignatum, illorumque sinui injectum, tamquam infallibilis promissa fuisset, ideoque emendationem suam usque ad ultimum spiritum procrastinant.

Exemplum Rahab imitandum proponitur.

Josue 2.21.

Etiā de peccatis condonatis securi esse non debemus.

6. Ecclesiasticus quoddam tradit monitum, quod merito ipsas Libani Cedros contremiscere, validasque sacri firmamenti columnas trepidare facere possit; Ait enim: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; Ex quo liquet, quod etiam illi quibus peccatum condonatum est, adhuc salutem suam dubiam, & perplexam æstimare debeant; *Nescit enim homo utrum amore, vel odio dignus sit*; Qui igitur in vita sua per multos annos Deum insolenter offendere, eumque deridere non dubitat, qua ratione hic in ultimo mortis articulo Deum sibi propitium & favorabilem futurum, persuadere poterit? Daniel Nabuchodonosori post explicatum ejus somnium sequens suggessit consilium: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.* Quem textum exponens Salvianus in favorem nostrum ita scribit: *Hoc ipsum quod dicit forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur, ex quo intelligi potest, quam difficile jam in supremis positi peccatores, qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint, quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere non ausus est promerendam, dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu.* Peccator enim qui ad agonis angustias redigitur, alium non habebit consiliarium, quam illum, qui quoadusque vixit lateribus ejus astitit, scilicet serpentem infernalem, qui eum ad desperationem inducet: Idem Salvianus tandem in hæc verba concludit: *Si Regi Propheta ille per solam bonorum operum largitatem absolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator, non acta errorum indulgentia, potest, quanta et, & quam larga in supremis munificentia opus est, qui vult obtinere à Domino per seram devotionem, quod non potest usurpare per legem.* Sanctus Hieronymus super eumdem Danielis textum hoc modo scribit: *Cum Beatus Daniel præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur.* Imo idem sæpe citatus Salvianus existimat valde excessivam & transcendentem futuram esse illam Dei misericordiam, quæ pœnitentiam ad extremas usque mortis angustias procrastinantibus exhiberetur. *Magna profecto*, inquit, *ut vere pœniteat, ac denique salvetur Dei misericor-*

Eccli.5.v.5.
Eccli.9.v.1.
Dan.4.v.24.
Salvianus lib.1. ad Eccles.
Peccator in agone nō habebit alium consiliarium quam diabolum, cui in vita semper adhæsit.
S.Hieron. in Dan.
Salvian. ibid.

dia,

dia, qui suam ad mortis angustias confessionem distulit, & largissima, qui dives est in pauperes, magnificentia, ut Dei gratiam eo puncto mereatur, opus habet.

Exploduntur & graviter taxantur peccatores sibi persuadentes quod in mortis hora Deū habituri sint ad votum propitium.

7. Et verò scire percuperem, in quonam fundetur illa tua præsumptio, qua divinam misericordiam in tua quasi manu te habiturum esse speras? Qua fronte tibi promittere audes, quod effecturus sis, ut mutentur infallibilia Dei altissimi judicia, sacræ litteræ invertantur, evanescant ab æterna veritate intentatæ comminationes, sistatur divinæ providentiæ & justitiæ rectissimus cursus? Num forte quando in hunc mundum natus es, astra cœlestia tibi arriserunt? Num forte Deus in regno suo tua indiget opera? Quænam tibi apud Deum merita acquisivisti? Quænam illi exhibuisti servitia? Imo quot improperijs, quotque scandalis te semper per tot annos obstinato animo ejus te declarasti rebellem, sectando sui & nostri inimici infernalis partes, ejus amabiles invitationes, inspirationes, & impulsus ad resipiscentiam turpiter & contemptibiliter rejiciendo? Tunc igitur sperabis, quod in præmium tot injuriarum, tamque abominabilis ingratitudinis ab eo accepturus sis locupletissimos gratiarum suarum thesauros? Minime Gentium; *Justus enim Dominus, & justitias dilexit*; *Infixæ sunt Gentes in interitu, quem fecerunt, in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum; Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator; Convertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.* Sanctus Cæsarius Arelatensis hanc post se scriptam reliquit sententiam: *Qui remedium animæ suæ quando potuit, noluit quærere, postea etiamsi velit, dubium est utrum mereatur accipere.* In ultimo Tomo sancti Hieronymi, in quo Eusebius de morte ejusdem sancti Doctoris scribens, continetur, sequentia sancti Eusebij verba leguntur: *Nonne benignissimus est Dominus, qui tantas tolerat injurias à peccatoribus; dans eis temporis spatium, ut emendentur? Sed hoc noveris, quia sicut benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. Sed forte quis iterum dicet: Vir, qui toto tempore, quo vixit, male facit, in mortis articulo accepta pœnitentia à Deo veniam obtinebit? Heu quam vana suspicio, & falsa meditatio! vix de centum millibus hominum quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus.* Ex quibus verbis evidenter impiorum colligitur temeritas, qui sibi stultè persuadent se in extremis mortis angustijs, Deum habituros ad votum, ad libitum. Contra quos Doctor Angelicus in hæc verba docet: *Cum opus sit, non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest, quandocumque vult, suam misericordiam, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex justitia, sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt periculosum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspiret, si quis est, veram pœnitentiam.* Indicium profecto manifestissimum est, unde conjici potest, hominem aliquem unum pedem in inferno positum habere, parvique æternæ salutis curam æstimare, si eamdem salutem, super perplexum quoddam *forsitan* fundare præsumat, *impius enim cum in profundum venerit, contemnit.*

Psal.10.v.8.
Psal.9.v.16.
Ibid.v.17.
Ibid. v.18.
S.Cæsar. Arelat. hom.6.
S.Euseb. de morte S. Hieron. tom.9. fol.240.
S.Thom. in 4 sent dist. 20. q.1.
Prov.18.3.

De divina misericordia & auxilio in morte habendo temerè non est præsumendum.

8. *Forsitan salvabit nos.* Quando hortulanus ille, se apud Dominum horti, qui arborem fici amputare volebat, eo quod per triennium nullos protulisset fructus, se interposuit, simulque promisit, se stercorando circa arborem effecturum, ut arbor illa largiter fructificaret, Christus sapientia Patris, qui parabolam illam proposuit, ad eruditionem eorum, qui male vivunt, ideoque ex improviso è vivis abripiuntur, eos dubios reliquit, an Dominus pomerij hortulano acquieverit, an vero non, ut hac ratione unusquisque timeat & contremiscat, deque divina misericordia temere non præsumat. Audiamus Nazianzenum hac de re in hæc verba loquentem: *Tu quidem fortasse bone & humane agricola, Dominum supplex rogabis, ut ficulneæ adhuc parcat, nec eam sterilitatis accusatam adhuc succidat, verum tibi permittat, ut stercora undique in eam conjicias, hoc est, lachrymas, gemitus, preces, chameunia, vigilias, animæ & corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati confessione, contemptioneque vitæ genere existit. At incertum est, an Dominus ei parcet, utpote etiam locum occupanti, cum interim alias misericordia egeat, atque ob longanimitatem, quæ ipsi exhibetur, deterior fiat.* Idem quoque punctum S. Ambrosius lib. 2. *de Pœnitentia* his verbis tangit: *Alij proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant*; Decipiuntur autem & graviter quidem, quia Vinitor ille sub hac conditione petiit dicendo: *Dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, Et siquidem fecerit fructum, &c.* In praxi autem videtur quotidie, quod major pars vita sibi indulta utantur ad continuandum in peccatis pristinis, pauci autem sunt, qui inde emendantur. Subdit vero idem Sanctus Ambrosius: *Cum pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum, vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento, quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur.* Idem sanctus Doctor alio in loco in hæc verba nos exhortatur: *Vis te, frater, à dubio liberari, vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es, si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, securus es. Ergo curre, & reconcilieris; Si sic agis, securus es. Vis dicam tibi? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti; Ecce dixi, quare securus es; Si autem agere vis ipsam pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*; Et paulo post sequens valde notabile subjungit dilemma inquiens: *Duæ res sunt; Aut ignoscetur tibi, aut non ignoscetur. Quid horum tibi futurum sit, nescio; Sed do consilium, dimitte incertum, & tene certum.* Dimitte *forsitan*, & apprehende id, quod certum est, atque indubitatum, si tuam assecurare vis æternam salutem. Denique seriam meretur reflexionem, sequens Commentatoris Nazianzeni motivum, dicentis: *Quis satis locuples Sponsor erit, fore ut mors curationem nostram expectet, ac non peccati reos, & purgationis debito constrictos judicium divinum suscipiat, gehennæque incendium.*

Luc.13.
Nazianz. orat.40.
Luca 13.8.
Ibid. v.9.
S.Ambros. l.2. de Pœnit. tom.9.
S.Ambros. ad Pœnit. exhort.
Nicetas in orat. 40. Nazianz.

DISCURSUS XXIV.

ARGUMENTUM.

Peccatores surdi, & in peccatis indurati misericordia divina efficiuntur indigni, non vero qui ex fragilitate peccant, & subito Deo ad resipiscentiam vocanti respondent.

THEMA.

Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psal.94.ỳ.8.

Qui Deo in vita sæpe ad pœnitentiam vocanti non respondent, ipsius misericordia in morte indigni sunt.

1. DIvina misericordia indignus est, qui in vita sua sæpius à Deo ad pœnitentiam vocatus surdum se exhibendo eidem non respondit, nec obtemperavit, & tamen in extrema sua necessitate constitutus in misericordiam Dei sperat, eamque sibi fieri postulat; Contra quos in Psalmo dicitur: *Hodie si vocem Domini, &c.* Hi obstinati peccatores apud Jerem. cap. 5. in hæc verba reprehenduntur: *Percussisti eos, & non doluerunt; Attrivisti eos, & noluerunt accipere disciplinam; Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt converti.* Porro Sanctus Augustinus in sermone quodam hanc tradit sententiam: *Non qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit.* Enimvero reperiuntur nonnulli, qui aliquem merentur excusationem, & purgare se possunt, quales fuerunt illi, quos paterfamilias ultima hora ad laborem invitavit, qui dicebant: *Quia nemo nos conduxit*; Non enim fuerant efficaciter vocati, nec tot ad se convertendum habebant stimulos, quemadmodum multi alij. Unde Sanctus Anselmus prædicta verba: *Quia nemo nos conduxit*, in hunc sensum explicat: *Vitæ vias nullus nobis demonstravit.* Expressius tamen Sanctus Thomas exponit, dicens: *Significatur quod quibusdam non datur occasio revertendi ad Deum usque ad senium*; At vero quando tandem illuminantur à Deo, sine mora & ingenti cum fervore, lumini recepto cooperantur, ac proinde gratijs divinis dignos se efficiunt, quia *efficaciter magis resurgunt*, inquit S. Doctor; De hisce igitur Psalmista in verbo *obdurare* nequaquam est intelligendus, sed de his tantum, qui tem-

Jerem.5.3.
S.Aug.ser. 18.de temp.
Matth.20.7.
S.Ansel.ibid.
S.Thom.ibid.

pore vitæ sibi indulto, peccata multiplicando, abuntur divinisque inspirationibus cor suum occludunt. *Delictorum sarcinam cumulant*, inquit Sanctus Augustinus, *& manus æternæ salutis amittunt. Hoc est veritatem congregare, & remedium devitare.* Ac proinde omnis illorum spes inutilis existit, ut Sapiens advertit, dum ait : *Spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tamquam fumus, qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis ; Justi autem in perpetuum vivent* ; Quibus verbis Sapiens impio spei suæ, ob quam emendationem suam prolongat, vanitatem varijs similitudinibus repræsentare satagit. Idem Sapiens alibi inquit : *Spes impiorum peribit.* Sanctus Bernardus in sermone quodam ait : *Cum timore Dei spes habet meritum, cum hoc meta fructuosè speratur.* Qui timet Deum, postuler quidquid libet, & experietur quod *voluntatem timentium se faciet* ; At vero qui diurno tempore ejus vult esse inimicus, eumque mortaliter offendere, temere præsumit, si quando gratias à Deo postulare & sperare audet, maxime illam, qua nulla dari potest major, postulare ab eo audet, scilicet suam in extremo vitæ momento emendationem & conversionem, cum impie semper vixerit. Idem melliffluus Doctor alio in loco dicit : *Sine meritis sperare, non spes, sed præsumptio dehet dici.* S. Isidorus inter alias suas præclaras sententias hanc quoque tradit : *Qui male agere non desistunt, vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt.*

S. Augustſer. 57. de temp.
Sap. 5. 15.
Ibid. v. 16.
Prov. 10. 28.
S. Bern. ser. 15. in Psal. qui habitat.
S. Bern. ser. 1 in cœna Dom.
S. Isid lib. 3 sent c. 4.

2. Opportune hoc loco mihi incidit Origenis super Epistolam ad Romanos scribentis doctrina ; Exponens namque verba illa : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, in hæc verba scribit : *Ex quo ostenditur, quia mors ista, quæ in omnes homines pertransiit, etiam in ipsum transierit, sed vix aliquando sensit esse intra se mortem, & conversus ad Dominum, emisit eam à se, & abjecit per pœnitentiam.* Idem quoque vetustissimus Scriptor aliam subdit non minus apte proposito nostro fervientem ingeniosam observationem dicens : *Sed & peccatum quidem, non dixit in omnes homines, sed in mundum introisse, mortem vero non in mundum, sed in omnes homines, & non introisse, sed pertransisse. Non puto, quod frustra hac diversitate usus sit Paulus. Arbitror quod per mundum terrenos quosque, & in terrena conversatione permanentes designet. Homines vero eos dicat, qui jam se incipiunt agnoscere, & scire quod ad imaginem Dei facti sint. In illos ergo qui mundus appellatur, id est, terrenos, intrasse dicit peccatum, & nusquam ejus exitum ponit, In eos vero quos jam homines vult intelligi, dicit pertransisse peccatum, id est, fuisse quidam, sed per pœnitentiam conversionis depulsum esse, & pertransisse, nec ultra in eis stetisse.* In his igitur in quibus peccatum non persistit, sed transit, & celeriter aboletur, locum habet divina misericordia, non vero in illis, in quibus peccatum obstinate regnat. Sanctus Petrus graviter quidem lapsus est, in cœlestis Magistri sui negatione quam magnopere, aggravavit per adjunctum eidem negationi perjurium, verumtamen ad primum divinæ gratiæ obtutum, subito resurrexit, unde Angelicus Doctor ita scribit : *Dicendum quod charitas amittitur dupliciter ; Uno modo directè, per actualem contemptum, & hoc modo Petrus charitatem non amisit ; Alio modo indirectè ; quando committitur aliquid contrarium charitati, propter aliquam passionem concupiscentiæ, vel timoris, & hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit.* Quando enim nullus amplius est ad peccatum affectus, sed subito ut cognoscitur, in execratione habetur, sperare semper licet cum pari promptitudine divinam, ad nobis subveniendum, pietatem.

S. Thom. 2. 2. Q. 24. Art. 12.

Explicatur ad propositum sententia quædam S. Pauli. *Rom. 5. 12. Orig. lib. 5. ad Rom.*

Procrastinatores conversionis perperam allegant exemplum boni latronis.

3. Enimvero multi sunt, qui in exemplum boni latronis, magnam spem & fiduciam collocatam habent, siquidem hic post peractam per totum ætatis suæ decursum pessimam vitam, nihilominus in ultimo vitæ suæ articulo, sibi rapuit paradisum, verumtamen præterquam quod alibi de Passione Christi fusè tractans, per septemdecim Discursus insignes dicti boni latronis actus exposuerim, quibus gratiam illam promeruit, ut in tam brevi tempore salutem suam sibi acquireret, in præsentiarum arrogantibus illis diversimode responderi potest. Et quidem Sanctus Gregorius Nyssenus ita scribit : *Animadvertit actutus & ingeniosus fur thesaurum, & natalus occasionem, vitam rapuit.* Etenim per omnium præteritorum sæculorum decursum nulli umquam hominum similis nata est occasio, qualis felici huic latroni obtigit, siquidem ipso in cruce pendente Christus Redemptor noster super mensam collibisticam crucis inæstimabilem sanguinis sui thesaurum pro peccatis nostris deponebat, Quam occasionem sibi valde reddidit proficuam. Nazianzenus similibus temerarijs hominibus exemplo boni latronis pœnitentiam procrastinantibus os obstruit his verbis : *Neque enim furto sæpius circumveniri Christus amat, tametsi demens & mire facilis sit.* Sanctus Augustinus in sermone quodam ita scribit : *Non jam juxta viam insidias tendens, sed viam ipsam in Christo tenens, ac vitæ prædam subito raptens immutato genere, & nova spolia de morte propria reportans, nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momento ultima infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit, nec Religionem ante, nec Christum sivit, quod si scisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem, non fuit exuenda hora illa, sed prima.* Sanctus Bernardinus sequentem in bono latrone notat specialissimam prærogativam inquiens : *Iste latro solus postulavit salutem, quando Salvator mundi eam pro omnibus faciebat.*

S. Gregor. Nyss. Orat. 40. Mart.
S. Augustſer. 57. de temp.
Nazianz. in Baptiſ.
S. Augustſer. 45. in Append. de diver.

Discutiuntur verba quibus Christus bono latroni paradisum promisit.

4. Verum enim vero ad hoc ut salus ab hoc latrone in ultimo vitæ momento à Salvatore obtenta fuisse credatur, nec tamen ullus inter mortales ex ejus exemplo similem sibi concedendam gratiam esse, sperare possit, observanda sunt verba, quibus Christus huic latroni paradisum promisit : Ait enim : *Amen, Amen :* Quæ verba certam quamdam juramenti speciem præ se ferunt, quis enim umquam sibi persuadere potuisset hominem in peccatis habituatum hanc habiturum fuisse in extremo mortis articulo fortunam, ut salutem sibi in securo positam acciperet ? Verba quoque immediate sequentia, scilicet : *Dico tibi*, consideratione digna sunt, quia non vacant mysterio ; His namque verbis Christus ei dicere voluisse videtur hanc liberalitatem, hanc misericordiæ meæ munificentiam erga te solum exerceo, tibi soli impendo, & ideo *dico tibi*, & non alijs. At vero quænam est hæc nostra temeritas, quod divina pietate ad succurrendum pœnitentibus peccatoribus prompta abutamur velut scopulo, vel offendiculo ad lapsum, & non potius velut stimulo ad imitandam ejus promptitudinem in vitæ nostræ emendatione, & compunctione quantocyus post lapsum concipienda ? *O peccatorum conditio miserabilis*, exclamabat olim Beatus Laurentius Justinianus, *O tentationum horrendum genus, sub specie indulgentiæ facinora gravissima committere !* Ex hac præsumptione circa bonitatem Dei à nobis concepta, sequitur, quod dum per hanc peccatores in vitijs, & pessimis consuetudinibus suis firmiter radicatos habitus sibi acquirunt, ab iisdem in articulo mortis nequaquam sint resurrecturi, siquidem certa, tritaque regula est, *quod peccatum, quod pœnitentia non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit* ; Et ideo quanto diutius ætate crescente augentur peccata, tanto vincula, quibus anima innectitur, redduntur indissolubiliora. Præterea non placet Deo peccati detestatio, & odium, quando peccatum deserit peccatorem, non vero hic peccatum, eo quod affectus ad peccatum semper perseveret, ob contractum malum peccati habitum. Porro Sanctus Bernardus optimam nobis tradit regulam, ad discernendum, quænam sit Deo verè grata pœnitentia ; Ait enim : *Quando homo peccare potens pœnitet, & vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem, qui autem male vixit, & in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, ita & remissio illius dubia. Qui ergo securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, & in sanitate peccata sua lugeat ; Igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est.* Petrus Blesensis de eadem materia sequentem tradit doctrinam inquiens :

B. Laur. Juſtin. de triumph. Christi agonâ cap. 9.

Quænam pœnitentia Deo verè sit grata, & quando agenda.

S. Bern. ser. 27. de modo bene viuendi.

Petr. Bleſen. Opuſc. c. 1. circa fin.

S. Auguſt. ſer. 57. de temp.

Qui cum fatuis virginibus serius veniunt, ostio clauso, repulsam patiuntur.

Eccli. 7. 11.

Eccli. 24. 23.

S. Greg. 3. p. Admon. 21.

inquiens : *Si peccasti, quiesce, quia optimus pœnitendi modus est, à peccato cessare. In animo tuo forte ordinas, & disponis, adhuc ludam, adhuc expellabo, & differam, donec sim ætate maturior, & impotentior ad peccandum. Dic quæso, quæ gratia tibi debetur à Domino, si tunc desistis à peccato, cum peccare non possis ?* Sanctus Augustinus pariter hoc punctum tangit in hæc verba : *Nec illud fervet, ut in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non possit, inanis est enim. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit, ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit, nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, sed opera quærantur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed authores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi*, cum enim compunctio, & contritio principaliter divinæ gratiæ sit opus, quis sibi tantum donum promittere poterit, qui divina bonitate & gratia sibi concessa per multos annos abusus fuit, seque per actus contrarios, maximè autem per malam consuetudinem divina se gratia indignum & incapacem constituit.

5. Omnibus passim nota est illa Gregorij Magni de repulsa quinque virginibus fatuis ad nuptias ingredi contendentibus à Sponso cœlesti data, scribentis sequens sententia : *Ibi jam à Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod jussit, quia ges tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni januam cum precibus venit.* Sunt quidem nonnulli, qui in animo suo statuunt, quod in ultimo vitæ momento, copiosas faciendo eleëmosynas, legata pia instituendo, ingentem Missarum numerum sibi procurando, Deum sibi reddere velint propitium, minime tamen se reflectentes ad id, quod S. Paulus protestatur inquiens : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ... Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ecclesiasticus quoque hanc eamdem veritatem in cap. 7. his verbis post se scriptam reliquit : *Ne dicas, in multitudine munerum meorum respicit Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet.* Idem quoque alibi rationem assignat, cur Deo hæc munera non sint placitura, videlicet quia à rebellibus expediuntur. Ait enim : *Altissimus nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis.* Et ideo S. Gregorius Magnus ait : *Admonendi sunt qui sua misericorditer elargiuntur, ut solutæ custodire studeant, ne dum commissa peccata eleëmosynis redimunt, redimenda committant, ne venalem Dei justitiam æstimant, si cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inultè peccare.* Eruntne igitur hi temerarij homines adeo scelerati, sacrilegi & impij, ut credere sibique persuadere possint, fieri posse, ut quamdiu vivunt, Deum offendant, suorumque scelerum impunitate fruantur, incorruptæ Dei justitiæ integritatem pecunia corrumpendo, salutemque æternam quasi venalem faciendo ?

Adducuntur ad propositū exemplum Jacob & Laban.

Gen. 29.

6. Est & alius scopulus, qui multas naufragari facit animas, quem etiam in præcedentibus Discursibus tetigimus. Porro Jacob se Laban, ei pro Rachel habenda septennalem in servitutem quidem obstrinxit, at vero ab eodem delusus fuit, siquidem loco Rachelis, Liam ei substituit. Imo priusquam ei Rachelem desponsaret, alio repetito septennio laboriosa eidem præstare obsequia debuit. Post hoc vero tempus, quod longum fuit, licentiam eidem, paternam repetendi domum, penitus denegavit, adeo ut tandem *in salutato hospite* recedere debuerit ; Nec tamen etiam hac ratione ab ejus vexa plane liber fuit, siquidem eum in itinere persecutus fuit, & tandem eidem in itinere assecuto sine dubio violentas intulisset manus, nisi Deus servum suum tutatus fuisset. *Omnia* autem hæc *in figura contingebant illis* ; In hac namque historia Deus nobis implacabilem Laban infernalis persecutionem ob oculos ponere voluit, utpote qui nos de die in diem, intra compedes, & catenas suas constrictas retinet, & si nonnumquam ex ejus nos contigat evadere unguibus, omnem artem, studium, & industriam adhibere non desinit, donec tandem ad illum redeamus.

Terribile exemplum.

7. In historica Anglicana ab Episcopo Cæsare Augustano conscripta legitur ; Juvenem quemdam lascivis amoribus totaliter deditum, dum ad mortem usque infirmaretur, multis cum lachrymis, veraque compunctionis signis, sacrosancta Confessionis & Communionis recepisse Sacramenta, idque tali cum devotione, ut omnes astantes compuncti fuerint, mortemque ejus adeo quoad exteriorem apparentiam, sanctam summopere fuerint demirati. Idem vero juvenis post mortem cuidam amicorum suorum apparuit, & quidem in specie tam horribili, ut vel hæc sola miserabilem æternæ damnationis suæ statum prodere potuisset. Quem amicus ejus scisciatabatur dicens : *Ehea namquid in articulo mortis tuæ multa edidisti veræ compunctionis signa ? Nullus fuit inter astantes, qui tuam pœnitentiam veram, & salutarem fuisse non judicaret. Namquid in majori copia fuerant lachrymæ tuæ, quam peccata tua fuerunt ? Numquid Sacramentorum fructum recepisti ?* Subjecit miserabilis Juvenis : *Vere quidem ita est, pœnitentia mea & contritio valida fuit & vera, sed me jam quasi in Dei manibus positum spiritum, cogitatio levis lasciviæ aggreditur, cui ut semper assentiri consueveram, sic tunc quasi coactus assensum præbui, & obij, & me in tartara præcipitavi.*

8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite, &c.* Hodie nobis resipiscendum est, *hodie* emendanda est vita nostra, non vero tardandum usque in crastinum. Regius Psalmista ait : *Petra refugium herinaceis.* Ubi per petram mystice Salvator intelligitur, juxta illud Apostoli : *Petra autem erat Christus* ; Hæc petra refugium est peccatorum, sed eorum præcipue, qui ut communicatis auxilijs divinis correspondeant, atque cooperentur, veloces sunt atque soliciti. Unde S. Augustinus loco *herinaceis*, legit *leporibus* ; Scitisne causam ? Ideo nimirum leporibus assimilantur, quia hi in cursu suo sunt velocissimi. Unde S. Isidorus ait : *Lepus quasi levipes, quia velociter currit, velox est enim animal.* Quemadmodum enim impij nullam prætereunt occasionem obviam, ut inordinatis appetitibus suis satisfaciant, ita quoque si veram Deoque acceptam volunt agere pœnitentiam, hanc nequaquam procrastinare, sed auxilijs divinis, ad propriam emendationem curandam ministratis promptissime correspondere debent. Audiamus hac de re Senecam moralem ita scribentem ? *Non tantum præsentis, sed vigilantis est occasionem observare properantem. Itaque hanc circumspice, hanc si videris, prehende, & toto impetu, & totis viribus id age.* Divus Chrysostomus in hanc rem ita scribit : *Periculum & metus est in differendo, salus vero certa, & secura, si nulla sit dilatio.* Nazianzenus idipsum sequentibus declarat similitudinibus, inquiens : *Miserum est, cum navem effluxerint, tum demum negotiationem quærere ; Miserum est, cum manna præterierit, tum cibum appetere ; Miserum est seram consilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla jam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus.* Abimelech Rex in procinctu constitutus, ut Saræ Abrahæ conjugis, quam Aulici ejus in prædam adduxerant, amplexibus frueretur, cum ecce confestim Deum se de hoc scelere in verba hæc reprehendentem audivit : *En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Qua voce audita, tametsi intempestæ noctis tempus adesset, non expectato diluculo matutino, fusque deque quasi universam aulam subvertens, misit ad inquirendum Abrahamum, ut eidem conjugem suam intactam restitueret, unde S. Textus ait : *Statimq; de nocte consurgens Abimelech vocavit omnes servos suos, &c.* quæ hujus gentilis Regis post prima Dei monita tam prompte subsecuta emendatio multos profecto condemnabit Christianos, qui in multos usque menses & annos Dei vocibus parere differunt, & tardant, &c.

S. Isid. l. 12. Orig. c. 1.
Seneca epiſt. 22.
D. Chryſoſt. hom. 22. in 2. ad Cor.
Nazianz. Orat. 40.
Gen. 20. v. 3.
Ibid. v. 8.

Ut verè pœniteamus, divinis auxilijs quam tissimè correspondere debemus.

Pſalm. 103. v. 18.
1. Cor. 10. v. 4.

DISCURSUS XXV.

ARGUMENTUM.

Velocitas, qua Deus nostram procuravit, & operatus est salutem, nec non quam solicite Deus hanc accelerationem desideret, consideratur.

THEMA.

Voca nomen ejus ; Accelera spolia detrahere, festina prædari. Isaiæ 8. ℣. 3.

Christus acceleravit, nos tamquā spolia surripere diabolo.

1. Isaias qui per Antonomasiam Propheta Evangelicus appellari meruit, eo quod novæ legis gratiæ secuturos eventus liquidissime prædixerit, redemptorem nostrum post suum in hanc terram adventum

ventum *accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*, appellandum eſſe dicit: *Voca nomen ejus.* Id eſt (ut Gloſſa Interlinearis exponit) *puer, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto Accelera, &c.* Euſebius à Gloſſa citatus, inquit: *Spolia his verbis appellat omnes eos, qui abducti ab errore Dæmonum, adhæſere Chriſto.* S. Paulus de eodem Redemptore noſtro ad Coloſſenſes ita ſcribit: *Expolians Principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Quæ verba Hugo Cardinalis ad propoſitum noſtrum clarius declarat inquiens: *Inſinuatur qualis ſit futurus puer, qui naſciturus de Virgine prophetatur; Talis ſcilicet, qui Diabolo ſpolia, id eſt homines, quos captivos tenebat, ſurripiet, & reducet; Et ſunt verba Patris ad filium dicentis: Velociter ſpolia, id eſt, homines captivos detrahe Diabolo feſtinanter.*

Gloſſ. — *Coloſ. 2. 15.* — *Hug. Card.*

Patet in lapſu primorum parentum.

2. Vix protoparentes noſtri per ſuam tranſgreſſionem ſerpenti infernali tamquam mancipia ſe ſubjecerant cum ecce ſubito, & ſine ulla mora, Creator illorum in terreſtri apparuit paradiſo; Non jam ad deliciandum, quia cœleſtis paradiſi delicijs fruebatur, ſed ut D. Chryſoſtomus ait: *Ut diſcas Domini benignitatem, quod nec modicum quidem diſtulit, ſed mox ut vidit, quod factum eſt, & ulceris magnitudinem, ad opitulandum feſtinavit, & pro ſua bonitate, neque ad parvum tempus à cura ſua illum deſtitutum reliquit.* Non reperietis uſpiam, quod Deus poſt peccatum à Protoplaſtis commiſſum, vel unico momento tardaverit, ut ſuum illis offerret auxilium, quo à magno illo lapſu denuo feliciter reſurgere poſſent. At vero quodnam in eo latet myſterium, quod Deus inter terreſtris paradiſi arbores deambulaverit, *deambulantis in paradiſo?* Sancta Mater Eccleſia à Spiritu Sancto directa, ut nobis immenſum declararet amorem ac ſolicitudinem, qua Deus univerſo generi humano remedium dare voluit, in hymno quodam matutini officij Dominicæ Paſſionis expreſſis verbis inſinuat, Deum immediate poſt lapſum primorum parentum inter Paradiſi arbores deambulaſſe, ut eam deſignaret arborem, in cujus ligno filius Dei in ſequentium ſæculorum progreſſu, ad Redemptionem noſtram conſummandam crucifigendus erat. En verba hymni Eccleſiaſtici.

D. Chryſoſt. Hom. 17. in Gen. — *Gen. 3 v. 8*

Hymn. Eccli.

De Parentis Protoplaſti fraude factor condolens
Quando pomi noxialis morſu in mortem corruit,
Ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.

In Incarnatione prævenit annunciationem Gabrielis.

3. Mox vero ut tempus illud in ſupremo Sanctiſſimæ Triados conſiſtorio præſcriptum appropinquavit, ut in terram deſcenderet, teſte Regio Pſalte: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam*, id eſt Gyganteis paſſibus non cucurrit, ſed volavit, ut ita dicam, ut nos à præcipitijs noſtris denuo ſublevaret. In ſacris Canticis eadem Dei in ſalute noſtra promovenda velocitas, his emphaticis verbis exprimitur: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus Capreæ hinnuloque cervorum.* Enimvero cervi, inter omnia animalia quadrupedia, ſunt velociſſimi; Et ideo filius Dei inſtar Cervi tranſilivit omnes Hierarchiarum Angelicarum montes & colles, ut ſine mora virginea ſubingrederetur clauſtra. Non expectavit donec S. Gabriel à Deo ad virginem miſſus, ut cum eadem de incarnatione ejus negotiaretur, in cœlos reverſus fuiſſet, ſed ſubito poſtquam illa dixit: *Fiat mihi, &c.* Filius Dei in ejus utero incarnatus fuit. Unde Doctor Angelicus in catena ita ſcribit: *Jam autem erat cum virgine, qui ad virginem mittebat Angelum, & præceſſit nuncium ſuum.* Magnus quoque Angelici Doctoris Præceptor hac de re ita ſcribit: *Sed mirum admodum eſt de dictis Angeli, prævenit ad ſalutandam virginem ex Domini ſui parte, & innuit præveniſſe Dominum, etiam ipſum celerem adventum nuncij*, ſiquidem B. Virginem ſalutando dixit: *Dominus tecum. Amanti enim omnis velocitas tarda eſt, ideo reditum nuncij non expectat, qui renunciet de conſenſu.* Et verò quidnam Regium Prophetam dicere voluiſſe exiſtimas, quando ait: *Inclinavit cælos, & deſcendit?* Audiamus Genebrardum dicentem: *Celeritatis ſtudio non eos aperuit ad deſcendendum, ſed inclinavit ſecum, & in terras traxit.* Mellifluus Bernardus ad prædicta Canticorum verba alludens ait: *Saliens in montibus, & tranſiliens colles; Denique tranſiliit & Gabrielem, & pervenit ad virginem, eodem Angelo teſtante: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quid? Quem modo reliquiſti in cælo, nunc in utero reperis? Quonam modo? Volavit, & volavit ſuper pennas ventorum. Victus es O Archangele, tranſiliit te, qui præmiſit.*

Pſal. 18. v. 6 — *Cant. 2. v 8* — *S. Thom. in Caten.* — *Alb. Magn. ibid.* — *Pſ. 17. v. 10* — *Genebrard.* — *S. Bern ſer. 53. in Cant.*

Vix natus acceleravit operari noſtram ſalutem.

4. Quam ſolicite in lucem prodierit in nativitate ſua, ut pro nobis patiens æterno Patri nos reconciliaret, ex eo deduci poteſt, quod in eodem puncto temporis, in quo poſt ejus conceptionem novem abſoluti fuere menſes, nec quidquam tardaverit, nequidem unico momento; Subito autem ut in hunc mundum natus fuit, miraculoſam quamdam ſtellam ad genus humanum accerſendum ſuper ſtabulo Bethlehemitico promicare fecit, treſque Reges magos qui omnes præfigurabant gentes, in brevi tredecim dierum ſpatio per difficillimum, & prolixum iter ad ſe accelerare voluit; Siquidem inter *vidimus ſtellam ejus in Oriente*, & inter, *venimus*, nullum tempus intermedium admiſerunt. Paſtores quoque qui Hebraiſmum repræſentabant, *venerunt feſtinantes.* Sapiens vero in Proverbijs ait: *Vidiſti hominem velocem in operibus ſuis, coram regibus ſtabit*; Quod de hiſce paſtoribus Bethlehemiticis proprie verificatur, ſiquidem paſtores illi præ Regibus primatum habuerunt, quia Chriſtum Dei filium ante Reges adorarunt, imo coram illo Monarcha, in cujus fœmore ſcriptum eſt; *Rex Regum & Dominus Dominantium*, honorifice ſteterunt. Porro quanta cum celeritate unuſquiſque ſuam debeat operari animæ ſalutem Chriſtus Dei filius in multis quoque alijs occaſionibus nobis demonſtrare dignatus fuit. Et quidem in primis audieritis utique ſæpius dubium illud, cur Chriſtus ad redimendum univerſum genus humanum in terram veniens, humanitatem ſuam potius ex populo Hebræo aſſumere, ſuoſque natales in Palæſtina potius ſortiri voluerit, quam in quacumque alia mundi parte? Et quidem ut multas prætercam reſponſiones, quæ pro hujus dubij ſolutione adduci poſſent, mihi magis placet, noſtroque propoſito aptius defervit illa, quam S. Irenæus in hæc verba tradit: *Ideo Chriſtus naſcitur in Judæa, & non in gentibus, quia gentilitas carebat circumciſione, & ideo in Judæa oſtentat gloriam ſuam in primordio nativitatis ſuæ in effuſione ſanguinis.* Quia enim, ut Apoſtolus ait: *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, ideo qui ad abolenda peccata incarnatus fuerat, quod per pretioſiſſimi ſanguinis ſui effuſionem adimpleri debebat, inter Judæos naſci voluit, ut vix natus in circumciſione ſanguinem ſuum fundendo, noſtram omni cum ſolicitudine operaretur ſalutem, & redemptionem. Unde ubi vulgata noſtra legit: *In laboribus à Juventute mea*; Aliæ verſiones loco *in laboribus* alia ſubſtituunt participia majoris pœnalitatis expreſſiva; Aliqui enim legunt *moriens à juventute mea*, alij vero vertunt, *moribundus, ſive agonizans à puero.*

Matth. 2. 2 — *Luc. 2. v. 16* — *Prov. 22. 29*

Quare Chriſtus humanam naturam potius ex Hebræis, quam alia gente aſſumere voluerit.

S. Iren. lib. 3. cap. 7. — *Pſ. 87. v. 16*

Chriſtus adhuc in utero virginis feſtinavit ad opus redemptionis noſtræ.

5. Obſervandum quoque, Iſaiam ſequens audiviſſe à Deo imponi mandatum: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.* At vero quisnam liber hic grandis fuit? Certe non alius, quam ille de quo S. Matthæus ait: *Liber generationis Jeſu Chriſti.* Quinam vero primi characteres huic libro inſcribendi erant? Hæc nimirum verba: *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare, &c.* Ubi idem Propheta paulo poſt ſubjungit: *Antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci*, quaſi clarioribus verbis Propheta dicere voluiſſet: Antequam puer putativum Patrem Joſeph, & matrem ſuam oculis corporeis vidiſſet, id eſt, quando etiamnum in utero materno recluſus latebat, properavit ut vires Tyranni infernalis (qui per Damaſcum denotatur, quæ civitas erat populo electo inimica & adverſaria) penitus enervaret. Quod ſi vero hujus veritatis evidens aliquod argumentum videre deſideretis, audite S. Lucam Evangeliſtam, qui poſtquam legationem à Deo pro incarnatione verbi in Nazareth expeditam enarraſſet, immediate ſubjungit iter, quod B. V. Maria Chriſto Gravida ad S. Eliſabetham inſtituit. En verba ſacri Evangeliſtæ: *Et diſceſſit ab illa Angelus, Exurgens autem... Maria abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth; Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto:* Ecce tibi cauſam accelerationis, qua B. Virgo filio ſuo ad hoc iter inchoandum extimulata fuit, ad ſanctificandum in utero materno Joannem Baptiſtam, eumque à peccato originali emundandum. Pulchre quoque Carthuſianus ſupra *Ly exurgens*, advertit, quod exurrexerit *à loco orationis*, quaſi immediate poſt annunciationem ab Archangelo de myſterio incarnationis factam ſine ulla interpoſita mora temporis expedite, & celeriter iverit,

Iſaiæ 8. 1. — *Matth. 1. v. 1.* — *Iſaiæ 8. 1.* — *Ibid. v. 4.*

B. V. eadem ratione feſtinavit ad domum Eliſabeth.

Luc. 1. v. 38 — *Ibid. v. 40.* — *Ibid. v. 41.* — *Dion. Carth.*

iverit, *ſtatim cum Deo Unigenitum concepiſſet, abijt in montana, id eſt in loca alta, montoſa, & aſpera*, ſciens quod de bello peccato inferendo ageretur, propter quod filius Dei è ſinu paterno in uterum virginalem deſcenderat, ac proinde *abijt cum feſtinatione.*

Parabola filij prodigi applicatur ad celerem reſipiſcentiam peccatoris.

6. *Accelera, &c.* Neſcio an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod incarnata ſapientia in parabola de filio prodigo ab eadem compoſita, emendationem & pœnitentiam, quam impius reſipiſcens ordiri debet, delineare nobis volens, ſimul etiam celeritatem inſinuaverit, quæ tam ex parte pœnitentis, quam ex parte ejus qui pœnitentem excipit, neceſſario requiritur. Subito enim poſtquam diſſolutus hic filius à gratia excitante illuſtratus fuit (*in ſe autem reverſus*) non verbis, ſed factis reſpondit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei; Pater peccavi*; Et quidem tametſi ſacer textus jam ante dixiſſet: *Peregre profectus eſt in regionem longinquam*, nihilominus haud ſecus ac ſi alis inſtructus fuiſſet, ſubito rediens prope domum paternam viſus fuit; Nec minus admiranda eſt promptitudo patris filium ſuum reſipiſcentem benigne recipientis, in qua prompta præfiguratur Dei miſericordia, quæ velociſſima eſt in ſubveniendo illis, qui ad ejus ſubſidium pariter prompte confugiunt. Dicit enim ſacer textus: *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus; . . . Dixit autē pater ad ſervos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, &c.*

Luc. 15. v. 17 — *Ibid. v. 18.* — *Ibid. v. 13.* — *Ibid. v. 20.* — *Ibid. v. 22.*

Similiter converſio Zachæi.

7. Zachæus caput erat Publicanorum (*Princeps Publicanorum, & ipſe dives*) habitabatque in Jericho civitate olim à Deo maledicta; Volens autem Salvator hunc filium Dœmonis in Abrahæ adoptare filium, ſimul etiam hac occaſione hanc nobis inſinuare voluit ſolicitudinem, qua noſtram inſtituere debemus converſionem. Dicit enim ſacer Evangeliſta Lucas: *Præcurrens aſcendit in arborem...Suſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere, Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens*; Quia vero Zachæus ille omnibus fidelibus, velut veræ converſionis ſpeculum, ſervire debebat, ideo obſervandum eſt, quod reſtitutionem rei alienæ nequidem per unicum diem diſtulerit, ſed in tempore præſenti dixerit: *Reddo quadruplum*; Neque facultates ſuas pauperibus diſtribuere, in tempus futurum diſtulit, ſed de facto eas illis diſpenſaverit, ipſomet dicente: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*, non ait: *Dabo*, ſed *do*, ac proinde audire à Chriſto meruit: *Hodie ſalus domui huic à Deo facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.*

Luca 19. 2. — *Luc. 19. v. 4* — *Ibid. v. 5.* — *Ibid. v. 6.* — *Ibid. v. 8.* — *Ibid. v. 8.* — *Ibid. v. 9.*

S. Petrus proponitur nobis in exemplum accelerationis pœnitentiæ.

8. Porro claves regni cœlorum, id eſt, peccata remittendi poteſtatem, non S. Joanni, qui puerilem ſemper conſervavit innocentiam, ſed S. Petro conſignavit, quem ipſum abnegaturum eſſe prævidebat, idque hoc fine fecit, ut ad turpem lapſum ſuum ſe reflectens, ad compatiendum peccatoribus tanto redderetur facilior; Notandum vero eſt, quantum Chriſto cordi fuerit, ut ipſum expedite, & ſine mora faceret reſurgere; Quod S. Thomæ Apoſtolo minime præſtitit, hanc enim in reſurrectionis ſuæ incredulitate per octo dies obſtinate perſeverare permiſit. *Vidit in te Dominus*, inquit de Sanct. Petro S. Leo Magnus, *Non fidem fictam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam, abundabat fletus, ubi non defecit affectus*; Etenim cum cœleſtis Magiſter ipſius eum ſuis oculis vixdum aſpexiſſet, ſine mora *Sanctus Petrus egreſſus foras flevit amarè.* S. Maximus circa converſionem S. Petri, hanc habet conſiderationem: *Citius Apoſtolo, quam protoplaſto ſubvenitur. Nam ad auram poſt meridiem* Deus primis parentibus in paradiſo terreſtri apparuit, hic autem priuſquam aurora promicaret, id eſt in eadem nocte, qua Petrus Chriſtum negaverat, Chriſtus Petri emendationem operatus fuit, quia peccatoribus, velut norma & methodus à peccatis reſurgendi ſervire debebat, eoſque ſuo exemplo docere, quanta cum velocitate contractas peccatorum maculas fletu & ejulatu ſuo eluere & abſtergere debeant. Subdit idem S. Maximus: *Hanc etenim Deus ad veſperam requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam reus facti, nudus erubuit; Petrus conſcius delicti correptus ingemuit. Ille tamquam deprehenſus feſtinat ad latebras, hic tamquam emendatus prorumpit ad lachrymas.* Verum enimvero ex quo paſſionis mentionem fecimus, priuſquam ad alia digrediamur, prætereundum non eſt, quod *ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, moræ temporis illius, in quo hoc complendum erat, pertæſus dixerit: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur?* Similiter ad traditorem ſe convertens, eidem dixit: *Quod facis, fac citius.*

S. Leo Magn. ſer. 4. de Paſſ. — *Matth. 26. v. 75.* — *S. Maximus Hom. 3. de Pœnit* — *Gen. 3. v. 8.* — *Joan. 13. v. 1* — *Luc. 12. 50* — *Joan. 13. 27*

Quare præceperit Deus agnum paſchalem manducandum cum feſtinatione.

9. Inter alios ritus, quos Deus in exodo circa manducationem agni paſchalis præceperat, unus hic erat: *Comedetis feſtinanter.* At vero ex quo feſtina comeſtio ſanitati noxia eſt, utpote quæ indigeſtionem cauſat, quamobrem Deus hanc in comedendo celeritatem præcepit? ſimiliter cur manducantes præcinctos eſſe, baculumque veluti actualiter peregrinantes manibus tenere juſſit. Circa hunc ritum S. Gregorius ait: *Notate, quod dicit feſtinanter, mandata Dei, myſteria Redemptoris, cæleſtis patriæ gaudia cum feſtinatione cognoſcite, & præcepta vitæ cum feſtinatione implere curate.* Quanta igitur major à nobis requiretur celeritas, ut ab inferni vinculis, quibus anima in peccato mortali conſiſtens, conſtricta eſt, pedem eruamus? Verum ut ad propoſitum noſtrum revertamur, quis eſt qui neſciat agnum paſchalem Chriſtum in ſua paſſione proprie præfigurare, dicente Eccleſia in hymno paſchali: *Ad cœnam agni providi, & ſtolis albis candidi, poſt tranſitum maris rubri, &c.* Hæc autem Redemptionis noſtræ expeditio, de qua illo in hymno agitur, ſumma cum ſolicitudine ab eodem peracta fuit, quia de nobis è ſervitute Diabolica redimendis agebatur. Quod ſi oppoſueris, Chriſtum in principio paſſionis ſuæ triſtem, & mœſtum fuiſſe, ipſomet teſte, dum ait: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe*; Reſpondeo cum S. Ambroſio: *Sub tempore mortis mæſtitiam prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ Redemptionis aſſumpſerat, juxta quod ſcriptum eſt: Baptiſmo etiam habeo baptizari, & quomodo angor uſque dum perficiatur?* Quamnam exiſtimas fuiſſe cauſam, quod cum in paſſione ſua tot fuerit oneratus impoſturis, & licet Pilatus in favorem ipſius, ejus nimirum volens manifeſtare innocentiam eum, ut reſponderet, extimularit, ipſe tamen veluti mutus, ne verbum in ſui defenſionem protulerit, *ita ut miraretur præſes vehementer?* Hugo Cardinalis dubium hoc ſolvit inquiens: *Non aperuit os ſuum coram Pilato, & Herode, pauca enim reſpondit, ne differretur ſalus humani generis.* Similiter cum vix animam expiraſſet, ſubito in ſinum Abrahæ deſcendere properavit, ut animas è carceris illius ergaſtulo eximeret, ſubito etiam poſtquam reſurrexit, eodem die Apoſtolis ſuis peccata remittendi poteſtatem dedit, utpote pro quibus paulo ante pretium Redemptionis exolverat, ſimiliter quando ſanctiſſimum Spiritum ſuum, ut animas donis & gratijs ſuis cœleſtibus ſanctificaret, in ſigno viſibili ſuper Apoſtolos miſit, eumdem cum celeritate ſumma advenire voluit: *Factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis*, ut illos qui eum recepturi erant, doceret, quanta cum ſolicitudine ſua illi corda pandere deberent.

Exod. 12. 11 — *S. Greg. Hom. 22. in Evang.*

Chriſtus opus noſtræ redemptionis acceleravit.

Matt. 26. 38 — *Ibid. v. 37.* — *S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 12.* — *Matth. 27. v. 14.* — *Hug. Card.* — *Act. Apoſt. 2. v. 2.*

Hinc concluditur quod etiam nos converſionẽ noſtram accelerare debeamus.

10. *Accelera.* Ex quo igitur Salvator noſter (qui noſtrum nec quidquam indiget, dicente Pſalmiſta: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*) adeo velox eſt ad ſubveniendum animabus noſtris, eaſque à peccatorum onere, tanta cum celeritate ſublevat, numquid merito reprehendenda eſt noſtra pigritia & inertia, qua pedes noſtros ex inferni compedibus eximere tardamus? *Utinam tam cito peccator homo reſurgat ad pœnitentiam, quam cito Deus etiam vult definitam mutare ſententiam*, inquit S. Auguſtinus. *Audi ipſum Dominum per Prophetam ſpem maximam humano generi promittentem: Repente, inquit, loquar ad gentem, & pro peccatis ſuis faciam eis malum, & ſi pro iniquitatibus ſuis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam ſuper malo quod cogitavi ut facerem eis, & non faciam.* Conſideratione digniſſima eſt hiſtoria illa, quæ in actibus Apoſtolicis cap. 17. legitur. Etenim ſonora illa Spiritus Sancti tuba S. Paulus Apoſtolus æternas in Areopago Athenarum annunciabat veritates, in illa nimirum concione, quam S. Lucas ibidem ad unguem recenſuit; In qua magnum illud Eccleſiæ lumen S. Dionyſius Areopagita, nec non alia quædam mulier Damaris nomine, & pauculi quidam cum ipſis ad fidem converſi fuerunt: Plurimi vero alij, qui etiam eumdem auſcultarent, & ab eodem, ut veriſimile eſt, convicti fuerant, tempus deliberandi ſibi aſſumpſerunt, an ſcilicet illis Baptiſmum ſuſcipere conveniret, unde dicebant. *Audiemus te de hoc iterum; Sic Paulus exivit de medio illorum.* Ubi clare vide-

Pſ. 15. v. 2. — *S. Aug hom. 102. de temp.* — *Act. Apoſt. c. 17. v. 32.*

ſent,

Psal. 118 v. 105. — Luc. 10. 4 — S. Greg. hom. 17. in Evang.

tur, quod quia viri illi Athenienses recepto ex illa Apostolica prædicatione lumini (*Lucerna pedibus meis verbum tuum*) cooperari distulerunt, ideo deinceps in ignorantiæ & infidelitatis suæ tenebris semper remanserint, nec umquam resipuerint. Ex libris Regum constat Giezi quando ad resuscitandum puerum ab Elisæo Propheta missus fuit, ab eodem jussum fuisse, ne quempiam per viam salutaret; Quod idem præceptum Christum Apostolis suis imposuit, dicens: *Neminem per viam salutaveritis.* Minime vero credendum est sive Christum, sive Elisæum bonos voluisse prohibere mores, quia ut quidam valde illuminatus Dei servus dicere solebat, qui moribus non est præditus, omni est Spiritu destitutus, potius igitur in illa prohibitione solicitudo & accelleratio exprimitur, qua procuranda est alterius periclitantis salus. Unde sanctus Gregorius ait: *Per viam neminem salutare conceditur, ut sub quanta festinatione iter prædicationis peragi debeat, ostendatur;* Eadem vero solicitudo etiam in ijs qui prædicatores auscultant, vel maxime requiritur.

DISCURSUS XXVI.

ARGUMENTUM.

Deus ætatis nostræ primitias quærit, & ideo male faciunt, qui ad senectutem usque pœnitentiam differunt.

THEMA.

In bono sit cor tuum in diebus Juventutis tuæ. Eccli. 11. ℣. 9.

Eccli. 15. 21 — Apoc. 14. 13 — In juventute ad bene operandum assuescamus, & pœnitentiam in senium non differamus. — Galat. 6. 10 — S. Cyrill. Alex. orat. de exitu animæ.

1. CUm vitæ nostræ spatium omnino sit incertum, ex alia vero parte indubitatum sit, quod ut supra ex Ecclesiastico diximus, *Nemini dedit spatium peccandi*, consequens est, quod cum per opera bona salvandi simus (*opera enim illorum sequuntur illos*) si tanti momenti negotium, id est, salutem nostram, assecurare volumus, nequaquam illam in maturam usque ætatem differre debeamus, quia an ad illam perventuri aliquando simus, prorsus ignoramus; *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum; in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ. Qui dicunt; Peccemus in juventute*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *Et in senectute ad meliorem sensum redibimus, ij à Dæmonibus illuduntur, ac deridentur, quoniam qui ultro peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis dementantur.* Et quidem tametsi etiam impij peccatores ad ætatem senilem pertingerent, illorum tamen emendatio, non solum illis tunc futura esset difficilior, ob malum habitum contractum, verum insuper, ut Episcopus Bellovacensis advertit: *Diabolus difficulter dimittit, quod diutius possedit.*

Bellovac. spec. mor. l. 3 dist. 2. p. 6. — Malach. 1. v. 14. — Maledictioni subjacet qui juventute in peccatis transacta, conversionē differt in senium. — D. Chrysost. hom. 8. ad Hebr. — Matth. 25. v. 34. — Malach. 1. v. 14. — Talium figura fuit Cain. — Gen. 4. v. 3. — S. Bernardus. — Invectiva contra tales procrastinatores. — Joan. 15. 1 — Isaiæ 5. 4

2. Malachias Propheta protestatur inquiens: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*; Quasi diceret, æternam expectat maledictionem, qui id quod in grege suo deterius est, id est annos ætatis suæ deteriores, Deo offert; Ætas enim senilis juvenili deterior est, tum ob consequentes senectutem naturales defectus, tum quia ob malos diuturno tempore in vitijs contractos habitus ad veram pœnitentiam agendam inhabilis efficitur; Unde bene D. Chrysostomus ait: *Neminem pilus albus salvat*; Ubi bene notanda est dictio illa *neminem*. Qua enim ratione sperare potest, auditurum se esse: *Venite benedicti, &c.* qui usque ad ætatem senilem conversionem suam differt, cum tamen æternæ veritatis verbum esse sciat: *Maledictus, dolosus qui habet, &c.* Primus inter homines reprobus ad æternam damnationem viam sibi stravit, quia illorum fuit typus, qui quod deterius est bonorum suorum, Deo offerunt, id quod ex sequenti loquendi modo clarè deducitur: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus, &c.* scilicet de fructibus annosis, obsoletis, emarcidis, non vero primitias, quales Deus requirebat, & ideo à Deo acceptati non fuerunt. Merito contra ejusmodi impios homines S. Bernardus suo tempore exclamabat: *Quid facitis Juvenes, qui flores juventutis vestræ offertis Diabolo, & faces senectutis vestræ Deo? Securius esset cum Abel primitias Deo offerre juventutis dicentes; Mane astabo tibi; in matutinis meditabor in te.* Porro anima nostra per vineam præfiguratur, quæ pluribus modis ab eo excolitur, qui ait: *Pater meus agricola est; Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Sicut igitur præscindi & radicitus evelli mererentur vites illæ, quæ Domino suo solum illud producerent vinum, quod è fæcibus exprimitur, vinum vero bonum & sincerum inimico ipsius parerent, ita quoque vitium ad ignem infernalem præscindi & amputari merentur illæ animæ, quæ Deo annorum suorum fæces, id est senectutem reservant, datis Dæmoni annis melioribus; Unde Deus ipse apud Michæam in hæc verba lamentatur: *Væ mihi quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.* Et apud Malachiam idem Deus conqueritur dicens: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum nonne malum est?* Et paulo post sequens lamentum subjungit: *Intulistis de rapinis claudum & languidum, & intulistis munus. Numquid suscipiam illud de manu vestra dicit Dominus.* D. Chrysologus ait: *Cain Deo parva, à quo totum perceperat, ingratus pontifex sic divisit, ut quod erat pessimum hoc adoleret altari, quod erat optimum in suam reservaret offensam.*

Mich. 7. 1 — Malach. 1. 8 — Ibid. v. 13. — D. Chrysol. ser. 109.

Abel figuravit illos qui primitias ætatis offerunt Deo. — Gen 4. v. 4 — S. Aug ser. 7. ad Fratr. — S. Basil. orat. 4. de Pœnit.

3. Sacer textus de innocente Abel, qui animarum electarum generis humani primitia fuit, inquit: *Abel obtulit de primogenitis gregis sui*, ac proinde illorum est typus, qui ad Dei servitium meliores, & florentiores ætatis suæ annos deputant & dedicant; De alijs vero S. Augustinus ait: *Satis alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat. Metuendum est, ne dum sperat misericordiam, incidat in judicium, non enim tunc veniet, qui modo aptum veniæ tempus perdidit. Ibi à Deo non potest mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod jussit.* S. Basilius Magnus in Orat. 4. de Pœnit. homini pigro conversionem suam in ætatem maturam & decrepidam differenti in hæc verba improperat: *Quid facis O homo? Cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis, ubi vero labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum jam illorum nullus sit usus, sed necessario languent & torpeant, ob longi temporis tabem firmitate ac robore eorum dissoluto.* Idem pariter aliam adducit rationem, à nobis in discursibus præcedentibus relatam, videlicet: *Si vitio ætatis cessas à peccatis imbecillitati hoc est acceptum ferendum. Nos eos in cælum ferimus, qui ex industria boni sunt, non qui ab aliqua necessitate, ne mala perpetrent, prohibentur.*

Columba est figura pœnitentis, Corvus vero illorum qui pœnitentiam semper differunt. — Alcuin. lib. de vit. & virt. — Luc. 7. 14 — Simon de Cassia. ibid. — Hug. Card.

4. Columba, quæ gemebunda est, & gemitu loco cantus utitur, symbolum est animæ pœnitentis, sicut econtra corvus, quo loco cantus, Cras, cras, crocitat, typus est illorum, qui bona proposita sua de die in diem adimplere differunt. Ex his vero duabus volucribus columba ad arcam redijt, non corvus. *Omnia in figura contingebant*; Nam ut Albinus alcuinus Venerabilis Bedæ discipulus scribit: *Corvus non redijt ad arcam, columba rediit, si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa, satis alienus es à fide, qui ad pœnitentiam tempus senectutis expectas.* Valde notanda sunt verba illa Christi Redemptoris nostri: *Adolescens tibi dico surge*, his verbis dicere enim voluisse videtur, quod homo in adolescentia, dum adhuc Juvenis est, sperare possit, quod ad veram gratiæ vitam sit resurrecturus; Porro Lazarum resuscitaturus, proprio nomine è sepulchro evocavit, cur igitur non etiam adolescentem proprio nomine, sibi optime noto, appellare voluit? Simon de Cassia sequentem illius assignat rationem, inquiens: *Non nomine proprio, sed ætatis eum nominans ab inferis revocat, innuens, quod ætas est aliquando in culpa, fervet in juvenibus sanguis, cum depravatur ad omnia.* Hugo Cardinalis huic rationi aliam sequentibus verbis adjungit; Videlicet *ut innuatur quod inveterati in peccatis vix resurgunt; Juventute freti se vitijs & delectationibus tradunt:* inquit Didacus stella, *putantes se postea pœnitentiam acturos.*

Job. 14. 15 — S. Vincent. Ferer. ser. 5. de Epiphan. — Job in ætate florida obedivit Voci Dei. — S. Isid. lib. 10 cap. 2.

5. S. Vincentius Ferrerius super illa verba Jobi: *Vocabis me, & ego respondebo tibi*, pulchram habet reflectionem; Existimat enim hanc vocationem Jobo accidisse in ætate florida, eique illum subito respondisse, metuens ne si postea in maturiori ætate ab eodem vocaretur, surdis forte auribus vocationem excepturus fuisset, siquidem illi qui simul cum annis in vitijs consenescunt, surdi esse soleant, tam quoad aures exteriores, quam quoad internas, ideo Prædicatores quoad illos parum admodum proficiunt. Unde S. Isidorus ait: *Senes autem quidam dictos putant à sensus diminutione, eo quod jam præ vetustate desipiant.* Ac proinde quam sunt stolida illorum consilia, qui pœnitentiam

Apta similitudo. — S. Cæsar. Arelat. hom. 6. — S. Thom. de eradit princip. l. 5. c. 8. — S. Thom. ibid. — Boët. l. 4. de Consol. — Eccli. 10. 11.

tentiam agere in illud usque tempus procrastinant, in quo adeo ad illam faciendam sunt inepti, cum pœnitentia pro securitate animæ *totum hominem* requirat? Unde S. Cæsarius Arelatensis inquit: *Tu homo sapiens inter ista omnia considera; si justum est, ut per totam vitam tuam, vitijs, & peccatis servias, & ad acquirendam vitam jam semivivus assurgas. Numquid tibi hoc fieri vis à servo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis serviat & cum ad senectam venerit, tunc ad tuam servitium redire velit? Quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum, ut facias Domino tuo; Cum tamen multos noverimus, cum sani essent, frequenter dixisse, pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamen quia illam statim agere noluerant, sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt.* S. Thomas id quod experientia quotidie nos docet, his verbis insinuat: *Plures moriuntur ante senectutem, quam senes; Plures pelles agnorum feruntur ad forum, quam ovium.* Unde manifeste sequitur, quod major pars hominum spe sua frustretur, dum ex hac vita sine peracta pœnitentia migrare coguntur. Idem Angelicus Doctor paulo ante dixerat: *Notandum quod vitæ longæ repromissio est causa multoties, quod adolescens non serviat Deo.* Ejusdem quoque Doctoris Angelici verba sunt ex eodem cap. 8. desumpta, quæ sequuntur: *Qui Deum contemnit in juventute multum potest timere, ne ipse contemnatur à Deo in senectute.* Quanto enim quis diutius peccato insordescit, tanto majus erga virtutem concipit odium, & aversionem à Deo, in ejusque ossibus vitium magis corroboratur. Unde Boëtius inquit: *Si nequitia miseros facit, miserior est diuturnior nequior.* Ecclesiasticus cap. 10. v. 11. inquit: *Languor prolixior gravat medicum, brevem languorem præscidit medicus.*

Matth 13. v. 45. — Aptissima similitudine perstringuntur procrastinantes pœnitentiam in senium. — 2. Cor. 4. v. 7. — Luc. 19. 13. — Ps. 37. v. 5. — Ps. 118. v. 9. — S. August.

6. *In bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ.* Salvator noster Regnum cœlorum negotiatori simile esse dicit (*Simile est regnum cælorum homini negotiatori*) Et vero si negotiator quispiam nundinas frequentans, ad easque magni pretij merces deferens, duos haberet equos, quorum unus exulceratus, languidus, & fere claudus ambulare non posset, & frequenter cespitans merces sibi impositas se labente fractionis, vel destructionis periculo prostitueret, & tamen hoc metu non obstante quidquid habet mercium pretiosarum eidem languido equo superimponeret, alioqui vigorosior est, sine onere, imo & sine sella & fræno relicto, secumque in societate alterius equi ad easdem nundinas perducto, numquid talem vel merces suas minime curare, vel omni prorsus judicio destitutum, & stultum esse diceres? Porro homo quamdiu in præsenti vita degit, nullum habet anima pretiosiorem thesaurum (*Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*) cum eodemque thesauro Deus nos quamdiu in hac lachrymarum valle respiramus, strenue negotiari, & insignia lucra nobis comparari voluit (*Negotiamini dum venio*) Dum autem & ex hac miseriarum valle, ad cœlestis patriæ nundinas homo proficiscitur, duos, quibus uti possit, præsto habet equos, quorum unus vigorosus, est hominis juventus, & virilis ætas; Alter vero debilis, est senectus: Nos autem juventutem, tamquam equum indomitum sine fræno, & sine ullo imposito onere circumducimus, & debilem senectutis equum cum tanto pretiosissimi præfati thesauri discrimine & periculo oneramus, & quidem tali onere, quo vix ullum dari potest onerosius, scilicet peccatis per totam vitam accumulatis, quæ tantum in se pondus continent, ut ne quidem ipsimet cœli, tametsi ex ære fusi videantur, unicum, superbiæ peccatum sustinere potuerint; Quod etiam pondus iniquitatum suarum David persensit, dum ait: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me*, quis igitur nos stultos esse non dicat, dum tam immensis ponderibus equum adeo languidum ac debilem, qualis est senectus onerare, ne dicam supprimere præsumimus. Regius Psaltes non sine mysterio quærit: *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos*, in juventute enim tempus est, ut homo humeros suos, quando etiamnum validi, & fortes sunt, divinæ legis jugo submittat. S. Augustinus circa prædicta Psalmistæ verba ait: *Neque ullo modo dicenda est vita correcta, quamdiu est vita perversa; Sed quid sibi vult iste Junior? Potuit enim dicere: In quo corrigit homo vitam suam; Aut in quo corrigit vir viam suam, &c. Numquid desperandus est senior? An forte admonitio est, quæ ætate potissimum fieri debeat, secundum illud quod scriptum est alibi. Fili à juventute tua excipe doctrinā, & usq; ad canos invenies sapientiam?*

Jud. 13. v. 5. — S. August. tom. 4. l. 7. in Jud. q. 52. — A pueritia & juventute debemus nos applicare servitio Dei. — Prov. 22. 6. — Matth. 20. 2. — Ps. 70. v. 16. — Ibid. v. 17. — Eccli. 25. 5. — Prov. 8. 17. — Deut. 33. 25. — Galat. 6. 8. — Ibid. v. 9. — Matth. 13. v. 30. — Matth. 7. 16.

7. In libro Judicum, ubi Samsonis prædicta fuit nativitas, hoc quoque de eodem pronunciatum est vaticinium: *Erit Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & incipiet liberare Israël.* Sed audiamus S. Augustinum circa hanc historiam in hæc verba disserentem: *Quid ait eadem mulier, dictum sibi esse ab Angelo, quoniam Nazaræus Dei erit puer à ventre; Usque ad diem mortis suæ non legitur ab Angelo dictum.* Quonam igitur mysterio mulier illa hæc verba: *Usque ad diem mortis suæ*, adjecit, supra id, quod ab Angelo prædictum fuerat? Respondeo sanctam hanc mulierem superiori lumine illustratam probe intellexisse, quod si puer iste à primis annis Dei servitio se applicaret, indubitatam consequentiam fore, quod usque ad ultimum spiritum in gratia perseveraturus esset, juxta illud: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Hi qui à Patrefamilias summo mane ad vineam excolendam conducti fuerunt, illos figurabant, qui à primis annis Dei servitio se dedicant: Hi autem de mercede accipienda dubitare non possunt, propter pactum inter ipsos & Patremfamilias initum (*Conventione autem facta*) omnium vero aliorum merces in Patrisfamilias discretione consistebat, quia cum illis pactum iniisse non legitur. David olim in Psalmo 70. dicebat: *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* O ingentem, quam David de seipso facit, promissionem, sed tamen adeo peregrina non est, cum suum solidum habuerit fundamentum, subdit enim idem Regius Propheta: *Deus docuisti me à juventute mea, & usque ad senectam & senium ne derelinquas me*; De alijs vero, qui neglecta juventute, Dei servitium usque in senium differunt, quærit Ecclesiasticus: *Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?* Non sine causa Deus per os Sapientis tempus declarat, in quo specialiter ab animabus devotis, profectusque sui spiritualis cupidis sit inveniendus, ait enim: *Qui mane vigilant ad me, invenient me*; Tempus autem matutinum cum sit diei principium, juvenilem præfigurat ætatem; At vero quamnam inde sibi comparabunt utilitatem? In Deuteronomio dicitur: *Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua*; Quando enim homo in timore Dei à juventute vivere incipit, ut plurimum in eodem, in ijsdemque virtutis periodis, ad finem usque vitæ perseverat. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet; Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam; Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus.* Quod si tu eo tempore, quod seminationi instituendæ opportunum erat, intermisso labore voluptatibus vacaveris, agrosque tuos colere neglexeris, quomodo tempore mortis, quod tempus messis est, sperare poteris te auditurum esse: *Triticum autem congregate in horreum meum?* Utique ager tuus in hora mortis nihil aliud protulerit, nisi zizania, spinas, sentes, lolia, &c. quæ ad nihil aliud, præterquam ad ignem deserviunt; *Numquid enim colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?*

Matth. 3. 10. — Mystica arboris hominis radix, est ipsius juventus. — Ibid. v. 10. — Job 20. 11. — Job 7. v. 21.

8. Sanctissimus Præcursor & Baptista Christi Joannes, impijs ex parte Dei juste promerita supplicia comminari volens dicebat: *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Sed quærendum venit, cur potius securis ad radicem amputandam, quam ad truncum vel ramos detruncandos posita fuerit? Quod si enim tota arbor nullum ex se fructum protulerit, quid culpæ in radice erat, quæ nutritivum humorem suum in omnes arboris ramos transfundebat? Respondetur per arbores homines præfigurari male viventes, juxta illud: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* At vero quænam est arboris hujus mystica radix? Nimirum prima hominis ætas, illiusque juventus, si enim hæc in primis annis bene educata non fuerit, in progressu quoque annorum, omnem in totam arborem malitiam transfundet, eritque causa cur rami fructus non afferant: Ac proinde S. Job ait: *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient*; Atque hæc causa est, cur Deus hanc radicem amputet, mortemque homini in juventute immittat. Unde idem patientissimus Jobus dicebat: *Si mane me quæsieris, non subsistam*; Major enim hominum pars à viginti quinque annis deficit, ut quotidiana nos docet experientia; Unde manifeste convincitur, inexcusabilem esse stoliditatem & stultitiam illorum, qui circa ætatem

tem futuram conſilia ſua formant, maxime ſi ſuper illa tam incerta ætate ſuam velint fundare æternam ſalutem; *Dum tempus habemus, operemur bonum*, id eſt, de tempore præſenti noſtras inſtituamus rationes & conſilia. Multi quidem ſibi in complexione robuſta confidunt, at vero & hæc fallaciſſima eſt; Ac proinde Hippocrates ſcribit: *In morbis nimis periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori morbus magis affinis fuerit, quam hi quibus non affinis in aliquo horum exiſtit.* Fulmen ſemper ibi majorem vim exercet, ubi majorem reperit reſiſtentiam; Ita quoque, ut plurimum, in febribus malignis contingit, hæc enim in ijs qui juvenes & robuſti ſunt, peſtilentialiores exiſtunt.

Gal. 6. v. 10.

9. *In bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ.* S. Ambroſius ait: *Itaque & tibi tamquam Mariæ verbum Dei creſcat, ſapientia, & ætate proficiat. Quod ita fit, ſi omnia dicta juſtitiæ in corde cuſtodias, nec ſenectutis tempus expectes, ſed in prima ætate deſponſatam viro juſto ſapientiam ſine corruptela corporis tui cito conciptas, cito parias, cito nutrias. Vide mihi Paulum heſternum perſecutorem, hodie credentem, die craſtino prædicantem.* Audiamus à Doctiſſimo Bellovacenſi Epiſcopo eorum qui à primis annis in timore Dei vivere incipiunt, egregias prærogativas; Ita enim ſcribit: *Cura lucrandi bona plura, quæ proveniunt ex acceleratione converſionis*; Unde Threnorum 3. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Primum bonum quod inde provenit eſt, boni profunditas & tenacitas, quia quanto citius incipit, tanto profundius infigitur, ut radix arboris diutius ſervatur, quia quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu. Secundum eſt, bonitatis jucunditas, acquiſita ex conſuetudine longa. Tertium eſt, vivendi ſecuritas, quia ſecure vivit homo. Quartum eſt vitæ bonæ diuturnitas, quæ quanto citius incipit, tanto poteſt diuturnior eſſe bona, de omnibus alijs bonis vult homo habere majus bonum, quam minus. Quintum eſt ſervitij gratioſitas, priora enim bona ſunt gratiora, quam poſteriora, ut primitiæ fructuum. Sextum Eccleſiæ communicatio, quæ citius fit pœnitenti*; Sap. 8. *Scio quod communicabit mihi in bonis ſuis. Septimum majoris meriti accumulatio, quod eſt ex eo, quod diutius fuit in Dei ſervitio; Item major remuneratio.*

S. Ambroſ. tom. 3. l. 30. in Luc.
Prerogativę illorum qui à primis annis in timore Dei vivere incipiunt.
Bellov. ſpec. mor. l. 3. diſt. 2. p. 6.
Thren. 3. 27.

10. S. Gregorius ad præſens propoſitum de repulſa quam fatuæ virgines, ad nuptias ingredi contendentes, paſſæ fuerunt, in homilia quadam hæc in verba peroravit: *Preces offerunt, ſed neſciunt, quia tunc velut incognitos Dominus deſerit, quos modo ſuos per vitæ meritum non agnoſcit. Ubi aperte quoque generalis ad Diſcipulos exhortatio ſubinfertur, cum dicitur: Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. Quia poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam poſſumus prævidere. Ecce hunc ipſum diem, de quo loquitur ad inducias converſionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus, flere recuſamus. Non ſolum commiſſa non plangimus, ſed etiam quæ defleantur, augemus. At ſi aliqua nos ægritudo corripiat, ſi ſigna ægritudinis vicinam mortem denuncient, inducias vivendi quærimus, ut peccata noſtra defleamus, & eas cum magno æſtu deſiderij petimus, quas acceptat modo pro nihilo habemus.* Tandem ergo utiliſſimam hanc materiam, ſequenti concludamus Exemplo, utpote quod ijs qui in dilationem tantopere confidunt, omnem in cœlis aditum occluſum eſſe oſtendit, hoc igitur prædictus S. Pontifex in hæc verba proſequitur: *Rem Fratres chariſſimi refero quam ſi intentè audire vult Charitas veſtra, ex conſideratione illius vehementer inſtruitur. Quidam vir nobilis in Valeria Provincia; nomine Chriſaorius fuit, quem lingua ruſtica populus Chriſorium vocabat; Vir valde idoneus, ſed tantum plenus vitijs, quantum rebus. Superbia tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accenſus. Sed cum tot malis Dominus finem ponere decreviſſet, ſicut à Religioſo viro quodam qui nunc ſupereſt, propinquo illius didici, corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, eadem hora qua jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros, & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, ut ad inferni clauſtra ſe raperent. Cœpit tumere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum nomine Maximum, quem ipſe jam Monachus, Monachum vidi, nimijs & turbatis clamoribus vocare, dicens: Maxime curre; Numquam tibi mali aliquid feci, in fidem tuam me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens & perſtrepens familia convenit. Eos autem quos ſibi inſiſtentes ille graviter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant, ſed eorum præſentiam in confuſione, in pallore, ac tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pavore autem tetræ eorum imaginis huc illucque vertebatur in lectulo. Jacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumque conſtrictus nimis relaxari ſe jam poſſe deſperaret, cœpit magis vocibus clamare dicens, inducias vel uſque mane, ſed cum hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis evulſus eſt. De quo nimirum conſtat, quia pro nobis iſta, non pro ſe viderit, ut ejus viſio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros ſpiritus ante mortem vidiſſe, & inducias petijſſe quid profuit, qui eaſdem inducias quas petijt, non accepit? Nos ergo nunc ſollicitè iſta cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire.*

S. Gregor. hom. 2. in Evang.
Adhortatio ſeria ad maturandam pœnitentiã.
Terribile exemplum ad illam inducens.

TRACTATUS LXXXII.

DE PRÆDESTINATIONE

CONTINET

DISCVRSVS VIII.

DISCURSUS I. De Certitudine quoad noſtram Prædeſtinationem, cooperationi noſtræ conjunctam, deque incertitudine illius ex parte noſtra, hujuſque aliquæ aſſignantur rationes.

II. Præſcientiæ Dei infallibilitas in electione noſtra, libertati arbitrij noſtri nequaquam præjudicat.

III. Reprobi auxilia Dei reſpuendo, damnantur ob ſuam obſtinationem, in cujus exemplum Judas adducitur.

IV Librum vitæ unum immutabilem eſſe, alterum vero ſecundùm præſentem juſtitiam mutari poſſe oſtenditur.

V Hi qui dicere ſolent, *ſi ſum prædeſtinatus, ſalvabor ſine operibus bonis, ſi reprobatus, hæc inutilia erunt*, perſtringuntur, ſimulque oſtenditur, quod ſigna electorum eoſdem ad virtuoſe operandum aſtringant.

VI. Electionem ad gloriam à Deo ab æterno ex præviſis meritis factam eſſe oſtenditur illiſque S. Pauli verbis: *Jacob dilexi, & Eſau odio habui*, reſpondetur.

VII. An Deus ab æterno prius det gratiam, & poſtea gloriam, an vero è converſo, diſputatur, ſimulque oſtenditur, quod licet à gratia Dei noſtra dependeat Prædeſtinatio, in executione tamen noſtra bona opera requirantur.

VIII. Licet Deus majora gratię auxilia electis conferat, ob hoc tamen reprobi lamentari non poſſunt, juſta enim & occulta Dei judicia veneranda ſunt, non vero diſcutienda.

DISCUR-

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

De certitudine Dei, quoad noſtram prædeſtinationem cooperationi noſtræ conjunctam; hujuſque nonnullæ aſſignantur rationes.

THEMA.

Non rapiet eas quiſquam de manu mea. Joan. 10. ℣. 28.

Quid ſit prędeſtinatio.

1. COEleſtis Paſtor de ovibus ſuis (per quas electi denotantur) manifeſtè proteſtatur dicens: *Non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Porro S. Auguſtinus prædeſtinationem in hæc verba definit: *Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.* Diu vero ante S. Auguſtinum S. Apoſtolus ad hanc prædeſtinationis graviſſimam materiam alludens, S. Timotheo diſcipulo ſuo ita ſcripſit: *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Quem textum Chryſoſtomus, Theophylactus, & S. Thomas ad noſtrum propoſitum interpretantur; Ex quibus verbis pariter certitudo electionis deducitur, quæ in divina præſcientia fundatur, cui uſque in finem auxilia & gratiæ cœleſtes, noſtraque cooperatio nequaquam deſunt. Dicit igitur Apoſtolus: *Firmum fundamentum Dei ſtat*; At vero cuinam ſtabilitas hujus fundamenti innititur? *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*, quaſi diceret Apoſtolus, ſtabilitas hujus fundamenti in perfecta præſcientia & cognitione Dei fundatur, de qua Pſalmiſta inquit: *Alta à longe cognoſcit.*

S. Aug. l. de bono perſever. c. 14.
2. Timoth. 2. v. 19.
S. Chryſoſt. Theophyl. S. Thomas.
Pſ. 137. 6.

2. Porro obſervandum quod priuſquam Chriſtus diceret: *Non rapiet eas quiſquam de manu mea*, jam antea hæc verba præmiſerit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas*, quibus verbis non ſolum divina præſcientia, verum etiam noſtra cum auxilijs Dei facta cooperatio exprimitur; cum dicitur: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Præterea notandum eſt, quod ſanctus Apoſtolus non fuerit contentus Dei inſinuaſſe præviſionem, dicendo: *Cognovit Dominus*, ſed ſimul ex parte noſtra requiſiviſſe, ut cooperaremur, nam confeſtim ſubdit: *Et diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.*

Cooperandũ eſt pręſcientię Dei.
Joan 10. 27

3. S. Joannes Apoſtolus in Epiſtola 1. cap. 3. dicit: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Non quidem me latet, eumdem Evangeliſtam in Evangelij ſui exordio, de nativitate, & adoptione noſtra ſpirituali differentem dixiſſe: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et tamen quotidie experimur, quod ſpirituali hac generatione non obſtante, faciles valde ad peccandum ſimus, quomodo igitur in hac Epiſtola aſſerit: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit?* Ex hoc Labyrintho S. Bernardus nos eruit dicendo: *Scimus, quia qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia generatio cœleſtis ſervat eum; Generatio cœleſtis eſt æterna prædeſtinatio, quia Deus prævidit eos conformes fieri imaginis Filij ſui; ex his nullus peccat, id eſt, in peccato perſeverat*; Ecce tibi, inter ſe conſociatam Dei præviſionem; & cooperationem noſtram: *Prævidit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Quæ verba relationem dicunt, ad alium S. Apoſtoli Pauli textum, dicentis: *Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti, Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit.* Conformes igitur Filio ejus eſſe, certus & infallibilis eſt prædeſtinationis character, adeoque prædeſtinatio in ſui executione ſuper meritis noſtris fundatur, ſiquidem electos *prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Certitudo autem de eo quod electi ſimus, quodque ad finem uſque perſiſtemus hæc ab altiſſima ejus præſcientia dependet: *Præſcivit*; Ac proinde ſanctus Bernardus ſubdit: *Novit Dominus qui ſunt ejus, & propoſitum Dei manet immobile. Etſi horrendorum criminum nota David inuritur; Etſi Maria Magdalena ſeptem dæmonijs cumulatur; Etſi Princeps Apoſtolorum in profundum negationis ſubmergitur, non eſt tamen qui de manu Dei poſſit eruere*; Simul enim cum ipſorum lapſu eorumdem quoque prævidit reſurrectionem & pœnitentiam, qua commiſſa peccata expiaturi erant. Cœleſtis Paſtor de ovibus ſuis, id eſt, de electis differens, inquit: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Obſervandum eſt autem, quod non dicat: *Non peccabunt in præſenti*, ſed potius: *Non peribunt in æternum. Ipſe enim ſcit figmentum noſtrum; Memento quod ſicut lutum feceris me*; Optime quidem novit, quam ſimus ad peccandum faciles, prævidet tamen etiam, quod ſi nobis ſua præbeat auxilia, ſuamque nobis dexteram porrigat ad reſurgendum, nos quoque illis cooperaturi, nequaquam vero in peccato permanſuri ſumus: *Non peribimus in æternum.* Licet nonnumquam in hac vita mortem peccati incurramus.

1 Joa. 3. v. 9.
Certum prędeſtinationis ſignum conformem eſſe Filio Dei.
Joan. 1. 11.
Ibid. v. 13.
S. Bern. ſer. de triplici coher.
Rom. 8. v. 28.
Ibid. v. 29.
Ibid v. 30.
Prędeſtinationis executio fundatur ſuper merito noſtro.
S. Bern. ibid.
Joa. 10. 28.

4. S. Proſper de differentia differens, quæ eſt inter certitudinem infallibilem Dei circa electionem noſtram, & incertitudinem qua nos circa eamdem angimur, in hæc verba ſcribit: *Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, cum in præſentis vitæ periculo verſamur, incerta eſt, apud illum tamen, qui fecit quæ futura ſunt, incommutabilis permanet.* Imo quanta eſt infallibilitas & certitudo prædeſtinationis noſtræ apud Deum, tanta eſt illius apud homines incertitudo; Ac proinde Eccleſiaſtes ait: *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo, utrum amore vel odio dignus ſit:* Homo enim breviuſculo ſuo intellectu ad hoc numquam valet pertingere, an de electorum vel reproborum ſit numero computandus. *Neſcit homo, quamvis, virtuoſus ac ſapiens ſit*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *quoniam neſcit, an ſit in Charitate & ſtatu ſalutis, an in peccato mortali, ſicque ignorat an mereatur, & dignus ſit amari à Deo, an odio haberi ab eo; Et quamvis experiatur ſe Deum diligere, ignorat tamen, an diligat Deum Charitate infuſa, an ſolum naturali & acquiſito amore.* Hugo Cardinalis ſimiliter inquit: *Inter cæteras cauſas humiliandi ſe, una eſt incertitudo finis, quia quantumcumque ſit homo bonus & ſapiens, neſcit tamen, qualem habebit exitum, & ita neſcit, an ſalvandus ſit, an damnandus.* Ad minus videri poſſet S. Paulum Apoſtolum, *vas electionis*, de ſua ad gloriam electione nequaquam dubitare debuiſſe, ſiquidem prima & æterna veritas hanc ipſi revelaverat, dicendo: *Vas electionis eſt mihi iſte*, & tamen ad Corinthios expreſſis verbis ſcribit: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Qui autem judicat me, Dominus eſt; Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Quod ſi igitur S. Paulus de prædeſtinatione ſua certus non fuit, quis ſe de electorum numero eſſe promittere ſibi poterit? *Quis poteſt dicere: Ego de electis ſum?* inquit S. Bernardus, *ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere poteſt, reclamante Scriptura: Neſcit homo an ſit dignus amore, an odio.*

Prædeſtinatio noſtra apud Deum certa eſt, nobis autem incerta eſt.
S. Proſper reſp. 12. ad object. vinc.
Eccle. 9. v. 1.
Dion. Carth. ibid.
Hug. Card. ibid.
Act. Apoſt. 9. v. 15.
1. Cor. 4. 4.
S. Bern ſer. 1. in ſeptuag.

5. S. Iſaias Propheta Seraphinos nobis deſcribit duabus alis faciem Altiſſimi velantes, duabus alijs vero alis pedes, duabus denique alijs voluptates: Cujus myſterium S. Hieronymus in hæc nobis verba exponit: *Faciem enim & pedes ejus operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura poſt mundum, ſcire non poſſumus, ſed media tantum, quæ in ſex diebus facta ſunt, contemplamur*; Hæc etenim notitia & ſcientia infallibilis ſoli Deo reſervatur: *Deus cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.* S. Paulus Apoſtolus in eadem Epiſtola ad Corinthios cap. 9. ſubdit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*; Ex quibus verbis liquet ipſum de gloria adipiſcenda dubium & anxium fuiſſe licet etiamnum in hac vita, ad eamdem raptus, atque inſuper arcanorum divinorum particeps factus fuerit: *Raptus in paradiſum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; Quis igitur in comparatione hujus tanti Apoſtoli propriæ electionis ſecuritatem ſibi promittere poterit?

Iſa. 6. v. 2.
Infallibilis ſcientia noſtræ ſalutis ſoli Deo reſervata eſt.
S. Hieron. ibid.
1. Cor. 9. 27.
2. Cor. 12. 4.

6. Porro rationes ob quas Deus nos de Prædeſtinatione adeo incertos eſſe voluerit, variæ à varijs aſſignantur. Enimvero quædam olim Imperatricis

Rationes, quare Deus voluerit prædestinationē nostrā nobis esse incertā.

Romanæ cubicularia summa cum instantia S.Gregorium Magnum rogavit, ut se redderet certiorem, an scilicet de numero electorum esset, an vero non? Curiosa profecto erat quæstio; Sed audiamus quod à S.Pontifice retulit responsum; In hæc enim verba ad eamdem rescripsit: *Quod vero dulcedo tua in tuis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem pariter, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debet, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum &c. adhuc timet qui jam ad cælum ducitur, & jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris, scriptum est enim: Beatus vir qui semper est pavidus; Et rursus scriptum est: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est, ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.* Inter alia salutaria monita, quæ S.Paulus ad Philippenses transscripsit, unum hoc fuit: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*; Quibus verbis indicare voluit assecurationem æternæ salutis nostræ, quæ ultimus est prædestinationis effectus, super fundamentum quoddam quod semper vacillet, stabiliendum esse: *Cum tremore salutem vestram operamini.* At vero reflectatis vos velim ad verba ejusdem Apostoli immediate sequentia: *Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* At vero dices fortasse, si ita est, quod Deus sit, qui operatur in electis, & ad perfectum illos finem perducit, quid opus est timere? Audite obsecro quinam sint illi in quibus Deus per divinam gratiam suam operatur; Apud Isaiam inquit Deus: *Ad quem autem respiciam, nisi ad . . . trementem sermones meos?* Quanto navigia opulentioribus sunt mercibus onusta, tanto majori timore qui in illis sunt, percelluntur, donec in portu appellant; Idem quoque hominibus sanctissimis contingit, quamdiu ad beata cœli littora feliciter non pervenerunt, tamdiu se de numero prædestinatorum esse se assecurare non audent. Judas Iscariotes, non minus quam alij Apostoli, illud incarnatæ Sapientiæ stipulatum audivit promissum: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; Et tamen præter uniuscujusque, qui illum noverat, expectationem, condemnatus fuit; Alij Apostoli, collegæ ipsius, numquam, ne per umbram quidem, malum aliquod de ipso suspicari poterant, etiam quando Christus in ultima cœna illum tamquam traditorem manifestarat. Nimirum sapientissimus Magister noster per formidabile hoc exemplum demonstrare voluit, quantum homines de semetipsis diffidere debent, quamdiu vivunt, etiamsi viri sint Apostolici, quia nonnumquam contingit ut etiam sublimissimæ Cedri Libani miserabiliter in terram corruant: Econtra vero voluit ut usque ad ultimum spiritum à spe adipiscendi Regni cœlestis non decidamus, respicientes in exemplum boni latronis, nec non ad conversionem Magdalenæ peccatricis, in unico instanti, in eximiam sanctam, & speculum pœnitentiæ transmutatam.

S.Greg. l.6. epist.22. — Philipp. 2. v.12. — Ibid. v. 13. — Isai.66. v.2. — Luc.12.32.

Prædestinatio nostra nobis occultatur ne tepescamus in servitio Dei.

7. S. Thomas Doctor Angelicus ideo Deum hanc prædestinationis nostræ notitiam nobis abscondere voluisse dicit, quia fieri poterat, quod si unusquisque finem suum sciret, prædestinatus in divino servitio intepesceret, hoc solo contentus, quod salus ejus secura sit majorem sibi acquirere perfectionem negligeret; Reprobus autem se damnandum esse sciens, in reprobum plane sensum degeneraret, atque ab omnibus operibus bonis desistens, in horrendissimorum scelerum baratrum & voraginem se præcipitaret; Futurumque fuisset, ut Angeli, homines, cunctæque creaturæ ipsum quamdiu vixisset, maximopere fuissent abominati, cæli suos illi denegassent influxus, sol lucem, terra fructus suos, aër respirationem ei abnuisset, omnia denique animalia in ipsum ferocire incepissent, quemadmodum primo reprobo accidit, de quo Moyses ita scribit: *Profugus habitavit in terra ad orientalem plagam Eden.* Septuaginta legunt: *In terra Naid.* Cornelius à lapide Rabinorum antiquorum refert opinionem, dicentium terram sub pedibus ejus contremuisse. Quod si igitur creaturæ de Caini reprobatione, nullam habentes notitiam certam, sed solum probabilia id opinandi signa, nihilominus eum tam atrociter persecutæ fuerunt, quanto magis se armaturæ fuissent, ad castigandum præscitos illos, quos semper inimicos & rebelles futuros esse certo & infallibiliter novissent? Econtra vero si electi de electione sua omnimodam haberent securitatem, omnes creaturæ visibiles & invisibiles certatim accurrerent, ut eis in omni genere devoti obsequij promptissime servirent, ijsque ad nutum obtemperarent; Quia vero hoc sæpe in ipsorum potuisset redundare periculum ob metum, ne forte exinde vanæ gloriæ stimulos facile conciperent, ideo divina Providentia, hoc offendiculum è medio removere voluit.

Gen.4.v.16. — Cornel. à lap.

Si sciremus certo nos esse prædestinatos, destitueremur merito fidei & spei

8. Præterea si quilibet prædestinatus certo sciret quid sibi eventurum esset, utique omni fidei, & spei merito destitueretur; *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, inquit Apostolus, *tunc autem facie ad faciem*; Quot nunc electi per vitæ suæ decursum vivæ fidei, vivacisque spei actus eliciunt? Hisce autem meritis destituerentur, si indubitatam sibique perspectam haberent gloriæ securitatem. In pio quonam Authore legisse me memini, quod sequitur: *Cum quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mærore confectus in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se evolvit, dicens: O si scirem quod adhuc perseveraturus essem; Statimque audivit intus divinum responsum: Quid si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris. Mox consolatus & confortatus divinæ se commisit voluntati.* In compendio S. Francisci Salesij à Giarda conscripto, lib.1. cap.4. legitur, quod cum Diabolus S.Franciscum in primis annis Dei servitio & mundi contemptui totaliter deditum esse vidisset, difficultatem salutis obtinendæ, modicumque prædestinatorum numerum, ejus menti contemplandam objecit; Eumque adeo vehementer aggressus fuit, ut eum induxerit, ad concipiendum metum, ne forte de numero electorum nequaquam esset: Quæ molesta cogitatio adeo animum ejus invasit, ut præ nimia tristitia, somno, appetitu, & quiete sua interna destitutus fuerit factus adeo pallidus, & extenuatus, ut agnosci vix posset. Verumtamen in fidelitate erga Deum nequaquam defecit, quin potius hæc majorem semper, & majorem in eo vigorem accepit; Ac tandem post multas orationes, & lachrymas, ita intra semetipsum statuit, quod licet indignus esset, qui Deum per omnem æternitatem videret, eoque frueretur, resolutissimus tamen manere velit, ad eidem omni cum fidelitate & amore inserviendum; Hacque ratione à Beatissima Virgine, cui se tenerrime commendaverat, pulsis ab ejus corde omnibus timoris, & suggestionum diabolicarum tempestuosis procellis consolatus permansit. S. Prosper in hac materia sequens nobis tradit documentum: *In remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat, videat ne cadat.* Quod si aliquis in obscuro & squalido carcere reclusus, penitus ignoraret, quidnam de se statuendum esset, an & quando sit egressurus, an tamquam filius à Rege diademate regio sit coronandus, regnique ipsius hæres declarandus, an vero tamquam rebellis, & filius spurius, ac degener in furcam agendus, quanto cum timore quantaque cum innocentia talis in carceris illius angustijs victurus esset, ne penes Regem, à quo exitus fortunæ ipsius, sive bonus, & felix sive funestus, & lacrymabilis dependet, se culpabilem & reprehensibilem constituat? Nos omnes quamdiu præsens hæc vita durat, in angusto corporis nostri carcere reclusi hæremus, ignorantes, an, & quando anima nostra ex hoc carcere egressura sit, an veluti cohæres Dei in ejus regno sit futura, an vero æternaliter punienda, quia *nescit homo utrum*, anima ejus *amore vel odio digna sit*; Ut igitur homo quamdiu rigidus hic carcer durabit, se Deo gratum & acceptum reddere studeat, ut tandem ab eodem æternæ gloriæ diademate coronari possit, Deus illum in con-

1.Cor.13. v.12. — Thom. de Kemp. lib.1. de imit. Christ. c.25. — Giarda in vita S.Franc. Sales lib.1. c.4. — Notabile exemplum. — S. Prosp. lib. de Voc gent. c. ult. — Pulchrum simile.

continua in certitudine permanere voluit, quia *beatus homo qui semper est pavidus.*

Prov.28. v.14.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Præscientiæ Dei infallibilitas in electione nostra, libertati arbitrij nostri nequaquam præjudicat.

THEMA.

Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Eccli.15. ℣.14.

Dei infallibilis præscientia non tollit libertatem arbitrij nostri.

1. EX quo æternæ veritatis spiritus per veridicum Ecclesiastici calamum certiores nos fecit quod Deus homini arbitrij sui libertatem numquam eripiat, consequens est quod idem Deus in prædestinatione, quæ apud Deum certissima & infallibilis est libertatem nostram pariter necquidquam offendat. Tametsi enim prædestinatio indubitatam præscientiam, & irrevocabile decretum includat, arbitrij tamen nostri libertas plene salvatur; Cujus ratio est, quia decretum salvandi electum, vel præscitum damnandi, fundatur super certissima cognitione & præscientia Dei, quam ab æterno habuit; At vero, ut Origenes ait: *Non ideo aliquid erit, quia Deus scit, sed quia futurum est, à Deo scitur, antequam fiat.* Etenim Deus irrevocabilibus æternitatis annalibus, suum inscribit decretum beatificandi hanc vel illam animam, quia certo prævidet illam sponte cooperaturam esse auxilijs, quæ ei pro consecutione hujus finis est subministraturus, perseverando in hac cooperatione usque ad ultimum vitæ spiritum; Porro scientia, quam Deus de rebus futuris habet, infallibilis est, & pure speculativa, quæ subjectum non producit, sed supponit; Ideoque hæc notitia nulla ratione opera nostra alterat, sed est illis totaliter extrinseca, nec inducit in nobis necessitatem, nec libertatem nostram diminuit, cum hac etiam stante prævaricari, & virtuose operari possit; *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, Adjecit mandata, & præcepta sua, Si volueris mandata servare, conservabunt te . . . Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc autem libertas hominis semper illæsa manet, divinique decreti necessitatem & infallibilitatem secum compatitur, quia Deus prævidet & cognoscit, animam suæ prædestinationi sponte esse cooperaturam. S.Augustinus idipsum quoad præscitos exemplificat, quorum licet certo prævideat & sciat malum exitum, quoad illum tamen ipse nullam partem habet. *Neminem*, inquit præfatus Augustinus, *Deus ad peccandum cogit, prævidet tamen omnes, qui propria voluntate peccabunt: Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ prætereunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt.* Certitudo, quam Deus pro parte sua habet de ijs, quæ operaturi sumus, nequaquam in nobis necessitatem inducit, cum sæpe nos à propria malitia seduci patiamur: Est enim infallibilitas illa divinæ præscientiæ effectus, cui ab æterno omnia præsentia existunt: Unde idem S.Augustinus alio in loco ad nostram doctrinam ita scribit: *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit, imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit, omnino non peccat, sed si peccare voluerit, etiam hoc ille præscivit.* Continget nonnumquam quod dum quis infirmatur, adveniat medicus vir magnæ experientiæ, eidemque infirmo ex multis infirmitatis illius indicijs mortem infallibiliter prædicat, quis sapiens medicum hunc sua prædictione sive prognostico, quod infallibiliter adimplebitur, in mortem talis infirmi influxisse, eique pestiferam hanc infirmitatem causasse, dicere audebit? Non enim medicus, mortem, vel infirmitatem illam prædicendo, causavit, sed languens per inordinatos excessus, quos dum sanus esset, voluntarie commisit, & morbum pariter & mortem sibimetipsi voluntarie accersivit, medicus autem judicium suum de malo morbi illius exitu, qui infallibilis erit, secundùm regulas scientiæ medicinæ, quæ fallaces esse non solent, edicit.

Orig. in Epist. ad Rom. c.7. lib.3. — Eccli.15.14. — Ibid. v.15. — Ibid v.16. — Ibid. v.17. — Ibid. v.18. — S. August. Sentent. 39. — S.Aug. l.5. de Civ. Dei cap. 10.

Confirmatur similitudine.

Alia similitudo.

2. Alij Doctores eamdem veritatem per sequentem explicant similitudinem. Dum enim excubitor aliquis, qui in altissima turri mari vicina agit excubias, navigium aliquod in alto mari ventis contrarijs agitatum submergi videt, submersionem illam certissime novit, quia oculus illum nequaquam fallit, neque infortunium hoc prodit, nisi postquam nuncius illius advenit: Quis hunc excubitorem in naufragium illud influxisse, aut illius culpam, quantumvis minimam contraxisse, dicere præsumet? Vita hæc nostra, hicque mundus, est veluti mare quoddam immensum (*Hoc mare magnum*) in quo omnes in fragilibus navigijs id est hisce corporibus nostris navigamus: Sæpe autem contingit, quod navigia hæc à ventis contrarijs diabolicarum tentationum, vel inordinatarum passionum nostrarum agitata, in æternæ perditionis barathrum submergantur, quod infortunium Deus, qui *alta à longe cognoscit*, diu antequam accidisset, prævidet, certoque & infallibiliter futurum esse prædicit: Audebitne aliquis tam esse temerarius, ut Deum per hanc prævisionem naufragij illius authorem esse dicere præsumat? S. Dionysius Areopag. inquit: *Noluit naturæ illius, quam liberam condidit, jus violari*, id quod consonat cum axiomate thematis discursus hujus, quod ex Ecclesiastico desumpsimus; Indeque sequitur hominem ex propria voluntate vel damnari, vel salvari; Deus enim in hac navigatione non vult coactos, sed merè voluntarios. Optime hanc rem S. August. de libero arbitrio differens in hæc verba scribit: *Sicut itaque sibi non adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est, ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non judicet justus, quæ fieri non cogit præscius?* Id quod cum hactenus dictis perfectissime convenit; Subdit vero idem S.Doctor: *Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi, omnia fecisti, ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est, quorum autem non est malus author, justus est ultor.*

Ps.103.25. — Ps.137.v.6. — S.Dion. Areopa. de div. nom. c.4. — S.Aug. l.3. c.4. de liber. arbit.

Deus electis lapsis dat gratiam cito resurgendi.

3. Ex quo Deus cælestis Pastor de ovibus suis dicit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea; Non peribunt in æternum*; Advertendum est, quod hæc infallibilitas, indubitata rerum omnium futurarum, omniumque futurorum eventuum notitia & scientia fundetur. Porro nulli ignotus est sequens Apocalypseos textus: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; Ex quibus verbis nonnulli hanc deduxerunt consequentiam, quod etiam electi à gradu per æternam prædestinationem illis destinato decidere possint, licet certum sit, quod hoc numquam sit futurum, non quia sequi non possit, sed quia cum à Deo, qui nec falli, nec fallere potest, ita prævisum est, minime sequetur. Præterea sciendum est, prædestinatos præclaro gaudere privilegio à Regio Psalmista his verbis insinuato: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manam suam*, & ideo si nonnumquam electum cadere contingat, Deus hanc illi præstabit gratiam, ut subito iterum resurgat.

Joan.10.28. — Apoc.3.v.11. — Ps.36.v.24.

Refellitur reproborum murmur contra Deum.

4. Verumenimvero opportuna hic se prodit occasio, Deum ab omni reproborum liberandi murmure, qui opponere solent, quod dum Deus salvare vult electos, ijsdem ad consequendum hunc effectum auxilia efficacia copiose subministret, id quod cum ipsis nequaquam facit, ut a ruinis suis restaurari possint, adeoque parum curare videatur ipsorum salutem. Est autem hæc falsissima calumnia; Et quidem pro hujus blasphemiæ repressione opportune serviet illa sæpius à me lecta infirmi, & medici similitudo; Qui ambo sanitatem per modum finis efficaciter desiderant, siquidem quilibet illorum ad hunc finem assequendum illa adhibet media, quæ ad illius consecutionem deserviunt, dummodo aliunde non impediantur; Advertendum tamen hic est, necessarium esse, ut infirmus à consilio medici dependeat, & juxta illius dictamina sese gubernet, si ad sanitatem pertingere velit, nequaquam vero se juxta proprium capricium debet dirigere. Eadem igitur ratione Deus est qui de seipso ait: *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*; Et statim subjungit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* ad pœnitentiam; Videns itaque Deus reprobum ad mortem usque infirmum, quæ non adhibet media, ut illum denuo ad æternæ salutis statum reducat? Quæ non præscribit

Probatur insigni similitudine impios propria voluntate perire.

Math.9.12. — Ibid. v.13.

remedja Sacramentorum, orationum, sacrificiorum, prædicationis, exhortationum spiritualium, fraternarum correctionum, comminationis suppliciorum, inspirationum internarum &c? *quid potui ultra facere, & non feci?* Plenæ sunt scripturæ sacræ auxiliorum, quæ Deus reprobis subministrat, ipsi vero, ex propria malitia in peccatis indurati, remedijs à cælesti Protomedico præscriptis surdas aures præbentes, non solum ijs non obediunt, sed & sæpe derident *recipe*, pro ipsorum salute præscriptum; Ac proinde nullam habent lamentandi occasionem. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Si autem juxta proprium capricium se gubernare velint, signum est, quod vitam æternam parvi æstiment.

Matth. 19. v. 17.

S. Vinc. Ferr. ser. 1. in Dom. septuag.

Ex malitia propriæ voluntatis plures damnantur quam salvantur.

5. Seriam merentur reflexionem quæ ad S. Vincentium Ferrerium leguntur, sequentia verba: Quærit enim: *Unde est quod plures damnentur, quam salventur?* Citatque authoritatem S. Thomæ dicentis: *Plures angeli permanserunt, quam peccaverunt, sed in hominibus plures oppositum verum est.* S. Vincentius autem malum hoc à perversa nostra voluntate derivari, in hæc verba respondet: *Est malitia voluntatis eorum, qui possent salvari si vellent, & nolunt, accusando divinam prædestinationem dicentes, quod non potest deficere, cum tamen non cogat aliquem, nec auferat liberum arbitrium, sicut mea scientia, & visio quod estis hic, non cogit vos esse hic;* Adducitque illum Ecclesiastici textum, in themate hujus discursus expressum: *Deus ab initio, &c.* & præcipue super illa verba se reflectens: *Quod placuerit ei, dabitur illi*, hanc instituit considerationem: *Si dicatur: Si illud quod placet homini, datur, ergo omnes ibimus ad paradisum, quia omnes volumus ire illuc; Respondeo de illo qui dicit se ire Bononiam, & recipit viam Nurtiæ, sic superbus verbo se dicit ire ad paradisum, sed de facto recipit viam inferni; Unde non dicitur voluntas, sed velleitas.* Hactenus S. Vincentius Ferrerius, *ut obstruatur os loquentium iniqua.*

Libertas propriæ voluntatis defenditur.

Esther 13. 9.

6. Verumenimvero, quid dicimus ad oppositiones quasdam, quæ libertati nostræ totaliter videntur esse contrariæ? Etenim in libro Esther c. 13. *Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Præterea in oratione quadam secreta, quæ per decursum anni sub Missa dicitur, hæc verba habentur: *Nostras ad te rebelles compelle propitius voluntates.* Similiter in parabola de invitatis ad nuptias dicitur: *Compelle intrare*; Quonam igitur modo nostra salvatur libera voluntas? Dubium hoc Cajetanus solvit dicendo hæc intelligenda esse, *non quod compellatur voluntas, sed mutantia voluntatem talia sint, ut compellatur quis mutare voluntatem.* Porro quonam modo Deus voluntatem nostram inclinet, Didacus Stella id fieri dicit *primo, ostendendo voluntati nostræ tantum bonum, ut ipsa non possit non appetere illud; Secundo, removendo & abscondendo omne malum, & cum objectum voluntatis sit bonum, tantum bonum potest voluntati repræsentare, ut non possit non amare illud, quod videt bonum, & isto modo liberum hominis arbitrium subjicitur Deo, quod compellere voluntatem non est.* Ad textum ex libro Esther allatum respondetur per versionem septuaginta quæ sic habet: *Et non est qui dissentiat à te, cum volueris salvare Israël.* Quando enim Deus decrevit velle aliquid à libera voluntate hominis, ipse de quo S. Joannes ait: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, tales novit invenire occasiones, taliaque ei proponit motiva & rationes, ut ad voluntatem Dei inclinetur, nec ab eo, quod majus bonum suum esse comprehendit, & agnoscit, non discrepet, neque discordet, id est, *de facto non resistat*, licet de possibili resistere possit, nec se opponet voluntati, & beneplacito divino, quia bonum cognoscet infinitum, scilicet æternam suam salutem, quam ei offert.

Luc. 14. 23.

Cajet. ibid.

Quomodo inclinet Deus propriam voluntatem nostram.

Didac. Stell. ibid.

Septuaginta.

Joa. 2. v. 25.

Luc. 15. v 4.

Deus suaviter inclinat voluntatem nostram ad bonum.

7. Ex parabola de Pastore qui amissa una ove, tanta cum anxietate eamdem inquirit (*Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam*) clare colligitur qualis sit custodia, qua Deus electos custodit, & protegit (*& cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens*) alludit enim hæc à Salvatore composita parabola ad patientiam, qua Deus sustinet electos, eosque expectat ad pœnitentiam, varijsque modis ad illam amplectendam excitat, ac tandem benigne recipit, blanditijs demulcet, paterneque eosdem custodit: *Quos prædestinavit*, inquit Apostolus, *hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Subministrat quoque auxilia efficacia, ut vehementibus dæmonis & mundi tentationibus resistere possint, quando vel maxime ab illis infestantur; Adeoque *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*; Nullam infert vim, aut violentiam voluntati nostræ, sed suaviter eamdem inducit, & attrahit, ad faciendum quidquid vult. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, extrinsecus videbatur esse lupus, & tamen erat de numero electorum (*Vas electionis est mihi iste*) sed quonam modo eumdem Saulum ad ovile suum reduxit: Nimirum *circumfulsit eum lux de cælo; Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris*; Et quidem licet dum eum ex equo dejiceret, eumque oculorum suorum lumine ad tempus destitueret, aliquam Saulo violentiam inferre videbatur, hanc tamen eidem revera non intulit, sed potius Christus illi interius tale lumen & notitiam suam communicavit, suamque insuper ei præsentiam corporalem exhibuit, ut sponte voluntatem suam in ejus traderit potestatem dicendo: *Quid me vis facere?* Notandum quoque est, quod tametsi in illis Prophetæ Regij verbis, quæ à nobis superius prædestinatis adaptata fuerunt, scilicet: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, aliqua videatur insinuari violentia contrarium tamen illius statim sequentibus verbis insinuatur, cum dicitur: *Et viam ejus volet*, ly enim *volet*, omnem excludit violentiam; Et idem quoque in psalmo 21. hisce verbis innuitur: *Salvum faciat eum, quoniam vult eum*, hæc enim intelligenda sunt de voluntate Dei libero arbitrio nostro conjuncta, & associata. Enimvero Dei sapientia & omnipotentia facile invenire possunt occasionem talem, per quam voluntas nostra dulciter & suaviter inducatur ad amplectendum illud bonum, quod ei proponitur, absque eo quod vel in minimo lædatur ejus libertas. Unde apud Jobum dicitur: *Potestas, & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis*; Id est, in portione superiori voluntatis nostræ, quæ libera & Domina est, Deus suam quoque voluntatem associat, disponendo illam, ut libere divino ejus beneplacito subjiciatur. Si enim divina ejus præsentia in Oreb efficere potuit, ut ignis in Dumeto arderet, nec tamen viror ejus offenderetur, multo magis præstare valebit, ut viror & libertas voluntatis nostræ ab ipso dulciter persuasæ, illæsus permaneat, licet in ea dominetur ignis ille, de quo dicitur: *Deus ignis consumens est.* S. Augustinus verba illa: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & præcipue ly *vult* in pondere sanctuarij trutinat, siquidem eadem in sensu sequenti interpretatur: *Non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur.*

Rom. 8. v. 30.

Ibid. v. 31.

Sap. 8. v. 1.

Act. 9. v. 1.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 3.

Ibid. v. 5. & 26. v. 15.

Ibid. v. 6.

Ps 36. 23

Non vero cogit.

Ibid v. 23.

Ps. 21. v. 9.

Job 25. v. 2.

Hebr. 12. 29.

1. Tim. 2. 4.

S. Aug. lib de Spiritu & lit. c. 33.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Reprobi auxilia Dei respuendo, damnantur, ob suam obstinationem, in cujus exemplum Judas adducitur.

THEMA.

Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Oseæ 13. ŷ. 9.

1. HIc Oseæ textus evidenter probat, quod sicut prædestinati suam ad gloriam electionem auxilijs divinis in acceptis referre debent, ita reprobi æternæ perditionis suæ causam sibi ipsis debeant tribuere; *Perditio tua.* Et ideo Deus se glorificationis & electionis nostræ authorem esse gloriatur dicendo: *Tantummodo in me auxilium tuum*; Non tamen vult agnosci vel æstimari veluti reprobationis nostræ instrumentum, quod aliquid vel minimum ad illam contulerit; Ac proinde Spiritus sanctus in libro sap. dicit: *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Deus quidem cœlum pro nostro incolatu creavit: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, nusquam tamen invenietis, quod creavit infernum, siquidem fabri hujus barathri angeli rebelles fuerunt; Deus noster, quantum est ex parte sua, omnes salvari cuperet: *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; In tantum vero homo damnatur in quantum se Dei voluntati vult opponere, quæ semper pro nostro bono & emolumento solicita est, ne scilicet in æternæ perditionis abyssum præcipitemur; Imo nihil excogitari potest quod Deo magis displiceat, quam nostra damnatio, per quam inæstimabilis unigeniti sui sanguis conculcatur. S. Fulgentius super illa verba S. Pauli contra reprobos asserentis scribens, scilicet; *Deus volens ostendere iram suam, &c.* nos monet dicens: *Quæso ut hunc locum Apostoli diligenter attendas; Notum namque est iram Dei dici non posse nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Causa etenim ob quam Deus gratiam suam à præscitis aufert, hæc est, quia scilicet illam rejiciunt, eaque abutantur, ac demum ut dæmoni adhærescant; à Deo se avertunt, illumque deserunt, S. Prosper contra ejusmodi rebelles peccatores scribens inquit: *Gratia Dei, non prius eos deseruit, quam ab eis desereretur, & quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.*

Prædestinatio ad gloriam Deo adscribenda est, perditio vero nostra, nobis ipsis.

Sap. 1. v. 13.

Matth. 25. v. 34.

1. Tim. 2. 4.

Rom 9. 22.

S. Fulgent. l. 1 ad monim.

S. Prosp. ad cap. Gal. in sent. sup. c. 7

Impij damnantur quia contra voluntatem Dei in suis impietatibus perseverare voluerunt.

2. Et vero si Deus præscitos à se rejiceret, vel eosdem è paradiso in sempiternum proscriberet, quia ita sibi placet, vel quia cœli est Dominus, qui illum dare potest, cui vult, adhuc excusari posset, quo minus crederetur erga prædestinatos nimium fuisse partialis; At vero non ideo præsciti à cœlo exulant, non illos reprobavit, ex solo arbitrij sui libitu, sed quia contra voluntatem suam in impietatibus suis persistere voluerunt, nec quidquam regnum ejus æstimarunt; Prævidit, quod auxilia ipsius, nec non & gratias quas illis liberaliter obtulit, contemptibiliter repulsuri essent, ut se gloria ipsius indignos efficerent. In Genesi dicitur: *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formaverat*; At vero dicite sodes, numquid Deus sciebat quod homo prævaricando ipsius interdictum ab hoc paradiso in sempiternum exulare vellet? Cur igitur in ipsius gratiam hunc tot delicijs refertum paradisum plantare voluit? Eamdem quoque difficultatem Theodoretus in hæc verba movet: *Sed qua de causa Deus hominem in paradiso posuit, cum paulo post inde eum esset expulsurus?* Atque ad propositum nostrum apte respondet, inquiens: *Primo quidem, quia Deus neminem ex præscientia damnat, sed postea quam peccaverit, ideo & quamvis Adæ casum sciret, bonorum tamen participem fecit*; Ita quoque licet Deus per suam infallibilem præscientiam, multorum reproborum ingratitudinem & obstinationem pessimam prævideat, eos tamen tolerat, & beneficijs demulcet, ne occasionem habeant arguendi illum, tamquam erga electos partiali amore affectum, & ab illis aversum. *Novit Dominus qui permaneant ad coronam*, inquit S. Augustinus, *Qui permaneant ad flammam; novit in area sua triticum, novit paleam, novit segetem, novit Zizania.* Verum quidem est quod dæmones valde insidientur reprobis, ut hæc Zizania cito in flammis infernalibus habere possint, providus autem Paterfamilias Christus mortem illorum sæpe impedit, quæ alias filum vitæ ipsorum cito detruncare posset, idque facit, ne se excusare possint, quasi tempus ipsis indultum non fuisset, in quo se in frumentum electorum transmutare potuissent; *Omnis igitur iniquitas oppilabit os suum*, nullus enim futurus erit reprobus, qui se excusare possit, eo quod manifestum nimis erit, Deum erga illos omnibus partibus suis satisfecisse: *In me auxilium tuum*, sed *perditio tua* erit: præscitus enim sponte sua, & contra Dei voluntatem præcipitare se voluit. *Secundum istam Dei præscientiam & prædestinationem*, inquit S. Augustinus, *quam multæ oves foris nunc sunt, & quam multi lupi intus, & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris.*

Gen. 2. 8.

Theodoret. ibid.

S. August. tract. 12. in Joan.

Ps 106. 42

S. Aug. ibid.

Reprobi sibi-ipsis causant præcipitium

Prov. 19. 3

S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 2. & 21.

3. *Perditio tua.* Sapiens reprobo indicat, quod frustra & sine causa de Deo lamentetur, cum potius præcipitium tribuere sibi-ipsi deberet, ait enim: *Stultitia hominis supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet animo suo.* Unde S. Augustinus continere se nequit, quin Dei partes, versus illos, qui de Deo conqueruntur defendendas in se suscipiat, Et ideo prædictum sapientis textum hoc modo contra eos legit; *Insipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo:* Sacrilegumque impiorum os sequenti Ecclesiastici textu obturare contendit: *Non dixeris per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris: Ne dicas ille me implanavit, non enim necessarij sunt ei homines impij.* Considerat quoque, quod in præcedenti discursu diximus, scilicet, quod Deus homini tam ad bene, quam ad male operandum libertatem dederit, impius autem libertate hac utatur in offensam sui Creatoris, sitque ipsemet proprij exterminij infelix faber.

Eccli. 15. 11

4. *Perditio tua.* Observastisne aliquando modum quo supremus Judex in finali judicio reprobos est condemnaturus? Modus hic utique hisce verbis exprimitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Circa quæ verba Origenes inquit: *Considerandum est, quoniam sanctis non solum dictum est: Benedicti, sed cum additamento Patris mei: E contra autem reprobis non dicitur Maledicti patris mei, nam benedictionis quidem ministrator est, maledictionis autem unusquisque sibi est author.* Unde & Glossa super Oseam inquit: *Tu ipse es causa tuæ perditionis.* Sanctus Augustinus quoque postquam exposuisset, quo fine nos Deus creaverit, dicendo: *Creasti nos Domine ad te*, mox quoque unumquemque reprobum monet, ut firmiter credat, Deo numquam in mentem venisse, quod animam illius hominis sine ullis præcedentibus gravibus demeritis damnare velit; *Potest quidem* (inquit S. Doctor contra Julianum scribens) *aliquis sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Ex finali sententia in reprobos patet quod ipsimet sint sibi causa damnationis.

Matt. 25. 41

Gloss. in Osea

S. Aug. l. 3 cont. Julian. c. 18.

5. Regius Vates in Psal. 48. quamdam de damnatis ponit similitudinem, quæ prima facie valde impropriè esse videtur: Ait enim: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ex quo enim Salvator noster electos ovium nomine est designaturus, cur David illo loco præscitos instar ovium collocandos esse asserit? Pro responsione observandum est, ovis hanc esse naturalem proprietatem, quod quando ad macellum ducitur, nullam prorsus faciat resistentiam, aut strepitum; nec ullum edat balatum, prout cæteroquin alia animalia faciunt, ob hanc igitur proprietatem, Psalmista reprobos, sicut oves in Inferno positos esse dicit, ut insinuet, quod cum reprobi sibi-ipsis probe sint conscij, quod pœnas æternas non solum jure mereantur propter commissa à se scelera, verum etiam quia tot auxilia illis à Deo diversis temporibus subministrata insolenter abjecerunt, ideo quando in perditionis abyssum descendent, instar ovis obmutescent, nec quidquam in sui excusationem adducere poterunt. Et ideo ubi vulgata nostra legit: *In puncto ad inferna descendunt*, alia versio habet: *Cum quiete ad infernum descendunt.* In alio quoque Oseæ loco Deus cuidam præscito improperat dicens: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.* Ex quo loco clare satis deducitur, Deum reprobis non deesse, quin lumen & agnitionem internam ijs communicet; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; Illuminat omnem hominem Venientem in hunc mundum:* De obstinatis autem præscitis dicitur: *Fuerunt rebelles lumini.* In alio pariter Jobi loco hi reprobi apertius delineantur, cum de illis dicitur: *In puncto ad inferna descendunt*; Paulo ante vero Propheta dixerat: *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Sapiens vero expressius de reprobis inquit: *Ipsi contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas... Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: In capite turbarum clamitat; in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens... Convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum. ... Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Quam igitur Deus in reprobi perditione culpam habet? Imo quæ erga illos merita habet, dum illos toties ad salutem æternam consequentem adjuvit, & promovit? Culpa profecto ipsorum est, qui surdis Deum clamantem & monentem auribus exceperunt.

Psal. 48. 15

Quomodo impij in inferno comparentur ovibus.

Matth. 25

Job. 21. 13

Osee 4. 6

Psalm. 4. 7

Joan. 1. v 9

Job. 24. v. 13

Job. 21. 13. 14

Ibid. v. 12.

Deus reprobis non deest quin lumen internum illis communicet.

Prov. 1. 18

Ibid. v. 20.

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 26.

6. *Perditio tua.* Apud Ezechielem Cap. 18. Deus se adversus impios contra ipsum tamquam partiuntem lamenta edentes, defendit inquiens: *Ecce omnes animæ meæ sunt*, id est à me creatæ, Sanctus Augustinus autem breviter quidem, sed nervose dicit: *Nemo creatus est, ut periret:* Imo & ipse Filius Dei expresse protestatur inquiens: *Non veni vocare justos, sed peccatores. Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non ut convertatur à vijs suis & vivat?*

Ezech 18. 4

Quo sensu intelligendum sit, quod Deus velit omnes salvos fieri.

S. August.

Matt. 9. v. 13.

Et paulo post subditur : *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Quid clarius in pietatis divinæ defensionem dici posset, tota igitur difficultas in eo consistit, ut reprobus se ad Dei promissa accommodet, ad Deum se convertat, suumque detestetur peccatum, cujus ipse omnino contrarium præstat, temere sibi persuadens, quod in peccatis ad finem vitæ usque insordescens, in mortis articulo Dei misericordiam in suo habeat arbitrio, non intelligens non minus inter Divina attributa justitiam numerari, quam misericordiam. Enimvero si Salvator noster ab impijs obtinere posset consensum abominandi peccata, eaque deponendi, hoc utique ad indulgendum illis in cœlos aditum omnino sufficeret, siquidem illos aliud nihil præterquam peccatum à cœlo valet excludere. Audiamus S. Clementem hac de re ita scribentem : *Audivimus ex ore Domini nostri Jesu Christi, & optime edocti dicimus, quænam sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta quæ nobis per Jesum Christum declarata est scilicet, ne ullus pereat, sed potius omnes homines cum ei uno consensu crediderint, laudibus eundem uno ore & animo celebrantes, ijdem in sempiternum vivant.* Porro si quæras causam, cur adeo sit ingens reproborum numerus, non obstante quod Deus quantum potest, illos ad salutis statum reducere satagat ? Respondet Sanctus Ambrosius : *Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum, non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint, nam utique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute. Non est vera salus, si nolenti tribuatur.* Reproborum quidem antesignanus Antichristus erit, & tamen etiam huic spes superesset salutis, nisi Deus certissimam ejus obstinationem prævidisset.

7. S. Joannes de duodecim cœlestis Jerosolymæ portis meminit, & super unaquaque una ex tribus Israel cum numero illius signata fuit, excepta sola tribu Dan, cujus nulla sit mentio ; Hujus autem omissionis hoc fuit mysterium quia ex hac tribu suo tempore nasciturus erat Antichristus. At vero dicet aliquis, hoc non obstante ipsimet Antichristo ad cœlum non est occlusus aditus, tametsi tribus, ex qua oriundus erit, nulla fiat mentio. Et ideo adæquatius respondeo, quod verum quidem sit, Deum, quantum est ex parte sua neminem è cœlo excludere, ne quidem ipsummet Antichristum, verumtamen verissimum quoque est, quod licet Deus omnes homines salvari velit, id tamen non sic vult, ut nolentes salventur. Et ideo si Antichristus damnabitur, culpa ipsius id fiet. Interim certissimum est illum reprobatum esse, in quantum Deus per infallibilem præscientiam suam, hanc ejus culpam prævidit, & prædixit. Scribit Dominicus Sotus, Deum gratias & auxilia sua dare decreviisse eadem cupientibus, non vero illa respuentibus : *Deum constituisse impendere gratiam suam eis tantum, qui non renuerent, sed annuentes præberent illi assensum.*

8. *Perditio tua, tantummodo in me auxilium tuum.* Porro in damnatione Judæ evidenter apparebit, ex parte Dei non esse defectum, quod præsciti non salventur, sed ex parte ipsorum, quia in ejus, ut ita dicam, despectum in desperationis se barathrum præcipitare volunt. Etenim Salvator noster omnia infelicis hujus discipuli scelera probissime sciebat, sciebat item quod communicatis ei divinæ gratiæ auxilijs, non corresponderet, & tamen eum in Apostolum eligere eumque parvi illius gregis consortem fieri voluit, de quo ipsemet dixit : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Enimvero duas præcipuas gratias Deus Judæ præstitit, quarum prima est Apostolatus, ad quem eumdem assumpsit ; Altera vero, quod eum collegij Apostolici constituerit depositarium, majorem in ipsum, quam in omnes alios ostendens confidentiam. Etenim tametsi eum furem esse sciret, nihilominus se id scire dissimulabat, neque ideo eum honorare intermittebat ; Unde S. Augustinus ait : *Numquid in furto te semper invenit ? & semper pepercit ? Numquid te post Petrum ut plurimum honoravit ?* Videns eum ad avaritiam proclivem, ne ei pecunia deesset, burtam ei consignavit, neque ipsum ad rationes reddendas unquam popposcit ; Nimirum benignissimus & zelantissimus Magister omnem offendiculi occasionem ei amputare stregit. Unde Sanctus Ambrosius in hæc verba scribit : *Denique de Juda proditore hæc colligere licet, qui & Apostolus inter duo : Deum electus est, & Loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habebat ne videretur aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse, & ideo ut justificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit.* Nec est quod dicas Christum eo ipso, quo pecunias ejus dispositioni concredidit, occasionem quoque furandi eidem subministrasse, siquidem Divus Chrysostomus in Homilia cui titulus est : *Quod nemo Laditur nisi à seipso*, S. Cyrillus, Origenes, & alij Patres optime considerant, quod Christus Dominus se à Juda pro triginta denarijs vendendum esse prævidens, sapientissime disposuerit, ut majorem semper pecuniæ quantitatem in sua haberet facultate, ut hac ratione tentationem illam tanto facilius posset superare. *Commisit ei pecuniæ loculos*, inquit Origenes, *ut possidens quod amabat, à cupiditate cessaret.* Adhæc ut hunc sunm traditorem mansuetudine sua lucraretur, licet tamquam *scrutans renes & corda* ingratitudinem & malignitatem ejus optime sibi haberet perspectam, illum tamen non reprehendebat, prouti omnino meruisset, sed dissimulabat, & in Co-apostolorum siorum præsentia eum honorabat, non illum furem esse detexit, quando propter unguenti à Sancta Maria Magdalena corpori Christi adhibiti effusionem, tanta cum petulantia murmuravit, arguendo magistrum suum, veluti indiscretum, superbum pauperibusque parum compatientem.

9. Observandum est præterea, quod tametsi *ut plurimum* verum sit, quod sacrosanctum Concilium Tridentinum definivit, scilicet quod Deus non soleat deserere peccatorem, nisi hic prius Deum deseruerit, licitum tamen mihi id esse existimo, ut dicam, quod tametsi Judas aperte apostatasset, quando post Christi venditionem lictorum, & militum Christum comprehendentium ducem se facere non erubuit, Salvator tamen eum ad ultimum usque Spiritum non deseruerit. Unde Divus Chrysostomus super illa verba Sanct. Joannis : *Turbatus est Spiritu, & protestatus est, & dixit : Amen, Amen dico vobis quia unus, ex vobis tradet me*, optime norat dicens ; *Quanta misericordia Domini, traditus pro traditore dolet, proditus pro prodituro turbatur.* Neque vacat mysterio verbum illud, *Protestatus est* ; Voluit namque Christus coram omnibus sæculis protestari, quod hic discipulus ob solam suam damnetur obstinationem, siquidem tot ei auxilia, ad ejus respiscentiam procurandam subministrasse : Quod si dixeris, cur Deus Judæ voluntatem non mutarit, ego te cum Divo Chrysostomo interrogo, quonam putas modo Christus hoc exequi potuisset, vel enim hoc factum fuisset ideo, quia Judas propriam suam voluntatem ad meliora consilia ineunda inclinasset, vel quia Deus voluntati ipsius violentiam intulisset ; *Si invitus, nulla correctio est, nam mentis malitia necessitate non tollitur ; Si sponte, omnia, quæ meliorare animum poterant, audisse cognoscitur.* Addicitque idem Sanctus Doctor exemplum infirmi medicamenta respuentis, hic enim *si remedium respuat, non medici vitium est, sed languentis.*

10. Nonnulli contemplativi devote, & non sine fundamento meditantur, desperationem Judæ unum fuisse ex acerbioribus tormentis, quæ Redemptor in passione sua sustinuit, sine dubio enim vehementissime doluit, quando oviculam quamdam electi & pusilli gregis sui, eo tempore, quo paradisum aperiens, latronem quemdam insamem, nec non lictores, qui eum in Crucem confixerant, in cœleste ovile introducebat (*Percutientes pectora sua revertebantur*) à lupo infernali in conspectu suo devorari vidit. Imo Sanctus Augustinus opinatur Christum data opera Apostolorum pedes abluisse, ut per hunc profundissimæ humilitatis, & abjectionis actum, obstinatam discipuli hujus voluntatem lucraretur ; *Ovem* enim *perditam recuperare valde cupiebat.* Quando in horto Gethsemani captus est, cum suavi nomine vocavit amicum, osculumque ejus licet fictum duleiter recipit ; In cœna suspidissimum ei bolum, veluti speciali amico porrexerat : *Cui intinctum panem porrexero* ; In eadem quoque cœna eum sacratissimo corpore & sanguine suo cibavit, licet illum indignum esse probe cognosceret ; Neque innumeris benignitatis suæ demonstrationibus contentus fuit, quin etiam graves insuper comminationes adjecit : *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur ; Bonum erat ei, si natus non fuisset*, fatebat quidem

Exech. 18. v. 23.

S. Clem. l. 2. Constit. c. 55

S. Ambr. 3. Tim. 2.

Apoc. 21. Apoc. 7. Deus nolentes salvari, non vult salvare.

S. Aug. ser. 28. ad Fratr.

Sotus l. de grat. c. 15.

Exemplo Judæ probatur ex parte Dei defectū nō esse quod præsciti non salventur.

Luc. 12. 32

Orig. hom. 4. in Cant.

Ps. 7. v. 10.

Continuatur idem argumentum.

Joan. 13. 27

Chrysost. hom. de prod. dit.

Desperatio Judæ fuit unum ex acerbissimis tormentis Christi.

Luc 22. 48

S. Aug ser. 24. ad Fratr.

Christus pro conversione Judæ fecit quidquid necesse fuit.

Joan. 13. 26

Matt. 26. 24

quidem hæc omnia incassum adhiberi, verumtamen per hoc exemplum toti mundo notificare voluit, quam verum sit, quod reprobi ea solum de causa damnentur, quia suis auxilijs abuntur, imo quia ipsi expresse ita circa se fieri volunt. Judas quoque ad ultimum usque spiritum in sua duritie permansit, quia postquam Deus illum ad excessus sui notitiam perduxisset, qua motus dixit : *Peccavi tradens sanguinem justum*, hoc Dei dono abusus fuit, nolens recurrere ad ejus misericordiam, sed sponte propria in desperationem sese præcipitare, similiter cum rupto laqueo quo seipsum suspenderat, tempus etiamnum ei superesset, quo inter ultimos vitæ Spiritus per pœnitentiam ad Deum se converteret, tunc vel maxime obstinatus tanto cum impetu in terram se agitavit, *Ut crepuerit medius, & diffusa sint omnia viscera ejus.* Unde Sanct. Leo in sermone quodam pro solita sua gravitate inquit : *Merito tibi tua pœna commissa est, quia tu supplicium tuum nemo te savior potuit invenire.*

Act. Apost. 1 v. 18.

S. Leo ser. 16. de Pass.

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Librum vitæ unum immutabilem esse, alterum vero secundùm præsentem justitiam mutari posse ostenditur.

THEMA.

Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, Psal. 68. ℣. 29.

Reprobi delentur de libro vitæ propter perseverantiam in suis iniquitatibus.

1. QUod reprobi è libro vitæ deleantur, hoc illis non alia ex causa contingit, quam propter continuationem & pervicaciam, qua iniquitatibus suis inforduerunt ; Ac proinde priusquam Regius Psaltes diceret : *Deleantur de libro viventium*, jam in præcedenti versu præmiserat : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Apud Sanctum Lucam cap. 10. legitur, quod septuaginta duo Discipuli Domini, post prædicatum in varijs locis Evangelium, multasque animarum myriades conversas, ad cœlestem magistrum suum reversi, per vanam gloriam elatis animis dixerint : *Etiam Dæmonia subjiciuntur nobis*, prudentissimus vero Magister illorum ne evanescerent, eosdem reprehenderit, proposito ob oculos ipsorum horrendo Luciferi exemplo : *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem* ; Nimirum per hunc Angelorum lapsum ipsos cautiores reddere voluit, ut intelligerent, neminem de sua salute usque ad mortem posse esse securum, etiamsi innocentia sint prediti Angelorum, quia periculo peccandi semper sumus subjecti. Unde Poëta merito canit : *Dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.* Hoc vero quod circa prædictos septuaginta duos discipulos me vel maxime in admirationem rapit, est, quod Christus iisdem dixerit : *Gaudete quod nomina vestra scripta sint in cœlis* ; Si enim ita est, quid opus est illis, ut de salute sua anxij sint, vel timeant, cum de securitate salutis suæ promissionem ab ipsamet prima & æterna veritate habeant ? Et tamen constat, non omnes ex illo numero salvatos fuisse, siquidem Nicolaus, unus ex septem diaconis, caput factus est turpium Nicolaitarum ; Ex illo quoque tam selecto grege, de quo Salvator ait : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, infelicissimus Judas reprobatus fuit ; Quam igitur ex hoc libro securitatem nobis promittere possimus ? Sciendum est igitur, quod duo sint libri ? Primus & perfectus & immutabilis, in quo omnes prædestinati ab æterno sunt inscripti. Hic est indelebilis, quia Deus per certissimam suam præscientiam infallibiliter prævidit illos, qui salvabuntur, ad finem usque perseverando, divinisque acceptis auxilijs cooperando. Alius vero liber est, in quo justi conditionate sunt scripti, scilicet *secundum præsentem justitiam* ; Et hic liber est incertus, quia à perseverantia, & persistentia in divina gratia dependet, quæ teste experientia in multis fallax est, eo quod in bonis propositis suis sint instabiles, de hoc igitur libro loquitur Psalmista, dum ait : *Deleantur de libro viventium.* De hoc quoque libro, ni fallor, intelligenda sunt ista S. Pauli verba : *Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ* ; Ubi angelicus Doctor ait : *Liber vitæ secundum glossam, est prædestinatio Sanctorum, & hoc est verum secundum rem, sed differt ratione.*

Luc. 10. 18.

Luc. 10. 20.

Luc. 12. 32. Duo sunt libri vitæ.

Phil. 4. v. 3.

S. Thom. ibid.

Continuatio ejusdem materiæ.

2. Idem Angelicus Doctor, antiquitus usitatum fuisse, refert, quod qui ad officia, vel dignitates aliquas deputabantur, in matriculam conscriberentur, v. g. Milites scribebantur in catalogum, senatores in librum ad hoc deputatum, unde vocabantur Patres conscripti ; Omnes igitur Sancti, & prædestinati, ad sublimem dignitatem, vitam scilicet æternam à Deo sunt electi ; hæc autem electio prædestinationis nomine appellatur, *conscriptio* autem *hujus ordinationis dicitur liber vitæ, & hæc conscriptio est in memoria divina, quia in quantum ordinat, prædestinat, in quantum vero immobiliter scit, dicitur esse præscriptio ; Firma ergo notitia de prædestinatis dicitur liber vitæ, sed nunquid aliqui inde delentur ?* Moxque Sanctus Doctor sub hac distinctione respondet : *Sciendum est quod aliqui sint scripti simpliciter, aliqui inde deleantur ; Sunt enim aliqui prædestinati à Deo ut habituri simpliciter vitam æternam, & isti sunt scripti indelebiliter, aliqui ut habeant vitam æternam, non in se sed in sua causa, in quantum ordinantur ad justitiam præsentem, & tales dicuntur deleri de libro vitæ, quando excedunt à præsenti justitia.* Hic igitur liber vitæ secundùm hanc distinctionem ex una parte certus est, incertus autem ex altera parte, tametsi enim in hunc librum inscripti simus, scriptura tamen conditionata est, vel Scriptura indelebilis erit, si ad finem usque vitæ in amicitia & gratia Dei constanter perstiterimus. Quod si vero ex hoc libro deleamur, id culpa nostra accidit, non vero ex divina voluntate, quæ ex parte sua omnes salvos fieri vellet, ac proinde copiosa cœlestium gratiarum auxilia subministrat.

Causa reprobationis facile inveniur, prædestinationis non ita S. Augustin. Epist. 105. & lib. cont. Adimant. Manich. c. 7.

3. S. Augustinus ait : *Quærimus causam prædestinationis, nec invenimus, reprobationis autem causam quærimus & invenimus.* At vero cur tanta cum facilitate reprobationis causam reperiri existimatis ? Respondet S. Doctor : *Nam quibus Deus misericordiam non impertit, ut non impertiatur, merentur.* Præsciti enim in peccato obstinati manent, surdi ad divinas voces existunt, auxilia quæ Deus ad ipsorum resurrectionem eis obtulit, contemptibiliter rejiciunt. Idem S. Pater in alio loco Deum justam habere rationem, ut de reprobis conqueratur, non vero reprobos juste conqueri posse de Deo, dum ab eo ex libro vitæ delentur : *Juste*, inquit, *de reprobis conqueritur, tamquam de his, quos peccare non cogit* ; Addere possumus, quod Deus juste conqueratur, quia postquam reprobi sæpius illum offenderunt, ipse pariter sæpius se offert promptum ad omnem illorum offensam condonandam, imo pro hoc beneficio ab eis acceptando instanter eos rogat, ipsi vero eum à se turpiter repudiant, & oblatam gratiam nihili curant, ac proinde mirum non est, si illis invitis gratiam suam dare, illosque gloriæ suæ participes facere nolit. S. Hieronymus ad Hedibiam in hæc verba scribit: *Deus æquali cunctos forte generavit, & dedit arbitrij libertatem, ut faciat unusquisque quod vult, sive bonum, sive malum* ; Ut vero melius quæ dixit exprimat, sequentem adhibet similitudinem, inquiens : *Unus est solis calor, & secundùm essentias subjacentes, alia solvit, alia constringit, alia liquefacit, alia indurat, liquatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non est diversa natura ; Sic & bonitas, & Clementia Dei, vasa iræ, quæ apta sunt in interitum, indurat, vasa autem misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, non salvat irrationabiliter, & absque judicij veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt filium Dei, alij autem recipere sua sponte voluerunt.*

Pro libertate propriji possumus peccare & non peccare.

S. Hier. ad Hedib. 2. 10.

4. Quis non crediderit populum electum Israëlis indelebilibus characteribus in libro vitæ fuisse descriptum ? Siquidem de eo in Psalmis dicitur : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus ; Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Inter omnes populos totius universi, qui utique innumerabiles erant, solum populum Israëliticum elegit, cui lumen & veram sui notitiam impertiretur, quem donis gratiarum suarum, omnibusque thesauris tam spiritualibus quam temporalibus locupletaret ; Unde ait : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Ipsemet quoque Dei filius Redemptor noster expresse declarat, quod ex toto genere humano solas habeat congregare oves domus Israël aberrantes : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* ; Et quidem quos non labo-

Judæi indelebilibus literis scripti videbantur in libro vitæ ; propria tamen sponte ex illo deleri voluerunt.

Ps. 75. v. 2. Ps. 147. 20. Exod. 19. 5

Matt. 15. 24

Isaiæ 5. 4.

res & fatigationes pro hac vinea habuit ? *Quid ultra potui facere vineæ meæ*, id est domui Israël, *& non feci ?* Et tamen hi à seipsis, & sponte propria ab illo libro deleri voluerunt, unde S. Paulus, & S. Barnabas Judæis improperarunt dicentes :

Act. 13. v. 46

Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. S. Hieronymus ubi supra ad nostrum propositum subjungit :

S. Hier. ibid.

Hæc autem vasa misericordiæ, non solum populus gentium est sed etiam ij, qui ex Judæis credere voluerunt ; Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates. Enimvero major pars Hebræorum à Deo reprobari elegit ;

Prędestinatū esse in executione, non est positum in nostra potestate.

Quamvis eorum aliqui sub vexillo Crucifixi conscribi maluerint ; Ex quo deducitur quod prædestinatum, vel præscitum esse in executione, non sit in manu nostra positum. S. Petrus proinde, tamquam caput & Princeps Christianorum, opportune in Epistola sua secunda eosdem monitos esse voluit, ne crederent, quod quia scripti sunt charactere baptismali in libro vitæ, ideò salus ipsorum secura posita sit ; ait enim :

2. Petr. 1. v. 10.

Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis : Hæc enim facientes non peccabitis aliquando,

Ibid. v. 11.

Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi. David, Cui Spiritus Sanctus in Actibus Apostolicis testimonium perhibet, quod fuerit vir secundùm cor Dei, hic inquam aliquam de certitudine prædestinationis suæ revelationem habuisse videtur, in illis verbis sibi indicatam :

Adducitur Exemplum Davidis de incertitudine prędestinationis.

Benedicite gentes Deum nostrum... qui posuit animam meam ad vitam, & tamen se in libro illo indelebiliter scriptum esse non credebat, sed ut de salute sua securus esset, Satagebat ut per bona opera certam suam faceret electionem, ac proinde ait :

Ps. 65. v. 9.

Ps. 76. v. 5.

Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus :

Ibid. v. 6.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui,

Ibid. v. 7.

Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopabam spiritum meum ; Cur vero David in tantæ austeritatis & pœnitentiæ exercitijs vitam suam agebat cum tamen se in libro vitæ scriptum esse sciret ?

Similiter exemplum S. Pauli.

Audiamus causam ad hoc illum impellentem :

Ibid v. 8.

Numquid in æternum projiciet Deus, inquit, *aut non apponet ut complacitior sit adhuc,*

Ibid. v. 9.

Aut in finem misericordiam suam abscindet ? S. Paulus similiter certum habuit electionis suæ ad gloriam indicium, quia de ipso dictum fuit :

Act. Apost. 9 v. 15.

Vas electionis est mihi iste, & alibi ipsemet ait :

Gal. 1. 15.

Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,

Ibid. v. 16.

Ut revelaret filium suum in me ; Præterea, si verum est, quod Deus sanctos suos

Rom. 8. 29.

prædestinavit conformes fieri imaginis filij Dei, ipsemet Apostolus se gloriari non dubitavit, dicendo :

Gal. 6. 17.

Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto : Ecce igitur se è libro vitæ delendum esse metuebat, dicendo :

1. Cor. 9. 27.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar ? Signum saltem hoc est, quod Apostolus crediderit, illam Psalmistæ comminationem in se verificari posse, scilicet :

Psal. 68. 29

Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, nimirum si de salute sua nimium securus, gratijs & donis cœlestibus abusus fuisset.

Exempla eorū qui scripti in libro vitę videbantur, & tamen turpiter lapsi sunt.

Nec mirum ; Origenes enim vir summa sapientia & eruditione præditus, qui per libros & sanctissima exempla sua sanctæ Ecclesiæ Dei tantam utilitatem & splendorem conciliavit, sine dubio huic libro infallibiliter inscribendus ab omnibus credi potuisset, & tamen in hæresim turpissime cecidit. Tertullianus quoque licet S. Cypriani Magister fuerit, fideique Catholicæ propugnator zelantissimus, prout ex doctissimis, ingeniosissimisque libris ejus facile colligere licet, attamen & ipse deletus fuit de libro viventium. Lucifer Episcopus Calaritanus ob eximium zelum & horrorem quo hæreticos abominabatur, à S. Hieronymo & S. Augustino in summa veneratione habitus, factus est schismaticus, dum eos qui peccatorum superioris vitæ pœnitentes, vel suum deferentes errorem, ad pœnitentiam suscipere renuebat. Hi & alij illis similes *secundùm præsentem justitiam* in libro vitæ descripti erant, atque in cœlesti firmamento fulgidissimæ videbantur esse stellæ, & tamen velut stellæ erraticæ infeliciter ceciderunt. Econtra vero licet quis *secundùm præsentem justitiam* huic libro inscriptus non sit, attamen quoadusque vivit per divinæ gratiæ auxilia, ea sibi comparare potest merita ut inscribatur.

5. Celeberrimum, & à multis sacris Doctoribus receptum est illud S. Augustini effatum : *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*, quemadmodum & illud S. Ambrosij :

S. Ambros.

S. Antonin. p. 1. T. 12. c. 5. § 4.

Scit Deus mutare sententiam si tu noveris emendare delictum. Ad quorum pronuntiatorum confirmationem egregie deservit illa à S. Antonino de quodam juvene relata mirabilis historia.

Exemplum valde notabile de mutata divina sententia circa prescitum reprobum ad meliora conversum.

Hic enim juvenis optimis conspicuus moribus, sub insignis directoris spiritualis disciplina vitam agebat, qui continuo illum deplorabat, eo quod Deus illi, juvenis illius reprobationem, speciali revelatione indicarat : Adolescens vero ille, qui obediens, humilis, valdeque devotus erat sæpius ex magistro suo, cur fleret, sciscitabatur, qui tandem post aliquod temporis spatium, eidem quid sibi revelatum fuisset, manifestavit ; Cui sapiens juvenis : Non est, quod hujus revelationis gratia te affligas, respondit ; scio enim quod Deus sit justus, meque non nisi ob peccata mea sit æternum condemnaturus, in quo casu sicut latro illi se pœnæ libenter subjicit, quam se suis latrocinijs, promeruisse novit, ita quoque justum erit ut & ego ad ea paratus sim subeunda supplicia, quæ per scelera mea fuero promeritus. Cæterum quantum est ex parte mea omnino satagam ut quidquid boni facere potuero in vita mea, hoc solicite perficiam, Deus postea de me, quidquid sibi placitum fuerit, statuat. Quod prudentissimum adolescentis illius responsum tantopere Deo placuit, ut sequenti nocte Magistro ipsius spirituali per novam revelationem, se conceptam mutasse sententiam, adolescentemque illum salvandum fore indicarit.

Luc. 21. 33

6. Deus ipse, qui prima & infallibilis veritas est, in hæc se verba semel declaravit : *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* ; Hac quoque verborum suorum infallibilitate supposita, unicuique qui se salvari & in æternæ prædestinationis librum inscribi desiderat, quid sibi ad hunc effectum consequendum factu opus sit, ore proprio expressit dicens :

Quid requiratur à nobis ut scribamur in libro ęternę prędestinationis.

Matt. 19. 17

Si vis ad vitam ingredi serva mandata, ac proinde unusquisque nostrum, qui pro sua est salute solicitus, ad ultimum usque vitæ spiritum, mandata Dei & Ecclesiæ diligenter observet, sic enim securus de salute sua erit, nec habebit quidquam quod ab ipso timeri possit. Verum quidem est, quod perseverantia Dei donum sit, de qua proinde virtute propria nos assecurare non possumus ex alia tamen parte pariter indubitatum est, quod *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

Notabile exemplum.

Ludolphus Carthusianus quoddam refert exemplum, ab eo, quod ex Sancto Antonino paulo ante retulimus, non multum distinctum. Cum enim Monachus quidam alteri collegæ suo, sibi à Deo, quod præscitus esset, revelatum fuisse dixisset, mox alter respondit :

Ludolph. de vit. Chris. lib. 2. c. 30.

Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam quam per ingressum religionis assumpsi, de cætero duplicabo, & triplicabo, donec gratiam & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam. Sciebat enim quod Deus justus & pater misericordiarum ipsum non esset reprobaturus sine proprijs demeritis, quibus se per auxilia divinæ gratiæ minime irretiendum esse sperabat, hacque spe fultus animo non despondebat.

Parabola de zizanijs applicatur ad propositum præscitis vel reprobis.

9. Nulli, ut reor, ignota est illa Christi de zizaniis, pronunciata parabola ; Per hanc autem pernitiosam herbam Salvatorem nostrum reprobos intellexisse indubitatum est : *Colligite... zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*, quemadmodum per frumentum denotabat electos : *Triticum autem meum congregate in horreum meum.*

Matt. 13. 30

Hoc autem supposito quærendum venit, quo mysterio Paterfamilias zizania evelli prohibuerit ? Respondeo autem dictum Patremfamilias eodem tempore quo zizania evelli vetuit, pariter rationem hujus prohibitionis dedisse, dicendo :

Ibid. v. 29.

Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. At vero inquies, si cœci non erant, facili negotio zizania à tritico discernere potuissent. *Sed omnia in figura contingebant.*

Notabilia exempla gravium peccatorum conversorum.

Qui enim hodie est zizania, tempus habet quoadusque veniat tempus messis, id est, falx mortis, in quo per divinæ gratiæ auxilium converti potest in frumentum. Quis umquam de Britio pro eo tempore, quo S. Martinum Episcopum suum indigne tractabat dicere præsumpsisset, cum prædicti Sancti in Episcopatu futurum fore successorem, magnaque sanctitate ante mortem fore exornandum. Quis umquam futurum fore credidisset, quod Camillus de Cellis, qui ex Hospitali S. Jacobi incurabilium, sæpius

sæpius tamquam discolus dimissus fuerat, eo quod ad serviendum infirmis stipendiatus, eosdem nihilominus indigne tractaret, nihilominus progressu temporis fundaturus esset religionem Clericorum ministrantium infirmis, tamque eximia donandus esset sanctimonia vitæ ut jam apud S. Congregationem rituum de ejus agatur solemni canonizatione ? *Datur locus pœnitentiæ*, inquit S. Hieronymus, *& moneamur ne cito amputemus fratrem, quia fieri potest, ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat* ; mutemur Ly, Dogmate, dicamusque, *malis depravatus moribus resipiscat.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Hi qui solent dicere, *si sum prædestinatus salvabor sine operibus bonis ; si vero reprobatus fuero, hac inutilia erunt*, perstringuntur, simulque ostenditur, quod signa electorum eosdem ad virtuose operandum adstringant.

THEMA.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit. Matth. 7. ℣. 20.

Eccle. 9. 1

Joan. 10. 9

Certum prędestinationis signum est adimpletio voluntatis divinæ.

1 TAmetsi sapiens dicat : *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit*, Salvator tamen noster qui dicit : *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur*, certum nobis & indubitatum declaravit signum, ex quo nos prædestinatos esse conjicere valeamus, ait enim : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, prædestinatos videlicet vel præscitos Arbores enim quæ fructum non ferunt, certum est ad ignem destinatas esse, unde non quisquis superficialiter in Deum crediderit, in cœleste regnum ejus aditum habebit, sed is dumtaxat, qui voluntatem Patris sui adimpleverit, quæ in divina lege nobis præscripta reperitur, juxta illud :

Matth. 7. 20.

Psalm. 1. 2

In lege Domini voluntas ejus. Et vero hujus veritatis plenæ sunt omnes sacræ litteræ ; Unde vanissimæ sunt quorumdam impiorum hominum protestationes, dicentium : *Vel sum prædestinatus, vel præscitus, Si prædestinatus sum, salvabor, tametsi nullum opus bonum fecero, si vero sum præscitus, quidquid boni operatus fuero, plane inutile mihi erit, quia nihilominus damnabor.* Examinemus igitur hujus stoliditatis errores, quibuscum astutus serpens innumerabiles mysteriorum fidei nostræ ignorantes miserabiliter decipit, & deludit.

Ut eligamur ad gloriam, requiritur voluntaria cooperatio ad prędestinationem, circa nos factam.

2. Sciendum est igitur, quod quando Deus aliquem eligit ad gloriam, eumque salvare statuit eodem actu decernit se intentum hoc consecuturum, mediante cooperatione voluntaria ad prædestinationem circa se factam, & non aliter, determinat enim suas illi subministrare gratias & auxilia sua, prævidetque quod illis non sit abusurus, sed potius omni cum ardore eadem sit amplexurus, eisdemque strenue cooperaturus. Priusquam tamen ulterius progrediamur, advertendum est, quod media indubitata prædestinationis talia sint, quibus homo vel ad bonum, vel ad malum uti possit, Deus enim talia auxilia conferens, per eadem nequaquam libertati ejus præjudicat, & ideo potest illis correspondere, secundùm quod ipsi placet ; sciendum quoque est, quod certitudo indubitata electionis animæ prædestinatæ *se tenet ex parte divinæ præscientiæ*, adeo ut nihilominus verum futurum sit dicere, prædestinatus potest damnari, & simul certissimum erit dicere, quod non damnabitur, quia Deus ejus cum gratia cooperationem infallibiliter prævidit, certoque novit, ipsum cum gratia ad finem usque vitæ cooperaturum esse. Quod si Deus in prædestinatione ad gloriam contentus esset, ut nos operaremur sicut nobis placet, vel bene, vel male, ipseque nihilominus decretum salvationis nostræ firmiter tenere vellet, sive bene, sive malum operaremur, tunc utique occasionem habituri essemus, manus nostras in sinum recondendi, atque ab omni opere bono abstinendi, at vero res ita se non habet, sed decretum Dei est conditionatum : *Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum* ; Et ideo si loquamur de adultis ; *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Valentia I. P. q. 23.

3. Gregorius de Valentia huic à Patre mendaciorum excogitato errori, hunc in modum respondet : Si tu es prædestinatus, inquit virtuose, & meritorie operari debes, quia Deus cum hoc pacto te electorum numero inseruit, quia te vitam acturum Christianam prævidit, quod si non adimpleveris, clarum id nobis indicium erit, ex quo te præscitum esse, non vero prædestinatum, discernere possumus ;

punct. 4. ad finem.

Refutatur error dicentium si prescitus sum, non prodesunt mihi bona opera ; & econtra, si prędestinatus, &c.

Glossa super illa verba sancti Petri : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, ita scribit : *Certam facit vocationem suam, qui in bonis operibus perseverat.* Unde si tu destinatus fores ad ignem gehennæ, inquit hic idem auctor nulla alia assignari posset causa, præterquam peccatum tuum, ac proinde, peccatum ab anima tua cum omni conatu abarcere stude, sicque indicabis te esse ovem ovilis æterni illius pastoris, qui de ovibus suis dicit :

2. Petr. 1. 10

Gloss. ibid.

Joan. 10. 27

Oves meæ vocem meam audiunt. Quidam non spernendus author in hac materia egregie in hunc modum discurrit : Dæmon optime novit, quod qui à Deo electi sunt ad gloriam, salvabuntur,

Joan. 10. 28

Non peribunt in æternum, non rapiet eas quisquam de manu mea, scit pariter quod illi qui præsciti sunt, damnabuntur, cum igitur hoc noverit, cur quando in ijs tentandis laborat, non utitur hoc vel simili argumento (cum sit peritissimus Logicus :

Gen. 3. v. 1.

Serpens erat callidior cunctis, &c.) dicendo intra se ; Si hic est in libro vitæ immutabili & indelebili, quid proderit si ego *oleum & operam perdam*, siquidem ille nihilominus salvabitur ? Similiter si alter ab æterno est reprobatus, & consequenter damnandus, quid opus est, ut ego obices & offendicula per viam sternere satagam, ad quæ offendens cadat, cum sine illis offendiculis nihilominus sit damnandus ; at vero experientia omnium sæculorum teste, Dæmon similes discursus non format, scit enim certam esse hanc regulam, quod Deus non eligat animas ad gloriam, absque eo quod per media præordinata Deo cooperentur, suamque salutem in hac vita præsenti per opera bona certam faciant ; scit quoque Deum esse justum, qui proinde neminem damnabit ad infernum sine peccati mortalis demeritis, ac proinde tota diaboli industria ad hoc contendit, ut hominem quoad potest, peccatis mortalibus immergat, scit enim irrefragabile esse hoc veritatis æternæ axioma ;

Apoc. 21. 27

Non intrabit in eam (id est in cœlestem Jerosolymam) *aliquid coinquinatum.*

Confutatur idem error per aptas similitudines.

4. Nullus profecto reperietur, qui in actionibus naturalibus & humanis se remittat ad id, quod Deus circa illa statuit, ipse vero maneat otiosus, Deique decretis ex parte sua non cooperetur, quin potius unusquisque illa adhibet media, quæ ad finem intentum consequendum conducunt. Agricola non dicit, si Deus velit, ut ego in messe colligam frumentum, quid opus est, ut ego seminem ; Nequaquam ita discurrit ; licet rusticus sit, quin potius agnoscit Deum cum hac conditione decrevisse illi dare frumentum, ut prius terram excolat, debitoque tempore semen in eamdem jaciat ; Similiter infirmus non dicit, si Deus velit, ut reconvalescam, non erit opus ad remedia medicinæ confugere, quin potius verissimum esse novit, quod sapiens ait :

Eccli. 38. 4

Altissimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa ; Et ideo vocantur medici, pharmacopolæ, antidota meliora caro comparantur pretio, ipsique infirmi rigorosis se submittunt dietis, pillulis amaris, & ferri incisionibus : Ac proinde numquid stultum est, quod cum in rebus temporalibus, in salute corporali conservanda, vel recuperanda non acquiescamus illi, quod Deus hac in re decrevit, absque eo quod ex parte nostra simul cooperemur, attamen dum de æterna salute, de nostra ad gloriam prædestinatione agitur, adeo temerarij sumus, ut dicere audeamus, Deus nos prædestinavit, & elegit ad gloriam & hoc sufficit, nihil ulterius est opus, genio meo liberè indulgere possum ?

Insigne exemplum quo idem error confutatus fuit.

5. Ludovicus Landgravius Hassiæ qui S. Elisabethæ Ungariæ Reginæ maritus fuit carnalibus voluptatibus omnino deditus erat, ijsque qui eum de rebus ad animæ salutem pertinentibus monere solebant, hoc formato impiorum ignorantium dilemmate : *Si ego sum prædestinatus, quodcumque peccatum commisero, nihilominus salvabor, si vero sum præscitus, quid mihi bene & virtuose vivere proderit ?* Accidit autem, quod medicus ejus vir optima conscientia præditus, dum illum infirmum visitaret, occasionem captarit, tale ei præscribendi remedium, quod saluti ejus non solum corporali, sed & spirituali deserviret.

deſerviret. Agedum ergo, inquit illuſtriſſime Princeps, quid opus eſt medicinis, quia ſi adeſt ſtatuta mortis veſtræ hora, inutile erit omne remedium, ſi autem hora veſtra nondum advenit, ſanaberis utique tametſi medicinæ non adhibeantur; Cui loquendi modo ipſius medici Princeps infirmus indignatus, medico reſpondit; Deus hominibus de arte medicinæ proſpexit, ut remedia occurrentibus morbis præſcriberet, ac proinde niſi medicamenta adhibeantur, prævidere ſe, quod certo certius ſit moriturus; Quapropter prudens medicus confeſtim ſuum reaſſumpſit diſcurſum & oſtendendo ei, quanti referat æternam ſuam curare ſalutem, principem ab errore liberavit, cui per illud dæmonis ſtratagema hactenus illaqueatus fuit, ac proinde ſeriam cœpit agere pœnitentiam, quæ unicum eſt mortalis peccati remedium.

Stadier. tract. 12. ing. cap. 9. Cavendum eſt ne diſcurſu, vel lectione de prædeſtinatione ſpem noſtræ ſalutis minuamus, aut anxii reddamur.

6. Inter alia ſalutaria monita quæ egregius quidam vitæ ſpiritualis in hoc noſtro ſæculo peritus Magiſter quoad hanc materiam tradidit unum eſt, quo monet hominem ut ſibi caveat, ne per quemcumque diſcurſum vel tractatum, quem de prædeſtinatione fieri audit, vel legit, ſe conturbari, vel ſpem ſuam minui ſinat, & ſubjungit: Dico inſuper cum omnibus ſacris Theologis, quod tametſi alicui per expreſſam revelationem manifeſtaretur illum reprobatum eſſe, hoc tamen credere debeat, factum non eſſe per ſententiam definitivam, ſed modo comminatorio ut illum à peccato divertat; Adducitque quamdam D. Bonaventuræ doctrinam dicentis, quod ſi nonnumquam in mente noſtra aliquod de prædeſtinatione vel præſcientia divina exurgat dubium, hunc in modum dæmoni reſpondere debeamus: Tametſi ego præſcitus eſſem, & poſt hanc vitam Dei mei viſione non eſſem fruiturus, nihilominus ex omnibus viribus conari vellem illi fideliter inſervire, ne tanto bono in hac & in altera vita priver; Et quandoquidem Deus mihi pro futura vita infinitam quamdam præparat miſeriam, ego econtra in præſenti vita ſtudebo, ne ullum me prætereat momentum, in quo Dominum meum non honorem, omniaque mihi poſſibilia ei exhibeam obſequia. Numquid enim ſumme deteſtabilis eſſet ſtultitia, ſi ego in inferno æternaliter concremandus, etiam in hac vita inimici mei manibus me concredere, & ex propriæ voluntatis electione parti Satanæ adhærere vellem? Sicut guloſus præ foribus imminente Quadrageſima, carnibus ſe adimplet, adeo ut poſtea diu manducare nequeat, eodem modo reprobus, qui in futura vita jejunaturus eſt ſemper (*famem patientur ut canes*) in hac vita epulari ſatagit, prout dives epulo faciebat, *Qui quotidie epulabatur ſplendide.* Idem Author ut malitioſos hoſce ignorantes à dæmone deluſos confundat, aliam quoque adfert rationem; Ait enim: Scio pro certo quod Deus non obſtante quacumque reprobatione non poſſit deſinere is, qui eſt, cum ſit natura ſua immutabilis, nec poſſit fallere quempiam in ſuis promiſſis, ideo ad eum me recipiens ſtricte illum amplectar, nec dimittam, cum enim in Evangelio laudaverit eos qui regno cœlorum vim inferunt, & violenter rapiunt illud, me ſibi vim inferentem repellere non poterit, abſcondam me in vulneribus Redemptoris & Salvatoris mei, firmiter ſperans, quod inde me non exturbabit, cum ſancte nobis promiſerit dicens: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras;* Pedibus quoque ſanctiſſimæ ſuæ matris, quæ refugium eſt peccatorum, me advolvam, ſciens quod ab illa non ſim repellendus, tandem ſeraphicus doctor in hæc verba concludit: *Igitur in ſine dic diabolo, quidquid de me futurum ſit, à ſervitio Dei non deſiſtam, & væ tibi, qui non potes tanto Domino miniſtrare.* S. Aug. Religioſum quemdam reprehendit dicentem: *Qualiſcumque nunc ſim, talis ero qualem me Deus futurum eſſe præſcivit*, melius utique dixiſſet: *Talem me Deus fore præſcivit, qualis vel per me peccando, vel per gratiam Dei bene agendo eſſe voluero:* Demum vero hoc errore ſeductus, profectum in vita ſpirituali negligendo, & Religione eſt egreſſus.

S. Bonav.

S. Aug. de bono Perſever. c. 5.

Signum prædeſtinationis eſt verbum Dei libenter audire.

Joan. 8. 47

S. Aug lib. de Prædeſtin. Sanct. cap. 2.

7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Omnia prædeſtinatorum indicia, cooperationis noſtræ quam Deus à nobis requirit, expreſſiva ſunt & indicativa, neque enim cum adulti ſumus aliter ſalvari poſſumus, Salvator noſter inter alia hoc manifeſtavit prædeſtinationis indicium: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* S. Aug. idipſum confirmat inquiens: *Sicut nullum eſt majus ſignum prædeſtinationis æternæ, quam verba Dei libenter audire, ſic nullum magis ſignum æternæ reprobationis, quam nolle audire.* S. Bonaventura ſuper illa Chriſti verba: *Cognoſcunt me meæ*, id eſt oviculæ, ita ſcribit: *Cognoſcunt, id eſt, obſequuntur.* Albertus Magnus aliud notat prædeſtinationis indicium, inquiens: *Semper ante oculos bonæ ovis eſt Paſtor, ut illum ſequatur, & ſemper in oculis boni Paſtoris ovis eſt ut ab illo illuminetur.*

Joan. 10. 14 *S. Bonav.* *Alb. Magn.*

8. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hi porro qui electi ſunt, in bonis propoſitis ſuis nequaquam ſunt inſtabiles, memores effati illius à Salvatore pronunciati: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Enimvero per quotidianam experientiam videmus, quod ſi nonnumquam contingat, quod ovis aliqua extra obtutum ſe proripiat ſui paſtoris, vel à grege ſuo ſeparetur, continuo clamet & balando lamentetur, donec ad alias denuo conſortes redeat, ſeque directioni & ducatui paſtoris ſui ſe ſubmittat. Hæc quoque eſt prædeſtinatorum proprietas, qui ſi nonnumquam per fragilitatem vel per tentationem vehementem à ſemita recta, ſive bonorum conſortio devient, ſubito à Syndereſi malæ conſcientiæ interius ſtimulentur; Cujus contrarium reprobis contingit, qui deviantes à Deo, qui vera via eſt (*Ego ſum via & vita*) & in præcipitia corruentes, lapſum hunc nihili faciunt; Imo *impius*, ut ſapiens ait, *Cum in profundum venerit peccatorum contemnit.*

In bonis propoſitis perſeverare.

Prov. 18. 3.

9. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Salvator noſter verum prædeſtinationis characterem ad electos diſcernendum à reprobis, dilectionem eſſe dicit; *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Quod ipſum S. Auguſt. brevibus hiſce verbis confirmat: *Sola Charitas diſcernit filios Dei à filijs diaboli.* Hæc etenim virtus, utpote quæ omnium aliarum Regina eſt, eſt illa, quæ omnibus actibus & operibus noſtris valorem & dignitatem attribuit, ut à Deo acceptentur; Sine hac autem nullum opus bonum Deo placet; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, &c.*

Veram dilectionem habere.

Joan. 13. 35 *S. Aug. Tr. 3. in Epiſt. Joan.* *1. Cor. 13. 1.*

10. *A fructibus eorum, &c.* S. Bernardus tria conſiderat manifeſtationis ſigna, nam referendo textum illum S. Joannis: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & ſanguis.* Subdit: *Jam ut breviter repetam, à ſanguine, aqua, & ſpiritu habere eſt teſtimonium, ſi contines à peccatis, ſi dignos agis pœnitentiæ fructus, ſi facis opera vitæ.*

1. Joan. 5. 8 *S. Bern. hom. 2. in oct. Paſch.*

11. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Aliud quodam apud S. Joannem cap. 16. legimus prædeſtinationis indicium; Ait enim: *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Etenim reprobi non ſunt amici veritatis, ſed ficti, ſed fallaces. Unde de Patre ipſorum Chriſtus ait: *Mendax eſt, & Pater mendacii, cum mendacium loquitur, ex proprijs loquitur.* Et ideo in Apocal. præſcito dicitur: *Foris, qui amat & facit mendacium;* Econtra vero de electis, qui agnum immaculatum ſequuntur, in eadem Apocalypſi dicitur: *In ore ipſorum non eſt inventum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.*

Libenter audire & loqui veritatem.

Joan. 16. 3. *Joan. 8. 44.* *Apoc. 22. 15* *Apoc. 14. 5.*

12. *A fructibus eorum, &c.* Oves præ cæteris animalibus domeſticis ſolitudinem amant, & à locis habitatis averſionem habent; Idem quoque optimum eſt ſignum animæ alicujus prædeſtinatæ, ſi videlicet ſolitudinem diligat, unde Deus apud Oſeam animam electam his verbis alloquitur: *Cognovi te in deſerto, in terra ſolitudinis;* Et ideo Monachi à primis Eccleſiæ ſæculis foris extra civitates in ſolitudinibus habitabant. *Deſertiſſimas terras incolunt*, inquit S. Auguſt. *perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt.*

Solitudinem amare.

Oſee 13. 5. *S. Aug lib. 2. de mor. Eccle.*

13. *A fructibus eorum, &c.* Oves quoque diligunt & libenter depaſcunt herbas ſalitas, & ideo libenter paſcuntur, & facile ſaginantur in illis paſcuis, ubi ſal nitrum reperitur. Amant quoque arborum amara folia. Ecce tibi aliud ovium illarum, quæ ad dexteram vocabuntur, propriſſimum indicium, videlicet mortificatio paſſionis, tribulationum amaritudines, proprijque corporis macerationes. Unde S. Leo Magnus ait: *Tanto ſit rationalis anima præpotior, quanto fuerit ſubſtantia carnis afflictior.*

Mortificatio paſſionum.

S. Leo ſer. 2. de Jejun.

14. *A fructibus eorum, &c.* Notatu quidem digna ſunt illa Eccleſiaſtis verba: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Et quidem licet his verbis prædeſtinatos à reprobis difficulter diſcerni poſſe inſinuet, paulo tamen inferius manifeſtum aliquod prædeſtinatorum indicium adaperit, inquiens: *Et deprehendi nihil eſſe melius, quam lætari hominem*

Eccle 3. 21.

Quare prædeſtinati comparentur ovibus.

in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Apud S. Matthæum quoque dicitur, quod Judex in finali judicio *ſtatuet quidem oves à dextris ſuis &c.* at vero cur non potius animas beatas aquilis aſſimilat, cum ſacer textus dicat: *Sicut aquilæ volabunt, & non deficient?* Ant vero numquid opportunior comparatio foret, ob corporum glorioſorum reſurrectionem, ſi beatos Phœnici comparaſſet, hæc enim è cineribus ſuis revivificatur, & quaſi reſurgit? Reſpondetur, incarnatam ſapientiam, per hanc comparationem ab ovibus deſumptam, inſinuare voluiſſe, electos in tantum ad dexteram fore collocandos, in quantum in vita ſua operum bonorum fœcundi fuerint reperti, inter omnia enim animalia nullum reperietur utilius & fructuoſius ovibus. *Uberes enim & multi ab ovibus fructus proficiſcuntur*, inquit D. Chryſoſtom. *à lactis copia, ab elegantia lanæ, à fœtu, quibus omnium hædorum genus omnino caret.* Non enim ſolum nos carnibus ſuis nutrit, ſed & fœtibus, ſeu agnis ſuis nos ſuſtentat, ſuis ſe lanis exuit, ut nos veſtiamur; Pellis ipſius pro charta pergamena nobis inſervit, abundantiam quoque lactis copioſe ſubminiſtrat. Aliam vero rationem S. Thomas aſſignat dicens: *Quare bonus vocat oves? Propter quatuor; Inveniemus enim in ovibus innocentiam, patientiam, obedientiam, affluentiam fructuum.*

Matth. 25. v. 33.

D. Chryſoſt. hom. 80. in Matth.

S. Thom. in Matth.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Electionem ad gloriam, à Deo *ab æterno ex prævisis meritis* factam eſſe, oſtenditur, illiſque S. Pauli verbis: *Jacob dilexi, & Eſau odio habui*, reſpondetur.

THEMA.

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera ſua. Pſ. 61. ℣. 12.

Quæſtio inſtituitur an prædeſtinatio ex prævisis meritis, an vero ſine antecedente meritorū prævisione.

Becan c. 14. de prædeſt. lib 1. n. 7. & ſeqq.

1. INter Theologos valde ventilatur quæſtio illa, an Deus, animas ad gloriam ab æterno per infallibile decretum eligendo, & prædeſtinando, hoc faciat *ex prævisis meritis*, an vero ſine antecedente hac meritorum prævisione. Et prima quidem opinio eſt Deum prius conſideraſſe quid unaquæque anima in tali, vel tali ſtatu, & cum tali gradu gratiæ factura eſſet, & poſtea prævidendo cooperationem uniuſcujusque illarum, ſtatuiſſe illis dare gloriam. Secunda opinio tenet omnino oppoſitum, ſcilicet quod Deus prius animas illas ſalvare voluerit, quas volebat prædeſtinare, & ſtatim poſtea prævidiſſet eorum merita, eorumque cum gratia cooperationem. Porro ambæ hæ opiniones probabiles ſunt, multoſque pro parte ſua ſequaces enumerant, plentior tamen & utilior ad inſinuandum fidelibus in prædicatione verbi Dei ſecurior prima eſſe videtur, in cujus probationem ſequentes inſtituemus conſiderationes.

Prædeſtinatio electorū dependet à prævisione meritorum, & cooperatione noſtra.

2. Quamdiu præſens hæc vita durat, incerti vivimus, quinam prædeſtinati ſint, & quinam inter reprobos cenſendi. In judicio autem finali, poſt tot ſæcula, Deus utroſque manifeſtabit, ita tamen quod eodem tempore, quo hæc manifeſtatio fiet, rationem reddet, ob quam animas ab æterno vel elegerit, vel reprobarit. Videlicet allegabit opera miſericordiæ à prædeſtinatis exhibita, & à ſe ab æterno prævisa, econtra vero rationem condemnationis præſcitorum, dicit eſſe inhumanitatem erga proximos exhibitam. Porro ſuperius in præcedentibus diſcurſibus mentionem fecimus celeberrimi illius textus Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, qui certe non de voluntate Dei abſolute efficaci intelligi poteſt, alias enim omnes forent ſalvandi; Ergo ante prævisionem & præſcientiam meritorum vel demeritorum uniuſcujusque concludi poſſe videtur, quod quantum eſt ex parte Dei omnes ſalvare voluiſſet, at vero quia per altiſſimam ſuam præſcientiam, exiguam multorum prævidit cooperationem cum præſtitis ſibi auxilijs divinis, infallibilem decreverit reprobationem, fundatam tamen in ſua cognitione, quæ falli non poterat, ita quoque ex altera parte videns ſtrenuam multorum, conſtantemque cum divinis gratiæ auxilijs cooperationem ad finem uſque duraturam, eos elegit ad gloriam. Porro ante hanc prævisionem omnes in voluntate conditionata Dei, paris conditionis erant, tam præſciti, quam electi, quia tunc verificabatur illud Apoſtoli: *Vult omnes ſalvos fieri*; Unde igitur derivata eſt hæc inæqualitas, quod alij prædeſtinati fuerint ad æternam ſalutem, alij vero reprobati, cum

1. Tim. 2. 4.

tamen omnes ex eadem depravata & vitiata maſſa oriundi fuerint? Reſpondetur, id naſci ex prævitione demeritorum, quoad præſcitos: & meritorum, bonorumque operum, quoad electos, *quia tu reddes unicuique ſecundum opera ſua.* S. Petrus in epiſtola ſua prima Chriſtianis Ponti &c. in hæc verba ſcribit: *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis adventis diſperſionis Ponti Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithiniæ, ſecundum præſcientiam Dei Patris;* Ubi ultimis verbis inſinuat, eos ad fidem & legem Evangelicam à Deo fuiſſe vocatos, poſtquam ab æterno prævidiſſet eos cooperaturos eſſe ſuæ vocationi, cauſa vero ob quam S. Petrus Ly *Præſcientia*, non vero ly *Prædeſtinatio* uſus fuerit, hæc eſt, ut ſcilicet nos doceret, quod ab æterno à Deo electos eſſe ad gloriam, à ſcientia dependeat infallibili meritorum per quæ vocationi ſuæ cooperaturi erant, gloriamque ſibi comparaturi per opera bona. Unde S. Ambr. ait: *Non ante prædeſtinavit, quam præſciret, ſed quorum merita præſcivit, eorum merita prædeſtinavit.* Non defuere, qui quæſtionem totius de nomine, quam de ſubſtantia eſſe cenſerent illam, qua quæritur, an prædeſtinatio cauſam aliquam habeat ex parte noſtra prævisorum meritorum, ſiquidem adhibita una diſtinctione, omnis removeri poteſt difficultas: Vel enim per prædeſtinationem intelligimus æternam electionem ad gloriam, & præparationem auxiliorum in ordine ad illam conſequendam; vel executionem & adimpletionem illius, id eſt actualem gloriæ collationem, prædeſtinatis factam, ſi de prima ſermo eſt dicere convenit, prædeſtinationis nullam eſſe aliam cauſam, præterquam voluntatem & miſericordiam divinam; *Salvum me fecit, quoniam voluit me*; Si autem ſermo ſit de ſecunda, id eſt de executione, prædeſtinationis cauſa ſunt noſtra merita, ac proinde gloria ab Apoſtolo *corona Juſtitiæ* appellata fuit; Vult igitur Propheta Regius dicere: *Poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*, id eſt in prædeſtinatione concurrit miſericordia Dei, in præparatione & communicatione gratiarum ſuarum cœleſtium, per quas prædeſtinatus diſponitur ad conſequendam electionem; Et pariter ad eamdem concurrit juſtitia in adimpletione prædeſtinationis, quia illam lucramur in virtute meritorum, quæ operamur, ac proinde ſubdit: *Quia tu reddes unicuique ſecundum opera ſua.* Porro nobis hoc ſcire ſufficiat, quod electio, vel prædeſtinatio noſtra ad gloriam, perfici debeat à Deo per ſuam gratiam, & à nobis per cooperationem cum illa, perque opera eidem correſpondentia.

S. Ambr. l. 5. de fide c. 5.

Pſ. 17. v. 20.

2. Tim. 4. 8.

3. Dices fortaſſe, S. Paulum Apoſtolum opinionem tueri videri his quæ hactenus diximus, plane contrariam, prout patet ex Epiſtola ad Rom. c. 9. ubi dicit: *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſervet minori ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui;* Ubi S. Paulus per ultima verba ſe refert ad ſequentem Malachiæ textum: *Nonne frater erat Eſau, Jacob, dixit Dominus, & dilexi Jacob, Eſau autem odio habui?* Et vero certum eſt, quod hic textus unum ſit ex firmioribus fundamentis eorum, qui prædeſtinationem *ab æterno non ex prævisis meritis* fieri ſuſtinent, ac proinde ſi noſtram opinionem ſuſtinere velimus, neceſſum eſt videre, quid SS. Patres circa hunc textum cenſeant. Et quidem S. Cyrill. Alex. in Commentarijs ſuper Malachiam, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, ſcribit, quod cum Deus populo Hebræo, ſe illum dilexiſſe inſinuaſſet, veriſimile ſit, in mentem ei veniſſe ſervitutem, cui Deus illos ſubjacere permiſerat, ac proinde bona utitur ratione ad eos conſolandos, ſub ſilentio præteundo omne id quod illis acciderat: *Demonſtrationem amoris* (verba ſunt S. Cyrilli Alexandrini) *erga Judæos ſui, ad principium atque originem generis, id eſt ad Jacob revocat, quem ſe ait dilexiſſe, odiſſe autem Eſau, quamvis illius fratrem, tot enim ait Paulus, cum nondum nati eſſent, neque aliquid boni egiſſent, aut mali, Jacob elegit, ex quo genus Judaicum profectum eſt; Eſau autem rejecit ac reprobavit.* Ratio autem, quam S. Cyrillus ſtatim ſubjungit, eſt, quod hæc reprobatio non fuerit ſine cauſa, neque pro ſolo libitu facta, ſed quia priuſquam Eſau ex utero materno egrederetur, perverſus, & vitiatam ejus præviderit voluntatem; *Non eſt enim injuſtus Deus, neque in judicando in alteram partem propendet, ſed cum ſibi notum eſſet, qui illorum eſſent mores futuri, meliorem dilexit, ſicut Jeremiam, antequam in ventre for-*

Rom. 9. v. 11. Quid SS. PP. cenſeant de noſtra ſententia, de prævisione meritorum. *Malach. 1. v. 2.*

S. Cyrill. Alex. lex. in Comm. ſup. Malach.

matus esset, cognitum sibi esse ait; sanctificasseque illum, antequam è ventre exiret. Tandem vero postquam prolixe circa hunc textum discurrisset, ad nostrum intentum ita concludit: *Ergo ex præcognitione dilectus est Jacob; & Esau juste odio habitus.* Quod vero spectat ad S.Paulum, qui textum Malachiæ superius allatum respicit, respondetur, ipsum hanc Epistolam, in qua prædictus scripturæ locus habetur, ad Ecclesiam hanc misse Romanam, Religioni Christianæ noviter comparatam, in qua multi erant gentiles, qui legem Evangelicam amplexati fuerant, multi quoque reperiebantur hebræi, noviter facti Christiani, neuter autem ex hisce populis dogmatum & mysteriorum novæ fidei distinctam habebat notitiam; Unde gentiles gloriabantur sanguinem Redemptoris à Judæis effusum, sibi fuisse proficuum, utpote qui in gremium Ecclesiæ recepti ex inimicis facti essent amici Dei, & regni ipsius cohæredes; Judæi econtra sequaces Evangelij facti, monstrabant gentilibus, totum hoc beneficium immensæ misericordiæ Dei esse attribuendum, cui ipsi, scilicet Gentiles non fuissent cooperati, quemadmodum Hebræi, qui per tot sæcula antecedentia jugum legis Mosaicæ portando Deo inservierant; Iidem Hebræi lamentabantur contra Deum, quod illos reprobasset, & in locum ipsorum Gentiles idololatras, omnisque generis vitijs immersos substituisset; Conquerebantur etiam de Deo quod fidem promissionis antiquis ipsorum Patriarchis factæ non servasset, quodque erga populum adeo antea divino suo cultui rebellem adeo fuisset gratiarum suarum prodigus; Ut igitur S. Paulus Hebræos & Gentiles inter se tumultuantes compesceret, scripsit illis quod in cap.11. ejusdem Epistolæ ad Rom. continetur, ubi advertendum est, quod Gentilibus ne inaniter efferrentur, antidoti loco sequens tradiderit documentum: *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es, Noli gloriari adversus ramos; quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Quantum vero ad Hebræos attinet, hos in hoc capite duabus convincit propositionibus, quarum prima est, quod Deus numquam defuerit servandæ fidei promissionum suarum; Secunda, quod ab æterno certissime cognoverit illos, qui digni erant, sicut & eos, qui tales non erant, quodque acquiescendum sit divino ipsius judicio, quamvis nobis evidens non appareat ratio ejus, quod disponit; Verumtamen ne Hebræos illos, qui recens ad fidem se receperant, exasperaret, & ne pusillanimes efficeret Gentiles Neo-Christianos atque ut utriusque querelis satisfaceret, primo præfationem quamdam præmittit animis ipsorum aliqualiter mitigandis aptissimam, dum ait: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria*, ostendit præterea, quod ab origine, & progenie sua, nec non progressibus illorum facile arguere poterant, non omnes à Deo fore electos, quasi dicere vellet, vos miramini, quod cum omnes tamquam filij ab Abraham descendatis non tamen omnes de numero electorum sitis? In Isaac Deus progeniem suam se benedicturum promiserat, & tamen ab Isaac ab eodem Patre, ex eodem partu, in eodem temporis momento nati sunt duo filij, Jacob, & Esau, quorum unus electus, alter vero reprobatus fuit. Ab Abraha primo Hebraismi stipite à Deo electo, nati sunt Isaac, & Ismaël, A Jacob porro & Esau ex eodem partu natis, Deus nos discere voluit, quod acutissimo oculo suo penetret id, quod nos prævidere, aut quo nos pertingere non possumus; Homo enim judicare nequit aliud, quam hoc quod sub oculum ejus cadit, sed nec hoc adæquate judicare potest, cum intentionem, qua alius operatur, penetrare nequeat; Deus autem, ut sciat, quem hi vel illi homines habituri sint exitum, & quonam modo sint operaturi, non expectat, donec illi homines nascantur, siquidem ei præsentes sunt in æternitate; Non omnes illos qui ab Abraha & Sara, vel ab Isaac & Rebecca nati sunt, Abrahæ æstimat filios, id est eligit ad gloriam, sed solum illos qui veri futuri sunt Israëlitæ, quique se dignos tanto Patre filios esse monstrabunt. Quisnam vero verus sit Israëlita, Salvator noster clare definit inquiens: *In quo dolus non est*, tales autem de numero sunt prædestinatorum.

Quid sentiendum de illo S. Pauli dicto: Jacob dilexi, Esau odio habui. — *Rom. 11. 17.* — *Ibid. v. 18* — *Rom. 9. v. 3.* — *Joan. 1. 47.*

4. Martinus Becanus de hac materia reprobationis disserens, considerat, quod Apostolus Paulus ex professo disputet; Judæos repelli à gratia Evangelica propter incredulitatem ipsorum; Gentes vero ad illam admitti ex pura Dei misericordia. Et quia poterant dicere Judæi, non se solos, sed etiam Gentiles esse incredulos; Ac proinde non se magis, quam illos excludi oportere, ideo D.Paulus respondet, Deum in pari duorum causa posse uni plus largiri, quam alteri. Par erat causa Jacobi, & Esau, cum essent fratres gemelli, ex eodem partu nati, & tamen Deus unum alteri prætulit in temporali benedictione. Quare? Quia sic illi visum est. Par erat causa Pharaonis & Nabuchodonosoris, & tamen alterius misertus est Deus, alterum reliquit obduratum. Quæ causa? Dei voluntas; *Miseretur* enim *cujus vult, indurat quem vult*, & hoc totum optime per æquitatem manet ordinatum, cum Deus bene omnia faciat. Experientia quoque docet, quod ex duobus peccatoribus, qui luto viliores sunt Deus alterum assumat ad gratiam, ad ostendendam suam pietatem & misericordiam, alterum vero relinquit in peccato, ad ostendendam suam justitiam; Cur autem Deus uni hunc præstet favorem, & privilegium, alteri vero non, secretis ejus judicijs, ut suo loco dicemus, est reservatum. Cæterum indubitata veritas est, quod Deus neutri sua deneget auxilia; At vero reprobus vel ijs abutitur, vel illa à se repellit, justus vero illis cooperatur, Deus autem per altissimam suam præscientiam idipsum ab æterno prævidens, eum prædestinavit. S.Augustinus de Esau ita scribit: *Deus non odit Esau hominem, sed Esau peccatorem*; Prævidit enim Deus ab æternitate pessimam hujus sacrilegi vitam, qui proinde à sacra Scriptura *Profanus* appellatur, atque ideo ipsum per divinam suam præscientiam declaravit præscitum. Idem S. Doctor alio in loco prolixe hanc tractat difficultatem in Epistolis ad Sixtum, & ad Paulinum scriptis, observat autem quod quia S.Paulus tetigerat electionem Isaac, & reprobationem Ismaëlis, prævidens quod sibi objici posset, ideo Isaac à Deo privilegiatum fuisse, ut eligeretur ad gloriam, quia filius erat S. Matris, scilicet Saræ, alter vero reprobatus fuerit, quia genitus fuerat ab Agar ancilla, ideo immediate per sequens exemplum id nequaquam verum esse ostendit, quia Jacob & Esau ejusdem Patris & matris (qui ambo sancti fuerunt) filij erant, & tametsi ex uno partu fuerint progeniti, in electione tamen ad gloriam inæquales fuerunt, cum unus fuerit præscitus, alter vero prædestinatus; Cujus nulla assignari potest alia ratio, quam hæc: *Deus odit Esau peccatorem*; Prævidit enim Deus, quod cum omnibus auxilijs, quæ ipsi pro ejus salute subministraverat, non esset cooperaturus, sed potius in duritie & malignitate sua perseveraturus, & ideo mansit præscitus. Unde S. August. in hæc verba concludit, *dilectio Dei, & odium ex præscientia nascitur futurorum*; Sciebat Deus, antequam illum reprobaret, quod pro vili lentis edulio primogenituram suam fratri esset venditurus, idque per contemptum, *parvi pendens quod primogenita vendidisset*, quodque innumeris alijs sibi similibus futurus esset scandalum, & occasio, ut pro vili voluptate, pro vili lucro, ob vanum quemdam respectum jus venderent, quod habent ad gloriam. Legatis scripturam sacram, & fatebimini ingenue, quod Deus, cui notus erat, antequam natus esset, jure merito illum reprobaverit. *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau* (inquit de hoc impio homine alio in loco S. Paulus) *qui propter unam escam vendidit primitiva sua, Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim invenit pænitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisisset eam.* S. Augustinus alio in loco de eodem impio Esau inquit: *Esau omnes carnales, Jacob omnes spirituales significat, minores electi, majores illi reprobati; Vult & ipse eligi? Fiat minor.* Mox, quoque de Jacob subdit: *Cessit cibum voluptatis, & sumpsit honorem dignitatis, ita ex placito quodam inter eos factum est, ut ille major, ille minor sit.* Merito igitur Esau dici potest, quod in Discursu tertio probavimus: *Perditio tua.*

Becan. c. 14. de reprob. q. 5. n. 6. — *Quare Deus unum assumat ad gratiam, alterum relinquat ad pœnam.* — *Rom. 9. v. 18.* — *Deus nemini denegat auxilia gratiæ suæ.* — *S. Aug. lib. 1. ad simplician. q. 2.* — *S. August. Epist. 105. & Epist. 106.* — *Gen. 25. 34.* — *Ad Hebr. 16.* — *Ibid. v. 16* — *Ibid. v. 17.* — *S. August. in Psalm. 130.*

5. Idem S. Augustinus errorem Pelagianorum confutans, in ea fuit opinione, quod prædestinatio non fiat *ex prævisis meritis*; Alibi vero Patrum Græcorum opinioni adhærere videtur, siquidem in libro de prædestinatione Dei super illa verba S. Pauli: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Ita scribit: *Ex præscientia igitur offensionis, prædestinatio emanavit ultionis, sicut ex præscientia virtutis, prædestinatio fieri solet remunerationis;* Unde *Apostolus* ad

Rom. 9. 20 — *S. Aug lib. 83. quæst. c. 68.*

ad Romanos ait: Quos præscivit, hos & prædestinavit.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

An Deus ab æterno prius det gratiam, & postea gloriam, an vero è converso, disputatur, simulque ostenditur, quod licet à gratia nostra dependeat prædestinatio, in executione tamen nostra bona opera requirantur.

THEMA.

Gratiam & gloriam dabit Dominus. Psal. 83. ℣. 12.

Ps. 50. v. 8. — *In quibus Dei decretis consistat prædestinatio.* — *2. Tim. 4. 7.*

1. PRopheta Regius cui divina arcana revelata fuere (*Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*) seriem prædestinationis quoad electos, vivacissime exprimit dicens: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; Ubi primo dicit animæ prædestinatæ *gratiam* conferri. S. Paulus electionem ad gloriam cursui pro bravio acquirendo instituto assimilat, inquiens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*; At vero quisnam cursor ille fuit, in cujus societate cursum illum inchoavit? S. Apostolus ait: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; Optime igitur Psalmista ait primo: *Gratiam*, & postea: *Gloriam dabit Dominus.* In actu enim prædestinationis duo divinæ voluntatis decreta considerare possumus; Primum est illud, quo in hac præsenti vita prædestinato gratiam dare decrevit; Secundum est quo eidem in altera vita gloriam dare statuit. Primum decretum à scholasticis electio ad gratiam; Secundum vero electio ad gloriam vocatur, & in ambobus hisce decretis prædestinatio consistit, quia in primo confertur gratia tamquam medium ad gloriam, in altero vero datur gloria tamquam finis.

S. Aug. lib. de Prædest. cap. 10. — *An Deus prædestinato prius det gratiam, an vero gloriam.*

2. S. Augustinus in libro *de prædestinatione sanctorum* inquit: *Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero ipsa, donatio*; Et revera ita est, nam prima gratia non cadit sub meritum nostrum, bene tamen nostra cum illa cooperatio nos disponit ad promerendum illius incrementum. Notum porro est, quod in scholis controvertatur, utrum ex duobus hisce decretis præcedat alterum, id est, an Deus primo eligat ad gloriam, & postea det gratiam, vel è converso. Supponendum igitur est primo loco, quod in Deo non detur prius & posterius, quia per unum eumdemque simplicissimum actum intellectus in uno & eodem instanti elegit prædestinatum ad gratiam, & ad gloriam, absque eo quod actus intellectus multiplicet; Verumtamen Theologi, ut se ignorantiæ, & modicitati capacitatis nostræ accommodent, signa aliqua in Deo, Prioris, & posterioris, assignant, ac proinde dicunt, quod in primo signo Deus fecit unum, & in secundo alterum. Disputant igitur; An Deus in primo signo prædestinato gratiam dederit, an vero gloriam. Nonnulli in ea fuerunt opinione Deum prædestinatis prius præparasse gratiam, & postea gloriam, (ideoque Psalmistam prius dicere *gratiam*, & postea *gloriam dabit Dominus*, utpote qui universam generis humani vitiatam massam, voluntate, ut vocant, antecedenti, salvare voluit) postea vero unicuique animæ ad hunc finem consequendum de auxilijs sufficientibus prospexisse, siquidem ut alias diximus, *vult omnes homines salvos fieri.* Subjungunt insuper qui hanc opinionem sustinent, Deum alijs subministrasse gratiam efficacem, qua mediante prædestinatum ei cooperaturum esse prævidens, eumdem *eligere* ad gloriam, indeque colligunt quod decretum electionis ad hanc, sit post decretum electionis ad gratiam, hancque dicunt fieri *ex prævisis meritis.* Alij nihilominus in ea sunt opinione, quod Deus prædestinatum primo eligat ad gloriam, postea vero determinet media ad illam consequendam, quæ sunt gratiæ divinæ auxilia, unde dicunt, quod sicut per voluntatem suam antecedentem in primo signo statuit, ut omnes salvarentur, ita in secundo donavit omnibus gratiam sufficientem ad hunc effectum consequendum, in tertio vero decrevit dare gloriam prædestinato; Denique in quarto signo gratiam quæ licet ut medium ad acquirendum finem, scilicet gloriam, prior est fine, prior inquam in ordine executionis, attamen in ordine intentionis, prior est medio quia primo intenditur finis, id est, gloria, & postea medium, id est, gratia. Quidquid sit, tam una quam alia opinio est probabilis nihil enim quoad hoc de fide decisum est, sive à sacra scriptura, sive à Concilijs, sive ab Ecclesia; à quanam vero parte veritas subsistat, nostra parum interest. Certum porro est, quod finis electionis, vel prædestinationis sine gratia assequi nequeat, hoc enim ab Apostolo sequentibus solemnibus verbis aperte decisum legitur: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis, ita scribit: *Ostendit tres effectus prædestinationis, primus est infusio gratiæ; secundus remissio peccatorum; tertius adoptio gloriæ in futuro.* Ly porro *prædestinavit*, hoc sensu interpretandum est: id est, *per appositam gratiam præparavit: hic ponitur causa pro effectu: Et nota, quod hoc verbum, prædestinavit, sonat in partem significationis, id est in appositionem gratiæ, & non in alteram, id est, in adeptionem gloriæ in futuro.* Ubi vides totam prædestinationis substantiam ad præparationem gratiæ reduci. Unde præfatus Cardinalis concludit, quod prædestinatio tria potissimum dicat, scilicet, *Dei prævisionem; Gratiæ infusionem; Gloriæ adeptionem; Primum est causa secundi, & secundum tertij.* Unde si prædestinationem hoc sensu accipiamus, in quantum est quædam *ab æterno* facta gratiæ divinæ præparatio, nequaquam, ut in discursu præcedenti probatum est, dici potest, quod prædestinatio fiat *ex prævisis meritis*, quia hæc gratiæ præparatio, mera est Dei bonitas. Unde S.Augustinus ait: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum.*

Finem prædestinationis non acquirimus sine gratia. — *Rom. 8. 30.* — *Hug. Card.* — *S. Aug. lib. de fide ad Petr.*

3. Enimvero quia eorum qui pro bravio currunt, mentionem fecimus, ponamus casum quod Princeps qui bravium statuit & exponit pro illis, qui currendo primi omnium attingunt ad metam, quod inquam is bravium illud à quodam speciali amico suo comparari desideret, quid faciet, ut intento suo potiatur? Utique equum velocissime currentem ei præparabit, eumque de omnibus ad expeditum cursum necessarijs instrui faciet. Idem igitur Deus quoad prædestinatos facturus erit, auxilia namque efficacia illis præparat, ut ijs cooperantes bravium sibi æternæ gloriæ acquirere possint; Et vero idipsum forsitan est, quod Psalmista dicere voluit, dum ait: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.* S. Joannes Apostolus, in Apocalypsi in capitis Christi vertice multas coronas conspexit: *In capite ejus diademata multa.* Quarum coronarum mysterium S. Bruno hisce verbis declarat: *Quia scilicet in singulis sanctis coronatur Christus. Omnis enim eorum victoria Christus est.* Propter merita quippe filij Dei, auxilia & gratiæ divinæ electis distribuuntur, in virtute quorum ijsdem cooperando coronantur, adeo tamen ut in harum coronarum merito, electi magnam partem habeant; Nam ut S.Augustinus ait: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* S. Apostolus ad Philippenses scribens idipsum confirmat, dum ait: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* S. Bernardus *de Gratia & libero arbitrio*, nec non de divinæ gratiæ efficacia disserens ita scribit: *Ipsa liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum; Sanat cum immutat affectum; Roborat ut perducat ad actum, servat, ne sentiat defectum.*

Apta similitudine declaratur auxiliũ gratiæ ad cooperandum prædestinationi, necessarium esse. — *Ps. 102. v. 4.* — *Apoc. 19. 12.* — *S. Bruno ser. 3. de Martyr.* — *S. August. de grat. & lib. arb. c. 16.* — *Philipp. 2. v. 13.* — *S. Bern. de grat. & l. arb.*

4. Verbis Psalmistæ: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, fidem, robur & testimonium perhibent tam sacra scriptura, quam SS. Patres. Etenim S. Paulus in Epistola ad Romanos ait: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Et in Epistola ad Titum ait: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* In secunda Epistola ad Timotheum de vocatione, quam primam gratiam, electionem operantem esse dicit, ita scribit; *Vocavit nos vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam.* Et ratio est, quia in homine in natura depravata constituto, priusquam Deus eidem primam det gratiam, non est nisi peccatum, & demeritum: solæ autem naturales liberi arbitrij nostri vires, ad gratiam promerendam non pertingunt: Siquidem cum dari debeat proportio inter meritum & præmium, vires naturæ non sunt proportionatæ ad gratiam. Senio-

Rom. 11. 6. — *ad Tit. 3. 5.* — *2. Tim. 1. v. 9.* — *Nemini deest sufficiens gratia ad cooperandum ad nostram electionem.*

Apoc. 4. 10. — Rup. Abb. l. 4. ibid. — Rom. 3. v. 24. — Concil. Trid. Sess. 6. c. 8.

res illi in Apocalypsi, depositas è capite coronas, ad pedes agni immaculati demittebant (*Mittebant coronas suas ante thronum*) per hoc insinuare volentes, quod æternæ beatitudinis diademata auxiliis & gratiis à Deo ipsis ministratis in acceptis referant, Unde Rupertus Abbas ait : *Mittunt ergo ante thronum coronas suas, considerantes quod non suis meritis, sed gratiæ prævenientis & subsequentis misericordiæ coronas assecuti sunt.* S. Apostolus in alio loco, scilicet in Epistola ad Rom. inquit : *Justificati gratis per gratiam ipsius :* Quæ verba sacrum concilium Tridentinum in hæc verba explicat : *Gratis justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.* Opus enim non est meritorium de condigno, nisi procedat ab homine in gratia & amicitia Dei constituto : Certum est autem, hoc fieri non posse, nisi gratia prius homini communicetur : Et vero nulli deest gratia sufficiens quæ tunc fit efficax, quando ei nostra cooperatio adjungitur, qua deficiente à nobismetipsis in præscitorum catalogum inserimur.

Finem ultimum prædestinationis assequi non possumus nisi cooperando per bona opera.

5. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Deus quidem dat gratiam, non tamen semper dat gloriam, quia multi gratiæ per opera digna non correspondent : Et tametsi electio nostra effectus sit principalis misericordiæ Dei nos prædestinantis, attamen nos vere tales esse, ex bonis operibus agnoscemus, quia hæc sunt conditio, sine qua non, ad finem consequendum. Porro sive electio nostra fiat *ex prævisis meritis*, sive *sine prævisione antecedente*, sive an Deus prius det gratiam ab æterno, & postea gloriam, sive è converso, hoc scire parum nostra interest, cum certi simus, per sacram scripturam, per concilia, per Theologos, & Sanctos Patres, quod finem ultimum prædestinationis consequi non possimus, nisi huic ex parte nostra per opera bona correspondeamus. Ostendamus idipsum in familiari exemplo ; Si magnus aliquis Princeps ab aliquo magnatum suorum rogaretur, ut munus aliquod excellens filio suo conferre dignaretur : Hic autem in ordine ad effectum obtinendi gratiam postulatam in hæc verba responderet : Statui apud me filio tuo infallibiliter dare, quod pro illo postulas, volo tamen, quod prius illud per generositatem & industriam suam sibi comparet : Aut vero ponamus quod huic petitioni hoc modo respondeat : Scio quod filius tuus opportune usurpaturus sit arma & auxilia, à me eidem subministranda, ut munus hoc consequi valeat : Ac proinde petitum munus ei conferre decrevi. Certum est quod tam in primo quam in secundo modo respondendi necessariò requiratur cooperatio illius, cui munus petitum est conferendum. Idem ergo in præsenti casu nostro dici potest. Quotquot enim opiniones Theologorum adinvenit ingenium, sive doctrina, omnes in hoc conspirant, ut veritatem hanc catholicam, & ineluctabilem afferant, scilicet quod ad hoc ut adultus aliquis ad effectum prædestinationis suæ pertingat, necessarium sit, ut talis adultus auxiliis sibi subministratis cooperetur, secus enim si faciat, illum de præscitorum numero esse quilibet haud immerito dicere poterit. Venerabilis Beda ait : *Sicut prædestinatio ad mortem non cogit malos ad mortem, sic etiam prædestinatio ad vitam, non cogit bonos ut salventur ; Sed cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis & precibus nostris obtineatur.* Adducitque Abrahæ exemplum, cui licet promissum fuisset, quod in Isaac filio suo numerosam habiturus esset prolem, attamen Rebecca uxor illius diuturno tempore sterilis permansit : Licet post factam ab Isaac orationem, Deus illam mox feliciter concipere fecerit : Unde sequens format argumentum : *Si ergo promisit Deus fœcunditatem, & dedit sterilitatem, Isaac autem oravit, quid aliud est, nisi quod oratio prædestinationem obtinuit ? Unde colligi potest, quia ita Deus nobis sua bona promittit, ut tamen labore nostro acquirantur, sed si voluerimus, ad laborem, in omnibus quæ bene agimus, nobis cooperabitur.* Glossa interlinearis rationem reddit, cur Isaac pro conjugis suæ fœcunditate oraverit, ait enim : *Ne totum humano consilio tribuat, adjungit orationem, quia Dei prædestinatio precibus adjuvatur.* S. Gregorius ad propositum nostrum sequentem adducit sententiam, inquiens : *Ipsa quoque cælestis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hanc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula donare disposuerat.* Quando duo illi ambitiosi fratres, mediante matre à cælesti Magistro primas in regno ejus sedes postularunt, quodnam ab eo retulerunt responsum ? *Non est meum dare vobis*, respondit salvator ; At vero quomodo hoc dicere poterat, qui apud S. Joannem expresse dixerat : *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur ?* Numquid erant de numero illius pusilli & electi gregis, cui hanc stipulatam fecit promissionem : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum ?* Quidnam pro hujus dubii solutione responderes ? Pro responsione imaginemini vobis, quod Princeps aliquis præmium magni valoris proposuerit lucrandum, vel à currente pro bravio, vel hastiludio adversus alium se exercente, hic enim si quidam ex amicis suis præmium illud alteri dari postularet, utique responsurus esset : *Non est meum dare tibi, sed quibus paratum est.* Ita quoque Christus duobus illis Apostolis dicere voluisse videtur ; Verum quidem est, quod ad regnum illud sitis prædestinati, hoc tamen sub hac factum est conditione, si videlicet vitam duxeritis apostolicam, vestrisque meritis illud fueritis lucrati. S. Thomas Doctor angelicus inquit : *Et hoc secundùm prædestinationem divinam non est meum dare vobis, sine merito, sed quibus paratum est*, hoc est, ut Theophylactus ad bravium alludens inquit : *His qui cucurrerint, & vicerint.* Nec valet dicere : Ego sum prædestinatus, quia Deus cum hac conditione te elegit, ut curriculum tuum strenue & generose absolves.

Probatur familiari exemplo. — Beda in lib. quæst. q. 3. — Gloss. interl. ibid. — S. Greg. l. 1. Dial. — Matth. 20. v. 23. — Joan. 10. 9. — Lucæ 12. 32. — Matth. 20. v. 23. — S. Thom. ibid.

Adducitur exemplum S. Pauli, in periculo naufragii existentis. — Act. Apost. 27. v. 23. — Ibid. v. 31.

6. In Actibus Apostolicis iter S. Pauli, quod huc Romam versus instituit, describitur, in quo, tempore periculosissimæ cujusdam tempestatis, omnes qui secum in navi erant viatores, securos esse jussit, quod salvi & incolumes portum assecuturi, & minime in illo periculo perituri essent : *Astitit mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio, dicens : Ne timeas Paule, ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum* ; In hac igitur indubitata certitudine, cuipiam videri potuisset. S. Paulum debuisse monere naucleros, ut ab omni prorsus labore supersederent, eo quod pro evasione illius periculi nullam penitus oporteret facere diligentiam, aut industriam ; Et tamen Centurioni dixit, quod si naucleri & milites in fugam se recepturi essent, sine dubio forent submergendi : *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* At vero dices fortasse, quodnam S. Apostolo, post factam ab æternæ veritatis Deo promissionem, dubium esse poterat ? Quo fine post illam revelationem opus erat ejicere anchoram, vela submittere, totque alias industrias ibidem à S. Luca distincte relatas adhibere ? Respondetur, Apostolum probe intellexisse, quod tametsi Deus, in gratiam Apostoli navigantes illos præservare voluerit, omnino tamen necesse fuerit, ut illa adhiberent media, quæ ad periculi illius evasionem opportuna esse videbantur, neque enim conveniens erat divinam tentare misericordiam. Simili modo quod si nos per mare hujus vitæ navigantes revelationem aliquam habuissemus, quod scilicet non obstantibus tot tentationum tempestatibus, quæ quotidie occurrunt, salvi nihilominus & incolumes ad portum paradisi appulsuri essemus, advertendum tamen nobis esset, quod promissio nobis facta salutis, conditionata sit, non enim Deus nos salvare intendit absque eo quod etiam nos pro parte nostra saluti nostræ cooperemur ; Nam *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* At vero dices, quis invenietur, qui hanc se salvandi voluntatem non habeat ? Respondeo hoc quidem verum esse, nihilominus ut superius ex sententia S. Vincentii Ferrerii notavimus, vera voluntas appellatur illa, quæ media adhibet ordinata ad consequendum hoc quod volumus, at vero quando hæc media negliguntur, & tamen nos velle dicimus hoc velle non *voluntas*, sed *velleitas* appellatur, & hujus velleitatis, ut dici solet, infernus est refertissimus.

Item exempla Saülis reprobati, & Davidis electi.

7. In Sacra Scriptura Saülem à Deo regnum Israëlis electum ; illoque spiritu sancto teste, in universo populo neminem meliorem fuisse legimus, & tamen finaliter fuit reprobatus, eo quod in obedientia erga Deum ad finem usque non perseveraverit. Similiter David jussu Dei à Samuële in Regem unctus fuit eo tempore, quo in agris oves pascebat ; De

promissione divina nullam habebat dubitandi rationem, attamen ut illa circa ipsum adimpleretur, non jam amplius in agris, & in sylvis moram trahere continuavit, sed in campum ad prælium processit ; Regiæ Saülis servire cœpit, per varia generosa facinora eximiam sibi famam acquisivit, filiam Regis in sponsam sibi adoptavit, atque post hujus mortem nullum non movit lapidem ; ut ad thronum Regium ascendere posset ; At vero quid opus erat ; tam solicite media ad sceptrum Regium conducentia adhibere, quando se infallibiliter regnaturum esse certo præsciebat ? Respondeo Deum pro adimplendis & perficiendis suis promissis, nostram requirere cooperationem ; Quod idem verum est, cum agitur de regno cælorum acquirendo ; tametsi enim ad hoc à Deo electi simus, ipseque nos quotidie in oratione Dominica dicere docuerit : *Adveniat regnum tuum*, id tamen cum hac fieri debet conditione, quæ immediate subjungitur, ut scilicet *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra* ; Et quia *in lege Domini voluntas ejus*, ideo ut regnum cælorum possideamus, necessariò requiritur divinorum præceptorum adimpletio, vult enim Deus ut illud per opera meritoria nobis lucremur.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Licet Deus majora gratiæ auxilia electis conferat, ob hoc tamen reprobi lamentari non possunt, justa enim & occulta Dei judicia veneranda sunt, non vero discutienda.

THEMA.

Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Rom. 9. ℣. 21.

Explicatur quisnam sit genuinus hujus thematis sensus & intellectus.

1. EX quo S. Paulus similitudinem à figulo luti desumptam in medium adducit, seriem prædestinationis & reprobationis nobis insinuare velle prima facie videtur ; Argumentum vero quod inde format ; hoc est ; Si artifex in sua officina ex una massa luti pro suo libitu facere potest hinc vas honorificum, inde vero vas vile & contemptibile, cur Deus non poterit ex massa vitiata generis humani, & ex hoc luto, alios eligere ad gloriam, alios vero reprobare ? Advertendum vero est, quod Apostolus hoc loco non loquatur de distributione gratiæ sanctificantis, quæ semen est gloriæ, sed *de gratiis gratis datis*, cujusmodi sunt, v. g. donum miraculorum, variarum linguarum, Prophetiæ, & similia, de quibus tunc nonnulli illius sæculi fideles extollebantur, alii vero lamentabantur se illis fuisse privatos ; Aliqui vero sacri expositores opinati sunt hanc similitudinem directam fuisse ad prædestinationem, siquidem Apostolus monstrare voluit, Deum non habere minorem authoritatem super hoc hominis lutum quam artifex seu figulus habet, super suam luti massam. S. Paulus dum adhuc Saülus esset, *erat vas in contumeliam spirans minarum, & cædis in discipulos Domini* ; Ad hoc se demiserat, ut officium lictoris, ut ita dicam, subire non erubesceret, nam *petiit epistolas, ...ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem* ; At vero ex summa Dei bonitate transmutatus est in vas honoris ; *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Regibus &c.* Poterat quidem Deus illum in sua cæcitate deserere, at vero compassione motus : ipsum illuminare decrevit, quia *circumfulsit eum lux de cælo* ; Quæ certe in ipso otiosa non permansit, sed ad cooperandum illi promptissimum se exhibuit dicendo : *Domine quid me vis facere ?* Verum ut ad prædicti thematis verba revertamur, considerandum est, intentionem S. Pauli eo in loco esse, ut nobis insinuaret, quod circa Dei de nobis dispositionem illam habere debeamus indifferentiam, quam lutum habet in manibus figuli positum, utpote qui illud modo sibi collibito tractat, & effingit ; Ita Deus de donis suis, de gratiis gratis datis, de auxiliis particularibus & specialibus pro libitu & beneplacito suo disponit, ita tamen ut numquam homini deesse patiatur gratiam sufficientem, & auxilia sufficientia, & necessaria ad salutem. Universum namque genus humanum in manibus Dei est, veluti ingens quædam luti Massa (*Memento quæso quod sicut lutum feceris me,*) numquid vero præsumptuosa & arrogans foret temeritas, si lutum vellet fieri aurum ? Quam enim habilitatem, aut quod jus lutum habet ad appetendam conditionem metalli tantæ nobilitatis & valoris ? Homo post amissum in primo Patre innocentiæ statum amisit pariter & jus quod illi datum fuerat ad gloriam ; Quod si autem nihilominus à Deo ad hanc gloriam prædestinatus fuit, id ex mera Dei bonitate factum est, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* ; *id est*, ut Hugo Card. explicat : *Ex quo gratia & gloria est ex prædestinatione solius Dei, non est, supple, velle bonum volentis*, Psalm. 36. *Apud Dominum gressus ejus dirigentur* ; Jerem. 10. *Scio Domine quia non est hominis via ejus* ; 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis &c. ergo multo fortius hec facere* ; *Et hoc accidit nobis, quia vis volendi est in homine vulnerata, & claudicat, nec recte potest ire, nisi à Domino dirigatur.* Dicite igitur, vos obsecro, cuinam temerariæ hujus luti prætensiones innituntur, per quas ambit fieri vas in honorem ; audetque prætendere gloriam, cum tamen à semetipso ne unicam quidem bonam cogitationem sine Dei auxilio possit concipere ? Lutum ex sua natura aliam figuram facere nequit, quam illam quam natura sua habet ; Calcatur quidem omnium pedibus, & ad vilissima ministeria adhibetur, neque tamen justam habet causam exinde dolendi ; siquidem hoc ipsum propriæ debet vilitati attribuere. Quod si vero artifex luto utatur ad faciendum inde vas aliquod honorificum, hoc totum soli ipsius attribuendum est bonitati.

Act. Apost. 9. v. 1. — Ibid. v. 2. — Ibid. v. 15. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 6. — Homini numquam desunt gratia, & auxilia sufficientia ad salutem. — Job 10. v. 9. — Rom. 9. 16. — Hug. Card. ibid. — Ps. 36. v. 23. — Jer. 10. 23. — 2. Cor. 3. 5.

Quare Deus potius comparetur figulo, quã sculptori aut aurifabro.

2. Dic sodes, quo mysterio Creatori nostro potius attribuitur titulus Figuli luti, quam sculptoris ; vel aurificis, vel alius aliquis similis, cum tamen hi artifices materia utantur longe nobiliori quam sit lutum, marmore videlicet ; vel auro, aut argento ? Certe similitudo aptior ad materiam prædestinationis explicandam adhiberi non poterat, quam ea quæ à figulo luti desumpta ab Apostolo fuit, quia materia quæ in officina supremi artificis elaboratur, luti, non vero auri habet proprietatem. Dum enim Aurifex vas aliquod aureum pro usu altaris, vel ad mensam Principis alicujus elaborat, vas illud, si rationis compos esset, tali artifici se non multum obligatum esse, agnosceret, quia cum sit metallum natura sua adeo pretiosum ; de jure hæc ei prærogativa convenit, ut altaribus, vel mensis Regis ad ornatum cedat ; At vero lutum à figulo ad res viles adhibitum ; non habet causam dolendi, cum sit terra, imo magni beneficii loco æstimare debet, si ex summo figuli favore & gratia ad usus valde nobiles adhibeatur, vel in vas honoris fabricetur, sic enim supra naturam suam exaltatur. Unde Rupertus Abbas ait : *A figulo luti argumentum similitudinis competenter eduxit ; figulus namque luti nihil luto adimit, faciendo de illo vas in contumeliam, cum ipsum lutum contumeliosum sit ; multum autem illi confert, cum ex eo vas in honorem facit.* Eodem quoque modo si Deus nos in luto stare permittat ; nullam nobis facit injuriam, quia lutei sumus, at si ex hoc luto nos evehat, atque in aurum transmutet ; summam nobis gratiam præstat, cum nulla apud eum merita, imo multa demerita reposita habeamus. *Nullam elegit dignum*, inquit S. Augustinus, *sed eligendo efficit dignum* ; Similiter de reprobis inquit : *Nullum punit indignum.* Scitisne causam cur reprobi in luto & sordibus suis remaneant ? Ideo nimirum quia se à manibus supremi artificis tractari & regi non permittunt : *Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*, inquit Deus per os sapientis. Et S. Augustinus ait : *Si in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum est munus Dei, sine quo nullius boni operis fructus acquiritur ; si autem ab his receditur, atque vitia & peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit, antequam ille deserat, & facit plerumque ne deserat, aut etiam si recesserit, ut redeat, Cur autem illum retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare, cum scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & esse ab illo quod ruitur.* Ex quibus ultimis verbis deducitur, non esse Dei culpam quod in nostro luto defectu maneamus.

Rup. Abb. lib. 10. in Gen. c. 37. — S. Aug. lib. 5. cont. Julian. c. 3. — Prov. 1. 24. — S. August. in Resp. ad 14. art.

3. In libro *de vocatione gentium*, qui S. Ambrosio, vel S. Prospero attribuitur, tres præcipue leguntur Veridicæ propositiones, quarum prima est : *Pro-*

Tres notabiles propoſitiones modū prædeſtinationis declarantes.

ſictur æternum & proprium eſſe divinæ bonitatis, ut omnes homines ſalvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Secunda eſt: *Omnem hominem qui ſalvus fit, quique ad agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari, ac regi, atque in ſide quæ per dilectionem operatur, ut permaneat, cuſtodiri.* Tertia eſt: *Temperanter & ſobrie proteſtatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem.* Ex quibus tribus fundamentis clare liquet, quod divinæ gratiæ auxilium nulli hominum deſit, ut ſalvari poſſit; & hæc gratia data eſt ſine merito, ad hoc ut mereri poſſimus, quod ad ultimum finem conſequendum omnino eſt neceſſarium.

An in nobis ſit aliqua cauſa ob quam prædeſtinemur, aut reprobemur.

4. Quæſtio eſt ſatis agitata in ſcholis, an in nobis aliqua inſit cauſa, ob quam ab æterno prædeſtinati aut reprobati ſimus. S. Auguſtinus licet in multis locis cum perplexitate hac de re ſcribat, nihilominus Pelagianorum hæreſim profligare volens, in eam deſcendit opinionem, quod tota humana natura à peccato originali contaminata à cælo exulare meruerit, poſteaquam vero Deus ex tota hac ingenti maſſa, per meram pietatem ſuam aliquos elegit, quos prædeſtinavit ad gloriam, præparando illis ad hanc conſequendam media; Alios vero in luto reliquit, non tamen illis negando auxilia ſufficientia ad reſurgendum, licet ſpecialia illis non miniſtret; In primis, ſcilicet prædeſtinatis Deus immenſæ miſericordiæ ſuæ ſpecimen edere voluit, in ſecundis vero id eſt reprobis notitiam ſuam demonſtrare decrevit, non dando illis, niſi quod ad propriam ſalutem operandam ſufficit; De hac materia S. Aug. in lib. *de Correptione & gratia* cap. 7. diffuſe ſcribit, & inter cætera modum, quo Deus ad bene dirigendos electorum ſuorum greſſus utitur, his verbis exponit: *Hæc omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Quod vero ad ſummam utilitatem noſtram advertendum, eſt illud, quod videlicet nullus rationabiliter de divina juſtitia conqueri poſſit, cum enim univerſa maſſa naturæ humanæ contaminata, & æternæ perditionis rea eſſet, Deo nihilominus ex ſola bonitate ſua ipſam univerſam indifferenter ad gloriam comparandam diſponere & habilitare complacuit (*Vult omnes ſalvos fieri*) omnibus media ſufficientia ſubminiſtrando, quibus ab exilio paradiſi eximere ſe poſſint. At vero quænam eſt cauſa quod nihilominus tot damnentur? Reſpondeo hoc inde fieri, quia ex parte ſua gratiæ per liberum arbitrium non cooperantur, quæ gratia alias per hanc cooperationem ex ſufficienti efficax redderetur.

S. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 7.

Gen. 40.

5. Duo Pharaonis aulici, una cum Joſepho in carceris compedibus conſtricti tenebantur, quorum unus gratiæ Regis denuo reſtitutus, alter vero ſupplicio affectus fuit. Rupertus Abbas verba illa Exodi adducens: *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*, ita ſcribit: *Ecce & hic miſertus eſt cui vult, & clemens fuit in quem ſibi placuit, an hoc in illo quiſquam reprehendet? Non utique cum firmamento rationis. Quis porro neſciat mundum univerſum, totamque maſſam generis humani, ſic fuiſſe in manu Dei, tamquam duos reos in manu Regis? Etenim in quo Adam peccavit, univerſi per illum ſumus rei & vincti; Ergo duo ſunt rei, ſed unus aſſumitur, & alter relinquitur. Adducit quoque verba illa S. Pauli: Tu ergo ô homo, quis es, ut reſpondeas Deo, cum Pharaoni reſpondere non poſſis? An non habet poteſtatem Deus, contra quem reatus admiſſus eſt, ſaltem unum æque ut Pharao condemnare, & ab alio pœnam exigere? An non habet inquit Apoſtolus ad Rom. 9. figulus poteſtatem &c.* Adducit quoque ſequentem Jeremiæ textum: *Et nunc Domine, Pater noſter es tu, & nos lutum, & fictor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos.* Deus autem, qui in ſua bonitate infinitus, & homine ſuperior eſt, licet univerſum hoc lutum noſtrum in ignem gehennæ irremiſſibiliter abjicere potuiſſet, nihilominus potenti gratiæ ſuæ manu idem lutum ad reparandos ſupernæ Jeroſolymæ muros habilitare voluit; Et quidem certum eſt, quod ex parte ſua voluntate antecedenti omnes ſalvos fieri voluerit. Quod vero Deus poſtea per occulta ſua judicia, quæ nulli manifeſtabit, majora auxilia uni dare decreverit, quam alteri, idipſum facile excuſari poterit, iiſdem verbis quibus paterfamilias operarijs vineæ ſuæ injuſte conquerentibus, quod eamdem mercedem acciperent; qui circa veſperam laborare inceperant, quæ data fuerat illis, qui tota die portaverant pondus diei, & æſtus, reſpondit, ſcilicet: *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt & vade; Volo autem huic noviſſimo dare, ſicut & tibi, annon licet mihi, quod volo facere?* Enimvero univerſum genus humanum jure merebatur infernum; Et tamen univerſum idem genus habilitatum fuit ad gloriam, omnibuſque ſine ullo merito ad eamdem gloriam conſequendam præparata fuerunt auxilia. Quod vero Deus per ſuam bonitatem, vel per occulta judicia ſua (Qui tamen *omnia in Sapientia facit: Bene omnia fecit*) majores gratias donare voluerit uni; quam alteri, hujus rei cauſa nequaquam culpandus venit, utpote creaturarum ſuarum abſolutus Dominus; *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* S. Ambroſius, vel quiſquis eſt auctor libri de *vocatione gentium*, hac de re ita ſcribit: *Si de parentum carnalium judicijs conqueri non audemus, cum aliquos filios ſuos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis officia indulgentiore complectuntur affectu; in Dominis quoque erga famulos libera diſpoſitio eſt, nec juſte à quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia quoſdam ſibi, quos benignius honeſtaret, & quos liberius erudiret, elegit, numquid de ſummi Patris, & veri Domini benevolentiſſima æquitate cauſandum eſt, quod in magna domo ejus, innumeris differentijs univerſa variantur?*

Exod. 33. 19. Adducuntur in exemplum duo Pharaonis miniſtri, pincerna, & piſtor.
Rom 9. 21.
Jerem. 18. 6.
Matth. 20. v. 13.
S. Ambr. lib. 2. cap. 10. de vocat. gent.

6. Sapiens rationem reprobationis populi Chanaan aſſignat dicens: *Semen enim erat maledictum ab initio*; Tale autem quoque erat univerſa hujus noſtri maſſa poſt protoparentum noſtrorum prævaricationem; Deus tamen eidem per communicationem gratiæ ſuæ benedixit; Quod vero reprobi huic gratiæ non cooperentur, in hoc Deus nullam culpam habet, ſi enim gratiæ ſufficienti cooperarentur, per actus multiplicatos eouſque illam augere poſſent, ut ad thronos cæli ſublimiſſimos aſcendere valerent; At vero *perditio tua.* Præterea quod Deus divinos favores ſuos plus uni largiatur, quam alteri, de hoc profecto injuſte conquereris, ac proinde Sapiens ait: *Quis enim dicet tibi, quid feciſti? Aut quis ſtabit contra judicium tuum? Aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Omnibus nota eſt illa S. Apoſtoli exclamatio: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia &c.* S. Auguſtinus ſuper illa verba pſalmi: *Omnis ſapientia eorum devorata eſt &c.* in hæc verba ſcribit: *Occultum eſt, altum eſt, inacceſſibili ſecreto ab humana cogitatione ſecluſum eſt, quemadmodum Deus & damnet impium, & juſtificet impium. Num igitur adverſus divina judicia garrire delectat, quia ſunt inſcrutabilia? Quanto convenientius, quanto accommodatius eſt modulo noſtro, expaveſcere, & exclamare; O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam &c. quanto melius eſt ita mirari, quod inveſtigare non ſufficis?* Quis enim occultos Dei fines indagare valebit? Aut vero, ut Apoſtolus ait, *quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* In Apocalyſi dicitur: *Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum*; Et paulo poſt ſubditur: *Impletum eſt templum fumo à Majeſtate Dei, & de virtute ejus, & nemo poterat introire.* At vero quiſnam erat hic fumus, qui aditum in templum tantopere impediebat? Gloſſa inquit: *Nemo poterat introire, id eſt intelligere judicium, quare alios reprobat, alios eligit, donec in fine mundi eligant ſancti: Quam inveſtigabiles viæ ejus?* Quis debili intellectu ſuo myſteria & fines, ob quos alios elegit, alios vero reprobavit, indagare poterit? Quoties contingit, quod homo aliquis virtuoſus & exemplaris in progreſſu temporis pervertatur, econtra vero vir ſcandaloſus reducatur ad pœnitentiam, & ſalvetur? *Dominatur malus bono*, inquit S. Iſidorus, *bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro juſto, & in hac tanta obſcuritate non valet homo divinam perſcrutari diſpoſitionem, & occultum prædeſtinationis perpendere ordinem.*

Sap. 12. 11. Injuſte conquerimur quod Deus plus gratiæ conferat uni quam alteri.
Rom. 11. 33.
Pſ 106. 27. S. Auguſt. ibid.
Rom. 11. 34.
Apoc. 15. 3. Ibid. v. 8.
Gloſſ. ibid.
S. Iſid l. 2. de ſummo bono.

Curioſè inquirendum non eſt quare Deus hunc trahat, & aliū non trahat.

7. Omnes ſumus filij & poſteri Adæ, ſimulque cum illo extendimus manum ad accipiendum ab Eva pomum vetitum, illudque manducandum, at vero cur ſors noſtra tam in hac, quam in altera vita adeo inæqualis ſit, quis hoc aſſequetur? *Nemo venit niſi tractus*, inquit S. Auguſt. *quem trahat, & quem*

non

non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Porro rationem ſignaturæ juſtitiæ facile colligere poſſumus, quia *juſtus Judex, & juſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*, etenim neminem ſine demeritis condemnat, at vero ſignaturæ gratiæ nulla dari poteſt ratio, quia quis præſumat intelligere fines, quos habuit dum majores gratias & auxilia uni præbuit, quam alteri? S. Paulus poſtquam attuliſſet exemplum electionis Jacob, & damnationis Eſau, confeſtim ſubjungit: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſereor.* Neque enim Deus reddere vult rationem illius quod in ordine ad prædeſtinationem & majorem vel minorem auxiliorum ſuorum abundantiam operatur. *Non enim dubitandum eſt eſſe juſtum*, inquit S. Auguſtin. *etiam quando facit quod hominibus videtur injuſtum.* Idem S. Doctor alio in loco dicit: *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere placeat: O altitudo divitiarum; Et numquid iniquitas eſt apud Deum?* S. Gregorius ſuper illa Chriſti verba: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis; Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te*, ita ſcribit: *Quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere diſcutere æterna conſilia de aliorum vocatione, aliorum vero reprobatione præſumamus, attendens, quod injuſtum eſſe non poteſt, quod placuit juſto.*

S. Auguſt. tract. 26. in Joan.
Rom. 9. v. 14.
S. Aug. lib. ſent. 301.
S. Aug lib. de ſpir. & lit. c. 34.
S. Greg. lib. 25. Mor. c. 13.

TRACTATUS LXXXIII.

DE PRÆDICATORIBUS VERBI DEI.

CONTINET

DISCURSUS L.

DISCURSUS I. Neceſſitas verbi Dei conſideratur.

II. Verbum Dei in ſacris litteris, à ſanctis Patribus, panis, & cibi nomine deſcribitur.

III. Verbum Dei etiam corpus alendi virtutem habuiſſe probatur, ſimulque ſub ſymbolo lauti convivij proponitur.

IV. Variæ adducuntur alluſiones inter cibum, & verbum Dei, & ſpecialiter quoad manna.

V. Verbum Dei ſemini aſſimilatur.

VI. De verbo Dei ſub ſymbolo luminis & lucernæ nos illuminantis diſſeritur.

VII. Aliqua verbi Dei in genere conſiderati bona enumerantur, ſpecialiter vero, quod in nobis Dei amorem accendat, vigoremque & ſtabilitatem in divino ejus ſervitio ſubminiſtret.

VIII. Verbum Dei virtutem habet nos præſervandi, & purificandi à peccatis.

IX. De virtute verbi Dei in ordine ad ſalvandas animas infirmas, ſub alluſione medicinæ diſcurritur.

X. Verbum Dei virtutem habet, obſtinatorum peccatorum emolliendi duritiam.

XI. Variæ analogiæ inter verbum Dei, & gladium ſeu ſagittam, adducuntur.

XII. De odio quo dæmon verbum Dei, proſequitur, utpote armaturam qua ipſe vulneratur, nos vero defendimur à cujus proinde auſcultatione nos avocare continuo ſatagit.

XIII. De pretio, dulcedine, & efficacia verbi Dei.

XIV. Efficacia verbi Dei ſpecialiter in converſione mundi relucet, in qua variæ conſiderantur circumſtantiæ

XV. Signum aliquem electum eſſe ad gloriam, eſt, ſi verbum Dei libenter auſcultet.

XVI. Idem argumentum Author hoc diſcurſu proſequitur.

XVII Hi qui verbum Dei libenter audiunt Regis titulo jure honorantur; Ubi & aliæ illorum conſiderantur excellentiæ & honores.

XVIII. Deus eſt qui in miniſtris evangelicis loquitur, eique attribuendus eſt verbi Dei fructus, quod proinde nequaquam contemnendum eſt, utpote quod non hominis, ſed Dei verbum eſt.

XIX. Licet verbum Dei ab hominibus impijs prędicetur, non tamen ideo intermittenda eſt ejus auſcultatio, nec negligendi fructus illius.

XX. Ut verbum Dei in auditoribus fructificet, neceſſum eſt, ut illud in corde ſuo ruminent, & conſiderent.

XXI. Verbum Dei in corde cuſtodiendum eſt, & mandandum executioni, ſi inde utilitatem aliquam haurire velimus.

XXII. De ijs qui verbum Dei ſine attentione auſcultant, & econtra de alijs, qui cum devotione eidem aſſiſtunt, diſſeritur.

XXIII. Æternæ reprobationis indicium eſt, ſi quis verbum Dei contemnat, vel inde non proficiat.

XXIV. Contemptus & intermiſſio verbi Dei calamitates & exterminia ſuper populos provocat.

XXV. Alia conſiderantur ſupplicia, quibus caſtigantur, qui verbum Dei faſtidiunt, aut nullum inde fructum afferunt.

XXVI. Perſtringuntur illi, qui à verbo Dei alieni ſunt, illudque diſturbant, ubi & pœnæ eorum recenſentur.

XXVII. Nonnulli præſcribuntur modi, ad hauriendum ex verbo Dei fructum, neceſſario obſervandi, ſimulque defectus exponuntur, ob quos inde non proficimus.

XXVIII. De inſignibus quibuſdam miniſtrorum Evangelicorum excellentijs & prærogativis, nec non de ſpirituali ipſorum lucro, quod nequaquam diminuitur, licet peccatores non convertantur.

XXIX. Prædicator efficaciter perſuadere volens, verbis ut opera adjungat, neceſſum eſt.

XXX. Prædicator prius facere, & poſtea dicere debet, ſiquidem majorem perſuadendi virtutem habet bonitas dicentis, quam vox illius.

XXXI. Eadem materia ulterius deducitur.

XXXII. Bonum exemplum, & probitas Prædicatoris, magnopere cooperantur ad pariendum in auditoribus fructum.

XXXIII. Idem argumentum continuatur.

XXXIV. Prædicator prius ſibimetipſi, & poſtea alijs prędicare debet, id eſt immaculatam debet ducere vitam.

XXXV. Hi qui bene prædicant, & improbe vivunt, perſtringuntur.

XXXVI. De damnis, quæ tam alijs, quam ſibimetipſi infert, qui bene prædicat, & male operatur.

XXXVII. Prædicationem Evangelicam longe efficaciorem & fructuoſiorem reddit divina aſſiſtentia, quam ſtudium, & eloquentia.

XXXVIII. Prædicandum eſt, ut extirpetur vitium, & fructus pariantur.

XXXIX Prædicator in muneris ſui exercitio, ſoli animarum ſaluti intentus eſſe debet.

XL. De doctrina quam annunciare debet Miniſter Evangelicus.

XLI. Prædicator primo loco rationem habere debet Scripturæ ſacræ, utpote quæ veritatem in ſe continet; Unde reprehenduntur doctrinæ profanæ & curioſæ.

XLII. Prædicatores, qui verum Spiritum & fructum negligentes, omne ſtudium ſuum in comptis verbis, ornatuumque Rhetoricorum vanitate collocant, perſtringuntur.

XLIII. Eadem materia continuatur.

XLIV. Prædicator Auditorum capacitati ſe accomodare debet, non vero ſcientiæ ſuæ profunditatem jactare.

XLV Idem ſubjectum continuatur.

XLVI. Prædicator prudenter eligere debet tempus & locum opportunum, Perſonarum quoque qualitatem coram quibus prædicandum eſt, conſiderare debet, ad hoc ut verbum Dei fructum faciat.

XLVII. Prædicatores libenter ſubire debent omnem

 laborem

laborem & periculum, à veritate quoque sine adulatione prædicanda, reprehendisque vitijs numquam debent desistere.

XLVIII. Reprehenduntur Prædicatores, qui per æmulationes & ostentationem sui-ipsius hominum quærunt & diligunt concursus & applausum.

XLIX. Perstringuntur qui ex motivo lucri temporalis verbum Dei prædicant.

L. Varia ministris Evangelicis suggeruntur monita, ubi etiam conditiones tanguntur, quibus similes Ministri prædicii esse debent.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.
Necessitas verbi Dei consideratur.
THEMA.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium. Marc. 16. ℣. 15.

Prædicatio Verbi Dei necessaria fuit ut innotesceret fides, & Sacramenta Ecclesiæ.

1. QUotiescumque aliquis adultus ex hac vita decessurus est, communiter filios & nepotes, vel alios chariores amicos ad se accersitos, de rebus utilitati eorum privatæ, vel publico familiæ beneficio expedientibus, valdeque necessarijs monere, serioque exhortari solet; Atque hinc est, quod increata sapientia, quæ ad erigendam, & erudiendam Ecclesiam è sinu Patris in terram descenderat, in die ascensionis suæ, quando jam visibiliter relicta terra in cœlos migraturus erat, nihil adeo sibi cordi duxerit, quam ut Apostolis divini verbi sui prædicationem anxie commendaret, dicendo: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium.* Circa quæ verba S. Bernardinus ait: *Licet Christus mitteret Apostolos suos per orbem terrarum Missas celebrare, & fideles communicare, tamen principalius misit eos Evangelium prædicare, per quod innotescunt Fides Catholica, & omnia alia Ecclesiæ Sacramenta*; Adducitque illum Apostoli ad Romanos textum: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit; Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Sequitur igitur quod fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Erat enim tunc tempus illud, in quo Propheticum hoc verificabatur oraculum: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens*; Adeoque tunc dici potuisse videbatur: *Dominus de cœlo prospexit,... si est intelligens, aut requirens Deum; Omnes declinaverunt*; Omnes quippe populi terræ coram idolis genua sua flectebant; Et quidem tametsi Psalmista dixisset: *Notus in Judæa Deus*, attamen jam Judæi Filium Dei, desideratum Messiam suum Barrabæ postpositum, in patibulum Crucis confixerant; Atque ideo ut languidum hoc totius humani generis corpus sanaret, sapienti consilio Apostolis suis præcepit. *Euntes in mundum universum, prædicate, &c.* nam ut Sapiens prædixit: *Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum, hoc est*, ut exponit S. Albertus Magnus, *Multitudo Prædicatorum.*

S. Bernard. tom. 2. ser. 10. art. 3. c. 2

Rom. 10. 13.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 17.

Isa. 1. v. 5.

Ps. 13. v. 2.

Ps. 75. v. 2.

Sap. 6. 26.

Alb. Magn. tom. 12. de muliere forti c. 17. §. 1.

S. Antonin. p. 3. t. 18. c. 3 §. 1.

2. S. Antoninus ait: *Officium Prædicationis est præcipuum in Ecclesia Dei; Christus principaliter hoc officium exercuit; Unde Augustinus de civitate Dei ait: Ut homo considentius ambularet ad veritatem fidei, ipsa veritas Dei Filius hominem assumpto non Deo consumpto, veniens fundavit, atque stabilivit fidem, scilicet prædicando.* Dic fodes super quibus fundamentis sublime illud Ecclesiæ ædificium à principio erectum fuit? Num forte super Sacramenta? vel super sacrificia? aut super orationes, jejunia, aliaque similia Religionis, & Christianæ pietatis opera? Nequaquam, sed primo & præcipuo loco fundata est super prædicatione, super verbo Dei; Hæc fuit dispositio, hæc portam aperuit, hac omnibus alijs sacrosanctis operibus viam strauit, in quibus primi sese exercuerunt Christiani, & postea successive omnes alij fideles. Vix Apostoli divinum illud conceperant ignem: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, cum ecce primus & primarius illius fructus hic fuit, scilicet: *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Quem vero modum Petrus observavit, ut lapides ædificij terrestris Jerosolymæ coadunaret? Nimirum *viri Israëlitæ audite verba hæc*; Cumque Hebræis cum Spiritu Apostolico prædicasset, *His auditis compuncti sunt corde*; *Appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*; *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*; Ubi notandum quod S. Lucas verbo Dei super communionem & orationem primatum tribuat, quia in virtute prædicationis Evangelicæ corda nostra ut plurimum moveri solent, ad omnium aliarum virtuosarum actionum exercitium; *Fiebat omni animæ timor... Omnes ... qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem*; Ecce tibi effectus verbi Dei, quod fuit basis, primumque ac præcipuum Ecclesiæ fundamentum.

Ibid. v. 37.

Ibid. v. 41.

Ibid. v. 42.

Ibid. v. 43.

Ibid. v. 44.

Ibid. v. 45.

Ibid. v. 46.

3. In dubium revocari nequit, quod scilicet vita nostra sine respiratione non subsistat *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*; *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur*; Præterquam quod veritas hæc in facto consistat; Per hoc vero denotatur necessitas verbi Dei, ad hoc, ut vivamus spiritualiter, quoad vitam animæ, quam cœlestis Magister non sine mysterio spiritui, vel respirationi animalis, inquiens: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Similiter S. Paulus prædicationem suam describit inquiens: *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.* Notandum quoque quod sacer textus Spiritum Sanctum se cordibus & animabus fidelium hoc speciali modo infudisse dicat, scilicet per divini verbi auscultationem: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* S. Bernardinus hanc Prædicationis Evangelicæ necessitatem pluribus modis probare satagit: Et quidem in primis sequens adducit S. Augustini testimonium dicentis: *Interrogo vos fratres, quod corpus Christi non est majoris efficaciæ ad salutem, quam verbum Dei, nec sit hæc comparatio, nisi quoad nos, non enim minus prodest prædicatio, quam corpus Christi, quia per prædicationem mortalia dimittuntur* (Intellige *dispositive*, non vero realiter, & *effective*) *per corpus autem Christi venialia relaxantur, ex quo plus prodesse videtur. Et licet Prædicatio Corpore Christi minor sit dignitate, eam tamen recipientibus, major est efficiendi potestate, quia, sicut ex præcedentibus patet, Prædicatio est quandoque causa correctionis, & per consequens remissionis*; *Hac ille.* Pergit idem Sanctus ulterius ad probandum excellentias *quibus sacrificium incruentum præcellere videtur*, etiam quoad utilitatem in nos redundantem, ait enim: *Hanc utilitatem divini verbi intendens Ecclesia, cum excludat à Missa & à divinis officijs interdictos, schismaticos, excommunicatos, hæreticos, infideles, à Prædicatione tamen non separat quemquam. Stet populus sine prædicatione triginta annis, & consueto modo audiat Missas, alias quoque consimilis populus absque celebratione Missarum stet etiam per totidem annos, & sæpe audiat verbum Dei, & licet utrumque nocivum sit, tamen cæteris paribus, experientia teste.., majus incomparabiliter sentiret in fide, & moribus detrimentum absque audientia verbi Dei, quam sine Missarum celebratione. Nonne quotidiè experimur quis timor Dei, vel amor quæ cognitio divinorum, quis est peccatorum fœtor, & horror? Quæ cognitio virtutum, atque amor? Quæ Sacramentorum veneratio atque frequentatio, ubi abfuerit Verbum Dei?*

Joan. 6. 64.

Ps. al. 103. 29

Ad conservandam animæ vitam spiritualem, necessaria est auditio Verbi Dei.

Joan. 6. 64.

1. Cor. 2. 4.

Act. Apost. 10. v. 44.

4. Idem quoque Sanctus Pater eandem respondet difficultati, quæ circa hanc materiam posset moveri, videlicet cur S. M. Ecclesia, supposita hac utilitate verbi Dei pro salute fidelium suorum, singulis fidelibus non imposuerit speciale præceptum, de verbo Dei audiendo, sicuti fecit circa confessionem, communionem, jejunia, festa, & audiendam Missam. Respondet igitur id Ecclesiam non fecisse, *Propter obligationem ceremoniarum, nam qui habet animarum curam tenetur populo suo prædicare, prout habetur, dist. 36. c. Qui Ecclesiasticis, & ideo non fuit necesse præceptum iterare.* Diebus etenim ex præcepto festivis, illis quibus animarum cura incumbit, præceptum erat, ut in medio Missæ Verbum Dei annunciarent; Qui ritus etiamnum in multis diœcesibus, & specialiter in Germania conservatur. Secunda ratio, quam assignant, *Est propter paucitatem Prædicatorum,*

Quare Ecclesia non imposuerit speciale præceptum de verbo Dei audiendo.

vam, quia ravi sunt, raviores qui prædicent Christum. Tertio propter incommoditatem.

Verbum Dei comparatur Luci & Soli.

5. Ad formandum vero magis adæquatum de necessitate prædicationis Evangelicæ conceptum, reflectendum vobis est ad similitudinem quam verbum Dei habet cum luce; Luce enim semper indigemus in tenebris noctis, & multo magis in die; Ideo nocturno tempore accendimus lucernam, in die vero sol suum nobis lumen copiose ministrat. Eodem igitur modo Verbum Dei lucerna appellatur, quia lumen nobis præfert, ne offendamus in gressibus nostris: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit David. Et S. Ambrosius ait: *Nobis lucerna ejus lucet, ne possimus errare, & lucerna verbum est, sicut verum lumen est verbum, quod totum illuminat mundum.* Idem Ambrosius alibi iterum ait: *Verbum Dei lux est.* Et vero facile cogitare licet, quam confusum chaos fuerit universum, Quando *tenebrant super faciem abyssi?* At verò quando lux creata fuit, tunc hæc tam pulchra & elegans omnium creaturarum visibilium scena manifestè apparuit, S. Bernardinus vero ait: *Sic utique est populus sine divino verbo, sicut mundus sine sole.* Hanc eamdem sententiam in principio sermonis Dom. 1. Quadrag. Tom. 4. diffusius in hæc verba exponit: *Sicut volunt Philosophi, omnes morerentur, si una die cessaret sol facere cursum suum, qui habet splendorem, calorem, & vigorem, ita si Verbum Dei deficeret, quod est sol animæ, scilicet quod Verbum Dei non prædicaretur, & non communicaretur animabus, ut possent incitari, & illuminari splendore veritatis, & calefieri in ardore illius, omnes spiritualiter morerentur.* Idem Bernardinus in alio sermone dixerat: *Quid est fides, nisi humanæ intelligentiæ lumen? Et unde in hoc lumine illuminantur Christiani nisi per Verbum Dei? Ideo dicitur ad Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei*; *Ergo si deficeret Verbum Dei in mundo, deficeret fides Christi & omne lumen necessariæ veritatis.* Eamdem quoque similitudinem in alio quodam sermone hisce verbis innuit: *Ut clarius pateat, quanta sit virtus & fructus Verbi Dei, ipsum Soli possimus assimilare. Solis natura est, ei qui in hoc mundo sunt, ordinante Deo corporaliter dare vitam, illam conservare, insuper & augmentare, sic etiam Verbum Dei in anima hæc tria spiritualiter operatur.*

Gen. 1. 2.

S. Bernardin. ibid.

S. Bernardin. in Tom. 4. ser. 5 in Dom. 1. Quadr.

S. Bernard. ser. 10. cit.

Rom. 10. 17

S. Bern. ser. 9 ibid.

6. Verbum incarnatum Lucis sibi nomen adscivit: *Ego sum Lux mundi*; Homines autem mortales veluti cœcæ talpæ erant, quæ oculorum suorum aciem in hanc lucem defigere, eamque sine alia prædicationis Evangelicæ luce cognoscere non poterant. Ac proinde ad æternum Patrem suum se convertens inquit: *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis & ipsi acceperunt*; *& cognoverunt vere, quia à te exivi.* Similiter S. Petrus ait: *Erratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*; At vero vultisne modum intelligere quo id factum sit? *Oves meæ vocem meam audiant*; Ubi cœlestis hic Pastor per vocem suam verbum suum divinum intelligit, per quod grex generis humani, qui in idololatriæ præruptis præcipitijs errabat, ad suum ovile reduxit.

Joan. 8. 12 Verbum incarnatum seipsum comparat luci.

Joan. 17. 8.

1. Petr. 2. 25

Joan. 10. 27

Prædicatores verbi Dei comparantur Sphæris cœlestibus.

Ps. 103. v. 2.

S. Greg. l. 9. Mor. c. 4.

Psal. 18. 1.

7. S. Gregorius Magnus ministros Evangelicos non sine mysterio cœlestibus Sphæris, vel cœlorum orbibus, qui continuo in beneficium nostrum circumagitantur, & huic solo benignas suas imprimunt influentias, similes esse dixit, dum illa Psalmistæ verba explicans: *Extendens cælum sicut pellem*, ita scribit: *Quid namque cælorum nomine nisi cœlestium prædicantium vita designatur, de quibus per Psalmistam dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei, &c. Ipsi cæli, ipsi sol esse memorantur.* Eadem igitur necessitate Ecclesia indiget prædicatoribus Evangelicis, & Verbo Dei, qua orbis universus orbibus & Sphæris cœlestibus opus habet; Ex Verbo Dei namque, prout in sequentibus discursibus videbimus, omne bonum spirituale in animas fideles redundat; Nam ut Rupertus Abbas super Oseam Prophetam scribens ait: *Hoc verbum lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Necessitas igitur, & utilitas, quæ ab oculo illuminato in corpus redundat, resultat pariter in animam, notitia & cognitione Dei per verbum suum illustratam. Inter omnes totius mundi nationes, Judæos peculiariter à Deo ad cultum, Religionem, & agnitionem sui electos fuisse constat; Ac proinde in Exodo his Hebræos verbis affatur: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*; At vero sub qua conditione hoc ipsis futurum promisit? Sub hac nimirum: *Si audieritis vocem meam*; Quamdiu enim Hebræi Dei vocem audierunt, semper Deo grati, acceptique fuerunt, at vero quando aures suas obturarunt, ne ministros ejus Apostolicos audirent, Apostoli duris hisce verbis eos sunt affati: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes.*

Rup. Abb. in Osea.

Exod. 19. 5.

Act. Apost. 13. v. 46.

8. *Semen est Verbum Dei.* Ecce tibi aliam quamdam comparationem, quæ pariter Verbi Dei necessitatem ad vivum exprimit, quia quomodo sine semine vivere possemus? Eadem quoque proportione Verbum Dei est necessarium; Nam ut Isaias: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri. ... Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?* Vere enim, nisi Deus populo Christiano pretiosum hoc divini verbi sui semen reliquisset, haud minus sceleratus & impius futurus fuisset, ac fuit olim populus infamium illarum civitatum Sodomæ & Gomorrhæ, & consequenter super se ruinarum, & exterminiorum flagella provocasset. Cernum est, quod Deus sacrificia, cunctasque alias oblationes non tanti faciat, quanti Prædicationem, Evangelicam attenta aure excipere æstimet, unde per Prophetam ait: *Audite verbum Domini quia* (in comparatione verbi mei) *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.... Neomeniam, & Sabbathum & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri; Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea,... Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam*; Ratio autem ob quam ad acceptandum tot opera, cæteroquin bona, & ad cultum suum ordinata, adeo sè invitum offendebat, erat, quia hæc opera abominabilibus inquinamentis contaminata erant: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, Mirum igitur non est, quod Deus divini verbi auscultationem cunctis alijs operibus bonis prætulerit, quia hæc animam à quibus purificandi virtutem habet; Ait ipsemet: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* S. Propheta Isaias ubi supra subjungit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, Si volueritis, & audieritis me.*

Ibid. v. 11.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 15.

Joan. 15. 3.

Ibid. v. 3.

Isaiæ 1. 18

Ibid. v. 19.

9. Ven. Beda libro *de Templo Salomonis* aliud quoddam hujus necessitatis adducit motivum: Asserit enim templum illud figuram fuisse veri Salomonis, qui templum gloriæ ædificare statuit, de quo dicitur in Psalmo: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, de cujus artifice Apostolus pariter ait: *Cujus artifex & conditor Deus*; Hic igitur architectus ex Petræ fodina Protoparentis lapides in hanc fabricam adhibendos emit, at vero quia rudes & informes erant, pro ijs inter se uniendis, & quadrandis, martello opus erat (*Tunsionibus, pressuris, expolitionibus lapides, sui coaptantur locis per manus artificis*) Ac proinde martelli loco verbum suum divinum adhibuit, ipsomet apud Jeremiam teste: *Nonne verba mea ... quasi malleus conterens petras?* Prædicatores vero tamquam lapicidas adhibet, qui comminando supplicia, & proponendo præmia, reprehendendo scelera, & commendando virtutes, rudes & deformes hosce lapides elegantissime expoliunt. Unde Apostolus ait: *Corripientes omnem hominem, & docentes, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.*

Verbum Dei comparatur semini.

Isai. 1. v. 9.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 11.

Verbum Dei comparatur malleo.

Ps. 28. v. 9.

Hebr. 11. v. 10.

Jerem. 23. v. 29.

Coloss. 1. v. 28

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.
Verbum Dei in sacris litteris, & à Sanctis Patribus panis & cibi nomine describitur.
THEMA.

Scriptum est, non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4. ℣. 4.

Verbum Dei comparatur Cibo.

1. S. Bernardinus in sermone quodam super Dom. 1. Quadr. inquit: *Cum homo consistat ex corpore & anima, duplici cibo illi opus est, pane scilicet materiali pro cibo corporis, & pane Spirituali, scilicet verbo*

S. Bern. T. 4. ser. 5. in Dom. 1. Quadr.

verbo Dei, pro cibo animæ, & ideo Christus singula singulis attribuendo ait: Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei, qui est dulcis & spiritualis gustui animæ. S. Antonius de Padua ait: *Sicut panis materialis est cibus corporis, ita spiritualis vel divini sermonis, est cibus mentis.* Cum igitur supremus artifex hominem condiderit cibi indigum pro sustentatione corporis, justum utique erat, ut eidem de animæ alimento prospiceret. D. Chrysostomus in sermone quodam ante omnes alios in hæc verba prædicavit: *Apud nos homo est, non is tantum, qui pane vescatur, sed qui prius quam de ullo cibo, divinis, ac spiritualibus eloquijs perfruatur: Hoc autem hominem esse, disce ex his quæ Christus effatus est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Itaque duplex vitæ nostræ est alimentum, unum deterius, alterum vero præstantius, & hoc præcipue capessendum est, ut & animam alere possimus, neque fame illam torqueri sinamus.*

S. Anton. de Pad. in cœn. Dom. — *Chrysost. Tom. 5. ser. 47.*

Necessitas verbi Dei audiendi astruitur.

2. In libro tertio Regum de Elia scribitur, quod iram Jezabelis fugiens, totus lassus & defatigatus sub Junipero decubuerit, eique ibidem dormitanti apparuerit Angelus panem subcinericium ei afferens, eique ut illum, comederet, præcipiens: Cumque illum manducasset, & iterum obdormiisset, reversus est Angelus, eique de novo, ut altera vice manducaret, præcepit: *Surge, & comede, grandis enim tibi restat via, qui cum surrexisset, comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Horeb.* Circa quæ verba dubium subnascitur, quo mysterio cœlestis hic nuncius sanctissimum hunc Prophetam, non semel tantum, sed bis, in eodem loco, & tempore manducare præceperit? Glossa exinde sequentem moralitatem deducit: *Sicut corpus sine alimento subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei; Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex passus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere; Sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei.* In oratione Dominica cœlestis Magister noster nos æternum suum & nostrum Patrem his verbis rogare docuit: *Panem nostrum quotidianum, &c.* S. Thomas Doctor Angelicus postquam hanc petitionem de corporali pane exposuisset, mox quoque eamdem de spirituali exponens inquit: *Invenitur & alius duplex panis, scilicet Sacramentalis, & verbi Dei.* Inter alia præcepta, quæ Deus Moysi quoad tabernaculum imposuit, unum hoc fuit, *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper;* Porro hi panes continuo expositi divinam figurabant providentiam duodecim tribus Israël corporaliter sustentantem, denotabant quoque panem quotidianum tum materialem, tunc etiam spiritualem verbi Dei, juxta venerabilis Bedæ interpretationem, qui per hosce panes Prædicationis Evangelicæ intelligit ministros, inquiens: *Panes propositionis super mensam positi semper, doctores sunt spirituales, qui in lege Domini die ac nocte meditantes cunctis Ecclesiam intrantibus, refectionem verbi cælestis offerunt, qui recte Propositionis panes vocantur, quia in propatulo semper esse debet universis fidelibus sermo salutis, nec umquam in Ecclesia deesse oportet pijs auditoribus verbum solatij.* Hic panis quotidianus spiritualis, prout Baronius in primo tomo annalium suorum testatur, olim primis Christianis magno fervore etiamnum succensis quotidie distribuebatur, prout ex actibus Apostolicis clare deducitur; Hæc autem eadem consuetudo opera S. Philip. Nerij, hujus instituti Congregationis oratorij, quod ego profiteor, fundatoris, suis temporibus renovata est, & usque in præsentem diem in hac nostra Ecclesia Romana, quæ S. Mariæ in Vallicella, seu Ecclesia nova appellatur, continuata fuit, si quidem in ea quotidie singulis diebus ferialibus solo excepto Sabbatho, circa horam vesperarum quatuor fiunt discursus, unus post alterum immediate, ita ut quilibet per mediam horam extendatur, præmissa tamen ante hosce discursus devoti libri alicujus lectione, quæ pariter in mediam usque horam perduret. Observandum vero est, quod in lectionibus S. Philippi Nerij dicatur: *Quos Verbi Dei quotidiano pabulo enutriri cupiens, &c.* Ubi prædicatio Evangelica sub metaphora pabuli, refectionis, & nutrimenti exprimitur, neque enim conveniens erat, ut cum corpori quotidie de suo alimento abunde provideatur, animæ suum nutrimentum deesset, sicque marcesceret.

3. Reg. 19. 7 — *Gloss.* — *S. Thom. opusc de orat. dom.* — Comparatur panibus propositionis. — *Exod. 25. 30* — *Beda Tom. 4 l. de Tabern. 1 cap. 7.*

Sur. c. 23. vit. S. Claræ. — Verbum Dei est cibus, animæ prorsus necessarius.

3. De S. Clara Virgine legitur, quod cum Gregorius Papa justis ex motivis Religiosis Franciscanis prohibuisset, ne absque ejus permissione, moniales accederent (quibus frequenter exhortationes spirituales faciebant) *dolens pia mater cibum sanctæ doctrinæ rarius habituras sorores, cum gemitu dixit: Omnes auferat de cætero fratres, postquam vitalis nutrimenti nobis abstulit ministros, nolens habere eleëmosynarios; qui corporalem acquirerent, postquam panis spiritualis eleëmosynarios non haberet. Quod cum audisset Pontifex, statim prohibitionem illam in generalis ministri manibus relaxavit.* S. Ambr. in sermone quodam in die Cinerum habito sequens in favorem nostrum format argumentum; *Videte fratres, si justum est, ut caro de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima nostra imago Dei, vix vel post plures dies accipiat Dei verbum:* Et paulo post hanc statuit conclusionem: *Quomodo caro pascitur cibo, sic anima reficiatur verbo Dei.* Ven. Beda observat, Deum præcepisse, ut super panes propositionis grana ponerentur incensi, cujus mysterium sequentibus verbis declarat: *Quod autem super panes thus lucidissimum ponitur, virtutem orationis designat, quia ijdem doctores suæ ministerium prædicationis simul & orationem operis Domino commendant, nam per thus orationem designari testatur Psalmista qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, & thus lucidissimum super panes ponitur, in monumentum oblationis domini quando piæ sanctorum actioni, ac doctrinæ oratio pura superadditur.*

S. Ambr. Tom. 5 ser. 35. — *Beda ibid. Levit. 24. 7*

Matth. 4. 4. — Quare in mensis Religiosorum legatur Sacra Scriptura, & alij libri sacri. — *S. Ambr. ser. 4. in die Cin.* — *S. Bernard. Tom. 2. ser. 9* — *S. Bern. ser. de multiplici util. Verb. Dei.*

4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo &c.* Quonam putas mysterio in mensis bene regulatis, maxime in Religiosorum refectionibus sacra Scriptura, & alij libri sacri, & spirituales leguntur? Utique ad insinuandam nobis tam cibi corporalis, pro vita animali, quam cibi spiritualis, pro vita animæ sustentanda necessitatem. Unde S. Ambrosius ait: *Nec pigeat in mensa aliquid de divinis Scripturis legere, ut quomodo caro pascitur cibo, sic anima reficiatur Dei verbo, & totus homo, id est exterior, & interior, de sancto & salubri convivio satiatus exurgat, nam si sola caro reficitur, & anima Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, & domina fame torquetur.* S. Bernardinus ait: *Sicut corpus humanum non vivit sine terreno cibo, ita & anima vivere non potest sine verbo divino.* S. Bernardinus in sermone *de multiplici utilitate verbi Dei* in hæc verba scribit: *Jam vero cum laveris manus tuas, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum ejus.* Porro panis nomine in sacris litteris quilibet alius cibus intelligitur, ita quoque nomine verbi Dei non solum illud quod prædicatur, verum etiam quod legitur, vel meditatur, intelligi potest, licet majorem vim & effectum habeat illud, quod cum vivæ vocis energia annunciatur; *Dabit enim voci suæ vocem virtutis.* Quemadmodum panis materialis à nobis masticatus & digestus simul cum virtute sua in omnes corporis nostri partes transmittitur, ut debitus ei vigor & vires subministrentur; ita quoque verbum Dei auditum, custoditum, & executioni mandatum, spiritum & virtutem ad producendos operum meritoriorum fructus omnibus animæ potentijs communicat. Origenes inquit: *Illæ virtutes quæ animæ nostræ in adjutorium datæ sunt, pascuntur & reficiuntur ex audita sanctæ Scripturæ, velut ex divinis & rationalibus cibis, quid dicit quia divinæ virtutes pascantur & epulentur in nobis, si nos verba divinæ Scripturæ proferamus ex ore? Ipse Dominus noster Jesus Christus, si nos inveniat his vacantes, & ejusmodi studijs & exercitijs operam dantes, non solum pasci & refici dignatur in nobis, verum etiam si has epulas apud nos viderit apparatas, Patrem secum dignatur adducere.*

Magnam energiam habet Verbum Dei viva voce annunciatum. — *Ps. 67. v. 34* — *Orig. hom. in Jos. Gloss. ad cap. 14.*

Sicut corpori cibus materialis, sic animæ omnino necessarius est cibus spiritualis verbi Dei — *S. Aug. ser. 56. de Temp.*

5. S. Augustin. sub Metaphora cibi de divino verbo differens, quod tempore quadragesimali passim proponitur, notat tempus illud animæ nostræ verum tempus messis dici posse; *Sicut enim*, inquit, *tempore messium, vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari, colligitur, ita in diebus quadragesimæ, quasi in spirituali vindemiarum, vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregetur, quia sicut negligens quisque, si opportuno*
tune tempore nihil colligerit, per totum anni spatium fame torquebitur, ita qui hoc tempore spirituale triticum, & cæleste mustum in horreis animæ suæ providere neglexerit, in æternum durissimam sitim, & crudelem inopiam sustinebit. Certissime sciote fratres, quia qualis est caro quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assidue non pascitur verbo Dei. Et quomodo caro per famem & inopiam, tenuis & sicca, velut quoddam simulacrum efficitur, ita & anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua invenitur. Et Paulo post eamdem allusionem prosequens subjungit: *Plus semper de cibo cordis, quam de cibo corporis cogitemus, quia intus in homine interiore facti sumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ sumus formati? Et videte fratres, si justum est, ut caro nostra de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima quæ imago Dei est, vix post plures dies accipiat verbum, cum tamen expediat nobis, ut amplius Dei imaginem in nobis quam nostram carnem honorare debeamus.* Idem S. Doctor in progressu Sermonis dicit: *Quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo, ut totus homo, id est, & exterior; & interior, de Sancto & salubri convivio satiatus exurgat. Nam si sola caro reficitur, & anima Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, & domina fame torquetur.* Idem S. Doctor glossando verba illa Psalmi 36. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*, ita scribit: *Panis est verbum Dei, quod numquam ab ore justi discedit. Quando domino esurienti, & famem patienti ait diabolus, dic lapidibus istis ut panes fiant, respondit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, panem istum manducas una hora, & dimittis panem illum Verbi die ac nocte; Quando enim audis, aut quando legis manducas, quando inde cogitas ruminas, ut sis animal mundum, non immundum;* Quibus verbis proportio quædam insinuatur, quæ est inter verbum Dei, & panem, virtutem enim hujus non experimur, dum panem deglutimus, sed postea quando facta est digestio, eodem modo sæpe contingit, quod efficaciam divini verbi non experiamur pro eo tempore, quando auscultatur, sed quando custoditur, meditatione digeritur, & super ea, quæ audivimus, seria fit animi reflectio.

Ps. 36. v. 25. S. August. Conc. 3 in Psal. 36.

Orig ibid. — Continuatio ejusdem materiæ.

6. Origenes sequentem in hanc rem explicandam adhibet similitudinem: *Solent Medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare v. g. ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed cum transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quibus cibus ille, vel potus, profuit oculis, Sed & in alijs similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura Sancta* (& idem affirmari potest de prædicatione Evangelica) *quia utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus, & pascuntur.* Ad idem S. Bernardinus in sequentibus verbis exhortatorijs alludit inquiens: *Trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos.* Sicut enim panis, fructus, piscis, vel alius, quicumque similis cibus calore naturali mediante in substantiam corporis nostri transmutatur, ita divinum verbum per calorem charitatis transformatur in affectus, & mores nostros, illos efficiendo virtuosos & perfectos: *Mutaberis in virum alterum.* Origenes in alia quadam homilia super Leviticum nos exhortatur dicens: *Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cælestium capias, sicut cibis & delicijs caro, ita Spiritus verbis divinis convalescet, & robustior effectus, carnem suis legibus parere coget, & sibi obsequi.*

S. Bern. ser. 5 de Adv. — *Orig. Hom. 9 in Lev.*

Prædicatores ipsi prius practicent, quod alios docent. — *Ezech. 3. 1* — *Matt. 12. 34* — *Ezech. 3. 2.* — *Ibid. v. 3.*

7. Deus olim Ezechieli, ut Israëli voluntatem suam prædicando annunciaret, præcepit at vero tenorem præcepti eidem impositi velim observes, *Comede*, inquit *volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* Nimirum volebat ut quæ in sacro hoc volumine scripta erant, Judaismo firmiter imprimeret, ac proinde instar cibi illum ab eo deglutiri voluit, quia postea *ex abundantia cordis os loquitur;* Observandum vero est quem ab illo deglutitus hic liber effectum in ipso fuerit operatus: *Et aperui os meum*, inquit, *& cibavit me volumine illo, Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi, & comedi illud, & factum est in ore meo, sicut mel dulce, ... Et dixit ad me: Vade ad Domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* Ex quo textu intelligi potest, quam sit verum id, quod sapiens ait: *Si vis me flere, flendum est tibi primo*, necessum enim est, ut qui ex prædicatione sua aliquem vult producere fructum, prius in semetipso practicet, quod alijs persuadere nititur quia plus movent exempla, quam verba. S. Bernardus super illa verba: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, advertit, quod non dixerit *audientibus*, sed *facientibus*; Et ad propositum nostrum melius explicandum, sequenti utitur similitudine: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, ac si per similitudinem dicat; Sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei; Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non vero nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ noverit, vita attestante, & moribus, bona efficiatur, nonne ista scientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? An non malus humor peccatum? An non pravi humores mali mores?*

Ibid. v. 4. — *Ps. 110. 10* — *S. Bern. ser. 36. in Cant.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Verbum Dei etiam corpus alendi virtutem habuisse probatur, simulque sub symbolo lauti convivij proponitur.

THEMA.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth 4. ℣. 4.

Vita corporalis etiam nutritur & fovetur verbo Dei.

1. QUandoquidem increatum pariter & incarnatum verbum oraculum istud in divini verbi sui præconium ediderit, merito investigandum nobis, an verbum hoc, *vivit*, veraciter intelligendum quoque sit de vita corporali, adeo ut verbum Dei etiam ad corpus sustentandum, ne scilicet deficiat, sufficiens sit S. Bernard. de hac materia differens, inquit; *Si famelicus es, habet virtutem pabuli reficientis;* Idque probat per illa Christi verba apud S. Matthæum: *Non in solo pane, &c. quod verificatur, non solum de vita Spirituali, sed etiam de corporali, sicut patet de Moyse, qui jejunavit 40. diebus, & 40. noctibus, verbo summæ veritatis spiritualiter & corporaliter sustentatus.* *Hanc etiam quandoque participant plurimi, quando delectabiliter audiunt in prædicatione suavissimas veritates, proinde in persona talis animæ Propheta ad summam veritatem ait: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Lyranus in sensu literali optime versatus, prædictum locum sequentibus verbis exponit: *Quod verificatur non solum de vita spirituali, sed etiam corporali.* Venerabilis Beda prædictum Matthæi textum exponens inquit: *Sicut corpus terreno vivit cibo, sic anima Dei verbo.* Multo melius S. Hieronymus in nostrum favorem in hæc verba loquitur: *Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non vivit.* Et in Epistola ad Demetriadem Moysis adfert exemplum dicens: *Sermone Dei pascitur, in se verissimum sentiens, quod dicitur: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, &c.* S. Ambrosius super Lucam scribens, hanc habet sententiam: *Non enim potest qui verbum sequitur panem desiderare terrenum, cum substantiam panis cælestis accipiat.* Idemque postquam idipsum exemplis Moysis & Eliæ antecedenter probasset, subjungit: *Humanis divina præstare, non dubium est, & corporalibus spiritualia, & ideo qui vitam veram desiderat, illum panem expetat, qui per insensibilem substantiam humana corda confirmat.*

S. Bernard. Tom. 3. ser. de desiderabili verit. art. 1. c. 5. — *Lyran.* — *Beda in Matth.* — *S. Hieron. ibid.* — *S. Hieron. Epist. 18. ad demetr.* — *S. Ambr. in Luc. l. 4. c 4.*

Cibus spiritualis præferendus est cibo corporali. — *Luc. 10. 39*

2. Cum verbum incarnatum in Bethania in domo S. Marthæ moraretur, soror ejus Magdalena ad divinum ejus verbum audiendum ad ejus pedes se immobiliter collocavit: *Huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Cumque S. Martha apud Christum de sorore sua conquesta fuisset, quod soror sua se ne minimum quidem moveret, ut sibi ad mensam præparandam auxilio esset, Salvator ei respondit: *Martha*

Lucæ 10.41. Ibid. v. 42. tha, *Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima; Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ubi licet per ultima verba sacri interpretes communiter vitam contemplativam intelligant, nihilominus in hac phrasi loquendi expressam esse existimo verbi divini efficaciam, & utilitatem, utpote quod etiam corpus nutrienti virtutem habet, observandum vero est: quod non sine mysterio subjunxerit: *Quæ non auferetur ab ea*, quia sicut cibus hanc habet proprietatem, quod semel deglutitus, & digestus homini adimi nequeat, sed in nostram substantiam convertatur, ad eumdem quoque modum verbum Dei in corde nostro semel receptum, non nisi nobis volentibus potest auferri, quia ut discursu præcedenti diximus: *Transit in affectione, & in mores nostros.* Audiatis velim quid Cardinalis Toletus super illa verba: *Porro unum est necessarium*, scripserit: *A verbi prædicatione*, inquit, *non desistant quacumque data occasione, eam omni cibo corporis præponere debent.* S. Augustinus in sermone quodam de *S. Martha* ita scribit: *illa turbabatur, ista* (scilicet Magdalena) *epulabatur.* At vero inquies, ex quo nondum erat præparatum convivium, quomodo S. Augustinus dicere poterat Magdalenam epulari? Pro resolutione sciendum sanctum Doctorem de eadem Magdalena jam antea dixisse: *Maria pasci à Domino magis elegit. De illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat.* In Sermone sequenti de S. Martha inquit: *Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum, intenta Maria, quomodo pasceretur à Domino.* S. Hieronymus autem ad Magdalenæ nos imitationem exhortatur dicens: *Esto & tu Maria, cibis præferto doctrinam.*

Tolet. ibid.

S. Aug. ser. 26 de ver. Dom.

S. Aug ser. 27.

S. Hieron. Epist. 22.

2. Hanc porro veritatem clarius per aliam quamdam historiam Evangelicam dilucidabimus. Etenim cum Salvator noster hanc nostram assumpsisset carnem mortalem, fami quoque siti, lassitudini, frigori, calori, alijsque similibus pœnalitatibus subjacere voluit, tametsi hæ in ipso non passiones, sed ut scholastici loquuntur, Propassiones essent, quadam igitur vice *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem:* Et verisimile est, quod cum tardior hora esset, ex prolixo peracto itinere pariter famelicus fuerit, maxime quia Apostolos suos cibos comparandi causa in Samariam dimiserat, qui cum revertentes ipsum invitassent dicentes; *Rabbi manduca, ille dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Et vero quisnam, aut qualis cibus ille fuerit, quem se manducasse dicit, satis manifestum est, cibum hunc non alium fuisse, quam conversionem lascivæ illius mulieris Samaritanæ in virtute divini verbi sui peractam. D. Chrysostomus à Luca Burgensi citatus ait: *Non negat quin esuriat, sed significat cibum alium esse, quem præferat, quem potius appetat, quo libenter pascatur.* Sanct. Thomas explicans verba illa Christi: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*, Christum prædictis verbis dicere voluisse ait: *In hoc est firmitas, & sustentatio mea ut faciam voluntatem ejus, qui misit me:* Quænam vero erat voluntas illa, quam Pater ejus æternus illi exequendam commiserat? Audite S. Lucam in cap. 4. ait enim quod dum Salvator noster in Synagoga Nazareth patriæ suæ esset, *Surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat. ... Evangelizare pauperibus misit me:* Hæc igitur erat Dei voluntas, hicque cibus illius substantiosissimus & delicatissimus, quo supra modum libenter vescebatur.

Chrysost.

Joan. 4. 34. S. Thom. in Joan.

Luc. 4. 16. 17

Ibid. v. 18.

4. Evidentius hæc veritas in alia quadam historia pariter ex Evangelio S. Marci cap. 8. desumpta apparebit. Etenim ibidem legitur, quod ingens quædam populi multitudo quatuor circiter mille hominibus constans postquam tres dies & noctes sine cibo Salvatorem in desertum usque secuti fuissent, tandem Christum ad compassionem commoverint, adeo ut dixerit: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Non erant in solitudine illa arbores fructiferæ, non hospitia, non panis nec ulla ciborum annona, adeoque ut famelica hæc turba pasceretur, necessum illi erat patrare miracula; at vero quæres fortasse quonam modo homines hi ex itinere totaliter lassi & defatigari tribus illis diebus sustentati fuerint? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei?* Nimirum ejus auscultarant prædicationem, hæcque corporis quoque alimentum sup-

Christus famelicos illos Evangelicos potius verbo suo quam materiali pane pavit.

Marc. 8. v. 2.

Matth. 4. 4.

plebat. *Quisquis* enim *verbo Christi pascitur*, inquit S. Ambrosius: *Terrenum pabulum non requirit, nec enim potest panem sæculi capere, qui pane reficitur Salvatoris.* Lucas Burgensis litterali sensui explicando intentus, inquit: *Cœlesti illos sermone pascebat.* Venerabilis Beda incarnatam Sapientiam in hoc facto sequens nobis documentum reliquere voluisse opinatur, scilicet: *Quod viam præsentis sæculi aliter incolumes transire nequimus, nisi alimento verbi sui Christus nos reficiat.* Theophylactus hanc veritatem quovis alio interprete expressius confirmat, dicens: *Magis spiritualibus, & perfectis sermonibus pascuntur.* Demum vero non sine mysterio voluit, ut Apostoli panem illum miraculosum comminuerent, & frustatim dividerent: Nam ut Sanct. Bonaventura ait: *Instigabat illa turba mandducatione salutaris eruditionis, & de hoc dicit Christus, Discipulis suis: Vos date illis manducare: Ad Doctores, sive Prædicatores dicit Christus, ut ignorantes & esurientes cibum cœlestem, reficiant pane vitæ, & intellectus, potent aqua sapientiæ salutaris.* Sanct. Ambrosius alio in loco super Lucam ita scribit: *Hic panis quem frangit Jesus, mystice quidem Dei verbum est, sermo de Christo, qui dum dividitur, augetur, de paucis enim sermonibus omnibus populis redundantem almoniam ministravit. Dedit sermones nobis velut panes, qui dum libantur in ore nostro, geminantur. Visibiliter quoque panis iste incredibili ratione dum frangitur, dum dividitur, dum editur, sine ulla dispendij comprehensione cumulatur.*

Bellovat. spec. Mor. lib. 3. p. 1. dist. 10. *S. Ambr. serm. 37.* *Lucas Burg. ibid.* *Beda.* *Theophyl. in c. 15. Matth.* *S. Bonav. ser. 1. in Dom. 6. post Pent.* *S. Ambros. in Luc. 9.*

5. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Moyses in monte Synai quadraginta diebus & totidem noctibus sine ullo gustato cibo & potu commoratus fuit, & tamen in hac mortali carne, quæ quotidiano alimento opus habet, vitam agebat. Unde Rupertus Abbas ait: *Cum ultra septem dies natura humana sine omni alimonia durare non posset* (*Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis*) *fuerit hoc omnino humanæ possibilitatis, quod pro aviditate cœlestium epularum sex diebus panem non comedit, & aquam non bibit. Cæterum nisi septimo illum die Dominus vocasset, natura hominis in semetipsa residens in brevi penitus arusset. Vocavit ergo illum de medio caliginis, cujus vox suavis, & super mel & favum est dulcis, &c. In semetipso meruit experiri, ut veraciter diceret, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quisquis vitas Sanctorum Patrum Eremitarum legit invenier utique hos sæpe septimanas integras transegisse sine cibo, aut alio nutrimento, solum ex conferentijs spiritualibus satiati, & refecti; Ac proinde Divus Chrysostomus optime ait: *Potest esurientem Deus etiam in sermone pascere.*

Matth. 4. 4. Quomodo Moyses 40. diebus & noctibus sine cibo & potu materiali in monte Sinai durare potuerit. *Rup. Abb. l. 5 in Exod. c. 45.* *Chrysost. hom. 13. in Matth.*

6. In vita B. Joan. Columbini legitur, quod ultimo vesperi dierum bachanalium in hospitali civitatis Aretinæ in mensa cum multis alijs constitutus tanto cum spiritu & energia de Deo ratiocinari cœperit, ut discursum suum per totam noctem sine ullius fastidio, vel nausea continuarit, adeo ut illucescente diluculo sine ullo cibo sumpto ad Ecclesiam pro accipiendis sacris cineribus properarint. Simile factum in vita S. Claræ Virginis legitur; Cum enim sæpius S. Franciscum cujus spiritualis filia erat, instanter rogasset, ut solitam refectionem una secum die quadam sibi collibita sumere dignaretur, vir autem Seraphicus hanc ejus petitionem multo tempore dissimulasset, tandem die quadam conventum est inter utrumque, ut ad Ecclesiam B. Mariæ Angelorum simul se conferrent, ubi cum frugalis mensa præparata fuisset, jamque prandere cœpissent, Seraphicus Pater de rebus divinis tanta cum suavitate spiritus discurrere cœpit, ut relicto penitus cibo, omnes in ecstasim evecti fuerint. Unde hinc quadrant verba illa Sapientis: *Ut scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus, hos, qui in te crediderint, conservat.*

Pulchræ historiæ quomodo ex conferentia Spirituali verbi divini materialis cibi obliti fuerint. *S. Joannes Columbinus. S. Clara & S. Franciscus.* *Sap. 16. 26.*

7. Abulensis rationem reddit modi, quo humana fragilitas mediante verbo Dei sustentari potuerit, ait enim: *Quia erat potentia in verbis Christi, poterat enim loquendo consolari hominem, & conservare sine cibo, si enim Moyses in consortio divini sermonis manfit bis quadraginta diebus, & non gravabatur, sed potius induratur facies ejus quamdam divinum fulgorem ex isto consortio Domini, poterat Christus, qui ipsemet Deus erat, sic hominem consolari & loquendo sine cibo conservare.* Apud Bellovacensem sequentia verba leguntur: *Sicut Verbum Dei æternum*

Quomodo homo per verbum Dei sustentari possit. *Abul. q. 68. ibid.*

æternum est pabulum Angelorum in cœlo, ita verbum Dei est pabulum sanctarum animarum in terra, unde dixit diabolo, qui jejunus erat ab hoc cibo, non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo &c. hoc vobo, Magdalena reficiebatur ad pedes Domini, audiens verba oris ejus, ut oblivioni traderet cibum ventris. Sic duo fratres, de quibus in vitis Patrum dicitur, quod compassi sent refectionem post jejunium, inceperant loqui de Deo, & usque in crastinum ita loquendo de Deo assidue perseveraverunt, quod cibum corporis accipere obliti fuerunt.

Verbum Dei figuratum fuit per convivium nuptiarum. *Auct. imperf. hom. 41.*

8. *Non in solo pane vivit homo &c.* Quod si virtutem & substantiam spiritualis hujus alimenti examinaverimus, illud nomine lauti & sumptuosi convivij appellari inveniemus. Author imperfecti de Parabola nuptiarum differens quærit: *Quando cœpit hoc convivium præparari? A tempore Moysis, quando lex Domini data est irreprehensibilis, convertens animas, quando testimonium fidele datum est, sapientiam præstans parvulis, quando justitiæ Domini rectæ lætificantes corda datæ sunt. Sicut regale prandium multis ciborum speciebus ornatur, ita & hoc convivium Scripturarum, diversis justitiarum speciebus est decoratum.* Nescio an sive in sacris, sive in profanis historijs umquam legeritis sumptuosius convivium illo, quod instauravit Assuerus. *Fuit* enim *septem diebus convivium præparari &c.* quod Glossa interlinearis ad nostrum propositum in sensu mystico de Ecclesia exponit, in qua per fidem operibus bonis sociatam ad paradisum præparamur, interea tamen hic in terris *verbi Dei dapibus electi sustiantur.* In hoc Assueri convivio ex scyphis & crateris aureis bibebatur: *Bibebant autem qui invitati erant, ex aureis poculis*, ex quo eadem Glossa hanc eruit moralitatem, videlicet hominem nutriri *evangelicis verbis spiritualj sapientia conditis.* Erat quoque in illo convivio pretiosorum vasorum varietas, in quibus epulæ præparatæ inferebantur (*Alijs, atque alijs vasis cibi inferebantur*) per hæc autem vasa denotabantur verbi Dei *cibi spirituales, sive delicijæ, quibus saginantur animæ verbo Dei.*

Et convivium Assuerj. *Esth. 1. v. 5. Gloss. interlin.* *Ibid. v. 2.*

Institutitur comparatio inter convivium Eucharisticum, & verbi Dei convivium. *S. Aug. hom. 26.* *Joan 6. v. 5.* *Ibid. v. 6.* *Jac. 1. v. 21.* *Ibid. v. 22.* *Joan. 8. v. 47.* *Luc. 11. 28.*

9. Certum quidem est, quod nullum dari possit lautius convivium, quam sit illud, de quo Ecclesia canit: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur &c.* At vero quodnam nobis præcellentius esse videtur, Eucharistiæne an vero verbi Dei? Vos quidem dicetis Eucharisticum convivium præcellentius esse, quam sit illud quod ex verbo Dei instauratur, verumtamen audiamus Sanctum Augustinum dicentem: *Si verum vultis respondere; utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi.* De Sacramento altaris quidem scriptum legitur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, de Verbo Dei autem ipsemet Christi Vicarius testatur inquiens: *Verba vitæ æternæ habes*, de convivio Eucharistico hæc nobis comminatio intentatur: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, de hoc autem verbi Dei convivio Sanctus Jacobus Apostolus ait: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*; Et Christus inquit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non audius, quia ex Deo non estis.* De Eucharistia Ecclesia canit, quod ut *futuræ gloriæ nobis pignus detur*; De verbo autem Dei ipsummet verbum incarnatum dicit: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Magna ab omnibus adhiberur diligentia, ne vel minima conviuij sacramentalis particula, utpote in qua totum Christi corpus continetur (*ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto legitur*) in terram decidat; Eadem vero cum diligentia suscipiendum, domumque ferendum est verbum Dei, juxta celebre illud Sancti Augustini monitum, dicentis; *Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi in terram cadere, negligentia sua permiserit.*

Quid intelligatur per tauros & altilia prandij evangelici. *Matth. 22. v. 4.* *S. Thom. ex Orig.*

10. In nuptijs illis Evangelicis lautissimum omnino prandium præparatum fuit: *Prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata.* De hoc autem convivio Sanctus Thomas ex citata Origenis authoritate dicit: *Est dispositio Sapientiæ Dei* (quæ scilicet in verbi Dei prædicatione instituitur) *tauri dicuntur rationes fortes. Isa. 8. In forti mana sua eruditi me; Altilia dicuntur quasi alita bene, & significantur proprie aves saginatæ, quæ nutriuntur, & impinguantur, subtilesque sensus significant, & fiunt saginatæ, quando sacris sensibus multiplicantur, quibus anima saginatur, sicut adipe & pinguedine repleatur anima.* Galfridus apud Titelmannum, quoad varietatem ferculorum, hanc habet reflectionem: *Et carnes quidem, inquit, tauorum, cibus fortior; Altilium verò delectabilior usus est. Utraque ergo videtur in suis Dominus nuptijs, & parata suis enumerare convivis, quæcumque vel ad necessitatem expectanda sunt, vel appetenda ad voluptatem.* Unde cœlestis Architriclinus eamdem circa fercula habuit discretionem, quam prædicator in convivio mystico prædicationis evangelicæ adhibere debet, conformiter enim ad stomachum & complexionem aniuscujusque ciborum convenientium proponere debet, diversitatem, quia aliter prædicandum est rusticis, aliter personis intelligentibus: Unde Doctor gentium ad Corinthios scribit: *Factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem.* Venerabilis Beda de antiquo tabernaculo differens, super illa verba: *Parabis & acetabula, & phialas thuribula, & Cyathos in quibus &c.* ita scribit: *Varia vasa quæ ad offerenda libamina sunt facta, variæ sunt distinctiones eloquij divini, pro dispari capacitate audientium, non enim una, eademque omnibus potest convenire doctrina, aliter namque sapientes, aliter insipientes, aliter divites, aliter pauperes, aliter jani, aliter infirmi aliter senes, aliter juvenes, aliter viri, aliter fœminæ, aliter cœlibes, aliter conjugati, aliter Prælati, aliter subditi docendi sunt. Quæ videlicet opportuna diversitas sanctæ prædicationis ipsius Domini ore designabatur, cum diceret: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Mensuram quippe tritici conservis dat in tempore fidelis dispensator & prudens, quando discretus verbi minister, non solùm tempus opportunum in dicendo observat, verum etiam qualitatem, sensumque Auditorum diligenter exquirit, & juxta distantiam hujus, modum sui sermonis temperat.*

Galfrid. apud Titel.

Verbum Dei differenter pro auditorum captu proponendum est. *1. Cor. 9. 22.* *Exod. 25. 29.* *Ven. Beda Tom. 4. de Tabernaculo lib. 1. cap. 7.*

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Variæ adducuntur allusiones inter cibum & verbum Dei, & specialiter quoad manna.

THEMA.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. 4. ℣. 4.

Deducitur ulterius similitudo Verbi Dei cum pane, vel alio cibo & nutrimento.

1. AD probe intelligendam verbi Dei necessitatem, aptiorem, efficacioremque similitudinem adduci non posse existimo, quam sit illa, quæ à pane, vel ab alio simili nutrimento desumitur; Ac proinde præter ea, quæ in duobus præcedentibus discursibus diximus, in ejusdem veritatis confirmationem aliæ supersunt probationes, quas in præsenti discursu adducemus. Et quidem in primis cum per sponsam in sacris canticis Ecclesia denotetur, audiatis velim, quid de ipsa dicat Spiritus Sanctus: *Dentes tui*, inquit, *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Quinam vero sunt hi dentes in sensu mystico? Sanctus Gregorius Magnus ait: *Sicut per oculos Prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur, similiter & dentes possunt dici, quia per eos infidelis consumuntur, & parvuli nutriuntur. Dentes quippe Sancti prædicatores vocantur, quia dum sanctam scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem parvulis tamquam matres filijs commasticant, quo infirmi ad fortia convalescant.* In commendationem horum dentium, non solum in sacris canticis dicitur, quod sint *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro*, verum in Genesi pariter de ijs scriptum est: *Dentes ejus lacte candidiores*; Ubi Sanctus Eucherius ait: *Dentes prædicatores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, & eos quasi comminuendo, in Christi corpus transferunt. Nomine autem lactis doctrina legis significatur, quæ carnalem populum, tamquam parvulos, loco lactis allevat, cujus quidem candidiores effecti sunt doctores Ecclesiæ, quia solidum & fortem cibum verbi manducant, atque distribuant, de quibus Apostolus dicit ad Hebræos. Perfectorum autem est solidus cibus; Bene candidiores lacte dentes dicit, omnes enim qui perfecti sunt, & qui scripturarum cibos explanantes subtilem & minutum intellectum, qui spiritualis dicitur*

Cant. 4. v. 2.

S. Greg.

Cant. 4. v. 2.

Gen. 49. v. 12. *S. Eucher. l. 3. in Gen.*

citur, corpori subministrant, candidi esse debent, & puri, & ab omni macula liberi.

S. Aug. in Psal. 36. conc. 3.
Analogia inter cibum & verbum Dei, est valde considerabilis.

2. Sanctus Augustinus prædicationem Panis nomine appellat inquiens: *Panis est verbum Dei, quod numquam ab ore justi discedit. Panem istum manducas una hora, & dimittis panem illum verbi die ac nocte. Quando enim audis, aut quando legis manducas; Quando inde cogitas, ruminas, ut sis animal mundum, non immundum, quod significat etiam Sapientia per Salomonem dicens: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum? Ut non in illo appareat, quod voravit, oblitus est, quod audivit. Qui autem non est oblitus, cogitat, & cogitando ruminat, ruminando delectatur; Unde dicitur: Cogitatio sancta servabit te.* Est igitur hæc analogia quædam valde considerabilis, quæ verbum Dei & cibum intercedit, siquidem cibus nisi prius satis fuerit coctus, stomachum potius aggravat; & idem est, si cibus non fuerit satis masticatus, tunc enim multum stomacho nocet: Eodem modo si verbum Dei solum audiatur, cæterum vero nullum faciat fructum, nec quidquam æstimetur, aut executioni mandetur, sed potius contemptui habeatur, animæ plurimum damni adfert. Unde licet apud Oseam dicatur: *Vivent tritico, & germinabunt quasi vinea*, ubi Rupertus Abbas ait: *Triticum quo interior homo vivit, sermo Dei*; Attamen ut triticum panis fiat, necessarium est ut primo molatur, & in farinam redigatur, ac demum pinsatur, ac in furno coquatur: Eodem modo ut verbum Dei panis animæ fiat, non sufficit illud immittere, illudque ibidem meditari & conservare, ac tandem practicare, & opere exequi. Unde Auctor Imperfecti ait: *Multas proprietates habet sermo ad escam. Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primum molit cum dentibus, & ita dimittit in stomachum, sic & cum audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari, & in ore sensus, quasi quibusdam dentibus, id est tractatibus molere, & videre quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit.*

Ose. 14. v. 8. Rup. Abb. lib. 6. in Ose. c. 14. — Auct. Imperf. hom. 41.

Verbum Dei comparatur imbri. Isa. 55. v. 10.

3. Deus per os Prophetæ sui Evangelici de divino verbo suo ait: *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*; Quasi diceret: Quemadmodum aqua stillatim super terram descendens, eam fœcundat, herbasque, flores, frondes, & fructus eamdem germinare facit; Eodem modo verbum Dei in anima receptum, ibidemque nutritum, eamdem fructuum bonorum operum, florumque sanctorum propositorum fertilem efficit. Divus Chrysostomus in homilia quadam super Matthæum, eamdem hanc cibum inter & prædicationem versantem similitudinem in hæc verba adducit: *Quam ob rem Christus etiam confirmans dicebat: Quod passeribus meliores estis vos? His enim verbis inducit nos, non ut opibus, & terræ seminibus nos jactemus, quoniam non his, sed verbo Dei alamur.* In historia tripartita legimus quod cum Valens Imperator cum Basilio Magno de quibusdam fidem nostram catholicam concernentibus dogmatibus loqueretur, eorumque colloquio præsumptuosus quidam Valentis minister, qui in aula ejus œconomi, seu architriclini munere fungebatur, se ingereret. Sanctus Basilius his eum verbis proposito nostro valde convenientibus affatus fuerit: *Tuum est de pulmentarijs cogitare, non divina dogmata decoquere.*

D. Chrysost. hom. 56. in Matth. — Hist. Trip. lib. 7. c. 12. — Prædicationi Verbi Dei conjungenda opera bona.

D. Chrysost. Tom. 1. hom. 56.

4. Divus Chrysostomus in homilia quadam ita scribit: *Conjungamus rectitudini dogmatum diligentiam vitæ & operum, & ne dimidiatim, quæ ad nostram salutem spectant, curentur. Jam vitæ diligentiam & puritatem nihil sic efficit, & corrigit, ut continua in templis conversatio, & alacre studium; Quod enim corpori est cibus, hoc animæ divinorum eloquiorum doctrina, non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hinc & famem inducere solet, quod huic mensæ non communicetur, & audi de hoc interminantem, & famem hanc in ordinem suppliciorum, & pœnarum intentantem: Dabo enim eis, inquit Amos 8. non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermonum Domini. Quomodo ergo non absurdum, pro corporali fame repellenda, facere & attentare omnia, animæ autem famem sponte quærere, quamvi multo gravior sit, quanto scilicet gravius est & damnum?* Divo Chrysostomo glossa quædam consentit, quæ super illa verba cap. 4. Josuæ: *Si malum faciat Dominus in conspectu Domini*; Ita habet: *Talis Ecclesia judex datur, sub quo famem verbi Dei, & sitim populus patiatur, & non famem panis, aut sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei; Ita ergo agamus, & oremus ne hac fame, & siti, indignatione Dei condemnemur.*

Amos 8. 11. — Glos. in Jos. c. 4.

S. Greg. in Evang. — Cum verbum Dei sit cibus mentis, solicitè in mente conservari debet.

6. *Non in solo pane &c.* S. Gregorius cibum inter & verbum Dei aliam quamdam insinuat analogiam, inquiens: *Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete; Cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus stomacho languente rejicetur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non retinetur; Quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur.* Pessimum namque signum est, ut suo loco in sequentium discursuum progressu videbimus; quando non solum verbum Dei audire nauseamus, verum etiam illud aspernamur, & contemnimus. Inter alia animalia à Deo repudiata, atque ad ipsius sacrificia, tamquam animalia immunda, nequaquam admissa, illa quoque recensentur, quæ cibum ingestum non ruminant, ut per hoc intelligamus illos qui divini verbi cibum non ruminant, id est, ad verbum Dei auscultatum mentem non applicant, nec serio de illo cogitant, Deo nequaquam gratos esse, aut acceptos. Sanctus Gregorius explicans verba illa Jobi: *Nonne auris verba mea dijudicat, & fauces comedentis saporem?* Ita scribit: *Verba sapientiæ, quæ reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud namque est nominatum cibum audire solummodo, aliud vero etiam gustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, ut degustent, quia hoc quod audiunt, eis per amorem medullitus sapit. Reproborum vero scientia usque ad cognitionem sonitus tenditur, ut quidem virtutes audiant, sed tamen corde frigido, qualiter sapiant, ignorent.* Sicut enim infirmus amisso appetitu aversionem habet à cibo, nec illum potest deglutire, ideoque in statu desperatæ salutis est constitutus, ita quoque simile judicium de eo formare licet, qui vel verbum Dei audire nauseat, vel auditum cordi immittere non potest, aut non vult. Audiamus hac de re S. Bernardinum in hæc verba loquentem: *Nota quod quando homo non potest audire verbum Dei, est signum, quod est prope mortem, ad instar illius, qui nihil boni potest comedere, & perdit appetitum.* S. Antonius de Padua, post adductam supradictam ex S. Gregorio similitudinem subjungit: *Panis enim doctrinæ mentem sanat, animam roborat, mentem illuminat; Unde Moral. 8. sic dicit: Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita fames mentis est silentium divinæ locutionis, quia cum humanam mentem divina allocutio deserit, contra eam carnis tentatio invalescit.*

Levit. 11. — Job. 12. v. 11. S. Greg. l. 11. Mor. c. 4. — Nausea verbi Dei est valde periculosa. — S. Bernard. Tom. 4. ser. 5. in Dom. 1. Quadr. — S. Anton. de Pad. ser. in cœna Dom.

Parabolæ sunt quasi condimenta cibi verbi Dei.

6. Earum prædicationum, quas verbum incarnatum hic in terris peroravit, præcipua pars parabolæ erat, unde apud Matthæum dicitur: *Sine parabolis non loquebatur eis*: Audiamus igitur quo nomine S. Hieronymus parabolas indigitet, enimvero sanctus hic Doctor super illa verba: *Proposuit autem aliam parabolam*, in hæc verba scribit: *Quasi dives Paterfamilias invitatos diversis reficiens cibis, ut unusquisque secundùm naturam sui stomachi varia alimenta susciperet.* Sunt igitur parabolæ, velut quædam ad cibum appetendum peculiari cum industria præparata condimenta. Idem Sanctus Doctor super illa verba: *Calix meus inebrians, quam præclarus est*, sic interpretatur: *Calix intelligitur verbum Dei, inebrians, quia prædicatione compungitur homo in mente; Quando separat hominem, id est patrem à filio, filium à Patre suo, matrem à filia & filiam à matre sua; Tunc nos inebriat, quando ista facit. Vel mystico me calice inebriasti, ut oblivioni traderem delectationem prioris vitæ.*

Matth. 13. v. 34. — Matth. 14. 31. S. Hieron. in Matth. — Psal. 21. v. 5. S. Hieron. Ibid. — Verbum Dei est calix inebrians.

7. *Non in solo pane &c.* Et vero verbum Dei panis quidem est, sed cœlestis; Ac proinde à S. Augustino Mannæ assimilatus, dum ait: *Manna verbum Dei esse dicis? Verum est fratres.* Rupertus Abbas similiter in hæc verba scribit: *Dedit tibi cibum Manna ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod progreditur de ore Dei; Hoc manna, hunc panem Angelorum, ut manducaret homo, simul quidem Deus portas cœli aperuit, ut in*

S. Aug. ser. 91. de temp. — Rup. Ab. lib. Jos. c. 17. — Verbum Dei comparatus mannæ.

terram

terram nostram illud carnem factum mitteret; Cæterum quoties Apostolorum & Prophetarum, sive etiam Doctorum Spiritus Sanctus ora aperit ad prædicandum salutis verbum, portas cœli aperit Dominus, & pluit nobis manna ad manducandum. Nazianzenus in oratione quadam in laudem Basilij Magni habita inquit: *Panis angelorum sermo divinus est, quo aluntur atque irrigantur animæ Deum esurientes, ac cibum non defluentem, & abeuntem, sed perpetuo manentem expetentes.* Quod si manna panis vocabatur angelorum, eo quod illorum opera ministrabatur (*Angelorum esca nutrivisti populum tuum.*) Quis est qui nesciat, quod Sacerdotes & Episcopi, ad quos prædicandi munus specialiter pertinet, hoc pariter titulo in scriptura honorentur? *Scribe Angelo Ephesi &c.* Verumtamen manna & verbum Dei à cibo corporali in hoc plurimum differunt, quod videlicet panis corporalis nostris sudoribus, quasi subigatur, & acquiratur, quos item toleramus labores, priusquam illum masticemus, & digeramus? Ac proinde vere per omnia sæcula adimpletur, quod Protoparenti nostro prædictum fuit à Deo: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*, de manna vero legitur in libro sapientiæ: *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore*, simili modo panis hic angelicus verbi Dei summa cum facilitate nobis ministratur, hisce namque nostris temporibus de hoc manna, ut experientia docet, abunde sumus provisi, adeo ut hisce diebus vere adimpletum esse videatur, quod Propheta Evang. his verbis prædixit: *Panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis, pascetur in possessione tua in die illo agnus speciose quia verbum Dei est.* Ubi S. Thom. ait: *Panis primo arctus, propter observandi difficultatem, Matth. 7. Arcta via est quæ ducit ad vitam; Secundo uberrimus propter utilitatem; Infra: Quomodo descendit imber de cælo &c. Tertio pinguis est propter delectationis suavitatem.* Manna enim olim in magna copia descendebat, atque exquisitos in se continebat sapores, unde dicitur: *Omne delectamentum in se habens.*

Nazianz. Orat. 30. — Sap. 16. 20. — Apoc. 2. v. 1. — Gen. 3. v. 19. — Isa. 30. v. 23. — S. Thom. Ibid. — Matth. 7. 14. — Sap. 16. v. 20.

S. Aug. ser. 91. de Temp. — Continuatur mannæ comparatio cum verbo Dei.

8. S. Augustinus hanc inter manna & verbum Dei memorat proportionem; inquiens: *Sed & interrogatio nominis hoc idem sonat; Manna enim interpretatur, quid est hoc? Vide si non ipsa nominis virtus ad discendum te provocat, ut cum audieris legem Dei recitari in Ecclesia, semper interroges, & dicas doctoribus: quid est hoc? ergo est quod indicat manna. Tu ergo si vis manducare manna, si cupis suscipere verbum Dei scito illud minutum esse, & valde subtile, sicut semen coriandri, habet enim in se aliquid oleris, quo nutriri & recreari possit infirmus.* D. Chrysostomus quoque circa hoc nomen Manna similem habet ponderationem, Manna enim hoc nomen sortitum est à populi Israëlitici plane stupefacti admiratione, miraculosum enim hunc cibum videns, clamavit: *Manhu, quid est hoc? ut quotiescumque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus?* Utilissimum namque hominis Christiani exercitium foret, si quotiescumque angelico hoc pane verbi Dei cibatur, in corde suo dicat: *Quid est hoc quod audio?* Faciebat idipsum B.V.Maria, quæ ut S. Lucas testatur: *Conservabat omnia verba conferens in corde suo.*

D. Chrysost. Hom. 41. in Matth. — Luc. 2. v. 19.

S. August. Ibid. — Quando mysticum verbi Dei manna in nobis generet vermes, & putrefiat.

9. Sunt & aliæ manna inter & verbum Dei analogiæ, quas S. Augustinus his verbis insinuat: *Candoris habet plurimum, & dulcedinis, quid enim candidius, quid splendidius eruditione doctrinæ? Quid dulcius, quidve suavius eloquijs Domini, quæ dulcia sunt super mel & favum?* Idem S. Doctor eodem in loco quonam modo mysticum hoc manna vermes in nobis generare possit, his verbis ostendit: *Sed dicet aliquis: Si manna verbum Dei esse dicis, quomodo vermes facit? Verum est fratres; Non aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei; Si enim ait: Nisi venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, post susceptum autem verbum Dei, qui peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui ejus semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat. Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere, istud enim manna, prout vult quisque talem saporem sapit; Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se: Fiat tibi secundùm fidem tuam. Et tu ergo si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, & tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quocumque desideras; v. g. Si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Si lætaris prosperè, cumulat tibi gaudium dicens: Lætamini in Domino, & exaltate justi; Si iracundus es, mitigat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos; Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem; Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris.* In libro sapientiæ de hoc angelorum pane dicitur: *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Ex quibus verbis deduci videtur, solos filios, id est homines justos suavitatis, saporum, gustuumque variorum, quos manna in se habebat, factos fuisse participes; Idipsum vero de verbo Dei pariter asserere possumus, cujus suavitatem ut plurimum homines timorati vel maxime gustant, siquidem *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus.* Origenes diu ante Sanctum Augustinum similem habet reflectionem circa vermes, quos manna scaturiebat, quando contra jussum à Deo præscriptum, collectum fuerat; Ait enim: *Et ita fiebat, ut una & eadem species mannæ, alijs vermes & putredines generaret, alijs vero salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna est verbum Dei, & apud nos sermo Dei alijs efficitur ad salutem, alijs ad pœnam.* Illis namque qui salutare prædicationis Evangelicæ manna intra corda sua recipiunt, ibidemque illud nutriunt, ut inde proficiant, *fit ad salutem*; non item his, qui illud aspernantur & contemnunt, his namque *efficitur ad pœnam*, siquidem *servus ille, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, nec fecit secundùm voluntatem ejus*, plagis *vapulabit multis*. Intra se enim vermes experietur conscientiæ, quia *videt meliora probatque, & deteriora sequitur.*

Sap. 16. v. 21. — 1. Cor. 2. 14. — Orig. Hom. 3. in Num. — Luc. 12. 47.

10. Præterea sicut Judæi mannæ esum continuum fastidientes dicebant: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, & ideo farinam Ægypti, allia, cepas, & cucumeres mannæ anteferebant: Ita pariter plurimi inveniuntur, qui verbum Dei summa cum nausea abominantur, econtra vero Discursus profanos libenter auscultant, lascivis comœdijs cum voluptate assistunt, aut obscænos libros legunt.

Num. 21. v. 5.

11. Joseph Hebræus de manna aliquid refert, quod apud alios scriptores vix umquam legisse me, memini, dicit enim: *Dum Moyses precabundus palmas attollit, ros de cælo delabitur, qui cum manibus ejus hærens concrevisset, supplicatus ille hanc alimoniam à Deo demitti, degustat, ac mox degustatam alijs offert.* At vero dicet fortasse aliquis, numquid Moyses balbus & impeditioris linguæ erat (*Domine non sum eloquens*) quonam igitur mysterio manna, quod prædicationis symbolum erat, in Moysis manus delabitur? Respondeo igitur Moysen quidem impeditioris linguæ non tamen tardioris, imo valde expeditæ actionis fuisse; Et ideo licet lingua bene articulata verba pronunciare non potuerit, manu tamen sua virgam ad opera prodigiosa patranda optime gubernare prævaluit; ut per hoc nobis insinuaretur, quod qui mysticum hoc manna cum fructu dispensare desiderat, in operibus potius quam in verbis potens manuque magis quam lingua exercitatus esse debeat. Porro Author operis imperfecti de verbo Dei differens, atque ad hanc convivij metaphoram alludens, profectum qui exinde nascitur, in hæc verba exponit: *Qui manducat de spirituali convivio, impletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, & sic ingreditur ad interiora voluntatis Dei, & manens in eis, acquirit sibi vitam æternam.*

Jos. Heb. l. 2. antiq. c. 1. — Mysticum manna verbi Dei distribuens, fit potens opere. — Exod. 4. 10. — Auct. Imperf. Hom. 41.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Variæ verbum Dei inter & semen examinantur analogiæ.

THEMA.

Semen est Verbum Dei. Luc. 8. ℣. 11.

Ipsemet Christus assimilavit verbum Dei semini. — Luc. 8. 10. Hujus ratio datur.

1. SImilitudo quæ verbum Dei, & semen intercedit, non à Chrysostomo aliquo, vel Basilio, vel Gregorio, vel Augustino, sed ab æterna, & incarnata sapientia, à verbo inquam æterno Patris primitus in medium adducta fuit; Et quidem priusquam hujus similitudinis mentionem faceret, jam ante Discipulis suis dixerat: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*; siquidem ut suo loco dicetur, æterna beatitudo in divino verbo virtualiter continetur. Sicut enim ex seminibus herbæ, fructus, frumentum, & alia grana progerminantur, quæ vitam corporalem in nobis

nutriunt,

nutriunt, ita pretiosum hoc semen verbi Dei vitam in nobis spiritualem & immortalem gignit, alit, & sustentat. Neque mirum est, quod Christus hac meta-

Joan. 15.v.1

phora seminis usus fuerit, quia alias dixerat: *Pater meus agricola est*; Pars autem principalis agricolæ in seminando consistit. S. Bonaventura verba assumpti

S.Bonav. in Luc.

thematis explicans inquit: *Semen est verbum Dei,quia per illud renascimur, ut simus sancti, & divini, voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.*

Pro salute animæ æquè necessarium est verbum Dei, ac pro corporis salute semen & panis.

2. *Semen est verbum Dei.* De semine non minus, quam de pane dici potest, quod sit firmamentum panis, quia panis quo homo nutritur, & sustentatur, ex semine, proficiscitur, juxta illud: *Dat semen serenti, & panem comedenti*; ubi, ut vides, Isaias simul conjungit semen cum pane; *Sic erit verbum meum*, quasi dicere vellet, pro salute animæ camdem esse prædicationis evangelicæ necessita-

Isa.55.v.11.

tem, quæ seminis & panis est in ordine ad salutem corporalem. Albertus Magnus inquit: *Est etiam*

Alb.Magn. in Luc.

considerandum quod in granis bonitas consideratur ex tribus, scilicet si colore est rubeum; Si quantitate secundùm genus suum est magnum, si pondere est grave in genere suo, quæ competunt divino semini, quod est Dei verbum. Hoc enim magnum est, quia de magnis;

Prov.8.v.6.

Prov. 8. De rebus magnis locutura sum. Hoc etiam colore est exterius charitatis igne rubeum, & intus puritate constantiæ mirabiliter candidum. Hoc etiam est pondere intelligendi gravissimum, & omnem excedens intelle-

Eccli.1.v.3.

ctum. Eccli. 1. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?

Terra profert fructum illius seminis quod illi inspersum est, sic etiam anima profert fructum illius Dei verbi, quod audivit.

3. *Semen est verbum Dei.* Experientia docet, quod terra fructum referat illius sementis, quæ super ipsam dispersa fuit. v.g. Si super terram seminatum est triticum, germinat & maturefacit triticum, si avena, avenam, si hordeum, hordeum, & ita de aliis seminibus discurrere licet. Verumtamen observandum est verissimum esse, quod Apostolus ait scilicet: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; Semen enim calore, mo-

1.Cor.3.v.7.

tu, & luce solis indiget, nec non influentiis cælestibus, pluviis, frigore, calore & aliis similibus qualitatibus, singulis quatuor anni temporibus correspondentibus; Ab his namque semen adjutum, subtiliores terræ partes sibi attrahit, easque in propriam substantiam convertendo fructum producit, & suo tempore maturefacit. Eodem igitur modo, anima nostra (discursus est Patris Ariæ) verbum Dei, quasi semen Christi, intra se recipit, illudque in corde suo repositum meditatur, amat, eique subjicitur, & in virtute illius novum hominem, novumque spiritum producit: Ad hoc tamen necessarium est, ut sol justitiæ cor moveat, calore & luce sanctarum inspirationum suarum excitet, & flammis divini sui amoris calefacit, sic enim tandem fiet, ut anima ab hac cælesti virtute fortificata partes viciniores sibi, puriores que, id est potentias suas, memoriam, intellectum, & voluntatem, illarumque operationes & effectus sibi attrahat, ut ad producendum vitæ æternæ fructum, qui ex divino hoc semine expectatur,eidem uniantur, Dixit idipsum S. Jacobus, dum sequenti-

Jac.1.v.17.

bus claris verbis ita scripsit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; Ecce tibi solem lucis suæ radijs nos calefacientem, & vitam nobis mini-

Ibid.v.18.

strantem: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*; Ecce tibi similitudinem fructus, quem semen hoc edit,

S. August. Tract.3.in Epist.Joan.

dum Deo nos assimilat. S. Augustinus ait: *Cathedram in cælo habet, qui corda docet*; Quasi diceret, ut semen hoc fructificet, divinarum gratiarum influentiis opus habet.

4. *Semen est verbum Dei.* S.Antonius de Padua in sermone de Dominica Sexagesimæ inquit: *Vide*

S. Anton.de Pad.in Sexag.

Quomodo semen verbi Dei producat conversionem peccatoris.

quam congrue dicitur verbum Dei semen; Sicut enim in terra semen seminatum germinat, & crescit: Primo enim, ut dicitur Marc.4. facit herbam, & deinde spicam, deinde plenam frumentum in spica: Sic verbum Dei seminatum in corde peccatoris primo facit herbam contritionis. Secundo spicam Confessionis, quæ se in altum erigit per spem remissionis. Tertio plenum frumentum satisfactionis, de quo Psalm.64. Valles, id est humiles pœnitentes, abundabunt frumento satisfactionis, ut pœna respondeat culpæ.

Semen necessario seminandum est ut proferat fructum sic & verbum Dei.

5. *Semen est verbum Dei.* Porro si quis agriculturæ notitia carens, videret granum caro pretio comparari, atque ingenti cum studio conservari, ut postea in terram seminetur, & quasi disperdatur,is utique hoc summæ stoliditati attribuens dicturus esset: *Ut quid perditio hæc? Poterat enim venumdari?* Et tamen revera non est stoliditas, aut dementia, sed providentia & sapientia, quia qui seminat, postea copiose metet, & quod projicitur, non abjicitur, sed duplicatur. Nam ut S.Bonaventura ait: *Mna in su-*

S.Bonav. Luca 10.

dario non multiplicatur, & frumentum in horreo non concrescit, sed à tineis manducatur, & ideo dicitur: Labia sapientium disseminabunt scientiam. Præterea sicut agricola non nisi in tempore congruo, & mense opportuno seminat, propitiasque constellationes observat, ita quoque qui in animabus fructum producere contendit, similem habere debet providentiam, ut verbum Dei tempore, loco & occasionibus opportunis disseminetur.Unde apud Amos dicitur: *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tem-*

Amos 5. 13.

Lyran.

pus malum est, id est, ut Lyranus exponit, *cessabit à correctione vestra, videns quod non esset ad vestram emendationem, sed magis ad peccatorum vestrorum aggravationem.*

Adducitur notabilis differentia inter semen, & verbum Dei.

6. *Semen est verbum Dei.* Quemadmodum cælestis agricola verbum Dei sub seminis titulo describit, ita quoque ministri evangelici seminatorum titulo honorantur. Unde S. Hilarius illos appellat: *Æternitatis satores, immortalitatem omnibus cor-*

S.Hilar. in Matth.c.4.

poribus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes: Advertenda tamen est inter generationem rerum terrenarum, & hanc spiritualem sequens differentia, quia in rebus hisce naturalibus necessarium est ut generationem præcedat corruptio, ac proinde Christus Redemptor noster ait: *Nisi granum fru-*

Joan.12.24.

menti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum adfert: Hoc tamen circa semen verbi Dei minime contingit: Unde S. Petrus clare dicit: *Renati non ex semine corruptibili,... per verbum Dei vivi,*

1.Pet.1.23.

& permanentis in æternum. Hoc enim semen per fidem & gratiam animæ impressum, non corrumpitur, imo in potentiis illius, virtutes illæ remanent, quas simul impressit, sicut & dona & gratiæ, quæ illam ad vitam immortalem perducunt:Et licet in hac regeneratione spirituali etiam aliquid sit, quod corrumpitur, hoc tamen nihil est aliud, quam homo vetus id est malæ inclinationes, appetitus & passiones inordinatæ, siquidem depravatos deinceps mores nos facit deserere. Cæterum hoc semen in cor-

Ibid.v.23.

ruptibile esse,ex illis S.Petri verbis colligitur: *Per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*: Econtra vero

Ibid.v.24.

quando de semine naturali sermo est, dicitur: *Omnis gloria ejus tamquam flos fœni,exaruit fœnum, & flos ejus decidit*: Et quidem ne quis in dubium revocare posset, quasi S. Petrus eo loco non tractasset de verbo divino prædicabili, sed incarnato, ideo idem Apo-

Ibid.v.25.

stolus definiendo mox subjungit: *Hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos.* S. Apostolus Paulus de illis qui Evangelium annunciant, ita scribit:

1.Cor.3.v.9.

Dei sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis: Illi namque instar seminatorum,in fidelium animarum agros pretiosum hoc semen spargunt, ut in illis vitæ & æternæ proferat fructum.

Ex minimo semine crescit, non subito sed paulatim magna arbor hoc ipsum fit in semine verbi Dei.

7. *Semen est verbum Dei.* Videmus per experientiam, semen aliquod minutissimum paulatim in procerissimam excrescere arborem: Etenim de grano sinapis dicitur: *Minimum quidem est omnibus seminibus, ... & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus*: Sic quoque ex minimo semine, quod ægre videtur: in progressu annorum arbor ad stellas usque se extendens excrescit, v.g. Platanus vel Cypressus, vel Pinus.Simili modo quis enumera-

Matth.13. v.32.

bit animas illas, quæ in virtute unius dumtaxat verbi Dei, auditi, vel meditati, vel lecti ad eminentissimum pervenerunt sanctitatis gradum? Præterea sicut semen non subito fructum suum producit; sed post multos menses, ita quoque nonnumquam accidit prædicationi verbi Dei, quod non subito operationem suam exerit, sed suo tempore idipsum faciet. Unde Sanctus Bernardinus in sermone quodam avaros monet, ne prædicatoribus aures suas obturent, hancque illius assignat rationem: *Nolite quæso ô ava-*

S.Bern. t.4. s.5.par.2. princ.

ri sic facere, possibile enim est, quod in puncto mortis recordaberis de aliquo verbo audito in prædicatione quo salvaberis. Bellovacensis ait: *Semini com-*

Bellov. spec. mor.l.3.par.1.dist.10.

paratur, quia fœcundat: Quod si aliquando diu latet in corde, aliquando post tempora multa germinat, & coalescit in fructum: Unde cum quidam argueret Ribaldum de hoc, quod frequentabat sermones, respondit: Etsi modo statim non immuter, tamen se-

men

men recipio, quod aliquando coalescet in fructum, & erit mibi, Deo dante, verbum quod modo audio, salutis causa, & emendationis. In vita S.Philippi Ne-

Vit.5. S.Phil. Ner.lib.2. c.6.n.5.

rij simile quid accidit in persona Joannis Thomæ Arenæ projectæ impudentiæ juvenis; hic enim oratorium interdum. S. Hieronymi adibat; Non ut è piis sermonibus fructum caperet, sed ut concionantibus illuderet. Cum igitur Oratorij Sodales id ferre non possent, rem Philippo deferunt,rogantque ut ejus compescere velit petulantiam; Quibus ille: Sinite filij, cito enim quid facturus sit Deus, videbitis, nolite dubitare. Improbus interim juvenis cœptas injurias pergit inferre, cum repente improbitatem serio recogitans, emollito corde B. Philippi imperio se totum dat, nec multo post spiritus fervore concepto. Dominicanam familiam ingreditur, ubi dum adhuc inter Tyrones agit, religiosissime moritur.

8. *Semen est verbum Dei.* Didacus Stella in

Did.Stel.in Luc.

Fructus continetur virtualiter in semine,sic & in semine verbi Dei.

commento horum verborum ita scribit: *Ut Philosophus ait, fructus virtualiter sunt in semine, habet enim semen virtualiter calorem, & virtutem quamdam generativam, ex qua fructus prodeunt. Semen in primis radices agit, deinde surgit in caulem, postea in arborem, frondibus, ramis, floribus, fructibus ornatam. Sic verbum divinum in animo humano hærens, radicibus primum, deinde virtutibus omnibus coloratum, ramis, floribusque virescit, donec perfectum in gloria sempiterna cultori suo fructum parit. Hoc est quod Christus dixit: Regnum Dei intra vos est. Hac verba de hoc semine intellexit, quia verbum Dei, producit & virtualiter in se continet regnum Dei; Ex verbo enim Dei oritur fides, & ex fide spes, charitas, cæteræ virtutes, & opera bona, quibus regnum cœlorum debetur.*

Verbum Dei in corde reconditum indubie fructificabit.

9. *Semen est verbum Dei.* Tunc semen in securo est positum, deque ipso sperare licet, quod radices & germina producturum sit, quando est terra coopertum, semen enim nudum & publice patens à volucribus facile devorari potest. Eodem modo sperare licet, quod verbum Dei tunc præcipue fructus in nobis sit producturum, si illud in corde nostro re-

S.Basil.mor. reg.9.c.1.

posuerimus. Nam ut S. Basilius Abbas: *Si quis audit verbum Dei, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus. Hic est qui secus viam seminatus est.* Paulo post, *qui autem in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit & intelligit, & fructum affert; Et advocans totam turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.* Observandum est, quod quando cælestis agricola de semine fructum centesimum adferente disserit, non sine mysterio dicat: *Verbum retinent*: Unde

S.Thom. à Villanov. Sexag.

S. Thomas à Villanova monet dicens: *Verbum retinent, nam si semen non radicatur in terra, non faciet fructum: Si cibus non retinetur in stomacho, quid prodest? Et si libenter audias verbum Dei, sed statim obliviscèris, quem fructum inde habebis?* Nescio an vobis constet, quod frumentum à formicis in æ-

Simile formicarum.

state ad scrobes suas illatum, licet sub terra absconditum sit, tamen non germinet, sicut facit quod seminatum, & pariter sub terram sepultum fuit, at vero nostisne hujus rei reddere rationem? Plinius

Plin.l.11. c.30.

de formicis ait: *Semina arrosa condunt, ne rursum in fruges exeant de terra.* Idem vero in nobis persæpe serpens fraudulentus operatur, nè enim semen hoc in beneficium nostrum fructificet, ipse efficere conatur, ut nos illud sinistre interpretemur, existimando quod aliis, non vero nobis hoc vel illud prædicatum fuerit, vel etiam ne Prædicatori fidem adhibeamus, efficit, ut bonæ Prædicatoris famæ interius in corde nostro detrahamus. Certus quidam prædicator evangelicus auditoribus suis dicere solitus erat, optarent vos omnes mensæ verbi Dei accumbere, tamquam convivas, non vero tamquam sectores epulares; Convivæ etenim ex appositis cibantur epulis, sector vero epularum, apposita crebro dividit aliis, sibi aliud nihil reservans, præterquam nuda ossa. Multi sunt, qui cum spiritualem verbi Dei cibum in memoriam, in intellectum, in cor suum tamquam in stomachum reponere deberent, cibum illum pro aliis præparatum esse existimantes, eumdem scindunt, dividunt, & partiuntur, quidquid audierunt; his videlicet documentum aliquod, aliis quamdam reprehensionem, alijs vero comminationem, ac tandem sibimetipsis nihil reservant,nisi quod loco profectus animæ propriæ acquirendi, suos innocenter censuraverint proximos.

10. *Semen est verbum Dei.* Quemadmodum ter-

Ager cordis excoli & à vitiis expurgari debet, ut semen verbi Dei in illo fructum faciat.

ra ex semetipsa non est ferax frumenti, vel cujuscumque alterius utilis segetis, nisi colatur, nisi aratro proscindatur; Siquidem inculta terra præter lolia, spinas & tribulos nihil aliud producit, ita humanæ naturæ nostræ ager præter lolia vitiorum, spinasque inordinatorum appetituum, nihil producit, nisi per aratrum mortificationis & macerationis carnis nostræ ligone, ad fructuose divini verbi semen recipiendum disponatur. Unde Jansenius ait: *Ita cor*

Cornel. Jansf. c.51. concord.

hominis, nisi semine divino seminatum fuerit, noxia tantum proferet, aut saltem inutilia, & sterilia. Subdit insuper: *Ita &, ut cor hominis intra se recipiat verbum Dei, ac sit omnibus vitijs repurgatum, cultura non parva opus est.*Sanctus Gregorius de ministris evangelicis ita scribit: *Crescunt quotidie per lin-*

S Greg. l.11. Epist.49.

guæ vestræ vomerem grana cœlestia,atque in supernis horreis multiplicantur, ita ut in vobis completum esse gaudeamus, quod scriptum est: Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bovis. Enimvero in dubium revocari nequit, quin semen copiosiorem sit allaturum fructum, si terra à spinis, herbis pernitiosis, lapidibus, tribulis, aliisque similibus rebus noxijs fuerit repurgata; Eodem quoque modo verbum Dei majorem in anima pura, & mundo corde profectum faciet, quam in corde quodam multis inordinatis affectibus coinquinato; Ac proinde Jeremias

Jerem.4. v.3.

Propheta ait: *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas*: Notetis velim, quàm mysticâ phrasi S. Jacobus verbum Dei insitionem appellarit, dicen-

Jac.1.v.21.

do: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*; Advertendum vero est, eumdem

Ibid.

Apostolum immediate ante dixisse: *Abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ.* Juvat quoque plurimum ad bonam agriculturam, ipsiusmet agricolæ experientia & industria. Etenim semen manu in agrum spargitur, ita tamen ut prius in manu stringatur: ipseque seminator semen seminando manum camdem aperiat, unde Didacus Stel-

Did.Stell in Luc.

la ait: *Seminator manu seminat; Itaque tu manu & opere optime prædicabis.* Sanctus Gregorius super illa

Job.31.v.8. S.Greg. l.21. mor.c.8.

verba: *Seram, & alius comedat, & progenies &c.* ita scribit: *More sacri eloquij serere dicimus verba vitæ quasi cœlestis panis grana tradiderunt, comedere autem est bonis operibus satiari; Unde per semetipsam veritas dicit: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Si ergo ea quæ protulit, facere prætermisit, ait: Seram, & alius comedat; Ac si aperte dicat, quod os meum loquitur, non ego, sed alius operetur. Prædicator quippe qui à suis vocibus moribus discrepat, jejunus serit, quod alius manducet, quia suo semine ipse non pascitur, quando à verbi sui rectitudine prava actione vacuatur.* Quisquis eo fine seminat, ut fructum inde reportet, granum non super tecta, vel super arborum vertices,sed in planam terram projicit; Ita quoque si prædicatores ex concionibus suis aliquem volunt hauriri profectum, auditorum capacitati se accommodare debent, ac proinde Apostolus dice-

Rom.12. v.16.

bat, *non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Quod si flores sub terram seminare velles, hi utique ibidem marcescerent, nec ullum umquam reportarent fructum; Hic autem est error plurimorum, qui dum student in exornando verbo Dei floribus variæ elocutionis, translationibus, periodorum consonantiis, elegantia & eruditione argutorum conceptuum, nullum penes Auditores fructum producunt.

11. *Semen est verbum Dei.* Observandum quoque est, quod Chrysostomus in hæc verba scribit:

D. Chrysost. t.5.conc.5.de Lazaro.

Agricola spiritualis sæpe reiterare debet culturam agri cordium.

Ne dicamus; Quid nobis est tot verbis opus, nulla ex hoc sermone promanat utilitas; Nam & agricola, ubi semel atque iterum, ac sæpius semen arvo commisit, nec votis respondet proventus, rursus eamdem exercet segetem, neque raro fit, ut totius temporis jacturam uno sarciat anno. Sic & negotiator, quamquam crebro fecit naufragium, non tamen abstinet à portu, sed postea quam navem detraxit, & nautas conduxit, pecunijs mutuo acceptis eadem aggreditur negotia. Quod si igitur pro acquirendis lucris temporalibus, nullus novas negotiationes aggredi desinit, licet antea jacturas passus fuerit, quanto magis agricolam spiritualem pigere non debet, novam denuo seminis re inchoare culturam, licet ex præcedenti nullum perceperit fructum.

12. *Semen est verbum Dei.* Albertus Magnus illa

Albert. Mag. in Luc.

cœlestis Magistri considerans verba: *Exiit seminare semen suum*: inquit: *Ecce seminis puritas; Non enim debet seminari nisi semen summi agricolæ, & non aliud, quia quidquid aliud semina-*

tur;

Sap.4. 3. *Levit.19.19.* Prædicator debet seminare semen verbi Dei, & non aliud.

tur ; producit stirpes adulterinas ; Sap. 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas ; Levi. 14. Non seres agrum duplici semine , non enim seminandum est nisi semen Dei , & nullum aliud. Idem super illa verba : *Dum seminat* , inquit : *Hoc est in communi spargere semen , sicut debet, non enim potest attendere seminanti , quo semen cadat, dummodo in communi in agro ubique semen dispergat ; Dispergunture autem semina , quando diversis moribus bene adaptantur verba ; Unde Matth. 28. Docete omnes gentes.*

Matth.28.19 Efficacia verbi divini probatur insigni miraculo.

13. *Semen est verbum Dei.* Et vero qualem verbum Dei cum hac seminis metaphora proportionem habeat, mirum quoddam in virtute verbi Dei patratum clare ostendit; Etenim in vita S. Kentigerni Episcopi apud P. Bollandum legitur : *Cum multa ad fidem pertinentia in planitie campi , nomine Holdelin plebi prædicasset , terra in qua sedit , in oculis omnium crevit in monticulum alium , & manet ibi usque in diem hodiernum. Conversis ad Dominum Cambriæ habitatoribus , cælum dedit pluviam , & terra prius sterilis protulit fructum suum.* Idem Bollandus refert in vita B. Jordani Generalis Dominicanorum , quod cum legati Bononienses apud ipsum intercederent, ne ab ipsis celebris quidam dimoveretur prædicator , *qui seminaverat in civitate verbum Dei gratiosè , eo quod timeretur quod fructus qui sperabatur secuturus de ejus prædicatione totus posset in ejus absentia perdi*, Sanctus hic vir iisdem respondere rit : *Illa ratio quam vos allegatis , quod Frater Joannes deberet hic morari , quia seminavit vobis verbum Dei , & posset perire fructus , si recederet , non multum contirbet vos , non enim est consuetudo seminatoris camporum , quod cum seminaverit agrum suum, apportet ibi Lectum suum, & jaceat ibi quousque videat, quomodo semina fructificent , imo potius commendat semen & campum Deo , & vadit ad seminandum in alium campum. Ita forassis expediret , quod Frater Joannes iret ad seminandum verbum Dei alibi , sicut de Salvatore scriptum est , quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum Dei.*

Bolland.13. Febr.fol.732. Pulchra similitudo.

Luc.4.43.

Baron.An. 35.n.4.

14. *Semen est verbum Dei.* Is qui seminat, homini inexperto videri posset semen abjicere & perdere velle, at vero revera ita non est. Et vero in perfectione illa , de qua in Actibus Apostolici cap. 6. fit mentio , Discipuli Christi dispergi videbantur ; at vero S. Athanasius in Hom. de semente, illos cœlestis agricolæ semen appellat, eo quod prædicationis causa in diversas fuerint dispersi provincias.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

De verbo Dei sub analogia Lucis, & illuminantis nos Lucernæ differitur.

THEMA.

Declaratio sermonum tuorum illuminat. Psal.118. ℣.130.

Verbum Dei illuminat auditores, & ipsosmet prædicatores.

1. INter alios effectus, quos Verbum Dei in nobis operatur , hic valde est considerabilis , videlicet quod intellectum nostrum illuminet , & claritate perfundat ; Hæcque indubitata veritas non solum à Psalmista regio, sed & ab alijs Scripturæ locis insinuata fuit. S. Thomas inter alias Evangelicæ prædicationis utilitates, hanc primo loco recenset , quod scilicet multum valent *ad intellectus illustrationem* , adducitque verba illa Sapientiæ cap. 6. *Mandatum Lucerna , & lex lux.* Ecclesia spiritum sanctum honorifico hoc titulo honorat ; *O Lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium* ; Hæc autem lux tunc præcipue intima cordium nostrorum penetralia illuminat , quando aures & cor nostrum verbo Dei pandimus : Unde in Actibus Apostolicis dicitur : *Adhuc loquente Petro verba hæc , cecidit Spiritus Sanctus super omnes , qui audiebant verbum.* Illud quoque verbum , de quo Petrus ait : *Verba vitæ æternæ habes* , de semetipso ait : *Quamdiu sum in mundo , lux sum mundi , id est* , ut Dionysius Carthusianus explicat , *tamdiu hominum corda illustro verbo prædicationis* ; Pari quoque modo Cardinalis Toletus hæc verba explicuit , observando , quod quando sol occumbendo ad aliud se transfert hemisphærium , hoc nostrum etiam nocturno tempore illuminare non desinat per lumen Lunæ, cui ipse lucem suam communicat. *Sic Christus donec inter nos fuit ; per se docuit , & verbo , & opere, & absens per suam, quæ est Ecclesia, quæ ab ipso illuminata est.* Doctores quoque Evangelicos , lucis titulo honoravit

S. Thom.in Isac.43. Prov.6.v.23.

Act.Apost. 10.v.44.

Joan.6.v.69 Ibid.9.5. Dion.Cart.

Tollet.

inquiens : *Vos estis lux mundi , .. Neque accendunt lucernam , & ponunt eam sub modio ; ... Luceat lux vestra coram hominibus* , radij autem & splendores , qui interius animas illustrant , atque ab iisdem ignorantiæ & errorum tenebras dissipant , sunt discursus & conferentiæ, seu sermones spirituales. S. Thomas de Villanova similiter effectum, quem lux hæc mystica in semetipso eo tempore quo prædicabat , operabatur, his verbis manifestat ; *Hoc etiam nos Prædicatores sæpe experimur* , inquit , *quod cum vobis evangelicum panem frangimus , cælestis luminis amplius participes efficimur , & quoties ab hujus fractione cessamus , quasi opposita nube & caligine à cælesti sole minus illustramur. Propter vos enim nos illuminat Deus , & hic panis quanto amplius frangitur, & donatur, tanto magis abundat* , id quod præfatus sanctus Archi-Præsul de illis dicebat discipulis, qui in Emaus abeuntes velatos & offuscatos habebant oculos , verum lumen discernere non valentes , quod *illuminat omnem hominem* , at vero quando *accepit panem, & benedixit; ac fregit, & porrigebat illis, Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, ... Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via , & aperiret nobis Scripturas ?* S. Bernardinus quoque hoc lucis titulo prædicationem Evangelicam honoravit , dicendo : *Hoc lumine mentes obscuræ & tenebrosæ ad verum lumen gratiæ reducuntur, deviantibus ostenditur via salutis , erroribus fit manifesta semita veritatis.* S. Ambrosius verbum æternum implorans , ut Evangelicum verbum sibi inspirare dignaretur, inquit : *Loquere Domine Jesu, verbum tuum medicina est , verbum tuum lumen est.*

Matth.5. 14. Ibid.v.15. Ibid.v.16.

S.Thom. à Villanov. ser.2.Pasch.

Joan.1.v.9. Luc 24.30. Ibid.v.31. Ibid.v.32.

S.Bernardin. Tom.2. ser.9. art.1.c.1.

S.Ambr. præf.ad Ps. 45.

2. Considerastisne aliquando cæcum illum prope Jericho illuminatum ? in hoc namque diversum observavit modum eumdem illuminandi, ab eo quo alium à nativitate cæcum illuminavit scilicet per vocem, & per verbum suum lucem ei infudit : *Et Jesus dixit illi : respice, ... & confestim vidit , & sequebatur illum magnificans Deum* ; Nec solum oculos , verum etiam mentem illustravit , prout idem notat Ambrosius dicens : *Aliter enim non videret, nisi sequeretur Christum , nisi Dominum prædicaret , nisi sæculum præteriret.* Theophylactus ad propositum nostrum clarius ita scribit : *Vox à vero lumine progressa, lumen cæco facta est.* Quot in hodiernum usque diem inveniuntur homines , qui instar cæcorum in præruptis infernalibus oberrantes , per verbum Dei illuminati fuerunt , & in semitam rectam revocati, gehennæ præcipitia feliciter evaserunt ? *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit Psalmista , *& lumen semitis meis.* Quæ verba Hugo Cardinalis de verbo Dei ; sive de verbo Evangelicæ prædicationis intelligenda esse dicit S. Ambrosius ait : *Pascitur & oculus noster interius lucernæ spiritualis lumine , quæ nobis in hac mundi nocte præducet , ne sicut in tenebris ambulantes , incertis titubemus vestigijs , & viam veram invenire nequeamus : Intelligibilis enim pedum gressus , intelligibilis est lucerna , quia verbum Dei lucerna est.* Porro hic præsentis vitæ mundus,velut nox quædam est obscurissima : Ut autem tenebras eorum ignorantiæ, & vitiorum dissipare valeamus, *abjiciamus opera tenebrarum , & induamur arma lucis.* Etenim is qui de semetipso ait : *Ego sum lux mundi*, de cælo in terram descendens , de hac divini verbi lucerna abunde nobis prospexit. Porro priusquam Christi Evangelium *vivæ vocis oraculo* , annunciaretur, S. Joannem Baptistam , quem lucernæ titulo insignivit, veluti prodromum suum misit, qui per prædicationem suam genus humanum præpararet. *Joannes Prædicator , Pœnitentiæ lucerna* , inquit S. Hilarius, *& Judæis & gentibus fuit, Domino dicente : Ille erat lucerna ardens & lucens , & vos voluistis ad horam exultare in lumine ejus.* Porro reflectionem meretur ejusdem S. Hilarij commentum, dum circa prædicta verba Psalmistæ ita scribit: *Vita, sensusque hominum in errore, ac potius nocte inscitiæ manet, dum carnali inserta cogitatione in profundo ignorantiæ per gravitatem naturæ , cui admixta est , detinetur. Quando enim per semetipsam causam , & rationem originis suæ noverit , quando si quis fructus vitæ suæ sit ? Quæ conditio spei ? Quæ promerendæ posteritatis via ? Prophetæ cognitione rerum cælestium dignus , ut in luce scientiæ muneris Dei , & eloquio collocatus , ducem ad bene , & innocenter vivendum, eum sequitur, qui lux vera est , & qui omnem hominem lucificat. Hanc ego vitæ suæ ignorantiam , quodam prælato lumine ad intelligentiam dirigit dicens : Lucerna pedibus meis*

Ps.118.105. Hug.Card. Ibid. S.Ambr. ibid.

Rom.13.12. Joan.8.12.

Verbum Dei, tamquam lucerna ardens, docet quo eundum sit.

S.Hilar. in Ps.118.ibid.

meis verbum tuum. Scit se nisi in verbo Dei illuminatum , has corporum tenebras , & hanc sæculi noctem ferre non posse. Scit utique adesse lapides offensionum, laqueos fraudum , scrobes fovearum , ut enim quis nolite egressus lucernam antefert & quo pedem inferat , contuetur , atque ad singulos gressus lumine præmunte solicitus est , ita unusquisque nostrum manens in se verbum Dei & omnes operum processus , tamquam lucernam prætendit. Eheu quot animæ hujus lucernæ defectu titubant , offendunt , & in æternæ perditionis barathrum corruunt ?

Diabolus omni modo conatur nobis auferre lumen divini verbi.

1.Mach.1. v.23.

2.Cor.6.16.

3. Enimvero quænam fuerit prima præda , quam sacrilegus Antiochus templum Jerosolymæ ingressus abinde sustulit , facer textus his verbis insinuat : *Intravit in sanctificationem cum superbia , & accepit ... candelabrum luminis. Omnia autem hæc in figura contingebant illis.* Hic namque impius hostem nostrum præsignabat tartareum , qui si in templum mysticum de quo Apostolus ait : *Vos estis templum Dei* , aditum habuerit, candelabrum, sive lucernam luminis inde eripit, id est nos impedit , quo minus verbum Dei attenta aure auscultemus,aut vero verbi Dei nauseam nobis ingerit & ne fructum inde hauriamus omni conatu contendit. *Lucerna pedibus meis verbum tuum , id est* ut Hugo Cardinalis interpretatur, *lucerna affectibus meis* , qui pedes sunt animæ, *verbum tuum est ne in tenebris hujus mundi offendant.* Enimvero ut quis ex verbo Dei proficiat, necessum est ut mentem suam ad illud applicet,illudque ruminet: *Beati* enim *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Hæc etenim mentis applicatio oleum est, quod lucernæ lumen vivaciter in suo conservat vigore, ne extinguatur. Idem Psalmista fructum quoque indicat , quem ex hoc utilissimo meditationis verbi Dei auscultati exercitio percepit,ait enim: *Cogitavi vias meas , & converti pedes meos in testimonia tua* , id quod consonat cum verbis illis : *Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen semitis meis.* S. Hilarius de hac materia ita discurrit : *Omnis doctrina cælestis, dux nobis ad iter vitæ est, quæ lucernæ modo in hac nocte sæculi præferenda est , cum aliquid aut agimus , aut cogitamus , aut loquimur. Et ea in omnem progressum cujuscumque operationis jubet Dominus in Evangelijs hanc præceptorum suorum lucernam non otiosam , nec inutilem oculi , dicens : Nemo enim lucernam accendit , & ponit eam sub modio. Quæ enim lucernæ , si modo tegatur , utilitas est ? Usum suum tantum intra id quod operatur intendit. Jubet igitur eam in candelabro , in officij sui , sede constitui. Itaque hanc doctrinam , atque hoc verbum Dei intra nos receptum , non otiosum , neque inutile tamquam modio occultemus , sed lumen istud nobis primum , & deinde ex nobis omnibus gentibus præbeamus.* Hæc etenim lucerna primo loco utendum nobis est in propriam utilitatem nostram , ut quamdiu viatores sumus , sine offendiculo aut lapsus periculo ambulemus ; Demum vero ea uti debemus ad præbendum lumen aliis , ad indicandam veram semitam æternæ salutis ; Nam ministro Evangelico dicere posse videmur : *Illuminare his, qui in tenebris sedent , ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Sanctus & Seraphicus Doctor Bonaventura in sermone quodam ita scribit : *Verbum Dei frequentius prædicatum , est animæ illuminativum , dum docet quid faciendum , quid respuendum , quid amandum , quid odiendum , quid unicuique prohibendum sit. Quid enim est anima non sic illuminata ? Quid est anima sic cæca ? Quid est anima scientia destituta ? Certe talis est ut tabula rasa.* Hæc autem cognitio , quæ adeo necessarium est medium , ex verbo Dei acquiritur ; Unde Psalmista ait : *Declaratio sermonum tuorum illuminat , & intellectum dat.* Super quæ verba S. Hilarius ita scribit : *Cum enim ante intelligendum sit , & sic lumine intelligentiæ utendum , quia noctem ignorantiæ intelligentiæ adeptæ lumen expellit ; Prophetæ tamen dicit : Declarationem verborum Dei prius illuminare , & post illuminationem intelligentiam præstare.*

Luc. 1.v.79.

S.Bonav. ser.22.de SS. Evang.

Ps.118.130.

S.Hilar. ib.

Diabolus amat ignorantiam & odit intelligentiam.

S.Bernard. Tom.4.ser.5. in dom. 1. Quadr. 1. par.princip.

4. Quamdiu in hac vita fumus, in obscuro ambulamus, & princeps tenebrarum, qui æternæ saluti nostræ indefesse insidiatur, quantum potest ad hoc contendit , ne lumen divini verbi ad favorem nostrum nobis respondeat, & viam saluris ostendat. Nam ut S. Bernardinus ait : *Diabolus nullam habet majorem amicam , quam ignorantiam , quæ obscurat intellectum, ne possit cernere lumen veritatis luminis verbi Dei , & sic econtra nullam habet majorem inimicam , quam intelligentiam.* Idem Sanctus Bernardinus , ut in primo discursu dictum est , præmiserat sequentia : *Sicut omnes morerentur , si una die sol cessaret facere cursum suum , qui habet splendorem, calorem , & vigorem , ita si verbum Dei deficeret,quod est sol animæ, sciliçet quod verbum Dei non prædicaretur , & non communicaretur animabus , ut possent illuminari splendore claritatis.* Paulo post hujus spiritualis mortis , animarum hac luce destitutarum , rationem assignat , inquiens : *Spiritualiter morerentur , quia non cognoscerent Deum , & non cognoscendo , non amarent , & non amando, non timerent , & non timendo, nostra natura fragilis, & decliva ad malum cito moreretur, ideo oportet quod ipsa vivat de verbo Dei.* Et mox subjungit : *Ubi non prædicatur , & cessat verbum Dei , ibi non est cognitio de Deo , & ubi plus prædicatur verbum Dei, ibi est major cognitio de Deo , & plus timetur, & colitur.*

Verbum Dei est vita animarum, sicut sol vita corporum.

Ps.118.130. *Soph.1.v.12.* Quomodo miser & obcæcatus homo oculos in arcana cælestia defigere possit.

5. Nescio an aliquando ad hoc vos reflexeritis , quod Psalmista , priusquam diceret : *Declaratio sermonum tuorum &c.* præmiserit : *Mirabilia testimonia tua , ideo scrutata est anima mea.* Apud Sophoniam Deus inquit : *Scrutabor Jerusalem in lucernis* ; At vero qua ratione homo , qui velut cæca quædam talpa est , oculos suos in arcana cælestis & & terrestris Jerosolymæ mysteria defigere poterit ? Respondeo ut id possit , lucernis ei opus est , id est , verbo Dei : *Lucerna verbum tuum.* Notandum vero quod David subdat : *Declaratio sermonum tuorum illuminat , & intellectum dat parvulis.* Quinam vero sint hi parvuli , ipsamet incarnata Sapientia perspicuis verbis enunciat dicens : *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ , quia abscondisti hæc à sapientibus , & revelasti ea parvulis*, id est humilibus. *Omnia* enim *quæ nobis credenda proponuntur* , inquit Dionysius Carthus. *omnem prorsus rationem transcendant , sicut sunt Trinitas Personarum , incarnatio verbi , integritas matris , existentia Christi sub formis Sacramenti; Cum ergo tam mirabilia sint testimonia tua Domine , ideo scrutata est ea anima mea , optans & jugens ea utcumque intelligere. Declaratio sermonum tuorum illuminat mentem ad recte intelligendum , & juste vivendum.*

Ps.118.130. Ibid.v.131. Matth.11. v.25.

Dion.Cart.

Prædicatores observatione præceptorum Dei prius illuminentur ut per verbum Dei alios illuminent ipsi.

6. Enimvero quemadmodum diximus, Spiritum Sanctum se fidelium animabus insinuare,quando verbo Dei auscultando sunt intentæ, ita quoque certum est lucem hanc beatissimam eorum quoque mentibus infundi, qui verbum Dei annunciant : *Non enim vos estis , qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri , qui loquitur in vobis.* In cujus probationem observandum , quod Psalmista, postquam dixisset : *Declaratio sermonum tuorum illuminat* , mox subjungat : *Os meum aperui , & attraxi spiritum* ; Sed quo fructu id fecit : *Quia mandata tua desiderabam.* Hæc enim præcepta , quorum adimpletio effectus est Prædicationis , lucis nomine describuntur : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos : Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* , id quod prædictum fuit de Apostolis , qui per Evangelium Christi per universum mundum prædicaturi erant, juxta illud : *In omnem terram exivit sonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum.*

Matth.10. v.20. *Ps. 118.130.* *Ibid.v.131.* *Psal.18. v.5.* *Rom.10. 18.*

Job describit per similitudinem lucernæ.

Job 29. v.2. *Ibid.v.3.*

7. Specialem considerationem meretur Discursus ille Jobi in principio capitis 29. descriptus,ubi de innocentia sua differit, quam speciali Dei gratiæ attribuebat : Ait enim. *Quis mihi tribuat , ut sim juxta menses pristinos , secundùm dies quibus Deus custodiebat me ?* At vero quonam modo Deus illum custodiebat ? *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum.* Hoc enim divini verbi lumen efficiebat, ut ad perfectionem strenue contenderet. Advertendum quoque est Psalmistæ non sufficisse , quod dixisset : *Lucerna pedibus meis verbum tuum* sed protinus adjunxisse : *Et lumen semitis meis* , per semitas namque quæ sunt viæ arctiores,consilia intelliguntur Evangelica, quæ nos in via spirituali dirigunt, & deducunt, quod præcipue efficaciæ divini verbi est attribuendum. *Est lumen semitis meis ostendendis* (ita Albertus Magnus exponit) *Nunquam enim ante semitæ consiliorum Dei erant ostensæ, sed latebant , donec venit Evangelij lumen.* Hugo Cardin. similiter ait : *Per pedes operationes communes , per semitas , opera consiliorum possimt intelligi ; Unde bene jungit Pedibus lucernam , & semitis lumen , quia qui consilia implent , majori lumine illustrantur , quam qui tantum communibus præceptis implendis insistunt.* Dionysius Carthusianus quoque per semitas consilia intelligit ; ut sensus sit : *Verbum tuum*

Ps.118.105. *Ibid.v.105.* *Alb.Mag.* *Hug.Card.* Verbum Dei illuminat & dirigit animam ad observantiam consiliorum. *Dion.Cart.*

lumen semitis meis est, id est directio mea, in observationibus consiliorum Christi, quæ dicuntur semitæ, quia sunt strictiores compendiosioresque viæ perveniendi ad Deum, quam præcepta. Sanctus Bernardinus in eodem sermone in hæc verba scribit : *Ostendi viam, quia audiendo prædicationes anima illuminatur, & illuminata videt viam veritatis. Si perdidisset viam per hoc quod anima esset lapsa in peccatis, dimittendo bonam viam, & venisset in obscuritatem vitiorum, per verbum Dei venit in discretionem cognoscendi bonam viam à mala. Irradiat verbum Dei mentem ; Unde David : Lucerna pedibus meis verbum tuum, nam sicut si vadis de nocte cespitas, & præcipitaris, ita facit ignorantia in puncto mortis ; se præcipitat in infernum, quia ignorans ignorabitur, quia ex quo non vixisti in lumine veritatis in vita, dignum est, quod in puncto mortis vadas cum cæcitate in qua vixisti.* Sanctus Vincentius Ferrerius in sermone quodam inquit : *Verbum quando est prædicatum digne, & auditum devote, illuminat auditores in cognitione spiritualium ; quia illa quæ sunt fidei, per aures habent intrare in corde, non per oculos, nec aliter. Ita sunt alta, & transcendentia illa quæ fidei sunt, quod non possunt intrare in corde, nisi per aures ; v. g. Vos creditis quod quando homo moritur, & anima separatur à corpore, quod vivit, & vadit in paradisum, si fuit bonæ vitæ, vel in purgatorium. Vel si fuit impœnitens, in infernum, ista veritas non intrat in corde vestro per oculos, quia non potestis videre animam, quando recedit à corpore, quantumcumque respiciatis sed ista veritas intrabit per aures, quia ita dicit Apostolus : Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

S. Bernard. Ibid.

S. Vinc. Ferr. ser. 4. in Dom. 3. post Pascha.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Aliqua verbi Dei bona in genere enumerantur, specialiter vero quod in nobis Dei amorem accendat, vigoremque & subtilitatem in divino ejus servitio submini stret.

THEMA.

Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Isaiæ 55. v. 11.

Verbum divinum numquam est inutile aut infructuosum.

1. VErbum increatum, per os Prophetæ sui Evangelici, in hujus assumpti thematis verbis, unumquemque Evangelii Prædicatorem securum esse jubet, quod divinum verbum suum nequaquam inutile aut infructuosum sit futurum, sed potius operaturum quidquid voluerit : *Verbum meum quod &c.* Ubi S. Thomas de Villanova ita scribit : *Innumeras utilitates facit verbum Dei in anima, ut ait Bernardus nam fœnat eam à peccatis, vivificat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, fœcundat, emollit, & totius boni capacem facit ; Etenim verbum Dei est fœnum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, & purificatio cordium.* Ante hunc vero Archipræsulem Doctor Seraphicus in sermone quodam de Evangelistis in hæc verba scripserat : *Est Dei verbum frequentius prædicatum, primo mentis illuminativum ; Secundo affectus inflammativum ; Tertio effectus adjuvativum, sive firmativum ; Quarto est ad gloriam æternam inductivum. Quid ergo melius ? Quid animæ dulcius ? Quid homini fructuosius, quam ut verbum Dei prædicabile audiamus devote ?*

S. Thom. à Villanov. Dom. Sexag.

S. Bonav. ser. 2. de Evang.

Psal. 118. 140. Verbum Dei accendit in nobis amorem Dei.

2. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Verbum divinum, Dei in cordibus nostris accendit amorem, nosque illius ardenter amantes efficit. Unde Gillibertus Abbas super illa Canticorum verba : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*, inquit : *Videtis qualiter ad ignitum eloquium liquefecit animam.* Hocque mysterio Spiritus sanctus Prædicatores Apostolicos, Evangelium Christi in toto universo disseminaturos, miraculosa quadam facundia imbuere volens, iisdem in specie ignis, qui amoris est symbolum, apparuit : Dicente Sancto Gregorio : *Linguas igneas habent, quia dum Deum omnibus prædicant, corda audientium inflammant ; Nam otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris.* S. Thomas super Isaiam scribens, inter alios divini verbi effectus hunc quoque tangit, scilicet *amoris accensionem.* Citatque testimonium Jeremiæ cap. 20. dicentis : *Factum est verbum Domini in corde meo sicut ignis.* Idem quoque Angelicus Doctor in opusculo quodam pariter in hæc verba scribit : *Ad acquirendam charitatem primum est diligens divini verbi auditio, audientes enim bona de aliquo, in ejus dilectionem accenditur, sic & Dei verba audientes, accenditur in amorem illius Psalm. 118. Ignitum eloquium tuum &c. Item Psal. 104. Eloquium Domini inflammavit eum ; Et propterea illi duo Discipuli divino amore æstuantes dicebant Luc. 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur &c.* Similiter versum illum Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me*, ita exponit : *Id est concitatus est calor charitatis in ore meo ; Prov. 6. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant ? Sic impossibile est, quod homo abscondat verba Dei, cum inflammatur cor charitate.*

S. Thom. opusc. 64. c. 32.

Psal. 118. 140. Psal. 104. 19.

Luc. 24. 32.

Psal. 38. 4.

Prov. 6. 27.

3. De S. Ludovico Beltrando apud P. Rho sequentia scripta reperio : *Fabulabatur cum Joanne à Larconio, sodali suo, de rebus divinis Aloysius, & qui hominis, cum in eos ingrederetur sermones, mos erat, ardenti animo, atque ore differebat. Detinuit ea species hominem adolescentem, qui acceptam injuriam juste sub pallio armatus, ultum ibat. Enim vero concepit è propinquo divini amoris ignem, quo ivarum flammæ consederunt. Itaque propius accedens : Sospitet te Deus mi Pater, inquit, prohibuisti à me hoc tuo sermone scelus, paratamque misero pestem avertisti. Adeone etiam ex insperato animorum prædas agit sermo divinus ?* Porro unicum verbum pungitivum, vel contumeliosum, ad hoc ut in odia & vindictas irreconciliabiles prorumpamus, sufficit, verbum autem Dei nos in quocumque improperio, vel objecto convitio, mites & patientes efficit : Unde apud Isaiam dicitur : *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus.* Vultisne autem scire, in quonam heroica hæc patientia radicem suam habuerit ? Paulo ante idem Propheta præmiserat : *Mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum ; Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii, corpus meum dedi percutientibus &c. Annon iste quasi ad asperæ & abjectæ descendit*, inquit Gillibertus Abbas, *non rigide resistens, sed liquefactius, effectus tractabilis ad audium calentis eloquii ?*

Rho. Hist. Virt. lib. 1. c. 2. §. 1. Pulchrum hujus exemplum.

Isai. 50. v. 4.

Ibid.

Gillib. Ab. ser. 44. in Cant.

4. S. Jacobus Apostolus de verbo Dei differens, illud cum virtute mansuetudinis associavit inquiens : *Suscipite in mansuetudine insitum verbum.* S. Lucas nobis Saulum ad instar fulminis bellicosum, ad istragues inferendas anhelantem, omnesque Damasci campos pervagantem, ut sanguine Christiano illos inundaret, velut juratum Ecclesiæ hostem ob oculos ponit, dum ait : *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem* ; Et tamen eodem tempore, ex lupo rapaci mansuetissimus factus est agnus, ut verba illa demonstrant : *Domine quid me vis facere ?* At vero undenam hæc tam prodigiosa metamorphosis suam habuit originem ? Nimirum : *Circumfulsit eum lux de cœlo, audivit vocem dicentem sibi* ; Vox enim sive verbum Dei mentem & intellectum illuminat, ignorantiæque tenebras dissipat, ac demum voluntatem divino amore succendit, mitigat iram, omnemque furorem extinguit.

Jac. 1. v. 21. Verbum Dei facit hominem iracundum mitem & mansuetum, quod patet in Paulo.

Act. Apost. 9. v. 1.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 3.

5. S. Antonius de Padua de verbo Dei ait : *Mentem illuminat, sicut dicit Propheta : Declaratio sermonum tuorum illuminat. Cibavit illum pane vitæ & intellectus, quia divinum eloquium illuminat intellectum, quamvis Spiritus Sanctus illuminet affectum ;* Cum igitur Spiritus sanctus se apud prædicationis evangelicæ auditores communiter insinuet, consequens est, ut pariter eorumdem animis charitas, Benignitas & Mansuetudo infundantur, utpote fructus sanctissimi hujus spiritus, de quibus Apostolus ad Galatas ait : *Fructus autem Spiritus, Charitas, Pax, Benignitas, mansuetudo &c.* Sanctus Bonaventura exponens illa Discipulorum in Emaus euntium verba : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via &c.* ita scribit : *Verbum namque Christi inflammaverat corda eorum, quia verbum Dei igneam habet naturam propter inflammationem amoris ; Unde Jeremias : Numquid non verba mea sunt quasi ignis ? Et : Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud ; Hoc autem facit verbum, immittendo Spiritum sanctum ; Unde Beda : Exaudito sermone cor prius torpore incredulitatis & timoris frigidum, igne Sancti Spiritus est accensum, ut eum superno desiderio ardeat,*

S. Anton. de Pad. ser. in cœna. Continuatur idem propositum.

Gal. 5. v. 22.

Luc. 24. 32.

S. Bonav. ib.

Isa. 23. v. 29.

deat, quot enim præceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammatur.

Verbum Dei confert robur & vigorem ad tollenda obstacula in via perfectionis.

S. Hieron. lib. 2. cont. Pelag.

6. Est & alius divini verbi eximius fructus, scilicet quod nobis, vigorem, magnanimitatem, & robur animi conferat ad superandum obstacula occurrentia, quibus impedimur, ne arduam virtutum & perfectionis viam aggrediamur. S. Hieronymus Pelagianum quemdam deridet, & perstringit, eo quod gratiam nobis minime ad præceptorum adimpletionem necessariam esse existimaret, utpote quæ facilia esse asserebat. Huic igitur S. Doctor se opponit dicendo : Ergone tibi facile esse videtur cruce humeros suos onerare, voluntatem propriam abnegare, percutienti maxillam sinistram, dexteram quoque percutiendam porrigere ; bonum pro malo reddere, à charioribus amicis separari, sequestrari à Patria, Parentibus, cunctisque vitæ commoditatibus ? Hæccine tibi facilia esse videntur ; Ut proinde gratia opus non sit ? Non ita censuit legislator ipsemet, qui legem suam promulgans protestatus est dicens. *Quam angusta est porta .. quæ ducit ad vitam ? Durus est hic sermo, & quis potest eum audire.* Verumtamen tametsi revera ea, quæ in lege Christi promulgantur ; duri & amari sint boli, attamen, ut suo loco diximus, prædicatores evangelici sunt veluti dentes, qui amaritudinem & duritiam horum bolorum per efficaciam persuasione eloquentiæ suæ, per authoritatem sacrarum litterarum promissione quoque & oracula infallibilia, per multorum sanctorum proposita exempla, per spem præmij, & suppliciorum comminationes masticando emolliunt & indulcorando mitigant, atque à Spiritu sancto qui loquitur in ipsis confortati, omnes difficultates explanant, omnesque vias asperas & arduas faciles & jucundas efficiunt, ac demum ad contendendum ad perfectionem animi vigorem, & robur subministrant. Sanctus Apostolus ad Colossenses ita scribit : *Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* At vero dicet aliquis fierine poterit ut ex rudi & impolito saxo statua aliqua conficiatur Salvatoris nostri, vel Sancti Francisci, vel cujuscumque alterius sancti, quæ ad populorum devotionem altaribus superimponatur ? Respondeo, sine dubio id fieri posse, si accesserit industria & patientia experti cujusdam sculptoris, si ejusdem adhibeatur assiduum scalpellum, seu ferrum. Talis sculptor à Theodoreto exhibetur, qui in persona Prædicatoris Evangelici inquit : *Omnem autem laborem libenter suscipio, adjutus à divina gratia, ut omnes homines perfectos reddam per doctrinam Prædicationis, perfectionem autem non lex, sed prædicationis doctrina largitur. Numquid non verba mea quasi malleus conterens petram ?* Quot sunt, qui antea instar lapidum duri & impoliti existentes, adhibito verbi Dei scalpello elaborati, in viros sanctissimos evaserunt ? Bellovacensis de verbo Dei sub vini metaphora ita scribit : *Hoc inebriati martyres se rebus temporalibus denudabant, vulnera, & cruciatus corporis pro nihilo ducebant, imo ad mortem alacriter properabant ;* Subditque authoritatem Sancti Bernardi dicentis : *Quem talis gustus inebriaverit, ad omne opus, & omnem laborem hilarescit, laborat, nec lascescit, festinat, nec deficit, dolet, & non sentit, laceratur, & nescit, irridetur, & non advertit.*

Matth. 7. v. 14.

Joan. 6. 61.

Theodoret.

Jerem. 23. v. 29.

Bellovac. spec. Mor. lib. 3. p. 2. dist. 10.

Patet in David.

7. David unico dumtaxat ictu à truculenta Saulis persecutione eximere se poterat, vibrando in cor ejus gladium, vel ensem, non ex motivo vindictæ, sed ex propriæ vitæ tuendæ justo desiderio ; Potuit quoque de æmulorum suorum, qui gloriæ ipsius invidebant, atrocibus injuriis se vindicare, nec tamen hoc facere voluit, idem quoque sub paludamento regio, austero & aspero se cilicio vestivit, rigorosis se jejuniis extenuavit ; lectum suum amaris rigavit lachrymis, media nocte ad psallendum Domino surrexit, multaque alia, quorum ingens catalogus recenseri posset, heroica virtutis opera patravit ; At vero cuinam hæc omnia fulcro innixa fuerunt ? Ipsemet respondet dicens : *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Turbæ illæ famelicæ, & ex triduano in societate Christi peracto itinere penitus defatigatæ (*Ecce jam triduo sustinent me*) atque diuturna fame confectæ, undenam vitæ suæ vigorem sunt consecutæ ? Ex verbo divino quotidie devotissime auscultato, prout in discursibus præcedentibus diximus, P. Rho de Joanne Francisco Binante Ordinis Minorum dicit : *Dies noctesque de Deo sermones continuare didicerat, modo qui audire vellent, non deessent, nec dicenti ulla*

Psal. 129. 4. Et turba famelica Christum sequentes.

Matt. 8. v. 2.

Rho. lib. §. 7.

oboriebatur lassitudo, quin ab aliis operibus defessus, his colloquiis vires sibi maxime instaurari sentiebat. Hinc autem vigorem verbum Dei etiam devotis, & assiduis illius auditoribus liberaliter communicat. Bellovacensis præter vigorem, quem verbum Dei animæ impertitur, etiam tamquam præcipuum ejusdem effectum animositatem considerat, quam in auditores transfundit, ne se ab aliis perverti sinant. *Confortat*, inquit, & *confirmat*, idque per historiam quamdam in libris Machabæorum descriptam, in hæc verba ostendit : *Post prædicationem Judæ sic convalescunt animi, non solum autem homines, sed & bestias ferociissimas, & muros ferreos penetrarunt, leonum more cum impetu irruentes in hostes.* Elias ex pane subcinericio confortatus per 40. dies & noctes in sublimem usque montis Horeb verticem non sine magnis sudoribus & ærumnis proficisci perexit ; Verbum autem Dei pariter *confortat ut cibus ; & confirmat, ut sit frequenter fortior Elia, ut in fortitudine cibi illius vadat aliquando, audito uno bono sermone, non per 40. dies, sed per quadraginta annos aut plures, usque ad montem paradisi, per viam pœnitentiæ.*

Verbum Dei facit hominem animosum. Bellovac. ibid.

Illumque confortat.

8. Sanctus & senior Tobias morti vicinus, filium suum ad se accersiri fecit, ut eumdem salutaribus monitis erudiret, eaque memoriæ ipsius tenacissime imprimeret ; Dixit autem ei : *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe.* Idipsum quoque à verbo incarnato unicuique animæ fideli dici videtur. At vero dices, quænam inter verbum Dei & fundamentum est proportio ? Fundamentum totum sustinet ædificium, aulas, cubilia, cœnacula, ambulacra, solaria, atria, & quidquid boni & pulchri in vasta aliqua fabrica continetur. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis*, quærit Sanctus Augustinus ? *De fundamento prius cogita humilitatis* (Nos in præsenti dicere possumus, *de fundamento prius cogita verbi Dei* :) *Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum.* Quanto quis in perfectione altius desiderat proficere, tanto profundius verbi Dei fundamentum debet jacere, quia huic omnes solidissimæ virtutes unicè innituntur ; Unde Sanctus Bernardus in quodam sermone *de multiplici utilitate verbi Dei* in hæc verba scribit : *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Valtis nosse quam beati ? Primum quidem sonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatque, sed continuo, si bene adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoque & consummatio nostra. Nec mireris, quod verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus esse, quantum spectat ad justificationem, siquidem & futurum est omnia in omnibus ad glorificationem.* Fundamentum stabilit ædificium, eique firmitatem, & stabilitatem confert ; Idem quoque in anima verbum Dei frequentatum operatur. *Miro modo verbum firmat in bono*, inquit Sanctus Bonaventura, *sicut & corrumpunt bonos mores colloquia prava : Psalm. verbo Domini cœli firmati sunt ; Cœli sunt viri justi, qui verbo Domini firmantur, dum per verbum bonis operibus solidantur. Nonne pugiles animantur ; dum clamoribus hominum excitantur ? Nonne fiunt ad pugnam milites fortiores, & fortius agitant lanceas, strictoque tenent mucrones, cum voce clamantis Principis animantur ? Imo quod magis est mirabile, equi in prœlijs gaudent, & saliunt, dum vocem tubæ clangentis intelligunt ?* Porro de virtute verbi Dei inquit Sanctus Bernardinus : *Habet virtutem adjutorij confirmantis, & perseverantis*, Psalm. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et in alio sermone dicit : *Unde lumen, & fides, & stabilitas Sacramentorum ; nisi ex verbo Dei ? Ideo dicitur ad Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ergo si deficeret verbum Dei in mundo, deficeret fides Christi ; & omne lumen necessariæ veritatis.* Alibi quoque in ejusdem divini verbi laudem ita scribit : *Verbum Dei roborat ad virtutem.* In progressu ejusdem loci cap. 4. paulo ante adductam Eliæ historiam tangens inquit : *Fit quandoque ex sermone uno mens fortior ipso Elia, ita ut gradiatur in via Domini cum proposito bono.* Albertus Magnus in cap. 10. Sanct. Lucæ scribens, aliis bonis, quæ anima ex prædicatione evangelica auscultata percipit, hoc quoque annumerat. *Sic consolidata fuit verbo Domini, quod moveri non potuit*

Fundamentum stabilit ædificium, hoc facit verbum Dei in anima.

S. Bonav. ser. 2. de Evangelist.

S. Bernard. Tom. 3. in Sexag. art. 12. cap. 3.

S. Bernard. Tom. 2. ser. 10. in 1. Dom. Quadr. art. 3. c. 2.

S. Bernard. Tom. 2. ser. 9. in 1. Dom. Quadr. art. 3. ibid. c. 4.

Alb. Mag. in c. 10. Luc.

S. Bern. in Vigil. Nat.

Alb. Mag. in c. 10. Luc. S. Bern. in Vigil. Nat. ser. 6.

potuit ad peccandum. Sanctus Bernardus inquit: *Ubi fuerit verbum Domini, non deest atique paxis, qui confirmet cor, dicente Propheta: Confirma me in verbis tuis; Nimirum in verbo quod procedit de ore Dei vivit homo, vivit in Christo, vivit in eo Christus.* Quisnam obscero finis fuit, qui Sanctum Philippum Nerium movit ad fundandum congregationis nostræ institutum, quod quotidiani verbi Dei prædicandi onus sustinet, siquidem quotidie in hac nostra Ecclesia Romana, quatuor discursus instituuntur, quorum unusquisque per mediam horam se extendens alterum immediate subsequitur? Utique non alius, quam ut in spiritu consolidaret pœnitentes illos, quos in Christo sibi comparaverat; *Nam innumeros pene filios Christo peperit, quos verbi Dei quotidiano pabulo enutriri cupiens, Oratorij congregationem instituit.* Et revera multæ animæ hoc pabulo adjutæ in virtutibus, & perfectione egregie sæpe sunt consolidatæ, & stabilitæ, prout frequens docuit experientia.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Verbum Dei virtutem habet nos præservandi, & purificandi à peccatis.

THEMA.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Psalm. 118. ℣. 11.

1. UNiversa lex divina circa duos polos circumvolvitur, quos Regius vates celeberrimis hisce verbis insinuavit: *Declina à malo, & fac bonum?* Et vero quisquis utrumque hoc adimpleverit, numquam peccabit. Ac proinde idem Propheta Regius prudentissimo consilio verbum Dei in corde suo abscondit: *In corde meo abscondi eloquia tua.* Sed quo fine? *Ut non peccem tibi; Sacra enim eloquia edocent,* inquit Dionysius Carthusianus, *quid agendum, quid omittendum, ne Dominus offendatur.* Unde quod de Regio Propheta prima & æterna veritas in actibus Apostolicis protestetur dicens: *Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas;* Quodque ipsemet Regius psaltes de semetipso gloriari non dubitet: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ;* Adeoque quod se ab omnibus Dei offensis immunem conservaverit, mirum non est; siquidem ut in Psalmo 118. ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi,* & in eodem Psalmo paulo ante Deum his verbis affatus fuerat: *In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis;* Ac proinde benedicit Deum inquiens: *Benedictus es Domine doce me justificationes tuas, In labijs meis pronunciavi omnia judicia oris tui; In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitijs:* Hic enim est verbi Dei eximius fructus, si nimirum auditor verbi Dei observantiam legis, & divinorum præceptorum, omnibus totius mundi thesauris anteponat, unde Albertus Magnus assumpti thematis verba hoc modo exponit: *In corde meo abscondi eloquia tua, abscondi inquam tamquam thesaurum pretiosissimum, & gemmas pretiosissimas,* Idem Propheta Regius in Psalmo 11. ait: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum,* mysterium vero ob quod verbum Dei huic metallo, assimiletur, S. Thomas explicat inquiens: *Eloquia Domini sunt plena veritate, argentum est album sine maculatione,* & ideo argentum symbolum est innocentiæ, & vitæ immaculatæ, quæ prædicationi Evangelicæ attribuenda venit, hanc enim S. Ambrosius pari cum luce & candore nivis loco habet inquiens: *Verbum Dei lux est; verbum Dei nix est.* Sanctus Bernardinus hanc virtutem imbelli fœminarum sexu exemplificat inquiens: *Defendit à peccatis. Unde si virgo vel nupta audit verbum Dei; addisset prudentiam serpentis, & puritatem columbæ, & fraudes hominum, & sciet suam padictiam, & virginitatem custodire.*

Ps. 36. ℣. 27. David à verbo Dei instructus declinare didicit à peccatis. Dion. Cart.

Act. Apost. 13. ℣. 22.

Ps. 100. ℣. 2.

Psal. 118. 11.

Ibid. ℣. 10.

Ibid. ℣. 12.

Ibid. ℣. 13.

Ibid. ℣. 14.

Alb. Mag.

Psal. 11. ℣. 7.

S. Thom.

S. Ambr. lib. 7. in Luc. S. Bernardin. Tom. 4. ser. 3. in 1. Dom. Quadr. par. 2. princip.

S. Maria Magdalena crebro audiens verbum Dei, conversa fuit, & ad apicem sanctitatis ascendit.

2. S. Maria Magdalena publica quondam peccatrix erat & tamen postquam ad pœnitentiam se recepit, omnes in puritate virgines superavit, ac proinde S. M. Ecclesia in Litaniis eidem super omnes virgines loci primatum attribuit. At vero undenam tantum fibi lumen, tantumque candorem comparavit? Nimirum ex unico illo, *ut cognovit,* quis enim verborum illorum: ut cognovit, efficaciam pro dignitate ponderare sufficienter poterit? Porro ipsa verbum Patris incarnatum in templo prædicationi dans operam sæpius audivit, atque hoc illam illuminavit, compunxit, vitamque superiorem peccaminosam semper detestari fecit. *Illa in evangelio meretrix,* inquit D. Chrysostomus, *virgines quoque ipsas honestate superavit,* efficiente idipsum voce Christi sæpius auscultata, quia *eloquia Domini, eloquia casta.* Porro Hugo Cardinalis sequentem statuit propositum, cujus veritatem quotidiana experientia evidenter contestatam facit, ait enim: *Luxuria facit hominem instabilem;* Spiritus namque fornicationis ad memoriam frequenter revocat voluptates præteritas, pravos habitus, malasque inclinationes, indeque fit, quod difficulter hæc mala eradicentur, quod tamen in Magdalena locum non habuit, eo quod verbi Dei assidua auscultatrix fuerit, adeo ut *sedens secus pedes Domini audiebat, verbum illius* cibi corporalis in prandio sumendi memor non fuerit.

D. Chrysost. hom. 6. in Matth.

Hug. Card. in cap. 16. Ezech.

Luc. 10. ℣. 39.

3. Vitæ spiritualis Magistri tres in divini servitij curriculo vias distinguunt, quarum prima est purgativa, secunda illuminativa, tertia unitiva, quas omnes Sancta Magdalena pœnitens in uno momento expedite decurrit, cùm tamen alij per multorum annorum decursum eadem absolvere nequeant; Et quidem via illius unitiva his Christi verbis clare satis innuitur: *Optimam partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea;* Hanc autem unionem per auscultationem verbi Dei sibi acquisivit, quando enim actualiter verbum Dei audiebat, tunc Salvator noster in prædicta verba prorupit; Via illuminativa Magdalenæ pariter ejusdem verbi Dei auscultati effectus extitit, quia *declaratio sermonum tuorum illuminat,* & ideo mox, *ut cognovit,* illuminata fuit. De purgativa pariter dubitari nequit, quin ex verbo Dei fuerit profecta, siquidem ut S. Bernardinus ait: *Verbum Dei purgat delinquentes, quia per verbum Dei, cognita veritate animæ à suis sceleribus convertuntur, unde Psalmista ait: Lex Domini immaculata convertens animas, eo quod Dei verbum, eum quem reperit, immaculatum à culpa præservat,* & *quem invenit inquinatum, purificat, & immutat.* S. Cæcilia Valeriano desponsata erat, cui leonis nomen impositum fuit, utpote qui concupiscentiæ carnali ultra modum erat deditus (*Mater tua læena*) eadem S. Virgo in medijs profanis gaudijs (*cantantibus organis*) tripudiis, choreis, convivijs, comœdiis, liastiludiis, alijsque vanitatibus posita, spem nihilominus habuit, non solum illibatum conservandi virginitatis suæ lilium, verum etiam cor & corpus suum conservandi immaculatum & purum: *Fiat cor & corpus meum immaculatum.* At verò quis est, qui nesciat tritissimam pariter & veridicam esse illam sententiam: *Lubrica est illa spes, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat?* Verumtamen respondeo sanctam hanc virginem quid sibi sperare liceret, probè sciviſſe, utpote cui notum erat, cui fundamento hæc ejus inniteretur fiducia. Etenim *Evangelium Christi gerebat in pectore, & à colloquijs divinis neque diebus, neque noctibus vacabat.* Ecce igitur qualiter *ad literam* cum Psalmista dicere potuerit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

S. Bernard. Tom. 2. ser. 10. in 1. Dom. Quad.

Quo medio S. Cæcilia inter profana gaudia lilium virginitatis servaverit illibatum.

Ezech. 19. v. 2.

S. Cypr. de sing. Cler.

Ps. 118. 11.

4. Inter alios fructus seminis Evangelici quos Sanctus Thomas à Villanova recenset, unus hic est: Quod scilicet *frænat, & cohibet à peccato.* Joseph in flore ætatis constitutus, raraque pulchritudine, quæ ad lasciviam incentivum præbere solet, præditus, atque insuper à Domina sua ad lasciviam cum ipsa committendam solicitatus & provocatus, licet servus illius esset, libere tamen respondit: *Quomodo possim hoc malum facere?* Tametsi enim peccatum hoc committendi commoditatem & possibilitatem haberet præsentaneam, nihilominus illud committere sibi impossibile videbatur, sed quænam erat hujus impossibilitatis ratio? Nimirum: *Eloquium Domini inflammaverat eam;* In fertili namque cordis sui agro, verbi Dei, & Scripturæ Sacræ semina conservaverat, atque ideo Dominum suum offendere non poterat (*ut non peccem tibi.*)

Verbum Dei cohibet à peccato. S. Thom. à Villanov. Serm.

Psal. 106. v. 19.

5. In Epistola prima Sancti Joannis textus quidam occurrit considerationi dignissimus. Præmittit namque Sanctus Apostolus hæc verba: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Enimvero Tyrannis Satanæ per universum mundum eo tempore adeo propagata erat, ut unicus dumtaxat exiguus mundi angulus verum Deum

1. Joan. 3. v. 8. Idololatria profligata fuit per prædicatum verbum Dei.

Deum agnoverit, aliis omnibus populis dæmoni in falsis Numinibus genua sua flectentibus; At vero quonam modo Christus hanc idololatriam disperdidit, ut regnum dæmonis enervaret, in quo per peccatum adeo fortificatus erat, ut per omnes mundi partes triumpharet? *Nimirum in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Porrò Sanctus Joannes notabilem hanc propositionem subjungit: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet, & non potest peccare.* At vero si ita est, qua ratione libertas arbitrij nostri cum impossibilitate peccandi subsistere poterit? Respondet Dionysius Carthusianus. *Sicut qui manet in Deo, non peccat, in quantum in Deo manet, ita qui ex Deo natus est, non facit peccatum, in quantum talis; Et quod ista sit mens Sancti Joannis, sequentia verba testantur, nam subditur: Quoniam semen ipsius in eo manet, semen etenim Dei est gratia ipsius, seu charitas, ex qua tamquam ex semine omnis meritoria oritur actio;* Ac si diceret, ubicumque in anima adest gratia, & amor Dei, ibi incompossibile est in eodem subjecto peccatum. Alij vero per hoc semen, quod virtutem peccatum ab anima abarcendi habet, verbum Dei intelligunt, de quo cœlestis agricola perspicuis verbis dicit; *Semen est verbum Dei.* De hoc semine Luc. 8. dicitur: *Semen est verbum Dei, inquit Hugo Cardinalis.* Venerabilis Beda simili modo hoc semen interpretatus fuit dicens: *Qui semen Dei, id est verbum Dei, quo renatus est, in se habet &c.* Cajetanus sequenti idipsum explicat similitudine: *Ex hoc quod semen olivæ manet in terra, non nascitur vitis, & ex hoc quod semen humanum est in utero mulieris, non nascitur inde aliud, quam homo; Multo magis ex eo quod semen Dei est in nato, ex ipso non proficiscitur ab eo peccatum, quod est contrarium Deo.* Porro generatio spiritualis, de qua Sanctus Joannes loquitur, à Sancto Jacobo Apostolo nobis pariter his verbis indicata fuit: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Et vero ne ulla ratione dubitare valeamus, quod per semen verbum Dei intelligatur, paulo post idem Sanctus Jacobus subdit: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.* In cujus probationem in Epistola prima S. Petri dicitur: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei.* Glossa interlinearis textum supradictum Sancti Joannis in hæc verba explicat: *Per hoc vitat peccata* (scilicet in virtute seminis verbi divini) *quia verbum per quod generatur, manet, nec tantum non peccat, sed nec potest peccare;* Quamdiu verbum retinet, peccatum non est. *Lex Dei ejus in Corde ipsius,* ait Psalmista; *Sed* quid illi hoc prodest? Quærit Sanctus Augustinus; Hoc scilicet: *& non supplantabuntur gressus ejus. Liberat à laqueo verbum Dei in corde; Liberat à viâ pravâ verbum Dei in corde; Liberat à lapsa verbum Dei in corde. Tecum est cujus verbum à te non recedit.*

Verbum Dei est semen Dei. Luc. 8. 11.

Hug. Card. Ibid. Ven. Beda. Ibid. Cajet.

Jac. 1. ℣. 18.

Ibid. ℣. 19.

1. Pet. 1. 23.

Gloss. interl.

S. Augustin. in Psal. 36.

6. Christus Salvator noster Prædicatores salis nomine indigitat: *Vos estis sal terræ;* Sal autem inter alias proprietates hanc quoque habet, quod scilicet carnes à putredine præservet. Similem porro effectum verbum Dei in nobis operatur, siquidem à peccatorum recidivis nos præservat. Unde Bellovacensis inter effectus cœlestis hujus seminis hunc quoque enumerat: *Servat à casu spirituali. In miraculis B. Andreæ legitur de Nicolao sene, comportante Evangelium in sinu ad sectum Eccl. 12. Verba sapientum quasi stimuli ad erigendum à casu & quasi clavi in altum defixi ad retinendum à casu peccati. In miraculis ejusdem B. Andreæ legitur. Cum B. Andreas converti ſſet concubinam cujusdam Præpositi in prædicatione sua, dedit ei Evangelium ut illud portaret, & ut ejus memoria, & virtute ipsius à peccato sibi caveret; Uxor autem prædicti Præpositi adhuc habens eam suspectam, fecit eam capi, & ad lupanar trahi, & lenonibus tradi; ut ab eis ludificaretur, & cum accedebant ad eam, perdebant vires suas. Cum autem vestes ejus scinderet unus ex eis, & eo de sinu ejus cadente, vellet vim ei inferre, illa clamante ad Dominum Leno suffocatur, & angelus apparuit ei confortans eam, & liberans. Si hæc in arido, quid in viridi?* Quod Verbum Dei materiale in codice illo scriptum tantam habuit efficaciam, quid dicemus de illo, quod characteribus vivæ fidei, & ardentis charitatis, in mente, & in corde hominis justi impressum reperitur? S. Bernardus in sermone quodam *de multiplici utilitate Verbi Dei* ita scribit: *Si titubas, clama: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, & in verbis suis confirmabit te, ut experimento discas, quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Divus Chrysostomus in homilia quadam inquit: *Propterea quotidie divini verbi auditione fruimur, ut hac oratione quasi falce sylvescentes animæ affectiones præcidamus; Frugiferæ arbores simus, fructus tempestivos feramus, in horreum reponendos, qui gloriam quidem dabunt communi Domino, cultori animarum nostrarum, nobis vero vitam sempiternam.* Idem S. Doctor sequenti idipsum explicat similitudine: *Quemadmodum ignis natura, quanto magis auri naturæ adhærebit, tanto magis rubiginem consumet, sic & verborum timor quanto magis menti imprimitur, tanto magis peccatum impudicitiæ nostræ purgatur. Hoc igne nos examinemus verbo scilicet doctrinæ, quo minus idipsum cogamur examinare gehennæ igne.* Sanctus Bernardinus refert de Usurario quodam in ultimo mortis articulo, in virtute cujusdam verbi non quidem audiri in concione, sed ab alio ex audita concione relati converso: *Unus Usurarius propter relatam sibi de his, quæ dicta fuerant in una prædicatione, restituit quinque millia ducatorum.*

Verbum Dei præservat à recidivis in peccata. Bellovac. spec. Mor. lib. 3. part. 1. dist. 10.

S. Bernard. Tom. 4. ser. 5. in 1. Dom. Quadr. part. 2 princip.

Joan. 15. 3. Verbum Dei purificat animas.

S. August. lib. 2. cont. Crescon. Tom. 7. c. 13. Vit. Patr. lib. 5. libello. 10. n. 92.

Probatur similitudine.

Eccli. 1. 5.

Joan. 4. ℣. 41.

Alij effectus verbi divini.

S. Bernard. Tom. 4. ser. 5. in Dom. 1. Quadr.

S. Vinc. Ferr. ser. 4. in Dom. 3.

Alia aptissima similitudo.

Rup. Abb. lib. 4. de vict. verb. c. 23.

D. Chrysost. Tom. 1. hom. 61.

D. Chrysost. hom. 56. Ibid.

Psal. 50. v. 6.

S.Bernardin. Tom.3. ser.7. de munditia cordis art.1. c.8.

& Pœnitentiam. Idem quoque in alio quodam Tomi tertij sermone ait: *Ad munditiam cordis hortatur Dominus Jerem.* 4. *dicens; Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias; Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Malitia quippe à moliendo malum nomen accepit, ut sæpe major sit in homine malitia, quam facultas. Ad amovendam quoque hanc malitiam ab humano corde hortatur Jacobus cap.* 1. *dicens: Abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quia verbum Dei quasi speculum maculas cordis monstrat, ut abstergantur.* Hanc enim speculum virtutem habet, quod videlicet nos cum iisdemmet defectibus, quibus revera obnoxij sumus, ingenue, & sine simulatione repræsentet, ut diluantur, & emendentur; Idem quoque sinceritas verbi Dei, vel in sermonibus auditi præstat, non enim nobis adulatur, & ideo à Sancto Bernardo vocatur *speculum veritatis, quod nemini blanditur, nullum seducit, talem se quisque reperiet, qualis fuerit.*

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

De virtute verbi Dei in ordine ad salvandas animas infirmas, sub allusione medicinæ discurritur.

THEMA.

Tuus Domine sermo sanat omnia. Sap.16.℣.12.

Medicina verbi Dei sanat infirmitates animæ.
Sap.16. v.11.
Ibid.v.12.

1. Salomon in libro Sapientiæ cap. 16. hanc memorat verbi Dei specialissimam virtutem, quod scilicet animabus infirmis afferat salutem. En verba ipsius: *In memoria sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio; Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Et ideo S.Petrus cœlesti Magistro suo dixit: *Verba vitæ æternæ habes.* (Joan.6.v.69) Porro vulnera, indispositiones, & morbi animæ, vitia sunt, peccata, & inordinatæ passiones illius, quibus curandis Deus divinum verbum suum velut antidotum & medicinam providit. Idem Sapiens in cap. 7. ejusdem libri ait: *Multitudo sapientium sanitas orbis terrarum;* (Sap.6.v.26.) Per hos autem Sapientes Albertus Magnus Prædicatores Evangelicos intelligit, inquiens: *Multitudo Sapientum hoc est multitudo Prædicatorum.* (Albert. Mag. Tom.12. de mul.forti cap. 17.§.1.) Quod si quis multorum fidelium penetrare posset conscientias, eas utique pro majori parte misere infectas, magnoque remedio indigentes inveniret (*cauteriatam habentes conscientiam* (1.Tim.4. v.2.) (Salvator autem noster quando impiorum conversioni per divinam vocem suam procurandæ erat intentus, medico cuidam se comparavit, proprium autem est medicorum mala, complexiones, vires, habitudines eorum quos curandos habent, prudenter discernere, ac demum remedia convenientia adaptare; Idem pariter observandum est à spirituali infirmarum animarum medico, debet enim unicuique juxta particularem cujusque indigentiam, convenientia & proportionata subministrare documenta. Accidit sæpe, quod in sumptione amaræ reprehensionum medicinæ homo reprehensus indignetur, irascatur, & recalcitret, non intelligens quod id sibi malum suum faciat. Quid de aliquo ad mortem usque infirmo diceres, qui cum per amarum aliquod medicamentum sanitati pristinæ restitui posset, illud tamen accipere renuit, ex eo solum motivo, ne breve spatium nauseam illam tolerare cogatur? Id quod incredulis accidit Hebræis, de quibus Christus lamentatur, ut videre est apud S. Joannem cap. 8. (Joan.8.v.40.) Unde S. Bernardinus inquit: *Dominus ait: Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis; Hinc Bernardus ait: Mirabilis insania: Irascimur sananti, & non irascimur vulneranti. Sanans est Prædicator, sed vulnerans est diabolus, & adulator; Et Gregorius iterum ait: Ægra mens prædicationem veritatis non sustinet, quia tacto vulnere dolet.*

S.Bernard. Tom.3. de desiderab.verit. art.c.1.

Medicina divini verbi non curiosè audienda, sed seriò applicanda est.

2. Quod si infirmus aliquis, qui adhibito magno sumptuum dispendio è regionibus longinquis accersiri fecisset medicum quemdam, magna sapientia & experientia præditum ut ab eo sanaretur, demum vero præscriptas ab illo salutares medicinas, sive recipe sumere renueret, sed solum curiositatis causa aures ei præberet, numquid talem vel delirum, vel propriæ salutis hostem esse diceres? Quot sunt? qui cum per totius anni decursum in propria conscientia indispositi sint, & infirmi, ad sui curationem, per liberalium Eleemosynarum promissionem Medicos spirituales, id est Ministros Evangelicos è regionibus longinquis evocarunt, ut ab ijs tempore quadragesimæ sanarentur, & tamen per totam quadragesimam aliud nihil faciunt, quam quod curiosas dumtaxat aures eis præbeant, cæterum vero ab ipsis præscripta remedia, & ad æternam ipsorum salutem ordinata documenta penitus rejiciunt. Honorant Prædicatores, illisque applaudunt, munera illis donant, serviunt illis, maximi eos faciunt, at vero præscriptas ab illis medicinas acceptare recusant, quia illas exequi nolunt. Hugo Cardinalis de Prædicatione differens eamdem similiter medicinæ cuidam assimilat; Nam super illa verba S. Marci: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent,* (Marci 8.v.2.) ita scribit: *Nota, quod tunc scitur, quod quis bene pœnitet, scilicet si sitit in audiendo verbum Dei, sicut scitur de eo qui accipit Medicinam corporalem, quia talis multum sitit.* (Hug.Card.) Medicina enim corpus male affectum purgando, viscera interius commovendo pravosque humores evacuando, sitim, communiter provocat. Eumdem quoque effectum Verbum Dei in peccatore habet, efficit enim, ut peccata detestetur, omnes malignitates per confessionem foras ejiciat, dumque ei salutem spiritualem conciliat, simul in eo sitim ejusdem divini verbi provocat, adeo ut quantumvis frequenter illud auscultet, numquam tamen audiendo satietur.

Christus simul Doctor fuit & Medicus.

3. De hoc Proto-Medico, de quo Sanctus Augustinus ait: *Magnus de cælo venit Medicus, quia Magnus in terris jacebat ægrotus.* S. Evangelista Lucas scribit, quod non solum Doctor verum etiam Medicus simul fuerit; Nam in Actibus Apostolicis dicitur: *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes;* (Act. Apost. 10.v.38.) Et S. Joannes ait: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* (Joan.6.v.2.) Apud Sanctum Lucam cap. 4. ita scribitur: *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.* (Luc.4.v.40.) Quonam vero modo Salvator noster ejuscemodi infirmos, non solum corporaliter, verum etiam in anima simul curabat? Audiamus Sanctum Lucam dicentem: *Stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis, ab omni Judæa, & Jerusalem & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant ut audirent eum,* (Luc.6. v.17.) Sed quo fine illum audire gestiebant? Num forte ut notitia Dei imbuerentur? Aut vero à superhumana ejus eloquentia tracti eo venerunt? Nequaquam, inquit textus hic Evangelicus, *sed ut sanarentur à languoribus suis;* (Ibid.v.18.) Sciebant enim verissimum esse, quod ante tot sæcula cæleste prophetaverat oraculum, scilicet: *Tuus Domine sermo sanat omnia.* At vero veritas ista in historia quadam omnibus nota expressius patebit. Cum enim Salvator noster die quadam Capharnaum ingrederetur, convenit eum vir quidam professione miles, gentilis vero Religione, qui integræ militum centuriæ præfectus erat; Hic igitur infirmum quemdem domi suæ servum habens; *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, Et dicens: Domine puer meus jacet in domo Paralyticus, & male torquetur.* (Matth.8. v.5. Ibid.v.6.) Benignissimus igitur Salvator huic ejus fiduciæ subito respondere volens, dixit ad eum: *Ego veniam, & curabo eum.* (Ibid.v.7.) Quam Christi promissionem bonum hunc virum merito cum maxima gratiarum actione acceptare mox debuisse, non nemini videri poterat, siquidem quamnam sibi umquam imaginari poterat majorem gloriam, quam si ei daretur hospitio excipere illum, *Quem cæli capere non possunt?* Enimvero quando Regulus ille pariter Capharnaita domi suæ filium habebat cum morte luctantem, & Christus ab eo rogaretur, ut ad eum sanandum in domum ejus descendere dignaretur, Christus eum reprehendit dicens: *Nisi signa & prodigia videretis, non creditis;* (Joan. 4. v.48.) Nimirum eam, qua laborabat, diffidentiam ei objecit existimabat enim Christum non posse sanare infirmum; nisi corporaliter præsens adesset, non vero eadem Centurioni mens erat, hic enim firmiter sibi persuasum habebat, quod Paralyticum saluti restituere posset, etiamsi procul à domo sua abesset unde ait: *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus;* (Ibid.v.49.) Et ideo non sine causa incarnata Sapientia fidem ejus summopere commendavit, quia licet gentilis esset, licet sacrarum litterarum lumine non fuisset illustratus, nihilominus verum esse censuit, quod divina Sapientia scripserat: *Tuus Domine sermo sanat omnia.* Probe intellexit (Heb.1.v.3.)

Christum

Christum esse illum, de quo ad Hebr. dicitur; *Portat omnia verbo virtutis suæ:* (Heb.1.v.3.) de quo proinde Chrysologus ait: *Postulat verbum, non de loquendi usu, sed de virtute faciendi, verbum de quo dictum est: Misit verbum suum, & sanavit eos.* (D.Chrysol. ser.15.)

Vox Christi potentissima fuit corporibus animabusque medendis.

4. Christus porro in multis occasionibus clare ostendit vocem suam corporibus animabusque curandis, iisdemque post mortem revivificandis salutare prorsus esse antidotum S. Matthæus immediate ante in eodem capite petitionem recensuit à leproso sibi propositam, nec non benignum Christi ad eamdem subnexum responsum; *Volo; Mundare, & confestim mundata est lepra ejus.* (Matth.8.3.) Nimirum *dedit voci suæ vocem virtutis, Vox Domini in virtute.* (Ps. 69.34.) Cæco prope Jericho illuminato nihil aliud dixit; præterquam: *Respice; ... Et confestim vidit;* (Luca 18.42.) Adolescentem in Naim extinctum paucis verbis, sed talibus, de quibus S. Petrus ait: *Verba vitæ æternæ habes,* (Joan.6.69.) ad vitam revocavit, dicendo nimirum: *Adolescens tibi dico surge, & confestim resedit, qui erat mortuus;* (Luc.7.v.14.) Similiter Lazarum quatriduanum ad vitam revocavit, solum dicendo: *Lazare veni foras;* (Joan.11. v.43.) Et sic de alijs similibus circa infirmos varios sanitati restitutos patratis miraculis licet discurrere. Malachias Propheta venturum Redemptorem vaticinari volens, mirabili purasi loquendi Prophetiam istam enunciavit; Ait enim: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* (Malach.4.2.) Quæ enim inter solem & plumas, nec non inter pennas & sanitatem esse potest proportio? Verumtamen si prædicta verba bene considerentur, Prophetam hoc loco metaphoricè loqui reperietur, pennæ etenim solis sunt radij, in quibus verba ejus symbolicè subindicantur, quibus mediantibus homo vitam consequitur æternam. B. Laurentius Justinianus de prædicatione Christi differens inquit: *De ipsius ore quidam spiritualis intelligentiæ radij emicabant.* (B.Laur.Just. de triumph. Christi agone cap.25.)

Patet ex verbis S. Agathæ, ad S.Petrum.
S.Ambros. in Ps.45.
S.Bonav. ser. 2. in Dom. 2. post Epiph.

5. Celebre est illud Sancto Petro à S. Agatha redditum responsum, quando ille hanc in carcere invisit, ut vulnera ipsius sanguine manantia, quibus veluti totidem sonoris vocibus fidem nostram coram Tyranno protestabatur, dicebat enim: *Medicinam carnalem numquam corpori meo exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa.* Sanctus Ambrosius ad præsens propositum ita scribit: *Ibi bonum consilium, ubi bonum est Dei verbum. Misit Deus Verbum suum, ut sanaret hominem, non ut perderet. Hoc verbum medicina est.* Sanctus Bonaventura de verbis supradicti Centurionis Evangelici differens ingeniosum quemdam nec minus utilem subindicat conceptum, ait enim: *Verbum Dei medicina est animæ, quam stulti infirmi abhorrent, hominum sustinentes linguam, qui potius cum Lazaro deberent sustinere linguam canum, id est doctorum, de qua in psalmo dicitur: Lingua canum tuorum ex inimicis &c.*

Concionatores comparantur linguis canum, ulcera Lazari lambentium.

Etenim mendico Lazaro ulceribus pleno canes lingendo præstabant obsequium: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus,* (Luc.16.v.21) Job saniem ulcerum suorum testa radebat, hic autem canes Lazaro compatientes, in magnum ejusdem beneficium deserviunt; unde falluntur, qui canum lincturam crudelitati attribuunt, non enim crudelitas, sed magna pietas erat (si tamen canibus inesse pietas potest) horum enim animalium lingua in similibus morbis medicinalis existit; *Conversum est hoc in lenimentum pauperis,* inquit Albertus Magnus, *lingua enim canum medicinalis, est & mundat vulnera à putredine.* (Alb.Mag.) Porro per canes mystice Prædicatores intelligi possunt, quibus apud Isaiam dicitur: *Clama, ne cesses, ... exalta vocem tuam;* (Isa.58. 1.) Unde idem Albertus Magnus ita scribit. *Canes venatici ordines sunt prædicantium, qui non expectant domi, sed veniunt ad pauperes, & lingunt ulcera peccatorum suorum, habentes in ore latratum Prædicationis.* Hugo Cardin. similiter ita scribit: *Habet canis in ore latratum, in dentibus morsum, in lingua medicamentum, sic bonus prædicator, & bonus Confessor, & quilibet spiritualium bonorum administrator debet habere hæc tria; Latratus est verbum exhortationis, morsus verbum objurgationis, linguæ medicamentum verbum consolationis.* (Hug.Card.)

Propter tres speciales effectus verbum Dei libenter audire debemus.
Ps.118. v.17.
S.Bonav. ib.

6. S. Bonaventura super illa Psalmistæ verba: *ut custodiam sermones tuos* egregias quasdam à verbo Dei dimanantes recenset utilitates, inquiens: *Sermones Domini libenter audire debemus propter tres speciales effectus, atpote quia sanant, vim scilicet concupiscibilem, illuminant, vim scilicet rationalem, armant, vim scilicet irascibilem. De primo: Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia, ecce sermonem sanantem. De secundo dicit Propheta: Declaratio sermonum tuorum illuminat, ecce sermonem illuminantem. De Tertio: singulos illorum armavit, 2. Mach. 15. non clypei, aut hastæ munitione, sed sermonibus optimis, ecce sermonem armantem.* (2. Mach. 15.) Ubi observandum quod effectui sanativo primum locum attribuat. Bellovacensis in medium adducit visionem illam, quam habuit mater S. Dominici priusquam illum in lucem ederet, vidit enim catulum quemdam facem ardentem in ore suo portantem, qua mundum accendit; *Quod fuit ei signum, quod filium haberet, qui lupos id est, hæreticos impugnaret, gregem servaret, dormientes in vitijs allatraret; & linguam medicinalem haberet & facem igniti eloquij portaret, quo mundum illuminaret, & inflammaret.*

Statim post hominis lapsum medicamentum verbi Dei fuit adhibitum.
Bellovac. spec. Mor. lib.3. p. 1. dist.10.

Verbum Dei utile est licet illius medicinalis effectus statim non percipiatur.

7. Venenum antiqui serpentis in primum parentem nostrum evomitum, totum infecit mundum, id est universum genus humanum, quod mortale reddidit, & sine dubio subito periissent omnes, nisi subito adhibitum fuisset mysticum mithridaticum, quo sanaretur. Verisimile quidem est, quo infernus in illo momento quo homo intoxicatus fuit, omnes suas adhibuerit vires & conatus, ut homo sine antidoto & medicina remaneret, at vero ex illa hora verificatum fuit illud: *Tuus Domine sermo sanat omnia,* Etenim Adam ait: *Vocem tuam audivi.* Circa quæ verba S. Ambrosius ita scribit: *Adhuc in his remedium sanitatis est, quia audiunt Dei verbum, Judæi vero qui sibi clauserunt aures ne audirent, hodie dum non merentur audire.* (S.Ambr.lib. de Parad. cap.14.)

8. Advertendum porro est; quod sicut medicamentum, salutarem quem operatur effectum, non subito demonstret, sed post aliquod temporis spatium, ita quoque mysticæ huic medicinæ evenerit. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est,* inquit Origenes, *si ergo divinitus inspirata, est & utilis, etiamsi non sentiamus utilitatem, credere tamen debemus, quia utilis est. Solent Medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, V.g. ad excutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed cum transierit visum, cibi illius, vel poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura sancta* (Idemque dici potest de verbo Dei prædicato) *quia utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non sapit, quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus, & pascuntur.* (Orig.Hom. 26. in Jos.) Sæpe etiam contingit quod detur medicamentum aliquod gustui quidem valde suave & sapidum, quod tamen intra viscera talem fecit commotionem, ut magnam corpori afferat amaritudinem & dolorem. S. Joannes in Apocalypsi sibi dici audivit: *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* (Apoc.10.v.9.) Quæ verba S. Augustinus ad propositum nostrum in hæc verba exponit: *Id est, cum perceperis, oblectaberis eloquij divini dulcedine, sed amaritudinem senties, cum prædicare, & operari cœperis, quod intellexeris, sicut scriptum est. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Et aliter: Erit, inquit, in ore tuo dulce ut mel, & in ventre tuo amaritudo. In ore intelliguntur boni, & spirituales Christiani; in ventre carnales, & luxuriosi. Inde est, quod cum verbum Dei prædicatur, spiritualibus dulce est, carnalibus vero, quorum secundum Apostolum, Deus venter est, amarum videtur, & asperum.*

Alia similitudo medicamenti ad verbum Dei.
S.Aug. Tom. 9.Hom.8.in Apoc.

Aliæ similitudines.

9. In Ecclesiastico dicitur: *Ante languorem adhibe medicinam.* (Eccli.18. v.20.) Etenim medicinæ sæpe sumuntur etiam ab hominibus sanis tamquam præservativum ad occurrendum morbis, qui furtive nos aggredi possent. Eodem quoque modo, licet dum in timore Dei vivimus, hoc remedio non admodum indigeamus, servit tamen velut præservativum contra mala ventura, à quibus infestari possemus; Unde Psalmista ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (Ps.118.v.11.) Præterea licet medicina ab infirmo præscribatur, eosdem tamen operatur effectus sanandi, ac si ab homine sanissimo administrata fuisset; Eodem modo licet verbum Dei prædicetur ab homine impio, pessimique exempli, non tamen per hoc sua destituitur virtute sanandi infirmitates no-

ſtras Spirituales. Denique ſicut medicina niſi tempore opportuno adhibeatur, ad nihilum prodeſt, quin potius obeſt, ita quoque nemo neſcit, quod
Prov. 15. 23. *ſermo opportunus eſt optimus.*

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Verbum Dei virtutem habet obſtinatorum peccatorum emolliendi duritiam.

THEMA.

Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram? Jerem. 23. ℣. 29.

Indurata & frigida corda quæ miraculis emolliri, & accendi nequeunt, audito verbo Dei emolliuntur & accenduntur.

1. QUotidiana nos docet experientia, quod ut impenetrabilis petrarum durities, confringatur, & ſuperetur, adhiberi ſoleat vel violentia ignis, vel replicati malleorum conterentium ictus; Ac proinde Deus ad inſinuandam divini verbi ſui efficaciam in hæc verba prorumpit, *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis &c. Quaſi dicat omnino ita eſt*, inquit in expoſitione hujus textus doctiſſimus Lyranus: *Propter quod dixit Jeremias ſupra cap. 20. Factus eſt ſermo Dei quaſi ignis exæſtuans in corde meo.* Porro cor lapideum, atque ad Dei voces ſurdum in gelu & frigore denotatur: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas*; Ecce tibi igitur ignem verbi Dei, qui quantumvis duriſſimam glaciem ſubito in aquas reſolvit, id eſt in lachrymas prorumpere facit. Unde Hugo Card. ait: *Frigidiſſimus ergo eſt, quem ignis divini eloquij non incendit.* Quia ut Pſalmiſta ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Porro idem Hugo mox ſubdit: *Sed ut dicitur caro vetus non poteſt excoqui, ita nec illi qui ſunt inveterati in peccatis ſuis.* Dan. 13. *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua.* Pſalm. 17. *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inveterati ſunt*; *Quia ut dixit Seneca: Vitia ſenum prædicantur in quid, id eſt inhærent eſſentialiter, Jerem. 6. defecit ſufflatorium in igne, fruſtra ſufflavit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, juvenes enim frequentius moventur in ſermonibus, quam ſenes.* Et tamen, ut ſæpe per experientiam videmus, multaque nos docent exempla, verbum Dei omnes haſce difficultates ſuperare novit, calefacit enim ſæpe corda quantumvis frigidiſſima, geluque inveteratæ obſtinationis facillime reſolvit in compunctionis lacrymas: *Numquid non verba mea quaſi ignis? &c.* Hebræi, quando in odio Chriſti vel maximè indurati erant, id eſt, in nocte Paſſionis Dominicæ, in qua ob nimium cordis gelu ſtabant in atrio Caiphæ calefacientes ſe, in ſua ſecum ſocietate habentes ipſummet Apoſtolorum Principem; Hi inquam, Hebræi paulo poſt, quando audierunt verbum Dei, à cœleſti flamma cœlitus ſuper eos deſcendente accenſi fuerunt, dicente ſcriptura: *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres?* Angelicus Doctor alium quemdam adducit textum ex iisdem Actibus Apoſtolicis, dum in hæc verba ſcribit: *Legitur quod prædicante Petro Spiritus Sanctus in auditores divini verbi cecidit, & hoc frequenter accidit in prædicationibus, quod qui duro corde accedunt, propter verbum Prædicationis, ad divinum amorem accenduntur.* Sic enim illi ipſi qui paucis ſeptimanis ante, tumultuoſe vociferati fuerant: *Tolle, tolle, crucifige eum*, ad ignem Prædicationis S. Petri adeo incalcuerunt, ut una vice tria millia, altera autem vice quinque millia ſub vexillum illius, cujus antea poſtularant crucifixionem, conſcripta fuerint. Unde merito S. Thomas de Villanova in hæc verba exclamat: *O linguam vere ignitam! Tria millia ad fidem converſa ſunt, & compuncto corde animarum ſuarum remedium poſtulavunt. Alio etiam ſermone poſtridie quinque millia converſa ſunt, & ita Eccleſia brevi tempore in grandem fidelium numerum adducta eſt. O ſi nunc unam talem linguam haberet Eccleſia. Heu frigida lingua ignitam ſermonem proferre non valet, & quoniam ſpiritu Dei Prædicatores non incalefcimus, auditorum corda minimè inflammamus.* Tempore morientis Chriſti aperiebantur monumenta, duriſſima marmora diſſecabantur, montes quoque vaſtiſſimi ab invicem dividebantur, & tamen lapidea Judæorum corda per quinquaginta & amplius dies in ſua duritie & obſtinatione perſeverabant, donec ad aures eorum perveniſſet ignita illa S. Petri Prædicatio; tunc enim *his auditis compuncti ſunt corde: Numquid non verba mea quaſi ignis?* Commovere duriſſima Judæorum pectora non poterant miraculoſæ Solis & Lunæ Eclipſes, non univerſalis totius univerſi terræmotus, non tot cadaverum prodigioſa reſurrectio, non militum pectoris percuſſiones, qui *reverebantur percutientes pectora ſua*, non denique oculorum lumen ab illo Centurione miraculoſe receptum, qui dicebat: *Vere filius Dei erat iſte*; At vero lapidea hæc illorum obſtinatio tunc devicta, & emollita fuit, quando verbum Dei audierunt: *His auditis compuncti ſunt corde.* Cum enim *Spiritus Sanctus* (Verbi ſatis Dionyſij Carth.) *ſit ignis ille immenſus ſuper duriſſime ardens, merito verba ejus ardentes faculæ appellantur.* Verbum incarnatum in Evangelio expreſſe dicit: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* S. Thomas de Villanova in ſermone quodam ait: *Quantos peccatores induratos & vidimus, & legimus, ex auditu verbi Dei fuiſſe converſos, mutaſſe vitam, emendaſſe mores?* S. Bernardus in ſermone *de multiplici utilitate Verbi Dei* in hæc verba ſcribit: *Si cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet eas. Et item: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Si tepidus es, & evomi jam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium ejus ignitum valde.*

Joan. 18. v. 18.

Act. Apoſt. 2. v. 37.

S. Thom. opuſc. 4. c. 3.

Joan. 19. 15.

S. Thomas à Villan. conc. 1. in Pent.

Act. v. 2. 39.

Jerem. 23. 29.

Luc. 23. 48.

Matth. 27. 54.

Dion. Carth. in Jerem.

Matth. 10. 20.

S. Thom. à Villanov. in Sexag.

S. Bernard.

2. *Et quaſi malleus conterens petram, Id eſt*, ut Hugo exponit, *corda lapidea auferens cor lapideum, & dans cor carneum, ut dicitur Ezech.* 11. Dionyſius Carthuſianus ſimiliter exponit inquiens: *Id eſt cordium tollunt duritiam, & ad pœnitentiam emolliunt mentem, ut ablatis lapideis cordibus, remaneant carnea corda.* Quæ doctrina deſumpta eſt ex ſermone quodam S. Bernardini, in quo ſimul duritiam cordis obſtinati in malo, & virtutem hujus mallei verbi Dei, ita deſcribit: *Sæpe ad auditum ejus mollitur, & cedit illa odioſa duritia cordis, in qua homo non ſentit ſe nec alium vereatur; Pietate non flectitur, nec precibus removetur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficijs induratur, non eruditur flagellis, frontoſus ad turpia, pronus ad illicita, ſubdi nejcius, niſi cum reſiſtere non poteſt; Et in omnibus exemplum ſit tibi Pharao cordis duri: Sanctæ eſt enim violentiæ, & virtus verbi Dei, ut non ſit cor petrinum, & durum, quod ſentiens vires illius non confringatur, & emolleſcat; Unde Jerem. 23. Verba mea ſunt quaſi ignis ardens dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras. In vitis Patrum ait Joannes Abbas: Quid durius lapide? Quid mollius aquâ? Et tamen gutta cavat lapidem, non bis, ſed ſæpe cadendo; Sic verbum Dei cor durum aperit ad timorem, & amorem Dei, unde Pſal. Ignis à facie ejus exarſit, id eſt ardens à notitia verbi Dei deſcendit; Carbones, id eſt homines in peccatis excæcati ſuccenſi ſunt ab eo.*

Hug. Card. Ezech. 11. 19.

Dion. Carth. Malleus verbi Dei conterere poteſt duriſſima corda.

S. Bernard. Tom. 2. ſer. 80. in Dom. 1. Quadr. art. 3. c. 1.

Jerem. 23. 29.

Pſ.

3. In annalibus Religionis Dominicanæ habetur quod cum olim Bononiæ Prædicans Frater Reginaldus doctrina & ſanctitate celeberrimus, admirabiles diverſorum operaretur converſiones, primarius quidam Doctor nomine Magiſter Moneta ſibi propoſuerit, quod nullo prorſus modo illum exumbone dicentem auſcultare umquam vellet, ne intra retia ipſius caperetur: Verumtamen ſcholares ipſius, tanta apud ipſum valebant perſuadendi gratia, quod illum ad auſcultandum vel ſemel dumtaxat F. Reginaldum concionantem die quodam induxerint (concio autem de S. Stephano habebatur) quia vero magnopere averſabatur ab eo, quod promiſerat, hoc uſus eſt ſubterfugio, nimirum prius auſcultare voluit Miſſam, poſtquam audivit & ſecundam, nec hac contentus auſcultavit & tertiam, futurum eſſe exiſtimans, ut per hanc cunctationem concio elaberetur, vel ſaltem ad finem illius ſuperveniret, ſed ſpei ipſius non reſpondit eventus; Perveniens namque ad Eccleſiam, cum illam hominibus refertam videret, adeo ut vix pateret ingreſſus, in limine portæ ſubſtitit, & ad primum verbum quod audivit, ſe interius totaliter commoveri ſenſit, verba autem, quæ audire poterat, hæc erant: *Ecce video cælos apertos; In præſenti aperti ſunt cæli ad introeundum, quilibet qui vult poteſt januas apertas intrare, videant & timeant viri negligentes, ne eis qui chaudunt cor ſuum Deo, & os, & manus regnum cælorum claudatur, & introire non poſſint, quid ergo tardatis? Ecce aperti ſunt cæli.* Cumque vix finitus eſſet ſermo, ecce Magiſter Moneta ad pedes Reginaldi provolutus, habitum religioſum ab eo petijt, & recepit, fa-

An S. Domd. 1. p. l. 1. c. 7. Notabile hujus exemplum adducitur.

ctusque eſt religioſus ſanctitate & doctrina prorſus inſignis, qui multos hæreticos ad fidem orthodoxam convertit, eorumque errores confutavit. S. Bernardinus in eodem ſermone exemplum adfert Lazari quatriduani in hæc verba ſcribens; *Unde animæ in peccato mortali defunctæ reſurgent ad vitam gratiæ, niſi ex vivificante calore divini verbi? Hinc Proverb.* 13. *dicitur: Lex Dei, fons vitæ, ut declinet à ruina mortis; In ſuſcitatione Lazari voce magna clamavit: Lazare veni foras, & ſtatim prodijt qui erat mortuus, ut oſtendatur quod in verbo Dei animam vivificante eſt veritas in voce, charitas in magnitudine, & poteſtas in clamore. Statim prodijt ad vitam gratiæ, qui mortuus fuerat in interitu culpæ. Joan.* 5. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint vivent.*

S. Bernard. ib. art. 2. c. 1.

Prov. 13. 14.

Joan. 5. 25.

Verbum Dei comparatur ſilici.

4. S. Gregorius Magnus verbum Dei ſilici ſimile eſſe dicit, qui cum ſit lapis durus & frigidus, nihilominus percuſſus ſcintillas emittit; *Sic verba ſunt ſancti eloquij, quæ quidem per narrationem literæ frigida tenentur, ſed ſi quis hæc aſpirante Domino intento intellectu paſſaverit, de myſticis ejus ſenſibus ignem producit, ut in ejus verbis poſt animus ſpiritualiter ardeat, quæ prius per literam ipſe quoque frigidus audiebat.* Et certe quot ſunt, quibus accidit, quod licet inſtar filicis duri eſſent, & frigidi, malleo tamen prædicationis Evangelicæ percuſſi, divini amoris ignem mox conceperunt? Surius in vita S. Antonij de Padua refert, quod in concione Hæreſiarcham quemdam converterit, qui per triginta annos inconſutili Salvatoris veſti dilacerandæ intentus fuerat. Idem Author de S. Eleutherio à S. Aniceto Papa ad prædicandum miſſo refert, quod cum multas converſiones infidelium feliciter operatus fuiſſet, inimicus infernalis, truculentam quamdam adverſus ipſum Adriani Imperatoris ſuſcitaverit perſecutionem, in qua præfatus Imperator eum ad mortem inferendam quærens, Felicem exercitus ſui ducem ad eum inveſtigandum dimiſit, qui Eccleſiam in qua S. Eleutherius prædicabat, militibus ſuis cinxit, ipſe vero inſtar furibundi leonis Eccleſiam ingreſſus fulmina iræ & furoris ſui in eum evibrare conſtituit; Sed quid accidit? *Ubi vidit Epiſcopum ſuaviſſimum doctrinæ fluentum profundentem, & ornatiſſime pietatem annunciantem ijs, qui eum eo verſabantur, mirum in modum admirabatur Chriſti virtutem, & ſtatim mutata ſævitia (virus eſt enim habere animam aptam ad ſuſcipiendam ſemina pietatis) ſit ovis pro lupo, & pro perſecutore diſcipulus; Ejus verbis illuminatus, & baptizatus, idololatriæ caligine exuitur*; Principes quoque Synagogæ, Sacerdotes, & Phariſæi miniſtros juſtitiæ ſive lictores unanimiter emiſerant, ut Chriſtum captivum adducerent, qui cum ea mente abijſſent, ut illum ligarent, & arcte conſtrictum ad Synagogæ Principes perducerent, eumdem Evangelizantem invenientes, adeo ex divino ejus verbo capti fuerunt, ut cum à Principe Synagogæ ob minime executam commiſſionem reprehendentur, reſponderint: *Numquam ſic locutus eſt homo.* S. Bernardinus, qui ſui temporis celeberrimus Prædicator exiſtens, innumeros homines ſceleratos ad pœnitentiam & vitæ emendationem convertit, magnumque populorum concurſum poſt ſe ſemper habuit, hic, inquam, in ſermone quodam ita ſcribit: *Anima quantumcumque dura, ſi audit prædicationem, confringitur, quia numquam vidi hominem tam infrigidatum, & induratum, qui audiens prædicationem non confringatur, quia audiendo intelligunt, & vident peccata, & periculum quod incurrunt in animam, & ſic emendantur præ timore.*

Pulchra exempla converſionis infidelium per verbum Dei.

S. Bernard. Tom. 4. ſer. 5. in 1. Dom. quadr.

Bolland. 11. Jan. 710. Horribilis pœna verbum Dei audire nolentium.

5. Bollandus de S. Eguvino Epiſcopo Wigornienſi ita ſcribit: *Cum operibus charitatis totus eſſlueret, maxime tamen Prædicationi operam dedit, erat namque jaxta. Eovveſtram ad octo milliaria caſtrum Alvecestre regale tunc maxſum, cujus loci habitatores quanto rerum opulentia, & temporalium abundantia affluebant, tanto magis gulæ & luxuriæ dediti, ſtudentes avaritiæ & cupiditati, miſericordia Dei ſe indignos efficiebant. Ad hunc locum accedens. B. Eguvinus, prædicavit illis regnum Dei. Sed gens abſque conſilio, & ſine prudentia & cervicis duræ, nec aſſueta vitia relinquere, nec monitis ipſius obtemperare volebat.* Et quidem ne ipſum audiret, mirabilem excogitavit inventionem; Ex quo enim in hac terra ars ferrariorum palmis exercitabatur; *Incudes malleis ferreis tanto ſtrepitu continuo percutiebant, ut Beati viri ſermo non audiretur, & recedere cogeretur;*

Chalybei etenim mallei, quibus utebantur, impediebant, quo minus dura ipſorum corda malleo Jeremiæ percutere poſſet, ac proinde nullum in cordibus eorum ictum facere potuit, præterquam quod illos ſeverillimo ſupplicio percuſſerit; *Ecce* enim *ſubito caſtrum terra abſorbuit*; Adeoque ars ferrariorum ibidem numquam deinceps exerceri potuit. Nequaquam vero idipſum Ninive contigit, civitari nimirum avaritiæ, gulæ, ſenſualitati & vanitatibus maximopere deditæ, quod vel inde patet, quia Sardanapalus civitatis illius Rex erat; Et quidem licet civitas iſta ad capiendum verbum Dei minime diſpoſita eſſet, attamen ad prima Jonæ prædicantis verba rigidiſſimam aggreſſi ſunt pœnitentiam, qua furorem Dei confeſtim placarunt. *Numquid non hoc eſt verbum meum &c.*

Jona 4. 2.

6. Sanctus Antoninus celeberrimam quamdam ex Sancto Auguſtino refert propoſitionem. Hic enim ſanctus Doctor dicere ſolebat: *Non minus eſt verbum Dei, quam corpus Chriſti.* Quod quo ſenſu intelligendum ſit, idem Antoninus ſequentibus verbis declarat dicens: *Quod verum eſt non quoad eſſentiam, ſed quoad efficientiam, ſecundum gloſſam; Quantumno major fructus ſequitur ex verbo Dei prædicato, quam corpore Chriſti ſumpto, nam per Sacramentum nullus juſtificatur, ſi accedit indigne, & incontritus ſed augetur iniquitas ſua, ſed obſtinatiſſimi homines audiendo prædicationem convertuntur* In antiquo quodam ſermonario, quod hic Romæ in Bibliotheca noſtra aſſervatur, ſequens propoſito noſtro apprimè deſerviens legitur exemplum: *Sæpè homo compungitur in verbo Dei, qui antequam illud audiret, propoſuit in peccatis vitam ducere; Patet hoc de quodam Comite Labrico, qui cum dia in peccatis vixiſſet, & ſemel eccleſiam intraret, & verbum Dei audiret illud Ezech.* 18. *Quacumque hora ingemuerit peccator &c. ad ſeipſum reverſus, imploravit Dei miſericordiam, ut ſibi ſua peccata indulgeret, quia amplius ei uſque ad mortem ſervire vellet, & poſtea mundum deſeruit, Religionem intravit, & Deo fideliter ſervivit, & poſt mortem ejus, inventum eſt ſupra ſepulchrum ejus ſcriptum litteris aureis illud pſalmi: Immiſit Deus verbum ſuum, & ſanavit eum.* Quis obſtinacior & durior reperiri poterat Sancto Auguſtino, qui uſque ad ætatem triginta trium annorum in luto carnalitatis ſuæ deſixus, tot divinas inſpirationes, tot amicorum, & præcipue ſanctiſſimæ matris ſuæ ſaluberrima monita, cum ad reſipiſcentiam extimulantia ſurdis auribus excepit? Ecquisnam vero malleus ille fuit, qui cordis ipſius duritiam contrivit? Sola S. Ambroſij concio, quam frequenter auſcultabat, non ut fructum inde animæ ſuæ adferret, ſed delectationis cauſa ob eximiam ejusdem S. Doctoris eloquentiam extimulatus ad eam acceſſit: *Cum cor aperirem*, inquit ipſemet Auguſtinus, *ad excipiendum, quam diſerte diceret, pariter & intrabat, quam vere diceret.* Stabat namque attentus, & à verbis S. Ambroſij pendebat, non conſiderando res, quas dicebat, imo potius illas contemnendo, ſed in ſola ipſius eloquentia ſe oblectando, & tamen ſermo dicentis ipſum vere convertendi vim habuit.

S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 11. Analogia verbi Dei ad corpus Chriſti.

Magiſt. Paulli. ſer in Sexag. Mirabilia exempla per verbum Dei converſorum.

Cujusdam Comitis.

S. Auguſt. lib. 5. Cap. 14. confeſſ.

Et S. Auguſtini.

Joan. 7. 46.

7. Deus olim Jeremiæ hoc præceptum impoſuit: *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertantur unuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis.* Et ideo tempore interdicti fideles quidem privantur participatione Sacramenti communionis, ſacrificiis, ne intervenire poſſint officiis divinis, nequaquam tamen prædicatio verbi Dei intermittitur: *Si forte audiant, & convertantur*, cum enim hæc cenſura in pœnam obſtinationis, & inobedientiæ, quam erga Eccleſiam temere exercent, feratur, ad hanc obſtinationem ſuperandam ſpecialiter prædicatio verbi Dei deſervit, utpote quæ homines etiam contumaciſſimos ad reſipiſcentiam & vitæ pœnitentiam efficaciter inducit.

Jerem. 26. v. 2. Verbum Dei etiam contumaciſſimos convertit ad pœnitentiam.

S. Bernard. Tom 4 ſer. 5. in 1. Dom. quadr.

8. S. Antoninus inquit: *Inducit prædicatio ad compunctionem. In hujus figuram legitur, quod Jeremias fuit eductus de lacu profundo luti, adjutus rudentibus, ſalicibus funibus, & pannis veteribus adjunctis, ne funes, quibus ligatus tenebatur, nimis carnem conterarent. Jerem.* 38. *Hic autem Propheta ſignificat peccatorem, qui eſt in lacu profundo fœcis peccatorum, ſed inde educitur per Prædicatores verbis divinis, partim continentibus duras ſententias præceptorum, quæ ſenſitivam corrodant, & hæc ſunt funes; partim exempla Patrum, & iſta confortant, & lenitant rigorem, ut facilius educatur de peccato.* S. Vincentius Ferrerius

S. Antonin. ibid. §. 2. Prædicatio Verbi Dei inducit compunctionem. Jerem. 38.

Ferrerius ad malleum alludens, cujus Deus apud Jeremiam mentionem facit ita scribit: *Sicut enim verbum Dei dicitur ignis, quia inflammat cor in Dei amore, ita dicitur malleus conterens petram duram cordis in amore proximi; Multi habent cor lapideum, dicentes: Non parcerem inimicis, sed malleo verbi Dei frangitur cor, & faciunt pacem pro amore Dei, & hominum in salvationem animarum.* Albertus Magnus hujus mallei mentionem quoque facit dicens: *Verberat ad cordis contritionem præcipue sermo divinus, Iste est malleus, quo Jabel perforavit tempora Sisaræ, Jud. 4. Jabel enim ascensio Dei interpretatur, & significat eam quæ altius præ cæteris in verbo Dei ascendit, & diabolo caput perforavit.* Hoc porro divini verbi efficacia clarius & evidentius apparebit, si consideretur, quod S. Ambrosius de filio Viduæ Naimiticæ ad sepulchrum delato in hæc verba scribit: *Quis est iste tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, tumulus tuus guttur est, sepulchrum patens est guttur eorum. Ab hoc sepulchro te liberet Christus, ab hoc tumulo surges, si audies verbum Dei.*

S. Vinc. Ferr. ser. 4. in Dom. 3. post pascha. — Alb. Magn. in Luc. c. 10. — S. Ambr. lib. 5. in Luc. c. 7.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Variæ Analogiæ inter verbum Dei, & gladium seu sagittam adducuntur.

THEMA.

Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ephes. 6. v. 17.

Quare S. Paulus Verbum Dei comparaverit gladio.

1. MUlta, eaque omnia mystica sunt motiva ob quæ sonora illa Evangelij tuba S. Paulus Apostolus, qui mundum convertit, verbum Dei potius gladio, quam alteri rei assimilarit, dicendo: *Gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Et vero certum est, quod gladij virtus præcipue in cædendo & confodiendo consistit: Unde ille gladius melior esse censetur, qui acutior est, & ad scindendum & dividendum aptior. S. Hilarius ait: *Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit vis potestatis, & Judicis severitas, & animadversio peccatorum & hujus quidem teli nomine novi Evangelij prædicationem appellatam frequens in Prophetis authoritas est.*

S. Hilar. can. 10. in Matth.

2. Salvator noster apud S. Matthæum cap. 10. protestatur inquiens: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.* At vero, dicite sodes, numquid Apostolus de Salvatore nostro ait: *Ipse est pax nostra?* Numquid in signum quod venisset genus humanum cum æterno Patre suo irato reconciliatum, eo præcipue tempore nasci voluit, quando universus mundus in summa pace constitutus erat? Numquid in nocte Nativitatis angelos ad Pastores misit, qui pacem promulgarent, dicendo: *Et in terra pax hominibus?* Quodnam præceptum tanta cum solicitudine inculcavit, quanta illud: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem?* Denique numquid finaliter nobis pacem in testamento legavit dicendo. *Pacem relinquo vobis?* Quomodo igitur nunc se ad gladios acuendos venisse dicit, *Non veni pacem mittere, sed gladium?* Audiamus ad hoc respondentem eumdem S. Hilarium: *Dei verbum, inquit, nuncupatum novimus in gladio, qui gladius missus est in terram, id est prædicationem ejus hominum cordibus infusam.* Cum Redemptor noster in Synagoga Nazareth, civitatis videlicet illius, in qua incarnatus fuerat, constitutus esset, oblatus est ei codex Isaiæ: *Surrexit legere, Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Quosnam vero effectus mysticus hic gladius operaturus esset, cælestis Magister noster his verbis declarat: *Veni separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam &c.* Hæc enim separatio, quæ à tot sæculis hactenus continuo apud fideles in usu fuit, quando scilicet filij deserunt parentes, ab iisque sequestrantur, ut Deo se dedicare possint, ut plurimum mystici hujus gladij divini verbi est effectus. Duo illi fratres, Marcus, & Marcellianus, in summo erant periculo cedendi charissimorum pignorum suorum precibus, & in illorum gratiam veræ fidei renunciandi, cum ecce S. Sebastianus gladium Prædicationis suæ apprehendit ut illos à proximis consanguineis suis separaret, & divideret, unde eidem gratias agentes dixerunt: *Vasillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia roborasti.* Poterat quoque felicissimum hoc par duorum fratrum Martyrum S. Sebastiano jure dicere: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.*

Matth. 10. v. 34. — Ephes. 2. 14. — Christus in hunc mundum venit ut nobis afferret gladium verbi Dei. — Matt. 10. 35. — Ibid. v. 36. — S. Hilar. ibid. — Luc. 4. v. 16. — Ibid. v. 17. — Ibid. v. 18. — Matth. 10. 35 — Job. 4. v. 4. — Ps. 37. v. 3.

3. Porro Evangelij prædicatio non solum gladio, verum etiam sagittæ à Spiritu Sancto similis esse dicitur. Unde Sanctus Augustinus ait: *Verbum Dei sagitta est, quia percutit; Nemo miretur abyssorum conturbationem, quando sagittæ tuæ pertransierunt. Quid est pertransierunt? Non in auribus remanserunt, sed corda transfixerunt.* Sanctus Paschasius hunc gladium etiam à muliercula quapiam quantumvis imbelli agitari posse his verbis docet: *Sponsa quia fortissimum duxisti sponsum; & armatum, Quinimmo armata & ipsa gladio verbi divini, de quo ait Apostolus: Gladium Spiritus assumite, quod est verbum Dei, quatenus & ipsa tuo armata respondeas propugnatori, & defensori.* Porro quisquis sanctorum Martyrum pervolverit acta, utique tenellas virgunculas hoc gladio divini verbi tam lecti, quam auscultati armatas fuisse, atque cum Tyrannis fortiter dimicasse reperiet quo etiam gladio se à proximis consanguineis diviserunt, & separarunt, ut tanto arctius cælesti sponso adstringerentur; Nam ut S. Paulus ait: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Ubi Hugo Cardin. inquit: *Nihil ita vulnerat cor amore, sicut sermo Dei.*

Verbum Dei etiam comparatur sagittæ. — S. August. in Psal. 76. — S. Pasch. in Psal. 44. — Qua etiam armare se norunt teneræ virgunculæ. — Heb. 4. v. 12. — Hug. Card.

4. Enimvero quod S. Paulus prædictis verbis scripsit, diu ante in semetipso expertus fuerat. B. Laurentius Justinianus ingeniosum quoddam circa conversionem S. Pauli movet dubium; Quærit enim, cur increata Sapientia sanctum hunc Apostolum per divinam vocem suam, & non potius per aliud medium ad se converterit? Super illa namque verba: *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, &c.* ita scribit: *Non per milites, non armis, non verberibus stravit hunc incredulorum Ducem;* Ratio autem quam hac de re assignat, proposito nostro est accommodatissima, ait enim: *Ut soiret, quod Dei sermo est vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & Spiritus. Nempe si totus insurrexisset mundus, Pauli minime valuisset infirmitatem flectere, evertere sensum, intelligentiamque convincere, verum in cor illius tetigit verbum, emollivit mentem ejus, sedavit furorem, placavit crudelitatem, mutavit propositum, naturam reformavit, docuit rationem, lumine circumvenit, atque sapientiæ totum nectare saginavit.* Porro totus mundus Deo rebellis erat, siquidem in falsis idolorum simulachris dæmones adorabat; Ac proinde quemadmodum bellatores in virtute gladij rebelles semper debellarunt populos, eosque sibi reddiderunt obedientes & tributarios, ita quoque *Deus exercituum* ut omnes totius universi populos & nationes novæ legi suæ subjiceret, viles & idiotas piscatores hoc Evangelicæ prædicationis ense armare voluit, ut in virtute illius totum sibi mundum subjugarent.

Quare Christus S. Paulum per divinam vocem suam convertere noluerit, & non per alium. — Act. 9. v. 1. — B. Laur. Just. ser. in Epiph.

5. In Psalmo 44. Ecclesia militans à Spiritu sancto his verbis incitatur: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime;* Et paulo post dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Ubi S. Augustinus S. Remigius, S. Thomas, & Chrysostomus tam per gladium, quam per sagittam verbum Dei intelligunt, quod omnes populos Christi obedientiæ subjecit. Hugo à S. Victore ab Hugone Cardinali citatus, super prædicta verba ad Hebræos ita scribit: *Sermo vivus in præceptis, efficax in promissis, penetrabilis in judicijs.* Isaias, qui per Antonomasiam Propheta appellatur evangelicus, eo quod evangelicæ legis eventus præ cæteris clarius prædixerit, hic inquam cap. 49. in persona Joannis Bapt. qui Evangelij Prodromus, atque in prædicatione sua efficax, & potentissimus futurus erat, inquit: *Posuit os meum quasi gladium acutum,... posuit me sicut sagittam.* Et vero hi qui prædictum Baptistam & Christi præcursorem in deserta conveniebant, adeo impij & scelerati erant, ut præcursore illos *progenies viperarum* appellare non dubitarit; Cum tamen militibus prædicaret, de quibus Poëta canit: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur;* Ac proinde ut hi vitiorum, scelerum, & impietatis nodi rescinderentur, gladio acutissimo opus erat. Citat Hugo Cardinalis illa Zachariæ verba; *Ponam te quasi gladium fortium,*

Psal. 44. v. 4. — Gladius & sagitta verbi Dei obedientiæ Christi subjecit omnes populos. — Hug. à S. Vict. — Isa. 49. v. 2. — Matth. 3. v. 7. — Zach. 9. 13.

tium, additque: *Ut scilicet fortia, & dura corda penetres.* Idem Hugo super illa verba Apostoli: *Gladio ancipiti*, ita scribit: *Dicitur anceps, quia ex utraque parte, vitia scilicet carnalia, & spiritualia arguendo resecat.*

Hug. Card. — Heb. 4. v. 12.

6. In Apocalypsi quædam legitur visio, in cujus serie inter cætera dicitur: *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus.* Circa quæ verba Ansbertus inquit: *Quid hoc loco per gladium utraque parte acutum accipimus, nisi prædicationem veteris, & novi Testamenti? Quod enim gladius prædicationem sanctam designet, testatur Paulus dicens: Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei; Qui bene utraque parte acutus esse dicitur, quia videlicet hinc culpas operis, illinc resecat illicitas cogitationes. Vel certe ideo bis acutus vocatur, quia hinc electos dum percutit, à terrenis voluptatibus abscindens, in novæ vitæ conversatione vivificat. Hoc gladio jugulantur hi, qui ob amorem patriæ cælestis, parentes, ac carnales propinquos deserunt, Domino attestante, qui ait: Non veni pacem mittere; sed gladium; Veni enim separare &c.* De hoc gladio Sanctus Augustinus quoque hunc S. Matthæi textum intelligit, inquiens: *Filius vult servire Deo, Pater non vult, venit gladius, venit sermo Dei, & separat filium à Patre.* Sanctus Bernardus in sermone *de multiplici utilitate verbi Dei* inquit: *Si consistant adversum te castra, arripe gladium Spiritus, quod est verbum Dei, & in eo facile triumphabis.*

Apoc. 1. v. 16. — Ansbert. lib. 1. ibid. — Quare Gladius verbi Dei dicatur bis acutus. — Matth. 10. 34 — S. August. in Ps. 149. — Bernardin. de multipl. util. verb. Dei.

7. Assimilatur quoque verbum Dei sagittæ. Unde glossa verba illa S. Elisæi Prophetæ: *Affer arcum, & sagittam*, in sensu morali exponens, per arcum prædicationem, per sagittam vero verbum Dei intelligit dicens: *Arcus sacrum eloquium est, sagittæ sunt verba, quæ Doctores proferunt.* Porro Eliseus Propheta fenestram aperiri, atque ex ea sagittas evibrari jussit, quia *lumine scientiæ suos hortatur primum illustrari, & sic jacula verborum mittere. Sagitta prædicatio sancta, certissima est interfectio spiritualium hostium, si perseveranter agitur.* Psalmista ait: *Arcum suum tetendit, & paravit illum;* Ubi per arcum S. Hieronymus sacram Scripturam interpretatur, è qua sagittæ animas amoris divini vulnere ferientes evibrantur, dicente Sancto Augustino: *Verba Dei tamquam sagittæ excitant amorem,*

4. Reg. 13. v. 15. — Gloss. ibid. — Per arcum intelligitur prædicatio, per sagittam, verbum Dei. — S. Aug. Ps. 7. v. 13.

8. *Gladium Spiritus.* Sanctus Bernardinus in sermone quodam *de desiderabili veritate* art. 1. cap. 3. ita scribit: *Dicitur veritas verbi Dei gladius Spiritus, quia tale verbum Spiritus Sanctus fabricavit 2. Reg. 23. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Id quod perfecte consonat cum interpretatione Carthusiani dicentis: *Gladium Spiritus, id est à Spiritu sancto datum Spiritui vestro, quod est verbum Dei, id est sermo sacræ Scripturæ, qui penetrat intima animæ, & vitia resecat, atque à mundo animam dividit, sicut materialis gladius penetrat corpus.* Sanctus Bernardus in eodem sermone in hæc verba monet: *Quod si forte (ut est certaminis consuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum, & sanabit te, ut experimento discas, quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritus oris ejus omnis virtus eorum.* Bellovacensis inter alios prædicationis Evangelicæ effectus, hunc quoque recenset: *Armat ut gladius, Hebr. 4. Penetrabilior omni gladio ancipiti. Ephes. 6. Gladium Spiritus quod est verbum Dei. Psalm. Gladius in labijs eorum, quoniam quis audivit?*

Spiritus S. fabricavit gladium verbi Dei. — S. Bern. 1. 3. — 2. Reg. 23. 2. — Dion. Carth. Ephes. 6. 17. — S. Bern. ibid. — Bellovac. spec. Mor. lib. 3. p. 1. dist. 10. — Heb. 4. 12. — Ephes. 6. 17. — Psal. 58. 8.

9. *Gladium Spiritus.* Ad profligandum profanum illum cultum, quem major pars hominum inordinatorum appetituum suorum idolis exhibet, hunc gladium apprehendere oportet. Unde Sanctus Gregorius ait: *Audiant quod Moyses, cum irascentem Deum populo cerneret, & assumi ad ulciscendum gladium juberet, illos à parte Dei denunciavit existere, qui delinquentium scelera incunctanter ferirent, dicens: Si quis Domini est, jungatur mihi, ponat vir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum. Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre, ut cum sancta quis studet dicere, curet necesse est illicitas suggestiones domare.*

Accingi debemus gladio verbi Dei ad domandos inordinatos appetitus. — S. Greg. 3. p. post admon. 26.

10. *Gladium Spiritus. Nota quod multæ sunt proprietates gladij*, inquit Hugo Cardinalis, *propter quas per eum intelligitur prædicatio. Gladius non nocet tenenti, si recte teneatur, sed juvat contra hostem; Similiter prædicatio, si manu operationis teneatur, juvat contra mundum, carnem, diabolum, sed qui tenet gladium in ore suo, gladio se perfodit.* Damnum, quod Prædicatio Evangelij multis sæpe conciliat, in hoc potissimum consistit, quod illam non nisi in ore suo circumferant, eamdem vero per bona opera numquam exequantur, suntque proinde similes Pharisæis, & Scribis, de quibus verbum incarnatum ait: *Dicunt, & non faciunt.* Hi qui Jerosolymam reædificarunt, una manu gladium tenebant, alia vero trullam, quæ instrumentum est cæmentarium, tractabant; *Omnia* autem *in figura contingebant illis.* Didacus Stella exinde in favorem nostrum sequens elicit egregium documentum: *Illi qui ædificabant Jerusalem, una manu tenebant gladium, altera vero operabantur; Paulus Apostolus verbum Dei comparat gladio, cum dicit: Vivus est sermo Dei &c. Sic Prædicatores in altera manu debent habere verbum Dei, altera vero operari.* Psalmista ait: *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Ubi observanda est hæc laudum, exultationum, & discursuum de Deo, in faucibus existentium, nec non gladiorum ancipitum manibus vibratorum unio & conjunctio. Hujus porro conjunctionis mysterium in hoc consistit, quod scilicet per hoc erudiamur, quod tunc daturi simus per linguam condecentes Deo laudes, facturique simus divinum verbum in animabus fructuosum, si gladium hunc manibus nostris tractaverimus, id est, si verba factis congruis conjunxerimus. *Gladius micat, & splendet*, inquit Hugo, per quod insinuatur, Prædicatoribus verbum Dei insinuantibus necessariam esse boni exempli lucem, utpote sine qua nihil efficient; Unde Christus ministris Evangelicis ad mundum convertendum destinatis dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Apud Ezechiel dicitur: *Mucro, mucro evagina te ad occidendum, limate ut interficias, & fulgeas;* Quisquis enim per hunc gladium peccata populorum profligare nititur, hujus ensis ut limatus, & splendidus sit, necessum est, id est huic necessaria est lux boni exempli.

Applicantur variæ proprietates gladij verbo Dei. — Hug. Card. Isa. 49. — Tenentem non lædit. — Prædicatores verbo Dei conjungere debent bona opera & præclara exempla. — Matth. 23. v. 3. — Did. Stell. in Luc. 10. — Psal. 149. 6. — Hugo. Card. — Matth. 5. v. 16. — Ezech. 21. v. 28.

11. *Gladium Spiritus. Gladius habet vaginam* inquit Hugo Cardinalis *à qua extrahitur, & in qua servatur; Sic prædicatio debet habere vaginam, cor scilicet prædicatoris, à quo non semper debet extrahi, ne ex nimietate vilescat, nec semper debet esse in vagina, ne omnino veritas ignota permaneat, Eccle. 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi;* Et in proverbiis pariter habetur: *Sermo opportunus est optimus;* Sicut igitur gladius tempore & loco debito evaginatur, ita quoque in tempore & occasione opportuna annuncianda est prædicatio.

Hug. Card. — Gladius habet vaginam in qua servatur, & ex qua educitur. — Eccle. 3. 7. — Prov. 15. 23.

12. *Gladium Spiritus. In Gladio sculpitur litera; Similiter prædicatio debet esse literata* (verba sunt ejusdem Cardinalis) *ut sit sine errore, non enim idiota debet esse prædicator, sed eruditus in sacro eloquio; Unde Hieronymus ait: Non credas mihi, nisi ea quæ per novum, & vetus testamentum tibi probavero.*

Hug. Card. — Gladio insculpuntur literæ.

13. *Gladium Spiritus. In gladio sculpitur crux*, inquit idem Hugo Cardinalis, *similiter in prædicatione non debet crux Domini prætermitti, ut homines ad dolorem moveantur, & ad compassionem Crucifixi. Littera est in ense, quando prædicator docet quid credendum, manus, quando docet quid agendum; Crux, quando docet quid patiendum.*

Hug. Card. ibid. — Et Crux.

14. *Gladium Spiritus. Gladius flectitur*, inquit Hugo Cardinalis, *Præterea licet flexibilis sit, nihilominus efficax est contra ferrum, & secat; Sic prædicatio flecti debet ad pœnitentes; Ezech. 18. Nolo mortem morientis, sed ut magis convertatur, & vivat.*

Gladius est flexibilis. — Hug. Card. — Ezech. 18. 32.

15. *Gladium Spiritus. Homo accingit se ense suo*, inquit Hugo, *similiter prædicator prædicatione sua debet accingi, & restringi, ut faciat quod dicit. Psalm. 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; Sic faciebat Paulus, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Ideo prædicator comparatur gallo, quia gallus ante se percutit alis, quam sonum emittat. Job. 38. Quis dedit gallo intelligentiam? Ubi Gregor. Omne quod locuturi sunt prædicatores, operibus præclament &c.*

Hugo Card. — Quilibet accingitur gladio suo. — Psal. 44. 4. — 1. Cor. 9. 27. — Job. 38. 36.

16. *Gladium Spiritus.* Sanctus & Seraphicus Doctor Bonaventura ait: *Gladius tunc est bonus, non cui aureus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies, & mucro,*

S. Bonav. in Joan. — Gladius debet esse acutus ut sit bonus.

Debet esse extra vaginam ut feriat.

mucro, id est acumen munitum omne rupturum; Scilicet quod obviat, ait Seneca; Talis debet esse prædicatio divini verbi, vera, & apta ad exscindenda peccata. Gladius ferire nequit, nisi sit nudus, nam intra vaginam constitutus quantumvis sit pretiosus & acutus, non scindet, nec vulnerabit; Ita verbum Dei ut impiorum corda vulneret, nudum esse debet, id est sine figurarum Rhetoricarum ornamento, aut vanæ eloquentiæ floribus debet pronunciari. Neque tandem hoc loco prætereunda est pulchra S. Antonini sequens reflectio; Ait enim: *Angelus qui apparuit cum gladio evaginato, & terruit asinam, cui insidebat Balaam, ne ulterius procederet, significat prædicatorem, qui verbo Dei, quod est gladius Spiritus, comminando scilicet divinam sententiam subditis, qui à Prælatis præceptis & minis inducuntur ad malum, occurrit declarando, ne obediant in malis.*

S. Antonin. p. 3. tit. 18. c. 3. §. 1.

DISCURSUS XII.
ARGUMENTUM.

De odio, quo dæmon verbum Dei prosequitur, utpote armaturam qua ipse vulneratur, nos vero defendimur, à cujus proinde auscultatione nos avocare continuo satagit.

THEMA.

Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Luc. 8. ℣. 12.

Diabolus omnibus modis conatur nos impedire ne audiamus & custodiamus verbum Dei.

1. IMplacabilis æternæ salutis nostræ inimicus dæmon, probe sciens, verbum Dei præcipuum esse salutis nostræ subsidium, & instrumentum (dicente S. Jacobo: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*) omnem movet lapidem, ut nos à verbo Dei audiendo, vel custodiendo, & exequendo impediat: *Venit diabolus &c.* Apud S. Lucam c. 8. cælestis agricola illam omnibus notam de seminatore proposuit parabolam, in qua una pars dispersi seminis, secus viam jactata à volucribus devorata fuisse dicitur: *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud;* Cælestis autem Magister parabolam prædictam exponens, per semen verbum Dei, per volucres autem rapaces Spiritus rebelles intelligendos esse dixit, hi enim *ideo volucres cæli dicantur*, ut Glossa exponit, *quia cælestis & spiritualis sunt naturæ, vel quia per aëra discurrunt.* Præcipuum vero mysterium in hac parabola symbolizatum declarans inquit: *Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* At vero dices fortasse, quemnam ex hoc semine devorato (quod cæteroquin semen vitæ æternæ esse poterat, dicente S. Petro: *Verba vitæ æternæ habes*) Diabolus fructum percipit? Nullum profecto alium per hoc sibi acquirere contendit, præterquam sempiternam nostram perditionem: *Ne credentes salvi fiant;* Etenim ut habet famosus ille Medicorum Aphorismus: *Corruptio optimi pessima;* Et ideo sicut serpens omnem cibum quantumvis delicatum, & substantiosum in venenum transmutat, ita dæmon hoc animabus nostris tam salutare semen, magno cum damno nostro in toxicum convertit, *ne credentes salvi fiant.* Antiquus hic serpens genus humanum in primis nostris parentibus intoxicavit, eosdem à voce & verbo Dei distorquendo, & ut illi increduli & contumaces essent, instigando. Atque hinc est quod Christus die quadam incredulis Judæis, quam à divina voce habebant aversionem illis exprobrando dixerit: *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum: Vos ex Patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: Ille homicida erat ab initio.* Ubi advertendum est, Salvatorem non solum dicere: *Tollit verbum*, sed insuper addere: *De corde eorum, non de auribus*, scit enim ut plurimum multis contingere, quod prædicatio auditum non pertranseat, atque in paucis ad cor usque penetret: His autem, qui verbum Dei intra penetralia mentis suæ recipiunt, illudque ruminant, cum ad faciendum inde fructum optime sint dispositi, quantum valet, & novit, sese opponit: Nam ut Lucas Burgensis ait: *Metus diaboli est, ne si sinatur diutius verbum Dei duro cordi superjacere, tandem suo pondere perfringat duritiam, illoque intra cor suscepto salvi fiant ad pœnitentiam.*

Jac. 1. v. 21. — Luc. 8. v. 5. — Gloss. Ibid. — Luc. 8. 12. — Joan. 6. v. 69. — Ibid. v. 70. — Joan. 8. 44. — Luc. Burg. Ibid.

2. In primo libro Regum legitur, quod cum Philisthæi adversus populum Israël dimicaturi essent, omni conatu ad hoc contenderint, ne in universa Judæa reperiretur vel unicus, qui gladios, aliaque similia arma bellica fabricare posset. Quam historiam Dionysius Carthusianus ad nostrum propositum hisce verbis adaptat: *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël, caverant enim Philisthijm, ne forte facerent Hebræi gladium. Per fabros istos intelliguntur Prædicatores, qui spiritualia arma fidelibus præparant, & gladium spiritus quod est verbum Dei, & lanceam militarem, videlicet charitatis fervorem, seu discretionis acumen omnia penetrantem, & adversariorum interiora pungentem; Cavent autem Philistiim, id est dæmones, & omnes fidei inimici machinantur, & student tales fabros auferre Ecclesiæ, sicut jam (prô dolor) pro maxima parte ei ablati sunt, in tantum quod fideles quam plures ad Philisthiim pergunt, ut sua acuant ferramenta, quia vera & spirituali sapientia derelicta, ad philosophica documenta, ad prudentiam sæculi, imo ad mundanas versutias se convertunt, atque in talibus suam acuant mentem.* Diu vero ante Carthusianum Sanctus Eucherius in hæc verba scripserat: *Arma quibus contra diabolum repugnantes, libertatem à Domino nobis donatam defendimus, quid sunt alia, nisi eloquia scripturarum, in quibus, & ipsius Domini, & sanctorum ejus exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus? Sed Philistæi filios Israël fabris armorum privant, cum malignos spiritus animos fidelium à meditatione sacræ lectionis, sæcularia illis negotia inserendo retardant, ne vel ipsi per hujus exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte, qui legere nesciunt, ad resistendum vitijs, exhortando, aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui sacra eloquia norunt, in tantis sceleribus obruunt, ut dicere bona quæ didicerant, prorsus erubescant.*

1. Reg. 13. v. 19. — Prædicatores sunt fabri armorum spiritualium, quos diabolus nobis auferre conatur. — Dion. Cart. ibid. — S. Eucher.

3. Jeroboam metuens, ne populus Israël, qui ei subjectus erat, Jerosolymam ad templum se reciperet, sub obedientiam Regis Juda se postliminio transferret: duos fudit vitulos aureos, eosque publice adorandos proposuit, unum in Bethel, in Dan vero alterum. Eodem modo dicere possumus, quod dæmon fructum videns, quem populus Christianus ex verbo Dei percipit, omnibus modis ab illo nos divertere satagat, erigendo idola, quibus cultum latrenticum exhibeamus. Sæpe enim dum fideles verbum Dei audiunt, phantasijs ipsorum objecta inprimit lubrica & lasciva, ut mentem eorum per concupiscentiam, & suggestiones obscœnas contaminet, & fructus percipiendi incapaces efficiat. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Hoc Dei verbum de cordibus audientium suis tentationibus abstulerunt, ad quod spiritualiter pertinet illud Oseæ: Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit.* Salmeron optime considerat, adversarium nostrum diabolum omnibus modis satagere, ut quando verbum Dei prædicatur, somnum nimis insuperabilem conciliet, vel canum latratus, aut ploratus puerorum, vel alios similes strepitus excitet; *Solet* quoque *tunc curas domesticas menti objicere, lites, & similia quæ possunt impedire attentionem.*

In prædicatione dæmon nos impedire conatur alijs phantasijs & curis ne attenti simus. — Dion. Carth. in Luc. — Oseæ. 7. v. 9. — Salmer. Tom. 7. tract. 4.

4. Amonitæ eo tempore, quo filios suos igne conflagrandos in sacrificium idolo Moloch offerebant, eosdem intra brachia simulachri illius igne candentia reponendo, ne parentes, qui præsentes erant, ad horrorem & compassionem erga innocentes filios suos commoverentur, tubarum clangore ac tympanorum strepitu, aliisque sonoris cantibus aëra implere solebant, ne vagitus puerorum audiri possent. Eodem prorsus stratagemate dæmon nobiscum utitur, dum verbum Dei audimus, ne enim hoc in animabus nostris radices agere, & fructum producere possit, omnis generis obstacula, & impedimenta sibi possibilia injicere satagit, *ut tollat verbum de corde nostro, ne credentes salvi simus.* Tempore enim illo, quo sermonem auscultamus, magis quam alias causare solet, ut in memoriam revocentur voluptates præteritæ, multa nobis ob oculos statuendo objecta, ad hoc extimulantia, nosque hac ratione oblivisci facit omnium eorum, quæ in tali sermone auscultavimus. Audiamus hac de re S. Bernardinum celeberrimum sui sæculi prædicatorem in hæc verba scribentem: *Quandoque procedit à diabolo perversissima oblivio, quia diabolus possidet illam animam, & facit oblivisci & Dei, & sui ipsius, unde in talibus volucres cæli comedunt seminatum, id est, vagæ & instabiles*

Confirmatur figura veteris testamenti. — S. Bernard. Tom 4 ser. 5. in 1. Dom. quadr. p. 2. princip.

instabiles tentationes diaboli. Sæpe etiam efficit, ut sub sermone unus amicus alteri de rebus profanis confabuletur, vel eloquentiæ & talento prædicatoris applaudendo, totum prædicationis continuatæ tempus infructuose transigatur. S. Paulo prædicante accidit, quod Eutyches puer ex sublimiori loco decidens fuerit mortuus, unde totum commotum fuit auditorium, & totus fructus prædicationis evanuit, id quod D. Chrysostomus astuti serpentis opera factum fuisse existimat, ut hac ratione multarum animarum in peccato mortuarum, quæ prædicationis illius subsidio, in gratiam redire potuissent, impediretur resuscitatio, id quod ex eo quod statim dicturi sumus, clarius probabitur.

Act. Apost. 20. v. 9.

Et historijs novi testamenti.

5. Dum enim ipsemet Salvator noster actualiter prædicaret, supervenit non nemo qui matrem & fratres ejus, ipsius alloquium præstolari, ei insinuaret. Sed audiatis velim, quo epiteto author operis imperfecti temerarium hunc nuncium describat: *Venit aliquis*, inquit, *quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur dicens: Ecce mater tua.* Celebris pariter est historia in Actis Apostolicis descripta, ubi refertur, quod quando Sergius Paulus avidum se exhibebat prædicationem S. Pauli auscultandi, dæmon fructum prævidens, qui inde nasci poterat, quemdam ex maleficis suis adversus illum obarmavit; Ait enim sacer textus: *Resistebat autem illis Elymas Magnus &c.* sed audiatis velim quibus verbis S. Paulus eumdem perstrinxerit: *Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, Dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.*

Matth. 12. v. 46. — Auct. Imperf. Hom. 30. — Act. Apost. 13. v. 8. — Ibid. v. 9. — Ibid. v. 10.

6. S. Bonaventura ait: *Qui sunt ex patre diaboli, audiunt verba sua, & detestantur audire verba Dei quia odiunt veritatem.* Hugo Cardinalis glossando dictum illud sapientis: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide*, sequens Prædicatori, suggerit consilium: *Te prius ædifices, postea alios, nec sint alieni participes tui, id est, dæmones:* Unde glossa ait: *Immundi Spiritus participes fiunt Doctoris, si ejus mentem vel elatione dum prædicat, vel hæresi, vel quolibet alio vitio corrumpat.* Enimvero cum id à S. Ludovico Bertrando obtinere non potuisset, sola sua usus est violentia, siquidem ut in historiis Provinciæ Aragoniæ ordinis Prædicatorum lib. 2. cap. 79. refertur, cum sanctus vir Dei sua prædicatione Maurum quemdam convertisset, observasset autem, eumdem, non sicut ante solitus erat, concionibus suis continuo assistere, eumdem causam interrogarit absentiæ, qui ei respondit, dæmonem, & sibi, & conjugi, nec non filiis suis mortem comminatum fuisse, si denuo ad Conciones S. Ludovici auscultandas redire præsumeret. Merito igitur Glossa super præcitatam Regum historiam in hæc verba scribit: *Hujusmodi fabri sunt prædicatores, qui contra dæmonum insultus fideles armant suis exhortationibus, propter quod illi, qui eos impediunt in tam bono actu, ministri sunt dæmonum.* Paulus de Palatio aliam notabilem tangit causam, cur dæmon homini nauseam verbi divini, & contemptum illius ingerere studeat. Nam super illa parabolæ verba: *Volucres cæli comederunt illud*, ita scribit: *Comedere dicitur, quia in pectore suo servat, quoties verbum contempsimus, ut in die judicij acrius accuset.*

S. Bonav. — Joan. 8. 44. — Prov. 5. v. 16. — Hug. Card. — Et notabili historia. — Gloss. Ord. Ibid. — Luc. 8. v. 5. — Paul. de Palat. in c. 13. Matth.

Audientia verbi Dei detegit nobis astutias diaboli.

7. Rabies, qua dæmon adversus prædicationem verbi Dei agitatur, inde præcipue originem suam trahit, quia videt quod per illam technæ & fraudes ipsius omnibus detegantur. Consideravit idipsum Sanctus Bernardinus, dum ait: *Si virgo, vel nupta audit verbum Dei, addiscet prudentiam serpentis, & puritatem columbæ, & fraudes hominum, & sciet suam pudicitiam, & virginitatem custodire; Quia non audis verbum Dei, non cognoscis astutias diaboli, & non cognoscendo pericula nescis vitare. Psalmista ait: Si populus meus audisset me, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, ita quod verbum Dei facit te ita expertum, ut scias te defendere, quia sicut leo fugit ignem, sic diabolus, qui est tamquam leo rugiens, fugit ignitum verbum Dei.* Lyranus ex historia illa, quæ in libro 4. Regum cap. 6. describitur, de Elisæo insidias Regis Syriæ detegente, sequentem eruit moralitatem; Etenim per Regem Syriæ, dæmon intelligitur, qui fidelibus continuo insidias struit; Per Prophetam vero prædicator evangelicus interpretatur. En verba Lyrani: *Per hoc autem quod Rex Syriæ turbatus est contra Elisæum, & quæsivit illum rapere, significatur quod diabolus irascitur contra prædicatorem veritatis;* Adducitque exemplum Sancti Antonij de Padua, qui in præsentissimo fuit periculo, ne à dæmone suffocaretur, eo quod sustinere non poterat fructum, quem S. Antonius per prædicationem suam pariebat; At vero B. V. Maria defendit illum.

4. Reg. 6. 8. — Lyran.

Verbum Dei cum omni applicatione mentis audiendum.

8. Verum enimvero audiatis velim, quam serio D. Chrysostomus nobis inculcet, ut cum omni applicatione mentis divinum verbum auscultemus, & memoriæ commendemus, ne evanescat, imo domi ad invicem de auditis conferamus, ait enim: *Rogamus charitatem vestram, ut dictorum sitis memores, & semper horum memoria vobis insonet, & una cum sensibili mensa, cum hinc abieritis, apponat unusquisque & spiritualem mensam, & dicat vir aliqua eorum, quæ nunc hic sunt dicta; Audiat autem mulier, discant pueri, discant & familiares, fietque domus Ecclesia.* Sed audietis quemnam inde fructum percipiendum illis, *ut effugetur diabolus, in fugam vertatur ille malus dæmon, & inimicus salutis nostræ. Leviathan toties inciditur*, inquit S. Gregorius, *quoties divini verbi gladio sua ab illo membra separantur.* Hugo Cardinalis ad gladij similitudinem se reflectens inquit: *Gladius terret hostes, sic prædicatio dæmones; Unde Judic. 7. clamaverunt: Gladius Domini, & Gedeonis, stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes ululantesque fugerunt.* Incidit mihi hoc loco opportune quod alias legisse me memini, scilicet quod dæmon aliquando interrogatus, quænam anima, ex omnibus quæ in paradiso sunt, infestior ejus esset inimica, responderit animam S. Mariæ Magdalenæ, hujusque hanc rationem assignavit, quia cum ipsa ad concionem audiendam eo fine contendisset, ut alios ad lasciviam perverteret, ipsamet conversa fuit, suaque conversione omnibus peccatoribus spem ingessit, quod si eamdem ingrediantur viam, ejusque exemplo divinum verbum audierint, reducendi sint pariter ad pœnitentiam.

D. Chrysost. Hom. 2. in Gen. — S. Greg. lib. 33. mor. c. 16. — Hug. Card. in Isa. 49. — Judic. 7. 20. — Pulchra historia de S. Maria Magdalena.

Verbum Dei continet arma validissima contra pervicaciam inimici nostri.

9. Porro ad retundendam hujus inimici nostri pervicaciam, & ut ab ejus insultibus defendamur, nulla habemus in militantis Ecclesiæ armamentario arma & offensiva, & defensiva meliora, seu validiora quam sit verbum Dei. S. Gregorius super illum Jobi textum scribens: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*, sequentem exinde deducit moralitatem: *Toties ex iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando eripuit; Quis namque iniquus verius dici potest, quam diabolus? Cujus molas conterimus, quoties disserendo contra ejus insidias occulta illius machinamenta monstramus, ac sic de ejus dentibus prædam tollimus, quia mentem quam jam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitæ convertendo revocamus.* Albertus Magnus de fructibus prædicationis discurrens ait: *Verberat ad cordis contritionem præcipue sermo divinus. Iste est malleus, quo Jahel perforavit tempus Sisaræ, Jud. 4. Jahel enim ascensio Dei interpretatur, & significat eam, quæ altius præ cæteris in verbo Dei ascendit, & diaboli caput perforavit.* Origenes in homilia quadam in hæc verba scribit: *Jaculis suis sagittavit inimicum; Jacula ejus verba ejus sunt, quibus vel diabolum vicit, vel omnes inimicos, & contradicentes sibi etiam nunc superat, & confringit.*

Job. 29. v. 17. — S. Gregor. l. 19. mor. c. 15. — Alb. Mag. in Luc. 10. — Orig. Hom. 17. in Num.

10. In sacris Canticis dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortibus Israël, omnes tenentes gladios.* Porro quinam illi sint, qui pro mystici hujus lectuli gladios tenent, Philo Carpathius hisce verbis exponit: *Lectulum sive cubiculum Salomonis, Ecclesiæ comparat filij Dei &c. Gladium habere dicuntur, bellum edocti ac pugnam, hoc est lege & divinis præceptis instructi (vivus est enim sermo Dei, & efficax, & omni gladio ancipiti acutior) non quidem contra homines, sed adversus spiritus nequitiæ debellandos edocti.* Idem quoque author ulterius prosequitur, declarando verba illa: *Omnes tenentes gladium;* Ait enim: *Quicumque verbum Dei corde & opere complent, ij sapientissimi, atque fortissimi pugnatores, hostem suum diabolicum, calumniatorem nequissimum humani generis prosternunt. Gladius significat Dei verbum, quo carnis opera, & terrenæ cupiditates omnes præciduntur.* Et vero quod verbum Dei armatura defensiva sit, varijs modis probatur. Enim S. Bernardinus ait: *Postquam divinum verbum peccatorem converterit, & vendica-*

Cant. 3. v. 7. — Quinam sint fortissimi pugnatores Ecclesiæ. — Philo Carpath. — S. Bernard. Tom. 2. ser. quart. 3. c. 2.

vendicaverit sibi, tripliciter defensat eum ab impugnationibus dæmonis, carnis, mundi. Adducitque illud sapientis testimonium dicentis: *Sermo Dei ignitus clypeus; In quo clypeo secundum Apostolum ad Ephes. 6. extinguuntur omnia tela nequissimi hostis. Tela enim nequissimi diaboli, sunt omnes modi, quibus nos tentat; Unde Psalm. ait: Scuto circumdabit te veritas ejus, scilicet verbi ejus, Non timebis à timore nocturno, à sagitta &c. ibi enim exprimuntur septem modi, id est septem tela, quibus dæmones nos impugnant, qui omnes extinguuntur per verbum Dei.* Sanctus Hieronymus in Epitaphio Sanctæ Paulæ modum refert, quo sancta hæc mulier adversus dæmonis jacula armare se solebat, variasque commemorat Sacræ Scripturæ sententias, quibuscum omnes à se repellebat tentationes. Albertus Magnus exponens textum illum S. Nahum. *Clypeus fortium &c.* ait: *Describit hic terrorem invadentis hostis, & dicit tria, scilicet terrorem hostis, multitudinem, & velocitatem. Clypeus fortium, Babyloniorum scilicet, est, ignitus; Ignitum vocat, quia propter peltas aureas circumpositas, sole insuper insidente, ignem Clypeus videtur emittere; 1. Machabæor. 6. Refulsit sol in clypeos &c. nihilominus tamen fortium clypeus Christi verbum Dei est.* Osex 8. *In gutture tuo sit tuba; Tuba, hoc est, sonora prædicatio; Isai 58. Clama &c. quasi tuba &c.* Per tubam bellum inducitur, nostres terrentur, ipsique milites ad defensionem animantur.

11. Rupertus Abbas textum illum Prophetæ Nahum: *Clypeus fortium ejus ignitus &c.* in favorem nostrum hunc in modum exponit: *Horum fortium clypeus verbum est Dei; Verbum enim Dei, clypeus utique est ignitus, quia scriptum est: Ignitum eloquium tuum vehementer; Itemque ad Salomonem dictum est: Omnis sermo Dei clypeus ignitus est. Contra quos ignitus est iste clypeus, nisi contra draconem, & angelos ejus?* Origenes in hac materia ingeniosam adducit similitudinem inquiens: *Si quas vestrum aliquando perfpexit præcantationibus sapientem nocere venenis, utpote incantationis virtute torpentibus, ita etiam lectionis divinæ virtute, si quis intra nos est contrariæ potestatis serpens, si quis ad insidiandum coluber latet, si non tædio fatigatus avertas auditum, scripturæ carminibus, & divini sermonis assiduitate depellitur.* S. Thomas Doctor Angelicus in opusculo quodam ait: *Verbum Dei scutum animæ fidelis ad protegendum, & jaculum acutum contra inimicum. Multæ fraudes antiqui hostis, multæ vanæ immissiones ejus contra devotos, simplices, & humiles; Sed Christus Dei virtus, & sapientia, omnibus potentior est in cælo, & in terra, qui uno solo verbo potest Satanam vincere.* Cælestis Magister noster in tribus illis, quos à dæmone sustinuit, insultibus, suo nos exemplo docuit, qualiter tenebrarum Principem per verbum Dei profligare, & confundere debeamus. Glossa mysterium exponens quinque lapidum, quibus David contra Goliath fundam suam armavit, ita scribit: *David Goliath tribus lapidibus de torrente prostravit, & Christus diabolum tribus testimonijs de lege.* Cornelius Jansenius sequens nobis tradit documentum, scilicet: *Nulla contra diabolum efficaciora arma esse, quam scripturarum meditationem, & verbum Dei, quod est gladius spiritus, omnes facile repellant suggestiones diaboli.*

12. In vita S. Antonij de Padua refert Surius, quod dum prædicante hoc servo Dei, nobilis quædam matrona compungeretur in corde, ingentemque spiritus conciperet fervorem, dæmon ut hunc verbi Dei effectum in ipsa impediret speciem Cursoris cujusdam assumpsit, cique filium ejus ab inimicis in servitutem abductum, & occisum esse annunciavit. Sanctus autem vir Dei fraude dæmonis conspecta in præsentia totius populi matronam his verbis affabatur: *Ne timeas domina, filius tuus & vivit, & recte valet, cursor autem iste diabolus est, ad quas voces instar fumi cursor evanuit.*

Prov. 30. 5.
Eph. 6. v. 16.
Ps. 90. v. 5.
S. Hieron. in epitaph. S. Paul.
Nahum 2. 3. Albert. Mag.
1. Mach. 6. 39
Osé. 8. 1.
Isa. 58. 1.
Nahum. 2. 3. Rup. Abb. lib. 2. ibid.
Verbum Dei est clypeus fortium ignitus.
Origen. Hom. 26. in Jos.
S. Thom. opusc. 8. c. 12. n. 1.
Eluc. ibid.
Corn. Jans. c. 15. conc. Evang.
Notabilis historia.
Sur. cap. 29. Vit. S. Ant. de Pad.

DISCURSUS XIII.
ARGUMENTUM.

De Pretiositate, dulcedine, & efficacia verbi Dei.

THEMA.

Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa. Psalm. 67. ℣. 12.

ACcurate ponderanda est illa à Psalmista insinuata notabilis circumstantia: *Virtute multa*; Sicut enim manna omnes in se habebat sapores, eodem modo verbum Dei omnia in se bona, omnes virtutes, cunctasque desiderabiles gratias virtualiter continet; Unde Regius Psaltes in alio Psalmo ait: *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, dulciora super mel & favum;* Id quod Angelicus Doctor sapientiæ, scientiæ, & doctrinæ sacræ adaptat, adducens illud Sapientis: *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Sanctus Bernardus, qui propter amabilissimam eloquentiam suam passim Doctor mellifluus appellabatur, in hæc verba scribit: *Verba Dei sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, charioria diligentibus Christum super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Sanctus Bernardinus textum illum Canticorum citans: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est,* subjungit: *Scilicet ex suavitate dulcoris, quam percepi, ut dilectus locutus est;* Unde Psalm. *Factum est cor meum sicut cera liquescens, scilicet ex auditione verbi Dei.* Idem Sanctus Bernardinus in principio ejusdem sermonis, super illa verba Isaiæ 55. *Quomodo descendit imber, & nix de cælo &c.* ita scribit: *Sicut imber in terram suaviter cadit, sic etiam verbum Dei suaviter illabitur menti nostræ. Etiam assimilatur nivi, propter sinceritatem, eo quod nullam habet nigredinem erroris.* Sanctus Gregorius in Homilia quadam super Ezechielem de suavitate divini verbi differens, quoad volumen Prophetæ ad manducandum exhibitum, cujus inter manducandum tantam expertus est suavitatem, ut diceret: *Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce,* ita scribit: *Liber qui viscera replevit, dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipse de omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur, quia ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit; Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam vomuerit.*

2. Bollandus in vita S. Brigidæ Virginis refert quod sequitur: *Cum convenirent in unum locum Sanctus Pater* (de S. Patritio loquitur) *& S. Brigida cum suis, Beatus Pontifex Patritius per tres dies, & noctes non cessavit prædicare verbum Dei populo, & nec sol occidit eis, sed omnes putabant esse unam horam.* Cumque forinsecus perturbarentur; Dixit illis S. Pontifex: *Per quadraginta dies, & noctes ita fuissemus, nisi aliquis indicasset nobis, & nullam lassitudinem, vel esuriem sensissemus.* In sacris Canticis dicitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam;* Quem textum S. Ambrosius pertractans de anima ita scribit: *Ingreditur in hortos, & inveniens illic sponsum sedentem, & discumbentem cum amicis, ait: Qui sedes in hortis, vocem tuam insinua mihi.* At vero cur non potius in amœno & fructifero deliciosoque horto constituta poma vel flores sibi dari petijt, sed tantum dixit: *Fac me audire vocem tuam?* Responsio est evidens; *Quam enim dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* B. Laurentius Justinianus de duobus discipulis in Emaus abeuntibus, & dicentibus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via* ita scribit: *Insecta tunc eorum corda percepere gaudia, quando enim amore dulci æterni patris secum loquebatur verbum, nonnulli cælestis nectaris rivi profluebant, per quos eorum animi ineffabiliter jucundabantur.* Jeremias, qui ad annunciandum populo Israël verbum suum electus fuit, inquit: *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.*

3. Virtuosus quidam nostri sæculi orator de eloquentiæ sacræ efficaciâ hunc in modum discurrit: Conducit sacra hæc facundia domandis animis, expugnandis affectibus, voluntati inclinandæ emolliendis cordibus, corrigendis sensibus, appetitibus frænandis, sedandis passionibus, provocandis suspirijs & lacrymis, odio & furori adversa propria peccata commovendo, vitæ malæ emendandæ, reprimendis cupiditatibus, Zelo ardenti in tepidis excitando, duritiei obstinatorum confringendæ, pœnitentiæ persuadendæ dissolutis, humilitati ambitiosis, avaris liberalitati, continentiæ lascivis, iracundis mansuetudini, sensualibus denique propriæ carnis castigationi. Destruit verbum Dei vires inimicj

Verbum Dei comparatur melli.
Ps. 18. 11.
S. Thom. Prov. 3. 15.
S. Bernard. in cant. Dom. ser. 10.
Cant. 5. 6. Ps. 21. v. 15.
Isai. 55. 10.
S. Bernard. Tom. 2. ser. 9. art. 2. c. 3.
Ezech. 3. v. 3.
S. Greg. Hom. 10. in Ezech lib. 1.
Bolland. 1. Febr. vit. S. Brig. Virg. fol. 164.
Mirabilis historia de efficaci dulcedine Verbi Dei.
Cant. 8. v. 13.
S. Ambros. lib. de bono mort. c. 5.
ibid.
Ps. 118. 103.
Luc. 24. 32.
B. Laur. Just. de triumph. Christi agone c. 25.
Jerem. 15. v. 16.
Recensentur multi salutares effectus verbi Dei.

micj tartarei, detegit technas illius, vigorem subministrat, & modum edocet eidem resistendi; Fastus, & pompæ mundanæ dissipat idola, hæresum errores disperdit, convincit, confutat, virtutes nutrit, ac demum uno verbo omnium bonorum unicum est centrum.

4. *Dominus dat verbum Evangelizantibus virtute multa.* Enimvero verbum Dei à Psalmista argento comparatum fuit, dum ait: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum;* At vero quibusnam in analogijs similitudo hæc consistit? Num forte in eo quod argentum metallum sit pretiosum, quod æruginem, veluti ferrum minime contrahit, neque ut alia inferioris sortis mineralia consumitur? Respondeo, tametsi hæc non incongrue verbo Dei adaptari possint, nihilominus, ni fallor, Psalmista regius, seu potius Spiritus Sanctus, per hanc similitudinem præcipuum quemdam verbi Dei effectum exprimere voluit, videlicet quod ausculatores illius inducat ad continentiam; Sunt enim *eloquia casta:* ad instar argenti, quod semper est candidum; Cæterum vero, ut alibi tetigimus, non sufficit Psalmistæ, quod verbum Dei argento comparaverit, nisi etiam idem auro, quod metallum est pretiosissimum, simile esse diceret, *desiderabilia super aurum,* imo insuper addit: *Et super lapidem pretiosum multum,* quia sicut gemma aliqua, quantumvis modica, pluris valere potest, quam mons aliquis argenteus, vel ingens auri cumulus, ita pariter unicum Dei verbum tanti est valoris & pretij, ut ipsimet regno cœlorum, ut ita dicam, præponderet. Enimvero quot sunt qui paradisum indubie lucrati fuissent, si verbum Dei, à ministro evangelico auscultatum, ad intima cordium ipsorum penetralia pertingere potuisset? In vita S. Philippi Nerij scribitur, quod die quadam vocato ad se pœnitenti cuidam suo, coram se genuflexo cui Franciscus Zazara nomen erat, qui adolescens existens, ut ditior fieret, ac sibi famam in urbe conciliaret, jurium civilium studiis operam dabat, in iisque se perficere satagebat, ut in curia Romana magnus evaderet, adblandiri vir Dei cœperit, dicendo: O te beatum! Nunc studijs incumbis, mox doctoratus lauream consequeris; Hinc factus jure Consultus vim argenti maximam comparabis, familiam opibus, ac splendore amplificabis, ac tandem quis deneget te ad maximos dignitatum gradus evolaturum? O te certe beatum! Tunc magnus factus me pusillum aspicere dedignaberis. Existimabat juvenis hæc serio à sancto viro proferri, cum ille protinus sibi ipsum pectori admovens, sic ejus auribus insusurrat. Et quid tandem? Alte animo vox hæc juvenis animo hæsit, ut domum reversus, id unum secum repeteret: Ego studeo ut in mundo promovear, & quid tandem? Quæ cum defixa cogitatione perpendisset, nec à mente sua verba illa deponere posset, statuit deinceps cælestibus dumtaxat divitijs, honoribusque comparandis incumbere, ac demum Philippo mortuo nostram Oratoris congregationem ingressus est, in qua maximæ integritatis Sacerdos, probis, magnisque viris apprime charus, & de congregatione optime meritus vixit; Qui cum sibi injunctam beati Patris inter sanctos referendi causam summo labore ac studio executus esset, atque à sacra rituum congregatione approbatum de illo officium ad libitum recitandum obtinuisset, tandem ab optimo parente suo, ut pie credi potest, ad meliorem vitam evocatus fuit.

5. Observandum porro est, Psalmistam non dicere: *Dominus dabit verba, sed dabit verbum* in numero singulari, quia unicum dumtaxat verbum, ad procurandum animæ alicujus salutem æternam, abunde sufficit. Qua de re referam aliquid, quod ante annos aliquot mihimetipsi accidit; Cum enim die quadam curialem quemdam infirmum invisferem, hic digredi cæpit ad extollendum laudibus præclarum illud nostrum institutum à S. Philippo fundatum, quoad quatuor sermones, qui quotidie successive in hac nostra Ecclesia à quolibet dicente per mediam horam, habentur; Ac proinde ut fructus, qui in eorumdem auscultatores redundant, tanto evidentiores efficeret, mihi narrare cœpit, sibi probe notum fuisse religiosum quemdam Franciscanum reformatum, qui magno cum spiritu in religione sua vivens, præcipuis ordinis sui muneribus perfunctus fuerat. Hic autem conversionis suæ seriem prædicto curiali hunc in modum enarravit. Cum essem in alma urbe Notarius, mihique pro stipulando instrumento quodam exeundum esset, solis ardores ingentes (quia æstas erat) fugere volens, per Ecclesiam S. Mariæ de Vallicella eo tempore, quo prædicti sermones habebantur, transiens, curiositate ductus auscultare volui, quid Pater ille qui pro tempore sermocinabatur, in medium adduceret; Audivi igitur illum de pœnarum infernalium æternitate differentem, ac tandem hac æternitate cum voluptatum carnalium brevitate comparata sæpius exclamantem: *O æternum quod numquam habiturum est finem,* Quæ verba cordi & memoriæ meæ adeo tenaciter remanserunt impressa, ut quotiescumque de lasciva societate, cui innexus eram, cogitabam, semper cordi meo insonari hæc verba viderentur: *O æternum!* sive scriberem, sive animi causa per prata obambularem, sive manducarem, sive quidquam aliud facerem, semper hæ voces mihi obversabantur: *O æternum!* illæque sufficiebant, ut suspectæ cum lasciva illa fœmina conversationi nuntium remitterem, factaque generali confessione mundum pedibus meis substernerem, vitamque pœnitentem, & religiosam amplecterer. Non dubito quin si aliquis inenarrabilem illorum videre posset numerum, qui licet uno pede infernum ingressi fuissent, per seriam tamen illius considerationem de facto paradisi se possessores effecerunt, is utique dicturus esset, hanc inferni considerationem medium esse ad operandum salutem nostram omnium potentissimum, & efficacissimum; Et tamen incarnata sapientia, quæ per os Abrahæ primi credentium patris locuta fuit, studium divini verbi sui hunc considerationi longe antepositum; Cum enim dives Epulo Abrahamum precaretur, ut mitteret Lazarum ad fratres suos, qui illis tormentorum infernalium atrocitatem annunciaret (*Ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum*) is eidem respondit: *Habent Moysen, & Prophetas audiant illos;* Cumque epulo replicaret; *Non Pater Abrahæ, sed si quis ex mortuis resurrexerit, credent;* Quo loquendi modo verbum incarnatum (quod *dat verbum evangelizantibus virtute multa*) nobis insinuare voluit, quantum efficacia divini verbi omnia miracula, apparitiones prodigiosas, & quidlibet portentosum superexcedat. Idipsum Sanctus Petrus in epistola secunda dicere voluit, dum ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit;* Porro idem & nos de ministris evangelicis dicere possumus, utpote qui non loquuntur, nisi per os Spiritus Sancti, dicente ipsomet Christo: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis;* Ac proinde David inquit: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus.* Nota sententiam hanc incredule, inquit Cajetanus, *qui dicis, si viderem resuscitatum unum mortuum, facerem, dicerem. Ecce Abrahæ sententia contra te est: Quod si Moysen & Prophetas non audis, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credes.* Sanctus Bernardus in sermone *de multiplici utilitate audiendi verbi Dei,* ita scribit: *Licet mortuus in peccato, si audieris vocem filij Dei, vives, sermo enim quem loquitur, spiritus & vita est.*

6. Deus olim Ezechielem Propheram ad agrum quemdam remisit, calvarijs, nudisque mortuorum ossibus plenum, qui cum in eodem loco hinc inde circumspexisset, à Deo in hæc verba interrogatus fuit: *Fili hominis, putasne vivent ossa ista?* Cui Propheta respondit: *Domine Deus tu nosti;* Præcepit igitur illi Deus dicens: *Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini.* At vero quodnam in eo latet mysterium, quod increata sapientia Ezechielem huic tam ingenti ossium mortuorum multitudini, quæ nec aures, nec animam, nec intellectum habebant, prædicare jusserit, dicendo: *Ossa arida, audite verbum Domini?* Quo fine jubebatur divinum ipsius verbum prædicare in vanum? *Hæc dicit Dominus ossibus his* (Verba sunt Prophetæ prosequentis relationem ejus, quod operatus est Deus) *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, Et dabo super vos nervos, & faciem crescere facium super vos carnem, ...& scietis quia ego Dominus.* Enimvero continget nonnumquam, quod peccator aliquis habituatus, in cujus ossibus hoc vel illud vitium firmiter radicatum sit, cujus cor aridum sit

Ps. 11. v. 7.
Verbum Dei comparatur argento, auro, & lapidi pretioso.
Ps. 18. 11.
Vit. S. Phil. Ner. lib. 2. c. 15. n. 14.
Historia valde notabilis.
Consideratio pœnarum infernalium, si feria sit, plurimos possessores cæli efficiet.
Luc. 16. 28.
ibid. v. 29.
ibid. v. 30.
Ps. 67. 12.
Unicum Dei Verbum sufficit ad procurandam animæ salutem, quod probatur singulari exemplo.
Matth 10. v 20.
Ps. 67. v. 12.
Cajet. in Luc.
S. Bernard.
Applicatur ad propositum prophetia aridorum ossium revivificatorum.
Ezech 37. v. 3.
ibid. v. 4.
ibid. v. 4.
ibid. v. 5.
ibid. v 5.
ibid. v. 6.

fit instar filicis; Continget inquam, quod si talis prædicationi ejusdam Ezechielis v. g. vel alterius apostolici prædicatoris præsens assistat, sub eaque compunctus in corde suo convertatur, suamque pristinam duritiam detestans ad vitam gratiæ redeat; De hoc tunc vero dici poterit: *Et fucorescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis quia ego Dominus.* Et vero vix prædicare cœperat, cum ecce Propheta dicit: *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam; Steterunt super pedes suos exercitus grandis nimis.* Ecce tibi, quæ verbum Dei patrat miracula, nimirum defunctorum ossa revivificat, & revirescere facit, atque ex frigidis cineribus integros armat exercitus.

Ezech.37.6.

Ibid.v.7.

Ibid.v.10.

7. Salvator noster apud S. Joannem cap. 5. ait: *Amen, Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint vivent.* Quibus verbis, ut Sanctus Augustinus opinatur, non loquitur de hora novissima judicij finalis, *quando* scilicet *in jussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Hoc enim tempus etiamnum tamquam futurum expectatur, hic vero dicitur: *Venit hora, & nunc est,* scilicet in præsenti, adeoque de spirituali animarum in peccato mortuarum, & ad vitam gratiæ in virtute vocis & verbi Dei reducentium resurrectione illic sermo est. M. Marulus quamdam magni ponderis habet considerationem, ait enim: *Quantum expediat mortalibus, cum supersunt illis boni prædicatores, quantumve obsit, cum desunt, Ninive servata, Sodoma, & Gomorrha eversæ docent.* Erat porro Ninive omnium scelerum, & impietatum centrum, & tamen ad vocem Jonæ prædicantis facta est quædam Jerosolyma sancta. *Illa* enim *Jona prophetante pœnitentiam egit, hæ absque Doctore in omne scelus præcipites ière, Deoque ulciscente ad internecionem redactæ sunt.*

Joan.5.v.25. Vox verbi Dei resuscitat animas, in peccatis mortuas. *S. Augustin. Tract.19. in Joan.*

M. Marul. Tom.1. lib.3. cap.4.

8. Apud P. Bollandum de magno Dei servo Ven. P. Hieronymo Emiliano, Clericorum de Somasco fundatore ita scribitur: *Cum numeris omnibus absolutam hominis conversionem, & sui ipsius cognitione, & commissorum detestatione coniuncti didicisset, harum ille rudis rerum, & ignarus, divini verbi præconibus de superiori loco in Ecclesijs sacris diebus ad populum differentibus, aures dabat quam assidue attentissimas, quo facilius animas salutaribus eorum monitis informatas, in reconditam & difficilem sui cognitionem deveniret, & præteritorum scelerum dolorem conciperet salutarem. Quo audiendi studio, contestatam à D. Paulo veritatem illam sæpius est re ipsa expertus; Vivus est sermo Dei, & efficax, & omni gladio ancipiti penetrabilior &c. eo cælesti gladio admodum salubriter transverberatus, alijs præcordijs conceptum salutaris vulneris dolorem, modo ex oculis ubere fleta, modo ex pectore crebris singultibus ac suspirijs evampentibus indicabat.* Regius Psalmista in Psalm. 28. in laudem divinæ vocis ita canit: *Vox Domini præparantis cervos*; Ubi per cervos peccatores intelligi possunt, quia inter omnia alia animalia cervæ fœtus suos maximo cum dolore parturiunt; Unde Sanctus Propheta Job quærit: *Numquid parturientes cervas observasti? Incurvantur ad fœtum, & parturiunt, & rugitus emittunt*; Causam autem hujus difficilis partus Anatomistæ assignant dicendo, quod fœtus cervarum intra viscera materna, in multis reticulis, & membranis intricentur, & ideo ab illis in partu difficulter se extricare possint; Quod si tamen contingat, quod in actu fœtus in lucem enitendi, fulgura, & tonitrua promicare incipiant, cervæ tremore & formidine perculsæ, retia illa, in quibus fœtus latet, rumpunt, hacque ratione cum facilitate, licet ingenti cum dolore, parturiunt; Ad hunc igitur naturalem cervarum instinctum alludere volens inquit: *Vox Domini præparantis cervos*; Ubi S. Hieronymus ex Hebræo legit: *Vox Domini parere faciet præ metu cervas*; Horror enim quo peccatores ex comminatis à Prædicatoribus apostolicis verbi Dei, divinæ justitiæ suppliciis percelluntur, efficit, ut peccatorum tenebras deserere, & ad lucem gratiæ prodire, bonaque proposita executioni mandare firmiter & efficaciter statuant.

Insigne exemplum. Bolland.8. Febr.fol.229.

Psal.28.v.9. Peccatorum conversio assimilatur cervæ parturienti.

Job 39. v.1.

Psal.28.9.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Efficacia verbi Dei specialiter in conversione mundi relucet, in qua variæ considerantur circumstantiæ.

THEMA.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Psal.67.v.34.

1. REgius Propheta David totius mundi conversionem, per viam prædicationis evangelicæ instituendam, in spiritu prophetico prævidens, in Psal.67. ita canit: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Advertendum vero est eumdem Prophetam regium prius omnia circumspexisse totius terræ regna sub idololatria ingemiscentia, eaque hortatum fuisse ad exolvendas communi Creatori debitas laudes, dicendo: *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo*; Quodnam vero harum laudum dicendarum est motivum? Profecto mysteriis plurimum refertum, pro motivo enim adducit hæc verba: *Qui ascendit super cælum cæli ad orientem*; Quibus verbis Christi ad cælos ascensionem prædicit, simul etiam prævidens commissionem, quam suis daturus erat Apostolis per universum mundum evangelij annunciandi causa dispergendis, quæ hisce verbis continebatur: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium; ... Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, illi autem profecti prædicaverunt ubique*; Merito igitur David inquit: *Dabit voci suæ vocem virtutis*, quia divino verbo suo per Apostolos suos divulgando virtutem immensam, & superhumanam impressit: Unde subditur: *Magnificentia ejus & virtus ejus in nubibus*; Ubi S. Bonaventura ait: *Prædicatores nubes sunt, quia tonant minis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis.* Et ideo in hisce nubibus magnificentia Altissimi mirum in modum eluxit; Siquidem totius mundi conversio verbo Dei ab idiotis pauperibus, & vilibus Piscatoribus annunciato (ab incarnati tamen verbi ad dexteram Patris residentis assistentia corroborato) attribui debet. Unde S. Augustinus ait: *Quamquam etiam, etsi de Christo & Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non movere deberet, ut crederet, repente illuxisse divinum humano generi claritatem, quando videmus relictis Dijs falsis, & eorum confractis usquequaque simulachris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque in humana & veternosissima consuetudine tot vanis vitijs extirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari. Et hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, expectoratum, exprobratum, crucifixum, occisum.* Idque Salvator noster priusquam crucifigeretur his verbis prædixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahan ad meipsum.* Subdit vero supra citatus Augustinus: *Discipulos ejus idiotas, & imperitos, & piscatores, & publicanos, per quos ejus Magisterium commendaretur, elegit. Annunciantes ejus resurrectionem, ascensionem, quam se vidisse dixerunt, & impleti Spiritu Sancto, hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, sonuerunt.* Profecto hac de re aliud dici nequit, præterquam quod *dederit voci suæ vocem virtutis*; Quam virtutem in discipulos suos postmodum efficaciter transmisit, & ideo *magnificentia ejus, & virtus in nubibus. Sic in istam Religionem mutatus est mundus*, inquit S. Augustinus, *sic ad hoc Evangelium corda conversa mortalium, marium, atque fœminarum, parvulorum, atque magnorum, Sapientium atque insipientium, potentium & infirmorum.*

Christus Apostolis suis ad conversionem mundi mittendis, dedit vocem virtutis suæ.

Psal.67.33.

Marc.ult.15.

Ibid.v.19.

Psal.67. v. 35. S. *Aug. ibid.*

2. Quemnam Josue, qui Christi Jesu Salvatoris nostri typus erat, servavit modum, ut Jericho civitatem per quam mundus symbolicè figuratur, expugnaret? Nullo alio usus est medio, quam solo tubarum sono, qui vocum Apostolicarum sonum significabat, de quibus Psal. ait: *In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Ac proinde S. Augustinus in sermone quodam hanc historiam prædicationi diffusè accommodat, utpote qui profligata idololatria, totum universum ad sanctam fidem nostram, convertit, ita namque scribit: *Non taceant Sacerdotes in Ecclesia, sed audiant Dominum dicentem, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam &c.* Dionysius Carthusianus similiter prædictam historiam huic nostro proposito adaptat, dum per civitatem Jericho mundum intelligit, ita enim scribit: *Victa est, & deleta, civitas illa, id est mundus per evangelicæ legis prædicationis tubales, per sermocinationem altisonam Christi,*

Josue.6.v.20. Historia eversionis Jericho applicatur prædicationi verbi Dei.

Ps.18.5.

S. *Aug. ser. 160. de Temp.*

Dion. Carth.

Christi, discipulorumque ejus. Idem quoque id quod Deus Josue dixit, nec non illud, quod ab æterno Patre filio suo dictum fuerat, in hæc verba combinat, & inter se comparat: *Dixit Dominus ad Josue, ecce dedi in manus tuas Jericho, & Regem ejus, omnesque viros fortes: Sic Pater Christo promisit principatum mundi, ejectionem diaboli, & conversionem multorum magnatum. Postula, inquit, à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Præcepit Christus septem sacerdotibus sumere tubas, id est universis prædicatoribus evangelicæ legis assumere totam sacram Scripturam, septenario quippe universitas designatur. Illis Christus præcepit, frequenter, & ordinate circuire loca gentilium, imo & Judæorum incredulorum, deinde prædicare eisdem, & prædicando eis, devincere, vitiorumque regnum, & actum in ipsis destruere, sicque ad ipsos victoriose intrare.*

Judic.15. Strages quam edidit Samson in maxilla asini, designabat virtutem verbi Dei. *S. Greg. l. 15. Moral. c.6.*

3. Omnibus nota est insignis illa Samsonis generositas, qui per maxillam asini, integrum incircumcisorum exercitum prostravit; Quod facinus S. Gregorius in favorem nostrum allegoricè exponens inquit: *Samson maxillam asini tenuit, & hostes interemit, quia Redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, à vitijs suis carnales interfecit, & maxilla in terram projecta, postmodum aquas fudit, quia data morti Prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.* Quis vero est, qui per aquam, Sapientiam quoque sacram, denotari ignoret, prout ex tot doctorum serie clarè probari potest, qui gentiles, Hebræos, hæreticos, & peccatores obstinatissimos tam voce, quam calamo, omnibus retro sæculis converterunt. Verbum Dei enim eumdem in modum producere solet effectum, quem ignis in agro urticis, spinis, & tribulis pleno edere consuevit, qui omnia prædicta consumit, & in cineres redigit: *Numquid non verba mea quasi ignis ardens, & malleus conterens petras?* inquit Deus apud Jeremiam. Unde Hugo Card. ait: *Verba Dei sunt ignis, quia consumant rubiginem peccatorum, & calefaciunt ad amorem Dei, & illuminant ad cognoscendos articulos fidei; Sunt & malleus, quia duritiam cordis frangunt, & emolliunt ad compunctionem. Lapis igne calefactus cito frangitur malleo, sic cor hominis, quando est calore verbi Dei calefactum, cito liquefit in devotionem. Lucas est cor peccatoris, super quem debet prædicator operari, & formare vas in honorem in Domo Dei. Eccli.21. Faber ferrarius sedens &c.*

Jerem.23. v.29.

Hug. Card. in 1. Reg.13.

Eccli.38.29.

4. Considerate obsecro, & memoria recolite, qualis mundus fuerit, priusquam verbum Dei in eo annunciaretur; Vere tunc dici poterat: *Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinaverant*; Universi etenim populi dæmonia adorabant, atque in vitiis, superstitionibus, & magijs callum sibi acquisierant; Quam primum vero verbum Dei vix etiamnum non solum incarnatum, verum etiam populis prædicatum apparuit, tunc quoque simul *apparuit gratia omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus.* S. Bernardus certamen Davidis cum Goliath considerans, in hunc modum discurrit: *Arbitror non incongrue quinque lapidibus istis, quinque partitum verbum intelligi, scilicet comminationis, promissionis, dilectionis, imitationis & orationis. Horum quippe verborum latepatens copia in divinarum reperitur serie Scripturarum, & forte ipsa sunt quinque verba quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in sensu, quam decem millia in lingua &c. Jam vero collectos istos lapides contra Superbiæ Spiritus dimicaturus David in vase memoriæ suæ reponat, considerans quanta nobis commmetur Deus, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quam multa nobis sanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendet instantiam.* Per quinque hosce mysticos lapides Apostoli falsa idolorum numina, statuasque profanas, quas adorabat mundus, demoliti sunt, magnumque infernalis Goliath fastum, & arrogantiam suppresserunt.

Ps.32.v.3.

Tit.2. v.12.

Bernard. ser. in Dom. 4. post Pent.

Quinque lapides Davidis applicantur verbo Dei.

5. Canibus proprium est prodere latrones, lupos manifestare, quando gregem adoriri moliuntur. Per canes autem denotantur prædicatores, dicente Glossa: *Canes vocantur prædicatores, quia Dei domum, & ejus substantiam, & oves spirituales à furibus, & infernalibus spiritibus, & hæreticis defendunt.* Eadem Glossa super cap. 5. lib. 2. Esdræ scribens, aliam quamdam adducit moralitatem circa piscinam, cujus ibi fit mentio; Ait enim: *Deficientibus, vel ablatis ab hoste aquis, facile capitur civitas; Sic si hostis antiquus fontem nobis abstulerit verbi Dei, continuo arcem cunctis rumpit, & invadit.* Bellovacensis inter alios divini verbi effectus, hunc quoque enumerat: *Otiatur, & vincit tentationes diaboli*; *Unde Matth. 4. Scuto trianguli Sacræ Scripturæ repulit Dominus tres tentationes.* Redemptor quidem noster gloriatus fuerat dicens: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, nec tamen diabolus à falsorum Numinum statuis marmoreis, atque metallinis pulsus fuisse legitur, donec tuba Evangelica per omnes mundi partes resonaret; Tunc enim & non ante *dedit voci suæ vocem virtutis.* Manifesta est omnibus gloriosa illa populi Israelitici adversus Arad. Chananæorum Regem post habitam stragem obtenta victoria; Qua de re Rupertum Abbatem audiamus mystice in hæc verba scribentem: *Passo Christo, & glorificato, & spiritu dato, quod per petram percussam, & aquas exinde fluentes significatum est. Postquam vetus Edom, id est terrenus, vel sanguinolentus Judaicus populus transire Israël per terram suam prohibuitque Christi Apostolos novam in Synagogis suis prædicare gratiam, audivit Chananæus Rex Arad, id est persecutor Princeps, vel possessor mundi hujus diabolus, qui per Chananæum Regem Arad mystice intelligitur; Chananæus namque possidens, Arad descendent interpretatur. Descendens autem, & deorsum fluens est diabolus, possidens, id est princeps mundi hujus. Audivit inquam, & ignorare non potuit evangelicæ prædicationis gratiam per exploratorum viam id est per Apostolorum instantiam, cum possideret ille gentes foris armatus, & in atria suo pace longæva sæcula regnaret, non legitimus Rex, sed raptor imperij Tyrannus. Cum igitur audisset salutem proficisci ad gentes, pugnavit contra illum spiritualem Israël, & victor existens, duxit ex eo prædam. Pugnavit itaque Regum & Imperatorum legibus, & armis, persecutiones excitavit, edictis propulit, fundensque corpora, quorum animas contingere nequivit, quasi prædam duxit.* Porro modum, quem Christianismus ad profligandam tartarei Regis tyrannidem servavit, idem Venerabilis Abbas demonstrat, dum Discursum suum in hæc verba prosequitur: *Sic plane novelli Prædicatores pedibus speciosis pacem nobis portantes, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere proposuerant, & idcirco desiderium illorum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris ejus, ut vincerent Chananæum, ut de antiquis sedibus malignum possessorem ejicerent diabolum, principem mundi hujus, Rectorem tenebrarum.*

Bellovac. spec. Mor. lib.3. p.1. dist.10. Matth.4. Joan.12.31.

Applicatur illis victoria, quam reportarunt Israëlitæ de Rege Chananæorum Arad. *Rup. Ab. lib.2. in Num. c.10.*

6. Hæc eadem per Prædicatores verbi Dei, non solum de universo mundo, sed & de possessatibus infernalibus reportanda victoria multis sæculis prius per aliam quamdam valde celebrem historiam pariter delineata fuit. Quonam enim modo Gedeonem jussu Dei usum fuisse putas, ut Madianitas debellaret? Nimirum *Divisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.* Cujus rei mysterium Rupertus Abbas lib. 1. ad caput 11. libri Judicum in favorem nostrum fuse exponit dicens: *Christo duce ad bella prodeunt, qui hoc quod ore annunciant, opere ostendunt, qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt. Item est ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis, atque iste fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, intus lagenas autem missæ sunt lampades, confractis vero lagenis, lampades ostensæ sunt, quarum coruscante luce, hostes territi, in fugam vertuntur. Designatur ergo in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad bella prædicationis duxit, quod desperata salute corporum, hostes suos moriendo prosterneret. Consonuerunt tubis dum prædicant.* Addit insuper ingeniosam quamdam observationem inquiens: *Intuendum est autem hoc, quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, in sinistra autem lagenas tenuerunt; Pro dextero enim habere dicimus, quidquid pro magno pensamus, pro sinistro vero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo hic scriptum est, quod in dextera tubas, in sinistra lagenas tenuerunt, quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam &c.*

Judic.7.v.16.

Rup. Abb. lib.1. in Jud. c.11.

7. *Dedit voci suæ vocem virtutis.* S. M. Ecclesia in oratione quadam, quæ in laudem S. Pauli legitur, totius mundi conversionem linguæ ejus attribuit, dum ait: *Deus qui universum mundum Ex. Pauli Apostoli prædicatione docuisti*; De hac autem lingua D. Chrysostomus ita scribit: *Quomodo non admirabile hoc videatur, cum ex tenera lingua semo profluens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras caecitatis illuminat, & mutatione mirifica convertit in cælum?* Quis non admiretur stupenda, quæ verbum Dei in vilibus idiotis,

Applicatur similiter illis victoria Gedeonis de Madianitis.

Discurritur de stupenda efficacia linguæ S. Pauli, & aliorum Apostolorum. *D. Chrysost. hom. 2. de Laud. Pauli.*

tis, pauperibus, contemptibilibus, & ubique persecutionibus infestatis piscatoribus, patravit prodigia? Etenim adeo pauperes, & contemptibiles suo tempore erant, ut Paulus omnium nomine dicat: *Facti sumus omnium peripsema*;

1. Cor. 4. 13.

Erant insuper solum numero duodecim, qui numerus pro tam ampla totius mundi vastitate modicus nimium & insufficiens videri poterat. Nulla quoque præfulgebant dignitate, ob quam à Principibus, Regibus, & Monarchis in veneratione haberentur; Nulla eis inerat nobilitas, vel literatura, multo minus divitias, vel dominia possidebant; Nullum in Academijs, & Cathedris sapientiæ, & scientiæ suæ specimen ediderant, ut olim Socratem, Platonem, & Aristotelem, aliosque eruditissimos Philosophos fecisse constat, & tamen prædicatio ipsorum tantam habuit penes Auditores efficaciam, ut ad adorationem cujusdam in crucem acti hominis, quoslibet sapientissimos, maximeque scientificos illius sæculi convicerint, & ad fidem compararint; Ac proinde non immerito exclamat dives Chrysostomus: *O rem novam, atque inauditam in natura, Judæorum innumera millia Romani tunc vicerunt, atque ceperunt, & à duodecim viris nudis atque inermibus superati sunt, quæ oratio exponere poterit tanti miraculi magnitudinem?*

D. Chrysost. hom. 76. in Matth.

Quinquies mille, & amplius anni effluxerant, à quibus genus humanum nullam habuerat veri Dei, maxime vero mysterij sanctissimæ Trinitatis notitiam, major pars hominum idololatrabat; Eoque tempore, quo filius Dei in terram descendit, omnes genua sua coram dæmonibus curvabant, sola excepta Judæa, quæ tamen etiam, velut inculta sylva, meris vitiorum loliis & tribulis plena erat, adeo ut S. Joannes merito dicat: *In propria venit, & sui eum non receperunt*;

Joan. 1. v. 11.

Apostoli per prædicationem Verbi Dei vastum mundi spatium convergerunt ad Christi fidem,

Quonam igitur modo fieri potuit, quod pauperes & viles piscatores, tam vastum mundi spatium, à tot sceleribus & impietatibus, sacrilegijs, superstitionibus, & idololatris ad veram Christi fidem perducere potuerunt, Respondeo, modus hic quo increata Sapientia, & infallibilis Dei providentia universum genus humanum ad veri Dei, & Evangelij notitiam perduxit, alius non fuit, quam opus evangelicæ prædicationis; At vero *dedit voci suæ vocem virtutis*: Etenim doctrina quam pauperes Piscatores hi insinuarunt, difficillima captu erat, maxime intellectibus eo tempore adeo obtenebratis, nec minus difficile erat, ut illorum doctrina sensualitati totaliter contraria à voluntatibus adeo depravatis, pessimeque dispositis susciperetur. Annunciabant viri illi laceri, nudi pedes, aspectuque deformes, hactenus numquam auditam corporum nostrorum resurrectionem, quæ in Areopago cum risu & cachinnis excepta fuit (*quidam quidem irridebant*)

Act. Apost. 17. v. 32.

annunciabant item divinitatem, & adorationem talis cujuspiam, qui paulo ante velut malefactor inter duos latrones in crucem actus fuerat, quod illo tempore non minus infame erat supplicium, quam si quis hodie in patibulo suspendatur. Docebant item hunc crucifixum regni cujusdam æterni Dominum, & secundam sanctissimæ Trinitatis personam esse, hanc verò sacrosanctam Triadem unum Deum, tresq; personas distinctas esse, prædicabant; Insinuabant pariter hunc eumdem Christum, in terris corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini in Eucharistia corporaliter reliquisse, illudque pauculis à sacerdote prolatis verbis consecrari. Similiter incarnationem verbi in virgine, sine opera viri intercedente, consummatam, maternitatem quoque & virginitatem in ejus matre inseparabilem Christum, Deum & hominem simulque mortalem & immortalem, viatorem, & comprehensum esse, publice, & ubiq; docebant, quæ omnia mysteria etiam nunc post tot sæcula non solum rudibus gentilibus, ad muta ligna & saxa, velut Deos adoranda assuetis, verum etiam sapientissimis Theologis imperceptibilia esse videntur, ut proinde mirum non sit, quod cum Corinthij interrogarentur *si Spiritum Sanctum accepistis credentes*, mox responderint: *sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*.

Act. Apost. 19. v. 2.

8. Veritas quidem indubitata est, quod *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus*, attamen quæ ab Apostolis, barbaris plerisque prædicata fuerunt, facile fuere ab iisdem, tamquam certissimæ veritates receptæ, quia *dedit voci suæ vocem virtutis*, id est divino verbo suo tantam efficaciam & virtutem indidit, ut obtusissimos gentilitatis intellectus adeo penetrarit, ut illud Psalmistæ oraculum: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, eo tempore veraciter adimpletum fuerit.

1. Cor. 2. 14.

Adducuntur alij stupendi effectus & operationes divini verbi.

Ps. 92. v. 5.

Ægyptij, quorum Rex olim protestatus fuerat dicens: *Nescio Dominum*, & de quibus Poëta per ludibrium canit: *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*, eo quod porros & cepas tamquam Numina adorarent, illi inquam Ægyptij ad solam prædicationem non unius Apostoli, sed cujusdam S. Petri discipuli, S. Marci videlicet, in sanctitate pariter & doctrina insignes evaserunt; quia *dedit voci suæ vocem virtutis*.

Exod. 5. 2.

S. Bernardinus inquit: *Considera quibus prædicaverunt*; Et citans S. Augustinum l. 22. de civ. Dei c. 20. subjungit: *Quid incredibilius, quam quod ad legem contrariam carni & sanguini, doctores pauci & rudes, & pauperes possent plurimos potentes, & sapientes convertere?*

S. Bernard.

Quid difficilius, quam à voluptatibus & delectationibus carnalibus avellere eos, qui iisdem toto corde addicti erant? De quibus Oseas prophetavit dicens: *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum est, & Dominum non cognoverunt*;

Osea. 5. v. 4.

Et tamen Deus *dedit voci suæ vocem virtutis*, quia non solum efficaciter ab ijs obtinuit, ut totaliter rosas (*Coronemus nos rosis*) & pratorum amœnitatem (*Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*) desererent,

Sap. 2. v. 8.

verum etiam adeo prædicatio evangelica potens fuit, ut eosdem infideles adegerint, ut Spinis pungentibus ciliciorum, jejunijs, disciplinis, alijsque similibus austeritatibus, & corporis macerationibus carnem suam exercerent, seque intra vastas sepelientes solitudines, scorpionum, & ferarum, intra speluncas; societatem non abhorrerent. *Dedit voci suæ vocem virtutis*. Quis efficere poterit, ut dividantur ab invicem maritus, & conjux, Pater & filius, mater & filia; Vel ut paupertatem amplectentes familiæ, ensibus, fustibus, equuleis, catastis, flagellis crucibus, alijsque similibus atrocibus suplicijs lætantes & exultabundi se subjicerent? Totum hoc efficere potuerunt Apostoli prædicando: *Qui non reliquerit patrem, vel matrem &c. Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus*; hæc enim doctrina tam efficaciter mentibus illorum impressa fuit, ut vere dici possit: *Dedit voci suæ vocem virtutis*. *Id* enim *quod in una domo facere impossibile est*, ut Sanctus Chrysostomus inquit, *in universo terrarum orbe Christus, per præcipitia, ignes, prærupta, scopulos, per bella terra marique frementia discipulis missis perficit*.

D. Chrysost. hom. 76. in Matth.

Porro quod hæreses in tot regionibus propagatæ; iisdemque tot populi infecti fuerint, quid mirum? hæreses enim professores suos docent & extimulant ad laxandas indifferenter habenas voluptatibus carnalibus, libertatemque sensibus omnimode indulgendam. Cæterum vero miracula prædicationis evangelicæ in hoc consistunt, quod in illa doceamur mortificare appetitus nostros inordinatos, nostramque concupiscentiam refrænare, & compescere. *Quis* enim *tantam multitudinem* (inquit ex Augustino S. Bernardinus) *ad peccata pronam, ad legem contrariam carni & sanguini servandam induceret, nisi Deus*, hic enim est qui idipsum per divinum Verbum suum operatur, *quia dedit voci suæ vocem virtutis*.

S. August. cit. à S. Bern. ibid.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Signum, aliquem electum esse ad gloriam, est, si verbum Dei libenter auscultet.

THEMA.

Oves meæ vocem meam audiunt, ... & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Joan. 10. ℣. 27.

1. Salvator noster hisce verbis æternæ electionis nostræ ad gloriam perspicuum argumentum clare expressit, siquidem beatitudinem cœlestem promittit, omnibus illis, qui auribus promptis verbum Dei excipiunt, *Oves meæ vocem meam audiunt &c.*

Enodatur mysterium cur subditi Job post superatas omnes miserias ipsi obtulerint singuli ovem unam, & inaurem auream unam.

Mysterio non vacat tributum illud, quod subditi Prophetæ Jobi, post superatas omnes illius ærumnas, reverenter & obsequiose eidem obtulerunt; Dicit enim sacer textus: *Dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.*

Job. 42. v. 11.

Enimvero quod ei ovem unam singuli donarint, haud difficulter intelligitur, cur id fecerint, quia pretiosiores illius sæculi divitiæ, non in argento & auro, sed in gregibus, armentis, aliisque similibus rebus fructiferis consistebant, quod vero vel maxime admirationem meretur, est, quod singuli præter ovem, etiam inaurem auream unam obtulerint, quæ enim est inter ovem, & inaurem proportio, quod simul hæc duo conjunxerint? Pro responsione advertendum est, inaurem auriculæ esse ornamentum, mysticeque denotare facilitatem, optimamque dispositionem

nem ad audiendum; Ac proinde ovi, quæ animæ, ad gloriam prædestinatæ, est symbolum, merito inauris adjungitur, ad denotandum quod audiendo & adimplendo vocem Dei, æterna prædestinatio comparetur, nam ut Didacus Stella ait: *Habent divina verba nescio quid divini & paterni amoris, quod audientes filij Dei, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscuntur, gaudent, & exultant.*

Did. Stell. in Luc. c. 11.

Boëtius Severinus ideo musicam nos admodum oblectare dicit, quia sonus ille, sive consonantia illa & melodia intra nos recipitur, qui adeo affabre organizati sumus, ut Anatomistæ dicunt, ut omnes corporis nostri partes perfectissimam harmoniam conficiant.

Boët. lib. 1. de Musica.

Anima justa audiens verbum Dei, summam inde haurit consolationem.

Eodem modo cum anima justa, quæ ad beatitudinem cœlestem est electa, suam à Deo habeat originem, & principium, atque ad eumdem tamquam ad finem suum ultimum reverti debeat (*Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*) mirum non est, quod audiendo sonum sui Creatoris, summam inde consolationem & cordis jubilum recipiat: *Oves meæ vocem meam audiunt.*

Joan. 10. 27.

S. Bernardinus in sermone quodam *de manifestatione Spiritus Sancti* ita scribit: *Libenter audit homo loqui de eo quod amat; sic profecto qui libenter audit verbum Dei, manifesto signo ostendit, quod in eo sit Spiritus Dei, & quod afficitur ipsi Deo*; Proinde *Joan. 8. dicitur: Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

S. Bernard. in Tom. 3. ser. 6. art. 3. cap. 1.

Joan. 8. 47.

Sicut enim creaturæ in proprio centro suam habent quietem, ideoque illud ex naturali instinctu magnopere appetunt, ita, imo multo magis, anima nostra ad Deum, velut centrum suum unice suspirat, & aspirat, dicente Augustino: *Inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*; In hoc autem præsenti exilio nihil est, quod magis consolari nos possit, quam verbum Dei. *Cuilibet insertum est natura*, inquit S. Bernardinus, *æternam desiderare salutem, & justitiam salutarem, quod etiam testatur Psalmista dicens: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Sed hoc desiderium maxime per verbum Dei, tamquam per convenientissimum instrumentum effectus mancipatur.*

S. Bernard. Tom. 2. ser. 10. art. 3. cap. 2.

Enodatur ratio quare Christus in horto restituere voluerit Malcho auriculam miraculose.

2. Fieri nequit, quin nobis sæpius summam pepererit admirationem, miraculum illud, quod Christus in horto Gethsemani operatus fuit, quando in magno illo captivitatis suæ tumultu, & strepitu, nihil adeo curavit, quam ut amputatam Malcho auriculā restitueret. At vero ex quo in passione sua, se, per aliquod opus miraculosum, Deum esse ostendere volebat, cur non potius ex omnibus craniis & ossibus mortuorum in monte Calvariæ dispersis, defunctum aliquem per superinfusum sanguinem suum in vitam revocavit? Cur non potius sermonem mutis, cæcis lumen restituit? Aut vero cur non potius ex spinis caput suum cingentibus recentes, fragrantesque rosas progerminari fecit? Quidnam eo in opere eximium erat, quo amputatam auriculam capiti reaffixit, siquidem vocis suæ imperio alia quadriduana cadavera ad vitam resuscitaverat? Quod si dixeris, Christum inter noctis illius tenebras divinitatis & omnipotentiæ suæ lumen abscondere voluisse, ut tanto abundantius nostram operaretur Redemptionem, Respondeo, quod nec tunc tempus fuerit opportunum permittendi, ut tunc potentiæ suæ circa caput Malchi aliquod promicaret vestigium, quando ipse daturus erat passionis suæ doloribus primum exordium. Pro responsione igitur observandum, Evangelistam non sine particulari Spiritus Sancti impulsu, nomen hujus satellitis edidisse quod circa multos alios minime fecerat; Ait enim sacer textus: *Erat autem nomen servo Malchus.*

Joan. 18. 10.

Quo supposito S. Augustinus à Glossa citatus dubium hoc egregie solvit dicens: *Malchus dicitur regnaturus cum Christo*; Ac proinde cum nomine suo retulerit illum, qui cum Christo regnaturus erat, ipsum auricula destitutum esse, minime conveniebat, siquidem Salvator noster aperte, alias dixerat: *Oves meæ vocem meam audiunt*, quod sine auricula facere non potuisset.

S. Aug. in gloss.

Alcuinus postquam in epistola quadam idipsum præmisisset, scilicet quod nomen *Malchus* latinè *Rex, vel regnaturus* interpretetur, aliam hujus miraculi assignat rationem dicens: *Quid est quod ipse Dominus persecutorem suum sanavit, nisi quod omnis prædicator in Ecclesia Christi, nec suos verbo pietatis sanare inimicos desistat?*

Alcuin. Epist. 6.

Est prædestinationis signum libenter audire verbum Dei.

3. Sanctus Antonius de Padua in sermone quodam ait: *Magnum prædestinationis signum est, libenter audire verbum Dei, & de patria cœlesti audire rumores, veluti cum aliquis libenter audit rumores de patria terrena.*

S. Anton. de Pad. in Dom. Pass.

Eamdem considerationem Didacus Stella, commentando super cap. 5. Luc. his verbis adducit: *Gaudet unusquisque si bene gesta suorum audiat, nam si quis Gallus est, gaudet si audiat narrari egregia Gallorum facta; Si coram aliquo Gallo Ungarorum facta quis narret, nullam præbet attentionem, nec aures illi accommodat; Ita natura quis gaudet sui generis, & avorum suorum illustria audire facta. Ita qui sunt de genere & prosapia Dei, quæ Dei sunt audire gaudent.*

Did. Stell. in Luc. 5.

Dionysius Carthusianus textum quemdam Epistolæ primæ Sancti Joannis explicans inquit: *Unusquisque libenter audit loqui de re quam diligit; Qui ergo diligit Deum, & vitam beatam, Dei verba libenter audit, & affectuose conservat, & in hoc salus nostra consistit. Debemus ergo verba sacra cum magna attentione, intima affectione, humili reverentia legere, audire, proferre, tamquam epistolas nobis divinitas missas.*

Dion. Carth. in 1. Joan. 3.

Beda aliam habet considerationem quæ etiam in aliis legitur, dicit enim; *Interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget unde sit. Cælestem patriam desiderare veritas jubet, carnis desideria conterere, mundi gloriam declinare, aliena non rapere, propria largiri; Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & quia jam ex Deo sit, agnoscet.*

Ven. Beda in Joan. 8. 47.

4. Reflexistisne vos aliquando ad Centurionem, quando hic in monte Golgotha in conspectu non solum Judaismi, sed etiam gentilismi de Christo manifeste protestatus est dicens: *Vere filius Dei erat iste.*

Matth. 27. v. 54.

Centurio in monte Golgatha non ex facie, nec factis & miraculis, sed ex voce & verbis agnovit Christum esse filium Dei.

Undenam hanc tam repentinam conversionem ortam fuisse existimas? Num forte conversus est ex omnium creaturarum horrore, quem tempore Passionis Domini nostri exhibuerunt, quando montes à fundamentis suis concussi, & contremiscentes divisi sunt, aër lugubri se veste induit, dum sol radios suos abscondit, monumenta mortuorum aperta sunt, velum templi scissum est per medium, petræ durissimæ diruptæ fuerunt? Num forte ad fidem illum extimulavit illa à bono latrone crucifixo Redemptori proposita petitio: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum?* Aut vero quæ ab eodem in cruce facta fuit innocentiæ Christi defensio: *Hic vero nihil mali gessit?*

Luc 23. 41.
Ibid. v. 42.

Vel raptus est in admirationem ab invicta ejus in tot atrocissimis suppliciis patientia, & mansuetudine, qua æterno patri suo pro venia crucifixoribus suis indulgenda supplicavit? Sanctus Bernardus, qui conversionis hujus mysterium diligenter examinavit, nullum ex his motivis allegat, sed dicit: *Videns ergo Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo filius Dei erat; Ergo ad vocem credidit, ex voce cognovit filium Dei, & non ex facie, erat enim fortassè ex ovibus ejus, de quibus ait: Oves meæ vocem meam audiunt.*

S. Bern. ser. 28. in Cant.

Verbum Dei cordi libenter illud audientis imprimit divinam gratiam, quæ est semen gloriæ.

Habet porro verbum & vox Dei virtutem occultam imprimendi non solum in aures, verum etiam in cor illius, qui illud libenter audit, divinam gratiam, quæ semen est gloriæ, in cujus probationem examinare libet textum quemdam actuum Apost. ibi namque legitur, quod cum S. Paulus ab Epheso discessurus, longum ad populum istum sermonem diceret, inter cætera in hæc verba proruperit: *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius?*

Act. Apost. 20. v. 32.

Sed quid opus erat addere: *Et verbo gratiæ ipsius?* Numquid sufficiebat dicere: *Commendo vos Deo?* Interlinearis verba illa de Spiritu Sancto intelligit, alij vero hæc verba de Christo exponunt, per quem veritatem habemus, & gratiam: *Gratia, & veritas per Jesum Christum*;

Gloss. Interlin.

Communior tamen expositio de prædicatione Evangelica verba illa intelligit, quasi Apostolus diceret: *Commendo vobis verbum Dei,* Ac proinde ab hac phrasi loquendi, qua Doctor gentium in cœlesti paradiso eruditus, & vas electionis, utitur, prædicationem Evangelij, pari loco cum Spiritu sancto, & filio Dei habendam esse, clare deducitur, atque insuper insinuatur, quod per verbum Dei auditum, acquiramus gratiam quæ securum pignus gloriæ existit; Unde Cajetanus verba illa: *Et verbo gratiæ ipsius*, ita exponit: *Sermoni Dei effectivo gratiæ, qua salvi simus.*

Cajetan. ibid.

Dum enim auditum, & una cum illo animam, mentem, intellectum, voluntatem & memoriam cœlesti huic semini recipiendo pandimus, simul cum illo eodem tempore divinam nobis gratiam comparamus.

Signum prædestinationis est avidè audire, & auditum ruminare verbum Dei.

5. Sanctus Bernardus ait: *Magna mihi consolatio est fratres mei in verbo illo Domini: Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos libenter auditis, quia ex Deo estis, nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, sed multo aliter sum ex eo, qui secundum B.*

S. Bern. serm. 1. in Sept.

Joan.1.13. 1.Joan.5. v.18.

Joannis Evangelium, non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, unde & invenies ab eodem Joanne in Epistola sua scriptum: Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio cælestis conservat illum; Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato quia conservat illum, atique ut perire non possit, ea, quæ falli non potest, generatio cælestis; Sive non peccat, id est tantumdem est, ac si non peccet, pro eo scilicet quod non imputatur ei peccatum, generatio enim cælestis etiam in hac parte conservat illum: Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Idem vero sanctus & mellifluus Doctor aliquod æternæ hujus prædestinationis signum indicare volens mox subjungit: *Data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis. Inter ea quæ fiduciam præstant, & materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc loqui cœpimus. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Nonnullos enim sic audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant, quæ dicuntur &c.* Quibus ultimis verbis reprehendit eos, qui verbum Dei non examinant, nec ruminant, de quibus inferius suo loco tractabimus. Idem mellifluus Pater in sermone de *multiplici utilitate verbi Dei*, hoc nobis solatium suggerit inquiens: *Licet mortuus in peccato, si audieris vocem filij Dei, vives, sermo enim Dei Spiritus & vita est.* Porro in quonam vita spiritualis animæ nostræ consistat, Sanctus Joannes seu potius ipsemet Dei Filius his verbis indicat: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Difficultas autem in eo consistit, ut modum hujus cognitionis acquirendæ investigemus.

S.Bernard. serm. multipl. util. verb. Dei.

Joan 17. v.3.

Notitia Christi obtinetur per auditum verbum Dei.
Joan.8.v.43.
Joan.5.v.24.

6. Certum vere est, quod hæc notitia per verbum Dei obtineatur, siquidem Christus discursum suum ad incredulos Hebræos dirigens, in hæc verba eis improperat: *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum*; In cujus confirmationem Joan. cap. 5. Christus ait: *Cognoscetis veritatem; si manseritis in sermone meo. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, ... habet vitam æternam.* Circa quæ verba Sanctus Bonaventura sequens movet dubium videlicet quonam modo æterna veritas, quæ mentiri nequit, in præsenti tempore dicat: *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam*, non vero dicat, *habebit*. Et respondet: *Habet in spe vitam æternam*, spes enim adeo vivax est, ut sit veluti præsens quædam sempiternæ illius beatitudinis fruitio. *Unde in præsenti vivunt vita gratiæ*, inquit Seraphicus Doctor.

S. Bonav. ibid.

Verbum Dei sine gravamine audiendum est.
Exod.20.19.

7. Filij Israël olim de hoc lamentabantur apud Moysen, quod Deus immediate loqueretur illis, hoc enim velut magnum gravamen accipientes, rogarunt Moysen dicendo: *Loquere tu nobis, ... ne forte moriamur.* At vero quando idem Deus post multa sæcula in Nazareth incarnatus prædicavit turbis, tametsi multi perversi, illum audire non sustinentes dicerent: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire* (non enim de Grege Dei erant; *Non estis ex ovibus meis*) alij tamen ipsius sequaces, qui de numero electorum erant, confessi sunt dicentes: *Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Sanctus Paulus Philippensibus viam sternere volens ad paradisum, in hæc verba eisdem scripsit: *Vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate; Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, Ut sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ, & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Ubi observandum, quod ut hæc omnia assequerentur, modum pariter ipsis præscripserit, quem observantes prædicta consequi possent; Ait enim: *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.* In Græco dictio quædam est, quæ hunc sensum reddit; *Verbo vitæ attendentes*, ita enim scribens ad Timotheum: *Attende tibi*, inquit, *& doctrinæ; Verbum seu sermonem vitæ vocavit prædicationem, quandoquidem vitam æternam conciliat.*

Joan.6. v.61.
Joan.10.26.
Joan. v.69.

Philipp.2. v.12 & 13.
Ibid.v.14.
Ibid.v.15.

Ibid.v.16.

2.Tim.4.16.

8. Sanctus Vincentius Ferrerius Ordinis Sancti Dominici Prædicator celeberrimus, qui innumeros convertit, ita scribit: *Passus eundi ad paradisum sunt veritates fidei, & bona opera; Si orastis hodie, jam fecistis unum passum; Alium si dedistis eleemosynam, alium si audivistis Missam &c. ideo David: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion; Sed multi sunt, qui erant circa istos passus, quemadmodum ille qui vadit de nocte circa viam periculosam, lutosam, lapidibus plenam, indiget lumine alias &c. Ita quamdiu nos fuerimus in via periculosa hujus mundi, & lutosa, indigemus lumine lucernæ verbi Dei, si enim istud lumen præcederet, non impingeremus.* Certum est, quod, ut in via paradisi securi gradiamur, verbum Dei nos illuc transferat velut per postam; Hoc enim nos indivisibiliter associat, usque in æternam beatitudinem. Salvatore nostro in Bethania in domo duarum sororum, Marthæ scilicet, & Mariæ Magdalenæ constituto, prima in mensa præparanda occupata erat; Altera vero ad pedes Christi quiete sedens divinum ejus verbum devote auscultabat; Martha autem ad Christum in hæc verba locuta fuit: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo illi, ut me adjuvet.* Christus vero ei respondit: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima, Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quorum verborum Christi sensum Oleaster hisce verbis subindicat: *Quoniam Martha serviebat Domino in ijs, in quibus ipse non delectabatur, nempe in cibo, & potu: Maria vero in audiendis verbis illius, quod illi maxime cordi erat.* Quod vero nobis vel maxime notandum venit, hoc est, quia *optimam partem elegit*, illis namque verbis de electione prædestinationis agitur. Quænam vero alia est pars optima, præterquam gloria, quæ *status est omnium bonorum aggregatione perfectus*? Et quidem observandum hic est, quod Ecclesia hoc Evangelium legere consueverit in festo assumptionis B. V. Mariæ in cælum, quasi cunctis fidelibus dicere vellet, hæc est brevis, compendiosa, & secura via, qua ad paradisum ascenditur, si videlicet quis cum Magdalena verbum Dei auscultet, si enim hoc facit, ex ipsiusmet Christi authoritate *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo.*

S.Vinc.Ferr. ser. 4. in Dom.3.post Pascha.

Ps.83.v.8.

Verbum Dei nos transfert quasi per postam in paradisum.

Luc.10.40.
Ibid.v.41.
Ibid.v.42.

Oleaster in c.12.Gen.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Idem argumentum Author hoc discursu prosequitur.

THEMA.

Beati qui audiunt verbum Dei. Luc.11. ℣.28.

1. CUm Redemptor die quadam mira cum eloquentia prædicans, scribas & Pharisæos sibi contradicentes confutasset, devota quædam mulier (quam Albertus Magnus, & Lyranus, sanctæ Marthæ ancillam fuisse existimant) de medio turbæ vocem suam extollens, ut ab omnibus audiretur, in hæc verba prorupit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Circa quæ verba merito inquirendum est, cur hæc mulier prædicationem Christi admirata, non directe, & immediate ipsimet Christo, sed utero virginali matris suæ, quæ eum conceperat, applauserit, dicendo: *Beatus venter &c.* Responderi quidem posset iisdem verbis, quibus Apostolus Epistolam ad Hebr. exorditur: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Quod vero verbum Dei, Sapientia increata, & *unigenitus*, qui est *in sinu Patris*, factus sit prædicabilis, idipsum ventri Mariæ in acceptis referre debemus, utpote quæ ipsum hac carne nostra vestivit, de quo Isaias prædixerat: *Evangelizare pauperibus misit me.* Lac pariter facundiæ sacræ est symbolum; Unde S. Paulus ait: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi*; Ac proinde ex præciso S. Apostoli capite lac emanavit; Et ideo S. Marcella superhumanam ejus eloquentiam admirata merito dixit: *Et ubera quæ suxisti.* Verumtamen tametsi hic modus respondendi admitti possit, quia tamen mulier hæc Evangelica sanctissimam Christi matrem, quoad sensum literalem laudare intendit, hinc dubium nascitur, cur Christus, qui sanctissimam matrem suam adeo devota prosecutus est reverentia, ut nullus umquam filius erga suam Genitricem majorem umquam aut devotiorem exhibere possit, huic mulieri in hæc verba responderit: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei!* Glossa Christum his verbis dicere voluisse existimat: *Non solum laudanda Maria, quia verbum Dei portavit in utero, sed maxime beata est, quia præcepta Dei servavit in opere.*

Quod Christus æterni Patris verbum factus sit prædicabilis, ventri B. Virginis acceptum referre debemus.

Heb.1. v.1.

Joan.1.v.18.

Luc.4.18.

1.Cor.3. v.1.

Luc.11.27.

Gloss.

At

At vero si dictionem illam: *Quinimmo*, recte ponderare velimus, clare apparebit, Christum Beatæ Virgini anteponere voluisse quoad beatitudinem, eum, qui verbum Dei devote auscultat. Dic enim obsecro quomodo uterus Virginis Mariæ beati titulum promeretur? Respondebis utique, quod huic omni cum veritate dici debeat. *Emissiones tuæ paradisus*; Primus enim locus in terra privilegiatus, in quem gloria cælestis descendit, fuit uterus Mariæ, siquidem in eo reclusa fuit anima Christi, quæ verè beata erat, ibi quoque erat Verbum, secunda sanctissimæ Triadis persona aliæque duæ personæ per concomitantiam. Ecce tibi igitur quousque anima fidelis pertingat, quæ verbum Dei devote auscultat, siquidem ab ipsomet verbo incarnato illi comparatur & adæquatur utero, qui depositum erat paradisi. *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Sanctus Bernardus in sermone *de multiplici bonorum genere*, in quonam beatitudo consistat, his verbis indicat: *Beatitudo est, ubi nihil sit, quod nolis, & ubi totum sit, quod velis.* Unde ideo in cœlo beatitudine gaudemus, quia ibi nullum prorsus est malum, econtra vero omne ibidem est bonum, quod desiderare, aut imaginari nobis possumus. Hasce autem duas prærogativas verbum Dei in se includere, Doctor Angelicus postquam stultos appellasset illos, qui verbum Dei non auscultant, ita ostendit: *Quia ex auditu verbi vitatur omne malum, secundo acquiritur omne bonum.* Præterea sicut beatitudo in clara Dei visione consistit, ita quoque, ut idem Sanctus Thomas advertit, Christus apud Sanctum Joannem promisit dicens: *Si quis diligit me, & sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Ac proinde hanc valde notabilem propositionem subinfert: *Trinitas in corde ipsius inhabitat.* Deinde cum inter octo beatitudines aperte dicatur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, quis est qui nesciat, quod ut oculus noster mundetur, & purificetur, ad videndam sanctissimam Trinitatem, verbum divinum sufficiat? Numquid enim Christus ait: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis?* Apud S. Joannem cap. 6. sermo ille describitur, quem Christus ad turbas pronunciavit, in cujus fine, in hæc verba prorupit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* At vero de quo spiritu, de quo flatu, de qua vita Christus ibi locutus fuit? Utique non de illo Spiritu, qui ad corporaliter vivendum à nobis attrahitur, sed haud dubiè locutus fuit de vita spirituali & æterna animæ, quæ in divino ejus verbo consistit. Unde Sanctus Bernardinus in sermone *de desiderabili veritate* sequentem tradit doctrinam: *Veritas prædicata habet virtutem spiraculi vitam influentis, proinde Joan. 6. summa veritas ait: Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita, id est spiritualis vita sunt; Et iterum Joan. 8. Amen dico, id est in veritate dico vobis; Si quis sermonem meum servaverit, scilicet corde, ore, & opere, mortem non videbit in æternum, id est non experietur. Hujus ratio est, quia semen est verbum Dei, ut dicitur Luc. 8. Consistit autem vita æterna in verbo Dei, quia finaliter perducit ad vitam æternam. Sicut ille qui servat semen à corruptione, ad fructus pervenit, sic qui servat divinum verbum, quod est veritas, pervenit ad beatitudinis statum, quam beatitudinem designat, cum ait: Mortem non gustabit in æternum.*

Cant.4.13.

Anima fidelis, verbum Dei devotè auscultans, comparatur utero B. Virginis.
Luc.11.v.28.

S.Bernard. de tripl. bonor. gen.

Mirabiles prærogativæ verbi Dei.
S.Thom. ser.2.de pass.

Joan.14.23.

S.Thom. ibid ser.3.
Matth.5.v.8

Joan.15.v.3.

Joan. 6. 64.

S.Bernard. Tom.3.de desiderab.verit. art.1.c.3.
Joan.6.64.

Joan. 8. 51.

Luc.8.

2. Non dubito, quin sæpius in admirationem vos rapuerit illa apud S.Matth. cap.13. à cœlesti Magistro pronunciata parabola: *Simile est regnum cælorum grano Sinapis, quod accipiens homo, seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.* Quæ enim esse potest proportio inter minutissimum & quasi indivisibile Sinapis semen, & regni alicujus, quale est Empyreum, amplitudinem, & vastitatem? Quod si grano Sinapis comparasset omnes hujus universi Monarchias, res extra omnem posita foret admirationem, nam ut Seneca Moralis ait: *Punctum est istud, in quo regna disponitis*; Non vero res ita se habet cum *regno cælorum.* Quid igitur pro hujus difficultatis solutione responderi poterit? Divus Chrysostomus per hoc granum Sinapis prædicationem intelligit evangelicam quæ debilia principia habuit; *Hoc quippe imagine prædicit*, inquit Chrysostomus, *prædicationem per universum orbem omnino coruscaturam.* Theophylactus quoque ait: *Semen Sinapis prædicatio est, & Apostoli, pauci enim videntur hi, & totum orbem occupaverunt.* S. Bonaventura per hoc granum notitiam æternarum veritatum interpretatur, quæ mentibus, & intellectibus nostris, per verbum Dei prædicatum, vel lectum, imprimuntur, & intelliguntur: *Revera*, inquit Bonaventura, *regnum cælorum non est aliud, quam perfecta notitia divinæ veritatis, ideo grano Sinapis assimilatur, quia ipsum est modicum in mole, sed magnum in virtute, sive fervore.* Unicum dumtaxat evangelicæ prædicationis verbum, unica veritas sæpe ad imprimenda nobis æternæ salutis & beatitudinis desideria, & cogitationes abunde sufficit; Ac proinde tempore mensæ illius, quam turbis in desertum usque ipsum sectantibus præparavit, dixit Apostolis suis: *Colligite ... fragmenta ne pereant*, quia quodvis etiam minimum mystici hujus Sinapis granum integro cœlorum regno præponderat. *Regnum cælorum prædicatio Evangelij est*, inquit S. Hieronymus, *quæ ducit ad vitam & de qua dicitur ad Judæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

Matth.13. v.31.
Parabola grani Sinapis applicatur verbo Dei.

Seneca lib. 1. qu.nat.

D.Chrysost. hom.47.in Matth.

Theophyl.

S.Bonav. in c.13. Luc.

Joan.6. 12.

S.Hieron. Ibid.

3. Sanctus Ambrosius in laudem verbi Dei ita scribit: *Verbum Dei dejectos nos atque depressos ad cælestem gratiam provocavit, ut desideremus æternitatem, despiciamus præsentia, temporalia recusemus, futura, & invisibilia requiramus.* Enimvero tametsi pro cælo possidendo creati simus, nostraque anima ad ultimum suum finem continuo aspiret, ipsa tamen quotidiana experientia verissimum esse docet, id quod Sapiens inquit, scilicet: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*; Hæc enim terra nostra id est sensualitas, & portio inferior adeo nos deorsum trahit, ut ne supercilia quidem nostra, multo minus cor nostrum ad bona cælestia sursum nobis præparata, erigere se possint: Unicum igitur remedium, per quod in bonorum immortalium amorem accendantur, est verbi Dei devota auscultatio. Unde Sanctus Bernardinus ait: *Unde amor virtutum, ac spes, & desiderium æternorum, nisi per verbum Dei?* Hebræi lucris suis adeo addicti erant, ut hæc sola petra scandali illius fuerit de quo apud Sanctum Joannem cap. 11. legitur: *Si dimittimus eum sic ... venient Romani, & tollent locum nostrum*; Ubi Sanctus Augustinus ait: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt.* Quam enim ob causam illos veræ vitæ necem inferre voluisse existimas? Causa fuit cupiditas divitiarum, quæ illis ut bona æterna respicerent, minime permittebat. Unde Christus illis improperavit dicens *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; Nihilominus hoc non obstante in Actibus Apost. cap. 2. expresse dicitur, quod post breve temporis spatium multi ex ipsis adeo fuerint mutati, *ut habuerint omnia communia, possessiones, & substantias vendiderint, & diviserint sua omnibus, prout cuique opus erat.* Unde Tertullianus in laudem Christianorum sui sæculi inquit: *Terram suspenso pede tenemus*, quasi dicere vellet, Christiani amore bonorum æternorum adeo erant inflammati, ut quasi uno tantum pede super terram ambulare videantur. At vero dic sodes undenam hic cælestium rerum amor, & terrenorum bonorum contemptus derivabatur? *Nimirum: Erant perseverantes in doctrina Apostolorum*, id est, quotidie verbum Dei auscultabant, & ideo *eloquium Domini inflammabat eos.* Et ideo Sanctus Bernardinus in alio quodam sermone in hæc verba scribit: *Et verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, id est sine fructu, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur, quia secundum Prophetam, rectum est verbum Domini, scilicet ab effectu, quia per rectam paradisi viam dirigit mentem, si scilicet addatur illud, quod sequitur: Et omnia opera ejus in fide.*

S Ambros. in Psal.118. oct 7.

Auditum Verbum Dei erigit cor nostrum ad cælestia bona desideranda.
Sap.9.v.15.

S.Bernard. Tom.2.ser. 10.art.3.c.2.
Joan.11.48.

S Aug.tract. 49.in Joan.

Joan.8.47.

Act. Apost.2. v.44.

Ibid.v.42.

Psal.104.19.

Isaiæ 55. 11.
S.Bernard. Tom.2.ser. 9.in Dom. 1.quadr.

4. S. Propheta Elias ab oblato sibi ab angelo pane subcinericio restauratus, ad montem usque Horeb profectus fuit, ibidemque visionis Dei, licet *per modum transeuntis* factus est particeps, quantum illius capax est humana mortalitas. *Fit quandoque ex sermone uno*, inquit S. Bernardinus, *mens fortior ipso Elia, ita ut non solum per quadraginta gradus gradiatur in via Domini cum proposito bono, sed etiam per quadraginta annos, & amplius, in via pœnitentiæ perseveret, quousque perveniat vere ad montem Dei Horeb, id est usque ad gloriam paradisi.* Memorandum hoc loco est, quod Regina Saba, quæ typus Ecclesiæ erat, de servis Salomonis, qui Christum præfigu-

Verbum Dei confortat nos in via Domini, & efficit beatos.
S.Bernard. ibid.art.3, cap.4.

3.Reg.10. 8.
præfigurabat, dixerit : *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam; Qui enim*, ut Sanctus Bernardinus ait, *fideliter audit verbum Dei, vere audit sapientiam Salomonis, ideo dicitur in psalmo : Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Porro vita hæc præsens iter quoddam est, in quo proficiscimur ad vitam æternam; At vero quamdiu hic viatores sumus, sub obscuritate, & in tenebris ambulamus; Quænam vero via ad hanc vitam secure ducere nos poterit? Christus ait : *Ego sum via veritas, & vita*, ubi, ut videtis, veritas inter viam & vitam media consistit, quia notitia & agnitio veritatis in cœlum nos conducit. Albertus Magnus ait : *Verbum veritate sua corda eorum sibi obligavit; Joan. 8. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Sanctus Jacobus Apostolus quoque monet dicens : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*

Joan.14.v.6. — Alb.Mag. in Luc.15. — Joan.8.31. — Jac.1. v.21.

Verbum Dei promittit nobis regnum cælorum.
Rom.1. 1. Theodoret. — Matth.3. v.2. — Matth.4. v.17. — Matth.10. v.7.

5. Sanctus Paulus qui prædicatione sua totum hoc universum ad Religionem Christianam conversurus erat, disponente Christo in tertium cælum raptus fuit, ut illos, quibus annunciaturus erat Evangelium, bonorum æternorum amore accendere posset. Unde Theodoretus super illa verba : *Segregatus in Evangelium*, inquit : *Prædicationem Evangelium appellavit, ut quod multorum bonorum suppeditationem promitteret. Feliciter enim annunciat Dei reconciliationem, diaboli dissolutionem, peccatorum remissionem, mortis cessationem, à mortuis resurrectionem, vitam æternam, & regnum cælorum.* Præcursor prædicationis evangelicæ, videlicet Sanctus Joannes Baptista prædicationem suam ab annunciatione æternæ gloriæ exorsus est dicendo : *Appropinquavit regnum cælorum*; Idem quoque prædicationis suæ principium incarnata Sapientia habuit, nam ut in eodem capite Matth. legitur : *Exinde cæpit Jesus prædicare, & dicere : Appropinquavit regnum cælorum*; Similiter apud eumdem Matth. cap. 10. postquam dixisset Apostolis : *Euntes autem prædicate*, mox quoque prædicationis thema iisdem præscripsit : *Dicentes; quia appropinquavit regnum cælorum*, opportunum namque esse censuit, si divinum verbum suum, cum promissione vel spe regni cœlorum conjungerent.

S.Vint.Ferr. ser.4.in Dom. 3. post Pascha.
Verbum Dei ducit ad vitam æternam.
Psal.118.2. — Joan.5.38. Ibid.v.39. Ibid.v.40. — Joan.6.61. — Ibid.v.67. — Ibid.v.69. Abul.q.65. in Matth. in c.14. — Dion.Cart.

6. Sanctus Vincentius Ferrerius in sermone quodam prædicationis evangelicæ recensens effectus, inquit : *Verbum Dei, quando est digne prædicatum & devote auditum, facit tria; primo illuminat in cognitione de rebus Spiritualibus; Secundo inflammat in dilectione de bonis cælestibus : Tertio purificat de infectione de culpis mortalibus.* Regius Propheta David beatos appellat illos, qui in investigandis Sacræ Scripturæ sensibus omnem navant operam, quod unicum ministrorum evangelicorum solet esse studium; Ait enim : *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Christus quoque ipsemet apud S. Joannem cap. 5. cæcis & malignis Hebræis improperat dicens : *Verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis : Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt Et quæ testimonium perhibent de me, non vultis venire ad me, ut vitam habeatis :* Quasi dicere voluisset, sine dubio invenissetis vitam æternam, si prædicationi meæ pronas adhibuissetis aures : Ac proinde in cap.6. sequenti idem Evangelista de illis, qui invitis animis divinum verbum audiebant, dicentes : *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*, refert, quod ab eo discedentes, sequelæ ipsius renunciarint : *Multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant :* Non vero ita Petrus fecit, qui aliorum Apostolorum nomine Salvatori dixit : *Verba vitæ æternæ habes*, quæ verba Abulensis ita exponit : *Verba vitæ æternæ habes, id est verba tua sunt dulcia, sicut vita æterna : Ideo nemo altus est, ad quem melius possimus ire, quam ad te.* Dionysius Carthusianus eadem verba aliter exponit dicens : *Doctrina tua cælestis est, & obedientes tibi ad vitam æternam perducit.*

Joan.8.51. & 52. — Hug.Card. — S.Bonav. ibid. — Verba Dei sunt vita. — Dion.Carth. Ibid.

7. Christus Salvator noster in cap. 8. Sancti Joannis protestatur dicens : *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit*; Hugo Cardinalis legit : *Non videbit in æternum.* Et subdit : *Loquitur de morte secunda, & æterna, quæ est vera mors.* Doctor Seraphicus hunc textum examinans inquit : *Nec mirum qui servat vitam, non experietur mortem, sed verba Dei sunt vita : Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt, & ideo servantes illa non gustabunt mortem, vita enim sunt invenientibus ea.* Dionysius Carthusianus addit, quod quisquis verbum Dei audierit, & custodierit, vivet in hac vita in gratia, & consequenter in hoc mundo quodammodo beatus erit, siquidem gratia à Theologis gloria inchoata appellatur. *Numquam experietur*, inquit Carthusianus, *seu sentiet mortem spiritualem, quia nec in præsenti privabitur vita gratiæ, nec in futura vita gloriæ, & nec pœnam sensus, nec pœnam damni in inferno habebit. Ut habetur in Luca, semen est verbum Dei, quemadmodum ergo in corporalibus rebus qui semen custodit in terra, pertingit ad fructum, sic qui servat verbum Christi in corde, continuo tendit, tandemque pertingit ad fructum seminis hujus, qui est vita æterna.*

Miraculum ex audito verbo Dei.
Act.Apost. 20.v 7. Ibid.v.9. — Ibid.v.10. — Ibid.v.12. — Joan.8.v.52. — Joan.6.69. — Ibid.v.64. — Prov.10.11. — Joan.4. v.14.

8. In Actibus Apostolorum legitur, quod cum Apostolus in Trojade prædicans, sermonem in mediam usque noctem produxisset, adolescens quidam nomine Eutychus, ex loco eminenti delapsus expirarit : *Protraxit sermonem usque in mediam noctem. ... Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno, cecidit de tertio cænaculo deorsum, & sublatus est mortuus.* Quod vero in hac historia lectorem obstupescere facit, est illud quod sequitur : *Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum & complexus dixit, nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.* At vero numquid Evangelista Lucas jam dixit : *Et mortuus est?* Quomodo igitur Sanctus Paulus dicit : *Anima ejus in ipso est? Adduxerunt puerum viventem?* Nimirum S. Paulo impossibile esse videbatur, quod non verificaretur in hoc adolescente oraculum Christi dicentis : *Qui sermonem meum servaverit, mortem non gustabit*, nec non illud Sancti Petri oraculum : *Verba vitæ æternæ habes.* Ac proinde cum hic adolescens auscultasset verbum Dei, tametsi ceciderit mortuus subito iterum fuit vivificatus, siquidem *verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Sapiens quoque linguam hominis justi, verbum Dei annunciantis describens ait : *Vena vitæ os justi*; Sicut enim Christus gratiam divinam appellat *fontem aquæ salientis in vitam æternam*, ita nos pariter de eo, qui verbum Dei annunciat asserere possumus : *Vena vitæ & prædicatoris.*

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Hi qui verbum Dei libentor audiunt, Regis titulo jure honorantur; Ubi & aliæ eorum considerantur excellentiæ, & honores.

THEMA.

Audite Reges, auribus percipite Principes? Judic. 5. ℣. 3.

Libenter audientes verbum Dei, decorantur titulo regis. — Orig.Hom. 6. in Jud.

1. IN cantico Deboræ, Principes, Reges, aliæque personæ eminentes & illustres ad audiendum invitantur, *Audite reges &c.* Origenes prædicta verba moraliter exponens, ad sublimem illorum, qui verbum Dei auscultant, alludit dignitatem inquiens : *Reges appellat eos, qui convocantur ad audiendum verbum Dei; Exulta popule Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia; Tu vocaris ad audiendum verbum Dei; Et non ut plebs, sed ut rex vocaris, tibi enim dictum est : Genus regale, & Sacerdotale, populus in acquisitionem.* Modum vero quo ejusmodis reges fieri possimus, paulo post ostendit, dum ait : *Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te; Rex namque à regendo dictus est; Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub jugum imperij tui mittas, si vitiorum gentes, sobrietatis tuæ frænis arctioribus premas, merito Rex diceris, qui te recte agere noveris. Cum ergo talis fueris effectus, digne ut Rex ad audienda divina verba vocaberis.*

Gen. 49. 20. — S.Eucher.l.3. in Gen.
Verbum Dei confert vigorem animæ dominandi sensibus.
Rup.Abb. l.4. in Psal. c.2.
Deus verbum divinum primo per os Regis annunciari voluit.

2. Sanctus Eucherius super illum Genesios textum : *Pinguis panis ejus præbebit delicias regibus*, quinam in sensu morali hi reges sint, ita declarat : *Præbet delicias sapientiæ regibus, id est qui sensus proprios bene regunt, qui dominantur vitiorum suorum, qui castigant corpora sua, & animæ suæ in servitutem subjiciunt*; Hæc autem omnia verbum Dei docere, quis est, qui ignoret? Quia dum *dat voci suæ vocem virtutis*, Insuper etiam eodem tempore illis, qui verbum Dei digne auscultant, vigorem & virtutem subministrat proprijs sensibus dominandi. Rupertus Abbas ad longum disputat cur Deus Regem elegerit, ad docendam, & erudiendam in futuris sæculis sanctam Ecclesiam suam, & nisi fallar, discursum ipsius nostro proposito accommodum futurum esse existimo. En verba ipsius : *Ut quid sermo Domini, de virtutibus locuturus futuri sæculi, regem sibi per quem loqueretur, elegit, imo illum, per quem primum loqui disposuerat, de animarum salute, vel vita æterna Regem esse voluit? Nec enim idcirco quia Rex erat, elegit illum, & loqui voluit per illum, sed quia illum elegerat, & ad hoc officium præparaverat, idcirco Regem illum esse voluit. Cur ergo sic egit? Cur sic venit verbum Domini? Cur de tribunalibus audiri primitus voluit? Cur de regali solio primas voces emisit? Nimirum propter duritatem nostram, propter vanitatem, & superbiam nostram; Diligenter advertamus, causamque ex nobis esse, vel fuisse, jam scienter fateamur. Totum mundi hujus auditorium Deo obsurduerat & in audienda vanitate superbiebat, omnis homo vivens universa vanitas erat. Ludo vanitatis intenta populosa carnis lascivia, vitæ æternæ seria mortis imminentis negotia scire designabatur, audire non poterat. Videmus jam senem, ac decrepitum mundum adhuc ex parte maxima lascivientem, matura evangelicæ prædicationis fastidire verba, sicque sani sermonis aditus, velut sarcina, aut massà gravari arenaria. Ridentur nonnunquam publice prædicatores, nisi caveant, quod & præceptum est, dicente Domino : Nolite margaritas vestras mittere ante porcos. Quanto magis cum adhuc recens mundus laxu juventutis efferretur, personam qualemcumque verbi Dei prædicantem audire dedignaretur? Ergo peregrinum erat huic mundo verbum Domini, non aliter attentos aut benevolos habiturum divites sæculi nisi orationem suam inciperet per os regis, divitis, magni, regis manu fortis, & victoriosi, qualis erat iste David.* At vero inquies fortasse, cur nos quoque asserere non poterimus, quod ad verbum Dei magis nobilitandum, ejusque nobilitatem mundo magis manifestandam, non sine mysterio in ejus ministrum elegerit regem quemdam adeo nobilem, tantaque gloria conspicuum? Increata sapientia voluit, ut filius ejus (cujus magnificentia omnibus sæculis futuris velut incomparabilis illucescet, quique ab ultimis mundi finibus reginas ex ejus fama audita stupefactas, & attonitas ad eum audiendum evocaverat) pariter officium prædicatoris exerceret; Et hoc est, quod Ecclesiastes dicere voluit in verbis supradictis.

Verbum Dei olim etiam apud reges gentiles in maxima veneratione fuit.
Judic.3.20. — Abul.q.22. ibid.
Prædicatio verbi Dei tamquam nobilissimum ministerium, dignitati episcopali indivisibiliter conjuncta est.
Act Eccl. Med.p.4. fol. 474. — Act. Eccl. med.f.838.1

3. Erat olim verbum Dei in tanta veneratione, & respectu, ut etiam ipsamet capita coronata seu reges, licet idololatriæ sacrilegio contaminati erecto corpore steterint dum illud legeretur, idque in signum humillimæ reverentiæ, & obsequij. Enim vero quando Aod præsentatus fuit coram rege Eglon, qui mire pinguis & obesus erat, diceretque ei : *Verbum Dei habeo ad te*; hic subito in pedes se erexit : *Qui statim surrexit de throno; Erat autem Eglon crassus nimis.* Ubi Abulensis inquit : *Surrexit de throno in reverentiam verbi Dei, ut non audiret illud sedendo. Hebræi dicunt, quod Eglon meruit, quod surrexit ad audiendum verbum Dei, ideoque de genere ejus fuit Ruth Moabitis, de qua descendit David.* Et vero licet Abulensis idipsum non approbet, attamen ex hac observatione colligitur, in quanta verbum Dei etiam apud reges gentiles fuerit æstimatione. Unde etiam fit, quod cum prædicatio verbi Dei ministerium sit nobilissimum, ideo quoque cum dignitate episcopali indivisibiliter sit conjunctum, in tantum vero illud ab Episcopis aliis administrandum committitur, in quantum vel ipsi talento prædicandi sunt destituti, vel quia soli idipsum præstare non possunt quoad omnes subditos, & in omni loco & tempore, & ideo aliorum opera supplent, quod ipsi facere non possunt. Unde Sanctus Carolus idipsum probe sciens, dum de hac materia disserit, pro instructione Episcopi ita scribit : *Quam diligentissime videbit, cui illius facultatem det, ne tanto muneri injuria fiat, neve res sanctissima violetur, cum præsertim non cujusvis sit, ut inquit Nazianzenus, de Deo, divinisque rebus disserere, concionarive.* Idem Sanctus Archiepiscopus de adjutorio animarum scribens, ad perpetuam verbi divini gloriam ita docet : *Inter hæc instrumenta connumeretur vel maxime ratio ac via divini verbi prædicandi, quæ quidem eam verborum, sententiarumque gravitatem, eamque vim Spiritus complecti debet, quam dignitas & præstantia hujus muneris requirit. Nam hujus quidem muneris, sive materia, sive finis spectetur, tanta utique dignitas ostenditur, ut non facile aliud excogitari, dicive possit, quod illo præstantius sit, aut altius, aut magnificentius; Siquidem omnia Christianæ religionis mysteria, ac Sacramenta, omnes virtutes, omnia quæ ad ejusdem religionis fidem, fideique fructus spectant, omnia denique quæ à Deo ad homines proficiscuntur, & ad Deum proficiscentes homines juvant, verbi divini nomine continentur.* Ex quibus omnibus eminens prædicationis dignitas facile comprehenditur, quæ etiam redundat in illos, qui debitis, & dignis cum dispositionibus illam excipiunt.

Auditores devoti verbi Dei à Christo præferri videntur S. S. ejus Matri.
Luc.11.28. — S. Bonav. in Luc. — Prov.16.2. — Joan.18.37. S.Bernard. Tom.3. de desiderab. verit.art.2. cap.1.

4. Superius in præcedenti discursu mentionem fecimus responsionis, quam incarnata sapientia S. Marcellæ dedit, quando hæc Christum prædicantem admirans exclamaverat dicens : *Beatus venter qui te portavit*, tunc enim Christus subintulit : *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ubi observandum est, quodnam fuerit laudum, ab hac muliere prolatarum, objectum; Merito enim sapiens hæc mulier arcam illam commendaverat animatam, quæ universum genus humanum, à peccati, & æternæ mortis diluvio salvavit; Uterum illum, qui Spiritus sancti sanctuarium extitit, templum denique illius Dei, cui Cherubini throni loco deserviunt, *quem terra, pontus, æthera, colunt, adorant, prædicant, trinam regentem machinam, claustrum Mariæ bajulat*; Et tamen sibi responderi audivit : *Quinimmo beati qui audiunt &c.* Mira profecto responsio; Ergone filius ille erga sanctissimam matrem suam adeo obsequiosus, ut Sanctus Lucas de illo dicat : *Et erat subditus illis*, dignissimam hanc suam genetricem verbo Dei non solum comparat, verum etiam eamdem eodem verbo Dei inferiorem declaravit, dicendo : *Quinimmo beati &c.* Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui erga B. V. Mariam, velut eximius illius cultor, summo semper amore exarsit, responsum hoc Christi explicando ad meliorem illius intelligentiam ita scribit : *Non dicit adversando, sed potius superaddendo, quasi diceret : Non solum beatus venter, qui portavit me verbum caro factum, verum etiam beatior, qui suscipit verbum à me prolatum.* Quibus in verbis singulariter ad invicem ponderandæ sunt duæ illæ dictiones, scilicet : *Beatus, & beatior*; Illis namque in pondere sanctuarij accurate trutinatis, clare apparebit, quod ille, qui *spirituum ponderator est* majori æstimet honore & magnificentia dignum illum, qui divinum verbum devote auscultat, indeque fructum percipit, quam sacrosanctum B. V. Mariæ uterum. Idem vero Seraphicus Doctor prædictæ suæ propositionis hanc assignat rationem : *Maria non tantum beata fuit, quia Christum portavit in carne, verum etiam beatior, quia Christum gestavit in mente.* Enimvero dic sodes, quonam fine filius Dei in visceribus virginalibus incarnatus fuit? *Ego ad hoc natus sum, Joan. 18. scilicet temporaliter*, ut Sanctus Bernardinus explicat, *& ad hoc veni in mundum per carnis assumptionem, ut testimonium perhibeam veritati, scilicet manifestando errores hominum, & perditionem eorum, & indicando, atque docendo veritatem de divinis, ut per eam salventur*; Patet igitur quod Christus per hanc protestationem : *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei*, causam hujus prærogativæ demonstrare voluerit, qua auditores verbi sui sanctissimæ suæ matri præferendos esse censuit.

Bernard. Tom. 2. ser. 10. in 1. Dom. Quadr. art.3.c.2.
Exponitur analogia inter verbum Dei, & corpus Christi.
S. Antonin. p.2.t.9.c.11.

5. Sanctus Bernardinus authoritatem quamdam citat Sancti Augustini I. Qui c. *interrogo.* dicentis : *Interrogo vos fratres, vel sorores, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, corpus Christi, an verbum Christi? Si verum vultis respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi.* Ex qua declaratione Sancti Augustini Doctoris fide dignissimi evidenter colligitur, longe magis reverendam esse Mariam virginem, ex eo, quia verbum concepit in mente sua, quam quia corpus Christi in utero suo suscepit; Ad hanc igitur tam sublimem dignitatem quælibet anima fidelis evehitur, ut in corde suo idemmet verbum prædicatum concipiat, illudque in lucem edat, dum quod prædicatum est, opere exequitur. Sanctus Antoninus quoque sequens adducit Sancti Augustini effatum, dicentis : *Non minus est verbum Dei, quam corpus Christi*; Quod quo sensu intelligendum sit, idem Antoninus in hæc verba exponit : *Quod verum est, non quoad essentiam, sed quoad efficientiam, secundum Glossam : Quinimmo major fructus sequitur ex verbo Dei prædicato, quam corpore Christi sumpto, nam*

Quanti ipsemet Christus æstimaverit verbum suum. Matth.12. v.46.

per Sacramentum nullas justificatur, si accedit indigne, & incontritus, sed augetur iniquitas sua. Sed obstinatissimi homines audiendo prædicationem convertuntur. Porro quanti Christus verbum suum prædicatum æstimaverit, clarius videri potest ex historia quam Sanctus Matthæus cap. 12. describit, dum enim Christus coram scribis, & Pharisæis, ac universo populo in ingenti numero congregato, evangelicas prædicaret veritates; *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Enimvero si scire cupimus quo fine ille hoc nuncium Christo insinuarit, interrogemus S. Hieronymum, hunc enim audiemus dicentem: *Videtur mihi iste qui nuntiat, non fortuito, & simpliciter nunciare, sed insidias tendere Salvatori.* Author operis imperfecti, ut alibi diximus de eodem nuntio in hunc modum scribit: *Venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur.* At vero quænam in hoc erat malitia, quod is filio, qui erga sanctissimam matrem suam reverentissimus erat, insinuaret, quod foris à matre expectaretur? Respondet S. Hieronymus nuncium illum insidias ei hoc malitioso fine tetendisse, ut feliciter exploraret *utrum spirituali operi carnem & sanguinem præferat.* Verum nuncius ille valde deceptus fuit, prout Christus tam in dato ei responso, quam in eo quod operatus est, manifeste ostendit; Neque enim ob hoc sibi allatum nuncium expectantis matris, prædicationem suam intermittere, vel abbreviare voluit, sed discursum suum ad prædictum nuncium dirigens, inquit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Itane o Christe Redemptor? Ergone tuos secundùm carnem fratres, & multo magis sanctissimam matrem tuam ignoras? Aut si illos nosti, cur per hanc interrogationem te in hac notitia vacillare ostendis? Glossa inquit: *Non recusat obsequia matris sed præfert ministeria Patris.* Pater enim ipsum prædicandi causa in mundum miserat: *Evangelizare pauperibus misit me;* Hoc igitur cuilibet alteri rei anteponendum erat, etiamsi de obsequio Mariæ genetrici suæ præstando ageretur. In cujus probationem Guerricus Abbas in sermone quodam ait: *Illi qui sermonem Evangelij, parentes annunciando interrumpebat, melius respondere non poterat.* Rupertus Abbas similiter inquit: *Evangelizabat cum hæc diceret, præceptaret, ut homo perfectionis amator propter evangelium patrem, & matrem relinquat.* S. Cæsarius notat Christum à prædicando non destitisse, licet ad exhibendum matri suæ obsequium sollicitaretur; Ait enim: *Neque Christus, cum à matre & fratribus quæreretur, vocationem admisit, cum apud auditores salutiferam doctrinam exorsus esset.* S. Hieronymus autem in commendationem divini verbi etiam cum exaggeratione exclamat: *O mysterium, Mariam matrem sibi Dominus abjurat, cum extra verbi audientiam esse constituta, eo potissimum tempore, quo verbum prædicabatur à verbo.* Hic quoque in memoriam revocandum est, quod Christus fecit, cum in conspectu copiosissimi illius auditorij *extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei,* quasi dicere vellet: Hi qui verbum meum sive lectum intra se concipiunt, apud me habentur & loco in dignitate matris, multo magis quam illa, quæ me in visceribus suis virginalibus concepit. Dionysius quoque Carthusianus inquit, Christum ad Apostolos Evangelium annunciantes alludendo dicere voluisse: *Generant me in cordibus aliorum, & sicut Apostolus loquitur: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, sic ergo generant me, id est esse & habitare me facium in aliorum præcordijs.* At vero Abulensis hanc historiam examinando, in quæstione quadam ita scribit: *Ut aperte ostenderet, multo excellentius esse audire verbum Christi, & prædicare, quam colloqui matri.*

Glossa. Luc.4. v.18. Guerr.Abb. serm.4.de Assumpt. Rup. Abb. l.4.de divin. off. cap.14. S.Cæsar. Dial.3. S.Hieron. Matth.12.49 Dion. Carth. Abul.ibid. q.180.

6. Restat nunc, ut ad ejusdem verbi Dei gloriam, aliam quamdam ponderemus historiam, quam S. Joannes cap.7. in hæc verba describit: *Quidam volebant apprehendere eum, sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices, & Pharisæos & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?* Circa quæ verba merito quærendum venit, cur ministri ad capiendum Christum emissi, manus ei non injecerint, cum tamen in Gethsemani carceris & vinculis oneratum, captivum ad Annam, Caiphan, & Pilatū adduxerint, sed respondetur causam ob quam illi, qui eum in horto *vinctum abduxerant*, in templo ipsimet à Christo vincti, & captivati fuerint, hanc esse, quia in templo cum prædicantem audiebant, & qui tamquam lictores & infames justitiæ ministri advenerant, cum honore & titulo Regis, ut à principio diximus, à Christo honorati, & privilegiati ad eos, à quibus missi fuerant, redierunt, dicentes: *Numquam sic locutus est homo;* Ecce tibi rationem, quam in medium attulerunt, cur Christum non vinxerint, sed potius ab illo vincti fuerint. Joan.7.v.46.

7. Origenes textum illum cæpitis sequentis S. Joannis explicans: *Hæc verba locutus est Jesus in Gazophylacio docens in templo, & nemo apprehendit eum*, ita scribit: *Tot verba in Gazophylacio loquens, & docens Jesus in templo, nondum ab ullo tenetur, verba enim ipsius fortiora erant ipsum apprehendere volentibus, & certe quamdiu loquitur, tamdiu nemo illi insidias struentium apprehendere eum valet, sed si tacuerit, semper tenetur; unde interrogatus à Pilato, & flagellatus (quod velles pro mundo pati) tacet; aliquam si locutus fuisset, non crucifigendus ex infirmitate, quoniam non est infirmitas in his, quæ sermo filius Dei loquitur.* D.Chrysostomus examinans verba illa: *Numquam sic locutus est homo*, in homilia quadam inquit: *Neque eorum tantum sapientia admiranda est, quod signis non egerunt, sed quod sola doctrina credituerunt, Non enim dixerunt: Neminem umquam ita miracula fecisse, sed neminem umquam sic fuisse locutum.* Non igitur miracula, sed sola verba catenæ fuerunt, quæ eos in amorem, & veneracionem Christi adstrinxerunt; Verum enimvero nil mirum, siquidem S.Lucas etiam in alia quadam occasione ita scribit: *Omnis populus suspensus erat audiens illum.* S. Bernardinus de suavitate, quam sacra eloquentia in animas influit, ita fatur: *Hac dulcedine capti fuerunt illi ministri Pontificum & Pharisæorum, qui ab eis interrogati Joan.7. Quare non adduxistis illum? Responderunt: Numquam sic locutus est homo.* Albertus Magnus hac phrasi loquendi utitur: *Sermonibus Domini capti, contemptis pretijs, quibus remunerabantur ad capiendum, ex solis verbis sine miraculis stabant in suis sermonibus capti, à ministerio captivitatis desiterunt* Nec mirum, quod enim pretium opulentius optare sibi potuissent, quam sint verba Dei, *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Joan.7.v.46. Joan.8.v.20. Orig.in Joan. 8.v.20. Joan.7.46. D.Chrysost. Hom.51.in Joan. Luc.10.48. S.Bernard. Tom.2.ser.9. art.2.c 3. Albert.Mag. Pſ.18.1.

8. Hisque in honorem prædicationis evangelicæ dictis adjungamus, quod Eusebius de Constantino Magno scribit, qui integris horis verbum Dei stans in pedes erectus summa cum veneratione audiebat, qui cum ab Episcopo sedere jussus esset, respondit: *Nefas videri institutis de Deo disputationibus aures præbeve neghgentes; Quin etiam ipsummet Imperatorem, si qua inter dicendum incidisset occasio, loquendi de Theologia, assurrexisse, eoque habito tamdiu constitisse vultu contracto, & depressa voce, atque tanta prudentia, & moderatione, ut præsentium animos cœlesti disciplina imbuere, ac devovere videretur.* Constantinus M. stando integris horis, audiebat verbum Dei, Euseb.l.4. cap.33.

DISCURSUS XVIII.
ARGUMENTUM.

Deus est qui in ministris Evangelicis loquitur, cique tribuendus est verbi Dei fructus, quod proinde nequaquam contemnendum est, utpote quod non hominis, sed Dei verbum est.

THEMA.

Qui vos audit, me audit. Luc.10.℣.16.

Prædicatores verbi Dei tenent locum Dei in terra.

1. INcreata & incarnata sapientia, æternum patris verbum divini verbi sui prædicatores excellentius extollere & magnificare non poterat, quam per veridicum Evangelistarum calamum afferendo: *Qui vos audit, me audit.* Sunt enim ministri Evangelici hic in terris locum tenentes Dei; *Nam ipsi gerunt Christi personam* (verba sunt S. Bonaventuræ) *unde Apostolus ait: An expertmentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* Et ideo dicitur: *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum sed sicut est vere, verbum Dei. In auditu ergo Discipulorum Christi, Christus auditur, & similiter in contemptu contemnitur, & propterea subditur: Qui vos spernit, me spernit.* Adducitque sequentem Dei apud Ezechielem descriptam querimoniam: *Fili hominis vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos;* Et paulo post subdit: *Domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me.* S.Bonav. Ezech.3. v.4 Ibid.v.7.

2. Legati principum ob munus, & characterem, quem à principibus, à quibus missi sunt, sibi impositum & impressum circumferunt, honorantur, ac proinde

Qui honorat, vel spernit prædicatorem verbi Dei, honorat vel spernit ipsum Deum. S.Bonav.

proinde honores qui illis exhibentur, in obsequium redundant illorum, quorum obtinent locum & personam; Subdit vero præcitatus Doctor Seraphicus, *authorat eos* (scilicet prædicatores) *propter authoritatem summi Imperatoris, cum subdit: Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Est magna authoritas prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, & contemptu contemnitur, ipsi enim sunt os Domini, verba ejus annunciando, sicut dicitur: Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, & ideo tamquam os Dei pasci debent, & honorari* S. Basilius Magnus verba illa ponderans: *Qui vos spernit, me spernit*, hanc ex iisdem deducit conclusionem: *Non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in vos.* Deus ministros Evangelicos exaltare & sublimare voluit, non solum per communicationem potestatis & authoritatis suæ, suos eos faciendo locum tenentes, verum etiam insuper Spiritum suum sanctum eis communicavit, *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* S.Bernardinus in sermone quodam ita scribit: *Non solum dixit de se, sed etiam de omnibus aliis prædicantibus, qui charitatem non solum in se vestunt, sed etiam aliis communicant; Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* In progressu autem ejusdem sermonis, conversus ad eos, qui prædicatores devote auscultant, in hæc verba monet: *Cum audis prædicatorem, tu debes præsupponere quod audias Deum;* Adducitque sequentem facilem, & intelligibilem similitudinem inquiens: *Si unus magnus Princeps scribit unam literam suo populo omnes convocantur, & omnes præparant se ad audiendum, cum magno desiderio scendi, & cum magna reverentia, & Cancellarius ascendit in altum coram populo, & cum magna reverentia aperit literam, quia repræsentat personam Domini, & omnes stant reverentes, & attenti. Si igitur hoc in temporalibus fit, quanto magis in Spiritualibus, cum prædicator sit Cancellarius magni regis æterni.* S.Basil. moralia c.4. Spiritus sanctus loquitur in prædicatoribus. Matth. 10. v.20. S.Bernard. Tom.4.ser. 5.in 1. Dom. quadr.par. 1.princ. Ibid.3.part. princ.

Isaiæ 55. 11. Prædicatores sunt os patris æterni. S.Bernard. Tom.3.de desiderab.verit. art.1.c.3.

3. Idem S. Bernardinus in alio quodam sermone Tomi 3. adducit textum illum Isaiæ cap. 55. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud;* Id est de ore prædicatoris, inquit prædictus sanctus, *qui est os patris*, per *quem annunciat populis veritatem filij sui.* Tunc autem verbum Dei dici poterit minime infructuosum, fed copiosissimum parere messem, quando illud cum tali devotione, & applicatione mentis auscultaverimus, ac si ipsummet verbum incarnatum è cælo in terram reversum illud annunciaret. Isaiæ, qui per Antonomasiam Propheta Evangelicus cognominatur, per Seraphinum quemdam accepto ex cæli Empyrei officina carbone labia fuere purificata, ac proinde in cap. 50. prophetiæ suæ ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo;* Et ideo protestatus est se non lingua sua, sed Dei prædicare; Hic enim erat ordinarius prædicatorum & prophetarum veteris testamenti stylus, quod se ex ore Dei loqui protestarentur, ac proinde fere semper præmittebant; *Hæc dicit Dominus.* Pſ.67. v.12. Baron. An. 35.n.4 Quales gentes & barbari infideles per Verbum Dei liquefacti, & conversi fuerint. Isa.50.v.4. Ibid.v.5.

Isa.51. v.16. Ezech.3. v.17. Nulla proportio est inter verbum Dei, & declamationes gentilium oratorum. S.Bernard. ser.9 in Dom.1.quadr. art.1. cap.2. Eccli.48.v.1. Isaiæ 40.2. Matth.10.20.

4. Isai. cap. 51. Deus eidem Propheræ dicit: *Posui verba mea in ore tuo;* Et apud Ezechielem dicitur: *Speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Magna quidem apud diversos Demosthenis, Tullij, Platonis, divini cognominati, leguntur Encomia, quippe qui omnes in facundia, doctrina, & energia perfuasiva eximij fuerunt; At vero ut idem Sanctus Bernardinus notat, nulla est sermonis ipsorum cum verbo Dei proportio, hoc enim *est eloquium Domini, non Aristotelis, vel alicujus Poëtæ sed Domini, qui Doctor doctorum est demonstrandæ veritatis.* Idem S. Pater in decursu ejusdem sermonis citat verba illa: *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat;* Super quæ verba ita scribit: *Debent proinde prædicatores tam ex materia, quam ex efficaci modo dicendi illæ populo nunciare, quæ habeant audientium corda tangere & movere; Sicut Isaiæ 40. Dominus præcipit dicens: Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam, scilicet ad se ipsam, quasi dormientem atque torpentem. Expellit enim talis igneus sermo spiritualis frigus, cor hominis interdum invadens, & illud quadam Dei violentia ad se rapit, cujus ratio est, quia Dei verbo fervidè prædicato, verbum increatum assistit, in Auditorum cordibus agit, dicente Domino Matth. 10. Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis; Et ille est qui incendit Auditorum corda, & urit. Unde Psalmista: Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt. Hoc igne æstuabat illa devota mulier, quæ Luc. 11. Domino prædicante aiebat: Beatus venter qui te portavit &c.* Pſ.72.v.21. Luc.11.27.

Christus in die Ascensionis in cælum, jusserat Apostolis, ut in universum mundum dispersi, gentiles ad fidem converterent, quorum mundus plenus erat, siquidem solum *notas in Judæa Deus* erat, ne vero animo desponderent, ob messem illam tot laboribus, sudoribus, & anxietatibus comparandam, eisdem, nec non omnibus aliis prædicatoribus promisit dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes; Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth.28. v.19. Ibid.v.20.

5. Merito igitur Gillibertus Abbas exclamat dicens: *O mira vis verbi, & ignita vehementer, inflammat cor, commutat renes, in nihilum in conspectu suo respectu Dei sui animum redigit.* Saulum Ecclesiæ persecutorem eodem die vox divina in Apostolum transfinutavit, & ex lupo agnum fecit; Idem Gillibertus super illa verba: *Anima mea liquefacta est*, ita scribit. *Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas;* Etenim Saulus vix audierat vocem Christi, cum ecce licet antea ei rebellis fuisset, magna cum animi promptitudine dixit: *Domine quid me vis facere?* Hebræi, qui Christo subjici nolebant: *Nolumus hunc regnare super nos;* Quin potius Cæsaris se submiserunt imperio, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, post pauca septimanas, voluntatem suam in manus vilium Piscatorum depositarunt, ut hi de ipsis in obsequium Christi pro libitu suo disponerent; Unde dicebant: *Viri fratres, quid faciemus?* Imo, ut S. Lucas ait, ad prædicationem S. Petri, cui Deus aderat, facta est tot millium hominum memorabilis conversio, qui omnes *his auditis compuncti sunt corde.* Et vero quis alius gentem adeo moribus, religione, & climate barbaram, qualis gentilitas erat, inducere posset ad detestanda vitia, ad flectendum genua, proprumque fundendum sanguinem pro confessione unius hominis tam contemptibiliter crucifixi, præterquam omnipotentia & sapientia Dei, qui interius in ministris Evangelicis operatus fuerat? *Dominus dedit verbum evangelizantibus virtute multa.* Audiatis velim, quales fuerint populi, qui mediante prædicatione Evangelica, in gremium Ecclesiæ erant adducendi, & ex truculentia, & inhumanitate pophulorum, quos prædicatio legis gratiæ Deo subjecit, facile conjicere poteritis ingentem verbi Dei efficaciam. Persæ secundum legem Zaradæ viventes, matres, filias, sorores ducebant in uxores, mortuorumque corpora canibus projiciebant. Messageres omnes illos reputabant infelices, qui alia morte præterquam violenta morerentur; Inter hos quoque pactum erat de occidendis & manducandis ijs, qui ad decrepitam pertigerant senectutem. Tibareni senes ex altis rupibus præcipitare solebant, Hircani, & Caspi, humanis cadaveribus canes nutriebant. Schythæ homines vivos mortuis adstrictos sepeliebant. Et vero licet armorum bellicorum imperij Romani potentia eo usque prævaluerit, ut tot nationum barbararum corpora sibi subjecerit, eosdem tamen mansuefacere, aut ut legibus divinis obedirent, inducere minime poterant, hoc enim solus divini verbi gladius efficere prævaluit, utpote qui non solum effecit, ut tot suos detestarentur errores, verum etiam animas eorum sanctitate imbuit, idque ex eo præcipue capite, quia scilicet Salvator per sanctissimum Spiritum suum in Apostolis prædicabat: *Non enim vos estis qui loquimini &c.* Gillib.Abb. ser.44.in Cant. Verbum Dei liquefacit animas auditorum Cant.5.6. Act.9.v.6. Luc.19.v.14. Joan.19.15. Act. Apoſt.2. v.38. Ibid.v.35. Eccli.13.28.

6. Sapiens ait: *Vena vitæ os justi*, super quæ verba Hugo Card. ita scribit: *Os justi est os prædicatoris, vel doctoris, à quibus ad alios fluunt verba vitalia:* Hæc autem vena suam ab illo deducit scaturiginem, cui S. Petrus dixit: *Verba vitæ æternæ habes.* S. Paschasius de ministris Evangelicis inquit: *Eorum verba sunt Dei, in quibus profecto verbis non humana sapientia sed Spiritus, & vita lucet, & ideo ipsa verba jure verba vitæ dicuntur, quia non in his flos eloquentiæ redolet facundus, sed fructus vitæ.* Bellovacensis in laudem verbi Dei ita scribit: *Originaliter derivatum à verbo increato;* In cujus probationem textum illum adducit Ecclesiastici dicentis: *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis; Et subdit: Attende cum quanta reverentia auditur verbum alicujus regis vel principis, sicut dicitur Eccli. 13. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, quanto magis quando loquitur nobis Deus verbum, debemus reverenter audire, retinere medullitus, & inviolabiliter observare?* S. Propheta Job ipsemet summam testatur reverentiam, quâ à magnatibus audiri solebat, ait: enim: *Quando procedebam* Prov.10. 11. Hug. Card. Verba prædicatorum sunt verba Dei. Joan. 6. 69. S.Paſch. l.5. in Matth. in Prologo. Bellovac.spec. Mor.lib.3 p. 1.dist.10. Job 29. v.7.

Job. 29. v. 7. 8. 9. 10. & 11.
Magnates & omnes alij cum maxima reverentia audiebant verba Job loquentis ad eos.

cedebam ad portam Civitatis; & in platea parabant cathedram mihi, Videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, Vocem suam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat; Auris audiens beatificabat me; Quod si igitur Job loquens tantum omnibus imprimebat respectum, venerationem, & conceptum, qualis debebitur reverentia altissimo Deo, quem *adorant Dominationes, tremunt potestates*; Quique de suis ministris Evangelicis expresse dicit: *Qui vos audit, me audit?* In hoc profectò magnopere erramus, quod non cogitemus Deum lingua prædicantis solùm tamquam instrumento uti, ad manifestandam nobis suam voluntatem; Ac proinde nullus ministrorum Evangelicorum gloriari debet de profectu Auditorum suorum, tamquam de fructu proprio. Isaias qui tam insignis prædicator fuit in cap. 10. Prophetiæ suæ ait: *Numquid glorabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?*

Luca 10. 16.
Isa. 10. v. 15.

Spiritus sanctus confert virtutem verbis prædicatorum.
Act. Apost. 2. v. 3.
Matth. 10. 20.
1. Cor. 3. v. 4.

7. In primis nascentis Ecclesiæ exordijs apparuit super Apostolis, alisque verbum Dei prædicantibus Spiritus sanctus; Sed quonam modo apparuit? *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ*; Per quam speciem denotare voluit sese linguis ipsorum infundendum esse, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. S. Paulus demonstrare volens, Deum esse, qui corda verbum Dei audientium movet, quique linguas prædicantium dirigit, in prima Epistola ad Corinthios ita scribit: *Cum enim quis dicat, ego quidem sum Pauli: Alius autem; ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Et porro ut hanc veritatem tanto clarius nobis imprimeres, paulo post subdit: *Dei sumus adjutores, Dei agricultura estis*; Enimvero qui seminat nihil efficit, nisi benignæ cælorum influentiæ semini in terram jacto faveant; Ita pariter prædicet minister evangelicus quidquid potest, & quidquid novit, nihil tamen efficiet, nisi cum ipso sit, & operetur Deus.

Ibid. v. 5.
Ibid. v. 9.

Apoc. 10. 1.
Visio Apocalyptica applicatur prædicatoribus.
Rup. Abb. lib. 6. in Apoc.

8. S. Joannes in Apocalypsi visionem quamdam habuit, quam his verbis describit: *Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat, ut sol, & pedes ejus tamquam columna ignis*; Sed audiamus Rupertum Abbatem visionem hanc hisce verbis exponentem. *Hi autem pedes ejus dicuntur tamquam columnæ ignis, quo dicto significatur, quod prædicatores ejus, per quos venit ad nos, Spiritu Sancto firmati, atque illustrati sunt. Sunt enim pedes ejus, omnes Evangelij ejus portitores, atque ministri, de quibus & Propheta dicit: Quam speciosi pedes Evangelizantis, & annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem. Isti pedes ex eo sunt tamquam columna ignis, ex quo venit super eos Spiritus sanctus tamquam ignis*. Ubi observandum, quod prædicatoribus cum Deo & sanctissimo ejus spiritu comparatis, pedis nomen attribuatur, & non amplius, quippe qui solum Dei, sive Sancti Spiritus sunt instrumentum.

Luc. 10. 16.
Deus prædicationi verbi Dei infallibiliter assistit, & hinc nullatenus contemni debet, sed reverenter audiri.
Ezech. 3. 7.
S. Greg. lib. 1. hom. 10.
Ibid.
S. Bernard. ser. 42. in Cant.
Jerem. 35. v. 1. 3.

9. *Qui vos spernit, me spernit.* Enimvero unicuique merito forte frænum esse deberet, quod Deus prædicationi divini verbi sui infallibiliter præsens assistat, ne illud tam facile contemnamus, sed reverenter semper auscultemus. Superius ex Ezechiele illam adduximus Dei quærimoniam dicentis: *Nolunt audire te, quia nolunt audire me*. S. Gregorius in homilia quadam ait: *Bene autem dicitur: Nolunt audire te, quia nolunt audire me, secundùm hoc quod scriptum est: Qui vos spernit, me spernit*. S. Bernardus in sermone quodam super Cantica, postquam hunc Ezechielis textum attulisset in medium, subjungit: *Vides quæ majestas contemnitur? Non te putes me solum sprevisse, Dominus locutus est, & quod dixit Prophetæ, dixit & Apostolis; Qui vos spernit, me spernit*. Apud Jeremiam refertur, Deum huic Prophetæ mandasse, ut ad Rechabitarum domum se reciperet, atque in ejus vicinia habitaculum quoddam templo vicinum sibi conduceret, vinumque ibidem præpararet; Obedivit Jeremias, cumque Rechabitis crateres vino plenos magna cum instantia propinasset, illi renuerunt bibere, hac in medium adducta excusatione, quia Jonadab, filius Rechab, pater ipsorum, eis præcepisset, ne umquam vinum biberent, nec domos ædificarent, nec seminarent agros, aut plantarent vineas, sed semper habitarent in tabernaculis; Cui præcepto summa cum obedientia semper obtemperarunt. Jeremias percepto hoc illorum responso, jussus est à Deo, ut habitatores Jerusalem adiret, iisque nomine suo improperaret dicendo: *Numquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermones Jonadab filij Rechab, ... ego autem locutus sum ad vos, ... & non obedistis mihi?* Eheu quot sunt homines, quibus Deus improperare posset, quod Deum non audierint, nec obedierint ipsi, imo quod sæpe histriones, comicos, aliosque ejusdem farinæ leves & indignos homines prædicationi verbi sui prætulerint? Sanctus Augustinus ait: *Dominum loquentem audiebant & discipuli, & Judæi; Veritatem loquentem audiebant voraces & mendaces; Charitatem loquentem audiebant & amici & inimici; bonum loquentem audiebant boni, & mali. Illi audiebant, sed ille discernebat, & quibus sermo prodesset, & profuturus esset, videbat, & prævidebat &c.* Quod vero sequitur, egregium nobis exhibet documentum; Subdit enim: *Nos sic audiamus Evangelium, tamquam præsentem Dominum, nec dicamus, O illi felices, qui eum videre potuerunt, quia multi in eis qui viderunt, & occiderunt; Multi autem in nobis qui non viderunt, crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis servatum, & propter nos recitatum, & recitabitur etiam propter posteros nostros, & donec sæculum finiatur; Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus.* Consideratione dignissima sunt illa cælitus in terram dilapsa verba, prout in Apocalypsi legitur, scilicet: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs:* Observandum namque est, quod non dicat quod Sacræ Scripturæ Moysis, Samuelis, Jobi, Ecclesiastici, Matthæi, Lucæ, S. Augustini, vel aliorum similium in doctrina sacra præstantium doctorum loquantur Ecclesiæ, sed quid Spiritus dicat Ecclesijs; Ille namque est, de quo Salvator ait: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Huic ergo pronæ à nobis porrigendæ sunt aures, quia ipse est, qui in Scripturis, in prædicatoribus, in sanctis Patribus, alijsque ministris Evangelicis loquitur. S. Thomas à Villanova egregiam adducit prærogativam, qua viva vox prædicantis mutam scripturarum literam superexcedit; ita enim scribit: *Nec mihi dicas, sapiens sum, literatus sum, habeo in domo mea sermones Augustini, Bernardi, Chrysostomi, quos legam, nam litera mortua est, vox viva; Habet enim nescio quid latentis energiæ vox viva, quæ non habet litera, vivus est enim sermo Dei &c. non sic litera; Plus enim movet sermo, quam lectio; Prædicator enim viva vox Dei est, qui loquitur in illo, non venis audire hominem, sed Deum in homine.*

Jerem. 35. 13.
Ibid. v. 14.
S. August. tract. 30. in Joan.
Apoc. 2. v. 7.
Joan. 14. v. 26.
S. Thom. à Villanov. in Sexag.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Licet verbum Dei ab hominibus impiis prædicetur, non tamen ideo intermittenda est ejus auscultatio, nec negligendi fructus illius.

THEMA.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite; secundùm vero opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23. v. 1.

Pravorum concionatorum verba sequenda sunt, exempla cavenda.

1. Cælestis Magister noster Christus prævidens, quod in cunctis sæculis futuris Ecclesia habitura esset sæpe ministros Evangelicos male viventes, licet bonam doctrinam, sinceramque veritatem prædicantes, ideo fideles suos monitos esse voluit, ut amplexantes eorum doctrinam, caverent ne eorumdem imitarentur prava exempla. Huc quoque spectat salutare illud Sancti Augustini consilium: *Botrum carpe, spinam cave. Bene quidem intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc idem planius. Quomodo dixi botrum carpe, spinam cave? Quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum, non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ extra invenis à vite; Quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysis vitis erat, Pharisæorum mores spinæ erant, Doctrina vera per malos, palmes in sepe. Botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum; & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ*

S. August. tract. 46. in Joan.

dicunt facite; Legite uvas, quæ autem faciunt, facere nolite, cavete spinas.

Jud. 14. v. 8.
Favus mellis in ore Leonis occisi repertus designat verbum Dei in ore improbi prædicatoris.
Procop. Psal. 118. v. 103.

2. Samson olim dilaniatis leonis faucibus relicto cadavere processit, reversus autem per eamdem viam, curiositate ductus, *declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via. Omnia autem in figura contingebant illis*; Audiamus igitur historiæ hujus moralitatem. Procopius ait: *Fertur quemvis leonem vivum os habere fætidissimum, adeo ut dictu sit mirificum; In ore fætido mel repertum esse dulcissimum.* Enimvero quis est qui nesciat eloquentiam sacram à Spiritu Sancto sæpius favo mellis fuisse comparatam? *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*; Et tamen quis non videt hanc mellis suavitatem sæpius in puteolentibus faucibus, id est in prædicatoribus, ob malos mores, famamque sinistram fætentibus reperiri? Admirantur auditores eorum talentum, facundiam, sæpe etiam eximium parient fructum, quantumvis ipsi dissolutè vivant. Horum igitur favo uti licet: *Favus mellis composita verba*, inquit Sapiens: *Quæcumque enim dixerint vobis, servate, & facite*; Cavendus autem est in putrefactis ipsorum faucibus fætor: *Secundùm opera eorum nolite facere.*

Prov. 16. v. 24.
Matth. 23. 3.

Apes non utuntur herbis, sed floribus.
Auct. imperf. hom. 43.

3. Verum enimvero ex quo apum mentionem fecimus, alia ab ijsdem desumpta similitudo mihi occurrit, quam Auctor operis imperfecti, assumpti thematis verba glossando his verbis adducit: *Ut apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum, flores enim illæ colligunt, herbas vero relinquunt, sic & vos flores doctrinæ colligite, & conversationem relinquite, ut quasi inutilis herba arescat.* Idem Author in eadem homilia sequentem pariter adducit aptissimam similitudinem: *Frequenter etiam & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit: Numquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non, sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos, doctrinam accipite, & mores relinquite.* S. Franciscus de Sales in colloquio 15. num. 16. filias suas spirituales in hæc verba alloquitur: Velim ô charæ filiæ meæ, omnem in hac domo honorem deferri ijs, qui verbum Dei nobis annunciant; Certum est enim magnopere ad hoc faciendum nos obligari; Videtur enim ipsos cælestes esse nuncios, qui ex parte Dei ad nos veniunt, ut salutis viam nobis demonstrent; Et ideo ipsos tamquam tales, non vero tamquam simplices homines respicere oportet, tametsi enim non adeo bene loquantur, ut homines cælestes, nihil tamen diminuendum est de humilitate, & reverentia, quacum verbum Dei debemus recipere, utpote quod semper unum idemque manet, adeo scilicet sanctum, adeoque purum, ac si ab Angelis dictum aut prolatum fuisset. Porro semper notavi, quod dum ad aliquem in charta mala, & consequenter deformi charactere epistolam exaro, is mihi eodem cum affectu gratias agat, ac si Epistola in charta optima, elegantissimisque characteribus fuisset conscripta. Undenam hoc proficiscitur, nisi quia talis amicus non respicit chartam an bona sit, vel mala, nec characterem attendit, an elegans sit vel deformis, sed me solum, qui illam scribo considerat? Idem quoque circa verbum Dei facere oportet, non enim respiciendus est, qui illud in medium producit, vel declarat, sed hoc unicum nobis debet sufficere quod verbum Dei sit, hic enim talem adhibet prædicatorem, qui illud prædicet, aliosque edoceat; Et quandoquidem videmus, quod Deus adeo illum honoret, ut per os ipsius loqui velit, qua ratione nos debitum ipsius personæ honorem negligere poterimus? Blosius, magnus ille spiritualis vitæ director, in institutionibus suis spiritualibus, sequens verbum Dei auscultantibus tradit documentum: *Non magnopere curet, utrum defectibus aliquibus obnoxius sit is, qui loquitur, modo veritatem loquatur; Attendat ipsam veritatem, sicut ex origine sua, fonteque suo, nempe Deo, promanat, & non curiose discutiat, qualis sit fistula, per quam illa manat.*

S. Franc. Sales.
Cum prædicatores sint cælestes nuntij, non opera illorum, sed verba attendenda sunt.
Blos. instit. Spirit. c. 8. n. 4.

Doct. Patr. con. judic. sem. n. 7.
Hoc propositum illustratur insigni historia.

4. In libro, qui *Doctrinæ Patrum* intitulatur quædam convenientissima proposito nostro recensetur historia. Etenim Sacerdos quidam sæpius sanctum quemdam conveniebat Eremitam, ut eidem confessionis & communionis Sacramenta ministraret; Huic autem Eremitæ hunc Sacerdotem, dissolute, & inhoneste vivere suggestum fuerat, unde scandalizatus quam primum ad ipsum redijt, fores cellæ suæ eidem in faciem occlusit; Adeoque Sacerdos confusus domum redijt. Eremita autem, Sacerdote abeunte, vocem cælitus delapsam audivit, dicentem: *Tulerunt sibi homines judicium meum*, Deus autem hunc servum suum ab eo in quo versabatur errore liberare, & erudire volens, eidem in ecstasim rapto puteum quemdam aureum ob oculos posuit, cui funis aureus, una cum situla aurea annectabatur, quâ aqua hauriretur, eaque limpida, & pura; Moxq; leprosum quemdam eamdem aquam attingentem, & vasi infundentem conspexit; & licet sitibundus esset, aquam tamen à leproso vasi infusam nauseans, ab eadem bibenda abstinuit; Tunc vocem quamdam illum in hæc verba reprehendentem audivit: *Cur non bibis ex aqua hac? Quam causam habet qui implet? Implet enim solummodo, & infundit aquas.* Eremita igitur ab hac visione intra semetipsum reversus, meliusque instructus, emendavit errorem suum, ac sacerdotem quem à se repulerat, denuo revocavit.

Verbum Dei nullatenus contemnendum est licet prædicator sit improbus.
Matth. 7. 16.
S. Aug. Tom. 9. de Pastor. lib.

5. S. Augustinus alio in loco de Pastoribus Ecclesiasticis disserens, doctrinam quamdam nobis tradit, quam paulo ante allegavimus, valde similem. Considerat enim, quod licet Christus dixerit: *Nemo colligit de spinis uvas*, de sacris tamen doctoribus expresse jubeat dicendo: *Quæcumque dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* En verba ipsius: *Quomodo vis de spinis me uvam colligere? Respondeo non est uva illa spinarum, sed aliquando increscens sarmentum, implicat se in sepem, & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum, tu caute manum mitte, ne lacereris à spinis, id est ne facta imiteris malorum, & lege uvam inter spinas pendentem, & de vite ad te perveniat botri alimentum, spinis autem servatur ignis tormentum.* Sanctus Bernardinus in serm. in Dom. Sexag. similiter hanc materiam tangit dicens: *Quidam spernunt prædicatores propter aliquem defectum in dicendo, contra quos Luc. 10. dicitur: Qui vos spernit, me spernit; Nec etiam licet spernere prædicatorem peccatorem, utilem, unde Hieronymus in distinct. 83. §. ult. dicit: Sicut enim Lixivium per humidum cinerem fluens lavat, & non lavatur, ita bona doctrina per malum Doctorem animas credentium lavat à sordibus peccatorum.* Ven. Thomas à Kempis in opusculo quodam ait: *Veritas non est aspernanda à quocumque simplici proferatur. Qui bene vivit, & bene docet, & qui bene legit, Dei nuntius est.* Et quidem tametsi verum sit, quod omnes prædicatores paris sint conditionis, attamen in casu quo characteres ipsorum imperfecti forent, adhærescendum est veritati, & sensui verborum, non vero moribus dicentium. *Tolle quod tuum est, & vade. A quocumque proferatur verbum Dei*, inquit Bellovacensis, *non est attendendum à quo proficiscatur verbum, sed cujus sit verbum, quia Matth. 10. dicitur: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

S. Bernard. tom. 3. ser. in sexag. art. 2. c. 2.
Luc. 10. 16.
Thom. à Kemp. opusc. 3. c. 6.
Bellovac. spec. Mor. lib. 3. p. 1. dist. 10.
Matth. 10. 20.

6. In discursu nono hujus tractatus de verbo Dei sub metaphora medicinæ disseruimus. Porro Albertus Magnus super illa verba Luc. 15. *Ut audirent illum*, inquit: *Sciebant quod verbum illius languores curaret*; Psal. 106. v. 20. *Misit verbum suum & sanavit eos; & eripuit eos.* Enimvero quid si infirmus quidam à medicis desperatus, qui aliud non haberet sanitatis recuperandæ remedium, quam ut accipiat medicinam, vel sanguinem è vena emittat chirurgum ad applicandum ei hoc à medico ipsi præscriptum remedium, admittere nollet ad venam sibi aperiendam, idque ex nullo alio motivo, quam quod de malis ipsius moribus pessimum habeat conceptum, numquid talem infirmum delirare diceres? Siquidem certum sit, quod mala Chirurgi vita aut conversatio, in damnum & præjudicium salutis ipsius minime influat. Sed sufficiat quod medicina sit salutifera, & secundùm *recipe* præscriptum composita, quodque Chirurgis ordinatam sanguinis quantitatem juxta artis suæ regulas extrahat, *Tolle* igitur *quod tuum est, & vade.* Eodem modo de illis discurrere licet, qui à verbo Dei auscultando aversionem habent, eo quod de illo, qui verbum Dei annunciat, sinistram habeant opinionem; Si enim ob infirmitates tuas spirituales verbo Dei indigeas, animose illo utere, quod audis, & noli censurare id, quod in eo vides, qui prædicat: *Quæ dixerint vobis servate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere:* Tametsi enim medicus infirmus esset, ob hoc tamen redditur inhabilis ad præscribendum tibi pro tua sanitate recuperanda congruum remedium. Ad hoc nostrum propositum aptissime quadrat epistola quædam à S. Isidoro Pelusiota Zosimo Presbytero transcripta, in qua ei refert angustiam, qua quidam premebatur, eo quod ab aliquo Sacramenta receperat, divinaq; mysteria participarat, qui ob vitam suam

Luc. 15. 1.
Alb. Mag. ib.
Ps. 106. v. 20.
Probatur apta similitudine Medici, & infirmi.
Matth. 23. 3.

suam lubricam pessima fama laborabat: Dicit ergo S. Isidorus se talem hominem sequentibus verbis instruxisse: *Nullo detrimento is, qui suscipit, afficitur etiamsi is qui tribuit, indignus esse videatur, neque inontaminata mysteria conspurcantur, tametsi Sacerdos omnes mortales improbitate superet.* Id quod exemplo corvi Eliæ probat, qui licet avis sit deformis, cadaveribus bestiarum fætidissimis devorandis assueta, vorax, rapax, cunctisque exosa, nihilominus à Deo electus fuit, ut Prophetam adeo sanctum, adeoque bene meritum pane & carnibus mane & vesperi sustentaret: Neque Elias provisionem hanc per longum tempus ab hoc corvo accipere renuit, sed gratanter & libenter eamdem acceptavit, ut vitam suam mortalem, cibique indigam hac ratione sustentaret: Imo nonnulli sacri expositores in ea sunt opinione, carnes illas, & panes è sacrilegi Achab inimici Dei mensa fuisse surreptos; *Quod si mihi diffidis:* (Scribit Isidorus ad Zosimum) *corvum cogita, impurum inquam illud, atque in pullos suos crudele animal, cujus opera ille in cælum excurrens, ac cæli civis Elias alebatur.* Quotiescumque igitur anima nostra pane verbi Dei indiget, (*non* enim *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*) audacter alimentum hoc spirituale, & salutare accipiat, licet ei à corvo, id est homine avaro, carnali, iracundo, aut alias vitioso subministretur: *Tolle quod tuum est, & vade.*

S. Isidor. Pel. lib. 3. Epist. 340.

Et corvi Eliæ panem ferentis.

7. S. Thomas super præcitatum S. Matthæi textum idipsum de Pharisæis scribit, quod de ministris Evangelicis bene prædicantibus, maleque viventibus verificatur; Ait enim: *Non dissonant à doctrina, sed vita, ideo doctrina eorum est attendenda, sed vita cavenda.* S. Augustinus qui à Valerio Episcopo in ministerium prædicationis substitutus fuit, adeoque magnus prædicator evasit, in hæc verba scribit: *Si bona loquor, & bona facio, imitare me; Si autem non facio quod dico, habes consilium Domini; Quæ dico fac, quæ autem facio, noli facere.* Cælestis Magister noster Christus Matth. cap. 5. sequens tradit monitum: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas ultimum quadrantem.* At vero quisnam est hic adversarius, cum quo in via consentire debemus? Porro per viam hanc præsens vita intelligi potest, in qua sumus viatores; Per adversarium vero prædicator intelligitur, qui nobis res carni & appetitui nostro contrarias persuadet, cujusmodi sunt maceratio corporis, continentia, contemptus nostri ipsius, propriæ voluntatis abnegatio, & alia similia; Qui etiam adversarius dicitur, quia nonnumquam sibimetipsi contrariatur & contradicit, operando oppositum illius quod aliis persuasit; Quod si igitur divini judicij severitatem fugere volumus, necessum est ut doctrinis illius acquiescamus, & consentiamus, licet non vitæ. Unde S. Augustinus ait: *Adversarius tuus sermo Dei est, proferat eum peccator, proferat eum justus, sermo Dei est, inculpabilis est, ipse est adversarius tuus; Concorda cum eo, dum es in via cum illo. Via vita ista est; Adversarius omnium iniquorum, sermo Dei est.* Et vero licet prædicator dum male vivit, sibimetipsi fit contrarius, & inimicus, attamen quando nobis veritatem prædicat, salutem nostram procurare non desinit. *Sermo Dei quantum est in ipso, amicus tuus est, adversarium tu tibi eum facis, ipse enim tibi bene vult, tu è contrario sibi male.* Quando enim verbo Dei non obedimus, nec exequimur, quod nobis persuadet, tunc nos divini verbi inimicos esse ostendimus.

S. Thom. ib. in Matth.

Illustratur idem propositum verbis Christi de adversario in via.

S. August. in Ps. 36.

Matth. 5. v. 25.

S. Aug. hom. 5. inter. 50.

8. S. Antoninus hanc nobis scriptam reliquit doctrinam; *Eo quod prædicator Christum repræsentat, debet magna devotione, & reverentia audiri, etsi vilis, & contemptibilis videatur persona. Unde Augustinus ait: Ego, scilicet prædicator, quid sum nisi cophinus seminatoris, id est Christi. Ipse dignatus est in me ponere semen, quod spargo vobis; Nolite respicere ad vilitatem cophini, sed ad nobilitatem Seminatoris; Et Tullius ait: Non te moveat dicentis authoritas, sed quidquid dicit, attendito.* Ager semen in se jactum non omittit excipere, & ad fructus maturos perducere, eo quod desumptum fuerit ex cophino vili, & deformi. Didacus Stella super cap. 8. Lucæ commentando, hanc habet considerationem: *Potest Deus, si velit, per nequam prædicatorem convertere peccatores (quia ut bonus Dominus, per iniquum famulum bonum aliquando operatur, sic Dominus Dominorum cujuslibet etiam sceleratissimi ministerio uti potest ad sua mirabilia) nihilominus tamen ex rei natura subditi prælatorum suorum magis vitam, quam verba sequuntur.* S. Carolus Borromæus parochis serio præcepit, ut secularibus respectum & reverentiam Ecclesiasticis debitam solicite inculcarent: *Docebit*, inquit, *dignitatem sacerdotalem, non à persona eorum qui illam obtinent, sed ab officij munere, administrationes pendere, nec propterea illos æstimandos esse, quatenus homines, sunt, sed tamquam dispensatores mysteriorum Dei.* Quod si tibi in gravi necessitate constituto Episcopus tuus per manum alicujus lascivi, & dissoluti famuli sui insignem quamdam mitteret eleemosynam, tu utique illam non propterea rejiceres, quia is, qui illam tibi adfert, lascivus est: Quod idem præsenti proposito nostro applicare facile possumus; Quod si igitur pro salute animæ tuæ verbo Dei indigeas, quid tibi nocere poterit, quod minister, qui tibi Spirituale hoc subsidium adfert, malis, sit moribus imbutus? *Tolle quod tuum est.*

S. Antonin. p. 2. tit. 9. cap. 11.

Prædicatores comparantur cophino seminantis.

Did. Stella in c. 8. Luc.

Act. Eccl. Med. car. 557.

DISCURSUS XX.
ARGUMENTUM.

Ut verbum Dei in auditoribus fructificet, necessum est, ut illud in corde suo ruminent, & mature considerent.

THEMA.

In corde meo abscondi eloquia tua. Psal. 118. ℣. 11.

1. PRopheta Regius modum ex verbo Dei proficiendi docere nos voluit, & ideo illud in intimo cordis nostri meditandum, ruminandum, nequaquam vero negligenter & oscitanter auscultandum esse insinuat. Idem quoque Regius Psaltes in ejusdem psalmi decursu hanc sibi gratiam à Deo fieri postulat, scilicet, ut verbum Dei à corde ipsius non eripiatur: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* Ubi S. Ambrosius ait: *Quantus labor est, ut verbum percipias, quantum iterum periculum, si amittas?* Aves namque rapaces id est spiritus infernales semper sunt prompti ad gratiosum hoc semen nobis eripiendum ne intra animas nostras radices agat. Sanctus Ambrosius in sermone quodam sequens tradit documentum: *Lectiones divinas tali desiderio & legere, & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, & ubicumque fueritis, etiam loqui, & alios docere possitis, & verbum Dei velut munda animalia cogitatione assidua ruminantes, utilem succum, id est Spiritualem sensum, & vobis sumere, & alijs Deo auxiliante propinare possitis.*

Verbum Dei auditum in corde reponendum, & continuo ruminandum est.

Ps. 118. v. 43.

S. Ambr. Actor. 6.

S. Ambr. ser. fer. 4. in die cin.

2. Superius per plures Discursus, verbum Dei, pro vita spirituali animæ, idem quod cibus materialis pro corporis nutrimento efficit, operari probavimus: Quis autem nescit, quod panis, caro, alijque similes cibi dentibus prius masticari debeant, quam transmittantur ad stomachum, ut is eos excipere, & digerere possit? *Si ad Ecclesiam frequenter venias*, inquit Origenes, *aurem litteris divinis admoveas, explanationem rerum cælestium captas, sicut cibis, & delicijs caro, ita Spiritus verbis divinis convalescet, ac robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi.* At vero, si volumus, ut Spiritus hanc refectionem, & refocillationem recipiat, calore devotæ & attentæ meditationis, ut illam concoquat, & digerat, necessum est. S. Augustinus textum illum Prov. citat, ubi dicitur: *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi, & imprudens homo dissipabit illud;* Ipse vero sic legit: *Requiescit in ore Sapientis, vir autem stultus glutit illum;* Unde sequens deducit documentum: *Unde admonemus charitatem vestram, ut ea quæ audiendo tamquam ventre memoriæ conditis, rursus revolvendo, & cogitando quodammodo ruminetis; Hoc est enim: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis, vir autem stultus glutit illum. Breviter dixit: Sapiens ruminat, stultus non ruminat. Hoc autem aperte & Latine quid est? Sapiens cogitat ea quæ audierit, stultus autem audita oblivioni tradit.* S. Ambrosius eos, qui verbum Dei per unam aurem admittunt, per aliam vero exire sinunt absque eo quod fructum inde capiant, hisce verbis perstringit: *Fundit mandatum domini, qui illud aure sua percipit, corde non continet, in superficie enim quadam corporis illud gestans, ac minime ad interiora transmittens quod audivit, dum obliviscitur, seriem prædicationis effundit, & ita domum vacuus repedat, quo de Ecclesia onustus exierat. Dicite enim mihi, quis de vobis cum ad hospitium redierit, dicit: Hodie audivimus Episcopum de Eleemosynis disputantem, rem utilem prædicavit, debemus pauperibus misereri.* Et paulo post hanc negligentiam damnando inquit: *Nemo de die judicij loquitur, quasi aut per omnia victuri, aut per omnia morituri.* Et subdit: *Volueram subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia,*

Verbum Dei comparatur cibo materiali.

Orig. hom. 9. in Lev.

S. Aug. in Ps. 141.

Prov. 21.

S. Ambros. Tom. 5. pro comm. confess. non Pont.

eloquia, non quod iratus hoc facerem, sed ut Evangelicam sententiam custodirem, ait enim Dominus: Qui habet, dabitur ei, & abundabit; Ab eo autem qui non habet, id quod habet, auferetur ab eo. Habenti ergo dari jussit, & non habenti non solum non dari, sed & id quod habet auferri, Quæ sententia superflua forsan videtur, ego autem dico, recte ac sapienter Dominum præcepisse. Habenti ergo jubetur dari; Meretur plane accipere, qui ita laboravit, ut propria solicitudine animæ suæ divitias spirituales acquireret, ut puta quis continentiæ forti proposito cæpit castimoniæ custodire virtutem, meretur audire, quæ castitatis remuneratio sit futura, ut ad virtutis observantiam audiens remunerationis gloriam, felicius possit pugnam, quam cæpit, atterere. Ex qua sententia Evangelica multas deducit moralitates per quas optime probatur quanti referat, ut quis illa, quæ à ministris divini verbi audivit, in corde suo ruminet, atque recogitet.

Matth. 13. 12.

3. S. Augustinus ait: *Neque enim propter aliud in lege munda ea dicta sunt animalia, quæ ruminant, immunda quæ non ruminant, nam creatura Dei omnis munda est.* Porro Salvator noster in sermone de octo beatitudinibus inquit: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* Beati pariter cognominati sunt illi, qui verbum Dei auscultant: *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei;* Advertendum tamen Christum non solum dixisse: *Qui audiunt*, sed insuper adjunxisse: *Et custodiunt illud;* Illæ igitur animæ mundæ sunt, quæ auditum verbum Dei intra se custodiunt, & ruminant. Verum enimvero, ut ad similitudinem cibi discursus denuo redeat Author imperfecti in hom. 41. ita scribit: *Quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus, ita & verbum quod audimus, nisi masticaverimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius.* Et paulo post subdit: *Et sicut cibum postquam masticaverimus dimittimus in stomachum, ita & verbum postquam tractaverimus, commendamus ipsum memoriæ quasi stomacho.* Idem quoque Author verbum Dei, ut & nos supra tetigimus, mannæ assimilat; Ait enim: *Manna quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna, quia interpretatur Hebraicè; Quid est hoc: Ut quotiescumque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus?* Quando filij Israël hunc panem Angelicum gustare, indeque se cibare cœperunt, necessum quoque illis fuit, ut gladium arripientes ad bellum se accingerent. *Omnia* autem *in figura contingebant illis.* Nam ut Origenes ait: *Et tu cum cæperis manducare manna, panem scilicet cælestem verbi Dei, & bibere aquam de Petra, cumque ad interiora doctrinæ spiritualis accesseris, sperato pugnam, & præpara te ad bellum.*

S. August. Ibid.

Verbum Dei instar cibi masticandum est.

Matth. 5. v. 8.

Luc. 11. 28.

Comparatur mannæ.

Orig. Hom. 11. in Exod.

4. Divus Chrysostomus in homilia quadam postquam suos monuisset auditores, ut ea quæ in sermone suo audierant, ruminarent, & inter se cum aliis conferrent; hujus suæ monitionis hoc adduxit motivum: *Nam cum malus ille dæmon videt animam de divinis rebus solicitam, & perpetuo illas versantem, ne accedere quidem propius audet, sed celeriter resilit, à Spiritus operatione, quasi à succenso rogo abactus.* S. Bernardinus illud veteris legis adducit Dei præceptum, quo jubebantur sola illa in sacrificio offerre animalia, quæ cibum ruminant, eo quod hæc animalia, ut paulo ante diximus, munda existant; Illudque præceptum præsenti proposito accommodat dicens: *Debet verbum Dei, quod audivit, mente ruminare, quia in lege veteri Deus nolebat sibi sacrificari, nisi ruminantia.* Albertus Magnus commentando textum illum S. Marci: *Qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant*, ita eumdem exponit: *Audiunt auditu devotionis suscipiunt in corde per meditationis conservationem, & implendi desiderium fructificant per opus & per exemplum.*

Diabolus ruminantes verbum Dei, accedere non audet.

D. Chrysost. hom. 14. in Gen.

Bernard. Tom. 4. ser. 5. in 1. Dom. Quadr. part. 2. princip.

Marc. 4. v. 20.

Alb. Mag. ib.

5. In parabola de semine dicitur: *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud;* Quod in sensu morali declarans ipse Dominus, eos per hoc denotari dicit, qui nullam pretiosi hujus seminis habent rationem, ait enim: *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Enimvero quamdiu granum seminatum in superficie terræ nudum jacet, & subtus terram nondum est absconditum, volucribus rapacibus facile cedit in prædam; ita quoque nisi verbum Dei, postquam auditum est, in corde, intellectu, & memoria recondatur, facile à dæmonibus rapitur, ac proinde David dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua.* Et S. Gregorius glossando verba illa Jobi: *Et in sinu meo abscondi verba oris ejus*, ita eadem declarat: *In sinu etenim cordis verba oris ejus abscondimus, quando mandata illius non transitorie, sed implendo opere audimus. Hinc est quod de ipsa matre virgine scriptum est: Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* In Deuteronomio Deus populo suo præcepit dicens: *Ponite hæc verba mea in cordibus;* Nec hoc Deo sufficiebat, nisi insuper adderet: *Et in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate;* Nimirum voluisset Deus, quod divinum suum verbum in animis auditorum suorum incessanter imprimere, eorumque cordibus inviscerare potuisset, ideo etiam exterius in manibus delineari, & portari voluit: ut tanto frequentius ea ruminarent, & executioni committerent. S. Bernardus in sermone quodam ait: *Data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis. Inter ea quæ fiduciam præstant, & materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc loqui cæpimus. Qui de Deo est, verba Dei audit* (*Audit* inquam, non solum auribus exterioribus, sed etiam internis, unde subdit) *Nonnullos enim sic audientes interdum invenies audientes, ac si nihil omnino ad eos pertineant, quæ dicuntur; Non intrare cor suum non discutere mores suos, non cogitare ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos.* Idem mellifluus Doctor in alio sermone declarat, quinam futuri sint illi, qui benedictiones verbum Dei auscultantibus promissas participabunt; Dicit enim: *Aurem cordis aperiant, verbum Dei suscipiant, & quod præcipit, faciant*, quasi diceret, tunc enim benedictionem obtinebunt. Idem in alio quodam sermone causam, cur ut plurimum, nullus ex verbo Dei hauriatur fructus his verbis subindicat: *Unum timeo, ne toties audita verba salutis vilescere nobis incipiant, tamquam verba. Vilis siquidem, & volatilis res, verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretij, nullius soliditatis. Aërem verberat, unde & verbum dicitur, & sicut folium quod vento rapitur, efflait, & non est qui consideret. Nemo vestrum fratres sic accipiat, nemo sic despiciat verbum Dei; Dico enim vobis, bonum illi fuisset, si non audisset homo ille, fructus vitæ sunt verba illa non folia; & si folia, sed aurea sunt, Proinde non parvipendantur, non pertranseant, non prætervolent. Ipsa quoque colligite fragmenta, ne pereant, Terra enim quæ sæpe supervenientem susceperit imbrem, si non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto.*

Luca 8. v. 5.

Verbum Dei in corde recondendum, ne à dæmonibus rapiatur.

Ibid. v. 12.

Ps. 118. v. 11.

Job. 23. v. 12.

S. Greg. lib. 16. cap. 16. Mor.

Deut. 11. v. 18.

Ibid.

S. Bernard. ser. 1. in Sept.

S. Bern. in cœna Dom. ser. 10.

S. Bernard. ser. 2. in die Apost. Petri & Pauli.

6. In eadem parabola de semine, de alia quadam hujus seminis parte dicitur: *Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Hujus autem ariditatis mysterium ipsemet Salvator declarat inquiens: *Qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt;* Ac proinde quod nonnulli ad quemvis tentationis ventum contremiscant, ac tandem prosternantur, hujus unica causa hæc est, quia scilicet verbum Dei in corde & anima ipsum auscultantis nullas prorsus egit radices. Audiamus igitur sequens S. Augustini consilium dicentis: *Velut castissimi turtures divina verba Sancti Spiritus fervore in nido cordis vestri fovere contendite, ne permittatis ut in vobis semen verbi Dei peccatorum frigore congelescat, propter illud quod scriptum est: Abundabit iniquitas, refrigescet charitas. Estote magis, sicut dicit Apostolus, spiritu ferventes. Quomodo enim columbæ, vel turtures postquam genuerint ova, si illa permiserint refrigerari, perdent fructum illorum, ita & vos, si conceptum verbum Dei per oblivionem frigerari permittitis, desiderabilem fructum habere non potestis.* Divus Chrysostomus modum nos docet, quo efficere possumus, ne cœleste hoc semen in nobis pereat, sed magis magisque nutriatur; Ita enim scribit: *Nondum utilitate sermonis firmiter in mente defixa, plurimus irruens sæcularium impetus actionum omnia pariter evellit. Quod ne accidat, quoties à sancta congregatione discedìtis, nihil magis necessarium judicate, quam ea quæ audiendo didicistis, conservare meditando. Nonne quotidie cernitis filios vestros ea quæ discenda suscipiunt, totius fere diei continuatione, meditari? Quanto id magis nos in spiritualibus studijs præstare debemus? Alioquin nihil hinc nos proderit convenire, haurientes vase undique hiante rimis, atque undique perfluente, & ne tantum quippe studij in horum quæ diximus conservatione ponentes, quantum erga aurum, argentumque solemus exhibere. Paucos enim plerumque nummos cum aliquis accipit, & solicite reponit in sacculo, & diligenter obsignat sigillo; Nos vero postquam longe auro, gemmisque pretiosiora suscipimus eloquia, & inæstimabiles spiritualium opes bonorum, nequaquam ea in thesauro animæ recondimus continenda,*

Luc. 8. v. 6.

Verbum Dei in corde audientis radices agere debet.

Ibid. v. 13.

S. August. ser. 218. de Temp.

D. Chrysost. hom. 5. in Matth.

continenda, sed passim, atque negligenter mentes nostras effluere permittimas.

Verbum Dei non solum attente audiendum, sed & solicitè custodiendum est. — Psal. 18. 11. — Ibid. v. 12. — S. Gregor. l. 1. Mor. c. 5. — S. Ambr. l. 10. in Luc. — Joan. 8. 47. — S. Bern. Tom. 3. ser. 6. art. 3. c. 1. — Joan. 8. 31. — S. Aug. ser. 48 de ver. Dom. — S. Aug. tom. 3. sent. 193.

7. Quis est ita in Scriptura Sacra imperitus, qui nesciat, quod Spiritus Sanctus eloquia Domini *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum* esse dicat? At vero in cujus virtute adeo sunt desiderabilia? *Etenim servus tuus custodit ea*, quando enim hic thesaurus custoditur, ne pereat, aut rapiatur, tunc *in custodiendis illis retributio multa*. S. Bonaventura, S. Gregorium adducit in hæc verba loquentem: *Verba Sapientiæ quæ reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam degustant, ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat.* S. Ambrosius inquit: *Non satis est cura generationis, nisi suppetat efficacia nutriendi. Itaque & tibi tamquam Mariæ verbum Dei crescat, Sapientia, & ætate proficiat, quod ita fit, si omnia dicta justitiæ in corde custodias.* S. Bernardin. textum illum S. Joannis cap. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, ita exponit; *scilicet aure cordis, id est affectuose, & obtemperanter suscipit, credit, & amat.* S. Augustinus super illa ejusdem capitis verba: *Si manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis*, ita scribit: *Ad Discipulum parum est accedere, sed & manere debet; Non ergo ait: Si audieritis verbum meum, si accesseritis ad verbum meum, aut si laudaveritis verbum meum, sed videte quid dixerit: Si manseritis in verbo meo, vere Discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quid dicimus fratres? Manere in verbo Dei labor est, an non est? Si labor est, attende magnum præmium; Si labor non est, gratis accipis præmium.* Circa finem vero sermonis inquit: *Si manserimus in verbo ejus, vere Discipuli ejus sumus, non enim soli illi duodecim, sed omnes qui manemus in verbo Dei, qui dixit: Ego sum veritas, liberos nos faciet, hoc est, liberabit nos, non è barbaris, sed à diabolo, non à corporis captivitate sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat.* Idem S. Augustin. in sententijs suis, sent. 193. id quod in progressu hujus discursus sæpius diximus, his verbis docet: *Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ob hoc, quia ruminant, munda esse dicuntur, ut non sit piger de his cogitare, quæ in alvo cordis accepit, & cum audit, sit similis edenti*, etenim qui edit, rem comestam stomacho includit, ita &c.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Verbum Dei in corde custodiendum est, & mandandum executioni, si inde utilitatem aliquam haurire velimus.

THEMA.

Estote factores verbi, & non auditores tantum. Jac. 1. ỳ. 22.

Verbum Dei auditum opere complendum est. — S. Bernard. Tom. 3. ser. de desiderab. verit. art. 1. c. 3. — Jac. 1. v. 21.

1. S. Bernardinus inter alios salutares effectus, quos verbum Dei in nobis operatur, hunc quoque recenset: *Habet virtutem præmij glorificantis;* At vero dices fortasse, cur non omnes qui illud auscultant, pariter salvantur? Causam S. Jacobus enunciat dicens: *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Et ideo quando nos ad prædicatores Evangelicos auscultandos invitat, ita loquitur: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*, ubi præcipue considerandum est illud verbum *suscipite*, hoc enim quid amplius dicit, quam *Audite*; Præterea advertendum est quod subdit: *Insitum verbum.* Surculus enim alteri arbori insitus, interiora illius penetret necessum est; Idem quoque circa verbum Dei fieri debet, ut enim suo tempore velut surculus insitus fructum pariat, interiora cordis nostri penetret oportet. Quinam vero sunt qui cum irreparabili damno quoad hoc se decipiunt? Omnes illi videlicet, qui divinæ voci à ministris Apostolicis enunciatæ auditum quidem præbent, sed sine ullo inde percepto effectu, quia quod auscultarunt, non exequuntur.

Jac. 1. v. 22. — Factores verbi Dei commendantur. — Ibid. v. 23. — Ibid. v. 24. — Ibid. v. 25.

2. S. Jacobus postquam dixisset: *Estote factores verbi, & non auditores tantum*, protinus subjungit: *Fallentes vosmetipsos, Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, Consideravit enim se, & abijt: & statim oblitus est qualis fuerit; Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Utique paradisus cœlestis subito gregatim foret adimplendus, si omnes concionum, sermonum, & conferentiarum spiritualium auditores, ea quæ audierunt, opere exequerentur. *Penset igitur apud se unusquisque vestrum*, inquit S. Greg. *si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & quia ex Deo sit, agnoscet, nam sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur, & sunt nonnulli, qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur; Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui ea exercere contemnunt.*

S. Greg. hom. 18. in Evang.

Joan. 10. 27. — Quomodo oves Christi vocem ejus audiant. — Lyran. ibid. in cat. D. Thom. — Act. 9. v. 1. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 15. — Joan 8. 47.

3. Salvator quidem noster inquit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis;* At vero audite quo modo Lyranus ly *Audiunt* exponat scilicet *credendo in corde, & obediendo opere.* S. Thomas in catena pariter inquit: *Audiunt, id est præceptis meis ex animo obediunt.* Ad idem verbi incarnati verbum Saulus implacabilis discipulorum Christi persecutor (*spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*) in terram prostratus cecidit, ad cujus verbi vocem turbæ armatæ in horto Gethsemani prostratæ fuerunt, ut caderent retrorsum, cum hac tamen differentia, quod persecutor ex Saulo subito è terra surrexerit Paulus, in Apostolum transmutatus, per quem converteretur universus mundus, cum tamen econtra Hebræi obstinati & indurati ceciderint, numquam per omnia sæcula resurrecturi, usque ad illud tempus, in quo *reliquiæ Israël salvæ fient.* At vero quænam obsecro hujus diversitatis effectuum causa fuit? Nimirum Saulis audita Christi voce cor suum aperuit, atque ad obediendum jussis Domini promptum se obtulit dicens: *Domine quid me vis facere?* Tunc enim confestim ex lupo rapaci factus est ovis. *Vas electionis est mihi iste;* Judæi vero econtra audierunt quidem, sed quo modo? *Continuerunt aures suas*, id est auriculam cordis; Atque ideo cœlestis Pastor illis improperat dicens: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Taxatur vecordia Judæorum in audiendo, & complendo verbum Dei. — Ezech. 33. v. 30. — Ibid. v. 31. — Actor. 7. 51. — Ezech. 33. 32. — Apta similitudo.

4. Optasset quidem clementissimus Deus electum populum suum ad veram compunctionem & emendationem perducere, utpote qui à semita recta deviaverat, ac proinde præter Isaiam, Jeremiam, aliosque Prophetas, etiam Ezechielem Prophetam ad ipsos ablegavit; Verum audite Discursum quem Judæi Prophetam auscultantes inter se miscuerunt: *Dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino, Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos.* Ecce quam pessimæ indolis hi Hebræi erant, quibus proinde Proto-Martyr merito improperavit dicens: *Dura cervice & incircumcisis cordibus.* Subdit vero sacer textus sequentem aptissimam similitudinem. *Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi, dulcique sono canitur & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* In æstate namque sæpe contingit, quod circa ineuntem noctem circumeuntibus instrumentis musicis dulce sonantibus nonnemo dormiens excitatus, ad fenestram accurrat, & quoadusque cantus vel instrumentorum sonus durat, de audita harmonia sibi complaceat, ita tamen ut postea nihil amplius de cantu aut sono cogitans, lecto se iterum committat. Hoc est quod verè multis contingit, qui vel ob pruritum eloquentiæ, vel ob ostentationem ingenij, memoriæ, vel doctrinæ, quæ est in prædicante, avidissimas sæpe ejusmodi prædicatoribus aures præbeant, in iisque quamdiu sermo ipsorum durat, sibi complaceant; Sæpe etiam exinde excitati deliciarum & voluptatum suarum plumas deserant, at vero finita quadragesima ad eumdem vitiorum suorum, pravarumque consuetudinum, quibus antea insorduerant, denuo revertantur.

Psal. 48. v. 2. — Auribus cordis audiendum, & in corde abscondendum est verbum Dei, ne diabolus illud rapiat. — Auct. Imperf. Hom. 31.

5. Nescio an aliquando observaveritis phrasin quamdam loquendi, qua Psalmista utitur dicens: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.* Etenim prima facie ly *Audite:* & ly *auribus percipite*, prorsus eamdem significationem habere videntur; Sed falluntur, qui idipsum existimant, quia duplicis generis aures nobis insunt, scilicet exteriores, quæ oculis videntur, & interiores quæ cordi sunt annexæ, ita enim docet Gallenus lib. 6. *de usu partium*, asserens in corde nostro duas quasi esse auriculas. Quando igitur David inquit: *Auribus percipite*, de interioribus auribus loquitur, ut intelligamus divinam vocem corde potius, quam auribus externis auscultandam esse. Author operis imperfecti parabolam seminis commentando ita scribit: *Jacentia super lapidem semina verbi, rapiunt volatiles dæmones;* At vero *dic mihi cujus culpa est, rapientium dæmonum semina, an hominum durorum, non abscondentium ea in sulcis pectoris sui? Puto non esse culpam rapientium dæmonum. Ille enim*

latro

latro qui parietem perforat; in secreta domus parte ingreditur; Qui autem invenit foris projectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic & diabolus, si poterat introire in secreta pectoris tui, ut à nolente raperet verbum, bene culparetur, nunc autem quod à te neglectum est, & contemptum, hoc ille diripit. Denique sciens Propheta hominum abscondentium esse culpam, dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Si ergo absconderis verbum in sulco pectoris tui, germinat tibi timorem, timor liberat te à peccato; Si autem foris eum in superficie carnalium aurium dimiseris, quomodo timor tibi germinatur? Si autem timor in te natus non fuerit, quomodo salvus fies, cum sit scriptum: Timor Domini expellit peccatum? Qui autem sine timore est, non potest justificari?

Psal. 118. 11.

Verbum Dei debet non solum auribus audiri, sed insuper corde & intellectu ruminari. — Deut. 6. 7. — Matth. 13. v. 19. — Cajet. — S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 11. § 3. — Luce 2. 19. — Bellovac. spec. Mor. l. 3. par. 1. dist. 10. — Similitudo thesauri. — S. August. in Ps. 36. — Bolland. 3. Jan. car. 156.

6. Verbum increatum in Deuteronomio, quanta cum diligentia, & solicitudine cœleste semen ejus in sinu animæ nostræ nutriendum sit, his verbis nos docet: *Erunt verba mea in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Cajetanus super illum S. Matthæi textum: *Omnis qui audit verbum Regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est*, ita scribit; *Hinc patet quod appellavit semen verbum Regni cælorum; & non intelligit, id est, non penetrat verbum Regni cælestis, ita ut credat. In hoc enim primo nulla est omnino germinatio, utpote deficiente intellectu, qui est principium fidei. Venit malus; Diabolus Antonomasticè vocatur malus, non natura, sed voluntate immutabili à malo in bonum, & rapit quod seminatum est in corde ejus.* Doctrina est S. Antonini dicentis: *Debet verbum auditum ruminari, & mente retineri, sicut legitur de B. Nicolao, quod cum esset puer ad Ecclesiam accedens, sacra pectori condebat mandata, quæ scilicet audiebat, & hoc modo intelligo Cæciliam Virginem semper Evangelium in pectore portasse, scilicet meditando verba Dei audita in prædicatione, & de B. Virgine matre Dei dicitur Luc. 2. Et conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, nam animal quod non ruminabat in lege veteri habebatur immundum. Non ruminare, est non memorare, & non meditari audita.* Bellovacensis quanta cum diligentia conservandus sit thesaurus his verbis considerat: *Attende quam solicite custoditur thesauras, & quanto pretiosior, tanto vigilantius custoditur, verbum autem Dei thesaurus est infinitus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Nota qui thesaurum temporalem Domini sui custodiunt, si illo utuntur, si ex illo amicos acquirunt fures sunt, & infideles Domino suo & Dominum suum damnificant, nec illo possunt uti, vel amicos acquirere sine Domini sui damno non sic de isto, quia quanto plus thesauro isto usus fueris, quanto in plures disperseris, & inde amicos acquisieris, tanto majorem Dei amicitiam obtinebis.* Ob hujus interioris, ad verbum auditum, & non conservatum, aut nutritum, applicationis defectum, fit postea, quod idem verbum non mandetur executioni, & consequenter quod multæ animæ valde periclitentur. S. August. super Ps. 36. ita de Donato scribit: *Tentavimus consolari eum de verbo Dei, sed ille non erat de Sapientibus formicis, quæ sibi æstate collegerunt, unde hyeme vivant. Cum enim res sunt tranquillæ, tunc homo sibi debet colligere verbum Dei & recondere in imis cordis sui quemadmodum formica abscondit in cavernosis penetralibus labores æstatis, per æstatem enim vacat hoc agere, venit autem hyems, id est intervenit tribulatio, & nisi intus invenerit, quod edat, necesse est ut fame dispereat, iste enim sibi non collegerat verbum Dei.* Bollandus de S. Bertilia Virgine refert, quod inter alia futuræ suæ sanctitatis signa hoc quoque in ea notatum fuerit; *Studebat ad Ecclesiam convolare, quatenus verbum Dei audire valuisset, unde nimio audiendi amore summopere flagrabat, & quod aure corporis audiebat, in alta cordis memoria recondebat.*

Verbum Dei in corde & memoria conservatum, etiam executioni mandari debet. — Auct. Imperf. hom. 41.

7. Ex hac consideratione & conservatione verbi Dei in mente & memoria audientis, nascitur: quod idem verbum postea executioni mandetur: Porro cibus postquam manducatus, & intra Stomachum receptus, ibique ruminatus, concoctus, & digestus fuerit, tandem suam substantiam ad partes corporis nostri transmittit, ut eidem vitam, & vigorem subministret. *Quemadmodum* enim *non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus*, ut Author operis imperfecti inquit, *& in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui & memoriæ traditum; Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus, & iterum evomimus eum de stomacho, sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, si obliviscimur illud. Cibus qui in stomacho stat, ille confortat, & sermo qui in memoria manet, ille salvat.* Adducitque animalium mundorum, & ruminantium exemplum dicens: *Animal illud est mundum, quod masticat & tradit utero, & iterum de utero revocat & ruminat; Et homo ille est spiritualiter sanctus, qui audiens verbum, tractat, & cum intellexit, memoriæ quasi utero tradit, & iterum de memoria quasi utero revocat, & ruminat, & retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum; qui non recordatur aliquando, nec retractat, quod audit.* Quanto igitur immundior erit, si nec exequatur, quod auscultat. Rabanus Maurus Archi-Episcopus Moguntinus historiam illam libri Judicum, in qua Deus Gedeoni præcepit, ut omnes illos à se demitteret milites, qui ut aquam ad bibendum acciperent, genua flectebant, in favorem nostrum explicat inquiens: *Qui aquas flexis genibus hauserunt, à bellica contentione remoti sunt; Aquis namque doctrina Sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Reprobati qui genua, dum aquas biberent, inflexerunt, quia attestante Apostolo: Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur; recte rursum per Paulum dicitur: Remissas manus, dissolutaque genua erigite, & gressus rectos pedibus vestris.*

Raban. lib. 2. in Jud. — Rom. 2. v. 13. — Heb. 12. v. 12.

Verbum Dei comparatur speculo, ejusque qualitatibus. — Jac. 1. v. 23. — S. Thom. à Villanov. in Sexag. — Quare vitiosi abhorreant verbum Dei audire. — Luc. 8. v. 15. — Thom. à Vill. Ibid. — Joan. 8. 37. — S. Aug. tract. 42. in Joan.

8. In hanc rem aptissime quoque deservit illa à S. Jacobo adducta speculi similitudo. Unde Sanctus Thomas à Villanova, citans illum S. Jacobi textum: *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo &c.* subjungit, *Sic isti, tempore quo audiunt verbum Dei, conscientias suas in lumine veritatis verbi Dei aspiciunt, & maculas suas vident, sed egressi Ecclesiam, statim obliti sunt, quales se viderint.* Præterea speculum non adulatur, nec decipit aliquem, sed demonstrat defectus, & maculas omni cum sinceritate, sicut in se sunt; Idem quoque verbum Dei facit, nullius enim habet respectum, sed cum omni libertate & sinceritate cunctos reprehendit, & quales simus, nos veridice cognoscere facit. At vero scitisne causam, cur impij in hoc speculo se considerantes non se emendent? De Elephante & Camelo dicitur, quod ex aqua limpida bibituri, eamdem prius pede conturbent, ne propriam deformitatem in eadem conspiciant; Eodem modo vitiosi verbum Dei abhorrent, nec inde emendantur, quia turpitudines suas detegi, aut audire nolunt. Porro semen illud, quod centuplicatum fructum protulit, eos denotat, qui ex prædicatione *fructum afferunt in patientia*, quinam vero hi sint, S. Thomas à Villanova his verbis declarat: *Id est qui efficaciter proficiunt, alias quid prodest audire nisi in damnationem? Nam scienti, & non facienti, peccatum est illi; Unde Dominus in Evangelio ait: Viri Ninivitæ surgent in judicio contra generationem istam &c. quia illi uno sermone, & brevissimo Jonæ conversi sunt ad pœnitentiam, & nos tot sermonibus non convertimur.* Undenam putas suam habuisse originem, quod Judæi tot à Christo beneficiis affecti ejusdem crucifixionem machinati fuerint? Ipsemet Salvator ad hoc respondet, dum Joan. cap. 8. ait: *Scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis*, quasi diceret ut ait S. Augustinus: *Ideo quæritis me occidere, quia sermo meus non capit in vobis.* Christum quidem prædicantem audiebant, sed cum indignatione capita sua moventes, divinumque illud semen in cordibus suis minime admittebant, & ideo mirum non est, quod fructificare exinde non poterant. Subdit idem S. Augustinus: *Si sermo meus caperetur, caperet, si caperemini intra retia fidei tamquam pisces concluderemini. Quid est ergo, non capit in vobis? Non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tamquam pisci hamus, tunc capit quando capitur, nec fit injuria illis qui capiuntur, ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur.*

Jac. 1. v. 22. — 2. Cor. 2. v. 14. — Quibus verbum Dei prædicatum sit salutare. — Theodoret. — Jac. 2. v. 20. & 26. — Luc. 11. 28. — Alb. Mag. ib.

9. *Estote factores verbi &c.* S. Paulus in Epist. 2. ad Corinth. de fructu prædicationis suæ disserens ait: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salvi fiunt, & in ijs qui pereunt; Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* Quæ verba Theodoretus in favorem nostrum ita exponit: *Salutaris prædicatio ijs quidem qui credunt, salutem procurat, ijs vero qui non credunt, affert exitium;* Advertendum tamen est, quod ly *credunt* semper conjunctum sit cum operibus, quia *fides sine operibus mortua est.* Albertus Magnus verba illa: *Quinimmo beati, qui audiunt*

verbum

verbum Dei, & custodiant illud, ita exponit: *Quasi dicat: Hoc verum dixisti, sed non tantum ea quæ carnaliter portavit, & lactavit, beata est, sed etiam illi qui audiunt verbum Dei concipiant, & custodiendo fovent, & pariant in opere, sunt beatitudinis illius participes, quia ipsa mater carnalis beata est.* Didacus Stella pariter hæc verba ita commentatur: *Non satis est ad beatitudinem consequendam audire verbum Dei, & credere, nisi bona opera adhibeas, ut verbum rectè custodias.* De Saul in libro 1. Reg. cap. 24. dicitur: *Levavit vocem suam, & flevit*; Cum lacrymis namque doluit de eo quod Davidem fuisset persecutus; Nec tamen ob hoc ab eodem innocente David deinceps persequendo postea destitit: Plurimi sunt, qui ad exemplum hujus reprobi efficacem quamdam concionem audientes compunguntur, & bona sibi faciunt proposita, at vero mox ut domum reversi sunt, omnia evanuerunt, nec quidquam eorum exequuntur, quæ sibi proposuerunt. Sacer textus de Herode Baptistam prædicantem auscultante dicit: *Libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat*, scilicet eorum quæ audierat, at notandum est, quod sacer textus dicat, *multa, non vero omnia*; Non sufficit autem aliqua bona facere in virtute auscultatæ prædicationis, *quia qui in uno offenderit, factus est omnium reus.* Apud S. Joannem cap. 13. Christus ait: *Si hæc scitis, beati eritis: si feceritis ea.* Quæ verba in memoriam mihi revocant sapiens quoddam responsum, quod in bono authore à pia quadam matrona domesticis suis datum fuisse legi, cum enim hæc quodam mane familiares suos ab Ecclesia sua revertentes interrogasset, num concio facta esset, illique omnino factam esse, seque illi interfuisse respondissent, subjunxit hera: *Dicta est, sed necdum facta est concio, superest eam nunc faciatis, & quæ audistis, opere adimpleatis.*

Did. Stell. ibid.

1. Reg. 24. 17. Multi audita prædicatione, bona concipiunt proposita, quæ tamen cito evanescunt.

Marc. 6. 20.

Jac. 2. v. 10. Joan. 13. 17.

Joan. David in vid. Christ. c. 97.

DISCURSUS XXII.
ARGUMENTUM.

De iis qui verbum Dei sine attentione auscultant, nec non de aliis, qui econtra cum devotione eidem assistunt, disseritur.

THEMA.

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem Sapientiam non tenebit, Verbum sapiens quodcumque audierit scitus, laudabit, & ad se adjiciet. Eccli. 21. ℣. 17. & 18.

Examinatur differentia audientium Verbum Dei cum conscientia timorata, & ex vana curiositate.

1. Ecclesiasticus hisce verbis differentiam assignat, quæ est inter perditè salutis hominem, & timoratæ conscientiæ virum, *cor fatui quasi vas confractum*, vel perforatum, quod nihil retinet eorum, quæ ipsi immittuntur; Non vero item vir *Sapiens*, hic enim *quodcumque audierit &c.* Apud Ezechielem prædicatio hujus Prophetæ Cantioni musicæ assimilatur: *Es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur.* At vero quænam esse potest proportio inter musicam, quæ per harmoniam bene regulatam delectat & placet, & inter verbum Dei, quod malis plerumque displicet? Porro experientia docet, quod nonnulli cantionum, & instrumentorum melodia abutantur, quæ alias in Ecclesias sub divinis officiis ad fideles ad majorem devotionem excitandos introducta fuit; Sic enim *cantantibus organis Cæcilia in corde suo decantabat*; *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum*, lascivi tamen & dissoluti homines iisdem cantionibus musicis aures suas præbent sine ulla inde concepta devotione, sed solum ob delectationem externam, quam inde capiunt; Idem quoque multis contingit, qui ideo solum prædicatorem auscultant, quia sibi in ejus eloquentia, vel in doctrina illius aut gestibus plurimum complacent; Non vero hi viri timorati faciunt; *Sapiens* enim *quodcumque audierit &c.* Multi musicæ assistunt, ut compositiones musicas censurâ suâ notent, vel ut de cantoribus, eorumque qualitatibus judicent, non vero ut harmonia musicæ sese oblectent, idem sæpe contingit in concionibus, ad quas multi accedunt, non ut ex documentis evangelicis proficiant, sed ut defectus concionatoris censura sua convellant, *Audiunt sermones tuos*, inquit Deus ad Ezechielem, *& non faciunt eos, quia in cantico oris sui vertunt illos, & avaritiam suam sequitur cor eorum.* De Salvatore nostro apud Matthæum legitur: *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.* Maligni namque Pharisæi in prædicatione Christi auscultanda frequentes erant, sed hoc solum fine, ut caperent, & carperent eum in sermone, si forte inter loquendum errorem committeret, non vero ita faciebant Discipuli & Apostoli; Sicut enim ex uno eodemque flore apis mel, aranea venenum exsugit (*Hinc mel, hinc venenum*) ita invidi scribæ ex prædicatione Christi maledicentiæ, & detractionis capiebant materiam, discipuli autem ejus fructus æternæ vitæ colligebant; Unde Petrus omnium nomine dicebat: *Verba vitæ æternæ habes.* Porro de Pharisæis S. Thomas ita scribit: *Stultum consilium fecerunt, ut Jesum caperent in sermone, quia ipse erat verbum Dei, & verbum Dei non est comprehensibile.* Hugo Card. similiter inquit: *Stulti sunt, qui volunt capere verbum in verbo*; Ad nostrum vero propositum Paulus de Palatio optimè ait: *Ita nunc Pharisæi quidam in nihil aliud contendunt, quam ut prædicatorem capiant in sermone. Quam sit horum gravis iniquitas, ex Dei in loco isto furore conjicias, vix enim invenies Christum tam gravia verba dixisse.* Invenietis ut plurimum quod populus & turbæ Christum secutæ tanta cum attentione illum auscultarint, quod ab ejus divino verbo attonitæ, & suspensæ hæserint, atque in tanta multitudine confluxerint, ut quasi suffocandus ab iis videretur: *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*, Ut Glossa ait: *Nec tempore, nec loco turba à studio audiendi cohibetur; Vesper incumbit, & tamen sequitur; Stagnum occurrit, & turba urget.* Didacus Stella insuper addit: *Non solum in templo, & in Synagoga, intra mœnia civitatis audiebant verba, sed per montes, ac deserta properabant; Nos juxta Ecclesias habitantes parum inveris ambulare nolumus*; At vero Pharisæi, Sacerdotes, Principes Synagogæ, qui in contemptum Christi gloriabantur dicentes: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Eum dicentem nec audire, nec tolerare volebant, *Durus est hic sermo*, dicebant, *& quis potest eum audire?* Porro causam hujus differentiæ ex quadam expositione S. Bonaventuræ colligo, hic enim super ly *irruerunt*, ita scribit: *Vehementi desiderio movebantur, ideo irruebant, considerantes magis Domini bonitatem, quam majestatem; Unde dicit quidam expositor: Magni meriti est apud Deum desiderium verbi Dei, quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis excusat.* S. Ambrosius, qui per prædicationes suas S. Augustinum Ecclesiæ comparavit, ipsemet fatetur, populum suum adeo avide ad sermones suos concurrisse, ut Deus sæpe per miracula ipsi, quando infirmus existens prædicare non poterat, auxilio fuerit, Ait enim: *Et si interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamen studio devotionis vestræ fortiores efficimur, nam quo vos studiosius auditis, eo nos libentius prædicamus, & virtus nobis loquendi additur, cum nos intelligendi accommodatis auditum. Quis non conetur illic semen verbi cælestis jacere, ubi illud puri cordis fœcunda terra suscipit?*

Ibid. v. 31.

Matth. 22. v. 15.

2. Ex quatuor partibus seminis, in terram dispersis, prout apud S. Lucam legitur, tres defecerunt, quarta vero pars cum fœnore fructus centesimi agricolæ laboribus correspondit: *Et aliud cecidit in terram bonam, & fecit fructum centuplum.* Quinam vero fuerunt hi agri cultivati, atque fertiles, ut tam abundantem progerminare messem potuerint? Audite illum, qui ait: *Pater meus agricola est*, hic enim perspicue declarat, unde hæc messis provenerit fertilitas, dicit enim: *Quod autem in bonam terram, bi sunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*, id est, ut Alb. Magn. exponit: *Audientes interiori auditu, retinent memoria, affectu, & operis impletione*; Et hoc est quod Ecclesiasticus dicere voluit, quando ait: *Sapiens quodcumque audierit scitus, laudabit, & ad se adjiciet*, Enimvero quando ferculum aliquod palato bene sapit, comedens laudat illud, & sibi attrahit, ita quoque David, qui sano gustu præditus erat, dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Surius in vita S. Antonij de Padua refert, quod cum devota quædam mulier avida esset Apostolicum hunc virum prædicantem audiendi, nec tamen maritus infirmus dimittere eam vellet, ut foris extra civitatem in campo quodam spatioso ipsum prædicantem audire posset, *ascendit in solarium domus suæ, & ex fenestra locum concioni destinatum cupida respexit, ut vel si nonnihil sito desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna, dum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audivit. Cujus suavitate delectata, hæsit diutius ad fenestram, quam vir ejus ferre posset, qui etiam eo nomine objurgavit eam; Sed illa respondit se Patrem Antonium audire concionantem, quod ille audiens, irrisit eam, delirare eam existimans; Illa contra asserente se optime audire eum, ascendit vir ad fenestram eamdem, & etiam ipse vim Dei vocem*

Luc. 8. v. 8. Qui corde bono verbum Dei audiunt & retinent, copiosum fructum afferunt. Joan. 15. 1. Luc. 8. v. 15. Alb. Magn. Eccli. 21. 17.

Ps. 118. v. 103.

Stor. vit. S. Anton. de Pad. c. 25. Præclarum miraculum de fervore audiendi verbum Dei.

vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab eo die numquam ab illius concione abesse voluerunt. S. Vincentius Ferrerius nonnumquam octoginta millia hominum foras secum in apertos campos ad prædicationes suas eduxisse legitur. Quando S. Bernardinus Senensis prædicabat, Auditores ab aurora præoccuparunt locum, ut commode eum audire possent. S. Ambrosius (cujus admirabilis facundia per illud apum examen, quod tempore infantiæ ipsius labijs insedit, præsignificata fuit) cum tanta energia prædicabat, ut S. Augustinus ingenue confiteatur dicens: *Cum non satagerem discere quæ dicebat, sed tantum quemadmodum diceret, audire, veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam, neque enim ea dirimere poteram, sed dum cor aperirem ad excipiendum quam diserte diceret, pariter & intrabat, quam vere diceret*; Erat enim S. Augustinus tunc de illorum numero, de quibus, ut paulo ante audistis, Ecclesiasticus dicit: *Cor fatui quasi vas confractum*; Erat enim & ipse fatuus: *Stultorum infinitus est numerus*, desiderasset quidem quod illæ veritates æternæ, quas S. Ambrosius enunciabat, ipse vero auscultabat, cor suum leviter pertransisset, non vero remansissent in illo, siquidem in sola S. Ambrosij eloquentia sibi complacebat, de eorum quæ dicebat veritate nihil curans, at vero Deus ipsi manifestare voluit quantæ divinum verbum etiam, si cum intentione contraria auditum fit, efficaciæ existat.

S. Augustin. lib 5. c. 14. Confess.

Eccli. 21. 17. Eccle. 1. 15.

3. Deus Jobo Prophetæ tantam contulerat in dicendo facundiam, & persuadendi efficaciam, ut quamprimum ipse os suum ad loquendum aperiebat, *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat*; Difficulter quidem sistere poterant, cum essent viri illustres, magnæque authoritatis Principes, ac proinde dicebant, *conceptum sermonem tenere quis poterit?* Et tamen Jobo in publicum prodeunte, ipsi obmutescebant, ut eum audirent: Eheu! Quot sunt inter fideles, quos venerabunda barbarorum illorum, paganorumque hominum attentio condemnabit, siquidem tametsi fideles sint nomine tenus, attamen non solum Deum in suis ministris evangelicis inviti audiunt (*Qui vos audit, me audit*) verum etiam prædicationem eorum, quantum possunt, turbare & impedire nituntur? S. Propheta Job ibidem subjungit: *Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant, ad consilium meum, Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum, Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Quæ verba Lyranus exponens inquit: *Reputantes magnum, quod de verbis meis aliquid intelligebant; Desiderabant audire verbum meum, sicut terra sitiens pluviam*; Enimvero quid convenientius illo tempore fieri poterat, quando filius Dei humana carne vestitus Evangelium prædicabat, quando hic *in terris visus, & cum hominibus conversatus est*, quando Petrus ei dixit: *Verba vitæ æternæ habes*, qua enim attentione & devotione dignus est Deus illeque Dominus, qui *dedit voci suæ vocem virtutis*, si Job servus ejus à Dominorum suorum magnatibus tanta cum reverentia auditus fuit?

Carpuntur qui prædicationes turbare & impedire nituntur.

Job. 29. v. 9. & 10.

Luc. 10. 16.

Job. 29. 21. Ibid. v. 17. Ibid. v. 18.

Lyran.

Baruch. 3. 38.

Joan. 6. 69.

Psal. 67. 34.

4. Divus Chrysostomus illos confiderat, qui aures suas tanta cum promptitudine & voluptate scenis exhibent, econtra vero prædicatores evangelicos tanta cum animi repugnantia auscultant, quos proinde his verbis perstringit: Scenis & Comœdijs publicis per medium diem, seu quatuor aut quinque horas sine nausea aut difficultate, imo ingenti cum complacentia assistunt, *hic vero ubi loquitur Deus, ne exiguum quidem patientiæ tempus expectant.* Idem S. Doctor in prologo super S. Joannem idem punctum serio inculcans, indignitatem illam se intelligere non posse protestatur, qua multi homines verbum Dei histrionibus postponere non verentur, licet idipsum Doctor gentium multis sæculis ante prævideris, & detestatus fuerit, quando ad Timotheum celeberrima hæc verba scripsit: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Taxantur qui cum gaudio aures exhibent comœdiis, & verbum Dei fastidiunt. D. Chrysost. hom. 1. in Matth.

2. Tim. 4. 3. Ibid. v. 4.

5. Revocetis vobis obsecro in memoriam, id quod in libro Judicum cap. 8. scribitur, Ubi Gedeon suos ita affatur: *Unam petitionem postulo à vobis, date mihi inaures ex præda vestra*, idipsum namque Deus cunctis fidelibus suis dicere videtur, scilicet, *Postulo à vobis inaures*, id est illam attentionem, illam audientiam, illam animi alacritatem, qua Comœdias spectatis, novitates, discursus politicos, profanos, ridiculos, obscœnos perlibenter auditis, eamdem inquam eadem proportione divino verbo meo à vobis exhiberi postulo Origenes ait: *Mulieres illæ quæ suas inaures obtulerunt, ut fierent vitulus, insipientes erant, quæ à veritate quidem averterunt auditum, ad fabulas autem se converterunt.*

Continuatur idem propositum. Jud. 8, 24.

Orig. Hom. 13. in Exod.

6. Plutarchus in vita Demosthenis facundissimi oratoris sequentem refert haud infacetam historiolam. Dum enim Demosthenes de negotio aliquo maximi momenti, id est de vita cujusdam conservanda, qui delicti capitalis reus esse prætendebatur, coram tribunali peroraret, videretque judices ad alia cogitationibus distractos, deque rebus impertinentibus inter se mutuo discurrentes, abrupto discursu sui filo sequentem cœpit illis enarrare fabulam. Certus quidam vir (cujus nomen fingebat) asinum sibi, in quo Athenis Megaram proficisceretur, conduxit, cumque in itinere ab ardentissimis solis radijs æstuans haud modicas sentiret molestias, nec quidquam penes se haberet, quo se ab ardore solis tueri posset, à jumento descendens, in ejus umbram sese collocavit. Cujus usuram Veredarius, mordicus ei denegavit, dicendo, conductum ab illo esse asinum, non vero umbram, ac proinde si illam prætenderet, novo illam pretio comparandam esse, hic vero econtra opposuit dicendo, haud dubie cum asino insidendi ex pacto facultatem habeam, umbra illius fruendi facultatem ex eodem pacto pariter habebo; Hacque ratione multo tempore inter se fuere jurgati; Hac autem fabula absoluta Demosthenes dictionem suam terminans, se abire velle, jamque quod sufficeret dixisse simulavit; At vero Judices illum revocarunt, utpote certaminis hujus exitum scire percupientes; Tunc Demosthenes illos sequentibus verbis objurgandi occasionem accepit, dixitque: *Itane de asini umbra libet audire, viri vero de vita periclitantis causam audire gravamini?* Quam aptè idipsum multis posset exprobrari Christianis: *Itane de profanis libet audire gravamini?* Discursus enim æternæ saluti pernicioli, qui ut plurimum vitiorum, scandalorum, pessimarumque consequentiarum sunt fomentum, cujusmodi sunt detractiones famæ alienæ, comœdiæ lascivæ, cum aviditate auscultantur, magnoque cum dispendio frequentantur; verbum autem Dei, quod tanto cum animarum fructu in Ecclesijs audiri potest, non solum negligitur, verum etiam temere rejicitur, & histrionibus posthabetur.

Plutarch. in vit. Demost. Facetahistoriola.

7. Enimvero hi, qui ex verbo Dei nullum percipiunt fructum, illudque nulla prorsus cum attentione auscultant, notabilissimum quoddam patiuntur damnum & præjudicium, quod non sicut aliæ commissæ transgressiones per pœnitentiam compensari, aut resarciri potest, quia tametsi de negligentia qua verbum Dei auscultasti, aut de damno, quod ab illo te absentando incurristi pœniteas, insignia tamen documenta, & salutaria monita ex quibus egregium poteras facere profectum, propter hoc non recuperabis, adeoque tanto subsidio destitutus, multis cadendi periculis subjectus manebis; Neque cum Psalmista dicere poteris: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Damna negligentium audire verbum Dei.

Ps. 118. v. 11.

8. Divus Chrysostomus quorumdam, qui prædicationem Evangelicam auscultantes illius subito obliviscuntur hisce verbis adducit excusationem: *Multus audio qui dicunt, quod præsentes, & Evangelicæ veritatis eloquijs perfruentes, dignum tantis rebus commodant auditum, animoque contrahuntur.* 3. *Egressi vero Ecclesiam, cum locum & animum repente mutent, extinguentes prorsus totum illam devotionis ignem, quem sermo in eis prædicationis accenderat. Quidnam igitur adhiberi congruit, ne istud eveniat?* Si scilicet consideremus in primis unde contingat. *Unde itaque nobis accidit tanta mutatio? De conversatione minimum parum attenta, & vitiosorum hominum assidua, pestiferoque colloquio.* Turbæ illæ, quæ è domibus propijs, & civitatibus quas incolebant, in loca deserta egressæ Salvatorem nostrum famelicæ fecatæ fuerunt, divinum ejus verbum cum fructu audire meruerunt. Unde S. Ambrosius ait: *Gratiæ cælestis impertitur alimentum, sed quibus impertiatur adverte, non otiosis, non in civitate, quasi in Synagoga, vel secundum dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum; Cum ipsis loquitur Dei verbum.* Quisquis igitur verbum Dei attente audire, illudque vivum in mente & memoria conservare cupit, huic necessum est, ut solitudinem diligat, seque à strepitu negotiorum turbantium nonnihil subducat.

D. Chrysost. hom. 5. Matth. Unde veniat quod multi tam cito obliviscantur ea quæ audierunt in concione.

S. Ambr. lib. 6. in Luc. c. 9.

DISCURSUS XXIII.
ARGUMENTUM.

Æternæ reprobationis indicium est, si quis verbum Dei contemnat, vel inde non proficiat.

THEMA.

Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Joan.8.℣.47.

Eccle.9.v.1. Certum signum reprobationis est, verbum Dei nolle audire. S.Bonav. Joan.10.27. Joan. 8. 43. Ibid.v.44. Act.Apost. 13.v.46. S.Ambr.l. de Parad.cap. 14. 2.Reg.14. v.14. S.Aug.ser. 19.de diver.

1. TAmetsi verissimum sit solemne illud Ecclesiastis effatum: *Nescit homo utram amore vel odio dignus sit*, attamen incarnata sapientia manifestum reprobatæ alicujus animæ indicium tangit, dum incredulis Hebræis in hæc verba improperat: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; Ubi ut Doctor Seraphicus ait: *Causam subdit, quia non erant ex Deo.* Similiter apud S.Joannem cap.10. Christus electos, sive oves suas se ex voce cognoscere ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas.* Denique in cap. 8. obstinatis Judæis exprobrarat dicens: *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum; Vos ex patre diabolo estis.* S. Paulus pariter huic Hebræorum populo hanc reprobationis ipsorum causam fuisse protestatur, quia scilicet verbum Dei repulissent: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Ubi observandum, quod Apostolus ille, qui Dux verbi cognominatus fuit, repulsam prædicationis Evangelicæ, cum repulsa ab æterna beatitudine simul inter se conjunxerit, tamquam causam, & effectum. Unde S.Ambrosius ait: *Judæi qui sibi clauserunt aures, ne audirent, hodie non merentur audire*, sed ad prædicationem Evangelicam ad finem usque mundi surdi manebunt. Quando quis in permagno quodam imbre, qui ipsas quoque arbores eradicat, in torrente fortuito est collapsus, ne in eodem submergatur, is qui expertus est, aliquem arboris ramum apprehendere solet, hacque ratione vitam suam salvat. In hoc impetuoso torrente, de quo sapiens illa mulier Thecuitis ait: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*, S. Augustin. modum nos docet, quem tenentes nequaquam submergemur: *Est quo te teneas*, inquit, *Res humana tamquam fluvias currit; Maligni dies tamquam fluvias currunt, tene te ad lignum, ne traharis; Ecce fluvias currit, percipitatur, transit. Quo me teneo? Verbum Domini manet in æternum.*

Joan.18. Quare Petrus Malcho potius auriculam quam aliud membrum amputaverat.

2. Observastisne aliquando audax illud facinus S. Petri, quo Malcho in horto Gethsemani auriculam amputavit? Cur eumdem in auricula, & non potius in alia corporis parte vulneravit? Hoc utique causaliter nequaquam accidit, siquidem Christus id permittens *omnia in sapientia fecit.* Dicetis forsitan quod cum Malchus vir temerarius, audax & ingratus fuerit, merito signo aliquo fuerit notatus, unde dignosceretur quis esset, scilicet semiauriculatus, id est homo infamis; Verumtamen melius dicemus, quod *omnia hæc in figura contingebant*, cum enim Malchus servus Pontificis fuerit, hebraismum præfigurabat, qui in futuris sæculis in omnibus totius mundi regionibus servus vilis, & emptitius, ab unoquoque tamquam indignus, & opprobrium hominum æstimandus erat, & præcipue hoc à S. Petro merebatur sustinere supplicium ut scilicet ei amputaretur auricula, quæ instrumentum est, quo verbum Dei auditur, in pœnam surditatis, qua prædicationem ejus obturatis auribus auscultavit.

Judæi bonis terrenis totaliter addicti, vocem Christi audire noluerunt, comparati aspidi. Ps.57.v.5. Joan.11.48. S.Aug.tract. 49.in.Joan. Act.Apost.7. v.56.

3. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, elapsa sunt jam sedecim & amplius sæcula, à quibus Judæus evangelium surdis, suum vero Thalmud apertis & expeditis auribus excepit. Unde de hoc populo illud psalmi verificari poterat: *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Enimvero aspis hunc habet naturalem instinctum, quod ne vocem incantantis audiat, unam auriculam cauda obturet aliam vero terræ firmiter applicet: Ita pariter hic populus fecit, qui utpote toto affectu bonis hisce terrenis adhærescens, vocem Christi surdis semper auribus excepit; Unde hoc quoque motivo Christo necem intulit, quia scilicet verebatur, *ne venirent Romani & tollerent locum ipsorum*; Ubi S. Augustinus ait: *Temporalia perdere timuerunt; Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quando S. Stephanus veritatem illis annunciare voluit, *illi continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.* Unde illis tamquam reprobis comminata est maledictio, prout videre est in Deut. ubi dicitur: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum &c.* ubi longus quidam & infaustus innumerarum calamitatum recensetur catalogus, quæ omnes super illos ceciderunt, & deinceps cadent usque ad finem mundi.

Deut.18. v.15.

D.Chrysost. hom.54.in Gen. Maximum Judæorum supplicium est, quod privati sint verbo Dei in pœnam surditatis suæ ad verbum Dei. P. Anton.de Pad.in Dom. Pass. Jerem.6. 10.

4. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* D. Chrysostomus optime considerat, quod inter alia rigidissima supplicia, quæ divina justitia Judæis immisit, illud longe fuerit acerbissimum, quod scilicet illos divino suo verbo privarit in pœnam surditatis illius, qua ipsum hic in terris eos erudire volentem doctrinam illius exceperunt. En verba Chrysostomi: *Quasi pecudes vitam totam transigimus, animæ quidem nullam facientes curam, ventrem autem solum impinguantes, atque etiam corpori propter hoc multum nocentes, & corpori ob voracitatem, & immoderantiam multa parantes incommoda, animam vero fame perire finimus, tametsi præstantior anima sit, quam corpus. Et quod omnium Dominus loco maximæ indignationis aliquando interminatus est Judæorum populo, dicens: Dabo vobis non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermonem Domini, docens nos, quod illa quidem fames corpus emaciat, hæc autem animam extenuat.* S. Antonius de Padua verba thematis nostri ad populum Hebræum directa, scilicet: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, ponderans, ita scribit: *Quasi dicat: Verba ejus ideo vos non auditis, quia ipsum non timetis; Unde Jerem.6. Cui loquar? Et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipiunt illud. Idem ibidem: Ecce adducam malum super populum istum, fructum cogitationum ejus, quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt.* Ubi notandum, quod transgressio & contemptus divinarum legum, cum verbi Dei repulsa semper inter se conjungantur. Pergit ulterius idem S. Antonius ex Propheta. *Ut quid mihi thus de Saba adfertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? Saba interpretatus rete, vel captiva; In thure oratio; In calamo, criminis vel laudis confessio designatur. Qui verba Dei non audit, & legem ejus: (Quæ charitas est, quia plenitudo legis est dilectio) projicit, hic frustra thus orationis de Saba, id est, mundi vanitate, qua irretitus est, & captivus tenetur, & calamum confessionis suaveolentem (Supple, si in charitate fiat (de terra longinqua, id est, mentis immunditia, quæ hominem separat à Domino Deo affert.*

Alb.Mag.in cap.10.Luc. Joan.8. 37. Rebelles Deo judicantur qui prædicationi verbi Dei auditum non præstant. Alb.Mag. in cap.11. Luc. S.Bernard. Tom.3.ser. de desiderab. verit. art.1. c.3. Similitudo nauseantis cibum. S.Bern.Tom. 3.ser.6.art. 3 c.1. Ps.118.v.16. S. Bonav. ibid.

5. Albertus Magnus super cap.10. S. Lucæ rebelles Dei nominat illos, qui prædicationi Evangelij auditum non adhibent; *Quibusdam*, inquit, *rebellibus improperans Dominus Joan.8. dicit: Sermo meus non capit in vobis*; Quod improperium dictum est iisdem, quibus hæc verba dicta fuerunt: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; Porro ij qui rebelles sunt, publici tunc inimici adeoque proscripti, extorres, condemnati, indignique qui faciem principis sui aspiciant; In hac autem infami classe ij quoque comprehenduntur, qui verbum Dei aversantur. Idem Albertus Magnus in sequens caput 11. S. Lucæ scribens, hæc habet; *De alijs quibus verbum evanescit, miseria est, & væ æternæ damnationis, in quibus verbum Dei per tentationem contrarijs exponitur, à quibus verbum in opere non ponitur; à quibus verbum Dei oblivioni datur.* S. Bernardinus in sermone quodam ita scribit: *Si populus meus audisset me, forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribunales eos misissem manum meam. Inimicos eorum, scilicet infernales, vel mundiales, humiliassem*, quasi diceret, quod si Hebræi prædicationem attente audivissent Evangelicam, mancipia inimici infernalis numquam facti fuissent. Idem S.Bernardinus aptam quamdam ab inferno desumptam adducit similitudinem; sicut enim desperatæ sanitatis est indicium, quando infirmus omnem prorsus cibum fastidit, ita quoque judicare licet de eo, qui verbum Dei nauseat: *Signum mortis instantis est infirmum non sumere cibum, proinde Augustinus ait: sicut nullum est majus signum prædestinationis æternæ, quam Dei verba libenter audire, sic nullum pejus est signum, quam illa contemnere; Unde merito post Joannis prædicta verba, Dominus subdit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis; & per consequens sequitur: quod sitis ex diabolo, non per creationem, sed per imitationem. De tali superbo homine Propheta ait: Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere ut bene ageret.* S. Bonaventura super illa verba Psalm.118. *Non obliviscar sermones tuos*, ita scribit: *Contra parvipendentes dicitur:*

Subsan-

Subsannabant nuntios Dei, & parvipendebant sermones ejus, Unde qui parvipendit sermonem divinum, aut ipsius nuncium, parvipendit ipsum Deum, quod non est leve peccatum. Contra erubescentes legitur: Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.

Joan.18. 37. Qui verbum Dei audire detrectant, sunt discipuli diaboli. Act. Apost. 13.v.45. Ibid.v.46. Joan.10. 27. Act.Apost. 17.v.32. Ibid.v.33.

6. Apud S. Joannem in decursu Passionis, Christus coram Præside Judææ in hæc verba protestatus fuisse legitur: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Unde *à contrario sensu* sequitur, quod illi qui aures suas veritatibus Evangelicis porrigere detrectant, non Christi, sed diaboli dicendi sint discipuli, prout alibi aperte dixerat. In Actibus Apostolicis cap.13. S. Paulus populo Hebræo eo quod prædicationem Evangelij summa cum nausea & reluctantia animi audiebat, protestatus fuisse legitur, quod ob hanc eamdem causam idem populus à Deo reprobatus esset; Ait enim sacer textus: *Videntes turbas Judæi, repleti sunt Zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes; Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbū Dei, sed quoniam repellitis illud,...ecce convertimur ad Gentes.* Ex qua protestatione populum illum repudiatum, & Gentiles in ejus locum substitutos fuisse, clare deducitur, idque ex eo potissimum capite, quia prædicationem Apostolicam repudiarant. Idem Paulus in Areopago Athenarum celebrem illam concionem habuerat, per quam S.Dionysius Areopagita, Damaris & nonnulli alij ad religionem Christianam fuere conversi, qui proinde de cælestis illius pastoris grege censendi erant, qui ait: *Oves meæ vocem meam audiunt*, Illi vero de quibus S.Lucas ait: *Quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum*, in sempiternum verbo Dei privati fuerunt, siquidem sacer textus subdit: *Sic Paulus exivit de medio eorum.*

Cor durum ad verbum Dei, maledictionem meretur. Ezech.3. v.7. Eccli.3.v.27. Heb 6.v.7. & 8. Patet ex aptissima similitudine terræ imbribus irrigatæ & sterilis permanentis. D.Chrysost. Hom. 10. Ibid. Orig.Hom. 16.

7. S. Ezechiel Propheta à Deo jussus fuerat, ut populo Hebraico, qui à recta semita deviarat, prædicationis subsidio subveniret, ut hac ratione ad sui emendationem induceretur; At vero surdas in illis aures deprehendit ac proinde populum illum verbis illis energiacis: *Attrita fronte, & duro corde*, circumscripsit, quando enim aliquem perditæ salutis hominem exprimere volumus, his vel similibus characteribus illum insignire solemus. Est homo attritæ frontis, id est impudens, effrænis, obstinatus, durus, licentiosus &c. de quibus Ecclesiasticus ait: *Cor durum male habebit in novissimo.* In Epistola ad Hebræos celebris quidam est textus, ex quo æternam maledictionem super illos cadere manifeste probatur, qui ad prædicationem Evangelij surdi existunt, ait enim ibi sacer textus: *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam oportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Quæ verba D.Chrysost. in Hom.10. exponens ita scribit: *Cum timore audiamus Dei eloquia, cum timore, & multo tremore. Non sunt hæ minæ Pauli, non sunt verba hominis, sunt Spiritus Sancti, sunt Christi, qui in ipso loquitur. Imbrem dicit doctrinam, terra sæpe venientem &c. Hic ostendit quod & verbum acceperint, & simul biberint, & id sæpe sint assecuti, nec id tamen eis profuerit, si agricolæ, inquit, opera non fuisses cultus, si imbribus non esses irrigatus, non esset tantum malum; Nam si non venissem, & eis non fuissem locutus, peccatum non habuissent;* Hisce autem verbis sanctus Doctor ad reprobationem populi Hebræi alludit, qui tametsi prædicationem audiverit, hic tamen auditus potius illi offendiculum erat ad præcipitium, quia hanc Christi, vel Apostolorum prædicationem censurabat, calumniabatur, eique se opponebat. Diu ante Chrysostomum Origenes in homilia quadam in hæc verba prædicavit: *Unusquisque Prophetarum cum aperuit os, imbres deducit super faciem terræ hoc est, auribus & cordibus auditorum. Hoc sciens & Apostolus Paulus, dicebat: Terra enim venientem sæpius super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam ijs à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, quæ autem protulerit spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus finis ad exustionem. Numquid hæc Apostolus de terra hac dixit? Sed nec accipit terra hæc benedictionem à Deo cum imbres biberit, & fructum produxerit; Sed neque si spinas, ac tribulos post pluviam protulerit, consequetur maledictionem à Deo, sed nostra terra, id est nostrum cor, si suscipiat frequenter venientem super se pluviam doctrinæ, & attulerit fructum operum, accipit benedictionem à Deo; Si vero non opus spirituale, sed spinas, & tribulos, id est solicitudines sæculi habeat, ac voluptates, & divitiarum cupiditates, reproba est, & maledicto proxima, cujus finis erit ad exustionem. Propterea unusquisque Auditorum, dum convenit ad audiendum, suscipit imbrem verbi Dei, & siquidem fructum attulerit operis boni, benedictionem consequetur, si vero susceptum verbum Dei contempserit, & frequenter audita neglexerit, ac solicitudini se rerum sæcularium, libidinique subjecerit, tamquam qui spinis suffocaverit verbum, maledictionem pro benedictione conquiret.* Idem omnino *ad litteram* apud S. Cyrillum Alexandrinum legitur lib. 10. super Leviticum. Porro in Jeremia Propheta cap.1. sequens describitur visio: *Quid tu vides? Et dixi, ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Paulo ante vero aliam quamdam habuerat visionem, ab hac multum differentem, scilicet: *Virgam vigilantem ego video*; At vero quis mihi harum duarum visionum exponet differentiam: Audiamus Rupertum Abbatem in hæc verba loquentem: *Hæc duo pro uno verbo Domini recte habentur, quia videlicet unum idemque verbum & pœnitentiæ disciplinam recipientibus, vigilans correctionis virga est, & impœnitentibus olla succensa, id est æternæ damnationis judicium est.* S. Bernardus illam, quæ inter hos, qui ex verbo Dei fructum faciunt, & alios, qui illud audire, ex eoque proficere negligunt, est, differentiam sequenti exponit similitudine: *Negligentibus, & male viventibus tamquam bilis amara, odiosa, non modicum fastidiosa per omnem modum. Illis pœnam, diligentibus vero Christum præparant perpetuam gloriam. Illis supplicium, istis præmium in vita beata, illis mortem, istis vitam, illis infernum, istis societatem Angelorum.*

S.Cyrill. Alex. Jerem.1.v.13 Ibid.v.11. Rup.Abb.lib. 1.in Jer. cap.3. S.Bernard. in cœn.Dom.

S. Antonin. p.2.t.9.c.11. §.2. Qualis sit differentia inter audientes & non audientes verbum Dei

8. Doctrina est S.Antonini dicentis: *Communiter ista differentia reperitur inter eos, qui audiunt prædicationem frequenter, & eos qui negligunt, id est, qui nolunt audire, quia non audientes eas, sunt homines ferales, immodesti, diversis erroribus infecti; econtra frequentantes prædicationem, sunt homines civiles, modesti, fidei Zelatores;* Subdit sequentem omnibus manifestam similitudinem: *Sicut non posse percipere cibum corporalem, est signum mortis corporalis, ita non percipere legendo, vel audiendo verbum Dei, quod est cibus animæ, est signum mortis animæ.*

DISCURSUS XXIV.
ARGUMENTUM.

Contemptus & intermissio verbi Dei calamitates & exterminia provocat in populos.

THEMA.

Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, Ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos ... & non audistis, Dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc in maledictionem cunctis gentibus terræ. Jerem.26.℣.4.5.& 6.

Contemptus verbi Dei, maximas calamitates inducit populis. Bernard. Tom. 2. ser. 9.art.3.c.2. S.Thomas à Villanov.in sexag.

1. JEremias Propheta priusquam hanc comminationem proponat, protestatur, quod id quod dicturus est, non suum, sed Domini verbum sit, illudque non tam ex suo, quam ex ipsiusmet Domini ore proficiscetur: *Hæc dicit Dominus.* Porro vaticinium istud explicatione sacrorum interpretum, vel glossis nequaquam indiget, siquidem *ad unguem* per omnia adimpletur, quia ut in discursu præcedenti probavimus, populus Hebræorum inter omnes mundi nationes, tamquam ad servitutem perpetuam damnatus, quaquaversum dispersus atque exterminatus fuit ipsaque totius Judææ metropolis Jerosolyma desolata facta est, in pœnam repudiatæ prædicationis Christi, & Apostolorum suorum. Sanctus Bernardinus, qui velut eximius Prædicator per multos annos copiosam in Italia animarum per prædicationes suas conversarum messem collegit, sequens hac de re perhibet testimonium: *Experientia certa didici*, inquit, *populos tantum à Domino flagellari, quantum rebelles inveniuntur in verbo Dei.* Similiter & alius quidam celeberrimus prædicator, S. Bernardino in sapientia & sanctitate haud impar, scilicet S. Thomas à Villanova in sermone quodam ita scribit: *Si in Ecclesia Dei nunc aliquid est vigoris & virtutis, hoc facit assidua prædicatio verbi Dei*; Et immediate ad propositum nostrum subjungit: *Nam vere, ut ait Isaias, nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen verbi sui, quasi Sodoma fuissemus.* Nazareni, inter quos filius Dei in terram descen-

descendens, sacratissimam suam dignatus est assumere humanitatem, adeo deinceps erga ipsum crudeles, & ingrati fuerunt, ut die quadam ipsum in Synagoga Evangelium annunciantem audientes, *repleti fuerint omnes...ira,...& ejecerint illum extra civitatem, & duxerint illum usque ad supercilium montis,...ut præcipitarent eum.* Undenam vero hæc tam impia crudelitas proceſſerit, facile est intelligere, quia scilicet ab audiendo verbo Dei aversionem & horrorem habebant; Et hoc est mysterium, propter quod Salvator totale patriæ suæ exterminium videre nolens, ab ea alienatus sit, ne ob repudiatum verbum ipsius, atrociora divinæ justitiæ supplicia ipsis immittere cogeretur; Unde S. Cyrillus Alexandrinus inquit: *Optime sciebat prædicationem fidei ibi fructum facere non posse, ubi prædicator contemnebatur. Prætergreditur ergo, non parum illis gratiæ faciens, qui cum negleeturi sermonem ejus essent, hujus contemptus supplicia effugerent, quæ daturos omnes scimus, qui prædicationem veritatis parvi faciunt.*

Luc. 4. v. 28. & 29.

S. Cyrill. Alexand. l. 2. in Joan. c. 113.

2. Lyranus circa libri 2. Paralip. caput 18. observationem quamdam habet proposito nostro haud inepte fervientem, considerat enim, quod cum Prophetæ Michææ Achab regi infausta belli, quod minabatur, exitum prædixisset, rex ille non solum fidem ei adhibere detrectarit, verum etiam insuper permiserit, ut colaphus in faciem ejus impingeretur, ac tandem ageretur in carcerem; Porro in sensu mystico per impium illum regem, ejusque insolentes aulicos, qui Prophetæ non solum non credierunt, verum insuper cum indignis modis tractarunt, præfigurantur illi, qui *Prædicatores veritatis non audiunt, sed magis ipsos persequuntur, falsis autem Adulatoribus, & mendacibus credunt, & eis præmia largiuntur. Sicut autem Achab mortuus fuit in prælio, sic tales moriuntur morte culpæ, & nisi vere pœniteant, morientur morte gehennæ.* Totus enim exercitus Achab dispersus fuit, & profligatus, ut per hoc erudiremur, quænam sint eorum supplicia, qui verbum Dei, ejusque ministros contemnunt.

2. Paral. 18. Achab cum toto exercitu suo deletus fuit in prælio propter contemptum verbi Dei, & colaphizatum Prophetam.

Lyran. ibid.

3. Matth. 10. Salvator noster postquam de missione Apostolorum suorum per universum mundum ad prædicandum Evangelium disseruisset, mox severissimum intimat populis illis supplicium, qui aures suas eorum prædicationibus obturassent; Ait enim: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel de Civitate, excutite pulverem de pedibus vestris: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum.* Nicephorus in historia Ecclesiastica funestum quemdam refert eventum, qui anno 350. sub Sapore Rege Persarum, & Ecclesiæ Catholicæ implacabili persecutore contigit. En verba ipsius: *Per id tempus etiam Milles Episcopus martyrio occubuit. Is primum apud Persas militaverat, postea vero deserta militia apostolicam vitam est imitatus. Cum autem Persicæ cujusdam civitatis Episcopus esset, multosque sæpenumero cruciatus pertulisset, nec alli istic persuadere posset, ut Christianus fieret, iniquo eam impietatem ferens animo civitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarij Urbis illius viri in Regem peccassent, exercitus cum trecentis elephantis eo profectus, urbem everit, & vehat agram colentes, in ea sementem fecere. Hunc in modum verbi divini contemptus pœnas justas, & graves, tum Deo, tum Episcopo persolvit.* Cum vivente B. Laurentio Justiniano Venetiarum Patriarcha, respublica illa propter bella, quæ eidem cum Duce Mediolanensi intercedebant, in gravi perditionis periculo consisterer, Senator quidam venetus ad quemdam sanctissimæ vitæ Eremitam, qui illis temporibus in Corfu morabatur, accessit, ut ab hoc servo Dei, quemnam bellum illud fortiturum esset exitum, intelligeret? Qui eidem juxta revelationem sibi cælitus factam respondit, Deum Venetis graviter esse iratum, eo quod populus ille verbum Dei penitus negligeret, jamque dudum civitatem illam in justam injuriæ illius vindictam, in desolationem fuisse redactum, nisi B. Laurentius Justin. eamdem efficacissimis suis precibus conservasset. Unde apud Prophetam Regium Deus ait: *Si populus meus audisset me,... Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.*

Nicephor. l. 8. cap. 37. Stupenda punitio contemptorum verbi Dei.

Spec. Exempl. Aliud ejusdem contemptus exemplum.

Psal. 80. v. 14. Ibid. v. 15. Applicatur ad propositum evangelica parabola de nuptiis.

4. Omnibus nota est illa de nuptiis parabola, in quibus figurata fuit incarnatio Fil. Dei, eo fine in terram missi, ut omnes ad novam Evangelicæ gratiæ legem invitaret, unde Cornelius Jansenius ait: *Est autem nuptiale istud convivium illud, quo Deus in hac vita mentes fidelium pascit, jucunda & salutari doctrinæ Evangelicæ prædicatione.* Porro per servos missos, Apostoli intelliguntur, dicente S. Hilario: *Servi missi qui vocarent, Apostoli sunt;* Etenim experientia teste videmus, quod à tot sæculis, quibus Ecclesia stabilita fuit, multi ad infideles missi sint prædicatores, qui eos invitarent ad nuptiarum istarum participium, id est ad incarnationis & redemptionis verbi pro salute nostra missi capiendum fructum; Verum enimvero quodnam hi, qui se excusantes nobile istud repudiarunt convivium, reportavere supplicium? Sacer textus ait: *Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit;* Nimirum adimpletum fuit illud Propheticum oraculum: *Iratus est furore in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominitati sunt eorum.* Hebræis eo quod prædicationem surdis auribus excepissent, ab exercitu Romano motum est crudele bellum, siquidem prædictus exercitus sanctam Civitatem Jerosolymam misere devastavit, majorem Judæorum partem crudeli strage interemit, reliqui vero inter gentiles dispersi sunt, ut illis velut mancipia deservirent. Albertus Magnus rationem assignat, cur illos homicidas appellarit: *Homicidæ sunt*, inquit, *quantum in ipsis est, & Dei, & Prædicatorum ejus, nec non & animæ propriæ.* Multi porro sunt, qui sub prætextu vel negotiationis, vel agriculturæ, vel studij, vel œconomiæ, vel artis & professionis propriæ ab audiendis prædicatoribus se arbitrantur exemptos, ideoque à verbo Dei audiendo se excusant; At vero quid tandem in pœnam illius negligentiæ accidit? Incidunt in ærumnas, & calamitates publicas, siquidem divina justitia irritata, videns quod nemo se excuset, quo minus histriones, Comœdos, aliosque nugivendulos spectent & auscultent, imo dato stipendio aures & oculos suos inde pascant, è contra vero vocem suam surdis auribus excipiant, millis exercitibus suis permittit, ut civitates castigentur bellis, deprædationibus, gravaminibus intolerabilibus, aut vero regnent in illis discordiæ civiles, inimicitiæ, factiones &c.

Christi gravis comminatio in contemptores verbi Dei. Matth. 10. v. 14.

S. Hilar.

Matth. 2. 20.

Ps. 105. v. 40.

Adducitur horrenda punitio Judæorum ob contemptum verbum Dei.

Alb. Mag. ser. 47 in Dom. 20. post Trinit.

5. In cap. ult. lib. 2. Paralip. pessimæ Judaici populi abominationes his verbis describuntur: *Universi Principes, Sacerdotum, & populus prævaricati sunt inique, juxta universas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini.* Nec opus est, ut procul abeamus ad investigandam hujus impietatis causam, quia sacer textus statim subjungit: *Mittebat autem Dominus Deus Patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens; At illi subsannabant nuncios Dei, & parvi pendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis;* Sed numquid illos hoc impune fecisse existimatis? Nequaquam, sacer enim textus immediate subjungit: *Donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio; Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit juvenes eorum gladio &c.* Videatur caput præfatum usque ad finem illius: Enimvero qualia fuerint publicarum calamitatum flagella, quibus populus ille ad prædicationes Prophetarum surdus à Deo castigatus fuit, regius Psalmista in spiritu prophetico clarè prædixit, dum ait: *Pluet super peccatores, laqueos: ignis, sulphur, & spiritus procellarum &c.* Quem versum S. Augustinus ad propositum nostrum adducit, cum quemdam S. Pauli textum commemorando ita scribit: *Quibusdam, inquit Apostolus, sumus odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem, non enim Prophetæ tantum, sed omnes verbo Dei animas irrigantes, nubes dici possent, qui cum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos, cum autem bene intelliguntur, fœcundat pectora piorum, atque fidelium.* Quando igitur Deus impios replet miseriis, & calamitatibus publicis, famis, pestilentiæ, bellorum, mortalitatis animalium, vel aliis similibus perniciosis influentijs, nequaquam judicium quis temerarium committet, qui illud in pœnam divini verbi contempti illis accidisse credit: Apud Oseam Deus comminatur dicens: *De domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos, omnes Principes eorum recedentes; Percussit est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient: Quod etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.* At vero quodnam fuit hujus iræ Dei præcipuum motivum? Subjungit Spiritus Sanctus: *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus;* Ecce tibi causam exterminij populi illius, quem Deus seculis præcedentibus tot beneficiis honorarat.

2. Paral. 36. v. 14. Ibid. v. 15. & 16.

Deducuntur ulterius gravissimæ pœnæ quas Deus infligit contemptoribus verbi Dei & prædicantium illud.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 17.

Ps. 10. v. 7.

S. Augustin. Ibid.

Osee. 9. v. 15 Ibid. v. 16.

Ibid. v. 17.

6. Deus eidem populo per Amos Prophetam in hæc verba

Amos 8. 10. verba comminatus fuit: *Convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium, & ponam eam quasi luctum unigenti, & novissima ejus quasi diem amarum. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis.* At vero inquies, de quibus calamitatibus & miseriis intelligendus est Amos, aut de qua fame loquitur, ú non de fame panis? *Non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, Et commovebuntur à mari usque ad mare & ab Aquilone usque ad Orientem, & circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient. Ubi S. Hieronymus ait: Circumeunt orbem, & quærunt verbum Domini, & non inveniunt, quia verbum Domini negaverunt, quod factum est in manibus omnium Prophetarum: Mittit famem in terram super eos qui terrena sapiunt, & famem non panis, sitimque aquæ, sed audiendi verbi Domini, quando propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesiis.* Legatur caput tertium Jeremiæ, ubi Deus Israëli cultum idololatriæ manifeste improperat, à qua eumdem removere volens, præcepit Prophetæ: *Vade, & clama sermones istos &c.* Audiatis autem quid illi promittat, si fuerit auditus:

Amos 8. 10. Aliæ gravium pœnarum comminationes contra eosdem contemptores.

Ibid. v. 11. Ibid.

Ibid. v. 12.

Jerem. 3. 12.

Ibid. v. 13. *Dicit Dominus, & non irascar in perpetuum;* Paulo post incipit manifestare hujus idololatriæ causam, inquiens:

Ibid. v. 13. *Dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem meam non audisti, ait Dominus.* In cap. 36. Jerem. legitur, quod cum impius ille Rex prædictionem jussu Dei à Prophetâ ad ipsum directam contempsisset, mox eidem Prophetæ commiserit dicens:

Jerem. 36. v. 28. *Tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim Rex Juda, Et ad Joakim Regem Judæ dices:*

Ibid. v. 29. *Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud dicens; Quare scripsisti in eo annuncians, festinus veniet Rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem.* Quibus verbis futurum prædicit, quod cadaver Regis hujus avibus rapacibus cessurum sit in prædam, omniaque alia minatur exterminia, quæ Palestinæ supervenient.

7. M. Marulus differentiam assignat quæ est intra Niniven civitatem sceleratissimam, salvam & incolumem conservatam, & quinque civitates, quæ cælesti igne conflagrarunt; Et dicit: *Illa Jona prophetante pœnitentiam egit, hæ absque doctore in omne scelus præcipites ibre, ideoque Deo alacyente ad internecionem redactæ sunt, implentes illud Salomonis oraculum Prov. 29. Cum Propheta defecerit, dissipabitur populus.* S. Gregorius Magnus ait: *Omnis qui recta prædicat, si auditur, iram irritati creatoris super prævaricantem populum plorat.* Cujus experientia clara in Ninive videtur, cum enim hæc prædicantem Jonam audiens, dictis ejus habuisset fidem, Ninivitæ sine mora rigorosam aggressi sunt pœnitentiam, sicque iram Dei feliciter evaserunt. Observastisne aliquando occasionem, qua Christus Judaismi exterminium, & desolationem deflevit.

M. Marul. tom. 1. l. 3. c. 4. Expenditur differentia inter Niniven, & Pentapolim; illam salvatam, hanc deletam. *Prov. 29. v. 18.*

Luc. 19. v. 41. Ibid. v. 42. Ibid. v. 43. Ibid. v. 44.

Ibid. v. 42. Ratio expenditur quare Christus defleverit desolationem Jerusalem.

Luc. 21. 11. Ibid. v. 25.

Videns civitatem, flevit super illam dicens: Quia si cognovisses & tu &c. Circumdabunt te inimici tui vallo, ... non relinquent in te lapidem super lapidem? Pro responsione observandum, quod Sanctus Lucas paulo post hanc historiam his verbis concluserit: *Et erat docens quotidie in templo;* Quasi diceret, eo ipso quo Salvator quotidie in templo docebat, & tamen à Sacerdotibus, Pharisæis, & Scribis minime audiebatur, factum est, quod in hujus obstinationis pœnam totale sui provocaverint exterminium. Quodnam signum illud erit, quod in fine sæculorum, quando judicium finale appropinquabit, irreparabilem, & universalem mundi ruinam funestius præcedet? Num forsitan terræmotus? *Terræ motus magni erunt per loca?* Aut vero pestilentiæ? *Pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo? Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium &c.* Hæc quidem omnia præcedent mundi ruinam, verumtamen interituri mundi nullum præcedet severius, aut atrocius prognosticum, quam quod eo tempore prædicatione Evangelij mundus destituetur, paulo ante quam intereat, Id quod ex textu quodam Apocalypseos deducitur, ut notat S. Bernardinus, qui postquam multa ab auscultatione divini verbi derivantia bona recensuisset, subjungit: *Hæc omnia appropinquante tempore Anti-Christi ob defectum verbi Dei de mentibus hominum disperibunt, ideo Apocalypseos 8. dicitur:* Et cum agnus aperuisset septimum sigillum, factum est silentium in cælo, quasi media hora. *Septimum namque sigillum est judicium Dei dandum in Ecclesia. Quid enim cælum nisi Ecclesiam Christi exprimit? Cujus multitudo per conversionem cælestis esse deberet. Quid hoc silentium, nisi defectio verbi Dei.*

Signum instantis extremi judicij, est cessatio prædicationis Verbi Dei. S. Bernard. tom. 2. ser. 9. art. 3. c. 1. Apoc. 8. 1.

DISCURSUS XXV.

ARGUMENTUM.

Alia considerantur supplicia, quibus castigantur, qui verbum Dei fastidiunt, aut nullum inde fructum afferunt.

THEMA.

Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum. Joan. 12. ℣. 48.

1. Præter pœnas universales, quæ in pœnam contempti verbi divini populis immittuntur, examinandæ nobis sunt aliæ in particulari, siquidem cælestis Magister noster expresse protestatur dicens: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum;* Pater Marcellinus Franciscanus strictioris observantiæ, qui sub Pontificatu Clementis Octavi hic Romæ in Ecclesia Aracœlitana ingenti cum fructu & cum incredibili auditorum concursu, & applausu prædicavit, utpote vir plane Apostolicus, in concione sua coram auditoribus suis frequenter in hæc verba protestari solebat: Nisi ego damner, in die judicij contra vos contestabor, quod vobis annunciaverim veritatem, vos autem illam audire, indeque proficere nolueritis; Ac proinde D. Chrysostomus super illa verba apud S. Matthæum: *Evangelium hoc in testimonium malis gentibus prædicabitur*, inquit, *in testimonium non credentibus ubique prædicabitur, hoc est in redargutionem, in reprehensionem, & testimonium.*

Examinantur pœnæ particulares contemnentium verbum Dei.

Matth. 24. 14 D. Chrysost. hom. 76. in Matth.

2. In libro quarto Regum num. 7. narratur, quod cum Samaria arcta obsidione cincta, adeo extrema urgeretur fame, ut matres propriarum prolium vescerentur carnibus, & Eliseus Propheta prædiceret, futurum, ut sequenti die ingens in urbem panis abundantia advehenda esset, unus é ducibus verbum hoc cum risu excepit; At vero Propheta hanc ei pœnam prædixit: *Videbis oculis tuis, & inde non comedes;* Et revera ita accidit, quia à nimia populi multitudine & pressura suffocatus fuit; *Per istum vero, qui fuit incredulus verbo Eliseæ, ut* Lyranus ait, *intelligitur quilibet incredulus verbo prædicantis verbum Dei, & ideo sicut ille Dux ex hoc incurrit mortem corporalem, sic iste mortem spiritualem.*

Punitur mortem credere nolens Eliseæi verbo.

4. Reg. 7. v. 2.

Lyran.

3. Apud S. Lucam cap. 16. legitur, quod dum incarnata sapientia intenta esset, ut prædicatione sua divitiarum cupiditatem ab avarorum divitum cordibus eradicaret; diceretque: *Non potestis Deo servire & mammonæ;* Ait sacer textus: *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* At vero quanam pœna in hanc derisionem animadversum fuit? Paulo post Christus parabolam divitis Epulonis in inferno sepulti in medium adduxit; Qui ex inferno Abrahæ instantissime supplicavit, ut Lazarum in domum fratrum suorum mitteret, qui eis veritates evangelicas denunciaret, ne in eumdem tormentorum locum deturbarentur, at vero quia ipse dum viveret, ad vocem Christi surdus fuerat, Abraham quoque supplicationem ejus surda aure excepit.

Unde orta sit pœna divitis Epulonis.

Luc. 16. v. 13. Ibid. v. 14.

4. Quando Philosophi & Judices Areopagitæ S. Paulum altissima, & imperscrutabilia fidei nostræ mysteria annunciantem deridebant dicentes: *Quid vult seminverbius hic dicere*, subito condignam inde receperunt pœnam, quia in propriæ ignorantiæ & infidelitatis tenebris perpetuo sepulti manserunt. Dicit enim sacer textus: *Sic Paulus exivit de medio eorum.* Hi assimilantem subsannatores ex potiori parte Epicuræi, & stoici erant, qui tunc Athenis commorabantur, de quibus idem S. Paulus alibi ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus.* Notandum vero est, quod sacer textus dicat: *Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire, aliquid novi &c. Alij autem dicebant, novorum dæmoniorum videtur annunciator esse;* Sicut enim qui malum habet stomachum, etiam cibos optimæ substantiæ & nutrimenti in malos humores solet convertere, ita pariter qui verbum Dei execrantur, etiam bonam & proficuam doctrinam, quam auscultant, in materiam ludibrij, & contemptus convertunt, at vero in ingens damnum proprium. *Consideremus ergo, quia stabimus ante tribunal Christi,* inquit Sanctus Ambrosius, *& si opus nostrum arserit, non habebimus quod excusare possimus; Dicit enim quod jam per Prophetam locutus est: Populo meus, quid feci tibi,*

Assimilantur habentibus malum stomachum. 1. Cor. 2. v. 14. Actor. 17. 18. Ibid. v. 18.

S. Ambr. l. 6. in Luc.

aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi. Dicet & ei qui in via defecerit: qua ratione defecisti in via? Nonne panes fregi? Nonne benedixi? Nonne jussi dari? Sed cur tu accipere noluisti? Enimvero panis hujus verbi Dei abundantia, quæ continuo fidelibus distribuitur, eos reddet magis culpabiles, nisi inde se sustentaverint, aut si illo non utentes, minus bene in via Dei processerint. Surius circa diem 19. Jan. scribit: *Wolfgangus Wigorniensis Episcopus solebat omni die Dominica sedula devotione populo verbum Dei prædicare:* (Et quidem verisimile est idipsum fecisse, priusquam Episcopus esset) *quem Pater quidam increpans, solitas asserens esse Pontificis prædicare, monacho vero silentium & claustrum competere; Cui sanctus respondit, verbum Dei non esse alligatum, nihilque Deo gratius, quam Christum annunciare, populumque ab errore viæ suæ revocare, ideoque se non omissurum. Nocte sequente frater ille ad tribunal ignoti judicis in visione ductus, & cur servum suum objurgasset, redargutus, in pavimentum jussus est sterni, & cædi. Lacrymæ in maxillis, & livores evidenter in scapulis evigilantis apparuerant.* Vult etenim Deus, ut non desint ministri, qui verbum suum annuncient, ac proinde væ illis, qui nihil inde proficiunt. Quod si vero nonnumquam prædicatores ad manum non sint, id sæpe fit, ut minus castigemur, Deo modicum fructum prævidente, quem inde homines reportaturi essent.

Sur. 19. Jan. Impedire volens verbi Dei prædicationem, graviter castigatur.

5. In Act. Apost. dicitur: *Vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia*; At vero ex quo prædicatio pro salute animarum tantam efficaciam habet, cur illâ privatur Asia? Respondet Beda: *Vetuit Spiritus Sanctus ijs prædicari, quos sciebat contemptores verbum Dei, & voluit ijs communicari, quos sciebat utilitur admissuros.* S. Gregorius id vetitum fuisse dicit: *Ne gravius de contempta prædicatione mali auditores judicari mererentur.* Sanctus Paulus in principio cap. 2. Epistolæ ad Hebræos sequens formæ validum argumentum: *Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus; Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Porro Judex ille, ante cujus tribunal in novissimo die præsentandi sumus, expresse dixit: *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Et ideo firmiter credendum est, quod verbum Dei, quod audimus quidem per unam auriculam, sed per alteram egredi negligenter permittimus, non disperdetur, neque sonus & repercussio aëris verbi illius, non sicut aliarum vocum evanescet, sed per omnia sæcula immobiliter remanebit, ut in illo inappellabili judicio contra nos testificetur, nos accusetque atque condemnet. Alia verba à vento dissipantur, & disperguntur, non sic verbum Dei, sed *qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Et vero hæc declaratio non est propositio vel exaggeratio quædam D. Chrysostomi, Hieronymi, vel Augustini, sed primæ & infallibilis veritatis, cujus est verbum, & quæ nos judicatura est, simulq; protestatur dicens: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Act. Apost. 16. v. 6. Spiritus S. prohibet prædicari Verbum Dei contemnentibus illud. Ven. Beda. S. Greg. hom. 10. in Ezech. Heb. 2 v. 1.

Joan. 12. 48.

Ibid.

Marc. 13. v. 31.

6. Hugo Card. super cap. 13. lib. 1. Reg. scribens ex historia ibidem relata, quod videlicet Philistæi impediverint, ne in Israël esset, qui arma fabricare nosset, sequentem deducit moralitatem: *Caverent enim Philisthiim &c. id est maligni Spiritus cavent, ne sit prædicator in populo, quia per prædicationem convertetur ad Deum, qui ob defectum verbi Dei remanent, & moriantur in peccatis.* Verum enimvero quidnam dicturus esses, si tibi ostenderem, ipsummet dæmonem verbum Dei sincere & efficaciter, eo tamen fine, ut animas perderet, annunciasse? Audite factum prodigiosum, quod hac de re S. Antoninus in hæc verba recenset: *Quod audientes prædicationem, & non facientes puniantur graviter, patet per exemplum notabile. Legitur enim, quod cum quadam vice quidam magnus prædicator deberet certa die assignata sermonem facere ad populum, ipsa die statuta infirmatus est graviter, populus autem venit ad Ecclesiam illius ordinis, cujus erat ille frater, copiosissime ad audiendum. Prior autem illius conventus multum anxiabatur super tali defectu prædicationis, & cum per conventum discurreret, cogitando quid agendum esset, ecce subito venit ad portam quidam notabilis frater illius ordinis in apparentia, sed diabolus latens in essentia, tanquam hospes, & petit Priorem; Ducitur ad ipsum, & post salutationem confectam, respicit ille simulatus hospes in faciem Prioris, & dicit: Pater pissime, ut pergendo, vos*

S. Antonin. p. 2. t. 9. c. 11. §. 3.

debeatis esse amaricatus super aliquo negotio, non miror, hoc enim sæpe solet contingere Prælatis propter varios casus, sed oportet habere bonam patientiam, necesse est, ut dicit Evangelium, quod veniant scandala, compatior vobis, si placeret vobis mihi reservare materiam vestræ angustiæ, libenter si possem, in aliquo vellem juvare. Respondit Prior: Revera, verum est, quia multam tristitiam habeo, & causam vobis explano, declarans defectum prædicationis suæ. Tunc ille, scilicet diabolus; Bone Pater, inquit, confidatis in Domino Deo, quia non deficiet vobis, ego spero in Deo, quod ipse supplebit per me defectum istum, ita quod auditores remanebunt consolati, scitis, quia omnia nova placent, & ego satis studui, & habui præticam bonam in arte hac faciatis ut possim intrare librariam, videndo aliquos libros, cito inveniam quod mihi erit necessarium. Interrogat de aliquibus libris solemnioribus, utpote summa Sancti Thomæ cum scriptis, & operibus Alberti Magni, & illis sibi offensis, revolvit libros hinc inde. Populo innumerabili congregato, ascendit frater diabolus ambonem. Adverterat autem ad prædicationem quidam vir sanctus, qui videns ascendere illum pulpitum, & cognoscens diabolum, obstupuit; Nil tamen alicui dixit, sed expectat finem videre. Cæpit frater diabolus prædicare de bonis paradisi, de pœnis inferni, de peccatis, & miseriis mundi, propter quæ & illa perduntur, & inferna sequuntur, & cum tanta efficacia, & rationibus, quod commovit omnes ad lacrymas compunctionis. Finita prædicatione descendenti illi occurrit sanctus vir, & vocans eum ad partem, & contestans ex parte Dei inquit: O miser, & deceptor hominum, te agnosco, quomodo præsumpsisti tantum officium Christi, & Apostolorum suscipere, etsi spiritualem causam nescium, scio tamen, quod non nisi ex mala intentione egisti. Unde adjuro te per Deum vivum, ut dicas mihi causam hujus operis. Tunc frater diabolus adjuratus inquit: Tacere non possum causam, propter quam assumpsi, ut vides, speciem fratris prædicatoris; Causa ob quam prædicavi, est ista. Ecce audisti, quot & quanta bona dixi de gloria paradisi, de pœnis inferni, & de peccatis horum populorum, & vidisti ad quantum luctum permoti sunt. Suo mores eorum, parum temporis transibit, & oblii verborum omnium, nil facient de his quæ proposuerant agere, & inde omnia verba audita, erunt eis ad majus judicium, quo dicto, evanuit. Per quod factum (quod utpote à viro sancto tantæ authoritatis relatum, valde efficitur credibile:) Deus nobis insinuare vult, ut ego existimo, quod dæmones non sinant perdi verbum Dei, aut illud evanescere, ne quidem vel minimum prædicationis verbum, ut videlicet nostram verbi Dei negligentiam & contemptum coram tribunali Dei exprobrare nobis possint. In vita S. Odonis legitur, quod cum religiosus quidam in extremo agone cum morte luctaretur, is aliis Monachis confratribus suis lectum ejus instar coronæ cingentibus magna cum animi anxietate se commendaverit, elata voce clamando: *Modo raptus sum ad judicium, ubique protulit contra me accusator humani generis de miris panis faculum plenum, quas colligere secundum consuetudinem nolui, & de mensa ceciderunt.* Quanto igitur est verisimilius, quod Deus ad nostri justissimam condemnationem suo tempore faciendam, minutissimam habiturus sit rationem micarum spiritualium panis verbi divini, de quibus præceptum habemus manifestum: *Colligite fragmenta ne pereant.*

Memorabile exemplum.

Joan. 6. v. 12.

7. Sanctus Hieronymus super illum S. Jeremiæ textum: *Cui loquor, & quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium; & non suscipiet illud,* ita scribit: *Voluntate nostra verbum Dei non suscipimus, & idcirco sit nobis in opprobrium, ut quod datum nobis in salutem, noſtro vitio vertatur in pœnam.* Regius vates in Psalmo 80. dicit: *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi;* At vero quidnam ex hac surditate nasciturum putas? *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* At vero dices fortasse, hoc est potissimum, quod impij vel maxime desiderant, scilicet, quod illis habenæ ad quævis desiderabilia laxentur, suisque inordinatis appetitibus obsecundare possint. Et ideo respondeo, id quidem verum esse; Sed impij non advertunt, quod dum laxatis habenis currunt, nihil æque iis sit pronum, quam quod in præcipitia corruant. Dic obsecro, quænam est causa, quod plures ex Principibus & Imperatoribus numerentur impij & vitiosi, quam pij & timorati? quia scilicet rarissime aures ad Dei verbum auscultandum promptas & expeditas habere solent, & inter Prædicatores pauci inveniuntur, qui ea sint animi generositate valentes, ut instar Joannis Baptistæ, vitæ se periculo exponere ausint.

Jerem. 6. 10. S. Hieron. Obsurdescentes ad Verbum Dei, in maximam pœnam relinquuntur desiderijs suis. Ps. 80. 12. Ibid. v. 13.

Aliæ pœnæ nauseantibus manna verbi Dei recensentur.

Num. 21. v. 5. Ibid. v. 6.

8. In pluribus præcedentium discursuum locis vernum Dei Mannæ allimilavimus: Advertendum vero est, quod de illis qui Manna nauseârunt dicentes: *Anima nostra nauseat super cibo isto leviſſimo,* facer textus mox subjungat: *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes ad quorum plagas & mortes plurimorum* &c. Idem quoque supplicium Deus frequenter illis immittere solet, qui pretiosissimum divini verbi manna nauseant & aversantur, scilicet, quod illos potestati serpentum infernalium dimittat, permittendo ut omnigenæ tentationis nidus fiant & centrum vel etiam ut à quolibet quantumvis horrendo serpente, id est, peccato intoxicentur. Porro multi sunt, qui graves in hac vita experiuntur sibi obvias ærumnas & adversitates, quæ tamen, si cuncta bene considerentur, sæpe hujus à nobis abominati & neglecti, vel contempti verbi Dei pœnæ sunt, & supplicia. S. Augustinus in tomo 9. tr. 5. de tempore barbarico ita scribit: *Adventi tempus illud quod prædixit Dominus. Putas cum venerit filius hominis fidem inveniet in terra? Quis habet fidem? Quæ credis verbis divinis? Prædicamus, & non facimus, auditis & facere non curatis. Merito omnes sub flagello contrimur, & Doctor, & Auditor, & Contemptor.* S. Bernardinus in sermone quodam ita scribit: *De populo verbo Dei non assueto, ait Propheta: Nescierunt, scilicet bene facere, & non intellexerunt, scilicet mala quæ faciebant; in tenebris ambulant, scilicet non discernendo bonum à malo, unde ex ignorantia miserabiles in populo multiplicantur errores; Nam sicut 38. dist. c. Ignorantia, sacrum Concilium dicit: Ignorantia mater est omnium errorum: Unde 1. Cor. 14. Qui ignorat, ignorabitur; Ignorantia enim præcipitat populum in innumerabilia peccata & mala, scilicet tam pœnæ, quam culpæ. Cessante igitur populo ab audita verbi Dei, innumerabilia mala multiplicantur in eo, & sic verificatur illud Oseæ. 4. Non est scientia Dei in terra; Maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit; propter hoc lugebit terra, & omnis qui habitat in ea.*

S. Augustin. tom. 9. de Temp. barb. tr. 5.

S. Bernard. Tom. 2 ser. in 1. Dom. quadr. art. 3. cap. 2.

1. Cor. 14. 38.

Osee. 4. 1.

9. Aptissima profecto est similitudo, quam S. Gregorius circa illa Jobi verba: *Si continuerint aquas, omnia siccabuntur,* in hæc verba adducit: *Si aqua scientia prædicationis accipitur, sicut scriptum est: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ, cum aqua continetur, cuncta siccantur, quia si scientia prædicatorum subtrahitur, eorum qui virides esse in spe externa poterant corda, protinus arescunt?* Sicut enim aqua in horto deficiente, flores, fructus, cunctæque aliæ tenellæ plantulæ arescunt & languent, ita quoque vivo hoc fonte verbi divini in Ecclesia deficiente, omnes virtutes languescunt & tabescunt. *O quanta oblivio*, inquit S. Thomas à Villanova, *quanta negligentia, quantus contemptus esset, quomodo inundarent omnia peccatis, cum etiam inter tot reprehensiones, & exhortationes abundent satis delicta.* Id quod sanctus Archipræsul in casu deficientis prædicationis Evangelicæ dicit.

Job. 12. v. 15. S. Greg. l. 11. Mor. cap. 6. Deficiente aqua verbi divini, languescunt flores virtutum.

S. Thom. à Villanov. in Exang.

DISCURSUS XXVI.
ARGUMENTUM.

Perstringuntur illi qui à verbo Dei alieni sunt, illudque disturbant, ubi & pœnæ eorum recensentur.

THEMA.

Omnis qui audit verba mea & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Matth. 7. ℣. 26.

Duabus similitudinibus insinuantur utilitates & damna audientium, & non audientium verbum Dei, Matth. 7. 24. Ibid. v. 25. Ibid. v. 26.

1. Incarnata sapientia utilitatem de divino verbo suo in nos dimanantem, nec non & damna, quæ in eos, qui illud contemnunt, redundare solent, inculcare nobis voluens, duas adducit similitudines, quarum prima hæc est: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerent in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petra.* Hoc autem nequaquam contingit illi, qui prædicationem evangelicam aspernatur, & negligit; De hoc subjungit: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & corruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.*

Ibid. v. 27.

2. Salvator noster nihil fert indignius, quam dum divinum verbum suum parvi fieri conspicit, cum tamen ipse in verbi sui ministros non quoscumque elegerit, sed meliores, sed Ecclesiasticos, sed Deo consecratos. Majorem & accuratiorem semper meretur reflectionem historia illa, cujus nactenus sæpius mentionem fecimus. *Adhuc eo loquente ad turbas,* inquit sacer textus, *ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Et vero si causam ex me interroga-veris, cur B. V. Maria ad auditorium, cui Christus prædicabat, ingressa non fuerit, ego illud à B. Virgine eo fine omissum fuisse utique dicerem, ne scilicet vel minimam prædicationi filij sui adferret turbationem, utpote quæ probissime intelligebat, quanta cum attentione illa auscultari debeat. Nec tamen hunc finem est consecuta; Subdit enim sacer Evangelista: *Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te.* At vero quid tibi persuades ô importune minister, num forte quod Christus intermissurus sit divini verbi prædicationem, suosque Auditores dimissurus? Multum falleris profecto, nam ut Evangelista inquit: *At ipse respondens dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Quæ verba cum à Marcione hæretico pro stabiliendis erroribus suis adducerentur, à Tertulliano eidem sequentibus verbis responsum fuit: *Interpellani, & à tanto opere revocatum volunt. Deum prædicans, & probans Christus legem, & Prophetas adimplens, tanti vero ævi caliginem dispergens, indigne usus est hoc dicto, ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium.* Hi enim qui prædicationi Evangelicæ favent, ad hoc moti sunt, ut existiment Christum prædictis verbis non quidem suam sanctissimam matrem, sed parentes & cognatos suos carnales reprehendere voluisse. Idem Tertullianus subjungit: *Solet adimplere Christus, quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum, nunciata matre & fraternitate, despiceret? Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* S. Hieronymus *de vera circumcisione* differens, & hoc, quod Mariæ, & fatribus contingit, considerans, in hæc verba exclamat: *O mysterium! Matrem Mariam sibi Dominus abjurat, cum extra verbi audientiam esset constituta, eo potissimum tempore, quo verbum prædicabatur à verbo;* Quod S. Hieronymi argumentum nos in suam formam hunc in modum redigere possumus; Quod si virgo mater Dei, tamquam talis, ab eo honorata, & agnita non fuit, quando foris extra auditorium subsitit, solummodo ne turbationem prædicationi conciliaret, quodnam formabimus judicium de execratione, qua Salvator detestatur illos, qui divinum verbum suum cum reluctantia animi audiunt, nec ullum inde fructum ferunt, sed vel rident illud, vel turbant.

Expenditur historia qua Christo dicebatur; Ecce mater tua, & fratres tui foris stantes. Matth. 12. v. 46.

Ibid. v. 47.

Ibid. v. 48.

Tertull. de carne Christi cap. 7.

S. Hier. de vera circumcis.

3. D. Chrysostomus leprosum considerans, qui à Salvatore post sermonem habitum de monte descendente salutem corporis sibi impertiri postulabat, ita scribit: *Leprosus, cum à monte Jesus descendisset, ad eum accessit; Centurio autem hic, cum jam in Capharnaum introisset, advenit. Quanam igitur de causa neque hic, neque ille ad montem conscenderunt? Non negligentia profecto, cum uterque side ferveret, sed ne prædicanti obstreperent.* Enimvero tametsi leprosum vehementer sua lepra torqueret, & Centurio servum suum, quem summe amabat, in pessimo statu positum haberet, (*male torquetur*) attamen ne per cogitationem quidem ausi fuerunt vel minimum prædicationi ejus interponere impedimentum. Idem Chrysostomus ponderans verba illa: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* ita scribit: *Ego ingratissimum hominem illum judicavem, si negligentia id fecisset; Si autem ne rem majoris momenti impendaret, tum abire, potius fuisset extremæ insciliæ. Dominus enim ipse, non quia despiciendi sunt parentes abire vetuit, sed quia discere nos hinc voluit, nihil esse utilius, magisque necessarium nobis, cælesti doctrina, quæ tanto studio obeunda est, ut etsi magna sint, quæ obire urgeant, incumbere tamen omni diligentia atque inzigilare debeamus. Quid enim majus videtur, quam dum sepeliuntur parentes, adesse? Quid enim factius, aut quid breviori tempore perage potest?* Quod si nunc tam breve tempus prop-

Prædicatio verbi Dei in nullius respectum omittenda est.

Matth. 8. 22. D. Chrysost. hom. 28. ibid.

tter

ter fepeliendos parentes abeſſe à ſpiritualibus vetitum eſt, perpende quo ſupplicio digni ſunt, qui ſemper à doctrina Chriſti abſunt, qui nimia vultum, atque abjecta à ſecularium rerum negotia neceſſariis anteponunt, nullo urgente. S. Auguſtinus à ſancto Bernardino citatus culpam eorum exaggerans, qui prædicationem parvipendunt, inquit: *Interrogo vos fratres, vel ſorores, dicite mihi: Quid vobis plus eſſe videtur, corpus Chriſti? an verbum Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc dicere debetis, quod non ſit minus verbum Dei, quam corpus Chriſti; Et ideo quanta ſolicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nil ex ipſo è manibus noſtris in terram cadat, tanta ſolicitudine obſervemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de ipſuro corde depereat, quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit.*

S. Bern. tom. 2. ſer. 10. in 1. dom. Quad. art. 3. c. 2.

Verbum Dei æque libenter ſuſcipiendum eſt, ac ſi eſſent lapides pretioſi. *Pſal. 81. 11.*

4. Quod ſi vir aliquis unicuique indifferenter ex pulpito Eccleſiæ Margaritas, Topazios, Rubinos, Adamantes, Carbunculos, Smaragdos, Hyacinthos, vel alias ſimiles inæſtimabilis valoris gemmas effunderet, atque diſpergeret, omnes utique certatim accurrerent, ut inde ſe locupletarent; Jam vero de verbo Dei veridice ſcribitur: *Eloquia Domini deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum,* & tamen ad illud excipiendum non ſolum non accurrimus, verum etiam illud execramur, & nauſeamus. Simili argumento S. Auguſtinus utitur, nam poſtquam illa dixiſſet, quæ S. Bernardinus paulo ante ex ipſo deſcripſit, ſubjungit dicens: *Vellem tamen ſcire, ſi ab illa hora qua verbum Dei prædicari cæperit, ſemper pretioſiſſimas gemmas, & inaures, vel annulos aureos erogare vellemus, utrum ſtare, vel accipere vellent ſiliæ noſtræ. Sine ulla dubitatione, cum grandi ambitione quæ illis offerantur, acciperent. Nos vero quia ornamenta corporalia offerre nec poſſumus, nec volumus, ideo non libenter audimur; Sed non eſt juſtum, ut ſpiritualia miniſtrantes ſuperflui judicemur. Qui enim verbum Dei libenter audit, inaures aureas de patria paradiſi transmiſſas ſe ſuſcepiſſe non dubitet.*

S. Aug. tom. 10. hom. 26.

5. Quodnam putatis atrociſſimum fuiſſe ſupplicium inter ea quæ Deus populo Hebræorum intulit? Audiamus S. Ambroſium dicentem: *Auferam, inquit Iſaias, validam virtutem, Prophetam, & conſiliarios; Et vere abſtulit Prophetas, à quibus abſtulit verbum, quod loqui in Prophetis ſolebat; Et vere his abſtulit virtutem, à quibus Dei virtus receſſit. Tranſivit ad nos Dei verbum, & non in nobis tacet.* Verbum etenim Dei à Prophetis ad prædicatores Evangelicos, à Judaiſmo ad Chriſtianiſmum pertranſiit, ſed væ nobis, ſi nullum in nobis fructum parturiat. *Jam non poteſt dicere Judæus, quod poteſt dicere Chriſtianus, quia experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Sanctus Bernardinus in ſermone *de deſiderabili veritate* illum citat Apoſtoli textum: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia Spiritualiter examinantur.* Moxque ſubjungit: *Porro ſecundum Auguſtinum palatum febricitantis habet, cui mel cæli non placet. Tales profecto phrenetico ſimiles ſunt, qui pugnis, & calcibus, atque morſibus impugnant eum, qui eis medetur.* Sanctus Ambroſius ad illum Exodi textum ſe reflectens: *Aſſiſtebat* (ſcilicet populus Hebræorum) *Moyſi à mane uſque ad veſperam,* tandem ad nos Chriſtianos ſermonem convertens, merito nos reprehendit dicens: *Moyſe Magiſtro uſus eſt populus Judæorum quotidie in ſermonibus ſuis, à mane uſque ad veſperam, tu Chriſtiane dormis, cui Magiſter eſt Chriſtus:* Origenes ex textu quodam Levitici ſequentem propoſito noſtro aptiſſimam deducit moralitatem: *Infelix anima, cujus fidei ignis extinguitur, & refrigeſcit charitatis calor, ad quam cum venerit cæleſtis Pontifex noſter, quærens ab ea ignitos, & ardentes carbones, ſuper quos incenſum offerat patri, invenit in ea aridos cineres & frigidas faſcillas. Tales ſunt omnes, qui ſubirabant ſe, & longe facunt à verbo Dei, ne audientes ſermones divinos accendantur ad fidem, incaleſcant ad charitatem, ignantur ad miſericordiam.* Divus Chryſoſtomus proſixum inſtituit diſcurſum contra illos, qui miniſtros Evangelicos audire abominantur, & inter cætera ait: *Vin' tu intelligere, quam vere qui divini verbi expoſitionem audire negligunt, per hanc contemptam homines eſſe deſinant, & ipſa ſua nativa nobilitate ſe ſpolient? Non meam vobis ſermonem proferam, ſed prophet icam vocem, quæ ſententiam meam confirmet, ut eos qui ſpiritualium ſermonum amantes non ſint, ne homines quidem eſſe videatis. Nam Iſaias, qui ſublimitate vocis alijs antecellit, qui mirabilium illarum ſpectator viſionum fuit, cui conceſſum eſt, ut cum etiam eſſet carne circumdatus, Seraphinos videret, qui myſticum illum concentum audivit, is cum in urbem Judæorum Metropolim hominibus refertam ingreſſus eſſet, cum ſignificare vellet neminem fuiſſe, qui prophet icos ſermones audiret clamans dicebat: Veni, & non erat homo, vocavi, & non erat qui obediret. Itaque adierant illi quidem, ſed adeſſe non cenſebantur, quandoquidem Prophetam non audiebant, propterea quandoquidem veni, & non erat homo; Vocavit & non erat qui obediret, orationem ad elementa convertit, & ait: Audi cælum, & auribus percipe terra. Nam equidem ad homines miſſus fueram, ad homines rationeæ mente præditos; Quando autem neque ratione, neque ſenſu præditi ſunt iſti, propterea deſtituta ſenſu alloquor elementa, in reprehenſionem eorum, qui cum honorati ſenſu fuiſſent, tamen honore illo non utuntur. Sic & alter Propheta dixit Jeremias, ſiquidem ille quoque in medio Judæorum cætu cum ſteriſſet, in eadem illa urbe, quaſi nullus adeſſet, ita clamabat: Ad quem loquar, & conteſtabor? Quid ais? Cum tantam videas multitudinem, quæris quem allocuturus ſis? Quæro equidem, inquit, ſiquidem multitudo corporum eſt, non hominum. Corporum eſt multitudo, quæ audita non pollent. Idcirco etiam adjecit: Incircumciſæ ſunt aures eorum, & audire non poſſunt. Vides omnes iſtos, eo quod non audiant, homines non eſſe.* Quoties Deus per potentiam obedientialem aures movit creaturarum irrationabilium, ad porrigendum prædicationi ſuæ auditum, quando hæc à fidelibus ſuis contemnebatur.

Cum verbum Dei à Judæis tranſlatum ſit ad nos, væ vobis ſi fructum ex eo non facia-mus. *S. Ambroſ. lib. 1. in Luc. c. 1.*

D. Chryſoſt. tom. 5. ſer. 47.

Gravis invectiva in eos qui miniſtros Dei verbi abominantur.

6. M. Marulus de Regulo Epiſcopo diſcipulo Sancti Joannis in Francia, refert, quod dum juxta aquæ ſtagnum prædicaret, ingens ranarum quantitas illum perturbaverit, quibus ille præcepit, ut tacerent; Et ab illo tempore uſque in præſentem diem nulla umquam rana in lacu illo coaxare audet; Idem vero Author ſubjungit: *Quid mirum ſi homines ejus doctrinam ſecuti ſunt, cujus juſſis irrationale animal obediviit? Ranæ obmutuerunt, & homines conſiteri Chriſtum cæperunt.* Notum porro eſt illud, quod in littore Arimineníi accidit, ſancto Antonio de Padua prædicante; Cum enim ab auditoribus non cum ea, qua par erat, attentione auſcultaretur, juſſit adeſſe piſces maris, quorum integer exercitus, inſtar florentiſſimi auditorij præſto fuit, ac plane voci ejus intentus, prædicationi ejus aſſiſtebat. Bellovacenſis de quodam Chriſtiano, qui vocem Dei abominabatur, ita ſcribit: *Beſtiaitor eſt beſtijs, quæ, ut legitur in Paſſionibus Beatorum Mamerti, & Blaſij, ad eos conveniebant, & quaſi manſuetæ verba Dei ab eis audiebant attente.*

M. Marul. Tom. 1. lib. 3.

Bruta animalia obiecuta fuerunt voci prædicantis, Ranæ, Pisces. Et alia animalia, Bellovac. ſpec. Mor. lib. 3. p. 1. diſt. 10.

7. Iſaias, ut diximus, cœlos & terram, creaturas videlicet inanimatas ad ſe audiendum invitavit, dicens. Et Jeremias pariter: *Audite cæli, & auribus percipe terra, obſtupeſcite cæli, & portæ ejus deſolamini vehementer, dicit Dominus.* Circa quæ verba Rupertus Abbas conſiderationem quamdam habet, ex qua manifeſtè deducitur, quantum Deo hæc verbi divini nauſea diſplicear. Notat enim quod in Genealogia Chriſti tres à S. Matthæo, non ſine ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, ſilentio fuerint præteriti, idque non ob aliam cauſam, quam in pœnam, quod voces divinas ſurdis exceperint auribus. En verba ipſius: *Ecoutra ſicut peccatrices & alienigenas propter fidem lex Dei aſſumpſit, & Evangeliſta hic nominare dignum duxit, ita quosdam domeſticos ſeminis propter impietatem removit, atque ejecit; Ait enim: Joram autem genuit Oziam; Ires de medio ſuccidit, videlicet, Oziam, Joram, & Amaſiam. Quam ob cauſam? Nimirum propter impiiſſimam Athaliam matrem ſuam, cujus imitati ſunt homicidas, occidendo Prophetas Domini, ſicut illa, & mater eius Jezabel in Samaria. Et quidem Manaſſes quoque multum ſanguinem fudit, verumtamen, reſervatus eſt, quia pœnitentiam egit, & hoc revera multum attinet ad intentionem Evangeliſtæ, quia niſi potiorem illam æſtimavet genituram, quæ eſt fidei, vel promiſſionis, quæ eſt auditio, ſive obſervatio verbi Dei, quam illam quæ eſt carnis, poterat Genealogiam ſic texere, ut patrem illum contingeret, qui B. Mariam ſecundum carnem genuit. Qualem enim locum habere deberent inter parentes carnis Domini hi, ſub quibus nec talem loqui licuit Prophetis verbi Domini.* Idem Author in commentario ſuper illum textum Zachariæ: *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderant ad feſtivitatem celebrandam tabernaculorum* ita ſcribit: *Hoc etiam eſt dicere, ignorantiam Dei habentes ex eo, quod non erit ſuper eos imber, erunt inexcuſabiles.* Quare *non erit ſuper eos imber?* Nimirum, quia non aſcendent ad celebrandam feſtivitatem tabernaculorum, id eſt, idcirco non habebunt ſcientiam Dei, quia non acquieſcent, ire, ubi prædicatur verbum Dei. Ergo inexcuſabiles erunt propter hoc peccatum ſuum, non quia non intellexerunt, ſed quia intelligere noluerunt.

Zach. cap. 14. v. 19. Rup. Ab. lib. 5. ibid.

Dei verbi abominantur.

8. Ex capite nono Exodi utiliſſimam quamdam licet dedueere moralitatem, ita enim ibidem dicitur: *Qui timuit verbum Domini de ſervis Pharaonis, fecit confugere ſervos ſuos, & jumenta in Domos, qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſervos ſuos, & jumenta in agris;* Deus igitur animadvertens in illos, qui verbum ſuum contemperant, demiſit grandinem, qua omnia ipſorum animalia interfecta fuere. Idem ſæpe multis accidit, qui ob aviditatem conſervandi, vel augendi meſſem, vel fructus &c. vel ad paſcendum animalia in campis, verbum Dei audire negligunt, ac proinde Deus in condignam ipſorum pœnam permittit, ut ſegetes eorum abeant in ruinam, pereant ipſorum animalia, atque per grandines immiſſas agri eorum devaſtentur, illæſis nonnumquam relictis vicinorum agris, qui ſubſtantias ſuas temporales evangelicæ prædicationi poſtpoſuerant, & forſitan de numero illorum qui pluris faciunt facultates temporales, quam verbum Dei, licet illud tempore opportuno, in locis ubi raro ſermones habentur, prædicetur, de numero inquam illorum forſitan ruſticus ille erat, cujus Manipulus exemplorum in hæc verba meminit: *Ruſticus quidam, qui numquam volebat audire aliquid de Deo, mortuus eſt, cum ad Eccleſiam eſſet delatus, & Sacerdos, & alij Clerici officium legendo, & cantando circa corpus peragerent, imago Crucifixi cæpit obdurare aures ſuas, manibus à Cruce ſeparatis, quod cum omnes adſtantes aſpicerent, mirabantur. Tunc Sacerdos ait: Scitis quale ſignum eſt hoc? Vos ſcitis, quod iſte qui hic jacet, numquam voluit audire verbum Dei, & ideo eſt modo in manu diaboli; Idcirco Chriſtus obduravit aures ſuas, ne audiat preces, quas pro eo fundimus, & ceſſaverunt omnes orare.* Citatque majoris fidei cauſa teſtimonium Cardinalis de Vitriaco, qui ſermone 190. ejuſdem hiſtoriæ meminit.

Exod. 9. v. 20. Deſcribuntur aliæ pœnæ negligentium audire verbum Dei.

M. Anip. Exempl. ver. auditus.

Terribile exemplum nolentis audire verbum Dei.

DISCURSUS XXVII.

ARGUMENTUM.

Nonnulli præſcribuntur modi ad hauriendum ex verbo Dei fructum, neceſſario obſervandi, ſimulque defectus exponuntur, ob quos inde non proficimus.

THEMA.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Marci 4. v. 9.

1. POſtquam incarnata Sapientia parabolam ſeminis ad divini verbi ſui prædicationem directam propoſuiſſet, extulit vocem ut ab omnibus intelligeretur, *dabit voci ſuæ vocem virtutis; Clamavitque, ut ſuo clamore excitaret Auditorum attentionem;* Solicite enim à nobis requirit, ut divino verbo ſuo expeditas aures præbeamus; Et ideo Iſaiæ præcepit dicens: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam;* Et tamen non una, ſed tres illius ſeminis partes infructuoſæ remanſerunt, ob cauſas in parabola declaratas. S. Bernardinus in ſermone *de deſiderabili veritate* in laudem divini verbi ita ſcribit: *Si devote, & humiliter auditur, numquam ſine fructu verbi Dei veritas ad Deum redit.* Sicut enim eo tempore, quo terra nive contecta eſt, granum ſuper illam non ejicitur, eo quod intra frigus illud ſine fructu congelaretur; Eodem modo ut verbum Dei in nobis fructum proferat, neceſſum eſt, ut omne frigus abſit, noſtraque voluntas per fervorem & devotionem diſpoſita ſit, ad faciendum fructum ex illo, quod auditum fuit. S. Thomas inter alia terræ impedimenta, quibus à fecundo fructu prohibetur, ſiccitatem, & ſterilitatem enumerat, dicens: *Impedimentum eſt ſterilitas, & ſiccitas terræ, quia non habet humorem, id eſt tepiditas cordis non habentis humorem Spiritus, charitatis, & devotionis, quia non plait Dominus ſuper illam cæleſtem rorem & pluviam illam, quam ſegregavit Deus hæreditati ſuæ. Iſti licet aliquando audiant libenter, & bona quæ audiunt excitentur, & commoveantur ad lacrymas, tamen quia non habent humorem devotionis, ſtatim ſiccatur omnis illa viriditas orto ſolo tentationis, vel tribulationis, quia non habent vigorem, & virtutem implendi, & perficiendi bonos affectus, & bona deſideria, quæ conceperant, & in herba ſiccantur, de quibus Pſalmiſta ait, fiant ſicut fœnum teſtorum, quod priusquam evellatur exaruit, de quo non implebit manum ſuam qui metit. Auditis ſcipsos: Bonorum deſideriorum infernus plenus eſt; Non enim ſecundum deſideria, ſed ſecundum opera reddit Dominus unicuique in judicio.* Quanta cum aviditate colligeretur, & conſervaretur aurum, ſi hoc ex aliquo Eccleſiæ cujusdam pulpito ſpargeretur? Audiamus S. Auguſtinum dicentem: *Cum terrena, & temporalia ornamenta corporis, ſi non inveniatur, qui denare velit, caviſſimo pretio comparantur, quanto magis æterna animarum ornamenta, quæ abſque ullo pretio à nobis, non cum parvo labore quæſita, veſtris ſpiritualibus offerantur, juſtum eſt, ut à vobis cum perfecta charitate ſuſcipiantur? Nos enim Margaritas vobis de paradiſi patria providentes, nullam aliam in hoc ſæculo mercedem optamus accipere, niſi ut vos patienter, & libenter, quæ vobis ſuſinuaxtur, videamus audire, & cum Dei adjutorio ſecundum vires veſtras operibus adimplere.* Bellovacenſis de verbo Dei inquit: *infinitas eſt theſaurus hominibus, non Deo, id eſt, ad utilitatem, non Dei, ſed hominum tam ipſius cui ſervandus committitur quam illorum omnium quibus communicatur.* Pergit idem Præſul ulterius, & oſtendens eum qua reverentia & devotione verbum audiendum & cuſtodiendum ſit, ſequenti utitur potentiſſimo argumento: *Si ſudorem qui fluxit è corpore Chriſti, vel lachrymam de oculo, vel ſtillam ſanguinis de quocumque membro poſſemus habere, cum magna reverentia ſervavemus, quanto magis, Verbum, quod de cordis ejus intimis manavit?*

Aurum, argentum & corporis ornamenta avidè colliguntur, & verbum Dei negligitur. *S. Aug. tom. 10. hom. 26.*

Bellovac. ſper. Mor. lib. 3. p. 1 diſt. 10. Ratio cur verbum Dei non æſtimatur eſt, quod valor ejus non conſideratur.

Pſal. 44. 2.

2. Tunc Chriſtus conditionem & ſtatum Mariæ Magdalenæ tantopere deprædicavit inquiens. *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea,* quando auſcultandæ voci Chriſti ſermocinantis totaliter intenta erat, non vero quando pedes ejus Lachrymis ſuis ablutos capitis ſui capillis deterſit, nec quando pretioſum illud unguentum capiti ipſius ſuperinfudit, nec denique quando ipſum in montem Calvariæ uſque ſecuta fuit, ut vel inde manifeſte appareat inſignis divini verbi prærogativa. Notandum quoque quod licet ſexus muliebris adeo ad ſe defendendum & excuſandum ſit prochivis, id quod à prima matre noſtra Eva utique hæreditavit, attamen cum à ſorore ſua argueretur deſidiæ; *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare, dic ergo illi, ut me adjuvet,* ipſa nec quidquam reſpondit, nec ſe vel minimo verbo defendit; *Maria enim cauſam ſuam, tamquam otioſa,* ut S. Auguſtinus inquit: *Judici maluit committere, nec in reſpondendo voluit laborare, ſi enim pararet reſpondendi ſermonem, remitteret audiendi intentionem.* Quo exemplo ſummam nos docuit devotionem, qua erga verbum Dei ferri debemus.

Luc. 10. 42. Quando Maria Magdalena maxime deprædicata fuerit à Chriſto.

Luc. 10. 40.

S. Aug. ſer. 26. de Verb. Dom.

3. Advertendum quoque eſt, incarnatam Sapientiam non ſine myſterio dixiſſe: *Qui habet aures audiendi audiat;* Neque ſuffeciſſe illi dicere: *Qui habet aures,* omittendo ly *Audiendi*; Nam ut Hugo Cardinalis ait: *Triplicem auditum notat hic Dominus, qui eſt neceſſarius auditoribus, ſcilicet auditus naturæ, quo verbum ſuſcipitur, auditus intelligentiæ quo ſenſus verbi diſcernitur; Auditus Obedientiæ, quo res verbi efficitur.* Cajetanus quoque ait: His verbis *non corporeis, ſed mentis aures excitat.* Salvatore quoque noſtro monente res quædam maxime notanda eſt, ob quam verbum Dei nullum apud nos fructum facit; Dicit enim: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum,* non dicit *de auribus eorum,* ſed *de corde,* diabolus enim ad id ſolum connititur, ut verbum Dei non ingrediatur, nec remaneat in corde, in mente, & in memoria audientis; Scit enim quod *eloquium Domini igne examinatum,* ut inquit ſacer textus lib. 2. Reg. cap. 22. *Scutum eſt omnium ſperantium in ſe,* ſcilicet ut gloſſa ait: *contra invaſiones poteſtatis malignæ;* Servit enim homini verbum Dei loco ſcuti, ad avertendos inimici ictus. *Spirituales hoſtes interficit,* inquit Sanctus Bernardinus, *juxta illud Iſaiæ 11. 4. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Paulo poſt idem ſanctus ita ſuadet: *Si ſenſeris te, habes virtutem clypei*

Matth. 11. 15. Triplici auditu verbum Dei excipiendum eſt. Hug. Card. Cajet.

Pſ. 17. 31. 2. Reg. 22. v. 31. Gloſſ. in Moral. S. Bernard. tom. 3. ſer. de deſiderab. veritat. art. 1. c. 3.

Luc. 8. 12.

Pſal. 67. v. 35. S. Bonav. in Luc. Iſa. 8. v. 2. Verbum Dei devotè & attente auditum, ſemper fructificat. Bernard. Tom. 2. ſer. de deſiderab. verit. art. 1. c. 3.

S. Thomas à Villanov. in Sexag. Siccitas & ſterilitas impediunt ne terra, profe-rat fructum.

Pſal. 128. 6.

Ephes. 6. 16. Gen. 3. v. 1.

clypei munientis, nam ut dicitur Ephes. 6. in eo extinguantur omnia tela nequissimi ignea. Et ideo serpens infernalis utpote callidior cunctis; quia difficillimum esse novit, quod Christiani, prædicatori aures prorsus non porrigant ideo ad hoc contendit, ut solum auscultetur auditu externo, verbum vero auditum ad cor non transmittatur; vel si etiam cousque pertingat, tollit verbum de corde. Saluberrimum est igitur illud divi Chrysologi consilium: *Pectora parate, non chartam; Sensum acuite, non calamum; Et audita, non atramento, sed Spiritu ministrante describite; In ipsa arca animæ, in ipsa Bibliotheca interni spiritus est locandum.* Inter alia documenta, quæ in hac materia apud S. Thomam à Villanova leguntur, hoc quoque consideratione est dignissimum; Necessarium: est, *primum, quod audiat corde bono, & optimo. Audit corde bono, qui audit libenter, & cum gaudio, & sine fastidio; Audit corde optimo, qui audit intentione, & desiderio proficiendi.* S. Augustinus ait: *Rogo vos fratres charissimi, ut secundum consuetudinem fidelium, cum silentio, & quiete, ea quæ à nobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noster, quando posuerit donante Deo, aliquid de lectione sanctarum scripturarum concipere, spiritualem nidum in cordibus vestris desiderat invenire, & ideo velut castissimi turtures, divina verba Sancti Spiritûs fervore in nido cordis vestri fovere contendite.* S. Antoninus postquam probasset verbum auditum ruminandum esse, subjungit: *Gregorius in homilia ait: Æternæ mortis indicium formidate fratres, si verbum vitæ audientes, in ventre memoriæ non retinetis. Exemplum de eo, qui cibum sumptum non retinet in stomacho.*

Luc. 8. 12. D. Chrysol. ser. 58. S. Thom. à Villanov. in Sexag. S. Aug. ser. 218 de Temp. S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 11. §. 3.

4. *Sunt qui aures mentis non applicant ad audiendum,* inquit Cajetan. *ad discendum & percipiendam verbum Dei, sed velut per unam, ut ajunt, aurem intrat verbum Dei, & ex altera exit.* In proverbijs dicitur: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem;* Septuaginta in Bibliis Sixti quinti legunt: *in auream inaurem, etiam sardium pretiosum ligatum, est sermo Sapiens in aurem obedientem.* Quasi diceret, verbum Dei quando resonat in aure hominis erga illud devoti, & obedientis, in gemmeam inaurem convertitur S. Bonaventura explicans verba illa: *Custodiam sermones tuos,* inquit: *Sermones divinos debemus custodire intelligendo, diligendo, obediendo. Prima custodia fit in parte animæ intellectivæ; Secunda in affectiva; Tertia in effectiva.* Theophylactus textum illum apud S. Joannem: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quidquid volueritis, petetis, & fiet vobis*) quæ verba digne ponderari merentur, utpote quæ promissionem quamdam in se continent, ab æternæ veritatis Deo promanantem) in favorem nostrum exponit dicens: *Si verba mea in vobis manserint, hoc est, si mandata mea custodiatis.* Tunc enim verbi Dei efficaciam experiemur, si illud effectui mandaverimus. Sanctus Paulus in Actibus Apostolicis ait: *æstimo me beatum;* Sed cur ó sancte Paule beatum te æstimas? Num forte quia vas declaratus es esse electionis? Aut vero ob visiones, & revelationes cœlestes? Vel quia in tertium usque cœlum raptus fuisti? Ob nihil horum; Sed quia sciebat se attentos habiturum esse auditores; Maximum enim est emolumentum, quando sermones frequentantur, & devote audiuntur ad proficiendum. Sergius Paulus ad prædicationem S. Pauli conversus fuit, licet Elymas magus simul cum toto inferno se ei opponeret; E contra vero Fœlix in sua cæcitate permansit, tametsi eamdem Spiritus Sancti tubam de judicio tremendo, nec non de horrore mortis, & inferni, tanta cum energia detonantem audisset, ut sacer textus dicat: *Tremefactus Fœlix.* Undenam putas natam fuisse hanc inter utrumque audientem differentiam, maxime cum idem Paulus idem Evangelium ambobus prædicaverit? Nimirum quia Sergius eo fine S. Paulum audivit, ut veritatem auscultaret, eamdemque si illam intelligere daretur, ambabus amplecteretur ulnis. At vero Fœlix ex mera curiositate à Drusilla conjuge sua illectus ad sermonem S. Pauli accessit, cupidus nempe sciendi, quæ Judaicam inter & Evangelicam legem versabatur, differentiam. Unde quando Felix se vivaciter tangi sensit, dixit: *Vade, tempore opportuno accersam te.* S. Bernardinus de quibusdam Auditoribus ait, quod sint. *Nimis curiosi, qui audire cupiunt in sermone quædam inutilia, sicut Poëtica, Philosophica, aut subtilia, & per consequens populo inutilia, & vana.* In eodem Tomo tertio in sermone *de manifestatione Spiritus Sancti* idem Bernardinus in hæc verba scripserat: *Quid prodest audisse divinum verbum, si bona opera non sequuntur?* Proinde Apoc. 3. v. 3. admonet Spiritus veritatis dicens: *In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva, seu observa.* Divus Chrysostomus sequentem in hanc rem explicandam adhibet similitudinem, inquiens: *Est Ecclesia Dei mercatus quidam Spiritualis, medicorumque officina animabus, & par est, ut sicut qui ad nundinas veniunt, inde multis mercibus conquisitis redeamus, vel quasi è medici domo, receptis quæ animabus nostris congruunt medicamentis, exeamus.* Subdit paulo post aliam à cibo desumptam similitudinem inquiens: *Quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis, ita desiderium Spiritualis doctrinæ, manifestissimum argumentum est animæ bene habentis.* Multi autem sunt, qui prædicationem auscultant ex consuetudine, ut faciant quod alij faciunt, non vero propter finem, ob quem est instituta.

Matth. 13. v. 9. Cajet. Prov. 25. v. 12. Cavendum est ne verbum Dei per unam aurem intret, & aliam exeat. Ps. 118. v. 17. S. Bonav. Quomodo verbum Dei custodiendum sit. Joan 15. Theophyl. S. Paulus æstimabat se beatum eo quod haberet auditores attentos. Act. Apost. 26. v. 2. Act. 24. 25. Ibid. S. Bernard. Tom. 3. ser. Sexag. art. 2. c. 8. Ibid. ser. 6. art. 3. c. 2. Apoc. 3. v. 3. D. Chrysost. Hom. 32. in Gen. Aptis similitudinibus docemur cum fructu verbum Dei audire.

5. *Qui habet aurem, &c.* Una causarum ob quas in prædicatione non proficimus, est, quia nobis non persuademus, quod sit facta pro nobis, sed illam semper aliis applicamus, seu attribuimus, cernentes festucam in oculis proximi, trabem vero in nostris minime videntes. Dato etiam casu, quod pro tunc, quando concio habetur, doctrina in illa tradita nobis necessaria non sit, propter hoc tamen illa non est deponenda à memoria, quia potest venire tempus, in quo doctrina illa indigeamus. S. Bernardinus nonnullos sermones auscultantium memorat defectus inquiens: *Sunt auditores nimis delicati, qui solum vellent de contemplationibus, & Spiritualibus, & de virtutibus, & gratijs, atque de cœlestibus audire, intactaque pertransire vitia, & Dei flagella peccatoribus data, & damna, quod etiam sæpius prædicator libentius ageret, nisi speculum Apostoli Pauli ante oculos haberet, qui de se 1. Cor. 10. Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Et paulo post subdit: *Sunt & Auditores nimis fastidiosi, similes populo nauseato, dicenti Num. 21. Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; Contra quos Prov. 27. dicitur: Anima saturata calcabit favum, id est dulcedinem verbi Dei, & utilis veritatis, scilicet, si non tam delicate, & ornate, sicut vellent, in auribus suis sonet.* Considerat & alium eorumdem defectum inquiens: *Sunt & Auditores nimis teneri, qui cum in aliquo reprehenduntur, dedignantur contra veros prædicatores; Odor enim gratus est sano, cum naturaliter hominem recreet, atque confortet, sed odiosus est venenoso serpenti, eo quod ipsum fugat, & necat.*

Adducuntur varij auditores qui sine fructu audiunt verbum Dei. S. Bernard. in Tom. 3. ser. in Sexag. art. 2. c. 1. 1. Cor. 10. 33. Num. 21. 5. Prov. 27. 7.

6. Regius Psalmista verbum Dei castum appellat: *Eloquia Domini casta.* Eo quod cooperetur ad honestatem, & pudicitiam; Ac proinde carnales inde nec quidquam proficiunt, quin potius illud exhorrent; Unde Ecclesiasticus ait: *Verbum Sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adjiciet. Audivit luxuriosus, & displicebit illi.* S. Bernardinus dicit verba Dei, *eloquia casta* appellari, *quia faciant animas castas, etiam corporali castitate.* Apud Isaiam dicitur: *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte.* At vero quinam sunt hi ablactati à lacte, qui cor suum voci Dei expandent? *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ,* inquit Apostolus, per lac enim voluptas intelligitur, dicente Hugone Card. *Avulsos ab uberibus mundi, quæ sunt vanitas, & voluptas.* Notandum quoque est, quod postquam apud Amos Deus populo Hebræorum defectum verbi Dei, tamquam grave supplicium his verbis comminatus fuisset: *Circuibunt quærentes verbum Dei, & non invenient &c.* mox subjungat: *In die illa deficient virgines pulchræ.* At vero dic sodes, quænam est proportio inter prædicationis verbi Dei penuriam, & venustarum Virginum defectum? S. Hieronymus legit: *Deficient animæ virginales,* & subdit: *deficient virgines, quia verbum Domini non invenient; Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesiis perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes.* In annalibus Ecclesiasticis legitur, quod Civitas Corinthus, (quæ inter omnes alias orientales insignis erat, præcipue ob venerationem Deæ cujusdam, quæ ficta & furda erat) tandem facta fuerit turpis quædam omnis impuritatis sentina; At vero per prædicationem Sancti Pauli conversa sit in castissimam honestatis scholam, adeo, ut Tertullianus libro *de virginibus velandis* cap. 9. dicat: *Hodie denique virgines suas Corinthij velant: Quid docuerint Apostoli, quid didicerint, approbant.* Similiter Sancta Cæcilia Valerianum sponsum suum eo disposuit, ut purum & castum se conservarit, idque, quia *Evangelium Christi gerebat in pectore, & à colloquijs divinis neque diebus, neque noctibus vacabat.*

Ps. 11. v. 7. Eccli. 21. 18. Verbum Dei reddit devotos auditores castos, illud autem negligentes, impudicos. S. Bern. Tom. 2. in Dom. 1. Quadr. art. 3. cap. 2. Isaia 28. 9. Heb. 5. v. 13. Hug. Card. Amos 8. v. 13. S. Hieron. Baron. An. 57. n. 54. Tertull. de Virg. vel. cap. 9.

7. *Qui habet aures &c.* Quod si aures nostræ spinis & tribulis plenæ essent, semen verbi Dei ad animam penetrare non posset. S. Thomas de Villa Nova aliam assignat causam, ob quam verbum Dei sæpe non fructificet: Ita enim scribit: *Quid hoc facit? Indispositio terræ, in quam semen cadit, non defectus virtutis in semine.* Et paulo post subdit: *Impedimentum fructus, est spinarum & herbarum & nascentium multitudo, quæ suffocat semen.* Quid autem hæ spinæ denotent, cælestis agricola in parabola seminis sufficienter declarat, scilicet quod curas sæculares significent. Unde Divus Chrysostomus nos monet inquiens: *Attenta sitis mente, & excussis curis sæcularibus, omnique ignavia deposita, hæc quæ dicuntur, accipite. Divinæ enim leges sunt, & cælitus allatæ ob salutem nostram.* Didacus Stella idipsum explicat sequenti similitudine dicens: *Sicut semen ad hoc ut fructum ferat, terra obruitur, & extinguitur (nam ut Paulus ait: Non vivificatur, nisi prius moriatur) Sic verbum Dei, ut fructificet, oportet ita corde servetur, ne integrum omnino sit, sed radicibus firmatis in pectore manentibus, ipsum totum in bonorum operum flores effundatur, ut nihil inde maneat virtutis, quod in opus non prodierit.* Divus Chrysostomus circa textum quemdam S. Pauli ad Hebr. in præcedentibus discursibus sæpius adductum, inquit: *Semper audimus, sed humorem statim perdimus, propterea spinas producimus. Quænam sunt ergo spinæ? Audiamus Christum dicentem, quod sollicitudo hujus sæculi, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & fit infrugiferum.* Idem Dominus noster paulo ante dixerat: *Si non venissem, & eis non fuissem locutus, peccatum non haberent &c.* Apud quemdam fide dignum Authorem me legisse memini, quod dum quidam in confinibus Saracenorum natus, in urbe Florentina sermoni cuidam interfuisset, post aliquantulam moram in amarissimas proruperit lacrymas; De causa autem fletus interrogatus responderit: *Desleo Saracenorum calamitatem, & Christianorum oscitantiam, atque ingratitudinem? Si namque hæc prædicatio facta fuisset Damasci, in centum millium corona ausim spondere, plures octoginta sex millibus ab errore convertendos fuisse.*

Curæ sæcularium rerum impediunt ne verbum Dei fructificet. S. Th. de Vill. in Sexag. D. Chrys. hom. 14. in Gen. Did. Stella in Luc. 8. D. Chrys. H. 10. ad Hebr. Matt. 13. 22. Joan. 15. 22. Notabilis historia. S. Bern. de busto p. 1. Rosar. ser. 3.

8. *Qui habet aures &c.* Ex quo Salvator noster tanta cum solicitudine curaverit, ut lex ejus audiretur per universum mundum, ijsque qui tam in veteri, quam in novo testamento ad divinam ejus vocem surdos se exhibuere, atrocissima comminatus sit supplicia, ut hactenus vidimus, necessum profecto, ut illa timeamus; Sed audiamus Sanct. Ambrosium ita fantem: *Timor sine Sapientia esse non debet. Basis quædam verbi est timor sanctus, sicut enim simulachrum aliquod si in basi statuatur, tunc majorem habet gratiam, standique accipit firmitatem, ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timentis Deum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud, de incuriosi, & dissimulantis affectu.* Apud Janum Nizium in libro de virtutibus & vitijs sequens legitur, quod Genuæ circa quosdam juvenes dissolutionibus suis prædicatorem sub concione turbantes, accidit, memorabile exemplum. *Hi enim in ædes sacras coibant, ea præsertim hora, qua concio tota rerum divinarum interpreti operam dabat, ibique tota populi istius offensione cucurrerant impudentissime mulierum formas contemplari, inter se colloqui, cachinnos tollere, multaque alia facere, quibus ludibrio haberi Deus videbatur. Concionator nullum privatis admonitionibus relictum esse locum animadvertens, statuit impiam illorum contumaciam de loco superiori palam arguere, quod cum magna vi vocis, & contentione animi ageret, ad objurgationes minas addidit, atque inter cætera interminatus esse, dicitur, si impij in Deum esse pergerent, neque mores corrigerent, fore, ut ille crucis baculo ipsorum nequitiæ obviam iret. Quò illi oratione vehementer commoti, universi eum adiere, ac verborum contumelijs antea oneratum monuerunt? Ut linguam compesceret, nam si pergeret esse molestus, ac dicere, ipsos crucis baculo verberandos, fore, ut alius antea illi valido fuste Scapulas, & brachia doleret. Quibus vir Dei in præsenti quid responderet, non habuit, verum rem totam in Deum rejecit; Neque vero prædicationem suam fefellit eventus; Nam Deus injuriam sibi factam ultus est probè; Nemo enim illorum sua morte defunctus est, sed intra anni unius spatium ad unum omnes ferro interempti perierunt.*

Prædicatio cum timore Dei audienda est. S. Ambr. ser. 5. in Ps. 118. Jan. Niz. lib. vir. & vit. exemp. 148. Stupendum exemplum contemnentium verbum Dei.

DISCURSUS XXVIII.

ARGUMENTUM.

De insignibus quibusdam ministrorum excellentijs, & prærogativis, nec non de Spirituali ipsorum lucro, quod nequaquam diminuitur, licet peccatores non convertantur.

THEMA.

Si separaveris pretiosum à vili; quasi os meum erit. Jerem. 15. v. 19.

1. Nobilissimum & sublimissimum quod umquam à Deo in Ecclesia ordinatum est ministerium, est conversio animarum, quæ per verbi Dei prædicationem potissimum perficitur, ac proinde Deus, Jeremia Propheta ad prædicandũ populo animare volens, eidem dixit: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris;* Et S. Bonavent. ait: *Est magna authoritas prædicatoris, in quorum receptione Deus recipitur, & contempta contemnitur; ipsi enim sunt os Domini, verba ejus annuntiando; sicut dicitur: Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris & ideo tamquam os Dei pasci debent; & honorari.* Imo ipsemet cœlestis magister noster Christus ministris suis Evangelicis apertis verbis dixit: *Qui vos audit, me audit,* quibus verbis vocem suam & vocem prædicatorum pari & æque digno loco reponit: *Quasi os meum eris.* Porro in quanta apud Deum æstimatione sint illi, qui lucro animarum operam suam addicunt, Divus Chrysostomus in Homilia quadam his verbis declarat: *Si quando lapsos errore fratres videris, coram eorum velut thesaurum inventum reputes; qui enim separat pretiosum à vili, tamquam os meum erit. Et quidnam cum ista re conferri poterit?*

Prædicatio verbi Dei cũ dirigatur ad conversionem animarum est sublimissimum in Ecclesia Dei ministerium. S. Bonav. in Luc. 10. D. Chrys. Ho. de Doct. & correpț. T. 6.

2. Ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs Salvator noster non omnes Evangelio annuntiando dignos esse declarare voluit, sed solos Episcopos utpote quibus in ipsorum consecratione, per Spiritus Sancti invocationem facultas ista confertur. Annales Ecclesiastici per occasionem verborum illorum ex actibus Apostolicis: *Dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Docte ponderant hanc ordinationem cum solum spectare finem; ut Evangelium annuntietur, id quod etiam Divus Chrysostomus observavit, dum de Sancto Paulo Apostolo inquit: *Ordinatur in Apostolum, ut cum potestate prædicet.* Cardinalis Baronius notat, quod dum Sanctus Lucas talem ordinationem jussu Spiritus Sancti factam fuisse dicit, per hoc manifeste insinuet, similes ordinationes non consuevisse ab Apostolis fieri, nisi prævijs specialibus revelationibus divinis. Unde Sanctus Paulus Timotheo in memoriam revocans ea, quæ ordinationem ipsius præcesserant, inhibuit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij:* Cum etiam paulò ante dixerat: *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias.* Subdunt ijdem Annales, in Ecclesia Catholica semper fuisse inviolabiliter observatum, quod nullus in officium prædicationis se ingerere præsumpserit, nisi priùs in hunc finem legitimè ordinatus & missus fuisset, & in hoc præcipue Catholicos ab hæreticis fuisse distinctos: Unde Sanctus Paulus in Epistola 1. ad Corinthios ita scribit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare.* Circa quæ verba Theodoretus sequens movet dubium inquiens: *Atqui utrumque præcepit; Ite, inquit, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed prædicare est præstantius & excellentius, quam baptizare, baptizare enim facile est omnibus, qui Sacerdotij honore digni sunt habiti; prædicare autem erat paucorum, qui hoc donum à Deo divinitus acceperant.*

Prædicatio verbi Dei in exordio Ecclesiæ solis competebat Episcopis. Act. Apost. 13. v. 2. Baron. An. 44. n. 75. D. Chrys. H. 27. institu. Apost. 1. Tim. 4. 14. 1. Tim. 1. 18. Nullus prædicationis officium exercere debet nisi legitime ordinatus & missus. 1. Cor. 1. 17. Theodor. ib.

3. Ab ijsdem Annalibus Ecclesiasticis optime observatur S. Valerium in Africa primum fuisse, qui munus prædicandi simplici Presbytero commisit, cum alias soli Episcopi officium illud obire consuevissent. Sanctus autem hic Episcopus hoc fecit ex eo præcipue motivo, quia cum Græcus esset, linguæ Latinæ non admodum peritus erat; Et vero licet nonnulli illius Provinciæ Episcopi eum ob id reprehenderint, alij tamen, & inter illos speciatim Aurelius recenset creatus Episcopus Carthaginensis, eum in hoc sunt imitati.

Baron. an. 391. n. 34. A quo primò officium prædicationis simplici sacerdoti fuerit commissum.

4. Ex eadem historia Ecclesiastica circa annum 504. clare

Baron. an. 504. n. 16.

Olim illi soli prædicabant Verbum Dei, qui à Summo Pontifice facultatem acceperant.

clare deducitur, non omnes Ecclesiasticos indifferenter prædicare potuisse, sed illos dumtaxat, qui a Romano Pontifice specialem ad id facultatem acceperant; Unde patet quanta cum honorificentia officium istud fuerit administratum. S. Gregorius super illa Jobi verba: *Omne pretiosum vidit oculus meus*; Scribens, eadem de anima intelligenda esse dicit, utpote quæ Deum inter omnes quos Deus in cœlesti gaza sua possidet thesauros, verè est opulentissimus, neque ex eo minus est æstimandus, quod intra hujus corporis nostri ergastulum lateat inclusum: *Habemas thesaurum istum in vasis fictilibus, & pretiosum quidem*, inquit Sanctus Gregorius, *cum humanam animam de se abjectam, sapientiæ & gratiæ suæ illustratione respexit, de qua videlicet anima per Prophetam dicitur: Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Non dubito quin omnibus notum sit quod Sanctus Dionysius Areopagita divini verbi prædicatoribus animabus convertendis operam navantibus attribuit elogium, Ait enim: *Omnium divinarum divinissima extat perfectio, Dei cooperatores esse in salute animarum ad suum creatorem.* Sancta Catharina Senensis tot eximiis ab æterna & increata sapientia illustrata doctrinæ & sanctitatis donis, illam terræ partem reverenter osculabatur, cui impressa erant Prædicatorum animarum lucro cooperantium vestigia. S. Carolus Borromæus de hoc tam præclaro animarum Deo comparandarum ministerio differens ita scribit: *Inter hæc connumerantur instrumenta, vel maxime ratio ac via divini verbi prædicandi, qua quidem eam verborum sententiarumque gravitatem, eamque viam spiritus completi debet, quam dignitas & præstantia hujus muneris requirit. Nam hujus quidem muneris sive materia, sive finis spectetur, tanta utique dignitas ostenditur, ut non facile aliud excogitari, dicive possit, quod illo præstantius sit, aut altius, aut magnificentius; Siquidem omnia Christianæ religionis mysteria, ac Sacramenta, omnes virtutes, omnia quæ ad ejusdem religionis fidem, fideique fructus spectant, omnia denique quæ à Deo ad homines proficiscuntur & ad Deum proficiscentes homines juvant, verbi divini nomine continentur.* Imo ille idemmet, qui de se dixit: *Ego sum lux mundi*, de suis pariter ait prædicatoribus: *Vos estis lux mundi*, nec hoc nobilissimo titulo contentus, adhuc alium mysterijs plenum titulum adjecit, dicens; *Vos estis sal terræ.* Sanctus Remigius inquit: *Natura igitur salis per aquam, per calorem solis, per flatum venti constat, & ex eo quod fuit, in aliam speciem generatur; Sic & Apostoli, atque omnes credentes, per aquam baptismi, per fidem Christi, qui sol justitiæ dictus est, & per inspirationem Sancti Spiritus; Deo renati ex terrena in cœlestem nativitatem transeunt.*

2. Cor. 4. v. 7. S. Greg. l. 18. Mor. cap. 23.

Jer. 15. v. 19.

Matth. 5. 14.

Ibid. v. 13.

S. Remig. in cap.

D. Thom. in Matth. 5.

5. Prædicatores sunt verbi incarnati hic in terris veri locum tenentes, & tametsi hic in terris nati sint, & educati, haud secus tamen ac si è prosapia cœlesti progeniti essent, nobis sunt colendi, ac proinde Daniel ait: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellas in perpetuas æternitates.* Sanctus Carolus Borromæus quoque prædicationi Evangelicæ hoc tribuit encomium, quod scilicet *tota ætatis sit convocandi ratio.* Sanctus Fulgentius similiter prædicatores hoc mystico & nobilissimo honorat epitheto: *Dum sanctæ prædicationis altissimam conscendimus thronum, vestris immolatari famus sensibus verbi Dominici sacrificium*; Quibus verbis ministerium verbi Dei, sacrificio divino adæquat. Ad hæc si examinare voluerimus textum illum sapientis: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem &c.* Prædicatores veras esse Ecclesiæ columnas deprehendemus. Qua in re mire mihi suffragatur Salonius, qui prædicta verba exponens ita ad prositum nostrum scribit: *Sapientiæ Domus Ecclesia Christi est, columnæ autem Domus hujus, sancti Doctores; Quæ columnæ bene septem esse dicuntur, quia repleti sunt Sancti Doctores septiformi gratia Spiritus Sancti. Quomodo ergo excidit sapientia has columnas? Quia mentes prædicatorum ab amore præsentis sæculi separavit.* Richardus de S. Victore pariter ait: *Ignoro an possit hac gratia in terris majorem aliquam Deus hominem conferre, quam est, ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut ex filijs diaboli filij Dei efficiantur. An forte cuiquam videbitur magis esse, mortuos suscitare.* Quibus verbis potentem quamdam assignat rationem, cur ministerium verbi Dei adeo sit excellens & magnificum, quia scilicet majoris est meriti animas à Deo aberrantes convertere, quam corpora mortuorum in cineres redacta ad vitam mortalem revocare. *Ergone magis erit suscitare carnem iterum morituram, quam animam in æternum victuram?* S. Augustin. audacter dicere non dubitat: *Majus opus est, ex impio justum facere, quam creare cælum & terram.* Ab omnibus pariter recipitur illa Doctoris Angelici conclusio: *Justificatio impii est maximum opus Dei*; Id quod sequenti probat ratione: *Bonum gratiæ unius hominis, majus est, quam bonum naturæ totius universi.* Ecce igitur quam sint digni, & de Ecclesia Dei optime meriti ministri Evangelici; digni quidem ob dignitatem & potestatem, qua cum ipsomet altissimo Deo decertant: *Quasi os meum erit; Qui vos audit; me audit*; convertunt enim animas, quod excellentius quid est, quam si alios mundos de novo crearent: Bene autem de Ecclesia meriti sunt, ob immensum lucrum, quod Deo, alijs, sibique ipsis comparant; Deo quidem, quia suis laboribus obedientes, devotas, & obsequiosas illi esse faciunt animas illas, pro quarum salute pretiosissimi sanguinis & vitæ suæ pretium impendit, quasque dæmon illi surripuerat; Alijs vero lucrum conciliant, eruendo ex inferno illos, qui secundùm præsentem justitiam illuc erant condemnati, illosque qui antea impij fuerant, cœlestis beatitudinis facit esse hæredes; Denique sibiipsis ingens lucrum adscisount, quia ut S. Jacobus scribit: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate & converterit, quis eum, Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam à morte*; Et ideo animam peccatricem ad Deum convertendo opulentiorem sibi quis thesaurum comparat quam si integrum mundum acquireret; *Totus* enim *iste mundus*, ut S. Bernardus meditatur, *ad unius animæ pretium æstimari non potest, non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit.* Idem quoque motivum S. Carolus Cardinalis Borromæus Ecclesiasticis proposuit, dum Divini verbi ministrum in hæc verba instruxit: *Ut ad omnia sancta studia quibus juvare possit, vehementius accendatur, secum sæpe reputabit, quam magnum præmium consequatur, qui ab errore viæ suæ peccantem abduxerit, qui enim converti fecerit peccatorem, inquit Sanct. Jacobus, ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Texaris, si placet longum operum virtuosorum & meritoriorum quibus animas locupletare possumus, Catalogum. Illaque omnia hoc adeo digno prædicationis ministerio longe inferiora esse reperietis, utpote per quod inæstimabiles & incomparabiles thesauri acquiruntur, dicente Divo Chrysostomo: *Si quando lapsos errore fratres videris, quam eorum vobis thesaurum inventum reputes.* Moxque subdit: *Et quidnam cum ista re conferri poterit? Quid enim neque jejunium, neque humi dormitio, neque aliud quidquam præstare nobis poterit; Hoc autem procurata fratris salus efficere potest; Nec ego ista enuntio; ipsemet Deus hoc asserait inquiens: Quod si vel unum aliquem liberaveris, tamquam os meum eris os tuum.* Apud M. Marulum sequentia verba me legisse memini: *Unum hominem converiit Ambrosius, sed in uno homine totam pene terrarum orbem doctrinæ illius radijs illuminandam recepit.* Id quod verissimum est, nam si Sanctus Ambrosius in omnibus prædicationibus nullum convertisset alium, præterquam S. Augustinum, hic utique cunctis alijs præponderaret. Sic quoq; S. Paulus in Areopago plucos convertit; Scilicet mulierem quamdam, cui nomen Damaris, & quosdam alios, sed solus ab eo conversus Dionysius Areopagita integro cuidam mundo æquivaler.

Et columnæ Ecclesiæ.

Prov. 9. v. 1.

Salon. in parab. Salom.

Rich. de S. Vict. l. 1 de præp. in cont. c. 44.

Majoris potentiæ est & meriti per verbum Dei convertere peccatores, quam suscitare mortuos.

S. Aug. tr. 32. in Joan.

S. Thom. p. 2. q. 113. art. 9.

Prædicatores bene merentur de Ecclesia.

M. Marul. tom. 1. lib. 3. cap. 4.

6. Et vero tametsi etiam nulla prorsus anima post habitam prædicationem converteretur, nihil tamen propter hoc fudores nostri perderunt ex merito; Id quod S. Anselmus verbis quæ Salvator noster ad Apostolos suos dixit, ita probat: Dicit enim Christus: *Intrantes in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui, Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; Si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*, id est, inquit S. Anselmus: *Si nullus fuerit, qui audiat, tamen ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eam pax revertetur, dum ei à Domino pro labore merces operis sui recompensatur.* Sanct. Gregorius Magnus in Epistola quadam ita scribit: *Imperatorem Persarum etsi non fuisse conversum dolco, vos tamen Christianam ei fidem prædicasse omnimodo exulto, quia etsi ille*

Licet Prædicator nullum convertat, non tamen caret merito suo.

Matth. 10. 12. & 13.

Anselm. ibid.

S. Greg. l. 2. Epist. 63. ind. dict. 12.

ille ad Locum venire non meruit, vestra tamen sanctitas prædicationis suæ præmium habebit; Nam & Æthiops in balneum niger intrat, & niger egreditur, sed tamen habeantur mundi accipit. Architecti, sculptores, vel alij artifices mercede sua minime destituuntur, licet negligentia, vel defectu eorum, per quos hi operam suam exercent, vel fabrica pereat; vel sculptura deficiat ab arte. Ecclesiasticus ait: *Sic omnis faber & architectus, qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam.* Circa quæ verba Rabanus in sensu mystico ita scribit: *Per fabrum hunc & architectum, qui studiosè nocte dieque in opere suo laborat, ut signacula sculpat, & hominis imaginem arte gemmaria formet, nisi prædicatores sancti insinuantur, qui omni tempore, aut docendo, aut exhortando, aut bona exempla ostendendo, auditores suos instituunt, quatenus interioris hominis virtutem eliciant, & ad conditoris sui imaginem animam humanam reforment?* Observandum namque est, prædicatores sculptoribus similes esse, siquidem scalpello vocis suæ gloriæ sanctissimæ Trinitatis cooperantur; Cum enim hæc imaginem suam homini impresserit (*faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*) hi autem per peccatum eamdem deturpaverit, & destruxerit, Prædicatores eamdem reparciunt, & ad pristinam pulchritudinem revocant, *An non ille Faber & Architectus Jremus, fuit in arte sua* (inquit idem ubi supra Rabanus) *qui in Epistolis suis ita scripsit dicens: Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi; Ut sapiens architectus fundamentum posui?* S. Joannes Baptista supernaturalis eloquentiæ fuæ artem ita accommodavit, ut Herodes *libenter eum audierit, & audito eo multa fecerit*; Tametsi autem in incestu suo continuaverit, propter hoc tamen præmium prædicationis suæ apud Deum non amisit, utpote qui palma martyrij condecoratus fuit. Pro cujus meliori intelligentia observandum est ex Cajetano, quod quando Christus Apostolos ad prædicandum mittens, eisdem dixit: *Ecce mitto vos sicut agnos inter lupos*, id est ad mortem, sive ad martyrium, per hoc tacitus insinuarit, quod ministri Evangelici tanto apud Christum in pretio habeantur, ut illos dignos esse censeat inæstimabili corona & laurea martyrij; Dignum namque & justum est, quod cum illi animas aliorum ad salutem perducere satagant, propriam quoque salutem extra omne periculum positam habeant.

Concionatores comparantur Architectis & sculptoribus.

Eccli. 38. 28.

Raban. lib. 8. cap. 16.

Gen. 1. v. 26.

Luc. 10. v. 3.

7. In Chronicis S. Francisci legitur, quod Franciscus Cherubinus despoleto post mortem suam ab Angelis in cœlum deportari visus fuerit, stipatus sexaginta sex millibus animarum, quas fructuosissima prædicatione sua ad bonam frugem converterat; Tametsi enim seminationis nostræ fructus non videatur, non tamen existimandum est laborem nostrum incassum fuisse adhibitum; Nam ut Divus Chrysostomus ait: *Si vis imbrium effusa in agrum, præfocarit fementem cogitur agricola vacuis manibus abire domum, nostra vero, cum loquimur, & exhortamur, non est eadem conditio. Imo si semen per te jactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati consilij mercedem ferri à Deo, nec minus accipies præmij non auditus, quam acceptatus eras, si ille obtemperasset. Quod erat in te, præstitisti. Cæterum ad id ut persuadeamus auditoribus, non sumus obstricti, sed tantum ut admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum vero obtemperare.* Porro in alia quadam ejusdem Religionis Franciscanæ historia legitur: *Cum Alphonsus à Spina Franciscani ordinis, in conventu Palentiæ religiosus, insignis concionator, animarum salutem supra modum sitiret, in id præcipue incumbebat, ut aliquos Christo lucrifaceret; eumque ex melancholica imaginatione subvisitior quodam die offenderet, puteo juxta Minoritis Conventus Vallisoletani sacrarium haereret, & anxius cogitaret, nem frequentissimis suis concionibus fructum fecisset, vocem è sublimi delatam, sibi præcipientem, ut sitellam è vocibus pendentem in puteum demitteret, aquamque haurret, audivit, qui cum obtemperasset, viginti quatuor sibalbot lapillos Jesu nomine insignitos juxta 24. Conciones, quas paucis ante diebus ad populum Vallisoletanum habuerat, in situlæ fundo invenit. Ex quo domum eventu confirmatus, omnibus nervis prædicationis officio in posterum incubuit.*

Continuatur eadem materia de meritis concionatorum.

Chronic. S. Franc. p. 3. lib. 7. c. 2.

Exemplo confirmatur materia.

D. Chrys. conc. 1. de Lazaro.

Aliud exemplum.

Franc. Gonzaga. de Orig. Seraph. Relig. p. 3. conc. 2.

Catech. c. 3. §. 24. n. 1 y.

Aliud exemplum.

8. In Catechismo Historiali sequens refertur historia: *Dominicanus quidam familiari suo post obitum apparuit, in splendidissima veste ornata pretiosissimis lapidibus, & uno quidem reliquis multo præstantiore supra pectus appenso, dixitque hanc se vestem propter animarum zelum consecutum, tot ornatam gemmis, quot peccatores ad Deum convertisset, & nobiliorem illa, propter majoris alicujus peccatoris conversionem.* Quod si vero econtra prædicator aliquis laborans nullum inde fructum enasci videat, non propterea merito proprio fraudatur nam ut Sanctus Augustinus scribit: *Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit; Ita fidelis justitiæ prædicator etiamsi ab omnibus resputur, absit ut apud Deum sui officij mercede fraudetur.* In eodem Catechismo historiali sequens narratur visio: *Dominicanus quidam ex obedientia Crucem Sarracenis annuntians, cum ibidem objisset, apparuit quidam ex fratribus dicti ordinis dicens: Se quidem in extremis à dæmonibus valde impugnatum, sed Christum Dominum advenientem omnes fugasse, dixisseque: Veni mecum in gloriam meam tu, qui Crucem meam populis annuntiasti deque hac ratione absque allis alijs pœnis è terra, recta ad cælos ascendisse.* Fieri quidem potuit, quod religiosus ille optatam ab illa gente barbara non retulerit messem, & tamen Deus illum proprio merito suo destitutum manere nolnit. Unde S. Antoninus ingenuisse notat, quando Apostolus ait: *Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum, non dixerit: Secundùm fructum suum, nec enim credimus*, inquit præfatus Antoninus, *minorem gloriam obtinuisse Jacobum majorem, qui pauciissimos convertit, quam multos sanctos, qui millia populorum traxerant ad fidem.*

Catech. Hist. ibid. n. 14.

S. Anton. p. 3. t. 18. c. 3. §. 2.

DISCURSUS XXIX.

ARGUMENTUM.

Prædicator efficaciter persuadere volens, verbis ut opera adjungat, necessum est.

THEMA.

Erat docens eos sicut potestatem habens; & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. Matth. 7. vers. 29.

1. IN pluribus historiæ Evangelicæ locis Spiritus Sanctus testimonium perhibet de potentia nostri Salvatoris. Etenim Joan. 13. dicitur: *Dedit ei omnia Pater in manus.* Matth. 28. Christus de semetipso dicit: *Data est mihi omnis potestas.* Et Joan. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* Tametsi vero hanc omnipotentiam pluribus modis Salvator manifestarit, specialiter tamen eamdem miracula operando palam fecit; At vero quid potestate opus erat, quando docebat turbas, & Evangelium prædicabat? Respondeo ipsummet Evangelistam quidnam per hoc de cœlesti magistro dicere voluerit, sufficienter explicasse dum postquam dixisset: *Cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus*, immediate subjungit: *Erat enim docens eos sicut potestatem habens*; & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi, hi enim bonam quidem annuntiabant doctrinam (*quæcumque dixerint vobis servate, & facite*) omnino vero contrarium illi, quod docuerant, faciebant (*secundùm opera eorum nolite facere.* Christus vero cum auctoritate, & sicut potestatem habens prædicabat (*Dedit voci suæ vocem virtutis*) quia quod dicebat verbis; operibus confirmabat: *Cæpit Jesus facere, & docere.* S. Gregorius Magnus verba illa S. Pauli ad Tim. *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio.* In favorem nostrum ita explicat: *Non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet virtus; Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam; Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis.* Moxque subdit: *Unde etiam de Domino scriptum est: erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ & Pharisæi; singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala non commisit.* S. Isidorus Pelusiota quondam cuidam viro facundo quidem & docto, sed improbo, in hæc verba scripsit: *Frater quidem tuus ob mores in admiratione est, tu ob sermonem: Ille ob animi integritatem, tu ob linguæ facundiam, ille ob morum moderationem, tu ob verborum fastum, ac timorem: Ille ut fructu fœtens, tu ut foliis abundans.* Volensque eumdem instruere modumque edocere, quo eloquens simul & potens quoad linguam fieri posset, subdit: *Quamobrem si ita est, frairem tuum imitare, ut utroque nomine laudem & gloriam consequaris, neque enim*

Christus præcipit cum potestate, & opere ac sermone.

Ioan. 13. 3. Matt 28. 18. Joan. 17. v. 2.

Matth. 7. 28.

Ibid. v. 3.

Matth. 23. 2.

Ps. 67. v. 34.

Act. Apost. 1. v. 1.

1. Tim. 4. 11.

S. Greg. l. 23. mor. c. 7.

Prædicatio verbi Dei operibus bonis comprobanda est ut fructum proferat.

S. Isid. Pelus. l. 3. Ep. 40.

tam tuis ille, quam tu ipsius dotibus opus habes. S. Carolus de illis, qui ad ministerium Evangelicum deputati sunt, differens, ita scribit: *Quemadmodum in arca testamenti duo illi Cherubini ita collocati erant, ut semper mutuo se aspicerent, ita vita concionantis, doctrinæ ex altera parte respondere debet, usque adeo, ut & vitam doctrina colluceat, vires que eidem perpetuo addat.* S. Gregorius, qui in prædicatione eximius fuit prouti homiliæ ipsius abunde testantur, prædicatores, qui Dei instrumenta sunt, in hæc verba instruit: *Prædicator quisque plus actibus, quam vocibus insonet, & bene vivendi vestigia sequacibus imprimat, ut potius agendo, quam loquendo, quo gradiatur, ostendat.*

Act. Eccles. Mediol. f. 475.

S. Greg. cura Past. p. 3 c. 6.

2. Inter alias ceremonias quas Deus in Levitico à sacerdotibus turtures, vel columbas in sacrificium offerentibus requirebat, una hæc erat, scilicet caput illarum, sub alis, seu axillas retorquerent. *Sed numquid,* ut Paulus ait, *de bobus, aut columbis cura est Deo?* Ergone increata sapientia etiam ad ejusmodi minutias ipse se demittit? Respondetur per illud Apostoli axioma: *Omnia in figura contingebant illis.* Etenim Sanctus Gregorius in Hom. 7. super Ezech. lib. 1. mysterium hujus ceremoniæ explicans dicit: *Caput ad pennas retorqueri præcipitur, ut ea quæ dicis, facias, & os ad opera conjungas.* B. Petrus Dam. prædicator celeberrimus, prout ex ejus sermonibus colligitur, hac de re ita scribit: *Vivida & efficax in discipulorum cordibus prædicatio est, alijs alimenta providere, providentem vero in fejunij rigore persistere: Optime vigilias indicit, qui post longum psalmodiæ decursum signum excitandis fratribus pulsat: Eloquentissime dum tacemus, silentium commendamus: Fructuose de extremitate vestium disputat, qui se pannorum conscissione deformat, indumentorum vero juxta divitem nitore conspicuus, frustra cum Joanne pilos prædicat Camelorum.* Author operis imperfecti indecentiam considerat illius medici, qui infirmum curare contendit, & tamen semetipsum curare nescit: *Si Medico opprobrium est,* inquit, *qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, & ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore proprium passionem. Quomodo Doctori non sit opprobrium, alios velle curare à peccato, & ipsum in majoribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruere à peccato, quam alios.* Sanct. Bonaventura super illâ verba Psalmi: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas &c.* ita scribit: *Vera prædicatio necessaria est; quia quando vox vitam non remordet, dulcis est symphonia, ne sit vox Jacob, & manus Esau.*

Levit. 1. 14.

1. Cor. 9. v. 9. Appliceatur prædicatoribus cæremonia, qua turtures olim sacrificabantur. *S. Greg. H. 7. in Ezech. B. Petr. Dam. opusc. 15. c. 28.*

Auth. op. imperf. H. 17. Simile Medici seipsum curare nescientis.

Ps. 49. 16. S. Bonav. ib.

3. Theodoretus considerans ritum illum à Deo in Levitico præscriptum, ungendi auriculâ dexterâ, sequentem inde ad propositum nostrum deducit utilem, pariter & ingeniosam moralitatem, inquiens: *Oleum quo inunguntur auris dextera, manus, & pes dexter, innuit, auditum quidem dedicatum esse dextris sermonibus, manum autem & pedem, dextris operationibus.* Considerasti ne aliquando quanam phrasi incarnata sapientia prædicationem Evangelicam appellet? *Messis quidem,* inquit, *multa, operarij autem pauci,* Ubi Cajetanus ait; *Metaphorica est locutio, assimilans prædicationem Evangelicam messi, ratione fructus. Non dicit: Sacerdotes, & scribæ pauci, sed operarij pauci, quia etsi magna est multitudo sacerdotum, Doctorum, prædicatorum, pauci tamen sunt operarij, quia pauci sunt, qui vitâ & doctrinâ studeant salui animarum.* Multo autem melius ad propositum Hugo Cardin. citans textum S. Joan. cap. 4. ubi eadem verba dicuntur, ita scribit: *Nota, quod dicit operarij, non locatoris, manu enim, non lingua colligitur Messis; Falcem prædicationis debet messor tenere in manu operationis. Illi ergo qui prædicant, & non habent opera, falcem tenent in lingua.* Idem Cardinalis super Psalm. 44. observat, linguam prædicantis à Psalmista ex divino instinctu pennam appellari: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* An forsitan ideo quia sicut penna per characteres, quos edit in lucem, cogitationes & conceptus nostros internos manifestat, ita pariter lingua vivis verbis suis idem officium præstat? Non quidem in hoc dicti Cardinalis consideratio consistit, sed potius hanc analogiam notat, scilicet, quod sicut penna manu ducitur, ita pariter loquentis lingua manu operationis regulari debeat; Citatque Epistolam secundam ad Thess. ubi dicitur: *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola, ita scribo:* Circa quæ verba sequentem adhibet commentarium: *Multi enim salutant ore, qui*

Theodor. Q. 10 in Levit. Non solum prædicandum est lingua, sed multo magis manu & opere. *Luc. 10. v 2. Cajet. ibid. Matth. 9. 37.*

Hug. Card. in Joan. 4.

Ps. 44. 2. Hug. Card. ib.

2. Thess 3. 17.

prædicant salutem gentibus, sed non salutant manu sua, quia opera salutis non faciunt, unde non habentes signum quod habebat Apostolus in omni epistola sua, Pseudo-Apostoli judicandi sunt.

4. Rabanus de illis tractans militibus Gedeonis, quos jussu Dei ad reportandam de Madianitis victoriam, ex toto exercitu suo per hujus signi observationem elegerat, si scilicet genua nequaquam in terram flectentes aquam de manu biberent, ita scribit: *Hi igitur Christo duce ad bellum procedunt, qui hoc quod ore denunciant, opere ostendunt, qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter flectuntur, quia sicut scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et vero prædicatio Evangelica aliqualem cum corporali militia habet similitudinem; Unde verbum Dei gladij nomine appellatur, eo quod ordinatum sit, ad intentandum vitijs bellum, & inimicos infernales debellandos. Ac proinde Doctor gentium, qui in cœlestis paradisi academia eruditus fuit, S. Timotheo discipulo suo & Episcopo Ephesino scribens, his eum verbis exhortatur: *Labora sicut bonus miles.* Et ubi vulgata nostra in Epistola ad Philip. legie: *Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio,* in Græco legitur: *Quæ mecum concertaverunt.* Regius quoque Psaltes in Psalm. 149. prædicationem Apostolicam, qua universus convertendus erat mundus, profligandaque idololatriæ tyrannis, ita describit: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Per gladios enim ancipites verbum Dei intelligitur, de quo Apostolus ait: *Gladium Spiritus, quod est verbum Dei;* Merito autem dicuntur *gladij ancipites in manibus* eorum esse, quia cum per manus opera denotentur, gladij in manibus significant verbum Dei, conjunctum cum bonis & virtuosis exemplis, quæ conjunctio fit, dum prædicator id operatur, quod persuadet; Et vero dum hoc facit, gladius verbi Dei anceps erit, id est ex utraque parte acutus, nullos faciet cassos aut irritos ictus. Idem quoque verbum Dei sagittæ nomine describitur: *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent;* Sagitta enim ad hoc ut evibretur, præviam pariter requirit manus operam; Prius quam enim in suum scopum dirigatur, manu tendendus est arcus; Per quod insinuatur, verba nostra tunc instar sagittarum feritura esse, numerosasque & utiles inde subsecuturas animarum conversiones, si exterius executi fuerimus ea, quæ prædicaturi sumus, aut prædicavimus. *Sermo enim actione destitutus,* ut S. Isidorus Pelus. ait, *non ultra aurem grassatur, qui autem ab actione animatus est, ut qui acris, & efficax sit, alte penetrat, animumque attingit.* Duo illi fratres Jacobus & Joannes electi ad Evangelium prædicandum Apostoli: à Christo appellati fuere Boanerges, id est filij tonitrui, siquidem per tonitru vocis dererrere debebant idololatras, eosque ad veri Dei notitiam perducere; Advertendum vero est, quod oculus diu ante fulgur conspiciat, priusquam auricula tonitrui strepitum persentiscat; Ita quoque in ministris Evangelicis prius videri debet lux boni exempli, virtuosorumque operum, & postea sermones eorum auscultari, si enim prædicationem bonum præcesserit vitæ exemplum, infallibiliter efficax, & fructuosa reddetur. In Apoc. dicitur: *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua;* Ubi prius mentionem facit fulguris, & postea tonitrui. Apud Ezechielem pariter dicitur: *Animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis;* Et paulo post subditur: *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.* Porro quatuor illa mystica animalia Evangelistas, seu ministros Evangelicos præsignarunt, in quibus prius resplendere debet lux perfectionis, & postea vox prædicationis audiri. S. Paulus ad Timotheum scribens, prius dicit: *Tu vero vigila, in omnibus labora;* Et postea subdit: *Opus fac Evangelistæ, ministerium tuum impple;* Ubi specialiter ultimum hoc verbum, scilicet; *Impple,* notandum est; Quia tunc vere adimpletur officium prædicationis, quando à prædicatore adimpletur, quod in prædicatione auditoribus suis persuadere nititur. S. Gregorius observans, quod Deus primo Ezechieli præceperit, ut audiret, & postea, ut loqueretur, hanc illius declarat esse causam: *Audimus enim verba Dei, si facimus, & tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus.*

Rabanus l. 2. in Judic. Hoc ipsum designant milites Gedeonis, qui stantes aquam manu haustam bibebant.

Prædicatio verbi Dei assimilatur militiæ corporali. *2. Tim. 2. v. 3. Phil. 4. v. 3.*

Ps. 149. v. 6. Ibid. v. 7. Gladius spiritualis prædicatoris debet esse anceps. *Ephes. 6. 17. Ps. 149. 6.*

Ps. 44. v. 6. Verbum Dei comparatur Sagittæ.

Apoc. 4. v. 5.

Ezech. 1. 14.

Ibid. v. 24.

2. Tim. 4. v. 5. Ibid.

S. Greg. H. 10. in Ezech.

5. Sanct. Paulus fideles eruditos sibimetipsi nutricis nomen attribuit inquiens: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi;* Quæ similitudo ingeniosa pariter

1. Cor. 3. v. 2. Etiam assimilantur nutrici.

pariter est, & utilissima: Nutrix enim prius cibum quem infanti vult porrigere, in suam convertit substantiam, atque in hac transmutat, ut sit nutrimentum teneritudini infantis conforme, majorisque virturis. Idem quoque facere debet, qui verbum Dei alijs ministrat, specialiter vero qui illud talibus proponit, qui etiamnum impij sunt, & in via Dei rudes & novitij, id namque quod illis persuadere intendit, ipsemet opere perficere debet, hac enim ratione de secuturo fructu potent esse securus. Cœlestis agricola divinum verbum suum semini assimilat: Sicut enim non sufficit, quod semen in terram spargatur, nisi prius ipsemet rusticus terram arando & excolendo, laboribus se conficiat, ita quoque orator Evangelicus nullum fructum producet, nisi prius operatus fuerit id quod prædicat: *Verbi semen facile germinat,* inquit S. Gregorius, *quando hoc in audientis pectore, pretas prædicantis rigat.* Audiamus Senecam, qui licet gentilis fuerit, de hoc tamen argumento ita scribit: *Hæc sit propositi nostri summa; quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus; Concordet sermo cum vita, ille promissam suam impleverit, qui & cum videas illum, & tam audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus unus sit.* Quid nobis salubrius, aut utilius persuadere potuisset vel ipsemet Chrysostomus?

S. Greg. 2. Pastor. c. 7.

Seneca Epist. 75.

Ps. 1. 2. S. Bonav. ser. 1. in Sexag. Primus impleat legem divinam prædicator, postea meditetur quomodo alios instruat.

6. Sanctus Bonaventura in ser. 1. *in Sexag.* Seminatori Evangelico sequentia primi Psalmi verba adaptat: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte, & erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Dicit igitur Doctor Seraphicus: *Primo prædicator debet se applicare ad legem divinam, ut quod intelligit, opere compleat; & deinde meditari in lege ejus die ac nocte, qualiter debeat alios instruere; quia tunc erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; id est, divinarum influentiarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Sed multi dant fructum non suum, eo quod volunt opera gravia, & importabilia alijs imponere, ipse autem nolunt digito ea movere. Alij autem proferunt fructum non in tempore suo, sed ante tempus, eo quod sua autoritate volunt prius docere, quam discere, & ideo verbum eorum sæpe scandali, & ignorantiæ, & malæ vitæ; desluit in vanum per contemptum audientium, quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.*

Luc. 23. 43.

Ibid. v. 47.

Matth. 5. 44.

Auditores magis compunguntur ex bonis operibus, quam verbis prædicatoris.

Ex qua actione Christi in cruce pendentis, Centurio conversus fuerit.

7. Multo magis compunguntur auditores ex visis operibus prædicantis, quam auscultatis ejus verbis: Quia dum prius facit, quod vult docere, revera pollicebile esse demonstrat, hoc, quod in ore suo est persuasibile. Sanct. Augustinus de Cruce Redemptoris, celebrem hanc habet sententiam, scilicet, quod non tam fuerit patibulum illud sustinentis, quam Cathedra magistri docentis: Et tamen in cruce ipsum non nisi septem verba protulisse constat: At vero hæc proferens *dedit voci suæ vocem virtutis.* Centurio, qui idololatra erat, quique una cum militibus suis filium Dei tot modis diris lacerarat, & post alia atrocissima tormenta infami crucis ligno eum affixerat, filice durior, & immobilior permansit, nec ad divinitatis Christi notitiam se inclinare voluit: Et tametsi Sol patereretur Eclypsim, & totum universum densissimis tenebris involvi vidisset, suos tamen non aperuit oculos, ut vel modicum veræ fidei lumen aspiceret: Licet etiam à bono latrone audisset Christum Regem cœlorum esse & Dominum, magnificam quoque eidem latroni à Christo factam audisset promissionem: *Hodie mecum eris in paradiso,* attamen ad imitationem obstinatorum Hebræorum movebat caput, & omnia surdis auribus excepit. At vero; quando igitur Centurio iste conversus fuit? Sacer textus ait: *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quod sic clamans expirasset, ait: Vere filius Dei erat iste:* Audiens inquam quod os suum aperuisset, non ut ab æterno Patre suo fulmina super crucifixores emitti postularet, sed potius ut veniam ipsis ab eo impetraret tandemapud semetipsum statuit hoc ab alio, quam à vero Dei filio fieri non potuisse, his enim jam ante prædicaverat: *Diligite inimicos vestros, ... ut sitis filij patris vestri, qui in cœlis est,* quam in cruce reipsa adimplere voluit doctrinam, fuitque prædicatio illa adeo efficax, licet brevis, & concisa fuerit, ut ipsum efficaciter ad veram conversionem permoverit. Ex quo enim sciebat, eum sæpius in sermonibus suis nihil adeo ferventer inculcasse, quam remissionem injuriarum, & veniam inimicis indulgendam, videbatque hoc ab ipso executioni idipsum, etiam dum cruci hæreret, demandari, optime concludit: *Verè filius Dei erat iste.* Multi

vident miracula, & tamen inflexibiles manent attamen quando quis dum dicit, & persuadet, simul etiam operatur, nisi silice durior sit, ex prædicatione ejus converti debet.

DISCURSUS XXX.

ARGUMENTUM.

Prædicator prius facere, & postea dicere debet, siquidem majorem persuadendi virtutem habet probitas dicentis, quam vox illius.

THEMA.

Cæpit Jesus facere, & docere. Act. Apost. 1. v. 1.

Christus suo exemplo instruxit prædicatores quod prius bene operari, quam prædicare debeant. *Luc. 4. 18.*

1. CUm incarnata sapientia quamdiu hic nobiscum in terris vixit, omnia opera sua ad nostrum profectum, & eruditionem direxerit, ideo priusquam prædicationem Evangelicam exordiretur (propter quam è sinu paterno in terram missus fuerat: *Evangelizare ... misit me*) prius per triginta annorum spatium operari, & vitam perfectam ac sanctam ducere voluit, ut postea pertrium & non pluribus annorum spatium divinum verbum suum tanto majori cum fructu annunciaret; Adeoque triginta annis prædicavit operibus, ut tribus dumtaxat annis tanto efficacius prædicaret verbis. S. Bonaventura pondetans verba illa Sanct. Lucæ: *Usque in diem ostensionis suæ ab Israël,* inquit: *Dum scilicet ostendit se in prædicatione virtuosa, juxta quod dicit Apostolus: Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; unde prius vixit sibi occulte per longum tempus, ut postmodum per suam offensionem viveret ad salutem aliorum; secundum illud: Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. In hoc enim eradicantur omnes prædicatores, ut prius vacent perfectioni propriæ; & deinde ædificationi alienæ.* S. Hieronymus Nepotianum, ut is per prædicationem suam in animabus fructum parere posset; in hæc verba exhortatur: *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris tacitus qualibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejunijs disputat; Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.* Imo & ipse Seneca moralis in Epistola quadam ad Lucilium, ita scribit: *Hæc alijs dic, ut dum dicis, audias ipse; Scribe ut dum scripseris legas, omnia ad sedandum rabiem effectum referens; studeas non ut plus alijs scias, sed ut melius.*

Luc. 10. v. 2. S. Bonav. ib.

S. Hier. ad Nepot.

Seneca Epist. 88.

2. Cœlestis agricola prædicationem Evangelicam messis nomine appellat, dicens: *Messis quidem multa, operarij autem pauci,* idque non sine mysterio, nam ut Sanct. Bonaventura ait: *Signanter dicit operarij, quia ad hoc ut falx prædicationis messem colligat, necesse est quod manus operis eam teneat.* B. Petrus Damiani sententiæ Sancti Hieronymi insistens, suis religiosis in hæc verba consulit: *Exerce quod prædicas, non vita discordet à lingua, non opera videantur à sermone discrepare; Commendent mediocria jejunia prædicantem, nec loquentis sententias comedentis fauces impugnent:* Salvator noster in celebri illo sermone in monte habito, Apostolos sal terræ appellavit, alludens ad prædicationem, per quam mundum à tot errorum insipientia & stoliditate liberare debebant; At vero, dicite obsecro, quo modo sal suum communicat condimentum? Nimirum prius resolvitur in semetipso, ut cibi condiantur; Et hoc est quod facere debet, qui ad hoc ministerium est electus, debet enim talis in semetipso dissolvi, & ut ita dicam, per pœnitentias, mortificationes, jejunia confici & extenuari, ut sale divinæ gratiæ condiantur illi, perses quos aliquem prætendit parere fructum. S. Paulus qui per tam prodigiosum miraculum à Christo electus fuit, ut lingua sua mundum converteret, de semetipso ita scribit: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo,* at vero dicat aliquis quo fine tot macerationibus corpus suum affligebat? Num forte quia in se sensuum suorum experiebatur rebellionem? Nequaquam id dicit. Num igitur pro expiandis peccatis commissis id fecit? Nequaquam imo ipsemet de se fatetur: *Nihil mihi conscius sum;* Num ergo tot se mortificationibus exercuit, ut merita sibi in cœlis accumularet, eo quod & ipse terribilem illam formidaret sententiam Ecclesiastici dicentis: *Nescit homo utrum amore, vel odio dignus sit?* Neque hoc macerationis suæ motivum erat, sciebat enim æternam veritatem de se asseruisse: *Vas electionis est mihi iste.*

Prædicatio comparatur messi. *Luc. 10. v. 2. S. Bonav. ib.*

S. Petr. Dam. Tom. 3. de perfect. monast. c. 15.

Matth. 5.

1. Cor. 9. 27. S. Paulus suo exemplo formam præbet prædicatoribus quales esse debeant.

1. Cor. 4. 4.

Eccli. 9. v. 10.

Act. Apost. 9. v. 15.

Quo

Quo igitur fine corpus suum dilacerabat flagellis, extenuabat jejunijs, & ciliciis compungebat: *Castigo corpus meum &c.* Pro hujus rei causa investiganda non est opus sacros pervolvere interpretes, hanc enim ipsemet clare satis manifestat, dum ait: *Ne forte cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* At vero si hac prædestinationis suæ revelatione gavisus fuerat, quid est quod timebat? *Cæpit Jesus facere & docere;* Nimirum probe sciebat, quod ex quo de Saulo in Paulum transmutatus fuerat, ut Evangelium prædicaret, & hoc faciendo fructum ferret, non sufficiebat, quod ille de propria salute perdenda nihil timeret; sed etiam opus erat, ut populi, quibus prædicabat, viderent, quod juxta exemplum Christi prius facere, & postea docere deberet: Enimvero priusquam Christus ad divinum verbum suum annunciandum os aperiret, *castigavit corpus suum*, in vasta quadam solitudine per continuum quadraginta dierum, & noctium jejunium solitarius, & in altis contemplationibus corpus suum extenuando, & cum inimico infernali dimicando, eumque glorioſe vincendo, ac tum demum prædicationis suæ cœpit facere exordium: *Exinde cæpit Jesus prædicare & docere: pœnitiam agite.*

3. Porro tametsi prædicator quidam quasi sit S. Paulus sonora Spiritus Sancti tuba, licet multas habuerit revelationes, visiones, ecstases, sæpiusque raptus fuerit in paradisum, attamen si populus idipsum ignorat, & hujus eminentis sanctitatis non est conscius, illumque austeram & pœnitentem vitam ducere non videat, nullum ex prædicatione ipsius fructum hauriet: Ipsemet Sanct. Paulus timet, *ne ipse reprobus efficiatur*, timet ne in conceptu populi tamquam reprobus aliquis reputetur, nisi priusquam prædicationem suam exordiatur, austeram & pœnitentiam suam propriam ijsdem manifestam esse faciat. Cajetanus super illa verba apud Sanct. Matthæum: *Dicunt, & non faciunt*, ita scribit: *Nisi esset peccatum, nequaquam inter alia istorum peccata numerarentur à Domino Jesu, nec solum numeratur, sed primo loco nominatur; Turpe enim est Doctori, cum culpa redarguit ipsum, & qui prædicas non furandum, furaris; Qui prædicas non mœchandum, mœcharis, inquit Apostolus. Monstrum est in moralibus dicere, & non facere, vita contraria doctrinæ, & quia magis movent exempla, quam verba, inde est, quod infructuoſe præsunt ij, quorum vita non præest, sed auctoritas, vel doctrina. Numquam mundum convertissent ad Christi fidem Apostoli, ac eorum proximi successores, si dixissent, & non fecissent.*

4. Dilacus Stella super Lucam ingeniosam quamdam habet observationem, circa illa verba Sancti Joannis Baptistæ: *Ego vox clamantis in deserto;* Dicit enim: *Joannes erat vox, quia quidquid erat in Joanne, erat vox. Vestis, manus, pedes, caput, & lingua, totus Joannes vox erat clamans, & dicens: Pœnitentiam agite. Ejus cibus, potus, lectus, cilicium, inedia, os denique & facies prædicabant; Etiamsi os non loqueretur, quidquid in ipso erat prædicabat contemptum mundi, pœnitentiam, & amorem divinum.* S. Franciscus de Sales in Epistola quadam, in qua prædicatorem diffusè instruit, in hæc verba scribit: Considera Episcopum & prædicatorem non solum à peccato mortali necessario abstinere debere, verum etiam sibi cavere à certis peccatis venialibus, alijsque certis actionibus indifferentibus; Dicit enim S. Bernardus: *Nugæ sæcularium sunt blasphemiæ Clericorum.* Sæculari enim licet jocari, venationi operam dare, nocturno tempore conversationem quærere, idque in sæculari minime est reprehensibile, quia hæc omnia si solius recreationis causa fiant, non sunt peccata, at vero si hæ actiones ab Episcopo, vel prædicatore fierent, nisi à centies mille circumstantijs essent vestitæ, quæ difficulter simul conjungi possunt, scandala sunt; & magna quidem scandala; Ac proinde audiendum est illis à populo, Episcopus vel prædicator pergræcatur, recreatur, voluptarius est &c. Et si talis Episcopus, vel prædicator postea auditorium suum ad pœnitentiam exhortari velit, à nemine audietur, imo ridebitur ab omnibus. Paulo infra in progressu ejusdem literæ subdit idem sanctus Præsul: Numquam alicui prædicandum est, nisi celebraverit Missam, vel adhuc ea die celebrare velit; Non enim est credibile, inquit S. Chrysostomus, quantum os illud, à quo receptum est sanctissimum Sacramentum, terribile reddatur Dæmonibus, adeo ut revera cum S. Paulo dicere possit: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Præterea Episcopus, vel prædicator tunc majori cum libertate, & fervore, majorique cum lumine loquetur: Dicit enim Salvator: *Quamdiu fum in mundo, lux fum mundi.* Et porro certum est, quod quamdiu Christus Dominus sacramentaliter in sinu nostro realiter præsens est, majorem nobis claritatem subministret, siquidem lumen est: *Lux fum mundi.* Constat idipsum in Discipulis in Emaus abeuntibus, his enim postquam communicati fuerunt, aperti sunt oculi intellectus. Aut vero si impossibile sit Missam celebrare, ad minus opus est, ut per confessionem sacramentalem animam suam expiet, ne ipsi eveniat, quod Deus peccatori per os Davidis dicit: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum;* Et S. Paulus ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hactenus S. Franciscus de Sales perspicue satis insinuans, quam sit necessaria summa bonitas, & exemplaritas in ministris Evangelicis, ad hoc, ut fructum inter auditores suos parere possint.

5. In secundo libro Esdræ cap. 4. legitur, quod dum filij Israël à captivitate Babylonica reversi in procinctu erant, ut collapsos Jerosolymæ muros restaurarent, & resarcirent, ex timore gentium circum vicinarum, qui ædificantes impedire satagebant, *una manu sua faciebant opus, & altera tenebant gladium, Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes, & ædificabant, & clangebant buccinâ juxta me: Omnia* autem hæc *in figura contingebant illis.* Per Jerusalem enim anima nostra præfiguratur, cujus muri per peccati mortalis excidium ruinantur, ut proinde opus habeant, ut per pœnitentiam resarciantur, & reædificentur; Ministri autem verbi Dei (ad quos Apostolus hæc verba dirigit: *Dei ædificatio estis*) ad hasce ruinas refarciendas sunt destinati: Observandum tamen est, quod Esdras primo de hisce artificibus dixerit: *Una manu sua faciebans opus*, & postea secundo loco subjunxerit: *Altera tenebant gladium*, ut per hoc insinuet, quam sit verum, quod operatio prædicationem præcedere debet: *Cæpit Jesus facere*, & postea gladium prædicationis stringere *& docere*; Quod si fiat, hic fructus subsequetur, quod scilicet verè ædificabunt: *Et ædificabant*, uniendo enim facta cum verbis, cum magna populorum ædificatione prædicatur, ruinæque spirituales restaurantur.

6. Didacus Stella super propositum ita scribit: *Paulus Apostolus verbum Dei comparat gladio, cum dicit, vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; Sic Prædicatores in altera manu debent habere verbum Dei, altera vero operari; Hac de causa Dominus dixit Isaiæ; Quasi tuba exalta vocem tuam. Cur non dixit, quasi Leo, tonitru, vel quid simile? Quia tuba ponitur in ore, & manibus tenetur; Sic prædicatio ore fit, & manibus sustentatur, hoc est bonis operibus.* S. Antoninus in favorem nostrum Symmachi Papæ authoritatem citat dicentis: *Nemo, inquit Symmachus Papa, vellet monitoris personam suscipit, nisi quæ actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat. Dist. 81. c. Nemo. Et ut dicit Chrysostomus: Bene vivendo, & bene docendo, populum instruis, quomodo vivere debeat; Bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis, quomodo debeat te condemnare,*

7. Regius Psalmista illos quibus incumbit verbum divinum annunciare, hoc documento erudire satagit: *Bene patientes erunt ut annuncient.* At vero quisnam est hujus documenti sensus? Num forte prædicatoribus commendare vult tolerantiam in supportandis defectibus, sæpe etiam ludibrijs, & verbis detractorijs quibus ab impijs auditoribus suis nonnumquam dilacerantur? Aut vero vult dicere, quod ad componendum sermonem, nec non ad eum memoriæ mandandum, illumque recitandum opus sit studio, tempore, labore, & consequenter patientia? Non est hic sensus, quem S. Hieronymus prædictis Psalmistæ verbis attribuit, dum ait: *Oremus Dominum, ut omne quod diximus nos & quæ audistis, opere compleamus, & verba vertamus in opera.* Quisnam vestrum dicere mihi poterit, quare primæ tabulæ legis, quæ digito Dei inciſæ fuerant, quæ totum universum in sua incolumitate sustentant, nequaquam conservatæ fuerint, sicut conservatæ fuerint secundæ tabulæ, quæ à Moyse fuerunt delineatæ; quæqua jussu altissimi, ad perpetuam memoriam & venerationem in arcam fuerunt repositæ. Pro resolutione sciendum est Moysen secundas hasce tabulas è Sinai monte detulisse; quando inde cum vultu luminoso, & resplendescente

1. Cor. 9. 27. — *Ibid.* — *Actor. 1. v. 1.* — *Matth. 4. 17.* — S. Paulus antequam prædicaret, castigavit corpus suum, quod & alijs innotuit — *1. Cor. 9. 27.* — *Matth. 23. 3.* — *Cajet. ibid.* — *Did. Stella in Luc. 8.* — S Joannes Baptista prædicavit opere & verbo. — *Sales p. 1. l. 1. Epist.* — Episcopus & prædicator non solum à mortalibus, sed etiam certis venialibus peccatis debet esse immunis. — Præclare hoc monet S. Francisc. Salesius. — *S. Bern. ibid.* — *2. Cor. 13. 3.*

Exod. 34. 29. — *Matth. 5. 16.* — *S. Aug. in Ps. 57.* — Insignis instructio pro prædicatoribus verbi Dei. — *B. Laur. Just. de regim. & Instit. Prælat. c. 7.* — *Isai. 6. v. 8.* — *Alb. Magn. T. 3. de muliere forti c. 17. §. 1.* — Ministerium prædicationis iterum assimilatur tubæ.

Joan. 9. v. 5. — *1. Cor. 9. 27.* — *2. Esdr. 4. 17.* — *Ibid. v. 18.* — Figuratum fuit hoc ipsum in restauratoribus murorum Jerusalem. — *1. Cor. 3. v. 9.* — *Did. Stella in Luc. 8.* — Prædicator debet exaltare vocem quasi tubam, hujus apta redditur ratio. — S. Anton. p. 3. t. 18. c. 3. §. 2. — *Ps. 91. v. 16.* — *S. Hier. Ibid.* — Quare secundæ tabulæ legis, à Moyse conscriptæ, conservatæ fuerint, & non primæ.

descente descendit. *Omnia autem hæc in figura contingebant illis.* Illa namque doctrina, & prædicatio in cordibus & memoria auscultantium tenaciter radicatur, & copiosum refert fructum, quæ à personis exemplaribus, virtuosis, & sanctis traditur. *Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* At vero quisnam inde fructus in populos redundabit? *Et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Nimis vero grande prædijudicium in auditores resultat, quando vident oppositum illius quod docuerunt, à ministris Evangelicis opere exerceri. Et ideo S. Augustin. in hæc verba monet: *Exhortamur vos in nomine Christi, ut hæc quæ audistis, fructum cogitetis, quia & prædicare veritatem nihil est, si cor à lingua dissentiat, & audire veritatem nihil prodest, si homo non super petram ædificet. Qui ædificat super petram, ipse est qui audit, & facit; Qui audit & non facit, ædificat super arenam.*

8. Laurentius Justin. in Prælatis omnes alios, quibus Evangelium annunciare, & animas convertere incumbit, erudire volens, ita scribit: *Ubi deest doctrina, hortamenta ut plurimum desunt cælestia, consilia sana, & divinarum monita scripturarum. Cæterum cui præsto est scientia plurima, & sacræ legis intelligentia prospicua, desitque illi bonitatis opinio, virtutum experientia, Dei, ac proximi flagrantia, parum sibi ac cæteris proficit. Si linguis hominum, inquit Apostolus, loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam; Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, nihil prodest &c. Quantam auctoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis, & experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio, & numerositas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam, profunditatem quæ humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victus, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, & pro salute animarum laborum perpessionem assiduam, Apostoli Domini, illorumque successores fundavere Ecclesiam.*

DISCURSUS XXXI.

ARGUMENTUM.

Eadem materia ulterius deducitur.

THEMA.

Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Isai. 58. v. 1.

Priusquam prædicator officium suum ordiatur opus est ut cum Isaia seraphico incendio accendatur & ardeat.

1. DEus olim prædicatore quodam indigens, qui surdas populi Israël à divino suo cultu deviantis aures aperiret; clamabat; *Quem mittam, & quis ibit?* Tunc Isaias sese prodens, ad obeundam hanc legationem promptum se obtulit dicens: *Et dixi, ecce ego, mitte me*, nimirum parentes sibi litteras expediri cupiebat, quibus ejusdem verbi increati, & sapientiæ Patris immediatus constitueretur prædicator. Evasitque in prædicatorem adeo famosum, ut Sancta Mater Ecclesia, cui continuo assistit Spiritus Sanctus, sapientissime ordinavit, ut annunciaturus Evangelium Diaconus specialiter eum invocet ejusque imploret auxilium, ut verbum Dei digne annunciare, & exponere possit; Hoc enim fine orationem illam dicit: *Munda cor meum &c.* Verum enimvero observandum est, quod priusquam Isaias se promptum ad annunciandum Dei verbum offerret, jam ante labia sua carbonibus ignitis ex officina paradisi per manum non cujusvumque Angeli, sed ardentissimi cujusdam Seraphini desumptis purificari viderit, per quod Deus insinuare nobis voluit quod priusquam ad prædicationem Evangelicam nos exponamus, necessum sit, ut prius Seraphico quodam incendio accendamur, & ardeamus. Audiamus Albertum Magnum dicentem: *Et dixit Isaias: Ecce ego, mitte me; Et antequam offerret se, præcedit, qualiter purgatus fuerit, cum dicit: Volavit ad me unus de Seraphim &c, Quod autem peccatum impediat prædicationem, patet per illud, quod præcedit: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.*

2. *Quasi tuba.* Nascitur hoc loco dubium cur increata sapientia huic Propheræ præceperit, ut pro ministerio prædicandi, quod ei imponebat, rite obeundo, vocem suam quasi tuba exaltaret? An enim forsitan alia vel magis sonora, vel suaviora instrumenta deerant, ad quorum similitudinem vocem suam adaptaret? Hugo Card. super hunc textum, ingeniosum quoddam, & utile nobis exponit mysterium, inquiens: *Recte nomine tubæ accipitur prædicatio, quia tuba manu applicatur ori, & sic spiritu oris impleta emittit sonum, aliter non; Sic prædicatio nisi opere adjuvetur, mauris est, & inutilis.* S. Isidorus inter alias suas sententias hanc quoque proponit: *Qui non vivit, sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem, contemptibilem facit.* Et in alio loco in hujus confirmationem idem Isidorus ait: *Prius debet justus prædicator bene agere, ut consequenter possit bene docere; Sicut enim in numismatibus metallum, & figura, & pondus perquiritur, ita in omni Doctore Ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat, quomodo vivat, perquirendum est.* Sancti Bonaventura in pharetra sua, authoritatem adducit Senecæ dicentis: *Eligamus eos, qui vita docent, qui cum dixerint, quid faciendum sit, probant hoc ipsum, faciendo quod docent, qui docent quid vitandum sit, nec umquam in eo, quod fugiendum dixerunt, deprehendantur. Eum elige Doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.*

3. Nemini ignota est similitudo illa, quam S. Bernardus adducit, dum notat, quod veri prædicatores merito conchis, non vero canalibus similes esse deberent. Conchæ enim primo adimplentur illa aqua, quæ illis superfluit, illamque postea in canales influunt, & transmittunt; Eodem modo ministri verbi Dei, qui auditoribus suis devotionem, timorem Dei, & virtutes Christianas instillare, & persuadere debent, merito illum Spiritum, atque perfectionem, quæ in ipsis superabunt, in auditores suos deberent transmittere. Nam ut S. Augustinus ait: *In doctore inhonesta est causa, non facere, quod præcipit observare; In discente vero, audire velle, quod non impetre;* Quod si contrarium hujus fecerimus, idipsum impune nequaquam fiet, quia ut idem Augustinus alio in loco scribit: *Fit ut homines eum non obedienter audiant, qui seipsum non audit, & Dei verbum, quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnant.* B. Petrus Dam. tubæ Metaphoræ insistens, prædicatori, qui solo nomine, non vero Spiritu talis est, hisce verbis improperat; *Quisquis per infantiæ prædicationis officium ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, illi similis est, qui buccinæ clangoribus obstrepit, sed congredi comminus non præsumit.* Idem Doctor in alia quadam Epistola bonum hortatur prædicatorem, ut ipsum oviculæ exemplum imitari non pigeat; En verba ipsius: *Ut prædicandi sortiaris officium, imitare ovis exemplum, quæ nimirum cum vivit, tarditer balat, mortua vero in instrumentis musicis suaviter canit; Sic & qui carnaliter vivunt, balare cum ovibus inaniter possunt, noviter explere prædicatoris officium nequeunt. Dicit etiam Propheta: Laudate eum in tympano & choro; cor quippe non sonat nisi siccum sit, & humor omnis abscedat. Si ergo vis ut tympanum, vel chorda tua clarum in auditorum cordibus sonitum reddat, omnis à vita carnalis humor evanescat, mens tua ab omni fluxu luxuriæ prorsus arescat. Nam & frigus concretum pectori vocem intercipere consuevit. Si vis ergo Dei verba claris vocibus insonare, cave, ne divini amoris in te flamma tepescat, ne tibi principis in aquilone sedentis algor obrepat.*

4. *Quasi tuba.* Hugo Card. ait: *Nota quod prædicatio debet esse alta, id est de rebus arduis, & sepernis, & ut alta vita levet ipsum vocem, & exaltat, unde subditur: Exalta vocem tuam &c.* Citatque alium quemdam Isaiæ textum, videlicet: *Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion, ut scilicet eminentia vitæ elevet vocem; Unde Esdras, qui interpretatur adjutor, stetit super gradum ligneum, & postea dicitur: Super universum populum eminebat.* Pulpitum, in quo prædicatur, altum semper, totique auditorio supereminens esse consuevit, non solum ob majorem populi commoditatem, ut melius audire possit, verum etiam ad denotandum, quod is qui docet & prædicat alijs, cunctis longe superior esse debeat in spiritu, perfectione, & virtutibus. Rupertus Abbas ceremonias, suo tempore quando Evangelium sub Missa cantara solemniter recitabatur, observari solitas in hæc verba exponit: *Accipit Diaconus textum S. Evangelij, quod hujusmodi ad lectionarium efficitur pes Christi. Præcedunt Ceroferarij cum thuribulo, per quæ significantur gaudium & bona opinio; Gaudium enim semper est in bono nuncio; Bonæ quoque opinionis se esse noverunt, qui hoc bonum præstant nuncium, qui & confidenter dicunt: Christi ministros.*

Exod. 34. 29. — *Matth. 5. 16.* — *S. Aug. in Ps. 57.* — *B. Laur. Just. de regim. & Instit. Prælat. c. 7.* — *Isai. 6. v. 8.* — *Alb. Magn. T. 3. de muliere forti c. 17. §. 1.* — *Hug. Card. ib.* — *S. Isid. lib. 2. c. 37. sent. 1.* — *S. Isid. lib. 3. de summo bono c. 36. sent. 5.* — *S. Bonav. ibi.* — *Seneca. Epist. 52.* — Prædicatores similes sint conchis, quæ impletæ aqua, postea canalibus illam communicant. — *S. Aug. ser. 32. de verb. Dom.* — *S. Aug. l. 4. de doctr. Christ. c. 27.* — *S. Petr. Dam. l. 4. Epist. 15.* — Sint insuper similes ovi: culæ. — *B. Petr. Dam. l. 6. Epist. 17.* — *Hug. Card. ib.* — Vox prædicatoris id est vita ejus debet esse alta. — *Isai. 40. v. 9.* — *Rup. Alb. lib. 1. de divin. offic. c. 36.* — Diaconus olim cantabat Evangelium in loco emi-

ſti bonus odor ſumus Deo in omni loco; *Quapropter incenſum, bonæ opinionis ſignum, locum ipſum aſpergit, in quo legendum eſt Evangelium, qui locus, ſi ſit dies feſtivus, quando ſolet convenire populus, eminentior eſt, ut ex ipſo ſtatu commoneatur Diaconus, quod is qui rurſum ad Dominum deſidem populum invitat, ſtare debet in monte virtutum, juxta illud: ſupra montem excelſum aſcende tu, qui Evangelizas Sion.*

Chriſtus habiturus ſermonem de octo beatitudinibus, aſcendit in montem.

Matth. 5. v. 1.
Auct. Imperf.
Iſai. 30. 35.

5. Quando Chriſtus celeberrimum illum de octo Beatitudinibus ſermonem habuit, ſuoſque circa prædicationem Evangelicam inſtruxit, S. Matthæus ſermonem illum referens, hanc tangit circumſtantiam: *Aſcendit in montem.* At vero Author operis imperfecti quærit: *Numquid non poterat ibi docere, ubi jam populus erat?* Et reſpondet: *Propter duas rationes aſcendit in montem, primum ut impleret Prophetiam Iſaiæ dicentis: Super montem excelſum aſcende tu, qui bene annuncias Sion. Deinde ut myſterium pietatis oſtenderet; Aſcenſio enim eſt ejus altitudo virtutum. Aſcendit ergo in montem, ut oſtendat nobis, quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet juſtitiam Dei, pariter & qui audit. Qui docet, verborum ſuorum ſit ipſe exemplum, ut magis opere doceat, quam ſermone, ſicut ait ipſe Apoſtolus ad Tim.:*

1. Tim. 4. 12.

Exemplum eſto omnium fidelium. Qui autem ambulat per convallia vitæ terrenæ, obſcuras ſemitas calcat, & loquitur altos ſermones, non alterum inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui, ſed aut ubi ſtas, inde loquere, aut unde loqueris, ibi ſta. Si in terra eſt animus tuus, ut quid de cælo loqueris? Si ergo in terra tu ſtas, de terra loquere, ſi autem de cælo loqueris, in cælo conſiſte, ut dicas cum Apoſtolo: Noſtra autem converſatio in cælis eſt.

Philip. 3. 20.

Num. 10. v. 2.

Continuatur aſſimilatio tubæ, quæ debet eſſe vacua.

Hug. Card. ib.
Pſ. 11. 7.
Matt. 19. 27.
Pſ. 18. v. 5.

6. *Quaſi tuba.* Deus olim Hebræorum legiſlatori præceperat dicens. *Fac tibi duas tubas argenteas. Prima tuba eſt verbum prædicationis*, inquit Hugo Card. *Secunda eſt exemplum boni operis.* Hæ autem tubæ merito ex argento conflatæ erant, quia Pſalmiſta verbum Dei huic metallo aſſimilat, dicens: *Eloquia caſta, argentum &c. Tuba, per quam deſignatur prædicator non reſonat niſi vacua, & prædicator debet eſſe vacuus per rerum terrenarum neglectum.* Enimvero poſtquam Petrus omnium aliorum Apoſtolorum nomine coram cœleſti Magiſtro ſuo proteſtatus fuerat dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, tunc vere adimpletum fuit propheticum illud oraculum: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & fines orbis terræ verba eorum*; Omnes namque populi in illis, qui Evangelium annunciabant, ſummopere admirabantur, ingentem illum omnium bonorum terrenorum contemptum, ac proinde tam ſubito ad fidem noſtram fuere converſi. Quid mirum enim, ſi S. Paulus totum hoc univerſum ad veri Dei notitiam perduxerit: (*Univerſum mundum B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti*) quando ille irrefragabile hoc ſemper in ore axioma habebat: *Non veſtra, ſed vos?* Reſonabat ubique tuba illa, quia ab omni re, imo etiam ab omni affectu terreno vacua erat. Nazianzenus perfectionem ponderat, qua Chriſtus diſcipulos ſuos erudire & docere ſatagebat? En verba ipſius: *Quid ea referam, quæ Jeſus diſcipulis ſuis ad prædicationem eos mittens præſcribit? Quorum ne ſingula explicem, hæc ſumma eſt, ut virtute tales ſint, atque ita expediti, & modeſti, ut uno verbo dicam, cæleſtes*; Quibus verbis veritatem edixit, ac proinde Propheta Regius ipſos cœlos appellavit, dum ait: *Cæli enarrant gloriam Dei. Ut non minus ob eorum vitam & mores:* (Subdit idem Nazianzenus) *quam ob ſermonem atque doctrinam Evangelium curat.*

Nazianz. orat. Apolog.
Pſ. 18. v. 1.

Prædicatores aſſimilantur alis Cherubinorum.

Malach. 2. 7.

7. Ezechiel in prophetia ſua quoſdam conſpexit Cherubinos, qui pennas quidem & alas ad volandum habebant, ſed quas voces, quemve ſonum ediderint, ne per conjecturam quidem exprimit, cujus hoc poteſt eſſe myſterium, quia cum Cherubinis attribuatur ſcientia, illique prædicatores præfigurent (de quibus Malachias Propheta ait: *Labia ſacerdotis cuſtodiant ſcientiam*) conveniens erat, ut potius cum alis & plumis ad volandum juvantibus repræſentarentur, quam cum lingua, & loquela humana. In Scriptura Sacra ſæpius dicitur: *Quam ſpecioſi pedes Evangelizantium*; At vero quænam eſt proportio inter pedes, & Evangelium ab illis miniſtratum, qui ad hoc officium ſunt deputati? Quod ſi dixiſſet, *ſpecioſi lingua, verba*, congrue Scriptura loqueretur, at vero quid pedibus cum Evangelio intercedit? At vero congruentiſſime Scriptura pedum mentionem facit, quibus Evangelizantes moventur; quis enim

Rom. 10. 15.

Quid intelligatur per pedes Evangelizantium.

per pedes affectus noſtros denotari ignorat? Horum enim habenda eſt conſideratio, an ſint purificati, & mundi, quia in prædicantibus, major hujus habetur ratio, qualia videlicet bona opera faciant, quam quas bonas doctrinas tradant; Ac proinde Tertullianus de ſui ſæculi fidelibus hoc perhibet teſtimonium, quod adeo à bonis hujus ſæculi fuerint alieni, ut terram nonniſi uno tantum pede tangere viderentur: *Terram ſuſpenſo pede tenemus.* Sanctus Philippus Nerius; qui in hac congregatione noſtra pro animarum ſubſidio quotidianam verbi Dei prædicationem inſtituit, ſuos monere ſolebat, illud frequenter uſurpare ſolitus: *Si animas quæritis, nolite aucupari marſupia, quia difficile eſt ſimul animas, & divitias acquirere.* Sanctus Maximus conſiderat undenam proceſſerit ingens illa verborum Sanct. Joannis Baptiſtæ efficacia; Et reſpondet illam ortam fuiſſe ex ſumma vitæ ejus innocentia, cui ſingulariter ſtuduit, *ut increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet; vel in veſte, vel in epulis voluptatem.* S. Paſchaſius pariter inquit: *Exhibet Joannes vivendo quod docet, ut omnes inſtruat Doctores, in ſe potius damnare, à quibus & alios cohibent.*

Vit. S. Phil. Ner. lib. 2. c. 15. n. 16.
S. Maxim. H. 2. in Nat. S. Joan. Bapt.
S. Paſchaſ. lib. 2. in Matth.

Tuba non per verba; ſed per flatum reſonat, & ſonitum edit.

8. *Quaſi tuba.* Interpres quidem notat, quod *inſtrumentum hoc tubæ, non à loquente, ſed ab inſpirante imbuitur; halitu inflatur, & per cornu cavum ſpiramen ebibit, ut ſonitum edat.* Reſonantia enim tubæ à flatu procedit, ſine quo aures auditorum ab ejus ſtrepitu non tangerentur. Idem quoque fieri debet à quolibet vero prædicatore Apoſtolico; dare enim debet *voci ſuæ vocem virtutis*; Porro vita hominis in flatu ſive reſpiratione conſiſtit, quæ ei à prima ejus nativitate per Dei inſpirationem communicata fuit, dicente ſacro textu: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*; *Spiritus eſt qui vivificat*; Per flatum quoque noſtrum Spiriſus Sanctus ſymbolicè intelligitur, hic enim de cœlo deſcendit in ſpecie flatus, ſeu venti, aut Spiritus vehementis: *Tamquam advenientis Spiritus vehementis*; Quiſquis igitur vult, ut vox ſua inſtar tubæ Evangelicæ in auribus auditorum reſonet, eamdem per verum ſpiritum, vitamque perfectam ſonoram reddere debet; Prædicare debet ex toto corde, & cum tali aviditate lucrandi animam cui prædicat, ac ſi ei proprium anhelitum id eſt, proprium Spiritum infunderet. *Filioli mei, quos iterum parturio*, dicebat S. Paulus, *donec formetur Chriſtus in vobis.* Abſalon Abbas de hac materia verbi Dei differens ait: *Hanc autem exhortationem facere debent illi, qui non ſolum per ſcientiam illuminati, ſed etiam per charitatem accenſi ſunt, quoniam prædicator primo debet filios parturire in viſceribus charitatis, poſtmodum parere verbo prædicationis*; *Unde Paulus ait: Filioli, quos iterum parturio.* In manipulo Exemplorum de S. Nonno Epiſcopo ſequentia leguntur: *Quadam vice ſancto viro Nonno Epiſcopo populo in Eccleſia prædicante, nihil in eo rhetoricum, aut humanæ ventoſitatis reſonabat, ſed in Spiritu Sancto corrigebat errantes, futurum judicium commemorans, cujus monitis ita ſunt populi corda compuncta, ut pavimentum Eccleſiæ lacrymis inundaret.* In eodem loco ad probandum, quantum ad lucrandum animas bonitas vitæ efficacior, ſit, quam doctrina vel eloquentia, ſequentia ſubduntur: *Melius docet vita, quam litera, melius bona fama, quam lingua.* Unde S. Bernardus, dum *apud Teutonicos latine prædicaret, omnes ad lacrymas, licet non intelligerent, commovebat. Finito ſermone quidam literatus ſermonem expoſuit apertiſſime, nec aliquos ad lacrymas movit*; Unde & hiſce temporibus religioſi reformati, qui rudi veſte veſtiuntur, & in magna auſteritate vivunt, hac gaudent prærogativa, quod ſolum in pulpitis comparendo, abſque eo quod ſuum os aperiant, medietatem prædicationis ſuæ abſolviſſe cenſeantur. *Solent complures ob eorum, qui loquuntur, exiſtimationem, de iis quæ dicuntur ſententiam ferre*, inquit in epiſtola quadam Sanctus Iſidorus Peluſiota, Manifeſtum eſt omnibus, id, quod uni matrum illarum accidit, quæ coram Rege Salomone de filio vivente contendebant; Hanc autem hiſtoriam S. Gregorius Magnus ad propoſitum noſtrum adducit, dum præmiſſis hiſce S. Pauli verbis: *Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedit*, ita ſcribit; *Mulier filium, quem lactare conſueverat, dormiens interemit, quia nimirum Magiſtri vigilantes quidem ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod docent, facere negligunt, per ſomnum corporis occidunt, & negligendo opprimunt,* quod

Pſ. 67. v. 34.
Gen. 2. v. 7.
Joan. 6. v. 63.
Act. Apoſt. 2. v. 2.
Gal. 4. v. 19.
Abſalon. Abb. ſer. 9. in quadrag.
Manip. Exemp. ver. Prædicatio.

Pulchrum exemplum efficaciæ prædicationis verbi Dei.

Bonitas vitæ efficacior eſt, quam doctrinæ.

S. Iſid. Peluſ. lib. 3. Epiſt. 39.
1. Cor. 3. 1.
S. Greg. l. 2. 19. mor. c. 8.

quod alere verborum lacte videbantur. Conſideratione digniſſima ſunt illa ab increata ſapientia ad prædicatores & doctores directa verba: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Porro per regnum cœlorum præſentis temporis Eccleſia intelligitur, qui igitur in hac dignitatem & meritum ſublimius ſancte ambire contendit, ante omnia tamquam vir perfectus, & ſanctus vitam virtuoſe inſtituat, ac tunc demum alios erudiat, certuſque ſit; ut Sanctus Cyprianus docet, *Doctorem eum maximum in regno cælorum vocari qui fecerit, & ſic docuerit; tunc prædicanti profuturum, quod bene atque utiliter prædicatum fuerit, ſi id quod ore promitur, factis ſequentibus impleatur.* In religionibus in bona regulari obſervantia viventibus hic communiter ſtylus obſervatur, quod ad miniſterium prædicationis nemo exponatur, qui non ſit vir virtute, perfectione, & integritate vitæ conſpicuus; Et ratio eſt, quia *ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? At nihilum valet ultra; niſi ut conculcetur ab hominibus.*

Matth. 5. 19.
S. Cypr. de Zelo & Livore.

DISCURSUS XXXII.

ARGUMENTUM.

Bonum exemplum, & probitas prædicatoris, magnopere ad pariendum in auditoribus fructum, cooperantur.

THEMA.

Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Matth. 5. v. 16.

Opere exercere quod prædicatur, eſt baſis cui profectus prædicationis Evangelicæ innititur.

1. QUando Chriſtus Salvator noſter, poſt habitum in monte celeberrimum illum ſermonem, Apoſtolos ſuos in miniſterio prædicationis recte obeundo erudivit, non dixit illis, ut elegantibus diſcurſibus formandis ſtuderent, vel ut rationes, & argumenta, quibus impii convincerentur, præpararent, ſed hoc tantum illis injunxit: *Videant opera veſtra bona*, quia opere exercere id, quod prædicatur, vera eſt baſis cui profectus prædicationis Evangelicæ unice innititur: *Luceat lux veſtra coram hominibus &c.* Nam ut S. & Seraphicus Franciſcus Religioſos ſuos ſalubriter monuit; *officium prædicationis Patri miſericordiarum omni ſacrificio eſt acceptius, maxime ſi ſtudio fuerit charitatis impenſum, ut ad id laboret prædicator, ut magis exemplo, quam verbo, magiſque lacrymoſa prece, quam loquaci ſermone doctor ſit*; Propheta Regius de hoc miniſterio in Pſalm. 72. tractans, inquit: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, ut annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* Ubi ut bene Hug. Card. notat: *Recte poſt adhæſionem Deo, & ſpem, ſequitur aliis prædicare, prædicator enim præcipue ad amorem Dei, & contemptum temporalium invitare debet.* Author operis imperfecti ſuper illa verba S. Matthæi: *Exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, ingenioſe conſiderat, ad quidnam ſeſe referat dictio illa. *Exinde*; Dicit enim: *Ex tunc cæpit Jeſus prædicare, ex quo tentatus eſt, famem vicit in deſerto, avaritiam ſprevit in monte, vanam gloriam repercuſſit ſuper templum, ut nobis oſtendat, quod qui ventri ſuo contradicere poteſt, qui ſæculi hujus bona contemnit, qui vanam gloriam non deſiderat, ille debet Chriſti Vicarius factus juſtitiam prædicare.* Theodoricus Rex de Caſſiodoro honorificum quoddam teſtatum reliquit encomium, quod optimis prædicatoribus, congruentiſſime accommodatur; Dicit enim de ipſo: *Vixit tanta continentia, ut æquitatem & inſtrueret monitis, & doceret exemplis, facilis enim recti perſuaſor eſt innocens Judex, ſub cujus prædicabili converſatione, pudet mores probabiles non habere.* Porro quales eſſe debeant verbi Dei miniſtri, ad hoc, ut in auditoribus ſuis fructum faciant, Sanctus Paulus ad Philippenſes ſcribens his verbis declarat: *Ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ, & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* Etenim luminaria majora, & minora, cum ad hoc creata ſint, ut omnes ab aliis tenebras depellant, nullas in ſemetipſis tenebras admittunt, imo nec minimam umbram, quia lux mera ſunt; Ita pariter prædicatores, quibus Chriſtus lucis titulum attribuit, & quos Apoſtolus luminaria mundi appellat, peccati tenebras ne quidem per umbrã in ſe habere debent, *quantum tamen humana fragili-*

S. Franc. opuſc. coll. 17.
Pſ. 72. v. 28.
Matth. 4. 17.
Caſſiodor. lib. 1. Epiſt. 4. var.

Quales debeant eſſe miniſtri verbi Dei ut fructum faciant in auditoribus ſuis.

Philip. 2. 15.

tas patitur. Mundus quippe facilius credit quod videt, quam quod illi perſuadetur, quia ut Sanct. Leo Magnus ait. *Plenius eſt opere docere, quam voce.*

2. In Deuteronomio cap. 20. dicitur: *Appropinquante jam prælio, ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum*; Cujus ritus Beatus Petrus Damianus hanc rationem aſſignat dicens: *Notandum, quod Sacerdos, qui imminente jam bello concionatur, non alibi, ſed ante aciem ſtare præcipitur, ut videlicet eos ad pugnam, quos adhortationibus provocat, ipſe quoque prævius antecedat, ne dum alios ad bellum impellere nititur, ipſe degeneri corporis otio per negligentiam reſolvatur ſicut de quibuſdam magna quidem prædicantibus, ſed deſidioſe viventibus, per Prophetam dicitur: Filii Ephrem intendentes arcum, & mittentes ſagittas ſuas, converſi ſunt in die belli.* In veridica quadam hiſtoria factum quoddam deſcriptum reperio, propoſito huic noſtro convenientiſſimum. Etenim *Didacus hiſpanus Oxomenſis Epiſcopus duodecim Abbatibus Ciſtercienſis ordinis, quos Eccleſia Romana, ut ad Albigenſes in fide erudiendos ſe conferrent elegerat ſuaſit, ut ſi in demandata cura proficere, atque libenter à populis audiri cuperent, mollia indumenta, præterea argentum, deliciaſque omnes abjicerent, atque Apoſtolos imitati, pedibus iter facerent, ut diſciplinæ quam aliis prædicarent, congruere ipſorum vita aſpiceretur, iſque ipſe primum egit, fructumque ingentem ex negotio demandato peperit, quod ſi plerique noſtris temporibus Eccleſiaſtici præſules ſervarent non tanto riſu ſacerdotum monita exciperentur, ſed vitam eos à verbis diverſiſſimè agere conſpiciunt.*

Deut. 20. 2.
B. Petr. Dam. de S. Amaſt.

Sacerdotes & prædicatores debent præcedere caſtra imminente pugna.

Fulgoſius lib. 7.

3. Sanct. Carolus Borromæus in amplo illo volumine, quod Paulus quintus Summus Pontifex merito *Eccleſiaſticæ diſciplinæ theſaurum* appellavit hæc verba poſt ſe ſcripta reliquit: *Eſt Evangelium doctrina, verbique Dei prædicatio, ignis ille ſemper in altari exardeſcens, cui perpetua ſollicitudine is miniſtrare debet lingua, nempe optima, præclaraque vitæ ſuæ ſanctiſſimæ exempla, officia, atque opera virtutum, quibus corda fidelium accendat ad ſancte agendi ſtudium.* De hoc ſancto Cardinali, & Archipræſule in ejus vita per Giuſſani conſcripta legitur, quod cum Diœceſin ſuam actualiter viſitans, in vallem Canonicam circa confinia comitatus Tyrolenſis ſituatam, quæ uſque ad regionẽ Griſonibus ſubjectam extenditur, perveniſſet, Veneti, quorũ Dominio populi prædicti ſubſunt, timentes ne hoc iter à Sanct. Carolo in propria perſona inſtitutum, inter homines regionis illius, qui quoad bonos mores, & religionem Catholicam peſſime ſe habebant, aliquam forte ſeditionem excitaret, metu reformationis alicujus aſperæ, quam in ſalutem animarum illarum inſtituturus eſſet, inſtanter rogarunt illius temporis Summum Pontificem, ut ad periculum hoc declinandũ ſancto huic Archipræſuli præciperet, ut viſitationem illam per Vicarium ſuum Generalem abſolvi permitteret; At vero Summus Pontifex has Reipublicæ Venetæ preces non admiſit, aſſerendo, idipſum prudentiæ Archiepiſcopi, qui in perſona propria illuc ſe receperat, magnopere præjudicaturum; Quare Sanct. Carolus cœptam viſitationem in regionibus illis proſequens, animas ſibi ſubditas per exhortationes ſpirituales, & ſermones, aliaque raræ virtutis edita præclara exempla, adeo ſuaviter lucrari novit, ut cum ingenti ipſorum admiratione inſignem inter illos diſciplinæ Chriſtianæ reformationem introduxerit; Cumque nonnemo ſancta quadam curioſitate ductus motivum ab illis exquireret, per quod ad illam vitæ emendationem, & mutationem, quæ quaſi miraculoſa erat, permoti fuiſſent, hoc ab illis retulit reſponſum, ſcilicet ſe ad hanc converſionem libenter inductos fuiſſe, eo quod Pater quidam & Paſtor tantæ miſericordiæ in regiones illas veniſſet, ad eos illuminandos, & in viam ſalutis perducendos, qui nec marſupia illorum quæreret, nec lanam, nec lac, nec alia emolumenta, prout alii faciebant, ſed ſolam illorum ſalutem deſideraret, Nec ſolum ibidem, ſed in multis aliis regionibus hæreticis, quarum incolæ antea hæreſios tenebris immerſi vivebant, numeroſas & admirabiles hominum inſtituit converſiones, eo quod non tam lingua, ejus, quæ balbutiens erat, quam exemplaritatem, & ſummam ſanctitatem, qua coruſcabat, in ipſo conſiderarent. Beatus Laurentius Juſtinianus, qui Patriarcha Venetiarum exiſtens, in eadem cum Sanct. Carolo dignitate conſtitutus erat, in libro *de regimine, & inſtitutione prælatorum*, ita ſcribit: *Ubi convenıunt ſanctitas vitæ, & veritatis prædicatio, ibi multi-*

Act. Eccl. Med. fol. 478.

Eximia doctrina, & notabilius exemplum S. Caroli Borromæi quo ſtudio verbum Dei ſit prædicandum.

B. Laur. Juſtin. de Regim. & inſtit. Prælat. cap. 7.

Prædicatio verbi Dei comparatur aquis, de Libano defluentibus.

inultiplex animarum exuberat fructus. Enimvero ut quis amplam quamdam planitiem, plurimis sordibus & immunditijs plenam diluat, & emundet, modica aqua ad hoc parum conferet, sed opus est valido quodam aquarum torrente, qui magno cum impetu per dictam planitiem decurrat. Sunt nonnumquam aliquæ civitates & populi ad fauces usque vitijs, & iniquitatibus pessimis immersi, & tamen sæpe contingit, quod prædicatio Evangelica operetur; & obtineat illud, ad quod Isaias Propheta hortabatur dicens: *Isai. 1. v. 16.* *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum, quiescite agere perverse.* At vero undenam hæc ablutio procedit? A verbo Dei per sanctum quemdam prædicatorem annunciato; Hoc enim *est fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*; At vero quænam sunt hæ de Libano decurrentes aquæ? Rupertus Abbas inquit: *Evangelica prædicatio, quæ est fons hortorum, puteus aquarum viventium, non fluit impetu aliunde, nisi de Libano.* Porro ut hæc aqua mystica immunditias abluat, & è medio tollat, non sufficit quod impetuose descendant, verum insuper opus est, ut de monte Libano defluant, id est non sufficit in prædicatore doctrina, eloquentia sacra, vis & energia dicentis, verum etiam necessaria est bona fama virtutis, Spiritus & perfectionis; *De Libano, id est,* inquit Rupertus Abb. *decorde casto, & de ore candido, quia sordes vitiorum dum scientiam coarctant, os quoque angustiant, ne aquæ cum impetu fluant.* Etenim qui in alijs virtutes Christianas plantare cupit, huic necessum est; ut prius vitia, & affectus inordinatos in semetipso extirpet, id quod Sanct. Gregorius Magnus considerans, ita scribit: *Quia esse ars docendi debet, ut in auditorum suorum moribus prius studeant perversa destruere, & postmodum recta prædicare, ut bonum sanctæ prædicationis semen, plena malis corda non capiant; Unde ad Jeremiam dicitur? Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes. Prius itaque curetur ut destruat, & postmodum ædificet, prius ut evellat, & postmodum plantet, quia nequaquam recte veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur,*

Rupert. Abb. l. 1. de div. off. cap. 36.

S. Greg. lib. Mor. c. 18.

4. Apte huic nostro proposito deservit expositio quædam hujus Sancti Pontificis super illa verba lib. 2. Regum cap. 3. *Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terra.* Ingens profecto est Prædicatoris alicujus prærogativa simul & consolatio, quando prædicando tam copiosum fructum producit, ut ne verbum quidem, ex omnibus quæ profert, incassum dicatur: Quonam vero modo idipsum contingere possit, Sanctus Pontifex in hæc verba declarat, *In terra quippe verbum prædicatoris cadit, cum ex reproba prædicatoris conversatione vilescit, unde & veritatis voce dicitur: Ad nihilum valet altra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quidquid agi prohibet, id profecto si agit, verbum in terram cadit, quia dum à loquente contemnitur, hoc audientes nequaquam venerantur.* Enimverò fructus arboris alicujus ex radice sua dignoscenda est, hæc enim, in truncum ramos, folia, flores, & fructus omnem necessarium humorem & vigorem influit & ideo si hæc vermosa & carriosa fuerit, tales quoque fructus ejus sint, necessum est. *Radix autem verbi virtus est operis* (ut inquit S. Gregor. in homilia quædam super Ezech.) *& ille sermo libenter ab audiente accipitur, quia à prædicante cum compassione animi profertur.* Unde si indicium aliquod scire volueris, unde cognoscere possis, an prædicatio tua fructum aliquem protulerit, examines in temetipso an opere perfeceris, quod persuadere voluisti alijs.

3. Reg. 3. 10. S. Greg. l. 2. Ibid. Quomodo prædicandum sit ne verba incassum proferantur.

S. Greg. l. 1. Hom. 11 in Exech.

5. Idem Sanct. Pontifex alia in occasione super illa verba Psalmi: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque*, ita scribit: *Perpendit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit; Qui ergo hoc de ore suo non auferri petijt, quid aliud, quam gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si aperte diceret: A bono opere errare me non sinas, ne dum omitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi; Et plerumque Doctor qui docere audet, quod negligit opere, cum deserit bona loqui, quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava quæ egit.* S. Hilarius prædictis Psalmistæ verbis aliam quamdam adhibet expositionem, à præcedenti parum diversam, ait enim: *Omne oris officium cordis sensui, moribusque famulatur. Et cur Propheta ne ab ore sibi verbum veritatis auferatur, orat, versus ipsius consequentia docent. Non enim metum hunc Prophetæ fuisse exisimandum est, ut sibi veritatis verbum ex corde, ac ore vereatur auferri. Scit autem quædam esse peccata, quæ ex ore verbum auferant, veritatis, Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? Non enim ait: Quare memor es justitiarum mearum? Sed peccatorum monuit eum, qui in peccato manssset, prædicationis officio abstinere; Vult enim liberum à crimine esse doctrinæ cælestis prædicatorem, Vult eloquia sua à casti corporis casto ore tractari.*

Ps. 118. v. 43. S. Greg. l. 11. Mor. c. 9. Os prædicatoris & vita consentiant.

S. Hilar. ib.

6. Apud Sanct. Lucam cap. 5. legitur, Apostolos per totā noctem piscando nullum genus piscium cepisse; Unde Sanct. Petrus conquerendo dicebat: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Per hanc porro piscationem in sensu morali prædicatio Evangelica præfigurabatur; Quodnam vero in eo fuerit mysterium, quod tota nocte laborantes nihil ceperint, ex eodem Evangelio facile colligitur, siquidem ibidem paulo ante dicitur: *Piscatores autem descenderant, & lavabant retia,* Etenim hæc retium lotio mane facta fuit, non prius quam eadem in aquas conjecissent, sed postquam se in vanum piscatos fuisse viderunt; Peracta autem hac retiū lotione, cœlestis Magister præcepit eis dicens: *Laxate retia vestra in capturam, & cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Omnia autem in figura contingebant illis,* Etenim ut Albertus Magnus ait: *Piscatores animarum, sunt prædicatores; Jerem. 16. Hi à navibus descendant, cum ab utilitate proximi, cui per curam & prædicationem intendant, ad considerationem sui humiliter redeunt.* Lucas Burgensis quoad sensum moralem inquit: *Lavabant à limo, & à exteris sordibus, quas nocturno usu contraxerant, ut mundata complicarent, & reponerent in aliud tempus.* Lotis autem hisce retibus, eadem paulo post denuo se explicaturos, copiosamque multitudinem piscium capturos esse sperabant. *Lota retia phcat,* inquit Glossa, *qui intermisso prædicandi officio quod alios docuit ille, implere satagit.* Et vero certus sit quisquis retia lavat, quisquis conscientia pura, vitaque innocente præfulget, illudque quod prædicat opere exequitur, quod copiosissimum pariter habiturus sit piscationis suæ fructum. Sanct. Carolus Borromæus ijs quibus verbum Dei prædicandi munus incumbit, hoc salutare monitum præscribit: *Sciat se exiguum fructum spiritualem fidelibus; allaturum, nisi vere ex animo, totoque spiritu dicat. Ita vere dicere is certe potest, qui vere spiritualis est, sanctæque vitæ institutis, atque usui plane deditus.* Idem quoque Sanctus Cardinalis quidnam vel maxime curandum sit prædicatoribus, ad hoc, ut auscultatores illorum proficiant, his verbis exponit: *Hoc præterea in animum inducet, se non posse vitiorum, nec vero virtutum viam, naturam satis plane ostendere, neque rursum docere, quemadmodum hæ amplectendæ sint, & illa fugienda (cum tamen in utroque eo tenere officium concionatoris maxime eluceat) nisi depulsis primum vitijs, & mundi hujus cupiditatibus adjectis maximarum virtutum præsidium, usu atque exercitatione, bene religioseque agendi sibi comparaverit.* Hugo Cardin. super illa verba Christi apud Sanct. Lucam: *Medice cura teipsum;* pulchram quamdam in favorem nostrum deducit moralitatem, inquiens: *Cura teipsum primo, quam alios; Rom. 2. Qui alium doces, teipsum non doces? & Eccli. 34. Ab immundo, quid mundabitur?* Sanct. Gregorius ait: *Sordes tergere manus non valent, quæ lotum tenent, ideoque dicitur Nehemiæ 12. Mundati sunt sacerdotes & Levitæ & mundaverunt populum.*

Prædicatio Evangelica comparatur piscationi. *Luc. 5. v. 5.*

Ibid. v. 4.

Alb. Magn. in Luc. Jer. 16. 16.

Luc. Burg. ib. Quænam & quomodo retia sint lavanda.

Glossa. ibid.

7. Porro in eodem Cap. 5. Lucæ supracitato, de Christo dicitur: *Ut cessavit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Quomodo enim Cœlestis Magister ab annuntiando in propria persona Evangelio cessavit, Petro tamquam Collegij Apostolici capiti ut retia prædicationis dilatans, in altum mare se reciperet, præcepit, ad hoc ut copiosissimam faceret animarum capturam, Albertus Magnus prædicta Christi verba: *Duc in altum*, hoc modo exponit: *Altum maris est altitudo dignitatis secularis, in qua sunt Reges, duces, & principes, qui se Regi debent inclinare; Tali piscatione capti sunt Constantinus, & alij qui Ecclesias fundaverunt;* Hæc autem Regum, Imperatorum, & Monarcharum mundi hujus piscatio, qua consequenter ingens nationum & populorum multitudo capta est, peracta fuit retia in altū jaciendo, id est juxta alia quamdam ejusdem Alberti interpretationem sublimi vitæ perfectioni studendo: *Duc in altum, ait Spiritus præcedat,* inquit Albertus. Eminens namque virorum Apostolicorum sanctitas, quæ quovis sæculo floruit, hæc inquam illa fuit, quæ eosdem, qui potentia sua antea Ecclesiam persequebantur, ad fidem nostram veraciter convertit. S. Thomas autem de Villa Nova quodam sæculi sui malum insinuat, quod utinam etiam à diebus nostris abesset; Ait enim: *Desunt populus in vitia, quia non est qui coerceat.* Tametsi enim prima facie videri possit idipsum hisce temporibus nostris nequaquam verificari, utpote in quibus prædicatores ad quos vitia reprehendere, & extirpare pertinet, in magno numero inveniuntur. At vero Sanctus Archiepiscopus ad hoc optime respondet dicens: *Multi sunt prædicatores, & pauci qui prædicent, ut oportet. Non desunt qui prædicent verbo, sed desunt qui opere impleant, quod alijs prædicant, & vivendo præcedant, quos loquendo dirigant. Deest etiam ille Spiritus, qui olim in sanctis prædicatoribus claebat.* Unus namque prædicator spiritu Apostolico plenus, ad convertendam integram provinciam, imo integrum regnum, & sæpe ad multa regna convertenda sufficiebat, prout videre fuit in Sanct. Francisco Xaverio; Cum econtra hodie in civitatibus populosioribus quadraginta vel quinquaginta prædicatores ad unicam dumtaxat animam convertendam, & ad veram pœnitentiam permovendam minime sufficiant.

S. Th. de Vill. conc. 2. de Pent. Pauci opere implent quod prædicant.

Ibid. v. 5.

Act. Apost. 9. v. 7. Jacob. 1. 22. S. Bonav. ib.

Glos. ibid.

Luc. 5. v. 4. Quomodo in altum ducenda, & laxanda in capturam.

Alb. Magn. ib.

DISCURSUS XXXIII.

ARGUMENTUM.

Idem argumentum continuatur.

THEMA.

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis prædicans. Luc. 3. v. 2.

Luc. 4. v. 18. S. Joannes Bapt. primus Evangelicæ legis prædicator, est norma prædicatorum.

1. VErbum increatum à sinu Patris in tertam descendens nostram carnem assumpsit, non solum ut nos redimeret, verum etiam ut Evangelium suum nobis annunciaret: *Evangelizare misit me;* Advertendum est autem, Deum ita disposuisse, ut antequam Christus prædicaret, præcursor ejus ante ipsum idem munus exerceret. Unde S. Lucas ait: *Factum est verbum Domini super Joannem &c.* Ubi Salmeron. specialiter ly *factum est*, notat, utpote mysterijs turgidum, agebatur enim de intimando Baptistæ prædicationis suæ exordio, per quam innumeras peccatrices animas ad pœnitentiam & bonam frugem erat revocaturus; Ac proinde dicitur: *Factum est; Non dictum est. Lunatur enim hanc prophetam potissimum editam, non ut discamus tantum, loquamurve, at ut faciamus, & operemur; Ideo non ait: dictum est verbum Domini, sed factum est.* Albertus Magnus in glossa fundatus hæc verba: *Factum est verbum Domini,* hunc sensum habere dicit, ut idem significent, *quod vade prædica,* Theophylactus per *verbum* intelligit *Spiritum Sanctum.* Fuit autem S. Joannem Bapt. primus novæ legis Evangelicæ prædicator, qui omnibus alijs prædicatoribus velut speculum, & exemplar imitandus proponitur. *Factum est,* inquit Albertus Magnus, *ut ostendat institutiones fidei, & mores plus esse in facto, quam in dicto. Et Paulus prædicator gentium futurus perficitur ad facere,* Act. Apost. 9. *dicetur tibi quid te oporteat facere, & Jacob.* 1. *Estote factores verbi.* Sanct. Bonaventura notat verba illa: *Factum est verbum Domini super Joannem,* dicitque in sensu spirituali: *In quo est gratia;* Ad denotandum quod ministri Evangelici, primi fundamenti loco gratiam divinam habere, & amici Dei esse debeant; Addit insuper glossa, quod quando facer textus ait: *Factum est verbum Domini super Joannem,* sensus sit, *factum est ad Joannem, quod quidem est despue sola Dei gratia, prius operatur verbum intus, & declarat homini quæ velit ab ipso proferri, postea profert Joannes; Sequitur verbum intus operans, sonus vocis exterius operans.*

Alb. Magn. in Luc. Theophyl. ib.

S. Joannes Bapt. suo exemplo docet prædicatorem debere esse irreprehensibilem.

2. Sacer Evangelista, qui hanc historiam conscripsit, utpote qui pari arte calamum & penicillum moderari noverat, hisce verbis in primo prædicatore legis gratiæ, virtutes, quæ in eo, qui ad dignissimum hoc ministerium eligitur requiruntur, ad vivum delineare velle videtur. Ideo namque nomen genitoris exprimit, dicendo: *Zachariæ filium*, ut talem fructum ex tali arbore progerminasse declararet, de parentibus enim Sancti Joannis Bapt. scribitur: *Incedentes in omnibus mandatis Domini.* Addit quoque aliam considerabilem circumstantiam, dum ait: *In deserto,* Priusquā enim Sanct. Joannes prædicare inciperet, triginta annis in horridissimis Judææ desertis velut socius scorpionum & ferarum vitam duxit, unde Ecclesia canit: *Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam flamine possis.* Sanct. Bonaventura, ut prædicatorem verum depingeret, textum illum commemorat Apostoli dicentis: *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, irreprehensibilem, recte tractantem verbum veritatis;* Ac proinde verbum incarnatum altissima sua sapientia disposuit, ut primus qui post ejus in terram adventum prædicavit, scilicet sanctissimus ejus præcursor, irreprehensibilis, omnisque maculæ expers esset, ut omnes quotquot idem munus administrare debent, eruditi, quam innocentem, & incontaminatam viam ducere debeant.

Luc. 1. v. 6.

S. Bonav. in Ps. 118. v. 43.

3. Beatus Petrus Damianus ex libro Judicum historiam illam adducens, in qua dicitur, quod Joathan filius Gedeonis impiam stragem, quæ circa fratres ejus peracta fuit, evaserit, de quo sacer textus illam memorat circumstantiam: *Stetit Joathan in vertice montis Garizin, elevataque voce clamavit;* &c. ita scribit: *Quid per Joathan, qui interpretatur consummatus sive perfectus, nisi sanctum & doctum quempiam prædicatorem debemus accipere? Hic in montem Garizin ascendit, & voce magna: Prius ascendit & postmodum clamavit, ante consurgit in montem, & sic elevat vocem, quia nisi doctor virtutum prius culmen ascendat, inaniter clamat, sicut per Isaiam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui Evangelizas Jerusalem.* Econtra vero audaciter, & imperterrita facie vitia reprehendit, quæ prius in semetipso devicit, & superavit, De S. Joanne Baptista dicitur: *Vox clamantis in deserto,* hæc enim vox tantam habebat efficaciam, ut viperas in columbas & milites in cœlestes converteret Angelos. S. Carolus de institutione prædicatoris tractans quoad virtutem ejus exteriorem ita scribit: *Perpetuam sanctissimæ vitæ mansuetudinem servabit, in incessu, statu, accubatione, dejectione vultus. Oculorum demissione, capitis inclinatione, genuum inflexione, in omni denique motu corporis tenebit gravitatem, & decorem, à persona quam sustinet, non alienum. Erit in omni colloquio gravis, mansuetus, ac salutaris. In habitu vestituque Religioso, sacerdotalive modestus; In victu temperatus, & parcus, ac ciborum varietatem fugiens, ac frugalitatis abstinentiæque studiosissimus.* Nimirum Sanctus Archiepiscopus volebat, ut quantum fert humana fragilitas, sanctissimum Christi præcursorem & Baptistam imitarentur. Insuper requirebat, ut quoad statum animæ interiorem ad minus conscientiam haberent semper ab omni culpa mortali liberam, cujus hanc reddebat rationem; *Cum prædicandi munus, non humanæ sapientiæ, aut eloquentiæ, sed divinæ virtuti, ac Spiritus Sancti gratiæ innixi concionator intelligat; diligentissime sibi cavendum existimabit, ne mortali culpa afficitur, Spiritum Sanctum contristet, & Apostolicum opus atque adeo Domini nostri Jesu Christi munus attingat &c. Gravissimam illam Prophetæ objurgationem vehementer pertimescendam ducat: Peccatori dixit Deus; Quare tu enarras &c.*

Applicatur prædicatoribus historia V. L. *Judich. 9. 7. B. Petr. Dam. opus. 22. c. 4.*

Isaiæ 30. 2. 5.

Instructio S. Caroli Borromæi pro prædicatoribus. *Act. Eccle. Med. fol. 478.*

4. Sanct. Joannes Bapt. priusquam prædicationem suam exordiretur, divinas habuit revelationes, quibus ad prædicandum adactus fuit; Hoc enim indicant verba illa: *Factum est verbum Domini super Joannem &c.* Per quod Deus docere nos voluit, quod prædicatio tunc futura sit fructuosa, si Deus illi tamquam causæ suæ cooperatus fuerit: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.* Postquam Christus Apostolis suis dixisset: *Laxate retia vestra in capturam,* sacer textus subjungit: *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Quæ verba Albertus Magnus explicans, ait: *Jam cordibus per auditum verbi sui præparatis, quia frustra laborat extra lingua doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris, & ideo pisces, qui ante sermonem Domini quasi utique certatim venientes, rete se certatim injecerunt, & hoc notat, cum dicit: In verbo tuo laxabo rete.* Enimvero quando Deus est in illo qui prædicat tunc unusquisque accurrit, quilibet proficit. Apud Sanct. Joannem cap. 6. legitur, quod cum cœlestis Magister in ultimis diebus solemnitatis tabernaculorum prædicaret, vocem suam extulerit dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; Qui credit in me, sicut dicit scriptura flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* S. Cyrillus Alexandrinus mysterium declarat, cur

Ps. 67. v. 12.

Luc. 5. v. 4. Ibid. v. 6.

Alb. Magn. in Joan.

Luc. 5. v. 5.

Joan. 7. 37. Ibid. v. 38.

Christus dixerit, *de ventre* non *de ore*, quia per hoc flumen facundia sacra denotabatur, quæ specialis est Spiritus Sancti affectus: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illam*; Sed dices hunc effectum ori potius attribuendum videri, quam ventri, os enim, non venter facundus est; Respondet Sanct. Cyrillus: *De ventre inquam, id est, de intimis animæ, ubi Deus interno sentitur amore &c. quod dum sit, multum differt ab eis, quorum solo ex ore verbotenus fluit ubertas doctrinæ, corde intrinsecus fuimet oris verba per amorem non sentiente.* Et vero quando prædicator aliquis interius sentit, quod ore dicit, tunc verbum quod annunciat, magnam in se habet energiam animisque auditorum tenaciter imprimitur, juxta illud: *Si vis me flere, flendum est tibi primo.* Sapiens monet: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras.* Quem textum Solonius ita explicat: *Et sensus, id est, serva, & opere imple doctrinam, quam alijs precaris, & fluenta putei, id est abundantia sermonis tui, seu scientiæ, affluenter in te redundet in operibus bonis.* Sanct. Gregorius pariter favorabilem prædictis verbis adhibet expositionem: *Aquam de Cisterna sua bibit prædicator cum ad cor suum rediens, prius audit ipse quod dicit.* Celebre quoque est illud Sanct. Bernardi monitum dicentis: *Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, non canalem, hic siquidem simul & recipit, & refundit, illa vero donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat.* Enimvero hoc est in bonis spiritualibus eximium nostrum emolumentum, quod quanto plus illa alijs communicamus, tanto majori cum abundantia bonum illud in nobis excrescat, adeoque non solum nihil deperditur, verum etiam magis magisque possessa in beneficium nostrum augentur. Unde Sanctus & Seraphicus Franciscus religiosos suos monebat dicens: *Volo fratres charissimi ministros verbi Dei tales esse, ut studijs intendentes spiritualibus, nullis alijs officijs impediamur; Hi enim à magno illo Rege electi sunt, ad edicta, quæ ex ejus ore procedunt, populis demandanda; Prius ergo prædicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus; prius intus calescere, quam extra verba proferre.*

S. Cyrill. Alex. l. 5. in Joan. 10. v. 2. Eccli. 15. v. 3. Quando prædicator interius sentit quod prædicat, tunc sermo ejus magnam habet energiam. Prov. 5. v. 15. Solon. ibid. S. Greg. 3. par. Past. c. 25. S. Bern. ser. 18. in Cant. Præclarum monitum S. Francisci. Luc. Wad. an 1220. n. 30.

5. S. Propheta Ezechieli in veteri testamento à Deo præceptum fuit, ut populo Hebræorum prædicaret: S. Joanni Apostolo pariter in divisione Apostolorum sors illa obtigit, ut Asiam, quæ ingens quædam mundi pars est, prædicatione sua converterit: Ambobus autem liber quidam devorandus à Deo datus fuit: Et quidem si hi libri symbolice doctrinam, dogmata, & instructiones, quibus erudiendi erant illi, ad quos mittebantur, significabant convenientius videri potuisset, si jussi fuissent illos perlegere, non vero devorare, & tamen sicuti cibus qui manducatur, in substantiam comedentis convertitur, ita quoque Deus per illam librorum devorationem significare voluit, quod cum tam Propheta, quam S. Joannes per hoc prædicatoribus hanc legem præfigerent, ut scilicet prius ea, quæ alijs imprimere volunt, sibiipsi quasi inviscerent, & opere adimpleant, ne sint veluti psittaci, qui verba quæ edocti sunt, nequaquam intelligunt: Et ideo si verbi divini fructuosi prædicatores esse velint, prius verbum illud à corde, quam à lingua pronunciandum erit, dicente Psalmista: *Os justi meditabitur sapientiam & lingua ejus loquetur judicium*, quæ verba ut Novarinus scribit, Beatus Laurentius Justin. hoc sensu explicat: *Os cordis justi meditabitur sapientiam, quæ est de Deo, & propter aliorum instructionem lingua ejus loquetur judicium, id est, discernet, quod Deus fugere præcipit, vel tenere; Hæc autem ita loquetur, ut vita consonet cordi, ne putetur esse de illis, quibus ait Dominus: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* S. Carolus Borromæus præter id quod paulo ante ex ipso diximus, hanc quoque instructionem scriptam reliquit: *Illud sibi maxime persuadebit, qui concionem suscepit, nisi recte, & Evangelij, quod prædicat legibus congruenter dixerit, non magnam in audientium animis vim imprimere.* Ac proinde paulo ante monuerat, ad hoc ministerium nequaquam admittendos esse, qui negotijs, & rebus sæcularibus totaliter sunt immersi, idque authoritate Nazianzeni confirmat. Denique ut hactenus dicta paucis confirmemus comparetis inter se, & ad invicē ex una parte patrata à sanctis miracula, ex alia vero parte bona illorum exempla, & ab ijsdem in conspectu mundi exercitas virtutes sine dubio enim hasce ad conversionem populi longe majorem efficaciam habere dicetis, quam illa.

Quare Ezechieli & S. Joanni Apostolo liber datus fuerit devorandus potius quam legendus. Prædicator corde meditetur, ore promenda. Ps. 36. v. 30. Marc. 7. v. 6. Act. Eccle. Med. fol. 475.

6. Examinemus nonnihil sequentem Sancti Apostoli ad Corinthios exaratum textum: *Signa Apostolatus nostri facti sunt super vos*; Texatis licet ingentem stupendorum prodigiorum, quæ Apostolus patravit, Catalogum, & haud dubie dicetis, populos ad sui conversionem longe magis commovisse invictam ejus patientiam, quam prodigiosa ab eo patrata miracula. Et ideo subdit ibidem: *In omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*: Ubi advertendum est, quod patientiæ primatum detulerit, eamdemque cum alijs virtutibus & miraculis simul conjunxerit, quasi dicere vellet, hæc omnia sine bonitate vitæ, & virtutum exemplaritate nihil valent. Apud Oseam minister Evangelicus his verbis instruitur: *In gutture tuo sit tuba*; At vero numquid tuba labijs admovetur ad hoc ut resonet, cur igitur suadet dicendo: *In gutture tuo sit tuba*? Albertus Magnus ait: *Tuba hoc est sonora prædicatio, juxta illud Isai 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; Dicit autem in gutture, quia guttur continuatio est oris ad intima, & notatur in gutture, quod sermo ab intimis suspirijs, & dolore procedat Cant. 7. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum &c. Sermo enim qui ex intimis procedit, cor accendit, & lætificat ut vinum.* De Propheta Regio Sacra Scriptura hoc perhibet testimonium: *Sedens in Cathedra sapientissimus*: Et quidem licet pastor ovium fuerit, priusquam militiam adiret, in aula etiam regia aliquanto tempore moratus fuerit, & regnum administrarit, attamen de se gloriari non dubitat, dicendo: *Super senes intellexi*; Scitisne causam? Ipsemet in alio quodam Psalmo ait: *Intellectus bonus*; At vero quibusnam Deus hanc intelligentiam, haneque facundiam communicat? *Omnibus facientibus eum*; Quando enim prædicatores faciunt, & postea dicunt, tunc à Deo perspicacissimo intellectu, & facundia admirabili donabuntur. S. Gregorius verba illa Psalmi explicans: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque*, dicit: *Perpendit namque quod omnipotens Deus, veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petijt, quid aliud, quam gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si aperte diceret? A bono opere errare me non sinas ne dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi.*

2. Cor. 12. 12. S. Paulus plures convertit sua patientia, quam prodigijs & verbis. Ibid. Ose. 8. v. 1. Alb. Magn. ib. Isai. 58. 1. Cant. 7. 2. Reg. 23. 8. Unde David hauserit eximiam sapientiam suam. Ps. 118. 100. Ps. 110. v. 10. Ps. 118. v. 43. S. Greg. l. 10. Mor. cap. 9.

7. Deus olim Ezechieli Prophetæ præcepit: *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, & effunde super civitatem*, Quibus verbis Deus Prophetæ præcepit, ut verbum suum divinum, ignis nomine appellatum (*ignitum eloquium tuum vehementer; Verbum tuum quasi facula ardens*) populo suo prædicaret. Unde idem erat prunas ardentes super civitatem effundere, & verbum Dei civitati annunciare; Id vero, quod vel maxime ad propositum nostrum advertendum est, est modus, quo ei hanc commissionem imposuit: Ait enim: *Imple manum tuam prunis*; Ubi per manum operatio intelligitur, ut sensus sit, priusquam dicas, facito quod dicis. Unde Hugo Card. ait: *Qui prius in sanctorum exemplis prunas ignis sumpserit, id est ardorem charitatis conceperit, vel opera charitatis compleverit, talis potest postea ignem effundere super civitatem, id est, ardenter prædicare ad plebem, & eam accendere ad amorem, qui enim non ardet, non accendit, inquit Bernardus.*

Ezech. 10. 2. Verbum Dei comparatur carbonibus ignitis. Eccli. 48. v. 1. Hug. Card. ib.

8. Sapiens inquit: *Fons vitæ eruditio possidentis, doctrina stultorum fatuitas.* Quem textum Rabanus ad propositum nostrum in hæc verba exponit: *Cum diceret, possidentis, non addidit, quid possidentis. Quid autem eum voluisse intelligi, nisi forte ipsam eruditionem, ut sit plena sententia: Fons vitæ possidentis ipsam eruditionem suam, quod est aperte dicere, quia ille prædicator vere suis auditoribus vias vitæ aperit, qui exercet ipse, quæ prædicat, qui amorem verbi, quem alios erudit, fixo in corde possidet.* Sanctus Joannes Baptista ijs temporibus, quibus in Judæa fides veri Dei quasi agonizabat, admirabiles nihilominus animarum conversiones instituit; Scitisne causam? Hanc Divus Chrysologus hisce verbis enuntiat: *Pænitentiæ doctor, dicto, factoque magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Magisterium stat de scientia, sed Magisterij authoritas constat ex vita, docenda faciens, obedientem perficit auditorem*, quæ verba de sanctissimo Christi præcursore dixit, de quo eodem in progressu hujus sermonis notat, quod pœnitentiam ingenti cum fructu annunciarit, qui ad eamdem *vestitu, victu, loco, totus pænitentia formatus*, exhortatus fuit. Rupertus Abbas super illa à Jacob in Genesi prolata verba scribens: *Date ante*

Prov. 16. 22. Raban. lib. 2. Ibid. Prædicator auditoribus vias vitæ aperit, qui exercet quæ prædicat. D. Chrys. ser. 167.

ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite, hanc inde deducit moralitatem: *Est dicere pastoribus, quod sic dicant, ut prius faciant, id est, ut quod verbis prædicant, factorum suorum exemplo prædoceant.* S. Joannes Baptista in vasta quadam solitudine viperis plena, atque à civitate procul remota verbum Dei prædicabat, & licet ibi continuo jejunans, omnibus aëris injurijs expositus esset, ex omni tamen statu homines ad ipsum certatim concurrebant, adeo etiam, ut de incestuoso Herode Sanctus Evangelista scribat: *Libenter eum audiebat, eoque audito multa faciebat*, certum enim est, multas insignes conversiones ibidem procuratas fuisse: Econtra vero hisce nostris temporibus, experientia teste, prædicatores facundissimi, & doctissimi, in civitatibus populosissimis, tempore etiam maxime opportuno prædicantes; vix aliquos habent auditores, nisi forte quorum audientiam emendicarint. At vero undenam hæc procedit differentia? Nimirum sanctitas est, quæ auditores efficacissime post se trahit, & allicit.

Gen. 29. v. 7. Rup. Abb. ibid. lib. 7. c. 27. Sanctitas prædicatoris, efficacissime trahit & convertit auditores. Marci 6. 20.

9. Usitatissimus est sacræ Scripturæ multis in locis loquendi modus, quo dicere solet, V. G. *Factum est verbum Domini in manu Aggæi*: Apud Oseam pariter dicitur: *Locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu Prophetarum &c.* Pagninus legit: *Per manum Prophetarum proposui similitudines*; Et licet alicui videri posset potius dicendum fuisse per ora prophetarum, nihilominus magno cum mysterio Spiritus sanctus inquit, *in manu*, quia tunc verbum Dei ingentem fructum parit, quando prius est in manu illud annunciantis, *quam in ore.* Unde apud Cassianum legitur: *Numquam erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi infixerit audientis.* Et Divus Chrysostomus ait: *Per quam facile est philosophari verbis, doce me vita tua; Hæc doctrina optima est. Melior ille, qui operibus docet; non enim sic insident animæ verba, ac opera.*

Aggæi 1. 3. Ose. 12. 10. Tunc verbū Dei magnum fructum facit, quando primo est in manu annunciantis illud. Cassian. Coll. 11. v. 4. D Chrysost. 39. in Acta.

10. Enimvero priusquam hunc discursum terminemus, considerandum est, quod cum incarnata Sapientia sanctissimum præcursorem suum in primum legis novæ prædicatorem elegisset, ut supra diximus, eumdem angelum potius, quam hominem esse; coram omnibus testificatus fuerit: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum*; Per quod denotare nobis voluit, necessum esse ut prædicatores eam apud auditores suos sanctitatis habeant famam, ut angeli potius esse credantur, quam homines; Tunc enim bene illis competit Eliæ Spiritus, sanctus Joannes Bapt. ab infantia sua in horridum quoddam se desertum recepit; unde post triginta annos, quos in austerissimis rigoribus transegerat, egressus, tamquam homo de cœlo delapsus prædicavit; sciens verissimum esse, quod ut prædicatores fructum pariant in sermonibus suis, merito veluti cœlitus à Deo missi angeli auditoribus suis in veneratione esse debeant. S. Gregorius in homilia quadam, super Ezechiëlem hoc tradit documentum: *Necesse est, ut quis verbum Dei loquitur, prius studeat, qualiter vivat, ut post ex vita colligat, quæ, & qualiter dicat.* Sanctus Isidorus Pelusiota ad persuadendum efficaciorem esse censet bonitatem vitæ cum silentio, quam prædicationem virtutibus & spiritu destitutam; Ait enim: *Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita, nam illa etiam tacens prodest, hæc autem etiam clamans molestiam affert.*

Prædicatores debent esse quasi Angeli, cælitus à Deo missi. Luc. 7. v. 27. S. Greg. lib. 1. hom. 10. in Ezech. S. Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 175.

DISCURSUS XXXIV.

ARGUMENTUM.

Prædicator prius sibimetipsi, & postea alijs prædicare debet, id est immaculatam debet, ducere vitam.

THEMA.

Qui alium doces, temetipsum non doces. Rom. 2. ℣. 21.

1. Textus hic Apostolicus erubescere facit illos prædicatores; qui recte alios docent, ipsismet in peccatis suis pertinaciter obsordescentibus; Ad quorum proinde majorem confusionem Apostolus subdit: *Qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis.* S Bonaventura super psal. 118. scribens, verba illa: *Appropinquet* &c. hoc modo exponit: *Prædicator duo debet habere, scilicet scientiam, & mundam conscientiam, & tunc secure potest prædicare ne ei dicatur: Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas. Primum Propheta hic, scilicet: Da mihi intellectum. Secundum ibi: Eripe me; Post prædicat dicens: Exultabunt labia mea justitiam &c.* S. Bruno consilio ab Apostolo ad Titum transmisso adhærescens, ita scribit: *Ut omnes convenienter corrigas, præbe teipsum exemplum alijs bonorum operum, nec in quibusdam, sed in omnibus operibus; Præbe inquam te exemplum eis in doctrina, ut quod utile auditoribus sit, doceas.* De cœlesti nostro Magistro legitur, quod fuerit *potens in opere, & sermone*; Ubi tamen considerandum est, quod operibus primum, verbis vero secundum locum tribuat. Id quod etiam Theophyl. notat inquiens: *Primum opus, & deinde sermo, nullus enim sermo doctoris firmus est, nisi prius docens se factorem declaret. Potens igitur esto primum in opere, deinde & verbi solicitudinem habeto; Sic & Deus cooperabitur tibi &c. Oportet esse potentem in opere, & sermone coram Deo, & tunc coram omni populo.* Sanct. Carolus in instructione, quam pro ijs qui verbum Dei administrant, compilavit, in hæc verba scribit: *Disciplinæ cibus qui populo proponitur, mente propria, quasi stomacho concoctus, vires majores habet ad omnem sanctam commotionem.* S. Greg. Magnus ait: *Qui vitam suam interius pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum pingit, in eo quod manna verbi proximis exterius scribit.* Et quidem tametsi nonnumquam verbum Dei portionis nostræ inferioris palato amarum esse videatur, eo quod à voluptatibus, delicijs, honoribus, cunctisque alijs sensualitatis nostræ lenocinijs nos avocet, nihilominus Gillibertus Abbas ait; *Dulcius sugitur, ubi vita venustat sermonis virtutem.*

Prædicator primum locū debet dare bonis operibus, secundum verbis. Rom. 2. v. 21. Ps. 118. 169. S. Bonav. ib. Ps. 49. 16. Ps. 118. 34. Psal. 70. 23. ad Titum 2. v. 7. Bruno. Luc. 24. 19. Theophyl. Act. Eccle. Med. fol. 480. S. Greg. lib. 1. hom. 10. in Ezech. Gillib. Abb. serm. 31. in Cant.

2. Prosper Episcopum illum inexcusabilem esse censet, qui se ob ignorantiam suam à prædicandi officio subduceret, hancque asserti sui reddit rationem: *Nec vero se per imperitiam Pontifex excusabit, quasi propterea docere non valeat, quod ei sufficiens, & luculentus sermo non suppetat, quod nulla alia sacerdotis doctrina debet esse quam vita, satisque auditores possint proficere, si à datoribus suis, quod viderint spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari*; Apostoli ignorantes idiotæ erant, non enim studuerant, aut litteris operam dederant, & per tres illos annos; quibus in schola Christi fuerunt, soli perfectioni, Christianarumque virtutum studio vacarant; & tamen quando in his sufficienter fuerunt edocti, à cælesti Magistro suo ad prædicandum in confinibus illis emissi fuerint; Nam ut interpres quidam ait: *Diu cum Christo esse debet, qui Christum alijs est prædicaturus.* Ecclesia sancta Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, & candidi ordinis præmonstratensis Patriarcham, in oratione, quam in die ipsius recitat, supra modum quoad prædicationis prærogativam laudat dicens: *Quem verbi tui præconem eximium effecisti*, & S. Bernardus gloriatur, quod *de ore ejus multa quasi de cælesti fistula meruerit audire.* At vero audite, quo modo sibi hanc tam admirabilem dicendi efficaciam acquisierit: Nimirum *potens opere fuit*, & postea secundo loco *potens & sermone, atque Apostolico spiritu plenus, innumeros hæreticos ad fidem orthodoxam, peccatores ad pænitentiam, dissidentes ad pacem & concordiam traduxit.* Cum enim nobilissima esset stirpe progenitus, & in sæculo opulentus, in aula quoque imperiali honoratus, *rejectis mollibus, ac splendidis vestibus, ac pellicea melote indutus, prædicationi verbi Dei se totum ex animo dedit, atque ut non tam verbo, quam exemplo alios excitaret, abdicatis Ecclesiasticis proventibus, quibus abunde erat instructus, ipso etiam patrimonio in pauperes erogato, miræ austeritatis vitam instituit.* S. Carolus ijs, quibus munus prædicandi incumbit, inculcare volens, quod prius soliciti esse debeant, ut sibimetipsis prædicent, & propriæ conversioni, & emendationi invigilent, authoritatem adducit S. Gregorij dicentis: *Mundari prius oportet, quam mundare.*

S. Prosp. de vit. contemp. c. 25. Imperito Episcopo sufficit doctrina inculpatæ vitæ. Marc. 3. 14. Adducitur in exemplū sancta & inculpata vita S. Norberti. In lect. S. Norb. Act. Eccle. Med. fol. 475.

3. S. Franciscus Salesius prædicator sui temporis celeberrimus in Epistola quadam, in qua hac de materia ad longum disserit, in hæc verba scribit: Quod porro doctrinam attinet, hæc sufficiens ut sit oportet, nec tamen est necessum ut sit excellens. S. Franciscus doctus non erat, & tamen magnus fuit prædicator; Nostris quoque temporibus Sanct. Carolus Borromæus scientia erat satis mediocri instructus, & tamen mirabilia operabatur quoad animas Christo lucrandas. Cujusmodi centum alia addere possem exempla. Quando doctor gentium

Sales. part. 1. lib. 1. Cum vita inculpata sufficit doctrina mediocris, & non requiritur excellens.

Titum monuit, ut prius doceret femetipfum, & poftea alios, non tam de fcientia loquebatur, quam de optima confcientia. *Erubefcit enim quævis præclara doctrina*, ut S. Hieronymus ait: *Quam propria reprehendit confcientia.*

S. Hieron ad principiam.

4. Quando Deus efficere voluit, ut petra copiofas fcaturiret aquas, duobus fratribus præcepit dicens: *Loquimini ad petram*; At vero obfervandum, commiffionem illis infuper hanc datam fuiffe: *Virgam qua percuffifti fluvium, tolle in manu tua.* At vero ex quo illis præceperat, ut loquerentur ad petram, ad quid opus erat, ut prius virgam apprehenderent? Dimittamus litteram, & myfterium inquiramus; *Spiritus enim eft qui vivificat.* Etenim quando efficiendum eft, ut petra aliqua aquas fcaturiat, non fufficiunt verba, non fufficit loqui ad petram; fed infuper etiam requiruntur opera per virgam fignificata, utpote quæ manu tractatur. S. Francifcus Xaverius, tametfi lingua fua integrum convertiffet mundum, attamen quando obftinatum illum peccatorem reducere voluit ad pœnitentiam, proprium corpus fuum afperrimis flagellis atrociter dilaceravit. S. Bern. qui ob prodigiofam eloquentiam fuam mellifluus appellatus fuit, lacunam quamdam aqua gelida plenam ad collum ufque ingreffus eft nudus, ut in carnali quodam homine carnalis concupifcentiæ ignem extingueret. S. Gregorius Nyffenus de fabrica hujus noftri corporis differens de fupremo illius artifice inquit: *Dedit homini manus, ut melius loqueretur.* At verum quonam modo quis manibus loqui poterit? Num forte alludit ad geftus, quibus prædicator utitur, ad corroborandum melius ea quæ dicit? Etenim per geftum manus fæpe homo melius & efficacius fe explicat, quam per vocem. Ego tamen fanctum hunc doctorem ad opera alludere voluiffe exiftimo, hæc enim fignificantur, & exprimuntur per manus, quia verba operibus conjuncta longe efficacius perfuadent, quam fi fola verba adhibeantur. Unde commentator Nazianzeni inquit: *Nihil verbis, quæ operibus confirmantur, ad perfuadendam firmius, ac valentius.* Quando S. Carolus concionem illam ad Parochos & Religiofos Mediolanenfes tempore peftilentiæ inftituit, ut illos ad inferviendum peftiferis etiam cum periculo vitæ induceret, quantumvis balbutiret, & de re adeo ardua, qualis eft, mortis fe periculo exponere, quod natura abhorret, tractaret, nihilominus fuum affecutus eft intentum, non tamen per fuam Rhetoricam, fed quia ipfemet primus fuit, qui peftiferis cum vitæ, facultatum, & omnium virium fuarum impendio, quantum poterat, fideliffime inferviret, adeo ut dicere potuerit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Num. 20. 8. Exod. 17. 5. Moyfi mandatur ut locuturus ad petram virgam fumeret in manu fua. *Joan. 6. 63.* Afferuntur exempla bene operantium pro converfione peccatorum. *S. Greg. Nyff. de opt. hom. c. 8.* *Elias Cret. in Orat. 19. Naz.* S. Carolus Borromeus fuo exemplo alios movit ad fervitium peftiferorum, plus quam verbis. *Joa. 13. 15.*

5. Memorandum quoque hoc loco eft, quod quando Deus populum fuum à Pharaonis Tyrannide liberare, cumque ad terram promiffionis introducere difpofuerat; ut induratum illum Regem (*Induratum eft cor Pharaonis*) ad dimittendum illum populum difponeret, blæfum balbumque ad illum miferit Moyfen (*impeditioris, & tardioris linguæ fum*) qui illi hoc efficaciter perfuaderet; At vero cur non potius virum eloquentem & facundum ad hoc elegit? Nimirum Deus per hoc nobis infinuare voluit, quod ad convertendos illos, qui filice duriores & contumaciores funt, longe plus conducat, magifque perfuadeat opus, quam lingua, facere, quam dicere; In cujus figuram, quod bene obfervandum, virgam illam portentofam, quacum tot miracula patraverat, eidem in manus dedit, ad denotandum, quod tunc vel maxime nobis miracula patrare liceat, in convertendis animabus peccatricibus ad pœnitentiam, quando prius operati fuerimus, quam dicamus; Tunc enim tametfi tardiloqui, & balbi fimus, actiones, exempla, virtutefque, in quibus nos exercemus, loquacium & efficacium linguarum vices fupplebunt. Quando S. Carolus Borromæus in folemni illa concione ad clerum Mediolanenfem habita primus fe obtulit ad moriendum pro peftiferis, immediate poft viginti octo Religiofi ad idem charitatis officium ultro fe præfentarunt, & poft hos plurimi alij.

Deus Moyfen balbutientem ad Pharaonem mittens, voluit manu fumere virgam illam portentofam. *Exod. 7. 13. Exod. 4. 10.*

6. Inter omnes totius univerfi populos, nulli erant idololatriæ magis addicti ipfis Ægyptijs, de quibus Poëta canit: *O fanctas gentes, quibus hæc nafcuntur in hortis numina*; Ægyptij namque etiam porros & cœpas in hortis ipforum crefcentes Deorum loco adorabant; Nihilominus ijdem Ægyptij, inter omnes mundi nationes, hanc pariter habuere prærogativam, quod fcilicet omnium aliorum populorum fanctiffimi evaferint, idque virtute prædicationis S. Marci; Quis enim nefcit in Ægypto plantatas fuiffe Thebaides, variafque eremos fanctificatas fuiffe? Porro S. Hieronymus de primis fidelibus inquit: *Habitacula eorum monafteria ex quo apparet talem primam Chrifto credentium fuiffe Ecclefiam, quales nunc Monachi effe nituntur & cupiunt.* Hæc autem Ægypti converfio opera S. Marci abfoluta fuit, cui S. M. Ecclefia in prima collecta ad miffam ejus hoc laudis præconium attribuit: *Beat. Marcum Evangeliftam Evangelicæ prædicationis gratia fublimafti*; In fecunda oratione, quæ fecreta dicitur fimiliter de eo Ecclefia dicit: *Quem prædicatio Evangelica fecit gloriofum.* B. Petrus Damianus in fermone 2. de S. Marco, in ejus honorem ita fcribit: *Cui nimirum Deus omnipotens tanti verbi virtutem contulit; tantam prædicationis efficaciam prærogavit; ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius fanctæ converfationis inftantiam tamquam ad monafticæ perfectionis faftigium convolarent.* Vultifne fcire, quo modo S. hic Evangelifta dederit voci fuæ vocem virtutis? Nimirum ex quo cæleftis agricola jam olim illos, quos ad prædicandum Evangelium fuum mittebat hoc monito inftruxerat: *Luceat lux veftra coram hominibus, ut videant opera veftra bona.* Ideo Procopius de hoc S. Evangelifta fcribit: *Inftar fplendidiffimi folis animas illuftravit.* Melius tamen prædictum dubium S. Hieronymus folvit, oftendendo videlicet qua energia & Rhetorica prædicationis fuæ efficaciam exacuerit, ait enim: *Conftituit Ecclefiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut omnes fectatores Chrifti ad exemplum fui cogeret.* Ubi bene ponderandum eft verbum hoc, *cogeret*; Licet enim dicere perfuadeat, facere tamen quamdam quafi violentiam & coactionem infert.

S. Marcus Evangelifta convertit Ægyptum non tam prędicatione, quã vitę continentia, & mortificatione. *S. Hier. de fcrip. Eccle.* *B. Petr. Dam. ferm. 2. de S. Marco.* *Matth. 5. 16.* *Procop. in fur.* *S. Hier. ibid.*

7. In viris Sanctorum Patrum de S. Abraha Eremita legitur, quod cum diuturno tempore convertendis ad fidem obftinatiffimis quibufdam paganis operam dediffet multafque coram ipfis habuiffet exhortationes, alium tamen inde fructum non retulerit, præterquam injurias, & verbera crudeliffima; *Cum afpera omnia pateretur, magis ac magis amor ejus, & charitas augebatur*; Illudque quod vir fanctus affequi non poterat verbis, tandem admirabili patientia fua efficaciter obtinuit, fiquidem idololatræ illi die quadam congregati, hæc inter fe mifcuerunt colloquia. *Cernitis tam magnam patientiam viri, & ineffabilem circa nos charitatem, quomodo in tantis tribulationibus quas ei intulimus, numquam ex hoc loco difceflerit, neque alicui noftrum malum verbum locutus fit, neque averfus eft à nobis, fed cum gaudio magno fuftinuerit univerfa? Unde nifi effet (ut afferit) Deus verus quem prædicat, & regnum, & paradifus, ultio quoque malorum, non hanc tribulationem pateretur inaniter. Venite itaque credamus in Deum quem prædicat.* Nec mirum infideles hofce in hanc defcendiffe refolutionem, nam ut S. Gregorius ait: *Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia dum quid loquendo imperat, oftendendo adjuvat, ut fiat.*

Vit. Patr. lib. 1. c. 6. Mirabile patientię exemplũ S. Abrahę Eremitę prędicantis paganis. *S. Greg. p. 2. paft. c. 13.*

8. Sacer textus martyrium feptem fratrum Machabæorum recenfens, dum ad tertium in ordine pervenit, ita fcribit; *Linguam poftulatus cito protulit, & manus conftanter extendit.* Enimvero fi facri textus verba examinare velimus, inveniemus quidem, quod ad linguam exporrigendam à carnifice coactus fuerit, non vero ad extendendas manus; Si igitur fine ulla à carnifice facta inftantia manus fimul cum lingua extendit? Si dicatur quod adeo fuerit patiendi avidus, ut non folum linguam fed & manus protulerit, cur non pariter alias corporis partes ad patiendum obtulit? Cur non potius collum, pectus, pedes detruncandos aut transfigendos obtulit? *Omnia in figura contingebant.* Hic enim generofus Machabæus ex inftinctu utique Spiritus fancti omnibus fæculis manifeftum facere voluit, quod lingua Deo confecrata ad ejus fervitium adhiberi non debeat, nifi etiam eodem tempore manus extendatur, id eft, nifi operibus fefe conformet is, quæ à lingua dicuntur; *Debilis enim eft lingua, quam manus non adjuvat.* S. Bernardus, qui fumma cum fanctitate vixit, de femetipfo hæc fcripta reliquit: *Video Matthæum de Telonio ad apoftolatus culmen affumptum, fed hoc me rurfum conturbat, quod non prius audierit cum cæteris Coapoftolis fuis: Ite in orbem univerfum, prædicate Evangelium omni creaturæ, quam egerit pœnitentiam multo tempore ac labore fequendo Dominum, permanens cum eo in omnibus tentationibus fuis.* Hugo Card. fuper cap. 1. S. Marci ita fcribit: *Vox prædicator, vocans ad pœnitentiam, vita & doctrina*; Ubi in ordine ad fanctitatem vitam doctrinæ præmifit. S. Bernardus à fancto Bonaventura *in Pharetra falutis* citatus ita in favorem noftrum fcribit: *Eft funiculus triplex, qui difficile rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas poft te ad cæleftia regna; Si recte fentias; fi digne proloquaris, & fi vivendo confirmes.* Ubi vitam virtuofam ultimo loco collocat, ad infinuandum, quod bona doctrina & eloquentia parum valeant, nifi ab operibus bonis corroborentur, & authorizentur. Sanctus Auguftinus ab eodem Seraphico doctore citatus in libro quarto *de doctrina Chriftiana* hanc veritatem expreffius fequentibus verbis confirmat: *Qui dicendo nititur perfuadere quod bonum eft, nihil horum trium fpernens, ut fcilicet doceat, & delectet, & flectat*; At vero quonam modo hofce fines confequetur? *Oret, atque agat, ut intelligenter, libenter, & obedienter audiatur.* Hugo de fancto Victore multas enumerat virtutes & conditiones, quæ ad verum quemdam prædicatorem efficiendum concurrere debeant; At vero quænam illarum prima eft? *Prædicator*, inquit, *debet effe fanctus*; Poftquam vero hoc fanctitatis fundamentum jecerit, ulterius fubdit quod debeat effe: *Doctus, difcretus, maturus, facundus, honeftæ converfationis, conftans, integræ famæ, humilis, affabilis, miffus.*

2. Mach. 7. v. 10. Quare tertius Machabeus poftulatus porrigere linguam, fimul etiam porrexerit manus. *Hug. Card. in Marc. c. 1.* *S. Bernard. ferm. 16. in Cant.* Vita pura premittenda eft doctrinæ. *S. Aug. tom. 3. lib. 4. de doct. Chrift. cap. 17.* *Hug. de S. Vict. Tom. 2. inftit. Mon. cap. 14.*

9. Egregie propofito noftro defervit quædam S. Gregorij fuper illa verba Ezechiëlis Prophetæ, inftituta ponderatio, quibus dum à Deo ad prædicandum populo Hebræorum Miffus effet ita ait: *Et affumpfit me Spiritus.* Circa hæc enim verba prædictus pontifex ita fcribit: *Prædicatorem Spiritus affumit, cum ejus mentem in amorem Dei omnipotentis elevatam à terrenis jam defiderijs alienam reddit, ut nihil ei agere libeat, nifi ea quibus lucra fpiritualia congreget.* Enimvero prædicatores merito merus purufque Spiritus effe deberent, fimilifque cum Ezechiële Propheta conditionis, ut finguli ex ipfis vere dicere poffent: *Affumpfit me fpiritus.* Quonam putas fine Spiritus Sanctus fuper Apoftolos in fpecie ignis, & linguarum defcendit? Nimirum: *Verbis ut effent profluì, & charitate fervidi?* Id eft, ut per verbum Dei totum converterent univerfum? Notandum vero quod S. Lucas non fine myfterio dicat: *Seditque fupra fingulos eorum.* Etenim Theophylactus quærit, *cur fuper caput Spiritus fanctus defcenderit?* Et refpondet: *Quia orbis terrarum Doctores defignabantur, & ordinabantur.* Alias quoque de eodem ejufdem Spiritus fancti in forma vifibili defcenfu mentio quidem fit, non tamen dicitur, *fedit*, nifi in prædicta occafione; Alibi enim dicitur: *Cecidit Spiritus Sanctus; Venit Spiritus fanctus*; Hic autem dicitur: *Seditque Spiritus Sanctus fupra fingulos eorum*; Cujus hæc poteft effe ratio, quia in ijs, quibus Evangelium annunciare incumbit, majorem denotat donorum Spiritus fancti abundantiam & plenitudinem; Et ideo *fedit fupra ipfos*, velut in propria refidentia, ad infinuandum ipfis, quod contendere debeant, ut quod fieri poteft, merus fint Spiritus, ad hoc, ut tam fublime minifterium digne exercere valeant. Sanct. Antonius de Padua prædicator adeo celebris, de hac materia differens, filios Jacob in Ægyptum ad frumentum comparandum Miffos prædicatores præfigurare in hæc verba fcribit: *Per fratres Miffos fignificantur idonei ad prædicandum, qui debent defcendere in Ægyptum, fed non fine pecunia, quæ fignificatur per quinque talenta, quæ fervo negotiatori commifit Dominus Matth. 25. quæ funt: Religiofa vita, fufficiens fcientia, fermonis elegantia, ætas matura, fortitudo corporis &c. Frumentum funt animæ electorum, quas ab Ægyptijs, id eft à Dæmonibus emptas afferre debent.* Ubi obfervandum quod *religiofam vitam* primo loco reponat.

Prędicatores deberent effe merus fpiritus. *Ezech. 3. 12.* *S. Greg. lib. 1. Hom. 10. in Ezech.* *Act. Apoft. 2. v. 3.* *Theophyl.* Quare Spiritus Sanctus dicatur fediffe fupra fingulos Apoftolos. *S. Anton. de Pad. ferm. de Apoft.*

DISCURSUS XXXV.

ARGUMENTUM.

Hi qui bene prædicant, & improbe vivunt, perftringuntur.

THEMA.

Vox quidem vox Jacob eft, fed manus, manus funt Efau. Gen. 27. ṽ. 22.

1. Aptiffimè ad præfens propofitum verba hæc accommodari poffunt illis, qui verbum Dei quidem digne annunciant, quoad femetipfos tamen peffimè vivunt; Apud hos namque vox eft Jacob, quia vox ædificat, compungit, & ad devotionem movet eos, qui illam audiunt, at vero manus, id eft mores, & opera funt Efau, id eft vitiofa, & improba, *fed manus, manus funt Efau.* S. Bonaventura fuper Pfalm. 49. inquit: *Ne fit vox Jacob, & manus Efau.* Didacus Stella fimiliter fuper cap. 10. S. Lucæ ita fcribit: *Cave ne de te dici poffit, quod dixit olim Ifaac: Vox quidem vox Jacob eft, manus autem Efau; Bona, & recta prædicas, ac fi effes Jacob, fed opera funt impij Efau & peccatoris.*

Quid defignet vox Jacob, & manus Efau. *S. Bonav. in Pfal. 49.* *Did. Stell. in c. 10. Luc.*

2. In Pfalmo citato fequens legitur exprobratio, quam Deus indigno cuidam divini verbi fui miniftro in hæc verba objicit: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juftitias meas, & affumis teftamentum meum per os tuum?* Neque hic fiftit injuria, qua Deus fe affectum effe exiftimat, fed hanc inordinationem aggravando fequentia verba fubjungit: *Tu vero odifti difciplinam, & projecifti fermones meos retrorfum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas; Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, fedens adverfus fratrem tuum loquebaris.* Poteftne hac major dari inconvenientia, quod fcilicet is, qui paulo ante contra vitium v. g. detractionis graviter detonarat, paulo poft ipfemet in difcurfibus privatis famam proximorum fuorum profcindat? Quod is qui paulo ante pudicitiam & caftitatem alijs inculcarat, poftea ipfemet cum gravi uniuscujufque fcandalo luto fe impudicitiæ, & luxuriæ, collotenus turpiter immergat? Porro in textu Hebræo verbum quoddam admirationis habetur; Ita enim ibi legitur: *Quid tibi ad narrandum juftitias meas?* Et merito, quia ut Hugo Card. fuper illa verba: *Ut videant opera veftra bona*, notat: *Bonum opus, bona doctrina eft.* Et interlinearis ait: *Bene docet, qui facit quod docet. Opus à Domino requiritur, ut doctrina confirmetur. Bernardus ait: Lingua magniloqua, manus otiofa; Doctrina lucida, vita tenebrofa, eft res monftrofa.* Author operis imperfecti fequentem habet ingeniofam confiderationem. *Quomodo fratri tuo dicis, frater fine ejiciam feftucam de oculo tuo, & ecce trabs eft in oculo tuo? Id eft, putas ex charitate cordis, ut falves proximum tuum? Non; Sed ut te fimules juftum. Numquid poffibile eft, ut benevolentior fis alteri, quam tibi? Omnis Doctor qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, & ipfe in eodem conftitutus, non fe prius expurgat, certum eft, quia alloquens in Ecclefia, non alios vult falvare, fed per bonam doctrinam malos actus fuos celare, & fcientiæ laudem ab hominibus quærit, non ædificationis, mercedem à Deo; Et eft hypocrita, ideo competenter addit, & dicit: Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feftucam de oculo fratris tui. Hypocrita eft enim omnis Doctor, qui non prius facit bona, & poftea docet.* Quæ major hac excogitari poteft monftruofitas, quam fi aliquis trabem in oculis habens, ex oculis alterius fubtiliffimam feftucam extrahere prætendat? Peccata verbum Dei annunciantium, funt veluti ponderofæ, & ingentes trabes, fi comparentur cum peccatis fæcularium: Atque infuper infixa funt in pupilla oculorum, hoc enim nomine Deus miniftros fuos appellat dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Pf. 49. v. 16. Prædicator debet effe immunis à vitijs quæ carpit. *Matth. 5. 17.* *Hug. Card. Interl.* *Auth. Imperf. Hom. 17.* Bene docens, & male vivens, hypocrita eft. *Zach. 2. v. 8.*

3. Sanctus Apoftolus peffimæ hujus indolis prædicatores hifce verbis reprehendit: *Qui prædicas non furandum, furaris.* At vero quodnam eft hoc furtum, quod à prædicatore committitur? Deus apud Jeremiam de divino verbo fuo loquens ait: *Numquid non verba mea funt quafi ignis, & quafi malleus conterens petras?* Pergit ulterius conquerendo, & ait: *Propterea, ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea.* At vero quinam funt hi, qui verbum Dei annunciantes illud furantur? Nimirum hi, de quibus Sanctus Auguftinus ait: *Eos dixit Deus furari verba fua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei funt, cum mali fint, faciendo quæ fua funt. Nec fane ipfi dicunt bona, quæ dicunt, fi diligenter attendas, quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis?* Si quis eodem tempore quo rem aliquam alteri perfuadet in confpectum eorumdem, quibufcum loquitur, operaretur omnino oppofitum ejus quod dixit, numquid tibi ingens hæc monftrofitas effe videretur? Si is qui in cathedra tamquam judex profert fententiam condemnatoriam alicujus delicti, ipfemet illud ftatim committeret, numquid res monftrofa tibi effe videretur? *In quo enim judicas alium, feipfum condemnat.*

Rom. 2. v. 21. *Jerem. 23. v. 29.* *Ibid. v. 30.* Quinam prędicatores furentur verba Dei. *S. Aug. l. 4. de doct. Chrift. c. 29.*

Prat. florid. Tom. 2. l. 3. p. 2. c. 119. Quidã magnus prædicator publice in Ecclesia arguitur quod bene prædicet, & diabolice operetur.

4. *Vox quidem vox Jacob &c.* In prato florido ex Eborano historico sequens descripta reperitur historia ; Cum enim die quadam in una civitate Italiæ Prælatus quidam prædicaret, in tempore quo Otto quartus, & Fridericus secundus inter se de imperio concertabant, hicque Prælatus utpote summâ præfulgens potentiâ, multosque post se sectatores trahens, magnam haberet in dissensionibus illis partem, utpote qui nunc unius, mox vero alterius partem tuebatur. Contigit quod dum in sermone suo solida, valdeque convincentia adduceret argumenta, sinceraque veritates, (Erat enim vir eloquens & doctus) perorauerque ad persuadendum auditorio suo, quod numerosissimum erat, ignis discordiæ illius extinctionem, unus de medio totius auditorij illius, cui nomen erat Joannes Capotius, nobili illius civitatis familia oriundus, in pedes se erigens, vocem suam extulit, & dixit : *Verba tua vere sunt verba Dei, de hoc nemo dubitare potest, opera autem tua, & facta, opera sunt Diaboli.* Hacque veritate & libertate superbiam & monstruositatem prælati illius confudit. Idem scriptor refert, quod postquam septuaginta anni, quibus summi Pontifices Avinione in Francia resederant, effluxissent, tempore Gregorij undecimi acciderit, quod cum ab eo Episcopus quidam reprehenderetur, cur ad suam se non reciperet residentiam, Ecclesiæ suæ debitam, hic ausu quodam temerario eidem responderit : Et tu Pater sancte, qui mihi & alijs bono debes prælucere exemplo, cur cum tam notabili Urbis Romanæ, & totius mundi damno ab Urbe Roma te absentas ? Quo audito interius confusus, ab eo momento sibi Romam reverti proposuit, quemadmodum & postea reipsa fecit, quantumvis cum maxima Cardinalium Gallorum resistentia. S. Gregorius Magnus sequentem Ezechielis textum adducens : *Cum ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oves meæ, quæ conculcatæ pedibus vestris turbabatis, & oves meæ, quæ conculcatæ pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant,* ita scribit: *Aquam quippe limpidissimam Pastores bibunt, cum fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt, sed eamdem aquam pedibus pertarbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus, oves bibunt, cum subjecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt opera prævitatis imitantur.* Idem Sanctus Pontifex alio in loco, ubi pariter de cura pastorali tractat, hanc habet considerationem : *Improbus, & imperitus est medicus, qui alieno mederi appetit, & ipse vulnus quod patitur, nescit.*

S. Greg. par. 1. Cur. Past. c. 2.

S. Greg. par. 3. Past. admon. 25. Alia notabilis historia.

5. Author quidam fide dignissimus sequentem refert casum, qui anno 1630. Mediolani accidit, eo tempore quo prædicta civitas pestilentiæ contagione infecta erat, erat enim unus, qui librum quemdam penes se habebat, in quo descripta erant plurima remedia, tam ad morbum contagiosum jam contractum curandum, quam ad se præservandum ab eodem morbo ; Contigit igitur, quod cum librum hunc penes se haberet, ipseque pariter peste correptus fuisset, liber quoque idem malum contraxerit, absque eo quod Dominus illius id adverteret ; Cumque se venenum illud contraxisse ignoraret, multoque minus sciret librum prædictum ejusdem veneni factum fuisse participem, eumdem multis amicis & notis legendum dedit, ut in eo contentis tempore opportuno uterentur remedijs ; At vero factum est, quod eodem tempore, quo libro hoc utentes pestis ex eodem edisebant remedia, simul quoque contagionem imbiberent, adeoque quando se mediantibus antidotis in illo libro contentis à malo præservandos esse sperabant, contagium vel maxime contrahebant ; Nimirum doctrina libri bona erat, sed liber venenatus. Idem quoque accidit in prædicatoribus, qui bene prædicant, & male vivunt, bi enim semetipsos, simul & alios intoxicant : Hosce quidem, quia plus factis, quam verbis credunt, semetipsos vero, quia dum bene prædicantes male vivunt, semetipsos ore proprio condemnant : Et hi quidem vere sunt illi, de quibus in psalmo dicitur : *In cathedra pestilentiæ sedent :* Pessimum namque illorum exemplum perniciosissimum est, utpote quod summa cum facilitate etiam transfunditur ad alios corrumpendos. *Grandis condemnatio ea,* inquit D. Chrysostomus, *fermentum quidem suum componenti, vitam vero suam atque operam negligenti.* Ac proinde salutare est illud Magni Gregorij documentum, qui verba illa Ezechielis ponderans : *Tu autem fili hominis audi quæcunque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est, id est, inquit mala quæ fieri conspicis, ipse non facias, ne hoc quod prohibere valeris, ipse committas. Omnis namque prædicator intenta semper debet mente pensare, ne qui missus est lapsos erigere, ipse in prævitate operis cum lapsis cadat, & Pauli hunc sententia fortat dicentis : In quo alterum judicas, teipsum condemnas.*

Applicatio ejusdem historiæ.

Psal. 1. v. 1.

D. Chrysost. l. 1. de compunct. cord.

Ezech. 2. 8.

S. Greg. l. 1. Hom. 9. ibid.

6. *Vox quidem vox Jacob.* Sententia est S. Isidori dicentis : *Sacerdotis prædicatio operibus comprobanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo : Vera est enim illa doctrina, quam vivendi sequitur forma, nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat : tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur.* Quid de illorum agricolarum dicturus esses stultitia, qui pro messe futura nabenda sudant, ut alios pascant, ipsique sponte propria fame mori prælegant ? Quam similitudinem S. Gregor. in hæc verba deducit : *Si negligis implere : quod doces, alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione jejunas : Unde scriptum est : Cujus messem famelicus comedit : Messem quippe Doctoris, qui bona loquitur, sed non operatur, famelicus comedit, quia is quã panem justitiæ esurit, operatur mandata quæ audit, & ipse fructum non habet, qui seminando laboravit. Hinc Salomon ait : Abscondit piger manum suam sub axilla, nec ad os suum porriget eam. Nemo ita piger est, ut ad os manum comedendo reducere, laborem putet, sed piger nec ad os manum suam porrigit, qui nec hoc vult operari, quod dicit. Hinc de bene docentibus, & male operantibus dicitur : Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum &c. intenduntur arcum, atque sagittas mittunt, qui scripturæ sacræ sententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt, sed convertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentationem vitiorum, & pectus opponere non volunt, quia in tentationum certamine non resistunt.* Sanctus Isidorus in sententijs suis sequentem tangit ingeniosam similitudinem inquiens : *Qui bene docet, & male vivit, videtur ut cereus alijs, dum bona exponit, lucem præstare, se vero in malis suis consumere atque extinguere.* Didacus Stella aliam quamdam habet considerationem, qua apprime exprimitur damnum, quod sibi ipsi facit, qui bene dicit, & male operatur : Ait enim : *Portas litteras propriæ damnationis, nam bene loqui, & male vivere, est seipsum voce sua damnare ; Talis opere destruit, quod ore ædificat ; Unde in Ecclesiastico habetur : Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?* S. Greg. à S. Bonavent. relatus summopere dedecere dicit, quod aliquis propria voluntate, in fossam illam incidat, unde alium relevare conatus fuit : *Turpe est nimis, inquit, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conari sumus alios levare.*

S. Isid. l. 3. sent. Aliter vivens quã docens, alijs parat messem, & ipse fame perit.

S. Greg. l. 2. sent. c. 2.

Did. Stella ibid.

Eccle. 34. 25

S. Greg. Hom. 18. in Exech.

7. *Vox quidem vox Jacob &c.* Lictores quidem in passione Redemptoris nostri nonnullos erga ipsum adorationis actus, vocesque veri cultus & reverentiæ expressivas edidisse leguntur, verum omnes in ludibrium, & derisum ipsius directi erant : *Caperunt salutare eum : Ave Rex Judæorum, Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.* His similes sunt prædicatores male viventes, qui una ex parte evangelium, prout decet, annunciant, eidem vero per vitæ rectitudinem non correspondent. Unde B. Laurentius Justinianus ait : *Spiritualiter conspuitur Christus, quando carnaliter intellecta divina in Ecclesijs prædicantur eloquia. Nempe Sapientiæ cælestis pulchritudinem fædant, qui verbum Dei annunciantes, carnaliter vivunt ; Præconem veritatis audi. Castigo, inquit, corpus meum, & in servitutem redigo. Noverat vitam laudabilem plurimum prædicationi conferre. Ne igitur contemneretur Sapientia verbi, ne Christi facies sputis illusionum spiritualiter turparetur, tanta se Paulus cæde mactabat. Timeant verbi Dei tractatores in vitæ suæ deordinatione illudere Christo : Studeant suum virtutibus decorare sermonem, atque divino in morum probitate authoritatem præstare eloquio. Æqualis periculi res est, Dei verbum male vivendo proferre, & sanæ Christi doctrinæ, neguiter vivendo contradicere.* Propositio est quæ bene & mature ponderari meretur, qua dicitur, quod doctrina male sana sit instar cancri, sive gangrænæ (*ut cancer serpit*) quæ carnem sanam devorat, quasi diceret, doctrina non bene sana ad tollendam ab anima fideli veram fidem, eamdemque hæresi inficiendam abunde sufficit. Quis vero est adeo rerum nescius, qui malam & scandalosam Ecclesiasticorum vitam idem prorsus damnum intulisse ignoret, quando videlicet bene prædicant, & male vivunt ? Salvianus accusationum refert reatus, de quibus ab infidelibus mali Christiani insimulabantur, & ob quos in suis erroribus obstinati sæpe persistebant. Eosdem tamen reatus mutatis mutandis prædicatoribus quoque, quorum facta verbis non correspondent, adaptare possumus dicendo : *Ubi catholica est lex quam credunt ? Ubi pietatis & castitatis præcepta, quæ discunt ? Evangelia legunt, & impudici sunt ; Apostolos audiunt, & inebriantur ; Christum sequuntur, & rapiunt, vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt.* Sanctus Isidorus hanc habet sententiam : *Christianus malus, dum secundum Evangelij doctrinam non vivit, etiam ipsam fidem, quam verbo colit, oborta tentatione facile perdit.* Multis sæpe accidit Religiosis, quod in malæ vitæ suæ pœnam, tametsi à principio bene prædicaverint, postea prævaricari cœperint. Idem quoque punctum Salmeron his verbis tangit : *Est & alia ratio cur negligentius bonæ vitæ sit causa hæreseos, nimirum quia Deus in pœnam peccati hominem excæcat, & sibi derelinquit.*

Concionatores, male viventes assimilantur lictoribus, Christum torquentibus tempore passionis suæ. *Marc. 15. 18. Ibid. v. 19*

B. Laur. Just. de Triumpho Christ. agon. c. 14.

1. Cor. 9. 27

Diversæ sunt militudines ad hoc propositum. *Prov. 19. 24*

Psal. 77. v. 9.

Salm. disp. 4. in 1. Tim. 1.

DISCURSUS XXXVI.

ARGUMENTUM.

De damnis, quæ tam alijs, quam sibimetipsi infert, qui bene prædicat, & male operatur.

THEMA.

Quomodo dicis fratri tuo, sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo ? Matth. 7. v. 4.

Salvian. salut. l. 4. de Provid. Invectiva in bene prædicantes, & male viventes.

1. INcarnata sapientia hac loquendi phrasi illos præcipue erudire contendit, qui deputati sunt mediante prædicatione Evangelica, vel correctione, alios in virtutibus instruere, & malos impiorum mores emendare ; Ut autem inter peccata Ecclesiasticorum & Religiosorum ex una, & peccata sæcularium ex altera partibus sciant dignoscere, transgressiones eorum ; qui ad perfectiorem vitam obligantur, trabes, sæcularium vero prævaricationes, festucas appellavit ; Unde & Sanct. Bonaventura per hanc trabem *peccatum magnum* interpretatur, quia majoris ponderis sunt peccata hominum spiritualium, eo quod majus lumen, pluraque dona & auxilia quam sæculares à Deo acceperunt ; *Servus* enim *qui cognovit voluntatem Domini sui & non fecit, vapulabit multis.* Enimvero adversus illos qui reprehendunt alios, & prædicant, iniquitates ipsorum eis improperando, cum ipsi ijsdem, vel alijs similibus sint coinquinati, ita scribit D. Chrysostomus : *Hinc sibi congregant majus incendium, omnique semetipsos excusatione denudant.* Non enim, ut interlinearis ait, *est idoneus Doctor alijs mederi, nisi prius se sanaverit.* Ac proinde cælestis Magister noster eamdem prosequens allusionem, subjungit : *Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns ?* Quasi dicat, inquit S. Bonaventura : *Non potes hoc rationabiliter dicere, potest enim tibi dici, qui alium judicas, teipsum non judicas ? Et illud : Medice cura teipsum, unde talis monitio merito potius despicitur, quam audiatur.* Expedientissimum foret, si omnes ministri Evangelici ad imitationem Samuelis Prophetæ imperterrita fronte dicere possent : *Loquimini de me coram Domino, rutrum bovem cujuspiam tulerim, aut asinum ; Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi.* Imo advertendum est, quod in nova lege gratiæ non sufficiat ijs, quibus alijs prædicare incumbit, quod non sint reprehensibiles, quin insuper necessum est, ut sint perfecti, ipsomet Christo dicente : *Videant opera vestra bona.*

S. Bonav. Luc. 6. v. 41.

Luc. 12. 47.

D. Chrysost. Hom. 24. in Matth. Interlin.

S. Bonav.

1. Reg. 12. 3.

Matth. 5. 16.

Peccata religiosorum & prædicatorum sunt trabes, sæcularium vero peccata in comparatione illorum, sunt festucæ.

Qui prædicatores sint detractores verbi Dei.

Job 6. v. 25.

2. Apud Jobum Prophetam quærit Spiritus sanctus qua fronte verbis Dei, quæ sacro sancta, & irreprehensibilia sunt, æternæque veritatis partus existunt, detrahere præsumpsistis ? *Quare detraxistis sermonibus veritatis ?* Sed dices quonam modo verbo Dei detrahere quis potest ? Respondeo, quando prædicator auditoribus suis verbum Dei ministrat, simul tamen per perversa opera sua eidem se opponit, faciendo plane contrarium illius, quod verbum Dei præcipit, sine dubio verbum Dei contemptibile reddit omnibus Auditoribus suis, sicut detractor contemptibilem facit eum, cui detrahit. Loquebatur Job cum quibusdam amicis suis, qui venerant, ut ipsum nudum, omnique humano subsidio destitutum ; ut sterquilinio sedentem vituperarent, & consolarentur ; Quibus merito improperat dicens : *Quare detraxistis &c.* quasi diceret, vos huc venistis ut in miseriis meis me consolaremini ; Scitis, & videtis in quam pauperta tem & mendicitatem redactus sim, utpote qui ne vilem quidem panniculum, aut linteolum habeo, quo manantem ex laceris membris meis faniem abstergere possim ; Cumque me in hac necessitate constitutum sublevare possitis, hoc ipsum non solum non facitis, verum etiam verbis vestris mihi illuditis, facitisque plane contrarium illius, quod dicitis. Idem prorsus est error multorum prædicatorum ; Cum enim ad hos mortalia infirmarum animarum vulnera curare spectet, hocque ipsum virtutum, & bonorum exemplorum suorum subsidio facere possint, & debeant, bona dumtaxat verba in medium producunt, quæ eadem eodem tempore suspecta, & contemptibilia reddunt per malam vitam suam, & scandala. Sanctus Vigilius inquit : *Non est amor, nec benevolentia, ubi sermone & non opere subvenitur.* Prius quam Salvator noster S. Petrum summum ordinaret Pontificem, dicendo : *Pasce oves meas,* (in pascuis scilicet evangelicæ prædicationis) jam antea ipsum de charitate examinaverat, dicendo : *Petre amas me ?* Ut ex hoc intelligeremus, huic ministerio annexam esse charitatem, quæ bonorum operum exemplo potius, quam elegantia, & eloquentia nitidorum verborum animabus succurrit. Sicut igitur peccatum detractionis est gravissimum, ita quoque verbo Dei detrahere, & Evangelij prædicationem apud auditores contemptibilem efficere, in trutina illius, qui *Spirituum ponderator est*, summopere ponderatur ; Et ideo Sanctus Petrus videns verbum Dei, pro quo Christus tot modis, quoadusque hic in terris vixit, sudavit, & laboravit, contemptui haberi, & derideri, ut eidem majorem tidem adhiberi faceret, dixit ad Christum : *Verba vitæ æternæ habes.*

S. Vigil. disp. de Christo. Ministerio verbi Dei debet esse annexa charitas. *Joa. 21. 17.*

Joa. 6. v. 69.

3. Sancti Stephanus Cantuariensis in Allegorijs Tirelmanni super illa verba Deuter. cap. 27. *Sit cælum quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea ;* Vel ut Chaldæus legit. *Et erunt cæli qui sunt super caput tuum fores quasi æneæ, ut non dedusant pluviam, & terra quæ est subter te, erit fortis sicut ferrum ne faciat fructum.* Hæc inquam verba in sensu mystico proposito nostro ita adaptat : *Cælum est sacra Scriptura, unde extendens cælum sicut pellem ; ad cujus doctrinam vivere debemus ; sicut nauta ; qui semper habet respectum ad stellam ; Cælum ergo æneum est, quando vita nostra tantum est in sono verborum, quando prædicatores verba quærunt, non opera ; Sequitur : Et terram ferream ; Terra sunt corda auditorum, in quibus inspergitur semen, id est verbum Dei, quæ ferrea est, cum dura est, & obstinata, nec affert fructum in patientia, & hoc sit ; quando cælum est æneum, quorundam cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur.* In libro tertio Regum cap. 13. quædam huic proposito aptissima legitur historia. Deus enim Prophetam quemdam ad Jeroboam ablegarat, cui præceperat, ut ex parte Dei huic sacrilego impietatem & rebellionem, qua se erga divinam ejus Majestatem ingratissimum exhiberat ; improperaret, utpote qui ex statu infimo ad regium thronum evectus, duo nihilominus idola in divini cultus ignominiam erigere præsumperat. Abijt igitur Propheta armatus Spiritu quodam, Eliano spiritui haud absimili, hunccque sacrilegum Regem imperterrito pectore reprehendit, eique suam exprobrans Apostasiam, imminentia illi horrenda supplicia prædixit ; Nec non sacerdotes idololatras asperrime redarguit, & ecce ad vocem Prophetæ, haud secus, ac si fulmen quoddam fuisset, dissiliit, & divisum est altare, brachiumque regium, quod Prophetam apprehendere moliebatur, exaruit, idemque postea Propheta precante primitivo suo vigori denuo restitutum fuit. Quid amplius fieri poterat ; & nihilominus ad tam portentosæ vocis tonitru, quod cum stupendis miraculis conjunctum fuit, nec non ad tam horribilium comminationum resonantiam obstinatus ille Rex nequaquam resipuit ; Vultisne hujus pertinaciæ intelligere causam ? Textus in semetipso clarus est & perspicuus, dicitur enim : *Post hæc verba non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed è contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum.* Adeoque longe deterius egit, quam umquam ante : Josephus Hebræus observat id, quod etiam ex Scriptura evidenter deducitur, scilicet quod inobedientia illius Propheræ Jeroboamo deinceps manifestata, eumdem in bonis propositis instituendæ

Deut 28. 23. Prædicatores non tam verba, quam opera quærant, ne auditores pervertant.

3 Reg. 13. v. 33.

Applicatio ad propositũ historia Vet. Testamenti.

emendationis, quæ si forsitan à principio formarat, intepescere fecerit, quia per hanc etiam sacerdotes idolatræ, aliique falsi prophetæ animati fuerunt, ut regi remonstrarent illum verum à Deo missum Prophetam esse non potuisse, sed potius maleficum quemdam; Nisi enim talis fuisset, utique ab alio collega suo deceptus minime fuisset, sed potius Deus illi fraudem ejus quantocyus revelasset; Mulroque minus à Deo cum tanta severitate fuisset punitus, quippe qui à leone in via occisus fuit. Forsitan etiam idem sacrificuli Jeroboam persuaserant, altare ex violentia ignis fuisse disruptum, brachium vero, & manum regiam ex labore, quem tot victimas sustentando subierat, exaruisse, ecce tibi igitur qualem verbum Dei, & commissio huic Prophetæ à Deo imposita per levem quamdam culpam, ventilem scilicet & involuntariam obedientiam, passa fuerit jacturam, & præjudicium, iiquidem sacrilegus Rex ille non solum non se emendavit, verum etiam in impietate sua obstinatior & durior evasit. Quid igitur de illis dicemus, qui vitam agentes scandalosam, dissolutisque moribus imbuti, absque eo quod per miracula id quod dicunt confirment, ministerium quoddam *angelicis humeris formidandum* exercere præsumunt. Hæc porro causa est, cur nullum pariant fructum, & in vitijs suis stabiliti deteriores evadant quam antea fuerint, quia scilicet ijsdem vitijs eos coinquinatos videmus, quæ in alijs reprehendunt.

Applicatio historiæ.

Matth. 23. v. 15. *Auth. Imperf. Hom.* 44. *in Matth.* Ratio quare male vivens, alium corrigere non possit.

4. Author operis imperfecti in Hom. 44. verba illa explicans: *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ*, ita scribit: *Non propter gloriam Dei, neque de ignorantia hominum dolentes, sed aut propter avaritiam, aut gloriam vanam, ut videantur aliquos potuisse corrigere, sed qui propter Deum aliquem vult corrigere, aut qui propter vanitatem, ex ipsis factis docentis ostenditur, quando enim ipse in sanctitate conversatur, cognoscit quoniam errantem propter Deum corrigere vult, si autem ipse in malis versatur, quomodo alterum propter Deum corrigere valet ad bonum?* Ratio autem quam adfert, cur prædicatio alicujus qui male vivit, in alijs fructum parere non possit, hæc est & quidem efficax; *Numquid magis misericors potest aliquis esse alteri, quam sibi? Aut qui seipsum mergit in gurgitem peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere?* In levitico Deus hoc præ-

Levit. 19. 19. ceptum condidit: *Agrum non seres diverso semine*; Quod præceptum interpres quidam in sensu spiritua-

Rudolph. ibid. li ita explicat: *Ager est sancta Ecclesia, cui per Apostolum dicitur: Dei agricultura estis; Diversum itaque semen in hoc agro seminat, qui super cathedram Moysi constitutus, dicit, & non facit, bona loquitur, & contraria operatur, verbo triticum spargit, exemplo autem suo peccati fomentum in Discipulorum cordibus jacit.*

5. Non possunt alios audacter reprehendere, qui se ipsiem peccatis in semetipsis se reprehensibiles esse sciunt; Ideoque David ait: *Omnis iniquitas oppilabit os suum*, & diu ante ipsum Job inquit: *Iniquitas contrahet os suum.* Enimvero exigunum damnum foret, quod ejusmodi mali prædicatores in illis quos reprehendunt, nullum prorsus fructum pariant, malum vero maximum est, quod efficiant, quod hi, qui evangelicum illud debebant adimplere consilium: *Quæcumque dixerint vobis servare, & facite, secundum opera eorum nolite facere*, ejus loco sine ullo respectu aut fræno mordaces linguas suas laxent, ut malos prædicatores mordeant, & male de illis loquantur; Et ideo sapiens ait: *Qui arguit impium, ipse sibi maculam generat*; Sicut enim speculum maculas & sordes facici illius, qui illud inspicit, vivaciter exprimit, & repræsentat, eodem modo, inquit Salazar: *Qui scelveratum & procacem hominem incusat, & carpit, eadem quæ illi objicit crimina, sibi accersit; & in se quodammodo exprimit, ejusmodi enim petulantes homines objecta sibi crimina reciprocare, & in eosdem rejicere solent, à quibus commoniti sunt.* Valde considerabilis est illa D. Chrysostomi doctrina dicentis: *Criminandi omnes sunt, qui legem transgrediuntur, sed maxime omnium, qui Doctoris fungitur auctoritate. Dupliciter atque tripliciter isve condemnatur. Primum quia transgreditur; Deinde, cum in corrigendis alijs ipse claudicat propter dignitatem quam gerit, majori diguus supplicio est. Tertio, quia cum ea Doctor præsideat, negatia sua facile cæteros corrumpit.*

Pf. 106. 42. *Job* 5. v. 16. Audacter alium reprehendere de crimine nequit, qui ejusdem reus est. *Matth.* 23. 3.

Prov. 9. v. 7.

Salaz. ibid.

D. Chrysost. Hom. 73. *in Matth.*

6. Ministris Evangelicis bene adaptatur illud ab Apostolo traditum nobile epithetum: *Dei ædificatio estis*; Mali autem prædicatores, qui cum bono suo exemplo alios ædificare deberent, eosdem potius scandalizant, eorumque animas destruunt, atrocius merentur supplicium. *Arcus perversus est lingua magistrorum docentium bene, & viventium male*, inquit S. Isidorus, *& ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt.* Estque hæc prima ipsorum, quam referunt, pœna, scilicet, quod dum alios reprehendunt, multo magis semetipsos vituperent, & infament; Cum enim vitia ipsorum antea sæpe occulta fuerint, alijsque ignota, ipsis postea supra candelabrum constitutis, *ut luceant, & videantur opera eorum bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est*, sæpe contingit, ut auditores non minus curiosi, quam maligni vitiosum quam prædicatores ducunt, vitam indagantes, non solum ob malum prædicatoris exemplum, sibi in propria malitia perseverare, licitum esse arbitrantur, verum etiam ut eamdem apud alios probent, per malam prædicantis vitam defendere conantur. Divus Chrysostomus ait: *majus hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. Hoc multorum in Ecclesia malorum causa est.* Paulo ante vero dixerat: *Si non habueris opus bonum, non solum non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis, utiliusque fuerit tacere.* Sanct. Bonaventura de sanct. Francisco scribit, quod de prædicatoribus vitiosis, aut vanæ gloriæ deditis dicere solitus fuerit: *Plangendum* scilicet esse ejusmodi *prædicatorem tamquam vera pietate privatum, sive quia in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, sive quia prævitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ.* De hoc Ecclesiasticus ait: *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor? Unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus?* Malus prædicator, quantum bona & sana doctrina ædificat; quantum lucratur, & in auditoribus acquirit, tantumdem postea, imo multo plus per malos mores suos perdit, & amittit, ministerio ad quod est consecratus, injuriam facit, Evangelio, ejusque veritati fidem adimit, & efficaciam illius, quam alias in lucrandis Deo animabus habiturus fuisset, pariter inutilem reddit.

1. Cor. 3. 9. Prædicator qui malo suo exemplo alios scandalizat, atrocius supplicium meretur. *S. Isid. lib.* 3. *sent. c.* 37.

Matt. 5. 16

D. Chrysost. Hom. 3. *in Acta.*

S. Bonav. cap. 8. *vit. S. Franc.*

Eccli. 34. 28.

7. In annalibus S. Francisci legitur, quod Seraphicus hic vir à Religioso quodam Dominicano, rogatus, ut sequentem Ezechielis explicaret textum: *Si non annunciaveris impio, ut avertatur à via sua impia, & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram; respondevit: Ego ita consco declarandum: Quod servus Dei sic debet vita & exemplo in seipso ardere, & fulgere, ut luce exempli, & lingua sanctæ conversationis omnes impios reprehendat, sic enim splendor vitæ ejus, & odor famæ ipsius, annunciabit omnibus iniquitates suas, cujus oppositum si fecerit, populos, aut proximos scandalizando, divinæ ultionis non evadet judicium.* Quam erit ingens in novissimo judicij die prædicatorum confusio, quando videbunt, angelos colligentes messem, & cæli granario inferentes, quam ipsi fudoribus suis apud illos procurarant, qui nullam de malis ipsorum moribus, & conversatione pessima notitiam habebant; Seque instar paleæ in flammas infernales conjici. Et quidem observandum, quod licet lingua sit, quæ Evangelium annunciat, peccatores reprehendit, & corrigit, movet ad virtutes, persuader, & minatur, attamen Deus non de lingua, sed de manu protestatur dicens: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram*, non dicit de ore, sed de manu, quia per manum opera intelliguntur; Quasi diceret, quod si quis non magis bono exemplo, quam voce prædicaverit, de ruina animarum gravem & rigorosum rationem reddere debebit, & tamquam reus mortis illarum, ad patibulum infemi condemnabitur. Unde S. Bernardus ait: *Et si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina verbi, quam sterili vita noceat.* Et B. Laurentius justin. inquit: *Ridiculum equidem se intuentibus facit, qui volantarie delinquendo alterum conatur errata corrigere. Fit & hoc sapissime, ut in foveam cadens facentes erigat, & damnando alios ipse damnabilior existat.* S. Augustinus sententiam quamdam habet de Judæis, ad præsens propositum nostrum facile accommodabilem, ita enim scribit: *Significavit divina providentia apud Judæos solos divinas litteras remansuras, quibus Gentes instruerentur, illis exercerentur, quas paterentur, non ad adjutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ, seu potius* (si contra malos prædicatores dictum esse velis) *in testimonium damnationis eorum.*

Doctrina S. Francisci ad hoc propositum. *Ezech.* 3. 18. *Wadding. ann.* 1226.

Deus de maribus, & non de ore, prædicatorum requiret sanguinem peccantium malo ipsorum exemplo.

S. Bern. ser. 76. *in Cant.*

B. Laur. Justin cap 14. *de Triumpho Christ. agon.*

S. Augustin. ser. 30. *de Temp.*

Tales prædicatores comparantur fabricatoribus arcæ Noë:

Auct. Imperf. Hom. 42.

Exilius Ruben & Gad.

Prov. 6. 2. *S. Greg.* 3. *par. past. admon.* 5.

Jacob. 3. 1.

Alb. Magn. Tom. 12. *l. de mult. fort. cap.* 17. *§.* 1.

S. Greg cit. à S. Bonav. in Pharetra cap. 15. *Pfal.* 118. 21 *S. Bonav. ib. Jerem.* 48. 10

8. Operarij illi, qui Noëticam fabricarunt Arcam multis quidem annis laborarunt, non tamen in utilitatem propriam, sed in solius familiæ Noë commodum, utpote quæ illis pereuntibus in ea salvata fuit. Ita quoque multis prædicatoribus contingit, qui multis annis prædicando sudant, ut alios salvent, ita tamen ut per malam vitam suam semetipsos perdant. Unde author operis imperfecti in hæc verba scribit: *In judicio quidem, si bene vixeris; & bene docueris, omnium judex; Si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator es, nam bene vivendo, & bene docendo, populum instruis quomodo debeat vivere, Bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare.* Filij tribus Ruben & Gad primi abierunt, ut terram promissionis alijs præpararent, quemadmodum etiam pars aliqua tribus Manassis; Et tamen infausta hæc illis fors accidit, ut ab altera Jordanis ripa remanserint, absque eo quod terræ promissionis pedem suum umquam intulerint; Ex qua historia Lyranus sequentem deducit moralitatem, dicit enim quod Ruben interpretetur visio, ac proinde Prælatum quemdam Ecclesiasticum denotet; *Gad* vero idem sit quod *accinctus*, & sæculares designet; Manasses autem idem sonat quod oblivio, & religiosos significet; Ex omnibus autem hisce vocationibus multos esse dicit, *Qui laborant pro alijs, ut habeant terram promissionis, ipsi tamen hac salute privantur in persona propria.* Sanctus Gregorius adducens verba illa: *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus*, inquit. *Apud districtum judicem cogitur tanta in opere exolvere, quanta conflat eum alijs voce præcepisse*; Ac proinde S. Jacobus merito hortabatur dicens: *Nolite plures Magistri fieri, scientes quoniam majus judicium sumitis.* Albertus Magnus ita scribit: *Vir pollutus labijs est prædicator, habitans in medio populi polluta labia habentis, ut exemplar perversionis eorum, qui tot animarum, ut dicit Gregorius, rei sunt, quot ad infernum perditionis exemplo transmittunt.* Sanctus Bonaventura ad hoc ipsum confirmandum authoritatem adducit Sanct. Gregorij dicentis: *Qui mandata Dei in memoria retinet, sed nequaquam facit, is in doctrinæ suæ verbis, sententias quibus damnetur, texet.* Idemque Seraphicus Doctor super illa verba Psalmi: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*, sequentem Jeremiæ textum in medium adducens: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*, ita scribit: *Gladius est verbum prædicationis, sanguis contagium prævaricationis; Gladius sanguinem effundit, cum verbum prædicationis contagium prævaricationis confundit.*

DISCURSUS XXXVII.
ARGUMENTUM.

Prædicationem Evangelicam longe efficaciorem & fructuosiorem reddit divina assistentia, quam studium, & eloquentia.

THEMA.

Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Matth. 10. *v.* 20.

Optima prædicatio est quæ à Spiritu S. dictatur *Rup. l.* 8. *in Matth.*

1. RUpertus Abbas hanc incarnati verbi sententiam prædicatoribus applicans, iisdem salutare hoc tradit documentum: *Cum autem accedilis ad tractandum Verbum Dei, tunc nolite præcogitare, qualiter verborum phaleris Sanctæ Scripturæ sensum exornetis, dabuntur enim vobis sponte vententa de Spiritu Patris vestri, quæ utique, quanto magis sponte venient, tanto & vobis minus fatigationis, & audientibus, sive loquentibus plus afferet delectationis.* Hæc enim optima est prædicatio, ingentemque fructum parit, quæ à Spiritu Sancto, dictatur, de quo Christus Apostolos assecuraverat dicens; *Ille vos docebit omnia, & suggeret*; Adeoque primo loco fundamentum super Spiritum Sanctum jacere oportet, & credere, quod hoc ministerium, potius opus sit Dei, quam studij & ingenij nostri. *O quam dulce, quam præclarum est, ea quæ loquimur, aut scribimus, talia esse, ut prudens auditor, sive benevolus lector nequaquam dignetur adscribere nobis, dicaciae: Non enim vos estis qui loquimini.* Sanctus Bernardus, qui ob suam eloquentiam mellifluus appellatur in hæc verba scribit: *Potest prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem charitatis palato cordis infundere; Unde Gregorius ait: Nisi sit intus Spiritus qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Porro Spiritus divinus tam in dicente, quam in auscultante requiritur, ut prædicatio Evangelica fructus salutares parere possit. Observa-

Joan. 14. 26

S. Bernard. ser. 66. *in parvis.*

Spiritus divinus tam in dicente, quã in auscultante necessarius

ftisne quibus verbis cœlestis agricola prædicationem in Evangelio describat? *Semen* inquit, *est verbum Dei.* Porro ad seminandum labore opus est, sudoribus, & industria agricolæ; At vero ut semen hoc in terram excultam dispersum fructum afferat, hæc omnia non sufficiunt, nisi etiam cœlum per benignas influentias cooperetur; Eadem proportione de Verbo Dei asserere possumus; Is namque cui illius ministrandi cura & officium incumbit, necessario antecedenter per studium, laborem mentisque applicationem se præparare debet, ut illud, cum convenienti dignitate, ut par est, annunciare possit; At vero hoc totum non juvabit, nisi divina gratia, & influxus superni tam prædicatori, quam auditoribus pariter assistant; *Non enim vos estis qui loquimini.* Et quidem, nisi fallar, hoc idem Apostolus asserere voluit, quando ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et paulo post idipsum confirmat subjungendo: *Dei sumus adjutores*, à manu namque omnipotenti incarnatæ sapientiæ, velut instrumenta adhibemur: *Dei agricultura estis.*

Luc. 8. *v.* 11

1. Cor. 3. 6

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 9.

2. S. Bonaventura in serm. 2. de SS. Evangelistis ita scribit: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa. Divinum Verbum frequentius prædicatum est valde virtuosum, si et assistat verbum increatum, propter nos creatum, sive incarnatum, nam præter verbum increatum, frustra impenditur verbum creatum prædicatum.* Et paulo post in progressu ejusdem sermonis inquit: *Bene. dicit Dominus: Dabit verbum Evangelizantibus virtute multa, quia omnis virtus quæ est in verbo prædicato, est à verbo propter nos creato, sive incarnato.* Propheta Evangelicus quærit inquiens: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Albertus Magnus super cap. 4. Sanct. Lucæ, textum illum Job cap. 36. adducens: *Qui de nubibus fluunt*, inquit: *Nubes, hoc est, prædicatores.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus de hac doctrinæ & sapientiæ divinæ salutari pluvia exponit illud Eccl. cap. 15. *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum*; Hæc autem aqua à Ministris Evangelicis emanat. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 16. Super Leviticum ita scribit. *Quæramus in scriptis quæ sit pluvia, quæ sanctis tantummodo datur, & de qua mandatur nubibus, ne pluant pluviam istam super injustos; Quæ ergo sit ista pluvia, ipse Moyses horum legislator nos edoceat, ipse enim dicit in Deuteronomio? Attende cœlum, & loquar, audiat terra verba ex ore meo, expectetur sicut pluvia eloquium.* Sanct. Gregorius textum illum; *Qui legat aquas in nubibus sitis, ut non erumpant pariter deorsum*, in favorem nostrum ita exponit: *Quid hoc loco aquam, nisi sententiam, quid nubes, nisi prædicatores appellat?* Adducitque sequentem sapientis authoritatem dicentis: *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Nubium nomine quid hoc in loco aliud, quam prædicatores sancti, id est Apostoli, designantur, qui per mundi partes circumquaque transmissi, & verbis nowerant pluere, & miraculis coruscare? Quos Isaias Propheta longe ante intuens, dixit: Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Quia igitur vir iste prophetico plenus Spiritu in hac locutione sua ad laudem Dei initium nascentis Ecclesiæ desiderat exordiri, studet ejus ordinem ab Apostolorum prædicatione narrare, qui curaverunt summopere rudibus populis prædicare.* Porro quemadmodum nubes ad agros fœcundandos mira cum velocitate ab uno loco ad alterum verluntur, ita quoque prædicatores Christianismum percurrunt, ut varias civitates & populos edoceant, juxta exemplum, quod cœlestis Magister eis dedit apud S. Lucam cap. 4. ubi ait: *Quia & aliis civitatibus oportet me Evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum, & erat prædicans in synagogis Galilææ.* De Discipulis, qui Magistri sui sectati sunt vestigia, Sanctus Marcus pariter scribit: *Illi autem prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Pf. 67. *v.* 12 *S. Bonav. serm.* 2. *de SS Evang.* A verbo incarnato pene omnis vis verbi prædicati.

Isai. 60. 8

Luc. 4. 43.

Marc. 16. 20

3. Albertus Magnus circa prædicta verba ita scribit: *Reprehenderitur hoc exemplo in uno loco facentes, non Evangelizantes, sed convidentes, & bibentes, quæ*

Job 36. 28. *Alb. Magn. in cap.* 4. *Luc.* *Job.* 36. 28 Verbum Dei comparatur salutari pluviæ, à nubibus descendenti *S. Cyrill. Alex. lib.* 16 *in Lev.* *Job.* 26. 8.

S. Greg. l. 13 *Mor. c.* 14.

Prov. 18. 4.

Alb. Magn.

Aliæ comparationes prædicatorum cum nubibus.

per Evangelium sunt acquisita. Verum enimvero sunt & aliæ duæ rationes, ob quas merito prædicatores per nubes designari dicuntur; Quarum prima est, quia sicut nubes cœlum versus à terra sunt elevatæ, & desuper pluvias suas demittunt, absque eo quod in terras descendant, vel terram umquam contingant; Eodem modo veri prædicatores Apostolici ab hisce bonis terrenis totaliter alieni esse, & cum Apostolo dicere deberent: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Altera ratio est, quia nubes auxiliante vento in varia loca devolvuntur, ac tandem resolvuntur in aquas; Per ventum porro Spiritus Sanctus intelligitur, qui in forma visibili descendens, *Tamquam advenientis spiritus vehementis advenit*, ut insinuaret, quod instinctus cœlestis, & Spiritus Sanctus esse debeat, qui ministros Evangelicos in varia loca ad prædicandum destinat, iisdem divinam suam assistentiam exhibet: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, &c.* S. Basilius, & divus Chrysostomus rem hanc similitudine quadam à navi in mari posita desumpta explicare satagit dicens: *Da mihi navim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia Disposita & numquam esse spiritum venti, nonne cessat omnis qualiscumque apparatus, si desit operatio spiritus? Ita licet sit sermonis ampla suppellex, mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, si non adsit Spiritus Sanctus, qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia.*

Phil. 3. 20. — Act. Apost. 2. v. 2. — Ventus Spiritus S. destinat prædicatores per varia loca. — Matt. 10. 20. — S. Basil. hom. de Spiritu S.

4. Apostoli aliquando per integram noctem in ejiciendis, & extrahendis retibus laborabant quidem, sed sine ullo prorsus fructu: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*, at vero quando hæc illis fortuna accidit, quod *concluserint piscium multitudinem copiosam?* Tunc videlicet quando Petrus Christo dixit: *In verbo tuo laxabo rete, quia Dominus dabit verbum virtute multa. Qui nihil ante ceperant*, inquit S. Ambrosius: *Magnam in verbo Domini concludunt piscium multitudinem; Non hoc humanæ facundiæ opus, sed supernæ vocationis est munus.* Sanctus Antonius de Padua, qui Spiritum Sanctum Magistri loco habuit, in prædicatione sua inquit: *In verbo Christi laxat rete, qui nihil sibi, sed totum illi tribuit*; Non tamen excluditur labor, studium, & applicatio mentis ipsius prædicatoris, quia hoc esset tentare Deum; In primo tamen loco confidentia in Deum & divini Spiritus ejus imploratio requiritur; Ac proinde celebris quidam prædicator dicere solebat, pro prædicatione habenda tam serio studijs incumbo, & ex parte mea adeo laboro, ac si Deus omnem mihi assistentiam denegaturus esset, at vero postquam ex parte mea feci quod potui, ita me intra manus ipsius Dei conjicio, meque ab illo duci permitto, haud secus ac si nullum prorsus studium præmisissem. Albertus Magnus eadem verba explicando inquit: *Quia frustra laborat extra lingua doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris, & ideo pisces, qui ante sermonem Domini reti Simonis se subduxerant, modo post verbum Domini quasi undique certatim venientes, reti sese certatim injecerant, & hoc notat, cum dicit: In verbo tuo laxabo rete.* Et quidem ut Salvator noster hac in re salutari nos præiret exemplo, licet æterni Patris verbum & sapientia esset, attamen protestabatur dicendo: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Et vero ut hæc veritas majori cum fructu nobis insinuetur, notandum est insuper, quod idem Salvator noster de Spiritu Sancto loquens, qui Apostolos pro hoc ministerio Evangelico obeundo eruditurus erat, dixit: *Cum autem venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Sanctus Paulus qui in Academia cœli empyrei edoctus fuit, *Ubi audivit arcana verba, &c.* Quique conversurus erat universum mundum pro se ferventes ad Deum orationes effundi petijt; Audite quibus verbis Ephesios precatus fuerit: *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Cum Moyses apud Deum se excusaret dicendo: *Obsecro Domine non sum eloquens*, siquidem balbus & tardiloquus existens, coram Pharaone in nomine Dei perorare non audebat, Deus iidem responsum quoddam dedit, quod merito omnes ferventes consolari deberet prædicatores; Deus enim illi dixit: *Et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Verumtamen eidem insuper etiam prodigiosam illam virgam in manus dedit, ad denotandum, quod ubi lingua deficeret, manus linguæ officium suppletura esset, id est miraculosa vitæ ejus sanctitas. Cassianus de Abbate Moyse refert, ab eodem observatum fuisse, quod Deus prædicatoribus Evangelicis verbum suum subministraret, cum majori vel minori virtute, pro majoribus vel minoribus meritis vel demeritis eorum, qui auscultabant.

Luc. 5. 5. — Prædicator in verbo Christi debet laxare rete prædicationis. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 5. — S. Ambr. l. 4 in Luc. — S. Anton. de Pad. ser. in Dom. 5 post Trin. — Albert. Mag. — Joan. 7. 16 — Joan. 16. 13 — 1. Cor. 12. 4. — Ephes. 6. 19 — Exod. 4. 10 — Ibid. v. 12. — Cass. coll. 1 cap. ult.

5. Axioma est Sapienti à Spiritu S. dictatum: *Hominis est animam præparare: & Domini gubernare linguam.* At vero in quonam hæc animæ præparatio consistit? Num forte in eo; quod anima sanctificetur, & expietur ab omni peccato: Aut vero in ruminatione interiori illius quod dicitur, cum fervida quadam oratione conjuncta? Sanctus Augustinus ait: *Aliquando aptitudine naturali in prædicatore existente, & arte Rhetoricæ adjuncta Spiritus operatur plenius, inducendo auditores ad faciendum quæ prædicat. Hominis ergo est, ut dicit Salomon, præparare se, ut scilicet bene dicat, Domini autem dirigere linguam.* Sanctus Augustinus super Psalm. 87. scribens, illaque verba explicans: *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, subdit. *Ut ostenderet eam ipsam fidem qua credit, & ex morte sui cordis reviviscit anima dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo existant excellentes Verbi Dei prædicatores & veritatis, etiam per miracula sua fortes tamquam Magna medici agunt cum hominibus, si mortui sunt; & tua gratia non revixerint, numquid mortuis facies mirabilia, aut medici exsuscitabunt, & hi quos exsuscitabunt confitebuntur tibi?*

Prov. 16. 1 — Quantumvis prædicator sit aptus ad loquendum, tamen absque gratia Dei nihil proficiet. — S. Antonin. p. 3. tit. 18. c. 3. v. 2. — Joan. 6. 44. — S. August. in Psal. 87.

6. Propheta Regius de lingua sua dicebat: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis; Id est*, ut Hugo Cardinalis exponit, *Spiritus Sancti, quasi dicat: Quod loquor, à meipso non loquor; sed à Spiritu*; Idque illis Christi verbis confirmat: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus; &c. Sicut enim calamus non scribit, quod vult; sic homo non prædicat à se; sed à Spiritu Sancto dictante & scribente in corde prædicatoris, & in cordibus audientium.* Ante omnes autem Sanctus Augustinus advertit dicens: *Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est, admonere possumus per strepitum vocis nostræ, sed si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster, neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Idem Sanctus Doctor paulo post nobilissimam hanc tradit propositionem: *Cathedram in cœlo habet, qui corda docet.* Rupertus Abbas sub principio Propheticæ Oseæ notat Spiritum Sanctum frequenter prophetarum libros incipere: *Factum est verbum Domini super, &c. Ubicumque in sacris legimus Scripturis, ad illum, vel ad illum factum esse Verbum Dei, magnam sonat beatitudinem hominis; quam & in David veritas ipsa commendat; cum dicit: Beatus homo quem tu erudieris Domine*, id quod cum illo optime concordat, quod apud B. Laurentium Justinianum legimus dicentem: *Prædicatorum autem lingua, ipso Paraclito assistente efficitur erudita in Sapientia ad loquendum Verbum Dei.*

Ps. 44. v. 2. — Hug. Card. ibid. — Lingua prædicatoris comparatur calamo scribentis Spiritus S. — S. Aug. Tr. 3. in Epist. Joan. vers. fin. — Osea 1. v. 1. — Rup. Ab. l. 1. Ibid. — B. Laur. Justin. de instit. & Regim. Prel. cap. 7.

7. Consideratione quoque digna sunt verba illa Salvatoris: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*; Quorum verborum mysterium Cardinalis Toletus in hæc verba declarat; *Ut significaret exteriorem cujuscumque prædicationem Verbi Dei non sufficere ad intellectum, & mentem auditorum convertendam, & trahendam ad sensum & intelligentiam, nisi interius Spiritu Sancto cooperante.* At vero dices fortasse, quid igitur in eo latet mysterij, quod in principio sermonis non invocetur Spiritus Sanctus, sed passim usitatum sit, salutationem dicere Angelicam? Cardinalis Bellarminus dubium hoc movet pariter, & resolvit, dicens: Ob duplex fidei mysterium, primum enim est, quia munus concionatoris munus Angelicum est, & sicut Archangelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro missus, est ut ea virtute Spiritus Sancti conciperet & pareret Filium Dei, ita Concionatores ad Ecclesiam mittuntur, quæ sponsa est Christi, ut ea quoque Filium Dei fide concipiat, charitate pariat, bonis operibus nutriat. Aliud vero mysterium dicit esse, quia sicut virgo auditis Angeli verbis, verbum illud, quod antea neque videri, neque audiri, neque capi poterat, humana carne vestivit; Ut proinde scriptum sit: *Quod vidimus, quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, ob hunc respectum prædicator sermonem suum à salutatione Angelica exorditur, ut virgo per hanc im-

Joan. 14. 26. — Quare in initio sermonis non invocetur Spiritus S. sed dicatur salutatio Angelica. — Toletus. — Bellarm. conc. 2. supermiss. sus est. — 1. Joan. 1. 1.

implorata, talem ei impetret facilitatem, talemque facundiam, ut Verbum Dei tanta cum claritate annunciare possit, ac si manibus tangeretur, aut visibiliter conspiceretur oculis.

DISCURSUS XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Prædicandum est ut extirpetur vitium, & fructus pariantur.

THEMA.

Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes. Jerem. 1. ℣. 10.

1. Propheta ille, qui coram Deo protestatus fuerat dicens: *A.a.a. ... nescio loqui*, electus à Deo fuit, ut provincijs & regnis prædicaret? *Constitui te hodie super gentes, & super regna*; Advertendum tamen est, Deum sibi hoc munus respectu Prophetæ illius assumpsisse, ut linguam ejus erudiret, & facundam redderet, ac proinde ei dixit. *Dedi verba mea in ore tuo*; Neque enim ei juxta proprium sensum vel arbitrium prædicandum erat, sed juxta divinam inspirationem, & motionem. Quonam vero fine Deus ministris Evangelicis verbum suum communicet, ex hoc textu assumpti thematis clare ac perspicue deducitur Porro Salvator noster prædicatoribus nobilissimum hoc attribuit epithetum; *Vos estis sal terræ*; Quod profecto præ cunctis alijs sibi commeruit S. Franciscus Salesius, qui lingua & calamo innumeras conversiones instituit, & absolvit; *Septuaginta enim duo millia hæreticorum ad Catholicam fidem reduxisse dicitur.* Hic sanctus Præsul in Epistolis suis, de finibus, propter quos prædicandum est, differens, ita scribit, Quisnam Prædicatoris in actu prædicandi debet esse finis? Finis & intentio ejus debet esse, ut scilicet id faciat ob id propter quod Christus in mundum hunc venit. Quisnam vero Christi in hunc mundum venientis finis fuerit, ipsemet claris hisce verbis edicit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Finis itaque prædicatoris hic esse debet, ut scilicet peccatores per iniquitates suas mortuos, vivificent ad justitiam, & ut justi, qui vita spirituali gaudent illam abundantius possideant, magisque perficiantur; Et ideo Jeremiæ dictum fuit: *Ut evellas & destruas*, vitia scilicet & peccata; *Et ædifices, & plantes*, virtutes nimirum & perfectiones. S. Carolus Borromæus pariter in instructione ad hunc effectum specialiter data utilissimum hoc documentum post se scriptum reliquit: *Quoniam animarum salus in eo posita est, ut populus fidelis, quæ mala, peccataque sunt, fugiat, & rursum quæ bona, virtutumque officia, pietatis studio consectetur, ideo hæc genera assidue concionator urgeat, atque instet. Universe peccata omni increpatione exagitet, cruciatus, tormentaque perennia, ac sempiterna damnatorum exaggeret, sæpe mundi res caducas, brevique interituras, & ejus infinita incommoda ad omnem exagitationem studiose proponat, ac recenseat calamitates.* Longum quoque contexit execrandorum scelerum catalogum, pro quibus rescindendis & evellendis prædicationis falcem evibrandam esse demonstrat. Beatus Laurentius Justinianus Prælatos Ecclesiasticos quoad ministerium sequenti doctrina instruit: *Studeant in prædicationibus suis annunciare Christum, detestari vitia, commendare virtutes, malignorum spirituum detegere fraudes, & præsentis peregrinationis doceant evitare discrimina.*

Jerem. 1. 6 — Quisnam debeat esse finis & intentio prædicatoris. — Matth. 5. 13 — Sales p. 1. lib. 1. Epist. — S. Franciscus Salesius ad fidem convertit septuaginta duo millia hæreticorum. — Joan. 10. 10 — Jerem. 1. 10. Ibid. — Act. Eccle. Med. fol. 434. — B. Laur. Justin. de inst. & Regim. Prælat. c. 7.

2. Verbum incarnatum de cœlo in terram descendens, ut ibidem Ecclesiam sponsam suam prædicatione Evangelica mediante plantaret, primo suum misit præcursorem, ut operis illius faceret principium; Quodnam vero hic prædicationum suarum sibi thema assumpsit? *Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens: Pœnitentiam agite*; Eodem quoque Exordio ipsamet Sapientia incarnata usa fuit: *Cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite.* Hugo Card. inquit: *Prædicatio Joannis fuit vox Christi satis terribilis, quia terribilia prædicavit, quæ valde perterrent peccatores, scilicet mortis incertitudinem, judicij severitatem, æternam damnationem. Factum est verbum Domini super Joannem*; Ecce tibi finem ob quem ipsum ad hoc ministerium miserit, & destinarit, ut scilicet exemplo suo omnes alios doceret, quasnam materias præcipue prædicare debeant. Divus Chrysostomus qui propter auream eloquentiam os aureum appellatus fuit, in homilia quadam protestatur dicens: *Ea de causa quotidie vobis concionamur, ut aliquid sacri faciatis, & virtutes vestræ crescant, & nos lætemur, videntes vestrum profectum. Numquid enim temere & in vanum dicere volumus, ut à vobis laudum fructus recipiamus, & ut plaudentes manibus recedatis? Non hoc spectamus; Absit, sed vestram salutem. Mea maxima laus est, & summus plausus, si quis à vitijs ad virtutem convertatur.* Enimvero certissimum est, cœlestem Magistrum nostrum nullum umquam in Ecclesia sua, in ordine ad hoc officium Evangelicum reliquisse perfectius exemplar, quam fuerit doctor gentium; *Quoniam ipse erat dux verbi.* Hic igitur ad Corinthios scribens inquit, *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam.* Porro S. Paulum munus prædicatoris Apostolici excellentius & melius, præ cunctis alijs exercere novisse in dubium revocari penitus nequit utpote qui *raptus in paradisum audivit arcana verba*, adeoque non tam in schola Gamalielis, quam in ipsiusmet increatæ Sapientiæ Gymnasio eruditus fuit, videamus igitur quid dicere voluerit, quando ait: *Volo quinque verba sensu meo loqui? Quid est sensu meo loqui*, quærit Divus Chrysostomus, *ut & alios instruam?* Respondet Sanctus Doctor: *Quod quæreret quæ sunt utiliora, erat enim liber ab omni inani gloria, & unum spectabat, ut meliores redderet auditores.* De quinque hisce verbis Hugo Card. ita scribit: *Quinque verba, secundum F. Jordanem Magistrum ordinis; Quid credendum, scilicet duodecim articulos; Quid faciendum, scilicet decem præcepta decalogi, Quid fugiendum, scilicet peccata mortalia, quid appetendum, scilicet gaudia paradisi; Quid timendum, scilicet supplicia inferni, unde versus quidam sic habet: Quid credam, faciam, fugiam, sperabo, timebo.* Doctor Angelicus quinque hæc verba simili fere modo exponit, dum ea quinque sequentia esse dicit: *Agenda, timenda, vitanda, speranda, credenda.* Prædicationes porro, per quas sanctus Apostolus mundum hunc convertit (qui instar cujusdam densæ silvæ erat, ut proinde Sanctus Leo Magnus de Roma, quæ mundi caput est, differens, eamdem appellarit *silvam istam*) non consistebant in eruditionibus, nec in conceptibus peregrinis, neque in eloquentiæ & doctrinæ suæ ostentatione, sed in eradicandis vitijs, in inferendis in auditorum mentes Christianis virtutibus; At proinde Hugo Cardinalis super illa verba: *Prædicans baptismum pœnitentiæ*, in hæc verba scribit: *Hic autem suggillantur curiosi prædicatores, qui ponunt in cœlum os suum, loquentes de linguis Angelorum, & de differentia Hierarchiarum, iste autem eximius prædicator nihil tale prædicavit, sed tantum quod informabat populum, quid fugiendum, & primum cum dicit? Pœnitentiam agite, fugiendo peccatum, quid eligendum cum subjungit: Appropinquavit enim regnum cœlorum, ista enim duo prædicanda sunt, scilicet declinare à malo, fugiendo peccatum, facere bonum regno Dei appropinquando.* Et paulo post aliam quamdam subnectit moralitatem inquiens: *Si talis esset Prædicator, omnis Jerosolyma, hoc est claustrales, omnis Judea, id est Clerici, omnis Regia sæcularium baptizarentur, id est mundarentur.*

Quales materiæ prædicandæ sint, patet ex exemplo Baptistæ, & ipsiusmet Christi. — Matth. 3. 2 — Matt. 4. 17. — Hug. Card. — Luc. 3. 2. — Chrysost. hom. 54. in Gen. — S. Paulus fuit perfectissimũ exemplar Evangelici prædicatoris. — Act. Apost. 14 v. 11. — 1. Cor. 14. v. 19. — 2. Cor. 12. 4 — 1. Cor. 14. 19 — Chrysost. ho. 35. ibid. — Hug. Card. — S. Thom. ibid. — Marc. 1. 4. — Hug. Card. ibid.

3. Sapiens in Proverbijs ait: *Via vitæ custodienti disciplinam, qui autem relinquit increpationes, errat.* Ubi septuaginta melius ad propositum nostrum legunt. *Disciplina vero carens increpatione errat.* Enimvero si in populo aliquo disciplinam, timorem Dei, vitæ melioris directionem introductam desideratis, necessum est ut vitia extirpentur, quod maxime fit, tremendas & horribiles prædicando materias, verbi gratia, de morte, de judicio finali, de peccato, quemadmodum Sanctus Joannes Baptista fecit, dum auditoribus suis sequentia frequenter inculcavit. *Securis ad radicem arborum posita est, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Quid igitur mirum est, si in omni personarum statu, tanta post prædicationem ejus subsecuta est vitæ mutatio, & conversio? *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? ... Venerunt & publicani, ut baptizarentur, ... Interrogabant eum & milites, dicentes: Quod faciemus & nos?* Quisnam obsecro finis perspicuus fuit, ob quem præcursor ante Messiam à Deo fuit præmissus? Sacer textus ait: *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem*

Prov. 10. 17 — Prædicator ante omnia conetur extirpare vitia, prædicando materias terribiles. — Matt. 3. 10. — Luc. 3. v. 10. — Luc. 1. v. 76.

remissionem peccatorum eorum. Et ideo omnis doctrina, omnis scientia, omnis eloquentia, quantumcumque illa in prædicatore aliquo admirabilis sit, prorsus est inutilis, & infructuosa, nisi ad salutem animarum, & peccatorum extirpationem tendant & colliment. Hæc igitur est vera scientia, quæ scientia est *salutis in remissionem peccatorum.* S. Petrus cœlesti Magistro suo dixit: *Verba vitæ æternæ habes*, ad insinuandum Verbum Dei ad lucrum animarum esse dirigendum. S. Paschasius in prologo libri 5. super Matth. inquit: *In Dei verbis non humana Sapientia, sed Spiritus & vita lucet, & ideo ipsa verba jure verba vitæ dicuntur, quia non in his flos eloquentiæ redolet sæcularis.*

Joan. 6. 69 — *S. Paschas. Prologo in lib. 5. Matth.*

Quare Deus prædicatori det linguam eruditam.

4. Isaias qui per excellentiam Propheta Evangelicus appellatur linguam eruditam à Deo sibi communicatam fuisse dicit, utpote quæ à Seraphinis purificata fuit: *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam*, id est, ut Interlinearis exponit, *scientiam & sapientiam.* At vero quo fine ipsum increata Sapientia, modo tam prodigioso erudivit? *Ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo*, hoc igitur fine prædicatoribus Deus talenta communicat, infundit Sapientiam, idiotas facundos, & eloquentes efficit, ut lapsos peccatores erigant, & eos qui in via divinorum præceptorum suorum exacte ambulant, in justitia sua conserventur. *Ut sciam sustentare humanum genus lapsum in peccatum, verbo prædicationis*, inquit Interlinearis, *Ut errantem populum sustentet, & revocet ad salutem*, inquit S. Hieronymus.

Isai. 50. v. 4 — *Interl.* — *Ibid. v. 4.* — *Interlin. S. Hieron. ibid.*

5. S. Matthæus de Salvatore nostro ait: *Erat docens sicut potestatem habens*, quæ verba Victor Antiochenus in hunc sensum explicat: *Quia non loquebatur ad gratiam, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo ejus in potestate, hortabatur enim ad cœlestia, & animæ salutaria, persidisque & obstinatis peccatoribus imperterrite supplicia comminabatur.* Sanctus Franciscus de Sales præclare observat, Christum priusquam Apostolos per mundum ad Evangelium annunciandum dispergeret, primo eos catechizasse, & edocuisse quod ad ea, quæ ab ipsis prædicanda erant, idque brevissime duobus his verbis: *Prædicate Evangelium:* Sanctus & Seraphicus Franciscus Assisias Religiosis suis sensum hujus præcepti à verbo incarnato Apostolis impositi, scilicet: *Prædicate Evangelium*, hunc esse declaravit, scilicet, prædicate virtutes, eradicate vitia, paradisum & infernum Auditoribus vestris annunciate. Prædicator quidam Evangelicus valde pius dicere solitus erat, unumquemque prædicatorem in quolibet sermone merito esse debere solicitum, ut unam virtutem Christianam auditoribus suis inferret, unumque vitium econtra eradicaret. Christus insuper, prout apud Sanct. Joannem legitur, priusquam Apostolos suos per mundum dispergeret, iisdem prius Spiritum Sanctum in Magistrum destinavit: *Ille vos docebit omnia*; Petrus igitur ab hoc præceptore in die Pentecostes edoctus, quale sibi in primo suo sermone quem habuit, thema assumpserit, ex Cap. 2. Act. Apost. colligere licet; Nimirum eodemmet usus fuit themate, quo ante ipsum Joannes Bapt. & Christus ipsemet usi fuerant, scilicet: *Pœnitentiam agite*; Quid igitur mirum, si in unico dumtaxat sermone tria millia ex his qui antea vociferati fuerant: *Tolle, tolle, crucifige eam*, ad Deum converterit? *His auditis compuncti sunt corde, & dixerant ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, quid faciemus?*

Prædicatores debent prædicare virtutes & vitia.

Marc. 16. 14. — *Joan. 14. 26* — *Matth. 3. 2.* — *Joan 19. 15.* — *Act. Apost. 2. v. 37.*

6. S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum ita scribit: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus liscitentur, lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.* Apud S. Bernardum similiter in sermone quodam dicitur: *Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum meretur.* S. Cyprianus, qui sublimissimo ingenio, raraque eloquentia & doctrina à Deo dotatus fuit, Donatum suum monuit, quæ ab ipso populo annuncianda essent, ad hoc ut ille fructum inde perciperet; En verba ipsius: *Accipe non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ populoris illecebram culto sermone fucata sed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia.* S. Carolus Borromæus præter id quod in principio hujus Discursus ex ipso diximus, hanc quoque pro materijs prædicabilibus instructionem scriptam reliquit: *Locos omnes sibi comparabit, quibus auditorum animi commoveri, eoque excitari solent ad Dei amorem, ad cœlestis patriæ desiderium, ad pœnitentiam, ad scelerum detestationem, ad virtutum studium, ad metum divini judicij, ad spem misericordiæ, ad misericordiam, charitatemque erga proximum, & ad cæteras præterea affectiones, quæ ad cælum excitare, Christianas virtutes pariunt.*

Alia instructio quę, & qualiter, prędicandum sit.

Hieron. Epist. 2. ad Nepot. — *S. Bern ser. 59. in Cant.* — *S. Cypr. Epist 2. ad Donat.* — *Act. Eccle. Med. fol. 476*

7. In Apocalypsi cap. 14. lapsus Babyloniæ his verbis innuitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Enimvero quoad sensum litteralem nequaquam constat illam civitatem, eo tempore quo Sanct. Joannes hac visione honoratus fuit, vere fuisse collapsam; Alludit igitur Apostolus ad fructum spiritualem, in convertione impiorum peccatorum procuratum; At vero vultisne scire modum, quo lapsus Babylonis id est conversio impiorum hominum procurata fuerit? Sanct. Joannes Apostolus inquit: *Et vidi ... Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum.* Ecce tibi modum, quo prædicator fructus producit, quando scilicet Evangelium annunciat, inibique contentas æternas veritates insinuat. Quodnam vero Angelicus hic pariter & Evangelicus nuncius sibi sermonis sui themia elegit? Sacer textus ait: *Ut Evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem.* Quando enim hæc principalia puncta auditoribus prædicantur & inculcantur, tunc vere Babylonia in terram prosternitur, tunc quævis anima quantumcumque sit impia, ad Deum convertitur. In vita Ven. Matris Annæ Carmelitanæ discalceatæ à P. Bartholomæo pariter discalceato conscripta legitur, quod cum hæc ancilla Dei in octavo circiter vel nono ætatis anno constituta in villa sua ubi habitabat, celebrem quemdam auscultasset prædicatorem, omnibus eidem applaudentibus, sola ipsa lacrymata fuerit, atque à sorore sua natu majore de causa fletus interrogata, respondent: *Quia male prædicavit Pater; Cui illa: Et quid tu scis, si bene, an male prædicaverit;* Ipsa vero ex cœlesti utique instinctu mox subjecerit: *Quia nihil dixit de Christo crucifixo, de ejus sequela, de ejus virtutibus.* In Chronicis S. Francisci legitur F. Cherubinum à Spoleto in præcipuis totius Christianismi pulpitis magno cum applausu prædicasse, ostentando doctrinam suam, ingenium, eloquentiam, & stupendum talentum suum sed absque ullo auditorum fructu; Cumque prædicationem ejus B. Fr. Joannes Bonvisius lucensis ejusdem ordinis auscultasset, hic eumdem prædicatorem exhortatus fuit, ut stylum dicendi mutaret, seque totum Spirituali vitæ, & lucro animarum comparando addiceret, extirpando vitia, virtutesque auditoribus inserendo; Cui cum Cherubinus aurem præbuisset, ejusque consilium fuisset executus, adeo abundantem messem cœlesti horreo intulit, ut in hora mortis suæ visus fuerit Angelorum manibus in cœlum deferri, septuaginta sex millibus animarum, fructuosarum prædicationum suarum subsidio salvatarum stipatus. In Exodo ornatus & gemmæ vestium sacerdotalium, quibus summus Pontifex induendus erat in hæc verba describuntur: *Et tintinnabula ex auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ*, At vero quis vestrum mihi enodare poterit horum tintinnabulorum in extrema parte tunicæ dependentium mysterium? Sanct. Isidorus ab Auctore Catenæ citatus, dubium hoc in hæc verba resolvit: *Tintinnabula inter malogranata consonantia Prophetæ intelliguntur, & doctores sancti, in medio Ecclesiæ collocati, quorum lingua doctrinæ scientiam resonans, tangit utrasque partes legis, & Evangelij. Hæc tintinnabula in extremo vestimento idcirco sunt posita, ut de fine mundi & de vita futura disputantes, nunquam sileant.* Hugo Card. super cap. 1. S. Marci, qualiter præceptum illud Christi: *Prædicate Evangelium*, intelligendum sit, his verbis exponit: *Evangelium bona annunciatio dicitur, quod propriè ad regnum Dei, & remissionem peccatorum pertinet.* Enimvero quænam fuerit prædicantis Jobi Sapientia, facundia, & energia dicendi, ex cap. 29. Prophetiæ suæ colligitur, ubi dicitur: *In platea parabant Cathedram mihi; Videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me.* At vero cuinam materiæ hoc tam excellens talentum, hancque tam prodigiosam dicendi efficaciam applicabat? Subdit sacer textus: *Ecce docuisti multos, & manus lassas corroborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua tremientia corroborasti.* Ecce tibi cuinam materiæ datum sibi à Deo talentum adhibuerint, nimirum in erudiendos Populos, in roborandos & confirmandos debiles, in præcavendos eorumdem infirmorum mortales lapsus, &c.

Mirabile exemplum novennalis, sed piæ puellæ.

Chronic. S. Franc. p. 3. l. 6. c. 2.

Aliud notabile exempli pro prædicatoribus.

Quid designent tintinnabula in extremitate vestis sacerdotalis.

Exod. 39. 23. — *Ibid. v. 6.* — *Ibid. v. 7.* — *S. Isid. in Cat. Lippomanni.* — *Marc. 16. 14.* — *Hug. Card. in c. 1. Marc.* — *Job. 29. 7.* — *Ibid. v. 8.* — *Ibid. v. 9.* — *Ibid. v. 10.* — *Ibid. v. 11.* — *Job. 4. 3.*

DISCUR-

DISCURSUS XXXIX.

ARGUMENTUM.

Prædicator in muneris sui exercitio soli animarum saluti intentus esse debet.

THEMA.

In labijs meis pronunciavi omnia judicia oris tui. Psal. 118. ℣. 13.

Afferuntur evidentia signa, an prædicator missus sit à Deo ad hoc officium exequendū.

1. Regius Psaltes paulo post principium Psalmi 118. de verbo Dei tractare incipit, dicens: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas*; Et confestim subdit: *In labijs meis pronunciavi, &c.* Quibus verbis modum indicare voluit, quo munus divini verbi annunciandi administrarit, id est, ut S. Bonaventura ibidem exponit: *Ad utilitatem audientium erudita vi.* Idem Seraphicus doctor alio in loco dicit: *Tria sunt signa evidentia, quibus probatur utrum prædicator à Domino sit missus ad prædicandum Evangelium. Primum est authoritas mittentis; Secundum, Zelus animarum in persona quæ mittitur, quando scilicet principaliter quærit Dei honorem, & animarum salutem; Tertium est fructificatio, & conversio auditorum.* Ex hac tanti tamque in Ecclesia insignis, adeoque in ministerio Evangelico privilegiati doctoris declaratione colligitur, quod nomen prædicatoris non mereatur is, qui in prædicatione sua principaliter ad salutem animarum, earumque utilitatem & fructum non collimat.

Pf. 118. v. 11 — *S. Bonav. ib.* — *S. Bonav. in c. 9. Luc.*

Verbum Dei dirigi debet ad ędificandum proximum.

2. In Epistola quam S. Paulus ad Ephesios transcripsit, sequentia leguntur: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ecce tibi quonam dirigendum sit verbum Dei, nimirum ad ædificandum, non vero ad destruendum; Ac proinde idem Apostolus alio in loco prædicatoribus dicit: *Dei ædificatio estis.* Communicanda quoque est divina gratia auditoribus, *Ut det gratiam audientibus, id est*, ut Theophylactus inquit, *si sermo ædificat proximum, qui sibi necessarius est ob instantem necessitatem, illum tequit, sonemus, illum loquamur.* S. Bernardinus super illa verba Apostoli ad Timotheum: *Argue, obsecra, increpa, &c.* ingeniose observat, *quod Apostolus ibi plus dicit contra vitia exprobranda, quam pro virtutibus extollendis, quia difficilius est corrigere vitia, quam virtutes operari, unde Isaiæ 58. Clama, ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Etenim prius extirpanda est mala herba, spinæ, sentes, urticæ, quam bonum semen terræ injiciatur. Idem Sanctus Bernardinus de Seraphico suo Patriarcha ita scribit: *Volens beatus Franciscus se & suos, corde, ore, & opere Domino Jesu Christo, & Apostolis ejus, in fide & moribus esse conformes, divinitus inspiratus in regula sua inquit: Moneo quoque & exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam & gloriam.* Ubi Sanct. Bernardinus, qui adeo utilis in Ecclesia Dei prædicator extitit, in quonam substantia hujus ministerij prædicationis consistat, paucis indicat, dum ait, illud consistere. *In his quatuor, quæ sunt vitia, & virtutes, pœna, & gloria*, estque hoc conforme illi, quod à magno suo magistro & patre didicerat, dicente: *Hanc qui nostris temporibus servaverunt modum, experientia teste, maximum ultra alios prædicantes reportaverunt animarum profectum, licet multi prædicationis ignari, hoc in principio non intellexerunt, Sed teste Domino Matth. 7. à fructibus eorum cognoscetis eos, & cognomi sunt.*

Ephes 4. 29 — *1. Cor. 3. 9.* — *Theoph. ibid.* — *2. Tim. 4. 2.* — *S. Bernard. Tom. 3. in Sexag. art. 2. cap. 1.* — *Isaiæ 58. 1.* — *S. Bern. tom. 2. in serm. Prov.* — *Matth. 7. 16*

Prædicator solum collimare debet ad animarū utilitatem & conversionē.

Joan. 15. 1 — *Luc. 8. 11* — *Chrysost. hom. 9. ad Pop.*

3. Salvator noster qui de semetipso ait: *Pater meus agricola est*, verbum suum semini assimilat, inquiens: *Semen est verbum Dei*; Sicut ergo qui semen in terram jacit, non id facit, ut stramina & paleas tantum demetat, sed copiosam quamdam & utilem messem prætendit, eodem modo qui prædicat ad nihil aliud collimare debet, quam ad animarum utilitatem, earumque conversionem; *Triticum autem congregate in horreum meum; Sicut colonus nihil aliud curat, præter semina, & segetes, sic & docens, audientes, & illorum profectum, sicut & ego nunc dico.* Adverrendum quoque est, quod quando Apostolus, & Doctor gentium dilectum discipulum suum S. Timotheum in hac professione instruere voluit, his ad eum verbis scripserit: *Prædica verbum.* Sed cur *verbum* in numero singulari? Sanct. Augustinus in Sermone quodam ait: *Solet Scriptura multa verba verbum appellare; Neque enim unum verbum locutus est quicumque Propheta & tamen sic legitur: Verbum quod factum est ad illum vel illum Prophetam; Et Apostolus: Presbyteri duplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo; & doctrina, non ait: In verbis sed in verbo; Et S. Jacobus: Estote, inquit, factores verbi, & non auditores tantum; Non ait & ipse: Verborum, sed verbi, quamvis tam multa verba de Scripturis Sanctis in Ecclesia celebrentur dicantur, audiantur, legantur. Sicut ergo quamcumque tempore quisque nostrum in prædicando Evangelio laboraverit non verborum, sed verbi audientis studiosissimus nuncupatur, id est eo more, quo scripturæ loquuntur, & quem novit Ecclesiastica consuetudo.* Quam doctrinam suam Sanct. Doctor proposito quidem nostro non applicat, nos tamen illam facile adaptare possumus dicendo, ideo Apostolum Sanct. Timotheo scribere in numero singulari: *Prædica Verbum*, sicut & in multis aliis occasionibus *Verbum Dei* non in numero plurali, *verba*, sed in singulari. Verbum in Scripturis appellari, ut unusquisque prædicator intelligat; quod se in plura verba superflua extendere nequaquam debeat, neque ab eo habendus sit verborum elegantium à minus elegantibus delectus, sed confiderandam illi solam esse substantiam, fructum, & utilitatem illius quod dicit, ita ut magis solicitus sit quoad materiam, quam quoad verba; In cujus probationem notandum est, quod in quibusdam Sacræ Scripturæ locis Ly *Verbum*, non tam verbum, quam factum exprimat; Sic enim Lucæ 1. dicitur: *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, & Lucæ 2. *Videntes cognoverunt de verbo hoc.*

S. Aug ser. 11 de ver. Dom. — *S. Paulus præcepit Timotheo prædicare verbum, & non verba.* — *Luc. 1. 37.* — *Luc. 2. 17.*

Prædicatores comparantur fabris ferrarijs.

4. Hugo Cards super illa verba libri 1. Reg. cap. 13. *Faber ferrarius non invenitur in omni terra Israel*, hanc deducit moralitatem: *Id est, in Ecclesia non invenitur prædicator, aut Doctor verbi Dei*, quod quidem tamen si temporibus nostris dici non posse videatur, siquidem sæpe numero in una eademque civitate viginti & triginta prædicatores erunt, qui de concursu auditorum conquirendo inter se mutuo certant, attamen jure merito dicere possumus, paucos in Ecclesia inveniri prædicatores, licet abundare videantur; *Multi enim sunt doctores, & multi prædicatores, sed pauci fabri ferrarij, quia pauci sunt, qui ob studium, & amorem verbi sustineant laborem, aut ardorem ad faber ferrarius fiant.* Vel etiam addere possumus, paucos esse, qui Verbum Dei prædicent, quia multi sunt, qui eo abstinentur ad prædicandum se ipsos, vel ad sui ostentationem talenti, scientiæ, vel ingenij: *In verbo tuo laxabo rete*, inquit Petrus; *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam*, in quem denotabatur numerosa conversio infidelium per Apostolos instituenda. Didacus Stella Ly, *in verbo tuo*, ita explicat: *Docet etiam prædicatores, ut laxent rete prædicationis in verbo Domini, non ad gloriam suam, neque ad quæstum, nec ad aliquod humanum desiderium, sed ad salutem eorum qui capiuntur.* Notandum quoque est, quod cœlestis Magister in alia quadam piscatione iisdem Apostolis præceperit: *Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis, ... & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Porro per dexteram prædestinatio & salus æterna denotatur, in hanc igitur partem, id est ad salutem æternam auditorum extendenda sunt retia eloquentiæ, & doctrinæ, ad animas in vitam beatam comparandas, quod qui faciunt, in die finalis judicij benedicti merentur, & ad dexteram judicis collocari. Sed sicut multi sunt qui in mari piscantur corallos, margaritas, vel divitias ab alijs in mare ad vitam salvandam projectas, ita quoque ex prædicatoribus aliqui ex motivo applausus, alij propter lucrum, alij ad ingenij & scientiæ suæ ostentationem, alij denique ob alios respectus humanos prædicationi vacant; Verus autem prædicator, ut hoc se titulo dignum efficiat, eo solum fine prædicare debet, ut animas submersas ex fundo maris extrahat, & ab abysso infernali eripiat. Verus namque prædicator dicere merito deberet: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, non vero de eorum numero, de quibus S. Paulus ad Philippenses ait: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.*

1. Reg. 13. 19 — *Hug. Card. ibi.* — *Luc. 5. 6.* — *Gen. 14. 21.* — *Phil. 2. 21.*

In verbo Christi rete prædicationis laxari debet, non ad vanam gloriam. *Did. Stell.*

Joan. 21. 6

Ab ore prædicatorum pendet salus animarum. *Jud. 8. 28.* — *Colos. 2. 3.*

5. Spiritus Sanctus, qui dux & Magister est prædicationis, pulchra hoc ori Judithæ verba inseruit: *Et nunc fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.* Enim vero is, *in quo sunt omnes thesauri*, nullam habet in tota Gaza sua Gem-

mam

mam pluris à se æstimatam, vel majori sumptu comparatam, quam animas hominum pretiosissimo sanguine suo redemptas, harum igitur subsidio divinum
Judith. 8. 21. verbum suum providit; *Pendet anima illorum ad eloquium nostrum*; Et ideo væ nobis, si Evangelium in lucrum nostrum convertentes, animarum negligamus salutem, nostroque ministerio abutamur.

Comparatur prædicatio Verbi Dei, Messi. *Cajet. in Luc. 10.*

6. Cajetanus incarnatam sapientiam verbum Dei quod à discipulis suis prædicandum erat, non sine mysterio Messis titulo honorasse his verbis ponderat: *Messis quidem multa, Metaphorica est locutio, assimilans prædicationem Evangelicam Messi, ratione fructus, non enim Evangelizatur, nisi ad recipiendum fructum de fidelium fructibus, sicut meritur ad referendum fructum granorum tritici, hordei, & similium.* S. Carolus in

Act Eccle. Med. fol 476 Notabilis instructio S. Caroli Borrom. pro prædicatoribus. instructionibus suis ita scribit: *In concione, quam habituras est, illud sibi potissimum proponat, in quo omnes nervos, robur que industriæ suæ adhibeat, & in quo mentes suam versari cognoscat, ut auditorum scilicet animos commoveat, cum præsertim peccent homines, non tam quia verum ignorent, quam quod male effecti sint.* Ac proinde prædicatorem ferventi oratione hanc à Deo gratiam postulare debere dicit, ut auditorum animos dictione sua commovere possit; Ita enim subdit:

Ibid. 477 *Cum bene appositeque dicere sit omnium judicio vel maxime difficile, hujus sane rei difficultatem aliquando, ac potius frequenter meditabitur, ut ardentiori studio confugiat ad Deum, qui divini sui spiritus afflatu, omnia dicendi argumenta subministrare potest*; Et

Ibid. fol. 480 paulo ante hæc verba habet; *Brevi oratione ad Deum usus, id omnino studebit, ut quod in concione dicturus est, antea bene cognitum habeat? Ubi vero ex studio, librorumque tractatione cognoverit, ac perceperit quod concionaturus est, tunc singulas concionis partes quas animo concepit; etiam atque etiam, diligenter & pie meditabitur, qua in meditatione sese ita Religiose afficere conabitur, ut audientium animos mentesque ad illam ipsam pietatis affectum, sanctæque agendi ardorem, quantum in se est, excitet. Consideret se piscatorem hominum esse, ideo nervos omnes intendere debet, atque adeo expiscari, ut sagenam Evangelicam impleat, nempe animas pereuntium Christo Domino lucrificat, quare videat, ne in prædicationis officio languescat.* Enimvero quando Salvator noster Apostolis suis, & in illorum

Matth. 4. 19 persona eorumdem successoribus dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*; utique ad piscationem non corporum humanorum, sed utique animarum allusit, quæ in mari hujus mundi de submersione pericitantur. S Franciscus Salesius in Epistola illa, in qua circa hanc materiam multa tradit documenta, inquit:

Monitum S. Francisci Salesij *Sales l. 1. p. 1 Epist.* *Non sectemur lenocinia Rhetorum, sed veritates piscatorum.* S. Paulus valde detestatur auditores *prurientes auribus*, & consequenter prædicatores iisdem complacere quærentes, enim vero pessimum signum est, quando auditores ex prædicatione, vel sermone egredientes hisce vel similibus verbis sese mutuo alloquuntur: Est concionator ille magnus orator, mira pollet memoria, valde doctus est, optime dixit: Econtra vero optimum signum est, quando in hosce vel similes prorumpunt singultus: O quam pulchra, quam necessaria est pœnitentia; O Deus meus, quam bonus, quam justus tu es, vel alias similes edunt aspirationes, hæ enim indicant corda auscultantium sermonis efficacia fanciata fuisse; Hactenus verba sunt S. Francisci de Sales.

2. Tim. 4. 3.

Prædicatio, qua carpuntur vitia utilissima est. *S. Bern. ibid.* 7. S. Bernardinus, postquam ostendisset quanti referat utiles & fructuosas in sermonibus tractare materias, ita scribit: *Congruat animarum salati; Cum enim populi multipliciter sint vitiis involuti, & à virtutibus alieni, nec expaveſcant præparata eis judicia, atque pœnas, nec inardeſcant desiderio æternorum, nullus excellior modus, nulla materia præstantior, nullumve remedium efficacius diversis populis in hoc sæculo, quam prædicatio supradicta (id est, quæ contra vitia est instituta) qua quidem usi sunt prædicatores prædicatorum Christus, & Apostoli, & omnes eorum imitatores.* De Sancto Protomartyre scribitur. *Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.*

Actor. 6. 10. At vero quisnam ejus, dum Judæos alloqueretur, stylus erat. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*; Veritatem sincere docebat, libere reprehendebat, puncta utilia tangebat; Etsi nonnumquam auditorum captabat benevolentiam, id eo fine faciebat, ut mentibus illorum imprimeret Salvatorem; Unde S. Augustinus de ipso

Actor 7. 51. Illo stylo utebatur S. Stephanus.

S. Aug. ser. 2 de S. Steph. ait: *Conciliabat auditorem, ut commendaret Salvatorem.* S. Paulus Apostolus Romanos hac phrasi alloquebatur: *Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris gentibus.* Ecce tibi finem

Rom. 1. 13 quem S. Paulus in promulgatione Evangelij, per quam totum mundum fidei Christianæ comparavit, habebat præfixum, scilicet *ut aliquem fructum habeam in vobis, &c. Fructus autem Doctoris*, inquit Ambrosius Catarinus, *Non est propria gloria, sed est profectus discipuli.* S. Paulus in eadem Epistola ad

Ambr. Catarin. Romanos protestatur dicens: *Accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus in nomine ejus.* Quibus verbis docere prædicatores voluit, in hoc ministerio ad nihil aliud illis collimandum

Rom. 1. 5 esse, quam ad Evangelij propagationem, ad conversionem animarum, earumdemque in fide stabilimentum, nec non ad procurandum sanctitatem divini nominis honorem & gloriam. Unde Hugo Card. notat illa verba, *Pro nomine ejus*, scilicet *dilatando,*

Hug. Card. S. Thom. *non pro fama propria*; Eodem modo Doctor Angelicus ait: *Pro nomine ejus dilatando, non pro aliquo terreno fructu quærendo.*

8. S. Isidorus punctum quoddam tangit proposito nostro haud incommodum scilicet unde ruina animarum sæpe procedat; Ait enim: *Qui Magistro nihil præter sermonem inesse existimant, & obtundunt, & risum movent. At qui operibus emicant, etiamsi silentium colant, spectatorum tamen animos eruditant, atque illud est, quod ex me intelligere quæsivisti, Sacerdotes loquimini ad cor Jerusalem, multi enim sunt, qui loquendo molestiam exhibent, pauci autem, qui operibus docent*; At vero quando simul cum operibus perfectis & Sanctis, utiles quoque & fructuosæ materiæ adjunguntur, tunc vere ad cor prædicatur, animæque audientium Deo lucrantur. Ex semine illo, cujus in parabola de seminatore apud S. Lucam fit mentio, tres partes periere, sine ullo inde subsecuto fructu. *Semen est verbum Dei*; Quid mirum igitur: quod cœlestis agricola quasi dolens vocem extulerit: *Hæc cum dixisset voce magna clamavit.* Clamavit dum expiraret in cruce; Clamavit *quando tot bavit se ipsum*, Et lacrymatus est in resuscitatione Lazari quatriduo mortui. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, clamat & lamentatur, quod licet in prædicatoribus prædicet, nullum tamen fructum faciat, eo quod prædicatores utiles & fructuosas pro discursibus suis materias non seligant.

Prædicatores utiles & fructuosas pro discursibus suis seligant materias. *S. Isid. Pel. lib. 2. epist. 81* *Luc. 8. 11.* *Joan. 11. 43* *Ibid. v. 33 & 34.* *Psal. 68. v. 4.*

DISCURSUS XL.

ARGUMENTUM.

De Doctrina quam annunciare debet minister Evangelicus.

THEMA.

Prædicate Evangelium. Marc. 16. ℣. 15.

Christus præscripsit Apostolis & concionatoribus materiam prædicationum. *Marc. 16. 15.* *Alb. Magn. ibid.* 1. SAlvator noster opere humanæ redemptionis consummato, propter quod ab æterno Patre in terram Missus fuerat, priusquam in cœlum ascenderet, Apostolos suos per mundum universum dispergere volens, ut eumdem ad novam legem gratiæ prædicatione sua mediante converterent, prædicationis materiam iisdem præscribere voluit dicendo: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: Evangelium* inquam, *& nihil aliud*, addit Albertus Magnus; Et merito, quia de hoc dicere possumus, quod licet ad aliud propositum, dicebat S. Joannes Apostolus: *Præceptum Domini est; si hoc fiat, sufficit*; Si enim Evangelium, & nihil aliud prædicetur, abunde id sufficit. Albertus Magnus adducit

Job 29. 22. textum illum Jobi: *Verbis meis nihil aliud addere audebant, & stillabat super eos eloquium.* Et Ezechieli

Ezech. 2. 7. dictum fuit: *Loqueris verba mea ad eos.* Super quæ

Alb. Magn. verba S. Gregorius lib. 1. hom. 10. in Ezech. ita scribit:

S. Greg. lib. 1 hom. 10. in Ezech. *Prophetæ falsi, sua, & non Dei verba loquebantur, de quibus scriptum est: Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*; Et rursum: *Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Qui ex re colligendum est, quia & quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua, & non Domini verba loquitur, si tamen placendi, vel seducendi studio movetur.*

Prædicator sapientiam, & eloquentiam suam, non sibi, sed Deo ferat acceptam. *Matth. 10. 8* 2. Ex quo Salvator noster pro collegii Apostolici, velut familiæ suæ necessitatibus aliquam pecuniæ summam, quæ in manibus Judæ erat, conservabat, cur obsecro Apostolis prohibuit dicens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* Prohibitionis hujus mysterium, ex ore S. Anselmi audire libeat, qui

S. Anselm. ibid. qui ait: *Mystice; Non licet Magistris Ecclesiæ aurum, & argentum, & pecuniam quæ in xonis est, possidere, scilicet non debent sapientiam, quæ per aurum significatur, & eloquentiam, quæ per argentum exprimitur, quasi propria, vel ab alio, quam à Deo accepta possidere.* Enimvero quando Evangelium, aliæque Scripturæ Sacræ prædicantur, dubitare non licet, quin Deus vobis assistat; quia ipse est, qui loquitur, & docet. *Prædicatorem idoneum* (verba sunt Ruperti Abbatis) *qui non de corde suo, vel à semetipso loquatur, sed quod audivit hoc testetur*; At vero à quonam id quod prædicare volumus, prius hauriendum est? Subdit Rupertus, *quod in Spiritu Sancto dicitur, hoc annunciet, & loquatur.* At vero dices fortasse, quid audio? Ergone de novo expectare debemus descendentem supra nos in forma visibili Spiritum sanctum, qui nos edoceat, quid annunciari debeat? Nequaquam, neque enim hæc Ruperti mens est, sed dicere vult, quod si annunciaveris Evangelium, vel aliud quidpiam, quod in sacris litteris continetur, jam de facto loqueris ex directione, & instinctu Spiritus Sancti.

Rup. Abb. l 2. in Deut. c. 7.

Verbum Dei dicitur, quia doctrina divina, non humana per illud traditur.

1. Thess. 2. 13 S. Augustinus adducit textum illum Sancti Pauli: *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicuti est vere, verbum Dei*, Subditque idem Sanct. Doctor: *Innumerabilia similiter in scripturis dicuntur de Dei verbo, quod in sonis multarum diversarumque linguarum, per corda, & ora disseminatur humana. Ideo autem verbum Dei dicitur, quia doctrina divina traditur, non humana.* Ex qua hujus adeo magni Ecclesiæ æstimati Doctoris doctrina colligi videtur, quod quisquis aliam doctrinam prædicaverit, præter sacram, & divinam, cui soli assistit Spiritus Sanctus, verbum Dei non sit annunciaturus, *quia verbum Dei dicitur, quod doctrina divina traditur, non humana.*

S. Aug. l. 15. de Trinit. cap. 10.

Sales. p. 1. l. 1. S. Franciscus Salesius tradit quid prædicandum sit. 3. Sanctus Franciscus Salesius in epistola illa sæpius à nobis in discursibus præcedentibus citata, cap. 5. de eo quod prædicandum est à concionatoribus, fusius differit; Ex quo sequentia decerpsimus verba: Sanctus Paulus Timotheo unico quasi verbo dicit: *Prædica verbum*, quasi diceret, Prædica verbum Dei; seu ut Christus dixit: *Prædicate Evangelium*, quod præceptum sanctus Franciscus præfatus, cujus hodie dum hæc scribimus, festum celebramus, declarat, præcipiendo fratribus suis, ut de virtutibus, vitijs, inferno, paradiso, continuo prædicarent; pro hisce namque materijs in Scriptura Sacra sufficientia reperiuntur, adeo ut alia materia non indigeant. Sed dices, ergone forsitan non est opus doctores adhibere Christianos vel sanctorum Patrum conscripta volumina? Utique & illis opus est, sed dicite sodes, quidnam aliud est sanctorum Patrum doctrina, quam quædam Evangelij declaratio, & Scripturæ explicatio? Nulla enim alia inter Scripturam Sacram, & Sanctorum Patrum doctrinam est differentia, quam quæ est inter amygdalum decorticatum, & aliud integrum, quarum arborum nuclei ab unoquoque manducari possunt, vel quæ est inter panem integrum, & in plures partes divisum; Adeoque omnino prædicatori opus est sanctorum Patrum voluminа pervolvere, hi enim sunt instrumenta, quibus mediantibus Deus verum verbi sui sensum nobis declaravit. Hactenus sanctus Franciscus Salesius, sanctus Antonin. de Sacra Scriptura ait: *Hæc scriptura apte dicitur verbum; Prædica verbum, ait Apostolus*; Sacra enim Scriptura ab increato Patris verbo dictata est, & Evangelium idem verbum incarnatum, nostraque fragili carne indutum prædicat. Paulo post vero adducto illo sancti Pauli testimonio dicentis: *Nos autem, inquit Apostolus, prædicamus Christum; Prædica ergo verbum, id est Christum.*

S. Antonin. p. 3. t. 18. c. 3. §. 2.

Act. Eccle. Med. fol. 476. Quibus SS. Patribus uti debeant prædicatores. 4. Sanctus Carolus inter alias instructiones Prædicatoribus traditas, hanc quoque habet: *Maxime sibi veteres Patres proponat, quorum in dicendo virtutes sequatur, Gregorij Magni & Chrysostomi disciplinæ moralis copiam, Leonis magni, & Basilij gravitatem, Nazianzeni vim, Nysseni subtilitatem, Augustini acumen, Ambrosij temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem dexteritatemque orationem, atque omnino admirabilem, & divinam eloquentiam sanctissimi Pauli Apostoli.* Enimvero hæc est eximia quædam sacræ Scripturæ prærogativa, & excellentia quod immediatum & infallibilem Magistrum habeat Spiritum veritatis, & ideo huic præ cunctis alijs Scripturis sacris primatus semper debetur.

Joan. 7. 18. 5. Cælestis Magister noster inquit; *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*; Quibus ver-

bis perstringuntur, qui sacras litteras posthabentes, proprias adinveniunt doctrinas, veluti proprij ingenij partus, ab illis exinde magni æstimari volentes, verum ejusmodi doctrina apud auditores communiter nec fidem inveniunt, nec vim aliquam obtinent; Unde Theophylactus ait: *Hoc est qui vult propriam statuere doctrinam, propter nihil aliud hoc facit, quam ut gloriam quamdam inanem inde percipiat. Si autem ego, inquit, gloriæ propriæ fructum noto, sed gloriam ejus, qui me misit, quæro; cujus gratia velim alia docere? Verax igitur sum, & non est injustitia in me, hoc est, non rapio gloriam alteri debitam.* S. Thomas prædictis Christi verbis aliam adhibet expositionem dicens: *A seipso loquitur; qui ea quæ dicit, accepit de corde suo.* Jerem. 23. *Visionem cordis sui loquuntur.* Ezech. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui vaticinantur de corde suo? Sic ergo confingere aliquid à seipso, est propter humanam gloriam, quia ut dicit Chrysostomus: Qui aliquam propriam vult instruere doctrinam, propter nihil aliud hoc vult, quam ut gloriam acquirat; & hoc est quod Dominus dicit, probans doctrinam suam à Deo esse.* Dionysius Carthusianus eodem modo scribit: *Qui à seipso loquitur, hoc est proprias adinventiones, non veritates desuper revelatas. Vel sic: Qui à semetipso loquitur, hoc est, ex proprio Spiritu, non ex inspiratione divina, propriam gloriam quærit, quamvis prædicet verâ & sancta.* S. Prosper præmisso sequenti textu: *Audiens ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me*, subdit: *Ut hoc dicat sacerdos; quod ex divina lectione didicerit; quod illi Deus inspiraverit; non quod præsumptione humani sensus invenerit; annunciabis eis, inquit; ex me; Non ex te verba mea loqueris.* Et vero quando sacris litteris utimur; tunc utique ex mente Dei, non vero nostra loquemur. S. Augustinus licet in omnibus studijs fuerit egregie versatus, attamen quando in subsidium Valerij Episcopi ministerium sibi Evangelicum assumpsit doctrinæ suæ quasi insufficienti diffidens, tempus sibi dari postulavit, priusquam ministerium hoc exordiretur; ut hac ratione divinam scripturam sibi tanto redderet familiariorem, utpote quam sciebat principale esse prædicationis faciendæ fundamentum. Ecce igitur vir ille, jam antea tanta Sapientia præclarus, ut in defensionem Religionis Christianæ adversus Philosophos, qui dicebantur academici, nec non contra Manichæos præter multa alia insignia opera plures libros feliciter compilaverat, nihilominus à suo pastore qui illum ad hoc munus promoverat, inducias sibi dari postulavit, ut interea sacrarum litterarum studio gnaviter præincumberet; Sciebat namque, quantum exacta sacrarum litterarum notitia huic muneri cum profectu animarum obeundo conduceret. Sanctus Antoninus de hac materia differens, hactenus dicta sequentibus verbis confirmat: *Prædicator præcipue debet esse doctus in Sacra Scriptura, & ipsi vacare; Unde in hujusmodi figura vectes, quibus arca portabatur, jugiter annulis erant insertæ, at cum arca esset portanda, nulla fieret mora de intromittendis vectibus; quia prædicatores; per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis debent insistere semper, ne tunc cogantur discere, cum ex officio alios habent docere, ut exponit Gratianus.* Dist. 36. cap. Qui Ecclesiasticis §. *Ecce quod Salvator noster prius in medio doctorum sedit, audiens illos, & interrogans, & postea prædicare cœpit.* Et quidem specialiter observandum, quod tunc prædicationem suam exorsus fuerit (*Exinde cœpit prædicare*) quando se magna Scripturæ Sacræ intelligentia pollere demonstravit, dum non semel, sed sæpius Sacra Scriptura utens Luciferum in deserto eum magna ipsius confusione devicit. Subdit idem sanctus Antoninus: *Apostolos prius docuit, postea ad prædicandum misit, & post resurrectionem prius aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & postea dixit: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium.*

Prædicatores & non propriam doctrinam prædicent inanem quærendo gloriam. *Theophyl.* *S. Thom.* *Dion. Carth.* *Ezech. 33. 7.* *S. Prosper. lib. 1. de vit. contemplat. c. 20.* Quando sacris litteris utimur, ex mente Dei loquimur. *Baron. ann. 393.* *S. Antonin. ibid.* *S. Antonin. ibid.* *Act. Eccles. Med. fol. 839.* Pulchra instructio S. Caroli Borromæi pro prædicatoribus.

hominis, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Ejusdem præterea res gestas omnes animadvertat, quid enim aliud ille volvit, cum è cælo descendit, laboriosissimam vitam in terris duxit, acerbissimam denique mortem subijt, quam hominum animas ab æterno periculo, & morte liberare? Hic certe laborum omnium susceptorum scopus, hic sanguinis effusi, hic crucis, hic mortis fructus fuit. Et in opere adjutores sunt, qui verbi divini prædicationi operam navant. Quare cum eo officio fungantur divini verbi prædicatores, quo Christus ipse perfunctus est, ab eodemque præstantissimo munere animarum salus pendeat, illius dignitatem, præstantiamque intuentes oblati &c. (quibus ultimis verbis S. Cardinalis de oblatis agere incipit, quos ipse in animarum subsidium amplissimæ suæ Diœceseos instituerat) Subdit vero ad idem propositum nostrum: *Nihil eo Deoque utilius homini, neque Deo gratius, & acceptius à quovis homine præstari posse pro certo habentes.* Et vero ut huic tam sublimi muneri correspondeatur, illeque animarum fructus reportetur, quem Salvator noster à ministris Evangelicis prætendit, necessum est, ut Evangelium prædicetur, eaque ingrediamur vestigia, quæ Apostoli post se nobis reliquerunt.

Luc. 10. v. 4. Prædicator desiderare debet fructum & profectum spiritualē auditorum suorum.

7. Quidnam putas cælestem Magistrum discipulis suis dicere voluisse, quando illis prohibuit dicens: *Neminem per viam salutaveritis?* Certum est in primis, non interdixisse illis morum civilitatem, quia insignis quidam, valdeque illuminatus Dei servus dicere solebat: *Quisquis morum civilitate caret, & Spiritu carebit.* Rupertus Abbas igitur inquit: *Revera quasi per viam salutant, qui verbum Dei quod ore decantant, auditoribus proficere non desiderant.* At vero quisnam fuit finis, propter quem Salvator noster discipulos suos ad prædicandum dimisit? *Ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* S. Antonius de Padua ait: *Fructum facit, qui prædicando movet cor populi.* Et paulo post subdit: *Fructum docebat afferre Apostolus 1. Tim. 4. dicens: Attende tibi, & doctrinæ, & instæ illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* B. Laurent. Just. *in instructione Prælatorum* sequens tradit documentum: *A prædicatoribus de regno Dei, & divinarum eruditionibus scripturarum prædicandum est fidelibus populis, ut discant, quid credere, quid agere, quove tendere debeant, ne in hujus vitæ itinere lassati deficiant, & errent per devia vitiorum, incidantque manus hostiles, & aereas potestates quæ furantur, mactant, & perdunt.* B. Alcuinus in Epistola quadam hanc in favorem nostrum habet considerationem; *Dominus Jesus Christus cum triumpho gloriæ ad paternam rediens sedem, Apostolis suis præcepit dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c. docentes servare omnia quæcunque mandavi vobis. Primo fides docenda est, & sic baptismi percipienda sunt Sacramenta, deinde Evangelica præcepta servanda sunt. At si aliquid horum trium deerit, salutem animæ suæ auditor habere non poterit.* Porro verbum Dei esca est, per quam piscatores Apostolici in mari hujus mundi animas fidelium in æternæ retributionis retia attrahunt. S. Gregorius notat, quod Sanctus Propheta Ezechiël de se ait: *Et assumpsit me spiritus*, Subditque: *Prædicatorem Spiritus assumit, cum ejus mentem in amore Dei omnipotentis elevatam, à terrenis jam desiderijs alienam reddit, ut nihil ei agere libeat, nisi ea quibus lucra spiritualia congregat, & ad regna cælestia quotidiani sui operis fructum portet.* Ecce tibi quonam modo Prædicatorem quemdam verè spiritualem nobis depingat. Albertus magnus super illa verba: *Illi autem profecti prædicaverant ubique*, ita scribit: *Non tam passibus pedum, quam passibus virtutum profecti, prædicaverunt intelligenda, credenda, agenda & appetenda. Intelligenda, quæ subnixa sunt necessariæ veritati; Credenda, quæ innitantur divinæ authoritati, agenda, quæ vel timore fugienda sunt, vel ut honesta, cum virtute complenda sunt, appetenda, quæ beatos faciant.* S. Bonaventura de panibus in deserto multiplicatis, nec non de collectis ex ijsdem reliquis differens, sequentem adducit Apostoli textum: *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui*, ut & alios instruam; Et subdit: *Ex quo datur forma prædicantibus ut non nova de cordibus suis adinventant, quia Dominus non creavit novos panes ad reficiendam turbam, sed sicut Dominus multiplicavit divina benedictione quinque panes hordeaceos, sic omnis abundantia veræ doctrinæ sumi debet ex fundamento Sacræ Scripturæ, multiplicanda per orationem, quam in cœlum suspicitur, & devotione, qua benedicitur, & meditatione qua frangitur, & prædicatione, qua distribuitur, & explicatur, doctrina enim Catholica primo sumenda est de Sacra Scriptura, per lectionem cujus verba sint panes, non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, lectioni debet adjungi oratio. Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis. Quærimus legendo, pulsamus orando, pulsamus manu operando.*

1. Cor. 14. 19 S. Bonav. *in Luc. c. 9.*

Alcuin. Epist. 105.

S. Greg. l. 1. hom. 10 in Ezech. Quando Spiritus assumat prædicatorē.

Alb. Magn.

DISCURSUS XLI.

ARGUMENTUM.

Prædicator primo loco habere debet rationem Scripturæ Sacræ, utpote quæ veritatem in se continet; Unde reprehenduntur doctrinæ profanæ, & curiosæ.

THEMA.

Doctrinis variis & peregrinis, nolite abduci.
Hebr. 13. ℣. 9.

Prædicatori uti non debet doctrinis vanis gentilium Philosophorum, sed Scripturæ Sacræ.

1. S. Paulus qui in cœlis, in schola Sapientiæ increatæ edoctus fuit, quoad doctrinam in prædicatione Evangelica annunciandam opportune nos monet dicens: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Principale nobis fundamentum collocandum est in veritatibus, quæ in sacris litteris conscriptæ reperiuntur. Unde Tertullianus contra Valentinianos scribens ait: *Veritas docendo persuadet, non suadendo docet.* Hæc autem veritas ubinam reperiri poterit, num forte in argutis gentilium Philosophorum doctrinis? vel in fabulosis Poëtarum figmentis, vel in Rhetoricis oratorum coloribus? vel denique in classicis scriptorum historijs? Nequaquam, sed solum in scripturis sacris est reperibilis. *Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Neque enim infallibilior, aut certior veritas dari potest eâ, quæ in divinis litteris à Spiritu Sancto dictatis reperitur. Sanct. Bernardinus in sermone quodam *de desiderabili veritate* inquit: *Advertendum est, quod verbum Dei verbum veritatis denominatur, quia est à veritate originaliter.* Joan. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Beatus Laurentius Justinianus Prælatos (ad quos olim hoc minus proprie spectabat) in hæc verba monet: *Non ex proprio sensu ut hæretici, nec curiose tanquam elati, Neque temporali commodo, sicut mercenarij, sed sanctarum suffultam auctoritatibus scripturarum, humiliter, plane efficaciter, & rectè, sanam profer doctrinam, quæ utique valeat promovere auditorum mentes ad amorem Dei, præbere intelligentiam Sacramentorum Christi, informare visum ad imitationem sanctorum, aperire sensum ad indagimem disciplinæ spiritualis, erudireque fidem ad cognoscendam veritatem eorum, quæ in futuro expectanda sunt seculo. In his tota lex pendet, & Prophetæ, omnisque Ecclesiastica doctrina subsistit.* Sanct. Carolus Borromæus pariter institutionem, quoad verbum Dei prædicandum, præscribens inquit: *Cum nihil possit esse populo Christiano utilius, quam scientia, & rectus usus Sacramentorum, quam religiose, quibus pie, quam humiliter ad illa accedendum sit, prædicetur monendo docebit.* Hoc autem per doctrinas varias, novas ingeniosas, aliasque similes prædicando adimpleri nequit. In cujus confirmationem ponderandus est sequens Beati Laurentij Justiniani pro institutione prædicantium formatus discursus; Ita enim differit: *Prædicatorum autem lingua, ipso Paraclito assistente, efficitur erudita in Sapientia ad loquendum verbum Dei sine fictione, & fastu, cum omni modestia & gravitate, sicut decet Sanctos, abdicando utique à se omne vaniloquium, & scurrilitatem, quæ colloquijs alienis prorsus miscere non debent. Quæ, oro, convenit est locis ad tenebras, veritatis ad lenitatem, compunctionis ad risum, Christi ad Belial? Sane reprehensibile valde est in Ecclesijs Christi, & in sanctorum locis, in quibus post sudores negotiorum secularium, post occupationes rei familiaris, post multifariam dissipationem mentis, post tumultuosam fluctuationem inutilium cogitationum, postque illecebras corporalium voluptatum, consuit multitudo fidelium ad percipiendum Ecclesiastica Sacramenta, & audienda salutis monita, tamquam ad refectionem spiritualem, & ad portum pacatissimum, atque ad fabulas disciplinæ cælestis, ut ibi recitentur fabulæ Poëtarum, gesta gentilium ac vaniloquia quibus mediantibus astantes provocentur ad plausum, nec non dissolvantur in risum. Hoc Apostolus Timotheo scribens arguit, dicens: Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem & inaniloquia devita, multum enim proficient ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.*

Joan. 16. 13.

S. Bernard. Tom. 1 serm. de desiderab. verit. art. 1. c. 3.

Joan. 14. 6. B. Laur. Just. de inst. & Regim. Pral. c. 7.

Varia documenta quæ & qualiter prædicandum sit.

Salas p. 1. l. 1. Epist. Prolixa & præclara documenta S. Francisci Salesij de Ethnicorum fabulis & historijs non citandis.

2. Sanct. Franciscus Salesius in cap. 3. Epistolæ, ad eruditionem prædicatorum exaratæ, ita scribit: Et de historijs profanis quid dicit? Bonæ sunt; Sed illis uti oportet quemadmodum fungis, id est raro, & solummodo ad excitandum appetitum, & tunc quidem etiam necessum est, ut caute, & bene proponantur, atque ut Sanct. Hieronymus ait: Ungues & capilli illis amputandi sunt. Quemadmodum Israëlitæ mulieribus in servitute natis faciebant, quando illas sibi despondere parabant, id est totaliter accommodandæ sunt Evangelio, & veræ virtuti Christianæ, tollendo ab ipsis quidquid est reprehensibile actionum profanarum à gentilibus editarum, denique ut facer textus ait: *separare pretiosum à vili oportet.* Dum de magnanimitate Cæsaris mentio incidit, nulla habenda est ambitionis illius commemoratio, & dum de Alexandro Magno sermo est, absit omnis memoria, vanitatis, truculentiæ, & superbiæ ipsius; De Castitate Lucretiæ differens, mortem ejus desperatam omnino sileat. Sed de fabulis Poëtarum quid agendum? Hæ prorsus negligendæ sunt, nisi forte ornatus causa adhibeantur, id quod adeo breviter & cum talibus circumstantijs fieri debet, ut potius antidoti loco subserviant, & ut unusquisque illas à prædicatore parvi fieri, facile agnoscat. Cæterum antiqui quantumcumque fuerint devoti, illas tamen nonnumquam usurparunt, imo ipsemet Sanct. Bernardus earum nonnumquam meminit, licet ubi illas didicerit, ignorem. Sanct. Paulus primus fuit, qui Aratum Menandrum citavit; Quod autem fabulas attinet, vix umquam earum vel minimam inveni in sermonibus antiquorum memoriam, sola excepta fabula Ulyssis, & Sirenarum, cujus in operibus Sanct. Ambrosij in sermone quodam fit mentio; Ac proinde repeto, vel illis prorsus utendum non esse, vel ita parum, ut negligi videantur, non enim bene convenit cum idolo Dagon arcæ Testamenti. Hactenus Salesius, ex cujus verbis clare conspicitur, quam necessum sit, ut in prædicationibus eruditiones profanæ, multoque magis fabulæ Poëticæ circumspecte adhibeantur.

Jirem. 15. v. 19.

Exod. 4. 10. Cum Moyses instructus fuerit magna scientia cur dixit nō sum eloquens.

3. De Moyse in Exodo legitur, quod apud Deum se velut minus eloquentem, & tardiloquum excusaverit: *Non sum eloquens, tardioris linguæ ego sum*, & tamen ipsum scientificum & eruditum fuisse, ex Scriptura Sacra constat: *Eruditus est Moyses omni Sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis*; Quonam igitur modo ipsemet salva veritate dicere potuit: *Non sum eloquens?* Quandoquidem Spiritus Sanctus ex alia parte dicat: *Erat potens in verbis?* Pro resolutione observandum, quod Deus illum ad populum suum ablegarit, & ideo cognoscebat scientiam suam hactenus adhibitam utpote sæcularem & profanam parum sibi profuturam; Verum quidem est, quod Moyses *eruditus fuerit omni Sapientia*; sed *Sapientia Ægyptiorum*; Quæ ad faciendum in populo electo fructum nihil proderat, non enim studia & scientiæ profanæ Ægyptiorum, sed scientia sacra, & doctrina sacra ad animarum conversionem requiritur; *Doctrinis variis ... nolite abduci &c.* Hunc porro abusum Sanct. Carolus Borromæus in hæc verba tetigit: *Ne facetias, ridiculeve dicta afferas; Ne res ineptas, vel supervacaneas, vel parum fructuosas afferas, sed illas tantum, quæ dignæ Dei templo, dignæ Christianis moribus, & auribus, judicentur.* Audiamus Sanct. Bernardum contrarium facientibus Prædicatoribus in hæc verba improperantem: *Conscrasti os tuum Evangelio talibus (id est rebus ridiculis & profanis) aperive illicitum, assuescere sacrilegum; Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirum de ore ejus, non nugas profecto aut fabulas.* In prato floride sequens legitur historia. In Anglia celebris quidam Ordinis F.F. Minorum prædicator erat, qui præter scientiam talento quodam ornatus erat gratiosissimæ dictionis, erat enim in sermone suo curiosus, utpote quem ut plurimum ornare solebat subtilissimis Philosophiæ, aliarumque profanarum, novarumque & insolitarum scientiarum conceptibus. Cumque die quadam concionem suam quam coram populo ipsum audiendi cupidissimo habiturus erat, per conceptus gratissimos præparatam haberet, nocte præcedenti Christus ei apparuit, in manu sua librum tenens, in cujus medio characteres impressi erant aurei, & elegantissimi: Margines autem sordibus mire erant conspurcati, qui simul pessimum exhalabant odorem, eratque liber ille de foris non minus turpis. Cumque Prædicator Dominum rogasset, ut visionis illius sibi declarare dignaretur mysterium, ab eodem sibi dici audivit: Litteræ aureæ hujus libri verba sunt Sacræ Scripturæ, sacræ Theologiæ, nec non ex doctrinis Sanctorum Patrum decerpta: Sordes autem graveolentes dicta repræsentant & sententias Philosophorum, quas tu in impertinentibus & vanis prædicationibus tuis semper interseris, quæ proinde in conspectu meo pessimum spirant odorem. Deformitas exterior hujus libri apparentem denotat curiositatem, per quam verba mea per vanas & infructuosas garrulitates tuas diversis modis offuscas, atque ab auditoribus calorem spiritualem, quem sacræ doctrinæ meæ in ipsis generare solent, inique aufers. Et vero quidnam ad propositum nostrum Salvatorem dicturum fuisse existimatis, si hic Religiosus narrationes fabulosas, ridiculasque facetias in medium adduxisset.

Aët. Apost. 7. v. 22.

Facetiæ & ridicula in concionibus omittenda sunt.

Hebr. 13. 9. Aët. Eccle. Med. fol. 483.

S. Bern. l. 2. de consid.

Prat. floríd. l. 4 c. 10. p. 2.

Oliva. Prælect. Apost. §. 352. p. 1. Severissime carpuntur prædicatores nugas & poëtarum fabulas concionibus intermiscentes, à Patre Oliva.

4. P. Oliva dignissimus Societatis Jesu Generalis, & quatuor Summorum Pontificum sibi invicem succedentium prædicator Apostolicus, & verum hujus temporis oraculum, veræque prædicationis Evangelicæ speculum in uno sermonum suorum ita scribit, ut ad detestandum in pulpitis suorum scurrilitatem abunde sufficiat. Verba autem ejus sunt sequentia: Ex quo corollæ ex floribus academicis contextæ simul & Ecclesiam suo destituerunt diademate, eidemque penes populum omnem diripuerunt veneration nem; Ex quo fabularum figmenta & subtilitates olim à Romanis linguarum phreneticarum judicata fuere deliria quæ non recipiet Hierarchia Ecclesiastica gravissima prajudicia, quando Evangelij promulgatores, publici in pulpitis facti histriones, templum in theatrum commutant, nec alios examine Evangelico referunt manipulos, præterquam se auscultantium cachinnos? O Deum immortalem, Roma in tenebris gentilitatis excœcata, comicos etiam à malitia excluſit, proscripsit à tribubus, ijsque urnas textoribus concessas, pistoribusque minime negatas è manibus eripuit: Et Ecclesia Catholica inter Prophetas, inque sublimius divinitatis officium constituet, non jam dico, Comicos sed, ut sincere me, expectorem, dico mimos, & quia nec hoc nomen indignitatem facti satis declarat, cogor dicere scurras? *Genus id hominum tribus movere voluerunt*, inquit Augustinus lib 2. *de Civitate Dei.* Ergone apud idololatras histriones infames erant, & apud Christianos primarium præla- Apud idololatras histriones erant infames, & apud Christianos exercent munus sanctissimū prædicationis verbi Dei.

torum locum occupabunt, exercebuntque spectatissimum ministerium non solum Episcoporum & Apostolorum, verum etiam Christi, inverecundi illi sacerdotes, qui populum in Ecclesijs ad dissolutiones theatrales permovere non erubescunt? In Moschæis Mahometanorum nullus ingreditur Arabs, aut lascivus nec ullus adeo est temerarius, qui os suum præterquam ad orandum aperire ausit. Et in Ecclesijs Catholicis plebecula non ad lacrymandum, sed ad ridendum concurret? Idque faciet non inter se discurrendo, sed ex pulpito Episcopali audiendo sacerdotes in habitu sancto interpretantes scripturas, & Evangelia annunciantes? Eheu! Inquit Chrysostomus, tantæ indignitates non jam sacerdotum, sed delirantium Parasitorum, & lascivarum saltatricarum sunt propriæ. *Exterminate, obsecro, ex animis vestris ingratam istam gratiam. Parasitorum res est illa, mimorum, saltatorum, fornicantium mulierum. Procul à mente libera, procul ab ingenuo, procul etiam à pervis.* Et paulo post subdit: Clamat Christus in Evangelio: *Væ vobis qui ridetis.* Et prædicatores Christi ex industria & proposito pœnitentem Christianitatem ad risus in Ecclesia sacrilegos movere procurabunt? Exclamat animosus Chrysostomus: *Audi Paulum dicentem: Triennium, inquit, noctes & dies non desistii cum lacrymis monere unumquemque vestrum. Si vero pro Milesijs & Ephesijs tanta usus est diligentia, non facetias loquens, sed cum lacrymis admonitionem inferens, quid de alijs dici poterit? Audi vero quid & Corinthijs dicat: Ex multa tribulatione, & angustiate cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* Hic, hic est modus prædicandi, dum scilicet peroratur movendo ad lacrymas, simulque lacrymando. Evangelizandi magisterium, Seraphinorum ardentium est functio, non vero recreatio à Parasitis jocantibus exhibita. *Illorum munus est*, inquit Clemens Alexandrinus, *verbum venerari. Prædicandi scientia quodammodo est angelica.* Interea vero nos patiemur ut in sacrosanctis quadragesimæ diebus dum populus Christianus capite cinere con-

Chrysost. hom. 17. ad Ephes.

Luc. 6. 25.

Clem Alex. l. 1. strom.

conſperſo ſacris aſſiſtit luctibus, dum altaria luctuoſe veſtita comparent, dum Joël Propheta per ora diaconorum anguſtias & agonias pœnitentiæ intimat, dum ex omni templi latere hæc verba reſonant: *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent; Parce Domine, parce populo tuo*, in hoc inquam tam ſerio dolentis pœnitentiæ apparatu patiemur, ut loco Epiſcopi in pulpitum Epiſcopale aſcendens nugivendulus ſacerdos, ſanctitatem ſuſpiratæ illius compunctionis, inexpectatorum, adeoque deteſtabilium Bacchanalium tranſmutet ſacrilegium, id quod in adulterorum Deorum Pantheo, à Sardanapalis, Crapulonibus utique fuiſſet execratum, & ab ipſis quoque effœminatis Caligulis punitum? Non eſt hoc prædicare, ſed potius Evangelium mactare, Prophetaſque ad vulgi ſannas, & Chriſtum ad diſſolutorum deriſiones remittere: *Tradunt autem verbum veritatis*, inquit Author operis imperfecti, *perverſis expoſitionibus ſuis ad deludendum, & crucifigendum.* Non eſt hoc interpretari, ſed potius dilaniare Prophetas, & ex ſcripturis ſanctorum macellum publicum inſtituere; Et paulo poſt ſubdit: Merito cum Clemente Alexandrino exclamare poſſumus: *O impietatem! ſcenam cælum feciſtis, & Deus nobis factus eſt actus.* Ergone reperietur Prælatus adeo in cura officij ſui gelidus, & honoris divini ita incurius, ut ſacrilegium quoddamne quidem in Oriente à Meletio, vel à Luthero in Septentrione attentatum: ſine ulla exemplari punitione præterire poſſit? Laqueis intercipiuntur fauces illius, qui verbo aliquo injurioſo civem offendit; Caput detruncatur illi, qui principum honorem & reputationem, etiam per jocum, lædit, & impune tranſibunt, qui ex uno pulpito ad aliud ſacrilegas nugas, & ſcurrilitates divendunt? In quorum ore quilibet Sanctus deridetur, & Chriſtus ipſe Chriſtianis in ſubſannationem exponitur? Ob reverentiam, quam conſeſſui huic Apoſtolico deferre debeo, ingenue meam fateor debilitatem, qua capere nequeo, qua ratione fieri poſſit, quod exemplariter puniantur etiam pœna capitali illi, qui libellos famoſos in Urbis Romæ angulis hinc inde adverſus homines mortales divulgant, aut affigunt, & impune tranſeant, nec ergaſtulis includantur, aut ſilentium imponatur illis, qui Sanctos publice in pulpitis derident, tamque ſublime miniſterium, quale eſt prædicationis officium, intolerabili cum temeritate diffamant; Quis nõ dicat cum Sancto Auguſtino quod major habeatur ratio famæ noſtræ, per libellos famoſos denigratæ, quam habeatur circa ſanctitatem Beatorum, aut Chriſti divinitatem, utpote quæ à linguis temerarijs populi ludibrio exponitur.

Joel. 2. 17. — *Auth. Imp. hom 45.* — *Clem Alex. or. ad gent. 1.*

Oliva ibid. p. 1. §. 582. Continuatur eadem invectiva P. Olivæ.

5. In eodem Tomo §. 582. poſtquam acriter perſtrinxiſſet illos, qui omnem artem & ſtudium ſuum in elegantiam, & ornamentum ſermonis procurandum reponunt, ſimulque oſtendiſſet damna, quæ exinde in animas redundant, ſubdit: Quale præjudicium omnis boni, qualem cujuſvis mali inundationem in cordibus humanis cauſabit, qualia è Dei manibus extorquebit fulmina, quamque horrendas è nubibus furoris divini depromet tempeſtates, ſermo ridiculus, theatralis, mimicus, & ut proprium nomen exprimam, prorſus ſcurrilis? Ingenue fateor, quod ut digne promeritũ huic tam pernicioſo contagio procurarem ignis ſupplicium, pervolverim ſcripturas, Sanctos Patres legerim, & relegerim, conſideraverim uſquequaque concilia, & nihilominus inter omnia hæc volumina ne vel unum caput inveni, quod contra inordinatum & execrandum hoc dicendi genus vel verbum dicat, aut Syllogiſmum efformet. Enimvero venerabiles Prælati, & honorandi Domini mei, ut ingenue dicam quod ſentio, probroſa illa & deteſtabilis monſtroſitas, qua ex Eccleſia theatrum ex ſacra concione ſcena mimica efficitur, nullus unquam ſcriptor Catholicus vel per ſomnium aſſequi aut tamquam poſſibile ſibi imaginari ullatenus potuit. Hæc ad terrorem uniuſcujuſque, qui terminos decentiæ tam ſublimi miniſterio debitæ excedere auderet, ex præfato prædicatore Apoſtolico ad unguem retuliſſe ſufficiat. In multis porro alijs locis idem author hoc punctum magno cum Zelo perſtringit, prout videre licet in hoc paragrapho, & alijs, ſcilicet 583. 586. 587.

DISCURSUS XLII.

ARGUMENTUM.

Prædicatores, qui verum Spiritum & fructum negligentes omne ſtudium ſuum in comptis verbis, ornatuumque Rhetoricorum vanitate collocant, perſtringuntur.

THEMA.

Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis. 1. Cor. 2. ℣. 4.

Prædicatio non verbis, ſed virtutibus debet commendari. — *S. Ambr.*

1. S. Paulus Apoſtolus à Chriſto, ut totum mundum converteret, electus, omnibus poſt ſe ſæculis teſtificari voluit, ſe non per verborum apparatum illis prædicaſſe, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis: *Sermo meus, & prædicatio &c.* Unde & D. Ambroſius ait: *Deus prædicationem ſuam non teſtimonio verborum voluit commendari, ſed virtutis.* Porro hæc eſt noſtrorum temporum miſeria ſanguineis profecto lacrymis deploranda, quod prædicatores Evangelici ſæpenumero omne ſtudium, & ingenij ſui vires in hoc ſolum adhibent, ut diſcurſum per verba ſelecta, elegantia, & per regulas academicas expolita, per periodorum conſonantiam, perque florum Rhetoricorum ornatum deducant, & extendant, primarium negligentes finem, profectum ſcilicet animarum, qui in imprimendis in auditorum mentes veritatibus æternis, in extirpandis vitijs, virtutibuſque Chriſtianis inſerendis præcipue conſiſtit.

Luc. 10. v. 4. Quomodo intelligendũ ſit quod Chriſtus prohibuerit aliquem ſalutari in via ab Apoſtolis. — *Nazianz. in Cat.*

2. Inter alia Apoſtolis à Chriſto impoſita præcepta, prout ex capite 10. Sanct. Lucæ deducitur, unum hoc fuit: *Neminem per viam ſalutaveritis*, quod ſine dubio unumquemque in admirationem rapere poteſt, numquid enim Apoſtolos ſuos omnino differenter dirigere voluit à more & conſuetudine, Sanct. Paulo Apoſtolo in Epiſtolis ſuis plane familiari, ſiquidem vix ulla eſt Epiſtola inter eas, quas manu ſua ad varios direxit, in qua non varias varijs ſalutationes tranſcribat: Quodnam igitur in hoc præcepto latet myſterium? Nazianzenus inquit: *Mandavit etiam hoc eis Dominus ad verbi gloriam, ne videretur in eis magis videre poſſe blanditias, voluit etiam eos non eſſe ſolicitos in verbis.* Sidonius Apollinaris in epiſtola quadam Severum Sulpitium hiſce verbis deprædicat: *Magis eum occupat medulla Senſuum, quam Spuma verborum.* Enimvero aptior ſimilitudo adduci nequit, quam ſit hæc verborum elegantium cum Spuma comparatio, Videbitis nonnumquam in aquis ſummo cum impetu decurrentibus excitari bullas, tandem in candidam Spumam concreſcentes; Quæ tamen mox evaneſcunt, & in aërem reſolvuntur; Ita quoque contingit illis, qui in verborum, conſonantiumque periodorum pompa, ingentem faſtum conſtituunt; Poſtquam enim verborum ſuorum elegantia auditorum ſuorum vellicarunt aures, tandem in earumdem mente, aut memoria nullus remanet fructus, ſed omnia in aërem & ventum evaneſcunt. Alius quidam Author eadem utitur phraſi loquendi dum ait: *Imperitas aures puerilium verborum Spuma conſpuunt.* Ad idem propoſitum ingenioſam quamdam apud eumdem authorem inveni ſententiam, qua illi, qui majus ſtudium collocant in elegantiam verborum, quam in colligendas rationes, doctrinas, ſeu materias ſpirituales, perſtringuntur, tales enim, dicit, *aures magis amant, quam pectora.* S. Gregorius Nyſſenus tales prædicatores dicit eſſe *laſcivientes ſono verbulorum, & petulanti quadam voluptate luxuriantes.*

Sidon. l. 7. Epiſt. 13. Elegantia & affectata prædicatorũ verba comparantur Spumæ. — *Claud. Mamert l. 2. de ſtatu animæ cap. 8.* — *S. Greg. Nyſſ. Or. 12.*

Salef. p. 1. l. 1. Epiſt. Tales faſtuoſæ prædicationes impediunt fructũ, & ſubvertunt Eccleſias. — *D. Chryſoſt. hom. 30. in Acta.*

3. Sanct. Franciſcus Saleſius in Epiſtola ſæpius citata de eodem hoc puncto tractat ſequentibus verbis: Genus quoddam eſt delectationis, quæ non à docendo vel movendo dependet, ſed totaliter diverſa eſt, imo ſæpe impedit, quo minus auditores doceantur, vel moveantur, eſtque certa quædam aurium vellicatio, quæ ab elegantia ſæculari, mundana, & profana, certiſque curioſitatibus, verborumque floribus provenit, & quoad hoc dicendi genus abſolute dico, illud à prædicatore nequaquam uſurpandum eſſe, quia hic dicendi modus proprius eſt oratorum mundanorum, circulatorum &c. & qui hoc modo prædicat, non Jeſum Chriſtum crucifixum, ſed ſemetipſum prædicat. *Non ſectemur lenocinia Rhetorum*, inquit in homilia quadam Divus Chryſoſt. *ſed veritates piſcatorum*; Imo *hoc dicendi genus ſubvertit Eccleſias*; Prout facile videre licebit, ſi conſiderentur innumerabilium animarum ruinæ, cauſatæ à prædicatoribus, qui verbo Dei abutuntur, ut videantur academici, & oratores, iiſdemque à quibus audiuntur, delectationem afferant, non vero fructum. *Hoc ſubvertit Eccleſias*, inquit idem Chryſoſtomus, *quod & vos non quæritis ſermonem qui compungere poſſit, ſed qui oblectet, & tinnulo ſtrepitu, & verborum compoſitione, quaſi Cytharedos, & cantores audientes, & nos frigide, & miſere facimus, noſtras affectiones ſequentes, quas ejicere oportebat. Et idem ſit, ac ſi pater*

pater videns puerum, quem ſupra modum tenere amat, ægrotum, illi frigida, & quacumque oblectant, porrigat, quæ autem utilia, minime curet; Deinde quando objurgatur à Medico, rationem reddat dicens, quid faciam? Videns flentem puerum, ferre nequeo. Miſer, & ærumnoſe, ac proditor, neque enim talem patrem dixerim. Et quanto ſatius fuerit parvo tempore triſtitia affectum perfectæ ſanitati reſtitui, quam temporariam illam gratiam perpetuæ triſtitiæ cauſam fieri? Hoc etiam nobis accidit. Floſculos verborum, & compoſitionem, & harmoniam curioſius ſectamur, ut canamus, non ut proſimus, ut ſimus in admiratione, non ut doceamus, ut oblectemus, non ut compungamus, & plauſu, & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus. Gillibertus Abbas in ſermone quodam ſuper cantica ſequens tradit conſilium; *Angelus Dei es, qui ſacri profiteris verbi myſterium, labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt. Evangelice ex toto loquere, qui vir Evangelicus es.* Et paulo poſt ſubdit: *In labijs tuis ſit, non in folijs verbum validum & efficax. Labia enim, non folia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.* Quod ſi domus filij tui igne conflagraret, cum periculo incinerandi omnia quæ in illa ſunt, tu vero ad ignem illum extinguendum folia adferres, vel ad vicinum pharmacopolium accurrens aquam tibi comparares roſaceam, numquid manifeſtam committeres ſtultitiam? Miſerabiles peccatorum animæ in pernicioſis carnalis concupiſcentiæ flammis ardent, imo *ſecundùm præſentem juſtitiam* ignem de facto conceperunt infernalem, utpote à quo per unicam reſpirationem tantummodo abſunt, ad Prædicatorum autem munus pertinet incendium hoc per prædicationem evangelicam extinguere, ſtulte igitur facimus, ſi ignem hunc per variorum verborum folia, per metaphoræ, aliorumque troporum flores, phraſium elegantias, alioſque ornatus academicos extinguere velimus. *O ſtulte!* (verba ſunt S. Thomæ de Villa nova) *ardet domus tua, & ignis omnia devaſtat, & tu expectas compoſitam orationem!* Solâ illâ aquâ, quæ ex oculis peccatoris dimanat, ignis ille extingui poteſt, non vero per illam quæ è floribus per ſublimatorium eliſcitur, neque per elegantiam verborum, aut figurarum Rhetoricarum ornatum; *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*; Ad hanc vero aquam lacrymarum ab auditoribus obtinendam, & eliciendam, ſermones elegantes, & expoliti minime deſerviunt. Idem S. Thomas poſt adductam ignis ſimilitudinem, ſubdit: *Intratur civitas ab inimicis, & jamjam es in periculo damnationis æternæ, & ſpectas ſuavia verba? In re tam ſeria pigmenta verborum requiris? Si quis rex in negocio arduo mitteret litteras procuratori ſuo, ut ſolicitè negociaretur, & ille immemor negotij, laudaret characteres, admiraretur ornatum litterarum, quomodo ei ſucconſeret rex? Sic omnium Dominus dedit nobis evangelium, & ſacras litteras, ad negotiandum regnum cælorum, ſi tu ſolus Rhetoricam attendis, ſtultiſſimus es virorum.*

Gillib. Abb. ſerm. 16. in Cant. — Apta ſimilitudo. — *S. Thom. à Vill. nov. in Sexag.* — *Thren. 2. 18.* — *S. Thom. à Vill.*

Oliva p. 1. Præd. §. 581. P. Oliva deplorat errorẽ vaniloquorũ ſimiliũ prædicatorum.

4. Audiamus qualiter P. Oliva (qui merito appellari poteſt *oliva fructifera in domo Dei*) hunc abuſum in quodam ſermone Apoſtolico deploret, dicit enim: Id quod animam meam tranſadigit (ut taceam inde provenientem offenſam Dei, ſubditorum diſſolutionem, & damnationem Prælatorum) eſt infamia, quæ in univerſam Italiam redundat, & contagium quod ab Eccleſijs noſtris in omnes Europæ metropolitanas transfunditur. Cum enim antea in Septentrione, in Occidente, & in regionibus ultramarinis prædicare idem eſſet, quod fulminare, ſiquidem per Evangelium proſternebatur iniquitas, & innocentia è poſtlimio revocabatur, depravato hoc noſtro ſæculo in pluribus provincijs fervor prædicatorum evanuiſſe auditur, & paulatim eloquentia prophetica in garrulitatem academicam tranſmutata eſſe cernitur. Unde Auditores à ſuavitate elegantium ſermonum impiè recreati, in fœtido peſtiferæ carnalitatis ſulphure ebullire incipiunt. Et quidem ſi quæſieritis ubi & quomodo zeloſi illi (ſcilicet) ſacræ Scripturæ expoſitores ardorem Apoſtolicum extinxerint, poëticamque levitatem didicerint, reſpondebunt vobis unanimiter in Italia, imo fortaſſe hic Romæ, ubi extorto è labijs gladio Apocalyptico, ora prædicantium narciſſis Pieridis efflorеſcunt, idque exemplo illorum, qui in famoſioribus ſanctæ hujus civitatis Baſilicis prædicantes audiuntur. Et vero dum flagella è cœlo Eccleſiaſtico contra ſacra Italiæ clauſtra evibrata (ut-

pote quibus divini verbi adeo à nonnullis per diſcurſus publicos, exiguum tamen, ſed potius nullum fructum afferentes profanati, diſtributio totaliter commiſſa eſt) penitius conſidero, omnino mihi perſuaſum habeo, calicem iræ Dei, meram eſſe illius injuriæ vindictam, quæ à prædicatore ſerioſitati & divinitati miniſterij ſui irrogatur. Idipſum namque Deus, per os Jeremiæ Prophetæ capite 23. comminari his verbis videtur: *Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle, quia egreſſa eſt à Prophetis Jeruſalem pollutio in omnem terram. Hæc dicit Dominus exercituum; Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.* Hactenus Pater Oliva.

Jerem. 23. 15.

Fruſtra ſe excuſant tales prædicatores quod ſe debeant accommodare beneplacito auditorum. — *2. Tim. 4. 3. & 4.* — *Ibid. v. 5.* — *Ibid. v. 2.* — *Auth. Imp. Hom. 46.*

5. Quod ſi pro Oratorum Academicorum excuſatione reſpondeatur, neceſſum eſſe, ut prædicator ſe auditorum beneplacito accommodet, eo quod tempus illud jam advenerit, de quo S. Paulus prophetavit dicens: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Reſpondeo per eumdem Sancti Pauli textum, in quo hic Apoſtolus Epiſcopo, ad quem opus prædicationis præcipue ſpectat, præcipit, ut diligenter attendat, quem in locum ſuum ſubſtituat, ait enim: *Tu vero vigila... Opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*; Neque enim tibi oratoris, vel academici, ſed potius miniſtri Evangelici incumbit officium; Neque convenit, ut tu vano populorum prutitui te accommodes, *populus* enim *docendus, non ſequendus*; *Et ideo argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*; Reprehenſiones autem nequaquam per floſculos oratorios conficiuntur, nec per argutias, vel ornatus poëticos, vel Rhetoricos, ſed per ſacræ Scripturæ authoritatem, & veritatem, perque fulmina ſententiarum, quæ ex doctoribus Eccleſiaſticis ſunt depromptæ. *Omne verbum quod non habet in ſe veritatem Dei*, inquit Author operis imperfecti, *mortuum eſt, quemadmodum ſine ſanguine corpus, propterea omnia verba divina, quamvis ruſtica ſint, & incompoſita, viva ſunt, quoniam intus in ſenſibus ſuis habent poſitam veritatem Dei, quaſi ſanguinem in venis incluſum, & ideo vivificant audientem, ſicut teſtatur Petrus ad Chriſtum dicens: Quo ibimus? Verba vitæ habes; Omnia autem verba ſæcularia, quoniam non habent in ſe virtutem Dei* (in margine loco, *virtutem*, ſubſtituitur *veritatem*) quamvis ſint compoſita & ingenioſa, mortua ſunt, quoniam in venis ſenſuum ſuorum non habent veritatem Dei, propterea nec audientem ſalvant.

S. Antonin. p. 3. t. 18. c. 3. §. 2. Quo fine permiſſum ſit prædicatori delectare auditores.

6. Sed audiatis velim quo fine S. Antoninus prædicatori, ut auditores delectare poſſit, permittat; In hæc namque verba dictus archipræſul ſcribit: *Prædicator quia ex ſua prædicatione debet quærere homines inducere ad faciendum quod prædicat, ideo ut efficaciter prædicet, debet clarè loqui, ut inſtruat intellectum auditoris, & doceat. Secundo ſic debet loqui, ut delectet auditorem*; Sed quo fine delectatio illa curanda eſt? *Ut ſic moveat affectum, ut libenter audiat verbum. Tertio, debet ſic loqui ut flectat, ſcilicet curando, ut quæ dicta ſunt, velit ea implere.* Ad hunc autem utiliſſimum finem aſſequendum, ob quem præcipue verbum Dei annunciatur, nihil juvant colores, & flores Rhetorici, vel periodorum academicorum conſonantiæ; *Sermo meus non in perſuaſibilibus &c.* Imo ipſemet gentilis Seneca inquit: *Non delectent verba noſtra, ſed proſint.* Porro delectatio à prædicatione non omnino excluditur, ſed ordinari debet ad faciendum fructum, ad eum fere modum, quo arbor florem producens in eo non ſubſiſtit, ſed eumdem in fructum tranſmutat. Prædicetur eo modo, ut aures auditoris in eo quod audiunt ſibi complaceant, an vero non ſit velut baliſta ſine globo exploſa, hoc enim modo nil aliud obtinetur, quam quod pulvis nitratus inutiliter conſumatur, ſit igitur bene onuſta ſententijs validis & efficacibus, tamquam globis, ut ſtrages inter inimicos faciat, & turres ſubvertere, id eſt obſtinatos peccatores ad pœnitentiam inducere queat. Quiſquis prædicat ſolis ſtudendo verbis, non rationibus, nec authoritatibus, nec doctrinis, aut validis doctrinis, omne perdit meritum, omnem laborem, nec ullam Deo lucratur animam, cujus contrarium ſit in eo, qui prædicando gloriam Dei, & ſalutem animarum tamquam objectum primarium ob oculos habet, Huic enim *dabit Dominus verbum evangelizanti virtute multa.*

1. Cor. 2. 4. — *Pſ. 67. v. 12.*

7. In libro Judicum cap. 3. legitur de Aod: Quod

Judic 3. 16. *fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus*; Hocque gladio uni dumtaxat necem intulit; scilicet Eglon Regi Moab; *Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore*; Subdit autem sacer textus, priusquam hoc caput tertium finiat: *Post hunc fuit Samgar, qui percussit de Philisthijm sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel.* Omnia autem hæc *in figura contingebant illis*; Per ensem namque verbum Dei intelligitur, de quo S. Paulus ait: *Gladium Spiritus quod est verbum Dei*; Per gladium Aod tanto cum studio fabricato, elegans, & coloribus Rhetoricis exornatus sermo intelligi potest, qui uni dumtaxat mortem infert, eidemque infixus manet; Vomer autem Samgar, licet rudis & impolitus, sexcentorum Philisthæorum stragem faciens prædicationem simplicem, materias utiles, animabusque proficuas tractantem denotat, dicente Stephano Cantuariensi: *Ecce iste plures occidit vomere, quam Aod gladio suo limato & acuto; quia sæpe plus proficit simplex & rudis prædicatio, quam exquisita atque polita.* In Pontificali Romano in consecratione Episcopi (cujus muneri annexum est prædicandi pastorale officium) consecrator conferens consecrando verbum Dei annunciandi potestatem, hæc verba profert: *Sit sermo ejus & prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*; Adeoque intentio Ecclesiæ (cui assistit Spiritus sanctus, & à quo collocatio hujus ministerij prædicationis derivatur) huic abusui prospicit, eumque penitus extirpare satagit, siquidem pastoribus Ecclesiasticis apertis verbis præcipit, ut verbum Dei in Spiritu, & cum fructu annuncient, non vero cum vana mundanæ eloquentiæ ostentatione. P. Oliva in secunda parte concionum Apostolicarum valde contra hunc abusum sequentibus verbis invehitur: Quis umquam annis superioribus in basilicis Christianis divinorum librorum explicationem sine compunctione audivit? Nunc verò à cœlorum Apostolicorum tonitribus, ad academicas prædicatores transiere corollas, omnis spiritus penitus expertes, tandem degenerarunt in theatrales facetias; Unde hodierno tempore publicorum discursuum non pauci vel inutiles sunt garrulitatum juvenilium vanitates, vel sacrilegæ profanitates ex scenis condemnatis traductæ.

Prædicatio verbi Dei comparatur gladio Aod, & vomeri Samgar.
Ibid. v. 22.
Ibid. v. 31.
Ephes. 6. 17.
Steph. Cant. apud Godefrid.
Oliva p. 2. § 49.

DISCURSUS XLIII.
ARGUMENTUM.
Eadem materia continuatur.

THEMA.

Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. 2. Cor. 2. ℣. 17.

1. TAmetsi Apostolus cœlesti quadam & à Deo sibi infusa scientia fuerit dotatus, præter eam quam per sublime ingenium suum acquisierat, nihilominus protestatur, se verbum Dei in omni simplicitate & sinceritate annunciasse, ut in mentibus auditorum efficaciam haberet: *Ex sinceritate &c.* quorum verborum sensum interpres quidam hunc in mundum declarat: *Adulterare verbum Dei est, fictis coloribus orationem pingere, audientium sensibus blandiri, non ex sinceritate loqui, & veritatis manifestatione, sed gloriæ extruendæ studentes, non ædificandæ conscientiæ.* Idem Apostolus in cap. 4. ejusdem epistolæ inquit: *Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Etenim Evangelium annunciandum est, ut veritas manifestetur, fideliumque mentibus imprimatur, non verò ad propriæ vanitatis ostentationem per discursus academicos, eloquentiæ & troporum floribus exornatos, per hos namque verbum Dei adulteratur. Imo ipsemet Seneca in epistola quadam hoc tradit documentum: *Quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse & simplex.* Rupertus Abbas in capite *de qualitate elocutionis ejus, quod more adulterantium verbum Dei sui suaviter lenocinetur*, historiam illam explicans, in qua Balaam abiisse dicitur, ut populo Dei electo malediceret, cum tamen cogeretur talia proferre verba, quæ desiderio Balac conformia non erant, sed prout ei Deus ipse suggesserat, ad propositum nostrum in hæc verba scribit: *Bene ergo, & ipso locutionis modo formam illorum exprimit, qui verbum Dei adulterant, qui dum benedictiones cantitant, de virtute verborum non curant, magisque vocula suæ tripudium, quam divinorum majestatem attendunt sensuum*; *Quod Dominus gravissimè interdicens prædicatoribus Evangelij; Et neminem, inquit, per viam salutaveritis.*

Quinã prædicatores adulterent verbum Dei.
2. Cor. 4. v. 2
Seneca Epist. 40.
Rup. Abb. lib. 2. in Num. c. 19.

2. Cælestis agricola, qui dixit: *Pater meus agricola est*, divinum verbum suum semini, non autem floribus comparavit; Enimverò qui loco seminis flores quantumcumque pulchros, elegantes, & odoriferos subtus terram seminaret, flores illi utique sub terra confestim emarcescerent, nec ullum fructum producerent; Idem quoque accidit ijs, qui venustorum verborum, vanarumque elegantiarum flores diligunt, hi enim nullum animabus fructum afferunt, sed potius irreparabile damnum, siquidem *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Opus itaque est semine, quod fructificandi virtutem habeat, tale autem est verbum non Demosthenis, non Ciceronis, nec aliorum similium Oratorum profanorum, sed Dei illius, qui verbum & sapientia est æterni Patris.

Joan. 15. 1.
Verbum Dei non floribus sed semini comparatur.
Apoc. 22. 11

3. Nescio an ad hoc aliquando vos reflexeritis, quod S. Matthæus priusquam Christum nobis tamquam prædicatorem exhibeat, hæc verba præmittat: *Et relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum.* Circa quæ verba considerationem meretur, quod author quidam notat; *Nazareth enim, inquit, idem est, quod floridus*; Priusquam igitur Christus divinum verbum suum annunciaret, non sine mysterio è Nazareth patria sua recessit, sed per hoc omnibus illis quibus hoc ministerium exercendi munus incumbit, insinuare voluit, quod à stylo dicendi florido, id est vano, semper sint alieni; Nam ut Isaias ait: *Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum*; Flores quippe citò evanescunt, sic quoque elegantium verborum flores cito languent, exarescunt, & deficiunt, veritates autem æternæ auscultantium animis tenaciter impressæ remanent.

Quare Christus prædicaturus discesserit ex patria sua Nazareth.
Matth. 4. 13.
Isa. 40. v. 8.

4. S. Bernardus illam observat comminationem propheticam: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem.* Enimverò sæpe Deus justo suo judicio populos prædicatoribus destituit; Et quidem licet non nemini videri possit, hisce nostris sæculis flagellum istud nequaquam esse formidandum, siquidem in omnibus locis ingens prædicatorum numerus reperiatur; Verumtamen advertendus est modus loquendi ipsius Dei; dicit enim: *Nubibus meis*, ubi mellifluus Doctor ly *meis* adjungit, quod alias in vulgata non reperitur. Etenim multi sunt qui prædicant; sed ad hoc munus à Deo missi non sunt, nec Deus illis assistit, nec impulsum aliquem tribuit, sed prodeunt in medium, seque huic ministerio intrudunt, non in animarum subsidium, sed ad propriæ scientiæ ostentationem, ut videantur eloquentes, & doctrinæ sibi nomen acquirant. *Væ nubibus pluentibus istiusmodi imbrem, super eos qui lutum faciunt, fructum non afferunt. Cur putas adjunxisse signanter*, meis, *nisi quia sunt & malæ nubes, quæ non sunt ejus? Quid Evangelio cum academia?* inquit Tertullianus. S. Hieronymus hunc abusum, qui etiam in nonnullis sui temporis Ecclesijs reperiebatur, in hæc verba perstringit: *Jam in Ecclesijs ista quæruntur, omissa Apostolicarum sententiarum puritate, & simplicitate verborum, quasi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur, ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam erudiura populos, quam favorem populi quæsitura.* Enimverò D. Chrysostomus licet admirabili esset eloquentia præditus, ab eaque *os aureum* passim appellaretur; populares tamen nequaquam venabatur applausus, quamvis illos vel invitus sæpe habuerit, sed soli erat animarum lucro intentus. Cæterum eloquentiam suam reprimere, & moderari noverat, ne forte ad plausum & ostentationem videretur ordinata; Ac proinde numquam illa utebatur, nisi solum, ut veritates æternas tantò validiori cum energia imprimeret, auditoresque suos ad compunctionem permoveret. Aptissimè huic nostro proposito congruit sequens doctrina Senecæ Philosophi moralis, dicentis: *Nimis anxium esse te circa verba, & compositionem, mi Lucili, nolo, habeo majora quæ cures. Quare quid scribas, non quemadmodum, & hoc ipsum, non ut scribas, sed ut sentias, ut illa quæ senseris, magis applices tibi, & veluti signes. Cujuscumque orationem videris solicitam, & politam, scito animam quoque non minus esse pusillis occupatam.* Quisquis in sua prædicatione pulchris & venustis verbis adinveniendis intentus est, per hoc evidenter, se hominem ex verbis, non verò ex factis fictum esse, designat,

Isa. 5. v. 6.
S. Bern. serm. 58. in Cant.
Prædicatores quærentes populi applausum per composita verba, graviter perstringuntur.
S. Hieron. in Proœm. lib. 3. ad Gal.
Senec. Epist. 115.
Quid Seneca senserit de talibus prædicatoribus.

signat, quodque magis respiciat elegantiæ vanitatem, quam soliditatem virtutis, & spiritus. Subdit idem Seneca in eadem Epistola: *Nosti complures juvenes, barbâ & coma nitidos, de capsula totos; Nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum, oratio vultus animi est, si circumtonsa est, fucata, manufacta, ostendit illam quoque non esse sincerum, & habere aliquid fracti. Non est ornamentum virile concinnitas.* Idem gentilis Philosophus in alia quadam Epistola aliud quoddam non minus utile punctum his verbis tangit: *Plurimum profuit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Disputationes præparatæ & effusæ, audiente populo, plus habent strepitus, minus familiaritatis, adde: Et minus utilitatis.* Porro ut ars oratoria in aures suaviter influat, discursum fluidum, currentem, & impetuosum, ad facundiam ostentandam componit; Inde vero inconveniens haud modicum sequitur, ab eodem Seneca in Epistola 40. his verbis notatum: *Quid? Quod hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? Remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum præterea habet inanitatis, & vani, plus sonat, quam valet. Lenienda sunt quæ me exercent, compescenda quæ irritant, discutienda quæ fallunt; Inhibenda luxuria, corripienda avaritia. Quid horum raptim potest fieri? Quis medicus ægros in transitu curat?* In eadem Epistola paulo ante sequentia verba leguntur: *Sic habe; Istam vim dicendi rapidam, atque abundantem, aptiorem esse circulanti, quam agenti rem magnam, ac seriam, docentique æque stillare eam nolo, quam currere. Nec extendat aures, nec obruat, nam illa quoque inopia & exilitas minus intentum auditorem habet; tædio interruptæ tarditatis.*

Senec. Epist. 38.
Senec. Epist. 40.

5. Sed quid opus est ad probandum intentum nostrum authoribus profanis? Ad Sanctos Patres transeamus. S. Prosper. ministro Evangelico sequens suggerit consilium: *Non in verborum splendore, sed in opere, virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus, nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitum.* Hunc autem fletum, & gemitum nemo ex oculis, multo minus ex cordibus auscultantium eliciet per flores poëticos, & elegantias Rhetoricas, sed per veritatum efficaciam, quæ cum spiritu, energia, & pectore Apostolico auditoribus imprimuntur; *Illi plausibiliter dicunt, & nihil auditoribus suis declamando proficiunt, isti usitatis sermonibus docent, & imitatores suos instituunt.* S. Carolus in instructione prædicatoris de hac materia differens in hæc verba scribit: *Exornet, non verborum, vel lectissimorum inani sonitu, & sermone nimis elaborato, & pene calamistrato, ac fucato, quo nihil potest esse infructuosius; Sed gravi, plenoque sanctæ doctrinæ, ac referto disciplina, quæ verè Christiana, præstansque sit ad salutem.* Et paulo post idem sequentibus verbis inculcat: *Elocutionis genus exquisitum ne affectet, fucum omnem fugiat, imperitæ multitudinis loquendi consuetudinem ne sequatur, cum in ea sint multa absurda, multaque indigna concionantis gravitate.* Advertendum est, tenendam esse in modo loquendi viam quamdam mediam, id est non indaganda, & trutinanda verba nimis elegantia, valdeque recognita, sed nec usurpanda esse verba plebeia, & rancida, ne tam sublimis ministerij dignitas derisui exponatur, & vilescat.

Taxantur prædicatores studentes flosculis poëticis, & elegantijs Rhetoricis.
S. Prosper. de vit contemp. lib. 1. cap. 23.
Act. Eccle. med. fol. 490

6. In libro secundo Paralipomenon de Sesac Rege Ægypti legitur, quod inter alias prædas, quas è templo sustulit, etiam scuta aurea, quæ Salomon fabricari curaverat, rapuerit: *Tulit & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit rex æneos.* Circa quæ verba glossa in sensu morali ita in favorem nostrum scribit: *Hæc antiquus hostis per incuriam Rectorum abstulit in prædicatoribus, tales vero cum se Spiritu privatos vident, per eloquentiam verborum copiam quærunt, quorum sonoritatem, velut scutorum æneorum firmitatem contra hostes opponunt, sed quanto est auro vilius, tanto est eloquentia inferior veræ sapientiæ fructu, unde ubi plurima verba, ibi frequenter egestas.* In libro Numerorum dicitur: *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit.* Quæ verba Rabanus ita exponit: *Quia qui multitudini verbum Dei prædicat, simpliciter, & apertè debet loqui, ut multi intelligant, & ædificentur.* Et paulo post subdit: *Qui ergo docet, vitet omnia verba quæ non docent; Est autem optimus docendi modus, quo fit, ut qui audit veritatem, audiat, & intelligat, bonique ingenij insignis indoles in verbis verum amare, non verba; Quid enim prodest clavis aurea, si non aperiat? Et quid obest lignea, si aperiat?*

Continuatur eadem invectiva.
2. Paralip. 12. v. 9.
Glossa.
Num. 10. 7
Raban. ibid.

7. S. Mater Ecclesia in Sacrosancto Festo natalitio verbi incarnati ita canit: *Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.* Et tamen sanctissima ejus mater, quæ ab eadem Ecclesia *Sedes sapientiæ* appellatur, se partui vicinam esse sciens, quanam lintea supellectile provisa fuit, ut filiolum suum recens natum fascijs involveret? Sacer Evangelista ait: *Et pannis eum involvit.* Unde Albertus Magnus pro instructione prædicatorum sequentem deducit moralitatem, dum ex Richardo de S. Victore ita scribit: *Mater Virgo verbum Patris pannis involvit, significans Verbum Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione, quam phaleris rhetoricis.* Origenes super illa verba Ezechielis: *Fili hominis obfirma faciem tuam super filios, &c.* ita scribit: *Cum aliquis aptus moribus populi, ut placeat eis quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sint voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus.* Sequitur: *Hoc peccatum habentem, ut faciat etiam amictus ad velandum caput omnis ætatis. Cujus autem rei figura sit etiam velamen, cautius consideremus. Qui fiduciam habet, & verè vir est, velamen non habet super caput suum, sed intecto capite orat Dominum, intecto capite prophetat, per signum corporalis rei etiam spiritualem latenter ostendens, ut quomodo non habet velamen super caput carnis suæ, ita non habeat velamen super principale cordis sui. Si quis verò confusionis velamen gerit, & peccati ille quasi muliebria velamina habet super caput suum. Itaque cum aliquis docuerit ea, quæ aurem populi mulceant, & gemitum potius laudatorum, quam genium moveant, si blandus inimicus palpaverit potius quam secuerit vulnera, talis homo amictus contexit in capite. Cum autem in luxuriosam orationem dicentis se sermo fuderit, & in lascivum persultaverit eloquium, contexit velamen super caput omnis ætatis, &c. Hi qui ad voluptatem meditata deportant, & illa potius inquirunt, quæ delectant potius audientes, quam convertunt à vitijs; faciunt velamina super caput, non modo puerorum, & juvenum, verum & senum, &c. Et potuit quidem dicere Propheta, super filios populi tui qui prophetant, sed quasi omnes qui velamina contexant, & cervicalia consuant sub omni cubito manus, mulieres sint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait Propheta in filias populi quæ prophetant de corde suo, & ea faciunt quæ sequuntur. Effœminatæ quippe sunt eorum magistrorum & animæ, & voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt, & (ut quod verum est dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est, in his, qui juxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant, idcirco omnes filias potius quam filios dixit, assuentes cervicalia.*

Graviter perstringit vaniloquos prædicatores Origenes.
Luc. 2. 7.
Alb. Magn. in Luc
Orig. Hom. 3. in cap. 13. Ezech.

8. Porrò una ex ijs rationibus, quæ convincunt verbum Dei inutile esse, quando plus elegantijs verborum exornatur, quam solidis argumentis, & Sacræ Scripturæ authoritatibus, nec non Sanctorum Patrum sententijs roboratur, hæc est, quod scilicet cum prædicatores verbo Dei uti deberent tamquam gladio (*Gladium Spiritus, quod est verbum Dei*) gladius autem ferire aut transfodere nequit, nisi nudus sit, & evaginatus, ita quoque prædicatio Evangelica corda fidelium penetrare nequit, nisi vera sit, simplex, & solidæ veritati innixa, non autem verborum quisquilijs vanè exornata. Isaiæ, cujus labia à Seraphinis fuere purificata, à Deo præceptum fuit; *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis; id est*, ut Cornelius à Lapide exponit, *Litteris apud homines usitatis.* Ex quibus verbis colligitur, quod licet hic Propheta ab ipsismet Seraphinis fuerit in imperscrutabili sanctissimæ Triados mysterio eruditus, nihilominus quia omnibus prædicatoribus Evangelicis velut norma prædicandi servire debuit, Deus illi, ut juxta stylum consuetum prædicaret, præcepit. Chaldæus legit: *Et scribe in eo Scripturam claram, id est*, ut S. Hieronymus ait: *Humanis verbis, & stylo quo homines scribere consueverunt, Dei Sacramenta comprehendat.*

Prædicatio sit simplex & solidæ veritati innixa.
Ephes. 6. 17.
Isai. 8. v. 1.
Cornel. à Lap. ibid.

9. Quod si tamen contingat, quod auditores eloquentem aliquem, & academicum oratorem auscultent, curandum est illis, ut granum è spica prudenter legere noverint, relinquendo paleam, accipiantque ex tali dictione, quod pro salute animæ ipsorum conducit, ornamenta verò inutilia posthabeant, & contemnant; Nec sint de numero eorum, de quibus S. Thomas de Villa nova ita scribit: *Sunt qui audiant libenter, sed curiosè quærentes sibi magi-*

Taxantur curiosi auditores.
S. Tho. à Villa no. in Sexag.

stros prurientes auribus, hi delectationem quærunt, non fructum, paleam, & non granum, verborum ornatum, & non sensum. Hi volunt audire elegantias, facetias, quæstiones subtiles, & vanam rhetoricam, & non doctrinam. S. Antoninus quoque reprehendit *nimium ornatum verborum, & superfluitatem, nam ficum, quæ tantum folia habebat, non fructus, Christus maledixit. Non delectent verba nostra, sed prosint. Oratio quæ veritati dat operam, incomposita debet, & simplex esse, non tamen nimis rustica, ne contemnatur.* Impertinens igitur, & irrationabilis est illorum prætensio, qui Ecclesiam in academiam, prædicatores vero in oratores transformare satagunt. Verùm enimvero tametsi etiam hi ex improbitate sua tales esse studeant, nihilominus P. Rodriguez magnus ille spiritualis vitæ Director, quid in hoc casu faciendum sit auditoribus, optimè declarat: *Tolle quod tuum est, & vade*, quod si Chirurgus aliquis sanguinem è vena infirmi alicujus extracturus, eumdem conveniret, hic autem solum in hoc pertinaciter persisteret, quod scilicet videre velit instrumenta, an pulchra sint, aureis, an argenteis manubrijs exornata, & an thecæ cuidam deauratæ sint inclusa, cæterum verò putridum sibi sanguinem, qui infallibiliter ei esset mortem illaturus, sibi extrahi minimè pati vellet, quid de hac talis infirmi stultitia diceres? Tales sunt multi, qui Verbum Dei, quod animarum medicina est, ideo audire renuunt, quia cum desideratis verborum ornatibus non annunciatur: Verum enimverò, ex quo talium ingens est numerus, operæpretium esse judico, si illis stultitiam suam per aliam quamdam non minus aptam similitudinem declarem; Posito enim casu quod aliquis ex pulpito Ecclesiæ in bene elaboratis & phrygio opere contextis bursis aurum deorsum inter populum projiceret, quis pecuniarum adeò parum cupidus futurus esset, ut ad solas accurreret bursas, ducatos verò aureos minimè curaret, sed in terram cadere, & dispergi permitteret? Hæc prorsus est multorum Christianorum stoliditas, qui dum ex pulpito Ecclesiæ Verbum Dei, multo pretiosius auro & gemmis (*desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum*) inter auditores dispergitur, ipsi ad solos accurrunt troporum rhetoricorum flores, verborumque elegantias, doctrinam verò sacram, veritatesque Evangelicas, quæ nonnumquam sub arte oratoria latent, prorsus negligentes.

S. Antonin. P. 3. tit. 18. cap. 4.

Curiosorum auditorum stultitia similitudinibus declaratur.

Ps. 18. v. 11.

DISCURSUS XLIV.
ARGUMENTUM.

Prædicator auditorum se capacitati accommodare debet, non verò propriam ostentare scientiam.

THEMA.

Cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. 1. Cor. 2. ℣. 1.

1. TAmetsi S. Paulus in paradisum evectus *audiverit arcana verba*, ibidemque expeditum in ærarium illud habuerit aditum, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, Denique licet superhumana quadam & infusa locupletatus fuerit sapientia (*Evangelium quod Evangelizatum est à me... Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*: Nihilominus in præcitati thematis verbis protestatur inquiens: *Cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, &c.*) licet, inquam de ineffabilibus & altissimis increatæ sapientiæ mysterijs edoctus de cœlo descenderit, quia tamen sciebat se in hac terra prædicaturum esse, eorum, quos instructurus, & catechizaturus erat, ignorantiæ, & incapacitati accommodare se voluit. Et ideo merito ipsi gloriosus hic titulus adscribitur, quo *dux verbi* appellatur, & Ecclesia mundi conversionem ipsi potissimum adscribit, idque ex ea præcipuè ratione, quia auditorum capacitati accommodare se novit, ipsomet dicente: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem; Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos*; Et in alio loco dicit: *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.*

2. Cor. 12. v. 4. Coloss. 2. v. 3. Gal. 1. 11. 12.

S. Paulus ad exemplum aliorum prædicatorum accommodavit se capacitati auditorum.

Act. Apost. 14. v. 11. — 1. Cor. 9. 22 — 1. Cor. 3. v. 1. — Ibid. v. 2.

2. Hugo à S. Victore alludens ad regium Assueri convivium, verba illa: *Bibebant qui invitati erant, aureis poculis, & alijs atque alijs vasis cibi inferebantur*, ad præsens propositum ita applicat: *Aurea pocula sunt verba Evangelica, cæteris omnibus pretiosiora, Sapientia Dei, quæ Christus est, velut auro fulgentia.* Observandum verò quod sacer textus dicat: *Unusquisque secundùm suam bibebat ætatem*; Nam ut idem Author subjungit: *Secundum voluntatem, capacitatem, & utilitatem singulorum temperanda est prædicatio, ut omnibus utilis fiat.* S. Ambrosius super illa verba: *Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur*, in hæc verba scribit: *De eo dicit, qui cognita sibi loquitur, quasi sciat quid dicat: (sed alius non ædificatur) Si utique ad ædificandam Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes; Nam quid prodest, ut quis lingua loquatur, quam solus scit, si qui audit nihil proficiat? Ideo tacere debet in Ecclesia, ut ei loquantur, qui prosint audientibus.* Porrò prædicatio Evangelica à Deo in Ecclesia est instituta, non ad emolumentum nostrum, ut scilicet illud prædicantes videamur docti, popularemque nobis acquiramus applausum, sed in subsidium & beneficium animarum, scilicet ut hæ ad veram pœnitentiam convertantur. Unde S. Bernardinus versum illum Psalmi; *Vana locuti sunt ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt, &c.* ita explicat: *Illi nempe linguam suam magnificant, qui subtilia & inutilia verba prædicant, ut alijs videantur doctores, contra quos* Hieronymus ait: *Adducto supercilio grandia verba loquuntur, imò trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris prophetant, vel philosophantur; Contra quos etiam Dominus per* Isaiam cap. 19. ait: *Confundantur, qui operantur linum, plectentes, & texentes subtilia*; Et 1. Reg. 2. *Nolite multiplicare loqui subtilia gloriantes*; Unde dist. 45. c. *Dispensatio. Quod est ultimum, scriptum est. Qui enim ea docet, quæ ab auditoribus intelligi non valent, non ad eorum utilitatem, sed ad sui ostentationem facit.* Gillib. Abbas de hoc abusu, qui hodie multis communis est, differens ita scribit: *Student magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes.* Albertus Magnus super illa verba S. Marci cap. 10. *Docebat illos*, ex D. Chrysostomo ita scribit: *Docere autem, ut dicit Chrysostomus, est id quod suadetur, & proponitur, humanis exemplis & rationibus probare, & credibile facere. Unde* Isaiæ 8. *dicitur: Scribe in eo stylo hominis, hoc est quod humanus possit accipere intellectus: Quidam hoc non faciunt, sed alta docent, & dicunt, quæ docere similitudinibus, & rationibus intelligibilibus debebant, sibi fastum excitant, & non auditoribus utilitatem faciunt: Contra quos dicitur.* 1. Cor. 2. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* Citatque cap. 33. Isaiæ, ubi dicitur: *Populum impudentem non videbis ibi, populum alti sermonis, cujus non possis intelligere linguam, in qua nulla est sapientia.* Et paulo post subdit: *Verbum Dei modo hominis doceri debet, & digito Dei cordibus inscribi modo hominis, sicut dicitur.* 2. Esdræ 8. *Legerunt in libro Esdras & Nehemias, & Levitæ, distinctè, & apertè ad intelligendum, & intellexerunt audientes cum legeretur.*

Esther. 1. v. 7. Ibid. v. 8.

Prædicatio temperanda est secundum capacitatem & utilitatem auditorum.

Hug. à S. Vict. Tom. 2. ser. 3. — 1. Cor. 14. 17. S. Ambros.

Concionator non quærat applausum populi.

Ps. 11. v. 3. S. Bernard. in Tom. 3. Sexag. Art. 2. cap. 1. — Gillib. Abb. ser. 27. in Cant. — Marc. 10. 1. Alb. Magn. — Isaiæ 8. v. 1. — 1. Cor. 2. 4. — Isaiæ 33. 19. — 2. Esdræ 8. v. 8.

3. Idem Albertus Magnus glossando verba illa: *Loquebatur illis de regno Dei*, inquit: *Hoc est possibilitati, & capacitati eorum.* Notat quoque idem auctor textum illum S. Lucæ: *Ibat Jesus per civitates, & castella, prædicans & Evangelizans.* Circa quem textum ita scribit: *Ecce eorum, quibus prædicandum est diversitas; In civitatibus enim sunt personæ urbanæ, In castellis autem habitant humiles personæ, & hoc est quod dicit: Et castella*, Rom. 1. *sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est.* Cant. 7. *Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Ubi etiam notatur, quod urbanis hominibus loquendum est de civilibus & virtute; Castellanis autem de his quæ spectant ad militiam & culturam, ita quod cuilibet proponatur verbum secundum suam capacitatem, & instruatur ex his quæ magis novit, ut sicut dicit Gregorius: Ex his quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit, & per ea quæ usu didicit, noscat ea quæ ignota audit, quia quilibet instruitur facilius per ea quæ usitavit, quam per ea quæ non consuevit.* S. Gregorius explicans textum illum Jobi: *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*, per hasce aquas sapientiam & scientiam sacram, per nubes verò prædicatores intelligens ad propositum nostrum ait: *Quia igitur vir iste prophetico plenus spiritu in hac locutione sua ad laudem Dei initia nascentis Ecclesiæ desiderat exordiri, studet ejus ordinem ab Apostolorum prædicatione narrare, qui curaverunt summopere rudibus populis plana & capabilia, non summa atque ardua prædicare; Nam si scientiam sanctam, quæ hic aquæ nomine designatur, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate eius auditores suos opprimerent potius, quam rigarent. Unde religata intrinsecus scientia, ut non pariter deorsum erumperet, auditores suos distillatione verborum nutriens nubes illa loquebatur dicens.* 1. Cor. 3. *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Quis enim ferre potuisset, si raptus ad tertium cælum, raptus in paradisum, etiam arcana verba audiens, quæ loqui homini non liceret, tam immensos supernæ scientiæ sinus aperiret?* Adducitque exemplum Christi, *qui rogavit Petrum à terra reducere pusillum, & sic docebat turbas, significans, prædicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de cœlestibus, nec tamen terrena prædicare.*

Luc. 9. v. 11. Alb. Magn. ibid. — Luc. 8. v. 1. Alb. Magn.

Qua diversitate utendum sit concionatori pro diversitate personarum.

Rom. 1. v. 14. — Cant. 7. v. 11. — Job 26. v. 8.

Prædicatores comparantur nubibus. & scientia illorum aquis.

S. Greg. lib. 17. Mor. c. 4.

1. Cor. 3. 1. — Luc. 5. v. 3.

4. Gillibertus Abbas ministros Evangelicos instruens inquit: *Ad omnia non possumus omnes attingere, sublimia solis sublimibus sunt, humilia omnibus.* Habemus in hoc perspicua Salvatoris nostri documenta, qui ut D. Chrysologus bene notat, ut proportionatum cujuslibet necessitati pabulum præberet, varietatem auditoribus suis proponere solebat parabolarum; *Et sine parabolis non loquebatur eis. Bonus Dominus, amator suorum Christus*, inquit præfatus Chrysologus, *regni sui similitudines iterat, variat comparationes, quas non de occulto sumit, non captat de cœlestibus, sed profert de quotidiano usu, de communi conversatione proponit, ut ad omne genus perveniat, quod est hominibus profuturum, juxta illud Prophetæ: Audite hoc omnes gentes, auribus percipite omnes, &c. si quid de divinitatis occulto, si quid de secreto regali, si quid de penetralibus divitum afferret in medium, hoc nesciret pauper, non caperet mediocritas, notum simplicitas non haberet; Nunc vero loquitur nota diviti, usitata pauperi omnibus vitæ ipsius necessitate vernacula, quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur in ejus vocatione persona.* S. Gregorius in Prologo tertiæ partis curæ pastoralis exemplum adducens Gregorij Nazianzeni inquit: *Ut longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una, eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit, sæpe namque alijs officiunt, quæ alijs prosunt, quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt; Et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut & sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte numquam recedant.* Ecclesiasticus figuli adducit similitudinem, qui ex luto diversa efformat: *Sic figulus sedens ad opus suum, convertens, &c.* Quæ verba Rabanus in sensu morali interpretans, per hosce figulos ministros Evangelicos intelligit: *Ipsi enim per diversa officia gradus sui ministerium dignè agunt, & doctrinam suam secundùm qualitatem auditorum temperant, quia aliter admonendi sunt sapientes, aliter insipientes, aliter fortes, aliter infirmi, aliter juvenes, aliter senes, aliter viri, aliterque fœminæ.* S. Gregorius alibi præceptum illud examinans, in Exodo his verbis præscriptum: *Parabis & acetabula, & phialas, & thuribula, illud in favorem nostrum explicat* dicens: *Quid verò per phialas & cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, ut singulis scilicet juxta capacitatem ingenij conferatur? Debet enim subtiliter qui docet, prospicere, ne plus studeat, quam ab auditore capitur, prædicare; Debet enim infirmitati audientium se contrahere, ne dum parvis sublimia, & ideo non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse.*

Gillib. Abb. serm 20. in Cant.

Christus prædicans usus fuit varietate parabolarū, pro varietate auditorum.

Matt. 13. 34 — Chrysol. serm. 99. — Ps. 48. v. 2. — S. Greg. 3. par. Past. in Prologo.

Prædicator comparatur figulo

Eccli. 38. 32. — Raban. ibid. — Exod. 25. 29 — S. Greg. Hom. 6.

5. S. Matthæus post enarratas multas ab incarnata Sapientia prædicatas parabolas, tandem subjungit: *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* Ubi bene observandum est, quod Evangelista dicat, *ad turbas*, quia cum populus ut plurimum ignorans, & altioris doctrinæ incapax sit, modicæ ipsius intelligentiæ se accommodans, usitatis semper utebatur similitudinibus: At verò cum sacerdotibus, scribis, Pharisæis, & legis doctoribus, utpote in Scriptura Sacra versatis, stylum loquendi variando de altioribus loquebatur. S. Marcus finem, ob quem Christus parabolis usus fuerit, apertius indicat dicens: *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* Cornelius Jansenius in Concordantijs suis Evangelicis inquit: *Quo significat, Dominum aptare voluisse suum sermonem ad captum auditorum, & ob id locutum in parabolis, quod nudi sermonis nondum essent capaces*; Et quidem quia à vulgo filius Josephi, qui faber lignarius erat, reputabatur, similitudines suas communiter ab aratro, vel agricultura, vel à mercatura, alijsque similibus desumebat, ut cuilibet se professioni intelligibiliorem efficeret. Apud S. Matthæum cap. 9. inquit: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*; Tametsi enim increata illa sapientia esset, de qua scribitur: *Ego ex ore altissimi prodivi*, nihilominus ad triviales se res demittebat, ut communi plebeculæ, & rusticis sese attemperaret; Unde Abulensis ex D. Chrysostomo inquit: *Hinc nos docuit causam humilium verborum, quæ ad eos dicebat, propter imbecillitatem ipsorum.*

Matt. 13. 34

Continuatur idem propositum de prædicatione Christi.

Marc. 4. 33. — Jansen. c. 42. Concord. Evang. — Matth. 9. 17. — Eccli 24. 5. — Abul. q. 83.

6. Apud antiquum quemdam authorem sententiam quamdam invenio, præsenti materiæ haud parum opportunam. Macrobius enim in Saturnalibus inquit: *Nihil tam cognatum sapientiæ, quam locis & temporibus aptare sermones, personarum, quæ aderunt, æstimatione in medium vocata.* Et verò apud S. Joannem cap. 16. refertur, quod duodecim illi piscatores, & rudes idiotæ, quando nondum in die Pentecostes à Spiritu Sancto eruditi fuerant, cœlesti Magistro suo dixerint: *Dicunt ei discipuli ejus; Ecce nunc palam loqueris.* At vero quemnam sibi ex hoc tam aperto, & nullis parabolarum ambagibus involuto sermone Christi formabunt conceptum? Hunc videlicet: *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo exiisti.* Videri quidem potuisset, ipsos ex hoc tam aperto loquendi modo aliud quoddam formare argumentum, aliamque diversam deducere consequentiam debuisse, quia ex eo, quod quis obscurè loquatur, profunditas Sapientiæ illius argui solet; Veruntamen optime dixerunt, quia judicium, sapientia, & prudentia alicujus, qui se suamque scientiam, capacitati illius quem docturus est accommodare intendit, in hoc præcipue consistit, quod secundùm hominum conditionem suum sciat formare sermonem: *Nunc scimus, quia scis omnia.* S. Apostolus Paulus, qui in Academia cœlesti eruditionem suam acquisierat, ubi *audivit arcana verba*, de se nihilominus scribit: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

Sapientis est aptare sermonem suum locis & temporibus.

Macrob. in Saturn. — Joan. 16. 29. — Ibid. v. 30. — Rom. 12. 16

7. In annalibus Ecclesiasticis legitur, quod cum S. Joannes Chrysostomus (qui, ut in ejus lectionibus recitamus, *Propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chrysostomus* dicitur) in beneficium animarum perorandi muneri esset applicatus, jamque discursus doctrina, eloquentia, & sapientia plenos contexeret; nec tamen se populo intelligibilem redderet, vetula quædam mulier, apud eum hac de re lamentans, eidem, quod sermones ejus omnis essent fructus expertes, improperavit; Qua percepta quærela mox sanctus Doctor errorem suum emendans loquendi stylum adeo mutavit, ut unusquisque, quantumvis rudis, & idiota esset, eum facili negotio posset intelligere; Propter quod cum publico applausu *os aureum* denominatus fuit. Ipsemet quoque Salvator, *in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, quando post longam & laboriosam confectam viam, *Fatigatus ex itinere sedebat*, fornicariam illam mulierem Samaritanam ad sui notitiam & fidem perducturus, tamquam sapiens magister hujus mulieris ignorantiæ, & ex ratione sexus congenitæ incapacitati, & litteraturæ se semper in discursibus suis attemperavit, ideoque ut veritatem fidei sensim & paulatim eidem manifestaret, nequaquam ingressus est materias capacitati ipsius superiores, sed illis est usus motivis, quæ facili negotio capere poterat, atque ideo eam adeo in fide veri Messiæ erudivit, ut non minus ipsa quam Apostoli in hæc verba proruperit: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci, numquid ipse est Christus.*

Baron. an. 386. n. 48.

Notabile exemplum S. Joannis Chrysostomi.

Colos. 2. 3. — Joan. 4. 6. — Joan. 4. 29.

DISCURSUS XLV.
ARGUMENTUM.

Prædicatio Evangelica sphæræ & capacitati auditorum est attemperanda.

THEMA.

Super illos stillabat eloquium meum. Job. 29. ℣. 22.

1. DEus in persona Jobi Prophetæ digni cujusdam prædicatoris prototypon & exemplar nobis proponere voluisse videtur, is enim de semetipso ait: *Qui me audiebant expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum, verbis meis addere non*

Job refert personam boni prædicatoris.

Job. 29. 21.

Job 29. 22. S. Greg l. 20. Mor. cap. 2. Act. Eccle. Med. fol. 476.

non audebant ; Moxque subdit : *Et super illos stillabat eloquium meum* ; Circa quæ verba S. Gregorius ait : *In hac stillatione eloquij, quid aliud quam mensura prædicationis accipitur? Quia oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenij conferatur.* S. Carolus Borromæus quando regulas prædicatori præscribit, demum eumdem circa modum quem tenere debet, in hæc verba instruit : *Præcepta rectè intelliget officiorum, quæ magistratuum, quæ civium, quæ seniorum, quæ adolescentium, quæ viri, quæ uxoris, quæ parentum, quæ liberorum, quæ dominorum, quæ servorum, quæ denique præcipua singulorum, ut si quando usu venerit, è præcepto divinarum litterarum, sanctorumque Patrum, quam optime concionetur.* Hactenus S. Carolus.

Prov. 15. 23. Sermo prædicatoris debet esse opportunus & pro qualitate audientium. Ps. 44. v. 2. S. Greg cit. ab Hug. Car. in Ps. 44.

2. Sapiens in Proverbijs inquit : *Sermo opportunus est optimus.* Enimverò quando vestitus aliquis juxta mensuram proprij corporis sciditur, aptissime eidem accommodatur ; Ita quoque Discursus qui ex proprijs instituitur, magnam penes animum hominis energiam habet. Hugo Cardinalis, S. Gregorium adducit, super Psalmi 44. sequentia verba : *Lingua mea calamus Scribæ, &c.* In hunc modum scribentem. *Pro qualitate audientium debet formari sermo Doctorum, ut vox sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte numquam recedat.* S. Paulus cum Thessalonicensibus per calamum loquens, in secunda epistola sic eos affatur. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, &c.* Et paulo post subdit : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras,* & verò quemadmodum nutrix infantis se capacitati accommodat, dum illum nunc lacte, nunc pane trito, quando illum hujus capacem esse videt, nutrit, propriumque sanguinem, ut ita dicam, ad eum alendum ex uberibus exprimit, eodem modo Apostolus dicere vult, se processisse cum illis, divini verbi nutrimentum eis subministrando, quod ex intimioribus præcordijs suis in aures illorum ingesserat. S. Petrus Chrysologus eamdem Apostoli doctrinam adducens sermonem suum 62. hoc modo exorditur : *Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in parvulum, perfectum perdacit in virum. Denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus se ponit, infirmat viscera, abjicit vires, membra dissolvit, gressum tardat, gestit non ambulare, sed repere ; Ridere simulat, ridere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc reor B. Paulum fecisse, cum dicit : Factus sum parvulus in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos. Sed forte aliquis stupeat, cum videat nutriculum ista facientem ; Non irridet si est parens, si pater est, non miratur : Hoc stultitiam dicere non potest, qui scit amare. Unde vos jam patres, jam fortes, jam prudentes deprecor, ut me patiamini parvulis Domini mei dependere debitæ nutritionis obsequia, & blandimentis hodie magis congrua, quam peritiæ verba depromere, non quadrare, sed liquare sermones, & eos adhuc teneris faucibus in modum lactis effundere, dicente Apostolo : Lac vobis potum dedi, non escam, mutare voces, amare varios affectus : Et quid plura? Mente, corde corpore, imbecillis parvulorum mentibus occupari.*

1 Thess. 2. 5. Ibid. v. 7. Ibid. v. 8. Prædicatores comparantur nutrici. Chrysol. ser. 62.

Luc. 13. v. 6. Chrysol. ser. 106. Similitudines sumantur à concionatoribus de generali & quotidiano usurorum. Act. Eccle. Med fol. 483. Ibid. fol. 476.

3. Idem D. Chrysologus sermonem quemdam conscripsit super parabolam ficus apud S. Lucam : *Arborem fici habebat quidam plantatam, &c.* textuque Evangelico recensito, sequentem ad propositum nostrum deducit moralitatem : *Rogo quid tam planum, quid tam lucidum, quid tam commune, quid rusticis sic vernaculum, quid proprium sic peritis, quam propositæ similitudinis forma? Quæ de generali usu veniens, omnes & verbo instruit, & convertit exemplo.* S. Carolus Borromæus monet dicens : *Subtiliores quæstiones apud imperitam multitudinem ne attingat : Non autem sic loquitur quoad similitudines & parabolas, quæ ut plurimum ab omnibus & singulis sunt intelligibiles.* Subdit quoque idem Sanctus Cardinalis : *Vim, & copiam habeat similitudinum, quæ ab agricultura, vinea, semente, Sole, Luna, alijsque rebus ducuntur, quæ sub sensum cadunt, atque intelligentiam, præsertim eorum rudium, ad quos concio habetur. Agricolis porrò si concionabitur, plurimum ad rem proderunt similitudines ab agro, vinea, frumento, vitibus, fimo, arboribus, stirpibus alijsque agriculturæ partibus ductæ. Itidem eveniet, si alterius conditionis auditoribus aptè illas ita accommodabit, ut eorum ordo postulabit.* D. Chrysologus Sermonem 43. in hæc verba incipit : *Populus populariter est loquendum, communio compellanda est sermone communi ; omnibus necessaria dicenda sunt more omnium, naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura ; Ergo hodie imperito verbo veniam dent periti.*

Chrysol. ser. 43.

Prædicatores comparantur fuscinulis quibus olim utebantur in sacrificijs. Exod. 27. 3.

4. In Exodo, postquam Deus altaris meminisset, super quo offerenda erant sacrificia, mox Hebræorum legislatori in hæc verba præcepit : *Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula :* Videri non nemini potuisset, non adeo increatam æterni patris sapientiam decuisse, ut se ad res & minutias tam exigui momenti disponendas inclinaret, & tamen nequaquam dubitandum est, quin *omnia in sapientia* disposuerit. Audiamus igitur ejus præcepti mysterium à Petro Cellensi in lib. 2. de antiquo Tabernaculo in hæc verba declaratum : *Fuscinulæ quoque sunt, quibus victimarum coctæ carnes ad esum reficiendorum offeruntur. Harum usus Prædicatoribus congruit, quia Doctorum est, cuique personæ mysterium cum discretione committere, & alia quidem omnibus edenda offerant, alia ignibus altaris consumenda relinquant, quæ nostram capacitatem transcendunt.* Porrò inter alias Sponsæ laudes, quibus à cœlesti Sponso extollitur, una quoque hæc fuit : *Favus distillans Labia tua Sponsa, Mel & Lac sub Lingua tua.* Quidnam verò sponsus per hunc favum mellis è labijs dilectæ suæ distillantem indicare voluerit, Gillibertus Abbas egregiè exponit ; Cum enim indubitatum sit, per sponsam hanc sanctam denotari Christi Ecclesiam, quæ ejus conjux est, hoc supposito præfatus Abbas inquit : *Tria Laus ista complectitur ; dulcedinem, plenitudinem, parcitatem : Dulcedo consideratur in genere, plenitudo in copia, parcitas in effusione. Quid effusione dico? Distillatio magis est, quam effusio. Quid necesse est in assignandis singulis immorari, ipsi enim scitis, quia favus non nisi dulcedinem effundit, nec nisi de pleno effundit, & de plenitudine quidem ipsa, non totam ipsam. Est ergo in Labijs sponsæ dulcedo sola, dulcedo plena, & dulcedo sobria ; plenè quidem possidetur, sed non plenè effunditur, sed prout auditorum capacitas exigit.*

Petr. Cell. lib. 2. de Tabern. Cant 4. 11. Item favo mellis. Gillib. Abb. ser. 34. in Cant.

Applicantur concionatoribus aliæ figuræ veteris testamenti. Alb. Magn. in Marc. cap. 10. Exod. 20. 19. Ibid. 21. 33.

5. Tabulæ legis, non illæ quidem, quibus Decalogus digito Dei inscriptus fuit, sed aliæ quas Moyses inscripsit illæsæ manentes in Arca conservatæ fuerunt ; Cujus mysterium Albertus Magnus declarat inquiens : *Descendit Moyses de monte, populo, quem docturus erat, per modum docendi se coaptans* ; Unde quoque populus Moysi in hæc verba supplicavit : *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus*, In eodem Libro Exodi sequens pariter præceptum legitur : *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Quæ verba S. Gregorius ad propositum nostrum de auditoribus in hæc verba moralizat : *Si auditorum cor verbi immensitate corrumpitur, lingua docentium indiscretionis pœna mulctatur ; Unde scriptum est : Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non cooperuerit eam, ceciderit que bos vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum. Quid enim est aperire cisternam, nisi intellectu valido Scripturæ Sacræ mysteria penetrare? Quid autem per bovem & asinum, mundum scilicet, & immundum animal, nisi fidelis quisque & infidelis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, cooperiat, ne illuc bos, vel asinus ruat, id est, qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mentis, aut fidelem parvulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat.* Et paulo post hoc monitum subjungit : *Operienda est itaque cisterna, quia coram parvulis mentibus tegenda est alta scientia, ne unde cor dicentium ad summa attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima delabatur.*

S. Greg. lib. 17. Mor. c. 14.

Job. 38. 36. Prædicator comparatur Gallo. S. Greg. lib. 20. Mor. c. 44.

6. S. Propheta Job de sapientia differens cap. 38. inquit : *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* Mox aliam subnectit interrogationem dicens : *Vel quis dedit gallo intelligentiam?* Quæ verba idem S. Gregorius ita declarat : *Intelligentiam gallus accepit, ut prius nocturni temporis horas discutiat, & tunc demum voces excitationis emittat, quia videlicet Sanctus quisque prædicator in auditoribus suis prius qualitatem vitæ considerat, & tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est, prædicatorum merita dijudicare. Quasi horas noctis discernere est, actionum tenebras apta increpationis voce corripere. Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia Doctori veritatis, virtus discretionis, ut noverit, quid, quibus, quando, vel quomodo inferat, divinitus ministratur : Non enim una eademque*

eademque exhortatio cunctis convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Idem sanctus Doctor in progressu ejusdem capitis, sequentem ab instrumento harmonico desumptam affert similitudinem, inquiens : *Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cytharæ tensiones stratæ Chordarum? Quas tangendi artifex, ut non sibimetipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcirco Chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur ; Unde & doctor quisque ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter namque viri, aliter admonendæ sunt fœminæ ; aliter juvenes, aliter senes ; aliter inopes, aliter locupletes ; aliter læti, aliter tristes ; aliter subditi, aliter Prælati ; aliter servi, aliter Domini ; aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes ; aliter impudentes, aliter verecundi ; aliter protervi, aliter pusillanimes ; aliter impatientes, aliter patientes.*

Adducitur ad propositum similitudo cytharæ.

Joan. 2. 25. Christus concionatoribus egregium reliquit exemplum in conformando se auditorum capacitati. Joan. 16. 12. S. Antonin. p. 3. tit. 18. cap. 4.

7. Ipsemet cœlestis Magister noster, de quo dicitur : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, egregium in conformando se auditorum capacitati, omnibus ministris Evangelicis reliquit exemplum, siquidem tametsi Apostolis suis intellectum aperire potuerit, ut quid dicere ipsis vellet, perfectissime intelligerent ; hoc tamen sine miracula patrare noluit, sed expresse se coram illis declaravit, dicendo : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ; Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* S. Antoninus sequentem in hac materia tradit Doctrinam : *De materia prædestinationis, vel præscientiæ rarò loquatur, quia populi malè capiunt verbum, & potius disturbium mentis quam fructum referunt ; Et si materia Evangelij cogat, semper ostendatur libertas arbitrij ad bonum & malum per exempla ; similiter de Sacramento Eucharistiæ, vel de Trinitate coram simplicibus, non producet subtilitates.* Idem Sanctus Archipræsul in decursu ejusdem capitis subjungit : *Indiscretè sermonem non proferat, ne videlicet eamdem materiam omnibus prædicet, sed diversa diversis, secundùm diversitatem & conditionem morum ; Unde Hieronymus de Paulo prædicatore maximo : Nec ad instar imperiti medici uno collyrio vult curare, sed per singulas Ecclesias vulneribus medetur illatis. Ita matrimonium laudet, cùm de ipso prædicat, quod tamen virginitatem & viduitatem præferat ; Ita virginitatem, seu castitatem extollat, ne conjugium videatur damnare ; exinde enim & casti superbire possent, & conjugati debitum sibi invicem denegare.* Idem quoque Sanctus Antoninus sequentem habet reflectionem satis considerabilem : *Observare etiam debent prædicatores, & in prædicatione & in privatis locutionibus cum personis, quod dicit Origenes Dist. 43. c. in mandatis. Nosse oportet, quis & qualis sit is, cui immortalitatis verba credenda sunt, solciti enim esse debemus, ne mittamus margaritas nostras ante porcos*

P. Rho. hist. virt. lib. 1. cap. 2. §. 8. Insigne exemplum P. Joannis Gondino qualiter cum quibusvis hominibus conversandũ sit, ut convertantur.

8. In Historijs virtutum P. Rho. de P. Joanne Gondino Societatis Jesu Religioso sequentia leguntur : *Nullum hominum genus erat, cum quo non opportunissime de Deo, deque rebus ad animarum salutem spectantibus non jucundissime ageret. Ubicumque locorum esset, cum quibuscumque ageret, ingrediebatur statim in causam faciliter, atque authoritate quadam amabilissima, nam domesticam sibi exemplorum supellectilem comparaverat, ut ad uniuscujusque sensum ac gustum diceret. Nusquam cum hominibus erat, cum de Deo loqueretur. Muliones, agazones, nautas, tabernarios pari facilitate complectebatur. Murciam olim in itinere ad tabernam serò divertit, in qua Rhedarij ad viginti convenerant, qui super mensam, vino innatam insolentiam incitante, in omni obscænorum sermonum cæno volutabantur. His medium se inferens Gondinus, suavissime colloquendo, quamquam primo reluctantes, ita mollivit, ac flexit, ut prandorum criminum vehementem conciperent voluntatem, quam ne paulo post abjicerent, totam illis noctem pervigil impendit, ac expiavit volentes.* Nimirum bonus hic pater de eorum erat indole, de quibus S. Gregorius in Homilia quadam super Ezechielem in hæc verba scribit : *Necesse est ut semper sermo prædicantis, cum auditorum debeat qualitate formari. Quid mirum si hoc verbi Dei erogator faciat, cum & agricola, qui semina in terram mittit, prius terræ qualitatem prævidet, quibus seminibus apta videatur, & postquam qualitatem terræ viderit, tunc semina aspergit.*

S. Greg. lib. 1. Hom. 11. in Ezech.

Luca 8. 11. Concionatores discernere debent inter personas quibus prædicant, an sint pauperes rustici, an divites vel nobiles. Act. Eccle. med. fol. 490. S. Greg. cur. past. p. 3. c. 5.

9. Quis est qui nesciat, quòd cœlestis agricola divinum verbum suum semini assimilarit dicendo : *Semen est Verbum Dei*, debet igitur quilibet prædicator, priusquam pretiosum hoc semen in aures auditorum dispergat, ne deperdatur, terræ cognoscere qualitatem, id est personarum quibus prædicat, conditionem, statum, & professionem discernere, an rustici sint, an verò mechanici, vel pauperes, aut vero nobiles, divites, civitatum habitatores, &c. Nam ut S. Carolus ait : *Nihil ineptius, & absurdius dici, fingive potest, quam si in pauperrimo pago apud rusticos fame frigoreque confectos, ita concionatur, ut in opiparas mensas, splendidissimas vestes, auro & argento mixtas, quas homines indignissimi ne somniarunt quidem, perpetuo invehatur.* S. Gregorius in alio quodam loco curæ pastoralis in hæc verba nos monet : *Sciendum est, prædicatori, ut auditoris sui animum ultra vires non trahat, ne, ut ita dicam, dum plus quam valet tenditur mentis chorda, rumpatur. Alia enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri ; Hinc namque per semetipsam veritas dicit : Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram? Per mensuram quippe tritici exponitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur ; Hinc Paulus ait : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ; Tandem parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Hinc Moyses à secreto Dei exiens, coruscantem coram populo faciem velat, quia nimirum turbis, claritatis intima arcana non indicat.*

DISCURSUS XLVI.

ARGUMENTUM.

Prædicatori curandum est, ut tempore, & loco congruis, nec non de materia opportuna coram auditoribus suis disserat, ut verbum Dei fructum facere possit.

THEMA.

Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore suo. Prov. 25. ℣. 11.

Verbum Dei loco & tempore opportuno prædicandum est.

1. SApiens ad exprimendam loci & temporis, quo Verbum Dei annunciandum est, opportunitatem, aptissima utitur similitudine inquiens : *Mala aurea, &c.* Continget nonnumquam, quod gemmariorum ingredientes domos, in quibus gemmæ & lapides pretiosi venum exponuntur, videatis, quod ut gemmæ & lapides pretiosi tanto vivacius scintillent, oculumque emptoris magis alliciant, illas in situm aliquem opportunum collocent, ubi in parvulis lectulis argenteis velut stellæ reluceant. Eumdem quoque effectum Evangelica prædicatio producit, si tempore & loco opportuno annuncietur ; De verbo enim Dei scribitur : *Eloquia Domini argentum, &c. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum.* Et S. Hieronymus præcitatum Sapientis textum explicans ait : *Sacra eloquia rectissimè lectis comparantur argenteis, lectis videlicet quia requiem præstant animabus audientium, argenteis autem, quia splendida fulgent virtutibus Patrum ; Unde scriptum est : Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, quorum ornatu lectorum mala superaddita aurea, quisquis eadem divina eloquia, & spiritualibus plena sensibus & mysterijs exponenda demonstrat, qui nimirum sensus aptè mala vocantur, quia de arbore vitæ, id est Dei patientia sunt orti. Aptè aurea mala, quæ notitiam amoremque perpetuæ claritatis mentibus infundant. Mala ergo aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo, quia qui verbum Dei opportunè novit juxta audientium capacitatem prædicare, modo exempla, ac dicta Patrum, per quorum custodiam ad requiem perveniatur æternam, juxta litteram explicat, modo suaviores in his sensuum spiritualium fructus, quibus pia audientium desideria pascat, remoto litteræ velamine pandit.* Porrò sicut lectus tempore & loco debito usurpari solet, non verò quovis tempore, ita quoque Verbum Dei non quavis hora, sed quando opportunum est annunciari debet. Idem Sapiens alio in loco monet dicens : *Sermo opportunus est optimus*, Ubi Beda ait : *Verus sapiens non solum res quas loquatur, verùm etiam opportunitatem loci, vel temporis, vel personæ cui loquatur, diligenter inquirit.*

Verbum Dei comparatur lectulo argenteo. Ps. 11. v. 7. Ps. 18. v. 11. S. Hiero. ibid. Prov. 15. 23. Beda. ibid.

Eccle. 3. 7. Christus prædicationi suæ commodum

2. Ecclesiastes varia distinguit tempora, inter hæc autem quoad discursus de rebus divinis præclarum tradit monitum ; Quod S. Cyrillus Alexandrinus refert & explicat, dum de Salvatore nostro

(qui

elegit tempus.

(qui dixerat se Jerosolymam ad festum tabernaculorum ascendere nolle, & tamen postea festum illud frequentavit) ita scribit : *Rectè dicit Ecclesiastes : Omnia tempus habent ; tempus enim tacendi, & tempus loquendi ; Quam temporis opportunitatem commodè hic servavit Dominus. Nempe primus dies solemnitatis paucos adhuc habuit præsentes exteros, & infrequens auditorum : Medij dies festi, voluptatibus & mundi negotijs potius, quam Dei cultui adhibebantur. Novissimus autem dies, & majorem habuit præsentem auditorum numerum, & delicijs finem imposuerat, cum jam de reditu foret cogitandum. Itaque eo die tamquam commodiore, ipse fons vitæ exuberantissimus, omnes veram sitientes doctrinam, & Dei cognitionem habere desiderantes dulciter invitat, ut ad se veniant, & bibant potum illum salutarem, qui animam reficiat, & omnem æstum cupiditatum hujus mundi restinguat.* Porrò historia isthæc Joan. cap. 7. his verbis describitur : *Erat in proximo dies festus Judæorum scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, & vade in Judæam. ...Dicit ergo eis Jesus ; Tempus meum nondum advenit. ... Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo, ... quia meum tempus nondum impletum est.* Verùm quodnam obsecro erat tempus illud, quod nondum impletum fuisse dicebat ? Num forte erat tempus Redemptionis, quam per mortem suam operaturus erat ? Aut verò loquitur de tempore, quo se tamquam verum in lege promissum Messiam mundo manifestaturus erat ? De neutro horum temporum loquebatur Dominus, sed de tempore prædicationis, quam in illo die festo in tempore habere volebat, prout ex progressu ejusdem capitis septimi colligitur, subdit enim sacer textus : *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum*, idque ut S. Augustinus dicit, *ne à populo doctrinam salutis subtraheret, quam venerat docere* ; Ad nostram verò instructionem occasionem & tempus congruum prædicandi expectare voluit, ut fructum inde reportaret, prouti jam ex Sancto Cyrillo audivimus. Theophylactus quoque tangens hunc loquendi modum Evangelistæ dicentis : *Jam die festo mediante ascendit Jesus, &c.* ita scribit : *Quare ascendit cum esset medium festi ? Ut majori attentione audirent ea, quæ ab ipso dicebantur, ne festi strepitus illorum aures occluderet, nam in principio festi, verisimile est, eos in his quæ festi erant, occupatos fuisse.*

Cyrill. Alex. l. 5. in Joan. c. 10. — Joan. 7. v. 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 8. — Ibid. v. 10. — S. Aug. Tr. 28 in Joan. — Ibid. v. 14. Theophyl. ibid.

Prov. 5. 15.
Prædicatores ipsimet primi bibant verbi divini aquas, & postea derivent illas foris.

3. Est & alius in Proverbijs Sapientis textus, quem interpretes ad ministrorum Evangelicorum instructionem exponere solent ; dicit enim Sapiens : *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide ; Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Porrò S. Gregorius in tertia parte Curæ pastoralis ita scribit : *Admoneri debent, ut considerent, ne à virtute dicendi, vivendique qualitate discordent, ne loquendo aliud, & ostendendo aliud, prædicent. Audiant itaque quod scriptum est : Sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur ; Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit, intelligit, & placere per illud Deo, non hominibus quærit. Audiant quod prædicatori per Salomonem dicitur : Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta, &c. Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum redens, potius audit ipse quod dicit. Bibit quidem sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur ; Ubi bene subjungitur ; Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide ; Rectum quippe est, ut ipse prius bibat, & tunc prædicando alijs influat ; Fontes quippe foras derivare, est exterius alijs vim prædicationis infundere ; In plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine juxta uniuscujusque qualitatem divina eloquia dispensare ; Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est : In plateis aquas divide, rectè subjungitur : Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui ; Alienos quippe malignos Spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur ; Alieni insurrexerunt in me, & fortes, &c. Ait ergo : Aquas in plateis divide, & tamen solus habe, ac si apertius dicat ; Si necesse est, ut prædicationi exterius servias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non conjungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo & in plateis dividimus, & tamen soli possidemus, quando & exterius latè prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes assequi non ambimus.* Et verò id quod proposito nostro in hac sapientis doctrina quàm maximè deservit, est quædam à me adinventa ponderatio, quam nusquam apud interpretes traditam invenio, videlicet, rivuli & canales aquæ non semper permittuntur per civitates, aut fora dimanare, sed solum tempore opportuno, nimirùm vel ad rollendas platearum immunditias, vel ad temperandum æstum, prout in ardoribus æstivis, alijsque similibus occurrentis fieri solet : Eodem modo nos dicere possumus : *Tempus tacendi est, & tempus loquendi.* Christus divinum verbum suum semini assimilavit : *Exijt qui seminat seminare semen suum ; Semen est verbum Dei* ; Semen autem suum tempus opportunum habet, in quo solum seminatur ; non enim quodvis tempus seminandi tempus est.

S. Greg. part. 3. Cur. past. admon. 25. — Luc. 8. v. 5.

Verbum Dei prudenter dispensari debet.

4. Theophylactus super illa verba Apostoli : *Ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* ; ita scribit : *Dispensatores autem mysteriorum nominans Apostolos, ac Doctores, monstravit, quod non citra dispensationem oporteat verbum cunctis suppeditare, sed quibus opus est, & quando convenit, & ut oportet.* Eodem quoque fine, trutinandi scilicet opportunitatem, & occasionem temporis, inquit idem Christus : *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quē constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram ?* Ubi observanda est dictio illa, *prudens*, nec non & alia : *In tempore.*

1. Cor. 4. 1. — Theophyl. ibid. — Luca 12. 42.

Bolland. 13. Jan. fol. 680
Verbum Dei comparatur cibo, pro ratione personarum proponendo.

5. P. Bollandus de S. Licinio Episcopo ita scribit : *Pedes ejus directi erant ad Evangelizandum pacem. Prædicationi sine intermissione vacabat, etiam sicut fidelis servus, & prudens, à Domino constitutus, ut ejus familiæ tribuat in tempore opportuno ; Sic ille populum sibi commissum omnibus modis festinabat spirituali reficere cibo, &c.* Cibus autem non quibusvis diei horis, sed deputatis solum, & congruis refectionis nostræ temporibus sumitur, scilicet in prandio, & in cœna. Origenes à S. Thoma in catena citatus inquit : *Sit & fidelis servus & prudens, & non effundat rationabilem & spiritualem cibum quibus non oportet, volens se ostendere esse prudentem, illi scilicet qui magis habent necessarium verbum, quod mores eorum ædificet & vitam componat, quam quod illuminat scientiæ lucem, aut ne eis qui possunt acutius audire, pigeat exponere altiora ; ne exponentes vilia contemnantur ab his, qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem sæcularis sapientiæ acuti.* Doctor Angelicus super illum S. Matthæi textum : *Ut det illis cibum in tempore*, ita scribit : *Si enim vult dicere verba quando non competit, perdit.* Albertus Magnus S. Thomæ Aquinatis præceptor ante illum dixerat : *Opportune distribuenda sunt pabula procongruentia personarum, & locorum, & temporum* ; Idque probat ex textu illo Psalm. 144. *Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore opportuno.* Eccle. 20. dicitur : *Ab ore fatui reprobabitur parabola, quia non dicit illam in tempore suo.* D. Chrysostomus per Lycibum, interpretatur illum, de quo fusius in discursibus 2. 3. & 4. Tractavimus, scilicet cibos spirituales. *Per cibum in tempore* Hugo Card. intelligit *prædicationem habitam in temporis opportunitate ; Hæc enim est prudentia, ut in tempore suo quilibet loquatur. Esca extra tempus oblata nocet.* Petrus Cellensis super illa verba Psalmistæ : *Qui dat escam pullis corvorum in tempore, &c.* ita scribit : *Qui librat sensum propositum, & utilitatem audientium, sensui aptans loquendi materiam, proproposito temperans modum, utilitati subministrans congruum finem & principium.*

Orig. in cat. D. Thom. — Matt. 24. 45 — S. Thom ibid. — Alb Magn. — Ps. 144. — Eccle. 20. — Chrysost. cit. ab Hug. Car. — Petr. Cell. lib. 2. de Tabern.

Ephes. 4. 29.
Sermo prædicatoris debet esse ædificatorius.

6. S. Apostolus Ephesijs sequens tradit consilium : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* ; *id est*, ut declarat Theophylactus : *Si sermo ædificat proximum, qui sibi necessarius est, ob instantem necessitatem, illum, inquit, sonemus, illum loquamur, non importunè, & incommodè, ut nobis gratias agant auditores, ut qui per nos adjuti sint.* Ad prædicatores porrò illa incarnatæ Sapientiæ verba directa fuere : *Vos estis sal terræ* ; Sal autem magna cum discretione & moderatione usurpandum est, non semper, nec in quavis re comestibili ; imo sæpe unum granum pro condimento ferculi sufficit. Enimverò ut in Catechismo historiali scribitur : *Mulier quædam devota, & timens Deum, virum habens planè mundanum, & sermonem de divinis rebus penitus aversantem, cum Religiosum ex ordine Prædicatorum recepisset hospitio, eumdem rogavit, quatenus aliquid spiritualis doctrinæ sibi, ac præcipuè viro suo impertiretur ; Promisit ille facturum se, dummodo vir ejus aures sibi præbere vellet ; Annuente itaque viro, si brevis esset, hoc unum dixit : scriptum est : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris ; Hæc si servaveris, viam salutis* tenebis.

Matth. 5. 13. — Prædicatores debent esse sal terræ. — Catech. Hist. cap. 3 tit. 24 n. 2. — Notabile exemplum.

tenebis. Hanc porro sententiam vir iste tam alte animo infixit, ut non solum omnia damna, quæ umquam alijs intulerat, resarciret, sed multa præterea charitatis officia in proximos exercet. Accidit semel, ut mendicum in domo receptum, in propria mensa refectum, & in proprio cubiculo & lectulo ei posito honoraret, cum nocte illa magna siti pressus aquæ haustum peteret, ivit dominus ipse ad puteum aquam haurire ; sed cecidit in puteum, & submersus est. Ut verò multo post tempore à domesticis inventus, & extractus est, catenam auream in collo appensam habuit, in qua scriptum legebatur, quod anima ejus in cælos esset portata.

S. Franciscus præscripsit fratribus suis materias prædicandi.

7. De sancto & Seraphico Francisco legitur, quod cum suis Religiosis prædicatoribus materias præscripsisset, de quibus ipsis prædicandum esset, scilicet de vitijs & virtutibus, de pœna item & gloria, mox subjunxerit ; *Cum brevitate sermonis, ut non veniat in nauseam & fastidium verbum Dei.* S. Augustinus in Libro 4. *de Doctrina Christiana* circa hanc materiam quamdam tradit doctrinam, quæ reflectionem aliquam meretur ; Ait enim : *Qui dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernat, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat &c.* Quale verò illud sermonis condimentum esse debeat, declarat dicens : *Quod cum aptè & convenienter facit, non immerito eloquens dici potest* ; ac proinde ijs quos incarnata Sapientia in schola sua ad prædicationem Evangelicam administrandam instruendos habebat, frequenter dictum illud inculcare solebat : *Habete in vobis sal.* S. Antoninus super illa verba Apostoli ad Timotheum : *Prædica verbum ... opportunè*, ita scribit : *Opportunitas debet attendi, quantum ad locum, tempus, & modum. Locus aptior ad prædicandum est Ecclesia. Unde Christus Joan. 18. ego semper docui in templo, & in Synagoga* ; Luc. 14. *Erat quotidie docens in templo.*

S. Francisc. in serm. Proœm. — S. Aug. tom. 2. lib. 4. de doct. Christ. c. 17. — Marc. 9. 49. — 2. Tim. 4. 2. — S. Antonin. p. 3. t. 18. cap. 3. §. 2.

Levit. 26. 3. — Orig. Hom. 16. ibid.
Explicatur congruum prædicandi tempus.

8. Quoad tempus congruum Origenes in favorem nostrum explicat verba illa : *Dabo vobis pluviam in tempore &c.* Per hanc namque pluviam doctrinam suam, divinumque verbum intelligens, inquit : *Necessariò addidit & in tempore ; sicut enim imber iste terrenus si importunè veniat, id est, cum messis colligitur, cum frumenta teruntur in areis, obesse magis quam prodesse videbitur ; ita & ij quibus pluvia ministranda committitur verbi Dei, observare debent hoc, quod dicit scriptura, ut in tempore præbeant, id est, ne crapulato & ebrio verbum Dei ingerant, ne occupato in alijs animo cum attentus esse non potest. Prudenter conjiciat, ubi potest vacare mens, ubi sobrius, ubi vigilans, ubi intentus auditor est.* Author operis imperfecti verba illa : *Quod autem secus viam &c.* hunc in modum exponit : *Homo secundùm istum mundum vivens, qui omnia ea sapit, quæ mundi sunt, & nihil quod Dei est, sed hoc solum diebus & noctibus cogitat, hoc concupiscit, quod pertinet ad bene manducandum & bibendum, & spurcitiam corporis exercendam ; Talibus si loqui volueris de spiritualibus rebus, non intelligunt verbum. Sicut in magno vase aceti, qui modicam guttam mellis immiscet, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur ; sic homini in hac malorum multitudine constituto si collocutus fueris justitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum.* Paulo post aliam subdit similitudinem inquiens : *Ecce si ostendis leoni viridem herbam, aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiscentiam, quia non habet hoc in natura, ut herbas manducet ; Econtra si ostendis bovi carnes, non concupiscit, quia non est bovis natura ut carnes manducet : sic & homini mundiali si de bono cælesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni, sed quemadmodum si pluvia super lapidem cadat, desuper quidem sudat ; ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum ; sic & tali homini quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures ejus carnales, in cor autem ejus nihil descendit.*

Auth. Imperf. Hom. 31.

DISCURSUS XLVII.

ARGUMENTUM.

Prædicator nullo debet deterreri labore aut periculo, neque umquam à prædicanda veritate sine adulatione, reprehendendisque sine formidine vitijs debet desistere.

THEMA.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Isai. 58. ℣. 1.

1. DEus apud Evangelicum Prophetam Isaiam, modum nos edocere volens, qui in ministerio prædicationis est observandus, inquit : *Clama* ; Quo verbo à nobis requirit, ut clara voce clamemus, vociferemur contra vitia, eademque cum omni animi contentione & sudore perstringamus, haud secus ac si tubam insonaremus bellicam, quod sine forti flatu & labore tubicinis fieri non potest, quia per respirationem & anhelitum (in quo nostra vox consistit) tubam clangere facit.

Animosè contra vitia clamandum est.

Matth. 4. 19.
Prædicatores sunt piscatores qui & retibus, & hamo uti debent.

2. Christus ad discipulos suos dixit : *Faciam vos fieri piscatores hominum* ; At verò quodnam in eo latet mysterium, quod incarnata Sapientia illos potius piscatores, quam cujuscumque alterius opificij artifices appellet ? Responderi potest, prædicationem piscationi assimilari, quia hæc partim fit retibus, partim hamo instituitur, ex quibus hic ferit & vulnerat, non illa ; Ad denotandum quod prædicator juxta diversitatem auditorum nunc ferro uti debeat, id est, comminatione mortis, inferni, extremi judicij, quæ omnia expavescenda sunt ; Nunc verò retibus, id est extimulationibus præmiorum cælestium, vel amicitiæ Dei, vel etiam bonorum temporalium promissione ; *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Sanctus Bonaventura super caput 8. S. Joannis scribens, illaque ponderans Christi verba : *Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis* ; sequentem adducit S. Augustini authoritatem dicentis : *Si sermo meus caperetur, caperet, si caperemini intrà retia fidei, tamquam pisces concluderemini.* Subdit verò ex sententia propria S. Bonaventura : *Verbum est quasi hamus ; prædicatores quasi piscatores* ; Citatque de novo S. Augustinum dicentem : *Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tamquam pisci hamus, tunc enim capit, quando capitur ; & quia non recipiebatur sermo Dei in corde eorum, ideo non capiebat corda eorum.* Piscator ex parte quidem sua hamos præparare, explicare retia, eademque ex aqua extrahere debet, quod autem piscis rete ingrediatur, ab ipsius industria nequaquam dependet, sed mera sors est : Idem quoque verum est in prædicatoribus, hi enim ex parte sua studere, laborare, omneque studium suum in lucro animarum repositum habere debent, at vero ut animæ convertantur, ad solum Deum spectat ; Et ideo *cum hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Is qui tubā in factione aliqua bellica inflat, sibi nec promittere, nec adscribere potest victorias illorum, quos per clangorem tubæ excitavit, & animosos reddidit, ita &c. S. Bernardinus in sermone quodam ait : *Verbum Dei est hamus, quo capiuntur homines, & alliciuntur ad amorem Dei ; Unde Christus Apostolis, quos prædestinavit prædicatores, ait : Faciam vos fieri piscatores hominum, quia audientes dulce verbum Dei, capiuntur ab illa esca.*

2. Tim. 4. 2. — Joan. 8. 37. — S. Bonav. — Luc. 17. 10. — S. Bernard. in Tom. 4 ser. 5. in Dom. 1. quadr.

Luc. 5. v. 4. — Alb. Magn.
Quid intelligatur per altum maris.

3. Albertus Magnus considerat S. Petro tamquam piscatori à Christo præceptum fuisse : *Duc in altum* ; Alijs quoque simul junctis dictum fuisse : *Laxate retia vestra in capturam.* Pauperes igitur piscatores converterunt Imperatores. *Ecce, locus habitationis piscium magnorum, quia sicut dicitur in libro animalium : Magni pisces habitant in pelago* ; Unde Joannis 21. *Traxerunt rete in terram plenum magnis piscibus. Tangit autem altum quadruplex, in quod rete est ducendum. Altum maris, altum intelligentiæ spiritualis, altum conversationis, & altum contemplationis ; In his enim latent pisces magni, in quibus est utilitas. Altum maris, est altitudo sæcularis dignitatis, quæ se reti debent inclinare.* Adducitque exemplum Constantini Magni, aliorumque, qui Ecclesiæ columnæ fuerunt. *Altum intelligentiæ* illos significat homines, qui sapientia insignes & præstantes fuere, cujusmodi fuit S. Augustinus, per rete prædicationis S. Ambrosij captus, & Ecclesiæ comparatus. *Altum conversationis* illos significat, qui aliqua quidem virtute morali conspicui erant, quibus tamen veri Dei deerat notitia, qualis erat Cornelius Centurio. *Altum contemplationis, quia quidam sunt, qui non desiderant nisi contemplationis statum, & si illum inveniant, in verbo Dei capiuntur ; si non inveniant, aversantur.*

Joan. 21. 11.

Jerem. 16. v. 16.
Prædicatores diversimodè comparantur piscatoribus, & venatoribus.

4. Deus olim apud Jeremiam cap. 16. prædixit : *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos ; Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* At verò quonam spectat hæc inter piscatores, & venatores similitudinum varietas ? Inter utrosque prædictos hæc est differentia, quod piscatores nonnumquam in unico dumtaxat retium tractu, ingentem capiant omnis generis piscium multitudinem : Venatores autem unica sclopeti explosione unam tantum, vel duas ad summum capient feras : vel laqueo aut visco unam tantum apprehendent aviculam. Vult

igitur Deus prædictis verbis dicere, quod prius missurus sit Apostolos suos in primitiva Ecclesia velut piscatores, qui in Ecclesiæ sinum, & ad fidem integros protrahent populos & regna: Postea verò missurus sit venatores, id est alios ministros Evangelicos, qui prædam tam copiosam non capient, sed ad summum unam vel duas animas convertent. Verumenimvero P. Hieronymus Narni Cappucinus prædicator Apostolicus, præ cunctis alijs mysterium quoddam proposito nostro utilissimum adducit, propter quod Apostoli Piscatores fuerunt appellati. Verba ipsius sunt hæc sequentia: Duo piscatoribus sunt necessaria, ne labor ipsorum frustra adhibeatur: scilicet ars, & laborandi ardor: Etenim pisces animalia sunt lubrica, natalilia, & ad fugam capiendam velocissima, lacunasque suas in abyssu maris adeo profundas & absconditas habent, ut nisi piscator juvetur ab arte, & ab ardenti desiderio, quod illum in laboribus indefessum reddat, extimuletur, de illis capiendis spem omnem deponere debeat. Hæc autem ars, & ardentissimum illud animas piscandi desiderium à Christo Apostolis promittitur; Hactenus verba sunt P. Narni. Porrò certum est, prout quotidiana demonstrat experientia, quod inter omnes professiones quas homo exerceat, professio piscatorum supra modum sit laboriosa, quia qui huic professioni est deditus, quovis anni tempore, id est tam in hyeme quam in æstate temporum injurijs debet esse expositus, vigilias agere in obscuritate noctis *quasi nudus*, sudare debet in ejiciendis, & adducendis ad se retibus, ludibrium sæpe fit ventorum, undarum, tempestatum, & continuò morti adeo est vicinus, quam subtile est navigij lignum, quo ab aquis dividitur, famem patitur & sitim, adversus somnum continuo dimicat, frigore, & æstu exercetur, & labore absluto ob nimiam fatigationem vix pedibus insistit. Per hanc igitur similitudinem cœlestis magister noster nobis insinuare intendit, quod ut prædicator animas piscetur, easque ad æternæ salutis portum perducat, necessario multis magnisque laboribus expositus esse debeat. Talis Piscator fuit S. Paulus Apostolus, qui de semetipso dicere non dubitavit: *Abundantius ... omnibus laboravi*, ac profunde mirum non est, quod mundum universum Christo lucratus fuerit; Unde D. Chrysostomus in ejus laudem ita scribit: *Nullus dignè instituitur prædicator, nisi qui paratus animam millies ponere pro auditoribus suis. Neque saltem attingere quisquam debet præclaram hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem, atque discrimina.*

Ratio cur comparentur piscatoribus.

1. Cor. 15. v. 10.

D. Chrysost. Hom. 6. de Laud. Paul.

5. Interpres quidam super illa verba Isaiæ: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, ita scribit: *Instrumentum hoc non è loquente, sed ab inspirante imbuitur, halitu instatur, & per cornu cavum spiramen ebibit, ut sonitum edat.* Unde ad eruditionem veri prædicatoris, hoc deducit documentum, quod scilicet prædicator *in auditorem animum halat.* Sicut enim per anhelitum vivimus, ita prædicator tanto cum spiritu pro alterius salute detonare debet, ac si ad illum spiritualiter vivificandum, qui eum auscultat, extremum spiritum exhalaret; *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Canet tuba, *& mortui resurgent &c.* Alius quidam sacer interpres prædicta Isaiæ verba hac glossa illustrat. *Jubetur vocem suam sicut tuba exaltare, & futura nuntiare bella, ut quomodo mortui ad vocem tubæ fiunt vivificandi, sic Israël peccato mortuus audiat foedera sua.* Eo tempore quo populus Dei electus Jordanem transibat, ut terræ promissionis tot retro sæculis desideratæ tandem pedem inferre possent, sacerdotes primi fuere, qui fluminis illius aquas ingredi, & in fundo aquarum cum arca, quam humeris portabant fixi stare debuerunt, & quando Hebræi omnes jam transierant, ipsi pariter ultimi fuerunt, qui ex lecto Jordanis pedem suum efferrent, ac consequenter humanitus discurrendo, tam in principio, quam in fine in continuo fuerunt periculo, ne ab imminentibus aquis illis submergerentur. At verò quonam existimatis fine me hanc historiam in medium adducere? *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*, ideoque prædicatores portant arcam, vel potius ipsimet sunt arca Dei, quæ symbolum erat prædicatoris: Ut proinde S. Antonius de Padua, qui in prædicatione verbi Dei adeo celebris & eximius fuit, hoc titulo, *arca testamenti*, à summo Pontifice honorari meruit; Necessum est igitur, ut omnes sibi prædicatores firmiter persuadeant, quod ad hoc ut fideles ad veram promissionis terram, quæ cœlum est, perducere possit, omnibus se periculis subjicere, & ob nullam sibi imminentem quamcumque persecutionem ab exercendo ministerio suo desistere debeant. Christus Discipulos suos ad prædicandum emittens, eisdem dixit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Quibus verbis, ut Cajetanus inquit, *declaravit, quod vorandos eos destinabat; Et verè præparatos ad Martyrium oportet esse eos, qui à Christo mittuntur ad prædicandum.*

Isaiæ 58. 1.

Prædicator auditoribus suis inspirare debet spiritū vivificantem.

Genes. 2. 7. 1. Cor. 15. v. 52.

Luc. 10. v. 3. Cajet.

6. *Clama, ne cesses.* S. Propheta hisce verbis nos monet, ne desistamus, aut sub laboribus & sudoribus corruamus, *ne cesses.* Porrò quam patiens & perseverans prædicator esse debeat, D. Chrysostomus sequenti similitudine demonstrat inquiens: *Si piscatores cum sæpe die tota frustra jactaverint retia, non tamen desistent, neque desperant, multò magis nos id facere convenit; Et vide quam id utiliter fiat; Sæpe fit, ut diam assiduæ doctrinæ fructus illabatur animo, vitium quo ille pereabatur, excidat.* Verbum Dei à Christo semini assimilatur: *Semen est verbum Dei*; Agricola autem non statim post ejectum semen in agrum, messem inde colligere prætendit, sed in multos usque menses expectat, donec *fructum afferat in patientia*; Eodem igitur modo tametsi concio tua ab auditoribus tuis auscultata, tunc quando dicebatur, non attulit fructum, suo tamen tempore & loco illius videbitur profectus; quando scilicet hoc quod auscultatori tuus audivit, sua illi suggeret memoria, & intellectus, ac tandem voluntas idem amplexabitur. Unde D. Chrysostomus in alia quadam Homilia ait: *Qui hodie quod audivit repulit, cras fortasse audiet, & recipiet.* In vitis Patrum sequens refertur historia: *Venimus aliquando de Syria ad Abbatem pastorem, & volebamus interrogare eum de duritia cordis; Senex autem græcè nesciebat, neque interpres invenirebatur. Videns ergo nos senex tribulatos, cæpit lingua græca loqui, & dicere: Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est, & si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum; Ita & sermo divinus denis est. Cor autem nostrum durum, audiens ergo homo frequenter divinum sermonem, aperitur cor ejus ad timendum Deum.* Verumenimvero tametsi etiam contingeret, auditores nullum ex labore prædicatoris reportare fructum, ipsemet tamen prædicator fructu suo nequaquam destituetur. Unde D. Chrysostomus prædicatorem exhortatur inquiens: *Loquere, & admone fratrem. Verum non audivit. Tu nihilo secius habes paratam mercedem, ne desiteris priusquam persuadeas, donec spiritum afflaveris. Terminus monendi sit obedientia monitionem tuam recipientis. Diabolus circumcursat obsistere cupiens nostræ salutí, non solum ipse nihil hinc lucri reportans, verum etiam suo studio gravissima detrimenta sibi concilians. Is tamen usque adeo vesanus est, ut frequenter, & illa tentet, quæ nequaquam fieri possunt.* Demum verò & illis respondet prædicatoribus, qui sibimet, se nihil boni prædicare persuadent, eo quod de facto multi ex ijs, qui ejus concionem frequentant, perversos mores suos exinde nequaquam emendent. Hos igitur in hæc verba alloquitur Chrysostomus: *Quid ais homo? Videlicet ista polliciti fuimus nos, uno die omnes illos reti capturos? Nam si decem modo persuasi fuerint, si quinque tantum, si unus, nonne vobis hoc sufficit ad consolationem? Ego vero dicam quiddam hoc etiam vehementius. Pone neminem nostris dictis persuasum fuisse? Quamquam id fieri nunquam potest, nimirum ut sermo in tam multas aures disseminatus, vacet omni fructu. Verumtamen pone istud esse, ne sic quidem nobis nihil adfert lucri sermo noster? Nam etiamsi nonnulli ingressi sunt cauponam, non tamen cum pari, qua solent, impudentia sunt ingressi, sed ad ipsam etiam mensam crebro nostrorum verborum recordati sunt: Subijt illos nostra reprehensio, redijt in memoriam nostra objurgatio, ac recordantes rubore suffusi sunt: Erubuerunt tacita cogitatione, nec simili impudentia fecerunt ea quæ solebant.*

Prædicatores debent esse in suo labore perseverantes & patientes. D. Chrysost. Hom. 6. in 2. ad Tim.

Luc. 8. 11.

Ibid. v. 15.

7. *Exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & Domui Jacob peccata eorum.* Prædicator cavere debet, ne sit adulator, sed ut S. Augustinus in sermone quodam ait: *Si cui forte displiceo, consideret periculum meum, & audiat Deum comminantem mihi: Si non annunciaveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Caveat etiam ne det pruritum auribus mundanorum per verba tersa & polita, sed reprehendat vitia & scelera eorum. Victor Antiochenus super illum S. Marci textum: *Stupebant super doctrina ejus, interrogat: Car stupebant? Quia non respondebat ad gratiam, neque ulli prorsus adulabatur, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo ejus in potestate, hortabatur enim non ad*

Isaiæ 58. 1.

S. Aug. ser. 67. de temp.

Prædicator non sit adulator & vitiorum pator.

Marci 1. 22. Vict. Antiochenus in c. 1. Marc.

ad quævis promiscuè, sed ad cœlestia, & animæ salutaria, perfidisque & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur. Quando in horto Gethsemani Redemptor noster vinculis constringebatur, conquestus est dicens: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis*; Imo non solum eum ibi detinere ausi non fuere, sed ne quidem lapides jam de facto de terra levatos, ut in eum conjicerent, è manibus suis in eum evibrare præsumpserunt. Cujus mysterium à Simone de Cassia audire libeat, sic enim ait: *Sed non ceperunt docentem in templo quotidie, cepissent forte, si pernoctantem, velut diem agentem reperissent. Alioqui autem mysterio factum est, ne Christus docens caperetur in templo, in quo nec potuit ligari. Libertas doctrinæ atque verborum Dei præfigitur, quod Christus in templo docens non capitur, verbum enim Dei non est alligatum, neque conclusum fuit aliquando fauibus tyrannorum.* S. Bernardinus notat, quod Christus in nocte passionis suæ, priusquam mortis sententiam exciperet, causam toti mundo patefacere voluerit, ob quam in terris natus fuerit: *Ego*, inquit, *ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati. Pro veritate igitur Christus à populo Judæorum crucifixus*; Unica enim odij à Judæis adversus ipsum concepti causa fuit, quia scilicet illis adulari noluit, sed vitia ipsorum acriter reprehendit, & manifestavit. Unde S. Bernardinus ita scribit: *Sicut Ambrosius super Epistolam ad Corinthios ait: Libere, & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habent; Quod tamen de hominibus sceleratis & obstinatis maximè verum est, nam & ego plerosique novi, qui veritatem audacter atque viriliter, & tamen discrete prædicantes populo, majorem gratiam apud homines incomparabiliter habuerunt, quam adulantes.*

Simon. de Cassia.

S. Bernard. Tom. 3. ser. de Desiderab. verit. Art. 1. c. 3.

Ecclesiastes salubriter monet inquiens: *Qui observat ventum non seminat, & qui considerat nubes numquam metet.* Quæ verba S. Bonaventura ad propositum nostrum hoc modo exponit: *Seminare est verbum Dei prædicare (Exijt qui seminat seminare semen suum; Et post: Semen est verbum Dei) ventus iste est ventus detractionis, qui observat hanc ventum numquam seminat, quia qui timet verba hominum detrahentium, non prædicat ad fructum, imo agitatur ut arundo. Quid exijstis videre? Arundinem vento agitatam? Et qui considerat nubes, numquam metet. Nubes, ut dicit glossa, est blandimentum adulationis, quod qui cupit habere, numquam metet vitam æternam, quia receperunt mercedem suam.* Sanctus Apostolus totum mundum convertit, quia ab adulatione prorsus alienus erat; *Neque enim aliquando fuimus*, inquit ipsemet, *in sermone adulationis sicut scitis.* S. Cyrillus Alexandrinus in S. Isaiam Prophetam ita scribit: *Non decet qui Evangelizant omnibus undique gloriam & salutem Dei, timide & submisse id facere, quasi qui latere studeant, sed tamquam in excelso positos, & omnibus conspicuos clara voce, quæ aures penetret, ati, & quæ sit metu libera. Quod ut sibi adsit, divini discipuli precabantur dicentes universorum Dominatori Deo: Et nunc Domine inspice minas eorum, videlicet Judæorum, & da servis tuis cum fiducia libere eloqui sermonem tuum.* Et quidem cæteros inter homines mundi hujus Magnates & Potentatus, opus habent, ut veritatem intelligant, quæ facilius ex pulpito, quam ex anticameris ad eorum aures pertingere potest. Quando Præses Judeæ Pilatus Christum audivit dicentem: *Ego ad hoc natus sum ut testimonium perhibeam veritati*, haud secus ac si incognitum aliquod & peregrinum audiisset idioma, Christum interrogavit: *Quid est veritas?* Seneca inquit: *Omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi cujus rei inopia laborent magna fastigia, quod omnia possidentibus desit; scilicet ille, qui verum dicat.* Principes Synagogæ olim dicebant: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* At verò quænam erat illis non credendi causa? *Non auditis, quia ex Deo non estis*; Veritati aures præbere detrectabant; *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* S. Bernardinus hac de re ita scribit: *Væ prædicatori abscondenti veritatem, quod intelligens Apostolus 1. Cor. 9. ait: Væ mihi, si non Evangelizavero. Obligatur namque quilibet prædicator, si absque rationabili causa præterit veritatem, reddere rationem, cum sua culpa, & insano silentio animæ redemptæ Christi sanguine pretioso periclitentur. Nec intelligant quidam, quoniam & Psalmista testatur: Veritatem requirent Deus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Sic utique sunt tales*, de quibus Isaias cap. 56. ait: *Canes muti, non valentes latrare, sive ex ignorantia, sive ex iniqua*

Ecclesiastes 11. 4.

S. Bonav. ibid. Continuatur materia de cavenda adulatione.

1. Thess. 2. 5.

S. Cyrill. Alex. l. 3. in Isa. c. 40.

Veritas prædicanda est etiam magnatibus.

Joan. 18. 37.

Seneca lib. 6. de beneficijs. cap. 30.

Joan. 7. v. 48.

Joan. 8. v. 47. Ibid.

2. Cor. 9. 16.

S. Bern. Tom. 3. serm. 17.

vita, aut ex putrida fama, sive ex aliqua alia rationabili causa.

DISCURSUS XLVIII.

ARGUMENTUM.

Hi qui concursum & applausum hominum affectant, aliosque æmulantes cum ostentatione & gloria humana semetipsos prædicant, perstringuntur.

THEMA.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.
Philipp. 2. ℣. 3.

1. PRædicator gentium, qui omnibus alijs prædicatoribus velut norma, & speculum proponitur, duo hæc urget utilissima puncta, scilicet ut prædicatores se non sinant seduci à vana æmulatione, secundo, ut neque ab applausibus & gloria humana abripi se patiantur: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Unde S. Gregorius Magnus ait: *Egregius prædicator dicit Phil. 2. Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à nobis, neque ab alijs. De prædicationis etenim labore laudem transitoriam quærere, quid est aliud, quam rem magnam vilt pretio venumdare? Sed est in doctrinæ verbis grave periculum, quia sæpe sermonem docentium favores audientium sequuntur, & cum Doctores ab eo quod bene innotuerint, apparere jam minores in dictis nolunt, doctrinæ verbum, quod pro inquirendis animabus auditorum ex omnipotentis Dei amore inchoaverant, in hoc potissimum, pro acquirendis laudibus laborant, & qui in verbis Dei quærebant prius lucra spiritualia, temporales postmodum favores sequuntur; Unde fit, ut sive recta quælibet opera, seu sanctæ doctrinæ verba in omnipotentis Dei judicio pereant, cum per hæc quisque transitorijs favoribus anhelat.*

Prædicatores caveant à vana gloria, & ab æmulatione, ac applausu.

S. Greg. lib. 2. Hom. 21. in Ezech.

2. *Nihil per contentionem.* In praxi hæc multorum sæpè videtur miseria, qui student & laborant, non ex motivo ædificationis, sed æmulationis, siquidem omnes alios prædicatores auditorum concursu, & applausu, & existimationis præcellentia superare cupiunt, & ideo de gloria Dei parum curantes hoc solum facere satagunt, ut auditorum numerum alijs collegis prædicatoribus diminuant, ut numerus auditorum suorum tantò magis augescat. Novarinus ad propositum nostrum super illa verba scribens: *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset &c.* observat, Christum non prius ad prædicandum egressum fuisse, quam postquam Joannes præcursor ejus ob captivitatem suam à prædicationis officio cessavit, ne videretur, quasi populum Joanni subtrahere, & sibi conciliare voluisse. S. Carolus unumquemque ministrum Evangelicum in hæc verba monet: *Nec propterea despondebit animum, si per paucos auditores ad se convenire viderit, quoniam summus ille Magister vitæ Christus Jesus, cum Dei sapientiam, vitamque æternam monstraret mundo, paucitate discipulorum contentus fuit; Imo aliquando solam mulierem Samaritanam habuit, quæ illum & de divino cultu, & de cœlesti gratia loquentem audiret.*

Æmulatio qua prædicatores alijs subtrahere nituntur auditores, tamquam mala, perstringitur.

Matth. 4. 12. Novarin. ib.

Act. Eccles. Mod. fol. 479.

3. In vita S. Francisci Salesij legitur, quod hæreticis per varias impias impostoras & technas adeo auditorum S. Francisci numerum diminuerint, ut octo vel novem tantum personæ ejus devotioni dedítæ, ad verbum illius audiendum rediuæ permanserint. Quis autem eloquentiæ & pietatis fons ad talis auditorij sterilitatem non exiccaretur? Et tamen sanctissimus Dei servus à ministerio suo Apostolico non cessavit, nec ullum ejus obeundi taedium sensit, imò huic adeo modico auditorum suorum numero quotidianum verbi Dei panem tanta cum industria, solicitudine, apparatu, & assiduitate distribuere satagit, ac si numerosissimæ populi affluentiæ prædicare debuisset, idque non solum paucis quibusdam septimanis vel mensibus, sed tribus annis integris, talibus cum circumstantijs loci, temporis, & modi præstitit, ut quisquis idipsum in justa consideratonis trutina perpendit, huic illud mirabilius fuisse haud immerito videatur, quàm ipsamet operis substantia. Siquidem quolibet die, nullum prorsus omittendo, etiam in majoribus hyemis frigoribus, sive in maximis æstatis caloribus ad quatuor vel quinque milliaria pedes profectus celebrandi, & prædicandi functionem absolvit, tametsi paucos, id est duos vel tres, sæpe etiam unicam vetulam præsentem invenisset: omnibusque perfectis non minus quoad spiritum contentus & hilaris rediret, quam si numerosæ cuidam multitudini prædicasset. Hactenus

Giarda l. 1. cap. 10. S. Franciscus Salesius etiã paucissimis personis sine tædio prædicavit.

historia vitæ S.Francisci Salesij. Unde Deus in progressu annorum hanc ei gratiam præstitit,ut copiosam septuaginta duorum millium hæreticorum conversorum messem horreo Ecclesiæ intulerit , ut alibi diximus.

4. D. Chrysostomus hac de re in Homilia quadam ita scribit : *At enim mihi dices , quid dicendo proficis ? Proficio, si quis me audiat,eo quod id,quod officium meum est, præsto, seminator seminat.* Et paulo post inquit : *Licet unus audituras sit,audiat, non enim exiguum est unam ovem servari , quandoquidem & pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves,ad unam cucurrit,quæ aberraverat. Hominem non contemno, licet unus sit homo , est animal Deo charissimum ; Licet servus sit , contemnendus mihi non videtur, non enim dignitatem quæro , sed virtutem , non dominationem , aut servitatem , sed animas ; Licet unus sit,homo est propter quem cœlum extensum est , & propter quem unigenitus Dei filius factus est homo.* Paulo post subdit exemplum superius à S. Carolo adductum, inquiens : *Norme audistis Dominum cum Samaritana collocutum esse , ac sexcentos impendisse sermones, nec ideo quia Samaritana erat,contemptam fuisse , sed quoniam animam habebat , in pretio habitam esse.* Tandem protestatur dicens : *Equidem dicere non cessabo , licet nullus sit qui audiat.* S. Carolus Borromæus præter id quod superius retulimus , prædicatorem in hæc verba instruit : *Hæc supplex commenter petet , ut divino adjumento , propriæ laudis , aut gloriolæ non modo studio, sed ne opinione quidem efferatur. Fugiet tamquam pestem omnem ambitionem , omnem illius suspicionem : Ne loca insigniora, ubi prædicationis suæ semen spargat , ambiat affectetve, memor Christi Domini , quem à Patre è cælo demissum, ad eruiendum genus humanum , pagos , & vicos , & castella obiisse legimus. Numquam in opinionem inducet , majori atque nobiliori suggestu se dignum esse. Fuit quondam hæc ineredibilis ambitio Ecclesiarum oratorum ; Christianas autem concionator ab istius ambitionis suspicione alienus esse debet , qui ad prædicandam Christum crucifixam,non ad sui ingenij ostentationem vocatus est.*

5. *Neque per inanem gloriam.* S. Prosp. lib. 1. *de vita contemplativa* sequentem S. Pauli authoritatem citans : *Etsi imperitus sermone , sed non scientia* , ita scribit : *Unde datur intelligi , quod non se debeat Ecclesiæ Doctor de accurati sermonis ostentatione jactare , ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare. Non in verborum splendore , sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat , non vocibus delectetur populi acclamantis sibi , sed fletibus , nec plausum à populo studeat expectare , sed gemitum.* Cœlestis magister noster , prout apud S.Joannem cap.7. legitur, aliquando dixit : *Qui à semetipso loquitur , gloriam propriam quærit.* S. Augustinus à Glossa citatus ait : *Qui quærit gloriam propriam , Antichristus est. Dominus autem noster magnum nobis exemplum præbuit humilitatis, dum habitu inventus ut homo , quærit gloriam patris , non suam* ; Proximi quidem Christi consanguinei ei persuadebant dicentes : *Manifesta teipsum mundo* ; At verò qui ejusmodi sensibus ducitur , ut mundo tamquam insignis orator innotescat , à concupiscentia carnali se reduci finit , *caro & sanguis hoc persuadent ei.* Dionysius Carthusianus verba illa : *Qui à semetipso loquitur , propriam gloriam quærit* , sic explicat : *Hoc est ex proprio spiritu , non ex inspiratione divina propriam gloriam quærit , quamvis prædicet vera, & sancta. Tales sunt innumerabiles , qui quærunt videri , reputari , promoveri , & ad hæc obtinenda laborant , & student) , docendo , & multa specietenus bona agendo.* In favorem prædicatorum superius explicavimus monitum illud Sapientis : *Deriventur fontes tui foris , & in plateis aquas divide , habeto eas solas.* At verò cum hæ aquæ in emolumentum universale diffundendæ sint,quò modo hic sapiens suadet , ut prædicator eas solus in particulari habeat ? Audiamus Salonium Episcopum Viennensem dicentem : *Soli aquas habemus , quando de prædicatione nostra laudes humanas non quærimus.* Rabanus similiter exponit dicens : *Aquas & in plateis dividimus , & tamen soli possidemus, quando & exterius latè , prædicationem fundimus, & tamen per eam laudes humanas consequi minime ambimus.* S.Bernardus commentando verba illa Canticorum : *Vox turturis audita, est in terra nostra*, inquit : *Illius Doctoris libenter audio vocem , qui non sibi plausum, sed mihi planctum movet.* S.Hieronymus quoque ad Nepotianum ita scripserat : *Docente te in Ecclesia , non clamor popoli , sed gemitus suscitentur,lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.* S.Bernardus in alio quodam sermone ita scribit : *Væ , qui bene de Deo & sentire , & eloqui acceperunt , si quæstum æstiment pietatem , si conversant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum. Paveant , quod in Propheta legitur , dicente Domino : Dedi eis aurum meum , & argentum meum,ipsi autem de argento meo , & auro , operati sunt Baal.* Hoc proprie faciunt vani prædicatores , qui ingenium, talenta , & arma, quibus illos Deus communierat ad debellandum infernum , in ejus adhibent offensam, à quo illa acceperunt , abutentes illis ad proprium interesse , propriamque laudem , animas verò pretiosissimo Christi sanguine redemptas perire sinentes. *Plangendi sunt* (ita Seraphicus Franciscus ad suos scribit Religiosos) *qui vendunt sæpe quod faciunt , pro oleo vanæ laudis.* Et paulo post subdit : *Plangendus proinde prædicator, tamquam vera pietate privatus , qui in prædicatione , non animarum salutem , sed propriam laudem quærit.* D.Chrysostomus, qui quoddam aureæ eloquentiæ flumen fuit , protestatur dicens : *Credite mihi , quando inter dicendum plausum excito , per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit , & delabor,& diffundor ; Ubi autem domum redeo , & intelligo plaudentes sine fructu abisse,doleo, gemo, & lacrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic efficior, ubique ipse dico : Quæ sudorum meorum utilitas , si auditores à verbis meis nullum fructum acupere volunt ?*

6. Quando incarnata Sapientia ad Apostolatum piscatores vocavit , illos retia sibi reservasse minimè constat ; imo facer textus manifestè dicit : *relictis retibus secuti sunt eum.* Una autem ex rationibus cur retia dimiserint,est,quia Christus scholæ suæ discipulos, utpote ad Evangelium prædicandum electos, animas retibus mediantibus , id est , per exquisitorum verborum compositionem ad excitandos apud populum applausus capi noluit ; sed potius ut verbum suum in simplicitate docerent , ne diceretur illud Prov. 7. *Irretivit eum multis sermonibus , & blanditijs labiorum protraxit illum* ; Retia igitur ingeniosos artis oratoriæ flosculos præfigurant , quibuscum vani prædicatores popularem piscantur applausum ; Hunc igitur abusum Christus à suis prædicatoribus prorsus alienum esse voluit ; Quia hæc retia usurpant prædicatores illi , qui sacrosanctum hoc mysterium exercent propter lucrum , vel propriam laudem, aliosque fines humanos. Porrò quotidiana docet experientia , quod dum ventus in mari dominatur retia frustra aquis injiciantur ; Ita quoque Deus efficit , ut sine fructu prædicent illi,qui vento gloriæ mundanæ agitantur. Unde sanctus Apostolus ad Thessalonicenses ita scribit : *Nec quærentes ab hominibus gloriam , neque à vobis , neque ab alijs.* Cæsarius Hasterbacensis exemplum quoddam refert cujusdam prædicatoris , qui ex ambitione,& ob fines humanos Evangelium annuncians , justo Dei judicio à dæmone obsessus , & intra quinque dierum spatium mortuus fuit. Hujusque pœnæ hanc reddit rationem : *Cum tales sint hodie plures Sacerdotes Christi sacrosancta mysteria indignissime tractantes , & tantum per occasionem illum prædicantes.* Apud S. Matthæum cap. 19. dicitur : *Oblati sunt ei parvuli. Discipuli autem increpabant eos.* At vero quonam motivo innocentes parvulos à Christi conspectu prohibuerunt ? Theophylactus hanc assignat rationem : *Afferebant matres pueros , ut benediceretur manuum contactu. Incompositi autem & turbati accedebant ad eum , & propterea prohibebant discipuli , quod existimarent hoc derogare doctrinæ ejus auctoritati, si offerrentur ei parvuli.* Benignissimus autem Dominus noster , qui Sapientia Patris erat , eos ad se advocavit , ostendens quod à fastu alienos magis amat , & ideo dicit : *Sinite parvulos venire ad me* , volens per hoc erudire Prædicatores , quod non debeant ambire auditores honoratos , scientificos , nobiles , aut principes, sed & simplicibus prædicandum esse,imo & parvulis,quia tanti valet apud Deum anima parvuli,imo anima simplicissimi rustici,quanti valet anima viri potentis in sæculo, & magnifici.

7. S. Apostolus tametsi è cælis descenderit , ubi *audivit arcana verba* , attamen de semetipso gloriatur dicens : *Tamquam parvulis in Christo,Lac vobis potum dedi* ; ubi Galfridus ait : *Quid istud est ? Ideone confedistis in medio cathedram tenens , ut scientiam jactes ? An ut teneram subditorum lactes infantiam ?* De S Vincentio legitur,quod innumerabili variorum populorum prædicando multitudini , ipsos quoque parvulos catechizare non fuerit dedignatus. *Neque damnaxat ætate provectos , inquit de ipso Sanctus , sublimium rerum capaces eruditbat , sed etiam pueros ser-*

D Chrysost. Hom. 6. Tom. 5.

Quid S. Chrys & alij viri sancti senserint de paucitate auditorum.

Act. Eccle. Med. fol. 478.

2. Cor. 11. 6.

S. Prosp. l. 1. de vit. contempl. c. 23.

Cavendus prædicatori appetitus vanæ gloriæ.

Joan. 7. 18.

S. August. in glossa.

Joan. 7. v. 4.

Ibid. v. 18.

Dion. Carth.

Prov. 5. 16.

Salonius.

Raban ibid.

Cant. 2. 12.

S. Bern. serm. 39. in Cant.

S. Hieron. Epist. 2. ad Nepot.

S. Bern. serm. 41. in Cant.

S. Franc. in puse. collat. 17.

D. Chrysost. Hom. 30. in Act.

Matth. 4. 20. Apostoli à Christo ad prædicandū vocati, relictis retibus secuti sunt eum : & quid per illa intelligatur. Prov. 7. 21.

Marc. 10. 14

1. Cor. 3. 1. ibid. v. 2. Galfrid. Etiam parvuli nō sunt repellendi ab auditione verbi Dei. Sur. 5. April.

tis ad se horis evocatos instituebat , docens eos , quemadmodum cruce se signarent , orationem Dominicam , & Angelicam salutationem , atque fidei symbolum denunciarent , Deum colerent , amarent , Parentibus & proximis quibusque honorem haberent, & debita officia persolverent.

Præclarum exemplum S. Antonij de Padua , ejusque inonium de vitanda vana gloria.

Matth. 5. 14.

S. Anton. de Pad. Serm. 4. de Apost.

8. *Neque per inanem gloriam.* S. Antonius de Padua eamdem sibi usitatam habuit sententiam , quam S. Philippus Nerius suis infinuare solebat , scilicet : *Ama nesciri , & pro nihilo reputari* ; Diuturno enim tempore maxima talenta sua , nec non & sapientiam suam abscondit ; At vero *non potest civitas abscondi supra montem posita* , siquidem adeo celebris factus est Prædicator , ut quoddam sæculi sui fuerit oraculum; Hic igitur in sermone quodam ita scribit : *Vanæ gloriæ inquisitores , & propriæ laudis venatores, non attendunt quid ex hoc accidit Ezechiæ , thesauros suos Babylonijs incautè ostendenti , imo ostentanti.* Dicebat Joseph Gen. 39. *adducite fratrem vestrum minimum , ut possim vestros probare sermones , & sciam quod non sitis exploratores. Per fratrem minimum intelligitur humilitas , sine qua infructuose egreditur prædicator, nec ejus à Deo probantur sermones ; Et econtrario ; qui Benjamin secum habet, multum fructum affert ; Unde adducto eo dixit Joseph dispensatori : Imple saccos eorum frumento , quantum possunt capere , & in ore sacci fratris minimi , ponitur scyphus argenteus ; Quia quanto quis humilior est , tanto ei Deus gratiam confert ampliorem* ; Prov. 3. *Cum simplicibus sermo ejus. Paulus qui se minimum Apostolorum dixit, fructum cæteris attulit ampliorem , quia ab Jerusalem usque ad Illyricum mare replevit Evangelio Christi.* Rom. 15. *Bene autem deferentibus reponi jubetur pecunia in saccis , quia scientiam in prædicatione erogatam Dominus magis multiplicat , eadem enim pecunia ad eamdem fructum redditur : Quid cum sermonem iterum facere , per quem alius fructus factus est , licite permittitur, quod est contra eos , qui ad populum loquentes , semper volunt uti novis sermonibus.* In progressu ejusdem sermonis idem sanctus verba illa Christi ad

Joan. 15. 16. ministros Evangelicos directa : *Fructus vester maneat*, ita exponit : *Hoc dicitur contra illos, qui fructum quem fecerunt , statim per ostentationem & vanam gloriam*

Ps. 77. v. 46. *amittunt.* ; Psalm. 77. *Et dedit ærugini fructus eorum.* Apud Rupertum Abbatem doctrinam quamdam reperio, huic à S.Antonio de Padua traditæ perfimilem, ait enim : *Apud Lucam convocatis ac denominatis duodecim Apostolis , missurus & alios ad prædicandum,*

Rup. Abb. lib. 8. in cap. 9. Matth. *Dominus hæc verba dicit , quæ hic eum , antequam istos duodecim convocaret , dixisse legis : Messis quidem multa , operarij autem pauci &c. Causa ista recte animum quæstione pulsaret , si prius constans existeret , quod Dominus prædicans Evangelium regni , nunquam, vel nusquam unum eumdemque sermonem , nisi semel , & uno loco dicere debuisset ; Sed quis hoc à prædicatore exigit, ut quod uno in loco, vel tempore dixit, non repetat, aut dicat locis , vel temporibus alijs , præsertim cum nec omnes uno in loco adesse, nec omnes æqualiter semel audita perpeti memoria possint retinere ?*

2. Cor 2. 17.

9. *Neque per inanem gloriam.* Consideratione dignissima est illa S. Pauli protestatio dicentis : *Non sumus adulterantes verbum Dei , sicut plurimi , sed ex sinceritate , sed sicut ex Deo , coram Deo, in Christo loquimur.* Audiamus super his verbis expositionem S. Anselmi dicentis. *Adulter in carnali contu, non prolem , sed voluptatem quærit ; Et perversus quisque ac vanæ*

S. Anselm. ibid. Vanam capiens gloriam, adulterat verbum Dei. *gloriæ serviens , recte adulterare verbum Dei dicitur , quia per sacram eloquium , non Deo filios gignere , sed suam scientiam desiderat ostentare ; Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit , voluptati magis , quam generationi operam intendit , adulterare namque verbum Dei est , aut aliter de illo sentire , quam est , aut ex eo non spirituales fructus , sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex sinceritate vero loqui est , nihil in eloquio , extra quod oportet , quærere. Sicut ex Deo autem loquitur , scit , non se à se habere , sed ex Deo accepisse quid dicit. Coram Deo vero loquitur , qui in omni quod dicit , non humanos favores appetit , sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit , nec suam , sed auditoris gloriam requirit. Et in Christo loquitur , cujus sermo totus in Christi veritate persistit , ut nec mendax sit , nec aliud quam Christum prædicet. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit , & tamen dicendo propriam gloriam quærit , sicut ex Deo loquitur , sed non coram Deo , quia eam , quæ cordi suo non proponit eam prædicat, quasi absentem putat,sed sancti viri & ex Deo loquuntur,& coram Deo, quia ab eo seium se habere quod dicunt , & ipsum suis sermonibus adesse judicem.*

auditoremque considerant. S.Cyrillus Alexandrinus alios quosdam Sancti Pauli textus iis verbis tangit : *Paulus de seipso dicebat : Si placere hominibus vellem , Christi servus non essem: Et ad Corinthios : Si enim ego vos contristo, & quis est qui me lætificet , nisi qui contristatur ex me ? Patet ergo non prodesse, sed adulari auditoribus eum , qui non ad utilitatem , sed ad voluptatem loquitur. Qui vero Salvatoris doctrinam sequitur , Salvatori solummodo gratus esse studebit , & odio haberi à vitiosis hominibus, spirituales divitias , nec parvas arbitrabitur.* Valde igitur reprehensibiles sunt illi , qui prædicare seipsos intendunt, ad complacendum alijs,auramque popularem acquirendam. D. Chrysostomus quoque partibus suis non defuit , quin illos qui ad prædicationem auscultandam hoc fine se recipiunt, sequentibus verbis perstringeret : *Non est theatrum Ecclesia , ut ad delectationem audiamus ; Auditores hinc recedere oportet. Quæ mihi horum plausuum utilitas, quæ laudum, & tumultuum ? Laus mea est , ut per opera vos omnia , quæ dicuntur exhibeatis Tunc ego felix habendus, & beatus , non quando cum applausu excepertis , sed quando omni cum alacritate fecerits, quæcumque à nobis audieritis.* P.Bollandus de magno illo Dei servo Hieronymo æmiliano, Clericorum de Somaschi fundatore ita scribit : *Dimissa concione è templo discedens , non luxuriabat in plausus quosdam vulgares, & inanes,sed in uberrimam virtutis solidæ frugem maturescebat , non levi quadam animi titillatione, aut auriam dulcedine delinitus,sed corde compunctus,tacitus,ac meditabundus , sanctioris vitæ consilia sequens abibat.* Porro quid prædicatores absoluta concione facere debeant, Albertus Magnus adducto Apostolorum exemplo demonstrat ; Siquidem hi post piscationem *descenderunt, & lavabant retia* ; Per hoc ostendentes , qua in re à prædicatoribus sint imitandi ; *debet autem lotio ista maxime esse de tribus , scilicet à fumine videlicet adulationis ; A limo turpis quæstus,& à turbatione inanis gloriæ.*

D. Chrysost. hom. 2. ad Pop.

Bolland. 8. Febr. fol. 226

Alb. Magn.

DISCURSUS XLIX.

ARGUMENTUM.

Qui Evangelium propter lucrum temporale annunciant, hoc discursu reprehenduntur.

THEMA.

Nihil tuleritis in via, . . . neque pecuniam ; neque duas tunicas habeatis. Luc. 9. ℣. 3.

Quare Christus discipulis ad prædicandum missis , prohibuerit conferre pecunias.

S. Bonav. in Luc.

1. EX eo quod cœlestis magister noster discipulis suis ad Dei verbum seminandum abeuntibus , pecunias in via portare vetuerit , Doctor Seraphicus hanc deducit consequentiam , inquiens : *Litteralis observantia hujus præcepti est exemplar perfectorum prædicatorum , perfecte Christum imitantium* ; In quorum persona Petrus dicit : *Ecce nos reliquimus omnia* ; *Sed spiritualis observantia ad omnes se extendit , ut prædicator veritatis sit contemptor terrenitatis , alioquin se annunciant verbum Dei cupiditate lucri , non sunt discipuli, sed Balaam arioli* , secundum illud 2.Petr.2. *Cor exercitatum in avaritia habentes , maledictionis filij , derelinquentes rectam viam. Prædicator veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis , alioquin non erit prædicator veritatis , sed adulator* , propter quod dicit Apostolus 1.Thessal. 2. *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis , sicut scitis , neque in occasione avaritiæ , Deus testis est* ; *Scebat enim, quod ex hoc iram Dei provocaret* , sicut dicitur Michææ 3. *Sacerdotes ejus in mercede &c. & Prophetæ ejus in pecunia divinabant &c. & ob hanc causam subditur : Sion quasi ager arabitur.*

1. Thess. 2. 5.

Micheæ 3. 11.

Prædicatores sunt piscatores hominū, non vero illorum bonorum.

2. Tim. 2. 4. Hug. de S. Vict. ibid.

2. Sanctus Paulus dilecto discipulo suo Timotheo , ordinato Episcopo Ephesino in ordine ad bene adimplendas tam sublimis ministerij partes multa præcepta imposuit ; inter quæ unum hoc fuit : *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus* ; Quæ verba Hugo de sancto Victore de ministris Evangelicis interpretans ait : *Militans Deo non implicat se negotijs sæcularibus , ut in prædicatione sua negotietur , & vendat eam , requirens ideo pretium ab auditoribus.* Observandum quoque quod quando Christus discipulos suos ad prædicandum destinavit , eisdem dixerit : *Faciam vos fieri piscatores hominum* ; simulque refectendum est , quod non absolute dixerit : Piscatores , eo quod major pars hominum in mari piscationi operam dat propter lucrum, vel quod acquiritur ex piscibus , vel ex corallis,vel ex margaritis , vel denique ex argento inde epiſcato ,

Matth. 4. 19.

quod prius cum naufragantibus navigijs perierat; nullus autem inter omnes reperitur, qui hominibus piscandis invigilet. Unde Christus dicens *faciam vos fieri piscatores hominum*, insinuare Apostolis suis voluit, piscationem ipsorum futuram esse piscationem spiritualem animarum; ac proinde S. Paulus dicebat: *Non enim quærimus quæ vestra sunt, sed vos*; ideoque Ecclesia in ejus præconium ita canit: *universum mundum B. Pauli Apostoli prædicatione docuisti*: Unde mirum non est, quod S. Philippus Nerius, sanctissimus, optimusque Pater meus, dicere solitus fuerit; Dentur mihi Deum-viri ab omni lucro temporali prorsus alieni, & ego vobis polliceor, quod horum opera mundum totum sim conversurus.

Matth. 4. 19

2 *Cor.* 12. *v.* 14.

Prædicator animas, non vero pecunias quærat.
S. Greg Epist. ad Martian.
Isa. 58. 1.
Hugo Card. in Psal. 44.
Hoc fecit S Carolus Borromæus.

3. S. Gregorius Magnus Episcopum quemdam (cujus præcipuum munus est Verbum Dei annuntiare) hisce verbis monet: *Non plus pecuniæ, quam animabus studeas, illud à latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, quia Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum; sed animas. Apud Isaiam Prophetam vox prædicatoris tubæ assimilata fuit. Quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum; Tuba autem, per quam designatur prædicator* (ut Hugo Cardinalis ait) *non resonat, nisi vacua, & prædicator debet esse vacuus, per rerum terrenarum neglectum.* S. Carolus Borromæus, ut alibi diximus, ex regionum illarum, (quæ intra Archidiœcesim suam situatæ, hæresi tamen infectæ erant) visitatione ingentem retulit fructum, siquidem omnes illarum provinciarum populi ad Ecclesiæ Catholicæ gremium & obedientiam ab eo fuere reducti; impulsus autem quo homines illi ad fidem & morum disciplinam amplectendam fuere permoti, hic præcipuus erat, quia summopere in eo admirabantur animum ab omni lucro temporali alienum. Unde ipsum non de illorum Pastorum numero esse asserebant, qui gregis sui lacti solum & lanæ, alijsque illius fructibus percipiendis inhiaret, sed potius qui liberalibus Eleëmosynis suis pauperum necessitatibus subveniret, atque insuper ex censu proprio se sustentaret.

Matth. 10. 9.
S. Anselm.
Perstringuntur concionatores mercenarij.

4. *Nolite possidere aurum neque argentum.* Hoc præceptum, prout apud S. Matthæum legitur, Christus eisdem Apostolis tunc injunxit, quando illos ad prædicationem dimissurus erat; Nam ut S. Anselmus ait: *Quia alios ad contemptum secularium debent invitare, præcepit, ut neque aurum, neque argentum, vel nummos in zonis possideant.* Quid igitur de illis dicturi sumus, qui ex industria, eo præcipuè fine in hoc ministerio laborant, ut lucrum aliquod temporale sibi comparare possint, id quod alias facturi non essent; Unde illas sibi studiose conquirunt cathedras, ubi pro laboribus major rependitur merces, cui postea honestatis causa eleëmosynæ titulum attribuunt? Et profecto hæc causa est, cur hisce diebus nostris decem, viginti, sæpe etiam triginta prædicatores in una civitate per totam quadragesimam prædicantes vix totidem animas convertant, quia *à populo non quærunt animas, sed aurum.* S. Lucas in actibus Apostolorum postquam dixisset, neminem ex primitivis credentibus quidquam tamquam proprium possedisse, confestim subjungit: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi*; Ubi notandum est, Evangelistam non sine mysterio hanc fecisse digressionem. Etenim modum enarrare cœperat, quo primitivi Christiani in communi vivebant; dicendo: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, quo dicto subito adjunxit: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium &c.* similiter immediatè ante dixerat: *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* At vero quænam erat hujus tam magni fructus, tamque generosi animi, quo resurrectioni Domini nostri testimonium perhibebant, vera causa? Respondetur, quod quando prædicator nullum sibi propositum habet finem temporalem, plausus v. g. vel existimationis, nullamque sperat, aut vult compensam, aut remunerationem, tunc cum libertate Apostolica, & imperterrito animo reprehendit vitia, & obstinatos terrefacit. *Quid sibi vult hujus sacræ scriptor historiæ*, (inquit B. Petrus Damianus) *dum de continentia loquitur Apostolica, & de communi vita, repentè, tanquam mutato stylo prosilit dicens: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium? Cur tam materiæ aliam interpolat, qui cœptam prosequi, & continuare debuerat, nisi ut patenter ostendat, quia illi duntaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum* (liceat mihi hoc unicum verbum addere: *Nec sperat lucrum*) *& dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident.* Ac proinde hactenus à tot sæculis vidimus in praxi, quod in Religionibus pauperrimis, quæ pecunias non contrectant, semper & illibate conservatus fuerit veræ prædicationis vigor, & verus fructus, siquidem ad nihil aliud, quam ad animarum lucrum intentionem suam directam habent.

Act 4. *v.* 32.
Quando prędicator nullam sperat compensam tunc imperitè carpit vitia.
Ibid.
Ibid. v. 33.
Ibid. v. 31.
B Petr. Dam. opusc. 24.

Joan. 2. *v.* 25.
Hoc patet in Apostolis.
Joan. 15. 19.
Quale viaticum Christus assignaverit Apostolis prędicaturis.
Matth. ult.
Act. Apost. 3. *v.* 6.
Ibid.

5. Christus Redemptor noster (de quo Evangelista ait: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*) in sermone ultimæ cœnæ Apostolos ab omnibus mundi rebus alienos esse declaravit; inquiens: *Vos de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo*, ac proinde liberrime ijsdem præcepit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* At vero quodnam illis assignavit viaticum? Donum videlicet miraculorum; & quia cum capite suo dicere poterant: *Argentum & Aurum non est mihi*, ideo quoque non minus quam S. Petrus stupenda operabantur prodigia, dicentes: *Quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Jesu surge, & ambula.* Hodie vero, quia prædicatores ut plurimum salva veritate dicere nequeunt: *Argentum & aurum non est mihi*, ideo quoque non habent donum miraculorum, nisi miraculi loco interpretari velis, quod aurum ex bursis pauperum hominum quibus prædicant, expilare possint. Refert Cardinalis Baronius ex cap. 18. Act. Apost. S. Paulum cum magna libertate animi protestatum fuisse, quod sudoribus suis victum sibi comparasset, simul cum Aquila pontico pelles elaborando, idque eo fine fecisse, ne ulli occasionem daret murmurandi, & dicendi, quod Evangelium prædicaret, ut cum honesto titulo mundum pervagari, genio indulgere, pecuniasque sibi coacervare posset. Hac autem historia præmissa, subdit Cardinalis Baronius in ijsdem annalibus: Quod si antiqua lege Titia Romanis vetitum erat, pro tutela aut defensione causarum pecunias, aut quævis munera accipere, quanto convenientius erat, ab illis abstinere Evangelij prædicatores? Sanctus Anselmus circa textum illum: *Non enim sumus adulterantes verbum Dei, sicut plurimi*, præter expositiones in discursu præcedenti allatas, ita scribit: *Sicut qui corrumpunt admixtione falsitatis sensum divinæ prædicationis, vel ex ea quærant voluptatem lucri carnalis, sed ex sinceritate, id est ex sincera intentione, non pro quæstu loquimur.* Albertus Magnus ad illam se cœlestis magistri prohibitionem, Apostolis ad prædicationem abeuntibus factam, reflectens: *Non peram in via, ita scribit: Pera hic sumitur pro instrumentis, in quibus esculentum, vel poculentum in futurum præparatum deportatur.* Unde Josuæ 9. *Gabaonitæ, qui in peris & utribus esculentum, & poculentum portaverunt, deceperunt filios Israël; Gabaonitæ, proclives iniquitate interpretantur, & significant eos, qui ventri dediti, de officio prædicationis quærunt implere peras voluptatis, & utres vino, in quo est luxuria.* Rom. 16. *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.*

Baron. ann. 12. *n.* 15.
Paulus magnus prędicator vixit ex labore manuum suarum.
2. *Cor.* 2. 17.
S. Anselm. ibid.
Matth. 10. *v.* 10.
Alb Mag. ib.
Jos. 9. 22.

6. Idem Albertus Magnus in libro *de muliere forti* explicans verba illa: *Sindonem fecit & vendidit &c.* exinde ad propositum nostrum accommodam sequentem deducit moralitatem: *Sindonem prædicationis verbi Dei facit quilibet, exhortando ad mores, annunciando fidem, arguendo malos; increpando duros, obsecrando reverendos, instruendo indoctos, sicut dicit Apostolus 2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa, &c. erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, &c. Hoc tempus heu modo non est, quia secundum desideria peccati, audiunt quæstuarios prædicatores, qui centum dierum indulgentiam falso mendacio computant obulo uno, & à veritate prædicationis pœnitentiæ avertunt auditum, & ad nugas quæstuariorum, qui occasione temporalis lucri annunciant non Christum sed fabulas.* Sanctus Ambrosius huic textui Apostoli 2. Cor. 1. ℣. 12. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, sequentem annectit expositionem: *Hæc est gloria conscientiæ, quam dixit simplicitas, & sinceritas, & quia hæc de Dei doctrina sunt*, adjecit: *Non in sapientia &c. ut ostenderet, non humanæ sapientiæ, sed Evangelicæ prædicationis liberam se conscientiam exhibuisse. Hoc significat, quod in prima epistola arguit fucatam prædicationem, juxta humanum sensum aptatam, cujus prædicatores duplici genere in sapientia carnali accusat, quia & juxta mundi sensum prædicabant, ne facile offenderent homines, & quæstus causa hoc agebant, propter lucris carnalibus studentes; Unde Apostolus à Corinthijs numquam voluit sumptus accipere, ne his occasionem daret, eo quod similis eis esset in hac re, Hinc est quod dicit: Abundantius apud vos simpliciter conversari, quia cum ab alijs acceperit, ab his noluit, ne arguendi eos authoritatem amitteret.*

Prov. 31. 24.
Alb. Magn. tom. 12. *de Mul. forti, cap.* 15. §. 1.
Perstringuntur concionatores quæstuarij.
2. *Tim.* 4. 3.
2. *Cor.* 1. 12.
S. Ambr. ib.
Ibid.

7. In actibus Apostolorum sequens legitur historia: *Factum est euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea; & exiit eadem hora.* At vero quidnam postea Sancto Paulo & Silæ accidit? Nimirum aspere flagellati, & in carceres conjecti fuere; Cujus unica hæc causa fuit: *Videntes Domini ejus, quia exivit spes quæstus, apprehendentes Paulum & Silam, &c.* Sed applicemus velim factum istud præsenti proposito nostro; *Prædicatores servi Dei sunt, qui annunciant viam salutis*; Dæmones ab animabus expellunt; At vero si nonnumquam contingat; quod ex una parte bilancis ponatur *amissio quæstus*, & ex altera parte vitiorum reprehensio, & improperium (*Annuncia populo meo scelera eorum*) ne lucrum perdatur, hoc maximè præponderat; *Loquuntur* enim tunc *placentia, parum curantes, quod dæmon in hominibus remaneat.*

Act. Ap. 16. *v.* 16.
Continuatio ejusdem argumenti.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 19.
Isaia 58. 1.

8. Salvator noster se ab æterno Patre suo hunc præcipue in finem missum fuisse dicit, ut Evangelium annunciaret: *Evangelizare misit me*; Et tamen officium hoc in triginta annos distulit; At vero quandonam illud post annum trigesimum incepit? Sacer textus dicit: *Exinde cœpit Jesus prædicare*; Ly autem *exinde*, relationem dicit ad id, quod Sanctus Matthæus antecedenter narraverat; Prout optime author operis imperfecti advertit, paulo autem ante, ut idem author ait: *Avaritiam sprevit in monte*, & post hanc omnium mundi regnorum sibi oblatorum repudiationem, exinde prædicare cœpit; ut doceret omnes illos, qui post ipsum ministerium hoc adituri essent, quod antequam prædicare incipiant, bonorum temporalium cupiditatem in se vincere debeant. M. Marulus sequentem adducit reflexionem: Ne quis lucri, *Et non tantum hominum causâ prædicationis opus sibi vendicet*, ait: *Gratis accepistis, gratis date.* S. Thadæus in Epistola sua comminatur dicens: *Væ illis, qui errore Balaam mercede effusi sunt.* Quæ verba obscura cum sint, audiamus obsecro Origenem ea hoc sensu explicantem. *Dicitur à Deo: Verbum quodcumque dedero in ore tuo, hoc loqueris. Si dignus fuisset Balaam, verbum suum Deus non in ore ejus, sed in cor deposuisset. Nunc quoniam in corde ejus desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, Verbum Dei non in corde, sed in ore ejus ponitur.* Idem Balaam populum Israël considerans inquit: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob*; Simulque perijt, sibique optavit dicens: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia*, & tamen post piissimas hasce optimasque affectiones mentis, quia nihilominus cor ejus auri cupiditate agitabatur, ad complendam impij regis voluntatem seduci se permisit. Enimvero inter homines quibus prædicatur, ut plurimum sunt concubinarij, homicidæ, Simoniaci, usurarij, &c. qui sæpè à veritate Verbi Dei convincuntur, seque emendare, & salutis suæ securitati consulere quidem vellent, & tamen in peccatis suis habituati, obstinatique persistunt; Scitisne quænam hujus sit causa? Nimirum sciunt, quod etiam prædicator sibi lucrum dominari permittat, ejusque pravum exemplum ad alios impios in sua impietate confirmandos efficaciter transmittitur. Unde saluberrime monet S. Antoninus inquiens: *Non solum in charitate, sed ex charitate debet prædicare, non ex cupiditate, vel vanitate. Qui propter cupiditatem prædicant, figurantur per Balaam, de quibus dicit Petrus in secunda epistola: Secuti sunt viam Balaam ex Besor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem vero habuit suæ vesaniæ subjugale mutum, &c. Balaam interpretatur præcipitans eos, quia in præcipitium suos mergunt auditores, quibus non salutaria quæ corrigant, sed quæ illos delectent, erronea prædicant.* Hæc Beda 2. q. 72.

Luc. 4. 18.
Antequam concionator officium exerceat, cupiditatem bonorum temporalium exemplo Christi abjiciat.
Matt. 4. 17.
Auct. Imperf.
Marul. tom. 1 *lib.* 3. *c.* 4.
Jude 11.
Orig. Hom. 14. *in Num.*
Quęstuarij concionatores sunt imitatores Balaam.
Num. 24. *v.* 5.
Ibid. c. 23. *v.* 10.
S. Antonin. p. 3. *t.* 18. *c.* 3. §. 1.

9. Verumtamen est, quod M. Marulus ait: *At vero ne in quærendis vitæ necessarijs rebus occupatus animus, docendi studium remitteret, dignus est inquit operarius cibo suo.* Sanctus Bonaventura quoque dicit: *Prædicator Evangelicus accipere stipendium potest, juxta illud* 1. Cor. 9. *Dominus ordinavit his qui Evangelizant, de Evangelio vivere, sed non debet prædicare propter illud, sed propter salutem populi.* Notandum tamen est, quod dicat, quod prædicator *possit de Evangelio vivere, non vero dicit, luxuriari, nec accumulare divitias.* Christus quoque apud Sanctum Lucam cap. 10. præcepit, *ut ederent & biberent, quæ apud illos sunt*, scilicet quibus prædicant: Vult igitur, quod per victum necessarium vitam sustentare possint, non vero delitiandi potestatem concedit.

Quis debeat esse scopus prędicatoris circa stipendium laboris sui
Marul. ibid.
S. Bonav.
Luc. 10. 7.

DISCURSUS L.

ARGUMENTUM.

Nonnullæ adducuntur pro ministris Evangelicis conditiones; & documenta.

THEMA.

Quam speciosi pedes Evangelizantium. Rom. 10. ℣. 15.

1. VErissimum est, quod gressus ministrorum Evangelicorum, qui ad annunciandum Verbum Dei, salutemque animarum procurandam, per varia loca discurrunt, sigillatim accuratissime numerentur, suoque tempore à Salvatore remunerabuntur, maxime cum ipsemet dixerit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; Merito igitur Apostolus pedes Evangelizantium speciosos appellat dicens: *Quam speciosi pedes Evangelizantium.* Doctor Angelicus tamen hunc textum in alio sensu exponit, dum ait: *Commendatur in his verbis processus prædicatorum, ut per pedes intelligantur eorum processus, quia scilicet ordinate procedunt.* Ac proinde ut omnes prædicatores illud mereantur laudis præconium, quod S. Paulus in prædictis verbis illis attribuit, in hoc ultimo discursu statui varias examinare conditiones, quæ in prædicatoribus requiruntur.

Adducuntur in hoc discursu conditiones quæ in bonis prędicatoribus requiruntur.
Matt. 10. 30.
S. Thom. ibid.

2. Est igitur prima conditio, quam S. Thomas his verbis tangit: *Non usurpantes sibi prædicationis officium*, ideo S. Lucas ait: *Et misit illos prædicare regnum Dei*; Ubi S. Bonaventura ait: *In missione authoritas designatur, sine qua nullus debet prædicare; Unde Apostolus ait: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Unde & Isaias non audebat prædicare, nisi mitteretur: Ecce ego, mitte me; Et dixit Dominus Vade, & dices populo huic, &c. Econtra de Prophetis? Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* S. Basilius Magnus egregie ponderat, quod Isaias Propheta *duobus propositis sermonibus, una satisfacit responsione. Quem mittam, & quis ibit? inquit Deus? Ecce ego sum, mitte me, inquit Propheta. Non jam adjecit: Et ego ibo; Siquidem susceptio istius Apostolicæ legationis penes nos sita, & à nostro pendet arbitrio, confirmare autem ad profectionem, ejus est; qui infusione gratiæ nos corroborat, Dei, itaque Isaias per id, quod electivæ, & liberæ erat voluntatis, respondet: Ecce ego sum mitte me; Quod autem erat gratiæ, reliquit Domino.* S. Hieronymus circa eadem Isaiæ verba aliam habet reflectionem, dum ait: *Non suo merito, sed Domini gratia, qua purgatus est, offert se ad ministerium.* Quando enim quis à suis Prælatis ad hoc munus destinatur, non convenit, ut illum sub titulo humilitatis defraudet, aut sub prætextu privati commodi, ut se à labore, vel à periculis eximat. *Sicut enim est magnum peccatum, inquit S. Bonaventura, cum indigenti dives non dat eleemosynam, ita majus est peccatum cum sciens non communicat doctrinam; Unde qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Idem Seraphicus Doctor se reflectens ad illum textum Luc. 10. *Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario*, ita scribit: *Pecuniam reponit in sudario, qui ad prædicandum idoneus, officium prædicandi vel suscipere renuit, vel susceptum verbum negligenter gerit, & percepta dona sub torpore corporis abscondit dicens: Sufficit mihi, ut de me rationem reddam, cur alijs prædicem, ut de alijs cogar reddere rationem? Talis est merito maledicendus, quia qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* S. Isidorus authoritatem adducit S. Bernardi dicentis: *Rem profecto proximi retines, si plenus virtutibus cum sis, forisque nihilominus donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, metu forte aut segnitie, aut minus discreta humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo & damnabili ligas silentio.* B. Petrus Damianus similiter necessitatem missionis à superioribus factæ confirmat,

Prima conditio est ut hoc officium nõ usurpent.
Luc. 9. *v.* 2.
S. Bonav. ibid.
S. Basil. ibid.
S. Hieron. ibid.
S. Bonav. ibid.
Luc. 19. 20.
S. Bonav. ib.
S. Bern. ser. 19. *in Cant.*

Prov.26.6. mat, dum super illum textum sapientis : *Qui mittit verba per nuncium stultum* ; ita scribit : *Quibus nimirum verbis, quid aliud videtur expressum, nisi ut carnaliter sapienti, ac per hoc stulto cuilibet non committatur prædicationis officium ? De sanctis enim prædicatoribus dicitur : Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona ? Itaque quilibet ordinator Ecclesiæ, si dignos, & idoneos in dignitate constituit, quasi pedibus rectis incedit per eos enim verbum spargendo circumquaque discurrit, & quod per semetipsum non valet agere, per illos satagit efficaciter adimplere. Sin autem carnales quoque ac reprobos ordinare præsumat, hic claudit pedibus ambulat, &c. Quasi pulchras habet tibias ad videndum, sed non utiles ad gradiendum, qui podagricis vitiorum laqueis imodatus, ipse quidem turpiter claudicat, dum alios ut agiliter gradiantur, invitat.*

Cant. 1. v. 7. S. Bernardinus textum illum Canticorum : *Egredere, & abi post vestigia gregum*, prædicatoribus applicat dicens : *Hoc est hædos suos juxta tabernacula pastorum pascere, officium prædicationis suæ in gratia sibi data circa populos, & peccatores, in hac gratia exercere.*

S. Bernard. Tom. 3. serm. desiderab. verit. art. 1. cap. 2. *Hoc idem Gregorius in Pastorali testatur dicens : Qui magnis muneribus ditati pavere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè judicentur, tantis procul dubio rei sunt, quantis prodesse potuerunt.* Considerabilis est illa Alberti Magni super cap. 8. Luc. tradita doctrina, dicentis : *Dominus injungit officium prædicationis Prælatis, & tacet de aliis.* Cum enim status Episcopalis, status sit perfectionis, Dominus officium prædicationis Episcopis injungens, indicare voluit, perfectos esse debere illos, quibus munus prædicandi incumbit. *Hæc autem nunc commixta sunt, quia de principali, nulla, vel modica cura ; De secundarijs autem propter lucrum annexam, totum insumitur tempus. Secundum est, quod ad hoc officium per contestationem extremi judicij Ecclesiæ pastores obliganturr, & non ad aliud ;* 2. Tim. 4. *Testificor coram Deo, & Domino nostro Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ipsius, & regnum ejus, prædica verbum, insta, &c.* S. Antonius de Padua ordinem observat Apostolis à Christo his verbis præscriptum : *Posui vos ut eatis, &c. quod est contra eos, qui ad officium prædicationis se ingerunt, & sibi imponunt, nec expectant ut à Deo, aut Prælatis imponatur. Ut eatis, est contra eos, qui tantum in locis & civitatibus, unde sunt, aut ubi noti sunt, prædicare volunt, non extra procul ; Contra vos* Matth. 9. *dicitur : Circuibat Jesus civitates & castella.* Jer. 31. *Annunciate in insulis quæ procul sunt.* S. Antoninus dubium quoddam circa Jeremiam, qui prædicare renuebat, & Isaiam, qui ad prædicandum se obtulit, in hæc verba proponit, pariter & resolvit : *Quod Isaias non vocatus se obtulit ad prædicandum, cum dixit : Ecce ego, mitte me.* Isai. 6. *Et econtra, cum Jeremias mitteretur à Deo, se excusavit dicens, A, a, a, Domine Deus nescio loqui ; Etsi diversa vox extra prodiit, non tamen à diverso fonte dilectionis emanavit ; Duo quippe sunt præcepta dilectionis, ut ait Gregorius, amor Dei, & proximi. Per activam vitam proximis prodesse cupiens Isaias, officium prædicationis appetijt ; Per contemplativam vero Jeremias sedulo amori conditoris inhærere desiderans, ne missi ad prædicandum debeat, contradicit. Quod laudabiliter unus appetit, hoc laudabiliter alter expavit, iste ne tacitæ contemplationis lucrum perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret.* S. Augustinus super Psalmum 41. ita scribit : *Omnis homo, licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est, & abyssum invocat, quando homini aliquod veritatis propter vitam æternam prædicat ; Sed tunc est utilis abyssus, abyssò invocante, quando sit in voce cataractarum tuarum. Abyssus Abyssum invocat, homo hominem lacratur, non tamen in voce sua, sed in voce cataractarum tuarum.*

S. Aug in Psal 41. Thomas Cantipratensis supplicium quoddam refert, cuidam illatum qui legato Apostolico contra Albigenses in Flandria electo suppetias prædicando ferre, obstinate renuit ; Cum enim post iteratas preces, & præcepta, in repulsa legato data persisteret, legatus iram Dei implorans dixit : *Rogo tamen Deum, qui omnium cordium est inspector, quatenus reddat vos, non solum ad istud quod spernitis, sed prorsus ad omne opus inutilem. Mira res ! Mox ad hæc verba quartana febris eum cum fluxu ventris invasit, & usque ad finem vitæ jam per viginti quatuor annos irremediabiliter fatigavit.* S. Gregorius in Pastorali suo ita scribit : *Sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares se æstimant, præferantur. Quorum profecto humilitas, si cæteris*

Notabile exemplum puniti, qui aptus recusavit prædicare. *Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 22.*

S. Gregor. 1. part. past. cap. 6.

quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos veræ est, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superni nutus arbitrio, ut debeat præesse, intelligit, & tamen præesse contemnit, sed divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & alijs prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire. Porro primus legis Evangelicæ prædicator Joannes Baptista fuit (*factum est verbum Domini super Joannem, &c.*) ac proinde S. Cyrillus Alexandrinus notat, quod S. Joannes Apostolus de ipso dicat : *Fuit homo missus à Deo ; Ne quid à Deo, quæ misit, alienum nunciasse illum existimes, verum enim est testimonium ejus, qui, quæ à Deo didicit (id enim à Deo missum esse significat) ea prædicavit.*

Luc. 3. 2. *S. Cyrill. Alex. lib. 1. in Joan. c. 7.*

3. *Ordinatè procedunt ?* Ab hac missione à superioribus facta, tamquam locum tenentibus Dei, sequitur, quod divinam ejus in hoc ministerio habeant assistentiam. Unde Christus nos docuit, ut omne talentum nostrum, omnemque fructum laboris nostri, bonumque illius exitum Deo in acceptis referamus ; Siquidem postquam triennio integro prædicasset, ad æternum patrem suum conversus, eidem dixit : *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & eos mihi dedisti, & sermonem tuum servaverunt, ... verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt.* Ubi, ut videtis, tametsi ipse verbum increatum, & æterni Patris sapientia esset, fructum tamen prædicationis suæ non sibi, sed patri suo æterno totaliter attribuebat. Cum in civitate Philippensi Lydia opera S. Pauli converteretur, S. Lucas historiam illam describens, omnibus notum esse voluit, quod tametsi S. Paulus verbum Dei annunciarit, ipse tamen manus operatricis Dei instrumentum dumtaxat fuerit ; Ideoque Sanctus Evangelista ait : *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Hic quoque finis est, propter quem prædicationi brevis illa oratio salutationis Angelicæ præmittitur. Unde D. Chrysostomus ait : *Nil fructus capi ex humilia potest, nisi oratio adjungatur ; Porrò sermoni oratio debet anteire. Sic Apostoli dicunt : Nos in oratione, ac sermonis doctrina perseverabimus. Sic Paulus facit, cum in exordijs fuarum Epistolarum orat, ut perinde quasi lumen lucernæ lux ipsa orationis regat sermonem, ac dirigat.* Apud alium quoque scriptorem sequentia verba scripta reperio : *Præmittitur salutatio Angelica, ut quemadmodum Angelico nuncio mediante Christus in utero Virginis conceptus est, ita & mediante nuncio concionatoris (qui tunc Angeli officium gerit) Christus generetur in cordibus auditorum, atque Deiparæ interventientibus precibus, & ipse auditores concipiant Christum in animo, quem ipsa concepit in utero.* S. Bonaventura verba illa Lucæ cap. 5. *Et fedens docebat de navicula turbas*, ad nostram eruditionem sic explicat : *Moraliter notandum est, quod in Christo docente datur forma prædicatori. Introducitur enim ut stans, ut videns, ut ascendens, & ut sedens. Veri enim & boni prædicatoris est, stare per rectitudinem intentionis ; Ideo dicitur de Ezechiele in persona prædicatoris : Sta super pedes tuos, & loquar tecum. Secundò prædicatoris est videre per certitudinem discretionis, sic enim dicitur : Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Tertiò prædicatoris est, ascendere per exercitium perfectæ actionis. Unde Isaias ait : Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion. Quarto prædicatoris est sedere per otium contemplationis : Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Rabanus ait : *Priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam, ut ructet quod biberit, vel quod impleverit, fundat, cum enim de unaquaque re, quæ secundum fidem, dilectionemque tractanda sunt, multa sint, quæ dicantur, & multi modi, quibus dicantur eis, qui hæc sciunt, quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt ? Et quis facit, ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, nisi in cujus manu sunt, & nos, & sermones nostri ?*

Secunda conditio. A superioribus missi ad prædicandū habent divinam assistentiam. *Joan. 17. 6*

Act. 16. 14

Chrysost. Tom. 1. Hom. 3. de incomprehens. fib. Dei nat.

4. Christus prædicatores salis titulo insignivit, dicendo : *Vos estis sal terræ*, quibus verbis ad discretionem alluxit, quæ in eo præcedere debet, à quo Verbum Dei annunciandum venit. Nam ut S. Carolus Borromæus ait : *Concionatores hæc erum cogitanda omnia, non solum scilicet auditoribus statas, sed etiam locus, tempus, res de qua dictarus est, & personæ suæ authoritas, & vitæ genus, ut aptè, decore, convenienter, & cum dignitate concionetur.*

Tertia conditio. Discretio.

Matth. 5. 13

Act. Eccle. Med. fol. 490

Quarta conditio. Maturitas & experientia. *Luc. 3. 23. S. bonav.*

5. Requiritur etiam in prædicatore maturitas, experientia, intelligentia, & ætas conveniens. Unde S. Bonaventura super illa verba : *Quasi annorum triginta*, ita fatur : *In quo præbet exemplum, ut nullus debeat docere ante ætatem adultam, quantumcumque habeat sapientiam, unde homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Et vero quamnam existimas fuisse causam, quod Christus, qui in terram venerat, ut Evangelium annunciaret, ante trigesimum ætatis annum Evangelij annunciandi non fecerit initium, cum tamen in ætate duodecim annorum suam in templo publicè probarit sapientiam ? Respondetur id factum fuisse, ut doceremur, omnem in hoc ministerio fugere ostentationem, & populi admirationem, dicente S. Gregorio Nazianzeno : *Trigesimo anno, & non prius sese indicavit, partim ne ostentationis cujuspiam opinionem præberet, partim quia hæc ætas plenum virtutis argumentum, docendique maturitatem debet.*

Luc. 5. v. 3. *S. Bonav. ib.*

Sexta conditio Prædicet etiam vili plebeculæ. *Act. Apost. 10 v. 12.*

Nazianz. Orat. 40.

Quinta conditio caveat nimis ornatum & politum vestitū. *Humbert. in c. 70. regul. S. Augustī.* Mirabilis hujus historia.

6. Prædicatori insuper curandum est, ut in externa specie & habitu, rudem potius & pœnitentem, quam politum & ornatum vestitum præ se ferat ; In cujus confirmationem Humbertus sequens factum recenset : *Contigit Parisijs, ut quidam Magister Theologiæ sacularis prædicaret in universitate, indutus optima veste, vel cappa nova in principio hyemis. Cum autem teniter verba sua imprimeret in cordibus auditorum, quidam fatuus, qui erat in medio scholarium, surrexit, & dixit : Tace tu, illa vestis pretiosa quam habes, non permittit, te audaciter dicere veritatem, quæ res fecit ei mirabilem confusionem.* In hoc valde excelluit S. Joannes Baptista, qui nudam carnem suam pilis Camelij, id est, hispido cilicio contexit. Etenim sanctitas vitæ optima est prædicatio. Unde author operis imperfecti ita scribit : *Prius vocavit eos sal, postea lux, quia prius est bene vivere, secundum autem bene docere, nam per bonam conversationem ascenditur sine dubio ad scientiam, à scientia autem nescio si ad bonam conversationem omnimodo veniatur.* Hugo Cardinalis super illa verba : *Illi autem profecti prædicaverant ubique* ; adjungit : *Virtute confirmati, sapientia eruditi, igne zeli inflammati, eloquentia præditi, à superiore missi, aliter enim non possent, quia sine virtute essent infirmi, sine sapientia stulti, sine zelo tepidi, sine missione præsumptuosi.* S. Carolus virtutes præcipuas quibus prædicator insignitus esse debet, indicat dum ait : *Dei timore, terrenarum rerum despicientia animum salutis zelo, humilitate, mansuetudine, patientia, charitate, cæterisque Religiosæ disciplinæ ornamentis bene munitus sit.*

Aust. Imp. Hom. 10.

Marc. 16. 20

Act. Eccle. med. fol. 475. Illig. Card.

Philip. 3. 1.

7. Præterea quando Deus S. Petro in ecstasi constituto linteum omnis generis deformibus animalibus plenum ostendit, simulque dixit ; *Occide, & manduca*, per hoc illum docere voluit, quod etiam ad convertendam vilis plebeculæ fœcem, in minutis & abominandis animalibus denotatam, demittere & inclinare se debeat, eo quod omnes animæ eodem prorsus pretio sint redemptæ.

Septima conditio. Eamdem doctrinam sæpius inculcet. *Rom. 1. v. 16*

8. Super omnia autem minister Evangelicus præcipuum Evangelij finem considerare debet, à Doctore gentium his verbis manifestatum : *Evangelium virtus Dei est, in salutem omni credenti.* Ad pariendum autem per prædicationem in animabus fructum, nequaquam disconvenit, ut eadem doctrina sæpius, sæpiusque inculcetur, & repetatur ; Quæ doctrina licet à multis confirmetur, ipsius tamen verbi incarnati potiffimum comprobatur exemplo, nam Marc. cap. 9. vers. 43. 45. 47. trina vice repetuntur hæc verba : *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quis umquam sapientior inventus est S. Joanne Apostolo, de quo Ecclesia canit : *Fluenta Evangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit ?* Et tamen in fine annorum suorum, quando sapientiæ fiæ apicem attigit, idem documentum sæpius, etiam ad nauseam repetivit : *Filioli diligite alterutrum*, quod documentum S. Hieronymus dignam Joanne sententiam appellavit, cumque discipuli ejus super hac identidem repetita sententia conquererentur, respondit eis : *Præceptum Domini est ; si hoc fiat, sufficit.* S. Paulus qui in secretorum cœlestium penetralia admissus, audivit arcana verba, nihilominus scribere non dubitavit : *Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Credebat enim se per hæc fructum in ijs, quæ scribebat, pariturum, ac proinde eadem sæpius repetere non dedignabatur. S. Cyrillus Alexandrinus super illa verba : *Altera die iterum stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo, Et respiciens Jesum ambulantem dicit : Ecce Agnus Dei, &c.* Sequentem habet observationem : *Ostendit jam pridem eum, & filium Dei vere, ac proprie, adjectione articuli appellavit, nunc quoque discipulis suis ipsum monstrat, & Agnum Dei nominans, cum esse affirmat, qui tollit peccata mundi. Ita eadem sceptra de Salvatore prædicans, optimi Doctoris officio fungitur. Opus enim vere docentis est, quod adhuc non rectè intellexerunt auditores, diligenter repetere. Propterea S. quoque Paulus scribit : Eadem vobis dicere, tum mihi molestum non est, tum vobis tutum.*

Joan. 1. 35. ibid. v. 36. S. Cyrill. Alex. lib 2. in Joan. c. 1.

Octava conditio diligenter evolvat S. Scripturam & SS. Patres. *Concil. Moguntin. in Præf. Concil. Turon. 3. Cant. 3. Sales serm. 1. l. 1. Epist.*

9. Concilium Moguntinum prædicationis. præscribit materiam, sed libros, unde sermo est desumendus ; Ait enim : *Confederant Episcopi, legentes atque tractantes sanctum Evangelium, nec non Epistolas, & Actus Apostolorum, Pastoralemque librum S. Gregorij.* Concilium quoque Turonense tertium decrevit : *Nulli Episcopo liceat Canones, aut Librum Pastoralem à B. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque, quasi in quodam speculo assiduè considerare.* S. Franciscus de Sales de hac materia differens inquit : Prima pars hujus materiæ sunt loca Sacræ Scripturæ, quæ veraciter primum locum obtinent, & totius fabricæ quasi sunt fundamentum, quia revera verbum Dei prædicamus, nostraque doctrina divinam authoritatem requirit. Unde omnes Prophetæ communiter ita scribunt : *Ipse dixit ; vel hæc dicit Dominus, &c.* & ipsemet Christus ait : *mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.*

Joan. 7. 16.

Nona conditio striat, & ardeat zelo animarum. *Vit. S. Thom. Aquin. l. 3. c. 5. per Paulum Frigerium.*

10. Neque sub silentio prætereundum est, quod de Venerabili P. Magistro Joanne de Avila prædicatore sui temporis celeberrimo, & sacræ sapientiæ & perfectionis oraculo legitur ; Cum enim is assiduis & urgentibus precibus ab alio quodam prædicatore pariter Apostolico, scilicet P. Ludovico Granatensi interrogaretur, quid sibi de ejus prædicandi modo videretur, respondit ei : *Antequam ad suggestum ascendat, se vestra temperet Paternitas. At vero quid per temperare intelligis ? Jubinulit Granatensis ; Cui Avila respondit : Antequam venatores acquirite assumunt advenandum, tentant eos, an digesto cibo sint famelici, nam tum eos temperatos dicunt, & ad venandum aptos ; Sic Pater prædicator si fructum velit ex prædicatione accipere animarum, se temperet, hoc est sitiat, & zelo ardeat animarum.*

Concluditur hic Tractatus necessarijs conditionibus quas in prædicatore requirit S. Thomas de Aquino.

11. Tandem ut digno fine hunc tractatum concludamus, referam quod P. Paulus Frigerius (qui vitam S. Thomæ de Aquino exquisita cum diligentia novissime compilavit) de hoc Angelico Doctore quoad ejus documenta in hac materia scripsit. Solebat enim S. Thomas dicere, in prædicatore Evangelico specialiter hæc tria requiri : *Ut doceat, ut delectet, & flectat.* Præterea afferebat, se numquam aliquid prædicasse, quod antea ipsemet opere non fuisset executus ; *Neque enim alios facere docebat, nisi quæ Deus per eum faceret.* Tertio scopus, in quem omnes ejus prædicationes collimabant, hic erat, ut scilicet in mentes auditorum veracem rerum mundanarum contemptum, sanctumque timorem, & amorem Dei insereret, hocque fine quæstiones sublimes & obscuras Scholæ Cathedris reservando, auscultantium se capacitati accommodabat, dicereque solitus erat : *Tam apertus debet esse sermo docentis, ut ab intelligentia sua nullos quamvis imperitos excludat.* Quarto commendabat eloquentiam, nec non litteras, & sapientiam humanam, præcipue quando hæc in Sacræ Scripturæ obsequium, & auditorum utilitatem adhibebantur : Econtra vero detestabatur, si quis eloquentia, aut litteris, vel sapientia humana uteretur ad vanitatem & ostentationem, prædicationemque sui-ipsius. Quinto dicebat, neminem se huic ministerio applicare debere, nisi qui ab omni sæculari negotio est solutus, suasque passiones, per virtutum Christianarum studium perfectè subjugavit, Pro qua re adducebat ipsius met Christi exemplum, qui nonnisi post quadraginta dierum toleratum in deserto austerissimum jejunium prædicare cœpit, *Ut docuret post carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium transire* : Sexto dicere solebat, hunc zelum juvandi animas, in conspectu Dei melius, præstantiusque esse sacrificium, quod illi potest offerri, dummodo primo loco propriæ studeat saluti, & postea aliorum saluti operam navet ; Septimo nullum concionatorem dedignari debere conceptus ab alijs sum-

usurpatos, siquidem ipsemet redemptor in Capharnaum de pœnitentia disserens iisdem usus sit verbis, quibus Præcursor suus antea usus fuerat. Octavo necessum esse, ut prædicator peritus, & in sacris litteris bene versatus sit, priusque præmeditetur (si ad hoc ei tempus suppetat)de eo, quod in sermone suo docere statuit. Nam sciat se omni generi & conditioni personarum debitorem esse, sive auditorum numerus frequens, sive rarus fuerit; Et tametsi ab omnibus prædicator valde honorari censeatur, dum ab ingenti auditorum multitudine cernitur esse circumdatus, sancti tamen prædicatores proprij honoris aucupandi numquam fuere studiosi, sed solum sectati sunt Dei honorem, ad exemplum & imitationem ejus, qui sæpius dixit: *Ego non quæro gloriam meam; sed patris mei*, cui gloria ingens accessit, dum unicam dumtaxat vilem fœminam Samaritanam ad salutem erudiens, subitò sanctam effecit. *Joan. 8. v. 50.*

TRACTATUS LXXXIV.

DE PRÆSENTIA DIVINA,

CONTINET

DISCURSUS VIII.

DIscursus I. De præsentia Dei in omni loco & quovis tempore præsentis, qui nos & actiones nostras considerat, & à quo nos abscondere non valemus.

II. ex neglectu considerationis præsentiæ Dei derivatur omne malum.

III. Per divinæ præsentiæ exercitium Dæmon ejusque tentationes facile vincuntur.

IV. Exercitium præsentiæ Dei frænum est, quo concupiscentia carnalis à nobis coercetur.

V. Præsentia Dei à nobis considerata, ad nos ab omni peccato refrænandos multum conducit,

VI. Consideratio divinæ præsentiæ ad perfectionem cooperatur.

VII. Exercitium præsentiæ Dei ad vitam immaculatam agendam valde efficax est instrumentum.

VIII. Alia bona considerantur, quæ præsentiam Dei exercendo recipimus.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.

De præsentia Dei in omni loco, & quovis tempore præsentis, qui nos & actiones nostras considerat, & à quo nos abscondere non valemus.

THEMA.

En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Can. 2. ℣. 9.

Deus ubique præsens, omnia videt.

1. SPiritus Sanctus per hanc similitudinem in sacris Canticis actualem nobis expressit Præsentiam Dei in quovis loco & tempore nos incessanter aspicientis & observantis. Porro per experientiam videmus, quod ad fenestras collocentur transennæ, per quas qui prospiciunt, vident, nec tamen videntur; Ad ejusmodi autem transennas sponsa alludere videtur, quando ait: *Prospiciens per cancellos*, quia tametsi nos Deum præsentem non videamus, quia invisibilis est, non tamen ob id ipse nos videre semper & considerare desinit; *Respiciens per fenestras, &c.* Observandum vero est, quod Sponsa non dicat, hanc Dei Præsentiam, ejusdemque in nos prospectum opera creaturarum factum fuisse, sed directe & immediate nominat ipsummet Creatorem; *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens, prospiciens*; Ipse inquam, & non alij, siquidem ipse ut Theologi asserunt ubique præsens est, *per essentiam, præsentiam, & potentiam. Præsto est oculus, cui omnia patent*, inquit S. Bernardus, *& si non patet ipse. Vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat, quem pro acumine visus capreæ assimilavit Scriptura; Hanc ego vereor occultum exploratorem.* *S. Bern. serm. 55. in Cant.*

Stulti peccatores putant se in tenebris à Deo non videri.

2. *Respiciens.* Ecclesiasticus virum quemdam introducit carnalem, hisce verbis intra semetipsum loquentem: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus; Et non intelliget, quoniam omnia videt oculus illius.* Enimvero tametsi parietes omni careant fenestra vel apertura, cameræ quoque crassissimis muris circumquaque sint conclusæ, tametsi etiam nullum eo penetret lucis, sive Solis, Lunæ vel lucernæ spiraculum aut radius: *Tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me:* attamen indubitata veritas, *quod ipse stat post parietem nostrum, respiciens, prospiciens.* *Eccli. 23. v. 25. 26. Ibid. v. 27.* Quod si enim verum est, quod ut Scriptores nonnulli asserunt, lupus cervarius visûs sui perspicacissimi acumine ipsos quoque montes penetret, evidenter utique hinc patet, quod longe magis penetrativi sint Creatoris oculi, adeo ut muros & abditissima quævis penetralia, omniaque in illis latentia, inter densissimas quoque tenebras posita, acutissime perspiciant, ac proinde Ecclesiasticus subdit: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundam abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes; Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.* *Ibid. v. 28. Ibid. v. 29.* Porro radij Solis cavernas subterraneas, & reconditissima terræ viscera nequaquam penetrant, aut illuminant, bene tamen oculus Dei ad ea, haud secus ac si in luce posita essent, perfectissime videnda pertingit, & ideo *oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem.* Super quæ verba Lyranus scribens, de luce solari, quæ totum illuminat universum, lucemque suam Lunæ, Stellis, alijsque planetis communicat, ita loquitur: *Claritas enim Solis non est nisi quidam effectus, & modica scintilla divinæ claritatis*, *Lyran.* Porro in Græco legitur: *Infinities sunt Sole clariores*; Cujus ratio est evidens, quia inter creatorem & creaturam nulla datur proportio, sic ut *finiti ad infinitum nulla est proportio.*

Oculi Dei penetrant abditissima terræ viscera, utpote sole lucidiores.

Oculi Dei infinitè perspicatiores sunt oculis aquilarum.

Fuit olim nonnemo, qui loco emblematis depingi curavit aquilam, in altissima maris rupe positam, quæ acutissima oculorum suorum acie, in fundum usque profundissimarum aquarum pertingens, ibidem natitantes minutissimos numerabat pisciculos, cui hanc subjecerat epigraphen: *Profundissima quæque.* Quis autem est hominum, qui nesciat, Deum in pluribus Sacræ Scripturæ locis per aquilam volucrum reginam symbolicè significari; *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* *Deut. 32. 11.* Hæc autem divina aquila in mari hujus mundi perspicacissima oculorum suorum virtute minutissima quæque videt, & discernit; *Profundam abyssi & hominum corda intuentes.* Unde de hisce oculis divinis verificatur id, quod S. Job ait: *De longe oculi ejus prospiciunt*; *Job. 39. 29.* Tametsi enim Deus in cœlo, altissimo supremæ majestatis throno insideat, ad ipsum nihilominus terræ centrum usque acutissime prospicit. Abulensis in Paradoxo quinto, cui hic titulus præfiguratur: *Quomodo Christus aquila dici possit*, *Abul. Parad. 5. cap. 2.* hanc aquilæ, quoad perspicacitatem visus ipsius, refert proprietatem: *Visivam potentiam, & oculos convenientius ad acute videndum dispositos, quam omnia animalia habent, nam etsi quis cuncta animantia inquisierit, nullum tam acuti contuitus reperire valebit.* Quid igitur mirum, quod sponsa de dilecto suo dicat: *Respiciens, prospiciens?* Quid mirum si Job de perspicacitate visus divini dicat: *De longe oculi ejus prospiciunt?* *Job 39. 29.* Jeremias pariter, licet de inscrutabili cordium humanorum profunditate asserat: *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* *Jerem. 17. 9.* Attamen immediate subjungat: *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes?* Oculus enim divinus in profunda cordium nostrorum abysso cogitationes & imaginationes nostras distinctissime perspicit, non solum præsentes, verum etiam futuras, idque cum omnibus minutissimis circumstantijs, *Quia profundissima quæque, Deo*

Deo enim antequam crearentur, omnia sunt agnita. Quidquid semper operor, inquit S. Augustinus, *tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum.* *S. Aug. Soliloq. c. 14.* Cornelius à Lapide in expositione prædictorum verborum Ecclesiastici: *Oculi Domini plus lucidiores sunt super Solem*, ad propositum nostrum ita scribit: *Sol centies & sexagies major est globo terræ, ideoque in se contineret centum & sexaginta globos terræ, si existerent; Cogita ergo quam magnus sit Dei oculus, ac quoties major sit tota terra? Quid ergo eum latere queat, quod non videat? Unde Tygurina legit: Nec intelligit oculos Domini Sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes, ac profundum maris inspicere, atque abstrusissima quæque perlustrare.* *Cornel. à Lap. in Eccli.*

Afferitur summa perspicacitas oculorum Dei.

3. *Respiciens per fenestras.* Sciendum est Ægyptios Deum appellare solitos fuisse *Oculum mundi.* Multo melius apud Zachariam dicitur: *Dominus est oculus hominis*; ubi versio Septuaginta legit: *Dominus respicit homines*; Chaldæus vertit: *Coram Domino manifesta sunt opera hominis.* *Zach. 9. 1.* Idem Zacharias in alio loco antecedenter scripserat: *Super lapidem unum septem oculi sunt*; *Zach. 3. 9.* Etenim tametsi lapis incapax videri possit facultatis videndi, nihilominus cum Paulus dicat: *Petra autem erat Christus*, *1. Cor. 10. 1.* Zacharias in prædictis verbis prædicere voluit perspicaciam oculi divini in filio Dei, utpote cui omnia erant, & sunt manifesta, & clara. Imo Seneca moralis modico naturæ lumine illustratus, Evangelicam nobis insinuat veritatem, dicens: *Prope est à te Deus, tecum est, intus est; Ita dico Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum observator & custos*; *Seneca Epist. 41.* Et paulo post subjungit: *Bonus vir sine Deo nemo est*; Intelligebat igitur & ipse, oculum Dei unicuique nostrum continuo esse præsentem. Enimvero gentiles, adeo Deos suos formidabant, ut si quando peccarent, hi Lunam adorabant, ipsa nocturno tempore splendente, peccare non fuerint ausi, sed diem præstolabantur, in quo à Luna videri non poterant; Qui vero Solem adorabant, ut ab eo absconderentur, noctis expectabant tenebras, credentes se à radijs solaribus nocturno tempore conspici non posse.

Impossibile est ut homo se subducat oculis Dei.

Verum enimvero ad veritates nostras probandas quid opus est errores in medium producere gentilium? In parabola etenim quam incarnata Sapientia ipsamet de filio prodigo concinnavit, satis clare liquet, impossibile esse, quod homo se ab oculis Dei subducere possit. Quando enim dissolutus ille adolescens in corde suo compunctus ad patris sui pedes se prosternere decreverat, ut veniam ab eo deposceret, jamque de forma verborum meditaretur, quibus patrem suum alloqui decreverat, hæc inter alia dicere statuit: *Pater peccavi in cœlum & coram te*; *Luc. 15. 21.* Cujus propositionis prima verba haud difficulter intelliguntur, at vero secunda verba, scilicet: *Peccavi coram te*, aliquam in se difficultatem continere videntur, quomodo enim salva veritate asserere poterat, se coram patre suo peccasse, qui adeo procul à patre aberat, *abiit enim in regionem longinquam?* *Luc. 19. 12.* S. Petrus Chrysologus ad hoc dubium respondet, considerando quod per hunc Patrem spiritualiter intelligatur ille, quem in oratione quotidiana his verbis invocamus: *Pater noster qui es in cælis.* *Chrysol. ser. 2.* En verba Chrysologi: *Cui peccatur in cœlo, non terrenus Pater est, sed cœlestis, ideo adjecit coram te. Peregre profectus est iste, & in regionem longinquam fugit, sed testes suos, sed accusatores suos, oculos Patris divini non refugit, Hoc David clarius aperit, sic dicendo: Quo ibo à spiritu tuo? Et à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; Si descendero in infernum, ades; Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua: Videt iste per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere; Non cœlum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem Deo velare posse peccata.* Clarum hac de re in cap. 34. S. Jobi Prophetæ habemus testimonium, ait enim: *Oculi ejus super vias hominum, & omnes gressus considerat, non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.* *Job. 34. 21.* Observandum namque est, quod Deus *omnes gressus* nostros consideret, imo paulo ante dixerat idem Propheta Job, Deum gressus nostros dinumerare: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*; *Job. 14. 16.* Ac proinde dic sodes, quales sunt gressus tui? Quales sunt viæ, per quas ingrederis? *Pedes eorum ad malum currunt?* Nimirum per scalas incedunt, per portas secretas, per vias contectas, semitas ab alijs minime tritas, & sub noctis ambulant obscuritatem; Sed advertant quod *oculi ejus super vias hominum; Non sunt tenebræ ut abscondantur, qui operantur iniquitatem. Lux æterna, quæ Deus est*, inquit S. Gregorius, *quanto immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt, & neque occulta nescit, qui occulta penetrat, neque penetrata obliviscitur, quia incommutabiliter durat, proinde quoties indignum aliquod mente concipimus, toties in hunc peccamus, quia ipsa nobis, & non sibi præsentibus præsto est.* *S. Gregorius.* S. Augustinus in serm. 46. *De verbis Domini* de hoc puncto disserens verba quædam habet, quæ attentam merentur reflectionem; Ait enim: *Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? Videris. Lucerna ardet? Videt te; Lucerna extincta est? Videt te. In cubile intras? Videt te. In corde versaris? Videt te. Si peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis.* *S. Aug. ser. 46. de verb. Dom.* Ergone igitur S. Augustinus nobis permittit, ut secundum genium nostrum vivamus, nostrisque indulgeamus inordinatis appetitibus? Imo vero, *fac quod vis*; Sed conditionate, nimirum cum hoc pacto, ut inveniamus locum, ubi nos ab oculis, & præsentia Dei abscondere valeamus; Hoc autem est impossibile. Idem prorsus est, quod S. Bernardus dicere voluit, quando sorori suæ hoc consilium suggessit dicendo: *Ibi pecca, ubi Deus non est.* Quasi diceret, contentus sum ut offendas Deum, sed cave ne illum offendas in alio loco, quam ubi Deus non reperitur; At vero inquies, nullus uspiam est locus reperibilis, ubi Deus præsens non adsit, & consequenter numquam illum offendere licebit; Ita omnino se res habet, quia enim Deus ubique est, ubique homo à peccatis sibi cavere debebit.

A primis parentibus hausimus hoc malum quod putemus nos ab oculis Dei absondi posse.

4. Inter alias miserias à peccato originali in genus humanum transfusas, una hæc est, quod homo sibi persuadere ausit, quod ab oculis divinis sese abscondere possit; Hoc enim primi parentes nostri post peccatum commissum sibi persuasere, dicente sacro textu: *Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini*, sed valde decepti fuerunt; *Gen. 3. 8.* Unde merito exclamat D. Chrysostomus dicens: *Vide quam insipienter faciat peccatum, abscondere se tentat à Deo, qui ubique præsens est.* *Chrysost. Hom. 17. in Gen.* Unde Deus, ut hunc errorem, in materia tanti momenti, qualis est punctum divinæ præsentiæ, à qua innumera bona in animas redundant, à nobis averteret, apud Jeremiam Prophetam in hæc verba hominem alloquitur: *Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? ... Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Audivi quæ dixerunt Prophetæ, &c.* *Jer. 23. 23. Ibid. v. 24. Ibid. v. 25.* Unde D. Chrysostomus in catena græca citatus, sequens format argumentum: *Nam si Prophetis non præsentibus dat sæpe ipse, ut sciant quæ ubique agantur, multo magis ipse scit; At non dicit hoc, sed Deus appropinquans ego sum, ubique præsens sum, quod indubitatum est indicium, nihil illum nescire.* Ingeniosus & vetustissimus Tertullianus de immensitate, seu potius ubiquitate Dei, in libro primo *contra Marcionem* ita scribit: *Plena & occupata sunt omnia suo auctore*; *Tertull. lib. 1. cont. Marcian.* Et hoc forsitan est motivum, cur S. Augustinus ad Fortunatum in hæc verba scripserit: *Ego dico, quod Deus totus oculus est, totus manus, & totus pes, quia omnia videt, omnia operatur, ubique est.* *S. August. Epist. 3.* Et vero præter supradictos ex Jobo Propheta adductos textus, alius quidem locus est, in quo idem Propheta Deum his verbis affatur: *Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*; *Job. 13. 27.* Quæ verba Dydimus ad propositum nostrum ita exponit: *Vestigia pedum meorum circumscribis.* Polychronius quoque eadem verba sic explicat. *Nihil est in meis actionibus, quod non curiosius perscruteris; Tum causas, tum initia, tum fibrias eorum quæ à me in vita aguntur, observas, & tenuissima quæque itineris mei vestigia indagas.* Unde S. Augustinus in suis soliloquijs tale cum Deo miscet alloquium: *Gressus meos, semitasque consideras, & die nocteque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans; Speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cœli, & terræ oblitus, tantum me solum consideres.* *S. Aug. Soliloq. c. 14.*

Doctrina gentilium de perspicacitate & præsentia Dei.

5. *Respiciens, &c.* Notanda hoc loco est quædam ab Abulense, quoad Deos gentilium tradita doctrina; Ita enim scribit: *Est opinio multorum Poëtarum, quod unicus erat Deus, qui vocabatur Jupiter, & iste propter diversas proprietates varia nomina accipiebat, ut aliquando vocaretur Jupiter, aliquando Phœbus, aliquando Mars, & interdum nomine viri, & interdum fœminæ, ut Diana, Minerva, Vesta, & non solum nomina multiplicarentur, sed etiam diversa sortiretur simulacra, repræsentantia eumdem Jovem sub diversis nominibus & signis, & non solum putabant illum solum esse* *Abul. q. 23. in cap. 3. Judic.*

esse Deum, sed etiam istum esse ubique. Thales Milesius, qui unus fuit ex septem Sapientibus Græciæ, interrogatus aliquando, *lateretne Deos homo male agens,* in hæc memorabilia verba libere respondit: *Ne cogitans quidem.* Sancta Samuelis mater in Cantico ait:
1.Reg.2. 3.
Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes; In Hebræo habetur: *Quia Deus scientissimus est.* Theodoretus legit: *Deus cogitationum.* Nec solum cogitationes illi sunt manifestæ, verum etiam imaginationes nostræ omnes, præsentes, præteritæ, & futuræ. Unde S. Leo Magnus in ser. 5. de Quadr. ita scribit:
S.Leo ser. 5. de Quadr.
Oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solum ei acta & cogitata, verum & agenda, & cogitanda sunt cognita. Ista ergo scientia summi Judicis est, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.
Ex neglectu considerationis Præsentiæ Dei omnia mala derivantur.

THEMA.

A facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Gen. 4. ℣. 14.

Reprobus Cain omnibus flagitijs se dedit eo quod estimaret se absconditi posse à Deo.

1. PRæcipitium in quod primus reprobus, Cain videlicet, miserabiliter corruit, non tam fuit, fratricidium innocentis Abeli, quam quod se obstinate in desperationis barathrum deturbarit, penitusque in reprobum se sensum conjecerit. Multa quidem benignissimus Deus ei obtulit auxilia, ut resipisceret, ipse tamen semper magis magisque rebellis, omnibus divinæ clementiæ demonstrationibus recalcitravit. Ultimus vero scopulus per quem in præcipitium hoc tam grande corruit, hoc fuit, quod scilicet cordi suo, Deum procul à se abesse, seque à Divina ejus præsentia subduci, & abscondi posse, tenaciter impresserit; Unde ait: *A facie tua abscondar:* Et paulò post sacer Chronista
Gen.4.v.16.
subdit: *Egressus Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden,* id est, deliciarum, sic enim communiter expositores Ly *Eden* interpretantur. Josephus Hebræus aperti hujus inimici
Joseph. Hebr lib 1. antiquitat. cap. 3.
Dei malignitatem his verbis insinuat: *Suis voluptatibus, vel cum aliorum injuria indulgens, & facultates domesticas per vim latrociniorum congregans nequitiæ consortis magister ad facinorosam vitam est effectus.* Adeoque considerandum est; primum totius generis humani præscitum ideo desperasse, ideoque in extrema quadam malitia obstinate permansisse, quia præsentiam Dei penitus à memoria sua exclusit: *Egressus Cain à facie Domini, &c.*

Oblivio divinæ præsentiæ Dei, omnia generat gravissima crimina.

2. In Psalmo nono regius Psaltes integrum quemdam contexuit iniquitatum catalogum; Ait enim: *Superbit impius; ... Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ; ... Exacerbavit Dominum peccator;... Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore; Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo; Sedet in insidijs*
Ps 10.v.2.3.
cum divitibus,...ut interficiat innocentem, &c. At vero
Ibid v.4. 5.
vultisne scire cuinam innitatur hæc tot enormium
Ibid. v.7.
scelerum congeries? Huic nimirum, quia Deus à
Ibid. v. 8.
mente ipsorum exclusus erat, sibiq; persuadebant, quod ab oculis ejus subducere se possent. Non est hoc à me excogitatum somnium, sed ipsiusmet Spiritus Sancti
Ibid. v. 1.
oraculum, qui per os Davidis inquit: *Ut quid Domine*
Ibid. v.5.
recessisti longe? Non est Deus in conspectu ejus; Dixit
Ibid. v 6.
in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne
Ibid. v.11.
videat. Alter huic non dissimilis, nec inferior Catalo-
Job. 22. v. 4.
gus à Jobo in capite 22. his verbis construitur: *Num-*
Ibid. v. 5.
quid timens arguet te, & veniet tecum in judicium? Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniqui-
Ibid. v 6.
tates tuas? Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine
Ibid. v. 7.
causa, & nudos spoliasti vestibus; Aquam lasso non de-
Ibid. v.9.
disti, & esurienti subtraxisti panem; Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti. Undenam vero tot scelera suam habuere originem? Subjungit
Ibid. v. 12.
idem Propheta: *An non cogitas quod Deus excelsior*
Ibid. v. 13.
cælis sit, & super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat,
Ibid. v. 14.
Nubes latibulum ejus, nec nostri considerat, & circa cardines cæli perambulat.

Unde derivata fuerit extrema Ju-

3. Vultisne scire, undenam derivata sit infinita illa Judæorum malitia, qua verum Messiam crucifixerunt, semperque in eo abnegando obstinati fuerunt. Inde videlicet, quia scilicet se à Christo, dum oculos ejus obvelarunt, minime videri crediderunt; Ait enim sacer
dæorum malitia Christū obstinatè abnegantium & crucifigentium.
textus: *Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza; quis est, qui te percussit?* Unde Simon de Cassia egregiè ad propositum nostrum ità scribit: *Hæ sententiæ se versa vice*
Luc. 22. 63.
respiciunt, cum dicitur: Non videbit Dominus Psal. 26.
Simon. de Cass. lib. 13.
Et, Prophetiza nobis quis est, qui te percussit, ut in utroque ignorantia prætendatur, ut malefactorum impunitas subsequatur. Contra hos vero tam nequiter opinantes, ipse Psalmista subjungit? Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, aut qui docet hominem scientiam? Et indecise contra ignorantiam in Christo ponentes, adjunxit: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam variæ sunt; Si novit cogitationes, novit & actiones; Si cogitationes varias hominum scit, & eum, qui percussit, agnovit, æquali enim notitia male cogitantem & prava agentem de alto cognoscit. Præscivit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: Quid enim vanius in cogitationibus hominum, quam Christum credere aliquid ignorare? Pergit idem author ulterius ad ponderandam actionem illam, qua Judæi Christi oculos obvelarunt, Ait enim: *Credunt nonnulli velut infranitum consilium Judæorum, oculos Domini fasciolis ignorantiæ obvelasse, ut nec ipse speculator desuper astet, atque consideret facta malorum, atque pro tempore impunitas inde provenit, quod velut Deus velata facie reproborum mala non videat, sed mentita est iniquitas eis, aliter dicente Psalmista contra illos, qui propriè aut ænigmatice talia crediderunt, & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Quid enim est dicere non videbit Dominus, nisi quia mala quæ facimus, aut ignorat, aut non considerat omnino?*

Uxor Putipharis putabat Deum non videre illam adulterantem.

4. Ex homilia quadam D. Chrysostomi satis clarè deducitur, quod uxor Putipharis, impudica, adultera, ideo continuo castissimum Josephum ad lascivos amplexus solicitarit, quia in reprobum sensum data, Deum præsentem esse, & obscœnitates suas conspicere minime credebat; Postquam enim sanctus Doctor verba retulisset Josephi, quibus scelus, ad quod committendum solicitabatur, abnuerat dicendo: *Quomodo*
Chrysost. Hom. 62. in Gen.
faciam verbum hoc malum, & peccabo coram Deo? mox hæc verba subinfert: *Quoniam enim illa solitudinem observabat, & tempus expectabat, qui latere poterat virum, & omnes qui in domo erant, dicit: Quomodo potero facere malum hoc, & peccare coram Deo? Quid enim putas? Etiamsi fecerimus ut res clam sit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus; Illum solum oportet timere, & tremere, ac pavere, ut ne in conspectu ejus male quidpiam faciamus.* Quænam obsecro causa est, cur Atheistæ
Hæc est etiā opinio Atheistarum.
hodie ad omnem impietatem committendam sibi laxent habenas? Nulla certè alia, quam quia sibi nullum prorsus Deum esse, stulte persuadent; Ab hoc enim pessimo principio omnia inter ipsos commissa scelera proficiscuntur. *Dixit insipiens in corde suo,* inquit Psal-
Ps 13. v.1.
tes, *non est Deus;* Et quid inde secutum fuit? *Corrupti*
Ibid. v. 2.
sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. S. Augustinus hanc de divina præsentia irrefragabilem veritatem in varijs operum suorum locis perspicue tradit; Et quidem in lib. 14. *de Trinitate* ait: *Quid non est in*
S. August. Tom. 3. l. 14. de Trinit. cap. 12.
ipso, de quo divinè scriptum est: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, proinde si in ipso sunt omnia, in quo tandem possunt vivere, quæ vivunt? In alio pariter loco sequentia verba hæc: *Qui es ubique*
S. Aug. in Spec. cap. 4.
totus, qui sentiri potes, & videri non potes, qui nusquam Deus. Et paulò post subjungit: *Qui ubique præsens es, & inveniri vix potes.* Enimvero hominum carnalium oculi, sunt veluti oculi talpæ non vero sic spiritualium virorum oculi; Hi enim luce supernaturali illuminati, in Deum continuo defiguntur, divinamque ejus considerant præsentiam; Impij vero Deum ignorantem, & procul à se positum optarent. De his reprobis, qui in infernum descenderunt, eo quod in hac vita suum sibi fabricare voluerint paradisum, sanctus Propheta Job ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto*
Job. 21. 13.
ad inferna descendunt, Qui dixerunt Deo: Recede à
Ibid. v. 14.
nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, ... Quis est
Ibid. v. 15.
omnipotens?

Unde debitor 10000. talentorum, antea humi-

5. Ad præsens propositum consideratione digna est alia ab incarnata sapientia de debitore, decem millia talenta Domino suo debente, composita parabola; Huic enim qui à Rege solutionis postulaverat moram, ingens

lis, postea tam crudelis factus sit in conservum suum.

ingens hæc summa remissa, & condonata fuit; Et tamen eumdem priusquam parabola terminetur, condemnatum fuisse legimus, ait enim sacer textus: *Vocavit illum Dominus suus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sic ut & ego tui misertus*
Matth. 18. v. 32. & 33.
sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus,
Ibid. v. 34.
quoadusque redderet universum debitum. At vero scire hoc loco percuperem, qua ratione factum sit, quod infelix ille servus, qui anteà adeo humilis & venerabundus fuerat, tam subito adeo factus sit arrogans, & elatus, ut conservum suum suffocare tentaverit:
Ibid. v. 28.
Tenens suffocabat eum? Imo talem mutationem subiit, ut servus nequam à Domino suo appellari meruerit: *Serve nequam;* Alteri pariter infelici homini, qui veste nuptiali carens ad nuptias se ingesserat, similis quidem accidit condemnatio, sed Rex illum condemnans mitiori eum nomine amicum compellavit:
Matt. 22. 12.
Amice quomodo huc intrasti? At vero hic ingratus, temerarius, & crudelis servus à Domino suo servus nequam est vocitatus; Vultisne hujus tam admirandæ metamorphoseos causam intelligere? Sacer textus ait: *Egressus servus à facie Domini.* Ubi Albertus Magnus
Quia egressus fuerat à facie Domini sui.
Matt. 18. 24. Alb. Magn.
ait: *Egressus à facie Dei, cui semper astare & gratias agere debuit.* Hic igitur infelix servus symbolice talem significat hominem, qui memoriæ & præsentiæ Dei benefactoris sui penitus oblitus, innumerabilium scelerum sese reum constituit. D. Chrysostomus optime considerat hujus servi virtutem, qua effulsit, quamdiu in præsentia Domini sui commoratus fuit, ait
D. Chrysost. Hom. 20. ex var. in Matt. Loc.
enim: *Confessus est, & se redditurum promisit debitum, & procidit, & supplicavit, propriaque damnavit peccata, & debiti magnitudinem agnovit.* Theophylactus
Theophyl. ibid.
perversionis servi hujus causam in hæc verba exponit: *Nullus qui in Deo manet, compassionis expers est, sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.*

Hoc ipsum fecit dæmon afflicturus S. Job.

6. Quodnam in eo lateat mysterium, quod Spiritus sanctus exponere volens, qualiter Sathanas Jobum & universam familiam ejus multis, magnisque damnis affecerit, præmittat, eumdem Sathanam à conspectu
Job 1. v. 12.
Dei fuisse egressum: *Egressus est Sathan à facie Domini;* Quasi dicere vellet, ipsummet quoque Dæmonem, quoadusque in conspectu Dei stetit, nullum præsumpsisse machinari malum, tametsi ad illud inferendum inflexibiliter obstinatus persistat. Olympiodorus in cate-
Olympiod. in cat. græc.
na græca citatus ait: *Sathan est egressus à facie Domini, quia omne malum est extra Dominum.*

Unde factum sit quod Petrus post abnegationem Christi conversus fuerit, Judas autem desperans, damnatus sit.

7. Duo Apostoli in Schola cœlestis Magistri eruditi, gravissime prævaricati fuere; Quorum tamen unus resipiscens, errorem suum amaris lacrymis deflevit; Alter vero in desperationis barathrum se præcipitem egit; Scitisne hujus differentiæ causam? S. Petrus Dominum suum tunc abnegavit, quando extra Domini sui conspectum positus fuit: *Sequebatur eum à longe;* Circa quæ verba S. Ambrosius ait: *Bene à longe sequebatur eum, proxime negaturus, neque enim negavisset, si*
Matt. 26. 58. S. Ambr. ibid.
Christo proximus adhæsisset. At vero qua occasione demum errorem suum inconsolabiliter deflens, & detestans, se emendavit? Nimirum quando Christus fi-
Luca 22. 61.
xis eum oculis aspexit: *Respexit Petrum, & flevit amarè.* Judas vero econtra eodem tempore, quo Dominum suum tradere machinabatur, tergum eidem
Matt. 26. 14.
obvertit, dicente Scriptura: *Tunc abijt unus è duodecim;* Nec amplius coram facie Christi apparuit, præterquam quando traditionis promissæ machinam in societate armatorum militum est executus, cæterum vero in totius passionis suæ decursu, priusquam laqueo se suspenderet, benignissimi redemptoris fugit præsentiam, & beneficos oculos, quos Rupertus Abbas
Rup. Abb in c. 6. Joan.
fenestras salutis, & patentes misericordiæ januas appellavit.

Ex oblivione divinæ præsentiæ, proveniunt gravissima mala.

8. Deus olim in Deuteronomio cum Moyse de po-
Deut. 31. 17.
pulo suo colloquens, eidem dixit: *Irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem, & invenient eum omnia mala, & afflictiones, ita ut &c.* At vero cuinam crimini tot ruinæ attribuentur? Undenam tot pœnæ innumerabilium culparum correlativæ derivabuntur? Dicit sacer textus: *Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* Mala enim pœnæ ex malis culpæ provenientia, eorum sunt supplicia, qui præsentiæ Dei penitus obliviscuntur. Unde S. Au-
S. Aug. ibid. c. 12. de Trinit. l. 14.
gustinus ait: *Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est, & tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.* At vero quidnam ex hac æterni Solis longinquitate subsequitur, Nimirum gelu & glacies in cordibus nostris: *Abundabit*
Matth. 24. v. 12.
iniquitas, cujus ratio est, *quia refrigescit charitas:* Qui enim verè amat, objectum amatum coram se semper habere desiderat; Ac proinde evidens deficientis amoris signum est, quando homo Deum sibi præsentem esse non considerat.

Continuatio ejusdem materiæ.

9. Propheta Regius in Ps. 53. ait: *Alieni insurre-*
Ps. 53. v. 5.
xerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam. At vero quinam hi erant, qui virum adeo innocentem & sanctum persequebantur? Homines nimirum perditæ salutis, qui Deum sibi præsentem non considerabant; *Non proposuerunt Deum ante conspe-*
Ibid.
ctum suum. Idem Regius vates in alio quodam psalmo Deum his verbis affatur: *Deus ultionum Dominus,*
Ps. 93. v. 1.
Deus ultionum, ... Usquequo peccatores gloriabuntur?
Ibid. v. 3.
Effabuntur, & loquentur iniquitatem, ... Populum tuum
Ibid. v. 4.
Domine humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexa-
Ibid. v. 5.
verunt, Viduam, & advenam interfecerunt, & pupil-
Ibid. v. 6.
los occiderunt. Sed quænam tot detestabilium excessuum causa erat? *Et dixerunt: Non videbit Dominus,*
Ibid. v. 7.
nec intelliget Deus Jacob. In Ps. 58. dicitur: *Ecce loquen-*
Ps. 58. v. 8.
tur in ore suo, & gladius in labijs eorum. Vultisne petulantis hujus detractionis originem nosse? Sacer textus mox subjungit: *Quoniam quis audivit? Et tu Do-*
Ibid. v. 9.
mine deridebis eos. Theodoretus cum Symmacho his verbis hanc addit paraphrasin: *Velut nemine prospiciente, nec audiente, nec pœnas exigente hæc patrare audent.* Deus quondam iratus Ezechiëli dixit: *Vides fili ho-*
Ezech. 8. 12.
minis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui? Dicunt enim, non videbit Dominus nos. Merito igitur S. Hieronymus inquit: *Si quando peccamus, cogitaremus Deum videre, &*
S. Hier. ibid.
esse præsentem, numquam quod ei displicet faceremus.
Biblioth. vet. PP. T. 5. c. 4.
Basilius Imperator in exhortatione ad Leonem filium suum, hoc ei suggessit consilium: *Nullius umquam peccati reprehensionem sustinebis, si Deum in omni actione inspectorem, & cognitorem, sicuti est, esse tibi persuaseris, numquam neque palam, neque clam peccabis, nam etsi alios latere videberis, quæ secreto facies, ad conscientiam certe tuam, & Deum ipsum, qui usque in abditos animi sinus, ac recessus intuetur, revereberis.*

Eclypsatio Lunæ comparatur peccatoribus Dei præsentiam nō cogitantibus.

10. Reflexistisne vos aliquando ad causam, propter quam luminare minus, id est, luna eclypsetur, & obscuritate involvatur? Ideo nimirum, quia globo terræ se inter Solem & Lunam interponente, Luna Solem non respicit. At vero quidnam hoc exemplum in sensu morali nobis indicat? Videlicet peccata tenebrarum nomine appellantur, dicente Scriptura: *Abjiciamus opera tenebrarum;* Et iterum: *Qui male agit, odit lucem;*
Rom. 13. 12.
Undenam vero fit, quod anima tot peccatorum ob-
Joan. 3. v. 20
scura involvatur caligine? Quia nimirum oculos suos in verum justitiæ Solem defixos non habet; *non est Deus*
Ps. 10. v. 5.
in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. S. Paulus copiosam messem, quam per prædicationem suam inter fideles Galathas collegerat, deficere videns, hisce verbis de ijsdem lamentatur: *O in-*
Galat. 3. v. 1.
sensati Galathæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Ubi specialiter Galatharum perversio notatur hac
Ob hunc defectum reprehendit S. Paulus Galathas.
dictione: *Insensati.* Hæc enim indicat illos saxorum instar divinas voces surdis excepisse auribus, seque veritatibus Evangelicis manifeste declarasse rebelles. Notandum quoque est verbum illud: *Fascinavit,* per hoc enim insinuatur, illos fuisse veluti incantatos, & veneficio irretitos. Undenam verò procedebat hæc tam perniciosa mutatio? Originem illius sanctus Apostolus sequentibus subindicat verbis: *Ante quorum oculos Je-*
Ibid.
sus Christus præscriptus est; Nimirum à corde & memoria sua Christi præsentiam penitus profligaverant. Et ideo Palladius in Lausiaca refert, se à viro quodam
Pallad. c. 98.
magna Sapientia & perfectione prædito intellexisse, hanc Apostoli propositionem subindicare, quod quisquis divinam præsentiam à mente sua proscripserit, tandem in bestiam quamdam, seu potius Dæmonem degenerabit.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.
Per divinæ præsentiæ exercitium Dæmon ejusque tentationes facile vincuntur.

THEMA.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Psalm. 14. ℣. 4.

1. PRopheta Regius sciens quod inimicus infernalis lateribus nostris, quamdiu vivimus, incessanter assistat, ut nobis insidietur, nosq; impugnet, facillimum quem-

Qui Deum semper cogitat præsentè facile fugabit tentatorem cũ suis suggestionibus. *D. Chrysost. hom. 62. in Gen.*

quemdam nobis modum præscribit, quo eum à nobis profligare valemus, nimirum si in mente nostra divinam ejus recolamus præsentiam ? Et ideo ait: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* D. Chrysostomus in homilia quadam heroicam considerans Josephi adversus impudicas Dominæ suæ sollicitationes adhibitam resistentiam, ex illis prædicti Josephi verbis : *Quomodo faciam verbum hoc malum, & peccabo coram Deo ?* Sequens eruit documentum : *Itaque sive quis corporum concupiscentia capiatur, sive pecuniarum amore sive alia quadam absurda voluptate, statim hoc verbum cogitet, quod ille est, qui non contemnet, à quo non est possibile nos occultare, etiam quæ in mente nostra versentur, & omnino effugiemus etiam Diabolicas machinationes, magnoque adjutorio superno juvabimur, quo nobis frui contingat gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi* ; Ubi considerationem meretur dictio illa *omnino*, utpote quæ certissimæ promissionis vim obtinet.

Hoc manifestissime patet exemplo & doctrina S. Antonij Magni.

Vit. S. Ant. c. 8.

2. Inter omnes sacros heroes difficulter post Christi adventum aliquem reperiemus, qui atrociora ab inferno sustinuerit certamina quam Sanctus Antonius Magnus ; cujus si legatur vita, invenietur, quod adversus ipsum omnes se congregarint maligni Spiritus, ut tanto validiorem ei impetum inferrent ; Quibus tandem superatis, hisce Dei servus Dominum fuit alloquebatur devotissimis verbis: *Ubi eras bone Jesu?* Quibus verbis clarè satis subindicat, quod in omnibus adversus dæmonum phalanges habitis prælijs alio armorum genere usus non fuerit, quam vivaci divinæ præsentiæ memoria ; *Et ideo flagellatus, confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente pervigili, & licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis laderet, loquebatur : Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad prælium.* Cum pluribus ergo solus ipse dimicans, tot reportavit victorias, quot Dæmones superavit ; Ac proinde S. Athanasius, qui vitam ejus conscripsit, merito magnum hunc virum hoc titulo condecoravit : *Tantarum victoriarum homo.* Porro quantum tentationes ejus ab ipso gloriosè devictæ, & superatæ, omnibus fidelibus attulerint commodum & utilitatem, idem Author hisce verbis testificatur : *Factum est, ut post ejus doctrinam, omnes diaboli panderentur insidiæ.* Hic quoque Sanctissimus Abbas hoc nobis ad debellandum infernum, omnesque Spiritus rebelles de triumphandos, scriptum reliquit primum & fundamentale documentum : *Una est ratio vincendi inimicum, animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio.* Unde ipsemet postquam à Deo audivisset, quod omnibus suis cum Dæmone habitis prælijs præsens astitisset Spectator, deinceps in sequentibus conflictibus adversus Dæmonem generosius dimicavit ; Ex quo enim invictum animi robur militi ingeritur, cui in conspectu Ducis sui pugnare contingit, longe majus percipiet ille, qui novit in conspectu Principis illius certamen se gerere, à quo generositatem suam novit esse præmiandam. S. Apostolus ad Corinthios ita scribit : *Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus*, quasi diceret, Christianæ militiæ nostræ arma in conspectu totius cœlestis curiæ, ipsiusmet Dei, angelorum & hominum vibramus, & stringimus ; Ac proinde generose nobis pugnandum erit, ut coronam gloriæ accipere mereamur ; *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* In Deuteronomio dicitur : *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem quam tu habeas adversarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, . . . Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit.* Utatur igitur quilibet Christianus frequenter hoc sancto præsentiæ Dei exercitio, nec habebit, quod timere possit ; Dicat cum S. Job adversus, hostes invisibiles : *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.*

Ibid c. 27.

Ibid. c. 55.

Ibid. c. 20.

2. *Cor. 4. v. 9.*

2. *Tim. 2. 5.*

Deut. 20. 1.

Ibid. v. 3.

Ibid. v. 4.

Job 17. v. 3.

3. Apud Jeremiam legitur textus, proposito nostro perquam opportunus : *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis, idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt, confundentur vehementer.* Similiter in lib. 2. Machab. legitur, quod tametsi pro defensione honoris & cultus divini ab infidelibus contumeliæ manu sua enses strinxerint, & in hostes vibrarint, simul tamen eodem tempore divinam mente sua reoluerint præsentiam: *Mane quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes postraxerant non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati.*

Jer. 20. v. 11. Applicatur ad propositũ historia Machabæorum.

2. Mach. 15. v. 27.

In alio quoque ejusdem libri loco ita scribitur : *Timor hostibus incussus est ex præsentia Dei, qui universa conspicit, & in fugam versi sunt, alius ab alio, ita ut magis à suis dejicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur ; Judas autem vehementer instabat, persequens profanos, & prostravit ex eis triginta millia virorum. Omnia autem hæc in figura contingebant illis.* Per hasce namque adversus inimicos visibiles per præsentiam Dei reportatas victorias, Spiritus Sanctus nobis indicare contendit, eamdem pariter Dei præsentiam nobis adversus hostes invisibiles dimicaturis validissimorum armorum loco esse futuram. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.*

Ib. c. 12. 22.

Ibid. v. 23.

Psalm. 14. 4.

4. Advertistis aliquando id, quod idolo Dagon accidit ? Simulacrum illud in terram corruens in aliquot partes confractum fuit, idque in virtute arcæ ibidem præsentis. Per hoc autem falsi Numinis simulacrum Dæmon repræsentabatur, qui suis viribus ex Dei præsentia destituitur, omnisque ejus astutia exinde infatuatur. Unde quando arca Domini circumferebatur, hic psalmus cantari solebat: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant à facie Dei.* Non dubito quin omnibus nota sit illa S. Antonij Magni visio, quando universum aërem ex omni parte plenum vidit laqueis, quos tenderanent spiritus maligni à S. Paulo *spiritualia nequitiæ in cœlestibus appellati.* Cumque scisitatus fuisset modum, quo laqueos illos evadere posset, vocem sibi dicentem audivit ; Humilitate declinantur ; At vero si mihi ex sententia animi loquendum esset, dicerem utique quod non solum humilitate, verum etiam præsentia Dei à nobis exercita dictos laqueos infallibiliter evadere possimus. Unde Psalmista, postquam dixisset : *Oculi mei semper ad Dominum*, mox fructum subjecit, quem inde est consecutus, dicendo : *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, respice in me, & miserere mei* ; In virtute igitur hujus sancti exercitij, confidat unusquisque in divina misericordia, credatque infallibiliter Deum vota sua secundaturum esse ; Ac proinde Psaltes Deo confidenter dicit : *Respice in me.* At vero dicet fortassis aliquis, quotidiana nos experientia docet, quod quando quis oculis sursum in cœlos elevatis ambulat, & viam per quam ambulat non considerat, facillimo negotio in foveas, vel tensos sibi laqueos incidere soleat ; Respondeo igitur vere ita esse, si fermo sit de laqueis quos homines sibi invicem tendunt ; At David in sensu nobiliori loquebatur de laqueis, quos astutus serpens nobis continuo & ubique rendit, hi enim fugiuntur per hoc, quia oculos mentis ad Deum elevatos habemus. Salomon Davidis filius inter alias parabolas hanc quoque nobis scriptam reliquit : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Qui enim agiles habet alas ad expedite volandum, quando retia sibi extensa videt, non facile ijs irretietur ; Id est, qui occasiones & pericula scit declinare, in retia Dæmonis non facile incidet ; Multo tamen melius inquit glossa : *Laqueos Diabolo facile evadit in terris, qui semper oculos habet in cœlis.* At vero dices, Davidem hisce retibus diabolicis fuisse irretitum, quando in adulterio cum Bethsabæa commisso, & consequenter in homicidio, & scandalo publico illaqueatus fuit ; Cujus causam facer textus hisce verbis exprimit : *Accidit ut surgeret David de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus Regiæ, vidit que mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde.* Respondeo igitur vere sanctum hunc regem Dæmonis laqueis miserè fuisse irretitum, sed præcitata Scripturæ verba satis indicant, id ei ob nullam aliam causam accidisse, quam quia se à Dei Præsentia, quam antea mente sua continuo recolebat, divertit, *vivitque mulierem*, hæc enim oculorum à Deo aversio, unica & sola causa fuit, quod spiritus fornicationis illum superarit : Ac proinde experientia damni inde subsecuti edoctus, se emendavit, dicendo: *Oculi mei semper ad Dominum ; Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

Idolum Dagon coram arca Domini consistere nequibat.

1. Reg. 5.

Ps. 67. v. 2.

Ibid. v. 3.

Ephes. 6. 12.

Modus evadendi laqueos maligni spiritus, docetur.

Ps. 24. v. 15.

Ibid.

Ibid. v. 16.

Ps. 24. 15.

Psal. 15. 8.

5. S. Thomas à Villa nova hanc Dei præsentiam summo in pretio habebat, unde in sermone quodam de S. Michaële inquit : *Unde tanta tepiditas in orando, tanta negligentia in operando, tam modica resistentia in resistendo, nisi ex hac Dei oblivione ?* Apud S. Matthæum cap. 8. legitur, quod postquam Salvator noster magnam illam maris tempestatem compescuisset, & in regionem Gerasenorum fuisset ingressus, obviam illi occurrerint viri à Dæmonibus obsessi ; Qui rebelles Spiritus se ad corpora illa deserenda adigendos esse videntes, hanc Christo proposuere petitionem : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, Et ait illis, ite : At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis* ; Cumque id vix etiam num in civitate innotuisset, *ecce tota civitas exijt coram Jesu*, ut Evangelista inquit. At vero cur Christo obviam processere, num forte ut pro patrato in liberandis illis à Dæmone obsessis miraculo debitas agerent gratias ? Aut vero ut ipsum tamquam verum Dei filium, & promissum mundi Salvatorem adorarent ? Vel denique adeo illum beneficum esse videntes : (Quia *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes :*) aliquam forte ab eo gratiam postulare voluerunt ? Nihil horum illos ad occurrendum Jesu permovit, sed vetam hujus occursus causam Evangelista insinuat, dicens : *Viso eo, rogabant, ut transiret à finibus eorum* ; Nolebant igitur Christum sibi habere præsentem, non obstante, quod probe scire potuerint id, quod David ait : *Ecce qui elongant se à te peribunt* ; Et iterum : *Mihi autem adhærere Deo bonum est*; At vero scitisne causam cur Christum sibi præsentem esse noluerint ? Nimirum ad hoc à Dæmone fuere instigati, hic enim metuebat, ne per diuturniorem Christi cum illis conversationem, ipsi ad veri Dei deducerentur notitiam ; At vero dic sodes, quænam fuit ratio, quod sagaces illi Spiritus potius in immunda illa animalia, quam in armenta, vel gregem ovium ingredi petierint ? Plutarchus hanc recepisset porcorum proprietatem, *nimirum oculorum porcorum ita inflexam esse aciem, atque dejectam, ut nunquam superna prospiciant, neque suspiciant cœlum.* Ecce tibi ad amussim, & accurate declaratum, quænam sint animæ illæ, in quas Dæmon libenter divertit, ut illas in abyssum perditionis demergat, illæ videlicet quæ oculos suos ad cœlum numquam levant, & non solum Deum sibi ipsis præsentem esse, non cogitant, sed ne quidem an Deus aliquis vere existat, unquam considerant; *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* S. Augustinus pie meditatur emolumenta, quibus gaudemus, cum a Deo defendimur, eumque in nostrum præsidium adsistentem habemus ; Ait enim : *Tentator defuit, & ut deesset, tu fecisti ; Locus & tempus defuit, & ut hoc deesset, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, sed nec defuit tempus, sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est, & ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator armatus, & fortis, & ut me non vincerem, tu eum refrænasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in angelum lucis, & ut me non deciperet, tu eum increpasti, & ut eum cognoscerem, tu me illuminasti.*

Act. 10. 38.

Matth. 8. 34.

Ps. 72. v. 27.

Ibid. v. 28.

Quare dæmones potius petierint ingredi porcos, quam alia animalia.

Plutarch. de qq. conviv. l. 5. c. 5.

Ps. 13. v. 1.

S. Aug. soliloq. c. 16.

Psalm. 31. 6.

S. August. ib. Dirigamus oculos semper in Deum, & non erit quem timeamus.

6. In Psalmo 31. sequens legitur petitio : *Erue me à circumdantibus me ; Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos :* S. Augustinus hunc psalmum exponens, animum nobis addit, ne inimici timore percellamur ; Dicit enim, *Sed quid times, ne cum habes oculos, Deum offendas, ne non respicias ante te, & forte incurras in laqueum ? Noli timere, ibi enim sunt oculi ipsius, quos obfirmat super te.* Et paulo post ut Deum nobis semper cogitemus præsentem, his verbis suadet : *Tu oculos tuos in illum erige, & non timeas, ut laqueum incurras* ; Ps. 24. v. 15. David ait : *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Nec dicas impossibile esse, quod quis oculos suos semper, & sine ulla intermissione in Deum defixos habeat ; Optime enim ad hoc Hugo Cardinalis respondet dicens : *Oculos interiores, scilicet intellectus, & affectus à Davide intelligi, sed & potest dici, si semper habeas oculos in cælis, potes illaqueari ; Ad quod respondet dicens: Nequaquam, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Carthusianus quoque per hosce oculos meditationem & intentionem nostram intelligit dicens : *Intentio & contemplatio cordis mei ad ipsum erecta est semper, id est, in omni tempore debito, vel semper, actu vel habitu &c. Liberabit te de insidijs inimici, de omni tentatione & vitio quibus animæ captivantur.* S Thomas quoque per hosce oculos, oculos cordis interpretatur, juxta illud Apostoli : *Illuminatos habentes oculos cordis nostri.*

Ps. 72. v. 27.

Hug. Card. ibid. Nimirum oculos interiores animi.

Dion. Carth. ibid.

S. Thom.

Ephes. 1. 18.

Ps. 26. v. 3. Omnes insidiæ dæmonũ in conspectu Dei facile evanescunt.

7. David sibimetipsi animum suggerebat magnanimum dicens : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo :* Sciebat namque Spiritum malignum in conspectu & præsentia Dei omnem suum perdere vigorem. Cur obsecro astutus ille serpens filio Dei in deserto post 40. dierum jejunium famelico non præsentavit pulchrum aliquod oculisque gratum pomum, vel lautum aliquod ferculum ? Cur, inquam, lapides in durum panem convertendos Redemptori obtulit ? S. Maximus inquit : *Errabundus & anceps tentator, molitia suspensaque tentamenta rimatur, quia licet carnalis viri speciem contemplaretur in Christo, præsentia tamen divinitatis ejus conditatus, suspicabatur eum plus esse quam hominem.* Omnes enim Dæmonis insidiæ, quas contra nos machinatur, in conspectu Dei disparent, & evanescunt. Unde Regius Propheta David postquam in Psalmo 15. dixisset : *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, mox quoque fructum inde perceptum exponit dicens : *Quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Hugo Cardinalis hoc loco ex libro Numerorum illam adducit historiam, in qua Deus Hebræis, quos serpentes momorderant, præcepisse dicitur, ut serpentem æneum erigerent, eumque continuo ob oculos defixum haberent, ut pristinæ denuo corporis integritati restituerentur ; Subditque ; *Ad aspectum serpentis ænei in palo levati, id est Christi in cruce affixi, sanabantur qui percussi erant à serpentibus, id est à carnis delectationibus ; Et ne vincamur tentationibus, debemus Dominum providere tamquam inspectorem omnium quæ facimus, & cogitamus, ut erubescamus.*

S. Max. h. 1.

Ps. 15. v. 8.

Hug. Card. ibid.

8. Deus olim, ut à principio hujus discursus diximus, S. Antonio Magno ingentem addidit generositatem, quando, postquam in fine certaminis cum Dæmone habiti dixisset : *Ubi eras ô bone Jesu?* Dominum sibi respondentem audivit : *Hic eram, sed expectabam videre certamen tuum* : Nec mirum quod S Antonius inde animosior factus fuerit ; Nam ut S. Augustinus considerat magnus prælianti additur animus, quando Princeps, in cujus obsequium prælliator vitam suam discrimini exponit, ipsemet personaliter præsens assistit : *Adjuvat enim certantem, qui certamen indixit* ; S. Paulo post subdit : *Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam, clamare enim novit, adjuvare non novit, vires subministrare non potest, homo enim est, non Deus, Hic enim forte dum spectat, plus laborat sedendo, quam ille luctando ; Deus quando spectat certantes suos, adjuvat eos invocantes, nam vox Athletæ illius est Ps. 93. Sic dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me.* S. Hieronymus super illa verba spiritum infernalium Christo apud Matthæum dicentium : *Venisti huc ante tempus torquere nos*, ita scribit : *Præsentia Salvatoris tormenta sunt Dæmonum* ; Quod si enim Dæmones in præsentia servorum Dei contremiscunt, & debilitantur, quanto magis ex præsentia ipsiusmet Dei idipsum illis contingat, coram quo etiam cœlestes potestates præ reverentia contremiscunt ? *Ad nihilum &c.* De Antigono Demetrij Macedoniæ Regis filio narratur, quod cum à Duce Generali exercitus sui multo majorem esse navium numerum audisset, quas Rex Ptolomæus adversus patrem suum armaverat, mox eidem respondent : *Me vero ipsum præsentem quam multis navibus hostium comparat ?* Eodem modo tametsi totus infernus adversum nos obarmetur, nihilominus omnibus potestatibus infernalibus superiores semper erimus, dummodo oculos nostros in Deum nobis præsentem defigamus. *Si videmus mente semper Deum*, inquit D. Chrysostomus, *si semper in recordationem ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur.*

Ps. 93. v. 18.

Matth 8. 29.

S. Hier. ibid. Pulchra historia.

D. Chrysost. hom. 26. ad Hebr.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Exercitium Præsentiæ Dei frænum est, quo concupiscentia carnalis à nobis coercetur.

THEMA.

Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Gen. 39. ℣. 9.

1. CUm Joseph in flore ætatis constitutus, & à natura rara pulchritudine (quæ ut plurimum carnalis concupiscentiæ solet esse speciale incentivum :) exornatus, & in Ægypto tamquam servus emptitius existens à Domina sua vehementer ad prostandum impudicis desiderijs suis consensum solicitaretur : (*Per singulos enim dies molesta erat adolescenti* ; Et ut D. Chrysostomus ait: *Assiliit in Juvenem, sicut bestia dentibus frendens, & apprehensis vestimentis tenuit eum*:) ipse quidem Dominam suam sui amore tam fortiter ardentem videns, ab ea non solum à duris servitutis compedibus libertatem, verum etiam absolutum in illam dominium spe-

Exemplo Josephi patet memoriam divinæ præsentiæ potentissimè refrænare concupiscentias carnales. *Gen. 39. 10. D. Chrysost. h. 52. in Gen.*

ſperare potuiſſet,dummodo ſolicitanti conſenſiſſet, ad quod etiam à loco ſecreto, & ab hominum conſpectu procul remoto induci poterat , præterquam quod veriſimile ſit,ardorem illius juvenilem ab innatæ concupiſcentiæ fomite ad conſenſum præbendum fuiſſe inſtigandum; Et tamen ſacer Chroniſta ipſum Dominæ ſuæ preces obſtinate à ſe repuliſſe teſtatur , dicebat enim : *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere,& peccare in Deum meum?* Circa quæ verba D.Chryſoſtomus ita ſcribit : *Non ſimpliciter hoc prætereamus , ſed cogitemus quantum certamen ſuſtinuerit juſtus ille. Non enim erat tam admirabile , ut mihi videtur , in fornace Babylonis verſari tres pueros , & illæſos permanere , & nihil ab igne pati , ut admirabile hoc & rarum fuit.* Veriſimile etenim eſt, quod hæc Joſephi Domina illis proverbiorũ verbis eumdẽ *procaci vultu blanditur dicens* affata fuerit : *Intexui funibus lectulum meum , ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto; Veni,inebriemur uberibus,& fruamur cupitis amplexibus... Non eſt enim vir in domo mea, abijt via longiſſima . . . Irretivit eum multis ſermonibus , & blanditijs labiorum protraxit illum.* Et tamen inter omnes haſce blandimentorum illecebras caſtus juvenis conſtans & immobilis permanſit. Vultiſne ut dicam , unde hæc tam heroica virtus,hæcque tam valida reſiſtentia ſuam deſumpſerit originem? Septuaginta adducti thematis verba ita legunt : *Quomodo faciam verbum malum hoc,& peccabo coram Deo?* Nimirum ſanctus hic juvenis continuo mente ſua divinam recolebat præſentiam , hæcque illi fræni loco erat,ne Deum offenderet , aut caſtitatem ſuam macularet;Unde non ſine myſterio de ipſo in libro Sapientiæ dicitur : *Deus venditum juſtum non dereliquit, deſcenditque cum illo in foveam* ; Deum enim ſemper & ubique in corde & mente ſua præſentem habuit , in eumque omnem ſpem & fiduciam ſuam collocavit. Obſervandum porro eſt , quod de hac precum Dominæ ſuæ repulſa in virtute divinæ præſentiæ à Joſeph generoſe exercita D.Chryſoſtomus in hæc verba ſcribit ; *Rectè Joſeph hoc dicit : Nam etiamſi fecerimus, ut res clam ſit omnibus,ab oculo tamen illo , qui dormire nequit , latere non poterimus. Quando igitur nos perturbat cogitatio hoc in mente verſemus verbum : Quomodo poſſum hoc malum facere , & peccare in Deum? Et ſtatim effugiet omnis illicita concupiſcentia.*

Gen.39. 9 — Prov.7.v.13. v.16. v.18. v.19. v.21. — Sap.10.13. — D.Chryſoſt.

Gen.6.5.&8 Per cogitatus divinę pręſentię Noë juſtus & caſtus factus eſt. — Gen.6.v.12.

2. In ſæculo illo quod Deus univerſali mulctavit diluvio , in quo *cuncta cogitatio hominis intenta erat ad malum omni tempore,... Noë invenit gratiam coram Domino.* Conſideretis licet tot generis humani per totum mundum diſperſi milliones , nec tamen vel palmum terræ illo tempore mundum fuiſſe reperietis ; *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam , & cuncta cogitatio hominis intenta erat ad malum omni tempore , Corrupta erat terra coram Deo , & repleta erat iniquitate.* Et tamen licet omnes carnis voluptatibus tunc dediti fuerint,ſanctus tamen ille Senecio per quingentorum annorum ſpatium adeo ſe caſtum conſervavit, ut etiam à conſortio conjugali ſe continuerit. At vero quonam modo Sanctus hic vir idipſum obtinuit,quod ſcilicet in communi totius humani generis incendio abominabili concupiſcentiæ igne non conflagraret? Deus ipſe hujus privilegij declarat originem , cum ipſum nobiliſſimo hoc condecorat elogio , dicens : *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit. Te vidi juſtum coram me in generatione hac.* Ubi notandum , quod Deus non ſine myſterio frequenter repetat verba illa : *Coram me*, quaſi dicere vellet, quod in præſentia Dei ſemper ambularit ; Unde Pererius verba illa:*Cum Deo ambulavit*, hoc ſenſu interpretatur ; *Deum ſemper intuebatur quaſi præſentem ſibi,quam ob rem cautiſſimus,modeſtiſſimus & devotiſſimus ſemper incedebat.* S. Ephrem ſequenti ſimilitudine exponit , qualiter conſideratione præſentiæ Dei paſſiones animæ refrænentur , ait enim:*Continua Dei recordatione turpes animæ paſſiones recedere , inſtar maleficorum prætore accedente.*

Gen 6.v.9. — Gen.7.1. — Pererius. — S.Ephrem. T.2 ſerm de vir. c.10.

Dan 13.23. Caſtiſſima Suſanna recordatione divinæ pręſentię vicit impudicum aſſultũ duorum ſenum.

3. Porro vehementes inſultus quibus duo illi ſeniores populi judices caſtiſſimam Suſannam ſunt aggreſſi , tanto credi poterant ad obtinendum intentum efficaciores, magiſque idonei,quanto cum majori dignitatis, quam ſuſtinebant authoritate , cumque atrocioribus calumniarum comminationibus erant conjuncti,quibus proteſtabantur , quod niſi in turpia ipſorum conſentiret deſideria , eamdem per univerſam Babyloniæ civitatem diffamaturi eſſent;At vero quamnam generoſa hæc mulier in hiſce anguſtijs conſtituta init reſolutionem? Nimirum ut honeſtatem & pudicitiam ſuam conſervaret , evidens, & manifeſtum bonam famam : (quæ ab hoc ſexu permaximè æſtimatur :) ſimulque vitam , omneſque facultates,quas utpote viri opulentiſſimi conjux ampliſſimas, poſſidebat , perdendi periculum ſubire contempſit. Sed undenam fortis hæc mulier tantam virtutem , tantamque in defendenda pudicitia ſua,in propria vita poſthabenda , in adimplendis divinis legibus conſtantiam didicit? Audite ipſammet ad hoc reſpondentem : *Melius eſt mihi incidere abſque opere in manus veſtras , quam peccare in conſpectu Domini.* Ecce tibi qualiter præſentiam Dei in mente ſua vivaciter recoluerit,agnoſcebat enim ſe peccare non poſſe , eo quod ante oculos divinæ majeſtatis poſita eſſet. Optimè igitur illam promeretur laudem, quam Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Joſue in hæc verba attribuit : *Verum qui tot undique jaculis petebatur,unum contra omnia telum , memoriam tenuit creatoris.* In ipſa igitur verificatum fuit, quod Regius Propheta olim dixerat : *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala ; quoniam tu mecum es* ; Neque ab hac fiducia ſua,quam in Deo collocaverat,defraudata fuit , quippe qui pudicitiam, honeſtatem,& innocentiam ejus tanta cum gloria ipſius toti mundo manifeſtam fecit.

Dan.13.23 — Baſil. Seleuc. or.de Joſeph. — Pſ.137. 7

Judith.10.4 Memoria divinæ præſentiæ caſtiſſimã Judith in ipſis hoſtium caſtris conſervabat ab omni carnali inquinamento.

4. Quiſnam obſecro umquam in majori pudicitiæ ſuæ perdendæ periculo fuit Juditha vidua, utpote quæ in floridiſſima annorum ſuorum ætate conſtituta , raraque pulchritudine decora : *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem :*) ſub nocturnis tenebris unica dumtaxat ancilla aſſociata , militum ſeſe manibus commiſit,de quibus Poëta canit : *Nulla fides , pietaſque viris,qui caſtra ſequuntur?* Quiſnam eo in ſæculo impudicitiæ magis immerſus erat Holoferne , ad cujus ipſa tentorium penetravit, quique,ut ſacer textus ait : *Statim captus eſt in oculis ſuis?* dicere ſufficiat,quod pluribus diebus cum manifeſto honeſtatis ſuæ diſcrimine cum Holoferne morata fuerit, donec tandem ei in lecto jacenti caput detruncavit : Et tamen quemadmodum ipſamet univerſæ Bethuliæ manifeſtum fecit : *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Unde S.Fulgentius in teſtimonium continentiæ ipſius ita ſcribit ; *Teſtimonio tam præclari operis apparuit , quantum Deo dilecta ſit continentia;Et tamen ſi pulchritudo concupiſcentiæ fomentum eſſe ſolet, & ſtimulus; Hæc eſt illa Judith , quæ cum eſſet formæ prodigium , extitit nihilominus miraculum caſtitatis.* At vero vultiſne ſcire, qua cuſtodia caſtiſſima hæc matrona hunc theſaurum conſervarit,de quo Apoſtolus ait : *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus , ut ſublimitas ſit virtutis Dei , & non ex nobis?* Nimirum præſentiam Dei præſenti ſemper memoria recolebat , hæcque ei contra fortitudinem ſcuti loco ſemper ſervivit. Unde ipſamet quoad hoc ſeſe juſtificando, magna cum animi anxietate dixit : *Vivit ipſe Dominus , quoniam cuſtodivit me angelus , & hinc euntem , & ibi commorantem , & inde huc revertentem , & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Præterea ut S. Ambroſius à Gloſſa ſuper illa verba : *Veſtem jucunditatis aſſumpſit &c.* citatus, inquit : *Veſtem jucunditatis , qua vivente viro veſtiri ſolebat , induit , quaſi placitura viro, ſi patriam liberaret , ſed virum alium videbat , cui placere quærebat, illum, de quo dictum eſt : Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.*

Ibid. v.17. — Judith.13.20 — S.Fulg.Ep.2 de ſtat. viduit. Salian. an. 3418.n. 11. — 2.Cor.4.v.7. — Judith. 13. v.20. — S.Ambr. in Gloſſ. lib. de viduit.

Luca 15. 12 Memoria hujus pręſentiæ convertit prodigum ab impudica vita ſua.

5. Quis umquam luto carnalitatis profundius immerſus fuit filio prodigo? *Adoleſcentior filius* vocatur ab Evangeliſta,idcoque ætas illum ad laſciviam ſolicitabat , libertas quoque poſt ruptum obedientiæ paternæ vinculum adepta , ad eamdem ſtimulos addidit prompta quoque pecuniæ occaſio ad laſciviam omnem aditum ipſi patefecit : *Da mihi portionem ſubſtantiæ , quæ me contingit . . . Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Et tamen tandem reſipuit , & emendatus cum lacrymis ad pedes patris ſui recurrit,ab eoque audire meruit ; *Cito proferte ſtolam primam*, quaſi jam certo quodam modo per emendationem & pœnitentiam priſtinam ſuam innocentiam,denuo recuperaſſet. Quiſnam vero ei ad hanc perfectam converſionem, & luxurioſæ vitæ ſuæ deteſtationem alius ſtimulus fuit, quam præſentiæ divinæ inchoatum exercitium? Dixit enim : *Surgam, & ibo ad patrem meum , & dicam : Pater peccavi in cœlum, & coram te , id. eſt , in divini Patris oculis*, prout S.Petrus Chryſologus exponit. Quonam modo famoſa illa , ſeu potius infamis meretrix Thais, quæ in urbe Alexandrina impudicitiæ ſuæ retibus innumeros illaqueabat , quonam inquam modo hæc à S. Paphnutio converſa, & ad talem pœnitentiam reducta fuit,ut omnia , quæ per abominabilem mercatum illum lucrata fuerat,in medio civitatis illius in rogum ingentem injecerit,& incinerarit?Nul-

Ibid. v.12. — Ibid. v.13. — Ibid. v. 22. — Ibid. v. 18. Chryſolog. ſerm. 2. — Sicut etiam Thais meretricem.

lo

lo alio medio S.Paphnutius hoc ab ipſa obtinuit,quam divinam menti ejus præſentiam imprimendo. Etenim ſanctus hic Eremita ſub ficto colore,& prætextu,ac ſi cum illa peccare vellet,domum ejus ingreſſus, ab ea in Cameram ſecretiſſimam,maximeque remotam deduci petijt, cumque ad aliam ſecretiorem deductus fuiſſet , nec hæc ei placuiſſet , eo quod à nemine videri vellet. Thais ei reſpondit , hoc in loco certo certius à nullo hominum videri poteris,quod ſi autem te ab oculis divinis ſubducere velis, nullus in tota hac domo reperietur angulus,hunc in finem ſatis occultus ; Deus enim ubique eſt,& ubique videt ; Cui Paphnutius ſubintulit,quod ſi Deus te ubique videt,qua fronte coram puriſſimis ejus oculis peccare audebis? Pergenſque ulterius, demonſtrando ei obſcœnitatum ſuarum coram oculis Dei commiſſarum enormitatem, tandem illam ad veram ſeriamque pœnitentiam,omnibus diebus vitæ ſuæ agendam comparavit, & induxit.

Luc 14. v.2. Impudici hydropico comparati, curantur ſi ſe ſtatuant coram Jeſu.

6. Apud S.Lucam cap.14. hæc verba leguntur : *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum , ipſe vero apprehenſum ſanavit eum.* Myſtice autem per hunc hydropicum ſacri Interpretes varias infirmitates ſpirituales intelligunt , Beda autem aptius ad præſens propoſitum per hominem illum hydropicum , virum carnalem & ſenſualem intelligit ; *Proprium enim eſt*,inquit , *hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius ſitire, & ideo recte comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat.* Gloſſa hydropiſis Etymologiam ſequentibus verbis inſinuat ; *Hydor aqua , inde hydropis , morbus aquoſus , ſubcutaneus , de vitio veſicæ natus ; Cum inflatione turgente, & anhelitu fœtido.* Hydropicus quanto plus bibit , tanto amplius ſitit , idem quoque accidit luxurioſis , De his enim Oſeas inquit : *Comedent, & non ſaturabuntur , fornicati ſunt , & non ceſſaverunt* ; ubi gloſſa interlinearis clarius inquit : *Vires fornicationum deficiunt , ſed deſiderium ardeſcit.* Poëta quoque ille de fornicarijs ita canit : *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Quonam vero modo Salvator noſter miſerum hunc hominem carnalis peccatoris typum ſanare decreverat? Evangeliſta ait : *Erat ante illum* ; Sed audiamus Theophylactum dicentem : *Hydropicus eſt omnis , qui per diſſolutam vitam , & lubricam,in anima ſua graviter ægrotat , qui & Chriſto indiget; Sanabitur plane , ſi ante Chriſtum fuerit , nam cogitans ſemper , quomodo ab ipſo videatur , minime peccabit.* S. Carolus Borromæus dum adhuc in ſtudio Ticinenſi,ſeu Papienſi juvenis exiſtens , ſtudiis operam daret , nec non poſtea quando Papæ regnantis ſecundum carnem nepos erat,in flore ætatis ſuæ vehementibus carnalis, delectationis ſtimulis impugnatus fuit , quemadmodum S.Thomas de Aquino,S.Bernardus,& S.Philippus Nerius ; Unde in ejus lectionibus dicitur : *Impudicas etiam mulieres ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immiſſas invicta conſtantia fugavit ; Purpura* enim, ut S.Bernardus ait , *non propulſat libidinem*, Et ſi verum eſt , quod S.Hieronymus ſcribit : Scilicet quod *in ſerico , & in pannis eadem libido dominatur* , quis majus libidinis incentivum habuit , quam S.Carolus, utpote qui in dignitate quadam majoribus cum delicijs quam quælibet alia conſtitutus erat ; Et tamen Vicarius Chriſti in Bulla Canonizationis ejus ad perpetuam memoriam hæc verba ſcripta reliquit : *Has omnes & ſequentes virtutes exornavit miram in modum caſtitate & pudicitia , quam in florenti etiam ætate , quamquam non leviter tentatus , illæſam fortiter defendit , ac diligentiſſime ſemper cuſtodivit.* Huic autem ſanctiſſimo Cardinali ſanctum hoc & utiliſſimum præſentiæ divinæ exercitium adeo familiare fuit,ut numquam illud intermiſerit , & ut ſuo loco dicemus, illud ipſum alijs quoque perſuadere ſategerit ; Ac proinde mirum non eſt,quod cum tam efficaci antidoto à tam blando veneno,quod etiam viros perfectiſſimos,niſi diligenter ſibi caveant,perſæpe contaminat,ſeſe præſervarit. Proto-Martyr Stephanus ex ſpeciali Dei privilegio ſpecie & vultu angelico fuit decoratus : *Viderant faciem ejus tamquam faciem angeli*,nemini autem ignota eſt ratio , quam S.Auguſtinus perhibet , dicens : *Præpoſitus fœminis teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis.* Advertendum eſt autem hoc loco , quod tametſi ſanctus hic protomartyr *faciebat prodigia , & ſigna magna in populo* , inter ſtupendiora nihilominus miracula,quæ patravit, hoc quoque recenſeri meretur , quod in florida ætate conſtitutus,cum ſexu adeo lubrico converſando, virginitatem ſuam illibatam conſervarit. *Majus enim miraculum eſt* , inquit S.Bernardus , *inter vehementes occaſiones non cadere , quam mortuos ſuſcitare.*

Beda Hom. 1. poſt Trin. — Gloſſ ibid. — Oſeæ 4.v.10. — Interlin. — Theophyl. ibid.

Varij recenſentur viri ſancti qui per memoriam divinę pręſentię ſtimulos carnis ſuppreſſerunt.

S.Bernard. Epiſt. 2. — S.Hieron. Epiſt.9. — Bulla Canon. §. 23.

Hoc ipſum aſſeritur de S.Stephano Protomartyre.

Act.Apoſt.6. v.15. — Ibid. v. 8. — S.Bern. ſer. 65.in Cant.

De S.Stephano teſtatur S.Auguſtinus inquiens : *Stephano & pulchritudo erat corporis,& flos ætatis* , & tamen Laurentius Juſtinianus hac eum laude deprædicat : *Angeli merito ſpeciem portendebat in facie, qui illorum puritatem geſtabat in corde.* Vultiſne autem ſcire , quonam modo lilium hoc virginitatis illibatum ſemper conſervarit? Nimirum continuo oculos ſuos in Deum defixos habebat, divinamque mente ſua ſemper recolebat præſentiam , ac proinde jure meruit,ut tandem ei Chriſtus in limine paradiſi viſibiliter appareret: *Ecce video cœlos apertos,& Jeſum ſtantem.*

B. Laurent. Juſtin. — Act. Apoſt. 7. v.55.

Exercitium divinæ pręſentiæ carnalem concupiſcentiam reprimere probatur inſigni exemplo.

7. Enimvero quod exercitium præſentiæ divinæ adverſus concupiſcentiam carnalem potentiſſimum frænum ſit, ſequens convincit argumentum. Nullus enim quantumvis impius, adeo eſt impudens & inverecundus , ut peccata obſcœna in præſentia aliorum committere audeat,multo minus igitur idipſum audebit , qui ſupremam Altiſſimi Majeſtatem ex induſtria per lumen vivæ fidei præſentem agnoverit. S. Ephrem Syrus in cella ſua herbas quaſdam legens, & mundans vidit laſcivam quamdam fœminam per feneſtram cellam ſuam introſpicientem,quæ ut illum ad illicita permoveret,interrogavit eum,an quidpiam ei deeſſet, qui reſpondit illi,calcem ſibi deeſſe,& lapides quibus feneſtram illam obturare & claudere poſſet;Petulans vero mulier non ceſſabat verborum blanditie illum ad illicita ſolicitare , proteſtando quod inde receſſura non eſſet , niſi ejus obtinuiſſet conſenſum ; Cui Ephrem reſpondit : Agedum igitur contentus ſum,& condeſcendo ad tecum peccandum , cum hac tamen conditione,ut in poteſtate mea ſit eligere locum,ubi peſſimæ tuæ concupiſcentiæ ſatisfacere poſſim,locus autem hic alius non erit, præterquam urbis Edeſſæ publicum forum. Cumque illa hunc locum repudiaret , eo quod tantam nollet ſubire confuſionem in conſpectu omnium hominum peccando , S.Ephrem confeſtim ſubjunxit: Tu,hominum times præſentiam,nec tamen in conſpectu angelorum, imo ipſiuſmet Dei peccare verecundaris? An ignoras Deum ubique locorum præſentem , cunctorumque operum tuorum ſpectatorem eſſe? Quæ verba impellente cor ejus Spiritu Sancto eam ad compunctionem , veramque perduxerunt pœnitentiam,adeo ut deinceps caſtam omnino & ſanctam egerit vitam. Optime igitur monet Chryſoſtomus inquiens : *Ne majoris faciamus timorem hominum , quam indignationem Dei , ſed memores ſimus ſemper verborum Joſeph dicentis : Quomodo faciam verbum hoc malum , & peccabo coram Deo?* Sola S. Caroli Borromæi in urbe Ferrarienſi præſentia effecit , ut tempore Bacchanaliorum , quando homines per diſſolutiones, & inſolentias quam maximè evaneſcunt, cuncti ad modeſtiam & pietatem ſe receperint , ingenſque Bacchanaliorum vexillum , quod pro indicendis bacchanalibus Ferrariæ erigi ſolet, è medio foro ſubmotum fuerit ; Idem quoque Venetijs præſtitit , ubi feria quinta Dominicam Quinquageſimæ antecedente homines in tanta frequentia ad peccatorum exomologeſin, & Sacræ Euchariſtiæ communionem accipiendam permovit , ac ſi communio generalis ſub præcepto indicta fuiſſet ; Totoque die illo,quo S.Carolus ibidem commoratus fuit, ſumma fuit in univerſa urbe modeſtia, adeo, ut ne vel unicus larvatus , aut larva in vaſta illa civitate viſa fuerit. Quod ſi vero hoc efficere potuit præſentia hominis alicujus , ut ſcilicet integri alicujus & numeroſiſſimi populi coërceretur petulantia,vanitas & diſſolutio : Quanto efficacius idipſum merito præſtare deberet divinæ præſentiæ conſideratio mente agitata? Ingenioſa pariter & utilis eſt illa à S.Ambroſio ſuper illa verba: *Non eſt enim vir in domo mea*,facta conſideratio; Ait enim : *Merito virum ſuum dicit abſentem, quoniam non poteſt adultera omnis Chriſtum habere præſentem.* Apud S. Jobum dicitur : *Oculus adulteri obſervat caliginem dicens : Non me videbit oculus.* Cui conſonat textus ille Eccleſiaſtici dicentis : *Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum , contemnens in animam ſuam,& dicens : Quis me videt?* Et, *Tenebræ circumdant me,& parietes cooperiunt me , & nemo circumſpicit me , quem vereor?* Ex quo loquendi modo evidenter deducitur , nullum libidinoſum adeo futurum eſſe procacem,& inverecundum, ut in conſpectu aliorum hominum brutalibus voluptatibus vacare præſumeret;Unde ſequens *à minori ad majus* formare licet argumentum: Si præſentia hominum inverecundos peccatores à peccato coërcet ; Quanto magis ab eodem nos refrænabit, ſi cogitemus cuncta opera noſtra ab angelis curiæ cœleſtis , imo & ipſomet Deo perfecte & accurate ſpectari,& obſervari.

Chryſoſt. Hom. 62. in Gen.

Quid pręſentia S. Caroli Borromæi effecerit Ferrariæ & Venetijs tempore Bacchanaliorum.

S.Ambr.lib. 2. Apolog. David. — Job 24.v.15. — Eccli.23.25. — Ibid. v.26.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Præsentia Dei à nobis considerata ad nos ab omni peccato refrænandos multum conducit.

THEMA.

Deus in medio ejus non commovebitur. Ps.45.ỹ.6.

Exercitium præsentiæ divinæ potenter coërcet nos à peccando.

1. INnumera quidem à Præsentiæ divinæ exercitio derivantur bona, specialiter autem proficuum est hoc exercitium, ut hominem à divinis offensis coërceat; Ac proinde Psalmista de anima quadam cui sanctum hoc exercitium familiare est, loquens ait: *Deus in medio ejus, non commovebitur;* Et subdit: *Adjuvabit eam Deus.* Apud S. Joannem cap. 6. procellosa quædam in mari exorta fuisse tempestas legitur; *Mare vento magno flante exurgebat.* At vero quonam modo procellosum hoc pelagus tranquillitati suæ pristinæ restitutum fuit? Nimirum *vident Jesum ambulantem supra mare, & proximũ navi fieri; Dicit eis, ego sum.* Circa quæ verba S. Cyrillus Alexandrinus ita scribit: *Conturbabat tenebrarum multitudo, & conturbabat nimia vis ventorum, & quod plus timoris inferebat, Christus non aderat.* Enimvero præsens hæc vita in Scriptura Sacra mari assimilatur: *Hoc mare magnum, & spatiosum;* Porro syrtes, scopuli, venti contrarij, procellosæ tempestates, naufragia, monstraque marina mystici hujus maris, inordinatæ nostræ sunt passiones, vitia & peccata nostra, quæ mare præsentis vitæ omnino conturbant, & susque deque vertunt; Ad tranquillandum vero mare istud nihil aliud, quam præsentia Dei serio recogitata exigitur. S. Cyrillus præfatus ait: *Quàm utilissima dispensatione ad idem omnia concurrunt, quibus compelluntur Discipuli ardentius Salvatorem invocare.* Apud eumdem S. Joannem in eodem capite 6. ỹ.21. dicitur: *Voluerunt ergo accipere eum in navim,* scilicet ne à conspectu ipsorum fugeret, sciebant enim instabile illud elementum per cœlestis magistri sui præsentiam subitò tranquillandum esse. Unde & Seneca moralis in epistola quadam ad propositum nostrum ita scribit: *Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat.* Longe autem magis omnis legem Dei transgrediendi amputabitur occasio, si Deum nobis consideraverimus assistentem, qui suo tempore non solum transgressionum nostrarum oculatus testis, verum etiam inexorabilis Judex futurus erit.

Joan.6.v.18. — Ibid.v.19. — S.Cyrill Alex lib.3 cap.22 in Joan. — Ps.103.25 — Joan.6.21. — Seneca Epist. 11.

S Petrus supra mare ambulans submergi nõ timebat quamdiu oculos defixos habebat in Christum. Matth. 14. v.30.

2. Apud S.Matthæum de S.Petro legitur, quod viso Christo animose è navi exiliens, super maris undas gradiendo ad Christum properarit, & in principio quidem animose progressus, mox vero à procelloso pelago perterritus, animo despondèrit: *Videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac, & continuo extendens manum suam apprehendit eum.* At vero quænam est causa, quod elementum istud, quod antea S. Petrum vorticibus suis inambulantem sustinuerat, postea eidem rebellarit? Pro responsione observandum, quod quamdiu oculos suos in Christum defixos habuit, extra omne periculum positus fuerit; Dicente S.Ambrosio: *Dum Christum respicit, non respicit elementum.* At vero postquam oculos suos à divino Magistro suo avertens, in ventos defixit, subito cor ejus timore perculsum fuit: *Videns vero ventum validum, timuit.* Antea imperterritus, omnisque timoris expers fuit, tunc videlicet, quando *non videbat, ubi pedum vestigia poneret, videbat autem ubi poneret vestigium charitatis.* De impijs S.Job ait: *Bibunt quasi aquam iniquitatem;* Ac si diceret, in aquis iniquitatum suarum ad fauces usque submerguntur. At vero quonam remedio hæc adeo damnosa in peccatis submersio averti poterit? Si nimirum seriæ meditationis oculos in Deum defigamus, eumque nobis præsentem esse consideremus. P. Alvarez *de vita spirituali & ejus perfectione* scribens, authoritatem adducit Cassiani collat.9 cap.3. de sancto & utilissimo hoc exercitio ita scribentis: *Jugulum est omnis peccati, fons universæ virtutis.* S.Ignatius Martyr in Epistola quadam ad *Heronem* ait: *Memento Dei, & non peccabis:* Præ cunctis vero alijs S. Hieronymus clarioribus verbis indicat, quod Deum omnibus operibus nostris præsentem cogitare, efficacissimum adversus omnia peccata frænum existat; Ait enim: *Memoria Dei excludit omnia flagitia.*

S. Ambros. serm. 47. — Ibid. v.30. — Job 15.16. — Alvarez p.2.l.3.c.19. — S. Ignat. Mart. ad Her. Epist. — S.Hier. l 7. in Ezech. cap.22.

3. In discursu præcedenti hydropicum illum, qui ante Salvatorem nostrum collocatus fuerat (*Homo quidam hydropicus erat ante illum*) hominem carnalem & luxuriosum symbolice præfigurasse diximus; Dionysius Carthusianus autem in hac hydropisis infirmitate septem notat peccata & vitia capitalia, dicens: *Septem ponuntur proprietates hydropici, per quas septem peccata mortalia denotantur. Prima est tumor corporis, & membrorum, per quem significatur superbia, juxta illud Job: Quid tumet contra eum Spiritus tuus? Secunda est compressio spirituum, per quam significatur invidia, quæ aliorum laudabilia comprimit, ne pandantur. Tertia est, ardor sitis, quæ significat avaritiam. Quarta est indigestio humorum, quæ iram significat. Quinta est pigritia, seu tarditas pedum, per quam notatur acedia. Sexta est genitalium inflatio, qua significatur luxuria.* Septima in authore non reperitur; idque ut credibile est, per errorem typographi. Observandus vero est modus, quo hæc hydropis, quæ omnium præfigurabat vitiorum congeriem, sanata fuerit; Dicit enim sacer Evangelista: *Erat ante illum,* id est, ut ex sententia Theophylacti diximus: *Qui ante Christum fuerit, cogitans semper quomodo ab ipso videatur, minime peccabit.* S. Basilius Magnus ait; *Quis unquam eorum, qui credunt Deum omni in loco esse, & rebus quæ fiunt, interesse, ac adesse unicuique actioni; voluntates cordium perspicere, aut cogitationem pravam suscipiet, aut scelera patrabit?* Unde Epicuræi Dei negabant præsentiam, & providentiam, ne ejus qui omnia videt, omniaque ad se, utpote qui totum universum gubernat, & judicat, pertinere arbitratur, diu noctuque formidare cogantur. Marcus Tullius in libro primo *de natura Deorum* ita scribit: *Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotij Deum?* Hoc vero quod Tullius de falsis Deorum Numinibus scripsit, multo magis de Deo nostro, vivo, & vero dicendum venit, utpote qui propter immensitatis suæ attributum in omni loco necessario præsens existit. Verum quidem est, quod si Deus se aliquo attributorum suorum exuere posset, utique se hoc immensitatis, & ubiquitatis attributo privaret, quando peccamus, ne præsens esse cogatur injurijs, quibus à nobis afficitur, & sordibus, quibus (quantum est ex parte nostra) illum contaminamus, de quo Sapiens ait: *Candor est lucis æternæ, speculum sine macula.* Felices profecto futuri essemus, si saluberrimo obtemperaremus S. Paschasij consilio, dicentis: *Si vis salvari, velim sic te agas, ut Deum præsentem semper, ubique intelligas, & sic coram ipso verseris, ut in nullo majestatis ejus oculos offendas.*

Luc.14.v.2. — Dion. Carth. In hydropico septem notantur proprietates septem peccatorum capitalium. — Quomodo hydropicus Evangelicus sanatus fuerit. — S.Basil. de precat. operat. — Cic.l.1. de Nat. Deorum. — Sap.7.v.26. — S.Paschas. lib.de Corp. & Sang. Chr. cap.21.

4. Regius Propheta interrogat: *Usquequo peccatores Domine, usquequo gloriabuntur? Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injustitiam. Populum tuum Domine humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt, Viduam, & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt;* At vero scitisne quonam asylo protecti hæc omnia committere ausi fuerint? *Et dixerunt, non videbit Dominus.* Audiamus hac de re S. Augustinum ita scribentem: *Respondent, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injustitiam.* Quid loquentur, nisi *contra Deum, qui dicunt: Quid nobis prodest, quia sic vivimus? quid dicturus es? Vere curat ista quæ facimus, Deus? Quia enim vivunt, putant Deum nescire, quod faciunt. Vide quid mali illis contingat, quasi stationarius sciret, teneret illos, & ideo vitant oculos stationarij, ne statim teneantur, oculos enim Dei vitare nemo potest, quia non solum in cubiculo videt, sed & intima cordis tui; Cogitent & ipsi, quia non potest latere Deum.* Idque adeo verum est, ut Doctor gentium in Athenarum Areopago, ubi plures degebant Græciæ Sapientes, Deum in omni loco præsentem esse magna cum energia prædicans, celeberrimam hanc statuerit conclusionem: *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Qua de re S. Gregorium audiamus ita scribentem: *Cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostendit, quod ipse sit circumquaque in cunctis rebus, quas creavit. Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia ipse supra omnia, ipse infra omnia. Et superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans.* Enimvero omnes quotquot sumus homines, non solum in Deo sumus sicut pisces sunt in aqua, verum etiam ipse in nobis est, quemadmodum intra corpus hoc nostrum anima nostra; *In ipso vivimus,* quia ipse vitam, motum, calorem, omnemque aliam operationem

Psal.93.v.3. 4. & 5. — Impij ut liberius peccent, credunt se à Deo nõ videri. — Ibid. v.6. — Ibid. v.7. — S August. ibid. — Act. Apost. 17 v.28. — S.Greg.l.2. Mor. c.8. — Nos sumus in Deo, & ipse est in nobis.

tionem nobis subministrat; *In ipso... movemur, & sumus.* Non enim subsisterent, aut conservarentur creaturæ, nisi Deus illis præsens adesset. Sanctus Dionysius Areopagita, qui audito prædicto S. Pauli Apostoli axiomate relicto gentilitatis errore ad Deum se convertit; de hac immensitate, & præsentia Dei in cunctis creaturis visibilibus, & invisibilibus differens, inquit: *Collocat, fundat, & circumstringit omnia in seipso.* Quod si igitur quis serio cogitaret, quod Deus ipsum videat, & auscultet ubique, atque non solum in cunctas ejus operationes, verum etiam cogitationes, maximeque intimas imaginationes ipsemet præsens interveniat, qua ratione adeo temerarius esse poterit, ut eum in faciem mortaliter offendere, & injuria afficere præsumat? *Tunc demum,* inquit Basilius Magnus, *Homines ad scelera edenda descendunt, cum aut Deum non inspicere, aut illi cura non esse ea, quæ hic geruntur, autumant.* S. August. in soliloquijs suis his Deum verbis affatur: *Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es; ut quocumque iero, inveniam te.*

Act.17.28. — S.Dion. Areop. de div. nom.c.13. — S.Basil. ibid. — S.Aug soliloq. c.14.

Virtus modestiæ & compositio morum comparatur, per hoc exercitium præsentiæ Dei.

5. Ad virtutem modestiæ pertinet, motus nostros interiores & exteriores componere & regulare; ac proinde hac virtute caret, quisquis in cujusvis sceleris barathrum sese præcipitem agit, hic enim efficitur impudens, omnique amissa verecundia omne frænum dirumpit, juxta illud: *Cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* At vero quonam modo hæc virtus conservari poterit. Modum hunc S. Paulus insinuat dicens: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est;* Modestia igitur; recolendo Dei præsentiam conservatur. Unde S. Basilius Magnus alio in loco sequentem movet quæstionem: *Quomodo poterit aliquis non irasci? Et respondet, nempe si illud existimet, Deum quæ agat omnia animadvertere, eumque assidue ob oculos habeat, & tamquam in speculo contempletur. Quis est enim alterius potestati subjectus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus sit unquam eorum, quæ ipsi non placent?* Hugo Card. super illum Psalmistæ textum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, &c.* sequentem adducens Proverbiorum locum: *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus illius considerat;* subjungit: *Et hoc retrahit à peccato;* Moxque illud subnectit Distichum:

Cum quid turpe facis, quod me spectante ruberes,
Cur spectante Deo, non magis ipse rubes?

Nos in domibus nostris Deum in præsentia domesticorum nostrorum, etiam servorum offendere erubescimus, & idipsum in oculis ipsiusmet Dei facere non verecundabimur? *Oportet domi Parentum, & famulorum pudore affici,* inquit in Pædagogo suo Clemens Alexandrinus, *In vijs autem eorum qui fiunt obviam, in solitudine sui-ipsius, ubique autem verbi, quod est ubique;* S. Ambrosius hominem quemdam qui in procinctu est, ut voluptatem carnalem admittat, seque à nemine videri contendit, considerat inquiens: *Erubescens testimonium erroris, qui non erubescit errorem, ac si quem forte spectatorem cognoverit, facinoris sui verecundia sequestrat intemperantiam;* Id vero quod sequitur merito vultum nostrum rubore verecundiæ, cor vero confusione replere deberet; Mox enim subnectit: *Quanto magis si quis allevet mentis oculos, & consideret plena esse Angelorum omnia, aëra, terras, mare, Ecclesias, concepto potest renunciare peccato?* Moxque sequens subdit irrefragabile argumentum: *Hominem vereris præsentem, Dei Patris, & Filij non vereris præsentiam? Sed non vis credere, ne possis cavere; Non vis audire, cum legitur, quia Deus novit occulta hominum, ne incipias scire quod timeas, & timere ne pecces.*

Prov.18.3. — Phil.4.v.5. — S.Basil in reg.brev. Interrog. 29. — Ps.15.v.8. — Prov.5.21 — Hug.Car. ib. — Clem. Alex. lib. 3. Pædag c.5. — S.Ambr. in Ps.118.Oct.1

Notabile exemplum ad hoc propositum faciens.

6. S. Gregorius Nazianzenus de Adolescente quodam refert, quod cum in domũ suam fœminam quamdam admisisset lascivam, hæc in cubilis ingressu oculos elevans, super ostio quodam collocatam observavit Polemonis viri serij, modesti, & gravis effigiem, unde suspicata adolescentem illum dicti Polemonis profiteri academiam, statim ex respectu, & veneratione Philosophi illius pedem retulit, nullamque corporis sui fruendi potestatem dissoluto illi adolescenti indulgens, in domum suam se contulit. Eheu quot Christianos hujus meretricis actio in die judicij condemnabit? *Hominem vereris præsentem, Dei Patris & Filij non vereris præsentiam?* Si porro meretrix, quæ omnem amisit & deposuit erubescentiam, solum in mente vel memoria hominem recolendo mortalem & gentilem, nec tamen actualiter præsentem, à peccato destitit, quam à peccato hominem fidelem frænandi efficaciam, habitura erit, vera divinæ & supremæ majestatis, menti nostri obversans præsentia?

7. S. Ambrosius super illa Psalmistæ verba: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur,* ita scribit: *Plerisque enim justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est.* Audiamus consilium Senecæ dicentis: *Sic fac omnia, tamquam spectet aliquis. Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis judices. Hoc siquidem longe magnificentius est; sic vivere, tamquam sub alicujus boni viri, ac semper præsentis oculis. Sed ego etiam hoc contentus sum, ut sic facias quæcumque facies, tamquam spectet aliquis.* Huc quoque spectant sequentia D. Chrysostomi verba consideratione dignissima; Ait enim: *Hoc universum orbem conturbat, quod ad homines respicientes omnia agimus, & despecto Deo homines formidamus; Præsente quidem homine nemo voluerit scortari, vincitur tyrannis vitij à pudore hominum; Deo autem vidente non solum adulterium admittitur, & scortatur; sed etiam multa alia graviora multi admittere ausi sunt, & audent.* Cajetanus super illa Dei verba ad Abraham pronunciata: *Ambula coram me, & esto perfectus,* ita scribit: *Cum nulla sit efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quam ambulare ante faciem summi Principis.* Propheta Regius dum interiori lumine à Deo illustratus peccati sui agnovit gravitatem, pœnitenti animo in hæc verba prorupit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci;* Nimirum tunc, & non antea, hanc veritatem agnovit, seu, ut melius dicam, exercuit; Ac proinde adeo vehementer de commisso scelere lamentatus fuit, prout D. Chrysologus in hæc verba considerat: *Sentit quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu, & ideo clamat: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; Unde & iste adolescentior:* (de filio prodigo loquitur:) *vociferat, & clamat: Peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Ps.118.64. — S.Ambros.ib. — Senec.Ep.25. — Carpuntur qui erubescunt peccare coram hominibus, & non coram Deo. — Chrysost. Hom.11. in 1. ad Cor. — Gen.17.1. — Cajet. ibid. — Ps.50.v.6. — Chrysol. ser.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Consideratio divinæ Præsentiæ ad perfectionem cooperatur.

THEMA.

Ambula coram me, & esto perfectus. Gen.17.ỹ.1.

Consideratio divinæ præsentiæ extimulat ad perfectionem.

1. CUm increata Sapientia Abrahamum, toti mundo, cunctisque futuris seculis tamquam primum credentium Patrem, simulq; toti generi humano eumdem velut omnis veræ virtutis & perfectionis prototypum & exemplar ab omnibus imitandum proponere & constituere decrevisset, modum eidem insinuavit, quo ingentem hanc dignitatem comparare sibi posset, ait enim: *Ambula coram me, & esto perfectus;* Ubi Septuaginta legunt: *Complace coram me;* Chaldæus vertit: *Servias coram me.* Cajetanus exponit: *Profice in studio, ac actionibus tuis, tamquam ambulans ante oculos meos.* P. Franciscus Arias è Societate Jesu devotissimus Scriptor, vitæque spiritualis magnus director in libro *de profectu spirituali* circa finem in Prooemio Tractatus *de Præsentia Dei* ita scribit. Quemadmodum Dominus aliquis, qui omnium facultatum suarum rationes examinat, & perquirit, ut easdem bene & fructuosè pervidere queat, post distinctè recensita varia magni valoris & pretij puncta, quodlibet latus seorsim summatim complectitur, in fine autem summam quamdam generalem, quam summam summarum vocant, conficit, in quam solam laterales summæ omnes compendiosè restringuntur; Ita quoque nos postquam in hoc libro multa & varia ad progressum spiritualem ordinata media descripsimus, distinctèque & copiose exposuimus, tandem in fine libri exercitium quoddam reponimus, quod veluti summa est omnium aliorum, in quo velut in brevi quodam Epilogo omnia alia comprehenduntur; Hocque exercitium in eo consistit, quod per illud Deum nobis semper præsentem firmiter apprehendamus, oculis animæ ipsum respiciendo, & advertendo, qualiter ipsemet nos quoque sibi præsentes habeat, nosque per hoc quod omnia cordis nostri desideria & affectus ad ipsum defigamus pater, custodiat. Hactenus Arias.

Cajetanus.

2. S. Bernardus illum Canticorum textum exponens: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens, &c.* ostendit qualiter obtutus ille, quem Deus super nos constanter defixum habet, ad nostram quoque perfectionem plurimum cooperetur; ait enim: *Respectus*

Cant.2.9 — Abraham docetur quo medio ad perfectionem

perveniat per exercitium præsentiæ divinæ.

ejus profectus tuus. Notandum quoque est,quod ipsemet Deus immediate,non vero mediantibus hominibus,vel Angelis Abrahamum hunc perfectionis acquirendæ modum docuerit ; Ait enim sacer textus: *Postquam vero nonaginta & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, Dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Porro *ambulare* juxta significatum linguæ hebraicæ idem est quod *vivere*, siquidem via nostra nihil est aliud, quam continua quædam ad mortem tendentia, ac proindè viatores appellamur; Unde *ambula coram me*, idem significat,ac si diceret, *vivas in præsentia mea*, me semper tibi præsentem considerando. Quod vero Abraham idipsum fideliter executus fuerit, certissimum est, siquidem cum die quadam seniorem numerosissimæ familiæ suæ servum in Mesopotamiam ad seligendam Isaac filio suo sponsam decrevisset mittere,eidem inter cætera dixit : *Vivit Dominus in cujus conspectu ambulo.* Hoc idem actualis præsentiæ Dei exercitium Isaac filio suo velut opulentam quamdam hæreditatem post se reliquit; Qui idem exercitium in Jacob transmisit, prout ex c. 48. Genesis clarè deducitur, cum enim benedictionē filijs suis impertiturus esset,hæc inter alia verba protulit : *Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres nostri Abraham, & Isaac.*

Gen.17.v 1. *S.Bern.serm. 56.in Cant.* *Gen 48. 15*

Hoc exercitio usi fuerunt ad eumdem finem varij sancti viri V. T.

3. Verum enimvero possumus & alios Veteris Testamenti Sanctos in medium adducere,qui per eamdē viam,eminentissimā assecuti sunt sanctitatem. Etenim Josephus Hebræus de innocente Abel hoc perhibet testimonium: *Quod in omnibus quæcumque regebat, Deum censebat esse præsentem.* De Enoch Spiritus veritatis non semel,sed sæpius hæc verba repetit : *Ambulavit Enoch cum Deo : Ambulavitque cum Deo, &c. Et non apparuit, quia tulit eum Deus.* De Noë idem in discursu quarto fusius probavimus. Et vero ex quo Ly *ambulare* idem in Scriptura significat,quod *gressus facere*, certum est, quod unusquisque gressus suos regularissime mensuraturus sit,si Deum ipsum considerare, observare, gressusque illius dinumerare firmiter sibi persuaserit; Ac proinde de viro justo scribitur : *Rectus callis justi ad ambulandum.* Job ipsiusmet Dei testimonio, neminem in toto universo sibi in innocentia & sanctitate parem habuit ; *Numquid considerasti servum meum Job*, inquit Deus, *quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* At vero vultisne scire, quanam via & modo hic Propheta perfectionem adeo raram,nec hactenus umquam in sacris litteris lectam vel auditam sibi comparaverit ? Loquatur ipsemet, veritatique testimonium perhibeat ; Etenim in c. 31. de se inquit : *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat ?* Audiamus verba hæc exponentem S. Gregorium & dicentem : *Quid viarum nomine nisi actiones denunciat ? Hinc enim per Jeremiam dicitur : Bonas facite vias vestras, & studia vestra* Quid vero gressuum appellatione, *nisi vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum ?* Hujus autem augmenti meritorum, hujusque in virtutibus progressus divina præsentia à S. Job serio recogitata unicum instrumentum erat; Ac proinde prædictus sanctus Pontifex subjungit: *Sancti viri tanto se subtilius in cogitatione constringunt quanto se à superno judice districtius considerari conspiciunt.*

Joseph Hebr. l.11. antiq. c 4. Gen.5. v.22. *Isa.26. 7.* *Job.2. v 3* *Job.31. 4.* *S.Greg l. 21 Mor. c.4.*

Hoc ipsum exercitium suadet S.Paulus suo Timotheo. *1.Tim.4. 7*

4. S. Paulus Discipulo suo sancto Timothæo Episcopo Ephesino sequens transcripsit documentum : *Exerce teipsum ad pietatem, nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est.* S.Bernardus *ad fratres de Monte Dei*, per Ly *Pietas* actualem *Dei præsentiam* intelligit, utpote quæ omnibus alijs operibus virtuosis,in quibus umquam exerceri possumus, æquivalet ; Hicque forsitan est notabilis illius propositionis à Clemente Alexandrino in Pædagogo suo dictatæ sensus,dum ait: *Hac solam ratione fit, ut quis numquam labatur, si Deum sibi-ipsi semper adesse existimet.* Frequentia quidem Sacramentorum,nec non verbum Dei, oratio, eleëmosynæ, macerationes corporales, jejunia,mortificationes,cunctique alij Pœnitentiæ actus,optima sunt ad perfectionem acquirendam & conservandam media, at vero Deum sibi semper præsentem habere,in comparatione aliorum omnibus quasi præponderat: Etenim austeritates corporales corpus quidem refrænant, & coërcent, at vero divinæ Præsentiæ consideratio frænum quoque est animæ,quę primum mobile est, à quo cunctæ operationes nostræ tam internæ,quam externæ dependent.

Clem.Alex. Pædag. l. 3. cap. 5.

Ex hoc exercitio pullulant variæ virtutes.

5. Hoc quoque sanctum exercitium consequi solet praxis multorum actuum, Amoris Dei, reverentiæ, obedientiæ, conformitatis, modestiæ, patientiæ,alijque similes permulti. Unde *ambula coram me & esto perfectus*, idem significat,ac si diceretur, *& eris perfectus.* M.Tullius de Thalete Milesio,qui unus ex septem Sapientibus Græciæ fuit,disserens, illum dicere solitum fuisse inquit : *Homines existimare oportere, Deos omnia cernere, & Deorum esse plena omnia, & ita fore omnes meliores, si Deo teste & spectatore, se agere omnia censerent. Omnem virtutis Philosophiam hoc uno verbo sapientissimus vir complexus est.* Seneca quoque solo naturali lumine collustratus sui temporis gentiles sequenti Catholica veritate instruebat: *Quid enim prodest ab homine aliquod esse secretum ? Nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, & cogitationibus medius intervenit.* Et quidem si ipsemet Seneca doctrinam hanc quam alijs insinuabat,operibus est executus,nil mirum est,si vir tam raris virtutibus, decoratus evaserit,prouti ex ejus libris clarè satis apparet.

Senec. Ep.83

Notabile exemplum de S. Dorotheo & Dositheo.

6. De S. Dorotheo legitur, quod cum Dositheum adolescentulum nobilem,qui antea vitam egerat dissolutam & militarem,in disciplinam suam assumpsisset, ut eumdem in via perfectionis expedite gradiendi modum doceret,sequens ei præscripserit documentum: *Numquam corde tuo Deus excidat, cogita semper Deum tibi præsentem, & te coram illo stare.* Per cujus doctrinæ praxin prædictus Dositheus intra quinquennium tales in spirituali vita progressus edidit,ut post mortem suam à quibusdam monachis in paradiso cœlesti visus fuerit,tam præstanti diademate coronatus,ut austerissimis quibuscumq; anachoretis, qui cum ad illud usque tempus in Thebaide vixerat,nequaquam inferior videretur. M.Tullius in Epistola quadam ad Q.Ciceronem fratrem suum transmissa, eidem modum tradit, quo in virtutibus egregiè proficere possit, hunc nimirum, ut se semper in oculis Tullij stare,& operari crederet ; *Id facillime facies*, inquit, *si me tui semper unice placere voluisti, tecum semper esse putabis, & omnibus rebus quas dices, & facies, interesse.* Quod si igitur præsentia Magistri alicujus qui timetur, vel superioris cujusdam vigilantis, aut alicujus servi Dei magna exemplaritate conspicui, sæpe stimulum in virtutibus proficiendi hominibus addit, quanto majus ad perfectionem acquirendam subsidium conferet præsentia Dei serio recogitata,Philo de Essæis ita scribit : *Perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quam imagines divinarum pulchritudinum, & sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias.* Michæas Propheta pariter modum indicat,quem Deus ab illis observari volebat,qui in via perfectionis ulterius proficere desiderabant ; Ait enim : *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te ; Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Propheta regius, ipsomet Deo teste *vir secundum cor Dei* fuit : *Inveni hominem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* ; Hic inquam de se gloriatur dicens : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ* ; At vero vultisne videre, qualiter ad hunc finem assequendum Præsentia Dei tamquam medio usus fuerit ? In Psalmo quinto ait: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Salomon filius ejus, qui diuturno tempore adeo sapiens, adeoque à Deo dilectus & privilegiatus extitit,eo quod cor suum semper ad eumdem direxerat,hisce Deum verbis affatur: *Tu fecisti cum servo tuo David Patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, & justitia, & recto corde tecum*, quod testimonium Davidi patri suo merito perhibuit, siquidem hic dicere solitus fuerat : *Providebam Dominum in conspectu meo semper* ; Huicque divinæ præsentiæ exercitio Davidem toto pectore incubuisse, & multis alijs Sacræ Scripturæ locis clarè colligitur : *Oculi mei semper ad Dominum* ; *Effundo in conspectu ejus orationem meam* ; *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, *Servavi mandata tua, & testimonia tua* ; Cujus ratio est : *Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Philo de vit. contempl. *Mich.6.v. 8*

David homo secundum cor Dei,semper ambulavit in conspectu Dei.

Act.Ap.13 v.22. *Psal.100. 2* *Psal.5. v.9* *3 Reg.3.v.6* *Ps.15.v.8* *Ps.24.v.15* *Ps.141.v.3* *Ps.18.v.15* *Ps.118. 68.* *Ibid.*

Documentū S. Caroli Borromæi ad stabilem sanctitatem perveniendi.

7. Celebre est illud à S.Carolo ad veram & stabilem sanctitatem fundandam traditum documentum,videlicet : Qui in via Dei continuos vult facere progressus semper debet incipere,id est,cum illo fervore Deo debet servire,ac si qualibet die primo inciperet, debet item ambulare in actuali præsentia Dei,Deumque solum omnibus operibus suis præfigere finem S.Apostolus Romanis declarare volens, cujus indolis esse debeant in hac præsenti vita,qui ad gloriam sunt prędestinati,eosdē adeo perfectos esse volebat,ut vel ipsimet æterni Patris unigenito similes essent,dicit enim :

Quos

Rom.8. 29 *Ps.83.v.10.* *Exod.25.40.*

Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. At vero quonam modo electi hoc Apostoli intentum cum facilitate assequi poterunt? *Respice in faciem Christi tui*, suadebat David ; *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte*, ut in Exodo dicitur. Porro pictor vel sculptor aliquis postquam ob oculos suos prototypon quoddam statuit, juxta quod suam debet effigiare imaginem, in illud continuo suos defigere oculos non desistit,ut tanto perfectius illud imitetur:Idem quoque facere debet Christianus; *A Christo enim dicti sumus Christiani*,ut inquit S.Bernardus *nonne igitur ea via qua Christus ambulavit, & nos debemus ambulare? Quid proprium Christiani?* interrogat Basilius Magnus,& respondet: *Providere Deū in conspectu suo semper.* In Exodo præceptum quoddam populo Hebræorum : (In cujus locum populus Christi fidelis substitutus fuit) impositum fuisse legitur, hoc videlicet : *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*, In Hebræo dicitur : *Panes facierum.* Et hoc quidem nomine juxta opinionem Cajetani, appellabantur dicti panes, quia multas habebant facies,nec non in tali numero erant, quod omnes præfigurarint duodecim Israëliticas tribus, quasi Deus per hoc insinuare voluisset, quod Deum continuo cogitare debeant præsentem,ac si visibiliter ab illo viderentur. En verba Cajetani : *Juxta Hebræum habetur : Et dabis super mensam panes facierum. faciebus meis duodecim panes juxta numerum filiorum Israel, singulis Sabbathis renovati. Quare appellentur panes facierum, non facile patet : Forte notati erant faciebus, seu characteribus duodecim filiorum Israel, ita ut jugis esset quasi assistentia filiorum Israel coram Deo, & ita denominatione extrinseca denominarentur panes facierum à divina facie, erant enim semper tamquam ante faciem Dei. Omnia in figura contingebant illis* ; Tametsi enim verum sit, quod in nova lege gratiæ duodecim hi panes in mensa propositionis non amplius exponantur, attamen exponitur quotidie in mensa altaris, panis ille, qui de cœlo descendit,qui & de seipso ait : *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* ; Exponitur autem hic panis ideo præcipuè, ut populus Christianus divinam præsentiam tanto vivacius apprehendere, & mente recolere possit. Regius Psaltes in spiritu prophetico de electis ita canit : *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Hæc autem dictio *Jacob* eumdem significat, quem dictio *Israel* quæ *videns Deum* interpretatur. Disposuit quoque Deus,ut populus ille,quem ex omnibus mundi nationibus, quæ idola adorabant, specialiter ad sui notitiam elegerat,Israel appellaretur, ut oculos & mentem suam in præsentiam Dei defigeret juxta id quod primo stipiti & patri illius intimatum fuerat : *Ambula coram me & esto perfectus.* At vero quia Israëlitæ *statuerunt oculos suos declinare, in terram*, nos in locum ipsorum successimus, qui tametsi *videamus nunc per speculum in ænigmate*,tempore tamen suo eo quod in ipsius continua præsentia in hac vita ambulavimus, in altera vita *videbimus eum facie ad faciem, sicuti est.*

S.Bern. *S.Basil. Mor.c.21.* *Exod.25. 30*

Quare panes propositionis dicti quoque fuerint panes facierum.

Cajetan. *Matt.28. 20* *Ps.23.v.6.* *Gen.17. 1* *1.Cor.13.12*

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Exercitium Præsentiæ Dei ad vitam immaculatam agendam valde efficax est instrumentum.

THEMA.

Beatus vir qui in Sapientia morabitur, & qui in justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Eccli.14.ỳ.22.

Exercitium præsentię Dei conducit ad vitam innocenter transigendum.

1. Ecclesiasticus eum, qui Deum sibi præsentē esse, continuo recolit,beatum appellat dicens: *Beatus vir...qui cogitabit circumspectionem Dei* ; Quisquis enim hoc infiniti profectus exercitium familiare sibi reddet, vitam suam semper in summa innocentia transfiget : Quia *in sapientia morabitur*, quæ, ut S.Job scribit, in timore Domini, & recessu ab omni malo præcipuè consistit : *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia :* Superius autem præsentiam Dei ad omnem culpam reprimendam efficax frænum esse probavimus. Præterea Psalmista(qui de se gloriari non dubitat dicendo: *Super senes intellexit* ; Utpote *sedens in cathedra sapientissimus*) in Psalmo 15. ait : *Benedicam Dominum* in omni tempore, *qui tribuit mihi intellectum* ; Vel ut Sanctus Hieronymus legit : *Qui dedit mihi consilium : Insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei* ; Sanctus Hieronymus vertit : *Erudierunt me renes mei* ; Ubi per renes inferior animæ nostræ portio significatur; At vero undenam hanc intelligentiam,hancque eruditionem perdidicit? Ex eo nimirum quod immediate ante dixerat : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Porro quantum S. Francisco Xaverio practicum hoc præsentiæ divinæ exercitium, quod illi valde domesticum & familiare erat,ad semper in Spiritu,sapientia,& innocentia proficiendum contulerit, ex eo clarè satis colligitur, quia scilicet dicere solitus erat : *Ubicumque fuero, meminero me in orbis terræ Theatro, in cælestis Regis, ac superum oculis versari.* Sanctus Joannes Damascenus pariter promittere audet, quod si divinam hanc ubiquitatem in omni loco vigentem viva mente consideraverimus, puri semper & immaculati mansuri simus. *Si Deum*, inquit, *non solum secretorum actuum nostrorum, verum etiam cogitationum internarum diurnum pariter nocturnumque inspectorem esse, & conscium cogitemus, sancti erimus.* Sanctus Tobias Senior filio suo hæreditatem relinquere volens meliorem illa, quam parentes ut plurimum filijs suis relinquere consueverunt, ejdem hoc unice inculcavit,ut in timore Dei viveret,ad hunc vero acquirendum, subjunxit : *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum* ; Audite autem quam ex his præmissis deduxit consequentiam : *Et cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei tui*, hoc enim semper ex continuo recogitata Dei præsentia necessariò consequitur ; Ac proinde David dicebat : *Testimonia tua intellexi ; Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis ; Quomodo dilexi legem tuam Domine* ; Modumque quo id assecutus fuerat,mox subjungit dicens : *Tota die meditatio mea est.*

Ibid. *Job.28. 28.* *Ps.118. 100* *2.Reg.23. 8* *Ps.15. v.7.* *Ps.15.v.9.* *Vit. Sanct. Franc. Xaver.* *S.Joan.Damasc.l.6. de Spir. fornic.c.24.* *Tob.4. v.6.* *Psal.118. 99* *Ibid. v.96.* *Ibid. v.97.* *Ibid.*

Num.15.38. 39. & 40

Moyses divinam præsentiam semper mente recolens, ad rarissimam pervenit innocentiam.

2. Nemini ignotum est præceptum illud, quod Moyses speciali Dei jussu populo electo imposuit, scilicet, *Ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas ; Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.* Sanctus Hieronymus insuper addit, nonnullos Hebræorum divinæ legis exactiores observatores fimbrijs hisce hinc inde permiscuisse spinas, ut hæ tibias in gressu ipsorum pungentes, iisdem fræni loco essent, efficerentque, ut in omnibus actionibus suis circumspectiores ambularent. Porro quod Moyses,qui vitam suam rarissima cum innocentia transegit, divinam præsentiam mente sua continuo recoluerit, hujus multa facile adducere possemus argumenta ; Hoc tamen loco sufficiet, si consideremus historiam Exod. c. 18. à Spiritu Sancto descriptam : Cum enim per desertum tamquam totius populi gubernator ad terram promissionis contenderet, Jethro socer ejus eum convenit, ut illum visitaret, *Obtulitque holocausta & hostias Deo, veneruntque Aaron, & omnes seniores domus Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo.* Enimvero quo modo verba illa *coram Deo* intelligenda sint,controversum est inter sacros Interpretes. Sanctus Augustinus hac de re ita scribit : *Quæritur ubi ante Deum, quando nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta. Ergo ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorem Dei factum est ; Ubi enim non Deus ?* Cajetanus Ly *coram Deo* exponit *perinde ac prope locum sacrificij.* Abulensis ad propositum nostrum melius explicat dicens: *Deus ubique est, ideo ubicumque aliquid fiat, coram Domino fit.* Quidam nostri temporis Interpres ait: *Coram Deo idem interpretantur, ac pie, & religiosè, quasi in conspectu Domini, sicut cum dicitur : Ambula coram me, & esto perfectus.* In cujus confirmationem regius Psaltes ait : *Et justi epulentur, & exultent*, sed quo modo ? *In conspectu Dei.* Origenes quoque circa hoc apud Dionysium Carthusianum loquitur dicens : *Non omnes qui manducant, coram Domino manducant, sed perfecti, qui sive comedant, sive bibant, ad gloriam Dei hoc faciant*, Moyses igitur licet mensæ accubuerit, ut necessariam corpori refectionem ministraret, Deum tamen à conspectu suo non dimisit, divinamque ejus præsentiam recogitare non destitit ; Sed tot ante secula illud Apostoli documentum executioni mandavit, dicens : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Exod.18. 12 *S.Aug.q.66. l.2.in Exod.* *Caj.Abul. Haye.* *Ps.67.v.4.* *Orig.cit. à Dion. Carth.* *1.Cor.10.31*

Prov.16. 2

Semper cogitandum vias nostras Deo perspe-

3. Utinam Deus indelebiliter cordibus nostris illud insculperet Sapientis documentum : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus, Spirituum ponderator est Dominus* ; Neque enim solum oculis Dei gressus & viæ nostræ

sunt

[…ctissimè esse notas,ex quo magnam consequimur utilitatem.]

sunt manifestæ,verum insuper uniuscujusque hominis in particulari singulas cogitationes & imaginationes adeo accurate bilancis suæ trutina ponderat,ac si non nisi unicus dumtaxat homo in mundo esset; Quod si igitur in omnimoda innocentia vivere desideres, *revela Domino opera tua*; Non quia Deus hac revelatione indigeat,sed ut per hoc firmiter te credere ostendas, quod omnes viæ & cogitationes tuæ Deo perfectissimè sint notæ; Hoc enim firma fide apprehensum, sæpiusque à nobis recogitatum; in maximam nostram redundabit utilitatem & commodum, fiet enim tunc quod sequitur, videlicet: *Et dirigentur cogitationes tuæ.* Sanctus Propheta Elias, qui ad tam eminentem raramque evectus est sanctitatem & perfectionem; dicere solebat,prout in lib. 3. Reg. cap. 17. legitur: *Vivit Deus Israël in cujus conspectu sto*: Quibus verbis se incessanter præsentiam Dei ob oculos habuisse indicabat. Glossa ex Rabano desumpta circa prædicta Eliæ verba ita scribit: *In conspectu Domini stat justus modo, stabit & in futuro,modò ut conditoris potentiam ad sensum reducat,& sic fideliter vivat; In futuro,ut veraciter coronam vitæ accipiat.*

[*Prov. 16. 3.* — *Ibid.* — *3. Reg 17. 1* — *Glossa Raban.*]

[*Cant 3. 1.* Quomodo spiritualis anima sponsum quærat per noctes.]

4. In sacris Canticis inquit Sponsa: *Per noctes quæsivi quem diligit anima mea*; At vero quodnam in eo putas latere mysterium,quod sponsa in noctis caligine, non vero in clara meridiani Solis luce sponsum suum se quæsisse dicat? Porro nemini ignotum est,quod per hanc cœlestem sponsam anima immaculata & innocens symbolice significetur; Hæc igitur præeunte vera luce,id est viva fide,sub obscuritate hujus vitæ,in qua *videmus per speculum in ænigmate*, quærit, investigat, explorat,totaq; mente defixa est in Deum præsentem. Gillibertus Abbas circa prædicta Sponsæ verba ita scribit: *Noctes ejus frequenter interpolantur absentia sponsi, cum adest,lux est,cum abest, nox est. Beata plane quæ dilecto adhæret tota die,& quærit totis noctibus.* Observastisne aliquando petitionem illam, quam Elisæus Eliæ patri suo priusquam per currum igneum ab eo separaretur in hæc verba proposuit: *Obsecro ut fiat in me spiritus tuus duplex.* Cui porro petitioni Elias quidem consensit, sed conditionatè, ait enim: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiisti.* Enimvero credere quis posset, quod Eliseus gratiam hanc potius sperare potuisset, quando Magistro suo conjunctus & presens, non vero quando ab eo sublatus erat. Quando ille ad portam speciosam templi Jerosolymitani continuo cubans claudus à sanctis Petro & Joanne eleëmosynam postulabat, sibi dici audiebat: *Respice in nos; At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis*, quod & revera accidit, dum miraculosè restitutam sibi sanitatem recepit; At vero Elisæo contrarium accidit, siquidem Elias spiritum suum duplicem discipulo suo infundi voluit, si ipsum primo presentem, & postea absentem videret, ut per hoc omnes doceret fideles: (Siquidem *omnia in figura contingebant illis*,) quod qui abundantiam Spiritus concipere volunt,oculum fidei in Deum quoad absentem, quoad animam vero & intellectum, presentem, defixum habere debeant.

[*1. Cor. 13. 12.* — *Gillib. Abb. ser. 1. in Cant.* — *4. Reg. 2. 9.* — *Ibid. v. 10.* — *Act. Ap. 3. 4*]

[Quid de hac re senserit Seneca. *Senec. Ep. 11*]

5. Seneca moralis Philosophus pro vita virtuosè instituenda varia in Epistolis suis documenta post se scripta reliquit; Et quidem in Epistola 11. dicit: *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus.* Et paulo post subdit: *Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat.* In progressu quoque ejusdem Epistolæ dicit: *O felicem illum,qui sic aliquem vereri potest,ut ad memoriam quoque ejus se componat,& ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Eliget itaque Catonem.* At vero dic sodes, quænam esse potest comparatio inter Catonem quemdam & ipsummet Deum? Utique anima Christiana majorem percipiet fructum, si illud sibi speculum semper ob oculos positum habeat, de quo dicitur: *Speculum sine macula*,ut in illud continuo respiciens proprias maculas emendet, vitamque immaculatam agat. Apud S. Joannem Scribæ videntes quod Pharisæi & S. Joannis Baptistæ discipuli longa & rigorosa instituerent jejunia, Christum interrogarunt: *Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem Discipuli non jejunant? Et ait illis Jesus: Numquid possunt filij nuptiarum quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.* Quem textum interpres quidam ad propositum nostrum sic exponit: *Plus nimirum sponsi præsentia proficiunt, quam jejunijs; Supplet sponsus abunde cum præsens est; quidquid consequi abstinentia aliquis posset.* Contingit enim persæpe, quod anima Deo devota per macerationes corporis,cilicia videlicet, disciplinas,& jejunia non tantum in spiritu,devotione, & unione cum Deo proficiat, quantum per exercitium continuum divinæ præsentiæ viva fide recogitatæ; Hæc enim utilissima & facillima praxis hanc habet prerogativam & excellentiam præ cunctis alijs pijs exercitijs,quod in omni loco,tempore & occasione illam exercere, magnumque inde meritum acquirere valeamus; Quod nonnumquam non æque faciliter fieri potest per eleëmosynas, ob defectum nimirum pecuniæ,vel pauperum; Nec per orationem,eo quod per occupationes distracti mentem nostram ad eamdem faciendam applicare nequeamus; Nec per jejunium,ob complexionis debilitatem; Nec per auscultationem verbi Dei, vel ob temporis penuriam, vel ob predicatoris defectum,& sic de omnibus alijs similibus devotionis exercitijs discurrere licet; At vero quod exercitium præsentiæ attinet, *nec est qui se abscondat à calore ejus*; Siquidem unusquisque hominum illius capax existit,sanus & infirmus,dives & pauper,Dominus & servus,princeps & subditus, doctus & ignorans,vir & mulier,nec est qui se valeat excusare.

[*Sap. 7. 26.* Plus proficit anima devota per hoc exercitium, quam per varias corporis macerationes. *Marc. 2. 18. & 19.* — *Ps. 18. v. 7.*]

[Amor Dei omnia bona opera facit esse meritoria.]

6. Nemo est qui ignoret, omnes actiones, & desideria nostra amore Dei super omnia meritorias, Deoque acceptas effici,adeoque sine hoc nullum opus, quantumcumque in semetipso bonum sit,ullius apud Deum esse pretij aut valoris; Dicente Apostolo: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum*, hic enim amor lapis est lydius, unde innocentia & sanctitas animæ explorari possit; Unde S. Bernardus dicere solebat: *Quantitas cujuscumque æstimatur ex mensura charitatis quam habet, ut quæ multum habet charitatis, magna sit, quæ parum, parva*; Quis autem est qui nesciat, quod divinæ presentiæ exercitium semper continuare,sibique familiare reddere,esca sit & fomes ad accendendum hoc divini amoris incendium? Cajetanus de S. Maria Magdalena à Christo prima vice à pedibus suis his verbis: *Vade in pace*, dimissa, ita scribit: *Sentiebat intus mulier fructum magnum ex præsentia Jesu, & propterea percepta venia peccatorum, & commendata ejus fide,non recedebat,nisi Jesus suavi præcepto recessum imperasset.* Observandum quoque,quod S. Lucas de eadē Magdalena pœnitente,priusquam ad Christum accessisset,loquens dicat: *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; Paulò post verò postquam in conspectum & præsentiam Salvatoris nostri venit, proximaque pedibus ipsius assedit, ab eodem Salvatore de se dici audivit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; Unde S. Petrus Chrysologus ait: *Conspicimus,non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse*; Unde postquam ex præsentia Christi illam concepisset ardentissimæ charitatis flammam,difficulter se ab eo divelli patiebatur; Imo ut idem præfatus Chrysologus ait: *A stare non timet cruci, sepulchro inhæret anxia,truces nec horret milites, quia pellit timorem charitas.* Qui enim vere & ardenter amat,objectum amatum ante oculos semper habere desiderat. Martha Christum domi suæ hospitem habens, sororem suam adiit, eique quod a Christo vocata esset, annunciavit: *Abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te*; Verumtamen si totum pervolvatis Evangelium, nullibi hanc Marthæ commissionem à Christo datam fuisse invenietis,qua igitur ratione Martha, dicere potuit: *Magister vocat te*? Angelicus Doctor per adductam Theophylacti authoritatem, difficultatem hanc solvit dicens: *Ipsam Christi præsentiam vocationem reputavit.*

[*1. Cor. 13. 1.* — Hunc amorem accendit exercitium divinæ presentiæ. — *Cajet. in Luc.* — *Luca 7. v. 37.* — *Ibid. v. 47.* — *Luca 11. 28.* — *S. Thom. in cat. ex Theophyl.*]

[Per hoc exercitium acquiritur perfectio.]

7. Cassianus magnus ille vitæ spiritualis Præceptor dicere non dubitat, quod quando Deum nobis videamus præsentem, *Deus cunctis momentis nos conservat, & quasi manu regit nostras omnes actiones,& opera.* P. Alvarez de perfectione diffusè differens, inter alia præcipua perfectionis acquirendæ media, divinæ quoque præsentiæ exercitium connumerat, dicens: *Hæc tandem sit omnibus quæ egeris tua solicita cura, tua jugis occupatio, Deum aut extra teipsum, aut intra teipsum præsentem intueri, & purissimis desiderijs, sanctissimis colloquijs & ignitis amoris affectibus, ad divinam, & incomprehensibilem ejus bonitatem aspirare, nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, proterviam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirendas, & nostram mentem in Deum transformandam, quam hoc amoris exercitium, sive*

[*Cassian. coll. 12. c. 5.* — *Alvarez. l. 3. p. 3. c. 39. n. 12.*]

sive cum volantate, sive cum mentis ariditate præstitum, quo potentissime terrena fugimus,& in carne morali quodammodo impassibiles & cælestes efficimur.

[S. Joannes Baptista quantumvis absens semper oculos mentis direxit in Christum.]

8. *Inter natos mulierum*, ipsamet æterna veritate teste, *nullus surrexit major Joanne Baptista*; Hæc autem majoritas non intelligitur de *quantitate molis*, sed de *quantitate virtutis*, innocentiæ, & sanctitatis ipsius, siquidem de ipso sancta Ecclesia canit: *Ne levi saltem maculare vitam flamine posset.* De ipso quoque manifeste intelligitur propheticum hoc oraculum: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam.* At vero dices cur Salvator noster, *qui spirituum ponderator est*, gloriosum hoc epithetum, alijs quoque Sanctis non attribuit? *Quomodo de solo Joanne, quasi gratiæ singularis est indicium*, inquit Author operis imperfecti, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: Omnes quidem Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, solus autem Joannes sic missus est ante faciem Christi,ut pene cum ipso Christo veniret.* Merito igitur Baptista Angelus potest appellari, quia licet triginta annis in eadem Judæa, in qua Christus erat,permanserit,& conversatus fuerit,absque eo quod Christū oculo corporis aspexerit,in eum tamen semper direxit oculum mentis & Spiritus, prout Angeli faciunt, qui *semper vident faciem Patris.* Unde cum illi præclarum illud attribuatur encomium, quo *Magnus coram Domino* appellatur,nil mirum si tam prodigiosa & perpetua ejus fuerit innocentia. In actibus Apostolorum de Sancto Protomartyre Stephano dicitur: *Viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli; Stephanus autem plenus gratia*; Nec mirum, siquidem hoc divinæ præsentiæ exercitium ei valde familiare fuit, & domesticum. Eusebius Emyssenus rationem assignat,cur idem S. Joannes tanta cum animositate sanguinem suum profuderit; Ait enim: *Juste incunctanter offert sanguinem suum,qui præ oculis habet Regem suam.* Philo Hebræus dum Ly *Israël*,à quo Hebræorum populus suam sortitus est appellationem, interpretatur,divinæ præsentiæ exercitium in hæc verba commendat: *Res ut mihi videtur pluris æstimanda, quam ullæ opes, vel privatæ,vel publicæ; nam si seniorum, aut præceptorum, aut Magistratuum, vel parentum aspectus movet ad reverentiam,& modestiam, & sua præsentia vitam, moresque corrigit, quantum putamus ad honestatem, virtutemque præsidium contingere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit?* Considerastisne aliquando pretiosissimum illum Phrygio opere elaboratum, gemmis, alijsque pretiosis ornamentis distinctum summi Sacerdotis ornatum? inter alia vero ornamenta unum est, proposito nostro valde congruum,videlicet: *Facies & laminam de auro purissimo in qua sculpes opere cælatoris: Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina,& erit super Tiaram, imminens fronti Pontificis.* Nimirum Deus disposuit; ut quia summus Sacerdos omnibus alijs in innocentia morum, pietate, & devotione dux esse debeat, sanctissimum Dei nomen semper ob oculos præsens haberet.

[Propterea vocatur Angelus. — *Auct. Imperf. h. 27.* — Sicut etiam S. Stephanus. *Act. Apost. 6 v. 14.* — *Philo Hebr. l. de virt.* — *Exod. 28. 36*]

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Alia bona, quæ Præsentiam Dei recogitando recipimus, considerantur.

THEMA.

Quærite faciem ejus semper, Psal. 104. ℣. 4.

[Quomodo facies Dei semper quæri possit. *S. August.*]

1. Optime regius Propheta monet, ut Dei faciem semper requiramus: *Quærite faciem ejus semper*; At vero dubium hoc loco subnascitur, quonam modo nos qui ad faciem Dei incessanter inquirendam invitamur, eamdem invenire valeamus; *Sed quid est, quærite faciem ejus semper?* quærit Augustinus, *Scio quidem quia mihi adhærere Deo bonum est, sed si semper quæritur, quomodo invenitur?* Hanc difficultatem idem Sanctus Doctor paulo ante solverat, dicendo: *Quæ est facies Domini,nisi præsentia Dei?* Hæc igitur præsentia Dei semper ob oculos habenda, nec unquam oblivioni tradenda est; *Quærite Præsentiam Dei semper*, siquidem,ut audistis, *adhærere Deo bonum est*; Non declarat neque specificat, quale bonum illud sit, quod ab hoc sancto exercitio derivatur, quia bona hæc multa sunt,eaque magnum in se pondus, & momentum continentia.

[Exercitium præsentiæ Dei confert perseverantiam in servitio Dei.]

2. *Quærite Dominum, & confirmamini*, dixerat regius David, priusquam subjungeret: *Quærite faciem ejus semper*,id est,ut Hugo Cardinalis exponit: *In quærendo eum, estote firmi & ferventes per amorem, &c. Sunt aliqui in principio ferventes, sed refrigescit charitas eorum, & quærere desinunt; propter quod bene sequitur: Quærite faciem ejus semper, non ad horam.* Porro hæc divinæ præsentiæ consideratio ad donum perseverantiæ & stabilitatis in divino servitio promerendum mirabiliter juvat. In Ps. 31. Deus nobis promittit, inquiens: *Instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos*; At vero scitisne modum quo summam hanc & incomparabilem prærogativam promereri possimus? Sanctus Augustinus idipsum declarat, dicens: *Obfirmabo super te oculos meos, non à te auferam oculos meos, quia & tu non auferes à me oculos tuos.* Ergo & tu *leva jam oculos tuos semper ad Deum, ut firmet super te oculos suos.* Tertullianus Enoch & Eliam nobilissimo compellans epitheto, vocat *æternitatis candidatos.* Etenim hi per multa annorum millia etiamnum viatores existentes in gratia Dei innocentes permanserunt, & deinceps usque ad novissimum judicij diem permanebunt. Sciendum vero est,eosdem, quamdiu hic in terris vixerunt, cor & mentem suam in divinam præsentiam semper habuisse defixam; Sic enim de Enoch in Genesi dicitur: *Ambulavit Enoch cum Deo; Ambualvit cum Deo & non apparuit.* De Elia pariter scribitur: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* Deus quoque populo Hebræorum per multos annos velut Dux præivit dum ad terram promissionis contenderent, præivit autem in figura columnæ, quæ stabilitatem denotat, ut exinde intelligerent, quod si in cultu, fide, obsequio, suaque in Deum Religione continuare vellent, Deum ab oculis non deponere, sed eum semper præsentem esse, recolere deberent.

[*Hug. Card.* — *Ps. 31. v. 8.* — *S. August.* — *Tertull. l. de Resur. carn. c. 8.* — *Gen. 5. 22.* — *3. Reg. 17. 1*]

[Aufert etiam omnem tepiditatem in divino servitio.]

3. *Adhærere Deo bonum est.* Ab hac recogitata Dei præsentia, aliud quoque bonum nascitur, scilicet, quod in divini servitij curriculo omnis tepiditas à nobis depellatur. Porro S. Isidorus se capere non posse fatetur, qualiter homines adeo sint ferventes & soliciti in consectandis hujus mundi bonis, genio ipsorum præcipuè arridentibus, & tamen ex altera parte in consecutione bonorum eternorum adeo sint tepidi,seu potius gelidi: *Omnis ars sæculi hujus*, inquit Isidorus, *strenuos amatores habet, & ad exequendum promptissimos*; At vero quodnam est calcar illud,quod latera ipsorum extimulans ad hanc illos promptitudinem impellit? Nimirum quia *præsentem habet operis sui remuneratorem.* Non vero ita se res habet, quoad illos, qui pro honore Dei operantur; Deus enim *plerosque habet sectatores languidos,tepidos, pigritiæ inertia congelatos,hoc proinde fit,quod labor eorum non pro præsenti, sed pro futura remuneratione defertur.* Quod si autem mihi dederis quempiam, qui vivæ fidei oculo Deum præsentem conspiciat, illum subito videbis in divino officio fervidum, & flagranti zelo ardentem. Quatuor illa mystica animalia alas suas ad volandum extendebant: *Pennæ eorum rectæ alterius ad alteram; unumquodque duabus alis velabat corpus suum:* Quod quidem de Aquila facilè intelligitur, cum hæc utpote avium Regina natura sua alis instructa esse noscatur,at vero unde homini,bovi, & leoni alæ proveniunt? Omnem deponatis velim admirationem,siquidem Propheta ait: *Firmamentum erat super caput eorum; Aperti sunt cœli; Totum corpus oculis plenum in circuitu*; Cum igitur cœlum suspexerint, suosque in Deum oculos defixerint, mirum non est, quod alas ad volandum habuerint; *Ubi erat impetus Spiritus,illùc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Sanctus Thomas de Villa nova ait: *Ubi illius beatitudinis oblivio inciderit:* (Mutemus verba illa,& dicamus: *Ubi præsentiæ Dei oblivio inciderit*) *& manus hæret,lingua balbutit, illius quippe memoria,& operi solertiam,& verbo facundiam præstat.* Lasciva illa mulier Samaritana à principio nullam Filij Dei notitiam habens,eumdem contempsit, dicendo: *Quomodo tu Judæus cum sis,bibere à me poscis*,mox vero ut lux divinitatis Christi in mentem dictæ mulieris transfusa fuit, ipsaque Divinam ejus præsentiam gustare cœpit, in hæc verba subito prorupit: *Domine ut video, Propheta es tu*, ejusque amore accensa ipsum verum in lege promissum Messiam esse agnovit,& ab eo divelli non potuit, revertens autem in Samariam, non solum aquam haustam, sed & hydriam, in qua aqua hausta fuerat,deseruit: *Reliquit hydriam* ut per hoc nobis insinuaretur, prouti in hujus ejusdem discursus progressu dicemus, quod præsentia Dei nauseam nobis ingerat bonorum temporalium,etiam illorum,quibus vel maxime antea addicti fueramus. D. Chrysostomus hanc proponit interrogationem: *Quando erit pusillo,& abjecto*

[*S. Isid. l. 2. de summo bono, cap. 10.* — *Ezech. 1. 23* — *S. Thom. à Vill. nov. in conc. fun.* — Adducuntur varia bona, ex Dei præsentia causata. — *Joan. 4. v. 9* — *Chrysost. 26. ad Hebr.*]

jecto animo? Et subdit : *Omnia nobis videntur difficilia, quod Dei nullam habemus memoriam, ut habere oportet, quod non eam in cogitatione perpetuo circumferimus; Merito enim nobis dixerit : Oblitus es mei, ego quoque oblivisear tui.* Confirmat idipsum S. Bernardus, dum
S. Bern ser. 2. in Psal. 90. in sermone quodam ita scribit : *Quomodo enim negligens poterit invenmi, qui intuentem se Deum numquam desinit intueri? Qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus, & exteriora, omni hora considerare non cesset, omnesque non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur, atque dijudicet?* Præcitatus Chrysostomus in eadem homilia hanc quoque adducit considerationem : *Magnam rem facit Dei memoria, magnam etiam, & quod nos eam habeamus in memoria. Hoc bona facit eligere, illud persicere, & ad finem perducere.*

Chrysost. ib.

Ex pio exercitio divinæ præsentiæ nascitur contemptus præsentium bonorum.

4. *Adhærere Deo bonum est.* Ab eò quod Deum ob oculos nostros semper præsentem habeamus, aliud quoque nascitur considerabile bonum, videlicet bonorum præsentium contemptus, quantumvis illa copiosa sint, & prospero quovis in statu consistentia. Enimvero Moyses egregiè, alienum ab hisce terrenis bonis animum comprobavit, quando sceptrum cum virga pastorali populorum gubernationem cum ovium custodia, paludamentum Regium cum sacco cilicino, imperium cum servitute commutavit : *Negavit enim se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo suo, quam temporalis peccati habere jucunditatem : Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Hanc illius Prophetæ magnanimitatem considerans Chrysostomus, inquit : *Odit, aversatus est, scilicet se esse filium filiæ Pharaonis, &* paulo post subjungit : *Hæc omnia facta sunt, quod ita tolerabat, tamquam videns eum, qui non cadit sub aspectum;* Hoc enim insinuare videntur illa S. Pauli mystica verba : *Aspiciebat enim in remunerationem*, id est, æternum remuneratorem semper ob oculos habebat. Dignitas illa ad quam Daniel evectus fuit, adeo sublimis erat, ut apud potentissimum illum Monarcham, qui dominabatur super centum & viginti septem provincias, major dari non potuerit; Idem quoque Daniel in tali apud eumdem Monarcham honore & favore positus erat, ut sacer textus dicat : *Cogitabat constituere eum super omne Regnum.* Et tamen cum apud se deliberaret, an potius aeferenda esset obedientia edicto Regio, pro cujus adimpletione adeo fortiter apud Regem æmuli ipsius instabant, an vero in cultu vero Deo suo ab ipso præstari solito remanendum esset; Elegit potius amittere gratiam Regis, thesauros, honores, vitam, & à leonibus devorari, quam ab oratione ad Deũ fundenda desistere. At vero dicite sodes, undenam Daniel tantam assecutus est animositatem, ut tam heroicè cuncta quæ mundus amare, & æstimare solet, contempserit?

Hebr. 11. 24

Chrysost. ib.

Hebr. 11. 26.

Danielis.

Dan. 6. v. 4.

S. Hier. ibid. Sanctus Hieronymus inquit : *Daniel Regis jussa contemnens, & in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in excelso, & fenestras aperit contra Jerusalem;* Nimirum oculum suum versus templum Jerosolymitanum dirigebat, & consequenter divinam præsentiam menti suæ habebat impressam. Hicque est modus ille, à potentatibus seculi hujus serio observandus, nisi ab humanæ magnificentiæ splendore fascinari, & seduci velint, oculos enim suos in sublime, cœlum versus erigant. Deumque ipsis ubique præsentem esse considerent.

Et Judith. Judith in flore ætatis suæ constituta, tametsi maritus ejus moriens amplissimas ei reliquisset divitias & facultates, in statu nihilominus viduitatis permanere elegit; Et licet Holofernes, prouti nonnulli sacri Scriptores arbitrantur, amores illius furtivos ab illa deprædari non cogitarit, sed potius nexu conjugali illam sibi, qui multorum regnorum, & invicti cujusdam, numerosissimique exercitus imperium, & Generalatum tenebat, adstringere meditaretur, attamè in viduitatis conservandæ proposito semper firma permansit, idque ope divinæ præsentiæ, quam solita erat continuo meditari & recolere, prout ex illis verbis capitis undecimi colligitur : *Ego ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te,* tametsi enim in conspectu Holofernis, ac numerosissimi ipsius exercitus, qui ex meris idololatris, & Dei inimicis constabat, constituta esset, non tamen ideo divinam præsentiam è mente sua unquam deposuit, hæcque illi ad thesauros, Coronas, & Sceptra contemnenda virtutem suggessit.

Judith. 11. v. 14.

Exercitium hoc confert omne bonũ hoc est, æternam beatitudinem.

5. *Adhærere Deo bonum est.* Dei præsentiam animo suo firmiter infixam habere, adeo ingens bonum est ut nos omne bonum consequi faciat, scilicet æternam beatitudinem, quæ definitur, quod *sit status omnium bonorum aggregatione perfectus*, is enim qui Deum sibi semper præsentem esse recogitat, beatos imitatur; de quibus Christus ait : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* Unde illis, qui exercitio divinæ præsentiæ incumbunt, adaptare possumus, quod Regina Saba de servis Salomonis Regis edixit : *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, eorum, inquam, qui ex plus, quam Salomon hic.* Spiritus Angelici tamesi hic in terris in nostri custodia plane sint occupati; tametsi illis provinciarum & regnorum commissa sit tutela, licet etiam primum mobile continuo volvant & revolvant, non tamen ob id Deum facie ad faciem intueri desinunt, ubicumque locorum existant, & hoc idem est quod servi Dei præticant, dum in quovis loco, tempore, & occasione divinam recolere præsentiam non desinunt.

Matt. 18. 10

3. Reg. 10. 8. Matt. 12. 42.

Retrahit etiã nos ab offensa Dei.

6. *Adhærere Deo bonum est.* Ex sancto hoc præsentiæ Dei exercitio illud quoque promanat considerabile beneficium, quod scilicet nos à Dei offensa velut frænum retrahat, dum consideramus, quod is qui judex noster futurus est, futurus quoque sit actionum nostrarum oculatus testis; Præterea per continuam cum ipso conversationem facile nobis erit, eum quoque in beneficium nostrum mitem nobis reddere & propitium. Boëtius *in fine de consolatione Philosophiæ* inquit : *Magna nobis indicta necessitas est recte vivendi, qui omnia facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.* Ecquis adeo futurus esset audax & temerarius, qui in ipsius met judicis oculis, qui eum est condemnaturus, capitale committere crimen non dubitet? S. Bernardus ad illa se reflectens verba perversorum illorum, *quorum sunt in tenebris opera, & dicunt : Quis nos videt, & quis novit nos?* Quorum insaniam sequentibus verbis refutat : *Esto nullus te videat, non tamen nullus. Videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus, videt te & bonis & malis Angelis major Deus. Videt accusator, videt testium multitudo : Videt & ipse judex, cujus te assistere oportet tribunali, sub cujus sane oculis velle delinquere, tam insanum est, quam horrendum incidere in manus Dei viventis.* Audiamus quid S. Leo Magnus in sermone quodam hac de re prædicet; Ait enim : *Ista ergo scientia summi judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum.* Eodem quoque argumento Basilius Magnus utitur inquiens : *Quis in oculis principis sui audeat, quod displiceat Principi ipsi?* Insignis quidam valdeque à Deo illuminatus servus Dei divinæ præsentiæ praxin hoc epitheto describit : *Brevis morum pædagogia est, vitiorum cohibitio, & moralis disciplinæ compendium.* Enimvero præceptor aliquis, vel educator apud suum discipulum, vel clientem in eo est respectu & authoritate, ut in conspectu ejus nullus ipsum contumeliare aut injurijs afficere ausit, tametsi sit persona illustribus natalibus oriunda, quanto igitur efficacius erit hoc exercitium recogitatæ præsentiæ Dei, *quem tremunt potestates?* Quanto fortius hoc à peccatis nos coërcebit.

Isaiæ 29. 15.

S. Leo ser. 5. de Quadr.

S. Basil. interrog. 29. in Reg. brev.

3. Reg. 10. 8

Christi præsentia tollit omnia pericula.

7. *Adhærere Deo bonum est.* Sanctus Bernardus illa explicans Psalmistæ verba : *Susceptor meus es tu,* observat Psalmistam mox addidisse : *Et Deus meus;* Ac subdit : *Cur non Deus noster? Quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficijs est Deus omnium, sed in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum, sic enim paratus est suscipere cadentem, & erigere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare.* Mox vero idipsum consequendi modum nos docet, inquiens : *Propterea expedit omni animæ Deum semper attendere tamquam proprium, non modo adjutorem, sed etiam inspectorem.* In illa maris tempestate, in qua Apostoli tantopere periclitabantur, mox ut Christus eis præsens adfuit, omne periculum protinus cessavit; Dicit autem sacer textus : *Voluerunt accipere eum;* ex quibus verbis Sanctus Cyrillus Alexandrinus sequentem deducit moralitatem, dicens : *Non dubitemus multo majora, quam speravimus, præstantioraque bona ex Christi præsentia nos consecuturos, & qui absente ipso laboramus, præsente eo sine opera nostra quiescemus, sic enim omnium periculorum Christus solutio est.*

Ps. 3. v. 4. S. Bern. ser. 2 super Psal. Qui habitat.

Joan. 6. 22.

S. Cyrill. Alex. l. 3. in Joan. c. 22.

Hoc exercitium facit nos constantes in adversis.

8. *Adhærere Deo bonum est.* Porro præsentia Dei à nobis serio recogitata, vigorem & robur animi nobis communicat, ut in adversitatibus constantes & magnanimi esse valeamus. Quot non sustinuit Joseph Filius Jacob contradictiones? Nimirum reprehensiones patris, quando eidem somnium suum detexit; Invidiam, & odium fratrum suorum, servitutem, calumniam à Domina sua sibi impositam, ob quam demum in vincula & compedes carcerum conjectus fuit; At vero hæc omnia generoso animo toleravit, co

eo quod Deum sibi præsentem oculo vivæ fidei, & confidentiæ apprehendit : Dicit enim Scriptura : *Desciditque eum illo in foveam;* Hoc namque exercitium
Sap. 10. 13. præsentiæ divinæ, ut suo loco diximus, per quam familiare ei fuit. Tertullianus quoque de Martyribus qui tormento subjecti, quasi insensibiles se exhibebant, differens inquit : *Nihil eras sentit in nervo, dum animus est in cœlo.* Idem quoque dicere possumus de illis, qui Deum sibi præsentem esse recogitant, proque ejus amore omnia adversa libenter tolerant, hi enim dolorem non sentiunt, quia *qui amat, non laborat.*

Tertull. l. ad Mart. c. 2.

TRACTATUS LXXXV.

DE PROVIDENTIA DEI, ET FIDUCIA IN IPSUM.

CONTINET

DISCURSUS XIII.

DIscursus I. De Providentia divina in productione creaturarum, quas in beneficium nostrum creavit.

II. Eadem Providentia non solum quoad corvos, verum etiam quoad res minimas confideratur.

III. Ad Deum spectat abundanter nobis prospicere, id quod in specie in persona Jacob probatur.

IV. Habemus jus expectandi alimenta à Deo, utpote qui se à nobis tamquam patrem nostrum invocari voluit; Et quidem qui omnia animalia pascit, multo magis filios suos sustentabit.

V. Varia adducuntur argumenta, à Christo, ad condemnandam nostram, de divina ipsius providentia, diffidentiam, in medium adducta.

VI. Ostenditur qualis sit illa solicitudo, quam Christus condemnat, non enim Christus nostram secundùm statum uniuscujusque diligentiam & laborem excludit, sed potius requirit à nobis.

VII. Deus nobis providet, non solum tamquam nutrix, sed tamquam mater, habetque talem uniuscujusque in singulari providentiam, qualem universim habet de omnibus.

VIII. De Providentia qua Deus invigilat super illos, qui ipsum timent, eique serviunt.

IX. Author eamdem materiam prosequitur, simulque explicat verba illa Christi : *Noliti solliciti esse in crastinum.*

X. Fiducia; quæ in Deum potius, quam in industriam nostram habetur, à Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos, qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

XI. Ad hoc ut fiducia nostra efficax sit, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non vero in mundum collocatur, diligentiasque humanas, nostramque cooperationem minime excludit.

XII. Quædam ex Sacra Scriptura, alijsque historijs recensentur facta, quæ Divinæ Providentiæ periodos nirum in modum nobis manifestant.

XIII. Deus suam persæpe erga nos ostendit providentiam, dum nobis non providet, idque in majus bonum nostrum operatur.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

De Providentia Divina in productione creaturarum, quas in beneficium nostrum creavit.

THEMA.

Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus. Ps. 8. ℣. 7.

Providentia Dei circa homines enarratur.

1. PRopheta Regius exaltationem hominis in Psalmo octavo considerans, stupefactus exclamat : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* At verò nimis parce de hominis dignitate Psalmista locutus videtur, utpote qui dicere poterat : Exaltasti eum etiam supra naturam angelicam, siquidem Christus ipse se cœlum pro nobis fabricasse declarat, inquiens : *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi;* Præterquam quod nobilissimos illos beatos Spiritus, veluti ministros ad nostram destinavit custodiam; Verum de his alias, in præsenti solum divinæ

Matth. 25. v. 34.

Providentiæ suæ in beneficium nostrum adhibitæ periodos considerare decrevimus.

2. Deus porro in Deuteronomio gloriatur dicens : *En Domni Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt :* Id quod eruditissimus & acutissimus Oleaster summoperè admiratur, dicens : *Ad quid, bone Deus, te dixitem jactas? Ad quid Dominum cœli & terræ te esse dicis?* Tu unico verbo amplissimas cœlorum sphæras extendisti : *Verbo Domini cœli firmati sunt :* Tu per unicum verbum, *dixit,* vastissimam hanc universi machinam fabricasti. *Dixit, & facta sunt:* Quo igitur fine, ô increata Sapientia, hanc gloriationem : *En Domini Dei tui cœlum est &c.* æternitatis annalibus ad perpetuam memoriam inscribi voluisti? Et confestim dubium resolvit sequentibus verbis : *Ut ostendas te omnia hæc servis tuis præstare posse, ut vera præstas.* Enimvero cœlum & terra Omnipotentiæ & sapientiæ Altissimi sunt opera; At vero in quorum beneficium hæc sunt fabricata, præterquam in commodum & utilitatem hominis : *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Deut. 10. 14.

Oleast. ibid. Deus cœlum & terrã creavit, ut daret servis suis.

Ps. 32. v. 9.

3. Spiritus S. primum Geneseos & totius sacræ Scripturæ caput ab his verbis exorditur : *In principio creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis, & vacua.* At vero si ejusdem primi capitis Geneseos lectionem prosecuti fueritis, reperietis utique quam provida & industria fuerit divina manus in terra hac adornanda, & fœcundanda herbis, floribus, mineralibus, plantis, arboribus, fructibus, & fontibus. Similiter reperietis, qualiter firmamentum cœli stabiliverit, stellisque distinxerit, & majoribus luminaribus, majori scilicet & minori illustraverit, ut per beneficos influxus suos mundum locupletarent; Videbitis, qualiter aëra replevit volucribus, aquas piscibus, terram quoque innumeris varijsque animalibus; *Et hæc omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, Volucres cœli, & pisces maris.* Eaque omnia anticipate præparavit, priusquam crearet hominem, ut hic immediate post sui creationem subito mensam inveniret opipare instructam, & præparatam. *Quidquid cœli micat, radiat & splendet ornatus, quidquid terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostro amore factum, nostræ additum est servituti,* inquit D. Chrysologus. Hæc autem omnia ad solius corporis nostri provisionem ordinata fuere; Pluris tamen æstimandum est, velut longe nobilius, id quod idem Chrysologus, statim subjungit dicens : *Nobis principatus cœlorum, nobis ætherea potestates, nobis æternæ dominationes, nobis angelorum officia excubijs militant indefessis.* Angeli etenim tamquam indefessi operarij in beneficium nostrum cœlum quotidie volvunt, & revolvunt, provinciarumque & regnorum tutelæ vigilanter assistunt; Imo ipsemet cœli terræque Monarcha, ante cujus thronum *tremunt potestates*, in beneficium uniuscujusque hominis in particulari adeo solicite invigilat, ac si nullæ essent aliæ creaturæ, quibus ab illo prospiciendum esset. *Sapientia ædificavit sibi domum*, inquit Sapiens in Proverbijs, *excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Æterna namque Sapientia divinæ providentiæ sodalis individua in septem dierum spatio sublime hoc totius universi palatium erexit, cœlorum fornices extendit, terræ fundamenta jecit, profundas ma-

Gen. 1. v. 1. Ibid. v. 2. Omnes creaturas tã cœlestes quã terrestres creavit Deus amore hominis.

Ps. 8. v. 8.

Ibid. v. 7.

D. Chrysol. serm. 69.

Imo ipsemet summam nostri gerit curam.

Prov. 9. v. 1.

Pulchrum simile.

rium piscinas effodit, & adaquavit, singulis elementis locum suum assignavit, cunctisque animalibus de pascuis suis prospexit, ac tandem alterius minoris mundi, id est hominis fabricam meditatus fuit; Quemadmodum enim (ita Nyssenus discurrit) nemo hospitem aliquem in mensa sua excipit, nisi prius appositæ sint epulæ, sitque præparatum & adornatum triclinium, in quo hospes recipiendus est; Eodem modo creator noster, priusquam hominem crearet, amplam hanc mundi molem eidem præparavit, stellatos sphærarum cœlestium fornices elegantissime exornavit, mensamque ei adeo abundantem, & lautam præparavit, qualis est tot creaturarum infinita quasi congeries; *Nam quidquid terra sapit in fructibus, fragrat in floribus, nostræ addictum est refectioni & servituti. Undevis affluit amœnitas exuberans deliciarum*, inquit Basilius Magnus, *omni nos obvallante creatura, obvallante per luculentam ac prædivitem erga nos beneficentissimam Dei gratiam.*

S. Greg. Nyss. de opific. hominis c. 2.

S Basil Hom. in Julittam.

Deus tot innumerabilia commestibilia creavit propter hominem.

4. Quæri hoc loco posset, quo fine Deus tantam rerum commestibilium multitudinem, varietatemque immensam palato & gustui nostro providerit, quandoquidem ad eum in statu innocentiæ sustentandum nullo alio cibo indiguerit, præterquam fructu arboris vitæ? Respondetur autem, quod quia Deus hominem ex illius status dignitate infeliciter culpa sua lapsurum esse prævidit, voluit, ut idem homo post lapsum ejus agnosceret solicitudinem, qua ejus necessitatibus prospexit. S. Junilius Episcopus Africanus Deum tot homini fercula, aliaque necessaria præparasse scribit, *quibus suam mortalitatem fragilis posset tueri, vel alimentum videlicet ex his, vel indumentum, vel laborum vel itineris haberet adjumentum.* Creavit homini boves, ut in aranda & excolenda terra eidem auxilio suo subvenirent; Creavit equos, ad moderandam quæ ex itineribus facile ei obvenire posset, lassitudinem; Creavit greges, ut eum fructibus & partubus suis pascerent, lanaque sua contegerent; Varios quoque creavit fructus, herbas, altilia, quadrupedia, pisces, totque alia delicata alimenta, ne deliciæ nobis deessent, quibus honeste refocillaremur. Seneca inquit: *Unde hæc innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? Unde illam luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est; usque in delicias amamur; Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Animalia omnis generis, alia in sicco, solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars, aliquod tributum nobis conferret.* S. Basilius Magnus alio in loco mysterium quoque explicat, ob quod Deus prius ingentem hanc mundi machinam, tandem vero ultimo loco hominem creaverit: Ait enim: *Neque enim ante omnia fecit Deus hominem, ne pauper, inopsque foret.* S.Gregor. Nyssenus intra semetipsum hunc in modum discurrit: *Quis mihi terram substravit? Quis pervium solertia atque industria naturam humidam fecit? Quis fixit mihi cælum tamquam cameram? Quis præstat mihi facem Solis? Quis emittit fontem in convallibus? Quis mihi brutorum animalium ministerium subjecit? Quonam fine Deus homini luminaria majus & minus creavit, nisi ad utilitatem ejus? Cui putas? Nulli nisi tibi*, inquit S. Bernardus. *Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea.*

S. Junilius in Caten.

Seneca lib. 4. De Benefic. c. 25.

S. Basil. Hom. 25. in aliqua script. loca. S. Greg. Nyss. orat. 1. in orat. Domin.

S. Bern serm. 14 super Psalm. qui habitat.

Job 12. v. 7. Provida Dei manus omnibus creatis contulit suum esse

Ps. 144. 16.

5. Apud Jobum cap. 12. dicitur: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi; Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris; Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Illa namque provida manus omnibus rebus creatis esse suum contulit, de qua Psalmista ait: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Nazianzenus cœlestes fornices, tot pulchris ornamentis decoros, cunctasque alias creaturas admirando considerans inquit: *Unde tibi hæc omnia, & à quo? Aut parva hæc oculisque subjecta dicam, cujus munere ac beneficio cæli pulchritudinem cernis, solis cursum, Lunæ orbem, syderum multitudinem, eamque quæ in his omnibus, velut in lyra elucet, concinnitatem, atque ordinem semper eodem modo se habentem, partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei, noctisque æquas portiones, terræ productiones, aëris fusionem, maris fluxi simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum proflavia?* Sphæræ cœlestes tot stellis elegantissimè sunt exornatæ, ut non solùm oculos nostros rapiant, verum etiam salutares nobis influxus communicent. Sol non solum ad hominis concurrit generationem, verum etiam omnibus alijs creaturis cooperatur; Illuminat stellas, planetas, suisque motibus & continuis circumagitationibus, in Zodiaci signis distinguit tempora, annos, menses, septimanas, dies, horas, imo & minuta indivisibilia.

A principio creationis mundi Deus nobis providit de omnibus necessarijs, usque ad ipsas delicias.

6. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Enimvero ab illo momento quo Deus terræ præcepit: *Germinet herbam virentem*, deinceps à sexies mille sexcentis, & amplius annis, tot produxit herbas, tot arbores, cum tot fructuum varietate, pro temporum diversitate non solùm victui nostro utilium, verum etiam appetitui & gustui nostro seu palato complacentium, ut vere dicere possimus, quod *usque in delicias amamur.* Verumenimvero quia non omnia mundi climata, nec omnis terra ab illa producenda apta est & idonea, quibus indigemus; ideo hominis ingenium erudivit ad commercium ex uno polo ad alterum transigendum, idque per hoc quod male navigabile reddiderit, unde pretiosissimæ merces ab Indis ad nos, & vice versa à nobis ad Indos, nec non varia pro varijs infirmitatibus nostris transportantur ab ipsis antipodis potentissima remedia: Navigationi quoq; de magnete prospexit, quo mediante naucleri ex uno regno ad aliud, imo ex uno mundo ad alium secure discurrunt, adeo ut permutando merces nostras cum alterius mundi mercibus nobis incognitis, optime verificari possit illud Psalmistæ: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Nazianz. orat. 16.

Ps. 134. v. 7. A providentia divina producti sunt venti.

7. Stupenda quoque est divina Providentia in hoc, quod ventos crearit: *Qui producit ventos de thesauris suis*; Per hos enim aër purificatur, per quem vivimus, & ex quo respiramus; Solis temperantur ardores, agitationes navium in mari promoventur; aquæ similiter agitantur, quæ si stagnarent, marcescerent utique, locaque vicina pestifera contagione inficerent. Ejusdem quoque Providentiæ effectus sunt salinæ, quæ modo quodam admirabili naturaliter, simulque per artem productæ, tantæ sunt necessitatis, ad vitam humanam transigendam; ut sine ipsis homo subsistere non possit; Ab hac quoque Providentia tot aquæ minerales, varijs infirmitatibus pellendis proficuæ, tot plantæ medicinales, lapides & gemmæ, non solum pretiosæ, sed & salutares proficiscuntur.

Salinæ.

Mineralia & plantæ Medicinales.

Ros, pluviæ & nives.

8. Considerandum quoque est aliud ejusdem providentiæ specimen. Etenim quia terra rore, pluvijs, & nivibus indiget, ut suos possit nutrire, & ad augmentum perducere fructus, ideo hunc rorem ex vaporibus generari facit, quos Sol ex eadem terra, & aquis, elicit, & attrahit; Quia vero hi vapores ventis indigent, quibus ex mari in aera deportentur, ibidemque simul condensentur; ideo ab exhalationibus terrestribus generari facit ventos; Et ut hæ exhalationes generentur, disponit, ut stellarum, planetarum, & præcipuè Solis influxus cœlestes ad hunc finem opportunum terræ conferant subsidium ad effectus illos producendos; Quia vero cœli nequaquam sunt animati, & consequenter ex seipsis per rationem & discursum tempore opportuno operari nequeunt, ideo supremus rerum omnium artifex cœlis de intelligentia quadam angelica prospexit, quæ primum mobile indefessè agitat, & voluit, quod sui motu omnes alias sphæras, dependenter à primo mobili influentes, intra viginti quatuor horarum spatium quotidie secum rapit: *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit.*

Ps. 134. v. 7.

Recensetur providentia Dei circa animalia ad nostrum servitium deputata.

9. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, &c.* Insuper necessum est admirari continuam, nec umquam intermissam Dei Providentiam, quam se circa omnia animalia ad nostrum servitium deputata habere ostendit, quibusdam enim illorum in proprium situm terram assignavit, alijs aquam, aërem alijs, nonnullis etiam pro alimento assignavit carnes, alijs vermes, multis herbas; Homini vero tamquam omnibus creaturis superiori fructum nobilissimum, id est frumentum indulsit præter tot alios cibos sapidos, & delicatos. Omnibus quoque viventibus de instinctibus prospexit ad victum necessarium conquirendum proportionatis. Quibusdam arma defensiva, & offensiva impertitus est, hisce videlicet cornua, illis ungues, alijs dentes; Animalia vero inermia & timida sagacitate & astutia communivit, ut ferocium animalium sylvestrium violentiam evadere possint, ut patet in vulpe, & lepore; Imbellibus Damis magnam indidit ad currendum agilitatem, & velocitatem, ut fuga sibi consulere possint. Insuper sciendum est, quod unumquodque animalium naturaliter agnoscat cibum sibi salutiferum, nec non & illum, qui illis nocivus est, hancq; notitiam habent ab herbarum odoratu, qui in ipsis vivacior esse solet, quam in nobis. Observandum quoque quod quia animalibus ad nostrum servitium deputatis ratio deest, seu discursus rationalis, ad prospiciendum sibi de vestimentis, prout nos per ingenium nostrum nobis consulere consuevimus, ideo Deus aliqua animalia pellibus, alia setis, alia lanis, alia plumis, alia spinis, alia squamis induta, alia conchis inclusa nasci voluit, juxta propriam uniuscujusque naturam.

Flores, & arbores.

10. *Omnia subjecisti.* Videri quidem nonnemini posset, pulchritudinem florum solum ad delectationem nostram à Deo ordinatā esse, scilicet ut oculus & odoratus suas inde habeant illecebras; Veruntamen quis est qui nesciat, multos ex ipsis medicinales esse, nostræque sanitati corporali valde salutiferos. Quot in se rosa virtutes continet beneficas? Ex arboribus multæ destinatæ sunt, non solum ad varia poma producenda, verum etiam ad subministrandum igni suum alimentum, ad suppeditandum ligna pro trabibus, tabulis, alijs usibus necessarijs, vel utilibus, & specialiter ad fabricandas naves, triremes, ut inde facilius pro omnium mercium provisione comparanda reddatur commercium: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; Omnia creata fuerunt ut nostro usui, & servitio subjiciantur.

Ps. 8. v 8.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Eadem Providentia non solùm quoad corvos, verum etiam quoad res minimas consideratur.

THEMA.

Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Luc. 12. ỳ. 24.

Eccli. 24. 5. Matt. 13. 35. Divina providentia expenditur circa corvos, & alias minimas res.

1. INcarnata Sapientia, quæ de semetipsa dicit: *Ego ex ore Altissimi; prodivi*; Et alibi: *Eructabo absconditā à constitutione mundi*; Hæc, inquam, vide quo nos invitet, audi lectionem, quam nobis tradit: *Considerate corvos.* Quod si nos remisisset ad spirituum angelicorum hierarchias, rem quidem se dignam præstitisset, hoc autem non facit, sed dicit: *Considerate corvos*, cum tamen hæ aves sint turpes, deformes, & rapaces; Quod si dixisset, considerate aquilas, vel considerate Phœnices, non adeo admirarer, corvus autem alijs quoque volatilibus est abominabilis, & tamen altissimus Deus illius nutriendi, ipsisque prospiciendi curam habet: *Et Deus pascit illos.* Porro corvi non solùm non seminant, sed neque colligunt ab alijs seminata, ut formicæ faciunt, nec granarium habent, nec cellam vinariam.

Ps. 103. 16. Continuatur divina providentia quoad corvos.

2. Psalmista Regius inquit: *Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani, quas plantavit, illic passeres nidificabunt*; Quasi dicere vellet, cœlum curam habet, ut pluvijs suis, tam modica camporum arbusta, quam altissimas Libani Cedros, in quibus passeres nidificabunt, humectet, & irriget. Hebræus legit: *Saturabuntur ligna Dei.* Et ideo per hæc ligna Dei homines ad beatificam visionem Dei creati, suiq; filij inæstimabili sanguine irrigati intelliguntur, qui hoc sanguine irrigantur, ut in fertili Ecclesiæ agro crescant in virtutibus, bonorumque operum fructus producant. Per Cedros vero Libani, Spiritus beati intelliguntur. Et vero quod divina Providentia tam hominibus, quam angelis invigilet, quid mirum? At vero quod etiam de corvis solicitudinem habeat, quis hoc non obstupescat? Aristoteles corvos naturaliter rapaces & voraces esse refert, siquidem non uno genere pastus, sed diversis comestibilium rerum speciebus utuntur, quod aliæ volucres nequaquam facere solent; Corvus enim præterquam quod carnibus sese nutriat, insuper etiam seminibus, fructibus, vermibus, alijsque cibis pascitur; Cum igitur corvus non quemadmodum alia animalia solertiā & industriā prædita, repositoria aliqua habeat, in quibus alimenta sua recondat, cadavera quoque continuo difficulter inveniat, ut gulositatem suam satiare possit, Deus tamen illius satiandi curam sibi vendicat, tametsi pro vita longæva benefactoribus suis ingrati sint, & inutiles. Porro lusciniæ, & aliæ similes aviculæ eos à quibus pascuntur, cantu suo exhilarant, falcones Dominis suis utilissimas prædas adferunt; At vero corvus ingratissimus est, & ad aliud nihil, quam ad morticinia devoranda idoneus; Corvus diuturno tempore in arca Noë à diluvio universali vivus præservatus fuit, cumq; postea à Noë emitteretur, ut reversus desideratum cessantis diluvij afferret nuncium, ingratus, & arcæ oblitus cadaveribus depascendis incubuit. Aliæ volucres cantum aliquem edunt, vel valde gratum, vel saltem non totaliter displicentem; Corvus autem continuo *cras*, *cras* crocitando exosus est, idque tanto magis, quia typus est peccatoris, nigri & deformis propter culpam, & de die in diem suam procrastinantis pœnitentiam; Et tamen Christus de æterno Patre suo dicit: *Et Deus pascit illos.* D. Chrysostomus inquit: *Et nos quidem magnis exemplis tibi superna cogitanti, carnalia non defutura probare contendimus; Deum autem pro suæ Majestatis insignibus, de suis dubitantem promissis ad vilia & extrema remittit exempla; Considerate*, inquit, *corvos &c. Dubium merito infidelem ad avem mittit, amicam belli, furoris sociam, insatiatam sanguine, & in ipsos mortuos ferro gravius sævientem; Namque cessante gladio, carnifex improbissimus exanime grassatur in corpus, laniat, dissipat, spargit, nequid funeris inventum cui &c. misericors sepultura commendet. Itaque Dominus exemplo tali exaggerat dubitantis insaniam, qui putat hic Deum pijs filijs denegaturum, quod impijs avibus subministrat.*

Aristot. l. 6. Hist. anim. c. 6.

D. Chrysost. serm. 163.

Deus providit corvis de acutissimo odoratu.

3. Singulari autem consideratione dignum est mysticum illud verbum *considerate*, siquidem multæ sunt considerationes, quæ de hac volvere instituti possunt, per quas cœlestis Patris illam nutrientis providentia magnificatur. In primis namque quia corvi ut plurimum carnibus vescuntur, illis rapina victum sibi acquirere non adeo est facile, quemadmodum alijs avibus rapacibus, hæ enim à natura armatæ sunt vel rostro, vel unguibus, vel dentibus, vel alijs ejuscemodi armis, quibus alia volatilia deprædantur; Corvo autem quonam modo providit Deus? Nimirum dedit eis odoratum adeo acutum, ut odorem ex uno monte ad alterum multis milliaribus distantem percipere, indeque cadavera ibidem jacentia odoratu assequi possint.

Job 38. 41. Providentia divina quomodo pascat pullos corvorum.

4. *Considerate corvos.* Sciendum est insuper aliud ejusdem providentiæ specimen, quod verè summe est admirabile. Apud Jobum dicitur: *Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant cibos?* Pro cujus loci intelligentia notandum est, quod patres & matres corvorum, videntes quod, quamdiu parvuli sunt, colorem nigrum in plumis suis nequaquam referant, sed album, eos adulterinos existimantes, plane deserunt, nec pro filijs suis agnoscant, nisi postquam in progressu temporis obscuri, fusci, & deformes evadant; Hæc autem corvorum, dum pulli etiamnum sunt, verificat illud Christi: *Et Deus pascit illos*, quia ut nonnulli Scriptores tradunt, dum pulli corvorum crocitant, seque velut Deo commendant, Deus abundantem è cœlo rorem super illos mittit, quo pro eo tempore aluntur; Hoc indicant verba Psalmistæ dicentis: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Alij dicunt, Deum efficere, ut quo tempore pulli corvorum in nido hærent, in eodem nido parvuli quidam nascantur vermes, unde sustententur; Alij denique scribunt, quod circa nidos illorum parvulæ quædam muscæ circumvolitent, ut illas capientes vitam suam sustentent. Quidquid hac de re sit, verissimum est, quod *Deus pascit illos*, suprema namque illa Majestas, & increata sapientia, quæ tribus digitis mundum sustentat, pro pullis corvorum nutriendis solicitudinem habet. Sanctus Apostolus quidem interrogat: *Namquid de bobus cura est Deo?* Verumtamen boves ad minus terram arant; idque faciendo victum nobis procurant, at vero corvi omnino inutiles sunt, & ad nihilum proficui.

Ps. 146. v. 9.

1. Cor. 9. v. 9.

S. Aug. ser. 6. de verb. Domini.

S. Ambros. Exam. l. 3. cap 7. Providentia Dei etiam se extendit ad minima.

5. Nec solum Deus curam de corvis sustentandis habet, sed ut ait S. Augustinus: *Videte, quia nec minima contemnit Deus.* Sanctus Ambrosius in suo Hexameron ita discurrit: *Et forte mirentur aliqui, quod prius pecori pabulum, quam cibus homini sit creatus. In quo primum profundum Dei consilium debemus advertere, quod etiam minima quæque non negligat, sicut in evangelio Sapientia Dei dicit: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* S. Augustinus alio in loco exemplum illud à cœlesti Magistro de lilijs & avibus adductum, considerans, inquit: *Ipsa autem documenta, non sic allegorice discutienda sunt, ut quæramus quid significent aves cæli, aut lilia agri, posita sunt enim, ut de rebus minoribus majora persuadeantur.* Observandum vero est, quod non solum dixerit, lilia, verum insuper addiderit, agri, quia lilia hortensia ab industria Hortulani manu, & exacta illius

S. Aug. de ser. Dom in monte, lib. 2. c. 22.

illius cultura exculta sunt, non vero item illa, quæ in campis nascuntur alpestribus; Et tamen de hisce lilijs Deo specialis est cura. Unde Lucas Burgensis ait: *Agrestia quæ passim in agris occurrant lilia, hæc omnem decorem suum acceptum referunt uni Deo; Hortensia videri possunt aliquid humanæ curæ debere.* Subdit Christus: *Videte quomodo crescant, non laborant, neque nent; Id est*, ut Lyranus exponit, *sine sollicitudine illorum, & secundum quantitatem suam à Deo vestiuntur*; Deus enim author naturæ adeo eleganter illa exornat, ut ipsemet Christus dicere non dubitarit: *Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Lucas Burgensis inquit: *Rerum naturam, quæ à Dei providentia est, hominum cura, hominum industria imitari potest, assequi non potest.*

Luc. Burg. ibid. — *Lyranus.* — *Matth. 6. 29* — *Luc. Burg.*

6. Aliud exemplum à Christo adductum, hoc est: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* Præcitatus Lucas Burgensis circa illa verba acutè observat, Christum noluisse adducere majoris molis animalia, cujusmodi sunt ursi, Leones, elephantes, *sed animalium minima, quæ tantùm fere vacantia, & velati obiter cibum sumentia, maximè à solicitudine libera videntur.* Albertus Magnus rationem assignat, cur incarnata Sapientia inter animalia pro divinæ Providentiæ suæ symbolo aves potius elegerit, diciteque id factum esse: *Primo, quia cibus volatilium magis sparsus est, & incertus, quam aliorum animalium, propter quod natura dedit eis alas ad volandum, & pedes ad ambulandum.* Præterea advertendum est, quod avibus multæ à venatoribus & aucupibus struantur insidiæ ad capturam; Et ideo Deus illis agilem & velocem volatum attribuit, ut hominum insidias evadere possint. S. Ambrosius providum considerat artificium, quo nonnulla volatilia creata fuerunt; Ita enim scribit: *Inveniemus Cornicis pedes velut quibusdam digitis distantibus separatos, atque divisos; Corvorum quoque atque pullorum aliter etiam formatos à natura pedes. Avium, quæ carne vescuntur, quasi in curvos, atque sinuatos, velut ad prædam paratos. Ea vero, quæ natandi habent usum, & consuetudinem, latos habent pedes, & membrana quadam illos digitos pedum sibi copulatos, atque conjunctos. In quo admirabilis patet ratio naturæ, ut & illa ad volandum, vel rapiendum cibum usu accommodo fulciantur; & ista ad natandum adjumenta habeant competentia, quo melius possint aquis supernatare, & quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarum fluenta propulsent. Cygnus quoque cur proceriori collo utatur, in promptu causa est, ut quia est paululum segnior corpore, nec facile potest aquarum inferiora penetrare, cervicem extendat ad prædam.* De ciconijs & gruibus pariter scriptum reperio, quod quia breves habent tibias, ideo in creatione sua collum longum acceperint, ut tanto facilius rostro in terram pertingere possint; Cattis, seu felibus, quæ in obscuritate noctis muribus capiendis invigilant, utpote quæ hominibus damnum ingens & molestiam conciliant, natura oculos dedit particulari quadam luce præditos, quæ multis alijs animalibus nequaquam est communis, ut hac ratione inter tenebras noctis instinctum illum, propter quem specialiter generati fuere, adimplere valeant.

Matth 6. 26 — Ad astruendã divinam providentiam remittit nos Christus ad volatilia, & minora animalia. — *Alb. Magn. in Matth.* — Provido artificio nonnulla volatilia creata sunt. — *S. Ambr. l. 5. Hexam. c. 22*

7. Rupertus Abbas observat, quod quando pater cœlestis omnibus viventibus suum assignavit cibum, *ut sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & universis quæ moventur in terra*, insuper addiderit; *Et in quibus est anima vivens*, hisque ultimis verbis insinuare voluerit, divinam curam suam etiam ad exigua illa & minuta animalia se extendere, quæ motum progressivum non habent cujusmodi sunt aliqua, quæ saxis semper adhærescunt, vitamque habent, non vero motum; Et de his dicit: *Nec ista divinam excepisse Providentiam, Scriptura indicat.* Notandum quoque est, quod quando Deus terræ præcepit dicens: *Germinet terra herbam virentem*, insuper subjunxerit: *Et facientem semen*; Neque enim Deo sufficiebat, quod terra herbam germinaret, & fructus produceret, verum insuper disposuit, ut semina ederent, idque non solum ut per hæc omnis herbarum species semper successive conservarentur, verum etiam ut multa horum seminum diversis animalibus cederent in nutrimentum, ac proinde præcepit, ut hæc semina herbas & plantas in magna copia adducerent, ut hac ratione utrique fini servire possent. Sanctus Ambrosius varias considerat Providentias, quibus Deus, multis fructibus cautum & prospectum esse voluit; Sic enim scribit: *Alia sunt quæ coquuntur Sole, alia quæ testis, aut corticibus clausa complentur. Mala, & pira, uvarum quoque genera omnia, nuda objecta sunt Soli; Nuces autem, nucleique fructus, & testa opertus, & cortice alitur; Tamen & ipse calore Solis nascitur atque nutritur, & quantum pinea densitate nucleus absconditur, tanta deinde Domini Providentia, ut ubi mollior fructus, ibi folij densitudo, validius tegumentum tuendo deferat pomo, quod videmus in fructu ficulneæ. Delicatiora itaque validioribus muniunda sunt.* Et paulo post subdit: *ubi teneri fructus, ibi crassiora tegmina, & munimenta foliorum. Contra autem ubi fructus validiores, ibi teneriora folia, ut Malus arbor docet. Fructus enim validus non multo indiget protectionis auxilio, nam ipsa protectionis crassioris umbra pomo nocere plus potest.* Eamdem quoque hanc Providentiam idem sanctus Doctor in Pampinis in hæc verba considerat: *Denique doceat nos Pampinus naturæ gratiam, & divinæ Sapientiæ interna mysteria; Videmus enim ita scissum atque divisum, ut trium foliorum speciem videatur ostendere; Ita pars media distincta est, ut nisi inferioribus hæreret, separata spectantibus videretur. Ea autem ratio videtur servata naturæ, ut & Solem facilius admittat, & umbram obtexat. Denique procerius media pars ejus extenditur, ut plus pulchritudinis, quam tegumenti præferat. Etenim bravij speciem videtur effingere; significans quod uva inter pendentes cæteros fructus habeat principatum, cui tacito quodam judicio naturæ, sed evidenti indicio innascitur species, & prærogativa victoriæ. Secum igitur habet bravium suum, quo & munimen sibi præbetur adversus injurias, atque aëris pariter, imbriumque violentiam, & impedimentum non affertur ad recipiendum Solis calorem, quo tepefacta alitur, coloratur, augetur.* Idem S. Ambrosius pergit ulterius, & industriam divinæ Providentiæ curam in producendis ficulneæ folijs hisce verbis delineat: *Ficulneæ quoque folium æque prope ut Pampinus quadrifida interscinditur divisione, quod eo clarius videtur, quo majus est folium. Sane non ita ut Pampinus, vel ora omni, vel summitate crispanti. Sicut enim in ficulneæ folio crassitudo validior, ita in Pampino species elegantior. Crassitudo igitur folij proficit ad tempestatis injuriam repellendam; Intercisio ad fructus gratiam vaporandi. Denique hoc genus pomi grandinem non cito, maturitatem cito sentit; quia & latere videtur adversum injurias, & patere ad gratiam.* Merito igitur verba illa S. Job: *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam*, mihi tantisper variare liceat, & dicere: *In folio quod vento rapitur, ostendis sapientiam & providentiam tuam*; Tandem prædictus S. Archi-Episcopus ita concludit: *Quid ego foliorum describam diversitates, quemadmodum alia rotunda, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora sint, alijs nullis facile ventis labentia, alia quæ levi motu decutiantur aurarum.*

Gen. 1. 29. & 30. Rup. Abb. l. 7. in Gen. cap. 5. — Cura divina etiã se extendit ad illa viventia, quæ motum progressivum nõ habent. — *Gen. 1. 11. Ibid.* — Expenditur providentia Dei circa multos fructus & herbas. — *S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 14.* — *Job 13. 25.*

8. Verumenimvero à folijs ad granum transeamus seminatum, in eoque pariter præeunte S. Ambrosio divinam à nobis parum consideratam Providentiam supra modum admiremur: Dicit enim S. Ambrosius; *Suscipit granum tritici putris gleba, & sparsum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fovet, & comprimit; Inde cum se granum illud resolverit, herbam germinat, grata ipsa jam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus sativi similitudine sui prodit, ut in ipso suæ stirpis exordio, cujus generis herba sit, recognoscas, atque in herbis fructus appareat, paulatimque adolescit ut fænum, culmoque pubescens erigitur, & assurgit. Ast ubi se geniculata jam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera ejus primordia aut frigus lædat, aut Solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæva decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen, nexu quodam inter se naturalis colligationis astricti: quam providentia divina formavit, & ne frugis numerosioris pondere, velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curvetur in terram. Tunc supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, ut quasi quadam in arce prætendat, ne avium minorum morsibus spica suis exuatur fructibus, aut vestigijs proteratur.* Eadem quoque infallibilis Dei Providentia studuisse cernitur in formando stylo, cui spica frumenti innititur, qui adeo subtilis est & gracilis, ut nullæ super illum aves grana ejus devoraturæ quiescere possint.

Admirabilis providentia Dei consideratur in granis. — *S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 8.*

Quid

Quid dicam, quemadmodum clementia Dei humanæ prospexerit utilitati? fæneratum terræ restituit, quod acceperit, & usurarum cumulo multiplicatum.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Ad Deum spectat abundanter nobis prospicere, id quod in specie in persona Jacob probatur.

THEMA.

Dat omnibus affluenter. Jac. 1. ℣. 5.

1. NAturalis Dei proprietas est, quam erga creaturas exhibet, beneficentia; Unde merito S. Jacobus Apostolus dicit: *Dat omnibus affluenter.* Enimvero imaginemini vobis sylvam quamdam spinis, tribulis, dumetis, & stirpibus undequaque obsitam, & in horum medio malum floridissimam, pomisque copiose, & abundanter onustam, quæ omnes transeuntes viatores ad illa decerpenda, & degustanda blande invitet, cum tamen econtra omnes aliæ plantæ solum intentæ sint, ut viatores hinc inde pungant, vestibusque implexæ easdem lacerent; Et hoc est quod cœlestis sponsa de dilecto suo sponso; id est Deo asserere voluit, dum ait: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Porro falsa paganorum numina sunt veluti spinæ & dumeta, quæ aliud non cogitant, quam sibi bona attrahere aliena, dicuntque semper: *Affer, affer:* Hujus autem naturæ Deus noster non est, sed *dat omnibus affluenter*, nec de alia re æque solicitè curat, quam ut nobis benefaciat, nobisque prospiciat, non solum de bonis necessarijs, verum etiam utilibus, & ad delicias spectantibus ac proinde manum semper habet apertam, dicente Psalmista: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Naturalis Dei proprietas est, creaturis suis benefacere. — *Cant. 2. v. 3.* — *Ps. 144. 16.*

2. Antiqui gentiles in multis rebus mysteria fidei nostræ spectantibus, sacris utebantur litteris, earumque ducatu procedebant. Unde Ægyptij, referente Pierio Valeriano, in suis Hieroglyphicis sub Symbolo manus, in cujus vola oculus apertus & vigil exprimebatur, divinam repræsentabant Providentiam, hac subjuncta Epigraphe: *Oculata manus.* Hoc autem quod Gentiles de falsis fingebant Numinibus, in Deo nostro *ad unguem* adimpletur, siquidem de eo dicitur: *Aperis tu manum tuam &c. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus, ... ut alat eos in fame*; Quamvis Psalmista hisce verbis parce nimis loquatur, siquidem ille ipse, qui nos sic orare docuit: *Pater noster qui es in cælis; ... Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ille inquam apertè testatur, quod Pater ejus cœlestis, pari beneficentia benedictiones suas temporalem concernentes provisionem super reprobos depluat, qua fidelibus suis benedicere solet: *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos & injustos.* Unde per experientiam videmus, quod etiam in Regionibus Turcarum, aliorumque populorum, qui veri Dei inimici sunt, bona terrena abundent, haud secus ac infidelium provincijs; Ac proinde S. Jacobus merito dicit, quod Deus *dat omnibus affluenter.*

Olim symbolum divinæ providentiæ fuit manus, in cujus vola depictus erat oculus. — *Pier. Valer. lib. 4. v. Manus.* — *Ps. 144. v. 16.* — *Ps. 32. v. 18.* — *Matth. 6. 9. Lucæ 11. 3.* — *Matth. 5. 45.*

3. Dij gentilium mendaces numquam satiantur, unde idolum Bel quod in Babylonia adorabatur, quotidie ingentem sibi annonæ provisionem deposcebat, dicente Scriptura: *Impendebantur in eo per dies singulos similæ Artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ sex*; Non vero hæc est Dei nostri indoles, utpote cui proprium est suam creaturis communicare beneficentiam, adeo, ut si ab hac desisteret, Deus ut ita dicam, esse desineret. Unde Alexander ab Alexandro inquit: *Ita Deus curam hominum cum Deitate cumulavit, ut post orbem conditum Deus esse non possit, si nostri curam non habeat.* Audiatis velim quid sponsa in Canticis de cœlestis Sponsi, & provisoris nostri manibus dicat: *Manus illius*, inquit, *tornatiles, aureæ, plenæ Hiacynthis*; ubi alij legunt: *Manus ejus sicut cauda pavonis*; Etenim cauda pavonis, ut omnibus constat, plena est oculis, ac proinde cum oculus, ut diximus, vigilantis cujusdam Providentiæ sit symbolum, sponsa dicere voluit, Deum oculos suos in omnes mundi partes habere directos, ut omnium necessitatibus invigilet; Eodemque tempore manus suas extendit, ut hæc bona temporalia ad nostrum usum creata nobis affluenter communicet. At vero quinam sunt hujus manus digiti? De quibus apud Isaiam dicitur: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Respondeo igitur hi tres digiti sunt Bonitas, Sapientia, & Omnipotentia, quibus Providentia divina innititur. Et quidem bonitas est, quæ bona sua vult communicare creaturis; Sapientia ordinat & disponit, quo modo idipsum exequendum sit; Omnipotentia denique idipsum, quod vult bonitas, & Sapientia disposuit, adimplet, & exequitur. Unde Ennodius ita scribit: *Largis meatibus cælestium munerum unda procurrit, transeunt haurientis ambitum, quæ à Christo veniunt fluenta donorum, sola vena est, quæ maciem nescit, & defectus abjurat.*

Dei providentia erga nos extollitur tamquam ipsi connaturalis & intrinseca. — *Dan. 14. v. 2.* — *Alex. ab Alex. l. p. q. 26. Memb. 5. Art. 1.* — *Cant. 5. 14.* — *Isa. 40. 12.* — *Ennod. lib. 3. Epist. 12.*

4. Antiqui Gentiles, ut S. Augustinus notat, in ea fuerunt opinione, quod solus Jupiter mortalibus subveniat, idemque ex effectuum beneficiorum ab ipso redundantium varietate à Divinitatis suæ cultoribus diversimode appelletur. Adeo ut sicut ait: *Ipse in æthere sit Jupiter, ipse in aere Juno, ipse in mari Neptunus, in inferioribus etiam maris ipse Salaria, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in locis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sydeiibus Sol, Luna, & Stellæ, in divinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Jano initiator, in termino terminator, Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in sylvis, Minerva in ingenijs*; Adeoque omnes salutares effectus Jovi attribuebant, utpote qui à juvando suam sortiebatur nomenclaturarum, ad denotandum, quam speciale divinitatis attributum sit, creaturis prospicere, & benefacere! Imo Deus ad benefaciendum tanto est promptior, & velocior, quanto omnibus rebus creatis est intimior; Ac proinde S. Augustinus in Epistola quadam ad Dardanum ita scribit: *Sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum.* Porro Psalmista de hoc attributo Beneficentiæ differens non sine causa in hæc verba prorumpit: *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus; spes ejus in Domino Deo ipsius, Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.* Circa hæc enim verba Theodoretus observat, quod postquam David dixisset: *Spes ejus in Domino Deo ipsius*, confestim subjungat: *Qui fecit cœlum & terram, & mare &c.* Demum vero postquam hujus Creatoris, in tot creaturis, per cœlum, terram, aëra, & aquas dispersis, indicasset omnipotentiam, subjungit: *Talis universitatis Conditoris est potentia. Cernis igitur quantum differunt caduci Principes à rerum omnium opifice? Sic cum ostendisset rerum omnium conditorem, demonstrat ipsum curam gerere eorum quæ fecit.* S. Gregor. Nazianzen. ait: *Omnia facit Deus, atque immutat, & velati per circulum universum hunc mundum gubernat, ita ut ex aëre aqua ex aqua terra, ex terra ignis producatur.* Et vero omnes creaturæ tam sensibiles, quam insensatæ, ad exequendam in providendo homini communis Creatoris voluntatem omnino sunt promptissimæ; Ac proinde inter Deum, & principem quemdam terrenum hæc intercedit differentia, quod dum hic numerosæ aulicorum suorum familiæ vigilanter vult prospicere, multos ministros, sub promissis stipendijs cogatur conducere, inter quos unus sit Promuscondus, alter cellarius, tertius vestimentorum custos, quartus Triclinij præfectus, & sic deinceps de alijs officijs; At vero cœlesti Patri pro bono totius generis humani regimine, & sustentatione abunde sufficit, quod manum suam aperiat, seu quod idem est dicere, velit, volendo enim suscitat ventum, qui pernices in abundantia subministret, præcipit, & per spatium quadraginta annorum cœli angelica replentur annona; Ordinat nubibus, ut agros fœcundent, ventis, ut favorabiles Zephyros edant, plantis, ut fructibus sese onerent, denique terræ, ut partus suos progerminet; *Aperit manum suam, & implet omne animal benedictione; Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

Gentiles attribuebant Jovi omnia beneficia hominibus præstita. — Idem Augustinus. — *S. Aug. lib. 4. de Civit. Dei cap. 11.* — Deus promptissimus est ad benefaciendũ nobis. — *S. August. Epist. 57. ad Dardan. Q. 1.* — *Psal. 145. 5. Ibid. v. 6.* — *Theodoret. ibid.* — *Nazianz. Orat. 1. Apolog.*

5. Quæri hoc loco posset, cur David de confidentia à nobis in Deum habenda differens, eumdem potius *Deum Jacob* appellet, dicendo: *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus*, quam *Deum Abrahæ, vel Isaac*, quemadmodum in pluribus Sacræ Scripturæ locis sæpe appellatur? Pro responsione notandum, quod quando Jacob relicta domo paterna ivit in Mesopotamiam, ut Esau fratris sui odium & persecutionem evaderet, adeo fuerit omnium rerum necessariarum expers, & inops, ut primo vespere sub dio super nudam terram somnum capere coactus fuerit, adeoque famelicus extiterit, ut summæ felicitatis loco æstimarit, si vel frustum panis, ad sedandam famem haberet, ac proinde hoc votum Deo nuncupavit: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum.. Erit mihi Dominus*

Ps. 103. 28. — Quare David vocaverit Deum, Deũ Jacob, & non Deũ Abrahæ vel Isaac. — *Gen. 28. 20.* — *Ibid. v. 21.*

Scala Jacob fuit symbolū providentiæ divinæ.

in Deum; Videns itaque Deus quod Jacob in supremæ Providentiæ suæ ulnas se conjiceret, admirabili hac visione illum honoravit, qua vidit cœlos apertos, scalam quoque mysticam à cœlorum vertice ad terram usque protendentem, per quam angeli descendentes ascendentesque cernebantur; Pariterque consolatus est eum, efficiendo ut ipsum quoque *Dominum innixum scalæ* conspiceret; Adeoque abundanter illum protexit, & in locis peregrinis locupletavit, ut merito ex Mesopotamia reversus dixerit: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.*

Gen. 32. 10.

Theodor. ibid.

Deum Jacob igitur non temere vocavit, inquit Theodoretus, *sed admonens nos quantam opem consecutus fuerit; cum in Deo spem suam constituisset, & quot fructus spei percepit, ut in Deo hujus speremus, commonefacit.* Multi porro sunt sacri Interpretes, qui scalam istam divinæ Providentiæ symbolum fuisse, ac proinde Deum innixum scalæ à Jacob visum esse asserunt, quia Providentia divina omnium causarum secundarum causa est, norma, ac primum mobile, dicente Poëta: *Qui tempus ab ævo ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.* Nos quidem multa casualiter & fortuito contingere credimus, quæ tamen ab infallibili Altissimi Providentia vere sunt ordinata. Sic in libro Ruth dicitur: *Accidit autem, ut ager ille haberet Dominum nomine Booz.*; Vatablus legit: *Forte fortuna in agrum venerat Booz.* Nos enim, utpote quorum oculi penetralia arcana Dei permeare nequeunt:

Ruth. 2. v. 3.

Rom. 11. 33.

(de quibus Apostolus ait: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus; & investigabiles viæ ejus:*) fortuitò id contingere credimus, quod revera divina dispositione fit. Pro cujus intelligentia notanda est doctrina quædam Philosophica, à S. Augustino adducta, prius tamen ab Aristotele lib. 2. *de Eruditione*; & ab Alexandro Aphrodisæo his verbis tradita: *Fortuitò evenire ea, quorum finis non est agentis intentione præstitutus*; Id quod sequenti potest similitudine clarius explicari. Si enim aliquis agrum suum fodiens, ut fructum redderet copiosiorem, thesaurum quemdam in agro olim sepultum reperiret, hæc thesauri inventio fortuna appellaretur; In hoc autem casu veritas quædam notanda est, in qua maximum momentum consistit, nimirum quod illa quæ fortuito eveniunt respectu illius personæ, quæ tam felicem fossionis suæ exitum non sperabat, nec expectabat, non tam sunt fortuita respectu Dei, utpote qui sciebat, quod tale quid ordinasset ob fines nobis occultos. Qua doctrina supposita verba illa, quæ in libro Ruth dicuntur: *Accidit autem &c.* primo quidem intuitu casum fortuitum indicare videntur, cum tamen ipsissima veritas sit, quod Deus per infinitam suam sapientiam fortunam sapientis hujus mulieris ita expressa intentione ordinarit, dando ei optimum maritum, ex cujus progenie Deus Davidem: & ex ejus prosapia post multa sæcula elapsa proprium unigenitum filium suum nasciturum, & carnem assumpturum esse sciebat.

S. Aug. l. 5. de Civit. Dei c. 5.

Omnis fertilitas agrorū & fructuum Deo, non humanæ industriæ adscribenda est.

6. S. Augustinus in libris *de Civitate Dei* in capite, cujus hic est titulus: *Causam Romani Imperij, omniumque regnorum, non fortuitam esse, nec in stellarum positione consistere*, de hac materia fusius tractat, ubi inter cætera ostendit quod quando agri sunt fertiles, vineæ uvis copiosè onustæ, poma nascuntur in abundantia, hanc fertilitatem nequaquam propriæ industriæ adscribere debeamus, siquidem *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*; Primo igitur & præcipuo loco omnis fertilitas in acceptis referenda est Deo, *qui dat omnia affluenter.*

1 Cor. 3. v. 7.

Ulterius deducitur mysterium scalæ Jacob.

Porro scala Jacob, quæ, ut dictum est, divinæ Providentiæ est Symbolum, una extremitate cœlum, altera vero terram tangebat, ad denotandum supremam illam Providentiam ad omnes creaturas intellectuales, sive cœlestes, sive humanas, se extendere; Atque insuper ad omnia creata, omniaque viventia. Deus in vertice scalæ consistebat, dum ministri angelici per illam ascendebant, ut per hoc mendaces efficiantur perversi illi, qui Deum blasphemabant dicentes: *Circa cardines cœli perambulat, & nostra non considerat.* Contra quos S. M. Ecclesia in collecta quadam hunc in modum orat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrena moderaris.* Huic quoque scalæ accommodari possunt verba illa: *Attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia*, hoc enim ineffabili huic proprium est Providentiæ. In Authore quodam moderno super illa verba: *A fine usque ad finem &c.* citatam invenio sequentem S. Augustini doctrinam: *Attingit à fine usque ad finem, id est, à cœlo usque ad inferiores partes terræ, à maximo angelo usque ad minimum vermiculum.*

Job. 22. 14.

Job 22. 14.

Sap. 8 v 1.

Observandum quoque est, quod hæc scala videbatur à cœlo descendere, ac tum demum postea terræ inniti; Nos vero per scalas omnino oppositum facimus; prius enim scalam super terram collocamus, camdemque postea in altum erigimus, ac tunc per scalam ad illam partem acceditur, quam volumus; Cujus differentiæ mysterium hoc esse existimo; Cum enim hæc scala Dei providentiam significet, conveniens est, ut primo à cœlo eamdem promanare agnoscamus, *quæ desursum est sapientia.* Unde Clemens Alexandrin. super illa Psalmistæ verba: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, inquit: *Quia divina Providentia desuper ex ijs quæ sunt principaliter, tamquam ex capite pervadit ad omnia.* Prius enim altissima illa Sapientia in cœlo disponit, prævidet, & prospicit omne illud, quod in beneficium nostrum in terra futurum est.

Psal. 132. 2.

Clem. Alexandr. l. 6. stromat.

Præterea considerandum est, quod sicuti scala duo habet latera, quibus gradus scalæ infiguntur, ita Providentia Dei stipata est fortitudine & suavitate; propter quod dicitur: *Attingit à fine usque ad finem fortiter*; Ecce fortitudinem; Et postea subditur: *Et disponit omnia suaviter*; Ecce suavitatem, per quam Deus operatur, dum fines à se intentos absque ulla voluntati nostræ illata violentia assequitur. Gradus vero hujus scalæ, sive Providentiæ divinæ sunt varij modi, quibus Deus in mundi hujus dispositione & regimine utitur. Unde cum Deus sceptrum imperij moderetur, de ejus Providentia dicere possumus: *Astitit regina à dextris tuis, circumdata varietate*, scilicet modorum, seu mediorum quibus utitur.

Sap. 8. 1.

Ibid.

Ps. 44. v. 10.

Deus ipsemet voluit esse custos Jacob, in omnibus eventibus.

7. Verumenimvero ut discursus noster ad Jacob denuo revertatur, tantopere à Deo amatum, juxta illud: *Jacob dilexi, Esau odio habui*; Jacob merito de Deo lamentari potuisset, quod se à Domus paternæ commoditatibus, & à parentibus suis, à quibus tenere amabatur, avulsum, inter medias collocasset angustias, atque ideo ut illum consolaretur, non dixit: Deputabo tibi angelum quemdam in custodem, sed ut efficacius illum consolaretur, semetipsum illius se custodem futurum promisit, dicendo: *Ero custos tuus*; Idque non solum in eventibus periculosis, sibique incognitis, quæ in illo itinere ei occurrere poterant, sed in omnibus, & quibuscumque eventibus, quos ubique sibi obvios habere poterat; Ideo dixit: *Ero custos tuus, quocumque perrexeris.*

Malach. 1. v. 2.

Gen. 28. 15.

Poterat insuper lamentari Jacob, quod patrem, matrem, cognatos, patriam, amicos, vitæ commoditatem, divitias, primogenituram deserere cogeretur, & tamquam advena & peregrinus sub climate quodam sibi ignoto inter homines idololatras circumvagari, & in manifestum constitui periculum, ut in duram quamdam servitutem redigeretur; Ideo Deus, ut illum animaret, eidem angelicos ostendit exercitus, in ejus servitium, & protectionem preparatos; Et quia domum propriam deserebat, ideo æternæ veritatis promissione illum remunerabat, dicendo: *Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo*; Angustias etiam, per quas ejus experiri voluit virtutem, abundanter premiavit dicendo: *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* D. Chrysostomus observat quod quando Jacob dixit: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via &c.* id non dixerit, quasi divinis promissionibus non adhibuisset fidem, *non enim erant verba solicitudinem gerentis, sed à Deo cuncta quærentis.* Si enim omnes vitæ Jacob periodos examinaveritis, invenietis, quam abundanter ipse præ cunctis alijs admirabiles providæ assistentiæ Dei effectus expertus fuerit.

Ibid. v. 13.

D. Chrysost. Hom. 22. in Matth.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Habemus jus expectandi alimenta à Deo, utpote qui à nobis tamquam Pater noster invocari voluit; Et quidem qui omnia animalia pascit, multo magis filios suos sustentabit.

THEMA.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Luc. 11. ℣. 3.

Legitima in re postulamus à Deo panem quotidianum.

1. SAlvator noster in ea quam nos docuit, oratione quotidiana, voluit, ut æternum Patrem suum, nostrum quoque patrem compellaremus: *Cum oratis, dicite: Pater noster*, quia ad patrem pertinet suis providere filijs, eosque sustentare; Nec hoc contentus, inter alias prædictæ orationis petitiones voluit, ut modo quodam imperativo, non vero deprecativo panem

peteremus, dicendo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; Ubi observandum, quod panem illum *nostram* vocemus, quia tametsi panis ille a Deo proveniat, nos tamen jus & legitimam pretensionem habemus, ut eo nutriamur. In Exodo hoc a Deo præceptum impositum fuisse legitur: *Pones super mensam meam panes propositionis in conspectu meo semper*; At vero quo fine Deus hosce panes in conspectu suo continuo positos esse voluit? *Quid tibi, & panibus Domine?* Quærit Oleaster, *Numquid manducabis carnes taurorum, aut panibus facierum vesceris?* Et quidem tametsi dictus Oleaster subjungat: *Considera, qualiter ministros suos cibet Deus*; Paulo post tamen ad propositum nostrum aliam congruentiorem hujus assignat rationem, dicens: *Voluit etiam semper coram se panes habere, ut continuo nostræ indigentiæ memor esset, quemadmodum pia mater ante se panis frustra ponit, ut parvulis panem petentibus frequenter subveniat.* Inter alias quoque rationes, ob quas æternum patrem suum à nobis quoque patrem nostrum appellari voluit, una hæc est, quia Ly *pater* etymologiam suam à *pascendo* deducit.

Exod. 25. 30.

Oleaster.

Pulchrum exemplum.

2. In vita Magni illius servi Dei Joannis Baptistæ Vitelli de Fulginio (qui etiamnum vivens beatus vocabatur) legitur, quod omnes indifferenter etiam Religiosi, Prælati, & Cardinales ipsum Patris nomine appellare soliti fuerint, tametsi Presbyter sæcularis esset, quos Dominos, non verò Patres appellare consuevimus. Hunc autem titulum merebatur, eo quod erga pauperes supra modum charitativus esset, iisq; haud secus, ac si pater illorum fuisset, abundanter prospiceret. Christus apud Matthæum Apostolis suis dixit: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum*; Quam quidem sententiam licet expositores multifariam interpretentur, nos tamen illam ad nostrum quoque propositum adaptare possumus. Parvuli enim cibum & potum, somnum, lusum, ambulationem à parentibus expectant, non cogitant, aut soliciti sunt pro victu, sed patris, & matris curæ se totaliter committunt; Si quempiam illorum interrogaveris, quis, ubi hæc vestis trita fuerit, de novo te vestiet? Quis merendam, prandium, cœnam dabit? Quis de lecto tibi providebit, respondebit utique non est meum hac de re cogitare, aut solicitum esse, sed hoc ad parentes pertinet. Videtur igitur Salvatorem nostrum ab Apostolis suis exegisse id, quod hodie à Religiosis magis reformate viventibus fieri videmus, hi enim in divinam Providentiam se totaliter committunt, ad eum modum, quo parvuli parentum se solicitudini credunt, nec ullam habent circa hoc solicitudinem, vel curam, sed soli divino servitio sunt intenti; *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.*

Matth. 18. 3.

Quare Christus jusserit nos effici sicut parvulos.

Matth. 6. 32.

Euthym. ibid.

Circa quæ verba Euthymius ita scribit: *Non dixit autem: Scit Deus, sed: Scit Pater vester, quo maximam habeant fiduciam; Ex quo enim pater est, & talis pater, filios despicere non poterit, & pati, ut rerum necessariarum indigentia deficiant, cum neque terreni patres id sustineant, & quia omnibus his scit vos indigere, dabit utique.* Cornelius Jansenius circa eadem verba ita scribit: *Quæ certè sententia magnam habet energiam, nam ad hoc ut quisque posita solicitudine totum se alicujus providentiæ committat, nihil aliud requiritur, quam ut certus sit de illius providentia, & potestate, & scire illum suas necessitates.* Deus autem egestatem nostram novit, quia *ipse scit figmentum nostrum*, cum nos creaverit ad sustentandam vitam alimenti omnino indigos, *Scit, quia his omnibus indigemus*; De ejus itaque providentia & omnipotentia plane certissimi, sciamusque quod ab eo veluti à patre tenerrimè amemur, ideo namque patris nomine à nobis appellari voluit, dum nostrum ab eo panem deposcimus; Nam ut D. Chrysostomus parum ab Euthymio differens, inquit: *Non dixit: Novit Deus, sed Pater vester, ut eos profecto ad spem certiorem vocaret; Si ergo est pater vester, & pater talis, nequaquam profecto patietur despici à se filios.* Videri quidem posset nonnemini, inquit D. Chrysologus, quod necessitas victûs quam patimur, nobis motivum præbere debeat solicitudinis, sed revera non est ita, imo potius verum est omnino oppositum, siquidem tunc Pater vel maxime filios sustentare tenetur, *quando non habent aliunde*: Unde idem D. Chrysologus super prædicta verba ita scribit? *Qui patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui rerum nos fecit hæredes, qui nos in nomine hoc sublimavit, qui nos suo & honore donavit, & regno, ipse nos, ut panem quotidianum postulemus, urget.* Idem sanctus Doctor super illa verba: *Considerate corvos, Deus pascit illos*, tale format argumentum: *Exemplo tali exaggerat dubitantis insaniam; qui putat Deum hoc pijs filijs denegaturum, quod impijs avibus subministrat.*

Corn. Jansen. cap. 42. Concord.

D. Chrysost. Hom. 23. in Matth.

D. Chrysol. ser. 67.

Luce 12. 24.

D. Chrysol. ser. 163.

Quare jubeamur dicere panem nostrum, & non potius panem tuum.

3. *Panem nostrum.* Interrogare nonnemo posset, quonam mysterio Christus nos jusserit dicere: *Panem nostrum*, & non potius *panem tuum*? Dubium hoc movet, pariter & solvit S. Gregorius Magnus, dicens: *Ecce & nostrum dicimus, & tamen ut detur oramus.* Observandum est igitur, quod licet res aliqua quæ nostra est, in manu sit alterius, jure tamen a nobis tamquam nostra postuletur; Panis tamen cum in potestate nostra non sit positus, sed eum nobis dare ad Deum pertineat, juxta illud: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; quomodo igitur illum nostrum vocare poterimus, priusquam illum habeamus? Subdit S. Gregorius: *Noster quippe fit cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur; Et Dei ergo est ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem.* Possumus tamen hujus aliam assignare rationem, cur scilicet *panem nostrum* dicamus, nimirum quia ad prætendendum hunc panem jus habemus, quando ipse voluit, ut patrem illum vocaremus, hoc enim titulo ad paternam erga nos filios suos obligatur Providentiam. Dici quoque potest, quod quis rem aliquam suam nominare soleat, cujus habet usum, usus autem panis, aliarumque rerum comestibilium ad nos pertinet, non vero ad Deum; Sic pariter omnia alia bona terrena supremus artifex ad nostrum servitium creavit. His adde, quod divina liberalitas in beneficium nostrum adeo sit prodiga, ut libenter permittat, quod nostrum appellemus id, quod revera est suum; Hic igitur panis partim suus est, & partim noster, suus quidem, quia illum creavit, illum conservat, nobisque illum paterne subministrat, ideoque eumdem per supplicam ab illo postulamus, ab eoque expectamus; Juxta illud: *Omnia à te expectant, ut det illis escam in tempore.* Noster vero dici potest, non solum quia illum, ut diximus, in beneficium nostrum creavit, cum ipse eo non indigeat, nec incolæ cœlestes, verum etiam, quia revera omnes creaturæ, multo vero magis panis, qui ad nostram sustentationem est necessarius, ad usum nostrum est deputatus.

S Greg. lib. 24. mor. c. 5.

Psal. 144. 16

Ps 103. 27.

Deus titulum patris nobis præ alijs creaturis indulget.

4. Increata Sapientia ad idem intentum probandum efficax valdeque stringens adducit argumentum, dum ait: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa, nonne magis vos pluris estis illis?* Ubi bene notandum, quod Salvator noster hunc titulum patris alijs viventibus non indulgeat, tametsi & ipsa ab æterno suo patre sustententur: (*Omnia à te expectant, ut des illis escam; Aperis tu manum tuam, & imples omne animal*) sed soli homini dixerit; *Pater vester.* Unde Jansenius ait: *Non enim dicit: Et Deus Pater pascit ea, sed pater vester, & cælestis, Cum dicit: Et Pater vester, significat Deum, qui volatilia pascit, cum illorum tantum sit Dominus, non pater: Multo magis nos, quorum etiam Pater est, pasturus est, cum proprium patris officium sit, filijs alimenta prospicere.* Nec est quod dicat aliquis, quod ex quo nominatur Pater cœlestis, nullam sit habiturus curam de nobis, qui sumus in terra, juxta illud: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum: Circa cardines cœli perambulat, & nostra non considerat.* Sed turpiter decipitur, quisquis ita arbitratur, quia Deus alta à longe cognoscit, nec avium curam habere dedignatur, quia *Pater vester cælestis pascit illa:* Quanto ergo minus dedignabitur nos? *Cum nec indignum se putet Providentiam suam extendi ad volatilia?* Albertus Magnus similiter notat, quod Christus æternum Patrem suum Patrem avium non appellarit, Unde ait: *Pater vester, non illorum, quia non sunt ad imaginem ejus, neque habent Spiritum adoptionis filiorum, & ideo minor cura est ei de eis.* Lyranus argumentum illud, seu ut melius dicam, illam quam Christus ex prædictis præmissis deducit consequentiam, scilicet: *Nonne magis vos pluris estis illis?* considerans, inquit, axioma est Philosophicum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Quod si igitur Deus creaturarum etiam minimarum curam habet, illas sustentando, idque facit ob servitium, quod homini præstare debent, quanto magis credendum est, Deum specialem hominis curam habiturum? *Nonne vos, id est, nonne natura humana*, inquit Lyranus, *est majoris ponderis coram Deo? Quia animalia facta sunt propter hominem.* Sanctus Apostolus in 1. ad Corinth. ait: *Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti:* Moxque subjungit: *Nonne de bobus cura est Deo?* Quibus

Matth. 6. 26.

Jansen. ibid.

Ps 113. 16.

Job. 22. 14.

Matth 6. 26.

Alb. Magn. ibid.

Lyranus.

1. Cor. 9. 9

Ibid.

postremis verbis non vult negare, quod Deus boum, vel aliorum animalium, etiam quoad molem corporis minorum curam non habeat, sed vult dicere, quod solicitudo illa, qua Deus animalia sustentat, exiguæ, seu potius nullius sit considerationis, comparativè ad illam quam de hominibus habet. Unde S. Hieronymus super illum Habacuc textum: *Facies hominis quasi pisces maris*, inquit, *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium curam esse dicentes.* Potius igitur cum incarnata sapientia argumentemur *à minori ad majus, dicendo: Nonne vos magis pluris estis illis?*

Habacuc. 1. 14.
S Hieron. ibid.

Ps. 103. 27.
Cum vermes & vilissima animalia à Deo propriū accipiant alimentum, quanto magis homo. Apta similitudo.

5. *Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore;* Vermes vilissimi, omniaque viventia, quantumcumque sint infirma, & modica, proprium à Deo alimentum expectant, quanto igitur magis idem jus homo habebit, ut illud prætendere possit, tamquam Patris cœlestis filius? Quod si hominem quemdam videres divitem, cujus unica esset recreatio, rapaces propria manu pascere aves (cujusmodi sunt Falcones) canes item venaticos, & equos ad equitandum, feras quoque septis suis inclusas, demum & ut volucres suaviter cantillantes, idemque dives eo præcipue fine id faceret, ut recreationem quamdam, & complacentiam præberet filio suo, utpote quem tenerrime amat, possesne hoc videns aliqua ratione imaginari tibi eumdem divitem panem denegaturum esse tali filio à se unicè dilecto, & immensarum divitiarum suarum hæredi unico? Porro certum est, quod omnia animalia ad hominis servitium sint destinata, juxta illud: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, &c.* imo multa illorum pro sola recreatione homini serviunt, qua igitur ratione homo suspicari poterit sibi defuturum esse alimentum illud, quod etiam canibus abunde subministratur? D. Chrysostomus ab Hugone Cardinali citatus tale format argumentum: *Animalia omnia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter seipsum, si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum?* Audiamus D. Chrysologum dicentem: *O miserum! O tota infelicitate dignissimum, cui cum detur regnum, suspirat panem, cum perpetuitatem donet, deflet potum, cum immortalitatis gloria induatur, plangit corporis indumentum.*

Ps. 8. v. 8.
D. Chrysost. cit. ab Hugone in c. 6. S. Matth.
D. Chrysol. ser. 163.

Aliud pulchrum & accommodum simile.

6. Melius idipsum sequenti similitudine declarabimus. Quod si enim Rex aliquis unicum habens Filium Regni sui hæredem, eumque velut oculorum suorum pupillam diligens, sumptuosum & elegantissimis marmoribus incrustatum, picturis & statuis exquisitissimis exornatum, hortis amœnissimis, piscinis, lacubus, sylvis, & alijs similibus delicijs circumdatum ei fabricaret palatium, idemque filius non obstante hac paterni amoris demonstratione adhuc se victu necessario destituendum esse metueret, numquid talem delirare diceres? Aut vero si ratione destitutus non esset, fatereris utique talem Filium tam exiguum de patre suo adeo erga se benefico & liberali, formantem conceptum gravissime eumdem offensurum esse, ac proinde à patre hoc vel simile objici posse improperium; Tunc frustum panis tibi defuturum esse times, pro cujus commoda & delicata sustentatione plantatæ sunt tot innumeræ arbores pomis onustæ, pro quo hæ uvæ in torcularibus exprimuntur; Pro quo tot pisces hisce natant in aquis, tot aves in illis circumvolant septis, tot feræ in hisce muro cinctis sylvulis oberrant, cui demum quotidie lautissimam & sumptuosissimam mensam præparare satago? Dicite auditores, pro quo Deus amplissimum hoc mundi palatium fabricavit? Numquid pro homine? Idipsum vel gentilis Seneca agnovit, qui Deum hominem in hoc mundo *tamquam in pulcherrimo domicilio* collocasse dicit: Pro quo hosce cœli stellatos fornices extendit? Pro quo illas marium tot piscibus redundantium piscinas effodit? Pro quo aëra tot avibus, terram tot alijs animalibus adimplevit, numquid pro homine? *Constituisti eum super opera manuum tuarum, Oves & boves universas, insuper & pecora campi: Ut sint nobis in escam*, non Angelis, qui cibi incapaces sunt, & puri Spiritus, è quibus Raphaël dicere non dubitavit: *Ego cibo invisibili utor:* Quod si igitur hæc omnia in nostrum beneficium fuere creata, ut quid diffidimus nos à Deo fore sustentandos?

Seneca de Benefic. l. 2. c. 29.
Ps 8. v. 7.
Ibid. v. 8.
Gen. 1. v. 29.
Tob. 12. 19.

S Cypr. Lib de oper. & Eleem. c. 4.

7. S Cyprianus hac de re hunc in modum discurrit: *Quod si Deus providet passeribus, si tot pascit aves, quæ strictam adeo cum Deo conjunctionem non habent, sicut habet homo, quanto magis manus ipsius erga nos provida erit, & solicita? Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo adeo charo aliquid existimas defuturum?* Considerate obsecro, qualiter cœlestis magister suos, reprehenderit Apostolos quando hi divinam ejus providentiam sibi defuturam esse monstrabant. Refert enim S. Marcus, quod cum Salvator noster una cum discipulis suis navem conscendisset, hique recordarentur, se oblitos fuisse panis secum in navim asportandi (*Et obliti sunt panes sumere, & nisi unum panem non habebant secum in navi*) Tunc Christus illis prædicare cœpit, & dicere: *Videte & cavete à fermento Pharisæorum:* Cognovit enim, quod circa victum, & provisionem corporalem anxijs & solicitis distraherentur cogitationibus, dicente Scriptura: *Cogitabant ad alterum dicentes: Quia panes non habemus:* Quo cognito, ait illis Jesus: *Quid? Cogitatis quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum... Nec recordamini Quando quinque panes fregi in quinque millia? Quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei duodecim: Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?* Ex quo Discursu & improperijs charissimis & immediatis scholæ suæ discipulis objectis clare deducitur, quantum Deus offendatur, quando in ordine ad victum necessarium de divina ejus providentia diffidimus.

Christus reprehendit Apostolos providentiæ suæ minus fidentes.
Marc. 8. 14.
Marc. 8. 15.
Ibid. v. 16.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 20.
Ibid. v. 21.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Varia adducuntur argumenta à Christo, ad condemnandam nostram de divina ejus Providentia diffidentiam, in medium adducta.

THEMA.

Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini; Nonne anima plus est quam esca? Et corpus plus quam vestimentum? Matth. 6. ℣. 25.

Cum Deus nobis dederit nobilē animā & corpus etiam indubiè dabit minora ad illorum sustentationem necessaria.

1. Salvator noster ad eradicandam è cordibus nostris de divina erga nos Providentia diffidentiam, sequens in medium adducit valde fortiter concludens argumentum: *Nonne anima plus est quam esca, &c.* quasi diceret, ut Doctor Angelicus exponit: *Qui dedit majora, dabit minora, sed Deus dedit animam & corpus, ergo qui dedit hæc, servabit ea?* S. Antonius de Padua in sermone quodam similiter ita scribit: *Formavit carnem alimentis egentem, quomodo non etiam alimenta præstabit?* D. Chrysologus postquam ostendisset, quod quidquid Deus creavit, hoc totum in nostram deputarit utilitatem, subjungit: *Sed quamvis magna hæc sint, parva tamen sunt ad supernæ dilectionis in nos indicium.* Deus nobis hoc corpus donavit, quod est veluti parvus quidam mundus; Unde Sanctus Basilius ait, quod verba illa Psalmistæ: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, de admirabili illa intelligantur Symmetria & artificio, quo cum homo formatus fuit. Donavit quoque Deus nobis animam, quæ cum ipso indissolubiliter conjungatur, quæque majoris est valoris & pretij, quam sint omnia creata, ac proinde Sanctus Augustinus ait: *Meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse, quando nos fecit, & composuit ex anima & corpore, quam est alimentum, atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult; Nonne, inquit, anima plus est quam esca? Et cur hoc dixit? Nisi ut tu intelligas, eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum.* Author operis imperfecti similiter hoc incarnatæ Sapientiæ argumentum ponderat dicens: *Confirmat spem nostram, primo de majoribus ad minus, nisi enim voluisset conservare quod erat, non creasset; Quod autem sic creavit, ut per escam, servetur necesse est, ut det ei escam, quamdiu vult esse quod fecit.* Sanctus Augustinus in Psal. 61. scribens ita discurrit: *Pascet te, qui fecit te. Qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos: Si pascit damnandos, non pascet liberandos?* Enimvero per omnium sæculorum experientiam clare videmus, quod divina providentia ad hoc non respiciat, an scilicet in gratia ex amicitia sua constituti sint omnes illi, super quos ipsa diffunditur, quia *super justos & injustos*, tametsi: ut infra dicetur, super servos suos longe benigniores immittat influxus, quia oculi Domini super metuentes eum. Verum enim vero ut quoad hanc providentiam Divinam verum formemus conceptum, operæ pretium erit sequentem considerare similitudinem. Contingat enim quod Princeps aliquis pro familia filij sui aliquot centenos stipendio servos conducat, eosdemque opulentissimis linteis inducat, quis in hoc casu credere poterit, principem talem permissurum, ut filius, in cujus honorem & utilitatem hæc omnia abundanter prospexit, præ frigore contremiscat, & fame enecetur? Albertus Magnus super prædicta thematis nostri verba inquit: *Ergo multo magis addet ea, quæ propter animam & corpus creavit. Sciat quia sine victu & vestitu esse non possunt, & omnia propter hominem creavit.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 5. post. Trinit.
D. Chrysol. ser. 69.
S Basil. Ps. 138. v. 6.
S. August. l. 2 de ser. Dom. in monte cap. 22.
Auth. op. Imperf. ibid.
S. Aug. in Ps. 61.

Ps. 32. v. 18.
Alb. Magn. in Matth.

Quare in oratione Dominica jubeamur petere panem pro hodie.
Luca 11. 3

2. Nescio an aliquando observaveritis, quod quando Salvator nos orationem Dominicam perorare docuit, hanc quoque petitionem inter alias nobis insinuarit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; At vero dic obsecro, cur Ly *hodie* adjunxit. Pro resolutione observandum, quod olim populus Israëliticus sub ducatu & regimine Moysis ex Ægypto egressus, secundùm veriorem computum numerum trium millionum adæquaverit, quia solum illi, qui ense ad pugnandum accincti erant, ad sexcenta millia ascendebant; Via autem, per quam ad terram promissionis transeundum illis erat, vasta quædam, inculta, & sterilis erat solitudo, ubi extrema erat penuria, & licet secum farinam asportassent Ægyptiacam, hæc tamen ipsis subitò defecit; Ac proinde nisi divina providentia miraculosè illis de annona prospexisset, omnibus utique pereundum fuisset; Quid igitur hic fecit Deus? nota est omnibus annona Angelica, quam per tot annos quotidie in deserto super illos depluit: *Panem de cœlo præstitisti eis*; Hanc autem annonam cum qua limitatione prestitit? Nimirum voluit, ut de pane illo Angelorum pro uno dumtaxat die colligerent, quantum pro illo die sufficiebat, idque in mensura quadam stricta, & specialiter nominata, excepto solo illo die, qui Sabbathum præcedebat, quod si vero ordinem à Deo præscriptum prætериissent, ultra mensuram præscriptam colligendo, mox manna vermibus scaturiebat. Circa quam historiam Oleaster ait: *Dignum inquisitione est, cur Domine non dedisti eis panem ad mensam, aut quem ad hebdomadam saltem servare possent, sed ad singulos dies?* Moxque solvit dubium dicendo: Deum in hac occasione demonstrare voluisse, quod quotidie sine ulla hæsitatione à divina ejus providentia dependere debeamus. *Vult Deus*, inquit, *nos semper ab ejus Providentia pendere, quoniam novit nos non adituros eum, nisi indigeremus, qua in re melior est pauperum, quam divitum conditio, sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum, ut eorum misereatur, & necessaria saltem ad illum tribuat diem.* Quam igitur nos meliorem viam ingredi poterimus, si ad veram terram promissionis pertingere velimus, quam fuerit illa, quam populus Israëliticus ingressus fuit, justum enim est, ut pro nostro viatico adipiscendo vivam spem concipiamus.

Oleast. in c. 16. Exod.

Solicitudo gentium in quærendo victu & vestitu nobis interdicitur.
Matth. 6. 32
Gen. 3. v. 19.
Rup. Abb. ho. l. 6. in Matt.

3. Advertendum quoque est, quod in eodem capite sexto S. Matthæi, in quo Christus nostram in ordine ad victum habendum condemnat diffidentiam, hanc confestim subnectat rationem: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Sed quid audio? Ergone Christiani numquam habebunt necessum, ut pro vita sustentanda panem requirant? Numquid Deus primo homini dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es?* Rupertus Abbas hujus propositionis Christi sensum in hæc verba declarat: *Quid aliud est hoc dicere, nisi ac si dicatur, eritis enim gentibus similes, quorum Deus venter est, si solicitudini huic, quam interdico, postponitis Deum.* Multi etenim sunt, qui anxietatibus, & solicitudini circa hæc terrena bona immersi, ne vel semel recordantur oculos suos levare in cœlum. Quando igitur Christus dicit: *Hæc omnia gentes inquirunt*, vult dicere, quod gentiles paradisum suum hic in terris sectentur; De quibus proinde dicitur: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœtosæ... Boves eorū crassæ, non est ruina maceriæ, ... neque clamor in plateis eorum, Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*; Totum enim illorum studium ad hoc contendit, ut hic commodè vivant: Horum igitur comparatione pravam nostram condemnat solicitudinem, qua principaliter de bonis terrenis cogitamus, cœlestia negligentes. Cæterum vero nostram diligentiam ad procurandam necessariam sustentationem requisitam, nequaquam prohibere intendit. Dici quoque posset, quod Christus hoc loquendi modo miseriam indicare voluerit gentilium, utpote qui magnam habent occasionem ut sint anxij & soliciti ad sibi de necessarijs prospiciendum, eo quod Dij ipsorum surdi sint, & muti: *Aures enim habent, & non audient, Oculos habent, & non videbunt*; Cum enim vel lutei sint, vel lapidei, vel lignei, vel metallini, nec audire, nec videre possint, multo minus illis prospicere, qui illorum se Providentiæ commendant: Imo, ut superius diximus, talis sunt naturæ, ut à devotis suis necessaria postulent, & requirant, nulla vero ratione hæc illis tribuant: Soli enim Deo nostro vivo & vero proprium est benefacere, utpote *qui dat omnibus affluenter.* Dionysius Carthusianus ait: *Cum solicitudine animi gentiles inquirant, qui divinam Providentiam vel non attendunt, vel negant, præsertim quantum ad hæc inferiora:* Sic enim Psalmista illos loquentes introducit: *Quomodo scit Deus? Et si est conscientia in excelso?* Unde Albertus Magnus ait: *Gentes quæ ignorant Deum, & putant hominem non ad aliud creatum, nisi ut sua industria hic ad tempus vivat.* Author operis imperfecti alium gentium subindicat errorem, dum ait: *In rebus humanis fortunam esse credunt, non Providentiam, neque judicio Dei vitas suas gubernari æstimant, sed incerto duci eventu, ideo merito timent.*

Ps. 143. 13.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 15.
Psal. 113. & Ibid. v. 5.
Jac. 1. 5.
Dion. Carth.
Psal. 72. 11
Alb. Magn.
Auth. Imperf. ho. 16.

Sine Dei providentia staturam corporis nec in minimo augere possumus.
Matt. 6. 27.

4. Idem cœlestis Magister ad eamdem nostram condemnandam diffidentiam alio quodam utitur non minus efficaci argumento, dicens: *Quis autem vestrum cogitans po*[illegible]*adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Ubi ly *cog*[illegible] mystica dictio est consideratione dignissima, quæ ut Interlinearis explicat, idem significat, quod *sua solicitudine, & sagacitate:* Tametsi enim quispiam sit potentissimus, sanus, sapiens, & sagax mundi Monarcha, suam tamen staturam adaugere non poterit, quantamcumque adhibeat industriam. Unde Lucas Burgensis hanc deducit consequentiam: *Si rem tantillam vestra solicitudo non potest, scilicet augere nonnihil staturam corporis, quomodo poterit corpus invita servare, quantávis annonæ opumque congesta copia, nisi aspiret providentia Dei?* Unde necessariò credendum est, quod licet quis per laborem & diligentiam suam vitæ sibi annonam accumulaverit, staturam tamen altiorem independenter à divina Providentia sibi promittere non potest, quia ut D. Chrysostomus ait: *Corpus ipsum non tam alimonia sui crescit, quam providentia conditoris.* Idem quoque de vitæ annona studio nostro comparata dicere possumus, non enim conservabitur, nisi in providam Dei benedictionem speremus; Quin potius frumentum tuum marcescet; Vinum tuum in acetum commutabitur; Fructus verminosi erunt, quia ut dicit Apostolus: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Porro quam exquisitam Deus curam, quoad augmentum & conservationem corporis, & multo magis quoad necessarium ejus nutrimentum adhibeat; Author operis Imperfecti his verbis exponit: *Deus est enim qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente; Si ergo in teipso quotidie Dei Providentia operatur, quomodo in necessarijs tuis cessabit? Si autem vos cogitando, modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto?*

Luc. Burg. ibid.
D. Chrysost. hom. 22. in Matth.
1. Cor. 3. 6.
Auth. Imperf. ibid.

Taxatur inordinata cura vestium, quæ & ipsa dependet de providentia Dei.
Matth. 6. 28 & seqq.
Lyran. ibid.

5. Utitur & alio argumento Christus, ad propulsandam à nobis omnem anxiam, & ab ipso condemnatam solicitudinem: Ait enim: *Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent; Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est; sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Quorum verborum Christi sensum Lyranus sic explicat: *Cum vestimentum competat majus, vel minus homini secundùm quantitatem corporalem, & quantitas datur ei sine solicitudine sua, per consequens & vestimentum conveniens absque solicitudine superflua.* Cum enim Deus sibi vendicet curam, tam elegantibus coloribus adornandi flores, quorum natura est, ut ex uno die in alterum marcescant, quanto magis homo sperare poterit, sibi non defuturum esse necessarium vestimentum. Theophylactus ait, *Non solum per aves ratione carentes, nos admonet, sed & per lilia, quæ marcescunt, nam si Deus illa sic ornavit, quamvis nulla necessitas exigat, quanto magis penuriam nostram in vestibus supplebit?* Non poterat utique incarnata sapientia veritatem hanc efficaciori aut solidiori ratione convincere, nostramque diffidentiam rationabilius nobis improperare, quam per hoc adductum exemplum; Nam ut S. Hieronymus ait: *Revera quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid* ita

Theophyl.
Similitudo florum.
S. Hieron.

ita candet ut lilium? Violæ vero purpuram, nullo superari murice, oculorum magis quam sermonum judicium est. Cum igitur ipsemet Dei filius claris verbis edicat, quod paterna genitoris sui providentia curam habeat vestiendi flores campi, nobiliori, & opulentiori veste, quam umquam Rex Salomon per excellivam suam pompam, & inauditam magnificentiam æmulari potuerit, quanto magis non contemnet homines, cœlo possidendo ad imaginem & similitudinem suam creatos, eosdem in confusibili nuditate sua deserendo?

Matt.25.34 *Matth.6.30.* *Quanto magis vos?* Convincentior autem est ratio illa, quæ immediate sequitur: *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos?* Flores quidem hortenses aliquod solent oculis blandimentum, gustui quoque odoratum adferre; Multi etiam sanitati acquirendæ, vel conservandæ, sunt salutares: At vero herbæ pratorum, quæ ad fœnum, bestiarum que pabulum sunt destinatæ, nihil horum habent, quonam igitur fine divina Providentia etiam hasce viriditate, varijsque coloribus vestit & adornat? Nimirum ut modicam nobis fidem nostram, anxiamque solicitudinem improperet; *Quanto magis vos modicæ fidei? Hoc est, modicæ fiduciæ*, ut Albertus Magnus exponit, *Qui parva de Patre cœlesti præsumitis.* Doctor Angelicus super Matthæum ita scribit: *Hic commutat litium in fœnum, & argumentatur, quia si minoribus providet, providebit & nobis, qui potiores sumus quoad dignitatem substantiæ, & æterni sumus quoad animam, illud vero hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Maldonatus circa hæc verba ingeniosam quamdam habet reflexionem, quæ præteriti omnino non debet, dicit enim: *Hoc exemplo docere voluisse, Deum non solum necessitatis, sed etiam elegantiæ & pulchritudinis nostræ curam habere, ut ne ejus quidem causa solicitos nos esse oporteat, quemadmodum patres non solum providerint, ne quid liberis suis ad vitam, & studia, sed etiam, ne quid ad luxuriosam elegantiam, & honestam recreationem desit.*

Et herbarum. *Alb Magn. S.Thom.in Matth.* *Maldonatus.*

Agitur de providentia Dei circa animam nostram.

Pſ.8. v.6. *Matt.25.34* *Act. 20. 29.* *2. Cor.4. 7.* *Rup. Abb. l.2 in Gen. c.1.* *Matth.6.2.*

6. Verum enimvero resumamus ponderationem verborum illorum: *Nonne anima plus est quam corpus?* Et quidem attente, & in pondere sanctuarij trutinemus, quanti anima valeat, quantique ponderet, quam Deus ad imaginem & similitudinem suam creatam nobis infudit, thesaurisque cœlestibus locupletavit, ob quam Psalmista ait: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* Hunc animæ in altera vita cœlum empyreum pro Domicilio assignavit: *Paratum vobis Regnum à constitutione mundi*; In hujus custodiam Angelos destinavit; Hanc sanguine, & meritis inæstimabilibus unigeniti filij sui redemit, qui ut illam per gratiam suam sanctificaret, Sacramenta instituit, sanctamque Ecclesiam, *quam acquisivit sanguine suo*, in terra plantavit. Anima thesaurus ille est, de quo Apostolus loquitur dicens: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, estque adeo digna, ut Rupertus Abbas de ea in hæc verba scripserit: *Humana quippe creatura est illud opus, quod eadem beata Trinitas in qua sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret Spiritus Sanctus ignitet.* Adeo, inquam digna, tantisque meritis & dotibus sublimata, & insignita, ut ipsemet Deus, qui illam creavit, post suam incarnationem digniori illam cibo nutrire nesciverit, quam ipsomet sacratissimo corpore suo, *Nonne* igitur *anima plus est quam esca?* Quod si igitur huic corpori animam dedit pretio & valore inæstimabilem, qua ratione diffidere poterimus, quin pro conservatione corporis, quod illa vivificat, nobis daturus sit fructulum panis, quo etiam ipsimet canes abundant?

Deus nobis semper præparat prandium. *D Chryſ ſer. 163.*

7. Valde etiam consolatoria sunt, nobisque ad confidendum in Deum animum generosum suggerunt, sequentia S. Chrysologi verba: Ait enim sanctus hic Doctor: *Prandij tui semper & ubique Deus præparator assistit*; Posthisne architriclinum hoc experientiorem, magisque providum ac liberalem desiderare? Et paulo post subdit: *Deus corpus sicut ex diversis voluit constare membris, ita variatis dapibus voluit, & jussit enutriri. Superfluus est, ô homo, iste qui te exagitat timor, nam Creatoris ad prandium tota concurrit, & advolat creatura.*

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, qualis sit illa solicitudo, quam Christus condemnat, non enim Christus nostram, secundùm statum uniuscujusque diligentiam & laborem excludit, sed potius hanc à nobis requirit.

THEMA.

Ne solicitii sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Matth. 6. v. 25.

Qualis solicitudo circa corporis nostri necessitates prohibeatur.

1. Tametsi cœlestis Magister noster in prædicatione sua Evangelica omnia vitia à nobis evellere sategerit, nihilominus bene confideranti facile patebit, quod præ cunctis alijs anxietatem, & solicitudinem corporalem procurandi sustentationem è cordibus humanis eradicare studuerit, prouti præter alia loca in hoc cap. 6. S. Matthæi liquide patet. Scire tamen oportet, quod postquam Deus hominem post divini interdicti prævaricationem ad panem in sudore vultus sui manducandum condemnavit, decretum hoc semper firmum & immobile permansérit: Ac proinde merito quærendum venit, quænam sit illa solicitudo, quam cœlestis Magister noster condemnavit. Audiamus Jansenium dicentem: *Non omnem solicitudinem prohibitam esse, malæ docent Scripturæ, nam & Paulus manibus laborabat, ut victum sibi, & alijs præpararet; Et Ephesijs scribens præcepit, ut qui prius otiosi erant, laborarent, manibus operantes, ut haberent unde tribuerent necessitatem patientes: Et ad Galatas dicit, se solicitum fuisse, ut quod de provisione pauperum, qui erant in Jerusalem, Petrus & Jacobus, & Joannes ei commendaverant, exequeretur.* Idem Jansenius considerat, Christum specificasse, ob quem finem solicitudinem prohibuerit: *Quid manducabimus, satis significat, quam solicitudinem & curam prohibeat, videlicet, timidam, & anxiam, quæ hujusmodi cogitationibus, ceu quibusdam continuis æstibus exagitat hominem.*

Corn. Jansen. Concord. Evang. c.42.

Utrum liceat esse solicitum de temporalibus rebus. *S. Thom. 2. 2. Q. 55. Art. 6*

2. D. Thomas Aquinas Doctor Angelicus in articulo quodam quærit: *Utrum licitum sit solicitudinem habere de rebus temporalibus?* Et talem statuit conclusionem: *Temporalium solicitudo illicita est, si ea ut ultimus finis quærantur, Et si ad ea inquirenda superfluum studium adhibeatur; Vel nimium in his timeamus, ne nobis in necessitate deficiant.* Cujus conclusionis hanc subnectit declarationem: *Solicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum. Manifestum est autem, quod majus studium adhibetur, ubi est timor deficiendi, & ideo ubi est securitas consequendi, minor intervenit solicitudo.* Tres autem observat vitiosos defectus; Quorum primus est *ex parte ejus, ex quo solicitamur, si scilicet temporalia tamquam finem quæramus? Secundus propter superfluum studium quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à spiritualibus, quibus principaliter inservire debet, retrahitur. Tertius est ex parte timoris superflui, quando aliquis timet, ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant, quod Dominus tripliciter excludit. Primo propter majora beneficia homini præstita divinitus propter suam solicitudinem; Secundo propter subventionem, qua Deus animalibus & plantis subvenit absque opere humano, secundum proportionem suæ naturæ. Tertio ex Divina Providentia, propter cujus ignorantiam gentiles circa temporalia bona quærenda principaliter solicitantur.* Ex qua doctrina deducitur, quod solicitudo quæ interdicitur, non excludit laborem & diligentiam nostram, hoc enim esset tentare Deum. Porro Lucas Burgensis sensum verborum Christi literalem hoc modo declarat: *Solicitudinem vetat, immodicam illam, & anxiam, qua totus in hoc est homo, ut de rebus vitæ necessarijs sibi prospiciat, nihilque Deo commendat, nihil divinæ providentiæ relinquat, tamquam id solus ipse curare & possit, & debeat.* Est quoque advertendum id, quod S. Thomas super illa verba S. Pauli ad Philippenses: *Nihil solliciti sitis*, scribit; Ait enim: *Solicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest, & hoc est commendabile, & opponitur negligentiæ; Quandoque anxietatem animi cum defectu spei, & timorem de non obtinendo id, circa quod solicitatur, & hanc prohibet.* Hanc autem de divina Providentia diffidentiam nobis insinuat & persuadet avaritia, bonorumque terrenorum *per fas, & nefas* accumulatio immoderata, hæc enim cor nobis aufert, nec non affectum, & applicationem mentis, ad faciendum lucrum, & ad cogitandum de bonis spiritualibus & æternis. Dionysius Carthusianus verba Salvatoris: *Nolite ergo solliciti esse*, hunc in modum interpretatur: Scilicet *cum inquietudine mentis impediente pacem internam, & libertatem cordis in Deum.* Paulus de Palatio Christum hac interrogatione interpellat: *Quid Domine? Num providentiam damnas? Num prudentiam humanam à tuis expellis? Et respondet, Christum illis verbis* locutum fuisse cum suis Apostolis, & discipulis, quos per mundum dispersurus erat, ad præ-

Cornel. Jansen. Concord. Evang. c.42. *Luc. Burg.* *Philipp.4.6.* *S.Thom.ibid.* *Matth.6.31.* *Dion. Carth.* *Paul. Pal. in Matth.*

Quæ solicitudo vetetur.

dicandum Evangelium; *Hi enim cum sarcinam Verbi divini ubique ferre debeant, liberi à curis esse debent, ne penuriam timentes ab officio prædicationis abstineant.* Et ideo hisce promisisse omnem provisionem necessariam, & tametsi S. Paulus pro victu lucrando laboraverit, id tamen faciebat, ad effugiendum murmur illorum, qui ministros Evangelij arguebat, quod Christum annunciarent propter suum interesse, ut scilicet bene nutrirentur, ac proinde prædicatio merus esset prætextus ad ducendam vitam otiosam.

Non labor, sed immodica solicitudo prohibetur.

3. *Nolite solliciti esse.* Glossa horum verborum sensum egregiè declarat dicens: *In sudore vultus paratur panis, sed labor est exercendus, solicitudo tollenda.* Author operis imperfecti similiter inquit: *Soliciti esse vetamur, laborare autem jubemur; Sic enim & Dominus loquens ad Adam, non dixit: Cum solicitudine facies tibi panem, sed cum labore & sudore facies tuo; Ergo non solicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis.* D. Chrysostomus quorumdam nititur extirpare errorem, in quem incidere potuissent homines otiosi, & inverecundi, negligendo seminationem, siquidem Christus dicat: *Respicite volatilia cœli, quoniam non seminant, &c.* En verba Sancti Doctoris: *Quid igitur? Non oportet, inquies, seminare? Non dixit, quod seminare non debeas, sed quod solicitus hinc atque anxius esse non debeas, nec ait: Non oportet operari, sed quod pusillanimum esse non oportet, & curarum angore distendi.* Psalmistæ oraculum est: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Et merito id dicit, numquid enim forsitan Providentia Dei in cultura agrorum, & in laboribus nostris nullam habet partem? Imo multam & magnam, hæc enim est quæ vires nobis submistrat, vigorem, sanitatem, ut laborare possimus, & super agros benignos cœli immittit influxus, adeoque non ligones, aut aratra, sed primo & præcipuo loco terram fœcundam, & fructuum feracem reddit bonitas & liberalitas divina, hæc enim est quæ illos conservat & sustentat. Observandum est etiam modus quo S. Petrus Chrysologus de Deo nobis providente loquitur, huic enim vult ut conjungatur cooperatio nostra, non vero vult ut positis in sinu manibus expectemus affam columbam ori illabentem. En verba ipsius: *Quis Rex devotis militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus servis justa cibaria non ministrat?* Et tamen tam milites quam servi in sudore vultus sui panem suum lucrantur.

Gloſſa *Auth. Imperf ho. 18.* *Matth.6. 26* *D.Chryſoſt. hom.22.ibid.* *Pſ.127. 2.* *D.Chryſol. ſer.163.*

Christi exemplo instruimur quæ solicitudo licita sit.

4. Porro certum est, quod omnis Christi actio ad nostram dirigatur instructionem; Quis autem est qui nesciat, quod cum Apostoli illum sortiti fuissent magistrum, de quo scriptum est: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, hic autem sine dubio modicam illam familiam suam sine ullis medijs humanis sustentare poterat, & tamen constat, quod in manibus Judæ depositam habuerit pecuniam, qua mediante urgentibus collegij Apostolici necessitatibus subveniretur, ac proinde ex eo quod divinus hic provisor fecit, satis colligitur, quod diligentiam & provisionem circa sustentationem nostram, juxta humanam prudentiam regulatam prorsus excludere non voluerit. Interpres quidam circa illa verba Christi: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea*, ingeniose observat, quod non dixerit, *Non volant, nō canant*, quia volatus & cantus volatilium sunt proprietates naturales, sed *non seminant, neque metunt, neque congregant frumentum in horrea*, hoc enim non ad volatilia, sed ad nos pertinet, ac proinde nusquam invenieris Deum primam illam hominis ad laborem condemnationem revocasse, *scilicet, ut operaretur terram, de qua sumptus est; In sudore vultus tui vescēris pane tuo, &c.* naturalis enim hominis proprietas est laborare, siquidem ad laborem nascitur; *Homo nascitur ad laborem*, inquit Job, *& avis ad volatum.* Verum quidem est, quod docuerit nos omnem à nobis deponere solicitudinem, quæ consistit in timore, ne Deus deficiat, & desit partibus suis ad providendum nobis, licet ex parte nostra omnem adhibeamus diligentiam, in ejusque providentiam simul confidamus. S. Paulus ad Thessalonicenses ait: *Qui non vult operari, non manducet*; Et tamen hic Apostolus in cœlo Evangelium edoctus fuerat; Neque credendum est ipsum quidquam præcipere voluisse sensui Christi contrarium.

Proprietas hominis est laborare. *Gen.3. 19.* *Job.5. v.7.* *2. Theſſal.3. v.10.*

Providentia divina circa nos, non excludit nostrum labo-

5. Observat Lyranus naturam homini de vestitu, vel armis defensivis nequaquam prospicere voluisse, quemadmodum alijs animalibus providè prospexit, quia avibus dedit plumas, ut se contegerent, quibusdam dedit rostrum, ut se defenderent, alijs quoque animalibus dedit pelles villosas, dentes, cornua, aliaque similia arma defensiva, & offensiva, quia in his nihil est aliud præterquam natura, quæ semper ad unum dumtaxat est determinata, & ordinata; At vero eum homo rationalis sit, & intellectu præditus cum hac ratione & intellectu varios potest invenire modos, variasque artes, quemadmodum hactenus fecit; ad quærendum victum suum; seque ab omnibus sinistris eventibus tuendum, & defendendum; Neque solum homini provisum est de ingenio, verum etiam de manibus ad laborandum, de pedibus ad ambulandum, & de vigore, & robore ad labores diu sustinendos, *Et ideo oportet hominem de talibus solicitari; Quia tamen homo rationalis est, ideo ista solicitudo debet esse moderata secundùm regulam rationis rectæ, & talem solicitudinem non excludit Salvator, cum sit pars prudentiæ, aliter sequeretur, quod homo tentaret Deum, si expectavet ab eo omnia consequi necessaria, omittendo, quod debet fieri circa hoc, operâ humana.* Cajetanus dubium superius motum, circa illa verba: *Respicite volatilia, quoniam non serunt, &c.* in hæc verba resolvit: *Quemadmodum volatilia pascuntur à Deo, faciendo quod in se est, scilicet eundo ad locum, ubi cibus, & omittendo officia incompetentia illis, & excedentia vires eorum, ut sunt metere, & serere. Ita homo faciat quod in se est, exerceat officia, omittendo solicitudinem, utpote irrationalem, & excedentem vires ejus, utpote de futurorum contingentium eventu, divinæ proprio providentiæ.* Dionysius Carthusianus autem notat multas aves solitas esse multa in nidis, seu latibulis suis sibi congregare semina; Ac proinde sicut tales aves juxta proprium instinctum victum sibi per diligentiam & industriam acquirunt, *ita hominibus committitur labor & providentia, non solicitudo inquieta & avaritiæ.* Pro majori hujus quoque materiæ intelligentia advertendum est motivum quoddam Jansenij dicentis, Christum non voluisse prohibere culturam agrorum, sed dicere tantum, & monere voluisse, ut considerantes Dei providentiam in nutriendis avibus anxiam deponeremus solicitudinem & timorem quoad necessariam nostram sustentationem, persuadendo nobis, quod cum Deus avium quidem sit creator, noster vero insuper Pater, & tamen illas sine labore & industria propria alit, multo magis nos sperare poterimus, quod nobis tamquam filijs suis abundè sit prospecturus, maxime si laboraverimus, nostramque adhibuerimus diligentiam & industriam, idque tanto firmius credendum est futurum esse, si divino ejus intenti fuerimus servitio.

Rem, & necessariam providentiam. *Lyranus.* *Matth.6.26.* *Cajetan.* *Dion. Carth.*

Quatuor solicitudinis defectus vitandi propè nuntur. *S.Thom.l.2. q.108.a.3. ad 3.*

6. Notanda quoque est alia S. Thomæ ratio, in ordine ad hanc à Christo interdictam solicitudinem: Ait enim Angelicus Doctor: *Quadruplex ordinatio solicitudinis vitandæ circa temporalia. Primo ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter necessaria victus & vestitus; Secundo, ut non sic solicitemur ut de temporalibus cum desperatione divini auxilij anxij simus; Unde Dominus dixit: Scit pater vester, &c. Tertio, ne sit solicitudo præsumptuosa, ut scilicet homo confidat, se necessaria vitæ per suam solicitudinem posse procurare, absque divino auxilio, quod Dominus removet per hoc quod homo non potest adjicere aliquid ad staturam suam. Quarto per hoc, quod solicitudinis tempus præoccupat, quia scilicet de hoc solicitus est nunc, quod non pertinet ad curam præsentis temporis, sed ad curam futuri; Unde dicit. Nolite solliciti esse in crastinum.* Ex hac igitur, & omnibus alijs hactenus adductis doctrinis evidenter deducitur, quod labor, diligentia, & industria nequaquam sit prohibita, sed solum diffidentia timida, qua timemus, ne Deus nos inopia nostra deserat, tametsi officium nostrum integre præstaremus; Verum quidem est, quod in hac materia prudenter procedendum sit cum distinctione, & ponderatione qualitatis vocationis singulorum. Etenim Religiosi, qui voto Paupertatis obstricti sunt, divinoque sunt servitio toraliter intenti, nequaquam timere debent, quod victus necessarius ipsis sit defuturus, cum hoc tamen stat quod ab ipsis nequaquam intermittendæ sint diligentiæ convenientes ad victum sibi conquirendum.

7. Observanda est quædam differentia, quæ inter Apostolos & Hebræos intercessisse noscitur. Cum enim hi jussu Dei ad terram profecturi essent promissionis, ab Ægyptijs sibi mutuarunt argentum, & aurum, & aliam prædivitem supellectilem; Econtra vero Christus Apostolos per universum mundum dispergere volens ad novā Evangelij legem annunciandam, cunctosque populos eidem subjiciendos, iisdem, ne sibi ullam de vitæ necessarijs provisionem facerent, præcepit.

Tertull. l. 4. cont. Marcion. c. 24.

cepit. Neque id mirum fuit,inquit Tertullianus, quia Israëlitæ per solitudines peregrinabantur,ubi nulla vitę annona haberi poterat, & ideo provisione facienda opus erat,Apostoli autem econtra per regiones proficiscebantur habitatas,in quibus facile inveniri poterat, à quo sustentarentur; Hebræis Deus in deserto quidem de aqua,de carnibus,& de manna prospexit, auri vero vel argenti fodinas illis nequaquam aperuit, quia jam aurum & argentum secum ferebant; Apostoli econtra auro & argento non indigebant,quia primitivi fideles fide effervescentes, aurum & argentum ex venditione patrimoniorum suorum congregatum,ad pedes eorum deponebant; Præterquam quod cum extremam professi fuissent paupertatem, divitiarum possessio statui eorum nequaquam convenisset. His igitur,qui ad imitationem Apostolorum vitam agunt pauperem, suntque totaliter divino servitio dediti,cujusmodi sunt Religiosi Deus nihil vult,nec patitur deesse;Et ideo hisce dicit: *Ne soliciti sitis animæ vestræ,quid manducetis,&c.* (*Matth. 6. 25.*) & ideo ab aratro, ligonibus, alijsque laborum instrumentis,nec non ab agrorum cultura omnino sunt exempti; *Quia non serunt, neque metunt,neque congregant in horrea*; (*Ibid. v. 26.*) Verum tamen est, quod nec ipsi in propria vocatione sint otiosi,quin potius laborant, macerando corpora sua, cilicijs, disciplinis, jejunijs,orationibus, vigilijs, alijsque vitæ rigoribus, & ideo merentur, ut *oculi Domini sint super metuentes eum,& in eis qui sperant super misericordia ejus,... ut alat eos in fame.* (*Psal. 32. 18.*)

Pro servitio Dei deditis ipse solicitus est.

8. Cœlestis sponsus S. Catharinæ Senensi dixisse legitur: *Cogita tu de me, quia ego cogitabo & solicitus ero pro te*; Quod idem multis quoque accidit,qui servitio Dei totaliter sunt dediti; Ipse enim solicitus est pro illis, ut ipsis de omnibus necessarijs prospiciat, eosque sustentet,quia *quis Dominus fidelibus servis justa cibaria non ministrat?* Econtra vero sæculares,qui mundanam vitam agunt, necessario vel per studium,vel agriculturam, vel per negotiationem, vel per opificium laborare, sibique panem procurare necessario debent, de quibus proinde dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* (*Ps. 127. v. 2.*)

Duo genera providentiæ in Deo sunt consideranda. *S. Aug. l. 8. c. 8. de Genesi ad Literam.*

Enimvero in Deo,ut S.August. ait,duo genera Providentiæ considerare possumus; Unum videlicet,quo naturæ præcipit,ut effectus suos producat;Alterum vero,quo disponit, ut nos quoque pro victu habendo media humana, atque diligentiam & industriam nostram adhibeamus; Qua posita ipse actiones nostras prosperas facit,atque ad perfectionem perducit; Ipso quoque pro hoc vel illo labore vires subministrat; Pro studio prosequendo ingenium; Sagacitatem pro navigatione; Industriam pro exercendo opificio, atque insuper beneficos à cœlo agris & vineis, jam antea sudoribus nostris irrigatis, influxus immittit: Quia sicut,*Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat,qui custodit eam*, (*Ps. 126. v. 1.*) eodem modo nisi Deus per suam providentiam actionibus nostris assistat,omnino erunt inutiles, quia *neque qui plantat est aliquid,neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (*1. Cor. 3. v. 7.*) Salvator noster turbis ipsum sequentibus binis tantum vicibus pauculis panibus & piscibus ad satietatem usque miraculose prospexisse in Evangelio legitur,idque semper in loco deserto, & quando metus erat, ne ex diuturno jejunio deficerent; At vero cum Dei filius tanta cum facilitate per eumdem modum miraculosum,in decursu trium annorum prædicationis suæ homines pascere potuerit, quonam mysterio idipsum non nisi bis, idque in extrema necessitate (*Si dimisero eos jejunos, deficient in via*) (*Marc. 8. v. 3.*) præstitit? Nimirum nolebat ut homines à laboribus, atque à pane proprijs sudoribus lucrando umquam desisterent.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Deus nobis providet, non solum tamquam nutrix, sed & tamquam mater, habetque talem uniuscujusque in singulari Providentiam, qualem universim habet de omnibus.

THEMA.

Ad ubera portabimini. Isai. 66. v. 12.

Deus nostri curam gerit tamquam pia mater.

1. PRopheta Evangelicus,qui omnes novę legis gratiæ eventus *ad unguem* prædixit, de providentia qua Deus suis adblanditurus erat fidelibus differens,in hæc amoris plena verba prorupit; *Ad ubera portabimini.* Quis umquam nō jam desiderare sed vel imaginari sibi amplius quid potuisset,in ordine ad curam,quam cœlestis pater de nobis habet,de quo Tertullianus ait: *Tam pater nemo,tam pius nemo?* Ex patre namque in matrem, in nutricem transformatur: *Ad ubera portabimini.* Et David ad Deum se convertens dicebat: *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu,Ne discesseris à me?* (*Ps. 21. v. 11. & 12.*) Enimvero quia infans ex utero materno egressus, ad alimentum sibi conquirendum nondum pollet ingenio, ideo Deus hunc illi instinctum indidit, ut ad matris, vel nutricis ubera confugiat,eademque hoc fine lacte fœcundat. Porro observandum est mysterium, quod in ly *projectus* latere videtur; Alludit enim ad infantes expositios,qui in viam quamdam publicam projiciuntur à parentibus totaliter deserti, qui proinde ad hospitalia deportantur,quæ Deus per infinitam suam providentiam inspiravit, & ordinavit, ut ibidem ejusdem projectorum infantium cura habeatur,& regimen; Vult igitur Psalmista dicere, quod licet ab omnibus derelicti, atque insuper à parentibus nostris in vias publicas projecti essemus, Deus nihilominus tunc vel maxime nostri habiturus sit curam & solicitudinem.

Insignis historia.

In superiorum sæculorum historijs legitur, quod cum vir quidam hanc accepisset mortis sententiam, ut scilicet in carcere præ fame & inedia moreretur, filia ipsius, quæ patrem quotidie visitandi licentiam nacta fuerat,ab oculis ejus,qui carceri præerat, se subducens, patrem lacte uberum suorum clam alebat. Ad hanc usque inauditam amoris inventionem Dei quoque nostri providentia pervenit; Ac proinde dicit: *Ad ubera portabimini*, continuo namque nobis indeficientis beneficentiæ suæ ubera sugenda liberaliter porrigit,unde apud Oseam Prophetam promittit dicens: *Ecce ego lactabo eam.* (*Osee 2. 14.*)

Ad aures Dei non solum pertingunt nostrę voces sed etiam desideria & necessitates.

2. Ex lamentatione Moysis,quem Deus in generalem populi sui ducem elegerat satis colligitur, Deum ipsi imposuisse,ut officium nutricis obiret,& populum suum veluti solicita quædam mater porrecto lacte nutriret,ut hac ratione paternam & maternam suam providentiam toti mundo manifestam faceret;Observetis autem quænam fuerint lamentantis Moysis verba: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem,vel genui eam,ut dicas mihi? Porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum suum?* (*Num. 11. 12.*) Agar cum filio suo Ismael,tenello etiamnum infantulo, ut Saræ Dominæ suæ justum furorem evaderet,in solitudinem quamdam se recepit; Cumque aquæ in utre defecissent,ita ut præ siti moritura videretur,in uberibus quoque lac exaruisset, ne filiolum suum morientem videret, oculos suos ab eo avertit; Dicit autem sacer textus: *Exaudivit Dominus vocem pueri.* (*Gen. 21. 17.*) Ubi dubium exurgit,quo modo vox infantis audiri potuerit, quandoquidem loquendi impos erat. Forsitan suspiria ejus voces fuerunt in cœlum clamantes,aut vero dici posset,divinam providentiam tales habere aures, ad quas tametsi voces nostræ non pertingant,ad illas tamen infallibiliter perveniunt nostræ necessitates; Agar quippe mater ejus in Scriptura Sacra cœlestis patris bonitatem & liberalitatem nusquam legitur invocasse,sed ipse sine ullo supplicationis interventu benignæ & providæ matris præstitit officiū. Parce enim nimis de Deo dicitur,quod nutricis munere quoad nos fungatur, siquidem in alio quodam loco Isaiæ Deus ipse expresse dicit: *Audite me domus Jacob... qui portamini à meo utero,qui gestamini à mea vulva*; (*Isa. 46. v. 3.*) Non dicit,quod velut nutrix quædam nos in sinu suo portet, sed quod tamquam mater quædam nos gestet in utero; Mater enim tametsi postquam puerum peperit, eumdem à se abjicere, & deserere possit,attamen quamdiu in visceribus suis eumdem gestat, eum sanguinis sui alimento non nutrire non potest,tametsi id facere nollet. Unde Deus in prædicto loco Isaiæ dicere velle videtur,si contingeret,quod à matre & patre vestro prorsus desereremini, ego tamen vos numquam desolatos derelinquam; Unde Psalmista audacter ait: *Tibi derelictus est pauper,orphano tu eris adjutor.* (*Ps. 10. v. 14.*)

Deus nostri oblivisci non potest.

3. Apud Oseam cap. 11. Deus inquit: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis*; (*Osee 11. 3.*) Longe tamen quid majus est id quod apud Isaiam alio in loco legitur, ubi Deus in hæc verba prorumpit. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* (*Isa. 49. 15.*) Quasi diceret, numquam fiet,ut mater aliqua adeo sit crudelis, ut filij sui quem in utero portat,obliviscatur,vel pro eo omnem solicitudinem deponat: Et tamen subdit; *Etsi illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* In principio cap. 44. Isaiæ Deus dixerat: *Et nunc audi Jacob serve meus, & Israel quem elegi.* (*Isa. 44. v. 1.*) Ubi de Providentia Dei differens, non sine mysterio Jacob nominat, utpote qui, ut in Discursibus præcedentibus diximus, hanc Dei Providentiam præ cunctis alijs multifariè expertus fuit; Subdit autem

autem: *Hæc dicit Dominus, faciens, & formans te ab utero auxiliator tuus;Noli timere serve meus Jacob.* (*Isaia 44. 2.*) Enimvero Psalmista nimis parce loquitur, dum in Psalmo 138. ait: *Suscepisti me de utero matris meæ*; (*Ps. 138. v. 13.*) Longe enim quid majus est,quod Deus apud Isaiam jam statim dixit: *formans te ab utero auxiliator tuus.* Quis enim animam creandi, corporique infundendi solicitudinem habet,nisi solus Deus? Quid mirum igitur,si postea solicitus sit de nobis sustentandis tam in utero materno, quam postquam inde ad lucem egressi sumus? *Nonne anima plus est quam esca?* (*Matth. 6. 2.*) Porro amor parentum erga filios sæpe per ætatem inveterascit, & refrigescit; Non vero item amor Dei erga nos,utpote qui per calamum ejusdem Isaiæ nobis sanctè promittit dicens: *Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo;Ego feci,& ego feram,ego portabo,& salvabo.* (*Isa. 46. v. 4.*)

Philo l. de specialib. Legib. **Amor Dei erga nos numquam inveterascit aut refrigescit.**

Philo Hebræus ingeniose quærit,cur supremus artifex, de quo dicitur: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, homini in primis suis natalibus omnia membra sua convenientia dederit,nec tamen dentes, quibus cibum masticaret,non contulerit. Dicitque facilem esse hujus resolutionem; Factum namque hoc est ex speciali Dei Providentia, siquidem cum infans diuturno tempore lac ex uberibus nutricis sugere debeat, eamdem utique dentis acumine offendisset, vulnerasset,vel saltem dolenter pupugisset. Deus autem licet à nobis frequenter tot culparum morsibus offendatur, non tamen ob hoc sinum suum nobis pandere, paternæque Providentiæ suæ ubera nobis porrigere desinit,utpote *qui solem suum oriri facit super malos,& pluit super injustos.* (*Matt. 5. 45.*)

Qui habet curā nostrorum capillorum multo magis habebit curam nostri.

4. Adeo provida est Dei erga nos beneficentia, ut quemadmodum apud S.Lucam legitur, Salvator noster dixerit: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* (*Luc. 12. v. 7.*) Quæ quidem propositio licet nonnemini hyperbolica videri possit, id tamen nequaquam verum est; prout Cajetanus in citato loco optime probat; (*Cajet.*) quia apud Deum non solum exacte numerati sunt capilli nostri, sed & omnes maris arenæ. In cujus confirmationem Eusebius Gallicanus ait: *Non est autem ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit illos creare.* (*Euseb. Gallican.*) S. Hieronymus super cap. 10. S.Matthæi scribens, prædicta verba ad nostrum propositum sic explicat: *Quod autem ait: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit Providentiam, & ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parva, & otiose dicta.* (*S. Hier. c. 10. in Matth.*) Tertullianus considerans quod Dæmones à Christo in porcos intrandi licentiam petierint, inquit: *Possum dicere porcorum quoque tunc numeratas apud Deum fuisse setas, nedum capillos sanctorum.* (*Tertull. de Fuga.*) Ac proinde S. Augustinus, ut in Dei nos ulnas confidenter conjiciamus, in hæc verba nos exhortatur: *Omnem curam vestram super Dominum mittite; Prorsus vos ipsos totos projicite in illum. De ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. Amen dico vobis, inquit, & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Capilli nostri numerati sunt Deo, quanto magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte, quia nec minima nostra contemnit Deus, nam si contemneret, non crearet. Nam & capillos nostros ipse utique creavit, & numeratos habet. Sed modo cum sunt, inquit, forte peribunt; Et hinc audi vocem ejus; Dico vobis, capillus capitis vestri non peribit.* (*S. Aug. s. 6. de ver. Dom.*) Mox vero in prædictorum verborum probationem subdit dicens: *Ad ubera portabimini, quid times in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere.*

Qualis sit differentia inter curā Principis pro subditis & Patris pro filijs.

5. Infinitam nobis suggerunt confidentiam verba illa, quæ Dei filius de Dei erga nos Providentia protulit dicens: *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* (*Matth. 6. 32.*) Etenim æternus Pater nos omnes sibi adoptavit in filios,idque jam ante fecerat, priusquam nos doceret, sic nobis orandum esse. *Cum oratis dicite,Pater noster.* Enimvero quænam est Patrem inter & Principem differentia in modo providendi patris erga filios, & Principis erga subditos? Hæc nimirum,quia prudens Princeps curam gerit,ut populus sibi subditus in victu, pannis,linteis,sericis, alijsque rebus necessarijs omnem habeat abundantiam, prospicit illis de domibus ad habitandum, prospicit infirmis de medicina,Medicis,& hospitalibus; Denique de omnibus alijs curam gerit, quibus homo ad vitam civilem & politicam transigendam opus habet. Non tamen solicitus est pro personis particularibus in individuo, quemadmodum pater facit;Hic enim pro singulis filiorum suorum solicitus est,ut vestiantur,sustententur,& bonis imbuantur moribus &c. Et talis est Dei erga nos Providentia;Deus enim non solum Providentiam suam exercet in genere circa omnia creata,verum etiam specialiter, imo,& in individuo solicitus est pro utilitate singulorum, tamquam filiorum suorum. Unde S.Augustinus ait: *O tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures,& sic omnes,tamquam singulos.* (*S. Aug. l. 3. confess. c. 11.*) Ideo quoque Psalmista dicebat: *Ego autem mendicus sum & pauper,Dominus solicitus est mei, adjutor meus, & protector meus tu es*; (*Ps. 39. v. 18.*) Non loquitur de solicitudine, protectione, & auxilio Dei *in numero plurali sed singulari*, quasi adeo sit intentus circa unumquemque in individuo, sicut est intentus circa omnes in universali; S. Augustinus legit: *Dominus curam habet mei.* Idem S.Doctor idipsum in soliloquijs suis expressius indicat dicens: *In toto tempore totum me simul, semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas, sic super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis.* (*S. Aug. l. soliloq. c. 14.*)

Ex parabola Samaritani vulnera obligantis illi, qui inciderat in latrones patet providentia Dei erga nos.

6. Cœlestis Magister noster apud S. Lucam cap. 10. parabolam illam proponit, de infelici illo viatore,qui ab Jerusalem descendens in Jericho,incidit in latrones, à quibus spoliatus, & mortaliter saucius & semivivus relictus fuit; Qui cum ab omnibus desereretur, solus ad illius compassionē commotus fuit charitativus ille Samaritanus, de quo sacer textus ait: *Appropians alligavit vulnera ejus infundens &c.* (*Luc. 10. 34.*) Circa quam parabolam sequens moveri potest dubium; Ex quo enim Christus de hoc Samaritano dicit, illum casualiter & fortuito funesto huic spectaculo supervenisse(*Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum misericordia motus est*) (*Ibid. v. 33.*) quomodo ita subito in promptu habere poterat fascias, vinum & oleum, quibuscum tanta cum promptitudine & opportunitate vulnera miserabilis hujus viri curaret? Diximus superius, parabolam istam ab incarnata Sapientia ad nostram instructionem fuisse compositam; Ac proinde per hunc Samaritanum sacri interpretes communiter Salvatorem nostrum intelligunt,qui non casualiter, sed ex industria, & data opera in urgentibus necessitatibus nostris nobis prospicit:Unde Origenes ait: *Ut autem scias,quod juxta Providentiam Dei Samarites ille descenderit, ut curaret eum, qui inciderat in latrones; manifeste doceberis ex eo, quod secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum.* (*Orig. h. 34. in Luc.*) Et quidem si parabolam illam historiam esse dicere velimus, prout satis est probabile, ecce tibi divinam Providentiam, quæ omnia prævidet, omnibusque prospicit, hæc enim interius bono huic Samaritano inspiraverat, ut viam illam ingrederetur,secumque fascias illas, aliaque vulneribus curandis congrua remedia deferret.

Deus eamdē curam habet pro uno individuo quā habet pro omnibus.

7. *Quando præparabat cælos aderam*; (*Prov. 8. 27.*) Pro horum verborum expositione dici potest, quod quando Deus cœlos extendebat coram se in mente sua positum habuerit quemlibet nostrum in dividuo,præcipiendo stellis,sphærisque cœlestibus, ut ad singulorum utilitatem benignos illis imprimerent influxus, ut deinceps in prosperitate,sanitate,& gaudio vivere possent. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram*, (*Ibid. v. 29.*) id est,quando super hac ampla mundi mole, vobis providebam de sublimibus illis, quæ inhabitatis ædificijs de fertilibus vicis,de locis deliciosis de statibus & dominijs, quæ possidetis, de agris & possessionibus, quibus saginamini,de amplis granarijs, quæ vos sustentant, de numerosis armentis, de auri & argenti fodinis, quæ scrinia argento & auro adimplent, hoc enim est fundamenta terræ appendere. Enimvero si unaquæque res attente consideretur, invenietur haud dubie, quod Deus ab ipso mundi exordio creaverit vel illam plantam, aut arborem,ut fructum nobis adferret, vel illum ovium gregem, ut lanam nobis subministraret, vel bombycem,ut sericum largiretur,vel illam v.g. herbam,ut linum suppeditaret, vel hæc vel illa mineralia, ut pro varijs infirmitatibus fugandis aquas haberemus salutiferas,& sic consequenter de multis alijs rebus ad commodum nostrum creatis discurrere licet. S. Augustinus alio in loco pro divini amoris motivo idipsum quasi ijsdem verbis suggerit; quod paulo ante ex eodem adduximus; Ait enim: *Sic certe mihi videtur, dum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nihil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat, & ita totum ad custodiam meam occupatum video; quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit*; (*S. Aug. l. de dilig. Deo c. 10.*) Ex parabola pastoris illius, qui relictis nonaginta novem ovibus solam illam requisivit, & quidem magnis cum sudoribus & laboribus,quæ perdita erat; Ex hac,inquam, evidenter cognoscitur, Deum tantam habere curam de uno solo,quantam de omnibus; Nam ut Tertullianus ait: *Erat una Pastoris ovicula, sed grex unâ charior non est, una illa requiritur, præ omnibus desideratur.* (*Tertull. de pœn. c. 8.*)

tam. Confiderabilia quoque funt illa Pfalmiftæ verba dicentis : *De præparato habitaculo fuo refpexit fuper omnes, qui habitant terram.* At vero dices : Fortaffe hic Dei oculus adeo providus non refpicit unumquemque in fingulari, fed folum in communi ; Sed quifquis es, qui id opinaris, audi Pfalmiftam dicentem : *Qui finxit figillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Idque fequenti confirmatur ponderatione Sancti Bernardi dicentis : *Hoc habet in natura fimpliciffima fponfi divinitas, quafi unum refpicere multos, & quafi multos unum.*

Pf. 32. v. 14. — *Ibid. v. 15.* — *S. Bern. f. 69. in Cant.*

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

De Providentia qua Deus invigilat fuper illos, qui ipfum timent, eique ferviunt.

THEMA.

Junior fui, etenim fenui, & non vidi juftum derelictum, nec femen ejus quærens panem. Pfalm. 36. ✠. 25.

Deus hominem virtuofum numquã derelinquit.

1. SAnctus Propheta David veridico calamo fuo hoc perhibet teftimonium, quod fcilicet in longæva, quam devixit ætate, numquam hominem viderit virtuofum, derelictum, nec defolatos ejufdem pofteros. Porro in cap. 26. Gen. facer textus ait : *Orta autem fame fuper terram, poft eam fterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Ifaac ad Abimelech Regem Palæftinorum in Gerara, Apparuitque ei Dominus, & ait : Ne defcendas in Ægyptum, fed quiefce in terra quam dixero tibi.* Circa quæ verba exurgit quæftio, fcilicet quam ob caufam Deus Ifaac præceperit, ne, ut fibi fuæque familiæ de vitæ annona provideret, in Ægyptum defcenderet, cum tamen Abrahæ patri ejus in fimilibus anguftijs pofito idipfum concefferit? Refpondet vero Theodoretus inquiens : *Dominus Deus per omnia demonftrat fapientiam fuam, atque providentiam ; Etenim permifit Patriarcham Abraham ingredi Ægyptum, non quod eum alere non poffet, fed ut Ægyptijs patefaceret viri pietatem, & Religionem, & provocaret illos ad imitandam Patriarchæ virtutem ; filium autem ejus manere juffit, eique rerum neceffariarum copiam fuppeditavit, demonftrans, quod hæc etiam patri largiri poterat, quæ filio abunde præbuit.* Deus igitur Ifaaco in magnam ejus utilitatem Providentiam fuam manifeftavit, fiquidem cum tota circumvicina regio fterilis effet, difpofuit, ut terra in qua ipfe demorabatur, copiofum fructum redderet ; Sevit *Ifaac in terra illa, & invenit in ipfo anno centuplum, benedixitque ei Dominus, & locupletatus eft.*

Gen. 26. v. 1. — *Ibid. v. 2.* — Patet in Ifaac. — *Theod. q. 66. in Gen.*

Jacob.

2. Enimvero ex quo Ifaac mentionem fecimus, Jacob quoque filius ejus minime nobis eft prætereundus ; Hic igitur, quemadmodum fuo loco notavimus, vifionem habuit fcalæ illius, per quam divina Providentia fymbolicè præfigurabatur. Obfervandum tamen eft, quod eamdem in fomno viderit ; Unde merito quæritur, cur Deus non potius eidem vigilanti fcalam hanc videndam exhibuerit, cum hac ratione diftinctius hanc ipfi delineare potuiffet? Richardus de S. Victore in ea eft opinione, quod Jacob oculis fomnolentis & dormitantibus fcalam illam afpiciens, illos præfignificarit, qui Deo fideliter ferviunt & claufis quafi oculis in divinæ providentiæ ulnas fefe conjicientes, in ipfum confidunt, erga omnia terrena bona cæcos fe exhibentes ; Hi enim funt, quorum Deus fpecialem præ reliquis curam habet.

Rich. de S. Vict. de exec. mali. l. 3. p. 2. c. 16.

Et Elia.

3. Cum Elias Propheta divinum cultum à gentilibus contumeliatum Zelans, à perfecutione Jezabelis fe fubduceret, contigit, ut quotidie corvi divino juffu ad eum advolantes, carnem & panes optime præparatos ad eum deferrent, ut haberet, unde fami fuæ confuleret, nec immerito credendum eft, ut Abulenfis fcribit, carnes illas è regia Achabi menfa fuiffe fublatos ; En verba prædicti Authoris : *Dicendum quod fi illi erant angeli, qui portabant iftos cibos in figura corvorum, quod facile erat eis ingredi in domum Achab, & capere de cibis regijs quotidie pro Elia.* Huc quoque fpectat, quod in annalibus Religionis Dominicanæ de F. Petro Confalvo fanctitate confpicuo viro legitur ; Cum enim hic loca inculta, & fterilia inhabitaret, quotiefcumque ei libebat, ad ripas fluminis Mignjli in Gallicia accedens advocabat pifces, qui prompte comparentes in prædam fe ei obtulerunt, ex quibus quantum fatis erat, capiebat, cæteris in eodem loco remanentibus, nec recedere volentibus, donec ab ipfo benedictionem, & abeundi licentiam obtinuiffent ; Idem fervus Dei cum die quadam per præruptos & arduos montes ad vifitandum infirmum quemdam præsbyterum abiiffet, duobus alijs focijs ftipatus, hofce defatigatos, & famelicos effe animadvertens, imo & de fe conquerentes audiens, quod de victu illis providendo non cogitaret, fanctus vir Dei eifdem dixit : Refpicite poft lapidem illum : qui fecus viam jacet, quod cum feciffent, duos invenerunt candidiffimos panes mundæ cuidam mappulæ ex fubtili lino contextæ, involutos, nec non vafculum vino delicatiffimo refertum.

Abul. in l. 3. Reg. c. 17. q. 16. — Aliud memorabile exemplum.

4. Admirationem meretur perpetuam miraculofa illa turbarum in deferto à Chrifto procurata refectio, Cujus neceffitas major effe non poterat, quia cum per tres dies & noctes non habuiffent quod manducarent, metus erat ipfimet Chrifto, *ne deficiant in via*, maxime quando ad famem ingens quædam accefferat laffitudo membrorum ; Nec tamen apud illum Evangeliftam invenietis, quod ex tot millibus omnis ætatis, fexus, conditionis, & profeffionis hominum vel unicus ad poftulandum cibum, vel ad manifeftandam corporis laffitudinem os fuum aperuerit. Scitifne quonam id myfterio non fecerint? Nimirum nequaquam diffidebant, quin à Chrifto liberaliter pafcendi effent, fciebant enim quod fecum haberent manum illam de qua fcribitur : *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Adducitur miraculum Chrifti de faciata turba famelica. — *Matth. 15. v. 32.* — *Pf. 144. 16.*

5. A viro quodem fide digniffimo me audiffe memini, quod P. Marcellini, qui fonora Evangelij tuba exiftens Romæ in Ecclefia Aracælitana cum fpiritu Apoftolico prædicabat, tempore extremæ annonæ caritatis, quæ anno 1590. Italiam affligebat, publice in pulpito confeffus fuerit, quod conventus ille, in quo aliquot centeni Religiofi Deo ferviebant, illo tempore plus, quam alijs fertilioribus annis pane candidiffimo abundarit, cujus tunc penuriam patiebantur familiæ illius civitatis præcipuæ, nimirum verificabatur tunc Propheticum illud oraculum : *Non vidi juftum derelictum, nec femen ejus quærens panem.*

Memorabile exemplũ providentiæ Dei in fratres S. Francifci.

6. In vita fervi Dei Camilli de Cellis, qui eodem fæculo vivens Religionem clericorum miniftrantium infirmis fundavit, legitur, quod cum die quadam fratres ejus ingenti premerentur penuria, jamque ex laboribus fatigati, & famelici, non haberent quod manducarent, ipfe ad crucifixum quemdam fe convertens eidem dixerit : *Adjuva me, quia potens es hoc facere ; fuccurrere pauperi huic familiæ* ; Vix hæc dixerat, cum fubito audierunt fonantem campanellam portæ, ubi vir quidam omnibus ignotus comparuit, qui trahens ad partem P. Camillum, ab eo petijt, an pecunia indigeret ; Qui cum ei fuam expofuiffet neceffitatem, vir ille rurfum interrogavit, quantum pecuniæ vellet, cui cum Camillus dixiffet, trecenta fcuta, abiit vir ille, moxque rediens petitam ei pecuniam numeravit, neque deinceps umquam fciri potuit, quifnam vir ille fuiffet, vel unde veniffet, aut à quo miffus fuiffet. S. Hieronymus contra Vigilantium ita fcribit : *Qui in lege Domini meditatur die ac nocte, patrem non habet in terra, nifi folum Deum, dignus igitur eft, ut totius orbis minifterio foveatur :* Verum quidem eft, quod Deus *implet omne animal benedictione*, hoc tamen fpecialiter fieri folet à Deo circa Religiofos, aliofque divino fuo fervitio totaliter confecratos, juxta illud Pfalmiftæ : *Oculi Domini fuper metuentes eum, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

Vit. Camill. de Cellis. lib. 2. c. 11. — Aliud nõ minus notabile exemplum. — *Pf. 32. v. 19.*

7. Apud S. Lucam Chriftus ait : *Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis, & ipfe peregre fuit multis temporibus.* Ubi fi per eum, qui plantavit vineam, Deus intelligatur, difficile eft, ut de ipfo verificetur, quod dicitur : Peregre profectus eft, *cum non longe fit ab unoquoque noftrum, in ipfo enim vivimus, movemur, & fumus.* Sed refpondet S. Ambrofius Deum dici peregre profectum, *Non quia ex loco ad locum profectus eft Dominus, qui ubique femper præfens adeft, fed quia præfentior eft diligentibus, negligentibus abeft.* Et vero in praxi femper reperietis quod Religiofi illi, qui votum Paupertatis majori cum rigore adimplent, quique in obfervantia inftituti proprij ferventiores exiftunt, abundantius fint provifi, quam qui negligentes funt, & parum obfervantes. In Promptuarij facri tomo quarto inter feptemdecim Difcurfus, quos formavi de fancto & Seraphico Francifco Ordinis Minorum Patriarcha, Difcurfus quintus, qui circa illud verfatur thema : *Simul in unum dives & pauper*, de immenfis paupertatis fuæ divitijs fufius tractavi, ibidemque dixi, quod in capitulo generali Anno 1650. (qui annus fanctus fuit) Romæ in conventu Aracælitano celebrato, facto computu omnium illorum fratrũ, & fanctimonialium, qui quotidie ex Eleëmofynis fidelium fuftentabantur, numerus illorum afcenderit ad ducenta octoginta millia circiter, unde computato pro uniufcujufque victu quotidiano uno dumtaxat julio, feu fchilingo, fuperabat fummam decem millionum fcutorum annuorum.

Luc. 20. v. 9. — Deus fingulariter providet Religiofis ftrictam paupertatẽ profeffis. — *Act. Apoft. 17. v. 27.* — *S. Ambr. lib. 9. in Luc.* — Mirabile hujus exemplũ in Francifcanis obfervantibus.

8. *Non vidi juftum derelictum.* Chriftus Redemptor nofter olim Chananææ dixit : *Non eft bonum fumere panem filiorum, & mittere canibus :* Ex quibus verbis ita arguo ; Cum Deus ingentem variorum alimentorum habeat copiam, quam quotidie tot animalibus licet ferocibus, & fanguinolentis fubminiftrat, longe convenientius erit, ut abundare faciat illos, qui fideliter ipfum honorant, eique tamquam filij prompte obediunt? Panem enim illis datum vere dicere poffumus *panem filiorum.* Porro in Daniële ad litteram adimpletum fuit illud Davidis oraculum : *Ecce oculi Domini fuper metuentes eum, & in eis qui fperant fuper mifericordia ejus :* Divina namque Providentia fixos femper in hunc fervum fuum habuit oculos, utpote qui ejus honorem zelaverit, eligendo potius fe inter leones devorandum projici, quam à præftando Deo folito cultu umquam defiftere : Et ideo Deus *conclufit ora Leonum, eruit eum à morte, aluit in fame*, cœlitus angelum ad ipfum ablegando, qui apprehenfo in Judæa per capillum Abacuc, eumdem fufpenfum tranfportaret in Babylonicæ locum ad miniftrandum Danieli paratum mefforibus prandium : Unde fanctus Propheta exclamabat dicens : *Recordatus es mei Deus, & non dereliquifti diligentes te.* S. Bafilius notat, quod *ne vir fanctus inedia premeretur, temporis momento Abacuc tantum penetravit, quantum à Babylone diftat Judæa.*

Matth. 15. v. 26. — Deus diligentes fe numquam deferit. — *Pf. 32. v. 18.* — Patet exemplo Danielis. — *Dan. 6. 22.* — *Dan. 14. 37.*

9. S. Cyprianus ad depellendam à cordibus fervorum Dei omnem diffidentiam, fequenti utitur efficaci motivo, inquiens : *Quando factum eft ut jufto poffent deeffe fubfidia vitæ, cum fcriptum fit : Non occidet Dominus fame animam jufti, Elias in folitudine corvis miniftrantibus pafcitur : Daniel in lacu ad Leonum prædam juffu Regis inclufo, prandium divinitus apparatur : & tu metuis, ne operanti tibi, & Dominum promerenti, defit alimentum?* Santolus, cum non haberet unde multos operarios, Ecclefiam quamdam fancto Laurentio facram reftaurantes, fuftentaret, ad furnos quofdam acceffit, in quorum uno panem invenit, cumque omnem adhibuiffet diligentiam fciendi, cujus panis ille effet, nec illius inveniffet Dominum, eumdem inter laborantes divifit, fed in ejus manibus adeo crevit, ut tefte magno Gregorio per decem dierum fpatium omnibus fatiandis fuffecerit. Nicephorus in hiftoria Ecclefiaftica refert, quod cum Anno 455. in Phrygia, Galatia, & Cappadocia ingens graffaretur fames, homines diverfis infirmatibus mortalibus fuerint afflicti, Deus igitur ut vitam illorum confervaret, liquorem quemdam veluti manna de cœlo diftillavit, quo aliti & refecti in vivis perdurabant. In vita S. Caroli Borromæi hac de re facta mirabilia leguntur. Et quidem in primis cum familiares fui tempore peftis tota die in ejus focietate laboraffent, vefpere autem fatigati & famelici non haberent, quod manducarent, eo quod folita provifio inter pauperes fuiffet diftributa, fanctus Cardinalis orationis faciendæ caufa fe fubduxit ; Cumque domeftici ejus in anticamera brachijs in formam crucis extenfis defolati hærerent, præter omnẽ expectationem vir quidam nobilis comparuit, penes fe habens bajulum mille fcutis in fimili moneta onuftum, cumque vir ille ad Cardinalis alloquium admitti peteret, inductus, dictam pecuniæ fummam ei præfentavit. Alia quadam vice cum à Gregorio XIII. ad Jubilæum anni fancti vocatus iter à Mediolano Romam verfus inftitueret, & fub nocturnis tenebris ad duas vel tres horas progreffus fuiffet, in locis quibufdam alpeftribus à via confueta fecedens, ad mediam ufque noctem hinc inde oberravit, abfque eo quod fciret ubi effet ; Ad Deum itaque recurrens, & gallum cantantem audiens, verfus eumdem locum iter fuum inftituit, ac tandem domunculam quamdam invenit, in qua quidẽ una cum fuis receptus fuit, nec tamen five pro fe, five pro comitibus fuis quidquam ad manducandum invenit, cumq ; omnes præ fame ferè deficerent, ex improvifo quatuor advenerunt jumenta, rebus comeftibilibus onufta, ex quibus vir Sanctus fumpfit quantum fibi & comitibus fuis fufficiebat, cæterum à fe dimittens. Unde merito S. Clemens Alexandrinus ait : *Deus quidem ut paftor fingularum ovium curam gerit, eos vero maxime providendi, ac vifendi tenet ftudium, qui populo multum prodeffe poffunt, ij autem funt, qui ad regendum & docendum funt apti ;* Cujufmodi funt Prælati Ecclefiaftici, & Religiofi, qui ut Daniel inquit : *Ad juftitiam erudiunt multos.*

Continuatur idem propofitum. — *S. Cypr. lib. de ope. & Eleëm.* — *S. Greg. lib. 3. Dial. c. 37.* — Et probatur Varijs præclaris exemplis. — *Niceph. lib. 5. cap 19. Hift. Eccle.* — *Vit. S. Caroli. lib. 4. cap. 5.* — *Clem. Alex. lib. 6. Strom.* — *Dan. 12. 3.*

10. *Non vidi juftum derelictum.* Ab æterna veritate fequens dimanavit promiffio : *Timete Dominum omnes fancti ejus, quoniam non eft inopia timentibus eum ; Divites eguerunt, & efurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono :* Supra quæ verba S. Auguftinus hunc in modum difcurrit : *Nolite fraudem facere ; dicitur illis, fed dicunt ; Unde me pafcam? Non poteft ars fine impoftura effe, non poteft negotiatio fine fraude fieri ; Sed fraudem punit Deus, time Deum ; Sed fi timuero Deum, non habebo unde vivam. Pafcebat te Dominus contemnentem fe, ut deferet timentem fe?* Quod argumentum profecto eft irrefragabile, ita ut ad illud Refponderi non poffit. Abraham à Deo juffus relinquere patriam, parentes, domusque paternæ commoditates & divitias, & veluti advena in regiones longinquas peregrinari, & tamen valde fuit à Deo locupletatus, quia *dives valde fuit in poffeffione auri* ; Voluit itaque Deus tot accumulare divitias in domo illius, qui eas non ambiebat, imo vero afpernabatur ; Scitifne caufam? D. Chryfoftomus refpondet ; *Quotquot viderant eum quando defcendit fame coactus cum timore & tremore*, (id eft, quando defcendit juffu Dei in Ægyptum) *Nunc vero redeuntem cum tanta claritate, & facultatibus, & divitijs, difcebant virtutem Providentiæ Dei erga illum.* Quis umquam inveniri poterit vir, honoris & confcientiæ illibatè fervandæ cupidus, qui fervum quemdam habens, à diluculo matutino in feram ufque noctem in ejus fervitium fideliter, & amabiliter laborantem, obfequiofum, & obedientem, eumdem victûs neceffarij penuriam pati finat, quam canibus prodiga manu miniftrat? *Omnia enim à te expectant, ut des illis efcam in tempore :* Multo magis igitur divina Providentia, quæ non folum canes, fed tot alia viliora animalia nutrit, nequaquam permittet, ut amici fui divino fervitio ejus intenti fame pereant ; Rupertus Abbas illud à Chrifto Salvatore noftro Matth. 9. Apoftolis fuis impofitum præceptum confiderans : *Nolite poffidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veftris, non peram in via*, ita difcurrit : Prohibet quidem illis, ne pecuniam penes fe portent, neque quodvis ad fruftum panis recondendum idoneum inftrumentum, zonam vel peram ; At vero cum dictis Apoftolis per loca deferta peregrinandum fuerit, & cum gente barbara, legis Evangelicæ, quam annunciabant, inimica, qua ratione fine pecunia, aut pane vivere poterant : Refpondetque fibi ipfi præfatus Rupertus dicens : *Si totus fere mundus aliquando efuriat, & pane indigeat, juftum illum, cujus in corde domefticum, ejus in ore familiare eft verbum Dei, non videbis derelictum ; Et verum eft quod Scriptura dicit : Non interficiet Dominus animam jufti.* B. Alferius in vitis Patrum occidentalium quondam fuo monafterio hanc legem præfcripferat fcilicet, quod numerus Religioforum illius loci duodenarium nequaquam tranfcendere poffet, hujusque legis hanc reddidit rationem : *Ne fi numerum excederent, fuftentari de rebus monafterij non poffent :* At vero vicinus morti factus, dictam legem retractavit inquiens : *Ego quod de numero fratrum conftitui, fecundùm hominem dixi, nam quod mihi Dominus revelare dignatus eft, in hoc monafterio innumerabilis multitudo ad ejus fervitium colligenda eft, atque qui eos ad regnum fuum congregat, temporales etiam fumptus miniftrabit.*

Pf. 33. v. 10. — Firma Dei promiffio timentibus fe providendi de neceffarijs ad fuftentationem vitæ. — *S. Auguft. ibid.* — Exemplum Abrahæ. — *Gen. 13. v. 2.* — Simile. — *Pf. 103. 27.* — *Matth. c. 10. 9.* — *Rup. Abb. lib. 8. ibid.*

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Eadem materia continuatur, fimulque explicantur verba illa Chrifti : *Nolite folciti effe in craftinum.*

THEMA.

Omnem folicitudinem veftram projicientes in eum quoniam ipfi cura eft de nobis. 1. Petr. 5. ✠. 7.

1. SAlvator nofter in parabola feminis, per quod divinum verbum fignificari dixit (*Semen eft verbum Dei*) pariter indicat, cœlefte hoc femen à fpinis fuffocari : *Spinæ fuffocaverunt illud* ; Simulque quænam illæ fpinæ fint de quibus legitur, his verbis declarat : *Quod autem in fpinas cecidit, hi funt qui... à folicitudinibus... fuffocantur, & non referunt fructum :* Quemadmodum enim fpinæ noftras ad fe veftes rapiunt, eafque firmiter tenent, ita cogitationes de hifce bonis terre-

Luc. 8. v. 11. & 7. — Solicitudo nimia temporaliũ abforbet cor & mentem hominis. — *Ibid. v. 14.*

terrenis anxiè & solicitè, & cum timore & diffidentia conjunctæ, mentem & cor nostrum adeo absorbent, ut se de Deo cogitando applicare non possint. Dives ille Evangelicus postquam copiosam horreis suis intulerat messem, anxius factus est, & somni expers aliud nihil cogitabat, quam de dilatandis granariis, & vita prospera in longævum usque tempus transigenda; Nec mirum, nam ut sanctus Ambrosius ait: *Angustiatur abundantia, constringitur, & coarctatur ex opulentia, ager ei non tam reddituus largiores, quam gemitus attulit graviores, terra ei non tam fructuum copiam, quam curarum molestiam germinavit.* Unde non immerito S. Petrus hasce spinas à fidelium cordibus extirpare volens, eosdem hortatus est, inquiens: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipse est cura de vobis.* Ubi mysterio non caret dictio illa: *Projicientes*; Non enim dixit; *Reponentes*, quia inter rem quæ reponitur, & aliam quæ projicitur, hæc intercedit differentia, quod illa reservetur, quia magni æstimatur, non vero illa quæ projicitur. S. Petrus igitur vult dicere, omnem de bonis temporalibus anxiam cogitationem & solicitudinem à nobis arcendam, & ad tempus in manus Dei projiciendam esse, utpote ad quem spectat de nobis curam habere. Idipsum Regius Propheta David diu ante dixerat, quando ait: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem justo.* Christus Dominus, ut Apostolos suos ad confidendum in ejus Providentiam animaret, ijsdem promisit, dicens: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Deus quoque quoad hanc sequacium suorum provisionem apud Isaiam prædixerat dicens: *Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum, non esurient... neque sitient... quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* At vero dicet fortasse aliquis, qua ratione fieri poterit, ut quis in vijs publicis, ubi non seminatur, & si seminaretur granum seminatum à transeuntibus conculcaretur, suum inveniat alimentum? Dubium hoc Oleaster in sensu mystico solvit inquiens: *Ubicumque sunt servi Dei, ibi quæ sibi sunt necessaria habent. Ne ergo timeas in via Dei aliquid tibi deficere, quoniam viæ, & montes alimenta tibi ministrabunt.*

S. Ambr. serm. 81.

Omnis cura suadetur projicienda in Deum.

1. Petr. 5. 7.

Matth. 10. v. 40.

Isa. 49. v. 9.

Oleaster ibid.

2. In Vitis Patrum eremi de Abbate Frontonis legitur, quod cum se una cum septuaginta alijs monachis in steriliſſimam quamdam recepisset solitudinem, ibidemque omnes contemplationi dediti, ingentes in Spiritu facerent progressus, Deus fiduciam illorum experiri volens, disposuit, ut panis, & quævis alia sustentatio ijsdem deficeret; Monachi igitur ad imitationem populi Hebræi Abbati detrahere cœperunt, & contra illum murmurare, eo quod illos è civitatibus eductos, in vastam illam secum conduxisset solitudinem, quia, ut Psalmista ait: *Si non fuerint saturati, & murmurabunt*; Unde jam omnino ad redeundum in civitatem sese resolverant; Sanctus quidem Prælatus sæpius eos ad sperandum in divinam Providentiam animare contendit, sed quia *jejunus venter non audit verba libenter*, in proposito deserendi locum persistebant. Deus igitur utilis, quam sit liberalis & provida manus ejus erga illos, qui fideliter ipsi serviunt ostenderet, angelum quemdam ad virum divitem expedivit, qui ei in somno constituto diceret: *Tu epularis in divitijs splendide, & servi mei in eremo indigent pane?* Hic igitur divitem hunc à somno excitatum monuit, ut divitiarum suarum partem servis Dei impertiretur; Qui expergefactus visionē habitam cum nonnullis amicorum suorum communicavit, ab ijsque, de eo quid facto sibi opus esset, consilium expetit, quale ramen nullus illorum suggerere ei potuit. Nocte autem consequente angelus reversus propter moram exequendi illud, quod ei impositum fuerat, illum reprehendit, pariterque percussit; Unde amicis suis de novo consultis, suasum ei fuit, ut si hæc ab angelo ei insinuata commissio à Deo procederet, hunc in modum eamdem exequeretur; Nimirum septuaginta camelos suos, quos ad manum habebat, annona sufficienti onustos, sine ullo hominum duce in desertum ageret, futurum enim fore, ut ipsemet Deus dux eorum esset. Dictum factum, nam sexaginta quinque mulos varijs rebus comestibilibus onustos, & quinq; alios fœno & stramentis pro eorumdem jumentorum pabulo bene provisos destinavit, & in desertum agi curavit, qui intra spatium quatridui sub horam nonam ad monasterium sancti illius Abbatis feliciter pervenerunt. Ubi, ut quilibet sibi facile imaginari potest, maximus fuit Religiosorum illorum jubilus adeo liberalem in se divinam Providentiam videntium, quæ pusillanimitatem illorum condemnavit.

Vit. Patr. Stupendum exemplum providentiæ Dei circa Eremicolas, cibo necessario destitutos.

Ps. 58. v. 16.

3. Author operis imperfecti observat, quod primo cœlestis provisor Christus de æterno patre suo dixerit: *Solem suum oriri facit super bonos*, postea vero secundo loco subjunxerit: *Super malos*, sicut & primo dixit: *Pluit super justos*, & postea addit: *Super injustos*; *Quia omnia bona Deus, non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos, contentus est enim magis, ut peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quam ut justi contra meritum suum à Dei bonis fraudentur*; Unde clare deducitur, quod mali provideantur propter merita bonorum: Id quod etiam Seneca solo naturæ lumine adjutus agnovit, dum ait: *Dij multa ingratis tribuunt, sed & illa bonis paraverunt.* Apud S. Lucam cap. 14. Christus ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem &c.* Ubi satis patet, quod de illis fuerit locutus, qui se Dei servitio, præcipue autem vitæ Religiosæ dedicarunt: Subdit autem incarnata Sapientia: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat &c. Quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non prius cogitat &c.* Ex quibus præmissis quamdam deducit consequentiam quæ nullam cum antea dictis habere videtur connectionem: Ait enim: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Porro ad turrim aliquam erigendam ingenti opus est pecunia: Similiter ad integros armandos exercitus, necessum est, ut quantumvis opulenta evacuentur æraria: Quorsum igitur Christus suadet, ut Religiosi, alijque divino servitio dediti, renuncient omnibus, quæ possident? Potius omnino oppositum dicendum videbatur: Et tamen quemadmodum Psalmista de Deo ait: *Omnia in Sapientia fecisti*, ita quoque de Dei filio dici debet: *Omnia in Sapientia dixisti.* Memorandum est igitur, quod Christus per parabolas adductas multas nobis insinuare voluerit veritates: & quidem in hac parabola insinuare nobis voluit, quod basis & columna Religionum, quæ sunt veluti totidem Ecclesiæ turres, & potentes exercitus, quibus infernus debellatur, in eo præcipue consistat, quod in paupertate viventes nihil possideant, sed à divina Providentia totaliter dependeant. Si S. Franciscus pauper & nudus, quando suam fundavit Religionem, cogitasset, & solicitudinem habuisset, quomodo ducentis & octoginta Religiosorum suorum millibus de cibo, potu, habitatione, aliisque necessarijs provideret, ut tot innumera monasteria & Ecclesias ædificaret, eisdemque de necessaria supellectile sacra prospiceret, absque eo, quod vel minimum obulum in pecunia posideret, numquam profecto ad simile opus inchoandum animum applicare ausus fuisset, nisi pro fundamento usus fuisset illis S. Petri verbis: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* S. Cajetanus Theatinorum fundator adeo magnanimiter in hisce verbis confisus est, ut suos ne quidem eleëmosynam à fidelibus postulare voluerit, prout alias tot aliæ Religiones mendicantes faciunt, & tamen hactenus à tot annis in omni loco, non solum sufficienter, sed & abundanter fuerunt, & de facto sunt provisi. Merito igitur Hugo Cardinalis verba illa: *Respicite volatilia cæli*, interpretans, ait: *Verisimiliter possunt hæc exponi de Religiosis, qui nec serunt, neque metunt, & nihil in terra quærunt, & ab omni mundana solicitudine semoti, sola contemplatione in cælo degunt*; De his igitur potius, quam de alijs Christus dicit: *Et pater vester cœlestis pascit illas; Ipse est cura de vobis.*

Matth. 5. 45. Auth. Im. perf. Hom. 13. Deus providet malis propter merita bonorū.

Senec. lib. 4. de benefic.

Luc. 14. 26.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 33.

Explicatur parabola de ædificatione turris, & congregatione exercitus.

Ps. 103. 24.

Exemplum S. Francisci.

1. Petr. 5. 7.

Et S. Cajetani.

Matth. 6. 26. Hug. Card.

Ibid. v. 26.

4. Deus, ut suo loco probavimus, nequaquam diligentiam, laborem & industriam nostram reprobat, sed solam solicitudinem anxiam & vitiosam condemnat. Unde sicut in præcedentibus discursibus vidimus: in capite 6. S. Matthæi, ubi de hac materia fusius disseritur, Christus nos monet, dicens: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* Verumtamen videamus, quisnam ex variorum interpretum mente hujus propositionis fuerit sensus. Porro author operis imperfecti inquit: *Jam diximus, quantum quod dicit, hoc solum significat, quo opus habemus in vita nostra præsenti: Quod autem dicit cras, per hoc id quod superfluum est, supra necessitatem ostenditur. Nihil ergo curetis superfluum habere, quam necessarium est vobis in vita præsenti ad viam quotidianam. Quod autem superfluum fuerit, curabit ipse.* Idem quoque author verborum illorum: *Sufficit diei malitia sua, hunc sensum esse asserit, ac si dicat: Sufficit tibi labor, & miseria, quam pateris in viga propter usus quotidianos, quos necessarios habes. Noli superflua pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius.* S. Cyprianus considerat, quod Christus in eodem capite 6. nos docuerit, ut in oratione quotidiana æternum patrem suum, & nostrum rogaremus, ut regnum suum nobis impertiatur: *Adveniat regnum tuum*, paulo post vero nos instruxerit, ut victum nostrum ab eodem postularemus, cum hac tamen limitatione, quæ ex sequentibus verbis unicuique est manifesta: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ubi observandum est ly *quotidianum*, & ly *hodie*; Hujusque petitionis hanc reddit rationem: Quia *Discipulus Christi diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere*; Et ratio est evidens: quia cum paulo ante à patre cœlesti regnum cœlorum petierimus, merito unusquisque nostrum cum Propheta Regio dicere deberet: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Hujus enim regni consequendi impatientes esse deberemus, ac proinde non desiderare hanc vitam, sed in ea demorari de die in diem *hodie &c. Contrarius sibi fit, & repugnans, ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire.* Deus hominem ad vitam æternam possidendam creavit, ac proinde ut ad hanc aspiret, eamque desideret, providè disposuit, ut hæc vita subtilissimo innitatur filo, scilicet unico anhelitui, vel respirationi, ne affectu nostro eidem adhærescamus; Ac proinde *nolite solliciti esse in crastinum*, de hodierno solum die soliciti sitis, quia quis scit an crastinum sit supervicturus? *Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ tempora dij superi?*

Deus non damnat nostrum laborem & industriam, sed anxiam & vitiosam solicitudinem.

Matth. 6. 34.

Panis quotidianus solum est petendus.

Manna solum colligebatur pro una die.

5. S. Augustinus notat, quod vel sola dictio *panis* ad rememorandam vitæ nostræ fugacitatem sufficiat, utpote quæ per singula momenta defluit. *Panis*, inquit, *cogitur, cinis relinquitur, qui mortalitatis nos admonet, mortis memoriam ingerit*; *Natrit ergo panis dum editur, vitamque producit, sed mortis memoriam excitat, dum cinis relinquitur.* Quis non facile concedat, manna, quod tot annis per manus angelorum populo electo de cœlo depluit, celeberrimum fuisse divinæ Providentiæ miraculum? Hoc autem manna solum pro die præsenti, non vero pro sequenti Deus ab Israëlitis colligi voluit, solo excepto Sabbatho, & si quis hunc Dei ordinem transgrediebatur, subito manna putrefiebat, & scaturiebat vermes. Unde quærendum venit, cur Deus manna præter ordinem collectum in vermes, & non potius in saxum, in lignū, in terram, vel aliam similem materiam transmutari voluerit? Quodnam obscero mysterium in vermibus hisce latet? Observandum quod hi ex cadaveribus scaturire soleant, dicente Jobo: *Putredini dixi; Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus*; Deus igitur è corde populi sui timorem eradicare volens, quo metuebat ne sibi quotidie provideretur, per hosce vermes vicinæ mortis memoriam ei imprimere voluit, ne pro die sequenti adeo essent anxij, & soliciti; *Nolite ergo soliciti esse in crastinum.* Nemo potest credere, quantum Deus per hanc de Providentia sua diffidentiam offendatur. Unde memorandum nobis est, quanta cum severitate Deus duos fratres, Moysen, & Aaron, dilectos amicos suos & speciatim Moysen castigarit, utrumque ab ingressu terræ promissionis arcendo, ad quam tantis cum laboribus populum Dei deduxerant, & quidem dum pœnæ hujus causam inquiro, affirmari posse existimo, illos per hoc divinam exasperasse bonitatem, quia videlicet de ejus erga illos ingratos, & rebelles providentia diffidebant. Etenim quando aqua in deserto defecerat, jamque omnes ad detrahendum Deo linguas suas laxaverant, inquit sacer textus: *Apparuit gloria Domini super eos, Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron,... & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*, ex quibus verbis aliqualem in Moyse diffidentiam fuisse, clare deducitur, idque ex duobus capitibus; Quorum unum est, quia cum Deus illis dixisset, *loquimini ad petram*, Moyses non semel, sed sæpius petram virga percussit, quasi suspiciendo, quod solis verbis aqua ex petra elici non posset; Alterum vero caput, quod majoris est evidentiæ, hoc fuit, quia scilicet sequentia protulit verba: *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Verum quidem est, Hebræos utpote pro tot receptis beneficijs ingratos, hoc fuisse miraculo indignos, at vero hi duo fratres, quantumvis alias adeo illuminati nesciebant, quod cum de divina Providentia agitur, hæc *placi super justos, & injustos*, & ideo Deum eo tempore in hæc verba prorupisse existimo: Ego, qui ad aperiendam huic populo in medio mari securam semitam per quam transiret in Palæstinam, multas illi in mari dilaravi vias floridas, & virescentes; Ego, aquas salsas pariter per immissum lignum indulcoravi; Ego tot annis cibum cœlestem de cœlo dimisi; Qua igitur ratione fieri potuit, ut quis ex vobis hunc de me formet conceptum, quod non obstante ingratitudine & rebellione vestra, passurus sim, ut moriamini siti? Ex qua porro historia idoneum propositō nostro deducere possumus argumentum, nimirum, quod si Deus Hebræis per tam stupendum prodigium eo tempore, quando actualiter murmurabant, & de ipso diffidebant, de aquæ necessariæ potu prospexit, quis credere poterit, quod idem Deus permissurus sit, ut aliquid necessarium desit illis, qui quotidie Deo, septies illum per diem ac noctem in choro laudando intenti existunt; *Qui in lege Domini meditantur die ac nocte.*

Ps. 119. v. 5. Ps. 41. v. 3.

Num. 20. 6. Ibid. v. 7.

Ibid. v. 10.

Matth. 5. 45.

Cur manna superfluum una die conversum fuerit in vermes, & non in aliam rem.

Job 17. 14.

S. Augustin. serm. 3. in Psalm. 36.

Deus severè punit diffidentiā Moysis & Aaronis, de sua providentia.

6. Ecce tibi aliam rationem, ob quam Christus prohibuit dicendo: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum*, Christus enim cum suis loquebatur Apostolis, & discipulis, qui futuri erant norma verorum Religiosorum, qui votum paupertatis edunt, illudque punctualiter observant, hi enim nequaquam soliciti esse debent pro die crastino, *omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* Porro pœna qua S. Petrus (cujus hæc sunt verba) in Ananiam, & Saphiram animadvertit: valde memorabilis fuit. Hi etenim alios fervidos fideles æmulantes, possessiones suas vendiderant, illarumque pretium, non totum, sed illius partem ad pedes Apostolorum deportarant, aliquam sibi inde portionem furtive reservando, & ideo morte repentina extincti fuerunt. Sed merito hic quærendum venit, quamnam hi commiserint culpam, quod tam rigorosa repentinæ mortis pœna ambobus inflicta fuerit? Numquid facultates illæ ipsorum propriæ erant? Sed respondetur, verum quidem esse, quod propriæ illorum fuerint, earumque habuerint dominium, priusquam votum paupertatis Evangelicæ ederent; At vero postea quam sub vexillo crucifixi in numerum pauperum Evangelicorum se conscribi fecerant, diffidebant de divina Providentia, quasi ab hac in suis necessitatibus deserendi essent. Unde graviter offensus est S. Petrus, quod sub suis stipendijs militantes, cor illorum hæc ingredi potuerit diffidentia, quod à Deo in suis necessitatibus nullum habituri essent subsidium, ac proinde in exemplum, & terrorem illorum, qui Deo inserviunt, & de ejus Providentia diffidunt, tanto cum rigore eosdem punivit. Unde S. Hieronymus ad Demetriadem ita scribit: *Ananias & Saphira dispensatores timidi, ideo condemnati, quia partem substantiæ reservarunt; metuentes tamen, quam vera fides non timet; præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ sed correctionis exemplo.*

Matth. 6. 34.

S. Hieron. Epist. 8.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Fiducia quæ in Deum potius, quam in industriam nostram habetur, à Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos, qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

THEMA.

Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.
Psalm. 33. v. 11.

1. QUia Propheta Regius (de quo æterna veritas hoc perhibet testimonium: *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*) varijs in occasionibus divinæ Providentiæ expertus fuit effectus, ideo in Psalmo 33. cecinit: *Beatus vir qui speravit in eo*; *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum*; *Divites egucrunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, hisque dictis, David suos ad se accersivit filios, eosque modum edocuit, quo se Deo semper bene providendos esse sperare poterant: *Venite filij*, inquit, *audite me, timorem Domini docebo vos*; Et paulò post scribit: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* S. Joannes in Epistola prima ait: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* De provida Dei manu Regius Psaltes quidem ait: *Aperis tu manum tuam, & implesomne animal benedictione*; Harum tamen benedictionum copiosius participes fiunt illi, qui ad easdem se per bo-

Act. Apost. 13. v. 22. David docuit filios omnem fiduciam habere in Dei providentia.

Ps. 33. v. 9. 10. & 11.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 16.

1. Joan. 3. 21.

Ibid. v. 22.

Jer.17.v.7.
Qui Deũ timent & amant copiosiorẽ merentur benedictionem.

tram conscientiam disponunt. Jeremias inquit : *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus ?* Ubi is, qui hanc vivam in Deum fidem, seu fiduciam habet, viri nomine appellatur, qui *vir à virtute. Benedictus* quoque dicitur,quia ut idem Propheta paulò post subjungit : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus ; & erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum ;* Quæ verba quasi coincidunt cum illis primi Psalmi verbis : *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur ; Non sic impij, non sic.* Verum quidem est, quod *Deus pluit super justos, & solem suum oriri facit super malos*, attamen specialius directi sunt *oculi Domini super metuentes eum ;* divinaque beneficeutia copiosior, & abundantior est erga illos qui ipsum timent,& amant.

Ps.1.v.3. Ibid.v.4. Matth.5.45 Psal 32.18.

Ps.33.v.11.
Quomodo divites egeant & esuriant.

2. Prima quidem facie paradoxum esse videtur, quod Psalmista ait : *Divites eguerunt, & esurierunt :* Quomodo enim is,qui dives est,egenus esse, & esurire potest. Numquid *pecuniæ obediunt omnia ?* Sed Respondetur, quod sæpe tempore famis, & caritatis annonæ contingat,quod ad sui sustentationem nec pecunia juvet,nec hominis industria,tunc enim Deus solus est provisor, tuncque *Inquirentes Dominum, non minuentur omni bono*, solo flatu venti alicujus integros venire facit ad sustentationem hominis coturnicum exercitus dicente Psalmista : *Misit sicut arenam maris volatilia pennata, pluit sicut pulverem carnes.* Apud Sanctum Lucam legitur,quod cælestis Magister in ultima cœna suos interrogarit Apostolos : *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ? At illi dixerunt : Nihil ;* Moxque eisdem præcepit, dicens : *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram ;* Id est, ut expositores interpretantur, *sacculum quo portatur pecunia, pera, qua portantur cibaria.* Quis autem hanc Apostolis hisce verbis datam commissionem non admiretur? Siquidem valde differt ab illa paulo ante in ultima cœna facta interrogatione,quando enim sine omni provisione iter fecerant, sibi prorsus nihil defuisse responderunt,cur igitur nunc sacculum pro pecunia, & peram pro cibarijs accipiendis sibi procurare jubentur ? Cur non potius illos in priori reliquit pecuniarum & ciborum inopia ? Sanctus Chrysostomus, & ejus authoritatem adducens Hugo Cardinalis respondent : *Quando nec zonam habebant, neque æs, nullius passi sunt penuriam, ut autem marsupium concessit eis & peram, esurire videntur, & nuditatem pati, ac si eis diceret : Hactenus cuncta vobis uberrime affluebant, nunc autem volo vos & inopiam experiri.* Nimirum Christus non solum suis Apostolis, sed etiam successive illis, qui ad ipsorum imitationem vitam acturi essent Apostolicam,insinuare voluit, quod plenè in ipsum confidendo,copiosiorem erga se experturi essent providentiam, quam si in propriam confiderent industriam. Unde David ait: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit ;* & in alio psalmo protestatur dicens : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer :* Quibus verbis Psalmista vult dicere, vos mihi persuadere conamini, quod tempore persecutionis,quam ab inimicis meis patior,in montes confugere, eoque provisiones meas conferre mecum debeam, quemadmodum passeres faciunt: qui ex valle ad montem evolantes spicam ore suo sæpe deferunt, at vero nequaquam vestrum mihi placet consilium ; Quin potius in Domino confido ; Quod si Nabal annonam mihi & militi meo necessariam subministrare noluerit, Deus Abigail conjugi ejus inspirabit, ut mihi abundanter prospiciat.

Ps.77.v.27. Luc 22.35. Ibid.v.36.
Quare Christus Apostolis habere sacculum & peram prohibuerit.
Chrysost. ab Hugo Card. cit.
Ps.22.v.1. Ps.10.v.2.

Christus turbis illũ constanter sequentibus, abundanter providit de alimentis.
Luc.9.v.11.12.& 13. Ibid.v.14.

3. Notum est miraculum illud, quod Salvator noster in refectione devotarum turbarum illarum ipsum per tres dies, & noctes sine ullo cibo indefessè sequentium patravit ; Porro Evangelista dicit : *Loquebatur illis de regno Dei ... Dies autem cæperat declinare, & accedentes duodecim dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque, quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt ; Non sunt nobis plus, quam quinque panes & duo pisces ... Erant autem ferè viri quinque millia.* Mirum vero non erat, quod Christus erga hasce devotas turbas adeo se beneficum exhibuerit, siquidem hæ turbæ Christo devotè inservierant, in ejus sequela perseveraverant,prędicationem ejus assidue auscultarant,perque lassitudinem,vigilias,& famem sese erga illum devotas esse probaverant, ac proinde Christus ostendere voluit,eas,ipsisque similes paterna sua Providentia nequaquam fore defraudandas.

Ps.4.v.6.
Homines boni & perfectioni vitæ dediti,confidant de providentia Dei.

4. Regius Propheta David modum nos docet nostram in Deum exercendi fiduciam,dum ait : *Sacrificate sacrificium justitiæ ;* Id est, estote homines virtuosi bonitati,& perfectioni vitæ dediti, Deoque veraciter inservite, & tunc *sperate in Domino.* Enimvero videbitis aliquando nonneminem, qui meliorem copiosarum facultatum suarum partem mensæ concredat collybisticæ, quæ fallere potest ; Ultimas voluntates nostras, res tanti momenti in se comprehendentes, contractus item & alia instrumenta in manus consignamus Notarij, qui forte est traditor ; Lites ingens interesse nostrum concernentes in manus ponimus Procuratorum & Advocatorum, qui causas nostras possunt negligere ; Vitam nostram Medico confidimus,nonnumquam ignoranti, & modica experientia prædito, Quæro igitur, ex quo in servitio Dei sumus vigilantes, & in via præceptorum divinorum exacte ambulamus,cur percellemur metu & diffidentia, ne forte nos panis necessarius deficiat ? Filius ille prodigus,ut apud S.Lucam legitur, in extrema necessitate constitutus, suamque miseriam considerans in hæc prorupit lamentabilia verba : *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus ? Ego autem hic fame pereo ;* Eodem prorsus modo dicere possum, quot sunt in claustris regularibus in magno numero religiosi,votum paupertatis punctualiter observantes,& in continua cum Deo unione viventes, quibus adeò copiose prospicitur, ut de reliquijs mensæ ipsorum multi satientur pauperes, cum tamen econtra tot homines mundani,qui sine timore Dei vivunt,& nonnisi in propriam industriam, Deo prorsus à mente ipsorum excluso,confidentes, in extrema mendicitate & miseria vitam agunt.

Luc.15.17.

Religiosi in locis rigidis viventes, comparantur lilijs agri.
Matth.6.28.

5. Consideratione dignissima est illa circumstantia, quam incarnata Sapientia de sua Providentia differens, non sine mysterio adjunxit dicens : *Considerate lilia agri*, non dicit *lilia absolute*, sed *lilia agri* ; Et vero præter considerationes alibi factas super hoc, quod specifice loquatur de lilijs agri, hoc loco mihi persuadeo,quod Christus indicare voluerit differentiam, qua providetur illis, qui in locis alpestribus ab hominum incolatu procul remotis vivunt, & qua alijs prospicitur, qui in civitatibus, alijsque locis populosis habitant. Inter eos, qui in locis solitarijs vivunt, comprehenduntur monachi,& tot alij Religiosi, in quibus vel maximè paterna Dei providentia resplendet. Lilia hortorum, quæ diligenter & industriè excoluntur, facile ad venti flatum congelantur,& arescunt,non vero item lilia quæ in montibus & alpibus crescunt ; Ita quoque facilius ad egestatem devolventur illi, qui divitijs copiosis provisi,commodissime vivunt, quam qui vitam rigorosam & austeram agunt ; Hi enim omnibus rigoribus quos patiuntur, libenter se subjiciunt,rebusque necessarijs magis sunt provisi ; quam plures alij, qui in ingenium & industriam suam omnem suam habent fiduciam collocatam.

Psal.33.11.
B.Petr.Dam. lib 6. Epist. 25.
Mirabile exemplum de devota confidentia in providentiam Dei.

6. *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Beatus Petrus Damianus narrat, virum quemdam è Lombardia oriundum, una cum conjuge sua ex devotionis instinctu Romam ad loca sancta veneranda proficiscentem,cũ ad lacum pervenisset,ingressum fuisse in navim,pro comparando sibi pisce, serotino tempore manducando ; Pisce autem comparato è navi egressus,marsupium sibi cecidisse deprehendit ; Unde conjux ejus graviter afflicta fuit,ipse vero divinæ se voluntati conformans non dolebat ; Porro remanserant ei in sacculo sex libræ monetæ lucensis;Unde omnem suam confidentiam in Deum,reponens, largiflue ab eodem fuit remuneratus,juxta illud Apostoli : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Etenim cum circa vesperam hospitium suum non procul à lacu illo accepisset, itineris sui comites affatus dixit : Quia hic lacus tam notabile damnum nobis intulit, convenit omnino, ut pro nostro solatio cœna solito lautiori potiamur : *Cæpit gratulabundus socijs dicere : Quia lacus iste, fratres, nobis intulit damnum, dignum profecto est, ut auxiliante Deo ad propria repedantibus, lætum præbeat, ac solemne convivium ; Et conversus ad accolas, Quis, ait, mihi distracturus est duodecim numismatum piscem ? Cui piscator assistens præsto respondit : Venalem profecto piscem optimum habeo, sed quindecim proculdubio mihi denarios numerabis, si eum tibi vendicare volueris.*

Hebr.10.35.

Quam ille summam non cunctatus exolvit, emptumque piscem uxori, ut esculentius pararet, injunxit, quem mulier, ut exenteravit, in intestino ejus folliculum cum viginti quatuor papiensis monetæ solidis reperit. Tunc omnes qui aderant, in commune gratias conferunt, & in succedentibus sibi jacturis semper in Deo spem esse ponendam indubitanter agnoscunt. Enimvero vir ille ex devotione, non vero ex curiositate Romam adibat, eumque virum virtuosum fuisse ex sacro illo deducitur aphorismo : *Non contristabit justum,quidquid ei acciderit ;* Deus igitur fiduciam viri illius experiri volens, eamque perfectam inveniens, incunctanter remuneravit, quia *inquirentes Dominum,non minuentur omni bono.*

Prov 12.21.

Applicatur ad propositũ historia Vet. Test.
2.Paral.13.v.11. Ibid.v.12. Ibid.v.3. Ibid.v.13. Ibid.v.14. Lyranus.

7. In libro secundo Paralip.de Abia Rege Juda scribitur, quod magnam de victoria adversus inimicum exercitum reportanda spem conceperit, licet exercitus ille Jeroboam,suo longe potentior esset ; At vero quanam in re suam habebat repositam fiduciam ? *Nos custodimus præcepta Domini Dei nostri*, inquit,*quem vos reliquistis, ergo in exercitu nostro dux Deus est ;* Ac proinde huic innixi fiduciæ inimicos ad arma deponenda his verbis exhortabantur : *Nolite pugnare contra Dominum Patrum vestrorum, quia non vobis expedit.* Verum quidem est, quod Abias quadringentis militum millibus communitus erat, at vero Jeroboam octingenta millia virorum numerabat,*quia & ipsi electi erant, & ad bella fortissimi :* Abias porro sacrilego Regi Jeroboam, qui idola colebat, suosque subditos ad vitulorum adorationem adstringebat,persuadere satagebat, ne prælium secum iniret, utpote qui Jerosolymis vivum verumque Deum adoraret:*Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias, cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu ;* At vero quodnam Abias in hoc tam evidenti periculo,ne una cum omnibus suis inimico in prædam cederet, habuit refugium ? *Clamavit ad Dominum.* Deusque exercituum voces illius exaudiens, confidentiæ ipsius plene correspondit, cor leoninum omnibus militibus suis suggerendo, qui in ore gladij quingenta millia hostium, veroque Deo rebellium cæciderunt. Unde Lyranus ait : *Hic consequenter ponitur ipsius Abiæ victoria, quia cum videret se, & exercitum suum prædicto modo inclusum, clamavit ad Dominum ; confidens de ejus auxilio.* Veri namque Dei Sacerdotes levaverunt voces suas, quæ animatæ erant cordibus vera fiducia plenis, ac proinde *perterruit Deus Jeroboam,& omnem Israel.* Unde merito S. Augustinus ait : *Constanter Deo crede,eique te totum committe, quantum potes, ipse enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet nisi quod tibi prosit etiamsi nescias.*

Ibid.v.15. S. August. soliloq. c.15.

Confidens de providentia Dei,non indiget auxilio alieno.
1.Esdræ 8.22 Isai.32.18.

8. In libro primo Esdræ cap.8. observandum, quod Esdras in patrocinium & tutelam Dei confisus dixerit: *Erubui petere à Rege auxilium,& equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus Regi, manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, & imperium ejus,& fortitudo ejus, & furor super omnes,qui derelinquunt eum.* Apud Isaiam dicitur : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,& in tabernaculis fiduciæ.* At vero quis umquam audivit,quod fiducia pro sua habitatione tabernacula habeat ? Pro responsione considerandum,quod duces in bello experti erigere soleant ex tempore hospitia in locis securioribus, ut exercitus militum minori cum formidine requiescere possit ; Vult igitur Isaias dicere,qui in Deum confidit,talem experietur securitatem, ut etiam in medijs periculis,& inter truculentiores inimicos quiete se requiescere posse videat.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Ad hoc ut fiducia nostra efficax sit, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non vero in mundum collocatur : Atque insuper diligentias humanas, nostramque cooperationem minime excludit.

THEMA.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Prov.3.℣.5.

Toto corde confidendum est de providentia Dei.

1. SUadet his verbis Sapiens, ut confidentiam nostram in Deum reponamus, non indefinite, sed ex toto corde, & animo : *Ex toto corde tuo ;* Adeòque ne quamquã vacillet, Neq; enim in dubiũ revocari potest illud Ecclesiastici oraculum : *Scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Syriaca legit : *Intelligite, & videte, quis credidit in eum, & dereliquit eum ? Vel quis confidit in eo, & abjecit eum ?* Propheta Regius in Psalm.117. inquit : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine ; Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* D. Chrysostomus hunc Psalmum commentando ita scribit : *Dices, ego speravi, sum pudore affectus. Bona verba quæso, ô homo, ne divinæ Scripturæ obloquaris, nam si pudore affectus es, ideo affectus es, quod non ut oportuit, speraveris, ex eo quod cesseris,ex eo quod finem non expectaveris, ex eo quod pusillo, & angusto animo fueris ; Hoc enim vel maxime est sperare, quando in media mala & pericula fueris conjectus,tunc erigi.* Fiducia enim indubitata debet esse,& viva, *postulet in fide nihil hæsitans*, ut ait sanctus Jacobus.

Eccli.2.11. Ps.117.v.8. Chrysost.ibid. Jac.1.v.6.

Deus à nobis exigit vivam fidem & fiduciam.
Matth.8.26 Judith.8.11 Ibid.v.12. Ibid.v.13.

2. Quando Apostoli à maris tempestate conquassati,timore percellebantur, his verbis à Christo fuere reprehensi. *Quid timidi estis modicæ fidei ? Quare dubitastis ?* Quando Ozias sacerdos, & alij Bethuliam inimico cedere decreverant, nisi Deus intra certum tempus illis mitteret subsidium, sancta & invicta Bethuliæ vidua Juditha in hæc verba eos increpavit : *Qui estis vos, qui tentatis Dominum ? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat, Posuistis vos tempus miserationis Domini,& in arbitrium vestrum constituistis ;* Quasi diceret, non est hoc modo cum Deo procedendum ; sed animose confidendum in ipsum : Ut enim Deus urgentibus periculis nostris prospiciat, nostram à nobis vivam fidem & fiduciam exposcit. Cur obsecro cœlestis Magister sancto Petro in illa maris exorta tempestate, quando è navi exiliens ad ipsum super maris vortices properavit, timebat, ne submergeretur, cur inquam elementum illud furibundum vocis suæ imperio non tranquillavit, sed per manum Petrum apprehendit ? Respondet Chrysostomus : *Quia videlicet fide ipsius opus esset, cum enim nos ipsi deficimus, tunc Dei patrocinia retardantur.* Sapiens eum, qui veram in Deum fiduciam habet Leoni assimilans inquit : *Justus quasi Leo confidens absque terrore erit.* Quam similitudinem Gregorius Magnus considerans ait : *Justi viri securitas recte Leoni comparatur, quia contra secum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos adversantes superat.*

Chrysost. Hom. 51. in Matth. Prov.28.1. S.Greg. lib. 31.Mor.c.63

Vit.Patr. lib. 5 c.7.n.6.
Notabilia fiduciæ in Deum exempla.

3. Legitur in vitis Patrum,quod Theodorus hanc à Deo gratiam postularit,ut propulsato à corde suo omni timore plenissime in Deum fiduciam conceperit, ut dicere non dubitarit : *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* In eodem libro de Sancto quodam sene narratur,quod cum speluncam quamdam ingressus leonem invenisset,qui fremebat,quem proinde interrogavit ? *Quid angustias ? Est locus qui capiat te, & me : Et vero non vis surgens egredere hinc.* Moxque Leo egressus speluncam suam servo Dei ultro cessit. Regis Psalmista ait : *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, ut salvum me facias ; Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu* : S. Hieronymus legit : *Quoniam munitio, & fiducia mea es tu.* Propheta igitur regius non in bene armatos exercitus suos ; Neque in millionibus auri referta æraria ; Nec in experientiam, & generositatem suam, sed in Deum suam reponebat fiduciam, hancque fiduciam munitionem & armamentarium suum appellabat ; *Quoniam munitio, & fiducia mea es tu.* Deus de cœlesti sponsa sua, per quam anima electa præfiguratur, ita fatur : *In curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* At vero quis umquam legit, vel audivit Israëlitas ex Ægypto egredientes curribus, seu equitatu usos fuisse ? Et si usi his non fuerunt qua ratione sponsus, per quem Deus intelligitur, dicere potest : *In curribus Pharaonis assimilavi te, &c.* Forsitan dubium hoc David Pater Salomonis in hæc verba solvit: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus ; Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.* Porro Pharao in fortitudine Ægypti spem suam habebat repositam, nam : *Tulit sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit ;* At vero in quonam Moyses fiduciam suam collocavit ; Sacer textus inquit : *Ait ad populum, Nolite timere ; State, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie ; Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam*

Psal.30.v.3. Ibid.v.4.
Deus cœlestem sponsam assimilavit curribus Pharaonis.
Cant.1.v.8. Psal.19.v.8. Exod.14.v.7 Ibid.v.13.

ultra videbitis in sempiternum : Dominus pugnabit pro vobis , & vos tacebitis. Evangelicum est oraculum,quo dicitur : *Amen dico vobis, si habueritis fidem* Luc.17. v.6. *sicut granum sinapis* ; In Græco habetur : *si habeatis fiduciam.* At vero quodnam in eo est mysterium , quod fiducia grano sinapis assimiletur ? Pro responsione notanda est hæc sinapis proprietas , quod scilicet quanto magis contunditur,& in pulverem redigitur , tanto suam acrimoniam vehementius exhalet ; Eodem modo animæ electæ contingit , quæ suam in Deum habet confidentiam;Quanto enim magis se desolatam,omnique auxilij humani spe destitutam deprehendit , quantoque magis contradictionibus infestatur,tanto magis suam exercet fiduciam. Mulier Chananæa filiam habens à dæmone possessam Salvatorem adiit,ut ejus ope liberaretur , qui tametsi ei diceret : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël,* Matth.15. v.24. ipsa tamen animo non despondit,sed majori cum fervore supplicationem suam replicavit ; Et licet Christus ei diceret: *Non est bonum sumere panem filiorum,& dare canibus* , ipsa tamen repulsam hanc denuo retudit dicendo : *Etiam Domine , nam & catelli edunt de micis , quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Sed quisnam fuit hujus tam vivæ , tamque constantis fiduciæ exitus. Nimirum confestim Dominum dicentem audivit : *O mulier magna est fides tua , fiat tibi sicut vis , & sanata est filia ejus ex illa hora.* Ubi observandum , quod licet hæc mulier in hac occasione posita multarum ediderit specimina virtutum,humilitatis scilicet, patientiæ, charitatis , prudentiæ, perseverantiæ, orationis &c. Christus tamen specialissime ejus fiduciam deprædicavit,idque eo fine,ut existimo,ut per hoc nobis insinuaret, quod licet omnes virtutes in ordine ad nostras orationes exaudiendas ei sint gratissimæ , primo tamen loco vivam à nobis fidem & confidentiam deposcat. S.Basilius Magnus observat , quod eo tempore,quo aves , Alcyones appellatæ, nidos suos in littore maris ædificant, pelagus tempestatibus conturbatum,ad tranquillitatem suam redeat,ventique favorabiles naucleris securiorem,quam alijs anni temporibus,navigationem suam efficiant ; Unde ad nostrum intentum sequens elicit documentum. Quod si Deus author & Dominus omnium creaturarum in harum avium obsequium,ut scilicet ova sua quiete excludere possint,& maria tranquillat , homo utique qui ad Dei imaginem & similitudinem creatus est , de auxilio divino,à tam benefico Deo sibi subministrando,diffidere nequaquam poterit.

Vera fiducia comparatur grano sinapis.

Matth.17. v.20.

S.Basil.Hom. 3.in Hexam.

Animose confidenti in Deum,necessaria deesse nõ possunt.

4. Qui in Deum animose confidit, hanc habet prærogativam, quod nihil umquam ex necessarijs ei deesse possit , cum econtra subsidia collata ab hominibus , qui instabiles sunt , sæpe deficiant. Apud Michæam sacer textus inquit : *Nos autem ambulavimus in nomine Dei nostri in æternum* ; Ubi Chaldæus legit : *Nos vero fiduciam collocavimus in nomine Domini Dei nostri in sæculum.* S. Augustinus considerans quam sit fallax confidentia , quæ auxilijs humanis innititur , hunc in modum disserit : *Heu spes caduca mortalium ; Speras in persona ; Speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ ? Speras in aliquo amico potente ? in his omnibus cum speras , aut tu expiras , aut cum vivis , omnia pereunt , & in spe tua , tu & ipse deficis, ac cadis.* Basilius Magnus in epistola quadam ad Nazianzenum inquit : *Beatus qui omni spe rerum hujus mundi seipsum orbavit (Spes mortalium sunt somnia vigilantium) ac in solo Deo omnem spem fixit , atque locavit suam , sicut enim execrabilis est , qui spem ponit in homine ita omni laude dignus , qui ex Deo totus pendet.* Porro qui in Deum confidit , quiete dormit,dicereque potest : *In pace in idipsum dormiam , & requiescam , Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Unde quidam ex sanctis eremi patribus dicere solebat : *Si non dixerit homo in corde suo:Ego solus,& Deus, sumus in hoc mundo, non habet requiem.* Et Sapiens ait : *Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi.*

S.Basil. Epist. 19.

Psal.4.v.9.10.

Vit.Patr.sent. 73.P.Ægypt.

Sap. 3.v.9.

Exod.12.11. Quid designent baculi in manibus manducantium agnum paschalem.

5. Inter alios ad manducandum agnum paschalem præscriptos ritus , unus fuit, quod scilicet manducantes , *debebant tenere baculos in manibus.* Cujus quidem ritus sensus litteralis hic est,quia scilicet ad proficiscendum accincti esse debebant ; Sensum vero spiritualem S. Cyrillus Alexandrinus indicat dicens : *Virga autem & baculus in manibus significat spem , quæ nos confirmat, aut sustentat, secundum illud, quod in Prophetis habetur : Sperate in Domino , & fulcite vos in Deo.* Quæ verba ad illum Isaiæ textum alludunt, ubi dicitur : *Speret in nomine Domini , & innitatur super Deum suum* ; Septuaginta legunt : *Confidite in nomine Domini,& innitimini super Deo.* Econtra vero fulcimenta humana vacuæ appellantur arundines. Baculus enim arundineus extrinsecus pulcher videtur esse, & fortis , quod si tamen illi innixus fueris, rumpetur, quando minus putabis , & penetrabit manum tuam ; Unde in libris Regum dicitur : *An speras in baculo arundineo , atque confracto , super quem si incubuerit homo , comminutus ingredietur manum ejus , & perforabit eam.* Vatablus legit : *Homines , quibus fidimus , sunt similes fragili arundini , cujus cum frangitur, fragmenta acuta solent lædere innitentem ipsi ; Sic homines plus nobis tandem incommodi afferunt , quam commodi.* Hugo Cardinalis rationem assignat, quare David dixerit : *Nolite confidere in principibus , in filijs hominum,* Isa.50. 10. Spes in hominum, baculus arundineus. 4.Reg.18.21. Hug. Card. ibid. enim solent esse fallaces , & cum verborum suorum fidem non servaverint , nullus superest modus,quo ad illam servandam cogi possint. Præterea quia præ cunctis alijs vitæ brevitati sunt subjecti , juxta. illud Eccli. *Omnis Potentatus vita brevis* ; Deinde quia in necessitatibus urgentioribus clientes suos derelinquunt, unde in Deuteronomio dicitur : *Surgant, & opitulentur vobis , & in necessitate vos protegant;* Denique quia facile mutant affectum , & irascuntur, cum alta semper prætendant ; Deus vero non item : *Non est Deus quasi homo,ut mentiatur, neque filius hominis , ut mutetur.* S. Job lamentabatur dicens : *Fratres mei præterierunt me sicut torrens.* Pro cujus dicti intelligentia notandum , quod tempore hyberno, quando viatores aqua minime indigent, torrentes adeo aquis abundent, ut omnes agri in aquis stagnent, evellant arbores,domus diruant, aliaque irreparabilia damna causent ; In æstate vero quando terra arida est & sicca , & præ nimijs solis ardoribus mundus quasi ardet, iidem torrentes sicci sunt & exhausti. Tales se Job suos expertum fuisse amicos lamentatur, in quibus antea habuerat fiduciam ; Siquidem prosperitatis tempore magna se in ipsius favorem facere velle promiserant,& tamen in majori necessitate illum deseruerant. Eccli.10.11. Deut.32.38. Num 23.19. Job 6.v.15.

Confidentia in Deum nõ excludit industriam humanam.

6. Advertendum tamen est , quod licet fortiter & constanter in Deum confidamus , media tamen , & industria humana nequaquam excludi debeant , hoc enim esset Deum tentare , si quis in ipsius auxilium & providentiam confisus , manibus sinu positis omnem ex parte sua cooperationem negligere vellet. Jacob , ut suo loco diximus, divinæ Providentiæ peculiaris fuit scopus , nec tamen industriam & sudores suos ad res à Deo provisas adhibere intermisit : *Nocte , & die urebar æstu , & gelu , fugiebatque somnus ab oculis meis.* Eidem in suo ad domum paternam reditu trementi , eo quod obviaturus erat fratri suo Esau , qui indignans & vindicativus illum adoriri parabat, *fuerunt ei obviam angeli Dei,quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc ;* At vero dices forte, ex quo cœlum in ipsius favorem pugnabat , quo fine omnes ad numerosissimam familiam suam pertinentes in certas turmas,ordines,& phalanges distribuit ? David olim dicebat : *Dominus mihi adjutor,non timebo quid faciat mihi homo ? Dominus mihi adjutor , & ego despiciam inimicos meos* ; Et tamen *Jacob divisit populum, qui secum erat , in duas turmas &c.* Munera quoque Esau fratri suo misit,ut illum placaret,sicut & ad illum mitigandum , sibique reconciliandum lagaces misit nuncios ; Quonam hæ industriæ hominis,qui omnem fiduciam suam in Deum collocaverat & cujus Deus defensor erat ? Nimirum prudens Jacob per hoc nobis indicare voluit , quod providentia Dei humana non excludat ; Dummodo hæc dependenter à Deo adhibeantur;Quia *Nisi Dominus custodierit civitatem,frustra vigilat,qui custodit eam;* Vult enim,ut postquam ex parte nostra omnem adhibuerimus industriam & diligentiam , in ipsum præcipue tamquam in primam causam confidamus ; Unde Basilius inquit : *Ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet , & humanum studium , & auxilium cæleste , fidei opera adjecitum, & comparatum.* Gen.31. 40. Patet exemplo Jacob. Gen.32.v.1. Psal.117. v.6. Psal.126. v.1. S. Basil. Constit. Monast. c. 16.

7. Deus in mundi exordio terræ præcepit , dicens : *Germinet terra herbam virentem* , moxque hæc morem gessit,& à tot sæculis hactenus prompte obedivit , ut homini & animalibus ad nostram utilitatem creatis provideat ; Verumtamen advertendum est,quod idem Deus à nobis requirat,ut eamdem terram excolamus. Unde Sanctus Augustinus ait : *Admonendi sumus , ut quamvis credamus in Deum , faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis , ne pretermittentes ea ; Deum tentare videamur.* Hebræi maximam in Area habebant fiduciam , utpote qui sæpius experti Gen.1.v.11. Sap.10. 13. Moysis. S. August. q. 102. in Gen. 1.Reg.4.3.

1.Reg.4.3. experti fuerant , quod tandem solum in conspectum inimicorum suorum portando,obtinuissent victoriam; Et tamen quia ex parte ipsorum aliquando strenuè nõ præliabantur , arca in potestatem inimici redacta , & capta fuit,ipsique Hebræi ingentem perpessi sunt stragem. Theodoretus inquit : *Vir justus spem in Deo fixam habet,& per illam laborare, & laboriosos virtutis fructus producere non recusat.* Porro videri poterat , quod postquam Deus Abrahæ ingentem hanc & magnificam promissionem fecit,dicendo: *Protector tuus sum*, omnem à se timorem deponere debuisse ; Et tamen quando in Ægyptum venit , ob pulchritudinem Saræ sibi valde timuit, dubitabat enim,ne forte propter illam sibi necem inferrent, & Saram raperent ; Ac proinde eisdem Saræ conjugi suæ dixit : *Dic obsecro , quod soror mea sis;* Id quod S.Augustinus prudenter ab eo factum fuisse dicit : *Quia si periculum , quantum cavere poterat , non caveret,magis tentaret Deum , quam speraret in eumdem.* Asa, ut in libro secundo Paralip. legitur , in campum cum exercitu trecentorum millium armatorum egressus est , pugnaturus contra Zaram Æthiopem (qui integrum militum millionem congregatum habebat,dicente sacro textu : *Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia*) In astitentiam Altissimi confidit, atque ideo victor evasit ; *Quia inimici ruerunt usque ad internecionem.* Vultisne causam scire ? hanc facer textus subjungit , dum ait Asa dixisse : *In tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem, Domine Deus noster tu es,non prævaleat contra te homo* , Verum enimvero ut nos quoque intelligeremus necessarium esse ex parte nostra , ut præter vivam fiduciam , quam in Deum habemus, etiam cooperari debeamus , sacer textus in hæc verba concludit : *Domino cedente contriti sunt , & exercitu illius præliante.* Deus quoque olim populo suo dixerat, quod ad clangorem tubarum muri civitatis Jericho subvertendi essent , & tamen totum exercitum eamdem urbem circumdare,& arcam circumportari jussit. Circa quam historiam D. Chrysostomus ait : *Si mœnia erant casura, cur nam armis induuntur , ideo scilicet , quia Deus nostram quoque vult adhiberi diligentiam , & industriam.* Theodor. Gen.15. 1. Gen.12. 13. S.Aug.l.16. de Civit. Dei. c.19. 2.Paral.14. v.9. Ibid. v.11. Chrysost.in Psal.43. Davidis. 1.Reg.16.18 1.Cor.1. 27.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Quædam ex sacra Scriptura , alijsque historijs recensentur facta, quæ divinæ providentiæ periodos mirum in modum nobis manifestant.

THEMA.

Attingit à fine usque ad finem fortiter,& disponit omnia. Sap. 8. v. 1.

Varia præclara divinæ providentiæ ex Sacra Scriptura desumpta. Josephi.

1. DIvina Sapientia supremæ Providentiæ periodos miris modis ordinat,atque disponit;multas simul combinando causas , variosque effectus , veluti totidem lineas, quæ in finium suorum centro terminantur : *Attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia.* Celebris admodum est illa Josephi Patriarchæ historia, in cujus persona varij iique stupendi modi mirabiliter relucent; quibus eumdem è vinculis eductum ad regium Ægypti solium evexit , ut ibidem populus ejus reciperetur,& multiplicaretur,donec post aliquot sæcula eumdem ad terram promissionis transmitteret. Odium quoque fratrum suorum , sicut & venditionem ipsius , per quam Ismaëlitis venumdatus fuit tamquam mancipium , Deus ad majorem ipsius gloriam ordinavit ; Denique calumnia à Domina sua ipsi inusta,carcer, & vincula,in quæ conjectus fuit,ad ejus ad solium regium exaltationem fuere cooperata ; quia cum Deus ipsi somnia interpretandi donum contulisset,hoc viam ei aperuit, ut Pharaoni innotesceret, ab eoque accerseretur,ad explicandum somnium ejus, quod non intelligebat edendaque sapientiæ suæ specimina. Imo divina Providentia ne quidem per unicum momentum illum deseruit , dicente sacro textu : *Descendit cum illo in foveam , & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi Sceptrum.* Moyses tamensi cum alijs Hebræorum infantibus submersus non fuerit , in fiscella tamen scirpea super aquas Nili expositus cum fuisset , divina providentia eidem de optima nutrice prospexit.Siquidem filiæ ejusdem impij Regis, & crudelis infanticidæ inspiravit , ut animi causa ad Nili ripas se conferret , ubi oculos suos in prædictam fiscellam conjiciens , infantis in ea jacentis capta fuit amore, atque ex compassione erga eumdem, non solum illum à communi infantũ submersione subtraxit, verum etiam tamquam filium in curia sua regia illum educavit,nequaquam intelligens , quod , ut communi proverbio dici solet, Serpentem in sinu foveret , siquidem in progressu temporis per Moysen Pharao una cum exercitu suo in aquis maris Erythræi submergendus erat ; Nimirum *attingit à fine usque ad finem* , & *disponit omnia.* David ab Isai Patre suo adeo contemptus fuit , ut quando Samuel in domum ipsius venit, quemdam filiorum suorum jussu Dei in Regem uncturus , omnes alios septem filios ad eum adduxerit, præter solum Davidem ; Cumque Propheta eum interrogasset,an non superesset alius, per vilipendium eidem respondit ? *Adhuc reliquus est parvulus qui pascit oves :* Deus autem super hac ovium custodia divinæ providentiæ suæ oculos defixos habebat,ut tandem illum ovium pastorem in solium regium eveheret, efficeretq; ut ex regia ejus stirpe in progressu sæculorũ unigenitus Dei nasceretur filius : Nimirum *infirma mundi elegit Deus,ut confundat fortia.* Per altissimam quoque Sapientiam suum disposuit duellum illud, sive singulare certamen , ad quod Goliath filios Israël provocaverat : Voluit quoque,ut David in ea occasione adesset,non casualiter,sed ex speciali divinæ & infallibilis providentiæ ordinatione , ut in Deo confisus celeberrimam illam reportaret victoriam, meritumque sibi penes universum Israëlem acquireret , ad hoc , ut tandem gener regius fieret , omnibusque insidijs , & persecutionibus ingrati Saülis Superior factus, summa cum gloria ad thronum regium assumeretur : *Attingit à fine usque ad finem,& disponit omnia.*

2. Admirabilis pariter divina Providentia tempore Ezechiæ Regis fuit : Etenim cum Jerosolyma à formidabili Sennacherib Regis exercitu obsidione cingeretur , eidemque ultimum immineret exterminium, Deus sub noctem Angelum quemdam cælitus misit,à quo centum octoginta quinque millia inimicorum miserabili strage cæsa fuerunt.Demũ vero Sedecia Rege regnante eadem civitas destructa,templum devastatum & spoliatum,Rex denique in Babyloniam captivus abductus fuit.At vero dicite obsecro,numquid urbs illa in utroque casu eadem erat Jerosolyma , æque validè munita & fortificata tempore Sedeciæ , quam Ezechiæ Regis temporibus ? Numquid Deus super illam civitatem sanctam eodem modo invigilabat, tam fecunda,quam prima vice ? Respondeo , considerabilem esse in utroque casu differentiam : Etenim Ezechias Rex non recurrit primo loco ad armamentaria, ad fortificationes , ad munitiones bellicas, ad militum robur , sed ad imitationem Davidis ante omnia dixit intra se : *Si consistant adversus me castra , non timebit cor meum : Si exurgat adversum me prælium , in hoc ego sperabo :* Auxilia porro & præsidia militaria non excluserit, sed quid ante omnia fecit ? Sacer textus ait : *Quæ cum audisset Rex Ezechias , scidit vestimenta sua, & opertus est sacco,ingressusque est domum Domini. Hæc inquam , Ezechias ille fecit , magna alioquin potentia cinctus* , inquit Nazianzenus , *ille inquam Rex magnæ Jerusalem , qui suismet quoque fortasse viribus hostem propulsasset :* Per hanc autem quam primo omnium loco in Deum repositi fiduciam admirabilem illam sibi promeruit assistentiam , qua Sedecias Dei oblitus, & cœlo rebellis indignus fuit. Ezechiæ. 4.Reg. 19. 1. Naz. or. 4.

3. Considerandum quoque in castæ Susannæ historia , quam opportunè Deus huic matronæ in se confidenti astiterit,eamque protexerit. Porro Deus Prophetæ Habacuc die quadam præcepit , ut arrepto calamo quamdam describeret à se habitam visionem : *Scribe,* inquit : *Visum,& explana eam super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Hanc autem visionem Propheta non revelavit , sed solum hæc verba subjunxit : *Quia adhuc visus procul , & apparebit in finem,& non mentietur, si moram fecerit,expecta illum,quia veniens veniet,& non tardabit.* Quod si vero nonnumquam divinum subsidium suum mittere tardaverit , non diffidamus, quia licet tardet,opportuno tamen tempore advenier. Enimvero Susanna accusata,proceslata,& condemnata fuerat ab illis ipsis, qui accusatores pariter & rei erant, licet apud populum Hebræorum ob dignitatem , in qua positi erant,in veneratione fuerint. Cumque lapidanda educeretur , jamque multitudo plebis nimium credula lapidibus suas armasset manus,ut illam impeteret ; *Eliens suspexit ad cælum ; Erat enim cor jus fiduciam habens in Domino* ; Et quid tandem accidit ; Hoc nimirum,quod Regius Psalmista cecinit : *Et fa-* Susannæ. Habac.2. 2. Ibid. v. 3. Dan.13. 35. Psal.9. 10.

Eius est Dominus refugium, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Etenim Daniel licet etiamnum adolescentulus esset, à Deo tamen ad opus tam heroicum, ut Sacra Scriptura testatur, exequendum prædestinatus erat, idemque in hac occasione Spiritu Sancto perfusus exequi cœpit; Dan. 13. 45 Nam *cum duceretur ad mortem*, inquit Sacer textus: *Suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, Ibid. v. 46. cujus nomen Daniel, Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum à sanguine hujus:* Castæque Susannæ honestatem & innocentiam, nec non effrænem judicum concupiscentiam, & calumnias detexit, quibus sanctam hanc & innocentem mulierem injuste condemnaverant.

Stupenda alia exempla divinæ providentiæ, in illis qui Deū vere timent.

4. P. Cæsar Franciotti Religionis matris Dei Lucensis Sacerdos in libro, quem de corporibus sanctis, quæ in civitate Lucensi patria mea requiescunt, in annotationibus de B. Sita vidua sequens narrat factum, quod suo tempore anno 1605. Neapoli accidisse scribit. Erat enim mater quædam, quæ filiam habebat nobilem, sed ad extremam usque paupertatem redactam; Cumque nihil ad laborandum habentes, per proprios sudores vitam sustentare non possent, præ fame fere mori cogebantur, jam enim omnia usque ad telam, qua culcitra straminea, in qua per noctem decumbere solebant obtegebantur, divendita erant. Unde tam mater, quam filia ad divendendâ quoque honestatem & pudicitiam suam vehementer instigabantur, Sed obstitit timor Dei, in quem toto corde confidebant, jam enim fame potius mori, quam propriam conscientiam quovis etiâ impudicitiæ, vel cujusvis alterius culpæ nævo maculari finere decreverant. Porro filia, aliqua à matre diffidentiæ verba pronunciari audiens, graviter affligebatur, adeo ut animam ipsius penetrare viderentur, fêque per orationem ferventem Deo unice commendans sæpius vocem quamdam cordi suo acclamantem, & hæc verba suggerentem audivit: Præscinde capillos tuos, eosque vænum expone, hi enim ad minus per aliquot dies victum tibi subministrabunt; Erant enim capilli ejus coloris aurei & raræ pulchritudinis. (At vero, prout, suo loco diximus, incarnata Sapientia per capillos Providentiam suam denotavit, inquiens: *Vestri* Matth. 10. 30 *capilli capitis omnes numerati sunt, Multis passeribus pluris* Ibid. v. 31. *estis vos*; Quod si enim Deus pro passeribus pascendis curam habet, multo magis pro illis solicitus erit, qui in ipsum confidunt; *Capillus de capite vestro non* Luc. 21. 18 *peribit: In patientia vestra possidebitis animas vestras*) Ibid. v. 19. huic autem voci & impulsibus internis paupercula Virgo prompte obtemperans, omnes sibi capillos præscidit, tametsi à matre sua ob id acerbe reprehenderetur, quæ eos præcisos ad forum tulit vendendos. Cumque in foro capillaturam filiæ in manibus tenens staret, non casualiter, sed ex divinæ Providentiæ dispositione servus cujusdam magni viri nobilis pertransijt, qui ejusmodi capillos quærebat, hosque in hujus mulieris manu videns, paritesque admirans, eamdem ad domum prædicti nobilis secum conduxit, qui ex curiositate, cujusnam hi capilli essent, requisivit, quæ respondit: Filiæ meæ capillatura est; Cui subtulit nobilis, ergone facta est monialis? Nequaquam, respondit mater, sed ex eo motivo ab illa sunt præcisi, quia nec ipsa, nec ego panem habebamus, quo vesceremur. Dedit igitur nobilis pactum pro capillis matri pretium, simulque cum illa servum suum misit, ut is videret, si revera tali mendicitate gravarentur; Cumque servus ad Dominum reversus, miserum domus illius statum retulisset, simulque dixisset, filiam illam ipsissimam esse modestiæ, honestatis & pudicitiæ effigiem, nobilis quoque ad eamdem pauperem domum se contulit, divinæque providentiæ periodos stupefactus intuens, filiæ congruam consignavit dotem, ut honestum inire matrimonium posset; Cumque sæpe dictus nobilis reversus casum hunc multis nobilibus aliis retulisset, in simul congregati fraternitatem quamdam, quæ à pietate nomen habet, instituerunt, cujus præcipuum institutum hoc est, quod scilicet puellis in simili necessitate de pudicitia sua periclitantibus honestæ dotis subministratione subveniant, & spatio duorum dierum hunc in finem duo millia scutorum congregarunt; Videsne quomodo divina providentia. *Attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia.* Hæc enim eo fine virtuosum hanc filiam in extremas permisit redigi angustias, ut infallibilis ejus Providentia tanto magis clucesceret.

Barthol. à Sol. 283.

5. *Attingit à fine usque ad finem, &c.* In vita Sancti Ignatij de Lojola admirabile quoddam, nostroque pro-

Exemplum S. Ignatij Lojolæ.

posito conveniens factū legitur. Hic enim vir Sanctus Romæ apud gubernatorem delatus fuit, tamquam si in Arcala, Parisijs, & Venetijs manifestæ hæreseos, aliorumq; atrocium scelerum causa ad mortem condemnatus, per fugam se à debito sibi supplicio exemisset, tametsi etiamnum prædictorum criminum contumacia continuaret. Ut autem Deus per altissimam suam providentiam Sancti Ignatij innocentiam omnibus faceret sequentibus sæculis manifestam, audite quid fecerit. *Attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia*; Quia enim hæ calumniæ à Venetijs, Arcala, & Parisijs Romam ad Sanctum hunc virum accusandum venerant, voluit Deus, ut ab iisdem locis veniret facti veritas ad absolvendum innocentem, qua autem ratione id factum fuerit, nemo non cenſebit esse miraculū, siquidem eodem tempore, quo vir Dei accusabatur, simul concurrerunt in urbe Romana tres judices, qui in illis tribus civitatibus, in quibus accusator sub juramento Ignatium tamquam reum convictum, & condemnatum fuisse asseruerat, absolverant tamquam verè innocentem. Unde Deus privatis motivis, ob quæ tres illi viri Romam venerant, ad majorem Sancti Ignatij gloriam uti voluit, siquidem illos simul congregavit, & qui antea fuerant judices, tunc fecit esse testes, ut in primo mundi tribunali innocentiæ Sancti Ignatij concors indubitata, & publica perhiberetur fides.

S. Petri Apostoli.

6. *Attingit à fine, &c.* Cum Christus Sanctum Petrū in locum sui Ecclesiæ sponsæ suæ dedisset pastorem, mox idem per Herodis Tyrannidem in vincula conjectus, & forti militum turma custoditus fuit, ut sequenti die morte afficeretur; At vero *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, Et ecce Angelus Dñi* Act. Ap. 1. 5. *mini, &c.* Paucis ergo horis, prius quam Sanctus Petrus crudelitatis & barbariei impiorum & sacrilegorum illorum fieret spectaculum, Deus opportune Angelum ad eum misit, qui ipsum à vinculis eximeret.

S. Eustachij

7. *Attingit à fine, &c.* In vita S. Eustachij, potius quam in quacumque alterius sancti vita admiranda cernuntur divinæ providentiæ specimina; Siquidem cum conjux ipsius per illatam à nautis violentiam ei crepta, & peregre abducta fuisset, filij quoque ejus à duarum ferarum dentibus apprehensi, separatim abducti fuerunt: Cumque ipse prorsus ignotus apud rusticum quemdam lacitaret, ut ejus agros excoleret, Deus ipsum denuo imperatori Romanorum manifestavit, à quo anxie quæsitus, ac tandem inventus in pristinam ducis generalis militiæ suæ sublimem dignitatem restitutus fuit, cumque Eustachius imperatorem per gloriosas victorias & triumphos condecoraret, contigit, quod uxor ejus; nec non filij ipsius eodem tempore redierint, hi quidem sani, salvi, & incolumes, illa vero ab omni pudicitiæ suæ periculo illæsa & immunis conservata, qui omnes tandem cum S. Eustachio martyrio coronati fuerunt.

S. Felicis Presbyteri.

8. *Attingit à fine, &c.* In vita Sancti Felicis Presbyteri Nolani scribitur, quod dum persecutores ipsum ad pœnas & tormenta quærerent, hi ipsum in foro obvium habentes, nec tamen cognoscentes, interrogarunt, an Felicem Presbyterum cognosceret? Qui seipsum ex facie non cognoscere veraciter respondit, quia nullus hominum semetipsum in facie aspicere potest; Ab illis itaque recedens in locum quemdam abditum vetustorum & ruinoforum murorum sese absondit. Quia vero ministri Sathanæ tandem intellexerant illum ipsum Felicem esse, quem in foro allocuti fuerant, eumdem quaquaversum studiose requirentes, tandem maceriam illam, in qua S. Fœlix absconditus latebat, ingressi sunt Deus autem, ut, quam in defendendo servo suo providus esset, perspicue ostenderet, subito fecit ab araneis telam quamdam contexi adeo densam, ut ipsum locum illum ingressum fuisse, minime suspicari potuerint; Ac proinde ipsis retrogredientibus S. Fœlix salvus evasit.

S. Gregorii Episcopi Agrigentini. Sur. 23. Novembr.

9. *Attingit à fine, &c.* In vita S. Gregorij Episcopi Agrigentini legitur, quod ejus æmuli, qui in clero ipsius primariam obtinebant dignitatem, ut prædicto Episcopo calumniam struerent, impudicam quamdam convenerint mulierem, eamque pretio dato eo induxerint, ut Episcopo nocturno tempore ad Ecclesiam pro matutino cum alijs cantando discedente, ipsa in Episcopi lectum se reciperet, demum vero officio divino absoluto, cum æmuli ipsius una cum alijs Episcopū ad cubile suum redeuntem associarent, mulier hæc conformiter pacto statim è lecto exiliens Episcopum tamquam virum carnalem sacrilegum, & scandalosum accusavit, qua fama non solum impleta est tota civitas Agrigentina, verum etiam accusatio ipsius huc Romā ad

ad Papam pro tempore sedentem delata fuit, à quo proinde velut reus in vincula & catenas conjiciebatur. Sed ecce Dei providentia ejus manifestavit innocentiam, siquidem Sancti Apostoli Petrus & Paulus eidem S. Gregorio nocturno tempore in carcere apparentes, ejus ruperunt vincula, & catenas, ibidemque frequentibus visionibus cœlestibus consolatus plurima patravit miracula. Dæmon vero impudicam illam fœminam ingressus, eamque tenaciter possedit, quæ tandem in concilio centum & quinquaginta Episcoporum calumniam Sancto Episcopo factam, falsam esse confessa, tandem per orationem S. Gregorij liberata fuit; Impostores autem juxta vaticinium Jeremiæ dicentis? Thren. 4. v. 8. *Denigrata est super carbones facies eorum*, acerbis pœnis fuere plexi, & S. Gregorius cum summa gloria sua à summo Pontifice fuit absolutus, ejusque summa virtus & sanctitas tori mundo fuit manifestata.

DISCURSUS XIII.
ARGUMENTUM.

Deus suam persæpe erga nos ostendit providentiam, dum nobis non providet, idque in majus bonum nostrum operatur.

THEMA.

Omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti: Judith 9. ℣. 5.

Exemplum obsidionis urbis Bethuliæ.

1. URbs Bethulia Deo devota ab impio & sacrilego Tyranno Holoferne, qui ultimum ei minabatur exterminium, arcta fuit obsidione cincta; Porro quod aliæ gentes idololatræ ejus furori in prædam cesserint, jure idipsum merebantur, poteratque de illis vere dici: *Ubi sunt dij eorum, in quibus habebant* Deut 32. 37 *fiduciam... Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant:* At vero hic populus electus, cultui veri Dei addictus erat, veramque ardenter zelabat religionem: Cur igitur divina providentia eum permisit in hasce angustias devolvi? Aliud hic dicere non possumus, quam quod Judith ait: *Omnes viæ tuæ paratæ sunt,* Rom. 8. 28. *& tua judicia in tua providentia posuisti:* Etenim verissimum est axioma illud sacrum Apostoli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Deus enim per suam providentiam, adeo suis fidelibus & sequacibus invigilat, ut quod oculis nostris malum & infaustum videtur, in bonum & gloriam ipsorum convertat. Porro Deus Bethulienſium exercere volebat confidentiam, eorumque vivæ fidei expectabat specimina, & quando tempus opportunum adesse cognovit, generoso Judithæ viduæ pectori magnanimos, viriles, & heroicos inseruit spiritus, eamdem ad detruncandum caput illius animando, qui tot Provincijs, populis, & formidabilioribus mundi regnis, interitum attulerat.

2. Quod si quis tres totius Hebraismi milliones ad maris erythræi ripas consistentes, atque à furibundi Pharaonis inevitabilibus armis sine ulla evadendi spe infestatos vidisset, utique populum illum à Deo totaliter derelictum, & desolatum credidisset; Et tamen Ps. 135. 13. *divisit mare rubrum in divisiones: Campus germinans de* Sap. 19. v. 7. *profundo*; Duodecim namque vias illis aperuit, in fundo floridas, & herbis vestitas: Unde Hugo Cardinalis Hug. Card. ait: *Hoc dividit Deus in divisiones, quia facit de mundo transire ad cœlum, diversis & variis modis. Omnia* igitur *in figura contingebant illis.* Hic enim populus, novæ legis Evangelicę denotabat fideles, utpote qui in locum ipsorum substituti fuimus. Terra autem promissionis vitam præfigurabat beatam, ad quam divina providentia nos per varias vias introducit, & illa via, quam nos à cœlesti Jerosolyma deviare credimus, hæc inquam secundum providentiæ periodos, quam minime intelligimus, securo nos ad illam itinere perducit: *Omnes viæ tuæ paratæ sunt, &c.* Quoties contingit, quod videamus nonnullos necessarijs victus & vestitus subsidijs destitutos, quibus proinde Deum per suam providentiam minime assistere, eorumque extremam penuriam oculo suo minime considerare credimus, sed graviter Ps. 32. v. 18. hallucinamur, quia *oculi Domini super metuentes eum:* At vero dices, cur igitur illos fame perire permittit? Cur efficit, *ut famem patiantur ut canes?* Nimirum per hanc miseriam & paupertatem ab ipsis patienter toleratam eosdem ad æternæ gloriæ convivium introLuc. 14. 15. ducit: *Beatus* autem *qui manducabit panem in regno* Luc. 22. 28. *Dei*; *Et quia vos estis, qui permansistis mecum in tenta*Ibid. v. 29. *tionibus meis, ideo & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Quot sunt qui potius à pauper-

Matth. 5. 3.

tate vexati salvantur, quam si in statu prospero fuissent constituti: *Beati pauperes... quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Theodoretus in hoc etiam divinam mirabiliter relucere providentiam dicit, quando nonnumquā justi bonis hisce exuuntur temporalibus; *ut nonnullus* Theodoret. *in eis sit mundi amor.* Quia enim, ut per experientiam q. 13. in Exod. videmus, & ut S. Philippus Nerius dicere solebat, quantum amoris creaturis attribuimus, tantum creatori surripimus; Ita Deus data opera justos in bonis hisce temporalibus vult esse egenos, quia ut S. Gregorius dicebat, *Mala quæ nos hic premunt, ad Deū ire compellunt.* Hic igitur est præcipuus finis, quem providentia Patris sibi habet propositum justos paupertati, angustiæ & penuriæ vult esse subjectos, ut eos faciat tamquam filios cœlestis regni hæredes, quod longe excellentius est, quam si ad libitum nostrum panis nobis copia adesset. Christus Apostolis suis promiserat, quod specialem ipsorum curam habiturus, iisque de necessarijs abunde prospecturus esset, & tamen ipsos nonnumquam famem & sitim passos fuisse constat. *Cum autem lega-* S. Aug. de ser. Dom. *mus*, inquit S. Augustinus, *in fame, & siti Apostolos laborasse, non existimemus hic Dominū promissa titubare; quandoquidem ista sunt adjutoria, Medicus iste, cui nos totos commisimus novit quando apponat, & quando detrahat; sicut nobis judicat expedire, si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque per nostram exercitationem Deus finit) non debilitat propositum nostrum; sed examinatum confirmat.* Possumus idipsum magis declarare per sequentem aptissimam similitudinem. Stat filius quidam, & ex fructo panis manducat; quod ipsi per totum diem sufficere posset; Si hic talis majorem à Patre suo quantitatem peteret, se utique voracem nimis esse ostenderet, eique responderi posset, sufficere illi datam quantitatem pro toto die, pro die vero sequenti dandam esse aliam æque magnam. Est igitur providentia paterna, quod pater filio suo plus panis non tribuat, quam qui ejus sustentationi sufficit, quia si plus manducaret, quæ necessitas ejus exigit, causa futurus esset indigestionis cum notabili sanitatis detrimento; Nam ut habet Medicorum aphorismus; *Omnis repletio mala, panis autem pessima*; Præterea si filius ille majorem haberet panis quantitatem, quam consumere posset, illum fortitan projiceret canibus, vel male disperderet; Hoc igitur dispendium prævidens pater, parce illi panem dispensat, non ex providentiæ defectu, sed ex motivo paterni affectus, & curæ, quam de bono filij sui habet, & quia substantias suas prudenter conservare fatagit. Hæc eadem est supremæ providentiæ cœlestis patris nostri intentio, quando bona hujus vitæ nobis parce dispensat, & penuriam pati facit, videri quidem posset, quod Deus nos desolatos relinquat, vel quod de nobis non cogitet, at vero revera res ita se non habet, quia tunc vel maxime Deus pro nobis est solicitus, quando secundum nostram opinionem nos derelinquit, hoc enim facit, ut bonis cœlestibus abundemus; Quia *incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit* Deut. 32. 15. *Deum factorem suum.* Quot sunt, qui copiam bonorum temporalium habentes, cum ingenti animæ propriæ præjudicio leges transgrediuntur Evangelicas, & potius canibus, equis, alijsque animalibus sustentandis sunt intenti quam ut aliquam substantiæ suæ portionem inter pauperes dispensent? Una ex communioribus vulgi quærelis, quæque inter parum timoratos Christianos quotidie fortius figit pedem, hæc est, quod providentiam Dei accusent, quod scilicet non reguletur secundùm illa dictamina, de quibus sapiens in hæc verba scribit: *Omnia in mensura, & numero, & pondere* Sap. 11. 21. *disposuisti*, siquidem quotidie clarè videmus, quod *unus esurit, alius autem ebrius est.* Dives ille stabulum aliquod habebit auro incrustatum, cujus præsepia ex eleganti nuce sunt elaborata, domum habebit plenam canibus, simijs, psittacis, stabulum plenum equis bene pastis, & saginatis; Econtra vero tot homines honestis natalibus oriundi, studiosi, & Deum timentes, panis patiuntur penuriam, ut ne vel famem depellere possint. Persona aliqua illustris procedit in Rheda, cujus valor nonnumquam ingens aliquod adæquabit palatium, stipatus multis famulis, & ephebis superbe vestitis, alius autem homo pauper, non solum cogitur currere, & quasi volare, ut equorum cursum adæquet; Princeps aliquis habebit vestimentarium, in quo tineæ devorant pannos ex lana purissima contextos, muros peristromatibus vestit ex auro & serico eleganter elaboratis, & tot pauperes nudi præ frigore moriuntur. Princeps aliquis unico verbo alicui subditorum suorum caput amputari faciet, cui nec os aperire permittitur, ut adductis in medium rationibus se defendat, mittit aliquos

Illustratitur propositum apto simili.

Minus timorati accusant providentiā Dei quod omnia non sint æqualiter divisa.

aliquot centena millia suorum vasallorum ad prælij macellum, facultates & possessiones ipsorum *per fas & nefas* diripit, Deus autem hæc omnia novit, & tamen permittit, neque castigat; Ubi igitur est (dicunt ipsi) Dei Providentia? Numquid unius & ejusdem patris posteri sumus. Numquid ex eadē massa plasmati? Numquid simili anima ad eamdem similitudinem creata & insignita vivificamur? Numquid eodem baptismatis lavacro regeneramur? iisdemque sanctificamur Sacramentis? Quonam igitur spectat hæc tam notabilis inter homines differentia? Quid sibi vult hæc tam inæqualis bonorum temporalium distributio? Respondetur iisdem verbis, quæ in Discursibus præcedentibus ponderavimus, scilicet: *Nonne anima plus est, quam esca?* Deus nos cœlo possidendo creavit, ac proinde ejus erga nos providentia magis solicita est de salute nostra æterna, quā de hac mortali vita, vel de bonis hisce terrenis; Et ideo ait? *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus*; Omnibus prospicit de medijs ad ultimi finis consecutionem necessarijs; Quod si vero permittat tibi deesse panem, vel vestitum, teque in miseria defixum relinquat, signum est, quod hanc cognoscat esse viam tuam, qua gloriam cœlestem sis comparaturus; *Bene omnia fecit*; Prospexit nobis de pluribus quæ nescimus; Hoc enim certum est, quod pater noster sit, qui nos diligit, quemque proinde ut talem invocamus dicentes: *Pater noster qui es in cœlis*; Qui proinde, cum adeo liberaliter panem dispenset canibus, id est Turcis, & idololatris, panem utique non sineret deesse filijs, nisi id eis ad majus ipsorum bonum expedire cognosceret; Ac proinde paternæ ipsius dispositioni acquiescendum nobis est, & cogitandum, quod *anima plus est quam esca*. Quod si tibi Deus desideratas concederet divitias, tu forsitan illis abutereris, quia *prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*. Si te, qui servus es, fecisset Dominum, forsitan superbires, cum tamen per humilitatem, & labores quos modo facis, salutem consequaris æternam: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Hæc lamenta, quibus nobis de vitæ necessarijs provisum non esse conquerimur, Deum graviter offendunt, & exasperant, dicente Malachia Propheta: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare*. Ubi Propheta de illo Deo loquitur, qui tribus digitis totum sustinet universum; & tamen eumdem Deum sub laboribus fatiscere dicit, quando tales adversus infallibilem ejus providentiam audit blasphemias, cujusmodi sunt hæ sequentes: *In eo quod dicitis: Qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent; Aut certe ubi est Deus judicij?* Continget etiam sæpenumero, quod puellæ timentes Deum, dum lascivas fœminas in lacu quodam buryrum & lac manante natitantes vident, cum tamen econtra ipsæ in timore Dei viventes, extrema opprimantur paupertate, in hæc querulosa verba prorumpant: Quid est hoc, ô Deus, quod qui male agit, bene habeat, econtra vero qui bene agit, pessime tractetur? Sed oportet hic bene distinguere, & nequaquam decipi; Quodnam enim est illud bonum, quod tales lascivæ mulieres male agendo reportant? Utique non aliud, quam in recreationibus, in gaudijs, in convivijs, in tripudijs, alijsque vanitatibus genio suo indulgere? Hæccine autem vos bona appellare audetis? Audite qualia hæc bona sint: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Non est regnum Dei esca & potus, sed charitas, gaudium, & pax in Spiritu Sancto*; Incomparabile profecto bonum est, lucrum meritorum pro acquirenda vita æterna? Hæc autem non aliter quam famem, sitim, frigus, & nuditatem patiendo, aliasque adversitates sustinendo acquiruntur.

Respondetur isti murmurationi. *Matth. 6. 2.* *Ibid. v. 33.* *Marc 7. 6.* *Matth. 6. 9.* *Ps. 72. v. 7.* *Ps. 127. 2.* *Malach. 2. v. 17.* *Ibid.* *Job. 21. 13*

3. *Tua judicia in tua providentia posuisti.* Impossibile est, quod curto nimis, & exiguo intellectu nostro Dei judicia penetrare valeamus; Sæpe enim tunc vel maxime nobis providet, nostrique curam habet, quando necessaria provisione destituimur, & à Deo derelicti esse videmur; Unde Psalmista ait: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*; Etenim Deus sæpe permittet, quod calumnijs impetamur, & injustis persecutionibus opprimamur, nec tamen nos defendet; Permittet, ut vel per iniquam sententiam, vel per latrocinium vel aliud quodvis infortunium facultates nostræ diripiantur, sed tamen in hac permissione hunc sibi finem præfixum habet, ut scilicet per hanc gravem jacturam à mundo avulsi ad veram convertamur pœnitentiam; Et numquid vobis videtur, quod hoc curando providi & amantissimi Patris erga nos officium exerceat? Negabit aliquando opulentus pater aliquis filio suo quem tenere amat, petitum panem, non quia in eo sibi complaceat, quod illum penuriam pati videat, sed quia desiderat, ut filius suus panem non contemnat, non dispergat, aut canibus projiciat, aut vero ut panem lachrymantibus oculis à se depositat; Eodem modo homines Deum timentes sæpe in extremis necessitatibus positos esse videmus, ut deinceps facultates suas in vanitates superfluas non expendant; bona quoque temporalia Deo in acceptis referant, & pro ijs gratias agant, vel denique per ferventem orationem eadem à Deo postulent: *Cum oratis, dicite Pater noster, &c.* Vult enim Deus orationes nostras in nostrum beneficium, & utilitatem: Hæcque pariter ingeniosa quædam est suæ providentiæ inventio. Filium prodigum Deus in tantas adegit angustias, *ut cupiverit saturari siliquis porcorum, & nemo illi dabat: Ego autem hic fame pereo*, At vero undenam hoc ei evenit, num forte Deus illum dereliquerat? Nequaquam, quin imo tunc Deus de bono ipsius magis industriam curam gerebat, inde namque factum, *quod in se reversus dixerit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te.* Igitur quando illum in necessitate positum reliquit, tunc vel maxime ei prospexit, non solum quoad provisionem corporalem, sed & spiritualem, quæ majoris est momenti, dum in amantissimas Patris ulnas se denuo conjecit. S. Augustinus ait: *Sicut medicus abstrahit ab infirmo cibum, & potum, ut curet eum, sic Dominus qui habet providere, permittit hominem pati, ut curetur.*

Patet in filio prodigo. *Luc. 15. 16* *Ibid. v. 17.* *Ibid. v. 17.* *Ibid. v. 18.* *Ibid. v. 18.* *Psal. 147. 16*

4. *Tua judicia in tua Providentia posuisti*: Providentissimus Deus bene meritos, & unice charos servos suos, teste omnium sæculorum experientia in faucibus ferarum, vel in fornacium ardoribus, vel in atrocissimorum tormentorum carnificina relinquit, prout hisce diebus nostris apud antipodas contingit; Qua igitur ratione illa verificabitur promissio, qua Christus ait: *Capillus de capite vestro non peribit?* Respondeo recolendum esse, quod Christus dixerit: *Ecce ego mitto vos sicut sicut oves in medio luporum*; Agnis enim generositatem communicat leonum, eosque tali modo protegit, & defendit, ut ipsis inter flammas constitutis ne vel minimus capillus aburatur, omnesque illæsi maneant, tamquam reliquiæ summa veneratione dignæ, aut si sub tyranno furibundo moriendum illis est, eo fine permittitur, ut velut gloriosissimi Martyres in cœli empyrei capitolio coronentur. Et numquid hæc est ingens Dei erga nos providentia & beneficentia.

Considerat convivium quod Christus turbis in deserto præparavit. *Luc. 21. 18* *Matt. 10. 16*

5. *Tua judicia in tua Providentia posuisti.* Considerastisne umquam lautam illam refectionem, quam Christus turbis illis in deserto ex pane hordeaceo, & pauculis piscibus præparavit? Hordeum equis dari solet, pisces autem cibus est abstinentiæ & jejunio destinatus; Et tamen *saturati sunt*, imo ingens reliquiarum quantitas omnibus plenè saturatis, superfuit. At vero quorsum hoc adfertur exemplum? Nimirum est hoc quidam divinæ providentiæ effectus, qui quotidie in pauperibus cernitur familijs, & specialiter in rusticorum rugurijs; Hisce enim magis proficit frustum panis hordeacei, vel alterius panis ex fabis, pisis, milio, seu castaneis confectus, quam personis divitibus & nobilibus lauta & delicata convivia, semper enim verum esse videmus, quod *Deus det nivem sicut lanam*; Quibus enim non largitur panem patientiam donat, & lætitiam internam, ad famem libenter & cum gaudio tolerandam. *Matt. 14. 20*

6. *Tua judicia in tua providentia posuisti.* Pro hujus meliori intelligentia necesse est, ut hoc certe nobis persuasum sit principium, quod ex textu quodam Jobi eruitur, scilicet quod *nihil in terra sine causa* fiat. Neque enim solium movetur sine divina voluntate; Et tametsi homini dederit liberum arbitrium, ipse tamen scit invenire modum, quo idem homo *non possit suæ resistere voluntati*. Theophylactus de Jona, qui se Deo inobedientem exhibuit differens, ita scribit: *Videnda est divina dispensatio hic, & consilium; Fugit Jonas, ne serventur Ninivitæ, & ecce servantur & nautæ, deinde & ipse, atque ita exuberantius bonum perficitur; Sic & nostris divina Providentia internum sceleribus ad bonum usa est, juxta illud Psalm. 118. Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.* Enimvero quidquid accidit, sive bonum sive malum, hoc totum ab infallibili, & à nobis minime intellecta Dei providentia est ordinatum. *Quis est iste*, inquit Jeremias in Threnis suis. *Quis dixit, ut fieret Domino non jubente?* Acosta ex Hebræo legit: *Quis est iste qui dixit:* *Job. 5. 6.* *Ps. 118. 67.* *Thren. 3. 37.*

Deus nobis maxime provident, quando ab ipso nos derelictos putamus *Ps. 82. v. 17.* Apta similitudo. *Ibid.*

dixit: Fait hoc, & Dominus non præcepit? Quando fratres Josephi se viderunt detectos, & supplicium metuebant, ipse eos consolatus est dicendo: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum; Nolite timere, nam Dei possumus resistere voluntati?* Circa quæ verba S. Ambrosius ita scribit: *Fraterna charitate conatus est peccatum illorum excusare, cassam ingressus sui in Ægyptum tribuens non illorum impietati, sed Dei providentiæ, qui mala convertit in bonum.* *S. Ambr. l. de Joseph c. 12.*

TRACTATUS LXXXVI.

DE PURGATORIO,

ET SVFFRAGIIS ANIMABVS IN EO CONTENTIS A NOBIS IMPENDENDIS.

CONTINET

DISCVRSVS XII.

DISCURSUS I. Daniel inter Leones, & Cherubinus ad paradisum terrestrem collocatus animarum purgantium figuræ fuerunt; Adducuntur etiam nonnullæ locorum Scripturæ ad purgatorium alludentium authoritates, nec non convenientiæ, ob quas animæ prius purgari debent, quam cœlum ingrediantur. *Dan. 6. 18.*

II De Purgatorio, & sumi, aliarumque pœnarum illius atrocitate.

III. Alia considerantur animarum purgantium tormenta, & specialiter pœna damni, licet hæc temporalis existat.

IV. Quædam adducuntur motiva, quibus ad auxilia animabus illis ferenda instigamur, & specialiter hoc, quia omnes ejusdem corporis sumus membra

V. Ecclesia pro defunctis ordinat suffragia, idque nos ad illis auxiliandum movere debet; quia hoc faciendo rem Deo gratissimam præstamus; Præterquam quod animæ illæ in flammis purgantibus etiam pro nobis Deum exorent

VI De lucro quod sibi comparat, qui animabus illis suffragatur, quæ ex gratitudine nos quoque adjuvant.

VII. De præmio quod à Deo, & animabus illis, nostris suffragijs à dictis pœnis liberatis, in nos redundat.

VIII. Suffragari debemus animabus illis, ex motivo compassionis, & amicitiæ, & speciatim si animæ illæ sint cognatorum nostrorum, vel si ab illis beneficia accepimus.

IX. Oratio ad suffragandum animabus Purgatorij, efficax est, sanctissima quoque virgo Maria, & omnes cœlites, imo & angeli Dei liberationem illarum solicitant.

X. Examinatur an sit necessum, ut qui animabus purgantibus porrigunt suffragia, in gratia Dei sint constituti, & an auxilia uni animæ in particulari adhibita, etiam alijs prosint.

XI. Varia considerantur quæ pro animabus illis offerre possumus suffragia eorumq; nonnulla adducuntur exempla.

XII. De summo sacrificij Missæ valore ad animas illas liberandas.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Daniel inter Leones, & Cherubinus ad paradisum terrestrem collocatus, animarum purgantium figuræ fuerunt: Adducuntur etiam nonnullæ locorum Scripturæ ad purgatorium alludentium authoritates, nec non convenientiæ, ob quas animæ prius purgari debent, quam cœlum ingrediantur.

THEMA.

Domine Jesu Christe Rex gloriæ libera animas omnium fidelium defunctorum de profundo lacu.

Lacus Leonū in quem Daniel projectus fuit, figuravit purgatorium.

1. IN offertorio Missæ, quæ pro animabus defunctorum celebratur, lacus cujusdam fit mentio, qui ad lacum Leonum, in quem Daniel projectus fuit, alludit; Dicitur enim *Libera eas de ore Leonis & de profundo lacu.* Et certe ex omnibus Sacræ Scripturæ locis, ad vivaciter nobis describendum animæ alicujus in flammis illis purgantibus derentæ statum aptior, magisque propria hac lacus figurâ alia feligi non poterat. Enimvero Rex ille Babyloniæ permisit, ut Propheta Daniel, licet ipsi summo amore deditus esset, in prædictum lacum projiceretur, avidis ferarum illarum fauci-

bus exponendus, atque ab ijsdem devorandus; Permisit inquam, vel invitus, prout ex verbis illis colligitur: *Abijt Rex in domum suam, & dormivit incœnatus, sibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Permisit vero idipsum, ut Medorum atque Persarum legibus satisfaceret, secundùm quas Regi in hac pœna dispensandi facultas non erat. Eadem quoque ratione Deus (licet animæ purgantes in gratia & amicitia ipsius constitutæ sint, & de sua æterna gloria securæ, licet etiam illas summopere diligat, utpote ipsi deinceps per omnem æternitatem conjungendas) his non obstantibus in communibus inviolabilis justitiæ suæ legibus nequaquam dispensat, siquidem semel statuit, quod *nil coinquinatum intret in regnum cœlorum*, ac proinde quod priusquam in regnum cœlorum aditum habere possint, purificari debeant ab omnibus sordibus peccatorum suorum contractis.

2. Septem Leones ad dilacerandum Prophetam destinati, septem prefigurabant vitia capitalia, reatus item, & reliquias peccatorum, à quibus in mystico hoc lacu expurgantur. *Dan. 14. 32.*

3. In Leonibus adeo excessivus prædominatur calor, ut semper ob eumdem febri laborent, unde merito, non solum propter truculentiam, verum etiam ob ignem, quem sibi congenitum habent, flammas illas purgantes aptissime præsignarent.

4. Observanda quoque in hac historia est notabilis quædam circumstantia; Sicut enim Rex nihil adeo desiderabat, quam condemnati Danielis liberationem, prouti ex jubili & lætitiæ demonstrationibus, quas post Danielem liberatum edidit, manifeste deducitur; Ita quoque Deus nihil adeo vehementer desiderat, quam ut animæ illæ ex hoc pœnoso carcere liberentur, divinæque suæ justitiæ debita solvatur satisfactio. In cujus figuram motus est Deus, ut angelum quemdam è cœlo in Judæam amandaret, ut per apprehensum, & ex capillo suspensum Abacuc, Prophetæ famelico in lacu suo prandium deportaret, quod præfigurabat suffragia, quæ Deo inspirante à devotis fidelibus, in utilitatem & subsidium animarum illarum offeruntur, & specialiter incruentum Missæ Sacrificium, quod ut suo loco dicemus, præ cunctis alijs efficax est, & satisfactorium.

Angeli movent homines ad ferenda suffragia animabus in purgatorio.

3. Observandum tamen hoc loco est, quod angelus ille Danieli cibum hunc non immediate attulerit, sed Abacuc induxerit, ut prandium hoc illi ministraret, ipse quidem ad hoc multum contulit, dum Abacuc in brevissimo tempore in Regionem adeo procul dissitam, quemadmodum Judæa à Babylonia distat, deportavit. Per quod Deus indicare voluit, quod angeli, utpote qui non sunt viatores, nec in statu merendi constituti, opera satisfactoria pro illis animabus offerre nequaquam possint, cum hoc solum ad nos pertineat, ipsi tamē partibus suis non desint, utpote qui in beneficium illarum animarum corda fidelium ad hæc suffragia ferenda pro virium suarum possibilitate movent, & inspirant.

6. Verumenimvero Rupertus Abbas, præ quavis alia figura Cherubinum considerat, ad ingressum terrestris paradisi collocatum à quo gladio flammeo, & versatili homines arcebat, dicente sacro textu: *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem*, dicitque prædictus Rupertus Abbas: *Flammeum gladium, atque versatilem ante paradisum esse collocatum, ut quicumque deinceps admittendi sunt illac, transeant per examinatorium ignem.* *Gen. 3. v. 24.* *Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 33.*

Observandum porro est ; hunc Cherubinum cum gladio illo flammeo ibidem non fuisse collocatum, ad arcendum ab ingressu paradisi homines, nisi post perpessam innocentiæ & justitiæ originalis jacturam ; ut per hoc insinuetur ; quod pariter ignis purgatorij nos ab aditu in paradisum cœlestem excludere nequeat, nisi quando nostra culpa innocentiam amisimus baptismalem.

Quare Deus ad hoc elegerit Cherubinum & non aliquem ex alijs Angelis.

7. Quærendum porro occurrit hoc loco ; quo mysterio Deus ex omnibus novem angelorum choris potius cherubinum elegerit, & non aliquem ex Potestatibus, vel Dominationibus, vel Seraphinis, qui ad hoc munus magis apti fuisse videbantur, eo quod præ nimio amoris incendio scintillarent, & arderent? Respondet Rupertus : *Recte angeli, qui hujusmodi præsunt, Cherubim, id est plenitudo scientiæ vocantur, ipsi namque judicandi plenam habent scientiam, sciunt enim quid in libro cujusque nostrum scriptum sit ; & in novissimo recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est ; judicium sedit, & libri aperti sunt. Bene etiam habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisque nostrum.*

Quare fuerit flammeus gladius. *Sap. 3. ℣. 6.* *Luc. 12. 49.*

8. *Flammeum &c.* Per ignem tribulatio & ærumnæ hujus vitæ denotantur ; quia Deus *tamquam aurum in fornace probavit electos :* Qui autem peccata per adversitates patienter toleratas non purgat, neque ullos contritionis & amoris super omnia actus, (qui pariter per ignem figurantur, de quo dicitur : *Ignem veni mittere in terram*) in hac vita excitant, illis opus est, ut per flammas purgantes pertranseant.

Ps. 10. v. 8. Quare gladius.

9. *Gladium.* Porro gladius justitiæ signum est ; *Justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* ; & ideo Deus indispensabilem condidit legem, quod nulla anima vera filiorum libertate perfrui possit, nisi prius debitis in hac præsenti vita contractis plene satisfecerit.

Quare versatilis.

10. *Versatilem.* Per hoc quod ensis hic flammeus versatilis sit, Deus indicare voluit, pœnam purgatorij amovibilem esse, non vero item pœnam inferni ; *ubi nulla est redemptio.*

11. Advertenda quoque est ; alia quædam notabilis circumstantia, scilicet quod sacer textus non dicat. Hunc gladium, huncque ignem in manibus cherubini fuisse positum, sed potius ita habeat : *Collocavit ante paradisum Cherubim &* postea separatim subdat : *Et flammeum gladium atque versatilem* ; Quia angeli nequaquam pœnarum nostrarum ministri sunt, quin potius in utilitatem nostram fideles devotos instigant, ut animabus suffragia porrigant, quamdiu ibi sunt detentæ. Et ideo antiquus quidam interpres ly *versatilem* considerans, inquit : *Gladius versatilis dicitur, quia potest removeri.* *Strabo Fulg.*

12. Sacræ litteræ varijs plenæ sunt testimonijs flammas hasce purgantes insinuantibus. Et quidem in primis in Cantico Annæ matris Samuëlis dicitur : *Quæ multos habebat filios infirmata est* ; Quibus verbis alludit ad Ecclesiam, fœcundam fidelium matrē, quæ ob filiorū suorum transgressiones infirmatur quidem, verumtamē *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit :* Ad hosce autem infirmos curandos & sanandos, in ordine ad vitam æternam, igneis utitur cucurbitulis, balneis adhibito calido hypocausto siccis, ferri incisionibus ; eosque in ignem projicit, & ab illo specu subterraneo, ad cœlum empyreum tandem evolare facit ; *Pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Abulensis inquit : *Potest accipi infernus pro loco gehennali ; qui etiam Deus ad locum illum hominem ducit, & inde reducit ; Omnes enim qui descendunt ad inferos, scilicet ad purgatorias sedes, reducuntur inde.*

1. Reg. 2. v. 6. *Ibid.* *Ibid. v. 7.* *Abul. ibid.*

13. Propheta quoque Regius de hoc carcere locutus fuit, quando hisce verbis Deum rogavit ; *Educ de custodia animam meam.* Ubi S. Augustinus, Cassiodorus, Arnobius, legunt : *De carcere.* Psalterium antiquum loco ly *educ*, legit : *Erue :* versiones à Lorino relatæ legunt : *De occasione, de angustia* ; Ex verbis quoque sequentibus satis liquet Davidem de carcere purgante fuisse locutum, siquidem rationem reddens, cur ab hoc carcere eximi desiderarit, inquit : *Ad confidendum nomini tuo, me expectant justi, donec retribuas mihi.* Et vero si expositionem Genebrardi consideremus, ex eadem haud obscure colligitur, sanctos quoque angelos non cessare à continuis interventionibus, quas pro illis animabus exequuntur ; Ait enim : *Cingunt, stipant, circumstant : soliciti de mea salute & liberatione avide præstolantur, ut me liberes.*

Ps 141. v. 8. Testimoniū Davidis. *Lorin.* *Ibid. v. 8.* *Genebr.*

14. Apud Isaiam cap. 24. dicitur : *In die illa visitabit Dominus . . . super Reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Ratio autem ob quam animæ purgatorij Reges appellantur, hæc esse potest, quia animæ purgantes *de regno beato adipiscendo* omnimodam securitatem habent, ideoque dicere possunt : *Fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus.* Oleaster postquam varias hujus textus adduxisset expositiones ; tandem subdit : *Videtur melius hæc intelligere de purgatorio.* Erunt igitur in hoc carcere electi, qui in veros Reges sunt creandi, prius quidem incarcerati, sed ad tempus limitatum ; *Visitabuntur, ac liberabuntur inde post multos dies ; qui scilicet pœnitentes vita excesserunt.*

Isa. 24. 21. *Ibid. v. 22. Isaiæ.* *Oleast. ibid.*

15. Apud Malachiam pariter harum flammarum purgantium aliud quoddam habemus expressum testimonium ; Ait enim : *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba Fullonum, Et sedebit conflans ; & emundans argentum ; & purgabit filios Levi ; & colabit eos quasi aurum ; & quasi argentum, & erunt in Domino offerentes sacrificia in justitia* ; Quæ verba S. Bonaventura in sermone quodam de S. Laurentio in favorem nostrum exponit : dicens : *Ignis enim in conflatorio usque ad minima penetrat ; omne metallum. Et herba Fullonum, quia si carbo cadit in panno ; etiam minimum pilum consumit ; quia nullum erit tam parvum peccatum, quod ab illo pertranseat igne non tactum ; & totaliter non excoctum.*

Malach. *Malach. 3. v. 2. & 3.* *S. Bonav. s. de S. Laurentio.*

16. S. Bernardinus de hac materia disserens, ad comprobandum purgatorium sequentia Psalmistæ verba adducit : *Misericordiam & judicium cantabo ; In quo sacro eloquio ; secundum ista tria verba ; nota tres status animarum, quæ sunt in purgatorio.* In secunda parte principali ejusdem sermonis declarat, quo modo ad propositum nostrum simul combinanda sint hæc verba, quæ videntur esse contradictoria, scilicet misericordia ; & judicium : *Misericordiam & judicium cantabo, nam animæ positæ in purgatorio, licet torqueantur ; tamen cantant, & plangunt, quod est mirabile.*

Ps. 108. v. 1. *S. Bern. ser. t. 4. serm. 14. extrav.*

17. In novo quoque testamento aliqua ad purgatorium adstruendum reperiuntur testimonia ; Et quidem Apostolus ; priusquam de hisce flammis purgantibus mentionem faciat, hanc protestationem præmittit : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Moxque subjungit : *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum ; stipulam ; Uniuscujusque opus manifestum erit.* Porro per argentum, aurum, & lapides pretiosos, opera virtuosa & vitæ æternæ meritoria denotantur ; Sicut enim hæc metalla, & gemmas ignis non consumit ; ita quoque prædicta opera igni purganti non subjacebunt, bene tamen lignum, fœnum, & stipula, per quæ opera imperfecta, peccata venialia ; nec non peccatorum graviorum reliquiæ denotantur, quorum reatus, & obligatio præstandæ satisfactionis remanet ; *Uniuscujusque opus ; quale sit ; ignis probabit.* S. Augustinus in suo *Enchiridio* post diversas hujus textus Apostolici adductas expositiones, eumdem quoque de igne purgatorio explicat, utpote cui proprium est explorare opera in hac præsenti vita à nobis facta : *Opus quale fuerit, ignis probabit.*

1. Cor. 3. 11. *Ibid. v. 12.* *Ibid. v. 13.* *Ibid. v. 13.* *S. August. Enchirid. cap. 69.*

18. Apud S. Matthæum cœlestis Magister noster hanc nobis tradiderat instructionem : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris : Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Porro hic adversarius, cum quo Christus monet, ut consentiamus, quamdiu sumus viatores, divina lex est, ut notat S. Augustinus, hæc enim est inordinatis appetitibus nostris, nostræque sensualitati contraria ; Per judicem vero intelligitur Christus, per carcerem vero purgatorium denotatur, quia ab inferno anima egredi nequit, neque ibidem ulla ratione potest satisfacere ; Ministri autem sunt angeli ; Pecunia autem quæ usque ad ultimum quadrantem solvenda est, sunt nostra peccata, unde S. Hieronymus ait : *Non egredieris ex carcere, donec etiam minima peccata persolvas.*

Matth. 5. 25. Ex S. Matthæo. *Ibid. v. 26.* *S. Hieron. ibid.*

19. Enimvero multis ex capitibus conveniens est, ut priusquam animæ ex hac vita decedentes, conjungantur cum illo, qui dicitur *candor lucis æternæ*, flammas purgantes pertranseant, in ijsque purificentur ab omni quantumvis minimo culpæ nævo. David Rex legatis illis, qui ab Amonitis adeo indigne tractati fuerant, præcepit, ne coram facie sua apparerent in Regia, sed manerent in Jericho, *donec cresceret barba eorum, id est*, ut Glossa exponit, *donec digni habeantur præsentia sui Regis*, quod si igitur hi legati citra ullam ipsorum culpam tam indigne tractati, aliquamdiu expectare debuerunt, donec conspectu Regio digni efficerentur, quanto convenientius est, ut anima mundetur, & purificetur, ut sit *non habens maculam, neque rugam*, priusquam in conspectu Regis gloriæ compareat ? In libro secundo Paralip. dicitur de Achaz. *Lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium* ; Et quidem credibile est, quod tametsi filios suos per ignem transire fecerit, non tamen ob id illos suffocarit, alias enim aliquam hujus facti ex sacro textu haberemus notitiam. Unde Lyranus ait : *Potest hoc intelligi sine morte filiorum, ex eo quod ignis habet virtutem purgativam ; unde usque hodie Tartari transire faciunt extraneos per ignem hinc inde positum, ut ante Imperatorem suum purificati appareant.* Quod si igitur Tartari ab ijs qui coram Imperatore ipsorum comparituri suos ; hanc exigunt purificationem externam, quid mirum si Deus (in cujus femore scriptum legitur : *Rex Regum, quem adorant dominationes, tremunt potestates*) in electis suis, priusquam eosdem per æternam suam visionem beatificet, requirat, ut ab omni etiam minima labe mundi sint & puri ? Regius Propheta in Psalmo 41. dicit : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei ?* Sed audiatis velim, quonam se modo disposuerit, ut hac visione beatifica dignus efficeretur, ait enim : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte ; dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus ? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* ; Per fletum igitur & lachrymas, perque actus amoris & pœnitentiæ animam suam lavare satagebat ; Qui autem idipsum in hac vita non adimplet, huic necessum est, ut in flammis purgantibus purificetur.

Multis rationibus conveniens est ut anima purgetur, antequam ad gloriam cœlestem admittatur. *1. Paral. 19. v. 5.* *Gloss. ord. ibid.* *2. Paral. 28. v. 3.* *Lyranus.* Mos Tartarorum. *Ps. 41. v. 3.* *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 5.*

20. Refert Blosius olim in monasterio S. Gertrudis sanctimonialem quamdam in flore juventutis suæ, quam in sanctis exercitijs totaliter transegerat, fuisse mortuam ; Quam S. Gertrudis splendidissime vestitam in conspectu Christi stare conspexit, at vero tamquam honesta sponsa vultum demittens se occultare quærebat. Sancta igitur Gertrudis Christum in hæc verba affata fuit : *Cur hanc filiam tuam ad tuos amplexus non admittis ; quin potius velut alienigenam coram te stare sinis ?* Ad quæ verba Dominus videbatur blandissima serenitate extendere dexteram suam, tamquam amplexaturus animam. At illa cum delicata quadam reverentia subtrahebat se. Quod multum admirans Gertrudis, ait animæ : *Quare subducis te ab amplexibus sponsi tam amabilis ?* Cui illa : *Quia nondum plene purgata sum, sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiamsi omnino liber ad cœlum accessus mihi pateret, ego tamen, dictante justitia memetipsam sponte subtraherem, cum sciam me tam glorioso sponso nondum convenire.* Tum Gertrudis ; *Et tamen videris jam quasi glorificata.* Ad quod anima : *Illam*, inquit, *beatitudinis gloriam, quam sancti ex visione & fruitione divinitatis cum plena remuneratione obtinent, nulla anima meretur accipere, donec ab omni macula perfecte purgata, intret in gaudium Domini sui.*

Mirabile exemplum de purgatione animæ. Blosij historia de S. Gertrude. *Blos. monil. Spirit. cap. 13*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

De Purgatorio, & fumi, aliarumque pœnarum illius atrocitate.

THEMA.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicij, & spiritu ardoris. Isaiæ 4. ℣. 4.

Maculæ animarum, plenè non expiatæ, per ignē purgatorij mundari debent.

1. NEmo quidem dubitare potest, quin per filias Sion animæ in gratia & amicitia Dei constitutæ intelligantur, quæ tamen maculam aliquam, cujus facilis sit abstersio, contraxerit ; Per sanguinem pariter Jerosolymæ civitatis sanctæ peccatum à justis contractum, sed condonatum, licet non totaliter expiatum intelligitur ; Hic autem sanguis, inquit Propheta Evangelicus, necessario abstergendus est, & purificandæ hæ maculæ per ignem purgantem, *in spiritu judicij, & spiritu ardoris.* Sanctus Augustinus in libro 20. de Civitate Dei cap. 25. postquam textum Malachiæ de purgatorio loquentem, ut in Discursu præcedenti vidimus, explicasset, mox subjungit : *Dicit tale aliquid & Isaias : Lavabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu judicij, & spiritu combustionis.*

S. August. lib. 20. de Civit. Dei c. 25.

Describitur locus purgatorij, & putatur esse quadruplex.

2. Porro ut communiter sacri Doctores consentiunt, purgatorium est locus quidam à divina justitia in visceribus terræ destinatus, ad purgandum fidelium defunctorum animas, in gratia Dei constitutas, nondum tamen satis integre à culpis expiatas, idque per ignem & alias pœnas, donec novissimum quadrantem exsolverint. S. Bernardinus Senensis inquit : *Describunt Doctores, quod quatuor sunt Purgatoria. De primo in quarto Dialogorum Gregor. mentionem facit dicens : Quod est in Sicilia in monte de Bellena, ubi navigantes sæpe audivere voces petentes eleemosynas spirituales, & temporales, & qui fuerunt ibi, dicunt, quod in illo monte semper est magnus ignis, & semper projicit cinerem, sicut dicit Augustinus de Civitate Dei, quia semper ardet. Secundum Purgatorium stat in centro terræ ; in loco arcto ; & privato, quia qui habuerunt proprium ; arctum ; & privatum amorem in hoc mundo plusquam in Deo, dabitur illis locus arctus in centro terræ. Tertium purgatorium reperitur esse in hoc mundo. Quartum est ignis.* Idem quoque sanctus Pater, quinam in hisce purgatorijs torqueantur, in hæc verba declarat : *Prima veritas est, quod nullus vadit in purgatorium, qui moritur in peccato originali : Secunda veritas est, quod illi vadunt in purgatorium, qui sunt in aliquo peccato veniali, vel qui non fecerunt debitam pœnitentiam in hoc mundo pro suis peccatis.* Demum vero monet omnes, quod quando confessarij in pœnitentijs & satisfactionibus pœnitentibus injunctis manum aggravant, pœnitentes certo sibi persuadere debeant, hoc illos facere, quia inde majus illorum bonum secuturum sperant. En verba S. Bernardini : *Si datur major pœnitentia, quam sit condigna, & expediens tuis peccatis, tunc anima illa salit in paradisum cum majori gloria, ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia. Unde Prov. 25. de animabus isto modo purgatis dicitur : Leva rubiginem de argento, & erit vas purissimum. Ita accidit in anima purgata, quæ relucet absque ulla macula.* Mox pergit ad ostendendam pœnarum illarum atrocitatem, & diversitatem, dum ait : *Quærunt Doctores quæ pœnæ, & quantæ sunt in Purgatorio ; Et dicunt, quod animæ dupliciter tormentantur in purgatorio ; Uno modo, quia sunt privatæ seu semotæ à consolatione Dei. Secundo modo, quia habent pœnas similes pœnis infernalibus, sed differunt ab animabus quæ sepultæ sunt in inferno, in hoc, quia damnati sunt in æternum, æternaque gloria paradisi privati, & sentiunt æternam pœnam sine spe redemptionis, quia in inferno nulla est redemptio.* Cumque pœnas purgatorij infernalibus similes esse dixisset, subdit : *Augustinus dicit, quod est tanta damnatorum pœna sensitiva, purgativa, & dolor, & sensus omnis generis tormentorum, quod in hoc mundo cogitari non potest, nec probari, nec aliter considerari, quia omnes pœnæ quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pœnæ Christi, & omnium aliorum Martyrum, cæterarumque personarum, & creaturarum, nihil sunt respectu pœnæ Purgatorij, & tantum interest inter ignem nostrum naturalem, ab igne Purgatorij, quantum differt ignis pictus à vero igne naturali.* Sanctus Bonaventura quoque hac de re ita scribit : *De pœna purgatorij hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam, & satisfactionem condignam, affliguntur secundum plus & minus, secundum quod vel plus, vel minus de cremabili secum ex hac vita traxerunt. Affliguntur autem minus graviter quam in inferno, & gravius, quam in hoc mundo ? Non tamen ita graviter, quin semper sperent, & sciant se in inferno non esse, licet forte pro pœnarum magnitudine hoc aliquoties non advertant. Hac autem afflictione ab igne corporali inflicta, spiritus à reatibus, & scorijs, & etiam reliquijs peccatorum depuratum quibus sufficienter expurgatis immediate evolant, & introducuntur in gloriam paradisi.*

S. Bern. Sen. Tom 4. serm. 15. extrav. Pœnitentiæ graviores à confessarijs injunctæ, cedunt in majus bonum pœnitentiū. Quæ sit atrocitas & diversitas pœnarū purgatorij. *S. Bonav. brevil. p. 7. cap. 2.*

3. Idem Sanctus Bonaventura alio in loco in capite, *De acerbitate pœnæ Purgatorij* inquit : *In purgatorio duplex est pœna ; Una est damni de carentia divinæ visionis ; Alia sensus, de afflictione ignis ; & quantum ad utramque minima pœna purgatorij major est maxima pœna mundi. Istud patet de pœna damni, quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum jam tempus habendi advenerit, ideo carentia ejus molestius toleratur.*

S. Bonav. Tom. 7. Comp Theol. verit. lib. 7. cap. 3. Pœna purgatorij est duplex.

tur. Ipsud etiam patet de pœna sensus, quia cum dolor non sit essentialiter læsio, sed lasionis sensus, tanto magis dolet anima, quanto magis sentit sensitivum aliquod, ideo ab igne in ipsum agente maxime affligitur. Ratio acerbitatis pœnæ purgatorij hæc est, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multo majorem non ita voluntariam in futuro, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi; Unde oportet, ut quod ibi deficit in voluntate hic suppleatur in acerbitate. Idem Sanctus Bernardinus paulo post hoc dubium; quo scilicet modo ignis torquere possit animam, quæ purus est spiritus, sequentibus verbis resolvit; Ignis ille, *prout instrumentum divinæ justitiæ, sic agit in animam, imprimendo illi speciem suam, per quam affligitur quia violenter illa specie informatur. Sicut enim anima secundùm ordinem naturæ unitur corpori, ut instituat vitam, sic merito secundùm ordinem justitiæ unitur igni, à quo suscipiat pœnam.*

Ventilatur quæstio, an ignis purgatorij non sit pœnosior igne damnatorum.

4. Nescio profectò an paradoxum sit dicere ignem purgatorij pœnosiorem esse igne illo, quo puniuntur damnati. Porro Aristoteles in ea est opinione, quod flamma activior & voracior sit in fuminitate, quam in fundo; Cujus dicti veritate suppositâ dici posset, ignem Purgatorij acerbiorem esse igne inferni; hic enim est infimus, id est in centro; Ille verò altior est circa vastam illius globi terrestris superficiem; Ad idem probandum alia quoque adduci posset melior ratio, quia justitia Dei reprobos punit *citra condignum*; At verò ab animabus purgantibus eadem Dei justitia summo cum rigore & punctualitate satisfactionem

Matth. 5. 26. exigit: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, quia *ex toto rigore justitiæ* in purgatorio secundùm mensuram præscriptam satisfacere debemus. S. Bonaventura in sermone quodam de S. Laurentio super illa verba Malachiæ: *Quis stabit ad videndum eum, ipse enim quasi ignis conflans &c.* interrogat dicens: *Quis illam examinationem poterit sustinere? Quis poterit illud tam grave incendium tolerare? Et tamen quis ignem illum poterit declinare?* Confideratinsuper emolumentum quod hic ex pœnositatibus percipimus, ait enim: *Plus satisfacit hic homo Deo valde modica pœna voluntarie pro peccatis assumpta, quam ibi per maxima, sive quia ibi est involuntaria, sive quia, si ibi est voluntaria, est tamen ratione status immeritoria; nulla laude vel præmio digna. Timeant igitur peccatores hunc ignem qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum sive verbum fuerit pernoctium, sive opus inutile, factum, sive quid modicum in corde peccatum; Unde dicitur: Quis sustinebit ad videndum eum?*

Malach 3. v. 2. S. Bonav. serm. 1. de S. Laur.

Ignis purgatorij incomparabiliter activior est nostro igne elementari.

5. Alius quidam Author de hac materia hunc in modum discurrit: Ad dolorem tria concurrunt, & simul uniuntur, scilicet potentia, objectum, & utriusque unio. Quod attinet ad potentiam, clarum est, potentiam animæ capaciorem esse potentia corporis, ac proinde animam acerbioris doloris esse receptivam; Quod verò spectat ad subjectum, pœna sensus atrocissima est, quia infligitur per ignem realem, sine ulla comparatione activiorem, igne nostro elementarishic enim in comparatione illius est quasi effet depictus, estque ad hoc ordinatus, ut tamquam instrumentum divinæ justitiæ, eidem rigorosè satisfaciat, nec non ut rigor ille, ejusque incrementum animas magis magisque purificet, & emundet. Quod verò attinet ad unionè potentiæ cum objecto, pœna quoq; intensissima est, quia si demus exemplum corporis alicujus, quod in medias flammas projectum, carbonibusque accensis copiosè contectum, hoc certe nullam habet proportionem, si comparetur cum anima in eumdem ignem conjecta, quia unio quæ fit inter corpus & ignem, fit per extremas utriusque partes, & superficies, adeo, ut quam primum corpus ad ignem accesserit, ignis ossa illius, omnesque corporis partes penetret, ita tamen quod cautim & paulatim idipsum faciat; At verò cum anima voracissimo igni integrè & totaliter sit alligata, ab eodem penetrata, cincta, atque ab ejus activitate absorpta, utpote qui *ad gradus forte ut ulto* ascendit, ab acerbissimo illo dolore numquam desistere potest, & ideo quis excellivum hunc ardorem, ejusve intensissimam activitatem assequi valebit?

Pœnæ purgatorij à pœnis inferni solum differunt perpetuitate.

6. Suarez adductis multorum sanctorum Patrum, aliorumque clarissimorum Doctorum authoritatibus, pœnas purgatorij à pœnis inferni sola perpetuitate discrepare asserit; Cujus rationem à priori, ab ordinatione divinæ justitiæ desumendam esse dicit, nec non ab offensæ quantumvis minimæ adversus ipsum commissæ gravitate, *quæ altioris rationis est, quam omne malum creaturæ: Et ideo licet non semper æternam mereatur, meretur tamen pœnam graviorem, & quasi altioris rationis, quam Deus in vita futura cum rigore exigit, quia homo in hac vita tempore sibi concesso usus non est ad benigniorem compensationem faciendam.* Notandum quippe est, quod quanto res aliqua est magis sensitiva, tanto quoque vehementius dolorem sentiat, quemadmodum in nervis, digitis, & tibijs experimur, quia nervi sunt sensus tactus instrumenta; Anima igitur quæ in flammis purgantibus patitur, in gradu superlativo sensitiva existit, utpote quæ primum mobile, & prima causa est omnium sensuum; Nam ut habet axioma illud Philosophicum: *Propter quod unumquodque est tale, & illud magis*; Ideo, ut author quidam scribit: *Cum agit in ipsam aliquod agens læsivum ipsam, maxime lædit, & tanto magis, quanto læsivum est magis activum ignis autem inter omnia elementa est magis activus.*

Suarez t. 4. de purgat. disp. 46. sect. 3. n. 5.

7. Dies ille, in quo commemoratio defunctorum suum sumit exordium, à nostro proposito alieno non caret mysterio; Merita enim omnium sanctorum Apostolorũ, Martyrum, Eremitarum, Virginum, omniumque aliorum cælitum juxta commemorationem fidelium animarum in purgatorio existentium collocata, hanc merito unicuique ingerere debent consideratio-

Omnia tormenta & dolores martyrum & aliorum sanctorum, nihil sunt ad ignē purgatorij ejusque pœnas.

nem, videlicet quod si omnia simul adhiberentur carnificinæ instrumenta, quibus dilaniata fuere omnium martyrum membra, item omnes vitæ rigores, solitudines, jejunium, vigiliæ, orationes, corporis castigationes, quibus omnes se confecerunt pœnitentes eremitæ, omnesque quoque ærumnæ, quas à principio mundi usque ad finem passi sunt omnes electi Dei, sine dubio hæc omnia ne minimam quidem habent proportionem cum unica dumtaxat ignis purgatorij favilla, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Audiamus quid hac de re Vener. Beda super Psalm. 37. scribens dicat: *Sciendum est*, inquit, *quod quidam in furore à Domino arguentur, quidam verò in ira corripientur; Illi enim in furore arguentur, qui vel Christum fundamentum non habuerunt, de quo Apostolus ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere, quam quod positum est, id est, Christus; Vel si habuerunt, nihil bona superædificaverant.* Et paulo post subdit: *Futurum quoque est, ut quidam corripiantur in ira tua, & ideo Domine flagella, seca, ure, purgatum me hic redde, ut non corripias me tunc in ira tua. Corripiantur in ira Dei, qui Christum fundamentum habent, sed non tantum aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant, sed etiam intermiscent lignum, fœnum, stipulas, id est, committunt quædam venialia peccata gravioria, & leviora, & ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est in purgatorio igne nunc interim ante diem judicij ponantur, ut quæ in eis immunda sunt, per illum exuantur.* Demum vero pœnarum illarum acerbitatem aggravans subjungit: *Nec immerito tantum timet iste hanc correctionem, quia attendit eam esse graviorem, quam quidquid unquam passi sint latrones vel sancti martyres, vel quidquid gravius homo posset excogitare.*

Beda in Psalm. 37.

8. Consideratione dignum est miserum illud lamentum, quod in officio defunctorum in persona animæ purgantis in hæc verba effertur: *Manus Domini tetigit me.* Etenim si in brevem quamdam Epitomen compendiaveritis omnes illas decem horribiles plagas, quibus vindicativa Altissimi justitia Ægyptum afflixit, salva veritate dicere poteritis, omnes illas plagas quantumvis atrocissimas simul collectas aliud nihil, quam opus digiti Dei fuisse, unde dicebant *Digitus Dei est hic.* Duo invisibilis cujusdam manus digiti oculos potentissimi alicujus Regis, qualis Balthasar fuit, adeo perterruerunt, ut facer textus dicat: *Facies Regis commutata est . . . & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Sanctus Job autem integram Dei supra se manum sensit: *Manus Domini tetigit me*; Id est, universus infernus conjuravit contra me, eripiendo mihi omnes facultates, omnes filios, eunctaque membra atrocissimis transfigendo doloribus, utpote qui supra sterquilinium sedens à vermibus devoror; At vero observandum est, has Jobo illatas ærumnas, quibus per manum Dei onerabatur, nullum dixisse ordinem ad culpam, sed eo dumtaxat fuisse ordinatas, ut Jobum in cœlo pariter & in terra multo gloriosiorem efficeret; Et ideo *si hæc in viridi quid in arido fiet?* Id est, quid dicemus de manu Dei, animabus purgantibus superincumbente, Ut eas-

Acerbitas pœnarum purgatorij designatur per tactum manus Domini.

Job 19. 21.

Exod. 8. 19.

Dan. 5. v. 6.

Job 19. 21.

Luca 23. 31.

Job. 19. 21. Hebr. 10. 31.

dem animas immediate per seipsam purget: *Manus Domini tetigit me*; Quis est, qui ignoret, quod *horrendum sit incidere in manus Dei viventis*, tunc vel maxime, quando castigant pro peccatis, pœnasque culpis proportionatas infligunt? Bellovacensis refert angelum quemdam viro cuidam apparuisse, eique dixisse, quod si tunc mori vellet, unico tantum die in purgatorio moraturus esset, secus autem longam, & dolorosissimam toleraturus esset infirmitatem; Elegit igitur ilatim ex hac vita migrare; Sed audite quid tandem contigerit, cum idem angelus paulo post mortem ad animam intra flammas purgatorij hærentem, eamdem consolaturus accessisset, anima se ab ipso graviter deceptam fuisse, conquesta fuit, eo quod jam non una die, sicut angelus promiserat, sed multis annis in ipsdem derelictus fuisset; Cui angelus respondit: Ita quidem tibi videtur ob tormentorum acerbitatem, cæterum vero ex viginti quatuor horis, quibus in hisce pœnis commorari debes, non nisi una solùm hora præteriit. Tunc anima angelum instanter rogavit, ut se apud Deum precibus suis interponeret, ut denuo in hanc vitam redire posset; promptam se offerens ad omnium atrocissimorum tormentorum carnificinam, toto futuræ vitæ tempore, pro divinæ voluntatis arbitrio tolerandam.

Bellov. spec. Mor. lib. 2. p. 1. dist. 10. Notabile exemplum.

Horribilis Visio de pœnis purgatorij.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Alia considerantur animarum purgantium tormenta, & specialiter pœna damni, licet hæc corporalis existat.

THEMA.

Mementote vinctorum, tamquam simul vincti,
ad Hebr. ult. ℣. 3.

S. Bonav. Nulla anima habens aliquid purgandum, intrabit in lætum.

1. S. Anct. Bonaventura hisce verbis utitur pro themate dum de animabus Purgatorij in hæc verba differit: *Omnes astricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem. Cujus ratio est, quia in Jupernam Jerusalem nihil inquinatum intrare potest. Impossibile est animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur: Malleus & securis non sunt audita in ædificatione templi, prius enim quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & postea collocabantur in templo; Sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, & poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cælo.* Porro quinam sint hi ministri, qui lapides, & ligna quadrant, & dolant, omnemque æruginem à metallis hisce maculatis depellunt, non est apud sacros interpretes satis perspicuum; Dicente S. Bernardino: *Dubium est, à quibus animæ tormententur in purgatorio; Aliqui dicunt quod sint dæmonesmet, qui fecerunt illas peccare, quia boni angeli non torquent; Aliqui dicunt, quod dæmones non possint tormentare animas purgatorij, nisi per visum, quia animæ videndo terribilitatem dæmonum, terrentur, & dæmones ipsi incantant terrorem.* S. Bonaventura in alio loco (seu potius Albertus Magnus, apud quem eadem verba ad unguem scripta habentur) dubium hoc resolvit, asserendo: *Nota quod dæmones non puniunt animas in purgatorio, sed illic eas adducunt, vel etiam assistunt, ut commanter dicitur.* Apud Dionysium Carthusianum nihilominus nonnullas inveni visiones, ex quibus plane contrarium deducitur; Dicit enim: *Miles, nomine Egnetus purgatorium illud ingressus, primo à dæmonibus in ignem validissimum est projectus, sed nomine Jesu Christi invocato protinus est ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore, atque miseriis plenum in quo erant innumerabiles homines utriusque sexus, ac diversæ ætatis, nudi, & in terram prostrati: ventre huno adhærente, qui omnes clavis ferreis, & ignitis in terram transfixi extendebantur, inter quos, & super quos dæmones percurrebant, & flagris acerrimis miseros lacerabant.* Ex qua visione deduci posse videtur, quod dæmones in carcere purgatorij animarum purgantium futuri sint carnifices. Verumenimvero quemadmodum certum est in purgatorio solas detineri animas, non vero corpora; Ita afferere possumus, has aliasque similes visiones eo solum fine factas fuisse, ut nobis pœnarum illarum exprimerent atrocitatem.

S. Bonav. Comp. Theol. verit. lib. 7. c. 3. Mirabile exemplum. *Dion. Carth. de 4. noviss. 3. par. art. 4.*

Quinam sint tortores animarum in purgatorio. *S. Bern. Tom. 4. serm. 15. in Exod. p. 1. Princip.*

2. Idem Carthusianus refert id, quod sanctus Cyrillus S. Augustino de miraculis S. Hieronymi post mortem patratis scripsit; Per hujus etenim sancti Do-

Horribilis Visio triplicis purgatorij.

ctoris merita tres resuscitati fuere mortui, qui omnes ab eo ad spectandas inferni & purgatorij pœnas, fuere conducti. S. Cyrillus, se ab uno illorum viva voce dici audisse scribit, quod sequitur: *Quales credis esse pœnas paratas non solum damnatis, sed etiam in purgatorio existentibus? Ad quod ego: Puto quod majores sint pœnis præsentis vitæ. Et ille: Si omnes quæ in mundo sunt pœnæ, tormenta, & afflictiones comparentur minori pœnæ quæ illic habetur, velut solatia apparebunt. Mallet namque viventium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pœnis his simul sine remedio cruciari usque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam, usque in præsens sigillatim perpessi sunt, quam uno die in inferno, aut purgatorio affligi minori pœna, quæ ibi habetur.* Et paulo post acerbissimum quoddam indicat tormentum dicens: *Tanta pœna est dæmones intueri, quod unusquisque mortalium potius se præberet ardentibus flammis assuram, quam in ictu oculi formas illorum vellet inspicere, quorum formis nihil pœnosius, nihil horribilius potest excogitari.*

Ibid art. 13. Alia terribilis Visio triplicis purgatorij.

3. Paulo ante aliam quamdam recensuerat visionem, à Petro Abbate Cluniacensi hisce verbis narratam: *Pervenimus in Regionem spatiosam, visu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabili, inenarrabilibus supplitiorum immanitatibus exposita. Innumerabiles pœnarum species vidi ibi; Hi enim torquebantur; Hi in sartagine frigebantur; Hi omnibus falcabantur, usque ad dissolutionem compagum. Alij paniebantur in balneis confectis ex pice, & sulphure, aliisque liquaminibus ex ære, plumbo, aliisque metallis, cum fœtore horrendo. Quosdam vermes monstrosi dentibus venenatis rodebant.* Et hæc quidem omnia in primo purgatorio ipsum vidisse scribit, de secundo vero purgatorio in hunc modum refert: *Vidimus profundissimam vallem, in qua erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea ignis, qui videbatur usque ad cælum pertingere; Atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nihil pœnalius ea me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidissimum mergebantur, nunc inde erumpentes, ignibus involvebantur, ac inde exeuntes asperrimis frigoribus tradebantur.* Tandem ad tertium descendit purgatorium, de quo sequentia refert: *Post hæc venimus ad tertium purgatorij locum, qui ultra, quam mente concipi potest, horribilis extitit, & pœnalis, imo nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluvius sulphureus immensi fœtoris? Nebula quoque & flamma, instar picis nigerrima spargebatur confuse per campum. Planities campi scatebat multitudine vermium; Vermes illi super omnem æstimationem erant horribiles, monstrosi, deformes, rictu pavendi, & naribus ignem execrabilem spirantes, qui turmas miserorum coarctate insatiabili lacerabant, & super miseros illos dæmones cursitabant, ac more insanientium sæviebant in eos, atque per ferramenta ignita eos frustratim per singula membra truncabant, nunc omnem carnem usque ad ossa funditus abradebant. Nunc igni injectos liquefecerunt velut metalla. Parum est hoc, testor Deum, imo tamquam nihil quidquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos, centum, vel amplius pœnarum diversitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterum fere in nihilum redactos.* Has aliasque similes visiones, & revelationes disposuit Deus exhibere, ut aliquem ex iis, licet terribilitate suppliciorum illorum longe inferiorem formaremus conceptum.

Prompt. Exemp. Pœna purgatorij, licet brevissimi temporis, gravissima est.

4. In Promptuario exemplorum scribitur, quod cum ex duobus Religiosis, qui familiares invicem amici erant, uni morti vicino revelatum fuisset, quod in purgatorio eo usque moraturus esset, donec pro ipso aliquod Missæ sacrificium offerretur, alterum Religiosum amicum rogarit, ut postquam animam exhalasset, subito pro se Missam celebraret; Quod cum is punctualiter adimplesset, anima per illud Sacrificium liberata, priusquam in cælum conscenderet, eidem amico apparens, de dilata nimium Missæ celebratione graviter lamentata fuit, credebat enim se viginti annis intra purgatorij flammas fuisse commoratam, cum tamen non nisi illo temporis spatio in eo fuisset, intra quod Missa de requiem absolvi poterat.

S. Bonav. ibid. c. 8.

5. Verumenimvero longe atrocior quavis alia pœna est illa, quæ pœna damni dicitur; Nam ut idem S. Bonaventura scribit: *In purgatorio duplex est pœna; Una est damni, scilicet carentia divinæ visionis, alia sensus*

Pœna damni in purgatorio multo atrocior est pœna sensus; & in quo illa consistat.

sensus de afflictione ignis. Mox vero de pœna damni subjungit : *Affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis , intensior est , quam aliquis affectus rei temporalis in vita , maxime cum jam tempus habendi advenerit , ideo carentia ejus molestius toleratur.* Unde Job lamentabatur dicens : *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Enimvero in anima justa Dei amore succensa nullum excogitari potest acerbius tormentum , quam quod se videat à Deo tractatam velut animam reprobam, ejusque inimicam ; Tormentum enim infernale ab igne purgante quoad pœnam non differt, nisi sola duratione ; Deus igitur etiam ab animabus justis in purgatorio constitutis : divinam faciem suam, quæ universum vivificat paradisum, abscondit. P. Suarez hanc statuit conclusionem : *Dicendum est animas purgatorij pœnam damni pati, imo hanc esse præcipuam pœnam, quam ibi patiuntur.* Sacer textus de Absalone refert , quod cum Absalon interveniente Joab in gratiam Davidis Patris sui restitutus esset, jamque eum ab exilio revocari jussisset, cum hoc tamen pacto , ne ante faciem suam compareret (*Revertatur in domum suam , faciem autem meam non videat*) adeo contristatus fuerit ex eo, quod Patris quem exasperaverat, faciem videre prohiberetur, ut pœnam hanc veluti clavum cordi suo infixum senserit, unde in hasce prorupit voces : *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis , quod si memor est iniquitatis meæ , occidat me.* Videre igitur faciem Davidis, potiorem æstimabat gratiam, quam vitam commodam agere. At vero *finiti ad infinitum nulla est proportio.* Facies etenim Dei glorificat, omnesque animas quæ in cælo sunt, beatas efficit, & bonum quoddam infinitum conciliat , cum beatitudo sit *status omnium bonorum aggregatione perfectus* ; Econtra vero in Purgatorio degere , non solum est pati pœnas inferni quoad sensum, verum etiam pœnam damni sustinere, licet solum ad tempus. At vero ex alia parte quia animæ illæ securæ sunt, quod tandem aliquando coram facie Dei sint comparituræ , hæc tam immensi boni dilatio , tanto plus illas cruciat , quanto boni hujus infiniti consecutionem ardentius suspirant ; Nam *spes quæ differtur , affligit animam* ; Unde sicut juxta proportionem spei crescit & augetur afflictio , consequens est, quod cum animæ purgatorij pro objecto spei suæ bonum aliquod habeant infinitum, de quo aliquando consequendo securæ existunt , infinitam pariter sustineant pœnam ex dilatione consecutionis. Israëlitæ , qui in Babylonia detinebantur captivi, lamentabantur dicentes : *Super flumina Babylonis illic sedimus , & flevimus.* At vero cur juxta flumina illa sedentes plorabant , num forte quia luto immersi erant ? Vel quia in cavernis subterraneis detinebantur ? Aut vero quia pedes eorum compedibus, manus vero catenis vinctæ erant? Vel denique quia humeris suis immensa cogebantur portare pondera ad muros Babyloniæ restaurandos? Nihil horum illos ad fletum permovebat, quid ergo ? Hoc solum : *Cum recordaremur tui Sion. Omnia in figura contingebant illis.* Cuncta namque excessiva tormenta corporalia tanti non faciebant , quanti hoc unicum , quod scilicet se tam procul ab Jerosolyma positos esse recordarentur. At vero quænam terrenam inter & cælestem Jerosolymam est proportio ? Ad hanc Propheta Regius suspirabat , dum inquit : *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei ? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus.*

(Job 13. v. 24. — Suarez. Tom. 4. de Purgat. disp. 46. sect. 1. — Absalon maluit mori, quã faciem patris non videre. 2. Reg. 14. v. 24. Ibid. v. 32. — Prov. 13. 12. — Ps. 136. v. 1. — Ibid. — Ps. 41. v. 3. Ibid. v. 4.)

Unde augeatur dolor pœnæ damni.

Supplem. 3. q. 69. art. 2. ad 3.

6. Doctor angelicus in articulo quodam quærit , quare Deus tanto tempore, scilicet usque ad judicium finale gloriam corporum, non vero animarum distulerit ? Et respondet inquiens : *Gloria corporis non est ita essentialis , sicut gloria animæ , unde majus detrimentum esset sanctis , si gloria animæ differtur, quam de hoc si gloria corporis differatur.* Augetur quoque hæc pœna damni ex eo motivo, quia scilicet, cum post hanc vitam majus sibi acquisierint lumen , & notitiam , vivacius apprehendant culparum commissarum gravitatem , hæcque apprehensio illas intensius, & acerbius cruciat , dum simul considerant , quod à Deo dum viverent , affectæ fuerint beneficijs ; ac proinde obligatæ fuerint , divinas ejus leges exactissime adimplere. *Spes quæ differtur, affligit animam*, per experientiam enim videmus , quod cujuscumque boni etiam mediocris concepta spes certa , mentem & cor nostrum affligat, & impatienter expectetur objectum , quod adeo vehementer desideratur ; At vero spes animarum Purgatorij hanc habet præcellentiam , quod de consecutione omnium bonorum, quæ sunt in Deo, & in regno cælorum, secura sit & certa, & consequenter ab hac spe animæ illæ incredibiliter torquebuntur. Sanctus Thomas in quarto sententiarum ita scribit : *Hic ignis , etsi æternus non sit , miro modo gravis est , excellit enim omnem pœnam.* Inter omnes enim pœnas possibiles & imaginabiles nulla est proportio ad unicam ignis illius favillam.

(Prov. 13. 12. — S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2.)

Quare in officio defunctorũ Ecclesia utatur historia Job.

7. Observástisne aliquando , quod Ecclesia in officio defunctorum specialius utatur historia Jobi , quam aliorum ? Nimirum hic meta & scopus fuit omnium tormentorum , quæ homo aliquis in hac vita tolerare possit , *tentatus* nimirum *per omnia absque peccato* , ipsomet Deo teste, qui ait : *In omnibus his non peccavit Job* ; Sed tamen licet in quacumque alia re patientem se probarit , attamen de unica vehementer nimis conquestus fuisse videtur ; ait enim : *In amaritudinibus moratur oculus meus* ; *De oculo queritur* , inquit Tertullianus , *qui totus in tormentis positus est* ; At vero ex quo totum ipsius corpus vulneribus à vermibus exesis saucium fuerit , mirum est, quare de solo oculo fuerit conquestus , *omnia in figura* ; Repræsentabat namque Job quamdam in Purgatorio constitutam animam , quæ tametsi atrocissimis & innumeris absorbeatur doloribus , specialius tamen ex oculo affligitur, id est ex eo , quia Deum videre non possit ; Unde continuo ait : *Quando veniam , & apparebo ante faciem Dei ?* Omnes quidem aliæ pœnæ tolerabiles sunt , at vero pœna damni omnes alias excedit. Tametsi enim anima purgans de gloria , quæ in clara Dei visione consistit , certissima sit, & secura, attamen ex illa gloriæ dilatione longum quemdam & pœnosissimum sustinet infernum. Nam ut sanctus Antoninus ait : *Anima à corporis gravamine separata tunc intelligit Deum summum bonum , & quod ad illud adipiscendum est creata , & quia immediate ipsum summum bonum possideret , si non esset in ea impedimentum.* Duplex igitur tormentum animam cruciabit , scilicet hæc dilatio impatientissima se cum Deo uniendi , innumeris alijs purgantis ignis pœnis conjuncta, & remorsus vermis voracissimi, quo cor illius continuo rodetur, eo quod Deum adeo erga se beneficum offenderit, id quod tunc per lumen sibi infusum , perque vivacem apprehensionem evidentius cognoscet.

(Job 1. v. 22. — Job 2. v. 10. — Job 17. v. 2. — Tertull. de Patient. — Ps. 41. v. 3. — S. Antonin. sum. 4. p. tit. 14. cap. 5. §. 10.)

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Quædam adducuntur motiva, quibus ad auxilia animabus illis ferenda instigamur , & specialiter hoc , quia omnes ejusdem corporis sumus membra.

THEMA.

Mortuo non prohibeas gratiam , non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Eccli. 7. ℣. 37.

Cum animæ purgantium continuo nostrum implorent auxiliũ, hoc illis sine mora impendendum est.

1. Fidelium auribus, animarum purgantium lamentabiles continuo insonant stridores, singultus, & suspiria, suppliciter ab ijsdem deposcentium auxilia & suffragia, ut tandem aliquando ex pœnosissimo illo carcere eximantur , clamant enim semper : *Misereminí mei, miseremini mei* ; Ac proinde Ecclesiasticus unumquemque nostrum hortatur , & extimulat , ne aures nostras obturemus , ne subtrahamus manum auxiliatricem , & pietatis gressus revocemus ; *Mortuo non prohibeas gratiam , non desis plorantibus in consolatione , & cum lugentibus ambula.* Quodnam in eo latere existimatis mysterium , quod Ecclesiasticus suffragia, quæ animabus purgatorij porriguntur , gratiæ nomine appellet : *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Num forsitan ideo hoc præcipit , eo quod animabus suffragari actum gratiæ, non vero justitiæ esse credit ? Aut vero quia nostra auxilia, nostrosque , quos ad illorum petitionem eis deferimus favores summæ gratiæ attribuunt ? Vel denique quia in virtute satisfactionum, quæ pro illis offerimus, dum illas bonorum & in gratia Dei factorum operum participes efficimus, eos gratiæ & amicitiæ Dei fructibus gaudere facimus? Quamdiu enim anima purgans intra flammas ignis purgantis exercetur , & expiatur, Deo inimica esse videtur (*Cur faciem tuam abscondis , & arbitraris me inimicum tuum?*) At vero mox ut ab hoc carcere liberata est , gratiæ effectus participat. Et quidem tametsi hæc non inepte dicta sint, ego tamen asseri posse existimo, quod potius in hoc verbo, *gratia* , aliud quoddam reconditum sit mysterium ; Neque enim ulla anima ad glo-

Quo sensu suffragia nostra pro animabus purgantibus, vocentur gratia.

(Job 13. v. 24.)

riam aditum habere potest, nisi summum animæ bonum sibi adnectere possit, & in gratia Dei constituta sit, ac proinde Theologi gratiam, gloriam inchoatam, gloriam vero , gratiam consummatam appellare consueverunt ; Anima igitur purgans, tametsi in amicitia Dei posita sit, quamdiu est in purgatorio, adeo est, à paradiso procul remota, tamque atrocibus tormentis affficitur, ac si reproba esset ; *Arbitraris me inimicum tuum?* Quis vero tali animæ patulum ad gloriam, quæ idem est , *ac gratia consummata* aditum præstat, præterquam, qui suffragia pro illis offert , easque ex obscuro illo carcere liberat ? Quis illas gratia & amicitia Dei gaudere facit, præterquam is , qui debita , quæ penes divinam justitiam contraxerant , exolvit iisque satisfacit ? Itaque *mortuo ne prohibeas gratiam* ; *Non desis plorantibus in consolatione.*

Rom. 12. 15.

Gaudemus cum animabus gaudentibus cum illas nostris suffragijs ad cœlum transmittimus.

2. Sanctus Paulus Apostolus omnibus legis Evangelicæ sequacibus hoc suggerit consilium , scilicet *flere cum flentibus , gaudere cum gaudentibus* , hoc autem secundum tunc adimplemus ; quando animas illas virtute suffragiorum nostrorum ad cœlos transmittimus, *quando intrant in gaudium Domini sui* ; Tunc enim talis anima liberata ad nos se convertens , hisce Psalmistæ verbis nobis gratias referre videtur , dicendo : *Secundum multitudinem dolorum meorum ... consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Non desis plorantibus.* Opus enim summæ pietatis, & misericordiæ est, lacrymas ab oculis afflictorum abstergere, eosque consolari ; Quænam vero major dari potest afflictio quam videre quod anima, quæ jus habet cum Deo inter Angelorum Hierarchias gaudendi in cœlis, in pœnis parum à cruciatibus infernalibus differentibus constitutam conspicere ? *Cum lugentibus ambula* ; Porrò Ly *ambulare* in multis sacræ Scripturæ locis opera exprimit perfectionis & meritoria , quæ Deus Abrahæ præcipue volens , eidem dixit : *Ambula coram me , & esto perfectus* ; Et sacer Chronista de Enoch inquit : *Cum Deo ambulavit*, de Noë quoque dicit : *Ambulavit cum Deo.* Unde dum Ecclesiasticus ait : *Cum lugentibus ambula* , clarioribus verbis vult dicere : misere animarum lugentium, fletum illorum , & lacrymas operibus perfectis, meritorijs, & satisfactorijs abstergee , eadem in ipsorum utilitatem Deo offerendo. Porro in hac præsenti vita varijs in occasionibus parentes, cognatos, aliosque amicos consolari & adjuvare coacti sumus , eosdem in necessitatibus suis sublevando , pro qua humanitate suam quoque nobis exhibuerunt gratitudinem ; Quanto vero rationabilius est, ut iisdem in tam extremis angustijs subsidia exhibeamus, maxime dum securi sumus, quod nobis cum summa utilitate nostra futuræ sint gratæ, postquam in virtute suffragiorum nostrorum hæc illis felicissima sors obtigerit , ut à carceris illius angustijs liberatæ , subito in cœlis regnare possint.

(Psal. 93. 19. — Gen. 17. 1. — Gen. 5. 22. — Gen. 6. 9. — Eccli. 7. 38.)

Animabus purgantibus ex eo vel maximè succurrendum est quod sint nobiscum ejusdem corporis membra.

3. Huic præsenti proposito aptissime congruit illa sancti Pauli Apostoli à membris corporis nostri desumpta similitudo , dicentis : *Idipsum pro invicem solicita sunt membra , Et si quid patitur unum membrum , compatiuntur omnia membra ; ... Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Enimvero omnes animæ fideles , non solum illæ , quæ corporibus unitæ sunt , verum etiam quæ ab iisdem sunt separatæ, id est in purgatorio constitutæ , utpote quæ in gratia Dei consistunt, membra sunt unius ejusdemque corporis, id est Ecclesiæ , cujus caput Christus est , quæque animas illas membra sua esse agnoscit, dum immediate post festum omnium Sanctorum, commemorationem dictarum animarum constituit ; Unde sicut membra unius & ejusdem corporis quando infirmantur, & patiuntur, sese mutuo adjuvant, ita justum est, ut fideles sibi invicem subveniant; Numquid nobis merito dici posse videtur de anima purgante : *Si quid patitur unum membrum* , maxime cum, ut in Discursibus præcedentibus vidimus , pœnæ purgatorij, sola duratione excepta, infernalibus non sint absimiles ; Ac proinde cum nos in beneficium proximorum, sæpe etiam proximo nobiscum sanguine conjunctorum flammas magna cum facilitate extinguere possimus , hoccine facere præteribimus ? Natura ad opera gratiæ efficienda ducatum nobis præstat, imo & stimulum addit; Siquidem quando pes ad lapidem offendens vulneratur, subito manus ad eum curandum, & ligandum occurrit ; Oculus illum diligenter considerat; Corpus totum, quod illi innititur, ne ullum ei gravamen adferat, requiescit ; Cor denique erga eum compassione afficitur ; *Si quid patitur unum membrum , compatiuntur omnia membra* ; Quanto magis igitur charitas, & divina gratia in animabus nostris residens idipsum operari deberet, defunctis , qui proximi nostri , ejusdem corporis mystica membra sunt, compatiendo , & debita ferendo suffragia ? *Numquid quia in corpore pes* , inquit S. Augustinus , *quia longe videtur ab oculis, quando forte pes spinam calcaverit , deserunt illum oculi ? Et non sicut videmus , totum corpus contrahitur , & sedet homo curvatus spina dorsi , ut quæratur spina , quæ hæsit in planta? Omnia membra quidquid possunt faciunt , ut de infimo & exiguo loco, spina quæ inhæserat , educatur.* Terra corporis humum , *Spinas & tribulos germinavit nobis* , id est peccata nostra & transgressiones , quæ tametsi in hac vita quoad culpam remissæ sint, reliquum tamen est, ut etiam quoad pœnam in purgatorio , ardeant & consumantur ; Hoc autem animæ illæ à semetipsis exequi nequeunt , sicut nec pes semetipsum curare potest , Et ideo opus habent subsidio manuum , id est operum nostrorum satisfactoriorum suffragio. *Pro invicem solicita sunt membra* ; Ergone à reciproca membrorum nostrorum charitate nos superari sinemus ? *Sane videmus etiam in bestijs, aliquo membro male affecto statim cætera non solum moveri naturali solicitudine , pro medela & salute illius membri , verum etiam communem inde passionem ac dolorem contrahere , sicut uno membro dolente , totum corpus ægre sese habeat. Ad hunc modum & in corpore mystico singulorum membrorum passiones & infirmitates , per affectum charitatis , & misericordiæ debent omnibus esse communes* , inquit doctissimus Estius, qui idem paulo post ad propositum nostrum subjungit : *Ex hoc loco, ubi docet Apostolus ejusdem corporis membra invicem esse solicita , & uno patiente cætera compati , bene colligunt Catholici Doctores , sanctorum animas cum Christo regnantes suis orationibus nos adjuvare , & nos iisdem nostris suffragijs , animas quæ sunt in pœnis purgatorijs , adjuvare debere , ut qui tam illis , quam cum his sub uno capite Christi sumus ejusdem corporis ; id est Ecclesiæ membra.* Cardinalis Bellarminus, qui suo sæculo fortissima fidei Catholicæ columna fuit , de eadem similitudine ita scribit : *Ecclesia tota est unum corpus , cujus caput est Christus , ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris , quam membrorum inter se ; Nam ut dicitur* , 1. Cor. 12. *Pro invicem solicita sunt membra , & si quid patitur unum membrum , compatiuntur omnia membra , sed justi defuncti sunt membra hujus corporis , nam sunt colligati, nobiscum, & cum Deo, in fide , spe , & charitate.* Adducitque sequentem S. Augustini authoritatem dicentis : *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur , quæ est regnum Christi.* Unde hanc deducit conclusionem : *Igitur viventes possunt ac debent juvare defunctos ut membra ejusdem corporis.* S. Augustinus ad Italicam ita scribit : *Nescio quomodo minus sit, quod patitur unum membrum , si compatiuntur alia membra. Nec ipsa mali revelatio fit per communionem cladis , sed per solatium charitatis.* Quemadmodum igitur anima unit in corpore omnia membra, cujus signum est, quia hac deficiente, omnia quoque membra deficiunt, & destruuntur, ita quoque charitas in corpore mystico , quod est Ecclesia , omnes fideles tamquam membra unius dumtaxat corporis inter se unit ; Hunc vero charitatis in nobis vigentem verum spiritum demonstrabimus, si animabus illis , quæ ejusdem corporis sunt partes compatientes , auxiliatrices porrexerimus manus , maxime cum hæ alios non habeant , quam nos quorum suffragijs ab igne illo liberari possint , quia solum illi qui mereri possunt, possunt & satisfacere ; Mereri autem ad solos pertinet viatores.

(1. Cor. 12. 25. & 26. — Declaratur apta similitudine membrorum corporis, sibi invicem succurrentium necessitas. — S. August. in Ps. 130. — Gen. 3. v. 18. — Estius. ibid. — Bellarm. lib. 2. cap. 15. de Purgat. — S. August. Epist. 133.)

Membra ejusdem corporis se invicem defendunt & tuentur.

4. Videmus per experientiam , quod quando pars aliqua corporis principalior offenditur, pars alia minus principalis pro illius salute læsionis periculo exponatur , v. g. Quando capiti ictus gladij intentatur , brachium & manus ad capitis defensionem ultro sese extendunt; Similiter dum brachium, vel manus infirmatur , pro salute illorum totum corpus servat diætam , purgationes recipit, alijsque exercetur medicinis; Justũ igitur est , quod in corpore mystico eadem servetur proportio , quæ in corpore naturali, scilicet quod sicut pars sani corporis dolorem alterius membri infirmi, & saucij sustinet, ita pariter unus homo ex motivo charitatis pondus alterius portare, expiare pœnas , illiusque exolvere debita conetur , quod fit , offerendo macerationes corporales, v. g. sacras peregrinationes, vigilias, jejunia, eleëmosynas, orationes, aliaque opera afflictiva, per quæ consecutio æternæ salutis animarum illarum, quæ ejusdem corporis membra sunt , acceleratur ; *Pro invicem solicita sunt membra.*

Deus benigne ſuſcipit noſtras ſatisfactiones pro animabus purgantibus.

5. Parum intereſt creditoris quis ei creditum ſuum exolvat,an ſcilicet debitor , vel alius ipſius loco , creditor enim hoc ſolum curat , ut quod alteri credidit, ſibi exacte ſolvatur ; Multo autem benignior,& liberalior eſt Deus in recipiendis ſatisfactionibus , quam eſſe poſſit unus homo erga alterum , ac proinde Deo ſufficit , imo vehementer ei placet , dum reciprocam hanc inter homines videt charitatem & compaſſionem, imo hanc ipſe homini inſpirat , hanc promovet & remunerat, quia in hoc non modicum ipſe quoque intereſſe habet,quod animæ illæ in cœlum quantocyus evolantes,laudem ipſi exolvant,& gloriam. S.Joannes Damaſcenus in oratione quadam de defunctis ita ſcribit : *Divinus præco Chryſoſtomus clara voce docet,ac vociferatur, atque ut præclariſſima,ac prorſus aurea ipſius verba rurſus uſurpem ; ut , inquit , cum adhuc ſuperſtes eſſes , non eo progreſſus es,ut animam tuam omni ex parte probe compoſitam haberes ſaltem illud in vitæ calce tuis manda , atque impera , ut poſt obitum tuum facultates tuas ad te tranſmittant , ac per opera bona , hoc eſt eleëmoſynas & oblationes tibi ſubſidium ferant ; Hinc enim quoque fiet , ut cum Redemptore in gratiam redeas , hæc enim ipſi grata ſunt , & accommodata.* Imo hæc ſolutio,& ſatisfactio , licet aliena manu facta,ipſi eſt gratiſſima.

S.Joan.Damaſc. or.de fidel. defunct.

Monemur ad ferenda ſuffragia animabus purgantibus.

S.Bonav. ſer. de animabus.

6. S. Bonaventura ait : *Attendendum , quod ſedentes in tenebris purgatorij non poſſunt mereri , poſſunt tamen per merita juvari ; membra enim vincta cum non ſint mortua, ſicca, vel paralytica,poſſunt recipere corporis influentiam,licet non poſſint rependere adminiſtrationis officium. Hoc autem fit , juſtitiâ Dei benignitatem reſpiciente , quia deceſſerunt in gratia , & miſericordia indulgente , quia non poſſunt ſe juvare per propria.* Moxque in hæc verba exclamat : *O negligentia noſtra ; Videmus nos incarcerari, & negligimus operari , ut poſſimus per opera liberari.* Paulo poſt illos , qui hiſce animabus ſuffragantur , ſequentibus verbis alloquitur : *Licet ſuffragia omnibus juſtis indigentibus proſint,maxime tamen his, pro quibus ſpecialiter fiunt ; Si enim charitas gradus habens opus informat , & intentio ordinat , certum eſt, quod non fruſtratur intentio & devotio ſatagentis.* Enimvero brachium quamdiu ligatum ſe quidem movere nequit, at vero ſi opera tua illud à funibus,& catenis eximas, jam liberatum movere ſe poterit,ad tui defenſionem,ut pro liberatione ſua ſe gratum erga te exhibeat; Eodem modo ſi verum eſt,quòd animæ illæ quamdiu in flammis purgantibus ligatæ exiſtunt,pro te nihil poſſint impetrare, certum tamen eſt, quod poſtquam ab illis ſolutæ ſunt,& liberatæ,ſe erga te gratas exhibere poſſint, tibi benefaciendo, ſuiſque è cœlo miſſis auxilijs potenter te protegendo.

Animæ noſtris ſuffragijs liberatæ, reddunt ſe gratas erga nos.

Lex Charitatis novæ legis nos obligat ad ſuccurrendum animabus purgantibus.

7. Quod ſi forte ſciſciteris,cur in antiqua lege pro adjuvandis defunctorum animabus adeo ſoliciti non fuerint,reſponderi poteſt , quod in antiqua lege adeo claram & diſtinctam purgatorij notitiam non habuerint,quemadmodum nos in nova lege habemus : Præterea in nova lege baſis præceptorum, quæ adimplere debemus , fundata eſt ſuper charitate erga proximos, dicente ſcriptura : *Qui diligit proximum , legem implevit. Hoc eſt præceptum meum , ut diligatis invicem,* Merito igitur S. Bernardus inquit : *Tranſeamus per compaſſionem ad illos , quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in iſtam regionem , & videbo viſionem hanc grandem , quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat , non ad occiſionem , ſed purgationem ; Non ad iram , ſed ad miſericordiam; Non ad deſtructionem , ſed ad inſtructionem,ut jam non ſint vaſa iræ apta in interitum , ſed vaſa miſericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adjutorium illis , interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpirijs , orationibus intercedam , ſatisfaciam ſacrificio ſingulari , ſi forte videat Dominus, & judicet , ut laborem convertat in requiem , miſeriam in gloriam , verbera in coronam. His enim hujuſmodi officijs poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna. Percurre ergo , quæcunque es fidelis anima , regionem expiationis , & vide quid in ea fiat , & in nundinis iſtis fac ſarcinam tuam affectum compatiendi.* Ubi ſpecialiter notandum, quod mellifluus Doctor compaſſionem, quæ per effectus & opera charitatis in defunctorum beneficium exhibentur,nundinarum,& mercatus nomine appellet. Unde & D. Chryſoſtomus de Eleëmoſyna ita ſcribit : *Non fruſtra Eleëmoſynæ. Hæc omnia ſpiritus diſpoſuit , volens , ut nos mutuo juvemus. Vide enim ; Utilitatem accipiet ille per te , & ſuper illum : Tu illi ſalutis , ille vero tibi eleëmoſynæ factus eſt author. Ne dubita , quia erit fructus aliqui ſuavis. Non ſimpliciter miniſter clamat pro his qui defuncti ſunt in Chriſto , & pro his qui illorum memoriam faciunt.*

Rom. 13. 8.
Joan. 15. 12.
S.Bern. de quinque negotiat , & quinque region.
Chryſoſt. Hom. 21. in Act. Apoſt.

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Eccleſia pro defunctis ordinat ſuffragia , idque nos illis auxiliandum movere debet, quia hoc faciendo rem Deo gratiſſimam præſtamus ; Præterquam quod animæ illæ in flammis purgantibus etiam pro nobis Deum exorent.

THEMA.

Sancta , & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.
2. Machab. cap. 12. ℣. 46.

1. QUod ſi quis reperiretur , qui temere, & per hæreticam contumaciam animabus in purgatorio detentis ſuffragia adhibenda eſſe negaret,his talis confundi,& confutari poſſet per id,quod S. Petrus primitivis fidelibus in hæc verba ſcribit : *Habemus firmiorem propheticum ſermonem , cui benefacitis attendentes , quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco , donec dies illuceſcat.* Nec non per illud Spiritûs S.primæ & æternæ veritatis oraculum , quod ſancta mater Eccleſia Chriſtianis intimat,in quo dicitur : *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare* ; Hoc enim vel ſolum ſufficere deberet , ut ad ſuffragandum animabus illis extimularemur. S.Bonaventura ait : *De ſuffragijs Eccleſiaſticis hoc tenendum eſt , quod ſuffragia Eccleſiæ proſunt mortuis , ſuffragia dico , quæ pro mortuis Eccleſia facit , ſicut ſunt ſacrificia , jejunia , eleëmoſynæ , & aliæ orationes ; & pœnæ voluntariæ , aſſumpta pro earum culpis celerius , & facilius expiandis.* Imo ex ritibus , ceremonijs,officijs divinis, Miſſis,alijſque ſuffragijs ab Eccleſia in beneficium animarum inſtitutis clare deducitur ardentiſſimum , quo Eccleſia tamquam pia,& compaſſiva mater erga dictas animas flagrat. Idem Seraphicus doctor in ſermone quodam de defunctis in hæc verba ſcribit ; *Animabus purgandorum defunctorum proſunt ſuffragia : De iſtis quaſi in proximo regnaturis poſt feſtum Sanctorum omnium feliciter regnantium Eccleſia ſolemnizat hodie.* Idem Seraphicus in progreſſu ejuſdem ſermonis authoritatem adducit S. Auguſtini dicentis : *Curatio funeris , conditio ſepulturæ, pompæ exequiarum , magis ſunt vivorum ſolatia , quam ſubſidia defunctorum.* Moxque ſubdit S. Bonaventura : *Et tamen ſecundum Auguſtinum ibidem , Tobiam ſepeliendo mortuos Deum promeruiſſe,teſte Angelo,demonſtratur. Si igitur curam ſepulturis impendis,quæ in quantum hujuſmodi parum poteſt prodeſſe defunctis , eſt tamen tanti meriti, quantum meritoria eſt illa pietas,illos juvare, qui ſe juvare non poſſunt , ut illos expeditos à vinculis poſtmodum habeamus interceſſores in cælis.* Ejuſdem S. Auguſtini doctrina eſt,quæ ſequitur : *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum,quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam , tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcipit Eccleſia , ut quibus ad iſta deſunt parentes , filij , aut quicumque cognati , vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.*

Eccleſia tamquam pia mater ſolicita eſt ut fiant ſuffragia pro defunctis.
2. Pet. 1. 19.
S. Bonav. brevil. p. 7. c. 3.
S.Bonav. ſer. de animabus.
S. Auguſt. de cura pro mort. c. 4.

Gratiſſimum Deo obſequium exhibemus , dum noſtris ſuffragijs animam ex purgatorio liberamus.

2. *Sancta cogitatio eſt pro defunctis exorare.* Deo ſummopere gratum, & acceptum eſt,quod divinæ ſatisfaciamus juſtitiæ pro illis animabus , quia hæ in ipſius gratia & amicitia ſunt conſtitutæ,Quod ſi princeps aliquis quemdam haberet amicum,qui captivus teneretur ob civile debitum , quo Cameræ regiæ obſtringitur, eſſetque lex inviolabilis & indiſpenſabilis , ut ab unoquoque quantumvis ille privilegiatus & in curia principis honoratus exiſtat , tali debito ſatisfiat , uſque ad noviſſimum quadrantem, huicque principi ſupra modum gratum foret,ſi quis reperiretur,qui debitum iſtud pro amico Principis, qui ſolvendi impos eſt,charitative perſolveret,ad hoc,ut miniſtro ſuo ſibi quam maxime dilecto, ejuſque obſequio uti poſſet, ita quoque eſt in præſenti , unde Author quidam antiquus de purgatorio diffuſe differens,inter alia motiva animabus illis ſuffragandi etiam adducit , quod ſequitur : *Primum inductivum eſt , inquit , quia hoc Deo ſummæ ſcilicet & individuæ Trinitati placet , nam dum animabus ſubvenimus , Deum honoramus , & gratiſſimum obſequium facimus : Dei cooperatores ſumus , juvando , ut ſic Patris prædeſtinatio citius adimpleatur , filij Redemptio effectum ſortiatur, Spiritus Sancti electio , & voluntas compleatur : O quantum eum Dominus diliget , qui & theſaurum gratiſſimum , erga quem cor ſuum appoſuit , pro*

Joan. Mauburnus de Regione Purgatoria tit. 3. cap. 5.

pro quo omnia dedit (animam loquor Chriſtianam) ex tormentis liberabit. Enimvero neſcio an ardentius ſit deſiderium,quo anima Deo uniri cupit,an vero deſiderium Dei (ut ita loquar) impatientis, remunerandi eamdem animam per gloriam ſuam,quamvis ex altera parte prius neceſſariū eſſe videat , ut divinæ ſuæ ſatisfiat juſtitiæ. Dionyſius Carthuſianus in libro *de agonizantibus* ait : *Valde gratum eſt Deo , prout ipſe devotæ Virgini Gertrudæ revelare dignatus eſt , ut animas electorum ſuorum , orationibus, Miſſis , jejunijs , eleëmoſynis , & alijs exercitijs à pœnis liberemus , in quibus exigente juſtitia ejus eas detinere cogitur ; Unde quoties aliquam animam liberamus , hoc adeo acceptum eſt illi , quaſi ipſum Dominum ex captivitate redemiſſemus ; & hoc integre reſtituet nobis tempore opportuno ; quando in ſinum noſtrum oratio noſtra convertetur.* Quonam putas myſterio factum ; quod filius Dei , poſtquam debitum noſtrum in cruce per hominis redemptionem exolvit (*conſummatum eſt*) non ſtatim à mortuis reſurrexerit,ſed prius ad ſinum Abrahæ,& pariter ad purgatorium deſcenderit ? Nimirum per hoc ſummam ſuam denotare voluit ſolicitudinem,qua deſiderat conſolari , & ſuffragari animabus ſibi dilectis & electis, quarum plurimas ex illis flammis eripuit. Apud Danielem ſcribitur : *Aſpiciebam,donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit , veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli ejus quaſi lana munda , thronus ejus flammæ ignis , & rotæ ejus ignis accenſus.* Quæ verba Hugo Cardinalis exponens inquit : *Per albedinem veſtis ſignificatur gloria majeſtatis* ; Lyranus quoque ait : *In hoc notatur excellentia Deitatis,quæ eſt lux inacceſſibilis , quia candor inter alios colores plus habet de luce.* Thronus autem à rotis ſuſtentabatur , propter quod currus triumphalis nominari poterat , unde Hugo Cardinalis ait : *Alij dicunt : Currus ejus ignis accenſus* ; Sed quænam eſt ratio, quod throno huic rotæ appoſitæ fuerint , cum thronus regius firmus & fixus ſtare ſoleat, rotæ autem in continuo motu conſiſtant, Hector Pintus inquit : *Alludit ad ſolia regum , quæ erant verſatilia inſtar curruum triumphalium.* At vero alia difficultas in eo conſiſtit ; ut noſcamus myſterium,cur in capite hujus regis,in tam magnifico Majeſtatis throno confidentis,nullum diadema,vel corona viſa fuerit, cum tamen corona præcipuum ſit regis ornamentum, & ſignum,per quod ab alijs diſtinguitur; Unde ut Pagninus notat,quod Deus apud Ezechielem regi Iſraël comminari volens ; quod eum à regno deturbaturus eſſet,eidem hæc verba intimaverit : *Removebo cidarim, & tollam coronam* ; Inſuper S. Joannes in Apocalypſi in capite Regis gloriæ multa diademata conſpexit : *In capite ejus diademata multa* ; Cur igitur in hac occaſione ne vel unica corona redimitus viſus fuit ? Nimirum thronus ille igneus purgatorium præfigurabat, in quo Deus Sceptro juſtitiæ punitivæ erga animas utitur,quas vult ſatisfacere *uſque ad ultimum quadrantem* : Ac proinde ſuper throno illo ſedens Deus coronam in capite non defert,quia diſplicet illi,videre animas illas tam atroces pœnas ſuſtinentes,unde ſe Regem paradiſi eſſe nequaquam exiſtimat,quamdiu animæ in purgatorio detinentur captivæ.

Revelatio facta S.Gertrudæ.
Dan. 7. v. 9.
Hug. Card.
Lyran.
Hector Pintus.
Apoc. 19. 12.

Per ſuffragia defunctorū, exhibemus opera miſericordiæ, Deo acceptiſſima.

3. *Sancta cogitatio eſt pro defunctis exorare* : Per hoc enim quis ſe exercet in operibus miſericordiæ Deo tantopere acceptis , quando quis ſuffragijs animabus impendendis aſſiduam dat operam. Idem ſupradictus Author Joannes Mauburnus qui hac de materia librum quemdam compoſuit ; hac de re ad propoſitum noſtrum ita diſcurrit : *Qui pro defunctis orat, ſeptem miſericordiæ opera eis impendit,unde & ejus miſerebitur Deus. Cibat eſurientes pane Angelorum ; dum eas precibus deducit ad regna cœlorum. Secundo potamus ſitientes ; Dicunt enim : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Tertio veſtimus nudos nuptiali veſte , veſtita deaurato , dum enim charitatem noſtram conſiderant , charitatem in nos aſtuant. Quarto peregrinos & exules hoſpitamur , dum in domum Domini lætantes precibus deducimus. Quinto captivos è carcere educimus , dum infirmos illos & amore languentes viſitamus ; In terra tandem viventium in Domino beatos ſepelimus.* Unde idem Author,ut ad idem opus exhibendum nos extimulet , ſubjungit : *Quiſquis cupis ut tui miſereatur Deus , fac per hæc proximo miſerearis.* Enimvero certum eſt , quod quotieſcumque aliquem ex proximis noſtris in hac vita afflictionibus ſubjectum adjuvamus, plurimum apud Deum mereamur , hoc tamen meritum ad tam excellentem gradum non pertingit,quam dum animæ in purgatorio patienti ſuffragamur , quia incomparabiliter majus eſt tormentum,& pœna,à qua eamdem eripimus & ſalvamus, ipſaque auxilium noſtrum magis meretur ; cum in gratia & amicitia Dei ſit conſtituta.

Mauburn. ibid. §. 2. cap. 5.

4. *Sancta ergo cogitatio eſt pro defunctis exorare* : quia poſtquam ab hiſce flammis ſunt ereptæ in gloriam cœleſtem ſuſcipiuntur ; ut cum ſanctis conregnent: Imo de quibuſdam ſumma ſanctitate conſpicuis legitur , quod priuſquam in paradiſum reciperentur, per aliquod temporis ſpatium in purgatorio fuerint detenti,prout in ſpecie liquet de S.Severino Colonienſi Archiepiſcopo. S.Bernardinus in ſermone quodam ita ſcribit : *Secunda veritas eſt , quoties tu facis aliquod bonum pro anima exiſtente in purgatorio,tibi magis prodes,& plus mereris, quam ſi faceres decem tantumdem pro uno exiſtente in hoc mundo, etiamſi eſſet incarceratus , infirmus, nudus, & famelicus, nam quanto magis egenti hoc facis, tanto magis eſt bonum.*

S. Bernard. t. 4. ſer. 16. p. 2. princ.

5. *Salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.* Ratio eſt,quia eodem tempore, quo illis animabus benefacimus, ipſæ quoque in igne illo poſitæ, ut authores doctiſſimi tradunt,pro benefactoribus ſuis (qui ipſis ab Angelis revelantur ; & ſpecialiter ab Angelo cuſtode ; qui ipſis continuo aſſiſtit, velut impatiens moræ,ut ad cœlum ipſas perducat) gratias ab ipſis maxime deſideratas à Deo exorant,& impetrant,Et quidem licet tales illarum preces,quas ad cœlum pro benefactoribus ſuis tranſmittunt,ipſiſmet animabus infructuoſæ ſint (quia *non exient inde , donec reddant noviſſimum quadrantem,* eo quod non ſint in ſtatu merendi) Attamen quia Deus illarum liberationem ardenter deſiderat , eaſdem pro ſuffragantibus ſibi precari , & impetrare permittit , ut tales ſuffragatores ad auxiliandum ipſis tanto magis diſpoſiti tantoque liberaliores reddantur: Plenæ ſunt hiſtoriæ miraculorum & gratiarum,quas fideles per animarum in purgatorio exiſtentium interceſſionem receperunt: Continget nonnumquam hic caſus , quod quis propter debitum, quo ærario publico obſtringitur, ſit incarceratus , qui tamen utpote apud principem bene meritus , eidemque ſtricta familiaritate conjunctus,ſine ulla difficultate pro amico, & ſpecialiter pro illis,qui talem incarceratum in ſolutione debiti ſui adjuvant , gratias, & favores apud principem impetrare poterit: Unde Suarez inquit : *Quia illæ animæ ſunt ſanctæ,& charæ Deo,noſque ex charitate diligunt,& noſtri recordantur, noruntque , ſaltem generaliter,ea pericula in quibus verſamur , & quantum indigeamus divina ope,& auxilio : Cur ergo non orabunt , etiamſi alias ſuis pœnis ſolvant quod debent ? Nam etiam nos in hac vita , qui debitores ſumus , pro alijs oramus , & patres , qui erant in ſinu Abrahæ , pro viventibus orabant , ut de Onia, & Jeremia refertur.* Deus quondem Cain primo reprobo dixit : *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra* : Qualis autem hæc vox ſive clamor fuerit,S.Ambroſius indicat dicens : *Bene ait,clamat de terra, non dixit de fratris corpore, ſed de terra clamat* : Et paulo poſt ſubdit : *Non mediocre etiam dogma in hoc conſiſtit , quia Deus juſtos ſuos audit , etiam mortuos , quoniam Deo vivunt.* Animæ autem purgantes juſtæ ſunt,& in gratia , & amicitia Dei conſiſtunt , ideoque jus habent,ut audiantur,& exaudiantur, ſi non pro ſe, ſaltem pro alijs : Hunc enim aditum illis præcluſum eſſe non conſtat , imo quotidiana experientia docet, quod impetrent pro illis,qui eas adjuvant,& ideo dicitur : *Miſericordes miſericordiam conſequentur.* Baruch nobis ob oculos ponit animam in magnis anguſtijs conſtitutam,& dicit : *Anima in anguſtijs,& ſpiritus anxius clamat ad te ; audi Domine , & miſerere* : Et paulo poſt quaſi probare volens , quod etiam in illis flammis hærentes pro nobis orent , in perſona illarum ſubjungit : *Domine omnipotens, Deus Iſrael , audi nunc orationem mortuorum Iſraël.* Cardinalis Bellarminus magna cum modeſtia , abſque eo quod ſe authoribus contrariam opinionem tenentibus opponat,ita ſcribit : *Non eſt incredibile animas Purgatorij pro nobis orare, & impetrare.* Apud S.Lucam legitur,quod dives Epulo ab Abrahamo petierit, ut Lazarus in domum fratrum ſuorum mitteretur,moniturus illos,ne ſimul cum ipſo damnarentur. At vero unde hic damnatus , inimicus, & rebellis Dei , ſimilem poſtulationem Abrahæ proponere præſumpſit ? *Oratio ejus fiebat in peccatum , & Diabolus ſtabat à dextris ejus.* Nihilominus Petrus Cluniacenſis hanc inde deducit concluſionē inquiens : *Ardebat ille flammis infernalibus, & pro parentibus, qui adhuc in mundo erant , orabat , & licet dignus non fuerit exaudiri , potuit tamen pro eorum ſalute Abraham deprecari.* Moxque cauſam ſubjungens,propter quam ejus preces rejectæ fuerunt , ſequens ad propoſitum noſtrum

Matth. 5. 26.
Similitudine declaratur.
Suarez. t. 4. diſp. 47. ſect. 2. n. 4.
Gen. 4. v. 10.
S. Ambr. l. de Cain & Abel. c. 9.
Matth. 5. 7.
Baruch. c. 3. v. 1.
Ibid. v. 4.
Bellarm. q. 2. c. 15. de Purg.
Luc. 16.
Pſ. 108. v. 6.
Ibid. v. 7.

nostrum erruit documentum ; Ait enim. *Quod aliquando pro viventibus exaudiri possint mortui, indicavit.* S.Gregorius de Paschasio refert, quod tametsi in purgatorio degeret , eodem tamen tempore hic in mundo patrarit miracula.

S.Greg.l.4. Dial c.40.

6. Cardinalis Bellarminus opinionem contrariam, quæ utique est S.Thomæ,examinans,sequentes ad nostrum propositum adducit rationes ; *Si animæ illæ non erant pro nobis,vel causa est,quia non vident Deum; vel quia sunt in maximis tormentis,vel quia sunt nobis inferiores ; Sed nihil horum dici potest ; Non primum ; quia tempore veteris testamenti orabant sancti defuncti pro vivis , ut patet ex lib.2.Machab.cap.ult. cum tamen nec illi viderent Deum ; non secundum ; quia dives in inferno orabat pro fratribus suis , cum esset tamen in majoribus tormentis , quam sint animæ in purgatorio : Præterea Martyres in hoc mundo non in tormentis constituti,orabant pro se, & alijs., ut patet de S. Stephano : Non etiam tertium , quia in hoc mundo nos oramus pro Episcopis, & summis pontificibus,qui sunt nobis superiores , & etiam oramus pro illis,quos non dubitamus nobis esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro Apostolo Paulo , qui eorum orationes petebat, Rom.15. Præterea animæ purgatorij etiamsi nobis sunt inferiores,ratione pænarum,tamen superiores sunt ratione gratiæ, & charitatis, in qua jam confirmatæ sunt.*

Bellarm.

7. In scriptore quodam fide digno me legisse memini, quod cum vir quidam,qui in vita sua erga animas purgatorij valde indevotus fuerat,in ultima sua infirmitate pro viatico communicatus fuisset,sacerdos cum redeundo ad Ecclesiæ cæmeterium pervenisset , adeo fortiter se retineri sensit,ut ne gressum quidem ulterius facere posset , nec tamen ullum,à quo detineretur,videre poterat ; Vidit quoque apertam Ecclesiam,quam abiens clausam reliquerat,audiitque vocem dicentem: *Ecce mortuus est devotus noster amicus , qui quoties hunc locum transibat , pro animabus illorum defunctorum , quorum ossa hic sepulta quiescunt, Deum precari solitus erat : Surgite quotquot in hoc loco requiescitis,oremus vicissim ex gratitudine erga preces quas pro nobis toties ad Deum effudit.* Hisque dictis Presbyter ille strepitum & rumorem percepit veluti ossium è sepulchris egredientium , simulque Ecclesiam introeuntium,quæ plena facibus ardentibus erat, ubi officium defunctorũ celebrarunt,quo terminato,singuli ad sua se denuo sepulchra receperunt ; Tuncque Presbyter sine ullo impedimento Ecclesiam ingredi potuit ; Ex hac autem visione attonitus,statum suum mutare, & monachum induere decrevit,atque in progressu temporis factus est Prior monasterij Turonibus à S. Martino fundati , semperque erga illas animas devotissimus permansit. Verum enimvero dato etiam quod ab illis animabus nullas immediate reciperemus gratias , attamen dubium non est , quin illas recipiamus vel ab Angelis illis assistentibus,earumque specialibus amicis,aut vero immediate ab ipso Deo,qui valde desiderat nos in hoc opere esse ferventes , ut eas ab ignibus liberare,& in æternam beatitudinem recipere possit ; Et ideo quomodocumque gratias pro impensis animabus suffragijs impetremus , *dummodo nos habeamus intentum , non curemus de modo.* De facto enim videmus,quod spe sua non defraudentur,qui illis suffragantur.

Hoc propositum probatur notabili exemplo.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

De lucro quod sibi comparat, qui animabus illis suffragatur , quæ ex gratitudine nos quoque adjuvant.

THEMA.

Salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 2. Machab. cap.12.ṽ.46.

1. SAnctus Bernardus in sermone quodam *de quinque negotiationibus, & quinque regionibus* , docet, ut in præcedenti discursu diximus,quod orare pro animabus Purgatorij , cum ingenti lucro , & merito sit conjunctum,ad eum modum , quo in nundinis lucrari solemus; Ait enim : *In nundinis istis fac sarcinam tuam affectu compatiendi.* Mercatores enim industrij merces suas ad nundinas deferre , easque cum melioribus , & pretiosioribus commutare , indeque meliori quo possunt modo comparatum lucrum domum secum deferre satagunt: Eadem quoque proportione mellifluus Doctor intendit dicere , quod qui animabus illis per sua charitatis opera beneficium præstat , licet pro alijs solvat,nihilominus etiam in ipsum ingens lucrum redundet. S. Paulinus in Epistola quadam ad Alethium scripta eleëmosynas , quas & ipse in subsidium defunctæ conjugis suæ facere solebat , commendans , ejus pietatem hac phrasi exponit dicens : *Egena corpora fovens, redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis retributione divina tuum potius Spiritum saginasti, & benedictæ conjugis animam refecisti , in illam transfundente Christi manu , quæ tua pauperibus erogabantur, cum in ictu oculi permutata in cælestes cibos carnalis esca transiret.* Unde dum quis in beneficium animarum illarum disciplinam faciens eam in dictarum animarum satisfactionem applicat , præter fructum, qui inde in ipsarum beneficium resultat,incomparabilis insuper in benefactorem resultat fructus:Siquidem eodem tempore per ejusmodi emacerationem corporis suos quoque refrænat sensuales appetitus, eosdemque Spiritui subjectos esse facit : Unde ubi nos legimus : *Apprehendite disciplinam.* S.Hieronymus vertit : *Adorate purè :* Alij verè legunt : *Adorate puritatem.* Similiter dum quis orationes suas pro animabus defunctorum ad Deum dirigit , eodem tempore & ipse immensa bona ab eadem oratione resultantia participat , ut verificetur illud : *Oratio ejus in sinu ejus convertetur.*

Cum ingenti nostro lucro oramus pro animabus defunctorũ.

S. Paulin. ad Alethium.

S. Hieron. Lorin.

2. Doctor Angelicus ait : *Opus suffragij potest considerari, in quantum est meritorium vitæ aeternæ, quod habet in quantum procedit ex radice charitatis , & per hoc non solum prodest ei , pro quo fit , sed etiam facienti magis.* Unde in actibus Apostolorum legitur , quod cum mulier quædam multa perfectione prædita , Tabitha nomine, in Joppe commorans, quæ *plena erat operibus bonis , & eleemosynis , quas faciebat* , post mortalem infirmitatem tandem ex hac vita migrasset, Christi fideles,qui ejus beneficijs sæpius fruiti fuerant, exposito in cœnaculum ipsius cadavere , sanctum Petrum,qui non procul inde , scilicet in Lidda, degebat, ad se accersiverint dicentes : *Ne pigriteris venire usque ad nos* ; Cumque sanctus Apostolus eo advenisset ; *Circumsteterunt eum omnes viduæ flentes,ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis.* Unde S.Apostolus precibus eorum qui à Tabitha beneficia eadem acceperant,permotus,eamdẽ mortuam resuscitavit.Quis autẽ in hoc facto expressam non videt defunctorum erga benefactores suos compensationem , quam facere solent , mox ut ad paradisum cœlestem sunt introducti ? Enimvero valde est verisimile , quod dum in periculis sive corporalibus , sive spiritualibus irretiti hæremus , animæ per nostra suffragia è purgatorio ereptæ, ut nos in similibus periculis constitutos adjuvent,defendant,& efficaciter eripiant, Deo beneficia à nobis in flammis purgantibus recepta ferventer repræsentent , seque erga nos hac ratione gratas exhibeant. Sanctus Bernardinus quoque eamdem à S. Thoma traditam doctrinam tangit inquiens : *Secunda veritas, est , quod quoties tu facis aliquod bonum pro anima existente in purgatorio , tibi magis prodest.* Cujus hæc potest esse ratio , quia cum opera in gratia facta vitæ æternæ sint meritoria , hoc meritum nobis remanet ; Quia vero insuper sunt satisfactoria, hac nos satisfactione privamus , ut inde animarum purgantium debita diluantur.

S. Thom. supplem. 3 p. q.71.a.4.

Act. Apost. c.9. v.36.

Ibid. v.39.

S. Bernard. t.4. ser.15. extrav.2.p. Princ.

3. At vero inquies quomodo,& quot modis prædictæ animæ suffragia à nobis accepta compensant ? Reperio citatam authoritatem quamdam Sancti Ambrosij dicentis : *Omne quod defunctis causa pietatis impenditur , in nostrum tandem meritum commutatur, & illud post mortem in centuplum inveniemus duplicatum.* Apud Oseam Deus promittit dicens : *De manu mortis liberabo te , de morte redimam eos ; Ero mors tua ô mors,morsus tuus ero inferne* , Et paulo post subdit : *Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.* Quæ verba interpres quidem sic explicat. *Redimam eos qui sunt in purgatorio* ; Unde deducitur,quod eripere animas purgantes orationum,& satisfactionum nostrarum subsidio , easque ad cœlum introducere,nihil sit aliud , quam ingentibus nos thesauris locupletare. Unde apud Jobum dicitur: *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque cum invenerint sepulchrum* ; Quibus verbis Propheta alludit ad usum quorumdam veterum , qui mortuos cũ rebus valde pretiosis,magniq; valoris sepelire solebant,quæ postea ab iis,qui sepulchra effodiebãt, inventæ,fossores magnopere ditabant; Quoad sensum spiritualem vero alludit ad illos , qui sepulchra videntes , illarumque animarum , quarum corpora ibidem quiescebant,facti memores suffragia pro illis exolvunt, easque à pœnis purgantibus liberant ; Hi enim inæstimabilis ditantur thesauris , id est lucris spiritualibus,

Ose.13. 14.

Ibid. v.15. Illumin.

Job.3.v.21.

libus,quæ in ipsorum beneficium redundant,quia animabus prædictis beneficia præstiterunt; Hæcque lucra à dictis animabus illis procurantur,non solum dum in pœnis torquentur,verum etiam, & multò magis dum in cœlis glorificatæ cum Deo , & electis cæteris regnant;Cui accedit & aliud præmium à Deo illis collatum,utpote cui gratissimum est,quod talibus animabus à Christi fidelibus viventibus confertur subsidium.

4. Apud Sanctum Matthæum dicitur : *Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum* ; Pretium vero quo hic ager emptus est , sanguis Redemptoris nostri fuit , qui pretiosior quam sive in terra,sive in cœlo inveniri possit , est thesaurus , quia per hunc thesaurum divinæ justitiæ ex toto rigore satisfactum fuit. Circa prædicta autem verba certus quidam author ita scribit : *Agrum figuli, id est Purgatorium , in sepulturam peregrinorum, quia ibi sepeliuntur, qui fuerunt peregrini in hoc mundo , utentes eo tamquam advena & peregrinus.* Sanctus Vincentius Ferrerius in sermone secundo de hisce animabus,de purgatorio ita scribit: *Iste locus dicitur sepulchrum animarum ; Authoritas allegorice : Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum* ; In hoc autem agro thesaurus sanguinis Christi est reconditus ; quia ipsius in terris Vicarius ejus merita, & sanguinem applicat per indulgentias,quas in beneficium animarum illarum *per modum suffragij* attribuit, qui vero illas applicat , in eodem tempore & ipse hujus thesauri particeps efficitur, quia fideles , ut hasce indulgentias promereantur, confitentur,commuicant, orant, aliaque opera pia illis injuncta adimplent,indeque fit,quod *salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Porro qui pecuniam ad usuram exponunt, quotannis fructum inde percipiunt,capitali semper stabiliter remanente. Ejuscemodi sancta usura est,pro animabus illis pie & meritorie operari,quia capitale meriti nobis semper immobiliter remanet,nec ulla ratione perditur; Et ideo dum animabus illis satisfactiones nostræ à nobis communicantur,immensum inde fructum percipiemus ; Et *ideo salubris est cogitatio , &c.* Sanctus Joannes Damascenus in oratione quadam de defunctis idem nobis indicat emolumentum ; inquiens : *Nunc opis ferendæ tempus est , & tempus negotiandi ; Ac Beatus quidem ille,qui spe minime titubarit ; atque elangerit,Beatior autem, qui & sua & proximi causa laborarit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensius oblectat,& exhilarat , cum quisque ad proximum juvandum celeri cursu contendit. Hoc inquam misericors ille vult , gratumque habet ; ut nos omnes tam in vita , tam post confectum vitæ curriculum mutuo alij ab alijs juvemur.* Verum dictus Sanctus Pater de hac sancta usura,cujus paulo ante mentionem fecimus,parum nimis dixerat, ideoque subjungit : *Divinæ revelationes liquido comprobant , mortuis prodesse oblatas pro ijs preces , sacrificia , & eleemosynas. Nibil enim deperit eorum , quæ Deo mutuo dantur.* Ubi observandus est modus ille loquendi : *Nibil deperit eorum , quæ Deo mutuo dantur.* Deus enim est , qui hæc defunctis impensa suffragia acceptat, utpote ad ipsius gloriam , & obsequium exhibita ; Et ideo *magno cum fœnore nobis retribuuntur.*

Matt.27.7.

Petr. Jeremias ser. in die mort.

S.Vinc. Fer. ser.2. in die anim.

Suffragia pro defunctis sunt sancta quædam usura.

S.Joan Damasc.or. de fidel.defunct.

5. *Salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Nescio an aliquando ad hoc vos reflexeritis,quod in ultimo capite Machabæorum , ex quo præsentis thematis verba sunt desumpta, inter cætera dicatur : *Collatione facta duodecim millia drachmas argenti , misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium , &c.* At vero quamnam Judas ex hac erga animas liberalitate & munificentia retulit retributionem, siquidem hanc inde deducit consequentiam : *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ?* Nimirum pro hac liberalitate ei datus est ab Jeremia gladius ille aureus , qui pluris , quam qualiscumque etiam ditissimus thesaurus valebat ; Dicit enim sacer textus : *Extendisse Jeremiam dexteram , & dedisse Judæ gladium aureum dicentem : Accipe sanctum gladium ; munus à Deo, in quo deficies adversarios populi mei Israel.* Hoc enim gladio accinctus Judas modico militum numero adversus numerosissimos & potentissimos inimicorum suorum exercitus , gloriosissimas obtinuit victorias. Simile quid de Eusebio Sardiniæ duce legitur,qui præter omnium redituum suorum decimas,quas in eleëmosynas erogabat, ut pro illis in subsidium defunctorum missæ celebrarentur , aliaque opera pia & satisfactoria fierent,insuper meliorem insulæ illius civitatem in eumdem effectum deputaverat,quam civitatem Dei appellaverat, simulque præceperat , ut omnia , quæ à dicta civitate sibi proveniebat emolumenta, in utilitatem animarum illarum erogarentur ; Accidit autem, quod dum cum Ostorgio Siciliæ duce prælium inire cogeretur,isque potentiorem illo habens exercitum,de facto status,& dominia sua occupare cæpisset,Eusebius in sui defensionem illam quam brevi illo tempore poterat congregabat militum copiam, seque præparabat, ut cum debili illo exercitu cum inimico suo congrederetur. Cumque sui de victoria jam desperarent, ecce qui in vigilijs excubabant numerosissimum equitum,& peditum à longe viderunt exercitum,cui candida præferebantur vexilla ; Eusebius autem ignorans an exercitus ille pro se , an vero pro adversario adventaret, quosdam è suis ad recognoscendum illos emisit,qui se in subsidium Eusebij venisse,expresse declararunt , eique dixerunt, ut milites suos in aciem educeret, securusque esset, quod non solum suos recuperaturus esset status , verum insuper inimicum exercitum in suam accepturus esset potestatem.Ostorgius vero eodem viso exercitu exterritus , suos quoque emisit,ut quisnam,& pro quibus exercitus ille esset,explorarent.Qui responderunt,milites sumus militiæ Dei,cujus civitatem Dux vester Ostorgius temere sibi inique usurpavit. Dicitote illi , ut civitatem illam , Domino suo subito restituat, secus enim si fecerit nos de ipsius persona vindictam sumemus.Consilium hoc acceptavit Ostorgius,& non solum civitatem illam restituit, verum etiam semetipsum , si ita Eusebio liberet , eidem captivum obtulit. Eusebius autem ab iisdem insperatis subsidiarijs , qui ejus sibi defensionem vendicaverant , scire voluit , quinam essent, qui responderunt,nos animæ illæ sumus, quæ te mediante è purgatorio liberatæ fuimus , jamque Deo feliciter fruentes, in hujus immensi boni recognitionem in tui subsidium & auxilium adproperavimus. Quapropter suam deinceps prosecutus est devotionem,certus,quod animæ illæ pro sibi impensis suffragijs ingratæ futuræ non essent , prout ex sui statuumque suorum felici liberatione manifeste expertus fuerat.

2.Mach. 12. v.43.

2.Mach.15. v.15. Ibid. v.16.

Martin. de Roa. c.22.

6. Gerson defunctorum animas benefactores suos hunc in modum introducit alloquentes : *Nos pariter pro vobis preces offeremus , & intercessiones , pro illis scilicet , qui nos juverunt orationibus , & operibus bonis factis pro nobis. Bonitas una alteram expostulat , & qui dat,dabitur ei.* In speculo exemplorum de milite quodam scribitur , quod cum inimicos suos ad necem sibi inferendam ipsum insequentes, fugiendo ad cœmeterium quoddam pervenisset,in quo quotiescumque illud pertransibat , pro oratione facienda paululum subsistere solebat,orando pro animabus Purgatorij , quarum ibi ossa jacebant ; In cursu quantumvis veloci piæ suæ consuetudinis factus memor,gressum firmavit,quamvis periculum esset , ne inimici post ipsum currentes eum assequerentur ; In oratione autem, quam ibi ad Deum effundebat , sibi adversus persecutores suos poposcit auxilium, qui ipsum in cœmeterio subsistentem videntes, gressum accelerarunt , cumque ad idem pervenissent cœmeterium , ex improviso multi viri armati illis occurrerunt ad militem illum salvandum, quod,ut viderunt,timore nimio perculsi,fuga sibi consuluerunt. Miles autem solitam suam terminavit orationem,cumque causam nesciret,ob quam inimici sui retrocessissent,à quibus se apprehendendum metuebat, summopere fugam illorum admirabatur , post aliquot vero dies,cum prædictis inimicis suis reconciliatus,ab iisdem de eo quod acciderat, certior factus, retributionem agnovit,quam gratæ animæ consuetis suis suffragijs tempore opportuno rependebant.

Aliud simile exemplum.

Spec. Exemp. dist.2.c.65.

7. Opponi quidem posset , quod cum beatarum dumtaxat animarũ hæc sit prærogativa , quod in verbo videant id,quod illis expedit,non vero animarum purgantium, in purgatorij ergastulo detentarum , utpote quæ nondum pervenerunt ad gloriam , qua igitur ratione urgentium necessitatum nostrarum aliquam possunt habere notitiam , iisdemque succurrere ? Ad hoc vero sacri interpretes multifariam respondent ; Et primo quidem dicunt nonnulli,quod Angeli ipsorum custodes,nec non alij, qui ipsas consolantur, & quasi impatienter eas expectant , ut secum regnent in cœlis, quod inquam hi Angeli necessitates nostras ipsis revelent,& manifestent, ut oratione sua,si non,in quantum meritoria & satisfactoria est,saltem ad minus,in quantum est impetratoria,illis subvenire possint, prout jam supra probavimus. Secundo dici potest animas illas hanc revelationem ab illis habere posse animabus,quæ ex hac vita recenter decesserunt. Tertio dici potest, quod necessitates nostras cognoscant per experientiam,qua in se illa percipiunt suffragia,quæ illis impen-

Quomodo & quot modis animabus purgatorij nostræ necessitates innotescant.

dimus

dimus,quibus sine mora ut per gratitudinem illis correspondeant,se obligatas esse arbitrantur. Denique affirmari poterit,quod cum sint in gratia & amicitia Dei constitutæ, ipseque Deus illarum liberationem supra modum desideret, nostras necessitates illis reveler,ut illarum conscíæ desideratas à nobis gratias apud eum subito impetrent, ut hac ratione tanto magis efferveſcamus, ad offerendum in beneficium ipſarum noſtras ſatisfactiones,utpote quas tam abundanter,& ſine mora remunerari videmus. Merito igitur Lucas Tudenſis ſequens nobis ſuggerit conſilium : *Studeamus defunctis exhibere ſtudia charitatis, & ſacrificiis, orationibus, eleëmoſynis, eorum temporalem miſeriam revelemus, ut cum defecerimus morte corporis, dum illi à malis liberi, inter filios Dei fuerint computati, recipiant nos in æterna tabernacula.* Dionyſius Carthuſianus de agonizantibus differens ait : *Quicumque pro defunctis oraverit, ſit particeps eorum bonorum, quæ fiunt per Eccleſiam pro ipſo defuncto.* Et paulo poſt ſubdit : *Et talis homo non amittit quod offert, ſed pro charitate duplicatum illud recipit cum benedictione.*

Lud. Tud. c. 6.

Dion. Carth. de agoniz.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

De præmio, quod à Deo, & animabus illis, noſtris ſuffragijs à dictis pœnis liberatis, in nos redundant.

THEMA.

Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis. Ruth 1. ℣. 8.

1. NEmini ignota eſt pollicitatio illa Evangelica : *In qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis;* Unde nullum eſt dubium,quin juxta proportionem auxiliorum & ſuffragiorum, quæ animabus purgantibus ſubminiſtraverimus, Deus diſpoſiturus ſit,ut paria quioque nobis ſuffragia impendantur,quando aliquando in purgatorium venerimus. Et hunc credo eſſe ſenſum verborum, quæ ſapiens illa mulier Ruth protulit,dicendo : *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.* Obſervandum vero eſt,quod non dicat : *Faciant animæ*,quia ſi contingeret,quod hæ, poſtquam noſtris ſuffragijs fuerint liberatæ, ad imitationem pincernæ Pharaonis noſtri obliviſcerentur, non tamen noſtri obliviſcetur Deus, qui fidejuſſor noſter eſt : *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, &c.* Ipſe enim ſuo tempore fidelibus ſuis inſpirabit,ut pro nobis ſuas offerant ſatisfactiones. Unde antiquus quidam author, qui de hac materia diffuſe tractat, in hæc verba ſcribit : *Sic enim Deus ſæpe diſponit, quod tantum quis recipit in alia vita, quantum facit libenter in hac vita, nam juxta Bedam, indignus erit omni ſuffragio, qui defunctorum immemor fuit in hoc ſæculo.* P. Martinus de Roa in brevi quodam tractatu *de Purgatorio* hunc in modum diſcurrit : Qui benefacit animabus purgantibus, bonam ſibi procurat uſuram, quia opera noſtra melius colloçare,& aſſecurare non poſſumus, quam ſi illa defunctorum animabus applicemus. Qui vero dat ſatisfactiones ſuas etiamnum viventibus, idem facit, ac ſi merces ſuas periculoſiſſimo itinere tranſmitteret in Indias; Viatores enim in mari toto tempore navigant,quo vivunt; Contingere autem poſſet, quod per tentationis alicujus tempeſtatem ſubmergerentur,omniaque abirent in diſperſionem, quia per peccatum amittitur omne id,quod alias lucrati fuimus; qui autem bona opera ſua defunctorum animabus impendit, ea ad ſenſum erogat,ſuper bonis ſtabilibus fundatum, ſiquidem numquam amitti poteſt,quod pro ipſis offertur, præterquam quod nosmetipſi eorumdem bonorum reddamur participes. Animæ purgantes per noſtrum creditum, ſive ſatisfactiones debita ſua non infallibiliter in paratis ſolvunt,donec egrediantur ex illo carcere in paradiſum ad fruendum Deo; Nos vero econtra tot apud Deum nobis acquirimus interceſſores,quot ſunt eorum, qui noſtris ſuffragijs evecti ſunt in cœlum; Imo non ſolum fruimur cenſu interceſſionis ipſorum pro eo tempore,quo in cœlis exiſtunt,verum etiam pro eo tempore,quando etiamnum detinentur in purgatorio, ubi intercedere & precari pro nobis poſſunt, non vero pro ſeipſis.

Matth 7. 2.

Joan. Mauburn. de regione Purgat. Tit. 3 ℣. c. 5. §. 2. Martin. de Roa.

2. In hiſtoria S. Dominici quidam narratur eventus, qui hactenus dicta ſolide confirmat. Etenim magnus ille Dei ſervus S. Ludovicus Bertrandus Religioſus Dominicanus, vir eminentiſſimæ perfectionis, ſpecialem habebat curam ſacrificium incruentum offerendi pro peccatoribus, ut Deus ipſorum compaſſione commotus,ad veram illos perduceret pœnitentiam; Raro vero pro animabus Purgatorij idem ſacrificium offerebat; Interrogatus autem à Religioſo quodam ejusdem ordinis,cur hoc faceret,reſpondit : Animæ quæ ſunt in Purgatorio de æterna ſua ſalute de facto ſunt ſecuræ, at vero peccatores in continuo ſunt illam non conſequendi periculo; At vero bonus ille pater congruam illi oppoſuit ſimilitudinem dicens : Quod ſi videres duos pauperes, quorum unus quoad omnia membra ſua ſanus eſſet,alter vero totaliter claudus, & uſus membrorum ſuorum impos, ideoque ſemetipſum juvare non poſſet, utri horum manum præberes auxiliatricem? Reſpondit Bertrandus, ſuccurrerem illi, qui ſe juvare nequiret,at vero,ſubdidit Religioſus ille:tales ſunt animæ Purgatorij,hæ enim linguam non habent, ut poſtulare poſſint,nec manus,ut operari queant. Vivi autem os habent, ut ſua confiteri poſſint peccata, habent & manus ut illa expiare, & pœnitentiam agere valeant. Cum vero S. Ludovicus hiſce rationibus non acquieſceret,nec à ſuo propoſito dimoveri poſſet,apparuit illi nocte ſequenti defunctus quidam horribili aſpectu,qui virgarum faſcem in manu habens, ſanctum virum male tractavit, adeo ut quietem nocturnam capere non potuerit,ſed plus quam decies fuerit expergefactus. Mane ſequenti prædicto Religioſo omnia quæ ei acciderant, per ordinem recenſuit,atque deinceps cum lacrymis & extraordinaria devotione Miſſam,& alia opera bona pro illis animabus offerre continuavit. Subdit vero idem antiquus Author : *Hoc exigit ordo, & lex naturalis, juxta illud : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines,vos eadem facite illis,nam & ſic irrationabilia ſibi invicem ſuccurrunt,ut ait Alberius, cervi, elephantes, &c. Et nos alter alterius onera portare debemus,nam & iſtidem ordo exigit,& lex charitatis, ut omni tempore diligat, qui verus eſt amicus;* Idem Author verba adducit S. Joannis, efficacem ad hæc ſuffragia offerenda ſtimulum addentia ſcilicet : *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem,& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Patris manet in eo?* Quænam excogitari poſſunt miſerabiliores angustiæ, quam pati in flammis iſtis (quæ ſola duratione à flammis infernalibus differunt.) Nec ullo modo ſe ab illis per ſemetipſum eripere,aut juvare poſſe? quænam inveniri poterit rationabilior charitas, illisque animabus pariter & nobis utilior,quam illis ſubvenire, quæ ſibimetipſis auxiliari non poſſunt.

Hiſt. S. Dominici p. 1. l. 1. c. 27. Notabilis eventus quo docemur de-

Mauburn. ibid.

1. Joan. 3. 17.

3. Supradictus Pater de Roa nonnullos deteſtatur, qui adeo proprio emolumento adhæreſcunt, ut adimpletis obligationibus ſuis, totum reſiduum ſatisfactionum ſuarum ſibimetipſis applicant; Creduntque,quod minima ſatisfactio quam pro alio offerunt, ipſis ſit defutura, ad eum fere modum, ac ſi ſibi ipſis panem ex ore proprio ademptum alijs darent. Objectio hæc,inquit ipſe,indigna eſt pectore Chriſtiano & nobili, cui incumbit Chriſtum imitari,de quo ſcribitur : *Langores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portavit.* Porro Deus injuſtum ipſorum ſupplicium permittit,ut hi tales eadem remunerentur moneta, diſponendo,ut ſi quando ipſi in flammis illis fuerint conſtituti, nullus inveniatur,qui pro ipſis Deũ roget,vel ſuffragia offerat; Quia *in qua menſura menſi eſtis, remetietur & vobis.* In hiſtorijs Franciſcanorum de Religioſo quodam ſcribitur,qui eo quod dum viveret, orationes pro defunctis ex regula ſua ordinatas neglexiſſet, poſt mortem alteri cuidam Religioſo ejusdem ordinis apparuit, eique dixit,horribiles ſe in purgatorio tolerare pœnas, Deumque omnia ſacrificia, aliaque ſuffragia pro ipſo oblata alijs applicaſſe, idque in pœnam ſuæ negligentiæ,qua dum viveret,pro illis animabus Deum precari omiſit,verumtamen Deum ordinaſſe,ut quidquid deinceps boni pro ipſius anima offerretur, id in ejus cederet expiationem.

Iſaiæ 53. 4.

Idem p. 2. l. 9. c. 22.

4. At vero opponere quis poterit, & dicere,quod ſi ego me proprijs ſatisfactionibus, quibus ipſemet pro me indigeo,privavero,quomodo mihimetipſi in majoribus neceſſitatibus conſtituto ſubvenire poterò? Numquid *prima charitas incipit à ſeipſa?* Si quis pecuniam ſuam qua ſuſtentare familiam ſuam debet, exponeret pro ſolvendis aliorum debitis, quomodo talis proprijs neceſſitatibus ſuccurrere poterit? Quod ſi de hac materia ſecundùm terminos humanæ providentiæ diſcurrere velimus, fatendum eſt, prius ſuccurrendum eſſe proprijs neceſſitatibus, *Quod ſupereſt date pauperibus*; At vero in caſu noſtro non currit proportio, quia agimus cum Deo, cujus amore proprijs ſatisfactionibus nos privamus, ſcientes ipſum liberaliſſimum eſſe remuneratorem; Ipſe eſt,qui illas nomine

Solvitur objectio contrarium aſſerens.

homine animarum illarum ſibi dilectiſſimarum acceptat; Quapropter nolite timere; *facies vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.* S. Gertrudis omnia opera ſua bona quæ faciebat, illis applicabat animabus, quæ acerbiora patiebantur tormenta, idque ut cœlesti ſponſo ſuo per hoc placeret, Deus autem opera ejus animabus illorum magis egenis alligabat;Cumque ad ultimam uſque vitæ ætatem perveniſſet, inimicus infernalis aliquam ei ſuggeſſit de Deo diffidentiam, dicendo quod nunc ſibi nulla reliqua eſſent pro anima propria merita, & ſatisfactiones,utpote quæ ſe illis omnibus in aliorum utilitatem exuiſſet; Unde eidem,ob vehementiam pœnarum,quas in purgatorio toleratura eſſet,anxiæ apparuit Chriſtus; eique dixit; *Ut videas quam mihi grata & accepta fuerit ingens illa tua erga animas exhibita charitas,in illius remuneratione omnes tibi condono pœnas, quarum debitrix eſſe potuerit;* Cumque ventum pro uno promiſerim, diſtabo manum, neque ampliori præmio remunerabo, tibique gradus gloriæ in mea beatitudine adaugebo, & multiplicabo, atque inſuper efficiam, ut omnes animæ ſuffragijs tuis medianibus liberatæ, in hora mortis tuæ te recipiant, & ad cœlum uſque te comitantes perducant.

Deus copiosiſſime remuneravit S. Gertrudi bona opera defunctis applicata.

Pſal. 40. 5.

5. Omnes ſancti qui in hac vita à Deo fuere illuminati, optime intelligebant id, quod Sanctus Auguſtinus in hæc verba ſcribit : *Unum ex ſanctioribus exercitijs, & una ex magis pijs curis, in quibus homo ſe exercere poteſt, in hac vita, eſt, offerre ſacrificia, eleëmoſynas, & orationes,& orare pro defunctis qui ſunt in purgatorio, quia fratres noſtri ſunt.* Quidam animabus illis devotis, in favorem illorum,qui illis ſuffragantur, ſequentem exponit Pſalmi 40. verſum : *Beatus qui intelligit ſuper egenum,& pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; Dominus conſervet eum, & vivificet eum; & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus,Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Enimvero gratias, quas mediante animarum illarum gratitudine recipimus,& experimur, eo quod in virtute noſtrorum ſuffragiorum è purgatorio fuerint liberatæ,has inquam experimur non ſolum per hoc, quia in hac vita earum interventu multas evaſimus adverſitates, & ærumnas,vel quia copioſis cumulati ſumus bonis temporalibus,& ſpiritualibus, verum etiam in ultimo vitæ noſtræ articulo efficaciter intercedunt pro nobis. Porro ſimilitudo qua Pſalmiſta in prædictis verbis utitur, dum ait : *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*, ab infirmo quodam deſumpta eſt cui lectus,qui antea durus erat,volvendo & revolvendo,& plumas interiores extricando mollis efficitur,& delicatus;Deus itaque in ultima infirmitate ſuffragia animabus illis ſibi dilectis impenſa remuneraturus, ſuavem nobis reddit mortis agoniam, noſtrum cum divina ſua voluntate conformat arbitrium, ad reſiſtendum, & vincendum tentationes, vires tribuit, ſpiritum compunctionis communicat, actus amoris Dei ſuper omnia inſpirat, facitque ut ex corde dicant : *Ego dixi Domine miſerere mei,ſana animam meam, quia peccavi tibi :* Nam ut S. Hieronymus ait : *Quantam conſolationem defunctis impendimus, tantam vice verſa recipimus.* At vero ſanctus hic Doctor parum nimis, dicit, quia miracula, & innumeras quas fideles ab hiſce animabus recipiunt gratias,legerit; fatebitur utique plura eſſe beneficia, quæ ab illis in nos redundant,quam fuerint ſuffragia noſtra, illis à nobis applicata. *Date, & dabitur vobis,* inquit Salvator noſter,*menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Ex quo enim per opera noſtra ab ignis illius vinculis exemptæ, & ad gloriam cœleſtem receptæ fuerunt, è cœlis noſtras conſpicientes miſerias,liberales ſe exhibebunt, innumeras nobis obtinendo gratias; *Menſuram bonam,& confertam, & coagitatam &c.*

S. Aug. l. 50. hom. 16.

Luc. 6. ℣. 38.

Sanctis Angelis gratiſſima ſuffragia defunctorũ.

Luc. 15. 10

6. Habent quoque in ipſarum liberatione ſpeciale ſuum emolumentum omnes angeli, omnesque paradiſi cœlites; Quia cum de illis Chriſtus dixerit : *Gaudium eſt coram angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, longe magis lætificabuntur, quando omnes illæ replebuntur ſedes, & ruinæ angelorum reſtaurabuntur? Augetur quoque omnibus gloria accidentalis,quia ut ait S. Auguſtinus; *Tantum unuſquiſque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de ſuo ineffabili gaudio; Quot ſuctos habebit in gloria,tot habebit gaudia;* Cum igitur univerſum cœlum ſuffragiorum noſtrorum fructum participet, conſequens eſt,quod omnes cælites ſe erga nos exhibituri ſint gratos, utpote qui ad majorem ipſorum gloriam cooperati fuimus.

7. Illud Chriſti conſilium : *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; etiam illis accommodari poteſt, qui animabus purgantibus porrigunt ſuffragia, ſiquidem & hæc eleëmoſyna quædam ſunt, & quidem una ex melioribus, quæ erogari poſſunt; nulla enim dari poteſt major neceſſitas, quia deſolatæ animæ ſemetipſas adjuvare non poſſunt; Cum igitur ipſas noſtras facimus eſſe amicas illas pariter obligamus, ut poſtea ſuo tempore nos adjuvent, & in paradiſum introducant. S. Paulinus ad Alethium ſcribens (qui valde erga pauperes liberalis erat, multisque ſubſidijs animæ conjugis ſuæ ſubvenerat) eidem lucrum, quod per hæc pietatis opera ſibi comparaverat, hiſce verbis exponit : *Habes jam in Chriſto magnum tui pignus, & ambitioſum ſuffragium,conjugem, qui tibi tantum gratiæ parat in cœleſtibus, quantum tu illi à terrenis opulentiæ tribuis.* S. Paulus nobis promittit dicens : *Si compatimur,& conglorificabimur.* Porro animæ numquam deſinunt ſe nobis commendare, ut nos ad compaſſionem commoveant, dicentes : *Miſereminì mei, miſereminì mei, ſaltem vos amici mei*; Ac proinde ſi illarum paſſionibus compaſſi fuerimus, eaſdemque noſtris ſuffragijs mitigaverimus, & ab iſſdem illas liberaverimus, in retributionem æternam ſperare gloriam nobis licebit, quia *ſi compatimur, & conglorificabimur.* Hoc loco inſeri meretur ſequentis textus Apocalyptici expoſitio; *Beatus, & ſanctus,qui habet partem in reſurrectione prima,in his ſecunda mors non habet poteſtatem : ſed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti,& regnabunt cum illo mille annis.* Enimvero quemadmodum duæ ſepulturæ conſiderari poſſunt, ſcilicet prima animæ, quæ deſcendit in purgatorium, ſecunda vero corporis, quæ projicitur in ſepulchrum,ita quoque duæ ſunt reſurrectiones,una animæ,quæ fit per viam ſuffragiorum; Altera corporis, quæ in judicio finali ſubſequetur,quiſquis igitur applicat ſacrificia,eleëmoſynas, aliaque opera ſatisfactoria, ut animæ in prima reſurrectione locum habere; id eſt à purgatorio liberari poſſint, in ipſo ſecunda mors poteſtatem non habebit, id eſt æterna damnatio, ſed regnabunt cum Altiſſimo; animæ enim illæ ſe pro viribus gratas oſtendere volentes, noſtram utique operabuntur ſalutem.

Luc. 16. 9.

S. Paulin. Epiſt. ad Alethium.

Rom. 8. ℣. 17.

Job. 19. 21.

Apoc. 20. 6.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Suffragari debemus animabus illis ex motivo compaſſionis,& amicitiæ,& ſpeciatim ſi animæ illæ cognatorum noſtrorum fuerint,vel ſi ab illis beneficia accepimus.

THEMA.

Miſereminì mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job 19. ℣. 21.

1. ANimæ Purgatorij fletibus querulosis iteratisq; lamentis compaſſioni & miſericordiæ noſtræ ſe inceſſanter commendant dicentes : *Miſereminì mei, miſereminì mei.* Quis obſecro adeo duri cordis inveniri poterit;qui hominem in ardenti fornace conflagrantem videns,& aquam ad flammas illas extinguendas apportare valens, manus in ſinu complicatas teneat, & proximum ſuum ab illo igne extrahere non curet? Nos multas animas oculo fidei intra flammas purgantes videmus,quas certo beatas futuras, & cum ſanctis in cœlo regnaturas eſſe ſcimus, qua igitur ratione adeo duri eſſe poſſumus, ut erga illas nulla moveamur compaſſione; cum tamen per aquam lacrymarum noſtrarum, vel per alia operum ſatisfactoriorum ſuffragia ignem illum extinguere valeamus? S. Junilius in libro *de utilitate conditionis humanæ* dicit : *Cujus pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum,aut gemitus non exprimat, lacrymas non effundat, cum proximi, vel amici morbum, vel interitum intuetur,ut patienti non compatiatur, & dolentibus non condoleat? Ipſe Jeſus cum vidiſſet Mariam, & Judæos plorantes, infremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, & lacrymatus eſt.* Cor humanum à ſupremo artifice non ex ſilice,ſed ex carne formatum fuit,unde Deus apud Ezechiëlem dicit : *Dabo eis cor carneum*, cur igitur homo,qui in omnibus alijs compaſſione movetur,defolatis illis animabus non compatitur? Joannes Mauburnus,qui de Purgatorio integrum volumen conſcripſit; hac de re ita diſcurrit : *Sunt in durißimis pœnis, unde valde eſt durus, qui non miſeretur, & ſubvenit illis, dum poteſt,* c. 3. §. 2.

Durißimi cordis eſt qui auxiliabus purgatorij inceſſanter noſtrum auxilium implorantibus, nõ ſuccurrit.

Ezech. 11. ℣. 19.

Mauburn. de regione Purg.

nam tanta acerbitate affliguntur, ut nullus tam durus esset in mundo tyrannus, qui eis non succurreret; si hoc plane nosceret. Sicut unius & ejusdem corporis membra, ut suo loco vidimus, sibi mutuo compatiuntur, & auxilium ferunt, licet usus rationis, & discursus sint expertia, ita quoque cum omnes fideles unius & ejusdem corporis, quod est Ecclesia, cujus caput Christus est; membra existant, justum est, ut unus alteri compatiatur. S. Bernardinus idipsum sequenti exponit similitudine, inquiens:

S. Bernard. t 4. ser. 15. extrav. 2. p.

Quemadmodum natura succurrit loco debiliori, providendo illi, sicut quando incidis tibi digitum, immediate natura impellit sanguinem, succurrendo illi, sic fit animabus purgatorij, quia eleëmosyna magis confert animæ egenti, quam non egenti, quia propter connectionem membrorum, & charitatis, quam habent ad invicem illud provenit, quia reputant bonum unius fore alterius, quemadmodum cum homo dolet pedem, vel manum, aut oculum, cætera membra languent, ita debet esse, aut fieri circa animas purgatorij.

2. *Saltem vos amici mei.* Inveniuntur nonnumquam homines tam arcto amicitiæ vinculo ad se invicem astricti, qui non curant prostituere vitam, imo sæpe dum in peccato mortali existunt, ipsam quoque animam, ut amicum ab adversarijs suis defendere, & tueri valeant; Certum est autem quod major sit necessitas amicorum nostrorum in illis flammis, cur igitur nulla illis subsidia præstatis? Cur vos non exponitis quibuscumque periculis, ut illis auxiliari valeatis? Maxime cum securi sitis, quod per eorum intercessiones, ut in præcedentibus discursibus diximus, non solum à multis sitis eripiendi periculis, & miserijs, verum etiam ab ipsis sperare vobis liceat salutem animæ æternam. Abraham sibi procurare volens sepulturam, dixit:

Gen. 23. v. 4.

Advena ego sum, & peregrinus; date mihi jus sepulchri apud vos, ut sepeliam mortuum meum. At vero observandum, quo modo huic ejus petitioni responsum fuerit; Ait enim sacer textus:

Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.

Responderunt filij Heth dicentes: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum. Ex quibus verbis tale à minori ad majus formari potest argumentum. Quod si Abraham ex eo solum, quod ossibus suorum convenientem dari locum petijt, in quo quiescerent, à filijs Heth habitus fuerit non in gradu amici, sed Domini; *Audi Domine*, imo eum venerati fuerunt velut speciale Dei instrumentum: *Princeps Dei es*, quanto majores merebitur honores, laudes, & remunerationem, qui animabus de æterna gloria securis, & erga nos gratitudinem exhibituris suffragari satagit?

3. Quod quis amicis benefaciat, eosdem ex vitæ hujus præsentis periculis subtrahendo, vel illos ad honores promovendo, nullam prorsus habet proportionem cum beneficio quodam quod in se infirmitatem continet, & de quo dici potest id quod Ecclesiastes ait: Scilicet

Eccle 4. v. 14.
Nostra utilitas ex suffragijs defunctorum proveniens declaratur apto simili.

quod de carcere catenisque quis egreditur ad regnum. Ex quo hic mundus in omnibus actionibus suis per lucrum & interesse, tamquam per primum mobile moveatur scire percuperem quid facturus esses, si quidam amicorum tuorum, qui alicujus potentis regis valde familiaris & dilectus etiam amicus foret, pro debitis civilibus in carcere detineretur, quique subito ut ex carcere evaderet, regni prædicti regis futurus esset particeps, numquid talem non solum ex motivo amicitiæ, verum etiam ex motivo emolumenti, quod inde sperares, pro viribus adjuturus esses, ut soluto debito ipsius à vinculis eum liberares? De hoc minime dubito, quia hoc faciendo alter obstringeretur ex titulo gratitudinis, ut in remunerationem hujus beneficij te operâ suâ ad honorifica, & utilissima regni illius officia promoveret. Ecce hic tibi *casum in terminis* expressum; Animæ enim defunctorum in pœnoso illo detinentur carcere, idque donec divinæ justitiæ debitum suum exolverint; Tu vero pro ipsis solvis quantum sufficit, & animæ illæ ab hisce igneis catenis solutæ ad regnum cœlorum evolant, ut ibi regio coronentur diademate, & cum Rege gloriæ in sempiternum regnent, cumque illæ in cœlis existentes ad benefaciendum nobis, & impetrandum quod nobis pro æterna salute adipiscenda expedientius futurum est, omnipotentes sint, quid utilius in hac terra facere possumus, quam quod talibus animabus in carcere Purgatorij detentis pro viribus subveniamus. Joannes Gerson de oratione, quæ pro illis animabus instituitur, differens inquit:

Gerson t. 4. serm. 1. de defunctis.

Hæc oratio obligat existentes in Purgatorio ad par referendum, postquam fuerint in paradiso, & oratio eorum multum accepta erit Deo, & multum valet, licet non per meritum novum, tamen erit per præcedentia merita, & per virtutem amoris, qui facit quod amantes unum habeant velle, & unus aliquid faciat pro alio, quemadmodum Deus suos amat sanctos.

4. Videmus per experientiam, quod dum domus vicini nostri incipit ardere, omnes accurrant, ut erumpentes ignis flammas extinguant, vicinumque adjuvent, & quidem idipsum cum longe majore studio faciunt, quando domus ardentis incolæ ipsorum est amicus. Nos autem oculo fidei multas amicorum, parentum, & cognatorum, animas in igne illo extinguibili ardere videmus, quomodo igitur ad compassionem non commovemur? Et quidem tanto in hoc inexcusabiliores sumus, quanto verius est, ut idem Gerson advertit;

Gerson ibid. serm. 2.

Nullum esse cujuscumque status hominem, qui se excusare possit, quo minus juvet mortuos: nec est qui vere dicere possit, plorare non possum pro defunctis, non possum pœnitentiam agere, devote pro eis lamentando. In quocumque enim loco fueris & quacumque prematris paupertate, potes, quod prædictum est, facere, haurire potes, & trahere ex cordis tui puteo (qui intra te est) puram aquam & mundam, ut extinguas ignem, qui in purgatorio tuos adurit amicos, quod verum est, quantum ad eos, te scilicet posse extinguere. Et paulo post subjungit: *Vis adjuvare amicum tuum, tu qui hic es? Respondebis volo. Accipe cor in te lugens*, habeamus cor compassivum, hoc enim animæ illæ suppliciter postulant dicentes: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*; Revocemus in memoriam tenerum illum affectum, quo nos dum viverent, prosecuti fuere,

Motivum amicitiæ.

recordemur amoris illius quo nobis toties benefecerunt; & per dignam gratitudinem illos remunerémus, per hoc namque illos magis obligabimus ad continuandam; dum in cœlis sunt, erga nos amicitiam, ubi eorum intercessiones valde futuræ sunt potentes, & efficaces. Idem Gerson omnes qui illum pro animabus illis perorantem auscultabant, hisce verbis affatus fuit:

Gerson ibid. serm. 2.

Vos (Deo laus) devoti homines, qui huc venistis; significatis per vestram præsentiam & vestrum intentum demonstratis; scilicet vos non omnino oblitos esse defunctorum vestrorum amicorum, qui in vita vere amavit, in morte oblivioni illum non dabit. Et paulo post illos invitat dicens: *Aperite aures spirituales cordis vestri, erigite eas in altum, & audite humiles preces, & gemebundam earum planctum, ut eas juvetis, succurratis, ac liberetis. Intelligite quid dicat mater filio suo, aut unusquisque mortuus hæredi suo, aut executori, vel illis qui erant ei amici, vel benevoli in mundo. Chare fili, ait mater, quæ est in affligente carcere Purgatorij in pœnis, & tormentis. Chare fili mi, cogita de me, intuere me, audi me, sicut manus & justitia Dei est supra me posita, quæ jure me tenet in hoc igne, & in hac flamma, & in amarissima afflictione, festina succurrere mihi: non postulo ut corporaliter advenias, hoc fieri non potest, bene scio, sed advenire potes per bonam cogitationem. Si quæras quo pacto me liberare debeas, dico, quod erit, faciendo pœnitentiam pro me, orando Deum pro me in corde humili, & lugenti, Plora pro me chare mi fili, plora in devota oratione, & tibi assero, quod aqua lacrymarum (si pura sit, & munda, sine immunditia peccati mortalis) omnino extinguet, vel magna ex parte, magnum ignem quem sustineo. Heu dulcis mi fili, poterisne denegare afflictæ huic matri unam guttam aquæ, unicam lacrymam, quæ in tantum ei prodesse potest, doloremque ejus alleviare? Ego sustinui tantos dolores & mala pro te, te pariendo & nutriendo.* Et revera motivum valde efficax est, si filij recogitent, quantum pater, & mater passi fuerint, ut nos educarent, & alerent, nostrisque malis moribus, & dissolutionibus compaterentur; Pro quibus omnibus acceptis beneficijs tunc, cum in purgatorio sunt, tempus est retribuendi.

5. *Saltem vos amici mei. In necessitate probatur amicus*, & ut Poëta canit: *Tempore felici multi numerantur amici, cum fortuna perit nullus amicus erit.*

Gerson ibid.

Et quidem in praxi videmus, quod qui in delicijs, dignitatibus, & prosperitatibus vivunt, multos habeant amicos, qui tamen omnes deficiunt, mox ut in statum miserabilem corruere incipiunt. Verum quidem est, quod etiam in angustijs amici nostri reperiantur, non tamen per hoc quoad nos sunt in miseria, quia etiam ibidem orationes ipsorum sunt impetratoriæ, pro nobis, cum in gratia, & amicitia Dei existant; Præterquam quod certi simus, quod animæ illæ per nostra suffragia ab illo carcere liberatæ, benefactrices nostræ erunt, pro nobis in cœlis intercedendo.

6. Sed quid de illis dicemus, qui cum à defunctis tot sint cumulati beneficijs, illorum tamen penitus obliti vivunt, ut mirum non sit, quod sæpe in purgatorio doleant, quod tam ingratis suas adeo ingentes reliquerint facul-

Perstringuntur ingrati filij & hæredes defunctorũ.

Job 19. 22.

facultates? *Quare persequimini me sicut Deus? Et carnibus meis saturamini?* Clamant desolatæ animæ contra ejusmodi ingratos, quos nomine persecutorum appellant, quia illas justa spe sua defraudant, quam in ipsis collocaverant. Enimvero quod in illis flammis crucientur, ac si Deus illas persequeretur, hoc se bene meruisse agnoscunt propter debitum penes divinam justitiam contractum; At vero non ita se res habet quoad illos, qui ipsorum remanserunt hæredes, siquidem non solum nullo illis debito astringuntur, sed potius illos magno sibi gratitudinis debito obstrinxerunt, per hoc quod illos ad tantas divitias, & vitæ commoditates promoverint. Plutarchus de Cimone Atheniensi refert, quod cum mortuus pater ejus foro cessisset, ejusque creditores cadaver illius in domo sequestrassent, donec debitis satisfieret, filius in carceres se conjici fecerit, ut corpus patris sui liberaret, eique de sepultura prospiceretur. Quod factum utique multos ingratos inexcusabiles efficit, qui defunctorum suorum beneficentiæ minime correspondent. Cimon paganus erat, & tamen ossa Patris sui, id est putredinem, cinerem, vermes (in hæc namque cadaver resolvitur) Hancque redemptionem diuturno, & aspero carcere, compedibus, & catenis procurabat cum tamen nulla à Patre hæreditasset bona patrimonialia, sed ingentia dumtaxat debita. Quid igitur de illis dicemus fidelibus, qui opulentorum patrimoniorum facti sunt hæredes à talibus instituti, quorum animæ in purgatorio cruciantur, pro quibus tamen juvandis & liberandis, ne minimam divitiarum suarum partem in eleëmosynam distribuunt? Si filius ille patrem, & matrem habuisset, in dura servitute velut

Thren. 1.

mancipia positos, quot non facturus fuisset sumptus ad illos redimendos? Jam vero & patrem, & matrem in purgatorio, ut credibile est, habemus misere captivos, nec tamen de illis à tali captivitate liberandis vel minimum cogitamus, licet illos minori sumptu liberare possimus, quam hodie impenditur ad liberanda tunetana mancipia. Hi tales de illorum amicorum sunt

Eccli. 6. 10.

numero, de quibus Ecclesiasticus ait: *Est amicus socius mensæ, non permanebit in die necessitatis;* Sunt enim amici, quando de alienis facultatibus acquirendis agitur; *Est amicus socius mensæ*, at vero quando per easdem facultates & emolumenta succurrendum est benefactoribus, nulla amplius superest beneficiorum memoria.

7. Author quidam in favorem animarum illarum

Sap. 5. v. 1.
Ibid. v. 2.

sequentia explicat sapientiæ verba: *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum: Videntes turbabuntur timore horribili*, in hunc namque modum illa exponit: *Ipsos pauperes in purgatorio existentes constituet Deus judices talium executorum; Unde Job ait: Pauperibus judicium tribuet.*

Job 36. v. 6.

Bernardinus de bustis in quodam sermone multas recenset adversitates, quæ ijs evenire solent justo divinæ justitiæ judicio, qui erga hasce animas crudelis existit; Ita enim scribit:

S. Bern de Bustis serm. in Dom. Pass.

Quare ille redactus est ad miseriam, licet dives? Respondet anima: Hoc ideo procedit, quia Pater eorum sciens se remanere in purgatorio, quia ipsi non satisfaciunt legatis, & restitutionibus per ipsum ordinatis, omni die dat ipsi maledictionem, & cum sit in gratia Dei, exauditur ab eo, & veniunt dictæ maledictiones super filios, & tandem venient ad nihilum, nisi satisfaciant, Examinetis velim sequentes psalmi 108. maledictiones:

Ps. 108. v. 8.
Ibid. v. 9.
Ibid. v. 10.

Fiant dies ejus pauci..., Fiant filij ejus orphani, & uxor ejus vidua, Nutantes transferantur filij ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis &c. At vero undenam tam deplorandæ calamitates pro-

Ibid. v 16.

cedebant? Sacer textus ait: *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.* Author quidam in favorem nostrum ita scribit:

Pelbart. de triplici Regione.

Duram Deus vindictam contra tales exercet, castigando Paupertate, & filios & posteritatem egestate, & ita nutantes transferantur filij ejus, & mendicent.

Applicatur ad propositũ parabola viduæ, judicem interpellantis pro vindicta

Luc. 18. v. 2.

8. Legatur apud S. Lucam parabola illa de vidua judice pro vindicta contra adversarium suum exequenda interpellante, qui tandem hujus importunitate victus precibus ejus acquievit; Unde Salvator noster hanc deducit consequentiam: *Audite quid Judex iniquitatis dicat; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?* Porro hæc vidua luctuose vestita, & à sponso suo derelicta? animam denotat purgantem, quæ à Deo derelicta videtur, & luctuose, id est carbonibus contecta degit; Hæc autem apud Christum, qui judex noster est, suos accusat hæredes, filios, parentes, vel amicos, qui se illi exhibent contrarios: Unde dum pro supplicijs eisdem inferendis judicem hunc invocat, is eam facile exaudit. Ut videre est ex plurimis, quæ quotidie accidunt exemplis. Thomas Cantipratensis de quodam refert, qui multis annis sub Carolo Magno militaverat;

Notabile exemplum puniti hæredis.
Thom. Cantipr. lib. 2. Apum c. 53. n. 25.

Qui cum aliud præter unicum dumtaxat equum non haberet, hunc moriens nepoti suo reliquit, cum hac ab eodem nepote stipulata promissione, quod equum venderet, & comparatam ex illius venditione pecuniam, in Missas, & alia opera satisfactoria pro anima ipsius impenderet; Cumque hic mortuo prædicto milite suis non staret promissis, defunctus ille miles sex mensibus in purgatorio hærere coactus est, quo tempore expleto apparuit nepoti, dolens, & dicens ei: *Ecce nunc judicium dedit operum ponderator omnipotens, & omnes ejus assessores angeli justum esse decreverant, ut anima mea ad requiem transeat, & anima tua pœnas excipiat, quas exacturus adhuc fueram in tormentis; His dictis repente disparuit, & mox satelles gravissimam infirmitatem incurrens, quæ gesta erant, confessus est sacerdoti, & non multo post mortuus, pœnas quas merebatur, exolvit.* Subdit vero idem præsul hæc verba: *Vide ergo lector, quantum peccatum sit & delictum amicorum aut parentum retardare, vel negligere testamenta, quibus, si effectum haberent, accelerarentur ad gloriam, aut si non habeant, à gloria differuntur.* S. Bernardinus Senensis scribit, duos conjuges inter se convenisse, ut qui illorum altero moriente superviveret, omne id, quod reliquum esset, pauperibus ob amorem Dei erogaret;

Aliud simile exemplum.
S. Bern. Sen. Tom. 4 serm. 15. extrav. p. 1.

Primo igitur mortuus est maritus, cujus tamen conjux pactam promissionem minime adimplevit; Accidit autem, quod post aliquod tempus visum fuerit aviæ hujus viduæ se in somno videre animam defuncti ingredientem in Ecclesiam, ubi sepultus erat, & coram crucifixo eamdem animam audire clamantem: *Justitia, justitia*, postea vero ad illam se vertens, instanter ab ea postulavit, ut suam adiret conjugem, eique ex parte Dei comminaretur grave supplicium, nisi promissum adimpleret; *Nisi fecerit eleëmosynam de patrimonio quod sibi reliqui, sicut mihi promisit, hinc ad triginta dies, futurum est, quod in fine triginta dierum subito morietur.* Quod cum impia mulier audivisset, eidem respondit, credo te esse ebriam, quæ ita somnias. *Transactis autem triginta diebus, dum lavaret vas aliquod, & vellet projicere aquam infra fenestram, præcipitavit se, & mortua est.*

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Oratio ad suffragandum animabus Purgatorij, efficax est; sanctissima quoque Virgo Maria, & omnes cælites, imo & angeli Dei liberationem illarum solicitant.

THEMA.

Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare. Eccli. 38. ℣. 16.

1. Spiritus Sanctus unumquemque devotum fidelem, ut se pro animabus in flammis purgantibus detentis affligat, hisce Ecclesiastici verbis exhortatur: *Fili in mortuum produc lacrymas &c.* Bellarminus de suffragijs differens, inquit:

Tria sunt genera suffragiorum pro mortuis
Bellarm lib. 2. de Purgat. cap. 16.

Tria sunt genera suffragiorum, sacrificium Missæ, orationes, & opera qualibet pœnalia, & satisfactoria, ut eleëmosynæ, jejunia, peregrinationes, & similia. Paulo post vero ostendere volens orationis efficaciam hac utitur distinctione: *Porro distinguimus orationem ab operibus satisfactorijs, cum tamen etiam ipsa sit satisfactoria, quia oratio duobus modis juvat defunctorum animas, uno modo, ut opus quoddam pœnale, & laboriosum, & hoc modo poterat comprehendi sub opere satisfactorio; Alio modo juvat, ut est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium, quo modo etiam beatorum orationes prosunt nobis, & animabus purgatorij, licet satisfactoriæ non sint.* Gerson in sermone primo de defunctis, de fructibus orationis ad propositum nostrum, ita scribit:

Gerson. ser. 1. de defunct.

Hæc enim oratio semper habet suum effectum, quando fit pro illo qui est in gratia, & eget satisfactione; Hæc enim ex majori procedit fide, quam ea quæ fit pro viventibus; Hæc oratio meretur, quod is qui eam facit, pariformiter post hanc vitam juvetur oratione aliorum. Idem quoque pius scriptor motivum quoddam paulo post subdit, ex quo deducitur, quod per orationem una solutione solvamus & extinguamus duo debita; Quorum unum, illudque præcipuum, est debitum pœnarum, & tormentorum, quorum defuncti in obscuro illo carcere constricti debitores existunt; Alterum vero debitum

est gratiarum actionis erga eum, qui nobis benefecit, quod utrumque debitum per orationem diluitur; ait enim: *Hæc oratio satisfacit obligationibus magnis, quibus vivi devincti sunt mortais, ob diversa ab eis recepta bona, sive naturæ, sive fortunæ.*

Novarin. Aquæ inspt lib. 6. c. 126. n. 1296. Deus libenter acceptat preces pro mortuis fusas.

2. Aloysius Novarinus de Episcopo quodam refert, quod in somno puerum quemdam viderit, qui virga aurea, & filo argenteo in puteo quodam piscando mulierem quamdam extrahebat; Qui postea excitatus eumdem puerum in proximo cœmeterio conspexit ferventer pro matre defuncta orantem, recitabat enim *Pater noster, Ave Maria, & Psalmum miserere*; Fuitque dicto Episcopo revelatum, orationem hujus innocentis pueri adeo fuisse Deo acceptam, ut ea mediante animam genitricis suæ è profundo illo Purgatorij puteo extraxerit, ad eum modum, quo per hamum aquis immissum pisces ad littus deducitur. Porro quanta sit orationis efficacia ad suffragandum mortuis, ex eo facile intelligitur, quod sancta & Seraphica Mater & Virgo Theresia scribit, hæc enim aperte fatetur, quod quotiescumque se accingebat ad orandum pro illis animabus, Dæmon libro, ex quo sancta in hunc finem legebat, se superimposuerit, ut illam à recitatione officij, aliarumque precum impediret, adeoque necessum illi fuerit, ut aqua benedicta librum illum conspergeret ad Dæmonem inde pellendum; Sæpe etiam Deus illi vocaliter pro animabus oranti, visibiliter multas ostendit animas è flammis illis libere ad cælum ascendentes. Quonam putatis fine incensantur fidelium cadavera, cum tamen incensi fragrantia à defunctorum naribus percipi nequeat, unde ortum est vulgare illud proverbium, quo dum aliquem frustra laborare dicere volumus, desipere solemus: Mortuis exhibet incensum? Respondetur, quod per hoc incensum oratio denotatur, (*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*) hæc enim animabus illis ingens præstat refrigerium. Distinguendum tamen est inter orationem, quæ à fidelibus viatoribus offertur, & illam quæ offertur à beatis cœlestis paradisi incolis; Illa namque quæ à nobis offertur, simul est satisfactoria pro mortuis, & meritoria pro nobis, Illa vero quam sancti in cælo ad Deum dirigunt, non est meritoria pro ipsis, quia cum sint comprehensores, non sunt amplius in statu merendi, nec satisfaciendi pro aliis, est tamen oratio illorum impetratoria; ijdem quoque beati cælites suis inspirationibus movent fideles viatores ad orandum pro illis animabus, divinæque supplicant pietati, ut nostra suffragia accepta habere, tempusque captivitatis illius abbreviare dignetur; Excitant item in cordibus nostris actus compassionis & charitatis erga defunctos; Atque insuper ut multi existimant, sancti Deum enixè rogant, ut ex satisfactionibus, quibus pro semetipsis expiandis non indiguerunt, quæque proinde in thesauro Ecclesiæ depositatæ asservantur, quantum ad animas illas expiandas sufficit, applicare libeat. Et quidem quod de sanctis pro animarum illarum expiatione Deum deprecantibus diximus, ex illa omnibus nota oratione, qua sancta Ecclesia pro defunctis orans communiter utitur efficaciter confirmatur: Ita enim orat: *Quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, B. Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.* Ipsamet namque regina cœlorum sanctissimam Triadem pro defunctis exorare non dedignatur, ac proinde S. Bernardinus in fermone quodam ita scribit: *Beata Virgo in regno purgatorij Dominium tenet, propterea ut inquit Ecclesiasticus cap. 24. dicit: Et in fluctibus maris ambulavi, pœna enim purgatorij ideo dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur maris, quia est amara; ab his tormentis liberat beata Virgo maximè devotos suos, & hoc est quod ait: Et in fluctibus maris ambulavi, visitans, & subveniens necessitatibus devotorum meorum, imo & omnium qui ibi existunt, quia qui ibi sunt filij sunt eum sint filij gratiæ.* Dionysius Carthus. beatam Virginem ad consolationem illarum animarum, in hæc verba introducit loquentem: *Qui in purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cum audit verbum solatij.*

Vit. S. Theres. c. 31. Exemplum S. Theresiæ.

S. Bern ser. 3. de glor. nom Mariæ art. 2. c. 3.

Dion Carth. lib. 2. laud. Virg.

Thom Cantipr. lib. 2. Apum. c. 53. n. 12.

3. Refert Thomas Cantipratensis se quemdam novisse Canonicum, qui postea ordinis sui sancti Dominici assumpsit habitum, eratque S. Joanni Apostolo plurimum devotus; Hic igitur cum alius quidam Canonicus ex hac vita migraret, vidit in spiritu S. Joannem ad beatam Virginem præmissa humili submissione propius accedentem, eique dicentem: O Domina, anima amici nostri in purgatorio acerba sustinet tormenta, te rogo, ut illam liberare digneris; Quæ sine mora preces ejus exaudiens, simulque cum S. Joanne in pœnosum illum carcerem descendens, animam illam purgantem inde extractam perduxerunt ad paradisum. In revelationibus Sanct. Birgittæ legitur, quod dum hæc sancta matrona in oratione occuparetur, Beata Virgo eidem dixerit: *Sum mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur; Ita placet Deo, ut aliqua ex his pœnis, quæ debentur eis ex rigore justitiæ, minuatur.* Gerson existimat in assumptione Virginis Mariæ multas animas è purgatorio fuisse liberatas; Ita enim scribit: *Pie creditur Dei privilegio in Virginis assumptione evacuatum esse purgatorium, cum enim princeps coronatur, aperiuntur carceres; Quanto magis in coronatione Deiparæ?* Imo credibile est, quod in eodem B. Virginis festo multas quoque alias animas per merita interessionis adeo potentis à B. Virgine liberari. In epistola quadam B. Petri Damiani legitur, quod sanctus hic vir à viro Religioso sequentem, qui hic Romæ in hoc eodem festo, sæculo suo contigit, audierit eventum; Nam in Ecclesia Aracælitana mulier quædam quamdam suam observavit commatrem, præcedenti anno mortuam, ac proinde obstupefacta per densam populi multitudinem ad eam approperans his eam verbis est affata: *Non, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quæ dudum defuncta es? (hoc illi vocabulum fuerat, dum viveret) qua respondente, ipsa sum? Et quomodo, inquit, sibi nunc est? Ait: Usque hodie non levis me pœna constrinxit, quia videlicet per lasciviæ petulantis illecebras cum coætaneis puellis me in tenera adhuc ætate fædavi, & hoc ipsum, prò dolor, oblivioni quodammodo tradens, sacerdoti quidem confessa fui, sed judicium non accepi. Verum hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis alijs de locis pœnalibus liberavit, tantaque multitudo per interventionem ejus hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius Romanæ plebis excedat; Unde sacra eidem Dominæ nostræ gloriosæ dicata passim loca visitamus, actionesque sibi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficijs alacres exhibemus. Cumque super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facile sermonibus adhiberet, subjunxit: Ut experiaris, inquit, pro certo verum esse quod loquor, scias te transacto hoc anno in hac eadem festivitate proculdubio moriturum. Quod si, quod fieri non potest, alterius vixeris, me protulisse mendacium, liquidò comprobabis. His dictis ab oculis ejus evanuit. Mox illa cilicium induit, & de obitu suo solicita, vivere cautius cæpit. Quid plura? Peracto fere anno pridianis cæpit ægrotare vigilijs, in ipso vero festivitatis die, vitam, sicut ei demonstratum fuerat, terminavit. Ubi notandum & non leviter expavescendum, quia de peracta culpa, quam præfata mulier oblivioni tradiderat, usque ad interventum intemeratæ Dei genitricis supplicia perferebat.*

Revel. S. Birg lib. 4. c. 138. In assumptione B. V. creditur purgatorium fuisse evacuatum, *Gerson super Magnif.*

B. Petr. Dam. lib. 3. Epist. 10. Notabile hujus exempli contigit in eodem B. V. festo.

4. Et quidem quod orationem sanctorum impetratoriam attinet, de hac S. Bernardinus in hæc verba scribit: *Omnes de paradiso, videntes ipsas animas purgatorij futuras eorum socias, & debere replere sedes paradisi, cum Beata Virgine Matre Dei orant Dominum Jesum Christum pro eis, quia desiderant ipsas animas ascendere in paradisum.* Addit idem sanctus præterea, animas in purgantibus illis flammis, tam ab angelis, quam à reliquis sanctis frequentes recipere consolationes; Ait enim: *Et sæpe sancti, & angeli vadunt in purgatorium confortandum animas, & maxime angeli, qui fuerunt deputati ad custodiam illarum animarum.* Abulensis postquam ostendisset spiritus angelicos nequaquam esse pœnarum illarum ministros mox subjungit: *Ipsi angeli boni ex Dei voluntate aliquando veniunt ad eos, qui purgatorio igne affligantur, & consolantur eos, tolerabilia cruciamina facientes, & revelant eis aliqua de bonis quæ fiunt in hoc sæculo pro eis, ut inde citius liberenter.* Ludovicus Blosius de sancta Gertrude refert, quod animam quamdam purgantem in manibus dæmonis conspexerit (id quod forte divina dispensatione factum est, cum alias dæmones ordinarij animarum ilkarum carnifices non sint) qui illam flagellabat, & tamen prædicta anima in illo supplicio se nullam inde sentire pœnam ostendebat, quia ad quemlibet ictum assistentem sibi angelum quemdam aspexit. En verba Blosij: *Anima pro qualibet pœna elevabat oculos ad angelum, nihil dicens, sed gesta suo indicans, se consolationem ab eo recipere, ac citius sine liberandam.* Et quidem pro certo credi potest, quod angelici spiritus sint illi, qui animas purgantes à flammis illis liberatas in cœlum usque associant, & in conspectu Dei præsentant, unde S. M. Ecclesia in offertorio Missæ defunctorum dicit: *Signifer S. Michaël repræsentet eas in lucem sanctam. Ubi ostenditur*, inquit S. Antoninus, *quomodo animæ educantur de purgatorio, videlicet per angelos sanctos, eas repræsentantes Archangelo Michaëli, qui tam maximo tripudio, & gaudio totius curiæ cœlestis ante conspectum Dei statuit eas, quod patet per parabolam ovis ad ovile reportatæ, cum magno gaudio amicorum, & vicinorum, id est, sanctarum virtutum, seu angelorum, & animarum de introductione ejus; Unde canit Ecclesia: Archangele Michaël constitui te principem super omnes animas suscipiendas.*

S. Bern. Tom. 4. serm. 15. extrav. 2. par. Omnes Sancti cum B. V. orant pro animabus purgantibus. Angeli custodes illas sæpe visitant & confortant.

Abul. in c. 12. Exod. q. 48.

Notabile hujus exemplū.

Blos. in manili spir.

Quare eligantur sepulturæ in celebrioribus Ecclesijs.

5. Motivum porro quo fideles extimulantur ad eligendam sibi in Ecclesijs celebrioribus sepulturam, ad quas major est populi concursus; sine dubio hoc est, quia scilicet se orationum plurium fidelium, qui per aspectum monumentorum, quæ in talibus Ecclesijs in majori sunt numero, ad habendam defunctorum memoriam; offerendaque suffragia excitantur, se participes fore sperant; Vel etiam quia cum in similibus Ecclesijs plures celebrentur Missæ, omnium sacrificiorum partem aliquam animas suas habituras esse confidunt. Sanctus Anselmus ait: *Cum autem in pœnis sint, eis prodest, quod corpora in sacris locis sepeliantur, quia eorum precibus adjuvantur; quibus per sepulturam sociantur.* Eusebius in vita Constantini scribit, ipsum disposuisse, ut corpus suum in insigni quadam Ecclesia sepeliretur, ut anima ipsius adjuvaretur per orationes fidelium, qui ibidem in majori numero solent concurrere.

S. Anselm. in elucid.

Euseb. lib. 4.

Thom. Cantip. lib. 2. Apum c. 53. n. 19. Notabile exemplum de Otthone Imperatore.

6. Enimvero quanta sit orationis in animarum utilitate procurandâ efficacia clarè ex eo convincitur exemplo, quod Thomas Cantipratensis in hæc verba enarrat: *Otthone Imperatore mortuo, quædam cognata ejus monasterio virginum præerat, quæ Zelo castimoniæ circa subditas mirè fervebat. Observans ergo die quadam fenestram locutorij summo mane quemdam leniter pulsantem audivit; Qua aperta Imperator apparens materteræ dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior; Divigas ergo nuncios ad diversa & devota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias, ita ut ad singulos Psalmos decem ictuum disciplina, & ad unumquemque versum addatur salutatio angelica Ave Maria, & oratio Dominica Pater noster; Psalmus vero de profundis, quando accipitur disciplina, dicatur. Talibus remedijs post mortem, vivens meus liberari. Et nota quod idem Otthō benignissimus Imperator anno præcedente mortem suam, infinitam annonam tempore charistiæ diversis monasterijs, & pauperibus diviserat. Nec mora, Missis nuncijs, ut præcepit materteræ, negotium ejus ab omnibus summa cum devotione susceptum est. Apparens ergo eidem materteræ ad eumdem locum fenestræ in aurora, tanta claritate circumdatus est, ut nullo modo eum cerneret, sed audivit: Gratias reddo tibi, & pro me misericordissimo Deo gratias age, quia jam à pœnis eruptus ad gloriam transeo sempiternam. Nec mireris lector, quia ab illis audivi, qui interfuerant diutino languori ejus & morti, quod omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, & ejus contritio tanta fuit, ut ille, cujus superias fecimus mentionem, vere dignus Conradus Hildesheimensis Episcopus testaretur, vix se posse credere, quod Otthō Imperator post tantam contritionis pœnitentiam vere completam, post mortem purgatorium sustineret.*

Gerson serm. 1. de defunct. Enumerantur multiplicia emolumenta precū pro defunctis.

7. Gerson in fermone primo de defunctis, orationis quæ pro defunctis effunditur, multa hisce verbis indicat emolumenta: *Talis oratio semper suum habet effectum, quia sit pro illo qui est in gratia, & qui satisfactione eget, nec eam pro seipso facere potest &c. Talis oratio ex majori procedit fide, quam ea, quæ fit pro viventibus, est enim necesse cogitationem elevari ad purgatorium credendum, & quasi ipsum per fidem videndum. Hæc oratio obligat æqualiter in purgatorio existentes ad par referendum, post quam fuerint in paradiso, & oratio eorum multum accepta erit Deo, & multum valens &c. Hæc oratio est majoris necessitatis & festinationis &c. Meretur quod is, qui eam facit pariformiter post hanc vitam juvetur oratione aliorum, & Ecclesiæ &c. Hæc oratio ex majori emanat charitate, quando fit pro illis potius, qui magis elongati sunt à nobis, non expectando par, nec gratiam, quam nobis agant &c. Hæc oratio satisfacit obligationibus magnis, quibus vivi devincti sunt mortais, ob diversa ab eis recepta bona, sive naturæ, sive fortunæ &c. Talis oratio consolationem dat, vel gaudium aliquo modo angelis; qui defunctos custodiebant, & facile est credito, revelare illis, & consolari eos, pro quibus hujusmodi fiant orationes, & sic cognoscunt illud quod vivi faciunt eis. Talis oratio inducit hunc qui eam facit, cavere à peccatis, & citius pœnitentiam agere, atque considerare, ne quidquam committat, propter quod talem incurrat afflictionem &c. Talis oratio quando sit manifeste, melius exemplum dat alijs credendi vitam futuram. Hæc oratio persolvit multo majorem pœnam, & prolixiorem, quam sit ea pœna, à qua talis sit oratio, & est ac si esset uno redimeretur Francus &c. Hæc oratio inducit potius illum qui orat ad hanc vitam contemnendam, & ad aliam tendendum, memorando statum illorum, qui paulo ante vivebant.*

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Examinatur an sit necessum, ut qui animabus purgantibus porrigunt suffragia, in gratia Dei sint constituti, & an auxilia uni animæ in particulari adhibita etiam alijs prosint.

THEMA.

Cum vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Marc. 2. ℣. 5.

Per paralyticum, ab alijs Christo oblatum, designantur animæ purgantes.

1. PEr hunc Paralyticum à devotis illis turbis Salvatori præsentatum, propriæ animam purgantem intelligere possumus; Sicut enim ille propter paralysin se movere, aut à seipso Christum convenire non poterat, sed alieno adjutorio, & charitate opus habebat; Ita pariter defuncti in purgatorio constituti in eodem prorsus sunt statu, cum à seipsis se juvare, vel ab igne illo se proripere nequeant, sed suffragijs nostris indigeant; Turbæ autem paralyticum hunc coram Christo adducentes, pios præfigurabant Christianos, qui pro animabus purgantibus è carcere illo extrahendis apud Deum se interponunt. *Intuendum sane*, inquit Beda, *quantum propria cujuscumque fides apud Deum valeat, ubi tantum valuit aliena, ut totas domo repente interius, exteriusque salvatui exurgeret; Aliorum merito alijs relaxantur errata.* Ex quibus ultimis verbis dubium sequens enascitur, an scilicet necessarium sit, ut fideles, qui per orationes, jejunia, eleëmosynas, aliaque similia opera bona & satisfactoria animabus purgantibus suffragantur, in gratia Dei sint constituti quod dubium in præsenti Discursu expediemus.

Beda.

An necesse sit ut pro defunctis orantes sint in statu gratiæ.

2. *Videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Remittuntur tibi peccata tua.* Ex his verbis deduci posse videtur, quod Christus in ijs, qui orant, & satisfacere intendunt pro alijs, fidem in charitate formatam requirat; Ratio est, quia nullum opus quantumvis in se bonum sit, meritorium esse potest illi, pro quo offertur, si offerens inimicus sit Dei; Dicit enim Apostolus: *Si linguis hominum loquar &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; Iniquitatem si aspexi in corde meo*, inquit David, *non exaudiet Dominus.* In speculo exemplorum inter alia legitur, quod cum filius quidam quotidie per triginta duorum annorum spatium pro anima defuncti patris sui oraret, tandem Pater ei apparens dixit, se etiamnum eadem tormentorum atrocitate cruciari, qua in principio, seque nequidquam in tanto tempore ex fusis pro se ad Deum orationibus accepisse solatij, eo quod peccato mortali esset obnoxius, & licet in Paschate confessus fuisset, numquam tamen per illam confessionem in gratiam Dei redierit, ob defectum propositi de vita emendanda concepti. Sanctus Bonaventura, vel ut alij putant Albertus Magnus (quod est verisimilius cum hic ante doctorem Seraphicum vixerit) in compendio Theologicæ veritatis dubium hoc resolvit dicens: *Ex parte agentis requiritur, quod sit in charitate.* Neque in controversiam vocari potest, quin hæc opinio sit securior, & animabus purgantibus fructuosior. Nam ut Sanctus Bernardinus ait: *Quanto magis ille qui facit aliquod bonum, est in majori gratia Dei, tanto magis placet Deo, & animæ recipienti majorem consolationem, & præmium, quia quanto est magis justus, plus valet, & prodest animabus, quia Deus est magis conformis, & gratus suæ orationi, quam alterius non justi; Quemadmodum si amicus Dominationis peteres aliquam gra-*

1. Cor. 13. ℣. Ps. 65. v. 18. Notabile exemplum pro parte affirmativa.

Spec. Exempl. dist. 6. cap. 148.

S. Bonavent. comp Theol. verit lib. 7. cap 1.

S. Bern Tom. 4. serm. 15. extrav. 3. par. princip.

tiam pro aliquo , magis exaudiret eum , quam si foret suus inimicus. Secunda veritas est , quod Eleëmosyna facta à justo pro defunctis , plus placet animæ in purgatorio existenti , & majorem illi consolationem affert , quam facta ab uno peccatore. Ratio est , quia ex quo illa anima in purgatorio existens est in gratia , fit conformis voluntati divinæ , & placet sibi quod placet Deo, & displicet sibi , quod displicet Deo , & sicut Deus magis exaudit orationem justi , & accipit eleemosynam ipsius potius , quam peccatoris , ita accidit in animabus purgatorij , quia magis placent eis bona justi , quam peccatoris.

Gerson ser. 1. de defunct. Opinio Gersonis circa hoc dubium.

3. Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis in sermone primo de defunctis , hanc quoque tangit difficultatem , inquiens : Sciendi desiderium investigat , & quærit , si oratio peccatorum prosit. Respondeo per considerationem , cogitationemque sanctam,& salutarem. Oratio peccatoris mortalis (de illo enim hic intelligo) non prodest sibi , aut mortuis de condigno meriti , sed secundùm justitiæ rigorem ad malum vertitur ; Oratio ejus fiat in peccatum , dicit Propheta , & S.Gregorius ait : Cum is qui displicet , ad intercedendum mittitur , irati judicis animus ad deteriora provocatur ; Subdit tamen : Oratio peccatoris proficit uno modo de congruo , aut à Dei misericordia , qui non nobis reddit secundùm nostra demerita , sed facit abundare gratiam suam , quoniam ipse cognovit figmentum nostrum , naturam scilicet nostram , ac fragilitatem. Oratio peccatoris non est reconcilians , sed potest esse similis satisfacienti , aut oranti , aut absolventi quoad pœnam temporalem. Tandem in favorem animarum illarum in hæc verba concludit : Oratio peccatoris quantum ad valorem , quem habet , interdum ut opus privilegiatum prodest. Exemplum de Baptismate , & alijs Sacramentis , de exorcismis , & conjurationibus &c. Oratio peccatoris facta principaliter authoritate alterius qui est in gratia , ut per modum ministerij , aut obedientiæ, valet illi qui mittitur ; Sequitur ergo quod valet pro mortuis , qui nos rogant , & mittunt. Sanct. Bonaventura in eodem loco inquit : Distinguendum est tamen , quod suffragia per malum possunt fieri dupliciter , vel ut per auctorem , & sic non prosunt , nisi forte per accidens , scilicet in quantum per eleemosynam mali hominis excitantur boni pauperes ad orandum pro defunctis. Vel ut per ministrum , & hoc dupliciter quia vel facit ea minister publicus Dei , & Ecclesiæ sicut quando sacerdos malus celebrat Missam , vel agit exequias mortuorum , & talia semper prosunt , quia malitia ministri non nocet operi boni authoris, sicut patet in Domino justo dante eleemosynam per servum malum. Si vero facit ea ut minister privatæ personæ , existentis tamen in charitate , sive defuncti, sive alterius , etiam talia prosunt , quia opus illud licet sit mortuum quoad ministrum, non tamen quoad authorem.

Quod oratio facta in statu disgratiæ , prosit animabus defunctorum.

S.Bonav hoc ipsum docet. S. Bonav. ibid.

Sicut & S. Bernard. S. bernardin. ibid.

4. S. Bernardinus post doctrinas superius allegatas , subdit dicens : Tertia veritas est , quod etiam licet homo sit peccator , & faciat aliquod bonum pro animabus Purgatorij , tamen illud bonum potest valere ipsis animabus ; Et mihi placet quidem , quia est magna confortatio peccatoribus , quod bona quæ peccator facit in peccato mortali non valent sibi , sed animabus ; Sed quomodo valebit animabus in purgatorio existentibus , quia videtur quod non plus potest conferre alijs , quam in se habeat. Et si bene recordaris , ubi tetigi de ista materia , ego dixi , quod confert peccatori bonum , quia facit habere bonam fortunam in hoc mundo , & valet sibi Ribalzo , ad consequendum propter illud gratiam Dei , & contritionem peccatorum suorum, & sic hujusmodi valet existenti in Purgatorio , quia existens in purgatorio habet pœnas temporales. Paulo post vero hanc subnectit exhortationem ; Quamvis sis in peccato , non cesses orare pro defunctis, & facere eleëmosynas , & alia bona pro eorum animabus , quia etiam orabunt pro te , quod Deus det tibi gratiam pœnitendi. Idem S. Bernardinus in tom.2. ubi de statu purgatorij differit, in hæc verba scripserat : Talis hominis (de homine in peccato mortali constituto loquitur) suffragia , & cætera ejus bona , nec sunt utilia ad gloriam sempiternam , eo quod mortua sunt , tamen defunctis dupliciter prodesse possunt ; Primo, quia opera mortua secundùm omnes proficiunt ad temporalia bona obtinenda , sed talia bona sunt , quæ acquiruntur per talia suffragia supradicta , cum purgatorij pœna sit temporalis. Secundo , quia opera mortua satisfactoria sunt , cum homo existens in mortali culpa possit satisfacere pro seipso , licet non sint meritoria ad æternam vitam sicut dicit Scotus in 4. dist. 15. q.1. S. Bonaventura in 4. Sent. dist. 45. q. 2. art. 2. idem hoc punctum discutit , & pro nostra parte sequentes reddit rationes : Sacramenta Ecclesiæ æque bona sunt cum dispensantur per bonos & malos , ergo Missa mali sacerdotis ita prodest ut boni. Item quando servus existens extra charitatem dat eleëmosynam ad imperium domini , meretur Dominus , ac si servus bene daret ; Ergo similiter in proposito , cum ille pro quo fit , sit in charitate valet ei. Item ratione videtur , quia dominus sua largitate reputat opus factum ab alio , ac si fiat ab eo pro quo fit ; Sed ille est in charitate ergo &c. Item quando aliquis facit alicui eleemosynam , & si dans sit extra charitatem , tamen recipiens potest mereri in recipiendo si recipit ex charitate , sed iste mortuus suffragia vivorum recipit ex charitate , ergo paulo post rationes , ob quas hæc opinio à multis sustineatur , subdens inquit : Suffragia Ecclesiæ prosunt , sive à bonis sive à malis fiant ; Ratio hujus est , quia tam boni , quam mali faciunt secundùm doctrinam Ecclesiæ , & faciunt pro eo qui est in charitate , & ubi deficit charitas facientis , supplet charitas Ecclesiæ dictantis , & mortui suscipientis.

S. Bernard. Tom 2 serm. 65. art. 3. cap. 3.

S. Bonav. lib. 4. Sent. dist. 45. art. 2. q. 2.

Santarel. de Jub 9. cap. 3. An indulgentiæ à talibus, defunctis applicatæ ijs prosint.

5. An vero indulgentiæ animabus illis ab eo qui non est in gratia Dei applicatæ validæ sunt, quoad hoc Santarellus affirmative respondet , & probat , quia si V.G. Papa concedat,quod qui talem Ecclesiam visitat, animam aliquam ex purgatorio liberare possit,non est necessum , ut is qui hanc visitationem adimplet,sit in gratia,& ratio est ; quia hæc indulgentia data est in favorem animarum purgantium, quæ sunt in gratia , & consequenter dispositæ,& capaces, ad acquirendum sanguinis & meritorum Christi,ac aliorum sanctorum, in ærario Ecclesiæ depositum thesaurum.

S. Bonav. ibid. q. 3. Quibus suffragia magis prosint, ijs pro quibus fiunt , vel alijs.

6. S. Bonaventura quærit : An suffragia magis prosint pro quibus fiunt , vel alijs ? Citatque S.Augustinum dicentem : Ideo prosunt ; quia meruit ut prodessent,ergo si magis meruit, magis prosunt ; quia in per se prædicatis talis consequentia tenet. Item profectus suffragiorum est secundùm Dei distributionem , ergo si ipse non est acceptor personarum , videtur quod magis debet distribuere ei , qui magis est dignus. Item hoc ostenditur per impossibile,quia qui meruit, ut prodessent , citius meruit liberari , sed si non magis prosunt ei , non citius liberatur , sed hoc est contra justitiam Dei , ergo &c. Ultimum denique argumentum quod adfert , hoc est : Oblatio pretij in cruce æqualiter profuit , ac si esset oblata pro quolibet pro se , & tantum prodest cuilibet quantum meruit ; Ergo oblatio sacrificij in altari pari ratione , cum sit istius oblationis memoriale. Seraphicus doctor tamen pro contraria opinione concludit , sequentibus rationibus innixus : Cum Deus exaudit nos , quodammodo conformat voluntatem suam nobis, quia obedit Deus voci hominis ; Ergo si aliquis habeat charitatem , & oret specialiter pro aliquo , videtur quod Deus specialiter accipit pro illo , ergo videtur , quod magis prosint illis , pro quibus specialius fiunt. Item si in vita ista aliquis daret eleemosynam , magis sibi prodesset , quam alijs , ergo si ad ejus imperium detur post mortem, cum pro tali habeat Deus, ac si impenderet , magis ergo prodest sibi quam alij. Item Deus acceptat opus secundum intentionem , sed intentio facientis est , quod specialius , & magis prosit illi , pro quo facit. Item per impossibile ostenditur , quia si non potest magis, ergo non oportet specialiter rogare pro aliquo , ergo movetur stulte tota Ecclesia , quæ specialiter orat. Tandem vero dubium hoc sequenti conclusione solvit & explicat, inquiens : Suffragia mortuorum , si fiant in communi,prosunt magis ei qui magis meruit , quod si in speciali, magis prosunt ei , pro quo fiunt. Adducit paulo post quasdam similitudines , quæ opinionem illorum, qui suffragia particularia , etiam in genere alijs animabus prodesse crediderunt , pro quibus non fuerunt oblata , confirmare videntur. Hi enim ponunt exemplum ; Si candela accenditur coram divite , hæc non tantum præbet sibi lumen , sed etiam alijs , & eis qui melius vident,majus lumen præbet , Exemplum etiam patet in lectione , quæ tantum valet si legatur omnibus in commum quantum si cuilibet alij in speciali , & plus valet,assistenti, qui melius intelligit , etiam pro alio legatur , qui minus intelligit , licet etiam pro ipso legatur specialiter ; Si ergo ita est in lumine creato , magis in lumine increato , magis in sacramento ; Si ita est in lectione, quomodo non in oratione ? Verum ad utramque hanc similitudinem Seraphicus doctor respondet : Et quidem ad primam dicit : De illuminatione non est simile , quia illuminatio totam speciem rei visæ defert ad oculum , & similiter lectio totam similitudinem vocis , sed non est sic in solutione,

Solutio quæstionis.

tione , sicut est in aspectu & consideratione : Quamvis enim duo creditores æqualiter & simul possint videre unum aureum , non tamen potest æqualiter solus unus aureus , sic intelligendum est in proposito,quod per suffragia fiat , Solvit pariter primas objectiones sequentibus responsis : Et quidem ad primam, & secundam, quod scilicet suffragia magis juvent illum, qui majoris est meriti, respondet hoc esse verum ex se nisi aliud reformet pactum , hoc est intentio facientis. Deus distribuit secundùm intentionem illius ; qui offert suffragium. Ad illud quod objicitur , quod citius meruit liberari , dicendum quod verum est cæteris paribus , & quia iste , qui minus meruit , majores habuit adjutores , & plures hinc est quod citius liberatur ratione auxilij alieni. Ad ultimam objectionem respondet assignando diversitatem : Illa enim pro omnibus est oblata (scilicet hostia in cruce immolata) hæc autem specialiter potest fieri.

Continuat S. Boventura idem propositum.

7. Verum enimvero quid dicturi sumus quoad illas animas,quæ nostra suffragia recipiunt? S.Bonaventura in compendio Theologicæ veritatis hac de re ita scribit : Nota quod suffragia prosunt defunctis , sed magis, & minus , pro diversitate meritorum in mortuis , vel charitate vivorum , qui magis solicitantur pro aliquibus, quam pro alijs. Illa enim suffragia , quæ specialiter fiunt pro aliquibus , plus valent illis , quam alijs , licet etiam alijs aliquo modo communicentur. Suffragia vero quæ communiter pro defunctis fiunt , quamvis pro modulo suo omnibus prosint,illis tamen amplius , qui dum essent in via, magis meruerunt,ut sibi prodessent. Porro ut nos omnes ad hæc suffragia tanto efficacius permoveat, sequentem subnectit notatu dignam considerationem inquiens : Quamvis suffragia non prosint his, qui sunt in cælo,nec illis qui sunt in inferno , tamen aliquo modo prosunt etiam illis. Unde nota quod valent illis qui sunt in purgatorio, per modum purgationis,valent salvatis qui sunt in cælo, per modum conjunctionis, quia multiplicatio salvandorum , augmentat gloriam accidentalem , valent & damnatis in inferno per modum diminutionis , quanto enim plures salvantur per meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur,& ita minor erit pœna per subtractionem consortij illorum.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Varia considerantur, quæ pro animabus illis offerre possumus suffragia, eorumque nonnulla adducuntur exempla.

THEMA.

Benedicti vos Domino , qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul,& sepelistis eum. 2. Reg. 2. vers. 5.

Animabus purgantibus quadrifarijs suffragijs succurrere possumus.

1. Propheta Regius populis Jabes Galaad cœlestium apprecatur benedictionum copiam , eo quod ossa reprobi Saul licet persecutoris sui,& manifesti inimici Dei,sepelisset ; Quanto igitur in comparatione illorum in gratijs & cœlestibus benedictionibus promerendis potior erit ille , qui animas purgantes, quæ sunt in gratia , & amicitia Dei, qui illas beatificare , impatienter (ut ita dicam) æterna faciet requie gaudere.

S.Bonav. Comp. Theol. verit. lib. 7. cap. 4.

2. Porro quænam sint illa Suffragia,quæ animabus illis utilia esse possunt,S.Bonaventura his verbis indicat : Sunt quatuor modi suffragiorum generales, ad quos omnes alij reducuntur,scilicet : Oratio , jejunium , eleëmosyna , & Sacramentum altaris , quorum numerus sic accipitur, quoniam defuncti à pœna absolvi possunt duobus modis, scilicet per viam gratiæ , & per viam justitiæ. Per viam gratiæ dupliciter. Primo per intercessionem publicam capitis , quæ in oblatione Sacramenti altaris, Secundo per intercessionem quasi privatam membrorum , scilicet per orationes justorum. Similiter per viam justitiæ dupliciter , Primò per Modum Redemptionis pœnæ , scilicet in eleëmosynarum largitione , Secundo per modum solutionis pœnæ , scilicet in jejuniorum afflictione. S. Bernardinus Tom. 2. ubi de statu Purgatorij tractat, ita scribit : Consideremus quæ suffragia, seu bona sint eis grata. Circa quod advertendum est, quod 13.q.2. c. Animæ defunctorum , Gregorius ad Bonifacium ait : Animæ defunctorum quatuor modis solvuntur ; Aut oratione sacerdotum , aut precibus sanctorum , aut charorum eleëmosynis , aut jejunio cognatorum. Ejusdem sententiæ est Augustinus in c. Non æstimemus. Ad hæc quatuor cuncta alia bona, quæ pro mortuis fiunt , vel fieri possunt , generaliter reducuntur , sicut sunt Suffragia communis Ecclesiæ , bona facta pro eis , pœnitentia , peregrinatio, restitutio alienorum. Quorum ultimorum verborum occasione acerbissime invehitur contra illos , qui vel restitutionem, vel satisfactionem legatorum piorum , quæ illis ad suffragandum animabus relicta fuerunt ; retardant, & de Anno in annum differunt ; Ait enim : Cum quis promisit restituere,vel aliter obligatus est, sed non servat, hic furtum committit , retinendo aliena invito Domino, & proditor est illius , cui obligatus est qui forte est ejus pater,mater,maritus, aut uxor , vel alius quicunque consanguineus , vel amicus. Post prædictos profecto culpabiles sunt hi, qui cupidine , vel avaritia , vel alias non satisfaciunt , vel differunt satisfacere ea , quæ Ecclesiæ, hospitalibus , religiosis , pauperibus & pro alijs pijs causis relicta sunt,cum impij prædones,& sacrilegi à sacris concilijs judicentur. Unde 13. q.2. c. Qui oblationes , id est legata ad pias causas, secundum glossam , defunctorum retinent , & Ecclesijs tradere demorantur , ut infideles sunt ab Ecclesia ejiciendi , quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est , ac pietatis divinæ exacerbationem , quia, & fideles de corpore recedentes , votorum plenitudine , & pauperes consolatu alimoniæ , & necessaria sustentatione fraudantur. Hi igitur tales , quasi egentium necatores , nec credentes judicium Dei , habendi sunt ; Unde & quidam Patrum , scilicet Hieronymus in scriptis suis inseruit congruentem sententiam , qua ait : Amico quippe rapere , furtum est , Ecclesias vero fraudare sacrilegium.

S.Bernardin. Tom. 2. ser. 65. art. 3. c. 1

Adducuntur septem modi juvandi animas purgantes.

Thom Cantipr. lib. 2. Apum cap. 53. n. 15.

3. Verum ut ad valorem suffragiorum revertamur, Thomas Cantipratensis ad textum quemdam Machabæorum se reflectens , in hæc verba scribit : Septem autem modis suffragiorum juvari animas in purgatorio, liber Machabæorum primus ostendit , ubi Simon septem Pyramides circa sepulchrum parentum suorum , & fratrum,legitur statuisse ; Et possunt sumi hæc septem Pyramidarum suffragia in uno versu :

Fle,pete,jejuna,vigila,da,redde,celebra.

Quod vero ad fletum attinet,subjungit: Plora , non sicut cæteri , qui spem non habent , sed secundum Ecclesiasticum , in mortuum produc lacrymas , id est , in altum duc ad Deum , Lacrymæ enim temperant calorem ignis Purgatorij. Si autem lacrymas alias immoderatas pro mortuo fleveris , inanes sunt , & nullum refrigerium præstant. Secundum , scilicet , pete , oratio denotatur ; Pete , id est ora , quia ut in secundo libro Machabæorum cap. 12. dicitur : Sancta salubris est cogitatio pro defunctis exorare , ut à peccatis solvantur. Tertium suffragium est jejunium. Sic David jejunavit usque ad occasum solis mortuo Abner , & tu similiter super mortuum tuum , quousque fervorem vindictæ Dei , qui sol justitiæ dicitur , senseris mitigatum. Quartum suffragium est , vigila ; Satisfacit enim vigilia , vel labor alius in afflictione tui Corporis , Unde lib. 2. Regum dicitur , quod Respha filia Haja , concubina Saul , ab initio messis substravit sibi cilicium super terram , & non permisit aves , & bestias lacerare corpora suspensorum , donec stillaret aqua de cælo super interfectos. Quid per Suspensos nisi excruciatæ in purgatorio animæ designantur ? Has Respha , id est fidelis amicus juvare debet vigilijs , vel labore ab initio messis , hoc est defectus vitæ in morientibus , secundum quod in Ecclesiastico dicitur : Super mortuum plora , defecit enim lux ejus. Has aves, & bestias , hoc est tortores dæmones lacerare non sinas , Dominum suppliciter exorando. Ne à labore cesses , donec stillet aqua de cælo super interfectos, & pietate divina , eas confidas , & consideres liberatas. De quinto suffragio , Eleëmosynæ videlicet, idem Episcopus differens , ad illam se reflectit à Juda Machabæo factam collectam , de qua dicitur : Collatione facta duodecim millia drachmas argenti,&c. Nec mirum , cum in Ecclesiastico dicatur : Sicut aqua extinguit ignem , ita Eleemosyna extinguit peccatum. Sextum remedium defunctorum est , reddere si quid injuste habuerint , vel rapuerint ; teste enim veridico Augustino : Non dimittitur peccatum , nisi restituatur ablatum ; Et illud terribilissimum , quod dicitur in scripturis : Væ qui prædaris,nonne & ipse prædaberis? Septimum , & ultimum remedium est , celebratio Missarum , oblatio enim corporis Christi absolvit à debito culpæ,& pœnæ ; Unde in Ægypto post comestionem & esum agni , populus Israeliticus liberatur,& sanguis agni paschalis in superliminaribus ponebatur contra Angelum vastatorem , & serpens æneus in palo erectus est contra morsum serpentum.

Hug. Æthor. de regreſſ. anim.

4. Hugo Æthorianus inquit : *Donabit eleemoſyna veſtra , quam deſtinaverat ardentis ſtagni ſulphuribus ; Hac igitur de cauſa Judas argentum collegit, & Jeroſolymam afferri mandavit memor illius : Aufer rubiginem de argento , egredietur vas puriſſimum* , Pergit ulterius commendare illos , qui animabus illis ſuffragantur ; eoſque ad perſeverantiam his verbis extimulat : *Egentibus Eleemoſynas porrigite , his divitijs, his petitionibus, his largitionibus vorago inferni captivos reddit, & abſolvit, & in viam abire permittit.*

Eleëmoſyna pro defunctis data , redit in bonū dantis.

5. Reflexiſtisne vos aliquando ad illud ab Eccleſiaſtico traditum conſilium : *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies illum.* Ubi per aquas acerbiſſima denotantur tormenta , de quibus redemptor noſter lamentabatur dicens : *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam; Infixus in limo profundi* ; Ille igitur mittit panem ſuum ſuper aquas, qui liberaliter de facultatibus ſuis ijs,qui in pœnis ſunt, cujusmodi ſunt animæ defunctorum , ſubvenit eumdemque poſt tempus aliquod iterum reinveniet, quia ut alibi diximus , animæ à nobis redemptæ ſe erga nos gratas demonſtrabunt , multa in utilitatem noſtram impetrando bona Spiritualia & temporalia , ſi quando hæc nobis expedierint. Trithemius in Chronico ſuo ſcribit,quod haud procul à Wormatia per multas noctes ingens apparuerit militum armatorum , tam equitum,quam peditum multitudo, quæ in certas phalanges diſtributæ,circa nonam noctis horam procedebant verſus montem quemdam , è quo egredi ſolebant. Cumque non procul inde quoddam ſituatum eſſet Religioſorum monaſterium , unus ex hiſce Religioſis animoſior factus , ſigno crucis ſe communiens, phalangibus illis obviam proceſſit , illasque in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis adjuravit , ut faterentur , quinam eſſent. Quæ dixerunt,nos non ſumus phantaſmata,nec militum vivorum cohortes,ſed animæ militum defunctorum , qui in prælio in ſervitium Principis noſtri habito hoc in loco occubuimus, arma autem,& equi,qui nobis viventibus culpæ inſtrumenta fuerunt, nunc nobis inſtrumenta facta ſunt pœnarum,ſiquidem quidquid hic videtis,merus eſt ignis,quamvis vobis tale quid non appareat. Interrogavit igitur Religioſus iſte an aliquod illis adferre poſſet ſubſidium ? Imo vero reſponderunt illi,ſi nimirum tu & alij monachi in beneficium noſtrum eleëmoſynas , jejunia, orationes, aliaſque pœnitentias , ſpecialiter vero Miſſas applicaveritis , Quo dicto , trina voce repetentes : orate pro nobis, confeſtim diſparuerunt.

Eccli. 11. 1. *Pſ. 68. v. 2.* *Ibid. v. 3.* *Tritem. Chron. an. 1058.* Notabile exemplum.

Sequuntur varia & ſatis notabilia liberatarum animarum exempla.

6. Scriptor quidam ſapienter notat , quod tametſi Beda , S. Gregorius, & alij ſacri Doctores ſolum inter ſuffragia eleëmoſynas,orationes , jejunia , & ſacrificia, & nihil aliud enumerent,ſciendum tamen ſit,quod ſub nomine eleëmoſynarum, jejuniorum,&c. multa quoque alia opera afflictiva , & pœnitentialia indirecte comprehendantur , cujusmodi ſunt mortificationes externæ,& internæ,peregrinationes ſacræ,opera miſericordiæ,omniaque alia , quibus Eccleſia ritu Eccleſiaſtico in obſequium defunctorum uti ſolet , cujuſmodi ſunt cerei ardentes circa funus, comitatus ſacerdotum, vel aliæ ſimiles ceremoniæ ad hunc cultum ordinatæ. In via B. Gelaſij Abbatis Ciſtercienſis ſcribitur : *Aliquando nobilis quidam dives ſummam argenti ſancto Abbati per modum eleemoſynæ tradi curavit , orans , ut vellet animas parentum ſuorum Domino commendare.* Abbas autem recepta hac oblatione , ſubito genu flexus Pſalmum *De profundis* recitavit,quod cum ſervus, qui argentum hoc attulerat,& Abbati oranti præſens aſtabat,modicum nimis eſſe exiſtimaret, ac proinde ſubridendo diceret : *Non ſemel certe , ſed millies pro tanta argenti ſumma Pſalmum repeterem.* Sanctus vir Dei reſpondit ; Crediſne frater mi argentum huic Pſalmo præponderare ? Ne igitur à me ſcandalizatus recedas, curabo,ut quia lumine interno cares, ſaltem ad minus oculo corporis tui veritatem illius , quod dixi , clare conſpicias. Hunc igitur Pſalmum *de profundis* modicæ chartæ inſcriptum, uni parti bilancis impoſuit , ex alia vero parte ponderoſam argenti ſummam collocavit ; Moxque *carta illa inſtar ferri ponderoſa,cum impetu ad terram deſcendens, argentum,quod mole ; & numero multum erat , quaſi leviſſimam paleam elevat , & ſic omnibus videntibus , & admirantibus remanſit.* In ejusdem religionis Ciſtercienſis Chronicis legitur , quod dum vir quidam nobilis in eadem Religione poſt aliquantum tempus in Superiorem electus , nimis erga ſubditos rigidus evaſiſſet poſt ejus mortem S. Lutgardis orationes,aliaſque auſteritates corporales pro ipſius ſalute inſtituerit , inſuperque Deum rogarit ut omnes ſibi auferret conſolationes ſpirituales , quas illi abundanter communicare ſolebat ; Inter orandum vero vocem quamdam audiit ſibi dicentem : *Bono animo eſto,tua cauſa benigne faciam ei,pro quo oras ; At illa vehementius inſtans ; propediem audivit , eum liberatum iri.* Poſtquam vero per aliquod tempus afflicta fuiſſet,Deus eam conſolari volens , effecit , ut animam illam ad paradiſum transmigrantem videret , nec hoc tantum , verum inſuper actis illi devotè gratijs dicentem audivit ; Per undecim annos in hiſce flammis commoraturus eram, niſi per tua opera pœnalia mihi ſuffragata fuiſſet.

Menolog. Ciſter. c. 10. Martij. *Cathech. Hiſt. Tom. 4. c. 8.*

Exemplum de S. Chriſtina Virgine. *Thom. Cant. ibid. n. 23.*

7. Thomas Cantipratenſis immenſas & aſperrimas , quibus S. Chriſtiana pro liberatione Ludovici comitis Loſſenſis ſe exercuit auſteritates in hæc verba recenſet: *Ludo erat Vir Comes Loſſienſis,nobiliſſimus inter Teutonicos erat vir ſagax ingenio , & in armis exercitatus , ac ſtrenuus. Hic virginem Chriſti Chriſtinam miro complectebatur affectu , qui cum in extremis ageret , Chriſtinam vocari fecit ad ſe , & in conclavi ſecum recedentibus omnibus remanere. Nec mora ; Comes virtute qua potuit , erexit ſe , & ſupplex ante pedes Chriſtinæ toto corpore proſtratus , ei omnia peccata ſua cum maximis Lacrymis recitavit , ſed hoc non pro indulgentia , quam dare non potuit , ſed ut magis ad orandum pro ſe tali piaculo moveretur , hoc fecit. Mortuus ergo Comes eidem Chriſtinæ manifeſte apparuit, & ſe traditum acerbiſſimis in purgatorio tormentis oſtendit. Cui pia mulier non modicè miſerata reſpondit : Age nunc , & valde bine , & ſecundum divinam miſericordiam pœnas pro peccatis exolve , ego vero in meo corpore exactura ſupplicia , dimidiam Purgatorij tui partem excipio. His itaque geſtis , videres Chriſtinam multo poſt tempore certis horis ſecundum quod anima Comitis alternis doloribus torquebatur, flammeis vaporibus , interdum vero frigorum algoribus , cruciari. Loca vero in quibus comes peccare , vel inſanijs falſis gaudere ſolebat , lacrymis irremediabilibus irrigat. Longo igitur poſt tempore, ante mortem ſuam idem Comes ei apparuit , & gratias agens illi, eaque contemplante,ad Superna tranſivit.*

Tom. 1. lib. 4. c. 55 Hiſt. Carmelit. Diſcalc. Aliud exemplum valde notabile.

8. In hiſtorijs Carmelitarum Diſcalceatorum legitur, Religioſum quemdam probe cognoviſſe certum aliquem pictorem , virum virtuoſum & timoratum, qui in diverſis dicti Ordinis Monaſterijs multas depinxerat imagines,& ſpeciatim in illo,in quo ſepeliri voluit,in cujus Eccleſia diſpoſuerat, ut pro quantitate ſibi à dicto Conventu debitæ pecuniæ poſt mortem ejus totidem celebrarentur ſacrificia Miſſæ ; Subſecuta igitur illius morte Religioſus quidam illius conventus paucis poſt illam diebus in oratione conſtitutus , dictum pictorem flammis cinctum ſibi apparentem vidit , à quo cum harum pœnarum cauſam ſciſcitatus fuiſſet, is ei reſpondit , quod ſupremus Judex ante cujus conſpectum poſt mortem præſentatus fuit, multarum animarum querelas ei expoſuiſſet , eo quod laſcivam quamdam effigiaſſet picturam,quæ multis animabus cauſa fuiſſet , quod ad infernum condemnatæ fuerint ; Cumque in ejus defenſionem multæ prodiiſſent animæ beatæ,eum excuſantes,dicendo, eam Picturam ab eo etiamnum juvene fuiſſe delineatam , eumque non ſolum ea de cauſa condignam feciſſe pœnitentiam , verum multas inſuper depinxiſſe ſanctorum imagines, pretiumque inde comparatum inter pauperes diſtribuiſſe , ac tandem pecuniam ſibi debitam in celebrandas pro animæ ſuæ ſalute Miſſas adhiberi voluiſſe ; Unde judicem rogabant,ut ei compati dignaretur , Judex igitur partim quidem in illorum preces condeſcendit,cum hac tamen conditione, ut in purgatorio remaneret , donec laſciva illa pictura abolita fuiſſet. Quapropter Religioſus ille rogavit, ut nobilis ille apud quem pictura illa aſſervabatur , de ea abolenda moneretur , eique à monitore diceretur , quod in Signum veritatis hujus apparitionis , ſimul redderetur certior , quod intra duos menſes duo filiorum ſuorum morituri eſſent , & niſi picturam illam igne aboleret,ipſe quoque mortis pœnas eſſet luiturus. Monitus itaque nobilis imaginem illam igne conflagravit,mortuique ſolum ſunt duo filij, ipſe vero pœnitentiam agens imagines Sanctorum eo fine depingi fecit , ut hi ſui apud Deum eſſent interceſſores.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

De ſummo Sacrificij Miſſæ valore ad animas illas liberandas.

THEMA.

Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue. Tob. 4. v. 18.

Sacrificium Miſſæ eſt præcipuum ſuffragium pro animabus defunctorum.

1. TObias ſenior qui tanta cum charitate defunctorum ſepultura aſſidue ſe exercuit filio Tobiæ juniori pretioſiſſimæ hæreditatis loco hoc reliquit conſilium, *Panem tuum,& vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue*,quibus verbis quoad ſenſum literalem ad ſubſtantias,& bona temporalia alludit,quæ in hoc miſericordiæ opus applicari ſuadebat ; At vero in ſenſu myſtico nobiliori (*ſiquidem omnia in figura contingebant illis*) oblationem præfigurabat & prædicebat panis,& vini , ſub quorum ſpeciebus incruentum Miſſæ ſacrificium pro animabus purgatorij expiandis conſecratur,& offertur,hoc enim unum eſt ex præcipuis ſuffragijs,quæ pro ipſis offerri poſſunt. Unde S.Ambroſius ad ſuffragandum animæ mortui imperatoris ſuadebat dicens : *Date manibus ſacra myſteria pio requiem ejus quæramus affectu,date manibus Sacramenta cœleſtia, extollite populi mecum manus in ſancta , ut eo ſaltem munere vicem ejus meritis rependamus.* S.Monica S.Auguſtini mater, nullum ſibi aliud adhiberi ſuffragium petiit,quam hoc,dicente filio ejus S.Auguſtino : *Tantummodo memoriam ſui ad altare fieri deſideravit,cui nullius diei prætermiſſione ſervierat ; Unde ſciret diſpenſari victimam ſacram , qua deletum eſt Chirographum , quod erat contrarium nobis.* S. Bernardus in vita S.Malachiæ Epiſcopi Hyberniæ refert , eum nonnullas de ſorore ſua defuncta habuiſſe viſiones ; Cujus malos mores adeo exhorruerat , ut nequidem illam ex facie videre ſuſtineret. Hæc autem poſt mortem hunc in modum ſe illi repræſentavit. Nocte quadam vocem ſibi dicentem audivit : Soror tua quæ per quadraginta dies non manducavit , ſtat foris in atrio expectans te ; Cumque S. Epiſcopus tempus computaret , quo pro ea Miſſam non dixerat , invenit illam triginta tantum diebus inediam toleraſſe , & exinde quonam hæc fames reſpiceret,clarè cognovit, unde ſine mora ad offerendum pro anima ipſius panem divinum,ſeſe iterum accinxit ; Paulo poſt vero aliam habuit viſionem , in qua ei notificatum fuit ſororem ſuam ad limen Eccleſiæ uſque pertigiſſe, luctuoſe veſtitam , ulterius autem progredi non poſſe ; Malachia autem cœptam Miſſarum celebrationem proſequente , ſoror ſine ulla difficultate in veſte candida Eccleſiam intrare potuit , ad altare autem pertingere , illudque tangere nequivit ; Unde Malachias Miſſæ ſacrificia ulterius continuavit, ac tandem ſoror ejus in multarum beatarum animarum ſocietate,gaudenter ad altare acceſſit. S. Ambroſius ſuper præcitati thematis verbis ita ſcribit : *Eſt & illa prophetica ſepultura juſtorum ſi ponamus quædam, non quo cibus imperetur , aut potus , ſed ſacræ oblationis veneranda communio.*

S. Ambr. de obitu Theod. Probatur notabili exemplo. *S. Ambr. in Tob.*

Tertull. ad uxorem. Sacrificium Miſſæ eſt ſingulare refrigerium defunctorum.

2. S. M. Eccleſia defunctis apprecatur *refrigerij ſedem* : Hoc autem refrigerium ſpecialius per hoc ſacrificium percipiunt. Unde Tertullianus lib. 2. *ad uxorem* ad Sacramentum altaris alludens, illud appellat : *Spiritus refrigertum.* Lucas Tudenſis de miraculis S.Iſidori cap. 31. refert,animam quamdam purgatorij Novato Monacho in Monaſterio S.Iſidori ſæpius apparuiſſe,dicentem plures animas in diebus Dominicis & principalibus feſtis anni, eo tempore quo Miſſa celebratur,nullam ſentire pœnam ; En verba ipſiſſima : *Quando pro nobis immolatur hoſtia ſalutaris , multi noſtrum nulla pœna aſſiciuntur ; Ad locum ubi jacent corpora noſtra , pervenire permittuntur , quæ ſi incenſo, vel aqua benedicta veniant aſperſæ nobis fere paradiſiaca requies videtur.* Hugo Ætherianus *de regreſſu animarum* in perſona animarum purgantium ſacerdotes his verbis affatur : *Veſtro adjutorio nunc opus eſt,ut pro nobis paſchalem victimam offeratis,agnum ſalutarem, qui tollit peccata mundi , ſic vero nos de baratho inferni educere poteſtis.*

Hug. Ætherian.

Continuatur idem propoſitum.

3. Inter alias interpretationes , quas Hugo Cardinalis illis adhibet Pſalmi ſeptuageſimi ſeptimi verbis : *Mandavit nubibus deſuper , & Januas cæli aperuit* , una , & quidem noſtro propoſito percommoda , hæc eſt : Per nubes intelliguntur miniſtri ſacri,& Eccleſiaſtici, ut ſenſus ſit : *Mandavit nubibus,id eſt prædicatoribus , & doctoribus Spiritualibus* , qui ut plurimum ſunt ſacerdotes ; ad quos pertinet animabus cœli portas aperire ; Chriſti corpus pro ipſis offerendo ; *Janua enim eſt corpus Chriſti*,Joan. 10. *Ego ſum oſtium.* S.Joan. Damaſcenus obſervat, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſiam derivatum eſſe hunc ritum , ut fidelibus in gratia defunctis ex omnibus ſacrificijs quæ offeruntur pars quædam attribuatur : *Myſteriorum diſcipuli Salvatoris* , inquit prædictus Damaſcenus, *& ſacri Apoſtoli ſanxerunt in vivificis & tremendis ſacrificijs & myſterijs memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt.* Advertendum quoque eſt , quod in Evangelio Miſſæ de requie ſpecificata corporis Chriſti fiat mentio : *Ego ſum panis vivus , qui de cœlo deſcendi* , ut videlicet intelligamus corpus Chriſti oblatum præcipuum eſſe animarum purgatorij ſuffragium : Quod quidem ſuffragium,ni fallor, apud Zachariam his vercis prædictum fuit : *In ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* Hujus enim ſanguinis teſtamenti in forma conſecrationis calicis expreſſa fit mentio, cum dicitur : *Hic eſt calix ſanguinis mei,novi & æterni teſtamenti* : Lacus autem mentio fit in offertorio Miſſæ defunctorum , ubi purgatorium *profundus lacus* appellatur : Adeo ut dubitari non poſſe videatur, quin Propheta ad hoc ſacrificium incruentum alluſerit , in virtute cujus defuncti à profundo illo lacu liberantur.

Pſ. 77. v. 23. *Hug. Card.* *Joan. 10. 7.* *S. Joan. de Damaſc. Suff. mort.* *Zach. 9. 11.*

Licet dicens, & procurans Miſſam ſint in ſtatu diſgratiæ, valor tamen animabus illis non amittitur.

4. Notanda quoque eſt hujus ſuffragij prærogativa: Quia licet is qui procurat Miſſam,& alius qui eamdem celebrat , ſint extra gratiam Dei conſtituti, valor tamen illius in animarum illarum præjudicium non amittitur , quia ſacerdos in perſona Chriſti ſuffragium illud offert. S.Bonaventura in præparatione ad Miſſam prædicto Zachariæ textu utitur,ut nobis hoſtiæ illius in beneficium animarum illarum inſinuet omnipotentiam. Porro regius Pſaltes diu ante cecinerat,dicendo : *Qui educit vinctos in fortitudine , ſimiliter eos qui exaſperant , qui habitant in ſepulchris.* In libro Levitici Deus populo ſuo proteſtatur dicens : *Dedi vobis ſanguinem,ut ſuper altari meo expietis pro animabus veſtris*, quis autem eſt , qui hunc ſanguinem animalibus hauſtum , in Dei tamen honorem effuſum fuiſſe ignoret & tamen hunc aliqua ex parte in peccatorum expiationem adhiberi volebat ; quidnam igitur de ſanguine agni illius dicemus, de quo ſacerdos trina vice repetit : *Agnus Dei qui tollit peccata mundi ?* Ubi agitur de expiandis,& abolendis non culpis,ſed earum reliquijs, id eſt pœnis temporalibus in illum ignem ad purificandum reſervatis? Doctor Angelicus ait: *In hoc figuratum eſt , quod ſacrificium carnis , & ſanguinis Chriſti valet animabus in pœna Purgatorij.*

Pſ. 67. v. 7. *Lev. 17. 11.* *S. Thom. opuſc. 58.*

Prandium Habacuc Danieli delatum, ſignabat ſacrificiū Miſſæ pro defunctis oblatum.

5. Meminimus in diſcurſu primo Danielis in lacu leonum poſiti , quem S. M. Eccleſia velut quamdam animæ defunctæ figuram ob oculos ſtatuit : Porro S.Bonaventura id, quod ſacer textus quoad prandium Danieli ab Habacuc miniſtratum dicit,conſiderans inquit : *Panes quos Habacuc contriverat in alveolo , ductu Angelico transmittuntur Danieli in lacum leonum. Hic eſt panis corporis Chriſti , qui cum pro defunctis offertur , tunc in lacum purgatorij tranſmittitur per effectum* ; Idem Seraphicus Doctor mentionem facit verborum illorum Canonis : *Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui* ; Ait : *Innuitur purgatoriæ pœnæ ſævitia in leonibus qui erant in lacu , unde bene canit Eccleſia ; Libera eas de ore Leonis,&c.* Enimvero inter alias ſapientis parabolas hæc quoque legitur : *Munus abſconditum extinguit iras* ; ubi per munus abſconditum ſanctiſſimum præfiguratur Euchariſtiæ Sacramentum, quia in illo filius Dei ſub Speciebus Sacramentalibus occultatur : Unde Angelicus Doctor de Euchariſtia differens prædicta Sapientis verba in favorem noſtrum ſic explicat dicens : *Munus abſconditum extinguit iras, ſcilicet Dei, id eſt pœnas Purgatorij quantum ad animas innocentes.*

S. Bonav. ſer. 6. in Can. dom. *Prov. 21. 14.* *S. Thom. opuſc. 58. c. 25.*

Applicatur ad idem propoſitum hiſtoria Jonæ in mare dejecti,& in ventre ceti deliteſcentis.

6. Animam quoque purgantem in Jona in mare præcipitato delineatam invenio ; Hic enim limitato trium dierum & noctium tempore in ventre ceti,velut in obſcuro carcere, ſine ullo cibo delituit, quemadmodum anima purgans pariter pœnam limitatam ſuſtinet,non vero æternam: Idem Jonas in ventre ceti Deū oravit,ut de obſcuro illo carcere liberaretur,ita & animæ inter illas flammas conſtitutæ Deo & hominibus ſe commendant dicentes : *Miſeremini mei & ; Omnes fluctus tui , & gurgites tui ſuper me tranſierunt* , vere enim de illis dici poteſt : *Magna eſt velut mare contritio tua.* Conſideraſtisne aliquando modum,quo Deus Jonam è ventre ceti liberum exire fecit ? Numquid enim Deus ad hanc Jonæ liberationem forte permotus fuit per triduanum Jonæ jejunium ? Aut vero per orationis ejus efficaciam? Vel propter bona propoſita, deinceps divinis præceptis prompte obediendi ? Nequaquam hæc omnia ad liberationem Jonæ Deum permoverunt,ſed nunc Deus Ceto præcepit, ut ex apertis

faucibus

Jonæ 2. 10. fauciḃus ſuis Jonam ad littora Ninivitana ſanum & incolumem evomeret,quando Propheta ſe in templo ſacrificium oblaturum eſſe promiſit , quando enim dixit : *Immolabo tibi ... tunc dixit Dominus piſci , & evomuit Jonam in aridam :* Jejunia quidem , orationes , vigiliæ , dolores patienter tolerati , interni compunctionis actus , &c. bona & ſalutaria ſunt opera , nec non ad ſuffragium animabus illis media convenientia,at vero ſacrificium incruentum ceti id eſt Purgatori januam aperit , & animam ad cœli littora feliciter appellere facit. Unde Sanctus Bernardinus de Miſſa defunctorum differens ita ſcribit : *Miſſa eſt majus bonum , quod poſſit fieri pro animabus , propter communionem corporis Chriſti. Nam una Miſſa eſt ſufficiens evellere omnes animas de Purgatorio.* S. Antoninus de F. Joanne de Alvernia Franciſcano refert,quod cum in die commemorationis fidelium defunctorum cum fervore exceſſivo celebraret , poſt conſecrationem panis & vini Deum inſtanter rogavit, ut per amorem quo filium ſuum unigenitum dilexit , animas Purgatorij ex illis flammis eripere dignaretur , eoque fine Deo patri ſanguinem,& paſſionis filij ſui merita obtulerit,ac ſtatim gratiam deſideratam impetrarit , ſiquidem Deus innumerabiles ei animas oſtendit, quæ velut totidem ignis ſcintillæ è furno egredientes,è purgatorio prodibant, mox elevandæ in cœlum. Neſcio an aliquando ſequentem Miſſæ prærogativam obſervaveritis ſcilicet quod ſit valoris infiniti quoad munus in eadem oblatum , ſcilicet quoad ſacratiſſimum Chriſti corpus ; At vero quoad efficaciam valorem habeat limitatum ; Unde Sequitur quod Miſſa v.g. pro Petro dicta , eidem proſit quoad hunc effectum limitatum, ſimul tamen etiam utilis eſt generaliter omnibus aliis, ob valorem infinitum ; Id quod Sequenti ſimilitudine melius poterit declarari ; Si enim nobilis aliquis decem millia ſcutorum annui reditus habens , ex his quolibet anno cuidam ſervo ſuo aſſignaret ducenta ſcuta , hic utique tali reditu ſecure gauderet, reliquam vero pecuniam dictus nobilis pro ſuo libitu expendere poſſet pro ſe & pro aliis , quibusdam plus, quibusdam minus largiendo ; Idem prorſus de Miſſa dici poteſt : Hæc enim pro Petro v.g. oblata,quoad applicationem & valorem limitatum eſt Petri : At vero de valore ipſius infinito reliquo vivi pariter & defuncti participant, tametſi celebrans nullam illorum Specialem faciat mentionem.

S. Bern. t. 4. ſer. 15. extran. 2. p. eſt prine.

S. Anton. 3. p. t. 24. c. 8. §. 15.

Exemplum effectus ſacrificij Miſſæ.

Apta ſimilitudo.

Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 53. n. 30.

Hiſtoria valde notabilis.

7. Thomas Cantipratenſis refert ſe à quodam ordinis ſui Religioſo,qui mundum paſſim peragrarat,audiviſſe,quod magnum quemdam Dominum cognoverit,qui in vita ſua gaudijs quidem mundanis deditus, ſed poſtea ad pœnitentiam converſus, familiares ſuos ad ſe accerſivit,iisque dixit,propoſitum ſibi eſſe deinceps domus ſuæ moderandi ſumptus , & pro faciendis reſtitutionibus, & erogandis in expiationem peccatorum ſuorum Eleëmoſynis , ſuam reformandi familiam,id quod poſtea reipſa eſt executus ; demum vero multas inſtituit Capellanias pro Miſſis defunctorum celebrandis,quod cum dæmon ferre non poſſet,ſubditos ſuos adverſus ipſum ſuſcitavit , qui ſe cum Rege quodam prædicti Domini inimico conjunxerunt, promittentes ſe illi auxiliaturos,ut Principem & Dominum ſuum opprimere poſſent,utpote adverſus quem juſte eſſent exaſperati , eo quod omnia bona ſua in Presbyteros expenderet. Rex igitur quosdam ſuorum ad dictum principem ablegavit tempus adveniſſe, quo ab eo de injurijs ſibi factis rationes reddendæ eſſent, omnino enim ſibi decretum eſſe , juſtam de ipſo vindictam ſumere , quem in finem diem præfixum ei determinavit. Princeps igitur , poſtquam nobiles,& ducatus ſui primates hac de re certiores feciſſet. Sequens ab illis retulit reſponſum : *Hactenus nos ut ſervos & fatuos reputaſti , ſolis mundi ſeductoribus Clericis adhæſiſti, nunc te juvent illi , & conſulant in adverſis , Tibi autem ſuccurrere nec volumus, nec valemus. Hæc ut audit dux vehementer expavit , & mox ſe conferens ad caſtrum munitiſſimum ſolutis Dei auxilium imploravit. Medio autem tempore condicti diei proſpectans dux per propugnacula cum quibusdam , vidit ingentem exercitum albatorum in equis albis , clypeis cruce rubea conſignatis eminus venientem,& mox ſtupens dixit ſuis : Numquid videtis , ait, illa quæ video ? Et illi ; Nihil,inquiunt ; Et mox omnes cum duce ſupplices preces dantes ad Dominum viderunt innumerabilem exercitum albatorum. Tunc dux cum quibusdam ex ſuis exiens , curvavit genua ; Cui unus obvius ex multis millibus , elevavit eum , dicens : Ne verearis fideliſſime Princeps ventari Regis adventum. Adſunt iſti divino juſſu parati juvare te quos eleemoſynis,& Miſſarum ſuffragijs de Purgatorio liberaſti. Medio autem tempore condicti diei , liberabuntur & alij, qui nobiſcum in tuum adjutorium ſunt venturi. Et hoc dicto,omnis illa albatorum turba diſparuit , dux vero reverſus in caſtrum cum ſuis omnibus Dominum benedixit. Ad diem ergo ſtatutum Rex cum infinita multitudine ſuorum,& aliorum nobilium , qui contra Ducem Dominum ſuum totum terræ populum adduxerant,quaſi de victoria certus advenit , & in planitiem prope caſtrum cum mira multitudine ſe diffudit. Venit & illi obvius Dux , nimirum alacer vultu , & animo inconcuſſus , ſtatimque ubi caſtrum cum paucis exivit, illa tanta , & tam inenarrabilis multitudo cœleſtis exercitus ei eſt conjuncta , ut ex adverſo caſtrorum cœleſtium multitudine Regis turba quaſi modica videretur. Quod ut vidit Rex , & omnes qui ſecum erant , validiſſimo pavore concuſſi ſunt , & advertentes magnalia ſummi Dei , projectis armis , obvijs manibus in terram proſtrati ſunt , & ad voluntatem ducis cum ipſa vita , & rebus, totaliter ſe dederunt.*

Lib. 3. c. 2. n. 11. Aliud exemplum.

8. In vita S. Philippi Nerij legitur,quod cum mortuus eſſet Joannes Animuccius , Muſices in Vaticano præfectus, qui ad oratorium quotidie accedens , completis ad populum ſermonibus , Muſicum inſtituebat concentum,acciderit, ut is tribus jam annis è vivis ſublatus die quodam ſolitis expletis quatuor ſermonibus, Alphonſo cuidam Luſitano apparuerit , atque inter eundum ſic illum interrogaverit : Jamne dimiſſum eſt oratorium ? dimiſſum,reſpondet Alphonſus. Iterat ille : Meis quæſo verbis Philippum roga , ut pro me apud Dominum orationibus inſtet , hisque dictis evanuit. Tum Alphonſus ſecum reputans, Joannem Animuccium jam dudum vita perfunctum , revocat gradum ; ut hominem reviſat,inventoque nemine, pavidus, ac tremens, Philippum adit , eique rem omnem enarrat : Qui præcipit , ut die poſtero ſacri fericm in Oratorio ipſe ad amuſſim edifferat. Deinde mandat , ut Miſſas in diverſis urbis Eccleſijs pro defuncto celebrandas curent. Præter quas in Eccleſia S. Joannis nationis Florentinæ Miſſam quamdam de Requiem pro eodem defuncto cantari fecit. His omnibus peractis , cunctis fratribus oratorij palam Philippus edixit : Animuccius noſter jam pervenit : Significans à Purgatorio ad cæleſte regnum evolaſſe.

TRACTATUS LXXXVII.

DE RELIQUIIS SACRIS,

EARVMQVE CVLTV ET VENERATIONE.

CONTINET

DISCVRSVS XI.

DISCURSUS I. Ex vereri teſtamento deducitur ſacrarum reliquiarum cultus & veneratio.

II Idem ex novo pariter teſtamento,in primo præſertim ſæculo Eccleſiæ deducitur.

III. Varia allegantur miracula in conſervatione reliquiarum patrata , ſicut etiam nonnullæ punitiones Divinæ in eorumdem profanatores fulminatæ : unde, quantam Deus ſacrarum reliquiarum habuerit curam & æſtimationem , dilucide innoteſcit

IV. De honorificentia , qua Reges & Imperatores etiam

eſiam infideles ſacras appretiati fuere reliquias.

V In quanta quoque æſtimatione ab Eccleſia Summisque Pontificibus ſacræ reliquiæ habitæ fuerint,conſequenter demonſtratur.

VI. Ex antiquo & perverſuſto uſu dandi vela,brandea aut pulveres ſacrorum ſepulchrorum , aliisque ſignis exercitiisque devotionis erga Sanctos demonſtratis ſacratum reliquiarum confirmatur cultus & veneratio.

VII. Sacræ reliquiæ turres ſunt & propugnacula urbium, quibus populi ab hoſtibus & ſiniſtris caſibus defenduntur & proteguntur.

VIII. Varia conſiderationi ſubjiciuntur bona & beneficia,quæ ex cultu reliquiarum in noſtram redundant utilitatem & commodum.

IX Oſtenditur adhuc & probatur,cultum ſacrarum reliquiarum cooperari & conducere ad acquirendas virtutes : veluti è contra earum deſpectum & contemptum eſſe indicium & ſignum impietatis & iniquitatis. Ubi inſuper agitur de benedictionibus eorum,qui illas venerantur ac debito proſequuntur honore.

X De ſanctitate corporum & reliquijs Sanctorum , ac de cultu eisdem ab Eccleſia exhibitio. Denique quanti Deus eas æſtimet & appretietur.

XI. Variæ ſupra eamdem materiam inſtituuntur conſiderationes.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

E veteri teſtamento deducitur ſacrarum reliquiarum cultus & veneratio.

THEMA.

Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum. Pſal. 33. v. 21.

In V.T. in veneratione habuerunt oſſa ſanctorum cadavetum.

Dion. Carth.

1. INter alios Divinæ aſſiſtentiæ effectus , quibus Deus aſſiſtit Sanctis , recenſuit Propheta regius etiam curam illam, qua invigilat oſſibus & cineribus eorum poſt mortem:*Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum :* quod *Poteſt exponi de oſſibus corporis,* ait Dionyſ. Carthuſ *quæ licet in paſſione,vel poſt mortem conterantur & corrumpantur ; cuſtodiuntur tamen à Domino.* In omnibus ſæculis experientia docuit quanta cum veneratione,æſtimatione & honorificentia ſint cuſtodita non oſſa dumtaxat, ſed etiam atomi minuti etiam & imperceptibiles ſacrorum illorum cinerum. Verùm quod in hoc primo diſcurſu nobis jam examinandum ac exponendum venit , illud nimirum eſt ; quod veteris etiam legis Zelatores appretiabantur, reverebantur ac cuſtodiebant Sanctorum reliquias cadaverum ; uti ait Pſalmiſta. Eccleſiaſticus cap. 44. poſtquam ſacrorum Heroum ac glorioſorum virorum expoſuiſſet laudum encomia, ſubdit : *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt , & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Hunc textum Pigna fuſiſſimus libri hujus Commentator ita exponit : *Nonnulli exponunt in ſepulchro magnifico , & ſummo artificio elaborato,nam vox Pax juxta Hebræos omne bonum ſignificat vel certè quia Hebræi magnam vim peccaniarum inferebant in ſepulchrum cum demortuo corpore.* Hiſce conformiter Cornelius à Lapide exponit dictionem illam : *In pace* , inquit , *id eſt, in honore,decore & ſplendore , ſive opulenter , ſplendide & magnificè , pax enim Hebræis opes omneque bonum ſignificat.*

Ecclí. 44. 14.

Pigna in hunc locum.

Cornel à Lap. ibid.

Deus ſingularem curam geſſit ab initio corporum charorum amicorum ſuorum mortuorum.

Gen. c. 4. 10.

2. Ab exordio Mundi hujus ſuprema altiſſimi Dei Majeſtas vigilantem adhibuit oculum & curam in charorum amicorum ſuorum corpora demortua : unde eſt,quod dixerit fratricidæ Cain vocem ſanguinis profuſi innocentis Abel devenisſe ad aures ſuas , & clamaſſe in empyreum uſque:*Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ex quo enitur Deum animarum non ſolum eſſe remuneratorem in altera vita , verum & corporum etiam minutarumque partium ſpecialem habere curam:*Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* At quia Abelis jam mentionem fecimus,à propoſito noſtro non deviabimus , ſi & pro confirmatione antiquiſſimi illius uſus, quo corpora & reliquiæ amicorum Dei, qui ex hac vita migraverant, cuſtodiebantur & in veneratione habebantur, Adamũ parentem ſuum adducamus. Salianus referens hiſtoriam Abſalonis ejusque ſimulatum animum,quo Patri ſuo dixerat , & fingendo perſuaſerat ſe iturum in Hebron , ut ibidem vota ſua perſolveret : *Vadam & reddam vota mea,quæ vovit Domino in Hebron* , ita ſcribit præfatus Hiſtoricus : *Quod aperiè oſtendit, etiam Davidis tempore Religioſe coli ſolita monumenta Sanctorum, votaque Deo ſub eorum patrocinio facta fuiſſe perſolata, re enim dubia vel inſolenti non bene texiſſet mendacium ſuum Abſalon , nec habuiſſet ejus prætextus ullum apud Davidem probabilitatem.* Peregrinabantur Hebræi in Hebron , ut ibidem venerarentur oſſa ſacra Patriarcharum. Unde Lyranus ſcripſit : *Locus enim ille* , inquens, *ſanctus reputabatur , eo quod quatuor Patriarchæ principales ſunt ibi ſepulti cum juris conjugibus , ſcilicet, Adam & Eva ; Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Jacob & Lia , ſicut dictum eſt Gen. 23. & ideo Abſalon fingebat illuc ire ex devotione.*

2. Reg. 15. 7.

Salian. an. 3009. n. 5. t. 3.

Lyran. ibid.

3. Verùm non deſiunt alia teſtimonia ad elucidandam hanc veritatem. S. Hieron. Epiſt. 53. ſcripta à Ripatio eum in finem,ut refutaret temeritatem Vigilantij,qui ſacrarũ reliquiarum cultui ſe opponebat , ſcripſit : *Joſeph,qui in typo præceſſit Domini Salvatoris noſtri, ſocceratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron oſſa portavit,ut immundum patrem avo & atavo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet ?* Annon conſtat Moyſen, qui præ omnibus alijs cum ſtupore dotatus fuit ſapientia & ſpiritu Dei, cuique facie ad faciem Deus loquebatur,corpus Joſephi in ſummo habuiſſe honore & veneratione,cũ illud velut inæſtimabilis pretij theſaurum ad terram promiſſionis ſecum deferret *Tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum.* Et verò ex eo,quod in ſepultura corporis ipſiusmet Moyſis contigit, aperte colligitur & deducitur cultus , quo illis etiam temporibus cineres & oſſa ſervorum Dei honorabant. Deut. cap. ultimo legimus hæc verba:*Et non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem.* Creditisne fortaſſis,quod Deus abſconderit corpus Moyſis volens cũ hoc improbare veneerationem & cultum,quem populus Sanctorũ exhibet ſepulchris? Toto aberratis cœlo ; audiamus S. Epiphanium : *Sacræ litteræ ſignificant non eſſe ab hominibus Moyſis corpus ſepultum; ſed ab Angelis videlicet,quod verba ipſa tacitè intelligentiæ noſtræ ſubjiciant.* Igitur Deus noſter vel maximè honorat etiam poſt mortem electorum ſuorum corpora: Quod igitur fuit myſterium illud,quod Dominus Deus abſconderit corpus Moyſis ; quo facto reliquiarum veneration videtur ſe opponere ? In Epiſtola Canonica S. Thadæi Apoſtoli legitur : *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore , &c.* S. Michael,veluti nunc Eccleſiæ,ita tempore illo Synagogæ agebat protectorem , cum igitur illius indemnitati invigilaret , id effecit , ne populus ille in idololatriam degeneraret corpori Moyſis exhibendo cultum latriæ, quemadmodum aſtutus ſerpens rudi hunc populo inſinuare ſatagebat. Cardinalis Bellarminus hanc tractando materiam ſcripſit : *Populus*, inquit : *Judæorum eo tempore propenſiſſimus erat ad idololatriam,ita ut etiam vitulos aureos coleret ; unde poſt captivitatem Babyloniam , quia populus ille non amplius coluit idola , videmus Deum illuſtraſſe ſepulchrum Iſaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, Eliſæi , Abdiæ & aliorum multis miraculis , & gratum habuiſſe cultum , qui oſſibus eorum exhibebatur , ut Epiphanius & Hieronymus tradunt.* Voluntas Dei noſtri eſt , ut Sanctis ſuis debitus ac conveniens exhibeatur cultus & reverentia , quod & S. Hieronymus in eadem epiſtola ad Riparium declarat expreſſis verbis : *Honoramus autem* , inquit : *Reliquias martyrum , ut eum , cujus ſunt Martyres , adoremus. Honoramus Servos , ut honor Servorum redundet ad Dominum , qui ait : qui vos ſuſcipit , me ſuſcipit.*

Patet in corpore Joſephi ex Ægypto, in terram promiſſionis tranſlato.

S. Hieron. Epiſt. 53.

Jud. Ep. 9.

Bellar. de Reliquijs. cap. 8.

S. Hier. ibid.

4. Reſpectus ac reverentia hominum Sanctorum exhibenda ſepulchris poteſt etiam deduci ex facto quodam relato cap. 23. libri 4. Reg. Ubi Rex Joſias poſtquam oſſa Sacerdotum idololatrarum falſorumque Prophetarum in pulverem comminui,diſpergi,eorumque monumenta deſtrui ac demoliri juſſiſſet , tandem oculos in aliquam inſcriptionem conjiciens inquiſivit. *Et ait,quis eſt titulus ille, quem video ? Reſponderuntque ei cives urbis illius; Sepulchrum eſt hominis Dei,qui venit de Juda,& prædixit verba hæc , quæ feciſti ſuper altare Bethel.* Et ecce providentiam non errantem,de qua cecinit Pſalmiſta : *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum.* Inſpiravit Deus Joſiæ,ut in communi exterminio omnium illorum ſepulchrorum , quorum magnus erat numerus,hoc unicum haberet præ oculis & cuſtodiret : *Et ait,dimitte eum , nemo commoveat oſſa ejus , & intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus Prophetæ,qui venerat de Samaria.* Factum hoc bene obſervat Bellarminus dicens : *Cum Joſias delubra idolorum everteret , & omnem idololatriam delere vellet , tantum abeſt,ut reliquias Sanctorum delendas eſſe æſtimaret,ut cum aliorum mortuorum oſſa effodiſſet , & in cineres redegiſſet , oſſa tamen Sancti Prophetæ ibidem reperta aſſervari juſſerit.* Aſt unum hic inquirendum , annon ſanctus hic Rex forraſſe legerat , quod Propheta ille , eſto à Deo

Applicatur ad propoſitũ factum Joſiæ Regis.

4. Reg. 23. 17

Bellar. cit. ibid. c. 3.

Miſſus

Missus ad corripiendum Jeroboam, esto etiam prodigiosa operatus fuisset miracula, juxta Dei ordinationem, quia, nimirum, Divino haud paruerat præcepto à leone oppressus & interfectus fuerit? Cur igitur hæc illi præstita gratia, ut cineres ipsius præservati fuerint & custoditi? Observetur, quam apposite casus ista occasione secutus custodiæ cooperabatur & curæ, quam Deus gerit de servorum suorum reliquijs:

3.Reg.13.24

Voracissimus Leo pepercit cadaveri, à se occisi, ejusque asino quia fuerat Propheta.

Invenit eum Leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere. Asinus autem stabat juxta illum, & Leo stabat juxta cadaver. Nunc peto ego, cur Leo alias vorax nimis, & carnis humanæ avidus, ne quidem digitum illius cadaveris attingere ausus fuerit, imò vigilem potius illius egerit custodem? Cur insuper ad explendam famem neque astans jumentum devorare attentavit, sed ambo ibidem stabant quasi attoniti aspicientes imo reverentes sacrũ illud cadaver, quousque erat sepulturę datum? Respondetur, prophetam hunc alium nõ commisisse errorem, nisi quod nimis facilè crediderit alteri falso Prophetæ, qui ei dixerat à Deo sibi revelatum fuisse, quod in domo sua se reficere & panem comedere posset, sed hanc culpam venialem morte jam expiaverat, ac propterea corporis illius exuviæ erant reliquię sacræ veneratione dignæ, ad quarum custodiam Deus adhibere ipsummet Leonem, qui ei intulerat mortem; disposuit insuper inhibens Leoni, ne minimum læderet, imò nec etiam tangeret jumentum, hunc enim merebatur respectum propter antecedentem contactum tanti Prophetæ *Leo stabat* (sic discurrit Dionysius Carthusianus)

Dion. Carth.

custodiens corpus exanime, in quo facto considerantur multa miracula; quod, scilicet, leo nec defunctum, nec asinum laniavit aut manducavit, nec facto commisso recessit, ut suæ natura est, & instar rationalis creaturæ custodivit occisum, ne à bestijs aut avibus tangeretur. Annotandum est, quod Propheta seductor postquam sepeliisset corpus occisi Prophetæ in proprio monumento, ex instinctu devotionis à filijs suis petierit sepeliri in eodem sepulchro & apponi ossibus defuncti tamquam hominis sancti:

3.Reg.13.31

Juxta ossa ejus ponite ossa mea. Unde dicere possumus, quo Plutarchus ad propositum scripsit de Scipione Africano, cujus tumulus à prædonibus etiam visitatus fuit: *Tanta est enim vis virtutis, ut non solum probos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat.* Quod de occiso Propheta hucusque dictum est, confirmat tandem Gregorius hac sua ponderatione:

S. Greg. 4. Dialog. c.24.

Qui occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accipit: Quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat jam justus ex morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi.

4 Reg. c.19. v.34.

Deus protexit Jerosolymam propter ossa Davidis in ea tumulata.

5. Aliud argumentum probans sacrarum reliquiarum æstimationem & venerationem desumi potest ex c.19.lib.4.Reg. quando urbs Jerosolymatana à Sennacherib obsidione cincta, & jam vicina erat ultimo exterminio: *Protegam urbem hanc,* dixit Deus, *& salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Quiescebat nimirum, corpus David in Jerusalem valli instar insuperabilis contra inimicos: *Licet hinc intelligere* (pono verba Glossæ) *justos homines etiam vita viventium patronos agere.*

Glossa.

S.Hier. t.9.

S.Hieronymus tomo 9. suorum operum *de viro perfecto* in impios invehitur sacrilegos, qui sanctorum corporum venerationi se opponunt, & tali utitur argumento: *Negat fidem, qui quasi tentator inquirit, unde hæc potestas? Quasi non manifestum sit, in eâ sanctos Martyres nunc in spiritu miracula facere, in qua potestate adversarios suos prius in carne & in passione vicerunt.* In cujus fidem S. Doctor adducit celebre quoddam miraculum, quod alij etiam sacri Doctores allegarunt: *Elisæus,* inquit, *jam mortuus applicatis ossibus ejus mortuum (quem juxta corpus ejus pyratarum fugiens adventum, supremi officij deferens munus turba projecerat) exanimis animavit, & de frigidis ossibus, atque exangui corpore alienum cadaver vitali calore perfudit, nec quod habuit dedit; sed alij, quod ipse tunc non habebat, indulsit.*

Adducitur miraculum quo ossa Elisæi excitarunt mortuũ ad vitam.

Absque eo quod supplices ad Prophetam funderentur preces, frigidi illi cineres, ossa illa arida virtutem habebant solo contactu vivificandi cadaver illud, Divina ita disponente Providentia & prodigiosum hunc effectum causante eum in finem, ut eo magis confunderetur incredulitas illius, qui sacras reliquias nihil æstimat, nec veneratur. *Elisæus mortuus* (ita loquitur S.Ambrosius) *defunctum cadaver hominis tactu sui corporis suscitavit.* Verba S. Scripturæ sunt sequentia:

S.Ambr. l.1. in Luc c.1.
4.Reg.13.20
Ibid. v.21.

Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autẽ de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchrum Elisæi; quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos. Si prophetæ hujus ossa tantam habuere virtutem communicandi vitam ei, qui illam non expetiit, quanto magis hanc potuisset sperare gratiam, qui viva fide ardentique devotione pro illa supplicasset?

Quale virtutis fuerit pallium Eliæ.

Verum cum jam Elisæi fecerimus mentionem; præterire vix poterimus summam illam venerationem, qua pallium Eliæ Magistri sui prosecutus fuit; quando enim Elias curru igneo vehebatur in cœlum, demisit pallium suum, quod sapiens ac cautus discipulus tamquam pretiosissimas reliquias excepit, eoque miraculorum veluti instrumento usus fuit, dum eodem aquas præsertim divisit Jordanis, ut siccis illas transiret pedibus. Sed non mirum, siquidem in Elisæo jamjam secuturo Eliam mira & stupenda jam patraverat:

3.Reg.19. v.19.

Profectus inde Elias, reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum,... cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Vultisne hujus vestis ab Elia sanctificatæ intelligere virtutem? Audite illam in effectibus:

Ibid. v.20.

Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. Communicavit ei donum Prophetiæ, spiritum suum infudit, & brevissimo temporis spatio ipsum effecit sanctum. S.Chrysostomus in quadam Homilia compendio recenset, miracula plurima, quæ in veteri etiam testamento contigêre, non quidem ossium & cinerum sacrorum corporum suffragio; sed aliarum rerum inanimatarum adminiculo patrata à Servis Dei:

Chrysost. h.8. ad pop.

Calceamenta, inquit *trium puerorum ignem conculcaverunt; Elisæi lignum aquas mutavit, & ut ferrum in superficiem portarent, effecit. Moysis virga mare rubrum divisit, petram scidit. Pauli vestimenta languores expulerunt; umbra Petri mortem fugavit; sanctorum Martyrum favilla malignos expellit dæmones.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Antiquus usus & veneratio sacrarum Reliquiarum ex novo pariter Testamento probatur à primo præsertim Ecclesiæ sæculo.

THEMA.

Et tetigit fimbriam vestimenti ejus; dicebat enim intra se, si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. Matth. 9. ℣. 21.

Hæmorrhoissa tactu vestis Christi in nova lege, ostendit venerationem reliquiarum sanctarum esse piam & salutarem.

1. PEr hanc devotam Hæmorrhoissam, quæ sanguinis profluvio afflictabatur, anhelansque accedebat ad contactum vestimentorum Christi, Lyranus intelligit Ecclesiam, utpote, quæ ex gentilibus vitam & sanguinem suum in tormentis & martyrijs pro fundentibus congregata & coadunata fuit: *Fœdata fuit effusione sanguinis martyrum temporibus duodecim Imperatorum; hæc autem fimbriam vestimenti Christi tetigit, quando Constantinus fidem Incarnationis credidit.* Huic etiam nostro proposito conformiter asserere possumus, quod à primordio novæ legis gratiæ hoc facto docere nos voluit Sapientia incarnata, quod iidem illi gentiles, qui profudissent Christianorum sanguinem, conversi postea ad veram fidem sacras reliquias profusumque sanguinem eorumdem Martyrum debita veneratione coluissent, cum quo & corporis & animæ salutem sibi comparassent: *Tetigit fimbriam, &c.* Doctrina est doctissimi Salmeronis:

Salm. t.6. tract.15.

Instruimur, quod Deus miraculis subscribit virtuti corporum Sanctorum vel Reliquiarum, teste Bernardo super his verbis: neque mirum est, nam si Dei bonitas per quamvis creaturam se effundit ad dona sua communicanda, quanto magis per reliquias & corpora Sanctorum, quibus Deus singulares virtutes quibus nostrã excitaret fidem, & erigeret imbecillitatem, videtur contulisse.

De virtutibus vestimentorũ S. Pauli.

Ab hac igitur salutari Christi veste confidente & devota manu tactá efficacem ac miraculosam virtutem vestium Sanctorum, & multo magis cinerum & ossium beatorum corporum deducere possumus. Vivificam hanc vestimentorum virtutem Salvator noster ad Apostolos suos etiam transferre voluit: quapropter in Actis Apostolorum legimus:

Act.Ap.c.19 v.11.

Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Cardinalis Baronius in annalibus Ecclesiasticis hunc textum uti & Hæmorrhoissæ historiam assumit ad demonstrandum antiquissimum usum summamque venerationem vestium sanctorum hominum, quæ in primo etiam Ecclesiæ sæculo viguit: unde, inquit ille, clarè conspicitur in Ecclesia jam dudum institutus, stabilitus

Baron. an 55. n.8.

ac

ac miraculis approbatus & confirmatus sacrarum Reliquiarum cultus contra hæreticos earumdem impugnatores, quorum primus fuit Eunomius, quem postea secuti sunt Vigilantius; Claudius Taurinensis & alij. Unde bene dixit Gennadius:

Gennad.

Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus; sed Eunomianus & Vigilantianus creditur. Superius cap.5. refert Lucas de S. Petro:

Act. Apost. c.5. v.14.
Ibid. v.15.

Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Si sola umbra sui mortalis corporis curabat infirmos, quanto magis rationi congruum erat, ut ossa & cineres corporis sui salutiferam hanc imbiberent efficaciam & virtutem.

2. In Apocalypsi; quæ meras continet revelationes Divinas S.Joanni factas in primo illo sæculo, legitur:

Apoc.6.v.9.

Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant. Ex quo Cardinalis Bellarminus colligit usum ponendi Reliquias sub altari ab ipso etiam tempore Apostolorum:

Bellarm. c.3. de Reliq.

Testimonia Apocalypsis de veneratione Reliquiarum.

Videtur ista consuetudo Apostolorum tempore cœpisse; nam ideo Joanni Apoc. 6. ostensæ sunt in cœlo animæ martyrum sub altari; quia corpora eorum in terris sub altaribus requiescunt. S. Hieronymus notat summam Apostolorum anxietatem, qua honorarunt & venerati sunt corpus protomartyris: unde scribendo Ripario contra Vigilantium ei improperat:

S.Hieron. Epist.53.

Ergo, inquit, *Martyrum immundæ sunt Reliquiæ? Et quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, & facerent ei planctum magnum?* si vivus adhuc in gratiam & emolumentum fidelium operabatur miracula:

Actor.6.8

Faciebat prodigia & signa magna in populo, rationi planè conforme erat, ut corpus illud in veneratione haberetur, quod aliorum recipiendorum, uti suo loco dicetur, instrumentum extitit.

Salm. ibid.

Refellitur objectio hæreticorum miraculo Hæmorrhoissæ.

3. *Objiciunt hæretici* (inquit Salmeron) *Quorsum ista mortuorum ossa & cineres? Quibus respondendum est: quorsum sudaria & semicinctia Pauli? & quare umbra Petri sanabat infirmos?* Narrat deinde id, quod in Eusebio legitur de Hæmorrhoissa: *Scribit Eusebius, quod hæc mulier, postquam sanata fuerat, in Cæsarea Philippi, unde erat orianda, fecerit æream statuam in domo sua in beneficij recepti monumentum, quæ Christum cum fimbrijs, ut viderat, repræsentabat, & effigie suiipsius velut genibus provolutæ palmasque suppliciter tendentis ad Christum. Hujus ad pedes statuæ è basi herba quædam novæ specie nascitur, quæ cum exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet; quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit, ita ut quæcumque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur.* Hæc ibi. Argumentum nunc conficiamus à minori ad majus: si incarnatæ Sapientiæ Christo D. N. cui meritò dicendum: *Omnia in sapientia fecisti;* complacuit herbis illis, quæ tangebant fimbriam unius statuæ, miraculosam communicare virtutem, ut summam istius devotæ mulieris fidem, simulque illius gratitudinem testificarentur: quanto magis rationabile est, ut donum hoc miraculorum conferat cineribus & ossibus eorum, qui vivum existentes Dei templum ad gloriam ejus, macerationibus, jejunijs, vigilijs, alijsque austeris exercitijs corpus suum in servitutem redegerunt, toto vitæ tempore Divino incumbentes servitio.

Tom. 2. Concil fol 1207.

Quantum in initio Ecclesiæ æstimatæ fuerint Reliquiæ sanctorum.

4. In Concilijs legi sequentia: *Probat Reliquiarum antiquissimum cultum S. Clemens lib.6. Constit. Apost. cap.19. ex contactu cadaveris Elisæi Prophetæ mortuum suscitantis.* Sed audiamus, quid in depositione sui tabernaculi contigerit, idque in primo sæculo nascentis Ecclesiæ. Refert Gregorius Turonensis, quod cùm præfatus S.Pontifex in insulam Chersonensem relegatus esset, corpus illius alligatâ ad collum ejus anchorâ in profundum maris projectum fuerit;

S.Greg. Tur. de glor. Mart. c.35. 36.

Patet ex Reliquijs S Clementis Papæ.

at mare, ut absolutæ Creatoris sui potentiæ, cui & reliquæ creaturæ sua tenentur præstare obsequia, obsecundaret ex instinctu reverentiæ ad tria recesserit milliaria, ibidemque comparuerit templum marmoreum, in quo S. Pontificis corpus summa cum veneratione reconditum erat. Ecce probatum habes venerationem, qua in primis sæculis novæ legis gratiæ Deo placuit honorare reliquias servorum suorum.

S.Ignatij Episcopi & Martyris.

Quia insuper S.Ignatius Martyr, qui S.Petro successit in regimine Ecclesiæ Antiochensis, sanctè ambivit corpus suum in honorem Christi conteri & moli dentibus Leonum: *Frumentum,* inquiens: *Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Disposuit Deus ipsum honorare hoc miraculo; quod ipsius ossa instar panis apparuerint: siquidem Romæ in Ecclesia nostra, cujus titulus est Sancta Maria in Vallicella (communiter tamen denominata Ecclesia nova) à S.Philippo Nerio nostro Institutore à fundamentis erecta conservatur frustulum ossis S.Ignatij, quod in ejusdem Martyris die festivo exponitur, non aliter ac si esset frustum panis cum sua convexa crusta.

Baron. anno 110. n.1.

Refert præterea in annalibus suis Cardinalis Baronius, quod sacræ Martyris hujus reliquiæ Antiochiam delatæ fuerint à Sorianis, qui ipsum Romam comitati fuerant, & in omnibus urbibus, oppidis & quacumque patebat transitus, magno cum jubilo & applausu exceptæ fuerint, veluti latius descripsit S.Joan.Chrysostomus. Deinde collocatæ fuerunt in suburbio Antiochiæ juxta portam Daphniticam, ubi Deus illas multis illustravit miraculis. De hac translatione celebratur annua memoria die 17. Decembr. Addit Baronius, quod quamvis secundùm antiquas Romanorum leges Reliquiæ defunctorũ transferri non potuerint & Plinius scribat, quod temporibus Trajani Imperatoris idipsum nonnisi cum solito recursu ad collegium Pontificum impetrarunt tamen & hujusmodi licentiam obtinuerunt fideles, sed vi magnæ summæ pecuniæ; unde liquet, quanti Reliquias Martyrum æstimaverint Christiani illi, omnes sine dubio Apostolorum discipuli: etenim tametsi undique sæviret persecutio, attamen nihil prorsus gentilium formidantes feritatem, sacro illi pignori, nulla habita ratione expensarum, maximos exhibuerunt honores.

S.Polycarpi.

5. De S. Polycarpo Martyre, discipulo S. Joannis Apostoli, & coætaneo S.Ignatij legitur in Eusebio lib. 4. cap.15. & ex eo à Cardinali Bellarmino adducitur

Euseb. & Bell. de Reliq. c.2.

Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio Polycarpi, in qua Epistola narratur: Christianis cupientibus Reliquias Martyris & Judæis pertinacissime resistentibus, judicem ethnicum voluisse corpus in medio positum cremari usque ad cineres, & tamen Christianos collegisse incredibili aviditate Reliquias illas. Sed quid opus est indagare alias rationes ostendentes immensam istius primi sæculi curam & solicitudinem in ordine ad hanc venerationem, audiamus adhuc eumdem Bellarminum:

SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Beatus Gregorius lib.3. epist.30. scribit; ipso tempore, quo Petrus & Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente, qui eorum Reliquias tamquam suorum civium peterent; sed cum eas detulissent usque ad secundum lapidem ab urbe, Divino miraculo impeditos non potuisse ulterius eas deferre; tum vero à Romanis fidelibus apud Catacumbas reconditas fuisse; non postea Cornelius Papa (ut in Pontificali Damasus refert) transtulit ad ea loca, ubi nunc jacent.

Baron. anno 55. n.18.

Alia duo exempla venerationem Reliquiarũ probantia.

Baronius in annalibus suis Ecclesiasticis refert authorem quemdam gentilem nomine Eunapium Sardianum nostræ sanctæ fidei inimicum, qui tempore suo, in primo, nimirum, sæculo, valde detestabatur & indignabatur, quod Christiani in Alexandria Ægypti asservarent capita Martyrum, & coram sepulchris eorum genu flecterent, arbitrantes hos Martyres apud Deum suos esse intercessores.

Baron. anno 118. n.1.

In initio Ecclesiæ etiam supellectili sanctorũ exhibitus fuit honor.

Sub imperio Trajani: veluti in ijsdem legitur annalibus, jussu hujus Imperatoris quinque virgines Christianæ igne absumptæ fuerunt, & quia hos cineres liquefacto commisceri fecit metallo, quo vasa nonnulla in usum thermarum publicarum fundi jusserat, contigit quod, quicumque thermas illas intrabant, seseque lavabant, caligine quadam opprimerentur, exeuntes vero è thermis subitò proruerent in terram. Insoliti hujus accidentis causam statim intellexit Trajanus, unde, alijs vasis ex ære fusis, præcepit de istis quinque confici ac formari statuas repræsentantes quinque illas virgines, non alium in finem nisi ut ibidem honorarentur; ex quo facto colligi potest, quantam Deus gesserit curam sacrorum cinerum eorum, videlicet, qui pro ipso & fide Christi moriebantur.

Cultus Reliquiarum & SS. imaginũ ab undecim concilijs approbatus fuit.

6. Invincibile quoque argumentum est, quod Ecclesia primis istis annis summa cum reverentia & devotione conservaret non solum ossa Martyrum & aliorum Sanctorum, verum etiam eorum supellectilem, uti est cathedra S. Petri, quæ licet ex fragili ligno confecta, ac temporum injuriæ præsertim incendio subjecta, attamen ab illo tempore hucusque tamquam pretiosus Reliquiarum thesaurus custodita fuit.

Acta Eccle. Mediol. fol. 1103.

S.Carolus Borromæus, quia optimè noverat cultum, quem Catholici deferunt sacris reliquijs, ipsis hæreticis esse spinæ instar in oculis, & instar clavi seu cultri eorum penetrare corda observavit, quod in

 diversis

diversis temporibus ab Ecclesia celebrata fuerint undecim Concilia, quorum sanctionibus & decretis cultus tam imaginibus quam reliquijs debitus confirmatus & approbatus fuit: Unde & ipse Sanctus speciali illas prosecutus est honore summa cum celebritate instituendo earum translationes, veluti refertur in amplo illo volumine, cui titulus est, *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, & in historia vitæ S.Caroli. Bellarminus aliud adhuc argumentum ex antiqua veneratione pietatisque exercitio Constantini Magni, qui coram sepulchris & Sanctorum Reliquijs (veluti legitur tom.1. Conciliorum in vita S.Sylvestri Papæ) curavit accendi luminaria, deprompsit inquiens: *Inter alia dona, quæ obtulit sacris Reliquijs Petri & Pauli, Laurentij & sanctæ Crucis multa numerantur candelabra, multæ lucernæ, quæ perpetuo ardere deberent, nec est credibile Constantinum aliquid obtulisse, quod non esset in usu antea in Ecclesia.* Citat S.Paulinum in natali festo S.Fœlicis, cujus sunt versus sequentes:

Bellarmin. ibid. c. 3.

Aurea nunc niveis ornantur lumina velis,
Clara coronantur densis altaria Lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris;
Nocte dieque micant, sic nox splendore que diei
Fulget, & ipsa dies cæelesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Omninò voluit Deus ut corpora Sanctorum debito excipiantur honore, & hinc nobis innotesceret, quod in altera vita gloria eorum æterna aliqua ex parte in vitam hanc præsentem redundaret: *Transeuntes ex hoc Mundo ad Patrem* (ita loquitur S.Bernardus) *sancta nobis pignora reliquerunt; apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorum nomina vivent in sæculum, id est, quorum numquam gloria sepelitur.* Ad extremum usque judicij diem Deus dispofuit & voluit, ut cineres & ossa eorum glorificentur & mediante devotione pioque fidelium obsequio, & interveniente beneficentia (quæ ab ipsis plerumque redundat) multarum gratiarum ac miraculorum, *quorum numquam gloria sepelitur.*

S. Bern. ser. 5. in festo. omnium SS.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Varia producuntur miracula in conservatione Reliquiarum patrata, sicut etiam nonnullæ punitiones Divinæ in earumdem profanatores fulminatæ; unde, quantam Deus sacrarum Reliquiarum habuerit curam & æstimationem, facilè innotescit.

THEMA.

Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab. Deut.34. ℣.5.

Deus ipsemet sepelivit corpus Moysi mortui.

1. AD exprimendam immensam illam, quā Deus de cineribus & ossibus Servorum suorū defunctorum habet, æstimationem, ampla sacrarum litterarum volumina percurramus, minimè necesse est; siquidem efficacius nihil produci potest & evidentius eo, quod nobis manifestat Spiritus sanctus, nimirum, quod Altissimus haud dedignatus fuerit sepelire corpus Moysis: *Mortuus est ibi Moyses &c.* Quod si mihi objiciatis, interveniente Angelorum ministerio hoc factum esse: opponam ego authoritatem S. Hieronymi contra Vigilantium, & propria ipsius verba, quæ in Epistola quadam Ripario inscripta habet, adducam, sic scribit: *Moysi corpusculum, juxta hebraicam veritatem, ab ipso sepultum est Domino.* Quo facto Deus cunctis sæculis in annalibus æternitatis manifestare voluit magnam illam curam & existimationem, qua fertur etiam post mortem in cineres & ossa servorum suorum sibi dilectorum: *Et sepelivit eum*, Plenæ sunt historiæ, tum antiquæ, tam recentiores, visionibus & revelationibus, quæ Deo operante pluribus fidelibus omni tempore exhibitæ fuerunt istum in finem, ut, nimirum, absconditi thesauri sanctorum corporum patefiant & & lucem aspiciant: ex quo Dei patescit providentia, qua sacris istis invigilat Reliquijs. Scribit Ruffinus, quod cum imperante Juliano Apostata gentiles apud Sebasten ossa Sancti Præcursoris Christi jamjam intenderent comburere, Divinæ providentiæ cura specialis ibidem enituit: *Quidam enim, cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina fieri viderent, mori gratius habentes quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius ac Religiosius congregantes, furtim se*

S. Hier Epist. 53. ad Ripar.

Ossa S. Joannis Baptistæ miraculosè conservantur ab igne. *Ruffin. l. 11. c. 28.*

vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, & ad Religiosum Patrem Philippum venerandas Reliquias pertulere. In annalibus Ecclesiasticis legitur, quod cum populi Lituaniæ numeroso exercitu magnam partem Poloniæ infestarent ac deprædarentur: *Inter alias prædas lignum Crucis, vivificum ex calvo monte receptum abducebant, & cum essent in finibus Poloniæ, currus, in quo vehebatur lignum Crucis, repentè substitit, nec ullo modo moveri potuit. Flamen autem Lituanicus dixit, currum moveri non posse, nisi crux in locum suum redderetur, moxque in calvum montem per unum nobilem captivum Polonum, Rumbolam, dictum ob id libertate donatum remissa est.* In sacro sancti ligni hujus honorem innumerabilia contigerunt miracula, & quidem specialia ea sunt, quæ in illius inventione, opera S.Helenæ Imperatricis & Constantini Magni Matris patrata sunt; at ea diffusè referuntur in promptuario sacro.

Miraculum de S. Cruce. *Rayn. ann. 1371. n.27.*

2. Nullum fortassis hæc ingerunt hæreticis stuporem, eo quod de Reliquijs Redemptorem dumtaxat nostrum respicientibus agatur; sed quid dicent de summa Dei æstimatione & providentia, quam demonstravit circa tot tantosque cineres & ossa innumerabilium aliorum Sanctorum? In ijsdem annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronius refert singulare aliquid, quod evenit Anno 290. Christianorum persecutor corpora & ossa SS. Martyrum & gladiatorum commisceri jusserat, volens unum cum alio confundere simulque impedire, ne ab invicem discerni, nec unum ab altero seligi posset, hoc executioni mandato quid fit? omnes impij ministri fugæ se dederunt, quia cœlitus territi fuerunt fulgure tonitru, copioso aquarum imbre ac terræmotibus, apparueruntque supra Martyrum ossa tres faculæ instar stellarum, quibus sacra cadavera ab alijs profanis secernebantur, quarumque luce comitante à fidelibus summa cum devotione & honore sepulta sunt in aliqua excisa petra, quam evanescente postea lumine illo miraculoso non fine admiratione ibidem invenerunt fuisse præparatam. Non minus stupendus est alius casus occurrens Anno 362. Gentiles ex Gaza summo odio persequebantur Eusebium, Nestabum & Zenonem fratres, eo quod divino armati zelo acriter in eorum superstitiones inveherentur; quapropter tres viros sanctos carcere diris verberibus & fustibus exceperunt, deinde concitato in eos populi furore corpora eorum in terram prostrata per urbis plateas crudeliter & ignominiosè raptarunt, tandem interemerunt: & quia timebant seu potius invidebant gloriæ, quæ ex ossibus illis sacris, si conservarentur, resultare posset, ideo sacrosancta illa corpora combusserunt, & in cineres redacta aliorum animalium cineribus permiscuerunt. Ast quia semper verum illud: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, Deus cuidam Christianæ mulieri apparuit in somno, & monstrando ei, quænam essent Martyrum ossa, jussit ea colligi, quod & pia mulier executa fuit, & collecta alteri cuidam Zenoni SS. Martyrum nepoti obtulit. Contigit insuper Reliquias S.Andreæ Apostoli ac sancti Saturnini evidenti, incendij expositas esse periculo, siquidem Ecclesia, in qua asservabantur, jamjam igne conflagrabat; at Deus devoto ac fideli cuidem viro inspiravit, ut per medias irruens flammas Ecclesiam ingrederetur, ac thesaurum istum ab incendio eriperet, quod & strenuè peregit nihil prorsus à flamma correptus, sed illæsus evasit: unde bene proposito huic congruunt Verba Doctoris Chrysostomi: *Quorum animæ in cœlis sunt, eorum neque corpora ex propinquitate lædi possunt: quorum animæ in manu Dei sunt, neque Reliquiæ eorum ex loco, in quo reconditæ sunt, quid pati poterant, nihil enim ante hac detrimentum accessit.*

Sanctorum ossa miraculosè discernuntur ab ossibus infidelium. *Baron. ann. 290. n.30.*

Baron. ann. 362. n.138. Hoc ipsum factū est officibus triū fratrum martyrum.

Ps. 33. v.21.

Baron. ann. 526 n.47.

Reliquiæ S. Andreæ & S. Saturnini conservantur ab igne.

D. Chrysost. 105. ser 25. de Assenss. Christi.

3. Admirabilior apparebit hæc Dei Providentia in Reliquijs S. Euphemiæ translatis Constantinopolim. Ubi cum innumerabilia operarentur miracula Leo Isauricus, qui tunc imperabat, clam illas loco suo amoveri, in earumque locum ossa alia profana substitui, tumbam vero seu cistam unà cum sacro incluso corpore in mare projici pessimè mandavit. His ita peractis de Christianis loqui cœpit arguendo illos, quod in cultu Reliquiarum plurimas committerent fraudes & dolos, simulque eis improperando asserebat se. *Inspexisse ossa arida & fœtentia in arca; accedant homines & rem videant. Accidit interim, ut nautæ quidam factum ignorantes in navim suam loculum susceperint, putantes aliquid opulenti in illo haberi: aperiunt, ac mirifico odore, qui inde exhalavit, perfusi, cognoverunt esse sacras reliquias, ignari quænam forent. Eadem nocte viderunt lumina, cereos, virosque candidissi-*

Thom. Boz. de sig. Eccle. Dei l. 15. c. 16.

Stupenda conservatio Reliquiarum S. Euphemiæ.

mos Deum laudantes, cumque appulissent Lemnum, & somno se dedissent, viderunt in quiete Glyceriam Martyrem occurrere Euphemiæ virgini, amplecti illam, adventumque gratulari, ex eo cognoverunt, cujus essent reliquiæ. Ter inde solventes iter ventis reflantibus eodem rejecti sunt. Denique Euphemia adstitit illis in somnis, & quæ foret, edocuit, ac se ibi velle subsistere edixit, ex quo fuerat ab impio Leone in mare projecta. Latenter itaque repositæ fuerunt ob Imperatoris metum Reliquiæ in insula Lemno, donec mirabili quodam modo Constantinopolim reductæ fuerunt, imperantibus Irene & Constantino. Hæc illius temporis æqualis Episcopus Constantinus, qui se adfuisse his rebus testatur, eaque, uti narravimus, scriptis mandavit. Mirum & illud: postquam Boleslaus Rex Poloniæ S. Stanislaum Cracoviensem Episcopum in ipso actu, quo incruentum Deo offerebat sacrificium, manu sua crudelissime obtruncasset, sacrum deinde corpus in plures partes à Satellitibus, concisum per agros frustatim mandavit projici in prędam & escam volucrum rapacium, canum & ferarum. Verùm *Custodit Dominus ossa eorum*, dum sacrum viri corpus quatuor tradidit grandiorum Aquilarum custodiæ, quæ illud à quatuor partibus in circuitu incredibili curâ & valore per duos integros dies defenderunt & protexerunt, nocte insuper supra sacras illas reliquias de cœlo splendentia visa fuere lumina, quorum indicio moti nonnulli sacerdotes cum alijs pijs personis sparsa membra collegerunt, suisque locis aptè disposuerunt, quæ novo prodigioso miraculo, Deo ita disponente, subitò inter se ita connexa & copulata sunt, ac si numquam ab invicem fuissent sejuncta, nullo vulnerum remanente vestigio.

Et S. Stanislai Episcopi.

4. Audiamus modo D. Augustinum, qui in duobus Sermonibus scribit de S.Vincentio Martyre: *Quod tanta cura*, inquit, *servavit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonstravit, nisi gubernasse se viventem, quem non reliquit exanimem? Vicit Dacianum vivens Vincentius, vicit & mortuus.* Pergit deinde in sermone secundo demonstrando, quod Tyrannus, quia in vita ab invincibili Vincentij constantia turpiter victus fuit, post mortem ejus saltem sperabat se victorem si de sancto Martyre se vindicaret, & in cadaver illius impiè sæviret: *Illius*, ait, *sibi promittit cadaveris expositione vindictam, cujus gemit ex virtute victoriam; feris namque & canibus, decepta furoris superbia absumendum projici mandat lictoribus, ut tali pastu eorum impleret ventrem, quorum ipse gerebat mentem. Sed ut divinis excrescentibus beneficijs majoris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur corvus avis inimica cadaveribus expositas corporibus dapes servatura jejuna &c. Qui ut cœlitus se custodem designatum ostenderet, adventantes reliquas aves eminus non segni impetu perturbabat, inter quas immanem quoque lupum propius accedentem, velutì qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis & alis diverberans procul abegit. Sed ille, quod non tam ad inferendam venisset injuriam, quam ad augendam miraculi pompam quadam sui habitudine stupidus indicabat: O impudens furor & stulta vesania! Corvus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere.*

S. Aug. ser. 1. de S. Vinc. Martyr.

Ibid. ferm. 2.

5. Ex pœnis quoque & supplicijs, quibus Divina justitia affecit sacrarum Reliquiarum profanatores, facilè quis devenire potest in cognitionem summæ æstimationis & curæ, quam Deus gerit de sacris reliquijs. In annalibus Ecclesiasticis legimus: *Unus (nimirum Vasco) arcam argento figuris atque varijs imaginibus egregiè sculpto, in qua Ravennatum aliquot Archiepiscoporum & aliorum virorum Sanctorum ossa servabantur inclusa, dejectis in terram sacris ossibus, deprædatus, ingenti miraculo feras nequaquam pœnas luit; nam vix portam Ursianæ ædis majoris egressus, aliquantalum ad Lævam processerat, cum eadem natione occurrens alius, sive veteris simultatis, sive occulto divino consilio, eum in capite vulneratum trucidavit, nulla deinde arcæ habita ratione, quam arcam Petrus Ghiradellus aurifex, qui militem insequebatur illam ab eo suppliciter petiturus, arreptam denuo sanctis eisdem ossibus replevit.* Celebris est funestus ille casus, de quo fit mentio in Annalibus Ecclesiasticis; verba verò, quibus ille compendiò vulgari, quo & uti soleo, describitur, sunt sequentia: Sedes Apostolica in regno seu ditione Babyloniæ nonnulla possidebat bona, quæ singulis annis pro censu annuo tantum referebant balsami, quantum sufficiens erat pro nutriendo fovendoque

Graviter puniuntur profanatores SS. Reliquiarū. *Rayn. ann. 1512. n.21.*

Baron. ann. 1061. n.17.

lumine unius lampadis pendentis ante altare S.Petri; dicta verò bona per quemdam Pontificem divendita fuere; unde & defecit annuus census Balsami, simulque contigit, quod dum idem Pontifex coram memorato altari preces funderet, apparuerit ei vir senex grandævæ ætatis aspectu non minus terribilis quam venerabilis qui brachio elevato magna vi dedit ei alapam hæc addens verba: *Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum.* Hoc dicto disparuit; at Pontifex in terram procidit, & vitæ terminum complevit.

6. In annotationibus Martyrologij Romani alterius cujusdam insignis miraculi quod juxta sepulchrum S.Narcissi Episcopi accidit, fit mentio: *Illustratur tumulus ejus multis miraculis, quorum illud est celeberrimum sub Petro Rege Aragonum quando capta Sicilia per Carolum Siciliæ & Philippum Francorum Reges: ex sepulchro S. Narcissi, quod violare attentarunt milites, muscarum examen egressum in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam egit, à cœptisque desistere coëgit. Contigerunt hæc 8. Septembris anno Domini 1286. Ex his apud eos in proverbium obierunt: Muscæ S.Narcissi.* Recenset quidam Historicus, muscas has miræ magnitudinis prodiisse ex sacris illis cineribus insolentiâ & irreverentiâ illorum militum irritatas venenoso adeò illos momordisse dente ut paucos infra dies ultra quadraginta millia peditum & viginti quatuor millia equitum miserè perierint. De Clodovæo Francorum Rege legitur, quod cùm de sepulchro S. Dionysij argentum tollere tentaret, non quidem in harum Reliquiarum sacrarum despectum, neque ex aviditate aliqua, sed pro alendis pauperibus tempore annonæ caritatis, hujus nihilominus facti luit pœnam: *Sancti illius ossa minùs reverenter contrectans brachium avulsit, mox mente captus est, & tanta aëris obscuritas in templo secuta, ut qui illic præsentes erant omnes consternati fugerent; ac licet Rex gemmis & auro condecoratum restitui jusserit, numquam tamen ab insania prorsus liberatus est.* Discursu præcedenti mentionem fecimus statuæ ab Hæmorrhoissa ob recuperatam sanitatem & liberationem à fluxu sanguinis gratitudinis ergò erectæ, quæ quia in civitate Cæsareæ herbarum illarum interventu plurima operabatur miracula, Julianus apostata Christianorum inimicus, præsertim verò implacabilis cultus sacrarum Reliquiarum hostis eam è medio tolli jussit: *Hæc cùm à fidelibus frequentaretur, ut dicitur in libro Historico tripart. à Juliano imperatore apostatâ ablata est imago Christi, & sua supposita, quæ non multo post fulminis ictu est in pulverem reversa.*

In notis Martyrolog Roman. 18. Martyr.

Aliæ tres notabiles punitiones profanatorū sacrarū Reliquiarum.

Jurita lib. 4. cap. 69.

Bellofor. in Clodovæo 2.

Laziar lib 3. Hist. c.60.

Salmer. t.6. tract. 15.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

De veneratione & honorificentia; quâ Reges & Imperatores etiam infideles sacras appretiati fuere Reliquias.

THEMA.

Nimis honorificati sunt amici tui Deus. Ps.138. ℣.17.

Reges & Imperatores venerantur sacras sanctorū Reliquias.

1. HOnorificentia & gloria, quâ Magnates & Principes Mundi hujus in omnibus sæculis honorarunt Sanctorum corpora eorumque sepulchra, evidens & indubitatum testimonium est cultus & venerationis ossibus sacris debitæ: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Obelisci, Pyramides, Mausolæa, Arcus Triumphales aliaque gloriosa monumenta Cæsarum insigniorumque aliorum Heroum cum tempore defecerunt; at non ita sepulchra & corpora Servorum Dei: *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivet in generationem & generationem.* Ubinam invenietis Reges, Imperatores, Monarchas, qui prostrati in terram humillimè venerati sunt cineres vel ossa alterius cujusdam Regis etiam potentissimi, esto etiam Alexandri Magni: veluti è contra in omnibus sæculis honorarunt sanctorum Heroum Reliquias? S. Augustinus in epistola ad Madaurenses ita scribit: *Videtis imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Celebris est protestatio illa S. Hieronymi, quando in fine vitæ S.Pauli primi eremitæ mentionem facit tunicæ ejus relictæ S.Antonio, cujus postea hæres remansit S. Athanasius Patriarcha Alexandrinus fulgentissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen; præfatam igitur vitam concludit S.Hieronymus hisce verbis: *Obsecro, ut quicumque hæc legis, Hieronymi peccatoris*

Eccli. 44. 14

S. August. Epist. 42.

S. Hieron. in vita S. Pauli primi Erem.

meminerit, cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli, quàm Regum purpuras. Hujus prærogativæ intelligentia facilis est, quia purpuræ, diademata & sceptra imperialia humillima non ossibus dumtaxat; verum etiam ipsis vestibus sanctorum hominum gloriantur deferre obsequia: *Illic Rex & Imperator* (sic loquitur S. Chrysostomus de Martyrum sepulchris) *diadema regium abjicit, atque in martyris sepulchro permanet orans & rogans, ut sibi à periculis liberatio concedatur & contra hostes victoria.* Idem ostendit in alia Homilia, quæ est 66. ad populum, ad sublimandam sacrarum reliquiarum gloriam: *Christus*, ait, *tunc omnem terrarum orbem ad se traxit adorandum, cùm mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cum & discipulos postquàm obierant, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra, simul & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu vero mihi ostendas sepulchrum Alexandri, & profer diem, quo vitam finivit. Sed nihil horum insigne; sed omnia destructa sunt & exterminata. Christi vero servorum & sepulchra clara sunt, Regiam assecuta dignitatem, & dies notissimi Mundo festam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & proprij nesciunt; horum autem sciunt & barbari. Et servorum Crucifixi sepulchra Regijs aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multò majus est, conveniventium studio.*

S. Chrysost. Homil. in Psalm 48. — *S. Chrysost. Hom. 66. ad pop.*

Deducitur ulterius honor & veneratio quam Reges exhibent sepulchris Apostolorum. — *Ps.138.v.17.*

2. Hæc tamen os aureum scripsit de temporibus suis; quod si ad hæc usque vixisset tempora, simulque sumptuosissima illa templa in honorem Sanctorum jam erecta cum stupore spectasset, mentem suam retractaret, aut aliter scriberet, ubi enim reperietur ædificium adeò opulentum & sublime, sicuti est Ecclesia & turris S. Petri in Vaticano; ubi meritò intonatur illud: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*, dum & Reges & Imperatores venerantes eorum Reliquias reverenter deposuerunt Sceptra & Coronas suas? Pergit nunc S. Chrysostomus in eadem cit. Homilia: *Nam & ipse, qui purpurâ indutus est, incedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud eum intercedant; & scenarum fabrum & piscatorem rogat etiam mortuos ut protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur horum Dominum nuncupare mortuum; cujus servi vel mortui terrarum orbis reges sunt protectores? Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli, nam & hic Constantinum magnum ipsius filius Constantinus honore censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret, & quod in regijs sunt janitoribus regibus; hoc sunt in monumento piscatoribus reges, & illi quidem ut Domini loca tenent interiora; hi vero tamquam inquilini & vicini aulæ januam sibi gratum habuere deputari, & infidelibus ex his ostendentes, quod in resurrectione major erit piscatoribus dignitas, &c.*

Job 3. v.13. & 14. — Continuatur idem propositum.

3. In Propheta Job 3. legitur: *Somno meo requiescerem cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Certum est sanctum Prophetam loqui de monumentis & Mausolæis, quæ ad cooperienda sua cadavera erigunt. Et verò justa cum ratione ea denominat solitudines, quia ad sepulturam usque ingenti stipantur comitatu subditorum servorumque, at hic finis pompæ illorum; sed quæ horum comparatio cum Sanctorum cineribus? Honor istis exhibitus corporibus ne quidem comparatione dignus est cum eo, qui Sanctorum defertur ossibus & Reliquijs: in harum hamque venerationem & honorem Reges & Monarchæ laboriosas instituunt peregrinationes: *Multo cæteris regalibus sepulchris monumenta sunt clariora* (adhuc sermocinatur S. Chrysostomus de sepulchris SS. Martyrum) *nam illic quidem magna solitudo, hic autem magnus concursus; Quod si velis & regalibus aulis monumenta comparare, rursum & hic victoria. Nam illic quidem multi deterrentes, hic vero multi vocantes & attrahentes, divites, pauperes viros mulieres, servos, liberos &c. Et hic quidem regnans alicui subjecto præcipit, ut hunc quidem solvat, illum verò liget; Sanctorum verò ossa non hanc habent miserabilem & abjectam potestatem, sed illa multò majorem; dæmones enim sistunt & torquent, & vinctos ab illis solvunt sævissimis vinculis.* Paulò post recenset nullum Regem instituisse peregrinationem ad honoranda Mausolæa aliorum Monarcharum: *Multi vero Reges plerumque peregrinati sunt* (loquitur de sepulchris sacris) Carolus Magnus Imperator non semel sed quatuor vicibus hoc sacræ peregrinationis iter ingressus fuit sacras Apostolorum Petri & Pauli Reliquias veneraturus; & quando jam attigerat montem Vaticano vicinum, dictum, montem Marium, è quo Basilica S. Petri spectari potest, subitò desiliens ex equo reliquum, quod supererat, iter absolvit pedester, nec eo contentus, voluit insuper flexis genibus scalam, qua ad sacras itur Reliquias, ascendere singulos gradus reverenter osculando.

S. Chrysost. Hom 66. — Mira devotio Caroli Magni erga sacras reliquias SS. Petri & Pauli.

Baron. anno 293. n.8. — Et Serenæ Augustæ erga S. Susannam Martyrem.

4. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Refert Cardinalis Baronius de Serena Augusta, quod in propria persona iverit collectum sanguinem sanctæ Susannæ capite jam plexæ, & corpus ejus summo cum honore sepeliri curaverit conservans velum ejus in sumptuosissimo aliquo reliquiario. Usuardus in Martyrologio j. Julij scribit, quod defuncto Theodorico Abbate, qui fuit discipulus S. Remigij, & vivens resuscitaverat filiam Regis Theodorici filij Clodovæi Regis Franciæ, ipsemet Rex ad monasterium processerit, ac proprijs humeris sacrum illud cadaver ad sepulchrum deferre voluerit. In annalibus Ecclesiasticis legitur de Carolo, cognomine, Simplici, Rege Franciæ, quod solemnem destinaverit legationem ad Henricum Saxoniæ regem, eique simul tamquam perpetuæ confœderationis pignus transmiserit manum S. Dionysij pretioso Reliquiario gemmis exornato inclusam, quo solemni dono indicare voluit, quod cum eo regnum etiam cum Reliquis omnibus bonis Francorum transferret in Saxones; unde inter alia Legatus Henrico retulit, quod post factam translationem corporis S. Viti Martyris ex Francia in Saxoniam numquam in regno illo commotiones civiles ac bella extranea cessaverint; è contra verò res Saxoniæ benè ac prosperè successerint. In Concilio aliquo descriptum invenio obsequium ab Arcadio Imperatore (de quo mox dicemus) præstitum corpori Samuëlis Prophetæ, cujus etiam mentionem facit S. Hieronymus, subdens: *Possumus nos, quod ille de Arcoadio Imperatore dixit de Philippo Hispaniæ Rege Catholico & piissimo dicere adversus hæreticos hujus sæculi; sacrilegus & nunc dicendus est Philippus, qui Reliquias Beatæ Eugeniæ & Leocadiæ humeris impositas piè & Religiosè in Ecclesiam Toletanam Philippo filio & alijs principibus sociatus immisit, & in cœnobio S. Laurentij ab ipso mira structura exædificato, conquisitis ex omni Christiano orbe Sanctorum beatas reliquias vasis, auro & gemmis clarissimis & fulgentibus, & cælatis distinctis magno cultu & Religione colit & veneratur, ita ut Philippus natu maximus, adolescens summæ spei soleat detecto capite, genibus flexis eisque innixus pulverem vasorum abstergere.*

Alia varia hujus venerationis exempla in Regibus & magnatibus, Clodovæi & Caroli simplicis, Regũ Franciæ. — *Baron. anno 920. n.4.* — Arcadij Imperatoris. — *Tom.2. Concil. fol.1207.*

Hic est S. Franciscus Seraphicus.

5. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Filius Bernardoni Assisinatis, qui eousque se abjecerat, ut sub pedibus vixerit omnium, post mortem adeò honoratus fuit, ut Magnates & Principes res illas, quas vel manu contrectaverat, quibusve usus fuerat, in magna habuerint veneratione. Unde cervical ejus Regi Franciæ dono exhibitum Rex ipse pluris æstimavit, quam suam Reges Persiæ, qui ad caput lecti aliquod milliones auri asservare solebant. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Nicephorus Calixtus scribit de Constantino: *Quatuor solidis firmisque absidibus pulchrè circum circa basi columna fundata, sub ea ipsa basi duodecim cophinos & septem sportas, nec non reliquias septem panum, quibus benedictione consecratis Christus multitudinem pavit; præterea dolabram Noë, qua ille Arcam construxit, manibus ipse suis Imperator sigillo suo ea omnia obsignata reposuit*, quæ ad nostra usque tempora etiam nunc urbi intactus inviolatusque thesaurus permanent. Excellentior adhuc fuit honor ille, quem idem Imperator exhibuit corporibus SS. Petri & Pauli, dum in honorem primi extruxit Basilicam valde sublimem & solemnem, & duodecim cophinos terrâ è fundamentis ibidem erutâ plenis humeris proprijs inde detulit. S. Hieronymus in Vigilantium, qui sacrarum reliquiarum veneratores, appellabat sacrilegos, invehendo, eique improperando hisce concludit verbis: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sacras reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei Constantinopolim transtulit, apud quas dæmones fugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus & nunc dicendus est Augustus Arcadius: qui ossa S. Samuëlis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam?* In annalibus Ecclesiasticis leguntur sequentia: *Cælestis gratiæ donis Parisiensis Ecclesia Philippo Suevo Imperatorem agenti egregiam partem elargita est* (nempe de reliquijs sacris) *sabulam, videlicet, inæstimabilis ferè pretij, auro gemmisque*

Constantini Magni. *Niceph. Calixt. lib. 7. cap. 49.* — *S. Hieron. lib. contra Vigilantium.*

Ann. 1205. num. 41.

misque distinctam, per multa Sanctorum reliquiarum genera continentem, quam aurea alligatam catena Græcorum principes diebus maxime festis velut certum imperij pignus collo appensam soliti erant circumferre. Non minus quàm regna sua propria catholici pij Imperatores appretiabantur sacra Sanctorum corpora; unde cùm Otto de monte Gargano rediret discedens Benevento tulit secum corpora S. Bartholomæi Apostoli & S. Paulini Nolæ Episcopi, eaque quasi in triumpho secum conduxit Romam. Ex eo quoque quod Theodosius Imperator gessit in ordine ad corpus S. Joannis Chrysostomi, erui potest honor & veneratio, quam Christiani Monarchæ sacris hisce thesauris exhibuère: igitur postquàm dictus Imperator plurimos ex primarijs Senatoribus destinasset, qui in urbem Constantinopolitanam sacrum illud corpus transportarent; hi verò quacumque etiam vi adhibitâ loco illud dimovere nequirent, piissimus Princeps propria manu humillimas ei scripsit litteras, quibus omnium injuriarum ac despectuum, quos Majores sui in sanctum adhuc viventem commiserant summâ cum animi submissione petiit veniam, præsertim verò illius, quod sanctum virum in exilium proscripserint, & cum hoc libello supplici simul alios ablegaverat Senatores & legatos, qui quàmprimùm sacro cadaveri supplices hasce litteras debita cum cæremonia apposuerunt, absque omni difficultate tumbam cum sacro pignore elevarunt, ac Constantinopolim usque cum solemni pompâ & triumpho comportarunt.

Otthonis Imperatoris. *Baron. ann. 1000. n. 6.* — Theodosij Imperatoris. *Rader. in aula sancta cap. 13.*

Novarin. annus Euchar. lib. 5. excurs. 6. n. 42. — Ipsi Turcæ & infideles venerantur loca sacra & Reliquias.

6. Verùm quid dicemus, si non solùm Principes Catholici, sed etiam ipsimet Turcæ ac infideles sacras venerati sunt reliquias? Novarinus memorat & scribit Epistolam se legisse scriptam 1583. in qua referebatur Turcas cœnaculum Sion intraturos toties quoties calceis exutis nudis illud intrare pedibus, ipsisque Prohibitum esse ibidem expuere, & hanc reverentiam derivasse existimant ex traditione, quæ inter eos vigebat, quod in hoc loco Christus magnus Propheta cum Apostolis suis magnum illud instituerit mysterium. Quis ignorat Chosroam Persarum Regem lignum Crucis reposuisse in locum honorificentissimum magisque conspicuum throni sui regalis pretiosissimis undequaque gemmis exornati? Quis nescit Heraclium Imperatorem, ut ditiones suas non recuperaret dumtaxat, verùm etiam ut ante omnia magnus ille thesaurus S. Crucis restitueretur, totum suum imperium non exiguo exposuisse periculo, & tandem victorem inter primas conditiones pacis initæ ursisse hujus sacri ligni restitutionem omnia mundi regna pretio superantis? In annalibus Ecclesiasticis sub Innocentio VIII. *Die ultimo mensis Maji, die Ascensionis, intravit urbem magni Turci, qui donavit lanceam, vel ferrum lanceæ Longini, cum quo fodit latus Domini nostri Jesu Christi in cruce, & fuit recepta à Pontifice & toto Clero processionaliter ab Ecclesia S. Mariæ de populo usque ad S. Petrum, & erat inclusum dictum ferrum in quodam tabernaculo chrystalli cum pede & alijs ornamentis puri auri, & fuit res magnæ æstimationis. Cuspis ejus est apud Regem Franciæ, prout ipsemet Turca nunciavit Papæ per suum Oratorem.* Paulò superiùs legitur eodem anno: *Perlatas ad Pontificem una cum ferro lanceæ Dominicæ plures Reliquias, atque unà cum ijs spongiam & cannam passione Christi consecratas.* Porrò in quem finem Turcarum Imperator inæstimabilem hunc thesaurum summo Pontifici dono obtulerit, eadem manifestat historia subdens: *His muneribus conciliare sibi Innocentium studebat Bajazethes, ne occidentales Principes in eum concitaret.* Ecce quanti & ipse infidelis princeps appretiabatur sacras has reliquias!

Rayn. ann. 1492. n. 8. — *Ibid. n. 17.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

In quanta quoque æstimatione ab Ecclesia summisque Pontificibus sacræ reliquiæ habitæ fuerint, consequenter demonstratur.

THEMA.

Nimis confortatus est principatus eorum. Ps.138.ṽ.17.

Quantã venerationem SS. Reliquijs semper exhibuerint summi Pontifices.

1. Ostendimus discursu precedenti magnificentiam & venerationem, qua Mundi hujus potentiores Reges, Imperatores & Monarchæ Sanctorum appretiati fuerint Reliquias, quæ gloria & honorificentia haud exiguum assequetur augmentum: *Nimis confortatus est principatus eorum*, si jam demonstrabimus, qualem eisdem venerationem, honorem & obsequia summi Pontifices Christi Vicarij quovis semper tempore exhibuerint. Ac primò quis & qualis est locus ille designatus ab illis, unde Sanctorum cultus & veneratio incrementum capere valeat? Audiamus desuper S. Augustinum: *Magnificamus Martyres, videte quem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub throno meruerunt; dicit enim Scriptura Sancta: Vidi sub ara Dei animas occisorum. Quid reverentius, quid honorabilius dici potest, quam sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos? Rectè sub altario justorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini fertur.* Ordinarunt summi Pontifices, ut lapidi consecrato, sine quo nullum offertur incruentum sacrificium, Sacræ Reliquiæ includantur tamquam inæstimabiles margaritæ: ergo dignior illis assignatur altaris locus, in quem de cœlo descendit Sanctus Sanctorum. Prosequitur deinde discursum suum S. Augustinus: *Convenienter & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant. Non immeritò consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponantur, ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet.* Neque solum sacri hujus thesauri æstimatio deducitur ex loco competentiori & digniori sacris Reliquijs assignato; verùm etiam ex ipsa appretiatione, in qua apud summos Pontifices omni tempore extitère. S. Carolus, qui Pij IV. nepos fuit, sacras reliquias in summa habuit veneratione & honore, quemadmodum ex decretis ab ipso emanatis, simulque ex honorificentissimis earumdem translationibus in varijs occasionibus celebratis satis liquet. Plurima circa sacras reliquias ordinavit & ordinata scripto mandari curavit, sic enim habetur in actis Ecclesiæ Mediolanensis: *Ecclesia Catholica à Spiritu Sancto gubernata sacris reliquijs perpetuam exhibuit reverentiam & venerationem varijs Christianæ religionis officijs; hinc est, quod Ecclesiæ & altaria ipsarum reliquiarum interventu consecrentur; hinc est, quod Sacrificium Missæ supra illas celebretur; hinc est, quod à principio Evangelij Sanctorum celebrentur festa canticis, hymnis, jejunijs & vigilijs; hinc est quod eisdem dona, vota, eleëmosynæ semper oblatæ fuerint à Regibus, Principibus & populis cum perpetuo Christianæ liberalitatis testimonio; hinc est, quod omni tempore augustissima in honorem eorum constructa sint templa. Hujus cultus, horumque obsequiorum authores & promotores fuerunt summi Pontifices.*

S. August. serm. 73. in append. — *Acta Eccle. Mediol. fol. 1102.*

Baron. anno 544. n.20. — S. Hieronym. erga sacras Reliquias fuit devotissimus.

3. Observat Cardinalis Baronius paternam Gregorij M. providentiam circa hanc urbem Romanam habitam, dum magna solicitudine, cura & studio conatus est impedire, ne Roma spoliaretur sacris Reliquijs. S. Hieronymus, qui & erga sacras Reliquias devotissimus fuit, easque magno devotionis affectu & spiritu sæpe venerabatur, singularem in populo Romano affectum erga Sacras Reliquias observavit, cùm ait: *Romanæ plebis laudatur fides, ubi alibi tanto studio & frequentia ad Ecclesias & Martyrum sepulchra concurritur?* Mandavit Deus famulæ suæ S. Brigidæ, ut ad loca hæc sancta peregrinationem institueret, dicens ei *Illic enim plateæ sunt auro stratæ & Sanctorum sanguine rubricatæ.*

S. Hieron. in procem. ad Galat. — *Sur. in vita ejus.*

In quanta veneratione S. Gregor. M. habuerit sacras Reliquias, maxime S. Pauli.

3. Tametsi Gregorius M. sapiens & piissimus Pontifex innumerabilibus Romam sciret abundare SS. Martyrum ossibus & corporibus, nihilominus observatum fuit, quod summè eadem appretiatus & in eisdem distribuendis valde parcus fuerit, uti patet ex casu sequenti: postquam enim Constantina Augusta in palatio suo ad honorem S. Pauli Apostoli ædificasset Ecclesiam, scripsit dicto Pontifici & ab eodem petiit caput ejusdem Apostoli, aut saltem partem aliquam corporis illius amandari sibi petiit Constantinopolim; at sanctissimus Dominus honestissimè se excusando se nõ posse ei in hoc gratificari rescripsit, & præter rationes ad ipsam ab hac cogitatione abstrahendam varia etiam & terribilia exempla, quæ circa eos, qui Sanctorum reliquias tetigerunt & viderunt, contigère, adduxit, addens inter alia prædecessorem suum, quod ornatum argenteũ de corpore S. Petri quindecim pedibus etiam dissitum deponere ac mutare voluerit, haud exigui correptum fuisse terroris indicio (Addunt annales, quod dùm S. Gregorius sepulchrum S. Petri ad meliorem intenderet reducere formam, loci illius Præpositus nonnulla ibidem invenerit ossa ad idem sepulchrum quasi non pertinentia, nec cum eodem quasi conjuncta, & quia inde ea tollere, aliòque comportare ausus, qui-

Litteræ S. Gregorij ad Constantinã Augustam, quæ petierat partem Reliquiarum S. Pauli.

busdam ibidem territus spectris mortuus fuerit) Pergit jam S. Pontifex in epistola sua ad Augustam: Sciat tranquillissima Domina, hunc esse Romanis morem ac consuetudinem, quod quando Sanctorum elargiuntur reliquias nihil de sacro corpore tangere audeant, sed brandeum dumtaxat pixidi inclusum transmittant; quod sacratis prius applicatum corporibus, ac postea inde sublatum in Ecclesia dedicanda debita cum veneratione collocatur, eoque mediante tot & tanta fiunt miracula; ac si ipsamet sancta corpora ibidẽ essent præsentia: de quo cùm nonnulli Græci dubitarent tempore Leonis Papæ beatæ memoriæ, idẽ Pontifex brandeum aliquarum reliquiarum, de quibus erat dubium, forcipe scidit, & sanguis inde subitò promanavit. Quid dicam de corporibus beatissimorum Apostolorum? notum est & manifestum omnibus, quod nonnulli fideles ex Oriente eo tempore, quo patiebantur certas angustias, peterent hinc sibi transmitti sacra quędam corpora; quæ & illis donata fuere; at quid contigit? cùm illa detulissent non procul ab urbe ad locum duobus milliaribus distantem, dictum, ad Catacumbas, inde ea dimovere non potuerunt horrendo deterriti tonitru & fulgure; quapropter Romani præfatas reliquias eo loco, quo modo resident, reposuerunt. Quoad sudarium S. Pauli, quod sibi pariter mandari jubet, illud unà cum corpore sacro conservatur suo loco, nec illud tangere, nec corpus Sancti accedere licitum est. Nihilominus cùm minimè decens sit, ut devotissimum desiderium serenissimæ suæ personæ abhinc recedat vacuum, prima data occasione partem quamdam catenarum, quas S. Paulus ad collum manusque gestavit, quibuscum etiam multa patrantur miracula, transmittam, modo limando eam tollere possim; Multi siquidem petunt istius limaturæ particulas & ut petentibus satisfiat, adest sacerdos limam adhibens catenæ, & limando ad quorumdam petitionem, subitò inde excidunt particulæ limaturæ; verùm id si faciat ad aliorum instantiam, diu limâ laboratur, & vix aliquod fragmentum aut particula abstrahitur ac decidit. Hucusque S. Gregorius.

In quanta veneratione habita fuerit catena S. Petri.

4. Factâ jam mentione Catenarum S. Pauli, ecquis ignorat quantâ cum reverentia & honore S. Ecclesia excipiat & illas S. Petri catenas, dum in earum honorem & memoriam primo die Augusti festum & officium solemne instituit, & ad earumdẽ gloriam sumptuosissimum erexit templum dictum, S. Petri ad vincula? *Meritò per omnes Christi Ecclesias*, inquit S. Augustinus, *auro pretiosius habetur ferrum illud ... vinculorum.* Argentum, quod Rex David præparaverat pro ædificando templo Jerosolymitano ad valorem nostri scuti reductum & computatum importabat 1440. milliones, & 1683. milliones auri; at quæ proportio est inter vastum adeo montem auri & argenti, ac minutissimum fragmentum harum catenarum à summis Pontificibus ac universi hujus Monarchis tanti æstimatum? Ecce quem dignitatis gradum conscendit reliquiarum sacrarum gloria: *Nimis confortatus est principatus eorum.* Cùm mediante catenâ S. Petri celebre illud patratum fuerit miraculum, de quo fit mentio in lectionibus istius festi, scribit Cardinalis Baronius: *Qua catena Theodoricus Episcopus Metensis arrepta, cùm diceret se eam nisi manu ejus abscissa non dimissurum, tandem Imperator, sedato litigio, à Papa Joanne obtinuit, ut annulum hujus catenæ excussum Episcopus mereretur.* In ijsdem annalibus in earumdem catenarum honorem leguntur sequentia: *Ex illis tenuia ramenta Christianissimos Principes ad collum religionis causâ gestare consuevisse.* Huic proposito conformiter in mentem revocare possumus verba Jeremiæ Prophetæ, cùm ait: *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo, & mittas eas ad Regem &c.*

1. Paralip. 29.

Ps. 138. 17.

Baron. ann. 969.

Ann. 69. n. 30.

Jerem. 27. v. 2.

Baron. ann. 519. n. 93.
Exemplum Justiniani Imperatoris.

5. Alio tempore (veluti ide Cardinalis Baronius scribit) Justinianus Imperator instanter petijt à Papa Hormisda quasdam reliquias SS. Petri & Pauli, eò quod ad eorum honorem in palatio suo construxisset Ecclesiam sive Basilicam: petiit insuper eorumdem Sanctorum Sanctuarium per intercessionem S. Germani in hunc modum: *Unde si & Beatitudini vestræ videtur Sanctuarium Apostolorum Petri & Pauli secundùm morem largiri præcipite, & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa deponere vestrum est, deliberate.* Ex quo patet, quantæ in hoc sæculo æstimationis fuerit cultus sacrarum reliquiarum, præsertim apud Justinianum Imperatorem, qui, ut jam ex allegatis constat, tamquam pretiosissimum honorarium sibi donari petiit, non corpora vel ossa Sanctorum, sed velum aliquod, quod secundam cataractam seu foramen sepulchri Apostolorum tetigit & transivit, quem in finem manu propria summo Pontifici scripsit, & litteras per Eulogium spectabilem virum exhiberi jussit.

6. In Concilijs reperitur epistola quædam Gregorij I. Papæ, & est Epist. 128. inscripta *Recharedo Regi Visigothorum: Clavim parvulam à sacratissimo B. Petri Apostoli corpore vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat.* Paulò superiùs legitur de dono aliquo à Gregorio VII. exhibito Alphonso Regi Hispaniæ: *Ex more Sanctorum misimus vobis claviculam auream in qua de catenis B. Petri benedictio continetur, quatenùs per ejus præsentiam patrocinia uberiora ejus erga vos beneficia sentiatis, & in amorem ipsius de die in diem ferventes accendamini.* Tomo 3. eorumdem Conciliorum in notis Gregorij III. honoratissima fit memoria cujusdam Oratorij; quod ipse summa cum honorificentia ædificavit eum in finem, ut cultum sacrarum reliquiarum ab Iconoclastis profanatum resarciret: *Pontifex Sanctorum omnium reliquias, quas toto orbe Christiano colligere poterat, honorificè collocavit, idque ideò, quod à Leone Iconoclasta Sanctorum reliquiæ contemnerentur.* Tomo 3. eorumdemmet Conciliorum habetur epistola alia Gregorij I. & est Epist. 62. cui titulus est: *Adeodatæ illustri fœminæ*; in qua Pontifex ob dilationem transmissionis quarumdam reliquiarum se excusat, ita scribens: *Ut moram in dandis reliquijs, quas gloria vestra petit, faceremus, non voluntate distulimus; sed præcedentis rei nos casus fecit ambigere; Deus autem omnipotens cordis vestri devotionem intuens, miraculorum signis admonentibus, à vestra vos intentione fraudari non pertulit; sed ideò desiderium vestrum modicâ voluit dilatione differri, ut docentibus miraculis & amor vobis cresceret in veneratione Sanctorum, & major fieret exultatione gaudiorum. Quia ergò in affectu postulatæ rei gloriæ vestræ vota completa sunt hortamur, ut cujus prædicatores colitis, ejus sollicitè mandata servetis, & sicut religiosa devotione terrena Sanctorum honoribus loca construitis, sic quoque cum eis mansionem vobis procurare in cœlestibus festinetis; quatenùs & hic illos in omnibus adjutores, & in futura mereamini habere vita consortes.* Adhæc elapso sæculo novimus Gregorium XIII. ad S. Petrum in Vaticano magnis sumptibus nobilissimum extruxisse sacellum, idque in honorem S. Gregorij Nazianzeni, ubi summa cum pompa & magnificentia numquam visa illius corpus collocatum fuit.

Tom. 2. Concil. fol. 874.
Alia similia exempla.

Tom. 3. Concil. car. 191.

Tom 2. Concil. fol. 890.

7. Ut Reliquijs debitus impendatur honor, cultus & veneratio, integri expenduntur thesauri, quia, ut attestatur S. Chrysostomus, *Thesauris longè sunt potiores, siquidem pecuniarum thesauri multa illis, à quibus inventi fuerint, creant pericula, cumque multa divisa in partes fuerint, divisione minuuntur, hic verò nihil tale est, sed expers periculi est inventio, neque diminutionem affert divisio, planeque contrarium evenit, quod sensibilium rerum thesauris; Nam illi quidem, ut ante dixi, si multas dissecti in partes fuerint, minores fiunt; isti vero, cùm in multis fuerint distributi, tùm suam magis opulentiam ostendunt:* Postquam, ut recenset Eusebius, iniquissimus Judex ossa S. Polycarpi comburi jussisset, fideles Christiani certatim sacros illos cineres collegerunt: *Christianos collegisse incredibili aviditate reliquias illas, ac si essent (inquit epistola) lapidibus pretiosissimis pretiosiores, & auro probatissimo probatiores.* De Adriano VI. Papa refert historia Ecclesiastica, *Cæsaream Augustam se contulisse, ac solemni ubique pompa exceptum; in hac verò urbe sanctissimorum Martyrum ipsum reliquias veneratum: cumque sancti Lamberti sepulchrum aperuisset, atque aliquas reliquias abscinderet, recentem & purpureum cruorem ex ijs fluxisse, qui vase chrystallino inclusus, adhuc in eo templo servatur.* De eodem ijdem referunt annales, quod paulò ante intimationem electionis, quia persona sua jam ad Papatum assumpta erat, dixerit: *Si vera sunt, quæ nuntiantur mihi, profectò plurimùm est dolendum; actum Cæsaraugustani denegatam antea S. Lamberti Martyris ex ea urbe oriundi maxillam dono transmisere, quod sacrum pignus sancto pietatis sensu delibutus excepit, ut maximum adeptè Pontificatus fructum percepisse diceret, quod tam pretioso munere frueretur.* Quantam igitur hic Pontifex de sacris reliquijs conceperit existimationem, istæ circumstantiæ, in quibus ista locutus fuit, evidentissimè indicant.

S. Chrysost. Tom. 1. ser. 65.
Sacræ Reliquiæ præferuntur thesauris pecuniarum.

Euseb. lib. 4. cap. 15. Hist.

Rayn. Ann. 1522. n. 7.

Ibid. n. 3.

Sanctorũ Reliquiæ sunt divina munera.

8. Sanctus Gaudentius Episcopus Brixiensis orationis suæ, quam habuit in solemni dedicatione Basilicæ recenter erectæ in honorem Reliquiarum 40. Marty-

S. Gaudent. trat. in die dedicat.

Martyrum, hisce verbis fecit exordium: *Divinis muneribus & cœlestibus beneficijs condignas referre gratias pusillitas nostra non prævalet; nam, ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit. Denique ut hanc honori eorum fundare Basilicam valeremus, ipse largitus est.* Et postquam gloriatus esset de adepto thesauro reliquiarum sanctorum Martyrum, prosequitur: *Cùm cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluvium jacerentur, non defuerunt Religiosæ manus, quæ partem cinerum vel furto eriperent; vel pretio compararent; hinc & Ecclesia Cæsariensis exultat; & nostra fraternitas non immerito gloriatur reservatum sibi providentia Dei istud salutare munus intelligens. Portionem reliquiarum sumpsimus; & nihil nos minùs possidere confidimus, dum totos quadraginta in suis favillis honorantes amplectimur sicut illa in Evangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi salvata est, oram tenuit vestimenti, & virtutem Divinitatis exegit; attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & salutem, quàm præsumpserat, acquisivit.*

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Ex antiquo & pervetusto usu dandi vela, brandea aut pulveres sacrorum sepulchrorum, aliisque signis, exercitiisque devotionis erga Sanctos demonstratis, sacrarum Reliquiarum confirmatur cultus & veneratio,

THEMA.

Vestri capilli omnes numerati sunt, Matth. 10. ℣. 30.

Deus etiam capillorum & minutissimarum reliquiarum curam gerit.

Luc. 21. v. 18

1. AD divinam qui se reflectit Providentiam Reliquiarum sacrarum etiam minutissimarum curæ intentam, oraculum Christi ad discipulos suos olim directum reperit verificatum: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Unius etiam capilli Servorum Dei magna habetur ratio, cura & æstimatio: *Capillus de capite vestro non peribit.* In primis sæculis Sacrosanctus hic thesaurus in tali ac tanta erat æstimatione & veneratione, ut, quemadmodum referunt Annales Ecclesiastici, fideles Christiani, quia corpora Sanctorum sepulchris inclusa attingere non poterant, supra eorum Sepulchra posuerint sudaria, aut aliud quoddam velum, quod appellabatur Sanctuarium, vel certè Brandeum, quantam; verò virtutem imbiberint hæc vela, optimè declarat S. Gregorius scribens, quod infirmorum ac defunctorum vestimenta posita supra altaria, in quibus Martyrum erant Reliquiæ, virtutem recipiebant sanitatem communicandi infirmis, & mortuis vitam; uti etiam refert D. Augustinus, qui ut gentilium convinceret impietatem, multa congessit miracula, quæ suo tempore in Africa contigerunt, multisque exemplis demonstrat eamdem virtutem & gratiam communicatam fuisse floribus, qui Sanctorum sepulchra tetigerant. Imò eamdem vim & virtutem habebant pulveres, qui aut sepulchris adhærebant, aut desuper dispergebantur; aut etiam quodcumque aliud apponebatur sacris Sepulchris, cujus omnes quasi Patres fidem plenam faciunt; præsertim verò S. Gregorius Nyssenus de pulvere loquens Sepulchrorum SS. Martyrum. Qualia etiam quantaque miracula mediante tali pulvere Deus patrare consueverit, evidens subministrat testimonium Sanctus Gregorius Papa referens mortuum quemdam pulveris hujus suffragio resuscitatum. Plura similia ab experientia confirmata scripsit Gregorius Turonensis. Eadem virtute potiebatur oleum lampadarum, quæ juxta antiquum usum circa Martyrum Sepulchra ardebant, Ad cujus propositum Sanctus Augustinus adducit exemplum de defuncto aliquo certi cujusdam Irenæi filio, qui dicto unctus oleo de morte rediit ad vitam. Theodoretus pariter recenset maxima hujus rei miracula.

Baron. an. 55. n. 8.

Eadem virtus inest minimæ particulæ reliquiarum corporis alicujus Sancti, quæ toto corpori.

2. Ne insuper omittam, quod sæpè verum esse docuit experientia, eamdem, nimirum, minimæ parti Reliquiarum inesse virtutem, quæ Martyris toti inest corpori, hoc nonnumquam in plures partes divisi, à diversis altaribus, quæ Martyrum Sepulchra sunt, imponi solebat, ut ex inscriptione apparet. Hinc fortè contigit, quod quia tales Reliquiæ eosdem operabantur miraculosos effectus (ac si in singulis locis integrum fuisset corpus) unius etiam & ejusdem Martyris corpus in pluribus locis esse dicatur. Tolerabilis hic error est, cui non dolus aut fraus humana; sed ingens Dei liberalitas dedit occasionem. Hucusque Baronius. Qui insuper in annotationibus ad Martyrologium Romanum 15. Junij refert petitionem à Justiniano Imperatore exhibitam Papæ Hormisdæ, cujus discursu præcedenti fecimus mentionem, refert, inquam, quod ad instantiam & jussum Justiani Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus præfato Pontifici scripserit his verbis: *Justinianus filius vester magnificus res convenientes fidei suæ faciens, Basilicam Apostolorum, in qua desiderat Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; ac Beati Laurentij reliquias esse, constituit. Sperat per parvitatem nostram, ut prædictorum Sanctorum reliquias concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri secundùm morem Græcorum, & nos contrà consuetudinem Sedis Apostolicæ exposuimus.*

Sedes Apostolica in erogandis reliquijs fuit semper valdè parca.

3. Græci in erogandis & concedendis reliquijs liberaliores & indulgentiores erant; non ita Sedes Apostolica, de qua in eadem annotatione legimus: *Vetus Romanæ Ecclesiæ consuetudo non tantùm abhorruit, ut corpora Sanctorum Roma transferri pateretur; verùm nec tenues reliquias ex eis detrahi quoquo modo permisit.* Sicque adimplebatur oraculum Evangelicum: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Capillus de capite vestro non peribit.* Citat authoritatem S. Gregorij ad Constantiam Augustam discursu præcedenti allegatam. Pergit deinde in sua Epistola Sanctus Germanus, quod Justinianus *acceptionem. Et quia talis est ejus fervor fidei, qui meretur, quidquid de Sede Apostolica depoposcerit, & talis est, qui sperat; unde & salus animæ & fidei accrescat, talibus desiderijs postulata competit non negare. Undè si Beatitudini vestræ videtur Sanctuaria beatorum Apostolorum Petri & Pauli secundùm morem ei largiri, præcipite, & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa Sanctuaria deponite: Extant ad eosdem Legatos Hormisdæ Papæ de eadem rescriptæ literæ, aliæ iisdem ad Justinianum, significantis se tantum Sanctuaria mittere; extant apud nos manuscriptæ ex codice Vaticano acceptæ: Per Sanctuarium autem velum intelligere debemus, quod Sanctus Gregorius in nuper citata ad Constantiam Epistola Brandeum appellat, ex quo sanguis effluxit, cùm à sancto Leone Papa forcipibus incideretur. Alibi autem idem appellat velamen, quod admoveri solitum erat sanctis Martyrum corporibus, ut l. 4. epist. 44. ex Synodo Romana & lib. 12. Decret. 4. Brandeum item appellat velum illud Joannes Diaconus in lib. S. Gregor. l. 2. c. 42. cùm ingens ede re miraculum narrat. Ex quibus omnibus liquet, non corpora, non fragmina ossium; nec tenuem rasuram illorum, sed tantum velum sacris admotum reliquijs pro magno munere consuevisse Romanos Pontifices ad clarissimas personas illas cupientes transmittere.*

Matt. 10. 30.
Luca 21. 18.

4. In progressu eorumdem annalium Ecclesiasticorum anno 416. legitur; quod, priusquam sub altari reponerentur sacræ Reliquiæ; in eodem conficiebatur fenestella, qua intromittebantur vela ad contactum cistulæ sacras Reliquias comprehendentis, per quæ Deus plurima operari solebat miracula. Quod author hic nominat fenestellam, alij appellant foramen, veluti alibi dicetur. Adhæc legitur ibidem scriptum, quod à Christiana pietate colligi solebant pulveres Reliquiarum loco vicini, quibus curabantur infirmi. Anno 1212. mirabilis Assisij contigit casus, cujus mentionem faciunt iidem annales hisce verbis: *Assisij Sancti Ruffini Episcopi & Martyris celebranda translatio incidit, qui velut redivivus præclaris tum miraculis coruscavit, ex quibus unum in medium adducemus, undè percipi liceat, quanta providentia custodiat Dominus non solum (quod testatur Psalmographus) omnia ossa Sanctorum, verùm etiam sepulchralem pulverem. Inter alias igitur res admirandas hæc memoriæ produntur. Cùm Reliquiæ sancti Ruffini Martyris de more translatæ fuissent, populo tunc ad Ecclesiam ipsius de diversis partibus veniente, quamplures ad sepulchrum, de quo Sanctus Martyr translatus fuerat, accedentes; de pulvere, qui post Reliquias extractas remanserat, assumebant, ut illum in honorem ejusdem Sancti Martyris ad propria reportarent; sed cùm ab Assisio per milliare vel non multò ampliùs revertentes distarent, tunc quidam morbo angariati, ita quod ulteriùs progredi non valentes; quidam viarum notitia amissa per vias erroneas gyro vagantes tamdiu sic impediti detinebantur, quoad pœnitentia ducti ad Ecclesiam Sancti Ruffini Martyris redirent, & ipsum pulverem de loco in quo assumpserant, postulantes ab eo veniam, obsignarent.* Ex hoc successu propositorum verborum arguitur veritas, nimirum, quod Deus non solum capillorum Sanctorum suorum, verum etiam,

Baron. ann. 416. n. 21.
Reliquiæ Sanctorum reponuntur sub altari.

Rayn. an. 1212. n. 39.
Puniuntur qui pulverem sepulchri reliquiarum furtivè surripuerant.

etiam,quod plùs est, pulveris, qui eorum tetigit sepultura, gerat curam.

Veneratio magna S. reliquiarum colligitur ex obsequiis fidelium illis præstitis.

5. Quousque antiqua sacrarum Reliquiarum sese extenderit veneratio, ex varijs deduci potest obsequijs, quæ devoti fidèles iisdem promptissimè præstiterunt. In actis SS. Marcellini & Petri sequens reperio scriptum: *Petrii & obtinuit Georgius Presbyter Aquisgrani palatij Præfectus ab Einbardo Abbate reliquias beatorum Christi martyrum Marcellini & Petri, quorum corpora ipse de Roma per homines suos nuper allata acceperat, easque in capsa, quam auro & gemmis decenter ornaverat, reconditas per Diaconum suum ad Basilicam sancti Salvij martyris, quam ipse tunc temporis per beneficium Regis tenebat, dirigere curavit.* Porrò notandum est,quod licet alijs temporibus summi Pontifices valde parci fuerint in distribuendo fidelibus cineres & ossa Sanctorum, nihilominus propter dignos respectus,ut sanctorum hominum meritis satisfacerent,aut certè propter causas nobis ignotas de urbe Romana translata fuerunt integra etiam sanctorum Martyrum corpora,in hisce tamen translationibus semper cum stupore emicuit Christianorum Catholicorum devotio & cultus,quo reliquias illas exceperunt & honorarunt. Sanctus Chrysostomus in sublimi illa Patriarchatus Constantinopolitani constitutus dignitate beatum se reputasset, si solum pulverem conspexisset,qui SS.Petri & Pauli pedibus adhæsit: *Vellem*, inquit, *& pedum illorum videre pulverem, qui per orbem currentes non laboraverunt, qui ligati erant in ligno, quando noctu conquassabatur carcer. Et quid opus est singula recensere? Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, tunc verò, cùm in hac vita essent emortua, in quibus omnibus vivebat Christus, quæ mundo fuerant crucifixa membra Christi, quæ Christum induerant, quæ templum Spiritus Sancti, sanctaque fuerant ædificatio, quæ ligata erant spiritui, confixa timore Dei, habentia stigmata Christi.*

In actis SS. Marcellini & Petri.

S. Chrysost. Hom. 31. in Ep. ad Rom.

Bellarm. de reliq. c. 3.

6. Bellarminus allegat authoritatem sancti Gregorij Nysseni, ex oratione quadam de S.Theodoro Martyre: *Narrat multis verbis, eos qui templa martyrum ingrediuntur,*(ita loquitur celeberrimus ille Cardinalis) *primò mirari molem ædificij,deinde parietes & pavimenta pulchrè ornata, tum statuas & picturas varias & subjungit tandem,ubi his oculos oblectavit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem contrectationem ejus esse credens, quod si quis etiam pulverem quo conditorium, ubi martyri corpus requievit, obsitum est,auferre permittat,pro munere pulvis accipitur, ac res tamquam magni pretij contenda terra colligitur, nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quod id sit multum desiderandum & optandum,ac summarum precum donum, sciunt experti & ejus desiderij compotes facti.*

Pulvis reconditorij Martyrum quanti æstimatus fuerit.

Quanti æstimata fuerit tunica S. Pauli primi Eremitæ.

Quanta insuper veneratione digna sint non ossa sanctorum dumtaxat,verum etiam res ipsæ,quarum usum habuerunt, indubitatam fidem faciunt verba Divi Hieronymi in vita sancti Pauli primi Eremitæ; attestatur enim magnum Antonium sanctitate quoque celebrem in tanta habuisse æstimatione tunicam ex foliis palmæ contextam, quam receperat ab eodem S. Paulo,ut illam in primarijs solemnitatibus Paschæ & Pentecostes dumtaxat pro summa reverentia gestaverit. Concludit deinde S. Hieronymus: *Ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportæ modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat, ac sic ad monasterium revertens, diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus.* Pretiosissimo hoc indumento in signum summæ reverentiæ vestivit se sanctus Athanasius,qui & illius remanserat hæres.

S. Hieron. in cap. 40. Ezec.

7. Quia Sancti Hieronymi jam fecimus mentionem,non abs re erit illud referre, quod nobis manifestat, scribens in caput 40. Ezechielis Prophetæ: *Cùm essem*, inquit, *Romæ puer,& liberalibus studijs eruditer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire,crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent sepultorum corpora, obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes, & raro desuper lumen admissum terrorem temperet tenebrarum.* Cardinalis Baronius ad perpetuam memoriam in historia Ecclesiastica recensèt summam magni hujus Doctoris venerationem, quando agit de hæresi à Vigilantio excitata contra reliquias ab eodem impugnata & refutata. Vigilantius eos, qui sacras venerabantur reliquias, appellabat Cinerarios: & sanctus Hieronymus hæresiarcham nominabat irrisorie Dormitantium: Reprehendebat ille,ad imitationem Joviniani,virginitatem,pudicitiam,jejunia: asserebat præterea miracula, quæ reliquiarum virtute fiebant, nonnisi dæmonum esse præstigia: postquam sanctus Hieronymus impia hæc dogmata enarravit, discursum suum prosequitur: *Quando mentem meam aut ira, aut mala invasit cogitatio, aut illusionem aliquam nocturnam passus sum,Basilicas Martyrum intrare non audeo.*

Baron. an. 406. n. 44.

Surius t. 4. 23. Julij.

8. De Sancta Brigida, quæ cœlestis sponsi sui jussu Romam venerat veneratum reliquias sacras, scribit Surius,quod adeo recollecta gradiebatur supra terram,sub qua jacebant sanctorum Martyrum ossa,ut in ectasin rapta videretur: *Cum summa devotione visitabat loca sancta, nec facilè colloquia miscens inter eundum, nisi forte interrogata esset, & tunc verbis paucissimis sciscitanti satisfaciebat.* De Sancto Eduardo Angliæ Rege scribit idem Surius, quod anno trigesimo sexto post mortem ejus corpus illius inventum fuerit adhuc integrum, humoribus plenum, flexibile, ac si fuisset vivum,neque solum in carne & ollibus illæsum, sed neque etiam capilli capitis, nec crines barbæ excciderant. Majus adhuc miraculum fuit illud, quod contigit circa corpora SS.Eustachij suæque uxoris & filiorum, quæ æneo tauro subjectis flammis candenti inclusa; nulla prorsus ex parte læsa fuerunt, & capilli omninò intacti conservati fuêre. Econtra horrendus est casus iste, qui de quodam profanatore sacrarum reliquiarum recensetur à Novarino in libro,cui titulus est Schediasmata sacra lib.2. cap.13. *Dignum illud est*, quod hic recensetur,quod de sancto Gerardo Sagredo legitur. *Post ejus mortem impius quidam in convivio sedens, pilos ex marsupio extraxit illudens & dicens: Hi sunt pili illius rasæ barbæ, qui nos avertere à paternis traditionibus se posse existimabat; sed is protinus à dæmone arreptus,carnem propriis dentibus mordens, vitam exhalavit, habetur in ejus vita cap. 21. Tanti illi constitit in re tantilla sanctum irridere.*

Alia præclara exempla de veneratione & conservatione sacrarum reliquiarum *Idem.*

Novarinus Sched. sac. l. 2 c. 13.

Horrendè punitur irrisor S. reliquiarum.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Sacræ Reliquiæ turres sunt & propugnacula urbium,quibus populi ab hostibus & sinistris casibus defenduntur & proteguntur.

THEMA.

Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum, Exod.13.℣.19.

Moyses ex Ægypto exiens pro maxima sua tutela contra hostes, secum tulit ossa Joseph.

1. ELecto jam Moyse à Deo exercituum in Ducem generalem, qui numerosissimo suo exercitui sexcentorum millium ac plurium militum imperare debebat, eodemque simul existente Chronico & hujus Historiæ Scriptore, credidissem ipsum unâ relaturum, quod Ægyptum relicturus providisset sibi de sufficienti commeatu, de omnibus ad prælia committenda necessarijs, de equitatu,de machinis bellicis, de strenuis expertisque belli Ducibus & Capitaneis, denique de omni armorum apparatu; at nihil horum commemorat, nihil aliud secum tulisse reperimus præter ossa Joseph: *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum.* Nolite mirari desuper; etenim Deus noster sua non errante providentia populos, urbes, provincias & regna mediantibus Reliquijs corporum Sanctorum, quæ sunt veluti turres & propugnacula,protegere disposuerat. Pro quo dubium hic oriri posset,quale illud mysterium, quod remunerator cœlestis glorificatis electorum suorum animabus ad extremum usque judicij diem, corporum eorumdem distulerit glorificationem? Nonnulli causam hujus rimantes existimant, quod, quia nos in hac præsenti vita ac in tali vivimus caligine,de qua Ecclesiastes ait: *Nescit homo,utrum amore,vel odio dignus sit.* Si Deus una cum animabus statim glorificaret corpora, cuilibet subitò innotesceret,quinam essent electi, & qui reprobi, idque cum perpetua horum infamia. Alij dixerunt, hanc prorogationem fieri propterea, quòd animæ beatæ, impatientes (ut ita loquar) moræ, ratione unionis cum corporibus faciendæ in extremo judicij die, tantò nunc ferventiores essent in promovenda salute nostra æterna, ut eò citiùs ruinæ Angelicæ restaurarentur: Nihilominus proposito nostro conformiter asserere quoque possimus, Divina id fieri providentia, quæ optimo Mundi hujus regimini invigilat. Væ nobis, si Sanctorum corporum

Quare Deus glorificationem corporum Sanctorum suorum differat usque in diem judicij.

Eccle. 9. 1.

Reliquijs orbati fuissemus, siquidem forassimæ ac solidissimæ nobis defuissent munitiones & præsidia, quibus ab hostium insultibus & quocumque alio sinistro eventu protegeremur.

Acta Eccl. Mediolan. fol. 1102.

Sacræ Reliquiæ sunt turres & propugnacula fidelium à quibus honorantur & coluntur.

2. Sanctus Carolus, ut horum sacrorum thesaurorum veneretionem ac cultum imprimere firmius animis Clientum suorum, hisce aut similibus eos alloquebatur verbis: Sacræ Reliquiæ(ut sancti Basilij verbis utar) sunt veluti turres, imò propugnacula & præsidia firmissima civitatum, provinciarum, omnumque, in quibus assevarantur & honorantur, locorum, quæ propterea à pluribus & infinitis calamitatibus præservata fuerunt. Anno sancto millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, cùm civitas Panormitana hac pestifera infecta esset, ac plurimi eadem correpti ex hac vita migrarent,post adhibita cuncta humana remedia sit recursus ad Deum, qui toti urbi ostendit propositi nostri veritatem, nimirum, quod corpora & reliquiæ sacræ protegant ac defendant urbes & provincias; ostenso namque corpore sanctæ Rosaliæ manifestavit contagium illius intercessione & suffragio sublatum esse & penitùs extinctum, uti revera contigit. Prosequitur Sanctus Carolus loco supra citato discursum suum his alijs verbis: Annon,O civitas Mediolanensis, agnoscis, quod suffragante sacro clavo Jesu Christi, quem devotissimè conservas & adoras, libera evaseris à peste atrocissimè grassante? Annon divino hoc instrumento ceu clavo confixa fuit pestifera illa contagio, quæ in te, quinque jam sunt anni, adeò crudeliter sæviebat? Fœlices populi, qui sanctis hisce muniti sunt præsidijs: Beatæ illæ provinciæ, quæ habent hæc pignora charitatis, simulque religiosè ea conservare norunt,hucusque sanctus Carolus. In vita sancti Simeonis Styliræ legimus, quod quando altæ insistens columnæ animam Deo Creatori suo jam reddiderat, populi vicini armati diu noctuque excubias egerint, attentè advigilantes, nè hic thesaurus & sacrum propugnaculum illis indè surriperetur: unde corpus illius delatum fuit ad urbem Antiochenam; indè verò Leo Imperator aliò transferre illud satagebat; quapropter hæc civitas strenuè se opposuit hanc inter cæteras allegans rationem,quod,quia civitas non esset cincta muris nec alijs munita propugnaculis, minimè conveniens esset, præ varetur sacro hoc corpore, quo ab omni hostili incursu secura & tuta esset. Hac ratione convictus Imperator sacrum ibidem reliquit corpus,sumptuosissimumque in ejusdem honorem construxit templum. Sanctus Chrysostomus inter encomia sancti Pauli Apostoli,cui ille valdè intimus fuit,habet hæc sequentia: *Hoc corpus urbem hanc muniit, quod quamvis turri innumerisque mœnibus & vallis est tutius,& cum ipso corpus etiam B. Petri.*

Panormum per S. Rosaliam liberatur à peste.

Mediolanum meritis clavi Jesu Christi.

S. Chrysost. Hom. 31. ad Rom.

S. Petrus est protector potentissimus urbis Romanæ cum S. Paulo.

S. Greg. lib. 7. Epist. 33.

3. Confessioni sancti Petri in Vaticano affixa est parva tabula,in qua leguntur hæc verba: *Gregem tuum pastor æterne non deseras; sed per Beatos Apostolos tuos continua protectione custodias præsta quæsumus nullis nos perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti.* Ultertus legitur: *Aspiciens sepulchrum vestrum nunquam desituram, & quæ libenter propter me geritis, iram misericordia vincam, & ob hanc precipiam vestram intercessionem; etenim quando sacerdotium video lachrymari, statim quasi compatiens ad misericordiam flector, & illius mœroris reminiscor, protegam urbem hanc propter David servum meum,& Aaron sanctum meum.* S. Gregor. Magn. in quadam Epistola sua haud exiguam nobis addidit confidentiam in calamitatibus & infortunijs publicis habendam: *Si gladios Italæ*,inquit, *& bella formidatis, solicitè debetis aspicere, quanta B. Petri Apostolorum principis in hac urbe protectio est,in qua sine magnitudine populi,& adjutorijs militum, tot annos inter gladios illesi Deo auctore servamur.* In Chronicis Flandriæ legitur: *Dum super mœnia pugnabatur, processio circa ipsa agebatur, & Cruces ac reliquiæ deferebantur.* Non tantam constituebant spem in experientia & fortitudine militum, in directione eorum, qui præerant militiæ,neque etiam in tormentis bellicis, quantam habebant fiduciam in sacrarum Reliquiarum præsidio; neque id vobis videatur mirum, quia ex apparitione quadam à sancto Bartholomæo Apostolo facta Anastasio Imperatori clarè deducitur, quantum in similibus casibus valeant corpora sancta: *Anastasius Imperator condidit Daras, & cùm condidisset, vidit in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subvertisse ipsum civitatis custodiam, quod reliquias suas illo missas subvertisses.*

Chron. Belg. lib. 13. cap. 9

Controversia orjtur circa corpus S. Simeonis Stylitæ.

Theod. lect. collect. lib. 2.

4. Sanctus Carolus convertens sermonem suum ad urbem Mediolanensem hunc in finem, ut eidem sacrorum ossium Martyrum aliorumque Sanctorum insinuaret venerationem ait: Quanta non fuit gratia ista tunc exhibita? ex urbe pugnabatur contra Imperatorem Fridericum Barbarossam,capitalem ejus inimicum,& quando illa credebatur ultimæ ruinæ exposita, jamjam tradenda, per trecentos adolescentes Mediolanenses reportavit victoriam, idque Scriptis communitum est, quod eam victoriam miraculosè obtinuerint suffragio ac intercessione Sanctorum Martyrum,Sisinij,Martyrij & Alexandri,quorum ossa quiescunt in Ecclesia Sancti Simpliciani; obtenta verò fuit hæc victoria 29. Maij ipso festo dictorum Martyrum. Pro majori dictorum evidentia Alexandrum Magnum totius orbis domitorem conferamus cum intimo valore & robore sanctorum corporum, atque ex Divo Chrysostomo audiamus, cui major sit tribuenda potentia, ita sermocinatur ille ad populum Antiochenum: *Alexander quidem post mortem suam dissipatum imperium suum & penitùs exterminatum non reparavit, neque aliud vossit, neque magnum, neque parvum; quomodo namque facturus erat mortuus?* at Sancti non modò viventes parrocinio & precibus suis imminentem à populis averterunt Dei indignationem & iram; verum etiam mortui ossibus suis esto aridis, & sacris cineribus tamquam vallis & propugnaculis hostium fregerunt impetus.

Acta Eccl. Mediol. ibid.

Trecenti adolescentes Mediolanenses Fridericu Barbarossam suffragio sanctorum Martyrum vincunt.

Robur Sanctorum corporum majus est potentia Alexandri M.

S. Chrysost. Hom. 66. ad pop.

5. Sanctus Basilius Magnus in orat. quadam de 40. Martyribus reductis in cineres per varias illius provinciæ loca dispersos scribens ait: *Hi sunt, qui nostram regionem administrant, & veluti Turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco sepulti includentes, sed multis jam locis hospites facti, & multas patrias exornantes.* Postquam Tyrannus horum martyrum corpora igne absumi,cineresque in fluvium projici justisset, ut sic & eorum memoria, & cum eorum memoria omnes perirent reliquiæ, voluit Deus ostendere vero verius esse id, quod ait per Prophetam regium: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, id effecit Deus, quod combustorum corporum cineres projecti in profluentem mirabiliter in unum confluxerint,& salvi ad littus redierint stellarum instar refulgentes, de quo in somno admonitus fuit Petrus Episcopus, qui reliquias illas collegit, variorumque locorum incolis distribuit tamquam fortissima contra hostes tam visibiles quàm invisibiles munimenta, utpote,quarum virtute plurima patrantur miracula. Moyses Barcephà & Jacobus Edessenus de Syria Magister sancti Ephrem testantur, quod, quando Noë se suosque jubebatur recipere in arcam,secum contulerit ossa Adami: *Arcam Noë cùm esset cum liberis suis conscensurus impendente diluvio, secum in eam intulit ossa Adam.* Et quid aliud hoc mysterio innuere voluit, nisi quod Reliquiis sacris illius, quem gratia & amicitia Dei condecoratum bene noverat, Divinam à se propulsaret iram? Si præterea verum est, quod alibi legi, nempe, sanctum hunc senem, quando post diluvium filios suos in varias mundi partes ad propagandum genus humanum ablegavit, cuilibet eorum consignasse partem aliquam dictorum ossium; quis non asseverabit id propterea factum,ut singuli harum Reliquiarum muniti præsidijs ab omni malorum incursu protegerentur.

S. Basil. orat. in 40. Mart. Laus SS. 40. Martyrum in protegendis fidelibus cultoribus.

Suritus.

Noë ossa Adami secum tulit in arcam.

Moyses Barc. lib. 1. de parad. p. 1. c. 14.

6. In Epistola quadam Gregorij VII. tertio tomo Conciliorum inserta Alphonso Regi Hispaniæ scribitur in hunc modum: *Sicut charissimum filium vos admonemus, ut hæc sedulo vobiscum cogitantes coram illo vos exhibeatis humilem, qui vos constituit valde sublimem, & inter omnes & præ omnibus Deo placere studentes, commissa vobis regna gubernacula ita administrare cum Dei adjutorio procuretis, quatenus vestra eminentia nullum futuræ objectionis aut infortunij casum sentiat, sed ad coronam incorruptibilis regni & stolam æternæ gloriæ transeat.* Ut verò istius, quod sanctus Pater illi insinuat, ac cordiali affectu annunciat, assequatur effectum, audite quale ei proponat medium: in hunc effectum transmisit ei sacrum quemdam thesaurum: *Ut autem nostra*,inquit,*exhortatio cordi vestro altius imprimatur, ex more Sanctorum misimus vobis claviculam auream, in qua de catenis sancti Petri benedictio continetur.* In Epistola sancti Simmachi,quæ tomo 2. eorumdem Conciliorum habetur, leguntur sequentia: *Quod directis ad filium nostrum Ennodium Diaconum literis speraftis beatorum Nazarij & Romani benedictionem poscentes, fidelibus non negamus. Accipi-*

Tom. 3. Concil fol. 1246. Literæ Gregorij VII. ad Regem Hispaniæ.

Et S. Simmachi. *Tom. 2. Concil fol. 278. Epist. 80.*

te veneranda patrocinia invictorum militum, Ubi Sanctorum horum Reliquias titulo nuncupat patrocinij, indeque argumentum convincens eruitur, quod si Sancti adhuc vivi precibus suis mitigarunt Divinæ justitiæ indignationem, & in populi favorem ac commodum suas interposuêre preces in cœlo, ubi illorum animæ perfectè sunt unitæ Deo, eorumque proinde orationes efficaciores sunt ac potentiores, neque in hoc umquam defecit, sed potiùs crevit eorum charitas, num de eorum post mortem etiam protectione & tutela diffidere poterimus, præsertim ubi à fidelibus eorum Reliquiæ in maxima habentur veneratione & honore. Quod si Seraphicus Franciscus humeris suis Lateranensem Ecclesiam ruinam minitantem sustentare visus fuit à summo Pontifice, dubitabimusnè fortasis è corpore suo hic in terris relicto, post mortem etiam eamdem transmitti virtutem? non dubitavit sanè D. Hieronymus interpretando textum hunc Prophetæ Job: *Stab quo curvantur, qui portant orbem*, c. 9. ℣. 13. quando ait: *Ita Sancti portant mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationem fortitudine sustinent.* Quare Seraphicus Pater Mundo ostendere velle videtur, illum se non solum orationibus, verùm etiam corpore suo Atlantis instar sustentare, dum jam mortuus totus erecto corpore stat post tot centenos etiam annos; & quamvis ædificia etiam solidissima cum temporis edacitate corruant, ipsius tamen corpus eò firmius subsistit firmiterque erectum manet, idque Bozius de signis Ecclesiæ Dei scribens testatur his verbis: *Nullis humanæ malitiæ fulcris subnixum, facie tota, oculis, & manibus junctis in cœlum semper intentas, supplicantis in modum.* Ideoque quod nostro proposito conformiter observandum est, non sine mysterio monumento ejus incisa sunt hæc verba: Christiani orbis Fulcimento, ecce igitur corpus, quod orbis Christiani sustentaculum est.

S Franciscus suis humeris sustentavit Ecclesiam Lateranensem.

Job. 9. 13. Et etiamnum stans erecto corpore, dicitur Christiani orbis fulcimentum.

D. Hieron. ib.

Thom. Bozius de sign. Eccle. lib 63. c. 9.

7. Quod sacri cineres & ossa Sanctorum, esto ficca & arida voce sonora gaudeant ipsos etiam cœlos penetrante, probatur (veluti jam alibi insinuatum est) ex eo, quod Deus fratricidæ de innocentis fratris sui profuso sanguine dixit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. v. 10. S. Chrysostomus discurrendo de S. Babyla rationem adducit, ob quam Deus corpus ejus reliquerit in terra inquiens: *Aliqua poterat Babylas vel exemplo Enoch transferri, vel Eliæ modo rapi, ut qui utriusque amulator fuerat. At Deus qua est in humanum genus benignitate, inter alias quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, donec ad virtutem capessendam stimulum, reliquis scilicet apud nos interim Sanctorum reliquijs, ubi observo verba illa: Salutis nostræ occasiones dedit*, siquidem Reliquiæ titulo salutarium fontium inscriptæ sunt. Inter notas Concilij Toletani 12. tom. 2. Concilior. invenio sequentia: *Reliquias Sanctorum debito honore esse venerandas decretum est Concilio Nicæno 2. Act. 1. in confess. cath. act. 3. Servator*, inquit, *noster Christus fontes salutares Sanctorum reliquias nobis reliquit.* Factum refert Basilius Magnus, quod occurrit circa Reliquias S. Julittæ: cùm enim ijs in locis, ubi magna aderat aquarum penuria, circumferentur, subitò in terra illa arida fontem vivum dulcissimarum aquarum viderunt scaturientem. Verùm de beneficentia hujus thesauri, Discursu seq. latiùs.

Ossa sanctorum, licet arida, clamant tamen in cœlum.

Genes 4. 10.

Tom 2 Conc. fol 1207.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Varia considerationi subjiciuntur bona & beneficia, quæ ex cultu Reliquiarum in nostram redundant utilitatem & commodum.

THEMA.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Psal. 115. ℣. 15.

Mors sanctorum, quare dicatur pretiosa in conspectu Domini.

1. NOn sine mysterio S. Mater Ecclesia instituit & ordinavit, ut singulis diebus manè in Prima præfata recitemus verba; sanè haud alium in finem, nisi ut debitam æstimationem devotionemque erga sanctorum corporum cineres & ossa nobis inculcet, tunc vel maximè, cum legitur Martyrologium, in quo tot sanctorum Heroum fit commemoratio. Pretiosa est ac mæstimabilis valoris mors eorum, eò quod hic in terris nobis sua reliquerint spolia, è quibus innumerabilia in nostrum favorem & emolumentum redundant bona. *Qui contingit ossa Martyris* (verba sunt Basilij Magni) *quamdam sanctificationis societatem, & eam gratiam, quæ corpori insidet, assumere putatur, pretiosa enim est coram Domino mors Sanctorum ejus.* Idem sanctus Doctor commentando in propositum versiculum hanc fecerat reflectionem: *Pro legis Judaicæ ritu si quis moriebatur, horum mortuorum habebantur abominationi; contra, mors si quidem irrogatur pro Christi nomine, pretiosa censentur. Reliquiæ Sanctorum ejus: in priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud: non contaminabitur super ullo mortuo, & si quis tetigerit cadaver, immundus erit, & lavabit vestimenta sua. Nunc è diverso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem sit quadantenus sanctificationis particeps.* S. Joannes Damascenus rationem adducit disparitatis inter usum & ritum antiquæ legis Mosaicæ, quæ prohibebat mortuorum attactū intercedentis & singularem hanc prærogativam tangendi cineres & ossa sacrosanctæ Servorum Dei, dicens: *Veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur; verùm hi in mortuorum numero minimè habendi sunt, ex quo enim ipsamet vita ac vitæ auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis fidesque erga eum diem extremum claudunt, mortuos haudquaquam appellamus.*

S. Basil. orat. 14. de morte.

Olim immundi erant tangentes mortuum, jam vero sanctorum Reliquias mundantur.

S. Basil. in Psal. 115.

S. Joan. Damasc. de fide Orthod. lib. 4 c. 16.

2. Spolia mortalitatis in Sanctis non tunc minoris æstimationis & valoris post mortem, quàm cùm essent adhuc in vivis, teste D. Chrysostomo ita discurrente: *Multam possunt virtutem capsulæ Martyrum obtinere, quemadmodum & ossa Martyrum vim magnam habent.* Et post pauca: *Multam fiduciam obtinent non viventes modo, sed & mortuæ, multoque magis cùm sunt mortuæ. Jam enim stigmata ferunt Christi, cùm autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere. Quando igitur tanta illæ virtute pollent, tantaque apud Deum amicitia cum continua velut obsessione ac perpetua illarum visitatione in familiaritatem nos illarum insinuaverimus, ipsarum opera Dei misericordiam impetremus.* Quando do Elias Propheta in procinctu stabat curru igneo ascendendi ad cœlum, conversus ad Elisæum dixit: *Postula, quod vis, ut faciam tibi, antequàm tollar à te; dixitque Elisæus: Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* At quo modo petitionis suæ obtinuit effectum? *Levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Pallium, quod demisit & reliquit, denotabat Reliquias Corporis, quod hic in Mundo remanet, quando anima volat ad cœlum; in virtute, cujus multa contingunt & fiunt miracula, multæ obtinentur gratiæ. Intra sedecim & ultra, quæ jam elapsa sunt, sæcula, Ecclesia hactenus experimento didicit, devotos fideles Sanctorum visitasse sepulchra, eorumque apud Deum in urgentibus necessitatibus solicitasse intercessionem, neque spe sua defraudatos esse, licet enim non habeant oculos, aures, linguam, sed sint ossa arida & ficca nihilominùs *os non habent & loquuntur, oculos non habent & vident, aures non habent & audiunt*, & quis est, qui intercessionis eorum negare possit efficaciam?

Reliquiæ sanctorum non sunt minoris virtutis & valoris post mortē, quam fuerint in vita.

S. Chrysost. tom. 1. Hom 51. de S. Bernic. & Prosdoce. Adducitur in exemplum pallium Eliæ. 4. Reg. c. 2. v. 9.

Ibid. 2. v. 13

3. S. Ambrosius hortaturus nos ad cultum SS. Martyrum, hoc posteritati reliquit documentum: *Cunctis Martyres devotissimè percolendi sunt; sed specialiter hi venerandi, sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus; illi enim oratione nos adjuvant, isti adjuvant passione. Cum his enim nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, hoc est, & in corpore nos viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiant; hic nè peccatorum labes abjumat, ibi nè inferni horror invadat. Ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, nos tenebrarum caligo diffugiat.* Beneficium singularissimum è sacris Reliquijs in nostrum redundans emolumentum est, quod hostem infernalem in fugam convertant. *Ut audaces latronum duces* (& est similitudo D. Chrysostomi) *sive impij sepulchrorum effossores, si forte dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma, loricam, clypeum, galeam auro tota fulgentia, vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quomodolibet cupidi prædarum; tamen ita agniitis vegijs insignibus deterrentur, ut fugiant, neque cominus accedere, vel attingere audeant; undè sibi non compendium procedere, sed periculum provident imminere, si quid inde audeant usurpare; ità profectò & dæmones, qui verè latronum & principes & magistri sunt, ubi coronatorum martyrum corpora viderint posita, longe illicò à conspectu eorum pavidi fugiunt & absistunt.* Idem S. Doctor in libro, quem scripsit contra Gentiles, refert, quod ossa S. Babylæ martyris dæmonem, qui ex simulacro Apollinis varia dictabat oracula, effecerint mutum, ità scribens: *Illi os ita obstruxit, ut vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur, & quidem manentem inibi dæmonem*

S. Ambros. serm 77. de nat. SS. Octav. & servat.

Enarrantur maxima beneficia quæ in nos redundant ex veneratione sacrarum Reliquiarum.

S Reliquiæ fugant hostes infernales.

S. Chrysost. to. 1. Homil. de nat sepiē Machab.

dæmonem superavisse non minus fuit, quam si eumdem de loco ejecisset, cùm qui omnibus ubique fucum priùs faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri sustineret. Ea est enim Sanctorum potestas, ut illorum superstitum dæmones ne umbras quidem aut vestes ferre possint. Quod confirmat in Homilia quadam ad populum Antiochenum, quem ad corporum sanctorum venerationem excitabat hisce verbis: *Cinis & ossa & fazilla invisibiles illas potestates dilaniant.* Et nos, nè in simili pietatis exercitio socordes essemus, hisce hortatur verbis commentans in Psal. 115. *Contemplare civitates ad martyrum sepulchra concurrentes, & populos amore eorum inflammatos. Deus plurimi facit, magnam curam gerit vel ipsius mortis Sanctorum.* Undè nec fine lucro est hujusmodi devotionis obsequium, quod sacris populus exhibet sepulchris, siquidem ab ijs continua quædam & numquam interrupta in devotos suos promanat beneficentia, quemadmodum manifestum hic perhibent testimonium vota ac tabellæ ijs appensæ. Pamelius in Commentarium Tertulliani scribens de sacris Reliquijs hæc tradit: *Quas omnes cum summo gaudio circumstant benedici cupientes, ac secum referre animæ corporisque remedia, & perinde ac vivæ essent, amplectuntur.* In Commentario pariter S. Joannis Damasceni legimus: *In testimonium virtutis & sanctitatis antea illæ ipsorum Deus pro sua benignitate præstitit reliquias Sanctorum, tamquam fontes quosdam vivos, multimoda sanitatis beneficia ægrotis siti aturientes, & unguentum sanitatis emanantes. Quod quidem postremum non solùm de unguento spirituali emanante ex reliquijs Sanctorum intelligendum est, scilicet virtute curativa quorumvis morborum; sed etiam corporali atque materiali: quemadmodum ex Sancti Nicolai tumba & B. Catharinæ oleum largiter emanare traditur, quod omnimodam ægrotis medelam confert, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum.*

Idem Hom. 66. ad pop.

Idem in psal. 115.

Pamel. lib. 2 ad uxor. n. 29

S. Joan. Dam. de fid. ort. lib. 4. c. 16. in comment.

4. Audiamus quod narratur de Henrico Imperatore, denominato, Pio: *Henricus Imperator cognomento, Pius, permittente sive disponente Deo in morbum incidit phreneſis, & multa medicorum solicitudine curari non poterat. Multorum etiam Sanctorum liminibus usitatis tandem ad tumbam Sanctæ Erendrudis pervenit, & optatæ sanitatis fortitus effectum, reliquias ejusdem gloriosæ Virginis impetriri sibi petivit, & easdem annulo aureo recludi fecit, collo suo jugiter portavit, & interim motum sive rabiem dæmonis infirmitatis numquam sensit.* Animæ Sanctorum in cœlis gaudent, ac quælibet earum in choro aliquo particulari Angelorum residet; at cineres & ossa corporum, quæ prius fuerant animata, in varia regna diffusa undequaque diffundunt gratiarum ac beneficentiæ dona: *Animæ quidem triumphatorum martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt Angelorum choris interfitæ; eorum vero corpora, non singula siquidem singulis monumentis condantur, sed civitates, oppida, pagique conventus hæc inter se partiti sunt, laborantibus animis ac ægrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant.* Sanctus Joannes Damascenus sacra hæc corpora, esto ficca & arida, ac in cineres pulveresque redacta appellabat fontes salutares: *Hi*, inquit, *cùm hujusce vitæ usura frueruntur, Deo fidenti animo assisterunt: Christus Dominus Sanctorum reliquias velut salutiferos fontes præbuit, quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluunt.* Commentator ejus referens verba S. Hieronymi contra Vigilantium ait: *Constantinus Imperator sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothæi transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones fugiunt.* Sic Sanctus Chrysostomus cùm diffunderet se in laudes Sancti Ignatij Martyris ait: *Eam ob causam reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos ad eorum imitationem perducat, & sint nobis portus quidam, & idoneam solatium eorum malorum, quæ assiduè nos affligunt; Quamobrem vos omnes cohortor fratres, si quis vestrum ægritudine animi vel corporis morbo, vel alia quavis calamitate premitur, cum fide huc accedat, & ab alijs omnibus liberatus magna cum lætitia revertetur, & aspectu solo conscientiam leviorem & tranquilliorem reportabit.*

Theodoret. lib. 8. ad Græc. de martyr.

Ossa sicca sanctorum sunt salutares fontes gratiarum.

S. Joan. Damasc. loco cit.

S. Chrysost. de S. Ignat.

5. In Concilio quodam Ephesino œcumenico leguntur hæc verba: *Adoro, item, & exosculor venerandas illarum reliquias, quippe quæ certam animorum corporumque morbis salutem medicinamque conferant.* In eodem tomo inter notas Concilij Toletani 12. dum exponuntur hæc verba *Fontes salutares*, hæc leguntur: *Ut inquit magnus Doctor, cui ab immortalitate nomen est, martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impartiant, lepras mundant, tentationes & mœrores solvunt.* Incomparabile etiam bonum, quod è sacris reliquijs derivatur & supra omnia bona æstimandum est, quod saluti nostræ spirituali & æternæ cooperentur, veluti docet Sanctus Chrysostomus in proposito de S. Babyla martyre, cum ait: *Capsulæ aspectus in animam invadens ipsam percellit & excisicat, & perindè efficit, quasi qui illic mortuus jacet, preces simul fundat, præsensque adesse cernatur. Deinde fit, ut se sic affectum sentis mira alacritate gestiens, aliusque prorsus quodammodo effectus ita ex eo loco decedat.* Experientia insuper docet, plurimos mediante reliquiarum veneratione, sepulchrorumque sanctorum visitatione mores mutasse & vitam. In una Homilia de S. Barlaam ità os aureum peroravit: *Idcirco ad sanctorum Martyrum loculos adduximus, ut ipse vos conspectus ad virtutem quodammodo excitet, & ad eumdem vos zelum accingatis; nam milhiem quidem præstantissimi cujuspiam bellatoris excitat etiam fama; multò autem vehementius intuitus & aspectus, & præsertim, si ipsum forte fissimi bellatoris tentorium ingressus sanguinolentum ensem viderit, caput hostis jacens spolia sublime pendentia, recentem cruorem ex manibus ejus stillantem qui trophæum erexit, ubique lanceas & clypeos, & arcus & omnem aliam armaturam jacentem. Idcirco nos etiam hic convenimus: Tentorium enim militare, martyrum tumulus, ac si fidei oculos aperuerit, hic justitiæ loricam jacentem intuebere, scutum fidei, galeam salutis, ocreas Evangelij, gladium spiritus, ipsum diaboli caput in terram projectum. Cùm enim hominem arreptum à dæmone juxta Martyris sepulchrum videris supinum jacentem, ac sæpissimè persæpè lanientem, nihil aliud nisi mali caput amputatum vides.*

Spirituales & æternam cooperantur

S. Chrysost. tom. 1. de S. Babyla.

Veneratio SS. Reliquiarum mores & vitā mutant.

S. Chrysost. T. 1. Homil. 73. de S. Barlaam.

6. Capite ult. Deuteronomij, veluti etiam suprà innuimus, scribitur de corpore Moysis: *Non cognovit homo sepulchrum ejus.* Varia ex hoc loco sacri Expositores deprumunt mysteria; at quod nostrum concernit propositum, inquirenda est causa, quare, nimirùm, veluti in Epistola Canonica S. Thadæi legimus, diabolus cum S. Michaele ratione sacri hujus cadaveris altercatus fuerit: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de corpore Moysi.* Cornelius à Lapide citando authoritatem Serarij solvit difficultatem asserens: *Contendisse diabolum, ut corpus Moysis inferretur in terram promissionis, nec extra eam in Moab, utpotè, regione sibi in idolorum cultu addicta sepeliretur, ne ab eo aliquod damnum acciperet, uti accepisse à S. Babylæ sepulchro in Daphne questus est, sicut habet vita S. Babylæ & Baronius tom. 4. Quâ de causa ipse ubique per hæreticos Sanctorum reliquias comburere vel abolere satagit. Porro perperàm hæretici hanc abscessionem corporis Moysis torquent contra ostensionem & cultum sanctarum reliquiarum. Nec enim Christiani adorant cultu latriæ reliquias, uti Hebræi adorasse corpus Moysis, nec ex reliquijs apud Christianos periculum est idololatriæ, uti erat ex corpore Moysis apud Hebræos.* Argumentum hoc est, cui respondere non potest; si enim dæmon serpens sagacissimus omni studio & conatu sacras persequitur reliquias, ac quovis tempore gentiles ac hæreticos ad eas disperdendas extimulavit, signum manifestum est sanctorum reliquias cooperari animabus devotorum fidelium, quorum ille irreconciliabilis inimicus est.

Deut. cap. ult. v. 6. Quare diabolus contenderit ut corpus Moysis deportaretur in terram promissionis, Epist. Judæ v. 9. Cornel. à Lap. ibid.

7. Quando annales Ecclesiastici agunt de hæreticis Manichæis, inter alia eorum impia dogmata hoc etiam insinuant, nempe, reliquiarum contemptum, etenim tolerare nequeunt, quod Catholici eas venerentur, sanctorumque festa celebrent. Hisce varijs temporibus accessere alij Novatores, qui hoc idem præstiterunt. Anno 360. Cardinalis Baronius adducit S. Augustinum referentem Eunomij hæresim: docebat iste fidem à se prædicatam sufficere ad salutem, licet quis enormia committeret scelera, & in ijs etiam perseveraret. En, cujus ille erat authoritatis, inquit Baronius, ut ejusmodi hæresi fidem faceret: ecce, quali gloriantur Magistro hæretici moderni, blaterant cultum reliquijs præstitum præstigium esse Sathanæ, eoque decipi illos, qui earum adhibent fidem miraculis. Verùm liberrimè nos asserere possumus, stratagema illud esse astutissimi serpentis, quo hunc cultum & veneration em abolere satagit, non alium in finem, nisi ut gratijs cœlestibus, virtutibus, innumerabilibusque alijs bonis ex hac devotione promanantibus ponat obicem.

Baron. an. 277. n. 30. Hæretici calumniantur reliquiarum sacrarum cultum.

Baron. an. 360. num. 38

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Ostenditur adhuc & probatur, cultum sacrarum reliquiarum cooperari & conducere ad acquirendas virtutes : veluti è contrà earum despectum & contemptum esse indicium impietatis & iniquitatis. Ubi insuper agitur de benedictionibus eorum, qui illas honorant & venerantur.

THEMA.

Salutant vos omnes Sancti , 2. Cor. 13. ℣. 12.

Sancti Dei per reliquias hic relictas, promovent æternam nostram salutẽ. *S. Thomas in hunc locum S Bernard. in vig. Apost. Petri & Pauli.*

1. QUod Apostolus scripsit Corinthijs , id proposito nostro adaptare possumus asserendo, quod Sancti, reliquijs corporum suorum hic in terra relictis , æternam nostram salutem, quantùm in ipsis est, adjuvent ac promoveant. *Salutant*, nimirùm (uti exponit S. Thomas Angelicus Doctor) *Omnes sancti sperant ac desiderant , & orationibus procurant salutem nostram.* Ubi etiam observat S. Bern. *Beata patria*, inquit, *charitatem non immutat, sed augmentat*, quia in cœlis ardor amoris & charitatis Sanctorum erga nos est ferventior ; hic tamen ferventior ignis sub sacris illis cineribus, quos religiosa devotione reveremur & honoramus, fovetur, dum ipsi beneficentia sua nostris obsequijs ac cultui nostro correspondent : *Propterea nobis illorum corpora dereliquit Deus* (ità discurrit D. Chrysostomus) *propterea cum olim vicerint , necdum tamen resurrexerunt , sed certamina quidem à multo tempore subierunt ; resurrectionem verò non sunt consecuti, nondum propter te ac propter tuam utilitatem , ut cum athletam tibi ante oculos posueris, ad eumdem cursum excitetis. Nam isti quidem multum detrimentum ex dilatione, patiantur, & tibi maximam hæc occasio utilitatem parit. Siquidem illi posteà recipient, licet nunc non recipiant ; quod si nunc de medio eos abripuisset Deus, multa nos cohortatione, solatioque privasset, quod ex Sanctorum istorum sepulchris ab hominibus cunctis percipitur.*

S. Chrysost. Tom. 5. ser. 65.

Ps. 36. v. 37. Qui piè venerantur S. reliquias foventur & adjuvantur à Deo ut sanctè vivant. *Ibid.*

2. Feciſtisnè unquam reflexionem ad Psalmi 36. verſiculum : *Custodi innocentiam & vide æquitatem* ? Chaldæus legit : *Serva integritatem, respice iter rectum.* Alij legunt : *Observa virum innocentem , & considera æquum virum.* Aſt edicite : unde hæc innocentia & rectitudo ſuam habet originem & cauſam ? Proſequitur Pſalmiſta : *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Si intelligatur , veluti ſonat littera , dicere poſſumus eum , qui devotè colit ac veneratur Sanctorum reliquias, foveri & adjuvari à Deo, ut vitam ducat puram & immaculatam. Notanda eſt dictio illa, *pacifico*, quæ exprimit Divinam filiationem : *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5. v. 9. Qui non ſuperficiali, ſed vera ac ſolida devotione veneratur reliquias, ei conſequenter virtus & ſpiritus intimabitur.

Matt. 5. v. 9.

Deus tamquam rem utiliſſimam nobis reliquit SS. reliquias. *Bellarm. c. 3. de Reliq.*

3. Cardinalis Bellarminus teſtimonio D. Chryſoſtomi libro de S. Babyla martyre probat utilitatem ex his ſacroſanctis theſauris redundantem : *Deus*, inquit, *nihil fere aliud nobis reliquit ad ſalutem Sanctorum reliquijs ; nihil enim efficacius repræſentat & inſigit in animo memoriam Sanctorum , quam ſepulchrum ipſorum ; ſtatim enim atque videmus ſepulchrum Sancti alicujus, recordamur illius & virtutum ejus , patientiæ, charitatis, caſtitatis, pietatis, & ſimul cogitamus , quanta gloria fruatur in cœlis pro labore breviſſimo hujus vitæ.* Legimus in S. Joan. Damaſceno diverſas cauſas circa devotionem ac laudabilem conſuetudinem ferendi ac venerandi reliquias : *Hæc para*, ait, *& ſancta oſſa idcirò circumferimus , ut admirabilium virorum , quorum ipſa ſunt , deſideria utcumque leniamus , eorumque religioſam exercitationem Deoque charam vitam nobis in memoriam revocemus, atque ad ejuſdem vitæ ſtudium noſmetipſos excitemus. Ac requiem eam & delicias eas, in quibus nunc verſantur ob oculos nobis proponentes , ipſos quidem beatos prædicamus ; nos autem ad ſequenda eorum veſtigia nos ipſos movere cupimus. Quin etiam mortis memoriam , quæ permagnam utilitatem affert , atque ad religioſæ vitæ certamina promptos nos ac velut pennatos reddit , nobis hinc comparamus, ac præterea ex eorum contactu Sanctitatem haurimus.* Hæretici , qui ſe opponunt laudabili huic veneration i & cultui adeo decenti , debito & in Eccleſia etiam adeò perverſuto , omnes ſemper fuerunt & etiamnum ſunt peſſimæ vitæ, indoliſ & deperditæ ſalutis ; nec mirum , quia *contrariorum eadem diſciplina.* Qui vera devotione honorat & reveretur ſacros hos theſauros , is ſimul etiam , quantum in eo eſt , virtutes eorumdem Sanctorum imitari ſtudet : at hæretici oſſa & corpora eorum deſtruere ac diſpergere conantur , quia bonarum ſanctarumque operationum eorum ſimul hoſtes ſunt & inimici. De Eunomio, qui fuit primus, qui ſacras reliquias impugnavit , jam diſcurſu præcedenti diximus ejusque iniquitates & blaſphemias retulimus. In Vigilantio obſervavit S. Hieron. quod contradicebat cœlibatui aſſerens eum non decere, neque convenientem eſſe Sacerdotio ; negabat pariter dandam eſſe Eleëmoſynam ; cavillabatur & reprehendebat monachos , quod habitarent in locis ſolitarijs. Hujus ſacrilegi verba deinde refert : *Pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo*, &c. *Quid eſt illud neſcio quod ? ſcire deſidero. Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine , & non vel pannis, vel cilicio colligari , vel projici in ſterquilinium.* Poſt Vigilantium prohibuit inſuper hunc cultum ſub graviſſimis pœnis Conſtantinus Copronymus , præcipiens reliquias diſſipari & diſperdi ; ſed quid mirum ? & iſte ſacrilegus, impius & vitioſus erat. De Vigilantio ſcripſit Hieronymus Ripario : *Ais os ſactidum rursum aperire , & putorem ſpurciſſimum contra ſanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos , qui eas ſuſpicimus, appellare cineratios & idololatras , qui mortuorum hominum oſſa veneramur.*

Vitæ & indolis.

Patet in Eunomio.

Vigilantio.

S. Hieron. contra Vigil.

Conſtantino Copronymo.

S. Hieron. Epiſt. 53.

4. Qualis fuerit Julianus Apoſtata , ſufficienter depingunt ac deſcribunt eum Hiſtoriæ ſacræ & profanæ, nimirùm, monſtrum ſacrilegæ impietatis & malitiæ. Nazianzenus hæc ei improperabat : *Non victimas pro Chriſto cæſas reveritus es , &c. Quorum vel ſola corpora idem poſſunt , quod animæ ſanctæ , ſive manibus contrectentur , ſive honorentur , quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ atque exigua paſſionis ſigna idem poſſint quod corpora : Hæc non colis , ſed contemnis , ſed aſpernaris, qui Herculis rogum ex calamitate injuriſque mulieribus illatis exſtitatum admiraris.* S. Hieronymus commentando in cap. 65. Iſai. ſcribit de Judæis & hæreticis peſſimi talenti hominibus & ſacri Evangelij hoſtibus : *Baſilicas Martyrum deſtinantes , non , qui ibi orationes ex more celebramus , quaſi immundos fugiunt. Hoc tamen non tam illi faciunt , quàm habitantes in eis dæmones , fortitudinem & flagella ſancti cineris non ferentes.* Card. Bellarm. dum temporis ſui hæreticos in hoc puncto confutat, ſcribit : *Calviniſtæ , ubicumque poſſunt , reliquias Sanctorum exurunt , & cineres in flumen abjiciunt*, cognoſcentes, quod ſacri hi cineres in devotos ſuos ſpirituales influant influxus , chriſtianarumque virtutum lucro & acquiſitioni cooperentur , omni conatu eos diſperdunt & annihilant. *Notandum* (ſic rurſum loquitur Bellarm.) *An. 1562. à Calviniſtis corpora Sanctorum Irenæi, Hilarij & Martini effoſſa & cremata & in profluentem projecta fuiſſe, ut referi Surius, quod idem eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerunt Ethnici ante annos 1400. nam , ut ſcribit Euſebius lib. 5. Hiſtor. cap. 3. Ethnici martyrum reliquias igne abſumptas in Rhodanum abjecerunt , ut hinc , nimirum, intelligamus, quanta ſit Calviniſtarum cum Ethnicis cognatio ſacrilegiorum atque perfidiæ.*

Juliano Apoſtatæ.

Nazianz. orat. 1. in Jul.

Judæis & aliis hæreticis.

S. Hieron. in cap. 65. Iſai.

Card. Bellar. lib. de relig. cap. 1.

5. Verùm ut noſtri diſcurſus reſumamus filum , cultum hunc ad animarum noſtrarum profectum ſalutares in nobis operari effectus omninò certum eſt, ſic enim diſcurrit S. Chryſoſtomus : *Poterit enim & menſa, in qua comedit ſanctus, & cathedra , in qua ſedit, & lectus, in quo jacuit, etiam ab greſſo illo , ſuſceptorem illius compungere. Quomodo putas Sunamitidem illam compungi in conclave illud ſuperius , ubi manſerat Eliſæus , ingreſſam , menſamque & lectum , in quo ſanctus ille jacuerat , videntem ? Quantam indè pietatem concipit ? Neque enim , niſi hoc fuiſſet , puerum projecturam fuiſſet mortuum, ſi non multum utilitatis indè tuliſſet. Si enim nos poſt tantum tempus illuc ingreſſi , ubi Paulus manſit aliquando, ubi vinctus fuit, ubi conſedit & diſſeruit, alacres quodammodo reddimur , & ob memoriam diei ab ipſis locis mittimur , quid non patientur rebus adhuc recentibus, qui cum pietate ſanctos hoſpitio recipiunt :* Latantur & gaudent, gratumque habent Sancti, quod oſſa & corpora ſua, utpotè, futuræ glorificationis beatificæ participia, quamdiù hic requieſcunt, à nobis ad majorem Dei gloriam honorentur, ac propterea in diſtribuendis ſuis gratijs erga eos, qui illos venerantur, benefici ſint & liberales. In vita S. Philippi Nerij Fundatoris noſtri legitur de Stephano Calcinardi , qui cum die quodam Romam obambulando ab aliqua muliere ex eadem patria oriunda ad actum illicitum provocatus eſſet , & in procinctu ſtaret paratus illam adire , geſtans in pectore nonnullos capillos illius

Cultus SS. reliquiarum ſalutares operatur in animabus noſtris effectus.

S. Chryſoſt. to 4. Hom. 30 ad Rom.

Mirabile exemplum.

Lib. 6. c. 4. vita S. Phil. Ner. n. 8.

illius Sancti & fruſtula quædam panni ſanguine illius tincti, in pectore, cui appenſæ erant ejuſmodi Reliquiæ, ictum ſenſerit quaſi unius mallei, ex quo paſſus animi deliquium procidit in terram, ſimulque vocem, ut videbatur, illius Sancti audivit ſibi dicentem : Cave, nè facias, ſurge hinc & fuge peccatum ; in ſe ergò reverſus , illinc diſceſſit.

Quo medio Aglaë, & Bonifacius à turpi & carnali vita converſi fuerint, & ad magnam ſanctitatem devenerint.

6. Oſtendimus diſcurſibus præcedentibus cultum & venerationem ſacrarum Reliquiarum cooperari animarum ſanctificationi, quod præter exemplum jam adductum alio quodam celebriori cunctisque manifeſto confirmare poſſumus : Aglae nobiliſſima matrona Romana, at vita & moribus ignobili, vitio carnali tota dedita erat , inter alios domeſticos famulos cujuſdam civis Romani, nomine Bonifacij , utpotè, negotiorum ſuorum procuratoris utebatur opera , qui, quia adoleſcens erat raræ pulchritudinis, affabilisque converſationis, unicè ab illa adamabatur. Pluribus annis perſeverarunt in offenſa Dei, & quidem magna cum diſſolutione & peſſimo exemplo, donec ambo Divina gratia tacti & compuncti fuerint ; at quo modo id factum ?

Baron. Ann. 305. n. 11.

Refert Cardinalis Baronius anno 305. inter macella Martyrum , quæ provinciarum Præſides ſub Galerio Maximiano inſtituerant , valdè famoſum & celebre erat , quod exerat Simplicius Proconſul in Tharſo , hic enim cum incomparabili ſua crudelitate inſatiabilem quamdam conjunxerat avaritiam, & quamvis reliquos omnes Præſides crudelitate ſuperaret , in hoc tamen videbatur cæteris benignior, quod Martyrum oſſa & cineres non projiciebat in fluvium, neque, ut reliqui faciebant, vento eos diſpergebat , ſed corpora omnia excruciata divendebat ; ſicque Tharſus publicum erat emporium Chriſtianorum ſupplicio affectorum , ubi ex Italia & Africa pij mercatores concurrebant emptum Sacras Reliquias. Eodem ergò tempore Aglaë ad idem emparium cum bona ſumma pecuniæ amandavit Bonifacium corpora quædam Martyrio affecta ibidem comparatum , tùm ut honeſtè ſepelirentur, & ſepulturæ datis debitus cultus & honor exhiberetur ; tum vel maximè, ut ambo per ſanctorum horum Martyrum interceſſionem, ob vitam peſſimè & lubricè tranſactam, veram compunctionem vitæque emendationem impetrarent. Eadem hiſtoria pariter infertur, ſecuriùs fuiſſe, in iſto ſæculo accipere reliquias in partibus remotis , quam eaſdem quærere & procurare in patria. Sed mirabilem nunc audite virtutem , quæ in animas illas antè carnali vitio ſordidas ſeſe transfudit , mediante hoc obſequio ſacrorumque cinerum & oſſium veneratione : multum auri ſecum contulerat Bonif. Tharſum profectus , ubi appulſus intellexit jamjam in theatro viginti Martyres tormentis expoſitos ; undè ſine mora accurrit, at non ſine compaſſione conſpexit Martyres illos crudeli ſubjectos torturæ, tantaque Divini ſpiritus abundantia repletus fuit & commotus , ut impatiens Moræ Martyrij proſilierit in theatrum , ſanctoſque Martyres amplectendo & oſculando fortunatos beatoſque proclamaverit. Quapropter ad Præſidem conductus , qui illum diriſſimis flagellis cædi , ungues à carne dividi , nudo corpori plumbum liquefactum affundi , deinde pice accenſâ aduri juſſit , quæ omnia tormenta magna animi conſtantia ſufferens , tandem capite plexus fuit. Porrò ſocij ejuſdem Bonifacij , qui ab ipſo ſe ſeparaverant , hoc intelligentes , compararunt illius corpus, nec de alijs Reliquijs amplius ſolliciti , ſed cum hoc corpore ſolo redierunt Romam. Interea Angelus quidam ipſi Aglaë totius rei ſucceſſum revelavit , quæ ſummo cum gaudio & jubilo Martyris hujus corpori obviam proceſſit , illudque maxima cum pietate ac devotione excepit. Refert Ribadeneira in vita hujus Martyris , quod ejus Martyrio adfuerint quingenti quinquaginta gentiles, omnesque efficacia orationis hujus Martyris ad fidem Chriſtianam converſi fuerint. Eidem Martyri Aglaë ſumptuoſam Eccleſiam , quæ jam ſancti Alexij gaudet titulo, erexit, & mundo huic renuncians monaſterio ſe incluſit, ubi auſteram egit pœnitentiam ac ſanctè obijt, ex effectum devotionis erga reliquias.

Per arcam Dei benedixit Deus domui Obededom. *2. Reg. 6. 11. Ibid. v. 12.*

7. Arca Veteris Teſtamenti benedictionum cœleſtium , quibus illius cuſtodem Deus ditabat & beabat inſtrumentum fuit : *Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus , & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus. Nuntiatumque eſt Regi David, quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia ejus propter Arcam Dei. Abijt ergo David, & adduxit Arcam Dei &c. Omnia in figuris contingebant illis.* Voluit Deus per hoc ſacrum lignum cunctis ſæculis manifeſtare benedictiones & bona immenſa , quæ à fidelibus ſacros hos theſauros venerantibus percipiuntur. Quot & quantas benedictiones per totam Chriſtianitatem Domus ſacra Lauretana , ſanctum Sepulchrum Chriſti , Reliquiæ SS. Petri & Pauli devotis fidelibus piè illas venerantibus communicarunt ? Sanctus Ambroſius ſermone quodam alibi citato exiſtimat verba hæc , quæ Chriſtus ſancto Petro dixit : *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, intelligi etiam de Sacris Reliquijs : *Cum ſanctis ergo Martyribus quieſcentibus evadimus inferi tenebras , eorum proprijs meritis , attamen conſocij ſanctitate. Ait Dominus Petro : Tu es Petrus , & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam , & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Sic ergo Apoſtolo & Martyri Petro inferni porta non prævalet, quiſquis ſociatur martyri, tartaro non tenetur.*

Hoc applicatur Sacris Reliquijs.

Marci 16. 18 S. Ambroſ. ſerm. 77.

Matt. 16. 18

8. Hæc tamen devotio debet eſſe bene regulata: *conſocij ſanctitate.* Quando adhuc vivebat ſanctus protomartyr Stephanus, prædicabat Judæis , eosque admirabili ſua eloquentia confundebat : *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur*, & doctrinam ſuam confirmabat miraculis : *Faciebat prodigia & ſigna magna in populo , viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli.* Permanſerunt nihilominus in ſua cœcitate & obſtinatione : *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus , vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Vultisnè intelligere, quantæ majoris efficaciæ & virtutis fuerint ipſius reliquiæ , quando fuerunt inventæ ; de qua inventione ſancta Eccleſia particulare inſtituit feſtum 3. Auguſti ; converſi nimirùm fuerunt ad fidem Chriſti inunieri Hebræi : & unde hæc differentia ? In urbe Jeroſolymitana *continuerunt aures ſuas & impetum fecerunt in eum.* Non ita fecerunt in inventione ſacrarum reliquiarum ejus , tunc enim cordis aperuerunt aures, & in eis reſonabant voces illorum offium, quam virtute illi credebant , compungebantur & convertebantur.

Devotio ad ſacras Reliquias debet eſſe bene regulata.

Act. Apoſt. c. 6. v. 10. Ibid. v. 8. Act. Apoſt. c. 7. v. 51.

Per Reliquias S. Stephani plurimi Judæi fuerunt converſi in illarum inventione. *Ibid. v. 56.*

9. Legitur hiſtoria in D. Gregorio Nazianzeno citata à Bellarmino caſui noſtro valde appoſita : *Duo adoleſcentes nepotes Conſtantij Imperatoris Gallum & Julianum volentes extruere inſignem Eccleſiam ſupra tumulum Mamantis Martyris inter ſe diviſiſſe opus ; ſed partem illam , quæ extruebatur à Gallo verè pio & fideli, faciliſſimè proceſſiſſe ; partem autem , quæ extruebatur à Juliano , qui apoſtata futurus jam mente corruptus erat , non potuiſſe unquam coaleſcere , quod terra inſolito more contremiſcens continuo quaſi ejiceret, quidquid Juliani ſumptibus in fundamentis projiceretur. Cauſam hujus miraculi Nazianzenus dicit fuiſſe , quod ſancti Martyres inter ſe mirifice diligant ; ideo enim Martyrem, cui templum extruebatur , honorem illum recuſaſſe , quod nollet ab eo honorari , à quo collegas ſuos contumelia afficiendos prævidebat, & ipſum etiam Deum, qui corda intuetur, opus Galli tamquam Abelis ſacrificium abmiſiſſe, opus Juliani tamquam ſacrificium Cain abjeciſſe.*

Bellarm. citat. Greg. Nazianz. orat. 1. in Julian. Notabilis hiſtoria.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

De ſanctitate corporum, & Reliquijs Sanctorum , nec non de cultu eiſdem ab Eccleſia exhibito. Denique quanti Deus eas æſtimet & appretietur.

THEMA.

An neſcitis , quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti ? 1. Cor. c. 6. ℣. 15.

Corpora ſanctorũ Martyrũ & aliorum ſanctorũ honoranda ſunt tamquã ſanctuaria Spiritus Sancti & membra Chriſti.

1. S. Apoſtolus varijs in locis epiſtolarum ſuarum corpora fidelium compellat membra Chriſti & templa Spiritus Sancti ; conficiamus nunc argumentum, quod efficaciter concludit ; ſi corpora noſtra culpæ ſubjecta, in baptiſmali lavacro conſecrato unĉta Chriſmate appellantur membra Chriſti , quantò magis oſſa & cineres Sanctorum , in quibus longo tempore cum abundantia donorum & gratiarum ſuarum habitavit Spiritus Sanctus , Sanctuaria Chriſti ſuique ſanctiſſimi Spiritus nuncupanda ſunt ? Audiamus , quibus honorum titulis Reliquias honorent & condecorent ſancti Doctores Eccleſiæ : Sanctus Pius Papa Martyr hæc ſcribit Juſto Viennenſi Epiſcopo : *Cura ſanctorum Martyrum corpora ſicut membra Dei , quemadmodum curaverant Apoſtoli Stephanum.* Verba conſideratione digna : *Sicut membra Dei* , ex cathedra Petri in honorem Reliquiarum dictata. Inter notas pariter Concilij Toletani 12. nonnulla verba , quæ noſtrum probant

Hoc testantur varij SS. Doctores & Concilia.

S. Pius Papa, Tom. 2. Concil. fol. 1207. Concil. 12. Toletan.

bant assumptum, legimus; postquam enim præfatum concilium multos bonos effectus, qui ex hoc cultu ac virtute corporum sanctorum procedunt, enumerasset, subdit: *Atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Hæc Nicæna Synodus adversus Iconoclastas.* At decisio Concilij Tridentini clara est: *Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva fuerunt membra Christi & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur.* Jamdudum priùs in Concilio Provinciali Moguntiæ congregato decretum fuerat: *Reliquias Sanctorum, velut Divinæ gratiæ olim receptacula & verissima Christi membra, & pura Spiritus Sancti domicilia, monemus in Ecclesijs nostris, vel ob id propendas & Religiosa pietate venerandas, ut per eas fideles commoniti discant virtutem & fidem Sanctorum imitari, Et alicubi in ijs, sanguinolentas, & pro fide Christi tolerati Martyris vestigia cernentes, admoneantur, spem fidei nostræ non esse inanem, pro qua omnia dira pati sancti Martyres in animum sibi induxerunt. Quorum exemplo ipsi etiam ad adversitatum omnium tolerantiam animentur.* Eodem tomo habetur Concilium Aquileiense, ubi circa hunc cultum referuntur sequentia: *Sanctorum Reliquias in cœlo regnantium, quæ viva fuerunt membra Christi Domini, & Spiritus Sancti templum, in honore haberi pietas præcipit, Christiana ratio suadet.*

Concil Trident. sess. 25. Concilium Tridentinũ. Concilium Moguntinũ. *Tom. 4 Concil. fol. 770.* Concilium Aquileiense. *Ibid. fol. 1103.*

2. Sanctus Joannes Damascenus ut ad vivum exprimat sanctitatem sacris his thesauris annexam, hac utitur metaphora: *Dei promptuaria* (loquitur de sacris corporibus) *& pura domicilia extiterunt*, quasi vellet inferre, in hisce cineribus & ossibus, cùm erant adhuc vivificata, non solùm Deus morabatur & habitabat, verùm etiam ijs tamquam abundantibus cœlestium gratiarum rivulis, quas in nos derivabat, utebatur. Pergit idem Damascenus: *Quod autem Deus etiam per mentem in ipsorum quoque corporibus sedem ac domicilium habuerit, his verbis Apostolus testatur: Nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui habitat in nobis? Dominus autem spiritus est, & si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus. Quid igitur adferri potest, quin animatis Dei templis & vivis Dei tabernaculis honor sit adhibendus?* In commentario ejusdem Sancti legimus: *Id magnoperè nos debet in Sanctis promovere venerationem, quod cum adhuc præsentem agerent vitam, habitaculum fuerint Deitatis, inhabitaveritque Deus non solum animas eorum, ut templum suæ Majestatis, sed & ipsorum sancta corpora. Quemadmodum ait Apostolus 1. ad Cor. 3. nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, ejusdem Epist. cap. 6. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?*

S. Joan. Damasc l. 4. de fide orthod. c. 16. Ibid in comment. 1. Cor. 3. 16.

3. Tomo 2. Conciliorum doctrinam nostro proposito accommodam invenio adductam à Divo Ambrosio sermone 92. *Honoremus*, inquit, *beatos Martyres, principes fidei, intercessores Mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quod si dicas mihi: quid honoras in carne jam resoluta atque consummata, de qua jam Deo nulla cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam: Pretiosa, inquit, est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus?* Et paulò post. *Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam, perennitatem virtutis; honoro per confessionem Domini sacros cineres. Rursum: cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur dæmones, quod afflixerunt in supplicia, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio quod cum Christo regnabit in cælo.* Cardinalis Bellarminus, ut hæreticos, qui sacrorum horum cinerum venerationi se opponunt, convincat, hæc scribit: *Corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Fuerunt & sunt instrumenta Dei ad miracula; sunt pignora patronorum; sunt exuviæ charissimorum; sunt trophæa triumphantium. Designata sunt ad gloriam incredibilem, nimirum, ut sint post resurrectionem corpora Sole clariora, & usque adeò corporibus omnibus præstent, ut super omnia merito collocentur.* Tertullianus lib. 2. ad uxorem quærebat: *Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur?* Pamelius exponit hæc verba circa Sacrarum Reliquiarum venerationem, dicens: *Quis qui ornant, tuentur, venerantur, propinqui Sanctorum dicuntur à Gregorio Nysseno orat. in Theod.: quasi attingere hujusmodi donum, ut supremo voto nihil magis optari possit.*

Tom. 2. Concil. fol. 1207. S. Ambros. Bellarm. c. 3. de reliq. Pamel' lib. 2. ad uxor. n. 19.

4. Audiamus Sanctum Hieronymum Ecclesiæ Doctorem, dictum, Maximum, quæ de seipso scribat: *Ego*, inquit, *confiteor timorem meum, nè fortè de superstitione descendat. Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & anima pertremisco.* Idem sanctus Doctor postquàm Vigilantij hæreses impugnasset, de summa inæstimabilis thesauri hujus sanctitate majorem etiam conceperat opinionem; de quo thesauro scribit etiam Divus Augustinus: *Sanctorum corpora*, inquiens, *& præcipuè beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra syncerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta Divino cultui mancipata, affectu piissimo & devotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus credatur.* Observate hæc verba: *Membra Christi*; hac enim de causa summi Pontifices & Vicarij Christi præscripserunt semper, ut fideles summa cum devotione Reliquias venerentur. Tom. 2. Conciliorum, habetur sequens decretum factum sub Simmaco: *Sanctorum Reliquiæ in Oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cujuscumque Parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.* Tomo 4. Concilij Aquileiensis leguntur hæc alia decreta: *Reliquias Sanctorum, qui fulgent sicut Sol, & tamquam scintillæ in arundineto discurrunt, ostendi populo luminaribus accensis convenit ac decet. Ut enim quod debetur Sanctorum gloriæ obsequio religioso præstatur; ita etiam fit, ut piorum excitetur devotio, & eorumdem supplicationes in Sanctorum invocationem ad humanarum imbecillitatum subsidia ardentius intendantur.*

S. Hier. lib. cont. Vigil. S. Aug. tom. 3. de Eccle. dog c. 73. Concil. sub Simmaco. Tom. 2. Conc. fol. 313. Concil. Aquileiense Tom. 4. Concil. fol. 1103.

5. Cardinalis Bellarminus contra hæreticos sui temporis afferentes accendere faces seu intortitia coram sanctorum sepulchris esse cultum adorationis latriæ, docet & tradit sequentia: *Dico cereos accensos coram tumulis Martyrum non esse signum adorationis Deo debitæ, nam non offeruntur cerei Martyribus tamquam sacrificia; sed accenduntur in signum lætitiæ, ignis enim accendi solet ad lætitiam significandam, etiam in rebus profanis. Prætereà ignis signum est gloriæ: unde Imperatoribus Romanis & Imperatricibus ubique ignis præferebatur, teste Herodiano lib. 1. Sancti autem vera gloria nunc fruuntur, & cum Christo regnant atque imperant in cælo, & merito illorum memoriæ ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitæ, proinde cereis protestamur vivere Sanctorum animas, & ipsa corpora suo tempore victura.* Scripserat jam capite 3. præcedente: *Usu cereorum & lampadum honorantur Sacræ Reliquiæ; nam quod lumen sit honoris signum etiam Sole lucente, patet ex candelabro, quod semper lucebat ante Arcam testimonij, Exod. 25.*

An liceat cereos accendere ad sanctorũ sepulchra, & quare accendantur. *Bellarm. loc. cit. sup. c. 4. Idem cap. 3.*

6. Quovis tempore voluit Deus nobis esse notum & manifestum, quod multum ipse appretietur cineres & ossa arida suorum, qui jampridem fuerunt ipsius membra. Unde in Annalibus Ecclesiasticis narratur, quod cùm nonnulli populi sanctum quemdam Abbatem, cujus sanctitas ipsis ignota erat, defunctum nullis adhibitis ceremonijs, vixque ullo exhibito honore tradidissent sepulturæ, singulis noctibus supra tumulum ejus splendens lumen Deus apparere fecit, donec vicini adverterent luminis hujus significatum, & defunctum Abbatem majori cum honore, debitaque cæremoniarum adhibita solemnitate rursùm sepelijssent. In ijsdem annalibus paulò supra anno 1210. de Comite Fuxensi scriptum invenio: *Id memorabile aliquando contigit, ut dum solemnem supplicationem, in qua Sancti Antonini lipsana summa religione deferebantur, nullo cultu exhibito, fastu superbiens præteriret, Cisterciensis Abbas de Monte Sanctæ Mariæ Comiti zelo pio æstuans inclamaret: Nullum sic sancto Martyri honorem defers; at scias te hujus urbis dominij honore in pœnam aliquando exuendum; nec à dictis fides abfuit, cùm Divina tandem ira ipsum à sua ditione ejecerit.*

Adducuntur varia exempla, quibus ostendit, quanti faciat reliquias sanctorum Dominus Deus. *Baron. ann. 601. n. 3.* De quodam S. Abbate. *Rayn. ann. 1210. n. 16.* Punitur qui honorem nõ detulit Reliquijs S. Antonini.

7. Refert Sozomenus Episcopo Sebenno nocte in somno apparuisse Micheam & Habacuc Prophetas, qui, ut dicto Episcopo aperuerunt, quinam essent, instruxerunt eumdem, ubi corpora sua quiescerent, & quid ulterius circa ea agendum essent, nimirum, ut ijs inventis & manifestatis debitus à devotis fidelibus

Sozom. lib. 7. cap. ult. Varia Sanctorũ corpora per revelationem inventa, & honorificentius collocata fuerunt.

fidelibus

fidelibus impenderetur cultus & veneratio. Idem ait idem author, fecit Zacharias Propheta, qui clara ipsa diei luce Calamero apparuit, mandans eidem ac dicens: *Hic fodito.* Mirabile & illud, quod de capite Sancti Joannis Baptistæ refertur ac certum est, quia enim ministri Herodis valdè profunde illud sepelierant, ideo hic Sanctus duobus monachis apparuit plenè eos instruens, ubi caput sepultum esset. Quod cùm & alia vice sub Imperatoribus Valentiniano & Marciano absconditum esset, idem Sanctus cuidam alteri monacho, nomine, Marcello hoc manifestavit. Postea successu temporis Romam delatum fuit, ubi in Ecclesia sancti Sylvestri summa cum reverentia & devotione asservatur, ac venerationi exponitur omninò illæsum post sedecim sæcula & ultra, post tot tantasque persecutiones; nec mirum, si enim ab infallibili æternaque Veritate facta est illa promissio: *Et capillus de capite vestro non peribit*, quantò magis id adimplebitur ac verificabitur de capite Sanctorum.

Prophetarum Michææ, Habacuc. Zachariæ. Capitis Sancti Joannis Baptistæ. *Boz. de sign. Eccle fol. 113. lib. 15. c. 16. Luca 21. 18*

8. Cùm corpus sancti Luciani Martyris projectum esset in mare, accurrerunt Delphini, illudque tergo suo imponentes ad littus comportarunt intactum & illæsum, quod cùm recepissent Christiani, honestè illud sepelierunt. De corpore Sancti Anastasij Martyris extat pariter illud memorabile: projectum hoc erat ante canes ut illud devorarent; at hi devorantes alias carnes, illud magno zelo custodiebant. Supra hoc idem corpus stellam fulgentem cum admiratione spectaverat quidam ex Persia oriundus, & huic cuidam alteri narraverat, se vidisse, nimirum, respectum illum, quem canes sacro huic corpori deferebant; quod audiens quidam Christianus, qui erat mancipium, & in somnis unà cum nonnullis alijs à præfato Sancto admonitus, in loco securo pretiosum hunc thesaurum reposuit.

Alia notabilia exempla. *Sur. 26. Apr.*

Thomas Bozius de signis Ecclesiæ multa adducit miracula, quibus Deus mundo ostendere voluit, in qua æstimatione apud eum existant Sanctorum Reliquiæ: *Basileæ Amascæ Episcopo caput est obtruncatum, & projectus in mare truncus; haud multò post integrum est cadaver inventum, adnatavit ad truncum caput, mirabiliter illi est adglutinatum.*

Bozius ibid. c. 8. sign. 64.

Consideratione, item digna est prærogativa, quâ Deus honoravit sanctos illos Episcopos, qui Concilio Niceno interfuère, & reliquiarum venerationem defenderunt ac promoverunt, cuncti namque privilegiati ac dotati fuerunt corporum suorum incorruptibilitate, cujus memorabilis rei Ecclesia Orientalis die 28. Maji peragit commemorationem.

Baron. Ann. 325. n. 185.

Anno 592. cùm in Hispania secundum Concilium Cæsaraugustanum celebraretur, hoc in eo prodijt decretum, ut reliquiæ in Arianorum Ecclesijs inventæ igne probarentur, quod si igni resisterent, tamquam veræ colerentur, secùs disperderentur. *Tamquam aurum, quod per ignem probatur, purgatum septuplum.*

Ann. 592. n. 25.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Variæ circa Sacras Reliquias, earumque debitam venerationem instituuntur considerationes.

THEMA.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem. Psalm. 67. ℣. 36.

1. QUando à sacris cineribus gratias & miracula recipimus, & ab ossibus, esto frigidis & aridis, quamdam experimur beneficentiam numquam interruptam, rationi planè congruum est, oculum fidei attollamus in altum, & cum Propheta dicamus: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem.* Audiamus Chrysostomum: *Non attendas cinerem sanctorum corporum, nec favillam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus; sed aperi oculos fidei, & vide eos Divina virtute & gratia Spiritus Sancti amictos, & Divini luminis claritate radiantes.* Sanctus Hieronymus, qui hæresin Vigilantij cultum reliquiarum negantis confutaverat, hæc posteritati scribens ait: *Negat fidem, qui quasi tentator inquirit, unde hæc potestas? Quasi non manifestum sit in ea sanctos Martyres in spiritu miracula facere, in qua potestate adversarios suos prius in carne & in passione vicerunt.* In responsorio quodam officij Divini, quod in honorem Martyrum recitamus, cantamus: *Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter servientes præceptis tuis, ut inveniantur illæsi in aquis validis:* si Sancti pro gloria & honore Dei fuerunt cum stupore zelosi, cum inoffenso pede in via Divinorum suorum præceptorum ambularunt, quis mirabitur igitur illos à Deo beneficentissimo omnium retributore cum tanta honorificentia post mortem etiam fuisse remuneratos.

Deus est mirabilis in SS. Reliquijs, quæ debitè colendo, eorũ beneficentiã experimur. *S. Chrysost tom 1. Hom. de Nat. sept. Machab. S. Hieron. tom. 9. de vita perfecto.*

4. Divus Chrysostomus laudando sanctum Ignatium Martyrem argumentum, quod stringit, format hoc modo: *Jam si in Elisæo id contigit, ut sepulchrum ejus attingens mortis vincula dissolverit, & ad vitam rursus redierit; multò magis id fiet hoc tempore, quo gratia uberior fluit, quo spiritus major est vis; ut si cum fide aliquis arcam attingat; magnam inde virtutem hauriat.* Hanc virtutem nobis insinuant Sancti, quorum animæ sunt in cœlo, quorum corpora hîc in terris devotè veneramur. In memoriam nobis revocat sanctus Augustinus miracula, quæ umbra corporis sancti Petri operabatur, ex quo hanc elicit consequentiam: *Si opem ferre poterat umbra corporis Petri, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis nunc gratia permanentis?* Sanctorum intercessionibus accepit virtus & efficacia Sacrarum Reliquiarum eorumdem, in quibus Divina omnipotentia innumerabilia operata fuit miracula; ac proptereà si umbra illius corporis adeò salutifera fuit & benefica, quid dicemus de ipsomet corpore? *Propter quod unumquodque tale, & illud magis:* Philosophicum axioma est.

D. Chrysost. A corpore Elisæi desumitur argumentum ad Reliquias Sanctorum. *S. Aug. serm. 29. de Sanctis.*

3. Fortis & invictus Samson postquam solus totum Philisthæorum exercitum in confusionem redegisset, adeò siti exarsit, ut oculis in cœlum sublatis Deo dixerit: *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam, & en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ.* Divus Joannes Damascenus de fide orthodoxa tractans de cultu corporibus Sanctorum debito scribit: *Si aqua in deserto ex aspera & solida rupe atque ex asini maxilla ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente, prosilijt, eritnè cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum reliquijs suave unguentum scaturire?* Bozius de signis Ecclesiæ Dei miraculum perenne refert, quod videtur in patria sua: *Eugubij*, inquit, *vidi corpus integrum atque incorruptum Januariæ Virginis, quæ ante annos trecentos evolavit in cælum, & illud in monasterio Sancti Spiritus, indutumque est ad carnem linea veste, quæ passim sanguineis quibusdam maculis est aspersa. Hanc abluunt virgines, quibus id est curæ, & aqua hujusmodi mirificè valet adversus omne morborum genus.* Manna scaturiens in tanta copia ex aridis ossibus Sancti Nicolai Barrensis annon continuus stupor est & prodigium, vel eo maximè, quod per omnes orbis Christiani partes cum salutari infirmorum beneficentia distribuatur? *E cadavere Margaritæ Ravennatis, ut Hieronymus Rubeus scripsit,* (sic refert idem Bozius) *sudor quidam suavissimus effluxit.* Recenset deinde multos effectus miraculosos reliquiarum in hoc eodem genere; & paulò superiùs cap. 8. jam examinaverat suavissimam odoris fragrantiam è pluribus Sanctorum corporibus redundantem.

Judic. 15. 18. Historia aquæ salientis ex solida rupe, & maxilla asini applicatur ad propositum. *S. Joan. Damasc lib. 4. de fide orth. c. 16. Thom. Boz. de sign. Eccle. lib. 13. c. 10.* Varia miracula variarũ SS Reliquiarum. *Idem sign. 66. Idem sign. 64. cap. 8.*

4. In vita Sancti Philippi Nerij legitur, plurimos, eum locum, quo corpus hujus Sancti aliquamdiu primò asservabatur depositum usque ad ejusdem translationem ad sacellum, ubi nunc quiescit, transirent vicini, suavem Liliorum ac Rosarum instar percepisse odorem. Experientia ostendit esse verum oraculum illud: *Homo putredo & vermis.* Aperiantur namque sepulchra, & videbimus cadavera scatere bufonibus, scorpionibus, vermibus, sæpè etiam serpentibus, sileo abominabilem fœtorem; verùm non ita accidit ossibus & cineribus Martyrum aliorumque Sanctorum: cùm enim Deus hæc corpora suo tempore glorificare ac dotare intendat gloriosis quatuor dotibus, anticipatè disponit, ut ex se aut gratissimum odorem aut suavem ac Medicinalem diffundant liquorem. De magno illo Indiarum Apostolo sancto Francisco Xaverio scribit idem Bozius: *Vectores ejus corpus in foveam calcis condiderunt, eo consilio, ut ardore calcis absumeretur caro, atque ubi redirent, ossa possent asportari. Post multos menses eo reversi viderunt integrum cadaver, nulla parte, quod maximæ illis fuit admirationi, exe-*

Corpora sanctorum suavissimum efflant odorẽ, & Medicinalem diffundunt liquorẽ. *Eccli. 19. 3.* Miraculosè conservatum fuit corpus S. Francisci Xaverij. *Boz. lib. 8. sig. cap. 6.*

sum. Et quia nonnulli sancto viro, dum vixit, parum fuerunt æqui, dum conderetur, malleo contuderant super aggestam carnem, quo confringerentur ossa & artus; inspexere in aliquibus membrorum locis carnem leviter contusam, & è circatricibus extremis sanguinem recentem prætixisse, in reliquis corpus intactum. Romæ in nostra Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella ipso festo sancti Panthaleonis exponitur ampulla vitrea plena Martyris hujus sanguine liquido & translucido instar pretiosi lapidis; esto à tot centenis annis jam fuerit profusus. Quid dicemus de sanguine sancti Januarij in urbe Neapolitana, qui in ampulla vitrea concretus asservatur? Hic cùm in conspectu capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefit & ebullit perinde ac si recens effusus esset. Miraculum hoc est, quod oculis corporis ad hæc usque tempora conspicitur, idque in authenticum testimonium æstimationis & venerationis, qua Deus servos suos vult honorari post mortem. Ubi etiam notandum, quod quando sanguinis hujus ostensioni præsens est aliquis hæreticus, aut infidelis, nihil prorsus se movet, non liquefit, nec ebullit, nullum operatur miraculum. In annalibus Ecclesiasticis refertur etiam id, quod contigit in Germania: *Sanctum oleum, quod ex sanctæ virginis sepulchro stillare consueverat, exaruisse* 11. *Kalend. Aprilis, ob quorundam factum flagitium, qui ædituum adorti, ut trucidarent, aliquot eum vulneribus sauciarunt; sed postea imminente ejusdem Virginis festo ubertim profluxisse.* In urbe quoque Tolentina celebre est miraculum, quod contigit mediante brachio sancti Nicolai; nam cùm sit protector Ecclesiæ, aliquot jam vicibus ex eo profluxit sanguis, quæ scaturigo est præludium imminentium infortuniorum, velut aliquoties observatum fuit.

De sanguine S. Panthaleonis.

Et S. Januarij.

Rayn. Ann. 1359. n. 14. Manat oleum ex corpore cujusdam S. Virginis.

5. Sed ad præfatam Samsonis historiam revertamur, in quam Rupertus Abbas ita scribit: *Quomodo veras Samson Christus Dominus illam de manu sua projecit maxillam sive mandibulam, in qua tantam salutem, tantamque fecit victoriam? Numquid illos deseruit, aut dereliquit, per quos pugnavit & vicit? Non utique deseruit aut projecit, sed tamen occidi permisit atque prosterni, & visi sunt oculis insipientium mori. Projecit ergo illos de manu sua, non invitos, sed spontaneos, tradentes corpora sua propter Deum ad supplicia. Clamavitque & ait: en siti morior &c. grandis enim illi cura fuit, imò Ecclesiæ ejus, quæ est corpus ejus, magna sollicitudo & grandis erat metus, nè decedentibus Apostolis, quorum merito & virtutibus inniteba tur, pariter religio fidei infirmaretur, & ad deludum Christianum nomen manus incircumcisorum, manus infidelium & impiorum roboraretur. Sed quid? aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ ex eo. Nihil verius, nihil manifestius; prostratis enim in mortem, scilicet, Apostolis & Martyribus, sepulchra eorum vivas aquas emanaverunt, corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt. Hoc omnibus membris Christi dulce fuit, nam omnibus fidelibus ejus defadantibus in agone Christiano, tale fuit quale gutes lassò, quale per æstum dulcis aquæ properante sitim restinguere vivo; nam exinde crevit fides, roborata est spes, charitas magis ac magis invaluit.*

Rup. Abbas lib. 1. in Judic. cap. 20. Resumitur comparatio SS. Reliquiarum ad maxillam asini Samsonis.

6. Sanctus Gregorius Nyssenus discurrens de corporibus sanctorum Martyrum scribit sequentia: *Anima quidem ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, & corpore soluta cum sui similibus una vivit. Corpus verò venerandum & immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore & cultu compositum, atque ornatum in angusto sacroque loco situm est.* Plurimæ adsunt convenientiæ, ob quas sacrosancta & pretiosa illa spolia honorantur; at ratio convenientissima ista, quod sacra illa corpora in præsenti vita ad meliorem Dei gloriam afflicta & emaceratæ fuerint. Quales corporis cruciatus & afflictiones non suscepit sanctus Carolus Borromæus in visitationibus suæ diœcesis? nunc enim pedes incedebat, nunc famem patiebatur, nunc Solis æstum & ex eo sudorem patienti animo sufferebat, adeò ut cum Patriarcha Jacob, sed verius ipse potuerit dicere: *Urebar æstu & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Si corpus reficiendum, famem repellebat castaneis; si decumbendum, distendebat se supra arborum folia; denique ut paucis plura complectar, nulla erat via adeo aspera, nullus mons adeò excelsus & arduus, nulla hyems adeò rigida, nullus æstus æstatis adeò intensus, qui sum à visitatione gregis suæ, ejusdemque salutis promotione detenere potuerit; & propter hujusmodi & plures alias corporis maceraciones in visitationibus spontè & patienti animo susceptas dispositi Deus remunerare ipsius labores, fecitque, ut ex ipsismet Alpibus, quos toties pertransiit, crystalla montana miræ & numquam visæ magnitudinis excidantur & excaventur, quæ cum civitas Mediolanensis dono quasi speciali Regi Hispaniæ, utpotè, Duci suo quondam offerret, pius princeps subitò ordinavit, ut ex illis ac puro auro, quo innecterentur, conficeretur cista seu arca tota translucida, cui imponeretur corpus S. Caroli, in hac igitur perficienda plurium annorum spatio laboratum, & tandem corpus sacri Pastoris cum summa pompa & applausu repositum fuit. *Nequaquam nos* (sic invitat nos D. Chrysostomus) *umbra hæc fugitiva seducat, largissimam profectò mercedem pro contempta corporali voluptate capiemus; atque ipse ad tuam animam loquere; triste ris, quia te corporis voluptate defraudo? sed lætare potius, quia tibi cœlorum regna provideo.* Et in alia Homilia de septem Machabæis idem S. Doctor ait: *Sicut corona regalis undique decorata fulgores varios emittit, ita & sanctorum Martyrum corpora sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omnique Regum diademate pretiosiora & spectabiliora reddantur.*

Remuneratio laborum ejus post mortē.

S. Chrysost. Hom. 6. in Matth.

Idem tom. 1. de Nat. sept. Machab.

7. Quanta reverentia & honore excipiuntur stigmata S. Francisci, Sanctæ Catharinæ Senensis, aliorumque Sanctorum? D. Chrysostomus in alia quadam Homilia de S. Juliano ita sermocinabatur: *Non ita cœlum astrorum chori splendidum reddunt, ut Martyris corpus splendidius vulnerum sanies reddidit. Atque ut Martyris vulnera cœlo infixis astris splendidiora esse discatis, advertite. Ad illud quidem cœlum ac stellas cùm homines respiciunt, tam dæmones; sed ad hujus etiam vulnera homines quidem respiciunt fideles, dæmones autem oculos contrà non audent attollere, quin etiam si spectare conentur, continuò luminibus orbantur, nec possunt exilientem indè fulgorem sustinere. Hoc ego non ex ijs tantum, quæ olim acciderunt; sed ex ijs etiam, quæ hodie fiunt, comprobabo. Sume enim quempiam à dæmone correptum, & ad Sanctum illud sepulchrum deduc, quo Reliquiæ Martyrum continentur, tam vestibentem planè atque fugientem videbis.* Est de fide, quod Martyrum aliorumque Sanctorum corpora ab Ecclesia approbata, honore digna existimata volabunt in cœlum quatuor gloriosis prædita dotibus, ac per totam æternitatem Deo gaudebunt; non sic est cum alijs corporibus, de quibus nobis non constat, an eorum animæ informatrices salvæ sint & beatæ. Quid mirum igitur, quod Deus tantis gratijs, miraculis, votis, piisque fidelium obsequijs Sanctorum corpora honoret? S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert, corpus illius intactum post decem menses ab obitu inventum fuisse cum suavissimo odore, & tamen quis nescit illud idem adhuc vivens escam fuisse vermium, & à squalore sordidi sui cilicij absumptum? verum est, ut propterea dicere potuerit: *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia.* Scribit Sulpitius de S. Martino, eum post mortem apparuisse, ac si corpus suum glorificatum fuisset, siquidem lucidum erat, instar vitri transparens, lacte candidius, carne unius pueri mollius.

Dæmones contremiscunt ad sepulchra & Reliquias Sanctorum.

Idem tom. 1. Homil. 47.

Quomodo Deus in extremo die honoraturus sit corpora Sanctorum.

Pſ. 29. v. 12.

Sulpit. ad Bastulam.

8. In Commentario S. Joannis Damasceni legitur: *Mortuum corpus miracula operari quoquo pacto non potest, cum sit prorsus virtute vivifica destitutum; Atqui Sanctorum corpora & reliquiæ miracula, Dei cooperante gratia, faciunt, dæmoniacos liberant, mortuos suscitant, ægrotos sanant.* Quo verò modo id, quod dixerat Damascenus, intelligi debeat, explicat Commentator, nempè sacras illas Reliquias non esse nuncupandas corpora mortua: *Absit*, inquit, *sacra ipsorum corpora mortua appellari, quod ipsis adest virtus quædam vivifica, miracula operans, vitamque mortuis restituens, & quoviis morbo laborantibus ægrotis levamen præstans, quod testatur Divinam quamdam virtutem, vitalemque efficaciam ipsis sanctis reliquijs.* Quæsierat Sanctus Doctor: *Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Quonam itaque modo per ea dæmones expellantur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac mœrores discutiuntur, ac denique omne donum optimum à Patre luminum eorum opera ad eos, qui fide minimè dubia postulant, descendit?*

In Comment. S. Joan. Damasc. ibidem. Cū Reliquiæ SS. operentur miracula, non debent censeri corpora mortua.

S. Joan. Damasc. ibidem.

9. D. Chrysostomus comparando melotem Eliæ Prophetæ cum amictu regali, existimat unicam illius particulam pluris æstimandam esse quàm omnes purpuras regias: *Purpuram*, inquit, *habet ille, sed hic melotem; habebat indumentum purpura illa venerabilius; purpura enim illa peperit famem difficilem; Melote autem hæc calamitates discussit. Hæc Jordanem divisit, hæc Eliæum duplicem Eliam fecit. O quanta Sanctorum virtus! Non solùm ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni perpetuo sunt venerabilia.* Hac veste Elias tot tantisque annis maceraverat corpus suum, ac propterea summam hanc promeruit gloriam; quantò convenientiùs igitur hæc gloria ipsimet competet corpori, esto in cineres reducto? S. Hieronymus contra Vigilantium scribens ait: *Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, & postquam resolutus esse cæperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his, qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderant, mutire non poterit?* Prosequitur idem Sanctus cum hac interrogatione facta hæretico: *Responde, quomodo in vilissimo pulvere & favilla, nescio qua, tanta sit signorum virtutumque præsentia,* (per risum hæreticus Reliquias vocabat vilem pulverem, ideòque S. Hieronymus pergit dicendo) *sentio, sentio, infœlicissime mortalium, quid doleas, quid timeas: Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpè hoc vilissimo torrus est pulvere, imò hodieque torquetur.*

S. Hieronym. lib. contrà Vigil.

Dæmones torquentur ad præsentiā SS. Reliquiarum.

10. In Homilia quadam jam adducta rursùm scribit ac sermocinatur S. Chrysostomus in hunc modum de sacris Reliquijs: *Non tales de superno Solis circulo in terram radij jaciuntur, quales à corporibus eorum prosiliunt coruscæ luce fulgores, & ipsos diaboli oculos invidentis obcæcant.* Evidens demonstratio, qua Sanctorum corporibus in sepulchris latentibus vivax insit Divina gratia, est, quod indies dæmonia ibidem subjiciantur torturæ. In progressu Homiliæ hujus reddit rationem, cùm ait: *Non ad naturam eorum hic interim mortalem intendant, sed ad arcanam dignitatem & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora Martyrum fuorum sicut arma portavit. Hujusmodi enim arma, non Angelus, non Archangelus, non ulla alia creaturæ virtus nobis est, sed ipse Dominus virtutum & Angelorum, sicut Paulus clamat, dicens: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? sic & isti clamare possunt & dicere: an experimentum quæritis ejus, qui in nobis certavit, Christi? Pretiosa enim sunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro suo Domino susceperunt, & quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt.*

D. Chrysost. Hom. de Nat. sept. Machab.

2. Cor. 13. 3.

11. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* In sermone quodam tomi quinti ostendit idem S. Doctor, quod hæc sacra corpora Deo acceptum referant omne donum ac virtutem suam: *Corpora*, inquiens, *douis spiritualibus affluentia contemplemur.* Jam nos exhortatus fuerat serm. 59. *Locadum amplectere, capsulæ reliquiarum affixus esto, non ossa Martyrum tantùm, sed & ipsorum sepulchra & capsulæ benedictionibus scatent. Sanctum oleum sume, totumque corpus tuum munge; linguam, labia, cervicem, oculos, nec unquam in ebrietatis naufragium incides; siquidem oleum odoris suavitatem Martyrum tibi certamina in memoriam revocat, & omnem lasciviam refrænat, atque in multa detinet patientia, animique morbos expugnat.* Et serm. 67. sup. citato scribens de sepulchris Martyrum in Ecclesia veneratis ait: *Neque verò mediocriter nobis prodest ad inserendam animis nostris modestiam ac Philosophiam hoc spectaculum tumulorum. Animus enim sivè segnis sit, hoc aspectu commotus, statim percellitur; sivè diligens sit, & excitatus diligentior redditur; sivè pauperiate quis lamentetur, ex hoc statim aspectu consolationem percipit; sivè divitijs intumescat, humilis sit & contrahitur.* Certum est S. Joannem Chrysostomum stupendâ dotatum fuisse eloquentiâ, ideoque nuncupatum Chrysostomum, idem sonans, quod os aureum, in honorem nihilominùs sacrarum Reliquiarum concludamus hanc materiam ijsdem verbis, quæ habet in sermone proximè citato: *Sæpè quantumvis minaremur, blandiremur, terreremus, cohortaremur, non tanta est is ad orandum animi alacritate commoti, nec excitati; cùm verò ad Martyrum Ecclesias vos contulistis, nemine consulente, solo Sanctorum conspectu sepulchro, copiosos lachrymarum fontes effudistis, & inter orandum fervore non mediocri exarsistis. Atqui matus cum silentio jacet Martyr; quid ergo tandem est, quod conscientiam pungit?* Responsum dari nequit adæquatius oraculo illo prophetico: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dat virtutem.*

Cū corpora SS. affluant spiritualibus donis, omnē merentur honorem. S. Chrysost. tom. 5. serm. 67.

Idem serm. 59.

Idem serm. 67. cit. Quæ utilitates nobis proveniant ex veneratione SS. Reliquiarum.

Serm. cit.

Pſ. 67. v. 36.

TRACTATUS LXXXVIII.

DE SILENTIO, SIVE, LINGUÆ CUSTODIA.

CONTINET DISCURSUS X.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Custodia linguæ cooperatur æternæ saluti animæ nostræ.

THEMA.

Qui custodit os suum, custodit animam suam. Prov. 13. v. 3.

DIscursus I. Custodia linguæ cooperatur æternæ saluti.

II. Silentium est medium ad acquirendam perfectionem; plurimos virtutum actus, multaque alia bona spiritualia producit.

III. Religionum, Religiosæque vitæ fundamentalis pars est custodia linguæ, sivè silentium.

IV. Silentium suffragatur orationi, nutrit devotionem, conducit ad lucrandum spiritum.

V. Commendatur silentium exemplo Christi, cui est gratissimum.

VI. Silentio cultus Deo exhibendus est in sacris templis, eò quod sanctissima Virgo Deipara, mysticum Dei templum, silentij sui nobis dederit ac reliquerit exemplum.

VII. Omnem dæmon adhibet curam & diligentiam, nè custodiamus silentium, quod, utpotè, reprimit ejus vires & insidias.

VIII. Difficilis notitia, qua quis silentio, veluti virtutis indicio, linguam suam frænare ac comprimere novit. Tacendo quilibet bene loqui discit.

IX. Variæ considerationes ad injiciendum nobis frœnum linguæ, amoremque silentij.

X. Ex discreto & prudenti silentio procedere debent sermones opportuni & proficui.

1. QUamvis tom. præcedent. per plures Discursus mala ac incommoda ex linguæ lubricitate promanantia demonstraverimus, hunc tamen mihi reservavi locum, quo bona & commoda exponam Silentij, è quo juxta Sapientem tale percipimus emolumentum, quo majus nec nobis imaginari, nec consequi possumus, æternam, puta, animæ salutem; ac propterea. *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* De Arsenio refert Bellovacensis, quod & legitur in Vitis Patrum eremi.: *Cùm Arsenius adhuc esset in palatio, rogavit Dominum, dicens: Dirige me ad salutem, & vox ad eum: fuge homines, & salvaberis. Item cùm adhuc in solitudine oraret, vox facta est iterum ad eum: fuge, tace, & quiesce; hæc enim sunt radices non peccandi.* Quod præsens Mundus tempestuosi sit instar maris, in quo, quamdiù cœlestis patriæ non attigerimus portum, navigamus cum periculo naufragij, nemo est, qui neget aut dubi-

Per silentium cavet homo peccatum, & disponitur ad gratiam.

Bellov. spec. mor. p. 2. lib. 3. dis. 4.

tet : *Hoc mare magnum.* Spes tamen indè evadendi adeſt non exigua : & qui ſunt illi, qui ſpem aliquam concipere poſſunt, nè ſubmergantur in aquis illis, de

Job 15. v. 16. quibus Job c. 15. ait : *Bibit quaſi aquam iniquitatem ?* Quis portum Paradiſi fœliciter ſe ſubintraturum credere poterit ? Illi qui os tenent occluſum, nempè, qui ſunt amici ſilentij, & linguam cuſtodiunt, idque probo oraculo Davidico : *Et lætati ſunt, quia ſiluerunt,*

Pſ. 106. 30. *& deduxit eos in portum. Dat æternum bravium*, ſubdit Bellovacenſis in laudem ſilentij, quod præter teſtimonium Pſalmiſtæ adducťum probat ex Jeremiæ la-

Thren. 3. 26. mentis : *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*

Bellov. ibid. Gratia eſt ſemen & pignus gloriæ, quæ à Scholaſticis dicitur gloria inchoata, veluti è contra gloria dicitur gratia conſummata ; jam verò annon ſilentium diſpoſitio eſt ad recipiendam gratiam ? Quandò S. Zacharias ab angelo fœlix illud fauſtumque recepit Evangelium de nativitate Joannis Baptiſtæ, ſilentium

Luc. 1. v. 20. ſimul eidem intimatum fuit : *Et ecce eris tacens & non poteris loqui*, & cur in ſummo gaudiorum apice bonus & ſanctus hic ſenex affligitur, privatur uſu loquelæ ac mutus efficitur ? *Omnia in figura contingebant illis.* Partus in lucem edendus qualis erat ? *Voca-*

Luc. 1. v. 13. *bis nomen ejus Joannem*, quod Interpretatur *gratia*, ad hanc aſſequendam optima diſpoſitio ſilentium eſt, de

S. Antoninus p. 3. t. 19. c. 8. v. 7. quo S. Antoninus diſcurrit in hunc modum : *Gratiam poſitivè gignit, in cujus figuram Zacharias tacens Joannem, qui interpretatur, gratia genuit.*

2. In S. Joanne Climaco inter gradus ſcalæ Paradiſi hæc lego verba : *Si tuam linguam cuſtodieris, dabitur*

S. Joa. Clim. Scal Parad. grad. in ſchol. 3. *tibi à Deo gratia, compunctio, nempè, cordis, in qua videbis animam tuam, & in hac ingredieris in gaudium ſpiritus.* Abbati Siſoi quidam exponebat ardens deſiderium ſalvandi animam ſuam, quale verò huic ille

In vitis SS. Patrum lib. 7. cap. 32. dederit reſponſum, patet ex ſequentibus, quæ leguntur in vitis SS. Patrum : *Cùm quidam frater Abbati Siſoi dixiſſet : volo animam ſalvare, reſpondit : qua ratione poſſumus animam noſtram ſalvare, cùm lingua noſtra aperto oſtio ſæpè proſiliat ?* Ex quo reſponſo evidenter

Cuſtodia linguæ plurimù conducit ad conſequendâ ſalutem. pateſcit difficultas, ubivis obvia, ſalvandi animam, niſi lingua refrænetur & cuſtodiatur. Undè in Iſaia hoc invenio oraculum. *Hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſraël: ſi revertamini, ut quieſcatis, ſalvi eritis.* Ut autem

Iſa. c. 30. 15. ſciamus modum, quo hunc finem adeò nobis neceſſarium & utilem aſſequi valeamus, protinùs addit : *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Sed quale myſterium illud, quod Propheta ſpem jungat cum ſilentio ? Illa enim ad conſecutionem æternæ beatitudinis ordinata eſt, ac proindè non videtur poſſe habere relationem cum taciturnitate ? Fallimur ; axioma namque induhitatum eſt : *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Quemadmodùm aqua contra naturalem ſuum curſum & propenſionem erigitur cœlum verſus, quando, nimirùm, conductus, per quem defluit, os & foramen clauditur ; ad eumdem modum anima noſtra tunc ad contemplationem cœlique poſſeſſionem erigitur, quamprimùm laborum conductus obſtruitur, quando mens noſtra non ſe diffundit, nec declinat ad affectus & deſideria terrena.

Pſ 100. v. 2. David per cuſtodiã linguæ, conſervavit innocentiam vitę. 3. Gloriabatur Regius Propheta dicens : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* At qua ratione & modo is, qui inter aulæ ſtrepitus, inter tot & tanta regni negotia, curas & alloquia, in tàm tædioſo populi accurſu & tumultu vivebat, irreprehenſibilem ſeſe ac immaculatum conſervare potuit ? Obſervetur, quem habuerit ſcopum ; collimabat, nimirum, in linguæ ſuæ cuſtodiam, quem in finem ſuæ Divinæ Majeſtati ſupplicans dicebat : *Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Quia neminem ſcivebat caſtum os ſervare poſſe* (ait S. Ambroſius)

Pſ 38. v. 1.

S. Ambr. lib. 1. de offic. c. 2. *ab immunditia ſermonis, ipſe ſibi ſilentio legem impoſuit innocentiæ, ut tacendo culpam, declinaret, quam vix effugere poſſet loquendo.* Dubium hic moveri poſſet, quid cæteris paribus ſaluti ac defenſioni animæ noſtræ magis expediat, an cuſtodire linguam, vel refrænare oculos ? De lingua ait S. Jacobus Apoſtolus : *Univerſitas iniquitatis* ; de oculo loquitur Spiritus Sanctus per

Jac. 3. v. 6. os Eccleſiaſtici aſſerens : *Negatus oculo quid creatum eſt ?*

Eccli. 31. 15. Difficultatem ſolvit S. Eccleſia in hymno, quem recitamus in Prima, ſiquidem primatum attribuit cuſtodiæ linguæ, dum cantat :

Jam lucis orto ſidere, Deum precemur ſupplices,
Ut in diurnis actibus, Nos ſervet à nocentibus.

Ut præſervemur ab omni offenſa & præcipitio, nè præcipites ruamus ambulantes in via præceptorum Divinorum, à quorum obſervantia dependet animæ noſtræ ſalus, primò à Deo petitur :

Linguam refrænans temperet, nè litis horror inſonet,
& poſteà in ſecundo loco :
Viſum fovendo contegat, nè vanitates hauriat.

4. Creaverat ſupremus rerum omnium artifex Deus primos parentes noſtros in ſtatu innocentiæ, inſuper & prædivite veſte juſtitiæ originalis, induerat, quam-

Mors per os Evæ, fracto ſilentio, introivit in mundum. obrem ex paradiſo terreſtri tranſiſſent ad cœleſtem, niſi Divinum præceptum prævaricati fuiſſent. Verùm aſtutiſſimus ſerpens infernalis qualem invenit modũ, quo eos de fœlici illo & optatiſſimo ſtatu præcipites dedit ? *Ideò Eva lapſa eſt*, (pono verba S. Ambroſij) *quia locuta eſt viro, quod non audierat à Domino Deo*

S. Ambroſ. loc. cit. *ſuo.* Obtinuit dæmon intentum ſuum per diſcurſum, quem cœpit cum Eva, quàm fœlix illa fuiſſet, ſi ſervaſſet ſilentium. *O validum ſcutum circumſpectæ munitionis ſilentium !* ita ſcribit S. Ambroſius ſup. Pſalm. 38.

S. Ambr. in Pſalm. 38. *O fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi quis poterit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit ; multi enim etiam ſtabili corde firmati, incauti tamen ſermonis fluctuantis errore ſæpè ceciderunt.* Creatus erat homo propter æternam vitam ; at

Sap. 2. v. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et quem tenuit modum, ut æternæ morti daret aditum ? *Aſcendit Mors per feneſtras*; per

Jer. 9. v. 21. feneſtram, inquam, intravit, apertam à primâ matre, ſeu potiùs Novercâ noſtrâ : *Circo miſidator pudoris obrepit* (eſt doctrina ejuſdem S. Doctoris) *citò verbum exci-*

S. Ambr lib. 3. de Virg. *pit, quod revocare deſideres. Si Evæ clauſa fuiſſet janua, nec Adam deceptus fuiſſet, nec reſpondiſſet interrogata ſerpenti. Introivit mors per feneſtram, hoc eſt, per Evæ oſtium.*

5. Deſcendit in terram filius Dei, ut has ruinas noſtrorum protoparentum repararet, noſtramque operaretur redemptionem, & quem ille tenuit modum ? Reſpondebitis mihi nos per eum redemptos eſſe, quod noſtra ſit indutus carne ; *habitu inventus ut*

Exemplo ſuo docuit nos Chriſtus obſervare ſilentium. *homo*, natus in extrema mendicitate : prædicando Evangelium, fundando Eccleſiam ſupra duodecim fundamenta Apoſtolorum ſuorum, profundendo ſanguinem ſuum ſupra montem Calvariæ ; glorioſo à mortuis reſurgendo corpore, aſcendendo ad cœlum, & indè Mundo mittendo ſanctiſſimum ſuum ſpiritum : totum id verum eſt ; aſt audiamus ipſummet D. Am-

Philipp. 2. 7. broſium : *Dominus in Evangelio tacens operabatur ſalutem hominum.* Ergò ſi omnis Chriſti actio noſtra eſt

D. Ambroſ. lib. 1. de offic. c. 3. inſtructio, voluit ſua illa actione nos inſtruere, ut ad ejus imitationem huic noſtræ ſaluti cooperemur cuſtodia & fræno linguæ. Obſervetur ſuppliciatio illa : *Nos ſervet à nocentibus*, quam Deo præſentamus in Prima. Author quidam gentilis cuſtodiam linguæ nuncupat titulo antidoti & Medicinæ contra omnes morbos animæ. Stobæus in ſermone, cui titulus eſt de taciturnitate, ita habet : *Multis hominibus pharmacum malorum eſt taciturnitas, quæ peculiaris eſt fragi moribus.* Scribit S. Hieronymus Celantiæ monens ipſam his verbis : *Sit intentus ac vigilans & adverſus peccata ſemper armatus animus tuus.* Qua verò ratione id conſequi poſſet, docuit ſequentibus : *Sermo in omnibus moderatus ac parcus, & qui neceſſitatem magis loquendi indicet, quam voluntatem.*

Stobæus ſerm. 33.

S. Hieron. Epiſt. ad Celant.

6. Conſilium, quod D. Chryſoſtomus in hac materia valdè utili & neceſſaria poſteritati conſecravit, fuit illud : *Magis quàm pupillam oculi linguam tuam cuſtodias.* Ecquis ignorat oculi pupillam offuſcari & obtenebrari quocumque etiam minuto pulveris atomo ? Ad eumdem modum, inquit & refert S. Doctor, puritas animæ & conſcientia noſtra unico ſolo verbo malitioſo aut malitioſè prolato maculari poteſt. Adhæc noretur dictio illa : *Magis*, etenim ſi obſcuretur oculi pupilla, deperditur lux corporalis ; at ſi obtenebretur lux animæ, nempè, gratia, amittitur æterna ſalus : *Ecce quantus ignis quàm magnam ſylvam incendit. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata à gehenna*, ait S. Jacobus. Quandò operamur juxta rationis rectitudinem, numquam errare poſſumus, quia omne peccatum eſt rectæ rationis deordinatio. Conſilium aliud D. Chryſoſtomi eſt : *Os noſtrum perpetuo cuſtodiamus, ei rationem tanquam clavem adhibentes.* Quemadmodùm ſine clave aperiri nequit janua occluſa, ita oris noſtri oſtium numquàm aperire poterimus ſine clave rectæ rationis, ſi illud ſervaverimus occlutum, muniti hac clave numquàm errabimus.

D. Chryſoſt. Hom. 52. in Matth. Recta ratio debet eſſe clavis linguæ.

Jacob cap. 3. v. 5. *Ibid. v. 6.*

S. Chryſoſt. in Pſ 140.

7. Pretioſiorem ipſa anima non habemus theſaurum, ac proindè fedulò cuſtodiendus eſt theſaurus iſte, ac quomodò ? pulchrè id nobis inſinuat S. Bernardinus : *Qui theſaurum ſuum, inquit, cuſtodire capit, oſtium*

Oſtium oris claudendum eſt, ſi theſaurum animæ cuſtodire velis.

S. Bernard. ſerm. 5. in die Cin. art. 1. *oſtium claudit ; ſic qui capit animam ſuam cuſtodire, os ſuum claudere debet.* S. Petrus Damianus agens de anima noſtra ſub ſponſæ metaphora oſtendit, quàm conveniens ei ſit linguæ cuſtodia, dùm ita diſcurrit : *Anima*

Petrus Damian. ſerm 74. *noſtra ſuperni Regis eſt ſponſa, cui accepto pignore ſancti Spiritus ſignaculo fidei eſt dotata. Maneat ergò in ſuis penetralibus virgo, non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egreſſa in ſupervacua verba, ac ſæcularia ſe fundat, nè ſi deviare eam Sponſus à modeſtia ſuæ pudicitiæ gravitate conſpexerit, quandoque objurgans dicat : Si ignoras te, inquiens, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum. In cubiculo igitur ſuo, virginali more, reſideat, oris oſtium clauſum teneat, & numquam, niſi quæ ad expectandum pertinent ſponſi cæleſtis adventum, locutura procedat, ſub umbra ſilentij ſe reprimat.* Mos erat & conſuetudo antiqua liminibus ſacrorum templorum imprimere oſcula : alij tamen manu eadem tangebant, manumique in ſignum reverentiæ oſculabantur ; quamobrem S. Chry-

D. Chryſoſt. Hom. 30. in 2. ad Cor. ſoſtomus in quadam Homilia ait : *Templum Chriſti ſumus, igitur veſtibula templi & ingreſſum oſculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu contingentes, & ori manum admoventes.* Ab Apoſtolo vocamur templa

1. Cor. 3. 17 Dei : *Templum Dei, quod eſtis vos.* Si ergò tempore ſuo transferri deſideramus ad templum gloriæ ; manum admoveamus veſtibulis, puta, labijs noſtris, neceſſe eſt. Undè & S. M. Eccleſia, ut fidelium ſuorum operationes, duce timore Divino, dirigeret ad bonum finem, ordinavit, ut ſub initium diei matutinum exordiamur hiſce verbis : *Domine, labia mea aperies*, quibus à Deo petimus noſtra aperiri labia.

Pſ. 50. v. 17.

8. Celebris ille Magiſter ſpiritus Thomas de Kempis docet : *Beatus, inquiens, qui os ſuum ſtrictè cuſtodit, talis magnam pacem habebit* ; de illa pace, ni fallor, loquitur, de qua cantavit Pſalmiſta dicens : *Pax multa*

Thomas à Kempis p. 1 ſerm. 13. ad Novit. *diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum* ; pergit deinde : *Habebit bonam conſcientiam.* De quodam Philoſopho, nomine, Carillo legitur, quod propoſita hac interrogatione, cur Lycurgus, cæteroqui bonus legiſlator, pœnas leges præſcripſiſſet Lacedæmonijs hoc

Pſ. 118. 165. Silentium confert pacem & quietem animæ. receperit reſponſum, eos, qui parcè loquuntur, veluti ſunt Lacedæmonij, vix indigere legibus. Concludamus hunc diſcurſum verbis D. Bernardi, qui ait : *Silentium, docente Iſaia, cultus juſtitiæ eſt, & bonum eſt*

S. Bernardus Epiſt. 89. *expectare, ut docet Jeremias, ſalutare Dei cum ſilentio. Ad hunc ergo juſtitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum manum, munitionem, cuſtodem & te, & alios, quicumque tui ſimiles proficere cupiunt in virtutibus, invito & provoco.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Silentium eſt medium ad acquirendam perfectionem ; plurimos virtutum actus, multaque alia bona ſpiritualia progenerat.

THEMA.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Jacobi 3. v. 2.

Ethnici Philoſophi plurimum commendarunt ſilentium.

Quales fructus & virtutes naſcuntur ex ſilentio.

S. Ambr. lib. 3. de Virg. *S. Bonav. loc. cit. ſup.*

Thren. 3. 28. *S. Ambr. ſer. 22. in Pſal. 118*

Jac. 1. v. 4. Silentium eſt indicium & nutrimentum patientiæ.

S. M. Eccleſia.

Bellovacenſis docet & probat ſilentium eſſe indicium patientiæ hiſce verbis *Signum eſt patientiæ, unde Chriſtus & coram Pilato & coram Herode tacuit in ſignum patientiæ. Item colaphis cæſus, conſpatus, illuſus, flagellatus, coronatus, crucifixus.* S. Lucas Evangeliſta Evangelico ſuo penicillo Mariam Magdalenam in domo Simonis Phariſæi depinxerat initio peccatricem : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, ſurrexit illa nihilominus à pedibus Salvatoris munda & ſancta & quidem ſanctitate eminentis perfectionis : *Dilexit multum* : ſcitisne cauſam ? *Charitas patiens eſt.* Et in qua re eluxit hæc charitas patientiæ ? Quando audivit imperia & opprobria Phariſæi, non aperuit os ſuum nec minimùm defendit ſe, imò cauſam ſuam ad pedes Salvatoris peroravit ſilentio. In alia pariter occaſione quando in Bethania Martha ſoror ejus ipſam reprehendit, quod non ſe occuparet quoque in parando convivio, ſed tacita ad pedes ſui cœleſtis Magiſtri ſederet, ipſa nec verbulum reſpondit, ac propterea Chriſtum habuit ſui defenſorem ipſam hiſce laudantem verbis : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Alia quadam vice quando pretioſiſſimum illud profudit unguentum ſupra caput Chriſti, de quo ſtrepitè contra ipſam murmurabat Judas, nullum pror-

Bellov. ſpec. p. 1. l. 3. diſt. 8. *Pſ. 38. v. 3.*

Luc. 10. 42.

sus legimus prolatum ab ipsa verbum; & totum hoc singularis suæ virtutis ac perfectionis erat indicium.

Stob. ser. 33. *Utilitates silentij afferuntur.* *Seneca Epist. 16.* *Ps. 140 v. 3.* *Valerian. Hom. 5. de oris insol.*

5. Pervetustus etiam Philosophus quidam in laudem silentij scribens: *Nihil*, inquit, *utilius est quidquam silentio. Nihil est quidquam præstantius quàm tacere.* Cū quo concordat, quod in Epistola quadam moralis Senecæ legitur: *Nihil æquè proderit quam quiescere, & minimùm cum alijs loqui, & plurimum secum.* S. Valer. in Hom. aliqua, cui titulus, de oris insolentia, nos omnes invitabat, quando sermocinabatur: *Audite Prophetam dicentem: Pone, Domine, custodiam ori meo. Hæc est utilis custodia oris nostri, ut non facile declinet cor nostrum in verba quæcumque ad expugnanda pacis studia, quæ aut turpis sermo profert; aut vilis actus personæ contingit. Inter confusos autem linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse.*

Casta Susanna laudatur de silentio. *S. Ambr. lib. 3 de offic. c. 3.*

Castissimam Susannam non constat aperuisse os suum, ut coram judicibus, aut in conspectu populi innocentiam suam justificaret; benè quidē illud aperuit Deo se commendans; quod benè notavit sanctus Ambrosius, dicens: *Est magnum & negotiosum silentium, ut erat Susannæ, quæ plùs egit tacendo, quàm si esset locuta; tacendo enim apud homines locuta est Deo; nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm Silentium.* In eodem capite prosequendo silentij laudem ait: *Et cui nisi unicuique nostrum scriptum est: sepi possessionem tuam spinis; & aurum & argentum tuum alliga; & ori tuo fac ostium & vectem, & verbis tuis jugum & stateram. Possessio tua mens tua est; aurum tuum cor tuum est; argentum tuum eloquium tuum est, eloquia Domini argentum igne examinatum, bona etiam possessio mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem & circumvallato.* Quando ager aliquis, hortus, vel pomarium sepe aut muro circumdatum est, adest spes colligendi fructus; non ita, quando cujusvis transeuntis rapinæ expositum est. Hoc idem accidit in custodia linguæ; si refrænetur, si reprimatur discreto decentique silentio, copiosè inde sperari possunt virtutum ac meritorum fructus.

D. Ambros. in Psal. 38. *Silentium Job & amicorum ejus.*

6. Idem S. Ambrosius in Psal. 38. ejusdem silentij commendans utilitatem, ait: *Ad omnia utile silentium.* Postquam Job omnibus suis exutus esset bonis, quorum non sciebatur finis, cunctis etiam orbatus filijs sub domus suæ ruina sepultis, postquam denique sedens in sterquilinio, ulcere pessimo ac fœtentibus plagis à capite ad plantam pedis usque percussus esset à Sathana; quale, quæso, rapido huic adversitatum torrenti opposuit obstaculum? *Septem diebus tacuit Job* (ait sanctus Ambrosius) *tacuerunt amici, nec locuti essent, nisi Job dolore prorupisset in vocem. Taciturnitas ipsa medicina est.* Notanda sunt illa D. Jacobi verba: *Si quis in verbo non offendit.* Pleræque enim injuriæ, rixæ ac dissensiones originem suam ducunt à lingua rectæ rationis regulis difformi, ac propterea præstat tacere quàm loqui: *Quanto rarius & brevius loquimini hominibus* (ita exhortatur nos Thomas à Kempis) *tanto securius est pro custodia cordis & oris.* In quodam alio sermone, qui est 13. hoc idem tetigit punctum, nempe, silentium cooperari paci & quieti, cunctasque abrumpere rixas & discordias: *Multa jurgia cessare facit, qui tacet.* Cui conformiter proposito Drexelius facetam refert historiam: Mulier quædam Confessario suo dolenter exponebat multa jurgia & rixas, quas cum marito suo frequenter habebat, eò quod hic domum rediret semper ebrius, & quotiescumque ab ipsa reprehenderetur, toties illi majori accensus ira pessimè ipsam tractaret. Confessarius tales excipiens querelas pro remedio suggessit mulieri, ut aquam, videlicet, ex certo quodam fonte haustam tamdiu in ore teneret, donec maritus, ebrius domum rediturus, obdormivisset. Obedivit illa, cumque aliquot vicibus eo remedio usa fuisset, bonum cessantis litis effectum, quem inde experiebatur, acceptum referebat virtuti talis aquæ, non reflectens se ad silentium, à quo procedebat. Quam opportunè & apposité ei dici poterat: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.*

Idem in Psal. 37. *Jacob. 3. 2.* *Thomas à Kemp. ser. 4. p. 1.* *Silentium cooperatur paci & quieti.* *Idem ser. 13.* *Lepidum hujus exemplum.* *Prov. 17. 14*

S. Valerian. Hom. 12. de bono cons. pacis. *Silentium debet procedere ex motivo charitatis, nō ex causa politica.* *Cant. 4. v. 3.* *Richard. in hunc locum.*

7. Sanctus Valerianus Homilia de bono conservandæ pacis hunc reperit effectum bonum silentij: *Si non vis injuriam pati, religa plectrum oris tui, & obtura aures tuas, nè ad te irascentis fratris tui verba perveniant, aut certè si pervenerint, silentio deputentur.* Observastisnè in Canticis labia sponsæ assimilari vittę? *Sicut vitta coccinea labia tua.* Richardus de S. Victore exponit mysterium: *Labia sponsæ, inquit, vittæ comparantur; quia sicut vitta constringit crines, nè dissolutè defluant; ita devota anima labia sua ligat, & cohibet, nè mala vel inutilia loquatur.* Verùm advertendum, sponsum non dixisse dumtaxat: *Sicut vitta*; sed adjunxisse: *coccinea*, alludendo ad charitatem, quæ exprimitur colore rubeo, quo voluit nobis simul indicare, quod silentium alicujus animæ perfectæ virtuteque præditæ procedere debeat ex motivo charitatis, non ex quadam causa politica, debeat habere pro objecto amorem Dei & proximi, ad hoc ut sit actus virtutis & meriti; ac propterea addit idem Richardus: *Quæ vitta coccinea dicitur, quia per coccinum charitas intelligitur, quo labia hæc ligantur.* Huic nostro proposito inservit quoque textus ille Apostoli ad Thessalonicenses: *Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo; ut cum silentio operantes suum panem manducent.* In Græco textu loco dictionis hujus, *silentio*, legitur, *cum quiete operantes suum ipsorum panem edant.* Ex quo colligitur relatio, quæ est inter silentium & pacem & quietem.

2. Thess. 3. v. 12.

D. Ambr. in Psal. 38. *David per silentium declinavit persecutiones hostium.* *Ps. 38. v. 9.* *Ps. 34. v. 11.*

8. De David scribit Ambrosius in Psalm. 38. *Videns*, inquit, *insidijs & vano concertantium strepitu se Propheta tentari, intra se ipse tacitus conserebat, legem sibi taciturnitatis imponens.* Et in Psalmo eodem legitur: *Opprobrium insipienti dedisti me.* Et quid fecit sanctus ille vir, ut pacem & charitatem conservaret, non accenderet in inimicis suis majorem iracundiæ & furoris ignem? *Obmutui, & non aperui os meum.* Et quandonam existimatis majorem ipsum demonstrasse virtutis actum; tacendo, aut vestiendo se cilicio? veluti alia quadam vice se fecisse dixit: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ; ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* Pro responsione audite, quod legitur in Theatro vitæ humanæ: *Quidam à quo cùm adolescens quispiam sæcularis cilicium peteret, tale responsum accepit: verè, fili mi, optimum cilicium est, bonam habere curam, quid per hoc ostium* (alludebat autem ad linguam & oris ostium) *egrediatur.* Magna pollet virtute, qui novit reprimere linguam, qui potest retundere injuriam, sed defendere & justificare, qui potest recipere laudem & applausum referendo prægnantes rationes & sententias, & simul silentio se mortificare est actus magni meriti. S. Ephrē de timore Dei scribens, hanc reliquit nobis doctrinam: *Paradisus sepimento carens, dum calcatur, desolatur, & qui non custodit os suum, deperdit fructus suos.*

Theat. vitæ hum. verb. Taciturnitas. *S. Ephrem de tim. Dei.*

Silentium comparatur clavi. *D. Chrys. in Psal. 140.*

9. Ingeniosa est, veluti etiam diximus Disc. præc. similitudo illa D. Chrysostomi, qua silentio clavis attribuit titulum & officium. Clavis etiam intra scrinia custodit gemmas, intra æraria tutum conservat thesaurum; hoc idem in anima perfecta & sancta operatur silentium, conservat aurum & gemmas donorum, gratiarum ac meritorum; ne à prædone infernali surripiantur. *Verè magnus thesaurus in ore sapientis* (ait in laudem silentij Thomas à Kempis) *sed non minor in corde tacentis.* Astutus namque serpens per viam jactantiæ & vanæ gloriæ meritorum bonorumque operum thesaurum nobis eripere satagit; ut verò ab hoc præservemur periculo, multùm conducit taciturnitas. Audiamus Joannem Climacum: *Quies*, ait, *à sermone vanæ gloriæ nervos incidit.*

Thomas à Kemp. ser. 13. *Climac. in sed grad.*

Præclara encomia silentij. *Prov. 21. 23.* *Climac. ibid. gra. 11.*

10. Aliud denique bonum promanans è custodia linguæ insinuat nobis Sapiens hisce verbis: *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.* Multos alios salutares effectus tetigit S. Joannes Climacus: *Silentium*, inquiens, *prudens est parens orationis; à captivitate liberatio; ardoris Divini custodia; observatio cogitationum; speculator hostium; luctus carcer; amans lachrymarum; assiduè mortis memoriæ effector; suppliciorum æternorum pictor; curiosus judicij observator, minister salutaris tristitiæ, hostis nimiæ confidentiæ; religiosæ quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ oppugnator, scientiæ augmentum, contemplationis informator, occultus in virtutibus profectus, arcanus in Deum ascensus.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Religionum religiosæque vitæ fundamentalis petra est silentium, sive custodia linguæ.

THEMA.

Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio, Jac. 1. ℣. 26.

Silentium est fundamen. Religionum, & petra vitæ religiosæ.

1. Argumentum evidens & probans hanc sancti Jacobi propositionem est, quod sacrarum Religionum, in quibus accuratissima viget regularis observantia, Institutores silentij maximam habuerint rationem & curam, & ad illud tamquam ad petram fundamentalem vitæ religiosæ respexerint. Inter alios id observavit Bellovacensis in suo speculo morali, cùm ait: *Est regularis institutio, videlicet, Benedicti, Augustini, Francisci, & hujusmodi, qui quasi custodem religionis silentium posuerunt in claustro, oratorio, dormitorio, & alijs officinis.* Cornelius à Lapide in Oseam Prophetam refert testimonium unius authoris, nomine, Joannis Mauburni, Abbatis Liuriacensis, Roseto 1. c. 3. qui varias allegat causas, cur nonnullæ Religiones declinaverint à primo sui instituti fervore, & laxiorem vitæ rationem amplexati fuerint; quando deinde venit ad Carthusianos, ita de eis scribit: *Addit præ cæteris in suo vigore & nitore stetisse Carthusienses ob studium solitudinis & silentij, ac ob strenuam observantiam Visitationum, unde hæc tria carmine complexus ait:*

Bellovac. spec. m. ral. p. 1. lib. 3. dist. 4.

Per tria, Si, So, Vi, Carthusia permanet in vi.

per primam syllabam, Si, quæ ponitur primo loco, intelligitur silentium, per secundam, So, solitudo; & per tertiam, Vi, visitatio. Sanctus Ambrosius de servis Dei, qui valdè illuminati & sanctitate celebres fuere, scribit: *Sancti Domini, qui sciebant, quia vox hominis plerumque peccato adjuncta est, & initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere.* Sanctus Bruno ut hoc fundamentum silentij in Religione sua eò firmius & stabilius esset ac persisteret, stabilivit illud solitudine, quæ ad linguæ custodiam valde conducit; unde monasteria sua in locis à conversatione & commercio populi dissitis ædificari jussit. Monachi etiam sancti Benedicti ab initio, veluti & Cistercienses, ac alij observatiores plerumque in locis solitarijs habitare solebant.

S. Ambr. lib. 1 de offic. c. 2.

Petr. Dam. serm. 74. *Pax & religiosa disciplina in claustro stare non possunt ubi deest silentium.* *Jacob 1. 16.*

2. Pulchra est illa exhortatio, quam quondam B. Petrus Damianus ad Religiosos suos dirigebat, ita discurrebat: *Portatis fratres mei vobiscum, portatis clavem cellulæ, portate & clavem linguæ; opponitis pessulum ostio, adhibete retinacula salubriter ori vestro.* Paulò antè in confirmationem sui propositi adduxerat verba suprà allegata ex Apostolo: *Si quis putat se Religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Unde statim subdit: *Quibus, nimirum, verbis luce clarius constat, quia in nihilum omnis nostra religio redigitur, nisi solerter immoderatæ linguæ lascivia compescatur.* Thomas à Kempis in quodam sermone habito pro instructione Novitiorum obligavit illos ad servandum silentium hisce verbis valde notandis: *In nullo statu & ordine stabit pax & disciplina, si non adest censura silentij quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum & contentionis obturatio.* Bellovacensis item refert, quod & legitur in vitis Patrum: *Abbas Pastor quæsivit ab Abbate Vestorio, unde tantam acquisiverat virtutem, ut quando Abbas aliquid injungeret in monasterio, ipse non loqueretur. Ait adjuratus: Quando intravi in monasterium, dixi: Tu & asinus unum estote, ut sicut asinus verberatur, & non loquitur, injuriam patitur, & non respondet, sic & tu; sicut in Psalmo legitur: ut jumentum factus sum apud te.* Homo quidam magnæ experientiæ & spiritus dicere solebat, quod ad reformandam religionem aliquam sufficeret eamdem reformare in silentio; quia tunc quilibet sibi attendit, cessant lamentationes & murmurationes, cessant circuli, conversationes, familiaritates & amicitiæ particulares, ac tempus utiliter impenditur orationibus & studijs.

Thomas à Kemp. ser. 4 ad Novit. p. 1. *Bellovac. loc. cit.* *Ps. 72. v. 23.*

S. Bernard. de passione cap. 27. *Religiosus debet religare linguam.*

3. Sanctus Bernardus vehementer linguæ custodiam commendat sequentibus: *Cui omnes boni tantò magis studiunt, quantò virtutum culturæ viciniores existunt, unde de fratre quodam, qui discere volebat, & quasi in usum reducere linguæ correctionem, legitur, quod per triennium quemdam lapidem portabat in ore, de alio verò, quod triginta annos non fuerat locutus quidquam.* Prosequitur in eodem loco hunc discursum valde accommodatum authoritati ex Divo Jacobo suprà adductæ, cùm ait: *Nemo de religionis habitu sibi blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare; religa tuam linguam, si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione religio vana est; unde Patres sanctissimi Religionis institutores & eorum sequaces sapientissime (sicut à spiritu sapientiæ docti fuerant) districtè instituerant observationem silentij, non ignorantes, quia sicut urbs patens & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo spiritum cohibere.* Modestia & verecundia virtutes sunt Religiosis propriæ; at hæ à custodia linguæ adjuvantur. Quapropter S. Ambrosius agens de virginibus scribit: *Deesse sermonem virgini*

S. Ambr. de virg. lib. 3.

quàm superesse malo; nam si mulieres etiam de rebus Divinis in Ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem. Ludovicus Blosius monachus sancti Benedicti, cujus vitam cum aliorum sanctorum vitis descripsit Bolandus, documentorum spiritualium insignis extitit Magister, veluti ex amplo operum suorum volumine Theologia mystica referto, quod scripsit de instructione vitæ asceticæ, deducitur, is igitur inter alia hoc reliquit nobis documentum: *Solitudinem, silentium & taciturnitatem præcipuè dilige, semper paratior ad sermonem audiendum, quam ad proferendum esto.*

Blos. de Instruct. vitæ ascet. divis. 7. n. 4.

Baron. an. 389. n. 15 *Antiqui Patres summā habuerunt rationem silentij.*

4. In annalibus Ecclesiasticis de sancto Gregorio Nazianzeno narratur, cum valdè solicitum fuisse de disciplina & observantia monastica; cùm igitur linguam suam in loquacitatem declinasse advertisset, ut illam ad rectam viam reduceret, mortificavit illam continuo quadraginta dierum spatio. Refert quoque Joannes Cassianus summam curam & solicitudinem, quam antiqui illi Patres habuerunt in hac materia adeò necessaria pro conservatione spiritus: *Observate igitur in primis, & maximè tu Joannes, cui magis ad custodienda hæc, quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderij tui labor vana elatione cassetur, ut indicas summum ori tuo silentium. Hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus; omnis quippe labor hominis in ore ipsius & ut omnium seniorum instituta atque sententias intento corde & quasi muto ore suscipias, ac diligenter in pectore tuo condes, ad perficienda ea potiùs, quam ad docenda festines.* Ostendit deinde, quàm accuratam monachus habere debeat rationem & curam silentij, præscribendo eidem, qua occasione illud abrumpere & loqui possit: *Nihil in collatione seniorum proferre audeas, nisi quod interrogare te, aut ignoratio nocitura, aut ratio necessaria cognitionis impulerit.*

Cassian. collat. 4. c. 9.

Parùm est urbem esse munitam, si pateant portæ.

5. Cùm jam Cassiani fecerimus mentionem, referemus aliqua ex Epistola aliqua, quam sanctus Isidorus Pelusiota alicui monacho dicto etiam Cassiano scripsit; non credo tamen esse eumdem illum, cujus supra adduximus doctrinam, esto eodem vixerint tempore; etenim verisimile non est, illi necessariam fuisse eam reprehensionem, qua sanctus Isidorus hunc perstringit, scribens: *Te caducam & corruptioni obnoxiam vitam fugisse, atque ad monasticum studium contendisse audio; atque interim tamen procacem & petulantem linguam habere, ac temerè loqui; quod quidem nihil aliud est, quàm murum firmum atque hostibus inaccessum extruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si & murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus firmum ac robustum ostendere, linguam, quam maximè poteris, in potestate tene.* Quid prodest urbem habere omni ex parte benè munitam, fortificatam, custoditam militibus, si posteà relinquatur porta aperta? Multorum hic error est, qui frequenter carnem macerant cilicijs, jejunijs, disciplinis; mortificant se varias subtrahendo sibi voluptates & recreationes; propriam voluntatem abnegant optimo voluntatis & cordis affectu remittunt injurias, valdè dediti ac intenti sunt fundendis precibus, spernunt seipsos; ast inimico infernali portam oris tenent apertam, non refrænant linguam: *Conceptum sermonem retinere quis poterit?* linguam, inquam, non solùm loquacitatis, verum etiam murmurationis, ait sanctus Hieronymus: *Tantò hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi in extremum laquei diabolum incidant.*

S. Isid. Pelus. lib. 1. ep. 309 *S. Hieron. ad Celant.*

Necessitas silentij declaratur apta similitudine. *S. Ephrem. de mal. ling.* *Salmer. tom. 16. disp. 5.* *Alvar. lib. 2. p. 2. exercit. spirit. Sœrius.*

6. S. Ephrem valdè apposita utitur similitudine, quando agit de malis & incommodis linguæ: Nonnumquam, inquit, videbitis avem solo pedis ungue illaqueatam, corpus tamen totum cum alis habebit liberum; at hoc quid prodest ei? nihil prorsus, inquit Sanctus: *Cùm totum sit corpus extra laqueum, totum tamen corpus retinetur.* Quamvis Religiosus reliquos omnes astuti serpentis fugiat laqueos, nisi tamen omni diligentia simul custodierit linguam, *seducit cor suum*; nisi refrænaverit linguam suam, *hujus vana est Religio.* Salmeronis doctrina hæc est: *Adeò frequens est hoc vitium etiam apud pios & Religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit.* Alvarez, qui essentialia Religiosæ perfectæque vitæ enucleavit puncta, in suis exercitijs spiritualibus hoc reliquit documentum: *Silentium est veluti status Religiosi forma atque substantia, non quia in illo situs sit, sed quia sine illo penitùs ejus profectus evanescit & perit.* Hisce accedit, quod habet Joannes monachus

nachus in vita sancti Odonis Abbatis Cluniacensis: *Quia de silentio sermo incidit, sine cujus cultu pro nihilo sanè ducenda est vita monastica, operæ pretium erit in eo commendando non nihil immorari. Vita enim monachi tantisper aliquid est, donec se intra silentium continet, eo verò neglecto, quidquid rectè & benè se agere existimaverit, ut sancti Patres docent, id pro nihilo putandum est.*

S. Pachom. fuit rigidus silentij exactor.

Vitæ Patrum lib. 1. c. 40.

7. In vitis Patrum de Sancto Pachomio referuntur sequentia: *Cognovit in spiritu unum de mandatis, quæ præfixerat in monasterio, fuisse neglectum. Præceperat enim fratribus, qui in pistoria arte laborabant, ut si quando facerent oblationes, nihil loquerentur supervacuum, sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia. Vocavit ergo Theodorum, qui ipsius monasterij curam gerebat, & dicit ei, vade secreto, & solicitius inquire, quid fratres serò, cum oblationes facerent, sunt locuti, & quidquid deprehenderis, ad me referre curabis. Qui pergens diligenter investigavit omnia, & ea quæ didicit S. Pachomio nunciavit; qui dixit: Num existimarent fratres, quod traditiones, quas eis dedimus servandas, humanæ sint, & nesciunt, quod pro contemptu etiam minimi mandati magna pericula negligentes maneant? Nonne septem diebus Josue silentium circa Jerichuntinam civitatem concorditer tenuit, deinde tempore constituto totus populus exclamans, civitatem protinus cepit, & ita præceptum Dei, quamquam datum per hominem, nulla dissimulatione contempsit? Nunc ergo vel deinceps monachi præcepta nostra custodiant, nec hoc peccatum negligentiæ remittatur siquidem & nos ipsi, quæ alijs interdicimus, omni solicitudine custodimus.* Ibidem legimus aliud factum huic nostro proposito accommodum: *Duo Philosophi venerunt ad senem, & rogabant eum, ut eis verbum ædificationis diceret, senex verò tacebat. Rursum Philosophi dixerunt, nihil respondes nobis Pater? Tunc senex dixit eis: quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quod autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis; sit ergo Philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque & quieti vos assuefacite.*

Vit. Patr. lib. 10. c. 156.

Ubi silentiū rectè servatur, ibi viget religio perfectius.

Gerson tom. 2 fol. 360.

8. Gerson varia eaque utilissima in suis operibus posteritati consecravit documenta & in uno, quod de moderatione ac temperantia linguæ scripsit, hanc eamdem, quam ex alijs jam dedimus, instituit considerationē: *Religionum*, inquit, *fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providentissimè pro summo remedio juge pro loco & tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur sanctionum suarum contra transgressores adjicientes. Et clarum est, experientia docente, quod, ubi censura hæc silentij servatur arctius, ibi religio viget laudabilius & perfectius.* B. Laurentius Justinianus librum composuit de disciplina & perfectione monasticæ conversationis, ubi inter alia documenta sequens etiam in medium profert: *Qui Deo vacare*, inquit, *& inhærere eligit, linguam regat & refrænet; hanc sub rationis dominium subigere conetur. Hanc si moderetur, reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conscientia sincerum & cunctis amabilem.* Clarius in confirmationem textus ex sancto Jacobo Apostolo adducti in sermone quodam discurrit sanctus Bernardus, inquiens: *Silentium custos religionis, in quo est fortitudo nostra.* In linguæ igitur custodia constituit sanctus Bernardus robur & fortitudinem Religionum. Idem sanctus Doctor laudando sanctum Malachiam, cujus scripsit vitam, dixit in ejus laudem: *Habuit consilium à Propheta, qui ait: Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia, & addit: Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se supra se.* Denique multum conducit silentium ad contemplationem bonorum cœlestium, & ad unionem cum Deo, uti videbimus sequenti discursu.

Laur. Justin. c. 15. de disc. & perf mon.

D Bern ser. 2 in Dom. 1. post Epiph.

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Silentium suffragatur orationi, nutrit devotionem & conducit ad lucrandum spiritum.

THEMA.

Tacebit: quia levavit se super se, Thren. 3. ℣. 28.

Rigida silentij custodia plurimum suffragatur orationi.

1. Quod orationis vel effectus vel causa sit silentium, videtur mihi id satis posse deduci ex hoc textu Jeremiæ; etenim experientia docet custodiam linguæ, recollectionem, taciturnitatem valde cooperari & suffragari orationi. *Levavit se super se: Se elevat supra se*) ait Basilius Magnus) *qui Deum esuriens anima à terrenis se rerum obtutibus erigit, & in Divinæ contemplationis arce suspendit.* Huic conformis est doctrina sancti Bernardi: *Est fructuosum*, inquit, *& negotiosum silentium, tacendo enim apud homines meliùs loquimur Deo; multæ enim contemplationes sunt, quibus anima devota Deo, tacendo mirabiliter pascitur.* Contemplativi ferventius Deo vacabant in solitudinibus, quàm in alijs locis Thebaidis, ubi rigorosum conservatur silentium, ibi frequentiora cum Deo colloquia. Unde sanctus Augustinus tractando de solitarijs scribit: *Desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt.* Beatus Laurentius Justinianus, agens de perfectione monastica hoc idem tetigit punctum dicens: *Pacifica mens cultrix Dei, & virtutum amatrix, atque in oratione purè ardenterque Domino astare desiderans, provida gubernatione intra claustra silentij cohibet linguam.* Non decet, nec convenit linguam illam, quæ Deo loquitur oratione, sæcularibus profanari discursibus. Quapropter Moyses verum servorum Dei prototypon, postquam S. D. Majestatem allocutus fuisset, linguæ suæ operam alijs rebus à Deo alienis minimè impendendam esse existimabat: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Ut Beatus Laurentius nobis exprimat, quantum emolumenti orationi conferat silentium, hac utitur similitudine: *Quemadmodum ignis quantò magis in unum colligitur, tantò amplius nutritur flammas evaporans sursum impetuosius erumpit; ita & mens, cùm diutius intra se commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium urit in se, & per desiderium elevatur in Deum. Sed si tunc verba quædam protulerit, tota ignita, sapientiæ nectare condita, veritatis splendore irradiata, & divinarum laudum suavitate plena erunt.* Pro hujus confirmatione mirabile idem author adducit exemplum sanctissimæ virginis Deiparæ, quæ, ut suo loco dicetur, silentij valdè amica fuit: *Sic*, inquit, *Matrem Domini gloriosam egisse legitur; nam post spiritualem & Angelicam salutationem, post verbi ineffabilem ex se incarnationem, post desideriorum humilium ardorem, & innumerabilium gratiarum exhibitam Deo actionem, post Elizabeth tacitam salutationem, tamquam plenissimum vas odoramentorum cœlestium, in se nimia ardens charitate, cùm os sanctissimum aperire cœpit, eructavit canticorum illud eximium canticum, æternis jubilationibus plenum, & Sacramentis multis refertum, & ait: Magnificat anima mea Dominum, &c.*

S. Basil. tract. de laud. de vita solit.
S. Bern. de ord. vitæ.
S. Aug. lib. 1 de mor. Eccle.
B. Laur. Just. de discip. mon. convers. c. 15.
Exod. 4. 10.
B. Laur. Justin. loc. cit.
Exemplum in B. V.

Dicacitas linguæ multum nocet.

2. Quantum è contrà damni & detrimenti in præjudicium orationis conferat animæ dicacitas & lubricitas linguæ ostendit nobis S. Bernardus hac alia similitudine: *Sciunt homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus, frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem, sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit gratia silentij reclusum.* Eamdem hanc similitudinem in alio quodam authore expressam reperio hisce verbis: *Sicut clibani ore obstructo calor intrinsecus confovetur, ità servato silentio gratia spiritus sancti in animo conservatur.* S. Joannes Climacus gradu undecimo scalæ Paradisi hoc reliquit documentum: *Silentium prudens est parens orationis.* Sub initium hujus discursus dubitavimus, an silentium sit effectus vel causa orationis, verùm hic sanctus, utpotè qui habuit notitiam discretionis spirituum, ab omni nos eximit dubio, asserens silentium esse parentem orationis; & paulo infrà ait: *Contemplationis informator* (loquitur de silentio) *arcanus in Deum ascensus*; circumscribitur oratio: *elevatio mentis in Deum.* Definitur etiam juxta doctrinam D. Gregorij Nysseni: *Oratio est conversatio & sermocinatio cum Deo.* Qui gaudet alloquio unius principis, & cum eodem discurrit de negotijs alicujus momenti, vel etiam familiariter cum eo conversatur, is alijs loqui aut principis alloquium declinare non audet, summa enim ea esset inurbanitas; Idem dici potest in casu nostro; Qui Dei lumine præditus est, intelligitque quod orare est tractare cum suprema illa Majestate, quam adorant dominationes, tremunt potestates, is ad aliorum se non converter colloquia.

S. Bernard. de ordine vitæ.
Climacus grad 11. scal. parad.
Silentium est parens orationis.
S. Greg. Nyss. de Orat. Dom.

Janua linguæ nostræ teneatur clausa.
S. Ambr lib. 3. de virg.

3. Aliam S. Ambrosius in medium profert similitudinem: *Januam tuam*, ait, *disce temporibus obserare nocturnis, non facilè quisquam patentem reperiat; sponsus ipse vult clausam esse, cùm pulsat.* Hoc verbo, pulsare,

usus est Christus, faciens mentionem orationis: *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur*; per hanc portam seu januam clausam intelligitur custodia linguæ, hanc januam sponsus cœlestis desiderat benè custodiri & obserari: *Janua nostra os nostrum est*, pergit S. Ambrosius, *Christo propèmodum soli debet aperiri, nec aperiatur, nisi antè pulsaverit Dei verbum. Denique ideo scriptum est, hortus conclusus soror mea sponsa, fons signatus, ne facile aperiat os suum, nec vulgari resignet alloquio.* Omninò conveniens est, ut illa lingua, quæ Deo consecrata est, tamquam res sacra custodiatur, & non profanetur.

Matth. 7. 8.
Cant. 4. v. 12.

Silentium prodest ad devotionem.
Bellovac. spec. mor. lib. 3. dist. 4 p. 1.
D. Chrysost. Hom. 30 in 2. ad Cor.

4. Tacebit, quia levavit se super se. Bellovacensis inter alia emolumenta illud quoque recenset: *Prodest ad devotionem.* Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Consideratione digna est reflexio illa, quam fecit D. Chrysostomus; ut nosipsos ad silentij observantiam excitet dicens: *Per has januas ac portas & ingressus est, & ingreditur ad nos Christus, quando communicamus; scitis, qui mysteriorum estis participes, quid dicatur: etenim non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Domini.* Cùm optimè noverimus, quantum Christus Dominus noster urgeat hanc linguæ custodiam potentissimum reflexioni nostræ addere deberet stimulum, ut in sacra communione ei per hanc portam concederemus aditum, ac propterea eam diligenter custodire deberemus: *Tacentes & orantes Dominus ut plurimùm visitare dignatur.* Subdit B. Justinianus, simulque silentium & orationem combinat, asserens: *Non autem tantum devotione visitat, sed etiam sapientia imbuit, & discretione erudit, ut sciant, quid eos oporteat loqui.* Isaac Presbyter libro, cui titulus de mundi contemptu, hanc tradit similitudinem: *Nubes operit Solem, & multa verba operiunt animum incipientem illuminari in contemplatione orationis.* Lamentabantur nonnulli de Deo apud Jeremiam Prophetam dicentes: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*; at qui non refrænat linguam, de seipso doleat & lamentetur, si non exauditur, nec in se devotionem experiatur. Dæmon præstolatur nos orantes, & in oratione omnium verborum, quæ aut incautè aut malitiosè ore prolata sunt, nos memores reddit, & à debita applicatione divertit.

Adducitur ratio quare ostium oris solicitè sit custodiendū.
B. Laur. Just. loc. cit.
Isaac. Presb. lib. 1. de mundi contemp.
Thren. 3. 44

Silentium semper in æstimatione summa fuit apud viros illuminatissimos.
S. Hieron. in reg. mon. c. 22
Climac l.c.

5. Quod silentium haud mediocri nobis sit auxilio tùm ad devotionem, tùm ad acquirendum spiritum, vel maximè ex summa æstimatione, in qua semper extitit apud illuminatissimos Dei servos, erui potest. S. Hieronymus, ubi de regulis agit monachos concernentibus, scribit: *Plures me reperisse non ambigo, qui per septennium nullum prorsus verbum alteri emiserant.* Magnæ quoque efficaciæ sunt verba illa S. Joannis Climaci: *Qui excelsum vitæ semper solicitè meditatur linguam jam truncavit.* Cultro, nimirùm, mortificationis illi linguam detruncant, qui bona alterius vitæ meditantur. In vitis SS. Patrum leguntur de Abbate Theona sequentia: *Vidimus alium non procul à civitate in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore viginti annorum silentium exercuerat; is cum plurimas virtutes perageret, habebatur ab eis pro Propheta. Exibant enim ad ipsum multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire salvos. Licebat videre ipsum habentem vultum Angeli, lætis oculis, & totum plenum maxima gratia.* Cum in sexu imperfecto adeò difficile sit silentium, eò etiam majoris erit, admirationis & meriti, quandò in eo silentium habebit locum; velut lib. 8. cap. 85. ibidem mentio fit *alicujus virginis silentis & quiescentis, quæ jam viginti quinque annis in cella erat inclusa, cum nemine umquam colloquebatur.* In eadem historia lib. 7. refertur hæc instantia sancto cuidam seni facta: *Quidam frater interrogavit senem? usquequo servandum est silentium, pater? Respondit senex: usquequò interrogeris; in omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.*

In vit. Pat. lib 8. c. 1.
Duo stupenda silentij exempla.
Ibidem lib. 8 c. 85.
Ibidem lib. 7 c. 32.

Amantes silentium acquirunt tranquillitatem & pacem.
Histor tripar. lib. 8. c. 1.
Ps. 38. v. 2.

6. *Tacebit, quia levavit se super se.* Ubi observandum Prophetam præmittere: *Sedebit*, & subdere statim: *Tacebit*, etenim sedere denotat quietem, tranquillitatē & pacem, & hæc conquiritur amando silentium, ex quo deindè sequitur contemplatio bonorum cœlestium; *Levavit se super se.* In historia tripartita de Bambo Abbate legitur, quod priùs didicerit tacere quàm loqui; undè cùm legeret Psalmum 38. & hunc attigisset versum: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Substitit ibidem nec ulterius progressus, sed *Sat est, inquit, reliqua audiam, cum illud opere implevero.* Rationem reddit S. Hieronymus, cur isti Patres eremi tanti æstimaverint linguæ refrænationem & custodiam: *Ex hoc enim*, inquit, *sancti Patres in eremo edocti, summa cum diligentia observant sancta silentia, tamquam sanctæ contemplationis causam.* Quid insuper de silentio sentiat Diadacus Episcopus, qui vixit Anno 390. pc insignem scripsit librum de perfectione, insinuat nobis cap. 70. dicens: *Præclara ergo res est silentium, nihilque aliud, quàm mater sapientissimorum cogitatuum.* In sententia igitur sancti hujus Episcopi reperimus taciturnitatem esse matrem sanctarum cogitationum, quemadmodum supra diximus cum S. Climaco esse patrem orationis. Quicumque ergo mentem suam sanctis ac salutaribus fulciri desiderat cogitationibus, diligat silentium; cùm enim Deus loquitur cordibus nostris in quiete silentij, disponere nos poterimus ad recipiendas divinas suas inspirationes. Pulchra est similitudo illa, quam pro dictorum confirmatione adducit, quemadmodum si balnei aut hypocausti alicujus aperitur janua, confestim exinde erumpit & excedit calor; ita quoque quando unus est loquax, garrulus, ac totum, quod illi cor & mens vagabunda suggerit, aperto ore effutit, omnis simul excedit & disperditur calor devotionis & fervor spiritus, ad eum etiam modum, quo ex vitrea ampulla elizirio vitæ referta, at discooperta evanescit & dissipatur omnis spiritus.

S. Hieron. loc. cit.
Diadocus Episc. cap. 70 de perf.
Silentium est mater sanctissimarum cogitationū.

Rodriq. p. 2. tract. [illegible]
Thom. à Kempis lib. 1 c. 26.
Indagatur ratio cur tam libenter confabulemur.

7. P. Alphonsus Rodriquez hanc pertractans materiam quærit cum Thoma de Kempis lib. 1. c. 10. Quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur; cùm tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus? causam reddit: Quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare, & multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus; quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare; sine delectatione & recreatione aliqua vivere non possumus, & quia intus in corde nullam cum Deo habemus, ideò illas in exterioribus quæritamus. Hæc etiam ratio, cur in Religione hi & similes defectus exteriores tanti fiant, tamque severè castigentur, quamvis ex se minuti videantur; nam defectus hi exteriores, ut sunt, silentium frangere tempus inutiliter insumere & similia, signa sunt exigui profectus, & parvæ virtutis intus latentis. Hoc enim ipso ostendit quis, quod nondum ad spiritum intrarit, nec cùm Deo oblectari cœperit, cùm secum & cum Deo in solitudine intra cellulam suam agere nesciat, nec secum in cella habitare. Cùm arca seram non habet, vel hinc colligas, nullum ibi thesaurum, nec quid pretiosum asservari. Hucusque Rodriquez. Res sanè valdè deploranda in nobis, qui aurum, argentum, gemmas, aliaque pretiosa pluribus seris & clavibus occlusa tenemus, tanti illa appretiamur, thesauros verò donorum ac gratiarum spiritualium parvi facimus, neque illos custodire dignamur sub clave sapientis ac discreti silentij occlusos.

Stupendum silentij exemplum in Philosopho ethnico.
Bellovac. lib. 11. spec. hist. cap. 70.

8. Non abs re erit huic loco inserere factum aliquod, quod refert Bellovacensis in suo speculo historiali: Tempore Adriani Imperatoris floruit Philosophus sectæ Pythagoricæ, nomine secundus, hic perpetuum servabat silentium, ad quod seipsum astrinxit & condemnavit propterea, quod sua loquela mortis matris suæ extiterit causa, indirectè tamen & sine voluntatis suæ consensu. Adrianus Imperator hunc ad se accersiri jussit & accersitum prius salutavit; ac Philosophus nec respondit, nec correspondit. Mandavit ei Imperator, ut loqueretur, ab eoque reciperet documenta aliqua Philosopho digna; verum Secundus magis mutus quàm piscis continuabat silentium. Ordinavit igitur Imperator, ut, nisi loqueretur, plecteretur capite, committens tamen secretò ministris justitiæ; ut, si in proposito suo silendi firmus & constans persisteret, vitam ipsius conservarent; capitis verò pœna mulctarent, si loqueretur. Quapropter Secundus ad locum supplicij ducebatur, in via plurimi sapientes eum exhortabantur ad loquendum: sed frustrà, ne quidem verbulum pronunciare voluit, adeò constans & immobilis in tacendi perstitit proposito. Jam pervenerat ad locum supplicij, & adhuc magis mutus quàm piscis, potius caput & collum voluit subjicere gladio, quàm linguæ solvere nodum & taciturnitatem infringere: undè & taciturnitatis merito liberatus, reductus fuit ad Adrianum Imperatorem, qui eum rogavit, ut si non ore, saltem calamo nonnulla solveret dubia: cujus acquiescens petitioni, primum omnium, quod scripsit fuit: *Ego quidem, O Adriane, nihil te timeo, quia princeps hujus temporis videris existere: me quidem occidere potes, sed vocis meæ proferendæ nulla tibi datur potestas.* Considerabat, nimirum,

mirum, in suo silentio, quàm vana sit terrenorum Principum authoritas, & quia sub Pythagora philosophabatur, dignum se illius monstrabat discipulum, quasi jurasset in verba Magistri quòad observationem silentij. Præterea quia loquela sua tam grave Matri intulit damnum, errorem hunc esto involuntarium corrigere, tantaque cum severitate castigare voluit. Gentilis hic Philosophus lumine veri Dei & fidei destitutus, quot & quantos propter loquacitatem animæ adeò nocivam & numquam refrænatam in die judicij condemnabit, quamvis non proprium dumtaxat damnum cognoscant, sed etiam aliorum quamplurium, qui Deum petulanti sua lingua offendunt?

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Quàm gratum sit Deo silentium, Christi Domini demonstratur exemplo nobis exhibito.

THEMA.

Cùm quietum silentium contineret omnia,... Omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus venit. Sap. 18. vers. 14. & 15.

Exemplo Christi docemur amare silentium.

1. IN natalitijs Verbi incarnati canit S. M. Ecclesia verba hæc deprompta ex cap. 18. Sapientiæ, è quibus elucet, quanti Salvator noster æstimaverit silentium, siquidem tunc Verbum caro factum est, quando Mundus totus quieto sepultus erat silentio: *Dum medium silentium tenerent omnia, &c.* Guerricus Abbas dignus S. Bernardi Discipulus sermone quinto supra Adventum in hæc verba ita sermocinabatur: *Quid æquè mores ædificat, spem roborat, charitatem inflammat? Omnino fidelis sermo & omni acceptione dignus: Omnipotens sermo tuus, Domine, qui tam alto silentio à regalibus patris sedibus animalium illapsus præsepibus melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui habet aures audiendi, audiat quid nobis hoc pium & mysticum æterni Verbi loquatur silentium, quoniam (nisi me fallat auditus) loquitur pacem in plebem Sanctorum, quibus reverentia ipsius & exemplum religiosum imposuit silentium, & rectissimè quidem imposuit. Quid enim tanto pondere tantaque authoritate disciplinam commendat silentij, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum, procellasque verborum, sicut sermo Dei silens in medio hominum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens sermo, dum Matri subditus est: & nos qua dementia dicemus: linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Liberet mihi, si liceret, obmutescere, & humiliari & silere etiam à bonis, ut attentius & diligentius aurem nossem adhibere vocibus arcanis, sacrisque sensibus hujus divini silentij, & vel tanto tempore sub silentio discere in schola Verbi, quantum Verbum ipsum sub disciplina siluit matris.* Idem author Serm. 3. de Annunciatione B. Virginis rursùm tangit hoc punctum tacendi in persona Verbi incarnati, ecce ipsius Verba: *Verbum æternum sub silentio se premit.* Dirigit deindè sermonem ad religiosos suos, utque eos ad linguæ custodiam excitet, ait: *Vobis tamen fratres illud silentium Verbi loquitur, vobis clamat, vobis utique disciplinam silentij commendat. In silentio enim & spe erit fortitudo vestra, sicut Isaias promittit, qui cultum justitiæ silentium diffinivit, sicut namque puer ille conceptus in utero ad maturitatem partus sub alto & diuturno profecit silentio, sic spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format & roborat, & quanto occultius, tantò tutius & salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis, qui non percipit, quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, & quo modo compingantur ossa in ventre prægnantis; sed non occultatum os meum à te, ait sanctus Deo, quod fecisti mihi in occulto mentis sub secreto silentij. Sed nec à vobis occultatum est hoc mysterium fratres mei, quorum experientia, & confessio testis mihi est, quomodo quietus & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat & floreat; quomodò è contrario per verba, velut quadam paralysi dissolvatur & defluat, quomodò macrescat & marcescat & aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquàm dixisset: sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest cohibere spiritum suum.*

Abbas serm. 5 de Adventu. — *Idem serm. 3. de Annunc.* — *Prov. 25. 28.*

Prima lectio quam nobis dedit Christus fuit refrænatio linguæ.

2. Argumentum est, quod convincit omnem intellectum, si enim increata sapientia de cœlo descendit non propter redemptionem dumtaxat, verum etiam ob instructionem humani generis, & idem Verbum, de quo scriptum est: *Dixit, & facta sunt: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, expectavit nihilominus tempus incarnationis, quo volens incarnari, ante omnia elegit sibi silentium: *Dùm medium silentium, &c.* apertè & consequenter hinc sequitur primam lectionem, quam nobis incarnata communicavit sapientia, datam fuisse in ordine ad linguam nostram custodiendam & refrænandam. Sancta Martha, veluti legitur Joannis cap. 11. indicare volebat sorori adventum Christi Domini occasione mortis Lazari, at modus notandus est, quo illum insinuavit: *Abiit & vocavit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest, & vocat te. Præcipuè ades illas Christus incolit* (Interpretis alicujus reflectio hæc est) *in quibus ob Christum silentium colitur. Adesse Christum inclamat, qui Christi amore silet.* Gentiles tametsi vero lumine fidei nostræ destituti, ità tamen appretiati sunt silentium, ut ei Divinitatis attribuerint titulum: siquidem Harpocratem tamquam Deum silentij adorabant. D. Bernardi propositio hæc est: *Qui Deo placere cupit, taciturnus erit.* Sacrificium offerri nequit Deo gratius silentio: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*; at hoc sacrificium plerumque in silentio offertur. S. Maria Magdalena prima omnium extitit, quæ non verbis, sed factis protestata ac professa fuit Christi Divinitatem; quia ad ipsum recurrit pro remissione peccatorum: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Verum quia cœlitùs illustrata intellexit (*ut cognovit*) quod silentium aliquid Divini haberet, Deoque esset acceptatissimum, causam suam ad pedes cœlestis sui Magistri absque ullius verbi prolatione peroravit; eumdem pariter modum servavit alia vice, veluti Discursibus præcedentibus notavimus, & nobiscum advertit Seraphicus Bonaventura sequentibus verbis: *Maria peccatrix veniens ad pedes Domini in domo Simonis nihil dixisse refertur; sed lachrymis cæpit rigare pedes ejus. Similiter de ipsa sorori conquerenti nihil respondit, rursùm indignè ferentibus effusionem unguenti, & in eam frementibus nihil dixit. Quod autem benè tacuit, Dominus pro ea respondit, & eam ubique defendit.* Neque ipsam defendit dumtaxat; sed etiam prima vice ab ejus modesto silentio quasi raptus, commendavit ipsam hisce verbis notatu dignis: *Dilexit multùm.* Secunda vice ipsam ad stellas usque exaltavit hoc singularissimo encomio: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Tertia vice: *Quid molesti estis huic mulieri, opus enim bonum operata est in me, &c. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto Mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus.*

Ps. 32. v. 6. — *Joan. 11. 28.* — *S. Bern. ser. 2. in Dom. 1. post. Epiph.* — *Ps. 50. v. 19.* — Extollitur Mariæ Magdalenæ silentium. — *Marci 2. 7.* — *S. Bonavent. in Bibl. paup. cap. 93.* — *Luca 6. 47.* — *Luca 10. 42.* — *Matt. 26. 10* — *Ibid. v. 13.*

Christus Dominus ad stuporem coluit silentium.

3. Nescio, an umquam animum vestrum reflexeritis ad certa quædam indicia Divinitatis Christi, quæ quondam præsagiit Isaias Propheta, per antonomasiam dictus Evangelicus, eò quod ipsi revelata fuerint principaliora mysteria novæ legis gratiæ. Audiamus igitur, quid prædixerit de Verbo assumpturo naturam humanam cap. 53. illud ad vivum depingit: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os.* Hunc ovis naturæ instinctum habet, non obstrepit, non balat, non clamat, quando vadit ad macellum. Combinetur hic textus cum quodam alio cap. 42. ejusdem Prophetiæ, ubi Isaias expositurus Dei patientiam sic eum introducit loquentem: *Tacui semper, silui & patiens fui.* Quando innumeris oneratus fuit imposturis & calumnijs, quandò tot tantisque injuriosis affectus fuit opprobrijs & improperijs, numquam aperuit os suum, ut se justificaret vel injurias retorqueret: *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Quod & benè notavit D. Chrysostomus cùm ait: *Dicentibus maleficum esse, & quo eum arguerent non habentibus, tacuit tamen. Cùm de regno interrogatus, tunc locutus est ad Pilatum, erudiens eum, & ad altiora erigens.* Omninò verisimile est, quod Pilatus veluti Præses Judææ sæpe intellexerit miracula & prodigia à Christo patrata, ut quod paucis panibus aliquot vicibus saturaverit immensam hominum multitudinem, restituerit surdis auditum, multis loquelam, visum cœcis, mortuis vitam. Probabile etiam est, ad ejusdem Pilati devenisse notitiam triumphum palmarum, quem paulò ante celebraverat ingrediendo Jerosolymas, & in quo jam proclamatus erat tamquam promissus Messias, omnia hæc præcesserant, utpotè, evidentia Divinitatis Christi signa & indicia, nullum tamen ipsum Pilatum duxit in admirationem & stuporem nisi sola ejus taciturnitas;

Isaias cap. 53. v. 7. — *Idem c. 42. v. 14.* — *Ps. 37. 14.* — *S. Chrysost. Hom. 83. in Joan.*

Dicit

Dicit ei Pilatus; *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Noverat enim in conciliabulo antelucano habito in præsentia Caiphæ Pontificis, omniumque Sacerdotum ac Principum Synagogæ Christum jam dixisse se esse filium Dei, cum hac confessione combinabat & conferebat Pilatus ejus silentium, ideoque concludebat Christo inesse aliquid plus Divini quàm humani, quam ob causam modum adinvenit ipsum liberandi proponendo Barrabam. Audite qua ratione S. Ambrosius describat Redemptoris silentium: *Christus calumnijs appetitus silentium detulit triumphale.* Et Angelicus Doctor considerans admirationem Præsidis ait: *Miratur, quod audiebat eum facundissimum vehementer; quod autem aliquis sapiens nihil respondeat, mirum est. Sed quod in tali causa, ubi adjudicatur morti, non respondeat, hoc vehementer est admirandum.* Quod nullum timorem mortis habeat, sed spontè morti se offerat, quæ alia indè deduci potest consequentia, quàm quod Deus morte superior esset? Quando Redemptor perfecit opus redemptionis nostræ, ut manifestaret se æterni Patris sui filium, voluit æterno Patri suo hoc sacrificium & holocaustum silentio reddere gratissimum, veluti idem Sanctus Thomas observat sequentibus verbis: *Quando voluit crucifigi, tacuit.*

Matth. 27. v. 13. — *S. Ambr ser. 17. in Psal. 11.* — *S. Thomas.* — *S. Thomas in cap. 8. Joan.*

4. S. Joannes Climacus gradu undecimo suæ scalæ paradisi laudibus alijs silentij inserit quoque hanc: Silentium Jesu Pilatum ad reverentiam ejus commovit. Psalmista Psal. 21. Christum introducit loquentem seseque vermem nuncupantem: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Quæ causa hujus mysterij, quod incarnata Sapientia adeò se abjiciat & vilipendat, nuncupando se vermem? *Magna continet sacramenta mysterij*, respondet Cassiodorus, & inter alia, quæ ibidem tangit, hoc inservit nostro proposito, quod ait de verme: *Movetur sine sonitu*, idque applicat Christo, hanc reddens rationem: *Viæ illius silentiosæ & humiles extiterunt.* Ex sacris Evangelistis nobis minimè innotescit, Christum Dominum ad duodecimum usque annum locutum fuisse, nisi tunc quando Matri dolenti ob amissionem suam in templo respondit; scimus benè, quod auscultaverit Doctores, quod si eosdem interrogaverit, id solum factum, ut exequeretur dispositionem Patris sui: *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Cæterum ab anno duodecimo usque ad trigesimum, quo prædicationi Evangelij dedit initium, aliud de ipso non scitur, nisi *& erat subditus illis.* Quemadmodum etiam hoc idem observans scribit Doctissimus Salmeron: *Multi hoc desiderio sciendi, quid ab anno undecimo usque ad trigesimum fecerit Christus, discruciantur, quibus hoc verbo Lucas satisfacit: & erat Jesus subditus illis. Orabat, jejunabat, silebat, pauperibus, parentibus collaborabat.*

Climac. gradu. 11. scal. parad. — Continuatur materia de silentio Christi. — *Ps. 21. v 7.* — *Cassiod. ibid.* — *Luc. 2. 49.* — *Ibid. v. 51.* — *Salmer. tract. 47.*

5. Indicia Divinitatis Christi spiritu Prophetico prædixit quoque Jeremias Propheta, & inter principalia hoc etiam reposuit: *Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes.* Ubi S. Ambrosius legit: *Dabit in sepulturam os suum. Ostendit quamdam supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tamquam sepeliat os proprium, ne loquatur.* Notatu insuper digna sunt verba illa, quibus in alio loco exhortatur virgines ad diligendam taciturnitatem: *Clausæ, inquit, sint labiorum fores tuorum, & obseratum maneat vocis vestibulum, tunc fortasse reserandum, cùm audieris Dei vocem.* In vita S. Gertrudis legitur hæc sibi à sponso suo fuisse intimata: *ut post communionem linguam ab inanibus custodiret; altoquin qui nimio verborum fusu ad sacram synaxin se parat, idem est, ac si amicum ad mensam invitatum, ostium domus ingressurum, collectis lapidibus ex alto dejectis obrueret.* S. Joannes Climacus efficax pro servando silentio nobis reliquit motivum. *Studiosus silentij est familiaris Deo, & arcano quodam modo, dum cum illo familiariter colloquitur, à Deo illustratur.* Moyses facie ad faciem Deo loqui non ausus fuit, veluti amicus loquitur alteri amico, quousque priùs practicè non didicisset documentum illud S. Jacobi Apostoli: *Tardus ad loquendum*, uti jam priùs se declaraverat: *non sum eloquens, ... tardioris linguæ sum.*

Thren. 3. 29. — *S. Ambr. in Ps. 118. oct. 10.* — Virgines monentur ad custodiam oris. — *Idem. lib. 3. ad Virg.* — Vita S. Gertrud. lib. 3. cap. 18. — *Clim. loc. cit.* — *Jac. 1. v. 19.* — *Exod. 4. 10.*

6. S. Bonaventura inter alia documenta nobis reliquit sequens: *Silentij amicus appropinquat Deo, & latenter colloquens à Deo illuminatur.* Jam scripserat in libro de perfectione vitæ ad sorores: *Alia utilitas est silentij, quia demonstrat hominem cælestem esse*; quod probat hoc argumento: *Argumentum quasi infallibile est, ut sit homo in Theutonica, & non loquatur Theutonice, videtur quod non sit Theutonicus; sic qui est in mundo, & mundana non loquitur, evidenter demonstrat se in mundo non esse.* Qui non discurrit de rebus Mundi hujus, indicium manifestum est, totam ipsius mentem in Deum ac in desideria cœlestia absorptam esse. Guerricus Abbas eodem sermone 3. de Annunciatione discurrebat: *Cæterum si quæris, quo negotio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, comede panem tuum, sicut & ipse Dominus conceptus suo tibi monstrat exemplo. Quid enim Propheta de eo dixit cùm loqueretur de porta Orientali semper clausa in domo Domini, quæ tamen Deum Israël admisit & emisit? Princeps ipse, inquit, sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Sedebit, inquit, in ea tamquam in throno grandi, quem, sicut alias dixi, Salomon Rex sibi de ebore fecit.*

S. Bonav. T. 7. col. 5. — Silentium demonstrat hominem esse cœlestem — *Idem de perfect. vitæ ad soror. cap. 4.* — *Guerri. Abbas serm. 3. de Annunc.*

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Silentio cultus Deo exhibendus est in sacris templis, eò quod sanctissima Virgo Deipara, mysticum Dei templum, silentij sui dederit ac reliquerit nobis exemplum.

THEMA.

Te decet hymnus Deus in Sion. Psalm. 64. ℣. 2.

Deus optimè colitur silentio.

1. IN Bibliis regiis, juxta versionem S. Hieronymi principium hujus Psalmi legimus hoc modo: *Tibi silentium laus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.* In Sion ædificatum erat templum, in quo S. D. Majestati cultus exhibebatur; igitur Psalmista videtur voluisse inferre, Deum meliori modo coli & honorari non posse nisi silentio. Gentiles, uti ex pluribus locis deducitur, summam habebant curam, ut in templis Deorum suorum servaretur silentium. Refert S. Ambrosius celebre illud factum unius ephebi Alexandri Magni: *Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu.* Sciebat namque quàm rigorosum servaretur silentium illud, quo profanos illos Deos stolidè venerabantur, ac propterea constanter potius sufferre voluit acerbissimos cruciatus ex adustione causatos in brachio, quàm vocibus clamorosis vel lamentis aut minimo gestu vel motu inquietudinis turbare silentium. D. Chrysostomus in Homilia quadam de Paganis eorumque templis asserit: *In templis supernè silentium scriptum est, continebatque digito os, & labia comprimebat, prætereuntes omnes silentio admonens.* Unde in comparatione horum idololatrarum idem S. Doctor improperat nobis Christianis, quod in Ecclesijs simus immodesti & loquaces: *An vero illa*, inquit, *honestiora, quàm nostra sunt, ut in illorum comparatione ridicula esse nostra putentur?* S. Augustinus, qui in eodem vixit sæculo, hisce scripsit conformia: *Ferè in omnibus templis, ubi colebatur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labijs impresso admonere videretur, ut silentium fieret.* Jam dudum ante hos scripserat antiquus Tertullianus contra Valentinianos de sacrificijs Eleusini: *Sequitur jam silentij officium; attentè custoditur, quod tardè invenitur. Cæterùm tota in adytis Divinitas, tot siparia portarum, totum signaculum linguæ simulacrum membri virilis revelatur.* Undè consideratione digna, quæ S. Ambrosius nobis improperando dicit: *An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur, circumvolare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant?* Hisce subdit exemplum istius ephebi supra adductum.

S. Ambros. lib. 3. de Virg. — In Phanis falsorum Deorum summum colebatur silentium. — *D. Chrysost. Hom. 1. in in epist. ad Timoth.* — *S. Aug. lib. 18. de civit. Dei cap. 5.* — *Tertull. advers. Valentin. n. 7.* — *S. Ambr. lib. 3. de Virg.*

Templum Salomonis in summo silentio fuit ædificatum.

2. Nescio an vos reflexeritis ad historiam cap. 5. lib. 3. Reg. descriptam de structura vastissimi illius templi Salomonis, in qua admirandum & stupendum erat videre maximam illam operariorum multitudinem & varietatem, quam cum stupore refert sacer textus hisce verbis: *Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, Absque Præpositis*, seu Magistris operariorum, *qui præerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo, & his qui faciebant opus*; quorum plurimos hunc in finem in Jerusalem destinaverant Reges Tyri & Ægypti. Jam vellem scire, qui fuerit possibile, quod in tanta non solum multitudine operariorum, sed etiam diversitate fabrorum & opificum, uti & in actuali usu malleorum, cuneorum, scalprorum, asciarum, ferrarum aliorumque diversorum instrumentum nullus

3 Reg. 5. 15. — *Ibid. v. 16.*

umquam

umquam fuerit auditus strepitus etiam minimus, nullus stridor aut fragor, sed omnia constructa fuerint in summa modestia & silentio? *Domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Aliud responderi non potest, nisi quòd *non est impossibile apud Deum omne verbum*; qui structuræ illius templi, quod sibi in domum suam elegerat, speciali gratia assistebat, & non sine mysterio altissima sua sapientia disponebat, ut tot annorum decursu in summo silentio semper ædificaretur, ad indicandum suis fidelibus (siquidem *omnia in figura contingebant illis*) quantum ipsi in cultu & obsequio suo placeat linguæ custodia: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Tradit Seneca gentiles in ingressu templorum suorum hanc adhibuisse diligentiam, publicè, nimirum, curabant proclamari & divulgari silentium, *acclamando, favete linguis, silentium observate.*

3. Reg. 6. 7.
Luc. 1. v. 37.
Seneca de vita beata.

3. Sanctus Basilius Magnus exponendo hunc Psalmi versum: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.* Ad eos, qui Deum in domo sua præsertim non venerantur silentio, sermonem convertit cum tali improperio: *Audiant hæc Psalmi verba, & suffusi suppudescant ij, qui in templo prolixa intertexunt colloquia. Quid dicit Psalmus? In templo ejus omnes dicent gloriam.* Lingua divinis dumtaxat laudibus impendenda & solvenda est, cæterum Deo placet silentium nostrum: *Domum orationis in locum vertunt effusissimæ loquacitatis minus obtemperantes psalmo huic contestanti ac dicenti: In templo ejus omnes dicent gloriam.* Ecclesia est locus orationis, adorationis, religionis, cultus divini, ibi Deus loquitur nostris cordibus, & nos conversamur cum eo. *Sancti Patres summa cum vigilantia silentium custodientes* (ita sermocinatur Sanctus Bernardus) *studuerunt vacare & videre, quàm dulcis & suavis est Dominus.* Et Sanctus Ambrosius petulantiæ temeritatisque nos arguit, nisi Deum in domo sua, præsertim eo tempore, quo in honorem Dei divina celebrantur officia, veneremur tacendo: *Frequens sermo est; cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi, tunc subitò circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt?* Ranæ, paludes in majorem honorem & reverentiam cultus divini tacent & obmutescunt, nec minimum audent excitare strepitum, & nos Christiani non possemus refrænare linguam, ut Deum honoraremus, eique placeremus? *Tibi silentium laus Deus in Sion. Irrationale animal per reverentiam recognoscit quod per naturam ignorat*, subdit Sanctus Ambrosius, & nos ita erimus ingrati ignorantesque, ut debito silentio non veneraremur Deum, cujus ex omni lege, non solùm naturæ, sed etiam gratiæ debitores sumus?

Psal. 28 9.
S. Basil. ibid.
In templo servari debet silentium, & fabulæ cavendæ.
S. Bern. de modo bene viven. c. 30.
S. Ambros. lib. 3. ad Virg.

4. Discursu præcedenti diximus de silentio sumpto motivo ab exemplo à Christo nobis dato, qui magni fecit illud; examinemus modò, quantum illius etiam habuerit zelum sanctissima Christi Mater, cui sancta Ecclesia nobilissimum hoc attribuit epitheton: *Templum Domini.* Sanctus Bonaventura ad imitationem hujus exempli sic exhortatur sacras Virgines sorores suas: *O Jesu Christi Sponsæ, intuemini virtutum speculum Mariam, & discite ab ea silentij disciplinam. Quantæ maturitatis fuerit Beatissima Virgo, satis patet, si enim percurratis Evangelium, per pauca & cum paucis eam locutam invenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem, & non nisi septem verba eam locutam fuisse. Cum Angelo duo; cum filio suo duo; cum Elisabeth duo; cum ministris in nuptijs unum. In hoc confunditur nostra loquacitas, qua proni sumus ad multiplicationem verborum, cùm tamen magna sit utilitas silentij.* Sanctissimam Virginem invocamus hoc titulo: *Sedes sapientiæ*, & certum est, quod filius eam in terra reliquerit aliquo temporis spatio post ascensionem suam, hunc in finem, ut instrueret Apostolos, doceret Ecclesiam tunc primo nascentem: Nihilominus Spiritus Sanctus, qui Evangelistarum direxit pennam, disposuit, ut ex sacris Evangeliis nobis innotesceret, septem solùm vicibus Mariam locutam fuisse. Septem quoque verba & non plura è cathedra crucis protulit Filius ejus; ast quale illius septenarij numeri mysterium? Considera, ait quidam speculativus, Mariam fuisse sponsam Spiritus Sancti, qui ipsam divino suo fœcundavit conceptu: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quia igitur ipsam septem suis ditavit donis, in hujus mysterij significationem toties & non pluries ipsa locuta fuit, & cum hoc simul nobis indicavit, quòd, quoties rupit silentium, semper id factum sit per motionem & impulsum particularem ejusdem sanctissimi Spiritus, cujus illa erat sanctuarium: *Templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti.*

B.V. tenacissima fuit silentij.
S. Bonav. To. 7. de perfect. vit. ad sor. c. 4.
B.V. septies tantum legitur fuisse locuta.
Luc. 1. v. 35.

5. Richardus à S. Laurentio de Laudibus Virginis invitat nos ad ejusdem imitationem quò ad diligentem linguæ custodiam, & ita discurrit: *Convenit sermo ejus illud Jeremiæ 8. Convenite, & ingrediamur civitatem munitam, quæ est Maria, munita omni genere virtutum; de qua dicitur in Psalm. 30. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Sequitur: & sileamus ibi, id est, exemplo illius ab omni pravo sermone.* Unaquæque anima aspirans ad perfectionem, Virginem Deiparam sancta quadam invidia æmulari deberet, quod fuerit genitrix Dei, & conceperit Verbum æternum; Ast hoc jam ab ipso Verbo incarnato decisum est, quis præter Mariam matrem suam possit esse quoque mater ipsius: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse ... mea mater est*, Matth. 12. Postquam devota illa mulier Domino inclamasset: *Beatus venter qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Quinimmo*, respondit ille, *beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, Luc. 11. De Maria Virgine legimus: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Quicumque igitur ad exemplum illius desiderat spiritualiter in anima sua concipere Christum, amet silentium & linguam suam refrænet.

Invitamur ad ejus silentij imitationem.
Richard. à S. Laur. lib. 2. part. 6.
Jerem. 8. 14.
Ps. 30. v. 22.
Matth. 12. 50
Luc. 11. v. 27.
Ibid. v. 28.
Luc. 2. 19.

6. De hac spirituali conceptione valde benè discurrit Guerric. Abb. sermon. 2 de Annunciatione B. Virginis dicens: *Quàm beati qui dicere possunt, à timore tuo, Domine, concepimus & parturivimus Spiritum salutis, qui nimirum non est alius, quam spiritus Salvatoris, quàm veritas Jesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incomprehensibilis mysterij. Qui creavit te, creatur in te; & quasi parum esset ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem: Quicumque, inquit, fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater & soror, & mater est. O fidelis anima, expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi verbo Dei aurem audiendi; hæc est ad uterum cordis via spiritus concipiendi; hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis.* Sequitur postea: *Vos ô matres beatæ tam gloriosæ prolis, attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis; attendite ne quid ingeratis ventri, id est, menti, quod spiritum, quem concepistis, extinguat.* Vultisne modum, quo finis hic obtinebitur? refrænatione linguæ. *Parcite si non vobis, certè filio Dei in vobis; parcite, inquam, à sermonibus malis.* Quàm appositè supra allegata replicare possumus verba: *Sileamus exemplo illius ab omni pravo sermone.*

Guer. Abb. serm. 2. de Annunc.
Quomodo possimus fieri Mater Christi.

7. Quamvis benedicta Virgo utero suo sacratissimo Verbum gestaret inclusum, non legimus tamen post canticum Magnificat locutam fuisse usque ad duodecimum annum ætatis filij sui, quando ei dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Luc. 2. Ecce, quàm paucis verbis immensum cordis sui expressit dolorem triduo illo conceptum propter amissionem dilectissimi sui unigeniti. Unde proposito huic conformiter refert Dionysius Carthusianus serm. 2. de concept. Beatissimæ Virginis: *Legitur*, inquit, *in revelationibus sanctæ viduæ Birgittæ, quod quamvis Beatissima Maria fuerit eloquens valdè, rarò tamen ac parcissimè loquebatur, sed taciturnitati ac sanctis meditationibus fuit intenta.* In hujus confirmationem docet Beatus Petrus Damianus: *Illa*, inquiens, *virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur, quæ non solum illibatam se servat in carne, sed etiam pudicam conservat in ore.* In sexu debiliori silentium difficile est, cùm ex hæreditate primæ matris Evæ ei adnascatur loquacitas, ac propterea tantò majoris meriti mulieri est frænum linguæ. Quamobrem scribit Plutarchus lib. de præceptis connubialibus: *Eliorum Phidias Venerum testudini insistentem finxit; domi manendum significans & silendum fæminis.*

Continuatur materia de taciturnitate B V Mariæ.
Luc. 2. 48.
Dion. Cart. serm. 2. de Concept. B. V. Mariæ.
B. Pet. Dam. hom. de Nat. Virg.
Plutarch. de præcept. connub.

8. Verum prosequamur priorem discursum Beati Petri Damiani: *Beata Virgo Maria*, inquit, *audito angelicæ legationis mysterio solitum modesti silentij rigorem tenuit. Etsi enim intra se discutere non posset, qualis esset ista salutatio, verbis tamen inquirere superfluum reputavit. Sed tacendo audire meruit, quod interrogando inquirere non præsumpsit, ait enim Angelus ei: Ne timeas Maria &c.* Cùm magnum ferret amorem erga silentium, nec verbum proferre ausa fuit esto in negotio tanti momenti & con-

Continuatur ulterius.

siderationis,

siderationis, ac propterea accurrit Gabriël ad declarandum suæ legationis & salvationis mysterium. Richardus à Sancto Laurentio notavit quoque ejus turbationem; *Turbata fuit in salutatione angelica, quia silentium suum, quod valde amabat, respondendo infringere cogebatur.* Adstipulatur huic sententiæ Sanctus Gregorius Thaumaturgus Serm. 2. de Annunciat. ita scribens: *In hoc turbata est verbo, nam silentium amplectebatur ut continentiæ & castitatis matrem.* Bina vice locutus fuit Archangelus: priusquam ipsa (convenienter & necessariò) illum interrogaret, eique responderet. Salutatur, & tacet; deinde audiens contentum legationis turbatur, & intra seipsam meditatur: *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat*; nihil prorsus dixit, nisi quando judicavit esse necessarium. Unde benè figuratur per sponsam in Canticis; quæ non loquebatur nisi audita voce sponsi, quo nobis insinuavit tempus dispensandi de silentio: *Fac me audire vocem tuam*; nempe; tunc loquendum est, quando auditur vox Dei: quando audivit ab Archangelo, Deum esse, qui ipsum cœlo misisset ad terram in negotio & causa tanti momenti; videlicet, redemptionis generis humani; tunc cœpit loqui, & non prius. Observetur insuper, quod *cogitabat*, ut nos doceret, quod prius in nostra discreta & prudenti taciturnitate ponderandum ac seriò reflectendum sit, quid & quomodo loqui debeamus, & posteà linguæ habenæ laxandæ sint.

Richard. à S. Laurent. lib. 4.
S. Greg. Thau. serm. 2. de Annunc.
Luc. 1. 19.
Cant. 8. v. 13.

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Omnimodam dæmon adhibet curam & diligentiam, ne custodiamus linguam, siquidem cunctas vires ejus & insidias, quas nobis struit, reprimit silentium.

THEMA.

Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prov. 25. v. 28.

1. VEra ac propria similitudo est, nec potest esse magis propria & genuina, quàm quæ jam adducta est à Sapiente, qua nobis declarat pericula insidiasque hostium infernalium, quibus exposita est anima, quando non est communita, nec fortificata silentij munimentis: *Sicut urbs patens & absque murorum*, &c. Quasi benè munita civitas erat innocentia & justitia originalis protoparentum nostrorum; ast corruerunt muri ejus, & ad eam patuit aditus, quando Eva linguam suam frænare nequivit loquendo astuto serpenti. *Præceptum* (sic sentit Doctor Seraphicus Bonaventura) *dedit Dominus Adæ, non Evæ, nisi per Adam, ut mulier minus haberet occasionem loquendi*; Dei igitur eo collimabat intentio, ne mulier loquendi haberet occasionem, sed custodiendo linguam simul custodiret justitiam & innocentiam originalem; id tamen non præstitit, siquidem *Serpens erat callidior* &c. hic ad discursum cœpit provocare Evam, & quia ipsa non valuit servare silentium, ideò in laqueos ejus incidit.

Malignus spiritus conatur omnimodo munitionem nostri silentij infringere.
S. Bonav. Bibl. paup. c. 93.
Gen. 3. v. 9.

2. Totus quasi infernus catenis solutis conjuraverat in ruinam & perditionem Sancti viri Job, Satan, ut fortissimam hanc patientiæ arcem demoliretur, omnem adhibuit conatum, nullis pepercit laboribus, tentavit extrema, totam ei surripuit substantiam una cum filiis, ad sterquilinium cùm reduxit nudum, percussum ulcere pessimo à capite ad plantam pedis usque; solam ei reliquit uxorem unà cum labiis illæsam: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Quæro ego, cur toto corpore plagis & vulneribus sauciato labia reservata fuerint intacta & illæsa? ob eamdem rationem reliquit ei os & labia illæsa, ob quam reliquit uxorem in vita; etenim quia loquax & petulans mulier erat, sanctum virum omni conatu invitabat & provocabat ad blasphemandum & maledicendum Deo: *Benedic Deo & morere.* Deinde labia locutionis sunt instrumenta: sperabat igitur astutissimus serpens, quod, quando devictus Sancti viri virtute patientiæ & conformitatis cum divina voluntate nihil effecisset, damnum suum reparare posset, & aliud sibi superesset medium ipsum præcipitandi & instigandi ad peccatum linguæ; verum deceptus & delusus abiit; siquidem, ut benè ait Divus Ambrosius, *Job plagam suam silentio vicit, & tolerantiam suam taciturnitate superavit.* Prosequitur deinde idem Sanctus Doctor confirmando hoc, quod asseruimus de Eva, sequentibus verbis: *Vicissemus, si Eva tacuisset. Ergo primum illud processit ex voce peccatum, & serpens ille nequissimus, atque versutus per vocem nos ante tentavit, atque utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eva obmutuisset, ille, ne vocem suæ uxoris audiret, ista, ne loqueretur marito, & lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet.* Quot & quanta machinamenta fortis hic inimicus (de quo scriptum est: *Non est potestas... quæ comparetur ei*) adinvenire & huic civitati admovere poterat, ut eam demoliretur? Quot & quanta excogitare poterat stratagemata; *serpens erat callidior*; ast novit optimè, quod ad illius invasionem ac possessionem capiendam sufficiebat ejusdem diruere & demoliri mœnia, & efficere, ut ad eam pateret aditus; nempe, ut lingua effrenis facta frangeret silentium.

Quare diabolus Job solam reliquerit intactam linguam & uxorem.
Job 19. 20.
Job 2. v. 9.
S. Ambros. Psal. 38.
Job 41. 24.
Gen. 3. v. 1.

3. Alberti Magni sententia: *Ubi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur.* Quod confirmat verbis à Sapiente propositis: *Sicut urbs patens &c.* Notat Sanctus Hieronymus; quod sicut civitas destituta mœnibus, cunctis hostibus, quotquot eam adire & deprædari cupiunt, exposita est; ad eumdem modum silentij destitutus muris & munimentis, in magno versatur periculo, ut inimici infernalis subdatur potestati. Quid, amabo, hoc declaratur mysterio, quod, priusquam sacra sponsa dixisset in Canticis: *Fac me audire vocem tuam*; præmittantur hæc verba: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Et ipsa respondet, veluti legitur in alio loco Canticorum: *Ego murus; & ubera mea sicut turris:* Facile enodatur hæc difficultas, si præfata consideretur connexio, quæ est inter murum & silentium; hoc etenim solidi, alti ac impenetrabilis muri instar est; quo defenditur anima ab omni communis inimici assultu; si linguam custodiamus, tamquam turrim & propugnaculum erigimus contra potestates infernales.

Alb. Mag. lib. de virt. c. 31.
Prov. 25. 28.
Silentio destitutus versatur in periculo cadendi in potestatem dæmonis.
Cant. 8. 13.
Ibid. v. 9.
Ibid. v. 10.

4. Sanctus Gregorius textum Scripturæ ex Proverbiis adductum conformiter proposito nostro explanat dicens: *Quia enim murum silentij non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, & cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tantò ille sine labore superat, quantò & ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Notanda sunt verba illa Jeremiæ Prophetæ cap. 8. *Ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi.* Quæ comparatio inter silentium & civitatem munitam? si dixisset, dormiamus sine periculo, sine timore vivamus, transire posset; at sileamus, cum quo hoc concordat? In sensu mystico si intelligamus verba Prophetæ, alludit ad animam, quæ benè custodit linguam; quamdiu hæc taciturna est, non est quod vereatur insidias aut assultus antiqui adversarij, secura vivit, ac si munitam inhabitaret arcem. Celebre est illud Agathonis Abbatis exemplum in Vitis Patrum; Tribus annis ille gestavit in ore lapillum, ut silentij & custodiæ linguæ acquireret habitum. Quæro, cur in hunc effectum elegerit sibi lapidem potius, quàm lignum, vitrum, aut ferrum aliquod, vel plumbum, aut aliud quid simile? Omnino mihi imaginor, & credo, eum alludere voluisse ad mysterium muri reprimentis hostis assultus, puta, ad taciturnitatem & silentium; quis ignorat murum ædificari ex lapidibus? ergo *si murus est*, videlicet silentium, *ædificemus*; in seipso sanctus ille senex dicere poterat.

S. Greg. 3. p. past. admonit. 15.
Silentium comparatur civitati munitæ.
Jerem. 8. 14.
Agathon Abbas tribus annis gestavit lapidem in ore, ut assuesceret silentio.

5. Regius Propheta quadam vice à suo inimico patiebatur persecutionem; unde dicebat: *Cùm consisteret peccator adversum me.* Didimus, Chrysostomus, Hieronymus & plures alij citati à Lorino per hunc peccatorem intelligunt dæmonem; qui est primus author & indefessus instigator omnis peccati. Ecquid fecit David maxima pollens experientia in arte militari? quid fecit, inquam, ut à suo persecutore se defenderet? fortè conscripsit exercitum; paravit commeatum, extruxit aggeres, aut refugijt ad turrim? Minimè. Quid ergo? *Dixi, custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam.* Excubias posuit ad portam, nimirum, ad os suum: *Obmutui, & silui.* Hoc satis erat, ut ab omnibus insidiis & assultibus inferni se defenderet. Sanctus Ambrosius supra hunc Psalmum scribit hoc idem, quod jam ab initio diximus de Job Propheta, qui Satanam vicit suo silentio: verum audiamus etiam per vetustum aliquem interpretem, ita ille discurrit: *Hoc agere videtur Deus, qui ingrediendi in illum non acceperat potestatem, cum jam illum totum varijs cru-*

Ps. 38. v. 2.
David & Job vicerunt diaboli insultus silentio.
Ibid.
Ibid. v. 3.
Philippus presbyter lib. 2. in Job.

ciatibus consumpsisset, dentes, linguam & labia, quæ sunt vasa verborum, reservavit ex his enim forinsecus cordis promptuarium demonstratur, dum nobis sensus intrinsecus constitutos distinctionis suæ ministerio proferunt. Hæc ergo, inquam, diabolus in eo reservat, in blasphemiam prolatam ejus ore cognoscat; sed audi Scripturam dicentem: In omnibus his non peccavit Job labijs suis. *Job. 2. v. 10.*

6. In sancto Joanne Climaco legimus: *Silentium cum prudentia seu scientia conjunctum non solum animam ab hostibus defendit, sed hostes nec accedere quidem propius permittit.* Filij Israël in Ægypto duro servitutis ac tyrannidis jugo oppressi à Pharaone typus erant fidelium, qui vivunt sub servitute & mancipatu Pharaonis infernalis; sed quando illi à dura illa servitute conabantur se eximere, Rex Pharao eos persequebatur. An non recordamini modi illius, quem Moyses ex Dei ordinatione servavit in devincendo & expugnando atheo illo Rege cæterisque Ægyptiis, qui Sathanam cum omnibus spiritibus rebellibus figurabant? Audite, cum Pharao spirans minarum & cædis innumerabili & furioso cum exercitu Hebræos insequeretur, hi verò fuga elabi nequirent, ante se habentes mare rubrum, à tergo verò hostem persecutorem, dixit Moyses filiis Israël: *Nolite timere, state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie; Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis.* Quid, amabo, in hoc casu faciendum erat filijs Israël? an hîc pugnandum, an otiandum? Aliud in mandatis non habebant, nisi ut intra dentes linguam continerent, & tacerent. *Et vos tacebitis.* Deus in favorem illorum pugnare volebat; at simul ab ipsis exigebat cooperationem silentij: *Et vos tacebitis. Omnia in figura contingebant illis.* Ut proinde ex hoc facto intelligeremus Deum nobis daturum vires ad superandos hostes nostros, si ori nostro frænum imponemus, & silentium, quod à nobis vicissim exigit, servabimus. Populo huic Israëlitico adaptari poterat textus ille Isaiæ: *In silentio & spe erit fortitudo vestra*, 4. Regum capite 18. legitur, quod Rabsaces copiosissimo instructus exercitu castrametatus fuerit propè mœnia civitatis Jerosolymitanæ, & huic urbi ultimum exterminium, extremamque populo minatus fuerit perditionem, nisi suæ se subjiceret potestati. Quale fuit remedium, quod Deus sancto Regi Ezechiæ tunc regnanti inspiravit? *Tacuit populus, & non respondit ei quidquam, siquidem præceptum Regis acceperant, ut non responderent ei.* Correspondit Deus huic silentio Angelum mittens de cælo, qui una nocte horrendam fecit stragem centum octoginta millium Assyriorum.

Filij Israël tacendo vicerunt Pharaonem & totum ejus exercitum.

Exod. 14. 13.

Isa. 30. v. 15. *4. Reg. 18.* Similiter Rabsacem obsidentem Jerusalem.

Ibid. v. 36.

7. Sanctus Isidorus Pelusiota reprehensurus Cassianum monachum ob linguæ suæ petulantiam, ea, quam de muro supra allegavimus, usus est similitudine: *Audio*, inquiens, *te procacem & petulantem linguam habere, quod quidem nihil aliud est, quàm murum firmum atque hostibus inaccessum extruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si & murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus firmum ac robustum ostendere, linguam, quàm maximè poteris, in potestate tene.* Ælianus hanc refert proprietatem anserum, quod, quotiescumque montem Taurum transire seu potius transvolare debent, timeant semper, ne videantur ab aquilis, earumque cedant prædæ; ne igitur ab illis spectentur & prodantur, quilibet ore gestat lapidem, *ut ne clangorem fundant, tamquam silentij frenos sibi injicientes.* Hæc animalia multos fideles timoratæ conscientiæ docent modum præservandi se ab inimicis infernalibus, si, nimirum, linguam refrænent, si in ore, plus verò in corde portaverint lapidem sive petram mysticam, de qua dicebat Apostolus: *Petra autem erat Christus.*

S. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 309. Carpitur monachus loquax.

Mirabilis anserum proprietas.

Ælian. lib. 5. cap. 28.

1. Cor. 10. 1.

8. Sanctus Bonaventura regulis Novitiorum hæc etiam adjunxit: *Sicut dicit Gregorius, mens quæ non habet murum silentij, de facili penetratur jaculis inimici, & ideo dicit Augustinus, mutum debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet, ad laudem Dei, & accusationem sui, & utilitatem proximi.* Gerson supra Canticum B. Virginis, quod indies recitamus in Vesperis, inter alia documenta hoc quoque posteritati consecravit, dicens: *In silentio & in spe erit fortitudo nostra. Observatio silentij quàm necessaria sit, notavit Rex pœnitens; inquit, sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Vulgata veritas est: fœmina quæ auscultat, & castrum quod loquitur, nesciunt diu stare.* Andiamus etiam David loquentem Psal. 37. *Adversum me appropinquaverunt & steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, dolos tota die meditabantur,* ubi non solum exprimit assultus & violentias adversariorum suorum, sed etiam stratagemata, insidias technas & dolos. Ast qua via & modo ab hisce incommodis exoneravit se sapiens & vigilans Rex? qua ratione evasit? Jam diximus; *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

S. Bonav. T. 7. in reg. Novit. cap. 25. In tribus non debet esse mutum os hominis. *Gerson Tom. 3. Fol. 854.*

Ps. 37. v. 12.

Ibid. v. 14.

9. Sanctus Ambrosius de inimicis nostris asserit: *Criminantur, ut crimen retorqueamus; convitiantur, ut excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ. Sed justus accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus*; at non solum inimici visibiles, verum etiam invisibiles taciturnitate vincuntur. Varia in medium produci possent exempla, quibus experientia docuit silentium in occasionibus belli fuisse instrumentum victoriæ, præsertim quando intercepta fuerunt stratagemata. Refert Jovius in vita Solimanni Turcarum Imperatoris, quod ipso ingrediente Rhodos urbem principalem Liciæ cum exercitu triginta millium militum, nec unus ex illis loqui ausus fuerit ob prohibitionem ab Imperatore factam; unde hostiliter quidem currebant per urbem, at sicuti monachi silentium tenentes. Denique cordi nobis sit monitum illud, quod recenset Joannes Cassianus de sancto Abbate Machete, qui monachos, ut abstinerent ab omni verbo & discursu otioso, serio exhortabatur solitus dicere: *Otiosarum fabularum diabolum esse factorem, ac spiritualium collationum impugnatorem semper existere.*

S. Ambr. in Psal. cit. Etiam hostes visibiles vincuntur silentio.

Notabile exemplum Solimanni Turcarum Imperatoris.

Cassian. lib. 5. instit. c. 31.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Praxis difficilis, ut quis silentio, veluti virtutis indicio, linguam frænet ac comprimat. Tacendo quilibet bene loqui discit.

THEMA.

Conceptum sermonem tenere quis poterit? Job 4. ℣. 2.

1. QUando patientissimus Job desolatus sedebat in sterquilinio atrocissimis afflictatus cruciatibus & doloribus, ipsum consolandi ergo accessit Eliphaz Themanites, qui postquam aliquamdiu tacuisset, diutiùs tamen se continere nequivit, sed in hæc prorupit verba, loquens etiam nomine sociorum suorum: *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies.* At si pro præstando solatio accesserant, cur igitur hujusmodi creant ei molestiam contra illud: *Afflicto non est addenda afflictio?* Prætereà esto hi essent potentes, subordinati tamen erant ipsi Job, qui in Oriente magnus Princeps erat: *Eratque vir ille magnus inter omnes orientales.* Omnem igitur ei deferrent respectum, oportebat. Cessabit omne dubium, si consideretur ratio, quam Eliphaz simul subdit: *Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Nobis impressus est pruritus loquendi cum tali propensione, ut facilius sit ignitum in ore gestare carbonem, quàm frænare linguam & retinere mente id, quod proferre & dicere volumus; cujus opinionis jam dudum fuit *Aristoteles*, etenim *interrogatus à quodam, quis arcanum sermonem retinere posset? respondit, qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest.*

Praxis silentij difficillima est.

Job. 5. v. 2.

Job. 1. v. 3.

Anto. in Melissa par. 1. serm. 73.

2. Eliu, veluti legitur capite 32. ejusdem libri Job, in simili proposito dixit: *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Loquar, & respirabo paululum, aperiam labia mea.* Similitudo hæc nequit esse magis apposita; tempore enim vindemiæ si vasi infundatur mustum, & illud ita claudatur, ut nullum habeat spiraculum, sed spiritus & vapores musti secludantur prorsus ab aëre extrinseco, experiemur mustum bulliendo tantum excitare strepitum, tantamque vim & violentiam inferre vasi, ut nisi superius aperiatur vel conficiatur spiraculum, magna vi ac impetu erumpat etiam cum crepatione & diffractione vasis; & hoc est, quod Eliu comparatione ista inferre voluit, quod, nimirum, certo quodam modo crepasset & diruptus fuisset, nisi solvisset linguam, & quod mente conceperat, protulisset. Simili phrasi usus fuit Ecclesiasticus admonendo aliquem, ne quæ de proximo suo mala audiverat, ei referret, sed taceret: *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.* Notentur verba ipsius Eliu: *Loquar & respirabo*, quantam in se contineant emphasin, quasi

Job. 32. v. 18. 19. & 20. Probatur aptissima similitudine musti carentis spiraculo.

Eccli. 19. v. 10.

quasi velit dicere, quod crepare & non posse attrahere spiritum, idem sit, ac non posse suo modo usurpare linguam. *Chion rogatus* (sic legitur in Laërtio) *quid esse difficile? Arcanum, inquit, reticere; tantæ est linguæ maximè volubilis incontinentia, cum alloqui videatur facilius, quam silere.* *Laërtius.*

3. Hic pruritus loquendi nobis impressus est & omnibus hominibus ad protoparentes nostros usque; hinc est, quod ubi vulgata nostra legit: *Factus est homo in animam viventem*, Chaldaica versio habet: *Fuit homo in Spiritum loquentem*, quasi esse loquax non minus esset proprietas hominis, quam esse rationabile & risibile, & quasi locutio & discursus naturæ humanæ competeret instar prædicati necessarij. S. Evangelista Lucas ad vivum depinxit resuscitationem adolescentis à Christo Domino nostro resuscitati in urbe Naim, in qua observatione dignum occurrit signum & indicium illud, ex quo cognoscere poterant aut debebant corpus hujus defuncti rursum ab anima esse informatum, ac proinde adolescentem illum verè revixisse; tale, inquam, signum non assignari, quod respiraverit, vel viderit, vel se moverit, vel ambulaverit, aut denique quod calor aut color pristinus redierit, sed solum ipsum locutum esse. *Et cæpit loqui.*

Gen. 2. v. 7. Pruritus loquendi est nobis connaturalis à primis parentibus.

Luc. 7. v. 15.

4. Quod S. Augustinus in præsenti nobis reliquit materia, videtur mihi paradoxon potius quam propositio quædam, asserit namque plus esse continere linguam intra dentes & tacere, quam urbem aliquam suæ subjicere potestati, & hujus reddit rationem, quæ & conformis est illi, quam ad propositum nostrum adducit S. Gregorius Magnus de David, de quo scribit: *Quid de ejus factis ab alijs sentiatur, ignoro, ego David plus saltantem stupeo, quàm pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, Saltando autem semetipsum vicit.* Hoc idem dicti sui motivum adfert etiam D. Augustinus dicens: *Majus est linguam refrænare, quam capere civitatem; quia illud insultat exterius sed istud interius.* Ut vi capiatur & occupetur aliqua civitas, necessariæ sunt vires externæ militum, munitiones, machinæ bellicæ, quæ respectu nostri externæ sunt; verum ut nos ipsos superemus & possideamus, magnam adhibeamus virtutem, necesse est: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Quamvis Dei famuli in perfectione exercitati pluribus fuerint præditi & muniti virtutibus, semper nihilominus timuerunt linguam. S. Ambrosius observat Psalmistam quanto fervore se Deo commendabat quoad hanc custodiam: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Audiamus cautionis magistrum*, inquit S. Doctor, *Dixi custodiam vias meas, hoc est, tacito cogitationis præcepto indixi mihi, ut custodirem vias meas.* Paulò antè dixerat: *Sciebat enim, & legerat Divinæ esse protectionis, ut homo à linguæ suæ flagello absconderetur, & à conscientiæ suæ testimonio.* Non fidebat propriæ virtuti, sed à Deo præstolabatur vires, quibus linguam suam frænare posset.

S. Aug. serm. 3. ad frat. Extollitur custodia linguæ Davidis Regis.

S. Greg.

Prov. 16. 32.

Ps. 38. v. 2. *S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 2.*

5. Quilibet homo meritò capere deberet, majus sibi conferre emolumentum tacere quam loqui, quia in silentio homo discit, at in loquacitate plerumque cespitat & errat. S. Bonaventura postquam retulisset (veluti discursu præcedenti dictum est) sanctissimam Dei matrem non nisi septem vicibus (prout ex sacris eruitur Evangelistis) locutam fuisse, pro nostra instructione subdit sequentia: *In hoc confunditur nostra loquacitas, qua proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentij, Una utilitas est, quia inducit compunctionem, homo cum tacet, cogitat vias suas, & locum habet cogitandi, quam multiplex sit suus defectus, & ex hoc surgit compunctio.* D. Ambrosius in eam ivit sententiam, ut crediderit Pythagoram à David Rege accepisse & didicisse custodiam linguæ, quam ita exactè discipulis suis observari voluit: *Unde puto & Pythagoram illum Philosophum imitatorem juvenis hujus Prophetici instituisse sectam, ut discipuli sui quinquennio non loquentes tanto silentio loqui discerent, cum præsertim & David superioris ætatis quam Pythagoram fuisse non dubium sit, qui ait: Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam. Et quia fortè aliquando aliquid locutus esset incautus, ideò postea à Deo poni ori suo custodiam postulavit.* In ejusdem Regij Prophetæ laudem hoc scribitur: *Sedens in cathedra sapientissimus: Super senes intellexi*; neque id mirum vobis videatur, siquidem ab incunabulis amans fuit silentij: *Cum consisteret peccator adversum me obmutui, & non aperui os meum.* Etenim cum à Patre suo Isai mitteretur ad campum militiæ, ubi morabantur fratres sui, esto illuc missus esset pro victu subministrando fratribus suis, hi tamen durè ipsum increparunt, præcipuè verò *Eliab frater ejus major iratus est contra David & ait: quare venisti, & quare dereliquisti paucu las oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia, ut videres prælium, descendisti.* Quis non videt meras has esse calumnias & imposturas, quodque David facilè se justificare poterat? Audite tamen, quam paucis verbis rem suam egerit: *Quid feci? Numquid non verbum est? Et declinavit paululum ab eo ad alium.* Magnam ostendit prudentiam in prosternendo gigante Goliath; unde meritò de ipso asserere possumus hoc idem, quod Sanctus Antoninus scripsit in laudem silentij: *Fortitudinem spiritus addit*, quod probat ex textu Isaiæ cap. 30. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.*

In silentio discimus, in loquacitate erramus.

S. Bonav. To. 7. de perfect. vit. ad sor. cap. 4.

S. Ambros. ser. 2. in Ps. 118. Extollitur iterum silentium & taciturnitas Davidis.

3. Reg. 23. 8. *Ps. 118. 100.* *Psal. 38. v. 2.*

1. Reg. 17. 28

1. Reg. 17. v. 28.

S. Antonin. 3. p. t. 16. c. 8. §. 7.

6. Ut insuper perspiceremus salutares silentij effectus, nonnullas Bellovacensis profert authoritates, & citat Senecam moralem, qui ait: *Primum argumentum compositæ mentis est, in se posse consistere, secumque morari. Lævitas quippe mentium perpenditur ex levitate verborum. Silentium valet ad instructionem*, cui subdit Bellovacensis, Eccles. 12. *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia:* undè Christus in medio Doctorum audit, & tacet. Sanctus Antoninus de Pythagora discurrens & examinans qualem sibi præscripserit finem in instruendis suis discipulis circa linguæ custodiam ait: Pythagoras discipulis per quinquennium silentium imperabat, ut tacendo, discerent postea loqui, verbis contumeliosis agitabantur, opprobrijs provocabantur, ut retorquerent opprobria & contumelias, & eas ipsi reprimebant silentio, quo & stipendio solvebant illos, qui illos vituperabant & injuriis afficiebant. Ad hoc propositum D. Basilius Magnus pulchram adfert similitudinem & dicit, quando duæ portæ seu januæ juxta se positæ apertæ sunt, & spirat ventus, magnum iste excitat strepitum, pugnant enim ibi inter se duo venti sibi contrarij; non sic res se habet, quando ventus non reperit alium sibi adversantem, & quando aut fenestra aut janua una clausa est, tunc enim ibi moritur ac omnem suum amittit vigorem. Ita ei accidit, qui oris januam tenet occlusam, non respondet, nec injuriam retorquet, sed modesta quadam taciturnitate reprimit, tunc namque omnis injuria manet ibi suffocata. *Vim faciebant, qui quærebant animam meam*, ait regius Propheta, *& qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates. Ego autem sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Audite jam verba D. Basilij: *Contumeliam tibi imposuit iratus? Siste silentio malum, & ne ventos imiteris, qui per reflatum id quod appulsum est, repellunt.* S. Bernardus libro de ordine vitæ scribit: Quid magis potest verecundię bonum, quàm ut juniorum ætas magis debeat discere ac tacere? Pythagoras quidem legem dedit silentij discipulis suis, ut tacentes per quinquennium loqui discerent, & tu non vis tacere, cui virtus silentij propria est? Protestatur deinde mellifluus Doctor se experientia didicisse & vidisse, paucos fuisse, qui linguam fræno continuerint; ratio, quam adducere possumus, est, quia pauci etiam sunt, qui ambulant per viam asperam & difficilem consiliorum & perfectionis: *Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit.* Paulò antè jam dixerat: *Quam plures vidi loquendo incidisse in peccatum, vix quemquam tacendo; ideoque tacere posse, quam loqui difficilius est.* Mox sequitur: *Sapiens est, qui novit tacere, Alliga, moneo, sermonen tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & in multiloquio peccata tibi colligat, sit restrictior, & ripis ipsius coërceatur. Citò lutum colligit omnis exundans.*

Variis authoritatibus probantur silentij salutares effectus.

Bellovac. spec. mor. lib. 3. dist. 4. p. 1. Eccles. 12.

S. Antonin. loc. cit.

Pulchra similitudo.

Ps. 37. 13.

S. Basil. Hom. 9. de ira.

S. Bern. lib. de ordine vitæ.

Difficilius est tacere, quam loqui.

7. Jam dudum ante S. Bernardum hoc punctum tetigit D. Ambrosius, etenim lib. 1. de offic. cap. 2. eadem reperiuntur verba: *Rarum est tacere &c.* & in progressu hujus capitis tangit illum versiculum Prophetæ David: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Aliæ sunt viæ, quas debemus sequi*, ait S. Doctor, *aliæ quas custodire; sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire, si non citò loquaris.* Sub initium hoc dederat monitum: *Quid autem præ cæteris debemus discere quam tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat aliena? Scriptum est enim: ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur, ut propeies periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior?* Stobæus sermone de taciturnitate citat dictum aliquod Demosthenis: *Ne me existimetis Athenienses ignorare, quam tutum sit silentium.* Prosequitur S. Ambrosius iisdem verbis, quæ sup. ex D. Bernardo

S. Ambros. lib. 1. de offic. cap. 2. Tacendo tutiores sumus à periculis.

Stobæus serm. 33.

Bernardo citavimus: *Complures vidi loquendo* &c. *Continentia lingua* (inquit Stobæus) *non exigua virtutis pars, rationi subjici, & morigera fieri non potest, nisi quis multo studio, cura & industria pessimos affectus, qualis ira est, devicerit.* Refert deinde id, quod occurrit Zenoni magno Sapienti Græciæ: *Zenon ab Antigoni Legatis Athenas missus, unà cum alijs Philosophis ad convivium vocatus est, & cum reliqui inter pocula suam quisque eruditionem ostentarent, ipse tacebat. Cum autem Legati interrogarent, quid Antigono deberent de ipso renunciare, hoc ipsum, dixit, quod videtis, oratio enim omnium est difficillima moderatu.* Consilium fuit moralis Senecæ: *In hoc incumbe, ut silentius audias, quàm loqueris, quod tacitum velis, nemini dixeris; auribus frequentiùs, quàm lingua utere; quidquid dicturus es, antequàm alijs, tibi dixeris.*

Seneca de moribus.

8. Thomas à Kempis in sermone quodam ad Novitios habito hoc eis dedit documentum: *In silentio discatis, qualiter & cui loqui debeatis.* In theatro vitæ humanæ hanc invenio observantiam practicam: *Quicumque in sacrum senatum purpuratorum Patrum à Pontifice cooptantur, ijs primo consessu Pontifex os claudit, ut multo silentio Patres audire discant. Altero vel tertio ex Patrum sententia os illis aperit, & potestatem dat in senatu ea, quæ ex dignitate Ecclesiæ videntur esse, modestè & sincerè proferendi.* B. Petrus Damianus prudentiæ adscribit, si præmittatur silentio id, quod proferendum est: *Prudens, quæ dicenda sunt, ponderat*. Observastisne, quod, quando Sapiens opportunum assignat tempus tacendi vel loquendi, præmittat tempus tacendi, & postea addat tempus loquendi? Voluit nos docere, ut prævio silentio nos disponamus ad benè loquendum, siquidem *Prudens, quæ dicenda sunt, ponderat. Non ait Salomon* (& est observatio Hug. de S. Vict.) *tempus loquendi & tempus tacendi: sed tempus tacendi, & tempus loquendi, quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur.* Quando Zacharias parens præcursoris certam accepit informationem de nativitate Baptistæ (veluti alibi etiam tetigimus) factus est mutus, & tamen debebat esse parens illius, qui totus debebat esse vox: *Ego vox clamantis.* Quale illud mysterium? Gualfredus in allegoriis supra Lucam exponit illud inquiens: *Non vacat à mysterio, quod mutus pater Joannem genuit, qui vox clamantis fuit; Semper enim melius vox in silentio generatur.*

Thomas à Kempis serm. 4. ad Nov. p. 1. Theatrum vit. hum.
Prævio silentio disponimur ad bene loquendum.
B. Pet. Dam. lib. 6. epist. 27.
Eccle. 3. 7. Hugo de S. Vict. inst. mon cap. 16.
Matth. 3. 3.
Gualfred. in alleg. in Lucam.

9. Est doctrina S. Ambr. *Silentium & tutum est, & decorum, quod servat cum gratia cautelam. Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorum unusquisque constringitur. Ideo Sapiens in tempore tacet, & secum ipse considerat, quo tempore loqui debeat, de quo præclarè ipse Salomon labia sapientis alligata sunt intellectui.* Beatus Laurentius Justinianus tractans de disciplina & perfectione monasticæ conversationis scribit: *Ante Christi resurrectionem rudes ingenio, litteris inexpertos, mente timidos, carnales sensu, & Divinæ legis ignaros fuisse cognoscimus* (loquitur de Apostolis) *At ubi Dominus cælos ascendit, postquam in silentio orationi vacare cæperunt, Spiritus sanctus super illos descendit abundè, omniumque linguarum scientiam, omnium dogmatum disciplinam ipsis tribuere dignatus est.* Adducit deindè exemplum ex scriptura, quo confirmat utilitatem & necessitatem silentij, ut sciamus & possimus tempore suo benè loqui: *Ezechiel Propheta antequam prædicationis officium sumeret, revelationum mysteria vidit, & Dominum audivit ad se loquentem verba hæc: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus meis audi, Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios Israël, & loqueris ad eos &c. Propterea quicumque sapientiæ verba utiliter fari desiderat, in silentio priùs discat intùs, quod postmodum viva voce foris loquatur. Re quippè vera nullus scit fructuosè loqui, qui ignorat prudenter tacere, taciturnitas namque benè loquendi principium est.*

S. Ambr. in Psal. 58.
Loquacitate constringimur labijs nostris quasi vinculis.
B. Laur. Just. cap. 15. de perf. & discip. mon. convers.
Silendo discimus bene loqui.
Ezech. 3. 10. Ibid. v. 11.

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Variæ considerationes ad injiciendum nobis frænum linguæ, amoremque silentij.

THEMA.

Manum meam ponam super os meum; unum locutus sum, quod utinam non dixissem. Job 39. ℣. 34. & 35.

1. EX hisce verbis sancti Job deducere possumus, quantum præjudicium ac detrimentum nobis conferat fractio silentij etiam in rebus exigui momenti, cum de semetipso fateatur: *Unum locutus sum* &c. non obstantè in contrarium testimonio æternæ ac infallibilis veritatis sibi favente: *In omnibus his non peccavit Job labijs suis.* Una stilla veneni infusa vasi pretioso liquore referto sufficiens est, ut illum inficiat, & bibenti mortem inferat S. Jacobus Apostolus utitur similitudine ignis, cujus unica favilla sufficit ad excitandum magnum incendium: *Unum locutus sum* &c. unicum verbum pungens, immodestum, æquivocum, injuriosum sufficit ad concitandas rixas & inimicitias fatales, ad exponendam urbem periculis extremæ ruinæ. B. Jordanus totius Ordinis S. Dominici dignissimus Generalis solebat religiosis suis (veluti legitur in vitis Patrum insigniorum dicti Ordinis) hanc inculcare rationem circa observantiam silentij: *Videtis charissimi, quod imperceptibiliter quantumcumque aliè incipiatur Psalmus, paulatim vox cantantium frangitur & cadit; sic quantacumque bona verba incipiamus dicere, vel ad alterutrum conferre, paulatim ex humana corruptione ad vana prolabimur.* Quapropter utilissimum est consilium, quod B. Petrus Damianus nobis reliquit: *Numquid non laboriosius est linguam per tot prolixæ loquacitatis verba discurrere, quàm in suo quietam silentio permanere? Unde non immerito de quibusdam per Jeremiam dicitur: docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laboraverunt, laborasse namque dicuntur, ut nequiter agerent, qui tacendo sine peccato utique meliùs quievissent.*

Job. 1. v. 22. Quandoque unicum inconsideratum verbum multa causat mala.
Vit. Patr. ord. Præd. 3 p. c. 45. Apta similitudo.
B. Petr. Dam. ser. 74.
Jerem. 9. 5.

2. Aptissima est similitudo illa, quam idem Apostolus sumit à fræno, quod equorum ori injicitur, ut nos illos ducamus ad nutum nostrum, & ab illis non ducamur in præcipitium: *Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.* Si equum indomitum sine fræno abire permitteremus, non solum ut nos morderet, verum etiam ut per præcipitia nos raptaret, periculum incurrere possimus: sic lingua effrænata quantorum malorum instrumentum est? *Universitas iniquitatis.* Ecquod illud frænum ori & linguæ nostræ injiciendum, ne præcipitemur ab ea? silentium. *Fælices plane illos, quorum ora, ne multiloquio solverentur, verbi cælestis habena restrinxit.* (ait S. Ambrosius) *Quæ est ista habena fratres? Quis me doceat, quemadmodum ora hominum aut restringat, aut solvat? Monstravit mihi habenam ille, qui dixit, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, sermo ergo habena est.* Eâdem metaphora hoc idem propositum prosequitur S. Doctor, inquiens: *Doceat & alius linguæ retinacula pati; rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat plane ille, qui velut mutus adversus dolum non aperuit os suum.* Commentando deinde in versum illum Psal. 38. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea:* exhortatur nos hisce verbis: *Teneamus animæ constantiam nostræ, ne in offensionem labia loquendi festina prorumpant.* Denique argumentum ponit valdè stringens, quo nobis insinuare intendit, quanto conatu linguam nostram custodire, & tacere debeamus: *Si hoc cavet Propheta, tu non caves? si hoc metuit, in quo Dei gratia loquebatur, tu non metuis, qui erroris verba non refugis, & theatralibus sermonibus delectaris?* Et lib. 3. de virginibus hoc dedit nobis consilium: *Nullum ex ore verbum, quod revocare velis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit.*

Silentio coërcenda est lingua effrænata.
Jac. 3. v. 3.
Ibid. v. 6.
S. Ambr. l. 9. in Luc.
Ps. 38. v. 2.
Idem in Psal. 38.
Idem de Virg. lib. 3.

3. S. Bonaventura lib. de perfectione vitæ ad sorores, valde iisdem commendat silentium, simulque, quantam ex illius transgressione patiantur jacturam, proponit: *Nisi homo diligentem ori suo adhibeat custodiam, & bona gratuita, quæ habet, citò dissipat, & etiam in multa mala corruit.* Inter alia hoc vel maximè notandum est damnum ex loquacitate consurgens, quod, nimirum, loquax instar rei rigoroso supremi judicis tribunali sistendus sit: *Considera te redditurum rationem* (inquit Sanctus Augustinus) *de omni verbo otioso.* Consulebat propterea Novitiis suis Thomas à Kempis: *Pauci sint sermones vestri, utiles & circumspecti, quia verbum otiosum non erit impunitum apud Deum. Pro hoc cavendo silentium est amandum & servandum.* Quodnam verò sit verbum otiosum nos reddens culpabiles, docet S. Gregorius ex cap. 12. Matthæi, ubi Christus ait: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.* Taciturnitas dirigit ad præmeditandum, quomodo loquendum sit, ne impingamus: *Bona mens & verecunda* (inquit S. Bernardus) *ut loquatur, prius multa considerat; quid dicat, aut cui dicat, quo loco, &*

S. Bonav. de perfect. vit. ad sor. c. 4.
De verbis otiosis in extremo judicio reddenda ratio debetur coërcere linguam nostram.
S. August. serm. 3. ad frat.
Thom. à Kemp. serm. 4. ad Nov. p. 1.
Matth. 12. 36.
S. Greg. 3. p. past. admon. 15.
Quodnam censeatur verbum otiosum esse.
S. Bernard. de ord. vit.

& quo tempore. Meritò sapiens dicendus est, qui novit tempus loquendi; unde bene ait Scriptura: Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Possumus hic etiam adducere monitum D. Gregorij Nysseni serio nos exhortantis, ne prorumpamus in Discursus otiosos: *Timor Dei, ait, erudiat linguam ea, quæ decet loqui, tacere contraria.*

Eccli. 20. 7.
S. Greg. Nyss. orat. de paup. aman.

4. In Collationibus SS. Patrum, quas collegit Joannes Cassianus, digesta sunt omnia puncta essentialia perfectionis; unde quando Author cit. hanc pertractat materiam, illud etiam exhibet consilium: *Esto per omnia citus ad audiendum, tardus autem ad loquendum, ne cadat in te illud, quod notatur à Salomone: Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet insipiens magis quam ille.* Est Proverbium Sapientis: *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Qui loquax est, exiguum ostendit spiritum, exiguam virtutem, exilem prudentiam. Num. lib. cap. 19. legitur: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit;* expositum est immundis muscis, vespis, aliisque animalibus sordidis: hoc idem ei accidit, qui non custodit linguam, nidus fit multarum cogitationum & tentationum impurarum, & aditum præbet pluribus immunditiis & inquinamentis. Dixerat Salomon capite præcedenti: *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est,... sentiet mala*, ubi notetur hæc dictio, *mala*, quæ est indifferens & generica, quia qui non est amicus silentij, sentiet mala non solum culpæ, sed sæpe etiam pœnæ. Jam audiamus doctrinam Bellovacensis allegantis præfatum textum cit. ex cap. 19. lib. Num. *Nota, inquit, secundùm legem: Vas non habens operculum, id est, silentij, immundum est, propter quod Ambrosius, alliga sermonem tuum, ne lasciviat, & multiloquio peccata tibi colligat, lutum enim colligit animus verbis exundans.* Subdit in progressu ejusdem discursus: *Verè in magno periculo sunt homines sine silentio, ut equitantes equum rabidum sine fræno; in domo succensa sunt sine obstaculo; in via, in qua est fovea abyssalis sine operculo; sunt ut castrum sine clausula; sunt ut urbs sine porta; ut navis sine anchora; ut vinea sine sepe.*

Loquaces exiguam habent virtutem & prudentiam.
Cassia. coll. 24. c. 9.
Prov. 14. 23.
Num. 19. 15. Garruli fiunt nidus multarum impurarum cogitationum & tentationum.
Prov. 13. v. 3.
Bellovac. spec. Mor. lib. 3. dist. 4. p. 1.

5. Habet quis thesaurum inæstimabilis valoris, & ærarij, cui illum imposuit, januam relinquit apertam, quid mirum, si indè surripiatur? *Non advertunt, quàm pretiosum thesaurum continent in se* (ajebat idem Bellovacensis paulò ante) *qui ubique silentium projiciunt, sicut dicitur Amos 8. In omni loco projicietur silentium?* Quare benè monet D. Chrysostomus. *Os nostrum perpetuo custodiamus, ei rationem tamquam clavem adhibentes.* Ubi silentio discreto & ratione gubernato imponit nomen clavis. Econtra Regius Propheta tribuit ei nomen ostij seu portæ. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis;* hæc porta omni diligentia custodienda est. In sacris Canticis animæ amantis, per quam figuratur anima electa, leguntur hæc verba: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, sed quid contigit? *At ille declinaverat, atque transierat.* Hunc locum D. Augustinus intelligendum existimat de lingua, unde ait: *Per temperantiam refræna* linguam, *appone ei pessulum rationis, circumcide eam maturitate discretionis:* Quando ab ostio amovetur sera vel pessulum, quando, videlicet, non custoditur silentium, Deus à nobis recedit cum certis auxiliis gratiæ, quæ alias nobis communicasset; *At ille declinat.* De Dione Philosopho hæc referuntur: *Dion naturam probe egisse dicebat, quæ geminas aures & linguam unicam nobis fabricavit, quo ad audiendum essemus, quam ad loquendum promptiores.*

Ostium oris sedulo claudendum est, ne thesaurus interior surripiatur.
Amos 8. v. 3.
D. Chrysost. in Psal. 140.
Ps. 140. v. 3.
Cant. 5. v. 6. Deus à nobis discedit dum non custodimus silentium.
S. Aug. in Cant.
Ant. in Melissa p. 1 serm. 73.

6. D. Ambrosius commentando in hunc versum David: *Dormitavit anima mea præ tædio*, ut nobis ostendat, quàm facilè dissipetur ac perdatur spiritus per nimiam loquacitatem & linguæ dissolutionem, accommodam hanc adfert similitudinem: *Quicumque inquit, est facilis in verbis, velut plenus rimarum hac atque illac effluens interiora evacuat sua, tegere se nesciens, nec tenere quod acceperit, sicut sancta Maria, quæ conservabat omnia verba in corde suo, ne quod ex ejus ore deflueret.* Proposito huic conformiter bene observat Thomas à Kempis acta Samsonis, de quo sacer textus frequenter hoc reddit testimonium: *Spiritus Domini irruit in Samson; Quia Samson secretum suum mulieri retalit, & parabolam mellis non abscondit, postea ab hostibus captus & delusus est.* Idem reliquit nobis hoc documentum: *Qui silentium benè servat, quasi sacculum pecunia plenum secum ad domum mentis portat.* Refert insuper exemplum, quod confirmat, in quanta apud antiquos sanctos Patres æstimatione fuerit silentium: *Fuit in partibus superioribus Monachus quidam Ordinis Cisterciensis solicitus custos oris sui: Hic zelo devotionis accensus vix unicum verbum in hebdomade loquebatur, cui Abbas causa solatij ait: Frater, do tibi licentiam quandoque loquendi cum fratribus: qui respondit: Pater, non desidero talem licentiam habere. Quod audiens Pater, ædificatus est in responso fratris libenter tacentis.* Paulò superius jam retulerat, quod sequitur: *Dixit quidam expertus: quidquid boni tacendo colligo, hoc ferè totum loquendo cum hominibus dispergo.* Docet experientia, quod in domibus religiosorum, in quibus regularis viget observantia silentium excitet spiritum devotionis, virtutis, perfectionis & ædificationis, adeò, ut quia nullus ibi strepitus, sed magna quies & mentis collectio advertitur, de iisdem verificari possit: *Vere Dominus est in loco isto, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.*

Psal. 118. 28. S. Ambros. oct. 4. ibid. Spiritus facile dissipatur per nimiam loquacitatem.
Jud. 14. 6. Thom. à Kemp. loco sup. cit.
Gen. 28. 17.

7. Contrarium sentiendum est de loquacibus & garrulis, quod sint exigui spiritus: *Vir linguosus non dirigetur in terra*, inquit Regius Propheta; Non habebit bonam directionem, nec particeps erit cælestium benedictionum. Timendum, ne idem ipsi dicatur; quod prædixit Jacob: *Effusus es sicut aqua, non crescas;* effusus, inquam, & diffusus instar aquæ in sensus exteriores in loquacitatem, & colloquia vana, numquam proficies, imo semper in spiritu deficies: *Bibes sicut aquam iniquitatem.* Est sententia Spiritus veritatis: *In multis sermonibus invenietur stultitia.* Qui proclivis est ad multiloquium, facilè & frequenter impinget: *Qui multis utitur verbis, lædet animam suam*, ait Ecclesiasticus. Contingit aliquando non inchoare discursum de rebus animæ saluti proficuis & bonum finem spectantibus; at vis terminatur colloquium, quin lædamus charitatem, aut incidamus in verbum aliquod otiosum, aut jocosum, aut pungens, vel minus decens, Quamobrem idem Ecclesiasticus, esto præclara virtute ac perfectione præditus, Deum exorabat: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me.* Postulabat sigillum, quo labia sua clauderet & obsignaret, ne quando essent aperta, ipsum condemnarent; & tamen; ut patet ex hoc libro, ex ore ejus prodierunt *tot sacramenta, quot verba.* Ecce timorem, quem habebant Dei servi etiam illuminatissimi.

Psal. 139. 2. Loquax non erit particeps cælestium benedictionum.
Gen. 49. v. 4.
Eccle. 5. v. 2.
Eccli. 20. 8.
Eccli. 22. 33.

8. S. Valerianus in Homilia quadam, cui titulus, de oris insolentia, scribit in hunc modum: *Audite Dominum dicentem: Facito ori tuo ostia & seras, & verbis tuis facito stateram.* Quis in virtutibus adeo perfectus reperietur, qui omnia verba, quæ profert, in pondere sanctuarij ponderabit: Cunctis notum & manifestum est illud monitum S. Augustini: *Omne verbum prius veniat ad limam, quam ad linguam.* At ubi is invenietur, qui fabri instar limâ perpolientis ferrum, verba omnia limâ primò expoliet? Ac propterea rarus est, qui aliquando lingua non cespitet, aut in scopulum non impingat. *Ad hæc fortè respondeas,* (subdit S. Valerianus) *Quis possit in tantum oris sui labia continere, ut tacitus diem transeat? Non hæc sententia honestæ linguæ vinculum taciturnitatis inducit. Vult plane loqui hominem, sed honesta proferentem.* Verum in hoc consistit difficultas, ut semper verba proferamus modesta, honesta, laude & commendatione digna, nec umquam declinemus in vana & otiosa. Simonidis dictum est: *Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.* Stobæus serm. de taciturnitate refert: *Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset, tu quid taces? atqui jucundum est cum amicis confabulari. Jucundum quidem, respondet Cleanthes, sed quod jucundius est, eo magis in hoc amicis oportet concedere.* Angelicus Doctor, celeberrimum illud Ecclesiæ oraculum, silentij valdè amans erat, adeo ut sodales ejus ipsum, tum ob corporis crassitiem, tum etiam ob continuum silentium quod ex ignorantia & stupiditate derivari autumabant, ludibrio & risui exponerent & bovem mutum nuncuparent; at justè correpti ab Alberto Magno magistro suo, qui ut illis ostenderet, silentium ejus non stupiditatis, sed perfectionis potiùs esse effectum, præsagiit, talem eum tandem editurum mugitum, quo totum mundum repleret, redderetque attonitum: Ecce, quantum ad veram perfectamque conducat sapientiam, si quis tacere noverit, ut tempore opportuno bene loquatur.

S. Valerian. Hom 5. de oris insolen. Si omnino loqui velimus proferamus verba modesta & laude digna.
Stobæ. serm. 33.

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.

Ex discreto & prudenti silentio procedere debent sermones opportuni & proficui.

THEMA.

Tempus tacendi & tempus loquendi. Eccles. 3. ℣. 7.

1. INgeniosam in hæc verba instituit considerationem Gregorius magnus, observavit, nimirum, Sapientem non interdicere usum linguæ; sed intentionem ejus esse, ut nos doceat, quomodo & quando nobis loquendum sit, videlicet, cum discretione ac tempore opportuno: *Discrete quippè,* inquit Sanctus Pontifex, *vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.* Idque illustrat aliqua similitudine allegata ex Psalmista, desumpta à janua seu ostio, quod non semper tenetur clausum; sed tempore convenienti aperitur & clauditur: *Quod bene Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis; non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod, videlicet, aperitur & clauditur; unde & nobis cautè dicendum est, quatenus & os discrete & congruenti tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat.* Tetigit quoque hoc punctum sanctus Ambrosius, cum ait: *Quid igitur? Mutos nos esse oportet? Minime; est enim tempus tacendi & tempus loquendi; deinde si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioso silentio.* Jam capite antecedenti asseverat: *Sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere; merito ergo Sapiens, qui à Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit; unde bene ait Scriptura: Homo sapiens tacebit usque ad tempus.*

Cum discretione, & opportuno tempore loquendum est.

S. Greg. 3. p. pastoral. ad. monit. 15.

David non parietem vel murum, sed ostium petiit apponi ori suo.

S. Ambr. lib. 1. de offic. cap. 3.

Idem loc. cit. cap. 2.

2. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Hunc textum allegat quoque sanctus Bernardinus tom. 3. serm. de sacrificio Abraham artic. 1. cap. 1. *Silentium,* inquiens, *est laudabile, quia virtus est, quod ex parte temporis patet, nam sicut Ecclesiastes cap. 3. patet tempus tacendi & tempus loquendi, quod exponens Greg. 7. mor. ait: Os discretum congruo tempore vocem aperit, & rursum congruo tempore taciturnitas claudit. Et Hieronymus quadam epistola ait: Diu considera, quod loquendum sit, & adhuc tacens provide, ne quid pœniteat; Sapiens enim ut loquatur, multa prius considerat, & quid alicui, & quo loco vel tempore dicat.* Idem S. Hieron. in præfata verba Eccle. exponit modo sequenti: *Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium & postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti. Discamus itaque & nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, & ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur Magistri.* Quod D. Gregorius de David consideravit, tetigit quoque Sanctus Ambrosius asserens: *Recte David, non silentium sibi indixit perpetuum, sed custodiam.*

Bernard. Congruo tempore loqui debemus.

S. Hier. in Eccle. c. 3.

S. Ambros. l. cit.

3. D. Basilius M. movet hoc dubium; *Numquid rectum in universum sit ubique silentium servare?* Resp. *Silentij decorum ex temporis opportunitate & persona spectatur, quemadmodum ex sacris literis docemur, ac temporis quidem opportunitate, veluti cum dicit: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est; & alio in loco: Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.* Refert Plut. à Catone dictum: *Improbant istam tuam taciturnitatem?* Sapienter conformiterque proposito nostro respondit: *Dummodo vitam non improbent; ego verò tunc demum taciturnitatem meam abrumpam, cum talia dicere valebo, quæ non sunt digna taciturnitate.* S. Bernard. tractans de modo bene vivendi, inter alia hoc quoque tradit documentum: *Tace usque quo interrogeris; interrogatio os tuum aperiat; sint verba tua pauca, non transeat mensuram loquendi.* Cui conformis est doctrina B. Laurent. Justin. de disciplina & perfectione monasticæ conversationis: *Silentij,* ait, *virtus hæc est, non semper tacere, sed illa sola quæ loqui non licet. Hanc namque discretionis regulam multi ignorantes graviter delinquunt. Quidam enim ipsorum extremo se restringunt silentio, & solam taciturnitatem virtutem esse putant. Tacent utilia proferre ijs, quibus prodesse valerent, & interdum necessaria proximis interrogantibus respondere negligunt. Regiam silentij iter patefacit Sanctus Propheta cum dicit in Psalmo: Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; non ut taceam, inquit, sed ut non delinquam.*

S. Basil. reg. brev. inter 208.

Silentium nostrum debet regulari prudentia, ut non taceamus utilia.

Plutarch.

S. Bernard. de modo bene viv. c. 30.

B. Laur. Just. c. 15. de pers. mon. Convers.

4. Merentur quoque considerationem verba illa D. Chrysost. in Ps. 38. *Posui ori meo custodiam: Non est,* inquit, *omne silentium pulchrum, sed id solum, quod à mala abducit oratione, quod justi à Deo precibus postulant, quemadmodum ipse quoque David dicens: Pone, Domine, custodiam ori meo, & portam attentionis circa labia mea; ostendent autem se orasse silentium à dictis nefarijs statim subjunxit: ne inclines cor meum in verba malitiæ.* Ecclesiasticus discurrendo de custodia linguæ duas adhibet similitudines asserens: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me.* Petit nimirum, custodiam sive excubias, & præterea sigillum super labia sua, idque in hunc effectum & finem, ne labia ipsorum condemnent: excubiæ exponuntur & amoventur; sigillo pariter non semper utimur: eodem modo discurrere possumus de silentio, quod non semper, sed juxta circumstantias & occasiones occurrentes, juxta discretionem opportunam observandum est. *Omni rei tempus* (ita docet S. Ambr.) *tempus tacendi & tempus loquendi; tacendum est, quando paratum non invenis auditorem; loquendum, quando Dominus linguam eruditionis indulget, ut sermo tuus operetur in affectibus audientium.* Ita nos quoque monet S. Valer. Hom. de oris insolentia hisce verbis, *Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut & verborum nimietas ad furorem refertur, de qua re si nostri sententiam requiras arbitrij, jam malo aliquis tacendo stultus, quam nimium loquendi judicetur insanus.*

Psal. 38. 2. D. Chrysost. Hom. ibid. Quale silentium sit pulchrum & utile.

Eccli. 22. v. 33.

Psal. 43. S. Amb. ibid.

5. Omnia extrema sunt vitiosa, semper tacere & nunquam aperire os ne tunc quidem, quando id aut in proximorum nostrorum utilitatem, aut in Dei gloriam cedere potest, vitiosa id esset deordinatio; S. Bern. citat authoritatem S. Greg: cum ait: *Discrete vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debeat, ad perversa se inutiliter solvat, aut cum loqui utilius valeat, semetipsam per tristitiam restringat, & hoc modo tacere vel loqui vitium est.* Et alibi idem: *Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit; proinde Job cap. 16. inquit, si locutus fuero, non quiescet dolor meus, & si tacuero, non recedet à me. Ubi glossa; congruit hoc verbum personæ Job. Vel Ecclesiæ, quæ cum loquitur, dolor ejus minime requiescit, quando locutione sua perversos corrigi minime conspicit; & hoc ipsum amplius, quod tacet, gemit, quia se tacente perversorum culpas excrescere inspicit. Tacere igitur tempore quo homo tenetur, & potest loqui, peccatum est.* Hucusque S. Bernard. cui accedit doctrina Basilij Mag. *Est autem quando etiam ijs, qui lingua petulantiores sunt; atque illud servare non valent;* quod asserit pro responsione propositi quæsiti: *Numquid rectum in universum sit ubique silentium servare?* Prosequitur deinde Sanctus discursum suum: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei. Necessarium est perpetuum silentium, quousque in eo & vitio petulantiæ in dicendo sanentur, & in otio discere potuerint, quando, & quid, & quomodo loqui oporteat, ut quemadmodum scriptum est, det gratiam audientibus.*

Tunc tacere, quando ad Dei gloriam loquendum est, est vitiosum.

S. Bernard. loc. cit. c. 2.

S. Basil. reg. brev. inter 208.

6. Magistri spirituales tempus quo loquendum est, diligenter observant, quod & ad prudentiam pertinet, unde Ecclesiasticus ait: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem & imprudens non servabunt tempus.* Multi sunt, qui loquuntur absque ullo respectu vel personæ, vel temporis, aut loci, contra documentum illius etiam gentilis, nempe Macrobij in Saturnalibus: *Nil tam cognatum sapientiæ, quam locis & temporibus aptare sermones, personarum, quæ aderunt, æstimatione in medium vocata.* D. Ambrosius in expositione Psalm. 58. quandonam tempus sit tacendi, quod prudentiæ attribuitur, nobis insinuat hisce verbis: *Quando vides illudentibus protervis sapientem tacere, dic, ligavit iste intellectu labia sua, hoc est prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam; Sepsit aurem suam spinis, vectem adhibuit foribus oris sui; servat thesaurum cordis sui, & argentum eloquij sui, ut examinatum & purgatum, quando oportet, proferat.* Quadrat hic optime similitudo illa Platonis scribentis Theophani: *Navigamus aliquando velis navem explicantes, aliquando anchoris frænantes retinemus; Eadem gubernatio ad linguam adhibenda est, ut aliquando eam verbis armemus, aliquando silentio reprimamus.* Melius tamen quadrat, estque majoris authoritatis similitudo illa, quam nobis insinuat Sapiens: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* In officinis aurifabrorum videmus gemmas lectis holosericis affixas distincto ordine proportionataque distantia collocatas, quæ miram oculis nostris conferunt voluptatem; ad eumdem modum loqui suo loco & tempore convenienti indicium est magnæ discretionis & sapientiæ. Stobæi verba sunt: *Aut dic aliquid silentio melius, aut sile. Pythagoras dicere solebat: aut oportet silere, aut afferre meliora silentio.*

Tempus tacendi, & loquendi regulari debet per prudentiam.

Eccli. 20. v. 7.

S. Ambr. in Ps. 58.

Plato. Propositum declaratur similitudinibus.

Prov. 25. v. 11.

Stob. serm. 34.

Aut silentium tempestivum, aut orationem utilem habeas.

7. Ingeniosa quoque est similitudo ea, quam sanctus Chrysostomus desumpsit à clave: *Os nostrum,* ait, *perpetuo custodiamus, ei rationem quasi clavem adhibentes.* Clave utimur non solum & semper pro claudendo, sed etiam pro aperiendo ostio; eodem modo ratio, dicta prudentia non tenet os occlusum dumtaxat, verum etiam suo tempore aperit. Quando sanctus Jacobus custodiæ linguæ præscripsit præcepta, non prohibet locutionem, sed, ut cum maturitate loquamur, consulit, dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hanc veritatem nobis quoque insinuavit Origenes: *Proprium est justi tacere, non obmutescere.* Solum mari tempestuoso præcepit Christus inquiens: *Obmutesce;* Cæterum nulli umquam, quantum nobis constat, prohibuit, ne loqueretur, imò pluribus mutis reddidit loquelam: *Lingua discretè frænanda est* (ait Divus Gregorius) *non insolubiliter obliganda, scriptum namque est; Sapiens tacebit usque ad tempus, ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentij, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat.* Cujus præclarum ac manifestum nobis dedit exemplum Sapientia incarnata in passione sua; siquidem pluribus affectus contumelijs, calumniis & ludibriis, exceptus etiam flagellis innumerisque tormentis prorsus tacuit; at opportuna data occasione locutus fuit: *Dicentibus maleficum esse, & quo eum arguerent non habentibus, tacuit tamen,* ait S. Chrysostomus, *cum de regno interrogatus, & tunc locutus est ad Pilatum, erudiens eum, & ad altiora erigens.* Job septem diebus fuit sine loquela; at postea locutus fuit, quia conveniens existimabat proferre id, quod in sacro textu diffuse legitur. Indiscretum prima fronte videtur hoc Sapientis consilium: *Quando sederis, ut comedas cum principe, ... statue cultrum in gutture tuo.* At quomodo quis sibiipsi mortem inferre potest? Qua ratione quis mensæ accumbens comedere poterit, si seipsum juguler? moralem hujus sensum & expositionem dabit nobis sanctus Hieronymus, aut quicumque sit illius author: *Pro gutture locutionem, pro cultro discretionem* accipe: culter carnes in varias scindit & dividit partes; discretio quoque partiri debet & distribuere nunc silentium, mox loquelam: *tempus tacendi, & tempus loquendi.*

S. Joan. Chrys. in Ps. 140. Recta ratio debet esse clavis oris nostri.

Jac. 1. v. 19.

Orig. tract. 23. in Matth.

S. Greg. 3. part. past. adm. 15. Exemplum Christi.

D. Chrysost. Hom. 88. in Joan.

Job. 3.

Prov. 23. v. 1.

S. Hieron. cit. sup.

8. Consideratisne umquam laudem illam Sponsæ, qua perfecta significatur anima, attributam: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ?* Quænam intercedit comparatio inter genas alicujus facientis professionem virtutis & vitæ spiritualis, & pomum punicum? Observandum est hunc fructum una cum suo colore purpureo esse symbolum verecundiæ, cujus partus est modestum & discretum silentium. Verum quale illud mysterium, quod Deus jam ordinaverat, ut hæc poma vesti summi Sacerdotis in extremitate appenderentur tintinnabulis permixta: *Quis nexus verecundiæ & silentij cum clamore? An tacite hoc nexu monemur, silentium ipsum prædicationis loco esse, & plerumque modesta taciturnitate ad virtutem homines flecti?* Tritum est illud, quod narratur de sancto Seraphico Francisco; hic egressurum se è conventu persuadebat suo socio ad concionandum & ad convertendas animas, comitatur socius, ambo egrediuntur per urbis plateas summa cum modestia, humilitate religiosaque corporis compositione; at eo modo, quo exeunt, ad claustra redeunt nullo habito extra sermone; & socio apud Sanctum conquerenti, cur promissis non staret, respondit ille, mox videbis effectum prædicationis nostræ & concionis jam habitæ. Et sic evenit: plurimi enim corde compuncti, qui religiosam sancti viri modestiam, humilemque incessum spectaverant, ad Sanctum confestim accesserunt, petentes admitti ad sacrum ordinem religiosumq; habitum. *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici, id est, verecunda es* (sic exponit hunc textum Rupertus Abbas) *& multis bono exemplo proficis. Tua verecundia quid est, nisi religiositas summa, & hæc virtus sine dubio malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, & interdum suo silentio non minus ædificat, quam sermo prædicationis; unde in tunica Pontificis deorsum ad pedes ejusdem tunicæ, facies, inquit Dominus ad Moysen, per circuitum quasi mala punica, ex hyacintho, purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum; rursum tintinnabulum & aliud malum punicum, & vestietur ea Aaron in officio ministerij, ut audiatur sonus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini & non moriatur. Malum quippe punicum in medio tintinnabulorum religiosum atque operosum est silentium maxime sexus fæminei in societate fidei vel doctrinæ prædicatorum, qualis tu fuisti virgo virginum in adjutorio, vel etiam regimine prædicantium Apostolorum, cujus etsi verba non leguntur, vel audiuntur, ubi prædicaverunt; opera tamen vel merita non ignorantur non minora, imo majora tinnitu prædicantium.* Quod denique mala punica sint permixta tintinnabulis, aliud per hoc etiam insinuari potest mysterium, ad denotandum, scilicet, quod non semper tacendum sit, sed post silentium loquendum, prout opportunitas exigit & prudentia. In sancto Ambrosio legimus de Susanna: *Plurima presbyteri loquebantur, qui laborabant verborum fuco obducere veritatem; sed tunc filia Juda tacuit apud homines.* Hæc Taciturnitas manifestum erat indicium honestatis suæ, veluti alibi idem S. Doctor notavit: *Silentium,* inquiens, *in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est.* Non siluit tamen; postquam enim Sanctus Ambrosius asseruisset: *Tacuit apud homines,* subjunxit: *locuta est Deo,* cui & summa cum fidelitate se commendavit.

Cant. 4. v. 3. Verecundia parit discretum.

Pulchrum exemplum de S. Seraphico Francisco.

Cant. 4. 3. Rup. Abb. lib. 3. ibid.

S. Ambr. in Tob. 20.

S. Ambr. lib. 1. de offic. c. 18.

TRACTATUS LXXXIX.
DE SOLITUDINE.
CONTINET
DISCURSUS XII.

DISCURSUS I. Solitudo cooperatur nostræ saluti.

II. Ad observantiam Divinæ legis & suffocanda vitia multum conducit, ut quis se à consortio humano sequestret.

III. Plurimum etiam juvat solitudo & sequestratio ad conservandam continentiam fugiendumque sensualitatis vitium.

IV. Dæmon pro viribus suis nos tentat in solitudine, etenim in hac ipsum cum tentationibus suis expugnamus & superamus.

V. Solitudo & sequestratio multum suffragantur orationi.

VI. Solitudo cooperatur quoque virtutum & spiritus adeptioni.

VII. Quies nec non consolationes spirituales, ut plurimum, inveniuntur in solitudine.

VIII. Demonstratur vitam solitariam piè sanctèque institutam esse viam, quæ ducit ad cœlum.

IX. Ostenditur quantum Deus amet solitudinem, quantumq; Deo placeat & gratus sit, qui in illa ipsum imitatur.

X. In solitudine solet Deus conversari cum animabus communicando ipsis visiones, revelationes, & plura alia

XI. Solitudo est instrumentum perfectionis, ast eam spiritus virtutumque exercitium præcedat oportet.

XII. Examinatur ac discutitur spiritualis ac interior solitudo adaptanda cuilibet statui & vocationi.

DISCURSUS I.
ARGUMENTUM.
Solitudo cooperatur nostræ saluti.

THEMA.

Elongavi fugiens, & mansi in solitudine, expectabam eum, qui salvum me fecit. Psal. 54. ℣. 8.

1. INsigne salutis animæ nostræ adjumentum Regius Propheta nobis commonstrat verbis jam propositis, ex quibus pariter infertur, quantam & ipse solitudinis habuerit curam, quantamque in ea posuerit fiduciam: *Elongavi,* inquiens, *fugiens, & mansi in solitudine.* Et ecce fructum, quem inde percepit: *Expectabam eum, qui salvum me fecit.* Et verò B. Laurentius Justinianus Prophetam in persona eorum etiam, qui solitariam ducunt vitam; existimat locutum: *In eorum persona Propheta ait: Elongavi fugiens, & mansi in solitudine, expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate*

David summam habuit solitudinis curam, quia in illa quærebat salutem suam.

B. Laur. Just. de vit. solit. in prologo.

nimitate Spiritus & tempestate. Est itaque fuga eorum commendabilis, dum declinant noxia, pericula prævident, delictorum evitant causas, æterna desiderant, Deoque inseparabiliter adhærere concupiscunt. Certum est Deum nostrum constituisse nos in præsenti vita tempore dumtaxat limitato ipsi soli cognito, idque in hunc finem, ut hic negotiemur & lucremur vitam æternam: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Sed hæc inæstimabilis valoris margarita, qua denotatur salus animæ nostræ, ubi invenitur? ubinam comparatur pretiosus hic thesaurus: *Negotiamini dum venio?* In solitudine, in locis sequestratis & solitariis. Audiamus tamen S. Bernardum Homilia in præfata Evangelij verba: *O solitudo negotiorum cælestium apotheca: in te transitoria & terrena mutantur in cælestia & æterna.*

Matth. 13. v. 45.
S. Bernard. in cit. loc.

2. Notandum est, David Prophetam petiisse pennas & alas, ut volaret ad loca deserta & solitaria; sed quales petiit alas, an aquilæ aut alterius avis agilioris & velocioris? minimè, columbæ petiit pennas: *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Eccur columbæ potius, quam alterius volucris postulavit pennas, quibus se transferret in solitudinem? Observate in sacris Canticis Sponsum cœlestem alloquentem sponsam suam hisce verbis: *Columba mea, immaculata mea*; columbam conjungit cum puritate immaculata. Voluit propterea David inferre, animam vita pura & irreprehensibili vivere & morari in solitudine. Gaudebat Arsenius mundi hujus deliciis, summisque honoribus, Imperatori acceptissimus erat, & tamen consistens in hoc portu fœlicitatis terrenæ timebat tempestatem, nec immeritò, quia, ut benè advertit Sanctus Augustinus: *Mundus iste periculosior est blandus quam molestus, & magis cavendus cum illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni.* Quare Arsenius die quodam in ferventia hæc ad Deum prorupit suspiria: *Domine, dirige me ad salutem, & venit ei vox dicens: Arseni, fuge homines, & salvaberis. Idem ipse discedens ad monachalem vitam rursum oravit eundem sermonem; audivitque vocem dicentem sibi: Arseni fuge, tace, quiesce; hæc enim sunt radices non peccandi.* Unde B. Laurentius Justinianus solitudines vocat turres, & refugij loca: *Equidem nil aliud dixerim monasteria in solitudinis remotione Deo dicata quam castra Dei & refugia munitissima ab incursibus intellectualium bestiarum valde secura. Ad ista, ut plurimum, adulti confugiunt, qui sæculi oblectamenta despiciunt, carnis abhorrent lenocinia, facultatibus renunciant temporalibus cælestium amore flagrantes.* Alludens deinde ad parabolam Evangelicam de pretiosa margarita, cujus supra fecimus mentionem, subdit: *Solitudinis secessus quærant, quatenus margaritam pretiosam, cælestemque valeant aptius custodire thesaurum.* Veritatem hujus & ipsemet moralis Seneca agnovit, quapropter existimat evidenti nos expositos esse periculo bonorum morum, nisi fugiamus hominum turbam: *Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit; utique quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.*

Quales pennas sibi optaverit David ut volaret in solitudinem. *Ps. 54. v. 7.*
Cant. 5. v. 2.
S. August. epist. 144.
Exemplum Arsenij de fugiendo in solitudinem. *Vit. Pat. lib. 5.*
B. Laur. Just. loc. cit. cap. 1.
Seneca epist. 7.

3. Lucæ cap. 15. mentio fit parabolæ de pastore, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam illam sequebatur & quærebat, quæ erat perdita; *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem, ... & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam.* Quæro nunc, qua ratione hic pastor, tanto licet feratur amore erga salutem unius ovis, licitum tamen sibi existimat, ut reliquas omnes oves omni inspectore & custode orbatas deserat? Respondetur reliquas esse extra omne periculum, quia relictæ erant in loco securo: *Dimittit nonaginta novem in deserto,* in locis solitariis: in eremo & solitudine quotquot electi, per oves figurati, ex instinctu Spiritus Sancti vitam ducunt religiosam, docuit experientia in omni sæculo eos securos ibidem vivere de salute æterna: *Desertum est,* (ait Albertus Magnus) *ubicumque mundi frequentia non est, in eis qui dicere possunt* Philip. 3. *Nostra conversatio in cælis est.* Matth. 18. ubi eadem adducitur parabola, legimus: *Nonne relinquit nonaginta novem in montibus? hoc est, in cælestibus,* sic exponit S. Anselmus, quia qui solitariam, angelicam potius, quam humanam ducit vitam.

Bonus pastor oves 99. relinquit in solitudine. *Lucæ 15. 4.*
Alb. Mag. lib. de virt. c. 31.
Philipp. 3. 20.
Matth. 18. v. 12.
S. Anselm.

4. Postquam Elias Propheta falsos illos prophetas Baal gladio è medio sustulisset, summè indignata Jezabel mortem ei minata fuit, ast quam fecit resolutionem Sapiens Propheta, quo se vertit? *Timuit Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas;* at quo fugit? *Perrexit in desertum. Omnia in figura contingebant illis.* Per hanc Jezabel figuratur concupiscentia carnalis, quæ mortem machinatur animæ zelanti honorem Dei, ejusque sanctas leges; unde qui insidiis assultusque hujus iniquæ Jezabelis fugere intendit, *pergat in desertum.* Verùm si Elias imperabat elementis, si in illius potestate erat resuscitare mortuos ad vitam, si à Deo impetrabat, quidquid postulabat, cur timebat impiam fœminam esto reginam? *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud?* totum id verum est; Verum quia Elias primus omnium loca solitaria sanctificare debebat (unde ipsum tamquam primum vitæ eremiticæ fundatorem venerantur omnes) voluit nobis hoc relinquere documentum, non esse remedium securius solitudine ad superandas sensus & mundi illecebras. Qua super re audiamus Sanctum Ambrosium de fuga sæculi: *Non mulierem fugiebat Propheta tantus, sed sæculum; nec mortem timebat, sed fugiebat sæcularem illecebram, & conversationis miraculosæ contagionem.* Et statim subjungit mysterium, ob quod specialiter fugit, ad montem Oreb vicinasque sylvas: *Elias, inquit, fugit ad montem Oreb, quod significat exsiccationem, ut siccaretur in eo profluvium carnalis vanitatis.*

3. Reg 19. 3.
Ibid. v. 4.
Ad superandas carnales sensualitates securum remedium præbent solitudines.
Prov. 21. 1.
S. Ambr. de fuga sæc. c. 6.

5. Jeremiæ cap. 35. legitur mandatum eidem à Deo traditum, domui Rechabitarum insinuandum, quo omnes invitabantur ad templum: *Introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Executus fuit Jeremias hanc commissionem, totamque progeniem Jonadab introduxit offerens eis *scyphos plenos vino & calices .... Qui responderunt: non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri usque in sempiternum.* Vultisne scire causam hujus observantiæ, quam ita exactè adimpleverunt hi Rechabitæ? Audite illam: *Domum non ædificabitis & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.* Ecce fructum, qui ab iis percipitur, qui se à tumultu populari, & à voluptatibus deliciisque mundanis sequestrant. Quod si ulterius me interrogaveritis, cur & ipsi etiam in servitute abducti fuerint, quemadmodum colligitur ex titulo Psal. 70. *Psalmus David filiorum Jonadab & priorum captivorum?* Respondet S. Hieronymus asserens id factum esse in pœnam, quod progressu temporis, esto urgentissima adfuerit causa, urbem Jerosolymitanam inhabitaverint: *Filij Jonadab, qui in tabernaculis semper habitabant, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitus Jerosolymam intrare compulsi hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem urbe quasi carcere sunt reclusi.*

Jerem. 35. 2.
Rechabitæ jussi sunt abstinere à vino, & habitare in solitudine.
Ibid. v. 5. & 6.
Ibid. v. 7.
Psal. 70.
D. Hieron. epist. 13. ad Paulin.

6. Idem S. Doctor scribendo contra Jovinianum rationem reddit, cur multi Philosophi virtutis zelantes exercitium, à consortio hominum se sequestraverint: *His,* inquit, *rationibus invitati, multi Philosophorum frequentias urbium, & hortulos suburbanos, ubi ager irriguus & arborum comæ, & susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, & ejus pudicitia constupraretur. Inutile quippe est crebro videre, per quæ aliquando captus sis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagorici hujuscemodi frequentiam declinantes, in solitudine & desertis locis habitare consueverunt.* Sub initium lib. 2. de Vit. SS. PP. legimus in prologo hæc Ruffini verba: *Benedictus Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui etiam nostrum iter direxit ad Ægyptum, & ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam profutura, ex quibus non solum nobis causa salutis oriretur, verum ex historia exemplum salutis, atque doctrina pietatis aptissima conderetur, quæ virtutis iter agere volentibus, gestorum præcedentium fide, amplissimum tramitem pandat.* Ubi observate verba illa: *vult omnes salvos fieri,* &c. quasi ingressus in solitudinem ad piam ibidem ducendam vitam, sit veluti certioratio quædam æternæ salutis. In progressu ejusdem prologi de solitariis illis, qui tempore illo vivebant in deserto, refert sequentia: *Nonnullos eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspicione vidimus desæcatos, ut nec, si aliquid mali adhuc ageretur in sæculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleverat eis bonitatis affectus, ut meritò de eis dictum sit: Pax multa diligentibus legem tuam Domine.*

Idem lib. 2. in Jovin.
Multi Philosophi sectati sunt solitudines, virtutes zelantes.
Vit. SS. PP. lib. 2. in prol.
Ingressus in solitudinem reddit hominem quasi certum de sua salute.

7. Certum

7. Certum est & extra omne dubium, sensus nostros, nisi custodiantur ac refrænentur, indomiti & effrænis instar equi nos ducere ac præcipitare in varia peccata & in animæ perditionem. Porrò hac in parte non exigua gaudent prærogativa, quotquot amoti & sequestrati vivunt à consortio humano, à pluribus etenim incentivis liberi evadunt; unde Arsenius, qui, ut dictum est suprà, aliquo tempore vixit in aula Imperatoris inter mundanos strepitus, dicere solebat: *Dixit: qui sedet in solitudine quiescit, & à tribus bellis eripitur, id est, auditus, locutionis & visus, & contra unum tantummodo habebit pugnam, id est, cordis.* Libro 6. Vit. PP. libello 3. referuntur sequentia. *Narraverunt de quodam solitario, qui exiit in eremum vestibus lineo sacco tantum; cumque perambulasset tres dies, ascendit supra petram, & vidit sub ipsa viridem herbam & hominem pascentem tamquam bestiam, descendens autem occultè tenuit eum; senex autem ille cum esset nudus, nec ferre posset odorem hominum, angustiatus vix potuit evadere de manibus ejus, & fugiebat. Ille quoque frater exijt post ipsum currens & clamans: expecta me, quia propter Deum te sequor; at ille conversus dixit ei, & ego propter Deum fugio abs te. Frater autem ille post hæc projecit levitionem, qua erat indutus, & sequebatur eum, quem cùm vidisset senex, quia jactaverat indumentum suum, sustinuit eum. Et cum appropinquasset ad eum, dixit ad illum senex: quando projecisti materiam mundi abs te, & ego te expectavi. Rogabat autem frater ille dicens: Pater dic mihi verbum, quo salvus efficiar; qui dixit ei: fuge homines, tace, & salvus eris.* Feris & avibus venatores & aucupes struunt laqueos, non in urbibus & locis inhabitatis, sed in campis, sylvis & locis solitariis; at infernalis venator insidias & laqueos suos invisibiles expandit & tendit in civitatibus, quod cum David superno illustratus lumine videret, *ecce elongavit fugiens,* ait Gerson, *& mansit in solitudine, expectans eum, qui salvum se fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate, quoniam vidit iniquitatem & contradictionem in civitate, evolavit sicut passer ereptus de laqueo venantium.*

Qui sequestratus vivit à consortio hominum, à tribus bellis eripitur.
Vit. Pat. lib. 5.
Vit. Pat. lib. 6. libello 3. n. 10.
Mirabilis historia alicujus solitarij.
Gerson t. 3. fol. 10.

8. Stobæus inter alias suas propositiones hanc quoque exhibet: *Annon aurea res est solitudo? Urbs plane theatrum est infœlicitate palam scatens.* In dubium plane revocari nequit, quin divitiæ sint veluti incentiva vitiorum; unde non sine mysterio pientissimus Salvator comparavit eas sentibus & spinis dicens: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui à divitijs,* &c. Quemadmodum sub spinis & sentibus latent serpentes, bufones & alia animalia veneno sæva eumdem modum in divitibus hærent absconditi mortiferi serpentes innumerabilium peccatorum: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.* Nihilominus notum est omnibus in veteri lege multos Patriarchas Abraham, Isaac & Jacob bonis abundasse terrenis, in summa tamen innocentia se conservasse, Deoque adeo gratos & acceptos fuisse, ut non dedignatus fuerit nuncupari *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Cui respondetur, quod divitiæ nullum ipsis suppeditabant offendiculum, quia ab humano consortio sequestrati vivebant in campis & agris, ovium pascentes greges.

Stob. ser. 56.
Quare divitiæ, spinis à Christo comparatæ, non nocuerint SS. Patriarchis Abraham, Isaac, & Jacob.
Luc. 8. v. 14.
Ps. 72. v. 12.

9. Stobæus in quodam alio sermone ita scribit: *Quam jucunda res est ei, qui malos mores odit, solitudo, & cogitanti nihil mali satis magna possessio est ager bene nutriens.* Quæ omnia hucusque dicta & probata Plutarch. author gentilis lib. de tranquillitate confirmat hisce verbis: *Solitudo gymnasium existens sapientiæ bene instituit mores, format & dirigit hominum animos. Nihil enim impedimenti habent, quo minus promoveant, neque ad leges multas & parvas offendentes à rectitudine inflectuntur, ut animi civitatibus inclusi, sed in aëre puro, & ut plurimum extra hominum consuetudinem agentes in rectum surgunt.* Concludo S. Joannis Damasceni verbis: *Solitudo animæ puritatem inchoat; quemadmodum enim feræ blanda contrectatione cicurantur, sic etiam cupiditates, iræ, mærores, timores, pestifera animæ mala per solitudinem consopita, ac non assiduis irritamentis efferata, facilius postea vi rationis superantur.*

Alia encomia solitudinis. *Stob. serm. 58.*
Plutarch. de tranq.
S. Joan. Dam. lib. 1. Paral. c. 36.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Ad observandam Dei legem & suffocanda vitia plurimum conducit solitudo & humani consortij fuga.

THEMA.

Pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. Exod. 8. v. 27.

1. PLacuit tandem Deo Ter Opt. Max. ut in executionem inviolabilis istius promissionis, quem primo patri credentium jam dudum dederat, populum Hebræum ex Ægypto conduceret ad obtinendam possidendamque promissionis terram. Verum cum iter hoc adeo prolixum abbreviare, & populum via compendiaria deducere potuerit, ut citius & breviori tempore Canaan attigisset, quid, amabo, per hoc indicare voluit, quod tot & tantis annis disposuerit populum detinere in deserto illo & solitudine? *Pergemus in solitudinem* &c. Responsum, quod dari potest juxta sensum spiritualem est, quod cum Hebræi figurarent Christi fideles, qui tendunt ad terram veram promissionis, videlicet, ad cœlestem beatitudinem, voluit Deus nobis notificare, ad hunc finem & scopum assequendum securissimum medium esse ipsam solitudinem & sequestrationem ab omnibus occasionibus & impedimentis, quæ nobis inter tumultus & strepitus mundanos frequenter occurrere solent. Quot annis hic populus hæsit in Gessen? quot sæculis postea moratus fuit in Palæstina? Cum nihilominus increata Dei Sapientia vellet ei præscribere suas leges, expectavit quousque habitaret in deserto, voluit in vertice montis quadraginta diebus solus cum solo Moyse sua conferre consilia; unde B. Pet. Dam. (sive S. Basil. qui ante ipsum vixit) in laudem vitæ solitariæ scripsit: *Ibi Moyses debet, his acceptæ legis decalogum.* Sane observantia decalogi non erat adeo facilis in Ægypto, ubi *sedebant super ollas carnium,* multo minus in terra promissionis fluente lacte & melle: *Deliciæ januæ sunt peccati,* scribit S. Ambrosius, ideoque Deus legem suam dedit & promulgavit in solitudine, in deserto, sciens quanta majori facilitate ibidem observari possit.

Quare Deus legem Decalogi filiis Israël per Moysen dederit in solitudine.
B. Petr. Dam. opusc. 11. cap. 19.

2. Doctissimus Oleaster in verba illa Exodi: *Venerunt in solitudinem Sinai,* ait, *Judæos in desertum locum induxit, ubi expeditiores ab omnibus facti, cælestis doctrinæ essent capaciores.* Ast nostro proposito conformius loquitur Philo Hebræus: *Quod ad sacras leges recipiendas animas purificatas requiritur, elutis maculis quæ hærent, ex miscellaneæ turbæ in civitatibus degentis contagio; Id vero non est possibile aliter quam in secessu efficere.* Deus primo parenti nostro præscripsit præceptum illud: *De omni ligno* &c. desideratisne scire quousque & quamdiu illud observaverit? Quamdiu moratus fuit in Paradiso. Consideratio hæc est S. Ambr, scribentis Sabino Episcopo in hunc modum: *Solus erat Adam, & non erat prævaricatus, quia mens ejus adhærebat Deo; postquam vero ei mulier adjuncta est, non potuit inhærere mandatis cælestibus, & ideo se abscondebat, quando Deus ambulabat in Paradiso.* Gerson magnus Cancellarius Parisiensis in tract. aliquo super Magnificat, id, quod scribit in laudem vitæ solitariæ ex S. Ambrosio hausisse videtur, cum discurrit, & introducit vitam solitariam, ita loquentem: *Quid de primo illo formato Adam dictura sum, qui tamdiu salvus mansit, quamdiu solus. Data fuit mulier in auxilium, mox istum detraxit in exilium.*

Exod. 19. 1.
Oleaster.
Philo Hebr.
Quamdiu Adam solus in Paradiso fuit, non peccavit.
Gen. 3. v. 1.
S. Ambros. lib. 4. epist. 31.
Gers. tom. 3. fol. 487.

3. Cum jam protoparentis nostri fecerimus mentionem, aliud circa ipsum occurrit inquirendum mysterium, cur, nimirum, Divinus artifex, à quo tam nobilem accepit substantiam & vitam, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ?* cur, inquam, in faciem potius, quam in aliam partem corporis inspiravit? Audiamus S. Ambr. epist. ad Sabinian. *Ibi sedes,* inquit, *& illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, & ore, ut sensus nostros adversus delectationes faceret fortiores, & eos sanctificaret, ne aliquod profanum in animam deferrent.* Qui vivit in locis remotis, ab illecebris & irritamentis vitiorum amotis, minorem habet peccandi occasionem, eique facilius est custodire sensus, quam in locis frequentatis à populo: *Minus voluptatibus stimulatur* (verba sunt D. Aug.) *qui non est ubi frequentia voluptatum.* In lamentis Jerem. repræsentantur nobis quædam animæ immaculatæ & irreprehensibiles: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.* Nihilominus immediatè post Propheta stupendam nobis proponit Metamorphosin: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Sed unde provenit hæc vultus deformitas, per quam intelligitur prava conscientia prævaricatione divinarum legum contaminata? *Faciem tuam lava,* Christi consilium est, quod author imperfecti operis ita exponit: *Facies animæ conscientia intelligitur.* Et quo modo lavatur facies? *Projice abs te avaritiæ sordes, perjurij stercora, malitiæque putredinem, & lavasti faciem, id est, conscientiam*

tuam

Quare Deus Adæ in faciem inspiraverit spiraculum vitæ.
Gen. 2. 7.
S. Ambros. epist. ad Sabin.
Viventes in locis remotis minorem habent peccandi occasionem.
S. August. de singular.
Thren. 4. 7.
Ibid. v. 8.
Matth. 6. 17.
Auct. Imperf. op. Hom. 15.

Isa. 1. v. 16.

tuam aqua Prophetica, de qua dicit Isaias : lavamini & mundi estote, auferte nequitiam ab animabus vestris. Porrò hæ sordes contrahuntur in plateis, in foro, in circulis, in conversationibus, in negotiationibus in multitudine populi; quapropter prosequitur Jeremias: *Non sunt cogniti in plateis. Multitudines hominum* (& est consilium S. Hieronymi) *& officia, & salutationes, & convivia, velut quasdam catenas fugias voluptatum.*

Thren. 4. 8. S. Hieron. lib. 2. epist. 14. ad Paulin.

4. Audiamus etiam, quid scribat Seneca epist. 7. *Quid tibi vitandum præcipue existimes, quæris? Turbam; nondum enim illi te tuto commiseris; ego certè confiteor imbecillitatem meam; numquam, quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur; aliquid ex his quæ fugavi redit.* In ejusdem epistolæ progressu ostendit, quantam passus fuerit jacturam in conversationibus: *Quid me*, inquit, *existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior; imo verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Adducit insuper rationes, quæ evidenter probant ejusmodi detrimentum: *Unum exemplum aut luxuriæ aut avaritiæ multum mali facit; convictor delicatus paulatim enervat & emollit; vicinus dives cupiditate irritat; malignus comes quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Quid tu accidere his credis, in quos publicè factus est impetus? Necesse est, aut imiteris, aut oderis. Utrumque autem devitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum, quantum potes, cum his versare, qui te meliorem facturi sunt.* Refert Laërtius, quod Pirrus inventus solus fuerit interrogatus, quid in seipso collegisset? Sapienter respondit: *Meditor esse probas, sentiens ad id utiles esse solitudines, inutilem turbam.*

Senec. ep. 7. Quanta damna contrahantur ex consortio & conversatione hominum.

Laërt. lib. 9. cap. 11.

Quare Deus Abraham è domo paterna ad loca deserta solitaria jusserit secedere. *Gen. 12. v. 1.*

5. Reflexistisne vos ad primam illam instantiam à Deo propositam Abrahamo, quando ipsum invitavit ad sui sequelam, omniumque credentium patrem elegit? *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* Eccur Deus disponit ipsum evocare & abstrahere à patriæ deliciis, à domo paterna, ac peregrinari jubet in regiones desertas & solitarias? Respondetur, quod, quia sanctus Patriarcha mundo huic natus fuit, ut in omnibus sæculis exhiberetur tamquam verum exemplar perfectionis exactæque observantiæ legum Divinarum, voluit Deus cunctis manifestare, quantum huic fini inserviat coopereturque vita solitaria sequestrata à commoditatibus propriæ domus, separata à tumultibus & conversationibus popularibus. Quantum verò ipse Abraham amaverit solitudinem, declarat S. Chrysostomus Hom. 33. in Gen. hisce verbis: *Venit in solitudinem usque ad locum, ubi prius fuit tabernaculum ejus, ad locum altaris, quod fecit ibi principio, & invocavit nomen Domini Dei. Cogita, obsecro, quantus erat quietis & tranquillitatis amator, & in divino cultu quàm sedulus. Ad eum enim locum, inquit, accessit, quem prius ædificaverit, & in quo nomen Domini invocaverat. Ecce jam multis anteà sæculis implevit hoc quod posteà à David dictum est: elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Solitudo enim propter invocationem nominis Domini Dei gratior ei erat, quam civitates; sciebat enim, sciebat clarè, quod civitatis magnitudinem non facit ædificiorum pulchritudo, neque inquilinorum multitudo; sed inhabitantium virtus, propter quod & solitudo civitatibus dignior est, quæ virtute justi ornatur, & orbe toto fit fulgidior.*

Abraham amator fuit solitudinis. *D. Chrysost. Hom. 33. in Gen.*

6. Marci 7. legitur de quodam surdò & muto oblato Salvatori nostro, ut eum curaret: *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* De hac surditate ait Albertus Magnus: *Quia aures arma iniquitatis peccato exhibuerat, ideo diabolus in auribus fecerat surditatem & maximè à verbo Dei audiendo.* Quis verò per mutum intelligatur, ibidem exponit: *Mutus est etiam peccator, quia non invocat Deum cum affectu, quamdiu delectatur in peccatis, os enim habent multi peccatores, & tamen raro loquuntur bonum, sed malum.* Verum ut miserabilem hunc hominem ad statum salutis reducat Redemptor noster, quem tenuit modum? *Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus* &c. Forte operando hoc miraculum applausum populi evitare, & miraculum abscondere intendebat? At difficile id erat, siquidem mutus prodibat in publicum soluto linguæ vinculo, ut Deo ageret gratias, ejusque omnipotentiam ac beneficentiam magnificaret. Textus Græcus habet: *cum seduxisset eum de turba seorsum.* Dionysius aliam assignat rationem: *Quia turba fuit indigna videre istud miraculum.* D. Chrysostomus citatus ab Angelico Doctore in catena ratiocinatur hoc modo: *Ut divina miracula non faceret manifeste, instruens nos vanam gloriam ejicere.* Communior nihilominus expositio nostro favet proposito; unde Beda in hunc locum seu Evangelium ait: *Prima salutis spes est, quemlibet assuetos vitiorum tumultus, turbasque deserere.* Glossa interlin. *Apprehendens eum de turba, id est, de strepitu mundi.* Hugo Cardinalis: *Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum mundi evitare, quia corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Dionysius Carthusianus Sermone 2. super hanc historiam evangelicam discurrit in hunc modum: *In hoc datur intelligi, quod eos, quos Deus à vitijs curat & salvat, oportet prava vitare consortia, atque à communi hominum per latam perditionis viam ambulantium conversatione discedere.* Hos fines assequimur per solitariam vitam & sequestratam à strepitu mundano.

Marc. 7. 32. Christus mutum & surdum sanaturus, seducit eum à turba. *Alb. Mag. serm. 66.*

Ibid. v. 35.

Dion. Carth. enarrat. in Evang. D. Chrysost. in catena. Ven Beda. Gloss. interl. Hug. Card.

Dion. Carth. serm. 2.

7. Pientissimus igitur Salvator missurus digitos suos in auriculas hujus surdi (quod idem facit spiritualiter, quando cordi peccatoris ad vocem Dei prius surdo insinuat suas inspirationes & gratias sanctissimi sui Spiritus, *Digitus Dei est hic*) voluit ipsum semovere à turba, ad denotandum, quantum peccatori suffragetur solitudo, ut ei aperiatur cor ad recipiendas inspirationes Dei. Multorum annorum spatio S. Augustinus vocationi Dei surdas præbuerat aures; quando igitur illi paruit? quando influentiis cœlestibus sinum suum aperuit? *Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur*, sic scribit in suis confessionibus. Attenta percurrite lectione conversionem ejus, invenietis, quod, ut vehementibus & abundantibus divinarum gratiarum impulsibus cooperaretur, ac Deo cor suum aperiret, in agrum secessit solus, ibique sub ficu sedens, ac cœlum suspiciens post iterata effusa suspiria & gemitus, illam de cœlo inaudivit vocem: *Tolle, lege*, librum excepit, cumque intelligens cœlitus missum, aperuit, legit primum caput, quod istud S. Pauli Apostoli continebat monitum: *Non in comessationibus* &c. Sicque verificabatur ad unguem illud oraculum Prophetæ Oseæ: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Quamdiu enim ipse non se sequestravit à cursu mundano, tamdiu nec à lepra inveteratorum vitiorum suorum mundatus fuit. *Probus quietæ vitæ amator* (verba hæc sunt Philonis Hebræi) *secessum & solitudinem diligit, latere ignotus cupiens, non societatis humanæ odio, est enim cum primis amans hominum, sed quia fugiebat vitia, quibus vulgus delectatur.*

Deus peccatorem conversurus sequestrat illum à turba hominum.

Patet in conversione S. Augustini. *S. Aug. lib. 8. confess. cap. 12.*

Rom. 13. 13.

Osea. 2. v. 14.

Philo Hebr. lib. de Abrah.

8. Consortium humanum est nidus vitiorum; *Mundus in maligno positus est, id est, in malo igne.* Qui in solitudinem se recipit, de eo verificari potest, quod sit & vivat extra mundum. S. Bernardus Homilia quadam, exponens illa verba: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, in laudem solitudinis exclamat: *O ereme, mors vitiorum!* Cui adnecti possunt, quæ S. Joannes Climacus scribit: *Eorum*, inquiens, *qui in hoc profundo solitudinis, tamquam pelago, versantur, alij vitiosos affectus sensim imminuunt.* Experientia docet, quod ubi non occurrunt abjecta incentiva vitiorum, ibi etiam deficiant suggestiones & tentationes sensuales. *Nihil in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Sensus nostri facilè, mox dixissem, necessario, in solitudine custodiuntur. Qui legit historias, reperiet eos etiam, qui diuturnum in vitiis acquisiverunt habitum, quando acturi pœnitentiam petierunt loca abstrusa, solitaria & deserta, in quibus viget & floret disciplina monastica, perfectè mundatos esse. Unde consideratione digna est propositio illa Cassiodori citati à D. Bonaventura lib. 4. Pharetræ cap. 18. *Nimia turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur.*

Solitudo est mors vitiorum, consortium vero humanum, eorum nidus. *Matth. 20. 8. S. Bernard. Hom. simile est regnum cæl. hom. negot.*

Cassiod. lib. de anima. cap. 18.

9. Cum stupore S. Ambrosius considerat David fugientem regem Saulem 1. Reg. 20. esto alias nihil timendum sibi esset, Deum quippe sui defensorem habebat, à quo certò noverat se electum ad regendum populum Israël. Cur igitur istam ostendebat ignaviam & pusillanimitatem, qui ursos dilaniaverat, discerpserat leones, gigantes prostraverat? *Fugiebat David sanctus à facie Saul*, respondet S. Ambrosius, *non utique ut terras relinqueret, sed ut immitis & inobservantis & perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adhærens Deo, sicut & ipse ait Psal. 62. Adhæsit anima mea post te. Abducebat se & abalienabat à vitijs sæculi hujus, elevabat animam suam, sicut Isaac in campo.* De eremitis Lyrinensibus laudabilius dare non poterat testimonium S. Eucherius dicens: *In solitudinibus errantes in speluncis & cavernis terræ, alieni à tumultu Reipublicæ humanæ sepositi, quieti, silentes & liberi, qui nec magis absunt à voluntate peccandi, quam à facultate.*

1 Reg. 20. S. Ambr. lib. de Isaac & anima cap. 3. Psal. 62. 9. Quare David fugerit præsentiam Saulis. *S. Eucher.*

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Plurimum etiam juvat solitudo ad conservandam continentiam, fugiendumque sensualitatis vitium.

THEMA.

In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas. Gen. 19. v. 17.

Solitudo est efficax remedium ad evitandum concupiscentiæ ignem, patet exemplo Loth.

1. Postquam Loth, Deo ita disponente, ab incendio infamium illarum civitatum præservatus & illæsus abiisset, Angeli, ut refert sacer textus, *duxerunt eum, & posuerunt extra civitatem, ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Non deerant alia loca extra Pentapolin, in quibus Deus servum suum præservare potuisset, cur igitur assignavit ei montem: *In monte salvum te fac. Omnia in figura contingebant illis.* Voluit, prout ego credo, Deus noster hoc exemplo nobis indicare, quam efficax ad evitandum ignem concupiscentiæ carnalis, remedium sit solitudo & sequestratio à vitiorum irritamentis & illecebris. Unde S. Joannes Damascenus inter alia emolumenta quæ in aliorum sententia refert, consurguntque ex solitudine, unum est custodia continentiæ: *Ei, qui continentiæ studium profitetur, turbas quoque fugere convenit, ut mentem ab omni distractione liberam, ac pectus ab omni perturbatione purum habeat.* B. Petrus Damianus (seu potius Magnus Basilius) inter alia plurima encomia vitæ solitariæ hoc quoque recenset: *Tu luxuriosis renibus nitidæ castitatis adhibes cingulum.* Inter prodigia & miracula, quæ in veteri lege enarrantur, illud quoque merito recensendum est, quod legitur de tribus pueris in fornace Babylonica præservatis: *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Si vestimenta eorum flamma redegisset in cineres, forte contristasset eos propterea, quod nudi remansissent cum damno verecundiæ; *at non tetigit eos ignis, neque contristavit.* Non immerito huic fornaci comparat Petrus Damianus solitudinem, quia, ut plurimum, non tantum nos liberat ab incendio & igne Babyloniæ, id est, carnalis concupiscentiæ; verùm etiam mentem & cor puris & mundis replet cogitationibus, velut etiam interno jubilo & lætitia: *Tu caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri furentis incendij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei crepitantium contra se flammarum globos extinguunt.*

S. Damasc. lib. 1. Parall. cap. 36.

B. Pet. Dam. opusc. 11. cap. 19. Solitudo comparatur fornaci Babylonicæ. *Dan. 3. 50.*

2. Solitudo verecundiæ centrum est, ait S. Ambrosius exhortatione ad virgines: *Decet*, inquit, *solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est.* Author quidam scribens de expeditione Christiana apud Sinas, refert, quod *Magnam partem muliebris elegantiæ statuant in pedum parvitate, qua ex causa à prima pueritia pedes arctissime fascijs obvolvunt, ne succrescant libere, atque ideo in incessu truncas prope judicares. Has fascias per universam vitam adhibent. Id videtur Sapientis alicujus inventum fuisse, ut eas domi contineret, ne facile per vicos cursarent, quod fœminas decet in primis.* D. Hieronymus Virgini Eustochio hoc dedit consilium: *Cave, ne domum exeas, & velis videri filia regionis alienæ. Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas.*

S. Ambr. exhort. ad Virg. Solitudo verecundiæ centrum, maximè decet Virgines. *Nicol. Trigaut. lib. 1. cap. 8. S. Hieron. ad Eust. epist. 22.*

3. Nulla fuit inter omnes animas creatas, quæ ita rapuit cor Dei, sicut beatissima Maria virgo, Dei mater jam electa, grata enim ei fuit specialiter virginitas sua: *Virginitate placuit*, verba sunt S. Bernardi omnibus nota. Vultisne scire, quanta cura & circumspectione custodierit ac conservarit hunc thesaurum? Ecce invenietis in ea intensissimum semper solitudinis amorem, de quo S. Ambrosius scribens Sabino Episcopo ita discurrit: *Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo; sola erat quando supervenit in eam Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbravit eam.* Hisce conformia sunt, quæ scribit S. Eucherius Homilia de festo Annuntiationis: *Ingressus est Angelus ad eam, non enim virgo in plateis erat, non in publico morabatur, intus erat in penetralibus, sola sedebat.* Legationes Magnatum celebriores ad alios principes destinatæ pro expediendis magni momenti negotijs, prima vice ad minus, summa cum pompa & applausu publico præsentibus regni primatibus excipiuntur; in hac vero legatione longe alius stylus observatus fuit: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret* (ait S. Ambrosius) *Sola sine comite, sola sine teste.* Nec aliud mysterium erat, quia *missus est Angelus Gabriël ad Mariam Virginem*; Virginitas amat solitudinem & sequestrationem.

B. Virgo amantissima fuit solitudinis.

S. Ambr. lib. 4. epist. 31. ad Sabin.

S. Eucher. Hom. super missus est.

Luc. 1. v. 26.

4. Nimis durum & rigorosum videtur fuisse consilium illud, quod D. Gregorius Nazianzenus cuidam Virgini ut eam ad thesauri sui custodiam excitaret, dedit, dicens: *Mortua sis cunctis alijs, velutique sepulta.* Satis videbatur dixisse: *mortua sis*; quia in morte extinguitur omnis calor concupiscentiæ illius, qui moritur, non audit, non videt, non loquitur, non ambulat, non movetur, cur igitur simul addit *velutique sepulta?* Responsio satisfacit, si mortuus aliquis non est sepultus, nec terra coopertus, sed in feretro expositus est, vel circumfertur omnibus spectandus, quamvis ipse non videat, omnium nihilominus spectatorum oculos ad se attrahere potest; non ita, quando sepultus est; pari ratione ut majori cum cautela & securitate puritas virginalis custodiatur & conservetur, haud sufficit, virgo refrænet visum, auditum, linguam, non vagetur per urbem & plateas: etenim licet nullas contrahat sordes & spurcitias, quibus candorem suum contaminat, spectata nihilominus potest alijs esse offendiculum & præbere occasionem peccandi, & ideò suadetur ipsi sequestratio ac solitudo corpori mortuo & sepulto similis. Unde Tertullianus lib. de velandis virginibus scribit: *Statuendum esse sacris virginibus pudoris murum, qui nec proprios emittat oculos, nec admittat alienos.*

D. Greg. Nazianz. Ut Virgo securius custodiat thesaurum virginitatis, debet quasi mortua & sepulta esse.

Tertull. cap. 6 de veland. Virg.

5. Nix est symbolum puritatis; conservatur autem candida & illæsa in solitudine, non in plateis urbium, aliisque locis inhabitatis. *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ*, ait S. Hieronymus, *quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram.* Discrimen, quod flores hortorum inter & montium camporumque est, quasi manibus palpatur; illi enim ita delicati sunt, ut ad omnem flatum venti aquilonaris exiccentur, & languescant expositi ardentibus solis radiis; id vero non accidit floribus campestribus, his enim nulla nocet aëris intemperies, sed omnes eludunt adversos insultus; hoc idem prorsus de virginalibus & castis animabus asserere possumus, quæ in consortio & conversatione hominum intra urbem, inter recreationes & incentiva civitatum ad omnem flatum venti, ad omnem occasionem tametsi levem intuitus, auditus & tactus, magnum subeunt periculum, quoad florem pudicitiæ; hic tamen in claustris & locis solitarijs, in solitudine conservatur vegetior, illæsus & intactus. Hac de causa cœlestis sponsus invitat puram & virginalem animam sub nomine & titulo columbæ: *Surge amica mea, speciosa mea & veni columba mea.* Ast quorsum eam invitat: *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, in locis, nimirum, ab hominum consortio & strepitu populari dissitis. Et eodem tempore Divinus sponsus desiderabat intueri ipsius vultum: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Discrimen inter nives & flores solitudinis, & civitatum. *D. Hieron. lib. 3. ad Sal.*

Applicatur hoc discrimen ad nostrum propositum.

Cant. 2. v. 13. *Ibid. v. 14.* *Ibid. v. 14.*

6. Vix sanctissima Virgo conceperat Verbum æternum, migravit, inquit S. Evangelista Lucas, ex templo ad montes: *Et discessit Angelus ab ea. Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione.* Voluit, videlicet, hoc exemplum relinquere debili & fœmineo sexui, eumque docere modum custodiendi & zelandi puritatem, sequestrando se à mundanis conversationibus, fugiendo strepitus sæculares. Idem hic Evangelista in describendo historiam conversationis S. Mariæ Magdalenæ, non sine mysterio, texendo telam lubricæ suæ vitæ, duxit hanc lineam: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; quasi inferre vellet, non mirum, quod perdiderit honestatem suam, quia habitabat in civitate, non convivebat suæ sorori Marthæ in Bethania extra mœnia Jerosolymitana; at post conversionem reperimus eam vestigijs Christi inhærentem & in locis solitarijs.

Luc. 1. v. 39. B. Virgo concepto verbo æterno, statim abiit in montana.

Luc. 7. v. 37.

7. Moyses describendo universale mundi diluvium ait: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, & rationem ejus reddit dicens: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ* &c. Per hos filios Dei nonnulli intelligunt filios descendentes à Seth: certum est eos prius fuisse personas timoratas ac propterea merito hac phrasi describuntur; at quis fuit scopulus ille, cui allisi naufragium passi sunt & interierunt? *Videntes Filij Dei filias hominum* &c. Sexus ille blandiloquus & fallax, quia ubique vagabatur, hominum etiam sanctissimorum istius sæculi honorem in periculum traxit & præcipitium; si fœminæ ædibus suis mansissent inclusæ, neque sancti illi viri profanati, neque

Gen. 6. v. 12. Universale diluvium unde causatum & acceleratum fuerit. *Ibid. v. 2.*

Signa amantium solitudinem. *Climac. gr. 27.*

tot laqueis impurorum ac lascivorum aspectuum & desideriorum irretiti fuissent. Doctrina est S. Joannis Climaci magni magistri Spiritus. *Signa & exercitationes, & argumenta eorum, qui non sine ratione solitudinem sequantur, hæc sunt: Mens nullis perturbationum fluctibus agitata, cogitationes castæ, raptus in Deum, supplicium æternorum præsens semper memoria, mortis instantis consideratio, inexplebile precandi studium, custodia sui inexpugnabilis, veneris extinctio, appetitionum ignoratio, mundi mors, nullam cibi desiderium, rerum divinarum cognoscendarum materia, fons discretionis, lachrymarum facultas, loquacitatis exterminatio.* Observate hoc discursu bis tangi punctum castitatis: *Cogitationes castæ, veneris extinctio,* quia in solitudine specialiter acquiritur pudicitia, & extinguitur ignis sensualitatis & concupiscentiæ.

Cant. 4. v. 12. Sponsus cœlestis sponsam suam bis nominat hortum conclusum. *S. Bonav. in diæta Salut. tit. 4. c. 4.*

8. *Hortus conclusus soror mea sponsa* (cœlestis sponsi verba sunt) *hortus conclusus.* Bina vice nominat sponsam suam hortum conclusum; cur vero sponsus petierit illam esse instar horti concluſi, non caret mysterio, quod exponit Doctor Seraphicus hisce verbis: *Castitas debet habere clausuram studiosam, nam dicitur hortus conclusus, soror mea sponsa;* & pro majori declaratione dedit hanc similitudinem: quemadmodum hortum concluſum undequaque nullus intrare potest, & nulli ad eum patet aditus, nisi muros transcendat; *Sic in homine casto, qui habet clausuram continentiæ, nullum desiderium debet intrare, nisi cœleste tantum.* Vox *cœlebs* etymologiam suam derivat à cœlo, *cœlebs à cælo.* Hortum hunc mysticum elucidat quoque S. Gregorius hisce verbis: *Hortus quidem, quia eximiæ virtutis castitatis floridus, Conclusus autem, quia per continentiam munitus;* addere quoque possumus *per solitudinem munitus.* Trita est propositio illa S. Cypriani (sive alterius authoris, quicumque ille sit) de singularitate Clericorum: *Lubrica est illa spes, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat.* Hisce fomentis & illecebris, ut plurimum, abundare solent loca frequentata; in locis verò desertis & solitariis ea deficiunt. Similiter blanditiæ, risus, obtutus, discursus obscœni, gestus, prava aliorum exempla & correspondentiæ locum non habent in solitudine, & quamvis à spiritu fornicationis persæpe tentemur, efficaciori tamen gratiæ auxilio Deus nobis assistit, nosque defendit.

S. Greg. lib. 3. c. 4. in lib. Reg.

S. Cyprian. de sing. Cler.

9. Inter alios ritus in veteri lege Levitis præscriptos, unus quoque circa victimas, quæ offerebantur, datus fuit: *Pellem verò & omnes carnes cum capite, & pedibus & intestinis, & fimo & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum.* Morale legis hujus mysterium quicumque intelligere desiderat, adeat vel audiat Lyranum: *Quia peccator,* inquit, *debet esse elongatus de cætero, non solum à peccato, sed etiam ab occasionibus ejus.* Scribit Cælius Rodiginus: *Heliensibus Phidias venerem fecit, quæ testudinem calcaret.* Testudines in summo gradu solent esse frigidæ, è contra Venus in nobis excitat concupiscentiæ flammam & ardorem, quomodo igitur hoc concordabat, quod Venus poneretur supra testudinem. Audite hujus mysterium: *Commonstrans esse muliebris decoris, ædes custodire.* Hinc S. Hieronymus virgines illas stultas dicit, quæ non vivunt sequestratæ ab hominum familiaritate & consortio: *Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso.* Causam libenter scirem, & à vobis instrui peto cur columbæ, quæ alias volandi agilitate longe superant rapaces aves, sive accipitres, ab his tamen frequenter capiantur, eisque cedant in prædam & escam? Ecce, experientia docemur, quod columbæ ductum propriæ vanitatis sequendo, & quasi superbiendo per aërem vagentur & circumvolent, id dum faciunt, accipitres eas observant explorantque, tempus commodum expectant, quo uno impetu eas impetunt, involant, & prædam aliquam capiunt. Quot quantæque existunt animæ puræ innocentesque; at veluti columbæ de seipsis præsumentes, occasiones & offendicula non fugiunt, & propriis confidentes viribus infernali accipitri in prædam cedunt, propterea, quia non student solitudini, nec ab humano se abstrahunt consortio: *Dum liberius evagari virgines volant* (ait S. Cyprianus) *esse virgines desierunt, furtivo dedecore corruptæ.* Huic conformis est propositio illa confideratione digna, quam addicit Tertullianus discurrens de velo Virginum: *Omnis,* inquit, *publicatio virginis bonæ, stupri passio est.*

Levit. 4. 11.

Sexui muliebri singulariter commendatur custodia domus, si castæ velint censeri. *Lyran. Cælius Rod. lib. 10. lect. antiq. cap. 3.*

D. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. Cur Columbæ, volandi agilitate superantes accipitres ab his tamen sæpè captantur.

S. Cypr. de habitu Virg.

Tertull. de velo Virg. Sexus muliebris laudatur de fortitudine, quia apprehendit fusum ad filandum.

10. In vita S. Philippi Nerij plurimum commendatur Martha Spoletana quæ à directione sancti hujus viri in omnibus observantiæ actibus planè dependebat, ideoque Sanctus eam magnificabat; interrogatus verò cur tanti eam æstimaret, respondit, quia filat. Fortis illa mulier multis deprædicatur laudum encomiis à Rege Salomone: *Manum suam misit ad fortia.* Fortè unius instar Amazonum stricto gladio invasit hostem? Fortè sicut una Debora hostiles dissipavit exercitus? forte ipsius Judith secuta exemplum alicujus generosi belli ducis detruncavit caput? Nihil horum: *Digiti ejus apprehenderunt fusum.* Domui semper inclusa manebat & solitaria solita pensa trahebat. Casus Adami protoparentis nostri unde causatus fuit? *Ne contristaret delicias suas.* Audite Sanctum Ambrosium: *Potuerat Adam inter illas Paradisi inconcussus stare delicias, si Eva ibi cum illecebris diabolicis non fuisset.* Et qualem inde pro nostro documento deducit consequentiam? *Conveniens ergo est desertum saluti, ubi non est Eva, quæ persuadet, ubi non est mulier, quæ blanditur.* Vultisne intelligere modum, quo cœlestis Sponsus fatetur se raptum voce & vultu animæ sibi dilectæ? In sacris Canticis eum reperiemus: *Quæ habitas in hortis, ... fac me audire vocem tuam.* Ab illis, nimirum, animabus, quæ zelant honestatem & pudicitiam, exigit, ut demorentur & subsistant in locis sequestratis & solitarijs, optime namque novit, facilius ibidem conservari illibatum virginitatis lilium. Debora mulier virilis fuit tantæ sapientiæ, prudentiæ & experientiæ, ut ei concessa fuerit in Hebraismo suprema dignitas judicandi populum; sed qua arte & modo usa fuit, ut inter tribunalis strepitus & tumultus honestam se conservaret & pudicam? *Judicabat populum, sedebat sub palma, & ascendebant ad eam filij Israël in omne judicium;* ex civitatibus & oppidis exibant, ascendebantque loca campestria, in quibus ipsa morabatur, cognoscentes, quantæ utilitatis esset solitudo. Sub palma in campo reportavit palmam suæ semper castæ ac pudicæ conversationis.

D. Ambros. Serm. 39.

Locus deserti conveniens est saluti.

Cant. 8. v. 13.

1. *Reg. 7. v. 16.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Dæmon pro viribus suis nos tentat in solitudine, siquidem in hac eum una cum tentationibus suis expugnamus & superamus.

THEMA.

Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus; protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis. Job 40. v. 16.

Diabolus solitarios graviter quidem tentat, sed rarius prosternit.

1. DEscribit Propheta Job hostem infernalem, per Behemoth figuratum, inter salices torrentis hærentem in secreto calami & in campis sylvestribus: *Sub umbra dormit, &c.* Videtur prima fronte ex hoc textu deducendum, quod insidiæ & assultus diabolici plus vigeant in locis solitarijs & campestribus, quam in urbibus, oppidis aliisque locis inhabitatis. Respondeo verum esse, dæmonem majus adhibere studium majoremque conatum in solitudine, quam in solo ab hominibus trito & frequentato, non tamen illic plus prævalere. Pro cujus veritate advertendum, non dicere Job, quod dæmon animas vincat & deprædetur, imò potius dicit: *Sub umbra dormit.* Non habet vires, quibus nos superet, sibique subjiciat, nisi eas nos illi subministremus negligentia & incuria nostra. Cœlestis Magister noster plerumque loquens in parabolis, parabolam & de zizanijs proposuit, ad indicandas nobis tentationes, assultus & insidias antiqui adversarij. *Venit inimicus & superseminavit zizania.* Ubi? fortassis in foro? in theatris? in plateis? ubi major est concursus populi. Nequaquam. *In medio tritici,* in campis & agris; eos enim, qui toti vivunt & serviunt Deo, qui sunt electum frumentum evehendum ad granarium cœleste, tentare studet vel maxime, quando ab alijs sequestrati vivunt in solitudine. Aperuit Deus quadam vice oculos mentis cuidam famulo suo valde illuminato hunc in finem, ut inter tentationes vehementes, quas Satan parat religiosis vitæ solitariæ deditis, & inter alias quoque, quibus homines mundanos aggreditur, discerneret. Vidit ergo hic Dei servus juxta portam urbis dæmonem, & hunc non sedentem dumtaxat, verum etiam totum veluti somnolentum; è contra innumerabiles ei repræsentabantur dæmones sub specie militum, qui parati erant ad pugnandum & concertandum in eremis & solitudine, ubi multi perfecti & sancti degebant eremitæ. Obstupuit ille summopere hoc discrimine dæmonum; at mox omne cum admiratione cessavit dubium, quando intellexit in urbe vix alicujus tenta-

Matth. 13. v. 25.

Probatur insigni visione.

tentatoris dæmonis necessariam esse operam: siquidem omnes ibi sensibus ac appetitibus suis laxarent habenas; esse verò è re Satanæ & necessarium, ut omnes adhibeat vires, cunctam impendat operam & industriam, probet ac tentet omnia, si fortè sanctos illos servos Dei à suis sanctis propositis, ab exercitijs orationis & perfectionis abstrahere, & è solitudine ad mundum retrahere possit.

Job. loc. cit. Per Jordanem, quem diabolus velit deglutire, intelliguntur perfecti solitarij.

2. Postquam Job nobis commonstrasset dæmonem in locis desertis & solitarijs, statim subdit: *Habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* Non dicit se certiorem factum, sed considere se; nec sibi plane persuadet, quod deglutiet & exhauriet Jordanem, sed sperare se ait, quod ille ex seipso in fauces suas influet. Per Jordanem (fluvium primò sanctificatum ex contactu Arcæ testamenti, post centenos aliquot annos ex præsentia Sancti Joannis Baptistæ, qui in eo baptizabat: denique ab ipsomet Dei Filio, qui in eodem baptizari voluit, supra quem cœli aperti sunt; & vox Patris æterni audita est, & Spiritus Sanctus in specie & forma columbæ visus fuit) intelliguntur homines sancti & perfecti, qui vitam solitariam ducere solent, verum est & negari non potest, hos præ aliis infestari & molestari à dæmone; at numquam cedent ipsi in prædam, numquam in ejus incident laqueum, nisi ipsimet se præcipitent, eique occurrant faucibus suis deglutiendi. Nullos magis timet & formidat dæmon, quam illos, qui pœnitentiam agunt in eremo & solitudine: *Nihil timet, nil odit* (inquit Petrus Cellensis) *nil refugit sic diabolus, quomodo solitudinem claustri.* Ratio esse potest, quia plerumque videt experiturque se devictum & confusum in locis desertis.

Petr. Cell. lib. 4 epist. 12.

3. B. Petrus Damianus (aut sit Basilius Magnus, ut alibi diximus) vitæ solitariæ adscribit hæc epitheta: *O cella sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus; castra Dei; turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis. Tu campus Divini prælij, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium. Tu munitio fortium, tu præsidium cedere nescientium pugnatorum.* Petrus Cellensis in eadem epistola scribit: *Castra Domini exercituum est solitudo.* Verum idem Damianus postquam longam seriem emolumentorum è vita solitaria redundantium contexuisset, concludit: *O eremus terribile malignis spiritibus habitaculum, ubi cellæ monachorum velut tentoria ordinata castrorum, quasi turres Sion, & quasi propugnacula Jerusalem eriguntur adversus Assyrios, & contra faciem Damasci.* Et paulò post subdit: *Unum pro certo scio, ô vita benedicta, quod de te indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus inhabitator est Deus.* Quis erit fructus, quem ex hac Sacrosancta & divina habitatione reportabit? *Diabolus illi suas tentationibus servit, atque illuc eum tendere, unde ipse dejectus est, gemit.*

Pet. Damian. opusc. 11. cap. 19. Varia encomia cellæ & solitudinis. *Petrus Cell. ubi supr.*

Quare Christus tentari voluerit in deserto.

4. Certum est, quod omnis Christi actio ad nostram ordinata fuerit instructionem. Quæ ergo causa fuit, quod Salvator noster, qui circa trigesimum ætatis annum à Lucifero tentari volebat, hanc tentationem præstolatus fuerit in deserto? Profectò id non contigit casu: *Omnia in sapientia fecisti,* cecinit Psal. mista, & devota illa turba mota à Spiritu Sancto ei quoque acclamaverat: *Bene omnia fecit,* casu igitur non contigit, sed Deo ita disponente, & quare? Didacus Stella ingeniosè observat in Lucam & in hunc locum, Styli & moris esse solere, quod provocans alium ad duellum locum eligat; quod provocatus vero habeat armorum electionem. Christus Dominus dimicaturus cum Satana in locum certaminis elegit desertum: *Ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo;* Dæmon è contra elegit arma, quæ fuerunt tres illæ diversæ suggestiones. At Christus Dominus fortiter stetit in suo agone, videlicet in deserto, supra pinnaculum templi, deinde supra montem loca ecce omnia sequestrata & ab hominum turba semota; *Ubi dæmonis vires, & potentia franguntur,* ait Albertus Magnus in Matthæum, *subtrahit arma diabolo ad pugnandum;* qui insuper declarat eadem hæc esse arma, de quibus mentionem facit Sanctus Joannes Epistola prima: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ; hoc est, deliciæ, divitiæ & honores,* ita exponit hic author. Cumque in eremo & solitudine deficiant deliciæ, divitiæ, & quodcumque aliud illecramentum, quo utitur assultus eremitor, consequenter ei deficiunt arma, quare facile expugnatur & devincitur.

Matth. 4. 1.

Alb. Mag. in Matth.

1. Joan. 2. v. 16.

5. Libro 3. Reg. cap. legitur, quod, postquam Benadad Rex Syriæ memorabilem potentissimi exercitus sui passus fuisset stragem, sui belli duces ei dixerint: *Dij montium sunt Dij eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus & obtinebimus eos.* Assyrij idololatræ & inimici populi electi repræsentabant Spiritus infernales & rebelles, qui in montibus, desertis & solitudinibus servorum Dei quærunt perditionem, quia ibidem vera agitur pœnitentia; aſt in planitie, nempe, in locis à populo frequentatis, inter delicias & conversationes sperant victoriam: *Pugnemus contra eos in campestribus, &c.* Legentes insuper cap. 14. Genesis, reperietis novem Reges simul pugnasse, quinque contra quatuor, & quatuor hosce esto viribus inferiores, victores tamen evasisse & triumphasse de quinque, qui & numero & viribus superabant quatuor, petitisne scire causam? *Direxerunt aciem contra eos in valle sylvestri; ... vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis.* Profligati sunt hi exercitus licet numerosi fuerint & armis muniti, quia pugnabant in valle, ubi plurimi aderant putei bituminis, unde terra illa valde tenax erat, & propterea equi, quorum pedes bitumini firmiter adhærebant, difficulter regi poterant, *Omnia in figura &c.* Per vallem intelliguntur commoditates, quibus gaudemus in domibus; per bitumen verò figurantur illecebræ deliciarum, divitiarum, aliorumque bonorum temporalium, quibus adhæremus, quid igitur mirum, si in hac pugna ab ijs vincamur & perdamur? *Militia est vita hominis super terram.* Non sic contingit, quando concertamus in montibus, in solitudinibus, in locis campestribus, ubi nulla illectamenta & occasiones peccandi neque per umbram. Dæmon, qui est sagacissimus, novit uti occasionibus tentandi nos, ubi plurima præsertim occurrunt offendicula, veluti in locis à populo frequentatis, veluti in circulis & conventionibus, ubi dilaceratur fama proximi; in prostibulis, ubi honestas & pudicitia manifestò exponitur periculo; in theatris, ubi omni licentiæ & libertati laxantur habenæ; in tabernis & hospitijs publicis; ubi Deus offenditur lusibus prohibitis, fraudibus, blasphemijs; in pluribus alijs locis, ubi triumphat vanitas, injustitia, proprium commodum, & omne denique scandalum.

3. Reg. 20 v. 23. Docetur duabus historijs V. T. dæmonum impugnationes superari in locis desertis & solitudinis.

6. Optimè hæc noverat David Propheta, dicens: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram, non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.* Prosequimini reliqua, quæ sequuntur in hoc Psalmo, & summam deprehendetis custodiam, protectionem ac curam, quam Deus habet de illis, qui ab occasionibus & periculis urbium semoti, fugiunt ad loca solitaria acturi ibidem pœnitentiam, non est, quod hi timeant offendere Deum: *Non det in commotionem pedem tuum.* Aſt dubium hic occurrit, cum Christus Dominus defenderit in terram sanctissimis suis exemplis nos instructurus, & insuper bene noverit, quod *tentatio est vita hominis super terram,* cur in urbe Jerosolymitana in conspectu omnium non commisit duellum cum Lucifero, ut sic illius intuentes exemplum & pugnandi artem, eamdem ab ipso didicissemus? Respondetur, majorem Christo Domino fuisse curam insinuandi nobis agonem seu locum certaminis, qui est solitudo & desertum, non in alium finem, nisi ut vinceremus tentationes mundi, carnis & dæmonis. *Fili mi ne ambules cum eis,* confulebat Salomon; noli seduci à communi hominum conversatione: *Prohibe pedem tuum à semitis eorum, Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.* Si per hos pennatos intelligantur volatilia, docet frequenter experientia hæc sæpe irretiri & cedere in prædam aucupis; quomodo ergo dicit: *frustra jacitur rete, &c.* Respondetur Sapientem in sensu morali inferre velle, quod diabolus frustra expandat retia ad capiendos illos, qui instar avium avolant, videlicet, omni conatu fugiunt & evitant laqueos & pericula peccatorum. Nec sine mysterio significantur per aves, quia isti ad cavendos & evitandos laqueos aliasque insidias aucupum & venatorum avolant in sylvas & campos, in montes & solitudines, ubi ibi vivant securiores. *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem, sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra.* Non est ita facilè capere aut ferire passeres in montibus aut rupibus confidentes.

Psal. 120. 1. Deus singularem gerit protectionem & curam illorum, qui confugiunt ad loca solitaria.

Ibid. v. 3.

Christus suo exemplo nobis ostendit aptum locum pugnandi contra diabolum.

Prov. 1. 15.

Ibid.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 17.

Psal. 10. v. 2 Ibid. v. 3.

7. Sub initium Psalmi 141. Psalmista Deo se com-

Ps.141.1. Quomodo David evaserit laqueos hostium suorum, custodiens solitudinem. *Ibid. v 4. Ibid. v.7. Ps.140.v.9. Ibid. v.10. D.Chrysost. in hunc loc. Psal.45.11.*

commendat, dicens: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum, effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Multos contra regium Prophetam inimicus infernalis suscitaverat malevolos & persecutores, qui ei struebant insidias: *In via hac qua ambulabam, absconderant laqueum mihi.* Et in hoc certamine duplicat preces: *Intende ad deprecationem meam, libera me à persequentibus me.* Desideratisne scire, quo modo liber ab his laqueis evaserit? In fine psalmi præcedentis id notum facit: *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem, Cadent in retiaculo ejus peccatores, singulariter sum ego, donec transeam.* Ubi ex Septuaginta subdit Divus Chrysostomus: *Liberatus à malis, purus ab illorum congressione, & tamquam solus habitans, quod quidem est maximum genus virtutis: Non uno autem, aut duobus tribusve diebus hoc facit, sed per totam vitam. Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum malos fugere, coactum & constipatum, apud se consistere toto vitæ tempore, & ab ijs, qui corrumpunt, sejunctum habitare.* Idem Sanctus Doctor aliam ejusdem versiculi jam dederat interpretationem, in qua hoc ipsum demonstrat, quod sæpe docet experientia, videlicet, quod multi è retibus dæmonis erumpant, excedant, & Dei subintrantes retia se emendent & corrigant, dum in solitudinem se recipiunt, *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Verba Divi Chrysostomi sunt: *In cujusnam cadent retinaculum Dei? Hoc est, vincentur, capientur; tenentur enim, ut corrigantur.*

Moyses à populo semotus, in monte orans, obtinet populo suo victoriam de Amalecitis. *B.Pet.Dam. opusc.12.c.27.*

8. B. Petrus Damianus considerat historiam illam omnibus notam, quando Moyses ascendit montem separans se à populo, ut à Deo impetraret victoriam contra Amalecitas; videbatur enim tunc vel maxime ejus præsentia necessaria, ut tamquam supremus belli dux populo pusillanimi addidisset animum ad strenuè pugnandum, id tamen non fecit, sed semotus à populo & in vertice montis subsistens Deum expansis brachiis oravit pro populo & pro obtinenda victoria; *In vertice montis Raphidim Moyses orabat, & duce Josue Israël in convalle pugnabat. Sed si Moyses in adjutorium populi sui ad campestria descendisset, Amalech procul dubio Israëlitarum terga cædentium percuteret. Si ille manus ad corripienda arma deponeret, facta suorum strage facilè victoriam adversarijs triumphantibus præbuisset. Quod nimirum patenter agnoscitur, si ipsa sacræ historiæ series subtiliter attendatur, ubi dicitur, quia cùm levaret Moyses manus, vincebat Israël, si autem paululum demisisset, superabat Amalech. Omnia in figura contingebant illis.* Amalecitæ infernales tunc dissipantur & vincuntur, quando orationes servorum Dei sunt valde frequentes & ferventes, at in montibus, in solitudine, in locis à populo semotis, non in planitie, nempe, in locis deliciosis, veluti in deserto Sanctus Antonius & plures alij infernum expugnarunt & fugarunt. Philo Hebræus dum translationem Enoch factam à Deo separante illum ab hoc mundo, humanaque conversatione describit, & commendat, subjungit: *Nam apud exteros præsto sunt laquei, in quos necessè est incidere, si quis sit improvidus, & delectatur multorum consuetudine.*

Applicatio historiæ.

S. Antonius in solitudine vicit omnes insultus dæmonum.

9. Cum serpens astutus adverteret, quod Sanctus Antonius suo exemplo repleret deserta anachoretis, iisque viam sterneret, & januam aperiret ad vitam cœlestem inchoandam, omnisque sanctitatis perfectionem conquirendam, omnem mox adhibuit conatum & vires, cuncta excogitavit stratagemata, ut eum è medio tolleret, sed frustra omnia ejus machinamenta, oleum & operam perdidit. Curiosum sane ac dignum consideratione est stratagema illud, quo usus fuit Horatius dimicando contra tres fratres Curiatios, cum enim ambo fratres sui in prælio jam occubuissent, & solus ipse superstes remansisset in campo, aut moriendum sibi aut vincendum erat; ut ergo de tribus Curiatijs, quibuscum ipse solus in arenam descendere debebat, reportaret victoriam, finxit fugam & cum fuga inertiam; fugientem insequuntur Curiatij, non simul, sed unus post alium: unde & solus cum solo proximiori se insequente versa facie pugnabat, & unum post alium gladio transfodiebat ac in terram prosternebat; sicque victor evasit & de tribus Curiatijs solus triumphavit. Tres habemus hostes in perditionem animæ nostræ conspirantes, mundum, carnem & dæmonem; quisquis igitur cum hisce congredi & victoriam reportare desiderat, solus cum solo pugnet, ac prælietur, necessè est,

Curioso stratagemate vicit Horatius tres hostes.

vitam, nimirum, ducat solitariam & sequestratam, hunc in finem Sanctus Ambrosius composuit librum de fuga sæculi.

10. Postquam Deus Abrahamo servo suo jussisset, ut egrederetur de domo sua, patria, cognatione, deque omnibus commoditatibus & delicijs, quibus gaudebat in Ur Chaldæorum, ait sacer textus: *Transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel.* Ubi Sanctus Chrysostomus legit: *Castrametatus est in solitudine.* Mirum, quomodo sacer Chronista in hanc devenerit phrasin, cum Sanctus Patriarcha Abraham numquam toto tempore vitæ suæ militem egerit, nec umquam ad illam usque horam armis usus fuerit? deinde dicit, illum castrametatum fuisse: & ubi erant milites? ubi commeatus? ubi arma & apparatus ad pugnam necessarij? ubi denique locus certaminis? Respondetur quod existentes in solitudine, sumus quasi in campo & loco prælij præliantes & concertantes cum hostibus infernalibus; in solitudine sumus, ac si essemus in fortalitio quodam vel propugnaculo. Quod bene notavit Divus Chrysostomus, cum ait: *Cella Abrahæ vilis & parva & nullum habens munimen. Sed exorto bello barbarico, urbes quidem mœnibus munitas suffoderunt, & cœperunt barbari, solitudinis autem civem Abraham non perculerunt.* Præterea in historijs legitur, quod hostiles exercitus nullum damnum religiosis intulerint in solitudine habitantibus. Denique inter alia emolumenta è vita solitaria promanantia Beatus Laurentius Justinianus tangit etiam illud: *Spirituales debellare nequitias.* Pro coronide observate modum, quem mulier illa Apocalypseos tenuit, salvandi partum, cui draco insidias struebat: *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo.* Audiamus hujus loci expositorem: *Solitudo, ad quam mulier fugiens, locum à Deo præparatum invenit, est quies mentis, quæ inordinatos motus desideriorum à secreto cordis ejiciens, solatium in Deo invenit; Sancti etenim viri, quia alibi Draconis insidias evadere non possunt, seipsos desertum quietis faciunt, ut habeant quo salubriter fugere possint.* Hunc finem plerumque in locis solitarijs assequimur.

Gen.12.v.8.

In solitudine præliantur viri sancti cum hoste inferni.

D.Chrysost. Hom.17. ad pop.

B.Laur.Just. de vit. solit. cap.3. Apoc.12.6. Ansbert. in hunc loc.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Solitudo plurimum suffragatur Orationi & Contemplationi.

THEMA.

Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matth. 6. ℣. 6.

1. INdicat nobis Salvator noster, quantum sibi, dum preces ad ipsum fundimus, placeat solitudo & sequestratio nostra, siquidem nobis consulit: *Tu autem cum oraveris, &c.* Cui conformiter proposito Petrus Blesensis in epistola quadam discurrit in hunc modum: *Solitudinem hujus cellulæ Propheta elegerat, qui sicut ipse commemorat, similis factus est pellicano solitudinis, & sicut passer solitarius in tecto. Elongavi, inquit, fugiens, & mansi in solitudine. Qui Rachelis amplexus & delicias contemplationis affectat, juxta verbum Job contemnit multitudinem civitatis, & vocem exactoris non audit; unde & Jeremias: quis dabit me in solitudinem?* Oratio, veluti omnibus notum est, est elevatio mentis nostræ in Deum, & figuratur per incensum: *Dirigatur oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo.* Igitur notandum est, quod, quando in sacris Canticis hujus fit mentio, eodem tempore fiat etiam commemoratio collium; montium, aliorumque desertorum locorum: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Præterea quando in multis locis repræsentatur anima contemplativa elevata in Deum, eodem tempore indicatur, quod ascendat de deserto: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* In Osea quoque legitur: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Quid est* (quærit Hugo de Sancto Victore) *quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat?* Divus Augustinus causam hujus attribuit unioni, quam cum Deo antiqui eremitæ acquisivere mediante vita contemplativa: *Desertissimas terras incolunt:* & quid inde sequebatur? *Perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt.*

Monet Christus ut oraturi in solitudinem secedamus.

Pet. Blesen. epist.86. Psal.101.7. Job 39.7. Jerem.9.2. Psal.140.2. Cant.4.v.6. Cant.8.v.5. Osee.2.v.14.

2. Inter lamentationes Jeremiæ hanc quoque reperio: *Sedebit solitarius & tacebit; quia levavit super*

Thren.3.28.

se. B. Petrus Damianus tractando de laudibus vitæ solitariæ, scribit: *Se elevat super se, quia Deum esuriens anima à terrenis se rerum obtutibus erigit, & in Divinæ contemplationis arce suspendit, atque se in altum cælestis desiderij pennis librat.* Cant. cap. 3. observate, quæso, modum, quo invitatæ sint filiæ Sion: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui.* Vocantur, nimirum, ad meditandum mysterium Incarnationis Verbi, quando ejus genitrix ipsum nostra vestivit carne; nostræque humanitati ipse se desponsavit. Videntur hæc verba prima fronte discrepare ab iis, quæ Salvator noster sub initium proposuit; siquidem ibi dicitur: *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio &c.* Audite nihilominus Gilbertum Abbatem: *Illi habentur digni hac læta visione, qui se quadam pænitentiæ lege concluserint, & disciplinæ coarctaverint custodia, quorum renuit anima consolari. Vis nosse quam bona sit conclusio? Hortus conclusus, fons signatus, surge, propera, amica mea, & veni. Vides jam, quomodo illam invitat, & amicam vocat, quæ seipsam concludere novit.*

Thren.3.28. B.Petr.Dam. opusc.11.cap.29. Solitarij levant animam super se in Deum. *Cant.3.v.11. Matth.6.6. Gillib. Abb. serm.20. in Cant.*

3. Sanctus Propheta Job supplicans S. D. Majestati hæc in verba prorumpebat: *Requiescerem cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* At quomodo ædificant solitudines, cum experientia doceat, reges & consules in medio civitatum celebriorum ac regni sui metropoli superba erigere ædificia? Hugo Cardinalis hunc textum non intelligit juxta sensum literalem de Regibus & consulibus, qui gubernant aliquam Rempublicam; sed de cœlestibus spiritibus, *qui consules dicuntur, quia nobis voluntatem Dei nuntiando consulunt.* Sed audite etiam sanctum Gregorium, de qua solitudine ipse allegatum textum intelligat: *Ædificant solitudines, id est, de corde suo terrena desideria expellunt, & seipsos à tumultu mundi, quantum possunt, elongant, ut soli sint, & idonei loqui cum Deo.* Ecquis ita cæcutit, ut non videat, quod ad hanc mysticam solitudinem vehementer juvet solitudo etiam exterior? *Ut soli sint, & idonei loqui cum Deo.* In sermone quodam exponit Sanctus Bernardus: *Vere enim solus est, cum quo Deus non est; vere reclusus est, qui in Deo liber non est. Cum quo Deus est, numquam minus solus, quam cum solus est, tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc in se suus est sibi, ut fruatur Deo in se, & se in Deo.* Idem Sanctus Doctor in alio loco de interiori domo melius se declarat: *Utinam nullus homo mecum esset exterius, ut familiarius loqui possem cum eo interius, ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia, ut in secreto cordis mei Deum habitatorem habere possim.*

Job.3.v.14. In solitudine apti sumus loqui cum Deo. *Hug. Card. S. Greg. S.Bern. ad frat. de monte Dei. Idem de inter. domo cap.66.*

4. Quando Deus promisit Abrahamo Isaacum hæredem, in quo populus electus propagandus erat, observetur modus, quo eum obtinuit: *Eduxit eum foras, & ait illi; suspice cælum, & numera stellas, si potes.* Cur jussit eum domo exire? Rationem reddit Burg.: *Quia oportebat eum supra se & extra se educi, nempe, ut ea quæ supra se erant, liberius contemplaretur, necessè enim est, ut de corporis ergastulo exeat, qui ad theatrum cælestium arcanorum invitatur.* Isaac filius ejus & ipse usum habebat meditandi & orandi in aperto campo, quando enim Eliezer ex Mesopotamia secum adduxerat sponsam ejus Rebeccam; *egressus erat ad meditandum in agro.* Difficile est in turba videre Christum (scribit S. Augustinus) solitudo quædam necessaria est menti nostræ. S. Ambrosius lib. de Isaac & anima discurrens de hoc magno Patriarcha, ait: *Abalienabat, sive abducebat se,* & sequestrabat se à domesticis negotijs & tumultibus, ut eo melius meditari posset; Unde Beatus Laurentius Justinianus lib. de vita solitaria docet: *Solitudo ab his qui contemplationi vacare desiderant, maximo est amplectenda cum studio, atque indefessà stabilitate servanda, quoniam tranquillitatis est portus à sæculi fragoribus alienus, delictorum fuga, gratiarum nutrix, cæli janua, orationis locus, compunctionis mater, discretionis cathedra, meditationis incentivum, & contemplationis sanctæ auxilium singulare.* Exemplis id confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus de Elia scribens: *Elias libenter in Carmelo philosophabatur, & Joannes in deserto, & Jesus ipse, ut actiones multitudinis hominumque frequentiæ, ita preces quieti, locisque ab hominum commercio semotis ferè tribuebat, per hoc sanciens, ac velut lata lege statuens, nempe nobis quoque nonnihil quiescendum esse, ut animo minime turbido cum Deo versemur.* Hæc mentis serenitas acquiritur in solitudine per sequestrationem à negotijs mundanis

Gen.15.5. Paul. Burg. add.2. Varia exempla Sanctorum qui oraturi, loca solitaria elegerunt. *Gen.24.63. S. August. tr.17. in Joan. S. Ambros. lib. de Isaac & anim. cap.3. B. Laur. Just. de vit. solit. c.1. Nazian. orat.28.*

& per separationem à nimia conversatione hominum.

5. Hoc idem punctum tetigit quoque Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Vacate,* inquit, *& scitote, quia ego sum Deus; nam oculus quidem corporalis à pulvere & fumo, & alijs, quæ obturbare possunt, liber, in objecta sua subtilem minimeque impeditam efficaciam habet; at si affectione quapiam offendatur, visibilibus minus, quam res postulat, intentus erit, aberrabitque, quamvis & de diligentia ejus nihil desideretur. Humana quoque mens si quieta fuerit, & secum habitans, atque à phantasijs frivolis & abominabilibus abscedere solita acute & perspicue aspiciet, citraque errorem rerum cognitionem percipiet. Quod si perturbationibus crassior facta fuerit, numquam divinam pulchritudinem intuebitur.*

S. Cyrill. Alex. lib. de Trin. circa princ.

6. Inter alia laudum encomia, quæ vitæ solitariæ attribuuntur à Sanctis Patribus, apprimè ei competit, quod B. Petrus Damianus in aliqua apostrophe ad vitam solitariam posteritati consecravit, dicens: *Tu es speculum animarum.* Qui inspicit aquas unius lacus vel fluvij, suam in ea faciem, qualiter sit constituta, spectabit, si tamen fuerit clara aqua & limpida; quod si turbida fuerit, vel à ventis agitata, non poterit ea uti tamquam speculo; in oratione & contemplatione speculamur & intuemur animæ nostræ defectus & errores commissos, hujus speculationis adminiculo, quilibet venit in cognitionem suiipsius, mens tamen ab objectorum sensibilium phantasmatibus depurata sit, oportet; hæc verò in locis solitarijs minime nos molestant, corde planè tranquillo & quieto ad contemplandum summum bonum ibidem gaudere possumus. Quapropter Sancti viri contemplationi dediti, veluti in omnibus sæculis experientia docuit, vixerunt in locis ab urbibus dissitis, in eremis, in monasterijs inter sylvas aut in montibus sitis. De quo Gerson serm. 2. de Spiritu Sancto sermocinatur in hunc modum: *Acceptabilis plurimum est oratio solitariorum in deserto, ubi, dicente Hieronymo, nescio quid serenius emicat, & liberius mens evolat ad penetrandum cœlestia.* Quodam alio loco petit: *Vis scire, quantum segregatus & orans sit utilis? Moysen orantem in monte, dum pugnaret Israël, inspicito; denique quis nesciat vitia efficacius oratione, quam per occupationem vinci? Solitarius autem liberius orat, quam occupatus.*

Solitudo est speculum animarum. *B. Pet. Dam. l.c. Gers. tom 2. serm. de Spir. S. fol.773. Idem to.3. fol.416.*

7. Quando divina justitia misit in Ægyptum flagellum grandinis, tonitru, fulminis & tempestatis, & Pharao supplicavit Moysi, ut preces ad Deum funderet ad avertenda illa mala pœnæ, hic respondit ei: *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Non poterat Moyses orare in civitate? num deerant loca separata in vastissima illa aulâ, quibus locis se recollegisset, Deumque exorasset? Chaldæus legit: *Extendam manus meas in oratione ad Dominum.* Respondetur, Moysen optime intellexisse, quantum separatio ab humano consortio & strepitu aulico conducebat ad fundendas preces ferventiores efficacioresque. Docendo interrogat S. Athanasius: *Quinam sunt illi veri adoratores, qui neque in hoc monte, neque in Jerosolymis, sed in Spiritu adorant Deum & in veritate? Respondeo,* inquit, *Isti sunt, qui in desertis montibus & in speluncis & cavernis terræ habitant, qui circa congregationem Ecclesiæ per opera bona, Dei Spiritu illuminati, in Spiritu & veritate adorant Deum.* Nazianzenus allegatus à S. Joanne Damasceno lib. primo de Parallel. cap.37. nobis quoque consulit & suadet solitudinem in orationis subsidium, quam ipsemet in praxin cum summo suo profectu reduxerat. Blosius textus illius Job supra examinati: *Qui ædificant sibi solitudines,* mentionem faciens de servis Dei asserit: *Quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur, unde & rectè dicitur, quod ædificant sibi solitudines; solitudines quippe ædificare est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare.*

Moyses oraturus ut plaga grandinis & tonitrui cessaret, egreditur urbem. *Exod.9.29. S. Athan. q.59. ad Antioch. Nazianz. orat. de seipso. Job 3.v.14. Blos. Psychagog. lib.4. c.8. n.4.*

8. Ut Deo gratiores sint preces nostræ, ac cum majori fiant animi recollectione, hanc quoque nobis inculcat solitudinem S. Joannes Damascenus hisce verbis: *Mens in mundum minimè diffusa in se redit, ac per se postea ad Dei notionem assurgit. Ac tunc nec ad cibi curam, nec ad indumentorum solicitudinem sese detorquet, sed ab omnibus terrenis curis feriata, studium omne suum ad æternorum bonorum adeptionem transfert.* Loquitur sanctus vir de antiquis illis anachoretis, qui in eremis quasi sepulti & sanctis absorpti contemplationibus, suiipsius obliviscebantur. Quando doctissimus Alvarez hanc pertractat materiam adducit ex Psalmista

S. Joan. Dam. lib. 1. Paral. c.36. Loca deserta & solitaria aptiora sunt ad orationem.

Ps.54.v.8. Alvarez lib. 2.par.4.cap. 32. Quare David fugiens manserit in solitudine.

hunc versum : *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine. Sed ad quid fugiens te elongasti ?* quærit hic magnus magister spiritus. *Cujus causa in solitudine mansisti ? Expectabam eum, inquit, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Ad hoc sane in solitudinem secessit, ut Domini adventum expectaret, ut lumbos suos omnia mundana contemnendo præcingeret, contemplationis lucernam in manibus teneret, & sic esset similis hominibus expectantibus &c. Hæc expectatio Domini, qui solitarios à pusillanimitate liberat, ut magna optare audeat; & à solicitudinum tempestate eripit, ne eos à quiete contemplationis impediat.* De anima contemplativa legimus in sacris Canticis : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris ?* Per incensum denotatur oratio, per myrrham mortificatio, quæ animæ orantis magnum subsidium est. Observandum vero, non dicere sacrum textum, quod ascenderet sicut fumus, sed sicut *virgula fumi* ; etenim fumus diffundi & dispergi potest ; ast dicendo, quod erat sicut virgula fumi, quæ est directa, insinuabat nobis summam animæ hujus contemplativæ recollectionem ; vultisne intelligere, unde ea procederet ? *Ascendebat de deserto*, loca deserta & solitaria magno sunt auxilio fervori orationis.

Cant.3.v.6.

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Solitudo est centrum virtutis Spiritus & perfectionis.

THEMA.

In terra deserta & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam. Psal.62.v.3.

Animæ Deo dilectæ inveniuntur in solitudine. Cant.3.v.5.

1. VIrtus & perfectio unius animæ à Deo dilectæ, thesauris cœlestibusque ditatæ probatur, inveniturque, ut plurimum, in locis desertis & solitariis : *In terra deserta & invia &c. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Verum si solitudines & loca deserta excludant amœnitatem deliciarum, quæ plerumque in locis planis inveniri solent, quomodo ergo dicit : *deliciis affluens*, eo ipso, quo hæc anima ascendit de deserto ? Respondetur id intelligendum esse de abundantia & affluentia deliciarum spiritualium, puta, gratiarum, donorum & meritorum, quæ animæ religiosæ in locis solitarijs Deo viventes & servientes lucrari solent. Vultisne videre, quod inter urticas etiam, sentes & dumeta sylvestria floreant rosæ ac lilia odorifera ? Audiamus S. Bernardum ex incultis sylvis Claravallensibus nobis inclamantem : *Ubi sunt rosæ Charitatis, quæ semper flammescunt, quæ semper in sancto odore vivunt, ubi mira perfectio mortificatorum, & gratiarum actio, scilicet, considerare, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cælis, & vilescere faciunt omnia, quæ habentur in terris.* B. Laurentius Justinianus in eo libro, quem composuit in laudem vitæ solitariæ, paucis verbis expressit immensum cumulum meritorum solitudinis, cum ait : *Solitudinis locus sanctitate affluit, & cælestibus exuberat donis.* Et quia amor Dei sanctitatis instrumentum est (ad hujus enim mensuram mensuratur quoque perfectio animæ) ideo idem beatus paulo post de illis, qui laudabiliter vita vivunt solitaria, asserit : *Deo per amoris vinculum propinquiores fiunt, se namque abunde communicat degentibus in solitudine.*

Quales sint solitudinis deliciæ.

S. Bernard. Hom. simile est reg. cœl. Hom. negot.

B. Laur. Just. cap. 2. de vita solit.

2. Ruffinus in prologo præfixo lib. secundo de Vitis Patrum referens virtutes antiquorum Anachoretarum ait : *Sunt ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo, velut quadam germanitate constricti. Ad æmulationem verò virtutum certamen ingens exercent & agones ; studet enim unusquisque clementior altero, benignior, humilior & patientior inveniri.* B. Laurentius Justinianus cap. 3. commendavit solitudinem hisce verbis : *Reddit hominem sibi, ac libertati donat ingenitæ, ut valeat, prout expedit, Deum quærere passionibus repugnare.* Cap. 2. præcedenti in laudem Monachismi primis sæculis jam plantati remotis in locis scripserat sequentia : *Completum quidem est, quod Propheta longe ante prophetaverat : pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. In ipsis memoratis patribus quam locuples extiterit gratia, Spiritus multiplex, fœcundæ virtutes, præclara scientia, vita probata, celebris eorum fama pronuntiat. Lucebant in solitudinis firmamento tamquam conspicua luminaria, adeo ut opacam laudabilium operum suorum splendore sæculi hujus irradiarent noctem.* Ipse etiam Stobæus in vita solitaria magisterium virtutum moralium conservari fassus est, ita enim sermone 56. de solitudine scribit : *Est sane virtutis & vitæ magister ingenuæ.*

Vitæ PP. lib. 2. de prologo. Enarrantur virtutes Anachoretarum.

B. Laur. Just. de vit. solit. cap. 3.

Idem cap. 2.

Stob. serm. 56.

3. B. Petrus Damianus (sive Basilius Magnus) motus fragrantia virtutum, quas Patres antiqui in eremo exercuerant, in has laudes & verba prorupit : *Eremus est Paradisus deliciarum. Eremus est Paradisus deliciarum, ubi tamquam redolentium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum.* Quænam vero sint illa virtutum odoramenta, quæ solitarij & eremitæ spirabant, sic etiam quanta virtutum in eis spectabatur varietas & pulchritudo, declarat dicens : *Ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt, ibi lilia castitatis niveo decore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impellantur. Ibi myrrha perfecta mortificationis exsudat, & thus assiduæ orationis indeficienter emanat. Illic omnia sanctarum virtutum germina diversis venusta coloribus ratilant, & perpetuæ viriditatis gratia, incomparabiliter vernant.* Meritò igitur & rationabiliter Psalmista cecinit : *In terra deserta & invia &c. ut viderem virtutem tuam*, verissime etenim virtus centrum suum habet in locis solitarijs & desertis. Quapropter Sancti Brunonis, cum intenderet suam fundare Religionem & Ordinem eo fine, ut semper in Ecclesia cæteris omnibus religiosis veræ ac solidæ perfectionis aliquod extaret speculum, primus omnium, in quem collimavit, scopus fuit situs locorum ; curam, nimirum, habuit ante omnia, ut monasteria sua ædificarentur in locis ab urbibus semotis, solitarijs & desertis. Recurrit propterea ad S. Hugonem tum temporis Gratianopolitanum Episcopum, humillime ei supplicans, quatenus in diœcesi sua montes aliquos asperos, incultos & ab hominum consortio semotos, quales ibidem adesse noverat, pro ædificando monasterio sibi assignare dignaretur, quibus obtentis fundavit ibi primam Carthusiam, & non sine mysterio Religioni huic & Ordini datum fuit initium in festo S. Joannis Baptistæ, qui tantus extitit eremi amator. Hisce ergo conformiter Petrus Blesensis in epistola quadam scribit : *Domus Carthusiensis & locus habitationis illius situs est in montibus & scopulis, & in petris, ut sit petrus habitatio Angelorum quam hominum ad laudam Altissimo vocem confessionis & laudis, sicut scriptum est ; super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces ; sed & columba ntidificat in foraminibus petræ, & vir prudens ædificat domum suam supra petram, ubi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluviarum inundatio, nec alluvio formidatur. Vere terribilis est locus iste, nec est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli, & licet domus illa sit in terra horroris & vastæ solitudinis, nominatissima tamen est in observantia religionis, & Ordinis.* Plurimi aliorum Ordinum cum temporis progressu à primævo defecêre spiritu & observantia, & ideo reformatione indiguerunt ; at hic Ordo semper perstitit in flore suæ primæ institutionis, nec unquam reformatione indiguit. Unde Ecclesia hunc Ordinem in tanta semper habuit æstimatione & veneratione, ut omnes religiosi aliorum Ordinum transire possint ad Carthusiensem tamquam ad Religionem strictiorem & majoris perfectionis, sed ab hac non detur regressus. Hinc etiam Cornelius à Lapide in textum illum Oseæ Prophetæ : *Ducam eam in solitudinem*, rationes aliquas Abbatis Lyrinensis producit, ob quas primus vigor in multis Religionibus defecerit, sed non in Ordine Carthusiensi.

Eremus est deliciarum. Pet. Damian. opusc. 11. cap. 19.

Quales in illo nascantur flores.

S. Bruno curam habuit ut monasteria sua ædificarentur in locis, ab urbibus semotis & solitariis.

Per tria si, so, vi, Carthusia permanet in vi.

Propter tria, nimirum, Religio hæc conservata fuit & perstitit in prima sua observantia, propter silentium, solitudinem & visitationes frequentes Superiorum bono regimini invigilantium.

4. *In terra deserta, & invia, & inaquosa ; sic in sancto apparui tibi.* Qui verum ac solidum intendit acquirere Spiritum, amet solitudinem. Pulchrum hujus rei exemplum reliquit nobis Christus Dominus, de quo scribit Matthæus : *Jesus ductus est in desertum à Spiritu.* S. Lucas significantius exprimit augmentum hoc Spiritus, quod Christus ostendit se acquisivisse in locis solitarijs, qualia erant circa Jordanem : *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in deserto.* Ubi D. Chrysostomus in Homilia quadam ait : *Et statim Spiritus expulit eum in desertum &c. Spiritus sanctus non libenter habitat, ubi turbæ & frequentia, & dissensiones & vixæ sunt ; sed Spiritus Sanctus proprie sedem habet in solitudine. Denique Dominus noster atque Salvator, quando orare volebat, solas revedebat in montem, & ibi tota nocte orabat.* Quando Spiritus Sanctus apparuit in forma visibili, id factum fuit supra Jordanem & supra montem Thabor, & uterque

Verus & solidus Spiritus acquiritur in solitudine. Matth.4.v.1. Luca 4.v.1. Exemplum Christi. S. Chrysost. Tom.5.Hom. 3.

que locus solitarius & ab hominibus sequestratus erat. Quando item pientissimus Salvator noster post resurrectionem Apostolis suis communicavit Spiritum Sanctum : *Accipite*, inquiens, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* ; pariter instruit nos Evangelista id factum esse, *cum fores essent clausæ.* Si præterea in die Pentecostes descendit Spiritus Sanctus, supra sanctum istum conventum & congregationem, constat quoque omnes illos aliquamdiu cœnaculo fuisse inclusos.

Joan.20.23. Ibid.v.19.

5. Memorabile illud, quod legitur de Propheta Elisæo, etenim quando hic pauperi isti viduæ ejusque familiæ providerat de sufficienti oleo, quo ipsa creditoribus suis satisfacere poterat, *Vade* (sic jubebat desolatæ viduæ) *pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere, & claude ostium tuum.* Quid opus erat claudere ostium, ut oleum in vasis illis abundaret ? Annon in majorem Dei cessisset gloriam, si Propheta miraculose multiplicasset oleum in conspectu totius populi ? Id quidem verum est, at nobis utilissimum hoc defuisset documentum, videlicet, abundantem Spiritus unctionem recepturis necessariam esse solitudinem. *Oleum est gratia Spiritus sancti*, inquit S. Bonaventura. Inter alia epitheta, quibus veneramur festum ejus, hoc quoque legitur & cantatur : *Spiritualis unctio.* Vasa vacua sunt corda nostra, quæ oportet deputare & evacuare ab omnibus terrenis affectibus, quem in finem summopere cooperatur solitudo. *Ostia sunt nostri sensus* (sic monet nos idem Seraphicus) *visus, gustus, auditus, tactus, olfactus, & os tuum est ostium. Hæ fores, nisi ab illicitis cogitationibus clausæ fuerint, oleum gratiæ in domum mentis tuæ in vasis non multiplicabitur.*

Ad recipiendam abundantem Spiritus unctionem, necessaria est solitudo. 4.Reg.4.3. S. Bonav. serm. 3. in Dom. in Albis.

6. Quale illud mysterium, quærit D. Ambrosius, quod supremus Artifex & rerum Conditor Deus post creationem hominis inspiraverit in faciem ejus potius, quam in pectus vel aliam corporis partem : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* & respondet : *Ibi fides & illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus & ore, ut sensus nostros adversus delectationes faceret fortiores, & eos sanctificaret, ne aliquid profanum, aut falsum in animam inferrent.* Ad recipiendum Spiritum multum conducit solitudo & custodia sensuum ; hæc vero facilior est in solitudine, quam in loco inhabitato. Quando Propheta Elias curru igneo vectus in cœlum permisit cadere pallium suum, cum in finem, ut Spiritus suus duplicaretur in Elisæo, veluti hic ei supplicaverat : *Oro, ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* Ubi tunc morabatur Elisæus ? in quo loco fuit ? fortè inter strepitus & tumultus Samariæ ? fortè in aula aliqua regali ? nullo modo, sed in sylva : *Elisæus duplicem magistri sui foritus est Spiritum*, ait Petrus Damianus de solitudine. Unde Gerson vitam solitariam introducit loquentem hoc modo : *Ego illa sum vita solitaria, quæ de terrenis hominibus cælestes, de carnalibus spirituales constituo.*

Gen.2.v.7. S. Ambr. ad Sabinian. Elisæus duplicem Eliæ Spiritum accepit in loco sylvestri. 4.Reg.2.9. Petr. Dam. l.cit. Gerson. to.3. fol. 987.

7. De Sancto Pachomio legimus in vitis Patrum sequentia : *Quodam vero tempore contigit, ut Pachomius procul à cella sua progressus veniret ad quemdam vicum, cui nomen est Tabennense, in quo tunc nullus penitus habitator existebat, ubi cum pro more divinis orationibus perduraret, vox ad eum cælitus delata est dicens : mane hic Pachomi, & monasterium construe, venturi sunt enim ad te complurimi tua cupientes institutione proficere, quibus ducatum præstabis juxta regulam, quam monstravero tibi. Et protinus apparuit Angelus Domini deferens ei tabulam, in qua erat omnis forma institutionis. Os meum aperui & attraxi Spiritum*, dixit Psalmista, verissimile est, ipsum tunc fuisse sequestratum à strepitu mundano in eo loco, de quo alibi : *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Observat tamen S. Chrysostomus in Psal.9. alium usum solitudinis dicens : *Est etiam alius usus solitudinis, est enim aptior ad sanitatem corporis, ut quæ præbet puriorem inspirandam aërem.* Nihilominus in sensu spirituali dicere possumus, quod sicut in montibus purior attrahitur aër, ita in eis major acquiratur Spiritus & devotio.

Vit. Patr. lib. 3. c. 12. S. Pachomius monetur cœlitus ut in loco inhabitato construat monasterium. Psal.54.8. D. Chrysost. in Ps.9.

8. Ingeniosa cit comparatio & similitudo illa, quam proferre solebat Magnus S. Antonius de monachis, qui extra suas cellas vagabantur : *Dixit Abbas Antonius, sicut pisces si tardaverint in sicco, moriuntur, ita & monachi tardantes extra cellam, aut cum viris sæcularibus immorantes, à quietis proposito resolvuntur.* Quando ampulla vitrea continens elixirium vitæ discooperta est, totum, quod intus latet, evanescit & resolvitur in aërem ; idem est effectus Spiritus & devotionis, plane evanescunt & in nihilum redeunt, nisi nos ipsos custodiamus in solitudine. Hanc Spiritus diminutionem, quam causat nimia conversatio cum sæcularibus, optime intelligebat Arsenius, de quo legimus : *Cum ad Arsenium Theophilus Archiepiscopus venisset, aliquem ab eo sentire sermonem ædificationis ; tunc sanctus Arsenius* Quantus fuerit Arsenius amator. *accedatis. Item cum eum velit Archiepiscopus videre, misit primo videre, si aperiret ei ; at ille revertenti dicens : Si solus veneris, aperio tibi ; si autem cum pluribus, ultra hic non sedebit Arsenius. Quod cum audisset Archiepiscopus, captum distulit iter, ne propter se loco illo eremita discederet.* Inter scalæ suæ gradus S. Joannes Climacus posuit quoque hunc ; *Qui per Spiritum sanctum animi tranquillitatem adeptus est &c.* hisce terminis describit serenitatem eorum, qui vitam profitentur solitariam, afferitque esse opus Spiritus sancti : *Princeps quietæ solitudinis studium est, at solitudinis cultor omnibus curis, quæ negotia præcedant, sive illa rationis sint, sive non sint, vacet.*

Vit. Patr. Patrum Theophilus Archiepiscopus venisset, aliquem ab lib. 3. n. 197. sentire sermonem ædificationis ; tunc sanctus Arsenius Quantus fuerit Arsenius amator. Climac. grad. 27. Scal. par.

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Quies & consolationes Spirituales, ut plurimum, inveniuntur in solitudine.

THEMA.

Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Isaiæ cap.35.v.1.

In Ægypti desertis fecere tot habitarunt monachi, quot in urbibus populi.

1. ISaias, per antonomasiam dictus Propheta Evangelicus, futuros prædixit eventus novæ legis gratiæ, inter quos facile principem locum obtinet perfectio religiosa, qua singulis succedentibus sæculis fideles Dei famuli Ecclesiam illustriorem redituri essent, præsertim vero illi, qui in locis solitarijs & desertis eremiticam vitam agentes, internaque quiete gaudentes, Deum certatim laudaturi essent & glorificaturi. Huc respexit Ruffinus lib. 2. de Vitis Patrum, quando (ut refert Cornelius à Lapide exponendo hunc textum) scribit sequentia : *Quamvis hæc de Ecclesia dicta sint, tamen in Ægypti desertis hæc etiam historica relatione completa sunt ; ubi tantæ per urbes multitudines veniunt ad salutem, quantas Ægypti deserta pertulerunt. Quanti populi habentur in urbibus, tantæ pene habentur in desertis multitudines Monachorum lætabitur deserta &c.* Non vult quidem inferre desertum & solitudinem esse capacem jubili & gaudij interni ; sed alludit ad quietem & serenitatem internam solitariorum, qui ex instinctu Spiritus Sancti ibidem habitant.

Ruffinus lib. 2. cap. 7.

S. Antonius post 20. annos, quibus in spelunca latuerat, gratiæ oris & corporis dignitate apparuit. Ofee 2.v.14. Hug. Card. in hunc loc.

2. Magnus S. Antonius postquam viginti annis latitasset in spelunca aliqua, plurimi ex devotis suis ipsum videre, ejusque directioni sese subjicere desiderabant, alij pariter sperabant ab eo curari & liberari ab infirmitatibus suis, ipso vero tardante, vi perruperunt ostium : *Per vim foribus evulsis, quasi ex aliquo secreto adita consecratus apparuit. Obstupuerunt universi & oris gratiam & corporis dignitatem.* Hugo Cardinalis illum textum Oseæ : *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, sic exponit ; *id est, consolationes dabo in anima ejus.* Si verum est, quod ex abundantia cordis os loquitur, ex affabilissimo & suavissimo ejus colloquio & ex hilari ac læto vultu ejus deduci poterat, quanta illi inerat dulcedo Spiritus redundans in animam : *Nec enim ut in solitudine & montibus versatus, atq; omnem ibidem erigens vitam, agrestis & rigidus erat, sed jucundus atq; affabilis.*

S. Athan. cap. 45.

3. Ubi & quo loco pluit manna, quod in se omnem continebat suavitatem ? Non in Ægypto, quando sedebant super ollas carnium ; non in Palæstina ; sed in deserto & solitudine ; quapropter ait Philo Hebræus : *Non ubique apparet, sed ubi desertum est.* Unde & bene prophetavit Isaias : *Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini.* At si in locis sylvestribus & desertis adest penuria deliciarum, amœnitatis & hortorum, quomodo ergo Propheta similia promittere potest ? Dubium hoc solvunt verba, quæ sequuntur : *Gaudium & lætitia invenietur in ea.* Alludebat ad jubilum & ad consolationes spirituales, quas in se experti fuissent anachoretæ & cæteri omnes, quotquot in desertis monasticam duxissent vitam. In alio proposito legimus Matth. 7. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ?* Videtur velle inferre, quod dulcedo uvarum, ficuumque suavitas non gustetur in locis sylvestribus & desertis ; at fallit regula in sensu mystico & casu nostro, quia ex spinis, sentibus & dumetis nemorũ, ex asperitate & austeritate deser-

In desertis invenitur gaudium, & consolatio spiritualis. Philo Hebr. lib. 1. Allego. Isa.51.v.3.

Ibid.

Matth.7.16.

torum Deus in animabus devotis scaturire facit & elicere novit consolationum cœlestium suavitatem: *Mel de petra,oleumque de saxo durissimo.* Apes cœlestes infundunt etiam mel suum in saxa & spelunças abstrusissimas. *Per uvas,ex quibus fit vinum* (ait S. Thomas in hunc locũ) *intelligitur Spiritualis lætitia,quia vinum lætificat cor hominis,per ficus dulcedo pacis,quæ est charitas.*

Deut.32. 13.

S Thom.in Matth.

Isai.35. 1.

4. *Exultabit solitudo & florebit &c.* Ubi observandum,quod postquam Psalmista ceciniſſet : *In terra deserta & invia,& inaquosa &c.* prosequitur statim : *Labia mea laudabunt te,Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas* ; quia in hujusmodi locis nonnisi ad psallendum,benedicendum & laudandum Deum attenditur,vel in choro,vel in privatis cellis. At quis est fructus ex eo redundans ? *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Philo Hebræus lib.de vita contemplativa scripsit de solitariis incolis desertorum sequentia: *Perpetuam habent Dei memoriam,ut ne in somnijs quidem aliud eis obversetur , quam imagines divinarum pulchritudinum , & sunt in his , qui somniando præclaras sacræ Philosophiæ sententias produnt.* Quando cor & mens nostra Dei recordantur,quiete & pace imperturbabili gaudent : *Memor fui Dei & delectatus sum.* Accommoda valde phrasis est, qua B. Laurent. Justin.depingit solitudinem dicens : *Est plane solitudo pacatissimus timentium Deum portus.* In prologo,quæ præmittit libro de vita solitaria, scribit de illis, qui ex pietatis instinctu solitudines inhabitant : *Hos* , inquit , *per amplius quam cæteros Spiritualibus consolationibus visitari credendum est,utpote,qui pro Divinitatis amore contempserunt humanas.* Omnino rationabile est, ut, qui pro Dei amore se privarunt consolationibus, recreationibus & gaudiis temporalibus, quæ in propriis abundant ædibus, tanto magis à Deo reficiantur consolationibus cœlestibus in præmium suæ mortificationis. Unde S. Bernardus Homilia, cui titulus : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori* , in laudem solitudinis ait : *In te lachrymæ mutantur in risum, & gaudium pariant sempiternum.*

Psal.62. 3. 4. & 5.

In solitudinibus solum intendunt ad benedicendum & laudandum Deum.

Ibid.v.6.

Philo lib.de vita contemplat.

Psal.76.4.

B.Laur.Justi. de vit.solit. c.3.

S.Bernard.

5. S. Joannes Climacus in scala Paradisi inter alios gradus describit etiam istum, loquens de illis,qui totos se dant solitudini: *Alij denique (si tamen ullos ejusmodi filios hominis, ubi venerit, in terra reperturus est) propter delicias cœlestes , & suim Divinæ charitatis & dulcedinis,cum hac se sanctissima quiete,velut conjuge devinxerunt.* Cum solitudine conjungit S. Augustinus suavitatem Spiritus : *Introducis* (ita alloquitur Deum) *me Domine in solitudinem & dulcedinem,quæ si perficiatur in me, si illa non est vita æterna, nescio quid aliud sit vita beata.* Albertus Magnus tractans de Eucharistia & alludens ad manna ita discurrit : *Non debatur manna nisi in deserto, ubi aliud delectabile & reficiens ad esum non erat ; & sic non sentitur dulcedo gratiæ,nisi ab his,qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes.* Quanto magis igitur hoc manna abundabat in illis, qui non mente dumtaxat , sed etiam corpore ad desertum se conferunt ?

Climac.gr. 27.

Manna spirituale dulcedinis non datur nisi in solitudine.

S.Aug. lib.2. de moribus Eccl.

Alb.Mag. de Euch. fact.tract.1. dist.3.c.1.

6. B. Petrus Damianus in opusculo illo, quod ex S. Basilio desumpsit,inter alia encomia cellæ, in qua anima sola cum Deo conversatur, ait : *Tu das ut mens divinæ gratiæ sit pinguedine saginata.* Dudum ante Psalmista cantaverat: *Pinguescent speciosa deserti,* hæc pinguedo impropriè convenit desertis, utpote , quæ sterilia sunt, proprie tamen desertorum incolis , qui Spiritu Dei replentur , competere potest. Quamvis credere possimus Spiritus Angelicos certatim Salvatori nostro sua exhibuisse obsequia,attamen quod in forma visibili eidem ministraverint,nescitur, nisi in casu illo,quo duellum habuit cum Lucifero,cumque in tribus ferocissimis assultibus devicit & superavit: *Ecce Angeli accesserunt,& ministrabant ei,visibili,humanaque specie*(subdit Cornelius Jansenius)*id enim vox, accesserunt, intelligendum dat.* At quale illud mysterium , quod spatio triginta annorum hoc visibile ministerium Angelicum,& hac quidem sola occasione, recipere voluerit ? causam fuisse existimo , ut nobis commendaret speciales prærogativas solitudinum,in quibus & obsequia & consolationes spirituales ab Angelis recipimus. *Et tu ergo,si vis habere ministerium Angelorum* (ait S.Bernardus) *fuge consolationes sæculi , renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari.*

B.Petr.Dam. opusc.11.c. 19.

Ps.64. 13.

In deserto saginatur mens pinguedine divinæ gratiæ.

Matth. 4.11.

Jansenius in hunc locum.

S.Bern.ser. 4.super psal. Qui habitat.

7. Revocatæ in memoriam , qua ratione panis Angelicus cibus ille cœlestis ; qui primo tanta cum providentia pluviæ instar è cœlo missus, postea defecerit : *Defecitque manna , postquam comederunt de frugibus terræ.* Hoc idem contingit pluribus animabus , quæ prius in recollectione solitudinis spirituales gustaverant consolationes, postea distractæ & distentæ negotijs hujus sæculi , nullum prorsus Spiritus & quietis internæ percipiunt saporem , defecitque manna &c. *Errat omnino , si quis cœlestem illam dulcedinem* (mellistui Doctoris verba sunt) *misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur.* Minando Salvator dicebat Lucæ 6. *Væ vobis divitibus , qui habetis consolationem.* Ubi Hugo Cardinalis hanc adducit D.Bernardi sententiam : *Delicata est divina consolatio , nec conceditur admittentibus aliena.* Qui vivit in solitudine, liber est à sæculi illecebris cor nostrum obcæcantibus , majorque ei adest facilitas elevandi mentem suam ad Deum : *Delicata est consolatio divina.* Scitisne in quibus, & quando ? *ubi non admittitur aliena.* Non habent solitarij objecta , quibus eorum affectus & amor alliciatur & rapiatur. S. Eucherius mysticam dedit rationem,cur Deus in antiquis sacrificiis prohibuerit sibi offerri mel : *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domini , quia resoluti blandimentis delicatarum, aut dulcedine voluptatum , non possunt mysteriorum Dei esse participes.*

S.Bernard. serm.6.de Ascens.

Luc.6.14.

S.Ambr.

Divinæ consolationi non debent admisceri aliena.

Levit.2.11.

S.Eucher.in hunc loc.

8. Isaac significat risum : *Risum fecit mihi Deus* ; ac proinde gaudij Spiritualis symbolum erat , sed observastisne,ubi tres Angeli hunc filium promiserint Abrahamo? *Ad ilicem Mambre* , in domuncula portatili sive tabernaculo in campo plantato , extra urbem & domum suam habitationis: audiatur Gerson : *Sedebat Abraham solus subter ilicem Mambre , quando tres vidit & unum adoravit.* Etenim in locis solitarijs & separatis plerumque solidiores Spiritus consolationes gustamus. Dolebat Salvator noster , quando dicebat : *Consolantem me quæsivi & non inveni;* Inferre voluit de genere humano, non de Angelis, siquidem præter obsequium,& ministerium,quod Angeli ei præstiterunt in deserto (veluti supra jam dictum est) adhuc *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* At ubi dispositus hanc recipere confortationem ? non in domo Annæ vel Caiphæ ; non in aula Herodis , nec in Prætorio Pilati,sed in monte,in loco sequestrato à strepitu mundano : *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum.*

Gen.21. v. 6.

In quo loco Angeli promiserint Abrahæ filium Isaac.

Gerson t 3. fol.987.

Luc.22.v.43.

Ibid.v.39.

9. Judicum cap.14. refertur historia omnibus nota de Samsone, qui discerpto & dilaniato Leone post aliquot tempus rediit visum cadaver illius : *Declinavit,ut videret cadaver Leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.* Quis non dicet hunc favum mellis esse symbolum consolationis & suavitatis spiritualis,quam Deus communicat devotis animabus? Hugo Cardinalis in cap.2.Apoc. exponendo hæc verba: *Vincenti dabo manna absconditum,*profert & hunc textum invitatque nos hisce verbis : *Cum lingua sancti desiderij mel de petra, & favum mellis de leonis cadavere sumentes in manibus , comedamus in via. Sic legitur Judic.14.* Quod nostro proposito infervit, est , Samsonem hoc mel non reperiisse in Gaza,neque inTamnata,vel in alio loco habitato,sed in solitudine, siquidem in hac abundant suavitates cœlestes. Petrus , *in montem excelsum seorsum,*supra Thabor gustavit dulcedinem Paradisi : *Hanc dulcedinem prægustaverat Petrus, & in tantum inebriatus in se erat , & factus temulentus, quod de loco, ubi eam senserat, nec etiam removere se volebat, dicens Matth.17. Bonum est nos hic esse &c. Sic quod post sex dies,id est , post perfectionem boni operis* (*per senarium enim significatur perfectio , ipse enim est numerus perfectus*) *per diem vero bonum opus, ascenderet cum Domino in montem contemplationis , unde venit illuminatio mentis. Unde & mons iste fuit Thabor, qui interpretatur veniet lux, segregatus à sæcularibus per desiderium collium æternorum, & receptus in cubiculo cordis per devotionem puræ intentionis & orationis,procul dubio pataretur iste frequenter vino dulci & optimo digno dilecto Cant.7. & inebriaretur ab ubertate Domus Dei , id est , dulcedine Spiritus sancti, & inebriatus libenter resideret in Ecclesia,vel in cella, donec induceretur virtute ex alto,Luc.ultimo. Non quæreret curiosè medias plateas, vel domos alienas circuire , nec collocationes inutiles facere.* Hucusque Hugo Card.cit.

Judic.14. v.8.

Favus mellis repertus in ore Leonis , fuit symbolum consolationis spiritualis.

Apoc.2.17.

Hugo Card. Ibid.

Ubi Samson invenerit favum mellis.

Idem Card. l.c.

Matth. 17. 7.

Cant.7. 9.

Luc.ult.

10. Ipsimet etiam authores gentiles istius fuere opinionis , solitudinem , videlicet , summopere promovere quietem & serenitatem animi : *O quam suavis est solitudo ei , qui malos odio habet* , inquit Stobæus ; paulo ante dixerat : *Dum pacis amans intuetur agrum, ædificationem & rus meum desidero.* Plutarchus insuper lib.de tranquillitate scribit : *Limpidissimo & levissimo liquore tranquillitatis irrigati, in quo diuturniores mentis disciplinæ & pastiones conspectantur. Hanc ob causam*

Etiam gentiles senserunt solitudinem promovere quietem animi.

S.Hieron. epist.4. ad Rust.

Idem epist. 18.

Plutarch.de tranq.

causam Deorum quoque delubra antiquitus conferata in locis maxime solitarijs primi homines constituerunt. Quando Christus Dominus devotas illas turbas saturaverit in deserto, dicit facer textus : *Manducaverunt & saturati sunt.* Hæc abundans refectio in sensu spirituali alludit ad internam quietem & gaudium illarum animarum, quæ fugientes sæculi hujus voluptates amplectuntur solitudinem ut Christum sequantur : Audiamus Sanctum Ambrosium : *Cœlesti gratia impartitur alimentum, non in civitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum.* Concludamus tandem B. Petri Damiani verbis hisce : *O vremus sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus mexhausta dulcedo.*

Ps.77. 29.

Patr.Dam. l.c.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Demonstratur vitam solitariam, pie sancteque peractam, esse viam, quæ ducit ad cælum.

THEMA.

Vidit ... scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum. Gen.28.v.12.

Per scalam Jacob fuit figurata solitudo.

1. CElebris est visio illa,quæ obtigit Patriarchæ Jacob, quando in somno ei repræsentata fuit scala illa, qua ascendabant descendebantque Angeli : *Videque in somnis scalam stantem super terram , & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Per hanc scalam quæ fuit ei repræsentata de cœlo descendens,juxta opinionem B.Petri Damiani, seu potius Basilij Magni , intelligere possumus solitudinem : *Tu scala illa Jacob,quæ homines vehis ad cælum* (inquit aliquando vitam solitariam) *& Angelos ad humanum depomi auxilium.* Quando Jacob ex somno excitatus ad habitam se reflexit visionem dixit : *Vere non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Non hac fuit visione cœlesti beatus in domo paterna;non in Mesopotamia in domo soceri Laban;neque in Ægypto in Gesseri.Ubi ergo & quando? *Egressus Jacob de Bersabee,pergebat Haran, eumque venisse ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* Ostensa fuit ei hæc scala, quando erat in campo , & prostratus humi cubabat sub capite loco pulvinaris habens lapidem; ut hinc intelligamus(siquidem *omnia in figura contingebant illis*) quod inter rigores agrestes,inter asperitates solitudinum plerumque inveniamus scalam,qua conscendamus cœlum,quamque certatim calcant Angeli.

B.Pet.Dam. opusc.11.cap. 19.

Gen.28.17.

Ibid.v.10.

Ibid.v.11.

2. Discursu præcedenti examinavimus textum hunc Isaiæ : *Lætabitur deserta,& invia,& exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit , & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* At quæ sequuntur, verba sunt considerationi digna : *Ipse videbunt gloriam Domini.* Plenum mysterio est encomium illud, quod D.Chrysostomus attribuit S. Antonio,agens de Monachis deserta Ægypti inhabitantibus, asserensque : *Si habitacula illa nondum novit , consideret virum per cauterorum usque hodie ora volantium , quem Apostolus proximum Ægyptijs protulit , beatum dico & magnum illum, de quo sæpe audistis,Antonium, visione Dei dignus est habitus.* Ecce specialissimam laudem , qua eum honoret , quasi solitudo certa sit arrha visionis beatificæ. Elias Propheta jam dudum anhelaverat videre Deum; at quando ei præstita fuit hæc gratia? *Angelus Domini dixit; illi:Surge,comedegrandis tibi restat via... Qui cum surrexisset,comedit & bibit & ambulavit in fortitudine cibi illius... usque ad montem Dei Horeb,Cumque venisset illuc, mansit in spelunca,* & hoc in loco Deum cognovit & vidit *per modum transeuntis.*

Isa.35.v.1. & 2.

Solitudo est quasi certa arrha visionis beatificæ.

Ibid.v.2.

D.Chrysost. Hom.18. in Matth.

3.Reg.19. 7.

Ibid.v.8.

Ibid.v.9.

3.Sanctus Hieronymus in hac Universi Metropoli unicum tamquam oraculum sapientiæ & prudentiæ suspiciebatur; præterea in eximio constitutus erat sanctitatis statu; suspiravit nihilominus & anhelavit summoperè ad eremum & solitudinem, qua & latuit immenso cum gaudio; unde Rusticio scribens ait : *Viderint alij,quid sentiant,unusquisque enim suo sensu ducitur, mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Ad Marcellam pariter misit literas hujus tenoris: *Habeat Roma suos tumultus, arena faciat , circus insaniat , theatra luxurient; nobis adhærere Domino bonum est,& ponere in Domino spem nostram,ut eam tanta repertamus in cælo, parva & caduca nos quæ esse doleamus in terra.* Porro cum jam Prophetæ Eliæ fecerimus mentionem,ex omnibus Sanctis tam antiqui,quam N. Testamenti unicum mihi ostendite , qui in hanc usque horam tali condecoratus fuit honore & gloria, ut igneo ac veluti triumphali curru , eoque cœlitus misso ex hoc mundo translatus fuerit ad paradisum,neque id videatur mirum : nullus enim ab eo tempore , & tamdiu, tantaque cum austeritate & rigore vitæ desertum sive solitudinem incoluit ; ut propterea merito censeatur primus author & Patriarcha vitæ solitariæ & eremiticæ. Voluit ergo Deus hac speciali prærogativa & honore ei exhibito nobis demonstrare, quam vicini sint regno cœlorum, qui Prophetæ illius sequuntur vestigia. Enoch quoque admirabili modo è terra raptus fuit ad paradisum terrestrem, quemadmodum notavit Gerson : *Raptus est*, inquiens, *Enoch in solitudinem paradisi terrestris,ne malitia immutaret , & subverteret cor ipsius, placita enim erat Deo anima illius.*

S.Hieron. epist.ad Heliod.1.

Solitudo dicitur beata, & janua cœli,in illa videtur Deus.

Idem ep.41.

Gerson l. c.

4. S.Joan. Climacus pertractans hanc materiam solitudinis,cujus valde amans & devotus fuit,instar scalæ eam nobis exhibet , unde & scala paradisi inscribitur, & scribit : *Ego velut non sapiens architectus pro tenui cognitione mihi data , scalam hanc ascensus exstruxi.* Ruffinus in prologo lib.2.de Vitis Patr.de solitarijs & eremitis,quos ibidem in Ægypto viderat , ita scribit : *Vidi & vere vidi thesaurum Christi in humanis absconditum vasculis , quemque thesaurum repertum noluit tamquam invidus occultare , sed quasi pro malus inventum proferre in medium. Vidimus multos fratres cœlestem vitam, in terra positos , agentes, & novos quosdam Prophetas tam virtutibus animi , quam vaticinandi officio fascitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec jugnorum quidem ac prodigiorum deerat efficacia. Et merito , cur enim hi, qui nihil terrenum , nihil carnale cupiunt, non accipiant cœlestium potestatem ? In templo ejus omnes dicent gloriam* , cecinit Psalmista, & quidem in Apocalypsi gloria paradisi figuratur per urbem Jerusalem:*Vidi...Jerusalem novam descendentem de cælo &c.* Porro sive sit instar templi , sive sublimis instar urbis magnificæ, in utroque casu lapides necessarij sunt; hi vero unde excipiuntur & exciduntur nisi ex montibus, ex locis incultis,desertis & sylvestribus? Volo inferre hoc ipsum,quod in hymno pro festo Dedicationis Ecclesiæ legitur & canitur : *Urbs beata Jerusalem, dicta pacis visio,quæ construitur in cælis vivis ex lapidibus.* Mystici hi lapides , ut plurimum , excipiuntur ex monasteriis in solitudine & deserto sitis,ubi viget observantia regularis, ubi religiosa & solitaria ducitur vita: *O desertum Christi floribus vernans*(scribit Sanctus Hieronymus ad Heliodorum) *O solitudo , in qua illi nascuntur lapides , de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis exstruitur.*

Apoc.21.2.

Ps.28.v.9.

Ex Eremis colliguntur lapides vivi, quibus ædificatur cœlestis urbs Jerusalem.

Eximia encomia Eremicolarum Ægypti.

Clim.gr.27.

Vit.Patr. lib. 2.in prol.

5. De Bonoso monacho scribit Ruffinus, quod perrexerit in insulam quamdam,ut ibidem eo melius totus contemplationi vacare posset: *Quasi quidam novus paradisi colonus incedit.Nullus ibi agricolarum, nullus monachorum adhæret lateri comes.Solus ibi, imo jam Christo comitante non solas videt gloriam Dei; quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant.* In laudem solitudinis Sanctus Bernardus composuit integram Homiliam commentando in parabolam illam : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Ubi sic exclamat : *O solitudo beata,quicumque ad perfectionem venerunt , per te in paradisum introierunt. O beata vita solitaria & contemplativa , quid altra de te loquar ?* Beatum dicit solitudinem & merito,quia ex ea innumerabiles animæ exeunt beatæ,quæ murorum cœlestium restaurant ruinam. B. Laurentius Justinianus cap.1.de vita solitaria varia ei attribuit laudum encomia & inter alia hoc quoque; *Cæli jamua.* Deinde cap.2. bene observavit in Elia , e quo situ loci raptus & curru vectus fuerit ad cœlum : *Cum vehiculo* , inquit, *igneo esset transferendus de scalo, non in urbibus , sed cum discipulo degebat in eremo. Discе, qui solitudinem habitas, quanta in eadem exuberent beneficia. Disce etiam, quam facile ex eremo transitur ad cœlum. Prorsus impossibile est, quempiam posse pervenire,qui, ex quo debet modo, solitudinis habitator existat.*

S.Hieron. epist.4. ad Rust.

B.Laur.Justi. lib.de vit.sol. cap.2.

6. Tritum axioma est : Omnis Christi actio nostra est instructio, sive ad nostram constructionem ordinata;anima ejus à primo creationis instanti fuit beata, unde & merito corpori, cui unita fuit, quatuor dotes gloriosas communicare debebat; has tamen per continuum miraculum in portione superiori , quamdiu humanitas sua passibilis extitit , suspendit & suspensas tenuit. Unde sola vice prius quam moreretur in ipso cursu anni 33. eas transfudit ad corpus, nimirum, in transfiguratione : *Transfiguratus est ante eos , & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta*

Christus transfiguratus noluit in civitate vel templo, sed in solitudine montis Thabor.

Matth.17. v.1. & 2.

Philip 2.7.

ſta ſunt alba ſicut nix. Finis hujus transfigurationis (cum alias Dominus noſter eſſet humillimus : *Habitu inventus ut homo formam ſervi accipiens*) fuit, ut manifeſtaret ſe ac declararet Filium Dei & promiſſum Meſſiam, & inde ſequacibus ſuis adderet animum. Quapropter Sanctus Petrus epiſt. 2. ait: *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* Quid vero Sanctum Petrum moverit ad perhibendum huic transfigurationi teſtimonium declarat Cornelius Janſenius hanc reddens rationem : *Unde D. Petrus hujus transfigurationis meminit, nimirum, quod ſciret, quantum per hanc fides noſtra confirmaretur, Dominus inſolita claritate ſuam Majeſtatem prodit; accedunt teſtes omnium graviſſimi, qui mortis modum & rationem teſtantur, poſtremo accedit & pater: ipſe ſe vere præſentem declarans, & omnium maximum de filio ſuo teſtimonium præbens.* Cum igitur Chriſtus Dominus venerit in hunc mundum, ut in eo plantaret fidem, ſeque declararet manifeſtaretque verum Dei Filium, ac ſalvaret animas : *Vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Scire cuperem, cur pro hoc ſpectaculo elegerit montem, locum ab urbibus aliisque locis inhabitatis ſequeſtratum? cur non potius ad majorem ſui gloriam, utilitatem quoque noſtram ſe transfiguravit in templo, veluti loco ſibi magis proprio : *In templo ejus omnes dicent gloriam?* Aliud respondere neſcio, niſi eum nobis intimare voluiſſe, quod ſolitudo ſit via ad æternam gloriam; idipſum etiam ex duobus ſociis ſuis, quos elegerat, Moyſe, videlicet, & Elia confirmari poteſt : ſiquidem primus ſpatio 40. annorum moratus fuit in Madian in ſylvis; & poſtea aliis 40. annis una cum populo itineratus fuit per deſertum; ſecundus etiam totam, ut ſupra diximus, vitam ſuam transegit in eremis; propter idem myſterium credere poſſumus, quod aſcenſurus ad cœlum elegerit ſibi montem Oliveti, ut ſciremus ſolitudinem eſſe viam ad paradiſum.

2.Pet.1.18. — *Janſ. cap.67. Concord. Evang.* — *1.Tim.2.4.* — *Pſal.28. v.9.*

Baron. an. 64.
Vita ſolitaria, dicitur vita Angelica & ſancta.

7. Quando annales Eccleſiaſtici mentionem faciunt illorum fidelium, qui in nova lege Evangelica vivere cœperunt in eremis, in laudem eorumdem & gloriam tradunt hæc ſequentia: *Angelis vitam ſimilem ducebant*; vitæ beatæ & Angelicæ arrham habebant in terris. De Monachis, qui ſub diſciplina Magni Antonij vivebant inter nemora & ſylvas ita diſcurrit Sanctus Athanaſius : *Quis tantum monachorum agmen aſpiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio, ſed multitudo abſtinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc ſtatim erumperet vocem? Quam bonæ domus tuæ, Jacob, tabernacula tua Iſraël, tamquam nemora obumbrantia, tamquam paradiſus?* Quare omnes ad ſolitudinem, cui beatitudinis attribuebat titulum, hiſce exhortabatur verbis: *Remotioris vitæ beatitudinem appeterent.* Quando Moyſes prima vice ex rubo vocatus fuit à Deo, & dignus factus Divina præſentia. Audite B. Laurent. Juſtin. quantos inde reportaverit honores : *Sanctus ſolitudinis locus eſſe perhibetur, in quo Propheta oraculum cæleſte ad ſe factum excepit principatum populi, faciendorum ſignorum virtutem, præcepta legalia, ceremoniarum ſcientiam, decreta judiciorum, futurorum notitiam, familiaritatem Dei, atque beatificæ viſionis promeruit donum.* Notate hæc ultima verba; quaſi inferre vellet, quia Moyſes regiam Ægypti aulam deſeruit, & deſerta Madian per 40. annos incoluit, ideo viſione Dei, licet per modum tranſeuntis, dignatus fuit, quando vidit eum facie ad faciem, eique locutus fuit, veluti amicus loquitur amico.

S.Athanaſ. c.21. in vit. S.Anton. — *Ibid. c.55.* — *B.Laur.Juſt. cap.2.*

In eremo expoliuntur animæ, ut ſint apta vaſa Dei.

8. Quis primus omnium in adventu Chriſti vicinum annuntiavit regnum cœlorum? Sanctus Joannes Baptiſta, ſuæ prædicationi hoc dedit principium: *Appropinquavit regnum cœlorum*; & hic à teneris annis ſe incluſit deſerto Judææ, è quo non exivit, niſi profundendo ſanguinem & vitam pro defenſione honoris Dei, & prædicendo cœlum vicinum fore aperiendum, ſuo nos exemplo viam ad illud docere voluit. B. Petrus Damianus ſive Baſilius M. inter alia vitæ ſolitariæ encomia producit etiam ſequentia propoſito noſtro inſervientia; *Tu fornax, ubi ſupremi Regis vaſa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percuſſa, ac lima ſalutiferæ correctionis eraſa, perveniunt, in qua nimirum obſoletæ animæ rubigo conſumitur, & ſcabræ peccatorum ſcoriæ deponuntur.* Et poſt pauca: *Fœlix commercium, ubi pro terrenis cæleſtia, in tranſitoriis commutantur æterna. Fœlices nundinæ, ubi venalis æterna vita proponitur.* S. Anton. viſo & viſitato Paulo primo eremita, veluti fidem facit D. Hieronym

Petr. Dam. loc. cit.

reverſus ad monachos ſuos dixit eis : *Vidi Paulum in paradiſo.* Efficaciſſimum motivum, quo S. Hieronym. perſeverantiam in vita ſolitaria ad finem usq; perſuadebat, fuit illud, quod Heliodoro ſcripſit: *Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed paradiſum mente deambula, quotiescumque illuc mente conſcenderis, toties in eremo non eris.* Voluit, nimirum, inferre, quod pro habitatione ſua non eremum, ſed paradiſum ſortiretur.

S.Hier.ad Heliodor.

9. Cui hæc obtinget ſors videndi Deum facie ad faciem, docet nos ille, qui eſt cœli oſtium : *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Inter octo beatitudines enumerat etiam hanc: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* B. Petrus Damianus in laudem vitæ ſolitariæ adhuc ſuperaddit, alloquendo illam : *Tu das, ut homo corde mundo Deum conſpiciat.* Obſervaſtisne ceremoniam, quam pientiſſimus Salvator ſervavit, quando annuntiavit has Beatitudines? *Aſcendit in montem.* Si jam mihi dicatis, id propterea factum à Domino, ut à tota multitudine audiretur & intelligeretur; reſpondebo vobis, quod in pluribus alijs occaſionibus turbis prædicaverit Evangelium abſque eo quod montem conſcenderit, aut ad campos vel agros exierit; ſermocinaturus igitur de gloria paradiſi, voluit, meo judicio nobis indicare, viam ad conſequendam illam eſſe ſequeſtrationem à periculis peccandi & ab omni ſtrepitu ſæculari : Unde Theophylactus : *Docuit nos à media turba recedere.* Si adhuc alia vitæ ſolitariæ encomia deſideretis, audite: *Tu via aurea, quæ homines reducis ad patriam.* Et paulo infra : *Tu hominem facis lapidem quadrum conſtruendis videlicet cæleſtis Jeruſalem mœnibus aptum.* De eo, qui agit in eremo pœnitentiam, recitari poteſt verſiculus iſte: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*; ſiquidem B. Laurentius Juſtinianus inter alia eorum merita recenſet etiam iſtud: *Futuræ fœlicitatis corde degustare primitias.* Pro coronide ergo hæc adhuc ſubnectamus ex B. Petro Damiano : *O vita eremitica, vita benedicta, viridarium animarum, vita ſancta, vita Angelica, exedra gemmarum cæleſtium, curia ſpiritualium ſenatorum.*

Joan.10. 9. Chriſtus octo beatitudines docturus, cur aſcenderit in montem. *Matth.5. 8.* *B.Pet. Dam. l.c.* *Matth.5. 1.* *Theophyl. in hunc loc.* Alia vitæ ſolitariæ encomia. *Pſal.20.v.4.* *B.Pet.Dam. cit. ſup.* *B.Laur.Juſt. ibid. c.3.* *B.Pet.Dam.*

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Oſtenditur, quantum Deus amet ſolitudinem, quantumcumque Deo placeat & gratus ſit, qui in illa ipſum imitatur.

THEMA.

Vere tu es Deus abſconditus. Iſa. 45. ỳ. 15.

1. INter alia laudum encomia, quibus Iſaias intendit honorare Deum, illud quoque eſt, quod ſit Deus abſconditus : *Vere tu es Deus abſconditus.* Et concordat cum verbis illis Pſalmiſtæ: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*; quo loquendi modo David inſinuare videtur ſupremam Dei Majeſtatem abditiſſimis etiam ſpeluncis incluſam eſſe, volens fortaſſis cum hoc pariter commendare latebras ſolitudinis, quas incolunt devoti ejus famuli in eremis. Quod Deus amet ſolitudinem, adeo verum eſt, ut in tantum ſit Deus, in quantum eſt ſolus: *Unus Deus, ſolus Dominus.* Quamobrem Tertullianus intendens confutare Marcionem hæreticum, ſcripſit: *Veritas Chriſtiana diſtricte pronunciavit : Deus ſi non unus eſt, Deus non eſt.* Aſtutiſſimus ſerpens ut in protoparentibus noſtris fidem unitatis Divinæ eſſentiæ plane deſtrueret & eradicaret, perſuaſit ipſis Deorum multiplicitatem: *Eritis ſicut Dij*; In mundum quoque introduxit idololatriam, cujus innumeri extiterunt cultores & ſequaces usque ad adventum Chriſti. *Volens ut inſueſcerent*, ait Procopius, *nihil magni ſentire de Deo, & ut exiſtimarent non ſolum eum Deum, ſed & poſſe & alios eſſe tales.*

Deus eſt ſolitudinis amantiſſimus. *Pſ.17. v.12.* *Tertull. cont. Marc. lib.1. c.3.* *Gen.3. v.5.* *Procop. ibid.*

2. Gerſon introducit vitam ſolitariam loquentem hoc modo : *Ego iſta ſum vita ſolitaria, per quam omnia facta ſunt, & in qua, omne quod factum eſt, nihilominus vita erat, ſed non altera, & altera vita.* De præcurſore Chriſti inquit ſacer textus : *Præibis ante Dominum parare vias ejus.* Et ubi has præparavit vias? forte in Jeruſalem? in Galilæa? in Judæa? Audite ſanctam Eccleſiam : *Antra deſerti teneris ſub annis, civium turbas fugiens petiſti*; ut Chriſto Domino ſe conformaret & placeret, horrida petijt deſerta Palæſtinæ. *Dixi nuper* (inquit Origenes) *quod & conceptus Joannis ſtupendum quid habuerit, quando exultavit infans in utero, & ſuum, necdum genitus, Dominum recognovit, & nativitas non impar miraculum.*

Gerſon. to.3. fol. 987. *Luc.1.76.* S. Joannes Bapt. viam Domini præparavit in eremo, in quam totus juvenis diſceſſit quæſiturus Deum. *Orig. Hom. 11. in Luc.*

Digne

Digne igitur qui ſi conceptus fuerat & natus, non expectavit, ut à patre nutriretur uſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël, ſed receſſit fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, viciniam civitatum, ac abijt in deſertum, ubi purior aër erat, & cœlum apertius; & familiarior Deus. Proſequendo deinde diſcurſum ſuum oſtendit, finem Baptiſtæ, quo ductus fuit in deſertum, fuiſſe illum; ut ibidem inveniret Deum. Verum annon ſciebat Filium Dei morari in Nazareth apud cognatam ejus Elizabetham matrem ſuam? cur igitur infantem adhuc tenellum trahebat ad eremum? Ita aſſerit Origenes, Baptiſtam in vaſtam illam contendiſſe ſolitudinem, *ut appellaret Dominum, & illum audiret reſpondentem, atque dicentem : ecce adſum. Sicut enim Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei, ſic puto quod Joannes locutus fuerit in deſerto, & Dominus reſponderit ei. Hoc arbitror certa de ſcripturis ratione commotus, Si enim major in natis mulierum Joanne Baptiſta fuit nemo, Moyſi autem reſpondit Deus, conſequenter & reſpondit Joanni, qui major Moyſe fuit, qui eſt nutritus in eremo.* Aliam hujus allegat rationem B. Petrus Damianus, dicens: *Salvator mundi in ipſo redemptionis humanæ primordio præconem ſuum tui accolam fecit* (ſic ipſam alloquitur ſolitudinem) *quatenus ſub ipſa jam ſæculi venientis aurora ex te Lucifer veritatis erumperet.* Pluribus honorum titulis Filium Dei recenter natum condecorandum fore docuit Sanctus Matthæus, inter alios : *Dictum eſt per Prophetam, quoniam Nazaræus vocabitur.* Hujus vocis ſignificatio importat ſequeſtrationem, ſolitudinem; in lingua Hebraica idem ſonat quod ſeparatus, ſegregatus & ſanctus, pari namque paſſu ambulant ſanctitas & ſolitudo; Igitur non ſine myſterio ſanctus Baptiſta, ut ſe conformaret judicio & voluntati Sancti ſanctorum, continuam elegit habitationem in eremo.

B.Petr. Dam. opuſc.11.c.19. — *Matth. 2. v.23.* *Mendoza in c.1.Reg.1. annot.10. num.11.*

B. Virgo erat ſolitaria quando concepit Filium Dei.

3. At penitius examinemus, quantum Deus noſter amaverit ſolitudinem. Poſt quinque, quæ decreverat, annorum millia, totum redempturus genus humanum; humanam aſſumpſerat naturam: *Poſt hæc in terris viſus eſt.* Verum ſolitariam adeo amavit vitam, ut mellifluus Doctor Homilia quadam, cui titulus eſt: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori*, in hæc proruperit verba : *O beatiſſima vita ſolitaria, vita contemplativa; quando in ſolitudine contemplabatur Virgo Maria, tunc veniſti, & in ea, & de ea carnem aſſumpſiſti.* Richard. à S. Laur. examine dignam exhibet propoſitionem in laudem & gloriam ſolitudinis: ponderat verba illa, quæ Gabriël Archangelus annuntiando verbi Divini incarnationem dixit : *Dominus tecum. Merito ſolitudinis, quam ſumme diligebat; unde ab Angelo ſola inventa eſt in conclavi, quando ingreſſa eſt ad eam.* Unde Maria placuit Altiſſimo, ut ipſam elegerit in matrem ſuam? *Virginitate placuit*, ait S. Bernard. Hæc Virginitas Mariæ pluribus ante ſæculis figurata fuit per rubum Hebræo Legiſlatori repræſentatum, de quo cantat S. M. Eccleſia : *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.* Advertisne quo in loco Moyſi obtigerit hæc viſio? *Cum minaſſet gregem ad interiora deſerti.* Obſervat pariter S. Ambr. in quadam epiſtola, quam ſcribit Sabino Epiſcopo : *Sola*, inquiens, *erat, quando ſupervenit in eam Spiritus S. & virtus Altiſſimi obumbravit eam. Sola erat, & operata eſt mundi ſalutem, & concepit Redemptorem univerſorum.*

S.Bernard Hom. ſim. eſt reg. cœl. — *Richard. à S.Laur. de laud.Virg. lib.1.c.6.* — *S.Ambr.lib. 4.ep.31.*

B. Virgo concepta & nata fuit in loco ſolitario.

4. Sed numquid obſervaſtis, quod præcelſa hæc Mater & Virgo ſit partus ſolitudinis? Tot ſæculis Redemptor noſter præſtolatus eſt incarnationem ſuam, quousque Joachim & Anna nati eſſent; ambo hi conjuges longo tempore ſimul habitarunt; at extra hominum conſortium in campis aut ſylvis ſolitariam agentes vitam, in qua tandem ſterilitatem ſuam digniſſimo fœcundarunt partu. De qua re audiamus ſanctum Epiphanium tractatu de laudibus Virginis : *Joachim precabatur in monte, & Anna in horto ſuo.* Sanctus Euſtatius in ſua Hexamerone expreſſus loquitur de hiſce conjugibus & in ſpecie de S. Joachimo: *Deſerta petit, ibique tabernaculo extructo ſupplicibus votis Deum orabat, ut & ſibi, quemadmodum Abrahæ legitimæ prolis concederet fœcunditatem.* Vix conceptus erat Dei Filius, & in utero virginali ſanctificavit ſolitudinem ſeu vitam ſolitariam, idque pluribus modis; minime legibus communibus aliorum infantium ſubjectus erat: *Fœmina circumdabit virum*, à primo inſtanti creationis anima non ſolum beata fuit, verum etiam pleniſſimum habuit rationis uſum, novem nihilominus menſium ſpatio anguſto clauſtro virginali incluſus manere voluit, aliorum inſtar infantium.

S.Epiphan. de laud.Virg. *S.Euſtat.in Hexam.*

Chriſtus in utero matris ſanctificavit ſolitudinem.

Inde infra pauciores menſes imo dies cum ſumma perfectione totius corporis egredi potuiſſet abſque ullo abortus periculo; at voluit cum hoc conſecrare vitam ſolitariam; & cum in Nazareth, ubi conceptus fuerat, naſci potuiſſet, diſpoſuit, ut Mater ſua una cum Sancto Joſepho conceſſerit Bethlehem, ut omni ibidem excluſus hoſpitio prodiret in hanc lucem in quodam tugurio communi vitæ expoſito; ibidemque deinde ab Angelis invitarentur, non ſacerdotes templi, nec Synagogæ principes, non Scribæ & Phariſæi, nec alij urbis incolæ, ſed ſolum paſtores, homines agreſtes & campeſtres; & quamvis ſtella duce ab Oriente tres advocaret Reges, illos tamen, niſi jacens in præſepio, excipere noluit, ut demonſtraret, quantum amaret vitam ſolitariam & à populi ſtrepitu ſequeſtratam. Reges ingreſſi urbem Jeroſolymitanam amiſerant ſtellam, ut eos doceret, Filium Dei inter commoditates, delicias, tumultusque urbium aularumque haud potuiſſe naſci; nec ſtella rurſus ſe ſpectandam præbuit, niſi quando per loca ſolitaria iter agebant.

Gerſon l.c.
Quanti Chriſtus ſemper amaverit ſolitudinem.

5. Gerſon introducit vitam ſolitariam loquentem hiſce verbis : *Ego vitam iſtam, dum caro facta eſt, feci ſeorſim à turbis pernoctare pluries ſolum in oratione Dei. Multiplicavit in ſolitudine panes; ſuperavit in deſerto diabolum, ſolus cum feris habitans, nihilominus Angeli fuerunt comites miniſtrantes, dum humano carebat conſortio. Transfigurationis oſtendit gloriam ſeorſum, tres tantummodo duxit in montem, ubi tandem oculos levantes neminem viderunt niſi ſolum Jeſum. Solus & avulſus à ſecretiſſimis etiam Apoſtolis oravit ter Patrem, & factus in agonia prolixius; quando ſudavit rorem ſanguineum.* Ab infantia ad duodecimum usque annum aliud de Chriſto non habemus niſi exitum & aditum ad templum Jeroſolymitanum, quando Virgo eum amiſerat; à duodecimo ad trigeſimum usque hoc ſolum : *Et erat ſubditus illis.* Ex quo facile colligi poteſt, quantum recollectioni & ſolitudini fuerit addictus : *Ipſe Redemptor hominum in exordio* (ſic B. Petrus Damianus, aut potius Baſilius Magnus alloquitur vitam ſolitariam) *te ſuæ manifeſtationis inviſere, ac propria te dignatus eſt habitatione ſacrare. Poſtquam enim Baptiſmatis aquam, qua lotus eſt, lavit, ut Evangeliſta teſtatur, ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* Trigeſimum attingens ætatis annum & promulgaturus Evangelium, ſimulque toti humano generi daturus exemplum, quo certam facerent vocationem & ſalutem ſuam, ac redemptioni ſuæ cooperarentur, ante omnia à Joanne Baptiſta baptizandus juxta fluenta Jordanis, à ſanctiſſimo ſuo Spiritu ductus ſe recepit in deſertum : *O beata vita ſolitaria & contemplativa*, ait Sanctus Bernardus, *quid ultra de te loquar? Ipſe Dei Filius Salvator & magiſter noſter exemplum dedit nobis fugiens in deſertum & manſit in ſolitudine.* Conformia ſunt huic noſtro propoſito, quæ Sanctus Iſidorus Peluſiota in quadam epiſtola ſcribit : *Uſque adeo ad ſalutem conducit ſeceſſus ab urbanis tumultibus, ut etiam Dei Filius relictis urbibus, eos qui cum puritate vivunt in montis cacumine beatos prædicarit. In quo per ea quæ faciebat, illud oſtendebat fieri non poſſe, ut qui ab inferis rebus minime ſe abſtraxiſſet, uſque ad virtutis faſtigium aſcendiſſet, beatus Deo cenſeretur, aut futura bona conſequeretur. Nam qui ſuperna ſapit, illic habitat, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.*

B.Pet.Dam. l.c. — *S.Bern. l. cit.* — *S.Iſid.Peluſ. lib.1.ep.77.*

Continuatio ejusdem.

6. Quamvis Salvator noſter, quo magis intentus eſſet orationi faciendæ, non indiguerit loco ſequeſtrato & ſolitario, ſiquidem anima ejus æterno ſuo Patri inſeparabiliter unita erat : *Ego & Pater unum ſumus*; ſæpe tamen ſequeſtravit ſe quærens ſolitudinem ad fundendas preces in monte Oliveti, cujus mentionem faciens Nazianzenus ait : *Pulchra res ſolitudo & quies, idque me docet Eliæ Carmelus, Joannis deſertum, ac mons denique ille, in quem Jeſum ſæpe deceſſiſſe, ſecum animo quieto verſatum eſſe conſtat.* Principium paſſionis & effuſionis ſacratiſſimi ſui ſanguinis ubi facere conſtituit niſi in ſolitudine Gethſemani? & ubi illam terminavit & complevit niſi in monte extra urbem Jeroſolymitanam? *Solus erat Dominus Jeſus, quando mundum redemit*, ait Sanctus Ambroſius. Suum quoque ſepulchrum elegit in loco ſolitario, in horto. Quis inſuper ille, quem fecit participem ligni ſanctæ crucis, quæ æquiparatur regno cœlorum, cujusque figuram Reges & Monarchæ ſumma cum gloria deferunt ſupra ſua diademata? eum, nimirum, effecit participem, qui vitam agebat ruſticanam : *Venientem de villa.* Villicum ergo pondere illo ſimul onerare voluit, de quo Paulus : *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; ut nobis inſinuaret,

Nazianz. orat.16. — *S.Ambr. loc. cit.* — *Marc.15. 21.* *2.Cor.4.17.*

credo

credo ego, eo magis illos effici participes passionis suæ, quo magis se sequestrant à tumultibus sæculi. Turba clamabat: *Tolle,tolle,crucifige*, quia plus abundat peccatum in urbe & locis à populo inhabitatis, & hæc est crucifixio spiritualis Christi: *Rursum sibi crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes*. In locis solitarijs plerumque attenditur contemplationi,excitamur ad psallendum & laudandum Deum. In solitudine denique pientissimus Redemptor noster instituit electionem duodecim Apostolorum, supra quos Ecclesiam fundare volebat: *Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam.*

Joan.19.15. Heb.6.v.6.

Quo magis intenti fuimus solitudini, eo Deo erimus viciniores. Basil.M.de laud.erem.

7. Ex hucusque dictis hæc deducitur consequentia, quod quo magis fuerimus intenti solitudini, eo erimus Deo viciniores, ejusque ferventius sequemur vestigia. Unde Basilius Magnus de vita solitaria scribit: *Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina: Illic Deus & totum quod discitur, via qua tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur.* Non errarem, si dicerem solitudinem esse centrum divinæ præsentiæ, quia licet anima includatur rupibus, collibus,speluncis, vel claustris, nihilominus juxta opinionem Petri Cellensis per vastissimum expiratur cœli campum: *Deambulatorium Dei est solitudo.* B.Petrus Damianus existimat vitam solitariam singularissima hac præditam esse virtute reformandi, nimirum, in nobis imaginem & similitudinem, quam gestamus, Creatoris nostri: *O cella*, inquit, *spiritualis exercitij mirabilis officina, in qua certe humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, & ad suæ redit originis puritatem.* Plutarchus etiam libro, quem composuit, de tranquillitate, nescio quid divini attribuat solitudini: *Commodissima est cum ad alia tum ad scientiæ & prudentiæ exercitationem, non cauponariam & forensem dico, sed magnam illam, quæ Deo similem reddit sui participem; exercitia enim quæ in civitatibus & inter hominum turbas fiunt, dicendi facultatem acriorem, quæ nihil aliud est quam calliditas, augent &c.*

Pet.Cell.lib.4.epist.12. Petr.Dam. Plutarch.de tranquill.

8. S. Ambrosius discurrendo de laudibus & prærogativis solitudinis, inter alias adducit sequentes: *Liquet, quia soli cum sumus, tunc nos offerimus Deo, tunc mentem ei nostram aperiemus, tunc amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam, quando in paradiso constitutus est.* Subdit deinde hanc admonitionem: *Soli simus, ut Dominus nobiscum sit.* Hisce accedit doctrina B. Laurentij Justiniani de vita solitaria ita sermocinantis: *Hinc solitudinis secreta perlustrant, ut Deo vacantes ab humanis conturbationibus divina sint protectioni securi.* Audite insuper definitionem vitæ solitariæ, quam tradit Sanctus Joannes Climacus hisce verbis: *Vita solitaria est Deo per indissolubilem cultum perpetuo assistere.* Denique Hugo Cardinalis ex annuntiatione sancti Gabriëlis Archangeli hanc deducit moralitatem proposito nostro aptissimam: *Ingressus Angelus ad eam &c. Ubi eam invenit, demonstrat; non foris in plateis civitatis vagabundam, sed intus in domo solitariam; illi enim qui foris sunt, id est, in publico, non merentur à Deo per Angelum salutari.*

S.Ambr.lib.4.epist.31. Varia solitudinis encomia. B.Laur.Just. ibid. in prologo. Climac.gr.27. Luc.1.28. Hugo Card. ibid.

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.

In solitudine Deus cum animabus conversari solet, communicando eis visiones, revelationes ac plura alia gratiarum dona, ibidemque vera acquiritur sapientia & scientia.

THEMA.

Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Ose.2.℣.14.

Deus suo alloquio dignatur commorantes in solitudine.

1. EXponit Deus & declarat se per Oseam Prophetam,quod animam sanctam gratiarum suarum cœlestiumque consolationum lacte nutrire, eamque colloquijs divinis dignam velit efficere, at in claustris & remotis locis solitudinis: *Ecce ego lactabo &c.* B. Laurentius Justinianus in laudem vitæ solitariæ inter alia scribit: *Quis, quæso à te, novit arcana cœlorum? Quis adeptus est prudentiam Spiritus? Hæc sane, te præparante, te suscipiente sempiternum verbum revelare dignatur, quemadmodum per Prophetam testatur dicens: Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* In hujus rei probationem cap. 1. jam adduxerat exemplum Moysis,qui prima vice ad alloquium Dei admissus fuit, non in aula Pharaonis, non in domo sui soceri Jethro in Madian; sed hærens in latebris deserti: *Ubi divinam allocutionem primum audire promeruit? Numquid in Ægypto, aut in regalibus ædibus? Minime, sed prorsus in eremo, quo hominum deerat accessus; sic enim legitur: Cum autem Moyses minasset gregem ad interiora deserti, videretque quod arderet rubus, & non combureretur, admirans ait: Vadam &c. Cum autem pergeret illuc se Dominum ex nomine proprio vocantem audivit.* At eadem se reflexit Gerson magnus Cancellarius Parisiensis super Magnificat cum ait: *Moyses magnus legislator dicit in solitudine visionem magnam rubi ardentis, patrationem miraculorum accepit; populi liberator, & Deus Pharaonis instituitur.* Neque hac apparitione Dei dumtaxat honoratus, verum etiam nonnullæ revelationes Divinæ ei communicatæ fuere; ardens ille rubus secreti instar conclavis extitit, è quo ineffabile incarnationis verbi Divini, quod in utero virginali concipiendum erat, percepit mysterium; unde cantat S. M. Ecclesia: *Rubum quem viderat Moyses incombustum &c.* Ipsi quoque manifestati fuerunt futuri eventus circa populum electum, uti & virga generalis regiminis in totum populum electum consignara; denique ad præcelsam illam dignitatem promotus fuit: *Constitui te Deum Pharaonis.*

B.Laur.Just. lib.de vit. solit.cap.3. Patet exemplo Moysis. Item c. 1. Gerson to. 3. fol.988. Exod. 7. 1.

Moyses solus existens accepit à Deo tabulas legis.

2. Huic proposito conformiter considerat & bene notat Gerson, quod Dominus Deus suffragante Moyse populo Israëlitico legem suam traditurus, conversatusque cum eodem Moyse 40. dierum spatio,ipsum ab omni humano consortio sequestraverit,& ad montis verticem vocaverit: *Postmodum solus cum solo Deo vocatus ab eo, de medio caliginis loquens sicut amicus ad amicum, tabulas legis accepit.* In decursu deinde 40. annorum, quibus populum deduxit ad terram promissionis, quantas visiones,apparitiones, revelationes & oracula, quibus quatuor ultimi libri Moysis abundant, à Deo accepit? ad notandum, quod omnia ista fuerint partus deserti & solitudinis, cujus adeo amans fuit,ut regiam Ægypti aulam mutaverit in villam & tugurium. *Scrutemur scripturas* (inquit Hugo de S.Victore) *& inveniemus vix umquam Deum in multitudine locutum, sed quotiescumque hominibus innotescere voluit, non gentibus, nec populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, & à communi frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis, vel in solitudinibus & in montibus se manifestavit.* Hunc stylum servavit cum Noë, Abrahamo,Isaac,Jacob,cum Moyse & Samuele, cum cæteris omnibus Prophetis. *Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat?* Unde idem Gerson in ponderatione vitæ Abrahami ait: *Sedebat Abraham solus subter ilicem Mambre, quando tres vidit & unum adoravit. Postmodum gradiens solus audivit ab eis mysteria; Solus erat, dum ritum Circumcisionis accepit à Domino. Vidit Agar in solitudine Angelum, quæ de puteo visionis refocillavit puerum morientem. Jacob solus primo vidit scalam cum Angelis descendentibus & ascendentibus, & typum domus Dei; solus cum Angelo luctatur, & meretur benedici.*

Deus suis amicis vix umquam locutus est. Hugo de S. Vict. lib.4. de Arca cap.4. Gerson.l.c. fol.987.

Solitudo est aptus locus ad auscultandum Deum.

3. Postquam Oleaster considerasset loci solitarij aptitudinem ad auscultandum Deum, scribit sequentia: *Discimus hic quam accommodus sit solitudinis locus ad divinas locutiones & visiones.* S. Bernardus rationem reddit,cur Deus delectetur loqui devotis animabus in locis sequestratis dicens: *An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu.* Qui suæ vocationis ergo corpore secedere nequit in solitudinem,ad exemplum & imitationem Catharinæ Senensis construat in corde suo cellam solitudinis: *Secede mente, intentione, Spiritu, devotione.* Edocta fuit hæc sancta virgo, ut quia à cella sua abesse cogebatur, in mente sibi erigeret solitariam cellulam, è qua numquam egrederetur,sed ibidem semper cum suo cœlesti sponso secreto conversaretur. Exstruxit igitur in corde sibi cellulam, cujus ipsemet Dominus architectus fuit,hæc vero,uti ipsa dicebat,nil aliud erat quam cognitio Dei & suiipsius, & ad hoc idem cordis conclave ipsa frequenter Confessarium suum Raymundum exhortabatur; quando enim ipsum aut exterioribus occupatum,aut itineri necessario accinctum videbat, in mente,dicebat illi,cellam vobis construite,è qua numquam discedendum. Quid igitur mirum sanctam hanc virginem à Deo ditatam fuisse tot & tantis innumeris visionibus,apparitionibus, revelationibus & oraculis, quæ etiam inter tumultus & strepitus urbis domusque paternæ sola vivere noverat, solitudine gaudebat: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*

Oleast.in cap. 28. Exod. S.Bernard. serm.40.in Cant. Vita S.Cathar.Senens. lib.1.c.6. S.Catharina Senens. construxit sibi cellulam solitariam in corde suo.

4. Illuminatus quidam Dei famulus imaginabatur

Ut cor nostrum repleatur divinis consolationibus,evacuetur ab affectibus mundanis, ad hoc conducit locus solitarius.

tur sibi, ac si nullus nisi Deus & ipse mundum hunc inhabitaret, & propterea in meditatione sibi loquens dicebat: Deus & ego: hæc meditatio id effecit, ut cor suum de nulla alia re cogitaret nisi de Creatore suo & seipso;& cum eo solo ageret & conversaretur. Unde,quæso,oritur,quod aqua contra naturalem suam propensionem per tubum ascendat? non aliunde certe nisi ne, exeunte aëre, detur vacuum, ad quod præcavendum ipsum aquæ elementum etiam ascendit. Quid existimatis me velle inferre hac similitudine? Impossibile est, cor humanum respiret & vivat sine aliquo amore & affectu; Si igitur illud evacuari contingat omnibus affectibus mundanis & amore creaturarum, Deus Creator replebit illud donis suis gratiarum cœlestiumque consolationum. Ad hoc vero multum conducit solitudo & locus solitarius. Ibi enim desunt illecebræ vanitatum & peccandi occasiones; unde cor nostrum ab omni amore terreno facile depurari potest, ut tanto facilius adimpleatur Deo.

Mysteria divina communicantur in solitudine. Patet in S. Joanne Evangelista. Apoc.1. v.9. Seraphico P. Francisco. B. Virgine Maria. Gerson.l.c. fol 987.

5. Voluit cœlestis Magister instruere dilectum suum discipulum circa ineffabilia mysteria nostræ fidei,eique revelare omnia secreta cœlestis terrestrisque Jerusalem; quamobrem ablegavit eum in insulam Pathmos,ubi longo tempore mansit, scripsitque Apocalypsin plura Sacramenta, quam verba comprehendentem: *Fuit in insula, quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei & testimonium Jesu.* Ubi S.Seraphicus P. Franciscus pro sua religione accepit regulam? Ubinam tanto tempore solus cum Deo conversatus,totque visionibus & revelationibus dotatus fuit, nisi in monte Alverniæ? Quando S.Gabriël Altissimi legatus B. Virgini exposuit legationem suam,tempus noctis erat,expectavitque quousque altæ contemplationi dedita esset;unde audiamus Gersonem super canticum Magnificat,ubi vitam solitariam introducit in hunc modum loquentem: *Ego dispersiones Israëlis congregabo, propter quas Dei filius segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus descendit in aulam secretam & clausam uteri virginalis. Concluserat in oratorio cubiculi matrem ejus solitariam, quando salutata est ab Angelo, quando respondens fiat mihi secundùm verbum tuum, concepit mox æternum verbum caro factum.*

Abrahamo. Gen.13. v.1. Ibid.v.3. Ibid.v.4.

6. Abrahamo,ut dictum est,multæ exhibitæ revelationes,plurimaque secreta manifestata fuerunt, hac de causa,quia supra modum solitudinis amans erat,de eo legimus cap. 13. Gen. *Ascendit Abram de Ægypto ipse & uxor ejus, & omnia quæ habebat, & Loth cum eo;* at quo se recepit? *Reversusque est per iter quo venerat à meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, In loco altaris quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini.* Septuaginta legunt: *Et egressus est in desertum.* Quod bene notat D. Chrysostomus, ideoque Homilia 33. in Gen. nobis insinuat: *Cogita obsecro, quantus erat quietis & tranquillitatis amator, & in divino cultu quam sedulus, solitudo enim propter invocationem nominis Domini Dei gratior ei erat, quam civitates.* Ubi S. Romualdo religionis Camaldulensis Patriarchæ ostensa fuit illa mystica scala religiosorum suorum progressum præsagiens nisi in sylva? ubi tot habuit visiones & revelationes nisi in desertis? In sacris Canticis inter sponsum & sponsam reciprocam & mutuam reperimus invitationem,invitat primo sponsus: *Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam;* Ubi observentur Sponsi verba: *Quæ habitas in hortis.* Ipsa deinde invitat vicissim dilectum suum dicens: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum.* Oraculum Psalmistæ est: *In terra deserta, & invia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Ecce ubi invenimus apparitiones cœlestes.

D.Chrysost. Hom.33 in Gen. S.Romualdo. Sponsa in Canticis. Cant.8.13. Ibid. v.14. Psal.62. 3.

S.Petro.

7. Salvator noster instructurus Petrum, ut gentilibus fidei aperiret portam, ipsique amplecterentur nostram Sanctam fidem, ostendit ei stupendum illud linteum hac ei inclamans voce: *Occide & manduca;* at ubi Petro hoc ostendit & inclamavit? in loco illo sequestrato, quem referunt Acta Apost. & de quo S. Ambrosius scribit Sabino Episcopo: *Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria.* Placidus nobilissimus Romanus, & Imperatoris locum tenens generalis, at gentilis erat; unde Christus Dominus volens eum ad agnitionem veri Dei reducere, documenta fidei nostræ Christianæ eidem manifestare, futurosque omnes eventus prædicere, in forma crucifixi inter duo cornua proceri cujusdam cervi hærentis apparuit; adeoque in sylva abstrusa apparuit ei: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Quamvis Baptista fuerit præcursor Christi, & materno claustro inclusus, antequam prodiret in hanc lucem,Dominum salutaverit: *Exultavit infans in utero meo*, attamen triginta annorum spatio in deserto hæsit quasi sepultus, priusquam Dominum cognosceret & monstraret præsentem, tunc ex instinctu Spiritus Sancti venit in ejus notitiam, ipsumque allocutus fuit; non quando ab Herode in Jerusalem carceri mancipatus fuit; sed in solitudine juxta ripam Jordanis.

Acta Apost. 10.v.15. S.Ambr. lib.4.ad Sab. ep.31. S.Placido. S.Joanne Baptista.

S. Bernard. ep.107. Sapientia sacra, est fructus solitariæ vitæ.

8. *Et ibi loquar ad cor ejus.* S.Bernardus epist.107. alludendo ad hunc textum Prophetæ subdit: *loquar ad cor ejus. Vox hæc*, inquit, *non sonat in foro, sed nec auditur in publico, secretum consilium secretum quærit auditum. Et ibi loquar ad cor ejus.* Sapientia sacra ut plurimum est fructus vitæ solitariæ; quare si operum sacrorum insigniorum, quæ conscripserunt & in lucem ediderunt Theologi aliique sacri Doctores, seriem texere velimus, reperiemus majorem illorum partem elaboratam esse in claustris ac locis ab humano commercio semotis. B.Petrus Damian. sive Basilius Magnus,ait: *Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. Illic enim Deus est totum quod discitur, via qua tenditur, per quem ad summæ veritatis notitiam pervenitur.* Sacra scientia denotatur per lac, ideoque dicebat Apostolus, *tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* Intelligendo hoc de suis instructionibus & documentis datis; & ex capite illius, utpote, Doctoris gentium cum sanguine emanavit lac, cum quo una observetur,quod legitur in sacris Canticis cap.8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris?* foris, inquam, extra urbes & oppida oportet,sit ille, qui instruendus est in divina Sapientia. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Ecce qua ratione instructioni necessaria est sequestratio. *Si affectares vacare tibi* (verba sunt Petri Blesensis) *& appeteres scribere, orare, legere, meditari, & psallere, numquam civitatem eremo, numquam solicitudinem solitudini prætulisses.*

B.Petr. Dam. opusc.11.cap.19. 1.Cor.3. 2. Cant.8.1. Ibid.v.2. Pet.Blesens. epist.86.

9. De Moyse legimus: *Eruditus omni sapientia Ægyptiorum;* sed ubinam? an in aula Pharaonis; ast veram sapientiam, qua *negavit se esse filium filiæ Pharaonis*,quaque tot & tantis annis rexit populum,ubi accepit? in solitudine Madian,ubi quadraginta annis moratus fuit. Qui legit annales Ecclesiasticos,eos, qui in desertis Deo ac sacris studijs intenti vixerunt, plurimum in regimine, in prælaturis profuisse, nec non Christianæ reipublicæ haud exiguum emolumentum attulisse reperiet. Concludamus hac admonitione S. Hieronymi: *Si quis existimat & abundantia ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, seipsum decipit. Cum enim ab his remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus; quanto magis si circumdati retibus voluptatum esse nos liberos arbitremur? Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat, & ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate.* In locis solitariis desunt hæc incentiva & illecebræ, ideoque applicatio ad studia longe facilior est.

Actor.7.22. Moyses omnem sapientiam acquisivit in solitudine Madian. Hebr.11.24. S.Hieron. lib.2. cont. Jovin.

DISCURSUS XI.
ARGUMENTUM.

Solitudo est instrumentum perfectionis; ast eam fervor Spiritus, virtutumque exercitium præcedat, necesse est.

THEMA.

In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. Hebr.11.℣.38.

Solitudo magnum præstat subsidium ad adipiscendam perfectionem.

1. INter Heroes sanctitate insigniores Apostolus scribens Hebræis enumerat illos, qui errarunt (absque tamen omni errore,imo cum magno merito) in solitudinibus, sequitur enim: *& hi testimonio fidei probati.* Nazianzenus Oratione,cui titulus est, *de seipso*, quam etiam refert S.Joan.Damasc,lib.1.de Parall.c.3. conclusionem hanc stabilivit: *Ad perfectionem adipiscendam ingens in secessu subsidium positum est.* B. Pet. Dam. sive sit Basilius Magnus, exclamat: *O eremus mundi persequentis effugium, laborantium quies, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium.* Illud in speculo reperimus emolumentum, ut nostri vultus exhibeat defectus & maculas,hunc in finem vel maxime,ut illas abstergere & corrigere & faciem polire pristinoque decori ac venustati restituere possimus: eadem proportione in vita solitaria, suffragante vera pœnitentia, defectus

Nazianzen. orat.de seipso. B.Pet.Dam. opusc.11.c.19. Comparatur speculo.

defectus nostros commissos agnoscimus & emendamus, sanctisq; virtutibus animam adornamus: *Tu es speculum animarum* (ait idem Damianus) *ubi se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est, impleat, quod superfluum reprimat, quod obliquum est dirigat, quod deforme componat.* Paulo superius alio quodam epitheto descripserat vitam solitariam dicens: *Purgatorium sordidorum, tu mentium secreta purificas, squalores dilais scelerũ, & ad angelicæ nitorem munditiæ pervenire animas facis.*

Ubinam spiritualis sponsa invenerit sponsum suum. Cant.3.1. & 3.

2. Valde difficile est in commoditatibus & deliciis stringere & amplexari sponsum cœlestem, qui caput spinis cinctum habet & coronatum: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum & non inveni; Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Et quomodo successit hæc inquisitio: *Quæsivi illum & non inveni.* Non dubito tamen, quin post diligentem inquisitionem dilectum suum sponsum tandem invenerit, & in divinos ejus amplexus ruerit; sed quando id contigit? *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem; num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Quando secessit à strepitu & tumultu mundano, & sequestravit se à commercio humano tunc invenit ipsum; ac propterea cœlestis Sponsus instanter petebat à filiis Jerusalem: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam*; quiescebat namque in extasi altissimæ contemplationis: unde sequitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi &c.* Docet experientia, aquam turbidam, si separetur & abstrahatur, purificari & clarescere; ita anima ab urbium tumultibus & à populi frequentia sequestrata purificatur & mundatur ab omnibus sæcularibus & terrenis affectibus, ac sanctis se applicat meditationibus.

Ibid.v 3. Ibid.v.4. Ibid.v.5. Ibid.v.6.

Quamdiu hæremus inter strepitus mundanos proposita bona executioni vix mandamus. Matth.7.20. Marul. lib.3. c.7.

3. Fructus arborum viis publicis expositi communiter non attingunt suam maturitatem, quia adhuc acerbi tolluntur & colliguntur à transeuntibus; hoc idem plerumque contingit animæ, quæ assimilatur arbori: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; quamdiu namque hæret inter strepitus & negotia sæcularia, conversatur cum hominibus, difficulter exequetur bona proposita devotionis, Spiritus & perfectionis, hi namque fructus tolluntur à mundanis conversationibus, & recreationibus; unde de illuminatis Dei servis scribit M. Marulus: *Plerique cum feris bestijs in solitudine vivere sibi satius duxerunt, ne in cœtu hominum mentem, quam in sola Dei contemplatione fixam, & locatam habere vellent, diversis cogitationibus diffundere atque distrahere cogerentur.* In vita S. Hilarionis ostendit D. Hieronymus, quantum huic viro sancto id addiderit stimulum, quod secesserit in desertum visitandi causa S. Antonium, & cum eodem brevi temporis spatio conversatus fuerit: *Hilarion*, inquit, *visendi Antonij cupiditate ardens eremum adijt, ac statim ut illum vidit, habitum mutavit, religionis propositum suscepit, duobus fere mensibus apud eum mansit contemplans ordinem vitæ ejus; morumque gravitatem, quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis, & ut continentiam cibique ejus austeritatem nulla umquam infirmitas frangeret. His imbutus exemplis in solitudinem secessit, tantaque præstitit sanctitate, & ubique latebras quæritans numquam latere potuerit, miraculis eum semper prodentibus. Usque adeo adiisse aliquando Antonium & cum Antonio fuisse juvit.*

S.Hieron. in vita S.Hilar.

Exemplum S. Hilarionis.

4. B. Petrus Damianus opusc. 12. hoc nobis suggerit consilium: *Si vis animam tuam in suæ virginitatis, integritate persistere, secretum appete, recessum singularitatis inquire.* Quamvis præcursor Domini in ventre materno sanctificatus, & in gratia confirmatus nullum haberet, quod timeret, periculum peccandi & cespitandi in sua sanctitate, attamen, *Antra deserti teneris sub annis civium turmas &c.* Voluit exemplo suo ostendere, quantũ auxilij conferat solitudo ad conservandam vitæ innocentiam & perfectionem acquirendam. Unde de eodem sancto S.Hieronymus Rustico scribit: *Vivebat Joannes in eremo & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere.* Oculos suos continuit in deserto Judææ triginta annorum spatio numquam interrupto, ut cum iisdem dignior redderetur ad intuendum filium Dei, cujus erat præcursor. S. Chrysostomus, sive sit alius author, Homilia prima in Marcum optime ad propositum discurrit: *Fælix ista conversatio, despicere homines, Angelos quærere, urbes deserere, & in solitudine invenire Christum.* Mirum, quam amans solitudinis extiterit D. Nazianzenus, & ideo observate, quo modo de ea discurrat: *Ad vim afferendam nosque ab arce nostra extrahendos, hoc est, à solitudine quam ex omnibus rebus maxime complexus eram, ac velut sociam & administram divinæque ascensionis matrem ac Deum ex homine efficientem, totiusque vitæ ducem mihi statueram, prompti celeresque fuistis.*

B.Pet.Dam. opusc.12. cap.20.

S Joan.Bapt. suo exemplo ostendit quantum auxilij conferat solitudo ad innocentiam vitæ conservandam.

S.Hieron. ad Rust.

D.Chrys. Tom.2. hom. 1. in Marc.

Nazianzen. orat.2.

5. Ipsimet gentiles etiam Philosophi morales optime agnoverunt utilitatem illam, quam confert solitudo ad virtutis acquisitionem, quod testatur D.Hieron. lib. contra Jovin. cum ait: *Sed & ipse Plato cum esset dives, & thoros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare Philosophiæ, legit Academiam illam ab urbe, procul, non solum desertam, sed & pestilentem, ut cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem nisi earum rerum, quas discerent.* S.M. Ecclesia in processibus, quos circa vitas Sanctorum ante canonizationem instituit, valde caute & magna cum circumspectione procedit; nihilominus S. Paulus primus eremita catalogo Sanctorum inscriptus fuit, nulla alia de eodem habita notitia & instructione, nisi ea, quam dedit alius quidam eremita, nempe, S. Anton. qui brevissimo temporis spatio ipsum prius visitaverat ac viderat vivum, & postea mortuum sepeliverat. Sufficiens, nimirum, fuit hæc notitia, quod centum annis solitarius in eremo vixerit. S.Bonav. lib.4. pharetræ cap.18. S. Bernardum de uno, qui solitarie vivit, discurrentem citat hisce verbis: *Tunc in luce veritatis & in sereno mundi cordis ultro patet sibi pura conscientia, & libere se infundit de Deo memoria & illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus.* In laudem quoque servorum Dei sylvas & deserta inhabitantium scribit S.Ambr. *Hinc illi, inquiens, processerunt viri, Elias, Elisæus, Joannes, qui pelliceis tunicis & caprinis exuvijs induti, inopes atque egentes, & doloribus afflicti in solitudinibus errabant inter alta & condensa montium, invia rupium, speluncarum horrida, fovearum vadosa, quorum conversatione dignus non erat orbis terrarum.*

Etiam Philosophi gentiles agnoverunt utilitatem solitudinis. S.Hier. lib.1. cont. Jovin.

S.Paulus primus Eremita sine ulla consueti processus institutione catalogo sanctorum inscriptus fuit.

S.Bonav.lib. 4 phar. c.18.

S.Ambr.lib. 3.epist.25.

6. B. Petrus Damian. instruendo monachos valde illis inculcabat solitudinem: *Noverit*, inquit, *monachus vitio vagationis addictus, quia nisi à sæculo pedem retrahat, & ad serviendum Deo in loco remotionis se perseveranter accingat, nec perfectionis culmen attingere, nec Ordinis sui digne poterit munia custodire. Dina quippe Jacob filia quamdiu se intra tabernacula paterna cohibuit, illibata virginitatis jura servavit; postquam vero ad videndas mulieres regionis illius egressa publicum petijt, hostem protinus virginitas protulit, & alienæ libidini turpiter prostituta servivit.*

B.Pet.Dam. opusc.12.c. 20.

7. Tritum adagium est: Homo solitarius, aut Deus, aut bestia; qui non intrat solitudinem, nec in ea vivit (ut mox dicemus) munitus virtutibus, Spiritu devotionis roboratus, degenerat in bestiam; ast qui virtutum incumbit exercitio, ac religiosam ducit vitam, is Deo appropinquat & unitur. Observastisne quo tempore quove loco Deus noster dixerit Moysi? *Constitui te Deum Pharaonis.* In solitudine Madian; unde Rupertus Abbas bene notavit instructionem acceptam pro illa aula: *Tu Deus Pharaonis constitutus, cui ego Deus Deorum loquor facie ad faciem, uti loqui solet homo ad amicum suum; non dignaberis multa loqui, vel orationem protelare cum rege Ægypti, vel faciem aperire popularibus ineruditis; sed loqueris Prophetæ tuo Aaron, & contra Pharaonem ad populum tuum, exemplo meo, qui nec passim visibiliter appareo.* Verum redeamus ad B. Petrum Damianum in alio loco exclamantem: *O eremus, mors vitiorum, & procul dubio fomes & vita virtutum. Quicumque ad perfectionis cumulum pervenerunt, tuum novere præconium.* Desertum optimum refugium est ad deploranda peccata: *Plorabo die ac nocte*, inquit Jeremias; at in quo loco plorabit? forte in Jerusalem? non sane; *Quis dabit me in solitudinem? Solitudinem amplectitur* (sic subdit Nazianzenus) *ut ab interna plaga levetur.* Pastor ille in nullo alio loco, quam in deserto quæsivit & invenit ovem perditam, & salvam reduxit ad ovile humeris suis impositam.

Moyses in solitudine constitutus fuit Deus Pharaonis.

Exod.7.1.

Rup.Abbas lib.1.in exod. c.26.

B.Pet.Dam. opusc.11.c. 19.

Jerem.9.1.

Ibid.v.2. Nazianz. orat.17.

8. Verum hic advertendum, quod licet vita solitaria prosit multum perfectioni acquirendæ; attamen nisi quis prius viam straverit ad perfectionem & verum Spiritum ad illam se conferre non debet; conferat autem se prævio semper accepto consilio; unde nos monet S.Joannes Climacus: *Qui Deum nondum novit, ad solitudinem ineptus est, seseque multis periculis exponit. Solitudo imperitos suffocat, cœlestium enim consolationum delicias non gustant, & tempus in captivitate distractionum, seu mœroris, furtis, desidia & animi defatigatione absumunt.* Jam prius vitam solitariam ejusque Professores laudaverat dicens: *Cum hac se sanctissima quiete velut conjuge devinxerunt, quod tamen non antefecerunt, quam libellum repudij, desidiæ & acediæ dederunt.* Quando Salvator noster ivit in desertum, per suos Evangelistas nobis manifestare voluit, quo fine illuc accesserit: *Jesus ductus est in desertum à Spiritu*; ad insinuandum nobis, quam necessarium sit prævium virtutum exercitium & fervor Spiritus. Unde docet Blosius celebris magister Spiritus: *Quis dimisit onagrum liberum? subaudis, nisi ego. Onager qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam illorum significat, qui remoti à turbis sæcularibus conversantur.* Ubi notetur, nisi ego, id est, Deus qui loquitur, ergo qui volunt se consecrare & dare solitudini, id non ex proprio judicio, propriæque voluntatis impetu, sed ex impulsu & instinctu Spiritus id facere debent. Quare in hac materia notanda quoque est doctrina Abulensis: *Solitudo omnimoda non est nisi pro viris perfectis, minores non possunt illam sustinere, & incidunt in multa pericula, & sic recte dixit Aristoteles 1. Politic. ad homines agentes vitam solitariam, aut sunt Dij; aut sunt bestiæ, id est, aut sunt omnino perfecti, accedentes ad naturæ Dei imitationem; aut sunt omnino bestiales, periculorum ignari & severi in seipsos, bonorum insensibiles; sunt autem in hoc multa damna, & ista caventes Patres antiqui non permittebant alicui tenere vitam eremiticam omnino solitariam, nisi prius virtus ejus cœnobijs probata existeret, & tunc de mandato & licentia majoris designabantur, qui in solitudinem irent, sive ad tempus, sive in perpetuum.*

Ad vitam solitariam nemo se conferat nisi prius straverit viam ad perfectionem & verum Spiritum.

Climac.gr. 27.

Matth.4.1.

Blos.lib.4. c.15. Psychag.

Abulens. q.5. in cap.4. Matth.

9. In Apocalypsi legimus: *Et mulier fugit in solitudinem.* Haud satis fuit S. Joanni dixisse, quod fugerit in solitudinem; sed immediate adjungit: *Ibi habebat locum paratum à Deo.* Jam præmiserat sub capitis hujus initium: *Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta Sole & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Hinc ergo datur intelligi magnam illam fuisse mulierem resplendentem multis virtutibus, & veluti prodigium cœlestis sanctitatis. Moyses progressus in desertum: *Cum minasset gregem ad interiora deserti*, audivit vocem Dei se vocantem, sibique eodem tempore inclamantem: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est: Dominum ex ore proprio vocantem audivit; cumque respondisset adsum, intulit: solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Merito Prophetæ à Domino mystice mandatur, ut pedum calceamenta deponat, tacite innuens, ut quicumque solitudinis locum habitare desiderat, immoderato temporalium rerum se privet affectu, quatenus mortuorum operibus nequaquam terram polluat sanctam*, ita discurrit B. Laurent. Justinianus.

Apoc.12.6. Hoc docetur exemplo mulieris apocalypticæ in deserto parientis filium suum. Apoc.12.1.

Et Moysis. Exod.3.5.

B.Laur.Just. de vita solit. c.2.

10. Quæstionem hanc movet Doctor Angelicus: *Utrum perfectior sit religio in societate viventium, quam agentium solitariam vitam.* Et concludit: *Perfectior est religio solitariam vitam ducentium, si debite assumatur*, & rationem subdit: *Solitudo sicut & paupertas non est ipsa essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum, unde & in collationibus Patrum dicit Abbas Moyses, quod pro puritate cordis solitudo sectanda est, sicut & jejunia & alia hujusmodi.* Sequitur postea: *Considerandum est, quod id, quod est solitarium, debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est, cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti, & ideo solitudo competit contemplanti, qui jam ad perfectum pervenit. Quod quidem contingit dupliciter: Uno modo ex solo divino munere, sicut patet de Joanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suæ; unde cum adhuc puer esset, erat in desertis. Alio modo per exercitium virtuosi actus, secundum illud ad Hebr.5. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* In progressu ejusdem articuli postquam determinavit solitudinem esse pro hominibus perfectis, probat idipsum authoritate S. Hieronymi hisce verbis: *Solitariam vitam comprehendimus minime, quippe quam sæpe laudavimus; sed de nido monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quos etiam rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore didicerunt. Sicut ergo id quod jam perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur.*

S.Thom.2. 2.q.188. art. 8.

Discutitur quæstio quæ vita præferenda sit, solitaria, an in congregatione viventium.

Hebr.5.14.

11. Opponi posset textus aliquis Michææ Prophetæ cap.7. cui tamen respondit S. Hieronymus: *Pasce populum tuum in virga tua gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu in medio Carmeli.* Ubi præfatus S.Doctor dubium hoc solvit: *Propterea*, inquiens, *percutientur, & pascentur in virga, quia habitaverunt soli in saltu.* Quid vero eos induxerit ad hanc vitam solitariam declarat dicens: *Odio generis humani vitam appetunt solitariam, qualem Timonem fuisse Athenis legimus, non quod solitaria vita & Prophetica, quam habuerunt Elias & Joannes, condemnanda sit; sed quia si cæteros despiciens ipse superbiat, & habitet in saltu vitiorum, virga corripienda sit. Qui solus habitat, & non habitat in saltu, iste in laude virtutum est; qui autem solus est, & non facit opera justitiæ & quietis, tantum fruitur voluptate, & non in Christi opere & labore desudat, nec proprijs manibus quærit cibum, quod Apostolus jubet, & in superbiam erigitur, habitat in saltu, & inter fructuosa ligna versatur.*

Quare appetenda sit vita solitaria.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Examinatur & discutitur spiritualis & interior solitudo, cuilibet statui & vocationi adaptanda.

THEMA.

In superioribus domus suæ fecit sibi secretam cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Judith.8.℣.4.

1. Sacra hæc Heroissa Judith docet nos magni meriti solitudinem, omnique statui & professioni, facilem, interiorem, videlicet, solitudinem; siquidem ut recollectioni suæ eo ferventius vacaret, oratorio, quod in sublimiori habitationis suæ loco construxerat, se includebat: *In superioribus domus suæ &c. Camerula illa fuit etiam oratorium ejus*; (ita exponit hunc locum Carthusianus) *Raro exivit domum, soli Deo vacans in loco abstracto, & virorum vitans aspectus, familiaritatem, colloquia, convivia, & cæteras lasciviæ occasiones, non solum ne ipsa ad carnalia incitaretur, sed ne appeteretur ab alijs.* Philo Hebræus cum agit de translatione Enoch, qua Deus ipsum à consortio humano abstraxit, reddit rationem illius proposito nostro valde accommodam: *Apud exteros*, inquit, *præsto sunt laquei, in quos necesse est incidere, si quis sit improvidus, & delectetur multorum consuetudine; vulgus enim est enorme, inconditum, immodicum, culpabile, cum quo versari tendenti ad virtutem non expedit.*

Judith docuit nos suo exemplo construere solitudinem interiorem & spiritualem.

Dion.Carth.

Philo Hebr. tom.2.lib.de pœn.& præm.

2. Verum quis à Deo ad talem vocatus est statum, in quo humanum consortium & strepitus sæculi fugere aut evitare nequit, sed cum hominibus conversari cogitur; quid huic, ne cespitet aut impingat, faciendum est? *In superioribus animæ suæ faciat sibi secretum cubiculum, in quo cum cogitationibus suis clausus moretur.* Annon umquam audistis vel vidistis delineationem montis Olympi cum hoc apposito symbolo: *Nubes excedit Olympus.* Montis hujus constitutio talis est, in vertice ejus summa est serenitas, & imperturbabili gaudet quiete; solum in latera ejus sæviunt & impetum faciunt, venti, tempestates, turbines & nubes grandine, tonitru & fulmine gravidæ. Quid inferre volo hac similitudine? Mundus annexos habet strepitus, adhærent ei curæ, solicitudines, inquietudines; ast anima electa, quæ tendit ad perfectionem, nihil horum percipit, nihil sentit, nisi in parte seu portione inferiori; in superiori namque manet semper unita Deo, quiete gaudet & conformitate imperturbata. Quod confirmat etiam ipse Seneca de seipso scribens: *Animum cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa omnia, licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit.* Unde S. Gregorius allegatus à D. Bonaventura lib. 4. Pharetræ cap. 18. nos certiores reddit, parum prodesse esse solitarium & eremis etiam remotissimis inclusum, nisi nobis spiritualem etiam in mente & corde construamus solitudinem: *Prodest solitudo corporis, si solitudo est mentis. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos sæculares tumultus in corde patiatur, non est in urbe.*

Quid nobis agendum sit, cum cogamur cum hominibus conversari.

Simile montis Olympi.

Seneca epist. 56.

S.Greg.cit. à D.Bonav.

3. Rupertus Abbas verba hæc Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum &c.* applicat B. Virgini alloquendo eam hisce verbis: *Talis ascendisti per desertum, id est, animam habens solitariam.* Non constat nobis sanctissimam Virginem se recepisse in solitudinem, siquidem multis annis cum sancto Josepho & filio suo habitavit & conversata fuit, deinde cum san-

Cant.3.6. Rup.Abb. Ibid.

B. Virgo spiritualem magni fecit solitudinem.

Joan.19.27. cto Joanne Apostolo; *Accepit eam discipulus in sua*; quo existente in insula Pathmos, ipsa jam ad cœlum assumpta erat. Sicque nomine deserti intelligitur ejus solitudo interna. *Si enim vera cujusque animæ humilitas* (prosequitur idem author) *etiam inter turbas potest esse solitaria, ita, videlicet, ut in nullo alio præterquam in Deo spem habeat, quemadmodum Esther cum esset regina, veraciter tum dicebat: Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus auxiliator est alius; quanto magis tu vera & solitaria, & quasi in desiderio eras, quæ virum non cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, & ab illo, cui desponsata fueras, pene fuisti deserta, non quia Sanctus Angelus, qui te solitariam*

Daniel etiam sibi fecerat secretum cubiculum. *invenerat, te commendat.* Tametsi Daniel Regi gratissimus regni negotia, quæ maximi etiam momenti erant, pertractaret, adeoque inter strepitus & tumultus Babyloniæ viveret, quamvis etiam nullæ ei deessent deliciæ & obsequia aulica; attamen. *In superioribus domus suæ fecerat sibi secretum cubiculum*, solitarium, nimirum, locum inter aulæ conclavia sibi elegerat, ut ibidem oraret altissimæ vacans contemplationi, & mentem suam dirigens ad civitatem sanctam Jerusalem & ad templum, adorans verum Deum Israël.

Dan 6.v.10. *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo sicut & ante facere consueverat.*

David in Regem electus, spiritualis solitudinis exercitium non neglexit. Blos. Psych. lib.4.c.1.n.4. 4. Jam in juventute sua David probaverat solitudinem, quando gregem patris sui Isai pascebat; postea vero ad thronum regni Israëlitici evectus, publico regimini consecratum se agnoscebat, ac propterea omnium subditorum causas excipere ac dijudicare debebat: Solitudinis tamen hujus spiritualis haud dimittebat praxin, veluti Blos. testatur hisce verbis: *A tumultu rerum corporalium* (loquitur de David) *magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum cerneret.* Observatisne versum illius Psalmi: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Genebrardus legit, *in desertis, in medio ejus.* Corpore morabantur in media civitate Babyloniæ, aut circa illius confinia laborantes juxta flumina: *Super flumina Babylonis illic sedimus*; at mente & corde Sanctis dediti erant contemplationibus imaginantes se esse in Jerusalem, quæ erat deserta & derelicta.

Psal.136.2.

Ibid.v.1.

Insignis admonitio invitans ad solitudinem spiritualem. Alvarez lib. 2.part.4. c.30. 5. Huic proposito & vitam solitariam amanti plurimum inservit hæc doctrina, quæ est ipsius Alvarez: *Custodiat*, inquit, *illud Domini præceptum, quod Isaiæ voce dilecto sibi populo servandum proposuit: Vade populus meus, intra cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Et populus Dei, cum à turbis & negotijs sæcularibus in abdita monasterij discedit, intrant in cubicula sua, cum cellam à turbine curarum separatam colit; claudit ostium, cum cogitationes & desideria mundana nequaquam intrare permittit.* Pro cujus confirmatione profert authoritatem S. Gregorij 4. mor. 24. *Cubicula ingredimur, cum secreta mentis nostræ intramus; ostia autem claudimus, cum desideria illicita cœrcemus.* Ostendit deinde, quam sit utilis solitudo exterior, at longe utilior solitudo interior, quæ non est limitata ad locum, pro quo citat textum ipsius Job: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Nam revera dies cellæ multiplicantur, cum utiliter in cella Dei, in emendatione propria, in ædificatione proximi, & non in rebus inutilibus consumuntur. Hæc exterior solitudo animi candorem, munditiemque conservat, quæ inter occasiones videndi, audiendi & loquendi innumeris periculis est exposita. Mentis tranquillitatem efficit, dum curas & distractiones amandat, cor nostrum corroborat, dum à multis negotijs, in quibus erat divisum, recolligit, & uni, scilicet, contemplationi & amori Dei totum tribuit, & idoneum reddit, ut vocem Domini audire valeat.* Audiamus insuper, quid idem author sentiat de solitudine interna: *Interior solitudo, quæ multo magis est necessaria, & omnibus viris spiritualibus observanda proponitur, in hoc sita est, si contemplativus inanes cogitationes abjiciat, inutilia desideria revellat, & omnem amorem creaturarum deserat, & discat interius silere, & se mandam & illibatum à rebus visibilibus custodire.*

Job 29.18.

Clem. Alex. lib.7. strom. Ostenditur quomodo vir sæcularibus rebus implicatus possit agere spiritualiter vitam solitariam. 6. Jam pridem Clemens Alexandrinus tradiderat nobis hanc doctrinam. *Revera*, inquiens, *id est, totus hospes & peregrinus in tota terra, qui in civitate habitans contemnit ea, quæ in civitate sunt, & quæ alij mirantur, vivitque in civitate tamquam in solitudine, in non locus eum cogat, sed liberum eligendi arbitrium eum justum ostendat.* Sequitur deinde pro confolatione eorum, qui ratione status sui coguntur ducere vita civilem & conversari cum aliis: *Revera*, ait, *vir probatur, non in eo quod vitam elegerit solitariam, verum ille viros vincit, qui in matrimonio & liberorum procreatione, & domus cura ac providentia citra voluptatem & dolorem se exercet, & cum in familiæ versetur curatione, indivulsus tamen est à Deo charitate, insurgitque adversus omnem tentationem, quæ affertur de filios, uxorem, famulos & possessiones.* Joannes Gerson magnus Cancellarius Parisienses immensa occurrente negotiorum publicorum mole modum optimum noverat, quo solitudini vacaret, audite illum: *Principale secretum & silentium haberi debet ad intra, in anima magis quam ab extra, hoc est, quod anima excludat à se & habitatione sua omnem curam humanam, mundanam omnemque cogitationem vanam vel nocivam, & quæcumque eam impedire possunt ad illud perveniendum quo tendit. Accidit enim quod aliquis sæpe corpore solus sit ab hominibus segregatus, nihilominus tamen per phantasias, cogitationes & melancholias patitur, & sufferat gravissimam onerosamque societatem in semetipso.*

Gerson.to.3. de monte contempt. c.23. Quomodo hoc practicaverit Gerson.

7. S. Bernardus post datum illud consilium: *Secede, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed Spiritu*, reddit hujus rationem: *Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritusque requirit non corporis solitudinem, quamquam & corpore interdum non otiose te separas, cum opportune potes, præsertim in tempore orationis.* Quamvis locus sequestratus magno sit auxilio recollectioni mentali in oratione, idque Propheta regalis expertus esset, nihilominus Psalm. 102. cecinit: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Multa contulerat Samaritana cum Christo, & inter alia dicebat: *Patres nostri in monte adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Et quale Christus dedit ei responsum? *Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Sanctus Bonaventura in sensu morali scripsit: *Si quæris altum locum, intus exhibe templum Deo; In templo vis orare? in te ora; sed prius esto templum.* Idem de solitudine dicere possumus: si ametis desertum seu locum solitarium, at istum vocatio vestra non compatitur? intra cor vestrum spiritualem vobis construite solitudinem, quemadmodum Christus Dominus instruxerat Catharinam Senensem.

S.Bern.ser. 40.in Cant. Quæ solitudo sectanda sit.

Ps.102.22.

Joan.4.20.

Ibid.v 21.

S.Bonav.

8. S. Joannes Climacus ingeniose considerat, qua ratione Moyses, non obstante quod juxta mare rubrum populum numerosissimum audiret ejulantem, gementem & murmurantem, eo quod Pharaonis, qui extremam illi minabatur ruinam & perditionem spectaret persecutionem, non propterea tamen animo desponderit, intemisceritque mentem elevare ad Deum per altam piamque contemplationem: *Moyses in mari dixit Deus, quid clamas ad me? ergo & tu, ubicumque fueris, para conscientia precare, & Deus audit; ipsius est enim terra & plenitudo ejus.* In margine leguntur hæc alia verba: *Prodigus ex hara porcorum fecit aram.* Sanctus Philippus Nerius nostræ Congregationis Oratorij institutor spatio 60. annorum Romæ conversatus fuit & moratus inter medios aularum strepitus, nec exinde discessit umquam, nisi quando visitabat septem Ecclesias; & tamen suo tempore & loco perfectissimi instar anachoretæ studebat solitudini. Unde monet Sanctus Chrysostomus: *Solitudo non facit esse solum, sed mens quæ tenetur amore & studio sapientiæ. Ita etiam qui habitant in mediis urbibus, foris, & strepitibus, potuerunt esse singulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, & se justorum conciliis adjungant. Hæc est via secura.*

Spiritualis & interior solitudo ubique erigi & coli potest.

Schol.50. ad gr.25.Clim.

Exemplum S.Philippi Nerij.

9. E ex sylvis & nemoribus progressu temporis monasteria monachorum ad civitates translata fuerunt absque tamen jactura & damno meriti è vita solitari emergentis, unde Sanctus Ambrosius in epistola quadam scribit: *Hæc primus in Occidenti partibus diversæ inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunij sobrietate. Multum enim emolumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & normam integritatis juventatem astringat, & versantes intra urbem abdicet usu urbis & conversatione.* Sanctus Bernardus citatus à Divo Bonaventura lib. 4. Pharetræ cap. 18. modum nos docet, quo fructus solitudinis promereri possimus, esto sæcularibus conviuamus in civitatibus: *Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt, fastidias, quod omnes desiderant, si jurgia dezetes, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum; alioquin nec si solus corpore es, solus es.*

Ex eremis monasteria translata fuerunt ad civitates, attamen sine jactura vitæ solitariæ.

10. Superest

Vindicantur solitarij à calumnijs & cavillationibus obtrectatorum. 10. Superest ut solitarios justificemus, eosque vindicemus à calumnijs & cavillationibus multorum, qui in rebus spiritualibus parum versati sunt, & tamen eremitas pie sancteque viventes taxant ac reprehendunt, quasi Ecclesiæ parum sint utiles. Qua super re audiamus B. Laurentium Justinianum in prologo libri de vita solitaria: *Quamvis*, inquit, *videantur ignoti, & per exteriorem exercitationem corpori Ecclesiæ minus proficui, illi tamen multifarie prosunt. Ipsam quippe continuis orationibus vegetant, à tentationibus defendunt; pro delinquentibus deprecantur; suisque exemplis temporalia docent esse contemnenda.* Audiamus insuper magni Cancellarij Parisiensis judicium, qui Serm.2. de Sancto Antonio ita scribit de solitarijs & eremi incolis: *Satis est seipsum solum salvare, secundo, tales multo plus prosunt, quam mundani, tum oratione tam vitæ exemplo: hoc apparuit de Sancto Antonio. Tertio, melius est non uti mundo, quam eo abuti; Quarto, non est stolidum seipsum ad bene agendum compellere; pessima est libertas fatui aut ebrij, cum seipsum intermit.* Denique Deus erga solitarios & eremi incolas, qui propter amorem suum ab omni se sequestrarunt consortio & solatio humano spectalem suam exhibuit providentiam & assistentiam per miraculosos eventus, veluti amplam hujus rei fidem faciunt vitæ sanctorum Patrum & plures aliæ historiæ sacræ.

TRACTATUS XC.

DE SUPERBIA.

CONTINET

DISCVRSVS XV.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Nonnullæ considerantur qualitates superbiæ erigentis se supra omnes alios, imo & supra Deum, cum cæteris proprietatibus suis.

THEMA.

Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. Tob.4.v.14.

Definitio superbiæ. 1. INter alia monita, quæ senior Tobias juniori filio suo serio commendavit, unum fuit ei valde utile & necessarium, nimirum, ne sibi permitteret dominari superbiam. *Superbia nominatur ex hoc*, ait D. Angelicus, *quod aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est, unde dicit Isidorus in lib. Etymolog. Superbus dictus est, quia super vult videri, quam est. Qui enim vult supergredi id quod est, superbus est, habet enim hoc ratio vitii, ut voluntas unusquisque feratur in id, quod est proportionatum sibi, & ideo manifestum est, quod superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ.* Quid est homo nisi pauxillum terræ & luti *putredo & vermis*; quid igitur indecentius, quam quod prætendat se supra omnes alios efferre, simulque rebellis existat supremæ illi Majestati; *quam adorant Dominationes, tremunt potestates? Quid superbis terra & cinis?* Quæ major excogitari potest præsumptio temeraria, quam quod superbiat pulvis & cinis? Pessimum figmum est, quando in corpore humano præ-

S.Thom.2.2. q.162. art.1.

Superbia adversatur rectæ rationi.

Eccli.10.9.

S.Aug.serm. 10. de temp.

Malitia superbiæ innotescit ex progenitoribus suis.

Isa.14.13.

S.Bern.serm. 2. in oct. Pasch.

Job 1.v.7.

Origenes hic.

Psal.11.v.5.

Abul.q.53. Matth. 15.

3. Hugo Cardinalis exponendo hunc versum Psal. 54. *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate; ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine*, discurrit in hunc modum: *Ideo elongavi, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate diaboli, quæ est mundus; quasi dicat: qui viderit mundi mala, fugiat mundum. Hæc autem civitas habet septem vicos: Primus & quasi principalis est iniquitas, id est, superbia*, & in quo hæc consistat, statim declarat: *Iniquitas, quæ est non æquitas, quia superbus neminem coæquat sibi, sed omnibus vult præesse etiam majoribus, unde de superbia dicitur Ecclo. 21. Nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam; superbia enim hominem humilem, id est, abjectum & vilem sublevat per præsumptionem, & in corde ipsius sublimem humiliat, quia etiam venerabiles personas contemnere eam facit.* Huic nostro proposito valde adaptatur observatio D. Gregorij in Genesin, quando Deus ipsi Noë, suisque filiis, à quibus totum genus humanum propagandum erat, post diluvium dixit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, non enim ait: sit super homines, qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ. Homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura præstatus est, & ideo ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timere.*

Psal.54.10. Hug.Card.ib. Prima platea civitatis diaboli, est superbia.

Exech.21.26. Ibid.v.27.

S.Greg.lib. 21.mor.c.13. Gen.c.9.

4. Verum parum est superbo, quod nolit hominem aliquem sibi æqualem, sed supra illum esse appetat; parum, inquam est, quin superbus vult quoque esse supra Deum, & ab ejus obedientia, uti & à Divinarum legum subjectione se subtrahere. Non mea, sed Bellovacensis doctrina hæc est ita scribentis: *Superbus dictus est, quia super vult videri, quam est, sicut dicit Isidorus, & superbire dicitur quasi super ire.* Prosequen-

Superbus non solum vult esse supra homines, sed & super Deum, ejusq. legem. Bellov.spec. mor.lib.3.p. 3.dist.14.

do deinde discursum suum ait: *Superbia facit hominem monstrosum, videlicet, in altitudine, dum vult omnibus superbire, quod est super ire, cujus altitudo pertingit usque ad Deum, imo supra Deum, dum vult eum pedibus conculcare.* Tametsi non defuerit credens Gygantes erexisse turrim Babylonicam hunc in finem, ut diluvium, casu quo iterato rediisset, evadere possent, nihilominus veritati conformius videtur, quod superbissimi isti mortales prætenderint esse æquales Deo, aut cum eodem contendere: *Superbia est quasi turris Babel*, ait Sanctus Bonaventura, qui in progressu ejusdem capitis addit: *Deum impugnat, quia vexillum inimici sui, id est, diaboli ponit in castro suo, & deponit vexillum Christi, scilicet crucem, quam semper homo debet portare.* Nequit tolerare superbus, quod aliquis sit major ipso & excellentior, ac propterea semper est contrarius Deo, qui, sive velit, nolitve, tamquam Creator omnes creaturas præcedat, necesse est.

S. Bonav. comp. Theol. verit. lib. 3. c. 15.

5. Idem S. Bonaventura quando tractat de profectu Religiosorum, tangit hujus vitij malitiam, quam in eo consistere asserit, videlicet, in *Ambire, alios præire, & sub se velle eos esse. Sic decepta est superbia, & vult alios secum decipi, dum cupit se majorem putari, quam sit, sicut magus decipit Garsionem, ut putet se in equo sedere, & sedet tamquam stultus super fasciculum paleæ. In hoc autem contrariatur Deo, quia cum omnia subjecta sunt ei ipsa vult esse sui juris, & spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantum est in se.* Et in alio quodam loco, ubi agit de amore Dei, superbum hisce alloquitur verbis: *O superbe, ô Luciferi imitator immunde, numquid te cogitas Deum esse, an omnia esse à Deo ignoras? Si ergo à te aliquid esse protestaris, certe Deum te esse fateris.* Et vero adeo ebrius, fascinatus & ambitione regnandi captus est superbus, ut sibi illam tribuat gloriam, quæ soli Deo debetur. Unde Sanctus Antonius de Padua declarando hunc textum Evangelij: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, ingeniosam nostroque proposito conformem habet observationem dicens: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Magna gloria est sequi Deum, dicit Sapiens; & singulariter dicit sequitur, quia superbus vult Deum præcedere, ut præsumptuosus & arrogans, cui dicitur: Vade retro Satanas, id est, adversarie, quia non sapis, quæ Dei sunt, tales enim qui hanc lucem non sequi, sed præcedere volunt, in manus incident inimici.*

Idem tom. 7. de prof. Relig. lib. 1. c. 9.
In quo consistat malitia superbiæ.
Idem stim. amor. p. 3. c. 10.
Joan. 8. 12.
S. Ant. de Pad. serm. in Sabb. hebd. 4. Quadr.

6. Notat B. Laurentius Justinianus omnes creaturas etiam Angelicas intellectuales gloriari se esse Deo subjectas eique famulari, ac debitam præstare obedientiam & reverentiam; non ita superbum, hic enim, inquit, *A propria cognitione, & à laudabili virtutum studio, communique deviat lege naturæ, quicumque superbiæ inflatus spiritu renuit humiliari se Deo ipsiusque præcepta servare, cui profecto cuncta quæ facta sunt, sive super cælestes spiritus, sive throni, scilicet, & dominationes, principatus, potestates atque virtutes; seu cælestia corpora, Sol, Luna, & Stellæ; sive quæ vegetantur in terra, aut gradiuntur super terram; vel removentur in aquis, obtemperant, quibus omnibus, perhibente Propheta, præceptum posuit, & non præteribunt. Hinc hominum contumacia, hinc merito inobedientium redarguitur superbiæ vitium, dum creaturis cæteris proprio authori famulantibus, ipsi se extollentes, eidem negligunt esse subjecti.* Nec deest doctrina D. Augustini, è qua deducitur elatio superbi: *Pia, inquit, humilitas facit subditum superiori; nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, & cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est: dejecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait cum elati fuissent, ut prius extollerentur, & postea dejicerentur; sed cum extollerentur, tunc dejecti sunt, ipsum quippe extolli jam dejici est.* Ex quibus verbis eruitur natura & proprietas superbiæ consistentis in eo, quod nolit aliquem se superiorem neque in terra, neque in cœlo, *respuit subjectionem.*

B. Laur. Just. c. 8. de just. & reg. Præl.
Omnes creaturæ intellectuales gloriantur se subjectas esse Deo, excepto superbo.
S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei. cap. 13.

7. Etymologiam hujus vitij ab authore aliquo reperio descriptam hoc modo: *Dicitur autem superbia à verbo super eo, nam idem est superbire, ac supra se, aut supra alios ire.* Addamus insuper, quod superbi prætendant præesse ipsimet etiam Deo. Sanctus Thomas loco citato proponit hoc dubium: *Utrum superbia sit peccatum mortale?* Et concludit: *Superbia est ex genere suo peccatum mortale, quo quis Deo rebellis sit.* Rationem assignat: *Superbia humilitati opponitur; humilitas autem proprie respicit subjectionem hominis ad Deum. Unde è contrario superbia propriè respicit defectum hujus subjectionis, secundùm scilicet quod aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundùm divinam regulam vel mensuram: contra id quod Apostolus dicit 2. Cor. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram, quam mensus est nobis Deus, & ideo dicitur Ecclesi. 10. quod initium superbiæ hominis est apostatare à Deo, quia scilicet in hoc radix superbiæ consideratur, quod homo aliqualiter non subjicitur Deo & regulæ ipsius. Manifestum est autem, quod hoc ipsum, quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti à Deo.*

Superbia ex genere suo est peccatum mortale.
S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 5.
2. Cor. 10. 15.
Eccli. 10. 14.

8. S. Bernardus ut superbiam nobis redderet magis exosam, detestando superbos infausti illius monstri progenitores nobis reducit in memoriam dicens: *Ille primus superbus, qui secundùm scripturam rex est super omnes filios superbiæ, dixisse non legitur, altior, sed ero, inquit, similis Altissimo. Attamen non mentitur Apostolus, quoniam ille extollitur supra omne quod creditur, aut quod colitur Deus. Horret humanus auditus verbum, sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis, quod non tantum dæmon, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam; jam videtur æqualitas, sed attende male congruam proportionem; Deus quidem in his tantum, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem; superbus vero & cum ratione & contra rationem.* Hæc mellifluus Bernardus serm. 4. in vigilia Nat. D. N. at sermone pariter quarto in ipso festo Nativitatis Christi format hunc discursum: *Qui fornicatur peccat in corpus suum; qui injuriosus est, in proximum; qui extollitur & inflatur, in Deum. Fornicator semetipsum dehonestat; injuriosus molestat proximum; elatus; quod in se est, Deum inhonorat. Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo; & superbus, ego, inquit, mihi eam (licet non dederis) usurpabo. Non colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane & infidelis. Quæ est enim pietas nisi cultus Dei? Quis vero eum colit, nisi qui voluntarie ei subjectus est, & sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sic oculi cordis ejus ad Dominum Deum suum.* Experientia docet, cætera vitia, ut plurimum fugere, & quasi abscondere sese, quantum possunt, ab oculis Dei; at superbia in Dei conspectum pariter & despectum prodit flocci faciens imo conculcans mandata ejus: *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.*

S. Bern. in vigil. Nat. Dom. serm. 4.
Proponuntur nobis progenitores superbiæ ut illam detestemur.
Idem in festi. Nat. Dom. serm. 4.
Job 15. v. 25.

9. Solent à sacris Doctoribus tradi aliæ adhuc definitiones hujus vitij mitiores cum nonnullis distinctionibus; ac primo S. Bonaventura in Centiloquio scribit: *Superbia sic definitur à Bernardo: Est propriæ excellentiæ appetitus. Ab Augustino: Superbia est amor propriæ excellentiæ. Item ab eodem: Superbia est perversæ celsitudinis appetitus.* Allegans deinde authoritatem Gregorij Magni prosequitur: *Superbia habet quatuor differentias. Prima est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet. Secunda est, quando, etsi non sibi, tamen suis meritis. Tertia est, quando jactat se habere, & non habet. Quarta, quando se existimat alijs prævalere.* D. Thomas quatuor pariter assignat differentias superbiæ, quas præfata quæst. art. 4. una conclusione comprehendit dicens: *Æstimare bonum à seipso habere; desuper sibi datum pro suis suscepisse meritis credere; gloriari se habere, quod non habet; & cæteris despectis singulariter videri appetere habere quod habetur, quatuor sunt superbiæ species.*

Aliæ definitiones superbiæ.
S. Bonav. Centiloq. p. 1. Sect. 17.
S. Thom. q. cit. art. 4.

10. Seraphicus Doctor Bonaventura ex authoritate D. Anselmi depromit sequentem doctrinam: *Secundùm Anselmum quatuor sunt exaltationis species. Quædam est exaltatio in opinione; quædam in voluntate; quædam in sermone; quædam in opere. Exaltatio in opinione est, cum quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. Exaltatio in voluntate est, cum quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. Exaltatio in sermone est, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullosa de aliqua scientia, ut magis appareat. Exaltatio in opere est, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna, tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia & hujusmodi.* Idem Seraphicus Doctor lib. de pugna spirit. nonnulla nobis communicat signa & indicia, ex quibus possimus cognoscere superbiam tam spiritualem quam carnalem: de prima ait illam consistere: *In corde suo magna merita sibi depingere, spiritualem gratiam attribuere sibi, quantum Deus eum diligat cogitare; mirari quod non faciat mirabilia; turbari quod Deus non dat sibi quid speciale, & alios velut carnales despicere.* Prosequitur deinde: *Carnalis superbia his indicijs demonstratur. Est clamosa cum tacet; amara & indignabunda, & dissoluta in lætitia; risus irrationabilis & sine causa; in tristitia sua est severa; dura reprehendit cum rancore, non ex compassione; verba profert passim sine aliqua cordis gravitate vel ponderatione; expers patientiæ & charitatis, aliena audacter injuriat, sed pusillanimiter injuriam patitur; difficulter alijs obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, non vult consilium ab aliquo recipere magis sibi credens quam sapientibus.*

D. Bonav. loc. ci.
Afferuntur 4. species exaltationis sive superbiæ.
Signa ex quibus cognoscitur superbia tam spiritualis quam carnalis.
Idem de pugna Spirit. cap. 7.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Superbia, utpote ortum suum ducens à Lucifero, est vitium diabolicum, eaque dæmon plurimum animarum prædam agit.

THEMA.

Dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Isaiæ 14. ℣. 13.

Superbia est vitium diabolicum.

1. AD detestationem superbiæ sufficiens mihi videtur, quod quis se reflectat ad illius primum parentem, qui fuit Lucifer, ac propterea inter reliqua omnia peccata hoc specialissime denominari potest diabolicum. Vivis illud depinxit coloribus Propheta Isaias, cum ait: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* Cætera vitia naturæ humanæ lutum contaminant; at superbia in cœlum ascendit, & in ipsiusmet Altissimi conspectu naturam Angelicam inficere, tertiam partem stellarum à cœlesti firmamento abstrahere, eamque in unum inferni barathrum præcipitare ausa fuit. Hæc ipsius Nili, quando de superbia tractat, consideratio est: *Cæteri, inquit, affectus circa humanam naturam versantur, at superbia Angelicam etiam potentiam fregit ac superavit.* Quibus conformis est doctrina S. Ambrosij asserentis: *Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam.* Et paulo post: *Quid hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cæpit injuria?* Creatus erat diabolus in statu valde eminenti, cujus etiam meminit Propheta Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum &c.* legite quod sequitur, & fatebimini, quod Deus noster certo quodam modo *fecit potentiam in brachio suo*; subintravit tamen superbia, ingrata, temeraria & præsumptuosa, *super astra conscendam, ero similis Altissimo: Quid hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cæpit injuria?* Fuse in hoc vitium superbiæ invehitur Joannes Cassianus, sed ad propositum de Lucifero scribit: *Ut gravissimæ tyrannidis ejus potentiam agnoscamus, Angelum illum, qui præ nimietate splendoris ac decoris sui Lucifer nuncupatus est, nullo alio quam hoc vitio dejectum cælitus invenimus, & ex illa beata sublimique Angelorum statione telo superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum.*

Isa. 14. v. 12.
Ibid. v. 13.
Ibid. v. 14.
S. Nilus de oct. Vit. cogitat.
S. Ambros. serm. 7. Psal. 118.
Ezech. 28. v. 12.
Luca 1. v. 51.
Cassian. lib. 12. cap. 4.

2. S. Augustinus quorumdam producit opinionem existimantium scopulum, ad quem allisit Satan, fuisse invidiam; *Nonnulli dicunt ei fuisse casum à supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei.* Verum ostendit ibidem S. Doctor radicem hujus invidiæ ortum quoque habuisse à superbia: *Porro hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit, non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ; invidia vero sit odium fælicitatis alienæ, quod, unde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coæquantur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod ei non coæquentur.* Huic sententiæ subscribit quoque Basilius Magnus scribens: *Diabolus elatus superbia pro expletione bonorum, quibus cumulatissime affluebat, descivit à Deo, secumque ad defectionem sollicitavit, & abduxit adversarias potestates, dicens, super astra ponam solium meum.*

D. August. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 14.
Diaboli peccatum fuit invidia, orta ex superbia.
S. Basil. in cap. 2. Isa.

3. S. Thomas 1. p. hanc instituit quæstionem: *Utrum in Angelis possit esse tantum peccatum superbiæ & invidiæ*, ubi allegat S. Augustinum lib. 14. de civit. Dei asserentem; *quod Angelus non est fornicator, aut ebriosus, neque aliquid hujusmodi, est tamen superbus & invidus.* Conclusio Doctoris Angelici est; *Quævis peccata in Angelis esse possunt secundum reatum; secundùm affectum autem primum peccatum aliud esse non potuit, quam superbia, quod consequi potuit in illis aliquod invidiæ peccatum.* In progressu hujus articuli probat: *Peccatum primum Angeli non potest esse aliud quam superbia.* Articulo sequenti, qui est tertius, proponit hoc dubium: *Utrum diabolus appetierit esse, ut Deus?* & respondet affirmative, idque probat præfata authoritate Isaiæ, & D. Augustini lib. qq. Veteris Testamenti, ubi ait: *Elatione inflatus voluit dici Deus.* Verba conclusionis ab Angelico formatæ sunt sequentia: *Peccavit Angelus appetendo esse ut Deus, non quidem per æqualitatem, sed appetendo ut ultimum finem, quod virtute suæ naturæ consequi poterat, vel appetendo assequi beatitudinem proprijs viribus absque divinæ gratiæ auxilio.* Hoc ergo jacto fundamento, quod primum peccatum (de quo certum est, primum illius authorem inventoremque extitisse Luciferum) fuerit superbia, necessario hinc sequitur, superbiam dicendam ac æstimandam esse vitium diabolicum?

S. Thom. 1. p. q. 63. art. 2.
An in Angelis malis alia peccata esse potuerint præter superbiam & invidiam.
S. Thom. ibid. art. 3.

4. Nescio an vos reflexeritis ad exhortationem illam sive epistolam, quam S. Apostolus scribit Corinthijs hisce verbis: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Quid voluit Apostolus inferre dicendo, ne se permittant seduci tentatione, quæ non sit humana? loquebatur de illis, qui de seipsis præsumunt: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; & deinde sequitur: *Tentatio &c.* Observetur, superbiam esse tentationem illam, quæ homini omnino impropria est, minus ei quadrat; quadrat autem & propria est diabolo: *Non est creata hominibus superbia*, nimis improprium est & improportionatum homini superbire, cum sit lutum, pulvis & cinis, *cæteri affectus circa humanam naturam versantur.* Ex Sancto Nilo percepimus, indignationem, odium, libidinem, cupiditatem, gulam similesque alios affectus & passiones pravas & inordinatas conformes esse humanæ naturæ & miseriæ; at animi elationem ei esse impropriam, quia est peccatum diabolicum. *Merito superbiæ diabolus* (S. Isidori verba sunt) *à superna beatitudine corruit. Qui ergo de virtutibus attolluntur, diabolum imitantur.* Ast evidentius Doctor Seraphicus loquitur discurrens de hoc vitio: *Diabolo hominem assimilat; ipse est enim Rex super omnes filios superbiæ; unde sicut Dominus ait de charitate, in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem; ita potest diabolus dicere de superbia.* Ubinam Lucifer posuit ac plantavit metropolin suæ tyrannidis? Quis ita ignarus, ut hoc nesciat? In Babylonia, quæ, ut diximus, fuit superbiæ symbolum, & constructa fuit à gigantibus, qui ex turris illius altitudine cum Deo contendere & dimicare intendebant.

1. Cor. 10. 13.
Superbia est peccatum homini planè improprium.
Ibid. v. 12.
Eccli. 10. 22.
S. Isidor. lib. 2. sent. cap. 38.
D. Bonav. compen. Theolog. verit. lib. 3. c. 15.

5. Notatu dignum est discrimen illud, quod assignat D. Augustinus inter civitatem Dei & diaboli: *Quapropter, ait, quod nunc in civitate Dei, & civitate Dei in hoc sæculo peregrinanti maxime commendatur humilitas, & in ejus, qui est Christus, maxime prædicatur, contrariumque huic virtuti elationis vitium in ejus adversario, qui est diabolus, maxime dominari sacris litteris edocetur. Profecto ista est magna differentia, qua civitas, unde loquimur, utraque discernitur; una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit, hac amor Dei, hac amor sui.* Digna quoque notatu est ponderatio sive expositio illa, quam S. Anton. de Padua adhibet huic textui Ecclesi. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, quæ est* (ita declarat Sanctus) *superbia, à qua omnes viæ diaboli procedunt.* Job 48. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.*

Quale sit discrimen inter Civitatem Dei & diaboli.
S. Aug. lib. 14. de civit. Dei c. 13.
Eccli. 5. v. 11.
S. Anton. de Pad serm. in Dom. 20. post Trinit.

6. Vidistisne umquam gressum serpentis, quo tamquam fraudis & deceptionis sui instrumento usus fuit Lucifer? via recta, aliorum instar animalium, non progreditur, sed serpendo incedit, ac si per omnem viam prorepere velit; *Superbia, à qua omnes viæ diaboli.* Hoc insuper observetur in serpente, quod nec pedes nec tibias habeat, sed condemnatus fuit, ut super pectus graderetur: *Super pectus tuum gradieris.* Et cur tali mulctatur pœna, quæ prima fronte nullam videtur habere connexionem cum culpa? Resp. Abulensis: *Pectus, ut ait Augustinus, superbiam notat; diabolus supra pectus graditur, quia omnem suam operationem à superbia incipit.* Fortassis primi actus, quos immediate post creationem elicuit Lucifer, fuerunt actus amoris erga Creatorem suum, vel gratiarum actionis & laudis? Non sane; *superbia à diabolo sumpsit exordium* (ait S. Ambrosius) *qui sua, quam à Creatore acceperat, potentia & dignitate sibi placuit.* Et in alio loco ait idem S. Doctor? *Quid vitij habeat superbia hinc æstimare possumus, cujus author diabolus est.* Nil aliud in ore ejus reperieris nisi verba arrogantiæ, fastus

Job 41. 25.
Quid designet quod serpens gradiatur super pectus suum.
Gen. 3. v. 14.
Abulens. in hunc locum.
Superbia à diabolo sumpsit exordium.
S. Ambros. lib. 1. epist. 84.
Idem serm. 3. in Ps. 118.

fastus & elationis; cor ejus vanitate,præsumptione ac superbiæ tumore repletum erat. Sed redeat Abulensis, ut clarius adhuc intelligamus pœnam serpenti impositam: *Diabolus*,inquit,*super pectus graditur, id est, super superbiam, incipit operationes à superbia,quibus nos peccare facit,nam conatur inducere nos ad peccatum, quod non potest fieri, nisi subducendo homines jugo legis Dei; quia omne peccatum est contra Dei præceptum,sed quod homo velit non esse subditus divino præcepto superbia est,cum usurpetur ibi, quod solius Dei est,id est, esse liberum ab omni subjectione, ideo in omni peccato superbia est & à superbia incipit.*

Abulens. q. 693. in cap. 13. Gen.

Diabolus in superbia habet nidum suum & per illam nos vincit.

S. Aug. tract. 7 in epist. 1. Joan.

7. Sed ulterius scitu nobis necessaria est alia veritas, quam nobis insinuat D. Augustinus in epistolam primam S. Joannis, cum ait: *Sed quid dicit eis, qui cives sunt illius patriæ,cui suspiramus? Vicistis eum. Et unde vicerunt? Quia major est qui est in vobis, quam qui in hoc mundo. Ne victoriam suis viribus tribuerent,& arrogantia superbiæ vincerentur.* Quæ sequuntur bonam merentur reflexionem: *Quemcumque enim diabolus superbum fecerit vincit.* Ecce stratagema, quo utitur astutus serpens, ut nos prosternat,& superbire faciat. Et in alio loco,nempe,serm.53.de verbis Domini hanc eamdem reperimus propositionem: *Ubi*, inquit, *inflatio est, inanitas est. Diabolus ubi inane invenerit, nidum & laqueum deceptionis suæ facere molitur.* In superbia serpens hic habet suum nidum; in superbia pariter distendit suos laqueos. Unde S.Bernardus de ordine vitæ: *Superbis*, inquit, *& libidinosis plus dominatur diabolus.* Hunc laqueum diabolicum exponit D.Chrysostomus Homilia quadam ex Apostolo dicens: *Quod enim superbus eodem quo diabolus cruciatu damnetur, audi Paulum: Ne in superbiam elatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli. In quod judicium? in quem laqueum? In eamdem damnationem, & in idem supplicium.*

Idem serm. 53. de verb. Dom. c. 8.

D. Bern. de ord. vitæ.

D. Chrys. hom. 8. in Joan.

Climac. gr. 21.

Quomodo diabolus tentaverit Eremitam peccato superbiæ.

8. S. Joannes Climacus introducit unum ex senioribus eremi narrantem sequentia: *Cum sederem in cœtu quodam, advenientes ad me kenodoxiæ & superbiæ dæmones juxta me ex utraque parte sederunt, & ex his quidam digito suo illo novissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto à me gestum loquerer; quem cum à me expulissem dicens; convertantur retrorsum, & erubescant qui mala cogitant mihi,protinus is,qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit: Eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris; ad quem ego sequentes versus assumens dixi: avertantur,statim erubescentes,qui dicunt mihi, eja bene fecisti.* Quapropter non sine causa monet nos S.Bernardus,ut simus cauti & circumspecti,ne in eamdem cum Lucifero cadamus foveam: *Lata fovea hic*, inquit mellifluus Doctor, *quæ nolo vos lateat,de qua is ipse superbiæ spiritus tanto periculosius, quanto occultius (sicut habetis in Psalmo) insidiatur quasi leo in spelunca sua. Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem suggerens & suadens, quatenus effectum gratiæ arroges tibi, quod quidem superbiæ genus longe illo priore intolerabilius esse non ambigas.*

S. Bernard. serm. 54. in cant.

Superbi sunt specialis cibus diaboli.

Job 48. v. 14. Ibid. v. 15.

9. Job cap. 40. repræsentatur nobis Lucifer sub titulo & nomine Behemoth magnæ molis bestiæ; de illo namque Job manifeste jam dixerat: *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum.* Expositurus ergo quænam sint bestiæ hujus pascua, ait: *Huic montes herbas ferunt.* Scitu curiosum est, cur ei designentur herbæ montium potius, quam vallium vel camporum sive pratorum in planitie sitorum, ubi herbæ in majori abundantia crescere solent? Respondetur per montes, qui sunt eminentes, denotari superbos, quorum pastu præ cæteris vitiosis gaudet & delectatur diabolus;unde non tam facile hominem è statu innocentiæ dedisset præcipitem, nisi in eo præcessisset motus quidam superbiæ: *Nec arbitrandum est*, ait S. Augustinus, *quod esset hominem dejecturus tentator, nisi præcessisset in homine quædam elatio compescenda.* Exercitati ac dextri prædones & fures per foramen puerum prius in domum intromittunt,qui domus aperiat ostium, per quod ipsi postea intrent domum spoliaturi; eodem utitur artificio sagax serpens infernalis; tentavit primo protoparentes nostros vanitate,præsumptione & arrogantia, & postea in illos intravit cum tota peccati malitia spolians illos innocentia & justitia originali.

S. Aug lib. 11. de gen. ad lit.

Simile prædonum.

S. Ephrem. 40. 1. de recta viven. rat. c. 91.

10. Bene propterea consulit S. Ephrem de recta vivendi ratione asserens: *Humilitatem diligito,& numquam laqueis diaboli capieris, velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis.* Varia retium genera Albertus Magnus Serm. de S. Petro distinguit dicens: *Simonis imitatione triplex rete relinquere debemus. Primum est rete superbiæ; de hoc dicitur Habacuc. 1. Quare Domine taces devorante impio justiorem se? Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum. Superbia enim rete est diaboli, per quam tamen ipse primum cecidit, & licet per eam ceciderit, tamen adhuc per ipsam trahit in sublimi residentes.* In S. Joanne Climaco legimus: *Stimulus superbi seu palus dæmon est.* Et alibi idem author asserit: *Si superbia ex Angelis dæmones efficit,haud dubie humilitas dæmones etiam ex dæmonibus Angelos facere poterit.* Aphorismus medicinæ est: *Contraria contrarijs curantur.* Superbia ad casum & ruinam traxit hominem & Angelum; Christus docuit humilitatem esse unicum remedium curandi hunc morbum: *Satanas ex Archangelico fastigio non aliam ob causam nisi ob contrariam humilitati superbiam ruit.* Eadem est consideratio S. Bernardi ita discurrentis: *Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: in cælum ascendam; Christus cum humilitate dixit: humiliata est in pulvere anima mea. Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: ero similis Altissimo; Christus per humilitatem factus est obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum; Christus vero per humilitatem ad cælos elevatur.*

Albert. Mag. serm. 22.

Habacuc. c. 1. v. 13. & 15.

Vere humiles evadunt laqueos diaboli.

Climac. gr. Idem or. 25.

S. Hieron. epist. 45.

D. Bernard. serm. 37. de modo bene viv.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Superbia uti protoparentes nostros duxit in præcipitium & ruinam, ita & perfectos alios præcipitare nititur.

THEMA.

Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Gen. 3. v. 5.

Superbia ejecit Angelum è Paradiso cœlesti, & hominem è terrestri.

1. Quemadmodum superbia Angelum dedit præcipitem in Paradiso cœlesti; ita tentavit,nec frustra paravit homini præcipitium & ruinam in Paradiso terrestri; ille peccavit vana animi elatione & superbia: *Similis ero Altissimo*; hic vero se fascinari ac decipi permisit esca divinitatis & scientiæ boni & mali: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*; hac enim fraudulenta promissione Eva illecta manum extendit ad pomum, ac propter ea immediate subdit sacer Chronista: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius,& comedit, deditque viro suo.* Quærit S. Thomas, *utrum superbia primi hominis fuerit in hoc, quod appetierit divinam similitudinem?* & in favorem suæ conclusionis ponendæ adducit authoritatem D.August.in Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exolvebam; Adam & Eva rapere voluerunt divinitatem, & perdiderunt fælicitatem* Concludit igitur Doctor Angelicus asserens: *Peccavit primus homo per superbiam inordinate appetendo divinam similitudinem, non modo quantum ad scientiam boni & mali, quam principaliter appetijt, sed etiam quantum ad propriam operandi potestatem, appetendo proprijs viribus consequi divinam fælicitatem; nullo autem modo naturæ divinæ similitudinem appetijt.* Pro meliori intelligentia subdit: *Duplex est similitudo una omnimodæ æquiparantiæ, & hanc similitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad Deum non cadit in apprehensione præcipue Sapientis. Alia autem est similitudo imitationis, qualis possibilis est creaturæ ad Deum, in quantum videlicet participat aliquid de similitudine ipsius secundùm suum modum. Dionysius enim dicit in 9. cap. de divin. nomin. eadem similia sunt Deo & dissimilia; illud quidem secundùm contingentem imitationem, hoc autem secundùm quod causata minus habent à causa. Quodlibet autem bonum in creatura existens est quadam participata similitudo primi boni,& ideo ex hoc ipso quod homo appetit aliquod spiritualle bonum supra suam mensuram, ut dictum est, consequens est, quod appetierit divinam similitudinem inordinate.*

Isaia. 14. 14.

Gen. 3. v. 6.

Psal. 68. 5.

S. Thom. 2. 2. q. 163. art. 2.

Lapsum Adami præcessit aliqua deordinatio.

S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13.

2. S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13. probat, quod prævaricationem Adami præcesserit aliqua deordinatio, exorditur hisce verbis: *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur, non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas.* In quo vero hæc mala voluntas consistat, etiam declarat: *Porro malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia nisi perversæ celsitudinis appetitus?* In progressu hujus capitis post assignatam

assignatam differentiam,quæ est inter civitatem à Deo erectam,nempe, Ecclesiam, & aliam diaboli, nempe, Babyloniam,concludit: *Manifesto ergo apertoque peccato ubi factum est,quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cœpisset, nisi jam ille sibiipsi placere cœpisset.* Permiserunt se decipi sono arrogantis illius promissionis Divinitatis & scientiæ divinæ, absque eo quod fraudem sub promissione latentem examinarent; unde S. Antonius Paduanus ait de Adamo: *Falsæ promissioni de facili acquievit: eritis sicut Dij. O quanta vanitas credere se posse fieri Deum, O miser in altum levaris super te, & ideo miserabiliter corrues subter te.* Inter alia motiva, quæ S.Chrysostomus ad detestandam superbiam adducit, unum est: *Per hanc primus homo à beata illa Paradisi sede dejectus est,per hanc, qui eum decepit diabolus, à tantæ dignitatis fastigio decidit.*

S. Anton. de Pad. Serm. in Dom. 1. Quadr.

D. Chrysost. Hom. 8. in Joan.

Superbi non possunt tolerare obedientiam.

Bellov. spec. mor. lib. 3. p. 3. dist. 1.

Gen. 2. 16.

3. Superbi obedientiam & subjectionem tolerare nequeunt; unde Bellovacensis scripsit de quodam superbo: *Est impatiens subjectionis, intolerabilis suppositionis.* Prohibitio jam emanaverat: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*; jam vero protoparentes nostri ægre admodum ferebant hoc interdictum, quod eruitur vel maxime ex eo, hærentes namque circa arborem pomi vetiti inde non se movebant, quam tamen omni conatu fugere debebant, Eva indignatione percita indolere videbatur, quod sibi ac marito suo non modo esus sed & tactus pomi, quod non erat verum, prohibitus esset; at damno suo indoluit. Quapropter in majorem hujus vitij execrationem utilissima nobis esset hæc consideratio: Angeli in cœlo tot tantisque dotati fuerunt donis ac gratijs, de protoparentibus nostris ait Propheta: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum*, ceciderunt tamen; ergo de hoc monstro sibi timeant etiam perfectissimi, necesse est. Hildeberti namque sententia est: *Superbia natione cœlestis sublimes appetit mentes, & velut ad proprios evolans ortus in gloriam & puritatem irrumpit hominum, quæ à gloria & puritate prorupit Angelorum.*

Psal. 8. v. 6.

Hildebert. epist. 31.

D. Bernard. de ord. vitæ.

Ratio cur pauci religiosi attingant ad perfectionem.

4. S. Bernardus Magister Spiritus valde expertus rationem reddens, cur tam pauci religiosi perfectionis attingant portum discurrit in hunc modum: *Hinc est, quod ex horum magna multitudine, qui sæculum deserunt, rari valde inveniuntur, qui mortificatis vitijs ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Hæc autem significant illa sexcenta millia armatorum, qui de terra Ægypti educti sunt. Duo autem solummodo homines, id est, Josue & Caleb ex illis omnibus terram promissionis ingressi sunt. Regredi autem volentes in Ægyptum prostrati in deserto diversis generibus mortium interierunt. Per Ægyptum intellige mundum, per Pharaonem diabolum, qui est Rex super omnes filios superbiæ; per mare rubrum ablutionem peccatorum omnium; per Ægyptios in eo mortuos ipsa peccata, quæ sunt exercitus Pharaonis. Tu quidem jam Ægyptum deseruisti, Pharaonem fugisti, & lotus à sorde tua submersis curribus canticum lætitiæ Domino cecinisti.* Tandem salutare hoc relinquit monitum: *Detestare superbiam*, hæc enim, ut diximus. *Sublimes appetit montes*; ac prædonis instar naves ditiores mercibus onustas invadit.

Diabolus per illam viam qua præcipitatus fuit, nos perdere conatur.

Joan. Cassian. lib. 12. c. 4.

S. Aug. serm. 53. de Verb. Dom. c. 4.

Idem tom. 9. serm. de obed. & humilit.

S. Bernard. tom. 3. serm. de soc. bona & mala.

5. Discursu præcedenti mentionem fecimus inexhausti thesauri gratiarum donorumque cœlestium, quibus Angelorum pulcherrimus & præcipuus ditatus fuit; *Si igitur* (& est argumentum Cassiani) *tantam virtutem,& tantæ potentiæ prærogativa decoratam una elatio cordis potuit de cœlestibus ad terrena devolvere, qua nos observantia carnis fragilitate circumdatos cavere oporteat, ipsius ruinæ magnitudo demonstrat.* In idem collimat hoc monitum D. Augustini: *Si est*,inquit,*in vobis sanctitas, timete ne perdatis eam. Unde? per superbiam. Aliter perit sanctitas casti si adulter fuerit, aliter perit, si superbus fiat.* Spiritus rebelles eadem,qua ipsi ceciderunt & perierunt, via nos præcipitare conantur. Idem S. Doctor alio in loco ita scribit: *Quid enim dicit Apostolus? Ne quis incidat in judicium diaboli. Videmus ergo, quoniam quicumque inflatur in judicium diaboli incidit.* Sanctus insuper Bernardinus tom. 3. sermone de societate bona & mala, malitia 3. cap. 2. scribit pro nostro documento sequentia: *Per laqueum proprie superbia indicatur, quæ aves, id est, pennatos virtutibus quandoque capit, quia, ut ait Augustinus, superbia bonis operibus insidiatur.* Quam periculosum sit hoc præcipitium ex alto, exemplum nobis ob oculos ponit D. Chrysostomus,ipsum,nimirum, Regem Oziam, qui priusquam veniret in præsumptionem & arrogantiam, bene sanctèque vivebat: *Ozias Rex erat ac vir justus, multis florens egregijs factis. Verum postea tandem ad superbiam venit, ad superbiam, inquam, malorum matrem, ad arrogantiam tumultibus plenam, ad elationem, qua diabolus in exitium ruit.*

S. Chrysost. Hom. 4. de Verb. Isa.

Unde oriatur superbia.

6. Aphorismus medicinæ est: *Corruptio optimi pessima.* Alia peccata annexas habent sordes & inquinamenta sua, nempe, usuræ, vel extorsionum, aut incestus, aut vindictæ, aut ebrietatis, aut proditionis,aut blasphemiæ, vel perjurij, vel impietatis, vel hæresis, aut aliarum similium abominationum; non sic est de superbia, quæ plerumque ex præsumptione & vana gloria de bonis operibus, de cœlestium gratiarum donis & meritis derivatur: *Vitia cætera* (ait S. Augustinus) *in peccatis; superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Nobilis animus cavet sibi, dedignatur, vitat & abhorret vilitatem peccatorum carnalium, videlicet, avaritiæ, crapulæ, vindictæ & aliorum similium; non ita se res habet in complacentia suiipsius & arrogantia seu præsumptione, quæ etiam ex ipso virtutum exercitio progeneratur. Vaferrimus serpens tunc vel maxime Christum Dominum aggressus est tentationibus vanitatis & præsumptionis: *Mitte te deorsum, Angelis suis Deus mandavit de te &c.* postquam superasset primum assultum,inhabitasset desertum, austerum in eo servasset jejunium, postquam etiam baptizatus in Jordane,& vox æterni Patris fuisset audita: *Hic est filius meus dilectus. Ipsa est* (ait Blesensis de superbia) *quæ post omnes virtutes sævit, quæ, quia natione cœlestis est, mentes sublimium inhabitat.* Optime novit astutissimus serpens, quam facile sit præsumere de cumulo donorum & meritorum; quapropter Richardus de S. Victore in canticum Habacuc asserit: *Cito mens se in superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit, sed quanto quis altius super se per superbiam erigitur, tanto inferius sub se deserente Deo per culpam dejicitur, sicut scriptum est: Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.*

D. August. epist. 56.

Luc. 4. v. 9. Ibid. v. 10.

Matth. 3. 17.

Pet. Blesens. serm. 12. in Quadr.

Richard. de S. Vict. in cant. Habac.

Etiam virtuosis & justis metuenda est superbia.

S. Nilus.

7. S. Nilus tractatu de octo vitiosis cogitationibus discurrens, de superbia hanc quoque instituit reflexionem: *Cætera vitia ignavis dumtaxat, ac desidia languentibus hominibus insidias moliuntur, superbia autem studiosis potius atque industrijs.* Homines vitiosi humiliandi sese causam habent; at eos,qui virtute ac merito præditi sunt,nisi sint cauti, invadet contemptus & despectus aliorum ac suiipsius æstimatio & præsumptio: *Justo potius metuenda est superbia* (ait S. Nilus) *nam eum quidem, qui in peccatis volutatur, conscientia sua deprimit,ut quæ eum numquam accusare intermittat, nec caput attollere sinat, at justum, nisi attentum animum habeat, virtutes attollunt. Et quemadmodum prædones in eam potissimum navem,quæ mercibus onusta est, impetum faciunt, eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verum justis acerrimum bellum indicit.* Gloriabatur Propheta regius, cum ait: *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* Ponderate bene verbum hoc, *abundantia*, insinuare volebat,animam suam abundare consolationibus cœlestibus,quasi attigisset suburbium Paradisi, quasi,ut ita dicam, confirmatus esset in gratia,& ad divina secreta admissus: *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Verum audiamus S. Ambrosium: *David præsumptione virtutis elatus dixerat, non movebor in æternum, statim insolentiæ hujus pœnam subijsse memoravit dicens: avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Si ipse Dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam, quanto magis nos peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium sit bonorum?*

Psal. 29. 7.

Psal. 59. 8.

S. Ambr. lib. de Joseph c. 1.

Idem serm. 8. in Ps. 118.

Diabolus maxime studet supplantare intentos bonis operibus.

8. Instituto huic optime inserviunt, quæ idem S. Ambrosius scribit alio in loco,cum ita discurrit: *Studet supplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laboravit Pharisæus ille,ne raperet aliena,ne injustus esset, ne adulteraret? Quantum laboravit,ne peccaret, sicut peccarat publicanus? Quantum laboravit, ut bis in Sabbatho jejunaret? Quantum laboravit, ut decimam daret omnium, quæ acquisierat? Quis nostrum hæc facit? Quanti habent possessiones,& soli incumbunt fructibus,& solis sibi messes recondunt? Advertit hoc diabolus, & perfudit eum ulcere gravi, ut non teneret caput mente carnis inflatus, & in eo,in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior judicaretur. Agebat enim gratias Deo,quod non esset raptor, adulter,injustus. Quam noxie ei luctatus est serpens,& gravibus eum spiris ligavit? Superiorem fecit, ut de altiore dejiceret; inferiorem se præbuit, ut sublimiorem casu graviore prosterneret. Mala ruina est arrogantiæ, superiores obruit.*

Unde

Clim g.23.

Unde etiam bene observat Sanctus Joannes Climacus in hoc suo discursu: *Advertamus omnes, qui scrobem hanc altam evadere cupimus, hoc vitium sæpe ab initio vires sumere, & augeri & gratiarum actione solet, nam statim à principio tam impudenter Deum negandum non audet suggerere. Vidi ego, qui Deo ore grates dicerent, & mente superbe gloriarentur, quod aperte Pharisæus ille testatur.* Historia omnibus nota est: Superbæ suæ & arrogantis orationis in templo hoc fuit exordium: *Deus gratias ago tibi.* Quæ verba exponens Lucas Burgensis ait: *Verbis agnoscens Dei dona & gratiam re ipsa placet sibi in illis, non tam Deum laudans quam seipsum, specie gratiarum actionis ad se laudandam abutens, idque cum aliorum contumelia.*

Lucæ 18.11.

Dion. Carth. in hunc loc. Varij actus superbiæ Pharisæi adducuntur.

9. In hoc Pharisæo Dionysius Carthusianus nonnullos recenset actus superbiæ: *Multiplici*, inquit, *laboravit superbia. Primo, quia etsi omne bonum cognovit esse à Deo, bona tamen sua sibi à Deo præstita existimavit non solum ex divina clementia, sed etiam pro sua industria, sive justitia. Secundo, quia etsi verbis gratias egit, tamen mente ad seipsum reflectebatur videri cupiens & laudari, imo de sua gratiarum actione vanitatem concepit. Tertio, quia de bonis suis super alios insipientes se extulit. Quarto, quoniam alios temerè judicavit & sprevit.* Revertamur ad Sanctum Ambrosium, qui loco præfato prosequens discursum suum ait: *Mala hæc lucta serpentis, qua se in plurimos torquet anfractus. Inflare volebat & Paulum. Quem Paulum? Illum utique Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum; & pene deceperat, ita ut stimulum carnis suæ, qui se humiliabat, rogaret auferri. Sed bonus Dominus, qui Paulum infirmitatibus vellet facere fortiorem, adhibuit ei Angelum Satanæ, ut suis artibus diabolas vinceretur. Non mentiebatur Pharisæus, imo etiam vera dicebat; sed omnis qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit. Denique probabilior Pharisæus ingressus est templum quam publicanus, & condemnatus exivit.* Jejunia, orationes, eleëmosynæ, cæteraque omnia bona sua opera fuere ei veluti ligna ignis infernalis, quia fœtore temerariæ suæ arrogantiæ Deo abominabilia ea fecit.

S. Ambros. l. c.

Unde ortus fuerit lapsus S. Petri.

10. Cuncta sua nequitiæ machinamenta malignus Satan direxerat in Collegium Apostolicum, veluti manifestavit Christus Dominus, dicens: *Satanas expetivit, ut cribaret vos sicut triticum*, unde specialiter dicebat Petro: *Rogavi pro te Petre*; qui tamen postea turpiter cecidit; nec mirum, quia vafri serpentis astu instinctuque extulit se supra omnes alios discipulos & de se nimium præsumens dicebat: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Et quidem hæc ejus præsumptio & arrogantia adeo in ipso invaluit, ut nec Christo Magistro suo, præsagienti negationem suam, fidem adhibere voluerit: *At ille amplius loquebatur.*

Luc. 22.31. Ibid. v. 32. Matth. 26.33. Matth. 14.31.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Cunctis opponitur superbia virtutibus, cunctorumque bonorum operum merita enervat redditque inutilia.

THEMA.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Luc. 18. ꝟ. 14.

Superbia enervat & annihilat omnes virtutes & bonorum operum merita.

1. PArabola hæc, quam ipsamet incarnata Sapientia de Pharisæo & publicano proposuit & adinvenit, docet nos, superbiam, si prædominetur animæ, tanti valoris esse & efficaciæ, ut omnes virtutes bonorumque operum merita enervet & annihilet; siquidem publicanus comparatione Pharisæi vi ac virtute humilitatis suæ è templo descendit justificatus; Pharisæus verò in pœnam præsumptionis & arrogantiæ suæ reprobatus: *Remanente in fæcibus suis*, exponit Lyranus; At S. Bonaventura hoc inde eruit documentum: *Dominus plus pensat unam humilem supplicationem peccatoris pænitentis, quam innumerabiles actiones alicujus justi de se præsumentis.*

Lyranus in hunc loc. S. Bonav. in Lucam.

Patet exemplo Pharisæi. Psal. 36.27.

2. Duobus hisce polis tota divinarum legum nititur observantia: *Declina à malo, & fac bonum*; jam vero Pharisæus, si verbis ejus credere velimus, utcumque accurate observabat: *Declinabat à malo*; Etenim protestabatur: *Non sum sicuti cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri*; insuper *faciebat bonum*; sequitur enim: *Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo*; frequentabat templum, orabat: *Ascendit in templum, ut oraret*; sequestrabat se à communi mundi cursu: *Non sum sicut cæteri hominum.* Quid amplius desideratis in tali homine in ordine ad perfectionem? Nihilominus, *descendit hic &c. remanente* Pharisæo *in fæcibus suis.* Ut suæ reprobationis causam intelligamus, sufficiant hæc pauca verba sancti Paulini: *Quod justitia*, inquit, *ædificabat, superbia destruebat.* Et paulo post: *Reportante sarcinam peccatorum de jactantia sanctitatis.* Sanctus Nilus lib. de octo vitiosis cogitationibus tetigit quoque hunc Pharisæi errorem: *Illum quidem tot tantisque virtutibus ornatum superbiæ spiritus exsufflavit, ac per ipsius linguam tamquam per fenestram reconditas omnes opes excussit.*

Luc. 18.11. Ibid. v. 12.

S. Paulin. Epist. 58.

S. Nilus de oct. vit. cog.

Unicum vitium arrogantiæ & jactantiæ omnes pessumdat & inficit virtutes, quod probatur apta similitudine.

3. Nonnumquam quispiam reperietur, qui immenso labore & quidem plurium annorum spatio vastissimum maris oceanum de uno ad alium pertransiens polum sulcavit, magnas ut sibi accumulet divitias, accumulat, & post varias superatas tempestates eas ad patriam & ad tutum conducit portum, quia vero vana inductus gloria thesaurum suum ostentat, contingit illum à sicariis & prædonibus obrui, spoliari non modo congregatis illis opibus, verum etiam & propria vita; Hoc idem plurimis, qui postquam mare præsentis vitæ transierunt, multa superarunt pericula tentationumque tempestates, postquam salvi & incolumes magnum meritorum sibi congregarunt thesaurum, frequenter accidit, quod superbia in corde ipsorum prædominante non tantum merita, quæ Dei opitulante gratia aggregarunt, verum etiam æternam perdant vitam. Hanc jacturam deplorat Sanctus Ambrosius in pluribus locis: *Nihil ei*, inquit, *tot genera virtutum uno vitio decolorata prodesse potuerunt.* Ubi idem Sanctus Doctor pariter considerat, qua ratione Pharisæus omnibus illis vitiis, à quibus se gloriabatur exemptum, publicanum oneraverat, quorum nihilominus comparatione arrogantia istius Pharisæi alteri parti bilancis apposita multum præponderabat: *O quantum crimen superbia, ut ei etiam adulteria præferantur.* Jam Sermone 20. cit. cuncta ipsius bona opera ponderaverat: *Cum abstinens & parcus esset alieni, liberalis sui, non refugus jejunij, tamen propter jactantiam, etiam illa, quæ habere poterat, amisit.* Huic conformis est doctrina Divi Chrysostomi: *Etsi quis innumera bona fecerit, virtutemque omnem absolverit, si tamen magnum quid de se sentit, maxime omnium miserabilis est & miser.* Abundabat publicanus auro & argento multisque redditibus; sed multa etiam peccatorum contraxerat debita cum divina justitia (*maximo peccatori*) sicque nullum ei erat capitale virtutum, meritorum, bonorumque operum; inæstimabilem nihilominus domum retulit thesaurum, videlicet, amicitiam & gratiam Dei, justificationem & sanctificationem animæ suæ: *Descendit hic justificatus*; totum hoc lucrum acquisivit per humilitatem suam, ubi Pharisæus omnium meritorum fecit jacturam per suam superbiam.

S. Ambros. serm. 20. in Psal. 118.

Ibid. Ser. 4.

Idem serm. 20. cit.

S. Chrysost. Hom. 31. in Gen.

Luc. 18. 14.

Diabolum in barathrum detrusit sola superbia.

4. Quapropter D. Augustinus discurrendo de primo angelo hæc nobis ob oculos mentis statuit: *Consideret*, ait, *Charitas vestra quod dico. Diabolum attendite; numquid ei in judicio Dei objiciendam est adulterium, aut fornicatio? Nihil horum facit, qui non habet carnem. Sola enim superbia & invidia misit in ignem æternum.* Nulla Pharisæus commiserat adulteria, nullas iniquas extorsiones fecerat, crapulæ & gulæ non indulserat, nec per ullam malam viam ambulaverat: *Non sum sicut cæteri hominum &c.* Nihilominus *descendit hic &c. Sola eum superbia misit in ignem æternum. Nullum est vitium aliud* (Joannis Cassiani. verba sunt) *quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum tamquam generalis quidam ac pestifer morbus, non enim unum membrum partemve ejus debilitare contentus, sed solum corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum jam fastigio collocatos gravissima ruina dejicere ac trucidare conatur.*

D. August. serm. 53. de Verb. Dom. c. 4.

Luc 18. 11.

Joan. Cassian. lib. 12. cap. 3.

1. Cor. 13. 1.

Nullum opus bonum, cum superbia factum placet Deo.

5. Celeberrima sunt illa Apostoli verba: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Ex his, inquam, aliisque subsequentibus arguitur, nullum opus bonum, quantumcumque etiam fuerit heroicum, alicujus esse valoris & meriti apud Deum sine charitate, & idem affirmare possumus de superbia. Quemadmodum asserit Sanctus Augustinus: *Non erit*, inquit, *gratum Deo, quidquid homo facit cum superbia.* Videbitis interdum hominem vegetum, robustum, qui comedit, dormit, ambulat, reliquasque sani instar peragit vitæ operationes; nihilominus quia pestifera lue correptus est, ubi insensibile hoc venenum cor ejus attigerit, mortem ei subito inferret. Nonnullis hoc idem pariter accidit frequentissime, quos censeris homines spirituales, virtutibus præditos, donis & gratiis cœlestibus ditatos; in orationibus, eleëmosynis, in solitudine aliisque exercitijs spiritualibus videntur esse homines summæ perfectionis; at si contigerit eos infici hac interna peste arrogantiæ præsumptionis & superbiæ, hæcque cor eorum invaserit, indubie mortem animæ & gratiæ inferret omnibusque bonorum operum meritis destituet. Porro, experientia constat dari quasdam pestiferæ contagionis species, quæ foris non erumpunt nec apparent, sed intus suum operantur effectum; hoc idem multis contingit superbis, qui in verba jactantiæ seu arrogantiæ, veluti fecit Pharisæus, non prorumpunt, sed totum eorum malum intus latet. Insignis quidam artifex, imperante Tiberio Cæsare, vitrum confecerat, cujus materiam talibus secretis naturæ qualitatibus sibi soli notis temperaverat, ut in terram seu corruens, seu projectum non frangeretur. Timens ergo Imperator, ne propterea aurum vilesceret, vitri hujus authori exiguam retribuit mercedem, cum illum mortem multari jussit, prohibuitque simul hujus secreti notitiam & praxin. Astutus serpens: *Serpens erat callidior, &c.* adinvenit superbiam, quæ vitri instar lucidi splendorem solum & fulgorem habet exteriorem; at quale damnum confert animalibus fidelibus? viles efficit ac nullius valoris gemmas, quibus coronæ æternæ gloriæ concinnantur, id est, virtutes ac merita bonorum operum disperdit. *Multorum temporum labores, & orationes, & eleëmosynæ, & jejunia & vigiliæ si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud Deum computantur.* Ait S. Aug. loc. cit. B. Petrus Damianus, cujus hactenus exhibuimus eruditionem moralem, refert causam finalem, ob quam Tiberius vitri illius authorem vita privaverit: *Reputans, quia si hujus artis exquisita subtilitas in communem hominum notitiam deveniret, aurum conspueretur ut lutum, omniumque vilesceret species metallorum.* Hanc historiam applicat deinde morali materiæ, & nostro quoque proposito adaptari potest. *Sicut vitrum fragilis natura depretiat, & soliditatis robur cætera metalla commendat, ita per iracundiam* (nos dicere possumus per superbiam) *tota virtutum structura collabitur.* Convenienter insuper vitro ejusque fulgori, qui apparentia sua oculos decipit adaptari & comparari potest superbia, quæ nidum suum habet in homine apparenter solum, non re ipsa bono; Unde Sanctus Augustinus: *Qui superbiam habet, sine causa habet alias virtutes, imo eas non habet, sed videtur habere; qui enim hoc habet quod Deo contrarium est, quomodo potest habere, quod Deo amicum est.*

S. Aug. Tom. 4. c. 32. l. de salut. docum.

Probatur similitudine.

Pulchra historia applicatur ad idem propositum.

Gen 3. v. 1.

S. Aug l. c.

B. Pet. Dam. l. 5. Epist. 17.

S. Aug. tom. 9. ser. de obed. & humil.

Alb. Mag. serm. 4. in Dom 4. Advent.

Superbia comparatur fulmini.

6. Ingeniosam aliam audiamus similitudinem: *Superbia est quasi quoddam fulmen*; ait Albertus Magnus, & cur hoc? fulmen talis naturæ & virtutis est, ut interdum absorbeat & consumat aurum intra marsupium, vinum intra dolium, utroque remanente illæso, eademque manente figura & apparentia marsupij & dolij; hoc idem nonnumquam contingit superbo, in quo peccatum omnia absorbet & consumit merita, gratias & dona cœlestia, quibus anima dotata erat; at miserabilis ille exterius manebit hypocrita & in eadem existimatione apud homines. Illud insuper bene advertendum est, quod notat S. Nilus, dicens: *Alij omnes affectus, etsi mentem turbant, tamen eam dumtaxat virtutem, quæ cuique adversatur, labefactare conantur; gula, nimirum continentiam; fornicatio pudicitiam, avaritia paupertatem; ira lenitatem, ac denique cætera vitij genera virtutes eas, quæ vitijs opponuntur. At superbia cum animæ principatum obtinuerit, eam prorsus evertit, non secus atq; ingentem civitatem acerbissimus tyrannus; nam & diabolum ipsa è cælo præcipitem ejecit.* Ezech. c. 32. legitur: *Quo pulchrior es, descende.* Quo ornatior est anima meritis & dotibus cœlestibus, eo humilior esse, ac seipsam eo magis despicere ac spernere deberet; sed D. Greg. Mag. aliam inde eruit moralem doctrinam: *Ac si aperte diceretur, ait, quia ex virtutum decore te elevas, ipsa tua pulchritudine impelleris, ut cadas.* Idem S. Doctor documentum alibi allegatum à S. Nilo, jam notaverat, unde dicebat: *Alia vitia illas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit.*

S. Nilus l. c.

Ezech. 32. 19.

S. Greg. lib. 4. Pastor. c. 3.

Id. S. Greg. l. 34. mor. c. 18.

7. Cassianus, qui diffuse contra hoc vitium scripsit, vixitque in eodem sæculo S. Nili, quasi eadem cum ipso & S. Greg. scribit: *Omne vitium suis est terminis & fine contentum, & licet contristet alias quoque virtutes, contra unam tamen principaliter tendit, eamque specialiter opprimit & impugnat, & ut hoc, quod diximus, clarius possit intelligi, gastrimargia, id est, appetitus ventris, seu concupiscentia gulæ temperantiæ rigorem corrumpit, castitatem libido contaminat, ira patientiam vastat, ut nonnumquam uni quis deditus vitio alijs virtutibus non penitus destituatur, sed illa tantum virtute truncata, quæ è diverso æmulo sibi vitio repugnante succumbit, reliquas possit vel ex parte retinere. Hæc vero cum infelicem possederit mentem, ut quidam sævissimus tyrannus, sublimissima capta arce virtutum, universam funditus civitatem diruit, atq; subvertit.* Hucusque sacri Doctores inter se concordant, & consentiunt nec ab eis dissentit S. Bern. de ordine vitæ, dum hoc tradit consilium: *Contra luxuriam adhibeatur cordis munditia; contra odium dilectio; contra iracundiam patientia; contra timorem fiduciæ virtus; contra torporem fervor boni studij; Opponatur tristitiæ gaudium; acediæ fortitudo; avaritiæ largitas; superbiæ humilitas. Principalior septem vitiorum regina & mater est superbia, quæ, omnium deterior, tanto in imo jacet, quantum in altum se erigit. Septem principalium pariunt de se multa vitia, quæ ita sibimet quadam cognatione junguntur, ut ex altero alterum oriatur. Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum.* Satagite, sudate, quantumvis omnem adhibueritis laborem & diligentiam ac multos annos insumpseritis in adornanda anima virtutibus, in accumulandis meritis, nisi superbiæ hostes effecti, eam prostraveritis, totus labor erit frustratorius, unicus namque superbiæ actus sufficiens erit ad truncandas enervandasque omnes virtutes, ad dissipandas cunctas divitias spirituales longo tempore accumulatas.

Cassian. loc. sup. cit.

Superbia est omnium virtutum tyrannus & vastator.

D. Bern. de ord. vitæ.

Superbia spoliat nos virtutibus & meritis.

8. Audiamus nunc Sanctum Prosperum: *Superbia*, inquit, *virtutibus exarmat, quos semel invaserit. Ipsa quidquid in eis remanserit, quod vitijs possit obniti, ne contra se forte convalescat, interimit.* Hanc jacturam tangit quoque B. Laurentius Justinianus dicens: *Præstitit tibi divina bonitas gratis dona naturæ, ut illis utaris pro instrumento virtutum & augmento meritorum. Cave autem, ne elatione tua auferantur à te talenta gratiæ, & in egestate deficias. Sic enim definivit Dominus: Omni habenti humilitatem dabitur, & abundabit; ei autem quod non habet; etiam quod videtur habere auferetur ab eo.* In pluribus locis hanc veritatem confirmatam reperio à S. Bonaventura asserente; *Superbia perdit in nobis merita bonorum operum*, idque dixit quando agit de profectu religiosorum. Porro in ejusdem pugna spirituali cap. 9. hæc alia legimus verba: *Superbia*, ait, *vitiorum regina, vitiorum radix, virtutum omnium devoratrix, quæ tantæ est fortitudinis, ut Luciferum ejiceret de cælo.* Subscribit Basilius Magnus, postquam superbiam & arrogantiam Pharisæi detestatus esset: *Justitiæ gloriationem superbiæ vitio perdidit; vide igitur & observa exemplum gravis nocumenti, quod adfert superbia. Justificationem amisit per superbiam elatus, mercedem perdidit per confidentiam temerarius.*

S. Prosp. l. 3. de vit. contempl. c. 8.

B. Laur. Just. de compunct.

S. Bonav. Tom. 7. de profect. relig. l. 1. c. 9.

Basil. M. Homil. 22.

Pulverem in ventum spargit qui sine humilitate virtutes congregat.

9 Rem hanc apposita & valde propria ex D. Gregorio Magno illustrat similitudine Sanctus Bernardus, inquiens: *Qui sine humilitate virtutes congregat, est quasi qui in ventum pulverem portat; sicut enim pulvis venti validi flatu dispergitur; sic omne bonum sine humilitate inanis vento gloriæ rapitur.* Fusius cap. 40. de interiori domo ad nostrum propositum discurrit: *Superbia sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima, in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima, quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat. Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut luxuria pudicitiam, ira patientiam, &c. Sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus eas corrumpit.* Quapropter pro nostro documento concludit hisce verbis: *Idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata & consecuta fuerit, proposita quam intueamur, apposita cui adhæreamus, interposita qua reprimamur, totum de manu extorquet superbia; quantalibet sit justitia operis apud internum judicem, nulla est si hanc elevet tumor mentis.* Idem mellifluus Doctor Serm. 37. de modo bene vivendi tradit sequentia: *Soror charissima crede mihi, quod multorum temporum vigiliæ, orationes, jejunia, eleëmosynæ & labores, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo reputantur apud Deum.* Et in alio loco nobis insinuat: *Multæ virgines excludentur, quia superbarum nulla ingreditur.*

D. Bernard. in flor. c. 203. Idem Bern. de inter. domo c. 40.

S. Bernard. serm. 37. de modo bene viv.

DISCUR-

DISCURSUS V.
ARGUMENTUM.

Superbia sterilem efficit spiritum ac devotionem nostram, nec non divinas in nobis exiccat gratias.

THEMA.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Jac. 4. ℣. 6.

Superbi similes sunt sterili solitudini.

1. IRrefragabile ex D.Jacobo Apostolo habemus testimonium, quo dilucide probatur, Deum humilibus suas communicare gratias, divinosque suos favores, hisce vero privare superbos & elatos: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Experientia ipsa quovis tempore edocti sumus, eos, qui in vilipendio & contemptu suiipsius minus bene fundati sunt, omni exhaustos evacuatosque fuisse devotione & spiritu. Unde S.Bernardus, quem in hujus rei testem producit Hugo Cardinalis in cap.21. Genes. exponens istum Psalmi versum: *Erraverunt in solitudine, in inaquoso,* applicat hoc superborum vitio: *Hæc solitudo superborum,* & causam indicat, ob quam sterilis fit & sine aquis, nimirum, mystica hæc solitudo divinarum gratiarum veræque devotionis patitur penuriam, aqua enim, veluti ~~Christus~~ exponebat Samaritanæ, gratiæ divinæ symbolum est; comparatur vero superbia solitudini, quia superbi soli dominari desiderant, soli æstimari & honorari cupiunt: *Et bene dicitur hæc solitudo inaquosa, superbia enim devotionis fontem exiccat.* Quemadmodum naturalis proprietas aquæ est descendere, & in humilibus vallibus locisque demissis ac infimis, tamquam in centro suo, quiescere, ita Deus noster pariter *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Gen.21.14. D.Bernard. cit. apud Hug. Card. in c. 21. Gen.

2. S. Augustinus contra hæreticos Manichæos exponendo hunc textum Genesis: *Fons ascendebat è terra irrigans omnem faciem terræ,* in sensu spirituali subdit: *De qua dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua, initium enim superbiæ hominis apostatare à Deo.* Protoparentes nostri aquis divinarum gratiarum irrigati fuere, quamdiu non superbierunt; quamprimum vero aurem suam præbuerunt serpenti, inventi sunt sine aquis, *in inaquoso,* spiritu devotionis & pietatis, quo in priori statu innocentiæ gaudebant, destituti sunt. Qui nescit amorem Dei devotionis esse nutrimentum? idque titulo fontis vivi denotatum est? *Fons vivus, ignis charitas, & spiritualis unctio;* hæc unctio spiritualis ad consolationes internas, quas Deus animabus sibi dilectis infundere solet, alludit; sciendum igitur & notandum, quod D.Chrysostomus in superbiæ detestationem ait: *Nihil tam alienum à divino amore hominem reddit;* & ratio evidens est, quia Deus amat humiles & simplices abhorret & odio habet superbos.

Gen.2.v.6. Quamdiu Protoparentes non superbierunt, irrigati fuerunt aquis divinarum gratiarum. *S.Aug.l.2. in Gen. cont. Manich. c.5.* *D.Chrysost. Hom.3.in Joan.*

3. S. Bern. in Serm. quodam citat authoritatem D. Augustini in suis confessionibus, cum deplorat vanitatem & superbiam suam, qua ante conversionem suam animo efferebatur, aliisque præesse nitebatur avidus mundanæ gloriæ: *Tumore meo separabar à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.* Citat pariter authoritatem S.Bern. scribentis: *Superbo oculo veritas non videtur.* Idem S.Bern. Tom.3. Ser. de desiderabili veritate sub initium declarat: *Est superbia animæ lippitudo, quæ obsistit, ne lux veritatis fulgeat in oculo mentis; hinc Gregorius ait: Tumor mentis est obstaculum veritatis.*

Superbi veritatem agnoscere nequeunt. *S.Bern. Tom.1. ser.27. art.2. c.4.* *Idem Tom.3. de desid. ver.*

4. Sanctus Bonaventura multas exhibet de hoc vitio similitudines, quarum nonnullæ ad nostrum alludunt propositum; una est de vento: *Comparatur vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, & exiccat rorem, & exsufflat pulverem; sic superbia extinguit lumen sapientiæ, exiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ.* Ubi observetur hoc: *Exiccat rorem gratiæ.* Nomine roris S.M. Ecclesia intelligit Spiritum Sanctum authorem donorum, gratiarum veræque devotionis: *Sui roris intima aspersione fœcundet;* ventus ergo superbiæ exiccat hunc rorem & aridum efficit. Occurrat memoriæ vestræ maledictio illa, quam Propheta Regius fulminat in montes Gelboë: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos.* Per hos montes, qui erant altissimi, denotabantur superbi, in quos Deus non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum; supra hos montes merito fuit extinctus Saul, siquidem cum in primo regni sui ingressu valde humilis esset, absconderat namque se, ne inveniretur, adeò superbus evasit, postmodum, ut Deo rebellis, & propter superbiam cum sui maxima confusione (veluti ei per Prophetam Samuelem Deus significari jussit) regno exutus fuerit.

Superbia comparatur vento propter tria. *S Bonav. diata salut. tit.3. c.3.* *2.Reg.1.21.*

5. Superbia, & est altera comparatio propriissima, *comparatur araneæ, quia sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat; sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam.* Aranea eviscerando se quid facit? se exiccat & arefacit; hunc eumdem effectum operatur superbia, aridam efficit devotionem, & animæ viscera ab omni humore spirituali exiccat. In progressu ejusdem capitis sic loquitur: *Hominem arefacit, ut melius accendatur, id est, illum sine humore gratiæ & sine compassione efficit.* Et in D.Joan.Chrysostomo legimus: *Nihil sane ita Charitati opponitur, sicut superbia & mentis elatio.* Hoc igitur supposito principio necessario sequitur, superbos esse steriles, nullosque producere charitatis fructus, nobis alias valde proficuos: *Charitas patiens est, benigna &c.* Prosequitur deinde Sanctus Bonaventura Sermonem hisce verbis: *Hominem consumit, id est, omne bonum hominis annihilat & perdit, juxta illud: Consumit brachia ipsius, id est, hominis superbi, primogenita mors, id est, superbia, quæ est primogenita filia peccati, vel diaboli.*

S.Bonav. l.c. Superbi comparantur araneæ. *S.Chrysost. Hom.60.in Matth.* *1.Cor.13.4.*

6. Tertia superbiæ similitudo seu comparatio, quam adducit sanctus Bonaventura, est de fumo, digna sane matura consideratione: *Comparatur superbia fumo.* Hugo Cardinalis in Epist. Pauli 1. Timoth. 6. superbum nominat hominem fumigatum: *Superbus est fumigatus secundum Chrysostomum.* Sed hæc propositio prima facie non videtur esse vera, etenim de homine plebejo & vili dici solet, quod sit fumigatus; minime vero de homine potenti, quia aliis præest & dominatur. Verum nihilominus est, quod asserit: *Quia superbia est fumus.* Idque amplius in hunc versum Psal.36. *Quemadmodum fumus deficient,* exponit idem Hugo dicens: *Congrua est similitudo, fumus enim quanto magis ascendit, tanto magis evanescit, sicut & ipsi quanto altius extolluntur in sæculo, tanto profundius demerguntur in inferno.* Eamdem hanc proportionem jam pridem adinvenerat Seraphicus Doctor: *Sicut fumus,* inquit, *magis ascendendo deficit, sic superbus plus exaltatus plus evanescit, juxta illud: Mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Audiamus quoque S.Augustinum: *Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tanto fit vanior, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem.* Ipsa experientia hoc idipsum verum esse comprobat, quod fumus tanto citius evanescit, quanto altius exaltatur; idem accidit superbis, qui, quando sunt in apice suæ arrogantiæ, cum sint exosi non Deo dumtaxat, sed & ipsis hominibus, casui tunc sunt viciniores: *Tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant.* Fumus insuper nuncupatur superbus, quia dum ascendit in altum, & in camino ventum obvium habet sibi obsistentem, qui eum repellat & redire cogat, totam adimplet sua caligine domum, ut omnes, ne cæcutiant & offendantur oculi, domo cogantur exire; Idem plane est cum arrogantibus & superbis, prorumpunt in actus iracundiæ, indignationis, improperij, clamoris & insolentiæ, ac propterea, quia redduntur intolerabiles, necesse est, illos declinemus & fugiamus, nisi velimus incurrere periculum rixandi cum illis & frangendi pacem & charitatem. Neque solum fumus superbiæ fugat homines, sed etiam ipsum Deum à nobis recedere facit; Unde D. Chrysostomus: *Ne extollaris in specie tua, ne forte propter superbiam tuam avertatur Deus.* Fumus præterea est effectus & certissimum signum ignis; superbia pariter, quemadmodum suo probabitur loco, magnam habet connexionem cum igne infernali; quamvis enim peccatum accenderit infernum, superbia tamen principalis extitit causa, quæ incendit & aperuit fornacem illam inextinguibilem. Superbia quoque fumus appellatur specialiter, hic enim caligine sua privat nos lumine & splendore, oculorumque obtenebrat lucem; idem pariter effectus est, quem superbia operatur in anima nostra, lumen, quod quis primo à Deo obtinuerat, disperdit, divinaque gratia, quæ est *lux vera quæ illuminat,* nos privat: *Ut tenebræ alienæ sunt à luce* (inquit Climacus) *ita superbus ab omni virtute est alienus.* Sed de hoc fumo clarius Sanctus Bonaventura: Gratia, inquit, Dei hominem denudat, superbis Deus resistit; alludens ad montes Gelboë, de quibus supra jam mentionem fecimus: *Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos.* Et in alio loco jacturam cœlestis hujus lucis declarat sequentibus verbis: *Nullum vitium est, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia & sanctitate hominem spoliet, quemadmodum hujus superbiæ malum.* Tandem Sanctus Bernardinus advertens quoque hunc fumum superbiæ, ne recederet ab hac Metaphora, in detestationem hujus peccati ita scribit: *Hic est fumus de quo Apoc.9. Joannes ait: Ascendit fumus de puteo abyssi, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei abyssi. In quacumque enim mente superbia diaboli viget, radios solis divinæ Sapientiæ ab ea præscindit & puritatem ejus.*

Superbia comparatur fumo. *S Bonav. l.c.* *Hug.Card.in Ep.1.Tim.6.* *Ps.36.20.* *Idem Ibid.* *D.Bonav. cit.* *S.August. in hunc vers. Psal.* *S.Chrysost. Tom.1. hom. 77.* *Joan.1.9.* *Clim.gr.23.* *2.Reg.1.21.* *S Bonav. comp.Theol. verit.l.3.c.15.* *Idem de pugna spir. ser. 53.a.1.c.1.* *Apoc.9.2.* *S.Bernard. Tom.2.ser. 53. art.1. c.1.*

7. Hæc sterilitas spiritus & devotionis & gratiarum divinarum nobis quoque manifestata fuit à Divo Bernardo, quando Sermone de nimia fallacia præsentis vitæ exponendo hunc versum Psal. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt,* ita discurrit subdens: *Solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Literatus est, odit socium. Astutus in negotijs sæcularibus, neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est, si ditescere viderit alterum, cruciatur. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine sua, non enim solus habitare poterit super terram, Nec mirum, quod solitudini huic inaquosum additur, ut dicatur in solitudine, in inaquoso; sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia quoque & arida esse consueverunt sic superbiam impœnitentia comitatur, elatum enim cor durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Idem sanctus & mellifluus Doctor Serm. de donis Spiritus S. confirmat hanc veritatem sequentibus verbis: *Scriptum est, quando magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Contrariorum eadem est disciplina;* necessario igitur sequitur, quod quanto quis erit superbioris & elatioris animi, tanto magis privabitur cœlesti gratia, ac propterea aperte dixit Sanctus Jacobus: *Deus superbis resistit.*

Superbia comparatur solitudini inaquosæ. *Psal.106.4.* *D.Bernard. de nimia fallac. præs. vit.* *S.Bern. de donis Spir. S.* *Jac.4.v.6.*

8. Ingeniosa quoque est similitudo illa, quam tangit S. Cæsarius Arelatensis: *Sicut,* inquit, *de fonte terreno & corporali fluvio non potest aliquis bibere; nisi se voluerit inclinare, ita & de vivo fonte Christo, & S.Spiritus fluvio non potest aliquis bibere, nisi se voluerit inclinare.* In historia Evangelica de Samaritana, veluti jam dictum est, divinam gratiam per aquam significari invenimus: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* In quæ verba ait Hugo Cardinalis: *Quia per gratiam venitur ad gloriam;* At S. Cæsarius hanc aliam facit reflexionem: *Optime,* inquit, *nostis, quia pluvia si montem nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit, & ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, & impletur in eis illud, quod scriptum est. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Quid est omnis vallis implebitur, nisi omnis qui se humiliat exaltabitur?* Cum hoc jam simul notetur doctrina Venerabilis Bedæ: *Montis nomine nonnumquam diabolus significatur, videlicet propter superbiam qua se contra Deum erigit, & esse vult similis Altissimo.* Ab hoc monte descenderunt & simul discesserunt aquæ omnes divinarum gratiarum, ipso remanente sterili & arido, & ad illius pariter exemplum omnes superbi experiuntur eamdem ariditatem, quia *humilibus dat gratiam,* veluti cecinit Psalmista: *Qui emittis fontes in convallibus.*

Humiliantes se bibunt de fluvio gratiarum Spir.S. *Cæsar.Arel. Hom.39.* *Joan.4.14.* *Hug.Card. in hunc loc.* *S.Cæsar.l.c.* *Ven Beda in c.11. Mat.* *Psal.103.10.*

9. In sacris Canticis legimus de cœlesti sponso: *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium.* Forte in collibus, in montibus nullæ frugiferæ erant arbores? cur potius divinos suos oculos conjicit in fructus vallium? Videtur exinde velle inferre, quod in distribuendis gratiarum suarum donis liberalissimus sit erga humiles animas denotatas per valles, easque respiciat oculo benigno ac benefico: *Quid est, quod non poma montis,* (verba sunt S.Gregorij) *sed poma convallis ut videat, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? De quo per Psalmistam dicitur, quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Alludens denique D. Augustinus ad aquam, utpote, divinæ gratiæ symbolum pulchre ad nostrum propositum dicebat: *Colles aquam repellunt, valles implentur.* Nec mirum superbos esse incapaces donorum Dei & gratiarum, quia illa non Deo, sed propriis meritis accepta referunt, ac propterea illis minime digni sunt ac privantur.

Cant.6.10. Deus gratiarum suarum dona liberaliter communicat humilibus. *S.Gregor.* *Psal.46.3.* *S.Aug. ser. 14.de temp.*

DISCURSUS VI.
ARGUMENTUM.

Superbia dicitur delictum maximum, quia directe Deo adversatur, & contra eum arma capit, Deum conculcando impietate & hæresi.

THEMA.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Psal.18.℣.14.

1. NOmine delicti maximi Psalmista vocat superbiam. *Dicitur delictum* (ita exponit Hugo Card.) *quasi à delinquente factum Dicitur maximum, quia directe opponitur Deo.* Idque probat ex textu illo Isaiæ: *Gloriam meam alteri non dabo; Superbia autem sibi vendicat gloriam & honorem Dei.* Origo, prima causa, ac noverca pessima superbiæ fuit præsumptuosa illa prætensio, qua Lucifer thronum suum supra thronum Altissimi exaltare & elevare tentavit: *Super astra Dei exaltabo solium meum.* S. Antonius de Padua post specificationem variorum peccatorum male tractantium & persequentium filium Dei procedens ad superbos asserit, eos, tantæ esse audaciæ & proterviæ, ut Filium Dei etiam præcipitent: *Quidam eum præcipitant deorsum, & isti sunt superbi.* S.Bonaventura inter alia damna gravissima ex hoc vitio resultantia hoc quoque recenset: *Hominem Deo privat.* Hugo de S. Victore: *Superbia,* inquit, *aufert mihi Deum; invidia proximum; ira meipsum. Superbia Deo est odibilis.* Et quidem præ cæteris hoc peccatum Deo exosum est, non quia Deus à nobis recedit, sed quia Deum superbia nostra spernimus & conculcamus. Audite modum loquendi superbi: *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens ut serviamus ei?* Job c. 21. ℣. 14. Et c. 31. unius peccati, quod definivit esse maximum, mentionem facit & ait: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum.* Duas hisce verbis exprimit malitias: Prima est osculari propriam manum; Secunda negare Deum, ambæ ad superbiam alludunt; circa primam D. Gregorius notat & observat dicens: *Manum osculatur ore suo, qui laudat quod facit, & testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operis. Qua in re quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? Auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.* Verum annon gravior erit ille peccati excessus, quando Dei dona & bona, quæ nobis communicat, non agnoscimus dumtaxat, sed eo usque pertingit arrogantia nostra, ut cum sua Divina Majestate contendere, omnemque respectum ac subjectionem, quam ei debemus, pedibus conculcare non verecundemur.

Hug.Card. in hunc locum. Superbia vocatur delictum maximum. *Isa.42.8.* *Isa.14.13.* *S.Ant. de Padua ser.in fer 4. Dom. Pass.* *S.Bonavent. comp.Theol. verit.l.3.c.15.* Aliqua damna superbiæ adducuntur. *Job 21.14.* *Job 31.27.* *S.Gregor. in hunc locum.*

2. Doctrina S.Ambrosij est: *Inter omnes lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium nulla est gravior, quam superborum ruina.* Et excessivæ hujus gravitatis rationem reddit: *Maxime,* inquiens, *cum ista elatio in Dei tendat injuriam.* Hugo Cardinalis cum versum hunc Psal.118. *Superbi inique agebant usquequaque,* exponit, optime declarat, in quo effrænis hæc usquequaque prævaricatio consistat dicens: *Inique agunt non parum, sed usquequaque cum non eis sufficit esse impios, nisi & pios ad impietatem trahere procurent. Hic notandum, quod in Glossa dicitur, quod peccatum maximum est superbia.* S.Gregorius existimat superbiam esse centrum impietatis; ratio esse potest, quia directe contra Deum, cui summam debemus pietatem, arma capit: *Impiorum,* ait, *locus ipsa superbia est, quia cum scriptum sit, initium omnis peccati superbia, unde oritur impietas, ibi continetur, quamvis nec quidquam à superbia distat impietas; valde enim superbire est impio de auctore sentire.* Quando congeriem omnis vitij, omnis sceleris, omnisque impietatis exprimere volumus, dicere solemus: Est una Babylonia, hujus architectus fuit Nemroth gigas homo superbissimus; unde scribit D.Augustinus: *Ista civitas, quæ appellata est confusio, ipsa est Babylon, cujus mirabilem constructionem gentium etiam commendat historia; Babylon quippe interpretatur confusio, unde colligitur gigantem illum Nemroth fuisse illius conditorem. Initium regni ejus fuit Babylon, quamvis perfecta non fuerit usque in tantum modum, quanta superba cogitabat impietas.* Superbi isti gigantes, quia excessiva corporum mole reliquos superabant homines, Deum ipsum etiam superare & cum eo concertare prætendebant: *contra omnipotentem roborari.*

D.Ambr. l.5.Epist.84. In quo consistat gravitas peccati superbiæ. *Ps.118.51.* *Hug.Card.ib.* *D.Greg. l.3?. mor.c.7.* *D.Aug.l.16. de Civ.Dei c.4.*

Deus vilipenditur & graviter offenditur per superbiam.
S. Bern ser. in die Purifi.

3. S. Bernardus insuper ostendit, quantum Deus vilipendatur & offendatur ab hoc vitio scribens de ejus filio: *Nihil ita oculos ejus offendit sicut superbia, quæ angelum de cælo, & hominem expulit de Paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cælo & in Paradiso fædavit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato justo perfidum. Quæ sicut & peccatorum primam & maximum, sic & omnium regina & mater vitiorum.* Consideratione quoque dignum est argumentum illud, quod Cassianus contra hoc vitium instituit dicens: *Quantum est malum superbiæ, ut non angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum adversarium habere mereatur? Notandum siquidem est, quod nequaquam dixerit superbis, qui cæteris sunt, vitijs involuti, quod habeant sibi Deum resistentem, id est, Deus gastrimargis, fornicarijs, iracundis, seu phylargyris adversatur, sed solis superbis. Illa namque vitia vel in unumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines videntur admitti; hæc vero proprie pertingit ad Deum, & idcirco eum specialiter digna est habere contrarium.* Hisce à proposito nostro omnino conforme est, quod S. Aug. Tom. 9. aut quicumq; sit author alius, scribit discurrens in hunc modum: *Simpliciter dico vobis, omnia peccata odio habet Deus, mendacium, perjurium, furtum & cætera, in quibus si quis deprehensus fuerit, non potest oculos levare, sed sic eum habemus quasi execrabilem. Si quis superbus est multo pejus facit quam adulterium, & tamen loquimur cum eo. Qui fornicator est, potest aliquid dicere: Vicit me caro mea, superavit me adolescentia mea. Non dico quod sibi hoc facere liceat, aut quod se excusare debeat, siquidem & hoc odio habet Deus, sed in comparatione mali dico. Quicumque aliud peccatum fecerit, v.g. si furtum, se excusare potest; quid enim dicit? Propterea furtum feci, quia algebam, quia fame moriebar, quia ægrotabam. Superbus quid dicere potest? Ideo superbia majus malum est, quia excusationem non habet.* Aliud non habet, quod dicat, nisi volo concertare & contendere cum Deo, pedibus meis ipsum subjicere volo: *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est, Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Reliqua vitia indirecte pugnant & arma capiunt contra Deum; at superbia immediate & directe Deum offendunt & contemnunt.

Cassian. l. 12. c. 7.
D. Aug tom. 9. de obed. & humil. c. 2.
Job 15. v. 25. Ibid. v. 26.

Superbia est iniquitas maxima.
Job 31. 28.
S. Aug. in Psal. 18.

4. Observandum Prophetam Job, postquam dixisset: *Quæ est iniquitas maxima,* subjungere: *Et negatio contra Deum altissimum.* S. Augustinus in textum Thematis discursus hujus: *Si mei non fuerint dominati, emundabor à delicto magno,* quærit; *quo putamus delicto? Quod illud est delictum magnum? Forte aliud sit quam dicturus sum, non tamen celabo, quod sentio: Delictum magnum arbitror esse superbiam. Hoc fortasse & aliter significatum est in eo, quod ait, & emundabor à delicto magno. Quæritis quam magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum, scriptum est enim? Initium omnis peccati superbia.* Prosequitur deinde ostendendo apostasiam à Deo detestabilis monstri hujus esse partum, inquiens: *Magnum hoc delictum est & caput, atque causa omnium delictorum, caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, & facta est apostasia à Deo.*

S. Bern. Tom. 1 ser. 27. art. 2. c. 4.
Hæreses oriuntur ex superbia, non ex ignorantia.
Blos. Append. 4. Inst. spirit. c. 7.
Idem parad. animæ c. 17. n. 2.
Blos. l. de defens. fid. c. 1.

5. Pro majori hujus declaratione profert S. Bernardinus authoritatem S. Bernardi scribentis: *Superbo oculo veritas non videtur;* citat quoque textum Jer. cap. 49. *Superbia tua & arrogantia cordis tui decepit te.* Ubi Glossa: *Omnis hæreticus arrogans, quia superbia facit hæreticum, non ignorantia.* Confirmat quoque testimonio Gregorij Magni: *Tanto à Dei luce longe sunt, quanto apud se humiles non sunt.* Bene tangit hanc materiam Blosius Append. 4. Instit. Spirit. cap. 7. hisce verbis ex Taulero relatis: *His, qui humiles & parvi non fuerint, Pseudo-doctores persuadere nitentur ea omnia, quæ à veritatis Magistris umquam tradita fuerunt, non esse vera. Unde & multi ex eis, qui in vana complacentia suique æstimatione permanserint, laqueis deceptionis involventur, adeo ut ipsis omnia sanctæ Ecclesiæ instituta, ceremoniæ ac ritus videantur errori falsitatique obnoxia.* Hoc idem in alio loco confirmat dicens: *Hæreses non aliunde sumunt originem quam ex superbia & inobedientia. Quid enim faciunt hæretici? Simplicitatem, quæ est in Christo, subsannant, sanctas Ecclesiæ consuetudines atque traditiones contemnunt.* Libro deinde de defensione fidei hisce exorditur verbis: *Non aliunde sumunt originem hæreses quam ex superbia & inobedientia; Hæretici enim suum sensum proterve defendunt, ea quæ adinveniant obstinata mente sequuntur decretis Ecclesiæ Apostolicæ ejusque Antistitibus parere nolunt.* S. Philippus Nerius, ut Hæresiarcham illum dictum Paleologum induceret ad abjurandam hæresin, veræque fidei agnitionem multis & varijs usus fuit medijs, inter quæ ad deponendā contumacis illius hominis jamjam comburendi superbiam & obstinationem efficaciora erant illa, quæ ad humilitatem ordinata erant: *Superbia quippe* (S. Augustini sententia est) *cunctas hæreses genuit.*

S. Aug. ad Past. c. 8.
Hoc patet in variis hæresiarchis.
Baron. an. 145. n. 3. Valentino.
Carpocrate, Basilide.
Baron. an. 173. n. 20. Montano.
Baron. an. 256. n. 20. Origene.

6. In annalibus Ecclesiasticis mentio fit hæresiarchæ Valentini, qui primo professione fuerat Philosophus Platonicus, hic postquam tum in Ægypto, tum Romæ promulgasset Evangelium & fidem Catholicam, ac propterea non esset promotus, uti prætendebat, ad Episcopatum, (alius enim propter prærogativam, quam habebat, martyrij ei prælatus fuit) tanta exarsit ira, ut fidem illam, quam antea prædicaverat, acerrime impugnare & dilacerare cœperit. Carpocrates, à Baronio dictus fæx omnium hæreticorum, & Basilidis pariter hæresiarchæ patriota firmiter & obstinate asserebat mundum hunc productum fuisse ab Angelis, & Christum Dominum à Josepho generatum communi generationis via. Et quid mirum? Impius ille cum suis sequacibus attendebat & studebat Magiæ, & quia promptos ad sua obsequia habebat dæmones, gloriabatur in iisdem veluti sibi subjectis. Superbia vero hujus suorumque asseclarum consistebat in eo, quod Christo se similes esse dicebant. Montanus pessimarum hæresium author cum suis severissime à Deo castigatus fuit, dum ope diaboli interiit. Præcipua causa errorum ipsius extitit arrogans superbia; Etenim nominabat, existimabatque se esse Paraclitum, quo nomine & titulo illum quoque citat Tertullianus; asserebat, quod à Christo recepisset Spiritum Paraclitum, eumdemque conferret alijs majori cum plenitudine, quam fecerunt Apostoli, eo quod in majori abundantia illum recepisset. Annales iisdem de Origene hoc referunt testimonium, quod fuerit vir summæ honestatis, patientiæ, filius martyris, propter amorem Christi omnibus se spoliaverit bonis & divitijs, aliquoties propter fidei confessionem martyrio affectus, summo dotatus ingenio, Magister innumerabilium Doctorum, Sacerdotum, Confessorum & Martyrum; ast quis fuit ille scopulus, ad quem allisit & naufragium passa fuit navis tam opulentis onusta mercibus? Donis Dei & gratiis sibi communicatis bonus ille vir abusus fuit, quia nimium proprio fidit judicio, sibi quoque nimium credidit, plus reliquis omnibus præsumpsit scire & sapere, majorum doctrinam ac traditiones Ecclesiasticas sprevit & contempsit. Idque, uti asserit Baronius, refert & scribit Vincentius Lyrinensis S. Augustini coætaneus.

Eunomio. Baron. an. 360. n. 35.
Idem an. 361. n. 36. Euphemitis.
Idem an. 362. n. 224. Hilario Diacono.
Baron. An. 415. n. 28. Pelagio.

7. De Eunomio hæretico Galata legimus cum in tantam elatum fuisse superbiam, ut, quemadmodum scribit Theodor. asseruerit nihil esse in Divinis, quod ipsum lateret, eo quod Divinam comprehenderet substantiam, eamdemque cum Deo, qua cognoscit seipsum, haberet cognitionem; unde hæretici hujus asseclæ dicere solebant, ita se cognoscere Deum, sicut Deus cognoscit seipsum. Eodem tempore plura alia impietatis monstra, quæ sub ovina pelle lupi rapacitatem abscondebant, & vocabantur Euphemiti, Ecclesiam infestabant & affligebant; siquidem dediti orationi nihili faciebant Sacramenta, nec ulla alia virtutum opera; adeo vero superbia illis dominabatur, ut affirmarent oculis corporeis se posse videre SS. Trinitatem, dicebantque frequentes se habere visiones, perfectos se esse non solum, verum etiam Angelorum, Prophetarum imo & Christi attingere perfectionem, & quosvis alios nomine Christiano asserebant esse indignos. Plurimas hoc sæculum sustinuit persecutiones ab hæreticis; siquidem anno sequenti, ut refert eadem historia, Hilarius Ecclesiæ Romanæ Diaconus non se separavit dumtaxat ab Ecclesia Catholica, verum etiam eamdem hæresi infecit, asserens baptismum hæreticorum non esse admittendum. Missus erat hic Hilarius à Liberio Papa ad Constantium una cum Lucifero legato, & post verbera & carceres perpessos tandem cum Lucifero relegatus fuit in exilium; at infelix homo actus in superbiam propter gloriam nobilis suæ confessionis, despiciendo cæteros, non schismaticus solum, sed etiam hæreticus factus est. Pelagium insuper legimus jactitantē se & gloriantem, quod fœminarum cinctus caterva ne minimum infestaretur aut molestaretur à concupiscentia, multo minus ei subjectus esset, etenim de me dictum est (sic ja-

ctanter

ctanter de seipso loquebatur) *lapides sancti volvuntur super terram*, ac propterea similes haud sentio molestias, utpote, qui virtute liberi arbitrij circumfero trophæum Christi.

Blos. Psychag. l. 3. c. 9.
Antichristus ex superbia extollit se super Deum.
Dan. 7. v. 8.
2. Thess. 2. 3. Ibid. v. 4.
Rom. 1. 18.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 20.
Ibid. v. 20. Ibid. v. 21. Ibid. Ibid. v. 22.

8. Præterire nequeo hoc loco, quod docet Blosius in alio loco: *Qui inde lapsus est, in veritate non stetit. Quicumque non sunt lapsi, in veritate stant, & ille stat, qui Deo fruitur; qui autem se frui voluerit, cadit. Quis vero se frui vult? Qui superbus est. Ideo ille qui semper stare volebat in atrijs Jerusalem, in lumine, inquit, tuo videbimus lumen, non in lumine nostro. Item apud te, inquit, fons vitæ, non apud me.* Cum Daniel Spiritu prophetico prævideret adventum Antichristi & calamitosos eventus illius temporis, descripturus ipsum ex instinctu Spiritus Sancti, quo regebatur ipsius calamus descripsitne ipsum fortassis persecutorem fidei? blasphematorem? Tyrannum? Idololatram? Atheum? Hæreticum? Dei ac Filij Dei fatalem inimicum? Audite, ut totum hoc uno complecteretur verbo, satis ipsi fuit dicere, quod erit superbus: *Os loquens ingentia.* Sed clarius hoc impietatis monstrum describit S. Paulus ad Thessalon. *Homo peccati, filius perditionis, Qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Dignus quoque consideratione est textus ille ad Rom. c. 1. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Verum si per creaturas aut ex creaturarum cognitione, suffragante lumine naturæ, quod à Deo receperunt, in notitiam veri Dei devenire potuerunt, cur igitur in sua idololatria adeo remanserunt obcæcati? Causa fuit eorum superbia & arrogantia: *Ut sint inexcusabiles, Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ecce in quem impegerint scopulum: *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, Dicentes enim esse sapientes stulti facti sunt.*

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Superbia omnis peccati principium est, tum quod inveniatur in omnibus; tum etiam quia fuit primum peccatum & origo omnium; tum denique quia est gravissimum.

THEMA.

Initium omnis peccati est superbia. Eccli. 10. ℣. 15.

est primum omnium peccatorum principium.
S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 7.
S. Aug. Tom 4. de salut. docum. c. 19.
S. Isid. l. 2. sent. c. 38.

1. Quam felix ac beata fuisset vita hominis creati in innocentia & justitia originali, si non comparuisset in mundo detestandum illud peccati monstrum; quod si pariter cœlestem non penetrasset Paradisum, neque superna illa Jerusalem magna ex parte evacuata & spoliata; nec infernus fuisset, neque commissa fuissent tot scelera & iniquitates, quibus terra postea inundavit, & ad finem usque mundi hujus inundabit; at quis hoc monstrum progeneravit nisi superbia? *Initium omnis peccati est superbia,* ait Ecclesiastic. Dubium movet D. Angelicus: *Utrum superbia sit primum omnium peccatorum?* Et respondet affirmative inhærens authoritati præfati textus, subditque hanc conclusionem: *Superbia per quam maxime à Deo avertimur, est primum & principium omnium peccatorum.* Ratio, quam assignat est: *Dicendum quod illud quod est per se, est primum in quolibet genere; dictum est autem, quod aversio à Deo, quæ formaliter complet rationem peccati, pertinet ad superbiam per se, ad alia autem peccata ex consequenti; & inde est, quod superbia habeat rationem primi, & est etiam principium omnium peccatorum.* Nullum dari potest peccatum, quod non includat contemptum Dei divinarumque legum; Unde docet S. Augustinus: *Omnium peccatorum initium & finis & causa* (loquitur de superbia) *quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit, aut potest, aut poterit sine superbia, siquidem nihil aliud omne peccatum est nisi Deus contemptus, quo ejus præcepta contemnimus, & hoc nulla res alia persuadet homini nisi superbia.* Quemadmodum in alio proposito jam dixerat S. Bernardus: *Ibi pecca, ubi Deus non est,* ita pari proportione videtur posse dici: *Ibi pecca, ubi superbia non sit;* sed ecce quam conformiter proposito nostro loquitur S. Isidorus: *Omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita, contemptui habeat divina præcepta. Recte ergo initium omnis peccati superbia est, quia nisi præcesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis non sequitur culpa.* D. Thomas art. cit. proposuerat simul argumenta aliqua, & ad secundum, quod tale erat: *Initium superbiæ est apostatare à Deo, Eccli. 10. ergo apostasia à Deo est prius quam superbia,* ac proinde superbia non est primum peccatorum. Respondet S. Doctor: *Dicendum quod apostatare à Deo dicitur esse superbiæ humanæ initium, non quasi aliquod aliud peccatum à superbia existens, sed quia est prima superbiæ pars; dictum est enim quod superbia principaliter respicit subjectionem divinam, quam contemnit. Ex consequenti autem contemnit subjici creaturæ propter Deum.* In responsione ad primum jam dixerat: *Quodlibet genus peccati natum est ex superbia oriri.*

Eccli. 10. 14. S. Thom. l. c.
S. Bonav. de profect. relig. l. 1. c. 9.
Superbia triplici ratione dicitur initium esse omnis peccati.
Idem in compend. Theol. verit. l. 3. c. 15.
Abulens q. 53. in c. 15. Matth.
Bellovac. pec. mor. l. 3. p. 3. dist. 1.
Isa. 14. 13.

2. Docet nos S. Bonaventura, in quo superbia opponatur Deo: *In hoc,* ait. *contrariatur Deo, quia cum omnia subjecta sint ei, ipsa vult esse sui juris, & spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantum est in se.* Hac supposita doctrina, quod superbus nolit esse subjectus, sequitur, quod transgrediatur & prævaricetur omnem legem, omnisque prævaricatio imbibat superbiam. Alio in loco idem Seraphicus Doctor cum distinctione declarat, quo modo sit principium omnis peccati: *Superbia dicitur initium omnis peccati triplici ratione. Primò propter causam quæ invenitur in omni peccato, quia in omni peccato invenitur contemptus Dei, qui est quædam causa peccati; iste autem contemptus est aversio à Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili, quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil.* Secunda ratio, quam adducit, est: *Quia primum peccatum fuit, hoc enim genere peccavit diabolus in cælo, & homo in Paradiso.* Tertia ratio, *quia ex ea nascuntur alia vitia secundùm prius & posterius.* Abulensis ubi tractat de malignitate hujus vitij, asserit peccatores divinarum legum trangressores nonnisi uno moveri passu: *Mali ab uno capite movent gressus suos, scilicet, à superbia.* Eadem fuit observatio Bellovacensis: *Notandum,* ait, *quod superbia est prima & præcipua in contemptu & offensa Dei, in perpetratione omnium vitiorum; imo ipsa est prima omnium vitiorum origine cælesti, in qua maxima Dei offensa & implacabiliter apparet, quod tam nobilem, & tam sublimem & tam pulchram, & præstabilem & honorabilem creaturam propter solam superbiam cogitationis, qua dicebat in corde suo: Isaiæ 14. in cælum conscendam, de tanta nobilitate præcipitavit ad tantam vilitatem.*

Jerem. 2. 20.
Rom. 13. 1.
Superbus subtrahit se ab observantia divinarum legum.
S. August. tr. 25. in Joan.
Superbia sublata tollitur radix omnis peccati, quod probatur similitudine.

3. Jeremiæ 2. hisce superbus depingitur verbis: *Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti non serviam.* E contrario præcepit nobis Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ubi nota Apostolum dicere: *Omnis anima;* superbus non vult se submittere; quicumque à jugo divinarum legum se subtrahit, declarat se superbum. Hæc est ratio, quam reddit S. Augustinus docens nos modum eradicandi peccatum, simulque consulens, ut primo extirpemus superbiam si finem hunc assequi velimus: *Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam, per quam factum est, non curet, ad tempus videtur mederi; causa manente morbus repetitur; v.g. apertius hoc dicam. Humor in corpore scabiem vel ulcera gignit; in corpore fit magna febris & non parvus dolor. Exhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & fervorem illum ulceris sedent; & adhibentur, & proficiunt; vides hominem, qui fuit ulcerosus vel scabiosus, sanatum, sed quia humor ille non ejectus est, rursus ad ulcus reditur. Cognoscens hoc Medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt ulcera.* Hanc similitudinem S. Doctor casui nostro applicat, pariterque insinuat tunc nos detruncaturos omnis peccati radicem, quoties cumque è medio sustulerimus superbiam: *Unde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas.*

S. Bernard. ser. c. 203.
Antequam in cœlo appareret monstrum superbiæ, peccatum erat ignotum.

4. *Initium omnis peccati.* In quem locum S. Bernardus hanc instituit considerationem: *Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum; quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit.* Inter omnia alia vitia superbia ipsa contra Deum armis se munire, ipsum infestare & impugnare, ac supremam illam & infinitam Majestatem, *quam adorant dominationes, tremunt potestates,* vilipendere & despicere ausa fuit. Priusquam

in

in cœlo compareret hoc monstrum superbiæ, peccatum ignotum erat; superbia reliquis omnibus vitijs viam strauit & aperuit, ac pulcherrimum Angelorum commutavit in dæmonem cum omnibus suis assectis, qui nil aliud moliuntur, nisi ut tententur & instigent humanum genus ad offensas & injurias Deo creatori nostro inferendas: *Hæc est primæ ruinæ causa & origo principalis morbi* (scribit Cassianus de superbia) *qui versum per illam, qui fuerat à se dejectus in protoplastum serpens, infirmitates omnium vitiorum & materiam germinavit.* Hugo Cardinalis in versum illum Psal. 118. *Superbi iniquè agebant usquequaque*, commentans ait: *Hic notandum, quod in glossa dicitur, quod peccatum maximum est superbia, & possumus dicere, quod hoc est quadrupliciter, scilicet, origine, genere, numerositate, temporis antiquitate; Origine dico, quia ut dicitur Eccl. 10. initium omnis peccati superbia; Genere, quia ut dicitur in glossa: Superbia natione cœlestis sublimium mentes inhabitat.* In cujus rei probationem adest authoritas S. Nili de octo vitiosis cogitationibus, ut ait: *Superbia gravissimus atque omnium truculentissimus est affectus, ac perfectos potissimum oppugnat, eosque qui ad virtutum fastigium evecti sunt, dejicere contendit. Numerositate* (pergit Hugo Cardinalis) *quia fere omnes superbi sunt, unde & in glossa addit, sub cinere lauitans & cilicio;* innuere volens subtilissimum & selectissimum genus superbiæ latere frequenter sub saccis & ciliciis. Denique *temporis antiquitate, quia hoc fuit primum peccatum in diabolo & in homine.*

Caſſian. l. 12. c. 5.

Pſ. 118. 51. Hug. Card. ib.

Eccli. 10. 15.

S. Nilus.

5. Si consideremus Prophetam Ezechielem cap. 21. verissimum reperiemus oraculum illud Davidicum: *Superbi iniquè agebant usquequaque*; asserit enim Propheta dicto capite: *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem*; tribus immediate vicibus mentionem facit iniquitatis, per quam, uti ex antecedentibus deducitur, intelligitur superbia: *Nonne hæc est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit?* Hugo Cardinalis in Psal. 54. *Superbia enim*, inquit, *hominem humilem, id est abjectum & vilem subleuat per præsumptionem, & in corde ipsius sublimem humiliat, quia etiam venerabiles personas contemnere eum facit; hoc iniquitas magna, & ter dicit iniquitatem.* Porro afferere possumus, Prophetam tertio repetiisse *iniquitatem*, quia *initium omnis peccati superbia est*; primo in Lucifero & assectis ejus; secundo in Adamo & Eva; tertio in tota horum posteritate.

Continuatio ejusdem. Pſ. 118. 51. Ezech. 21. v. 27. Ibid. v. 26. Hug. Card. in Pſal. 54.

6. Idem Hugo Cardinalis in expositione Psal. 7. & hujus versus: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis*, ait: *Si feci istud, id est, peccatum superbiæ, quia est maximum. Dicitur radix omnium malorum, quia sicut radix difficillime evellitur, ita etiam hoc vitium.* Præterea quemadmodum omnes flores, fructus, imo & frondes, rami, truncus & medulla arboris proveniunt ex radice, ita pariter omnia peccata cujuscumque speciei derivantur ex superbia. Unde docet S. Ambrosius Serm. 7. in Psalm. 118. *Multiplicis culpæ materiem esse superbiam declaravit, dicens de hæretico; quia ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ superbit, nihil sciens, sed languescens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, sacrilegia, suspiciones malæ, conflictiones hominum mente corruptorum, & à veritate alienorum æstimantium quæstum esse pietatem. Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Unde David commendare volens devotionem suam, nulla superborum, intquitate attentata ait: Superbi iniquè agebant nimis. Non solum iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declaravit, quæ conveniret superbis., quorum ne aliqua tentaretur contagio, audi alibi dicentem: Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam.*

Superbia comparatur radici. Pſ. 7. v. 5. Hug. Card. ib.

D. Ambr. ſer. 7. in Pſ. 118.

7. Quid de maligna tali censores febre, quæ cuncta remedia converteret in pestiferum & mortale venenum? Talis est malitia morbi hujus contagiosi & pestilentis superbiæ; virtutes opera bona, Sacramenta, orationes, eleëmosynas, imo ipsos etiam abjectissimos & profundissimos humilitatis actus, veluti suispsius contemptum superbia convertit in venenum & in mortem animæ; siquidem, ut advertit S. Bernardus Tract. de interiori domo: *Idcirco est omnium peccatorum pessima, quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat. Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit.* Jam pridem punctum hoc tetigerat S. Isidorus Hispalensis: *Inde*, inquiens, *omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat.* Verisimile est, ex eo, utpote antiquiori hoc hausisse S. Bernardum. S. Joannes Climacus hanc quoque stabilivit propositionem: *Imparas est omnis apud Deum, quisquis superbo est corde*; at majoris est ponderis, quod jam paulo ante dixerat: *Ubicumque lapsus contigit, ibi jam ante superbia nidificarat.* Existimabat nimirum, non posse dari transgressionem aliquam, quæ ortum suum non haberet à superbia.

Pessis superbiæ suo veneno inficit omnes virtutes.

D. Bernard. de inter. dom. c. 40.

S. Iſidor. l. 2. ſent. c. 38.

Clim. gr. 23.

8. S. Thomas art. sup. cit. in responsione ad 4. arg. scribit: *Superbia dicitur esse gravissimum peccatorum ex eo, quod per se competit principio, ex quo attenditur gravitas in peccato. Et ideo superbia causat gravitatem aliorum peccatorum. Inter graviora peccata primum est superbia, sicut causa, per quam alia peccata aggravantur. Et id, quod est primum in causando peccata, est etiam ultimum in recedendo; ideo super illud Psal. emundabor à delicto maximo, dicit glossa, hoc est, à delicto superbiæ, quod est ultimum recedentibus ad Deum, & primum recedentibus.* Quapropter bene observat S. Joan. Climacus: *Prior*a, inquiens, *quidem hominum vitia sæpe ab hominibus curata sunt. Extremum vero seu stupor* (loquitur de superbia) *à nullo mortalium curari potest.* Et S. Augustinus aut quicumque alius author sit, sequentem nobis reliquit doctrinam: *Quicumque superbus est, melius esset ei, & hoc ad comparationem mali dico, ut omnia alia vitia haberet, & ex malis suis inclinaretur ad pœnitentiam, & non omnes despiceret; si autem post peccata ageret pœnitentiam, utique Dei misericordiam meretur. Qui autem superbus est, omnium malorum habet principium, & non agit pœnitentiam quasi justus sit. Propterea superbia contraria est Deo, quia Deo non subjicitur, sic enim se habet quasi justus. Superbus non agit pœnitentiam pro malis, & gloriatur quasi pro bonis.*

D. Thom. l. c. Per superbiam aggravantur omnia alia peccata.

Gen. 3. v. 14. Superbia virtualiter includit omnia peccata. Abul. in c. 3. Gen. Pſal. 118. v. 78.

Climac. l. c.

D. Auguſt. Tom. 9. ſer. de obed. & humil. c. 3.

9. De hac superbi impœnitentia evidens habemus argumentum in Pharisæo, qui minime reprobatus fuit propter adulteria, homicidia, iniquas extorsiones vel ob similia peccata; sed propterea reprobus abivit, quia in orationibus suis, eleëmosynis, jejuniis aliisque bonis operibus insuperbivit, seipsum extulit & alios despexit. Nullus peccator adeo firmiter & tenaciter attinetur à diabolo sicuti superbus. Audiamus decisionem S. Augustini: *Nullum vitium est, cui magis divina lex resistitur, & in quod magis accipiat dominandi jus ille superbissimus Spiritus.* Ex valore & efficacia medicamenti devenitur in notitiam malignitatis morbi, cui applicatur. Hinc idem S. Augustinus, esto in alio loco, bene observat, dicens: *Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum Deus humilis venit. Hæc causa hoc peccatum magnum, iste virgens morbus animarum omnipotentem Medicum de cælo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumelijs egit, ligno suspendit, ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic timor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.* Nolo hic præterire quamdam S. Bernardi sententiam: *Sicut initium sapientiæ timor Domini, sic initium omnis peccati superbia; & quomodo perfectionem sibi sapientia vendicat amor Dei, ita desperatio sibi omnem malitiæ consummationem.*

Superbi sunt impœnitentes.

D. Aug. Tom. 3. l. 4. de Trinit. c. 15.

Idem in Pſ. 18.

S. Bernard. ſer. 37. in Cant.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Superbia aliorum omnium peccatorum, vitiorumque annexam habet congeriem.

THEMA.

In ipsa initium sumpsit omnis perditio. Tob. 4. ℣. 14.

Superbia est radix & prima origo omnis peccati.

1. DOcumentum inter alia utilissimum ac maxime necessarium, quod senior Tobias juniori filio serio commendatum volebat, erat illud: *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permitas*; rationem protinus subdit: *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* S. Ambrosij hæc est sententia: *Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti; hoc telo nos primum diabolus vulneravit & perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus esset, Deus esse voluisset.* Opere ipso docuit magnus hic S. Doctor, qua is quantusque superbiæ inimicus, quantusque è contra humilitatis amicus fuerit, tunc nimirum, quando omni conatu Mediolanensem respuit Archiepiscopatum. Jam pariter scripserat in Epistola quadam in detestationem hujus vitij: *Sive in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est.* Quemadmodum radix non est principium duntaxat arboris, sed simul causa principalis est omnium surculorum & frondium ac germinum, ad eumdem modum superbia in homine (*video homines quasi arbores ambulantes*) est prima origo peccati, & causa omnis peccati; unde S. Bernardus Serm. de mo-

S. Ambr. ſer. 7. in Pſ. 118.

Idem lib. 3. Epiſt. 84.

do bene vivendi ait: *Superbia est radix omnium malorum.* Nec est, quod mihi opponatis, S. Apostolum hunc effectum attribuisse cupiditati: *Radix omnium malorum cupiditas*, 1. ad Timoth. 6. ℣. 10. Respondeo enim cum S. Augustino: *Superbia & cupiditas in tantum unum est malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit cupidus inveniri; de superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, invidiæ, iræ, vixæ, dissensiones, contentiones, animositates, ambitiones, elationes, præsumptiones, jactantia, verbositas, vanitas, inquietudo, mendacium, perjurium, & cætera hujusmodi, quæ dinumerari per singula longum esset.*

S. Bernard. ſerm. 37. de modo bene viv. 1. Timoth. 6. v. 10 S. Aug. tom. 4. de ſalut. docum. c. 19.

S. Bonav. l. c.

2. Postquam Abulensis in despectum superbi exposuisset pœnam datam serpenti: *Super pectus tuum gradieris*, veluti suo loco jam diximus, prosequitur de serpente infernali: *Intendit homines persuasionibus ad peccata pertrahere, & in quolibet peccato superbia tamquam prima origo includitur, cum in quolibet peccato repugnemus Deo, & simus inobedientes.* Audiamus Psalmistam ore Dei loquentem: *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me*; non exponit qualis hæc fit species peccati, solum in genere dicit, *iniquitatem*, quia superbia virtualiter omnia includit peccata. Basilius Magnus commentando in cap. 13. Isaiæ, hanc nobis reliquit propositionem observatu dignam: *Intelligere convenit extense ab uno hoc superbiæ peccato species malitiæ cæteras omnes derivari.* S. Bonaventura in Dictis salutis superbiam appellat: *Primum & principale ac capitale vitium.* Accedit S. Joannes Climacus asserens: *Cogita tu mihi duodecim esse vitia ignominiæ. Audivi ego à viro valde honorato, qui dixit: Si unum ex his (elationem animi dico) voluntate tua complexus fueris, illud unum vicem undecim reliquorum supplebit.* De superbia scribens S. Isidorus Hispalensis hæc tradit: *Mater & regina septem principalium vitiorum superbia, non ingrediatur, nec requiescat in domicilio cordis mei, neque soboles ejus mihi adhæreat, id est, gula, concupiscentia, fornicatio, avaritia, invidia, ira, tristitia, vana gloria.*

Gen. 3. v. 14. Superbia virtualiter includit omnia peccata. Abul. in c. 3. Gen. Pſal. 118. v. 78.

S. Baſil. M. in c. 13. Iſa.

S. Bonav. dict. ſal. tit. 1. c. 3.

Climac. gr. 23.

S. Iſid. Hiſp. exhort. ad pœnit.

3. Non immerito superbiæ attribui potest titulus Hydræ, hanc fingunt Poëtæ capita septem habuisse, quorum aliquo excisо, septem alia subnascebantur; pari ratione superbia hydra dici potest, quia est mater septem vitiorum capitalium: Quod si superbus unum aut alterum truncaverit vitium, & desuper glorietur ac superbiat, reum se faciet ac culpabilem instar transgressoris omnis legis, quia juxta regulam, *qui in uno deficit, factus est omnium reus.* Ingeniosa valde hæc est reflexio D. Chrysostomi asserentis: *Natrix dilectionis humilitas est, & totus mali odij mater superbia.* Charitas est regina omnium virtutum, eadem proportione dicere possumus superbiam esse reginam omnium peccatorum. Audiamus quo eam epitheto paulo post deferibat idem Sanctus: *Hanc esse constat arcem malorum & radicem, fontemque peccati.*

Superbia comparatur Hydræ.

S. Chryſ. hom. 4. de ver. Iſa.

Superbia est regina & mater omnium vitiorum.

4. Quantum S. Gregorius Magnus amaverit humilitatem, declaravit ipsius fuga, qua respuebat summum Pontificatum, & quamvis contra suam voluntatem ad illum divinitus & miraculosè postea fuerit elevatus, in eo tamen vixit cum continuo suispsius contemptu, unde superbiam veluti omnium vitiorum causam detestabatur verbis sequentibus citatis à Cassiano lib. 12. c. 1. de spiritu superbiæ. *Ipsa vitiorum regina superbia cum devictum plane cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.* Quærit S. Thomas: *Utrum superbia debeat poni vitium capitale*, & hanc exponit conclusionem: *Superbia non capitale vitium, sed omnium vitiorum regina & mater est.* Procedit deinde cum hac distinctione: *Superbia dupliciter considerare potest; uno modo secundùm se, pro ut, scilicet, est quoddam speciale peccatum: alio modo secundum quod habet quamdam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam spectalia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideo quidam considerantes superbiam, secundùm quod est quoddam speciale peccatum, connumeraverunt eam aliis vitijs capitalibus; Gregorius vero considerans universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitijs, sed posuit eam reginam omnium vitiorum & matrem.* Et statim hic subdit S. Doctor authoritatem D. Greg. l. 31. mor. c. 31. ex Cassiano sup. adductè.

Joan. Caſſian. l. 12. c. 1.

D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 8.

Climac. l. c. Enumerantur germina, filiæ & gradus superbiæ.

5. Multa pessima germina superbiæ enumerat S. Joannes Climacus loco supra citato, dicens: *Superbia est negatio Dei, inventum diaboli, despectus hominum, parens temerarij judicij, seu condemnationis alienæ; mala progenies laudum, sterilitatis argumentum, auxilij divini obstaculum, lapsuum procuratrix, fons furoris, simulationis seu hypocrisis janua, propugnaculum dæmonum, causa peccatorum, immanitatis seu immisericordiæ causa, commiserationis ignoratio, hostis Dei, blasphemiæ radix, divini auxilij negatio.* Quid ulterius in detestationem hujus pessimi vitij dici potest? Finxerunt Poëtæ ex vase Pandoræ omnes super terram prosluxisse calamitates & infortunia, omnia promanasse mala culpæ & pœnæ; fabula sit hæc, veritas tamen Catholica est superbiam & fuisse, & esse originem & causam omnium malorum. De filiabus hujus abominandæ matris ait Doctor Seraphicus: *Filiæ superbiæ sunt septem, scilicet præsumptio, ambitio, inobedientia, irreverentia, erubescentia boni, & irrisio bonorum vel simplicium, vana gloria, & hypocrisis.* In suo Centiloquio scribit deinde de gradibus hujus: *Gradus superbiæ secundùm Bernardum sunt duodecim, scilicet, curiositas, levitas mentis, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo.* Omnes & singuli in gradus ibidem fusè declarantur.

S. Bonav. l. c.

Idem in Centiloq. p. 1. Sect. 17.

6. Audiamus etiam ipsum Sanctum Bernardum, quid scribat *ad fratres de monte Dei: Superba*, inquit, *ex usu voluntas in magna sæpe cordis inopia tumentem efficit animum; unde procedunt vana gloria, fidúcia sui, negligentia Dei, jactantia, inobedientia, contemptus præsumptio & cæteræ animæ pestes, quæ profluere solent ex tumore & usu superbiæ.* Pestis in hoc differt ab aliis morbis & infirmitatibus corporis particularibus, quod istæ residere soleant in una parte corporis; at lues contagiosa seu pestifera inficit & contaminat totum corpus, imo vestes etiam ipsas inficit, esto nonnumquam signo externo in una duntaxat corporis parte manifestetur; eumdem hunc effectum operatur superbia, quæ pestis instar cunctas animæ potentias contaminat, inficitque; unde & Sanctus Nilus discurrendo de octo vitiosis cogitationibus hac utitur similitudine: *Ut contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque* (nempe superbia, de hac enim loquitur) *in totam animam serpit.*

D. Bernard. de vit. ſolit. Comparatur pesti.

S. Nilus.

7. Quod vero superbia alia plura, quæ ex illa promanant, habeat annexa vitia, haud difficile erit ostendere, si singula separatim perstringamus. Ac primo, quod ait Sanctus Augustinus: *Superbia mihi est immanitas*, patet in Jona Propheta, qui urbis Ninive exterminium videre maluisset, non zelo divinæ justitiæ, Superbia est immanis & crudelis. S. Aug. l. 2. c. 8. con. Acad.

juxta quam debitam promeruerat punitionem; sed ne fidem suam prostitueret, & mendax reputaretur. Superbi ambiunt honores, dignitates, aliisque dominari appetunt, ideoque injusto bello patriam opprimunt, civitates evertunt, solo æquant vicos & oppida, campos, & agros humano faciunt inundare sanguine. Sermocinabatur propterea bene Sanctus Bernardinus his verbis: *Primum vitium increpandum est superbia, unde Dominus præcepit: Increpa feras arundinis, id est, mentes superbas, quæ feræ dicuntur, quia sunt sylvestres ad Deum, & ferè, id est, crudeles ad proximum, feræque arundinis dicuntur, quia vacui sunt superbi ad se, & steriles quoad proximum.* Idem Tom. 1. Serm. 23. hanc iursus notavit crudelitatem: *Primum radicale peccatum, ex quo detractio generatur, est crudelis superbia.* Neque ferrea duntaxat viscera habet superbus sævum & crudelem in alios se ostendens; verum etiam odio habet & male tractat humiles & mansuetos; ita testatur S. Joannes Climacus: *Uti solem fur aversatur, ita superbus mansuetos contemnit.* Experientia compertum est, quod homines arrogantes & superbi duris & asperis verbis non solum, sed etiam factis aggrediantur humiles, dando illis occasionem benefaciendi, ut nimirum, eo magis in amorem Dei & proximi accendantur; juxta quem sensum Hugo Cardinalis exponit illum versum: *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Nempe *amore Dei.*

D. Bernard. Tom. 2. ſer. 18. art. 2. Idem Tom. 1. ſer. 23. art. 2. c. 2. Pſal. 9. v. 23.

8. D. Augustini sententia est. *Ut velint homines vindicari, quando lædantur, superbia facit, cum humiliari dedignantur, vindicari volunt*; hanc feritatem & appetitum vindicativum sequuntur ira & indignatio. Et quia superbus magnam de se habet præsumptionem, ac proinde majorem, quam comperat, cupit sibi deferri honorem, contra illum, qui eum non adorat, ita accenditur, rabiem concipit, injurijs illum onerat & improperijs. *Ubi fuerit superbia* (sunt verba Salomonis) *ibi erit & contumelia.* Arrogantes & tumidi corde semper injuriosa in ore parata habent verba; Addit Climacus. *In corde superborum nascuntur blasphema verba.*

Vindicativus. S. Aug. ſerm. 41. de ver. Dom. Prov. 11. v. 2.

9. Sunt insuper in bonis operibus instabiles: *Sicut navis est absque gubernatore, cum jactatur à fluctibus* (& est similitudo Divi Augustini) *ita & superbus fervis circumferetur, instabilis per omnes actus suos.* Et in

Climac. l. c.

Inſtabilis in operibus bonis.

S. Aug. Tom. 4. de salut. docum c. 32. Idem ser. 53. de verb. Dom. c. 5.

alio loco ac sermone depingit superbum invidum: *Servo Dei*, inquit, *cui surrepserit superbia, continuo ibi est & invidia, non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit.*

Luxuriæ deditus. Rom. 1. 21. Ibid. v. 24. Ezech. 16. v. 49. D. Greg. l. 26. mor. c. 13.

10. Verum inter reliqua omnia vitia nullum est, quod sit partus adeo proprius superbiæ, uti est vitium sensualitatis seu luxuriæ. Patet hoc primo ex Apostolo, qui postquam Philosophos & sapientes illos gentiles exhibuisset vanitate & tumore superbiæ prægnantes: *Evanuerunt in cogitationibus suis*, addit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et vero unde prodiit nefaria illa libido infamium illarum civitatum, cujus horrendus fœtor ipsos etiam attigerat cœlos, indeque iræ divinæ fulmina evocaverat? Audiamus, quod Deus ipsemet revelavit Prophetæ suo Ezechieli: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia.* Tetigit hoc idem punctum Gregorius Magn. proferens exempla, quæ ipse oculis conspexit circa hanc deordinationem: *Multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit.*

Patebit in Antichristo. Dan. 11. 36. Ibid. v. 37. Ibid. Gen. 3. 5.

11. Supra jam fecimus mentionem plurium hæresiarcharum, qui in arrogantiæ & superbiæ pœnam proni corruere in cœnum impudicitiæ & hæresis. Daniel spiritu Prophetico illustratus præsagiendo Antichristi adventum in fine sæculorum ait: *Faciet juxta voluntatem suam Rex, & elevabitur, & magnificabitur adversus omnem Deum, & adversum Deum Deorum loquetur magnifica &c. Et Deum patrum suorum non reputabit.* Prius depinxerat illum superbissimum, postea describit & ostendit eumdem libidinosissimum, dicens: *Et erit in concupiscentiis fæminarum, nec quemquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget.* Observastisne, quo tempore protoparentes nostri in seipsis experti fuerint rebellionem carnis & sensus? Quando, nimirum, mendacem illam serpentis promissionem: *Eritis sicut dii*, verificatum iri sperarunt & præsumpserunt.

Baron. An. 253. n. 41.

12. Legitur in annalibus Ecclesiasticis, quod Sanctus Cyprianus incessanter deploraverit quorumdam miseriam, qui post emissam fidei confessionem, & post acceptam etiam pristinam libertatem, quâ à carceribus liberabantur ab ipsismet persecutoribus (qui tot tantorumque concivium mortem & necem indolebant) stulte gloriabantur in confessione sua, & tamen continentiam non servarent, sed luxuriose vivebant in carnis deliciis & voluptatibus, de quo pariter lamentatur libro de singularitate Clericorum.

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Deus superbis resistit, eosque deprimit & detestatur, idque exemplo Luciferi comprobatur.

THEMA.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1. ℣. 51.

Quantum Deus detestetur, & quam graviter puniat superbiam, patet in Lucifero & sociis ejus. Luc. 1. 52. Apoc. 18. 1.

1. Cum sanctissima & præcelsa Dei Mater (cui S. M. Ecclesia gloriosissimum attribuit titulum sedis sapientiæ, *sedes sapientiæ*) à prædilecto filio suo destinata esset ad instruendos fideles in nova lege Evangelica; quamvis sacri Evangelistæ eam nonnisi septem vicibus toto vitæ suæ decursu locutam fuisse commemorent; nihilominus vix in utero suo virginali Verbum æternum conceperat, & in cantico suo speciatim in superbiæ detestationem prorupit in hæc verba jam proposita, quæ indies in Vesperis recitamus: *Fecit potentiam &c.* Voluit, videlicet, nobis notum esse; quod Deus sua (ut ita loquar) extenderit brachia ad disperdendos superbos; quo modo loquendi intendit simul exprimere infinitam aversionem & odium; quo Deus persequitur superbiam: *Deposuit potentes de sede*; nobilissimos, nimirum, illos spiritus, Angelos, Archangelos, Thronos, Principatus, Dominationes, Potestates, Cherubim, Seraphim, omnes, quotquot in superbiam elati fuere deposuit, & extrusit è sublimibus & cœlestibus illis sedibus in imum inferni barathrum, & ad illas è contra exaltavit humiles, id est, nos mortales. Spiritus illi superni creati & adornati sunt tanta tamque mira & rara pulchritudine ac decore, ut in cœlis solis instar resplendeant, ita, ut si Sol deficeret ad illuminandam terram, unicus solus sufficeret Angelus ad illuminationem hujus Universi: *Vidi alium Angelum descendentem de cœlo* (ait Sanctus Joannes in Apocalypsi) *habentem potestatem magnam; & terra illuminata est à gloria ejus.* Oporteret hic conficere seriem prærogativarum, donorum, gratiarum ac thesaurorum, qui ex inhausto illo S. Triadis ærario in nobiles illos & sublimes spiritus; præcipuè in pulcherrimum Angelorum, distributi sunt; verum ut eo clarius summam illam aversionem, quâ Deus abominatur & aversatur superbos spiritus, conciperemus, oporteret oculos mentis & intellectus convertere ad horribilem ac monstrosam formam dæmonis, in quam ex angelo transformatus est, magnam sane conspiceremus metamorphosin, quæ aliunde non fuit causata nisi à superbia: *Fecit potentiam in brachio &c. Horribilia monstra*, ait S. Bernardinus de dæmonibus. S. Antoninus fusius de hac monstrositate discurrens ait in dæmonibus reperiri horrorem & deformitatem; ac propterea subjungit, quod Sanctus Sebastianus eos delineaverit in hanc formam: *Quorum brachia capita Draconum sunt; quorum dentes sicut Elephantis prominent; cauda ut scorpionum; voces ut fremitus leonis; aspectus timorem, dolorem & mortem incutiunt.* Quæ sequuntur consideratione digna sunt: *Quidam Patrum dixit, quod si quis videret dæmones in illa deformitate, in qua vident damnati, non posset vivere.* Hunc horrorem causavit sola superbiæ cogitatio sive arrogans consideratio interna: *Dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam*; hæc sola sufficiens fuit ad præcipitandum angelum, & angelum transmutandum in diabolum.

S. Bern. Tom. 4 ser. 18. extraord. S. Ant. p. 4. tit. 14. c. 5. §. 8. Isa. 14. v. 13.

D. Hieron. in hunc locum. Quando & quo modo insuperbierit Lucifer. S. Bern. ser. 3. de ver. Isa. 5. Corn. à Lap.

2. *Dispersit superbos mente cordis sui.* S. Hieronymus, quem refert & citat Cornelius à Lapide, explicat, quo modo insuperbierit angelus dicendo: *In cœlum conscendam*; sic discurrit: *Vel antequam de cœlo corrueret, ista dicebat; vel postquam de cœlo corruit; si adhuc in cœlo positus, quomodo dixit: ascendam in cœlum? Sed quia legimus cœlum cœli Domino, cum esset in cœlo, id est in firmamento, in cœlum, ubi solium Dei est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de cœlo corruit, loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quod nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat, non ut inter astra, sed super astra Dei sit.* De hac superbia pulcherrimi angeli scribit quoque S. Bernardus: *Quid festinas mane oriri ut Lucifer? Quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter & splendore in nihilum redactus omnino dispereas. Quam melius Joannes Baptista Lucifer fuit, qui solem justitiæ Christum præcurrens magis fervere studuit, quam lucere? Bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quam Lucifer.* Cornelius à Lapide ingeniose discurrit improperando Lucifero: *Quomodo*, inquit, *ô Lucifer factus es noctifer, imo furcifer? Quomodo de cœlo in cœnum, de summo in imum, de vita in mortem, de gloria in gehennam corruisti?* Ecce quales saltus facit superbia; quando in cœlum usque ascendisse creditur, tunc iræ divinæ icta fulmine præceps agitur in profundissimam inferni abyssum.

Isa. 2. v. 11. Oculi & frons erecta sunt indicium superbiæ. Eccli. 23. 5. Job 40. 8. D. Greg. l. 32. mor. c. 7. Job 1. v. 7. Pallad. in Lusiaca c. 44. Exemplum Monachi in pœnam superbiæ gravissimi lapsi.

3. In Isaia legimus cap. 2. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa.* Oculus uti & frons erecta sive elata signum & indicium est superbiæ; quapropter Ecclesiasticus S. D. Majestatem exoraturus, ut ab hoc eximeretur vitio superbiæ, hac illam expressit phrasi: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Sic etiam D. Gregorius, ubi tractat de superbis, exponens textum illum: *Facies eorum demerge in foveam*; asserit: *Justo namque judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum sese ultra hominis erigentem inferius dejicit, ima enim respicit, cujus facies fovea attendit. Et bene de superbia dicitur, quod eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetunt, & quo magis se extollendo erigunt, eo magis ruendo inferius tendant. Terrenam namque gloriam quærunt, & infima sunt, quæ prospiciunt, dum superbiendo alia sequuntur.* Idem explanando illam imprecationem Prophetæ Job: *Contere impios in loco suo*, ait: *Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur.* S. Joannes Abbas, qui Theodosio Imp. celebrem illam prædixit victoriam, refert de quodam monacho, quod in pœnam vanæ suæ præsumptionis & superbiæ, qua prius peccaverat, à dæmone tentatus, turpiter lapsus fuerit; etenim malignus spiritus mulieris assumens formam incitavit ipsum ad peccatum carnale, & habito cum ipso commercio evanuit; quapropter monachus non se ab uno dæmone deceptum dumtaxat agnovit & vidit, sed & alios dæmones in aëre ridentes sibique illudentes & subsannan-

subsannantes audivit. Totus turbatus & contristatus, quid facit miser? ad vilem se reductum advertens statum, sæculum repetiit factus apostata. Voces in aëre auditæ fuerunt istæ; *Qui se exaltat humiliabitur, tu autem ad cœlos quidem exaltatus es, humiliatus vero es usque ad abyssos.*

Isa. 2. v. 11. cit sup. Psal. 63. v. 8. Deo proprium est prosternere superbos. Job 40. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7.

4. Quem existimatis esse sensum verborum illorum: *Exaltabitur Dominus solus in die illa?* Hujus intelligentia dependet ex consideratione illius versus Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, nimirum qualis est Deus, talem se manifestabit, & per id, quod est, notum se faciet disperdendo vana superborum molimina; Deus superbis resistit, ei igitur proprium prosternere & humiliare superbos; veluti legimus in Propheta Job; *Circumda tibi decorem* (loquitur Deo) *& in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.* Legito versum 4. *Tunc confitebor te habere brachium sicut Deum, & simili voce tonare.*

S. Ambros. serm. 7. in Psal. 118. Isa. 28. v. 1. Gen. 11. Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 3. dist. 1. Hug. Card. in Gen. 11.

5. Doctrina est S. Ambrosii: *Quid hoc peccato*, inquit, *potest esse deterius quod à Deo cœpit injuria? Ideoque Scriptura dicit: Dominus superbis resistit. Tamquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen, tamquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.* Ubi nostra vulgata legit in Isaia: *Væ coronæ superbiæ*, legunt Septuaginta: *Coronæ injuriæ*, quia superbi Deo inferunt injurias, & male quoque tractant homines, ideoque Deus illos deprimit & humiliat. In campo Sennaar conventio fuit superborum istorum gigantum, ut turrim Babel erigerent & ædificarent; At quanta cum facilitate Deus eorum confudit superbiam? *Confusi sunt* (sic loquitur Episcopus Bellovacensis) *quoniam Deus sprevit eos, sicut illi qui volebant contra Deum ascendere, ædificantes turrim Babyloniæ.* Et Hugo Cardinalis: *Turris Babel*, inquit, *superbia mundi, quæ contra Deum erigitur, sed confusa dejicitur.*

Propter tria peccata exterminabitur mundus. S. Bernard. Tom. 1. ser. 11. art. 1. S. Aug. Tom. 4. l. de salut. docum. c. 32. Superbus vult Deum sibi subjici.

6. Legimus in Sancto Bernardino Senensi Serm. 11. art. 1. cui titulus, de peccatis, propter quæ exterminabitur mundus, sequentia: *Tria sunt peccata*, ait Sanctus ille, *Deo horrenda, propter quæ contra rationalem creaturam irascitur Deus; superbia scilicet, qua offenditur Deus per spiritum; luxuria, qua offenditur Deus per corpus; avaritia, qua offenditur Deus per temporalem substantiam. De his peccatis 1. Joan. 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ.* Et S. Augustinus de superbo scribit: *Superbus Deo est odibilis & diabolo similis.* Quid censeres dicendum de lapide isto, qui, dum in publica platea transeuntium calcatur pedibus, à celebri sculptore assumitur, speciali artis suæ industria dolatur, politur, politus exquisita Imperatoris figura eidem insculpta insignitur: Suo tamen ille artifici, qui tam nobili eum insignivit forma, ingratus non modo contra ipsum intumescit & insurgit, verum etiam ut pedum suorum scabellum ipsum esse & ponere præsumit ac prætendit; talis est superbia & præsumptio vilissimæ creaturæ; quæ nihil aliud est nisi lutum, vermis & pulvis, dum præsumit sibi Deum subjicere, divinisque suis legibus refragari, adversari, eique præesse & dominari.

Superbus Deo exosus est propter suam ingratitudinem. Ps. 73. v. 23. Ibid. v. 23. Ps. 100. v. 5.

7. Deo quoque exosus est superbus ex alio capite, quia benefactori suo ingratus est. Ignis superborum symbolum & signum est, quia sicut natura sua semper ascendit in altum, ita de hoc vitio cecinit Propheta: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; ignis quoque ingratitudinis idæa est, etenim ligna, oleum, ceram & quodcumque aliud ei subministrat alimentum, sustentationem ac splendorem & lucem aut in cineres aut in fumum redigit, consumit, ac plane in nihilum reducit. Eodem modo de superbo & arrogante homine discurrere possumus; sive enim in vanitatem & superbiam extollitur propter dona naturæ vel gratiæ, sive propter pulchritudinem & decorem, sive propter ingenium, sive propter divitias vel honores, sive propter virtutem vel sanctitatem, Deo, à quo omne bonum descendit, ingratus est, qui superbit, mortaliter offendit benefactorem suum donis per ipsum receptis, & quantum est in superbiente, Deum annihilare vellet: *Superbia eorum, qui te oderunt, &c.* Nullum vellet supra se neque etiam ipsum Deum; numquam sua sorte contentus est, *ascendit semper*; ad eum plane modum, quo ignis numquam saturatur quacumque materia combustibili; ita superbus numquam satiatur: *Superbo oculo & insatiabili corde.* Et quare Propheta superbiam comparat oculo? Ratio esse potest, quia sensus hic numquam satiatur: *Non saturatur oculus visu.* Quid mirum igitur, quod superbus, quia Deum spernit, despicit & odio habet, Deo pariter odiosus & execrabilis ac detestabilis sit, ac proinde constringatur Deus ipsum deprimere & humiliare?

Eccli. 1. v. 8.

Stob ser. 22. Altas turres & arbores ordinarie prosternunt fulmina. Psal. 134. 7. 1. Pet. 5. 5. Idem Stob. l. cit. Habac. 1. 10. Ps. 106. 40. Theodor. in hunc loc. Stob. l. c. S. Bern. in flor. c. 203. S. Isid. Pelus. l. 1. Ep. 164. D. August. l. 3. de doctr. Christi.

8. Stobæus Serm. 22. hanc facit reflexionem: *Vides eximia animalia ut fulminet Deus, neque suis operationibus uti sinat; exigua vero facile fert. Vides etiam, ut in ædificia maxima semper & celsissimas arbores cœlestia tela ingruant; solet enim Deus eminentia quævis castigare.* Annon venti perflant & impetu suo impellunt eminentiorum turrium ac montium apices? *Qui producit ventos de thesauris suis*, ait Psalmista, ventis, ille videlicet, pœnis & flagellis impetit ac deprimit superbos per montes denotatos: *Deus superbis resistit.* Idem eodem Sermone paulo ante scripserat: *Jupiter nimis superbos castigat.* Accinit quoque Poëta ille: *Feriunt altos fulmina montes.* Unde & in Habacuc Propheta legitur: *Ipse de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt, ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Eamdem veritatem insinnuaverat Regius Propheta Psal. 106. *Effusa est contemptio super principes*; Nimirum, uti exponit Theodoretus: *Qui principes amplissimi erant, ab illis ipsis, nempe, subditis despiciuntur.* Veluti in rebellione sive seditione Neapolitana authore & duce Massaniello excitata multi Barones & Domini statuum, at superbi & arrogantes, subditos suos pessime habuerant & tractaverant; sed ab iisdem vicissim despecti, ignominia & opprobrio affecti, ac morti dati sunt. *Cum videris in sublime quempiam elatum* (Stobæi verba sunt Sermone citato) *splendidis gloriantem opibus ac genere, supercilioque supra sortem suam fastuosum, illius celerem divinitus expecta brevi vindictam.* De pœnis, quas Deus justus judex in superbos fulminabit, agetur discursu sequenti. Interea audiamus argumentum illud, quod S. Bernardus cudit contra arrogantes & superbos dicens: *Quid superbis terra & cinis? Si superbientibus angelis Deus non pepercit, quanto magis tibi, putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantum cogitavit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit.* Hinc etiam S. Isidorus Pelusiota scribit Epistola 164. *Superbis Deus resistit, quandoquidem etiam ipsorum principi ab initio sese opposuit. Considera igitur, quantum est & Deum honestum atque adversarium habere, & veterem hostem socium.* Digna quoque consideratione sunt, quæ tradit S. Augustinus contra hoc vitium: *Nulla fere est pagina sanctorum librorum, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit.*

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.

De aversione & odio, quo Deus superbos persequitur, ac de pœnis, quibus illos castigat & punit, quorum nonnulla adducuntur exempla.

THEMA.

Domum superborum demolietur Dominus. Prov. 15. ℣. 25.

Superbia comparatur fulmini. Alb. Mag. ser. in Dom. 3. Advent. Psal. 10. 2. Nabal. Petr. Blesen. Epist. 3. Prov. 6. 16.

1. Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis posteritati hoc reliquit scriptum, Deum nostrum demoliturum ædes superborum: *Domum superborum demolietur Dominus.* Ipsi etiam gentiles respicientes Jovem, ut Deorum caput, fulmen manibus ejus consignabant, & quis illud in loca celsiora semper collimare ac tendere ignorat? at veritas Evangelica est, quod Deus severissime in superbos animadvertit. Sermonem instituit Albertus Mag. hisce verbis: *Superbia est quasi quoddam fulmen excæcans oculos animæ; sicut enim fulmen quamdam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuum, ita etiam est de superbia, quia lucere volunt in hoc sæculo per elatam superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur, dicitur enim in Psal. 10. Dum superbit impius, incenditur pauper.* Verum quod proposito nostro magis congruit, illud est quod jam tetigimus, videlicet, fulmen demoliri, ferire & conquatere loca eminentiora. *Deus superbis resistit.* Unde Petrus Blesensis in Epistola quadam scribit: *Ille qui in altis habitat, & humilia respicit, superbiam super omnia detestatur.* Sapiens Prov. cap. 6. hæc refert verba: *Sex sunt, quæ odit Dominus:* Ac primo & principali loco ponit superbos: *Oculos sublimes.* Prosequitur Blesensis in contemptum superbiæ dicens: *Hæc est illa sanguinaria meretrix, quæ de calice Babylonis aureo propinat hominibus spiritum vertiginis.*

Superbi dejiciuntur ante quam elevati sint. Psal.72.18. D.Greg.lib.32.mor.c.7. Idem lib.1. Epist.5. D.Chrysost. Hom.2.in Epist.ad Rom.

2. Gregorius Magnus reddendo rationem ruinæ superborum hunc adducit Psal.72.versum: *Dejecisti eos, dum allevarentur. Non ait: Dejecisti eos, postquam elevati sunt, sed dum allevarentur, quia hoc ipsum sit superbis interius dejici, quod eis falsa contingit gloria exterius elevari.* Postquam in progressu ejusdem capitis dixisset: *Valde superbire est impia de authore sentire*, asserit: *Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur.* Et lib.1.Epist.5.ait: *Allevatio ipsa, ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, à gloria vera evacuantur.* Vera propterea ac propria est similitudo illa, quam adducit S.Chrysostomus: *Quemadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facile pereunt.* Quando videtis superbos maxime tumidos, tunc scitote eos protinus disrumpendos.

Superbia est detestabilis pestis, cui Deus numquam pepercit. B.Laur.Just. de compunct.

3. Annis præteritis hujus sæculi aliquot vicibus lues pestifera plurimas invasit Italiæ urbes, ac contagio suo magnam inter mortales fecit stragem, cujus cum Medici, Philosophi cæterique homines scientia præditi causam investigare nequirent, concluserunt eam Divinæ justitiæ immediatum extitisse flagellum. Hoc dico, ut declarem proprietatem unius epitheti, quod B. Laurentius Justinianus superbiæ attribuit vocando eam pestem: *Detestabilis est Deo hæc pestis superbiæ.* Pestis est, cui imminet flagellum divinæ vindictæ: *Nulli umquam pepercit superbienti, sive in cælo, sive in terra, quod Propheta considerans Dominum deprecatur, dicens: Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Ibi prorsus ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Quamobrem diligenter consideret peccator homo, si angelis superbientibus non pepercit Deus, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari; quid perpessurus est ipse, si adversus Conditorem cordis sui cervicem levaverit?*

Psal.131.1. Psal.93.2. David quantumvis mansuetus, petiit à Deo puniri superbos. Isa.2.v.12. Hug.Card. in Psal.93.

4. Regius Propheta David non obstante quod alibi dixisset: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*; Hunc tamen S.D.Majestati exhibuit libellum supplicem dicens: *Redde retributionem superbis*: Hugo Cardinalis in hunc textum citat illud Isaiæ: *Dies Domini super omnem superbum & super omnem arrogantem.* Adducit pariter Joëlem cap.3. *Cito, velociter reddam vicissitudinem vobis*; & illud Psal. *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Quod si petatis, cur superbos dumtaxat nominaverit? Respondet Hugo: *Nota, quod cum dicit, superbis, omnem peccatorem includit, quia omne peccatum ortum habet à superbia.*

Variæ exempla superborum punitorum. Absalonis. 2.Reg.18.v.17. Ibid.v.18. Nabalis. 1.Reg.25.10. Oziæ Regis. Ibid.v.38. 2.Paral.26.v.16. Ibid.v.19. Aman.

5. Innumeræ extant pœnæ & flagella, quibus divina justitia rigide animadvertit in superbos, quod si tam sacras quam profanas velimus percurrere historias, quam plurimos superbia tumidos deprehendemus à Deo castigatos. Absalon ingratus pariter & impius, dominandi cupiditate possessus; At moræ impatiens David patri suo & sceptrum & vitam eripere tentavit; verum debitam subito reportavit pœnam: *Reddidit retributionem superbo*; triplici namque ictu lanceæ pectus ejus à Joab sauciatum, & cadaver sub cumulo lapidum in sylvis infeliciter sepultum fuit: *Projecerunt eum in saltu in foveam grandem, & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis.* Superbus ille stimulante superbia prius erexerat sibi aliquod Mausolæum: *Erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum*; at Deus confudit arrogantem ejus designationem. Quid contigit superbo Nabal, qui tanta cum arrogantia ipsi David denegaverat necessaria vitæ alimenta, & vilipendens eumdem dixerat: *Quis est David? & quis est filius Isai?* Non tardavit sane vindicta divina: *Cum pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Ozias Rex elatus in superbiam, *cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, & ingressus templũ Domini, adolere voluit incensum super altare. ...Statim orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymamatis.* Aman speciali Regis Assueri gaudens favore quid prætendebat? non obsequia, sed cultum adorationis, quem constanter ei denegabat Mardochæus; illo igitur in eminentissimo superbiæ gradu constituto, veluti ex ejus præsumptuosis & jactabundis prætensionibus libro Esther relatis diffuse deducitur, illud hic observandum est, quod dum in alto credebat se firmatum gradu, nec altius ascendere posse, ex alto illo patibulo, quod æmulo suo paraverat, præceps corruit, sicque *incidit in foveam, quam fecit.*

Antiochi. 2.Macch.5. v.21.

6. In quantam superbiam ascenderit Antiochus, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ex verbis ejus id intelligemus: *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere.* Paulo ante sacer textus, qualis prius erat, jam indicaverat, nempe, *superbia repletus, ignem spirans*; at subito, quando jam in supremo elationis & superbiæ gradu constitutus erat, obruit eum ac tetigit ira divina: *Humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, Ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent; odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, Et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire divina admonitus plaga.* Persuaserant adulatores Alexandro Magno, ipsum esse filium Jovis Ammonis; ast quando sagitta sauciatus sanguinem ex vulnere profluentem spectabat, deceptum se & hominem aliis parem agnoscebat. Lectione percurrite vota, juramenta, promissiones, oblationes, humiliationes, compunctiones, & quoscumque alios pœnitentiæ actus Antiochi, & omnes reperietis inutiles: *Justum est*, dicebat, *subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Nihilominus *orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Pessime percussus, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est.* Non sine mysterio additur hoc vocabulum, *in montibus*; quia, ut alibi dictum est, montes alti & præcelsi sunt, & repræsentant superbos. *(Ibid.v.8. Ibid.v.8. Ibid.v.9. Ibid.v.10. Ibid.v.11. Ibid.v.12. Ibid.v.13.)*

Sennacherib. Bellovac. spec.mor.l.3. part.3. dist.1. 4.Reg.18.

7. Episcopus Bellovacensis profert exemplum Sennacherib regi Antiocho non absimili: *Contra Deum superbierat*, ut legitur 4. Reg. cap. 18. *quem ut magis confunderet, noluit eum occidere cum suo exercitu.* Una siquidem nocte Angelus de cœlo veniens magnam in exercitu fecit stragem occidendo centum octoginta millia hominum; ipsum vero Sennacherib reservavit vivum, ut solus rediret confusus, & reversus trucidaretur à filijs: *Sed in terram suam cum confusione reversus, coram Deo suo in templo ejus, ubi adorabat, ad majorem suam confusionem à filijs suis occisus est.* Prius idem author attulerat exemplum ipsius Nabuchodonosoris: *Superbia*, inquiens, *ipsum superbum exterminat & obruit; exterminat quidem sæpe temporaliter, sed semper æternaliter*, Eccles.10. *sedes ducum superborum destruxit Deus; per superbiam Nabuchodonosor regno ejectus est.* Subsistamus hic nonnihil in consideranda justissima & severissima illa pœna, quam superbissimo huic Lucifero Deus inflixit. Postquam hic superbus Rex somnio de magnæ illius molis statua, quæ cunctas Universi hujus repræsentabat Monarchias, corruptus, ex Daniele percepisset: *Tu es caput aureum*, talem de seipso concepit opinionem & præsumptionem, ut vastissimam fundi jusserit statuam non cum pectore argenteo, neque cum brachijs, ventre, tibiis, aliisque corporis partibus ex diversis metallis constantibus, veluti in somno viderat, sed totam statuam ex puro auro confici, & in campo Dura collocari jussit hunc in finem, ut omnes amplissimi regni sui subditi ac Satrapæ sub pœna mortis in terram postrati cultu latriæ adorarent auream hanc statuam, & in ea, certum est, seipsum tamquam Deum adorari intendebat. Vanam hujus superbi gloriam ac temerarium ausum & præsumptionem exponit Propheta Isaias: *In fortitudine manus meæ feci, & in Sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. De superbo Nabuchodonosor Rege Daniel ait* (verba sunt B. Petri Damiani) *respondensque Rex ait, nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cui, rogo, ventosus & arrogans iste respondit per verba prolatæ superbiæ nisi tumidæ cogitationi, quæ ante jam vociferabatur in mente? Nam & perditionis ille spiritus, qui dixisse legitur, in cælum conscendam, supra astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo, nequam hæc labijs protulit nimirum, qui carne non tegitur, sed in cogitationem sacrilegam tyrannus erupit.* Verum superbum hunc regem bovis instar sylvestris Deus remisit ad nemora, ubi una cum aliis bestijs herbas comederet, aëris expositus injuriis aliquot annorum spatio, donec superbiam suam detestaretur & abjuraret. *(Idem l.c. Nabuchodonosoris. Eccli.10.17. Dan.2.38. Isa.10.v.13. B.Pet.Dam. Epist.9.)*

Holofernis. Judith.5.26.

8. Quis in mundo ipso Holoferne fuit superbior & arrogantior? Exposuerat ei Achior potentiam, qua Deus Israël protegeret populum sibi subjectum & fidelem, quo audito non quidem ipse Holofernes, sed illius subditi duces valde indignabantur Sermonẽ istum, ægre ferentes: *Cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum.* Qua de causa? forte quia eum deprehenderunt rebellem? aut quia forte contra bonum publicum aliquid locutus & molitus fuit? quam quæso illis dedit indignationis ansam, ut eum cogitaverint interficere? Audite hominis arrogantis loquelam: *Ut ostendam tibi, quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor, Cum percusserimus eos omnes sicut hominem unum &c.* At *Deus judex justus fortis & patiens*, ut hanc temerariam & audacem superbiam deprimeret, disposuit, ut ille per manum unius fœminæ prorsus imbellis capite plecteretur, totusq; ille potentissimus exercitus una cum morte hujus superbi interiret & periret. *(Judith.6.2. Ibid.v.3.)*

Abimelech.

Sic quoque Rex Abimelech filius naturalis Gedeonis, regnandi avidus crudelẽ inter fratres suos fecerat stragem, horum namque septuaginta super unum lapidem interfecerat; At quis hujus finis? una fœmina tegula caput ejus percussit, & ne diceretur ipsũ periisse manu mulieris, mandatum fuit ejus armigero, ut prorsus eum interficeret.

Acta Apost.12.v.21. Herodis. Luca 1 v 51. Act.12.23. Eccli.19.3. Ps.103.20.

9. S. Evangelista Lucas in Actis Apost. exhibet Herodem in throno sedentem superbia tumidum; *Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos; populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.* Sed audite, quam prompta fuerit justitia vindicativa Dei, de qua Scriptura ait: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Subdit immediate Sanctus Lucas: *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Dei, & consumptus à vermibus expiravit.* Porro quid istis indicari existimatis vermibus, quibus tam Herodes, quam Antiochus puniti & consumpti sunt? cur non potius ab ursis aut leonibus ex sylvis accitis dilaniati? cur non fulmine ex cœli armamentario misso percussi fuere? mysterium est illud, ni fallor, ut superbi, qui re ipsa nil aliud sunt nisi vermes: *Homo putredo & vermis*, cognoscant in pœna, quam reportant, quales sint, ac superbiam & arrogantiam deponant, cum tanta haud polleant potentia, ut etiam vermibus resistere, vel eos abigere possint. Immensa illa statua, quam vidit Nabuchodonosor superbiæ typus, quo modo redacta fuit in terram, in cinerem, imo in fumum? Unicus lapillus, qui descendit de monte sufficiens fuit ad eam prosternendam. Unica respiratio retenta aut impedita à morte; *auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Baron an. 1130.n.67. Christianus exercitus suis viribus fidens, à Deo punitus profligatur.

10. In annalibus Ecclesiasticis legitur notabilis punitio à Deo facta non propter actum positivum superbiæ, sed solum quia noluerunt, vel, ut melius dicam, non studuerunt Deo referre victoriam, sed propriis viribus, quam etiam defensionem ipsiusmet honoris Dei sperabant. Anno 1130. Principes Christiani junctis viribus & armis navigaverant in Occidentem, & Damascum urbem validissimam obsidione cinxerant propriis confisi viribus, gloriantes in magno apparatu; quid actum? Cœlitus contra illos pugnatum fuit ab eo, cui proprium est exaltare humiles, & confundere ac disperdere superbos. Nostri victi fuère propter nebulas, pluvias, ventorumque tempestates, & Deus favebat inimicis fidei adeo, ut nostri absq; ullo fructu domum redire coacti fuerint. Sic concludit historia, narrat & deplorat infortunatos hos successus Guilielmus Tirius attribuens illos arrogantiæ & inordinatæ confidentiæ, qua Christiani nimium propriis fidebant viribus.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Ostenditur superbiam esse signum reprobationis & exclusionis à regno cœlorum.

THEMA.

Ad infernum detraheris in profundum laci. Isa.14.v.15.

Deus ab initio infernum non creavit, sed ejus fundamenta posuit, Lucifer illum aperuit. Sap.1.13. Apoc.8.v.8.

1. Axioma indubitatum est, Deum in creatione hujus universi non fecisse infernum. *Deus mortem non fecit*; in profundo abyssi jecit ejus fundamenta superbia, ac propterea ante superbiam Luciferi nulla erat notitia illius barathri æternæ perditionis; ast quando Lucifer vana gloria correptus jactanter dixit; *in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, tunc superbia hujus insani aperuit carcerem æternæ damnationis, abyssum miseriarum sempiternarum: *Ad infernum detraheris &c. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui; detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Apoc.cap.8.dicitur: *Secundus Angelus tuba cecinit, & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est terra pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ eorum.* Venerabilis Beda in homilia, quam legimus in Matutino festi S. Gregorij Taumaturgi, ait: *Montis nomine nonnumquam diabolus significatur, videlicet, propter superbiam, qua se contra Deum erigit, & esse vult similis Altissimo.* Hic mons projectus fuit in mare, nempe in centrum terræ, quæ à Psalmista dicitur, *hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia &c.* & simul cum eo præcipitata fuit tertia pars naturæ angelicæ, quæ Deo rebellis extitit. *Mons magnus igne ardens*; hic enim mons ibi accendit fornacem illam inextinguibilem. *(Ven Beda l.7. c.11 in Matt. Ps.103.25.)*

Sap.1.13. Infernus magis est centrum superborum quam cæterorum reproborum. Tob.4.v.14. Isa.5.v.14.

2. Observandum hoc, quod, postquam Sapiens dixit: *Quoniam Deus mortem non fecit*, statim subdit: *Nec lætatur in perditione vivorum.* Cur igitur ita disposuit, ut esset profunda illa abyssus æternæ perditionis? Dubium hoc Sanctus Tobias solvit, inter alia documenta, quæ dedit filio suo, unum valde salutare fuit, & est illud: *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quasi inferre vellet, æternam mortem, infernum, qui est locus perditionis, habere originem & principium suum à superbia. Notate modum illum, quo Propheta Isaias loquatur de profunda illa & tartarea voragine: *Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* Nota hanc vocen, *propterea.* In quem finem apertus est infernus? Ideo sane, quia carcer est, quo Divina justitia punit & castigat delicta ne transeant impunita; verum advertite, ex instinctu Spiritus Sancti Isaiam facere mentionem non impiorum in genere, sed arrogantium & superborum, quos specialiter nominat: *Et descendent sublimes gloriosique ad eum, & incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.* Nec est sine mysterio verbum illud: *Dilatavit*, quia cum sit carcer angustus, nihilominus hac phrasi usus est Propheta, ut, meo judicio, denotaret infernum esse centrum superborum potius, quàm aliorum reproborum. Quapropter notandum, quod, quando pientissimus Salvator noster voluit exprimere & nominare superbos, usus est isto verbo: *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* *(Matth.23.5.)*

Habacuc.2.5. Superbus comparatur inferno & igni.

3. In Propheta Habacuc legimus: *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur, & congregavit ad se omnes gentes, & coacervavit ad se omnes populos.* Quemadmodum infernus numquam satiatur attractu reproborum; ita superbus numquam sua sorte contentus est: *Superbo oculo & insatiabili corde; superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Valde accommoda est propterea comparatio illa, quæ est inter ignem & superbum. Elementum ignis innatam sibi habet proprietatem, ut semper ascendat; ita superbia, veluti supra jam dictum est, *ascendit semper.* Ignis numquam satiatur quacumque materia combustibili; superbus etiam numquam sua sorte contentus est: *insatiabili corde.* Ignis vult esse superior & eminere supra alia elementa; talis pariter superborum natura est, ambiunt semper præesse aliis. Ignis lucet & resplendet, at generat fumum, qui obcæcat, aut ad minus offuscat, lumen oculi; superbus quoque in honoribus obsequijs, in imperio & regimine suo, verum est, timetur, respicitur, honoratur; at eodem tempore amittit lumen divinum, intellectus & judicij sui lux manet offuscata, uti suo loco dicetur. Ignis subjectum fomentum, quo conservatur & alitur, consumit; superbus pariter bona opera & merita vitę æternę disperdit & destruit superbiendo.

Et fumo. Psal.36.20. S.Aug. ibid.

4. D. Augustinus supra illum Psalmi versum: *Quemadmodum fumus deficient*, scribit: *Fumus à loco ignis erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tanto fit vanior, ut videas ipsam ei offuisse magnitudinem.* Chaldæus legit: *Et in fumo gehennæ consumentur*; ratio evidens est, quia ignis ille est caliginosus, obscurus, sine luce, & nil aliud est nisi fumus ignitus, & non sine mysterio infernus plenus est non tam igne quam fumo, quia infernus est partus & fructus superbię, vel dicamus, fumi. *Non est creata hominibus superbia.*

Certum est quod infernus non esset, si superbia non fuisset vel fecisset. 1.Tim.3.6. S.Hieron. in c.4.Isa.

5. Verissimum est, quod non esset infernus, si non fuisset vel fecisset superbia, & quidem adeo verum est hoc, ut nulla alia adferri possit ratio & probatio, propter quam abyssus inferni ab initio fuerit aperta & reserata, nisi ad puniendam & castigandam superbiam. S. Hieronymus in cap. 4. Isa. considerando hoc ipsum, quod scribit Apostolus: *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, subdit: *Judicium autem diaboli nullum est aliud nisi superbia ejus, propter quam de cælestibus cecidit.* Ad hoc propositum accedit

dit doctrina Theophylacti commentantis in hunc textum Joannis: *Sciens quoniam à Deo exivit, & ad Deum vadit*, ubi ſic diſcurrit: *Cum ſciret, quod omnia tradidiſſet ei pariter, & quod à Deo exiſſet, & ad Deum iret, non timebat minui gloriam ſuam lavans pedes diſcipulorum, non enim rapuerat gloriam, ut timeret ab illa excidere, & propterea non dignantur humile quiddam facere, qui generoſi non ſunt, quoniam gloriam rapiunt nolentes ullo modo humiliari, nec perdant, quod rapuerant. At Chriſtus omnium Rex erat & Dei Filius &c. Conſidera quod humiliari opus eſt ejus, qui à Deo egreſſus eſt, & ad Deum vadit; ſuperbire & faſtuoſum eſſe opus eſt ejus, qui à dæmonibus exivit, & ad dæmones vadit.* Ponderate hæc ultima verba: Eſt collega diaboli, & vadit ad domum diaboli, qui eſt elatus, tumidus & ſuperbus.

Joan. 13. 3.
Theophyl. ib.

6. S. Gregorius commentando in hæc Scripturæ verba: *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore*, ait de angelis apoſtatis: *Quos Deus de cælo præcipitavit, ut in lapſis angelis diſceret homo, quid timeret, nam quid de æreo vaſe fiet, ſi Deus nec aureis, ſuperbiæ fætore plenis, ignoſcit;* Propoſito noſtro valde appoſita eſt ſimilitudo illa, quam producit Bellovacenſis, differens de ſuperbo: *Similis eſt calamo arundinis; ſunt ſicci intus & vacui.* Superbi ſunt aridi inſtar arundinis & vacui intus, etenim hoc vitium, veluti ſuo loco probavimus, abſorbet ſpiritum & devotionem. Ariditas calamum arundinis ad ignem magis diſpoſitum reddit, ac propterea author hic de ſuperbis dixit: *Sunt ad combuſtionem infernalem apti.* De ſiccitate & vacuitate horum calamorum ſcribit quoque Bleſenſis invehendo in ſuperbos: *Hæc eſt ærugo*, inquit, *& tinea, quæ omnem mentis ornatum depravando conſumit.*

1. Reg. 2. 4.
D. Greg. in hunc locum.
Superbus comparatur calamo arundinis.
Bellova. ſpec. mor. l. 3. p. 3. diſt. 1.
Petr. Bleſen. Epiſt. 3.

7. Obſervaſtiſne, quinam juxta S. Scripturæ teſtimonium fuerint illi, quos infernus vivos corpore & anima abſorpſit? forte adulteri, inceſtuoſi, ſimoniaci, ſacrilegi, malefici, homicidæ, blaſphemi, athei? Quamvis & hi etiam ab infernali deglutiantur abyſſo, nihilominus Spiritus Sanctus mediante ſacro Chronico Moyſe ſpeciatim nobis declarare & manifeſtare voluit, quod profunda illa vorago apertis faucibus vivos devoraverit ſuperbos & elatos, quales erant Dathan & Abiron, qui Moyſis prætendentes officium, hoc illi invidebant; audiamus Moyſis proteſtationem: *In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me &c. Si conſueta hominum morte interierint, & viſitaverit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus; Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viventes in infernum, ſcietis quod blaſphemaverint Dominum. Confeſtim igitur ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, Et aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, Deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt.* Petrus Bleſenſis tractando de pœnis ſuperborum in Epiſtola quadam hæc ſcribit: *Terra Dathan & Abiron abſorbuit vivos, qui contra Moyſen & Aaron ſe in ſuperbiam erexerunt, complices etiam eorum pœnalis flamma combuſſit.*

Dathan & Abiron vivi deſcenderunt in infernum propter ſuperbiam.
Num. 16. 28.
Ibid. v. 29.
Ibid. v. 30.
Ibid. v. 31.
Ibid. v. 32.
Ibid. v. 33.
Pet. Bleſenſ. Epiſt. 90.

8. S. Nilus de octo vitioſis cogitationibus propoſitionem aliquam ſuperbis valde infauſtam tradidit dicens: *Fugienda eſt ſuperbia non ſecus ac profundum quoddam præcipitium, omnem ad cælum aſcenſum præcidens.* Aſt de religioſo ſuperbo ſubdit ſequentia: *Superbus monachus, remoto etiam dæmone, ad exitium ſibiipſi ſufficit.* Ratio vero, propter quam S. Nilus ſuperbo præſcindit omnem ſpem ſalutis æternæ, poteſt eſſe, quia, ut plurimum, moritur impœnitens in ſua obſtinatione. Superbia primam ſuam originem & ortum habet ab angelis, qui fuerunt & erunt ſemper inflexibiles: *Superbia aſcendit ſemper*; ſi nonnumquam ſuperbus ſe humiliat, id eo fine facit, ut vanæ gloriæ capiat auram, æſtimeturque tamquam humilis & virtute præditus; hujuſmodi honoris avidum & ſuperbum rite aggreditur S. Bernardus hiſce verbis: *Longe es à regno Dei, & firmiſſimum videris ſanxiſſe cum morte fœdus, pactum cum inferno*; notate vocabulum illud, *firmiſſimum*. Idem mellifluus Doctor de Adventu Dom. Serm. 1. aſſerebat de Deo noſtro: *Sciebat nullam angelis patere redeundi viam, nempe novit ſuperbiam Moab quod ſuperbus eſt valde, & ſuperbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, per hoc nec veniæ.* In alio loco idem S. Doctor profert in medium aliud motivum & cauſam, cur ſuperbus indignus ſit regno cœlorum, & ab illa ſuperna Jeruſalem maneat excluſus; etenim quando urbs illa cœleſtis ab initio fabricata & extructa fuit, ſuperbia tertiam partem murorum urbis illius auſa fuit diruere ac demoliri: *Semel*, ait S. Doctor,

Superbia præſcindit omnem viam ad cœlum.
S. Nilus de octo vit. cog.
S. Bern. de nimia fallac. vitæ præſent.
Idem de Advent. Dom. ſer. 1.
Idem l. de verb. Iſa.

turbavit ſuperbia regnum illud, concuſſit muros, etiam proſtravit in parte, & parte non modica. Quid ergo? Facilene deinceps admittenda videtur? Numquid non odit civitas illa, & vehementer hujuſmodi peſtem abominatur? Igitur ad deterrendum nos mellifluus Doctor hoc conficit argumentum, hancque ex eo deducit conſequentiam: *Superbo angelo horrenda & formidoloſa maledictio intorquetur, quoniam in veritate non ſtetit, ſic actum eſt cum angelo; quid de te fiet terra & cinere? Ille in cælo intumuit, ego in ſterquilinio.* Adhuc clarius & expreſſius ſcribit D. Gregorius aſſerens: *Aperte cognoſcitur, quod evidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, & contra humilitas electorum.*

Idem in flor. c. 203.
S. Greg. l. 34. mor. c. ult.

9. Notatu digna eſt doctrina illa quam tradit S. Bernardinus Serm. de regno cœlorum: *Profundiſſima*, ait, *humilitas eſt nobis neceſſaria ad intrandum regnum Dei; unde Dominus Matth. 8. Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis regnum cælorum. Superbus non poteſt regnum Dei intrare*; quod probat ex illo Pſalmi verſu: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, & ratio triplex eſt. Prima, quia in regno Dei eſt omnimoda ſubjectio quoad Deum, ſuperbus autem non vult ſubjici Deo, nec poteſt, quia ſubjectus eſt diabolo, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Secunda ratio, quia in regno Dei eſt omnimoda pax & concordia quoad proximum, juxta Pſalmiſtam: Pax multa diligentibus legem tuam &c. Superbus autem non poteſt eſſe in pace, ſed diſcordat cum aliis, Proverb. 13. Inter ſuperbos ſemper jurgia. Tertia ratio, in regno Dei eſt omnimoda quietatio quoad ſeipſum, quilibet enim eſt contentus eo, quod habet, ſuperbus vero non; ſed ſemper extendit ſe ſuper terminos per appetitum voluntatis; unde dicit Anſelmus in lib. de ſimilitud. quod ſuperbia dicitur, quia ſuper ea quam debet graditur.*

Superbus non poteſt intrare cœlum ex triplici ratione.
S. Bern. Tom. 3 ſer. de reg. cœlor. c. 5.

10. Caſum illum conſiderat S. Bonaventura, qui fit ex loco & ſitu alto & ſublimi, & illum exiſtimat eſſe majorem & graviorem; unde de ſuperbia ait: *Hominem præcipitat, & ideo hominem ad alta levat, ut major & gravior ſit ruina.* Paulo ante jam deſcripſerat hoc vitium dicens: *Hominem arefacit, ut melius accendatur, id eſt, illum ſine humore gratiæ & ſine compaſſione efficit, unde dicitur, non te extollas in cogitatione animæ tuæ; & ſequitur, ut non derelinquaris ut lignum aridum in eremo, id eſt, in inferno, ubi concremabuntur arbores infructuoſæ, id eſt, peccatores.* S. Ephrem ſimilitudine intellectu facili hoc idem illuſtrat, cum ait: *Superbia arbori excelſiſſimæ, ſed putridæ ſimilis eſt, cujus undique facile confringuntur rami, in quam ſi quis aſcenderit, celeriter in profundum corruet.* Rami hi infructuoſi, putridi, corrupti & fragiles igni inſervient pro pabulo & nutrimento: *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sequitur ex eodem Sancto: *Initium deſertionis hominis eſt receſſus ab humilitate. Qui autem à Deo deſeritur, ab improbo ſpiritu præfocabitur ſicut Saul.*

Superbia levat hominem in altum, ut lapſus ſit gravior.
S. Bonavent. dieta ſalut. tit. 1. c. 3.
S. Ephrem Tom. 1. de recta viven. ratione.
Matth. 3. 10.

11. Hactenus dictis utiliſſimum æternæ veritatis ſubnectamus monitum: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Quam anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*; ſi igitur porta ſeu janua cœli humilis, demiſſa & anguſta eſt, quomodo ſuperbus, qui in ſublime erigit & erectum tenet caput, intumeſcitque, per eam intrare poterit? Bene propterea ait S. Bernardus: *Arcta eſt janua regni cælorum, nec recipit niſi parvos, tumidi repelluntur.* Conſideratione inſuper digna ſunt, quæ habet B. Petrus Damianus, in hunc diſcurrens modum: *Si ſublimis ille angelus idcirco irrecuperabiliter periit, non quia contra univerſitatis auctorem protulit quælibet prava, vel fecit; ſed tantum quia per nequitiam cogitationis intumuit; quid nobis prodeſt in veſtimento, vel verbo, nos veluti homines dejici, intus vero de proavorum titulis, vel faſtu ſapientiæ ſingulari ſuper cæteros arroganter extolli.* Acute & ingenioſe in Job obſervat Origenes dæmonis reſponſum Deo datum: *Circuivi terram*, ſubdens: *Sed male gloriaris; terram circuis, ſed ad cælum non reverteris; ea quæ ſub cælo ſunt, peragras, ſed illa quæ in excelſis ſunt, non poſſidebis.* Denique ex acerbitate, æternitate, & inevitabilitate pœnarum infernalium juſtiſſime Lucifero & aſſeclis ejus inflictarum devenitur, inquit Bellovacenſis, in notitiam gravitatis culpæ peccati hujus, quæ in divina bilance infiniti ponderis eſt. *De tanta pulchritudine ad tantam turpitudinem, de tanta altitudine ad tantam inferni profunditatem.*

Cum porta cœli arcta & humilis ſit, ſuperbus erectus non introibit illam.
Matth. 7. 13.
S. Bern. de Paſſ. Dom. c. 17.
B. Pet. Dam. Epiſt. 9.
Job 1. v. 7.
Orig. in hunc locum.
Bellovac. l. c.

DISCUR-

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Superbia eſt ſpecies dementiæ, ſolent ſuperbi degenerare in bruta, ſimulque orbari judicio & diſcurſu.

THEMA.

In ore ſtulti virga ſuperbiæ. Proverb. 14. ℣. 3.

1. SApiens increata motus Sapientia ſuperbum nuncupat ſtultum: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ*, neque ſolum loci hujus, ſed & plurium aliorum locorum Scripturæ ducitur teſtimonio; unde evidenter apparet ſuperbiam eſſe quamdam ſtultitiæ ſpeciem: *Natura ſtultum eſſe nihil habet criminis* (verba ſunt S. Chryſoſtomi) *magnifice vero de ſe ſentiendo ſtultum fieri, venia caret, & majus adfert ſupplicium. Tales ſunt, qui in ſapientia ſuperbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam, nihil enim adeo ſtultum facit, quemadmodum arrogantia, unde & Propheta barbarum ita vocabat dicens: Stultus autem ſtulta loquetur. Ut autem & ab ipſis verbis ſtultitiam illius diſcas, audi, quid dicat: Supra aſtra cæli ponam, inquit, thronum meum, eroque ſimilis Altiſſimo. Apprehendam manu mea orbem ſicut aviculæ pullum, & ſicut ova relicta tollam illum. His itaque verbis quidnam poterit fieri ſtultius, ſi ſingula arrogantium verba in medium adduxero, cognoſci non poterit, verbane ſint arrogantis, an ſtulti, ita unum eſt atque idem in utroque vitium. Nam & alius item barbarus dicit, ego ſum Deus & non homo. Rurſum & alius, non poterit Deus ſalvare vos, aut eripere ex manibus meis. Et Ægyptius ille: Dominum, inquit, non novi, & ſtultus ille apud Prophetam talis eſt, dicens in corde ſuo, non eſt Deus.* Lib. Sapientiæ cap. 15. dicitur: *Omnes inſipientes & infælices ſupra modum animæ ſuperbi ſunt inimici populi ſui*, cum ſuperbia jungit ſimul ſtultitiam. Caſum demus, quo hydropicus gloriaretur de ventris ac pedum tumore & inflatione, hanc exiſtimans eſſe pinguedinem vigoroſam ac ſalubrem, annon illum fatuum ac delirare diceres? Audite quo epitheto S. Nilus deſcribat ſuperbiam: *Superbia eſt animæ tumor, ſanie plenus.* Qui propter opera bona ſuperbit & intumeſcit, nec dona & bona ſpiritualia, aut etiam temporalia Deo accepta refert, ac de ſeipſo præſumens alios ſpernit & contemnit, ille *pœnam de pretio ſalutis miſer mercatur æternam*, ait Beda in alio quodam propoſito, ille medicinam convertit in venenum, ecquis non fatebitur hanc eſſe dementiam?

Superbi ſunt veri ſtulti.
D. Chryſoſt. Hom. 20. in Epiſt. ad Rom. in fine.
Sap. 15. 14.
Superbus ſimilis eſt hydropico glorianti de ventris & pedum tumore.
S. Nilus de octo vit. cog.

2. Hanc fatuitatem ipſe etiam Stobæus agnovit, Serm. quodam aſſerens: *Omnis inſipiens arrogantia & plauſibus capitur.* Ubi noſtra vulgata in Job legit: *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit.* Theodocion legit, *infatuatur*; LXX. Interpretes, *in ſolicitudine*; Aquila, *in dolore*; verũ nec hoc à ſtultitia & amentia excuſari poteſt, quod aliquis ambiat & inſequatur anguſtias, dolores, anxietates & inquietudines. Horum dementiam S. Chryſoſtomus in Homilia quadam repræſentat hac ſimilitudine: *Si quis cum ſtatura cubitum non ſuperet inſtar montium, imo altiorem ſe putet, ac ideo ſe quaſi montes exceſſurus erigat, nullum aliud argumentum ſuæ inſaniæ quærimus; ſic cum inflatum videris hominem, qui meliorem ſe cæteris arbitretur, contemnique opinetur, ſi cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud ſignum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculoſior hic eſt, qui natura inſaniunt, quanto ipſe ſponte hunc ſibi morbum injecit.* Idem in alia Homilia, quæ eſt 15. in Joan. ſuperbiam deſcribit titulo phreneſis: *Superbia*, inquiens, *nihil eſt aliud, quam depravatio animi, & morbus graviſſimus, non aliunde quam ex inſania ortum ducens, nihil enim ſuperbo homine inſanius.* Veritas infallibilis eſt: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Epiſtola prima ad eoſdem Corinthios ſcripſerat: *Quid autem habes, quod non accepiſti? Quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Stultitia & arrogantia ſuper omnia, quæ habet, dona & bona propriæ adſcribit induſtriæ, propriiſque meritis. Audiamus S. Bernardum: *Quidquid ſapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei Sapientiæ deputa. Et quis tam inſanus, ut aliunde præſumat.*

Stob. ſer. 22.
Job 15. v. 20.
Superbia ortum ducit ex inſania.
D. Chryſ. hom. 59. in Matth.
Idem Hom. 15. in Joan.
2. Cor. 3. 5.
1. Cor. 4. 7.
D. Bern. ſer. 13 in Cant.

3. Matth. cap. 20. legitur hiſtoria quædam omnibus nota, è qua aperte deducitur, quod ſuperbia nos privet judicio & diſcurſu. Chriſto Domino prædicente & prædicante vicinam ſuam paſſionem: *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, &c. Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus &c.* Si Chriſtus prædicit ſe cruci affigendum, quomodo cohæret huic, quod illa petat regnum: *Dic, ut ſedeant in regno tuo?* Inter alias febres, quæ in nobis cauſant delirium, enumerat quoque ſanctus Ambroſius ambitionem, quæ non differt à ſuperbia: *Febris noſtra ambitio eſt.* Quot hæc mater dixit verba, tot protulit deliramenta. *Dic.* Volebat & petebat à Chriſto ordinari & mandari deſpotice, ut filii primum regiminis locum occuparent in regno ſuo, nulla habita conſideratione & reſpectu, nulloque ſervato ordine ad habilitatem capacitatem aut meritum, quæ tamen neceſſaria ſunt, ut enim quis capax ſit honoris & dignitatis, non petuntur aut ſufficiunt verba; ſed virtus & ſufficientia requiritur, ſecus non eſſent dignitates, ſed indignitates. *Ut ſedeant.* Ecce impertinens ſecundum; officia publica ac regiminis dignitatiſque munia non diſtribuuntur & conferuntur, ut quis quieſcat, & ſedeat, ſed & ſudet, & laboret in beneficium univerſale & bonum commune reipublicæ. *Hi duo*, ecce tertium impertinens, ſeu potius deliramentum. Experientia compertum eſt in omni ſæculo, ſanguine etiam conjunctiſſimos ſtrenue concertare, cum agitur de acquirendo aliquo honore vel dominio, unuſquiſque prætendit, nec unus vult cedere alteri in ætate, nec in quacumque alia prærogativa; Eva erat; & debebat eſſe ſubjecta marito: *Sub viri poteſtate eris*: Quocumque igitur titulo decens & juſtum erat, ipſa etiam honeſtatis cauſa & recta ratio exigebat, ut pomum ex arbore abreptum Adamo prius dediſſet ad guſtandum; at non fecit, ſed primum mihi, cogitavit illa, & prius comedere voluit, ſperans juxta promiſſionem ſerpentis ſe ut Deam prælatum iri marito; at nullo ſecuto effectu, videns ſe ſpe ſua deceptam & deluſam, Adamo poſtmodum pomum porrexit. *Filii mei.* En alium errorem, quaſi vero juxta affectum conſanguinitatis diſtribuendi ſint ſupremi honores hierarchiæ Eccleſiaſticæ. *Unus ad dextram & alius ad ſiniſtram*; inde quoque vel maxime pateſcit hujus prætenſionis ſtultitia, quod unus illorum iviſſet, ſtetiſſet aut ſediſſet ad ſiniſtram, quæ pars eſt locus reproborum; optime noverat illa, quod cœleſtis Magiſter ſemper deteſtatus fuerit ſiniſtram, at ambitio ſurripuit ei judicium. *In regno tuo*; ſtolida & ſtulta pariter fuit hæc petitio, quia ex prædicatione Evangelica, quam à longo tempore jam auſcultaverat, facile intelligere poterat, Chriſtum non regnaturum temporaliter, veluti coram Pilato etiam ſe declaravit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Examinatur & exploditur ambitioſa petitio matris filiorum Zebedæi.
Matth. 20. v. 18. &c.
Gen. 3. 16.
Joan. 18. 36.

4. Legi in S. Auguſtino Tom. 10. fragmento 5. Sermonum: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Quo merito, niſi ſuperbiæ? Nam vide ſequentia. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, ſuperbia erat in eis.* Accedit quoque S. Chryſoſtomus hæc ſcribens: *Nihil ſuperbo homine inſanius, quamvis ditiſſimus ſit, quamvis multa hac exteriori ſapientia præditus, quamvis potens, quamvis omnia, quæ homini exoptanda videntur, in illum congerantur. Quippe qui in re vera bonis ſuperbit, miſer eſt & infelix, & illorum omnium mercedem amittit.* Idem hom. 8. pariter in Joan. in deteſtationem ſuperbiæ diſcurrit hoc modo: *Nihil tam alienum à divino amore hominem reddit; nihil tam facile in gehennam intrudit, quam ſuperbiæ inſania, ſub qua omnis noſtra vita immunda eſt, quamvis pudicitia, virginitate, jejuniis, orationibus, eleemoſyna, quamvis omni denique virtute præſtemus.* Si quis plurium annorum decurſu percurriſſet maria, magnamque accumulaſſet pecuniæ ſummam, prædivitem congregaſſet theſaurum, hunc vero ſponte prædæ exponeret piratarum, annon amentem illum & fatuum pronuntiares? Talis eſt ſuperbus, qui dum propter operum bonorum merita ſuperbit & intumeſcit, cunctorum facit jacturam meritorum, æternamque amittit mercedem. *Multæ virgines excludentur* (ait Sanctus Bernardus) *quia ſuperbarum nulla ingreditur.* Anima in pœnam ſuæ ſuperbiæ omnibus exuitur divitiis & theſauris ſpiritualibus, & ad extremam redigitur inopiam; Unde Sanctus Joannes Climacus ait: *Superbia eſt extrema animæ inopia, quæ ſibi divitias in tenebris fingit, adeoque execrata illa peſtis non ſolum progredi non ſinit aſcendentem, ſed ex alto etiam deturbat.* Et in progreſſu ejuſdem gradus de hoc præcipitio ita diſcurrit: *Qui à ſuperbia occupatus eſt & captus, auxilio divino indiget, vana enim apud hujuſmodi ſalus hominum*; quod idem eſt dicere, ſalutem æternam ſuperborum eſſe difficilem. Tangit ibidem diſcurſum ſeu potius fabulam de Cornice, quæ ab omnibus & ſingulis avibus aliis unam mutuo acceperat pennam, ac propterea pulchra

Nihil ſuperbo homine inſanius.
S. Aug. tom. 10. frag. 5. ſerm.
D. Chryſoſt. Hom. 16. in Joan.
Idem Hom. 8. in Joan.
Taxatur ſtultitia illorum qui propter bonorum operum merita ſuperbiunt.
D. Bern. de Paſſ. Dom. c. 17.
Climac. gr. 23.
Clim. gr. cit.

ac

ac speciosa quodam vice coram omnibus comparebat, & de sua formositate non parum glorians & superbiens credebat se cæteris formosiorem; at singulis avibus propriam ex ea recipientibus pennam, remansit cornix cum pristina sua deformitate delusa & risui exposita. *Turpe est alienis plumis superbire, sed extremæ dementiæ ob cœlestia dona extolli, eaque sibi arrogare.* Deus noster superbis resistit; si superbus extollitur propter dona à Deo illi concessa, subito Deus illa tollit à superbo, qui tum risui & prædæ exponitur dæmonis.

B. Laur. Just. de compunct.
Cavendum ne extollamur de donis spiritualibus.
S. Bonav. diæta salut. tit. 1. c. 13.
Jerem. 49.16.

5. Quapropter monet B. Laurentius Justinianus: *Noli*, inquit, *te extollere de bonis spiritualibus, quibus forte proximos tuos carere noscis. Noli te de naturalibus dotibus inflare, ne amittas, quod accepisti, & velut insipiens proprio mucrone te perimas.* Idem dicendum de bonis spiritualibus gratiæ, de quibus si quis extollitur, perdit illa. *Homines infatuat* (scribit de superbia sanctus Bonaventura) *& decipit, cujus signum est, quia superbus pretiosa vilipendit, id est, gratiam & gloriam, & vilia care emit, id est, gloriam transitoriam, juxta illud: Arrogantia decepit te & superbia cordis tui.* Supra superbum assimilaverat paleæ: Comparatur paleæ propter levitatem, inconstantiam & defectum valoris, quia sicut torrens trahit paleas & ista levia ad oceanum, sic torrens tentationis trahit secum vanos, non humiles ad oceanum inferni.

Superbia mutat hominem in naturam brutorum.
Matth. 4.9.
Psal. 8.6.
Gen. 1.26.
Psal. 48.13. & 20.
D. Ambr. in 2. Cor. 5.
Patet in Nabuchodonosore.
Dan. 3.15.
Dan. 4.30.
Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 3. dist. 1.
Pulchra historia.

6. Alius ramus stultitiæ est, cognoscit superbus casum suum fore profundiorem magisque irreparabilem, & tamen ascendit in altum & extollitur quantum potest: Tertium est illud adagium: *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Primus superbus tulit & duxit Filium Dei in montem altissimum, ut ostenderet illi omnia regna & dominia mundi, & ille ea omnia spectaret, sed in quem finem? *Si cadens adoraveris me.* Primus homo altius ascendere non poterat: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore &c. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c.* Sed casus secutus fuit: *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis;* quia in tantam devenit dementiam ut crederent Creatori posse creaturam fieri æqualem: *Omnis superbia velut insania habetur,* dixit S. Ambrosius. Non deerant aliæ pœnæ puniendique modi, quibus Deus superbiam & arrogantiam Nabuchodonosoris humiliare poterat, qui præter se nullum credebat esse alium Deum; unde in illa occasione, qua tres illos pueros astringere & cogere volebat ad adorandam suam statuam, dicebat illis: *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Eccur Deus insolitam adeo causavit metamorphosin in potentissimo illo totius mundi Monarcha, mutando ipsum in bestiam: *Fœnum ut bos comedit?* Ut nobis indicaretur & innotesceret, quod superbia nos transformet in bruta, nobisque surripiat discursum & rationem. *Mutatur in diversa monstra brutorum* (sic de superbo discurrit Episcopus Bellovacensis) *sicut Nabuchodonosor Dan. 4. quasi in tot bestias mutatur, quot bestiarum mores bestialiter vivendo imitatur. Hoc vitium angelum mutavit in brutum, dum Luciferum in Behemoth mutavit & Leviathan. Naturæ ejus spiritualem subtilitatem quasi mutavit in brutalitatem, sicut improperavit ei Datius Mediolanensis Episcopus 3. Dial. 4. qui cum pro negotio fidei iret Constantinopolim, veniens Corinthum cum multa societate recepit se in quadam domo, quam dæmones inhabitantes alienam faciebant ab habitatione hominum. Cum autem media nocte ibi quiesceret, antiquus hostis cœpit ibi fingere rugitus leonum, sibilos serpentium, grunnitus porcorum, & voces diversorum animalium, cui Episcopus alta voce ait: Bene tibi contingit miser, qui dicebas, in cœlum conscendam, &c. Ecce per superbiam tuam porcis & serpentibus similis factus es, & sic per superbiam, ut dignus es, imitaris bestias; ad quam vocem sic diabolus erubuit, quod à dicta domo sic recessit, quod eam ulterius non intravit.*

Quare Deus protoparentes lapsos, vestiverit pellibus bestiarum.
Gen. 3.5.
Psal. 48.13.
Gen. 3.21.

7. Adamus perfectissima pollebat scientia & notitia omnium animalium, nam singulis propriæ speciei conforme imposuit nomen; hac igitur supposita veritate, quomodo sibi persuasit, quod serpens æternam veritatem posset facere mendacem, eique tantum manifestare mysterium: *Scit Deus, quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum?* Responsio est in promptu: Superbia tollit nobis discursum & rationem; *non intellexit,* & ideo *comparatus est jumentis insipientibus.* Protoparentes nostri vivere poterant sine vestibus, cum essent cooperti frondibus; Nihilominus *fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Et cur, decorticatis animalibus, horum illos vestivit pellibus? vultis scire causam? ut experirentur & scirent, quod superbia eos non solum quoad interna, sed etiam quoad externa brutis effecisset similes.

Notabile exemplum.
Sap. 11. v. 17.

8. Tomo primo, lib. cui titulus est: *Pessimæ mortes peccatorum,* lib. 1. cap. 1. num. 17: refertur hic casus de Simone Chunoi celebri Theologiæ Professore: *Cum Theologicus de rebus coram aliquando dissereret, quæ de Christi gloria luculenter edixerat à se contrarijs omnino, si vellet, argumentis convelli, ac facillime retorqueri posse affirmavit, at ille impiam perfido vix ore vocem protulerat, cum ex sapiente insipiens, ex certissimo totus ignarus ac sciolus evadens, in apertamque resolutus mentis caliginem, risum astantibus movit, qui prius sui admirationem cunctis pepererat.* Voluit, nimirum, Deus verificari hoc axioma: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Quia peccaverat superbia, conveniens ei hæc correspondebat pœna, ut insipiens, stolidus remaneret & sine judicio.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Variæ adducuntur expositiones & considerationes in hunc versum Psal. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ,* cur, nimirum, David superbiam nuncupet pedem.

THEMA.

Non veniat mihi pes superbiæ. Psal. 35. ℣. 12.

Quid intelligatur per pedem superbiæ.
Psal. 37.9.
Lyran. in hunc loc.

1. Regius Propheta supplicans S. D. Majestati, hanc quoque instanter petebat sibi præstari gratiam: *Non veniat,* inquiens, *mihi pes superbiæ.* Quamvis jam alio in loco protestatus fuisset: *Ego autem humiliatus sum nimis,* sciens nihilominus, quod ex virtute etiam & humilitate progenerari possit præsumptio & superbia, ideo ad Deum efficaces fudit preces, ut sibi assisteret. Lyranus tamen in sensu litterali differentem tenet opinionem: *Non veniat mihi pes superbiæ, id est, pes Saulis superbi, & suorum satellitum ad me pro sua voluntate conculcandum.* Adjungit quidem dictus Lyranus aliam expositionem; sed de hac suo loco in progressu hujus discursus mentionem faciemus.

Cavendum est animæ perfectæ ne cadat in superbiam & vanam gloriam.
Psal. 35. v. 8. 9. 10. & 11.
Eccli. 43.7.
Remig. hic.

2. Pro majori igitur intelligentia sensus Regij Prophetæ observandum est id, quod antecedenter dixerat: *Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen; Prætende misericordiam tuam scientibus te & justitiam tuam his, qui recto sunt corde.* Quemadmodum Luna decrescit & deficit, quando jam est in consummatione & attigit luminis sui plenitudinem & perfectionem (loquor per respectum & ordinem ad visum nostrum) *Luminare quod minuitur in consummatione;* ita animæ, quando est in plenitudine perfectionis, frequenter accidit, ut tunc vel maxime efferatur in vanam gloriam & superbiam, nisi sibi prospiciat recurrendo ad auxilium Dei; ac propterea Psalmista interno illustratus lumine, postquam dixit: *In lumine tuo videbimus lumen; Inebriabuntur &c.* petijt: *Prætende misericordiam tuam, &c. id est* (ut exponit Remigius) *prior esto ad subveniendum, ut non labamur à te pede superbiæ, & demur in opus peccati; non sit prior te iniquitas ad nocendum: Unde cum cautam Dominus faceret Ecclesiam, ait, illa tuum observabit caput, tu autem ejus calcaneum; serpens observabit, quando veniat tibi pes superbiæ, id est, amor apostatandi, ut te dejiciat; tu autem ejus caput serva, initium omnis peccati superbia.*

David cœlesti abundans favore, timebat sibi à vana gloria.
S. August. in hunc loc.
S. Bruno hic.

3. Quando igitur Regius hic Propheta cœlesti abundabat favore, æternisque videbatur affluere delicijs, timebat sibi de vana gloria & superbia occulta ideoque supplex petiit: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Audiamus S. Augustinum: *Certe jam dixit: sub umbraculo alarum ejus sperabunt filij hominum, & inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Cum cœperit quisque isto fonte ubertius irrigari, caveat ne superbiat; non enim inerat Adæ primo homini, sed venit illi pes superbiæ, & movit illum manus peccatoris, id est, manus diaboli superba.* S. Bruno didicit, ut mihi videtur, à S. Augustino id, quod scribit in expositione hujus versus, sic enim per os Psalmistæ loquitur: *Postquam recti corde erimus, non veniat mihi, nec illis pes, id est, affectio superbiæ, ut in nobis ex rectitudine gloriando, corruamus. Pes pro affectione ponitur, eo quod animus affectionibus gradiatur.*

Albert. Mag.

Per pedem signatur humana affectio, quæ gravior & perniciosior est in affectu superbiæ, quam aliis peccatis.
Thomas Aquin. hic.
1. Cor. 10. 12.
Job. 18. 18.
Psal. 35. 13.
S. Aug. l. c.

4. Hisce conformiter scribit Albertus Magnus: *Affectio pes est, per ipsam enim est accessus ad Deum & recessus, sed per superbiæ affectionem longe itur, per affectionem humilitatis propinquatur.* Quod concordat cum eo, quod sæpe replicavimus in sententia S. Jacobi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Audivimus Magistrum, audiamus quoque dignissimum ejus discipulum commentantem in hunc versum: *Non veniat mihi pes superbiæ, id est, affectus superbiendi removeatur à me. Hic ponitur remotionis ratio, & est duplex. Primo, quia ex hoc pede est casus, sicut quando quis cadit propter pedem quem habet malum, & ideo dicit, ibi, id est, in pede superbiæ ceciderunt, ecce initium omnis peccati superbia. 1. Cor. 10. Qui se existimat stare, id est, per superbiam, videat ne cadat; & dicit, qui operantur; non qui operati sunt, quia aliquis aliquando ex infirmitate peccat, vel ignorantia, & iste non permanet; sed qui peccat ex superbia, iste persistit. Idem alia causa est alieni impulsus, unde dicit, expulsi sunt, id est, impulsi, dum inaniter se efferunt, sicut Lucifer de cœlo, & homo per superbiam de paradiso expulsi sunt, nec potuerunt stare. Job 18. Expellet eum de Luce in tenebras; sed humilitas facit stare.* Sed ante omnes alios D. Augustinus jam exposuerat hæc verba: *Ibi ceciderunt &c.* dicens: *Quare autem contra superbiam hoc dicit, ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem? Quia qui iniqui sunt in superbia ceciderunt.* Prosequitur deinde verbis præfatis & citatis à S. Remigio ex Gen. *Ideo cum cautam faceret Dominus Ecclesiam &c.* Adducit exempla primorum superborum: *Expulsi sunt, nec potuerunt stare. Primo ille qui in veritate non stetit; deinde per eum illi, quos dimisit Deus de paradiso; unde ille humilis, qui non se dicit dignum solvere corrigiam calceamenti, non est expulsus, sed stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi, & non propter suam, ne veniat illi pes superbiæ, & expellatur, nec possit stare.*

Quare David dixerit pes superbiæ & non simpliciter superbia.
Ad Rom. 6. v. 6.
Eccli. 10.15.
Ps. 118. 100.
Matth. 15.19
Psal. 13.3.

5. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Numquid Davidi Deum exoraturo satis esse videbatur, si dixisset: *Non veniat mihi superbia.* Cur hic inseritur *pes*? Quænam intercurrit proportio inter pedem & superbiam, quæ potius alas, quibus volet in altum, habere videtur; quam pedem, cui proprium est obambulare terram? Hoc forte utitur voce seu nomine pedis ad denotandum, quod superbia sit destituta capite; imo sit vitium capitale: *Caput omnis peccati superbia.* Apostolus Paulus phrasi mysterio plena peccato attribuit nomen corporis: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Quemadmodum in corpore multa sunt membra, & unum ab altero distinctum: Eadem proportione peccatum in genere multas comprehendit species transgressionum & offensarum mortalium. Porro magni hujus corporis caput, quod est pars principalis, è qua in omnia membra transmittuntur spiritus vitales, quis negare poterit esse superbiam? *Initium omnis peccati superbia;* Nihilominus David vir tantæ sapientiæ: *Super senes intellexi,* hoc vitium vult esse pedem, aut pedibus significari: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Imaginamini vobis, linguam hujus mystici corporis peccati esse murmurationem, detractionem, blasphemiam; ipsius fauces esse gulam & ebrietatem; oculum invidiam; aspectum curiositatem obscœnam; brachia ea peccata & vitia, quæ committuntur opere; cor illius esse cogitationes, desideria & intentiones pravas & perversas: *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria &c.* Pedes esse promptitudinem & celeritatem, qua præcipitanter currimus ad malum: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Libenter nunc scirem, cur idem Propheta, qui jam unicam solam peccati speciem pedibus indigitaverat, describat ac significet postea superbiam, quæ est caput omnium, per pedem? Responsio facilis est, si consideremus pedum functionem, illi enim sunt, qui portant & sustentant non caput dumtaxat, sed etiam cuncta alia corporis membra: Ad eumdem modum, uti & suo loco probatum est, superbia illa est, quæ cæteris omnibus vitijs & peccatis addit calorem & audaciam, siquidem nullum est peccatum, ad quod illa non concurrat, nulla est culpa, quæ illam, ut suam originem, non respiciat.

Superbus instar pedis omnes vult conculcare.
Deut. 11. v. 24.

6. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes, veluti demonstrat experientia, omnem locum, ubicumq; ponitur, calcat, & est signum acceptæ possessionis & dominij hæc calcatio seu occupatio: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Possessio est pedum positio.* Proprium hoc quoque est superbiæ, omnes vult subjicere pedibus suis, omnibus prædominari, spernit & despicit omnes non solum inferiores, sed etiam æquales, quæcumque etiam bona temporalia appetit & possidere cupit, magnum siquidem superbiæ fomentū est felicitas & abundantia terrena, uti latius suo loco dicemus.

Aves alis, homines pedibus levantur in altum.
Psal. 73.23.

7. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Quemadmodum avi natura dedit alas, ut possit volare in altum, ita homini dedit pedes, ut ascendere valeat montes, colles & loca eminentia; cum igitur proprium sit superbiæ semper ascendere: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper;* non immerito Propheta Regius eam descripsit & exposuit nomine pedis.

1. Cor. 9. 25.
Ephes. 6.12.
Pulchra allusio ad modum qua luctantes, adversarium pede à terra levato, prosternunt.
Psal. 35.12.
Ibid. v. 13.
Hug. Card.
Job 15.26.
Gen. 3. v. 1.
Exemplum fastus Diogenis & Platonis.

8. *Non veniat mihi pes superbiæ.* S. Apostolus vitam hominis Christiani declarat esse instar luctæ: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Observastisne, quo modo & quo stratagemate peritus & cautus luctator prosternat suum æmulum & adversarium? Non adhibet vires speciales, sed astutiam & dexteritatem; suo namque pede æmuli pedem eripere & à terra elevare satagit, quod dum facit, & manu adversarium firmiter tenens protrudit vel attrahit, facile in terram præcipitem agit, tunc nimirum, quando pedem habet elevatum à terra. Observate modum loquendi Davidis: *Non veniat mihi pes superbiæ. Et manus peccatoris non moveat me, Ibi ceciderunt, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Quasi vellet dicere: Noli permittere Domine, ut extollatur aut elevetur pes superbiæ, & manus, nempe, astutiæ dæmonis me moveat & instiget ad spiritum vel affectum præsumptionis & arrogantiæ: *Manus peccatoris, id est, diaboli* (& est interpretatio Hugonis Card.) *qui antonomastice dicitur peccator. Superbia est pes, quo receditur à Deo, & quo itur contra Deum, unde Job 15. Cucurrit contra Deum erecto collo, & habere pedem superbiæ & habere pedem inflatum, quod periculosum est nobis peregrinis.* Hæc Hugo Cardinalis. Continuo nobis insidiatur astutissimus tentator: *Serpens erat callidior;* qui novit nos supplantare, & ut dicitur communi & trito proverbio, *sa farci la cavalletta.* Recordor, & mecum vos memores esse vellem acuti illius responsi Platonici: Quando Diogenes una cum nonnullis aliis Philosophis ad domum Platonis invitatus, pedibus in ea conculcabat aulæa pretiosa in uno conclavi pompose protensa, & interrogatus à Platone, cur id faceret, respondit Diogenes: *Calco Platonis fastum.* Calcas & proteris, replicabat acute & ingeniose Plato; *sed majori fastu.* Quot sunt, qui occultis dæmonis concitati insidiis applausum & æstimationem ambiunt in exercitijs etiam humilitatis & proprij contemptus? Pes est vilissima pars corporis nostri, quia ambulando terræ luto & sordibus innititur; nihilominus intumescere potest *pes superbiæ.* Quot inveniuntur religiosi qui exterius apparent humiles, mundique contemptui dediti, at in corde tectam gerunt subtilem superbiam.

Pedes tumidi & inflati, facile impingunt, & hominem in lapsum impellunt.
Psal. 35.13.
D. Aug. ibid.
S. Bernard. de tribus ord. Eccles.
S. Anton. de Pad. serm. in Dom. 2. post Pasch.
Idem ser. in Fer. 3. post 2. Dom. quadr.

9. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Facillime pedes impingunt, & exinde casum accelerant toti corpori, quando sunt inflati & intumuerunt. Ruina quoque facillima & frequentissima est ei, qui superbit, animique elatione intumescit. *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Ubi primo* (quærit Sanctus Augustinus) *ceciderunt? In pede superbiæ. Audite pedem superbiæ. Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Venit illis pes superbiæ, unde venerunt in profundum.* Et post pauca: *Radicem peccati & caput peccati timuit, qui dixit: Non veniat mihi pes superbiæ. Quare illum pedem dixit? Quia superbiendo Deum deseruit, & discessit, pedemque ipsius affectum ipsius dixit, non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me ut imitari illos velim.* S. Bernardus Serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ, hanc nobis suggerit supplicationem, ut eam ad exemplum Regis David Deo exhibeamus: *Oremus singuli cum Propheta, ne veniat nobis pes superbiæ, quoniam ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Quamdiu in præsenti moramur vita, viatores sumus & peregrini itinerantes: *Tamquam advenas & peregrinos.* Itineraturo magnum est incommodum, impedimentum & damnum, si habeat pedes tumidos, videlicet, si permittat sibi dominari præsumptionem & superbiam, ad omnem namque gradum seu gressum impinget & offendet: *Initium omnis peccati superbia.* Qua super re audiamus quoque doctrinam sancti Antonij de Padua sermocinantis: *Diabolus tamquam lupus, quidquid presserit pede superbiæ, occidit. Unde David Psal. 35. Non veniat mihi pes superbiæ; sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiæ, quia ipsa est initium omnis peccati.* Et in alio Sermone discurrit in hunc modum: *Secundum quod dicit Augustinus de Verb. Dom. Omnis delectat Celsitudo, sed humilitas firmat gradus. Qui tendis pedem ultra te, cadere vis, non ascendere.* Patet autem hujusmodi di-

Sti Augustini veritas testimonio multiplici Scripturarum. In se namque Lucifer ruit, quia pedem sui inordinati desiderij ultra, imo supra se ponere & erigere voluit, quod est monstrum; inde etiam cecidit primus homo. Similitudinis, quam supra adduximus de luctatore, mentionem jam fecerat D. Bonaventura his verbis: *Comparatur superbus luctatori incauto, nam si in lucta unus de luctatoribus possit levare pedem alterius, dejicit ipsum; Sic si dæmon possit levare pedem, id est, hominis affectionem per superbiam, dejicit eum in damnationem æternam, unde dicitur: Dejecisti eos, dum allevarentur.*

S.Bonav. diæta salut. Tom.1.c.3.

Psal.72.18.

Quare dixerit pes, & non pedes.

10. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Merito quis petere posset, quæ illius significatio, quod Psalmista dicat in numero singulari, *pes*, cum tamen duo sint pedes, quibus corpus nostrum innititur? *Omnia in Sapientia*, nihil profecto fortuito sive à casu dictum. Credo ego regium Prophetam hoc loquendi modo velle exprimere frequentes casus seu ruinas superbiæ, ideoque subdidit: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*; in praxi videtur, eum, qui duobus ambulat & progreditur pedibus, minus cadere; at eum, qui unico solo incedit pede, ad quemlibet passum periclitari casu & ruina. Superbi animo adeo elati sunt, ut optarent sibi alas, quibus ascenderent aut volarent in altum, terra pedibus incedere & ambulare erubescunt. De primis Christianis, qui mundo & pompæ ejus nuntium miserant & vale dixerant, legitur in Tertulliano: *Terram suspenso pede tenemus*; quasi dicere & inferre vellent, quod pede claudicante incederent, denotantes per hoc aversionem, qua detestabantur vitæ hujus bona. Superbi nihilominus vix uno pede terram tangunt, quia ad æmulationem & exemplum Luciferi contendunt assimilari Deo. De Lucifero ait Sanctus Bernardus: *Ideo fortassis sedere voluit, quia stare non valuit.* Numquam stant aut stare desiderant superbi, ac propterea ambiunt sedes, thronos, &c. *Sedebo in lateribus, &c.* Ad vivum illos depingit sanctus Chrysostomus hisce coloribus: *Exosi sunt, non solum propter verba, sed & per ipsam corporis figuram ridiculi. Quid enim, dic quæso, cervicem in altum extendis? Quid summis pedum articulis incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum capitis tui non potes vel album, vel nigrum facere, non aliter quam si dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forsitan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes; forsitan prodigium esse desideras. Jam vero num prodigium ac monstrum ex teipso fecisti, qui, cum homo sis, volare conaris? Imo & ab intus volas.* An non igitur existimabitis David justo motivo & titulo inductum fuisse, ut unicum solum superbo assignaret pedem: *Non veniat mihi pes superbiæ*; dum semper stat in præsumptione & procinctu volandi?

Psal.35.13.

Tertull.

Superbi ambiunt sedere ad exemplum Luciferi, & non stare.

D.Bern. ser. 85. in Cant.

D.Chrys. hom. 20. ad Rom.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Nonnullæ in considerationem ducuntur rationes & motiva ad reprimendam nostram superbiam.

THEMA.

Quid superbit terra & cinis? Eccli. 10. ℣. 9.

Homo considerans se terram & lutum esse superbiendi causam non inveniet.

1. QUas homo habet rationes & motiva, ut sit humilis, & non efferatur in superbiam & arrogantiam, esto eorum plurima sint, & varia, hoc tamen, quod tetigit Ecclesiasticus, est potentissimum: *Quid superbit terra & cinis?* Quænam arrogans ista est prætensio, quæ temeraria præsumptio, ut cinis & lutum superbire velit? Num fortassis supremo artifici, qui cœlestium sphærarum amplitudinem distenderat, pretiosissima in visceribus terræ auri argentique metalla procreaverat, inæstimabilis pretij gemmas & margaritas produxerat, num huic, inquam, omnipotenti architecto materia paulo nobilior deerat ad plasmandum hominem, absque eo quod manus suas luto applicasset? *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Eccur hospiti adeo digno & nobili, qualis est anima ad imaginem & similitudinem trium divinarum personarum creata, tam vilem & abjectam parat domum? Obstupescit & D.Gregorius Nazianzenus: *Haud equidem scio*, inquit, *quo pacto simul & imago Dei sim, & cum cœno voluter?* Post discussionem tamen hujus dubij concludit, quod Deus increata sua Sapientia luto nos vestiri disposuerit, ne in superbiam extolleremur: *Hæc nostra temperatio est, ut cum imaginis dignitas animos extulerit, pulvis eosdem deprimat, contrahatque.* Verba sunt ex libro Sapientiæ desumpta, quæ sequuntur: *Cinis est cor ejus & terra, supervacua spes illius, & luto vilior vita ejus, Quoniam ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quæ operatur, & qui sufflavit ei spiritum vitalem.* In qua re Deus noster constituit & posuit vitam nostram? In uno flatu, in una respiratione, in uno anhelitu, in attractione aëris. Ergone homo superbiam suam fundare vellet supra unum flatum, in quo consistit & fundata est vita?

Gen.2.7.

Sap.15.10.

Ibid.v.11.

Meditatio mortis compescit superbos.

2. Mors reprimit & compescit omnes superbos: *Quid superbit terra & cinis?* Scribit Stobæus Ser.22. in detestationem superbiæ asserens: *Mortalem non decet altum sapere*, qui unum pedem semper habet in cymba charontis & mortis, & ab eadem non distat nisi per pauxillum aëris, qua ratione convenientem sibi censebit superbiam? Sane valde inconveniens est, & damno suo confessus est superbus Antiochus: *Justum*, inquiens, *est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Hæc est superborum præsumptio & arrogantia, nec Deo etiam velle se subjicere; & merito hi confunduntur per ipsos gentiles, præcipuè Stobæum scribentem: *Mortalia sapere oportet mortalem naturam, istud scientes, quod non est quisquam præter Jovem.* Convertit idem deinde discursum suum ad Regem quemdam & potentem mundi hujus Monarcham, hisce eum alloquens verbis: *Homo cum sis, fortunam memineris communem, quãvis Rex natus fueris, audi tamen ut mortalis.* D.Chrysost. repressurus alicujus arrogantiam Homilia quadam ita peroravit: *Qui te vocabo? Quomodo arrogantiam tuam dejiciam? Si cinerem te dixero, & pulverem, & humum, & cœnum, vilitatem quidem dixero, nondum tamen satis exacte similitudinem eam, quam volebam, consecutus fuero.*

Stobæus ser. 22.

2.Machab.9. v.12.

Stob. l.c.

D.Chrys. Hom.20. ad Rom.

3. Inter alia, quæ Bellovacensis adducit motiva, ad reprimendam superbiam, hoc quoque recensetur: *Ab hujusmodi appetitu debent nos retrahere vilitas humanæ conditionis, fragilitas nostræ corruptionis.* Terram Deus in ultimo ac infimo totius Universi collocavit loco instar centri; an non igitur instinctum suum naturalem inverteret, si prætenderet ascendere in altum & concertare vellet cum igne? Hujusmodi est arrogans & temeraria stoliditas alicujus superbi, qui esto sit pulvis, terra & lutum, prætendit tamen elevari & extolli. Si pulverem in alto collocetis loco, ventus illum dissipabit disperdetq;: *Exsufflat pulverem vanitatis mundanæ* (ait S.Bonaventura) *& ideo cum homo sit pulvis ex sua conditione, juxta illud: Pulvis es, & in pulverem reverteris, magis timendus est ventus superbiæ in alto statu prælationis, quam subjectionis.* S. Joannes Climacus scalam nobis subministravit, qua possimus ascendere in cœlum, & quinam sint gradus illi, quibus ascendendum, pariter nos docet, sed in gradu 23. his nos monet verbis: *Noli elatis cervicibus incedendo cœlum tangere, cum sis è cœno terræ factus, multi enim è cœlo Sancti & corporis expertes deturbati sunt.* Ceciderunt angeli propter superbiam, & quia spiritus erant nobilissimi, majori concitabantur superbiendi stimulo; Ast homo, vermis, putredo & lutum vilissimum, quod pedibus proteritur, quale gloriandi seseque extollendi poterit habere motivum?

Bellovac. spec.mor.lib. 3.p.3.dist.1.

Superbus frustra se elevat in altum, cum sit terra quam Deus locavit in imo.

S.Bonav. diæta salut. tit.1.c.3.

Clim.gr.23.

4. *Quid superbit terra & cinis?* S.Bernardus *de gradibus humilitatis, in primo superbiæ gradu* scribit: *Ut quid audes oculos levare ad cœlum, qui peccasti in cœlum? terram intuere, ut cognoscas teipsum; ipsa te tibi repræsentabit, quia terra es, & in terram ibis. Quid superbit?* De quo superbitis? num de vestris miseriis? de vestris expletis desideriis & appetitibus? de vestris vindictis? de voluptatibus & deliciis mundanis, quibus hactenus gavisi estis? Verum hæc omnia ad humilitatem potius vos inducere deberent, quia sunt offendicula & causæ æterni vestri præcipitij. Num vos extollitis & superbitis de bonis & donis gratiæ, de virtutibus, de operum heroicorum meritis, de actibus & exercitiis perfectionis? Sed *quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Nec minima quidem cogitatio ac desiderium bonum in nobis esse potest, quod non est à Deo; & de nobis præsumptionem conciperemus ad Dei etiam despectum? Hæc præsumptio aliunde non derivatur nisi ex eo, quod fere numquam nos reflectamus ad terram & cinerem, quibus constamus. Audiamus S. Bernardum: *Quomodo perfectionem sibi sapientiæ vendicat amor Dei, ita desperatio sibi omnem malitiæ consummationem. Et quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia Dei itidem amor, sic è contrario de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. Sic autem superbia parit tibi ignorantiam tui, cum meliorem, quam sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur.* Audiamus insuper documentum Joannis Cassiani excellentis illius Magistri vitæ spiritualis: *Itaq; hunc nequissimi spiritus laqueũ taliter poterimus evadere,*

S.Bern. de grad.hum.

Habemus potiorem causam nos humiliandi, quam superbiendi.

1.Cor.4.7.

D.Bern.ser. 37. in Cant.

Cass. l.12.c.9.

si in

si in singulis, quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus: Non ego, sed gratia Dei mecum, & gratia Dei sum id, quod sum. Eadem verba S. Bonaventura de pugna spirituali c.9. in medium adducit, sed addit: *Debet cogitare, Deum esse qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

S.Bonav. de pug.spir.c.9.

Taxantur qui superbiunt de divitiis & pretiosis vestibus.

5. *Quid superbit terra & cinis?* Multi sunt, qui intumescunt, vanaque ducuntur gloria in divitijs & pretiosis vestibus Act.12. S.Lucas observat in Herode: *Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali &c.* Et in pœnam suæ superbiæ percussus fuit ab Angelo, & à vermibus consumptus ream expiravit animam. De divite epulone sepulto in inferno idem S.Lucas scribit: *Induebatur purpura & bysso; qua vestiebatur exterius*, subdit Dionys.Carth. *ad ostentationem inanem.* Merito ac justa de causa tales reprehendere possemus cum S.Bonaventura: *Valde absurdum est, putridum cadaver pretiosa veste ornari.* Annon intolerabilis indecentia est adornare cinerem, lutum, putredinem superbis & pretiosis vestibus auro intextis? Auscultet superbus minas primo superbo intimatas: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Verum cum jam vermium fecerimus mentionem, quis non recogitat vestimenta esse excrementa vermium? *Vestem elegantem fers?* (ita discurrit Stobæus) *at hanc ovicula prius habuit. Aurum geris? Hæc fortunæ inconstans est potentia. Opibus affluis? Hæc vis est iniqua tẽporis. Superbis? Hujusmodi est stultitiæ jactantia.*

Actor.12.21.

Luc.16.19.

Dion. Carth. in hunc loc.

S.Bonav. loc. sup. cit.

Isa.14.11.

Stobæus ser. 22.

Stob.ibid.

Fælicitas divitiarum excitat superbiam.

6. *Quid superbit terra & cinis?* De divitiis superbitis? *Fœlicitas solet excitare superbiam*, asserit idem author? *Socrates Alcibiadem intuitus ob divitias inflatum & superbientem opibus prædijsque, in quemdam civitatis locum duxit illum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Jussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam ut invenit, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret, cur igitur, Socrates inquit, ob alia superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt.* Unde nos monet S.Augustinus: *Vermis*, inquiens: *divitiarum superbia est. Difficile est ut non sit superbus, qui dives est; tolle superbiam & divitiæ non nocebunt.* Eamdem doctrinam invenio in alio Sermone, cum ait: *Nihil tam timendum est in divitijs quam superbia.* Denique Apostolus hoc admonet Timotheum: *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere; non divitias expavit, sed morbum divitiarum, morbus enim divitiarum est superbia magna, nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur.* Præfatum Apostoli textum exponens S.Anselmus ait: *Sicut poma vel arbores habent suos vermes, ita divitiæ suum vermem habent. Vermis divitiarum est superbia; ergo præcipitur divitibus, non ut divitias abjiciant, sed ut superbe non sapiant; vermis enim excluditur, usus divitiarum permittitur. Inde autem superbit dives, quia sperat in incerto divitiarum; nam si incerta divitiarum prudenter attenderet, numquam superbiret, sed semper timeret.* In eadem verba Apostoli ad Timotheum scribit S.Augustinus Ser.5. de verb.Dom.c.9. asserens: *Præcipe: Quid? Præcipe ante omnia non superbè sapere. Nihil est enim quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis divitiarum superbia.* Si verum est, quod *ignis igni remedio est*, dicere etiam possumus, unum vermem posse esse remedium alteri, volo inferre, quod consideratione nostri cineris, nostræque naturæ, quæ resolvitur, in pulveres & vermes, possimus dare mortem huic vermi superbiæ, qui prodit ex superfluo divitiarum amore.

S.Aug. Hom. 13.

Idem serm. 212. de temp.

1.Tim.6.17.

Vermis divitiarum excitat superbiam.

S.Anselmus.

D.Aug.ser. 5.de ver. Dom.c.9.

Superbia comparatur vento.

7. In mare intrant innumerabilia & navigabilia flumina: *Omnia flumina intrant in mare*; illud tamen minime intumescere faciant, neq; sunt in causa quod mare tempestuosas excitet extollatque undas ad stellas usque, & profunda abysso absorbeat naves mercibus onustas & prædivites; siquidem *mare non redundat.* At quis causat tempestates? Quis tumidum efficit oceanũ? Quis navibus infert naufragia? Ventus. Neque aquæ tribulationum in causa sunt, ut in mari hujus vitæ animæ submergantur & deglutiantur à profunda inferni abysso, bene quidem totum hoc malum causat ventus superbiæ; *Omnia flumina intrant in mare.* Continget, quod domus aut familia aliqua plurimis opulentis gaudeat redditibus, & tamen *mare non redundet*, nimirũ, non propterea dives ille superbiat, quia mens illius non agitatur vento vanæ gloriæ & arrogantiæ, & unde hoc procedit? *Non superbit terra & cinis*, fragilitatem & vilitatem naturæ suæ diligenter & attente considerat, ad ipsum nullum habet aditum ventus superbię ex divitiis cõceptus, sed cogitat, *sicut ventus est vita mea.*

8. Bellovacensis scribit: *Tinea divitiarum est superbia, quia videlicet, sicut tinea nascitur ex veste, & ipsam corrodit, sic ex divitijs plerumque nascitur superbia, & ipsa eas consumit in equis, famulis, festis, convivijs & hujusmodi.* D. Joannes Chrysostomus Homilia ad populum hunc instituit Sermonem: *Illud inquirere dignum est, quare non dixit, divitibus præsentis sæculi præcipe non ditescere, præcipe depauperari, præcipe quæ habent exhaurire, sed dixit, præcipe non sublime sapere. Novit quod divitiarum radix & materia est superbia.* Qui ab arbore vult tollere flores, frondes, fructus ad radicem ponat securim, & illam succidat; qui pariter à divitiis, quæ generant superbiam, tollere intendit vitiosam deordinationem, ad falcem mortis semper imminentis se reflectat.

Bellovac. loc.sup.cit.

Superbia est tinea divitiarum.

D.Chrys. Hom.2. ad pop.

9. *Quid superbit terra & cinis?* S.Dorotheus de renuntiat, tract.2. hanc impertitur nobis doctrinam: *Sancti viri quanto propius & vicinius ad Deum accedunt, tanto viliores se aspiciunt, & peccatis magis onustos. Sic Abraham cum videre Dominum meruisset, terram se vocavit & cinerem. Job 42. Nunc oculus meus videt te, idcirco me reprehendo.* Angeli cum plus à Deo distent, quam alij Spiritus, Deum, uti in præfatione canimus, laudant, *quem laudant Angeli*; at Dominationes, utpote Deo viciniores, ipsum adorant: *Adorant Dominationes*; Potestates vero, quæ supremam illam Majestatem propius intuentur, coram Deo tremunt, *tremunt Potestates.* Homo igitur, qui nil aliud nisi cinis, pulvis & vermis est, si oculos mentis sive intellectus sui conjecerit in immensitatem, Majestatem, & magnificentiam Altissimi, quid minus facere poterit, quam ut se humiliet & Deo se subjiciat? Angelica doctrina est, quam tradit D. Thomas de superbia discurrens in hunc modum: *Postquam deprehensus fuerit per rationem, facile evitatur, tum ex consideratione propriæ infirmitatis secundùm illud Ecclesiastici. Quid superbis pulvis & cinis? Tum etiam ex consideratione magnitudinis divinæ secundùm illud Job 15. quid tumet contra Deum spiritus tuus? Tum etiam ex imperfectione bonorum, de quibus superbit homo, secundùm illud Isa. 40. omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri; & infra 64. Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Cunctis nota est illa D. Augustini sententia: *Deus coronat in nobis sua dona, non nostra merita.* Quid per seipsum potest cinis & pulvis? *Quid superbit terra & cinis? Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Legimus in Isaia: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; Ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Quomodo* (sic hunc textum exponit D. Hieronymus) *si à situla modica stilla fluat, à portante negligitur, ita universa gentium multitudo supernis ministerijs comparata pro nihilo ducitur. Substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.*

S.Doroth. de renuntiatione tract.2.

Intenta consideratio divinæ majestatis, non sinit nos superbire.

Job 42.6.

S.Thom.2.2. q.162. art.6. ad 1.

Job 15.13.

Isa.40.6.

Isa.64.6.

Isa.40.19.

S.Hieron. in hunc locum.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Alia adhuc adducuntur motiva ad reprimendum ac detestandum hoc idem vitium superbiæ.

THEMA.

Noli altum sapere, sed time. Apost. ad Rom. 11. ℣. 20.

UT hoc Apostoli consilium redigatur in praxin, multis indigemus remediis vel maxime, quia agitur de morbo in nobis radicato ab origine totius humani generis; unde præter illa motiva, quæ ad destruendum hoc vitium superbiæ discursu præcedenti adduximus, supersunt quædam alia examinanda, ut sic huic materiæ imponamus finem.

Deus præ omnibus vitiis detestatur superbiam.

1. *Noli altum sapere.* Deus Ter Opt. Max. omnia detestatur vitia, at præ cæteris irremissibiliter ipsam superbiam, unde Sapiens: *Timor Domini odit malum; arrogantiam & superbiam & viam pravam detestor.* At non solum Deus, sed homines etiam detestantur superbum, quia omnibus dedignatur esse æqualis: *Non sum sicut cæteri hominum &c.* Jactabat se superbus Pharisæus. *Hominibus odibilis est, quia cæteros despicit & contemnit & opprimit*, ait Episcopus Bellovacensis, *omnis superbus intolerabilis est actu, superbus habitu, pomposus incessu, hujus cervix erecta, facies torva, truces oculi, de loco superiori cernit; melioribus se præponit, affectans sententias suas, verba & facta jactat, reverentiam non observat.* Adducit deinde authoritatem S. Gregorij: *Superbis tumor in cogitatione, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in lætitia, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in res-*

Prov.8.13.

Luc.18.12.

Bellovac. spec.mor.l.3. p.3.dist.

Est etiam hominibus odibilis.

ponsione

D. Bernard. ser. 37 de modo bene viv.

ponsione. S. Bernardus Serm. 37. de modo bene vivendi asserit: *Homo superbus Deo & hominibus est odibilis.* Pulcherrimum Angelorum, videlicet, pulcherrimam omnium, quas omnipotens & sapientissimus divinus artifex creavit, creaturarum superbia mutavit in abominabile & horrendum monstrum inferni. Quamobrem postquam Cassianus protulisset aliqua remedia ad curandam hanc pestilentem infirmitatem, dicebat: *Si principalis ruinæ causam & salutis nostræ fundamenta perspeximus, à quo vel qualiter ista facta sint, vel ista emerserint, quemadmodum devitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus, vel illius ruina, vel hujus doceamur exemplo.*

Cassian. l. 12. c. 8.

S. Basil. in reg. brev. q. 35.

Quomodo sanari possit morbus superbiæ.

2. Basilius M. interrogatus vice quadam: *Quomodo sanari possit superbus?* Respondit; *Si fidem habeat sententiæ illius qui dixit: Dominus superbis resistit.* Contulerat Dominus Deus homini dominium in omnia animalia, unde leones instar agnorum fuissent humiles & obedientes homini; ast quando hic superbivit, totum perdidit dominium: *Quia per peccatum homo deseruit Deum* (ait S. August.) *sub quo esse debuit, subditus est eis, supra quæ esse debuit. Intendite quid dicam; Deus, homo, pecora. Agnosce eum, qui supra te est, ut agnoscant te quæ intra te sunt. Ideoq; cum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt illum supra se leones. Si autem non agnoscis illum, qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori. Propterea superbia Ægyptiorum unde domita est? De ranis & muscis. Poterat Deus & leones mittere, sed aliquis magnus leone terrendus est. Quanto illi erant superiores, tanto de contemptibilibus & abjectis fracta est eorum cervix mala; sed Danielem agnoverant leones, quia subditus Deo erat.* Offerentibus in veteri lege prohibuit Deus fermentum, & alia occasione noluit, ut illud apud se conservarent, rationem hujus assignat Philo Hebræus, ubi tractat de offerentibus victimas, dicens: *Illud quod Legislator jubet sine fermento oblationem omnem fieri; propter tumiditatem quam fermentum efficit, æque figurato præcepto, ne quis elatus ad altare accedat tumidus fastu & arrogantia, sed aspiciens Dei magnitudinem suam mortalitatem agnoscat, quantumvis cæteris fortunatior, & vera æstimatione animos elatos reprimat, cavens insidiatricē superbiā.*

S. Aug. tract. 8. in Joan.

Philo Hebr. de vict. offer.

Indecens est hominem superbire, cum filius Dei se humiliaverit.

3. *Noli altum sapere.* Aliud frænum est ad comprimendam superbiam, si consideremus, quam indecens & inconveniens sit, quod homo superbiat humiliante se Filio Dei ad curandam nostram superbiam. S. Thomas de Villanova Sermone de Ascensione Domini exclamans ait: *O miserandam stultorum hominum insaniam, & phrenesin nimis dolendam! O mentis cæcitatem numquam pro merito deploratam. Qui Christiano nomine censentur, qui fidem Christi ejusque doctrinam Evangelicam profitentur, quid dico profitentur, imo qui de populi Christiani ducatu magisterioque gloriantur, hi superbiæ facibus magis ardent, hi honoribus & dignitatibus insatiabilibus inhiant; horum omnis cura & solicitudo est, qualiter inter homines magni & honorati videantur. Quid delirias, quid insanias; quam sub humilitatis vexillo ambitioni militare? Et in magistri humilis schola superbiam profiteri? Quomodo audierant hi cælestis verba Magistri: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?* Bellovacensis citat authoritatem D. Bernardi: *Quoties hominibus præesse cupio, Deum meum præire contendo, de ipso namque scriptum est: Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus. Imo in homine contra om[...]ius vult esse servus major Domino suo, qui hic voluit ho[...]nibus præesse.*

S Thom. à Villanov. Ser. de Ascens.

Matth. 11. 29.

Lucæ 2. 51.

Exemplum Christi retundit efficaciter superbiam nostram.

4. Si ex valore pretioso & efficacia medicinæ devenire solemus in cognitionem malignitatis morbi, cui illa applicatur, uti bene observat Cassianus, oculum mentis conjiciamus in Christum: *Ideo universitatis Creator & medicus Deus causam principiumque morborum cognoscens esse superbiam, contrarijs sanare contraria procuravit, ut ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Illa namque dicit, in cælum conscendam; hic dicit, humiliata est in terra anima mea. Ille dicit, & ero similis Altissimo; hic cum esset in forma Dei, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, humiliavitque se factus obediens usque ad mortem. Ille dicit, super astra cæli exaltabo solium meum, iste dicit, discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Ille dicit; nescio Dominum, & Israël non dimittam; iste dicit, si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, & mandata ejus servo.* Et vero quem in finem descendit Filius Dei de cœlis assumens naturam nostram humanam? Indubie respondebitis mihi ipsismet Symboli verbis: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & incarnatus est.* Aliud nihilominus mysterium allegat D. Augustinus dicens: *Etiam illud est, ut superbia hominis,*

Cassian. c. 8.

D. Aug. l. 13. de Trin. c. 17.

quæ maximo impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humanitatem (humilitatem) *redargui posset.* Nostis umquam Apostolicam illam invitationem: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ergone ad abjectionem infinitæ illius Majestatis dari poterit casus, quo homo intumescat & superbiat? Ponderetur hoc verbum *Hoc sentite in vobis*, quasi vellet dicere, quod attenta meditatione penetrare debeamus hanc humiliationem Filij Dei ad curandam nostram superbiam. Verum omnem superat humanum intellectum illud, quod operatus est in ineffabili Eucharistiæ Sacramento instituto ad cibandum sordidum terræ vermem sacratissimo suo corpore, quod hunc in finem dignatus fuit restringere ad minimam etiam & imperceptibilem hostiæ particulam, non obstante eo quod de seipso affirmat; *Cælum & terram ego impleo:* An non hoc ipsum sufficiens est ad deprimendam nostram elationem & superbiam: *O stupenda* (exclamat S. Bernardus) *Dei miseratio: Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium induit, ut jumenta manducarent panem Angelorum.* Neque hic inutilis est ponderatio D. Augustini in Psal. 33. dum quærit: *Unde commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua*, respondet; *nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant & saginantur.* Nihilominus adeo se humiliavit, ut etiam ipsius hominis noluerit esse cibus. *Panem Angelorum manducavit homo*; in tantam se dejecit humilitatem, ut ad prolationem paucorum verborum è dextera æterni Patris descendat (*obediente Deo voci hominis*) ad restringendam infinitam suam majestatem sub minima particula panis. Hoc exemplum, hunc stimulum profundissimæ humilitatis quotidie habemus ante oculos nostros, ut nostrum deprimamus fastum, at parum desuper cogitamus.

Ad Phil. 2. 5.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 7.

Jer. 23. 24.

D. Bern. ser. in cæn. Dom.

S August. in Psal. 33.

Superbiam nostram deprimit quod ignoramus an odio, an amore digni simus.

5. *Noli altum sapere.* Ut humiles simus & in humilitate vivamus, nihil de nobismetipsis præsumentes, multum etiam nobis proderit, si consideremus, quod *nemo scit utrum amore, an odio dignus sit.* Quapropter nos monet Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus vitio superbiæ dedito tale præbet consilium: *Fac tibi prioris vitæ ac veterum flagitiorum in mentem veniat, illudq; tecum reputes, quonam pacto te, cum talis esses, lucis hujus usura frui Deus sustinuerit, neque eo contentus, etiam aluerit, atque conservarit, ac tunc procul dubio humilitatem concipies.* Ad reprimendam superbiam hoc aliud nobis suggerit remedium Episcopus Bellovacensis, nempe, quod non peccata jam commissa, sed ea, quæ indies committimus, ob oculos nobis statuamus: *In multis offendimus omnes. Innumera peccata, quæ committimus, & damna maxima, quæ incurrimus.* Maxima vero damna patimur propter superbiam, sic enim loquitur D. Chrysostomus: *Mala maxima & quæ fere toti orbi intulere perniciem, de superbia mentis exorta sunt.* Hisce conformia sunt, quæ scribit de Villanova: *Quid*, inquit, *mundum inquietat, nisi superbia?* Et S. Bernardinus de multiplici luctu Serm. 4. art. 1. cap. 2. paria scribit, inquiens: *Cum homo considerat, quod propter superbiam primi hominis exul factus est in hac misera vita, atque tot & tantas miserias hic in se & à se sentit, magnam habet materiam & occasionem, imo necessitatem seipsum humiliandi; unde Eccles. 10. quid superbit terra & cinis, & alibi quidam ait: unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita necesse mori?*

Eccli. 5. 5.

S. Nilus de octo vit. cog.

Bellovac. l. c.

D. Chrys. Hom. 13. in Matth.

Thom. à Vill. l. c.

Bern. Tom. 3.

Eccli. 10. 9.

Superbia merito fugienda eo quod illius author & centrum sit dæmon.

6. *Noli altum sapere.* Aliud motivum fugiendi superbiam est, quia illius author & centrum est dæmon. S. Chrysostomus facta reflexione super verba Christi, quibus protestatur eum, qui non fuerit humilis & parvulus, non intraturum in regnum cœlorum; ait: *Minis illis intendit, nullam perventurum ad cælos, qui non fuerit sicut parvulus, & mola & submersione tumorem protervorum hominum depressit.* Evidentius nos monet S. Joannes Climacus, dicens: *Si quis absque cæteris vitijs, & ob hoc solum & unicum Lucifer è cælo cecidit, quærendum est, an forsitan quispiam absque alijs virtutibus per solam humilitatem cælum conscendere possit. Superbia omnium laborum & studiorum opes perdit.* Quibus adstipulatur S. Bernardin. de exercitu spirituum malignorum, afferens: *Cecidit, cecidit Babylon magna, &*

D. Chrysost. Hom. 60. in Matth.

Clim. gr. 23.

S. Bern. Tom. 3. ser. de exer. spir. mal.

na, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, nam Job c. 40. ad Dominum ait, Respice cunctos superbos, & confunde eos, ait enim, respice non oculo misericordiæ, confirmando illos; sed oculo justitiæ, dejiciendo illos, & confundendo. Et in S. Bernardo Serm. præfato 37. de modo bene vivendi legimus: *Superbus homo similis est diabolo.*

Job 40. 7.

D. Bern. ser. 37. de modo bene viv.

Superbia in momento evanescit.

7. *Noli altum sapere.* Superbia uno evanescit momento, quia non est fundata nisi in nostra præsumptione & arrogantia. Mathathias, uti legitur primo lib. Machab. cap. 2. morti jam vicinus post varia eaque præclara filiis suis data monita, voluit illos etiam monere, ut fastum & pompam mundi, utpote, superbiæ fomentum fugerent, hisce verbis: *Gloria ejus stercus & vermis est, hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam & cogitatio ejus perijt.* Postquam ostendit Chrysostomus hominem nullam habere occasionem superbiendi, eo quod sit cinis, pulvis & lutum, subjungit: *Nondum tamen satis exacte similitudinem eam, quam volebam, consecutus fuero; quam ergo similitudinem reperiemus, quæ conveniat illis; Mihi videntur accensæ stuppæ similes esse, nam & illa post incendium tumidum quid esse, & in nescio quid præcipui immutata videtur, modicum vero passa contactum totum amisit, omni cinere vilior apparens.*

1. Mach. 2. v. 62.

D. Chrys. hom. 20. ad Rom.

Cur manus Moysis prius infecta fuerit lepra, quam ei traderetur miraculosa Virga.

8. *Noli altum sapere.* Cum Dominus Deus Moysis manum vellet munire armis & quidem portentosa illa virga, qua mediante tot prodigiosa patraturus erat miracula, jussit, ut illam prius poneret intra sinum suum, & inde extraheret infectam & refertam fœtente lepra, cujus mysterij si desideretis expositionem, audite Theodoretum: *Legislatoris*, inquit, *manum infecit lepra, docens eos, qui plenius instructi sunt, horum nihil esse immundam; nam dextera illa quæ admiranda illa perpetrarat, cum prius fuisset leprosa, signis divinis inservivit, & elementa mutavit. Quæ res Moysen etiam admonuit, non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dexteræ lepra prius infectæ.* Magnus fuit Propheta Elias, ut vere magnus, dum hic in terris Dei vicarium egisse, ac omnipotentiæ divinæ locum tenentem repræsentasse videtur, siquidem ad nutum suum claudebantur cœli; imperabat igni, ut cœlo descenderet & cultui divino rebelles devoraret; corvos ad suum obsequium & ministerium habebat paratissimos; potentissimos deterrebat reges suis reprehensionibus; idololatrarum Sacerdotum magnam fecit stragem authoritate despotica; morti imperabat, nec non intima cum Deo gaudebat familiaritate: Nihilominus unius dumtaxat fœminæ minis territus tantum concepit timorem, ut quadraginta dierum noctiumque spatio fugæ se dederit, volens effugere mortem, in quam prius habebat dominium & imperium, quo super facto audiamus quoque Theodoretum: *Cur*, inquit, *cum tantas habeat vires, solam timuit Jezabel? Quoniam non solum erat Propheta, sed etiam homo, & alioqui timor erat divinæ dispensationis. Nam ne miraculum magnitudo ejus spiritus nimis attolleret, concessit gratia naturæ, ut timorem susciperet, ut suam agnosceret imbecillitatem.* S. Paulus jam electus erat Apostolus ad convertendum mundum, admissus ad secreta consilia S. Triadis, elevatus ad Paradisum; sed quid? *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet.*

Theodoret. q. 10. in Exod.

Quare Elias fugerit Jezabelem.

Theodor. q. 57. in l. 3. Reg.

2. Cor. 12. 7.

Perfecti etiam timeant superbiam.

9. *Noli altum sapere, sed time.* Superbiam perfecti etiam timere debent, & istud potentissimum medium est, ut illam evitemus omni studio & industria: *Sicut Adam ejectus de Paradiso* (verba sunt Sancti Basilij) *sicut Saul destitutus Spiritu Dei, sicut Israël à sancta Radice resectus. Vide, inquit, stas? Noli sublime sapere, sed time.* Cum Saul optimus esset homo in Israël, & adeo humilis, ut fuerit asinarius, seque occultaverit, ne acceptaret sceptrum; Nihilominus primus superbus (*spiritus malus exagitabat Saul*) eum incitavit ad superbiam.

D. Basil. Hom. 22.

1. Reg. 16. 4.

TRACTATUS XCI.

DE TEMPORE, ET EJUS JACTURA, SEU OTIO.

CONTINET DISCVRSVS XVII.

DISCURSUS I. De brevitate vitæ humanæ, ac temporis, quod elabitur, fugit ac deficit, velocitate.

II. Cum tempus non sit in potestate nostra, temeritatis incurrit notam volens de eodem disponere, suamque conversionem procrastinare.

III. Examinatur pretiositas & valor temporis, & quanti illud à nobis æstimandum sit.

IV. Tempus præsens à Deo nobis indultum est, ut æternam operemur salutem, ac propterea bonis operibus impendendum est.

V. De reddenda ratione temporis neglecti ac malè impensi, quantaque reprehensione dignus, qui tempus inutiliter consumit.

VI. Signum æternæ reprobationis est sine fructu transigere tempus, quod ipsa hora & puncto mortis coram Deo nos accusabit.

VII De dominio, quod dæmon acquirit in otioso, in quibus non aliter ac in centro suo habitat.

VIII. Otium est fomentum & incentivum tentationum; pravarumque cogitationum, præsertim vero venerearum ac immundarum.

IX. Otium solet esse causa & centrum omnium vitiorum, cum ab illo omne malum ducat suam originem.

X. Bono publico otium valde damnosum & perniciosum est, ut propterea ab omni regimine bene ordinato merito exterminentur otiosi.

XI. Otiosus sibiipsi creat omnium honorum tam spiritualium, quam temporalium penuriam, gravamen & molestiam, nec non vitæ abbreviationem.

XII. Varia in considerationem ducuntur motiva, ut quis detestetur otium, ac tempus fructuose impendat.

XIII. Varia etiam examinantur capita stultitiæ, quam incurrit otiosus jacturam faciens temporis.

XIV. Diversæ allegantur interpretationes & expositiones morales textus hujus Apostoli: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

XV. Modus traditur & methodus, qua tempus conservemus & expendamus cum nostro emolumento & innocentia Christiana; item qua ratione tempus possimus facere nostrum.

XVI. Ostenditur, quantum utilitatis conferant occupationes & labores ad fugiendum otium, ubi & laudantur, qui tempus bene impendunt.

XVII. De tempore, quod honestæ recreationi, viriumque restaurationi impenditur, simulque commendatur otium & quies vitæ contemplativæ.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM:

De brevitate humanæ vitæ, ac temporis, quod elabitur, fugit ac deficit celeritate.

THEMA.

Hoc itaque dico fratres, tempus breve est. 1. Cor. 7. ℣. 29.

Tempus vitæ nostræ breve est.

1. Varia, si sacros inspiciamus interpretes, verborum horum intelligentia est; nonnulli enim credunt S. Paul. voluisse loqui de brevitate vitæ humanæ, quæ uno nititur anhelitu, una respiratione. *Tempus breve est peregrinationis nostræ* (sic commentatur Carthusianus) *seu vitæ præsentis tempus breve est, prout Scriptura testatur: Dies nostri sicut umbra supra terram, & nulla est mora. Et Jacobus: quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* Ita pariter hunc textum explicat Cajetanus dicens: *Tempus breviatum est, hoc est, tempus vitæ præsentis uniuscujusq; decurtatum est, & mutilum à tempore sperato vivere quod vivit.* Cornelius à Lapide refert opinionem Tertull. & ait: *Tempus, id est, vitæ nostræ spatium contractum est, &, ut legit Tertullianus, in contracto est.* Existimat nihilominus sanctus Ambrosius citatum textum intelligendum esse de toto illo tempore, quod cursu suo se extendet ad mundi finem usq; non legit ille *breve est*, sed

Dion. Carthus. hic.

Jac. 4. v. 15.

Cajetan. in hunc locum.

Tertull. & Corn. à Lap. velatus.

S. Ambr. hic.

sed *breviatum est : Breviatum tempus & reliquum dicens, finem mundi imminere significavit, quamvis sciret adhuc tempora superesse.* Quamvis igitur sanctus Paulus spiritu Prophetico prævideret mundum multis sæculis duraturum, totum tamen tempus illud dicit esse breve.

Deut. 32. 36. Spatium aliquot millium annorum modicum vocatur à Christo.

2. In cujus majorem probationem Hugo Cardinalis adducit textum ex libro Deut. ubi legitur : *Juxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Multum temporis fuit* (subdit Hugo) *ex quo hoc dixit Moyses*, jam enim plusquam tria millia transiêre annorum. In ultimo sermone quem Christus habuit ad discipulos in ultima cœna dixit eis: *Modicâ & jam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me.* Ubi Salvator noster decursum multorum centenorum, & forte aliquot millium annorum appellavit spatium modicum, tempus brevissimum, quo durabit mundus; unde Sanctus Augustinus in Homilia illa, quæ legitur in Matutino Dominicæ 3. post Paschæ asserit : *Modicum est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum, unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua : Novissima hora est.* Et in progressu ejusdem Homiliæ idem ait: *Hoc modicum longum nobis videtur, quamdiu adhuc agitur; cum finitum fuerit, sentiemus quam modicum fuerit.* Idem Sanctus Doctor in Psal. 36. exponens hunc versum : *Adhuc pusillum, & non erit peccator.* Talem format discursum : *Recole annos ab Adam usque in hodiernam diem; percurre scripturas. Heri penè Adam ille de paradiso lapsus est, tot sæcula emensa volata sunt. Ubi sunt præterita tempora? Sic pauca quæ restant, utique pertransibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de paradiso dimissus est usque in hodiernum diem, certe videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic avolasset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid est? Nonne aura est matutina.*

S. Aug. tract. 101. in Joan.

Psal. 36. 10.

Idem ibid.

Centum millia annorum cum æternitate comparata non sunt nisi momentum. *Matth 26. v. 64.*

3. Eadem passionis nocte, qua Salvator noster Apostolis suis dixerat : *Modicum & jam non videbitis me*, interrogatus an esset Filius Dei, respondisset affirmative, ac in testimonium illius in judicio finali compariturus esset sedens in throno Majestatis, hæc protulit verba : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, &c.* Ast qua ratione in veritate dicere potuit, *amodo*, cui optime notum & manifestum erat, quod ante finem mundi & universale judicium tot adhuc essent evolvenda sæcula? Responsio facilis est : *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præterijt.* Si cum æternitate conferamus totum decursum præsentis vitæ, esto hæc etiam duraret centum millia annorum, comparatione tamen æternitatis non est nisi unum momentum, seu unum instans, imperceptibile. Bene propterea Sanctus Petrus, cum vela considerationis suæ in totam expanderet æternitatem ac fideles in re adeo necessaria instruere vellet, ne tempori iiderent, post mentionem extremi judicij factam, epistola 2. scripsit : *Unum vero hoc non lateat vos charissimi, quia anus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Axioma Philosophicum est : *Magnum & parvum non sunt nisi comparative*; equus magnus est, at compatione unius leporis; est vero parvus, si conferatur cum elephante; centum anni longum nobis repræsentant tempus respectu vitæ præsentis, *in ipsis septuaginta anni &c.* non autem respectu vitæ æternæ, etenim considerans alterius vitæ æternitatem, agnoscit inter tempus & æternitatem nullam esse proportionem, *finiti ad infinitum nulla est proportio.*

Psal. 89. 4.

2. Pet. 3. 8.

4. Genes. c. 5. Moyses eorum textus & referens seriem, qui mundum auxerunt populo, ac longævam duxerunt vitam : *Factum est omne tempus, quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est.* Consequenter percurrite textum usque ad finem, & reperietis plurimos prolongasse dies vitæ suæ, alios ad 800. alios ad 900. annos, at nullum attigisse millesimum, & dato etiam hoc casu, quo aliquis mille viveret annis, adhuc certum est de eo verificari posse, *tempus breve est*, quia semper verum est illud oraculum Propheticum : *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna.* Notate Propheram non dixisse dumtaxat, *tamquam dies hesterna*, sed adjunxisse insuper *quæ præterijt*, quæ jam ab exordio mundi præterierunt sex millia, octingenti & septuaginta anni, qui omnes evanuerunt; sed æternitas est permanens, fixa, immobilis, tota simul, nunquam deficit. Consideratio sancti Antonini est asserentis : *Sane infinita est velocitas temporis, pendetur est, quo vivimus, & punctо minus, est enim brevissimum respectu futuri status, qui succedit, quia est perpetuus & nunquam defuit, Psalm. 89. mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præterijt.* Si cum æternitate conferamus totum decursum præsentis vitæ, esto hæc etiam duraret centum millia annorum, comparatione tamen æternitatis non est nisi unum momentum, seu unum instans, imperceptibile. Bene propterea Sanctus Petrus, cum vela considerationis suæ in totam expanderet æternitatem ac fideles in re adeo necessaria instruere vellet, ne tempori iiderent, post mentionem extremi judicij factam, epistola 2. scripsit : *Unum vero hoc non lateat vos charissimi, quia anus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Axioma Philosophicum est : *Magnum & parvum non sunt nisi comparative*; equus magnus est, at compatione unius leporis; est vero parvus, si conferatur cum elephante; centum anni longum nobis repræsentant tempus respectu vitæ præsentis, *in ipsis septuaginta anni &c.* non autem respectu vitæ æternæ, etenim considerans alterius vitæ æternitatem, agnoscit inter tempus & æternitatem nullam esse proportionem, *finiti ad infinitum nulla est proportio.*

Gen. 5. v. 5.

Etsi aliquis vixisset mille annis, moriens tempus breve illos reputaret.

S. Antonin. p. 2. t. 9. c. 14. §. 1.

5. Sanctus Bernardinus conformiter jam adductis adducit adhuc authoritatem ejusdem Sancti Augustini: *Exclamans Augustinus ait : O vita præsens, quam multos decipis, quæ dum cognoscens, nihil es, dum videris umbra es, qui te quærunt, non te cognoscunt, & qui te cognoscunt, non te quærunt, qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Vera non est via, quam tu ostendis, fugitiva est velut somnium. Alijs ostendis te longam, ut perdas in finem; alijs brevem, ut dum pœnitere volunt, non permittas; alijs largam, ut faciant, quæcunque voluerint; alijs angustam, ut non faciant bonum; alijs tristem, ut non consolentur de bono. Hæc sunt duodecim pericula, quibus Psalmista in persona hujusmodi peccatoris dicit, pericula infernum invenerunt me.* Alibi idem Sanctus exponendo verba illa Job cap. 14. *Breves dies hominis sunt*, subdit: *Tam utique breves, quod minus quam instans fuisse videtur in morte. Unde Augustinus: omnia tempora æternitati comparata quasi punctum sunt.* Notate & ponderate hæc verba : *omnia tempora*, non solum 6800. anni qui à principio mundi jam effluxerunt, verum etiam si adhuc supereffent millia millium annorum, imo etiam sæculorum, totum hoc tempus comparatione æternitatis punctum esset.

S. Bern. to. 1. ser. 13. art. 3. c. 2.

Job 14. 5.

S. Bern. to. 1. serm. 4. art. 2. c. 2.

6. *Tempus breve est.* Aretius in suis symbolis temporis naturam depinxit sequentibus verbis : Peregrina & miserabilis est natura temporis, quamobrem nescio qua ratione, vel quomodo illud uno eodemque momento nascatur & moriatur; fit præsens & disparet; semper fugit, & numquam procul abest; omnia devorat, & devoratur ab omnibus, seipsum consumit, & continuo generatur. Habet partes infinitas, at duas simul numquam; ex futuro & præterito solum compositum est, & est semper præsens. Omnia sua membra aut sunt mortua, aut nondum nata, & ipsum tamen conservatur & vivit. Est proles cœli, at vivit super terram, detegit & aperit omnia, & omnia pariter cooperit & tegit, est senex & decrepitum, at numquam moritur. Minimam habet entitatem ac vim seu virturem nullus tamen est, qui illud aut retinere, aut solicitare possit. Uno semper passu ambulat, & modo pigrum & claudicans est, modo velocissimum & volans. Hæc præfatus author.

Accurata descriptio temporis.

7. Consideremus temporis dumtaxat velocitatem ex mente aliorum Doctorum. *Tempus brevi est.* Antiqui depingebant illud & exprimebant hac figura: stabat super globum in actu semper circumvolutionis, pedibus alatum, ad denotandum, quod semper volaret. Manu tenebat novaculam, quod omnia raderet & consumeret. Frontem dumtaxat depingebant capillatam, pars siquidem posterior capitis calva erat, qua alludebatur ad tempus & occasionem jam perditam & fuga elapsam, quæ numquam rediret aut revocari posset. Ingeniose quoque naturam temporis observat Blosius, dicens : *Loquendo dicimus hoc anno, & quid tenemus de hoc anno præter unum diem in quo sumus? Nam superiores dies anni hujus jam transierunt, nec tenentur; futuri autem nondum venerunt. In uno die sumus, & dicimus hoc anno, imo die hodie, si aliquid præsens vis dicere, nam de toto anno quid præsens tenes? Quidquid de illo præteritum est, jam non est; quidquid de illo futurum est, nondum est. Quomodo hoc anno? corrige locutionem : hodie aut & verum dicis.* Declarat deinde quam parum etiam dici præsentis sit in potestate nostra, cum ait : *Rursum & hoc attende, quia cum dicis hodie, horæ manum transierunt, quæ futura sunt, nondum venerunt; & hoc ego corrige : Hac hora dic, & de ista hora quid tenes? Momenta ejus quædam jam transierunt, quæ futura sunt nondum venerunt; Hoc momento dic. Quo momento? Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non*

Consideratur temporis velocitas.

S. Zeno serm. de patient.

Seneca de brevit. vitæ. c. 12.

Blos. Psych. lib. 2. c. 17.

non sonat, nisi cum alia transierit. Ipsa denique una syllaba, si duas litteras habeat, non sonat posterior littera, nisi prior abierit.

Continuatio ejusdem. *D. Basil. Hom. 1. in Hexam.*

8. Doctrina Magni Basilij est, quam tradit Homilia prima in Hexamerone, & hisce annectо: *Sane, inquit, & mundo huic, & ijs quæ tum in mundo producta sunt animalibus & plantis congener subsistit temporis curriculum, accedens semper, ac more fluentis aquæ recedens, nec unquam à capto cursu restitans aut conquiescens. Quid enim? Annon ejusmodi est conditio temporis; quod enim ejus tranjactum jam est, utique in nihilum abijt; nondum adest, quod est futurum, quin quod adest, prius sensum fugit tuum, quam cognoveris adesse.* Velocissimam hanc temporis rapiditatem consideravit quoque B. Laurentius Justinianus, dicens: *Labitur & momentanea adeo defectione discurrit, ut numquam præsens inventas. Præteritum autem reperies & futurum. Quonam tamen modo præsens nuncupandum est tempus, cum id quod præsens esse videtur, tam repentina volubilitate dilabatur, ut illud vel ad istum oculi retinere non valeas? Tibi igitur quoadusque mortali hoc peregrinaris in corpore, destruit præteritum & futurum, teque ducit ad præsens.* Tempus præsens momentum quoddam imperceptibile est, quod nostram præcurrit & effugit imaginationem ac reflexionem. Audiamus adhæc celebrem illam eruditionem S. Augustini, quam tradit in suis Confessionibus de tempore discurrens in hunc modum : *Quid est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim, nescio : fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præterret, non esset præteritum tempus; & si nihil adveniret, non esset futurum tempus; & si nihil esset, non esset præsens tempus; Duo ergo illa tempora præteritum & futurum quomodo sunt, quando, & præteritum jam non est, & futurum nondum est? Præsens autem si semper esset præsens, nec in præteritum transiret, jam non esset tempus, sed æternitas. Si ergo præsens, ut tempus sit, ideo fit, quia in præteritum transit, quomodo & hoc esse dicimus, cui causa ut sit, illa est, quia non erit, ut scilicet non vere dicatur tempus esse, nisi quia tendit ad non esse.*

B. Laur. Just. de vita solit. cap. 10.

D. Aug. lib. 11. Confess. c. 14.

Fugacitas temporis considerandа proponitur. S. Bern. Tom. 1. ser. 13. art. 3. c. 4. *Psal. 57. 8.*

9. Quapropter S. Bernardinus exhortatur nos ad considerationem hujus fugacitatis temporis hisce verbis : *Vivens recogita temporis labilitatem, quid enim aliud est præsens tempus nisi quidam continuus rerum fluxus, & velocissimus cursus, in quo hominis vita quasi currenti flumini simulatur; quod cum ad mare pervenerit, perdit nomen juxta illud Psal. 57. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, &c.* Cum tempus in tres dividatur partes, videlicet, præteritum, præsens & futurum, certum est præteritum amplius non esse, minus illud, quod est futurum; præsens vero quam breve & velox? instans est & momentum unum indicibile, quod nequit esse tempus, quia hoc est successivum & habet partes, & major pars Philosophorum negat indivisibilia ejus habere aliquod esse, & existere in rerum natura, siquе non solum essentia temporis, verum etiam existentia ejus incerta est. Audite qua phrasi S. Zeno denominet tempus : *Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidinem flagrans humanitas per momenta suspirat.* Et moralis Seneca scribit: *Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur, in cursu enim semper est, fluit & præcipitatur, ante desinit esse quam venit.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Cum tempus non sit in potestate nostra, temeritatis incurrit notam volens de eodem disponere, suamque conversionem procrastinare.

THEMA.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, 2. Cor. 6. ℣. 2.

De tempore non habemus nisi unicum Nunc, sive momentum.

2. Cor. 6 1. *Ibid. v. 2.*

1. EX his verbis Sancti Pauli deducitur, nullam nobis esse facultatem disponendi de tempore nisi de unico dumtaxat *Nunc: Ecce nunc tempus acceptabile*; tanto cum præcipitio currit tempus, ut illud retinere nequeamus. Scripserat Apostolus Corinthiis, eisque opem & auxilium promiserat, modo non negligerent Divinam gratiam, sed in ea proficere conarentur : *Adjuvantes autem exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : tempore accepto exaudivi te & in die salutis adjuvi te.* Quando postea declarat quisnam sit dies & tempus istud, quo æternæ suæ saluti cooperari deberent, totum reducit ad unum *Nunc: ecce nunc &c.* quasi inferre veller, tunc nos æternæ beatitudinis certitudinem fore obtenturos, quando nos reflectemus ad vitam præsentem, considerantes, nimirum, quod nonnisi unicum illius instans, unicum *nunc* habeamus in manu & potestate nostra, veluti verissimum est, siquidem tempus per momenta avolat; *Ecce nunc.* In epistola prima ad Thessalonicenses non absimilem adhibuit loquendi modum dicens : *De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis*; ubi titulum momenti attribuit tempori cursuro ac duraturo ad extremum usque judicij diem. Nec mirum, Apostolum hunc usurpare loquendi modum, cum enim ab ipsa incarnata Sapientia sit instructus in schola academiæ cœlestis, ubi *audivit arcana verba*, eadem phrasi illa uti voluit, qua & Magister suus Divinus usus & locutus fuit in monte Oliveti jamjam ad cœlum ascensurus, ubi Christus Dominus ab Apostolis interrogatus: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* respondit ad eos: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ergo ante S. Paulum æternum Verbum, Sapientia Patris, sub cujus imperio tempus militat, tempori attribuit nomen momenti.

1. Thess. 5. 1.

2. Cor. 12. 4.

Act. Apost. 1. v. 6. *Ibid. v. 7.*

2. Idipsum in consideratione jam duxit B. Laurentius Justinianus, asserens : *Mira plane res est hæc, & prudenti consideratione dignissima, quo ordine vitæ nostræ præterit tempus. Quod enim futurum est, nondum est; quod vero præteritum est, nusquam est; quod autem præsens esse creditur, sic infatigabili labitur motu, ut in eo momentum aliquod nequeat esse præsens. Vitæ igitur hujus decursum Propheta contemplatus ajebat : Verumtamen in imagine pertransit homo.* Sic Sanctus Augustinus dum tractat de natura temporis lib. 11. Confess. cap. 14. eumdem discursum prosequitur cap. seq. his verbis : *Nec unus dies totus est præsens; nocturnis enim & diurnis horis omnibus viginti quatuor expletur, quarum prima cæteras futuras habet, novissima præteritas, aliqua vero interjectarum ante se præteritas, post se futuras. Et ipsa una hora fugitivis particulis agitatur. Quidquid ejus avolavit, præteritum est; quidquid ejus restat, futurum. Si quid intelligitur temporis, quod in nullas jam, vel in minutissimas momentorum partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicatur. Quod tamen ita raptim à futuro in præterium transvolat, ut nulla mora extendatur, nam si extenditur, dividitur in præteritum & futurum; præsens autem nullam habet spatium. Ubi est ergo tempus, quod longum dicamus? An futurum? Non quidem dicimus longum est, quia nondum est, quod longum sit, sed dicimus longum erit. Quando igitur erit? Si enim & tunc cum adhuc futurum erit, non erit longum, quia quod sit longum, nondum erit. Si autem tunc erit longum, cum ex futuro, quod nondum est, esse jam cæperit, & præsens factum erit, ut possit esse quod longum sit, jam superioribus vocibus clamat præsens tempus, longum se esse non posse.*

B. Laur. Justo. de vit. solit. cap. 10. Tempus non potest esse longum.

S. Aug. lib. 11. conf. c. 15.

3. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Ast *Tempus brevissimum est* (subdit S. Antoninus pertractans hanc materiam) 1. Cor. 7. *Tempus breve est in se, quia nihil habemus de præterito, nec de futuro, nec de præsenti, nisi instans*, 2. Corinth. 6. *ecce nunc tempus acceptabile, non enim de eo habemus nisi nunc, in quo possumus accepti esse Deo, scilicet, bene operando.* Cum igitur pientissimus Deus nobis indulserit tempus ad æternæ salutis pertractanda negotia adeo necessaria & summe proficua, minime illud nobis negligendum est, nec differendum, temporis namque laboramus penuria; unde Apostolus illud restrinxit ad unum *nunc*: Ubi observetur Apostolum non semel dicere, sed bis repetere idem *nunc : ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Illud igitur tempus, quod Deo nostro acceptum & gratum est, non est hora, non dies, non mensis, non annus, non faculum; quale igitur? Unum *nunc*; hoc Apostolus immediate à Christo Domino instructus nominat acceptabile; vultisne scire, quam utile ac proficuum sit hoc *nunc* operatur æternitatem omnis boni : *ecce nunc dies salutis.* Sed qui fieri potest, quod unum *nunc* sit tanti valoris & efficaciæ apud eum, qui *Spiritum ponderator est?* Respondeo brevissimum aliquod temporis sparium bene impensum tanti (ut suo dicetur loco) esse valoris, ut sit sufficiens medium, quo possimus lucrari gratiam & gloriam. Addo insuper, esse medium potentissimum ad acquirendam perfectionem, cogitandumque serio, quod præsentis vitæ, totiusque temporis, quod Deus nobis hic con-

S. Antonin. 1. Cor. 7. 29.

2. Cor. 6. Tempore à Deo nobis concesso, ad operandam salutem nostram utendum est.

Seneca epist. 101.

cessit, nonnisi unum *nunc* habeamus in potestate nostra. Unde fuit consilium Senecæ in epistola quadam: *Singulos dies singulas vitas puta, qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fiat tota, securus est.* Prius in eadem epistola jam scripserat inquiens: *Sic formemus animum, tamquam ad extremum ventum sit; nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore.*

Magna temeritas est sibi promittere longum vitæ spatium.

4. *Ecce nunc tempus &c.* Si nonnisi brevissimum nobis concessum est tempus, & nonnisi de præsenti, quod volat, & ad velocissima reducitur momenta, disponere valemus, quænam igitur arrogantia ista est & temeritas unius hominis Christiani, ut audeat sibi promittere longum vitæ spatium, vitamque plurium mensium & annorum? Hoc ipsum est, quod multis reprehendit S. Jacobus Apostolus dicens: *Ecce nunc qui dicitis: hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucram faciemus, Qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Temeritas eorum, qui disponunt ita de tempore futuro, consistit in duabus deceptionibus & illusionibus; prima est, quod fundent suam intentionem & dispositionem supra vitam, quæ unico flatui seu respirationi, quæ facile suffocari potest, innititur, qui enim non respirat, subito expiret, necesse est; altera illusio est, quod spem suam stabiliant supra tempus, cujus, ut dictum est, ne quidem unum instans habemus in potestate nostra. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ & factus est homo in animam viventem.* Eccur operi adeo nobili ac pulcherrimo ab omnipotenti sapientissimoque artifice producto anima indita fuit uno flatu seu anhelitu? Et tamen de hoc parvo mundo asserit Tertullianus: *Homo cura divini ingenii.* Quamprimum ipsum creavit, *requievit ab omni opere.* Procopius in cap. 2. Genes. videtur resolvere præfatum dubium cum ait: *Spiraculum sub tempus cadit, Spiritus vero æternus perhibetur; Spiraculum exiguo viget tempore, & deinde abit, adimens omni spirandi seu respirandi vim seu potentiam corpori, in quo prius hærebat.* Cum Deus hominem creaverit propter æternam beatitudinem, simulque disposuerit, ut in hac vita per bona opera eam lucraretur, voluit illam commensurare tempori, & altissima sua sapientia ordinavit, ut una cum morte ori astaret, & homo neque unicam horam, aut etiam minutum temporis in sua potestate haberet, idque non aliam ob causam, nisi ut ferventius esset solicitus, & cogitaret de æternitate: *Spiraculum exiguo viget tempore; Spiritus vero qui intra, extraque hominem complectitur, stabilis manet, nec unquam hominem deseret.* Hanc deceptionem & errorem, quo nonnulli spem suam stabiliunt supra tempus, quod adeo labile, & fugax est, ac continuo deficit; pauci advertunt, ac propterea Dionysius Carthusianus in textum illum Jacobi scribit: *Sapientissimus Jacobus iste reprehendit incautam locutionem multorum: ecce nunc &c. id est, errorem vestrum modo vos advertite, qui dicitis, hodie vel crastino ibimus, &c.* citat locum illum ex Proverbiis: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.*

Gen. 2. v. 7.

Procop. in cap. 2. Gen.

Dion. Carth. in epist. Jac.

Prov. 27. 1.

5. Seneca agens de brevitate vitæ exhortatur nos hisce verbis: *Maxima porro vitæ jactura dilatio est; illa primum quemque extrahit diem, illa, extrahit præsentia, dum ulteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ positum est, disponis; quod in tua, dimittis. Quo spectas? quo te extendis? Omnia quæ venturæ sunt, in incerto jacent.* Et epist. 101. idem tangens punctum ait: *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere, id quoque quod tenetur, per manus exit; & ipsam, quam premimus horam, casus incidit.* Ruina multorum æternaque eorum perditio non aliunde habet originem, nisi quod sibi certum vitæ tempus adpromittant, quasi de eo essent securi, non cognoscentes ex una parte diaboli fraudem & deceptionem, ex aliqua quoque parte injuriam gravissimam, quæ Deo infertur, dum ponunt falcem in alienam messem, quia *tempora & momenta Deus in sua posuit potestate.* Hanc injuriam maturo judicio considerabat Episcopus Bellovacensis, quando asserebat: *Differens converti Deum offendit, disponens pro voluntate & tempore, quod Pater posuit in sua potestate, Actor. 1. cujus dispositionem non concessit Apostolis, aut alicui puræ creaturæ. Hoc faciunt, qui dicunt; quando fecero hæc & illa, tunc intrabo religionem; vel primo faciam hoc, post illud; vel primo colligam messem, post vindemiam.* Hæc sunt, quæ homines difformiter Christianis legibus viventes edicere solent, nil frequentius pulsat aures nostras quotidie, quam hoc faciam, hæc expediam, præstolabor, differam, disponam &c. ac si tempus sui fecissent juris & potestatis, ac si esset frustum telæ vel panni quod ad vorum & libitum suum usurpare & discindere possent. *Quid tibi adhuc proferenda tam longa temporum promittis spatia?* (ait Sanctus Isidorus) *Numquid scis si crastina vives die? Imo etiam si vel unam horam in hac vita facias? An forte mente excidit, quod Salvator in Evangelio dicit, vigilate, quia nescitis diem neque horam? Quapropter discute torporis inertiam, semperque memento, quia regnum cœlorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti atque ferventes diripiunt.* Eumdem hunc discursum legimus in D. Augustin. tom. 9. tract. 19. cap. 13.

S. Isid. lib. de conflict. vitior. & virt.

Seneca de brevit. vit. c. 9.

Maxima vitæ jactura est dilatio temporis.

Id. epist. l. 1.

Ruina æternæ salutis originem habet quod quis certum vitæ tempus sibi promittat.

Actor. 1. 6.

Bellov. spec. mor. lib. 3. p. 3. dist. 2.

6. S. Antoninus singulari studio & industria reprehendit illos, qui sperando, vel ut melius dicam, temerarie de tempore futuro præsumendo conversionem suam procrastinant, & sic discurrit: *De tali tardatione ad conversionem accusabat se Augustinus in lib. de confess. dicens, non erat quod responderem tibi, scilicet Deo dicenti mihi: Surge qui dormis scilicet in peccatis, nisi verba somnolenta, & lento modo, cras, cras; sive modo; sive paululum; sed illud modo non habebat modum, & illud paululum ibat in longum. Periculosa est illa procrastinatio, non solum ex eo, quod dicit Ovidius: Qui non est hodie, cras minus aptus erit, sed quia dicitur in quadam auctoritate: Subito veniet tibi ira illius, scilicet, mortis. Nullus enim securus est de ate crastina.* Hunc discursum prosequitur idem Sanctus, & hucusque dicta confirmat verbis illis Eccli. Dicitur Eccli. cap. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit. Repromissio, scilicet, cogitatio qua peccator pluries promisit sibi longam vitam tamquam esset de ea certus, & ex qua disponit multa facere in mundo, & propter mundum, & inter cætera etiam pœnitere. Ista est nequam, nequior & nequissima; Nequam siquidem est ista promissio, quia sibi usurpat peccator, quod est proprium Dei, scilicet de futuro disponere, nam dicit Christus Act. 1. non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater &c. Bernardus contra talem de futuro præsumentem ait: Quid de futuro miser tam temerarie præsumis, tamquam pater tempora & momenta in tua non in sua posuerit potestate? Negatior est ista promissio, quia eum tempus infinti valoris ut sibi à Deo datum fatue expendit, & cum hoc præsumit, quod adhuc plus sit ei daturus. Unde filius posset sperare, quod pater suus sapiens dabit sibi adhuc magnum thesaurum, cum illum, quem dedit, scit male consumpsisse, & optum ad idem. Meminisse debet, quia cum Dominus promisisset tempore Noë spatium centum viginti annorum ad convertendum ad pœnitentiam, quia non convertebatur, sed male usus est genus humanum, abstulit viginti annos de promissis. Nequissima est, quia non solum tempus datum perdidit, sed in contumeliam Creatoris convertit.*

Perstringuntur qui conversionem procrastinant. S. Antonin.

Eccli. 29. 24.

7. Verissimum illud est, quod, ut jam intellexistis, *tempora & momenta Pater posuit in sua potestate*; potentissimus etiam mundi hujus monarcha nec longam vitam sibi ad promittere, neque de una hora vel etiam minuto disponere potest, sed ipse veluti & reliqui homines dependent ab uno nunc, cum igitur nesciamus, quantum temporis nobis necessarium sit ad acquirendam æternam beatitudinem, quodlibet momentum multum æstimare & appretiari debemus, quia *ecce nunc dies salutis*, ad cujus executionem cordibus nostris imprimamus verba illa Apocalyp. persuadentes nobis firmiter, ac si cuilibet nostrum singulis momentis intimarentur: *Quia tempus non amplius erit.*

Actor. 1. 6. Nullus de unico temporis momento disponere potest.

Apoc. 10. 6.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Examinatur pretiositas & valor temporis, & quanti hoc à nobis æstimandum sit.

THEMA.

Fili conserva tempus, Eccli. 4. v. 23.

Quanta, & quam inæstimabilis sit temporis pretiositas.

1. Ecclesiasticus salutaribus ubique abundans documentis, hoc etiam, utpote, multum conducens ad conservandum & æstimandum tempus, posteritati consecravit. Hanc Hugo Cardinalis reddit rationem, dicens: *Conserva tempus, ut donum pretiosum.* Iltam pretiositatem, quæ est inæstimabilis & sine pretio, examinemus, oportet; Dixi, sine pretio & re-

Hugo Card. in hunc loc.

peto, quia tametsi dederis totum aurum regni Peruensis, cuncta etiam licet exposueris regna mundi ditissima & potentissima, toto tamen isto thesauro ne quidem unam temporis horam comparare, nec tempus perditum redimere poteris, quia in ejus potestate est, in quo sunt omnes thesauri: *Tempora & momenta Pater posuit in sua potestate.* Quod etiam Ecclesiastes, qui fuit Rex Salomon, eo tempore quo argentum & saxa pari æstimabantur pretio in Jerusalem, innuere voluit hisce verbis: *Non est in hominis potestate prohibere Spiritum, nec habet potestatem in die mortis.* Potestisne mihi dicere, quis sit ille mundi princeps, qui aperiendo æraria sua, fuosque prodigendo thesauros unico solo die aut una dumtaxat hora vitam suam prolongare potuerit? Tanti valoris & pretij est unum minutum temporis, ut eo bene impenso regnum æternæ beatitudinis acquiri possit; quid dico unum minutum? unum instans, unum momentum ad hoc sufficit. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Actor. 1. 6.

2. Cor. 6. 2.

2. Idem Apostolus, qui aliquoties raptus fuit ad cœlum, alio in loco evidens hujus dedit testimonium expressioribus verbis: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Huic proposito inserviunt quoque hæc moralis Senecæ verba: *Nec quod futurum est meum est, nec quod fuit; in puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse.* Hisce ultimis verbis conformiter pari ratione dicere possumus; *Et magni est modicum egisse.* Idem Seneca alio in loco, ubi tractat de brevitate vitæ nostræ, tangit hanc temporis pretiositatem, & ait: *Mirari soleo, cum video aliquos tempus petere, & eos qui rogantur, facillimos; illud uterque expectat propter quod tempus petitum est, ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil detur; res omnium pretiosissima luditur; fallit autem illos, quia res incorporalis est, quæ sub oculos non venit, ideoque vilissima æstimatur, imo pene nullum pretium ejus est.* Hæc dixit Philosophus gentilis, quid non dixisset, si veræ fidei illustratus lumine intellexisset ac scivisset id, quod jam dixerat Apostolus: *Momentaneum hoc &c.*

2. Cor. 4. v. 17.

In brevissimo & momentaneo tempore operari possumus salutem nostram.

Seneca lib. 6. nat. quæst.

Idem de brevit. vitæ c. 8.

Gen. 1. 14.

Deus creavit Solem, Lunam & Stellas ut distinguant tempora decursum.

Gen. 1. v. 3.

Ibid. v. 14.

3. Tanti pretij & valoris est tempus (inquit Aretius) ut magna illa cœli lumina, Stellæ, Sol & Luna sint veluti ipsius nuntij & præcursores; pro quo observandum primo die à Divino artifice creatam fuisse lucem: *fiat lux & facta est lux.* Ad quid ergo nova ista productio Solis, Lunæ, aliorumque siderum in firmamento cœli, si mundus jam totus perfusus & illustratus erat luce creata? *Dixit autem Deus; fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos.* Ecce finem, ob quem Deus creavit solem, Lunam & Stellas, & cum hisce primum mobile, quod continuo & indefesse ab intelligentia angelica circumvolvitur, *ut sint in tempora*, ut, videlicet, in obsequium & ministerium temporis militent. Idem author jam dixerat levissimam & minimam rem esse tempus in seipso consideratum; at pretiosissimam utilissimamque quoad nos; minimam, consideratum quoad esse naturale, at pretiosissimam quoad esse morale; minimam comparatione præsentis, at respectu futuri pretiosissimam; minimam ei, qui nullam illius habet curam, & sine fructu illud elabi permittit, pretiosissimam vero ei, qui illo bene utitur. Ulterius considerat idem author, quod ipsemet Deus, tametsi ei subsit tempus: *tempora & momenta pater posuit in sua potestate.* Illud tamen observet, æstimet & respiciat; etenim si agatur de cibo, *dat escam in tempore*; si nostræ preces excipiendæ sunt, temporis habet respectum: *tempore accepto exaudivi te*; si de fructibus terræ, quibus sustentamur, tractetur, *ut reddant fructum temporibus suis.* Si denique Deus suæ misericordiæ velit nos esse participes, *quia tempus miserendi ejus.*

Tempus in se consideratum est res levissima, sed pretiosissima quoad esse moralis.

Actor. 1. 6.

2. Cor. 6. 2.

Matth. 21. 41

Psal. 101. 14.

Tempus est inæstimabilis valoris.

4. *Conserva tempus, ut donum pretiosum.* Nihil tam vile est & exile, quod non vendi & comparari potest; in quibusdam Indiarum locis, ubi auri argentique abundantia est, magno ferrum æstimatur pretio; solum tempus, tametsi vili pendatur ab homine, inæstimabilis valoris & pretij est, quia nullus hactenus inventus est, neque inveniri poterit, qui ditissimo etiam thesauro illud comparare aut divendere possit. Dixit idem Aretius: qui illud vendit, furatur; qui illud emit, decipitur; qui desuper facit contractum, est usurarius; qui tempus promittit, mendax est; qui illud donat, est stolidus & stupidus; qui illud acceptat, deluditur; totum hoc ideo, quia tempus non habet pretium, neque est vendibile, neque ullius contractus potest esse materia: & tamen illud est, quod cæteris omnibus rebus confert & laufert pretium.

5. Ponderate hæc verba S. Bernardini, tota vestra scientia examinate, si vobis est animus ponderandi unicum solum momentum temporis bene impensi: *Vide peccator temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, gloriam.* Certum est unumquemque indigere remissione: *Nemo mundus à sorde; ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Jam fructus temporis est remissio, cujus, quamdiu respiramus, dumtaxat summus capaces; sine gratia eam mereri non possumus, & ecce S. Bernardinus uni brevissimo temporis spatio adscribit veniam, gratiam & gloriam. Audiamus B. Laurentium Justinianum: *Unaquæque res*, inquit, *eo magis diligenda est, quo pluris esse cognoscitur, præstat quippe æstimationem rei ipsius agnita virtus, quæ tunc apparet amabilis, cum primæ inmittor veritati, & quasi suo loco pletes suos esse facit in cœlo. Hinc indulti temporis pretiositas commendatur.* Plinius, esto gentilis dicere solebat: *Poteratis, ô desidiosi, has horas non perdere; omnis temporis particulæ, velut ramenta, aut fila aurea, studiosissime colligendæ.* Quidnam dixisset, si illum temporum suorum Apostolum è suggestu audivisset tonantem & clamantem: *Vide temporis pretiositatem, quia modico tempore &c.*

S. Bernard. Tom. 1. ser. 13. art. 3. c. 4.

Modico temporis spatio lucrari possimus veniam, gratiam & gloriam.

B. Laur. Just. de vita solit. c. 10.

6. Idem Justinianus considerando quanti valoris esse possit unica sola hora temporis bene impensi, in hæc verba prorumpit: *Illud optime noverunt, qui eo carent. Omnem siquidem mundi jubilantiam, honores prælationum, sæculi pompam, corporis voluptates, & quidquid sub cælo creatum est delectabile atque jucundum, pro unius horæ spatio, si possent, voluntarie commutarent. In ipso siquidem temporis decursu brevissimo justitiam placarent divinam, lætificarent Angelos, horrendam damnationis æternæ evitarent sententiam, proculque dubio adipiscerentur regna cælorum.* Quot & quanti sunt, qui in extremis post vitam male tranfactam, aspirante divina gratia, brevissimo temporis spatio possent, excitare actus contritionis, adeoque pedem retrahere à via æternæ perditionis, si adhuc pauxillum temporis vitæ superesset? at justo Dei judicio *tempus non erit amplius.* Si natura angelica non esset inflexibilis, & spiritus illi rebelles unico dumtaxat momento instantis illius angelici ab initio illis concessi gaudere possent, in fernus sane evacuaretur, idem affirmare possemus de alijs damnatis si unâm temporis horam haberent, qua actus contritionis elicere, suamque obstinationem detestari possent. Qua super re audiamus documentum S. Bernardini asserentis: *Dissipat justitiam suam, scilicet tempus, quod est majoris pretij omnibus alijs rebus mundi, quia tempus tantum valet, quantum Deus, quia si diabolus haberet unum modicum tempus, in quo posset pœnitere sicut nos, ipse salvaretur, & acquireret Deum, & per consequens tantum valet tempus, quantum Deus.* Tetigit hoc idem punctum S. Antoninus dicens: *Tam pretiosum est tempus, quod damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua pro habendo momento temporis, in quo possent pœnitere & evadere tantas pœnas.* Refert Petrus Reginaldus de quodam sanctitatis eximiæ viro, quod precibus fundendis intentus mœstam ac lugubrem audierit vocem alicujus lamentantis, qui cum ab eodem interrogaretur quis esset, & quam ob causam lamentaretur, respondit: Sum unus ex damnatis, omnes nil aliud amarissime deploramus, quam tempus vitæ nostræ perditum & consumptum in peccatis. Recenset hanc eamdem historiam author speculi exemplorum his verbis: *Inter omnia tormenta, quæ patior, unum est, quod & alios damnatos maxime movet ad planctum, quando recordamur gratiæ Salvatoris nobis exhibitæ & contemptæ, maxime quod tempus indultum nobis ad pœnitendum amissimus, in cujus tam brevis horæ la Dei misericordiam potissimas consecuti esse.*

S. Antonin. p. 2. tit. 3. c. 14. §. 1.

Reginald. Duo hujus exempla.

Spec. exempl. Ver. Tempus, exemp. 1.

7. *Conserva tempus, ut donum pretiosum.* S. Bonaventura duce & author D. Chrysostomo hoc nobis suggerit consilium: *Omni rei magis parcere debes quam tempori; aurum enim si contempseris, poteris rursum vel idipsum, vel aliud recuperare; tempus vero si perdideris, difficile id resumes.* Cunctis, quas potentissimi etiam Monarchæ possident, divitijs ne quidem unum minutum horæ præterlapsum restaurari, neque etiam de futuro disponi potest. Recordor me legisse, quod cum magnus aliquis princeps familiarem quemdam bene de se meritum in infirmitate sua visitaret, infirmus vero oblata sibi gratia & favore à magnate illo instantissime peteret primo, ut vitam sibi prolongari curaret in sequentem usq; diem, deinde ut primo vespere de bono hospitio sibi provideret; libere responderit se nec primæ, nec secundæ propositioni suæ favere posse.

S. Bonav. lib. 3. Pharet. cap. 8.

Tempus dependet à solo Deo.

Notabile exemplum.

posse. Tempus tanti pretij & valoris est,ut nulli Pontifices, nulli Imperatores & Monarchæ, qui fuerunt, sunt & erunt, in illud habeant dominium vel authoritatem, quia immediate dependet à Deo , & ei soli præstat obsequium & homagium.

Hugo de S. Vict.Hom.13. in Eccli.
Tempus vocatur sacrum, cujus etiam minima pars magni æstimanda est.
2.Cor.6.2.
Actor.1.7.
Theophrast.

8.Ingeniosum epithetum est, quod Hugo de S. Victore adscribit tempori dicens : *Atqui hæc est pars temporis nostri sacra & dedicata.* Voluit fortasse inferre, quod sicut rei sacræ,aut corporis sancti,vel hostiæ consecratæ minima pars multum æstimatur & est in magna veneratione, *fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento,tantum esse sub fragmento,quantum toto tegitur.* Ita pariter spatium temporis etiam brevissimum nobis est utilissimum ac sufficiens ; ut actu compunctionis cœlum lucrari possimus: *ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.* Aut etiam fortassis inferre voluit , quod tempus sit sacrosanctum & consecratum,quia Deo dumtaxat dedicatum est,& in ejus potestate solum constitutum : *tempora & momenta Pater posuit in sua potestate.* Ex quo facile colligere possumus, quam indecenter agant, qui inutiliter tempus impendunt,etenim si abominabile est, *miscere sacra profanis*, cum tempus sit res sacra,non decet illud expendere in res profanas; quemadmodum homo fatuus esset, qui adamantem mille scutis valentem daret pro frustulo vitri,ita quoque stolidus & fatuus censendus est , qui tempus, quod est pretiosum & inæstimabile, prodigeret, & in res inutiles & vanas expenderet. Hanc stultitiam , quæ solet esse multis communis , deploravit quondam Theophrastus hisce verbis:*Nullum esse sumptum pretiosiorem tempore, solum enim hoc recuperari non potest, & tamen vulgo nihil vilius habetur.*

Petrarcha.
Tempus Deo restituendum est ex cujus mera liberalitate illud habemus.

9.Petrarcha post primos ætatis suæ juvenilis annos laudabili (uti ex pluribus operibus ejus deducitur) studuit vitæ, & de tempore utiliter impendendo hæc scribit:*Si tempus Deo tuo,non dicam,donas,sed restituis(quod sine vera non geritur pietate) ingens atque inæstimabile lucrum scito.* Verbum hoc, *restituis*, non caret mysterio , etenim totum vitæ hujus spatium, in quo respiramus, est mera Dei liberalitas,nullus meretur,nec uno vivere potest momento absq; Dei indulgentia:*tempora & momenta Pater posuit in sua potestate* ; ex quo sequitur, quod,quando quis tempus bene impendit,faciat illius restitutionem,restituendo illud Domino. Lucri hujus reddit rationem cit.author: *Pro parvo enim temporis impendio æternitatem quæris.Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Eccli.4.23.
Tempus pretiosum solicitè custodiendum,illo enim lucrari possumus æternam beatitudinem.
D.Bern. in flor.cap.207.
Psal.118. v.126.
S.Bonavent. in hunc loc.
Tempus triplici ratione reputatur pretiosum.
S.Greg. Naz. orat.28.
S.Ambr.lib. 4.epist.25.

10. *Fili conserva tempus*,ait & consulit nobis Ecclesiasticus. Quemadmodum in scriniis & ærariis custodiuntur aurum & gemmæ pretiosæ ; aurum quidem, ut exponatur & impendatur; gemmæ, ut commutentur in alias res, quæ pluris æstimantur ; ad eumdem modum tempus, quod est infiniti valoris,custodire & conservare debemus , ut illud expendamus in opera bona & meritoria, in servitium & obsequium Dei, in salutem animæ , & ut æternam lucremur beatitudinem. Unde S. Bernardus valde deplorabat illos , qui exiguam temporis habent rationem,quando dicebat : *Nihil pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius æstimatur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat,nemo sibi non peritura momenta perijsse causatur.* Lamentabatur quoque regius Propheta dicens : *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam* ; justam hanc lamentationem ponderat S. Bonaventura discurrens in hunc modum: *Ecce*, inquit, *tempus, quo nihil pretiosius; quapropter magnopere pensandum, qualiter dispensandum, ne fortassis indecenter in defectibus expendatur.Et nota,quod tempus reputatur pretiosum triplici ratione potissime , eo quod sit tempus plangendi,tempus acquirendi, & tempus custodiendi; quorum primo nihil pretiosius pœnitenti; secundo nihil pretiosius proficienti;tertio nihil pretiosius pervenienti.*Gemmæ pretiosæ,ut adamantis,imo & cujuslibet illius particulæ magna habetur ratio & cura.Cum igitur nil pretiosius tempore reperiatur, audiamus id, quod sapientissimus Nazianzenus nobis consulit:*Præclarum est*,inquiens,*nos in hac opinione versari,ut non modo sermonis, aut actionis, sed totius etiam temporis atque adeo tenuissimi ac brevissimi cujusque horæ momenti rationem à nobis exposci existimemus.* Audiamus insuper consilium & documentum S.Ambrosij: *Potes*, ait, *& hodiernum diem lucrari, cavendum est enim , ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius, & una hora totius vitæ portio est.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Tempus nobis à Deo indultum est, ut æternam operemur salutem,ac propterea bonis operibus impendendum est.

THEMA.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Gal.6. ỳ.10.

Deus nobis concedit tempus ut in eo tamquam bonæ arbores fructus bonorum operum feramus.
Luc.13. v.6.
Psal.1. v.3.
Psal.8. v.7.
Actor.1.7.
Gal.6.10.
Eccle.7. 18.
S.Bern. in florib.cap. 207.

1. QUem in finem nobis in hac vita degentibus concessum fuerit tempus , cœlestis Magister noster nobis insinuat hac parabola Luc. 13. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua , & venit quærens fructum in illa, & non invenit ; dixit autem ad cultorem vineæ,ecce anni tres sunt , ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac,& non invenio ; succide ergo illam,ut quid etiam terram occupat ?* Quod homo unius instar arboris sit,quæ fructificare debet,satis constat & elicitur ex primo Psalmo Davidico,cum ait : *Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum , quod fructum suum dabit in tempore suo.* Merito igitur Apostolus nobis indicare voluit, qua ratione tempus utiliter impendere debeamus,dicendo : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Ex testimonio ejusdem Prophetæ nobis constat. Deum omnes creaturas in obsequium nostrum productas nostræ pariter subjecisse potestati : *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Unico tamen excepto tempore , hoc enim est proprium peculium Dei, de quo ipse solus vult disponere, sibi immediate illud reservans: *tempora & momenta Pater posuit in sua potestate.* Nihilominus ex paterna & Divina sua benignitate temporis nos efficit participes, quantum tamen ipsi,non nobis, placet & probatur, & nihil ultra; sed qua conditione facit nos illius participes? *Ut dum tempus habemus , operemur bonum.* Cum Deus nos condiderit, ut ei uniamur & conjungamur in æterna beatitudine,tempus nobis assignavit, in quo eam bonis operibus lucrari & promereri possimus ; qui alio motus fine operatur,sibi timere debet,ne tempore hoc privetur: *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Unde argumentatur S.Bernardus hoc modo : *Quod si per bona opera quæritur Deus , ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes , præsertim quia Dominus aperte prænuntiat venire noctem , quando nemo poterit operari &c. Nunc tempus acceptabile , & aptum ad quærendum,in quo plane, qui quærit, invenit,si tamen ubi, & ubi oportet, quærit.*

Tempus quidem est Dei, sed illud facimus nostrum bona operando.
Matth.19.27.
Idem Bern. in Evang.
Matth.19.
Idem in med. c.5.

2. Verissimum est, non ob alium finem tempus nobis indultum esse,quam ut illud in illius expendamus obsequium, qui illud nobis dedit (esto totum postea redundet in nostrum emolumentum) adeo inquam, hoc verum est, ut idem sanctus & mellifluus Doctor in illa celeberrima verba Petri : *Ecce nos reliquimus omnia*, proruperit in hæc verba : *Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse. Omnis siquidem res aliena est à nobis, tempus autem tantum nostrum est.* Verum si diximus tempus in Dei dumtaxat esse potestate, quo igitur modo S. Bernardus asserere potest esse nostrum ? Respondetur, quod illud faciamus nostrum,*si dum tempus habemus, operamur bonum*; quia illud convertimus in beneficium nostrum, dum eo suffragante Deum ac gloriæ æternitatem acquirimus. In meditationibus ejusdem melliflui Doctoris eadem prorsus legimus verba,quæ in declamationibus: *Omne tempus,in quo de Deo non cogitas &c.* sed hic adjungit : *Vaca ergo, & ubicumque fueris,tuus esto. Noli te tradere,sed commodare, quocumque loco consistis , cogitationes tuas jacta in Deum,& aliquid salutare in animo tuo versa.* Occupabitur quispiam suæ vocationis ergo aliquo negotio , ac tempus cogetur impendere alicui labori, studio, frequentationi aulæ, piscationi ; agriculturæ, & sic discurrite de variis professionis functionibus,non propterea deerit illi occasio bene operandi & tempus utiliter impendendi, si Deum habeat ante mentis oculos, eumque toto corde diligat , quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; veluti latius suo loco dicemus acturi de materia vocationum.

Tempus ad hoc solum nobis indultum est ut accumulemus merita vitæ æternæ.
2.Cor.6.2.
B.Laur.Just. de compunct. & compl. Christ.perfect.
S. Anton.de Pad.ferm.3. in Dom. 1. Quadr.

3. Porro quomodo tempus possimus facere nostrum, manifestabit hæc doctrina B. Laurentij Justiniani : *In hac vita*,inquit,*quid pretiosius tempore ? Nihil æque tam nostrum, tamque proficuum ad promerendum cœlestia, quam tempus, misericorditer nobis indultum est, quatenus per commendabilia opera ipso mediante vitam mereamur æternam.* S. Antonius Paduanus ex consideratione textus illius Apostoli: *ecce nunc tempus acceptabile*,hanc deducit consequentiam,tempus,nimirum,solum nobis indultum esse ad accumulanda alterius vitæ merita , quo fine utitur authoritate Gregorij Magni , & ait : *Licet juxta sententiam Gregorij lib.9.mor.sacræ Scripturæ vim inducentis, totum hujus vitæ labilis tempus sit indultum ad meritorum opera cumulanda ; quibus malorum ultricia fugere valemus tormenta, & supernæ patriæ possi-*

mus

1.Cor.2.9.
2.Cor.6.2.
2.Cor.4.17.

mus acquirere stipendia repromissa; tamen à multis negligitur,& ob hanc temporis amissionem otiosamq; defluxum, qui sic parvipenditur; devotus quidam in epistola ad scholares altius lamentatur dicens : fuit olim nihil pretiosius tempore, & heu nil hodie vilius reperitur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat, nemo sibi perituram diem numquam rediturum curat. Regnum cœlorum , sive gloria æterna inæstimabilis sunt valoris : *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Tametsi jam nullum inter res creatas æquivalens detur pretium, quo cœlestem gloriam lucrari & comparare valeamus, attamen tempus bene impensum, esto etiam brevissimum & momentaneum,valet & sufficiens est ad comparandam illam: *Ecce nunc dies salutis; Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Motivum ad fugiendum otium est consideratio pretiosi temporis.
S.Thom. à Villanov. in Septuag.
Quatuor motiva ad vitandum otium.
Luc.19.13.
Seneca epist. 71.

4. Multa nobis ad fugiendum otium suggerit motiva de Villanova , inter quæ etiam est consideratio temporis , quod nobis concessum est ad pertractandum negotium negotiorum , id est , æternæ salutis animæ nostræ : *Unde nobis fratres*,inquit, *ista tepiditas & otiositas? nempe ex cæcitate & ignorantia quia non agnoscimus, vel non advertimus periculum nostrum , vitæ præsentis statum non consideramus, in quo positi sumus,& quod sumus operarij. Unde quatuor sunt, quæ nos movere debent ad vitandum otium. Primo, magnitudo negotij, quia regnum, & regnum cœlorum perpetuum negotiamur; exemplum de illo, qui in Cancellaria litigat de dignitate, de bonis. Secundo, brevitas temporis , quia in ictu oculi & momento vitæ præsentis negotianda est futura æternitas. Tertio, magnitudo periculi , nam si ita esset , quod perdentes regnum saltem manerent,ut parvuli non baptizati in aliqua vita mediocri sine pœna, satis magnum esset malum Deum amittere & gloriam; sed non sic est, sed oportet vel regnare, vel ardere; vel in domo Dei esse, vel in carceri & igne perpetuo; in tanto discrimine quis dormiat ? Quarto , multitudo hostium circumstantium , qui quotidie ædes nostras expilaturi subeant per fenestras, & in nullo alio occupantur , nisi ut perdant nos.* Consideremus primum motivum,quod habet relationem ad verba illa Savatoris pari consideratione dignissima : *Negotiamini, dum venio.* Seneca in epistola quadam ita scribit; ac si alterius vitæ notitia illustratus fuisset:*Nemo*, inquit, *quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi jam constet; quod velit pingere.Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes desideramus , de tota nemo deliberat.* Videtur velle inferre causam , quare peccemus , ac tempus vitæ præsentis male transigamus, quia, nimirum, non consideramus vitam futuram : *de tota nemo deliberat.* Idque una alterave illustrat similitudine, dicens : *Scire debet, quid petat ille , qui sagittam vult mittere; & tunc dirigere , & moderari manu telum. Errant consilia nostra , quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus portus est. Necesse est in vita nostra multum casus possit , quia vivimus casu.* Sane si æternam beatamque vitam, ad quam fideles aspirant, cognovisset, haud potuisset loqui melius,

Numquam peccaremus si semper consideraremus finem ob quem Deus nobis indulsit tempus.
Joan.4.36.
Eccli.40.28.
Ibid.v.29.
Gloss. ibid.
Gal.6.10.
Psal.58. v.7. & 15.

5.Quandiu hic vivimus, viatores sumus tendentes ad cœlestem patriam , numquam in via præsentis vitæ impingeremus , si semper respiceremus finem , ob quem Deus nobis indulsit tempus. Vita nostra bene comparatur alicui seminanti, ut metat & colligat, ac propterea quamdiu quis vivit ; laboret , necesse est : *Qui metit, mercedem accipit, & qui congregat fructum in vitam æternam.* Fecistisne umquam reflexionem ad textum illum Eccli. 40. *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.* Facta deinde mentione benedictionum cœlestium hoc subdit documentum : *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere.* Verum si paupertas adeo commendatur à Christo , ut inter beatitudines primum ei attribuerit locum, cur igitur idem Spiritus Sanctus procedens à Verbo nunc aliter dictavit Ecclesiastico ? Rabanus citatus à Glossa hanc dat interpretationem : *Admonet nos Sapientia, ne per otiositatem perdamus tempus nobis indultum ; sed magis laboremus, recte credendo , legem Dei meditando, atque bene operando, ut sic habeamus opes virtutum,& in futuro vitam æternam ; melius est enim à præsenti vita cito decedere; quam hic diu inutiliter vivere , quia otiositas diuturni temporis majorem in tormentis habebit vindictam.* Per hanc paupertatem , quæ culpatur & reprehenditur, non intelligitur penuria bonorum temporalium ; sed spiritualium : *Stultum est otiari* (sunt verba Glossæ) *& de alieno labore mercedem quærere ; percipiet enim unusquisque secundum opera sua.*Quicumque consilium illud Apostoli : *ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, non fuerit executus , is se præparet ad minas illas à Psalmista intimatas : *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.*

Adducitur ratio,quare Deus tam multiplicia præcepta & leges cæremoniales dederit Judæis,
Actor.15. 10.
S.Aug. ser.9. de Ver.Dom.
D.Bernard. serm.30.in Cant.
Luc.1.6.
Psal.118. 6.
Abulensis in Levit.

6. An non umquam in considerationem duxistis multitudinem ac varietatem illorum rituum , præceptorum,ceremoniarum, & legum, quibus Deus noster populum suum in lege Mosaica astrinxit? *Jugum quod neque patres nostri,neque nos portare potuimus*, dicebat S. Petrus. Audite quonam illud insignivit titulo S. Augustinus,appellat namque *Sarcinam innumerabilium observationum*; Non deest, qui asserit præceptorum ceremonialium,legalium & moralium fuisse sexcenta tredecim. Alibi idem tractando de excellentia novæ legis, sub qua nos militamus, scribit addens: *remotis innumerabilibus & multiplicibus sacramentis,quibus Judaicus populus premebatur.* Sed quod adhuc difficultatem adauget, illud est; quod notat S. Bernardus inquiens : *Grave jugum legis, quia vile præmium ejus , nempe, terra promissionis.* Dubitatum fuit aliquando, an quispiam umquam repertus fuerit , qui ad unguem omnia ista præcepta adimpleverit ? De parentibus præcursoris Domini testimonium habemus ex Evangelio:*Incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela.* Et Psalmista de seipso videtur aliquid insinuare:*Tunc non confundar,cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*Si igitur hæc multitudo & varietas tantarum legum observatu adeo difficilis erat, quo fine Deus hos libros Exodi, Levitici & Numerorum tot tantisque præceptis & observantiis replere voluit? Difficultatem solvit Abulensis in præfatione libri Levitici. *Ut per occupationes variorum sacrificiorum & ceremonialium observationum otiositas tolleretur, quæ multis malis incrementum tribuit & fomentum.* Populus ille electus eo tempore , quo recepit has leges, erat in via ad terram promissionis, quæ figura erat veræ terræ viventium; cum igitur *omnia in figura contingebant illis*, voluit Deus nobis insinuare, ut, quamdiu sumus viatores, tempus bene impendamus: ergo *dum tempus habemus, operemur bonum.* Illud enim non est indultum nobis, ut otiemur.

Eccli.4.23.
Eccle.3. 1.
Bellovac. spec.mor.lib. 3.p.6.dist.6.
Tempus servitio Dei impendendum est.
2.Cor.6.1.
Gal.6.10.
Joan.9. v.4.
Bellovac. ibidem dist.1.
1.Cor.15.10.
Psal.118.126.
S.Antonin. p.2.t.9.cap. 13.

7. Quapropter Episcopus Bellovacensis postquam agens de hac materia citavit Ecclesiasticum : *Fili conserva tempus,& declina à malo*, & pariter Ecclesiasten nos admonentem : *omnia tempus habent.* Subdit:*Et tu habe, & ne perdas illud, quia suis spatijs transeunt universa, tempus autem totum servandum est , ut expendatur totum in Dei servitio, ne amittatur per abusum ; vel non usum.* Apostolus epist.2.ad Corinth.scribit: *Adjuvantes exhortamur,ne in vacuum Dei gratiam recipiatis,ait enim tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Quomodo quis cooperatur divinæ gratiæ,quæ est pignus gloriæ ? operando, etenim *facienti quod in se est ; Deus non denegat gratiam* ; at quodnam illud tempus acceptum ? *ergo dum tempus habemus , operemur bonum.* Joan.9.invitat nos, qui tempus indulget,dicens : *Operamini dum venio, venit nox,quando nemo potest operari.*Ubi bene inservit Bellovacensis: *Ad hoc*,inquiens, *nobis Deus gratiam suam confert, ut nos moveat , excitet & adjuvet ad salubriter operandum.* Et citat textum Apostoli epist.1.ad eosdem Corinth. c.15. *Gratia Dei in me vacua non fuit,vacua autem est,quando non operatur homo per eam, vel acediose operatur.* S.Antoninus exponendo hunc Psal.118.versum : *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam*, iis applicat , qui tempus dissipant transgredientes leges divinas : *Id est, propter tempus, quod æstimant omnes se habere ad faciendum bonum,dissipant legem Dei facientes contra præceptum ejus.*

D.August. epist.103.
Si quandoq; manus otientur, mens otiari non debet à bono.

8.S.Augustinus epistolam scripsit ad Romanianum cum hoc titulo : *Hortans ut otium datum bene collocet. Si ad melius cogitandum quies aliqua data est, utere divino beneficio*; deinde exhortatur eumdem: *Laxatis curis mutabilium rerum, bona stabilia & certa quæramus.* Si contingat aliquando manibus otiari,veluti frequenter accidere solet , non propterea mente otiari debemus,sed bonis æternis eam teneamus affixam oportet, cogitando ad illa obtinenda tempus nobis indultum esse,ut eo magis de hoc soliciti & studiosi simus,necesse est, quo sumus incerti de longioris vitæ tempore.

Hic non debemus stare otiosi.
Matth.20.6.
Thom.à Villanov. in hunc loc.

9.Thomas de Villanova considerando illam exprobrationem patrisfamilias alloquentis alios stantes in foro : *Quid hic statis tota die otiosi ?* Notat vocem illam *hic* ; *Quid ergo statis hic tota die otiosi ? Hic , ubi acquirenda felicitas , hic , ubi paranda corona ; hic , ubi lucrandum stipendium ; hic , ubi tantum animæ periculum ; hic, non ad horam , sed tota die otiosi perditis vitam , consumitis tempus pretiosum ?* Hanc reprehensionem advertit quoque Hugo Cardinalis asse-

rens ;

Hugo Card.

rens : *Quid, cum habetis conductores, collaboratores, temporis opportunitatem, mercedis saturitatem?* Mente recolite, Christo ascendente ad cœlos quid contigerit : descenderunt, nimirum, duo Angeli reprehendentes Apostolos, qui attoniti ibi stabant & cœlum intuebantur : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum;* An non justam habebant causam aspiciendi cœlestem Paradisum, quem jam subintraverat divinus suus Magister? *Ubi est thesaurus vester, ibi & cor vestrum est;* Deus ille, *in quo sunt omnes thesauri*, jam ad cœlum ascenderat, quid mirum igitur, quod & cor & oculos cœlo affixos tenebant? Thomas de Villanova pro dubij hujus solutione notat non satis esse, quod quis sit spectator gloriæ, nisi simul illi conformiter operetur tempus nobis concessum impendendo bonis operibus. *Via cœlorum patet, janua Paradisi porta aperta est, quid ergo statis? tanta vobis gloria manet, & statis?* Ast insuper dicere possumus: tempus nobis indultum ad lucrandum æternam gloriam currit, volat, est irrevocabile, est inæstimabile, & nos illud perdimus, ac elabi permittimus absque fructu bonorum operum? ergo dum tempus habemus, non operamur bonum?

Actor. 1. 11. Apostoli aspicientes in cœlum postquam ascendisset Christus, reprehensi fuerunt ab Angelis.

Thomas à Villanov. conc. 1. de Ascens.

Quare Angeli illos nuncupaverint Galilæos. *Idem l. c.*

10. Verum illud observatione dignum, quod non sine mysterio beati illi Spiritus Apostolos nuncupaverint Galilæos, ut enim advertit idem S. Thomas à Villanova, Galilæi in lingua Latina idem sonat, quod Transmigrantes, seu viatores : ergo *Viri Galilæi quid statis*, ac si voluissent dicere, ait de Villanova: *O viatores, O peregrini, an nescitis, quia Galilæi estis? an ignoratis, quia ex præsenti sæculo quam citissime transmigrabitis? Quid ergo statis? quid hæretis? quid statis? ex hoc vitæ vestræ momento omnis æternitas vestra dependet, & statis?* Nescimus, quantum adhuc supersit nobis temporis, quod Deus nobis assignavit, & tametsi nonnisi una superesset hora, cum ea & in ea æternam beatitudinem acquirere debemus: *Omni momento*, dicebat Sanctus ille Archiepiscopus Herbipolensis, *ad ostium æternitatis sto.* Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Quanta reprehensione digni, inutiliter consumentes tempus; quamque rigorosam de eo tenentur reddere rationem.

THEMA.

Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam. Psal. 118. ℣. 126.

Taxantur qui tempus male & inutiliter consumunt.

1. DEplorandus sane plurimorum hominum status, qui tempus præsens clementer nobis à Deo indultum ad acquirendam cœlestem gloriam, operandamque salutem nostram disperdunt, insumuntque in peccatis ac divinarum legum transgressionibus, hanc miseriam multis communem sanctus Propheta David deplorabat dicens: *Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam.* Alij legunt: *Tempus faciendi Domino.* Nempe, quod tempus ejus, qui illud dedit, impendere deberent obsequio, impendunt illius offensæ, aut illo abutuntur vel in otio illud transigentes, aut nullam animæ curam habentes. Bene propterea aliquem, qui tempus dilapidabat. S. Bernard. perstringebat hisce verbis : *Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat; libet confabulari ajunt, donec hora pertranseat. O donec prætereat hora, donec prætereat tempus. Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget? Donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem?* Quis scit, an non hæc hora sit ultima vitæ vestræ? *Vigilate*, sic monuit nos Salvator & rationem illius reddens ait. *Nescitis diem, neque horam.*

D. Bern. de tripl. custod.

Matth. 25. 13.

Joan. 16. 32. Marc. 14. 41. Sim. de Cass. lib. 13.

Bona proposita differri non debent de die in diem.

2. Simon de Cassia commentando in illa verba: *Venit hora, ecce filius hominis tradetur*; hoc tradit documentum : *Quasi dicat Apostolis, non illam prætereamus. Hic me paululum hominum incuria & otiositas & insolentia exclamare compellunt : Heu quam multi horum divinis actionibus aptam prætereunt, & eos incautos apta hora pertransit, & in omni vita ipsorum non revocaverunt præteritam, nec illud bonum quod se agendum præbebat in hora dimissum.* Ecclesiasticus varia eaque salutaria nobis subministrat consilia pro bona directione alicujus timoratæ vitæ, inter alia suggerit etiam, ne de die in diem differamus bona proposita: *Memor esto*, inquit, *quoniam mors non tardat & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi. ... Ante mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi.* Conferatur hoc cum monito Apostoli : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Hortatur deinde Sapiens, ut curam habeamus temporis etiam brevissimi, idque non expendamus sine fructu: *Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Quid non scripsisset Seneca de tempore, si scivisset illud nobis à Deo indulgeri, ut assequamur regnum cœlorum æternamque beatitudinem? Audite, quod bene nobis consulit, ut tempus semper habeamus in magno pretio & æstimatione : *Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere, & vide quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit; aliud suorum; aliud necessaria negotia; aliud publica occupaverunt. Vitam nobis cum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum.*

Eccli. 14. 12. *Gal. 6. 10.* *Eccli. 14. 14.* *Seneca epist. 117.*

Tempus hujus vitæ nobis concessum est ut per merita bonorum operum negotiemur & lucremur æternam gloriam.

3. Veritas catholica est, tempus præsentis vitæ eo fine nobis concessum esse à Deo, ut concurrentibus bonorum operum meritis negotiemur & lucremur æternam beatitudinem & gloriam; nostram nihilominus debilis natura magnam illius partem insumit dormiendo, manducando, ambulando, laborando, studendo, & alia similia negotia sæcularia exequendo; quam parum remanet pro æterna salute, & hoc inutiliter etiam perderemus? quid dico, inutiliter? imo cum injuria & offensa Dei, qui illud indulsit? *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.* Meretur considerationem, quod huic proposito conformiter scribit Justus Lipsius: *Quid patimur*, ait, *elabi tempus? O thesaurum non ultra reperiendum; fluit assidue, & nobis effluit quod unum avariter habere debemus, & nulla merce aut pretio permutare. Illic otio, illic alea, illic conviviolo perdimus, & quantum invaletudine aut somno?* Jamdudum ante ipsum Seneca tetigerat hanc avaritiam, quæ sola nobis deberet esse cordi, cum quæcumque alia sit vitiosa: audiamus quæ scribit cap. 3. de brevitate vitæ: *Omnia, licet quæ umquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant, numquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia sua occupari à nullo patiuntur, & si exigua contentio est de modo finium, ad lapides & arma discurrunt; in vitam suam incedere alios sinunt, imo vero ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur qui pecuniam suam dividere velit; vitam unusquisque quam multis distribuit? Astricti sunt in continendo patrimonio; si autem ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est.* Una gemma pretiosa, vel notabilis summa pecuniæ, v. g. 1000. imperialium voluntarie non perditur aut amittitur, totum insuper illud, quod æstimatur & amatur, diligentissime custoditur; solum tempus, quod est valoris inæstimabilis, cujusque brevissimum spatium bene impensum valet ad acquirendum paradisum; *Momentaneum hoc tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, non profunditur dumtaxat & dissipatur, verum etiam major pars Christianorum suæ id subjicere satagit dispositioni, ac hilariter expendit in ludos, in theatra & spectacula, in dissolutiones & offensas Dei, aliud non cogitatur, non tractatur aliud, nisi de temporis dispendio, otio, & recreatione (passa tempo.)

Lipsius Physiolog. Stoicæ. dissert. ult. *Seneca de brevit. vit. cap. 3.* *2. Cor. 4. 17.*

Perstringuntur iterum dilapidatores temporis. *S. Bernard. c. 63 de inter. domo.*

4. S. Bernardus c. 63. de interiori domo unumquemque nostrum monens scribit : *Considera quam multi modo moriuntur, quibus si hæc hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria & quam festinanter currerent, & ibi flexis genibus, vel certe toto corpore in terram prostrato tamdiu suspirarent, plorarent, orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Domino consequi mererentur. Tu vero comedendo, bibendo, jocando & ridendo tempus otiose vivendo perdis, quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam & promerendam gloriam.* Aversamur & detestamur Domitianum Imperatorem, quod plurimos dies vitæ suæ consumpserit muscas pugione insequendo & transadigendo; ast quot & quanti hisce reperiuntur temporibus majori correpti dementia? Domitianus namque homo infidelis & gentilis, nec æternam gloriam, nec tempus datum esse ad illam promerendam credebat; at quot sunt, qui Christiani professione censentur, & nonnisi

Domitianus Imper. consumebat tempus transigendo muscas.

nisi

Isaia 59. 5.

Artabanus Rex capiendo talpas.

nisi muscas capiendo tempus insumunt? *Telas araneæ texuerunt.* Eviscerat se aranea, ut telam conficiat ad capiendas muscas; hoc idem multis contingit, qui magno cum sudore annos vitæ suæ transigunt, at fini temporali & suis phantasijs intenti, ut capiant muscas. De Artabo rege Hircaniæ legitur, quod talpas capiebat, & de Biante rege Lydiæ, quod filo inserebat ranas, & quis hujusmodi fatuitatem & stultitiam in talibus hominibus, qui regnorum administrationi invigilare debebant, non abominaretur? Sed quid? annon quoque detestanda est multorum Christianorum stultitia, qui à Deo creati sunt & redempti propter regnum cœleste & tempus ad hoc concessum expendunt in capturam ranarum? annon sunt talpis cæciores? quot & quanti sunt, qui totum tempus matutinum in poliendo sese, comendo & fumificando consumunt? quot sunt, qui dies suos in jocos, ludos, venationes & similes occupationes expendunt.

S. Bern. ser. 51. de modo bene vivendi.

Qui Deum verè amat, tempus otio non transigit. *B. L. Just. de vita solit. cap. 10.*

5. Cum ignis sit elementum magnæ activitatis; bene ei assimilatur amor, qui numquam est otiosus; unde S. Bernard. serm. 51. de modo bene vivendi tale nobis reliquit signum amoris nostri in Deum : *Si vere Deum diligis, nulla hora otiosus eris; si Deum in veritate amas, pro amore illius otium recusas; si ex toto corde diligis Deum, omni tempore contemnis otium.* Ex quo inferre licet, quod qui otium sectantur & amant, Deum si non odio habent, saltem non amant. Contra hos merito exclamat B. Laurent. Justinianus, eosque deplorat hisce verbis : *Heu quam mortalium est ista plangenda conditio detestanda cæcitas; infælicitas fugienda. Abutuntur perversi homines naturalibus bonis; veniæ tempus otiose conversando consumunt. O si agnoscerent, quanti æstimandum sit, quod sine consideratione amittunt. Cæterum quid pretiosius tempore? quid quæso illo fructuosius? Quid charius? quid excellentius? quidve amabilius? Sed proh dolor! pene ab omnibus nihil habetur vilius, nil tractatur inutilius, nil indignius possidetur.* Ostendit deinde quanti valoris sit illud, cujus jacturam facimus : *Nullum temporis momentum præterit, in quo merita cumulari non valeant æterna.* Quamdiu durant nundinæ, in quibus negotiatores gaudent exemptionibus & pulchræ præsentantur occasiones opulenti lucri, cauti & seduli mercatores nequaquam tempus negligere solent; *Negotiamini dum venio*; inclamat nobis Salvator noster tempus, in quo vivimus, tempus nundinarum est, unde etiam minimæ illius partis curam habere, ac nundinas hasce magni æstimare debemus, siquidem *nullum tempore momentum præterit, in quo merita &c.*

Luc. 19. 13.

Deum de concesso nobis tempore rigidam exiget rationem.

6. S. Bernardin. postquam de tempore male consumpto dixisset : *Male expensum obligat ad tormentum æternum*; subjungit : *O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus diurnæ horæ ad pœnitendum, emerent illud pro mille mundis si possent. Tantum est enim thesaurus temporis pretiosus; quod;* ut ait Bernardus; *non est tempus vitæ impensum quod non exigatur qualiter sit expensum.* Hujus opinionis quoque est S. Ephrem, nempe, quod de tempore nobis indulto Deus rigorosam à nobis exiget rationem : *Requiret*, inquit, *tempus in negligentia deperditum, & non inveniet. Ploremus igitur coram Domino Deo nostro, ut miserationes ab ipso obtineamus, donec tempus habemus, temperemus nobis, & placare studeamus Deum.*

S. Bern. T. 1. ser. 13. art. 3. c. 4. *S. Ephrem prolog. de virt.*

Stultus est qui putat tempus hoc assignatum esse gaudijs & hilaritati.

7. Stultitia est, quam ingerit astutissimus serpens capiti nostro, quasi præsens vita & anni hujus vitæ nobis assignati sint, ut semper gaudeamus & jucundi ac hilares simus; at decipimur: *Tempus hoc* (ait S. Bernardus) *animabus non corporibus est assignatum; dies salutis utique, non voluptatis, omnia tempus habent; animabus nunc operam dare necesse est.* Refert Bellovacensis casum, qui Parisijs contigit alicui Studioso: *De velocitate & levitate temporis Seneca : Infinita est velocitas temporis, punctum est in quo vivimus; & puncto minus. Cum quidam dives clericus vigilaret Parisijs ad fenestram studens; & quidam cantaret in vico quamdam cantilenam, quæ dicebat Gallice: tempus vadit; & ego nihil feci; tempus venit, & ego nihil operor, incepit recogitare circa dulcedinem cantus; & post circa verbi sententiam, cogitans quod sibi competeret; quasi sermonem à Deo sibi missum illum recipiens, in mane omnia relinquens, ordinem fratrum Prædicatorum intravit.*

S. Bern. in declam. *Bellov. spec. mor. part. 6. lib. 3. dist. 6.* Pulchrum exemplum.

8. S. Hieronym. ad Demetriad. scribens de Virginitate, tale temporis exponit pretium, ut ne quidem unum momentum sit negligendum aut perdendum : *Quamquam*, ait, *omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi consecrare, & nullam prorsus horam à spirituali profectu vacuam esse conveniat, cum tibi in lege Domini die ac nocte meditandum sit, debet tamen aliquis esse determinatus & constitutus horarum numerus, quo plenius Deo vaces.* Seneca Epistola 1. quærit : *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori imponat? qui diem æstimet?* Docet namque experientia tempus nihil æstimari, quia major pars hominum nonnisi vitæ jucunditati & recreationibus corporis studet, ille cæteris censetur beatior & felicior, qui majori gaudet commoditate recreationum, & in majoribus delicijs transigit dies suos. Quod si tempus vitæ hujus assimilatur semini & culturæ agri, & messis bonæ morti : *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*, profecto qui seminaret stramen, fructum non colligeret, & qui fœnum seminaret, nonnisi fœnum colligeret; pari ratione qui in præsenti vita otiatur, nec operatur quidquam, sed suis attendit & studet corporis recreationibus & voluptatibus, non est quod speret hora mortis audire illud : *Triticum autem congregate in horreum meum.* Sed potius illud : *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quamobrem consulebat nobis Apostolus dicens; *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes; Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Ultimum sementis hoc tempus est* (subdit S. Hieronym.) *festinemus ergo campos omnes serere.* Qui vitam suam exposuerit in jocos, ludos, spectacula, convivia, tripudia, similesque alias levitates, pœnam promeritam tempore suo reportabit : *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.*

S. Hier. T. 3. de virginit. Tale est pretium temporis ut nec unicum ejus momentum sit negligendum. *Seneca Ep. 1.*

Tempus assimilatur seminationi, & messis bonæ morti. *Gal. 6. v. 8.*

Matt. 13. 30. Apoc. 18. 7. *Gal. 6. v. 9. Ibid. v. 10.* S. *Hieron. ib.*

Quid agendum in cogitationibus ab otio subministratis. *S. Bern. de inter. domo cap. 63.*

9. Quando mens nostra pravis agitatur, optimum hoc S. Bernard. nobis suggerit consilium & remedium : *Jacta*, inquiens, *cogitatum tuum in Domino, qui te fecit & refecit, & elegit, & vocabit, & judicabit, & salvabit. O quanti hac hora cum eo loquuntur, eumque in semetipsis amplexantur, Tu vero in his delectaris, quæ pereunt & transeunt & tecum manere non possunt?* Et hoc quidem punctum essentiale est ac meditatione dignum; videlicet, quod tempus inutiliter transigendo nullum pro altera vita colligamus fructum, sed solum stramina & paleas, quibus accendatur & foveatur inextinguibilis ignis infernalis; non sic autem, si executioni mandaverimus consilium Apostoli : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*; bona siquidem opera nos sequentur ad alteram vitam : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Magnus quidam vir toties suspirabat, quoties audiebat signa sonantis horologij, interrogatus cur suspiraret toties, sapienter respondit, non parum se inde affligi, quod sciret se Deo redditurum rationem, quo, videlicet, modo tempus impendisset, nec non de omnibus defectibus ab eo tempore commissis, quo rationis usum habere cœpisset. Demum memoratu dignum, quod S. Bernardus ad Eugenium summum Pontificem, qui prius fuerat religiosus Claravallensis, scribit hisce verbis : *Ex quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus.* Sed quomodo, quo casu in negotijs illius supremi & sanctissimi officij tempus perdere poterat? Credi potest, sanctum virum illius fuisse opinionis, quod, cum Summus Pontifex una sit princeps Ecclesiasticus, omne illud tempus perderet, quod rebus mere temporalibus impenderet.

Apoc. 14. 13. Quidam devotus ad quemlibet horologij sonitum, cur suspiravit.

S. Bern. l. 1. de Consid.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Signum æternæ reprobationis, est sine fructu transigere tempus; quod ipsa hora & puncto mortis coram Deo nos accusabit.

THEMA.

Vocavit adversum me tempus. Thren. 1. v. 15.

Inter inimicos in hora mortis se nobis opponentes, erit tempus à nobis malè impensum.

1. INter alios irreconciliabiles inimicos, qui in puncto mortis nostræ nobis se opponent, ipsum etiam erit tempus à nobis spretum & male transactum, irreparabili nostro damno improperabit & exprobrabit nobis prodigalitatem, qua illud in offensam Dei, id benigne nobis indulgentis, perdemus & dissipabimus. Blosius libro, cui titulus est. *Paradisus animæ fidelis*, agens de otio, ostendit illud pessimum esse reprobationis indicium; *Otium omnium malorum paren-*

Blos. parad. anim. fid. c. 30.

Idem de Instr. vitæ ascet. divis 3.

parentum, certissimamque animarum exitium perhorresce. Et alio in loco de instructione vitæ asceticæ insinuat nobis, temporis perditionem esse pestem & animarum ruinam, unde suadet: *Numquam vitioso otio locum dederis; ipsum enim est quod perimit animas.*

Pigri & otiosi tempus negligentes, remittuntur ad formicam. *Prov. 6. v. 6. & seqq.*

2. Celebre est invitamentum, quo sapiens hominem pigrum & otiosum invitat, dicens: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Usquequo piger dormies? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* Ecquis erit armatus ille, qui se nobis opponet sub specie penuriæ & paupertatis, ubi fuerimus pigri, negligentes, ac annos nostros infructuose perdiderimus? Alius profecto non erit nisi tempus perditum; pauper, quia bonorum operum meritis exhaustum erit, idque adversarius noster erit: *Vocavit adversum me tempus. Dormitat* (ita explicat Hugo Card.) *qui quandoque peccat, quandoque pœnitet*; de ijs, nimirum intelligi, potest, qui tantillum boni, & parum mali agunt. Audite insuper interpretationem alterius vocis, *egestas*, nempe, *æterna quoad animam.*

Hug. Card. ib.

3. Dictio hæc, *Væ*, in multis locis Sacræ Scripturæ minarum æternæ damnationis indicium est; dico hoc, quia Ecclesiastici cap. 2. legimus: *Væ duplici corde, & manibus male facientibus*; Vatablus legit: *manibus remissis*, quia qui ubique stant manibus cingulo accinctis, sine fructu operationis, valde evidens signum habent æternæ reprobationis. Qui perdit tempus, in duos, ubi patiatur naufragium & æternæ damnationis periculum, impingere solet scopulos, nempe, in duplex peccatum, unum, quod dicitur, commissionis, alterum omissionis; Unde S. Bernardus asserit: *Quis considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona facere negligimus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni.* Et serm. 51. de modo bene vivendi hanc minacem tradit protestationem: *Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitute Dei studiosis; Regnum Dei non dabitur vagantibus, sed pro Deo digne laborantibus. Qui in bonis operibus sunt pigri & tepidi, non habebunt locum in regno Dei.*

Eccli. 2. 14. Qui perdunt tempus impingunt in duos naufragij scopulos. *S. Bern. cap. 2. medit.* *Idem ser. 51. de modo bene vivendi.*

Paterfamilias jubet operarijs reddi mercedem. *Matth. 20. 8.* *Hug. Card. in hunc loc.* *Ibid.*

4. In parabola operariorum, qui à Patrefamilias invitati erant ad fodiendam & colendam vineam, notandum est eos ad recipiendam mercedem fuisse vocatos, qui laboraverant: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Matth. 20. *Fideles qui operantur instanter* (sic exponit Hugo Card.) *ne tempus prætereat.* Quod si me interrogeris, qui factum sit, quod qui stabant in foro otiosi, primi omnium mercede sua donati fuerint: *Incipiens à novissimis?* Respondetur eos brevi temporis spatio tanta cum solicitudine & fervore operatos fuisse, ut parem alijs promeriti fuerint mercedem; quapropter Cornelius Jansenius scribit: *Nullis merces datur, nisi qui operati sunt.* Porta cœli est amor & charitas in Deum, quod adeo verum est, ut Apostolus, qui aliquot vicibus ocularem paradisi accepit inspectionem, testetur regnum Dei præparatum dumtaxat esse Deum amantibus: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum.* Otiosi, nimirum, qui perdunt & inutiliter consumunt tempus, non amant Deum, ac propterea plerumque à cœlo excluduntur: *Qui divino amoris ardet incendio* (B. Laurentij Justiniani verba sunt) *in bonis actibus semper occupari se cupit, nunc interius, nunc exercetur exterius; otium abhorret summopere veluti charitatis inimicum.*

Jansen. c. 101 concord. Evang. *1. Cor. 2. v. 9.* *B. Laur. Just. de triump. Christ. agon. c. 17.*

Multi in fine vitæ primum sentient jacturam temporis.

5. Quamdiu quis vivit ac suis indulget voluptatibus & recreationibus, irreparabilem, quam facit, non agnoscit temporis jacturam; ast in fine postea, quando hic se ei opponet inimicus: *Vocavit adversum me tempus*; tunc primum, esto sine fructu, cognoscet, & sentiet, quid sit abuti tempore; qua super re audiamus B. Laurentium Justinianum pulchre discurrentem in hunc modum: *Misericorditer nobis indultum est, quatenus per commendabilia opera, ipso mediante, vitam mereamur æternam. Hoc optime noverunt, quicumque illud amiserunt. Videmus nihilominus apud universos nil tempore tractari pejus. Magni æstimant homines, quando infructuose illud valent amittere. Hinc est, quod vacant jocis, nugis & negotijs inutilibus. Utinam saperent præterita & præsentia intelligerent, ac novissima providerent. Veniet veniet necessitatis hora, quando misericordiæ clauditur fons, & operandi deerit facultas, veniet utique propere, nec tardabit. Tunc prorsus oculos aperiet pœna, quos nunc claudit culpa. Tunc quanti sit præsens tempus, noscetur, non ad meritum, sed ad supplicium.*

Idem de compunct. & complanc. Christ. perf.

Invectiva in otiosos & temporis dilapidatores. *S. Th. de Vill. in Septuag.* *S. Anselm. in meditat.*

6. S. Thomas de Villa Nova otiosos reprehendit hisce verbis: *Homo otiosus inutilis, nasci non debuit; Frustra natus est, & statua inanimata est, lapis marmoreus est; truncus arboris, sicut sine flore & sine fructu, solum aptus ad ignem.* Et S. Anselm. citatus à D. Bonaventura serm. 1. de Nativitate Christi contra temporis facientem jacturam exclamat: *O linguam aridam, & inutile, æternis ignibus dignum; quid respondebis in illa die cum exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuit expensum? Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Atrocissimum tormentum damnatis erit, quotiescumque hujus jacturæ temporis recordabuntur, veluti ostendit exemplum relatum ex prato florido part. 2. lib. 1. cap. 44. cujus jam fecimus mentionem supra disc. 3. num. 6. Sed & evidens illius testimonium habemus in lib. Sap. cap. 5. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra*; Quamobrem S. August. sermone suo eos, qui tempus inutiliter consumunt in delicijs & recreationibus corporis, cum hac exprobratione alloquitur: *Ubi sunt deliciæ vestræ, propter quas ambulatis per vias pravas? Nam dicimus ubi erant, cum hæc vita transierit, sed modo ubi sunt? cum hesternum diem hodiernus abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit; quid eorum, quæ diligitis, non transcurrit, & transvolat? Quid non fugit pæne antequam capitur, cum ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri; ita etiam secunda excluditur à tertia sicut prima exclusa est à secunda, ipsius horæ unius, quæ præsens videtur, nihil est præsens, omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva sunt.*

Recordatio jacturæ temporis est atrocissimum tormentum damnatorum. *Sap. 5. v. 8.* *S. August. serm 23. de ver. Apost.*

Qui tempus otiose transigunt Deo strictam de eo rationem reddent. *S. Aug. ser. 17. ad fratres.* *Matt. 13. 25.*

7. *Vocavit adversum me tempus.* Id fiet in puncto mortis, quo Deus adversum nos advocabit tempus, & à nobis de omnibus momentis inutiliter consumptis rigorosam exiget rationem. S. August. serm. 17. ad frat. otium comparat lolio sivè zizaniæ: *Seminans in eos zizaniam.* Pessimum & inutile semen, conformiter parabola insinuat, sparsum & seminatum fuit juste eo tempore, quo dormiebant homines. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus & superseminavit zizania.* Alludens ad eos, qui otiose vivunt, at quis ignorat zizania ad ignem esse destinata? Unde D. August. prosequendo sermonem suum ait: *Numquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit.* Et S. Antonin. in eadem verba proposita: *Vocavit adversum me tempus scilicet Deus &c.* subdit hanc doctrinam: *O quam male poterit rationem reddere de tempore otiosus, qui non solum momenta amisit temporis, sed horas integras, dies, menses & annos?* Considerabat insuper idem Sanctus, quod, quia paradisus terrestris est veluti depositum cœlestis paradisi, noluit Deus, ut protoparens noster in eo otiose viveret, sed *ut operaretur & custodiret illum. In paradiso terrestri non recipietur* (sic de otioso loquitur S. Antoninus) *quia cum Deus transtulit Adam, posuit illic, ut operaretur, non ut otiaretur.* Paulo superius jam asseruerat & determinaverat locum otioso proprium esse infernum: *Ex otio generantur plurima vitia sequitur inferni cruciatus. Proprius locus otiosi est in inferno. Constat quod otiosi in cælo non reperientur, nam cælum empyreum est locus eorum & merces, qui operati sunt secundum illud* Matth. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem*; & Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Rationem deinde adducit, qua probat otiosos neque etiam in purgatorio habere locum: *In purgatorio, ait, non erunt, quia ibi flagellantur homines à Deo; sed de his otiosis dicitur, quod cum hominibus non flagellabuntur.* Probat postea otiosum insuper indignum esse, ut existat & vivat in mundo: *Mundi quoque loco indignus est, secundum parabolam Christi de ficulnea non faciente fructum, de qua dicit Dominus vineæ: Succide illam, ut quid etiam terram occupat, id est, hunc mundum inutiliter. Et cum non sit alius locus, restat, quod in inferno cum dæmonibus flagellentur*; unde Salvator Matth. 7. *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*, *scilicet, infernalem*; *& loquitur ibi expresse de arbore rationali, quæ non*

S. Anton. p. 2. t. 9. c. 1. §. 1. *S. Anton. ibid. §. 2.* *Gen. 2. v. 15.* Proprius otiosorum locus est infernus. *Matth. 20. 8.* *Sap. 3. v. 15.* Otiosus indignus est qui vivat. *Luc. 13. v. 7.* *Matth. 7. 19.*

facit fructum bonum, cum non facit opera bona, excidetur per mortem otiosus, in ignem æternum projicietur; unde Psalm. 33. *Quis est homo, qui vult vitam, scilicet, æternam. Declina à malo, & fac bonum, scilicet, fructum operum, non stes otiosus.*

Ps. 33. v. 13.

8. Psalm. 58. idem regius Propheta Deum exoraturus has ei exhibebat preces: *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*; at si & ipse David gratia misericordiæ indigebat, quia adulterium cum homicidio commiserat: Unde supplex orabat: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*; cur modo dicit; *Non miserearis &c.* Annon sciebat fortassis, quod Deus *omnipotentiam suam parcendo maxime & miserando manifestat?* Pro solutione dubij observetur Psalmistam loqui velle de ijs, qui abutuntur tempore, ac de eodem, ac si haberent illud in sua manu & potestate, disponunt statuentes primo circa finem vitæ suæ agere pœnitentiam & detestari peccata sua, cujus veritas deducitur ex verbis seqq. quæ indicant sensum antecedentium; sequitur enim immediate: *Convertentur ad vesperam*; at promeritam inde recipient mercedem, siquidem *Famem patientur ut canes.*

Ps. 58. v. 6. Pœnitentia non debet differri in finem vitæ. *Ps. 50. v. 3.* *Ps. 58. v. 7.* *Ibid.*

9. Cum discursu 3. pretiositatem & valorem temporis examinaverimus, merito cum indignationis & exprobrationis acerbitate tempus nos accusabit coram tribunali Christi, quod illud spreverimus, inutiliter insumpserimus, non solum nullam illius habentes curam, sed nec curantes offensam ipsiusmet Judicis nos judicatur: *Adversum me tempus.* Lamentabitur, quod prodige consumpserimus in jocos, ludos, comœdias tripudia, crapulas tempus illud, quod erat destinatum & datum ad serviendum Deo, ad accumulanda merita bonorum operum, ad obtinendam beatam æternitatem. Quid respondebimus, quando nobis exprobrabitur, quod ipsemet Deus, qui est æternitatis Dominus, tanti æstimet tempus, ut juxta declarationem incarnatæ Sapientiæ, nempe, filij sui appretietur etiam momenta. *Tempora & momenta Pater posuit in sua potestate*; & nos non menses dumtaxat, sed annos & sæcula vane & malitiose transigimus, siquidem *omnem malitiam docuit otiositas?* tunc adimplebitur comminatio illa Evangelica, quam refert S. Luc. c. 17. *Venient dies, quando desiderabitis videre unum diem filij hominis, & non videbitis.* Nec est, quod unicum speret momentum, quicumque tempore abusus fuerit: *Tempus non erit amplius.* Nec est, quod unicum speret momentum, quicumque tempore abusus fuerit: *Tempus non erit amplius.* Non potetis ultra dicere: *Ecce nunc dies salutis.*

Graviter peccant qui tempore abutuntur ad offensam Dei. *Act. Apost. 1. v. 7.* *Eccli. 33. 29.* *Luc. 17. 22.* *Apoc. 10. 6.* *1. Co. 6. v. 2.*

10. In parabola de operarijs missis in vineam merito notandus est modus loquendi Christi Salvatoris: Illis, qui laboraverant à tempore matutino ad vesperam usque, & dixerant; *portavimus pondus diei & æstus*, quique figurabant fideles Christianos propriam salutem indefesse operantes de primo ad ultimum usque ætatis annum, illis, inquam, deesse nequit æterna retributio: *conventione autem facta ex denario diurno.* Qui deinde vocati fuerunt hora tertia, sexta, & nona; illos repræsentabant, qui aliquamdiu in flore ætatis indulserunt inordinatis suis desiderijs, delicijs & voluptatibus; at errorem suum agnoscentes fervorem in Dei servitio resumpserunt; & hisce datur quidem spes recipiendæ mercedis sempiternæ; at non cum tanta securitate: *Quod justum fuerit, dabo vobis.* Ultimi denique reprehensi hisce verbis: *Quid hic statis tota die otiosi?* esto ad colendam vineam hora undecima missi fuerint; quia denotabant illos, qui in fine vitæ primum tempus bene impendere statuunt & student, illi, inquam, ne quidem unicum à Patrefamilias audierunt verbum, ratione cujus spem aliquam remunerationis concipere possent, & quare hoc? ut hinc cognoscatis, quam arduum ac difficile opus sit, circa finem vitæ agere pœnitentiam, pravam peccandi consuetudinem deserere: vitam depravatam corrigere, æternæ saluti attendere & unice invigilare, &, ut paucis dicam, tempus bene impendere, qui male illud impendit in flore ætatis & per totam vitam suam.

Matt. 20. 12. Applicatur ad propositum parabola de operarijs vineæ. *Ibid. v. 2.* *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 6.*

11. S. Bernardus sermone, cui titulus, de nimia quadam fallacia præsentis vitæ hæc scribit: *Vestri dies non minus utique quam capilli omnes numerati sunt, & sicut pilus de corpore, sic & momentum de tempore peribit.* Tempus igitur nobis improperabit non solum annos, menses, septimanas, dies & horas malè & infructuose impensas, verum etiam ipsa momenta, quibus fuimus abusi. Ne in hunc impingamus scopulum; idem mellifluus Doctor sequens nos docuit remedium: *Sedeat judicans justitia, stet rea, & semetipsam accusans conscientia: Manè præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito cautionem; sic districtio nequaquam tibi aliquando lascivire vacabit.*

S. Bern. ibid. Tempus nos accusabit apud Deum quod illud neglexerimus. *Idem S. Bern. de vita solit. ad frat. de monte Dei.*

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

De dominio, quod dæmon acquirit in otiosos; in quibus non aliter ac in centro suo habitat.

THEMA.

Invenit eam vacantem, &c. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se & intrantes habitant ibi. Matth. 12. v. 44.

1. Lucæ cap. 11. & Matth. cap. 12. pientissimus Salvator noster notas ac manifestas nobis facit vires ac stratagemata hostis nostri, quibus, postquam manus ejus evasimus ad Deum conversi, animas nostras deprædari & capere satagit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.* Ubi observetur diabolum quoque animarum fidelium incumbere venationi, suffragante otio veluti efficacissimo medio & instrumento, quo multa eis insinuit & suggerit mala: *quærens requiem*, neque modo dumtaxat huic incumbit studio, sed & ab ortu suo, quo peccavit & dixit: *Sedebo in monte testamenti.* Verum quia ad ignem, qui est activus condemnatus fuit, *quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit, revertar in domum meam, unde exivi.* Ad corda, unde ejectus fuit, redire & ad pristina peccata instigare conatur; at quomodo & via finem suum ac scopum assequitur: *Invenit eam vacantem*, omnem adhibet operam & laborem, ut anima otio se committat, & tempus perdat, hoc illi sufficiens est, ut novum & iteratum ad illam habeat aditum, id ei sufficit, ut illam vincat, ac peccatis & vitijs ad fauces usque immergat: *Assumit secum septem, &c.* S. Gregorius in suo pastorali producendo dictum illud Salomonis: *In desiderijs est omnis otiosus.* Subdit: *Hinc ipsa veritate prædicante, uno quidem exeunte spiritu, munda domus dicitur, sed multiplicius redeunte, dum vacat, occupatur.* Hugo Card. in Matth. exponit hunc textum ad nostrum propositum, etenim consulit: *Nolite stare otiosi, quia ad domum vacantem; unde exivit, diabolus revertitur, & habitat cum septem spiritibus nequioribus.* Didacus Stella in Lucam cit. hanc eamdem instituit considerationem: *Hoc otium*, inquit, *audaciam tribuit dæmoni, ut redeat in domum, quam reliquerat.* Tangit quoque causam & impulsum hujus maligni spiritus, cur prævia non obstante ejectione revertatur, & ait: *Propter otium dæmon statim revertitur, ideo Apostolus monet? Nolite locum dare diabolo, ille dat locum, qui non alicui rei studiose intentus est, nam in anima aliquibus sanctis exercitijs implicita dæmon nullum habet locum.* S. Bernardus serm. 51. de modo bene vivendi, hoc suæ sorori dedit consilium: *Numquam sis otiosa, quia otium inimicum est animæ. Diabolus cito decipit eum, quem otiosum invenit. Diabolus quotidie in castra intrat, & si aliquem invenit otiosum, statim accusat. O sponsa Christi, vide, ne cum diabolus in claustra intraverit, & uniuscujusque facta scrutatus fuerit, aliquid inveniat, unde te accusare possit. Hac de causa te moneo, soror mihi in Christo dilecta, ut per amorem Jesu Christi numquam sis otiosa.*

Otium est efficacissimum medium quo diabolus venatur animas. *Luce 11. 24.* *Matt. 12. 43.* *Matt. 12. 43.* *Isaiæ. 14. 13.* *Matt. 12. 43.* *Ib. 43. & 44.* *Ibid. v. 45.* *S. Greg. l. 3. past. admon. 16.* *Hug. Card. in hunc loc.* *Did. Stell. in Lucam.* *S. Bern. ser. 51. de modo bene vivendi.*

2. S. Mater Ecclesia à Spiritu Sancto directa feria 4. post primam Dom. Quadrag. uti & tertia pariter Dom. Quadrag. allegatum textum proponit nobis legendum: ut nobis notificet ac penitus imprimat summum illud detrimentum ac præjudicium, quod ab otio recipimus; Unde S. Antonius de Padua hunc instituebat sermonem: *Sed quia ex bonis operibus solet oriri securitas vana & otiositas, quæ est animæ inimica, ideo auditur in Evangelio Matth. 12. invenit vacantem.* Adducit deinde, pro majori hujus sermonis elucidatione historiam ex 1. lib. Reg. *Dicitur* [sic pergit] *quod Amalecitæ impetum fecerunt à parte Australi in Siceleg, & percusserunt Siceleg & succenderant eam igne, & captivas duxerunt mulierculas ex ea à minimo usque ad magnum. Amalech interpretatur lingentem sanguinem, & significat dæmones, qui sanguinem animarum, id est, compunctionem animarum lingere & devorare cupiunt. Isti à parte Australi Sice-*

S. Ant. de Pad in Dom. 3. Quadr. *Matt. 12. 44.* Quale detrimentum & præjudicium accipiamus ab otio. *1. Reg. 30. 3.*

Job. 6. 19. *leg invadam. Auster est ventet tepidus. de quo Job. 6. Considerate semitas Thema, itinera Sabba. Thema interpretatur Auster tepidus. Hæc est fluxa & otiosa conversatio viventi, per quam tentat diabolus, nam cum spiritus immundus domum inveneris remissam & otio vacantem, intrat in eam; unde quia David, ut dicitur 2. Reg. 11. remansit in Jerusalem, & non processit ad bellum marcens otio, punitur adulterii vitio. Sabba interpretatur vetc, vel captiva & significat obligationem culpæ, qua se bene tepiditati & otiositati conjungit; nam qui non districto judicio, sed dissolutis & remissis gressibus vadit, & fluxis actibus implicatur, & ad ea, quæ Dei sunt, impeditur. Sicelg vero, quæ interpretatur adductio vocis defæcatæ, id est, anima, quæ non balbutiendo, sed rectè loquendo debet annuntiare peccatum suum, à parte Australi, id est, à tepiditate, & otiositate suæ vitæ, à malignis spiritibus capitur, & igne iniquitatis succenditur, & quidquid virtutis est intra animam, à minimo usque ad magnum capitvatur. Bene ergo dicitur inventi vacantem, & assumit septem, &c.*

S. Anton. p. 2. t. 9. c. 14. §. 3. Damna otiosorum, quibus assistunt dæmones.

Daniel. 4. Judith. 13. Luc. 11. Matth. 12.

Vit. Pat. l. 3. num. 36.

3. Observatio hæc est S. Antonini: *Nabuchodonosor cum maneret in aula palatijsui, in superbiam elatus est, dicens: Nonne hæc est Babylon, quam ædificavi in fortitudine mea? Propter quod in bestiam mutatus est secundum phantasiam, Daniel. 4. Filij quoque Dan venientes Lais ad populum quiescentem atque securam pervasserunt in ore gladij, urbemque incendio tradiderunt. Judith. 13. ad figurandum, quod cum quis quieverit otio, dæmones capiunt animam, atque diversis vitijs incendunt, unde in Evangelio Luc. 11. & Matth. 12. Spiritus immundus exiens ab homine per pœnitentiam, cum postea revertitur, invenit domum mentis vacantem, scilicet, otio, cum septem spiritibus ingreditur, & habitat ibi cum universis peccatis.* Legitur in vitis Patrum eremitam quemdam sanctæ vitæ divino hoc effulsisse dono, ut visibili modo tam Angelos quam dæmones conspexerit; unde aliquot vicibus Angelos vidit monachis assistentes eo tempore, quo de rebus spiritualibus conferebant, at quando de rebus otiosis discurrebant, abeuntibus Angelis accedebant dæmones.

Eccli. 33. 28. 4. Ecclesiastici instructio est & monitum: *Servo malevolo tortura & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas.* Hunc textum exponit Hugo Card. subdens: *Id est, multorum malorum fuit occasio; diabolus enim animam otiosam facile inclinat ad vanitatem cogitationum, de vanitate cogitationum ad voluptatem affectionum, & tandem ad consensum & operationem.* Considerationc digna sunt verba illa, quæ protulit spiritus immundus i *Revertar in domum meam.* Num fortasis ignorat, animam à Deo creatam esse, & illius esse habitaculum. *Templum Dei ... quod estis vos,* scribit Apostolus? qua igitur audacia animam fidelem in suum habitationis locum adsciscere audet, quæ Dei domus propria est & habitatio? Audiamus Venerabilem Bedam: *Timendus est, inquit, iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Ecce unde diabolus sibi adpromittit persuadetque nos fore recidivos, nempe, ex otio, pigritia & negligentia nostra, *vacantes.* Quando id à nobis obtinet, ut otio nos tradamus, indulgeamusque delicijs & voluptatibus, quia, nimirum, tempus vilipendimus, ideo toto illo tempore in defidiosa anima, tamquam in centro suo nidificare non dubitat. *Suam vocat domum* (ait Didacus Stella) *non quidem per creationem, quia solius Dei est, sed per possessionem;* Otium, ut suo loco dicetur, est quasi primum mobile, quo excitato & in motu posito excitantur & reliqua vitia.

Bed. in Luc.

Did. Stella in Luc.

Luc. 11. 24. 2. Cor. 3. 17.

Anima otiosa est centrum diaboli, in illa enim quærit requiem.

Matt. 12. 43.

5. Malignus spiritus in centro suo est, dum in otiosis habitat & moratur. Acerbitatem pœnarum tormentorumque, quam sustinet, intellectus noster vix capere sufficit, nihilominus unde ipsum existimaris aliquam percipere revelationem: *Quærens requiem*, ait Christus, ubinam cum refrigerium suum quærere imaginamini? forte quod in dies innumeras animas in abyssum inferni præcipitari conspiciat, de quibus gaudeat, quod non impleant thronos illos cœlestes, è quibus ille una cum alijs apostatis exturbatus fuit? aut hinc ei potius accresceit accidentalis pœna. *Quærens requiem*; forte exinde quod ipsius opera & labore multæ perfectæ & sanctæ animæ in peccata & scelera decidant, quarum casus apud mundum doctrinæ Christianæ & vitæ Dei fidem multum diminuit? *ejus electa*; *habet fiduciam quod influus Jordanis in os. ejus. Quærens requiem*, forte in eo, quod semper in optime excolto campo Ecclesiæ Catholicæ seminet zizania errorum, hæresium, schismatum, scandalorum? Nihil horum allegat incarnata Sapientia, quæ hanc composuit parabolam; sed addit: *Et non invenit*, nimirum, in locis desertis, quia in eremis, claustris & monasterijs reperit oppositionem & resistentiam, ac propterea determinat: *Revertar in domum meam, unde exivi, & ... invenit eam vacantem, ... & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Ubi notetur hoc verbum, *habitare*, quod exprimit permanentiam & continuationem, ad denotandum, quod in otiosis & negligentibus tamquam in centro suo moretur, in istis reperiat requiem & refrigerium, cum istis habeat suam delectationem, & eo magis quo nullam inveniat in illis resistentiam & obstaculum quo suæ impediantur arceanturque tentationes, etenim ad omnem iniquitatem, quæ eis suggeritur, prompti sunt & faciles: *Omnem malitiam docuit otiositas.*

Ibid.

Ibid. v. 44.

Ibid. v. 45.

Eccli. 33. 29.

Otium est academia diaboli, in qua docetur omne malum.

S. Leo. de jejun. Diabolus fideles à persecutionibus securos pertrahere conatus fuit ad otium.

6. *Omnem malitiam docuit otiositas.* Nonnullas civitates, principes & magnates determinare solent, in quibus universitates sive academiæ erigantur, artium liberalium scientiarumque lectiones publicæ tradantur, literarumque vigeant ac floreant studia, sic in statu ac dominio Ecclesiæ determinata est urbs Bononiensis & Perusiensis, in ducatu Magni ducis Hetruriæ urbs Senensis, in statu Reipublicæ Venetæ Padua, & idem est in alijs dominijs. Dæmon à Christo Salvatore nostro dicitur *Princeps mundi hujus*; universitas, quam pro variis omnisque generis vitiorum lectionibus tradendis instituit, est otium, quia hoc docet omne malum: *Omnem malitiam docuit otiositas*; ponderate hoc verbum, *docuit*, quod non sine mysterio ponitur. Angelicus Doctor [veluti legitur in ejus vita ultimo à P. Paulo Frigerio Congregationis nostræ Sacerdote composita] dicere solebat, hamum, quo dæmon majorem animarum partem piscaretur, esse otium.

Joan. 12. 31.

In vita S. Th. Aquin. l. 1. c. 11. n. 70.

S. Bern. ser. 33. in Cant.

Isa. 38. 17.

S. Bonav. comp. Theol. verit. lib. 3. cap. 18.

S. Hier. ad Rust.

Quamdiu aves volant, sunt securæ, quiescentes autem inimicis & in terra, jaculis trajiciuntur.

Ephes. 4. 27.

S. Th. de Villa in Septuag.

David otiosus à diabolo fuit præcipitatus in adulterium & homicidium.

2. Reg. 11. 2.

7. Experientia docet in avibus, quod, dum per aërem volitant, non tam facile globo jaculatorio tangantur aut trajiciantur à venatoribus, ac tunc, quando in ramis arborum quiescunt, aut terra ignavæ spatiantur; unde S. Thomas de Villa Nova ad textum illum, quem citat ex Apostolo: *Nolite locum dare diabolo*, subdit: *Avis, quamdiu volat, secura est; si sedet & quiescit sagittariorum insidiantium sagitta persoditur.* Malignus jaculator dæmon tantorum annorum spatio cor regis David numquam tangere & ferire potuit, quamdiu, nimirum, ipsum reperit occupatum vel regni negotijs, aut in fuga persecutionis, aut in prælio contra hostes populi Dei, unica sola excepta vice, qua quietem paulisper capere volebat, (*eo tempore quo solent reges ad bella procedere, David remansit in Jerusalem*, exponit Glossa, *otiosus*) isto ergo tempore collimans in eum jaculator infernalis retigit eum, sauciavit, præcipitemque dedit in adulterium & homicidium. Historia omnibus nota est, sumpto namque lauto prandio, somnoque delicato & suavi rantisper recreatus, ambulans in solario regiæ domus è fenestra prospexit, *vidit que mulierem se lavantem, &c.* Et hanc ob causam [ut hinc aliud detegatur mysterium] Deum supplex exorabat, ut liberaretur *ab incursu & dæmonio meridiano*; eccur à dæmonio meridiano? Fortassis serpens infernalis in nos non evomit venenum suum, aut nobis nocere & insidiari non sitagit singulis diei noctisque horis? si sic, curigitur David ab insultibus & tentamentis Sathanæ liberati petit sub meridiem? Responderi posset hora illa meridiana contigisse casum suum: *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ.* Verum & dicere possumus, quod tempus pomeridianum solemus impendere otio, ludis, jocis, murmurationibus, frequenter etiam obscœnis actibus, quibus omnibus otium una cum dæmone fomentum præbet. Annon recordamini, quo tempore nostros protoparentes in paradiso terrestri induxit ad peccandum? circa meridiem, ita colligitur ex Moyse, qui Deum refert compariusse protoparentibus nostris circa meridiem post gustatum pomum vetitum: *Ambulabat ad auram post meridiem*; ad illos igitur, esto fuerint in statu innocentiæ & originali decorati justitia: dæmon reperit aditum, quando in paradiso terrestri negligentes, ignavi & otiosi erant; tunc enim & non antea asturus serpens ausus est aggredi mulierem, & in eam venenum diabolicæ suggestionis suæ evomuit.

Ibid. v. 2.

Ps. 90. v. 6.

2. Reg. 11. 2.

Gen. 3. v. 8.

8. Causa

Isa. 14. v. 13. Lapsus Luciferi ex eo provenit quod otiosus sedere voluerit.

Dan. 7. v. 10. Job. 12. 15. Isaiæ 6. v. 2.

8. Causa pariter, cur diabolus ex empyreo præcipitatus, quænam fuit? nisi immoderatus affectus ad hoc vitium: *Sedebo in monte testamenti*; præsumebat, inquam, sedere, ubi alij Spiritus Angelici, qui Deo Creatori suo permanserunt fideles, stabant in pedes erecti, nempe: in actu operandi occupati: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Unde Tobiæ dicebat Angelus Raphaël: *Astamus ante Dominum, &c.* De Seraphinis quoque dicitur in illa visione Isaiæ: *Seraphim stabant super illud.* Deinde consideratione digna est vox illa, *testamenti*, qua alluditur ad hæreditatem ex testamento provenientem; *Sedebo in monte testamenti*, quasi inferre vellet, quod beatitudinem illam, quam appetebat, prætenderet possidere titulo hæreditatis, videlicet, sine labore, non intelligens id, quod postea dixit

Ps. 82. v. 13. Psalmista: *Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Neque caret mysterio circumstantia illa: *In lateribus Aquilonis*, quia cum in partibus Aquilonaribus & Septentrionalibus prævaleat gelu & frigus, quod manus præcipue ad operandum inhabiles efficit; ita dæmon insinuare volebat, quod manus haberet congelatas, adeoque magis ad otiandum, quam ad operandum dispositas. Hunc igitur Spiritum negligentiæ, tepiditatis, desidiæ & otij dæmon omni conatu fidelibus intimare nititur, ut suo stipendio eos militare faciat.

S. Leo. de jejun. Diabolus fideles à persecutionibus tyrannorum continebant, dæmon Christi fideles pertrahere studuerit ad otium, ad delicias, ad recreationes & voluptates corporis, per quas majora, quam per martyria & persecutiones, damna intulit Ecclesiæ: *Fremit adversarius & cruentas inimicitias ad quietas convertit insidias, & quos vincere fame, gelu, flammis ferroque non poterat, otio tabescerent.* S. Bernardus verba illa Ezechiæ regis adaptat Ecclesiæ, quando jam post persecutiones tyrannorum pace gaudebat optata: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*; ea namque pace abutebantur per nimiam peccandi licentiam & otiosam vitam. Doctrina S. Bonaventuræ est: *Porcus maxandus permittitur in quiete pinguescere, locum diabolo præparat, quia homo otiosus est quasi pulvinar diaboli.* Legitur in Collationibus Patrum, *quod operantem dæmon unus pulsat, otiosum innumeri.* Quapropter S. Hieronymus hoc monitum dabat Rustico: *Facito semper aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.*

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Otium est fomentum & incentivum tentationum, pravarumque cogitationum, præsertim vero venerearum ac immundarum.

THEMA.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus. Ezech. 16. v. 49.

Horrenda peccata Sodomitarum provenerunt ex otio.

S. Bonav. lib. 3. Theol. verit. l. 3. c. 18.

1. Inter alios scopulos, quibus alliserunt, allisique in abyssum æternæ perditionis proruere infames illæ civitates Sodoma & Gomorrha, juxta revelationem à Deo factam Prophetæ Ezechieli unus fuit otium, quod est esca & incentivum tentationum, sensualitatis, & cujusvis pessimæ malitiæ. S. Bonaventura citans authoritatem S. Bernardi ait: *Omnium tentationum sentina est otium, ipsum enim est occasio luxuriæ*, Paulo superius duas attulerat similitudines, quarum prima hæc: *In olla tepida libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt; mens otiosa tentationibus patet.* Altera similitudo sumitur ab urbe muris destituta: *Est*, inquit, *homo accessus quasi urbs absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam.*

Judæorum Sabbatha ridet diabolus quia otio illa transigunt.

Thren. 1. 7.

2. Dominus Deus in memoriam illius diei, *in quo requievit ab omni opere, quod patravit*, instituit sabbathum, ut Hebræi die illo cultui divino intenti festum operibus devotionis & pietatis sanctificarent & ab opere servili dumtaxat abstinerent; verum quia Hebraismus religionis cultusque Deo debiti habebat nauseam: aburebatur die Sabbathino indulgendo voluptatibus, deambulationibus & recreationibus corporis; quamobrem Propheta Jeremias inter sua lamenta hujus quoque mentionem faciens ait: *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha ejus. Eam* [exponit S. Bonaventura] *scilicet, Jerusalem, id est, animam; hostes, id est, dæmones*; pro cujus majori declaratione citat quoque expositionem Rabani: *Hostes videntes sabbatha derident, cum malignt spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, unaquæque enim anima, quæ remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis cor tyrannidi illicita cogitando famulatur. Sancti enim viri, qui à mundi operibus, non corpore, sed virtute sapiunt, laboriosius dormiunt qua vigilare potuerunt. Hæc Rabanus, & similiter Gregorius super illud Job: Quando solet sopor occupare homines, de desidiosis dicit, quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius in se immundæ cogitationis sentina per otium omne congerant.*

S. Bern. ibid. Medium attingendi ad vitam spiritualem est vitatio otij.

3. Job cap. 40. à Spiritu Sancto describitur dæmon sub titulo & figura monstrosæ bestiæ Behemoth, observare ubi eum exhibeat conspiciendum: *Sub umbra dormit in secreto calami & in locis humentibus, protegunt umbræ umbram ejus.* Cannæ, salices facile crescunt & vigent in aquis mortuis & stagnantibus; sic umbræ arborum, sub quibus dormitur tempore æstivo: exprimunt nobis & significant otium, pigritiam ac temporis jacturam; hisce in locis moratur dæmon vehementibus instructus tentationibus, & prævalet; homines otiosi faciunt ipsi umbram, imò eum circumdant: *Circumdabunt eum salices torrentis*, ubi Dionysius Carthusianus ait: *Per salices homines vitiosi intelliguntur, à bonis operibus steriles diabolo se adjungunt, & eum quasi circumdant.*

Job. 40. v. 17.

D. Carth. ibi.

Otium est sentina malarum cogitationum.

S. Francisc. opusc. tom. 3. orat. 17.

S. Th. de Villa in Septuag.

4. In S. Joanne Climaco hæc legimus verba: *Otiosa relaxatio exitium animæ est, & plus ipsis dæmonibus nocere solet.* Ponite in bilance ac sanctuarij pondere, librate innumerabilia & irreparabilia damna, quæ à maligni spiritus continuo recipimus, alteri deinde bilancis parti apponatur otium cum temporis jactura, hanc præponderare, ac nobis magis præjudicare invenietis; unde Gillibertus Abbas cogitationes tentationesque, quas otium nobis suggerit, vocat venenosas: *Si vacas, facile in vacuo animo cogitationes vanæ, & venenata erumpent consilia. Denique sicut habes: Agrum hominis pigri urticæ & spinæ obsident; & Evangelia tibi dicunt, quia duo erunt in lecto, unus assumetur & alter relinquetur. Quasi lectus quidam est otiosa vita, & quieta in Ecclesiæ gremio de gentium eorum, qui nullo sunt Ecclesiastici muneris onere occupati, nec providentiæ & dispensationis sollicitudine distenti, sed libero utuntur otio, sub alieno regimine. Non tamen hoc otio omnes rite & debito jure fruuntur, sed libertatem quam obtinent temporis, dant in occasionem torporis.*

Otium plus nobis nocet quam diabolus ipsemet.

S. Joan. Clim. Scholion. 26. ad gra. 26.

Gillib. Abb. ser. 12. in Cant.

5. Sanctus Bernardus octo nobis suggerit puncta, quorum suffragio spiritualem attingimus vitam, octavum hoc est: *Numquam sis otiosus, nam in desiderijs est omnis otiosus. Ama igitur scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis; nec vacet mens tua varijs perturbationibus, quæ si pectori tuo insederint, dominabuntur tui, & te ducent ad delictum maximum; semper igitur legas, aut ores, aut aliquid de sacris mediteris; multa enim mala docuit otiositas, est enim mors animæ, & vivi hominis sepultura & sentina omnium malorum.* Ex Sancto Bernardo D. Seraphicus Franciscus hoc, opinione mea, hausit oraculum: *Otium omnium malarum cogitationum sentina est; laborandum ergo, & cuique exercitandum in opere, ne otio deditus per illicita corde ac lingua vagetur.* Refert S. Thomas de Villa Nova: *Novi ego religiosam fœminam, quæ cum non haberet, quod faceret, ligna ex uno loco ad alium deferebat, ne otiosa esset, & vere omnium tentationum non solum præservatio, sed & optima medela est occupatio, ut docet experientia.* Unde S. Philippus Nerius inter alia monita & remedia specialiter suggerebat adolescentibus, ut fugerent otium, ne fordidis infestarentur tentationibus; odio enim habebat otium & otiosos, ideoque hæc & ipsi erat consuetudo, ut suos semper occuparet, utendo ipsorum opera etiam in rebus exigui momenti, & respiciendo non ad id quod faciebant, sed finem, ob quem illos occupabat; hinc frequentissime quoque absque ulla occasione & necessitate supellectilem in cubiculo suo de uno loco ad alium transferri mandavit. Prosequitur nunc discursum suum Thomas de Villa Nova, & refert ulterius: *Religiosus quidam fodiebat arenam in fervore diei, ne otiosus esset, interrogatus quid ageret; respondit: Occido illum, ne occidat me.*

S. Bern. ibid.

In Vit. S. Phil. Ner. l. 2. c. 23. n. 269.

6. Legimus in Ecclesiastico: *Servo malevolo tor-*

Cor hominis comparatur molendino. Eccli. 33. 28. Bellovac. spec. mor. p. 6. lib. 3. dist. 6.

tura & compedes ; mitte illum in operationem , ne vacet , multam enim malitiam docuit otiositas. Citat & illustrem hunc reddit textum Episcopus Bellovacensis & subdit : *Nota , quod sicut paterfamilias operarios misit in vineam suam , & quos invenit otiosos , arguens misit in vineam , Matth. 20. Sic diabolus operarios suos mittit ad opus , & occupat , & si quem in divino opere non occupatum invenerit , occupat eum in suo.* Maximum negotium, quod habet diabolus, est otium, & in hoc sequaces suos occupatos tenet; idque Bellovacensis ostendit exemplo practico : *Exemplum de Molendino, quod incessanter volvitur , in quo si frumentum immittitur ad molendum , multum fractum affert patrifamilias ; sed zizalas ejus projice in illud vel lutum ad inquinandum , vel picem ad invisciandum , vel paleas ad illud interliter occupandum , vel lapides ad frangendum. Molendinum est cor humanum , quod incessanter volvitur de una cogitatione in aliam , nec potest esse penitus otiosum , quin semper circa aliquod bonum vel malum occupetur ; quod si circa bonum sit intentum , bonum fructum Domino suo reddit ; sed diabolus invidens bono nostro immittit cogitationes inmundas ad inquietandum , vel picem , id est , amorem terrenorum , quæ sunt visces animæ ; vel paleas, id est, cogitationes vanas & frivolas saltem ad tempus perdendum, & bonum impediendum; vel lapides, id est, motus iræ & impatientiæ ad frangendum.* Tritum adagium est , quando molendinum non molit frumentum , molit aliquid pejus; idem contingit menti nostræ, quæ quando in virtutum exercitijs non est occupata , & otiosa est , immundis plerumque tunc agitatur cogitationibus, vel desiderijs & cupiditatibus honorum , divitiarum, deliciarum , aliarumque rerum terrenarum & profanarum ; nostra siquidem depravata natura semper nos trahit & inclinat ad pejus.

Luc. 11. 24. In. otiosum dæmon facilem habet ingressum.

7. *Revertar in domum meam , unde exivi.* Inde malignus spiritus cum sua confusione jam expulsus erat , in quo ergo spem suam fundabat dicendo : *Revertar in domum meam. &c.* Quibusnam nitebatur ejus redeundi intentio ? Respondetur , *Serpens erat callidior* ; sagacitate sua scibat hominem illum, à quo jam exiverat , otio esse deditum, ac fugere occupationes, & ideo facilem judicabat reditum, neque erravit : *invenit vacantem , &c.* Unde Cato dicere solebat :

Cato. *Nihil agendo homines discunt male agere.* Proverbium est : Qui bene sedet, malè cogitat, illud : *Sedebo in lacribus Aquilonis* , aperuit præcipitium ad infernum.

Otium est speciale incentivum carnalis concupiscentiæ. S. Hieron. in Eccleb. 18.

8. Verum sciendum, quod tametsi otium sit incentivum & fomentum tentationum , cogitationumque vitiosarum ac perversarum, speciali tamen ratione carnalis concupiscentiæ centrum est. S. Hieronymus explicando verba proposita Ezechielis : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ , &c. Cujus fœminarium* (fundit ille) *est fœcunditas panum , & rerum omnium abundantia , & otium , sive , ut Septuaginta transtulerunt , deliciarum, luxuriæque opulentia.* Ubi sunt divitiæ , voluptates, deliciæ , abundantia omnium bonorum terrenorum, ibi solet intervenire otium , simulque continua quædam cogitationum defideriorumque lascivorum agitatio. S. Bernardus serm. 51. *de modo bene vivendi* bene nos monet : *Luxuria cito decipit homines otio deditos ; Luxuria cito decipit hominem otiosum , decipit hominem vagantem ; luxuria gravius urit , quem otiosum invenit. Libido cedit rebus , luxuria cedit operibus ; luxuria cedit industriæ & labori.* S. Augustinus inter alia pestima venenosæ hujus plantæ germina hoc quoque refert : *Frequenter accendimur ad luxuriam.* In cujus sermonis progressu exemplum adducit de Salomone : *Salomon* , inquiens, *dum occupatus est in ædificatione templi , non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ , & deficiens , fœmina instigante ad idola , adoravit in thalamo vitulum aureum.* Prius jam allegaverat exemplum Samsonis dicens : *Samson dum cum Philisthæis pugnavit , non potuit capi ab hostibus ; sed postquam dormivit in sinu fœminæ, & otiose cum ea remansit mox captus & excæcatur ab hostibus.*

S. Bern. ser. 51. de modo bene vivendi.

S. Aug. ser. 17. ad frat.

S. Anton. p. 4. t. 4. c. 6. § 2. Prima causa destructionis castitatis est otium.

9. S. Antonini doctrina est : *Prima causa destructivæ castitatis est otium ; ubi sciendum est, quod animus hominis semper in aliquo delectari appetit ; cum autem ad opera virtutis non afficitur, in eis minime delectari potest , quia ubi non est operatio , non potest esse delectatio , cum delectatio operationem consequatur ; sicut patet per Philosophum 4. Ethic. Quapropter necesse est , ut dicit Gregorius, quod ad terrena flectatur, & in eis delectetur ; sensibilia enim cum sensibilibus offerantur , sensuales homines facilius ad sui appetitum alliciunt , maxime quando operibus virtutum non vacant. Inter omnia autem sensibilia bona , ad quæ cito animus inclinatur , sunt oblectamenta carnalia , quæ vehementer inclinant appetitum ad ea concupiscenda. Causa vero opposita cassitatis constructiva est occupatio circa aliquod opus virtutis.*

Quomodo Joseph illecta menta Dominæ suæ ad luxuriam repulerit. Gen. 39. v. 10. Ibid. v. 9.

10. Vehemens ac continua, nec umquam interrupta pugna fuit , quam habuit uxor Putipharis cum Josepho , utpote, mancipio suo : *Per singulos dies molesta erat adolescenti.* Esto in flore ætatis; eximiæque ac raræ pulcritudinis esset adolescens (quæ circumstantiæ ignem concupiscentiæ accendere & adaugere solent) attamen heroice ei restitit : *Quomodo possum hoc malum facere ?* Vultisne scire, quo fuerit usus medio ? Numquam vacavit otio : *facienti quod in se est , Deus non denegat gratiam* ; idque deducitur ex illis verbis : *Accidit , ut operis quidpiam faceret , &c.* Tritum est illud Poëtæ dictum : *Otia si tollas periere cupidinis arcus.* Pro cujus confirmatione aliam ex D. Joanne proferam historiam ; difficilis in personis lubricis ad veram pœnitentiam datur aditus , unde Oseæ cap. 5. dicitur : *Non dabunt cogitationes suas , ut revertantur ad Deum suum , quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Nihilominus mulier Samaritana prompte paruit exhortationi Salvatoris , & agnoscens culpam suam egit pœnitentiam. Desideratisne scire , quæ hujus emendationis fuerit causa impulsiva ? Constituta in paupertate laborabat , otium fugiebat , siquidem sub meridiem, quo tempore homines dormire solent, hydriam non argenteam,nec cupream,sed terrenam capiti ferens impositam extra urbem progrediebatur ad hauriendam aquam Date mihi mulierem aut virum ; qui cogitur panem suum lucrari & laborare, *otiasi tollas &c. Opificium exercebat* (ait Chrysost.) *hora vero sexta , quo tempore quieti à labore vacabant omnes , tunc illa cum hydriam arripuisset , aquam advehebat. Novebat ergo qui scibat omnia Dominus , quam horam cæteri captandæ quieti vacabant , solere ipsam advehendæ aquæ vacare.*

Joan. 4. v. 7.

Osea. 5. v. 4.

Quo medio conversa fuerit Samaritana.

D. Chrys. Hi de Samarita.

11. S. Nilus ex historia illa, quæ refertur Exod. 17. elicit moralitatem aliquam proposito nostro accommodam.Quando Moyses existens in monte manus tenebat extensas & elevatas, Israël vincebat Amalecitas, eosdj in fugam convertebat; at si incommodo & lassitudine victus manus demittebat, confortabatur hostis & vires resumebat contra populum electum ; audiamus Sancti hujus verba : *Manuum Moysis sublevatio Amalech in fugam convertit , & Monachis in rebus honestis occupatio* [adaptari potest hæc doctrina pluribus alijs] *carnis cupiditates expellit.* Pro quo S. Bernardinus adducit historiam relatam in Vitis Patrum de quodam adolescente , qui in statu religioso graviter adeò à sordidis infestabatur tentationibus,ut nullam ei indulgerent quietem:*Cum eum pervehitantem pater monasterii videret , hanc artem servari imperavit cuidam viro, at virgis atque convitijs eum insectarentur, & post irrogatam injuriam primus veniret ad quærimonam , & vocati testes pro eo loquerentur , qui fecerat injuriam.* Postquam hoc modo aliquamdiu exercitatus fuisset, petijt ab eo magister suus,qui secum nunc ageretur, num adhuc à carnalibus molestaretur tentationibus , respondit : *Vivere mihi non licet , & quomodo fornicari libet ?*

S. Nilus orato de gula. Exod. 17. v. 11. Moyses elevans manus in oratione vincebat Amalecitas.

Pulchrum exemplum.

S. Bern. Tom. serm. 20.

12. Hoc idem punctum terigit quoque B. Laur. Justinianus, cum ait : *Otiositas mater concupiscentiarum , noverca virtutum. Ipsa est, quæ virum paulum fortissimè præcipitat,in omnem reatum lascivæ , facit suffocare virtutem , nutrire libidinem , & construere gehennam.* Quæ postrema verba consideratione digna sunt, ab otio, nimirum, constructum fuisse infernum.

B. Laur. Justi. c. 5. de comm.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Otium solet esse causa & centrum omnium vitiorum , quia omne malum ab eo suam ducit originem.

THEMA.

Multam malitiam docuit otiositas. Eccli. 33. v. 29.

Otium est doctor omnis malitiæ.

1. REpræsentaturus Ecclesiasticus malignitatem otij , hanc mysterijs refertam protulit sententiam;non dixit otium esse centrum & nidum omnis mali,aut esse causam impulsivam & fomentum omnis malitiæ,sed esse illius doctorem & magistrum, ac profiteri & quasi è Cathedra docere omnem malitiam. Quando,exempli causa, insinuare volumus unum esse doctiorem altero, dicere solemus:Illius iste posset esse magister , idem dici solet ad exprimendam excellentiam unius in quacumque alia re:Iste posset esse Cathedraticus; idem videtur velle dicere Ecclesiasticus de otio, otium potest esse magister omnium aliorum vitiorum, profitetur & docet omnem malitiam : *Multam*, alij legunt, *omnem, malitiam docuit otiositas.*

S. Joan. Clim. Scholion. 26. ad grad. 26. Otium est noverca virtutum, & summa mentis malitia. S. Bern. ep. 372. in flor. Idem l. 3. de consid. c. 13.

2. In S. Joanne Climaco hæc leguntur verba , quæ & attentam merentur reflexionem : *Validum corpus , si otio & relaxationi dederis , omnem nequitiam exercebit in anima habitante in illo, & quamvis desideret bonum, tamen pauxillum post ipsum quoque boni cogitationem quam habebat , tollit ab ipso.* S. Bern. otio attribuit titulum summæ malitiæ: *Summa mentis malitia est otium.* Et dum lib. 3. de consid. scribit ad Eugenium,denominat eam virtutum novercam : *Fugienda otiositas,mater nugarum , noverca virtutum.* Otium insuper capitalis virtutum hostis est, quia virtus continet se intra suam sphæram activitatis & operationis, & naturæ nostræ, quæ nos petrahit ad vitia , superat obstacula , *virtus circa contraria versatur* ; at otium prædæ se exponit, imo omnis vitij parens est.

S. Th. de Vill. in Septuag. Ad quæ vitia ducat otium. S. Aug. ser. 17. ad frat.

3. Confirmat S. Thomas de Villa Nova in Evangelium Dom. Septuagesimæ verba illa D. Bernardi : *Noverca virtutum* ; at præmiserat : *Otium & mater vitiorum , fomitem immunditiæ , fomentum peccatorum , anima infirmi.* S. Augustinus ad eos , qui vitam agebant solitariam & eremiticam, in detestationem otij talem habuit sermonem : *Per otiositatem , rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus , per hanc, eremum sæpe exire tentamur , per hanc frequenter accendimur ad luxuriam ; per hanc animamur ad superbiam ; per hanc ducimur ad mundi gloriam ; per hanc tentamur deliciis pasci ; per hanc suffocamur pretiosè vestiri ; per hanc ad verba secularia ducimur libenter audire.* Et quidem hi erant scopuli,in quos otij causa impingebant illi,qui in claustris vivebant solitarij; verùm quam pernicioli & nocivi sunt illi scopuli , in quos incidunt otiosi viventes in mundo ? Illud tamen etiam considerandum est , quod otium in ijs quoque,qui perfectam profitentur vitam, magnam causet ruinam & perniciem; unde idem S. Doctor prosequitur : *Hæc est illa vitiositas pessima , quæ frequenter Sanctorum conventus destruit patriens in eis luxuriam , nutriens in eis gulam , seminans in eos vanitatem,generans inter eos homicidia, & omnia quæ sunt opera carnis.*

Otium assimilatur sentinæ navis. D. Carth. in Prov. 12. v. 11.

Continuatio ejusdem. D. Carth. in Eccle. 1. v. 7. Ps. 72. v. 5.

4. *Multam malitiam docuit otiositas.* Dion. Carth. exponens hæc verba Eccl. subdit : *Multorum virorum occasio , nutrix, minutra est otiositas* ; idque probat ijs Psalmi versibus : *In labore hominum non sunt , ideo tenuit eos superbia , operti sunt iniquitate & impietate sua, prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum , transierunt in affectum cordis,cogitaverunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt , posuerunt in cœlum os suum.* Audieris sæpe frequenter homines otiosos, qui in circulis & congressu aliorum hominum non detrahunt dumtaxat famæ proximorum suorum idque magno cum eorum præjudicio ; sed adeo etiam protervi sunt & temerarij , ut in cœlum ponant os suum, non obstante prohibitione jam facta : *Nolite tangere Christos meos & in Prophetis meis nolite malignari.* Et qui fuerunt illi , qui in cœlum & in Deum evomuere blasphemias suas , quasi Deus nullam nostri gereret curam , nec quidquam de his, quæ sub cœlo aguntur, cogitaret : *Nec nostra considerat & circa cardines cæli perambulat ?* Otiosus est,cui Spiritus S. attribuit titulum stultissimi : *Qui sectatur otium stultissimus est.* Hic otiosus hæresis illius, aut , ut melius dicam, illius atheismi author fuit , quod non esset Deus ; *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

1. Par. 16. 22. Job. 22. v. 14. Prov. 12. 11. Ps. 13. v. 1.

5. Idem Carthus. in cap. 12. Proverb. scripsit : *Multam malitiam docuit otiositas ; ex eo namque sequuntur distractio cordis , concupiscentiæ motus , inordinata affectio , loquacitas , tædium boni, torpor, lascivia.* S. Antonin.appositam adfert similitudinem ex D. Bernardo depromptam , qua exprimit multorum malorum congeriem ex otio redundantem , assimilat,nimirum, otium navis sentinæ : *Ex otio* , inquit, *sequitur multiplex malum peccatorum* ; & post pauca : *Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina est otium : Sicut sentina in navibus recipit omnes sordes corporalium , ita mens otiosi omnes sordes vitiorum.*

D. Carth. in Prov. 12. v. 11. S. Anton. P. 2. som. 9. c. 14. §. 3.

6. Nullum est dubium, quin in fine mundi , quo tempore Antichristus venturus est , humana malignitas summum suum attinget gradum : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas.* Hoc suppositò notandum est , otium ad exprimendam multiplicitatem peccatorum vitiorumque,quæ ex eodem redundabunt, hoc eodem frigiditatis delcribi nomine : *Contrahit hominem,& impedit à motu bonorum operum*(ait S. Antoninus) *sicut frigidam cisternam facit aquam, sic frigidam facit malitia animam suam ; unde Christus de ultimo tempore ait , quoniam abundavit iniquitas , refrigescet charitas multorum , ex hoc efficiuntur homines pigri ad bene operandum, unde in Proverb. propter frigus piger arare noluit , ideò mendicabit æstate, è contra amor Dei numquam est otiosus.*

Otium reddit hominem frigidum ad bene operandum. Matt. 24. 12. Idem. ibid. c. 14. §. 5.

7. De oratione Dominica scribit Tertullianus , quod sit *totius Evangelij Breviarium*; & de otio scribit Jeremias Drexelius , quod sit *omnium vitiorum Breviarium.* Ad otium, veluti ad centrum lineæ, cuncta, quotquot sunt , reducuntur vitia. Breviarium est epitome Sacræ Scripturæ tam Novi,quam Vet Testamenti , doctrinæ sacrorum Doctorum, vitæ Sanctorum constitutionum, rituum , & ceremoniarum Ecclesiasticarum; eadem proportione idem de otio dici posse videtur , est epitome sive compendium omnium malorum, quibus præsens hæc abundat vita : *Omnem malitiam docuit otiositas.* In vita S. Ignatij à Malpheo compósita leguntur : *Otium omnium vitiorum fomitem ac seminarium in primis oderat ; itaque dies tres ve rei familiaris adjutores , cum ad januam alieno tempore confabulantes è superiori loco aspexisset, illico jussit acervum lapidum in proximo situm in summum ædium contignationem sive constructione transferrent. Eosdem tertio post mense , cum ibidem iterum quæstus animadvertisset , illum ipsum lapidum congeriem ut in eumdem locum referrent , unde asportaverant, imperavit, amicè insuper admonens , nihil in Dei famulatu periculosius esse desidia.*

Otium est Breviarium omnium vitiorum. Tert. Jerem. Drex.

Vit. S. Ignat. l. 3. c. 6.

8. Luc. 11. & Matth. 12. fit mentio parabolæ de spiritu illo immundo, qui ab homine ejectus,mira arte & industria ad eumdem redire studuit, & quidem aditum (veluti ex superioribus patet discursibus) paravit ei otium & negligentia infœlicis illius hominis : *Invenit vacantem* , nostrum jam est examinare mysterium illud,cur cœlestis magister de spiritu illo immundo dixerit : *Tunc vadit,& assumit septem alios spiritus secum nequiores se,& ingressi habitant ibi , & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Fortassis immundus ille spiritus non erat pessimus ? Quid opus erat ipsum redire comitantibus septem alijs pejoribus , ut sic animam illam majori adimpleret malitia , *pejora prioribus ? Omnia in Sapientia* ; summam & immensam malignitatem, quæ ex otio contrahitur , Christus Dominus nobis indicare voluit, prius nulla otiositatis facta erat mentio , sed postquam dixit : *Veniens invenit eum vacantem , tunc vadit, & assumit, &c.* ut intelligamus, quod otium præbeat aditum dæmonibus majoris malignitatis , & vitijs majoris malitiæ : *Omnem malitiam &c. Assumit nequiores* , quod exponit Glossa dicens : *Quia non modo habet vitia , sed bona simulat, tanto nequiores , quanto callidiores* ; Septem sunt ad denotanda septem vitia capitalia , quorum nidus & cervix est anima otio dedita. Ad hanc materiam spectat doctrina S. Chrysostomi asserentis : *Qui est otiosus , multa magis temerè loquitur, & multa agit temere, & tota die nihil operatur , multo verbo & torpore repletus.* Experientia commonstrat otiosis esse malas linguas,linguæque laxare habenas ad quamlibet temeratam loquacitatem;hoc idem de lingua, quod de otio,verificari & dici potest: *multam malitiam docuit* ; in illius siquidem detestationem ait S. Jacob : *Universitas iniquitatis*

Matt. 12. 44. Gloss. ibid. D. Chrys. Hom. 5. in Ep. 1. ad Cor. circa fin. Jacob. 3. v. 6.

9. Matth. cap. 23. comminatoria illa refertur sententia Christi Salvatoris nostri : *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ quia similes estis sepulchris dealbatis.* Sepulchra forinsecus mundissimo marmore & auro incrustata sunt , magnificis inscriptionibus incisis exornata, & pretiosis statuis condecorata; ac intrinsecus repleta cinericus, ossibus, vermibus & bufonibus. Audite S. Augustinum, qualem otiosis attribuat titulum : *Quid est enim*, inquit, *otium, nisi vivi hominis sepulcrum ?* Extrinsecus existimatis jucundam , festivam beatamque eorum vitam , dum affluunt & indulgent corporis voluptatibus & deliciis, attendunt ludis , jocis & convivijs ; at reipsa intus à verme conscientiæ, ab innumerabilibus curis & anxietatibus mordentur & corroduntur : *Contritio & infelicitas in vijs eorum* ; ab inordinatis molestantur appetitibus & desiderijs ;

Matt. 23. 27. Otium comparatur sepulchro mortuorum. S. Aug. ser. 107.

Jussisti Domine, & sic est, dicebat S. Augustinus, *ut omnis sibi pœna sit inordinatus amor.* S. Cyrillus de otio quoque scribit: *Procella vitiositatis involvitur animus otiosus.* In capitis hujus progressu legitur: *Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam.*

S. Cyrill. l. 1. Apol. mor. c. 14.

Somno. *Job. 4. v. 13.*

10. Job cap. 4. legimus: *Quando solet sopor occupare homines, pavor*, inquit, *tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* Somnus est figura otij; unde S. Gregor. text. hunc exponit dicens: *Sunt nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore non studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt, quibus nimirum contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie per Prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur: Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha ejus.* Timor & tremor excessivi frigoris effectus esse solet; voluit ergo S. Propheta Job inferre, quod pigritia, negligentia, & otium nobis in die judicij tremorem incutient, quia *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas.*

S. Greg. l. 1. mor. c. 22.

Matt. 24. 12.

Aquæ paludosæ.

11. Praxis & experientia docet aquas paludosas & stagnantes non solum marcescere & putrefieri, ac proinde generare vermes, rubetas aliaque nociva animalia, verum etiam vicinum inficere aërem: Non absimilem in otiosis causari effectum asserere possemus; siquidem non solum in seipsis replentur vitijs, pravis moribus, venenosis peccatorum vermibus & remorsibus; verùm etiam pessimum eorum exemplum ad alios transfunditur, sicque inficiunt illos quibuscum conversantur. *Aqua limpidissima si stagnatur & immobilis torpet* (S. Thomas de Villa Nova) *statim putrescit & corrumpitur, & malè olet; & generat algas, & immunditias, & culices, & venenata animalia. Sic anima otiosa putrescit, & generat turpes cogitationes, & appetitus, & mille malitias & nequitias ex mala inclinatione naturæ, ut agnoscamus quales sumus, quod oportet nos occupari, ne putrefiamus.* Populus electus quamdiu laboribus in Ægypto oppressus, & coactus fuit in deserto gestare arma, ut ad ingressum in terram Chanaan viam sibi aperiret, non legitur adorasse Deos alienos; verum quando longo tempore castra metatus fuit, & Moyses ascendit in montem Sinai, tunc *sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* In hoc otio cogitarunt & machinati sunt fabricare & fundere falsa simulachra ad imitationem paganorum, quapropter tumultuati sunt, facti rebelles Aaroni, eumque constrinxerunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Quod vero otium extiterit lapis offensionis & præcipitij hujus, ostenditur ex verbis sacri textus: *Videns autem Moyses populum, quod esset nudatus*, ubi Chaldæus legit; *otiosus.*

Hebræi in deserto otiantes lapsi sunt in idololatriam.

Exod. 32. 6.

Ibid. v. 1.

Ibid. v. 25.

12. Angelicus Doctor S. Thomas discurrendo de Behemoth, per quem intelligitur dæmon cinctus salicibus, quæ sunt plantæ steriles, & crescunt in aquis stagnantibus, ait: *Per quod designatur, quod gladius diaboli non solum effectum habet in montibus, id est, in superbis, sed etiam in hominibus, qui in otio quasi in umbra vivunt, quam ipsi multipliciter continuare procurant.* Ludi vitiosi author extitit dæmon eum in finem, ut eo nos occuparet in terendo tempore, quod Deus nobis assignavit ad vitam æternam bonis operibus obtinendam & lucrandam. Audiamus Basilium Magnum auditoribus suis annunciantem verbum Dei, sic inter alia illos alloquebatur: *Si vos dimisero, & concilium hoc dissolvero, sunt qui protinus ad tesseras aliasque sese conferent. Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentium, insaniamque accendens.* Quis non afferet infinita mala, quæ ex ludis proveniunt, generari ac oriri ab otio? Sub prætextu fallendi tempus licitos facimus ludos, non reflectentes nos, quod propter deordinationem, qua illos prosequimur, in millena degenerent mala. Qua de re audiamus Clementem Alexandrin. in suo Pædagogo: *Jam verò prohibendus quoque est tesserarum ludus, & præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur, talia enim inconsideratus luxuriæ amor otiosis oblectamenta suppeditat, in causa enim est desidias.*

Vitiosi ludi provenerunt ex otio.

S. Basil. M. H. 8. in Hexam.

S. Cyr. Alex. Pædag. l. 3.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Bono publico otium valde damnosum & perniciosum est, ut propterea ab omni regimine bene ordinato meritò exterminentur otiosi.

THEMA.

Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20. v. 6.

1. IN parabola operariorum, quos Paterfamilias ad colendam & fodiendam vineam miserat, reprehensi fuerunt otio dediti, negligentia & torpore languentes: *Invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* Quamvis horum non indigeret opera, sciens exiguum, nocte jam ingruente, superesse tempus exercendi laboris, nihilominus ab otio eos eximere voluit dicens: *Ite & vos in vineam meam.* Optime siquidem noverat, quantum emolumentum non solum bono publico, verum etiam privato conferat occupatio & fuga otiositatis & desidiæ. In antiquis historijs Rom. Reipublicæ, & quidem pluribus in locis legitur, quantum Romani habuerint curam & solicitudinem in expellendis illis vagabundis otio deditis; hunc eumdem stylum & modum servant Principes & magnates, qui subjecti sibi populi bono regimini attendunt. Annon recordamini, quando Jacob Patriarcha numerosa sua stipatus familia transijt in Ægypti regnum, quod tempore illo gubernabatur à filio suo Joseph? Sed cur patrem & fratres suos non retinuit penes se in aula regia, ubi authoritatis suæ ac magnificentiæ fructibus gaudere & inter regales delicias vivere potuissent? Observate Regem confessum fuisse, nullum ad regimen aptiorem esse ipso Josepho; sciebat ergo quoq; consanguineos ejus magnum incurrere perversionis periculum, si illos in aula retinuisset otiosos, ac propterea misit illos in Gessen, ut ibid. occuparentur in pascendis gregibus: *Providit illis terram aptam nutriendis pecoribus*, scribit Lippom. Ubi in mentem quoque revocate, quod quando post mortem Josephi tempore alterius regis athei populus Hebræus in magnam jam excreverat multitudinem, & jussu Dei ex Ægypto migraturus in desertum ad offerendum sacrificium, à rege petijsset licentiam; responsum fuit; *Vacatis otio, & idcirco dicitis, eamus ut sacrificemus Deo nostro.* Videtur igitur otium aliquid desiderabile, utpote, cum sit causa movens & impellens ad reddendum Deo cultum debitum; at respondetur Pharaonem non habuisse veram fidem unius & veri Dei, quem adorabat Hebraismus, veluti jam se declaraverat: *Nescio Dominum*, Imò odio illum habebat, & quia populi istius timebat rebellionem vel seditionem, judicabat illum nonnisi fuga otij frænari & domari posse; unde tametsi ipsum labore prius angariaverit, postea tamen duplicatum illi, imposuit laborem: *Opprimantur laboribus.* Ratio est, quia pullus equi lassus & fatigatus non recalcitrat, sed totus obediens & modestus permittit se duci quocumque volumus.

Otium damnosum bono publico prorsus profugiendum est.

Matth. 20. 7.

Lippom. ibid.

2. Æneas Sylvius lib. 4. Commentariorum, quos scripsit de symbolis Regis Alphonsi, refert: Sigismundus Imperator cum ignarus ac otiosus homo fœneratores eos nomine plurimùm laudasset, quod dormientes etiam pararent ex rebus lucrum; at tu, inquit, Imperator, vigilando omnia consumis. Sic eum reprehendit, quia toto tempore rebus ludicris vacabat negligens regni regimen; unde oriebatur, quod & subditi ad illius imitationem vacarent otio, & consequenter omni vitio. S. Carolus magna premebatur cura, ut diœcesin suam benè dirigeret, unde Concionatoribus speciale injunxit mandatum, ut studerent extirpando otio, ac pigros & negligentes acriter reprehenderent. In Concilio provinciali primo hanc ordinationem legitur datam fuisse Episcopis suæ provinciæ: *Maximè verò efficiant, ut bonis actibus, vel instituendis, vel renovandis, otia, quantum fieri poterit, è civitatibus tollantur.* In instructione prædicatoribus intimavit: *Multorum otiosam vitam ac voluptuariam ita facilè peccatis expositam, reprehendent quàm sæpissimè.*

Sigismundus Imperator hominem ignavum acutè reprehendit.

Act. Eccle. Med. fol. 484.

3. Dionys. Alicarnass. de Tarquinio scribit: *Tarquinius operibus publicis plebem occupans æstimabat nihil monarcharum potentiæ periculosius, quàm si prava & egena civium turba sineretur in otio vivere.* Plato lib. 8. de Republica de otiosis hæc posteritati reliquit: *In quacumque fuerint civitate, eam turbant; quemadmodum pituita & bilis corpus. Quos oportet bonum medicum*

Plebs otiosa est civitati periculosa & perniciosa.

Dionys. Alic. l. 4. c. 5.

Plato l. 8. de Repub.

dicum & legum fundatorem, non minus quam solertem apum cultorem eminus præcavere; primum quidem, ne otiantur in civitate, ac si otiantur, ut cum ipsis fucis protinus excidantur. In vita Catonis descripta à Plutarcho legimus, Scipionem Nasicam, quando audivit post debellatam ac subjugatam Græciam, destructamque Carthaginem, Rempublicam Roman. prosperum habituram successum, respondisse: *Imo nunc summo sumus in periculo, postquam non supersunt, quos timeamus.* Et ita factum est, quia quando se tradiderunt otio, civilia suscitata fuerunt bella; quæ Reipublicæ libertatem destruxerunt. Cujus mentionem faciens S. Augustin. ait: *Unde & Nasica ille ad reprimendam nequitiam, servandosque istos mores optimos, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti.* Refert quoque Valerius Maximus de Q. Metello: *Q. Metelli, tum gravis, tum etiam alta in senatu sententia, qui devicta Carthagine nescire se illa victoria, boni ne plus aut mali Reipublicæ attulisset, asseveravit, quoniam, ut pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem submovendo nonnihil nocuisset. Ejus enim transitu in Italiam dormientem populi Romani virtutem excitam dicebat, metuique debere, ne acri æmulo liberata in eumdem somnum resolveretur. In æquo igitur malorum posuit, uri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, prisci roboris hebetari nervos.*

Plutarch. in vita Catonis.

S. Aug. l. 1. de civ. Dei c. 18.

Valer. Max. lib. 7. c. 1.

4. Sæpe Deus omnipotentiam suam ostendit & manifestavit in profligandis hostibus populi electi, ut constat ex pluribus S. Scripturæ locis, præsertim Deuter. 2. *Surgite & transite torrentem Arnon, ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum & terram ejus incipe possidere, & committe adversus eum prælium. Hodie incipiam immittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo, ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Quando Pharaonem misit in profundum maris rubri, dixit Moyses populo: *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Cecinit Psalmista: *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* Quòd si verum hoc, uti verissimum & infallibile est, cur Deus ita disposuit, ut populus suus electus pedetentim sive, ut dici solet, per palmum acquireret & lucraretur Palæsthinam? Audiamus Josephum Hebræum: *Videns Hebræos otio & egestate facilè adduci posse, ut pristinos tumultus & seditiones renovarent, occasionem illis adimere volens, consuluit Deum, an bellare permitteret.* Ex quo deducitur Hebræos otio valde deditos fuisse, ideoque Deum voluisse illis injungere laborem. Quamvis postea post longum tempus invaserint & occupaverint terram illam, nihilominus Dei ordinatione reservati fuerunt nonnulli principes vicini & inimici, quos nondum vicerant, ut sic bello occuparentur & otio non languerent.

Judæi jubentur pugnare contra regem Sehon, ne torpescerent otio.

Deut. 2. v. 24.

Ibid. v. 25.

Exod. 14. 14.

Ps. 23. v. 1.

Joseph Hebr. l. 4. antiq. c. 4.

5. Ex omnibus totius mundi populis hunc Deus selegerat, ut verum ei agnitionis suæ daret lumen, eumq; dirigeret in viam salutis æternæ: *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Quod dico, quia Propheta Isaias, per antonomasiam dictus Evangelicus, cum cap. 9. describit ac prædicit admirabiles effectus circa adventum Messiæ, ait: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Econtra S. Matthæus cap. 4. 16. referens hunc textum legit: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Magnum est discrimen inter sedere & ambulare; cur igitur Isaias dixit: *Ambulabat*; & Evangelista ait: *Sedebat*, cum utriusque penna ab eodem Spiritu sancto dirigeretur? Certum est utrumque textum non posse intelligi secundùm literam, nimirùm, quod hic populus aut ambularet, aut sederet, sed esse phrases diversas ad denotandos varios effectus. Et quidem Isaias dicendo *ambulabat*, dicere volebat, magnum faciebat progressum in peccato figurato per tenebras; etenim *qui malè agit, odit lucem*, populus verò iste postea illuminatus fuit; quando Christus descendit in terram, tunc enim tenebræ multorum errorum sublatæ fuerunt. Porrò S. Matthæus ait *sedebat*, ut verbo isto exprimeret otiositatem, cui populus ille deditus erat, in cujus remedium (quemadmodum supra in alio discursu notatum fuit ex sententia Abulensis in præfat. in Levit.) Deus mediante Moyse populo huic immensam ac innumerabilem præscripsit molem præceptorum, rituum, ceremoniarum, & legum, quas observaret.

Judæi valde addicti fuerunt otio.

Ps. 75. v. 2.

Ps. 147. 20.

Isaiæ. 9. 2.

Matth. 4. 16.

Joan. 3. 20.

6. Pigrum & otiosum nonnulli assimilarunt fluxui & refluxui maris quæ similitudo consistit in hoc, quod licet mare agitetur & commoveatur, numquam tamen deserat lectum suum, esto etiam deficiat & crescat: Sic homo negligens & otiosus quamvis extrinsecus operans appareat, semper tamen respicit quietem, & fugam laboris appetit: *Vult & non vult piger; sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.* Asserunt naturæ interpretes, quod si mare non agitaretur à ventis, neque occuparetur in continuo fluxu & reflexu [*mare fervens quod quiescere non potest*] aër corruptionis subiret periculum; ad eumdem modum dicere possumus de mari, cui assimilatur hæc vita nostra: *Hoc mare magnum & spatiosum*, nisi esset agitatio & motus laboris, sudoris, negotiorum, occupationum, si otio marcesceret, pessimis corrumperetur moribus.

Pigri & otiosi assimilantur fluxui & refluxui maris.

Prov. 13. 4.

Isaiæ 57. 20.

Ps. 103. 25.

7. Quando Argivi otiosum aliquem conspiciebant, coram Magistratu ipsum urgebant ad reddendam rationem, quo modo victum sibi compararet; Laertius refert Solonem promulgasse legem, qua cuilibet concedebatur licentia accusandi otiosum, eò quod omnibus esset scandalum. Pœna statuta pro otioso condemnato juxta legem Dragonis erat perdere vitam, æquitati enim consonum videbatur, ut ille tamquam planta sterilis & infructuosa è mundo eradicaretur. Antiquitus in Republica Hebræa nobilissimi etiam & ditissimi, ut fugerent otium, labori se applicabant; unde Nicodemus princeps Synagogæ, qui corpus Salvatoris nostri solvit & deposuit de cruce, sculptor erat, etenim manibus suis incidit & exsculpsit faciem sanctam Domini, quæ inæstimabilis instar thesauri conservatur in Luca patria mea. Inter Helvetos Catholicos ea pariter viget consuetudo, ut nobiles exerceant aliquam artem; & ex his Romam veniunt Legati, ut sanctæ sedi præstent obedientiam.

Adducuntur Ethnicorum leges latæ & pœnæ in otiosos.

8. S. Antoninus adducit authoritatem S. Thaddæi Apostoli in sua Epistola Canonica: *Dicit Judas de talibus otiosis, quod sunt arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ. Arbor in autumno plantata, si parum fructum facit, tardè facit; sic otiosi aliquid boni faciunt, & illud volunt facere in fine, quando parum, vel nihil faciunt; & sic sunt bis mortui, quia hic morte peccati, & postea morte inferni.* Tales valde nocent Reipublicæ, quia alijs malo suo exemplo dant audaciam dissolutè vivendi, & nihil boni operandi præsumentes conversionem vitæ in fine. Paulò ante idem S. Antoninus notaverat deordinationem otiosi, qua transgreditur præceptum à principio toti humano generi intimatum, citans authoritatem S. Pauli 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet; & merito, quia dictum fuit primo parenti in persona omnium: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Invenitur etiam à cunctis alijs creaturis discordans, nam omnis creatura aliquo modo operatur secundùm modum suum, nulla est otiosa.*

Otiosi sunt arbores bis mortuæ.

S. Anton. P. 2. t. 9. c. 14. §. 1.

2. Thessal. 3. 10.

9. Inquirunt nonnulli sacri Interpretes causam, cur supremus & divinus artifex, cui meritò dicendum: *Bene omnia fecit*; tardaverit in quartum usque diem producere nobilissimas illas creaturas, nempe, luminare majus & minus, luce jam creata primo die? Respondet Severianus allegatus in catena: *Quia nondum erant terræ nascentia, quæ luminarium calore foverentur.* Noluit Deus creaturas præsertim utiliores, ne uno quidem momento, esse sine opere; cum odio habeat otium; quia igitur nondum creaverat herbas, plantas; neque dilataverat maria, neque terram discooperuerat, ideò etiam benefici illi influxus luminarium in hæc sublunaria nondum necessarij erant.

Cur Deus distulerit creationem solis & lunæ in quartam diem.

Severian. in cate.

10. Efficax argumentum est, quod deduci potest ex S. Bernardo, qui causam & culpam lapsus regis Salomonis, qui sapientissimus & prudentissimus fuit totius mundi in regimine politico, attribuit otio; tametsi namque prudentia omnes superaverit, ab otio tamen seductus fuit. In libro de vita S. Bernardi legitur: *Ostendit vir Sanctus Salomonem peccasse in otio, & abusum dono pacis defluxisse in vitia, cum David pater ejus Absalone filio persequente, & universo Israële adversum eum animato permansisset in gratia.* Ostendit verò idipsum sermone 51. de modo bene vivendi: *Salomon*, inquiens; *per otium semetipsum involvit in multis fornicationibus, & adoravit idola.*

Salomon propter otium lapsus fuit in gravissima peccata.

Vit. S. Bern. lib. 2. circa finem.

S. Bern. ser. 51. de modo bene vivendi.

Ps. 144. 16.

11. Potuisset Salvator noster, de quo scriptum est: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, sæpius multiplicare panes, & satiare populum, ut hic etiam frequentius auscultasset ejus prædicationem; bina nihilominùs dumtaxat vice hoc patravit miraculum; imò advertendum, quod cum turba jam saturata vellet Christum eligere in regem ipse se absconderit;

Quare Christus multiplicatis bis panibus se absconderit cum illum vellent eligere in Regem.

sconderit ; turbam illam in tali credo fuisse persuasione , taliterque mihi persuadeo secum ratiocinatam fuisse : Christus sua benedictione potuit mulplicare paucos panes & pisces , indeque abundantissimè nos sustentare ; idem poterit & noverit operari in vestimentis , in panno & lino , quibus nos vestiamur: *Habentes alimenta; & quibus tegamur , his contenti simus* , absque eo quod laboremus , nos igitur ipsum sequemur , nec quidquam nobis deerit ; credere possumus, quod cum turba esset in tali opinione & persuasione, Christus Dominus, refutando regnum,ab eis secesserit in montem : *Fugit in montem*; optimè namque sciebat , quantum detrimentum reipublicæ bene ordinatæ conferat otium; imò, ut bene observat S. Ambrosius , *gratiæ cælestis impartitur alimentum , sed quibus impartiatur adverte , non otiosis , non in civitate quasi in Synagoga vel sæculari dignitate residentibus ; sed inter deserta quærentibus Christum* ; qui se fatigarunt tribus diebus sequentes Salvatorem.

1.Tim.6.8. — Joan. 6. 15. — S.Ambr. l.6. in Luc.9.

11. *Quid hic statis tota die otiosi* ? Ubi notanda est vox illa , *hic* , quam bene observavit S.Antoninus in hunc locum dicens : *Otiositas valdè reprehenditur , præcipuè tempore gratiæ, unde & specialiter fuit dictum his , qui ad undecimam horam vocati sunt ad colendam vineam, designantes eos qui pertinent ad Novum Testamentum ; quid hic statis tota die otiosi ? Nec enim decet servum aut discipulum otiari , Domino & magistro suo laborante usque ad mortem. Christus enim Dei filius , Dominus & magister laboravit pro nobis ; laboravit sustinens, ut ipse per Isaiam cap. 1. discurrebat enim per civitates & castella prædicans & curans infirmos ; fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem , & ne in illa refocillatione esset otiosus mulierem Samaritanam instruxit & illuminavit. Quid hic statis &c. Quid ? cum habetis* (verba sunt Hugonis Cardinalis) *conductores, collaboratores , temporis opportunitatem , laboris suavitatem , mercedis saturitatem* ? Cunctis hisce donis & prærogativis gaudemus in lege Evangelica. Bellovacensis S. Bernardi instructus authoritate proposito nostro conformiter ait : *Quæ est hæc fatuitas , inter frendentium utique hostium fulgurantes hastas circumvolitantia spicula adversario arma projicere ? Quid ignaviæ est , socijs in sanguine & cæde versantibus , vos autem cibos diligitis delicatos , aut somnos capitis matutinos ? Alijs, inquam, nocte & die cura pervigili festinantibus redimere tempus , quoniam dies mali sunt ; vos è converso longas noctes dormiendo consumitis , & breves dies fabulando ducitis otiosos ?* Libertas, cum sit scopulus omnis licentiæ ac dissolutionis , est partus otiositatis. *Socrates dicebat sororem libertatis esse pigritiam , testesque hujus rei fortissimos, maximèque libertatis populos adducebat Indos & Persas , qui utrique segnissimi essent ad laborandum.* De Lacedæmonijs legitur in Æliano : *Temporis parsimoniam magnopere putaverant habendam , impendentes in quævis obvia negotia , neque cuiquam civium permittentes , ut vel in otio, vel in ludicris illud consumerent.*

S. Antonin. p.2.t.9.c.14. — Exemplo Christi otium est fugiendum. — Hug.Card. in hunc loc. — Bellov.spec. mor. lib. 3. p.6.dist.3. — Lib. 10. — Ælian. lib.2.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Otiosus sibiipsi omnium bonorum tam spiritualium , quàm temporalium creat penuriam , gravamen & molestiam, nec non vitæ abbreviationem.

THEMA.

Qui operatur terram suam , satiabitur panibus ; qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Prov. 28. v. 19.

Homo piger & otiosus plerumque laborat penuria & paupertate.

1. PRæter damna illa,quæ resultant ex otio,& hucusque tetigimus,illud etiam consideratione dignum est & practicum , nempe quod homo piger & otiosus laboret penuria & paupertate. Cap.24. jam asseruerat idem Salomon : *Per agrum hominis pigri transivi , & per vineam viri stulti, Et ecce totum repleverant urticæ & operuerant superficiem ejus spinæ.* Si ager , si vinea illius , qui otiatur , & non colit illam, nonnisi urticas & spinas producit, consequenter ad paupertatem redigatur , ac penuria moriatur, necesse est : *Replebitur egestate.* Unde cap. 6. idem Sapiens nobis inclamat : *Usquequo piger dormies ? Quando consurges è somno tuo ? Paululum dormies , paululum dormitabis , paululum conseres manus, ut dormias , Et veniet tibi quasi viator,egestas, & pauperies. Alludit ei* (sic exponit Hugo Cardinalis) *qui solet respondere piger dormiens , cum excitatur : Dimitte me dormire paululum , & postea surgam.* Qui dormiunt somnum suum,& pigrescunt, plerumque angustiantur & affliguntur paupertate ; quare Rabanus præfata Sapientis verba exponit dicens : *Sive terram agri , sive corpusculi , qui exercet , saturabitur , ille frumento, iste virtutibus; qui utraque spernit, replebitur egestate.*

Prov.24. 30. — Ibid.v.35. — Prov.6.v.9. — Ibid.v.10. — Ibid.v.11. — Hug.Card.in hunc loc. — Raban.l.3.in Prov.26.

2. Stobæus serm. 30. scribit : *Homo sanus otiosus quam febricitans multò miserior est.* Ratio esse potest, quia febricitans vitæ corporalis dumtaxat exponitur periculo;at otiosus in evidenti quoq; versatur periculo vitæ spiritualis, quia otium habet annexum vitium, & præter hoc plerumq; miseriam & paupertatem; *Multa vir otiosus vana spe ductus* (sic prosequitur idem author) *dum eget victu , mala secum ipse meditatur.* Inter alia mala & damna otij hoc quoque enumerat S.Cyrillus dicens; *Egestatem operatur manus remissa.* In memoriam nobis quoque revocat, quod legitur Exod. c. 16. *Sabbatizante Israële cælum non pluebat manna ; quin & aqua putrescit immobilis , & immotus ensis rubigine mox sordescit ; pes quietus obstupescit; & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. Econtra cælum ; continuè currit , cor dum vivit , numquam quiescit ; naturalis virtus non dormit.* Cœlum non desinit benignos influxus suos transmittere in terram; at quæ hujus utilitas, si campos & agros non reperiat cultos & semine instructos , quod inde emolumentum, si nonnisi spinas & urticas in eis inveniat ? Frumento non adimplebitur granarium , spinas & urticas dumtaxat colligemus pro alimento ignis.

Stob.ser. 30. — Homo sanus otiosus , miserior est febricitante. — S.Cyrill. l. 1. Apol. mor. c. 14. — Exod. 16.

3. Eccli. c. 40. hoc refertur documentum : *Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas.* Vellem intelligere & scire , qua ratione & modo executioni mandari possit hoc consilium, eo ipso,quo præsens vita, sive divitum, sive pauperum dependet à divina providentia. Audiamus Lyrani expositionem : *In tempore vitæ tuæ* , inquit, *id est, tempore vitæ præsentis; tibi concessæ ad bene operandum ne indigeas, id est, ne sis otiosus, quia ad otium sequitur spiritualis & temporalis egestas.* Prosequitur Ecclesiasticus : *Melius est enim mori , quàm indigere*,nimirum,ut explicat idem Lyranus, *melius est enim mori corporaliter, quàm indigere , id est , otiosum esse , per quod quis moritur spiritualiter. Multam malitiam docuit otiositas; & aliquando corporaliter, quia frequenter homo per otium convertitur ad latrocinium , propter quod suspenditur.*

Eccli. 40. 29. — Tempus hujus vitæ operationi impendendum est. — Lyran. in hunc loc. — Ibid.

4. Ad proscribendum otium accedit aliud motivum potentissimum , nempe, quod non solum nobis non sit sublevamini, sed magno sit gravamini. Sedulij propositio hæc est : *Otium fons inquietudinis* ; quod ait commentando in Epist. 2. Pauli ad Thessalon. ubi legitur : *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi , ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè , & non secundùm traditionem , quam acceperunt à nobis.* Fratres appellabantur in illo sæculo novelli Christiani,quomodo igitur ambulabant inordinatè ? Fortè propter non observantiam sive transgressionem legum Evangelicarum ? Propter abusum bonorum temporalium ? Propter irreverentiam erga loca sacra ? Dando alijs mala exempla & scandala ? Nullum horum dixit Apostolus ; sed solum tetigit otiosos : *Ipsi enim scitis , quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos.* Per hanc inquietudinem intelligit turbationem & malas illas consequentias,quas otiosi civitatibus bene ordinatis adferre solent, etenim solent esse inquieti, avidi novitatis , & machinati omne malum. Prætterquam etiam voce illa,*inquieti*,intelligi possit inquietudo illa,quam probat & experitur otiosus in seipso:*Vult & non vult piger.* Semen illud, quod cecidit inter spinas,non in terram excultam, veluti legitur in parabola de semine, denotabat malitiam otij, è quo producuntur urticæ & spinæ anxietatis , inquietudinum & solicitudinum : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui ... à solicitudinibus ... suffocantur.* Dives ille Evangelicus quo tempore se otio dare constituerat. *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos , requiesce , comede , bibe , epulare.* Eodem tempore in seipso talem tamque molestam experiebatur inquietudinem, ut dormire nequiverit ; unde mera in aëre fabricabat castella , & granaria sua demoliri pensitabat. Quod D. Chrysostomus cuidam avaro prædicavit, id otioso non incongrue applicare possumus : *Si intueri volueris animam hominis aurum amantis* (otium amantis, dicamus nos) *invenies eam ut vestimentum à decem millibus vermium corrosum ita eam perforatam utique à solicitudinibus.* Verum S. Ambrosius ad propositum de divite isto ait : *Quis talem non miseratur ? angustiatur*

Otium homini est magno gravamini. — Sedul. in Ep. — 2.Thess.3.6. — Ibid.v.7. — Prov.13.v.4. — Semen quod cecidit inter spinas, designat malitiam otij. — Luca.8. 14. — Luc.12.v.19. — D.Chrys. H. 47. in Matth. — S. Ambr. ser. 81.

gustiatur abundantia , constringitur & coarctatur ex opulentia ; ager ei non tam redditus largiores, quam gemitus attulit graviores ; terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinavit.

S.Pauli exemplo continuo labore victus comparandus est.

5. D. Paulus, ut primos fideles doceret bonos & Christianos mores , esto à Deo ad convertendum mundum per prædicationem Evangelij destinatus fuerit, attamen ait : *Non inquieti fuimus inter vos neque gratis panem manducavimus ab aliquo , sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes.* D.Chrysostomus Hom. 35. in Acta Apostolorum rogat nos his verbis : *Obsecro , ne fluxam & remissam quæramus vitam, nam quemadmodum hic duplex bonum ; quod & fortes fiant , & magna sunt præmia,ita illic duplex malum & quod molliores efficiantur , & quod in nullo bono , sed in malo versantur ; nihil enim inutilius fuerit homine , qui omne tempus in delicijs & remissione consumit.* Stobæus Sermone sup. allegato ait : *Circuire in otio ferians insensissimum est vitæ malum , multi mortalium hoc vitæ malum habent , ut quamvis mente sapiant , nolint tamen obsequi animo suo.* Supra in detestationem otij dixerat : *In malis vitam agere labor est ingens,*

2.Thess. 3. 7. — D. Chrys. H. 3. in Act.Apost. — Stobæus cit. sup.

Otiositatem comitatur labor.

6. Indubitata veritas est : *Multam malitiam docuit otiositas* , consequens ergo est , quod eamdem otiositatem comitetur labor. Chrysostomus in Hom. citata progressu evidenti probat ratione, quod qui se exercet in labore , saniorem & vegetiorem ducat vitam, quam qui languescit & marcescit otio. Quare nos exhortabatur S. Bernardus dicens : *Tolle otium, exere vires , move brachia, complosas explica manus , & exercitare in aliquo, & statim senties sola te appetere,quæ famem tollant , non fauces demulceant. Reddet quippe saporem rebus exercitium , quos tulit inertia , malia quæ respuit otiosus , post laborem sumes cum desiderio , siquidem otium parit fastidium.* B. Laurentius Justinianus depingens religiosi cujusdam negligentiam & pigritiam , existimat otium , cui deditus erat; magnam ei creasse molestiam : *Tempus*, inquit, *omne consumit,nunc scurrilia loquendo , nunc pertractando inania otio tabescit , vigilias abhorret jejunia refugit , silentium non custodit , disciplinæ morum subesse non patitur.* Crederis fortassis ejusmodi religiosum, qui nullam sui instituti habet curam , nullam observat constitutionem ac regulam,sed otiosam agit vitam; quietum esse & contentum ? Toto erratis cœlo ; audite ejusdem Sancti verba sequentia : *Fit miro Dei judicio , ut dum nullus se vult pro acquirendis virtutibus dare laboribus , amplius otiando & dormitando laboret.*

S. Bern. Epist.2. — B.Laur.Just. de casto Connubio.c.7.

Diabolus ab otiosis accipit refrigerium.

7. S. Bonaventura huic proposito conformiter ex cap. 40. Job , ubi Dæmon repræsentatur sub specie magnæ bestiæ Behemoth,salicibus torrentis circumdatæ : *Circumdabunt eum salices torrentis* , ingeniose observat dicens : *Comparatur acedia salicibus, quæ sunt arbores infructuosæ , & solum faciunt umbram ; sic acediosi & otiosi nullum faciunt fructum , sed solum umbram Diabolo , & refrigerium , unde dicitur de Diabolo in Job : Circumdabunt eum , scilicet Diabolum , salices infructuosæ.* Notate quod ait Seraphicus Doctor , nempe , Diabolum recipere ab otiosis suum refrigerium; at non propterea hi quietem & refrigerium recipiunt , *viam pacis non cognoverunt ; pax pax , & non est pax* ; extrinsecus videntur habere pacem & quietem ; at intus res aliter constituta est : *Quasi mare fervens , quod quiescere non potest ; otium fons inquietudinis.* In progressu ejusdem capitis S. Bonaventura varia tangit damna acediæ & otiositatis. *Primum est paupertas , quæ facit hominem egentem , tam corporaliter , quam spiritualiter , ideo dicitur in Prov. Egestatem operata est manus remissa ; & in Matth. dicitur de servo pigro , tollite ab eo talentum , quia vere talentum gratiæ meretur amittere , qui illud negligit multiplicare. Secundum est vilitas , facit enim acedia homines viles , unde dicitur in Ecclesiastico. In lapide luteo lapidabitur piger ; lapis luteus potest dici peccatum immundum , ad quod acedia facit hominem pronum. Tertium est timor vel pusillanimitas , Proverb. 18. Timor dejicit pigrum , scilicet , de cacumine virtutis. Quartum est spiritualis corruptio , corrumpitur enim ad instar aquæ non motæ. Quintum est vitiorum accumulatio, replet enim acediæ hominem universis vitijs , nam dicitur Prov. 20. Per agrum hominis pigri transivi , & ecce totum repleverant urticæ. Recte urtica figurat acediam , nam urtica habet molle folium , sed in folio habet aculeum pungitivum , sic acedia ad modum urticæ habet in mollitie remissionis pungitivæ tentationis aculeum ,* possumus insuper addere aculeum inquietudinis , molestiæ , solicitudinis. *Sextum exprobrationis accusatio , facit enim acedia hominem exprobrationis dignum , ideo ad confusionem suæ negligentiæ mittitur otiosus in schola formicæ ad discendum.*

Job.40. 17. — S. Bonav. in dieta salut. Tom.1.c.7. — Ps.13. v.3. — Isaiæ.57.20. — Afferuntur varia damna otiositatis. — Idem l. c.

Otiosi non sunt sorte sua contenti , sed tristes.

8. Accedit quoque S. Bernardinus Senensis Sermone quodam de acedia , sive de otiositate discurrens in hunc modum : *Est ibi conversio ad creaturam, scilicet ad quietem , quæ levis existimatur , & ratione hujus acedia nuncupatur. Ex his patet , quod hoc vitium prout tristitia nominatur , opponitur lætitiæ spirituali , quæ habetur in exercitio spirituali , &c. Inclinat ad torporem circa præcepta injuncta, id est , ad quamdam insensibilitatem propter quam homo non potest duci ad executionem mandatorum Dei. Acedia in periculoso statu animam ponit. Porro quiete corrumpitur anima , ut rubiginem contrahit ferrum.* Credimus & persuademus nobis otiosos sorte sua bene contentos esse; ast decipimur, quia à continuo agitantur fluxu & refluxu turbulentarum cogitationum, tentationum, inquietudinis & tristitiæ : *Hoc vitium Tristitia nominatur.* S. Isidorus Pelusiota definivit , quo casu quies in nobis habeat locum : *Quies*, inquit, *laborem non otium sequitur , sine quo labore delicias potius otium appellaveris , decet enim, qui laborare desinunt , quiescere. Qui vero otio indulgent , temporis prodigos & ignavos merito nuncupes. Quamobrem tibi etiam , dum sudare recusas atque detrectas , à quietis est nomine abstinendum.* Vera quies , quæ intrinsece in anima nostra consistit, non separatur à labore, cum otio incompatibilis est.

S. Bern. T.2. ser. de exerc. malig. spirit. Art.3. c. 5. — S. Isid. Pel. l.5. Ep. 427.

Otiosus sibiipsi causat præjudicium.

9. Adhæc, quod vel maxime notatu dignum , & otiosus sibiipsi causat præjudicium, illud est, quod ubi credit otiosa temporis consumptione prolongare vitæ suæ annos , diuturnamque ducere vitam, *comprehenditur in consilijs , quibus cogitat* ; totum ei succedit oppositum,quia hac via eo magis vita ipsius abbreviatur : *Ducunt in bonis dies suos* , ait Propheta Job , & immediate subdit : *Et in puncto ad inferna descendunt.* Ac clarius hanc veritatem reprimunt verba illa Apostoli : *Cum dixerint pax & securitas , tunc repentinus eis superveniet interitus.* Multi sunt, qui designant sibi bonos dies,totumque,quod superest, vitæ suæ tempus in bonis & delicijs, in quiete & otio transigere statuunt sine ulla occupatione & applicatione ; at scire debent, tunc vel maxime se mortis falce demetendos. Dives ille, veluti supra dictum est, molesta pressus inquietudine, quæ eum non sinebat dormire,dum cogitaret ac designaret vivere in otio : *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos , requiesce , comede, bibe , epulare* ; eodem ipso momento sibi intimari audivit : *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam.* Titulus iste, stulte, non vacat mysterio, etenim,veluti videbimus: *Qui sectatur otium stultissimus est.* Audiamus Ecclesiasticum, qui diu ante Christum id jam docuerat cap. 11. *Inveni requiem mihi , & nunc manducabo de bonis meis solus , & nescit quod tempus præteriet.* Qui statuit vivere in otio,non intelligit tunc vel maxime sibi defuturum tempus ; unde immediate sequitur : *Et mors appropinquet, & relinquet omnia alijs, & morietur. Quid enim est otium* (quærit S.Cyrillus) *nisi perditio irrevocabilis horæ, profusio vitæ ?*

Ps.10. v.2. — Job. 21. 13. — 1.Thess.5. 3. — Luc.12.v.19. — Ibid.v.20. — Prov.12. 11. — Eccli. 11. 19. — S. Cypr. l. 1. Apolog.mor. c. 14.

Carpuntur desides & otiosi.

10. S. Bernardinus Senensis hoc idem tetigit punctum ; unde cum hanc materiam pertractat , ad textum quemdam Evangelij omnibus notum simul se reflectit, quo reprehendit somnolentos, seu, quod idem est, otiosos hisce verbis : *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur , fur etenim ad hoc venit ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. Thesaurus utique indiligenter custoditus est pretiosissimum tempus , quod merito Dominus peccatori tollit , quia illud male vivendo in lucro non ponit ; unde Matth. 13. inquit benedictus Jesus , qui enim habet , dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet , id quod videtur habere , auferetur ab eo. Habet utique justus tempus , quod bene expendit , huic tempus habenti tempus in fine datur , & spatium cogitandi , & etiam purgandi conscientiam suam ; & abundabit , scilicet , plenitudine vera , venia magna , gratia larga , & gloria infinita. Ille vero non habet, qui male vivendo amisit pretiosissimum tempus, & Divino judicio & Diabolico opere fit , ut sicut peccator stulte tempus, cum viveret , amisit ; sic stultissime in incerto tempore mortis speret ita , quod dum tempus pœnitendi in fine se sperat habere digno judicio Dei per inexpectatam vel subitaneam mortem spatium pœnitendi non valeat obtinere.* Qui prodigus fuit , ad extremam se reducit necessitatem; at impossibile ei non est,quin aliunde ex eleemosyna aliam colligat pecuniam. Qui temporis facit jacturam, prodigus est thesauri infiniti valoris,

S.Bern. T.1. ser.13. art.3. c.4.

Ps. 58. v. 7.

valoris, & quia demum promeretur incurrere pœnam de qua scriptum est: *Famem patientur ut canes*; non est, quod umquam speret se reparaturum illius damnum, quia tempus est irrevocabile, & otiosus neutiquam ad illud regressum habere potest.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Varia in considerationem adducuntur motiva, ut quis detestetur otium, ac tempus fructuose impendat;

THEMA.

Panem otiosa non comedit. Prov. 31. v. 27.

Extollitur fortitudo mulieris sedulo operantis.
Ibid. v. 13.
Ibid. v. 10.
Ibid v. 17.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 25.
Ibid. v. 21.
Matt. 24. 12.

1. PLuribus sapientissimus Rex Salomon fortem hanc mulierem extulit virtutum & laudum encomijs, inter alia illud etiam est, quod panem non comederit otiosa: *Panem otiosa non comedit.* Die ac nocte non cessavit ab opere: *Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum; de nocte surrexit*; quid mirum igitur, quod fuerit fortis, robusta & vegeta, esto imbecillis sexus? *Mulierem fortem; accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum, Manum suam misit ad fortia; Fortitudo & decor indumentum ejus*; hæc virtus habet exercitium & laborem roborandi & fortificandi, tam animæ ac spiritus, quam corporis vires. *Non timebit domui suæ à frigoribus nivis.* Nix tempore hyemali manus frigore constringit, & pigrescere facit in opere; frigus est symbolum iniquitatis: *Quoniam abundavit iniquitas; refrigescet charitas.* Qui jam abhorret otium; periculum hoc subire non potest, ut in divino servitio tepescat, & fræna laxet sensibus.

Otium est scopulus omnis lapsus.
S. Hier. Epist. ad Demetr.

2. Experientia docet cujusvis lapsus & casus causam & scopulum esse otium, quod omnem nobis in bonis & honestis operibus subtrahit vigorem & spiritum; unde S. Hieronymus Epistola quadam monet Demetriadem hisce verbis: *Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducere. Hæc observans teipsam salvabis & alias; erisque magistra sanctæ conversationis, multarumque castitatem lucrum tuum facies, dicente Scriptura: In desiderijs est omnis anima otiosa.* S. Ambrosius quoque Vercellenses exhortabatur dicens: *Non otio, non somno merces paratur: Nullum opus dormientis est, nullus fructus otij, imo magis dispendium; otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quam quærere; laboriosus Jacob apud utramque parentem invenit requiem.*

S. Ambr. l. 3. Epist. 25. ad Vercel.

A conversatione juvenis verbosæ & otiosæ viduæ cavendum est.
1. Tim. 5. 11.
Ibid. v. 13.

3. S. Paulus Epist. 1. ad Timothæum discipulum suum Ephesi Episcopum postquam delineasset virtutes & prærogativas alicujus viduæ virtutibus summaq; perfectione præditæ, ostendit deinde quæ etiam ex eodem sexu sint fugienda: *Adolescentiores autem viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; & quia otium omnis mali origo est, non sine mysterio ostendit illas otiosas & negligentes: *Simul autem & otiosæ discunt circuire domos; non solum otiosæ; sed & verbosæ; loquentes quæ non oportet.* Otium comitari solet loquacitas, quam consequenter sequi solent murmurationes, detractiones, scurrilitates, discursus obsceni, & plurima alia colloquia vitiosa & perniciosa: *Qui multum loquitur* (ait Chrysostomus) *nihil operatur; sicut qui multum operatur, nihil loquitur intempestivum; propterea dicebat Paulus loquens de viduis, non solum otiosæ discunt circuire domos, sed etiam verbosæ, nugaces & loquaces.*

D. Chrys. H. 9. in Epist. ad Ephes.

Suadetur labor sectandus & fugiendum otium.
Thom. Cantip. l. 2. c. 10. §. 1.

4. Thomas Cantipratensis lib. 2. hunc apposuit titulum: *Nullus, cum per cœlum licuerit, otio perit dies.* Quapropter nos admonuit: *Vide*, inquiens, *quanta diligentia laborem sectandum, & otium fugiendum inculcat: In significationem mali; quod est otium; cum misisset Moyses manum in sinum suum, protulit leprosam; unde Salomon otij nocumentum insinuans dicit: Desideria occidunt pigrum, id est, otiosum; & vide causam, noluerunt manus ejus quidquam operari. Nihil sic timendum est otiosis, quam prolapsus in cœnum luxuriæ.* Petrus Blesensis Epist. 9. scribit: *Qui curam carnis in delicijs agit, tormenta conscientiæ accusantis patitur, & semper hostem domesticum secum gerit.* In cujus confirmationem adducit ex S. Evang. Luc. cap. 11. parabolam ab ipsa incarnata Sapientia compositam: *Ambulans per loca inaquosa, quærens requiem, &c. apud quiescentem in otio quietem invenit.* In lumbis sedem suam tenet sensualis & carnalis concupiscentia; ac propterea de forti illa muliere, utpote; verò typo perfectæ ac sanctæ animæ dicitur: *Accinxit fortitudine lumbos suos*; & quem servavit modum? *Roboravit brachium suum; Panem otiosa non comedit.* S. Bonaventura lib. de pugna spirituali exquisita nobis exhibet arma, quorum usu famosa illa mulier vicit inimicum internalem, cum ait: *Opus manuum, instabiles cordis pervagationes coercens.*

Petr. Bles. in Epist. 9.
Luc. 11. 24.
Prov. 31. 17.
Ibid. v. 27.
S. Bonav. opusc. de pug. spir. c. 2.

Otiosi comparantur fucis.
Stob. ser. de otio.

5. Refert Stobæus varias gentilium Philosophorum sententias contra hoc vitium, inter alias hanc contra otiosum legimus: *Illi pariter indignantur & Dij, & homines, quisquis otiosus vixerit, fucis absque aculeis similis studio qui apum opus sine labore comedunt. Nihil boni parit otium inane; Deus enim oscitantibus haud assistit.* Causa cur Deus odio habeat otium; non solum est, quia *multam malitiam docuit otiositas*; verum etiam quia, cum tempus nobis indulserit eo fine, ut pro acquirenda æterna gloria cœlestibus gratijs divinisque auxilijs cooperemur, eo abutimur in ejus despectum & offensam viam nobis sternentes ad infernum.

S. Antonin. p. 4. t. 5. c. 11. §. 1.
2. Cor. 6. 1.
Homo otiosus est incapax divini amoris.
Idem ibid. t. 14. c. 7.

6. S. Antonini doctrina est: *Dicitur tempus Novi Testamenti tempus gratiæ; quia superabundavit multiplex gratia humano generi, collata post Christi adventum, 2. Cor. 6. Hortamur vos ne in vacuum gratiam, Dei recipiatis. In vacuum recipit & frustra gratiam, qui non eam exercet multiplicando.* In alio loco idem Sanctus docet, hominem otiosum divini amoris esse incapacem, & per consequens Deo gratum & acceptum esse non posse: *Ex hoc efficiuntur homines pigri ad bene operandum, unde in Proverb. Propter frigus piger arare noluit, ideò mendicabit æstate. Econtra amor Dei numquam est otiosus; operatur enim magna, si est; scilicet operari facit; si operari renuit, amor non est. Amor enim Dei, qui est huic frigiditati contrarius, comparatur igni, qui numquam dicit sufficit; sic ignis divini amoris semper ad alia se extendit.* Non otium, sed bona opera, activitas honestarum actionum, sunt ligna, quæ nutriunt hunc ignem amoris Dei, *operatur enim magna, si est.* S. Augustinus inter alia damna, quæ derivantur ex otio; hoc quoque tangit: *Per otiositatem rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus, per hanc sæpe eremum exire tentamur.* Si igni non apponantur ligna, deficit & extinguitur; idem prorsus contingit spiritui, devotioni nostræ; uti & timori ac amori Dei, si otiosi vivamus & nihil boni operemur.

S. Aug. ser. 17. ad fratr.

Quare Romani voluerint bellum contra Carthaginenses continuari.

7. In historijs Reipubl. Romanæ legimus: Carthaginensibus contra Romanos implacabile gerentibus bellum, eisq; extremam ruinam minantibus Hannibal eorum dux nonnumquam tales in bello hoc fecit progressus; obtinuit victorias, ut Romanos fere suæ subjugasset potestati; nihilominus Respublica Romana gubernante & imperante Scipione resumens vires animumque hostes suos Carthaginenses ad tales vicissim redegit angustias eorumque ita confregit vires, ut arma resumere vix ausi fuerint. Id advertentes nonnulli cauti & experti Senatores (uti superiori discursu retulimus) hoc dabant consilium, ut bellum illud non intermitteretur; sed in suo conservaretur flore & vigore; idque non alium in finem, nisi ut juventus Romana continuum haberet exercitium, & per hoc aut evitaret otium; aut evitarentur bella civilia, veluti postea evenit. Consilium hoc, uti docuit experientia, optimum fuit, quod hauserant ex alieno inimici damno: *Felix sapientia* (dixit Seneca) *quæ ex aliorum discitur insipientia.* Rotam siquidem tot tantarumque gloriosissimarum victoriarum; quas Hannibal prius reportaverat, inverterat otium & deliciæ patriæ Capuanæ, quibus milites ejus facti effœminati, ex leonibus transmutati fuerunt in timidos lepores, ut propterea de illis verificatum fuerit, quod in alio proposito ait Ambrosius: *Tentant otia, quos bella non fregerant.* Et Seneca Ep. 51. *Indomitum nivibus & alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ.*

S. Ambr. ser. 11. in Ps. 118.
Seneca Ep. 51.

Otium pernitiosissimum effectum habet.
S. Bern. Ser. t. 3 de exer. spirit. malig. art. 3. c. 5.
Ps. 100. v. 2.
2. Reg. 11. 2.

8. Effectum otij perniciosissimum tetigit S. Bernardinus sermone, cui titulus, de exercitu spirituum malignorum: *In hoc vitio*, inquit, *est aversio à spirituali bono, quod æstimatur grave, sicut jejunare, vigilare & similia.* Cum hac aversione maligni spiritus enervare student vires spiritus nostri, ut ijs debilitatis facilius cedamus eorum assultibus. Quàm fortis extiterit David resistendo non solum hostibus visibilibus, sed etiam invisibilibus, manifestant ipsius Psalmi in pluribus locis; at quid profuit sibi quasi glorianti & dicenti: *Perambulabam in innocentia mea, in medio domus meæ?* Cecidit nihilominus in adulterium, non alterius; nisi solius impulsu aspectus primò curiosi; at postea inordinati: *Viditque mulierem se lavantem.* Cupitisne intelligere

causam? Eo hæc contingebant tempore, quo erat otiosus, paulò ante sub meridiem tantisper quieverat & dormierat: *David in bello sanctus, in otio adulter & homicida*, ait S. Thomas de Villa Nova.

S. Th. de Vill. in Septuag.
Matt. 24. 20.
S. Ambr. l. 10 in Luc. 21.
Cavendum est ne nos Dominus veniens inveniat otiosos.

9. S. Ambrosius allegando verba illa Christi: *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel in Sabbatho*; simul monet nos: *Orandum, ne sabbatho te, hoc est, ab operibus otiantem veniens Dominus deprehendat. Et ideo juxta legem operare de die in diem, & esto spiritu ferventi & labore pervigili. Tunc tibi emigrandum ex hac vita, quando virtutes vigent, vitia captiva sunt, non quando captiva est anima & vigor ejus, & virtus vacat.* Hisce conformia sunt, quæ scribit in epistola quadam: *Non otio, non somno merces paratur, nullum opus dormientis est, nullus fructus otij, imò magis dispendium.* Otium nonnisi ad hoc ordinatum est, ut cum abusu jacturam faciamus temporis; sed cujus temporis? Vitæ præsentis, quod nobis indultum est, ut æternam & beatam acquiramus gloriam: *Omni tempore reprobi per augmentum malitiæ* (ait S. Gregorius) *contra se intus ingeminant, quibus succisi in profundum ruant, de quibus bene per Psalmistam dicitur: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et in alio loco idem Sanctus exponit, quale sit tempus illud, in quo nos vixisse gloriari possimus; nimirum, esse dumtaxat illud, quod bene impendimus & impendemus: *Illo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & utiliter viximus; nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita, minimè memorantur.*

Idem lib. 3. Epist. 25.
S. Greg. l. 5. cap. 28.
S. Greg. l. 1. Reg. c. 12. lib. 5. c. 3.

Otiosi ducunt dies & menses vacuos, non enim vivunt propter vitam æternam.
Job. 7. v. 2.

10. Patientissimus Propheta Job cap. 7. ita loquitur: *Sicut cervus desiderat umbram & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi, si dormiero, dicam, quando consurgam?* At si Job quietè & suaviter dormit, si in æstivis ardoribus gaudet & protegitur umbra si insuper à labore cessat & quiescit, cur se dies & menses vacuos ducere lamentatur; In catena Græca legitur: *Sic ego sustinui menses vacuos*; ubi notandum, verbum hoc, *sustinui*, esse expressivum laboris, sudoris & doloris, in cujus probationem subjungit facta mentione somni, dicens: *Replebor doloribus.* Responsum igitur aliud dari non potest, nisi quod somnolenti, puta, qui tempus inutiliter & infructuosè expendunt in recreationes animique voluptates hi, inquam, ac si non viverent, menses & annos ducunt vacuos, quia non vivunt propter alteram æternam vitam, neque propter finem, ob quem Deus illis concessit tempus, quæ sanè miseria deploranda est. Dicebat Imperator ille; *Bella gerimus, ut in pace sine injuria vivamus. Militia est vita hominis super terram*, quamdiu igitur durat hoc bellum, non otiari, sed arma semper parata gestare debemus, si æternam vitam sperare, & pace supernæ Jerusalem gaudere velimus.

Modernum, & non futurum tempus aptum est ad acquirendum meritum.
S. Ephrem
2. Cor. 6. v. 2.

11. Quapropter nos sedulò exhortabatur S. Ephrem Paræn. 12. cui titulus, de animi promptitudine ad omne opus bonum: *Decerta*, inquiens, *frater, tamquam bonus miles Christi, donec adhuc tempus suppetit, ut Dominus cernens animi tui promptitudinem confirmet te in omni opere bono; vehementer porro ignaviam detestare.* Sequitur deinde: *Bonum certa certamen, conscius ad quænam exieris, nunc enim mihi tempus commodum, aptumque est propositum congregandi divitias indeficientes.* Æternitas, quæ infinitam continet durationem, ad acquirendum meritum minimè idonea est; *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Omnino necesse est, intelligamus hanc veritatem Catholicam, quod hic & nunc, quamdiu respiramus, cœlum lucrari possimus, post hanc vitam numquam; hoc igitur vitæ præsentis tempus neutiquam inutiliter & otiose consumendum est, quia num aliud supersit & subsequatur ignoramus.

Quare Deum occultum nobis voluerit esse tempus vitæ nostræ.
S. Aug. H. 33. inter. 50.
Eccle. 9. 12.

12. Dubium seu quæstio aliqua occurrit mihi hic proponenda, cur, nimirum, Deus desiderando ardenter animæ nostræ salutem: *Vult omnes salvos fieri* (videlicet voluntate antecedenti, uti loquuntur & declarant Theologi) occultum nihilominus tenere voluerit tempus vitæ nostræ, sive, ut clarius dicam, finem vitæ nostræ? Omni momento morti, à qua status, aut bonus, aut reus æternitatis dependet, voluit nos esse subjectos, & cur hoc? *Diem mortis incertum salubriter constituit Deus* (sic respondit D. August.) *ut ultimum suum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur, latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.* Tempus vitæ nobis concessum Deo dumtaxat notum est, concessit id nobis Deus, ut in ea vitam sempiternam negotiemur, impendendo illud utiliter; noluit nos certam illius habere notitiam (*nescit homo finem suum*) ne præscientes horam ultimam vitæ nostræ & mortis, momentum aliquod sinamus transire vacuum, in quo non operemur salutem animæ nostræ. Quid interea nobis agendum sit, docet nos Philosophus quidam gentilis: *Tota vita*, inquit, *discendum est, & quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori.* Quia omni hora, imo omni momento potest supervenire mors, non habemus tempus, quod inutiliter insumamus. Familiare erat ipsi Prophetæ Job hoc exercitium cogitandi semper de fine suo, unde dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito* (miles omni hora explosioni bombardæ expositus est) *expecto donec veniat immutatio mea.* Idem dolebat: *Pereat dies, in qua natus sum.* In quem finem tendebat hic dolor? Forte remorsum sentiebat, quod minus bene impenderit tempus infantiæ? at ætas illa nullius meriti capax est, quemadmodum tenera plantula minus apta est ad ferendum fructum. Communis expositio est Prophetam doluisse de peccato originali, in quo quilibet homo conceptus & natus est. Verum Severian. in catena hanc dat expositionem; *Dies pereat*, inquit, *quo à virtute ad scelus homo migravit, atque ad ærumnas & interitum ruit.*

Seneca de brevit vit. c. 7.
Omni hora discendum est mori.
Job. 14. v. 14.
Ibid.
Job. 3. v. 3.

Nec momentum temporis negligendum est.
S. Bern. in declam.

13. Audiamus denique reprehensionem quamdam ex S. Bernardo: *Transeunt dies salutis; & nemo recogitat, nemo sibi non reditura momenta perijsse causatur; Ne tardes converti ad Dominum; nescis quid superventura pariat dies; quid enim causer de futuro tam temerariæ præsumentis, quasi vero tempora & momenta Pater in tua, & non magis in sua posuerit potestate.* Observetur vox illa, *momenta*, nam neque etiam momenta temporis, quæ sunt indivisibilia, Deus nostræ tradidit dispositioni. In authore gentili invenio hoc scriptum: *Non tam benignum & liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere.*

Quint. Dec. 4.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Varia insuper examinantur capita stultitiæ, quam incurrit otiosus jacturam faciens temporis.

THEMA.

Qui sectatur otium, stultissimus est. Prov. 12. v. 11.

Qualem & quantam amittat stultitiam, qui tempus otio perdit.
Eccle. 2. v. 10.

1. REx ille, qui, teste prima & æterna veritate, totius mundi sapientissimus extitit, declarat nobis, quod *qui sectatur otium, stultissimus est.* Cunctas jam expertus fuerat & degustaverat voluptates, omnibus, quas umquam sibi quispiam imaginari potest, potius & gavisus fuerat delicijs (*omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis*) nihilominus expressis verbis à Spiritu S. sibi dictatis decidit & resolvit, quod, qui otio deditus est, supra modum fatuus sit & stultus. Porro variæ textus hujus à sacris expositoribus exhibentur interpretationes. S. Hieron. exponit: *Qui pro salute animæ suæ non laborare detrectat, tunc inter stultos reputabitur.* Lyrani Glossa est: *Quia per hoc incurrit defectum bonorum temporalium & spiritualium.* Cajetan. scribit hoc modo: *Vacantes otio, sine officio, sine arte, sine industria aliqua, quod ex defectu cordis, hoc est internæ virtutis evenire affirmat Salomon.* Hugo Card. tamen tres distinxit gradus stultitiæ, quos incurrit temporis prodigus; *Primus gradus stultitiæ est, bonum non facere dum licet; Secundus, malum facere; Tertius, in malo se assuescere.*

S. Hieron. ib.
Lyran. ibid.
Cajet. ibid.
Hug. Card. ib.

Negotiandum est pro æterna salute dum tempus est.
D. Carth. ib.

2. Negotium negotiorum, propter quod à Deo creati, & postea ab ejus filio redempti sumus, est negotiari & lucrari, quamdiu minima nobis inest respiratio, vitæ beatæ æternitatem; neque ob alium finem nobis indulget tempus, nisi ob illum ultimum, præcipuum, & omnium excellentissimum nobisque utilissimum; annon igitur summa hominis Christiani dementia est, ut tempus sibi indultum otiose & infructuose terat ac consumat, quod idem est dicere, ut præceps ruat in infernum, cum omnino indubitatum sit, quod *multam malitiam docuit otiositas*? Pulchra similitudo est, quam insinuat Dion. Carthus. dicens: *Si mercator otio vacet, dum multum auri habet lucrari, nonne insipiens putabitur? Quanto magis stulti & fatui sumus censendi, qui cum in pretiosissimis donis gratiæ & gloriæ possemus valde proficere, hoc ipsum otiando negligimus.*

Luc. 19. 13.
Pro re exigua possumus lucrari æternam gloriam, si habeamus rationem temporis.
2. Cor. 4. 17.

3. Luc. 19. Jubet Redemptor noster : *Negotiamini dum venio.* Qui negotiatur & lucratur, merces exigui valoris commutare solet in alias majoris pretij & valoris, conferens eas secum in regiones distantes; hoc idem immensum lucrum est, quod & nos quoque quamdiu præsentis vitæ hujus durant nundinæ, facere possumus; paucos menses & annos paucos bene impensos transmutare possumus in æternitatem beatorum gaudiorum : *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Deus nobis elargitur bonam summam, cum qua negotiari possumus, nempe, auxilia suæ gratiæ; tempus nostrum jam est, idque unice necessarium, ne perdamus hanc occasionem : *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Fatuus esset, qui tempore nundinarum totum secum conferens peculium, ut eodem lucraretur, intermitteret negotiationem cum maximo suo detrimento, & dies istos expenderet in vanitates, consumeret bibendo, epulando, ludendo : *Nonne insipiens putabitur? Quanto magis &c.* Nos sumus ita fatui, & stulti, ut non solum omittamus æternam lucrari vitam; verum etiam, ut idem Carthusian. bene observat, *insuper multa mala committimus.* S. Bernard. serm. cui titulus est, de triplici custodia manus, linguæ, & cordis; scribit: *Instantibus nundinis, institores nectere moras; occasiones quærere solent, ne quem forte sibi ex eis quæstum provenire contingat.* Non sumus negligentes, nec amentes, ubi agitur de lucro temporali; hæc stultitia & negligentia solum practicatur & exhibetur a nobis, cum lucrum aliquod æternæ vitæ acquirendum est. Adhæc consideremus stultitiam istam, cujus jam statim fecimus mentionem : *Insuper multa mala committimus*; Quid dicendum censeres de eo, qui apud potentem aliquem regem est in magna gratia & respectu; Quod si hic illius uteretur authoritate, imperio, favore, & benevolentia, non in obsequium & servitium principis sui, sed solum ut hunc offenderet, sperneret ac despiceret, simulque seipsum ultimæ exponeret ruinæ? annon istum stulti instar promereri catenas assereres? In quem finem Deus nobis concessit tempus: *Ut dum tempus habemus, operemur bonum*, & serviamus Deo, e quo servitio redundat bonum nostrum, nempe, lucrum infiniti boni; essemus ergo ita stolidi & vecordes, ut tempus in damnum animæ nostræ, & in offensam Dei benefactoris nostri impenderemus?

Gal. 6. v. 10.
S. Bern. de tripl. custod.

Magna stultitia est otiando malum facere.

4. Secundus gradus stultitiæ est, malum facere, ait Hugo Card. Inveniuntur nonnulli stulti, privati judicio, at furiosi non sunt, nec ulli malum vel damnum inferunt; at otiosi non ad primam dumtaxat, sed & ad secundam stultorum pertinent classem; siquidem non solum exiguam habent temporis rationem & curam, verum & in offensam Dei illud insumunt: *Secundus gradus stultitiæ est, malum facere.* Non est quod otiosus se excuset dicendo, se nec bene, nec male facere, quia ostendet se orbatum judicio, magnum enim malum est non operari bene : *Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* Verberibus & fustibus instar stulti excipitur servus ille, qui, quando est deditus otio, ait se nihil mali facere, operari enim tenetur stipendio conductus. Similitudinem adducit D. Chrysostomus de operario seu agricola, qui conduxit agrum, quem nec fodit, nec colit, sed totaliter deserit; esto hic dicat, quod agrum non destruat, perdat aut male habeat deserendo illum: attamen judicio prudentis viri, verum semper erit dicere, quod agrum illum damnificet, quia ipsius negligentia & otiositate fit totus sylvestris, & permittit ipsum repleri urticis, vepribus & zizanijs, idque in præjudicium sui Domini, qui inde nullos percipit fructus: *Injuriam committit, qui, quam debet utilitatem, non præstat*; Tametsi manus [ait idem Sanctus Doctor] non percutiat corpus, non abscindat linguam, non eruat oculum nec aliud faciat malum, attamen si recuset & deneget alijs membris necessarium servitium & obsequium, specialiter subministrationem debiti alimenti, certum est ipsam gravis delicti ream esse : *Si tantum otiosa maneat, & ministerium suum, quod debet, toto corpori non præstet, an digna non esset, quæ amputaretur potius, quam circumferretur otiosa, toto corpori nociva?*

Lucæ. 12. 47.
D. Chrys. H. 16. ad Ephes.
Apta similitudo.

Et malo assuescere.

5. *Tertius gradus stultitiæ est, in malo se assuescere.* Causa stultitiæ est obtusitas intellectus; Plutarchus scribit, quod otium in mente humana generet certam rubiginem ob quam intellectus remanet offuscatus : *Ingenium hominis ceu cariem & senium in otio contrahit.* Quando quis, uti vulgato fertur proverbio Italico: *Hà fatto l'ossò del poltrone*, nimirum habitum jam acquisivit in otio, difficile omnino est, ut is reducatur ad laborem, plerumque talis languescit & marcescit in suo pigritiæ & otij vitio.

D. Carth. ib.
Stultum est tempus prodigere otio quo possemus spiritualia lucrari, & futura tormenta redimere,

6. *Stultissimus est*; Carthusiani doctrina est : *Cum possemus omni hora in spiritualibus donis tam vehementer proficere, ac tantum nobis in cælis thesaurum reponere; futura tormenta redimere, atque per opera virtuosa non modo nobis ipsis ac proximis, sed etiam in purgatorio existentibus subvenire, nonne stultissimum est, otium sequi præsertim cum ignoremus diem & horam?* Annon stultus esset, qui adamantem magni valoris commutaret cum vili & fragili vitro? Hæc est multorum dementia, tempus, quod est infiniti valoris propter lucrum bonorum æternorum, permutant cum vitro fragili, uti sunt ludi, joci, recreationesque similes. Quidam Dei servus dolenter conquerebatur : *Qui balsamum, vel aliud pretiosum unguentum, cujus sola gutta vitæ conservandæ sufficiat, abjiciat in cloacam, vel calceis ungendis insumat?* Tempusne, cujus unicum momentum sufficiens est ad lucrandum regnum cœlorum, inutiliter adeo consumemus ludis, tripudijs, murmurationibus, scurrilitatibus? Qui ocreas ungeret balsamo, delirare eum certe censeres; *Qui sectatur otium, stultissimus est*, tempus longe pretiosius est.

Eccli. 4. v. 23.
Tempore possumus satisfacere Deo pro debitis nostris.
S. Antonin. p. 2. t. 9. c. 14. §. 1.
Matt. 18. 28.
Rom. 13. 7.

7. S. Antoninus cum citat hunc textum Ecclesiastici : *Fili conserva tempus, & declina a malo*, discurrit in hunc modum : *Stultitia otiosi est, quia tempus amittit; debet diligenter conservari, non perdi, ut otiosi faciunt, nam est pretiosissimum; est & brevissimum; est ejus usus examen faciendum subtilissimum.* Sequitur postea : *Stultitia otiosi est, quia cum debeat in hac vita solvere vel minuere debitum, ad quod tenetur, ipse magis adauget, & ratio dictat : Redde, quod debes, Matth. 18. ad Rom. 13. Reddite omnibus debita; sed multa sunt debita nostra. Bernardus, ô homo, si scires, quam multa, & quam multis debeas, videres quod nihil est, quod facis, unde non esses otiosus.* Ex hoc & cum hoc pretioso thesauro temporis satisfacere possumus debitis, quæ habemus cum Deo, cum proximis, & cum nobis ipsis & nos inutiliter, imo stultissime illud profundimus? *Stultitia otiosi est, quia cum possit ex se producere & recipere multum fructum meritorum & præmiorum, vult remanere sterilis. Posui vos* (ait Christus Joan. 15.) *ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Joan. 15. 16.

Stulti sunt qui otiando sibi bonos dies facere volunt.

8. *Stultissimus est*. Stultior sane, magisque ridicula ac irrationabilis dari nequit propositio, quam ista: Capiamus nobis bonos dies, hæc frequenter in auribus nostris resonat, & majori hominum parti probatur; ast quomodo, qua arte, aut qua industria retardari aut etiam firmari potest tempus : *Breve est vitæ istius curriculum* (ita lamentatur D. Hieronymus) *hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit.* Audiamus etiam B. Laurentium Justinianum, in quo consistat essentia temporis : *Nihil aliud*, inquit, *est tempus, quam mensura motus cælorum.* Sed hic motus est rapidissimus & velocitas ejus intellectu nostro apprehendi nequit. Tempus non tantum rapidissimum est, idque nec ullus, nisi solus Deus, firmare potest sed etiam nullus sibi adpromittere potest, ne quidem unicum momentum propriæ vitæ, utpote quæ subtilissimo stamini, puta flatui sive respirationi innititur; *Sed & merito vivens homo transire dicitur, quia nulla penitus temporis soliditate firmatur*; hoc Jacobus Apostolus asseverans ait : *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*, dicebat sapiens ille Thecuites. Tempus itaque, in quo vivimus, assimilatur rapido flumini, cujus ripam circumstant omnes mortales avidi piscandi in eo quodcumque capi potest; sed quo instrumento? Cribro? etenim sunt qui triginta, sunt qui sexaginta, sunt etiam qui centum annos piscati sunt, neque unicum tamen illis remanet momentum, quia totum elapsum est; de præsenti nihil in cribro retinetur ne quidem minima stilla; de futuro nihil certificari potest. Dicite ergo mihi, quod si quis hoc instrumento speraret bonam facere piscationem aquæ, multumque illius reportare domum : ut ea pro suo beneplacito uteretur, annon illum judicio orbatum judicaretis? *Qui sectatur otium, stultissimus est*; si nos tempus sectari, illudque dispositioni nostræ subjectum esse credimus, stultissimi sumus. *Tempus hujus vitæ velociter currit* [ait Alcuinus] *fugit, & non revertitur.* Vultisne de eo, quod futurum est, disponere?

S. Hier. in c. 6. ad Galat.
B. Laur. Just. de vit. solit. c. 10.
Tempus rapidissimum est.
Jacob. 4. 15.
Alcuinus Epist. 1.

S. Aug. de civit. Dei l. 13. c. 10.

& quis unicam dumtaxat horam sibi adpromittere potest? De eo tamen, quod jam venit; nihil designare potestis, nisi quod scribit D. Augustinus : *Quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur, & quotidie fit minus, minusque quod restat, ut omnino nihil sit amplius tempus vitæ hujus, quam cursus ad mortem.* De tempore futuro ita nobis cogitandum est, & calculus faciendus, ac si omni hora essemus in confinibus mortis.

Hug. Card. ib.
Alij tres stultitiæ gradus hominis otiosi.

9. *Stultissimus est.* Hugo Cardinalis præter præfatos tres gradus stultitiæ ipsius hominis otiosi, adhuc tres alios considerat : *Primus, vitæ propriæ necessaria non quærere*; otiosus non habet tantum judicij, ut victum necessarium sibi acquirere possit, otiando fame potius perire vult quam laborare, *Secundus, seipsum hostibus indefensum exponere*; veluti suo loco jam vidimus, quod otiositas sit nidus suggestionum insidiarumque Dæmonis. *Tertius, hostes suos, qui ipsum interficiant, in ipso nutrire*; otium fovet desideria & appetitus inordinatos, qui mortem animæ inferunt: *Non unam tantum; sed multiplicem stultitiam facit otiosus* (ait S. Antoninus) *facit locum Diabolo, contra illud quod ait Apostolus : Nolite locum dare Diabolo. Maxima stultitia est locum dare vel vires inimico suo mortali, quod fit per otium. Dicitur enim extra de vi, & hon Cler. in decretis : Otiositas & voluptas sunt arma hostis antiqui ad miseras animas captivandas.* Tradit Vegetius pro illis, qui militiæ nomen dederunt, hoc documentum : *Multa sunt discenda atque observanda pugnantibus, siquidem nulla sit negligentiæ venia, ubi de salute certatur.* Vita nostra instar militiæ est: *Militia est vita hominis super terram*; parata semper ad manum habeamus arma, necesse est, ut pugnemus, vincamus; coronamque æternæ salutis reportemus; ac propterea, cum agatur de anima, ejusque æterna salute, summam incurrunt dementiæ notam, qui sunt negligentes, desides, otiosi, nec curam habent temporis, quod est unicum instrumentum ad promerendum cœlum; *ut dum tempus habemus, operemur bonum.*

S. Anton. l. c.
Vegit. l. 3. c. 5.
Job. 7. 1.

Otiosus sibiipsi damnum infert maximum.
D. Chrys. H. 35. in Acta.

10. *Stultissimus est.* Quia otiosus sibiipsi damnum infert, dum credit gaudere quiete sine labore : *Omnia ab otio damnum* [*accipiunt* ait S. Chrysostomus] *etenim & oculus, & os, & venter, & unumquodque membrorum, nisi quod suum est operetur, in extremam incidit morbum.* Valde apposite discurrit quidam author: Quis hominum etiam ditissimus daret famulo pecunias dicendo ei : Vade & expende illas; hic vero si interrogaret, in quem usum? responderet ille fortassis, in ea, quæcumque tibi placuerint, esto etiam millena comparens annorum mala, febrem, pestem, mortem. Sane omnino mente captum & prodigum talem pronuntiares, nec stultior & vecordior sub sole homo reperiretur; & tamen nos rem pretiosissimam, qua pretiosiorem non habemus, exponimus non ad comparanda mala temporanea, sed æternitatem omnium malorum, veluti clarum hujus perhibet testimonium Propheta Job: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Job. 21. 13.

Otiosus est Deo & hominibus odiosus.
Apoc. 3. 16.

11. *Stultissimus est.* Stultus est, qui amat esse exosus Deo & hominibus; talis est otiosus, cui aperte minatur Deus. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Otiosus causat Deo nauseam & horrorem, veluti vomitus efficere solet. D. Chrysost. postquam aliquem deditum otio & voluptatibus suis depinxisset, subdit : *Quis autem non justus dicet : Unus est hic, terræ frustra advenit in mundum talis, imo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum.* Admonitio est Episcopi Bellovac. quæ sequitur : *Ad vitandum otium movere nos debet bonorum amissio, otiosus enim perdit tempus suum, bona spiritualia, temporalia & æterna.* Adducit deinde alia motiva : *Temporis brevitas, velocitas, vel labilitas ejus, irremediabilitas, pretiositas, quia est multum debitum vitæ nostræ inseparabiliter conjunctum, quia est nostrum sive nobis proprium, quia est rationis reddendæ obligatorium.* Annon igitur extrema dementia est summam capitalem tanti pretij inutiliter profundere? Huic accedit, quod cœli planetæ, omnesque aliæ creaturæ occupentur in continua operatione & motu, influendo propria virtute in hæc sublunaria, solus homo creatus ad operandum, *homo nascitur ad laborem*, stabit in otio? *Quomodo non odio prosequendum est otium*, dicebat Basilius Magnus, *quod formicæ & ape pejorem efficit hominem?*

D. Chrys. l. c.
Bellovac. spec. mor p. 6. l. 3. dist. 6.
Job. 5. 7.

Otiosus vult quiescere ubi laborandum est.

12. *Stultissimus est.* S. Antoninus ob aliam rationem otiosum censet stultum dicens: *Stultitia otiosi est, quia vult quiescere in loco, ubi oportet laborare, scilicet, in vita præsenti; Christus ait Joan. 9. non veni vocare vos ad requiem, sed ad laborem.* Citat postea ipsius Senecæ dictum : *A stultitia nemo emerget, nisi ad laborem manum porrigat; nam secundum Philosophum : Virtus & scientia sunt circa difficilia.* S. Mater Ecclesia nullam nobis annuntiat quietem, nisi post mortem, tunc enim & non ante illam intonat : *Requiem æternam, &c.*

Joan. 9.
S. Anton. l. c.

Alius otiosi stultitiæ ramus.
Seneca Ep. 101.

Stultissimus est. Alium stultitiæ ramum nobis ostendit Seneca in quadam Epistola, cum ait : *Stultum est ætatem disponere; ne crastino quidem dominamur, O quanta dementia est spes longas inchoantium; emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt.* Inter omnia creata nihil incertius tempore.

Otiosus perdit thesaurum quo potuit lucrari æternam beatitudinem.
S. Bern. sup.

Stultissimus est. S. Bernardus aliam ad stoliditatem ejus, qui tempus infructuose transire permittit, facit reflexionem : *Volat*, inquit, *verbum irrevocabile; volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat.* Amittit, inquam, & perdit thesaurum, quo suffragante Deus disposuit & voluit nos lucrari æternitatem regni; totum cor & affectum suum occupatum habet in perdendo & dissipando illo, nec semel recogitat infinitam illius jacturam, quæ inde resultat. Quare S. Bernardinus Sermone quodam nos exhortatur dicens : *Recogita temporis irrevocabilitatem*, simulque adducit authoritatem S. Bernard. Ut vero bene ponderetur ad propositum, quam jacturam faciat otiosus, ponantur in bilance verba hæc D. Augustini : *Quid amittit? Omnia sæculorum spatia definita, si æternitati interminatæ comparentur, non exigua existimanda, sed nulla.* Pro mille, pro decem millibus annorum, imo sæculorum perdere beatam æternitatem non est bonum cambium; & tamen quot stulti profundunt illam pro longe minori tempore; *Non exigua, sed nulla*; quia *finiti ad infinitum nulla est proportio.*

S. Bern. T. 1. ser. 13. art. 3. c. 4.
S. Aug. l. 22. de civit. Dei c. 12.

Pulchrum monitum Senecæ.
Seneca Ep. 1.

Stultissimus est. Audiamus quid scripserit Seneca Lucilio : *Fac mihi, Lucili, quod facere te scribis. Omnes horas complectere; sic fiet, ut minus ex crastino pendeas; si hodierno manum injeceris, dum differtur vita, transcurrit. Omnia mi Lucili aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ possessionem natura nos misit, ex qua nos expellit, quicumque vult. Sed tanta stultitia mortalium est, ut quæ minima & vilissima sunt certe reparabilia, imputari sibi cum impetravere patiantur, nemo se judicet quidquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere.* Justus Lipsius hac utitur similitudine : *Ut in flumine unda undam trudit nec umquam revocas elapsam, sic in tempore dies diem, nec reparas amissam.*

Just. Lips. centur. 1. Epist. 55.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Diversæ allegantur interpretationes & expositiones morales textus hujus Apostoli : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

THEMA.

Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ephes. 5. v. 15.

Quomodo tempus redimi possit.

1. NOn Sapiens dumtaxat, verum etiam Apostolus Paulus eum, qui perdit tempus, stultum & insipientem censet: *nō quasi insipientes, sed ut sapientes*; at qua via & modo sapientia hæc in exercitium & actum prodire potest? *Redimentes tempus*, tempus redimendo. Num fortassis tempus instar mancipij redimendum est, *redimentes?* sed quomodo tempus redimi potest, quod non est reparabile, & de quo Poëta cecinit: *Fugit irrevocabile tempus.* Quæcumque aliæ res, si perdantur aut jacturam patiantur, restaurari & quodammodo resarciri possunt. Amicum si amittatis, reperietis alios; si perdatis summam aliquam pecuniæ, successu temporis prospera favente fortuna aliam acquirere poteritis: si perdatis villam, aliam jucundiorem magisq; frugiferam comparare potestis; verum tempus elapsum & præteritum numquam per totam æternitatem redire potest. Quomodo igitur Apostolus tanta illustratus sapientia, cœlestique imbutus doctrina ait : *Redimentes tempus?* Omnes creaturæ obedientiali (ut loquuntur Scholastici) potentiæ præditæ, obsequiosæ sunt & paratæ semper ad exequenda jussa Creatoris sui : *Solem suum oriri facit super bonos*

Tempus perditum recuperari non potest.
Matth. 5. 45.

nos & malos pluit super justos & injustos. Certum quidem est & verum, quod, quando in Dei offensam servire debent, si rationalem haberent instinctum, illibenter homini præstarent obsequium & servitium; ad hoc forte allusit S. Paulus, quando ait, creaturas in fine mundi ab hoc intolerabili jugo fore eximendas: *Rom. 8. v. 19.* *Expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat;* *Ibid. v. 20.* *Vanitati enim creatura subjecta est non volens,* *Ibid. v. 21.* *sed propter eum qui subjecit eam in spe, Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei, Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc.* Verum si inter creaturas ulla est, quæ ingemiscit, deplorat, & impatienter servit peccatori; illa sane est tempus, de quo Apostolus asseruit & decidit, illud à Deo creatum esse, ut homini serviret ad exercenda bona opera: Ut *Gal. 6. 10.* *dum tempus habemus, operemur bonum;* quia vero servit peccato & offensæ Dei Creatoris, *ingemiscit*, ac videtur sibi esse captivum, imo mancipium catenis vinctum, ac propterea quotiescumque ei permissum, est, se solvit, quantumqjei possibile est, à catenis se eximit. Hinc est, quod Eccle. monebat aliquem pravam vitam ducentem? *Eccl. 7. 18.* *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Industriam peccator adhibet, ut transgrediendo divinas leges jugum Dei excutiat, deferat, & in libertatem se asserat: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo,* & quid inde secutum? *Psal. 89. v. 8.* *Quoniam dies nostri defecerunt.* *Ibid. v. 9.* At tempus tolerare non potest, ut captivum teneatur à barbaris, volo dicere, ut inutiliter expendatur, dissipetur, & male consumatur ab inimicis Dei, quia creatum est ob finem totum contrarium.

Psal. 33. v. 2. 2. S. Antonin. citando text. illum: *Benedicam Dominum in omni tempore*, ait: *Si Deus maledicitur malis factis hominum, sic bonis factis benedicitur. Omni tempore Dominum benedicamus, & gratitudine ad eum utimur, cum omni tempore bene operamur.* Ecce finem, ob quem Deus dedit esse tempori, ut, nimirum, possimus habere spatium virtutum exercendi opera, benedicendo, & serviendo suæ Divinæ Majestati, & tandem beatifica ejus fruamur visione. Qui jam operatur contrarium, sibi timere debet, quod tempus à catenis se eximat, & se à servitute dura liberet; idque frequenter demonstrat experientia, quod, quando reprobi sunt in majori ardore peccandi, tunc tempus eos deserat & deficiat: *Psal. 54. 24.* *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Hugo Card. exponens consilium illud Ecclesiastici: *Eccli. 4. v. 23.* *Hug. Card. in hunc locum.* *Fili conserva tempus, id est,* inquit & monet ille, *cave de tempore male agendo, vel otiosus existendo,* unde Eph. 5. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; & desinite à malo opere, vel à malo homine, vel à diabolo.* Tempus est in suo centro, tunc sua gaudet libertate, quando cooperatur gloriæ & servitio Creatoris sui, & quando ad finem, ob quem nobis indultum est ordinatur, tunc insuper censetur quasi è catenis eductum & liberatum à dura servitute, quando non servit impie & male viventibus, quibus contra naturalem suum instinctum, ut Deo obediat, servitium præstet, oportet. Cæterum *Ephes. 5. 15.* *tempus habemus, ut operemur bonum.*

Plus temporis consumimus in servitio corporis, quam animæ. *D. Carth.* 3. *Redimentes tempus:* Hæc verba Dionys. Carthus. in hunc exponit modum: *Redimentes, id est, ab infrauosis occupationibus expedientes, tempus vitæ præsentis, id est, certas horas ad vacandum Deo aptantes.* Circulario diei naturalis conficitur & absolvitur 24. horis; quot quantasque horas impendimus studio, labori, somno negotio, sustentationi corporis? at in gratiam animæ novimusne redimere tempus: *Psal. 45. v. 11.* *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus?* Cum tempus Deus concesserit, ut negotiemur & operemur salutem æternam, illud expendamus in divinum ejus obsequium & servitium, quis non videt, magnum esse inconveniens, totum si consumatur in commodum corporis, & non animæ?

Quare dicantur dies mali. *Ephes. 5. 16.* 4. *Redimentes tempus.* Ratio ab Apostolo allegata consideratione & observatione digna est, quia subjungit: *Quoniam dies mali sunt.* Gen. c. 1. reperiemus, quod, postquam facer Chronista aliquoties replicallet: *Factum est vespere & mane dies unus, dies secundus, dies tertius &c.* simul quoque repetierit: *Gen. 1. v. 5. 8. 12. & 13.* *Et vidit Deus, quod esset bonum;* Quomodo igitur dici possunt dies mali? Responderi potest, Apostolum hac uti denominatione, quia tempus serviebat pravam vitam ducentibus, quod paulo clarius expressit Chrysostomus dicendo: *D. Chrys. Hom. 19. in Ep. ad Eph.* *Quomodo ergo dies vocati malos? Quomodo tempus malum? Non essentiam, neque res creatas, sed propter ea quæ fiunt in ipsis. Sicut nos quoq; solemus dicere: Transegi diem malum & gravem. Aliqui quomodo fuerit gravis, nisi ex iis quæ in ipso accidunt? Quæ autem in ea accidunt, sunt quidem bona à Deo, mala autem à malis hominibus. Malorum ergo quæ accidunt in temporibus, homines fabricatores sunt, & propterea tempora dicuntur mala; ita nos quoque mala vocamus tempora. Propterea,* inquit, *nolite fieri imprudentes.* In quo vero consistit hæc imprudentia, nisi quod faciamus tempus servire malo, cum creatum sit, ut cooperetur nostro bono: *Tempus habemus, ut operemur bonum.* Jam illud redimamus. Ergo Dionysius Carthusianus hanc aliam dat expositionem: *Redimentes tempus, id est, tempora, quæ infructuose expendistis, reparantes per fructuosissimam occupationem temporis præsentis atque restantis, quatenus priores negligentias & impietates recompensetis per ardentissimam conversationem temporis nondum elapsi, quo estis victuri, ne inter impios numeremini,* de quibus canit Psalm. *Viri sanguinum &c.* *Gal. 6. 10.* *D. Carth. ib.* *Psal. 54. 24.* Interpretatur deinde sequentia verba: *Dies mali sunt; non quod dies in se mali sint, sed quia mala insunt hominibus in diebus sæculi hujus viventibus; Scriptura enim tempori ea adscribit, quæ fiunt in tempore,* quemadmodum 1. Mach. inducitur: *Videns Jonathas, quia tempus eum juvat;* Hinc enim *1. Mach. 12. 1* Salvator: *Sufficit,* inquit, *diei malitia sua;* & in *Matt. 6. 34.* Genesi Jacob asseruit: *Dies peregrinationis meæ mali & parvi.*

Quomodo tempus perditum redimendum.

Igitur quomodo tempus redimi & liberari potest à malitia, non sua, sed male viventium culpa contracta? *Tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus, dum enim male agimus, tempus, in quo bene operari debueremus, amittimus, sed damnum temporis redimimus, si ita vitam commendamus, ut ea bona, quæ olim facere negleximus, & ea quæ nunc facere debemus, faciamus.* Hæc D. Anselm. Ergo advertendum, bona hæc opera non esse procrastinanda: *Non quasi insipientes,* *S. Anselm. ib.* *sed ut sapientes;* In quo consistit illa stultitia? S. Bernardi doctrina est: *Sede, computa quid diebus singulis* *S. Bern. in* *acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullum* *flor. c. 207.* *omnino bonum irremuneratum fore, & sicut non capillum de corpore, sic nec momentum de tempore peritura. Quid illud Sapientis consilium ingeram. Ne tardes converti ad Dominum, nescis quid superventura pariat dies. Quid insaniam causet de futuro tam temeraria præsumentis, quasi vero tempora & momenta pater in tua, & non magis in sua posuerit potestate, vel voluntate.* S. Isidori Pelusiotæ monitum est: *Non est* *S. Isid. Pel.* *procrastinandum, differendumque bone vir, sed optima* *l. 5. Ep. 369.* *quaque agenda; neque enim finis tempus novimus, ac ne Dæmoni quidem malas artes, versutiasque quibus nos oppugnat, qui præsentibus nos excutiens, futurorum promissis erudit, &c. De futuris inani spe lætans, qui hodiernum diem semper præsentem arbitrantur, à se persuasos præcipitat. Quapropter & rei gerendæ occasionem in nihil agendo consumentes, opportunitatem temp usque negligunt.*

Tempus ad laudabiliter operandum valde est exiguum.

5. *Redimentes tempus.* Docet ipsamet experientia, quam exiguum sit tempus, de quo disponere possimus, ad bene laudabiliterque operandum: *Breves dies hominis sunt, ... constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Moralis etiam Seneca Epist. 1. brevitatis hujus mentionem facit cum scribit: *Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt; turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam venit, & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Legimus in S. Isidoro Pelusiota: *Ne* *S. Isid. Pelus.* *tempus abire ac fluere ignoremus, multis ostenditur sig-* *Epist. 266.* *nis & argumentis, puta, nocte, die, hebdomada, mense, anno atque Olympiade, &c. tempori velocissimo, ac retineri vel reverti, aut etiam stare nescio, possidentia bona opera possidentes, cum multis mercibus ad littora appellamus. Habeamus itaque instantis temporis rationem, nam tunc & capi potest; & retineri. Præteritum elapsumque assequi non possumus. Alatum enim est & velox, & longe à tergo relinquit insequentes, quin etiam* *Job 14. v. 5.* *Seneca Ep. 1.*

Cum tempus sit alatum qua ratione tamen possit redimi. *S. Antonin. P. 2. t. 9. c. 4. §. 1.*

comitus prehendi nequit.

Ast si tempus alatum est, tantaque cum velocitate avolavit, nec est qui illud retinere possit, qua igitur ratione aut modo redimi poterit? S. Antoninus scribit: *Brevius adhuc restat tempus, si demutur de eo tempus, quo dormitur, & alias necessitates sumimus, quod est quasi perditum, & ideo Apostolus ait Ephes: redimentes tempus quoniam dies mali sunt, id est, diligenter & utiliter expendentes ipsum, non otiose.* Bene & utiliter expen-

S. August. Dom. 5. ex. 50. expendetur & redimetur tempus; si impenderimus illud juxta consilium S. Augustini: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? In hac autem vita jubet nos Apostolus redimere tempus, quoniam dies mali sunt; & quid est redimere tempus, nisi cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capessenda spatia temporis comparare?* Origenes considerat sensum & mentem S. Paulli, quam nobis exprimere prætendit verbis istis: *Quoniam dies mali sunt;* unde sic discurrit: *Dies malos habemus, quando carnalia pro spiritualibus quærimus, terrena pro cælestibus, pro æternis caduca præsentia pro futuris, sentire pro diebus malis ac pessimis positum.* Hisce conformis est expositio, quam dat Theodoretus inquiens: *Malos dies non vocat ipsum tempus, cujusmodi enim improbitatem habuerit tempus? Sed scelera & flagitia, quæ in ipso perpetrantur, & ideo dixit, redimentes tempus, hoc est, tempus non est vestrum; inquilini enim estis, & viatores transeuntes.*

Ephes. c. v. 16. *Orig. Hom. 1. in lib. Judich.* *Theodoret. in hunc locum.*

S. Epiph. Tom. 3. adverss. hæres. l. 3. Hær. 42. 6. *Redimentes tempus.* Aliam reperi expositionem textus hujus in S. Epiphanio: *Apostolus dixit, redimentes tempus. Atqui neque dies emuntur à nobis, nec pro illis pretium ullum persolvimus, sed ad patientiam & tolerantiam, animique constantiam exprimendam, eam loquendi rationem adhibuit.* Totius mundi thesauris nec comparari, nec redimi potest unicum minutum temporis; sat tunc illud redimere intelligimur, quando illud expendimus in exercitium virtutum bonorumque operum: *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

Gal. 6. v. 10. Tempus perditum redimunt, qui ad meliorem frugem conversi divinæ gratiæ famulatui cooperantes, amissa recuperant brevi temporis spatio.

7. *Redimentes tempus.* Si consideretur textus Græcus, idem est *redimentes,* quod *mercari tempus.* Nonnumquam contingit, quod mercator toto die vel etiam tota septimana stabit in sua officina, & nullas prorsus dividet merces; at talis postea poterit accidere etiam occasio, quod suffragante fortuna ac propria industria, transcendente lucro antecedens refarciat damnum. Multi fortassis sunt, qui vixerunt otiosi, dissoluti, pigri in via Dei & profectu animæ suæ; sat cum postea se convertunt, tanto cum fervore spiritus cooperantur Divinæ gratiæ, tantaque cum virtute præteritæ negligentiæ excutiunt somnum, ut brevi temporis spatio plurimum proficiant in spiritu & perfectione, & proficiendo superent multos, qui diuturno tempore in divino servitio se fatigarunt. Parabola de operariis laborantibus in vinea hanc veritatem ostendit esse evidentem, videlicet, quod unus brevissimo spatio mercedem mereri possit parem & æqualem ei, quam *Matt. 20. 12.* meretur, qui diu sudavit & laboravit: *Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.* Legimus in Epistola S. Hieronymi: *Noli,* inquit, *fidem pensare temporibus;* & allegato deinde exemplo Sauli, qui subito transmutatus fuit in Paulum, concludit dicens: *Subitus calor longum vincit teporem.* Quemadmodum qui habet notitiam mercandi & lucrandi: exiguis nummis multas comparare novit merces, è quibus in aliis locis mira & magna elicit lucra; ita qui novit usum temporis, subito eminentes lucrabitur & conquiret gradus æternæ beatitudinis. S. Bernardinus postquam dixisset: *Vide peccator temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, & gloriam;* subjunxit: *O si talis mercantia ad infernum portaretur solum tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum, emerent illud pro mille mundis si possent.* Ut persistamus in hac metaphora nundinarum, volumus denique Nazianzeni audire monitum: *Vita nostra,* inquit, *quasi mercatus est, cujus tempus cum abierit, tempus non erit amplius emendi, quæ velis.* Non debemus perdere occasionem redimendi tempus, quando nobis offertur, secus incurremus periculum perdendi lucrum, quod facere possumus, quod est omnium maximum, ac propterea *dum tempus habemus, operemur bonum.*

S. Hieron. lib. c. 1. ad Gal. usque sæculorum, ut irreprehensibilem ac timoratam ducant vitam: *In timore,* ista utitur phrasi, *incolatus vestri tempore.* In hoc vocabulo, *incolatus,* confidero, quod, quamvis in hoc mundo conduxerimus domicilium, attamen definitum est & circumscriptum tempore, *incolatus tempore.* Id si studio ante oculos mentis statuamus, & serio meditemur, nihil timendum erit, quin prævio duce timore temper vivamus. S. Hieronymi doctrina est: *Infamantur saltus, cum latrociniis pleni sunt, non quo terra pecoet, & sylvæ; sed quo infamium homicidij loca quoque traxerunt. Detestamur & gladium, quo humanus effusus est cruor, & calicem, in quo venenum temperatum est, non gladij calicisque peccato, sed quod odium mereantur illi, qui his male usi sunt. Ista est sæculum quod est spatium temporum, non per semetipsum aut bonum, aut malum est, sed per eos, qui in illo sunt, aut bonum appellatur aut malum.* Si contingat nos vivere in timore Dei, tempus, quod labitur, quo vitam præsentem ducimus & mensuramus, etiam bonum est; at si aliter vivamus, cum Apostolo tunc dicere poterimus: *Dies mali sunt.*

Ephes. 5. 15. & 16. *Horol. primo. l. 1. c. 21.* Omnis dies nobis sit suspecta tamquam ultima.

2. De Biante scriptum reperio: *Bias quærenti, quid difficillimum esset mensuratu? Nihil ingrat, verum omnium esse, quod tam accuratam desideret, quam tempus in metiendo diligentiam. Adeo quippe exacte metiendum tempus, ut neque rationi quidquam ad bene agendum desit, neque libidini quidquam ad male agendum superfit.* Sententiam moralem legi in Stobæo, quæ, si à Doctore Sacro S. Ecclesiæ dictata esset, dignior esse non posset: *Non est,* inquit, *præsentem diem recte transigere, nisi statuas eam quasi ultimam transigere.* Ipsissimum consilium hoc est, quod dabat Magnus Antonius, ut quando quis mane è lecto surgeret, vesperi se feretro impositum sibi persuaderet, idemque iturus cubitum & dormiturus crederet. Seneca moralis inter cætera exercitia, quibus in via virtutis multum proficere se profitebatur, principalissimum, ut ipsemet in Epistola sua, quæ est 93. fatetur, hoc erat: *Nec ideo mihi plures annos accedere recusaverim, nihil tamen ad beatam vitam defuisse dicam, si spatium ejus inciditur. Non enim ad eum diem me aptavi quem ultimum mihi spes azida promiserat, sed nullum non tamquam ultimum aspexi.* *Seneca Ep. 93.*

Homo nec unicam horulam sibi potest adpromittere. *Matt. 25. 13.* *2. Cor. 6. 2.*

3. Qui serio se reflectit ad tempus nobis concessum, in veritate comperiet, quod non unum diem, imo nec unicam horam nobis adpromittere valeamus: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Quicumque hanc considerationem cordi habuerit impressam; innocentem profecto ducet vitam: *Ecce nunc dies salutis,* qui semper hanc veritatem & singulis momentis, quibus respirat, *ecce nunc,* recogitat, de salute sua æterna certus & securus erit. Reprobi persuadent sibi in hac vita se perpetuandos fore, ac tempus habere in sua voluntate positum: *Reproborum mens erga dies vitæ* *S. Greg. l.* *præsentis tanto amore constringitur, ut sic semper hic ap-* *8. mor. c. 7.* *petant vivere, quatenus si valeant, vivendi cursum desiderant numquam finire,* ait D. Gregorius.

Job temporis considerans brevitatem primævam confervavit innocentiam. *Job. 1. v. 1.* *Psal. 72. v. 7.* *Job. 7. v. 6.*

4. Unde innocentiam illam, in qua S. Job à primæva ætate vixit (ortum suum duxisse creditis) *Simplex & rectus & timens Deum, permanens in innocentia sua, non est ei similis in terra.* Constitutus erat à Deo in culmine supremo humanarum felicitatum, quæ scopulorum instar solent plerumque esse causa naufragii, æternæque perditionis: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Respondetur, quod temporis, in quo vivituri, respiciebat brevitatem & velocitatem: *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur; Breves dies hominis sunt;* pergit ulterius jungens simul cunas cum feretro seu tumulo: *De utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Trita est sententia illa S. Hieronymi asserentis: *Facile contemnit omnia, qui se cogitat quotidie moriturum.* Actus summæ prudentiæ est, qui ex necessitate novit facere virtutem. Singulorum, quotquot in hoc mundo nascuntur, hominum vita necessariò inuititur tempori, nec ullos novit, quantum temporis vitæ suæ Deus præstituerit, an centum, vel octoginta, aut triginta, an decem, vel unum dumtaxat annum: *Nescit homo finem suum.* Faciamus igitur ex necessitate virtutem, credendo omnem diem, omnem horam esse ultimam vitæ nostræ, sic enim esse poterit, & quia tempus hoc nobis concessum est ad acquirendam beatam æternitatem, tempus, quod præterlabitur per momenta, laudabili quadam & fructuosissima Alchimia transmutare debemus in æternitatem, impendendo illud servitio Dei & saluti animæ nostræ. *Ibid. v. 10.* *Ibid. v. 20.* *Eccle. 9. 12.*

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Modus traditur & methodus, qua tempus conservemus, & expendamus cum nostro emolumento & innocentia Christiana; item qua ratione tempus possimus facere nostrum.

THEMA.

In timore, incolatus vestri tempore conversamini.
1. Petr. 1. v. 17.

Tempus in se non est malum, sed male in illo operantes, illud infamant.

IN vita verat S. Petrus primos illos Christianos, ac simul cum eis invitat reliquos omnes ad finem

Alc. Epist. 1. Tempus gaudij futuræ vitæ æternum est, tempus laborum hujus vitæ breve.

5. B. Alcuinus Epist. 1. ad Divinam se reflectens misericordiam; qua disposuit tempus gaudendi in futura vita esse æternum; in præsenti vero tempus laborandi esse breve, in hæc prorumpit verba: *Ineffabilis vero Dei pietas humano providebat generi breviter laborare; & æternaliter coronari, ideo pretiosa debent esse nobis tempora, ne perdamus per negligentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus æternum.* Ne quidem unicum temporis momentum negligendum est, quia non sumus certi & securi habere aliud; unde Sanctus ille Prælatus, Episcopus Herbipolensis, homo illuminatus frequenter replicare solebat: *Omni momento ad ostium æternitatis sto.* Imaginabatur sibi ac persuadebat pulsare ostium æternitatis singulis horis ac momentis. S. Hieronymus interpretando verba hæc Aggæi Prophetæ: *Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* scribit hæc ad nostrum propositum: *Omne tempus quo habitatio vallis eligitur, vel servimus delicijs, importunum est; omne enim tempus, in quo non virtutibus, sed vitijs deservimus, perit, & quasi non fuerit reputatur in nihilum.* Qui vivit in peccato, non vivit, *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*; Tempus nobis assignatum est, ut vivamus, & non moriamur.

Aggæi. 1. 4. S. Hier. ib. — Ezech. 18. 4.

Quomodo tempus possimus facere nostrum. Seneca Ep. 71. Act. Apost. 1. v. 7.

6. Recurrit Seneca subministraturus etiam nobis consilium suum, quomodo tempus possimus facere nostrum: *Id agamus*, inquit, *ut tempus omne nostrum sit.* Nesciebat ille, quod Filius Dei ante ascensum suum in cœlum asseruerat: *Tempora & momenta Pater posuit in sua potestate*, intelligere nihilominus poterat, quod ob velocissimam temporis rapiditatem, ejusque irrevocabilitatem, illud retinere, & nostrum facere, ac de eodem disponere nequeamus; Cur ergo dixit: *Id agamus, ut tempus omne nostrum sit.* Notate hanc vocem, *omne*; totum & omne tempus, quod indulgetur somno, mensæ, recreationibus, & quodcumque aliud tempus, quod rebus impenditur indifferentibus, potest esse nostrum, si praxin illam noverimus; modum nos docuit idem Seneca dicens: *Non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus.* Quod tempus possit esse nostrum, expressam hujus rei veritatem ostendit quoque nobis Salvator noster Joan. cap. 7. *Tempus autem vestrum semper est paratum*; nostrum est, quotiescumque illud expenderimus in commodum & beneficium animæ nostræ: *Cætera* (verba sunt B. Laurentij Justiniani) *quæ habemus in mundo, à nobis aliena sunt, tempus autem proprium nostrum est, si tamen illo utimur ad salutem. Illud siquidem divina nobis clementia contulit, ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vindicandam gratiam, ad inferni supplicia evadenda, ad æternam gloriam consequendam.* In alias res si quis expendit tempus, abutitur eo, ac propterea merito illo privandus est, & tamquam usurpator alienæ rei puniendus.

Joan. 7. v. 6. — B. Laur. Just. de vit. solit. c. 10.

Continuatur idem argumentum. Seneca Ep. 1

7. Seneca Epist. 1. hæc scribebat Lucilio: *Ita fac mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc, aut auferebatur, aut surripiebatur, aut exciderat, collige, & serva.* Intelligebat quoque lumine naturali instructus, quod tempus retinere, ac proprium nostrum facere possimus, tametsi volet & præceps abeat, quamvis nullum in illud habeamus dominium, quod tunc fit, cum illud virtutum exercitio impendimus. Ubi insuper idem Seneca tractans de brevitate vitæ nostræ, hæc scribit: *Magna mihi crede, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore dilabi sinere, & ideo vita ejus longissima est, cui quantumcumque potuit, totum ipsi vacavit. Nihil inde occultum, otiosumque jacuit, nihil sub alio facit; neque enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret custos ejus parcissimus.*

Idem de brevit. vitæ c. 7.

Hugo de S. Vict. H. 13. in Eccle. Bene utenti tempore omnia sunt bona.

8. Hugo de S. Victore Hom. 13. in Eccle. hanc quoq; tetigit materiam, cum ait: *Ille prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem à sua stabilitate inclinare; omnia enim suo tempore bene utenti bona sunt.* Qui utitur tempore eum in finem, quem Deus ipsi assignavit, & hujus curam habet: totum hoc quod operatur, attribuitur, & accrescit ejus merito, quamvis dormiat, manducet, tametsi rationabili ac honestæ intersit recreationi, esto etiam laboret, studeat, varijsque occupetur negotijs, cum enim omnia hæc ordinata sint ad necessitatem hujus vitæ, vel ad propriæ vocationis convenientiam, totum, inquam, Deus adscribit ejus merito. Cecinit Regius Propheta: *Ideo convertetur populus meus hic, & dies pleni invenientur in eis.*

Ps. 72. v. 10. Quisnam dicantur dies pleni.

D. Chrys. cit. ab Hug. Card. in hunc loc.

Ubi S. Chrysostomus citatus ab Hugone Card. discurrit in hunc modum: *Si computet quis tempus suum, & diætas suas, quid omni tempore recepit à Domino, quid fecerit pro Deo; inveni & omni die Deum præstitisse mercedem operis servo; scilicet, cibum, vestem, sanitatem, potestatem, facultatem, & hujusmodi omnia; nos vero quantum temporis expendimus in rebus supervacuis?* Verum conformiter nostro proposito; *Dies pleni*, dicuntur illi, qui insumuntur utiliter; *Dies pleni, si illis utimur ad salutem.* Nec à proposito discordat, quod ait Seneca Epist. 93. *Non ut diu vivamus, curandum est, sed ut satis; nam ut diu vivas, facto opus est, ut satis, animo. Longa est vita, si plena est, impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit.* Ad hoc quoque propositum accedit Thomas à Kempis, omnia bona nobis apprecans: *Utinam per unam diem bene essemus conversati in hoc mundo.*

Seneca Ep. 93. — Thom. à Kemp.

Ætas nostra ab illo tempore computatur quo incepit esse virtuosa. Sap. 4. v. 8. Ibid. v. 13.

9. Considerastisne umquam, unde Spiritus Sanctus incipiat computare ætatem & vitam nostram? Non ab annis, non à diuturnitate vitæ prolongatæ ad decrepitam usque ætatem, sed bene ab eo tempore, quod virtuose expositum fuit: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et statim sequitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Ubi Hug. Card. exponendo subdit: *Quasi dicat, senectus justi venerabilis est, non quia diuturna, sed quia moribus comprobata. De malis supradictum est, quod si longæ vitæ fuerint, in nihil computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum. Cani sunt sensus hominis, &c. sensus sunt cani hominis interioris, quia sicut cani corporis nascuntur calore naturali frigescente, ita cani spirituales, qui ornant caput hominis interioris, id est, mentem, oriuntur incentivo vitiorum cessante.* Huc spectat quoque doctrina S. Ambrosij: *Vere senectus ista venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit; ea enim est reverenda canities animæ in canis cogitationibus & operationibus effulgens. Quæ est enim vera vita senectutis nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus sed sæculis propagatur, cujus sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas?*

Hug. Card. ib. — S. Ambr. l. 3. Epist. 21.

1. Reg. 13. 1. Hoc clarum est exemplo Regis Saulis.

10. 1. Reg. cap. 13. legimus de Saule: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*; & tamen de fide constat, eum fuisse hominem ætatis consistentis siquidem asinos pascebat; quomodo ergo sacer textus ait, eum nonnisi unius anni fuisse filium? Dubium hoc amplius crescit propter verba, quæ sequuntur: *Duobus tantum annis regnavit super Israël*; cum tamen pariter certum fit, quod longo tempore regium occupaverit thronum? Dubia omnia solvit S. Gregorius dicens: *Licet multis annis regnaverit, illos solos regnasse dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur.* Hoc idem de eo, qui longo vixit tempore, asserere possumus; Hoc solum tempus ei computabitur in calendario cœli, quo vixit in Christiana innocentia, *in timore, incolatus sui tempore conversatus est*; hunc etenim in finem, & non in alium, Deus nobis concedit donatque hunc pretiosissimum thesaurum.

Ibid. — S. Greg. in hunc locum.

Ps. 118. 126. S. Bonav. in hunc locum. Carpuntur tempus male impendentes.

11. S. Bonavent. considerando versiculum Ps. 118. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam*, hunc instituit discursum: *Considerandum*, inquit, *quid expenditur; quis offenditur; quid magnipenditur; & quid parvipenditur. Quoniam illud indecenter expenditur, quo nihil pretiosius; ille irreverenter offenditur, quo nihil gratiosius; illud impudenter magnipenditur, quo nihil perniciosius, illud imprudenter parvipenditur, quo nihil fructuosius. Quid enim tempore pretiosius? Quid Domino gratiosius? Quid prævaricatione seu legis dissipatione perniciosius? Quid divina lege fructuosius?* Appositam valde & accommodatissimam in B. Laur. Justiniano reperio doctrinam moralem, sic discurrit: *Perniciosus est amor, dum temporalis vita diligitur velut perpetua. Prævalet tunc adversarius; dominatur vitium, subvertitur intellectus, & pene omnis sancta depravatur intentio. O quam detestandum est, & ab humano sensu alienum, fluctibus superædificare velle labentibus, & per momenta singula inhærere cadentibus. Quis in sæcularibus negotijs, nisi infatuatus & stolidus hoc agere niteretur? Quis talia non argueret perpetrantem? Novit persæpe qui rationis est capax, damnare in altero, quod abhorret à vero, & inconsulte perficitur. Novit, inquam, quisque interdum prudentius aliena judicare, quam sua. Nemo laudaret inutiliter pecunias disperdentem, sed neque ultro properantem ad interitum, & tamen pene omnes hoc faciunt, & nemo miratur, nec reperitur, qui cohibeat hujusmodi, sive redarguat. In hac vita quid pretiosius tempore? Nihil æque tam nostrum, tamque proficuum ad promerendum cœlestia quàm tempus*, ergo sequitur illud non esse insumendum ad acquirenda hæc bona mundana, secus enim facientes, prodigi illius erimus dissipatores.

B. Laur. Just. de compunct. & comp. Christ. perfect. Perniciosum est hunc vitam diligere velut perpetuam.

Tristitia de perdito tempore frustranea est. Sim. de Cassia lib. 13.

11. *Frustra est tristitia temporum labentium perditorum* [ita discurrit Simon de Cassia] *reprehendi solum possunt, aut in tabula damnata depingi tempora vacua, quæ præteritum in suo jure suscepit, corrigi autem umquam nec in charta satisfactoris adscribi. Potius maleactum per pœnitentiam sequentem diluitur, quam recuperari possit bonum, quod excidit ex incuria seu negligentia, vel quomodolibet prætermissum. Non ergo prætereamus horam nostram, quia nescimus horam divinam. Hora nostra est actionis, dijudicationis est hora divina; ait enim ipse Salvator, vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* In antiquo authore hoc scriptum invenio: *M. Varro dicere solebat, nullam jacturam esse graviorem, præsertim scienti, quam temporis.* Homo Christianus, si male expendit, & inutiliter perdit tempus, magis reus & culpabilior est, quam sint ipsi infideles, quia ex fide novit sibi datum esse, ut *dum tempus habet, operetur bonum.* Experientia compertum est, nihil esse, quod vilius à nobis æstimetur, cujusque minorem habeamus curam, quam ipsius temporis, cætera omnia magnifacimus, tempus parvi, imo floccipendimus: Unde dolenter conquerebatur S. Augustinus: *Si tibi*, inquiens, *vinum minuatur in utre, tristaris; diem perdis & gaudes?*

Matth. 25. 13. — S. Aug. ser. 17. de Verb. Dom.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quantum utilitatis conferant occupationes & labores ad fugiendum otium, ubi & laudantur, qui tempus bene impendunt.

THEMA.

Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes. 2. Thess. 3. v. 8.

Apostolus Paulus maluit labore suo comparare sibi victum quam alio modo.

1. CUm Deus Paulum Apostolum elegerit, ut prædicatione Evangelij mundum ad Christi fidem converteret, aliunde vero ipse Apostolus bonis patrimonialibus abundaret, aut certe in suum favorem uti potuisset hac dispensatione: *Qui altari servit, de altari vivere debet.* Merito inquiri potest, cur voluerit potius laborare, victumq; ac necessariam sustentationem labore & sudore lucrari? Nonnullas reddit Apostolus ipsemet rationes; *Ne quem vestrum gravaremus*, est prima, sed altera magis essentialis est: *Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Cognoscebat optime Apostolus, quantum vitæ unius hominis conferat sublevamen & solatium, si fugiat otium, manusque applicet labori; unde sequitur in eadem Epistola: *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Quod ut ardentius urgeret, subdit: *Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes, Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* In quæ verba scribit S Ambrosius & ait: *Quem si Epistolæ authoritas non corrigit, notandum hunc, nec conversandum cum eo præcepit, ut confusus, quia ab omnibus evitatur, subjiceret se præceptis Apostoli.*

2. Thess. 3. 8. — Ibid. v. 9. — Ibid. v. 10. — Ibid. v. 11. Ibid. v. 12. — Ibid. v. 13. & 14. — S. Ambr.

Pigri & otiosi merentur lapidari stercore boum. Eccli. 22. v. 2. S. Bern. in declamat.

2. S. Bernardus examinando textum hunc Ecclesiastici: *De stercoribus boum lapidatus est piger*, observat: *Scriptura est, in desiderijs est omnis otiosus; & item, de stercoribus boum lapidabitur piger. Væ, væ misero, dum stercoratur, putatur ornari. Bos erat Paulus, triturans in area Domini, & suum utique agnoscens possessorem; unde & dicebat: Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Hæc amplexatur stercora, etiamsi quondam nutritus fuerit in croceis. His lapidatur stercoribus piger, qui Christum lucrifacere negligens, corde vacuo & deserto foras cogitur evagari.* Verum cum me ad omnia illa, quæ de S. Paulo diximus, reflecto, asserendum mihi videtur, quod omnis Christianus otiosus & piger in servitio Dei, animæque suæ profectu lapidari mereatur stercore hujus mystici bovis; *Bos erat Paulus*; etenim si tantus Apostolus manus applicat laboribus, esto alias in conversione mundi adeo occupatus fuerit, quanto magis bonam merebitur reprehensionem propter otiositatem suam, qui similibus, quibus Apostolus, non detinetur negotijs.

Joan. 15. v. 1. Homo instar vineæ semper debet excoli. Ibid. v. 5. S. Bern. ser. 63. in Cant.

3. Cœlestis agricola, qui dicebat: *Pater meus agricola est*, vocavit se vitem; *Ego sum vitis* & fideles palmites: *Vos palmites*; vinea continuo indiget labore, non sic est de pratis & sylvis. S. Bernardi reflexio & doctrina est: *Bona vinea justi, imò bona vinea justus; cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Vides apud Sapientem vacare nihil? Sermo, cogitatio, conversatio, & si quid aliud est ex eo quidquid totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, & vinea Domini Sabaoth.* Dignum observatione est, quod in parabola illa ab incarnata Sapientia composita nonnulli operarij protestati fuerint, non tantum quod laborassent; verum etiam, ut exprimerent quanta cum diligentia laborassent, dixerunt: *Portavimus pondus diei & æstus.* In Epistola quadam S. Francisci de Sales [qui tamquam novellus nostrorum temporum Apostolus ad veram fidem & pœnitentiam convertit plus quam septuaginta animarum millia] humillima hæc legitur ejusdem lamentatio & deploratio: Ah, quando considero quibus hactenus impenderim tempus Dei, magnis premor angustijs timens, ne me velit excludere ab æterna gloria, hanc enim nonnisi tempus bene impendentibus communicare intendit, ex quibus hoc jam conficio argumentum, quanto majorem illi habebunt occasionem timendi Deum, qui tempus inutiliter profundunt in ludos, recreationes, convivia ac similes dissolutiones; suntque hostes laboris?

Matth. 20. 12. — S. Franc. Salesi l. 7. Ep. 1

Act. Eccle. Mediol. f. 170. S. Carolus Borromæus otium omnino arceri voluit à Clericis.

4. In concilio Provinciali quarto S. Carolus ordinavit, mandans suæ provinciæ Episcopis: *Unusquisque suæ provinciæ Episcopus, atque alij item qui ipsius nomine & authoritate visitationis munus obibunt, videant atque inquirant diligenter, quibus in rebus tempus Clerici consumant, atque in ijs potissimum, quæ ab illis agi, curarique debent; qui in Dei cultum se dediderunt. Quod si Clericos aliquos otiosos esse compererint, inita aliqua ratione, salutaribus eos occupationibus, & Ecclesiastico ordine dignis incumbere procurent ac provideant omnino, ne illi ad suæ salutis discrimen, & aliorum offensionem otio abutantur.* Alio quodam loco ejusdem voluminis, ubi tractat de institutionibus & regulis Seminariorum, leguntur sequentia: *Otium ac desidiam fugiant, quæ cum Ecclesiasticos omnes dedeceat, tum eos potissimum, quibus aliorum cura committenda est.* Domina de Canta fuit primogenita spiritualis filia S. Francisci de Sales, nec non prima petra fundamentalis; cujus opera ille instituit Ordinem Visitationis, de ista in vita sua legitur lib. 1. pag. 28. quod toto tempore viduitatis suæ numquā visa aut inventa fuerit otiosa, in ipsismet conversationibus non abhorrebat laborem. Cuidam illam roganti, ut spiritum nonnihil relaxaret, & arcum nimia occupatione tensum tantisper remitteret, gratiose replicans dicebat: Si unicum temporis momentum perderem, furti me ream existimarem, illud enim Ecclesiæ & pauperibus totaliter dedicavi. In vita S. Pachomij, qui regulas monachismi à se fundati ab ipsomet Deo excepit, legimus varia documenta Monachis suis tradita, præcipuum & majoris momenti fuit illud: *Non negligamus dies nostros, quos nobis largitus est Dominus.*

Ibid. fol. 960. — Exempla otium fugientium. Vita Cantal. l. 1. pag. 28. — In vita S. Pachomij.

Cum simus servi emptitij, semper operari debemus. 1. Cor. 6. v. 9. S. Anton. P. 2. t. 9. c. 14. Hug. Card. ib.

5. *In labore & fatigatione operantes.* Ingeniosam conformemq; huic proposito considerationem facit S. Antoninus asserens: *Sumus facti servi emptitij, empti enim estis pretio magno, scilicet sanguine Christi effuso in cruce, ait Apostolus 1. Cor. 6. & ideo glorificate & portate Deum in corpore vestro scilicet laborando pro ipso Domino, non otio torpendo.* Hugo Cardinalis exposuit verba illa ejusdem Apostoli in loco: *In labore & ærumna; in labore manuum à mane, vel pullorum cantu usque ad quintam horam labori manuum insistebat, unde victum acquirebat.* Argumentum, quod valde constringit, formavit Origenes in hunc modum: *Quare ægre fers laborare, & per bona opera teipsum causam tuæ fieri salutis? An magis te delectabit dormientem, & in otio constitutum, æterna prosperitate requiescere? Pater meus, inquit Dominus Jesus Christus, usque modo operatur, & ego operor, & tibi displicet operari, qui ad opera natus es?*

Orig. H. 3. in Ezech.

6. Voluit Filius Dei in domo fabri lignarij patris sui

Christus à juventute sua otium devitans, semper laboravit.

putativi vivere, &, ut huic nodo ac vinculo conjugali juncta esset sanctissima Mater sua, disposuit hunc in finem, ut & ipse laborare ac sudore suo victum lucrari posset: idque ad trigesimum usq; annum executus fuit. Quapropter in parabolis, veluti nonnulli notarunt similitudines proferre solebat de aratris alijsque similibus instrumentis, quibus eum in labore usum fuisse creditur, ac verisimile est. Vix natus in Bethlehem quosnam ministerio Angelorum è cœlo descendentium invitavit? Non Scribas, non Synagogæ Principes, non Sacerdotes & Pontifices, sed pauperes & labore fessos pastores, qui nocte dieque vigilant; *in laboribus à juventute mea*; & id intelligitur de Christo. Laboravit insuper & sudavit post trigesimum ætatis annum, discurrendo per Galilæam & Judæam, ac specialiter, ut refert de eo S. Joannes, quando ivit in Samariam, *fatigatus ex itinere*; *labore fatigatur, ut labori sanctitatem afferat*, subdit Nazianzenus.

Ps. 87. v. 7. — Ioan. 4. v. 6. — Nazianz. orat. 36.

Antiqui monachi Christi exemplo, summa cura semper fugiebant otium. In Vit. Patr. l. 4. c. 10.

7. Antiqui illi Monachi, qui Christi Apostolorumq; utpote viciniores temporibus, profitebantur Christi sequelam, summam adhibebant curam ut fugerent otium, sic de illis refertur in Vitis Patrum: *Nullum tempus ab operis exercitatione vacuum transire concedunt; quia non solum ea quæ diei splendor emittit, omni instantia manibus exercere contendunt, sed etiam illa operationum genera solicita mente perquirunt, quæ ne ipsius quidem noctis densissimæ tenebræ valeant impedire, credentes se tanto spiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæsituros quanto diutius fuerint erga operis studium ac laboris intenti.* Et cap. 30. expressius & clarius horum veritas amplius elucidatur: *Per totam itaque Ægyptum Monachi nullo modo patiuntur esse otiosi, sed victum suum labore manuum consequuntur & non solum de laboribus suis peregrinos & advenientes fratres secum reficiunt, sed etiam per loca Lybiæ, quæ fame laborant; nec non etiam per civitates, his qui in carceribus & diversis vinculis tenentur, immanem conferunt alimoniæ substantiam, de fructu manuum suarum rationabile sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes. Dicunt etiam operantem monachum Dæmone uno pulsari semper, otiosum vero innumerabilibus spiritibus devastari.*

Ibid. cap. 30.

S. Paschas. l. 9. in Matth. 20. — Christiani in vinea, cujus vitis Christus est collocati, debent esse operarij.

8. S. Paschasius tractando de præfata parabola vineæ scribit ista: *Omnes simul qui vocantur ad vineam, una Ecclesia sunt, unaque vinea de vite, quæ Christus est; propaginata; In qua, & ad quam qui intrant, vel qui conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarij esse debent. Quia nemo est, & si non alius, qui seipsum exercere & excolere non debeat, ut fructum ferat in Christo, & in vite maneat. Novit ergo quicumque manet in Christo, quantus, qualisve sit hujus vineæ labor, qualisve cultura, ne palmes luxuriet, & ne vitia subrepant.* Legite historiam relatam Lucæ 6. de homine illo, cujus manus dextera arida erat; præsentabatur ille Christo Domino in die Sabbathi, ut pristinam ab eo reciperet sanitatem, ast Salvator noster sanaturus illum, prius hoc proposuit dubium: *Interrogo vos, si licet Sabbathis bene facere, an male, animam salvam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam; & extendit, & restituta est manus ejus.* Non immerito quæstionem hic movet S. Augustinus: *Quæritur, cum corpus curaverit, quare sic interrogaverit, si liceat animam salvam facere, an perdere? Vel dixit hoc, quod illa miracula propter fidem faciebat, ubi salus est animæ; vel quod ipsa sanatio manus dexteræ salutem animæ significabat, quæ à bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur.* Quomodo incarnata Sapientia sanavit illum? Jubendo illi? *Extende manum.* Qui æternam salutem obtinere desiderat, manum extendat, operetur, necesse est, esto in die Sabbathi. S. Petrus Chrysologus ingeniosam hanc fecit reflexionem supra ista verba: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi. Sabbathum secundarium se lætatur effectum, quod jussione legis torpebat in otio & per diei dominici primatum in divinæ virtutis opera mirabiliter excitatur, quod judaicæ observationis inertia à virtute salutari reddebat extraneum, dicente Domino: Non licet sabbathis ægris curam, afflictis opem, cæcis visum, vitam mortuis condonare? Et interpretando taliter à Deo diem sabbathi sanctæ legis studijs deputatum miseræ tantum ventris addixerat servituti.*

Luc. 6. v. 9. — Ibid. v. 10. — S. Aug T. 4. l. 4. Evang. — Extendat manum ad operandum, qui desiderat æternam salutem. — Matt. 28. v. 1. D. Chrys. ser. 77.

Animæ & corpora sedulo operantium puriores sunt & vegetiores, quam otiosorum.

9. *In labore & fatigatione operantes.* Ubi S. Chrysostomus loquens ad propositum de S. Paulo, qui pro lucro victus se fatigabat: *Exercebat artem*, docet: *Nemo ergo erubescat ex ijs, qui sunt artifices, sed ij qui nihil agentes aluntur, & sunt otiosi. Perpetuo opus facientium alt est genus Philosophiæ. Eorum sunt animæ puriores, eorum sunt mentes robustiores ac firmiores; nam qui est otiosus; multa magis temere loquitur, & multa agit temere, & tota die nil operatur, multo veterno & torpore repletus; Qui autem versatur in operatione; nil otio admittit supervacaneum, neque in factis, neque in verbis, neq; in cogitationibus, tota enim anima perpetuo est extensa ad vitam laboriosam. Ne ergo eos contemnamus, qui aluntur manibus; imo vero propterea eos beemus:* Simon de Cassia diffuse supra vitam Christi discurrit; & dum venit ad Nicodemum principem Synagogæ, qui nocte Christum accedebat eidem locuturus, quærit, quodnam sit discrimen inter Nicodemum & sponsam, cujus mentio fit in sacris Canticis, quæque dolens conquerebatur: *Per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni.* Et solvit dubium sequentibus verbis: *Mirum autem cum sponsa quæsivit per noctem, quem diligit anima sua, & non invenit, & iste Nicodemus ad eum nocte venit. Sed illa quæsivit in lectulo suo, videlicet delectata quiete; iste vero cum venit, jugum otiositatis excussit, veniens & inveniens.* Erat homo nobilis, dives & princeps; at labore occupatus, quod ex eo deducitur, quod ut alibi insinuavi, exsculpserit vultum sanctum, quæ sculptura adhuc conversatur in urbe Lucensi mea patria.

D. Chrys. H. 5. in 1. ad Cor. — Cant. 3. v. 1. — Sim. de Cassia l. 11. c. 6. — Qui excutiunt otium inveniunt Christum.

10. Reprehendit S. Isidor. Pelusiota Theodorum Scholasticum: *Tu quidem opus omne, quod manibus elaboratur, turpe ac probrosum esse existimas, cum alioqui utile sit, atque ad tuendam vitam conducat.* Notetur hoc verbum, *tuendam*; quia dum labor nonnumquam debilitat corpus, eximit illud à vehementia motuum & tentationum carnalium, quibus plerumque subjectum esse solet in delicijs & otio, præterquam exercitium corporis plurimum etiam conducit ad sanitatem, sicque utilis est labor tam animæ quam corporis saluti. *Mitylenæus Pittacus, quamvis rex esset pistrinum tamen manibus suis exstruebat, simulque & actuose se exercebat, & cibum operabatur.* De Alphonso Rege Arragoniæ legitur, quod frequenter manibus laborabat, unde vice quadam ab amico familiari suo interrogatus, cur id faceret; respondit: *Numquid Deus & natura Regibus frustra manus contulere?* Adamus totius Universi Monarcha erat, nulla in statu innocentiæ adigebatur necessitate, ut in sudore panem suum lucraretur; attamen Deus in paradiso terrestri posuit illum, *ut operaretur*; cujus rationem reddit D. Chrysost. inquiens. *Nam cum omnibus delicijs potirentur, ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum videbant, quam lætitia eorum, quibus fruebantur, ut ne immodica prosperitate homo insolesceret (omnem enim malitiam docuit otiositas) propterea præcepit Deus, ut operaretur. Si laboris omnis fuisset expers, protinus ex multo otio in ignaviam prolapsus esset*; Non cecidisset Adamus, si manum adhibuisset operi; verum quia una cum sua conforte vagabatur otiosus per paradisum, ideo contra eos prævaluit serpens.

S. Isid. Pelus. l. 1. Ep. 470. — Operatio conducit ad tuendam sanitatem. — Exempla regum manibus laborantium. — Panorm. l. 1. de rebus Alphonsi reg. Arrag. — D. Chrys. H. 14. in Gen.

11. *Deus qui præcinxit me virtute*, cantat Psalmista; *& posuit immaculatam viam meam, Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, & super excelsa statuens me, Qui docet manus meas ad prælium.* Modum hic docet, quo se conservabat irreprehensibilem, vigoremque acquirebat ad resistendum & dimicandum cum inimico infernali. *Posuisti ut arcum æreum brachia mea*, brachia sua ad laborandum extensa, adeo robusta erant, ac si fuissent ærea, arcu semper tenso ad operandum paratus stabat. Scribit Seneca Ep. 93. *Laudemus, & in numero fælicium reputemus eum, cui quantulumcumque temporis contigit, bene collocatum est.* Paulo superius dixerat: *Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? Non vixit iste sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit? Interest mortem ejus ex quo die numeres. At ille obijt viridis, sed officia boni civis, boni amici, boni filij executus est, in nulla parte cessavit, licet ejus ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit, imo octoginta annis fuit, nisi forte sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere. Obsecro te mi Lucili hoc agamus; ut quemadmodum pretiosa rerum sic vita nostra non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore.* In progressu ejusdem Epistolæ scribit: *Quæris, quod sit amplissimum vitæ spatium? usque ad sapientiam vivere. Qui ad illam pervenit, attigit non longissimum finem; sed maximum.* Philonis Hebræi doctrina est; *Eorum qui nec disciplinis imbuti sunt, nec legibus; nec numerus initur, nec habetur ratio. Virtus & honestas in qualitate consistit, non*

Ps. 17. v. 33. & 34. — David modum docet quo se servavit irreprehensibilem. — Ibid. v. 35. — Seneca Ep. 93. — Quæ vita judicetur longa. — Philo lib. de pæn. & præmijs sub fin.

non in quantitate unde vel unus dies sine culpa transactus integræ vitæ sapientis æquiparatur.

Societas Jesu commendatur ob continuas occupationes. — Reg. 44. Sum. Societ. Jesu. — Vita Juven. Anc. l. 3. c. 14. — Exemplum notabile.

12. Inter omnes Religiones, quæ tempore nostro florent in spiritu, doctrina & exemplari vita, societas Jesu mirum in modum excellit, quemadmodum per totam Christianitatem idipsum experientiam commonstrat; sciendum est, hanc inter alias ei præscribi regulam: *Omnes quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur, ne otium malorum omnium origo, quoad fieri possit, domi nostræ locum habeat.* Servus Dei Juvenalis Ancinæ, dignus filius S. Philippi Nerij, de cujus beatificatione jam agitur in Congregatione rituum, erat inimicus otij, unde in ejus vita legitur, quod cum frater ejus illi scripsisset, ut inter domesticos computus inquireret & videret, quanta esset summa pecuniæ, quam quidam deberet, ut illam exigere posset, respondit: Sufficit, ego non habeo tempus inquirendi hujusmodi quisquilias; *malo fraudem pati; quam tempus pretiosissimum conterere.* Didicerat idipsum à D. Augustino alicui scribente hisce verbis: *Sed mi frater, & tu credo, quod noveris quanta sint in manibus meis, quibus ob diversas curas, quas nostræ servitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas alijs rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor.*

S. Aug. Epist. 136.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

De tempore, quod honestæ recreationi viriumque restaurationi impenditur, simulque commendatur otium & quies vitæ contemplativæ.

THEMA.

Tempus flendi, & tempus ridendi. Eccle. 3. v. 4.

Jucunda & hilaris recreatio viro prudenti permissa est.

1. Ecclesiastes qui fuit Rex Salomon, tempus non planctui dumtaxat, sed etiam risui assignavit: *tempus flendi, & tempus ridendi*; consequens ergo est, quod in honestas recreationes, in jucunda & licita animi corporisque exercitia tempus expendi possit. Ita est, observandum tamen Sapientem præmisisse: *Tempus flendi*; adeoque recreatio debet esse restauratio sive sublevamen laborum, operumque pœnitentialium præcedentium, juxta tritam illam regulam: *Frangitur intensus nisi quando remittitur arcus.* Sancti Augustini doctrina est allegata à D. Thoma, quando tractat de Eutrapelia: *Volo, tandem tibi parcas, nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus gerendis intentam. Numquid caro mea ænea est*, dicebat Job? Pro conservatione sanitatis corporalis (cui innititur virtutum ædificium, etenim quando quis infirmus est, nihil in Dei servitio præstare potest) expedit, ut aliquando tantisper nos recreemus ad eum modum, quo facere solet magnum daturus saltum, is prius aliquot passibus retrocedit, ut majori cum impetu transilire possit, pari ratione nonnumquam se recreet, jucundus ac hilaris sit, oportet, qui hanc terram transire ac transilire debet, ut deinde eo magis idoneus & aptior fiat ad elevandam mentem suam in cœlum. Tetigit quoq; hoc punctum moralis Seneca de tranquillitate, cum ait: *Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti surgent.* Inutilis videtur somnus & superfluus, quia homo à somno absorptus mortuo non absimilis est, & vero magna pars ætatis & vitæ per somnum consumitur, dum homo tot tantisque se privat operibus bonis, quibus animam suam, si vigilaret, ditare posset; nihilominus certum est, somnum esse necessarium, eodemque reparari ac restaurari sanitatem corporis, ut majori cum alacritate, ea, quæ nobis incumbunt agenda, prosequi ac perficere possimus. Unde Aristotel. in sua morali Philosophia consulit nobis honestos ludos; an fortassis cum detrimento virtutis? imo cum augmento Ludiæ; sed in quem finem? *Ut res serias deinde agas.* Qui nullas habet occupationes, neque detinetur negotijs, minime indiget respiratione & restauratione, quia non laborat.

Seneca c. 15. de tranq. — Arist. l. 3. Ethic. c. 6.

Cant. 1. v. 5. — Etiam somnus necessarius homini permissus est post labores. — Cant. 2. v. 7.

2. In sacris Canticis sponsam invenio dixisse: *Posuerunt me quasi custodem in vineis.* Econtra cap. sequenti sponsus apud filias Jerusalem instat: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Ergone deputata sponsa ad vigilantiam & custodiam vineæ, per quam intelligitur Ecclesia, quiescere & somnum capere poterat? Audite, quid illa de sponso suo dixerit: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie?* Ipsa igitur ad imitationem sponsi sui quietem etiam capiebat, & non immerito, quia qui ex officio invigilat, ac in gratiam & beneficium alterius laborat, suo tempore & loco convenienti, sublevamine aliquo ac restauratione indiget. *Tempus flendi, & tempus ridendi.* Id consulit quoque S. Bernardus scribens: *Ut potita votis anima, aliquatenus tanto ardentius redeat in idipsum, quanto infructuosius intermisisse meminerit, & iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat.* Observetur tamen sponsum loco supra allegato non velle, quod sponsa sua somno pigrescat, sed postquam aliquantulum post labores se recreavit & respiravit, rursum suscitetur, ideoque notandum, sponsum vix dixisse: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis*; & subito subjunxisse: *Vox dilecti mei pulsantis, en dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, ... & veni &c.* Hoc idem ab eodem S. Bernardo Sermone sequenti notatum fuit: *Ubi dilectam paululum in sinum quievisse persensit, ad ea denuo, quæ utiliora visa sunt, trahere non cunctatur.*

Cant. 1. v. 6. — S. Bern. ser. 57. in Cant. — Cant. 2. v. 7. — Ibid. v. 8. — Ibid. v. 10. — Idem Ser. 58. in Cant.

Honestæ & moderatæ recreationes medicinæ comparantur. — Plato l. 8. de Republ. c. 4. — Marci 14. 38.

3. Ut cum merito & honestate recreationibus indulgeamus, Plato appositam nobis subministrat similitudinem, dicens: *Locus adhibendus est observata usus ejus occasione, ut tamquam medicinæ loco adhibeatur.* Medicina sumitur in remedium restituendæ sanitatis per labores debilitatæ, ut nimirum, pristinis recuperatis viribus rursum operari possimus; ita fiat in honestis recreationibus, omnesque, qui virtutem amant, semperque se fatigare conantur cogitent, necesse est; etenim *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; ut igitur in cursu perfectionis perseverare, tentationibusque resistere, ac majori conatu in Divino servitio proficere valeant, refocillatione opus est. Verum illud quoque observandum, quod quemadmodum medicina nociva esset, nisi potio sumenda sit limitata & moderata juxta morbum & complexionem sumentis; ad eumdem modum recreationes, quibus timorati vacare cogitant, intra convenientes subsistant limites, oportet. *Attendendum* (ait S. Thom.) *sicut & in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, tempori & loco, & secundùm alias circumstantias debitè ordinetur, ut scilicet sit tempore & homine dignum.*

Quies mentis diligenda est, & otium fugiendum. — S. Cyrill. l. 1. Apol. mor. cap. 14. — Apologus inter lupum otiosum & bovem operantem.

4. Verum aliud quoddam otium, quod habet pro objecto negotium, esto oculis mundi apparentem repræsentet otiositatem, pariter honestum & virtuosum est. Legitur in S. Cyrillo titulus unius capitis, talis nimirum: *Quietem mentis dilige, & otium fuge.* Apologus hic est: *Hora vespertina bovem jugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit: Quandonam solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? Cui ille respondit: Nimirum, quando sapientia relinquet naturam, labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, numquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis, fluctuans tempestatibus. Nam vagatio mentis quædam est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain Gen. 4. profugus, vagusque diffunditur, & veluti David* (1. Reg. 11.) *statim procella vitiositatis involvitur animus vitiosus. Ad hæc lupus adjunxit. Numquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos: Imo possidet eum secura quies, nonne attendisti, quod superior mandibula, licet non moveatur, minime sit otiosa? Sic utique Sapiens etiam numquam otiosus, continue, aut mente exercitatur, aut corpore.* Ecclesia multas instituit Religiones, quæ videntur esse otiosæ & inutiles auxilio animarum, veluti sunt illæ, quæ profitentur rigorosam sequestrationem & solitudinem; uti sunt Camaldulenses, Carthusiani, & alij similes. Operarij illi à S. Mattheo in parabola relati, & dixerant: *Portavimus pondus diei & æstus*; figurabant hos Religiosos, non videmus quidem illos fodientes, pala & harpagine evertentes campos & vineas, plus tamen laborant mente intellectu & contemplatione.

Gen. 4. 12. — 1. Reg. 11. — Matth. 20. 12.

Petr. Bles. Epist. 9. — Describitur otium vitæ, fructuosum & negotiosum.

5. Petrus Blesensis in quadam Epistola sua acriter reprehendit otium, sed hoc addit: *Labor scholasticus otium est, sed otium negotium, ut quod animam reddat ad honesta sollicitum, unde & scriptum est: Sapientiam scribe in otio. Ideo discipuli esurientes fricabant spicas in die Sabbathi, in quo notatur utilium sententiarum discussio, quæ mente quieta diligentius procuratur.* Meditatio, studia sacra, disciplina, & monastica observantia silentij, solitudinis, obedientiæ, mortificationis, humilitatis, abstinentiæ similiumque perfectionis exercitiorum non sunt fructus otij, sed

negotij,

negotij, & feriæ applicationis ad illum finem, de quo frequenter se interrogabat S. Bernard. dicens : *Bernarde, Bernarde, ad quid venisti ?* Legitur in Speculo exemplorum, quod ex tribus adolescentibus, qui jam pridem ad Deum conversi vitam spiritualem religiosæ perfectionis amplexati fuerant, duo ex illis successu temporis vitæ spirituali laxas dederint habenas, & ambo iverint visitatum tertium socium continuum & ferventiorem in dies in divino servitio : *Venerunt ad tertium de statu quærentes suo, & invenerunt eum Deo servientem, hilarem, & devotum. Videns autem ille vultus eorum tristes dixit : Multo otio & tædio estis tristes & segnes ; mihi autem totum tempus breve videtur, quia semper occupor. Illis autem mirantibus, quibus studijs & occupationibus tempus impenderet, cum sicut ipsi illiteratus esset, dixit : Tres litteras tantum inveni, quas docuit me Magister meus in egressu meo, quas legens quotidie, nullo umquam tædio afficior, sed præ desiderio legendi deficit mihi tempus. Una scripta est nigro colore, quæ significat peccata mea, quæ denigraverunt animam meam, & falsitatem & instabilitatem mundi, & pœnas inferni ; hanc lego à mane usque ad Missam. Secunda scripta est colore rubeo, quæ significat passionem Salvatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit ; hanc lego a Missa usque ad Nonam, quando emisit spiritum. Tertia scripta est aureis literis ; hæc est amœnitas gaudij cælestis ; hanc lego usque ad Completorium, & sic expendo tempus meum sine tædio.* Qui vidisset hunc sanctum Monachum, existimasset eum otiosum; at oculus nos decepisset; non est otium, quando interius mente laboratur & meditatione.

Notabile hujus otij exemplum.
Spec. exempl. var. cœl. grat. exemp. XI.

6. S. Silvester Papa instituit, ut Sabbathi & Dominici diei nomine retento cæteri hebdomadæ dies Feriarum nomine distincti appellarentur ; ergone intendit S. Pontifex, quod Ecclesiastici continuo otiarentur & feriarentur ? Neutiquam hoc intendebat, bene quidem, quod gauderent quiete, & abjecta cæterarum rerum cura, repudiatis occupationibus & negotijs terrenis, uni Deo prorsus vacarent. Hebræi, quia prohibebantur laborare die Sabbathi, diem istum impendebant recreationibus, non autem sanctificationi illius, ob quem finem institutus erat ; de quo Deus multum conquerebatur apud Isaiam cap. 1. indicando se, habere in abominatione solemnitates & festa illa, quæ celebrarent, esto alias ab ipso præscripta; rationem reddit Basilius Magnus : *Inter ea quæ odio prosequitur Dominus, unum hoc est, segne & iners otium, nimirum, cessatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere. Proinde otium ejusmodi in specie videtur consequi ex celebratione festi omnis, quæ ab operibus feriatio annexa sit festis diebus, nam omne opus servile non facietis; quandoque isti vacantes inerti otio, ab his quæ præsentem conferunt vitam diebus festis, nihil interim non perficiebant absurdæ improbitatis, merito prædicabantur vocare odii illi otio.*

Quare excepta die Dominica, omnes hebdomadæ dies dicantur Feriæ.
Quare Deus odio habuerit Sabbatha Judæorum.
S. Basil. in Isai. 1.

7. 1. Thess. 4. hoc Apostoli refertur consilium: *Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis, Et operam detis, ut quieti sitis.* Forte quietem illis suadebat, ut otio vacarent ? Non certe, imo totum oppositum; sequitur enim : *Ut vestrum negotium agatis, & operemini.* Quot & quanti sunt in quiete solitudinis, quos, cum videmus sine opere manuali, credimus esse otiosos, & tamen tunc vel maxime fatigantur & laborant in suis contemplationibus ; suisque orationibus sustentant Ecclesiam ? Moyses populo Israëlitico pugnante contra Amalech, quamvis à Deo electus esset Dux generalis totius populi, magnamque in arte militari haberet experientiam, ac plurimas reportasset victorias in Ægypto existens, non tamen ipse pugnabat, sed supra montem stabat vacuis manibus jam demissis, mox elevatis, idque in aliorum subsidium & defensionem. Credo dici posse, quod in hac occasione figurabat plurimos Dei servos, qui dum suis incumbunt exercitijs spiritualibus, videntur vacare otio; at tunc maxime per actus internos compunctionis, amoris Dei, & orationis expugnant Amalecitas infernales : Unde S. Ambrosius : *Cum taceret, clamabat, cum otiosus esset præliabatur, nec solum præliabatur ; sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat.*

1. Thess. 4. 10. & 11.
Multi religiosi judicantur otiosi, cum tamen vel maxime laborent.
Ibid.
Exemplum Moysis.
S. Ambr. l. 3. de offi. c. 1.

8. Doctrina Blosij hæc est. *Otiosas occupationes fuge ; otiosas appello, quæ prorsus inutiles sunt, neque mireris, quod dixerim. Numquam vitioso otio locum dederis, est enim otium laudabile, quando videlicet anima Deo dedita, ab omnium sensibilium rerum strepitu & imaginatione exempta, in interno silentio, & dilecti sui beatissimo complexu, velut otiosa requiescit. Si eo te deduxerit manus Domini, utiliter, feliciterque otiosus eris.* In Sabellico reperio scripta sequentia: *Antiochi vox illa quietem & otium quærentis, non est solertis & magnanimi regis ; multo melius Africanus major, qui otium vertebat in negotium ; una vox ejus, qui dicere solitus erat, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus esset, nec minus solum, quam cum solus.*

Describitur otium laudabile.
Blos. in instruct. vir. ascetic. 4.
M. *Ant. Sabellic. l. 9.*

9. Ecclesiastici sententia est ad nostrum propositum consideratione digna : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Voluit, nimirum, inferre, quod, qui curas & occupationes hujus sæculi abjecerunt, & à vita activa magis soluti sunt, plus etiam in sacris literis proficere possint, veluti innumeri facto suo comprobarunt Doctores & Theologi, qui sese ad monasteria recipientes studijs suis ditarunt Ecclesiam. Optarem hic scire, in quo consisteret consecutio vitæ beatæ ? *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, ... & quem misisti Jesum Christum* ; ut hanc cognitionem & scientiam altissimam, quæ nos ducit ad visionem beatificam, attingere possimus, hoc sanctum otium nobis necessarium est, quemadmodum Psalmista nobis consulebat dicens : *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Ubi audiamus D. Augustinum supra textum unum ex Canticis sic discurrentem : *Quid est, ego dormio, & cor meum vigilat, nisi ita quiesco, ut audiam ? Otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed precipiendæ sapientiæ; ego dormio, & cor meum vigilat, vaco, & video; quoniam tu es Domine, qui sapientiam scribis in tempore otij ; & qui minoratur actu, ipse percipiet eam. Ego dormio, & cor meum vigilat ; ego requiesco à negotiosis actibus, & animus divinis se intendit affectibus.*

Eccli. 38. 25.
Qui occupationes sæculi abjecerunt plus proficiunt in sacris literis.
Joan. 17. 3.
Ps. 45. v. 11.
S. Aug. tr. 57. in Joan.

10. Quod Regius Propheta dicebat : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, considerat S. Ambros. inquiens : *Ne vero otiosos nos putamus, si verbo tantummodo studere videamur, & pluris æstimamus eos, qui operantur, quam eos qui studium cognoscendæ veritatis exercent; Dicunt enim plerique: Ecce homo & opera ejus, quasi qui verbo studeat, non operetur, cum magis opus istud, quam cætera sint.* Martha lamentabatur apud Christum Dominum quod soror esset otiosa, at causam ejus justificans Dominus ait : *Optimam partem elegit sibi Maria.* Idem hoc D. Ambros. in alio loco scribit: *Hoc enim majus*, inquit, *hoc perfectius opus, nec ministerij cura à cognitione verbi cælestis avertat, neque arguas eos & otiosos judices, quos videas studere sapientiæ.*

Ps. 118. v. 82.
Qui contemplationi & studio sapientiæ incumbunt, otiosi non sunt.
S. Ambr. ib.
Luca 10. 42.
Idem l. 7. in Luc.

11. Illud tamen advertendum est, quod Hugo Cardinalis considerat supra textum hunc Sapientis : *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Alludit, nimirum, ad aliquos, qui cum sint apti & idonei ad convertendas animas prædicando Evangelium, administrando sacramenta, & exercendo vitam activam ; ne tamen deserant vitam contemplativam, fructu, quem inde elicere possent, defraudant proximos. *Pigredo, id est pigritia, qua aliquis non vult sustinere labores, & onera administrationis, immittit soporem, idest otium contemplationis; multi enim seipsos decipiunt, qui essent apti ad vineam Domini colendam, id est ad sustinendos labores alicujus administrationis, palliantes suam pigritiam, nomine contemplationis, otium petunt, quibus* dicitur Matth. 20. *Quid hic statis tota die otiosi ? Ite & vos in vineam meam. Tales nisi sibi caveant, poterunt cito fraudari denario diurno*, nam ut dicit Hieronym. *non mediocriter errat, qui minus bonum majori præfert.*

Prov. 19. 15.
Contemplativi ad convertendas animas apti, non subterfugiant labores.
Hug. Card. ib.
Matth. 20. 6.

12. Concludamus, & terminemus hanc materiam doctrina S. Hieronymi : *Titus filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici sanguinis subvertit Jerosolymam, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte sero recordaretur in cœna, quod nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis : Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosa verba loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicij ? Quod si hoc ille sine lege, sine Evangelio, sine Salvatoris & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere, in quorum condemnationem habet & Junoniviras, & Vesta virgines, & alia idola continentes ?* Si sperarem quempiam legendo hanc materiam exinde percipere fructum, ut majorem haberet temporis curam, profecto dicere non possem : *Diem perdidi*, quia nullius rei pretiosius ac notabilius potest fieri lucrum, quam temporis bene impensi, & in me quoque hic fructus ex parte redundaret.

Notabile dictum Titij Imperatoris.
S. Hier. in c. 6. ad Gal.

TRACTA-

TRACTATUS CXII.

DE TENTATIONE ET SUGGESTIONE DIABOLICA.

CONTINET.

DISCURSUS XXVI.

DISCURSUS I. Ostenditur humanam vitam esse continuam pugnam & tentationem.

II. Variæ deteguntur technæ, fraudes & doli dæmonis in Angelum lucis se transfigurantis.

III. Deus malitiam dæmonis damnis nostris inhiantis, in nostram, cum ei resistimus, convertit salutem.

IV. Demonstratur similitudine de frumento cribrato à Christo Domino adinventa, tentationes profectui nostro esse utiles.

V. Tentationes à Deo ordinatæ sunt ad exercendam ac perficiendam virtutem.

VI. Valde expediunt, suntque necessariæ tentationes, quibuscum æternæ gloriæ lucramur coronam.

VII. Perfectiores serpens infernalis tentare studet, uti & illos quos reperit devotioni magis intentos.

VIII. In nostrum tentatio illa, quam vincimus, cedit emolumentum, cum per eam plurima alterius vitæ acquiramus merita.

IX. Plura alia examinantur emolumenta & commoda ex tentationibus promanantia.

X. Utiles sunt tentationes, quia nos conservant humiles, quod exemplo S. Pauli specialiter probatur.

XI. Deus, qui ex malo novit elicere bonum, odium dæmonis ejusque tentationes ad majus bonum nostrum ordinat, ut nostram probet virtutem.

XII. De debilitate & infirmitate dæmonis, quando non secundatur à nostra voluntate & consensu.

XIII Deus non permittit dæmonem prævalere & superiorem esse nostris viribus, communicando nobis auxilia, quibus ei resistere valeamus.

XIV. De auxilio & tutela, quam à Deo recipimus in tentationibus hostis nostri infernalis.

XV. Assistentia Dei, qua nos protegit & defendit in tentationibus, cooperationem quoque exigit ex parte nostra.

XVI. Remedia contra tentationes sunt diffidentia sui, & confidentia in Deo, invocatio auxilij & nominis ejus, actualis præsentiæ Dei memoria, Communio, Confessio, Passio D. N. Sacra Scriptura & verbum Dei,

XVII. Potens motivum, ne dæmoni adhæreamus, debet esse notitia, quod sit noster inimicus ; unde generose ei resistere, at tentationes nulla ratione quærere debemus.

XVIII. Varij tanguntur modi, quibus tentationibus reluctari, easque evincere possimus.

DISCURSUS I. ARGUMENTUM.

Ostenditur humanam vitam esse continuam pugnam & tentationem.

THEMA.

Militia est vita hominis super terram. Job. 7. v. 1.

1. EX instinctu Spiritus Sancti Propheta Job titulum militiæ attribuit vitæ humanæ; ratio evidens est, quia ad mortem usque in continua vivimus pugna & lucta: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* In textu Græco ponitur *tentatio*, loco vocabuli hujus, *militia*, & idem est. S. Bernardus Sermoni titulus est: *De fallacia & brevitate præsentis vitæ*, exorditur hisce verbis: *Vera omnia sententia, fratres, quoniam tentatio est vita hominis super terram.* Et Serm. 3. in Psal. *Qui habitat &c.* reflectens se ad hoc verbum, *Circumdabit*, exponit monitum illud à cœlesti Magistro datum discipulis suis : *Orate, ut non intretis in tentationem ; quoniam undique circumdati estis tentationibus, unde & legistis, quia tentatio est vita hominis super terram. Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari, pervigili circumspectione opus est, & oratione, ne inducamur in eam.* Neque Salvator noster propter alium finem orationi quotidianæ addidit verba ista : *Et ne nos inducas in tentationem*, nisi ut hac petitione nos muniret contra tentationes, quibus undique in hac vita infestamur.

In militia vitæ humanæ semper contra tentationes pugnandum est.
Gal. 5. v. 17.
S. Bern ser. de fall. præs. vit.
Idem ser. 5. in Ps. Qui habitat.

2. Consideratione dignum est, quod scribit Cæsarius lib. 4. sub initium, ubi tractat de hac materia; *Militia est vita hominis super terram ; alia translatio habet : Tentatio est. Et militia est, & tentatio, militia, propter exercitium ; tentatio, propter laborem & periculum. Et nota, quod non dicitur tentatio est vita animalis, sed hominis, id est, humane & rationabiliter viventis, qualis est vita religiosorum, qui secundum spiritum vivunt, & carnis desideria non perficiunt ; sæculares vero atque carnales, qui secundum carnem ambulant, improprie tentari dicuntur, quia mox ut tentamenta sentiunt, vel consentiunt ; vel tepide resistunt, similes sunt equo & mulo, quibus non est intellectus.* Seneca solo naturæ instructus lumine hanc quoque nobis insinuavit veritatem : *Nobis*, inquiens, *quoque militandum est.* Quod dixit loquens de Hannibale, qui victor in armis permisit se vinci à vitijs ; unde sequitur : *Militandum genere militiæ, quo numquam quies, numquam otium datur.* S. Hieronymus scribens Virgini Eustochio : *Stadium*, ait, *est hæc vita mortalibus, hic contendimus, ut alibi coronemur.*

Cæsar. l. 4. c. 1.
Vita religiosorum est continua tentatio.
Seneca Ep. 52.
S. *Hier. Epist. 22.*

3. Tenendum est pro veritate indubitata, impossibile esse in hac vita, quin tentationibus & colluctationibus non subdamur ; unde idem S. Hieronymus in expositione horum verborum : *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, profert hanc doctrinam. *Impossibile est humanam animam non tentari, unde in oratione Dominica dicitur. Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possimus ; non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo impræsentiarum non ait, vigilate & orate ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, hoc est ne tentatio vos superet & vincat, & vos intra casses teneat.* In cathechismo exemplorum legitur in hujus confirmationem sequens documentum : *Dixit quidam sanctorum, cum oramus ad Dominum dicentes, ne nos inducas in tentationem, non ut non tentemur, oramus, hoc enim possibile non est, sed ne a tentatione absorbeamur si aliquid agamus, quod displiceat Christo, hoc enim est non intrare in tentationem ; neque enim intramus in passionem nisi à passione superemur.*

Impossibile est hanc vitam agere sine tentationibus & pugnis.
Matth. 26. 41. Idem l. 4. ib.
Flor. exempl. Tom. 27. exem. 10.

4. Hæc vita, hic mundus a Psalmista denotatus fuit per mare: *Hoc mare magnum &c.* Quis umquam, quamdiu navigabit in hoc mari, certo sibi adpromittere poterit se non agitandum à ventis? Postquam S. Hieron. hoc, quod stringit, confecit argumentum. *Si Salvator tentatus est*, infert, *quis potest esse securus intentatum se vitæ hujus maria transire ?* At si de mari transire velimus ad terram firmam, monemur à S. Gregorio Magno ; *Cursus nostri itineris nequaquam peragitur sine pulvere tentationis.* De hoc pulvere quoque legimus in Sermone quodam S. Leonis asserentis : *Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* Difficulter quis hic in terris ambulare poterit, quin pedes ejus hoc pulvere sordescant.

Vita nostra & mundus comparantur mari.
Ps. 103. v. 25.
S. Hier. in c. 6. ad Galat.
S. Greg. l. 24. mor. c. 13.
S. Leon ser. 4. in Quadr.

5. *Tentatio est vita hominis.* Sermone 8. de S. Vincentio scribit Petrus Blesensis : *Tres habemus hostes, carnem, mundum, Diabolum. Caro est hostis domesticus ; & ideo magis timendus ; Mundus hostis Sophisticus, &* ideo

Petr. Bles. Ser. 8. de S. Vincent.

Tres hostes habemus cum quibus pugnare debemus, Carnem, mundum, Diabolum.

ideo cavendus; Diabolus hostis antiquus, & ideo magis odiendus. Caro suadet suavia; Mundus inania; Diabolus iniqua. Caro ligat; Mundus nos suggillat; Diabolus nos necat. Caro suggerit luxuriam, Mundus avaritiam, Diabolus superbiam. Caro deprimit nos infra nos per luxuriam; Mundus trahit nos extra nos per avaritiam; Diabolus erigit nos supra nos per superbiam. Omnes hi inimici, quamdiu respiramus, lateri nostro adhærent, indefessique nos comitantur, ac propterea sine ulla intermissione eos vincamus expugnemusque necesse est. Interior pugna, de qua scribit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, numquam nobis indulget quietem. Audite, quali significante epitheto corpora nostra describat S. Bernardus explicando verba illa sacrorum Canticorum: *Sicut tabernacula Cedar; Quid enim tabernacula nisi nostra sunt corpora, in quibus peregrinamur? Sed & militamus in eis tamquam in tabernaculis, malitia est vita hominis super terram;* Tabernacula, uti omnibus notum est, sunt tentoria bellica; & corpora nostra justa de causa hoc nomen sibi vendicant, quia ijsdem concertemus & pugnemus, necesse est.

Gal 5. v. 17.
S. Bern. ser. 26 in Cant.

Tentationes carnales semper nos infestant.
Euseb. Emiss. Hom. 1. de Ascens.
S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

6. *Tentatio est vita hominis.* Eusebius Emissenus Serm. 1. de Ascensione hanc nobis tradit doctrinam proposito nostro accommodam: *Propterea itaque anima corpori sociata atque devincta est, ut per agones & certamina, quæ ei in hoc mundo proposita sunt, pugnando adversus sacrilegas superstitiones, adversum carnales oblectationes, & mortiferas cupiditates, pugnando contra iram atque luxuriam, perennis gloriæ hæreditatem petat.* S. Thomas de Villa Nova Concione 2. in Dom. 1. Quadrag. allegans authoritatem S. Bernardi ita discurrit: De carnis stimulis Bern. ait: *Velimus, nolimus, Jebusæus iste habitat in finibus nostris.* Paulo ante rationem attulerat valde convincentem. *Post corruptam & infectam nostræ naturæ massam, post illam Domini maledictionem, qua dictum est Adæ: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi, impossibile est homini, non pati stimulos & concupiscentias peccatorum; unde Job; Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem; quanto magis qui habitant, domos luteas & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea, id est concupiscentia, quæ de carne nascitur & ipsam corrodit.*

Eccli. 9. v. 20.
D. Chrys. H. 25. ad pop.
Quibus laqueis mundus sit plenus.
Ps. 10. v. 7.
S. Leo M. ser. 11. in Quadr.
S. Ambr. l. de bono mortis.

7. *Tentatio est vita hominis.* Ecclesiastici monitum est; *Scito; quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Non sine mysterio est verbum hoc, *scito*, quod & bene advertit Chrysost. notat enim Sapientem non dicere, *Vide*, quia etiamsi tam aër, quam terra laqueis repleti sunt, attamen, quia hi sunt invisibiles oculus eos discernere nequit, ac propterea intellectus necessarius est. Laquei multi sunt, quorum multitudinem, ut exprimeret Psalmista, hac utitur similitudine; *Pluet super peccatores laqueos*; quales vero sint, detegit & manifestat S. Leo Magnus: *Insidiæ*, inquiens, *sunt in divitiarum amplitudine; insidiæ in paupertatis angustijs. Illæ elevant ad superbiam; hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate; Laqueus est in timore, nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur, an curis, cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia sollicitudine laborare.* Ut mentis nostræ oculos attollamus ad hos laqueos, monet S. Ambr. hisce verbis: *Attolle animam tuam, ne illam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi escæ sunt, & quod pejus est, escæ malorum, escæ tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. Omne iter istius vitæ plenum laqueorum est, laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pennis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à laqueo. Laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis.* Eodem Sermone præfatus Leo Magnus dixerat: *Quis in hujus vitæ constitutus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inveniatur à culpa.*

Diabolus numquam nos deserit, & desinit tentari.
Petr. Chrysol. ser. 11.

8. *Tentatio est vita hominis.* Et quidem talem habemus tentatorem, qui numquam nos deserit, individuus noster comes est, ac continuo nobis machinatur malum. Audiamus Chrysologum, quantorum malorum sit instrumentum: *Unde malum*, inquit, *culpa unde, vitiorum vis unde, unde criminum furor, unde corporum bella, unde conflictus animæ, unde vitæ tempestas tanta, unde mortis naufragium tam crudele, nesciret homo, nisi Dei lex Diabolum prodidisset. Diabolus mali author, nequitiæ origo, rerum hostis, secundis hominis semper inimicus, illa laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, optat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amoris, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindat unitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat divina, humana tentat. Hinc usque ad Christum tetendisse tentator temerarius sic refertur: Et cum jejunasset, &c.* cum igitur quilibet nostrum individuum habeat comitem, qui est hostis noster tantæ malitiæ & crudelitatis, quis negare poterit malitiam & tentationem esse vitam nostram super terram? Nota est omnibus visio illa revelata S. Antonio, quando Deus ostendit illi aërem repletum laqueis, quos implacabiles inimici nostri paraverant, de quibus scribit Apostolus: *Spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Quamobrem S. Augustinus sic Deum supplex exorabat: *Libera nos ab adversario nostro quotidiano, qui sive dormiamus, sive evigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcumque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palam, nunc occulte sagittas venenatas contra nos dirigens; ut interficiat animas nostras, & tamen Domine, pessima insania nostra, quia cum continuo videamus contra nos Draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus, & lascivimus in pigritijs nostris, tamquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quam ut nos perdat. Inimicus, ut occidat, semper sine somno vigilat, & nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare à somno?* Vita nostra est continua quædam tentatio; continuo, dico, quia etiam, quando dormimus, tunc vel maxime damno nostro invigilat venenosus serpens, & illusionibus, & somnijs obscœnis cor nostrum inficere satagit, ne quidem momento nos respirare permittit. Pergit jam D. Augustin. *Tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras varijs replevit decipulis ad capiendas animas nostras; & quis effugiet? Laqueos posuit in divitijs, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno & in vigilia; laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni via nostra.*

S. Antonius vidit aerem plenum esse laqueis.
Ephes. 6. 12.
S. Aug. in Sol. l. 16.

Spec. Exempl. Verb. Mon. exempl. 2.
Notabile exemplum patientis diuturnas & continuas tentationes.
S. Bern. ser. 1. in Cant.

9. *Tentatio est vita hominis.* In Speculo exemplorum de monacho quodam refertur, quod cum vehementes pateretur tentationes, accesserit ac desuper consuluerit Abbatem Theodorum, qui illum exhortabatur, ut esset humilis, unicuique subjiceret, & cum alijs monachis conversaretur. Obedivit ille; at nullum inde expertus fuit sublevamen, imo potius tentationis sentit augmentum. Quare de novo ad Abbatem recurrit petens efficacius remedium; verum sanctus vir nonnihil forte indignatus, ad quid, inquiebat, venistis ad statum religiosum, si nolebas subjectus esse tentationibus? interrogabat eum ulterius, quot anni jam sunt, à quibus monasticum hoc professus es institutum? respondenti octo, subjunxit Theodorus: *Habeo in isto habitu septuaginta annos, & nec una die potui requiem habere.* Tetigit S. Bern. hoc idem punctum, quod, nimirum, non uno die dumtaxat, sed neque una hora à tentationibus possimus esse exempti & liberi: *Sed & in quotidianis exercitijs & bellis, quæ nulla hora in Christo pie viventibus desunt à carne, à mundo, à Diabolo, sicut militiam esse vitam hominis super terram incessanter experimini vobismetipsis, quotidiana necesse est cantica pro assecutis victorijs innovari.*

Sine tentationibus esse non possumus.
S. Th. de Vill. in hunc loc.
Jacob. 4. v. 1.
S. Greg. l. 25. mor. c. 15.

10. *Tentatio est vita hominis.* S. Thomæ de Villa nova axioma est: *Militi Christiano, quamdiu in hoc carnis tabernaculo est, tentationes deesse non possunt; quocumque te vertas, quocumque vadas, quomodocumque vivas, sine tentationibus esse non poteris, sed una superata alia fortior orietur, & illa devicta expectabis aliam, neque dabitur tibi locus, ut glutias salivam tuam, siquidem, ut ait Job, militia est vita hominis super terram.* Nullus datur locus, non tempus, non status & vocatio adeo sancta, quæ sit exempta ab hac colluctatione & insultu inimici infernalis; præterquam etiam monet S. Jacobus Apostolus dicens: *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant adversum vos?* has inseparabiliter ad ultimum usque halitum nobiscum gestamus; *Quia in hac vita adhuc homo positus* [ait S. Gregorius] *in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet secreti secessu vivere sine tentatione nullatenus potest, plerumque in eo quod ad requiem construitur, major dolor tentationis invenitur.*

Ipsemet Christus tentatus fuit sed solum exterius.
Matt. 10. 34.

11. *Tentatio est vita hominis.* Satis expresse se declaraverat & protestatus fuerat Salvator noster dicendo: *Non veni pacem mittere; sed gladium.* Christus Dominus noster non erat capax tentationis, veluti nos sumus in hac corrupta nostra natura: unde Beda ait: *Omnes illa Diabolica tentatio non intus fuit, sed foris.*

Volunt

Ecclesia hic in terris vocatur militans.
Cant. 6 v. 3. Cant 7. v. 1.
S. Bern. in dedicat. Eccle. Ser. 2.

Voluit igitur esse subjectus hisce exterioribus assultibus ad nostram instructionem & consolationem. Ecclesia hæc in terris degens, quæ est congregatio fidelium, dicitur militans, quemadmodum ea, quæ in cælis est, nuncupatur triumphans, ut nobis innotesceret, quod, quamdiu hic in terris vivimus, necessario nobis pugnandum & certandum sit: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*; ita describitur in sacris Canticis. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* S. Bernardus Serm. 2. in dedicatione Ecclesiæ ait: *Hæc, inquam est urbs fortitudinis nostræ, illa est civitas requiei nostræ, illa, nimirum, domus lætitiæ, hæc militiæ est.* Eucharistia, quæ est victus seu cibus Christianorum militum, non sine mysterio conservatur in tabernaculis, quæ repræsentant tentoria militaria. Observo in Josue & in populo Dei electo flumen Jordanis transituro; quod quando prior pars exercitus, in qua erat Arca Domini, jam transierat Jordanem, sicque ab omni periculo, & impetu aquarum exempta & libera erat; tunc posterior exercitus pars, quæ inter medias aquas & quidem in ipso fluminis lecto adhuc hærebat, valde sibi timere poterat, & formidare cursum & impetum aquarum, quæ tamen tunc miraculose suspensæ erant. Quid volo hac historia inferre & insinuare? *Omnia in figura contingebant illis.* Repræsentabat Synagoga Ecclesiam militantem & triumphantem; hæc in superna illa Jerusalem, *dicta pacis visio*, summa cum quiete gaudet & potitur victorijs suis; ast militans hic in terris, *tentatio, militia est*, continuis subest prælijs & certaminibus, quamdiu non trajecerimus & attigerimus littora illius fluminis, de quo scriptum est: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Contra impetum aut cursum passionum nostrarum inordinatarum procedamus, necesse est: *Nullus mihi ad hoc, nisi per medios hostium cuneos patet accessus*, ait S. Bern.

Ps. 45. v. 5. Matt. 11. 12.
S. Bern. ser. 7. super Psal. Qui habitat.

Diabolus semper circuit nos ad tentandum.
1. Petr. 5. 8. Job. 1. v. 7.
2. Cor. 2. 11.
B. Laur. Just. in ligno vitæ c. 4. de patient.

12. *Tentatio est vita hominis.* Non caret mysterio verbum illud, quo utitur S. Petrus exhortans nos ad agendas excubias: *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus ... circuit quærens quem devoret*; notate hoc verbum, circuit; eadem loquendi phrasi usus fuit Dæmon apud Prophetam Job: *Circuivi terram*; ad denotandum, quod se statuat in medio, circumdet nos ex omni parte, veluti contingit in obsidione urbis undique cinctæ; nulla ex parte homo tutus est; si quis pronus est ad iram, eum stimulat ad vindictam; sanguineum ad delectationes carnales; si quis est phlegmaticus, eum concitat ad otium, melancholicum ad desperationem; pauperi promittit divitias; divitibus delicias & voluptates; superbis honores; si non succedat ei una dolosa praxis, non deest alia; qua tentet, donec miserum hominem in sua pertrahit retia; si quem conspicit in prospero & felici statu constitutum, eum præcipitem agit in vanitatem, arrogantiam & superbiam; tribulatum & angustiatum redigit ad desperationem. Eodem hoc idem significante verbo utitur Apostolus Paulus agens de tentatione, & dicens: *Ut non circumveniamur à Satanâ, non enim ignoramus cogitationes ejus, &c.* Quapropter serio nos monitos voluit B. Laurentius Justinianus cum ait: *Vita hæc nostra in medio insidiarum, in medio præliorum est; si nolumus vinci, vigilandum est, si volumus superare, pugnandum est.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Variæ deteguntur technæ, doli & fraudes Dæmonis in Angelum lucis se transfigurantis.

THEMA.

Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. 2. Cor. 11. v. 14.

Quando Diabolus ferocitate sua nihil in nos potest, mutat se in Angelum lucis.
B. Laur. Just. de monastica Conver. c. 12.

1. INfernalis ac venenosus serpens, qui primo intuitu terribilis est, ac nonnisi in damnum nostrum merum evomit & spirat toxicum, novit quoque in resplendentem se transformare Angelum: *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*; quando animas, serpentis instar, inficere & damnificare nequit, figuram mutat, & Angeli induit faciē, ut vafritie & astutia sua illas lucretur. Observetur, Apostolum de hoc monstro primo dicere *Satanas*, deinde, *Angelum lucis*; quia ubi nihil ferocitate sua efficere potest, ibi adhibere studet meras astutias, fraudes & dolos. B. Laurentius Justinianus de hoc serpente scribit: *Quemadmodum si quis stellas cæli, aut pluviæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, cassò consumitur labore; ita & quicumque varias Dæmonum fraudes ad plenum referare conatus fuerit, supervacuè desudabit, nempe ipsorum venenata malitia inscrutabilis est, & prorsus ignota mortalibus. Deo solum revelante, eorum possunt detegi insidiæ. Tortuosi namque cum sint colubri, & anfractibus assueti plurimis, mox cum teneri putantur, è manibus effluunt, mille enim modis, investigabilique arte, ac infatigabili circumventione simplicium animas decipere moliuntur, nunc blandis persuasionibus ignorantium mentes decipere student, atque quibusdam rationibus fictis ad peccatum eos alliciunt, nunc callidis machinationibus & astutijs eosdem præcipitare contendunt.*

Quales socios assumat sibi Diabolus nos impugnaturus.
Petrus Bles. ser 8. de S. Vincent.
Describuntur proprietates pessimæ nostræ carnis.

2. Petrus Blesensis irreconciliabiles nobis repræsentat inimicos, quos Dæmon assumit sibi in socios, & sunt amicissimi nostri, videlicet, caro nostra & mundus: *Carnis suggestio valde est timenda, ipsa enim ligat nos, quam interficere non audemus, sed ei necessaria alimenta ministrare tenemur. De hac inquit Apostolus, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et ille miles fortis Christi Job; O custos, inquit, hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Senserat enim intestinum bellum inter carnem & spiritum. Hæc est Dalila Samsonis, de qua Salomon dicit: Ab illa quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui?* De hoc inimico concupiscentiæ nobis innatæ, quam nimis palpamus, magnus quidam Orator nostri temporis, quid scribat, audite: Una nobiscum nascitur, cum vita nostra accrescit, cum sanguine nostro nutritur, restauratur cum nostro somno, cum quiete nostra refocillatur & roboratur, armatur cum armis nostris. Ille in laboribus nostris comes est, in otio dominus, in negotijs testis, in conversatione frater, in discursibus & colloquijs auditor; spectator in actionibus, adversarius in bonis operibus, turbatur in precibus, in publico insidiator, in occulto solicitator, ubique importunus, ubique inimicus; at talis inimicus, qui blanditijs allectat, delectatione ferit, voluptate inficit, dulcedine devastat, delicijs interficit, & instar amasij amando de suis triumphat. Et vero cuinam statui se exhibet misericordem? cui ætati parcit? quem indemnem dimittit pestilens suum talentum? Ille in molli & regali quiescit lecto, ac frequenter eos, qui alijs superbo imperant sceptro, suæ subjicit tyrannidi; ille inter armatas militum phalanges, confuso haud territus tympanorum tubarumque clangore & sonitu, audax habitat & impavidus & potentes exercitus, qui alias domabant provincias, secreto veneno ad suum miserabile conducit homagium; ille de sapientibus & eruditissimis triumphat, dominatur discursibus, titulis famosis, sapientiæ; ille in rusticanis & male instructis tugurijs stabilis sui imperij expandit insignia; ille in sacris claustris sine verecundia se occultat, animasque Deo devotas stimulis suis excitat. Quid vobis ergo videtur? annon hic inimicus, vivis ita à Mascardi depictus coloribus, se transfigurat in Angelum lucis; dum ei omni conatu blandimur, eumque tamquam amicum & amasium palpamus?

Alter adversarius noster est mundus; Blesens. supra cit.

3. Verum audite, quis qualisve alter adversarius sit, cum quo Satanas facit pactum, quique pariter nos allicit, at multum damni infert: *De secundo hoste dicitur* (sunt verba ipsius Blesensis) *qui mundum diligit, inimicus est Deo. Hic est ille Nabuzardan, qui obsidens Jerusalem posuit custodes ad portas, ne liceret alicui civium exire. Hic est mundus qui animæ portas obsidet; visum, auditum, odoratum, gustum, tactum. Cum anima quandoque exit per portas oculorum, videt mulierem ad concupiscendam eam; videt vanam supellectilis varietatem, & infinitæ pecuniæ allicientem; quid per singula? Non potest egredi nisi mundi milites inveniat. Si vero exit per portas aurium, objicit ei mundus inanes fabulas, mendacia palliata & infinita perjuria. Si per portam exit narium, olfactorio musco colorata prætendit ei mundus, aërem varijs odoribus invenit vitiatum, pigmentis pretiosis speciebus conditum. Si vero per portam gustus exierit, objicit ei panem omni arte pistoria compositum; vinum, odore, sapore, colore, optimum. Quidquid etiam terra, mare, aër habet delicatum cum salsamentis proportionabiliter compositis. Si vero per portas manuum vestis pretiosæ lenitatem invenit, unum non sufficit pulvinar, cui incumbat, sed simul diversa coacervantur, ut in eis se totum immergat. Ad tactum alienæ carunculæ hilarescit. Ecce quacumque porta egrediatur, sophistice agit cum ea inimicus. Restat adhuc hostis antiquus, & ideo magis ti-*

Rrr mendus

mendus malleus universæ terræ. Juxta doctrinam Apostoli divitiæ sunt laquei, quos nobis tendit Dæmon: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli; Ecce igitur quam verum sit, quod ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis; etenim laqueos istos efficit nobis amabiles, desiderabiles & suaves. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum [ait S. Bernardus] dic nobis quis sit laqueus iste Diaboli, 1. Tim. 6. omnes qui volunt divites fieri, incidunt, &c. Ergone laqueus Diaboli divitiæ sunt hujus sæculi? Heu quam paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent; quam multos, qui dolent, quod parum sibi videntur irretiti, & ipsis, quantum possunt, se involvere & intricare laborant. S. Antoninus inter multas difficultates, quas habemus, defendendi nos ab hoc inimico consideravit etiam hanc: Mille namque nocendi habet artes, seu modos, nec ignoramus astutiam ejus.

1. Tim. 6. 9. — S. Bern. ser. 3. in Ps. 90. — S. Anton. p. 1. T. 6. c. 13. §. …

Ut nos diabolus circumveniat, simulat se nobiscum habere pacem.

4. Transfigurat se in Angelum lucis. Nullus timet Angelum, quando eum de visione pacis descendere existimat; talem se fingit Satan, ut facilius nos superet, vincat, sibique subjiciat; simulat se nobiscum habere pacem, nec tentat nos, nisi ut indormiamus, & tunc vel maxime nobis struit insidias. Tritum est illud commune proverbium; aura nimis serena ingentem minatur tempestatem. Quare Seneca huic proposito conformiter nos hortatur hisce verbis: Noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur, eodem loco ubi luserunt navigia, sorbentur. S. Paulus portum se attigisse & appulisse credebat: Bonum certamen certavi, cursum consummavi .., In reliquo reposita est mihi corona justitiæ; Raptus ad paradisum audivit arcana verba; Ego stigmata Domini mei Jesu Christi porto in corpore meo; & tamen tunc maxime in officina sua acuebat spiritus fornicationis spicula & stimulos, quibus Apostolum pungeret: Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.

2. Tim. 4. 7. — Ibid. v. 8. — 2. Cor. 12. 4. — Gal. 6. v. 17. — 2. Cor. 12. 7.

5. Gerson Magnus Cancellarius Parisiensis postquam multa commoda ex tentationibus provenientia considerasset, addit sequentia: Hinc est quod quidam perfectiores, discretione magistra, dolent si vel ad modicum sine quantulacumque tentatione sint, videlicet ne cum diutius in tranquillitate militant, ex ipsa tranquillitatis requie eo securius torpescant. Tetigit quoque hoc punctum idem Laurentius Justinianus dicens: Multos pejus sua felicitas stravit, pluresque diuturna pax elatione prostravit, eoque illos hostis gravius perculit, quo longiore quietis usu negligentes invenit, unde sancti viri cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se in tentationibus exultant, quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiant, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscant. Quod hac illustrat similitudine ab alijs quoque tacta: Sicut, inquit, caro, si sale non aspergitur, quamvis sit magna & præcipua, corrumpitur; ita & anima, nisi tentationibus assiduis saliatur, continuo resolvitur, & relaxatur; Nempe, tentatio ab anima negligentiæ putredinem excutit, & in spiritus vivacitate conservat. Ipsa virtutes perficit.

Gerson T. 2. ser. de Verb. Dom fol 823. — Multa commoda proveniunt nobis ex tentationibus. — B. Laur. Just. sup. cit.

6. Transfigurat se in Angelum lucis. Quemadmodum ad spiritus Angelicos pertinet, ut fervescant in exercitijs devotionis & spiritus; ad æmulationem horum idem operatur & efficere conatur astutus serpens transformatus in Angelum lucis; sed habet finem totum contrarium, etenim insinuat & suggerit nobis rigores, austeritates, & pœnitentias nostræ fragilitatis complexionem transcendentes, non alium in finem, nisi ut natura nostra debilitetur & enervetur, & enervata minus apta sit, ut iter perfectæ vitæ esto moderatum perficere possit, In vita S. Philippi Nerij legitur, quod Cardinalis Tarugi, eo tempore adhuc Congregationis Sacerdos, sine directione & licentia illius sancti viri nocte ad vacandum orationi mentali surgere statuerit, qua ex devotione caput ipsius adeo indispositum & turbatum fuit, ut longo tempore nihil præstare potuerit. Consilium propterea hoc dedit Apostolus: Rationabile sit obsequium vestrum. Dæmon suggerit abstinentiam, cilicium, corporis macerationem, solitudinem; ast operum horum bonum non intendit, sed malum, quod inde indirecte consurgere potest, ut, nimirum, quis debilitetur, salus & sanitas corporis enervetur, & ad alia opera devotionis, quæ sunt majoris momenti & emolumenti, inhabilis reddatur; homo quippe restauratione indiget. Quid faciet Dæmon, cum protectum à veritate Christianum neque hos tam crudeli incursu à sanctitate & justitia potuerit separare? Ad technas & fraudes suas convertitur; ut quem violentia non dejicit, fraudulentia decipiat. Transfigurat se in Angelum lucis, ut sub specie pietatis amatorem sanctitatis & probitatis deludat; & jejunantem magis ac magis jejunare suadet, orantem, vigilantem, laborantemque similiter, ut post triduum inutilem jejunio & vigilia reddat. Excedere monet, ut deficiat, & currenti calcaria addit, ut cadat. Quis omnes ejus fallacias & fraudes explicare sufficiat? Religiosum & modestum monachum sub charitatis prætextu ad pacem inter fratres componendam, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda extra cœnobium ducit, ut sic per plateas vagantem libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, & à devotionis fervore distrahendo tepefaciat & infrigidet. Similiter devotis matronis persuadere solet plus nimio orationi vacare; ut familiæ curam negligentius agant, & dum ipsa in oratorio inclusa diutius manent, famula peccatis incumbat. Hucusque S. Thomas de Villa Nova, cujus totus ille discursus est.

Diabolus nobis suggerit opera bona, sed ad nostram perditionem. — Exemplum hujus. — Rom. 12. v. 1. — S. Th. de Vill. Conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

7. Aliud adhuc est stratagema Dæmonis, quod bene advertendum est, & locum habet in hominibus, qui sunt perfectioris vitæ, magnisque passibus tendunt ad perfectionem & vitæ sanctitatem; Gaudet ergo & cooperatur Dæmon, ut tales applausum habeant & nomen sanctitatis, vehementi accendantur Dei amore, ac incessanter excessivaque austeritate affligant sua corpora; at in quem finem? ut, nimirum, præcipitentur & prolabantur in vanam gloriam & præsumptionem, veluti contigit præsumptuoso illi Pharisæo, qui dicebet: Gratiam tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum. Non potest esse, quin & in admirationem ac stuporem vos rapuerit historia illa exarata in Actis Apost. cap. 16. Invaserat spiritus malignus mulierem quamdam, & in honorem duorum Apostolorum Pauli & Barnabæ non cessabat in dies inclamare: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis; quod dicebat, verum erat; ast cum id cederet in proprium damnum, cur hoc dicebat? Hoc autem faciebat multis diebus. Et quod majorem mihi confert admirationem, est: Dolens autem Paulus & conversus, spiritui dixit, præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Similiter in S. Marco legimus de spiritibus alijs infernalibus, qui proclamabant Christum esse Messiam in lege promissum: Scio qui sis, sanctus Dei. Nihilominus Salvator noster imposuit ipsis silentium: Obmutesce. Quamvis unus aut alter pronuntiaverit veritatem utilem & proficuam; attamen tam Christus Dominus, quam Apostolus bene capiebant astutiam & fraudem Dæmonum eo collimantium, ut dicendo unam veritatem, majorem apud homines acquirerent fidem in multis mendacijs & erroribus, quos disseminare prætendebant: Vix enim unum verum videtur ex ijs (ait S. Ambros.) quæ promisit; sed qua de causa hoc unum verum adjunxit? Ut non tamquam mendax omnino rejiciatur, & ut hac veritate alia mendacia suadeat. Quod idem sanctus ille Doctor confirmat in proposito tentationis Evæ, in qua serpens fraudulentus intulit illam veritatem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno, &c. & hanc aliam: Aperientur oculi vestri; sed non alium ob finem, nisi ut credatur ei in alijs suis suggestionibus. Porro ad propositum malignorum illorum spirituum, qui præfatis Apostolis acclamabant, hæc tradit Chrys.: Ut ostium aperirent suis fraudibus, possentque imposterum mentiri confidentius, propterea vera quoque nonnulla commiscebant, non aliter quam qui lethifera miscent venena os poculi melle circumlinentes efficiunt; ut facilius accipiatur malum.

Conatur dæmon homines perfectioni studentes, ad vanam gloriam incitare. — Luc. 18. 11. — Act. Apost. 16. v. 17. — Ibid. v. 18. — Ibid. — Marc. 1. 24. — Ibid. v. 25. — Diabolus nihil veri promittit. — S. Ambr. l. de parad. c. 13. — Gen. 3. v. 1. — Ibid. v. 5. — D. Chryst. Hom. 37. adv. Judæos.

8. Transfigurat se in Angelum lucis. Nullum ponit obstaculum, imo plurima promovet devotionis exercitia, ut decipiat multas animas in servitio Dei, at cauti instar venatoris [cui satis est, quod aviculam capiat ungue, etsi toto corpore libera extra laqueum volitet) sufficit ei, ut unicum dumtaxat transgrediamur præceptum, novit etenim, quod qui in uno deficit, factus est omnium reus. Gigas Goliath nudam & discoopertam solum gestabat frontem, & in hac percussit ipsum David & prostravit. Prudens & providus belli dux quamvis noverit urbem esse munitissimam, explorata tamen parte ejus debiliori, minimum ei sufficit ostium per quod ad urbem capiendam pateat aditus: Omnes ergo rimæ (sic consulebat S. Cyprianus) ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur, & universa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas

Diabolus ut nos decipiat, multa nobis suggerit devotionis exercitia. — S. Cypr. de sing. Cler.

tas ruat. Pharisæus frequens erat in templo, faciebat orationem, eleemosynas, jejunia, à vitijs abstinebat, alienabat se a cursu mundi: Non sum sicut cæteri hominum &c. Nihilominus dæmon suum obtinuit intentum per viam præsumptionis & superbiæ, qua despiciebat alios, & seipsum extollebat: Quid prodest, si peccata quis luxuriæ defleat (ait Beda) & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? Aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat.

Luc. 18. 11. — Beda in Luc. 15.

9. Omnibus & singulis notum est axioma illud; Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Virgines illæ, quæ à nuptijs rejectæ fuerunt, attestante spiritu veritatis virgines erant, & tamen dæmonis laqueis irretitæ sunt, in ejusque cesserunt prædam, error earum fuit, quod non habuerint oleum in lampadibus: Lampades nostræ extinguuntur. Vas est cor, oleum est spiritus veritatis, qui nutrit & conservat opera bona, & hic spiritus ille est, qui operatur in anima contemptum & displicentiam suiipsius, quod quis se totum abominabilem æstimet coram Deo, quando existimamus nos esse acceptos Deo, nostræque satisfacere vocationi & obligationi, scire oportet astutiam esse hujus serpentis; tunc enim in pejori statu constituti sumus, propria namque æstimatio illa & præsumptio totum illud dissipabit meritum, quod aliàs anima nostra lucraretur per sua bona opera.

Propria sui æstimatio omnino vitanda. — Matt. 25. 8.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Deus malitiam dæmonis damno nostro inhiantis in nostram convertit salutem, quando ei resistimus.

THEMA.

Dixit Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. Job. 2. v. 6.

Tentationes quæ nos Deo permittente infestant, cooperantur saluti animæ nostræ, patet exemplo Job.

1. Inter sacros Heroes, tam ab antiquo, quàm à Novo Testamento decantatos, quis dubitat Jobum præ cæteris omnibus reportasse palmam, eò quod præ reliquis à dæmone, qui in ipsius ruinam & perditionem conjuraverat, tentatus & infestatus fuerit? Jam ex hac Dei protestatione videtur mihi evidenter deducendum tentationes, earumque permissionem in hunc collimare scopum & finem, ut illæ cooperentur animæ saluti: Ecce in manu tua est; quasi Deus inferre vellet, tibi permitto, ut suffragantibus rebellibus spiritibus tuis à catenis solutis & in auxilium tuum adductis servum meum Job impugnes, at non expugnes, ut omnia ejusdem bona temporalia disperdas, illum affligas, excrucies, destruas etiam ejus salutem corporalē: Verumtamen animam illius serva. Mando tamē & præcipio tibi, ut animam illius salvam conserves, & incolumem. In Epist. 1. ad Cor. scripta similem legimus determinationem: Omnino auditur inter vos fornicatio, ... qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat, Et vos inflati estis; & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, Tradere hujusmodi Satanæ. Hæc ipsissima præda est, ad quam anhelat malignus spiritus, ad aliud non suspirat, nisi ad animarum perditionem. At hoc non dicit S. Apostolus, bene tamen asserit: Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, & insuper, ut spiritus salvus fiat in die Domini. Ecce, qua ratione Deus utatur Satanæ malitia avida ruinæ ac perditionis nostræ æternæ, ut securiorem certioremque reddamus æternam nostram salutem: Ut spiritus salvus fiat in die Domini.

1 Cor. 5. v. 1. — Ibid. v. 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 4. — Ibid. v. 5. — Ibid. v. 5.

Deus in nostris tentationibus solicitus est ut anima nostra conservetur & proficiamus in bono.

2. Verumtamen animam illius serva. Contentus erat Deus, ut Satan greges, armenta Job incendio absumeret, ut Sabæi servos ejus captivos ducerent, ut quatuor domus angulos conquassaret & dirueret, & sub diruta domo omnes filij sepelirentur, ut ad tantam redigeretur paupertatem, ut non haberet, quo tegeret suam nuditatem; contentus erat Deus, ut Satan à planta pedis usque ad verticem capitis percuteret servum suum ulcere pessimo, cumque reduceret ad sterquilinium, ubi testa saniem & vermes raderet; contentus deniq; Deus erat, ut Job fieret opprobrium ac ludibrium omnium suorum amicorum & subditorum, & ipsamet uxor ejus ipsum instigaret ad blasphemandum Deum: Verumtamen animam illius serva. Ita Deus limitavit hanc licentiam; ac tales inimico præscripsit conditiones, ut inæstimabilem illum thesaurum animæ custodiret: Verumtamen animam illius serva. Pulchre B. Laurent. Justinian. ubi tractat de conversatione monastica, scribit ad præsens propositum: Magnam de propria salute debet concipere spem, qui diversis tentationibus agitatur, nisi enim ipsorum conversatio Deo acceptabilis, & inimicis esset onerosa, nequaquam tanta illorum cor aggrederentur importunitate, atque conarentur evertere mentis domicilium à stabilitate sancti propositi, quod arripuerunt. Dei autem clementia cunctam immundorum spirituum fraudem in suorum facit militare profectum servorum. Ex his quippe tentationibus, qui amoris Christi & perfectionis fervent desiderio maximam sumunt occasionem tantarum fieri possessores virtutum, quantorum impugnant suggestionibus vitiorum. Unde cum superbiæ cogitationibus vexantur, ne in ipsum corruant vitium, humiliantur. Jam pridem hanc doctrinam tetigerat S. Bernard. serm. quodam de modo bene vivendi, asserens: Quando diabolus servos Dei tentat, eorum utilitatibus servit, cum eos per tentationes suas non decipit, sed erudit; sæpe tentationes, quas diabolus commovet ad interitum hominum, Deus convertit eas ad profectum animarum.

B. Laur. Just. de monast. convers. c. [illegible] — S. Bern. ser. 67. de modo bene vivendi.

3. Sanguisuga prima facie videtur velle absorbere totum vestrum sanguinem, hunc deglutit, & imbibit, unde cecinit Poëta: Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo. Profectò, cum sit insatiabilis, nunquam desisteret à sugendo sanguinem ad minimam usque stillam, nisi Chirurgus eam abstraheret, judicans sanitati infirmi, cui is invigilat & attendit, sufficere; intentio hujus est, ut extrahatur sanguis putridus; indeque pristinæ infirmus restituatur sanitati. Salvator noster Medicum se nominat: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Fraudulenti serpentis ad nos tentandum utitur malitia; at in commodum & utilitatem nostram, ut resistentes diabolicis ejus suggestionibus, exercentes nos in virtutum operibus, cooperantes Dei, quæ nobis subministrat, auxilijs & gratijs, detestantes vitium, abrenunciantes peccato, majora acquiramus merita æternæ beatitudinis, certamque ac securam faciamus æternam nostram salutem. Quando ergo cœlestis hic protomedicus advertit, quod incisiones, amaræ potiones, aliæque medicinæ spirituales, puta, tentationes habuerint suum effectum, & operationem in mortificanda malignitate febris, suspendit manum suam, non permittit tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione proventum. Qui videt hominem alias mitem, discretum, timentem Deum, amicum suum, & nonnunquam sanguine junctum, constitutum sub manu & potestate alterius, qui illum ferit, sauciat, venam incidit & extrahit sanguinem, nec causam penetrat, cur id faciat, quid cogitat, quid dicit? Si suspiceretur, ac temerariè credit hunc ex odio alteri machinari mortem, satis aberrat & decipitur, quia amoris signum est & causa salutis, aliud non intendit, nisi ut corruptum extrahat sanguinem, tollatque materiam peccantem. Qui patientem Job conspexisset ad sterquilinium reductum, tot tantisq; carnificibus, nempe spiritibus infernalibus, qui sanguinem ei extrahebant, circumdatum, nec intellexisset Dei dispositionem: Ecce in manu tua est; quid dixisset? Certè subscripsisset imposturis aliorum asserentium illum castigatum esse propter peccata sua, & tamen aliud non intendebat Deus noster, nisi ut ipsum & in terra & in cœlo gloriosiorem redderet ac securum de salute animæ suæ. Verumtamen animam illius serva. Appendat me in statera justa, ait idem Job; & sciat Deus simplicitatem meam. In Hebræo legitur; perfectionem meam. Igitur ex instinctu Spiritus S. mundo patefacere voluit, quod non in pœnam scelerum suorum, veluti maligni illi calumniabantur, à dæmone excruciatus fuerit.

Deus fraudulenti serpentis astutia utitur ad nostram salutem, quod declaratur exemplo sanguisugæ. — Matth. 9. 12. — 1. Cor. 10. 13. — Job. 31. v. 6.

4. D. Greg. Magn. doctrina est, cum ait: Fit mira dispensatione pietatis, ut unde malignus hostis cor tentat, ut interimat, inde misericors Dominus hoc erudiat, ut vivat. In ignem projicitur ferrum, sed ut à rubigine purificetur, idem fit cum auro, sed ut mundetur. Audite Deum Isa. c. 1. loquentem: Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, ut tanto sit copiosior; subdit S. Pontifex, fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint graviora prælia. Magni momenti res est: Verumtamen animam illius serva. Nihil dæmon æstimat cunctos thesauros & regna terræ, siqui-

S. Greg. l. 2. moral. c. 24. — Per tentationes erudimur & emundamur. — Isa. 1. v. 25.

Matth. 4, 9. Gen. 14. 21. Job. 2 v. 6. S. Ambr. l. 1. de pœn. c. 13.

dem obtulit illa Christo, solum ut genuflecteret: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; quod à Job prætendebat, erat illud, ut animam ejus deprædaretur: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Ergonè ei cum omnibus suis laborandum & sudandum erat contra Job, ut custodiret animam ejus? *Verumtamen animam illius serva?* Audiamus S. Ambros. *Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, ut seipsum destruat, se enim destruit, cum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit, quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat; illuditur ergo diabolus, ut ipso mortis suæ vulnere se armet, quem debilitat.*

Ps. 103. v. 26. S. Antonin. p. 4. t. 18. c. 3. §. 4. Quomodo possimus draconi infernali illudere. *S. August. in Ps. 130. Idem tom. 3. lib. 4. c. 13. S. Greg. M. l. 16. mor. c. 18.*

5. Explicat nobis S. Antonin. sensum illius versus: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, quomodo possimus illudere Draconi, qui sola cauda tertiam partem stellarum, videlicet, spirituum Angelicorum, traxit è firmamento cœli? Quis umquam tantæ erit audaciæ, ut Draconi illudat, eumque irritare audeat? Respondet S. Antoninus: *Illuditur, cum ex ejus oppugnationibus, dum intendit bonum virtutis electis subtrahere, eis augetur; unde B. Ambrosius. Illuditur ergo diabolo, ut seipsum morsu suo vulneret &c.* Sed ad propositum de Job ait D. August. *Permissus est ad eum probandum Satanas, & percussit eum vulnere, ut vermibus putresceret, immundus enim permittebatur, & sanctus probabatur. Nescit diabolus, quanta bona de illo fiant, etiam cum sævit; sæviens intravit in cor Judæ, sæviens tradidit Christum, sæviens crucifixit, & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarum. Ecce sævitia diaboli diabolo obfuit, nobis profuit.* Et in alio loco hanc eamdem refert veritatem: *Nescit diabolus, quomodo illo & insidiante & furente utatur ad salutem fidelium suorum excelsissima sapientia.* Quodnam venenum est magis lethiferum ipsius viperæ? Nihilominus ars medicinæ utitur illius carne ad præparandam theriacam, quæ est potentissimum antidotum contra morsus illius. Verum est odium Satanæ esse irreconciliabile, & impossibile Satanam reconciliari posse cum animabus nostris; ast veluti bene observat & notat S. Gregorius Magnus, *Apostatæ quippe Angeli perversa voluntas est; sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant, dum tentat.*

Malitia diaboli nobis utilis est, si illa utamur ut oportet. *D. Chrys. t. 1. hom. 25. S. Ambr. de parad. c. 2.*

6. Hoc emolumentum, quod in profectum animarum ex tentationibus refundat, observatum fuit quoque à D. Chrysost. Homilia de Diabolo tentato: *Quandoquidem Diabolus*, inquit, *si nosse velis, etiam utilis nobis est, si eo, prout oportet, utamur, magnamque nobis utilitatem parit. Hoc multoties ex Job ostendimus; potest ex ipso quoque Paulo intelligi, sic enim ait de fornicatore scribens: Tradidi hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Ecce etiam salutis auctor factus est diabolus, tametsi non ex ipsius mente, sed ex artificio Apostoli.* Casum primorum parentum nostrorum, ad quem impulsum dedit mendax serpens, Deus ordinavit ad majus nostrum bonum, & majorem ipsius ruinam: *Felix culpa* (cantat S. Ecclesia in præfat. Paschali) *quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Idem S. Ambros. cujus hæc sunt verba, alibi scripsit: *Ut sciremus etiam diaboli malitiam ad salutem prodesse hominibus, non quod diabolus prodesse velit, sed quod malitiam ejus etiam repugnantis convertit nobis Dominus ad salutem. Hujus malitia Job sancti viri virtutem fecit esse & patientiam clariorem.*

Quare Deus permiserit lapsum primorum parentum. *Procop. in Gen. 3.*

7. Proposito huic inservit discursus Procopij in c. 3. Gen. ubi referuntur insidiæ & fraudulentæ machinæ, quas diabolus in nostram parat ruinam & perditionem: *Deus, qui per liberum arbitrium fortiter decertantibus coronas proponit, cum conspexisset diabolum observare hominem, & instituisset hunc fraude doloque circumvenire, concessit ut hoc faceret.* Verùm si Deus noverat hunc casum secuturum cum tanto damno & detrimento totius humanæ posteritatis, quam in creatione adeo sublimaverat, cur se non opposuit? Tanto magis id conveniens videbatur, eò quod jam destinaverat hominem ad reparandas illas ruinas supernæ Jerusalem ob rebellionem ejusdem serpentis suorumque sequacium desolatæ? Respondetur, Deum, quia jam tentationes dæmonis ordinaverat ad obtinendas & acquirendas æternæ gloriæ coronas, indulsisse maligno spiritui, ut adhiberet suas fraudes, dolos, mille nocendi artes, ureretur que suis assultibus, quos tamen in progressu sæculorum prævidebat magna ex parte retundendos, superandos, ac gloriosè rejiciendos, simulque innumerabiles victores sublimiores gradus beatitudinis conscensuros.

Tentatio valet ad exercitium virtutum & augmentum meritorum. *S. Th. de Vill. Conc. 2. in Dom. 1. Quadr. Ps. 125. v. 6. D. Chrysost. in hunc loc. Sap. 3. v. 6. Jacob. 1. 12.*

8. S. Thomas de Villa Nova Conc. 2. in Dom. 1. Quadragesimæ tentatos consolatur & monet hisce verbis: *Tentatio ad exercitium virtutum & augmentum meritorum plurimum valet, nam si anxietatem & afflictionem tentationum auferas, ubi erit patientia, mansuetudo, fiducia, humilitas, constantia, fortitudo & aliæ virtutes, quarum proprium munus est eas vincere, aut tolerare? Meritorum quoque immensa seges amittetur, quæ in eis perferendis aggregatur.* Non sine mysterio loquebatur regius Propheta Psal. 125. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos:* Hanc phrasin loquendi considerans S. Chrysost. ait: *Quemadmodum semina opus habent imbribus, ita nos etiam lachrymis, & quemadmodum terra opus habet ut aretur & proscindatur, ita anima fidelis pro ligone indiget tentationibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur durities.* Quando tractatur de prædestinatione salutis æternæ, Spiritus S. cum electis jungit simul ignem tentationis; *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus*; si aurum firmiter subsistit in igne, per ignem purificatur, ex eoque conficiuntur diademata & coronæ; idem contingit animabus justis, si superant ac evincunt tentationes Satanæ, in manu habent coronas æternæ beatitudinis: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Tentatione probamur an simus filij Dei. *Gen. 27. 21. Job. 19. v. 21. Tob. 12. 13.*

9. Quando senex Isaac morti vicinus erat, dixit filio suo Jacob (quod idem est ac Israël, nempe, *videns Deum*) *accede ad me, ut tangam te fili, & probem utrum tu sis filius meus.* Modus hic loquendi in S. Scriptura præsertim verò in Job tentationis expressivus est: *Manus Domini tetigit me*; ubi Propheta alludebat ad dæmonis tentationem, qua eum aggrediebatur. Quia igitur verum est axioma illud: *Omnia in figura contingebant illis*; videtur mihi Salvatorem nostrum hoc tactu tentationis probare velle filiationem nostram adoptivam: *Quia acceptus eras Deo* (dictum fuit sancto seni Tobiæ) *necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

Quænam differentia tentationum prædestinatorum & præscitorum sit. *Hebr. 12. 13. Malach. 3. 3.*

10. Qualis intercedit differentia inter prædestinatos & præscitos; quando probantur ab igne tentationis? Ignis, qui est supremum elementum, talis vigoris & virtutis est, ut omnia, quæ in se recipit, devoret & consumat, velnti sunt ligna, linum, lana, paleæ, imo & lapides reducit in calcem; ast ita non facit cum argento & auro, hæc enim metalla purgat, mundat ac perfectiora reddit: *Deus ignis consumens est*, quando reprobi, qui instar fœni & ligni sunt, tentantur, quia cedunt consentiuntque diabolicis suggestionibus, ignis infernalis præda fiunt; non ita electi, tamquam aurum in fornace &c. tentationibus strenuè resistunt, ac in virtute purificantur: *Ipse enim quasi ignis conflans* (ait Propheta Malachias) *emundans argentum & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Ex hoc auro pro servis Dei conficientur diademata gloriæ. *Cum probatus fuerit &c.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Demonstratur similitudine de frumento cribrato à Christo Domino adinventa, tentationes profectui nostro multùm prodesse.

THEMA.

Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Luc. 22. v. 31.

Utilitas tentationum docetur similitudine cribrantis triticum.

1. Convenientior, magisque apposita ab incarnata Sapientia adinveniri non poterat similitudo, qua nobis exprimeret fructum, quem animæ nostræ ex tentationibus referunt, quando tamen eas evincimus. Quale damnum illud, quod cribrum adfert frumento? Imò quale non confert ei emolumentum, dum illud mundat; à sordibus purgat, esto illud concutiat, agitet, vertat & invertat, in altum projiciat, ac saltitare faciat? Totus hic motus ad hunc ordinatus est finem, ut melioretur, in granario reponatur, conservetur, & non perdatur: *Ecce Satanas cribrat nos sicut triticum*; omnis generis nobis molitur insidias, cunctas suas movet machinas; ut in peccatum nos agat præcipites; cunctos suos tendit laqueos, exponit retia, ut nos capiat; instar cribri pluribus modis nos concutit, discutit, percutit, impetit multis assultibus; at quod ex cribro cadit nihil aliud est, quam pulvis, terra, sordesque similes;

Matth. 13. 30. Matth. 3. 12.

frumentum verò intus remanet: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Cum expurgatur frumentū in area, & palea projicitur in aërem ac ventilatur, docet experientia; illud ex aëre decidere purius ac nitidius, quam fuerit antea, quia ventus purificat illud à pulveribus, paleis, aliisq; minuta tritura, cui commixtum erat; hunc quoque fructum percipit homo justus ex tentationibus, quia cum sit frumenti instar, purgatur ac mundatur à vehementi & impetuoso vento insidiarum & assultuum dæmonis, ut purgatum ad granarium cœleste attrahatur: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Porro frumentum non solum teritur & excutitur in area, verum etiam in aëre, ut dictum est, ventilatur & agitatur; concutitur insuper & agitatur in cribro, ut eò magis purificetur, ac reponatur deinde in granario, de quo ait cœlestis agricola: *Triticum autem congregate in horreum meum.*

Devictæ tentationes reddunt nos dignos Deo. *Luc. 22. v. 28. 29. & 30. S. Aug. in Ps. 36. Opusc. de S. Francis. colloq. 28.* Quomodo S. Franciscus tentatum graviter consolatus fuerit. *Job. 4 v. 18. Sap. 3. v. 5. Ibid.*

2. Observate, eodem tempore, quo Apostolis dictum fuit: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*; audiverunt etiam: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ventus secum tollit paleas, at non frumentum seu triticum: *Tu qui vento tentationis foras volasti* (ait S. Augustinus) *quis es? Triticum? non id tolleret ventus ex area.* Nullus credat aut speret se esse instar frumenti, nisi prius in area trituretur, jactetur, & cribretur. In opusculo quodam de S. Francisco legitur: *Quemdam à fratribus præ nimia & molesta tentatione novit quasi desperatum iri, & timuisse ne si Pater fluctuantem illius animum deregeret, minus sic tentatum diligeret, quem dæmon quasi vacillare coëgerat, afflictum charus pater accersivit, & paterna consolatus est voce: Ne timeas, nec contristeris fili mi. Crede mihi, quod nunc plus solito te Dei servum judico, & quo magis tentatum te senseris, magis mihi te noveris esse dilectum. Nullus, fili, se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem non transierit. Annulus est quodammodo, victa tentatio, quo Dominus servi sui animam sibi desponsat.* Qua ratione, quove modo hoc lutum adeò vile, loquor de homine, spem umquam concipere poterit se esse in æstimatione apud Deum creatorem suum, cum de se verificetur, & verum dici sciat: *Tu scis figmentum meum?* Si Job. 4. dicitur: *Et in Angelis suis reperit pravitatem*; quomodo igitur creatura cum creatore comparari poterit? Audiamus increatam Sapientiam: *Deus tentavit eos*; & quis est fructus redundans ex hac tentatione, quam divina illa neutiquam errans providentia permisit & ordinavit: *Et invenit illos dignos se.* Quid amplius dici potest? Ad hunc extollitur honorem, qui strenue resistit tentationi, ut sit dignus Deo: *Invenit illos dignos se.*

Ideo diabolus relictus fuit ut sua malitia hominem exerceat ad virtutem. *Lact. Firm. lib. 5. divin. inst. c. 29. 1. Petr. 5. 8. 9. D. Chrys. t. 4. l. 1. de Provid.* Per tentationes fimus Deo familiarissimi. *Idem tom. 2. ser. cont. ignaviam.*

3. Accommoda huic loco doctrina est, quam tradit Lactantius Firmianus, quando discurrit de spiritu maligno hoc modo: *Insidiatur universis, & si dolo nihil profecerit, vi & violentia ejicere conatur. Idcirco enim in primordijs transgressionis non statim ad pœnam detrusus à Deo est; ut hominem malitia sua exerceat ad virtutem, quæ nisi agitatur, nisi assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta.* D. Chrysost. pro hujus confirmatione adducit textum Epist. 1. Petri. cap. 5. *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, Cui resistite fortes in fide: Scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Quando solidi, firmi & patientes fuerimus in tentationibus, tunc inseparabili unioni cum Deo studere & attendere poterimus. Pergit jam Chrysostomus: *Promptiores perfectò atque fortiores nos ista faciunt, persuadentque familiarissimos Dei fieri. Qui enim imminere sibi cernit inimicum, majori ad illum currit desiderio, à quo defendi possit.* Notate hæc: *Familiarissimos Dei.* Si granum non excutitur & mundatur à pulvere, perditionis subit periculum, ideoque moveri & verti solet. Sermone alio, cui titulus est, contra ignaviam, monet nos idem Chrysost. *Hoc solum considera, quod solum propter hoc potissimum reliquit* (loquitur de communi tentatore) *ut timore compulsi, & hostis insidias expectantes, simus perpetuò sobrij & vigiles, laboremque virtutis non imminuamus, spe retributionum & expectatione ineffabilium illorum bonorum. Et quid miraris, si ob hanc causam reliquit diabolum Deus cui tanta nostræ salutis cura, & qui ita nostram somnolentiam excutit, materiamque coronarum nobis præparat?*

Illuminati Dei servi amant tentari ut purificentur eorum corda. *S. Anton. p. 1. t. 6. c. 13. §. 5.* David appetijt tentationes. *Cant. 8. 7. Ps. 25. 2. Sap. 3. 5. Ibid. 6.*

4. Qui frumentum, quando est sordidum & nondum purgatum & politum, interrogaret, profectò si sensus ei esset & ratio, cribrari appeteret, tametsi se ventilatum & agitatum iri sciret. Illuminati servi Dei cum optime noverint, quantum producat fructum tentatio Dei gratia concessa, divinoque auxilio munita, & præterea, quod *nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*: Amant tentationes, ut purificentur corda sua; quemadmodum notat S. Antonin. inquiens: *Qui certus est de victoria, debet bellum appetere, sed Sancti ex perfecto Dei amore sunt quasi certi de victoria, dicitur enim Cant. c. 8. Multæ aquæ [tentationum] non potuerunt extinguere charitatem. Propter hoc David certus de patientia, inflammatus de corona, securus de victoria, dicebat ad Dominum, Psal. 25. Tenta me; ure renes meos, & cor meum, ubi tria petit; Primò appetit prælia, dicens, tenta me, id est permitte me tentari, ut innotescam qualis sim in prosperis & adversis, in bonis & malis; Sap. 3. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Secundo petit gratiæ auxilium, dicens, ure; igne scilicet gratiæ Spiritus S. qui corroborat mentes, sicut ignis materialis vasa testea, & perficit sicut ignis aurum, secundùm illud Sap. 3. tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, tantæ enim virtutis est ignis gratiæ, ut minimus sufficiat ad omnia tentamenta vincenda. Tertio, mali incitamentum ostendit dicens: Renes meos & cor meum, id est delectationes concupiscibiles per renes designatas, & perturbationes irascibiles per cor figuratas, ira enim est accensio sanguinis circa cor. Sed ignis Spiritus S. delectationes carnis, & turbationes cordis aufert vel sedat.*

Joan. 12. 24. Anima tentationibus varijs exagitata, comparatur grano frumenti. *Hebr. 11. 35. Ibid. v. 36. Ibid. v. 37. Ibidv. 38.*

5. Indicat nobis ac notum facit Salvator noster: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quot quantisque temporum injurijs, idq; mensium aliquot spatio, frumentum expositum est, priusquam reddat fructum, & in granario deponatur? Primò marcescit & corrumpitur sub terra, ubi diuturna temporis mora hæret, nivibus & glacie coopertum, postea herbarum proferens germina decerpitur ab animalibus, à ventorum agitatur impetu, expositum est ardentibus solis radijs, pluviæ, nebulæ, pruinæ & tempestatibus, falce deinde succiditur, exsiccatur, concutitur, teritur, & cribratur, tandem post omnes hasce agitationes defertur ad granarium, & priusquam in mensa compareat, lapidi molari traditur, molitur, in minutissimam reducitur farinam, discernitur, cribratur, aqua & fermento commiscetur, pinsitur, fornaci imponitur, ut coquatur, demum aut cultro scinditur, aut dentibus teritur. Aptior igitur & convenientior hac adduci nequit similitudo, qua ad vivum repræsententur, exprimanturque tentationes, per quas transire debent electi, antequam in mensa cœlestis paradisi compareant: *Alij distenti sunt; ... Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt in occisione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, Quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.*

Eccli. 27. v. 6. Tentatio comparatur fornaci figuli. *Ps. 120. v. 8. Blos. Psychag. l. 1. c. 18. n. 3.*

7. Eccli. c. 27. hanc aliam nobis insinuat comparationem: *Vasa*, ait, *figuli probat fornax, & homines justos tentatio*; si vasa cretacea in fornace ardenti non crepent, sed igni resistant, bonitatis indicium, ad eumdem modum quando anima diuturnis ac continuis resistit tentationibus, numquam ab inimico superatur, signum est eam esse magnæ virtutis & meriti. Blosius declarando verba illa Psalmistæ: *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in sæculum*; dubio sibi proposito: *Quid est introitum tuum? Quid est exitum?* Respondet. *Quando tentamur, intramus, & quando vincimus tentationem, eximus. Audi introitum, audi exitum. Vasa figuli probat fornax, ait Scriptura, & homines justos tentatio. si sic sunt homines justi, quomodo vasa figuli, necesse est ut vasa figuli fornacem intrent, & non quando intrant jam securus est figulus, sed cum exierint. Dominus autem securus est, quia novit qui sunt ejus, & novit qui in fornace non crepent. Illi non crepant, qui non habent ventum superbiæ. Humilitas ergo custodit in omni tentatione. Custodit Dominus introitum, ut salvi intremus. Sana fide simus, quando accedit tentatio, & custodit exitum ex hoc nunc & usque in sæculum, cum enim exierimus ab omni tentatione, jam in æternum nulla nos tentatio terrebit, nulla concupiscentia saltem solicitabit;* audi

1. Cor. 10. 13.

audi Apostolum idipsum commemorantem; Fidelis Deus qui non permittet vos tentari supra quam potestis ferre. Ecce introitus tuus custoditur, quando non sinit tibi Deus accidere tentationem, quam non potes ferre.

Hug. Card. in 2. Cor. 12. Ideo tentamur ne pereamus.

7. Hugo Card. discurrendo de S. Paulo Apostolo, qui ab immundo spiritu magna vehementia angustiatus & tentatus fuit, veluti deducitur ex verbo illo, *colaphizat me.* S. Apostolum ita alloquitur: *Igitur in paradisum duceris, & à Satanæ Angelo tentaris?* Quasi vellet dicere: Quæ proportio inter Paradisum & Satanam, qui ex eo præcipitatus fuit? Raperis ad cœlum, & eodem tempore te aggreditur hostis infernalis? Ecce modum, quo Deus homines justos facit & sanctos, sed aliam istius reddit rationem: *Qui elatus*, inquit, *perire poterat, tentatus est, ne periret; Tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit.* Pro majori hujus robore adfert authoritatem S. Bernardi: *Jucundum Dei judicium est, quod ille antiquus malleator humilium coronas eis nescius fabricat perpetuas.* Idemmet Card. in versum hunc Ps. 24. *Custodi animam meam, & erue me;* scribit: *Anima enim obsessa est undique à dæmonibus.* Citat textum Eccli. *Civitas parva, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum & perfecta est obsidio, Inventusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam. Civitas est anima*, inquit Hugo, *populi cogitationes, viri virtutes; Rex magnus Diabolus; non dicit custodi corpus, sed animam, Job. 2. Ecce in manu tua est, verumtamen animam ejus serva; & quid mirum si petat vir justus animam custodiri, quia ipsam solam petit diabolus. Gen. 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Pauper hic homo, qui hanc mysticam civitatem animæ ab infernalibus inimicis obsessam liberat, quis alius esse potest nisi Salv. noster, qui de se loquens ait: *Ego autem mendicus sum & pauper? Per sapientiam suam;* quia actus sapientiæ est scire rem ita disponere, ut odium inimici, quo nos tentat & in peccatum inducere conatur, in majus bonum ac profectum animarum tentatarum convertatur: *Facit cum tentatione proventum.*

Ps. 24. v. 20. Idem. ibi. Eccle. 9. v. 14. Ibid. v. 15. Hug. Card. ib. Job. 2. 6. Gen. 14. 21. Ps. 30. v. 18. 1. Cor. 10. 13.

Blos. in conclavi animæ fidelis. §. 4. n. 11. Consolatoria revelatio facta S. Gertrudi pro tentatis.

8. Legimus in Blosio de S. Gertruda: *Virgo Gertruda in spiritu aliquando clarissimè cognovit, quomodo Deus nonnumquam permittat hominem pluribus vitijs gravissime impugnari, ut is postea de triumpho felicius exultet, & majorem gloriam in cœlo obtineat; Cognovit plerosque esse eximios castitatis & puritatis sectatores (quales fuerant Apostoli Christi) qui suspecta quidem omnia fugiunt, sed ea quæ suspecta minime sunt, rationabiliter admittunt. Et hi si interea tentatione aliqua pulsentur, viriliter certando (adjuvante gratia Dei) ipsam tentationem devincunt. Si vero interdum ex humana fragilitate aliquantulum succumbunt, student hoc dignis pœnitentiæ fructibus delere.* Quot Sancti cantare poterunt: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos* Ex odio, ex insidijs, ex assultibus, ex dolis & fraudibus spirituum infernalium tentantium Sancti evaserunt vigilantiores, & in divino servitio ferventiores, excitati fuerunt ad frequentiora orationum exercitia, ad iteranda jejunia ad frequentanda sacramenta, ad solitudinem, & similia, quibus tentatori restiterunt.

Exempla tentatorum multos conservarunt à perditione. Gen. 50. 20.

6. Joseph ad regale evectus solium exprobravit fratribus, quod ipsi machinati fuerint mortem, & postea tamquam mancipium eum vendiderint: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Tentationes, quas Job, Tobias, S. Antonius, & innumeri alij sacri Heroes sustinuerunt, quot & quantos in progressu sæculorum conservarunt, qui alias sine his exemplis succubuissent, & dæmoni in prædam cessissent.

Joan. Cassian. coll. 4. c. 6. Deus in terra Chanaan multos permisit habitare infideles, ut filios Israel exercerent in arte militari. Judic. 3. 1. & 2. Ibid. v. 4.

10. Pro majori horum illustratione Joannes Cassianus adducit historiam & textum ex libro Judicum cap. 3. ubi legitur, quod Dominus Deus in terra Chanaan multos habitare permiserit inimicos populi Israëlitici, nec eos proscripserit, aut exterminari jusserit, ut populum hunc exercerent in arte militari, & ad vigilantiam excitarent, ne declinaret ad otium: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non noverant: Bella Chananæorum Ut postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Et post pauca: *Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israëlem, utrum audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Quam utique pugnam* (sic subdit & prosequitur Cassianus) *non invidens Deus quieti Israëlis, nec male eisdem consulens, sed sciens esse utilissimam reservavit; ut dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, numquam se sentiret auxilio Domini non egere, & ob id semper in ejus meditatione & invocatione persistens, nec inertia solveretur, nec bellandi usum, nec exercitia virtutis amitteret.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Tentationes à Deo ordinatæ sunt ad exercitium virtutis, ejusque perfectionem.

THEMA.

Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. v. 9.

In tentationibus perficitur virtus. Coloss. 2. v. 3. 2. Cor. 12. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4. Ibid. v. 7. Ibid. v. 8. Io id. v. 8. Ibid. v. 9. Ibid. v. 9. Ibid.

1. S. Paulus, qui raptus ad empyreum, divinorum secretorum particeps factus erat, & ab eo instructus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*, utilem nobis & irrefragabilem revelavit veritatem, videlicet, virtutem perfici & illustriorem effici per viam tentationis; neque hoc ex propria dixit sententia, sed per os ipsiusmet Dei: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, ... Quoniam raptus est, in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet; Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me.* Quia vero hic Apostolus tantam cum Deo habebat confidentiam, & alias etiam valde potens erat in patrandis prodigijs & miraculis, veluti constat & Actis Apostolorum, potestatem namque habebat in spiritus infernales, quibus despoticè imperabat, meritò hic nascitur dubium, cur repulsam passus fuerit, quando videbatur petere rem justissimam, nimirum, ut à sordidis illis & lubricis Satanæ tentationibus liber esset? *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me;* at non fuit exauditus: *Et dixit mihi, sufficit tibi gratia mea.* Ecce hujus rationem: *Nam virtus in infirmitate perficitur;* perficitur, augetur & illustrior redditur virtus in tentationibus quas quis fortiter tolerat & sustinet, quibusque viriliter resistit. Quapropter concludit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

S. Aug. in Ps. 60. Tentatio perficit virtutes. B. Laur. Just lign. vit. c. 4. Act. Apost. 9. v. 15. Rom. 8. v. 35. S. Anselm. in hunc loc.

2. S. Augustini sententia & doctrina est: *Profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum & tentationem habuerit.* Hanc doctrinam D. August. allegat B. Laur. Justin. de hac discurrens materia: *Ipsa*, inquit, *virtutes perficit, vita etenim nostra non potest esse sine peccato, nec sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit. Non enim potest, absque tentatione homo ad perfectionem pervenire, nec sibi innotescit nisi tentatus.* Quod Dominus Deus vehementer amaverit S. Paulum, id in dubium revocari non potest: *Vas electionis est mihi iste; Quis me separabit à charitate Christi?* Cur igitur permittebat, ut continuò ejus adhæreret lateri monstrum illud infernale, sordidum, tetrum, insatiabile, & implacabile, quod & ipsum etiam colaphizaret? Respondet per os Pauli S. Anselmus: *Datus est mihi ad meam utilitatem, ut me in humilitate custodiat.* Prosequitur deinde S. hic Archiepiscopus: *Tentatio, cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.*

Virtus non perficitur sine pugna. Lact. Firm. de opif. Dei c. 20.

3. Lactant. Firmian. de opificio Dei, vel de formatione hominis scribit; *Virtus esse non potest, nisi fuerit compar aliquis, in quo superando vim suam vel exerceat; vel ostendat. Nam ut victoria constare sine certamine non potest, sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam virtutem dedit homini, statuit ei è contrario inimicum, ne virtus otio torpens naturam suam perderet. Cujus omnis ratio in eo est, ut concussa & labefactata firmetur, nec aliter ad summum fastigium possit pervenire, nisi trudenti manu semper agitata, sed ad salutem suam dimicandi tenore sudaverit. Novit enim Deus hominem ad immortalem illam habitudinem pervenire delicato itinere. Daturus ergo virtutem, dedit hostem prius, qui animis hominum cupiditates & vitia immitteret.*

Proponitur cur Deum permiserit lapsum hominis.

4. Importuna plerumque à nonnullis hæc nobis impingitur quæstio (ita scribit Rupertus Abbas) *Cur Deus lapsum hominis evenire permiserit, cum utique*

ut

Rup. Abb. lib. 3. de div. offi. c. 14.

ut omnipotens impedire potuerit, saltem ipsum tentatorem ab ingressu Paradisi procul arcendo, maluerit que suam incarnationem humano generi necessariam existere, quàm compendio serpentem ab hominis collocutione abigere. Antiquus Tertullian. in laudem hujus microcosmi asserit. *Homo cura divini ingenij.* Cum igitur Deus creaverit hunc parvum mundum, hominem videlicet, ad imaginem & similitudinem suam, eumque in statu innocentiæ & justitiæ originalis collocaverit, præterea inexhaustos cœli thesauros eidem contulerit, cur ab eo trifaucem cerberum, ne ipsum morderet, non abegit & repulit? Difficultas hæc jam pridem mota fuit à D. Augustino: *Si ergo quæritur*, ait ille, *cur Deus tentari permiserit hominem quem tentatori consensurum esse præsciebat; altitudinem quidem consilij ejus penetrare non possum, & longè super vires meas hoc esse confiteor. Est ergo aliqua causa fortassis occultior, quæ melioribus, sanctioribusque reservatur, illius gratia potius, quam meritis aliorum; sed tamen quantum vel donat sapere, vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere quia nemo male vivere suaderet, cum in natura posse; & in potestate habeat velle, & non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse ipse præsciebat altitudine quidem consilij ejus) cum id futurus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam, ut etiam sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum Sanctorum, quàm rectè ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perversè uterentur naturis bonis.*

S. Aug. t. 3. l. 11. de Gen. ad litt. c. 3.

Rup. Abb. ib. Cur Israelitæ fame coacti Ægyptum intrare debuerint antequam terram promissionis intrare potuerint, Abrahæ dudum promissam.

3. Quærit insuper Rupert. Abbas, cur Deus, cum Abrahamo cunctisque ab eo descendentibus promiserit terram Chanaam, priusquam ad hanc illis pararet viam, disposuit, ut fame coacti prius intrarent Ægyptum, ex quo regno deinde posteros tantis cum prodigijs duce Moyse eduxit in desertum, operando mirabilia numquam prius audita? *Hoc respondeat, qui altiora quærit, cur tantis morarum vel operum dispendijs reducendos illuc intrare permiserit.* Et sapienter respondet: *Dicet fortassis quod in promptu est & quod verum est, quia ut notam faceret in gentibus virtutem suam, ut essent quæ utiliter inter gentes annuntiari possent opera ejus, ut sciremus quia ipse Dominus Deus noster, & experimento probaremus, quia in universa terra judicia ejus, ut, inquam, notus fieret Deus, sine cujus notitia non vivit omnis homo, idcirco quod supra dictum fieri permisit. Et rectè, bene, irreprehensibiliter; si enim homo non debet oblata occasione omittere, quin proferat, quod in se utile habet, pro eo quod scriptum est: Sapientia abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? Quanto magis benevolentia Dei oblatam sibimet occasionem debuit amplecti, id est, mittere in servum, venumdari Joseph, ut sapientiæ suæ thesauros utiles ostenderet, quia videlicet illa venditio captivitatis illorum causa, vel initium fuit.* Cum hac historia descendit idem author ad ostendendam imperscrutabilem Dei sapientiam & providentiam, qua permisit tentari primos nostros parentes: *Eadem simplicitate oculi, id est, intentione utilia faciendi permisit Adam volentem descendere in hanc Ægyptum, id est, in tenebras peccati, cum posuisset eum in amœnitate paradisi, cujus illa terra typum gessit, in qua Abraham, & Isaac & Jacob peregrinari jussit, repromittens eam illis. Et cuncta utilitas quæ provenit ex eo quod Israël in Ægyptum intrare permisit, tantò minor est illa quæ de peccato Adæ provenit, quantò minor est figura veritate similitudo re, umbra corpore.* Prosequitur deinde incomparabilia ostendere bona, quæ humano generi obtigerunt propter verbi Incarnationem, cujus causa extitit invidi serpentis tentatio.

Ventilatur quæstio utrum fuerit conveniens, ut homo tentaretur à Diabolo. S. Thom. 2. 2. q. 165. Eccli. 34. 11.

6. Hanc protoparentum nostrorum tentationem examinat quoque Angelicus Doctor, & quærit: *Utrum fuerit conveniens, ut homo à Diabolo tentaretur?* Et respondet affirmativè, stabiliens conclusionem axiomate & dicto Eccli. cap. 34. *Qui tentatus non est, qualia scit?* Non est quod homo indoleat, ait S. Doctor, *Conveniens fuit; ut Deus hominem in statu innocentiæ, & tentari permitteret per malos Angelos, & juvari eum faceret per bonos. Ex speciali enim beneficio gratiæ hoc erat ei collatum, ut nulla creatura exterior ei posset nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi dæmonum resistere poterat.* Objectioni, quæ deinde fit, cur, nimirum, Deus prævidendo casum hominis, cum tentari permiserit, respondet: *Sicut Deus sciebat, quod homo per tentationem in peccatum esset dejiciendus, ita etiam sciebat, quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori. Hoc autem requirebat conditio naturæ ipsius, ut propriæ voluntati relinqueretur, secundùm illud Eccli. 15. Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Verum est, lapsi sunt protoparentes nostri propter tentationem, at quia resipuerunt, egeruntque pœnitentiam, cunctis posteris dederunt exemplum & cautelam hanc, ne deinceps maligno serpenti credant, sed fortiter suggestionibus ejus resistant, & ex immensa illa, quam ipsi fecerunt, jactura discant se conservare: *Fælix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia*, ait Seneca.

Eccli. 15. 14.

Eccli. 34. 9. Amor Dei, & virtus crescunt per tentationes. B. Laur. Just. de casto connubio cap. 6.

7. Ut Eccli. asseritur: *Qui tentatus non est, quid scit?* subjungit: *Vir in multis expertus cogitabit multa;* & paulò post rursum additur: *Qui tentatus non est, qualia scit?* Quis heroicam virtutum unius Job admiratus, nisi à toto inferno impugnatus & infestatus fuisset? Quis agnovisset magnum illum virum S. Antonium, nisi tentationibus generoso ac heroico animo superatis Deus in annalibus æternitatis gloriosissimum ipsum reddidisset cunctis sæculis? *Virtus languet* (verba sunt B. Laurentij Justiani) *nisi exerceatur; lacessita autem crescit.* Ignis tantò magis ardet, quantò magis ab impetuoso agitatur vento, ad eumdem modum eo magis proficit & crescit amor Dei & virtus; quo vehementiores sunt venti tentationum infernalium. Consilium illius Politici, esto non datum fuerit executioni, prudentissimum fuit de non evertenda ac destruenda Carthagine, ne juventus Romana ad otium, & cives ad seditiones & bella intestina declinarent, sed amplius in bellis externis exercerentur.

S. Antonin. p. 4. t. 13. c. 3. §. 5. Eccli. 34. Judic. 2. Cur Deus permiserit Chananæos habitare inter Israelitas.

8. *In multis docet & illustrat* [scribit S. Antoninus de tentatione] Eccli. 34. *Qui tentatus non est, qualia cognoscit? quasi dicat, pauca; & in figura dicitur Judic. 2. Has igitur gentes Chananæorum reliquit Deus, scilicet in Israël, ut ex toto non delerentur, sed aliquando impugnarent, ut erudiret, Israëlem in eis, ut sciret artem pugnandi; dum enim tentatio instigat ad malum, docetur homo, quod si magna operatur, & superat, hoc non à se, sed Dei virtute agere, cum experiatur sæpè in minimis quasi deficere etiamsi nolit, unde Gregorius, tentari permittit Deus, ut dum per tentationem homo concutitur, imbecillitate cognita fortius solidetur. Potest etiam talis expertus alios docere & cautos reddere; experientia enim est magistra. Omnia possum*, dicebat Apostolus, *in eo qui me confortat.* Intellectu difficile prima fronte videtur cur S. Paulus non fuerit exauditus rogans Deum, ut carnis hic stimulus ab eo amoveretur, præsertim cum deberet conversari cum sexu valde debili; & mundo annunciare non tantum Evangelium, sed etiam virtutem honestatis cujus erat zelontissimus. Verùm ijsdem verbis, quibus devota turba Salvatori acclamavit, respondetur: *Bene omnia fecit. Sufficit tibi gratia mea;* dixit ei Christus, *nam virtus in infirmitate perficitur;* volebat, nimirum, ut continuis actibus virtutis & mortificationis continentiam & honestatem lucraretur: *Nemo vires suas in pace cognoscit* [ait Gregor. Magn.] *si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt; improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Nemo scit quantum profecerit nisi inter adversa, cum enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Feriamur paternis perturbationibus, ut, quantum proficimus, agnoscamus.*

Philip. 4. 13. Quare S. Paulus exauditus non fuerit rogans ut stimulus carnis auferretur ab eo. Marci 7. 37. 2. Cor. 12. 7. Ibid. S. Greg. l. 23. mor. c. 18.

Tentationes hoc sunt bonis, quod ignis auro. S. August. in Ps. 103. Did. Stella in Luc. 4. S. Basil. M. Hom. 9.

9. Pulchram ad illustrandum hoc propositum adfert similitudinem S. August. *Et homo*, inquit, *& diabolus, & qualibet dæmonia nonnisi accepta potestate nocent, sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt, sicut ignis fæno;* ast electis, & timoratis, audite quæso, quale conferant emolumentum: *Bonis ita sunt tamquam ignis auro. Manducatus est Judas ut fænum, probatus est Job ut aurum.* Didacus Stella in c. 4. Lucæ scribit: *Cum tentatio & bellum causa sit bonis augmenti gratiæ, non est dubium, quin si Deus per impossibile posset injuriam irrogare, irrogaret utique justis, si tentationem illis adimeret, siquidem cum illa multam merentur.* Basil. Magnus Homilia, cui titulus, quod Deus non sit auctor malorum, utitur similitudine sequenti: *Ille sapiens & providentissimus rerum humanarum dispensator ejus utitur ad nostram exercitationem malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem.* Deus altissima sua providentia, eaque, qua erga nos fertur, benignitate utimur veneno serpentis infernalis, ejus, inquam, Deus utitur odio, tentationibus ad lapsum nostrum ab eo directis; at illas convertit in beneficium & utilitatem nostram, dum nobis gratiam, qua tenta-

tori resistamus, subministrat, & occasionem exhibet nostram ostendendi virtutem, ac majora acquirendi merita. Quid fuisset Alexand. Magn. nisi tot tantosque habuisset hostes subjugandos? Qua ratione nomen ac heroicam fortitudinem suam celebrem fecisset, si in aula sua regio otio ac negligentiæ deditus fuisset? *Marcet sine adversario virtus*, ait moralis Seneca, *tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, dum quid possit patientia ostendit.*

Seneca lib. de provid. c. 1.

Justi tentationibus roborantur. *Cæsar. lib. 4. cap. 2.*

10. Cæsarius lib. 4. ubi tractat de tentationibus, dum instituendo colloquium cum Apollonio, hic ei proponeret quæstionem istam: *Cum vitijs tentamur, suntne in nobis, vel extra nos?* Respondet Cæsarius: *Post ingressum virtutum non sunt in nobis per habitum & usum, sed secundùm fomitem. Sicut in ingressu filiorum Israël septem illæ gentes non sunt omnino deletæ, sed tributis subactæ; sic ingressis virtutibus in terram cordis nostri, vitia non prorsus extinguuntur, sed restinguuntur; & sicut postea filij Israël à reliquijs illarum gentium impugnantur, ita per fomitem vitiorum frequenter virtutes nostræ tentantur & exercitantur.* Ad propositum nostrum in laudem sanctorum martyrum perorabat S. Chrysostomus his verbis: *Ut infirmatur peccator adversis, ita justus tentationibus roboratur. Nullus athleta sine certamine fortior dici, nullus sine victoria potea coronari. Nemo miles sine prælio hostem subjecit, nemo sine bello imperare promeruit.*

D. Chrysost. 3. serm. de martyr.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Valdè expediunt, suntque necessariæ tentationes, quibuscum æternæ gloriæ lucremur coronam.

THEMA.

Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. Tim. 2. v. 5.

Superando tentationes, acquirimus coronam gloriæ.

1. INter alia præmia, quæ generosus miles Christi acquirit tentationes retundendo ac superando, decorabitur quoque corona & diademate gloriæ: *Non coronatur nisi legitimè certaverit.* S. Paulus stimulis fornicationis constanter se opposuerat, veluti præcedenti discursu ostendimus, nihil prorsus cesserat, ac propterea meritò dicere poterat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Tempus præsentis vitæ, militiæ tempus est, quo cum nostris inimicis decertandum est & dimicandum, & suffragante Dei gratia eos vincamus, oportet; in futura deinde vita tempus aderit gaudendi victoriarum nostrarum fructibus: *Athleta* [ait S. Chrysost.] *pugnat pulvere, oleo, solis ardore, sudore largo, tribulatione & angustia. Hoc est certaminis tempus & pugnæ; igitur & vulnerum, & cruoris, & doloris. Audi quid dicat B. Paulus: Ita pugno, non tamquam aërem cædens. Omnem vitam certamen esse putemus, nec umquam remissionem quæramus.*

2. Tim. 4. 7. Ibid. v. 8. D. Chrys. H. 67. ad pop.

Cur Deus indulgeat Dæmoni audaciam & vim contra amicos suos. *S. Leon. M. Epist. 36.*

2. Quod si à me petatis, ob quem finem Deus [de quo ait Apostolus: *Vult omnes homines salvos fieri*] spiritui rebelli indulgeat tantam audaciam, & vim adversus amicos suos? Cur, inquam, illi, qui (uti loco suo probabitur) præ cæteris plus à Deo diliguntur & foventur, ferocioribus infestentur tentationibus? Respondeo cum S. Leone Magno: *Dæmoni ob hoc aliquid audere permittitur, ut à fidelibus Christi gloria majori vincamur.* Hujusmodi victoriæ non in terra dumtaxat, sed multò magis in cœlo nobis adsciscunt gloriam; unde S. Antonio manifestatum fuit, quod ob merita tot tantarumque victoriarum, quas reportaverat, celebre nomen suum reddidisset per totum terrarum orbem. Quare Rupertus Abbas convertendo sermonem suum ad fraudulentum serpentem, eique exprobrando ait: *Dum Deo volens adversaris, Deo nolens cooperaris, & ita circulum habens in naribus tuis, super pectus tuum gradieris, quia miro modo & mala intendis & bona facis, dum persequendo, hoc ipsum quod ut destruas persequeris, dum quasi malleolus aurum Dei nequiter affligis, & affligendo ad gloriam extendis.* Malleus percutit aurum, quantum potest, at aurifaber omnes ictus ordinat ad fabricandam pulchram & opulentam coronam, pretiosumque diadema. Dæmon, qui dicitur malleus universæ terræ, in suis tentationibus & assultibus nullum alium finem habet, quàm ut iram suam effundat contra Deum & contra nos, qui à Deo diligimur & protegimur; in lapsum nos vellet præcipites, ut suarum pœnarum consortes; at Deus, tamquam aurifaber, divina sua auxiliante gratia, tentationes illius ad majorem nostram dirigit gloriam, quotiescumque de ijs reportamus victoriam: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Pro majori hujus elucidatione idem Rupertus, sed alio in loco adducit historiam de Josepho, cujus exaltationi invidi sui fratres contra suam voluntatem cooperati fuerunt: *De diabolo loquens ad B. Job Dominus dicit inter cætera: Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum, subauditur ut ego. Hoc quàm veraciter dicat, præsens attestatus est scripturæ locus, ubi quod de B. Joseph in typum Christi filij sui proposuerat intus bonitas Dei, foris invidia diaboli per fratres ejus operante ad effectum pervenit. Nam & ille qui idcircò venditus est, ne sicut somniarat adoraretur à fratribus suis, idcirco adoratus est, quia venditus. Voluntate quidem adversatur, & propterea Græco vocabulo dicitur Satanas, id est, adversarius, actu autem servus est sempiternus, & sic servit tamquam sit fidelis; ita cooperatur & bonis proficit, tamquam adjuvare velit spiritum Domini.*

Rup. Abb. lib. 3. in Gen. 18.

Deus tentationes diaboli dirigit ad nostram majorem gloriam.

Jacob. 1. 12. Probatur exemplo fratrum Joseph. *Rup. Abb. lib. 9. de Trinit. & oper. ejus cap. 1.*

Ictibus tentationum fabricat diabolus diademata gloriæ. *Isa. 54. v. 16. D. Chrys. t. 5. ser. 54. Job. 41. v. 6.*

3. Cujus creatura est Dæmon? Audiamus Deum Creatorem nostrum, quid dicat per Prophetam Isaiam: *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.* Eccur illum, qui plurium malorum instrumentum est, creavit? *Poterat inimicum è medio tollere,* ait Chrysost. *sed ut gratiæ excellentiam, ac virtutis spiritualis; quam ex baptismate nactus es, magnitudinem discas, tecum illum congredi sinit, ac multas tibi occasiones suppeditat coronarum.* Job cap. 41. legimus: *Corpus illius quasi scuta.* Ec quæ proportio datur inter scuta & corpus Satanæ? Jam diximus eum à Deo creatum fabrum; scuta ergo, sive, quod idem est, diademata Sanctorum in cœlis illius ictibus & opera sunt elaborata & fabricata: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Antiquitus scuta, quibus pugnabant, ad formam diadematum composita erant, uti referunt & scribunt sacri interpretes in hunc Psalm. versum: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos;* & corona, quæ victoris imponebatur capiti, instar scuti erat.

Ps. 5. v. 13.

Dæmon comparatur Smaragdo.

4. Præterire nequeo hoc loco D. Hieronymi eruditionem: *Diabolum*, inquit, *vetus editio Smaragdi lapidi assimilavit, qui natura asper est, alia attritu levificans, sed ipse asper esse non desinens cuncta comminuit, diminutionem sui non sentiens.* Dæmon comparatur Smaragdo, quia Angelica natura retinuit dona naturalia; & quamvis natura sua sit asper, crudelis & implacabilis nobiscum, attamen Deus illius opera utitur ad perpoliendas animas fidelium, utitur, inquam, ejus tentationibus, ut efficiamur, uno verbo, sancti & beati. Hinc Smaragdus servit pro expoliendis gemmis ut coronis inserantur æternæ beatitudinis. Legitur in prato spirituali de sancto quodam sene, qui, priusquam ad solitariam transiret vitam, sequentem habuit visionem. Vidit in raptu adolescentem luce solis splendentem & viventem, qui apprehensa ejus manu dicebat illi: *Veni, quia luctari & pugnare te convenit;* quem in finem conducebat illum ad theatrum, ab una cujus parte multi stabant candidati, ab altera plurimi veste induti lugubri. Unum insuper altissimæ staturæ conspexit æthiopem, cujus caput nubes tegebant & tenebant coopertum, audivitque sibi dici, omnino necessarium esse, ut cum isto concertaret & pugnaret; cumque ille se excusaret dicendo, nec totum genus humanum junctis etiam viribus sufficiens esse ad dimicandum cum monstro isto, respondit ei adolescens: *Prorsus cum illo te luctari opus est; ingredere igitur cum omni alacritate & fiducia, mox enim ut illum adorsus fueris, ego adjutor ero, tibi victoriæ coronam reponam. Ut ergo ad certamen sum ingressus, luctarique invicem cœpimus, continuò præclarus ille judex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit.* Quis igitur ita arrogans erit, ut sine certamine prætendat coronam?

Sophon. prat. spir. cap. 66. Exemplum cujusdam senis eremicolæ, cum Dæmone pugnantis.

In pugna tentationum oculi levandi sunt ad æternum remuneratorem.

5. *Non coronabitur, nisi legitimè certaverit.* Considerate incommoda, labores & sudores, quos patitur miles in bello, hic continuò expositus est aëris injurijs, ictibus ensium, explosionibus bombardarum & tormentorum bellicorum, & non propter aliud, nisi ob vanam mundi gloriam: *Ut corruptibilem coronam accipiant, omnis ars sæculi hujus* (sic discurrit S. Isidorus) *strenuos amatores habet, & ad exequendum promptissimos, quia præsentem habet operis sui remuneratorem.* Ast sic non agitur cum Deo (ait Sanctus ille) *Plerosque habet sectatores, languidos, tepidos, & pigritiæ inertia congelatos;* & quæ hujus causa? *Hoc proinde fit, quod labor eorum non præsenti, sed pro futura remuneratione defertur.* Fœlices nos, si in hac pugna, qua certamus cum Dæmone, Mundo & Carne, oculos mentis nostræ attolleremus ad æternum remuneratorem, qui nostræ generositatis spectator est, & manu paratam tenet coronam: *Sustine viriliter contraria* [exhortatio est Thomæ de Kempis] *digna est his omnibus majoribus prælijs vita æterna, si quæris in hac vita requiem, quomodo pervenies ad æternam?* Quod si frustum panni sufficiens est ad impellendum equum, ut instar Pegasi velocissime currat, & quasi volet ad præmium, quanto magis hominem Christianum, ut cum Dæmone generosè pugnet, eumque vincat, extimulare debet consideratio præmij talis, quod erit æternum? *Corona proposita est,* [sic loquitur S. Ambrosius] *subeunda certamina sunt; nemo potest nisi vicerit, coronari, nemo potest vincere, nisi ante certaverit: ipsius quoque coronæ major est fructus, ubi major est labor.* Quemadmodum magno proposito præmio, is, cui pugnandum est, animum sibi addit, omnem adhibet conatum, ut assequatur præmium; ita ait S. Ambrosius, *tentationem numquam timere debemus, est enim causa victoriæ, materia triumphorum.*

1. Cor. 9. 25. S. Isid lib. 2. de sum. bono c. 10.

Thom. à Kemp. de imit. Christ. c. 47. S. Ambr l. 6. in Luc. 8.

Sine tentatione non possumus assequi cœlestem gloriam.

6. Homo velit nolit, tentationes sustineat, necesse est, & hujus necessitatis rationem reddit S. Bernardus, quia homo creatus ad cœlestem gloriam, illam assequi nequit sine tentatione, cujus ulterior ratio est, quod per hujus merita acquiramus gloriam; verba Apostoli satis evidentia sunt, nec indigent alia glossa: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit;* audite insuper verba D. Bernardi, quæ etiam satis clara sunt: *Necesse est, ut veniant tentationes, quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit? Aut quomodo certabunt, si desit, qui impugnet? Tu ergo accedens ad servitutem Dei, sta in timore, præpara animam tuam ad tentationem certus, omnes qui piè volunt vivere in Christo persecutiones passuros.* Idem mellifluus Doctor signum nobis exhibet æternæ & cœlestis nostræ generationis discurrens in hunc modum serm. 1. de oct. Paschatis: *Bene quod natum est ex Deo vincit mundum, ut sit testimonium cœlestis generationis victoria tentationis, & sicut is qui filius est per naturam mundum cum suo principe triumphavit, sic & nos victores inveniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia.*

2. Tim. 2. 5. S. Bern ser. 64. in Cant. Idem ser. 1. de oct. Pasch.

Continuatio ejusdem materiæ. *B. Laur. Just. de discip. & perf. monast. conver. c. 12.*

7. Tetigit quoque hoc idem punctum B. Laurentius Justinianus scribens de servis Dei: *Ipsi autem divino fulti præsidio quotidie robustiores fiunt, & ex usu ad dimicandum aptiores, atque cœlesti igne accensi tanto acrius adversarios prosternunt, quanto vehementius ab illis impelluntur. O mirandum Deo & Angelis tale spectaculum, videre, scilicet, spiritum fragili & infirma carne vestitum debellare & vincere spiritum nullo carnis pondere prægravatum, spirituali assuetum certamini, naturali acumine perspicuum, nec ullo locorum spatio inclusum.* P. Laurentius A Ponte in cap. 8. Matth. refert de persona quadam sanctæ vitæ, quæ summoperè admirabatur, cur Deus, sciens optimè nos esse sua templa viva, tantam nihilominùs hisce nostris temporibus permittat audaciam, concedat licentiam dæmonibus, nos undique tentantibus, modisque, varijs nos infestantibus & impugnantibus. Rapta hæc anima in extasin audivit hanc vocem: In primitiva Ecclesia plurimas quidem animas lucratus sum per viam martyrij; at tot alias etiam perdidi, eorum videlicet, qui persecuti sunt eosdem martyres, & tormentis excruciatos morti tradiderunt; *Nunc volo & martyres efficere, & animas non perdere, ideo licentiam do inferni dæmonibus, ut inde exeuntes, corpora tormentantes, martyres efficiant.*

Laur. à Ponte in Matth. 8. 28. Ostenditur visione cur Deus permittat dæmonibus ut nos tentent.

Quæ sit Aureola qua decorantur qui tentationes fortiter devicerunt. *S. Thom. in addit. q. 96. art. 1. 9. & 11.*

8. Distinguit Doctor Angelicus Aureolam ab Aurea, quod hæc est præmium essentiale conveniens omnibus Beatis, Aureola verò est corona specialis, quæ non omnibus & singulis indifferenter datur, sed quibusdam excellentioribus Christi militibus, qui heroicis virtutum actibus pugnando cum inimicis invisibilibus, eos speciali & generoso certamine superarunt. Aureola hac privati sunt Angeli, quia hujus conflictus non sunt capaces; nos solùm, qui hic in terris vivimus, continuisque subjecti sumus tentationibus, eam promereri valemus: *Coronabitur, qui legitimè certaverit.* Beati illi spiritus in superna Jerusalem, dicta visione pacis, ab omnibus istis colluctationibus exempti sunt & liberi. Cæterum ex facto illo, quod in Vitis Patrum refertur, cunctisque notum est, & manifestum, in notitiam devenire possumus, quales sint coronæ illæ, quas generosi Christi milites ex victoria vehementium tentationum reportant, dum coronas per actus mortificationum tentationumque superatarum minus notabiles acquisitas Deus nonnumquam exhibuit conspiciendas: Audiamus S. Antoninum, qui inter tentationum devictarum fructus hunc quoque recensuit: *Præmiorum merita augmentat, non enim quis meretur ex hoc quod quis non furatur, vel non mœchatur, vel non odit; cum super his non impugnetur, sed cum tentatur de his, & resistit, tunc meritum augetur: Beatus vir, qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

S. Anton. p. 4. t. 13. c. 7. §. 5. Jacob. 1. 12.

Pulchro exemplo docetur quomodo coronentur qui tentationes vincunt.

9. *In Vitis Patrum legitur, quod cum quidam adolescens discipulus cujusdam sancti senis semel cum eo diceret officium, & Pater propter vigilias præcedentes dormitasset, præ reverentia non audebat eum excitare, sed tentatio cogitationis irrepsit ei, aut recederet ad cellam suam, & post tempus aliquod rediret; sed sibi vim faciens, respondebat quod licentiam non haberet à patre; sicque septies super hoc tentatus fuit. Exinde pater evigilans, illum videns adstare miratus est, & post officium dictum cum eo misit ad cellam, post quod in oratione se tradens, vidit in cœlis sedem paratam cum septem coronis desuper, & cum ille miraretur, & quæreret cui illa parata sedes esset, dictum est discipulo suo, & cum interrogaret, quare septem coronæ super eam positæ erant, dictum est, quia ille nocte septem vicibus restiterat tentationi instiganti eum ad recedendum, & ideò pro qualibet vice sibi meruerat unam coronam.* Conficiamus jam argumentum à minori ad majus: Qui non una, sed cunctis totius vitæ suæ noctibus resistit inordinatis concupiscentijs, quibus posset laxare habenas, & præter actus internos, quibus se opponit spiritui fornicationis, adhibet quoque jejunia, cilicia, disciplinas, vigilias, orationes, quot non ille lucrabitur & reportabit coronas?

Vincentibus tentationes datur manna æternæ beatitudinis. *D. Chrys. ser. 11.*

10. Quamobrem exhortatur nos S. Petr. Chrysolog. *Nemo concretis sibi vitijs obsequatur, & quod est criminis esse putet naturæ, sed sumat cum Christo arma jejunij, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum ut de ipsa victoria mali, sumat Christo dimicante victoriam; diabolo victo, vitia nihil valebunt. Vincenti dabo manna absconditum;* qui vicerit tentationes, non replebitur dumtaxat cœlitus inexplicabili cœlestium consolationum suavitate, verùm etiam remunerabitur manna æternæ beatitudinis. Qui à potente Rege rogaretur, ut in sui gratiam, injuriam à suo inimico sibi illatam remitteret cum hac promissione, quod recepturus esset centum scutorum millia, nec non primam regni sui dignitatem, annon illum tentationem suam odij, & offensam alteri remissurum existimabitis? Rex gloriæ est ille, qui continuo instat, urget, ut vincamus & superemus tot tantasque tentationes vindictæ, sensualis concupiscentiæ, ambitionis, gulæ, & similium, promittens nobis quoque vitæ hujus fœlicitatem, ac regni sui participationem; & nos erimus negligentes, non curabimus tantam mercedem? eligemusne potius præcipitium nostrum consentientes tentationibus, quam coronas paradisi cœlestis, quas victoria nostra obtinere possumus.

Apta similitudo.

Duo exempla docent tentationes superatas in cœlis coronari.

11. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* In Vitis Patrum legitur de monacho, qui novem annorum spatio lubricis & obscœnis tentatus fuit cogitationibus, quibus quamvis resisteret, nullum tamen experiebatur sublevamen, sive tentationis remissionem; unde se credebat damnatum, & quidem in procinctu stabat redeundi ad sæculum; interea vocem è cœlo sibi dicentem audivit: *Tentationes, quas in novem annis sustinuisti, coronæ tuæ erunt.* Joannes Junior in Scala cœli de alio quodam refert, qui cum esset in Ecclesia, pœnitentiam à Confessario sibi injunctam adimpleturus quatuor vicibus à dæmone instigatus fuit, ut pœnitentiam illam omitteret; at singulis vicibus evasit victor; quapropter uni ex sanctis illis Patribus revelatum fuit, quod per merita quatuor illarum tentationum superatarum, quatuor in cœlis coronæ ei præparatæ essent.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Perfectiores serpens infernalis tentare studet, vel eos maxime, quos reperit devotioni magis intentos.

THEMA.

THEMA.

Quia acceptus eras Deo, necessè fuit, ut tentatio probaret te. Job. 12. v. 13.

Quo Deo gratiores, eo magis tentationibus obnoxij sumus.

1. Hæc æterna veritas ipsi Ecclesiæ pro consolatione fidelium suorum, quando tentantur, denuntiata fuit à quodam Archangelo de cœlis descendente, dum S. Raphael seniori Tobiæ causam revelavit, ob quam tempore adeo diuturno tentationibus subjectus fuisset: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*; etenim lapis lydius, quo probatur aurum veræ, videlicet, virtutis, est tentatio & resistentia. Ut Christus Dominus ostenderet se verum Dei filium, simulque electis normam exhiberet & exemplum, disposuit ac voluit & ipse tentari: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Pro nostra consolatione & instructione Filius Altissimi non dedignatus fuit sustinere tentationes illius monstri infernalis; idque valde bene ponderavit de Villa Nova: *Non modica*, inquiens: *consolatio est, quod Dominus noster Jesus Christus tentari voluit; si enim ipse, cum esset Filius Dei, & Deus verus, sine omni labe peccati, tentari per Diabolum se permisit, nos in peccatis concepti, in peccatis nati, in peccatis versati, quid mirabimur, aut indigne feremus, si tentationes patimur? Si illum tam purum, & tam sanctum aggredi ausus est dæmon, non vermes & pulices terræ quare non aggredietur? Quis umquam Sanctorum sine tentationibus vixit? Paulus ille vas electionis, per quem Dominus universum mundum ad fidem, & agnitionem suam convertit, post gloriam Domini perlustratam, post Paradisum circumgyratum, post penetratos & calcatos cælos, sentit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ; & durissimo illo tyranno pressus cogitur exclamare: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et tu pulex terræ, & vilis variuncula indignaris & moleste fers, si aliqua carnis tentatione pulsaris? Numquid tu melior, aut sanctior Paulo? Per lege, si vis omnium Sanctorum libros Hieronymi, Augustini, Gregorij, Bernardi, & aliorum omnium, & miras invenies passos tribulationum procellas.*

Hebr. 4. v. 15. Christus pro nostra instructione & consolatione voluit tentari. *S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom 1. Quadr.*

Diabolus varijs modis tentavit S. Antonium. *Vita S. Antonij c. 8.*

2. Perfectio S. Antonij Magni eum attigerat sublimitatis gradum, ut vulgo diceretur homo Dei. Audite, quales Princeps tenebrarum moverit ei assultus: *Rugiebat leo occidere volens; taurus mugitu & cornibus minabatur; serpens sibilo personabat; luporum impetus ingerebantur; Pardus discoloriter auctoris sui calliditates varias indicabat; truces omnium vultus & vocis horridæ dirus auditus.* Tentavit quoque alia stratagemata: *Aggressus est eum blanditijs.* Inter hæc, & illud fuit, apparuit ei astutus dæmon in forma unius nigri juvenis ante se prostrati cum hac protestatione: *Multos seduxi, plurimos decepi, nunc autem, ut a cæteris Sanctis, ita & tuo sum labore superatus.* Hoc artificium illius est, ut naves ditissimis mercibus oneratas persequatur, inde enim bona præda expectanda est. Quærit Ludovicus Blosius: *Quis pertinens ad Christum non varijs tentationibus fatigatur? Quotidie agit cum illo diabolus, & Angeli ejus, ut eum, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicujus potentis inimicitijs, aut alicujus potentis amicitijs decipiat. Omnibus modis instat diabolus, & pertentat, quemadmodum dejiciat. In perfectionibus vivimus, & habemus perpetuos inimicos diabolum & Angelos ejus.* Prosequitur hoc propositum lib. 3. cap. 8. *Sicut audistis, cum legeretur Apostolus, quia omnes qui volunt pie vivere in Christo persecutionem patiuntur. Non enim modo quia diabolus per reges non sævit, ideo Christiani non patiuntur persecutiones; si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones; si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? Unde non sævit? Unde non minas aut scandala procurat? O si incipias pie vivere, videbis quia omnis qui pie vult vivere in Christo, persecutionem patietur.*

Etiamnum pertinentes ad Christum tentationibus exagitat. *Blosius Psych. lib. 1. c. 3. Idem lib. 3. cap. 8. n. 5.*

Ferventes in servitio Dei majores patiuntur tentationes.

3. Serpens tempore hyemis cavernis inclusus hæret, non mutat pellem, nec in altum se erigit, ut virus suum evomat & mordeat; bene quidem in æstate, quando ab ardentibus solis tangitur radijs. Quid cum hac reflexione inferre volo? Nihil prorsus molitur & machinatur serpens infernalis durante hyeme, prædominante frigore, nempe, quando *refrigescit charitas*, quia tunc *abundat iniquitas*; bene tamen tempore æstivo & calido, nimirum, quando animæ sunt ferventes in divino servitio, ardentes in amore Dei, virulentum hunc serpentem pungunt & provocant. *Neque enim si serpens punctus* (S. Chrysostomi verba sunt) *continuo efferetur, & pungenti insultaret mirari oportet; quovis enim serpente gravius serpit diabolus, omnibus insultans, & surgit sicut scorpius in altum erecto stimulo. Ne hoc vos conturbet, eum enim qui à bello & victoria & cæde revertitur, necessè est etiam fuisse cruentatum, sæpe autem etiam habere vulnera. Et tu ergo cum videris aliquem eleemosynas facientem, & innumerabilia alia bona operantem & sic vires diaboli frangentem, deinde incidere in tentationes & pericula, ne propterea conturberis. Ideo enim incidit in tentationes, quod diabolum vehementer ferierit. Et quomodo, inquis, permisit Deus? Ut magis coronetur.* Filios Israël Deus continebat angariatos & occupatos *in operibus luti & lateris*, quousque ardentiori affectu suspirarent & anhelarent ad terram promissionis; idem Deus operatur nobiscum, tentari nos permittit à dæmone, varijsque tentationibus infestari, ut huic vitæ non inhæreamus, sed aspiremus ad futuram; Ast Pharao rex non movit arma contra hunc populum, nisi quando hic instabat pro egressu de Ægypto ad offerendum vero Deo sacrificium: *Antequam sermo Dei audiatur* (ait Origenes) *non est tentatio, quia nisi buccinet tuba non committitur bellum.*

Matt. 24. 12. D. Chrys. H. 43. in 1. ad Cor. Orig. H. 3. in Exod.

4. Ingeniose observat Rupertus Abbas, cur post Ruben ponatur Gad, ex quo hanc deducit moralitatem proposito nostro accommodam: *Post Ruben*, ait, *sequitur Gad, qui tentatus, vel accinctus interpretatur. Post inchoationem enim boni operis, majoribus necessè est hominem tentationibus probari, atque ad bella graviora succingi ut fidei illius fortitudo comprobetur.* Legitur lib. 2. Paralip. de copiosissimo exercitu Moabitarum, Ammonitarum & Assyriorum, qui convenerant, ut impugnarent Regem Josaphat: *Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare sunt.* Lyranus notat modum; quo Spiritus S. capitis hujus facit initium: *Post hæc congregati sunt filij Moab, &c.* Postquam Rex Josaphat humiliter Prophetæ suscepisset correctionem, & omni conatu populum suum studuisset reducere ad obedientiam & cultum veri Dei, tunc contra eum mota sunt bella & inimici in magno numero insurrexerunt, ad denotandum nobis, subdit idem Lyranus, quod tunc vel maxime contra nos insurgent tentationes & assultus inimici infernalis, quando intimius Deo uniti, divina ejus præcepta exactius adimplebimus.

Rupert. Abb. T. 2. l. 4. in Apoc. cap. 7. Quando intimius Deo conjungimur, maxime infestamur tentationibus. *2. Paralip. 20 v. 2.*

5. D. Augustinus finem nobis indicat; ob quem Christiani à Deo privilegiati sint & honorati hoc charactere, & dignissima hac vocatione: *Ad hoc sunt Christiani, ut præsentia superent, futura sperent.* Voluit, nimirum, inferre, quod, quia præsens vita est continua, & numquam interrupta pugna, arma semper gestemus parata ad evincendas tentationes; quia *ad hoc sumus Christiani*; & cum hoc nos tali nomine dignos esse probabimus. Ubi etiam observetur versus 106. Psalm. 118. *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*; & post propositum juramento firmatum, quo statuerat esse exactus in observanda Divina lege; immediate sequitur: *Humiliatus sum usquequaque*; ecce subito insurgunt colluctationes & tentationes. Refert Martinus Delrius, quod anno 1566 nonnulli minus timorati tentarint agere exorcistas; & ex muliere obsessa ejicere spiritus malignos; at dæmon, cunctis audientibus, alta voce clamans dixit: *Nihil mihi à vobis metuo, amici sumus & fœderati:* Bellum Dæmoni indicunt & movent servi Dei suis orationibus & operibus perfectionis & spiritus, Dux belli numquam pugnat cum militibus sibi subjectis, obedientibus & amicis, bene quidem cum hoste suo; Ita facit dæmon contra peccatores, qui jam sui sunt obtemperantes famuli, sua mancipia, nullas adhibet artes, vires & fraudes, bene quidem contra Dei servos: *Sicut quilibet præliator* (ait S. Ambrosius) *non contra eum, quem vinculis peccatorum constrictum tenet, dimicat, sed potius contra eum, qui peccare desistit, & ad Deum tota mente convertitur.*

S. Aug. in Ps. 90. Quare vocemur Christiani. *Ps. 118. 106. Martin. Delrius Disquis. Mag. lib. 3. p. 1. q. 7. Sect. 1.* Diabolus non metuit sibi fœderatos. *S. Ambr. in Apoc. 4.*

6. Plurimi conqueri solent, quod tempore orationis, quo vel maxime attenti & Deo uniti esse deberent, plus quam alio tempore molestentur à tentationibus ab imaginationibus & phantasijs obscœnis: *Cum venissent filij Dei, ut assisterent coram Deo, affuit inter eos etiam & Satan.* Audiamus quid occurrerit S. Machario Alexandrino: Nocte quadam audiverat aliquem pulsantem fores suas, ac dicentem sibi, quod iret ad collectam Monachorum, nempe, ad locum, in quo psalmos legere aut cantare & orare solebant. Sanctus vir jam adverterat esse fraudulentum serpentem, *Quid tibi consortij*, inquit, *quid tibi societatis est cum congregatione Sanctorum?* Veni mecum, & videbis, respondit Satan. S. Macharius subito se dedit orationi ac Deum exoravit, ut dæmonis fraudes sibi manifestaret, & inter monachos vidit nonnullos pueros æthiopes jocantes & ludificantes, qui studebant monachos reddere inquietos, distractos & abstrahere ab illa applicatione; apud aliquos binos digitos apponebant eorum oculis, ut eos dormitare facerent; apud alios digitos imponebant ori, ut hæsitarent; alijs obscœnas repræsentabant formas & figuras, quibus se ad concupiscentiam carnalem concitari sentiebant. Idem plane hac occasione adimpletum fuit, quod dicere solebat S. Joannes Climacus, quod sicut ad sonitum campanæ congregantur fideles ad laudandum Deum, ita Spiritus maligni congregantur, ut illos turbent, distrahant, &, quantum possunt, impediant eorum recollectionem ac devotionem, causantes simul, ut tædium & nauseam concipiant: *Injiciunt honoris appetentiam, potestates mundi, ut te extollas* [sic advertit & monet S. Ambrosius] *Quoties in oratione nobis, qua maxime Deo appropinquamus, offunduntur ea, quæ plena sunt opprobrij aut sceleris, quo nos à studio deprecationis avertant? Quoties inimicas cordi nostro conatur inserere, quo nos reflectat à sanctitatis proposito, & pijs votis? Quoties corporeos inflammat ardores? Quoties occursare facit oculos meretricios, quibus castum justi tentet affectum, ut improviso amoris igniculo feriat imparatum? Quoties inserit animo tuo verbum iniquum, & cogitationes cordis absconditas, de quo tibi dicit lex; attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum, & dicat tibi Dominus, quid cogitas mala in corde tuo? Sed tu obluctare quasi bonus miles Christi Jesu, & inferiora obliviscens, terrena despiciens, ad cælestia & æterna contende.*

Dum orationi incumbimus, plerumque infestamur tentationibus Dæmonum. *Job. 1. 6.* Hoc clare patet ex visione ostensa S. Machario.

S. Ambr. l. de bono mort.

7. Oratio inexpugnabile scutum est contra dæmonem, & ideo eam omni conatu possibili in nos retorquere satagit, ut adimpleatur illud: *Oratio ejus fiat in peccatum*; unde bene monemur à D. Gregorio Magno? *Plerumque nostris bonis cogitationibus, quæ in corde nostro, adventu Spiritus Sancti operante, seminantur, antiquus ille callide interserit inimicus, ut bene cogitata perturbet.* Sic Ecclesiastici illius cerebro inserit promotionem ad altiorem dignitatis gradum sub prætextu lucrandi animas; sic & homini tali sæculari suggerit ampliationem suæ familiæ; Studioso ingerit scientiarum, quas acquisivit, ostentationem; Si ad confessionem, aut ad sacram etiam accedimus communionem, mundi aut carnis nobis proponit illecebras; Si verbum Dei, & sacras auscultamus exhortationes, alias ipse interserit cogitationes, quo minus verbi Dei percipiamus fructum: *Seminat zizania in medio tritici.* Quando Christus Dominus elapso trigesimo ætatis suæ anno se recepit in desertum, deditus ibidem sanctis contemplationibus & jejunijs, postquam esset baptizatus, vox de cœlo audita esset: *Hic est filius meus dilectus*, nec non cœli super eum aperti fuissent; postquam insuper Baptista digito eum monstrasset: *Ecce agnus Dei, tunc accessit tentator. In desertum* (subdit S. Ambrosius) *tendit dæmon Christum tentaturus, nam in plateis & locis publicis civitatis nihil illi est negotij, nihil est illi laboris, nam ea omnia transquille & quiete possidet, nec eos, qui sui sunt, tentat*

Diabolus omni modo conatur facere ut oratio nostra nobis fiat in peccatum. *Ps. 108. v. 7. S. Greg. ibid. Matt. 13. 25. Matth. 3. 17. S. Ambr. in Luc. 4.*

8. Optime notat S. Bernardus in expositione istius versus: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; Prophetam voluisse alludere ad stylum belli, in quo concertaturus cum hoste, majori impetu cornu dexterum, ubi solet esse major & robustior nervus militiæ, invadere solet, haud alium in finem, nisi ut superstitem partem exercitus in meram redigat confusionem & turbationem, manus dextera electorum symbolum est; *militia & tentatio est vita hominis*, in hac dextera malignus spiritus omnes suas vires, omnem adhibet conatum & diligentiam: *Agit hoc sane superba & invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementer pulsans*, juxta illud: *Esca ejus electa.* Venatores laborant, sudant, discurrunt per sylvas, ut capiant, apros, cervos, non jumenta, non equos, non asinos, non oves & boves, quia hos semper habent ad manum, aut saltem habere possunt, quotiescumque volunt; non ita cervos, qui in cursu agiles sunt, & fugiunt ad excelsa montium cacumina: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum*, dicebat David, cervus animę electæ & à Deo dilectæ symbolum est: *Et super excelsa statuens me.* Jumenta vero, id est, homines vitiosi, carnales semper sunt parati ad obsequium dæmonis: *Hostis noster* (ait D. Gregorius) *quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit, eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit.*

Ps. 90. v. 7. S. Bern. in hunc loc. Diabolus majorem impetum facit in robustiores & perfectiores. Simile Venatorum. *Ps. 17. v. 34. In vit. PP.*

9. Miram nonnemo ex SS. Patribus quadam vice habuit visionem; vidit nimirum, eremitorium aliquod refertum dæmonibus; at juxta portam civitatis unicum solum dæmonem, & hunc quidem sedentem & somnolentum; revelatum fuit eidem sancto viro; non debere ei videri mirum, quod unum videret dumtaxat diabolum juxta urbis portam sedentem, plures enim non essent ibidem necessarij, eo quod omnes sponte se darent vitijs in prædam; at in eremo multorum dæmonum opera necessaria essent, eo quod omnes ferventi spiritu tenderent ad sanctitatem & sanctitatis perfectionem.

Mirabilis visio hoc confirmat.

10. Non minus utilis quam curiosa est consideratio illa Oleastri, qua se reflectit ad tempus, quo populus Dei pervenit *ad aquas contradictionis*; contigit enim hoc ipsum, quando terga vertens Ægypto, è dura Pharaonis servitute ereptus & liber erat; agno paschali nutritus, quando sub ducatu Angeli in columna nubis existentis per desertum ambulabat, tunc, inquam; *ad aquas contradictionis* devenit; *Ostendit locus iste* (ait Oleaster) *ut quam primum à Domino donum aut beneficium acceperis, pares animam tuam ad tentationem.* Hugo Cardinalis observavit tempus, quo Deus tentavit Abrahamum, postquam, videlicet, domo sua ejecisset Agar & Ismaëlem: *Ejice ancillam & filium ejus*; quando peregrinabatur in Gerari; *Sic quilibet justus cum incipit bonum, incipit tentatio.*

Oleast. ibid. Accipientes à Deo beneficium, paremus nos ad tentationem. *Hug. Card. ibi.*

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

In nostrum tentatio, quam vincimus, cedit emolumentum, cum per eam plurima alterius vitæ acquiramus merita.

THEMA.

Faciet cum tentatione proventum. 1. Cor. 10. v. 13.

1. Non sine mysterio est verbum illud, quo utitur S. Paulus tractans de commodis & emolumentis ex tentatione resultantibus: *Faciet cum tentatione proventum.* Proventus dicitur certa quædam & secura assignatio alicujus reditus fundati supra exactionem aliquam, quæ deficere nequit, quæque elocatur & exigitur cum certitudine, Voluit ergo Apostolus, calculo meo, uti hac phrasi, ut fideles certificaret de emolumentis, quæ proveniunt ex tentationibus, quas divina auxiliante gratia superamus & evincimus, *Proventum* (exponit Hugo Cardinalis) *gratiæ augmentum.* Citat glossam, quæ est D. Augustini: *Qui dat tentanti diabolo licentiam, ipse dat tentatis misericordiam*, Præmittit Apostolus istam protestationem: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*; non solum ponderat vires nostras: *Spirituum ponderator est*; neque permittit etiam, ut assultus dæmonis nostras vires superent, verum insuper cura ei est præcipue de nostro profectu.

Ex tentationibus superatis magnum facimus proventum, & gratiæ augmentum. *Hug. Card. ibi. Glos. S. Aug.*

2. Quamobrem exhortatur nos Blosius eximius & magnus Magister Spiritus, Ordinis S. Benedicti: *Nihil dubites, si tuæ saluti conducere, suoque honori congruere viderit, efficiet ut vitiorum rubigines, quas in initijs melioris vitæ vix ferrea* (ut ita dicam) *lima eradis, postea etiam levissimo flatu decutias atque propellas. Quod si voluerit te gravi certamine exercere, priusquam ipsa vitia, efferatosque animi motus perfecte in te possis subigere, si, inquam, etiam ad extremum vitæ terminum domesticos illos hostes tibi molestos esse permiserit; nequaquam mente consterneris, sed plenus fide patienter manum ejus sustine, voluntatemque hilariter amplectere.* Ignoramus id, quod æternæ saluti nostræ utilius est, magisque expedit, illud tamen Deum non latere nobis sciendum est, qui *faciet cum tentatione proventum.* In institutionibus spiritualibus idem author nobis significat, qua ratione, quantoque tempore Deus in nobis continuet bellum tentationum: *Propter tentationes occurrentes ipse Asceta non frangatur animo, nam virtutum perfectio strenua decertatione comparatur. Utiliter in nobis Deus relinquit propensiones vitiosas, idcirco enim hoc facit, ut nos modo viriliter illis resistentes, legitimeque pugnantes, gloriose aliquando in cælo coronet. Non expedit, ut omnes cito absque tentationum impugnationibus ad perfectionem perveniant. Neque enim solet seges eximium fructum proferre, nisi prius asperitatem hyemis proferat.*

Tentationes conducunt nostræ saluti. *Blos. Parad. animæ c. 33. n. 3. Idem in instit. spirit. §. 3.*

3. Gerson Magnus Cancellarius Parisiensis refert

im

Adducuntur sex utilitates tentationum. Gerson T. 2. ser. de verb. Dom. f. 823.

in compendio nonnulla commoda utilitatesque ex tentationibus provenientes : *Sex nobis utilitates generat tentatio ; Prima , ut reminiscamur multimodæ nostræ fragilitatis. Secunda , ut agnoscamus , quod necessarium nobis sit divinum auxilium. Tertia, ut appareat , si vere Deum diligamus , propter quem talia superare contendimus. Quarta , ut occasione hujus tentationis etiam alia vitia corrigamus , de quibus ante non multum curabamus, Quinta , ut modo sit nobis pro pœna & quasi pro satisfactione , quod olim fuit in turpi delectatione. Sexta, ne de donis gratiæ , quæ accepimus , superbiamus , quod forsitan accideret , si sæpe sine tentatione viveremus.* D. Chrysostomus , ut nobis hæc emolumenta declaret, hac utitur similitudine ad perfectiores infestatos à dæmone directa : *Quomodo enim in artificibus , qui seipsos quidem alunt , majorem accipiunt mercedem ; qui autem aluntur ab ijs , qui conduxerunt , non parvam partem de mercede detrahunt , ita etiam in Sanctis : Qui bona quidem facit innumerabilia , & innumerabilia patitur mala , integram habet mercedem , & multo majorem remunerationem , non pro bonis solum quæ fecit , sed etiam pro malis quæ passus est. Qui autem hic fruitur quiete & delicijs , non tam præclaras illic habet coronas.*

D. Chrys. H. 43. in 1. ad Cor.

Tentatio est opulenta aurifodina meritorum.

4. Apud omnes Magistros spirituales recepta est doctrina ista , quod multo major sit gratia illa , qua Deus nos tentari permittit (subministrando tamen nobis auxilia, quibus resistamus) quam si permitteret nos vivere in magna pace & tranquillitate : Ratio,quam reddunt , conveniens est , quia privaret eos aurifodina meritorum valde opulenta , præterea tolleretur nobis occasio exercendi nos in virtute , virtutemque , qua præditi sumus , uti & amorem nostrum erga Deum, reddendi illustriorem. Sane ingratus esset lapis rudis & scabrosus, qui prius omnium conculcabatur pedibus, si pulchre artificioseque exsculptus ac transmutatus in statuam Salvatoris, ut in altari adoretur, lamentaretur de sculptore,qui tam speciosam ei incidit figuram totam à priori differentem ; Quot & quanto ex hoc fragili luto compositos evexit & sublimavit tentationis scalprum ad eminentes sanctitatis gradus? *Si recusares tentationem* (ait S. August.) *recusares refectionem ergo reficeris , & si reficeris , in manibus artificis es ; aliquid tibi tollit , aliquid corrigit , aliquid complanat , aliquid mundat ; agit quibusdam ferramentis suis.* Qui recusat & renuit tentationem , recusat quoque & non curat esse Sanctus, inquit idem Augustinus : *Non vult refici , non vult perfici , non consummari, qui tentationes fugit.*

S. Aug. in Ps. 94.

Quotiescumque tentationem superamus, elevamur ad gloriam.

5. Quando uni parti bilancis pondus notabilis gravitatis apponitur,tanto altius altera pars attollitur, & erigitur cœlum versus ; imaginamini vobis hoc pondus idem esse , quod tentari, & pati tot annorum spatio tentationes Satanæ ; atqui simul intelligamus & credamus , oportet , quod eodem tempore Deus tanto altius extollat animam ad gloriam , & cœlestis paradisi efficiat magis meritoriam. Tertullianus non legit : *Ne nos inducas in tentationem , sed libera nos à malo* ; bene quidem hoc modo : *Evehe nos à malo* ; ubi notandum est verbum illud, *evehe* ; quid exprimit elevationem , sive exaltationem, quia tentatio , quotiescumque eam superamus , elevat nos ad æternam beatitudinem, *Datus est mihi stimulus carnis meæ* , dicebat Apostolus , omni conatu & studio suo resistebat : *Propter quod ter Dominum rogavi , ut discederet à me* ; sed hoc recipit responsum : *Sufficit tibi gratia mea* ; ecce resistentiæ hujus retributionem , nempe, gratiam , quæ est semen & pignus cœlestis gloriæ in hac vita ; qua de causa aliquoties raptus fuit in cœlum. *Omne gaudium existimate fratres mei , cum in tentationes varias incideritis ; omne gaudium* ; quid aliud est quam fruitio beatifica ? Nulli dubium , quin decisio hæc prolata ore Tobiæ qui pluribus annis tot tantisque obrutus fuit tentationibus, dictata ei fuerit à Spiritu sancto : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit , quod vita ejus , si in probatione fuerit , coronabitur.* Nota, *in probatione* , idem esse , quod *in tentatione* , juxta illud , quod dicebat ei Raphael : *Quia acceptus eras Deo , necesse fuit , ut tentatio probaret te.* Unde B. Petrus Damianus: *Dum oppugnat* , inquit, *violentus hostis , & non expugnat , futuræ nobis retributionis pondus accumulat , & dum laborem certaminis irrogat , victoriæ nobis materiam subministrat.* Et Dionysius Carthusianus proposita exponens verba subdit : *Tentatio ergo passiva non est in se mala , vel fugienda , nisi forte imperfectis , cum sit virtutis exercitium , atque materia triumphandi , nullus enim coronatur , nisi qui legitime certaverit.*

2. Cor. 12. 7. — Ibid. v. 8. — Ibid. v. 9. — Jacob. 1. v. 2. — Tob. 3. v. 21. — Job. 12. 13. — S. Petr. Dam. opusc. 23. c. 4. — D. Carth. in 1. Cor. 10.

Sinistre nil suspicandum de religiosis ob primos passionum motus.

6. Quando advertimus in religiosis etiam regulari observantia deditis motus primos passionum, puta, iræ, sensualitatis , aut alterius vitij (quorum,cum sint primò primi , non sumus domini) non propterea sinistrum de eorum sanctitate & perfectione formare debemus conceptum , unde docet idem Blosius : *Licet is qui ad tristitiam , indignationem , iram, & consimiles animi passiones naturaliter proclivis est , magis angatur , quam is qui animum habet naturaliter lætum ac tranquillum , si tamen strenue obsistit suis perturbationibus , & eas propter Deum æquanimiter tolerat , efficaciter purgatur à peccatis , & gloriosiorem coronam in cœlis sibi parat ; nam carnis irritamenta & vitiorum insultus , quibus impediti sedulo renitimur , virtutem non adimunt , sed perornant , meritumque adaugent.* In hujus confirmationem scribit pariter in suis institutionibus spiritualibus,quod sequitur : *Et quidem si aliquis eorum , qui strenue decertant , migret imperfectus ex hac vita , atque in purgatorio aliquamdiu retineatur , ubi ipse jam plene purgatus fuerit , gradum in regno cælorum longe altiorem retinebit ; quam obtineat is, qui non ita strenuus ac fervens fuit , licet forte sine aliqua purgatorij pœna ad Deum pervenit.*

Blosius Parad. animæ ibid. num. 4. — Idem in inst. spirit. § 3.

Tentationes materia sunt præmiorum.

7. Tantum abest , quod , quando ferociter à Dæmone infestamur, de consecutione cœlestis paradisi diffidere debeamus , ut potius tunc vel maxime vivaciorem debeamus spem concipere, quemadmodum nos monet D. Chrysostomus: *Et si aliqui*, inquit, *præditi virtute in tentationes incidant , ne turbentur , hinc meliorem spem concipiant , quia tentamenta præmiorum eis materia sunt.* Et in alia Homilia legimus: *In tentationibus justi florebant ; ita tres pueri , ita Daniel & Moyses , & Joseph, hinc omnes magnis & splendidis sunt habiti coronis digni , tunc enim & anima purgatur , cum propter Deum tribulatur ; tunc majori potitur adjutorio , quando & majoris tunc indiget auxilij , majorisque gratiæ.* Ad superandum tentatorem divina indigemus gratia , hæc eò celerior & abundantior est, quo vehementior est tentatio , siquidem *facit cum tentatione proventum* ; unde sequitur , quod ad mensuram gratiæ crescat simul gloria. Amor horum bonorum terrenorum solet esse scopulus causans naufragium & præcipitium in abyssum æternæ perditionis ; ast tentationes hac gaudent prærogativa ; ut nos excitent ad amorem bonorum cœlestium, cum , nimirum consideramus , quod hæc vita *militia est, tentatio est* , innumerisque semper simus expositi periculis : *Tuta habitatio Paradisus* , dicebat S. Bernardus.

D. Chrys. H. 40. in Gen. — Idem H. 60. ad pop.

Tentatio est evidens signum divinæ dilectionis.

8. Qua super re audiamus quoque D. Thomam de Villa Nova concionantem hisce verbis: *Tentatio nos à mundi hujus gaudijs & consolationibus separat , & cælum desiderare compellit. Si enim tot tentationibus pressi , tot tribulationibus fatigati , miseram hanc vitam sic perdite amamus , quid esset , si tranquillam & securam sine molestia possideremus ? Quis futura optaret ? Quis ad aliam suspiraret ? Volens Deus parvulos suos ab hujus mundi solatijs ablactare , amarum tentationis aloës uberibus apponit , ut quos terrena amaritudo repellit , dulcedo cœlestis vehementer alliciat.* Quando S. Paulus de bonis & gaudijs cœlestibus tractat,scribit ea præparata esse amantibus Deum: *Nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , quæ præparavit Deus ijs , qui diligunt illum* ; Porro certius evidentiusque non datur divinæ dilectionis signum , quam cum quis tentatur : *Quia acceptus eras Deo , necesse fuit ut tentatio probaret te.* Magna consideratione digna est hæc propositio B. Laur. Justiniani : *Quotquot* , ait : *Deo placere meruerant , tentati sunt.* Similiter in tractatu de patientia, qui continetur in libro , cui titulus , *lignum vitæ* , legimus : *Evidens divinæ dilectionis signum est ipsa probatio tentationis.*

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr. — 1. Co. 2. v. 9. — Tob. 12. v 13. — B. Laur. Just. de obed. c. 21. — Idem lig. vit. de pat. c. 4.

Christus cum discipulis suis in eadem navi fuit, quæ impetuosis agitabatur ventis.

9. Salvator noster una cum Apostolis suis in eadem quoque voluit navigare navi ab impetuosis agitata ventis figurantibus vitæ hujus tentationes, veluti considerat & notat D. Ambros. explicans illum textum Lucæ : *Et ipse ascendit in naviculam &c. Qui se intelligeret propter divinum in terras venisse mysterium &c. Neque enim quisquam poterat hunc mundum navigare sine Christo , quando eos quoque , quibus Dominus adest , tentationum sæcularium sæpe procella perturbat. Et œconomia servatur in Apostolis , ut advertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ* cur-

Luc. 8. 22. — S. Ambr. l. 6. ibid.

riculo demigrare , quia exercitium fidei tentatio est. Subjecti igitur sumus nequitiæ spiritualis procellis , sed quasi pervigiles nautæ gubernatorem excitemus. Fragile hoc lignum attingere non potest littus cœli sine vento tentationis , etenim *non coronatur , nisi qui legitime certaverit.*

2. Tim. 2. 5.

Jucunda visione instruimur quod tentationes devictæ desinant in magnum nostrum bonum. Bolland. 13. Januar. fol. 909.

10. Tentatio , quam sustinuit Christus Dominus in horrido illo deserto , ipsi S. Veronicæ jucunda visione repræsentata fuit in spiritu , ad denotandum quod , quando tentationes vincuntur, in magnum desinunt bonum. Prima Dominica Quadragesimæ (velut legitur in Bollando) sequentem habuit visionem : *Reliquit eum diabolus horribiles dans sonitus, ita ut mons igneus effectus funditus dilabi videretur , ac dirui. Et ecce Angelorum cœtu circumdatus Salvator , ex templo in locum ductus est miræ magnitudinis. Quis foret locus iste , nusquam Veronica dignoscere potuit. Veste præclara primum Angeli ministrantes circumdederant Jesum , cujus extrema circumtenebant venerandæ Divinæ Majestatis gratiam. Concentus deinde varios prompserunt , quos indefessi sermonis externa series explanare nequiret. Mensam quoque parari , candidos afferri panes Angelico ministerio conspexit.* Certum est, quod anima Christi fruebatur æterna beatitudine,ideoque ejusmodi refocillationes, lautæque mensæ,uti & harmonici illi concentus minime serviebant; ast voluit incarnata Sapientia cum hoc instruere fideles , quod post devictas tentationes adimpleatur hoc ipsum, quod Dominus noster suis jam prædixerat: *Vos estis , qui permansistis mecum in tentationibus meis , & ego dispono vobis regnum, ut edatis & bibatis,&c.* Victa hac Luciferi tentatione scimus ex textu Evangelico Angelos accessisse & ministrasse Christo Domino : *Ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.* Sed numquid beati illi Spiritus semper & quidem certatim Domino præstabant obsequium? Omnino;at tunc in signum triumphi , in specie visibili, splendidis induti vestibus (ut credibile est) apparuerunt, ut celeberrimæ isti victoriæ applauderent,quemadmodum olim triumphantibus applaudentes multi festivi & lætantes omni ex parte accurrebant , ait Angelicus Doctor, *ita hic celebratur triumphus Christi ab Angelis.* Jansenius in concordantia sua Evangelica scribit : *Gratulabundi redierunt*, Credibile est , quod in omnibus tribus tentationibus Christo Domino astiterint , non tamquam adjutores , sed ut spectatores adeo celebris certaminis & pugnæ , & post triumphum deinde redierint , ut jucundo & festivo obsequio adaugerent ejus gloriam : *Redierunt autem visibili , humanaque specie (id enim vox , accesserunt, intelligendum dat) ut quem diabolus ea specie concluserat tentandum , ipsi eadem specie honorem , officiumque ei omne præstarent.*

Luce 22. 28. — Matth. 4. 11. — S. Thomas in Matth. — Jansen. ibid.

DISCURSUS IX.
ARGUMENTUM.

Plura alia examinantur emolumenta & commoda ex tentationibus resultantia.

THEMA.

Omne gaudium existimate fratres mei , cum in tentationes varias incideritis. Jacob. 1. v. 2.

Ex tentationibus variæ nobis proveniunt utilitates.

1. Verba hæc S. Jacobi Apostoli infinita consolatione referta sunt,precipue vero illis inserviunt, qui contra voluntatem suam tentantur : *Omne gaudium existimate fratres mei , cum in tentationes varias incideritis.* Magnum emolumentum & lucrum est in præsenti vita tentari ab hostibus invisibilibus , incomparabilia enim nobis conferunt emolumenta : *Sicut enim ab uno fonte* [& est B. Justiniani consideratio] *plurimi emanant rivuli, ita & à tentationibus multifariæ utilitates proveniunt.* In alio quoque loco nonnullos fructus , qui à tentatione derivantur, enumerat : *Nemo cum tentatur desperet , & propriæ salutis languescat fiducia. Tentatum nullus abhorreat , quoniam ex tentatione perficitur virtus , augetur merces , probatur anima , accrescit scientia , magnanimitas exercetur , homo interior roboratur , purgantur vitia , & merita cumulantur.* Præcedenti discursu jam ostensum fuit, quod accumulemus merita regni cœlestis resistentes tentationibus , nunc probemus , quod *purgantur vitia* ; idque jampridem nos docuit D. Chrysostomus perorans hisce verbis : *Justitia in tentationibus floret , in prosperitate autem marcida est. Quemadmodum focum si posueris super terram , comburit ipsas radices herbarum , ut in loco isto jam non facile nascatur herba , sic & tentationis ignis positus super carnem comburit radices concupiscentiarum in ea , ut non facile concupiscat.* Verum est, quod tentatio extimulet provocetque concupiscentiam nostram sensualem : *Stimulus carnis colaphizat me* , dicebat Apostolus , *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* ; nihilominus si aliunde strenue resistamus, suffragante Dei gratia , stimulos istos superare possumus ? Quemadmodum illos superarunt S. Thomas Aquinas , & S. Philippus Nerius post gloriosam obtentam victoriam de infamibus istis mulieribus.

B. Laur. Just. lig. vitæ de patient. c. 4. — Idem Ser. de S. Hugon. Lincol. — D. Chrys. Hom. 9. in Matth. — 2. Cor. 12. 7. — Rom. 7. v. 23.

Tentatio purgat peccata. S. Anton. p. 4. t. 13. c. 3. §. 5.

2. S. Antoninus inter alia emolumenta hujus materiæ hoc quoque enumerat: *Tentatio peccata purgat*, Sap. 3. *Deus tentavit illos , id est, permisit tentari & invenit illos dignos se ; Tamquam aurum in fornace probavit illos* ; aurum autem in fornace ignis purgatur à mixtura vili ; hinc & B. Gregorius ait ; *Ab electis suis temporali afflictione maculas iniquitatum curat abstergere , quas in eis in æternum non vult videre, de pænit. dist. 1. Si peccatum. In tentatione enim homo affligitur , dum sibi vim infert , ne assentiat , in quo magis frequenter anxiatur , quam per afflictionem corporalem. Legitur in Vit. Patrum , quod cum quidam Sanctus Religiosus ad extrema veniens , timorem & horrorem ex tentationibus , quas patiebatur , habuisset , defunctus apparuit cuidam sibi familiari , in statu gloriæ se esse affirmans & cum ille quæreret , quare tantum horrorem & afflictionem habuisset in fine , respondit , nescis scriptum esse (scilicet Job. 41. quia territi purgabuntur ?* Multi servi Dei in fine vitæ à tentationibus infestati fuerunt, ut hac via animæ eorum manerent purificatæ, etiam à peccatis venialibus. De hac materia tractat Cæsarius lib. 4 Dialogor. & observat , quod qui transeunt ad Religionem, sive ad religiosum statum, plerumque in sæculo quadam divinarum legum transgressione se contaminaverint , ideoque necesse est, satisfaciant pro peccatis suis, qualia non solum expiant, emundantque exercitio disciplinæ & observantiæ monasticæ, sed multo magis sufferentia tentationum, quæ ab ijs , qui ad perfectionem tendunt , inseparabiles sunt: *Si tentatio est religiosorum vita , qui vigilando, jejunando, & orando in prosperis & adversis obediendo propter Christum, nihil in hoc mundo terreni possidendo, semper vitijs & concupiscentijs contradicunt , necesse est , ut ipsam tentationem concedas pro peccatis illorum satisfactionem. Venientibus ad ordinem nostrum , etiamsi innumera & gravissima commiserunt peccata , nihil eis aliud injungitur pro satisfactione , nisi ut ordinem servent ; Hinc est quod sanctus Bernardus cum tempore quodam quemdam Regem Francorum in ordinem recepisset , illi solummodo post confessionem orationem Dominicam injunxit , quo turbato putans sibi à Sancto illudi, respondit Abbas: Tu tantum orationem hanc dicito, & ordinem custodi, & ego pro peccatis tuis rationem reddam in die judicij.*

Exemplum hujus. — Job. 41. 16. — Cæsarius l. 4. cap. 1.

Viri etiam sancti, in morte cum dæmone graves habuerunt pugnas.

3. Plenæ sunt historiæ sacræ exemplis hominum sanctitate insignium , qui moriendo acerbissimam cum inimico habuerunt pugnam , ac propterea bene nos monet Bellovacensis : *Non mirari debemus , si justos dure mori , & impios transire levius audiamus , quoniam justo Dei judicio , justi quandoque dure moriendo purgantur in hoc mundo , ne puniantur acrius in futuro.* Exhortatur nos quoque S. Petrus , ut dæmoni leonis instar rugienti resistamus : *Tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret , cui resistite fortes , &c.* Potuit quidem leo Prophetæ,qui à Deo ad Jeroboam missus erat, mortem inferre corporalem, at non spiritualem,imò utilis ei fuit & proficua mors illa,hac enim pœna satisfecit pro culpa sua , quam commiserat, ut propterea anima illa magis purificata transierit ad sinum Abrahæ. Ad eumdem modum in præsenti nostro proposito discurrere possumus ; quamvis leo infernalis , quantum scit, & quantum potest, nos tentet vel maxime extrema mortis hora , ut nos ad lapsum concitet,attamen Deus tentationes illas,quibus impetuntur justi , in majus eorum dirigit bonum,dum per merita tentationis evectæ peccata purgantur, beatæque vitæ augentur merita.

Bellov. spec. mor. lib. 2. p. 1. dist. 3. — 1. Petr. 5. v. 8. — Ps. 118. 109. & 110.

Non desunt assultus dæmonum illi qui vult pie vivere.

4. Regius Propheta protestando coram Deo dicebat : *Anima mea in manibus meis semper , & legem tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi.* Non desunt assultus ei, qui vult vivere in timore Dei : *Accedens ad servitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem* ; at non propterea amisit vires , imo eas adhibuit contra inimicum : *De mandatis tuis non erravi. Declinate à me maligni , & scrutabor mandata Dei mei , Suscipe me secundum eloquium tuum* &

Eccli. 2. 1. — Ps. 118. 110. — ibid. v. 115. — Ibid. v. 116.

& vivam ; adjuva me & salvus ero. S. Antoninus, ut animum nobis adderet ad strenue decertandum & vincendum, hanc profert doctrinam valde proficuam : *Dicit Origenes, ut allegat Magister in 2. Sent. Quod viri sancti bellantes cum dæmonibus, & superantes in tentationibus, diminuunt numerum inorum, ut scilicet, tales victi non valeant amplius tentare. Quod intelligit B. Thomas in scripto, quoad illum, qui vicit, & perfecte vicit tentationes ; sed quomodocumque sit, manifestum est, quod sancti viri vincendo tentationes diaboli assumunt magnas vires contra eos, ut eis illudant, ne valeant alijs nocere ad petitionem eorum ; sic B. Margarita victo dæmone, qui apparuerat ei sub specie hominis compatientis ei de tormentis sibi illatis, ad persuadendum, ut assentiret Olibrio Præfecto, projecit eum ad terram pede suo eum calcans & dicens : Sternere superbe Dæmon sub pedibus fœminæ; cui ille : dimitte me, obsecro, satis illusisti mihi.*

S. Anton. ib.

Exemplum B Margaritæ.

5. *Omne gaudium existimate, &c.* Quod tentatio sit valde utilis deducitur ex quodam responso dato in hac materia ab uno ex sanctis illis eremitis : *Tentatus est aliquando discipulus senis magni à fornicatione; Senex vero cum videret eum laborantem, dixit ei, vis, rogem Dominum, ut sublevet a te molestiam istam : Ille autem dixit : Video Abba, quia etsi labore, tamen ex pondere laboris hujus considero fructificare me. Sed hoc roga Deum in orationibus tuis, ut det mihi tolerantiam, per quam sustineam. Dixi ei Abbas, nunc agnovi, quia in magno profectu es, fili, & supergrederis me* Triplicata instantia petijt S. Paulus liberari à motibus & stimulis carnis : *Ter Dominum rogavi ; stimulus carnis colaphizat me*; ast qui eum edocuerat in paradiso, instruxit illum quoque hic in terris, significans eidem, propter augmentum perfectionis suæ non expedire ei, ut à spiritu fornicationis eximeretur, eo quod tentatio ista potius esset via ad majorem acquirendam perfectionem : *Virtus in infirmitate perficitur.*

Vit. Patr. l. 5. libello 5. n 20. Tentationes utiles esse, probatur exemplo.

2. Cor. 12. v. 7. & 8.

6. S. Augustinus doctrinam quoque nobis insinuat valde proficuam : *Tentatio*, inquiens, *probatio est, non ad peccatum seductio, nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipse ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium & agnoscendam gratiam. Nescit se homo, nisi in tentatione discat se.* Nihil difficilius apprehensioni hominis, quam cognitio suiipsius ; at hanc addiscit, quando tentatur: *Qui non est tentatus, quid scit?* Hanc suiipsius instructionem & directionem addiscit in schola tentationum: *Si Deus tentat, ut doceat, diabolus tentat, ut decipiat, cui tamen, nisi ille qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio, & irridenda repellitur.* S. Petrus præmissa celebri illa confessione Divinitatis Christi, reliquis omnibus se præferens magnum de seipso formaverat conceptum : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor ; etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Verum tentatio duxit illum in notitiam propriæ debilitatis : *Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.*

In tentatione discimus quid simus & nosipsos cognoscimus.

S. Aug. T. 4. l 2. q. sup. Exod. q. 58.

Matt. 26. 33.

7. Audiamus commoda & bona alia, quæ ex tentationibus redundant juxta Ecclesiasticum : *Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.* Dæmon orditur telam suam, & unice laborat, ut singulis passibus nos præcipitet, ideoque necesse est, anima eligat sibi bonum ductorem, qui est timor & inspiratio Dei, ne quidem unico passu discedat à Deo; ecce lucrum, quod facit malignus ; sequitur in Ecclesiastico : *Timorem & metum & probationem inducet super illum.* Non in nostram dumtaxat redundat utilitatem tentatio, quam nos vincimus; sed etiam tentationes aliorum, qui nostro mori exemplo viriliter sufferunt communis hostis assultus. Audiamus S. Antoninum : *Alios*, inquit, *confortat, unde dicitur Tobiæ 2. Hanc tentationem dedit illi Deus, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus sicut & sancti Job, cum enim quis considerat Sanctos etiam tentatos, confortatur, & non desperat, advertens quod illi etiam homines erant, & tamen Dei adjutorio superabant tentationes ; inde etiam confortatur, animatur ad fortiter dimicandum; & si titubat, datur sibi occasio recognoscendi debilitatem suam.*

Eccli. 2. v. 18. Fortiter sufferendo tentationes, alijs damus bonum exemplum. Ibid. v. 19.

S. Anton. ibid.

8. Assimilavit se Salvator viti, & fideles suos palmitibus : *Ego sum vitis vera, vos palmites, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat* ; dixit Christus quoque de æterno suo Patre : *Pater meus agricola est. Ostendit discipulis Dominus* (ita exponit Theophylactus) *quod per afflictiones fertiliores erunt, sicut per putationem palmites,*

Tentati assimilantur palmiti, qui putatur ut plus fructum afferat. Joan. 15. v. 2. Theophil. in conc ho 6.

declarat insuper has afflictiones esse tentationes: *tentationes enim eos fortiores declarabunt.* Ab hac expositione non multum abscedit S. Bernardus hunc adducens textum Evangelicum ; *Omnem palmitem in me facientem fructum Deus Pater purgabit eum, ut fructum plus afferat. Nam dum mens posita in tentatione considerat, quod à virtutis suæ pristina soliditate repellitur, tunc solicita trepidat, ne hoc quod durum esse cæperat, funditus amittat. Tunc qualiter resistere possit tentationi, inquirit, & qualiter eam debellare jam valeat, elaborat. Tunc arripit gladium orationis, fletum compunctionis, & sic eam debilitat, & de ea gloriose triumphat.* Quando anima timorata se conspicit redactam ad angustias tentationum cum periculo cadendi aut succumbendi, tunc eo ardentius confugit ad disciplinas, ad jejunia, ad orationes, & ad quævis devotionis exercitia ; *Et ita fit* (pergit S. Bernardus) *ut mens quæ pigra & velut infœcunda in prosperitate jacebat, fortior & uberior ad fructificandum assurgat.* Erit nonnumquam quispiam, qui tepiditate & negligentia correptus vivet in servitio Dei, quod si ab impetuoso inimici assultu infestatus viderit se expositum lapsus periculo, excitatur ab isto lethargo, infervescit, zelo accenditur, ac prospicit æternæ suæ saluti viriliter resistendo ; unde frequenter contingit dæmoni, quod *comprehenditur in consilijs, quibus cogitat*

S. Bern. ser. in cœn. Dom.

9. In vita S. Hilarionis legitur, & scribit S. Hieronymus, quod, cum sanctus ille eremita peteret a dæmone, cur ausus fuisset invadere aliquam virginem, responderit : *Ut servarem eam virginem* ; hoc idem frequenter accidit dæmoni, ut dum cunctas suas adhibet vires, omnemque conatum, ut Deo nos reddat odibiles & inimicos, nobis ipse suppeditet ansam exercendi multa opera pietatis, unde contingit, quod ipsum auxiliante divina gratia superemus, arctiorique amicitiæ vinculo Deo uniamur. Quamvis Job ante pugnam cum Satana habitam plurimis sanctorum operum onustus fuerit meritis, plus tamen postea apud Deum promeruerit, longe gloriosiorem se reddidit in cœlo & in terra : *Cogitur autem & adversarius sanctos Domini ad sua damna tentare* (ait S. Ambrosius) *dum enim tentat, meliores reddit.*

Diabolus tentavit quamdam virginem, ut illam servaret virginem.

S. Ambr. in Ps. 43.

10. Sed, quia sanctissimi viri Job jam fecimus mentionem, in eo quoque adimpleta fuit hæc alia utilitas, quam insinuat pariter S. Antoninus: *Tentatio hominem honorabilem reddit, unde dicitur* 1. *Machab.* 2. *Abraham in tentatione sua inventus est fidelis, & ideo readidit ei Deus gloriam in gente sua, &c. Daturus virtutem dedit Deus hostem*, dixit Lactantius Firmianus. Honor, gloria, triumphi non reportantur sine certamine & victoria. Quid fuisset Scipio, nisi subjugasset Africam? Quam celebrem se fecit Magnus Antonius, quod tot annis cum dæmone concertaverit? *Hominem alio pœne orbe celatum, & inter tantas positum solitudines, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipsi etiam, quæ urbium caput est, Romæ demonstravit.* Constantinus Magnus, uti & filij sui plurimum se honorari existimabant, recipientes à S. Antonio responsum ad humillimas illas literas, quas ei scribebant, quibusque ei se commendabant, & salutaria illius petebant consilia. Hæc magnificentia fuit meritum tentationum illarum, quas semper viriliter rejecit : *Quia dimicando viriliter non cessisti*, dicebat ei Christus, *semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari.* Et ita contigit : *Totius orbis homines ad eum confluebant, & universarum gentium varietas bellicosissimum contra dæmones virum conspicere gestiebant.*

S. Antonin. ib. § 5. Tentationes reddunt nos honorabiliores, & nominatos.

Vit. S. Anton. c. 61.

11. Aliud adhuc emolumentum ex tentatione resultans tetigit S. Antoninus dicens : *Bona multiplicat spiritualia & temporalia, facit cum tentatione proventum ; in cujus figuram Job multipliciter tentato adaucta sunt ei, & multiplicata bona sua, ut patet cap. ult.* Hujus quoque mentionem facit Gerson de Deo discurrens : *Qui percusso cuncta, quæ abstulerat, duplicata reddidit, aperte innotuit, quod tentatos nonnumquam uberius consolatur, quam percusserit.*

Tentatio multiplicat bona omnia. S. Anton. ib. Gerson. t. 2. Serm. de Ver. Dom. fol. 823.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Utiles sunt tentationes, quia nos conservant humiles, quod exemplo S. Pauli specialiter probatur.

THEMA.

THEMA.

Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. 2. Cor. 12. v. 7.

1. Cum humilitas sit fundamentum ædificij spiritualis, ne illud infirmetur aut ruinam patiatur una cum tota fabrica, ecce tentationem, quæ totam regit & sustinet, evidenter id conspicitur in Apostolo; *Dum tentamur vitijs* (S. Greg. Magn. verba sunt) *pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur.* S. Anselmus loquitur per os S. Pauli in expositione hujus textus, & ait : *Non me extulit, sed ne me extolleret, providit mihi Deus remedium, quod adversus elationem, quæ evenire poterat, opponeret, valde enim cavenda est elatio de abundantia gratiarum, ne quis de dono Dei superbiat, sed magis servet humilitatem &c. Deus qui novit omnia ; antequam fiant, apposuit ei quemdam admonitorem humanæ infirmitatis in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat per singulas acclamationes civium dicens : Hominem te memento.*

Tentatio conservat in nobis humilitatem, S. Greg. lib. 23. mor. c. 27.

S. Anselm. ib.

2. Verùm non immerito hic oriri posset dubium, cur pientissimus Deus permittat, ut homines ex fragilissimo luto compositi, quamvis timorati & virtute præditi, à communi nihilominus impugnentur inimico? Respondeo id propterea fieri, ut *cum metu & tremore salutem suam operentur*, & ne, quamcumque etiam spiritus attigerint perfectionem, de se præsumant, sed certam faciant vocationem suam per bona opera. Verum audiamus etiam S. Leonem : *Donet* inquit, *licet Sanctis suis, quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam, quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse, quod vinceret.* Cum ex terra Deus nos formavit, simul nobis associavit inimicum implacabilem, qui sine intermissione nos impugnat, & ad peccatum incitat, quamvis cum S. Paulo in tertium usque cœlum rapti consolationibus cœlestibus pasceretur ; vultisne scire causam? Voluit nos semper continere in timore, ut semper maneremus humiles.

Ideo tentamur ut cum timore salutem nostram operemur.

3. In oratione quotidiana ab ipsa incarnata Sapientia composita ex ejusdem instructione agnoscimus & invocamus Patrem æternum in cœlis regnantem: *Pater noster, qui es in cœlis* ; benedicimus & laudamus sanctissimum ejus nomen, quemadmodum sancti faciunt Angeli : *Sanctificetur nomen tuum* ; audacter petimus regnum illud beatum, tamquam hæreditatem adoptivæ filiationi nostræ debitam : *Adveniat regnum tuum* ; adimplemus divinam voluntatem, quod est summæ perfectionis signum & indicium : *Fiat voluntas tua ; sicut in cœlo & in terra* ; petimus insuper necessariam dumtaxat sustentationem nostram, quod est indicium magni amoris Dei, & contemptus mundi : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Habentes alimenta, & quibus tegamur* (ecce characterem unius vitæ Apostolicæ) *hic contenti simus* ; imploramus pariter veniam & remissionem nostrorum peccatorum, allegantes mansuetudinem nostram in remittendis & condonandis injurijs nobis illatis : *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris :* Jam vero observandum est, post hæc testimonia perfectionis, virtutum, familiaritatis & benevolentiæ Dei erga nos, diabolum tamen non intermittere, quin nos tentet & impugnet, cujus veritas ex eo vel maxime liquet, quod cœlestis Magister nos docuerit, ac voluerit, ut in ultimis petitionibus unice Deum, suum & nostrum Patrem rogaremus, ut eximat nos à tentationibus, quibus à maligno spiritu impetimur, quando etiam advertit & videt nos esse sanctissimos & Deo acceptissimos : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Pulchram quoque hujus adducit rationem author operis imperfecti : *Ut dum dicunt, ne nos inducas in tentationem, cognoscant se esse infirmos, consideratio infirmitatis causam gloriationis extinguat.*

In oratione Dominica specialiter rogamus Deum Patrem ne nos inducat in tentationem.

1. Tim. 6. 8.

4. Postquam Salomon ad thronum Israël sublimatus esset, nocte quadam Deus ipsum honoravit, visione una cum tali exhibitione : *Postula quodvis, ut dem tibi.* Nullos tamen ille petijt thesauros, non longioris vitæ prosperitatem, neque prosapiæ suæ propagationem & numerosam successionem, non victorias contra inimicos, neque etiam regni sui dilatationem ; sed sapientiam, qua sciret, & juste regere ac

3. Reg. 3. v. 5. Acceptis donis & gratijs cœlestibus anima concutitur tentationibus.

gubernare posset populum suum, quam & in altissimo gradu concessit ei una cum omni felicitate ac prosperitate desiderabili. Excitatus ex somno accessit arcam, ubi in signum gratitudinis, pietatis & devotionis erga Deum, obtulit holocausta : Quid contigit? *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem.* Observate vocem hanc, *tunc*, quæ non caret mysterio ; & S. Gregorius exinde hanc excerpsit moralitatem, postquam Deus luce suæ cognitionis, quam communicat animæ, nostræ ignorantiæ dispellit tenebras; sine dilatatione visitat nos tentatione; statim ac amore suo corda nostra accendit, & ad virtutem promovit, elongans se à nobis permittit nos tentari; quia si post receptionem donorum gratiarumque cœlestium anima non conquateretur vento tentationis prolaberetur in præsumptionem ; in cujus probationem producit id, quod jam dictum est, & concludit, quod sicut ante Salomonem post receptam illam supernaturalem sapientiam subito comparuerunt duæ meretrices inter se litigantes & rixantes; ad eumdem plane modum statim ac anima nostra cœlestibus digna facta est illustrationibus, tunc permittit Deus ut plus quam alias à suggestionibus diabolicis impetatur, impugneturque etiam ab appetitibus suis inordinatis: *Ut quæ sublevata immenso lumine exultat, tentatione pulsata quid sit inveniat.*

3. Reg. 3. 16. Patet Exemplo Salomonis. S. Greg. l. 8. mor. c. 17.

5. Regius Propheta esto esset modestissimus, humillimus, & homo secundùm cor Dei, nihilominus una vice abundans gratiarum consolationumque cœlestium donis sibi applaudendo dicebat : *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Deus vero, qui ipsum amabat, quique, cum dilectos suos amicos casui conspicit vicinos, *supponit manum suam*, exposuit ipsum tentationis prædæ: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Agnovit denique tentationem tamquam magnum beneficium sibi præstitum : *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Legimus in Blosio : *Dixit Dominus ad Birgittam. Ut homo intelligat infirmitatem, quam habet à seipso, & fortudinem quam habet à me, necesse est ut quandoque permittatur pulsari pravis cogitationibus, quibus si non consentit, illæ efficiuntur ei purgatio animæ & custodia virtutum. Et licet valde amaræ sint ad ferendum, sanant tamen animam, & ducunt eam ad æternam vitam, quæ non potest haberi sine amaritudinibus. Diligenter vero laborare debet anima, ne eis consentiat, aut in eis delectetur.* Refert deinde colloquium, quod habuit Mater Dei cum Sancta in eodem proposito : *Mater Dei eidem Birgittæ ait : Tu miraris cur in senectute tentationes tibi accrescant, & eas modo sentias, quas nec in juventute, nec in conjugio experta es. Hoc ideo fit, ut cognoscas te nihil esse & nihil posse sine filio meo; nisi enim ille te servasset, non est aliquod peccatum tam grave, quod non commisisses.* alia quoque adduci posset ratio, cur nimirum filius disposuerit, ut S. Birgitta eo præsertim tempore, quo jam summum suæ sanctitatis & perfectionis attigerat apicem, multis subjaceret tentationibus, propter eamdem, videlicet causam: quam de se allegat Apostolus : *Ne magnitudo revelationum extollat me* ; ex speciali namque privilegio & gratia Dei, plurimas (uti notum est omnibus; & ex utroque volumine revelationum ipsius constat) excepit revelationes cœlestes.

Et Davidis.

Ps. 29. v. 7.

Ps. 36. v. 24. Ps. 29. v. 8.

Ps. 118. v. 71. Blos. in conclavi animæ fidel. c. 4. n. 9. Adducitur revelatio circa hoc facta B. Birgittæ.

2. Cor. 12. 7.

6. Qui jam in vita spirituali & virtutibus perfectionem adepti sunt, solent instruere alios, ac propterea Deus frequenter permittit & illos nonnullis obrui tentationibus, ut alterius compati possint debilitati & fragilitati : *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Nota est historia relata in vitis Patrum : Cum monachus quidam adhuc juvenis vehementer impugnaretur à cogitationibus carnalis concupiscentiæ consilij petendi causa quemdam ex senioribus Patribus accessit, ut modum, quo se defenderet, intelligeret, qui ipsum non modo rejecit, sed insuper asperis excepit verbis ac objurgavit, quod obscœnis ejusmodi imaginationibus ipsemet subministraret fomitem : At Deus, ut seni huic ostenderet, quod non exequeretur Apostoli monitum ; *Considerans teipsum, ne & tu tenteris*, simulque ipsum instrueret & humiliaret, permisit, ut & ipse ab ejusmodi impuris cogitationibus infestaretur, sicque hoc modo disceret compati alijs.

Qui alios in vita spirituali instruunt, permittuntur etiam sæpe obrui tentationibus ut discant alijs compati. Hebr. 4. v. 15. In vit. Patr. Exemplum hujus.

Gal. 6. v. 1.

7. Quamvis, ut notat Cardinalis Bellarminus, magna cum circumspectione legenda sint opera Anastasij Niceni, attamen sana est doctrina illa, quam proposito nostro conformiter tradit: *Propterea*, inquit, *ten-*

Tentationes refrænant nostram superbiam. Anast. Nic. q. in scrip.

S ff 2 *tationes,*

tationes, & multi rerum casus eveniunt, ut fræna innumerabilia circumponantur animæ, quæ facile extollitur in superbiam. Acuta est similitudo illa de fræno, ticut enim fræno reprimitur & domatur superbia generosi equi, ac dirigitur equus juxta equitantis nutum & voluntatem; ad eumdem modum Deus uti solet tentatione ad refrænandas plurimas animas, quæ alias à superbia & arrogantia seducerentur D. Hieronymus conceptum moralem casui nostro accommodum elicit ex quodam textu Scripturæ: *In possessione Gad, de palmetis transimus ad aquas contradictionis usque ad Gades, quæ interpretatur sanctæ, ut intelligamus, nos etiam post victoriam mundi debere esse solicitos, & semper in metu*; cujus reddit hanc rationem consideratione dignam: *& recordari illius versiculi: Tentatio est vita hominis super terram*; quasi dicere vellet, quod tametsi inimicus decies, quinquagesies, centies, millesies vincatur, attamen semper nos in humilitate & timore continere debemus, eo quod proni & faciles sumus ad casum ad ultimum usque vitæ spiritum.

S. Hieron. in c. ult. Ezech.

Intus & foris pugnamus contra tentationes.

Bloss. Psych. l. 3. c. 8. n. 6.

8. Blosius propterea voluit nos monitos: *Videris, quia pugnæ non desunt, & pugnamus cum concupiscentijs nostris; pugnamus foris cum infidelibus & inobedientibus hominibus; pugnamus intus cum suggestionibus & perturbationibus carnalibus. Ubique pugnamus adhuc. Bonum nostrum, cui suspiramus, pax erit.* Ut stantes nos & erectos conservemus, necesse est, prosternamus nos in terram; hæc propositio videtur esse contradictoria; at talis non est, diligenter eam examinaveritis: Volo dicere, quod qui cupit, stare corpore erectus, & non cadere, oportet, stet humilis, *terra, terra*, quia quamdiu quis vivit, cum continuo impetatur ab inimici assultibus, lapsui subjectus est; quando pervenerit ad cœlestem Jerusalem, tunc cum Psalmista cantare poterit: *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Jerusalem.*

Ps. 121. v. 2. Tentatio humiliat.

B. Laur. Just. lig. vitæ c. 4.

9. Accedat quoque B. Laurent. Justinianus, & quid hac super re sentiat, mentem suam exponat: *Humiliat*, scribit, *tentatio; dum etiam vitia tentant proficientes, diuturna pax elatione prostravit, eoque illos hostis gravius perculit, quo longioris quietis usu negligentes invenit.* Et in alio loco hisce conformia scribit: *Optimum quidem humanæ infirmitatis medicamentum est tentatio. Ex impulsu tentationis humilitatis lux emicat, dum febripsi animus notus fit, qualis sit. Ex cognitione sui nutritur humilitas. Quo melius modo Apostolorum princeps ad sui devenire notitiam potuisset, quam ex tentatione? Stabat in se, confidens de se, & nesciens se, sed tentatus per ancillam, movi timens, negavit veritatem. Post autem perspectus à Domino recepit à luce lumen, vidit, agnovit, erubuit, amare flevit. Flevit inquam, delictum suam, ignorantiam suam, infirmitatem suam, & longe salubrius profecit ex tentationibus flagello, quam ex eruditione Magistri, licet tentatio Magistri fuerit admonitio. Bona tentatio, sed melior tentationis instructio quia gratiæ bona à muneribus naturæ discernere facit, oculos aperit, ut sapientiæ lumen excipiant, ne in sui ignorantia caligent.*

Idem de justo Connubio c. 6.

S. Petrus ex tentatione venit ad sui ipsius notitiam.

In tentationibus proprijs viribus nequaquam fidendum est.

Job. 6. v. 13.

2. Cor. 10. 18.

10. Lapsus quarumdam animarum etiam timoratarum sæpe accidit ex propria confidentia, cum existimant sufficientes se habere vires, ut propria industria hosti resistant; verum ejus dem serpentis hæc deceptio est, qui se nobis insinuat infirmum & debilem, ut nostris solum fidamus viribus, quibus ipsum repellere & superare possimus, hanc fraudem detexit S. Thom. de Villa Nova Conc. 2. in Dom. 1. Quadrag. asserens: *Sunt quidam, qui in tentatione positi Dei auxilium implorare non curant, sed ad seipsos vertuntur, & suo consilio & viribus innituntur, totumque pondus tentationis rationibus & argumentis superare satagunt, dicentes intra se: Non expedit hoc; Quomodo faciam rem tam fœdam? Si hoc perpetravero, stultus & reprobus ab omnibus reputabor, & similia, quæ remedium afferre solent tentatis, ne tentationi succumbant. Tamen cum in solo hoc nitantur, sicut Propheta ait, innituntur baculo arundineo, qui confractus innitentem deludet, & ejus manum perforabit. Nam quæ, obsecro, est virtus nostra ad oppugnandam dæmonum fortitudinem? sicut pygmæus ad gigantem; sicut pulex ad elephantem; sicut cynips ad aquilam; non est enim potestas super terram, quæ ei valeat comparari; Unde Job; Non est mihi auxilium, in me desperavi, scilicet de me.* Job à Deo laudatus fuit (*non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*) tamquam sanctissimus totius mundi; nihilominus in conflictu illo, quem cum dæmone habuit, de se & proprijs viribus suis diffidebat divino destitutus auxilio, quanto magis nobis sine auxilio Dei existentibus timere, ac tremere debemus?

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

11. S. Antoninus inter alia remedia ad evincendas tentationes adhibenda tetigit quoque illud, quod est *sui humiliatio*, Psal. 114. *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, & liberavit me*; in cujus probationem adfert pugnam, quam inivit David cum Goliath Satanæ typo, quem ictu lapidis funda projecti prostravit in terram *Figura* 1. Reg. 17. in David, *qui vicit Philistæum fortissimum, diabolum significantem, in funda, id est, humilitate, & lapide resistentiæ. Exemplum* de B. Antonio, *qui videns totum mundum plenum laqueis se inuentibus, id est, tentationibus, cum exclamasset: O quis istos evadet? audivit, sola humilitas.* Unde etiam Blosius: *Sola humilitas apta est, cuncta hostium certamina dissipare.*

Ps. 114. v. 6. S. Antonin. p. 1. t. 6. c. 13. §. 6. Sui humiliatione vincuntur tentationes. 1. Reg. 17. Blos. in margarit. spir. §. 4.

12. Cæsarius lib. 4. ubi hanc materiam pertractat, refert exemplum de persona aliqua nobili, cui post assumptum habitum religiosum mandatum fuit, ut porcorum ageret curam, quod cum aliquamdiu, & quidem diuturno tempore executa fuisset, tandem in senectute sua tentata fuit de apostasia, etenim in maximum honoris & reputationis suæ detrimentum ac præjudicium id cedere credebat. Quadam ergo nocte apparuit ei dormienti vir gravis, vultu spectabilis & venerabilis præcipiens, ut ipsum sequeretur: *Ad ostium dormitorij venit, quo cælitus patefacto, simul ad januam accesserunt Ecclesiæ, quam eadem potentia considerans apertam simul ingressi sunt. Itaei signis erat importunus, ut non posset non sequi præcedentem, cumque duceretur per medium chorum conversorum, & coram altari S. Baptistæ transiens profunde inclinaret, & ordinate, inclinavit & ille, dicens; Bene feci si profunde inclinando, venientesque ad Meridionale ostium Ecclesiæ, per quod itur in claustrum, viderunt ostium similiter apertum, quod ducit ad cœmeterium. Universa hæc ostia clavibus firmantur. His visis Fr. Lassardus miratus est valde, nec tamen ausus est eum interrogare, tu quis es, vel quo me ducis? Ingressis eis cœmeterium, statim aperta sunt sepulchra omnia mortuorum, & cum conversum duxisset ad mortuum recenter sepultum, dicebat illi: Vides hunc hominem? Cito talis eris, quo vis ire? Quem cum adhuc ducere vellet ad alia corpora putrida, multumque fœtentia, cæpit conversus vemiti & clamare, parce mihi Domine, parce, non enim illa possum videre. Cui doctor respondit, si non potes hoc, quod cito eris, videre, ut quid propter modicum superbiam vis de porta salutis recedere? Si ergo vis, ut parcam tibi promitte mihi, quod non recedas ab hoc loco, & promisit ei.*

Cæsarius l. 4. c. 4. Mirabile exemplum ad confirmandum idem propositum.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Deus, qui ex malis novit elicere bonum, odium dæmonis ejusque tentationes ad majus nostrum ordinat bonum, ut nostrum probet virtutem.

THEMA.

Deus tentavit eos & invenit illos dignos se. Sap. 3. v. 5.

Quomodo intelligendum sit, quod Deus tentet hominem. Jacob. 1. v. 13.

1. Hæc propositio ex lib. Sapientiæ excerpta prima fronte contradicere videtur ijs, quæ S. Jacobus Apostolus scribit in sua epistola, cum ait. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*; Si idem spiritus veritatis est, qui & Salomonis, & hujus Apostoli direxit pennam, quomodo igitur unus contradicit alteri? Respondetur verbis Sapientis: *Deus tentavit eos, id est, permissive*; permittit, nimirum, tentatori concedit licentiam, ut servos suos etiam sibi charissimos impugnet & aggrediatur, non alium in finem, nisi ut magis elucescat & manifestetur gloria Dei, servorumque ejus virtus heroica. Præterea pro solutione istius dubij dici potest, quod hoc verbum, *tentare*, apud Sapientem nil aliud significet, quam probare, sive experiri. *Tentavit Deus Abraham*, videlicet; voluit, ut cunctis sæculis innotesceret ejus fides & virtus; non quia non haberet perfectissimam illius notitiam; *ipse enim sciebat, quid esset in homine*, sed ut toti mundo manifestaretur.

Gen. 22. v. 1.

Quare Deus permittat infestari famulos suos licet noverit quosdam succubituros tentationibus.

Verum est, Deum posse opponere hosti infernali eumque impedire, ne aggrediatur, infestetque; famulos & sequaces suos, cum nonnumquam quorumdam sequatur lapsus; attamen, ut bene notat D. Augustinus *melius judicavit Deus de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*; Permisit David cadere in adulterium,

S. Aug. Enchir. c. 27.

adulterium, homicidium & scandalum publicum; licet potuisset & novisset cum præservare, quia ex casu isto magnum incendebat elicere bonum, puta, pœnitentiam, quam egit, qua & omnes instruxit pœnitentes. Audiamus S. Ambrosium in Apologia 12 cap. 2. quæ legitur inter lectiones Matutini pro Dom. 6. post Pentecost. *Sancti autem Domini*; ait, *qui summare piam certamen gestiunt & curreie cursum salutis, sicuti forte ut homines corruerint, naturæ potius fragilitate, quam peccandi libidine, actiones ad curendum refurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Procidit equus ille, & priusquam sustolleretur, peregrinus quidam à longe locutus progredi visus est, at erubescens propter hunc casum celeberrime accurrit, & citius adest, quam si equus non cecidisset: *Ut nullam attulisse æstimetur lapsus impedimentum*; Nihil Davidi præjudicavit lapsus ille, imo pœnitentiæ suæ suffragio plus profecit in sanctitate, quam si manifister in sua innocentia; siquidem idem S. Ambrosius ait: *Plus acquisivimus, qui plus perdidimus, quia beatiores facit tua gratia, quam nostra innocentia.* Non recusavit Deus huic magno servo suo tribuere illud eximiæ laudis encomium: *Invem virum secundim cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

S. Ambr. in Apolog. 1. David c. 2.

Act. Apost. 13. v. 22.

2. Aliam, quæ & nostro videtur accommoda proposito, doctrinam adhuc subministrat D. Augustinus asserens: *Neque enim omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus; ut bene faceret etiam de malo.* Odium veteris hostis contra fideles, ut & tentationes à Deo permissæ, quibus illos impetit, eorum spirans ruinam & perditionem, offendicula sunt & lapsuum irritamenta; at omnipotentia & sapientia Dei illas plerumque & ad majorem suam ordinat gloriam, & in nostrum convertit beneficium & commodum. Scripsit S. Paulus epistolam ad Philemonem, in qua efficaciter commendat huic Domino Onesimum, qui primo fuerat servus ejus, sed ab eo fugerat ut fur & latro, in quibus vitijs etiam aliquandiu vixit. Verum veniens deinde Romam, & Apostolum in vinculis constitutum reperiens, ejusdemque usus conversatione tandem conversus fuit adeo, ut Apostolus statuerit illum adhibere veluti Evangelij instrumentum ad alios reducendos ad statum salutis: *Tu autem illum, at mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelij.* Et vero adeo mutatus fuit Onesimus, ut Ephesi electus fuerit Episcopus post S. Timotheum, simulque calamo S. Ignatij martyris collaudatus, ac demum Romæ sub Trajano coronam martyrij promeruerit. Qui sacras legit historias, plurimos ab infernali inimico tentatos reperiet turpiter cecidisse, quorum casus Divina Misericordia convertit in majorem eorum perfectionem & virtutem, reducendo eos ad veram pœnitentiam ardentiorique accendendo amore in servitio Dei.

S. Aug. lib. 11. de Civit. Dei cap. 11. Tentationes lapsuum irritamenta, Deus plerumque ordinat ad suam gloriam, & nostrum commodum.

Apost. Epist. ad Philem. v. 12. & 13.

3. Rex David ex casu suo tantam deinceps didicit temperantiam, ut, cum in obsidione, qua cingebat Bethlehem, magna laboraret siti, ac milites regem suum, tantillæ aquæ ex cisterna ibidem existitente avidum intellexissent, ideoque contempto manifesto etiam vitæ periculo per medias hostium acies irrumpentes, aquam ex cisterna illa hausissent, haustam sitienti regi suo obtulissent, Rex generosiori animo earum hunc aquæ haustum recusaverit, ac bibere noluerit, sed Deo illum offerens in sacrificium dixerit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ecce emolumentum, quod ex lapsu suo percepit, prius bibit *sicut aquam iniquitatem:* Tanta cum facilitate bibit, ut ita loquar, sanguinem innocentem Uriæ, ut audiens mortem illius à se imperatam, joco dixerit: *Non te frangat ista res*; tanti fecit vitam fidelissimi illius militis, quanti æstimatur aqua in terram profusa. Verum postea ad enormem suum se reflectens lapsum, quia milites suos tanto cum vitæ periculo aquam ex cisterna hausisse advertit, ut simul se mortificaret, aquam illam tamquam sanguinem humanum in horrore habuit, noluit bibere, esto ardenti laboraret siti.

David ex suo casu magnam didicit temperantiam. 2. Reg. 23. 17. 2. Reg. 11. 25.

Quare Ecclesia nobis non solum manifestet bonorum virtutes.

4. Cautus ille pictor depicturus Regem monoculum, ne quis hunc defectum adverteret, hoc usus fuit artificio, nimirum, cum tali positione vultus depinxit eum, ut nonnisi illum spectantibus exhiberet oculum, cujus opera & lumine utebatur vivus, alterum vero deformem seu defectivum occultaret; Non utitur hac arte Spiritus Sanctus, neque cautelam hanc adhibet Ecclesia, veluti bene observat D. Gregorius, cum ita discurrit: *Non solum nobis eorum virtutes asseruit* (videlicet Sanctorum) *sed etiam casus innotescit, ut & in victoria fortium; quid imitando carpere, & rursum videamus in lapsibus, quid debeamus timere.* Quam magnum bonum Deus excerpit ex casu & incredulitate S. Thomæ? *Quam bona ignorantia quæ eruscitat ignaros* (dicit S. Augustinus) *quæ instruxit incredulos?* Quam bona infidelitas, quæ fidelorum fidei militavit? Permisit similiter S. Augustini lapsum in hæresin Manichæorum, ut postea factus Catholicus, eorum errores majori cum evidentia detegere & convincere posset. Duo Apostolus Paulus & Barnabas contenderunt propter Marcum discipulum suum. *Barnabas volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus, Paulus autem rogabat eum* (*ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non wisset cum eis in opus*) *non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem.* Permisit igitur Deus, ut etiam inter hos duos Apostolos orirentur dissensiones & contentiones; at sine læsione charitatis. Audiamus B. Petrum Damianum. *Nonnulli plane cum per impatientiæ fomitem à fratrum charitate resiliant, hoc quod Paulus & Barnabas propter Marcum discipulum ab invicem discesserunt, in defensionis suæ testimonium vertunt, quod utique constat non discordia vitio, sed divinæ dispensationis factum esse judicio, ut nimirum sanctis Apostolis tamquam gratia tritici eo spargendæ fidei uberiorem messem redderent, quo procul eos ab invicem dissensiones aura perflaret.*

Sed etiam eorum lapsus. S. Greg. lib. Vit. Patr. l. 5. libello 7. n. 16. S. Aug. ser. 54. in app. de diver. Act. Apost. 15. v. 37. S. Petr. Dam. lib. 2. epist. 8. 11.

5. Quod ex bono eliciatur malum, diaboli opus est, qui ad inhonestas illas distractiones, quando assultatur sacrum Missæ sacrificium, instigat, & collaborat, ut eleemosyna ab initio ex motivo charitatis exhibita, ordinetur postea ad incontinentiam; & sic de alijs discurrendum; verum quis alius præter Deum ex malis bonum elicere potest? *Judicavit de malis bona facere.* Unde ait citatus Petrus Damianus: *Ecclesia Catholica per totum orbem valde lateque diffusa omnibus errantibus utitur ad profectus suos; gentibus, scilicet ad operationis suæ materiam; hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.*

Diabolus elicit ex bono malum: Deus vero ex malo bonum. Idem l. c.

Laude & præmio digni sunt qui dæmonis assultibus animose resistunt.

6. *Ex invent illos dignos se.* Digni sunt omni laude & præmio, quotcumque tyranni infernalis resistunt assultibus, præsertim vero si consideretur nil aliud nos esse nisi terram & lutum: *Tu scis figmentum nostrum*; præterquam etiam Dei gloria accrescit; quæ tentatis pro obtinenda victoria vires subministrat & fortitudinem. In vitis Patrum inter alia documenta hoc quoque speciale legimus: *Si ferrum es per adhibitum tibi ignem amittes æruginem; quod si justus es, & hæc pateris, de magno ad majorem promoveris. Aurum es, sed per ignem probatior eris; datus enim est tibi Angelus Sathanæ stimulus carnis tuæ. Exulta videns cui similis factus es. Pauli enim simile donum meruisti accipere.* Quamvis modo tempus non adsit subeundi martyrium nisi in Indijs, & in fornaces non projiciantur nisi in confessione fidei constantissimi, nihilominus *tamquam aurum in fornace probat electos Dominus*, & apparere ac splendescere facit aurum amoris sui in igne tentationis. Legi hanc similitudinem, quæ propositum nostrum multum illustrat; Si quis duobus famulis v. g. mille commendaret oves cum hac conditione & protestatione, quod minutissimam de eis cuperet sibi reddi rationem; uni vero horum famulorum mandaret, ut oves sibi commissas duceret ad sylvas repletas ursis, lupis, alijsq; rapacibus feris & bestijs; Alteri imponeret & assignaret pascua in loco secuto & vere exempto ab omni periculo deprædationis, quis non assereret primum famulum majus apud Dominum suum reportasse meritum, audacioremque altero ostendisse animum tunc vel maxime, quando oves suas defendit, protexit, & à ferarum faucibus prorsus conservavit illæsas? Simile stratagema & heroicum facinus de David dumtaxat referunt sacræ literæ: *Pascebat servus tuas patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum.* David typus fuit Christi Domini, fuit hic pastor adeo generosus, ut ex faucibus luporum infernalium infinitas eruerit animas, de quibus exactissimam æterno suo Patri reddidit rationem: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, tamquam oves electas eas prædestinavit ad

Pulchra similitudo. Vit. Patr. l. 5. libello 7. n. 16. Joan. 18. 9.

Matt. 10. 16. ovile Christi: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, ait Apostolis suis. Non quidem se temerarie tentationibus exposuerunt; sed à divina providentia non errante ad hoc ordinati fuerunt, ut cunctis sæculis heroica eorum virtus & fortitudo in majorem fidei roborationem pateret & innotesceret.

Tentare, est probare. *S. Thom. opusc. de orat. Dom.* *D. Chrys. in Ps. 196.*

7. Doctor Angelicus opusculo de Oratione Dominica docet: *Tentare nihil est aliud, quam experiri & probare; tentare hominem est probare virtutem ejus.* D. Chrysostomus explanando psalmi versiculum istum: *Ascendant usque ad cælos, & descendant usque ad abyssos*, subdit: *Tentationes intelligit, quas spiritus procellæ, hoc est adversarius spiritus Dei permissu ad exercendos & declarandos viros justos excitat. Hoc autem Dominus ipse indicavit, cum diabolo tentandi Job potestatem fecit, his ad Job verbis utens: An putas me aliam ob causam tibi oraculum edidisse, quàm ut justus appareas? Nam quod auro ignis est, hoc animis tentationes sunt eos, nimirum, liquefacientes, non ut intereant, sed ut, quo splendore sint, perspicuum fiat.* Sic lib. 1. de providentia Dei de S. Paulo scribit: *B. Paulus qui tanto munere gratiæ cælestis effulsit, tantumque naturam excellit humanam, boni tamen hujus utilitate indigebat, quo circa etiam dicebat: datus est mihi stimulus, &c.* *Idem lib. 1. de provid.*

Diabolus viros perfectos plus aliis tentando, molestus est illis. *B. L. Just. ib.*

8. Experientia compertum est, verum esse quovis tempore id, quod legitur in B. Laurentio Justiniano de disciplina & perfect. monasticæ Convers. cap. 12. *Viros perfectos ad spiritualia assuetos certamina callide semper observat*, loquitur de tentatore, quia sancti & justi ipsi videntur esse instar clavi in cor adacti, etenim ex ejus tentationibus, quibus illos perdere satagit, opulentum cœli norunt elicere lucrum. Quamobrem S. Antoninus nos exhortatur: *Perfecti & experti debent appetere tentari, tum propter sapientiam, tum propter coronam, tum propter victoriam. In tentatione relucet virtus.* Quando B. Laurentius Justinianus in laudem eorum, qui tentantur, agit de patientia, scribit: *Nulla sunt sine tentationum exprimentis opera virtutum, nullum sine hoste certamen, nulla sine aggressione victoria.* Sequitur deinde in eodem capite: *Quoties eis resistimus* (diabolicis, nempe, tentationibus) *toties superamus, Angelos glorificamus, Deum honoramus, qui mandat, ut pugnemus; adjuvat, ut vincamus; consolidat, ne deficiamus.* Paulo post indicat nobis Servos Dei amare hanc dimicandi occasionem: *Sancti viri cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se in tentationibus exultant, quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam facilius agnoscunt.*

S. Anton. p. 1. t. 6. c. 13. §. 5. *B. Laur. Just. lig. vit. de pat. c. 4.*

Tentatio est stimulus nos impellens ad virtutem. *2. Cor. 12. 7.*

9. Annon observastis, quo nomine Doctor gentium in cœlo & in schola Christi instructus descripserit tentationem? eam stimulum esse asserit: *Stimulus carnis colaphizat me.* Stimulus est instrumentum, quo utuntur bubulci ad pungendos boves, ut celerius incedant & progrediantur sulcantes & parantes agros pro excipiendo semine. Ad eumdem plane modum tentatio servit electis ad eos stimulandos excitandosque magis ad virtutem, utque sint fertiliores & feraciores bonorum operum. Meretur sane reflexionem, quod legitur in S. Thoma de Villa Nova conc. 2. in Dom. 1. Quadragesimæ: *Honorat*, inquit, *te Deus ô piger, cum te istis tentationibus pulsat; si enim non agnosceret in te virtutem, non immitteret tentationem. Nescis quia diabolus compensato nobiscum agone luctatur? Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum, noli diffidere, nam qui probat, ipse juvabit.*

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadra.

Magna est utilitas tentationum. *S. Prosp. lib. 1. de Voc. Gent. c. 8.*

10. S. Prosper cum hanc pertractat materiam ostendit nobis utilitatem, quam ex tentationibus percipere possumus, dicens: *Ad magnam utilitatem fidelium materia est certaminis, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Nemo tam perfectus & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes & plane eis carere non possumus. Sunt tamen tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint & graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit, quid simus.* Cardinalis Tolet. interpretatur orationem quotidianam hoc modo: *Ne nos inducas in tentationem Non petimus ne tentemur, sed ne tentationi succumbamus; tentatione enim probamur, exercemur, certamus, proficimus ac perficimur.* Consideratione quoque dignum, quod legimus in B. Laurentio Justiniano: *Procul dubio*, ait, *tentatio via est, quæ non solum hominem perficit, verum etiam divinæ providentiæ thesauros patefacit. Ignis, quo plus agitatur, plus serpit; quis sufficienter narrabit ad quantum perfectionis culmen sanctum Job evexerit tentatio.*

Card. Tol. ib. *B. L. Just. de casto connubio cap. 5.*

DISCURSUS XII.
ARGUMENTUM.

De debilitate & infirmitate dæmonis, quando non secundatur à voluntate & consensu nostro.

THEMA.

Vade Satana, ... tunc reliquit eum diabolus. Matth. 4. vers. 10.

Diabolus in suis tentationibus debilis est, si ipsi desit noster consensus.

1. POstea quam Lucifer totum à vinculis & catenis solverat infernum, ut vires suas probaret & tentaret contra Dei Filium; postquam hic etiam dæmonis assultus pro instructione & consolatione fidelium suorum sustinuerat, docuit & ostendit Salvator noster, quanta cum facilitate tentator superari & repelli possit; etenim absque eo quod Angelicæ è cœlo descenderent legiones, absque eo etiam quod ex armamentario cœli dejicerentur fulmina, unico solo verbo illum repulit, & in abyssum inferni relegavit; *Vade Satana, & reliquit eum diabolus.* Basilius M. hoc agitat dubium: *Numquid alicujus sancti propositum impedire Satanas possit, quoniam scriptum est*, 1. Thess. 2. *Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum: Sed impedivit nos Satanas.* Sanctus vir solvit hanc difficultatem cum distinctione asserens, *Eorum quæ in Domino sunt recte factorum, alia sola voluntate ac deliberatione animi efficiuntur; alia ad hoc ut efficiantur, indigent etiam opera corporis, adhibendis videlicet vel studio, vel tolerantia. Ac quæcumque quidem sunt ejus generis, quæ in sola animi voluntate posita sunt, hæc nullo modo impedire Satanas potest. Quæ vero ejusmodi ad quæ consequenda necessaria est etiam opera corporis, in his plerumque etiam Dei nasci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi causa illius, qui impediatur, ut vel si à recto proposito destiterit, convictus qualis sit detegatur; ut hi qui supra petram fuerant seminati, qui ad modicum tempus susceperant quidem verbum cum gaudio, exorta autem tribulatione statim recesserunt. Vel si in recto perseveraverit, clarius appareat studium ipsius in recte factis, ut ipsius Apostoli, qui cum sæpe Romam petere decrevisset, & prohibitus esset, ut ipse fassus est, tamen eatenus in ea voluntate permanere non destitit, quoad etiam effecit, quod statuerat.*

Quæritur an Dæmon alicujus sancti propositum possit impedire. *1. Thess. 2. 18.* *S. Basil. in reg. brev. interrog. 275.*

2. In vita S. Pachomii legimus, qua ratione ipsimet dæmones propriam confessi fuerint impotentiam; etenim sanctus ille diabolicam bestiam hisce interrogabat verbis: *Si, ut dicis, magnos viros tentare non desinis, propriumque opus tuum animarum perditionem esse professa es, utpote, quæ cunctos excellis in malitia dæmones, dic quomodo nunc adversus Dei famulos non potes prævalere? At ille, jam tibi, inquit, ante prædixi, ex quo mirabilis incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus, ita ut ab his qui credunt in nomine ejus; illudamur ut passeres.* Scire opta rem, quæ & qualia sint arma, quibus, postquam à Christo Domino sunt devicti & expugnari: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*; adversus nos armentur & roborentur? annon sunt suggestiones, cogitationes, & imaginationes inordinatæ & impuræ, quas nobis insinuat? *Numquam quiescimus* (ita fatebantur ipsimet Pachomio) *adversari generi vestro serentes malas cogitationes in animabus eorum, qui contra nos decertare contendunt & si nobis titillantibus annuere eos ex parte aliquid senserimus, tunc amplius nequissimas cogitationes immittimus, & diversarum voluptatum incendia ministramus, & ita præliantes acerrime subintramus eos, nostræque plenius potestati subjicimus. Si vero viderimus ea quæ suggeruntur à nobis, eos à contrario non solum non suscipere, verum nec libenter attendere, fideque quæ in Christo est, vigilanter & sobrie se munire, sicut fumus dissipatur in aëre, sic ab eorum cordibus pellimur & fugamur.* Observastisne verba illa: *Si nobis annuere eos ex parte aliqua senserimus?* Ergo se declarant, quod ex parte sua nihil possint sine nostra acceptatione & consensu.

In vit. PP. lib. 1. Ipsimet dæmones confessi fuerunt suam impotentiam. *Joan. 12. 31.*

Totus infernus liberum arbitrium divinæ gratiæ junctum cogere non potest.

3. Quæstio agitatur, velut jam tetigimus in prioribus discursibus, cur Deus qui valde diligit hominem, cum poterat iniqua astuti serpentis machinamenta impedire, non se iis opposuerit conservando protoparentes nostros in statu fœlicitatis, sed permiserit serpentem

pentem evomere venenum suum in eorum & nostrum simul damnum? Responsio est in promptu: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illũ in manu consilii sui*; dotavit hominem libero arbitrio, quo mediante posset mereri & demereri, ita ut si fortiter restiterit, gradum majorem gloriæ lucraretur. Hæc igitur libertas arbitrii juncta cum divina gratia tanti vigoris est, ut nec totus infernus minimum ei possit inferre damnum, si ipsa non velit, vel non consentiat: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quis umquam crederet, quod homo apprehenderet pejus, ac sponte, propriæque voluntatis ductu seipsum præcipitaret in barathrum sempiternæ perditionis: *Deus apposuit tibi aquam & ignem* & homo præceps currit ad tale incendium, ubi æternum ardeat? *Malè ponderas* (ait S. Basilius) *mala bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporaria æternis præponens, prætereuntem voluptatem pro indesinente lætitia eligens.*

Eccli. 15. 14. *Ibid. v. 18.* *Ibid. v. 17.* *S. Basil. homil. 3. in Ps. 61.*

Probamur ut vasa figuli in fornace tentationum.

4. Figulus varia conficit efformatque vasa ex luto, cuncta eadem constant materia, at non forma eadem; si nonnulla in fornace crepent & diffrangantur, sane artifici non est imputanda culpa; in igne tentationis plurimi probantur, si nonnulli cedant tentationi, & permittant se superari à dæmone, pravæ eorum voluntati adscribendum est, quia viriliter noluerunt resistere, cum tamen potuerunt divino muniti auxilio: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio.* Audite discursum, quem instituit Didacus Stella in cap. 4. Lucæ, duce & directore D. Chrysostomo, qui probat Deum non permittere tentationem ex defectu amoris, sed potius in nostram utilitatem & commodum, ita discurrit cit. Author: *Si dæmon coactos nos vinceret, utique merito de Deo nos conqueri deberemus, quando dæmoni potestatem dederat, ut nos vinceret. At vincit nos spontaneos, & non invitos, nam si nos non consentiremus, fragiles sunt ejus vires.* Probat deinde minime nos dignos esse excusatione, quando peccamus: *Cum diabolus neminem cogat, non est sufficiens excusatio dicere, dæmon me peccare fecit, quod dictum apertissimum mendacium est, nam bene posses teipsum à peccato abstinere, nisi tua voluntate consensum illi dedisses.* Adducit præterea quamdam similitudinem valde appositam, & intellectu facilem: *Si velis clare videre, quomodo qui peccant, peccent ob defectum virtutis; non autem ob virium defectum audi, si adessent hic duo homines æqualibus viribus pollentes, alter vero magnum lapidem revolveret, alter vero non, qui lapidem non levavit, clarum est id fecisse cum nollet, siquidem æquales vires cum altero habebat. Omnes homines eadem natura constamus, & æquales vires habemus naturales; Deus autem paratus est nobis omnibus favere, si æqualiter sumus dispositi; cum autem multi probi ac sanctissimi viri nos præcesserint, argumentum est, quod nobiscum eadem fuerit natura; quod si mali sumus, non est quod aliter non possimus, sed quod non velimus.*

Eccli. 27. v. 6. *Did. Stella in Luc. 4.* Dæmon tentando non cogit nos, sed allicit, si non consentiamus nihil in nos potest. Pulchrum simile.

Dæmones comparantur muscis. *Luc. 11. 15.*

5. Alia hic agitatur quæstio, quo nomine, videlicet, seu titulo à malignis Pharisæis Lucifer appellatus fuerit? *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; ergo vocarunt eum Beelzebub, quod idem sonat, quod Deus musca. Verum est, quod rebelles & maligni hi spiritus sint inquieti & importuni, nosque muscarum instar mordeant; at tandem meræ muscæ sunt, quas à naso abigere possumus, non sunt tigrides, non leones. Locum hic habet Glossa ordinaria in cap. Judic. his nos exhortans verbis; *Non vos terreat ista malitia, quæ facile fideliter militantibus impletur; solent in his castris mulieres vincere, non corporis robore, sed fidei virtute.* Et paulo post: *In his ergo qui militant Deo, non corporis, sed animæ fortitudo, quæritur, quia non jaculis ferreis, sed orationum telis victoria acquiritur, & fides in certamine tolerantiam præbet.* Ad propositum refert Blosius, quod occurrit S. Catharinæ: *Sancta Virgo Catharina Dei permissione pluribus diebus acerrime divexata fuit carnalibus tentationibus, nam maligni spiritus eam non solum per obscœnarum cogitationum immissiones, & somniorum illusiones. Sed etiam per manifestas apparitiones sese oculis & auribus ejus ingerebant. Effingebant imagines virorum, & mulierum in conspectu ejus se mutuo turpissime amplexantium, illamque verbis, gestibus & actibus valde inhonestis provocantium ad libidinem atque luxuriam. Ad hunc modum honestissima Virgo cogebatur videre atque audire id quod maxime horrebat, et licet oculos clauderet, nihilominus durabant sparcissimæ & abominandæ illæ imagines. Inter hæc etiam spiritualibus consolationibus destituta erat, & solitum devotionis fervorem minime sentiebat.* Vultisne audire, quomodo gravissimam hanc tentationem, impetuosumque dæmonis assultum superaverit & rejecerit? *Attamen non omisit sua pia exercitia, sed diligentissime instabat orationibus; sicut poterat, ac seipsam sic alloquebatur: Tu vilissima peccatrix nullis consolationibus digna es. Quid enim? Nonne tibi fuerit satis, si non damneris, etiamsi toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certe non ideo elegisti servire Deo, ut hic consolationes à Deo accipias, sed ut in cælo illo fruaris in æternum. Surge igitur, & consueta exercitia prosequere, Dominoque tuo fidelis permane. Postea cum unus dæmon proterviter illi diceret: Non desistimus, sed ad mortem usque molesti tibi erimus, nisi nobis consentias; respondit illa: Ego afflictionem elegi pro refrigerio, nec difficile imo jucundum mihi erit, & has & alias pœnas pro honore Domini mei Jesu Christi sustinere, quandiu ei placuerit.* Utra adversantium harum partium plus valuit? an hæc virguncula sua patientia & conformitate cum divino beneplacito? aut obstinata illa totius inferni conjuratio in damnum & perditionem hujus virginis? *Ad quæ verba tota cohors malignorum spirituum confusa discessit, & lux ingens locum, in quo sancta virgo erat, illustravit.*

Gloss. ordin. in c. 7. Judic. *Blos. in conclavi animæ c. 4. n. 10.* Quo medio S. Catharina fœdissimas vicerit tentationes.

6. Refert Bollandus in vita S. Potiti, quod, postquam dæmon huic Sancto in forma & specie Christi Domini apparuisset, hic vero astum & fraudem dæmonis advertisset, genuflexus dederit se orationi, *factus est adversarius ille statura procerus, & mugiens dedit vocem adversus tyrannculum Christi, contra quem ipse signo crucis munitus, desine, inquit, maligne spiritus tentare milites Christi, quia non terrere valebis, quem ipse jam signo crucis suæ passionis redemit. Ad hanc jussionem statim quasi fumus evanuit. Vox inimici articulata audiebatur proclamans: O quæ infantia me exuperat? Væ mihi, ubi sagittas meas faciam? Ubi quiescam? Si provectioris ætatis hominem adiero, non multo facilius vincor, quam ab hoc puero victus sum. Nisi forte ingredi potuissem in Antonini Imperatoris filiam, quam unicam habet, & in eam prævalens aliquo modo victor extitissem.* Idem Bollandus vitam referens S. Antonii Magni, multa ejusdem ex S. Athanasio excepta documenta huic materiæ conformia recenset, & inter alia hæc: *Quid tam charum tibi esse potest* (ita Sanctus loquebatur dæmoni) *quam lædere maxime eos, qui tuis sceleribus viriliter repugnant, secundum quod scriptum est, quia abominatio est pietas peccatori? Qui tam fœcundum ad malitiam possides pectus? Quis tam meditatas complere conatur insidias? Scimus te impurissimum cadaver, scimus quia idcirco vivimus Christiani, & contra te nobis est secura congressio, quia infirmatus es à Domino.* Cum inimicis visibilibus non habemus hanc prærogativam, ut simus certi de victoria, quia præliator & coronas & triumphos reportaret sine fine. Interim S. Antonius impotentiam & debilitatem hujus tyranni declarabat hoc argumento: *Numquid vetus ille Angelus contra Assyrios missus à Domino, aut populorum egait societate, aut sonitus quæsivit, aut plausus, & non potius tacitam exercens potestatem, centum octoginta quinque millia hostium, sermone velocius, juxta jubentis Domini prostravit imperium? Vos ergo cum fragiles sitis viribus, perpetuus vos consequitur interitus.* Sancti Job historia confirmat, quam penè nihil possit & valeat totus infernus, eo quod cunctis & junctis suis viribus eum neque in peccatum veniale inducere potuerint: *In omnibus his non peccavit Job; Qui hoc opponit, audiat è diverso, non diabolum hoc potuisse, sed Dominum, à quo potestas adversum nos dupliciter datur; vel ad gloriam si probamur; vel ad pœnam si delinquimus. Quin potius animadvertat, ne contra quidem unum quidquam diabolum potuisse, si non potestatem accepisset à Domino; nullus enim quod suæ ditionis est, ab alio deprecatur; Sed quid Job memoro, quem nec expetitum potuit vincere? Sed nec & contra jumenta quidem ejus, nec contra suos in Evangelio, sine concessu Dei proprium robur exercuit, sicut scriptum est: Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Quemadmodum igitur qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei, hominem & tam charum Conditori suo valebunt jure pervertere.*

Bolland. 13. Jan. fol. 759. Debilitas dæmonis insigni exemplo probatur. *Idem Bolland. 17. Jan. fol. 127.* Diabolus nihil potest sine permissione Dei.

Probatur iterum diaboli debilitas.

7. Lactantii Firmiani de opificio Dei, vel de formatione hominis cap. 20. doctrina est: *Vexat, interficit, & tamen ut prosternit multos, sic à multis victus pro-*

Lact. Firm. de format. hom. cap. 20.

stratusque discedit. Magna est enim vis hominis, magna ratio, magnum Sacramentum, à quo si quis non defecerit, nec fidem suam devotionemque prodiderit, hic beatus hic denique (ut breviter finiam) similis Deo sit, necesse est. In catechismo exemplorum legitur, nocte quadam eremitæ Abrahamo visibilem se exhibuisse Satanam, qui manu tenens securim cellam ejus dissolvere ac diruere nitebatur, ad quem actum alios pariter spiritus invitabat, inclamans eis: *Festinate celeriter ô amici mei festinate, & introeuntes cito eum suffocate.* At quorsum hæc ostentatio, quem sortita est terminum ista fastuosa jactantia? *Beatus autem vir Dei contra ad illum: Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus sum in vos. Hac voce audita evanuit.*

Flor. exempl. tit. 27. exempl. 3.

Unico nolo, sive non, vincitur diabolus.

B. Laur. Just. de casto connubio cap. 7.

8. B. Laurentius Justinianus agens de hac materia, ne tentati conqueramur, hisce nos exhortatur verbis: *Nullus, quia tentatur conqueratur; nulli nisi ignavo, & tepido, & resistere nolenti tentatio nocet. Fervens & pugnans militat ad salutem. Quosdam supra communem modum, & ultra humanas vires Dei sapientia tentari permittit, ut illos continua & acerrima pugna præ cæteris gloriosiores faciat, neque ad momentum permittuntur quiescere, ut devicto triumphatoque hoste jucundius in perpetuas gaudeant æternitates.* Idem Sanctus de disciplina & perfectione monasticæ conversationis, comparando hominem inermem terræq; vermem cum potestate infernali, adeo tamen inquit, dæmon debilis est, ut à verme & luto terræ vincatur: *Nunc in suæ opprobrium elationis à fragili superatur homunculo.* Hic homunculus, hic pygmæus, ut prosternat gigantem illum, alijs non indiget armis, nisi uno nolo, quamdiu enim uni non, sive negationi insistet, numquam superari poterit.

Idem de disc. & perf. mon. Con. cap. 12.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Deus non permittit dæmonem prævalere & superiorem esse nostris viribus communicando nobis auxilia, quibus illi resistere valeamus.

THEMA.

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. 1. Cor. 10. v. 13.

Diabolus non permittitur pro libitu suo exercere contra nos rabiem suam.

Job. 41. 24.

Hug. Card. ib.

Ps. 90. 15.

Corn. à Lap. ibid.

1. QUod si hostis infernalis adversum nos posset explere rabiem suam, certum est, quod *non esset super terram potestas, quæ comparetur ei*; ait Propheta Job, & nos pluribus discursibus tomo primo id ostendimus; At Deus, qui est fidelis amicus noster, hunc trifaucem cerberum vinculis alligavit & vinxit catenis, ut non possit, uti vellet, nos mordere & dilacerare. *Posset quis dicere* (ait Hugo Cardinalis) *non possumus, quin nos apprehendat alia tentatio quam humana, imo dicit poteris, quia fidelis Deus est in promissione, quam promisit per Psalmistam Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, &c.* Cornelius à Lapide horum verborum sensum mirum in modum declarat: *Sequitur*, inquiens, *in Christiani cujusque potestate esse habere auxilium sufficiens ad vincendas omnes tentationes & peccata; Deus enim ad hoc, quasi fidelis, ijs fidem suam obligat, ut docet hic Apostolus, quasi dicat: Tentatio vos non apprehendat ex parte & negligentia vestra, nisi humana, nam ex parte Dei spondeo, quod Deus qui fidelis est, sicut promisit, sic & præstabit, ut non patiatur vos tentari supra id, quod potestis.*

Diabolus nihil potest ultra permissionem Dei.

Job. 38. v. 10. & 11.

Prov. 16. 2.

Job. 41. 24.

2. Job 38. legitur, & intelligitur de mari: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, hic confringes tumentes fluctus tuos.* Idem frænum Deum imposuisse huic monstro infernali asserere possumus: *Usque huc venies*; Deus etenim cujuslibet hominis ponderat vires (*spirituum ponderator est*) nec permittit, ut illas excedat. Quando dixit Job: *Factus est, ut nullum timeret*; sine dubio intelligitur, Deo excepto.

S. Ant. de Pad. ser. 2. in Dom. 3. Quadr.

Ingeniosa comparatio

Ingeniosa est, nec non conformis proposito nostro reflexio illa, quam facit S. Antonius Paduanus de Goliath, qui fuit typus & figura Satanæ: *Hastile ejus hastæ erat quasi liciatorium texentium. Liciatorij adjutorio fit tela* [ait Sanctus ille] *Hæc est*, inquit, *tentatio, cujus adminiculo diabolus telam texit iniquitatis. Diabolus enim texit telam sicut aranea, de qua libro naturalium sic scribitur: Aranea prius fila extendit texturæ, & ponit ipsa in terminis, deinde texit in medio, inter istas extremitates, etiam imponit texturam sufficientem, & præparat locum convenientem venationi, & ipsa venit ad medium, quasi speculator alicujus bestiolæ. Etsi aliqua bestiola, vel aliquid tale, ut musca, ceciderit, subito movetur aranea, & de loco suo exit, & incipit ligare, & involvere illam texturæ, quousque perveniat, quod captum est, ad debilitatem. Deinde fert ipsam ad locum, in quo deponit, quod deprehendit, & cum patitur sitim, sugit ejus sanguinem, vel humiditatem, & vita ejus non est nisi in illa humiditate. Sic diabolus cum hominem vult capere, prius extendit quædam fila subtilium cogitationum, & ipsa ponit in terminis, id est, in sensibus corporis, per quos subtiliter potest cognoscere, cui vitio sit magis applicabilis. Deinde texit in medio, id est, in corde; & ibi ponit texturam sufficientem, id est, tentationem majorem; & in ipso præparat sibi locum tentationi convenientem. Et tunc ipsa venit ad medium quasi speculator alicujus bestiolæ; diabolus in toto corpore hominis nullum membrum ita conveniens ad venandum, ad speculandum, ad decipiendum invenit, sicut cor hominis, quoniam ex ipso vita procedit. Et si aliquam muscam, id est, si aliquem carnalem (qui vere musca dicendus est) viderit cadere in texturam suæ suggestionis per cordis consensum, statim incipit eum ligare tentationibus diversis, & involvere tenebris, quoadusque perveniat ad debilitatem, id est effæminationem mentis, & sic fert ipsam muscam, id est peccatorem ad locum, in quo deponit, quos deprehendit. Locus proprius diaboli est perpetratio malæ operationis, in quo deponit, quod textura suggestionis deprehendit, & ita sugit humiditatem, id est, compunctionem animæ, quam dum anima habet, diabolus ei nocere non potest; Bene ergo dicitur, hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium. Ecce habes, quibus armis armatur diabolus.* Ex toto hoc discursu, quem vir sanctus tanto illustratus lumine instituit, clare deducitur, quod Deus rabiosum hunc cerberum continet in fræno, & quamvis *non sit super terram potestas, quæ comparetur ei*; nihilominus Deus noster *non patitur nos tentari supra id quod possumus.* Similis est giganti Goliath, at eum inermis & juvenilis pastor prosternit una funda; hastam gestat terribilem, ad instrumenti instar ea est, quo texitur tela; sed quæ tela ista? quænam illius fila sunt? Araneæ. Quis irretitur, & capiatur hisce retibus? musca. Summa, non Draco, non tygris, sed veluti aranea est, adeo facilis ejus interitus.

tentationum diaboli, cum textura aranearum.

Job. 41. v. 24.

S. Ephrem de patient.

Deus sciens figmentum nostrum non patitur nos tentari supra vires nostras.

Ps. 72. v. 23.

Eccli. 27. v. 6.

3. S Eprhem tractatu de patientia rem hanc declarat bina similitudine, una deducta à jumentis, altera à vasis, quæ imponuntur fornaci; Primo itaque Dominus jumentorum non imponit illis, puta, asinis, gravius onus sive ponderosiorem sarcinam, quam ferre possint; multo minus Deus, qui *scit figmentum nostrum*; permittet nos tentari supra vires nostras: *Onus meum leve*, ait Christus; *ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Secundo figulus, quæ sunt suæ artis & industriæ, exequitur, unde vasa ex luto composita & jam formata imponit fornaci, ut coquantur igne, sed temperato; & quidem eousque committit illa fornaci, quousque bene excoquantur, ita tamen & tamdiu, ut non comburantur: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio*; sic quia supernus artifex fragili nos donavit natura, optime novit, quantum sufferre, & quamdiu tentationem sustinere possimus, *non patietur nos tentari supra id quod possumus*, ne vas ardore superflui ignis crepet. Si lutum hoc non imponeretur fornaci, maneret lutum, pedibusque semper conculcaretur, at quia redactum est ad formam vasis, ideo locum habet in mensis, nonnumquam regalibus. Si Deus pariter non permitteret tentationem, *qui non est tentatus, quid scit?* Quis beatitudinem sperare poterit? *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Audiamus S. Augustinum: *Non dixit*, inquit, *non tentemini. Qui enim non tentatur, non probatur; sed qui non probatur, non proficit. Quid ergo optavit? Fidelis Deus qui non vos sinit tentari supra quam potestis.* Alludit D. Chrysost. ad metaphoram vasis: *In de manu artificis noli cadere, nihil tentationis accidet ultra vires tuas; hoc permittit ad utilitatem tuam, unde tu possis proficere.* Magna est consolatio, quam nobis exhibet S. Augustinus scribens in Psalm. 61. *Noli*, ait, *timere permissum aliquid facere tentatorem, habes enim misericordissimum Salvatorem; tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut, qui te nesciebas à teipso inveniaris.*

Jacob. 1. v. 12.

S. Aug. in Ps. 69.

D. Chrys. in Ps. 94.

S. August. in Ps. 61.

4. Dubium

Quare Deus filios Israel recta via non duxerit ex Ægypto in terram promissionis.

4. Dubium occurrit, quod hoc loco postulat discussionem; cur, nimirum, Deus, qui summopere electum suum diligebat populum, promissionem suam ante plurima sæcula Abrahamo factam circa terram promissionis adimpleturus, & hunc in effectum populum istum ex Ægypto educturus, non illum subito & recta via, sed duce Angelo in columna nubis, idque per desertum, ubi tam longo ac diuturno tempore morari coactus fuit, direxerit in terram Chanaan? Audire hanc difficultatem solutam à Thoma de Villa Nova: *Grandis Deo cura est de militibus suis, atque ideo tyronibus & novitijs militiam temperat, ne succumbant: Nam si, cum viam perfectionis ingrediuntur, grave aliquid eis à fronte occurreret, statim verterentur in fugam; unde filijs Israël in ipso egressu de Ægypto, non statim Chananæorum, Amorrhæorum & Jebusæorum certamina opposuit, sed prius pavit eos in deserto manna, & circumduxit, & legem dedit, & in columna nubis præcessit, ac veluti pullos sub alis suis protexit & fovit. Ita nunc, qui Dei suavitatem gustavit, qui manna suavissimo spiritu pastus est, qui mel de petra, oleumque de saxo durissimo suxit, si postmodum tentationibus probatur, non facile cadit, quia eum suavitas explorata validissime solidavit.* Experientia in omnibus sæculis, veluti tum ex sacris literis, tum ex alijs historijs deducitur, compertum est, quod Deus durum tentationis panem illis solum ad manducandum porrexerit, qui dentes habebant robustos & firmos, nempe servis suis longo tempore jam exercitatis in virtute, ejusdemque perfectionem in orationibus ferventibus, & in vita spirituali insignem habentibus praxin & experientiam.

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

1. Cor. 10. 13.

D. Chrys. H. 4. ad pop.

Tentationibus purgamur sicut aurum in igne.

5. Ingeniosam pariter comparationem adhibet S. Chrysostomus, at paulo differentem ab ea, quæ supra adducta est de figulo: Aurifaber, ait, non recipit aurum ex igne, donec per illum sufficienter fuerit purgatum; & eumdem Deus servat stylum cum animabus electis, deserit illas in incendio tentationum, donec eum, quem intendit, hauserint profectum spiritualem post verba illa à D. Paulo proposita: *Facit cum tentatione proventum*, sequitur: *Qui enim tentationem permisit, ipse novit, & tentationis solvendæ tempus.* Tot tantisque annis populus Hebræus in Ægypto jam usurpaverat paleas, ligones; nullos vero enses aut arma alia ad dimicandum apta, cum ibidem essent mancipia, ac propterea quia armata manu Palæstinam invadere & occupare debebant, noluit Deus illos tamquam inexpertos & minus exercitatos mittere ad populos & gentes illas bellicosas; sed ut prius in itinere concertarent cum nonnullis alijs gentibus, & sic paulatim artem addiscerent militarem. Philisthæi erant bellicosi, uti colligitur ex varijs bellis, quæ gesserunt tempore Judicum, Saulis, Davidis & aliorum; noluit, inquam, ut subito ex mancipatu & servitute educti cum hisce congrederentur & pugnarent: *Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthym, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum, Sed circumduxit per viam deserti, quæ est circa mare rubrum.* Omnia in figura contingebant illis, & per hoc voluit nobis Deus ostendere, quod nostras respiciat vires, easque bene ponderet, si sunt habiles & sufficientes ad sustinendum tentationis impetum.

Exod. 13. 17.

Deus in tentationibus considerat vires nostras.

Ibid. v. 18.

S. Bern. ser. 67. de modo bene vivendi.

Deus coercet malam voluntatem satanæ nos tentantis.

6. Audiamus doctrinam S. Bernardi serm. 67. de modo bene vivendi: *Numquam servi Dei tentationes diaboli sustinere potuissent, si nequitias eorum pietas Dei non temperaret, non refrænaret.* Ostendit deinde quale sit frænum illud, quod omnipotentia Dei voracibus eorum faucibus imponit: *Omnis voluntas diaboli semper est injusta, sed tamen permittente Deo justa est potestas ejus. Diabolus ex semetipso injuste quærit tentare servos Dei, sed eos, qui tentandi sunt, tentare non poterit, nisi ei Deus licentiam dederit. Unde & in lib. Reg. de diabolo scriptum est, quia Spiritus Domini malus exagitabat Saul. Ubi juste quasi Spiritus Domini erat? Sed cur malus erat? Et si malus erat, cur Domini erat? Sed in hoc loco comprehensa est duobus verbis, & Dei potestas justa & diaboli voluntas injusta. Nam spiritus malus erat per malam voluntatem, & idem spiritus Domini erat per acceptam justissimam potestatem.*

1. Reg. 16. 14.

An dici posset Deum nos tentare, quando licentiam tentandi nos dat diabolo.

Jacob. 1. v. 13.

7. Sed dubium hic oritur, etenim si Deus ille est, qui dæmoni licentiam concedit ac potestatem tentandi nos, ergo videtur posse dici, quod Deus nos tentet, nam juxta tritam regulam: *Qui per alium facit, per seipsum facere videatur*; quomodo igitur ait S. Jacobus: *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat?* Respondetur, quod eo ipso, quo Deus ordinat & convertit tentationem in beneficium & emolumentum nostrum, *facit cum tentatione proventum*, & dum ponderat vires nostras: Ac necessaria subministrat auxilia, ut possimus tentationi resistere, verificatur, quod *intentator malorum est*, quia ordinat tentationem ad majus bonum nostrum, & præterquam *non patietur tentari nos supra, &c.* Probatur quoque verum esse, quod Deus refrænet Satanam petitione illa, quam docuit in oratione quotidiana, quæ à S. Chrysostomo his verbis exponitur: *Ne patiaris nos induci in tentationem, sed libera nos à malo. Quæ est ista tentatio, nisi illa de qua rogat Apostolus dicens: fidelis est Deus, qui non vos patietur tentari supra quam potestis ferre, sed faciet tentationem etiam cum exitu, ut possitis sustinere?*

1. Cor. 10. 13.

Jacob. 1. 13.

1. Cor. 10. 13.

D. Chrys. T. 5. Serm. de gratijs reddendis.

Quid intelligatur per tentationem humanam.

8. Sciendum, quod, priusquam Apostolus nos certiores redderet, nos non esse tentandos supra vires nostras, jam præmiserat: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Num forte datur aliqua tentatio, quæ non sit humana? Ita est, superbia non est tentatio humana, sed diabolica, cum sit dæmoni connaturalis; noluit tamen id inferre Apostolus, sed illud, quod est juxta communiorem expositionem: *Nisi humana*, videlicet, non excedat malitiam venialem; *humanum dico propter infirmitatem carnis nostræ*, quia licet omnes etiam leves transgressiones in genere evitare possimus, in individuo tamen impossibile est, quin aliquas incurramus, nisi adesset specialissimum Dei privilegium: Nulla peccati dilectio vos apprehendat (ait S. Thomas) nisi forte de malis sine quibus vita humana non ducitur, non enim est homo, qui semper faciat bonum, & non peccet; Et quamvis Deus nonnumquam permittat nos frequenter labi in negligentiam aut pigritiam aliquam, cum tentationibus resistimus, nihilominus quando videbit vehementem harum impetum, & quod propter fragilitatem nostram consensus alicujus subeamus periculum, tunc auxilio suo accurret, nobisque aderit: *Non patietur tentari supra, &c.* In quem finem omnibus indifferenter assignavit Angelum tutelarem, qui nos custodiat, & protegat, nisi ut vires maligni serpentis diminuat & enervet, ut *non patiatur nos tentari supra id quod possumus?* de auxilio, quod Angeli nobis in tentationibus subministrant, primo tomo, cum de Angelis, fusius egimus.

1. Cor. 10. 13.

Rom. 6. v. 19.

1. Cor. 10. 13.

Christus mare hujus mundi & tentationum dæmonis, prior calcavit, & nobis calcabile præbuit.

9. Nescio utrum observaveritis, quod nullus hominum, quantum nobis constat ex sacris literis, ante adventum Christi ambulaverit supra aquas; Mare rubrum apertum & in multas vias divisum fuit, ut populus Israëliticus siccis pedibus lectum illius transire potuerit; idem beneficium eidem populo transituro Jordanis fluvium præstitum fuit, quem nec Elisæus, esto insignium miraculorum patrator, calcare ausus fuit, sed aquas illas pallio Eliæ divisit. Primus igitur, qui liquidum hoc elementum pedibus calcavit, fuit Christus Dominus, & ad illius imitationem S. Petrus, ac post illos successive multi alij Sancti. Causam hujus differentiæ libenter intelligerem, possesne illam mihi assignare? *Hoc mare magnum*, hic mundus, præsens hæc vita est instar maris continuo tentationum fluxui & refluxui subjecti. Priusquam Christus hoc mare calcaret, quilibet sibi timebat, & merito; verum pientissimus Salvator noster cum nostro emolumento de Lucifero triumphavit, adeo quidem ut post ipsum cum dracone infernali concertaverint, in faciem ei restiterint, illum devicerint & illusum dimiserint etiam tenerrimæ Virgines; quod autem hisce audacem, impavidum & generosum addidit animum; hoc erat, quia inter dogmata nostra fidei Doctor gentium hoc quoque tradiderat: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: Mare ille calcabile se præbuit* (scribit S. Paschasius) *juxta debitum naturæ quasi Domino, & Petro secundum jubentis imperium ad modum serviens. In hoc Christus insinuat, quod ipse sit solus, qui omnes elationes præsentis sæculi & omnes fluctus sua virtute calcat & comprimit. Idem debuit in Petro monstrari, in uno ac singulari quidem in omnibus agit, qui suum requirunt auxilium, dum præsens vertitur sæculum, quia in hoc sæculo, tamquam in aliquo mari positi sumus, in quo utique quotidie spiritualium nequitiarum turbines sustineamus.*

1. Cor. 10. 13.

S. Paschas. l. 7. in Matth.

In tentationibus implorare debemus auxilium Dei.

S. Thom. ibi.

10. Quando S. Petrus vidit se impetitum à tempestate, timens periculum submersionis, Christi invocavit auxilium, & periculum evasit, in hoc facto, cunctos instruxit fideles documento illo Angelici Doctoris in expositione hujus textus: *Fidelis Deus, qui dat poten-*

tiam,

tiam, *nè vincamur gratiam, ut mereamur; constantiam, ut vincamus.* Sciendum tamen illud, quod subjungit Cornelius à Lapide: Intellige si ejus gratiam & opem, ut par est, imploretis, eique cooperemini. Citat quoque authoritatem S. Augustini lib. de nat. & gratia, cap. 43. & Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet* [quod exemplis demonstrat in tentationibus] *sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

Corn. à Lap. ibid.

11. Salmeron interpretatur hunc textum valde bene & conformiter proposito nostro, eademque occasione solvit aliquod dubium: *Tentatio*, inquit, *humana est, in qua non simit nos tentari supra vires ex gratia acceptas & fidelis dicitur, quia non deficit à promissa gratia ad vincendum tentationem, & omne peccatum. Quod si objicias, interdum nos tentari supra id quod possumus, juxta illud posteriores Epist. cap. 1. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere; supra modum, inquit, & supra virtutem, id est, supra vires humanas, sed non supra vires & facultates à Deo suppeditatas, quantam tandem Paulus vicit illam tentationem, & superavit diabolum. Quod vero aliqui tentati tentationi succumbant, non est ex defectu divinæ gratiæ, sed ex nostra voluntate nolente amplecti divinum favorem, & sinente se trahi in voluptates carnis, & in voluntates dæmonis.*

Salm. tom. 14. disp. 17.

Deus numquam subtrahit promissam gratiam in tentationibus.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

De auxilio & tutela, quam à Deo accipimus in tentationibus hostis nostri infernalis.

THEMA.

In eo in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari. Hebr. 2. vers. 18.

Christus paratus nobis auxiliari in tentationibus, si ad illum confugiamus.

1. S. Apostolus, qui & tentationi subjectus fuit, insinuat nobis, Christum, Dominum potentem esse ad ferendum nobis suppetias, in tentationibus; quia & ipse tentatus fuit, pugnam, quam habuit cum Lucifero ad nostram ordinavit instructionem & confortationem, *ut possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia absque peccato.*

Hebr. 4. 15. Apta hujus similitudo.

Potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Pro cujus majori elucidatione D. Chrysostomus ingeniosam sane cunctisque notam adducit similitudinem de pueris & infantibus, qui cum homines larvatos aspiciunt, ijs territi ad sinum matrum suarum fugiunt: *Videbis matres, ut parvulos secum adhærentes retineant, larvas agere aut phantasmata quædam repræsentare, & tempore quo civitates larvis replentur, pueri à matrum lateribus non discedunt, semper attendentes necessarium sibi esse matris præsidium, si hæc, vel illæc larva occurrant. Propterea Deus mundum dæmonibus, quasi larvis replevit, qui phantasmata agant, ut numquam ab ejus latere separemur, & timentes eos ubique posse nobis occurrere, ubique nobis esse necessarium divinum patrocinium intelligamus.*

D. Chrys. lib. de providen. & orat.

2. Hugo Card. in versum hunc Psal. 60. *Turris fortitudinis à facie inimici.* Valde bene observat Psalmistam non dicere: *à machinis inimici, sed à facie*; quia diabolus plures decipit blanditiis, quam terroribus; at contra insidias & stratagemata ejus divinum adest præsidium instar turris fortissimæ, *potens est auxiliari.* S. Athanasius refert de S. Antonio, quod post horrendas metamorphoses, quibus diabolica illa monstra ipsum impugnaverant, & verberibus pessime exceperant, ut suggestionibus, quibus ipsum impetebant, consentiret, generosus hic Christi miles non modo constantem se exhibuerit, verum etiam malignos spiritus risui & ludibrio exceperit: *Quasi de inimicis laderet, loquebatur: Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad prælium, sed quoniam Domino vos enervante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores. Si quid valetis, ecce præsto sum, devorate; si vero non potestis, cur frustra minimini?* Cunctas adhibuerunt vires dæmones, ut constantissimum Christum heroem in nihilum redigerent: *Aggregatis satellitibus suis cæde laceravit, ut doloris magnitudo & motum auferret & vocem, nam & ipse postea sæpe referebat, vulnera fuisse tam gravia, ut universa hominum tormenta superarent.* Ergo subinferetis, multum valet dæmon adversus Dei servos. Respondeo dicto & scripto illius generosi Philosophi: *Tunde, tunde, Anaxarcum non tundis* cum Deus permittat ad majus meriti augmentum, ut dæmones soluti à catenis damnificent corpora percutiendo veluti pluribus alijs contigit; aut invicta cordis constantia majorem recipit vigorem, dum tentationibus resistit: *Major est Dominus ad protegendum*, ait S. Cyprianus, *quam diabolus ad impugnandum*; ideoque Sanctus *psallebat dicens: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Dominus mihi adjutor, & exultabo super inimicos meos.*

Pf. 60. v. 4. Hug. Card. ib.

S. Antonius illudebat dæmonibus, exprobrando illis imbecillitates illorum.

S. Cypr. de exhort. martyr. Ps. 26. v. 3.

3. Docet nos Blosius in hac materia expertus, quod videntes nos in angustijs tentationum constitutos, adeo etiam, ac si Deus nollet nobis assistere, non tamen animum despondere debeamus, quia tunc vel maxime Deus nos proregit ac defendit: *Licet forte usque adeo se derelictum sentiat, ut Deus ei dicere videatur; recede à me, non novi te, non places mihi, nequaquam tamen ob id spem abjiciat, sed fide plenus cum B. Job dicat, etiamsi occiderit me, in ipso sperabo; etsi in profundum inferni demersus fuero, inde me liberabit.* In vita S. Catharinæ Senensis legitur, quod, postquam astutus serpens post innumera ferocissima certamina eam tentasset per desperationem, ac diu cum dæmone desuper luctata fuisset, tandem cœlestis sponsus dissipatis harum desolationum tenebris & fugatis dæmonibus Sanctæ Virgini apparuerit, quemadmodum nubibus evanescentibus lux solis comparere solet; unde S. Virgo in pias effusa lachrymas præ dulcedine & calore amoris minime se valens continere dicebat: O dulcis & bone Jesu, ubi eras, quando anima mea in tanta constituta erat afflictione? Respondit ei Dominus: Ego præsens tibi aderam, immobilis namque sum, & numquam à creatura recedo, nisi illa prius à me recedat per peccatum mortale. Et illa dulci hoc fruens alloquio resumebat: Si mecum eras, quomodo te non audivi aut vidi, vel quidquam adverti aut sensi? qui fieri potest, ut igni proxima non sentiam ejus calorem? & tamen ita est, nonnisi meram tristitiæ & amaritudinis sensi glaciem, existimans me repletam esse peccatis mortalibus; aut ille aliter, sed suaviter illam instruebat, dicens: Vis ut tibi ostendam, filia mea, qua ratione in certamine illo non cadebas in peccatum, & quomodo tibi aderam? dic mihi, unde oritur peccatum mortale? certe non aliunde nisi ex mala voluntate, ideoque peccatum, & virtus consistunt in voluntatis consensu, secus nullum est peccatum, nec ullus virtutis actus, nisi illa libere consentiat. Hæc igitur mala voluntas nullum in te habuit locum, nam si illa adfuisset, delectionem habuisses in suggestione dæmonis, tu vero quia ex timore me offendendi sustinebas pœnam, bonam habebas voluntatem, quæ sane indicium erat, quod in te habitarem, Verum scirene desideras, qua ratione tunc animæ tuæ assistebam? justo eo modo, quo steti in ligno crucis, & eum vobiscum teneo modum, quem pater meus mecum servavit. &c. In progressu hujus discursus insuper dicebat, animam tempore colluctationis ex timore inimicorum esse attentiorem & vigilantiorem in munienda & custodienda arce mentis suæ, dum recurrit ad sponsum suum, qui ipsius robur & fortitudo est. Similiter cum S. Antonius post atrocissimam illam pugnam, quam habuit cum toto fere inferno, vice quadam conquereretur Christo: *Bone Jesu*, inquiens, *ubi eras?* Audivit responsum: *Hic eram, expectabam videre certamen tuum.* Præsentia regis, sive imperatoris animum & vigorem addit militi pugnanti & scienti, quod *coronabitur, si legitime certabit.*

Blosius in instruct. Spir. §. 3. Job. 13. 15. Deus in gravissimis tentationibus nos defendit & protegit. *Vita S. Cathar. Senens. lib. 1. cap. 17.* Exemplum S. Catharinæ Senensis.

Blosius in conclavi c. 4. n. 10. Christus latet in corde tentati ut illum protegat. *Idem Psychago l. 1. cap 13. n. 4.*

4. Blosius in conclavi animæ fidelis idem refert certamen de S. Catharina, & in compendio recensetverba Christi Domini sanctæ huic Virgini dicta: *Quando cor tuum sordidis cogitationibus abundabat, ego intus in medio ejus latebam, & efficiebam, ut illis consentires, aut delectareris, permittebam te tentari, quantum saluti tuæ expediebat, ut me adjuvante vinceres.* Et in alio loco operum suorum profert similitudinem valde accommodam: *In persecutionibus vivimus, & habemus perpetuos inimicos diabolum & Angelos ejus, sed non timeamus, sic sunt diabolus & Angeli ejus quasi milvi. Sub illius gallinæ alis simus, & non potest contingere, gallina enim, quæ nos protegit, fortis est. Infirmata est propter nos, sed fortis est Dominus noster Jesus Christus, ipsa sapientia Dei.*

5. S. Bernardus multos composuit sermones in Psalmum. *Qui habitat &c.* & S. Ecclesia Psalmum hunc recitat in Completorio, ut nos eo magis excitet ad

S. Bern. in Ps. Qui habitat. ser. 5.

Victoriam tentationum non nostris viribus, sed scuto divinæ protectionis ascribere debemus.

ad implorandum Dei auxilium contra tentationes, quæ nocte plus quam alio tempore prævalere solent. Idem Sanctus Doctor sermone quinto observat hunc versum: *Scuto circumdabit te veritas ejus, ut quemadmodum undique bella, undique sint præsidia; in quo & omnino illud manifestum est spirituale scutum esse oportere, quod circumdare potest: Veritas autem circumdat, quia verax qui promittit & sic exhibuit ut promittit.* Salv. noster dæmonem describit hoc titulo: *Fortis armatus*; certum est, quod Lucifer tertiam partem angelorum rebellium, quorum sunt innumeri secum habeat; sed quomodo unus vilis vermis, qualis est homo, ei resistere fesque opponere posset, nisi à potenti Dei manu auxilium haberet & assistentiam? Bene propterea monebat S. Bernardus dicens: *Quoties tentationi resistis, quoties vincis malignum; noli propriis tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari.* Ejusdem est consilium, quod in alio loco subministrat dicens: *Dum tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium, homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur. Alij colliduntur, alij non, quia Dominus supponit manum suam.*

Idem in oct. Paschæ. ser. 4.

Idem c. 210. in florib.

Ex nostris viribus sine Dei auxilio tentationibus finaliter resistere non possumus. *Cassianus coll. 4. c. 6.*

6. Inter collationes antiquorum Patrum, qui omnes in vita spirituali experti fuere magistri, hæc quoque, uti manifestat Joannes Cassianus, facta fuit decisio. *Nulla virtus humana, si diutius in tentatione tuo deseratur auxilio, in sua poterit constantia perdurare, & non protinus adversarij vel potentia, vel factione succumbere, nisi tu ipse, qui es humanarum virium conscius, ac luctaminum moderator, non permiseris tentari nos supra id, quod possumus, sed feceris cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.* S. Augustin. in Epistola quadam refutat Pelagium hæreticum, significans eidem, quod adversus Satanæ assultus non tam voluntas nostra, quam gratiæ divinæ auxilium nos corroboret: *Fateatur Pelagius quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam. Omnia possum*, dicebat S. Paulus, at quo modo? *In eo, qui me confortat; Non ego, sed gratia Dei mecum.* Magna cum vehementia tentabatur à spiritu fornicationis: *Stimulus carnis colaphizat me*; Num forte, ut ab illo eximeretur, fiduciam suam ponebat in suis extasibus, in revelationibus, in miraculis, in sapientia, qua dotatus erat, ad detegendas inimici insidias? Nequaquam: *Propter quod ter Dominum rogavi*, ad Dei recurrit auxilium, & quia constans perstitit, reportavit hoc rescriptum: *Sufficit tibi gratia mea. Tentatio unit nos Deo* (ita nos monet S. Thomas de Villa Nova) *& quasi vellendo nos amplius conjungit. Ipsa quippe necessitas urget divinum efflagitare subsidium, & illius quærere & investigare refugium, & dum avelli timemus, ei forte inhæremus.*

S. Aug. Epist. 106.

Philip. 4. 13. 1. Cor. 15. 10.

2. Cor. 12. 7.

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 9.

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

Deus promptus est ad defendendū illos qui in ipsius patrocinio confidunt.

Ps. 90. v. 1. Ibid. v. 2.

7. Audite, quomodo idem S. Thomas declaret hunc versum: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo? Quid enim faciet pullus hirundinis coram serpente devoraturo, nisi clamare? Unde Propheta: Quoniam à te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Ostendit deinde, quam conveniens & prompta sit defensio Dei erga illum, qui ejus patrocinio se confecrat & confidit: *Qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione Dei cæli commorabitur; Dicet Domino susceptor meus es tu; Decet quippe hoc divinam Majestatem & celsitudinem, ut fugientes ad se non deserat, & sperantes in se non confundat, sed protegat & defendat. Si enim hoc faciunt principes terræ, quanto magis hoc faciet cælorum Rex? Ac propterea quicumque ad Deum confugerit in veritate, dicet domino! susceptor meus es tu, & refugium meum. Sed sperandi & confidendi rationem attende; Deus meus sperabo in eum, ad quem enim recurret opus nisi ad factorem suum? Aut in quo confidet creatura, nisi in Deo Creatore suo? Non deseret, quia Deus est, non confundet, quia creator est; Deus meus sperabo in eum. Sequitur, quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium.*

In vit. Patr. lib. 8. n. 12.

8. In vitis Patrum à Pelagio scriptum reperio, Abbatem Moysen ferociter à dæmone infestatum è cella sua migrasse ad Abbatem Isidor. ut ab eo caperet consilium, ac de periculis & angustijs, quibus expositus erat, cum eodem conferret. Consuluerat hic hospiti tento, ut ad locum pugnæ redireti ac strenue resisteret, Dei confisus auxilio; at ille recusabat consilium suis diffidens viribus. Duxit ergo tentatum ad locum eminentem, dixitque ut oculos suos converteret ad occasum solis, fecit & vidit innumerabilem dæmonum multitudinem; jussit deinde, ut ita aspiceret quoque Orientem, inspexit, & vidit Angelorum multitudinem longe majorem; tunc subjunxit Abbas Isidorus: Ecce auxilia, quæ Deus subministrat nobis, multo plura & majora sunt, & qui nobis succurrunt, fortiores sunt ijs, qui nos infestant & impugnant. Quare optime asserit Chrysologus Patrem æternum hunc in finem misisse filium suum in terram, ut nos defendat & protegat ab insultibus inimici infernalis, asserit, inquam, idipsum exponendo petitionem illam: *Sed libera nos à malo; hoc est, à diabolo, qui totius mali est auctor & origo. Diabolus natura cœlestis fuit, nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte pertissimus; unde non jam malus, sed malum dicitur, à quo est omne quod malum est. Hinc est, quod proprijs viribus liberari homo non potest, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis est ergo, ut Deus nos à diabolo liberet, qui Christum terris, ut Diabolum vinceret, commodavit.* Et quamvis interdum Deus permittat, ut ab hoc feroci monstro infestemur & affligamur, non tamen nos deserit, & relinquit sine protectione & tutela, veluti patet in Job: *Ecce permissionem verberis comitatur custodia protectionis* [ait D. Gregorius] *& electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit; alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Job desereret in manu tanti adversarij, homo quid esset? In ipsa ergo justitia permissionis permiscetur quædam libra pietatis, quatenus in uno eodemque certamine, & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat.*

D. Chrys. ser. 170. Deus Patet filium suum in hunc mundum misit ut nos defendat ab insultibus infernalis inimici.

Diabolus nihil potuit contra Sanctum Job; Deo illum protegente.

9. Nihil ergo effecerunt eviceruntque dæmones in Job, sed proditi & confusi abierunt, veluti bene quoque advertit B. Laurentius Justinianus: *Fefellit diabolum ipsius dolosa temeritas, dum enim patientissimum virum impetendo curavit evertere, eumdem justo Dei judicio gloriosissime coronavit. Hinc antiqui hostis impotentia patenter ostenditur; hinc etiam aperte colligitur, quod dum facinus aliquod mali contra dominum perpetrare conantur, ipsius nolenter obsequuntur imperio, qui secreto suo consilio de commissis excessibus bonum dignatur efficere.*

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Assistentia Dei, qua in tentationibus protegimur & defendimur, cooperationem quoque ex parte nostra exigit.

THEMA.

Protegam eam, quoniam cognovit nomen meum, clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Ps. 90. v. 14.

Ex parte nostra cooperandum est adjutorio Dei in tentationibus. *Ps. 90. v. 1.*

1. REgius Propheta in hoc Psalmo 90. diligentem adhibuit operam, ut de assistentia & adjutorio divino adversus tartareos hostes nos certificet & securos reddat: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione, &c.* Verum in fine deinde notum nobis esse voluit, quod tunc de Dei adjumentis & fulcimentis poterimus esse securi, quotiescumque ex parte nostra cooperabimur, convenientibus modis implorando cœleste auxilium, & disponendo ac reddendo nos capaces & dignos ad illud recipiendum: *Protegam eam quoniam &c.* In antiquis historijs legitur de quodam milite, qui nomen daturus militiæ, prius oraculum Minervæ, ut sciret, qualem instans pugna & expeditio fortitura esset exitum, consulere voluit, & hoc excepit responsum: *Hilari animo eas, victoriam consequeris.* Hac inductus promissione, contentus abijt, militiæ nomen dedit, pugnæ campum ingressus est, munitus scuto, gladio accinctus & indutus galea; verum provocatus & impetitus ab hoste, non se defendebat, sed totus immobilis stabat; ictum adversarius iterabat & quidem fortiorem & vehementiorem, nec illum reparare, nec adhuc se defendere studebat. Lethali tandem fauciatus vulnere, suscipiens & gemens inclamavit Minervæ: *Ubi est Deorum fides? Nonne mihi victoriam Minerva promisit?* at vocem, qua monebatur, subito replicantem audivit: *Tu quoque cum Minerva manum adhibe, dij enim facientes adjuvant.* De promissionibus æternæ veritatis ne quidem dubitare licet, verum est: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*; sed advertamus, quod si Psalmista ore Dei loquens dicat: *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis*, intelligamus quoque necesse est, scutum

Probatur ingressi historia.

1. Cor. 10. 13.

Ps. 90. v. 5.

scutum è tali armorum esse genere, quod ex se & per se nihil prorsus præstare potest, nisi quis eodem brachium communiat, simulque omni dexteritate & experientia militari utatur, retundendo hostium ictus, impetus & assultus. Eadem proportione discurrendum est de auxilio divinæ gratiæ, quod ad repellendas tentationes ordinarie ex se insufficiens est, & nihil præstat, & potest, nisi voluntatis nostræ adsit cooperatio, nostrorumque concursus operum; *dij facientes adjuvant. Reliquit illum in manu consilij sui.*

Eccli. 15. 14.

Gratia Dei in tentationibus utendum.

2. Consulebat propterea nobis S. Apostolus dicens: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim, tempore accepto exaudivi te*; ecce, verbum hoc, *exaudivi*, supponit animam prius ad Deum fudisse preces; eique se commendasse: *Quis tam immanem pugnam* [sunt verba S. Thomæ de Villa Nova] *tot laqueos, tot insidias vincere aut declinare poterit, nisi Dei fuerit protectione munitus? Quid faciet homuncio fragilis & ignorans, tot venenatorum serpentium cuneis circumvallatus? unicum ei superest remedium, divinum implorare subsidium, cælestem invocare tutelam.* Ex parte igitur nostra succursus divinus postulandus est, quia *dij facientes adjuvant. Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Ostendit deinde idem de Villa Nova Deum ex parte sua non deesse, ut nobis succurrat, at nos eum non invocamus: *Nulla est tibi excusatio si cadis, nulla querelæ ratio, si lapsus in peccato damnaris. Noli causari, noli allegare, quod fragilis & cæcus cum astutissimo & fortissimo serpente conflixisti; quid mirum, si cado, si superor, si prosternor? Quis ego eram, ut cum tanto gigante confligerem? Non æquo marte pugnabam, non cum æquali decertabam. Quæ est hæc justitia, ut cum impari certamine victus perpetua damner abysso, & supplicio deputer sempiterno? Audi peccator: Aderat tibi Deus à latere, Angelorum subsidium tibi paratum erat. Quare non clamasti? Quare non invocasti? cur de tuis viribus confidisti? Cur solus cum multis certare præsumpsisti? Cur paratos Angelos tecum in prælium advocare neglexisti? Tua culpa, tua superbia, tua inertia victus es, ac propterea justissimas pœnas victus lues.*

2. Cor. 6. v. 1.

S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

Ps. 90. v. 14.
Ibid. v. 15.

3. Aperit nobis mysterium B. Laurentius Justinianus, cur, nimirum, Salvator noster à communi inimico tentari voluerit: *Fortior est, qui in nobis est, quam qui adversum nos est, & per ipsum validi sumus, in cujus virtute confidimus. Ob hoc Dominus Jesus tentari à tentatore permisit, ut cujus munimur auxilio, ejusdem muniamur exemplo.* Verum quale illud exemplum, quod nobis dedit in sua tentatione? Defendit se quidem allegatis Sacræ Scripturæ textibus, adeoque verbis; at præter illa adhibuit etiam opera, etenim quadraginta diebus jejunavit, in desertum se recepit, altissimæ intentus contemplationi, non quia hæc arma necessaria ei erant ad superandum tentatorem, sed ad instruendum fideles suos, ut, nimirum, scirent, quod in hujusmodi congressu ac certamine, cum dæmone non debeant otiari, & divinum sperare dumtaxat succursum, sed ei quoque cooperari teneantur: *Dij facientes adjuvant.*

B. L. Just. de lig. vitæ, c. 4. de patien.

Christus nobis in exemplum permisit se tentari à diabolo.

4. Pro hujus confirmatione S. Antonin. historiam refert ex Vitis Patrum, sancto cuidam seni commendaverat se quidam vehementer tentatus, & in effectum liberationis ille quoque iteratas Deo obtulerat suas preces; at tentatio non solum cessabat, sed indies accrescebat. Tandem senex Deum exorabat, ut causam hujus sibi revelare dignaretur: *Ostensum est illi divinitus, quod ille erat in causa, quia non subito immundis cogitationibus resistebat, sed in eis moram faciebat & jocabatur cum eis; unde revertentem ad eum admonuit, ostendens ei defectum suum per exemplum; posuit enim super humerum ejus inclinatum saccum plenum terra ut portaret, & cum surgere vellet, ille Pater deprimebat, & retinebat ex parte posteriori; cui Pater ait: Quare non surgis, ut portes? Respondit ille, non valeo, quia tu impedis, & deorsum trahis; Sic & tu, inquit Pater, negligentia & desidia tua impedis effectum orationis meæ pro te. Exinde senex cum non deorsum traheret, sed juvaret sursum elevari, de facili surgebat & portabat.*

S. Anton. p. 4. t. 13. c. 3. §. 4.

Docetur exemplo unde veniat quod tentationes diutius nos infestent.

5. Bellum admodum ferox & inquietum, quod ab initio tentator adversus nos suscitat, est de cogitationibus & imaginationibus peccaminosis, idque patet experientia: *Unde moventur in corde* (quærit S. Athanas.) *cogitationes execrabiles atque nefariæ, quæ sæpius in Dei injuriam tendunt, & quas nec anima vellet proferre, nec hominis lingua dominari?* Respondet: *Hujus auctor est & operator diabolus. Ille ista nefanda in hominis animam subministrat.* De hoc suggestionum fluxu & refluxu scribit Didac. Stella: *Nec scit, ait, quid habeamus in intellectu aut voluntate nostra, potest tamen operari circa phantasmata, indirecte & mediate mittens impias cogitationes, omnia perturbat, usquequo voluntas volens & libere consentiat peccatis. Audi, quid fecerit Jacob, ut boves & capræ conciperent fætus maculosos. Posuit ante oculos gregis, quoties aquatum iret, virgas populeas; & amygdaleas, cortice partim erepto, partim retento; quo pacto virgæ discolores effectæ, & in perspicua sublucentes aqua, Veneris tempore matrum per defixos sensus fætus in utero maculabantur. Ita & dæmon sensibus nostris vana deliramenta objicit, si qua possit animam labe peccati maculare; cum enim optime noverit tempora, quibus nos quasi quadam Venere libidinum furore rapimur, quando majorem in modum ardescimus in aqua nostræ voluptatis, talia objicit phantasiæ oblectamenta tantis distincta pietatis coloribus & simulationibus, ut nemo nisi castissimus ab omni culpa conscientiam non maculatam fere possit servare.*

Quomodo diabolus in nobis excitat cogitationes, & imaginationes execrabiles.

S. Athanas. ex quæst. ad Antioch. 15.
Did. Stella in Luc. 8.

6. Quale igitur adhiberi poterit remedium, ne ab hujusmodi imaginationibus, suggestionibus, & cogitationibus sordidis commaculemur ac inficiamur? Non sufficit cœleste implorare auxilium, *ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*; sed insuper ad eas repellendas, ex parte nostra omni utamur industria, cunctasque amoveamus occasiones & incentiva, necesse est. Qua super re S. Augustinum auscultemus concionantem: *Si semel aut secundo nequitias, quas diabolus immiserit, tota fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea à vestra infestatione Deus dignabitur repellere, ut numquam vos possit sua calliditate decipere.* Meretur reflexionem doctrina Blosij, quam tradit libro, cui titulus; *Sacellum animæ fidelis*: *Humiliter dicit Deo: Domine immundus sum, & omni consolatione, quam boni homines in te experiuntur, indignus. Quapropter gemendum mihi est, & firma fide ambulandum in conspectu tuo, licet vero pauper & desolatus sim, te tamen neutiquam derelinquam. Hi milites Christi, tametsi infirmi sunt, & varijs tentationibus divexentur, attamen in spiritu pleni sunt fide, & amore divino, placentque Deo.*

Quale medium adhibendum ne maculemur ab immundis cogitationibus.

S. Aug. ser. 68. in append. de div.

Blos. in sacel. animæ fid. c. 18.

7. Isaiæ cap. 26. legimus: *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus & antemurale.* Hic Propheta per antonomasiam dicitur Evangelicus, quia prædixit ac prævidit successum novæ legis gratiæ. Desideratisne cum S. Hieronymo intelligere, quænam sit ista urbs fortitudinis, quis murus, quale antemurale, quo cincti & fortificati simus? *Urbs hæc Ecclesia est, murus bonorum operum, antemurale rectæ fidei, ut duplici septa sit muro, non enim sufficit murum habere fidei; nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Tunc sperare poterimus Deum esse propugnaculum nostrum adversus inferni inimicos, quando ex parte nostra scuto fidei, at operibus fulcito, nos communiverimus; *In omnibus sumentes scutum fidei* (sic Ephesios exhortabatur Apostolus) *in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Isa. 26. v. 1.
Scuto fidei, munito bonis operibus uti debemus contra insultus tentationum.
S. Hier. hic.

Ephes. 6. 16.

8. S. Petrus quoque depingendo Satanam leonis instar rugientis, *tamquam leo rugiens*, modum nos docuit, quo eum non timeamus, cum ait: *Cui resistite fortes in fide.* Ubi notare Apostolum non dicere solum: *resistite in fide*, sed *fortes* videlicet, munire nos debemus bonis operibus, quia *fides sine operibus mortua est.* Hisce conformiter in medium profert S. Bernardin. historiam de Moyse, quando ad superandum Amalec manus tenebat elevatas in altum: *Aaron & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte, & factum est, ut manus illius non lassarentur; ... fugavitque Josue Amalec.* Hanc historiam nostram applicat proposito hoc modo: *Fides in semetipsa mortua est, nisi sint opera; in hujus mysterium* Exod. 17. *cum Amalec pugnaret contra Israël, id est, mundus contra fidelem animam, supposuerunt Moysi lapidem, ut sederet, & ex utraque parte manus ejus sustentabant, & nunc prævaluit populus Israël.* Textum quoque adducit ex S. Joanne: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra, scilicet operosa.*

Hoc docet S. Petrus.
1. Petr. 5. v. 8.

Jacob. 20. 24. & 26.

Historia Moysis orantis dum pugnaretur contra Amalech.
Exod. 17. 11.

1. Joan. 5. 4.

9. Inter alia documenta, quæ huc spectant, & posteris reliquit S. Antonius, valde utileillud: *Magna adversus dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum*

Quænam diabolus in nobis pertimescat.
In vita S. Anton. c. 17.

minatum & præcipue purum cor erga Christi amorem. Observate hæc verba: *Recte viventium*, quia sperare patrocinium Dei adversum tentatores inimicos nostros, cum vivimus in peccato mortali, adeoque in ejus offensa, & sumus illius inimici, nimis magna temeritas est. Qui ad bellum procederet absque præparatione, non ferens secum gladium, non galeam, non loricam, sciens tamen se cum hoste concertaturum, annon illum censeres temerarium? Quod si diceret, ab hoste securus sum, quia tali inservio principi, sub tali milito Imperatore, qui me tuebitur ac defender; annon fatuum illum catenis vinciendum judicares? Defendet, tuebiturque illum Princeps suus, ubi & ille seipsum juvabit, armabit, obedientiæ militari subjiciet, ubi intra limites valli se continebit, ubi pari passu cum alijs ordine suo procedet, cæterasque militiæ regulas cunctis communes observabit. *Præpara animam tuam ad tentationem*, dicit Dominus Deus exercituum nos monens per Ecclesiasticum, q. d. sumite arma huic certamini propria & convenientia, orationem, abstinentiam, corporis macerationem, vigilias, sequestrationem ab occasionibus peccandi, Christianarum virtutum exercitium, tunc enim Dei assistentiam & tutelam vobis adpromittere poteritis: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

Stultum est sine armis contra hostem procedere.

Eccli. 2. v. 1.

Ps. 90. v. 14.

10. Ex documentis à primis filijs S. Seraphici P. Francisci traditis deducitur, quod luctantes cum mundo, carne ac dæmone, non confidebant dumtaxat in divina protectione sine cooperatione ex parte sua. De modo, quem servabant in repellendis tentationibus, die quodam inter se conferebant: Dixit F. Ruffinus: Humi me abjicio, Deum rogo, nec prius ab oratione surgo, dum solatij aliquid & præsidij obtineo. F. Simon: Ego considero, quam fœdum & abominandum sit vitium, quod lucem refugit, & modis omnibus absconditur, quod coram Deo & Angelis ejus, quod coram orbe universo pudori est. F. Juniperus: Cum sentio incursionem hostilem, mox portas claudo, & pij aliquid cogitare incipio, hæ meæ sunt excubiæ. Si acrior insistat hostis, & foris minetur effringere, ego vi alia non utor, hoc unum proclamo: Abi cum tuis miser, abi, jam prævenerunt alij, huic perditissimæ inferorum fæci ostium non pando, ingressum non permitto. Ita risu & pudore obrutus cedit. Ad quæ F. Ægidius, cum isto ait, sentio; optimum est hujuscemodi cogitationibus omnem aditum obserare, aut ingressas quamprimum ejicere.

Quomodo primi filij S. Francisci tentationes mundi, carnis ac dæmonis vicerint.

11. Diximus S. Petrum Apostolum nos admonuisse, ut dæmoni resistamus fortiter, *resistite fortes*, idem quoque nobis S. Jacobus Apostol. inculcat, dicens: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Ergo sane non otiandum; sed pugnandum est, nec deserenda est statio, multo minus nobis fugiendum est, excepto tamen solo illo certamine circa tentationes carnis: *Fugite fornicationem*: Dicebat Apostolus, & S. Philippus Nerius dicere solebat, quod in pugna carnis sive sensus vincant socordes & pigri. Illud tamen bene notandum est, quod admonitionis loco scribit S. Bernard. sermone quodam: *Vitia*, inquiens, *diabolicarum tentationum fragilia sunt, sed si non caveantur, & per usum in consuetudinem transeant, in novissimis fortiter convalescunt, ita ut numquam, aut cum difficultate vincantur.*

Tentationes carnis fuga vincuntur.
Jacob. 4. v. 7.

1. Cor. 6. 18.

S. Bern. ser. 67. de modo bene vivendi.

12. Quidam eremi senex hac utebatur similitudine: *De cogitatione fornicationis dixit Senex: Esto velut qui transit in platea, aut per tabernam, & capit cujuscumque cocturæ odorem, aut alicujus assaturæ, & qui vult ingreditur, & manducat; qui autem non vult, odoratus est tantum, ac præterit; ita & tu, excute à te fætorem; surge, & ora, dicens: Domine fili Dei adjuva me. Hoc autem fac etiam adversus alias cogitationes, neque enim eradicatores sumus cogitationum, sed luctatores adversus easdem cogitationes.* Qui ad luctam accedit, sudet, laboret, ac dextre agat oportet; pariformem operam ac diligentiam adhibeat, necesse est, qui vult vincere tentationes. Salvator noster in horto accinxit se duello cum Satana: *Factus in agonia*; paulo ante prædixerat victoriam, quam inde in commodum nostrum reportaturus esset. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Hoc tamen non attento, monuit Apostolus: *Vigilate*, inquit, *& orate, ut non intretis in tentationem.* Sed numquid tunc Christus Dominus præsens erat, & assistebat Apostolis? Imo præsens erat, & præsens ijsdem dæmonis machinamenta detexerat: *Ecce*, inquiens, *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* At si præsens erat, ergo divina ejus præsentia non videtur fuisse sufficiens ad eos protegendos; Respondeo id non sequi, quia exhortando illos ad vigilandum & orandum, voluit illos simul exhortari ad cooperandum Christo protectori suo per vigilias & orationes; quod ex parte eorum erat necessarium ad hoc, ut protegerentur; quia vero in hoc fuerunt negligentes: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum*, vires non habuerunt, quibus tentationi resisterent; siquidem *omnes relicto eo fugerunt*, & Petrus, qui prius cum tanta jactantia dixerat se pro illo moriturum, turpiter ipsum negavit.

Vit. Patr. l. 5. libell. 5. n. 16.
Docetur similitudine quomodo contra cogitationes immundas agendum sit.

Lucæ 22. 43.

Joan. 12. 31.
Proponitur exemplum Christi.
Matt. 26. 41.

Lucæ 22. 31.

Matt. 26. 40.
Ibid. v. 56.

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Remedia contra tentationes sunt, diffidentia sui, & confidentia in Deo, invocatio auxilij & nominis ejus, actualis præsentiæ Dei memoria, Communio, Confessio, Passio D. N. Sacra Scriptura seu verbum Dei.

THEMA.

In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Ps. 17. v. 30.

1. QUamvis Deus vitam humanam destinaverit ac determinaverit pro palæstra seu loco pugnæ & certaminis: *Militia, tentatio est vita hominis super terram*; non tamen omnibus nos præmunivit armis & remedijs, quibus strenue viriliterque dimicare ac vincere possimus: *Sicut diabolus habet multos modos ad tentandum* (S. Antoninus) *ita & gratia Dei & Ecclesia docet multos modos ad illudendum ei, & superandum.* Primum remedium est, Deo pura intentione referre acceptam omnem virtutem & vigorem, quem habemus, in resistendo, tametsi etiam faciamus, quod in nobis est, & operam ex parte nostra requisitam impendamus, quia verissimum illud: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quamvis Propheta regius discerpserit leones mactando dilaniaverit ursos, gigantes prostraverit, attamen quando agebatur de certamine instituendo cum hoste infernali, quasi protestando dicebat: *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.*

Varia adducuntur remedia, contra tentationes.
Job. 7. 1.

S. Anton. p. 4. t. 13. c. 3. §. 4.
Primum est diffidentia de proprijs viribus.

2. Cor. 3. v. 5.

Ps. 17. v. 30.

2. Abbas Isaac tamquam armaturam exquisitissimam dixit esse versiculum illum: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Valet siquidem adversus universa discrimina invocatio Dei: Habet humilitatem piæ confessionis; habet solicitudinis ac perpetui timoris vigilantiam; habet considerationem fragilitatis suæ; exauditionis fiduciam; confidentiam præsentis semper astantis præsidij. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus.* Consideratione quoque dignum est monitum illud S. Abbatis Serapionis, cujus meminit idem Joan. Cassianus: *Impossibile namque est* (ait S. Serapion) *de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprij certaminis semet obtinere non posse.* Stipulata promissio fuit æternæ veritatis, quæ nec decipere, nec mentiri potest: *Protegam eum*: at in cujus virtute? *Quoniam cognovit nomen meum. Turris fortissima nomen Domini.*

Ps. 69. v. 2.
Cassianus collat. 10.
Secundum remedium est invocatio.

Idem Joan. Cassian. coll. 5.

Prov. 18. 10.

3. Repræsentaturus S. Petrus Chrysolog. debilitatem rebellium & damnatorum spirituum, Evangelicam illam producit historiam Marc. 5. & Luc. 8. ubi Christo Domino interroganti dæmoniacum, seu potius dæmonem: *Quod est tibi nomen?* Respondit ille: *Legio, quia multi sumus. Christi interrogatio nostram ignorantiam sic depellit, nobis aperit, quod latebat; ad unum legio. Evidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressus retrahat, si confligere pertimescat, ubi unum numeroso hoste fortiorem pervidet esse captivum. Ad præsentiam regis isti quid sunt, qui, ut unum, & nec dum tyronem caperent; toto cohortis suæ agmine convenerunt. Age Christiane, incede securus: Manus tanta, & tam multa quæ sic metuit inermem, procul fugiet, si videat, si sentiat, si agnoscat armatum.* Hæc Chrysologus.

Maligni spiritus debiles sunt.
D. Chrys. ser. 17.
Marc. 5. 9.
Luc. 8. 30.

3. Non præsentia dumtaxat, sed & invocatio nominis Jesu sufficiens est ad incutiendum timorem dæmonibus, & ad fugandum totum infernum: *Quemadmodum fluit cera à facie ignis* (sic discurrit B. Laurentius Justinianus de interiori conflictu) *sic dæmonum argumenta pereunt ab invocatione nominis Jesu*

Tertium remedium invocatio SS. nominis Jesu.
B. Laur. Just. lib. de int. confl.

Blos. in Instit. Spirit. §. 3.
Luc. 10. v. 17.
Ibid. v. 18.
S. Bern. in 1. serm. 40.

Jesu & Mediatoris nostri. Gravibus oppresso tentationibus tale Blosius dedit consilium: *Si vehementi vitiorum importunitate infestatur, signo crucis edito invocet Deum, & dicat: Domine conserva me immaculatum coram te; ego mori vellem millies, quam huic iniquitati, huic pessimæ suggestioni consentire.* Gloriabantur discipuli Domini, quod dæmones ad imperium suum fugam caperent, suæque subjicerentur potestati & imperio: *Ecce dæmonia subjiciuntur nobis.* Quibus tunc Christus dicebat: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* S. Bernardinus existimat spiritus rebelles vi virtute nominis Jesu è cœlo præcipitatos & fugatos esse, quasi cœlestis magister vellet dicere: *Nolite mirari, si nomen meum diaboli expavescant, cum virtute ejus Satanas cum omnibus Angelis suis de cælo expulsus ceciderit sicut fulgur.* Reflectebat se author hic ad milites in prælio victores, qui post victoriam feliciter obtentam suo Imperatori acclamant: *Vivat, vivat &c.* ita Angeli boni in cœlo acclamabant: *Vivat Jesus, vivat Jesus & ad vocem hujus nominis dæmones resistere non potuerunt, quin de paradisi apice in abyssum non caderent.*

Etiam invocatio nominis Mariæ optimum est remedium.
Gen. 3. v. 15.
S. Antonin. p. 1. t. 6. c. 13. §. 6.
Sicuti & S. Antonij Et S. Philippi Nerij.
Vita S. Philip. Ner. lib. 1. c. 6. n. 6.
Lib. 2. c. 9. n. 7.

5. Non solum hoc sanctissimum nomen Jesus, verum etiam suæ sanctissimæ Matris valde potens est ad repellendum & fugandum monstrum infernale: *Ipsa conteret caput tuum*, ita de illa prædictum fuit. S. Mater Ecclesia modum nos docet invocandi illam: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege.* Refert S. Antoninus: *Orante B. Petro Martyre, dum tentaretur de fide, fuit sibi dictum à Virgine Maria, ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua.* At non solum invocatio nominis Mariæ, sed etiam quorumdam aliorum Sanctorum specialem habuit gratiam fugandi dæmonia, eo quod per invocationem eorum nominum nonnulli devoti à varijs liberati fuerint tentationibus: Et quidem de S. Antonio certum habemus testimonium in lectionibus festi ejusdem. Sed ut reliquos silentio involvam. S. Philippus Nerius, cujus profiteor me esse filium, quot quantosque à vehementibus dæmonis liberavit assultibus, solum quia illis impositum erat, ut ipsum invocarent in auxilium? Tiberius Ricciardelli Canonicus S. Petri ab impuritate tentatus, vidit Sanctum pectori suo assistentem post devotam illius invocationem, & subito tentatio cessavit. Medicus quidam, qui ex officio professionis suæ, carnalis concupiscentiæ stimulum patiebatur, ac propterea artem medicam deserere cogitabat, cum ligulam in honorem Sancti hujus benedictam recepisset, ea sibi alligata tamquam fræno ligavit quoque spiritum fornicationis, ad modum illius catenæ, qua in Apocalypsi vinctus fuit Draco infernalis. Cuidam pœnitenti datum fuit hoc remedium, dices nimirum, dæmoni: Accusabo te apud Philippum. Quidam alius in magna quadam contentione & pugna se defendit dicendo solum: *Appello Philippum* Plurima extant exempla de multis alijs, qui sola prolatione nominis hujus Sancti liberi à tentationibus evaserunt.

Quartum remedium imaginatio præsentiæ divinæ
Ps. 14. v. 4.
Vita S. Anton. cap. 20.
Exod. 4. v. 2.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Ibid. v. 4.
Luc. 10. v. 19.

6. *In te eripiar à tentatione.* Deum imaginari sibi præsentem unicum & potentissimum remedium est quo dæmoni resistamus; *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Inter alia documenta à S. Antonio tradita celebre & proficuum illud: *Una est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & Dominum semper cogitantis jugis recordatio, dæmones quasi fumum expellens.* Quando Deus, ut legitur in Exodo, tractabat cum Moyse de populi ad terram promissionis deducendi regimine ei committendo, interrogavit eum, quid hoc esset, quod in manu haberet: *Quid est quod tenes in manu tua?* respondit, *Virga. Dixitque Dominus: Projice eam in terram*; executus est, & subito virga transmutata fuit in serpentem, ut propterea Moyses cœperit fugam; *Versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.* At Deus illum retardavit, jussitque: *Extende manum tuam & apprehende caudam ejus.* Verum si serpens in cauda gestat venenum, & cauda sua insuper ferit, cur præcepit ei, ut parte illa apprehenderet serpentem? *Omnia in figura contingebant illis.* Serpens est Symbolum diaboli; Voluit ergo Deus nobis demonstrare, quod, quando ipse est præsens, nobisque assistit, nequaquam nobis timere debeamus: *Apprehende caudam ejus, extendit & tenuit, versaque est in virgam*; virga est symbolum imperij & regiminis, insuper & punitionis instrumentum est; qui Deum recordatur esse præsentem, imperat dæmoni, ne faciat, quod sibi libet; *quoniam in te eripiar à tentatione. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes.* Hanc promissionem habemus in S. Evangelista Luca.

Ps. 15. v. 8.
Ps. 22. v. 4.
Quintum remedium frequentat. SS. Sacramenti altaris.
Ibid. v. 5.
Hug. de S. Vict. l. 3. in spec. Eccle. erud. Theol. c. 7.
Deut. 33 v. 7.
Gen. 49. 11.
Alb. Magnus de Euchar. [illegible]

7. Jam facta est protestatio hæc à Regio Propheta: *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Et Psal. 22. legimus de eodem Propheta: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*, & rationem reddit: *Quoniam tu mecum es*; at subjungit: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Ecce aliud remedium, videlicet, frequentia S. Sacramenti altaris. Hæc fortassis causa est, veluti alibi etiam notatum fuit, quod hoc Sacramentum conservetur in tabernaculis, quæ sunt tentoria militaria, ad denotandum & insinuandum nobis, quod ab inimicis invisibilibus nos protegat & defendat. *Hoc Sacramentum firmamentum est* (ait Hugo de S. Victore) *contra hostes, de quo Propheta: Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Legitur in Deuter. *Manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit*; quod dixit Moyses de tribu Juda. Quærit Albertus Magnus: *Unde ista confidentia fortitudinis sibi evenerit?* & respondet eam processisse ex benedictione huic tribui jam data à Patriarcha Jacob: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Per hoc vinum intelligit vinum Eucharisticum: *Nisi enim stolam conversationis in vino Sacramenti sibi spiritualiter infuso lavisset, hoc est, nisi sanguine benedicti Jesu Christi pallium charitatis intinxisset; profecto tantam confidentiam in Deo contra inimicos non habuisset.*

Sextum remedium Confessio Sacrametalis.
Apoc. 15. v. 2.
Thren. 2. 13.
Rup. Abb. lib. 9. in. Apoc.
S. Bonav. serm. 5. in Rogat.

8. Remedium quoque efficacissimum contra tentationes est Confessio Sacramentalis. In Apoc. legitur hæc visio: *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam.* Quæ connexio ista maris vitrei & igniti cum victoria unius bestiæ? Per mare denotatur contritio: *Magna velut mare contritio.* Mare hoc vitreum est, quia in confessione tamquam in vitro diaphano sive transparente manifestantur & apparent peccata nostra; ignis indicat actus igneos amoris Dei, qui excitantur in pœnitentiæ Sacramento; totum hoc ordinatum est ad reportandam victoriam de infernali illa bestia, à Propheta Job descripta cap. 40. *Idcirco mare vitreum dictum esse intelligitur* [verba sunt Ruperti Abbatis] *ut cognoscat, quia omnes, qui accedunt, debent esse vitrei, id est, simplices per veritatem puræ confessionis.* Huc pertinet S. Bonaventuræ sententia: *Per confessionem adjuvamur in tentatione ad triumphandum*; & citat authoritatem S. Augustini: *Neque vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Deum consequimur, neque ei dolores acriores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo & pœnitendo sanamus.*

Continuatio ejusdem remedij.
Job. 2. v. 7.
Job. 2. v. 8.
Job. 41. v. 24.
S. Greg. lib. 3. mor. cap. 17.

9. Conjuraverat in damnum & perditionem ipsius Job totus infernus, à catenis solutus, habens tamen à Deo licentiam, & postquam omnia ei eripuisset, totam substantiam, filios & filias, universamque familiam, tandem *percussit Job ulcere pessimo.* Sed qua se munivit armatura invictissimus hic miles, ut de rebellibus hisce & infernalibus inimicis triumpharet, eosque confusos in imam inferni abyssum repelleret & fugaret? *Testa saniem radebat.* Et quæ arma ista ad expugnandum convincendumque talem inimicum, de quo ipsemet attestatur: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei; qui factus est, ut nullum timeret?* Audiamus S. Gregorium, qui per hoc instrumentum quo radebat saniem, existimat, asseritque intelligendum esse confessionem, quæ nos emundat à putredine peccati; *Quid per testam nisi vigor distractionis? quid per saniem nisi fluxus illicitæ cogitationis accipitur? Percussi, ergo testa saniem radimus, cum nosmetipsos aspere dijudicando mundamus.*

Septimum remedium meditatio pia Dominicæ passionis.
S. Anton. p. 1. t. 6. c. 13. §. 6.
Thren. 3. 65.
Hebr. 12. 3.
Ad Coloss. 2. v. 14.

10. *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Medium quoque securum & efficax est recursus ad passionem Redemptoris nostri, sive, ut ait S. Antoninus, *Passionis Christi pia meditatio.* Unde dicitur (subdit ille) *Thren. 3. Dabis eis scutum cordis laborem tuum, scilicet passionis, ad defendendum se contra tela inimici tentationum. Hebr. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit, &c.* Idem revocat nobis in memoriam figuram illius, nempe, serpentem æneum deserti: *Figura, quando ad aspectum serpentis ænei in palo erecti homines aspicientes sanabantur à morsibus serpentum, id est, dæmonum; præservantur, ne occidantur homines, aspiciendo ad crucifixum mente figurato in serpente æneo. Num. 21.* In probationem hujus considerandα sunt verba illa Apostoli ad Coloss. scripta: *Delens quod adversum nos erat chirographum, affigens illud cruci*; quo fructu? *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quamvis serpens infernalis post ejectionem è cœlo venenum suum in bonos evomere semper conatus fuerit, in primo tamen sæculo nascentis Ecclesiæ longe majorem impendit industriam & laborem, ut Christianos toxico suo inficeret; Quapropter S. Petrus suis exhortationibus & Epistolis aliquod antidotum nos docere voluit, cum ait: *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ubi observandum, Apostolum non dicere: *eadem cruce*; sed *cogitatione*, quia, ut notat Hugo Cardinalis, *sola memoria & cogitatio passionis & crucis Christi maxima est fortitudo & arma contra dæmonis potentiam.*

1. Petr. 4. v. 1.
Hug. Card. ib.

Octavum remedium sacra Scriptura.
S. Greg. l. 2. mor. cap. 1.
S. Anton. l. c. Hebr. 4. 12.
2. Machab. 15. v. 16.

11. *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Efficax quoque remedium est Sacra Scriptura, huic enim, utpote quæ à suo sanctissimo fuit dictata Spiritu, communicavit eamdem prærogativam, ut validissimi instar, scuti retorqueret assultus quosvis diabolicos, cujus pientissimus Salvator noster manifestum dedit exemplum in deserto, quando S. Scripturæ clypeo trinum Luciferi retudit assultum & tentationis impetum. Qualem vim & efficaciam habeat Sacra Scriptura, pulchre id docet D. Gregorius hisce verbis: *Scriptura Sacra mentis nostræ oculis quasi quoddam speculum apponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur, ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus, ibi à profectu quam longe distamus. Narrat autem gesta Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.* Hunc quoque effectum advertit S. Antoninus, ac propterea inter alia remedia contra tentationes ab eodem quoque recensetur: *Sacra lectio, vel lecta, vel audita; Hebr. 4. Vivus est sermo Dei & penetrabilior omni gladio ancipiti, scilicet, ad debilitandum & vulnerandum inimicos. Figura 2. Mach. in gladio, quem dedit in visione Onias Judæ Machabæo dicens; in hoc dejicies inimicos, & ibidem de seipso Juda dicitur, quod munivit exercitum suum, non lancea & clypeo, sed sermonibus optimis, referendo gesta Sanctorum, quibus confortati victoriam contra inimicos habuerunt.*

Cassianus coll. 22. c. 10.
Continuatio ejusdem remedij.
Ephes. 6. v. 17.
S. Greg. l. 19. mor. cap. ult.
B. Laur. Just. cap. 12. de inter. confl.

12. Postquam Cassianus victoriam, quam Christus S. Scripturæ munitus clypeo reportaverat, ponderavit, addit sequentia: *His testimonijs edocemur, ut fraudulentis suggestionibus inimici nos quoque similiter auctoritate scripturarum debeamus obsistere.* Cum hoc confert quoque consilium ab Apostolo nobis subministratum: *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Huc spectant verba D. Gregorij: *Resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit.* Hoc idem punctum tangit quoque B. Laurentius Justinianus *de interiori conflictu*, dicens: *Hunc prorsus habeto gladium in spirituali tuo certamine; Gladius iste divina eloquia sunt, quibus adversarij nostri concitantur in fugam, & usque ad internecionem sternuntur,* [loquitur de gladio verbi Dei] *Nulla fraudis diabolicæ decipula est, nullus tentationis insultus, qui ad Divini eloquij meditationem non vincatur, dicente Propheta: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.*

S. Hieron. lib. 1. cap. 17.
Ps. 37. v. 14.
Deut. 13. 3.
Glossa in præfat.
Cant. 4. v. 4.
S. Th. de Vill. conc. 1. in Dom. 1. Quadr.

13. De Sancta Paula refert S. Hieronymus: *Si quando procacior fuisset inimicus, & usque ad verborum jurgia prosiluisset, illud psalterij decantabat: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, & silui à bonis; & rursum: Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. In tentationibus verba Deuteronomij volvebat: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra.* Glossa tractando in præfatione de efficacia sacrorum librorum, memorabilia hæc tradit verba: *Horum lectio, vel minus à nobis intellecta, inquit Magnus Adamantius, Angelicos etiam spiritus ad nos allicit; malignarum autem virtutum insidias, & teterrimorum dæmonum incursiones procul repellit.* Denique S. Thomas de Villa Nova textum hunc sacrorum Canticorum: *Hæc est illa turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis*, interpretatur & intelligit de sacra Scriptura, asserens: *Hæc est illa turris David; quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; nulla est enim tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, cui sacra Scriptura non medeatur, & succurrat.*

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Potens motivum, ne consentiamus dæmoni, est scire, cum esse inimicum nostrum; unde generose ei resistere; at tentationes nulla ratione quærere debemus.

THEMA.

Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. 1. Petr. 5. v. 8.

Optimum remedium contra tentationes est scire quod diabolus sit irreconciliabilis noster inimicus.
D. Chrys. Hom. 22. ad Ephes.

1. Ut tentationes superemus, medium profecto potentissimum erit, si serio recogitemus, eas procedere ab inimico nostro implacabili & irreconciliabili, qui incessanter ad æternam animarum nostrarum perditionem anhelat: *Adversarius vester diabolus tamquam &c.* Cum enim à Deo creati simus, ut in cœlesti Paradiso adimpleamus sedes illas, è quibus ille una cum asseclis suis præcipitatus fuit, ideo non nisi nostram molitur ruinam; neque dumtaxat noster inimicus est, sed Dei etiam, imo cunctorum bonorum Angelorum, omnium quoque Sanctorum cœli, omnis boni adversarius est, & omnis mali instrumentum, & nos adeo fatui & stulti erimus, ut ejus suggestionibus adhæreamus? *Huic inimico semper inimicus esto* (ita consulit D. Chrysostomus) *sic abjectus erit, & captu facilis; sævus, si nos in eum sævierimus, non futurus; sævus contra, si mansueti fuerimus.* Homo ratione dotatus est, qua prærogativa non potiuntur cætera animalia hisce tamen Creator concessit arma, quibus se defendant; quibusdam dedit acuta rostra, alijs cornua, alijs dentes, alijs ungues, nonnullis venenum, aut aliud instrumentum defensivum & offensivum, idque tam animantibus terrestribus, quam aquaticis & volatilibus; Homini vero communicavit intellectum, discursum, ingenium & voluntatem, ut sciat & possit resistere inimicis invisibilibus, à quibus certum est eum superari non posse, nisi suo consensu ijs adhæreat.

Magna nostra stoliditas est si patiamur nos seduci à diabolo.

2. Evidens igitur erit stoliditas nostra, si nos à dæmone seduci permittamus, scientes non fidei dumtaxat lumine, verum etiam ipsa experientia, quod ab exordio mundi in præsentem usque diem, à sex millibus, inquam, sexcentis & pluribus annis noster sit inimicus & adversarius juratus. Quando Eva sibi persuasit & plane credidit divinam lucrari scientiam, tunc vel maxime judicium & rationis perdidit usum; unde summa cum providentia Deus disposuit, ut dæmon serpentis induerit vestem & formam: Etenim qualem poterat adhibere fidem tali animali, præsertim si cum illo conferatur tanta prohibitio à Deo, utpote, prima & infallibili veritate jam promulgata? Præterquam, uti bene advertit & notat Moyses Barcephas, hujusmodi formare debebat argumentum: *Si vera narras, ô serpens, abi tu, & prior aufer de illa, & vescere, ut aperiantur oculi tui, sisque Deus sciens boni & mali tu, deinde ego quoque accedens vescar.*

Diabolus ab initio creationis fuit juratus noster hostis & insidiator.
Joan. 8. 44.
Job. 41. 24.
Alcuin. l. 4. in Joan. 22.
S. Bonav. in Breviloq. p. 3. c. 2.

3. Testantur omnes historiæ tam sacræ, quam profanæ, quæ hucusque in omnibus contigere sæculis, cunctisque notum & manifestum est, pervetustum hunc hostem & adversarium in omnes indifferenter suum ejecisse venenum, omnisque generis astus & dolos exercuisse, singulos quosque crudelissimo ac implacabili prosecutū fuisse odio, & cum tali nos passiscemur tali nos fidemus, ejusq; insidias & tentationes nō habebimus suspectas? quis umquā se fidit manibus unius homicidæ, unius latronis, qui plurium annorum spatio expoliavit, occidit & mactavit innumeros homines? *Ille homicida erat ab initio*; ait Deus de Diabolo; *Qui factus est, ut nullum timeret*, ait Job expertus ejus nequitiam & malitiam. *Videte genus homicidij fratres* (Alcuini verba sunt) *homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus. Ad hominem venit; verbum malum seminavit, & occidit.* Quod paulo ante insinuavimus punctum, tangit quoque S. Bonaventura: *Qui in tentando*, inquit, *speciem serpentis assumpsit, hoc dispensationis divinæ fuit, ut non solum deprehendi ejus versutia posset, verum etiam ut ex illa effigie versutia diabolica in tentando cunctis filijs Adæ innotescere posset.*

Primi parentes nostri defectu ratiocin[...]

4. Eccle. cap. 17. statim sub initium recenset & ponderat Sapiens multa & immensa bona, quibus Deus creator protoparentes nostros in ortu suo ditaverat,

nationis consenserunt diabolo tentanti. Eccli. 17. v. 5. taverat, inter quæ numerat etiam illud: *Consilium & linguam, & oculos & aures, & cor dedit illis excogitandi*; ergo bene examinare poterant, seseque reflectere debebant, quis esset ille, qui tale sibi suggereret consilium præcepto divino contrarium; si serpens, intelligere poterant, illum usu rationis destitutum esse; si dæmon, illum esse inimicum, invidum, malignum, mendacem & communi Creatori rebellem considerare debebant; sola hæc consideratio sufficiens erat ad abstrahendam manum à pomo. S. Antonij Magni documentum est: *Si diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescet, quia maximum est securitatis indicium interrogare, quisnam est, & unde.* Si tentatio, si instigatio ad peccatum oritur à nostris inordinatis appetitibus [*unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris*] oportet cogitare, motus hosce inordinatos animæ nostræ esse inimicos: *Quod nolo malum hoc ago; Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Si verò hæc suggestio à dæmone procedit, ergo consilium est ex abysso inferni proveniens; quis igitur tantus suiipsius inimicus & hostis est, ut ei credat? *Adversarius vester diabolus*; quis ille est, qui legem & consilium ab inimico suo capere velit? Refert Henricus Caterinus Abulensis in sua historia de bellis civilibus Franciæ, quod, cum Henricus Quartus ad hostem misisset tibicinem, ut illi offerret pugnam, cujus eventu decideretur, cui competeret victoria, Dux Parmensis Alexander Farnesius, qui tum primum jussu Regis Catholici cum toto suo exercitu, in succursum Ducis Menæ, ad partes illas transierat, cuique responsum incumbebat, subridens dixerit: Sibi optime esse perspectum, quid hic & nunc agendum esset pro bono communi, cui prospicere teneretur, nec se advenisse, ut ab hoste suo caperet consilium; optime etiam sibi constare modum illius procedendi Regi suo exosum; ast si tantus esset belli dux ac generosus miles, adigeret ipsum ad tales angustias, ut pugnare cogeretur; cæterum nondum sibi voluntatem esse, ut in arbitrio fortunæ constitueret id, quod certum ac securum haberet in manu & potestate sua. Historiam hanc applicemus casui nostro, securam in manibus nostris tenemus victoriam adversus dæmonem, quia sine consensu nostro nos superare, sibique subjicere nequit; annon igitur manifesta illa erit dementia, legem capere à dæmone, qui est monstrum iniquitatis, rebellis Deo, & adversarius æternæ nostræ salutis.

Vita S. Anton. cap. 20. — *Jacob. 4. v. 1.* — *Rom. 7. 19. Ibid. v. 23.* — *1. Petr. 5. v. 8.* — *Hist. Henr. Cater. l. XI.* — Pulchra historia docemur consilium diaboli nos tentantis rejiciendum esse.

S. Basil. H. 9. Diabolus est inimicus Dei & hominum. 5. S. Basilius homilia cui titulus est, *quod Deus non est auctor malorum*, scribit sequentia: *Utinam quidem non esset factus diabolus, sed in eo ordine, quo ab initio constitutus fuit, remansisset. Postquam verò ab authore suo defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis ad ipsius imaginem constituti; factus est.* Est inimicus Dei, simulque inimicus noster irreconciliabilis, & si interdum *transfigurat se in Angelum lucis*, id eo fine facit, ut suo nos stratagemate lucretur. *Quis illo est inimicitior Sanctis?* ait S. Augustinus; *Quis adversus eos contentiosior & animosior, & magis æmulus, atque invidus invenitur?* Illis, qui jam ei subjecti sunt, ejusque sequuntur vestigia, non est molestus, bene tamen alijs, qui se ei opponunt: *Malos, luxuriosos, cupidos & superbos persequi diabolus non consuevit, amici enim sui sunt, & voluntates semper illius faciunt, & in tantum eos non persequitur, ut etiam per illos, alios persequatur.* Scribit idem S. Augustinus. In clausuris, quibus detinentur feræ, sive animalia ferocia captiva, constitutus est aliquis continuam eorumdem habens curam. Contigit Florentiæ quod unus ex leonibus custodi, qui feris illis alimenta indies subministrat, factus fuerit familiarior adeo, ut quotidie nutritori suo actibus externis blandiretur; idque à longo tempore duraverat; uno tamen die manè, dum custos cum leone suo jocaretur, eumque frusto carnis, quod pro jentaculo porrigere volebat, leviter percuteret, adeo bestia illa excanduit, ut in custodem insilierit, eumque dilaniaverit; *Adversarius vester diabolus tamquam leo, &c.* quamcumque vobis offerat pacem nolite unquam ei fidere: *Ausculta quando dicere possis vox dilecti pulsantis* [inquit Gillibert. Abbas] *hostis primo aggressu timide agit, tentantis modo deprehendi timens; palpat, non pulsat, dilectus suus innotescere volens, pulsat audacter*; Frequenter non inimicum, sed amicum se exhibet, ut cum de nobis securus est, securius nos in lapsum propellere possit; non vult, & eum tamquam inimicum nostrum apprehendamus, ne ipsum timeamus ac fugiamus.

S. Aug. l. 14. de civit. Dei. Non molestat illos qui ipsius voluntati obsequuntur. *Idem ser. 85. de temp.* — Historia ferocientis Leonis in nutritorem suum. — *1. Petr. 5. v. 8.* — *Gillibert. ser. 43. in Cant.*

6. *Adversarius vester diabolus, &c.* Non tantum noster, sed & suiipsius inimicus est; unde justa de causa per serpentem figuratus fuit, quia secum fert toxicum & venenum in proprijs faucibus, & lingua sua. Quænam fuit similitudo illa cœlestis magistri: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem?* Desideratisne scire, quomodo generentur fulmina & fulgura? Terra sursum in aërem suas transmittit exhalationes & vapores, è quibus deinde fabricantur sagittæ in terram recidentes; voluit igitur Christus Dominus inferre, dæmonem esse instar fulguris, quia tentationibus suis quodcumque damnum possibile nobis inferre satagit, sed ut plurimum in ipsum omne malum recidit, dum victus & confusus abire cogitur. *Non fulgor, inquit, sed sicut fulgur; quia suum lumen amisit, quod habebat* [verba sunt D. Ambrosij] *antequam tibi tuum lumen valeat auferre.* Sed quamvis etiam tentationis remaneret victor, pœna tamen accidentalis ei accresceret propter damnatorum multiplicationem; quemadmodum propter augmentum animarum beatarum cœlestis gloria accidentalis beatis accrescit. Efficax nobis subministrat motivum S. Isidor. Pelus. ut hujus bestiæ horrorem concipiamus, cum ait: *Si nec regnum te incitat, & cohortatur, nec gehenna rursum terret, non advertimus nos, cum feram & indomitam belluam incantamus, cum improbo dæmone humana forma contecto luctari?*

Diabolus est etiam suiipsius hostis, & comparatur fulguri. *Luc. 10. 18.* — *S. Ambr. l. de fuga sæc. c. 7.* — *S. Isid. Pel. l. 2. Epist. 134.*

7. *Tamquam leo.* Si diabolus nonnumquam nos accedat instar leonis, ne in illius incidamus laqueum & prædam, tamquam leones ei resistamus, oportet. *Cui resistite fortes in fide.* Fides nos docet, quod absque consensu nostro nequeat nos superare; cum generositate igitur demus illi repulsam: *Justus ut leo confidens absque terrore erit.* De Sigismundo Cæsare narrat Æneas Silvius, quod nonnulli conjurati Hungari quodam die conclave suum tumultuose ingressi fuerint ipsum occisuri, at ille generoso animo tumultuantibus obviam processerit manibus & pugnis pugnaturus dicens: Quis vestrum Principi suo manus injicere audebit? Si quis id attentare ausus fuerit, prodeat ille solus cum solo. Cuncti his verbis deterriti, retrocesserunt in fugam elapsi. *Justus ut leo confidens.* Quem timet inimicum, qui nihil potest sine nobis? *Resistite fortes*, constantes estote nullum dando consensum.

Diabolo fortiter instar Leonis, Leoni resistere debemus. *1. Petr. 5. 9. Prov. 28. 1. Æneas Silv. l. 3. de reb. gest. Alphon. n. 39.* Insignis historia.

8. Scribit S. August. contra Pelagium: *Dicunt aliqui: Diabolus nobis adversatur. Prorsus huic objectioni ad illa verba respondemus, quæ B. Jacobus dicit, resistite diabolo, & fugiet à vobis; unde animadvertendum est, quod possit ijs nocere quos fugit, vel quantam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere non resistentibus potest.* S. Jacobus tamquam caput & Episcopus Ecclesiæ Jerosolymitanæ & S. Petrus pastor universalis unanimi consensu idem nobis reliquerunt remedium *ad unguem.* Et vero Salvator noster insigne nobis dedit exemplum generosiori semper animo dimicandi adversus Satanam, esto acrius nos infestet tentatio; nam primo assultui se opposuit: *Non in solo pane, &c.* Secundo: *Scriptum est, non tentabis Dominum, &c.* & tertium, qui duobus prioribus acrior fuit & vehementior, retorsit his verbis: *Vade retro Satana, &c.* Quo plus ei nos opponemus, eo magis deficient ipsius vires; unde docet S. Ambrosius: *Vides diabolum ipsum non esse in studio pertinacem, cedere solere veræ virtuti; etsi invidere non desinat; tamen infestare formidat, quia frequentius refugit triumphari.* Documentum quoque est B. Laur. Justin. *Tentationes diaboli, quamvis laboriosæ sint, magno cum animo sustinendæ sunt. In primis gravis & dirus est impetus diaboli, quod si quis forti animo sustinuerit eum, semper inveniet infirmiorem; validi sumus in cujus virtute confidimus.*

S. Aug. lib. de nat. & grat. to. 7. Si fortiter restiterimus diabolus fugiet à nobis. *Matth. 4. 4. Ibid. v. 7. Ibid. v. 10. S. Ambr. 4. in Luc. B. Laur. Just. lig. vitæ de patient. c. 4.*

9. Quod si obtineamus victoriam, ultra coronam quam lucramur in cœlis: *Coronabitur, qui legitime certaverit*, hanc quoque in præsenti vita habemus promissionem: *Vincenti dabo manna absconditum.* S. Antoninus inter alios tentationis devictæ fructus hunc quoque exhibet: *Consolationem & refectionem spiritualem causat; in cujus rei exemplum postquam Christus tentationes superavit in deserto, Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Hieronymus ad Eustochium de se ait, cum tentaretur tentatione luxuriæ; Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum consciam pertimescebam, & mihi iratus & rigidus solus deserta penetrabam, & ut mihi testis Deus est, post multas lachrymas nonnumquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum. Hinc & Sara uxor Tobiæ junioris ajebat: Non delectaris Deus in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis; id est, post tentationem quietem mentis, post lachrymationem & fletum exultationem infundis. Dicitur à naturalibus de cervo, quod prælians cum dracone vel serpente postquam occiderit, quasi infectus ex flatu ejus, ad fontem currens, in aquam se projiciens totus refrigeratur & juvenescit; sic servus Dei præliatus cum Dracone infernali, & quasi infectus ex tentatione mala, ad fluvium paradisi recurrens, totus confortatur & vigoratur.* Aliud in Samsone habemus exemplum proposito nostro conformius: *Spiritus Domini irruit in Samson, & dilaceravit Leonem* & post pauca sequitur in sacro textu: *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cum sumpsisset in manibus, comedebat.* Qui infernalem hunc leonem dilaniat; repletur à Deo cœlesti suavitate.

Vincenti diabolum præter præmium cœleste, promittitur etiam in hac vita manna divinarum consolationum. *S. Anton. p. 4. t. 13. c. 3. §. 5.* — *Judic. 14. 6. Ibid. v. 8.*

10. *Circuit quærens quem devoret.* Advertendum est, quod tunc feræ evadunt & effugiunt fauces leonis, si fugæ se committant; sicque serio nobis cavendum est, ne quæramus tentationes, & leonis hujus fauces incurramus, sed tentanti & infestanti solum resistere oportet. Salvator noster ivit in desertum, non provocaturus dæmonem, sed ex impulsu Spiritus Sancti: *Ductus in desertum à Spiritu*; ubi subdit Theophylactus: *Ducitur à Spiritu; nihil enim sine Spiritu fecit.* Consilium est Thomæ de Villa Nova: *Non est à nobis optanda aut procuranda tentatio. Christus Jesus, quia filius Dei erat, & peccare non poterat, per Spiritum Sanctum se obtulit tentatori; nobis caducis & fragilibus alia ratio est; satis est, si viriliter perferamus.* Hujus quoque opinionis est S. Joannes Climacus loquens pariter in sententia D. Chrysostomi: *Neque detrectanda sunt certamina, neque temere ad illa prosiliendum; ita enim & victoria nobis illustrior erit, & victi dæmonis ignominiâ majori risu digni; cum compulsi & protracti ad pugnam generose in illa constiterimus.* Hoc idem monitum legitur Homilia ad populum: *Precemini Deum, ne intretis in tentationem, inducti generose feramus; nam illud quidem est modestorum virorum se periculis non ingerere; hoc autem generosorum atque sapientium. Nec itaque nos geramus temerarie, audacis enim est.* Quod S. Antonius alijque eminentis sanctitatis magnæque experientiæ viri ad pugnam provocaverint dæmonem, exempla sunt potius miranda, quam imitanda, nisi ab hominibus eminentis & probatæ perfectionis ac virtutis.

Tentationum occasiones non quærendæ, sed fugiendæ sunt. *Matt. 4. 1. Theophil. ib. S. Th. de Vill. conc. 2. in Dom. 1. Quadr. Scholion. 23. ad grad. 26. Clim. D. Chrys. H. 67. ad pop.*

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Varij tanguntur modi, quibus tentationibus resistere, easque evincere ac superare possimus.

THEMA.

Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Jacob. 4. v. 6.

1. S. Jacobus Apostolus consulit nobis, ut hosti infernali resistamus, idque hunc in finem & effectum, ut à nobis fugiat; modum tamen, quem ad ludificandas ipsius artes, dolos & astutias, & ad evincendos assultus ejus tenere debeamus, non suggerit. Erit igitur operæ pretium, priusquam huic materiæ finem imponamus, ut nonnullos alios, præter illos supra jam insinuatos, declaremus modos, quibus hujusmodi resistentia facilior reddatur.

Quibus modis diaboli tentationibus sit resistendum.

Resistite. Et quidem statim sub initium suggestiones diabolicæ sunt repellendæ, priusquam figant pedem; *nolite locum dare Diabolo.* In vitis Patrum legimus: *Pater senior docebat eos, ut quotidie proficerent in virtutibus, & insidias Diaboli, quas per cogitationes inferret hominibus, in initijs statim retunderent, sic enim ajebat: Confringatur caput serpentis, & omne ejus corpus emortuum reddetur; ob id enim mandat nobis Deus observare caput serpentis, ut omnino statim ab initio non recipiamus malas & sordidas cogitationes.* Est doctrina Aristotelis: *Principium rei cujusque maximum est, quippe quod rei dimidium sit.* In principio, quando adhuc debilis est inimicus, facilior est victoria, & quamvis serpenti, quantumvis exiguo, suum non desit venenum, attamen facilius caput, quando adhuc est tenellum, conculcari & conteri potest, ac quando jam excrevit, factum formidabile.

Diabolicis suggestionibus in initio resistendum est. *Vita Patr. l. 2. c. 6. Arist. tom. 7. Sect. 10. Problem. q. 15.*

2. S. Thomas de Villa Nova, quando tractat de modo, quo adversus tentationes nos fortificare debemus, hoc quoque insinuat documentum in proposito hujus textus: *Intravit Jesus in quoddam castellum. Habeat vigiliam diligentissimam super cor; sicut scriptum est: Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita & mors.* Sequitur postea: *Ad modum castrorum arcem nostram defendamus. Si quis à longe apparuerit hostis id est carnalis appetitus illico rationis telo confodiatur, & si coacto agmine malarum cogitationum & stultorum desideriorum acies violenta irruerit, tolle pontem, diverte cogitationem, occupato imaginationem, & frustrata residebit. Nihil enim utilius, nihil melius ad vitandos irruentium tentationum conflictus, quam occupare animum, & in aliud ipsam cogitationem divertere. Hunc imaginationis pontem si quam celeriter levaveris, omnis tentationum impetus frustratus evanescet*; Monet nos quoque moralis Seneca: *Non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat, excluditur facilius, quam expellitur.* Et in primo libro, ubi agit de ira, hoc assignat exemplum: *Optimum est primum irritamentum iræ protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus & dare operam, ne incidamus in iram, nam si cœperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est. In primis finibus hostis arcendus est, non cum intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.*

Continuatio ejusdem. *Luc. 10. 38. S. Th. de Vill. conc. 4. de Assumpt.* — *Seneca mor. Ps. 116.* — *Idem l. 1. de ira c. 7.*

3. *Resistite.* Infernalis hic inimicus est magnæ experientiæ: *Serpens erat callidior*, sagacissimus est situm explorat debiliorem; ibidemque exstruit propugnaculum, & sperat irruptionem; quævis minima apertura ei sufficit. Huic ergo hosti si velimus efficaciter resistere, omnino convenit expeditque illum fortificare situm & locum, qui captu facilior est, & ubi facile contingere potest irruptio. *Omnes ergo portæ* (ait S. Cyprianus) *ne dicam rimæ claudendæ sunt, ne per modicum non munitum tota civitas ruat.* Si proclives sitis ad lubricum carnis vitium, minime negligenda est custodia occasionum ac periculorum, etiam remotorum, cum tali persona non tantum non conversari, sed, quantum fieri potest, ne quidem eam aspicere debetis, non obambulare talem plateam, neque etiam in phantasia hosti concedendus est locus ullus: *Omnes ergo portæ &c.* Solent belli duces practici munitum præoccupare locum; hoc idem militi Christiano faciendum est, in solitudinem, inquam, locum, utpote, tutissimum se recipere debet. Præterea si miles armis impetatur curtis, nec ita oblongis, hostem repellere & vincere potest lancea, alijsve armis; idem nobis agendum est, Dæmoni opponenda sunt arma omnino contraria; si gula nos tentet, adhibeamus jejunia, abstinentiam; si motibus & cogitationibus carnalibus; carnem maceremus & castigemus disciplinis: *Apprehendite disciplinam &c.* Alia lectio habet: *Adorate puritatem.*; infestamur odio & vindicta? opponamus mansuetudinem: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Scribit in nostram consolationem B. Justian. *Quidquid adversi foris pulset seu obstrepat, intus obesse nil potest, dummodo divinus timor, non dormitans intentio, proficiendi studium, innocentiæ gustus, puritatis ac munditiæ zelus, atque internæ pacis affectio cordis possideat penetralia. Re namque vera nemo læditur nisi à seipso. Quisque igitur fit robustior, quo erga se vigilantior.*

Omnes viæ & rimæ tentationibus præcludendæ sunt. *S. Cypr. ibid.* — *Ps. 2. v. 12.* — *1. Petr. 3. v. 9.* — *B. Laur. Just. de triumph. Christi agone c. 6.*

4. *Resistite.* Resistemus, fugientes occasiones; in quo pulchre nos docet S. Antonin. verbis sequentibus: *Dicit Magister sent. in 4. dist. 1. Non facile capitur à tentatore, qui alicui bono vacat exercitio. Cum quidam sanctus vir transiret ante cellam cujusdam Anachoretæ, vidit Diabolum aliquando intrantem, & aliquando exeuntem, & ingressus ad illum quæsivit ab eo opera sua, quæ agebat tunc, & invenit quod cum stabat bene occupatum Diabolus recedebat à tentatione ejus, & foris extra cellam manebat; cum autè staret otiosus, tunc Diabolus intrabat, & eum tentabat.* Solebat dicere S. Anton. *Quales nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverant.* Si data opera immundas in mente revolvamus cogitationes, si inhæreamus fenestris, si in tali domo conversemur, ex una scintilla magnum Dæmon excitabit incendiũ.

Resistere debemus fuga occasionum. *S. Antonin. p. 4. t. 13. c. 3. §. 4.* — *Vita S. Anton. c. 20.*

5. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso*, quærit Ecclesiast. *& omnibus qui appropiant bestijs? Sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus.* Si superari nolitis à pruritu murmurationis & detractionis, fugite circulos & colloquia illa, ubi alias vos impegisse novistis. Refert Bolland. de S. Catharina Sueca, filia S. Birgidæ, quod cum ipsa una cum nonnullis alijs matronis Romanis Matrem suam, Ecclesiam S. Sebastiani extra muros visitaturam comitaretur, comes quidam insidias ei struens, illamque rapturus, urbe quoque armatis suis stipatus militibus exie-

Eccli. 12. 13. Etiam loca suspecta sunt fugienda. *Bolland. 24. Martij fol. 509.* Exemplum.

rit; at Deus speciali miraculo quemdam cervum intercurrentem immiserit, qui iniquum ac perversum hujus insidiatoris propositum turbavit & dissipavit, modumque effugiendi Sanctæ Virgini suppeditavit. Observat insuper idem Historicus, quod, quotiescumque Sancta ejus Mater deinceps domo egrediebatur Missam auditura, cum magna cautela & circumspectione processerit.

Humilitas optimum est remedium ad vincendas tentationes. S. Isid. l. 2. sent. c. 38.

6. *Resistite Diabolo.* Humilitas quoque, veluti ostendit S. Anton. optimum remedium & medium est ad evincendas tentationes. Legimus in S. Isid. *Luxuriosis atque superbis Dæmones plus fautores existunt, dumque in cæteris vitijs spiritus maligni deserviunt, his tamen majori familiaritate junguntur eisque amplius juxta desiderium famulantur. Principaliter his duobus vitijs Diabolus humano generi dominatur, superbia mentis & luxuria carnis; unde & Dominus in Job loquitur de Diabolo dicens: Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Per calamum inanis superbia; per loca vero humecta carnis demonstratur luxuria, per hæc enim duo vitia Diabolus humanum possidet genus.* Et quia propter superbiam lapsus est, ideo humilitas ei est instar cultri aut clavi cordi infixi.

S. Aug. T. 3. de gen. ad lit. l. 11. c. 5. Ideo tentamur ut humiliemur & confortemur. S. Anton. ubi sup. c. 5.

7. De nostro protoparente asserit S. Aug. *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda.* Unde affirmare possumus, quod Deus permittat nos tentari, ut humiliando nos amplius roboremur ad vincendas tentationes in majus nostrum commodum & lucrum. Hinc etiam ait S. Antoninus: *Tentatio humiliat seu ab elatione præservat.* Citat autoritatem S. Greg. *Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Hinc est, quod Israël Jebusæum tolerat, ut humana mens de se humilia sentiat.* In vitis Patrum: *Quidam ad hoc dabat exemplum, dicens, quod nisi velaret pistor oculos animalis molentis ad molam verteret se animal, & comederet suos labores. Sic Deus permittit cogitationes sordidas in mente nostra exurgere, & tentationes quæ mentem nostram obnubilant, ne bona nostra videamus, & ea per superbiam comedamus.* Legitur in vitis Patrum: *Interrogatus senex, quare ita impugnemur à Dæmonibus; respondit: Quia arma nostra abjicimus, humilitatem & paupertatem & patientiam.* Non sine causa nominavit paupertatem, quia aviditas bonorum temporalium est laqueus Diaboli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli;* quapropter qui pauperem agit vitam, vel etiam animum gerit à divitijs abstractum, facile Dæmoni resistit, nec in ejus incidit laqueos.

Vit. Pat. l. 5. n. 58.

1. Tim. 6. 9.

Per obedientiam, patri spirituali præstitam, vincimus tentationes.

8. *Resistite.* Quod insuper fræni instar infernali cerbero occludit fauces, ne nos mordere possit, est obedientia; quam præstamus Patribus nostris spiritualibus & superioribus, uti etiam manifestatio & detectio tentationum: *Vir obediens loquetur victorias.* Diabolus tolerare nequit, ut alijs nos subjiciamus, & nostram voluntatem abnegemus, quod ille post rebellionem suam numquam præstitit, neque præstabit. Ars militaris ut sortiatur effectum suum & finem, & de inimicis reportet victoriam, exactissimam requirit obedientiam: *Militia, tentatio, est vita hominis super terram.* Necessaria est rigorosa obedientia ad ludificandum antiquum adversarium. In vitis Patrum de quodam legitur, quod sæpe tentatus à spiritu fornicationis sæpe etiam accesserit sanctum aliquem senem, ut cum eo desuper conferret, & remedium reciperet: cui dixit sanctus vir: *Non concedas Diabolo, nec relaxes animum tuum, sed magis quoties molestus est Dæmon, veni ad me, & increpatus abscedet, nihil enim sic extædeat Dæmonem fornicationis, quomodo si revelantur stimulationes ejus, & nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes.* Audite documentum hoc Joannis Cassiani magni magistri vitæ spiritualis: *Vera discretio nonnisi vera humilitate acquiritur, cujus humilitatis hæc erit vera probatio, si universa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat. Quæ institutio cunctis fraudibus & insidijs inimici servabit illæsum, nullatenus enim decipi poterit quisque si non suo judicio, sed majorum vivit nec valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico enim ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit & antequam discretionis judicium auferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterranea specu, virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit.* In alio loco hisce scribit conformia, *Tamdiu suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis: quamdiu celantur in corde.*

Job. 7. 1.

Vit. Patr. l. 5. libell. 5. n. 13. Sicuti etiam revelando illi tentationes.

Joan. Cassian. coll. 24. de discret. c. 10.

Idem l. c.

Fortiter contra tentationes, pugnando, proponamus nobis præmium de victoria proveniens.

9. *Resistite.* Referunt Historici de Agide Rege Lacedæmoniorum, quod, cum quis ei nuntiaret exercitum inimicum adesse numerosissimum, adeoque bene adverteret, sibique caveret, ne cum eo committeret pugnam, responderit: *Necesse est contra multos pugnet, qui multis vult imperare.* Firmiter animo imprimamus oportet illam remunerationis magnificentiam, quam ex resistentia reportabimus. Dicebat S. Hieron. *Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia.* Qui impie vivunt, sudant, laborant & multa perferunt euntes ad infernum: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles;* & ad præcavendum hoc malum inordinatas nostras passiones & appetitus non mortificabimus, non subjugabimus, ut æternam lucremur gloriam? *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Verum quia jam mentionem fecimus paradisi, motivum etiam potentissimum, ut tentationibus resistamus, est scire, quod pugnemus & decertemus in conspectu inferni, mundi, cœli, Angelorum, Sanctorum: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus;* & quidem Angeli sancti sua nobis offerunt auxilia, exhortantur nos ad strenuam pugnam, impetrant nobis vires, ne cedamus, aut succumbamus, unde tota cœlestis lætatur curia, quod ad despectum Angelorum rebellium vincamus, cœlestisque Jerusalem restauremus ruinas. Dicite mihi, si magnus aliquis Princeps inveniretur, cui deberetis centum millia imperialium, vobis vero hanc ei summam reddentibus restitueret totum hoc capitale, ac insuper vos remuneraret suo principatu & dominio, quale non esset lucrum? Homo Christianus, nisi velit damnari, vincat tentationem necesse est; at vincentem Deus remunerat præmio maximo: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ &c. Quamvis auxilio Dei steterint* (ait S. Prosper) *tamen quia in se habebant, unde caderent, ipsorum est meritum, quo steterunt.* Esto vincamus in virtute divinorum auxiliorum, victoria tamen nostro ascribitur merito. Adamas gestatur in digito, annulo inseritur, eodemque regalia diademata ditantur & ornantur; at prius pluribus mallei ictibus tunditur & aptatur, quam ad illum decorem & pretium inæstimabile reducatur: Tentationes in continuo nos continent periculo, inquietant, affligunt; at illis superatis & devictis æternam lucramur beatitudinem.

Ps. 13. v. 3. Sap. 5. v. 7.

Matt. 11. 12.

1. Cor. 4. v. 9. Angeli sancti nobis adsunt & auxilium præstant in tentationibus.

Jacob. 1. 12.

S. Prosp. lib. de vocat. gent. c. 28.

S. Bern. ser. 67. de modo bene vivendi. In tentationibus cogitandum est de morte, judicio futuro, & inferni tormentis.

10. *Resistite.* S. Bern. monitum est: *Si sentis molestiam carnis, si tangeris stimulis carnis, si memoria libidinis adhuc titillat animum tuum, si caro tua adhuc te impugnat; objice tibi memoriam mortis tuæ, propone tibi futurum judicium, reduc ad memoriam æterna tormenta.* Hoc idem pro fræno cujusvis alterius tentationis inservire potest. Doctrina S. Ambros. est: *Vides magnificentiam Christiani viri, qui certat cum rectoribus mundi, & licet constitutus in terris, adversus spiritualia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus, animi virtute decernit. Non enim de terrenis contendimus, ut dimicemus in terra sed spiritualibus propositis præmijs de regno Dei & Christi hæreditate.* Quam celebres sunt victoriæ, quas Sancti in præsenti vita de Diabolo reportarunt, quantoque honore post mortem in quovis etiam sæculo compensantur? Locum illum, ubi S. Benedictus se in vepribus volutavit, ut spiritum fornicationis superaret, tantis Deus illustravit miraculis, ut post tot centenos annos conservetur in pari cum quocumque gloriosissimo monumento sive sacro sive profano, veneratione & magnificentia.

S. Ambr. l. 6. in Luc. 8.

S. Bern. ibid. Summa hominis gloria est dæmonum tentationes vincere.

11. Audiamus denique S. Bern. Serm. de S. Bened. *Discite quantumcumque acerba tentatio sæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te esse à Domino, sed memineris scriptum esse: Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Summa hominis, qui nonnisi merum lutum est, gloria est, quod possit esse instrumentum divinæ gloriæ) *Honorificabis me.* Quot virgines in tentationibus & assultibus Dæmonis constantes Deo dederunt summum honorem, ut bene propterea dicere potuerint: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis?* Translucet omnipotentia & virtus Altissimi in fortificando fragili homine adversus Dæmonem. Pro fine advertendum, quod de hac materia fusius tractetur Tomo primo per 18. Discursus.

TRACTATUS CXIII.

DE TIMORE DEI,

CONTINET.

DISCVRSVS XV.

DISCURSUS I. Ad bonam directionem & observantiam Divinarum legum ante omnia necessarium est prædicare timorem Dei.

II. Timor Dei est stimulus ad pœnitentiam, cooperatur quippe non tantum in abolendo peccato præterito, verum etiam præservat nos à futuro.

III. Improbatur timor humanus & mundanus, pariterque ostenditur, qua ratione bonus sit timor, dictus, servilis.

IV. Demonstratur timorem filialem esse compatibilem cum amore Dei, & servilem cum filiali.

V. Semper nobis timendum est in negotio æternæ nostræ salutis.

VI. Timor Dei est pignus & signum æternæ beatitudinis.

VII. In via Dei numquam debemus esse securi; at semper timere.

VIII. Qui majori præditus est spiritu, plus timoris habere, Nullus ab hoc se eximere, nec securus vivere debet.

IX. Origo & principium æternæ nostræ salutis solet esse timor Dei; ubi variæ considerationes super illa verba: *Initium Sapientiæ timor Domini.*

X. Ostenditur timorem Dei esse radicem & fundamentum sapientiæ.

XI. Timenti Deum non desunt bona spiritualia, pariter & temporalia.

XII. Timor Dei animabus timentibus confert consolationes & gaudia.

XIII. Varia considerantur bona, quæ à timore Dei derivantur.

XIV. Examinantur adhuc alia emolumenta, quæ proveniunt à timore Dei.

XV. Nonnulla tanguntur motiva, quibus stimulemur ad concipiendum hunc sanctum timorem.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Ad bonam directionem & observantiam Divinarum legum ante omnia necessarium est prædicare timorem Dei.

THEMA.

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Psalm. 33. v. 12.

Necessitas timoris Dei asseritur.

2. Reg. 23. 8. Ps. 50. v. 8.

1. REgius Propheta sapientissimus erat, *Sedens in Cathedra sapientissimus*, utpote in vanum non gloriabatur: *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Super senes intellexi.* Quodam die solicite suos ad auscultandum sermonem prædicationis suæ invitabat: *Venite filij, audite me*, & quid eis prædicaturus est? timorem Dei. *Timorem Domini docebo vos.* Ad insinuandum cunctis fidelibus in sæculis subsequentibus, quantæ utilitatis sit docere animas timorem Dei. *Quid tandem*, inquit Basilius Magnus, *Pater hic spiritualis docturus est? Timorem, inquit, docebo vos.* Salomon filius ejus, cui Deus talem infudit sapientiam, qualem non habuit, nec habiturus est homo in præsenti vita, cum finem imponeret libro Ecclesiastes, decidit: *Faciendi plures libros nullus est finis, ... Finem loquendi pariter omnes audiamus.* Cunctos sermones, cunctosque libros, quotquot scribendi erant, hoc exiguo restrinxit compendio: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Audiamus D. Hieron. in hunc textum scribentem: *Ajunt Hebræi, cum inter cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoria duraverunt, & hic liber oblitterandus videretur, eo quod vanas asserat Dei creaturas, & totum putaret esse pro nihilo, & cibum, & potum & delicias transeuntes præferret omnibus, ex hoc uno capite meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totam disputationem suam & omnem catalogum suum, hac quasi coarctaverit, & dixerit finem Sermonum suorum auditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile ut scilicet Deum timeamus, & ejus præcepta faciamus, ad hoc enim natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens veneretur, cum metuat honore, & opere mandatorum.*

S. Basil. in hunc locum.

Eccle. 12. 12. Ibid. v. 13.

S. Hieron. ib.

S. Joannes Baptista incepit prædicationem suam à timore Dei. Luc. 3. v. 4. Ibid. v. 5. Luc. 3. v. 29.

2. Pientissimus Salvator noster misit Baptistam, ut corda hominum in peccatis inveterata sua prædicatione præpararet & ad Deum converteret: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus;* ad assequendum hunc finem: *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas;* ast qualem servavit modum? Incepit à timore Dei: *Factum est verbum Domini super Joannem. Jam securis ad radicem arborum posita est.* Multi, qui annunciant verbum Dei, in hoc errant, quod ut plurimum de sublimibus altisque mysterijs discurrant contra illud Apostoli consilium: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, suamque ostentent scientiam & ingenium, animarum profectum minime respicientes; nam, ait Propheta, *audite me; timorem Domini docebo vos.* Ad hanc invitationem reflectebat se B. Laur. Just. quando dicebat: *Venite; & audite me, quia timorem Domini docebo vos; non cursus siderum, non rerum naturas, neq; cœlorum secreta; sed Domini timorem docebo vos. Horum scientia sine timore inflat, timor autem Domini absq; scientia illorum salvat.* Considerat deinde, quodnam sit principium sapientiæ ordinatæ ad instructionem & eruditionem eorum, qui alios futuris temporibus docere deberent: *Non aliunde*, ait, *debuit ipsa sapientia suæ doctrinæ exordium sumere, quàm à timore Domini, nam & ipsius sapientiæ initium est timor Domini.* Solebat quidam servus Dei admodum illuminatus dicere, quod pro themate concionum nulla alia materia accipienda esset nisi ea de peccato, eo quod ad extirpandum peccatum prædicationes sive conciones institutæ essent; quod fusius supra probatū fuit; cum de verbo Dei.

Rom. 12. 16.

Ps. 33. v. 12.

B. Laur. Just. lig. vit. c. 1. de tim. Dom.

Timor Dei ab anima expellit peccata, & replet illam virtutibus.

3. Timor Dei, uti suo loco dicemus, non solum ab anima extirpat peccatum, verum etiam omni eam replet virtute & bono: *Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus*, ait S. Chrys. *si vero hunc nō habeamus, etsi regnum ipsum possideamus sumus omnium pauperrimi; nihil æquale Deum timenti.* In alia quoque Homilia eidem populo hæc prædicabat: *Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos, de pœna & supplicio loquens;* Ostendit deinde timorem Dei esse inexpugnabilis instar propugnaculi contra inimicos nostros, mundum, carnem & Dæmonem: *Timor nil aliud est, quam murus & munimentum ac turris inexpugnabilis; etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ.* Infinita ex inferno prodeunt mala in perditionem & ruinam humani generis, idque ex defectu timoris Dei, quo istis omnibus obviare possemus & deberemus: *unde tanta mala in mundo?* quærit S. Thom. de Villa Nova, *nisi quia non est timor Dei.* Timor ille est, qui continet in fræno populos, ut legibus conformiter vivant, hic tamen timor ad dirigendam conscientiam non sufficit: *De corde exeunt cogitationes malæ, &c.* necessarius nobis est timor Dei, ac propterea, *timorem Domini docebo vos*, Evangelij & verbi Divini præconibus incumbit, ut imprimant hunc timorem *Domini, non mundi;* uti exponit Hug. Card. *non hominum.*

D. Chrys. H. 69. ad pop.

Idem hom. 15. ad pop.

S. Th. de Vill. de Purif. Virg.

Matt. 15. 19.

Hug. Card. ib.

Matt. 10. 28. Timor Dei res est utilissima.

4. Pro majori hujus declaratione adducit idem Hugo textum illum ex S. Matt. cap. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Adhæc observat Albertus Magnus mysterium aliquod in vocabulo illo, Filij, subdens: *Nec mirum; in his enim verbis omnium hominum pater loquebatur,* David enim loquebatur nomine

Alb. Magn. ib.

Christi qui est communis omnium pater; pro quo citat Cassiodorum : *Vox paterna sonat, ut ultro dicentem audiamus, quem tacentem exquirere deberemus.* Et textum quoque illum adducit: *Audite filij disciplinam patris ; sed quid docebis ? Docebo vos filios rem utilem; quia pater sum, & vos filij.* Prædicatores & ministri Evangelij honorantur hoc titulo patrum, quia ipsorum est instruere & docere populos tamquam filios ; at quid eos primo loco docebunt ? *Docebo vos filios rem utilem ; Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Isaiæ cap. 48. legitur : *Est Deus tuus docens te utilia*, quibus verbis Alb. Magn. subdit hæc alia : *Primum autem eorum timor,*

Isa.48.v.17.

Prædicatoris monumentũ ut prædicent de timore divino.

5. *Audite me, timorem Domini docebo vos.* Cum prædicator teneatur esse pater communis & popularis, ut cujusvis capacitati se accommodet, & singuli fructum percipiant, nec commodiorem, nec utiliorem tractare potest materiam quàm de timore divino. Unde bene docet D. Chrysostomus in illum versum : *Beati omnes qui timent Dominum*, subdens : *Recte dixit, omnes, significans quod sive sit servus, sive dominus, sive pauper, sive mancus & mutilus corpore, ac denique quicumque sit, nihil eorum vetat, quo minus habeat hanc, quam ipse dicit, beatitudinem.* Timor Dei, veluti etiam amor, cuicumque statui, conditioni & professioni personæ competit & accommodatur : *Nec est qui se abscondat à calore ejus.* Illi etiam qui armorum suorum potentia toti mundo timorem & tremorem incutiunt, indigent sancto timore; Apoc. 19. de throno illius altissimæ & supremæ Majestatis, *quam tremunt potestates*, audiebatur vox illa : *Qui timetis eum pusilli & magni.* Magnates quoque hunc concipiant timorem necesse est, ne in eis adimpleatur, quod ait S. Hieronymus : *Formidabiles quondam Reges nudo latere palpitabant.* Populi subjecti sunt legibus Principum, qui timore pœnarum eos in fræno continent, ast quia ipsi legibus, quas promulgant, minime adstricti sunt, utpote nulli superiori nisi Deo subduntur, omnino necessarium est, sibimetipsis divini timoris præscribant legem.

Ps.127. 1. D. Chrys. ib. Ps.18. v. 7. Apoc.19.v.5.

Timor Dei extimulat ad servandam legem humanam & divinam.

6. Timor, dictus mundanus (veluti dicetur suo loco) non est sufficiens, ut mundam servet rempublicam à vepribus vitiorum & criminum, quæ pacem communem perturbant, necessarius est timor Dei, qui est stimulus & calcar impellens ad adimplendas non humanas dumtaxat, sed multo magis leges divinas, ejus defectu quisque ruet in magnum præcipitium: *Non sufficit ad vitam credere* (inquit S.Thomas de Villa Nova) *sed oportet servare mandata; hoc fit per timorem Dei, nam per timorem Dei declinationis à malo. Hic reprimit prava desideria, & malos appetitus, & coercet manum de pravis operibus, & retrahit hominem ab iniquitate.* Legimus *in enumeratione graduum scalæ paradisi* Joan. Climaci circa finem : *Timor parit Divinorum & humanorum præceptorum observationem.* Hanc observantiam respiciebat regius Propheta, quando Psal. 18. ad vivum expressit effectus timoris Dei, inquiens: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis, Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Desideratisne cognoscere è qua radice consurgant hi fructus salutares ? *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.*

S.Th. de Vill. 3b d. S.Joan. Clim. Ps.18.v.8. Ibid.v.9. Ps.18. v. 10.

Exod 19. 16.

Quare Deus præmiserit tonitrua priusquam daret tabulas Legis.

7. Annon observastis, quando Deus populo suo electo tradidit tabulas legis suæ, leges nimirum Decalogi, quas & nos observare tenemur, & cæteri omnes, qui volunt salvari; promulgavit obstrepente tonitru, tubarumque resonante clangore; quando in extremo judicij die à toto humano genere strictissimam circa legis suæ adimpletionem exiget rationem, audietur pariter horrendus tubæ sonitus : *In novissima tuba &c.* Et homines præ timore & tremore animo concident : *Arescentibus hominibus præ timore &c.* Jam quæro ego, si hæc est lex amoris: *Plenitudo legis est dilectio*; cur præmittitur timor? Causa hæc est, ut intelligamus timorem esse medium efficacissimum ad hoc, ut lex Dei mandetur executioni ; qui vero nullum concepit timorem, tremet & arescet in extremo judicij die.

1.Cor.15.52. Luce 21. 26. Rom.13. 10.

Timor Dei retrahit à malo.

8. Postquam David nos invitavit verbis istis : *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*, ostendit deinde bona illa, quæ ex concepto divino timore in nos derivantur : *Declina à malo, & fac bonum*; quibus veluti duobus polis nititur totum illud, quod ad nostram salutem necessarium est. In alio quoque Psalmo, quem frequenter recitamus in Vesperis, specialiter diebus Dominicis ait : *Beatus vir, qui timet Dominum* ; quid hominem beatum abstrahat ab hoc timore? *In mandatis ejus volet nimis* : Ubi Hugo Cardinalis : *De timore venitur ad dilectionem, & de declinatione mali ad executionem boni*, unde addit ; *in mandatis ejus volet nimis. Bene dicit, volet, quia ubi non potest homo plus facere, sufficit bona voluntas. Bene dicitur, volet nimis, quia plus debemus velle, quam possumus facere; & talis viri, scilicet, timentis & volentis, potens in terra erit semen ejus, quia Prov. 14. in timore Domini fiducia fortitudinis, & filijs ejus erit spes.* Idem Propheta regius gloriabatur dicens : *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Magna sane protestatio, siquidem ait : *Ab omni via mala* ; at cesset omnis admiratio, si consideretur medium, quod adhibebat, nempe timor Dei ; hic enim exactam sanctæ legis Dei operabatur custodiam: *A judicijs tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi*, vivam gerebat memoriam divini judicij, quod erit severissimum.

Ps.36.27. Ps.111. v.1. Hug.Card.ib. Ps.118. 101. Ibid. v. 102.

Timor Dei est director vitæ nostræ.

9. Digna consideratione sunt nonnulla verba Lactantij Firmiani asserentis: *Timor Dei solus est, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur*; profecto tametsi nullus alius ex timore Dei perciperetur fructus, quis non videt hunc esse utilissimum, dum unicus existit vitæ nostræ director ? Hoc deficiente timenda est omnis desolatio. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* ; Ecce verba unius athei, non absimilis Pharaoni, qui pariter protestando similia loquebatur : *Nescio Dominum* ; at quid ex isto defectu veræ fidei secutum fuit : *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; sepulcrhum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, ... veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Vultisne intelligere, unde torrentes iniquitatis adeo abominandæ profluxerint ? *Non est timor Dei ante oculos eorum.*

Lact. Firm. l. de ira Dei c.12. Ps.13.v.1. Ps.13.v.1. Ibid.v.3.

Quanta mala proveniant ex defectu timoris Dei.

10. Hoc idem confirmat Propheta Ps. 35. cum ait : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, ... quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium; Verba oris ejus iniquitas, & dolus; noluit intelligere ut bene ageret; Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ex hisce ultimis verbis colligitur satis, iniquitatem hujus impie viventis non fuisse effectum ignorantiæ, vel fragilitatis, sed puræ malitiæ, *excogitato consilio, sciens & volens*, prosequitur Psalmista : *Astitit omni viæ non bonæ*; causa inundationis tantorum malorum erat, quia defecerat timorem Dei : *Non est timor Dei ante oculos ejus*, dixerat jam sub initium. Quare bene & optime asserit S. Isidorus : *Ubi timor non est, ibi perditio est morum. Ubi timor non est, ibi dissolutio est vitæ; ubi timor non est, ibi scelerum abundantia est.*

Ps.35. v.1. 2. & 3. Ibid. v.4. Ibid.v.5. Ibid. v.5. Ibid. v.3. S.Isid. Synonom. l.2. 6.6.

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.

Timor Dei nostræ cooperatur conversioni, expellendo à nobis peccatum commissum, & præservando nos à futuro.

THEMA.

Timor Domini expellit peccatum. Eccli. 1. v. 27.

Duabus modis per timorem operari possumus.

1. HÆc propositio, si absolute consideretur, non videtur posse subsistere in bona & sana Theologia, quia per infusionem gratiæ sanctificantis dumtaxat expellitur peccatum ab anima; & tamen Spiritus Sanctus, cui proprium est abolere culpas : *Ipse est remissio peccatorum*, per os Ecclesiastici, cujus & pennam direxit, loquens ait : *Timor Domini expellit peccatum.* Doctissimus Suarez Tom.4.p.3.q.83. art.1.disp.5. sect. 1. notat, duobus modis aliquem per timorem operari posse; primo quando nos provocat ad ponderandum malum nobis obvium, pro quo adducit textum illum Isaiæ : *Vexatio dat intellectum*; secundo, potest considerari timor per modum finis. Primo modo, ait Suarez, contingere solet, quod Deus attrahat peccatorem ad pœnitentiam, & in hoc sensu intelligitur illud ; *Initium sapientiæ timor Domini.* Timor est occasio, qua inducimur ad veram compunctionem & detestationem peccati. Ad hoc allusit S. Ambrosius dicens : *Ante dolorem autem est timor.* In cujus confirmationem adducere possumus sacrum Concilium Tridentinum, quod ita discurrit : *Dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam, se convertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus*

Isa.28.v.19. Eccli. 1.v.16. S.Ambr.l. de Jacob & vita beata l.1.c.2. Conc. Trid. Sess.6. c.6.

peccata

peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per pœnitentiam.

Timor Dei duplici modo expellit peccatum, pœnitendo & resistendo.

2. S. Joannes Chrysostomus hoc ipsum illustrat similitudine omnibus nota; dicens : *Nullum est malum, quod non extinguat Dei metus ; quemadmodum ignis quodcumque ferrum cœperit contortum, vel rubigine confectum, clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens & quod in eo erat perversum & inflexum, perfectissime corrigit ; ita Dei timor vel exiguo tempore facit omnia.* Illud quoque hic advertendum est, quod prædicavit S. Bernardus Sermone, cui titulus, *de diversis affectionibus animæ*, dicens: *Timor Domini expellit peccatum, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare ; expellit sane illud quidem pænitendo, hoc resistendo. Expellit pænitendo.* Primus, qui post adventum Salvatoris in hunc mundum prædicavit pœnitentiam, fuit S. Joannes Baptista : *Facite*, inquiens *fructum dignum pœnitentiæ*; accurrebant peccatores indurati, serpentes, viperæ, *genimina viperarum*, abominabilis fæx peccatorum ; at qualem is servabat modum, quo eos ad veram pœnitentiam, innumerabiliumque scelerum detestationem induceret? *Jam securis ad radicem arborum posita est.* Similitudo hæc de securi posita ad radicem arboris, non videtur prima fronte apta & apposita, nec cum eo, quod exprimere intendebat, concordare ; etenim quando ab arbore aliqua multos expectamus desideramusque fructus, radici apponimus fimum, & circa radicem terra foditur, adaquatur, putantur rami inutiles, radix manet semper intacta, numquam inciditur, quo igitur modo S. Joannes hoc : *Facite fructum*, cum altero : *Jam securis ad radicem arborum posita est*, concordabat ? Responsio facilis est : S. Præcursor non intendebat loqui de plantis & arboribus naturalibus, sed de hominibus, qui in sacris literis, alijsque locis, denominantur arbores ; ut hos ergo induceret ad ferendos fructus veræ pœnitentiæ, bonorumque operum, non occurrebat medium efficacius & securius, quàm ut eis incuteret conceptum timoris Dei : *Timor Domini expellit peccatum pænitendo.* Unde bene asserit autor imperfecti operis : *Rationales sunt arbores, & in potestate habent facere bonum, aut non facere, ut videntes ad radices suas positam esse securim, timeant præcisionem suam, & faciant fructum.*

D. Chrys. in Ps.127. S. Bern. de diversis affect. ani. Matth. 3. 8. Luca.3. v.7. Matth.3.10. Eccli.1. 27. Auctor imperf oper. hom.3.

Timor Dei expellit peccata præterita.

3. Hic fructus debet esse fructus pœnitentiæ, videlicet, debet abigere & propulsare peccata præterita. Tertulliani sententia est : *Ubi metus nullus, emendatio proinde nulla.* Cunctis innotuit probatica illa piscina, quæ erat in Jerusalem, repleta claudis, surdis, cæcis, aridis, paralyticis, alijsque similibus in magno numero, & hi, uti bene advertunt interpretes sacri, figurabant omnis generis vitiosos homines; quemadmodum igitur præfati infirmi tunc recipiebant sanitatem, quando intrabant aquas illas primum agitatas & conturbatas; ad eumdem modum peccatores & impie viventes tunc æternam recipiunt salutem, quando eorum corda conturbata fuerint timore : *Turbari autem aquam piscinæ significat* (subdit Theophilactus) *quod in ipsa turbentur spiritus malitiæ contriti & suffocati gratia spiritus. Hanc autem piscinam pænitentiæ Angelus turbat : qualis ? ille magni consilij Patris Christus & Salvator; nam nisi tetigerit cor nostrum Divinum verbum, & turbationem fecerit in illo propter memoriam futurorum suppliciorum, numquam efficax erit piscina ista, neque sanitas erit animæ dissolutæ.* In quadam Epistola scribit S. Augustinus : *Sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor.* Neque à veritate aberravit Poëta ille canens : *Oderunt peccare boni virtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Tertull. l. de pœnit. c. 2. Joan. 5. Theophil. ib. S. Aug. Epist. 50.

Eccli.1. v.15. 1.Cor. 2. 14.

Optimum remedium ad purificandas animas, est timor Dei.

4. Certum est, quod mali numero excedant bonos : *Stultorum infinitus est numerus.* Certum quoque est, quod *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus*; sicque non moventur ab initio ad detestanda peccata ex motivo spiritus & amoris, sed timoris: *Prava mens* (ait D. Greg.) *si non prius per timorem evertitur ab assuetis vitijs non emundatur.* Ejusdem sententiæ est D. August. *Rarissime accidit*, inquiens, *imo vero numquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore perculsus.* Pauci frequentant scholam Dei, nisi primo virgis timoris fuerint cæsi: *Initium sapientiæ timor Domini.* Lex illa, quæ in Levitico præscribit matribus purificationem post partum, consideratione digna est : *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato.* Turtures, uti & columbæ sunt aves timidæ, & istæ præcipiuntur offerri Deo in holocaustum & pro peccato, quia ad purificandas animas nostras à peccato timor optimum & efficacissimum medium est. Joannis Cassiani doctrina est : *Principium nostræ salutis ejusdemque custodia timor Domini est ; per hunc enim & initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.*

S. Greg. H. 34. in Evang. S. Aug l. de Catech. rud. c. 6. Ps. 110. 10. Levit.12. 8. Cassian. Inst. l.4. c.39.

Patet exemplo boni latronis.

5. Quis in peccatis magis obduratus ac pervicacior erat bono latrone ; qui etiam in monte Calvariæ una cum reprobo latrone socio Christum calumniabatur: *Idipsum & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Nihilominus subito se convertit adeo, ut ex præmio ei promisso ac soluto bene deduci possit, quam accepta & grata fuerit Redemptori nostro ejus compunctio: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* ; non attenta alia prævia supplicatione nisi hac: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Ecce causam impulsivam suæ mutationis: *Timor Domini expellit peccatum, quod jam admissum est, pœnitendo; nil coinquinatum intrat in regnum cælorum* ; & tamen eodem ipso die mundus ab omnibus suis peccatis intravit bonus latro, quia jam conceperat sanctum hunc & divinum timorem, veluti colligi potest ex reprehensione illa, qua corripuit reprobum latronem dicens : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es ? Hinc est, quod uterque latro* (ait S. Gregor.) *& eamdem & suæ morti similem mortem Redemptoris vidit, sed eum superbiendo alter contumelijs lacessere non timuit, quem timendo alter honoravit.* Ubi in nostra vulgata legimus : *Irascimini & nolite peccare* ; legitur in Hebræo textu : *Contremiscite, & nolite peccare.*

Matt.27.44. Luca 23. 43. Ibid.v.42. Ibid. v.40. S.Greg.lib.7. mor. c.15. Ps.4.v.5.

Timor Dei etiam præservat à peccato.

6. *Expellit peccatum, quod tentat intrare.* Timor Dei præservat nos insuper à peccato ; pro quo S. Basilius hanc profert similitudinem : *Sicut cruci affixus movere nec manus potest, nec pedes; sic qui timore Domini configitur, extra illius nutum nequaquam movetur.* Ex hisce verbis D. Basilij, P.Cornelius à Lapide hanc elicit consequentiam : *Timor ergo Dei est crux vitiorum.* Regius Propheta, ne umquam deinceps Dei incurreret offensam, hanc ab eo petijt gratiam : *Confige timore tuo carnes meas*; optime namque sciebat, quod, quotiescumque sancti timoris esset confixus clavis ; numquam à Deo separaretur: *A judicijs enim tuis timui; Feci judicium & justitiam.* S. Ambrosius scribit quoque: *Qui timet Dominum, declinat errorem, & ad virtutis semitam vias suas dirigit ; nisi enim quis timuerit Deum, non potest renuntiare peccato.* Causa cur multi ruant in præcipitia, & per vias pessimas ambulent, est, quia non ducuntur, nec duci volunt timore Dei: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt* ; & hujus rationem reddit dicens : *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Quando peccatum conscientiæ nostræ pulsat fores, statim prodit timor, qui domestici canis instar latrat, opponit se internoque remorsu resistit ; & subito fugam arripit peccatum, seu potius, ejus suggestio, nec ullum reperit aditum.

S. Basil. in Prov. init. Corn. à Lap. in Eccle. Ps. 118. 120. Ibid. S.Ambr. l. 1. Hexam. c.4. Ps.13.v.3. Ibid.

Prov. 16. 6.

Adducuntur aliæ utilitates timoris Dei.

7. Definitio Sapientis est : *In timore Domini declinatur a malo.* Armis accinctus erat contra Job totus infernus, ut eum in peccatum daret præcipitem, verum in laudem ejus toti mundo notum esse voluit æterna veritas : *In omnibus his non peccavit Job*; quia à Deo declaratus fuerat : *Vir timens Deum.* B. Laur. Just. cum tractat de morte spirituali animæ, inter alias rationes adducit quoque defectum sancti hujus timoris : *Si Deum, inquit, metueret, illiusque beata visione privari expavesceret, nequaquam tam impudice peccare præsumeret Nam ubi adest timor Dei, abest procul dubio delinquendi voluntas, legis prævaricatio, dominandi ambitio, præsidendi amor, odium proximorum, terrenarum facultatum immoderata cupido, & quidquid divinæ adversum est voluntati,* Proprijssima est similitudo, qua utitur D. Chrysost. timorem Dei nominando frænum ; etenim equi indomiti multa incurrerent præcipitia, & nos secum præcipitarent, nisi fræno coërcerentur ; eodem proportionali modo asserere possumus, quod in curru vitæ nostræ adeo difficilis & laboriosæ omni passu prolaberemur, nisi timoris frænum dirigeretur reprimeret effrænem equum appetitus, nostri sensitivi.

Job.1.v.22. Ib.v.1. & 8. B. L. Just. l. 1. de spir animæ interitu. D. Chrys. H. 2. ad pop.

Timor Domini fugat malignas cogitationes, semina peccati.

8. B. Laur. Justin. alio in loco, ubi tractat de hac materia, de hoc timore asserit : *Rivos concupiscentiarum restinguit, reptilia vitiorum de terra corporis humani exterminat.* Paulo ante pulchram produxerat similitudinem, qua denotaret fructum ex timore divino procedentem, nempe fugam malignarum cogitationum quæ sunt veluti pestifera semina, è quibus producitur peccatum : *Nubes carnalium cogitationum, & affectionum fugat ; nam si ad momentum à dono mentis discedat timor quasi absente domina cogitationum se clamor, velati ancillarum garrula turba multiplicat, & affectionum carnalium ignis accenditur, Ut vero ad mentem timor redierit,*

B. L. Just. lign. vitæ c.2. de tim. Dei.

rit,

rit, mox confusio tumultuosa compescitur, & more ancillarum se adjunctum opus mens ipsa tacite reprimit. Eodem capite dixerat, quod timor à lapsu nos præservet & abstrahat: *Sicut securitas est ad lapsum facilis, ita timor à lapsu protegit, quia odit vitia.*

Timor Domini dissipat carnales imaginationes. *S. Bonav. T. 6. dieta sal. tit. 16. c. 1. Exod. 20. 20. S. Aug. ser. 213. de temp.*

9. Si per aquam denotatur iniquitas: *Bibit quasi aquam iniquitatem*; non sine mysterio S. Bonaventura hac utitur metaphora: *Timor Domini dissipat pluvias carnalium delectationum, fugat nubes carnalium imaginationum.* Sequitur deinde: *Timor Domini custodit hominem à culpa futura*; & citat textum Exod. cap. 20. *Ut probaret vos venit Dominus, & ut timor illius esset in vobis, & non peccaretis.* Varios D. Augustinus refert effectus ab hoc timore derivatos, & inter alios hunc: *Magna est cautela peccati, Dei semper præsentiam timere. Qui perfecte Deum timet, diligenter se à peccatis custodit.* In progressu ejusdem Sermonis addit hæc sequentia: *Timor Dei repellit peccata & adjicit virtutes. Timor cautum facit hominem & solicitum, ne peccet. Ubi vero timor Dei non est, ibi dissolutio vitæ est.*

Expulsio per timorem Dei declaratur bina similitudine. *S. Bonav. ubi sup.*

10. Hanc expulsionem à peccato in timentibus Deum D. Bonav. bina exprimit & declarat similitudine; prima est de medicina: *Sicut medicina bene temperata repellit omnes morbos nocivos, & omnes nocivos humores; sic timor Dei omne peccatum, & omnes peccati occasiones.* Medicamentum ab experto medico ordinatum non solùm malos corporis humores, qui causant infirmitatem, evacuare, verum etiam extirpare solet radicem mali, ne repullulet. Hunc effectum operatur quoque verus timor Dei, non tantùm peccatum, quod reipsa inficit animam, abigit, sed etiam viam præscindere solet, ne in futurum redeat. Altera similitudo proprie competit Religiosis, qui optimam habent notitiam fructus, qui percipitur ex capitulis culparum frequentari solitis in Religionibus, in quibus viget regularis observantia; sic discurrit: *Timor Domini est sicut officina religiosorum, maxime est sicut quoddam capitulum, quod est factum præcipue ad culparum correctionem. Nam sicut in capitulo increpatur, & recognoscitur, & punitur culpa; ita in hoc capitulo timoris Dei corriguntur peccata, quia ut dicitur in Prov. Timor Domini odit malum; & sicut religio nulla esset, si correctio capituli deficeret; sic si timor in capitulo cordis non esset, totum veritatis ædificium deperiret.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Improbatur timor humanus & mundanus, pariterque ostenditur, qua ratione timor, dictus servilis, bonus sit.

THEMA.

Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quod faciant. Luc. 12. v. 4.

Asseruntur variæ species timoris, & reprobatur timor humanus. *S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 2.*

1. EX hac admonitione à cœlesti Magistro nostro facta evidenter colligitur, non omnem timorem dignum esse laude & merito, siquidem humanus & mundanus hic nobis dissuadetur: *Ne terreamini ab his &c.* Angelici Doctoris doctrina est in compendium reducta: *Quilibet timor aut filialis, aut initialis, aut servilis, aut mundanus. Hic est sermo de timore, ut per ipsum homo à Deo avertitur, & ad eum convertitur; si avertitur à Deo propter mala, quæ ab eo timet, dicitur timor mundanus; si autem ad Deum convertatur, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, est servilis; si ob timorem culpæ, est filialis quia filius timet offensam patris; si propter utrumque, est initialis.* Art. 3. sequenti, ubi & citat textum Matth. c. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, decidit, timorem mundanum semper esse reprehensibilem, idque probat verbis sequentibus: *Nihil enim divinitus prohibetur nisi malum.* Confirmat quoque hanc conclusionem, inquiens: *Cum timor mundanus à mala sit radice, scilicet ab amore mundi, semper malus necessario est. Cum timor ex Augustino ab amore semper causetur, oportet ut timor mundanus causetur ab amore mundano. At amor mundanus est semper malus, quia innititur mundo, tamquam fini, in quem appetitus fertur, & à quo specificatur.*

Matth. 10. *Ibid. art. 3.*

Timoris humani malitia taxatur. *B. Laur. Just. lig. vit. c. 1. de tim. Dei.*

2. B. Laurentius Justinianus tangit malitiam illius, qui magis timet homines quam Deum, dicens: *Timor hominum peccandi differt facultatem & operationem, non autem aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem, vel occasionem, unde & quos suspendit à crimine, avidiores reddit ad crimen, & æstuat animo quousque perficiat, quod malum cogitat. Solus Dei timor est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetem confert bene agendi voluntatem.* Timor mundanus causa extitit talis execrabilis criminis, quale numquam adhuc commisit humana malitia, dum turbavit & invertit bilancem justitiæ condemnando Christum ad mortem: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Quamvis in discussione causæ Christi aliquoties fassus fuisset, se nullam in eo invenire causam mortis, ipsumque innocentem declarasset, nihilominus ex timore amittendi amicitiam Cæsaris condemnavit ipsum crucis patibulo. *Joan. 19. 12.*

S. Thom. ib. art. 9. Timor humanus non reprimit, sed differt executionem malæ intentionis.

3. Allegat D. Thomas authoritatem S. Augustini lib. de gratia & libero arbitrio, qui dixit: *Timor humanus non est donum Dei (hoc enim timore Petrus negavit Christum) sed ille timor, de quo dictum est: Illum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Timor humanus differt, non reprimit perversam suam intentionem & propositum, opportunius expectans tempus. Anhelabat Herodes ad impiam ac crudelem mortem S. Joan. Baptistæ, siquidem illius reprehensionem, qua se opponebat incestui, quem cum Herodiade committebat, sufferre non poterat; sed quid? *Volens illum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam illum habebant*; hic timore pro eo tempore continuit & suspendit ipsius iram & crudelitatem, at non extinxit. Unde bene Chrysologus: *Facile deviat à justitia, qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem, unde etiam quos suspenderit à crimine, avidiores reddit ad crimen &c.* Quod etiam supra retulimus; at ex eo hauserat B. Laurentius Justinianus. *Matth. 14. 5. D. Chrys. ser. 127.*

Adam plus timuit propter suam nuditatem quam transgressionem divini præcepti. *Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 14.*

4. Indignum Adamus se reddiderat indulgentia plenaria in sua transgressione, quia timore humano correptum se prodiderat; etenim quamvis confessus fuerit, *timui*, subjunxit tamen: *Eo quod nudus essem*; non timuit propterea, quod inobedientia sua Deum Creatorem suum offenderit, sed quia se conspexit nudum & plane spoliatum prædivite veste justitiæ originalis & plurimis alijs donis: *Notandum, quod culpam suam tacuit, & nudum se esse questus est*, inquit Rupertus Abbas, *non enim dixit timui, eo quod præceptum tuum prævaricatus essem, sed eo quod nudus essem; quàm perversus hic timor, qui non facti sui gerere pœnitudinem, sed solùm pœnæ suæ fatetur habere confusionem.* Merito propterea reprehendimur à D. Chrysostomo Hom. 5. ad Rom. ubi tamen primo exponit, quo qualive timore cor nostrum configendum sit: *Si quis est, qui sensu ac mente præditus sit, is certo gehennæ pœnam tolerare malit, quam adverso Deo stare.* Prosequitur deinde hisce verbis notatu dignis: *Si nullam aliam ob causam certe ob hanc unam gehenna digni sumus, quod videlicet plus gehennam, quam ipsum Christum timemus.* *D. Chrys. H. 5. ad Rom.*

Fures plus timent latrantes canes, quam Deum. *S. Cypr. Epist. 56. S. Ioan. Clim. gr. 2. scal. parad.*

5. Monet nos Salvator noster expressis verbis: *Potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Quod cum consideraret S. Cyprianus, scripsit in quadam Epistola: *Magis autem timete eum.* S. Joannes Climacus id, quod ipsemet vidit, narrat; *Vidit viros furari cupientes, qui cum Dei metu à scelere non revocarentur, canum latratibus perterriti, statim reversi sunt, quodque Dei timor non fecerat, id canum metus effecit.* Annon meretur ille millenas inferni pœnas, qui desistit à peccato plus ex timore unius canis, quam Dei, cui tot tantisque obligati sumus titulis, & quem justissima de causa timere deberemus, utpote, qui talis est, *quem tremunt potestates*, nos vero vilissimi vermes?

Exod. 3. 16. Seniores Israel cum Moyse non intrarunt ad Pharaonem ex timore humano. *Exod. 5. v. 1. Exod. 24. v. 2. Lyran. in hunc locum. Exod. 32. 30.*

6. Exod. c. 3. legimus hoc mandatum à Deo datum Moysi: *Ingredieris tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti.* Legatur simul caput quintum, non invenietis ibidem, seniores comparuisse coram Rege illo bene quidem: *Ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni &c.* Et cur non paruere mandato Divino? Timor indignati illius Regis illos detinuit; at tempore debito puniti fuere: etenim quando Deus in monte Sinai populo promulgavit legem suam, noluit etiam illos comparere in monte illo: *Solus Moyses ascendet ad Dominum, & illi nô appropinquabunt.* Ubi Lyranus: *Æquum enim erat, ut qui humano timore succubuerant, à divino conspectu arcerentur.* Eodem illo tempore, quo Moyses demorabatur in monte Sinai, quia major pars populi adoraverat vitulum, zelo armatus Moyses, ut descendit de monte, magnam inter idololatras fecit stragem, qua edita multos adhuc vidit superstites, quibus, ne unà cum cæteris perirent & à Deo punirentur, exhibuit suam operam, promisitque divinam se, imploraturum clementiam in favorem ipsorum. Audiamus ipsius verba: *Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo*

Timor humanus impedivit Hebræos qui non adorabant vitulum, ne culparent & impedirent illum adorantes. *Exod. 32. 30.*

modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. Si hi peccaverant cum alijs, & genu flexo adoraverant vitulum, consequenter ejusdem consortes & participes fuerunt culpæ, videbantur igitur eadem pœna digni ac proinde puniendi; nisi forte dicatur, hos non fuisse reos idololatriæ; at tunc merito dubitatur & quæritur; in quo consistebat illud crimen & peccatum aliorum, quod Moyses dixit esse maximum: *Peccastis peccatum maximum*; Respondetur, quod, tametsi non fuerint rei idololatriæ, maxime tamen culpabiles erant in omissione correctionis, dehortationis à tanto scelere, omni enim conatu impios illos & sacrilegos ab indigno isto cultu deterrere & abstrahere debebant; hoc autem non fecerant, sed victi timore humano timebant sacrilegorum istorum offensam, & non zelabant timorem & honorem Dei, idque Moyses volebat ac dicebat esse *peccatum maximum.* Pro multis alijs, qui adoraverant vitulum, impetravit & reperit veniam: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum*; verum quando supplicavit pro ijs, qui permiserant se superari & seduci à timore mundano, necesse fuit, multiplicaret orationes, Deoque, quem valde difficilem ac renitentem videbat, bipartitam hanc proponeret petitionem, & cum tali energia: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Quale à Deo recepit responsum? *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* *Exod. 32. 14. Ibid. v. 31.*

Primum reprobum imitantur qui plus timent pœnam temporalem quàm æternam. *Matt. 10. 28. Gen. 4. v. 14. S. Ambr. l. 2. de Cain & Abel c. 9.*

7. Quam exiguum in mundo habuisset incrementum fides Christiana, si martyres Christi plus timuissent persecutores, quam Deum. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem &c.* Primi reprobi imitatores sunt, qui pœnæ dumtaxat, & non culpæ habent timorem, nullum siquidem ostendit dolorem propter crimen & offensam execrabilem in fratrem suum innocentem ac Deum commissum; sed solum propter pœnam, quam timebat, ac tum primo in se experiri cœperat: *Omnis qui invenerit me, occidet me. Angustæ mentis homo* (subdit S. Ambrosius) *præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, & Divinum judicium non reformidat, interitum solum corporis deprecatur.* Annô hæc evidentissima injuria est, qua Deus lacessitur, læditur, justissimaque timetur pœna inde proveniens, & nullus Dei, nec timor nec respectus habetur? Memores estote afflictionis illius Ægyptiacæ, quando Deus totam Ægyptum ingenti plagarum obruebat tempestate Pharao rogavit Moysen, ut apud Deum deprecaretur ærumnas illas & calamitates sibi immissas, afferens se jam agnoscere iniquitatem & obstinationem suam; quid respondit Moyses? *Moyses ei dicit* (inquit S. August. allegans Scripturæ textum) *& tu; & servi tui scio quod nondum timetis Deum*; *qualem timorem quærebat, cui timor iste nondum erat ei timor Domini; facile est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere.* *Exod. 9. 30. S. Aug. q. 53. in Exod.*

Timor humanus excludit timorem Dei. *Eccli. 23. 25. Ibid. v. 26. Ibid. v. 27. Paul. Palat. ibid.*

8. Ecclesiasticus repræsentando nobis hominem perditæ salutis, cui prædominatur timor mundanus, loquentem illud introducit hisce verbis: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor.* In quem textum Paulus de Palatio ita scribit: *Solos homines timere, & eorum solum periculum vereri, timorem Dei expellit, & oculi hominum illum timorem solum timentes timorem Dei expellunt.*

Describitur timor servilis bonus. *S. Thom. l. c. art. 4. Rom. 8. 15.*

9. Hujus characteris & impressionis non est timor servilis, qui Deo semper gratus est & acceptus, veluti decidit Angelicus Doctor; at specificat qualis sit, asserens: *Quamquam timoris servilitas mala sit, ipse tamen servilis timor, charitate ordinatus, secundùm suam substantiam bonus est.* Paulo ante determinaverat: *Nullum malum est à Spiritu sancto, sed timor servilis est à Spiritu sancto, quia super illud Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis &c. dicit Glossa. Unus spiritus est, quia facit duos timores, scilicet, servilem & castum, ergo timor servilis non est malus.* Ponit & declarat magis distincte Conclusionem sequentibus verbis: *Dicendum, quod timor servilis ex parte servilitatis habet, quod sit malus; servitus enim libertati opponitur; unde cum liber sit, qui causa sui est, ut dicitur in 1. Metaph. servus est, qui non causa sui operatur, sed quasi ab extrinseco motus. Quicumque autem ex amore aliquid facit, quasi ex seipso operatur, quia ex propria inclinatione movetur ad operandum. Et ideo contra rationem servilitatis est, quod aliquis ex amore operetur. Sic ergo timor servilis, in quantum servilis est, charitati contrariatur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis simpliciter esset malus. Sicut adulterium simpliciter est malum, quia id ex quo est, contrariatur charitati, & pertinet ad adulterij speciem; sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis; species enim moralis habitus, vel actus ex objecto accipitur; Objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tamquam principale malum, quod non contingit in non habente charitatem. Vel quod non ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tamquam principale malum, quod contingit in habente charitatem. Non enim tollitur species habitus per hoc, quod ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo timor servilis secundùm suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala.* Totus hic discursus est D. Thomæ ad unguem.

Quis timor servilis sit vitiosus. *S. Bonav. T. 6. c. 1. de donis Spir. S. S. Bern. ser. de tripl. cohærent.*

10. S. Bonaventura cum tractat de donis Spiritus Sancti, hoc determinat de timore servili: *Timor servilis*, inquit, *quo quis magis timet pœnam, quam culpam.* In quibus verbis notandum est, non excludi timorem culpæ, esto simul annexus sit timor pœnæ. S. Bernardus in Serm. quodam tres distinguit personarum species; Nonnulli à culpa abstinent propter spem præmij, alij propter timorem pœnæ; & de hisce asserit; *Qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum, & hic quidem peccare non metuit, sed ardere.* Alij sunt, qui nec quæstu seu lucro præmij, nec timore pœnæ duci se permittunt, sed offensam Dei in re etiam minima plus horrent & timent, quam omnes pœnas infernales. Timor pure servilis, qui nullum aliud habet objectum nisi pœnam, & ibi etiam sistit, malus est & vitiosus; at quando cum timore pœnæ ultra progreditur ad destationem peccati & amorem Dei, tunc est bonus, & dici potest initium sapientiæ, quia est causa, ut quis bene operari incipiat.

Timor servilis bonus est quando est stimulus ad virtutem. *1. Reg. 12. 14. S. Greg. M. in 1. Reg. c. 12. l. 5.*

11. Bene S. Gregorius Magn. considerat connexionem horum verborum: *Si timueritis Dominum & servieritis ei*; & subdit: *Plerique divinæ districtionis judicia metuunt, & tamen prava agere non desistunt*; cujus rationem reddit: *Paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur, quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit.* Tunc timor servilis est, laudabilis & bonus, quando est stimulus ad exercenda virtutum opera, etsi ab improbo & malo parente sortiatur originem. Sed de timore servili latius in discursu sequenti, ubi de filiali tractabitur.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Demonstratur timorem filialem compatibilem esse cum amore Dei, & servilem cum filiali.

THEMA.

Timete Dominum omnes Sancti ejus. Ps. 33. v. 10.

Timor filialis subsistit cum amore Dei.

1. DUbium hic oritur, qua ratione & modo regalis Propheta sanctis animabus intimet timorem Dei, cum sanctitas sit effectus charitatis; ac certum sit axioma illud; *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Cessat omnis difficultas, si consideretur cum amore Dei compatibilem esse timorem, non servilem, sed reverentialem & filialem. Experientia commonstrat, quod filius tenerrime etiam amando patrem suum, eodem tempore eum simul timeat; *Quem tremunt potestates*, sic loquimur de potestatibus cœlestibus, quæ tamen Divino æstuant amore. Quidam vitæ spiritualis Magister dicere solebat, timorem filialem esse illum, quo anima instructa fugit peccatum, quia est offensa Dei; & reverentialem esse illum, quo reveretur Deum, & coram eo se humiliat adimplendo Divinam ejus voluntatem; Timor hic si jam comparetur cum amore Dei, est exercitium non minus Deo gratum & meritorium, quam sit amor Dei quia generatur ex amore, qui illum amplectitur tamquam à se derivatum; ex eo enim, quod quis amat Deum procedit timor, quem anima amans concipit, ne eum offendat; & ex eo quod quis æstimat Deum super omnia procedit timor reverentialis.

2. De hoc timore filiali legimus in S. Thom. hanc conclusionem: *Timor Domini Dei castus vel filialis donum est Spiritus S. quo nos voluntarie Deum reveremur, & nos ipse subducere refugimus.* Inter collationes Patrum refert Joan. Cassianus ventilata fuisse potiora & solidiora puncta ad verum spiritum & perfectionem spectantia; cum ergo hanc pertractat materiam scribit quoque decisum fuisse: *Quisquis in hujus fuerit charitatis perfectione fundatus necesse est ut ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo; quo vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem, vel amicum amicus, vel conjugem conjux solicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convitia sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis illius intepescat.* Cum timor sit donum Spiritus Sancti, qui totus est charitas & amor, quis in dubium revocare potest, eum non facere unionem cum amore Dei? Doctoris Seraphici doctrina est: *Per ipsum anima redditur bene mobilis ab inspirationibus Spiritus sancti, & quasi per talem timorem se Spiritui sancto omnino subjicit, & in nullo repugnat, pront possibile est in via, unde Gilbertus Porretanus dicit, quod timor ille filialis quid nisi amor esse conatur, quia jam nescit officium timoris, & penè timor esse desijt?* Hunc timorem sibi charitas perfecte collaverat indivisibiliter.

3. Quærit Angelicus Doctor art. 10. *Utrum crescente charitate diminuatur timor*; citat quidem sententiam in contrarium ex D. August. afferente: *Quantum charitas crescit, tantum timor decrescit*; at respondet Sanctus Doctor D. Augustinum intelligere de timore pœnæ, non filiali; pro quo allegat in contrarium doctrinam ejusdem August. l. 83. quæst. ubi asserit, *quod Dei timor non solum incboat, sed etiam perficit sapientiam, id est, quæ summe diligit Deum, & proximum tamquam seipsum.* Quare ponit conclusionem: *Crescente charitate crescit filialis ac castus timor, & diminuitur is, qui servilis est.* Qualis verò sit hic timor declarat sequentibus verbis: *Dicendum quod duplex est timor Dei, unus quidem filialis quo quis timet offensam patris, vel separationem ab ipso; alius autem servilis, quo quis timet pœnam. Timor autem filialis necesse est, quod crescat crescente charitate, sicut effectus crescit crescente causa, quanto enim aliquis magis diligit aliquem tanto magis timet eum offendere, & ab eo separari. Sed timor servilis quantum ad servilitatem totaliter tollitur adveniente charitate, remanet autem secundum substantiam timor pœnæ, & iste timor diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum, quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet pœnam; primo quidem, quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna; secundo, quia firmius inhærens magis confidit de præmio, & per consequens minus timet de pœna.* Hucusque D. Angelicus.

4. Seraphicus Doctor tractat quoque de timore filiali sequentibus verbis: *Sicut filius super omnia timet offensam patris, etiamsi pater non intenderet eum percutere: Sic qui habet timorem Domini filialem instar boni filij timet, & cavet offensam patris cœlestis, etiamsi ex offensa illa nihil mali deberet sibi accidere. De hoc etiam timore dicitur in Psal. Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Iste timor à sanctis Doctoribus vocatur castus timor. Sine hoc timore verecundiæ nihil rectum esse poterit, nihil honestum, ut dicit Tullius.* Si timor iste, de quo loquitur Psalmista, permanet in sæcula sæculorum, ergo necessariò sequitur, eum inseparabilem esse à charitate, quæ confertur in paradiso cœlesti. Movet hoc dubium S. Thom.: *Utrum timor remaneat in patria*; occasione istius versus, & concludit distinguendo, qualis sit timor ille, qui cum statu beatifico incompossibilis erit. *Nullo modo servilis seu pœnæ timor erit in patria, cum ibi sit secura & æterna beatitudinis participatio.* De timore filiali tamen asserit: *Timor filialis sicut augetur augmentata charitate, ita charitate perfecta perficietur.* Et post pauca adducit doctrinam Greg. Magn. in illum textum Job: *Columnæ cœli contremiscent, & pavent ad nutum ejus. Ipse, inquit, virtutes cœlestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor, ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis, quia, scilicet, admirantur Deum ut supra se existentem, & eis incomprehensibilem.* Citat quoque D. Augustinum lib. 14. de Civit. Dei: *Timor inquit ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo, non erit timor exiens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amissi non potest.* Certum est ex instructione S. Matris Ecclesiæ ejusque ordinatione quotidie in præfatione nos recitare verba illa supra etiam allegata: *Quem adorant Dominationes, tremunt potestates*; ergo in cœlis non deest timor reverentialis, juxta illam Psalmistæ invitationem ab initio propositam: *Timete Dominum omnes Sancti ejus.*

5. Verum quomodo hæc usque dicta cohærere poterunt cum celebri illo textu S. Joannis: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem?* Responsio facilis est, quia cum in cœlo non habeat locum timor servilis, ibi enim timor pœnæ esse nequit, intelligitur de reverentiali. Præterea loquendo etiam de timore servili, quamdiu sumus viatores, frequenter eum ex parte aliqua charitas perfecta à se propulsat. Verum videamus ea, quæ de amore Dei fuse scribit S. Franciscus de Sales 2. p. l. 5. c. 17. Probat Sanctus ille, timorem servilem morari cum amore Dei, similitudine acus, quam hausit ex D. Augustino, de quo infra. Dicit, quemadmodum non semper acus operi perfecto & completo infixa relinqui solet, nisi quando operans ob urgentia aliqua negotia ab opere se divertere cogatur, tunc enim acum operi, quod habet præ manibus, finit inhærere, & abit, eodem modo quando Deus nobis intexit virtutes, præcipue vero sanctum suum amorem, imprimendo illum cordi nostro, ibidem reliquit timorem servilem & mercenarium, quousque in nobis perficiat charitatem, qua perfecta acum pungentem tollit sicque in hac vita, in qua numquam charitas adeo perfecta erit, ut ab omni periculo existat libera, semper indigemus timore. Dimiserat Patriarcha Abraham Eliezerum servum suum, ut unigenito filio suo Isaac prospiceret uxorem; abijt promptissimus servus, & ex Divina inspiratione castam selegit Rebeccam, quam & secum domum conduxit. Quamprimum hæc oculos conjecerat in sponsum, deserunt servum, ad eum modum, inquit Sales, Deus sæpe mittit timorem servilem, tamquam alterum Eliezerum, ut spiritualia contrahat sponsalia inter Deum & animam hæc si ad Deum venit sub directione servi, videlicet, timoris, hoc non fit, quod illa velit ei nubere, sed quia dispositi illam, & sternit viam ad connubium, ast quam primum obvium habet amorem, amplexatur illum, & quemadmodum servus Abrahami domum rediens exhibuit servitium & obsequium suum Isaaco & Rebeccæ, ita timor, postquam nos conduxit ad amorem, moratur nobiscum, ut occurrente occasione nobis inserviat, quia sæpe, esto amore Dei æstuantes, cinctos nos videmus pluribus tentationibus, ut propterea indigeamus timore, ut ab ijs nos eximamus ac defendamus. Jonathas cum nocte procederet invasurus hostem, conduxit secum armigerum suum, & quos non prostravit & mactavit manus Jonathæ, interfecit ejus servus; eodem modo amor egregium & heroicum patraturus facinus, aut hostem aggressurus, non proprios dumtaxat adhibet motus, verum etiam timorem servilem & mercenarium, & quas tentationes non fugat amor, repellit & dissipat timor; cujus exemplum ponit in tentatione v. g. superbiæ, avaritiæ & carnalis concupiscentiæ. Repræsentat deinde animam Divino accensam amore, sibiipsi loquentem; Ergone possibile erit, quod propter hæc vana & caduca gratiam amantissimi tui sponsi & summi boni deserere velis? ac si hoc motivum non erit sufficiens ad faciendam resistentiam, amor addet stimulum, & in auxilium advocabit timorem, dicetque, annon vides misera & miserabilis, quod hanc tentationem te secundantem horrendæ præstolentur flammæ inferni, regnique cœlestis amittas hæreditatem. Quemadmodum naucleri, dum secundo vento & aura propitia è portu, soluto fune, recedunt, non obliviscuntur funium, anchoræ, aliorumque, quibus tempestatis tempore indigent; ita anima, quantumvis Divini amoris fudo gaudeat, conscientiæque serenitate potiatur, non propterea tamen obliviscatur, & ab animo menteque sua eliminare debet timorem Divini judicij, mortis & inferni ut vehementioris tentationis tempore se defendere ac tueri possit. Huc usque S. Franciscus de Sales, hujus sæculi magnus spiritualis magister, ex cujus discursu aperte deducitur, timorem compatibilem esse cum amore & charitate.

6. S. Bernardus Sermone quodam hanc tradit doctrinam: *In corde hominis prius venit timor, & quare venit? ut locum charitati præparet; quanto autem magis charitas cæperit habitare in corde hominis, tanto magis timor bene vivendi decrescit*

S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 9. In charitate fundatus ad sublimiorem timoris filialis gradum ascendit Joan. Cassian. coll 1. c. 13.

S. Bonav. Tom. 6. l. de sept. don. Spir. S. c. 1.

S. Thom. l. c. art. 10. Crescente charitate crescit filialis, & decrescit servilis timor.

S. Thom. l. c. art. 11.

Job. 26. v. 11.

S. Bonav. dicta sal. tit. 6. c. 1. Castus & sanctus timor filialis manet in cœlesti patria.

Pf. 33. v. 10.

1. Joan. 4. 18. Ostenditur timorem servilem conducere ad charitatem, & cum illa compatibilem esse.

S. Franc. de Sal. l. 5. p. 2. c. 17.

Timor servilis est prodromus charitatis, illamque introducit.

Sales. c. 16.

decrescit. Quanto major est charitas in corde hominis, tanto minor est ibi timor, quare? Quia charitas mittit eum foras. Idque illustrat similitudine, quam etiam refert D. Augustinus tract. 9. in Epistolam S Joannis, & egregie ac pulchre exponit citatus Sales loco supra allegato c. 16. ubi discurrit de amore servili & mercenario, quem non ab amore Dei procedere, sed instar prodromi præcedere asserit. Sicut domicella, inquit, ne panem otiosa comedat, instar mulieris commendatæ à Salomone, semper est intenta labori suo; telam acu pingit, inducendoque diversi coloris fila serica, aurum argentumque varios intexit flores, totumque hoc opus acu perficit ac perforat, ubicumque vel fila serica, vel aurum, aut argentum innectere cogitat, ast acum telæ non infigit, ut ibi maneat semper hærens, sed ut introducat dumtaxat aut fila serica vel argentea, vel aurea, post quorum introductionem acus extrahitur. Ad eumdem modum cum Divina Bonitas varias animæ nostræ virtutes inserere, eamque speciali sancti sui amoris auro contexere intendit, adhibet acum timoris servilis, qua pungit corda nostra; at non semper ibi remanet. *Initium Sapientiæ timor Domini; Quia timor locum præparat charitati* (sic post præfatam similitudinem exponit S. Augustinus) *Cum autem cæperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus timor, non est qua titiret charitas.*

Pf. 110. 10.

S. Aug. T. 9. in Epist. S. Joan.

Ubi major est charitas, ibi minor est timor.

7. Ex hucusque dictis concludi potest, quod ubi est major amor & charitas, ibi pariter sit minor timor, timor, videlicet, servilis, non filialis & reverentialis, hi namque numquam se separant ab anima Dei amore succensa; filialis, quamdiu sumus viatores, indivisibilis est ab anima, quantumcumque sanctâ; reverentialis, *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, quia & *tremunt potestates.* Scribit insuper S. Augustinus Serm. 213. de tempore: *Timeamus eum, ut diligamus eum, quia perfecta charitas foras mittit timorem servilem, atque ita abundantiam habere possimus securitatis.* Verum in alio loco expressius nos instruit S. Doctor asserens: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicij.* Subdit deinde hoc salutare documentum: *Non alium sapere, sed time; Ama Dei bonitatem, time severitatem; utrumque te superbum esse non sinit; amando enim times, ne amatum & amantem graviter offendas.*

Pf. 18. v. 10.

Idem ser. 213. de temp.

Idem T. 6. de sancta Virginit. c. 38.

8. Notanda est expositio Basilij Magni in hunc versum: *Timeat Dominum omnis terra &c. Jam quamdo timor initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt, per timorem eruduntur; Timor enim quasi quidam introductorius necessario ad pietatem condiscendam assumitur. Charitas vero à timore instructivo exercitatos suscipiens, perficere solet*, non dicit, quod eos privet timore, sed perficiat in amore. S. Augustinus exponendo versum illum Psalmi: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*; specificat de quo timor hoc sit intelligendum: *Timoris*, inquiens, *non illius de quo dicit Apostolus: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, hunc enim consummata charitas foras mittit timorem; sed illius timoris, quem dicit Propheta: Spiritum timoris Dei, timoris utique casti permanentis in sæculum sæculi; timore quo timetur offendi qui amatur. Aliter quippe timet adultera virum suum aliter casta; adultera ne veniat; casta ne deserat.*

Pf. 32. v. 8. S Basil. ib. Timor persicit amorem.

Pf. 118. 38. S. Aug. ib.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Semper nobis timendum est in negotio salutis nostræ æternæ.

THEMA.

Cum meta & tremore vestram salutem operamini. Philip. 2. v. 12.

In negotio nostræ salutis semper debemus vivere in timore.

S. Augustin. In Pf 65. Act. Apost. 9. v. 15. 2. Cor. 9. 27.

1. ADmonuit Apostolus Philippenses, & cum ijs pariter fideles omnes, ut cum timore suam operentur salutem, nec umquam vivant securi. *Audi vocem Apostoli* (notat S. Augustinus) *cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini*; tametsi æternam veritatem de persona sua pronuntiasse sciret: *Vas electionis est mihi iste*, non tamen de salute sua timere desijt; unde protestabatur *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Scripsit S. Hieronymus Salvinæ: *Si ille timet, quis nostrum potest esse securus?* S. Paulus ardebat amore & charitate perfecta: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio &c.* Cum igitur cor suum sentiret timore perculsum, minime incompatibilis erat timor Dei cum amore Dei. Audiamus quid circa hanc materiam decidat Concilium Tridentinum fideles monens his verbis: *Videant, ne vacent, & eam metu & tremore suam salutem operentur, in laboribus, & vigiliis, & eleemosynis, & orationibus.* Quemadmodum experientia demonstrat, naves ditioribus onerratas thereibus pluribus etiam fortioribusque instrui armis propter timorem deprædationis; ad eumdem modum animæ illæ, quæ plura conquisiverunt merita, majoribusque à Deo ditatæ sunt gratiarum donis, plus timent communis inimici insidias, plutibusque, quam alij imperuntur tentationibus.

Rom. 8. 35.

Conc. Trid. Sess. 6. c. 13.

2. Documentum antiquum est, quod nobis reliquit Tertull. asserens: *Dei præsumit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris; utilius ergo se speremus nos posse delinquere, speciando enim timebimus, timendo pavebimus, cavendo salvi erimus. Qui securus agit, non solicitus est, non possidet tutum & firmum securitatem; ut qui solicitus est, is vere poterit esse securus.* Sit quispiam perfectus & sanctior omnibus, non propterea debet excutere timorem Dei, quamdiu viator est, semper habet, quod timeat. Una vice Davidem hæc arripuit tentatio: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*; at quamprimum etiam cohibuit pœnam præsumptionis suæ: *Avertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus.* De Patria, ad quam tendimus, asserit S. Bernardus: *Tuta habitatio paradisus*; sed in hoc exilio, *dum peregrinamur à Domino*, plurima per asperam angustamque hujus vitæ viam invenire possumus offendicula.

Quamdiu viatores sumus, semper habemus quod timeamus. Tertull. de cultu fœmin. c. 2.

Pf. 29. v. 7.

Ibid. v. 8.

S. Bern. ibid. 2. Cor. 5. v. 6.

3. Si Bonav. in versum illum Pf. 2. *Servite Domino in timore*, scribit: *Omnis perfectus debet eum timere propter tria; Propter culpam occultam, unde hoc? Delicta quis intelligit? & Apostolus: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Propter sui insufficientiam, unde hoc? Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram &c. Et propter futurum ruinam, scilicet, ne peccet in futuro, unde hoc: Beatus homo qui semper est pavidus.* Hunc sanctum timorem indissolubili nodo conjunxit S. Chrysost. cum eminenti quadam perfectione & sanctitate, siquidem prætacta verba ponderando ita scribit Ser. 8. ad Philip. *Dic rogo Paule, quid tibi vis? Non ut de audiatis, sed ut cum timore & tremore vestram salutem operemini. Nefas est enim eum, qui sine timore vivit, præclarum quippiam & admirandum edere; neque tantum dixit timore, sed addidit, & tremore, quo major quidam & vehementior timor est, nimirum ad studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus, propterea etiam dicebat: Timeo, ne quomodo cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Nam si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore rectè acquiri non possunt, multo minus spiritualia. Quis literas sine timore didicit? Quis artem tenuit sine timore? Quod si ubi non imminet Diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus; ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, qui fieri umquam potest, ut sine timore salutem consequamur?* Argumentum est quod convincit; quamdiu vivimus in bello (*militia, tentatio est vita hominis super terram*) cum timore stare debemus.

Pf. 2. v. 11. S. Bonav. Omnis perfectus propter tria debet semper vivere in timore Dei.

Prov. 28. 14.

D. Chrys. T. 4. ser. 8. ad Philip.

4. Pro majori litius declaratione S. Bonav. hanc adfert similitudinem: *Timor Domini est sicut bonus Feriarius, vel speculator. Sicut tempore belli maxime non sinit dormire militem, sic timor Domini, cum sit modo tempus belli contra carnem, mundum & Diabolum, non permittit dormire spiritum per delectationem, vel consensum unde dicitur: Beatus homo, qui semper est pavidus. Non solum autem tempore belli debet homo esse pavidus; imo etiam tempore pacis debet esse timorosus, sicut videmus, quod magni Reges & Sapientes, quamvis actu non sit guerra, maluerint tamen castra sua. De incautis dicit Apostolus: Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Et Ecclesiastes: Qui timet Deum, nihil negligit, quia nec bonum, nec malum, tamquam nocivum, & bonum formidat, & nescit si est gratum, unde dicit Job: Verebar omnia opera, sciens quia non parceres delinquenti.* Attribuit deinde timori Dei titulum custodis seu vigilis, qui in turris cacumine agit excubias & hostì invigilat: *Iste vigil, inquit, vel speculator mandat custodiri portas civitatis, quia ibi est quasi totum periculum, sicut ad literam; illi qui sunt in munitione, summe custodiunt portas, cum videant*

Timor Dei assimilatur speculatori, sive vigili.

Job. 9. v. 28.

S. Bonav. dicta sal. tit. 6. c. 1.

vident castrum ab hostibus obsessum; sic spirituales viri qui habent timorem Dei, custodiunt portas, scilicet; quinque sensuum, ne intrent inimici, timentes quod dicitur; ascendit mors per fenestras nostras.

Jerem. 9. 21.

In prosperitate majori opus est timore.

S. Aug. l. 14. de civit. Dei c. 5.

5. Quando ab omni periculo credimus nos esse exemptos, tunc vel maxime nobis timeamus, oportet. *Per bonam vitam bona conscientia comparatur* (inquit S. Augustinus) *ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur.* Non propterea tamen omnis timor eliminandus est. *Quapropter discat timere, qui non vult timere; discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.* Paulo post ostendit, quo tempore, hic timor diminui possit: *Tanto minor sit timor, quanto patria, quo tendimus, propior. Major enim timor debet esse peregrinantium.* Viator interdum ex hospitio summo mane recedet, auram sperans sibi faventem & toto die fore propitiam; ast sub meridiem, dum minus credit aut cogitat, validus excitatur ventus, qui intra brevissimam temporis moram nubes condensat, horrendam excitat tempestatem, imbrem, tonitru, fulgura, & quidem vehementem adeo pluviam, ut aqua ubique inundet campos & agros, manifestumque adsit submersionis periculum. *Apostolus dicit cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini* (ait D. Augustinus) *Deus enim est qui operatur in vobis. Quidquid ergo prosperum venit, fratres, magis metuendum est, quæ putatis prospera, magis tentationes sunt.* Naves ditiores & onustiores facilius incurrunt, ac proinde magis timere debent periculum submersionis in aquis dulcibus fluminis, quam in aquis salsis & tempestuosis maris, hæ namq; validiores sunt & majoris virtutis ad sustentandum navis onus; *Quod prosperum venit, magis metuendum est.*

Philip. 2. 12. Idem in Ps 65.

Philip. 2. 12.

Cum timore salutem nostram operari debemus quam simul nobiscum operatur.

6. Minime contentus fuit S. Apostolus nuda illa exhortatione: *Cum metu & tremore &c.* Sed causam insuper subjunxit: *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*; ex quo S. Augustinus, ut in timore nos magis stabiliat, hoc eruit documentum: *Subjecit*; inquiens, *causam; Deus enim est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Si ergo Deus operatur in te, gratia Dei bene operaris, non viribus tuis; ergo si gaudes, & time, ne forte quod datum est humili, auferatur superbo.* Deus non exigit dumtaxat à nobis, ut eum amemus, sed etiam ut ipsum timeamus: *Si Pater ego sum, ubi est timor meus?* Idem S Doctor in alio loco: *Ideo cum tremore, quia Deus operatur, quia ipse dedit, non ex te est, quod habes, cum timore & tremore operaberis, nam si non tremueris, auferet quod dedit.*

S. Aug. in Ps. 65.

Idem in Ps. 103.

Negotium nostræ salutis præcipue dependet à Deo.

7. Negotium æternæ nostræ salutis, unice præ cæteris curandum, non à voluntate nostra dumtaxat, sed etiam à Deo, & quidem ab eo præcipue dependet; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* A Deo igitur si optemus hoc obtinere auxilium, sancto suo timore nos armemus, necesse est: *Cum metu & tremore salutem &c.* Dionysius Carthusianus procedit cum distinctione: *Cum metu filiali quantum ad perfectos, & timore initiali quantum ad proficientes; & tremore corporis ex interiori timore progenito.* Quævis anima quantacumque sanctitate conspicua sibi semper timere debet de vana gloria & præsumptione suiipsius, quando singulari cum providentia non invigilat huic inimico non solum occulto, verum etiam blandis concupiscentijs.

Rom. 9. 16. 2. Cor. 3. v. 5. Philip. 2. 12. D. Carth. ib.

Philip. 2. 13.

Quod operari velimus, à Dei gratia provenit.

S. Aug. l. de grat. & lib. arbit. c. 10.

8. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle &c.* quę verba addidit Apostolus, ut cautiores nos faceret. *Certum est nos mandata servare, si volumus* (S. Aug. verba sunt) *sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur; & viam ejus volet, de quo dictum est; Deus est qui operatur in nobis & velle. Certum est nos facere cum facimus sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Jam homo, de quo dixit Christus, *sine me nihil potestis facere*, potest & debet semper se reputare indignum hisce auxilijs, & conveniens quoque est, ut dubitet se ijsdem cooperari cum plenitudine voluntatis debitæ.

Gratiæ operanti in nobis, cooperari debemus.

9. Prosequitur idem S. Doctor declarationem horum verborum Apostoli: *Cum metu & tremore &c.* Quo sensu ea intelligere debeamus, asserens: *Ne illud tibi timorem incutiat, quod dixi, cum timore & tremore, non enim ideo dixi, ut desperes, ut virtutem rem hujusmodi esse putes, quam consequi nullo pacto queas, sed ut mentem adhibeas, nec teipsum remittas, & quasi fatiscas, si hoc attuleris, Deus omnia operabitur; Tu confidito, Deus enim est, qui operatur in nobis, ergo si ipse operatur, nos voluntatem ipsi penitus obsecundantem, non remissam, sed contentam, atque in se collectam exhibeamus, oportet.* Respondet deinde S. Doctor alicui objectioni non spernendæ, quæ moveri potest, nimirum, nostram operam non esse necessariam, si Deus ille est, qui operatur: *Si Deus est qui in nobis hoc operatur, ut velimus cur nos cohortaris? Nam si ipse est, qui ut velimus facit, frustra nobis dices obedite, non enim nos sumus, qui obedimus. Frustra dicit in timore & tremore, totum enim Dei est.* Respondet autem verbis sequentibus: *Minime vero huc spectans, ista verba protulit; Deus est qui operatur & velle & operari, sed eo, ut vestram solicitudinem sedaret:* Evidentibus ostendit rationibus Deum, etsi operetur in nobis velle, suppeditando nobis sua auxilia, nostram tamen exigere cooperationem. Ubi observandum, quod, quamvis de gratia & auxilio Dei nobis præstando certitudinem habeamus, nobis tamen semper in spe & timore vivendum sit, eo quod securi ac certi esse nequeamus, utrum sufficienter cooperemur ac correspondeamus divinorum auxiliorum exhibitioni: *Nulla te res de peccato securum faciat* (inquit S. Isidorus) *nulla tibi securitatis deceptio blandiatur, nulla securitas deceptum à pœnitentiæ intensione suspendat. Incessanter in corde tuo spes & formido consistat; pariter sint in te timor atque fiducia, pariter spes & metus; sic spera misericordiam, ut justitiam metuas, sic spes indulgentiæ erigat, ut metus gehennæ semper affligat.*

Respondetur notabili objectioni contra operationem Dei in nobis.

S. Isid. l. 2. c. 5. Synon.

Quamvis à peccatis sacramentaliter absoluti simus, tamen adhuc de illis timere debemus.

10. *Cum metu & tremore &c.* Quamvis sacramentalem à peccatis vestris receperitis absolutionem, necessariasque & convenientes, vestro judicio & calculo, habeatis dispositiones, attamen, veluti nos monet Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; quod intelligi potest tam de peccatis præteritis, quam de alijs, quæ in futurum committi possunt. Omnibus quoque notum est illud oraculum Spiritus sancti: *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit.* Quis potest esse certus, quod sacramentum pœnitentiæ debitum suum obtinuerit complementum? Multi inveniuntur, qui temerarie de Divina præsumunt misericordia, audacioresque evadunt relaxantes habenas peccatis. Quapropter prosequitur Ecclesiasticus: *Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*; quæ Paulus de Palatio interpretatur hoc modo: *Miseratio Domini magna est, non ut adjicias peccata, sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decernas.* Multi sunt, qui quia non sunt bene fundati in timore Dei, nec stabiliunt firma & solida proposita non repetendi priora peccata, aut certe pauci persistunt stabiles in bono proposito facto; unde non sine mysterio in tempore præsenti nos exhortatur S. Paulus, ut semper ante oculos nostros habeamus Divinum timorem: *Cum metu & tremore vestrum salutem operamini*

Eccli. 5. v. 5. Eccli. 9. v. 1. Eccli. 5. v. 6. Paul. de Pal. ibid. Philip. 2. 12.

Duplex timor requiritur à nobis.

Eccli. 21. v. 1.

11. Hisce conformiter rursum monemur ab Ecclesiastico sub initium capitis 21. *Fili peccasti? non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ubi Sapiens duplicem à nobis requirit timorem, unum propter adeptam remissionem & veniam peccatorum commissorum; alterum propter periculum committendi alia in futurum. Hisce accedit, quod omni culpæ debeatur sua pœna, quod & notat Gregorius Magnus: *Nullum*, inquit, *peccatum Dominus inultum relaxat, aut enim nos flendo insequimur, aut ipse judicando reservat.* Alibi pariter proponens verba illa Job: *Sciens quod non parceret delinquenti*, scribit: *Delinquenti Dominus non parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit.*

S. Greg. l. 4. mor. c. 17. Job. 9. v. 28. Idem l. 9. mor. c. 17.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Timor Dei est pignus & signum æternæ beatitudinis.

THEMA.

Beatus homo; qui semper est pavidus. Prov. 28. v. 14.

Quomodo homo pavidus dicatur esse beatus, & quot modis.

1. CUm timor Dei sit frænum peccati, merito Sapiens judicat beatum illum, qui vivit semper in timore: *Beatus homo, qui semper est pavidus; ne in aliquo offendat Deum*, subdit & exponit Lyranus. Verum si timor exulat ab æterna beatitudine, quia nihil mali ibi est, quod timeat beatus; quomodo ergo dicit Sapiens: *Beatus homo, qui semper est pavidus? Beatus est in spe*, exponit Cajetanus, *qui jugiter timet à divinis judicijs; magni pendit enim divinam justitiam, & suorum merita pecca-*

Lyran. ibid. Cajet. ibid.

pecca-

peccatorum. Hugo Cardinalis ingeniosam instituit considerationem super ista verba, dicens, quod, qui considerat ac intuetur timorem Dei, fixo pariter oculo intueatur gloriam ejus, & pro se allegat testimonium Glossæ: *Pavidus pro pœna futura, ad quam initialis timor unum habet oculum, & alium ad gloriam, propter quam, etsi securus esset à pœna, nullo modo peccaret. Beatus autem dicitur pavidus; primo, quia quanto plus timetur pœna, tanto solicitius cavetur culpa, & quanto minus timetur, tanto districtior portabitur ira judicij. Secundo, quia per timorem firmiter stat homo unde Ecclesiastici 27. Nisi tenueris te instanter in timore Domini, cito subvertetur domus tua. Tertio quia lætificat animam, Eccli. 1. c. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum. Quarto, quia timor est thesaurus Domini; Isaiæ 33. Divitiæ salutis sapientia & scientia timor Domini ipse est thesaurus ejus. Quinto, quia timor est fidelis janitor animæ. Sexto, timor abundantiam sive plenitudinem bonorum operum tribuit; timor Domini ad vitam, & in plenitudine coronabitur.*

Hug. Card. ib. Eccli. 27. v. 4. Eccli. 1. v. 12. Isaia 33. 6.

D. Carth. ib.

Per timorem filialem anima præservatur illæsa ab offensa Dei.

2. *Beatus vir, qui semper est pavidus.* Dionysius Carthusianus intelligit hoc de timore filiali, in virtute cujus anima conservatur illæsa ab offensa Dei: *Pavidus filiali timore; cum enim in actibus humanis ex deliberatione procedentibus dicatur non esse indifferens, sed omnis hujuscemodi actus sit moraliter bonus aut malus, atque communiter meritorius aut demeritorius, debemus esse jugiter timorati, ne Deum in aliquo offendamus, ideo sanctus Job fassus est, semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Advertendum, quod in Hebræo legitur: *Beatitudines sunt homini paventi semper.* Septuaginta legunt: *Beatus vir qui omnia timet ob pietatem, metum, & reverentiam Dei.* S. Bernardus in quadam Epistola scribit: *Vides certe quem timorem tibi incutere nitor, non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis.*

Job. 31. v. 23. S. Bern. Epist. 87.

Timor filialis debet esse conjunctus spei.

3. Cùm manna sit symbolum gloriæ, non solum propter suavitatem, sed etiam propter multiplicitatem saporum, observetur, populum electum Dei prius gustasse amaritudinem aquæ Mara, quam comedit suavissimum illum cibum: *Ne spes præsumptione corrumpatur* (ita discurrit S. Antonius de Padua) *debet timor conjungi, qui est initium sapientiæ, ad cujus saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi prius degustet timoris amaritudinem; unde Exod. 15. dicitur, quod filij Israël antequam venirent ad mannæ dulcedinem, invenerunt in Marath aquæ amaritudinem.* Rabanus ad nostrum propositum exponit sequentem textum Eccli. 1. *Initium sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis fæminis graditur, & cum justis & fidelibus agnoscitur.* Expositio ejus hæc est: *Timor Domini cum fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est*; & quæ sunt illius domicellæ & famulæ, quæ illi obsequuntur? *Et cum electis fæminis graditur, quia sanctis animabus sociatur, & cum justis fidelibus agnoscitur, quando in die novissima cum cæteris sanctis à dextris judicis collocatus, ab ipso Domino audiet: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

S. Ant. de Pad. in Dom. inf oct. Epiph. Exod. 15. Eccli. 1. 16. Raban. ibid. Matth. 25. 21.

Timor Dei comparatur paradiso.

4. Homo timens Deum adeo cœlo propinquus est, ut Ecclesiasticus eum appellet paradisum: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis*; Quid excellentius in ejus laudem pronuntiari posset: *Similis est paradiso* (ita exponit Dionysius Carthusianus) *quoniam sicut in paradiso est affluentia amœnitatis, & miri decoris arborum, & herbarum, fluminum & gemmarum; sic timori filiali annexæ sunt virtutes & dona, fructus & beatitudines, consolationes ac merita.* Sequitur in Ecclesiastico: *Et super omnem gloriam operuerunt eum*; voluit nimirum juxta eumdem Carthusianum inferre, *id est, præfata gratiarum charismata, & post vitam hanc æterna præmia ornant, & complent sanctum timorem.* Ad eamdem conformitatem interpretatur hunc textum Hug. Card. *Benedictiones Domini, & æterna præmia, quasi dicat, timentem Dominum circumstant & ornant benedictiones Domini, & æterna præmia plusquam aliqua gloria temporalis.*

Eccli. 40. 28. D. Carth. ib. Ibid. v. 28. Hug. Card. ib.

5. Seriam meretur reflexionem commentatio P. Cornelij à Lapide, quam in eumdem textum jam citatum paravit & ait: *Sicut paradisum omni fructuum, sic timentem se omni virtutum genere cumulat, ac præsertim pascit eum ligno vitæ, id est, Eucharistia, quasi pane immortalitatis, qui scilicet veram & beatam immortalitatem conciliat uti promisit Christus Joan. 6. 52. simili modo vers. 17. gratiam, id est, beneficentiam comparavit paradiso benedictionis; sicut ergo infernus est, ubi peccatum mortale est, ita paradisus & cœlum est, ubi gratia & timor Dei est, ubi scilicet nullus criminis reatus conscientiam mordet. Timor enim Dei beatam facit animam.*

Corn. à Lap. in cit. loc. Joan. 6. 52.

Eccli. 34. 14.

Qui timet Deum certissimam habet spem gloriæ cœlestis.

6. Idem Ecclesiast. cap. 34 ait: *Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur spes enim illorum in salvantem illos, & oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus; timentis Dominum beata est anima ejus.* Qui timet Deum, est in spe & expectatione certissima gloriæ, ad eum prorsus modum quo primogenitus unius Regis certus & securus est de regni dominio ac regimine, imo & in hac vita fruitur aliquali beatitudine, dum gaudet amicitia, gratia & filiatione Dei, & prævenitur *in benedictionibus dulcedinis.* Idem Sapiens sub initium capitis primi honoraverat timorem Dei alijs epithetis exprimentibus hanc beatitudinem: *Timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*, quod exponens Dionysius Carthusianus ait: *Est corona exultationis, quia æternam meretur salutem, & perducit ad eam, siquidem beati omnes, qui timent Dominum.* Quia eodem capite dixerat Sapiens: *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum*; ideo subdit idem Carthusianus: *Fructus salutis potest dici puritas mentis, cui beatifica visio à Christo promittitur, juxta illud, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, de quo fructu ait Apostolus Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam; hunc fructum replet, custodit, ac perficit timor, dum omnem culpæ maculam facit vitari.*

Eccli. 1. v. 11. D. Cart. ib. Matt. 5. v. 8. Rom. 6. 22.

Quare ex tot millibus ex Ægypto profectis, soli Josue & Caleb intraverint terram promissionis.

7. Observastisne umquam, quod ex tot tantisque millibus Hebræorum, qui ex Ægypto exierant, ituri ad terram promissionis, duo solum hanc obtinuerint gratiam & terram illam intraverint, reliqui omnes in deserto mortui fuerint? Et quinam illi duo? forte ambo fratres Moyses & Aaron, qui ab obstinato Pharaone discedendi ex regno illo urserunt licentiam? Forte Phinees qui cum vitæ suæ periculo læsum Dei honorem zelaverat? Non; Josue & Caleb, soli hi duo intrarunt terram Chanaan *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc.* Quod Josue hanc sortitus fuerit gratiam & privilegium, quid mirum? quia illius gerebat nomen, qui in nova lege Salvator mundi futurus erat, & Deus ipsum in locum Moysis substituerat, & multa per eum portenta operaturus erat; ast Caleb quodnam habebat meritum? Sciendum, Chaldæum legere hoc modo: *Fuit cum eo alius spiritus, & perfecte secutus est timorem meum.* Certum est terram promissionis figurasse terram viventium, seu patriam cœlestem; cum igitur *omnia in figura contingebant illis*, voluit Deus cunctis notum esse seculis, quod qui cor suum vero munierint timore Dei, certi & sæcuri cœlestem intraturi sint patriam: *Beatus qui semper est pavidus.*

Num. 14. 24. Prov. 28. 14.

Ps. 33. v. 12.

Timor Dei valet ad obtinendam æternam vitam.

8. Convocaverat die quodam Psalmista filios suos ad auscultandum: *Venite filij audite me.* Quale fuit thema prædicationis suæ? *Timorem Domini docebo vos.* Quis fructus promissus proficientibus in suis documentis? Possessio beatæ & æternæ vitæ. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Hic in terris nulli dies boni, *dies mali sunt*; bene quidem in futura vita: *Audite me* (sic resumit hunc textum Dionysius Carthusian.) *quoniam instructio mea valet ad obtinendam vitam æternam, quam, quia, diligitis, expedit vobis acquiescere mihi. Quis est, qui cupit acquirere vitam æternam?* Quare Sapiens hoc nobis suggerit consilium: *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur*; Ubi Hugo Cardinalis illud, *tota die*, exponit, *toto tempore vitæ*, ac insuper fructum, quem ex vita timorata quis percepturus est, subdit dicens: *Si hoc feceris, habebis spem futuræ beatitudinis in fine hujus vitæ consequendæ, & expectatio qua expectas coronam vitæ post hanc vitam, non auferetur, non frustrabitur; quis enim speravit in Domino, & deceptus est? nullus.* Adjungit Dionysius Carthusianus: *Habebis spem efficacem in fine vitæ præsentis, & expectatio, qua beatitudinem præstolaris, non privabitur suo effectu.* Prosequitur deinde Sapiens consilium suum: *Audi fili mi, & esto sapiens.* At quo modo potest quis evadere sapiens: *Initium sapientiæ timor Domini. Dirige in via*, id est, ut exponit Carthusianus *gratiæ ac salutis. Esto sapiens, & dirige in via animum tuum.* Vatablus legit: *Erit tibi revera finis, id est, præmium, præmium enim censetur nomine finis, quod detur in fine operum.*

Ibid. v. 13. D. Carth. ib. Prov. 23. 17. Hug. Card. ib. D. Carth. ib. Ibid. v. 19. Eccli. 1. v. 16. Prov. 23. 19.

Eccli. 1. v. 13.

Qui in timore vixit exultabit in hora mortis.

9. Sed clarius id insinuat Ecclesiasticus cap. 1. dicens: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ejus benedicetur.* Unde S. Bernardus primus S. Francisci socius moriens dicebat: *Nunc sentio,*

quid

quid sit in Dei timore vixisse, nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo & exulto, quod mundum spreverim, quod in humilitate & paupertate Deo servierim. Versio Tigurina habet : *In die obitus sui beabitur.* Non sine mysterio sapiens illa mulier significatura mortem nostram, illam assimilavit aquæ decurrenti super terram : *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.* Observate proprietatem hanc aquæ, est elementum ex se fluidum, at insipidum & sine ullo sapore, nihilominus imbibit saporem illius terræ, quam pertransit & alluit; si transit & currit per venas sulphureas, imbibit & attrahit saporem sulphuris, si pertransit lutum aut fimum, hujus quoque imbibit fœtorem, & sic de reliquis discurrite; ad eumdem modum mors talis eveniet homini, qualem transiget vitam : Si vitam transegerit in timore Dei : *Timenti Dominum bene erit in extremis. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et quid inde sequetur: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, Et folium ejus non defluet;* non erit lignum aridum igni æterno adjiciendum, veluti eveniet impie & male viventibus; *non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis &c.*

2. Reg. 14. v. 14. — Eccli. 1. v. 13. — Ps. 1. v. 1. — Ibid. v. 2. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 4. — Ibid. v. 4.

Timentes Deum multis premuntur adversitatibus.

10. Non tamquam mali aut reprobi censendi sunt, qui vivunt in timore Dei, & cum hoc in præsenti vita premuntur adversitatibus & tribulationibus; siquidem, ut vaticinatur Regius Propheta : *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* Ubi Aquila & Simmacus legunt : *Quam repositam timentibus te occultasti.* Quem textum mirum in modum elucidat Theodoretus asserens : *Timentium te, Domine, mercedes & præmia occulta, & hæc quidem multa & magna, & admirabilia, cum sudoribus tamen & miseriis colluctari sinis; veruntamen aliquando victoriæ præmia ostendis, athletas bene sperare jubens.* De Job retulit & manifestavit Dominus Deus ab initio : *Vir timens Deum, recedens à malo, permanens in innocentia;* ast in progressu istius libri exhibet nobis ferocem luctam & pugnam, quam habuit constantissimus luctator cum adversitatibus, quippe *cum sudoribus, miseriis colluctari permisit;* quis tandem fuit finis? *Dominus benedixit novissimis Job magis quàm principiis.*

Ps. 30. v. 20. — Theodor. ibid. — Job. 1. v. 1.

Timentes Deum in die mortis benedicentur. — Eccli. 1. 19. — Hug. Card. ib.

11. Eodem cap. 1. Ecclesiasticus timenti Deum aliam exhibet promissionem priori similem : *Timenti Deum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.* Syriaca lectio habet : *Qui timet Deum, bonus fiet finis ejus; Consummationis, id est, mortis* (sic exponit Hugo) *quando magis necessaria est, & jucundior consolatio, benedicetur benedictione dexteræ.* Verum si Ecclesiasticus semel jam promulgaverat hoc oraculum aliis verbis, cur nunc eodem capite hoc repetit alia phrasi? Non ille, sed Spiritus Sanctus hoc facit, qui ait? *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis; Hoc idem jam dixerat auctor supra, sed repetit ad majorem certitudinem.* Isaiæ cap. 26. legitur : *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus Spiritum Sanctum salutis;* ubi Septuaginta loco hujus : *A facie tua,* legunt, *per timorem tuum.*

Ps. 44. v. 2. — Isa. 26. v. 17.

B. L. Just. lig. vit. c. 1. de tim. Dom. — Timens Deum etiam adhuc vivens dicitur beatus. — Eccli. 25. 13.

12. B. Laurentii Justiniani doctrina est: *Quicumque desiderat sapientia & scientia repleri, & qui salutari spiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat quam à timore Domini, nam ipse timor est robur animæ, lumen intelligentiæ & spes salutis; hoc testatur Isaias dicens: A timore tuo &c.* Cap. 25. Ecclesiasticus timentem Deum beatum deprædicat : *Quam magnus qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei.* Quamvis cecinerit Poëta ille : *Dicique beatus ante obitum nemo, supremaque funera debet,* attamen auctoritate Spiritus veritatis timens Deum dicitur etiam beatus. S. Bonav. inter multos effectus Divini timoris hunc quoque recenset : *Timor Domini super omnia facit fugere & evadere supplicium gehennæ; Vadit enim ad infernum in dimidio dierum, ut non vadat in fine dierum, sicut Ezechias, qui dicebat : Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi; facit enim alas ad melius fugiendum, ut dicit Poëta : Pedibus timor addidit alas.*

S. Bonav. T. 6. diæta salut. tit. 6. c. 1.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

In via Dei numquam debemus esse securi; at semper timere.

THEMA.

Verebar omnia opera mea. Job. 9. v. 28.

1. SAnctus Job in conspectu cœli & inferni à Deo commendatus fuerat (*non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat*) *numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum.* Cunctis etiam spoliatus bonis, variisque afflictus miseriis nec in minimo offenderat Deum: *In omnibus his non peccavit Job;* Nihilominus ingenue confessus de seipso asserebat: *Verebar omnia opera mea.* In continuo vivebat timore; operationes suas, etsi sanctissimas, nullius timebat esse valoris. Ipse fuit, qui vitam nostram assimilavit pugnæ & militiæ : *Militia est vita hominis;* quod tamen in corporali pugna necessarium, non requiritur in militia & pugna spirituali, sed totum oppositum, quia si in illa pugnaturus vult vincere, omnem à corde amoveat timorem, necesse est; at in spirituali semper oportet timere : *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Ubi S. Hieron. *Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat, quia nimirùm mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earum veracius per formidinem subditur. Filii autem timoris Domini dicuntur, qui divino timore reguntur.* Qui caute & circumspecte ambulat, semperque in hac spirituali pugna timet, securus esse potest de victoria. Audiamus S. Cyprianum : *Magna compendia providentiæ, ut aliquando fiat virtus & victoria per timorem, magna remedia contulit Dominus ad salutem, ut habeat & timidus laudem, sicut Salomon repetit, dicens : Beatus vir, qui veretur omnia per metum.*

2. Cor. 10. 18. — Homo quantumvis perfectus semper debet vivere in timore. — Job. 1. v. 8. — Job. 7. v. 1. — Prov. 14. 26. — S. Hieron. ib. — S. Cypr. de sing. Cler.

2. S. Bonav. Tom. 7. collat. 2. allegat auctoritatem S. Bernardi; quæ in præsenti materia valde celebris est: *In veritate didici, nil tam efficax ad gratiam promerendam; retinendam, & recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, longe amplius pro amissa, longe plus pro recuperanda. Time ergo, cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertitur. Cum adest, time ne indigne opereris ex ea; si recesserit, multo magis timendum, quia ubi tibi deficit gratia, ibi deficis & tu. Time ergo subtracta gratia tamquam mox casuras. Time, quia reliquit te custodia tua. Pro omni tempore time Deum, & ex omni corde tuo. Tunc demum, si plene, si perfecte timueris, dabit tibi saporem charitatis.*

S. Bonav. ib. — S. Bern. ser. 54. in Cant. — Timor Dei efficax remedium est ad acquirendam & conservandam gratiam Dei.

3. Discursibus præcedentibus fulciti auctoritate S. Scripturæ asseruimus, timorem Dei esse thesaurum; qui in domo sua thesaurum habet, in continuo versatur timore, ne ei surripiatur; quapropter prospicit sibi & procurat ærarium, cui thesaurum includat, eique adhibet firmum validumque ostium, ac vigilantem custodem. *Est timor Domini* (ait S. Bonav.) *sicut ostiarius custodiens ingressum;* paulo post repetit: *Est sicut bonus ostiarius, qui diligenter custodit ostium cordis, ne intret inimicus.* S. Gregor. Nyssenus inter alia epitheta, quibus describit divinum timorem, hoc etiam, utpote proprissimum adducit : *Custodiam bonorum;* qui agit excubias, in continuo vivit timore.

Timor Dei est ostiarius cordis fidelis. — S. Bonav. diæta sal. T. 6. c. 1. — S. Greg. Nyss. tr. in Ps. 8.

4. Enumerat Propheta Isaias cap. 11. septem dona Spiritus Sancti, ac ultimo loco ponit timorem : *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Verum si timor Dei ædificii spiritualis animæ fundamentum est, veluti suo loco dicetur, & hunc in finem illud primo jaciendum, & insuper certum est, quod *initium sapientiæ timor Domini;* cur igitur Propheta ultimum ei assignavit locum? Respondet Petrus Cellensis : *Quasi custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur ad conservandas incomparabiles gratias.* Instar custodis est timor Dei, custodit dona, gratias, merita, cœlestesque thesauros, quibus ditatur anima, ut enim thesauri isti custodiantur & conserventur necessaria est humilitas, necesse est, de nobismetipsis diffidamus, ac propriam debilitatem timeamus. Spiritus S. utpote cœlestium opum divitiarumque thesaurarius quem ditat? *Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem & trementem? Magna salutis spes* (sunt verba B. Laur. Just.) *& maxima in profecta virtutum causa est timor Domini, quia se possidentem sollicitum reddit ad peragenda, quæ Dei sunt, ne incurrat malum pœnæ, quod peccantibus minatur, aut amittat bonum virtutis, gratiæ & gloriæ, quod desiderat.*

Quare inter 7. dona Spiritus S. timoris spiritus ponatur ultimo loco. — Isa. 11. v. 2. & 3. — Ps. 110. 10. — Petr. Cell. l. de pan. c. 14. — B. Laur. Just. lig. vit. c. 1. de tim. Tom.

5. Ecclesiasticus hanc insinuat similitudinem : *Radix sapientiæ est timere Dominum.* Quænam proportio inter

Eccli. 1. v. 25. — Timor Dei comparatus

radici, conservat nos in humilitate. — Eccle. 1. 25. — Hug. Card. ib.

timorem Dei & radicem? Audite Hugo Card. *Sicut radix in profundo terræ est, sic timor Domini in profundo humilitatis tenet hominem;* quanto altius crescit arbor & ramos suos attollit versus cœlum, quo plures enim profert fructus, tanto profundiores jacit radices sub terra; & hoc Ecclesiasticus nobis insinuare intendebat, quod nimirum simus tamquam arbores: *Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* quo altius consurgimus cœlum versus meritis ac fructibus bonorum operum præditi, tanto magis nos deprimamus, oportet, abjiciamus, vilipendamus, semper timeamus ac tremamus, necesse est. Quàmobrem S. Hieron. Monachos exhortabatur hisce verbis : *Numquam tuta est humana fragilitas, & quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus.* Unde & sententia S. Paschasii proposito nostro accomoda est : *Tunc maxime pertimescendum est, cum virtutibus & miraculis supra nos elevamur.* Tunc vel maxime nobis timendum est, quando secundum discursum humanum non videtur aliquid instare, quod timendum sit; tunc videmus instare lunæ mutationem, quando est in sua plenitudine: *Luminare quod minuitur in consummatione. Tunc maxime &c.*

Ps. 1. v. 3. — S. Hier. in reg. Monach. — S. Paschas. l. 7. in Matth.

Quo quis sanctior est eo magis opus est ut timeat. — S. Hieron. Tom. 9.

6. Tom. 9. operum S. Hieron. ubi tractat de morte S. Eusebii, sic scribit: *Qui sanctior & sapientior est, plus semper timeat, nam qui altior est, cadens majores casus recipit. Esca Diaboli electa est, de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon, cecidit & ejus genitor David electus secundùm cor Dei. Timeatis fratres iterum rogo vos; timeatis, quia beatus est vir timens Dominum.* S. Leo Sermone quodam nos exhortatur, ut cum timore operemur, eo quod bonum illud, quod agimus, non à nobis, sed à Deo proveniat : *Dicente,* inquit, *discipulis suis Domino, sine me nihil potestis facere, dubium non est hominem bona agentem à Deo habere & affectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

S. Leo ser. 8. ad Epiph.

Luca. 22. 32. — Quare Christus permiserit lapsum S. Petri.

7. Præviderat Salvator noster casum S. Petri, quem, non obstante hoc dicto: *Rogavi pro te Petre,* benedicavit non impedire : *Bene omnia fecit;* cum hoc Apostolo, qui cunctorum fidelium magister & norma esse debebat, nos instruere voluit, quod in via spiritus & salutis semper timere, numquam securi esse debeamus. S. Petrus nimis gloriose ostentaverat suas vires : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quamvis cœlestis Magister aliquot vicibus ei prædixisset negationem suam; *At ille amplius loquebatur;* S. Leo pulchre declarat causam & finem, ob quem Christus Dominus permisit lapsum Petri, dicens : *Ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuisset evadere.* Quando Cajetan. commentando in Matth. venit ad hanc negationem, alloquitur Lectorem, inquiens; *Considera & treme vir juste;* Considerata insuper insigni charitate, qua Petrus ferebatur in Christum, prosequitur deinde hisce verbis: *Quia magna est differentia inter charitatis gratiam habitualem & usum illius, quia non sumus sufficientes ex nobis ad usum charitatis & gratiæ, quam habemus in anima infusam, sed egemus ad utendum continuo gratuito Dei auxilio, quo quia Petrus caruit tunc, ideo cecidit.* Ecquis de speciali hoc & gratuito Dei auxilio, eoque continuo, se certificabit? Voluntas nostra ex se insufficiens est : *Perditio tua, ... tantummodo in me auxilium tuum.* Quoties, si non propter mortalia, saltem propter venialia peccata, quæ frequenter committimus, indignos nos reddimus continua hac assistentia? *Nostra vis, nisi divinitus sustentetur* (ait S. Cyrill. Alexand.) *nulla penitus est; quid sumus, si à Conditoris nostri protectione deseramur?* Et S. August. ad propositum de S. Petro ait: *Ideo B. Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.* Ut audierunt Apostoli veridicum Magistrum suum dicentem : *Unus vestrum me traditurus est;* quilibet illorum timore repletus fuit: *Numquid ego sum Domine;* & tamen unusquisque sibi bene conscius erat, se non esse traditorem illum; Audite S. Leonem: *Contristati sunt non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes, ne minus verum esset, quod in se quisque noverat, quam quod ipsa veritas prævidebat.*

Matt. 26. 33. — Marci 14. 31. — S. Leo. ser. 9. de Pass. — Cajetan. in Matth. — Osea 13. 9. — S. Cyr. Alex. l. 11. in Joan. — S. Aug. ser. in fer. 4. Pass. — Matt. 26. 21. — Ibid. v. 22. — S. Leo ser. 7. de Pass.

Nemo justus sit fine timore, nullus peccator desperet de auxilio divino.

8. Verum cum jam mentionem fecerimus proditoris illius discipuli, qui ex schola Christi præcipitatus fuit in barathrum desperationis, consideremus quoque ex alia parte publicam peccatricem Magdalenam de vase contumeliæ in vas translatam gloriæ: *Quando prostituta lupanar exivit* (inquit S. Chrys.) *tunc discipulus gehennam intravit; quando illa mercedem sui corporis abdicabat, tunc ille pretium Magistri sanguinis postulabat.* Judas desperat, & Saulus Apostolorum persecutor fit vas electionis, Doctor gentium & Apostolus: *Quas ob res semper illud mihi dicendum esse video* (ait Chrysost.) *nec illi qui vixit in scena desperandum, nec huic qui versatur in Ecclesia omnino confidendum.* Vidit S. Joannes in sua Apocalypsi casum stellarum ex firmamento cœli, quem Draco cauda sua causaverat: *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Formemus modo argumentum, quod convincit : Si fixæ de cœlo cadunt stellæ, quanto magis errantes sibi timere debebunt? Si Angeli mutantur in Dæmones, quanto magis pervertentur illi, quos notat Apost. *lutea vasa portantes,* & de quibus pariter loquitur Job: *Homo natus de muliere, numquam in eodem statu permanet.*

D. Chrys. H. de prod. Judæ. — Apoc. 12. 4.

9. D. Aug. verba sunt ex Soliloquiis deprompta: *Vidimus multos, Domine, ex patribus nostris* (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) *ascendisse primitus quodammodo usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælis cecidisse ab impetu ferientis caudæ Draconis.* Quantumque Job à Deo declaratus fuisset sanctus, nihilominus dicebat : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Ergone unus Job sereno etiam tempore timebat? Ita est, *semper*, non fecit distinctionem temporis, quia quando arbitramur nos esse securiores, tunc plus nobis diffidere debemus: *Noli huic tranquillitati confidere* (moralis Senecæ monitum est) *momento mare vertitur, eodem die ubi luserunt navigia sorbentur.* Unde etiam scribit S. Hieron. ad Heliodorum : *Nolite,* inquit, *esse securi, tranquillitas ista tempestas est.*

Job. 14. 2. — S. Aug. l. Solilog. c. 29. — Quantumvis quis sit sanctus, tamen cum S. Job semper vivere debet in timore. — Job. 31. v. 23. — Seneca Ep. 4. — S. Hier. Epist. 1. ad Heliodor.

10. Job. 29. legitur : *Si ridebam cum servo meo, non credebat.* Quid existimatis sanctum virum tali modo loquendi voluisse inferre? Interrogemus D. Gregor: qui fuit fidelissimus hujus libri interpres : *Ridere etenim Dei est,* respondet ille, *sanctorum vias prosequenti favore prosperari, sicut de iis quoque per usum dicitur quos in hoc sæculo felicitatis blandimenta comitantur, arrisit illis tempus; sed electi quique, quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt, horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt, nam sæpe multis grave periculum incauta securitas facit.* In Exemplum producit S. Paulum; quis non credidisset eum in portu tunc extitisse securum, quando aliquoties jam attigerat littora cœli? *Raptus in paradisum. Vas electionis est mihi iste?* timebat tamen & tremebat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar. Ecce arridenti sibi Divinæ gratiæ* (verba sunt Greg. M.) *jam credit per spem, & necdum tamen credit per securitatem.* Consilium hoc nobis suggessit S. August. libro, cui titulus de Sancta Virginitate : *Noli,* inquit, *altum sapere, sed time, ut homo nec de suorum peccatorum defensione, nec de justitiæ præsumptione se extollat. Nam & ipse Paulus qui dixit; non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; tamen timore comite charitatis ait, cum timore & tremore multo fui apud vos.*

Job. 29. 24. — Continuatur idem argumentum. — 2. Cor. 12. 4. — Actor. Apost. 9. 15. — S. Aug. T. 6. de sancta Virg. c. 38.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Qui majori præditus est spiritu, plus timoris consequenter habere nullus ab hoc se eximere, nec securus vivere debet.

THEMA.

Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Isa. 11. v. 3.

1. DOnis Spiritus Sancti ita ordine suo collocatis, uti ipsemet Propheta dictavit, cuperem scire causam & mysterium, cur ultimum locum assignaverit timori, cum potius primo loco videatur esse recensendus, siquidem *initium sapientiæ timor Domini?* Speculatio hæc fuit Guilielmi Parisiensis, cum tractat de hisce donis, qui ait, Isaiam voluisse nobis indicare, quod Spiritus Sanctus timore repleat animam Christi : *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Si

Quo quis majori præditus pietate, eo magis timeat. — Eccli. 1. 16. — Guiliel. Paris. l. de moribus.

irâ est, propono hoc dubium; quomodo anima inæstimabilibus cœli repleta thesauris alia adhuc dona in se capere possit; insuper qua ratione timor compatibilis sit cum perfectione & sanctitate eminente? Responsio facilis est, si consideretur, quod, sicut quo quis est ditior, eo magis timeat spoliari & privari bonis suis; ita quoque quo pluribus quis abundat cœli thesauris, eo cautior, circumspectior & timidior esse debeat, ne illos amittat & perdat, propterea anima nostra haud adeò angusta est, ut mediante charitate non dilatetur: *Quæ multum habet charitatis magna est*, ait S. Bern. Porro timor necessarius est pro custodia: *Pone tibi virilem* (ita consulit Guerricus Abbas:) *& fidelem custodiam, quæ omni custodia servet cor tuum; dico autem timorem Domini, qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit sæpius interrogans etiam Angelum lucis, noster es, an adversariorum?*

Guerr. Abb. ser. de S. Benedicto.

Qui de seipso nimium confidit, lapsum non evadit. Prov. 14. 16. S. Cypr. de sing. Cler. Salvian. l. 6. ad Eccle.

2. Inter Proverbia Salomonis hoc quoque insinuatur: *Sapiens timet, & declinat à malo, stultus transilit & confidit.* Quanto magis in anima crevit lumen & cognitio Dei, tanto plus etiam in ea proficere debet timor reverentialis; Septuaginta legunt: *Imprudens autem sibi fidens miscetur iniquo.* Scribit S. Cypr. *Magnum sapientiæ Divinæ consilium inventum est, ubi timoris auxilio liberemur.* Valde bene declarat Salvianus pericula, quæ ab hac securitate proveniunt, cum ait: *Pœnalis est homini & perniciosa securitas, præsumpta spes sarcinæ sunt reatus usurpata absolutio damnationem parit*; sequitur postea: *Nemini itaque facilis sua causa sit, nullus difficilius evadit, quam qui se evasurum esse præsumpserit.*

Patet in S. Petro. S. Ambr. ib. Theophil. ib. 1. Cor. 10. 12.

3. Observat Salmeron, quod, quia S. Petrus tribus vicibus jactaverat se non negaturum Christum, bis in cœnaculo, semel in itinere versus Gethsemani, trina pariter vice in pœnam suæ præsumptionis Deus permiserit eum labi in negationem: *Hæc autem ideo scripta sunt* (ait S. Ambr.) *ut sciamus neminem jactare se debere: Nam si Petrus lapsus est, quia dixit et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, quis alius jure de se præsumat?* Et Theophilactus tractando de hoc casu ait: *Idcirco permisit illum Christus cadere, ut doceat, ne quis in seipso confidat, sed in Deo & fide existimanda verba Christi, quàm nostram conscientiam.* Quapropter hoc nobis reliquit monitum Apostolus: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; non dixit, *qui stat*, sed *qui se existimat stare*, ubi reprehenditur vana confidentia, securitas & vana præsumptio; tunc enim vel maximè cadendi periculo expositi sumus, quando minus timemus casum.

Ps. 2. v. 11. S. Hilar. ibid. Quo, quis in lumine & notitia Dei magis accrevit, & magis timere debet. Guilielm. Paris. ibid.

4. S. Hilar. interpretando hunc versum Ps. 2. *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore*, ita discurrit: *Non securum patitur esse negligens servitium; vult in omni servitutis officio admisceri timorem; ut enim metuentes servi diligentius Dominis carnalibus serviunt, cum voluntatem solertioris obsequij metus obsequelæ admixtus eliciat; ita & Deo servientes, si timeant per imminentem tremorem, non negligentes in ea erunt, quam susceperint, servitute.* Introducit Guilielm. Paris. timorem hoc modo loquentem: *Nec mirum; cum ergo plenitudo sapientiæ sim, cum sit ipsa Dei thesaurus, quid ergo decuit magis implere illum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei?* Omnibus innotuerunt verba illa præfationis: *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates*; totum oppositum videbatur asserendum, videlicet, quod Angeli (qui sunt servi infimi ordinis) deberent tremere, & non potestates, quæ sunt Spiritus sublimioris ordinis, majorique gaudent lumine ac cognitione Dei; experientia compertum est, hic in mundo famulos & servos inferioris conditionis majorem habere timorem, quam alios principi familiarissimos, ita est; at in Deo non militat hæc regula, quia quo plus aliquis proficit in lumine & notitia Dei Divinorumque attributorum; tanto magis etiam, quia cognoscit illum omni servitio & obsequio dignum, crescit in eodem timor, ne illum offendat, crescit timor reverentialis; ideoque Dominationes, quæ Angelos superant in lumine & cognitione Dei, dicuntur adorare Deum; potestates vero, quæ in eadem cognitione excellentiores adhuc sunt, & superant Dominationes, dicuntur tremere.

Patet exemplo SS. Angelorum.

Luc. 5. v. 8. S. Petrus quâdam vice clarius cognoscens divinitatem Christi, magis timebat.

5. Lucæ cap. 5. refertur profunda quædam humilitas, quam S. Petrus exhibuit occasione copiosæ cujusdam ac miraculosæ piscationis: *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me quia homo peccator sum Domine.* At si provolutus & prostratus ante pedes Domini, amplectebatur & stringebat pedes, cur ab ipso Domino petijt separari? verba videntur operi & actui esse contraria? Audiamus S. Ambrosium: *Admirabatur Petrus dona Divina, & quo plus metuerat, præsumebat magis.* Hæc ultima verba novam suscitant difficultatem, etenim timor non est causa confidentiæ. Audiamus nihilominus D. Bernardum: *Anima secum referat impressa divina vestigia, ipsa sunt timor & spes, ista misericordiæ repræsentans imaginem, merito beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordiâ ejus.* Quia S. Petrus prope cognoverat Divinitatem Christi, timorem concepit, ac propterea dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum*; at cum simul inspiceret Divinam ejus bonitatem, & in ea confideret, *procidit ad genua Jesu*; unde extat doctrina Gregorij Magni: *Sancti quanto magis Divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil cognoscunt.* S. Philippus Nerius Magnus pater meus, quando jam erat in maxima existimatione sanctitatis, ditatus ectasibus, revelationibus, visionibus, donis miraculorum & Prophetiæ, quando penetrabat secreta cordium, oracula Summorum Pontificum, & apud omnes in summa veneratione solitus tamen erat dicere Deo: Domine, noli mihi fidere, quia ego te tradam & prodam. Mirus est Lucaburgensis in expositione sensus literalis, unde proposito nostro de S. Petro conformiter scribit: *Meam agnosco utilitatem, dum tua se mihi manifestat celsitudo. Quamvis Dei præsentiam assiduis votis expectent homines, quod eo absente miseros se esse sentire cogantur, necesse est tamen simul atque apparet Deus eos formidine percelli, imo examinari metu, ac pavore donec solatium adhibeat; quia tunc sentire incipiunt, quàm nihil sint, quam viles, & peccatis à Deo alieni, ac metuere proinde ne ipsius sanctitas præsens consumat pravitatem illorum.*

S. Ambr. in cat. D. Th. S. Bern. ser. 6. in Cant. Luca 5. v. 8. Ibid. v. 8. S. Greg. l. 18. mor. c. 27. Exemplum S. Phil. Nerij. Lucaburg. in Luc. 5.

6. Apposita similitudo est, quam allegat S. Propheta Job. dicens: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Quemadmodum sudum magnam minatur tempestatem, ut propterea nobis timendum sit, ita ait Nazianzenus: *Dum secundo vento navigas naufragium time, & tutior à naufragio eris; adjutorium ac solacium tibi timorem adjiciscens*; undæ marinæ modò navem attollunt & elevant in altum, modò eam præcipitem agunt in abyssum; quot & quanti sunt, qui primo eminebant in perfectione, & digito, ut ita loquar, cœlum contingere videbantur, & postea misere ceciderunt? Quot & quanti econtra ex abysso malitiæ emerserunt, veramque agentes pœnitentiam ad cœlum elevati sunt? Intra paucas horas unus Apostolus præceps corruit in barathrum desperationis, & eodem die post quinque annorum millia cœlum reseratum patuit uni latroni; quis igitur poterit esse securus, quis sibi fidere, & de se præsumere audebit? Quis hujusmodi considerans exempla non tremet? *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.*

Job. 31. 23. Tranquillo mari timenda tempestas est. Nazianz. orat. 40. in S. Baptist. Philip. 2. 12.

7. Insinuaturus nobis S. Antonius de Padua, qua ratione semper inter spem & metum vivere debeamus; appositam hanc moralitatem deprompsit ex libro Ruth discurrens in hunc modum: *Ruth est anima, quæ hujus mundi miseriam, Diaboli fallaciam, carnis concupiscentiam videns, festinat ad vitæ æternæ gloriam. Hæc pallium extendit, cum castitatem, charitatem & humilitatem non sibi, sed Deo attribuit, & ad ædificationem proximi ostendit; utraque manu timoris & amoris, ne perdat tenet; manus dicta, eo quod hominem muniat, vel eo quod sit totius corporis munus; ipsa etiam cibum ori ministrat, & omnia operatur. Sic timor & amor Dei hominem muniant, ne cadat, munus gratiæ infundant, ut perseveret.* Supra tetigimus mysterium cur Deus, de quo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti*; ex innumerabili populo Hebræorum duobus dumtaxat, nempe Josue & Caleb, indulserit ingressum in terram promissionis, & præter illa superius dicta S. Antonius Paduanus hanc quoque adducit rationem: *Caleb, id est, timor; & Josue, id est, spes*; volens alludere (*quia omnia in figura contingebant illis*) ad homines inter metum & spem viventes, hos nimirum introducendos esse in terram promissionis, id est, sanctæ & perfectæ vitæ. *Quis potest dicere* (ait S. Bern.) *ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum: Quis hæc, inquam, dicere potest; reclamante scriptura: Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit.*

Quomodo semper inter spem & metum vivere debeamus. S. Anton. de Pad. in Dom. 2. post Pasch. Ps. 130. 24. S. Anton. de Pad ser. in ram. palm. S. Bern. ser. 1. in Septuag.

8. S. Prosperi doctrina est: *Et de nullo ante ipsius finem prænunciari potest, quòd in electorum gloria sit futurus.* Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus vitæ Sanctæ splendore multis præluxerat, plurima quoque pro fide Catholica sustinuerat, multa insuper patraverat miracula; & tamen in hunc prolapsus fuit errorem: existimans corpora nostra non in ea, qua viverent, carne resurrectura. Sed contigit, quod, cum S. Gregorius Roma missus Constantinopolim, Eutychium evidentibus rationibus convinceret, & contrarium verum ostenderet, ad saniorem hic redierit mentem, errorem suum agnoverit; & instante morte pellem manus suæ tenens multis præsentibus dixerit: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.* Quod si igitur vacillarunt Cedri Libani, annon meritò sibi timere debent vacuæ arundines paludum? Hebræi egressi ex mari rubro omnino illæsi, *viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, .., timuitque populus.* Videtur rationi congruentius fuisse, si populus Hebræus affectum jubili & triumphi excitasset, videns se è manibus inimici ereptum, à dura servitute liberatum, hostem verò & persecutorem suum divinitus extinctum, denique justissimam vindictam injuriæ Deo illatæ à Pharaone; cur igitur timuit populus? respondetur, quod anima, quo pluribus agnoscit se à Deo dotatam esse beneficijs, eo magis semper sibi timere debeat, ne ingratitudinis incurrat notam: Præterea *timuerunt*, quia videntes divinam punitionem istorum rebellium, timere poterant severiori se fore mulctandos pœna, si Deum offenderent.

S. Prosp. l. 2. de vocat. gent. cap. ult. Nemo gloriari potest ante mortem quod futurus sit de numero electorum. Exod. 14. 31.

Job. 7. v. 1. Quocumque nos vertamus, semper habemus causam timendi. S. Hieron. Epist. 5. Ps. 118. 109. Versio Chald. S. Greg. l. 29. mor. c. 9.

9. Quocumque nos vertimus, semper adest nobis causa timendi: *Militia est vita hominis*; si pugnatur, arma semper habeamus parata, mortemque ante mentis oculos statuamus, oportet; si silent arma, & pacis causa sunt fœdera, pacis tamen haud adesse tempus cogitandum est, hæc non promulgatur, non denunciatur fidelibus, nisi in morte, tunc in morte tunc enim solùm cantatur: *Requiescat in pace.* Timebat S. Hieronymus, & nos, quo non habemus ejus spiritum & sanctitatem, sine timore securi vivemus? *Ego*, inquit, *peccatorum sordibus inquinatus, diebus & noctibus operior cum timore reddere novissimum quadrantem, & quod mihi dicatur: Hieronyme veni foras.* Qualem sensum existimatis habere versum illum Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper?* Nonnulli considerant, censentque Psalmistam velle indicare, quod sicut res pretiosa, v. g. gemma, aut alia res nobis gratissima, gestatur manu conclusa, ut eam præ oculis habeamus; ita apud se pretiosissimam existimaret esse animam; verùm versio Chaldaica nostro proposito convenientior est: *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset: Quotidie periclitor* (sic dolenter ingemiscebat S. Hieronymus) *& quasi manibus sanguinem meum porto.*

Omnes habemus occultum inimicum quem nutrire debemus, & à quo timere debemus. Ephes. 5. 29. Rom. 7. v. 18. & 19. Gal. 5. v. 17.

10. Hisce conforme est monitum D. Greg. Magn. *Væ miseris nobis*, inquit, *qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognoscimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus; debet profectò, debet non solum in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.* Omnes, quotquot sumus, occultum habemus inimicum, quem nutrimus necessariò & fovemus: *Nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fovet eam*; quinimò & ipse Apostolus dolens conquerebatur: *Habitat in me peccatum, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Qui in domo sua habet inimicũ vitę suę insidiantem, cui tamen necessaria ad vitæ sustentationem subministrare tenetur, profectò aliter esse non potest, quin talis in continuo vivat timore: *Caro concupiscit adversus spiritum, corpus quod corrumpitur, aggravat animam.*

Nemo debet esse securus de remissione peccatorum suorum. Levit. 5. v. 11. Abul. q. 6. in hunc loc. 1. Cor. 4. v. 4. Ibid.

11. In libro Levit. 5. legitur de oblatione, sive holocausto, quod offerebatur prò expiando peccato: *Non mittet in eam oleum, neq; thuris aliquid imponet, quia pro peccato est*; Videbatur potius adhibendum incensum, ad tollendum vel ad mitigandum fœtorem; qui ex sordibus peccati prodire solet; cur igitur prohibitum fuit incensum? Rationem hujus reddit Abulensis: *Causa est, ait, quod thus quia boni odoris est, significat acceptationem divinam, & qui pro peccato sacrificium offert, non debet securus esse de acceptatione.* Quamvis interdum existimemus nostræ parti & officio nostro nos satisfecisse prò peccati detestatione, attamen nequaquam securi esse debemus: *Nihil mihi conscius sum*, dicebat S. Paulus, *sed non in hoc justificatus sum*; & qualem hujus adducebat causam? *Qui judicat me, Dominus est*, nescimus an Deus acceptet hoc sacrificium.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Origo & principium æternæ nostræ salutis solet esse timor Dei, ubi variæ considerationes super sequentia verba.

THEMA.

Initium sapientiæ timor Domini. Eccli. 1. v. 16.

Principalis timoris prærogativa est quod sit initium sapientiæ. D. Carth. ib.

1. OMnium prærogativarum & laudum, quas Ecclesiasticus tribuit timori Dei, principalissima est quod sit initium sapientiæ. Hunc textum primò exponit Dion. Carthusian. asserens: *Timor filialis, & item initialis, secundùm quod tales, semper conjuncti sunt charitati, & per consequens dono sapientiæ. Timor verò purè servilis non stat cum charitate & sapientiæ dono.* Declarat nihilominùs, quomodo verificari possit etiam de timore servili, quod sit initium sapientiæ: *Ideo timor servilis est principium sapientiæ, quasi extrinsecum & separatum principium sapientiæ, quæ in tantum disponit ad eam, in quantum facit hominem à peccatis recedere, saltem horrore pœnarum.*

S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 7. Ps. 110. Declaratur quomodo timor, tam filialis, quam servilis, sit initium sapientiæ.

2. S. Thomas hanc proponit quæstionem: *Utrum timor sit initium sapientiæ?* pro parte affirmativa adducit testimonium Psalmistæ Ps. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Majoris tamen elucidationis gratia utitur hac distinctione: Initium sapientiæ potest aliquid dici dupliciter: Uno modo quia est initium ipsius sapientiæ, quantum ad ejus essentiam; alio modo quantum ad ejus effectum; sicut initium artis secundùm ejus essentiam sunt principia, ex quibus procedit ars, initium autem artis secundùm ejus effectum est, unde incipit ars operari, sicut si dicamus, quod principium artis ædificativæ est fundamentum, quia ibi incipit ædificator operari. Cum autem sapientia sit cognitio divinorum, aliter consideratur a nobis, & aliter a Philosophis. Quia enim vita nostra ad divinam fruitionem ordinatur, & dirigitur secundùm quamdam participationem divinæ naturæ, quæ est per gratiam sapientia secundùm nos, non solum consideratur ut est cognoscitiva Dei, sicut apud Philosophos; sed etiam ut est directiva humanæ vitæ, quæ non solum dirigitur secundùm rationes humanas: sed etiam secundùm rationes divinas. Sic ergo timor sapientiæ secundùm ejus essentiam sunt prima principia sapientiæ, quæ sunt articuli fidei, & secundùm hoc fides dicitur sapientiæ initium. Sed quantum ad effectum, initium sapientiæ est, unde sapientia incipit operari, & hoc modo timor est initium sapientiæ. Aliter tamen timor servilis, & aliter timor filialis; timor enim servilis est, sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Huc usque S. Thomas. Plurimos eorum, qui ad Deum conversi, ac divinæ sapientiæ effecti sunt Discipuli, reperiemus, qui ab initio conversionis ad eam inducti fuerunt à timore, simulatque ab horrore & terrore pœnarum divinarum.

Eccli. 1. 27.

Discutitur de quo timore verba sapientis initium sapientiæ intelligenda sint. Paul. de Pal. ibid.

3. *Initium sapientiæ timor Domini.* Paulus de Palatio declarando hunc textum scribit: *Placuit Doctoribus nostris hoc loco mentionem esse de timore servili, qui pœnam à Deo timens, cessat à culpa. Hic timor licet non sit sapientiæ comes, est tamen ejus initium; quia est veluti acus ingerens sapientiæ filum. At nimis credibile est Ecclesiasticum suum non variasse sermonem, sed quod, ut cœperat timorem filialem (qui ex reverentia Dei abhorret à culpa) laudare ita nunc prosequatur. Tunc sensus est; initium, caput, fundamentum, summa sapientiæ est timor ille; nam Hebræis initium est, ressit, quod caput & summam significat. Et planè reverentia erga Deum, cujus causa culpam horremus, est fundamentum & initium vitæ Christianæ; ea enim causatur ex notitia & dilectione divina. Eo enim reveremur Deum, quia agnoscimus & diligimus ejus majestatem, quam offendere pertimescimus.*

Eccli. 1. 16. Honestam vitam instituere volens, incipiat à timore Dei. Corn. à Lap. ibid. Job. 28. v. 28. Ps. 36. 27. Prov. 8. 13. B. Laur. Just. lign. vitæ c. 1. de tim. Dom.

4 *Initium sapientiæ timor Domini.* Consideratione quoque digna est, utilis & popularis expositio illa P. Cornelij à Lapide, qui ait: *Sapientia hæc practica intelligitur, quæ in actione sita est, eamque imperat & complectitur, quasi dicat: Si vis honestam vitam instituere, incipe à timore* Quomodo Job definivit timorem Domini? *Et dixit homini* (utiq; Deus, addit S. Hieronymus) *ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Duobus hisce polis innititur tota summa legis, quam observare debemus: *Declina à malo, & fac bonum*; timor est unicum instrumentum ac primum principium ad fugiendum peccatum: *Timor Domini odit malum.* Idem simul ad exercenda bona opera stimulus est. Audiamus etiam B. Laurentium Justinianum, quibus terminis definiat timorem Dei, sic Philosophatur: *Timere Deum nil aliud est, quàm nulla, quæ facienda sunt, bona præterire.* Concedit insuper Lyranus timorem etiam servilem cooperari principio nostræ

Lyran. ibid.

conversionis; *Licet*, inquit *timor servilis disponat aliqualiter ad sapientiam, in quantum retrahit à peccato propter offensam, & sic est aliquo modo principium sapientiæ, tamen istud: Principium est extrinsecum à sapientia, sicut & à charitate sed timor initialis est principium intrinsecum, sicut fundamentum est primum principium domus intrinsecum, & similiter Domini timor est principium intrinsecum spiritualis ædificationis.*

Magni æstimandus est effectus timoris, expellentis peccatum.
Eccli. 1. 27.
Lucæ 4. 39.
S. Bern. T. 1. ser. 10. art. 1.

5. Magni æstimandus est hic effectus, quem timor Dei, esto servilis, operatur, qualis est, expellere peccatum ab anima, primus enim hic lapis est, super quem ædificatur, erigiturque spirituale ædificium salutis nostræ æternæ: *Timor Domini expellit peccatum.* Idipsum declarat S. Bernardinus Evangelica historia, quando Christus Dominus imperavit febri, qua laborabat socrus Petri, subitò ab ea recessit; *Stans super illam imperavit febri. Per timorem imperat febri, id est, criminibus & peccatis, quæ per veram contritionem dimittunt illam.* Et quia febris jam fecimus mentionem, quæ solet frequenter esse putrida, non abs re erit adducere similitudinem illam, cujus meminit S. Augustinus dicens:

S. Aug. tr. 9. in 1. Joan.

Timor Dei sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere; ecce putredo quando erat in corpore; minus erat vulnus, sed periculosum; accedit feramentum Medici minus dolebat illud vulnus, quàm dolet modo cum secatur; plus dolet cum curatur, quàm si curaretur; sed ideo plus dolet accedente medicina, ut numquam doleat succedente salute. Concludit deinde S. Doctor ad nostrum propositum: *Occupet ergo cor tuum timor, & inducta charitate succedat cicatrix ferramenti Medici,*

Prov. 15. 27.
Timor Domini etiam facit ut abhorreamus peccata.
Ps. 4. v. 5.
Beda in Prov.

6. Sapientis sententia est: *Per timorem Domini declinat omnis à malo*; Alia versio (Tigurina) habet: *Timor Domini odium mali est.* Non tantum efficit timor ut expellamus peccatum, verùm etiam ut illud abhorreamus, qui est actus majoris virtutis. Ubi nos legimus in Vulgata: *Irascimini, & nolite peccare*, habetur in Hebræo verbum idem sonans, quod *Contremiscite*, ac proinde sequitur: *Et nolite peccare.* Vener. Bedæ doctrina est: *Ubi non est timor Dei, ibi regnum est peccati; ubi verò est timor Dei, ibi est regnum Dei & sanctitatis.* Propheta Jerem. c. 2. lamentatur de quodam homine perdito dicens:

Jerem. 2. 19.

Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Vultisnè scire causam, cur is se averterit à Deo? *Et non esse timorem mei apud te dicit Dominus Deus exercituum.*

Ibid. v. 19.
Confixi timore Dei, vitam ducimus immaculatam.
Ps. 118 20.
S. Aug. ser. 36. de diver.

7. Hoc timore fulcitus Regius Propheta sperabat se ducturum vitam immaculatam, ideò supplicans Deo dicebat: *Confige timore tuo carnes meas à mandatis enim tuis timui*; quæ verba optimè explanat D. Aug. cum ait: *Carnes sunt carnales concupiscentiæ, clavi sunt præcepta justitiæ, his illas timor Dei configit*; hoc tamen non tam intelligitur de timore servili, quàm de filiali, veluti deducitur ex verbis sequentibus: *Timor Dei configit, hoc est, non timor pœnæ temporalis, vel etiam æternæ, sed ipsius Dei, id est, timor offendendi Deum*; quapropter notandum est, quod David petendo à Deo: *Confige timore tuo*, non dixit absolutè: *timore*; sed addidit, *tuo*; quia perfectus timor est filialis.

Timor Dei facit vitare peccata.
Job. 1. v. 3.
S. Greg. l. 1. mor. c. 11.

8. Ingeniosè observat Greg. Magn. elogium illud, quod increata sapientia in honorem Job dixit: *Timens Deum & recedens à malo*, ubi timorem Dei conjunxit cum fuga peccati: *Rectè cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam à malo perhibetur, quia dum metum charitas sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur.* Concludit tandem hisce memorandis verbis: *Timore unumquodque vitium premitur.* Quando navis tempestate concutitur, agiturque à vento boreali, anchora projicitur, qua attinetur firma & stabilis, ne inter continuas tentationes, inter inimici infernalis assultus, inter vehementes effrænium nostrorum appetituum stimulos, inter blanda propitij mundi oblectamenta patiamur naufragium, quale supererit unicum remedium? Ut nimirum jaciamus anchoram timoris Dei:

Jerem. 32. 41.

Timorem meum dabo in corde eorum, (ita promittit Deus per Jerem.) *ut non recedat à me.* S. Bonav. tom. 6. ubi tractat de 7. donis Spiritus S. c. 1. agens de timore varios ejus enumerat effectus, & hunc inter alios: *Prius metuere facit, ne pro peccatis suis à Deo separetur.* Sic etiam Basil. M. in Ps. 33. ad propositum illius versus, *Timete Dominum omnes Sancti ejus*, docet: *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit castitatem sanctimoniamque legitimè observari. Confige, inquit, timore carnes meas; nam quemadmodum qui habent corporis membra clavis transfixa ad actionem quamlibet immobilia retinent, sic ij quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant.* Hisce conforme est, quod scribit S. Ephrem Syrus discipulus ejus & familiarissimus: *Fornax aurum probat atque argentum timor autem Dei cogitationes hominum. Ut faber apud incudem vasa utilia perficit, ita timor Domini cor expiat, impuris cogitationibus ejectis.*

S. Bonav. t. 6. de sept. don. Spir. S. c. 1.
S. Basil. M. in Ps. 33.
S. Ephrem in prolog. ad imitat. prov.

9. *Initium sapientiæ timor Domini.* Epitheto valde apposito denominat idem S. Ephrem timorem divinum: *Timor Dei*, inquiens, *animæ schola est, & spem ei bonam annuntiat.* Quando quis incipit frequentare scholas, rudis est & ignorans; at si studijs incumbat, percitus timore Magistri semper proficit in litteris. Audiamus S. Fulg. *Initium sapientiæ timor Dei, quia & magistri timore sapientia crescit.* Non solùm docet nos *declinare à malo*, sed stimulat nos insuper, ut operemur bonum. Legimus in S. Aug. *Cum timetur pœna, quam minatur, discitur, amari præmium, quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonã vitã bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur.*

Timor Dei est Schola animæ.
Idem ser. ad imitat. prov.
S. Fulgent. l. 3. Methologiæ.
S. Aug. ser. 214. de temp.

10. Nulli dubium, quin Salvator noster per arborem fici (Luci 13.) quæ nullum reddebat fructum, denotare intenderit hominem Christianum operibus bonis sterilem; at quem tenuit modum, ut eam efficerit frugiferam? *Succide illam, ut quid etiam terrã occupat?* Timor, quo percellimur, ne ex hac vita tollamur sine bonis operibus (*opera enim illorum sequuntur illos*) sufficiens stimulus est, ut nos ferventiores faciat in divino servitio; *Dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, id est, horrorem perpetuæ damnationis incutiam*; sic subdit & exponit Venerabilis Beda. Exemplo unius convertendi ad Deum id demonstrat D. Augustinus hisce verbis: *Cæpit ergo timere diem judicij; timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est, peccata sua.* Verba Joannis Cassiani sunt, quæ sequuntur: *Est gradus cujusdam profectus, ut dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitiã declinare, ad charitatis gradum transire possimus.*

Luc. 13. v. 7.
Timore Dei extimulamur ut ferventiores simus in servitio Dei.
Beda hic.
S. Aug. tr. 9. in Joan.
Ioan. Cassian. coll. 11. c. 28.

11. Jusserat pientissimus Salvator noster servis & famulis illis, qui ministrabant convivijs in nuptijs Canæ Galilææ: *Implete hydrias aqua*; intendebat, nimirum, Dominus hydrias has adimplere generoso vino, at disposuit & jussit eas prius repleri aqua, per quam S. Bernardus intelligit timorem Dei, & per vinum amorem; quidnam vero hoc indicetur mysterio, statim declarat dicens: *Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa, quàm corda replete, quia ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt à timore, ut dicant & ipsi, à timore tuo concepimus & parturivimus Spiritum salutis.* D. Chrysostomus hom. 55. in Gen. considerando super quas animas Spiritus Sanctus diffundat gratiarum suarum dona, hunc instituit discursum: *Super quem alium respiciam, quàm super mansuetum & quietem, & trementem sermones meos? Vidisti quomodo nos docuit omnes colores, quibus animæ pulchritudo potest decorari? Super mansuetum, inquit, & quietum, & humilem, deinde quod hæc omnia efficit, addidit, trementem sermones meos. Quid est trementem sermones meos? Obedientiam operibus implentem, quod & alibi dicit: Beatus qui timet omnia propter pietatem; Nam si nos qui videmus famulum, qui mandata nostra cum diligentia timoreque multo implere curat, majorem erga eum declaramus benevolentiam; multò magis bonus Dominus propter hos dicebat: Super illum respiciam qui tremit sermones meos.*

Quare Christus in nuptijs Canæ daturus generosum vinum, prius mandaverit hydrias aqua impleri.
Joan. 2. v. 7.
S. Bern. ser. 2. in Nup.
D. Chrys. H. 55. in Gen.

12. In versum Ps. 32. *Timeat Dominum omnis terra*, scribit Sanctus & Magnus Basilius hisce verbis: *Jam quando timor Domini initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt, per timorem erudiuntur. Timor enim quasi quidam introductorius necessariò ad pietatem condiscendam assumitur.* Dum Isaias Propheta tempus legis Evangelicæ denunciat & prædicit, quo impiè viventes ad Deum convertendi essent, modum & medium simul insinuat, quo infallibilis Dei providentia idipsum executioni mandare voluerit: *Egredientur*, inquit, *& videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, Quæro ergo, quo fine eis, quos ad Majestatis suæ agnitionem & notitiam reducere volebat, infernum potius exhibet spectandum, quàm paradisum apertum? Respond. Oleaster, *Non minus utile est ijs, qui ad Deum ascendunt, videre damnatorum supplicia, quàm præclara præmia beatorum, quoniam per timorem Domini recedit omnis à malo.* Bene propterea consulebat David, dicens: *Descendant in infernum viventes*, videlicet (ut exponit Glossa) *ne descendant morientes.* Illuminatus quidam Dei servus dicere solebat, si Deus, uti condidit paradisum, non procreasset quoque inferni abyssum, paucissimi

Ps. 32. 8.
S. Basil. ib.
Timor est introductorius ad pietatem.
Isa. 66. v. 24.
Oleast. ibid.
Ps. 54. v. 16.

cissimi invenirentur, qui propter æternam gloriam & cœlestem patriam Deo servirent, paucissimi divinam adimplerent legem, laxatis habenis Deum offenderent, quod tamen indies faciunt, tametsi sub pedibus inspiciant æternæ damnationis incendium.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Ostenditur timorem Dei radicem & fundamentum esse sapientiæ.

THEMA.

Radix sapientiæ est timere Dominum. Eccli. 1. v. 25.

Singularis effectus timoris Dei est quod disponat animam ad intelligendas res sacras.
Sap. 1. v. 4.
Job. 28. v. 13.

1. Singularissimus divini timoris effectus est, disponere intellectum nostrum ad sacrarum scientiarum intelligentiam: *Radix sapientiæ est timere Dominum.* Sancti Spiritus, qui veræ sapientiæ Magister, monitum pariter & documentum est. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quæstionem hanc proponit S. Job: *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Respondet: *Nec invenitur in terra suaviter viventium.* Experientia compertum est, & jam à multis sæculis constat, studium & intelligentiam sacrarum litterarum, uti & notitiam imperscrutabilium mysteriorum Theologiæ reperiri & vigere in claustris & sacris religiosis ordinibus, in ijs præsertim, qui vivunt in timore Dei, ferventique conatu ad perfectionem tendunt, rigorosam austeramque ducentes vitam, semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferentes.

Per bona opera acquiritur cognitio divinorum mysteriorum.
S. Greg. h. 28.
Ps. 118. 104.
Ibid. v. 100.
Isa. 58. v. 7.
Ibid. v. 8.
Idem S. Greg. hom. 10. in Evang.

2. Considerat D. Gregorius ambos Discipulos euntes in Emaus, simulque advertit tunc illos cognovisse Christum, ac mysticum Sacræ Scripturæ intellexisse sensum, quando Magistrum suum invitarunt ad hospitium, misericordiæ corporalis exhibentes ei opera: *Quia sæpius contingit, ut major lux & cognitio Dei reperiatur in bonorum operum exercitio, quàm in sacrarum Scripturarum scrutinio, sicut scriptum est; à mandatis tuis intellexi; & iterum: Super senes intellexi, quia mandata tua exquisivi.* Exhortabatur Propheta Isaias animam ad opera charitatis & pietatis, quando dicebat: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris*; ast quem fructum hinc anima percipiet? *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum; implebit splendoribus animam tuam.* Hom. 10 in Evang. observat Greg. Magn. quod tres Reges una cum auro Domino obtulerint myrrham: *Aurum offerimus, si sapientiæ lumine splendemus*; porrò myrrha figurat mortificationem & compunctionem: *Ad hujus scientiæ plenitudinem opus est intima compunctione.*

Dum replemur spiritu timoris Domini, acquirimus veram sapientiam.
Isaiæ 11. 3.
D. Chrys. hom. 1. in Matth.
S. Thom. in Joan.
Ps. 33. v. 6.

3. Advertendum, quod Propheta Isaias faciens mentionem septem donorum Spiritus Sancti, & inter ea enumerans donum intellectus, sapientiæ & scientiæ, ultimo loco nominet timorem Domini dicens: *Et replebit eum Spiritus timoris Domini*, ac si hoc sufficiens sit, ut eodem suffragante sacram scientiam ac veram sapientiam comprehendere valeamus; unde Chrysostomus hom. 1 in Matthæum scribit: *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum; sed tam mundam in nobis exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus Sancti uteremur, & sicut atramento illi; ità corda nostra inscriberentur à Spiritu.* Notat insuper Angelicus Doctor, quod, cum S. Joannes requiesceret supra pectus Domini, & ad Petri instantiam secretò peteret, quis esset proditor: *Mysticè per hoc datur intelligi, quod quantò magis homo vult divinæ sapientiæ secreta capere, tanto magis conari debet, ut propinquior fiat Jesu, secundùm illud Ps. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, nam divinæ sapientiæ secreta illis præcipuè revelantur, qui Deo juncti sunt per amorem.*

Timor Dei sternit viam ad amorem Dei.
S. Bern. ser. 23. in Cant.

4. Porrò ad obtinendum hunc amorem vel maximè (uti alibi probatum est) viam nobis sternit timor. Unde proposito nostro valde accommoda est doctrina hæc S. Bernardi: *Aliud, ait ille, est multas divitias scire, aliud est possidere, nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsus aliud est nosse Deum, & aliud timere; nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui & afficit, & bene initium sapientiæ timor Domini; quia tunc primùm Deus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cùm instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam, & sapit tibi justus, potens Deus, quia timor sapor est. Porrò sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem.*

In quo consistat metaphora radicis & timoris Dei.
Hug. Card. ib.
Prov. 1. v. 7.

5. *Radix sapientiæ &c.* In quo consistit hæc metaphora, quam adducit Ecclesiasticus & desumpsit à radice? Prætendit, nimirum, hac similitudine denotare (scribit Hugo Cardinalis) effectum principalissimum timoris Domini: *Dicitur timor esse radix sapientiæ ad similitudinem, quia sicut radix initium est arboris, ita timor initium est sapientiæ.* Quod dilucidiùs indicat Sapiens in Prov. *Timor Domini principium sapientiæ*; principium arboris non desumitur à frondibus, à fructibus, à ramis, à trunco, sed à radice, quæ degit sub terra, nec videtur; eadem proportione dicere possumus, in hac mystica arbore, nimirùm, homine, quidquid boni producitur & conspicitur, cum videlicet flores odoramur multorum bonorum propositorum, cum multorum operum virtutis gustamus fructus; cum trunci admiramur soliditatem, id est, rectitudinem & stabilitatem in bono; totum hoc esse effectum timoris Dei, qui veluti originale principium in quodcumque, quod agimus, opus bonum suum transfundit vigorem.

Timor Dei præbet & est ingressus ad sapientiam & gloriam.
S. Bonav. de sept. donis Spir. S. c. 1.
S. Bern. ser. de don. Spir. S.

6. De Bonaventura, ubi tractat de septem donis Spiritus Sancti, & consequenter de timore, citat glossam in illa verba: *Perfecta charitas foras mittit timorem; Timorem illum emittit, qui dicitur initium sapientiæ, illo enim timore se cohibet homo à peccato, principaliter propter Deum, secundariò verò propter pœnam æternam. De timore isto Bernardus dicit sic: Non immeritò hic timor initium dicitur sapientiæ, qui sæpe se insipientiæ primus opponit. Hic enim timor quidam ingressus est ad sapientiam. Planè domus Dei est & porta cœli, & tamquam ingressus gloriæ.* Et in alio loco idem D. Bernardus discurrens de donis Spiritus Sancti, scribit: *Sine hac gratia prima gratiarum quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest.* Praxis idipsum demonstrat, radice ab arbore præcisa quid sequitur? Siccatur truncus, exsiccantur rami, deficiunt fructus, languescunt frondes: quia è radice consurgit & transfunditur tota virtus, succus & vigor, quo mediante sustentabatur arbor in sua viriditate & fertilitate; pari ratione si in anima defecerit timor Dei, quamprimùm in ea deficient actus virtutum, veræ charitatis, humilitatis, mortificationis, obedientiæ, mansuetudinis; & reliqua bona, tametsi interdum aliquid horum remaneat apparenter dumtaxat: *Sicut enim* (ait S. Bernardus) *securitas vel desidia causa est & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est, & custos omnium bonorum; unde scriptum est Eccli. 27. Si non in timore tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua, omne namque virtutum ædificium illico verget in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium.* Ecce aliam, quæ tangitur, utilissimam similitudinem de timore Dei, quod nimirum sit instar fundamenti in ædificio spirituali.

Deficiente in anima timore Dei, deficiunt omnes virtutes.
Eccli. 27. v. 4.

7. Postquam Ecclesiasticus dixit: *Initium sapientiæ timor Domini*; subjungit statim: *Et cum fidelibus in vulva concreatus est, & cum electis fæminis graditur*; una versio (Complutensis) nostro conformiter proposito habet: *Cum hominibus fundamentum sæculi nidificavit.* Aquila, Simmacus, Theodotion legunt: *Justus autem & fundamentum æternum nidificavit.* Lyranus in hunc textum paulò clarius scribit: *Sicut fundamentum*, inquit, *est primum principium domus intrinsecum, & similiter Domini timor est principium intrinsecum spiritualis ædificationis.* S. Bonaventura, quando tractat de donis Spiritus Sancti, citat D. Anselmum lib. de similitudinibus, & ait: *Horum donorum primum est timor Dei, veluti aliorum quoddam fundamentum. Hunc namque Spiritus sanctus in campo mentis supponit, aliaque dona in suo ordine, veluti in ædificationem superimponit.* Fortunatus in vita S. Hilarij Pascentio Episcopo scripsit sequentia: *Culmen fabricæ cælestis continuare festinas, non sine timore divino.* Tectum unius fabricæ, fornices, frontispicium ac reliqua ad ædificium spectantia sicuti innituntur fundamento, ita virtutes, merita, omniaque bona opera huic fundamento & basi divini timoris innituntur, ijsque nixa sustentantur.

Eccli. 1. 16.
Timor Domini comparatur fundamento domus.
Lyran. ibid.
S. Anselm. de similit. c. 136.

8. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, ita Psalmista supplicabat Deo. *Vera sapientia à timore Dei incipit* (subdit S. Ambrosius) *nec est sapientia spiritualis sine timore Dei, ita timor sine sapientia esse non debet. Basis quædam verbi est timor sanctus, sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc majorem habet gratiam, cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem; ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri. Plenus disciplinæ timor non nutat ad lapsum.* Utinam nostri protoparentes dispositi fuissent ad recipiendam hanc disciplinam timoris Dei, præceptum divinum haud prævaricati fuissent. Pluribus homo in prima sua creatione à Deo ditatus fuit donis,

Ps. 118. 38.
S. Ambr. ib.
Comparatur Basi, in qua collocatur statua, ut accipiat firmitatem.

quæ

quæ enumerat Ecclesiasticus cap.17. & inter ea etiam donum timoris, ut fugeret peccatum, ac si timor iste esset fundamentum & sustentaculum innocentiæ & justitiæ originalis, at minimè ei cooperatus fuit: *Disciplina intellectus replevit illos*; quæ verba Hugo Card. exponit de timore asserens: *Disciplina intellectus dicitur timor, quoniam disciplinat & reprimit intellectum, ne in nimis alta ascendat; unde Augustinus in lib. de doctrina Christiana: Ante omnia opus est timore Dei ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendam, fugiendamque præcipiat, & hoc concordat ei, quod dicitur Isaiæ 11. replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Eccli.17.v.5. Hugo Card. Isaiæ 11. 3.

Habens verum timorem Dei, non labetur in peccatum. S.Basil. in Ps. 33. S. Hilar. in Ps.118.v.38. Prov. 1. 7. Hugo Card.ib. S. Basil. h. 1. Hexam.

9. S. Basilius in Psal. 33. discutiendo hanc materiam de timore scribit: *Qui hunc in se recepit perfectum timorem, nihilque non veretur tuendæ pietatis gratia, in nullum prolabetur peccatum.* S. Hilarius scribendo in eumdem versum à D. Ambrosio supra expositum: *Statue servo tuo &c.* & alludendo ad Isaiam, apposite discurrit: *Novit initium sapientiæ Dei esse timorem; novit in illa septiformis spiritus gratia timorem in postremo, tamquam firmamentum eorum, quæ superius sunt dicta, numerari.* Hugo Card. commentando in textum hunc Proverb. *Timor Domini principium sapientiæ*, scribit: *Est quasi columna sustinens totam fabricam spiritualis ædificij.* S. Basilius tractando de timore reverentiali, hæc addit: *Est enim hic reverentiæ erga Deum timor ad perfectionem contendenti velut fundamentum.*

Primitiva Ecclesia fuit constructa super timorem Dei. Act. Apost. 9. v.31. 1.Cor.3. 11. Ibid. v.12. Act.Apost. 9.v.31.

10. Quando S. Lucas in Act. Apost. agit de admirabili progressu in Spiritu, deque stupendo profectu in virtutibus, quem faciebant primi Christiani, in quorum cordibus adhuc bulliebat sanguis immaculati agni recentissimè profusus, ita scribit: *Ecclesia quidem per totam Judæam & Galilæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur.* Hoc ædificium adeò sublime, si dicere liceat, cœlum ipsum tangebat; siquidem Christiani illi summa præditi perfectione, & sanguinem suum pro Christo profundere parati erant; at cui innitebantur sustentaculo, quale jecerant fundamentum? Fortè illud, de quo scriptum est: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus?* Fortè ipsum collegium Apostolicum: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christi Jesu?* Non dixit hoc S. Lucas, sed statim subdit: *Et ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur.* Ergò supra timorem Dei sublime illud primitivæ Ecclesiæ ædificium erectum & constructum erat.

Eccli 1.v.20. Rabanus in hunc loc. Timor Dei non est otiosus, sed replet animam virtutibus. Job. 38. v.4. S.Greg. M. l. 28. mor. c.6.

11. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum* (ait Ecclesiasticus) *& plenitudo à fructibus illius.* Ubi Rabanus asserit: *Quantò quis magis Deum timet, tantò sapientior apparet, & quanto sapientior, tanto plenior fructibus bonorum operum non enim timor Dei est otiosus, sed donis virtutum replet vitam hominis, & thesauris scientiæ spiritualis cor ejus illustrat.* Meretur reflexionem id, quod scribit Gregorius Magnus supra textum illum: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Si peccatoris animus pulvis est, quia in superficie attollitur, & tentationis aura raptatur, unde scriptum est; non sic impij, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ, nil obstat terram intelligi animam justi, de qua scriptum est, terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem; sed hujus terræ fundamentum fides est. Hujus terræ fundamentum jacitur, quando in occultis cordis prima soliditatis causa divinus timor inspiratur. Iste necdum credit æterna quæ audit. Huic cum fides datur, ad ædificium subsequentis operis jam fundamentum ponitur. Ille æterna jam credit, nec tamen metuit, venturi judicij terrorem despicit, peccatis se carnis & spiritus audenter involvit. Huic repentè cum futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur.*

Aliæ comparationes timoris Dei, cum radice. D. Carth.ib.

12. *Radix sapientiæ &c.* Dionysius Carthusianus salutarem hunc exhibet fructum timoris Dei, videlicet, quod vivam in animabus nostris conservet foveatque sapientiam: *Sicut*, inquit, *radix arborem nutrit, conservat, & auget, sic timor sapientiam, per hoc quod solicitum reddit hominem ad vitandum peccata, atque ad exequendum opera bona, quia veretur Deum offendere.*

Hug.Card.ib.

Radix sapientiæ &c. Hugo Cardinalis hanc aliam notat comparationem, *Sicut radix amara est, sed fructus arboris dulcis, sicut patet in palma: Sic timor amaritudinem pœnæ habet, sed generat dulcedinem sapientiæ.*

Corn. à Lap. ibid.

Radix sapientiæ &c. In hanc aliam descendit considerationem P. Cornelius à Lapide asserens: *Sicut agricolæ dum arborem excolere volunt, excolunt ejus radicem stercorando & irrigando, ex radice enim pendet tota arboris fertilitas; ita pariter si sapientiam, omnemque virtutem vis excolere & augere, excole & auge timorem Domini, hic tibi dabit omnem fertilitatem spiritualem.*

Radix sapientiæ &c S. Thomas aliam instituit comparationem cum ait: *Timor Domini comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborem; unde dicitur Eccli.1. Radix sapientiæ est timere Dominum; & ideo sicut radix virtute dicitur esse tota arbor, ita timor dicitur esse sapientia.*

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Timenti Deum non desunt bona spiritualia; uti nec temporalia.

THEMA.

Non est inopia timentibus eum. Ps. 33. v. 10.

Quomodo non sit inopia timentibus Deum.

1. Regius Propheta David, qui fuit vir secundùm cor Dei, & ut dictum est, panegyricus præco ac prædicator divini timoris, omnique spiritu in eodem se exercuit, non immeritò dixit: *Non est inopia timentibus eum*; siquidem ex ovili evectus ad thronum regalem Israel prosperum habuit successum in omnibus bonis tum spiritualibus tum temporalibus. Verùm quia oracula cœlestia à Spiritu Sancto dictata variarum capacia sunt interpretationum, nonnullas producemus, quas tamen omnes ad laudem & majorem existimationem hujus sancti ac salutaris timoris directas reperiemus.

S. Basil. ibid. Anima habens timorem Domini felicissima est in hac lachrymarum valle. S. Ephrem serm. ad imit. prov. de tim. Dei. Isa. 33. v. 6. S. Thomas in Ps. 33. S. Hier. ibid.

2. *Non est inopia timentibus eum. Non est inopia, hoc est, nulla ad complectendam virtutem deest facultas* (ait S. Basilius) *cum per timorem ab indecora omni & absurda actione revocatur & impeditur, sed perfectus est, nullo bonorum, quod humanæ conveniat naturæ destitutus.* Incomparabile hoc donum quanti æstimaverit S. Ephrem, dilectissimus S. Basilij discipulus; colligi potest ex sequentibus magni momenti verbis: *Animam Spiritu sanctæ intelligentiæ replebit, sceptrumque cælestis regni tradet ipsi, non est inter homines illo major, qui timet Dominum, & anima timens Dominum felicissima est.* Quid amplius desiderari posset, quàm ducere vitam in hac lacrymarum valle felicissimam? Hæc obtinetur suffragante timore Dei. Exponit quoque hunc textum S. Thomas, & quidem in ordine ad abundantem spiritualium bonorum copiam: *Hoc primò*, inquit, *exponitur de inopia spiritualium bonorum.* Probat ex Isaia, quod, quia timor Dei dicitur thesaurus, timoratum nullum bonum deficere possit: *Divitiæ salutis*, Isaiæ 33. *sapientia & scientia timor Domini ipse thesaurus ejus; si ergo timor Dei thesaurus est, non est inopia timentibus eum.* Qui in sua potestate habet thesaurum, habet omnia; qui timet Deum, inæstimabilem possidet thesaurum. *Nihil deest* (explicat S. Hieronymus) *quorum Deus est Christus; nihil deest eis, id est, nihil boni deest eis.*

Timor Dei est verus thesaurus. Lyranus ibid. Dion. Carth. ibid. Job.28.v.28. Eccli.25. 15. Ps. 33. 10. Eccli. 27. 4. Hug.Card.ib.

Expositio literalis hujus textus Isaiæ concernit Ezechiam, qui timorem Dei cunctis anteposuerat thesauris: *Timor Domini ipse est thesaurus ejus, scilicet Ezechiæ* (sic exponit Lyranus) *qui præposuit ista omnibus bonis temporalibus.* Dionysius Carthusianus aliam dedit rationem, cur timor Dei ab Isaia denominetur thesaurus, dicens: *Thesaurus interdum vocatur repositorium, quo divitiæ continentur; interdum verò thesaurus pro divitijs sumitur, & utroque modo timor Domini filialis, castus & sanctus, qui permanet in sæculum sæculi est thesaurus salutis per timorem enim salus conservatur, quoniam timor Domini expellit peccatum, quod solum aufert salutem. Timor etiam in tantum ornat, perficitque salutem & sapientiam, ut in libro Job dicatur: Ecce timor Domini ipsa est sapientia; & Eccli. 25. Beatus cui datum est habere timorem Dei. Itemque Ps. 33. Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Quod autem timor Domini sit thesaurus salutem custodiens, maximè constat ex eo, quod scriptum est Eccli.27. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua: Idcò cum Psalmista dixisset: Beatus vir qui timet Dominum, post pauca adjecit; Gloria & divitiæ in domo ejus, hoc est, in corde ejus: Per gloriam intelligens salutem, per divitias sapientiam atque scientiam.* Sed Hugo Cardinalis aliud adducit mysterium: *Dicitur autem timor thesaurus Domini, quia omnia bona & dona Domini conservat.*

Timens Deum veri boni inopiam non patitur. S. Remig. ib.

3. *Non est inopia &c.* Ubi advertendum; Spiritum sanctum, qui loquitur per calamum Psalmistæ, indifferenter locutum esse: *Non est inopia timentibus eum*; non specificè, sed absolutè dixit: *Inopia; Veri boni inopia non est* (ait Remigius) *timentibus, quia habet eum, in quo sunt omnia bona, etsi pauperes videantur non habentes hæc falsa bona tamen divites intus sunt, & quandoque foris indigentia supplebitur.*

Job pro filijs obtulit hostias ut illis acquireret timorem Dei. D.Chrys.T.5. H.59. ad pop.

Considerat & admiratur D. Chrysostomus summam providentiam ipsius Job, quamvis enim inter omnes Orientales ditissimus esset, flocci tamen faciebat divitias, neque solicitus erat pro filijs suis, ut opulenta eos ditaret hereditate; sed eo collimabat tota ipsius intentio, qua ratione patrimonium longè opulentius ac ditius filijs relinqueret, videlicet timorem Dei: *Job pro filijs hostias offerebat, & eos à peccatis absolvebat, ne fortè cogitassent aliquid in corde suo, ita de filijs curam gerit. Non dixit, ut hominum plurimi, relinquam eis patrimonia, non dixit, gloriam eis conferam non ait, principatum emam. Sed quid? Ne fortè cogitaverint aliquid in corde suo. Quænam illorum utilitas nihil hic manentium? Omnium*, inquit, *Regem eis reddam propitium, & nihil eis amplius deerit; Dominus enim pascit me, & nihil mihi deerit. Hæ magnæ sunt opes, thesaurus magnus: si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus.*

Tob.4. v. 23. Virtutes Christianæ sunt divitiæ quæ depromuntur ex timore Dei. Cicero parad. 1. Apoc.2. v. 9. Glos. Ord. S. Bonav. t.6. diata salut. tit.6.c.4.

Salutare fuit consilium illud, quod senior Tobias dedit filio suo: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* In Hebræo legitur: *Dabit tibi Deus divitias magnas; si requisieris eum in toto corde tuo, & tota mente tua.* Quinimò unus gentilis, nempe, Marcus Tullius in suis paradoxis scribit: *Quis dubitet, quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri & argenti pluris, quàm virtus æstimanda est?* Virtutes Christianæ sunt verè divitiæ, sunt proventus & lucra, quæ depromuntur ex timore Dei. Apoc. c. 2. legitur: *Scio paupertatem tuam, sed dives es:* Quæ propositiones videntur esse contradictoriæ; at æternæ veritatis sunt: *Pauper, videlicet rebus* (exponit Glossa) *sed dives virtutibus.* Unde etiam S. Bonaventura, cum tractat de timore Dei, magni illum æstimat dicens: *Timor Domini est pretiosus sicut thesaurus: Nam sicut thesaurus, qui est res pretiosa, facit hominem semper solicitum de custodia, sic timor Dei de se & de virtutibus semper est solicitus, & de Dei gratia cum habetur, deperdita, ut recuperetur, & de recuperata ut à recidivo conservetur.*

Timentes Deum prosperantur in omnibus bonis. Ps.33. 12. Ps.1. v. 1. Dion.Cart.ib. Ps.24.v. 12. Lyran. ibid. Ps 33. 11. Idem ib. 1.Tim.6. 8.

4. *Non est inopia timentibus eum.* Nescio, utrum adverteritis, quod, postquam David invitavit (ut discursu primo notatum fuit) auditores suos ad auscultandum sermonem suum de hac materia: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, & primo Psalmo sui Psalterij exponeret immensa bona in timoratos redundantia: *Beatus vir, qui non abijt &c.* in progressu ejusdem Psalmi dicat: *Et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur. Non sic impij non sic, id est* (declarat Dionysius Carthusianus) *omnes operationes suæ proficient sibi ad veram beatitudinem.* Psalmo 24. petit idem Propheta: *Quis est homo, qui timet Dominum? Legem statuit ei in via quam elegit, anima ejus in bonis demorabitur.* Quæ verò sint hæc bona, quæ animæ ingerent consolationem, declarat Lyranus: *In bonis*, inquiens, *divinæ gratiæ & consolationis, à quibus per peccatum mortale non amovebitur.* In Psalmum 33. pari conformitate scribit interpretando hæc verba: *Non minuentur omni bono*, videlicet, animæ timoratæ; *quia abundant in bonis spiritualibus, temporalia verò quantumvis modica eis sufficiunt, imò pro divitijs computantur, unde dicit Apostolus 1. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.*

Prov. 15. 16. Dion.Cart.ib. Præstat parum habere cum timore Dei, quam multa sine illo. Seneca.

Legimus in Sapiente: *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles*; nimirùm, *melius est* (ita exponit Carthusianus) *parum de temporalibus, scilicet simplicem victum & vestitum habere cum timore Domini filiali, quàm thesauri &c. Imò timor Dei per se incomparabiliter cunctis terrenis opibus extat præstantior, utilius quoque est ad bene vivendum necessaria sola habere, quàm temporalibus abundare, quoniam multa vitia assequuntur divitias.* Citat authoritatem Senecæ epist. 2. ad Lucilium: *Honesta res est læta paupertas, imò jam non est paupertas, sed opulentia cordis, si læta est; denique non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est.* Post pauca subdit idem Seneca: *Quis sit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quæ necesse est, secundus, quod satis est.*

Timentes Deum non patientur inopiam rerum temporalium. Cajetan. in Ps. 34. Deut.6. v.2.

5. *Non est inopia timentibus eum.* Non defuerunt Interpretes S. qui hunc exposuerunt versum in ordine ad provisionem bonorum etiam temporalium. Cajetanus scribit: *David affirmat, quod timentibus Deum nihil deficit, quod intellige juxta promissiones in Deuteronomio factas; totus enim iste Psalmus plenus est promissionibus temporalium bonorum.* Cap. sexto hujus libri Deus huic populo dixit: *Timeas Dominum Deum tuum &c. ut prolongentur dies tui; Bene sit tibi, & multiplliceris amplius; domos plenas cunctarum opum, vineta & oliveta &c. Præcepit nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut benè sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie.* Et cap. septimo sequenti hoc idem æterna veritas confirmat, postquam præmiserat: *Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi ... diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ovium tuarum &c.* ubi consequenter prolixum texit catalogum benedictionum temporalium, quas Deus populo suo electo contulisset, si in sancto ejus timore vixisset; quod totum confirmat discursus Achior principis Ammonitarum, quem habuit ad Holofernem & magnates ejus, ut habetur Judith. cap.5.

Deut. 7. 12.

Ps.24. v.14. Continuatio ejusdem. Ibid.v.13. S.Thom. ib. Ps.36. v. 25. S. Aug. cit. à Gloss.

6. *Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, ut manifestetur illis*; ait Psalmista Ps. 24. prius dixerat: *Semen ejus hæreditabit terram*; Ubi S. Thomas subdit: *Voluntas hominis ad duo refertur, in isto mundo; Primo, ut bona possideat; secundò, quod illa bona filijs suis dimittat, & in hoc etiam Deus temporaliter timentibus eum satisfacit.* Glossa interlin. expressè declarat, quod timentes Deum ne quidem bonorum temporalium patiantur penuriam: *Non est inopia temporalium; alij aliquo indigent, sed non sui, quibus ait: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Non desunt Scripturæ & historiæ Sanctorum attestantes liberalem & miraculosam providentiam, qua Deus correspondit pietati & devotioni suorum sequacium ipsum timentium: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* S. Augustinus citatus à Glossa tale conficit argumentum: *Pascebat Dominus contemnentem se, & deseret timentem se?* Turcæ degunt in patria abundantiori & fertiliori, quali non gaudent Christiani, quis ergo dubitare poterit, Deum timentibus defuturum id, quo abundant rebelles & impij? *Promittit autem non superflua sed necessaria. In præsenti habent, quantum exigit natura.*

Providet Deus timentibus se in spiritualibus & temporalibus. Job.1. v.10. Ps.1 v.3. S.Remig. ib. Alb. Magn. in Ps. 33. Eccli. 40.27.

7. *Non est inopia timentibus eum.* Hunc textum exponit quoque Dionysius Carthusianus, dicens: *Nam in spiritualibus & corporalibus bonis providet eis Dominus sufficienter.* Supra, ubi egimus de divina Providentia, diffusè ostendimus, quàm beneficus sit Deus erga illos specialiter, qui vivunt in sancto ejus timore. Satan, mendaciorum licet pater, protulit veritatem practicam, nimirùm, quod Deus bonis etiam temporalibus ditet accumuletque eos, qui verè timent ipsum: *Numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum & domum ejus?* Observate nihilominus, veros timentes neque etiam in adversitatibus desistere à timore Dei: *Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur, sive in se sive in suis* (exponit S. Remigius) *in se, sive in dictis, sive in factis; in suis, sive sint prospera sive adversa, in hoc est Dei providentia mirabilis, quia etiam malis suorum utitur ad bonum.* Majus elicuit bonum ex Job, quando omnibus eum exuit spoliavitque bonis terrenis, ac quando ipse eadem, esto cum merito, possidebat. Albertus Magnus citat S. Augustinum supra verba proposita & ait: *Augustinus sic continuat, si timens non fraudor, si nec fraudo, certus sum, quoniam vivam; Timete secure, quoniam non est inopia timentibus eum*; allegat insuper textum illum Eccli. 40. *In timore Domini non est minoratio; nota quod non dicit quod sit illius nimia copia, sed quod non sit illis defectus necessariorum.*

Proponitur circa hoc propositum objectio, & solvitur etiam. S. Thom. ubi sup. Philip.4. 12. 1.Cor.4.11. S Aug. ser. Dom. in monte.

8. *Non est inopia timentibus eum.* Experientia multarum occasionum docuit, quod plurimi Deum timentium bonorum ad propriam sustentationem necessariorum passi fuerint defectum ac penuriam; ergo non videtur subsistere, sed vacillare propositio ista Psalmistæ saltem aliqua ex parte. Respondet S. Thomas: *Contingit aliquando timentem Deum parum habere, sed non contingit eum esse inopem; inops est, qui se deficientem reputat, qui timent Deum, his contenti sunt, quæ habent. Philip.4. Ubique & in omnibus constitutus sum &c.* Observat S. Augustinus aliam Apostoli text. 1. Cor. 4. *Usque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus; Quomodo ergo non est inopia timentibus eum? Et dicit, quod Deus est nutritor & medicus; medicus autem subtrahit nutrimentum infirmo, & facit esurire & sitire, quia expedit sanitati. Ita Deus secundùm quod expedit saluti nostræ, quandoque inopiam immittit; quandoque divitias confert, quandoque longitudinem dierum concedit, quandoque brevitatem adducit.* Verùm responderi potest adhuc alio modo: *Non est inopia timentibus eum*; quis potest

esse

esse certus, aut securum se reddere, quod verum habeat timorem? *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Ps. 24. 12. Alb. Magn. ib. — Quinam verè timeant Dominum.

9. Albertus Magnus in versum illum Psalm. 24. *Quis est homo, qui timet Dominum. Sed heu*, inquit, *quis est homo, qui timet Dominum? Quam pauci sunt, qui veraciter timent, tamen necessarius est valdè timor. Eccli. 25. Qui timet Dominum, cui assimilabitur? Et subdit, quàm magnus, id est, valde magnus, qui invenit sapientiam, sed non est super timentem Deum. Hunc etiam Dominus exigit, & requirit per Prophetam Malachiam cap. 1. Si ego Dominus, ubi est timor meus?* S. Remigius hoc idem tetigit punctum: *Quis est homo, qui timet Dominum? Quia autem multi sunt*, inquit ille, *qui dicant se timere Dominum, & non timent timore perpetuo, quia qui dicit se timere Dominum, & mandata ejus non custodit, mendax est, juxta illud: Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis; ideo subjungit certa signa, quibus cognoscitur timens Dominum, casto timore, scilicet, legem statuit ei, id est, stabile propositum, non declinans, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Malach. 1. 6. S. Remig. in Ps. 24. Ps. 111. v. 1.

DISCURSUS XII.
ARGUMENTUM.

Timor Dei animabus timentibus confert consolationes, delectationes & gaudia.

THEMA.

Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam. Eccli. 1. v. 12.

Jucunditas & timor possunt simul esse in anima.

1. PRopositio hæc ex Ecclesiastico deprompta prima facie videtur esse paradoxon aliquod, etenim cor perculsum timore qua via, quove modo, locum dare potest lætitiæ & gaudio? Et tamen Spiritus Sanctus est, qui pennam direxit Ecclesiastici, pariterque Spiritus Sancti donum est timor Dei; & inter fructus hujus sanctissimi Spiritus enumerat S. Paulus gaudium: *Fructus autem Spiritus gaudium.* Idem movet dubium D. Augustinus, ad versum hunc Psalmistæ: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*, se reflectens & dicens: *Ergò timor in jucunditate est, & quomodo jucunditas, si timor? Nonne timor amarus esse solet?* Et respondet S. Doctor: *Erit ergo aliquando jucunditas sine timore, modò jucunditas cum timore, nondum est enim plena securitas &c. Ita jucundatur cor nostrum, ut timeat nomen Domini, ne aliunde jucundetur, aliunde feriatur.*

Gal. 5. v. 22. Ps. 85. 11. S. August. ib.

Quando timor Domini delectet cor. D. Carth ib.

2. *Timor Domini delectabit &c.* hæc verba declarat Dionysius Carthusianus in sequenti sensu: *Delectabit cor, quia conscientiæ remorsum tollit per hoc, quod facit hominem vivere virtuosè, & tantò copiosiùs meretur consolationem divinam quanto plus fugit delectationem inanem, carnalem, mundanam.* Certum est, quod ubi locum habet vermis malæ conscientiæ, ibi nidificare nequeat gaudium & pax interna; unde dicebat S. Augustinus: *Quale gaudium potest habere conscientia illa in cujus anima multis vitijs occupata potius Diabolus probatur habitare, quàm Christus?* Timor Dei dispellit à corde nostro vitium & iniquitatem: *Timor Domini expellit peccatum.*

S. August. ib.

Delectatio cordis consistit in bona conscientia. Paul. de Pal. ibid. S. Th. de Vill. conc. in Dom. 4. Quadr.

3. *Timor Domini delectabit &c.* In quem textum Paulus de Palatio hunc instituit discursum: *Timor est lætitia, quia ut nihil hominis animum magis debet contristare (intelligentibus loquor) quam peccatum, ita nihil magis exhilarare, quam carere peccato; at timor Dei expellit non admittit peccatum. Probate* (inquit Thomas de Villa Nova) *obsecro, & videbitis, quanta sit animæ consolatio, quanta conscientiæ securitas & tranquillitas.* Quod dixit vel maximè ratione confessionis sacramentalis, qua mediante deponitur peccatum, quæque solet esse effectus & partus timoris Dei. Audiamus quoque alium Thomam Cantipratensem: *Testimonio*, inquit, *conscientiæ bonæ nihil lætius credo, nihil gaudiosius in hac vita; testimonio verò conscientiæ malæ nihil credo tristius, nihil horribilius in terrenis. De hoc gaudio non solùm spiritus, verùm etiam participat caro, juxta illud Psalmistæ: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

D. Thom. Cantipr. l. 2. c. 50.

Per timorem Dei mundatur conscientia, & vitantur peccata. Matt. 15. 19. Eccli. 1. 27.

4. *Timor Domini delectabit cor.* Ubi observetur Ecclesiasticum dicere: *Delectabit cor*, quia delectatio est interna, non est sensibilis oculis nostris, quamvis interdum etiam extrinsecus appareat: *De corde exeunt cogitationes malæ*, ait Christus, *adulteria, fornicationes &c.* & impetuoso huic cursui iniquitatis muri instar opponitur timor Dei, cor occupat, idque sacrosancta adimplet lætitia; *Timor Domini expellit peccatum.* D. Bernardus indicibilem lætitiam animæ, quæ à peccato exempta est, ac sese exonerat, si eodem gravata est meditatur hisce verbis: *Conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit.* Totum hoc timoris effectus est, de quo Carthusianus scribit: *Facit hominem vitare peccata, sicque parit conscientiæ serenitatem.* De hac serenitate & tranquillitate, quam operatur hic sanctus timor, dicere possumus, quod in laudem sacramentalis absolutionis scribit B. Laurentius Justinianus: *Conciliat pœnitentem, cœlum aperit, mundat cor, onus aufert, mentem lætificat.* Non immeritò hic mundus & vita præsens comparatur mari: *Hoc mare magnum & spatiosum*; etenim à tot tantisque continuò agitamur impetuosis ventis, quot in nobis dantur inordinati appetitus, tentationes & assultus hostium infernalium, qui indefessè nos impetunt; at magna navigantium consolatio est, ubi portum habent vicinum in quem se recipere possunt: Timor sinus & portus talis est, qui nos inducit ad deponendum onus peccati, quod periculo naufragij nos exponebat: *Confessionis Sacramentum veluti sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, ne à procellis absorbeantur delictorum. Dejecta eriguntur, amissa reparantur, & quidquid immunditiæ inundantibus tentationum tempestatibus, aut operante malitia in navim conscientiæ perfusum est, ejicitur & purgatur.*

S. Bern. in medit. c. 37. D. Cart. ib. B. L. Just. de casto connub. c. 13. Idem de perfect. mon. conversi c. 19.

Summum gaudium promittitur timentibus Deum.

5. Isaiæ cap. ultimo promittitur animabus tale gaudium & jubilum, quale vix quispiam sibi imaginari possit: *Lætamini cum Jerusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio, ... ut sugatis, & repleamini ab uberibus consolationis ejus, ut mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria ejus. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.* Vultisne intelligere, qua ratione anima se disponat ad recipiendas has consolationes spirituales? Legantur verba antecedentia: *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus.* Cuinam Deus promiserat sanctissimum suum Spiritum cum affluentia thesaurorum suorum? *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super trementem sermones meos?* Verùm consideratione digna sunt verba illa: *Fluvium pacis*; quod denotat immensam & imperturbabilem pacem, qualem describit S. Chrysostomus à timore Dei provenientem: *Adsit timor Dei, & nihil erit molestum, sive dixeris paupertatem, sive morbum, sive captivitatem, sive servitutem, sive quidvis aliud molestum, sed & ipsa nobis opem afferent ad contraria.* Probat deinde, quod Dei timore fulciti in ipsis etiam tribulationibus quietem & gaudium experturi simus: *Scilicet, paupertas divitijs honestior, morbus sanitate firmior, captivitas denique & servitus libertate gloriosior ac potior erit.* Hujus verò virtutis, quæ in se comprehendit timorem Dei, nostrosque affectus ita transformat & mutat, rationem ibidem reddidit.

Isa. 66. v. 10. Ibid. v. 12. Ibid. v. 5. Ibid. v. 2. S. Chrys. H. 26. ad Hebr.

Timor Dei animam replet pace, etiam in adversitatibus. D. Carth. ib.

6. *Replens pacem*, ait idem Ecclesiasticus cap. 1. de timore Dei, pace, nimirùm, cor nostrum implet, & conformitate voluntatis nostræ cum divina ratione cujus gaudemus & exultamus etiam in ipsis adversitatibus. Egregiè hic Dionysius Carthusianus: *Replens pacem, id est in præsenti pacem pectoris, & in futuro pacem æternitatis perficiens, per hoc quod facit inquietudinem vitiorum vitare, & per hoc pacem illam supernam, quæ exuperat omnem sensum, adipisci, ideo scriptum est Psalmo 33. Nihil deest timentibus eum.* Verùm si vera pax & gaudium animæ, attestante alibi eodem Propheta, consistat in adimpletione divinæ legis: *Pax multa diligentibus legem tuam*, quis ignorat timorem Dei esse ducem & stimulum ad hanc observantiam? *Confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis timui*; & quid inde sequitur? *Feci judicium & justitiam.* Doctoris melliflui doctrina est: *Nihil est jucundius, nihil est securius bona conscientia; Premat mundus, trahat mundus, frendeat Diabolus, illa erit secura.*

Eccli. 1. v. 12. Ps. 33. 10. Ps. 118. 165. Ibid. v. 120. Ibid. v. 121. S. Bern. de confess. c. 5.

Instituitur comparatio inter ebrietatem corporalem & spiritualem. S. Bonav. in Ps 9. S. Chrys. ibid.

7. S. Bonaventura exponendo versum illum: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, adducit aliquam proprietatem, quam experiuntur in se homines ebriosi, eamque spiritualiter ei, qui vivit in timore Dei, adaptat: *Ebrietas corporalis*, inquit, *aufert officium membrorum, usum sensuum; sic ebrietas spiritualis: Unde confige timore tuo carnes meas ut sensus mei non habeant potestatem, nisi ad Deum.* D. Chrysostomus de hoc timore asserit: *Extirpat concupiscentias*: Cunctos appetitus nostros tenet ligatos & sopitos, veluti vinum intemperanter sumptum *aufert usum sensuum*; ast quemadmodum de vino scriptum est: *Vinum lætificat cor*, eodem modo *timor Domini delectabit cor.* Sapiens bonam & rectam conscientiam assimilat continuo convivio: *Secura mens quasi juge convivium. Delectabiliter vivit* (ait Lyranus de anima timorata) *sicut homines in convivio.* Ubi observate Sapientem, qui immediatè subdit: *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles*, cunctis nimirùm mundi thesauris præponit timorem Dei. Ast ego considero, quod si celeberrimum illud convivium Assueri adornatum fuit *in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat*; de hoc pariter Hugo Cardinalis in hæc verba, *juge convivium*, asserit: *Viri sancti sunt quasi paradisus, locus scilicet amœnitatis, imò amœnissimus locus ad Dei inhabitationem propriè deputatus.* Deus animam timoratam eligit in suum paradisum: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; Et si Moyses paradisum terrestrem appellet *paradisum voluptatis*, Spiritus Sanctus pariter, mediante calamo Ecclesiastici, timori Dei paradisi adscribit titulum: *Timor Domini sicut paradisus.* S. Bonaventura in diæta salutis agens de hoc dono timoris Dei scribit: *Habet amœnitatem sicut paradisus dulcedinem & delectationem, unde in Psalmo: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, ubi notate hæc ultima verba cum Angelico Doctore, qui addit: *Ut timentes te habeant*; & Albertus Magnus dum eumdem interpretatur versum, hanc assignat differentiam) *Temporales dulcedines omnibus sunt communes, bonis & malis; sed istæ reservantur solis bonis.*

Ps. 103. v. 15. Eccli. 1. v. 12. Prov. 15. 15.

Lyran. ibid. Esther 1. v. 5. Prov. 15. 15. Hug. Card. ib. Prov. 8. v. 31. Anima timorata est paradisus Dei. Gen. 2. v. 15. Eccli. 40. 28. S. Bonav. t. 6. diæta salut. c. 1. Ps. 30. v. 20. D. Thom. ib. Alb. Magn. ib.

Vinum spiritualis gaudij exhilarat cor.

8. Mentionem jam fecimus vini spiritualis gaudij, quod cor nostrum exhilarat, cui proposito conformiter & ingeniosè observat S. Bernardus in nuptijs Canæ Galilææ celebratis vinum miraculosè à Christo Domino procreatum, quod præfigurabat internam animæ timentis lætitiam; hoc enim vinum ita disposuit Dominus, ut hauriretur ex hydrijs purificationis: *Bonum vinum non ex vinea impuritatis, sed ex hydria purificationis hauritur.* Quo magis mundabitur & purificabitur vas conscientiæ, eò plus etiam accrescet vinum spiritus & jubili interni. Notat idem Sanctus serm. sequenti S. Paulum prius dixisse: *Justitia & pax*, & postea subjungere, *gaudium: Attendis, & intendis, quia gaudium in fine est*; prosequitur deinde sermonem: *Prius est justitiam facere, inquirere pacem, & persequi eam, & sic demum apprehendere gaudium, imo à gaudio comprehendi.* Cum jam meminerimus Purificationis: occurrit mihi Sanctus senex Simeon, cujus fit mentio & festiva memoria in festo Purificationis B. Virginis. Quantum ex Sacra Scriptura deducitur, omnium primus ille fuit, qui Christum Dominum infinito jubilo excepit, & brachijs suis amplexatus fuit: *accepit eum in ulnas suas, quem cæli capere non possunt.* Cor ejus summo repletum fuit gaudio, unde totus contentus exclamavit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Scitisne, unde sanctus ille senex excellentem adeò promeruerit prærogativam? *Homo iste justus & timoratus expectans consolationem Israël.* Observetur hoc, postquam S. Lucas dixit: *Timoratus*, sequitur: *Expectabat consolationem.*

S. Bern. ser. 1. de ver. apost. ad Rom. Rom. 14. 17. Patet in S. sene Simeone. Luc. 2. v. 28. Ibid. v. 29. Ibid. v. 25. Luc. 2. v. 25.

Timor Domini præstat gaudium in adversitatibus. Ps. 118. v. 74. Ibid. v. 75. Tob. 2. v. 13.

9. *Delectabit cor.* Adhuc est alius fructus, qui colligitur ex arbore timoris Dei, & est gaudium in adversitatibus; etenim timens Deum non contristatur propter sinistros sibi occurrentes casus, sed potius exultat & lætatur in adversitatibus: *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur.* Num fortè timorati lætabuntur dumtaxat in prosperitate? Audite quod sequitur: *Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua, ut consoletur me.* Quamvis timens Deum humilietur ac vilipendatur, non propterea internam amittit lætitiam, quæ à divino timore inseparabilis est. Hujus veritatis probationem legimus in libro Tobiæ: *Cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ.*

Quare Deus mandaverit immolare Isaac in terra visionis. Gen. 22. v. 2. Oleast. ib. Gen. 21. v. 6.

10. *Delectabit cor.* Legimus in Genesi mandatum Dei datum Abrahamo, ut in holocaustum offerret Deo unicum suum filium, indicavit insuper ei locum, ad quem tendere deberet: *Vade in terram visionis.* Quid hoc indicatur mysterio, quod ei præscribatur ac limitetur situs & locus sacrificij? Annon sufficiebat sacrificium? Ad quid hæc circumstantia? *Vade in terram timoris*, respondet & exponit Oleaster, ut Abrahamum stimularet ad ejusmodi opus heroicum, apposuit ei sanctum suum timorem. Verùm posses mihi objicere: Isaac idem est, & sonat, quod risus: *Risum fecit mihi Deus*; quod si igitur hic mactandus est, timor repellet risum & omne gaudium: Respondetur: Deum non voluisse eum mactari & offerri, sed disposuisse ut vivus remaneat cum majori Abrahami gaudio & jubilo, veluti postea declaravit: *Nunc cognovi quod times Deum*; quotiescumque nos Dei timore stimulati dispositi sumus ad sacrificandum arietem, nimirùm ad mortificandos ac reprimendos effrænes inordinatosque appetitus nostros, nostrisque nos privamus delicijs & mundanis illecebris, Deus corda nostra vera solidaque replet lætitia: *Timor Domini delectabit cor*; vivus remanet Isaac, nec non verus à Deo nobis communicatur spiritus & devotionis gaudium.

Gen. 22. v. 12.

DISCURSUS XIII.
ARGUMENTUM.

Varia considerantur bona, quæ à timore Dei derivantur.

THEMA.

Qui timet Deum, faciet bona. Eccli. 15. v. 1.

Innumerabilia emolumenta proveniunt ex timore Dei. D. Cart. in Eccli. 1.

1. POstquam Ecclesiasticus dictante Spiritus Sancti calamo multa ac varia compilaverat oracula & documenta verè cœlestia, ac cap. primo sui libri valdè fusè scripserat in laudem timoris Dei, uti bene observat Dionysius Carthusianus dicens: *Auctor in libro isto timorem Dei valde extollit, copiosè commendat, potissimum docet.* In progressu hujus libri frequenter timoris extollit prærogativas; at specialiter cap. 15. enarraturus bona & emolumenta, quæ à Dei timore dimanant, caput istud exorditur hisce verbis: *Qui timet Deum faciet bona*; non specificat, quænam sint bona illa, siquidem innumerabilia sunt emolumenta illa à timore Dei promanantia.

Verecundia dignoscitur ex timore Dei, & ex illo generatur. B. L. Just. lig. vitæ de tim. Dom. c. 1. S. Bonav. diæta sal. c. 1.

2. *Faciet bona.* Sancti Patres timorem Dei nobilissimis condecorarunt laudum encomijs. B. Laurentius Justinianus, postquam dixit: *Beatus vir, non qui multa novit, sed qui Dominum timet*, subdit deinde: *Quicumque desiderat sapientia & scientia repleri & qui salutari spiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat, quàm à timore Domini.* S. Bonaventura, cum agit de verecundia, quæ teneram adornat ætatem, asserit eam dignosci ex timore Dei, pro quo adducit autoritatem S. Bernardi, ita discurrit: *Sine hoc timore verecundiæ nihil rectum esse poterit, nihil honestum, ut dicit Tullius. De hoc timore verecundo dicit Bernardus mirabilia super Cantica. Timor, inquit, verecundus & castus, & omnium ætatum ornatus, sed in juvenili ætate amplius enitescit. Quid enim amabilius verecundo adolescente? Quàm pulchra hæc & splendida gemma morum in vultu adolescentis? Quàm vera & minimè dubia bonæ nuncia spei, bonæ indolis index, soror continentiæ est? Nullum æquè manifestum signum columbinæ simplicitatis, testis innocentiæ, lampas pudicæ mentis, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, insigne totius honestatis. Meritò igitur iste timor castus dicitur, quia qui timorem istum habet instar Virginis Mariæ ante partum suorum operum, & post partum semper manet incorruptus.*

Munditia cordis acquiritur per timorem Dei. B. Laur. Just. l. c. cap. 2. Ps. 50. v. 12. S. Th. de Vill. ser. de Purif.

3. Idem Laurentius Justinianus cap. 2. de timore Dei scribit: *Odit vitia, virtutes custodit, cor sedula vigilantia observat, ab ingressu ejus noxias cogitationes repellens clava terribili, videlicet memoria æternæ pœnæ.* Centrum & meta perfectionis in eo consistit, quod aliquis habeat cor mundum & purificatum; unde regius Propheta, vir utpote secundùm cor Dei, Deo supplicans petebat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*; & hæc mundities acquiritur per viam timoris Dei, qui habet virtutem fugandi & repellendi cogitationes & imaginationes profanas mundanasque: *Ab ingressu ejus noxias &c.* S. Thomas de Villa Nova sermone de Purificatione B. Virginis Mariæ hos notat effectus divini timoris: *Reprimit prava desideria, unde Augustinus de matre sua Monica: Erat, inquit, timor castus in corde ejus, tamquam fascia pectoralis, quæ cogitationes astringeret; in ore tamquam frænum, quo linguam reprimeret; in opere tamquam stimulus, ne pigritia torperet; in cunctis tamquam regula, ne modum excederet.*

Timor Dei reddit hominem pronum ad bene agendum. Eccli. 1. 11. Hug. Card. ib.

4. Hugo Cardinalis in expositione cap. 1. Eccli. præcipuè horum verborum, quibus dicitur timor Dei *gloria & gloriatio*, scribit. *Gloriam dicit cordis munditiam, quam timor operatur in præsenti; Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Experientia nostram testatur commonstratque difficultatem & repugnantiam, quam in nostra depravata & corrupta natura habemus, ad exercenda virtutum opera, ut propterea &

Rom 7. v. 19.

& ipsemet Apostolus dolens ingemuerit : *Quod nolo malum, hoc ago*; verum Hugo Cardinalis in Ps. 33. recensendo varios effectus timoris Dei, inter alios hunc quoque, quo ad bonum disponamur, nobis indicat, ac propterea Psalmista, postquam dixit : *Timorem Domini docebo vos*, subjungit postea : *Diverte à malo & fac bonum. Reddit hominem pronum ad bene agendum* ; quod optime concordat cum themate nostro : *Qui timet Deum, faciet bona.*

Ps 33. 12. Idem ib.

Timor Dei introducit charitatem & sapientiam. B. Laur. Just. l. c. sup. Eccli. 25. 15. S. Ambr t. 4. l. 2. de vocat. gent. c. 9.

5. Seriam merentur reflexionem sequentia verba B. Laurentij Justiniani ; *Introducit*, inquit, *timor charitatem, & est principium sapientiæ, nam priusquam animæ Deus sapiat, eam afficit ad timendum, & eam instruit ad scientiam. Timet Dei justitiam, timet Dei potentiam, & tunc sapit ei Deus justus & potens, quia timor sapor est.* S. Ambrosius citat illum textum ; *Beatus, cui donatum est habere timorem Dei, quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor creditorque sapientiæ? In cujus utique devotione devota est & voluntas, quæ auctore gratiæ eodem proficit timore, quo cœpit.* S. Bonaventura ex sermone D. Bernardi hæc adducit : *Qui timorem Domini semper habet præ oculis, viæ ejus pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ.* Qui est timoratæ conscientiæ, ambulat per viam planam, non laborat, nec fatigatur in via mandatorum Dei. Alibi etiam idem Seraphicus Doctor nos informat dicens : *Timor Domini gratiam & bona opera introducit, sicut enim seta introducit filum, sic timor Domini gratiam & omne bonum.*

S. Bonav. T. . coll. 2. Idem in diæta sal. tit. 6. c. 1.

Timor Dei nostram promovet salutem. B. Laur. Just. cit. c. 1.

6. *Faciet bona.* Majus, ad quod homo tenetur, bonum, est bonum æternæ suæ salutis : Dum tempus habemus, operemur bonum ; timor Dei ille ipse est, qui nostram promovet salutem. B. Laurentius Justinianus timori adscribit sequentia epitheta : *Robur animæ, lumen intelligentiæ, & salutis spes. Hoc testatur Isaias dicens : A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis. Alibi etiam dicit Dominus : Corona sapientiæ timor Domini replens pace & salutis dono.*

Deo gratias agere debemus tam de creato inferno quam paradiso. Tert. l. 2. con. Martio. c. 13. S. Bern. ser. 4. de modo bene viv. Matth. 5. v. 8. 2. Cor. 7. 1. B. Laur. Just. c. 1.

7. Deo ter Opt. Max. non minus tenemur agere gratias, quod procreaverit infernum, quàm quod condiderit paradisum cœlestem ; etenim, ut alibi jam dictum est, pauci curam & solicitudinem cœlestis patriæ, suæque salutis habuissent, nisi æternæ perditionis timuissent abyssum. *Quis bonum appeteret, quod impunè contemneret*, scribit Tertullianus ? *Quis custodiret, quod sine periculo amitteret ? Legis Matth. 7. 13. mali latam viam esse & multò frequentiorem ; nonne omnes illaberentur, nisi nihil in illo timeretur ? Horremus horribiles minas creatoris, & vix à malo avellimur, quid si nihil minaretur ?* Bene propterea nos monet S. Bernardus: *Ubi timor non est, ibi perditio est animæ.* Si anima, ut Deum videat, necessariò prius debet purificari & mundari (*mundi corde ipsi Deum videbunt*) hanc purificationem operatur timor Dei; *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* B. Laurentij Justiniani doctrinam rursus audiamus : *De timore Domini compunctio nascitur salutaris, de compunctione cordis nuditas & contemptus omnium, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur, de mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt vitia, de expulsione vitiorum virtutes succrescunt, de virtutum pullulatione puritas acquiritur, & per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.*

Eccli 1. 34. Hug. Card. ib. Quia Judith & Susanna habuerunt timorem Dei, vicerunt hostes suos. Judith. 8. 8. Dan. 13. v. 2. Ibid. v. 3.

8. Hugo Cardinalis interpretando verba ista : *Sapientia & disciplina timor Domini, id est*, exponit, *timor Domini confert sapientiam de divinis, & disciplinam de moribus.* Qui timet Deum, ab eo illuminatur & illustratur sancta ejus notitia, bonisque informatur moribus. Duæ mulieres, ambæ unius debilis sexus, exercuerunt actus virtutis heroicæ ; Judith mulier miræ & raræ pulchritudinis illæsam intactamque suam conservavit honestatem toto illo tempore, quo apud Holofernem in tentorio demorata fuit, simulque memorabilem de eodem reportavit victoriam, & unde hoc ? Quia, ut ait sacer textus, *timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Susanna vehementissimè à Judicibus illius populi tentata, nullo modo eorumdem iniquæ voluntati consentire voluit; & quamvis illi minarentur, quod, nisi consentiret, tamquam adulteram calumniari vellent, mansit illa nihilominus constans, parata potius, ut innocens, perdere vitam, quàm defœdare suam pudicitiam : *Pulchram nimis & timentem Deum* (ait sacer textus in ejus laudem) *parentes enim illius cum essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysis.* Ecce, quid non operatur timor Dei, neque etiam ipsi assultui peccati cedit. *Habet securitatem* (ait de hoc timore S. Bonaventura) *unde dicitur in Ecclesiastico : Qui timet Deum nihil trepidabit.* Tametsi Susanna lapides jam paratos, quibus tamquam adultera lapidanda erat, conspiceret : *Erat tamen cor ejus fiduciam habens in Domino.*

S. Bonav. diæta salut. c. 1. Eccli. 34 16. Dan. 13. 35.

Adducuntur alij præclari fructus timoris Dei. B. L. Just. l. 2. de spir. animæ resur.

9. F. Laurentius Justinianus lib. 2. de spirituali animæ resurrectione discurrit in hunc modum : *Hujusmodi timoris eruditione correcti ô quàm salutaria concipiunt desideria, consilia provida, sanctos cogitatus, affectus pios, vota castissima, ex quibus pariunt laudabilia opera virtutum, germina morum, fragrantissimos flores spiritus & uberes fructus, de quibus Apostolus, fructus autem spiritus est charitas gaudium &c. Vides quàm fœcundus sit hujus sancti timoris Domini conceptus quamque fructuosus exitus, per quem anima placens efficitur Domino commendabilis proximo utilis sibi ?* Cuilibet nostrûm constat, quàm proclives simus ad malum : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Sed ecce auxilium, quod nobis subministrat timor Dei, inquit Hugo Cardinalis; *Effectus timoris Domini est qui cohibet manum à malo opere ; Prov. 16. in timore Domini declinatur à malo.* Paulò post citat verba ista Eccli. *Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt illi. Pax autem placet Domino, unde in Psal. 75. In pace factus est locus ejus.*

Rom. 7. v. 23. Hugo Card. ubi sup. Prov. 16. 6. Eccli. 2. 19. Ps 75. 3.

Timor Dei expellit teporem in exercitio virtutum. B. L. Just. ib. c. 2. de tim. Dom. Eccli. 2. v. 20. 1. Tim. 6. 10. Et abjicit temporalia. S. Bonav. diæta sal. c. 1. ibid.

10. Contingit nonnumquam nos tentari à pigritia, negligentia & acedia : *Quia tepidus es, incipiam te evomere*; at ecce alium effectum timoris Dei, quem manifestat quoque B. Justinianus asserens : *Timor virtutes excitat, ne rubigine otij consumantur*; nullum est periculum, quod timentes Deum dormirent, vel non sint semper vigilantes ac præparati : *Qui timent Deum, præparabunt corda sua.* Verum quia sæpe etiam accidit, quod inordinatus affectus ad hæc terrena bona soleat esse scopulus allisionis causans animæ naufragium, *radix omnium malorum cupiditas*, ideò S. Bonaventura hunc alium nobis insinuat fructum timoris Dei, inquiens : *Timor Domini abjicit temporalia vel terrena, quæ sunt sæpe peccandi materia, sicut enim videmus, quod nautæ videntes naufragium imminere, merces quæ sunt in navi projiciunt in mare, ut evadant periculum naufragij ; sic timor Domini bona temporalia facit abjicere, ut possit ab æterno naufragio liberari, & propterea dicebat Job: Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.*

Job. 31. 23.

Timor Dei pædagogus noster est. S. Basil. in Isai. 1. S. Hieron. in Prov. 22.

11. *Faciet bona.* Praxis & experientia docet, quod providi parentes filijs in ætate lubrica prospiciant, & constituant pædagogum, qui illos contineat in fræno bonæ disciplinæ, ne laxatis habenis currant præcipites in multa præcipitia ; hoc officium pædagogi attribuit S. Basilius timori Dei, cum ait : *Attenta cogitatio arcanorum nobisque formidabilium timor pædagogus est ad exercendam pietatem.* Advertendum tamen est, D. Hieronymum nobis insinuare, quis sit timor ille perfectus, hisce verbis : *Perfectio virtutum est, ut in hac vita timeamus Dominum timore sancto, hoc est, sincera illum dilectione colamus.* Timor transmutandus est in amorem Dei.

Humilitas omnis virtutis fundamentũ stabilitatur per timorem Dei. S. Aug. ser. 217. de temp. D. Chrys. H. 54. ad pop. Hug. Card. in Eccli. 1.

12. *Faciet bona.* Fundamentum & basis cui innititur omne bonum, omnisque virtus, omnium consensu est humilitas ; at hæc solidatur & stabilitur per timorem Dei : *Veræ humilitatis virtutem* (inquit S. Augustinus) *nemo sine timore Dei habere potest, quia earum neuter sine altero esse potest.* Inter alia laudum encomia quæ S. Chrysostomus tribuit timori Dei, unum est, quod nos humiliet : *Animis requiem præstat, manus sanctificat ; sensum humiliat & Philosophiam docet, promptioremque reddit, benedictiones accipere facit.* Unde etiam docet Hugo Cardinalis in verba illa Eccli. *Timor Domini gloria & gloriatio. Gloriationem dicit gloriæ manifestationem, quia ex eo quod homo timet, considerat magnitudinem Dei & resilit in propriam parvitatem, & sic humiliatus dicit : Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Timor Dei refrænat linguam. Ps. 33. 12. Idem ib.

Idem Hugo in Psal. 33. aliud adhuc bonum notatu dignum ex timore Dei proveniens considerat, nimirum quod sit frænum linguæ, etenim observat, Psalmistam, postquam dixit : *Timorem Domini docebo vos*, subjunxisse statim : *Prohibe linguam tuam à malo. Effectus timoris Domini prohibere peccatum linguæ ; de aperto dicit, prohibe linguam tuam à malo ; de occulto dicit, & labia tua prohibe, ne loquantur dolum, id est, malum occultum.*

DISCUR-

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Alia adhuc tanguntur emolumenta, quæ proveniunt à timore Dei.

THEMA.

Propè timentes eum salutare ipsius. Ps. 84. v. 10.

1. SAlutaria Dei auxilia, ejusdemque singularem assistentiam, uti & cœlestium gratiarum affluentiam illæ præsertim animæ participant, quæ vivunt in timore Dei: *Propè timentes eum salutare ipsius.* Ultra bona ac emolumenta præcedenti discursu notata, & in timentem Deum redundantia, nonnulla alia in medium jam proferenda sunt, consideratione quoque dignissima.

Timor Dei efficacissimus est ad vincendas tentationes & tentatorem. Lucæ 10. 38. S. Th. de Vill. conc. 4. de Assumpt. Timor Dei est rigidus & fidelis janitor castri animæ nostræ.

Est ergò timor Dei instrumentum magnæ efficaciæ ad repellendas evincendasque tentationes ac tentatorem inimicum nostrum. S. Thomas de Villa Nova in expositione morali illius textus S. Lucæ : *Intravit Jesus in quoddam castellum &c* per castellum illud intelligit animam hominis, in quam intrat Salvator noster, eamque tamquam locum munitum inhabitat. Adaptat deinde singula castelli hujus munimenta, eorumque munia singulis virtutibus ; at timori Dei qualem assignat stationem aut officium ? Talis sane obtingit ei officij ratio, talis statio, à qua dependet salus ejus maxima : *Habeat* (inquit de hoc animæ castro) *rigidum janitorem, timorem Domini, qui omnes violentos appetitus etiam sensuales, in hoc ostium irrumpentes, facile jugulet, & disperdat.* Inutiles planè sunt cujuscumque castelli aut arcis etiam munitissimæ circumvallationes, munitiones; aggeres, inutilis quævis annona, generosa militum audacia, inutilis quoque Gubernatoris peritia & experientia ad defensionem cujuscumque munimenti, si is, qui tenet claves portæ, non est fidelis ; ast timori Dei adscribitur custodia talis situs & loci, quem custodiri permagni interest, eaque officij ratio ei attribuitur, ut ejus nobis intimetur necessitas & utilitas : Ergo de anima, quæ à multis obsidetur tentationibus & assultibus, hoc idem asserere possumus, quod si timor Dei cordis portam bene custodierit & clausam tenuerit, de nullo sibi timere debeat ; unde bene ait S. Joannes Climacus : *Fieri non potest, ut, qui verè Deum timet, timiditate sit obnoxius, cum ipse dixerit, nullum præter ipsum timendum.* S. Cyrillus Alexandrinus comparat propterea timorem Dei muro fortissimo : *Tenendum est, animam Dei timore velut muro obseptam, fortem esse, & quodammodo invictam, & manum viresque eorum, qui manus cum ipsa conserunt, expugnare.* Hoc idem populo suo prædicabat Chrysostomus : *Timor*, inquiens, *nil aliud est quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis, etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ.*

S. Joan. Clim. Scholion. 6. ad gr. 21. S. Cyrill. Alex. l. 2. in Isa. c. 16. D. Chrys. H. 5. ad pop.

Ps. 126. v. 1. Timentes Deum certi sunt de ipsius auxilio & assistentia. Ps. 102. v. 11. Ibid. v. 17. Hug. Card. ib.

2. Si verum est, uti verissimum : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*; hanc protectionem & assistentiam vel maximè timentes Deum sibi liberè adpromittere possunt : *Corroboravit misericordiam suam super timentes se* ; fundit paulò post : *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes se*, videlicet, uti interpretatur Hug. Cardinalis, *quoniam secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit &c. quasi dicat : Sicut impossibile est, ut cœlum non sit altius terra, & ut non protegat eam, sic impossibile est, ut misericordia Dei non protegat maximè eos, qui timent eum.* Maximus animæ inimicus est peccatum ; sed hoc timor Dei in fugam vertit : *Ostendit quis sit effectus misericordiæ Dei*, ait idem Cardinalis, *quia, videlicet, effugat tenebras peccatorum, unde subjungit ; quantum distat ortus ab Occidente longè fecit a nobis iniquitates nostras.*

In via Dei timor generat fortitudinem, cujus contrarium fit in via sæculi. S. Greg. l. 7. mor. c. 13. Ibid v. 16. Prov. 14. 26. Eccli. 34. 19.

3. Pluribus videtur esse paradoxon, quod per viam timoris possimus inimicum superare, quia, ut docet experientia, in arte militari timor est causa perdendi victoriam. Audiamus Greg. Magn. *In via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur ; nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Domini audacia debilitatem parit, & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Domini timor fortitudinem gignit*, Salomone attestante, qui ait, *in timore Domini fiducia fortitudinis.* Cuinam pollicetur Deus defensionem & assistentiam suam adversus hostes nostros ? Declarabit idipsum Ecclesiasticus : *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis.* Non tamen manus, otio deditæ, cingulo in certamine accingendæ sunt, etenim, ut bene notat Paulus de Palatio, non sine mysterio Ecclesiasticus cap. 1. timorem nuncupavit coronam : *Timor Dei corona exultationis ; corona datur triumpho, datur & Regi. At timor Dei triumphat de tentationibus; tum facit, ut homo intra se Rex sit.*

Paul. de Pal. in Eccli. 1.

2. Tim. 2. v. 5. S. Ephrem de tim. Dei. Timor Domini est scutum insuperabile animæ nostræ contra jacula inimici. S. August. Hom. 46. Gen. 49. v. 3.

4. Certum & indubitatum est axioma illud Apostoli ; *Non coronatur, nisi legitimè certaverit.* S. Ephrem, quando tractat de timore, scribit: *Sit timor Dei in corde tuo charissime, sicut scutum in manu militis, excipiens in eo atque repellens in humilitate tentationes, quæ adversus te inferuntur à diabolo, ut instar pulveris comminuantur à facie tua inimici tui.* Declarat deinde nos futuros invincibiles, si hoc scuto muniti fuerimus ; *Confide, non enim superari poteris, dum scutum atque armaturam ejusmodi tenes.* Si nobis non aderit timor, sed securitas, succumbemus & superabimur, ait D. Augustinus: *Facit hostis securos, quos cupit esse captivos.* Jacob de Lia septem habuit filios, quorum primus fuit Ruben, qui in sensu mystico, interprete Richardo de S. Victore, figurabat timorem, & hic primum tenet locum: *Initium sapientiæ timor Domini.* Sciendum ergo, quod quando Jacob dedit ei benedictionem, his usus est verbis : *Tu fortitudo mea, (omnia in figura contingebant illis)* Voluit nimirum nobis indicare, fortitudinem animæ Christianæ in eo consistere, quod habeat cor timore Dei munitum & roboratum, tunc enim trement ac trepidabunt inimici nostri : *Quis in prælio victor extitit, ubi caro adversus spiritum concupiscit ? Quis tam numerosum exercitum concupiscentiarum debellavit, si sine timore pugnavit ? Rectè primogenitus dicitur, quia à timore Domini omne bellum inchoatur ; rectè fortitudo appellatur, quia per timorem Domini cor contra concupiscentias suas roboratur.* Hæc Richardus.

Timor Dei comparatur anchoræ. B. L. Just. c. 3. de persever. Prov. 28. 14. Hug. Card. ib. Job. 9. 28. B. Laur. Just. c. 3. de tim. Dom. S. Bonav. t. 7. collat.

5. Inter impetuosas tempestates anchora ejecta navim, quæ alias periclitaretur, firmam tenet & stabilem, & inter contrarios tentationum ventos timor anchoræ instar nos firmat & solidos efficit, ne cedamus inimico : *Timor stabilem animum reddet, sicut anchora navem stare facit* (comparatio est B. Laurentij Just.) *Anchora namque mentis, pondus timoris.* Quando quis timet hostes, aut latrones & fures, vigilantes juxta portam validasque exponit excubias. Hugo Cardinalis in textum hunc Prov. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, scribit huic conformiter proposito : *Timor est fidelis janitor animæ, comminans mortem æternam latronibus intrare volentibus, latrans ut canis contra eos, adeo solicitus, quod etiam amici oblatrat, id est, bonis operibus; unde Job. 9. verebar omnia opera mea, quia, ut dicit Gregorius, sæpe sordet in conspectu æterni Judicis, quod in intentione fulget operantis.* Adpromittit nobis B. Laurentius Justinianus asserens: *Tutissima res est, nihil timere præter Deum.* S. Bonaventura quoq; in laudem hujus sancti timoris : *Aqua sapientiæ salutaris, fons vitæ, & initium sapientiæ timor Domini est, ait Bernardus, optime refrigerans animam in omnibus noxijs desiderijs æstuantem, jacula inimici potens extinguere, in omnibus & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est.*

Animam clavis timoris Dei confixam, nullus tentationum ventus evellet. S. Chrysost. Hom. 53. in Joan. S. Hieron. lib. 14. in Isa. 50.

6. Pro majori horum illustratione D. Chrysostomus hac utitur comparatione : *Quemadmodum quercus altiùs demissis radicibus nullius venti viribus sternitur, ita animam divino confixam timore nullus tentationum ventus evellet, clavis enim affixum esse amplius est, quàm radicatum esse ; idcirco inquit Propheta: Confige timore tuo carnes meas, ita & tu configere quasi clavo quodam, & adhæreas.* Ubi etiam notanda est doctrina S. Hieronymi hoc modo discurrentis : *Nec verò parum putemus esse timere Dominum, juxta illud quod in Proverb. dicitur, principium sapientiæ timor Domini, perfecta quippe dilectio foras mittit timorem, quia timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate, sed hic timor pro timiditate ponitur, de quo & alibi legimus: Beatus, qui omnia metuit; vulgò appellant timoratos in religione Dei. Protegit enim Dominus iter eorum, viam timoratorum custodit. De hoc timore scriptum est, timor Domini omnia superat, & alibi: Non est inopia timentibus eum. Denique, post multos virtutum gradus ad hujuscemodi timorem Domini pervenitur; loquitur enim sermo divinus sub persona Magistri & Patris discipulum erudientis & filium. Si invocaveris sapientiam, & intelligentiæ dederis vocem tuam, & si quæsieris eam, quasi pecuniam, & quasi thesauros investigaveris eam, tunc intelliges timorem Domini & scientiam Dei reperies. Iste est timor, qui animas Sanctorum integros & pudicas, purasque conservat, de*

quo

quo dicitur: Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi, ad quem nos divina eloquia cohortantur: Timete Dominum, & date ei gloriam.

Timore Dei etiam protegimur ab inimicis invisibilibus.

7. Hisce annotandum & annumerandum est aliud emolumentum ex timore Dei resultans, quod nimirum in virtute hujus protegamur ab inimicis etiam visibilibus. In cujus probationem S. Ambrosius revocat nobis in memoriam Elisæum Prophetam, quando in auxilium suum obtinuit aliquot non militum armatorum, sed Angelorum turmas; ex quo hanc elicit consequentiam: *Quamvis Diabolus colligat sibi turbas, & crudeli eas armet insania, tamen facile destruantur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxilijs, ait enim, immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentem eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem; nec potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta servaverit, præcepta enim Christi arma sunt Christianis, & divinus timor terrorem à nobis expellit hostilem.*

S. Ambr. ser. 1. de Elisæo.

Deus promptè exaudit preces timentium eum. *Ps. 144. v. 19. B. Laur. Just. cap. 2. de tim. Dom.*

8. Testimonio & verbo æternæ veritatis regius Propheta certiores nos reddit; Deum adimpleturum voluntatem, exauditurumque preces & supplicationes eorum, qui eum verè timuerint: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet.* B. Laurentius Justinianus ait: *Obedientem reddit timor*, quod intelligendum de animabus timoratis, quæ non præceptis dumtaxat; verùm etiam consilijs Evangelicis obediunt & obsequuntur; at nos adjungere possumus, quod Deus eo ipso, quo nostram adimplet voluntatem, certo quodam modo nobis quoque obediat: *Obediente Deo voci hominis.*

Timor Dei reddit nos firmos & constantes in exercitio bonorum operum. *Job. 4. v. 6.*

9. Alius adhuc superest fructus sancti hujus timoris, magnæ profectò considerationis & utilitatis, & est, quod nos stabiliat, constantes ac perseverantes reddat in exercitio virtutum, bonorumque operum. Legitur in Job: *Ubi est timor tuus?* Addit postea: *Fortitudo & patientia tua, & perfectio viarum tuarum*, quasi vellet inferre, ex timore reliquas omnes virtutes traxisse originem suam: Si enim consideremus perseverantiam in bonis operibus, firmitatem & stabilitatem in bonis propositis, eam timori Dei acceptam referre tenemur. Postquam dixit Psalmista: *Beatus vir, qui timet Dominum*, indicat postea: *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur.* In alio quoque Psalmo cantat idem David: *Firmamentum est Dominus timentibus eum*; ubi S. Remigius acutè subdit: *Timor hominis infirmat, timor Domini confirmat.* Anima, quæ attingit beatitudinem, dicere potest: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* At beatam pronunciavit D. Augustinus animam illam, quæ timet Dominum: *Timentis Deum beata est anima, & à tentatione diabolica tuta remanet.* B. Laurentius Justinianus scribit: *Hominem timor fortem facit*; timor (nimirùm Dei, non hominis) communicat ei fortitudinem & stabilitatem. S. Hieronymus in textum illum Proverb. *Finis modestiæ timor*; exponit: *Modestiam dicit constantiam operum bonorum; timorem verò Domini illum, qui permanet in sæculum sæculi, quia nimirùm perfectio virtutum est ad hanc animi statum conscendere, quo gratiam conditoris vel in modico timeamus offendere, nihil prorsus ejus memoriæ præponentes, quæ alibi charitas vocatur perfecta, foras mittens timorem servilem, & incipientem, quo metuit quisque, ne fortè peccando pœnis mereatur subigi*; ubi notentur illa: *Constantiam bonorum operum.*

Ps. 111. v. 1. Ibid. v. 8. Ps. 24 v. 14. S. Remig. ib. Ps. 29. v. 7. S. Aug. ser. 213. de temp. B. Laur. Just. cap. 2. Prov. 22. 4. S. Hier. ib.

Ps. 118. 38. S. Chrys. ibid. Continuatur idem propositum.

10. D. Chrysostomus in verba illa: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo, id est*, explanat ille, *per metum numinis: tui sic me custodies, ut nulla vi resupinari queam, quod perinde est, ac si his verbis uteretur: Incumbat quæso mihi timor tuus, qui me percellat, nec ab oraculis deflectere sinat, quo improbitatem omnem & peccatum à me auferam. Timor enim Dei ut scriptura loquitur, in vitam est viro, ac rursum: Per timorem Domini omnis à malo declinat.* Audiamus denique documentum aliquod S. Bernardini: *Est mens humana, ut dicitur in Ps. spiritus vadens, scilicet, per seipsum in peccatum, & non rediens per gratiam, videlicet à seipso; & ideo primum opus gratiæ prævenientis est, humanæ menti pandere sua mala, ut ex his Deum peccati ultorem timere incipiat, & de illius severitate tremere. Septem gratias secum portat hic conscientialis timor.* Et quæ est prima? *Est gratia firmans; secunda humilians; tertia lacrymans; quarta timorans; quinta serenans; sexta inflammans, septima declarans.* Ubi præcedentiam seu primatum tribuit perseverantiæ & stabilitati, utpote effectui timoris Dei.

S. Bern. *tom. 1. ser. 30. art. 1.*

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Nonnulla tanguntur motiva, quibus extimulemur ad concipiendum hunc sanctum timorem.

THEMA.

Timeat Dominum omnis terra. Ps. 32. v. 8.

In omnibus quæ obveniunt, solus Deus timendus est. *S. August. ib.*

1. Clementissimus Deus noster nobis & omnibus indifferenter per Psalmistam significat, ut suæ divinæ Majestatis concipiamus timorem: *Timeat Dominum omnis terra; ab ipso autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Non timeant alterum pro illo* (ita monet nos S. Augustinus) *ab ipso commoveantur omnes, qui habitant orbem terræ. Fera sævit; Deum time; serpens insidiatur, Deum time; homo te odit; Deum time; Diabolus te impugnat, Deum time; tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere.* Nullus alius nisi solus Deus timendus est, quidquid enim aliud est vel in hoc aut in alio mundo, totum Deo subjectum est, & ab eo dependet. Adeo ipsi cordi est, nos sancto ejus correptos esse timore, ut propterea, quoad nos ad eum alliciendos, elegerit sibi hunc titulum, ut Deus nuncupari voluerit quemadmodum bene observat S. Antonius de Padua asserens: *Deus hebraicè dicitur, timor latinè. Ille est ex Deo, qui Deum timet, & qui Deum timet, verba Dei audit; unde Dominus Jerem. 18: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Ille surgit, qui timore correptus dolet fecisse quod fecit; & in domum figuli descendit, cùm se lutum esse cognoscit, timens ne tamquam vas figuli confringat eum Dominus, & sic ibi audit verba Domini; quia est ex Deo, qui timet Deum dicit Hieronymus.*

Quare Deus voluerit vocari Deus, quod in latino idem est quod timor. *S. Anton. de Pad. in Dom. Pass. Jerem. 18. 2.*

Timor Dei conservat vitam animæ. *Prov. 14. 27. S. Hieron. ib.*

2. Quanti hunc timorem æstimare debeamus, indicat nobis Sapiens, cum ait: *Timor Domini fons vitæ.* Ecce appellatur fons vitæ: *Hæc est mens eorum, qui timent Dominum* (ait S. Hieronymus) *ut declinantes à ruina mortis, pervenire mereantur ad eum qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. Dictum est autem supra: Lex sapientiæ fons vitæ, ut declinet à ruina mortis, & nunc dicitur, timor Domini fons vitæ ut declinet à ruina mortis ex quo patet, quia nulla prior est lex sapientis, qua mortem vitare, & vitam acquirere debeat æternam, quàm habere timorem Domini, unde & alibi dictum est: Initium sapientiæ timor Domini.* Docet Chrysostomus, qua ratione à nobis recedat vera vita, inquiens: *Age, annon mortuam animam illam esse dicemus, quam invadit Diabolus feriens, lancinans, mordens; calcibus impetens nec tamen ea quidquam horum sentit, sed mortua jacet, nec cum ipsi opes suæ adimuntur, dolet; verùm ille quidem insultat, hæc autem immobilis manet, nec instar corporis anima orbati ullo sensu afficitur*; Declarat deinde idem S. Doctor, timorem esse animæ animam; hujus namque defectu moritur illa spiritualiter: *Nam cum Dei timor non adest, talem eam esse necesse est, ac quovis cadavere miseriorem. Neque enim in saniem, & pulverem & cinerem corporis in modum anima dilabitur, sed in ea, quæ his fœtidiora sunt, in ebrietatem, in iram, in avaritiam, in flagitiosos amores, ac præposteras cupiditates.*

Ps. 110. 10. D. Chrys. H. 6. in 2. ad Cor. Timor Dei est anima animæ.

Animus sine timore Dei mortuus est. *Lactant. Fir. lib. de ira Dei c. 2. S. Just. Mart. q. 28. ad orthod. S. Cyr. Alex. l. 2. strom. c. 8.*

3. Lactantius Firmianus hoc laudis encomium attribuit timori Dei: *Timor Dei solus est per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur.* S. Justinus Martyr vita censet illum esse parem: *Cum anima discessit à corpore, mortuum corpus & male olet, & immundum est; sic timore Dei ab anima sejuncto mortuus est animus, & tetrum odorem efflat, & immundus est.* Adhuc clarius loquitur Clemens Alexandrinus: *Timor Domini vivificat*; ubi commentator ejus Gentianus Horberus subdit: *Qui timet Deum offendere, sicut patrem filius, is timor non perturbat; sed vivificat.* Quo nomine nuncupatur vita nostra? *Tentatio est vita hominis*; ergo quamdiu respiramus, timor hic nobis necessarius est.

Timor est bonus cordis ostiarius. *S. Bonav. diæta sal. tit. 6. c. 1.*

4. Apposita est similitudo, quam adducit Seraphicus Doctor, dicens: *Timor est sicut bonus ostiarius, qui diligenter custodit ostium cordis, ne intret inimicus, id est, Diabolus, & sicut ostiarius tendit baculum vel gladium ad timorem intrantium sic timor Dei, ne permittamus diabolum ad cor intrare, portat clavem pœnæ æternæ gladium ex utraque parte acutum, scilicet, æquitatem divinæ sententiæ, quæ condemnabit improbos in anima & corpore; unde dicitur: Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* S. Augustini monitum est: *Timeat Christianus. Credat & intelligat se peregrinari à Domino quamdiu vivit in corpore, quod corrumpitur & aggravat*

S. Aug. serm. 214. de temp.

gravat

animam. Tantò minor sit timor, quantò patria, quo tendimus, propior; major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium; veluti meditatus quoque fuit S. Bernardus: *Tuta*, inquiens, *habitatio paradisus.*

Quamdiu sumus viatores semper debemus muniti esse timore Dei. *Luc. 2. v. 27. Ibid. v. 25. Gualfred. ib.*

5. Quamdiu sumus viatores, semper ambulemus oportet, hoc sancto timore muniti. S. senex Simeon ad ultimam usque decrepitam ætatem vixit ditatus cœlestibus gratiarum thesauris adeò, ut S. Lucas hoc de illo ferat testimonium: *Spiritus Sanctus erat in eo; ... venit in spiritu in templum.* Christum infantem excepit brachijs suis; neque id videatur vobis mirum. *Et homo iste justus & timoratus*; ubi Gualfredus pulchrè ad nostrum propositum: *Time*, inquit, *si vis esse securus, ne mireris si timuerit justus, & in quo Spiritus Sanctus erat, non enim erat vacuus coram latrone viator, & quomodo non timeret? Thesaurum magnum habebat in vase fictili, & timoratum fuisse miraris?* Paulò post invehitur in eum, qui non curat hunc timorem, sed hæret in portu securitatis: *Tua credo securitas*, inquit, *aut de inopia aut de ignorantia est; aut enim deest, quod possit auferri, aut deesse jam putas, qui possit auferre.* Observate hæc: *Thesaurum in vase fictili*; hic thesaurus est anima infusa vasi terreo & fragili. Quis non timeret, si in vase vitreo rem aliquam deferret inæstimabilis valoris & pretij, quæ una cum vitro frangi posset? *Timeat Dominum omnis terra*; per hanc terram quemcumque intelligere possumus hominem: *Terra, terra, terra*, exclamabat Propheta ille invitans hominem ad audiendum; *timeat*, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.*

Ps. 32. v. 8. Afferuntur varia motiva inducentia ad concipiendum timorem Dei.

1. Benignitas Dei, qua nos expectat ad pœnitentiam. *B. L. Just. lig. vit. cap 4. de tim. Dom.*

6. Ast qualia erunt motiva inducentia nos ad concipiendum hunc timorem adeò necessarium ad nostram salutem æternam? Scribit B. Laurentius Justinianus: *Si Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservati, & qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt domicilium, in judicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reservavit, quantò magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea; si Dei mandata præterierint?* Ad hunc timorem non modo severitas divinæ justitiæ, sed multo magis patientia & benignitas misericordiæ ejus, qua nos patienter tolerat, præstolaturque, unumquemque extimulare debet: *Quis non timebit te Domine?* Fortassis, quia est judex implacabilis? Fortè propter fulmina severæ suæ justitiæ? Non sequitur enim, *quia solus pius es.* Etenim, quemadmodum nobis insinuat Apostolus; ubi sua abutetur patientia, plus timere debet rigorosam ejus severitatem: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quapropter bene ait B. Laurentius Justinianus: *Consideratio misericordiæ Dei, quam nobis exhibet in præsenti, quæ est judicium magnitudinis justitiæ, quam exhibebit in futuro. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicij gravitate compensat, altissimus enim patiens est redditor. Patiens redditor dicitur, quia quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos duriùs damnat, & quanto diutius expectat ut emendentur tantò graviùs judicabit, si neglexerint.*

Apoc. 15. v. 4. Ibid. Rom. 2. v. 4. B. L. Just. loc. cit.

2. Facilitas pereundi spiritualiter & corporaliter. *Idem l. c.*

7. Aliud motivum B. Laurentij Justin. est: *Consideratio facilitatis pereundi spiritualiter & corporaliter, quod quotidie in multis cernitur. Unde nimium præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse, & vehementer effrænis est, cui non incutitur timor de alieno casu.*

3. Consideratio præsentiæ Dei, omnia videntis. *Idem l. c. D. Chrys. T. 4. hom 8. ad Philip.*

Idem pariter considerans præsentiam Dei asserit: *Consideratio sapientiæ Dei lucidè videntis omnia, & cui nihil potest abscondi.* At motivum hoc jamdudum tetigerat S. Chrysostomus, inquiens: *Qua ratione hic in nobis excitabitur timor? Si illud in animo habuerimus, ubique adesse Deum, omnia audire, omnia videre, non ea solum quæ fiunt ac dicuntur, sed etiam quæcumque in cordibus & recessu mentis latent.* Prosequitur deinde hunc discursum idem Sanctus cum hac interrogatione: *Dic mihi, si tibi perpetuò in conspectu Principis standum esset nonne cum timore stares? Et qui fit, ut, cùm Deo astes, rideas, oscitaris, nec timeas, neque contremiscas?* Ergone minus timendus Deus, quàm unus homo? Quot sunt qui à peccato abstinent ex timore hominis, & non se continent, nec inordinatas suas passiones refrænant ex timore Dei? *Sæpe quæ propter Deum minimè fiebant*, inquit idem Chrysostomus, *propter pudorem sunt facta, & quæ Dei causa, ut velimus, non adducimur, ea timore hominum suscipimus.* Exclamabat propterea S. Thomas de Villa Nova in suo sæculo his verbis: *Solo hominum timore multi arcentur à malis; si non esset judex, quot mala fierent? O hominem stultissime, times alium hominem tui similem, qui fortè nescit peccatum tuum, aut si sciverit, poteris fugere eum, aut decipere, vel placare; & totum, quod potest facere, est auferre à te vitam temporalem, quam aliquando relicturus es; & non times Deum, qui totum, quod agis, videt, neque potes ab eo fugere, vel decipere eum, qui quotidie potest tibi reddere mille retributiones, & postea infernum? Unde Dominus in Evangelio: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant, sed eum timete, qui potest &c.* Pro majori horum elucidatione S. Augustinus hoc conficit argumentum: *Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quantò magis dignum est, ut erubescat in conspectu Dei iniquitatem agere, qui non solùm opera, sed & corda considerat.*

Idem h. 4. ad Philip. S. Th. de Vill. ser. de Purific. B. V. S. Aug. ser. 213. de temp.

4. Cum fures timeant latratum canum, cur homo non timeat justam Dei iram? *S. Joan. Clim. ibid. Ps. 103. v. 32.*

8. Verùm S. Joannes Climacus tale nobis subministrat motivum timendi Deum, quod non faciem rubore dumtaxat, sed & cor confusione meritò adimplere debet: *Formidemus*, inquit, *Dominum tamquam bestiæ aliquæ. Vidi grassatores ad furandum profectos nullo quidem numinis metu, sed canum oblatrantium vocibus territos, statim regressos esse. Ita quod timor Dei non præstitit, bestiarum timor obtinuerit.* Ergone apud hominem, & quidem apud Christianum, qui veram profitetur fidem, plus valebit timor unius canis, quàm Dei, de quo scriptum est: *Qui respicit terram, & facit eam tremere?* Videbitis nonnumquam mare adeo inquietum & tempestuosum, ut totam videatur velle absorbere terram; ast à Deo jussum in arena littoris diffringere undas, timens & tremens obedit. *Posui vectem & ostia, Et dixi, usque huc venies ... & hic confringes tumentes fluctus tuos. Nonne ipsi videmus* (ita discurrit & observat S. Ambrosius) *mare frequenter undosum, ita ut in altum fluctus ejus tamquam mons aquæ præruptus insurgat, ubi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundùm quod scriptum est, aut non timebitis me dicit Dominus, qui posui arenam fines mari?* Ex quo convincens elicitur argumentum; ab initio creationis mundi in præsens usque tempus mare obedivit timore mandati & præcepti divini, & homo non timebit Deum? Ast qua via, quove modo ab hoc timore se eximere potest *homo putredo & vermis*, si coram illa Majestate infinita *columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus?* Si quotidie auribus nostris hæ voces insonant: *Adorant dominationes, tremunt potestates*; si intimiores cœlestis aulæ famuli, qui per totam æternitatem jam confirmati sunt in gratia & amicitia Dei, nec umquam ab ea excidere possunt, reverentiali timent timore, quanto magis nos servi & mancipia timere debemus? *Beatus qui non minus timet Deum* (verba sunt Joannis Climaci) *quàm rei judicem timere solent. Beatus qui non remissior est in rerum divinarum studio, quàm probi servi in re Domini sui.*

Job. 38. v. 10. Ibid. v. 11. S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 2. Eccli. 19. v. 3. Iob. 26. 11. S. Joan. Clim. grad. 30.

5. Quia Deus est Judex & Princeps noster. *B. Laur. Just. c. 4.*

9. B. Laurentius Justinianus ad concipiendum hunc sanctum timorem hoc etiam allegat motivum: *Si tantùm timet aliquis criminosus, qui scit se reum esse unius criminis, cum est in conspectu unius terreni Principis, quantum timere debet, qui multorum se reum esse cognoscit delictorum de examine regis æterni? Et si tanta cura pertimescitur judicium pulveris, qua intentione cogitandum, & qua diligentia formidandum est judicium tantæ Majestatis?*

6. Horror & meditatio æterni ignis. *Idem c. 1. ib.*

Aphorismus medicinæ est: *Ignis igni remedio est*; ne ergo æternis ardeamus & cruciemur inferni flammis unicum illud adhibendum est remedium, nimirum ut illas timeamus, quamdiu vivimus. Timorem definit B. Laurentius Just. hoc modo: *Timor est amor fugiens quod ei adversatur, scilicet pœnam. Item timor est specialis fuga mali, ne perdat quod amat, scilicet gloriam.*

7. Sufferentia malorum temporalium, ut evadamus æterna. *S. Bonav. l. c.*

10. Aliud insuper, ad amplexandum hunc timorem, motivum proponit S. Bonaventura, cum asserit: *Timor Domini contemnit & sustinet temporalia mala, ut evadat æterna; nam sicut infirmus sustinet cauterium & adustiones, ut possit evadere mortem, ita timor Domini facit sustinere cauterium temporalis vitæ, ut possit homo evadere supplicium mortis æternæ, unde in Eccle. dicitur, timenti Dominum non occurrent mala.*

8. Prolongatio vitæ præsentis. *Ps. 33. v. 12. Ibid. v. 13.*

Præterea prodest etiam timor Dei ad prolongandam vitam præsentem, cum in omnibus anteactis sæculis experientia docuerit, eos diutius vixisse sanos & incolumes ad ultimam usque senectutem, qui Deo in sancto timore servierunt. Observetur, quod, postquam David dixit: *Timorem Domini docebo vos*, subjunxerit; *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies vide-*

re bonos? Postquam etiam Ecclesiasticus cap. 34. explanaverat timoris Dei encomia, conclusit: *Dans sanitatem, & vitam & benedictionem.* Jam dixerat cap. 1. *Radix sapientiæ timere Dominum, & rami illius longævi.* At paulò ante clarius: *Timor Domini dabit longitudinem dierum.* Sapiens pariter ait: *Timor Domini apponet dies, id est,* (subdit Dionysius Carthusianus) *homo Deum filialiter timens, vitæ prolongationem meretur, & ad annos æternitatis perducitur*, de quibus in Ps. 76. habetur: *Annos æternos in mente habui, vitamque gratiæ & ipsas virtutes, quæ sunt dies cordis, timor Dei adducit ac auget.* Econtra, *anni impiorum breviabuntur*, ait idem Carthusianus, *quoniam sæpe propter sua scelera accidantur, & gulosè turpiterque vivendo suam abbreviant vitam.*

Eccli. 34. 20. Eccli. 1. 25. Prov. 10. 27. Dion. Cart. ib. Ps. 76. 6.

TRACTATUS CXIV.

DE TRIBULATIONIBUS, PERSECUTIONIBUS, INFIRMITATIBUS &c.

CONTINET.

DISCURSUS XXXIII.

DISCURSUS I. Vita humana continua quædam tribulatio est.

II. Deo familiarissimi, charissimi, præsertim Christiani, invitati sunt, & vocati ad sufferendas tribulationes.

III. De honore & gloria, quam Deus reposuit in tribulationibus.

IV. De lucro, merito, virtute, & perfectione tribulationis.

V. Quia tribulatio habet aliquid divini, ideo Christus animas afflictas amplexatur, & cum iisdem conversatur.

VI. Servi Dei cum gaudio & jubilo atrociora sustulerunt tormenta, & plures alias adversitates.

VII. Animabus afflictis & tribulatione pressis Deus communicat consolationes & gaudia.

VIII. Prosequitur Author & probat idem propositum.

IX. Tribulatio lumen nobis subministrat, ac in Dei nos ducit notitiam.

X. Aperit nobis oculos, ut nosmetipsos agnoscamus, & emendemus.

XI. Cooperatur nostræ conversioni & pœnitentiæ.

XII. Tribulatio patienter tolerata solvit pœnas debitas pro peccatis, & ab iisdem nos expurgat

XIII. Certum habemus signum & pignus amoris divini, cum tribulationes patimur & corrigimur.

XIV. Disciplina & virga paterna tribulationum paterni amoris Dei erga nos indicium est.

XV. Tribulatio vitam gratiæ, multaque alia bona nobis communicat, & in gratia nos confirmat & stabiles efficit.

XVI. Tribulationem nobis Deus immittit, ut nostram experiatur ac probet virtutem.

XVII. Sub allusione ac metaphora Medici & medicinæ nonnulla tanguntur bona tribulationis.

XVIII. Infirmitates corporis cooperantur saluti animæ.

XIX. Infirmitates fræni instar sunt, quo coercentur peccata, & ab hisce frequenter causatæ, eorumque pœnæ. Unde interdum contingit, infirmum mediante delictorum suorum confessione & expiatione pristinæ restitui sanitati.

XX. Infirmitates virtutum, perfectionisque sunt exercitium, ac instrumentum plurium aliorum bonorum.

XXI. Sunt insuper divini amoris signa, multorumque aliorum bonorum causæ.

XXII. Ostenditur, quantum inferant præjudicium prosperitates & felicitates humanæ.

XXIII. Varia tanguntur bona ex tribulationibus promanantia.

XXIV. De tribulatione sub metaphora auri.

XXV. Tribulatio est pignus & arrha electionis ad gloriam.

XXIV. Ut tribulationem prompta voluntate sustineamus, considerandum est, eam brevissimo duraturam tempore respectu præmii, quod erit æternum.

XXVII. Tribulatio infirmum & debilem efficit dæmonem, & in futura vita parcit pœnis temporalibus, imò & ab æternis nos sæpenumero eximit. Ubi & insignis ex S. Thoma de Villa Nova adducitur doctrina.

XXVIII. Cum tribulationes nostrorum pœnæ sint peccatorum, hac fulciti consideratione lubentiori animo eas sufferemus, fructumque inde percipiemus.

XXIX. Varia adducuntur motiva nos inducentia ad patienter tolerandas adversitates & tribulationes.

XXX. In tribulatione recurrendum est ad orationem, eò quod afflictorum preces sint efficacissimæ.

XXXI. Tunc præsertim Deus suo nobis adest auxilio, ac propinquior est, quando tribulationibus pressi omni humano destituti sumus subsidio.

XXXII. Quia à Deo procedunt tribulationes, oportet, ex necessitate faciamus virtutem, ac in ea proficiamus, divinæque voluntati nos conformemus.

XXXIII. Examinatur discrimen, quod electorum inter & reproborum intercedit tribulationem.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Vita humana continua quædam tribulatio est.

THEMA.

Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ, spinas & tribulos germinabit tibi. Gen. 3. v. 18.

Vita nostra subjecta est tribulationibus & miseriis innumeris.

1. Recitantes frequenter in honorem B. Virginis Mariæ celebrem hanc antiphonam *Salve regina*, indicamus simul mundum hunc esse exilium, significamus vitam nostram esse lacrymarum vallem: *In hac lacrymarum valle; post hoc exilium*; etenim in rei veritate quocumque nos vertimus, inundant tribulationes, adversitates, & miseriæ sine numero: *Circumdederunt nos mala, quorum non est numerus*; sive sint mala culpæ, sive pœnæ, sunt spinæ aut animam aut corpus transfigentes, ut propterea de miserabili posteritate Adami verificentur minæ istæ justè fulminatæ: *Maledicta terra &c.* Ubi vulgata nostra habet: *In laboribus comedes*, Chaldæus legit, *in tribulatione comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ*; & tametsi nostro sudore & labore terram colamus, & seminemus, incerti tamen sumus, num fructum nobis sit reddditura; Versio Vatabli habet, *in dolore*, aliorum lectio, ut refert Haye, est, *in afflictione*; S. Ambrosius legit *per dolores*; S. Cyprianus, *in tristitia & gemitu.* Hæc insuper necessitas, quam habemus in acquirendo victu necessario, nuncupari potest tribulatio, unde S. Job ait: *Antequam comedam suspiro.* At quid dicemus de multiplicitate tribulorum spinarumque pungentium, ad quas condemnata fuit terra? Ab hoc vocabulo, *tribulos*, asserere possumus derivari hoc nomen, *tribulatio*, quæ in tota terra communis est & universalis, & plerumque pungit: *Circumdederunt nos mala, quorum non est numerus.* Utinam sæpe respiceremus tribulos & spinas, quas calamitosa hæc lachrymarum vallis producit.

Ps. 39. v. 13. Job. 3. v. 24.

S. Hier. ibid. Xerxes deflevit exercitum suum.

2. In epitaphio Nepotiani refert S. Hieronymus, Xerxem monarcham & Regem Persarum è loco eminenti innumerabilem suum conspexisse exercitum (quo mediante demoliebatur montes, exsiccabat fluvios, populos ac regna suo subjiciebat imperio) & refle-

reflectentem se, quod post centum annos nec unus ex toto illo numero, juxta ordinariam naturæ legem, superesset vivus amarè planxisse. Quod si ille lacrymis suis deploravit humanæ vitæ fragilitatem & mortalitatem, cur & nos intellectum ac mentem nostram non poterimus elevare ad spectandas innumerabiles miserias & calamitates, quæ inundaverunt, & etiamnum continuò ac sine intermissione inundant super terram? *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt*, ait Oseas Propheta, *& sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Circumdederunt nos mala:* Oppressiones pauperum, tyrannis divitum, persecutiones innocentium, injustitiæ tribunalium, aularum doli & astutiæ, fraudulentiæ mercimoniorum, amicitiarum simulationes, conjurationes Magnatum, seditiones populorum, bella interna & externa, fames, pestilentiæ, incendia, submersiones, malignæ planetarum influentiæ, tempestates, turbines, subditorum rebelliones, dominiorum mutationes, bonorum morum corruptelæ, abusus introducti, latrocinia, rapinæ, incestus, sacrilegia, simoniæ, vindictæ, inimicitiæ, strages, proditiones, carceres, patibula, & hujusmodi aliæ quamplurimæ calamitates & miseriæ, quibus abundat hæc lacrymarum vallis.

Os. 4. v. 2. Ibid. v. 3. Ps. 39. v. 13.

Enumerantur mala & tribulationes quibus circumdamur.

Ps. 34. v. 13. Hug. Card. ib.

Peccata sunt radices nostrarum tribulationum.

3. Hugo Cardinalis exponendo præfatum versum: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, subdit: Quare ista passus sit, ostendit, quia propter peccata, unde subjungit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ*; hæc est radix, quæ tot tantasque progenerat tribulationum spinas; unde cum in hac planctus valle continua reperiatur tantorum peccatorum scaturigo, quid mirum, quod plures etiam pœnæ ac miseriæ semper inveniantur? *Spina peccatum est*, ait S. Augustinus. Audiamus magnum Cancellarium Parisiensem Gersonem: *Absque tentationibus nullo pacto præsens vita ducitur, quæ militia est; tolera quam habes, quia dum deeris, certus esto, quia succedit altera tibi fortassis asperior. Crede, non ejecit hominem Deus ab horto voluptatis, ut hic novam constitueret, sed in labore viveret, & ærumna.* Si Deus voluisset, ut hic prosperam, felicem, beatamque duceremus vitam, nullis adversitatibus variatam, certè non expulisset nos ex amœnitate & deliciis paradisi terrestris; voluit, ut vitam traduceremus inter spinas & tribulos tribulationum.

Gers. T. 3. l. 3. de consol. Theol. prosa. 4.

Job monach. apud Photium.

Spinæ tribulationum ejectis è paradiso aperiunt viam ad cœlum.

4. Authoris cujusdam pervetusti ponderatio hæc est: *Sed istud quoque ad sapientiæ illius inexplicabilem providentiam pertinet, quod tollens mox ab initio Deus omnem de sorte nostra querimoniam, expertes ærumnarum, delicias nobis in paradiso donat, donec deprehenso ex factis nostris inutilem hominibus esse labore ac miseria carentem vitam, laborum ac miseriarum pondus vitæ nostræ immiscuit pro remedio, hoc nobis velut stadium ac palæstram constituens, quæ magnum posset quæstum ac magna præmia conciliare.* Deliciæ paradisi fuerunt lapis offensionis, ruinæ & præcipitii nostri, non sine mysterio igitur disposuit divina bonitas, quod spinæ tribulationum viam nobis aperiant ad cœlestem paradisum. Idem Gerson lib. cui titulus: *Contra sectas flagellantium*, de calamitatibus hujus miseræ vitæ ita scribit: *Infirmitates, paupertates, vexationes, angariæ, mortes parentum atque filiorum, bella, rapinæ, incendia, detractiones, contumeliæ, labores manuum in agricolis, & mechanicis, tentationes rursum variorum peccatorum, quando intus pugnæ, & foris timores*, vitæ præsentis comites sunt.

Gers. Tom. 1.

Anima est in corpore tamquam terra maledicta, quæ generat spinas tribulationum.

5. Discursu primo de tentationibus vidimus verum esse, quod *tentatio est vita hominis super terram.* S. Bernardus per terram maledictam non tantùm hunc mundum, de quo S. Joannes ait: *Totus mundus in maligno positus est*; sed etiam terram hujus corporis nostri intelligit: *Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos.* Ratione animæ homo, utpote imago Deo simillima, altius sublimari non poterat, sed voluit Deus, ut anima, quamdiu præsens duraret vita, esset in corpore, tamquam in carcere & sterquilinio: *Homo putredo & vermis*; ut hac ratione semper ante oculos suos gestaret suas miserias. *De limo terræ*, ait Moyses; *limus terra madefacta* (sunt verba Abulensis) *& contemperata aqua.* Quis ignorat aquam esse symbolum adversitatum? *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; aqua similiter significat planctum; & cum hoc videtur Deus Creator noster nobis velle notificare, quod simus compositi ex miseriis: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Fabulati sunt Poetæ gentiles, Prometheum composuisse hominem ex creta; at deficiente aqua, qua cretam illam macceraret, usum fuisse lacrymis ex oculis suis uberrimè promanantibus; quamvis hæc fabula sit, exprimit nihilominus veritatem Catholicam, nempe, quòd homo à capite ad pedes usque ex luto compositus, lacrymis lamentisque & ærumnis undequaque scateat & scaturiat, *repletur multis miseriis*, quia innumeris subjectus est morbis, periculis & adversitatibus.

1. Joan 5. 19. S. Bern. ser. 48. in Cant. Eccli. 19. v. 3. Gen. 2. v. 7. Abul. in Gen. Ps. 68. v. 2. Cant. 8. v. 7. Job. 41. v. 1.

Etiam ipsæ deliciæ producunt tribulationes.

6. Quid diceres, si ipsæ etiam rosæ converterentur in spinas? Christus Dominus in parabola de semine divitias, voluptates & delicias comparat spinis: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt &c. Et à divitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.* Quod cum D. Chrysostomus considerat, ait: *Ne mireris, si nomine spinarum delicias appellavit, acerbissimos dolores tam corpori quàm animæ inferentes.* Qui se exemptos reputant à tribulationibus, & abundant deliciis, thesauris & honoribus, non propterea prorsus ab adversitatibus liberi sunt, sed affliguntur & laborant podagra, calculo, doloribus capitis, stomachi, & similibus. *Quemadmodum acutæ vepres, undequaque capiuntur, & constringuntur, manus cruentant; eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt.* Una stilla sive guttula atramenti limpidissimam aquam in toto vasculo deturpabit; volo dicere, unica sola tristitia ingentem felicitatis congeriem turbabit. Aman integro enarrato prosperitatum honorumque suorum Catalogo confessus est: *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quoad usque &c.* Unica negatio exhibitionis honoris ab uno Judæo facta ipsum inquietum effecerat, & malè contentum.

Luc. 8 v. 14. D. Chrys. hom. 45. in Matth. Esther. 5. 13.

S. Isid. lib. 1. Synonom.

Vitam nostram incipimus à ploratu & lacrymis.

7. S. Isidori doctrina est: *Impossibile est, ut homo sis, & non gustes angustias, dolor & tristitia omnibus communia sunt &c. Nullus est, qui in hac vita positus non suspiret.* Quicumque respirat, suspiret necesse est. *Vita ista lacrymis plena est, vita ista à fletibus inchoat; qui nascitur à fletu, incipit vivere, flentes, projiciunt in hanc miseram vitam, ipse ortus sequentium dolorum est genitus.* Felicissimus omnium, attestante spiritu veritatis, extitit Rex Salomon: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis*, nihilominus confessus est tot tantasque rosas, quibus coronavit tempora, spinis fuisse circumdatas: *Sum quidem & ego mortalis homo* (sic ipsemet fatetur lib. Sapientiæ) *similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est &c. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, In involumentis nutritus sum & curis magnis.* Parens ejus jam pridem cecinerat versum illum: *Deus vitam meam annuntiavi tibi*; vix vitæ mentionem fecerat, & addit lacrymas: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.*

Eccle. 2. v. 10. Sap. 7. v. 1. Ibid. v. 3. Ibid. Ps. 55. v. 9. Ibid.

S. Cypr. de bono pat.

Ab initio creationis omnes indiscriminatim Dei sententia subjecti fuimus tribulationibus.

8. Seriam meretur reflexionem quod scribit S. Cyprianus lib. de bono patientiæ *Dei*, inquit, *sententia cogitetur, quam in origine statim mundi generis humani Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: Tunc sciemus, quàm patientes esse in isto sæculo debeamus, qui sic nascimur, & pressuris istic & conflictationibus laboremus. Quia audisti, inquit, vocem mulieris &c. & manducasti ex illa arbore, de qua sola præceperam tibi, ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis, In tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos ejiciet tibi. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Huic sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec expuncta morte de isto sæculo recedamus.* Observate nullos à tribulationibus esse exemptos, nobiles, divites, principes, *omnes huic sententiæ &c.* Subdit deinde idem Sanctus: *In tristitia & gemitu simus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ. Edamus panem necesse est cum sudore & labore; unde unusquisque nostrûm cum nascitur, & hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit à lacrymis, & quamvis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate quam flere, providentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim cum ploratu & gemitu rudis anima testatur.* Observate verba ista: *Nescius & ignarus nihil aliud novit &c.* Etenim, veluti optimè notavit Seneca: *Nemo vitam acciperet, si daretur scientibus; stratagema naturæ est, dare rationis expertibus.* Unde qui in limine vitæ hujus pedem ponit, si statim videret tribulationes, pericula, peccata, cunctasque alias ærumnas & miserias, quas suo tempore habebit obvias, pedem profectò retraheret, eligens potius pro hospitio uterum mater-

Seneca.

num. S. Augustini reflexio est : *Vitam habet anima*; at quo modo ? *In corpore corruptibili. Qualem vitam ? Onera patitur, pondera sustinet*; caput subjectum est defluxionibus, aures expositæ surditati, lingua paralysi, oculi caligini & cæcitati, dentes stridori, venter oppilationibus, coxendices sciaticæ, pedes podagræ : *Tota vita ista*, ait S. Augustinus, *intelligentibus tribulatio est*. Ubi ponderetur verbum hoc, *intelligentibus*, etenim in culmine etiam humanæ felicitatis non resplendet lux veræ voluptatis adeo clara, quin ab aliqua tristitiæ aut afflictionis nube obtenebretur.

S. *August. in Ps.* 102.

Idem ser. 42. *de ver. Dom.*

Quænam tribulatio omnibus sit communis.

Ps. 119. *v.* 5.

Ps. 45. *v.* 2.

Bloss. l. 1. *c.* 16. *Psychag.*

9. Dicebat Rex Antigonus filio suo : *An nescis regnum nostrum splendidam esse servitutem ?* Blosius tangit aliquam tribulationem omnibus communem, à quâ nullus exemptus est, de qua lamentabatur quoque David, dicens : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; ita nimirum præfatus Author interpretans hunc versum, *Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*, loquitur : *Est quædam, quam nos debemus invenire. Inventatur ista tribulatio. Quæ est ista ? Ea ipsa in hoc mundo est, felicitas, affluentia rerum temporalium, non quidem ipsa tribulatio est, sed solatia sunt tribulationis. Cujus tribulationis ? Nostræ peregrinationis. Hoc autem ipsum quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quod inter tentationes, molestiasque versamur, quod sine timore esse possumus, tribulatio est.* Magna tribulatio hæc est, quam & tetigit S. Augustinus, cum ait : *Inter casas ambulamus, si vitrei essemus, minus casas timeremus.*

S. *Aug ser.* 1. *de ver. Dom.*

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Deo familiarissimi, charissimi, & præsertim Christiani, vocati sunt ad sufferendas tribulationes.

THEMA.

Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, ad Philip. 1. *v.* 29.

Tribulationes sunt proprij characteres Christianorum.

1. EX his verbis Apostoli evidenter colligitur, professores legis Evangelicæ non tantum vocatos esse ad credendum in Christum, & ad profitendum fidem Christianam, sed simul ad patiendum : *Vobis donatum est &c.* Quamvis tribulationes & adversitates sint omnibus communes, veluti ostensum est discursu præcedenti, attamen characteres sunt Christianis proprij audite hac super re D. Augustinum, quid nobis dicat : *Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus; & ubi est vox Apostoli : Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur ? Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo pie vivere*; ubi notandum est, S. Apostolum nullum excipere à persecutionibus : *Omnes qui pie &c.* quasi hic character Christianorum inseparabilis sit ab adversitatibus & persecutionibus.

S. *Aug. in Ps.* 55.

Tribulationes signum sunt electi gregis.

2. *Thess.* 3. 3.

Se *Hieron. ib.*

2. D. Hieronymus alium ejusdem Apostoli exponit textum : *Nemo moveatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus* ; intendebat nimirum Apostolus, consolari fideles eo tempore, quo cinĉti erant à persecutionibus, cisque ostendere volebat signum electi gregis esse tribulationem : *Ac si eis aperte dicat, quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur.* Pulchram S. Augustinus adducit similitudinem, dicens : *Cum autem cæperis in Christo pie vivere, ingressus es torcular.*

S. *August. ib.*

Ad hoc vocati sumus ad fidem Christi, ut pro illo patiamur.

1. *Petr.* 4. 12.

Tert. in Scorpiaco c. 12.

S. *Fulgent. ad Trasim.* 3. *c.* 20.

3. S. Petrus Apostolus Epistolas suas scripsit in primo seculo nascentis Ecclesiæ, in quo fideles ut plurimum ex sancto lavacro transibant ad martyrium, aut ad exilium, ad carceres, ad equuleos, ideoque illos monebat : *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat.* Antiquissimus Tertullianus mentem S. Apostoli exponit hisce verbis : *Dilecti, ne expaveſcatis ostionem.* S. Fulgentius eidem proposito conformiter scribit : *Charissimi, nolite expaveſcere in fervorem.* Alij loco verbi hujus, *peregrinari*, legunt, *mirari*, quasi Apostolus voluerit eos monere, ne mirarentur, quando eos apprehenderet aliqua tribulatio, eò quod verorum fidelium Evangelicorum vera & inseparabilis esset proprietas pati & sustinere, quamdiu præsens duraret vita; *Nobis donatum est &c.* Cum hoc dono singularissimo, quo sumus vocati ad fidem nostram (quæ tot tantisque denegata est) connexum est hoc aliud, quo, ut Christo placeamus, eique conformemur, tribulationes sustinemus, ideoque in alio loco scribit idem Apostolus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Magna itinerantium consolatio est, quod ambulantes per viam ignotam, in eadem expressa conspiciant vestigia eorum, qui præcesserunt & viam illam jam calcarunt. Ad patriam cœlestem, ad quam homo creatus erat, via nulla patebat, ignota & incognita jam fuerat sex millia annorum & ultrà; at Christus Dominus dixit Christianis : *Ego sum via*, vestigia pedum suorum reliquit impressa petræ in monte Oliveti, è quo elevatus est in die Ascensionis, at vestigia reliquit à clavis perforata : *Relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus.*

1. *Petr.* 2. 21. Per tribulationes insistimus vestigijs Christi.

Joan. 14. *v.* 6.

Persecutiones & tribulationes justorum inceperunt ab initio mundi.

4. S. Cyprianus in hunc modum scribebat Fortunato : *Ante prædictum esse, quod nos mundus odio haberetur esset, & quod persecutiones adversùm nos excitaret, & quod nihil novi Christianis accidat, quando ab initio mundi boni laboraverint, & oppressi atque occisi sint, justi ab injustis, Dominus in Evangelio præmonet & præmunĉiat dicens : Si mundus vos odit scitote quoniam primo me odit. Si de mundo essetis, mundus quod suum esset amaret; sed quia de mundo non estis, & ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus. Mementote sermonis, quem dixi vobis : Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur ? Et iterum, veniet hora, ut omnis qui vos occiderit, putet se officium Deo facere.* Texit deinde prolixum Catalogum adversitatum, quas Dominus noster Discipulis & imitatoribus suis prædixerat, ex quibus probatur certissimum esse illud, quod *nobis donatum est pro Christo non solum &c.* In progressu hujus capituli ostendit & probat deinde, cum initio mundi incepisse quoque persecutiones in electis : *Nec nova, nec repentina hæc sunt, quæ nunc accidant Christianis, cum boni semper & justi & Deo innocentiæ lege, ac veræ religionis timore devoti per pressuras & injurias, & graves ac multiformes infestationum pœnas angusti itineris difficultate gradiantur. Sic in origine statim mundi Abel justus à fratre primus occiditur, & Jacob fugatur, & Joseph venumdatur, & David misericordem Saul Rex persequitur, & Eliam majestatem Dei constanter ac fortiter asserentem Rex Achab opprimere conatur. Zacharias Sacerdos occiditur in medio templi & altaris, ut ille hostia ipse fiat, ubi Deo hostias immolabat. Tot deinque martyria justorum sæpe celebrata, tot edita imposterum fides & virtutis exempla. Tres pueri Ananias, Azarias, Misael, ætate compares, dilectione concordes, fide stabiles, virtute constantes, flammis ac pœnis urgentibus fortiores, soli se Deo servire, solum nosse, solum colere proclamant.*

Joan. 15. 18. *Ibid. v.* 19.

Ibid. v. 20.

Joan. 16. *v.* 2.

Qui propter Deum patiuntur tribulationes, ipsi sunt conjunctissimi.

Judith. 8. 21.

5. Sapiens illa & invicta vidua Judith, cui assistebat Spiritus Sanctus, inter alia hoc quoque Ecclesiæ reliquit documentum : *Tentati sunt patres nostri, ut probaretur, si verè colerent Deum suum. Memores esse debetis, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperant cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* Notat Apostolus in Epistola sua ad Hebræos, qua ratione Deus ter Opt. Max. specialem Patriarchis antiquis exhibuerit honorem, eo quod observantiæ & amoris ergo multas perpessi fuerint calamitates & persecutiones : *Non confunditur*, inquit, *Deus vocari eorum; vocatur, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*; quo voluit nobis indicare, quàm arcto familiaritatis vinculo Deo conjuncti sint, qui propter ipsum patiuntur tribulationes.

Ad Hebr. 11. *v.* 16. *Exod.* 3. *v.* 6. *&* 15.

6. Volvite ac revolvite totam Sacram Scripturam tam Veteris, quàm Novi Testamenti, percurrite insuper annales ab orbe condito, & verum esse deprehenderis, quod scribit magnus ille magister spiritus Blosius de pusillanimium tractans consolatione : *Nullus omninò Sanctorum fuit, qui non aut externam, aut internam aliquam crucem portare debuerit ; abjecta igitur omni pusillanimitate, quidquid tibi accidit de manu mea accipe, & hoc tibi à me pro immenso amore pro tua salute transmissum esse crede.* Si oculis nostris regiones infidelium, præsertim verò Mahumetanorum possemus perlustrare, spectaremus eorumdem in præsenti vita prosperitatem, felicitatemque, videremus eos liberos à multis tribulationibus, quibus nos Christiani sumus subjecti, quia *nobis donatum est pro Christo non &c.* Qui non credunt in Deum, inimici prædæ sunt fecerissima, unde non est, quod eos invadere aut expugnare studeat, veluti nos indefessè infestat ac persequitur. Quamobrem S. Cyprianus lib. de bono patientiæ, bene ac diserte discurrit : *Sudatur, quamdiu istic vivitur, & laboratur. Nec laborantibus & judantibus possunt alia magis quam patientiæ subvenire solatia, quæ cum apta sint & necessaria in isto mundo universis, tum magis nobis, qui Diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie quotidie stantes, inveterati, & exercitati, hostis collatationibus fatigamur.*

Nullus sanctorum sine cruce interna vel externa fuit.

Bloss. lib. de consol. pusil. c. 3.

S. Cypr. de bono pat.

Perfectiores plus alijs impugnantur à Dæmonibus.

7. Probat B. Petrus Damianus homines perfectioris vitæ ardentius quoque & vehementius impugnari à Dæmonibus, quoad suggestiones & cogitationes immundas, idque plerumque demonstrat experientia. Videmus ordinarie, quod patres cæsigent filios, ac in horum bonum & commodum : Non curant alios, quia amor eorum non tendit in illos *Flagellat omnem filium, quem recipit*, scribit in alio loco Blosius : *Itane omnem ? Ubi te volebas absondere ? Omnem, & nullus excipitur, nullus sine flagello erit. Quid est omnem ? Vis audire, quem omnem ? Etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello. Unde ipse unicas portans infirmitatem tuam, & præfigurans in se personam tuam, & totius corporis sui cum appropinquaret passioni, ex homine quem gerebat, contristatus est, ut te lætificaret ; contristatus est, ut te consolaretur.* Fideles & veri Christiani sunt, de quibus legitur in S. Joanne; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; & hisce donatum est pro Christo, non solum ut in eum credant, sed ut etiam pro illo patiantur.* Infideles non sperant aliam vitam, & ideò hic gaudent : non sic est cum Christianis. S. Ecclesia quotidie legendo martyrologium Romanum, & officium divinum, in memoriam nobis revocat Sanctorum passiones & tribulationes : *Ut vel sic intelligamus* (ait Eusebius Emissenus) *quantum debeat desiderari vita illa, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari.* Unde & S. Maximus ad nostrum propositum ait : *Hæc nostræ Christianitatis summa est ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus; qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno.*

Bloss. l. 1. *Psych. c.* 12.

Patet in ipsomet Christo Domino.

Joan. 1. *v.* 12.

Eusseb. Emiss. hom. de nat. Apost. Petr. & Pauli.

S. Maxim. h. de Machab.

Deficribitur character veri Christiani.

1. *Cor.* 4. 11.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 14.

8. Voluit S. Paulus insinuare Corinthijs, quis sit character unius veri Christiani, ac propterea scripsit eis in hanc formam : *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, ... Et laboramus operantes manibus nostris, maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, Blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc ; Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo* ; quasi vellet insinuare & inferre, vocationem ad fidem Christi habere annexam tribulationem, labores & passiones. Quando Christus Dominus voluit ipsum ex persecutore transmutare in Apostolum, dixit Ananiæ : *Ego ostendam illi* ; eoque existimaris ei ostendenda ? Forte ea, quæ Davidi : *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi ?* Fortè miracula & portenta, quæ cum stupore populi operaturus erat ? Fortè copiosissimam messem illam, quam ex conversione mundi reportaturus erat ? Nullum horum ; sed *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quamprimum ingressus fuit scholam Christi, ex quo præcipitatus fuit, cæcitate percussus, tribus diebus itetit sine cibo & potu, ut intelligeret, *sibi donatum esse pro Christo, non solùm ut in eum credat, sed ut etiam pro illo patiatur.*

Vocationi ad fidem annexæ tribulationes.

Act. Apost. 9. *v.* 16.

Ps. 50. *v.* 8.

Act. Apost. 9. *v.* 16.

Tribulationes durante usque ad mortem.

Apoc 2. *v.* 10.

Rup. Abb. ib.

11. Apocal. cap. 2. legimus promissionem istam ab infallibili veritate factam : *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, at quo sensu intelligitur hæc fidelitas ? Hic Prælatus indubiè multis subjacebat adversitatibus, quod declarat nobis Rupertus Abbas hisce verbis : *Nimirum, tamdiu fidelitatis constantia bona hortatu indiget roborari quamdiu tribulationum vis eandem fidelitatem extorquere contendit. Dum ergo dicit : Esto fidelis usque ad mortem satis ostendit, tribulationis dies pertingere usque ad mortem.*

Christum quærens, quærit etiam ejus tribulationes.

S. *Hieron. tom.* 9. *reg. monach.*

S. *Ambr. in Ps.* 118. *oct.* 18.

S. *Cyprian. cit. sup.*

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Summam gloriam, summumque honorem Deus reposuit, & abscondit sub tribulationibus.

THEMA.

In die tribulationis ... honorificabis me. Psal. 49. v. 15.

Per tribulationes manifestatur gloria Dei.

Joan. 9. *v.* 2.

Ps. 101. 26.

1. SUmma gloria unius vilissimi vermis, puta, hominis est, quod per merita tribulationis patienter toleratæ, infinitam Dei majestatem, *quam adorant dominationes, tremunt potestates*, glorificare possit : *In die tribulationis*, ait Deus per Psalmistam, *honorificabis me.* Petierant jam Apostoli à cœlesti suo Magistro rationè hominis illius à nativitate cæci : *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ? Respondit Jesus, neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo* ; quæ verò sint illa opera Dei, insinuat idem regius Propheta Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt cœli* ; at cœli qualem habent relationem ad cæcitatem miseri istius hominis ? Facilis responsio, per sufferentiam cæci hujus in tribulatione sua habitam glorificabatur Deus non minus, quàm si propter rerum omnium tum visibilium, tum invisibilium creationem fuisset laudatus. Unde Toler. in hunc textum commentando docet : *Multo potiore jure in hoc casu justa est cæcitas, quam passus est iste, non solum pro communi bono, id est, pro fide in Christum concitanda, in qua salus hominum est, sed etiam pro Dei honore & gloria, ut Deus ipse glorificetur ab hominibus.* Et

Toler. in Joan.

Cardi-

instruit dicens : Qui dicit se in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit, & dicit : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem se judicanti injustè.

Speculum sanctorum tribulatorum ob oculos ponere debemus.

D. Chrys. Hom. 66. *ad pop.*

10. Exhortabatur quoque D. Chrysostomus è suggestu populum Antiochenum, ut vitam Sanctorum Deoque devotorum, qui vitæ sanctitate alijs præluxissent, tamquam speculum ob oculos ponerent, non alium in finem, nisi ut sponte prompteque sustineret tribulationes : *Sustine tribulationem & dolorem, spe futurorum te pascens. Tu neque Paulo melior es, neque Petro qui nunquam remissionem affecti sint, sed fame, & siti, & nuditate laborarunt; si vis eadem cum illis assequi, qui contrariam ambulas viam ?* B. Laurentij Justiniani doctrina est : *Discurre obsecro mentis oculo per generationes singulas, & veram intelliges esse sententiam Sapientiæ. Porrò nullus reperitur ab ipso mundi exordio palmes verus, qui non tribulatione purgatus sit. Abel innocens injustè moriens, fratris iniquitate purgatus est. Noë sitij illusione, & aquarum inundatione purgatur. Abraham de terra sua, & cognatione, & domo patris sui egrediens, multarum infidiarum, plurimarumque laborum attritione purgatus est. Jacob irati fratris declinans rabiem, quantas perpessus fuerit in peregrinatione sua passiones, quis enumeret ? Joseph in Ægypto venumdatus, tamquam veræ vitis palmes, calumnijs, nudità, compedum, carcerisque sustinuit sectiones. Moyses ipse opprobrium Christi Ægyptiorum divitijs præferens, varijs lacessitus injurijs, Christo configurari promeruit. David Prophetarum eximius superbi Regis persecutione purgatus, justitiæ fructum Deo protulit copiosum. Vates etiam universi diversas principum populorumque ferentes contumelias electorum palmitum collegio sociantur. De his loquens Apostolus ait : Alij dissentir sunt non recipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Præterea Apostoli, quibus dicebat veritas : Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, tamquam oves in medium luporum mittuntur, cædantur in Judæorum concilio, ad Reges trahuntur ac Præsides, quatenus veræ adhærentes viti germen valeant producere virtutum.*

B. *Laur. Just. fascic. amor. cap.* 8.

Cardinalis Cajetanus hunc eumdem textum exponendo ait: *Discimus hinc mala pœnæ à Deo infligi, quandoquidem ad manifestandam gloriam ipsius Dei.* *Cajet. ibid.*

2. Magnus Cancellarius Parisiensis, homo eximiæ doctrinæ & eloquentiæ, scripsit inter alia opus, & in eo caput aliquod, cui titulus: *Sex magistri de tribulatione loquentes*, è quibus unum introducit loquentem hisce verbis: *Si quidquam esset nobilius & conducibilius humanæ creaturæ in hac vita viventi, quam tribulatio, Deus hoc ipsum filio suo dedisset; ideo dedit ei plus patiendum in hac vita, quàm unquam dedit creaturæ, nec dabit amquam.* Jam declaraverat se filius Dei, quod non suam, sed Patris sui æterni quæreret gloriam, & huic cooperabatur patiendo, siquidem quamvis anima sua esset beata, & ad corpus quoque dotes gloriosas, ac proinde impassibilitatem transfundere deberet, nihilominus toto illo triginta trium annorum decursu, omnes illas dotes continuo miraculo in portione superiori tenuit suspensas, ut nimirum per corporis sui passiones & pœnas, quas sustinuit, majorem æterno suo Patri redderet gloriam. Nihil conducibilius tribulationibus. *Gerson T. 4.*

3. Blosius in conclavi animæ tradit sequentia: *Tribulationes in hac vita præclarissima Dei dona sunt, & non est ullum certius signum divinæ electionis, quàm ut quis adversa humiliter & resignato animo propter Deum toleret.* S. Paulus scribens Romanis docet modum, quo medullam prædestinationis habere possimus: *Quos prædestinavit*, inquit, *conformes fieri imaginis filii sui*; hæc conformitas nil aliud est, quàm pati tribulationes ad ipsius imitationem. Blosius alio in loco introducit Salvatorem nostrum ita loquentem: *Afflictio mundo huic despectui est; at apud me immensam dignitatem obtinet; Afflictio gratiam meam conciliat & amicitiam, hominemque mihi gratum efficit & amabilem, utpote mihi conformem.* Tribulationes sunt præclarissima dona Dei. *Blosius in concl. animæ c. 8. §. 1. Rom. 8. v. 29.* *Idem de consol. pusill. c. 24.*

4. Postquam B. Laurentius Justinianus multa scripserat in honorem tribulationis, subjungit: *Quid verò in ipsarum tribulationum laudibus dicendum est, cum ipsæ glorificent creatorem?* Gerson ser. de omnibus Sanctis ait: *Quod si omnia, quæ consideranem nostram informant de laude tribulationis, & prosperitatis deceptione inducere volnero, non dico partem sermonis, nec sermones integros, imò nec libros multos ad hoc sufficeros esse scio.* Verùm Chrysostomus paucis verbis plurima complectitur encomia tribulationis, quando prædicavit populo hisce verbis: *Infinitorum causa bonorum, ut & Dei favorem assequamur*; quid amplius desideratis? At si tribulationem prædivitis instar & opulenti esse thesauri afferret, indubiè censeres esse paradoxon, eò quod adversitas & calamitas soleat esse conjuncta cum mendicitate. Auro comparantur afflicti: *In paucis vexati, in multis bene disponentur; tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & inventi illos dignos se.* Tribulationes sunt causa infinitorum bonorum. *B. Laur. Justin. lig. vitæ c. 3. de patient. Gers. T. 2. ser. de omn. SS.* *D. Chrys. H. 62. ad pop.* *Sap. 3. v. 5.*

5. Quid amplius quispiam dicere, aut sibi imaginari posset, quàm quod ipsemet Deus (*spirituum ponderator est; ipse enim sciebat, quid esset in homine*) declaret creaturam esse dignam Creatore? *Finiti ad infinitum nulla proportio*, & ecce immensam tribulationis gloriam. D. Chrysostomus cum agit de Job, à toto inferno impugnato, utitur hac phrasi: *Postquam intra utique perfodit*, asserit de Satana: *Ipse quidem nullum lucrum fecit, nec enim thesaurum obrutum prædari potuit.* Gerson postquam ore unius ex præfatis magistris dixerat de tribulatione: *Efficit creaturas dignas omnibus donis, quæ Deus suis confert amicis*, subdit: *Est thesaurus, cui nihil comparabile est.* Creatura dignam. *D. Chrys. in cat. ad c. 2. Job.* *Gerson T. 4.*

6. Si quis ejusmodi inveniret lapidem, qui plumbum in aurum, petras in gemmas converteret, quanti æstimaretur ille? *Momentaneam hoc & leve tribulationis nostræ ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Apparuerat jam alijs vicibus Dominus Deus Moysi inter spinas compatiens populo suo, qui in dura servitute Ægyptiaca constitutus duros sustinebat labores ex luto conficiens lateres; at cap. 24. ejusdem lib. Exodi, rursum Deus comparuit, at majori cum majestate, præsentibus totius Synagogæ Senioribus, & duobus fratribus Moyse & Aaron: *Viderunt Deum Israël, & sub pedibus ejus quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum, cum serenum est.* Ecce jam lateres muratos in Sapphirum sub pedibus Altissimi; siquidem adversitates toleratæ propter amorem Dei mutantur in gemmas & margaritas, ut ex ijs conficiatur diadema æternæ gloriæ, quo ditemur & coronemur in cœlis; Oleaster legit, *quasi opus laveris Sapphiri, non lapidis*; ad denotandum immensam gloriam, ad quam ascenderant in conspectu Dei angustiæ illæ & tribulationes, quas lubenti animo & spontanea voluntate pro amore Dei Tribulationes pro Dei amore toleratæ conficiunt auream gloriæ æternæ coronam. *2. Cor. 4. 17.* *Exod. 24. 10.*

sustinuerant; qua super re audiamus Oleastrum discurrentem: *Premebantur, inquit scriptura, servi Dei, filij scilicet Israël in Ægypto operibus duris luti & lateris. Nunc verò laterem, quo anxiè premebantur, pretiosum vident splendere sub pedibus Dei, ut discas, quid valeant labores, sudores, & quæcumque mala propter Deum perpessa, tuosa & lateritia, & immunda tibi videbuntur, & his qui terrena sapiunt, sed apud Deum pretiosi lapides sunt, quibus sedes ejus decoratur. Expende ergò quanti Deus faciat hæc. Visi sunt oculis insipientium mori, & insensati vitam illorum æstimant insanam; sed illi in pace sunt, & lutum laboris illorum in sapphirum versum est & margaritam.* Idem author meditando & hæc alia scripturæ verba: *Et quasi cælum cùm serenum est*, hanc aliam conficit deductionem moralem: *Quid quæso*, inquit, *luto immundius & labore? Quid verò mundius aut pulchrius cælo? Non sat fuit Domino lateres terrenos in cœlestem sapphirum mutasse, nisi etiam in cælum lutum mutet, neque in qualecumque cælum, sed in mundissimum.* *Oleast. in hunc loc.*

7. Blosius tribulationem nobilissimo hoc honoravit epitheto, cùm dixit eam esse annulum aureum, quo anima nostra se desponsat Altissimo: *Illa enim est pretiosa, & præclarus annulus, quo Deus animam sibi desponsat.* Annon meritò ad has cœlestes & divinas nuptias aspirare deberemus? *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Adversitates dignos nos efficiunt arctissima unione & familiaritate cum Deo: *Pati pro Deo res tantæ dignitatis est, ut homo jure reputare debeat se indignum eo honore. Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata incomparabiliter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia.* Ingeniosa est consideratio illa, quam instituit S. Ambrosius circa filios Israel angariatos ab Ægyptijs: existimat Deum voluisse eis indicare summam retributionem, quæ ex tribulationibus pro amore suo perpessis redundat: *Filij Israël dederant paleas, & receperunt farinam; dederant latum, & receperunt argentum* (ditissimam enim ex Ægypto tulerunt secum supellectilem, at jussu Dei) *dederunt lateres, & receperunt aurum.* Addi potest, illud fuisse passionum ærumnarumque suarum meritum, ut tendentes ad terram promissionis loco palarum & ligonum gestaturi essent sceptra, ex servitute evehendi ad thronos & regna. Aureo annulo tribulationum desponsatur anima nostra altissimo. *Blos. in Marg. spirit. c. 19.* *S. Ambr. de mansionib.*

8. Seriam meretur considerationem, quod D. Chrysostomus varijs in locis scribit de hac materia, præcipue illud: *Si quis Christum diligit, is novit hanc dignitatem, hanc intelligit virtutem, agnoscit quantum sit illud, quod humano generi largitus est Deus, nimirum, ligari pro eo, illud forsitan illustrius etiam est*, quàm sedere ad dexteram ipsius, honestius, quàm sedere super duodecim thronos. Unde S. Paulus competens judex valoris & magnificentiæ tribulationum & passionum protestabatur dicens: *Opto apud Deum ... omnes qui audiunt me hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis vinculis his*; causam scire desidero, cur auditoribus suis optando multa alia bona, non apprecabatur eis etiam honorem & retributionem suarum passionum & calamitatum? Proprium est charitati, communicare alijs bona, quibus quis gaudet; cur igitur dixit: *Exceptis vinculis his*, in justificationem Apostoli respondet Chrysostomus: *Quia illi nondum istam gloriam nostram degustarant?* nondum poterant adhuc discernere & judicare, quanti sit gloria pati pro Christo: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, ac propterea, *noluit projicere margaritas ante porcos*; ubi tamen observandum, Apostolum non dixisse absolutè, *exceptis vinculis*, sed *his*, quia vincula sua tamquam gemmas & margaritas valoris inæstimabilis tenebat & amplexabatur, quasi vellet dicere: *Gloriam meam alteri non dabo.* Idem Chrysostomus in alio loco scribit: *O beata vincula, ô beatas manus, quas ornavit catena illa Paulo circumdata, non tam pretiosæ erant manus, quæ claudam in Lystris erexerunt, quàm vincula circumdatæ, non enim sic dico beatum, quod tertium usque ad cælum, & in paradisum raptus est, quemadmodum quod in vincula sit conjectus, non eum sic beatum dico, quod audierit arcana verba, quemadmodum quod vincula sustinuerit.* D. Chrysost. malut esse Petrus catenis vinctus, quam Angelus Petrum. *Act. Apost. 12. v. 6.* *S. Hilar. ibid.* *S. Chrys. H. 8. ad Ephes.* S. Paulus catenis ligatus maximi æstimavit illam tribulationem: *D. Chrys. H. 8. ad Ephes.* *Act. Apost. 26. v. 29.*

9. De catenis, quibus S. Petrus in carcere Herodis vinctus fuit, S. Ecclesia solemnem celebrat festivitatem, & in lectionibus matutini, recitamus: *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud præsidium vinculorum.* In honorem horum vinculorum in hac urbe Romana, utpote totius Christianitatis metropoli, sumptuosissimum templum erectum fuit. Legimus in Tertulliano: *Alis quando revera inventum est, quomodo & aurum non ametur;* Idem H. in Job quæst. Ferreæ catenæ Petri omni auro pretiosiores æstimantur. *Tert. de hab mulier. c. 7.*

tiam quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; ecce ultimam; ex quo de primo ad ultimum infertur, quod Deus tribulatos potius, quàm alios respiciat, ut eos beatos efficiat. *Ibid. v. 11.*

2. S. Chrysostomus exhortando populum suum ad tolerandas patienter adversitates, inter alia prædicabat: *Cum tribulatione nobis infinitas coronas accumulat.* Si oculo nostro patriam cœlestem penetrare & spectare possemus, clarè videremus cuncta Sanctorum diademata & coronas transfixe per ignem & malleos, priusquam eis fuissent impositæ, videremus diademata diriora & illustriora pluribus tunsionibus & percussionibus esse expolita: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam.* Audiamus B. Laurentium Justinianum: *Sancti viri quot tribulationes patiuntur, tot victoriæ palmas merentur in cœlis; sed si tribulationes ipsorum crudeli miseratione minuantur, paulatim gemmis corona ipsorum privatur, quia quanto in hoc sæculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morbi crudelitate fuerint afflicti, tanto post resurrectionem in futuro majoribus honoribus exsultentur.* Tribulationes accumulant infinitas coronas. *D. Chrys. H. 66. ad pop.* *2. Tim. 2. v. 5.* *B. Laur. Justin. lig. vitæ c. 3. de pat.*

3. Experientia compertum est, quod arbores, quo altius ramos sursum attollunt, eò pauciores habeant fructus; at si terram versus deprimantur, ingenerati, eò pluribus abundant fructibus. Homines in præsenti vita honorum temporalium prosperitate gaudentes, ad honores & dignitates evecti, æstimati, divinas gratias minimè sibi attrahere solent; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; qui à mundo despiciuntur, vilipenduntur, propter amorem patienter tolerant injurias & opprobria, à Deo recipiuntur, foventur & donis ejus adimplentur: *Dejiciuntur ergò* (ait Petrus Blesensis) *evalescat ut sanet, ut pressura vertatur in gratiam, afflictio in coronam.* Paulò ante in eadem Epistola scripserat: *Vult ut de patientia nostra quasi de ligno vitæ fructus spirituales, & justitiæ manipulos colligamus. Sunt autem fructus Spiritus, teste Apostolo, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Omnibus his privatur, qui sustinentia caret, propter quod Salomon dicit: Væ illis, qui sustinentiam perdiderunt; Sustinentia ergo est libenter flagella Domini supportare, quibus nos erudit ad salutem.* Ut arbor proferat fructus, necesse est, adaquetur & stercoretur, ad culturam vitis plura requiruntur: Ut homines terreni & mundani pariter fertiles sint, bonorumque operum proferant fructus, colantur oportet, ac fodiantur palis, ligonibus tribulationis; unde docet B. Justinianus: *Studiosus planè agricola numquam desinit terram excolere, semina mittere, inserere arbores, olivetа plantare, vineasque purgare suas, inde fructum, inde percipit gaudium. Cœlestis agricolæ attende partium, quomodo terram spiritualis bonitatis suæ excoluerit vomere.* Qui in hoc mundo omnia habent prosperà, divinas gratias sibi non attrahunt. *Jacob 4. v. 6.* *Petrus Blef. Epist. 142.* *B. Laur. Justin. fascic. amor.*

4. Legimus in sacris Canticis: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Certum est myrrham, quia gustui amara est, significare amaritudinem tribulationum; & ecce mysterium, propter quod Spiritus Sanctus cum myrrha jungat aromata, quibus denotantur virtutes, suavissimam in conspectu Dei reddentes fragrantiam, qua nimirum tribulatio est fœcunda mater donorum, gratiarum; aliorumque actuum virtutum. Balsamum liquor est magni pretij, & ex arboribus, quæ illud producunt, effluit & promanat, sed tunc, quando arbores istæ percutiuntur, quatiuntur & feriuntur ferro. Appositè sanè scribit S. Hieronymus in Epistola quadam ad Marcellam, ubi cum stupore sic discurrit: *In creaturis penè omnibus ita esse cognoscimus; illas majorem fructum gignì, ubi onerosæ acerbitates causa præcesserit. Nam & æstatis & autumni temporibus, quæ tempora omnibus sunt frugum, sterilitatem nimiam nonnumquam hyemis lentitas intulit, cum fœcunditatem maximam frigoris sæpe præstiterit austeritas. Arbores verò ipsæ tanto numerosiore gravantur fructu, quanto acerbioris frigoris violentia reprimuntur, Semina terræ jacta atque commissa, quanto glaciali frigore arcente tardius surgunt in frugem, utili radice proficiunt, & tanto postmodum amplioribus fructibus prægraviata convalescunt.* Quanto Israelitæ in Ægypto magis præmebantur & affligebantur, tanto magis crescebant numero & meritis; *In Exodo declarat Scriptura divina, pressuris multiplicari nos potius, & augeri, dicens: Quamtoque eos deprimebant, tanto plures fiebant & invalescebant magis.* S. Thomas de Villa Nova tangit fructus, qui ex tribulationibus & calamitatibus sive calamitatibus, quas pro Deo sustinemus, homo ipsimet Dei fit creditor. *S. Cypr. de exhort. martyr. c. 10.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Examinatur lucrum, meritum, virtus & perfectio tribulationis.

THEMA.

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. Eccli. 35. vers. 26.

In aridite tribulationis infunditur pluvia gratiæ. *S. Anton. de Pad. in Dom. 4. post. Trin.*

1. DIvina bonitas beneficentiam suam vel maximè ostendit tempore tribulationis nostræ, ad enim prorsus modum, quo tempore ardoris & siccitatis terræ nubes aquis prægnantes terram reddunt fertilem & fructibus abundantem. S. Antonius de Padua propositum textum ita exponit: *Speciosa misericordia Dei &c. id est, dum anima tribulatur pro peccatis, infunditur pluvia gratiæ animam refrigerantis, & peccata dimittentis.* Ergo ex sententia S. Antonij eximij, utpote Ecclesiæ luminis, in ariditate adversitatum *infunditur pluvia gratiæ.* Quando cæcus mundus arbitratur tribulatos à Deo esse derelictos, tunc vel maximè Deus assistit illis, beneficum se illis exhibet ac liberalem in distribuendis suis donis & gratijs cœlestibus. In hujus probationem observo, quod pientissimus Salvator octo beatitudines inceperit a tribulatione, & in eamdem quoque illas terminaverit: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum*; ecce primam: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justi-* *Baron. An. 64. n. 30.* *Matt. 5. v. 3.* *Ibid. v. 10.*

calamitatibus oppressorum procreantur, cum ait: *Tribulatio corrigit devios, excitat tepidos, purgat impuros, illuminat cæcos, perficit bonos, coronat pios, firmat dubios.* In progressu ejusdem sermonis prosequitur hisce verbis: *Perficit bonos, scilicet, in virtutibus, nam præbet materiam exercendæ virtutis. Tolle tribulationem, ubi patientia? ubi mansuetudo? ubi humilitas, fortitudo, fiducia, tolerantia?* Allegat quoque authoritatem S. Bernardi, qui propositum nostrum hac illustrat similitudine utili & ingeniosa: *Sicut stellæ nocte fulgent, & non in die, ita virtutes in adversitate, & non in prosperitate splendent.*

S. Th. de Vill. ser. de SS. Cosma & Dam.

Amara tribulationis radix, suaves producit fructus virtutum & consolationum.

B. Laur. Just. c. 3. de patien.

6. Laurentius Justinianus cum tractat de laudibus patientiæ, descendit ad encomia & prærogativas tribulationis, cujus fructus recenset sequentes: *Quid verò de ipsarum tribulationum laudibus dicendum est, cum ipse glorificent Creatorem, compellant ad Deum accedere nolentem, eruditam ignorantem, custodiam virtutes, protegant infirmantem, excitent torpentem, humilient superbientem, purgent pœnitentem, cum Deo faciant laborantem, debilitent impugnantem, & coronent innocentem.* In alio loco dum idem Sanctus ponderat hunc textum Apostoli: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio &c.* adducens metaphoram aliquam à radice arboris desumpram ita discurrit: Videsne, quot ex hac tribulationis radice (amara solet esse radix, tametsi sapidi sint fructus) virtutum germinant fructus? Amara quidem in sui initio censetur tribulationis experientia, sed locupletem in illa examinatis præstat mercedem. Refert Ribadeneira, quod P. Hieronymus Natalis interrogarit S. Ignatium: *Quænam esset compendiosissima ad perfectionem via?* Responsio, quam dedit, conformis fuit generosæ illi resolutioni S. Ignatij martyris, de quo testatur S. Hieronymus; quod cum damnatus ad bestias & ad martyrium Antiochia Romam vinctus duceretur, mirâ impatiens ardentem patiendi sitim hisce expleverit verbis: *Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus.* Verba verò alterius S. Ignatij sunt sequentia: *Si multa adversa magnaque pro Christi amore patiare, pete hanc gratiam à Deo, nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit, hoc enim uno beneficio multa magnaque ejus continentur beneficia.*

Rom. 5. v. 3. Idem Just. de obed. c. 21.

Tribulationes sunt compendiosissima via ad perfectionem.

Ribad. lib. 1. c. 10.

S. Hieron. l. de script. Eccle.

Tribulari majoris gratiæ æstimari debet, quam gratia suscitandi mortuos.

Philip. 1. 19. Theophil. ib. D. Chrys. H. 5. de patient. Job.

7. Si Deus hoc vos impertiret dono gratiæ resuscitandi mortuos ad vitam, haud tanti illud æstimare deberetis, quanti tribulationem ab eodem vobis communicatam. Audiamus Theophylactum in hæc verba Apostoli ad Philippenses: *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Forsitan & hoc donum majus est, quàm mortuos suscitare.* Huic conformis est propositio D. Chrysostomi: *Nihil melius, quàm mala pro Christo pati. Si quis me cum Angelis statuat, aut cum Paulo vinclo, vincula eligerem. Si quis mihi mortuos suscitare dederit nunc, non jam id, sed catenam eligerem.* Aft nonne veritas Evangelica est: *Major autem horum est charitas?* annon idem pronunciavit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c. charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans &c.* Respondeo esse verissimum; at diluo omne dubium verbis ejusdem S. Doctoris; *Pœna interroget, si quis veraciter amet;* qui sustinet & patitur cum merito tribulationis, cor ejus non potest non ardere igne divini amoris. Unde & de S. Apollinare scribit B. Petrus Damianus: *In hoc ineffabiliter gaudet, dum sibi cumulari gaudia per tormenta videt, pœnis fovetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, incendio dilatatur, & id maximum lucrum putat, si graveon de passione Domini secum portat.*

1. Cor. 13. 1. Ibid. v. 1. 2.

S. Petr. Dam. ser. 2. de S. Apoll.

Etiam modica tribulatio apta est maximum ferre fructum.

8. Definitum ac decisum est ab infallibili Cathedra Vicarij Christi, cunctisque fidelibus, ut ad perferendas tribulationes excitentur, manifestatum: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternâ suam gloriam, in Christo Jesu modicum passos, ipse perficiet.* Ubi observetur, perfectionem hanc, quæ est effectus divinæ gratiæ, & à Deo communicabitur, promitti etiam illis, qui passi fuerint mediocriter: *Modicum passos perficiet.* Cuinam metallo assimilatur tribulatus? Non ferro, non cupro, non argento, sed auro, quod pretio suo superat omnia. Etenim sicuti exigua hujus quantitate comparatur multum, ita brevi, exigua ac modica adversitate patienter tolerata ingens facimus lucrum: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ aternum gloriæ pondus operatur in nobis.* In parabola illa quam Christus Dominus, optimè sciens valorem tribulationum (*didicit ex ijs, quæ passus est*) compositit de femine, post assignatos varios gradus messis, centesimum fructum ijs assignavit dumtaxat, qui patienti animo sustinent adversitates & tribulationes, idque non immeritò, quia *patientia opus perfectum habet*; unde Seraphicus Doctor tribulatos exhortatur hisce verbis: *Perfectius est adversa tolerare patienter quàm bonis operibus insudare.* At nostro proposito conformius Didacus Stella, dum in Lucam & in citatum textum commentatur, discurrit: *Dixit hic Christus fructum in patientia, quia oportet multa adversa pati, ut fructum afferamus, & non pati solum, sed patienter tolerare. Ut enim segetem in agro, pluvias, nives, glacies, pruinas, grandines, & tempestates ferre necessarium est, antequam maturescat, & fructum ferat, ita hominem fidelem intus & extrinsecus multa pati mala oportet, quibus exhaustis tempore suo fructificet.* Id, quod proposito nostro inservit est, unicum dumtaxat granum, unicum solum semen esse sufficiens ad proferendum centum, quia unus actus veræ tolerantiæ in adversitatibus tanti valoris est, ut eodem lucremur inæstimabiles thesauros gratiæ & gloriæ.

Luc. 8.

Hebr. 5. v. 8.

Perfectius est adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.

Did. Stella in Luc. 8.

9. Legimus in Gersone: *Plus aliquando valet pia flagellorum Dei sub ejus manu toleranti sine murmure, sine reprehensione divinorum judiciorum, sine rancore vel odio contra superiores suos, vel alios affligentes se justè vel injustè, quàm si iracundus & impatiens, nedum flagellaret seipsum ad sanguinem, sed laceraret & discerperet membratim ad mortem.* Blosius etiam lib. de conclavi animæ insinuat hoc lucrum tribulationis: *Homini utilius est etiam modicum gravamen patienter pro Dei honore, vel amore ferre, quàm grandia opera patrare.* Et alibi dum consolatur pusillanimes, tradit eis hanc doctrinam: *Crede mihi, si corda omnia in unum redigerentur, non possent in hac vita minimum ferre præmium, quod redditurus sum in illo ævo sempiterno, etiam pro minima quaque cruce, quam quispiam ex amore passus fuerit meæ causa.* In progressu deinde ejusdem capitis addit: *Afflictio bonum est occultum, quod nemo compensare queat, adeò ut etiamsi quis centum annis crucem amicabilem flexis genibus à me precetur, nec sic tamen illam emereri possit.*

Continuatio ejusdem propositi.

Gerson. T. 1. cons. oct. flag.

Blos. de conol. anim. c. 8. §. 3.

Idem de consol. pusill. c. 24.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Quia tribulatio habet aliquid divini, ideo Christus animas afflictas amplexatur, & cum eisdem conversatur.

THEMA.

Cum esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est. Hebr. 5. v. 8.

1. Doctor gentium, in cœlo edoctus, de incarnata Sapientia scripsit: *Didicit ex eis quæ passus est.* Ecce quàm sublimem præcellumque dignitatis gradum attingit tribulatio, ipsum docet & instruit unigenitum filium æterni Patris: *Cum esset filius Dei.* Quis hic in terris Deum cognoscebat, priusquam angusto Virginis utero gestabatur conclusus: *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam*; sic ante multa sæcula prædixerat regius Propheta. Quando cœlestem paradisi aulam mutavit in pauperem domum Lauretanam, & verè dicere potuit: *Ego autem mendicus sum & pauper*, & postea ascendit patibulum, tunc & non antea mundus coram illo flexit genua: *Humiliavit semetipsum Dominus &c. propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

Tribulatio ipsummet eruditvit filium Dei.

Ps. 47. v. 4.

Ps. 30. v. 18.

Philip. 2. v. 9.

2. Pluribus ante adventum Redemptoris nostri sæculis prædictum fuit per Jeremiam Prophetam: *Expectatio Israël Salvator ejus*; at quo tempore? *In tempore tribulationis.* Nescio sanè, qua via Deus se notum fecerit & manifestum, an per miracula, per prædicationem Evangelij, per sequelam & imitationem populi; an verò per ærumnas, crucem & passionem mira animi generositate, inauditaque mansuetudine toleratam. *Cognoverunt eum in fractione panis*, ait Evangelista, quem textum ad nostrum propositum mirè exponit Drogo Hostiensis: *Verè, inquiens, non agnosceris, Domine, nisi in fractione panis. Panis caro tua est, fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habes ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam; fregisti corpus, quod foris apparebat, & ostendisti medullam quæ intus latebat, nisi enim patiaris, non cognosceris;* ibi, inquit, *abscondita fortitudo ejus*, Habac. 3. *Quæ est autem*

Christus per adversitates voluit intrare in gloriam suam.

Christus per passionem & ærumnas se nobis fecit manifestum.

Jerem. 14. 8.

Luc. 24. 35.

Drogo Host. Sacram. Dom. pass.

D. Chrys. H. 8. ad Ephes.

audem fortitudo tua, nisi mansuetudo tua? nisi humilitas, nisi sapientia & obedientia? Has virtutes formosissimas & suavissimas in fractione panis, hoc est, in passione tua, nobis ostendisti.

Christus ab initio Incarnationis cœpit amplexari crucem & tribulationem.

Gerson T. 4.

3. Gerson allegando discursum, quem instituerunt sex Magistri Theologiæ in laudem tribulationis, refert dictum unius, qui fuit quartus: *Adoramus crucem, eo quod Salvator noster Jesus Christus eam plus quàm triginta annis pertulit.* Non est, quod respiciamus dumtaxat crucem constitutam in monte Calvariæ, quia quamprimùm incarnatus fuit in Maria Virgine, amplexatus fuit tribulationem; tamquam dilectissimam suam sponsam; unde ubi nostrâ vulgata legit: *In laboribus à juventute meâ*, habent aliæ versiones, *meribundus, exspirans, agonizans à puerò.* Guerricus Abbas, dignus S. Bernardi discipulus, serm. 3. de Annunciatione scribit: *Omnium tamen humanarum infirmitatum vel injuriarum, quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicuti tempore primam, sic etiam humillimæ ferè maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore Majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit, aut quando penitùs à semetipso ita defecisse visus est?* Quamprimùm descendit in terram, quænam fuit prima infinitæ illius sapientiæ & omnipotentiæ expeditio? Non statim plantavit Ecclesiam; neque populos ad cultum divinum reduxit; non destruxit idolatriam, non principes tenebrarum dejecit è sua tyrannide; neque subitò genus humanum redemit; sed ante omnia amplexus est crucem & tribulationem, per novem menses in utero materno, deinde editus in lucem amplexatus est pauperatem; nuditatem, fœtorem & angustiam stabuli: *Reclinavit eum in præsepio*, idque hunc in finem, ut in sua persona sanctificaret tribulationem.

Ps. 87. v. 16.

Guerric. Abb. ser. 3. de Annunciat.

Luc. 2. v. 7.

S. Bonav. ser. 3. de pass. Christus à nativitate sua semper inventus fuit in cruce.

4. Præterea, *volve & revolve*, ait S. Bonaventura, *vitam boni Jesu, & non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit semper in pœna fuit.* Thesaurum; quem pro nostra redemptione solvit Patri suo æterno, non acquisivit per miracula à se patrata, neque testimonio patris supra Thabor & fluvium Jordanis, nec etiam per populi acclamationes; sed per pœnas & passiones suas: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*, prædixerat ei S. Simeon, & meritò; terenim, uti discurrebat secundus Magister apud Gersonem: *Dixit*, nempe secundus, *quod si aliquis homo esset sine peccati macula, ut Deus erat, & posset vivere annis triginta sine corporali cibo, Deus quoque contederet eum loqui cum Angelis in aëre, sicut concessit Mariæ Magdalenæ, non posset in hac vita mereri tantum meritum, sicut aliquis persona mereretur in parva adversitate, ipsam patienter ob Dei amorem tolerando.* Si Salvator noster dicendo: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus*, insinuare voluit, quod solus ipse plura passus fuerit, quàm omnes alij viatores simul, computare, si potestis, quàm dives sit thesaurus infinitorum suorum meritorum.

Gerson. ubi sup.

Luc. 2. v. 34.

Thren. 1. 12.

Tribulationes hominem ex terrestri reddunt spiritualem.

Bloss. de consol. pusill. c. 24.

Act. Apost. 9. v. 4.

5. Modum docet Blosius, quo Christo Domino similes, & magis cœlestes, quàm terreni esse possimus: *Afflictio*, ait, *hominem ex terrestri cœlestem efficit. Afflictio hunc mundum homini alienum reddit, & perpetuam addacit meam familiaritatem*; ita Christum introducit loquentem & consolantem tribulatos. Quærunt nonnulli cur Salvator Saulum, cum Christianos persequeretur, allocutus fuerit, ac si ipsum immediatè persecutus fuisset: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Non deest, qui respondet, Christum Dominum hoc loquendo voluisse indicare, persecutiones illas, quibus infestarentur sui fideles imitatores, non aliter accipiendas esse, ac si in proprjam suam redundarent personam, ut sic verum illud esse exprimeret: *Qui vos tangit, me tangit*; simulque sanctificaret in seipso, ac venerabiliores redderet omnes persecutiones. Huc indubiè respexit Eusebius, quando asserit: *Quædam divina authoritas tribulationi inest, ut efficacius sæpe per illam spiret Spiritus Sanctus, quàm per Prophetas & sacras Scripturas. Interdum verbis sacris non raro resistimus, & monitionibus Sanctorum Patrum & Doctorum; at tribulationes nescio quomodo plausum conciliant Deo loquenti, ut statim cedamus & pareamus. Nemo surdus est, nec durus tribulationi, Dei eloquentia est, & cathedra Spiritus Sancti.*

Eusseb. lib. 6. facer. electt. n. 100.

6. In varijs locis operum suorum D. Chrysostomus studium impendit haud exiguum, ut unicè nobis commendaret tribulationem, specialiter verò Hom. 8. ad Ephesios ita sermocinatur: *Si Christus ipse pro me servus factus, gloriamque suam exutus tanti non duxit esse in gloria, quanti quod mei causa crucem sa-*

Apoc. 7. v. 9.

biver, quid quæso illius nomine ferre non debeo. Quamvis gloria paradisi pluribus titulis ei debita esset (si filius & hæres) attamen grata & accepta ei minimè videbatur, nili eam per adversitates & contradictiones vitæ hujus lucraretur, unde Discipulis illis euntibus in Emaus protestando dicebat: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Præterea quamvis in pœnali illa Iliade triginta trium annorum, præsertim verò toto passionis suæ decursu summas sustinuerit ærumnas; tormenta & opprobria; attamen vix alter ne vix quidem aliquid fe passum fuisse existimabat, veluti evidenter expressit verbo illo: *Quæ Respondens unus, cui nomen Cleophas dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Qu.?* Quasi omnium; quæ passus fuit, jàm esset oblitus, aut eadem nihil planè æstimasset; siquidem alia occasione dixerat per os Zachariæ: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

Luc. 24. 18.

Zach. 13. v. 6.

Per Christum tribulationes sanctificatæ, & veneratione affectæ fuerunt.

7. In Veteri Testamento tribulatio non erat in tanta æstimatione, imò divinam legem observantibus promittebantur, offerebanturque bona terrena; *Bona terræ comedetis*; at in lege Evangelica, postquam filius Dei in se suscepit tribulationes & calamitates, & ad mensuram ac proportionem illarum statuit nos regni sui facere participes, tribulatio sanctificata; & in summa veneratione habita fuit. Judic. 9. legimus de Abimelech: *Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta securi præcidit arboris ramum, impositumque ferebat humero, dixitque ad socios: Quod me videtis facere, citò facite. Igitur cæsuram ramos de arboribus præcidentes, sequebantur Ducem.* A quo tempore filius Dei, qui erat impassibilis (*unigenitus in sinu Patris*) nostra passibili se vestivit carne; ac subjacere voluit siti, fami, frigori, lassitudini, paupertati, opprobrijs, cunctisque alijs adversitatibus, quas suo exemplo & prædicatione sanctificavit, cuncti deinde fideles, præsertim, qui in primis vixere sæculis, felices ac fortunatos se existimabant, quotiescumque capiti suo se conformare poterant. Hinc est, quod S. Joannes; qui in primo sæculo vixit, hanc habuerit visionem in insula Pathmos: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum &c.* Judic. 9. 48.

Ibid. v. 49.

Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? Et unde venerunt? Et dixi illi, Domine mi, tu scis; & dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lavarunt stolas suas; & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Idcò sunt ante thronum Dei, & servient ei die ac nocte, in templo ejus, & qui sedet in throno habitabit super illos.

Ibid. v. 13. Ibid. v. 14. Ibid. v. 15.

Deus semper propè adest tribulatis.

Ps. 33. v. 19. S. Basil. in Ps. 59.

8. S. Basilius Magnus commentando iii versum hunc: *Juxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde*, finem unum exponit; ob quem Salvator noster dignatus fuit descendere in terram, dicens: *Adventum Domini primum, quo venit in carnem, pronunciat propinquantem jam nec longè remotum, quod quidem ex simili ferè sententia Isaiæ credibile tibi fiat.* Ecquod erat signum illud, quod Divinitas innotescere voluit conversando nobiscum in hac lacrymarum valle? *Spiritus Domini super me, cujus gratia unxit me, Evangelizare pauperibus misit me, sanare tribulatos corde.* Conformiter huic proposito Sanctus Bernardus vela considerationis suæ expandit ad tres pueros in fornace Babylonica existentes, ubi Deus inter flammas illas voluit etiam patere conspectui sacrilegi illius tyranni: *Species quarti similis filio Dei.* Et consideratus hoc factum reflexit se ad tribulatos: de quibus sic scribit: *Ibi cum eis es Domine. Ibi in tuo nomine congregatis medius adstas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam Ethnico apparere, ut diceret, quia species quarti similis filio Dei. Quid trepidamus? Quid cunctamur? Quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione.*

Luca 4. v. 18.

S. Bern. ser. 17. sup. Ps. Qui habitat

9. Pro consolatione afflictorum doctrinam hanc notatu dignam tradit Gerson, cum ait: *Tribulatio animam hominis ad Deum perducit, & est certior & securior via Deum adeundi.* Orationes, eleemosynæ, jejunia, Sacramentorum frequentatio, lectio librorum spiritualium, verbum Dei, opera misericordiæ tum spiritualia, tum corporalia, omnia ista sunt efficacissima media, quibus homo Deo conjungi & uniri potest? at certior & securior via, ait hic magnus vir, est tribulatio, quia in hac infallibiliter Deum invenimus: *Juxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.* Quamvis devotio sit actus religionis respiciens Deum, nihilomi-

Tribulatio est securior via perveniendi ad Deum. Gerson. T. 4.

Ps. 33. v. 19.

nus minimus gradus tribulationis propter amorem Dei toleratæ pluris æstimatur, quàm quævis fervens devotio.

Blosius. Parad. animæ c. 9. n. 7: Non in proſperitate ſed in tribulatione nobiſcũ eſt Deus.

10. Audiamus adhuc Bloſium inſignem vitæ ſpiritualis & perfectionis Magiſtrum: *Gratior*, inquit, *illi eſt humilis internarum derelictionum tolerantia, quàm ingens devotionis dulcedo.* Non dixit, Deum nobiſcum eſſe in proſperitate & delicijs noſtris temporalibus; *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Quod ſi veritatis hujus indubitatum deſideremus ſignum & teſtimonium, audiamus S. Bernardum: *Unde ſcimus*, quærit ipſe, *quòd ſit nobiſcum in tribulatione? Ex eo utique, quod in ipſa tribulatione ſumus nos. Quis enim ſuſtineret? Quis ſubſiſteret ſine eo?* S. Antonius ſermone 8. de Apoſt. ſcribit: *Tribulatio eſt jugum ſuave & leve propter multam ſocietatem, quia omnes Sancti in tribulatione fuerunt,* 1. *Petr.* 5. *Scientes eamdem paſſionem ei quæ in mundo eſt veſtræ fraternitati fieri &c. quia ergo multos habemus ſocios in tribulationibus, leves debent videri, quia & Chriſtus eſt ſocius*, *Pſal.* 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Oſtendit denique S. Bernardus ſermone ſequenti, quantum Deus amet & gaudeat eſſe nobiſcum in tribulationibus: *Deliciæ, inquit, meæ eſſe cum filijs hominum, Emanuel nobiſcum Deus. Ave gratia plena, ait Angelus ad Mariam, Dominus tecum. In plenitudine gratiæ nobiſcum eſt, in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Deſcendit, ut propè ſit his, qui tribulato ſunt corde, ut nobiſcum ſit in tribulatione noſtra.*

Sanct. Bern. ſer. 16. ſup. Pſ. Qui habit. S. Anton. de Pad. ſer. 8. de Apoſtolis. 1. Petr. 5. 9. Pſ. 90. 15.

S. Bern. ſer. 17. in Pſ. Qui habitat.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Servi Dei cum gaudio & jubilo atrocia ſuſtinuere tormenta, & quamplures alias adverſitates.

THEMA.

Inundationes maris quaſi lac ſugent. Deut. 33. v. 19.

Veri Dei ſervi cum jubilo excipiunt tribulationes.

1. EX tota Sacra Scriptura haud ſcirem excerpere thema magis proprium & congruentius eo, quod jam propoſui, ad demonſtrandum jubilum & gaudium, quo veri Dei famuli pro amore ejus excipiunt tribulationes, & in ijſdem lætantur. Aquas marinas à furioſis ventis ac procellis ad littus agitatas quis neſcit ſalſas eſſe & amaras? At ideò typus ſunt adverſitatum, quæ juſtis inſtar lactis videntur eſſe dulces & ſuaves: *Quaſi lac ſugent.* Conſolationes ſpirituales per lac denotatas imbibit anima in amaritudine tribulationum. Stephanus Cantuarienſis ſcribit: *Inundatio maris eſt abundantia tribulationis, quæ tunc ſugitur, cum dulcis à juſtis reputatur.*

Steph. Cant. in alleg. Gualfredi.

Viri perfecti ex amaris tribulationibus ſugunt lac ſpiritualis gaudij.

2. Prædixerat Magiſter cœleſtis Diſcipulis ſuis perſecutiones imminentes: *In mundo preſſuram habebitis; plorabitis & flebitis vos; ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*; aquæ erant & inundationes ſalſæ & amaræ; ſed ecce lac, quod ex harum aquarum amaritudine ſugebant: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*; in ſuis vilipendijs, deſpectibus & opprobrijs, quibus afficiebantur; promotos ſe credebant ad eminentes dignitates, *quoniam digni habiti ſunt*, quod pro amore Chriſti extremos paterentur deſpectus & perſecutiones. S. Petrus in prima ſua Epiſtola ſummoperè ſtuduit fidelibus imprimere digniſſimam hanc opinionem: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis; quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.*

Joan. 16. 33. Act. Apoſt. 5. v. 41.

1. Petr. 4. 13. Ibid. v. 14.

S. Laurentius cum gaudio ſuſtinuit martyrium. S. Bern. ſerm. 61. in Cant.

3. Celebris eſt ſermo Doctoris melliflui, in quo martyrum ponderat lætitiam, quando in atrociſſimis conſtituti erant tormentis & ſupplicijs: *Stat*, inquit, *martyr inſultans & triumphans, toto licet lacero corpore, & vinante latera ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Sancto Laurentio impius & furioſus Imperator exquiſita tormentorum genera & ſupplicia, quibus Martyres torqueri ſolebant, oſtenderat; at Sanctus Martyr ſubridens dixit; *Has epulas ego ſemper optavi*: imò craticulæ impoſitus, dum ſubjecto igne torreretur, improperando ei dixit: *Diſce miſer, quod carbones tui mihi refrigerium præſtant.* Tam fervens erat illius deſiderium patiendi pro Chriſto, ut aſſatus dixerit: *In medio ignis non ſum aſſatus, aſſatus gratias ago.* Audiamus Leonem Magnum è Petri Cathedra in honorem hujus martyris ſermocinantem: *Superavi charitatis Chriſti flamma non potuit, & ſognior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit.* Cognoſcebat S. Laurentius, utpote à Deo illuminatus, ſummam gloriam, & infinitum meritum, quod ex adverſitatibus pro Chriſto perpeſſis deprimitur.

S. Leo ſer. de S. Laur.

4. De calice amariſſimo paſſionis ait citatus D. Bernardus: *Calix hic inebrians quàm præclarus eſt: Præclarus, inquam, atque jucundas non minus Imperatori ſpectanti, quàm militi triumphanti.* Legimus in vita & martyrio S. Vincentij, quod Dacianus, poſtquam omnes carnifices hunc martyrem torquentes fatigaverat, ac quævis adhiberat atrociſſima ſupplicia, tandem juſſerit eum collocari in molli, delicato ac odorifero lecto; aſt Sanctus Martyr, ubi primò in tormentis gaudebat & tripudiabat, tantam hujus mollitiei concepit nauſeam & tædium, ut Deo reddiderit animam, plus abhorrens, inquit hiſtoria, delicias, quàm pœnas. Dixerat quoque feroci illi tyranno: *Hoc ſolum valde metuo, quia te fingis velle mihi miſereri, nolo ut aliquid minus de ſupplicijs, at te victum in omnibus fateatis.* Timebat nimirum ne Tyrannus deſiſteret à tormentis. Sanctus Ignatius martyr deſiderij ſui affectus explebat hiſce verbis: *Utinam fruar beſtijs. Fortè ad deguſtandas earum carnes in lautiſſimis convivijs? Fortaſſis earumdem beſtiarum inhiabat venationi & prædæ? Fortè ut ipſarum in theatris gaudeat ſpectaculo? Nihil horum, ſed utinam fruar beſtijs quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum.* Verificari de ipſo poterat, quod in alio propoſito jam dictum eſt: *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis.* Chriſtianis idem ſcripſerat: *Timeo dilectionem veſtram, ne ipſa me lædat*: Timebat nimirum ne eorum preces ſuum impedirent martyrium.

S. Bern. cit. ſup. Hoc ipſum fecit S. Vincentius.

Et S. Ignatius Martyr.

5. Legimus in S. Ambroſio; *Prompti perent in melius reparandi, quibus per anguſtias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.* Si velimus inſpicere & ſpectare martyrium S. Andreæ Apoſtoli, propius & evidentius cum ſtupore videbimus hanc lætitiam in paſſione & tribulatione, etenim ut ſcribit D. Bernardus in ejus vigilia: *Andreas homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & tam vehementi ardore ſpiritus crucem ſitiebat, tam inaudito à jaculis gaudio tripudiabat.* Unde derivabatur hoc gaudium & immenſum jubilum? *Virtutem ſanctæ crucis agnoverat.* Quando anima hanc attingit tribulationum notitiam, quanti apud Deum, qui *ſpirituum ponderator eſt*, ſint pretij, quanti meriti, quanti emolumenti, quod inde percipit, quantumque Deus illis delectetur & gaudeat, nulla eſt tribulario, nulla adverſitas, quæ nobis non ſit grata, ſuavis & acceptabilis; unde S. Thereſia dicere ſolebat: *Aut mori, aut pati*; & Sanctus Franciſcus: *E tanto il bene ch'aſpetto, ch'ogni pena m'è diletto.* Tantum eſt bonum, quod præſtolor, ut oblectatio mea ſit omnis pœna & dolor. *Non ſe capit præ magnitudine gaudij* (dicebat S. Bernardus de S. Andrea) *ergone tanta eſt exultatio, ut exultet & ipſa crux?* Voluit divina providentia, præſertim in primo iſto ſæculo, in quo crudele & horrendum Chriſtianorum macellum inſtituendum erat, mundo manifeſtare non ſolum valorem adverſitatum pro Chriſto perpeſſarum, verùm etiam conſolationes & gaudia interna, quæ inde derivarentur in Martyres, & in quoſcumque alios, qui aliquid pro Chriſti fide ſuſtinerent. Porrò rationem reddit Dionyſius Carthuſianus magni illius gaudij & jubili, quod ex cruce ſua hauſit S. Andreas, exprimens motivum, omni Chriſtiano homini, cum aliqua premitur tribulatione, valde neceſſarium ad hoc, ut lubenti & patienti animo patiatur: *Salve crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti, modo verò amorem cæleſtem obtinens pro voto ſuſciperis; ſciris enim à credentibus, quanta in te gaudia habeai, quanta munera præparata.*

Idem l. c.

Dion. Carth. de S. Andr.

6. Chriſtus æterna Patris Sapientia defraudari aut decipi non potuit, quando elegit crucis patibulum: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, videlicet, ut expoſitores declarant, quia Chriſtus Dominus ſine ulla paſſione poterat redimere genus humanum, ad hoc etenim optio ſibi data erat ab æterno ſuo Patre, voluit potius amplexari crucem, quam & poſt ipſum Apoſtoli aliique innumeri fideles magna ſapientia & prudentia prædicti ſponte elegerunt concludendum eſſe id cedere in ſummam gloriam, gaudium & remunerationem. *Videmus* (ſcribit S. Paulus de Redemptore noſtro) *Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Ubi S. Ambroſius addit: *Hic oſtendit quia gloria & honor crux eſt Chriſti.* B. Petrus Damianus in noſtrum favorem hoc conficit argumentum: *Redemptor noſter ſervilem formam, quam ex inmaculata Virgine ſuſcepit, non ante regnis cæleſtibus intulit, quàm omnia, quæ ſcriptura teſtatur, irriſionum atque pœnarum tormenta pertulerit. Quid ergò novum, ſi peccator homo rerum, quæ extra ſe ſunt, ſuſtulerit crucem?* Elapſum eſt tempus illud: quo in cordibus fidelium bulliebat ſanguis agni occiſi recenter effuſus, unde ſequebatur, uti refert idem Apoſtolus: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere melliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Hæc confidentia fundatur ſupra patientiam, quam in tribulationibus exercemus: *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum, aliquantulum, qui venturus eſt, veniet & non tardabit.*

Chriſtus cum gaudio ſuſtinuit crucem. Hebr. 12. v. 2.

Hebr. 10. 34. Ibid. v. 35. Ibid. v. 36. Ibid. v. 37.

Fideles antiquæ legis etiam hilari animo ſuſtinuerunt adverſitates. Habac. 3. 16. & 17. Ibid. v. 18.

7. Verum non in nova duntaxat lege, ubi promptam habemus æternam remunerationem, hilari animo fideles ſuſtinebant adverſitates; ſed etiam in antiqua. Lego in Habacuc: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis; ... Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis; Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum, Abſcindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præſepibus; Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum, Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Summo cum gaudio Martyres non modo ſubſtantiam ſuam, ſed etiam, viram pro Chriſto exponebant, quanto magis decet & rationi congruum eſt, ut nos æquo animo feramus ad minus jacturam bonorum temporalium: Quæ *Dominus dedit & Dominus aufert?*

Ibid. v. 19.

S. Anton. de Pad. in Dom. 9. poſt. Trin. Per patientiam in tribulatione emuntur theſauri cœleſtes. Prov. 20. 14.

8. Audiamus S. Antonium Paduanum: *Chriſti*, ait, *ſunt duo Adventus. In primo habuit merces, ſcilicet, paupertatem & humilitatem, quas in nundinis nobis propoſuit, at eas emeremus, ſine quibus divites eſſe non poſſumus. Propoſuit etiam & gloriam, quæ eſt in tribulatione lætitia, in perſecutione patientia. Ad has nundinas venerant Apoſtoli, in quibus mirabiles merces lucrabantur, cum ibant gaudentes à conſpectu concilij &c. ſuper hoc Prov. 20. Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit, tunc gloriabitur, ſi ad nundinas tribulationum, in quibus venduntur veræ divitiæ, venire diſponis, vide priùs, an habeas in burſa cordis pretium patientiæ & lætitiæ, quo emere poſſis, alioquin non conſulo tibi, quod accedas, quia redibis vacuus; ſi verò confidis de precio, accede, non cures ſi difficiles ſunt divitiæ, ſi malum, id eſt, amarum eſt bibere calices tribulationis, cum enim receſſeris, tunc gloriaberis, quia è ſiniſtra ad dexteram, in qua eſt longitudo dierum tranſibis; longitudine, inquit dierum replebo eum.*

Bloſ. Inſtit. ſpirit. c. 8. Quem Deus vult exaltare, prius immergit mari amaritudinis tribulationum. Seneca de provid. c. 2.

9. Legimus in Bloſio: *Quem Deus donis potioribus adornare, ſublimiterque tranſformare decrevit, eum non blande & molliter lavare, ſed totum in mare amaritudinis immergere conſuevit.* Seneca ſolo naturali inſtructus lumine quærebat: *Quare multa bonis viris adverſa eveniant. Nihil accidere bono viro mali poteſt? Non miſcentur contraria. Quemadmodum tot annes tantorum ſuperne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem, ita adverſarum impetus rerum viri fortis non vertit animum, manet in ſtatu, & quidquid eventi, in ſuum colorem trahit, eſt enim omnibus externis potentior; nec hoc dico, non ſentit illa, ſed vincit, & alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur, omnia adverſa exercitationes putat.* Refert P. Jeremias Drexelius de VVenceſlao Rege Bohemiæ, quod profligato ſuo exercitu, ductus & ipſe captivus, ac in poteſtatem hoſtis redactus, interrogatus fuerit, quo animo ferret ſiniſtrum hunc fortunæ caſum, miſeramque ſuæ captivitatis ſortem? reſpondit: *Numquam meliori.* Cujus & ſubdidit rationem, quia prius regni mei confidens viribus, raro de Deo æternaque ſalute mea cogitabam; at quia nunc omni humano video me deſtitutum ſubſidio, bene contentus ſum, & totus confido in auxilio divino.

Drexel. gymnaſt. p. 3. c. 2.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Afflictis & tribulatione preſſis communicat Deus conſolationes & gaudia ſpiritualia.

THEMA.

Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. 2. Cor. 7. v. 4.

S. Paulus ſummo replebatur in maximis ſuis tribulationibus gaudio. 2. Cor. 11. v. 23. & 25. Ibid. v. 26.

1. QUanta S. Apoſtolus toto vitæ ſuæ Apoſtolicæ decurſu paſſus fuerit, evidens hujus teſtimonium perhibent non modo Acta Apoſtolorum, verum etiam ejusdem Epiſtolæ: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter; ... Ter virgis cæſus ſum ſemel lapidatus ſum; ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui; In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum &c.* Nihilominus in hiſce adverſis caſibus conſtitutus varijs in locis, præcipue in allegato textu thematis declarat & fatetur, quod ejusmodi imperceptibiles calamitates hilari animo & ſummo cum gaudio ſuſtinuerit: *Repletus ſum gaudio, ſuperabundo &c.* Ex revelatione ejusdem Apoſtoli novimus, ipſum nonnumquam raptum fuiſſe in cœlum, Divinorumque ſecretorum factum participem, non conſtat tamen, quod Deus tunc *prævenit eum in benedictionibus dulcedinis*, neque ipſe eo tempore tanto perfuſus fuit gaudio, veluti conſtitutus in extremis calamitatibus; non dicit, *abundo*, ſed *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione*; ubi quoque notetur illud, *omni.*

2. Aperte Deus animæ tribulatæ ſignificat: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Idem Pſalmiſta ore Spiritus Sancti pronuntiat; *Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Quid mirum igitur, ſi homo tribulatus internas experiatur conſolationes & gaudia, dum ſecum habet illum, de quo ſcriptum eſt: *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Omne gaudium exiſtimemus* (ſic exhortatur nos S. Bernardus) *cum in tribulationes varias inciderimus, fratres mei, non modo quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, ſed quoniam juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Ingenioſe ſane ponderat & obſervat S. Auguſtinus illa Apoſtoli verba ad Romanos: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*, quod nimirum tribulatio conjungatur cum lætitia; *Apoſtolas cum dixiſſet, ſpe gaudentes quaſi his loqueretur, qui jam in torculari ſunt, addidit ſtatim, in tribulatione patientes*, quaſi tribulationem cenſeret eſſe inſeparabilem à conſolatione.

Pſ. 90. v. 15. Deus totius conſolationis ſemper adeſt tribulatis, Pſ. 33. v. 19. 2. Cor. 1. v. 4. S. Bern. ſer. 16. ſuper Pſ. Qui habitat. Rom. 12. 12. S. Auguſt. in Pſ. 38.

3. *Qui conſpicatur nos in omni tribulatione noſtra*, in quæ verba ita commentatur D. Chryſoſtomus: *B. Paulus cum videret quaſi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, nõ aliter quam ſi in medio paradiſi vixiſſet, ita gaudebat geſtiebatque.* Pulchra eſt ſimilitudo illa, quam adducit, nec ſine myſterio: *Quaſi nivis cumulos.* Quo copioſior & altior eſt nix campos & agros ſatis frumentis prægnantes contegens, eo altiores profundioresque grana frumenti ponunt radices, ac temporis ſucceſſu fertiliores quoque ac copioſiores conſequenter proferunt ſpicas; idem prorſus, ait S. Auguſtinus contingit animæ in hac vita tribulationibus ſubjectæ, quo magis opprimitur ab adverſitatibus, quo pluribus gravatur ærumnis, laboribus & calamitatibus, eo amplius creſcit in exercitio bonorum operum, eo plura etiam acquirit æternæ retributionis merita: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus*; ſed hoc pignus, hæc arrha cœleſtium gaudiorum, interius conſolatur animam, & plane contentam efficit *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*; Qui feminat in aquis, laborem perdit & ſemen; non ſic tamen qui ſeminat planctum & lacrymas in hac lacrymarum valle; *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*; quod concordat eum illa promiſſione: *Poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis.*

2. Cor. 1. v. 4. Pro accumulatione tribulationum accumulantur merita & fructus virtutum. D. Chryſ. Hic in 2. ad Cor. 2. Tim. 2. 12. Pſ. 125. v. 5. Ibid. v. 6. Tob. 3. v. 22.

4. *Ante grandinem præibit coruſcatio, & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia*, ait Eccli. cap. 32. & eſt appoſita comparatio; ſenſus enim textus hujus ordinatur ad conſolationem animarum afflictarum, quibus Deus in compenſationem adverſitatum in præſenti vita perpeſſarum ſpecialem aliquam communicat gratiam ſpectantem ad ſalutem æternam. Et quia jam facta eſt mentio grandinis, dicite quæſo, ſi hæc vineæ veſtræ cunctas deſtruxiſſet uvas, contudiſſet ac verberaſſet vites ita tamen, ut quilibet lapillus ſive globulus grandinis eſſet margarita, aut adamas, vel alia gemma pretioſa, ac proinde tot jam tibi eſſent margaritæ ſive adamantes, quot cœlo decidiſſent grandinis globuli, annon cor tuum omni repleretur conſolatione & gaudio, tametſi tempeſtas plane contudiſſet ac deſtruxiſſet vineam? Idem prorſus de grandine tribulationum affirmare

Eccli. 32. 14. Tribulatio comparatur grandini.

affirmare possumus; fateor verum esse, quod perdat vestram messem, vestrum litem, reducat vos ad paupertatem, infirmos lecto vos affigat, calumnijs vos persequatur; at ex alia parte, si flagellum, quo cædimini, oscula excipitis, divinæ vos conformatis voluntati, excitatis actum amoris erga Deum, mansuetudinis erga inimicos & adversarios vestros, ac vivam conceptis spem futuræ beatitudinis & æternæ vitæ, Deus animam vestram cœlesti replebit gratia & consolatione, cum qua nullam habet comparationem totum aurum Peruanum.

5. Doctrina D. Chrysostomi est, quam tradit Hom. 67. *Illic*, inquit, *coronæ ubi pœnæ, ubi namque tribulatio, ibi & consolatio, ubi consolatio ibi & gratia est; ubi afflictio non est, ibi plerumque nec Deus est.* Si quis vobis diceret, quo plus laboraberis & fudabitis in effodienda terra vestræ vineæ, eo majori ditabimini copia auri, qualem quantumque non adhiberetis laborem palis, ligonibus, aliisque instrumentis, ut fundum, ubi thesaurus sepultus est, attingere possetis? Vultisne, ut vobis ostendam thesaurum veræ consolationis? reconditus est & sepultus in tribulationibus, quo plures sufferetis calamitates, afflictiones, ærumnas, eo majus cor vestrum recipiet gaudium. Infallibilis oraculi promissio est: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Audiamus Blosium, quid de S. Geltruda referat & scribat: *S. Geltrudæ divinitus intellexit, quod quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita adversitas tam corporalis, quam spiritualis humiliter propter Deum tolerata est verissimum signum Divinæ electionis.* Quo die virgo desponsatur alicui, dici potest *die desponsationis & lætitiæ* annulus est symbolum tribulationis & veræ consolationis: *Est quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque consideranter dicere possit hæc verba: Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus. Quod si inter ipsa adversa potest dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, jam tamquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino, quia gratitudo animi in adversis est ornatissima atque pretiosissima corona animæ.*

6. Scribit Petrus Blesensis Epist. 142. *In suis verberibus Deus memoriam abundantiæ suæ suavitatis abscondit, dejicit ut erigat, vulnerat ut sanet, ut prestura vertatur in gratiam, & afflictio in coronam, ut qui prius flagellatus fuerat, cum Propheta decantet: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus & consolatus es me.* Conformitas humanæ voluntatis cum Divina, sive resignatio sui in Divinum beneplacitum in tribulatione, animæ perfectæ immensam confert consolationem, quemadmodum notat Blosius asserens: *Profectus ei qui se Deo perfecte resignavit afflictio dulcis est, quia in Deo (per quem illa ipsi evenit) conditur, & Divinæ sit ac Deiformis; cum talis nihil quærat, nihil diligat, nec quid quam illi sapiat, nisi Deus; ita hunc in amaris atque contrarijs sapit sicut in summa dulcedine. Neque enim fieri potest, ut aliquis pro Dei gloria quidquam sustineat, quin in eo saporem quendam Divinitatis percipiat. Et licet fortassis nihil illi sentire, id est, gestare contingat sensibiliter, Deo se ad tempus occultante, hoc ipso tamen hoc quod patitur, non potest illi non bene sapere, qui se hoc ad æternam Dei gloriam ferre velle cognoscit, nam Deo parum impendere honorem, Divino sapore carere non potest.*

7. In opusculis S. Seraphici Francisci legimus: *Interrogatus quomodo tam magnus oculorum totius corporis cruciatus adeo hilari & constanti animo perferebat, respondit: Tanta est gloria, quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis.* Sub initium discursus præcedentis mentionem fecimus textus illius Deuter. cap. 33. *Inundationes maris quasi lac sugent*; quem textum S. Antonius de Padua adhibet nostro proposito: *O quam dulcis amaritudo*, ait hic sanctus, *quam levis tribulatio, quam electi sustinent pro Christi nomine. Lapides Stephano, cruciata Laurentio, carbones ignis Vincentio dulces fuerunt: Inundationes maris quasi lac pro Christo sugebant. In hoc etiam verbo sugere, notatur aviditas cum delectatione, sola enim humilitas cum spiritus aviditate & delectatione novit sugere tribulationem & dolorem. Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, cantat S. M. Ecclesia in honorem S. Stephani, ex lapidatione tantas recepit vires, ut verificatum fuerit id, quod alibi legitur in eodem lib. Deuter. cap. 32. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Hanc suavitatem expressit Nyssenus verbis sequentibus: *Magnus ille Stephanus gaudet lapidibus atque petris, ac velati juvenem quendam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium cupide excipit.* Quid mirum igitur, si mortali adhuc indutus carne intendens in cœlum viderit cœlos apertos: *Ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.*

8. Qui patienti animo pro Deo ferunt adversitates, habent quoque in præsenti vita saporem æternæ fruitionis, quem Deus præter consolationes internas illis communicat abundanter: *Prævenit in benedictionibus dulcedinis.* In honorem S. Job sermocinabatur Doctor Augustinus hac methodo: *Quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa quæ dederat Deus, sed habebat ipsum qui omnia dederat Deum.* Qui Deum habet in corde suo, non potest non gustare consolationes inexplicabiles: *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Discursus est S. Joannis Chrysostomi, adeoque oris aurei eloquentiæ: *Consolatur nos in omni tribulatione nostra. Id quoque Propheta his verbis indicabat: In tribulatione dilatasti me; non dixit, non passus es me in tribulationem labi, aut tribulationem confessim submovisti, sed ea manente dilatasti me, hoc est, ingentem cordis latitudinem & voluptatem mihi attulisti.* Legi in S. Antonino, & refert etiam Rodriquez, historiam notissimam de quodam leproso, qui se in sylvam receperat, totus ab omnibus derelictus, tam squalido tetroque aspectu deformis, ut spectatoribus horrorem causaret & nauseam, simulque commiserationem moveret, utpote, cujus carnes omnino putridæ, toto corpore convulsæ, vix ad invicem cohærebant, ipse nihilominus totus lætitia & gaudio perfusus cantabat. Accidit, quod eques quidam nobilis eamdem sylvam ingressus, & ferarum venationi intentus audit suavem vocis hujus harmoniam, quapropter curiositate ductus, concitato equo vocem insequitur, accurrit & assequitur; perhorrescebat quidem eques propius accedere funestum hoc spectaculum, accessit tamen, & petijt à leproso, num ipse ille esset, qui paulo ante cecinisset, & unde illi tot adversis afflictato gaudium illud & jubilum insolitum? Respondit, ego sum cantor ille, & cantus mei causam aperiam: Inter me & Deum Dominum meum nullum aliud interstitium est nisi hic murus luteus (putridum suum monstrabat corpus & carnem) qui cum frustatim decidat, ego vero magis magisque Deo meo appropinquem æterna beandus gloria, ideo totus perfusus gaudio canto, & cum cantu & jubilo totalem corporis mei dissolutionem expecto: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur; quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.*

9. S. Bernardinus allegans textum Apostoli 2. Cor. 1. *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*, subdit: *In adversis datur justis saporosus gustus, sapidus quæ affectus. Mel dulcius sapit, cum primo gustatur aliquod amarum, sic & prospera dulciora sunt, probatis adversis, unde Psal. ait: Virga tua, id est, tribulationis, quia virga pueri flagellantur, & baculus tuus, id est temporalis consolatio, nam cum baculo sustentamur, sic & temporalibus adjuvamur, ipsa me consolata sunt, etiam temporaliter.* Prosequitur deinde hunc sermonem de consolationibus spiritualibus: *Per adversa dulcius sapiunt bona spiritualia, unde 2. Cor. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* In progressu ejusdem Sermonis cap. 3. notat hanc beatitudinem: *Beati qui persecutionem patiuntur &c. quia tanta delectatione fertur in tales persecutiones, ut eas in hac vita eligat pro summa beatitudine sua, ex qua quidem beatitudine jam adepta, ex necessitate superabundat quædam delectatio spiritualis, quæ gaudium nominatur, & inter duodecim fructus spiritus ab Apostolo ad Galat. 5. nominatur. Ex hoc quippe gaudio triplex jucunditas in talibus justis de adversis generatur etiam in præsenti. Prima, videlicet est jucunditas mentalis. Secunda est jucunditas corporalis. Tertia est jucunditas cœlestialis. Jucunditas mentalis, quæ mensuratur secundum abundantiam præcedentium passionum; unde Psal. inquit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Et alibi: Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti. Jucunditas corporalis, unde scriptum est Actor. 5. quod ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam &c. & ad Coloss. 1. de se Apostolus ait: Gaudeo in passionibus meis, unde tales per Psal. dicunt: Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, sicut B. Laurentius expertus est, cui carbones præstabant refrigerium. Jucunditas cœlestialis, quæ ex duabus præcedentibus generatur, de quibus Jacobus ait. Omne gaudium, scilicet, spirituale & temporale, existimate &c. Joan. 16. Dominus ait: Tristitia vestra vertetur in gaudium; gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hunc textum allegat quoque S. Hieronymus in Epistola illa scripta ad virginem in exilium missam, cujus & in præcedentibus discursibus mentionem fecimus: *Amplectenda est ergo tristitia, quæ gaudium parit* (sic exhortatur sanctus ille Doctor) *& non ejus materia est consideranda, quia sæpe per dulcedinem fructus placet, quod amarum horruit in radice.*

Petr. Blesf. Epist. 142. Conformitas cum divina voluntate in tribulatione, confert animæ immensam consolationem.

Blosf. in Sacello animæ c. 10 n. 4.

S. Chrys. H. 5. Hom. 67. Thesaurus veræ consolationis latet in terra tribulationis.

Psf. 93. v 19.

Blosius in conclavi animæ c. 10. n. 4. Tribulatio est annulus desponsationis Dei cum anima.

Deut. 33. 19. S. Anton. de Pad. Dom. infra oct. Nativ. Alij etiam sancti magnam experti sunt dulcedinem in tormentis.

Deut. 32. 13. S. Greg. Nissen. de beatit.

Actor. 7. 55.

Qui adversa patienti animo pro Deo ferunt etiam in hac vita habent saporem æternæ fruitionis.

S. Hieron. Tom. 9. Epist. 5.

Psf. 20. v. 4. S. Aug. ser. 109. de temp. 2. Cor. 1. v. 3. D. Chrys. H. 1. in 2. ad Cor.

S. Anton. Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 21. n 3. Exemplum valde notabile cujusdam leprosi in tribulatione gaudentis.

Galat. 5. 22.

2. Cor. 5. v. 1.

Ibid. v. 2.

2. Cor. 1. v. 7. S. Bern. T. 1. ser. 8. ari. 3. c. 2. Illa afflictio & tristitia avidè amplectenda est quæ parit consolationem & gaudium.

2. Cor. 1. v. 5. Matth. 5. 10. Idem. c. 5.

Act. Apost. 5. v. 41. Coloss. 1. 24. Psf. 65. 21.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

Prosequitur Author idem propositum, quod ex tribulationibus resultet pax & consolatio interna.

THEMA.

Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan. 16. v. 20.

Qui pro Dei amore prompto animo adversa patiuntur, magnam consequuntur pacem & tranquillitatem.

Gal. 5. v. 22.

Philip. 4. v. 7.

Joan. 14. 27.

Ibid.

Psf 118. v. 165. Christus pacem conjungit tribulationi.

Joan. 16. 33.

S. Hieron. Epist. 5. ad Virg. &c.

Persecutiones patienter toleratæ, exaltant nos.

Paret exemplo Joseph.

Psf 104. v. 17. & 18. S. Cyr. Alex. l. 4. de ador. ad fin.

Ibid v. 19.

Blosf. parad. animæ fid. c. 9.

1. IN celebri illo Sermone ultimæ cœnæ voluit Salvator noster verbis jam propositis excitare & animare Apostolos cæterosque sequaces omnes, ut prompto animo pro amore Dei patiantur adversa, promittens post tempestatem secuturam tranquillam, & numquam turbandam serenitatem. *Post tempestatem tranquillum facis. Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Gratissima ac pretiosissima gemma, quæ animam contentam reddit, est pax interna, quæ numquam separatur à gaudio: *Fructus autem spiritus*, ait Apostolus, *gaudium, pax.* Subito post lætitiam spiritualem meminit pacis, de qua alio loco legimus: *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Et hanc pacem pientissimus Dominus noster ante mortem testamento suo commendavit Apostolis ac toti humano generi: *Pacem reliquo vobis, pacem meam do vobis.* Verum observat quo conditione: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mundus cusa pace arma deponit; non hoc intelligit, nec intendit Salvator noster: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*; vult, nimirum, ut, quousque & quamdiu præsens vita durat, vivamus inter luctas, contradictiones ac tribulationes, simulque degustemus illam pacem, de qua Psalmista: *Pax multa diligentibus legem tuam.*

2. Eodem cap. 16. S. Joannis legitur, Christum Dominum post intimatas innumerabiles adversitates & gravissimas persecutiones, quas discipuli sui essent toleraturi, subjunxisse: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.* Ecce tribulationem jungit cum pace, unde D. Hieronymus considerans hunc textum in ea Epistola, cui titulus, ad virginem in exilium missam, quærit: *Quid hoc est quod dicit, ut in me pacem habeatis, in hoc mundo pressuram habebitis, nisi ut sit tanta in nobis ejus credulitas pollicitationis, ut dum inundi mala patimur, futuræ spei fiduciam in summa pace nos esse credamus, tantaque sit in nobis spes futurorum, ut omnino non sentiamus nos sustinere illa, quæ patimur, sed ea potius arbitremur jam obtinere, quæ credimus.*

3. S. Patriarcha Joseph à teneris annis scopus extitit & terminus invidiæ & implacabilis odij omnium fratrum suorum, adeo ut mortem ipsi machinati fuerint, tametsi eum tamquam mancipium Madianitis vendiderint: *Per secutionem passus est propter justitiam*; quia illæsam confervavit honestatem, quia Deum non offendit; passus præterea calumniam ab adultera, esto innocenter accusatus, ac in carceres & vincula conjectus fuit tamquam malefactor; & quomodo tot annis tantas sustinuit adversitates absque jactura patientiæ & serenitatis animi & cordis sui? S. Cyrillus Alexandrinus in expositione hujus versus: *In servum venumdatus est Joseph, humiliaverunt &c.* post enumeratas omnes & singulas, quas sustinuit, tribulationes, concludit eum contentum & constantem fuisse: quia semper respiciebat finem: *Eloquium Domini inflammavit eum*; optime noverat se à Deo exaltandum per viam tribulationis. Audiamus Blosium in paradiso animæ fidelis: *Licet*, inquit, *insidientur Dæmones, & tentationum laqueos præparent, licet virtutis justitiæque iter laboriosum inveniat, licet iste obtrectet, & ille premat, licet frigus incurvet, & æstus urat, licet stomachus debilis sit & caput doleat, licet ingrediatur pavedo in ossibus tuis, & caro tua sceteat vermibus, licet mens obnubilata, & tenebris quibusdam obtecta caligет, insit habilitate-*

que affligatur, licet spiritus tædio affectus dormiret, interque gelu constringatur, tu patientiam ubique servare memineris, omnia adversa amanter suscipe tamquam pretiosissima xenia tibi à Deo transmissa. Quanta lætitia perfunderetur una anima, si à cœlo dono missam reciperet gemmam valoris inæstimabilis? Tribulationes, afflictiones, calamitates tamquam gemmas & dona infiniti pretij animæ electæ suscipiunt & gaudent; *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.*

4. Philo Hebræus in illud Deuter. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna*, scribit: *Afflictio ista propitiatio est, quoties enim spoliamur secundis rebus, Dominum propitium sentimus*; Sed in alio sensu verba ista intelligi & exponi possunt; in afflictionibus, in paupertate, maxime voluntaria, qualis est, quam profitentur religiosi, gustatur manna gaudiorum & consolationum spiritualium. Pluribus sæculis varia varijs modis Deus præsiterat beneficia electo suo populo; at nescitur, nec legitur, quod per manus Angelorum porrexerit ei cibum, nisi postquam ex continuo usu palarum, ligonumque instrumentorum callosas contraxisset manus, duros sustinuisset labores, sudassetque in conficiendis & coquendis lateribus, neque etiam post discessum ex Ægypto subministravit statim manna, sed solum in solitudine quando omne humanum ei defuit subsidium: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna*, Deut. 8. v. 3. *Et cibavit te manna in solitudine.* ibid. v. 16.

5. Inter sanctos omnes de Deo bene meritos quis plura passus fuit, quam S. Paulus? *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*; abundanter in eo adimpletum fuit, quod prædixerat: *Abundantius omnibus laboravi.* Majori digna consideratione censet D. Augustinus hæc alia ejusdem Apostoli verba: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri*; unde subdit: *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret; sed dixit in cruce; ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit*; at notandum est, quod idem Apostolus ait 2. Cor. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Non dixit, quod se dispanat ad sufferendas tribulationes, neque quod illas libenter sustinuisset, ex necessitate faciendo virtutem; sed *placeo mihi*, gaudebat de facto, & in eis sibi complacebat. Observate insuper, quod quando agit de angustijs & adversitatibus, dicit: *Infirmitatibus, contumelijs, persecutionibus meis*; at quando gloriatur in cruce, dicit, *in cruce Domini nostri Jesu Christi*; & cur cum isto discrimine loquitur? cur non dixit in cruce mea, tanto magis quia Redemptor jam dixerat: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam*; Pro quo advertendum est, Apostolum adversa illa, quæ patiebatur, non suam, sed Christi nuncupasse crucem, quia quæ patiebatur, non derivabantur ex demeritis suorum peccatorum, sed ex zelo, quem habebat, divinam propagandi gloriam, in quo imitabatur Christum, qui innocens crucis affixus est patibulo. Magnum cordis gaudium est pati, non pro culpa, sed pro gloria Dei; *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida* (ita S. Petrus scribebat primis Christianis) *aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Communicantes Christi passionibus gaudete*, Paulo ante dixerat: *Ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Theophilactus hæc eadem verba: *Placeo mihi in infirmitatibus meis*, in hunc modum exponit: *Hoc est, incredibili jucunditate afficior, glorior plane, & mihi placeo, in infirmitatibus ipsis oblector.*

6. Legimus in sacris Canticis: *Mel & lac sub lingua tua.* Si per sponsum intelligatur Redemptor noster, non capio quomodo in lingua & faucibus ejus aceto & felle amaricatis possit habere locum suavitas lactis & mellis? Gillibertus Abbas conformem proposito nostro subministrat hujus difficultatis resolutionem, nec melius fane loqui poterat, cum ait: *Mel & lac sub lingua tua, acetum cum felle mixtum, quod degustavit prædixit, non bibens, in vino & lacte transivit saporem, hanc & tu fidelis anima tibi communicationem futuram confide.* Acetum, fel, ac vinum myrrheum significant adversitates, & istæ, quotiescumque patienti animo tolerabuntur, diffundent suavitatem mellis & lactis, videlicet, spirituales cœlestesque consolationes. Quale, quæso, damnum recipit uva, quando pedibus calcatur, aut manibus, vel clava teritur & contunditur, & in torculari exprimitur? Nullum prorsus, imo vinum exhibet sapidum & generosum; *Vinum lætifi-*

Matt. 16. 24.

1. Petr. 4. 15.

Ibid. v. 13.

2. Cor. 12. 10. Theophil. ib.

Cant. 4. v. 11. Adversitates animo patienti tolerate infundunt spirituales & cœlestes consolationes. Gillib. Abb. serm. 40. in Cant.

cat cor hominis; *Fructuosa pressura est* (ait S. Augustinus) *uva dum in torculari calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ, sed ista injuria sterilis non est, imo si nulla injuria accederet, sterilis maneret*; concludit deinde, ut tribulatis addat animum: *Quicumque ergo pressuram patiuntur, attendant Psalmum illum, in quo David se conculcatum ait ab inimicis, & à multis bellantibus contra eum.*

S. August. in Ps. 55.

7. Inter alias parabolas Salomon filius ejus hanc quoque adducit: *Tecta perstillantia in die frigoris & litigiosa mulier comparantur, Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit.* In Biblijs Sixti ex Græco legitur: *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur.* Difficultas, quam suscitat hæc versio, est, qua ratione ventus Aquilonaris, qui solet esse rigidus, vocari possit dexter, cum potius sinister dicendus sit? Respondetur, Aquilonem in sensu morali denotare ventum Aquilonarem tribulationum; qui nobis videtur esse sinister; nempe molestus, perniciosus & tempestuosus; ex alia tamen parte procedit à dextra; favorabilis nobis est, ac plurima confert emolumenta & bona spiritualia, dexteræque electorum certitudinem nobis promittit. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ* (ait Job) *illico surrexerunt:* Certum est, procellas illas calamitatum contra Job excitatas fuisse à Dæmone, ab illo videlicet, qui se jactabat, & gloriabatur: *Sedebo in lateribus Aquilonis Ab Aquilone pandetur omne malum*; nihilominus quia in gradu heroico exercuit patientiam, hic ventus factus est dexter, favorabilis & propitius, eo quod vento isto spirante & suffragante gloriosas & in terra, & in cœlo, lucratus fuit coronas. *Hic ventus in scripturis dexter vocatur* (ait Gillibertus) *ideo Job super eo talem deponit querelam, ad dexteram Orientis &c. Jure ventum illum dexterum vocavit, qui nihil ei quivit sinistrum inferre, quin etiam coronæ gloriæ viro justo comportavit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando provocata excrevit.*

Prov. 27. 15. & 16. Ventus Aquilonaris tribulationum nobis valde est proficuus, quod patet in S. Job.
Job. 30. 12.
Isaia 14. 13. *Jerem. 1. 14.*
Gillibert. Serm. 38.

8. Non immerito S. Chrysostomus vitam nostram nuncupat tempus seminandi; etenim in seminando non laboratur dumtaxat, & sudatur, & frumentum, quod subservit nostro alimento, cum periculo perditionis projicitur in agrum, verum etiam aliquot mensibus varijs temporum injurijs expositum est, priusquam colligatur & transferatur ad granarium; verum tamen est, nos tunc omnium sudorum & laborum peractorum oblivisci: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* D. Gregorius Magnus scribit: *Retributionis æternæ gaudium nequaquam in cœlo colligitur, nisi prius in terra cum fletu & gemitu, & amaritudine seminetur, sicut scriptum est: Euntes ibant & flebant.* Reflexionem facit S. Prosper, quam & ipsa comprobat experientia: *Dulcior, ait, fit salus, cum dolor excruciat, & sanitatis amissæ dulcedinem languoris amaritudo commendat.*

D. Chrys. ib. Vita nostra est tempus seminandi.
Ps. 125. v. 6.
S. Greg. in Ps. 3. pœnit.
Prosper vit. contemp. c. 19. l. 2.

9. Consideraſtisne umquam textum istum S. Job: *Respondens autem Dominus Job, de turbine dixit &c.* In Græco legitur: *Dixit Dominus Job per procellam & nubem.* Optarem scire mysterium, cur Deus locutus servo suo, voluerit ei loqui mediante & interveniente turbine, tempestate, ac nube aliqua tonitru & fulgure prægnante? *Post nubila Phœbus*, ait quidam Poeta. Voluit nimirum Deus, qui tum servo suo maxime bene volebat & favebat, invisere illum ferocissima tempestate afflictionum & calamitatum; sed hunc in finem, ut eum redderet gloriosiorem, onustiorem meritis, ac coronis digniorem; quemadmodum post repentinam tempestatem serenior ac splendidior affulget lux solaris; ita transacto tantarum calamitatum turbine serenior ipsi Job affulsit pax, tranquillitas & felicitas, in qua postea vixit. S. Methodius in catena Græca citatus scribit: *Ut Jobi res à tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, per nubes etiam Dominus loquitur.* Et quemadmodum nubes cito dissipantur à Sole, & & tribulationes illico evanescunt: *Multæ tribulationes justorum, & de his omnibus liberavit eos Dominus. Post tempestatem tranquillum facis.*

Job. 28. v. 1. Quare Deus Jobi locutus fuerit de turbine, per procellam & nubem.
Method. in cat. Græc.
Tob. 3. v. 22.

10. Notum est omnibus problema illud, quod Samson proposuit Philisthæis, dicens: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Historia hæc est: Samson dilaniaverat leonem; elapso aliquo tempore per eamdem viam & locum, ubi leonis cadaver mortuum reliquerat, reversus, curiose illud inspexit: ac reperit in faucibus ejus examen apum, quæ jam favum mellis inibi fabricaverant, accepit mel, & gustavit, alijsque gustandum exhibuit. Terribilis leo est infirmitas mortalis, & terribilior adhuc ipsa mors: *Libera eos de ore leonis*, cantat Ecclesia in offertorio defunctorum. Leo hic nos invadit, dilacerat, & discerpit; at si cum perfecta resignatione in Deum, conformitate nostræ voluntatis cum Divina, si cum patientia, humilitate mortem ac quamcumque aliam adversitatem tolerabimus; mel inde & suavitatem beatorum æternorumque gaudiorum eliciemus, ac Deus insuper in præsenti vita cœlestium consolationum nos efficiet participes; *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Legitur in opusc. & vita S. Francisci: *Cum in eodem infirmitate ad finem vitæ gravius solito dolorum multorum urgeretur aculeis, compatiens ei quidam simplex ac devotus frater ait: Ora Deum frater, ut mitius tecum agat, manum enim suam plus debito super te gravare videtur: Quo audito vir sanctus cum ejulatu exclamans ait, nisi jam dudum simplicem in te cognovissem puritatem; tuum ex nunc abhorrescerem consortium, qui Divina circa me ausus fueris reprehensibilia judicare judicia: Majora mereor tormenta; plura ad Dei nutum libentissime patiar flagella.* Cognoscebat sanctus vir adversitatum emolumenta, internasque consolationes, quæ ex illis in animam suam redundabant, uti alibi dictum est.

Judith. 14. 14. Morbi æquo animo tolerati sunt mel in ore Leonis Samsonis.
Exemplum de S. Francisco.
Ps. 115. v. 15.
Opusc. S. Franc. l. 3. c. 49.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Tribulatio lumen nobis subministrat, ac in Dei nos ducit notitiam.

THEMA.

Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Tob. 6. v. 9.

1. FEl, quod est amarissimum, tribulationum, quas mundus fugit & abhorret esse symbolum, nullus erit, qui id negabit; & hoc fel attestante Archangelo Raphaële remedium fuit curandi cæcitatem, ac pristinum visus restituendi lumen: *Fel valet &c.* S. Paschasius in lamentationes Jeremiæ scribit, quod felle *amaritudo passionis designatur.* Maxima ac deploranda est cæcitas eorum, qui vero privati sunt lumine ac notitia Dei, de quo scriptum est: *Illuminat omnem hominum venientem in hunc mundum*, tametsi hæc lux (*ego sum lux mundi*) non oculis corporis videatur, animæ tamen oculo, qui est intellectus, bene conspicitur, quis ignorat hoc fel nobis communicare hanc lucem? *Vexatio intellectum dabit*, ait Isaias. Quis Deo plus restitit, quis contumacior ipso Manasse? In tenebris ambulabat omnis generis malitiæ, idque cum scandalo terræ & cœli; at lumen recepit veræ notitiæ in sua captivitate & servitute: *Et cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.* Rex Antiochus implacabilis populi electi inimicus, cultusque veri Dei hostis infensissimus, constitutus in angustijs mortis confessus est: *Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Judæam sine causa. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista.*

Fel tribulationum, curat animi cæcitatem.
Paschas. in lament. Jerem. l. 3.
Joan. 1. 9.
Joan. 8. 12.
Isa. 28. v. 19.
2. Paral. 33. v. 13.
1. Mach. 6. 12.

2. Superbus ille est, qui Deo rebellis est ad imitationem Luciferi ambientis similitudinem Dei; at fel tribulationis efficax remedium est ad sanandum & curandum illum, quemadmodum S. Augustinus scribit Probæ: *Molestiæ & tribulationes temporales plerumque prosunt ad sanandum tumorem superbiæ.* Nabuchodonosor ad tantam pervenerat arrogantiam, ut præter seipsum nullum alium existimaret esse Deum. Lectione percurrite visionem, quam habuit Daniel Propheta de magna illa & procera arbore, qua denotabatur ipsius Monarchia; at quis modus fuit, quo se agnovit, ac confessus fuit cæcitatem suam & superbiam, quando cognovit se esse hominem alijs similem? tunc, nimirum, quando induit formam bestiæ: *Ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Annon videtur hoc fel extitisse amarum tanto Monarchæ, qui aliquando armorum suorum potentia totum terruit ac tremere fecit mundum, ac tot annis vixit, stetitque in culmine regiæ magnificentiæ ac prosperitatis mundanæ? *Fel valet ad ungendos oculos.* Audiamus ipsummet regem: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi.* Notat Theodoretus hic, humiliatum hunc regem non sine mysterio protulisse hoc prænomen, *ego*; *Non sine causa adjecit, ego, sed ut omnes homines doceret, quasi dicat: Ille ego qui tanta olim arrogantia dixeram, quis est Deus, qui eruat vos de manibus meis? Qui somniaveram fore, ut in cælum ascenderem, & super astra ponerem thronum meum, experientia doctus didici, quid deceat, meo supplicio sapere didici; meam servitutem agnovi, idcirco etiam in cælos oculos meos sustuli, quod simul ac feci, mens mea ad me restituta est.* Sequitur postea, quod nostro inservit proposito: *Cum experientia didicerit; quid homo, quid Deus, altissimum & viventem appellat, & regem sempiternum vocat, propriamque tenuitatem agnoscit.* Existimat Theodoretus quod nulli hominum fel hoc tam bene aperuerit oculos, aut lynceum adeo communicaverit visum, uti huic Regi, siquidem hanc notatu dignam addit propositionem: *Tantum utilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonosor, ut Prophetæ instar de Deo & sentiat & loquatur.* Ex atheista factus est Propheta. Examinat deinde illa verba (*Magnificentia amplior addita est mihi*) *hoc idem pietatis plenum est verbum, neque enim dixit, magnitudinem ampliorem adeptus sum, sed addita est mihi, & largitorem significans, & donorum commendans auctorem.* Paulo post in illa verba (*nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico regem cœli*) subdit: *Expertus molesta, deinde ab ipsis liberatus laudo & celebro eum, qui hæc & mihi utiliter intulit, & sapientissime, ac novi ipsum cœli regem & omnium Dominum, veritate & justitia omnia moderantem.* Jam omnibus constare existimo, quod tandem vere confessus fuit Alexander Magnus. Cum enim lethali vulnere læsus morti se subjectum experiretur, ut adulatores & parasitos illos, qui eum Jovis Ammonis filium nuncupaverant, ac proinde ut immortalem deprædicaverant & venerati fuerant, confunderet, eorumque technas & fraudes detegeret, candide tandem dixit: Agnosco me esse hominem mortalem cunctis alijs similem.

Tribulationes sunt optimum remedium ad curandum tumorem superbiæ, quod patet in Nabuchodonosore.
Dan. 4. v. 30.

Theodor. in Dan.
Ibid. v. 33.
Dan. 4. v. 34.

3. Hunc tribulationis effectum in consideratione ducebat B. Laurentius Justinianus, agens de resurrectione spirituali animæ, & asserens: *Videsne quam fructuosa sit tribulationum vexatio, quæ æquo animo adversa patientibus, tam præclarum tribuit intellectum?* Sane nullus intelligentior, eruditior, doctior ac sapientior eo, qui Dei habet notitiam. Cum S. Propheta Job de vera tractaret sapientia, qua suffragante clarum divinitatis acquisivit lumen, interrogavit: *Sapientia vero ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretiũ ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.* Ingredimini claustra, oculos conjicite in angustas religiosorum cellas, ibidem inter cilicia, saccos, disciplinas, jejunia, similesque austeritates & mortificationes reperietis homines, imo Angelos illuminatos in perscrutandis cœlestibus mysterijs occupatos. Saulus quamvis, studuisset in schola Gamalielis, attamen exiguo adeo potiebatur veri Dei lumine, ut toto conatu persequeretur Christianos; adeo cæcus erat, ut de eo asseruerit S. Lucas, *apertisque oculis nihil videbat.* Sed quando aperuit oculos luci, quæ *circumfulsit eum de cælo*, & clamavit: *Quis es Domine?* Quando insuper promotus fuit Doctor gentium, ditatusque thesauris illis, de quibus ipsemet scribit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei?* Tunc, videlicet, quando in campo Damasci ex equo præcipitatus fuit, quando tribus diebus cæcus factus & famelicus, tandem audivit decretum illud Divinum: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Bonæ sunt tribulationes, quæ sunt propriæ justorum* (verba sunt D. Ambrosij) *qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinent, in quibus justus non atteritur, sed dilatatur, sicut sanctus Propheta declarat, dicens: In tribulatione dilatasti mihi. Et ipse Dominus Jesus ait: In tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine. Dilatavit sancto Apostolo Paulo, quando ei oculorum lumen eripuit. Ita enim confessus est Christum, quem negabat antea, ideo vas electionis esse promeruit.*

Tribulationes reddunt hominem sapientem & doctum.
B. Laur. Just. l. 2. de spir. anim. resurr.
Job. 28. v. 23.
S. Paulus tribulationibus percussus agnovit Christum.
Act. Apost. 9. v. 8.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 5.
Colos. 2. v. 3.
Act. Apost. 9. v. 16.
S. Ambr. in Ps. 43.

4. Quomodo cæcitatem suam contraxit Tobias? *Contigit autem, ut quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam jactasset se juxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus fieretque cæcus.* Ut declaremus hanc historiam in sensu morali, notandum per Tobiam suaviter dormientem intelligi posse eum, qui prosperitate bonorum temporalium beatus vivit inter delicias; nomine enim stercorum S. Paulus intelligit felicitatem temporalem: *Omnia arbitror ut stercora.* Hujusmodi felicitates frequenter hominem deducunt ad tantam cæcitatem, ut perdat verum lumen Dei, bonorumque alterius vitæ: *Avaritia quod est idolorum servitus; quorum Deus venter est*; unde exponit & subdit Venerabilis Beda: *Quasi hirundinis nido suppositus dormit, qui levitati, lasciviæ, ac superbiæ mentem incautus subjecit.* Antidotum ad curandam hanc cæcitatem efficacissimum est fel tribulationum.

Tob. 2. v. 11. Fel tribulationis illuminans oculos per mundanas prosperitates excæcatorum.
Philip. 3. v. 8.
Ephes. 5. v. 5.
Beda in Job.

5. Falsus Propheta Balaam abibat ad maledicendum populo Dei obcæcatus ab auro, quod ei impius Rex Balac promiserat; at asina sua fustibus & calcaribus adacta plus luminis habuit & sagacior fuit suo Domino, siquidem *cernens asina Angelum stantem in via evaginato gladio, avertit se de itinere & ibat per agrum; quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit Angelus &c. Camque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus vehementius cædebat fuste latera ejus. Aperuitque Dominus os asinæ & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertio?* Quo facto Deus nobis ostendere voluit, quod licet verum sit, quod plerumque *animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei*, sæpe tamen contingat, homines dissolutos, scurriles, bestiales aperire oculos suos, cum tanguntur & verberantur fustibus tribulationis & adversitatis, & non obstante prava natura, maloque contracto habitu, acquirere lumen & notitiam Dei, ad eumque conversos agere pœnitentiam; *Tribulatio & angustia invenerunt me*, & quid inde secutum? *mandata tua meditatio mea est.*

Homines bestiales & scurriles fusto tribulationis contusi, acquirunt notitiam Dei.
Num. 22. 23.
1. Cor. 2. 14.
Ps. 118. 143.

6. De protoparente nostro cecinit idem Psalmista: *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non constat protoparentes nostros in illa amœnitate terrestris paradisi, ubi omnia abundabant, aliquem excitasse actum amoris gratitudinis, reverentiæ & adorationis erga Deum creatorem suum; unde non sine causa dixit Psalmista: *Non intellexit*; quando ergo aperuerunt oculos, & cognoverunt Deum? In nuditate, in exilio constituti: *Aperti sunt oculi amborum*; etenim ut bene advertit Gregorius Magnus: *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit.* Quod si mihi opponas, quod ab initio habuerint oculos apertos: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Respondeo id verissimum esse de oculis corporis, non animæ; unde Simmachus loco horum: *Aperti sunt oculi amborum*, legit: *Facti sunt intelligentes*; acquisiverunt verum lumen in experientia miseriarum suarum, ad quas se condemnatos viderunt: *Non exteriores oculi, sed interiores* (scribit Rupertus Abbas) *quos contra Deum clauserant, aperti sunt, quia videlicet, veracem Deum, serpentem vero in sua miseria fallacissimum cognoverunt.* Quot sunt, qui talparum instar vivunt in abundantia bonorum temporalium, & numquam ad cœlum erigunt oculos: *Incrassatus, impinguatus dereliquit Deum factorem suum*; econtra virga tribulationis castigati transmutant se in Argos, ad Deum oculos & cor erigentes: *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, obliviscere populũ tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Qua via obtinebit anima verum lumen & cognitionem Dei? *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Hugo Cardinalis ait, hoc verbum: *Tyrus*, idem significare quod *angustia vel tribulatio, & tales qui in tribulatione angustiantur, Dominum adorant.*

Ps. 48. v. 21. Primi parentes nostri pœna percussi aperuerunt oculos suos intellectus.
Gen. 3. v. 7.
S. Greg. ibid.
Gen. 3. v. 6.
Simmach. ib.
Rupert. Abb. in Gen.
Deut. 32. 15.
Ps. 44. v. 11.
Ibid. v. 13.
Hug. Card. ibi.

7. Atheum jam se declaraverat Rex Pharao: *Nescio Dominum. Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* Ast quamprimum flagella iræ divinæ in se totumque regnum suum concitata senserat, Moysis & Aaron imploravit intercessionem, ut pœnam illam deprecarentur, placarentque Deum illum, quem se ignorare declaraverat: *Nescire Deum dicit* (ait Origenes) *donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulo post, quantum profecerit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur iste, qui modo dicit, nescio Dominum, postea cum vim senserit verberum, dicturus est, orate pro me Dominum; & non solum hoc, sed etiam contestantibus magis, quia digitus Dei est virtute signorum.*

Exod. 5. v. 2. Pharao varijs pœnis flagellatus agnovit tandem Deum.
Origen. ibid.

8. Observastisne, quam servaverit methodum pientissimus Salvator in reducendo ad veram sui agnitionem mulierem Chananæam, quæ typus & figura erat gentilitatis ad fidem convertendæ? *Jesus secessit in partes Tyri. Tyrus tribulatio* (ait Hugo Cardinalis) *Sidon venatio mœroris, prædicator debet egredi, ut Domino venetur peccatores; Jeremiæ 13. Mittam venatores, & venabuntur vos; in Tyro autem venatur Dominus, quia angustia est saltus, ubi tristes, ubi capiantur pœnitentes.*

Chananæa conversa fuit per tribulationes.
Matth. 15. 21.
Hug. Card. ib.

9. In

Etiam Regulus Capharnai. Joan. 4. 46.

9. In Capharnaum Regulus ille una cum tota sua familia vivebat sine ulla notitia æternæ veritatis, sine lumine veri luminis, quo modo, qua via. *Credit ipse, & domus ejus tota? Filius infirmabatur, incipiebat mori.* Tribulationes ducunt nos in notitiam Dei. Quid diceretis, si probarem & ostenderem vobis, ipsummet superbissimum Luciferum tribulatione pressum debita submissione adorasse Filium Dei? *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo soliũ meũ,... Similis ero Altissimo.* Theologorum non infimæ authoritatis extat opinio asserentium causam, cur superbus ille spiritus præceps corruerit in abyssum inferni, esse, quod filium Dei incarnatum adorare recusaverit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Cum igitur Lucifero revelatum esset incarnationis mysterium, ipse vero Christum nostra carne investitum adorare recusaret, rebellis factus est, & ad rebellionem suam pertraxit tertiam partem Angelorum. Toto hoc supposito, eamus ad S. Lucam cap. 8. ibidem inveniemus, quod cum Salvator noster transiisset in regionem Gerasenorum, obvium habuerit hominem à Dæmone obsessum, qui in terram prostratus adoravit eum: *Is ut vidit Jesum procidit ante illum.* Quale, amabo, motivum habuit superbissimus hic spiritus humiliandi sese in hoc actu cultus latriæ? *Obsecro te,* dicebat, *ne me torqueas.* Tribulatio & angustia, quam plus solito patiebatur, ursit eum ad hanc agnitionem. *Ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum*, inquit Origenes.

Ipsemet Lucifer tribulatione pressus, adoravit Christum. Isaiæ 14. 13. & 14. Hebr. 1. v. 6. Luc. 8. v. 28. Ibid. Origen. ibid.

DISCURSUS X.
ARGUMENTUM.

Tribulatio aperit nobis oculos, ut nosmetipsos cognoscamus & emendemus.

THEMA.

Collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Apoc. 3. v. 18.

Tribulatio illuminat nos in cognitione nostri ipsius. Apoc. 3. v. 17.

1. SAlutare hoc consilium cuidam Episcopo cœlitus datum fuit: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Fortassis defectum patiebatur in oculis? Tritum solet esse proverbium: Pauper est, qui cæcus est; at hic erat dives: *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Hæc ultima notate verba, ex his enim deducitur, nullum eum corporis habuisse defectum; cur igitur monetur ad remedium oculis adhibendum? Hujusmodi medicamentum tale est, quod, ut notant expositores, alicujus mordacis ac pungentis habet rationem: *Mordicans & pungens est quælibet tribulatio* (verba sunt Cornelij a Lapide) *quæ per amaritudinem sensus spirituales purgat.* Jam dudum ante ipsum prædicaverat S. Bernardinus Sermone quodam: *Illuminatur ad cognitionem sui*, loquitur de tribulato. Allegat deinde præfatum textum: *Dominus suadet justo, dicens: Inunge collyrio oculos tuos, ut videas; Collyrium quippe ex quodam pulvere atque medicinali aqua permixta, oculisque apposita sua acrimonia albuginem oculorum abstergit. Quid per collyrium, quo inungendi sunt oculi corporales, nisi tribulatio, qua inungendi sunt per patientem mansuetudinem oculi spirituales, ut cognoscat homo peccata sua?* Præcipuus tribulationis effectus est, non solum ut veniamus in notitiam Dei, sed etiam ut cognoscamus nosmetipsos. Evidens argumentum est, quod Deus per hoc antidotum intellexerit tribulationes & adversitates, quia immediate subdit: *Ego quos amo arguo & castigo.* Antecedenter dixerat: *Suadeo tibi emere à me aurum conflatum*; videlicet, ut exponit Glossa: *Contende ut pro nomine Christi aliquid patiaris.* Annon notastis, quod paulo ante huic Prælato dixerit: *Nescis quia tu es cæcus?* Nimirum, uti explanat Dionysius Carthusianus, *sapientiam non habendo, & vitijs excæcatus.* Ut ab hac cæcitate liberemur, potentissimum medicamentum est tribulatio; *vexatio dat intellectum*; unde pergit idem Auctor: *Per collyrium quod de terra nascitur, quo oculus primo turbatur, deinde à noxio humore purgatur, sicque clarioris visus efficitur, cordis contritio seu compunctio designatur, quæ primo per dolorem de peccatis mentem amaricat, à vitiorum squalore mundat, lacrymas ejicit, illuminationem procurat. Hoc collyrio oculi cordis unguntur, dum in Deo vere compungimur, sicque videmus in lumine gratiæ, & defectus nostros cognoscimus, Deum perpendimus, quidquid salus nostra requirit, consideramus.*

Corn. à Lap. hic. S. Bern. T. 8. ser. 8. art. 2. c. 2.

Præcipuus tribulationis effectus est ut cognoscamus Deum & nosipsos. Apoc. 3. v. 19. & 18. Gloss. ibid. Apoc. 3. 17. D. Carth. ib. Isaiæ 28. 19.

Compunctio interna impulsum suum habet ab ærumnis & imminentibus periculis.

2. Hæc compunctio interna plerumque, uti docet experientia, suum solet habere impulsum ab ærumnis, ab imminentibus periculis, à tribulationibus vehementibus: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* S. Paulus scribendo Ephesijs, nonnullos depingit, qui spiritualem patiebantur cæcitatem: *Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* His si accedat sinister aliquis casus sive infortunium, quo exponantur periculo honoris, vel bonorum fortunæ, aut vitæ, aut similium, videbitis subito, quod aperiant oculos, Deum agnoscant, & ad eum recurrant. Legimus in Gregorio Magno: *Qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex percussa quam sustinet carne, memoratur.* Pro continuatione hujus Sermonis adducit historiam præcedenti discursu adductam de asina, quæ reprehendit Balaam, per quem denotatur portio nostra inferior, & sic prosequitur: *Insanus quippe homo à subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum, quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur.*

Ps. 82. v. 17. Ephes. 4. v. 18. S. Greg. M. 3. p. past. adm.

Patet in Nabuchodonosore.

3. Nabuchodonosor, veluti etiam discursu præcedenti dictum est, ad tantam elatus erat superbiam, ut Deum se esse crederet, æstimaretque; quamobrem hunc in finem exstrui curavit illam immensæ molis machinam, statuam videlicet auream, ut in illa tamquam numen Divinum à suis adoraretur subditis; at quo medio usus est Deus, ut illum ad suiipsius reduceret notitiam? Potuit cum Propheta Jeremia dicere: *Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Jumenta, boves, feræ, cæteraque animalia sylvestria, quibuscum feræ instar Nabuchodonosor vivebat, ipsum fecerunt redire ad se, reduxeruntque ad humilitatem, suique agnitionem; unde Theodoretus scribit: *Squalens enim situ, ut par erat & sordescens, detonsus, abjectisque unguium excrementis, sordibusque ablutis, divinæ gratiæ compos factus, agnovit se illum esse hominem, qui prius maximum administrabat regnum.*

Jerem. 31. 18. Theodoret. in Dan. cap. 4.

4. S. Bernardinus apposita similitudine carpit illos, qui mundana fascinati prosperitate, deserunt, ut ita dicam, mentem & cerebrum; unde ei, qui alienatum sensu & mente habet animum, hoc præscribit & notat remedium: *Solent, nempe, homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi, ut per dolorem corporis redeat sensus mentis. Sic utique qui à sui cognitione alienati sunt à Deo per flagella ad seipsos recognoscendos misericorditer coarctantur.* Adducit insuper comparationem de canibus & equis: *Istibus canes coguntur atque docentur stare, & equi, & boves compositi ire.* Salvator noster alias produxit parabolas: Unam composuit de filio prodigo proposito nostro valde accommodam: Ille namque in tantam devenerat dissolutionem mentisque alienationem, ut totum suum opulentum patrimonium cum meretricibus dilapidaverit; adeo alienatum mente & judicio habebat animum, ut, quando sacer textus describit illius conversionem, notanda hac utatur phrasi: *In se autem reversus*, quasi prius fuisset extra se; ast qua via in se reversus fuit? quomodo se agnovit? *Ego autem hic fame pereo*; existens mendicus, famelicus, ab omnibus derelictus, vilipensus, adeo ut neque animalium immundorum potuerit gaudere consortio, ita, nimirum, abjectus redijt in se, & ad sui notitiam.

S. Bern. c. 2. ibid. Propositum probatur similitudinibus mente alienatorum. Canum, equorum & boum. Et filij prodigi. Luc. 15. v. 17. Ibid.

5. Idem S. Bernardinus sermone, cui titulus, *Quare malis adversa dentur*, asserit, tribulationem solere erudire & illuminare impie viventes, pro quo citat Jeremiam Prophetam dicens: *Jeremias c. 3. dicit in persona percussi peccatoris: Ego vir videns paupertatem in virga indignationis ejus; Et Apostolus? Quidquid agitur, à lumine manifestatur. Tobias quoque, qui stercoribus hirundinum excæcatus est, amaro felle linitus est illuminatus; hirundinum nempe stercora temporalis est affluentia, quam velati stercora reputaverant.* Vir quidam altioris sphæræ, magnæ authoritatis, consilij & prudentiæ, purpuratorum adscriptus collegio, pedem fortuito fregerat, cujus causa magnum incurrens vitæ periculum, diuturna temporis mora lecto adhærere coactus fuit. Quadam vice nonnullos sibi familiariores interrogavit, quæ maxima sua fuisset gratia à Deo sibi præstita? Variæ auditæ fuere opiniones; at nullus rem tetigit; Ipse ergo infirmus respondit, adversum, inquiens, hunc casum ac tribulationem, cui subjaceo, esse illum favorem & gratiam maximam, quam Deus mihi præstitit, quia ubi antea vacabam sæculi negotijs, esto vocationi meæ congruentibus, vix mihi speciali proposito & studio selegi tempus cogitandi de meipso & de salute mea, quemadmodum hac occasione facio. *Per adversitates mens justi* (ait S. Bernardinus) *illuminatur ad cognitionem Dei; unde Isaias 28. sola vexatio dabit intellectum auditui. Tribulatio utique est illud amarum fel, quo oculi Tobiæ, id est, viri justi, ad Dei cognitionem fuerunt illuminati.*

S. Bern. T. 3. Tribulatio erudit & illuminat impie viventes. Thren. 3. v. 1. Ephes. 5. v. 13. Tob. 2. v. 12. Memorabile exemplum cujusdam Cardinalis.

S. Bern. T. 1. cit. Isaias 28. 19.

Exemplum S. Ignatij Loiolæ.

6. S. Ignatius Loiola miles erat & alienus à perfectionis via, ut propterea bene cecinerit Poeta: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.* Quia vero Deus Divina sua numquam errante providentia disposuerat, ut fulcrum esset & sustentaculum Ecclesiæ à tot hæresibus hoc sæculo infestatæ, fundaretque religiosum ordinem, in quo sanctitas una cum doctrina floresceret, quique toti Reipublicæ Christianæ proficuus esset; quo medio usus est, ut Ignatius altissimam Dei, ac suiipsius assequeretur notitiam? Globo tormenti bellici, qui crus ejus diffregerat explosus in propugnatione Pampelonensi sauciatus; hoc accepto vulnere non sine acerbissimis cruciatibus lecto detentus, ac libri cujusdam spiritualis, qui fortuito ad manus ejus devenerat, lectione occupatus; adeo à Deo tactus & commotus fuit in corde, ut heroicam illam resolutionem toti mundo & cœlo manifestam executus fuerit. In sacris Canticis legitur, qua ratione sponsus reprehenderit sponsam: Cum enim sponsa scire peteret: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Quale recepit responsum? Rigidum sane & asperum; *si ignoras te,* inquit sponsus, *egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Quasi dicere vellet, si id nescis, gregem pecudum accedere potes. Quodsi severi hujus responsi causam scire exoptetis; respondeo; per hunc sponsum intelligi Christum, & quia anima interrogando, ubi cubaret & quiesceret; simul indicabat, nullam se habere passionis suæ notitiam; monstrabatque ac si nec oculos, nec mentem ad crucis patibulum, ubi expiravit in meridie, erigeret, ideo severe reprehenditur, quæ in hoc decipiebatur, *ubi cubes*; non enim in lecto quietis & otij jacebat; Quotquot similiter non respiciunt crucem & tribulationem, spiritualiter cæcutiunt, orbati sunt lumine ac cognitione Dei & suiipsius; unde Drogo Ostiensis scribit: *Circumire possum, Domine, cælum & terram, & mare & aridam, & nusquam te inveniam, nisi tantum in cruce. Ibi pascis, ibi dormis, ibi cubas in meridie.* Ex hac igitur reprehensione facta à sponso cœlesti deducitur, viam cognoscendi nosmetipsos esse, cum patimur & sustinemus adversitates, considerando simul Christi capitis nostri passionem & crucis tormenta.

Cant. 1. v. 6. Via cognoscendi nosmetipsos est pati adversitates, & considerare passionem Christi. Drog. Ostiens. de Sacram. Dom. Pass.

Per angustias tribulationum deducit Deus hominem ad cognitionem suæ miseriæ.

7. Prima præda, quam corvus de cadavere aliquo instituit, est, quod excavet ac devoret oculos; ad eumdem plane modum, primum omnium, quod corvus infernalis facit in anima mortua & sepulta in peccato est, quod surripiat ei judicium & cognitionem suiipsius, uti & deplorandi status, in quo reperitur; modus vero, quem Deus deinde adhibet, ut ipsam reducat ad notitiam suæ miseriæ, est, quo ipsam constituit in angustijs tribulationum. S. Basilius Magnus Homilia, cui titulus, *quod Deus non sit auctor malorum*, scribit: *Illud quod supra memoravimus, descendunt à Domino mala super portas Jerusalem, ex seipso habet expositionem. Quæ mala? Sonitus curruum & equitum. Quando autem audiveris: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit, intelligi hic mali nomen, vexationem ac calamitatem significare, quam Dominus peccantibus ad delicta corrigenda infligit. Afflixi, inquit, & fame pressi, ut benefaciam, antequam propter intemperantiam prorsus perdantur, & injustitiam cohibui, quemadmodum flumen forti quodam solet obice & obstaculo contineri. Hac itaque de causa civitatum ac gentium morbi, siccitates aëris, terræ sterilitates, ac qui cuilibet in vita duri casus emergunt, quæ omnia, ne malum ulterius progrediatur, efficiunt.*

S. Basil. H. quod Deus &c.

In publicis calamitatibus etiam dissolutissimi terrentur & emendantur. Joan. 9. v. 6.

8. In praxi videmus, quod in magnis & extremis periculis, in publicis calamitatibus dissolutissimi etiam homines oculos aperiant, in se redeant, vitam male transactam detestentur & emendent. Quomodo pientissimus Salvator noster cæcum illum à nativitate illuminavit? *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus.* Quis non affirmasset, lutum illud potius esse medium aptum ad excæcandum hominem, esto haberet visum etiam lynceum, quam quod sit remedium idoneum ad restituendum visum? & tamen de Christo verum est, & verificari debet: *Omnia in sapientia fecisti. Bene omnia fecit.* Lutum illud denotabat fragilitatem corporis nostri, quæ post mortem reducitur in lutum. Quot interius illuminantur, spectantes defunctos in flore ætatis & prosperitatis mortuos? Alium tribulationis effectum adnuc considerat S. Bernardinus, cum ait: *Anima justi per adversa illuminatur ad cognitionem mundi; ex forti namque nubium concussione coruscatio in aëre generatur; unde etiam in noctis tenebris circumstantiâ pericula subito lumine demonstrantur. Sic ex tribulationum quassatione mundus iste plenus periculis & laqueis & malignitate potest cerni.*

S. Bern. T. 1. ser. 16. art. 2. c. 2.

DISCURSUS XI.
ARGUMENTUM.

Tribulatio nostræ cooperatur conversioni & pœnitentiæ.

THEMA.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Ps. 82. v. 17.

Tribulationes & ignominiæ nos compellunt ire ad Deum.

1. INnumera sacræ Scripturæ extant testimonia, quibus certificamur, quod tribulationes ad Deum nos ire & recurrere compellant; at hic versiculus Psalmistæ omnium rationum idipsum probantium Achilles est: *Imple facies &c.* Quem sic exponit Albertus Magnus: *Ignominia, vilitate, opprobrijs & abjectione cum culpis quærent nomen tuum, qui antea quærere noluerunt.* Accedit Augustinus, dicens: *Quærent nomen tuum, qui suum quæsierunt.* Et Cassiodorus: *Plerumque,* ait, *propter opprobrium culparum corrigitur, qui ab omnibus culpatur. Mich. 4. Venies usque in Babylonem, ibique liberaberis. Psal. Dixit Dominus ex Basan convertam, ex confusione, scilicet, convertam. Ezech. 16. Scies quia ego Dominus, ut recorderis & confundaris.* Dionysius Carthusianus hunc textum interpretatur de ijs, qui in peccatis jam contraxerunt habitum, & se convertunt dumtaxat ex timoris instinctu, post quam expositionem subjungit: *Accipi potest in bono, eritque sensus: Da Domine, ut in præsenti refutentur, & contemnantur, ac vituperentur, secundum quod peccatores sunt, quatenus ex ipsa sua ignominia cessent peccare. Quemadmodum enim per adulationem & laudem falsissimam roboratur peccator in culpa, ita per ignominiam sibi illatam à malo retrahitur, dum se ab omnibus argui conspicatur; & ita salubriter quærent nomen tuum Domine per pœnitentiam salutarem & veram compunctionem. Pertinere quippe videtur hoc ad eos, de quibus in Evangelio scriptum est: Compelle intrare.*

Mich. 4. 10. Ps. 67. 23. Ezech. 16. 63. Lucæ 14. 23.

Tribulatione tamquam fræno retrahimur à præcipitio.

2. Indomitus equus sine fræno cursum suum prosequitur, currit extra viam, & facile ruit in præcipitium. Huc collimabat illa lamentatio Prophetæ Jeremiæ: *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens.* Necessaria nobis, frænum, calcaria, virga sive flagellum, quibus hunc indomitum equum intra viam tritam contineamus ambulantem; equus hic est appetitus noster sensitivus, qui suas insequitur & quærit voluptates, currit extra viam, de qua scriptum est: *Ego sum via, veritas & vita*; ut ad hanc, quæ regia & secura est, reducatur viam, necessaria est virga, necessaria adversitatum calcaria. Saulus extra viam ambulabat, quando Christianos persequebatur; at Christus in viam eum reduxit, quando ex equo illum dedit præcipitem, eique inclamavit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Equos eorum subnervabis,* legitur Josue 11. Quando nonnumquam quis præceps currit in barathrum suæ perditionis, summa gratia est, quam Deus ipsi præstat, si enervet illius equos, quibus eo fertur & portatur, nimirum, si ab illo abstrahat divitias, quibus effervescit, accenditur & audacior redditur in pravis suis machinamentis & propositis; aut si tollat ei sanitatem corporis, quod est rebelle spiritui, & permittat illud infirmari.

Jerem. 8. v. 6. Joan. 14. v. 6. Act. Apost. 26. v. 14. Josue 11. v. 6.

B. Petr. Dam. l. 8. Ep. 14. Agar afflicta in solitudine oberrans, meruit alloquium Angeli illam consolantis. Gen. 16. v. 7.

3. Observat B. Petrus Damianus, quod Agar prius serva, assumpta postea in uxorem, licet secundariam Abrahami, susceptaque ex eo prole, evaserit insolentior. Quamobrem Sara conquesta fuit apud maritum suum, tantumque effecit & afflixit eam, ut fugam inire debuerit. In hac afflictione & tribulatione constituta Agar, quid facit? recurrit, inquit Sanctus ille, ad Deum, qui misit illi Angelum: *Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine &c. Agar prosperis fulta,* ait Petrus Damianus, *contra Dominam tumuit, afflicta postmodum, & in solitudinibus exul oberrans, alloquium Angeli læta promittentis accepit.* Ex quo concludit quoque D. Chrysostomus: *Discamus,* inquiens, *quantum sit in afflictionibus lucrum, quanta calamitatis utilitas,* Historiam invenio descriptam; nostroque proposito accommodam:

D. Chrys. ib.

Pulchra historia ad propositum applicata.

dam: Angerius Busbequius, Ferdinandi primi ad Turcarum Imperatorem Legatus missus, refert Epist. 1. quod, cum per Asiam iter suum prosequeretur Constantinopolim versus, in via devenerit ad fluvium Halym, in cujus littore parumper subsistens, interrogaverit villicum quemdam fluvij hujus accolam, num aquæ istæ generarent etiam pisces, nonnullosque aliquando caperent? respondit rusticus, plurimos inibi latere, at captu admodum difficiles esse, quia quoties extenderent manus, quibus arripere conarentur pisces, fugerent illi & avium instar avolarent. Responsum hoc legatus cum risu excepit, jussitque nonnullos ex famulis, ut retia ibidem exponerent, ac piscarentur; quo executo mandato pisces plurimos ceperunt cum summa rusticorum illorum, quibus incognita erat hæc industria, admiratione & stupore. Casui nostro applicemus quod dictum est: Desiderat summopere Deus capere & prædari animas nostras, quem in finem beneficas suas extendit manus:

Cant. 5. v. 14.

Manus illius tornatiles aureæ plenæ hiacinthis; at tantum abest, ut ab ipso capiamur & in ejus potestatem redigamur, ut potius manus ejus effugiamus:

Ps. 72. v. 7.

Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Nos abutimur bonis fortunæ & naturæ; sub metaphora piscium loquitur de nobis Propheta Habacuc:

Habac. 1. 14.

Facies homines quasi pisces maris. Quid facit Deus? Adversitatum & tribulationum exponit retia, huic immittit infirmitatem, illi amissionem filiorum, alteri inimicitiam, alteri persecutionem, non alium in finem nisi ut ejus subdamur potestati.

Thren. 1. 13.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me, expandit rete pedibus meis. Quantum ad litteram intelligitur de Chaldæis, qui instar piscatorum pluribus in Jerusalem inferebant mortem; quapropter qui tantam spectabant stragem, convertebantur ad pœnitentiam;

Ibid.

Convertit me retrorsum.

Isa. 26. v. 16. Tribulationibus attriti quærunt Deum.

4. Isaiæ cap. 26. legitur: *Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Hac occasione recenset Oleaster, quod Joab tergiversabatur loqui Regi pro Absalone, ut in gratiam reciperetur: *Noluit venire ad eum*, variosque effugij prætextus allegabat;

2. Reg. 14. 29.

At quando Absalon per servos suos jussit igne succendi segetem ipsius Joab, promptissime hic accessit: *Nolebat Joab loqui ad Regem pro Absalon*,

Oleast. ib.

inquit Oleaster, *neque pro eo preces fundere, qui servis suis præcepit agrum ejus incendere, ut incendio agri commotus pro eo apud Regem intercederet. Sic Dominus sanctos suos sui memores facit cum corpora incendit, bona subtrahit, & mala immittit.* Conversio splendidissimi istius Ecclesiæ luminis, sancti, inquam, Augustini certo Sancto Ambrosio adscribenda sit; attamen magna ex parte, veluti ipsemet fatetur in lib. Confess. attribuenda est tribulationibus, quibus visitatus fuit; unde B. Laurentius Justinianus ex lib. Confessionum propria illius adducit verba:

B. Laur. Just. de patien. c. 3.

Tu semper aderas misericorditer sæviens, amarissimis successibus aspergens omnes illicitas jucunditates meas, ut in te quærerem sine offensione jucundari. Scribit deinde idem S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei in horum confirmationem:

S. Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 8.

Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos.

Flagella Dei malos reducunt in viam bonam.

5. Adjungere possumus, flagellum Dei reducere quoque malos & impios ad bonam viam, à qua aberrabant:

Ps. 82. v. 17.

Imple facies eorum &c. Gens illa Hebræa in Ægypto *sedebat super ollas carnium*, nutrita postea cœlesti cibo, non desistebat tamen appetere allium & cepas, infamis illius servitutis cibos; nec umquam etiam à cepis illis abstrahi, & ad fertilissimam terram Chanaan fluentem lacte & melle adigi potuisset, nisi Deus illam duræ servituti & tyrannidi Pharaonis subjecisset, & occupari permisisset *in operibus luti & lateris*; unde D. Chrysostomus:

Exod. 16. v. 3.

D. Chrys. H. 64. ad pop.

Judæi dum luto fuerunt & lateritio operi alligati continue Deum vocabant, post quam vero libere positi sunt, murmurabant, & Deum exacerbaverunt, & se malis infixerunt innumeris.

Ose. 6. v. 1. Tribulatio movet ad pœnitentiam.

6. Oseæ 6. legitur: *In tribulatione sua manè consurgent ad me, venite, & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Vivificabit nos post duos dies.* Ubi Hugo Cardinalis exponit,

Hug. Card. ib.

mane, id est, *orto lumine pœnitentiæ*, observatque, quod cum filij Israël constituti essent in servitute, Deo se commendabant, dicebantque: *Venite, non contenti salute propria, sese mutuo exhortantur. In tribulatione de peccatis conuiti.* Exponit quoque hoc verbum, *percutiet, ut pius pater per pœnitentiam flagellando, curabit à vulneribus peccatorum.* Dionysius Carthusianus exponit hæc verba: *Vivificabit nos post duos dies, id est, post*

Osea 6. v. 3.

Dion. Cart. ib.

attritionem & invocationem; contritionem quippe præcedit attritio, quam sequitur divinæ pietatis imploratio, tuncque Deus videns hominem fecisse, quod in se est, influit vitam gratiæ, quæ dirimit mortem culpæ. Sed hæc pœnitentia, hæc conversio unde oritur? *In tribulatione sua &c.*

Isa. 26. 16.

Hug. Card. ib. Flagellis contusi quærunt Deum.

7. Hugo Card. in textum ex Isaiæ cap. 26. supra etiam adductum: *Domine in angustia requisierunt te*; scribit, *id est, requirent te, quasi dicat, percute eos, & flagella; quia aliter non requirent te*; unde Ps. 82. *Imple facies eorum ignominia &c.* ubi etiam allegat textum ex Jer. cap. 2. *In tempore afflictionis suæ dicent, surge, & libera nos.* Dionysius Carthusianus in eumdem textum scribit:

Ps. 82. 17.

Jerem. 2. 27.

D. Carth. in Isaiam.

Adhuc probat Propheta, quod utile sit, malos per tormenta doceri, quod Deus sit justus; Domine in angustia requisierunt te, tamquam dicat, ô Domine, ecce electi, de quibus dicis: Visitabo in virga iniquitates eorum, & ego, quos amo, arguo & castigo, tempore suæ castigationis & angustiæ misericordiam tuam imploraverunt, quemadmodum Jeremias loquitur: castigasti me, & eruditus sum.

Jerem. 31. 18.

Hebræi varijs infirmitatibus afflicti, quærebant & sequebantur Christum.

8. Hebraismus inimicum & hostem se declaravit sui Messiæ ad ultimum usque, præcipue, quando coram Pilato præposuit ei Barabbam, nec alium agnovit ac proclamavit regem nisi Cæsarem; invenimus nihilominus easdem turbas clamasse: *Propheta magnus surrexit in nobis. Bene omnia fecit. Hosanna filio David, benedictus &c.* Hoc tamen non obstante alta voce clamarunt: *Tolle, tolle, crucifige.* Unde orta fuit hæc mutatio? in promptu responsio est: *Sequebatur eum multitudo magna, qui videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Obruebantur infirmitatibus, surdi, muti, cæci, claudi, paralytici, obsessi à Dæmone, similesque personæ tribulatæ Christum sequebantur: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*; ac principes Synagogæ qui in prosperitate vivebant, ei se opponebant, nec credebant, sed contra ipsum semper protestabantur: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Sudant in Cathedris Concionatores toto anni decursu, ut peccatores reducant ad pœnitentiam, concurrunt ad operis hujus promotionem nonnulli devoti & zelosi, amici, parentes, alijque magnæ auctoritatis viri, suam quoque interponunt auctoritatem & operam Episcopi, ut corrigantur discoli & scandalosi; at plerumque sine fructu & frustra laboratur. Verum sinistrum eveniat accidens: *Imple facies eorum ignominia*, efficacissima hæc erit concio & exhortatio: *Quærent nomen tuum Domine. Cum occideret eos*, ait Psalmista, *quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

Luca 7. v. 16.

Marci 7. 37.

Matth. 21. 9.

Joan. 19. 15.

Joan. 6. v. 2.

Ps. 15. v. 4.

Joan. 48. v. 7. & 8.

Ps. 82. v. 17.

Ps. 77. v. 34.

Tribulatio comparatur sali.

9. Matth. 5. ostendit Salvator noster damnum illud, quod consurgit ex mala vita eorum, qui ratione officij tenentur alijs prælucere bono exemplo: *Quod si sal evanuerit*, inquit, *in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quem textum nonnulli ingeniosi interpretantur hoc modo: Quando hi cum vilipendio proscribentur & mittentur in exilium, despicientur, conculcabuntur, tunc agnoscent Deum, seipsos, & agent pœnitentiam: *Imple facies &c. Nisi natura nostra fragilis* (est conceptus S. Bernardini) *saliatur mari, id est, amaritudine tribulationum sæculi, fit putrida & corrumpitur, sicut carnes, quæ non sale condiuntur, putrescunt.*

Matth. 5. 13.

S. Bern. ser. 8. in Quadr.

Ps. 118. v. 71. David per afflictiones profecit in perfectione.

10. *Bonum mihi*, dicebat David, *quia humiliasti me:* & quis fuit fructus hujus depressionis & humiliationis? *Ut discam justificationes tuas.* Prosperitas triumphorum, quos de inimicis reportaverat, obsequium & homagium populi, thesauri, quos possidebat, propagatio suæ prosapiæ, applausus mundi magno ei fuere præjudicio ac detrimento, imo præcipitem dederunt in adulterium & homicidium; ast per rebellionem Absalonis & punitiones divinæ justitiæ multum profecit in via perfectionis, austeramque illam egit pœnitentiam, cujus amplissimum exhibent testimonium Psalmi sui pœnitentiales: *Dum exterius percutimur* (ait D. Gregorius) *ad peccatorum nostrorum memoriam tacite afflictique revocamur, & per hoc quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus.*

S. Greg. 2. p. pastor. adm. 13.

DISCURSUS XII.

ARGUMENTUM.

Tribulatio patienter tolerata solvit pœnas debitas pro peccatis, & ab ijsdem nos expurgat.

THEMA,

THEMA.

In tempore tribulationis peccata dimittis. Tob. 3. v. 13.

Tribulatione patienter toleratæ remittuntur peccata, eorumque pœna.

1. INcomparabile bonum hoc est, quod ex tribulatione oritur, videlicet peccatorum remissio, & emendatio: Remissio, quia solet esse stimulus ad compunctionem, veluti discursibus præcedentibus probatum est. Præterea propter meritum illius aboletur pœna temporalis peccatis debita. Ubi observandum, quod, postquam sacerdos dedit absolutionem Sacramentalem, profert inter alia etiam hæc verba: *Quidquid mali sustinueris &c.* Etenim Theologorum præstantissimorum opinio est, & quidem valde fundata, quod tribulationes, esto proveniant à causis naturalibus, non immissæ à divina justitia, veluti infirmitates propria culpa causatæ, fames, annonæ caritas, bella, terræmotus, & aliæ hujusmodi adversitates, cooperentur solutioni pœnarum peccatis nostris debitarum, si tamen patienter eas feramus. Legimus propterea hanc decisionem in Concilio Tridentino:

Conc. Trid. Sess. 14. c. 9.

Non modo nos satisfacere pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis. Ubi Concilium requirit, ut tribulationes sint à nobis acceptatæ & patienter toleratæ. Hinc etiam Glossa interlinearis nos monet:

Gloss. interl.

Non dimittit Deus peccata nisi in tribulatione & contritione cordis, unde cor contritum & humiliatum Deus non despicit; verum quia propter imperfectionem contritionis pœnæ temporalis debitores sumus, hæc propterea purgatur & solvitur per adversitates & ærumnas hujus vitæ patienter toleratas.

Lyran. ibid. Tribulationes sunt medicinæ peccatorum.

2. Pœnæ, inquit Lyranus, sunt quædam peccatorum medicinæ. Amaræ quidem sunt medicinæ; at purgant nos à malis humoribus sanitati nocivis; eumdem prorsus operantur effectum tribulationes in animabus, purgant illis ab inordinatis effectibus, à peccatis, à pravis inclinationibus, à malis habitibus antea contractis. Unde S. Bernardus de modo bene vivendi tradit hoc monitum:

S. Bern. c. 43. de modo bene vivend.

O sponsa Christi, vis à peccatis tuis purgari? in pœna te accusa, & Dei justitiam lauda. Ad purgatorium tuum sufficit si ea, quæ pateris, ad justitiam Dei retuleris. Quamvis nonnumquam tribulatio sit partus culpæ, attamen si hanc detestetur, & libenter amplectatur pœnam sibi obtingentem, Deus illam recipit in gradu satisfactionis. Quocumque modo, quacumque via provenit tribulatio, si à nobis suscipiatur cum patientia, prodest nobis & creditur. Audiamus S. Vincentium Ferrerium:

S. Vinc. Ferr. in Dom. post. oct. Paschæ.

Licet tribulationes veniant ultra cor, tamen si patienter recipiantur, de illis homo potest solvere plus quam cum jejunijs & orationibus.

3. Docet Angelicus Doctor, summam Dei esse misericordiam, quod justi in præsenti vita affligantur & adversitatibus visitentur, *in quantum per hujusmodi afflictiones aliqua levia in eis puniantur, & ab affecta terrenorum magis in Deum eriguntur.* Quæ ratio etiam militat in male viventibus, qui ab angustijs & calamitatibus pressi convertuntur ad pœnitentiam, & per viam adversitatis à Deo immissæ mundantur à maculis peccatorum præteritorum. Gerson tractatu, cui titulus, *contra sectas flagellantium*, scribit:

D. Thom. 1. p. q. 22. art. 4. ad 3.

Summa Dei misericordia est quod justi affligentur tribulationibus.

Gers. T. 1.

Satis esset tolerantia fortis tribulationum hujusmodi quotidianarum pro purgatione magna peccatorum, præsertim adjuncta contritione & humili confessione, in re, vel proposito, tempore & loco, juxta quod rogabat quidam: Fiat pars purgationis meæ purgatorium meum, labor quo hic per singulos dies exerceor. Et profecto sic est. Plus aliquando valet pia flagellorum Dei sub ejus manu tolerantia sine murmure, sine reprehensione divinorum judiciorum, sine rancore, vel odio contra superiores suos, vel alios affligentes se juste vel injuste, quam si manens iracundus vel impatiens nudum flagellaret seipsum ad sanguinem.

Tribulationibus lavantur animæ à vitijs.

4. Tritum proverbium est, quando quis cum alio expostulat, audacter alteri probrosa objicit, severeque errores suos ei manifestat & improperat, dicere solet: Ego dedi ipsi bonam lotionem capitis, vel, ego lavi ipsi caput sine sapone: *Ipsa tibi plebeja vox*

S. Joan. Clim. gr. 8.

(inquit S. Joannes Climacus) *persuadeat, probrum & contumeliam lavacrum esse vitiorum animæ, solent enim sæculares, cum aliquem in faciem ignominijs & contumelijs resperserint, gloriantes ad alios dicere, lavi illum, quod profecto verum est.* Audacter à Deo petijt Propheta David veniam peccatorum:

Ps. 64. v. 4.

Impietatibus nostris tu propitiaberis. Usus est modo imperativo; & vero unde tanta procedebat fiducia petendi & prætendendi hanc remissionem, hanc indulgentiam, non aliquarum imperfectionum, non levium culparum, sed impietatis: *Verba iniquorum prævaluerunt super nos.* Quando David ab inimicis suis impetebatur improperijs, convitijs & calumnijs, nihil prorsus commovebatur ad impatientiam, sed unus & idem constanter perseverabat in sua mansuetudine & patientia, & hujus virtutis exercitium dignum ipsum reddebat omnium peccatorum remissione & venia.

Continuatur similitudo lotionis.

5. Qui pannos lineos lavat, eos verberat, concutit, trahit, extendit, jam calcem adhibet, jam bullienti eos intingit lixivio, mox omni vi aquam exprimit. Audite S. Nylum:

S. Nylus c. 13. de orat.

Ne recuses imitari fullones, qui et si calcando tundunt, nihilominus tamen ab eis albescit vestis. Qui ab anima tollere desiderat maculas peccatorum confessorum, quæ in ea propter contritionis imperfectionem remanserunt, non amoveat à se ignem, calcem, ictus & verbera tribulationum, *ab eis albescit anima.* D. Gregorius nonnullas alias adducit similitudines omnibus notas:

S. Greg. M. Hom. 15. in Evang.

Aliæ similitudines ad idem propositum.

Si oliva contusionibus pressa amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit; sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt. Quisquis igitur appetit plane vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare; ut tanto post ad judicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. Damnum, quod ignis confert rubigini ferri, infert pariter tribulatio maculis & sordibus peccatorum; sicut enim flamma destruit & tollit rubiginem, ita adversitates idoneæ sunt ad animas mundandas à sordibus, quotiescumque patienti animo tolerantur.

6. Blosius tres tangit fructus tribulationis, & primus est, quod nos mundet à peccatis: Quod scribit, ubi tractat de consolatione pusillanimium:

Blos. c. 2. de consol. pusill.

Flagella Dei proveniunt ex ipsius misericordia & amore.

Adversa frequenter immittuntur à miserante Deo, quo nos vel purget à malis admissis, vel retrahat ab admittendis, aut ut virtutis exercendæ materiam subministret. Idem author in Paradiso animæ, eumdem tangit effectum dicens: *Purgat, expolit, animam ab omni macula, & probat te Deus, non deserit. Juxta est enim Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Nescis tu modo fortassis, quare jam te castiget, & conterat; sed ubi ad eum perveneris, tunc agnosces flagella ista, quibus nunc te exercet, ex mero suo amore fuisse profecta.* Hoc idem punctum tetigit quoque B. Laurentius Justinianus, cum agit de resurrectione spirituali animæ:

Idem in Parad. animæ c. 9. n. 7.

B. Laur. Just. l. 2. de spir. an. resurr.

Pius namque pater, inquit, *de emundatione nostri solicitus, nunc peccandi occasiones amovet, nunc per flagellorum irrogationem facinora perpetrata detergit, quatenus regni illius mereamur expeditius esse consortes.*

Deus pro animabus legem prævaricantibus duo constituit purgatoria, unum in hac vita per tribulationes, alterum ignis in futura.

7. Imaginemur nobis, Deum pro animabus, quæ in præsenti vita legem Divinam prævaricantur, constituisse & ordinasse duo purgatoria, antequam mundæ & purificatæ transeant ad gloriam; unum est in hac præsenti vita, nempe, tribulatio, calamitas, ærumna, afflictiones, quæ nos invadunt in hac lachrymarum valle, sed cum patientia toleratæ; alterum est ignis purgans; qui jam primum pertransit, non indiget secundo. S. Hieronymus scribit Blesillæ: *Aut sancta es, & probaris; aut peccatrix, & injuste quæreris, minora sustinens quam merearis.* Huic nostro proposito inserviunt quoque verba nonnulla Senecæ, consideratione digna:

S. Hieron. ib.

Seneca de ira c. 27.

Si volumus, ait, *æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa*; hac supposita veritate sequitur: *Hinc enim maxima indignatio oritur: Nihil peccavi, nihil feci, imo nihil fateris, indignamur aliqua admonitione aut coërcitione nos castigatos, cum ipso tempore peccemus, cum adjicimus male factis arrogantiam & contumaciam. Quis est iste, qui profitetur se omnibus legibus innocentem?* Unde ipsi etiam idololatræ & gentiles nullo prorsus modo mirabantur vitæ hujus miserias & adversitates, eo quod respiciebant transgressiones & peccata, quorum homo reus esse solet.

8. Doctrinam tradit S. Ambrosius huic materiæ, quam pertractamus, aptissimam:

S. Ambr. in Ps. 118. oct. 18.

Magno nostro emolumento ignis æternus commutatur adversis & tribulationibus.

Vulgus hominum injuste se putat tolerare, quæ patitur. Vulgus, dicit, quod bene notandum est, quia hoc non solet habere discretionem & notitiam rerum Divinarum; *at vero vir justus, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, justitiam Domini prædicat, quod peccatis suis digna patiatur.* Magnum est emolumentum, quando ignis æternus commutatur in temporalem, & ille etiam commutatur adversitatibus & tribulationibus hujus mundi; Et hoc fortassis intellexit Dominus, quando ait per Prophetam Isaiam:

Isa. 48. v. 10.

Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum; elegi te in camino paupertatis; quasi vellet dicere, quod eum non adussisset & afflixisset igne purgante,

gante, veluti promeritus esset; bene quidem pauper-
tate & adversitate vitæ hujus. Exhortabatur D.
Chrysostomus animam aliquam ad reprimendum
S. Chrys. H. 61. ad pop. peccatum, quando dicebat: *Non tribulari malum est; sed malum est peccare*; tribulatio magnum bonum est ei, qui Deum offendit, quia aut nos præservat à lapsu, aut certe id efficit, ut cum merito illius tribulationis patienter toleratæ satisfaciamus debitis contractis. Vis remissionem invenire? petit idem Chrysostomus, *Hic propter Christum tribulare. Hanc remissionem par nihil*; quæ verba sunt magni ponderis; nihil est, quod æquiparari possit cum meritis & satisfactione ejus, qui patienti & bono animo patitur tribulationes.

Tribulatio purgat electos, & evertit impios S. Th. de Vill. Ser. de SS. Cos. & Dam. Isaiæ 1. v. 25.

9. S. Thomas sermocinaturus de hac materia hunc instituit sermonem: *Tribulatio purgat impios non solum à peccatis, sed & ab affectibus mundanorum.* Prosequitur deinde: *Est tribulatio sicut ignis purificans electos, & auferens ab eis omnem scoriam & pulverem, & excoquens eos velut argentum & aurum, ut per Isaiam dicitur: Ego convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum &c.* Pro majori horum declaratione profert similitudinem valde appositam: *Sicut vasa aurea & argentea si haberent sensum, quando tunduntur & incendantur ab artifice suo, conquererentur; sed postea ei gratias agerent pro suo decore; ita & sancti, licet sentiant Dei flagella, postea lætantur & Deo gratias agant, nec solum purgât, sed examinat & probat, nam eodem igne quo purificatur argentum, palea comburitur. Tribulatio quæ purificat electos, evertit impios, nam in tribulatione positi irascuntur, blasphemant, indignantur & furiunt.*

Omnes indigemus emendari & purgati tribulationibus. 1. Joan. 1. 8. S. Bern. T. 1. ser. 8. art. 1. & 2.

10. Quod hucusque dictum est, confirmat S. Bernardinus Sermone quodam, ubi adducit textum illum S. Joannis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos &c. Et insuper et si forte mortalibus culpis quandam, in præsenti non sint adstricti, fuerunt tamen in eis præterito tempore inretiti, propterea merito indigent emendari atque purgari; Hieronymus ait, rubigo peccati sine igne tormenti consumi non potest*; pro cujus declaratione similitudines quasdam intellectu faciles in medium adducit: *Sicut novacula pili superflui de corpore amoventur, & acutis pectinibus purgantur lanæ & capita à fœcibus suis, & panni acrimonia saponis & lixivio, aut fullonum herbis mundari solent: Sic justorum mentes à tribulationibus toleratis; unde Malachias 3. de Domino*
Malach. 3. 3. *ait: Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Omnes vitæ hujus adversitates & pœnæ instar unius scintillæ sunt comparatione purgatorii, cujus pœnæ non distinguuntur ab igne infernali, nisi solum quoad æternitatem: *Durissimum*, ait S. Augustinus
S. Aug. ser. 41. de SS. de igne purgante, *quam quidquid pœnarum possit in hoc sæculo aut videri aut sentiri, aut etiam, quod est maximum, cogitari.* Annon igitur inæstimabile donum hoc est, quod nobis benignissimus Deus exhibet, cum pœnas alias debitas commutat in tribulationes & adversitates hujus vitæ.

DISCURSUS XIII.

ARGUMENTUM.

Certum habemus amoris Divini signum & pignus, cum emendamur, & tribulationes patimur,

THEMA.

Ego quos amo, arguo, & castigo. Apoc. 3. v. 19.

Tribulationes sunt signum amoris Dei.

1. ILle pater, quem quotidie invocamus, rogamus, *Pater noster, qui es in cœlis*; in Apocalypsi nobis manifestat & revelat, castigationes tribulationesque hujus miseræ vitæ esse signum amoris & emendationis: *Ego quos amo, arguo & castigo.* S. Ambrosius in
S. Ambr. l. 4. in Luc. 4. Lucam scribit: *Multæ tribulationes, non quoramcumque sed justorum. Denique quos diligit Dominus, sæpe castigat.* Paterfamilias filios, qui correctione indigent, perenter & corripit, non curat famulos, malis etiò sint imbuti moribus, quia non amat illos affectu paterno, sed solum *tollit quod suum est*, nempe fidelitatem & expeditionem servitii, *Justum ideo flagellat*
Petr. Blef. in Ep. 138. *Deus* (Petri Blesensis verba sunt) *& tam prospera, quam adversa circa eam paterna moderatione dispensat, ut homo se cognoscat, ut suos excessus corrigat, ut alios suo exemplo deterreat, ut virtutis hominibus innotescat, ut vexatio det intellectum ad cautelam, cautela verò ad gloriam & coronam cedat.*

Per tribulationem purgatur homo.

2. B. Laurentius Justinianus in consideratione hujus textus Evangelici: *Omnem palmitem in me, non*

ferentem fructum, tollet eum: Et omnem qui fert fruc-
Joan. 15 v. 2. *tum purgabit eum; ut fructum plus afferat*; scribit de
B. Laur. Just. de patien. c. 3. tribulatione sequentia: *Hæc hominem purgat, ideo Dominus omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit; ut fructum plus afferat; omnipotens enim Deus electorum suorum adversarios temporaliter permittit exercere, ut per malorum sævitiam expurgetur vita bonorum; numquam quippe Dominus adversas bonos permitteret malos sævire, nisi etiam, quantum proficerent, videret.* Pater semper expectat emendationem filiorum, qui nondum sufficienti necessariaque instructi sunt disciplina; non permittit tamen, ut correctio & pœna excedat, & excedendo impediat eorum profectum. Ostendit dein-
Sufferentia adversitatum est donum Dei. de idem Justinianus sufferentiam adversitatum esse donum Dei, ex quo proinde sequitur, esse effectum amoris, tametsi in querelas erumpamus: *Et tamen cum corripimur à Domino, donum ipsius consideare negligimus, & de tribulatione murmuramus:* S. Antonius de Padua figura undarum marinarum declarat tribulationes, unde hanc deducit moralitatem: *Nota fluctus*
S. Anton. de Pad. in Dom. 1. Quadr. *maris pisces allidunt, & suo nota reddunt meliores; & sic tribulatio amava dum non sinit in voluptatibus vitam quietam ducere, sed continuæ agitat & affligit; parturem reddit hominem à peccatis, & perfectionem per patientiam quam tribulatio operatur.*

3. S. Bernardinus Sermone, cui titulus, *quare malis adversa dentur*, multos & varios enumerat adversitatum effectus, inter quos primo loco ponit emendationem vitæ: *Septem*, ait, *sunt justitiæ, quæ exercentur à Domino per flagella*; Prima correctionis. Blosius Dia-
S. Bern. T. 3. Emendatio vitæ est effectus adversitatum. logum refert inter Sapientiam divinam & Beatum Henricum Susonem; verba æternæ Sapientiæ sunt sequentia: *Non vellet sapium illi qui umquam gravate & cum querimonia quamlibet afflictionem ferunt; omnino*
Bloss. de cons. sol. pusill. c. 24. *enim paterna castigatio & virga mea ex maximo amore proficiscitur, & vere suavis ac benigna est, ut non immerito felix ille censendus sit, à quo illam numquam retraxero.*
Afflictiones sunt signum paterni amoris Dei. *Afflictio, inquam, non ex aliqua daritie, aut asperitate mea, sed ex amore tenerrimo ac benignissimo trahit originem.* S. Bernardinus alio quodam Sermone respondet illis, qui capere nequeunt, qua ratione afflictio in tri-
S. Bern. T. 4. ser. 8. extrav. p. 2. princ. bulatione sit paterni amoris signum: *Signum, per quod tu perpendis, sit Deus diligit te, est, si portas patienter tribulationes, quia quos amo arguo. Sed tu poteris dicere: Qualis est iste amor, si Deus tribulat amicos suos infamia; adversitatibus & tribulationibus?* Et respondet appositа quadam similitudine: *Sicut medicus purgat vulnera vulneribus, sic Deus &c.* Medicus omni studio & conatu lethale aliquod curaturus vulnus, exiguum fortassis exhibebit amoris affectum, si, ut curet vulnus, utatur ferro, igne, incisionibus, & corpori afflicto aliud inferat vulnus; Christus Dominus Medici nomen sibi attribuit, & optime novit, quæ nobis expediant remedia, curandisque nostris spiritualibus infirmitatibus sint proficua. Unde idem Bernardinus docet, ubi agit de tribulatione: *Dantur ad purgandum affe-*
Idem Tom. 1. ser. 8. art. 1. *ctiones, quibus sæpius mens mundanis & transitoriis inhæret, scilicet, in temporali gaudio, dolore, spe, timore, odio & desiderio. Sicut sarculo spinæ & nocivæ herbæ evelluntur de satis, sic radicales affectiones animam corrumpentes de mentibus justorum tribulationibus excin pantur.*

Subtractio virgæ Dei dum illam meremur, est pessimum signum. 4. Pessimum signum est, quando Deus parcit nobis, nec adhiber virgam correctionis suæ, tunc vel maxime, quando eam promeremur. Audite S. Hieronymi doctrinam in Isaiam: *Quibusdam vehementer*
S. Hier. l. 17. in Isa. 64. *iratus à percutiendo manum suspendit, & loquitur; Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint. Flagellat enim omnem filium quem recipit, & ad hoc percutit, ut emendet. Denique qui nequaquam vocabulum filiorum perdiderum, sed per pœnas retrahuntur ad pœnitentiam, dicit de eis: Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis, est enim tristitia quæ ducit ad vitam, & est tristitia quæ ducit ad mortem*; unde *& peccator loquitur in Psalmo: Declinare feci sti semitas nostra à via tua, & humiliasti nos in loco afflictionis*; & *per quadraginta annos errat populus in deserto, ut priorem viam non inveniat, nec ad Ægyptios revertatur. In Osea quoque septuntur semitæ Jerusalem, & claudantur spinis, ne sequatur amatores suos, & necessitate compulsa revertatur ad virum suum priorem.* Eumdem textum Oseæ allegat S. Thomas de Villa Nova: *Ego sepiam viam*
Ose 2. v. 6. S. Th. de Vill. Ser. de SS. Cos. & Dam. *tuam spinis, ... Ibis post amatores tuos, & non apprehendes eos, & dices, revertar ad virum meum priorem, quia melius erat tunc, quam nunc.* Abundantia rerum temporalium, felicitas mundana, divitiæ peccatorum & cupiditatum sunt irritamenta & incentiva; quia ergo Deus optime

gnos & castigo. Unde esse afflictum in hac vita est pignus divinæ gratiæ; *Conscidisti saccum meum*, dicebat regius Propheta, at quo fructu? *Et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea.*
Ps. 29. v. 12.

Qui tribulationibus premuntur fiunt magni amici Dei. 8. Quando Rachel genuit Benjamin, imposuit illi nomen *Benoni*, quod idem est ac *filius doloris*; verum Jacob Dei inspiratione nominavit ipsum *Benjamin*, quod idem est ac *filius dexteræ*. Documentum hoc fuit, quod magni futuri sint amici Dei, & ab eodem collocandi tamquam filii ad dexteram, qui primo adversitatum fuerint participes: *Participes in tribulatione*
Apoc. 1. v. 9. *& regno. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Bene insuper observat & notat D.
Ps. 90. v. 15. Ambrosius, frumentum æqualiter distributum fuisse inter fratres, at calicem Benjamino datum duntaxat, qui plus cæteris diligebatur; & hunc amorem noluisse Joseph ostendere, nisi prævia illa mortificatione & confusione: *Multis datur triticum, uni scyphus, non enim*
S. Ambr. l. de Joseph. c. 11. *omnes, sed Propheta dicit: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Joseph typus Christi multis adversis exagitatus, ut obtineat folium regni, factus Salvator Ægypti. 9. Verum cum jam Josephi facta sit mentio, nullus est, qui ignorat eum Christi Domini nostri extitisse typum & figuram; sicut enim ille Ægypti; ita mundi Salvator Christus. Notare hoc insuper, quod, quia Deus ipsum valde diligebat, ideo disposuit, ut pluribus & varias perpessus fuerit calamitates & miserias; siquidem adhuc juvenis summam fratrum suorum incurrit & subijit invidiam & odium, qui eum ad mortem usque persecuti fuerunt; posuerunt in cisterna, & tamquam mancipium vendiderunt; neque hic finis tribulationum suarum, sed postea injuste accusatus fuit ab adultera & calumniam passus innocentissimè, conjectus in carceres & vincula, & propterea de Deo asserit: *Deseruitque eum illa in fovea, &*
Sap. 10. v. 13. *in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni.* Dicebat Apostolus edoctus ipsa experientia: *In*
2. Cor. 4. v. 8. *omnibus tribulationibus patimur, sed non angustiamur*; Ubi S. Anselmus scribit: *In omnibus tribulationum mo-*
S. Anselm. ib. *dis affligimur, quoniam vincula, carceres & verbera, & omnium tribulationum genera, in corporibus nostris sustinemus, sed non angustiamur, imo dilatamur amplioris latitudine cordis, ut spatietur animi libertas.* Amor paternus, quo Deus animas electas intrinsecus amat, adeo lætificat & consolatur illas, ut vel amaritudinem adversitatum non sentiant, aut illis propter amorem suum gaudeant, easque desiderent, ut divino suo beneplacito se conformentur.

DISCURSUS XIV.

ARGUMENTUM.

Disciplina & virga tribulationum paterni amoris Dei erga nos indicium est.

THEMA.

Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hebr. 12. v. 6.

Virga calamitatum perficit nos filios Dei. 1. S. Apostolus in dicta Epistola non solum Hebræis, sed omnibus Christi imitatoribus insinuat, quod castigati virga adversitatum calamitatumque miseranda vitæ hujus divina gaudeant filiatione, & à Deo tenerrime diligantur: *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. O servum illum beatum* (exclamat Tertullianus) *cujus emendationi Dominus insistat, cui dignatur irasci,*
Tertull. l. de patien. c. 11. *quem admonendi dissimulatione non decipit.* Observentur verba illa mysterio haud vacua: *Cui dignatur irasci.* Summus enim honor nobis exhibetur, quod Deus in hac vita nobis ostendat severitatem suam, quia *cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur.* Præterea conformiter cecinit Psalmista (qui ait alio in loco: *Virga*
Ps. 22. v. 4. *tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*) *ira in indignatione, vita in voluntate ejus. Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

Tribulationibus exercitati cordialius à Deo diliguntur. 2. Specialis mancipiorum erat prærogativa antiquitus, cum è Dominorum suorum manibus verbera excipiebant; *O servum illum beatum, cui dignatur &c.* Salvator noster vice quadam animam sibi dilectissimam variis probavit afflictionibus & calamitatibus; at pro consolatione sua dixit ei: Perdilecta filia, quando te amplexor, sinistræque vulnerati pectoris mei parti apprimo & astringo, signum illud est, cordi meo te esse propinquiorem. Sinistra pars figura tribulationis est, uti & sinistrorum accidentium; in his si exercitati fuerimus, indubie cordialis ejus dilectionis magis magis que participes erimus, *quem enim*

diligit Dominus, castigat. Matres & nutrices filiolos sinistræ parti pectoris admotos arctiori brachiorum complexu stringere solent; eodem modo Deus: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos*; parti sinistræ pectoris nos tenet admotos, at amoris indicium est. Medicinis amaris curantur infirmitates, si suos nutricis instar arctiori brachij sinistri stringebat amplexu, & cordi appressos gestabat, ergo ærumnis & calamitatibus premebat, affligebatque, sed illud bonum signum est, quod cordi eos impressos habeat.

Osea 11. 3.

Adversitates sunt paterna disciplina. B. Petr. Dam. l. 2. Epist. 6.

3. Consideratione digna sunt, quæ exponit B. Petrus Damianus: *Adversitatis, inquit, cujuslibet tentatio, non servilis est tortura, sed paterna potius disciplina, unde & B. Job inter ipsa verberum flagella cum diceret, qui cœpit, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me; protinus addidit, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Magna quippe electis Dei est consolatio ipsa divina percussio, quia per momentanea flagella quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam, firmis spei gressibus convalescunt.* Sapiens disciplinam conjungit cum amicitia & gratia Dei: *Invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo.* Deinde animæ fideli consulit dicens: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, ne deficias cum ab eo corriperis, Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.*

Prov. 3. v. 4. Ibid. v. 11. Ibid. v. 12.

Adducitur differentia qua Pater & mater feriuntur in educatione filiorum. Seneca lib. de provid. cap. 2.

4. Differentiam, quæ solet esse inter patres & matres quoad instructionem filiorum, pulchre assignat moralis Seneca, asserens: *Scias licet idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur; quidquid accidit, boni consulant; in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras interest. Non vides quanto aliter patres aliter matres indulgeant; illi excitari liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus, non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis & interdum lacrymas excutiunt; at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam tristari, numquam laborare. Patrum habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, doloribus, & damnis exagitantur, ut verum colligant robur.* Quid melius & excellentius dixisset Chrysostomus? Ecce in quo consistat solidus amor, & verus amor patris, quod, videlicet, filios suos contineat in exercitio laboris, sudoris, sive operationum laboriosarum, alienatos & sequestratos à delicijs, voluptatibus, & propria voluntate, pravisque moribus & inclinationibus.

Bosquier. Desidia studiosum excutitur virgis.

5. P. Philippus Bosquierus Franciscanus refert, quod tempore illo, quo studijs operam dabat, præceptorem suum accesserit pater quidam conducens secum filium suum, ut cum illius subjiceret disciplinæ & instructioni, quem in finem filium sapientis hujus Magistri curæ & diligentiæ omni fervore commendabat. Acceptavit Magister discipulum; at simul explicato pallio ostendit, obtulitque ei virgas, dicens, quod si istæ non forent sufficientes, adhuc plures alias in promptu haberet, quibus ipsum ad progressum in studijs faciendum excitaret, emendaretque. *Stultitia colligata est in corde pueri*, ait Sapiens in Proverbijs; *& virga disciplinæ fugabit eam. Stultorum infinitus est numerus*, legitur alibi. Instar puerorum sumus sine discursu & judicio, etenim facillime permittimus nos superari & seduci ab inordinatis nostris passionibus.

Prov. 22. 15.

Indomitum hominem domat Deus adversitatibus. S Aug. ser. 4. de Verb. Dom.

6. Huc respiciebat D. Augustinus, quando talem formabat discursum: *Equus non se domat, elephas non se domat, aspis non se domat, sic & homo non se domat; sed ut dometur equus, bos, camelus, elephas, aspis, leo, quæritur homo; ergo Deus quæratur, ut dometur homo.* Ad compescendum & domandum hominem, qui præceps curreret in profundissimum vitiorum barathrum, necessarium est frænum, quo retineatur: Necessaria virga, qua compescatur. Summopere conquerebatur filius ille de patre suo, quod liberalem se erga fratrem suum, qui totam suam dissipaverat & prodegerat substantiam; parcum vero erga ipsum se exhiberet: *Numquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Verum hæc paterna severitas, qua filium querulum continuit in fræno, tenerrimi paterni affectus fuit; cujus veritas evidenti argumento convinci potest ex propria sua confessione: *Ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi.* Econtra alter filius prodigus, cui habenæ laxatæ fuerunt, *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Observate, quo nomine pater compellet eum, quem continuerat in disciplina sua: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* S. Theresia manifestum esse voluit, toto tempore vitæ suæ innumeris se subjectam fuisse afflictionibus: Semper observatum est, eos qui Christo Domino viciniores & propiores fuere, plus alijs laboribus & adversis lancinatos fuisse & divexatos. Beat. Baptistæ, qui regulam S. Francisci profitebatur, sponsum suum cœlestem dixisse referunt, qui scribunt ejus vitam: *Recordare magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixi, quam dum te tenerem arctissime in dulcissimis brachijs meis. Magnum beneficium est non peccare; majus posse benefacere; maximum & in superlativo grado pati malum.*

Applicatur parabola filij prodigi. Luc. 15. 29. Ibid. Ibid. v. 13. Ibid. v. 31. Vita S. Ther. Tomas. p. 4. l. 7. c. 24.

Petr. Blès. in Job. 2. Tribulationes sunt flagella misericordiæ Dei erga electos & amicos suos.

7. Petrus Blesensis in cap. 2. Job scribit: *Flagellum misericordiæ est, quando ad vitæ probationem, ad profectum virtutum, ad augmentum coronæ, corpus affligit hominis, aut bona temporalia subtrahuntur. Hoc flagello flagellat Dominus omnem filium, quem recipit; ego, inquit, quos amo, arguo & castigo. Hoc flagello percutiebat Dominus filios Israël, quando peccabant in adinventionibus suis, & erat eis etiam inter flagella propitius: Deus, inquit Psalmista, tu propitius fuisti eis, ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Ast si populo huic immittebat tribulationes & pœnas ultrices, qua ratione verificari poterat, Deum illis fuisse propitium? *Quem diligit Dominus castigat, flagellat omnem filium quem recipit.* Quis Deo gratior & acceptior innocente Abele, qui in genere humano fuit primitiæ æternæ electionis ad gloriam? Nihilominus eum ab impio Caino occidi permisit, neque defendit a tam iniqua oppressione. Ipsum Noë, quamdiu fabricavit arcam, id est, centum annorum spatio, ab impijs istius temporis hominibus, & postea in sua incauta nuditate à filio permisit illudi & subsannari. Permisit Isaiam secari, Jeremiam lapidari, transfigi Michæam; clavo configi tempora Amos Prophetæ; permisit Danielem bis in lacum leonum, tres pueros in ardentem fornacem projici; permisit Josephum vendi à fratribus, affici summa calumnia à sua Domina, tamquam reum carceri mancipari; permisit persecutiones, quas passus est David à Saul, deinde ab Absalone, & tamen hi omnes magni Dei amici erant, præsertim vero David, qui, teste ipsomet Deo, homo fuit secundum cor Dei.

Hebr. 12. 6. Patet hoc in varijs sanctis.

Differentia tribulationum est effectus amoris Dei. B. Laur. Just. c. 8.

8. B. Laurentius Justinianus in fasciculo amoris probat sufferentiam tribulationum esse effectum amoris Dei, cum asserit: *Quanti sit meriti ejusmodi purgatio, eisdem intimavit dicens: Omnis autem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ.* Quantæ æstimationis sunt bona illa & emolumenta, quæ redundant in filios ex bona educatione: Omnia plerumque effectus sunt virgæ & disciplinæ, quos tam patribus, quam magistris acceptos referre tenemur: *Magnum est bonum tribulatio* (ait S. Chrysostomus) *& hoc ex nostris discimus filijs, nam absque tribulatione nihil utile discerent. Pædagogus noster tribulatio*, sic subdit postea. Accedit doctrina S. Hieronymi in Jeremiam: *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea à te. Per hæc discimus* (observatio ejusdem S. Doctoris est) *quod flagellat Dominus omnem filium, quem recipit, & idcirco plagis atque tormentis eruditur Jerusalem, ut corrigatur, & non recedat anima Dei ab ea, & redigatur in solitudinem. Si quando igitur crebris angustijs subjacemus, recordemur in consolationem nostri istius versiculi.*

S. Chrys. H. 62. ad pop. S. Hieron. l. 2. in Jerem. 6.

Principalis intentio Dei nos flagellantis, est ut nos emendemus & pœniteamus.

9. Calamitates & infortunia universalia non tam à justitia, quam à Dei misericordia nobis immittuntur, quia quamvis eodem tempore Deus intendat & velit, ut nos portemus pœnam iniquitatum nostrarum, principalis tamen ejus intentio est, ut nos emendemus & ad pœnitentiam reducamur: *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Optaret, ut ad tactum ictumque virgæ reverteremur ad divinam suam filiationem. S. Hieronymus cum scribit Marcellæ, prolixumque contexit catalogum supremorum honorum dignitatumque quibus ipsius prosapia illustrata & amplificata fuit, subdit: *Impensius admiramus gratiam, quæ tibi data est, & magnificamus in te Dominum, qui te in laboribus hominum posuit, & salutifero paternæ pietatis verbere visitavit, ut in paucis vexatam, in multis bene disponeret teste Apostolo.* Plena est sacra scriptura probationibus, tribulationes esse excitationes amoris & benevolentiæ divinæ: *Angustia superveniente requirent pacem*, ait Propheta Ezechiel. 7. pax est partus amicitiæ, amoris, & reciprocæ charitatis; translatio Septuaginta habet: *Propitiatio venit.* S. Augustinus

Idem S. Hieron. T. 9. Epist. 4. Ezech. 7. 25.

adversitati

S. Aug. H. 45. Idem Tom. 9. l. 1. de pass. c. 5. Hebr. 12. 7.

adversitati attribuit titulum beneficij, inquiens: *Beneficia hæc sunt divina, non verbera. Contristetur, quem flagella corripere divina non possunt.* Idem in alio loco scribit: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit; si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Nullus reperitur pater, qui filium, quem amat, non emendet & castiget, cum id meretur; ita ait Apostolus: *Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis.* Propositio sane consideratione dignissima hæc est, quod simus filij adulterini, non legitimi, nisi sustineamus virgas tribulationum.

Tribulationibus erudimur ad hæreditatem æternam. S. August. in Ps. 93.

10. Idem S. Augustinus in Psal. 93. confirmat nostrum propositum hisce verbis: *De malis flagellat nos. Ad quam rem flagellat? Utique ad regnum cælorum; flagellat enim omnem filium, quem recepit, & quis est filius, cui non det disciplinam pater ejus? Quod cum facit Deus, ad hæreditatem sempiternam nos erudit, & hoc nobis præstat sæpe de malis hominibus, in quibus exercet & perficit dilectionem nostram, quam vult extendi usque ad inimicos.* Hisce conformia sunt; quæ idem S. Doctor scribit in Psalm. 32. *Ne te sine flagello speres futurum, nisi forte cogites exhæredari. Flagellat omnem filium, quem recipit. Itane omnem? Ubi te volebas abscondere? Omnem, & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid? an omnem? Vis audire quam omnem? etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello.* Adhæc bene notanda est ejusdem Sancti doctrina, quam tradit Serm. 105. de tempore, dicens: *Magis timere debemus, si aut nullas, aut parvas tribulationes in hoc sæculo patimur, quia si Deus flagellat omnem filium, quem recipit, sine dubio quem non flagellat, non recipit; si pro terrenis bonis tantos labores, etiam gravia pecula homines æquo animo patiuntur, quare pro fide & thesauro æterno sumus pigri!* Notanda insuper sunt ea, quæ scribit S. Ambrosius: *Asperioribus exercet pater filium, quam Dominus vernaculum; sed dura patris non æstimantur flagella, qui vult filium meliorem esse quam servulum.*

Idem enar. 2. in Ps. 31. Idem ser. 105. de temp. S. Ambr. in Ps. 118. Oct. 14.

DISCURSUS XV.

ARGUMENTUM.

Tribulatio vitam gratiæ, ac plura alia bona nobis communicat, & in gratia nos confirmat, stabilesque in virtute efficit.

THEMA.

Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me. Ps. 137. v. 7.

Tribulationes conferunt animæ vitam spiritualem. Glossa.

1. SUmma laus tribulationis hæc est, quod in majori suo vigore animam vivificet, veluti asserit Regius Propheta: *Si ambulavero &c.* quem textum Glossa exponit in hunc modum: *Si ambulavero in medio tui; aliter non vivificat nisi in medio tui, unde beati qui lugent.* Non absimilem propositionem legimus in Propheta Isaia: *Corripies me, & vivificabis me.* Tribulationes frequenter eveniunt per viam inimicitiarum, persecutionum, & infirmitatum mortalium, quo igitur modo vitam ex eis haurire possumus, *vivificabis me?* Respondetur, propositionem nostram intelligendam esse de vita spirituali animæ, quia ad Deum nos ire compellunt. Rursus in Isaia legimus: *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te*; cujus apponit rationem; *quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israel, Salvator tuus. Ego sum vita*, ait Deus noster, si dicat se nobiscum esse in tribulationibus, ergo sequitur etiam, quod *vivificabit nos.*

Isa. 38. v. 16. Isa. 43. v. 2.

Exterius afflicti, interius reficiuntur. S Greg. cit. ab Alb. Magn. 1. Reg. 2. 6. Marci 14. 38.

2. Albertus Magnus allegat authoritatem S. Gregorij: *Cum Dominus nos exterius affligit, interius nos reficit, cum enim exterius virtutem carnis humiliat, interius intentionem spiritus exaltat.* Idque probat ex 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivificat, mortificat flagellando, & vivificat gratiam infundendo.* Contingit nonnumquam de multis verificari illud: *Spiritus promptus, caro infirma*, quia in mortalibus infirmitatibus infirmi acquirunt spiritum, & quia ad veram se convertunt pœnitentiam, redeunt in gratiam & amicitiam Dei, qui prius laxatis habenis ad mortem currebant æternam.

Tribulationes plus operantur ad conversionem peccatorum quam conciones. D. Chrys. ib.

3 Chrysostomus per antonomasiam sic dictus, id est, os aureum, propter aureum eloquentiæ flumen, quo populos à via justitiæ & pietatis aberrantes convertebat ad pœnetentiam, fateri nihilominus debuit, quod tribulationes, sive calamitates, majoris essent efficaciæ & operationis, quam conciones suæ: *Unum temporis momentum facilius omnia quam araneorum telas dirupit; tunc ubique ejulatio, omnes ad Ecclesiam currebant*; idque contigit exorto terræ motu, qui plus valuit, quam omnes ejus acerrimæ reprehensiones, quibus alias invehebatur in vitia & scandala publica. Vix urbem Niniven intraverat Jonas Propheta, & voce hac intonuerat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; & ecce solus timor hujus desolationis tantæ fuit efficaciæ, ut omnes a primo ad ultimum usque, una cum ipso etiam Rege, qui dicitur fuisse Sardanapalus, asperis se induerint cilicijs, jejuniumque rigorosissimum servare coëgerint ipsa etiam jumenta.

Jonas. 3. v. 4.

Cant. 3. v. 1. Anima tribulationibus afflicta, quærit Deum.

4. Legimus in sacris Canticis: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea*; ubi Gillibertus Abbas in hanc tendit reflexionem proposito nostro accommodam: *Duplicatum, inquit, incommodum, lectulus & nox, infirmitas & labor*; per lectum intelligit infirmitates, per noctem adversitates; & ecce qua ratione anima, quæ vero Dei illustrata est lumine, & cognoscit merita & gloriam tribulationum, ijsdem afflicta quærat Deum: *Quærit quem diligit.* Unde Dionysius Carthusianus hoc verbum, *vivificabis*, exponit dicens: *Vivificabis, per gratiam, ne spiritualiter moriar aut succumbam*; ex quo sequitur fructum tribulationis esse, quod nos conservet stabiles, ne corruamus in præcipitia, in quæ alias caderemus in humana constituti prosperitate. In cujus probationem considerationem meretur doctrina hæc B. Laurentij Justiniani; postquam enim asserit, Deum illos, quos plus diligit, invisere tribulationibus, ut sic in humilitate eos contineat, subjungit: *Si hoc non esset, minime Dei clementia, quos diligit, tam sedulo tribulatione mediante argueret. Istud Paulus præcipiens Hebræis scribens ajebat: In disciplina perseverate, tamquam filijs offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & nō filij estis. Intulit vero post modicum, quantæ sit utilitatis erudiri post tribulationes à Domino. Omnis quidem disciplina in præsenti, non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Fructus hic pacatissimus, de quo loquitur Apostolus, virtutum confirmatio est atque adeptio.*

D. Carth. ib. B. L. Just. de humilit. c. 17.

Tribulationes nos confirmant in gratia & amicitia Dei. Ps. 37. v. 3.

5 Certum est, sagittam calamitatis præ se ferre figuram; hinc Regius Propheta ad Deum conversus dicebat: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* At quo fructu? *Et confirmasti super me manum tuam.* Adversitatibus igitur, quæ à Deo proveniebant, acceptum referebat, quod in gratia & amicitia Dei confirmatus & stabilitus esset. B. Laurentius Justinianus lib. de ligno vitæ, ubi tractat de patientia, præter alios tribulationis effectus hunc quoque refert dicens: *Tribulatio conservat; electum enim suum tunc magis divina gratia erudiendo custodit, cum quasi percutiendo deserit, & quo durius ex dispensatione flagellat, eo amplius & pietate conservat, si tamen sponte eam suscipiat.* S. Bernardinus authoritate nixus S. Bernardi sic discurrit: *Electorum desideria, dum premuntur, adversitate crescunt, sicut ignis dum flatu premitur, creditur ut extinguatur, & unde creditur extingui, roboratur; ita Diabolus immittit nobis tribulationem credens charitatem extinguere, & fortius augmentatur.* Et Tom. 1. Serm. 8. scribit sequentia: *Dantur adversa justis pro medicina consolidativa, consolidatur enim mens humana per adversa, in acquisitis gratijs atque bonis. Ex tribulationibus mens fortius roboratur &c. Ignis competenti vento pulsatus in majorem erigitur flammam, fortiusque vigoratur & incalescit; sicut etiam patet de terra & stomacho frigore coarctatis. Propterea Seneca lib. de provid. ait: Non est arbor magna neque fortis, nisi quam frequens ventus incursat, ipsa enim vexatione constringitur, & radices altius figit.* Et Gregorius: *Electorum desideria, dum premuntur, crescunt; sic ignis flatu premitur, ut convalescat, & unde extingui creditur, roboratur.* Hac usque S. Bernardinus.

B. Laur. Just. lig. vitæ de pat. c. 3. S. Bern. T. 3. ser. de tribul. c. 3. Idem T. 1. ser. 8. art. 1. c. 3.

Hug. Card. ib. In medio tribulationum adest Deus auxiliator. Lorinus.

6. *In medio tribulationis &c.* Hugo Cardinalis hanc dat expositionem: *In medio tribulationis sunt, qui in hac vita degentes, eam totam tribulationem esse agnoscunt, unde si contingit ipsis tribulatio ex divina laudatione, sive ex bono opere adest Deus auxiliator.* Sensus literalis, uti colligitur ex Lorino, est, *in medio*, videlicet, *tribulationum circumdari, & in summo discrimine versari.* Verbum hoc, *vivificabis*, in varios explicat sensus: *A mortis discrimine liberabis, vel efficies ne lædar; ac incolumem servabis; vel recreabis etiam. Cadent à latere tuo 1000. &*

S. Bern. de translat. S. Malach.

10000. *à dextris tuis*, cecinit Psalmista; quæ verba juxta ponderationem S. Bernardi optime inserviunt nostro proposito : *Habes*, inquit Mellifluus, *in Psalmo casuros à latere tuo mille; & decem millia à dextris tuis, quod multo plures prosperitatis fallaciæ, quam adversitatis flagella dejiciant.*

S. Ambr. l. 3. de Sacram. c. 1.
Animæ electæ non recipiunt vitam gratiæ nisi immergantur mari tribulationum instar piscium.
In vit. B. Idæ c. 3.
S. Ida petebat à Deo affligi.

7. S. Ambrosius adducit similitudinem de mari & piscibus : *Ergo*, inquit, *tibi sæculum hoc mare est, habet diversos fluctus, undas, naves, sævas tempestates; & tu esto piscis, ut sæculi te unda non mergat.* Aquæ marinæ, quia salsæ sunt & amaræ, figurant & repræsentant adversitates & ærumnas hujus mundi : Sicut ergo pisces non respirant, nec vivunt) nisi degant in aquis & sub aquis, ita animæ electæ non recipiunt vitam gratiæ, nisi constitutæ in adversitatibus & patiendi occasionibus: *In medio tribulationis vivificabis me.* Quapropter legitur de S. Ida dicere solita, quod sicut pisces sine aqua, & aves sine aëre vivere nequeant ; ita videatur sibi non posse vivere sine afflictione & tribulatione; unde quando nulla sibi aderat patiendi occasio, coram Deo lamentabatur hisce verbis : *Quare, mi dulcissime, tam diuturno somno dormis, & me ancillam tuam vexationibus tribulationum carere permittis?* Experientia demonstrat, naves mercibus oneratas validius sustentari ab aquis salsis maris, quam à dulcibus fluminum aquis, & in hisce facilius periclitari. Qui legit historias præteritorum temporum, inveniet animas virtutibus, donis & meritis onustiores majori etiam naufragij periculo expositas fuisse in prosperitate temporali, quam cum premerentur adversitatibus. Scribit Author quidam etiam gentilis: *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.*

Ps. 137. v. 7.
In tribulationibus vivificamur à Deo.
S. August. in Ps.
S. Bern. ser. 1. de S. Andr.
S. Greg. Nyss. in vit. Moys.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; id est*, ait & exponit S. Augustinus, *aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis ambulavero.* S. Bernardus Serm. de S. Andrea prorumpit in hæc verba : *Semper lignum crucis vitam germinat, & balsamum sudat spiritualium charismatum ; non est sylvestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam.* Optime observat & advertit D. Gregorius Nyssenus, quod, ut Hebræi à languoribus suis ac venenatis serpentum morsibus curarentur Deus voluerit, ut oculos attollerent ad serpentem æneum. Annon melius & congruentius fuisset, si bestiæ illæ venenosæ penitus interemptæ fuissent? *Remota causa removetur effectus*, Respondetur, quod quemadmodum ex viperis extrahitur & componitur theriaca, efficacissimum nempe antidotum contra venenum ; ita Deus ex adversitatis & tribulationis veneno, apparenter dumtaxat mortifero, elicit multa bona, plurima emolumenta, & profectum animarum : *In medio tribulationis vivificat*, Huc spectat celebris illa doctrina S. Augustini : *Melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Quapropter Deus voluit & disposuit, ut serpentes illi superviverent, & manerent vivi, ut Hebræi eorumdem sauciati morsibus, in istis vulneribus & periculis mortiferis, quærerent invenirentque salutem non modo corporalem, sed etiam spiritualem, quam Deus vel maxime spectabat. Unde Regius Propheta psallebat : *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* S. Bernardinus Sermone, cui titulus : *Quare malis adversa dentur* : scribit : *Multi vivificantur ex adversitate, qui damnarentur ex prosperitate juxta Psalmistæ sententiam: Cadent à latere tuo mille &c. Nonne primus pater noster Adam in paradiso deliciarum peccavit, qui extra in lacrymarum valle & putredine resurrexit.*

S. Aug. Enchir. c. 25.
Ps. 106. v. 6.
S. Bern. T. 3.

In Davide patet tribulationes esse summæ utilitatis, dignitatis & honoris.
Ps. 118. 143.
Ibid.
Ibid. v. 144.
Matt. 19. 17.
S. Ambr. in. ser. 18.

9. *In medio tribulationis vivificabis me.* Quod David fuerit centrum amoris & gratiæ Dei, facile colligitur eliciturque ex verbis illis ipsiusmet infallibilis veritatis asserentis : *Inveni hominem secundùm cor meum.* Quia igitur Deus illum, quem tanto prosequebatur amore, varijs oneraverat tribulationibus & persecutionibus : *Tribulatio & angustia invenerunt me*; & ipse etiam David summa eas insecutus fuit aviditate : *Tribulationem & dolorem inveni* ; consequenter asserendum est, adversitates summæ esse utilitatis, summæque dignitatis & honoris. Ubi notetur, quod postquam dixit : *Tribulatio & angustia invenerunt me*, subdit & prosequitur : *Mandata tua meditatio mea est, æquitas testimonia tua in æternum, intellectum da mihi & vivam.* Effectus igitur tribulationis est divinorum præceptorum adimpletio, in qua consistit vera vita : *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Hoc fac, & vives.* Audiamus S. Ambrosium : *Quærant tribulationes & necessitates justum, & interdum inveniant ; interdum non inveniant eum ; invenitur, cui corona debetur ; non invenitur, qui idoneus certamini non probatur. Tribulatio igitur velut quædam gratia est ; annon est gratia quæ operatur patientiam? Qui ergo noverat tribulationis profectum esse, quæsitus à tribulatione inventus est, nec refugit.*

Tribulationum sufferentia æquatur martyrio.
D. Chrys. H. 8. ad Colos.
Matt. 20. 12.
Nazianz. orat. in Sanct. Bapt.

10. *Vivificabis me* ; Tanti meriti tribulatio est, ut æternam promereatur vitam : unde S. Chrysostomus æqualem censet martyrio : *Nihil est anima illa sanctius, quæ in malis Deo gratias agit; revera illa nihil distat ab anima Martyris; similiter & ipsa, & ille coronatur.* In parabola operariorum, quos paterfamilias miserat ad laborem & culturam vineæ, legimus querelas eorum, qui laboraverant à mane usque ad vesperum : *Portavimus pondus diei & æstus*, conquerebantur nimirum, quod parem cum illis, qui tardius ad laborem accesserant, receperint mercedem. Verum Nazianzenus injustas ostendit eorum querelas, cum ait : *Hoc ipsum impensius laborare uberioris mercedis loco habendum esse.* Tantum abest, ut, qui in præsenti vita gravioribus præmuntur ærumnis & calamitatibus, de divina lamententur providentia, ut ferventiori potius spiritu Deo serviant, majorique animi submissione ei gratias agant, quia *nisi ambulaverint in medio tribulationis, non vivificabuntur.*

Adversitates animam amore Dei accensam, magis inflammant & incendunt.
Cant. 8. v. 7.
Nazianz. orat. 23.
D. Chrys. H. 8. ad Colos.

11. Pulchre idipsum nonnulli exposuere hoc emblemate : Curarunt depingi bitumen, quod concipiendi ignis avidissimum & capacissimum est, huic affundebatur aqua, quæ conceptum ignem extingueret & hoc erat appositum symbolum : *Imo magis accendor* ; etenim aqua non solum non extinguebat, sed magis magisque ignem & flammam fovebat augebatque. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, adversitates, ærumnæ, calamitates, infirmitatesque lethiferæ animam amore Dei accensam magis magisque accendunt, ejusque patiendi desiderium adaugent, cum optime noverit, quod *in medio tribulationis vivificetur. Generosior redditur animus Philosophi* (ait Nazianzenus) *ipsa laborum tolerantia, firmaturque periculis, uti ferrum candens frigidæ aspersione aquæ.* Faber ferrarius carbones accensos aqua aspergit, non ut extinguat, sed magis illos accendat, ita &c. Consulit propterea D. Chrysostomus in præfata Homilia, dicens: *Gratias agamus in omnibus, quidquid evenerit, hoc enim est gratiarum actio. Atque in rebus quidem secundis hoc agere non est magnum, ipsa enim rerum natura nos ad hoc impellit : Quando autem cum ad extrema ventum est, gratias agimus, tunc est admirandum. Quando enim propter ea, quæ alij maledictis insectantur, & ægre ferunt, gratias agimus, vide quanta sit Philosophia. Primo Deum exhilaras. Secundo Diabolum pudore afficis. Tertio & quod factum est, nihil esse pronuntias ; simul atque enim tu gratias agis, & Deus dolorem amputat, & recedit diabolus. Nam si ægre tuleris, is, ut qui quod volebat effeceris, adest, & Deus, ut qui sit blasphemia & maledicto affectus ; honorem rependit. Nec fieri potest, ut homo, qui propter mala agit gratias, mala sentiat. Lætatur enim anima, ut quæ recte se gerat, statim læta est conscientia, & suis gestit & exultat laudibus ; Quæ læsa est autem, non potest esse tristis ; illic autem cum calamitate urget etiam flagellans conscientia. Hic autem coronat.*

DISCURSUS XVI.

ARGUMENTUM.

Deus immittit nobis tribulationem, ut nostram experiatur ac probet virtutem.

THEMA.

Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Eccli. 27. v. 6.

Exemplo vasorum fictilium probatur animas fidelium probari in fornace tribulationis.
Dion. Cart. ib.

1. VAsa ex creta sive luto formata tunc dignoscuntur esse perfecta, quotiescumque igne fornacis primo bene excocta, solidata ac firmata, deinde manu percussa & probata resonantem reddunt tonum & sonum ; & hoc ipsum est, quod insinuare voluit Ecclesiasticus, nimirum, in fornace tribulationis probari animas, cujus sint virtutis, an cum manu Domini tanguntur & adversitatibus percutiuntur, sonorum & bonum edant sonum, puta, an cum patiente Job Deum laudent & benedicant : *Bonæ ollæ* (Dionysij Carthusiani verba sunt) *in igne fornacis consolidantur ; malæ crepant, exiliunt, dissipantur; Tentatio tribulationis, id est, examinatio, seu visitatio per adversa, per infirmitates, damna, irrisiones, injurias, & diabolicas suggestiones ; si ergo in fervore & igne adversita-*

tum

Exemplum Job.
Job. 1. v. 8.
S. Ambr. in Ps. 118. oct. 20.

tum istarum homo permaneat fixus in Deo, proficiensque in gratia & virtute, signum est, quod vere sit virtuosus. Idem author ostendit deinde, in formandis processibus qui instituuntur pro canonizatione Sanctorum, specialem haberi curam probationis, num fuerint patientes in tribulationibus & calamitatibus occurrentibus, an etiam à contradictionibus fuerunt infestati. Pervolvite librum Job, & reperietis, quod in summa constitutus prosperitate raro & inaudito cum exemplo innocentissimam duxerit vitam, & priusquam atrocissimum illud & continuum, quo illum afflixit diabolus, subijt martyrium, à Deo, qui *spirituum ponderator est*, proclamatus fuerit totius mundi sanctissimus : *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Nihilominus, ut bene advertit S. Ambrosius : *Tunc plus probatus est, quando amissis opibus, & filijs, à Domini cultu & gratia non recessit.* Maxima sanctitatis suæ probatio deprompta fuit ex tolerantia passionum & adversitatum, non ex operibus bonis prosperitatis tempore peractis ; quare prosequitur S. Ambrosius : *Si multæ persecutiones, multæ probationes ; ubi multæ coronæ, multa certamina ; tibi ergo proficit, quod multi persecutores sunt, & inter multas persecutiones facilius invenias, quomodo coroneris.*

Absque occasione patiendi adversa, amor Dei sopitus manet in nobis.
S. Hier. in præfat. in Cant.
S. Basil. in Ps. 33.
S. Bonav. ser. 3 de SS. Apost.
Justus in tribulatione constitutus, comparatur leoni.
Prov. 28. v. 1.
S. Bonav. ib.
2. Cor. 7. v. 4.

2. Qua ratione in nobis nitere posset charitas & amor Dei, si nulla nobis daretur patiendi occasio? *Charitas omnia suffert, omnia sustinet. Si non ferimus aliqua patienter*, ait S. Hieronymus; *idcirco est, quia charitas nobis deest.* Quomodo generosi belli duces valorem & experientiam suam in arte militari ostendere possunt, nisi bellum haberent? Quomodo trophæa erigere & triumphos reportare possent? *Quemadmodum nullus sine adversario triumphat*, inquit Basilius Magnus, *aut coronatur, sic neque probatus nisi per afflictionem potest.* S. Bonaventura adducit similitudinem de fornace jam propositam : *Fornax omne adulterinum separat, si adsit.* In adversitatibus aboletur vitium, ac veræ virtutis probatur soliditas; econtra detegitur quoque infirmitas aut fictio nostri spiritus ; quapropter homo justus, uti ex eodem sancto Doctore deducitur, comparatur à Spiritu Sancto leoni, plusquam alteri animali : *Justus ut leo confidens, absque terrore erit. De leone invenitur, quod in periculis maxime invenitur gloriosus. Cum enim venatores venire præsentit, numquam se abscondit; sed patenter se ostendit, & in medium campum vadit, & hominibus, canibus, jaculis, sagittis, publice se opponit, & contra omnes, quid possit, ostendit.* Hanc quoque probationem homo veræ virtutis heroicæ ostendit : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Sive sint iniquæ persecutiones, sive bonorum jactura, sive honoris damnificatio, sive accedant infirmitates mortales, sive occurrant imposturæ calumniosæ, *omnia adversa*, dicebat Seneca, *exercitationes putat. Superabundo gaudio in omni tribulatione*, ajebat Apostolus, ubi notate illud, *in omni*, quod conformatur huic : *Quidquid ei acciderit.*

D. Chrys. in cat. ad cap. 2. Job.
Job. 1. v. 10.
Heroicæ virtutes Job non in prosperitatibus sed in adversitatibus ipsius enituerunt.
D. Chrys. ib.

3. Conformiter huic proposito ait D. Chrysostomus de Job à Satana infestato : *Nisi illum expoliasset, victoris bonam habitudinem minime cognovissemus.* Dæmon non respiciebat ipsius bona opera tempore prosperitatis peracta, quamvis apud Deum magni essent meriti & ponderis : *Numquid frustra timet Job Deum : Nonne tu vallasti eum?* Non cognoscitur valor & virtus unius militis tempore pacis, sed tunc vel maxime, quando stricto gladio hostem aggreditur ; spiritus quoque probatur in contradictionibus : *Numquid frustra &c. Nonne tu vallasti eum? Ac si aperte dicat* (verba sunt D. Gregorij, quibus exprimit mentem & protestationem ipsius Satanæ) *qui tot bona in terra recipit, quid mirum, si pro eis innocenter se gerat? Innocens vero esset, si bonus inter adversa persisteret.* Ecce ipsemet dæmon, esto alias mendax fateri coactus fuit, in eo veram enitere virtutem, qui forti ac patienti animo suffert adversitates & afflictiones quascumque. *Adversarius ubi illius corpus conscidit* (ait D. Chrysostomus) *atque omnis generis ulceribus perterebravit, & languore confecit, tum demum superatus est, fugæque se dedit.* Et paulo post subdit : *Postquam latera undique perfodit, ipse quidem nullum quæstum lucrumque fecit, nec enim thesaurum obrutum prædari potuit, nobis illum in clariori luce collocavit, fecitque nobis ex ea laterum effossione, ut esset in viri interiora prospectus, illiusque opes universas cerneremus.* Verum si Job omnes suas jam amiserat facultates & divitias, quomodo ad illas spectandas fecit nobis aditum? Respondeo Chrysostomum intelligendum esse de veris divitijs, quæ ditant animam, quales sunt, gratiæ cœlestes, dona, virtutes, merita. Unde concludit idem S. Doctor : *Nisi corpus ejus plagis perforasset, qui intus latebant radij, minime enituissent.*

D. Chrys. ser. 20.
Peritia naucleri probatur in tempestate.
Plinius in paneg.

4. Similitudo nobis valde propria est, quam profert S. Petrus Chrysologus de nauclero : *Fratres*, ait; *gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas, blandiente aura navim regit ultimus nauta ; in confusione ventorum primi quæritur ars magistri.* Inter prosperitates, quibus Trajanus Imperator gubernavit mundum, contigit Ægyptum ex desiccatione fluminis Nili magnam pati penuriam & famem, & cum ea reliquas omnes adjicentes provincias, quæ inde suam recipiebant alimoniam. Modum nihilominus Imperator adinvenit, quo omnium prospiceret utilitati & necessitati ; unde Plinius in suo panegyrico laudem ei tribuit sequentem : *Crediderim per hunc Ægypti casum tuam fortunam vires experiri, tuamq; vigilantiam expectare voluisse nam cum omnia secunda ubique merearis nonne manifestum est, si quid adversi cadat tuis laudibus, tuisque virtutibus materiam campumque prosterni, cum secunda felices, adversa magnos probent.*

Deus heroicam virtutem Abrahami toti mundo manifestavit per afflictionem, dum illi mandaret immolare filium suum.
Gen. 22. v. 1.
Gen. 22. v. 12.
S. Thom. ib.
Petr. Bles. Epist. 87.

5. Ostensurus Deus toti mundo heroicam virtutem Abrahami, quem in Patriarcham omniumque viventium patrem elegerat, qua, quæso, servata methodo, aut cujus ille hoc assecutus est intuitu? Hospitalitatis? temperantiæ, sive moderati usus rerum temporalium? pacis fortassis & concordiæ, quam conservavit & fovit inter pastores suos & Loth? forte intuitu istius victoriæ, quam de hostibus ipsum Loth abducentibus reportaverat? Nihil horum ; *Tentavit Deus Abraham &c.* historia notissima est, ad quas redactus fuerit angustias Patriarcha ille, quando propria manu filium suum unigenitum Isaac jugulare, mactare, mactatum in holocaustum offerre jussus erat ; in hac profecto occasione eximium exhibuit heroicæ virtutis opus ; ast longe excellentius tunc, quando tribus diebus & noctibus toto illo itinere fortiter sustinuit cordis dolores; excellentissimum vero, quando jamjam brachium extendebat decollaturus filium, tunc primum audivit : *Nunc cognovi, quod timeas Dominum.* Ergone Deus non cognoverat antea fidem sancti hujus Patriarchæ, quando Ur patriam suam paternæque domus divitias deseruerat, & in exteras regiones pauperis instar peregrini migraverat? annon cognoverat sanctum ejusdem timorem, quando ipse una cum sua familia onerosum illud circumcisionis præceptum acceptaverat? Pro majori hujus elucidatione S. Thomas hanc in medium adducit similitudinem : *Magister volens aliquando discipuli sui scientiam & ingenium sibi notum alijs propalare, quæstionibus & objectionibus tentat eum, ut respondendo objectis, ejus scientiæ perfecta evidentia cæteris commendetur.* In hac igitur protestatione voluit Deus sancto huic Patriarchæ intimare, quod præ omnibus suis actionibus heroicis acceptissimam & gratissimam haberet invictam illam tolerantiam, promptissimam ejus voluntatem & obedientiam, nec non suiipsius victoriam in extremis istis angustijs. Et vero hanc adeo insignem Abrahami virtutem quis cognovisset sine tali experientia & probatione? *Docent nos exempla majorum* (ait Petrus Blesensis) *quia viri magnanimi fortitudo gravioribus injurijs lacessita grandescit. Nihil arduum, nihil magnum est magno viro &c.*

Patientia & invictus animus in adversis ostendit quantum valeamus.
Seneca lib. de provid. cap. 2.

6. Consideratione & reflexione dignum, quod legimus in morali Seneca : *Marcet sine adversario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit patientia ostendit.* Subdit postea in progressu ejusdem libri : *Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando impetum capiant spectandi magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit.* Non sunt ista quæ possunt Deorum in se vultum convertere. Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus; ecce par Deo dignum. *Vir fortis cum mala fortuna compositus; utique si & provocavit.*

Senioris Tobiæ eminentes virtutes.

7. Quis umquam adeptus fuisset notitiam eminentis illius virtutis senioris Tobiæ in tantis constituti ærumnis & calamitatibus, nisi Deus dedisset illi occa-

sionem

patuerunt per ipsius afflictiones.

sionem exercitij paupertatis & cæcitatis, ad majorem Dei honorem & gloriæ exhibitæ ? *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, dicebat ei Archangelus. Quæstionem proponit Seneca: *Quare Deus optimum quemque, aut mala valetudine, aut variis incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur ?* & respondet : *Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidijs, aut explorent iter, aut præsidium loco deficiant. Nemo eorum, qui exeant, dicit, male de me Imperator meruit, sed bene judicavit. Ideo dicant, quicumque jubentur pati timidis ignavisque flebilia. Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Hanc itaque rationem Deus sequitur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid ita invisos esse Lacedæmonijs liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admoti? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & lacertos ac feminantes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum si dure generosos spiritus Deus tentat ? Numquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat calamitas! Non est savitia, certamen est; quo sæpius hoc adierimus, fortiores erimus.*

Tob. 12 v. 23. Seneca cap. 4. ibid.

Pulchertima dicta Senecæ ad idem propositum.

Saulus adversis prostratus, factus fuit vas electionis.

8. Veritatem hujus declaremus historia aliqua, quam referunt Acta Apostolorum. Quando Christus Dominus Saulum ex equo dedit præcipitem, percussit, excæcavit, consternavit, ac semivivum reliquit, quid intendebat facere ? aliud non prætendit, nisi ut toti mundo ostenderet aliquod præludium innumerabilium illarum adversitatum & tribulationum, quibus subjacere debebat : *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Seneca libro illo, in quo discurrit & discutit, *quare bonis viris accidant mala*, dubium quoque hoc proponit & quærit : *Unde possim scire quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitijs diffluis ? Unde possim scire, quantum adversus ignominiam & infamiam, odiumque populare constantiæ habeas, si inter plausus senescis?* Alibi ad idem propositum legimus: *Non est magni animi se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita processit.* Idque prosequitur exemplo supra adducto de nauclero : *Nec gubernatoris artem tranquillum mare, & obsequens ventus ostendit. Adversa aliquid incurrat oportet, quod animum probet.*

Act. Apost. 9. v. 16. Seneca.

Ibidem de consolat. c. 6.

Probatur propositum duplici simili. S. Th. de Villa Nova. ser. de SS. Cosm. & Dam.

9. S. Thomas propositum nostrum illustrat authoritate S. Bernardi, qui asserit : *Sicut stellæ nocte fulgent, & non in die; ita virtutes in adversitate, & non in prosperitate splendent; exemplum in Job : Quantis virtutibus præditus erat ? sed latebant, donec venit tribulatio; quam illustrior fuit in stergulinio, quam in solio ?* Aromata & quævis incensa odorifera nullam mittunt odoris fragrantiam, nisi igne accendantur; ad eumdem modum actus heroici virtutum non excitantur nec patescunt, nisi in igne tribulationis. Audiamus tandem, quid nobis tribulatis dicat & consulat Salvianus: *Nolite, obsecro, expavescere ea, quæ Deus velut stimulos adhibet animis; calamitas virtutis occasio est.* Auscultate quoque Basilium Magnum: *Qui dixerit, quod virum plane justum tribulatio non decet, nihil aliud dicit, quam athletæ non convenire adversarium; athleta enim minime certans quas habebit occasiones sibi coronas comparandi.*

Salvian. de provid. l. 4.

S Basil. in Ps. 33.

DISCURSUS XVII.

ARGUMENTUM.

Sub metaphora medici & medicinæ discutiuntur bona tribulationis.

THEMA.

Percutiet & curabit nos. Ose. 6. v. 2.

Solius Dei est vulnera infligere, & sanare.

1. POëtica fuit inventio, Achillis lanceam virtute fuisse præditam curandi plagam & vulnus, quod inflixerat; Evangelica vero veritas est, quod Spiritus sanctus Oseæ Prophetæ calamo exaravit & scripsit de Deo : *percutiet & curabit nos.* Clarius ipsum attestatur alio in loco : *Dominus mortificat & vivificat.* Exordiuntur Oseas hoc caput 6. hisce verbis: *In tribulatione sua mane consurgent ad me; venite & revertamur ad Dominum: Quia ipse capit & sanabit nos; percutiet, & curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus.* Fructus igitur percussionum & plagarum salus est : *Percutiet & curabit.* In lingua Hebraica verbum legitur, quod idem est, ac fascijs ligare : Quapropter scribit S. Hieronymus: *Appellantur linteola, quæ inseruntur vulneribus, ut putrida carnis comedant, & exsiccent purulentias, artisque Medicorum est, grandia vulnera longo sanare tempore, & per dolorem reddere sanitatem* ut S. Doctor totum hoc applicet sensui morali, subjungit : *Percutit ergo nos Dominus, & curat nos, quia quem diligit, corripit; & non solum curat, sed & vivificat post duos dies.* Quis umquam spectaculum lachrymis dignius vidit vel audivit, quam ipsum Job in sterquilinio sedentem? *A planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas;* Deum nihilominus agnovit plagarum suarum authorem: *Ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus ejus sanabunt.*

S. Th. 2. v. 23.

Job. 2. v. 7.

Job. 5. v. 18.

2. Id non contingit inter nos, ut qui vulnus infligit, curandi illud virtutem quoque habeat; bene quidem, si esset chirurgus, plagam inflictam fascijs ligare, curare, & huic effectui artem & industriam suam adhibere posset; at de cura certus & securus esse nequit. Verum de Medico illo, qui de se loquens ait : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, audivimus, *curabit nos;* infallibilem is nobis promittit curam & salutem : *Sanabit te*, (sunt verba Blosij) *opus est, ut sanari velis; sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem beatus, quam ut tamquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem tuam ?* Magni infirmi consolatio est, quod acerbissimos dolores & cruciatus suos, quod patitur, certò sciat commutandos fore in sanitatem corporalem : Ast quod non contingit in infirmitatibus corporis, succedit in morbis animæ, qui curantur à cœlesti protomedico, quotiescumque tamen illos patienti & æquo animo toleraverimus.

Deus animæ nostræ vulnera sanat, dummodo sanari velimus. Matth. 9. 12. Blos. l. 1. c. 6. n. 6. Pschag.

3. Quod jam allegavit Blosius, totum id hausit ex D. Augustino in Ps. 102. qui id prosequitur hoc argumento : *Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra, ducatum, proconsulatum, præfecturam si concupisceres, numquid continuo posses, quod velles ? Numquid voluntatem tuam potestas sequeretur ? Multi ad ista volunt pervenire, & non possunt, sed si pervenerint, quid prodest honor ægrotis ? Quis enim non ægrotat in hac vita? Quis non longum languorem trahit ? Nosci hic in corpore incipere ægrotare est.* Probavimus suo loco tractantes de morte, vitam nostram nihil aliud esse, nisi mortem continuam; annon igitur magna fortuna est, quod Deus præsentes ærumnas ac calamitates, quas pati cogimur, in salutem ac immortalem beatamque vitam commutet : *Percutiet & sanabit & Sanabuntur omnes languores tui* (ita promittit S. Augustinus) *nolli timere. Magni sunt, inquies, sed major est medicus, omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum te curari te sine, manus ejus ne repellas, novit quid agit. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam doleas, cum secat. Dolora medicinalem dolorem futurum cogitans sanitatem. Videte fratres mei in istis languoribus corporis, quanta homines tolerent, & paucos dies victuri moriuntur, & hos paucos dies incertos. Tu non taleras ad incertum, qui promittit sanitatem, non potest fallí. Fallitur medicus aliquando, qui promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur ? Quia hoc non curat, quod fecit. Deus fecit corpus tuum. Deus fecit animam tuam, novit quemadmodum recreet, quod creavit, novit quemadmodum reformet, quod ipse formavit. Tu tantum sub manibus medici esto, odit enim repellentem manus suas; Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines & secari, datari pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus se, quem fecit, & certus curat & gratis.*

Magna nostra felicitas commutat Deus præsentes calamitates in felicitatem æternam, si illas patienter ferramus. S. Augustí. in Ps. 102.

4. Amari sunt boli medicinales, & deglutiti, existentesque in stomacho corpus reddunt indisposítum, turbant, acerbosque causantur dolores; at ea pollent virtute, ut humores inter se repugnantes reducant ad temperiem, perfectamque sanitatem : *Nequaquam dolorem vulneris* (ita monet nos B. Laurentius Justinianus) *sed sanitatis attende dulcedinem; purgationis incisionem abhorrere noli, si centuplicatum fructum recipere concupiscis.* Propter sanitatem corporis omnia patienter sustinemus, & propter salutem animæ, quotiescumque Deus incisionibus adversitatum nos curaturus est, murmuramus. *O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam* (ita discurrit de Villa Nova) *quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus! Quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas mediasque facies reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem. Sed si animæ languor curandus est, quidquid injungitur durissimum est.*

Pro corpore curando dura patimur, pro anima curanda vix quidquam pati volumus. B. Laur. Just. fascic. amor. c. 8. S. Th. de Vill. Conc. in fer. 6. post. Dom. 4. Quadr.

5. Medicinæ præscriptæ à medicis ac curandum postrum infirmum fallaces ac deceptoriæ esse possunt, propter imperitiam & errorem ordinantis & præscribentis, eo quod humores malignos oculo penetrare nequeat; at Deus in curanda anima nostra, quam

Deus in cura animæ nostræ errare & decipi non potest.

quam summopere amat, nullo modo errare, falli aut decipi potest : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, ait S. Joannes. Nullus est qui ignorat Propheram Job innumeris percussum fuisse plagis, totumque ejus putredine ac vermibus scatuisse corpus, & tamen in laudem ejus exclamat S. Augustinus : *O virum putrem & integrum ! O fœdum & pulcherum ! O vulneratum & sanum ! O in stercore sedentem, & in cœlo regnantem !* Apprehendebat quam utilis & salutaris effet animæ putredo illa & lepra ulcerosa; *Semper Deus hic vulnerat* (ait S. Isidorus) *quos ad salutem perpetuam parat.* Percutiet, & sanabit.

S. Aug. ser. 105. de temp.

S. Isid. l. 1. Synon.

grato animo acceptare debemus. Simplicius apud Epict.

6. Ars medicinæ pro objecto & fine habet sanitatem corporis humani, omnes lineæ hujus studij, experientiæ, artisque medicæ ad hoc terminantur centrum; *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*, dicebat David; quæ nova phrasis est ista, ambulare in medio tribulationis ? ergone tribulationi patet locus aliquis ambulationis ? Observate, quod sicut nihil magis conducit sanitati ac vigori corporis nostri conservando, quam moderatum & bene ordinatum exercitium, ita Psalmista infinuare videtur, quod si in gradu recreationis acceptasset tribulationem, & in eadem tamquam in ambulacro aliquo recreativo se exercuisset, indubie vitam & salutem æternam inde reportasset.

In tribulationibus invenitur vita æterna. Ps. 137. v. 7.

7. *Percutiet & curabit.* Tritum proverbium est, medicum benignum & misericordem cruentare plagam vulnus, quod ut curetur, si ita expediat, & necessitas postulet, corrosiva adhibenda sunt unguenta, adustiones, incisiones esto non sine dolore; volo inferre inveniri plurimos, qui mortifera animæ contraxerunt vulnera, ideoque morti æternæ propinqui, ut hi ad statum salutis æternæ reducantur & curentur, minime adhibenda remedia lenitiva, puta, prosperitas rerum & bonorum temporalium, sed necesse est, premantur adversitatibus, ærumnis, calamitatibus, infirmitatibus; *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Domine, hic seca,* (exclamabat S. Augustinus) *hic ure, ut in æternum parcas.* Ad propositum hoc scribit B. Petrus Damianus de S. Apollinare suppliciorum avidissimo : *Nihil dolet, nihil timet, ô persecutores, nisi solam vestram pietatem, quæ si ei tribuitur, ab ipso impietas truculentissima reputatur, & si tela vestra ad ejus vultis interiora pertingere, sola illum pietate ferite; tunc enim graviter indignamini, si misereminí; tunc immaniter laceratis, si parcitis, & ut dixerim, tunc panitis.* Servi Dei optime noverant tribulationis meritum, ac propterea abhorrebant voluptates & prosperitatem temporalem.

Plagæ animæ non lenitivis prosperitatum, sed corrosivis afflictionum curantur. Ps. 82. v. 17. S. Aug. ibid. S. Petr. Dam. de S. Apoll.

8. Ut curentur plagæ spirituales, non fomenta, sed ferrum & ignis adhibendus est. Lamentabatur S. Job: *Verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Expositio D. Gregorij est : *Sagittæ autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum superna animadversionis sententiæ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsum trahunt &c.* Sequitur postea : *Sagittarum ergo indignatio justi ebibit spiritum, quia superna sententia electos quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant.* Frequenter id contingit, quod legitur in Tobia : *Tu Domine flagellas, & salvas, deducis ad inferos, & reducis.* S. Hieron. scribendo Marcellæ, consolabatur eam in adversitatibus suis hisce verbis : *Cuncta quæ passa es, sicut intelligis, vulnera quidem corporis tui, sed & animæ remedia fuerunt.*

Continuatio ejusdem argumenti. Job. 7. v. 3. S. Greg. l. 7. mor. c. 3. Tob. 13. v. 2. S. Hieron. ep. 7. Ep. 4.

9. Nota est omnibus propositio ista : *Non est addenda afflictio afflicto.* Qui vulneratus est, aut infirmus, atrocissimos nonnumquam experitur cruciatus & dolores; accedit nihilominus Medicus, qui dolorem addit dolori, sauciatum incidit, secat, premit, extendit. Audite S. Augustinum : *Illa est vox Domini : Ego percutiam, & ego sanabo; percutit patredinem facinoris, sanat dolorem vulneris;* quando chirurgus tangit & lanceola incidit partem læsam, id alio fine non facit, nisi ut vulnus expurget à putredine, quæ si remaneret, mortem inferret : Ad eumdem modum Deus quandoque corporis tollit sanitatem, ut peccator serio cogitet de spirituali salute animæ, vitiorumque, quæ æternam ei minabantur mortem, abradat putredinem; *Faciant hoc medici* (prosequitur S. Augustinus : *Secant, percutiant, & sanant, armant se, ut feriant, ferrum gestant & curare veniunt.*

Medicinam tribularionum Prompto &

10. Simplicius juxta mentem Epicteti Philosophi cap. 13. asserit; *Si corporum medicinam exercentem, urentem, membra secantem, & plane sæva carnifices imitantem malum non dicimus, sed bonum; Si medicis cum gratiam habemus, tum mercedem numeramus, cur in medicina Dei non acquiescimus ?* Rationem quoque reddit, cur hujusmodi incisionibus prompto animo nos subjicere debeamus : *Neque enim truncandi, nec vindictæ cupiditate, nec præter meritum, nec nocendi causa quidquam horum facit Deus, sed instar medici, ut curatoris & parentis, & ad maximam utilitatem nostram, & pro sua divina bonitate.* Quia vero varijs corripimur infirmitatibus, ideo etiam varia nobis applicentur remedia necesse est; quapropter prosequitur idem author : *Multiformis autem est Dei medicina, ut qui alios morbis, inopia, ignominia, alios pestilentia, fame, terræmotu, inundatione, naufragio, bello, alios pœnis humanitus inflictis medicetur. Nec, vero mala hæc sunt, sed bona, siquidem medicari bonum est.*

Simplicius apud Epict.

11. Tertullianus chirurgum nobis repræsentat; qui acuto ferro incidit infirmum vociferantem & ejulantem, nec quidquam ejus movetur ploratu : Unde hisce nos monet verbis : *Perversitas, quam putas, ratio est; quod sævitiam existimas, gratia est; ita Deo de momentaneis æterna meditantes; magnifica bono tuo Deum tuum; incidisti in manus ejus, sed feliciter incidisti.* Verum est, Deus permittit nonnumquam, ut injuste bona temporalia vobis surripiantur per talem litem, depræ-dationem; naufragium, fori cessionem; at quo fine? ut à terrenis amorem vestrum abstrahatis, & ad cœlestia transferatis bona.

Chirurgus clamantem infirmum acuto ferro incidit pro ipsius salute.

12. Ingeniosa sane, simulque utilis est comparatio illa, quam B. Petrus Damianus adducit : *Medicus plane sanguisugas tumentibus ægroti membris apponit, virusque simul cum sanguine ab intimis visceribus sorbere permittit; diverse tamen intentionis est medicus & hirudo; illa siquidem nil aliud gestit, nisi ut sanguinem bibat; iste ad hoc tendit, ut languidus convalescat; illa satiatur & moritur, ægrotus autem dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem. Illa denique se morte satiat, & exultat; ægrotus autem dum vulneratur, ad statum salutis erigitur. Quid igitur mirum, si Deus omnipotens, qui est Medicus animarum, sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, ut ex alienis vulneribus nobis medicamenta confletat, quatenus dum nobis hostile vulnus infligitur, ex eo possitnum salutis antidotum procuretur ?* Quod homines ex improviso præcipitarentur in æternæ perditionis barathrum, qui lethaliter fauciati nunc cum tempus habeant confitendi, excitandi actus veræ contritionis, remittendi inimicis offensam, conformandi se divino beneplacito, æternam lucrantur beatitudinem.

B. Petr. Dam. l. 6. Ep. 31. Ad eumdem finem infirmo applicat sanguisugas Medicus.

13. *Percutiet & curabit.* Idem Petrus Damianus prosequitur eamdem Medici metaphoram cum hac alia reflexione : *Porro medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæque peterint, alimenta relaxant; at quos erigendos esse conjicunt, cuncta eis noxia delectationis edulia minaciter interdicunt, antidota insuper & amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant.* Pessimum signum est, quando Deus permittit & indulget appetitui nostro omnem libertatem, indicium est nullam adesse spem salutis : *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi*; & qua illum castigavit pœna ? *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Petrus Blesensis in Epistola quadam scribit : *Medicus non semper dulcia ministrat ægroto; sed frequenter amara porrigit potiones; Cholera, cui cibus delicatior causam dedit, sæpe purgatur absynthio, & apostemata, quæ ex otio & crapula successerunt, ustio sanat, & purgat, & sanat incisio. Pro purgatorio mihi est vicissitudo febrilis caloris & frigoris.*

Idem lib. 8. Epist. 6. Continuatur metaphora Medici, & amaræ medicinæ. Ps. 80. v. 12. Petr. Bles. Epist. 31.

DISCURSUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Infirmitates corporales cooperantur saluti animæ.

THEMA.

Infirmitas gravis fobriam facit animam. Eccli. 31. v. 2.

Magnæ adducuntur utilitates infirmitatis corporalis. S. Isid. lib. 2. Synon. cap. 6.

1. INter tribulationes frequentissime nos affligentes recensemus infirmitates corporales, & ecce emolumentum, quod ex hisce in nos redundat, & jam insinuavit Ecclesiasticus, nempe, fobrietas & salus animæ : *In infirmitatibus tuis non contristeris* (ita nobis consulit S. Isidorus) *in languoribus tuis gratias age Deo. Valere te magis animo opta quam corpore, valere te magis mente quam carne; adversa corporis sunt animæ remedia. Ægritudo corporis vulnerat, mentem curat, languor vitia excoquit, vires libidinis frangit.*

B. L. Just. lib. 2. de Spirit. anim. resur.

S. Aug. in Ps.

Adhuc clarius hunc infirmitatum effectum atteſtatur B. Laurentius Juſtinianus, cum ait: *Optimum medicamentum ad ſalvandam animas ægritudo corporis eſſe comprobatur*; cujus efficacem reddit rationem: *Nempe innumera aufert incitamenta peccandi.* Ecquo modo Medici, Chirurgi, recuperant nobis corporis ſanitatem? S. Auguſtinus in verſum iſtum: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, reſpondet nonnullis querelis: *Quanta nos hic patimur, & nemo nos audit; numquid dicis illud de Deo, quanta hic patior, & nemo me audit? Si audiret me, dicis forte, tolleret mihi tribulationem; clamo & tribulor; tantum tu tene vias ejus, & quando tribularis, audit te; ſed medicus eſt, adhuc putre habes neſcio quid, clamas, ſed adhuc ſecat, & non tollit manum, niſi ſecuerit quantum videtur, etenim medicus crudelis eſt, qui exaudit hominem & parcit vulneri & putredini.* Chirurgus querelis & clamoribus infirmi ſurdas præbet aures, inurit, incidit, ſecat, extenterat; Medicus pariter præſcribit rigoroſas diætas, medicinas & bolos amaros, nec quidquam curat infirmi lamentationes & contradictiones, quia unice intendit ipſius ſanitatem; hunc eumdem ſtylum adhibet ille, qui dixit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus*, peccatorem illum viſitat gravi aliqua infirmitate juncta cum doloribus & cruciatibus; ſupplicat ille, & ut liberetur, humillime ſe commendat, curat appendi vota, celebrari ſacra, eleemoſynas diſtribuit, religioſorumque orationibus unice ſe commendat, & tamen non exauditur; verum eſt, non exauditur conformiter ſuæ voluntati, exauditur tamen conformiter voluntati & diſpoſitioni Dei, qui cognoſcit optime id magis expedire ſaluti animæ ſuæ, quam præcipue intendit & ſpectat.

Matth. 9. 12.

Curioſa hiſtoria & mirabilis curatio Imperatoris Paleologi.

2. Referam hiſtoriam, quam legi in quodam bono authore, ſatis curioſam, ſi vera ſit. Imparator Palæologus gravi correptus erat infirmitate, & tali quidem, ut exigua ſupereſſet ſpes vitæ, etenim multa probaverat medicamina, varia remedia, at omnia fruſtratoria. Tandem mulier artis medicæ perita & experta intimavit Imperatrici, infirmum non poſſe convaleſcere, priſtinæque reſtitui ſanitati, niſi mediante calore naturali exſiccaretur conſumereturque humor ille malignus, qui mortis illum exponebat periculo; modum quoque, quo optatiſſimum hunc aſſequeretur effectum ſuggeſſit talem, nimirum; Imperatorem infirmum vehementiſſime eſſe exagitandum, exacerbandumque ira & cholera, qua majori non poſſit. Ergo omnibus, quotquot infirmo erant à ſervitio, ſeveriſſime mandatum fuit, ut in nulla prorſus re ei obedirent, imo totum contrarium ejus, quod ipſe præciperet, peteretque, ſemper exequerentur; præterea frequenter ei inſultarent verbo & opere. Quamobrem quando infirmus petebat cibum, afferebant ei baculum; ſi aquam pro extinguenda ſiti exigebat, ignem exhibebant, inſuper & verbis injurioſis ac opprobrioſis ipſum excipiebant, ac ſi viliſſimum fuiſſet mancipium. Cum igitur infirmus Imperator ita agitaretur & ira exacerbaretur, paulatim humor ille putridus exſiccabatur, & priſtinæ ille reſtituebatur ſanitati. Porro intelligens artificioſam famulantium induſtriam, qua recuperatæ ſuæ cooperati fuerant ſanitati, prævia peracta gratiarum actione, digna illam remuneratione compenſavit. Caſui noſtro applicemus hanc hiſtoriam; ut intemperantes inordinatosque effrænium appetituum noſtrorum humores ad debitam reducamus temperiem, quid facit Deus? permittit v.g. nos obrui aliqua infirmitate, permittit temporalium bonorum, reputationis & honoris jacturam, permittit talem inimicitiam, ſimileſque calamitates & tribulationes; ad ſtellas usque nos clamamus & lamentamur, commendamus nos Sanctis Patronis & Advocatis noſtris, varijs pietatis devotioniſque vacamus exercitijs; at nulla ſubſequitur remiſſio, ſed potius incrementum tribulationis. Vultiſne ſcire cauſam? Deus ſpectat & intendit ſpiritualem animæ ſalutem: *Vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem* (ait S. Cyprianus) *gratias aget poſtmodum, dum ſenſerit ſanitatem.* Cum voluptate & gaudio ſpectat nos Dominus Deus in anguſtijs infirmitatis conſtitutos, quia tunc purgatur conſcientia, fiunt reſtitutiones honoris, bonorumque fortunæ tot annis dilatæ & procraſtinatæ, ſtabiliuntur propoſita emendandi malos & pravos mores, firma concipitur reſolutio reformandi vitam diſſolutam.

Applicatio hiſtoriæ.

S. Cyprian. de lapſ.

Infirmitates corporis, ſanant morbos animæ. Gal. 5. v. 17. Salvian. l. 1. de provid.

3. Ad hoc propoſitum audiamus doctrinam Salviani commentantis in hæc verba Apoſtoli: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum &c. Non imprudenter quidam hoc loco dixit; quid ſi repugnante corporis fortitudine, quæ optamus, facere non poſſumus? Infirmandum nobis ſit carne, ut optata faciamus; infirmitas enim carnis, inquit, vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum.* Quot ad mortem usque animæ infirmi reperiuntur, qui ex lethiferis curantur & ſanantur morbis? annon in dies experimur hujusmodi effectus? Audiamus S. Bernardum: *Melius eſt frangi laboribus ad ſalutem, quam remanere incolumes ad damnationem.*

S. Bern. cap. 46. de int. domo.

4. *Infirmitas gravis ſobriam facit animam. Nam quamdiu durat* (ita textus hujus ſenſum literalem exponit Lyranus) *aufert appetitum comedendi, & in convaleſcentia oportet, quod homo ſobrie vivat.* Senſus moralis propoſito noſtro accommodus eſt; quilibet novit eſſe veriſſimum illud: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*; & ad reprimendam hanc carnis noſtræ inſolentiam unicum & optimum remedium eſt infirmitas, ideoque bene dicit gloſſa interlinearis: *Sobriam facit animam ab omni concupiſcentia.* Clarius hunc textum in favorem noſtrum exponit Rabanus, cum ait: *Infirmitas gravis corporis ſobriam facit à delictis animam; unde alibi ſcriptum eſt: Livor vulneris abſtergat mala, & plagæ in ſecretioribus ventris. Mala enim livor vulneris abſterget, quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit.* Paulo poſt ſubdit: *Livor vulneris abſterget mala, & plagæ ſecretioribus ventris: quia cum exterius percutimur ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti, afflictique revocamur, atque ante oculos noſtros cuncta, quæ à nobis ſunt male geſta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus. Unde fit, ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga ſecreta ventris, quia ſanat nequitias pravi operis occultum vulnus doloris.*

Lyran. in hunc loc. Infirmitas corporis reprimit concupiſcentiam carnis. Gal. 5. v. 17. Gloſſa Interl. Raban. ibid.

Doctrina eſt ex D. Gregorio Magno excerpta: *Admonendi ſunt ægri, ut conſiderent, quanti ſit muneris moleſtia corporalis, quæ & admiſſa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compeſcit, quæ ſumpta ab exterioribus plagis concuſſæ menti pænitentiæ vulnera infligit.* In praxi frequenter videtur, interna animæ vulnera curari timore plagarum mortalium corporis, dum infirmus confitetur & compungitur.

S. Greg. 3. p. paſt. admon. 13.

5. *Sobriam facit animam, id eſt, à peccatis continentem*, ita exponit Dionyſius Carthuſianus, qui & juxta expoſitionem literalem Lyrani utiliſſimum pro caſu noſtro ſubdit motivum: *Diſponit quoque ad corporalem ſobrietatem laudabilem, quoniam appetentiam aufert ciborum, & convaleſcentibus parcitas alimentorum indicitur, ne recidivent. Prudens quoque homo ſic cogitat; ſi tantum abſtineo ob corporis ſanitatem, quanto magis propter animæ meæ curationem, confortationem & ſalutem debeo abſtinere.* Accedit quoque Hugonis Cardinalis interpretatio: *Sobriam facit animam, id eſt, quæ prius fuit ebria vino Babylonis, reducit ad ſobrietatem, 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur*, pro quo allegat hunc textum Eccleſiaſtæ: *Curatio ceſſare faciet peccata maxima.*

D. Carth. in Eccli. Infirmitas facit abſtinere à peccatis. Hug. Card. ib. 2. Cor. 12. 9. Eccle. 10. 4.

6. De infortunato illo viatore, qui *deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho*, affirmari poſſe credo, quod ſignificabat impie viventem, ſeu peccatorem: Etenim de civitate ſancta proficiſcebatur Jericho, urbem à Deo maledictam, & mundi typum, præterquam itinerabatur per ſylvas & nemora, quo indicatur, quod à recta deviabat ſemita: *Peccator deſignatur*, ait Lyranus; at quomodo? qua via reductus fuit ad ſtatum ſalutis æternæ. *Incidit in latrones, plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Latrones miſerum illum ſauciarunt, vulnerarunt, & quaſi mortuum deſeruerunt. Samaritanus vero ille, qui Chriſtum figurabat, *miſericordia motus eſt.* Actor. cap. 9. legitur hiſtoria illa de Thabita, ob cujus mortem conſultum exiſtimarunt multæ perſonæ devotæ, ut S. Petrus rogatus advocaretur ex Joppe in Lyddam; acceſſit Vicarius Chriſti, motusque tot aſtantium gemitibus, ejulatibus, & efficaciſſimis precibus, mortuam reſuſcitavit ad vitam. Inquiro nunc cauſam, cur vel ipſa adhuc infirma, aut certe ijdem adſtantes & ſupplicantes prius non petierint interceſſionem S. Petri, ut eam priſtinæ reſtitueret ſanitati? *Quare expectavit, ut moreretur? Quare non ante hoc Petrus rogatus eſt?* quærit S. Chryſoſtomus. *Indignum cenſebant pro talibus diſcipulos ſolicitos eſſe.* Apud Chriſtianos olim tribulatio in ſumma erat veneratione

Luc. 10. 30. Deſcendens ab Jeruſalem in Jericho deſignat impie viventem. Lyranus ibid.

Actor. 9. 36.

S. Chryſ. H. 21. in Act. Apoſt.

neratione & æſtimatione, tamquam pignus divinæ benevolentiæ excipiebatur, imo infirmitates eo utiliores gratioreſque erant primis fidelibus; quo graviores & pericoloſiores erant, quia à vinculis hujus exilij eos eximebant, & ab hac mortalitate ad cœlum transferebant.

Graves morbi comparantur curſorum ſive poſtarum equis.

7. Viatores ſumus, quamdiu durat hæc vita, ad ſupernam tendentes patriam; igitur è re noſtra eſt, ut ibidem illico appellemus, exilium hoc abbreviemus, & ab aſperæ viæ hujus adverſitatibus nos expediamus; jam vero infirmitates inſtar equorum curſorum adjumento nobis ſunt, ut curſum vitæ hujus quantocyus abſolvamus: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt; Quia hujusmodi tribulationes* (inquit Hugo Cardinalis) *ſunt quaſi compendium citius veniendi ad Deum, & tales expediti ſunt ad eundem.* Inter Deum, inter paradiſum & animam noſtram nil aliud mediat niſi murus luteus corporis noſtri, ſi hic infirmitate cooperante in terram decidit, erimus in cœlo. S. Apoſtolo Paulo, cum petijt gratiam, ut à ſtimulo carnis liberaretur, reſpondet D. Chryſoſtomus hiſce verbis: *Sufficit tibi, quod mortuos excitas, quod cæcos curas, quod leproſos mundas.* Sancti inſignia operati ſunt miracula in aliorum utilitatem; at quando ipſi periculoſa & gravi laborabant infirmitate, quando acerbiſſimis affligebantur doloribus, minime à Deo petierunt liberationem, quia quantum adverſitates illæ animæ conferrent emolumentum, optime perſpectum habebant. Legimus de Sancto Pontifice Pio Quinto, cujus canonizationem propediem ſperamus, quod in atrociſſimis calculi doloribus exclamabat: *Domine, adauge dolorem, ſed adauge patientiam.*

Pſ. 15. v. 4.

Hug. Card. ib.

D. Chryſ. in Gloſſ. 2. Cor. 12.

8. 2. Cor. 12. Apoſtolus de ſeipſo loquens fatetur: *Cum infirmor, tunc potens ſum*; quæ propoſitio prima fronte videtur eſſe contradictoria, etenim qua ratione infirmus & debilis eodem tempore poteſt eſſe fortis, potens & vegetus? pro cujus dubij reſolutione advertendum, vitam humanam eſſe continuam pugnam & bellum, ac tres individuos ſecum habere comites adverſarios: Mundum, dæmonem & carnem, & hunc ultimum omnium difficilime ſuperari, quia eſt domeſticus, eumque fovemus & nutrimus: *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fovet eam*; verum cum obruitur ab infirmitate, non tam facile in rebellionem declinabit, veluti vigente ſanitate: domatur, reprimitur, nec quidquam poteſt contra nos efficere, ideoque tempore infirmitatis ſumus fortiores, quia unus ex tribus hiſce inimicis nos impugnare & infeſtare nequit, ac per conſequens validiores fortioreſque ſumus ad debellandos expugnandosque alios duos ſuperſtites. Aſt aliam nobis ſubminiſtrat rationem D. Ambroſius dicens: *Conſummatur enim carnis in infirmitatibus animæ fortitudo.* Quo plures corpori, quod indomiti inſtar equi eſt, deficiunt vires, eo minus recalcitrat; unde anima reſumit vires, & totum accidit oppoſitum illius, quod ſcriptum eſt alibi: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, ubi tamen obſervandum, verbum hoc, *corrumpitur*, non intelligi de infirmitate, quæ putrefacit, ac reducit corpus in cineres; ſed quando corpus inſoleſcit ſuiſque obſequitur appetitibus.

2. Cor. 12. 10. Infirmitas carnis animam corroborat.

Epheſ. 5. 29.

S. Ambr. l. 1. de pœnit. cap. 12.

Sap. 9. v. 15.

9. Origenis doctrina eſt: *Virtus in infirmitate perficitur, id eſt, in infirmitate carnis & ſapientiæ ejus, propter quod ait Apoſtolus: Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Potens enim tunc fit unusquisque noſtrum, cum infirmata fuerit caro ipſius, ut non perficiat opera carnis, ſed habitet virtus Chriſti in ea.* S. Bernardinus Senenſis appoſita ſimilitudine propoſito noſtro accommoda idipſum cum ſtupore explanat dicens: *Anima & caro ſunt quaſi duæ ſitulæ in puteo applicatæ, quarum quando una aſcendit, altera deſcendit. Sic quando caro infirmatur, ſpiritus impinguatur, & è converſo. Unde 2. Cor. 12. ait Apoſtolus, cum infirmor, ſcilicet in corpore, tunc potens ſum in mente.*

Origen. tr. 35. in Matth. 2. Cor. 12. 10. Apta ſimilitudo.

S. Bern. ſer. 8. de Chriſti eſurie art. 1. c. 2.

10. Quod S. Ambroſius in laudem jejunij prædicavit, id nos infirmitati corporali applicare poſſumus, in hunc modum diſcurrebat: *Chriſtiana infirmitas fortitudo eſt; unde ait Apoſtolus. Cum infirmor, tunc fortior ſum. Sed requirit aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? Tunc eſt fortitudo infirmitas, quando caro tabeſcit jejunijs* (dicamus nos quando caro tabeſcit infirmitate) *anima puritate pingueſcit &c. Tunc homo imbecillis quidem eſt ad ſæcularia, ſed fortis eſt ad divina opera; tunc enim magis de Deo cogitat, tunc judicium metuit, tunc vincit inimicum.* B. Laurentius Juſtinianus lib. de reſurrectione ſpirituali animæ ſcribit: *Optimum medicamentum ad ſalvandas animas ægritudo corporis eſſe comprobatur.* Paulo poſt ſubdit: *Maxima ſalus ægritudo eſt corporis.* Videtur hoc eſſe paradoxon; quo enim modo infirmitas aliqua ſimul eſſe poteſt ſalus magna: *Maxima ſalus ægritudo eſt corporis?* Id intelligit de æterna ſalute animæ, & ideo proſequitur: *Quæ compungit animum.*

S. Ambr. ſer. 25. Infirmitas hominem fortem facit ad opera divina.

B. Laur. Juſt. lib. 2. de Spir. anim. reſur.

DISCURSUS XIX.

ARGUMENTUM.

Infirmitates fræni inſtar ſunt, quo coërcentur peccata, & ab hiſce frequenter cauſatæ, eorumque pœnæ. Unde interdum contingit infirmum mediante peccatorum ſuorum confeſſione & expiatione priſtinæ reſtitui ſanitati.

THEMA.

Curatio ceſſare faciet peccata maxima. Eccli. 10. v. 4.

Morbi magnis peccatis præcludunt viam.

1. **V**Eritatem hanc, quam dictavit Rex Salomon, demonſtrat experientia, quod nimirum ars medicinæ, quæ verſatur circa infirmos, pluribus & magnis peccatis præcludat viam: *Curatio ceſſare faciet peccata maxima.* Hunc textum allegat Hugo Cardinalis ad confirmandam ſententiam Eccleſiaſtici: *Infirmitas gravis ſobriam facit animam*; quam explicavimus diſcurſu præcedenti S. Bernardus ſerm. 43. de modo bene vivendi ſcribit: *Qui valentiores ſunt & ſani, utile eſt eis infirmari, ne per vigorem ſalutis plus lætentur in tranſitorijs & terrenis rebus, quam debent.*

Eccli. 31. v. 2. S. Bern. ſerm. 43.

2. Non ſine myſterio S. Evangiliſta Joannes obſervavit locum, in quo ad mortem infirmabatur filius Reguli: *Cujus filius infirmabatur Capharnaum. Notandum eſt, ubi infirmatur* (ait Hugo Cardinalis) *in Capharnaum, quod interpretatur, villa pinguedinis, & in hoc notatur cauſa morbi, id eſt, peccati, abundantia ſcilicet temporalis, ſanitas, & fortitudo corporalis, & cætera hujusmodi bona naturalia, quæ nos vertimus in corruptionem. Pſalm. 72. prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Regula & aphoriſmus medicinæ eſt: *Contraria contrarijs curantur*; bene propterea protomedicus cœleſtis diſponit infirmitates, ut hac ratione peccatorum appetituumque inordinatorum exſiccentur mali humores: *Mala eſt ſanitas carnis, quæ hominem ducit ad infirmitatem animæ*, inquit idem mellifluus Doctor, *& valde eſt bona infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad ſanitatem animæ.* Et paulo poſt: *In flagellis Dei non debet murmurare homo, quia per hoc, quod caſtigatur, à peccato emendatur. Levius ſuſtinebimus infirmitates corporis, ſi ad memoriam reduxerimus mala, quæ fecimus.* Unde notatu digna ſunt, quæ Plinius in Epiſtola quadam ſcribit: *Nuper*, inquit, *me cujusdam amici languor admonuit, optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus; quem enim infirmum aut avaritia, aut libido ſolicitat? Non amoribus ſervit, non appetit honores, opes negligit. Tunc Deos, tunc hominem eſſe meminit, invidet nemini, neminem deſpicit.*

Joan. 4. 46. Hug. Card. ib. Pulchra allegoria filij Reguli Capharnaum infirmi ad morbos corporis & animæ.

Pſ. 72. 7.

S. Bern. l. c.

Plinius lib. 7. Epiſt. 16.

3. Nota ac manifeſta eſt omnibus parabola de invitatis ad magnam illam cœnam, æternæ beatitudinis typum; & vero quale per hoc ſignificabatur myſterium, quod in hac ſpecialiter comparuerint cæci, claudi, alijque corporis correpti defectibus? Optime id explanat S. Ambroſius dicens: *Quo oſtenditur nobis, quod nullum debilitas corporis excludat à regno, rariusque delinquat, cui illecebra deſit peccandi.* In cujus rei probationem audiamus eumdem D. Bernardum: *languor vitia excoquit, languor vires libidinis frangit.* De S. Syncletica refert in Vitis Patrum, quod hanc infirmis dederit exhortationem: *Si infirmitas nobis ſupervenit, non contriſtemur, quia ad deſtruenda deſideria corporis nobis projicit. Si amittamus oculos, non feramus graviter, quia extollentiæ inſtrumentum amiſimus. Si ſurdi facti ſumus, non doleamus, quia auditum vanum amiſimus.* Hiſce plane conformis eſt admonitio alterius cujusdam ex ſanctis illis Patribus, cum ait: *Summa religio eſt, ut in infirmitate quis Deo gratias agat: Sicut enim magno & forti medicamine ægritudo corporis curatur, ſic ægritudine corporis cordis vitia retunduntur.*

Ad cœnam magnam ſoli introierunt cæci, claudi, & alijs morbis affecti.

S. Ambr. l. 7. in Luc.

S. Bern. l. c.

Vit. Patr. p. 2. de patien.

Ibid. p. 2. §. 147.

4. *Ceſſare faciet peccata maxima.* Contigit hoc noſtro tempore adoleſcenti cuidam prædiviti, nobili, magnæque authoritatis, quod, cum inordinatis ſuis deſiderijs & appetitui ſenſitivo relaxaret habenas, cunctiſque corporis gauderet oblectamentis, adeo ut firmitatem cum

Notabile exemplum converſi peccatoris per infirmitatem.

cum Salomone dicere posset; *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis*, maligna tandem febri, quæ vicinam ipsi minitabatur mortem, correptus fuerit, ac propterea compunctus ac dolens de suis dissolutionibus & vita pessime transacta profusis lacrymis in hæc proruperit verba: Domine, gratias tibi ago, deinceps non te offendam. Quis Deo, suo templo, suo cultui, suoque populo magis refractarium ac rebellem se exhibuit, quam impius ille Rex Antiochus, qui templum & urbem Sanctam Jerosolymitanam in cumulum lapidum reducere minabatur: Nihilominus, uti alibi dictum est, acerbissimis viscerum tactus & cruciatus doloribus Divinam confessus fuit omnipotentiam, humiliavit se, ac perijt veniam, magnæque conversionis fecit propositum, quamvis a Deo non fuerit acceptatum, quia tempus divinam implorandi misericordiam haud supererat.

S. Bern. cap. 46. de inter. domo.
Deus affligit quosdam morbis ne peccent.
S. Aug. tr. 7. in Joan.

5. S. Bernardi doctrina est bene notanda: *Quosdam præsciens Deus peccare posse, in salutem flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent, ut eis utilius sit frangi ad salutem languoribus, quam permanere incolumes ad damnationem.* Major est sine dubio reproborum, qui sunt sani, quam infirmorum numerus, horum paucissimos reperietis, qui non se disponant ad pœnitentiam. *Quam multi scelerate sani sunt, qui innocenter ægrotarent?* ait S. Augustinus, *vitia recidantur ægritudine.* Jerosolymis erat probatica illa piscina, in qua abluebant carnes, quæ in sacrificijs offerebantur; erant ibidem quinque porticus, in quibus, tamquam in amplissimo xenodochio, morabatur *multitudo magna languentium* & infirmorum, cœlitus *expectantium aquæ motum*, ut per eum liberarentur ab infirmitatibus suis, siquidem omni anno descendebat Angelus in piscinam, qui movebat & turbabat aquam; *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Hæc piscina repræsentabat ac figurabat mundum, qui amplissimi instar xenedochij tot tantisque refertus est languidis & infirmis, quot inveniuntur peccatores varijs infecti vitijs; ad hos curandos è sinu paterno descendit magni consilij Angelus; at nullus nostrum curatur & sanatur nisi per motum & turbationem aquæ, nimirum, per passivum motum tribulationum, adversitatum, infirmitatum. Hic vero observandum est, quod recipiebat sanitatem unus dumtaxat languentium, qui erant ibidem in magno numero; forte ad denotandum, quod majori hominum parti magis expediat conducatque infirmitas, quàm sanitas, etenim *quam multi scelerate sani sunt?*

Figura probaticæ piscinæ.
Joan. 5. v. 3.
Ibid. v. 5.

Act. Apost. 10. v. 38.
Christus paralytico remittit peccata antequam curet illum.
Matth. 9. 5.

6. Verum est, quod Salvator noster *pertransijt benefaciendo & sanando*; ast, ut bene adverterunt communiter Doctores sacri, nulli dabat salutem corporalem, quin simul conferret spiritualem animæ. Observastisne id, quod accidit in curando paralytico à devota turba ei præsentato? Primo dixit illi: *Dimittuntur tibi peccata tua*; & tamen nec turba, nec infirmus, salutem animæ, quæ consistit in remissione peccatorum, postulaverat, bene quidem liberationem à paralysi. Cur igitur Christus Dominus præmittere voluit absolutionem à peccatis? *Quid est, quod ille petebat sanitatem corporis, & Dominus dat sanitatem animæ?* quærit S. Thomas. Et respondet: *Ratio est, quia peccatum erat causa agritudinis.* Idque Lyranus explanat aliqua similitudine: *Ad modum boni medici, qui prius removet causam morbi, & tunc postea intendit curationi; infirmitas autem hæc fuit inflicta paralytico propter peccatum, & ideo Christus primo removet causam, dicens: remittuntur tibi peccata tua.*

S. Thom. in Matth.
Lyranus ibid.

Peccata generant nostras infirmitates.
S. Isid. l. 1. Synon.

7. Voluit propterea S. Isidorus nobis insinuare causam & originem, unde plerumque infirmitates procedant, cum ait: *Quod infirmaris, quod corporis morbis afficeris, quod languorum stimulis cruciaris, quod passionibus animæ quateris, quod mentis angustia torqueris, quod grassante impugnatione spirituum agitaris, hoc ipsum pro peccato tibi divina justitia irrogat.* Quis negare poterit morbos malignos ac periculosos plerumque ex inordinato dissolutoque vivendi modo causatos esse? *Unusquisque se eviscerat luxuriosus* (scribit in sua Epistola S. Ambrosius) *Quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas?* Audiamus S. Chrysostomum, qui hanc evidenter confirmat veritatem, dicens: *Hic admonemur, quod ex peccato morbi generantur.* Et paulo post: *Res profecto gravis est peccatum, graves animi sordes, ut nonnumquam vi & exuperantia sua corpora quoque morbis & languoribus inficiant.* Quod probat deinde illo monito, quod Salvator noster dedit paralytico curato, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quibus verbis* (ait Venerabilis Beda) *aperte monstratur, quia propter peccata languebat; nec nisi dimissis eisdem poterat sanari.*

S. Ambr. Epist. ad Sabin.
S. Chrys. H. 37. in Joan.
Joan. 5. 14.
Ven. Beda ib.

D. Thom. in Joan.
Christus paralyticos sanaturus, prius illis in memoriam revocat peccata eorum.

8. Ingeniosa est illa S. Thomæ observatio: Quærit Angelicus Doctor, cur pientissimus Salvator noster in hac præsertim occasione, qua sanaverat paralyticos, in memoriam illis revocaverit peccata eorum, quod non fecit alijs, tot & tanta alia patrando miracula? Respondet: *Ideo scilicet, ut ostendat per hoc infirmitatem aliquibus ex peccatis prioribus provenire.* Legitur in sacris literis de Balak Moabitarum Rege, quod instantissime solicitaverit Balaam falsum Prophetam, ut electo populo malediceret; at Deus nocte huic ariolo apparuerit, prohibueritque ne id faceret, nec eo contentus, sed Angelum cœlitus miserit ad illum itineri accinctum & ad maledicendum paratum, qui in media via subsistens stricto gladio Pseudoprophetæ, ne ulterius progrederetur: se strenue opposuit, effecitque, ut asina, cui ille insidebat, articulata & humana voce propriam improperaret contumaciam. Ast supponamus Balaam contra Dei voluntatem jam maledixisse populo, quid, quæso, mali maledictio ista conferre potuisset populo electo, qui sub omnipotenti Dei patrocinio & tutela degebat? profecto nihil prorsus mali ei inferre poterat, cur igitur Deus tanta fecit, tanta operatus est miracula, ut falsum illum Prophetam à maledictione illa averteret? *Omnia in sapientia fecisti.* Solvit hoc dubium S. Athanasius, nobis insinuans, quod Deus jam statuerat punire populum Hebræum nonnullis corporis infirmitatibus; verum ne ejusmodi punitio imputaretur maledictioni illius Pseudoprophetæ, sed adscriberetur plane Divinæ justitiæ, Hebræorumque demeritis & peccatis, ideo disposuit, ut tot tantisque modis illius arioli maledictiones & imprecationes impedirentur: *Quam vim habebat vatis execratio, cui Deus prohibuerat, ne execraretur?* Respondet: *Ne à Deo castigati æstimarent se per vatis execrationem in calamitates incidisse.*

Num. 22. v. 1.
Quare Deus tanta miracula operatus fuerit ut impediret ne Balaam malediceret populo Israel.
S. Athanas. q. 32. in Sacr. Script.

9. S. Bernardus Serm. 43. multa deprompsisse videtur ex S. Isidoro, cujus verba jam superius allegavimus; sic enim loquitur: *Quod corporis debilitatibus frangeris, quod carnis morbis afficeris, quod languoris stimulis cruciaris, hoc pro peccato tuo tibi divina Justitia irrogat. Tua contra te dimicant arma, sagittis tuis plagaris, telis tuis vulneraris; per quæ enim peccasti, per hæc & torqueris; in ipsa carne cruciaris, in qua deliquisti.* Verum tametsi infirmitates nostrarum iniquitatum plerumque pœnæ existant; attamen benignissimus Dominus illas nobis immittit; ut nobis caveamus & prospiciamus, nos emendemus, corporisque afflictiones patienti animo sufferentes osculemur virgam, qua juste castigamur, effugiamus insuper pœnas sempiternas, commutantes eas in temporales, ac denique vitam beatam, æternamque promereamur, Paulo ante jam insinuaverat S. Bernardus: *Ad purgationem tuam sufficit, si ea quæ pateris, ad justitiam Dei retuleris, si pro irrogata infirmitate tu humilis Deum glorificaveris.* Docuerat quoque modum, quem in angustijs infirmitatum constituti tenere debeamus, dicens: *Hoc modo te accusa; Peccavi, & ut eram digna non recepi; æqualem vindictam peccati mei non sentio percussam, quam mereor.*

S. Bern. ser. 43. de modo bene vivendi.
Deus juste pro peccatis nostris infligit nobis morbos corporis.
S. Bern. l. c.

10. Quod peccatum magna ex parte sit causa infirmitatis corporalis, ex pluribus conjecturis, & ex illa præsertim evidenter convincitur; etenim quamprimum infirmus exoneravit se à peccatis, notabile etiam corporis percipit sublevamen, & frequenter etiam sanitatem. *Exsiccemus fontem malorum, & cuncta continuo languorum fluenta siccabuntur; non modo enim paralysi dissolvi, verum etiam peccare languor est, & longe illo languore deterior, ac tanto utique, quanto est corpore anima præstantior*, ait D. Chrysostomus. Magna est illa promissio, si infirmitatis radicem, quæ est peccatum, sustulerimus, subsequetur pariter sanitas. In vita S. Philippi Nerij nonnulla legimus exempla: Torquatus Conti gravissima laborabat infirmitate, P. Tarugi congregationis nostræ sacerdos, qui postea creatus fuit Cardinalis, hoc dabat ei consilium, ut confiteretur Sancto; confessus est, & plane convaluit. Similiter quidam vir ex pago seu vico Palombara correptus morbo, nec die noctuque quietem habebat, nec remedium reperiebat; S. Philippus nonnisi hoc confessionis suggessit ei medicamentum, & liber evasit & sanus, quod cum alij eodem loco oriundi

Sublato peccato sepè restituitur æger sanitati.
D. Chrys. Hom. 14. in Matth.
Varia hujus exempla.

oriundi intellexissent; venerunt Romam supplicantes Sancto, ut & ipsis, veluti primo, sanitatem impertiretur: *Super ægros manus imponebat, & bene habebant.* Nobilis quidam Romanus, qui se à dæmone credebat obsessum, atrocissima vexabatur melancholia; quæ ipsum ad pellem & ossa reduxerat; varia is adhibuerat humana remedia, at sine fructu; tandem consilio & auxilio S. Philippi per viam confessionis generalis perfectam recepit sanitatem. In vita quoque servi Dei Joannis Baptistæ de Fulginio legitur, quod ardentissima correptus febri, timensque vicinam mortem (*stimulus mortis peccatum est*) in ipso febris ardore statuerit accedere Confessarium; accessit, simulque observavit, quod eodem tempore, quo confitebatur, febris diminueretur; ac in fine confessionis totus liber evaserit.

Lib. 1. cap. 7.

Matth. 4. 23.
Antequam Christus curaret infirmos, disposuit illos prædicatione ad spiritualem animæ salutem.

11. Consideratione dignus est textus ille quem refert S. Evangelista Matthæus cap. 4. *Et circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo; & abijt opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curavit eos.* Ubi observandus est stylus, quem servat S. Evangelista, primo dixit: *Prædicans Evangelium regni*; priusquam languentibus confert sanitatem corporalem, disponit illos ad recipiendam salutem spiritualem animæ, quia namque peccata & vitia infirmitatum plerumque causæ sunt, oportet, prius tollatur causa & radix mali.

D. Chrys. H. 34. in Matt.

12. Quapropter S. Chrysostomus justissimam habuit lamentandi ansam, cum in has prorupit querelas: *Nunc vero si habuerimus aliquam corporis passionem, omnia facimus, cuncta mercamur, ut in reliquum ægritudine liberemur, quoniam quæ maxima necessaria sunt, superflua esse dicimus; quæ vero penè dissimulanda, hæc omnino necessaria judicamus, & fontem ipsum malorum incuratum relinquentes, rivulos purgare conamur.*

DISCURSUS XX.

ARGUMENTUM.

Infirmitates sunt exercitium virtutis & perfectionis, pluriumque aliorum bonorum instrumentum.

THEMA.

Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. v. 9.

Ex infirmitate corporis elicitur virtutis perfectio.

1. Hanc veritatem S. Apostolo non intimavit Ananias, aut alius Christi discipulus, multo minus proprius conceptus & inventio ejus fuit; sed ipsa increata Sapientia hoc ipsi dictavit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ex hoc igitur oraculo eo evidentius deducitur, qualis sit infirmitatis gloria, quantumque sit emolumentum, dum ex ea virtutis elicitur perfectio. Ast si verum est, quod amor & dilectio erga Deum, juxta sententiam etiam ejusdem Pauli, primatum teneat; *Major autem horum est Charitas*, qua ratione cœlestis magister modo nobis insinuat, virtutem perfici infirmitate? respondeo amorem Dei ostendere sinceritatem, ac puritatem suam in tolerantia infirmitatum, *pœna interroget, si quis veraciter amet.*

1. Cor. 13. 13.

Lyran. hic.
Virtus dupliciter in infirmitate perficitur.

2. *Virtus in infirmitate perficitur. Dupliciter potest intelligi* (Sic Lyranus exponit hunc textum quoad literam) *uno modo materialiter, in quantum infirmitas est materia virtutis exercendæ, scilicet, humilitatis & patientiæ, & etiam temperantiæ. Debilitatis enim viribus per infirmitatem homo temperantior redditur. Alio modo occasionaliter; nam infirmitas est occasio perveniendi ad perfectionem, in quantum homo propriam fragilitatem cognoscens cautior redditur ad præcavendum, & resistendum peccatis, & per consequens exercitatior in bonis, & sic fortior efficitur.* Observastisne tempus illud, in quo dictum fuit S. Paulo: *Virtus in infirmitate perficitur.* Legite primam & secundam Epistolam ad Corinthios usque ad textum jam allegatum, & invenietis, quod Apostolus jam constitutus erat in summo perfectionis apice, cujus indicium est, quia aliquot vicibus raptus fuerat ad paradisum, admissus ad intelligenda arcana & secreta cœlestia mysteriorum Dei: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui*; pluribus honoratus fuerat apparitionibus, visionibus, ectasibus, revelationibus; ditatus donorum gratiarumque cœlestium thesauris, & tamen infallibile illud oraculum notum ei esse voluit: *Virtus in infirmitate perficitur.* Quamobrem paulo post gloriabatur, non quod privilegio visionis beatificæ, per modum transeuntis gavisus fuerit; non quod ad tertium cœlum raptus fuerit; non quod mortuos suscitaverit, & secretorum cœlestium particeps factus fuerit: De quo ergo gloriabatur? *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Et quæ illa virtus Christi? Nil aliud sane erat, nisi omnium virtutum epitome, & sanctitas quædam transcendens.

Allegatur exemplum S. Pauli.
2. Cor. 12. 4.
2. Cor. 12. 9.

Infirmitas corporis patienter ex amore Dei tolerata comparatur martyrio.

3. S. Propheta Job insigne virtutis heroicæ summæque perfectionis, non unum dumtaxat, sed multiplex dederat specimen; quando uno & eodem tempore plurimas sinistrorum casuum & infortuniorum excepit relationes, videlicet, de morte filiorum filiarumque, de inopinata domus ruina, de amissione servorum, de abductione gregum, armentorumque, in terram provolutus, ut Deo gratias ageret, dixit: *Sit nomen Domini benedictum; sicut Domino placuit, ita factum est.* Nihilominus non acquievit Satan, optime namque sciebat lapidem lydium solidioris virtutis consistere in sufferentia infirmitatum, ideoque in medium prodijt, & Deo dixit: *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. Non est enim parum* (ait Chrysostomus) *dolore affectam refrænare animam, ad hoc ut nihil peccet. Hoc est cum martyrio conferendum; hoc est bonorum colophon; & tu ergo dilecte, cum te sæpe vel morbus, vel febres, vel dolores invadunt, cogente te dicere cruciatu aliquod blasphemum, si retinueris, & Deum gloria & honore affeceris, eamdem mercedem accipies.* Ecce, quanti Deus æstimet infirmitates patienter toleratas, inserit illas categoriæ martyrij. Virtus, utpote apud Deum habens meritum, illa est, quæ sociatur divinæ gratiæ: *Non ego, sed gratia Dei mecum; Gratia Dei sum id quod sum.* Et vero advertendum, quod licet gratia hæc promittatur in omnibus alijs operibus bonis: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, nihilominus thesaurarius cœlestis specialiter eam offert infirmitatibus & morbis corporis subjectis: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Job. 1. v. 21.
Job. 2. v. 5.
D. Chrys. in Ps. 128.
1. Cor. 15. 10.

Infirmitas corporis parit animæ salutem.
Raban. in Eccli. 31.

4. Rabanus explicando textum hunc Ecclesiastici: *Infirmitas gravis sobriam facit animam*, in illius confirmationem allegat hoc dictum Apostoli: *Cum infirmor, tunc potens sum. Quando enim*, subdit ille, *sustinuit forinsecus flagella persecutionum, intrinsecus crevit dono spiritualium gratiarum.* S. Augustinus, aut quicumque alius author sit, de visitatione infirmorum scribit: *Vis scire, quia infirmitas corporis salutem animæ parturit? Audi Dominum Apostolo respondentem: Virtus in infirmitate perficitur, ac si dicat: Complectere, quam pateris, infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Si in infirmitate virtus augmentatur, virtus autem est salus animæ, infirmitas corporis quandoquidem per virtutem animæ parit salutem, donum Dei est, Non enim est aliunde nisi ex Deo salus animæ.* Et S. Bernardus Serm. 25. in Cant. considerando verba ista Apostoli: *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*; asserit: *Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed & destitui & deficere penitus à memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? nam virtus in infirmitate perficitur.*

S. Aug. T. 9. de visit. infir. c. 74.
2. Cor. 12. 9.
S. Bern. ser. 25. in Cant.

Quare S. Paulus S. Timotheum graviter infirmum non sanaverit.

5. Annon umquam venit in considerationem vestram, quod S. Apostolus Paulus tot tantosque languentes miraculose pristinæ sanitati restituerit, & unicum illum S. Timotheum dilectissimum suum discipulum, Episcopum Ephesinum, Prædicatorem Apostolicum, virum Christianæ reipublicæ adeo utilem & necessarium, sanare noluerit; ecquæ hujus ratio assignari posset, dum tantus Apostolus non operabatur à casu, sed cum cautela & Christiana prudentia? D. Chrysostomus in illa verba, quæ huic discipulo Apostolus scripsit: *Modico vino utere, propter frequentes tuas infirmitates*, composuit homiliam, quæ habet: *Dubitant quidã intra se quærentes, qua de causa permisit Deus virum tantã habentem potestatem, ut ejus ossa & reliquiæ dæmones expellerent, in tantam ægritudinem incidere? Non enim leviter ægrotabat, sed continue, sed alternis & jugibus infirmitatibus, nec minimum quidem ipsum respirare indulgentibus; unde hoc manifestum? Ex ipsis Pauli verbis; non enim dixit propter ægritudinem, sed propter ægritudines, neque simpliciter propter infirmitates, sed ipsarum continuationem significans dicebat: Frequentes tuas infirmitates. Audiant qui modico traditi languori ægre ferunt.* Quod vero Timotheus Ecclesiæ fuerit utilissimus, exponit hisce verbis, *Publica mundi negotia ipsi erant credita*; nec Thebaidis solitudini & eremo

1. Tim. 5. 23.
D. Chrys. H. 1. ad pop. Antioch.

eremo inclusus erat: *In medium provectum, & tot Ecclesiarum curas habentem creditas, & urbes totas, & gentes, & totum terrarum orbem tanta cum sedulitate & studio administrantem, infirmitatis necessitati traditum esse, hoc est, quod maxima non animadvertentem omnino in stuporem agere posset.* Et paulo post: *Infinitos ad veritatem ducere poterat, & ægrotabat.* Postquam multa & varia repræsentavit ac recensuit emolumenta, quæ ab ejus sanitate & bona valetudine in Ecclesiam redundare poterant, interrogat, cur ille ipse, qui in commodum aliorum tam stupenda patrabat miracula, seipsum non curaverit? vel etiam, cur ipsum non sanaverit Apostolus magister ejus, qui dono miraculorum præditus tot sanabat infirmos? *Quæ dementia neque seipsum, neque ipsius præceptor ita confectum curavit? sed mortuos quidem suscitabant, & mortem facile vincebant, unum vero corpus ægrotum non instaurabant; & qui in alienis corporibus & viventes, & mortui tantam exhibuere virtutem, stomachum lapsum non revelabant, & quod majus est, non erubescit Paulus post tot & talia signa, quæ vel nudo præstitit verbo, Timotheo scribere, ut ab aquæ potu confugiat ad vini medelam.* Ut insuper sciremus, in quanto honore & æstimatione Timotheus extiterit apud Apostolum præceptorem suum, scribit: *Paulus ipsum vocat filium, & filium dilectum & fidelem: hæc verba omnem ipsius virtutem demonstrare sufficiunt.* Plura alia postquam dixit in laudem S. Timothei, ipsum loquentem introducit his verbis; *Infirmetur corpus, non infirmetur animus; refrænetur caro, & animæ ad cælum cursus non impediatur.* Igitur tam Timotheus, quam Apostolus præceptor ejus, optime cognoscebant, quantam utilitatem conferant, quantumque conducant saluti animæ infirmitates corporales, ac propterea illas amplectebantur; & cum gaudio excipiebant: *Gloriabor*, dicebat Apostolus, *libenter in infirmitatibus meis*, & quia tenerrime amabat Timotheum, non curabat ipsum eximere ab illa indispositione & cruciatu corporis, optime sciens, quod *virtus in infirmitate perficitur.*

A. Cor. 12. 9.

Sancti & contemplativi plerumque adversa fuerunt valetudine.

6. Quotquot Sanctorum Divinorum contemplatione mysteriorum, bonorumque cœlestium dediti fuerunt, eos plerumque corpore infirmos & indispositos reperietis. De S. Gregorio Magno legitur in lectionibus: *Admirabilia sunt quæ fecit, scripsit, decrevit, præsertim infirma semper valetudine.* S. Hieronymus, S. Bernardus & innumeri alij contemplativi male valuere. De S. Daniele Prophera legimus, quod dignus factus visione cœlesti dixerit: *elangui & ægrotavi per dies plurimos.* Hujus historiæ mentionem fecit S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 24. occasione infirmitatis, quam contraxerat Theodorus Mansionarius Ecclesiæ S. Petri iddi; in compensationem obsequiorum sepulchro hujus Apostoli præstitorum: *Quia in re quid idem Dei Apostolus servientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere, quia quidquid pro ejus veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret?* Adducto postea exemplo Danielis prosequitur: *Caro enim ea quæ sunt Spiritus capere non valet, & idcirco nonnumquam, cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est, ut hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.*

Dan. 8. v. 27.

S. Greg. l. 3. dial. c. 24.

S. Philippus Nerius corporis dolores animo læto excipiebat.

7. Legitur in vita S. Philippi nostri, quod licet ipse liberalissimus esset erga infirmos etiam ad mortem usque, conferendo eis optatam sanitatem, ipse tamen noluerit esse sine doloribus & afflictionibus corporis, & diuturna frequenter detinebatur infirmitate, quam & lato excipiebat animo, quia quis spiritualis profectus ex eis redundet in animas justas, optime noverat. Plurimi referunt authores, & in specie S. Bernardinus id, quod contigit charissimo cuidam amico S. Thomæ Cantuariensis, qui, quia infirmus erat, ad sepulchrum hujus Sancti, ubi plurima contingebant miracula, se deferri jussit, ac subito etiam sine dilatione convaluit, at quia scrupulo angariabatur, quasi non postulasset sanitatem conditionatam, nempe, si ea animæ suæ expediret, iteratas propterea obtulit huic Sancto preces, se non intendisse hanc recipere gratiam, casu quo æternæ saluti suæ non conduceret; & ecce in pristinam recidit infirmitatem, quo casu certior factus fuit, quod *virtus in infirmitate perficitur.* In vita pariter S. Joannis Anachoretæ refertur, quod, cum à quodam febricitante instantissime solicitaretur, ut manuum suarum impositione eum liberaret à febri tertiana, infirmo huic respondent: Rem tibi necessariam cupis abjicere; ut enim sapone panni lavantur, sic mentem morbi eluunt, & corporis morbus, animi salus; *virtus in infirmitate perficitur.*

S. Bern. Ser. 41. circa finem. Aliud notabile exemplum.

Ruffin. c. 1. in vita Joan. Anachoretæ.

8. Idipsum S. Ambrosius illustrat exemplo S. Pauli Apostoli dicens: *Iste ipse post revelationum rogavit remedium sanitatis, & non impetravit: Propter quod ter Dominum rogavit*, dicit ipsemet; at si pro alijs; quodcumque volebat & desiderabat, impetrabat, cur ipsemet non fuit exauditus? Causa erat; quia Deus eminentem ejus perfectionem per infirmitatem ampliare & adaugere volebat, quare prosequitur S. Ambrosius: *In infirmitate autem remedium non quæsivit, sed cursum consummavit, & coronam invenit.* In vitis Patrum legitur de Didimo, quod octoginta annorum spatio visu orbatus vixerit, versatissimus tamen fuerit in Sacra Scriptura, ut propterea D. Hieronymus eum nuncupaverit suum videntem; igitur cæcus hic interrogatus quadam vice à S. Antonio, num male contentus esset ob defectum visus, respondit: *Minor prudentem virum ejus rei dolore damno, quam formicæ & pulices habent; & non potius lætari illius possessione, quam sancti & Apostoli meruerint; multo enim melius est spiritu videre, quam carne, & illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quam illos qui solo visu peroccupiscentiam possint homines in interitum gehennæ mittere.* Petrus Abbas Claravallensis cum per infirmitatem amisisset oculum, lætus & festivus dixit: *Unum de inimicis evasit, & plus à residuo, quam à perdito, formido.* Ecce quam verum sit, virtutem servorum Dei perfici & illustrari in infirmitate.

S. Paulus pro alijs infirmis orans exauditus fuit, pro se vero non. S. Ambr. in Ps. 36.

Vit. Patr. p. 2. §. 205. Exemplum Didimi qui octoginta annis fuit cæcus.

9. B. Laurentius Justinianus meminit quoque textus hujus Apostoli: *Gloriabor in infirmitatibus meis* &c. unde subdit: *Infirmitatibus suis gloriatur in se, ut de collatis donis, seu de acquisitis virtutibus gloriaretur in Domino. Noverat quid ex se, quidve prærogatum illi fuisset à Domino. Dicebat se in infirmitatibus gloriari, non quod gloriam de infirmitate commendabilem adipisci posse se crederet, sed ut infirmitatis comparatione manifestaret, quantum in se Dei elucesceret gratia.* De B. Polemone, qui S. Pachomij socius fuit, legitur quoque in Vitis Patrum, quod gravi correptus infirmitate, tametsi acerbissimos pateretur dolores, læto tamen & hilari animo existens seipsum consolaretur hisce verbis: *Si martyres Christi, alij per frustra lacerati, alij capite plexi, alij ignibus cremati sunt, & tamen usque in finem fortiter pro fide toleraverint; cur ego patientiæ præmia parvis cedens doloribus impatienter abjiciam, & desiderio vitæ præsentis afflictiones momentaneas inaniter expavescam?* In alijs discursibus supra, præsertim tractatu de Patientia, relatum fuit de sancta quadam muliere, nomine Bona, quæ ulcera & vermes, quibus scatebant ubera, tamquam inæstimabilis pretij gemmas æstimabat: Ut propterea verum sit, quod ait Apostolus: *Virtus in infirmitate perficitur.*

Alia ejusdem materiæ exempla.

S. Remig in cat. Matth.

DISCURSUS XXI.

ARGUMENTUM.

Infirmitates Divini amoris signa sunt & indicia, ac plura alia nobis conferunt bona.

THEMA.

Domine, ecce quem amas infirmatur. Joan. 11. v. 4.

Infirmitates sunt signa amoris Dei.

1. LAzaro lethali subjecto morbo, periculoseque decumbente, ambæ sorores Martha & Magdalena Christo Domino miserunt nuntium cum hac relatione: *Ecce quem amas, infirmatur.* Et ecce evidens argumentum, quod demonstrat, infirmitates esse amoris Dei signa, idque eo probatur esse verius, quia respondit cœlestis Magister: *Audiens autem Jesus dixit:* Joan. 11. 4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Unde D. Chrysostomus monitum hoc consideratione dignum nobis reliquit: *Multi*, inquiens, *cum aliquem bonum & Deo acceptum mali aliquid, ut morbum, ut paupertatem & hujusmodi, perpeti vident, perturbantur; sane ignari, hoc maxime Dei amicis contingere; nam & Lazarus & amicus Christo, & ægrotus erat.* Verum quomodo æterna veritas de infirmitate Lazari dicere potuit: *Infirmitas hæc non est ad mortem*, cum certum sit Lazarum mortuum fuisse? Expositio Lucaburgensis est: *Mortuus fuerat eo ipse die, quo nuntius missus discesserat à Jesu*, sive ante responsum a Jesu nuntio datum, sive paulo post. Cum igitur sorores hujusmodi reciperent responsum, quis non dixerit, illas fuisse turbatas? *Tamen quia adjunxerat Jesus morbum hunc ad gloriam Dei, ut glorificetur Filius Dei*

D. Chrys. Hom. 61. in Joan.

Lucaburg. il.

Dei per eum, persuaserant sibi, sensum verborum Jesu esse hunc, aut similem, quod infirmitas fratris esset non ad mortem, sed ad salutem ipsius æternam pro gloria Dei. Infirmitates corporis à Divina providentia ordinatæ sunt ad majorem ejus gloriam, & ad majus ipsius infirmi bonum & emolumentum.

Infirmitates proveniunt à Deo justo judice, hinc de iis murmurare non debemus. S. Bernard. serm. 43. de modo bene vivendi. Joan. 11. 3.

2. Hoc supponatur fundamentum oportet, quod à mala corporis à Deo proveniant, eaque Deo referre debeamus accepta; quare D. Bernardus nos monet: *In infirmitate non debet homo murmurare. Quare? quia ab illo judicatur, cujus judicia semper sunt justa. Qui infirmitatem patitur, & contra Deum murmurat, justitiam judicantis accusat, ac propter hoc iram Dei adversum se provocat. Non potest non esse justum, quod justo placet Judici.* Hanc habemus certitudinem, Deum amare infirmum: *Ecce quem amas infirmatur*; ergo oportet dicere, ab infirmitatibus multa in nos redundare bona. Hinc etiam B. Laurentius Justinianus de spirituali animæ resurrectione scribit: *Maxima salus ægritudo est corporis, quæ compungit animum, superbiendi tollit affectum, impudicitiæ extinguit ardorem, cupiditatis sitim temperat, appetitum edacitatis frænat, litium contradictiones amovet, livoris consumit rubiginem, atque sæculi istius interdicit amorem.* Legitur de S. Francisco de Borgia, quod excessivus calor febris ardentissimæ, qua correptus erat, in memoriam ei reduxerat voracissimas inferni flammas, quas damnati in pœnam peccatorum suorum per totam æternitatem paterentur.

B. Laur. Just. lib. 2. de Spir. an. c. 5.

Infirmitates æquo animo toleratæ duplicant merita in præsenti & gloriam in futura vita. Luc. 10. 35.

3. Utilitas hæc infirmitatum magis elucidabitur, si parabolam illam, quam S. Evang. Lucas cap. 10. refert, examinaverimus. Vulneratus ille semivivus summa charitate curatus fuit à bono illo Samaritano; quod vero nostro inservit proposito, est circumstantia quædam, quam notavit S. Evangelista asserens: *Protulit duos denarios.* Porro illi qui laboraverant & sudaverant tota die in vinea, ab ortu usque ad occasum solis, lucrati sunt dumtaxat unicum solum denarium, at hic duos denarios. S. Remigius per unum denarium intelligit observantiam decalogi: *Recte per denarium designatur observatio decalogi præmium. Pulchre ergo dicit, conventione facta, quia unusquisque in agro sanctæ Ecclesiæ prosperæ futuræ remunerationis laborat.* Ex quo hoc conficere possumus argumentum, si per unum denarium denotata fuit æterna remuneratio, quia ergo Samaritanus (per quem intelligitur Christus Salvator noster) duos exposuit denarios in favorem & commodum hujus vulnerati, indicium hoc est, quod quicumque æquo ac patienti animo in præsenti vita toleraverint infirmitates corporis, afflictiones, tribulationes, duplicabunt & multiplicabunt sibi gratiam & merita in præsenti & gloriam in futuro.

S. Remig in cat. Matth.

Idem l. c. Alexander Magnus vulneratus agnovit se non Jovis, sed hominis filium esse.

4. Merito in admirationem quempiam raperet id, quod Salvator noster à paralytico illo, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, petebat dicens: *Vis sanus fieri?* Num fortassis dubitari poterat, quod post tam diuturnam & pœnalem perpessam paralysin curari nollet? *Et quænam gratia Jesus contemptis aliis ad eum, qui octo & triginta annos ægrotaverat, venit? Quid præterea interrogat* (sic quærit Chrysostomus) *vis sanus fieri? Non quod dubitavet, esset enim absurdum; sed ut illius ostenderet tolerantiam.* Patientia, de qua dicitur, *opus perfectum habet*, ubinam perficitur nisi in infirmitate corporali? *In languoribus tuis gratias age Deo*, ita consulit nobis S. Bernardus, *valere magis opta animo, quam corpore; desidera plus valere mente, quam carne; adversa carnis remedia sunt animæ, ægritudo carnem vulnerat, mentem sanat.* Ut verum acquiramus spiritum, carnem mortificemus necesse est, quod præstatur per infirmitatem. Paulo ante eodem sermone dixerat: *Infirmitatem carnis laudat Apostolus, dicens: cum enim infirmor, tunc fortior sum, scilicet spiritu.* Alexander Magnus ut filius Jovis palpabatur à parasitis; at lethali læsus vulnere & ex eodem profluentem spectans sanguinem, deceptum se reperit, erroremque correxit: inter alios effectus infirmitatis hic etiam numeratur, quod nos ducat in cognitionem Dei, nostræque fragilitatis & miseriæ, ejusque testimonia nobis ob oculos ponit, nil aliud nos esse nisi sterquilinium. Hoc idem punctum tetigit S. Bernardus Serm. 34. in Cantica, cum ait nos humiliari in infirmitatibus ex testimonio Apostoli, qui *non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse quod humiliatur.* Quot sunt, qui existentes sani, proprium

Idem S. Bern. serm. 34. in Cant.

Joan. 5. 7. Verus spiritus acquiritur per mortificationem & infirmitatem carnis. D. Chrysost. Hom. 35. in Joan. S. Bern. ser. 43. de modo bene vivendi.

adorarunt corpus: *Quorum Deus venter est?* at constituti in infirmitate in sui ipsius devenerunt notitiam, videruntque carnem suam nil aliud esse, nisi cibum vermium & stercoris faccum.

Phil. 3. 19.

5. *Ecce quem amas infirmatur.* B. Justiniani, cum agit de infirmitate corporali, doctrina hæc est: *Nec illam isto acceptabilius est sacrificium, si tamen patiendi desiderio concremetur, facile largitur omnia, qui semetipsum offerre non renuit. Disce igitur, qui infirmaris in corpore, in doloribus gratias agere, quatenus virtus animæ perficiatur accrescat salutis spes, augeantur merita, & spiritualis gratia in te locupletior fiat. Si ferrum es, infirmitatis conflictus in ignem, vitiorum amittes scoriam; Si argentum es, variis doloribus examinatus, splendidior fies; si vero aurum, post purgationem virtutum decoraberis gemmis.* Quot fuerint dolores & cruciatus patienter & cum conformitate ad divinum beneplacitum tolerati, tot erunt gemmæ, quibus condecorabitur corona tibi in cœlo præparata. S. Pachomius ut unum ex monachis suis excitaret ad infirmitatem, in quam incideret, patienti animo sufferendam, dixit illi: *Bona quidem est abstinentia & in oratione perseverantia, tamen infirmus majus pretium adipiscitur, cum longanimis & patiens inventur.*

B. Laur. Just. ibid. Infirmitates patienter toleratæ ornant coronam nostram gemmis.

In mendico Lazaro ostenditur quanti Deus faciat patientiam in infirmitate.

6. Christus Dominus Salvator noster, ut variis nos imbueret virtutibus, varias composuit parabolas; una tamen præ cæteris nobis repræsentat, quanti Deus æstimet, & quam gratas acceptasque habeat infirmitates patienter toleratas, demonstrat insuper meritum languentium esse amplissimum & abundantissimum. Ubi, quæso, in toto, sive veteri, sive N. Testamento reperitur, quod è paradiso cœlesti descenderint angelicæ Hierarchiæ unius defuncti honorantes exequias, & cum triumpho eumdem deferentes ad locum quietis æternæ? Hujusmodi obsequium nec Abeli, nec ipsi Enoch, nec Noë, nec Eliæ, nec Abrahamo, nec Davidi, neque ulli alteri sanctitate etiam præcellenti, præstitum fuit; sed neque etiam uni Joanni Baptistæ in novo Testamento, neque ulli Apostolorum; cui ergo? *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et quale apud Deum habebat meritum conversionis animarum? austeritatis & rigoris ciliciorum, disciplinarum, eremi? martyrij? virginitatis? nullum aliud nobis constat, nisi quod fuerit *ulceribus plenus*; & in hac extrema afflictione ne quidem ullum protulit verbum impatientiæ aut querelæ. Audiamus D. Chrysostomum: *Et tamen etiam absque his præmium virtutis arripuit, eo quod omnia tulerit fortiac generoso animo, eo quod cum videret crudelem & inhumanum hominem in honore haberi, & vitam agere in deliciis, seipsum autem versari in tantis malis, ne verbum quidem indecorum protulerit.* S. Chrysologus etiam considerans ulcera hujus mendici ait: *Solvantur viscera, ulcera producantur, hiatus vulnerum dilatetur, sanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in scenâ pietatis, ut quem vox eloquentis non moverat, suspiria, dolores, gemitus, & tota arumnarum congeries commoveret.* Ast cur non etiam dicere possumus, quod tot aperuerit ora, quot patebant ulcera (*ulceribus plenus*) & iisdem imploraverit invocaveritque pietatem & misericordiam Dei, sicque dignum se reddiderit tantarum gratiarum abundantia, invictaque sua tolerantia & patientia innumera lucratus fuerit merita. Porro omnia & singula Lazari merita summatim consistebant, quantum nobis constat, in patienti tolerantia horridæ ac dolorosæ infirmitatis suæ, quæ ipsos etiam canes ad compassionem movebat: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus:* ubi notat Cajetanus: *Significatur per hoc meritorum Lazari oblatio coram Divino judicio: rationabile siquidem est, Angelorum officio merita justorum colligi in morte.*

D. Chrysost. in Psal. 118.

Luc. 16. 21. Cajetan. ibid.

7. Ex senioribus SS. Patribus eremi non nemo dicere solebat: *Ne contristeris, fili: semina enim religionis est, ut in infirmitate quis agat Deo gratias, quia si ferrum es, per ignem æruginem amittis; si aurum, per ignem probaris, à magnis ad majora procedis.* S. Apostolus Paulus à Deo instructus fuit, quod si thesauros multorum meritorum, quos tum ob conversionem mundi, tum ob varias perpessas calamitates (*plus omnibus laboravi*) acquiserat, conservare vellet, ne etiam ob visiones, ectases, revelationes, miracula, vana extolleretur gloria, adamare deberet infirmitates: *Igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Inter perfectos secreta sapientiæ sunt loquenda*, ait S. Ambr. *attamen quid commemoratio istius revelationis operatur, nisi ut doceat, quod in revelationibus minime gloriandum sit, sed in infirmitatibus? Quia*

S. Paulus non in revelationibus, sed in infirmitatibus gloriabatur.

1. Cor. 15. 10.

1. Cor. 12. 9.

S. Ambros. in Psal. 36.

infirmitas & remedium revelationis, & virtutis exercitium est. Ne revelationis sublimitate extolleretur ipse Paulus, qui raptus in tertium cælum est, stimulum carnis accepit. Subvenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum verteretur, utilior ergo infirmitas, quam gratia.

Calamitates trahunt nos ad amorem Dei. *Psal. 33.19. Psal. 15.4. Hugo Card. ibid.*

8. *Ecce quem amas infirmatur.* Magnes ad se trahit ferrum; calamitates & adversitates pariter nos ad amorem Dei attrahunt: *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde; cum ipso sum in tribulatione*; at expressius cecinit Psalmista Psal. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*; & quid inde secutum? *Postea acceleraverunt ad eum*, videlicet, ut exponit Hugo Cardinalis, *ad Deum*. Quos existimatis secutos fuisse Christum Dominum, eique sua obtulisse obsequia, nisi tribulatos & infirmos? Selecturus Deus præterito sæculo novi ordinis sive religionis Patriarcham & fundatorem, qui sustentaret fulciretque Ecclesiam, unius sauciati globo bellico, ac proinde claudicantis usus est opera, & per hujusmodi claudicationem eum in viam perfectionis ita direxit, ut ipso duce innumeræ aberrantes animæ reductæ ac reducendæ sint ad regiam rectamque viam æternæ salutis.

Declaratur propositum apta similitudine. *Psal. 121.3.*

9. Praxis & quotidiana docet experientia, quod, cum urbs aliqua rebellis est suo Principi & Domino, ut ad debitam reducatur obedientiam, obsidione cingatur, eriganturque aggeres & propugnacula è regione præsertim illius partis urbis, quæ est debilissima, & ubi facilior est assultus & irruptio; anima nostra denotatur per urbem Jerusalem, *quæ ædificatur ut civitas*; quoties illa peccato obnoxia est, Deo rebellis est; ut ergo ad debitam redigatur obedientiam & devotionem, ordinario cursu premitur circa partem debiliorem, quæ est caro & corpus, constringitur mortali infirmitate, & plerumque contingit, ut hac ratione Deo se dedat & reconcilietur. Regulus ille Capharnaum unà cum tota sua familia satis numerosa idololatriæ deditus erat; quem pientissimus Salvator noster servavit modum, ut ipsum cum omnibus domesticis suis reduceret ad debitum obsequium & homagium? *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur.* Apposite subdit S. Hieronymus: *Regulus non solam filij, sed universæ familiæ suæ reperit sanitatem.* Ex infirmitate filij hausit æternam salutem: *Credidit ipse & domus ejus tota.* Ubi optime inservit ponderatio illa Toleti: *Quis non credidisset, quando filium Reguli infirmantem usque ad mortem vidisset, male actum esse cum filio & cum patre? Et tamen infirmatur filius usque ad mortem divino consilio, ut occasio potioris salutis fieret familiæ universæ.*

Joan. 4.46. S. Hieron. in c. 65. Isa. Joan. 4.53. Toletus in Joan.

Infirmitas est signum amoris Dei.

10. Quamvis infirmi numquam sanarentur, hoc quoque casu infirmitas esset signum amoris Dei; siquidem Deus indulget illis tempus præparandi se, priusquam compareant in particulari & tremendo suo judicio; pro cujus elucidatione sacri Doctores hanc adducere solent similitudinem optime quadrantem: si viderem quempiam in aquas maris aut fluvij cujusdam se præcipitantem, ut seipsum interimeret & submergeret, annon eximium illi exhiberem amoris & benevolentiæ signum, si præsens illum retinerem & retraherem, esto etiam illius brachium aut pedem frangerem? melius sane est, ut brachium aut pes frangatur & claudus evadat, quam quod totum corpus pereat; Ad eum modum procedit Deus cum illo, qui currit ad inferni præcipitium, *corpus & animam perdit in gehennam*; Deus, inquam, salvat animam, esto cum infirmitate & morte corporis. In conspectu totius universi mirabilis contigit ista metamorphosis & conversio illius qui totum mundum ad fidem convertere debebat, nempe, quando Saulus transmutatus fuit in Paulum, quando ex equo præcipitatus fuit, & per tres dies cæcus mansit; unde S. Augustinus in versum illum: *Intendit arcum suum donec infirmentur*, scribit: *Infirmatus est ille, qui dixit, quid me jubes facere? Multi qui fuerant inimici, infirmati sunt & conversi.*

Probatur similitudine. *Matth. 10.28. S. Aug. in Psal. 57.*

DISCURSUS XXII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quantum nobis inferat præjudicium & detrimentum prosperitas & felicitas temporalis.

THEMA.

Non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi, Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Psalm. 80. ℣. 12. & 13.

Prosperitas hujus vitæ est nociva, & sæpè punitio divina. *D. Chrysost. Hom. 54. ad pop.*

1. Prospero fortunæ statu uti, & libertate intemperanter abuti punitio Dei est; unde huic proposito conformiter observat D. Chrysostomus de populo Hebræo loquens: *Cum tribulabantur Israëlitæ, tanto plures fiebant, postquam autem eos dimiserunt, tunc omnes perierunt.* Equi sine fræno suæ relicti libertati in multa ruunt præcipitia; idem iis contingit, qui sui explent appetitus desideria, nec ullis in præsenti vita impetuntur contradictionibus & adversitatibus. D. Augustinus sermone 105. de temp. allegans hunc textum: *Cum tribulamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*: subdit monens nos hisce verbis: *Magis timere debemus, si aut nullas aut parvas tribulationes in hoc sæculo patimur, quia si Deus flagellat omnem filium, quem recipit, sine dubio quem non flagellat, non recipit.* Quem pater enutrit filium & non continet in fræno timoris & disciplinæ paternæ, eum nutrit ad laqueum & patibulum. B. Laurentius Justinianus sub metaphora fræni scribit de impio: *Injustus ad æternam mortem currens effrænatis voluptatibus utitur, quia & vituli, qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur.* Addit post ea: *Nihil infelicius felicitate peccantium.*

S. Aug. serm. 105. de temp. B. Laur. Just. lig. vit. c. 3. de patientia.

Quos Deus peccantes non castigat, illis plusquam aliis iratus est. *Seneca epist. 124. Idem de provid. c. 4.*

2. Seneca nuncupatur moralis, non solum ut distinguatur à Tragico, sed etiam quia in suis operibus variam tradit doctrinam moralem bonis moribus congruentem ac utilissimam; in epistola quadam tamquam documentorum omnium epilogo scribit: *Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse jam sentias. Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges felicissimos esse felices.* Cap. 4. de divina providentia jam scripserat: *Hos ita Deus, quos probat, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.* Majori cum auctoritate docet nos S. Augustinus, virgam divinæ justitiæ plus ferire eos qui non sunt castigati. Contradictoria videtur esse ista propositio, at non est: *Videte fratres mei, advertite. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat, nam cui vere propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.*

S. Aug. in Psal. 97.

Euseb. Emiss. hom de mart. Prospera semper frui fortuna malum est signum.

3. Eusebius Emissenus Hom. de martyr. nos monet: *Cavete, ne bonam vitam, si quando affectionibus subditam videritis, miseram existimetis.* Illis compati & condolere solemus, qui tribulationibus & adversitatibus vel maxime premuntur; at decipimur, quia Deus amando justos, eos instar auri in fornace tribulationis vult mundari in hac lachrymarum valle. *Cavete*, ita prosequitur cit. Eusebius, *ne in arena mundi, in quam ad subeundos labores missi sumus, aliquam felicitatem expectandam puteiis.* Malum signum est, si nobis prospera obtingat fortuna, *cavete*, sane æternæ retributionis obtinendæ signum non est, quæ indissolubilem cum ærumnis & adversitatibus habet connexionem: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*: ubi advertendum, Salvatorem non dicere, *expedit*, *decet*, sed *oportet*. David homo erat secundùm cor Dei, *inveni hominem secundùm cor meum*, jussit quadam vice, aut ex instinctu vanitatis, aut certe ut regni sui vires & potentiam haberet perspectam, lustrari & numerari totum sibi subjectum populum, quapropter Deus graviter indignatus ei intimari fecit, ut unum è tribus hisce eligeret flagellis, nempe, vel persecutionem, aut famem, aut pestilentiam, & quia hoc ultimum elegerat, quàm ferociter lues pestifera in totum sævierit populum, cunctis notum est. Verum numquid & Cæsar Augustus totius mundi Monarcha jussit describi ac numerari omnes suos subditos: *exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*; & tamen non constat illum fuisse castigatum vel punitum, imo tanta vitæ hujus felicitate gavisus fuit, ut in proverbium transierit: *Felicior Augusto.* Responsio in promptu est: Deus noster, quem titulo Patris honoramus & invocamus, *flagellat omnem filium, quem recipit*; ex hoc filiorum numero non erat Augustus; neque Dei gaudent filiatione; qui non flagellantur; pessimum signum est, prosperam agere vitam.

Act. 14.21. Act. 13.22. Luc. 2. 1. Hebr. 12.6.

4. Cha-

4. Charissimi & Deo familiarissimi erant Apostoli: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*; at quando illos umquam vidistis sine tribulatione & adversitate? *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quamdiu David ruri virgam gestavit pastoralem curam habens ovium, à fratribus despectus, sub cura vixit Isai patris sui, & postea in aula Saulis persecutiones passus, Doëg multorumque aliorum subivit invidiam, semper vitæ conservavit innocentiam; verum cum rapuit Bethsabeam, ejusque marito Uriæ machinatus fuit mortem, *in alienam fæminam irruit* (ait S. Augustinus) *rerum prosperitatibus temporalium abreptus*: quando, inquam, cessarunt æmulorum persecutiones, bella populi gentilis, & contradictiones domesticæ, quando omnia prospera & ad votum succedebant, statim miserabilis illius & scandalosus subsecutus est casus; ac propterea merito dicere potuit: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*; quia ex tribulationibus Deus elicere solet magnum emolumentum animarum nostrarum, non ita ex prosperitate; quando equus non domatur, recalcitrat: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Joan. 15.15. Ibid. v. 20. David in prospero statu, incidit in adulterium & homicidium. *S. August. lib. 3. de doct. Christ. Psal. 118.71. Psal. 89.15. Deut. 32.15.*

Prosperitatem hujus vitæ periculosam esse, docetur aptis similitudinibus. *B. Petr. Dam. lib. 6. epist. 31.*

5. B. Petrus Damianus, qui, ut constat ex ejusdem epistolis, magnam in aulis Principum habet experientiam & notitiam, epistola quadam hoc tradit documentum: *Servus Dei tunc debet timere, cum temporale quid percipit, tunc gaudere cum perdit, quia cui propositum est cælestia scandere, expeditius procul dubio vacuus, quam gradiatur onustus.* Depravata nostra natura cor & affectum suum facile affigit hisce bonis apparentibus, idque animæ pondus est, quod eam ad hæc terrena deprimit: *amor meus pondus meum*, dicebat S. Augustinus. In progressu deinde suæ epistolæ cit. Damianus perpulchra hac nos convincit similitudine: *Medici*, inquit, *corporum quos desperant ad percipienda passim quæque petierint alimenta relaxant, at quos erigendos esse conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdicunt, antidota insuper & amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. Quid ergo mirum, si Medicus animarum omnipotens Deus, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter sinat, & quos ad vitam eligit, sub districta severitatis suæ lege constringat? Nam & animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimenta præbemus; eorum vero penuriam & maciem parvipendimus, quæ ad usum seminis & ad propagandam sobolem reservamus.*

Temporalis felicitas terminatur in lamentationes æternas. *Apoc. 18.7. S. Hieron. tom. 9. ep. 5. ad Virg. in exilium missam. Idem lib. 7. in Isa. c. 23.*

6. Apud peritos artis navigandi in mari tritum est illud proverbium: aura tranquilla & solito serenior magnam minatur tempestatem; idem prorsus contingit humanæ & temporali felicitati, quæ terminari solet in lamentationes æternas: *Quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.* S. Hieronymus scribit: *Navigantibus quoque ipsis longæ serenitatis spem pollicetur nimis valida & diuturna tempestas*; bonum è contrario signum est, ubi diuturna pressi fuimus afflictione: *Post tempestatem tranquillum facis*; unde idem Sanctus Hieronymus nobis notum esse voluit, quod ipse expertus fuit: *Animadvertimus*, inquit, *multos, qui per prospera, & abundantiam omnium rerum Dominum sentire non poterant, intelligere per inopiam, & converti ad opera justitiæ, postquam manus eorum non prævaluerit felicitate hujus sæculi perfrui.* Quinam fuêre cardines à Christo electi, quibus sublime Ecclesiæ suæ niteretur ædificium? annon pauperes & laboribus exhausti piscatores? Divites & principes vero contra protestati sunt: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum? sed turba hæc &c.* In decursu octo beatitudinum numquam invenietis fieri mentionem hominum divitijs, honoribus & vitæ hujus prosperitate præditorum; bene quidem afflictorum, paupertati, persecutionibus, similibusque ærumnis subjectorum.

Joan. 7.48.

S. Bernard. Serm. 8. art. 2. c. 3. Ad prospera sine labore evecti; sunt in periculo lapsus & perditionis.

7. Inter effectus tribulationis S. Bernardinus recenset quoque sequentem: *Conservantur gratiæ, virtutes & merita acquisita per adversa.* Et paulo post: *Notabili animadversione pensandum est, quod altiora dona nequaquam conservari solent accepta, si absque ærumnoso labore fuerint acquisita, sicut experientia in Scriptura sacra apertius manifestat. Unde enim Luciferum à tanta altitudine gratiæ cernimus cecidisse, nisi quia tanta dona absque labore adeptus est? Unde Adam & Eva nostri primi parentes tam cito ruerant? Quare Salomon apostatavit à Deo? Unde etiam Petrus, Ecclesiæ pastor, à Domino constitutus, & alij plures, per prospera aut pro tempore reliquerunt Deum, nisi quia absque sudoribus & ærumnis adepti sunt altiora dona largitatis divinæ, ut discat quilibet nostrum de acceptis gratijs exultare in Domino cum tremore.* Et in alio sermone de tribulatione allegans S. Gregorium ait: *Nisi eis quos corrigit Dominus hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret*; & addit: *Dominus hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat. Eligant ergo Pagani consolari, Judæi, hæretici, avari, superbi, luxuriosi, omnes filij diaboli, qui æterno sunt judicio condemnati. Tu autem dilecte fili, qui capis vitam æternam, audi Augustinum: noli iniquo attrahi spiritu, sensu, & puerili agitari insania, ut apud te dicas; plus pater meus diligit fratrem meum, cum ei omne, quod vult facere permittit, quam me, quem acriter verberat: sed potius sub flagello gaudeas, quia tibi servatur hæreditas, sed illis nunc ad modicum hic relinquit, quos in æternum damnabit.*

Idem tom. 3. serm. de tribulat.

8. Cunctis notum ac manifestum est oraculum illud Psalmistæ: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; ubi per dexteram prosperitas, & per sinistram adversitas denotatur, & propter hanc cadunt mille, at propria culpa; à dextris tamen cadunt decem millia, quia longe major eorum numerus est, qui propter fomitem terrenæ felicitatis in peccatum labuntur; *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.* Audiamus sermocinantem S. Thomam de Villanova: *Cum omnia prospera eveniunt nobis, remissi sumus, & nimio torpore dissolvimur. Non est devotio, non spiritus, non oratio, neque fervor, neque lachryma; at vero ut advenit tribulatio, statim excitamur, clamamus, oramus, in lachrymas prorumpimus, obsecrantes Dominum, ut liberet nos.* At notatu digniora sunt damna, ex prosperitate provenientia, quæ eodem sermone jam adduxerat dicens: *In prosperitatibus post vitia nostra effrænati imus in præcipitium, si Deus non infrænaret nos tribulationibus & flagellis, quo tenderet nostra licentia?* Citat Psalmi 31. textum; *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Quantos emendavit & correxit acerbitas tribulationis?*

Psal. 90. 7. Plures labuntur in peccata ex felicitate quam ex adversitate. *Psalm. 72.7. S. Thom. à Villan. serm. de Cosm. & Dam. Idem ibid. Psal. 31.9.*

Deus noluit sibi in sacrificiis offerri mel, quia est figurativum humanæ felicitatis. *S. Hieron. in cap. 1. Joël.*

9. In veteri lege reprobatum & à sacrificiis rejectum fuit mel, & tamen omnium consensu liquor est sapidus & utilis, cum pluribus adhibeatur immisceaturque remediis; verum est; at quia typus & figura est humanæ felicitatis, ideo Deus illud acceptare noluit; ita observat S. Hieronymus in cap. 1. Joëlis: *Dulcia sunt vitia, quia mel distillat de labijs mulieris meretricis, & idcirco in Dei sacrificijs non offertur. Quoniam perijt, sive ablatum est de ore vestro vinum, ebrietas atque dulcedo quæ vos deceperat. Sæpe quippe fit Dei providentia, ut qui non cognoverunt Deum in prosperis, cognoscant in adversis.* Quo tempore Deus prima vice apparuit Moysi, ut oppresso populo suo & in duram Pharaonis redacto succurreret? eo, nimirum tempore, quo Moyses *Negaverat se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Et quo modo apparuit illi? Non inter rosas, sed inter pungentes spinas, & quidem in medio ardentis ignis. Sed quia spinarum jam fecimus mentionem, quid Dominus Deus per hoc significare voluit, quod mundum repleverit spinis? fateor, reperiri quoque rosas, at certo & unico anni tempore & mense, quo florescunt simul & deficiunt; verum spinæ numquam desunt & deficiunt, ideoque ad rosas festinanter anhelabant dissoluti & impij illi dicentes: *Coronemus nos rosis antequam marescant.* Providentia igitur & misericordia Dei id factum est, secus enim præsenti vitæ nimium inhæsissemus, nihil curantes futuram. Unde bene scribit B. Petrus Damianus lib. 8. epist. ultima: *Si hæc vita vobis blandita mitesceret, à cælestis desiderij cursu vos aliquatenus retardaret, & mens vestra exterius à Deo frigesceret, quo in æstu rerum temporalium requiem inveniret. Ideo igitur divina dispensatio in hujus vitæ salo procellosis hinc inde turbinibus, & quodammodo violentis ventorum furentium flatibus vos fluctuare permittit, ut mens vestra avidius ad superna desideria transeat, dum inter ima non invenit, ubi delectabiliter requiescat. Agar namque prosperis fulta contra Dominam timuit; afflicta postmodum & in solitudinibus exul oberrans, alloquium Angeli læta promittentis accepit.* Supra allegavimus textum illum: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus &c.* Quamdiu Israëliticus populus

Hebr. 11. 24. Cur Deus prima vice apparuerit inter spinas rubi, & in medio ignis ardentis. *Sap. 2. v. 8. B. Pet. Dam. lib. 8. epist. ult.*

angariatus stetit in Ægypto, & *in operibus lati & lateris* occupatus, non flexit genua coram idolis; at quando idololatriam commisit? tunc, nimirum, quando *sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; quando manna repleverunt stomachum, vixerunteque in delicijs & voluptatibus, ac propterea magna pars populi merito gladio periit: quia hic prosperitatis mundanæ adulantis & incantantis scopus esse solet: *extrema gaudia luctus occupat.* Exod. 1. 14. 1. Cor. 10. 7. Prov. 14. 13. Econtra *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, quia tribulatio nos ad Deum ire compellit. Psal. 106. 6.

DISCURSUS XXIII.
ARGUMENTUM.

Varia tanguntur bona ex tribulationibus promanantia.

THEMA.

Excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti. 1. Thessal. 1. v. 6.

Tribulatio est fœcunda mater virtutum. 3. *Thess.* 1. 5.

1. S. Paulus scribens Thessalonicensibus laudat eorum profectum, quem ex sua Evangelica prædicatione hauserant, ac propterea; quia paulo ante dixerat: *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa*; & paulo post: *Et vos imitatores nostri facti estis & Domini*; declarat deinde, in quo consistat hæc imitatio ac plenitudo Spiritus & virtutis, dicens: *Excipientes verbum in tribulatione multa*; ecce tribulationem nobis proponit tamquam fœcundam bonorum ac virtutum matrem. Ibid. v. 6.

Tribulatio generat humilitatem. *B. Laur. Just. de humil. cap.* 17.

2. Ac primo quidem est generativa humilitatis: *Non valet quis humano explicare eloquio* (sunt verba B. Laurentij Justiniani) *quantæ sit utilitatis, quanti meriti, & quam sit Deo gratum, non altum sapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquilla mente pati, & humiliter emergentia quæque adversa proprijs peccatis adscribere, nam humilis semper arbitratur duriora mereri, quam pati.* S. Bernardinus fermone, cui titulus, *quare malis adversa dentur*, inter alios tribulationis effectus enumerat etiam sequentem: *Tertia justitia est humiliationis; justo enim judice ab initio lex constituta est, qua scribitur, qui se humiliat, exaltabitur, & è contra Psal. 106. propter injustitias enim suas humiliati sunt.* S. Chrysostomus scribit: *Ærumna & tribulatio vinculum quoddam fortissimum est, charitatis accretio, compunctionis & pietatis occasio.* Audi enim dicentem David: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* *S. Bernard. tom. 3.* *Psal. 106.* *D. Chrysost. serm. 15. in cap. 2. ad Philip.* *Psl. 118. 71.*

3. B. Laurentius Justinianus lib. lign. vitæ cap. 3. de patientia, de impijs scribens, qui homines justos molestant & vexant, ita discurrit: *Utilitati innocentiam militat vita pravorum, dum hos & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format.* Ubi agit de humilitate, hæc tradit: *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur gaudij esse, sed mœrovis, postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Fructus hic pacatissimus, de quo loquitur Apostolus, virtutum confirmatio est, atque adeptio.* Et quidem primum locum assignavit humiliati: *Efficitur namque per disciplinam exercitatus, corde humillimus, mente robustus, spe fretus, charitate fervidus, Spiritus Sancti jesum cooperante præsentia.* Continuatio ejusdem. *B. Laur. Just. lignum vitæ cap. 3. de pat.* *Idem cap. 17. de humilit.*

4. Plurimas D. Chrysostomus Hom. 1. ad populum apportat rationes, cur servi Dei in præsenti vita exerceantur adversitatibus, & inter alias sequentem: *Ne facile in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tollantur, ipsos Deus sinit affligi.* Assignat deinde hanc aliam: *Ne cæteri majorem habeant de ipsis opinionem, quam humana patitur natura, & ipsos Deos, non autem homines esse arbitrentur.* Paulo post quibusdam probat rationibus: *Quod tribulatio conferat hoc Sanctis, at modesti sint & humiles, nec insolentur ex gestis & signis, & propter hoc ipsum evenire Deus permittat. Prophetam David & Paulum eadem dicentem audiamus; Nempe ille quidem dicit: Bonum mihi Domine, quia humiliasti me; Hic autem, raptus sum in tertium cælum, & in paradisum elatus subintulit dicens: & ne revelationum magnitudo extollat me, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, ut me colaphizet, ne extollar. Quid hoc apertius? Angelos autem Satanæ, non dæmones aliquos dicit sed homines diabolo intuitrantes, infideles tyrannos, gentiles, qui continue ipsum tribulabant, & semper insequebantur. Quod autem dicit, hujusmodi est; poterat Deus continere persecutiones & tribulationes assiduas, sed quoniam in tertium raptus fuit cælum, & in paradisum delatus, ne harum magnitudine revelationum extollar, & in altum sapiam, permisit persecutiones has.* D. Chrysost. Hom. 1. ad pop. Tribulatio impedit ne servi Dei fiant arrogantes.

5. Exod. cap. 4. quando Deus Moysi populi sui duci & locum tenenti generali electo consignare voluit virgam, sive baculum reginiinis, quo tot & tanta operari debebat prodigia & miracula, primo præcepit ei, ut manum suam, qua virgam illam gestaturus esset, mitteret in sinum suum, fecit id Moyses, at cum manum deinde extraheret, totam conspexit lepra infectam: *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.* Et cur hoc? ut memor hujus afflictionis semper in humilitate contineret. Cur manus Moysi infecta fuerit lepra. *Exod. 4. 6.*

6. Tribulatio quoque peccatorum frænum est: *Remissio somnum animæ infundit*, ait D. Chrysostomus, *malum hiatum & teporem, undique vitia suscitat, invidiam, voluptatem; sed in persecutione nihil horum vexare solet, quia timor impressus tamquam flagellum quoddam latrantem canem acriter percutiens, has omnes pestes ne clamare quidem permittit.* Diligenter observat S. Antonius de Padua parabolam illam, in qua multi invitati erant ad cœnam: *Exi in vias & sepes, & compelle intrare. Per hos qui compellantur intrare, signantur, qui per flagella & adversitates compelluntur intrare ad cœnam Dominicam; unde Dominus, Oseæ 2. ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceries, animæ enim peccatrices vias, id est, actiones pravas, per quas sequebatur amatores suos, id est, dæmones, Dominus sæpe adversitate & maceria infirmitatis claudit, ut ad virum priorem se convertat.* Hisce conformia sunt, quæ legimus in B. Laurentio Justiniano: *Quis nesciat, quod melius est affligi dolore tribulationum, quam ardore vitiorum?* Scitu quoque dignum est, quod dixit S. Augustinus loquendo Romanis: *Volebat vos ille Scipio terreri ab hoste, ne in luxuriam flueretis. Vos nec coniri ab hoste luxuriam repressistis, perdidistis utilitatem calamitatis, & miserimi facti estis, & pessimi permansistis.* Experientia demonstrat, quod quando Deus flagellat, & visitat populum aliquo infortunio, puta, aut peste, aut bello, aut terræ motu, aut similibus tribulationibus, omnes subito recurrant ad pœnitentiam, & pravos mores corrigant. Tribulatio est frænum peccatorum. *D. Chrysost. Hom. 40. de pœnit.* *Luc. 14. 23.* *S. Anton. de Pad. Dom. 2. post Trinit.* *Oseæ 2.* B. Laur. Just. *cap. 3. de patient.* *S. Aug. lib. 1. de civit. Dei. cap. 33.*

7. Aliud tribulationis emolumentum est, quod nos extimulet, ferventioresque efficiat in servitio Dei; pro cujus elucidatione S. Bernardinus ex Actis Apost. adducit historiam de Angelo, qui latus Petri percussit in carcere, ut eum à somno excitaret: *Percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Sic moraliter percutitur justus laboribus, & ærumnis, ut abjiciat vincula negligentiæ, & relinquat carcerem pigritiæ & corporis.* Et sermone, cui titulus, *quare malis adversa dentur*, scribit: *Secunda justitia dicitur compulsionis, compelluntur enim tribulationes malos ad bene agendum, sicut stimulus & calcaria jumentum sentiunt, Psal. 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt; & Gregorius, felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Idem; mala quæ nos hic premunt, ad Dominum ire compellunt. Tribulationes nempe calcaria sunt, quibus pungitur equus, & ad viam reducitur, & ambulare fortiter cogitur. Disce ergo, anima ab animalibus brutis, cum angustias sentis, ad viam redire. Augustinus: cum tentationes & molestiæ hujus vitæ fragilis crescunt, æterna bona ampleti compellunt, & se considerare faciant.* Hucusque S. Bernardinus. Tribulatio extimulat nos ad fervorem in servitio Dei. *S. Bernard. tom. 1. serm. 8. art. 3. c. 1.* *Act. Apost. 12. v. 7.* *Idem 10. 3.* *Psal. 15. 4.*

8. Quamvis S. Apostolus Paulus in divino servitio esset ferventissimus, ferventior tamen evasit quando audivit sibi dici: *Virtus in infirmitate perficitur*, siquidem ab eo tempore cunctas cœpit devorare ærumnas & calamitates acerbissimas: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, cum enim infirmor, tunc potens sum.* Observandum est Prophetam Isaiam, postquam dixit: *Domine in angustia requisierunt te*, subjunxisse: *In tribulatione murmuris doctrina tua eis*; ubi propositio nostro infervit versio Hebraica, quæ legit: *stimulus*; quemadmodum enim stimulus sive aculeus instruit & in disciplina continet boves, eosque promptos & alacres efficit ad arandam & fulcandam terram; ita tribulatio instar stimuli & aculei in cultu divino & cultura perfectionis nos impellit & ferventes reddit. *Obtorpuerat quidam, & friguerat à fervore orationis* (dicit Blosius) *& dixit: tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* S. Paulus ferventior factus fuit per tribulationes. *2. Cor. 12. 9.* *Ibid. v. 10.* *Isa. 26. 16.* *Blos. lib. 1. cap. 16.* *Psychag.*

9. Tribulatio quoque utilis est, ut securi & certi reddamur;

Tribulatio reddit nos securos quod Deus nos amet. *Joan. 11. 3.* *Pet. Blesensis epist. 31.*

reddamur, quod Deus nos amet. Ambæ sorores, Martha & Magdalena, per famulum indicaverant Christo Domino: *ecce quem amas, infirmatur.* Sed quomodo Lazarus amabatur à Domino, qui cum ad mortem infirmari permiserat? In quadam epistola scribit Blesensis: *Christus iram mihi convertit in gratiam, infirmari me volens, ne gravius infirmarer. Eram salutis meæ negligitor & immemor, sed desidem & in via Dei lentescentem infirmitatum multiplicitas stimulavit ad cursum.* Quamvis Lazarus non indigeret isto stimulo, nihilominus mors ejus causa fuit, quod sorores multos excitarent actus virtutum, fidei, confidentiæ, dilectionis, resignationis propriæ voluntatis in voluntatem Christi Magistri cœlestis, etenim informatus Dominus de morbo Lazari non abivit subito, sed, ut ait S. Joannes, *at audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Eccur non acceleravit iter in Bethaniam? num existimatis fortassis eum tardasse defectu affectus benevolentiæ? Non sane, contrarium enim docet sacer textus: *Diligebat autem Jesus Martham & Mariam, & Lazarum*; quod etiam ipsi Judæi uno ore attestati sunt: *Ecce quomodo amabat eum.* Cur igitur exhibuit se adeo tardum in succurrendo illis, ad quem succursum adeo anhelabant? Omnis Christi actio (*omnia in sapientia fecisti; Bene omnia fecit*) nostra est instructio, & ad omnium fidelium instructionem ordinata; volebat enim per hanc Lazari infirmitatem nobis intimare, quod esse afflictum & tribulatum in præsenti vita amoris & benevolentiæ divinæ sit indicium. *Joan. 11. 6.* *Ibid. v. 5.* *Ibid. v. 36.*

Tribulationes nos divites faciunt gratia Dei.

10. Si grando cunctos in horto vestro verberaret ac defrueret fructus, at unumquodque illius granum esset adamas aut alia pretiosa gemma, annon diceres, evidens hoc esse signum, quod Deus vos velit ditare? Verum est, istæ calamitates surripiunt vobis filios, bona temporalia, reputationem, sanitatem; at verum quoque est, eas cooperari gratiæ Dei obtinendæ, nec non lucro æternæ gloriæ. Quamvis Apostolus aliquot vicibus ad cœlum empyrium ascenderit, voluit nihilominus Deus, ut illud per sudores, labores, ærumnas & calamitates lucraretur; unde S. Zeno sermone de Jona ait: *Clamat de profundis & Paulus, obtatus calamitatibus beatis cum nomine Domini, latrones in itineribus, latrones in civitatibus patitur, cum à Judæis virgis ter cæsus, naufragio trino dilatur, cum insani populi furibunda tempestate lapideis imbribus fœliciter grandinatur*; quot fuit obrutus lapidibus, tot pretiosis condecoratur diadema ejus gemmis, quo coronatur in cœlis. *S. Zeno serm. de Jona.*

Licet Deus tenere amaret Joseph, multis tamen illum exercuit tribulationibus. *Gen. 39. 7.*

11. Teneritme Deus amabat Joseph, & tamen dispositit, ut innumeras pateretur adversitates, ærumnas, calumnias & mille miserias; generoso & plusquam heroico animo restiterat illi, *Dormi mecum*, nihilominus permisit Deus, ut adulterij & ingratitudinis notatus macula putido ac fœtenti includeretur carcer, qui illæsum virginitatis & honestatis conservarat lilium; *Qui carcer, ut fertur* (inquit Dionysius Carthusianus) *erat intolerabilior cæteris carceribus.* Et quam ob causam Deus non defendit, non justificavit innocentem? *Respondendum est, quod ideo, quia volebat eum tempore præordinato sublimare ad maxima, idcirco primo exercitavit eum adversis, ut in illis, & per illa acquireret gratiam ac virtutes, per quas mereretur à Deo conservari in altis ac prosperis, ne caderet & periret illis.* In ejusdem Josephi laudem scripsit Rupertus Abbas commentando in cap. 41. Gen. *Pro compedibus in quibus humiliaverant pedes ejus, torquem auream Joseph suscepit; pro pallio, quo in manu adulteræ relicto nudus effugit; stola byssina indutus est & pro servili nomine regium gestat annulum; & pro carceris humilitate super altum sedet imperij currum.* S. Ephrem quoque considerans Josephi exaltationem ad præcelsos illos honores & dignitates asserit illam esse tribulationis fructum: *Quando diadema illi ut Regi imposuit, tam demum utilitatem ejus intellexit, quando in regio eum solio collocavit, tunc ideo se captivum fuisse rescivit, ut ab ea exploraretur.* *Dion. Carth. ibidem.* *Gen. 41.* *Rup. Abb. ibid.* *S. Ephrem de Divinæ gratia.*

S. August. in Psal. 98. Continuatio exempli Joseph.

12. Solebat dicere S. Augustinus: *Et cum blandiris, pater es; & cum cædis, pater es; blandiris, ne deficiamus; cædis, ne pereamus; exaltate Dominum Deum nostrum, iterum exaltemus eum, qui bonus est: nam si non vindicet & deserat, pertmus.* Si Joseph præ cæteris filijs dilectus à Jacob patre suo perseveraret in favorabili illo statu; forte in vanam incidisset gloriam, *Mundus iste*, inquit idem S. Augustinus, *periculosior est blandus quam molestus, & magis*

cavendus, cum illicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. Deus igitur amans Josephum; potuit illum in angustiis domesticarum tribulationum: *Dantur justis adversa pro medicina præservativa* (ait S. Bernardinus) *primo quia removent peccandi occasiones: sicut enim abstinentiam & diætam tenere, ab indigestionibus præservat, & per consequens à morbis, qui ex indigestione generantur; sic paupertas, infirmitas, & quæcumque alia temporalis adversitas præservat à culpis, quæ ventre solent ex prosperitate.* Et cap. sequenti habet sequentia: *Dantur adversa justis pro medicina consolidativa, consolidatur enim mens humana per adversa in acquisitis gratijs atque bonis.* Eamdem metaphoram idem Sanctus prosequitur sermone, *quare malis adversa dantur*, cum nos invitat & ait: *Accipe calicem tribulationis & manu dextera claude oculos, obtura aures, & nares, & aperto ore deglutias calicem misericordiæ Dei, dicens cum Psal. Calicem salutaris accipiam &c.* Ubi observetur, quod tribulationem nominet calicem divinæ misericordiæ; hanc enim, cum tribulationibus premimur, habemus maxime nobis favorabilem. *Respice in me & miserere mei*; modo imperativo postulat misericordiam & pietatem Altissimi; sed audite illius motivum: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*; unde ait B. Laurentius Justinianus: *Quo diutius ex dispensatione flagellat, eo amplius ex pietate conservat; Altissimus enim ipsam contulit pro medicina, & vir sapiens non abhorrebit eam, quia cessare facit peccata multa.* D. Bern. tom. 1. serm. 8. art. 1. c. 2. Tribulationes sunt justis medicina præservativa & consolidativa. *Ibid. cap. 3.* *Idem tom. 3.* *Psal. 115. 13.* *Psal. 24. 16.* B. Laur. *Just. de patientia cap. 3.*

13. Alia adhuc ex tribulatione promanat utilitas, cujus mentionem facit Gerson hisce verbis: *Tribulatio tempus perditum redimit.* Videbatur tempus præteritum, quod est irrevocabile, nunquam posse redimi, & quamvis S. Paulus nobis consulat, ut illud redimamus: *Redimentes tempus*, non tamen modum docet redimendi illud; at hic nobis innuatur modus; quo id præstare possimus, nempe, patienti animo sufferendo tribulationes. Eodem in loco insuper legimus: *Tribulatio extinguit peccata, & docet agnoscere Dei secreta. Creatura ipsa est in tribulatione, Deus in ea est, quia portat suum onus.* Quod si Seneca vero fuisset illustratus lumine & Dei notitia, paulo melius, & proposito nostro consentaneis formins scribere potuisset. Cap. 1. de Providentia sic scribit & respondet Lucilio: *Quæsisti à me Lucili, quid ita, si providentia mundus ageretur, multa bonis viris accideret mala?* In progressu sui discursus sic concludit: *Cum viderit bonos viros acceptosque Dijs laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestius delectari, vernularum licentia illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo licebit. Bonum virum in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Et cap. 3. ejusdem sibi recenset ærumnas & calamitates, quibus honestissimi etiam virtuosissimi subjecti sunt: *Pro ipsis est, inquit, in exilium projici, in egestatem deduci, liberos, conjugem efferre, ignominia affici, debilitari. Si mirari hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro & igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaveris tectum vendi, cibos quibusdam & radi ossa, & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ sine totius periculo corporis hærere non poterant; hoc quoque patieris probari tibi quædam incommoda pro his esse, quibus accidunt; tam me hercules quam quædam quæ laudantur aliqua appetantur contra eos esse, quos delectaverunt, simillima eradicatibus, ebrietatibusque, & cæteris quæ necant per voluptatem. Inter multa magnifica Demetrij nostri, & hæc vox est, à qua recens sum, sonat adhuc, & vibrat in auribus meis: Nihil mihi, inquit, videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi.* Seneca de provid. 1. Præclarissima dicta Senecæ.

DISCURSUS XXIV.
ARGUMENTUM.

De tribulatione tractatur sub metaphora auri.

THEMA.

Ipse vero scit viam meam, & probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. Job 23. v. 10.

Tribulatio comparatus auro. *Glossa Ord.*

1. Si glossam ordinariam sequamur, nullum est dubium, quin Job verba jam allegata intellexerit de tribulatione, quam propter varias rationes comparavit auro; unde legimus: *Probabit me quasi aurum; ex utilitate enim tribulationis & subtrahuntur vitia, & augentur merita.* Propriam vero hanc esse

similitudinem ex nonnullis considerationibus de auro jam instituendis patebit.

Sap. 3. 6.
Aurum probatur per ignem, justus per tribulationem.
S. Bonav. ser. 3. de SS. Apost.
Basil. in Psal. 33.

2. *Probabit me quasi aurum.* Ut probetur aurum, adhibetur, ignis; frequenter auribus nostris insonat iste versiculus: *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Quod fornax auro* (ita discurrit S. Bonaventura) *quod lima ferro, quod tribula frumento, hoc facit tribulatio viro justo. Nonne fornax omne adulterinum separat, si adsit in auro?* Basilius Magnus modum, quem Deus, agendo cum servis suis servare solet, manifestat hisce verbis: *Haud quidem absque probatione sinit vitam transigere, sed & idem ipsis largitur patientiæ virtutem; si enim tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, qui tribulationem detrectat, probatione sese privat.* S. Thomas à Villanova sermone de SS. Cosma & Dam. asserit: *Tribulatio ostendit virum, non potest homo agnosci donec tangatur. Plures apparent argentum, & cum probantur, sunt paleæ. Psalm. 25. Proba me Domine, & tenta me. Est hic lapis lydius, ubi perfectiones probantur cujuscumque; propterea tribulatio illuminat, non enim agnoscimus eos in prosperitate; credimus quod pro Deo poterimus multa pati, & cum Petro dicimus, paratus sum tecum, sive in carcerem, sive in mortem ire, & decipit nos cor nostrum, nam postea neque leves injurias pro Domino sustinemus. Quomodo enim sustinebit verbera, qui non sustinet verba? Grandis hæc utilitas agnoscere se.* B. Laurentius Justinianus apposita hac utitur similitudine: *Cui*, inquit, *futura merita donarentur, si de belli medio milites traherentur.* Prælium cum hoste valorem & generositatem certantis militis detegit: S. Isidori doctrina est: *Semper Deus hos vulnerat, quos ad salutem perpetuam parat. In fornace probatur aurum, ut sorde careat. Tribulationis camino purgaris, ut purior appareas.*

Thom. de Villan. serm. de SS. Cos. & Dam.
Psal. 25. 2.
B. Laur. Just. fascic. amor. c. 18.
Isidor. lib. 1. Synonom.

Aurum purgatur per ignem, justus per tribulationem.
Pet. Blesensis epist. 31.

3. Quod mysticum hoc aurum virtutis probetur in igne tribulationis, testatur etiam Blesensis epist. 31. *Flagellat*, inquiens, *Dominus omnem filium quem recipit, visitat cum diluculo, & subito probat illum, visitat & probat.* Si aurum sensu usuque rationis polleret, constitutum in igne & liquefactum non lamentaretur, quia cognosceret id cedere in emolumentum suum, ut nimirum mundetur, ab eoque separetur omnis materia adulterina & mala mixtura: pari ratione anima, quando permissu Dei tribulatione affligitur, nullam habet conquerendi & dolendi occasionem, quia Deus illam prætendit perficere & expurgare ab omni inquinamento vitij & culpæ. Qui colunt flores, scribunt, rosam plantatam prope allium esse magis odoriferam, quia cum odor alij contrarius sit fragrantiæ rosæ, fit propterea, quod rosa ex naturali instinctu majori cum suavitate & acumine irritet ac provocet odorem suum. Quæ rosæ spinis septæ & munitæ non sunt, nec tam suavem odoris fragrantiam, veluti spinosæ, edere solent, quo denotatur, inter punctiones adversitatum, infirmitatumque fœtores animam Christianam majorem spirare virtutis fragrantiam.

Rosa plantata juxta alium, fragrantior redditur.

Deus constantiam Job experiri voluit per tribulationes.
Job 14. 16.
Job 23. 10.
Dion. Carth.

4. Advertendum est, quod licet omnes actiones ipsius Job Deo notæ ac manifestæ essent, unde dicebat: *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Et loco sup. cit. *Ipse vero scit viam meam*: Nihilominus, ut notat Dionysius Carthusianus, voluit Deus illius patientiæ & constantiæ facere experientiam & probationem per adversitates: *Probavit me sicut aurum, quod per ignem transit, id est, tribulationibus me exercitavit, atque adversis probatum seu virtuosum ostendit, quemadmodum per ignem probatur aurum, an verum sit aurum; hoc enim innotescit, si ignem valeat sustinere, in quibus verbis divinitus illustratus, unam suæ percussionis, aperit causam, ut scilicet ad aliorũ ædificationem sua perfectio per tot adversa pateret hominibus, ac toti innotesceret mundo.*

Tribulationes hujus vitæ ad vivum exprimuntur per aurum.
Plin. nat. hist. lib. 33. cap. 4.
Cassiod. var. 9. epist. 3.

5. *Quasi aurum.* Nulla rerum creatarum, opinione mea, tribulationes ærumnasque vitæ hujus magis ad vivum exprimere poterat, quam aurum, quia ingentibus effoditur laboribus & sudoribus. Scribit Plinius de mancipiis & servis, qui laborant in argenti & auri fodinis: *Cuneis ferreis aggrediuntur & malleis, nihilque durius putant. Altissimos montes excavat, reversat, inferos pulsat, imo & premit*, ait de industria & labore excessivo hominum avarorum. Cassiodorus etiam epist. 3. scribit: *Intrant homines caligines profundas &c. est aliquando illis ruina via sua;* laborantes sæpe vivi sepeliuntur sub montibus, quos excavant & effodiunt, ut ad informes perveniant auri massas. Sed observetur, quod ait Job: *quod per ignem transit.* Ubi sciendum, aurum nonnisi ex luto & massa terræ flavæ elici, quæ si imponatur igni, activitate & virtute hujus elementi separatur à pretioso isto metallo. Nonnulli inquirunt causam, cur Job, utpote qui ex inspiratione Spiritus Sancti loquebatur, non comparaverit tribulationem alicui gemmæ pretiosæ, veluti adamanti aut margaritæ, vel etiam alteri forti & solido metallo, cur potius auro? facilis solutio, quia aurum pretio superat reliqua metalla. Plinij doctrina est. *Aurum, nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum est cæteris metallis, cum cedat per utrumque plumbo, sed quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendijs rogisque durante materia; quinimo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem.* Ecce igitur vera & germana ratio, ob quam tribulatio auro potius, quam cuidam alteri metallo assimiletur, quia quo magis anima affligitur & premitur tribulatione, eo melior, perfectior & sanctior evadit, *quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem.*

Plin. l. c. cap. 3.

Psal. 10. 2.
Hug. Card.
Aurum percussum non reddens sonum, est symbolum justorum.

6. Psal. 10. ait & canit regius Propheta: *Dum superbit impius, incenditur pauper*, videlicet, *incenditur pauper spiritu*, (sic exponit Hugo Cardinalis) *id est, purgatur vel incenditur amore Dei. Aurum percussum silet*, inquit Tertullianus, & re ipsa cognoscitur esse verum, quod percussum non reddit sonum, uti nonnulla alia metalla faciunt; & ecce symbolum justorum, qui propter amorem Dei patienter sustinent tribulationes & improperia; Homo virtute præditus ab aliquo scurra interdum lacessitur injuriis; non se vindicat ille, non remordet, non reddit malum pro malo, neque rancorem aut odium aliquod in perversum illum concipit; sed effervescit potius in amore Dei: *In silentio & spe erit fortitudo ejus; incenditur amore Dei: Non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conservat patientiam.* Virtus ignis hæc est, *separare pretiosum à vili*, & ex terrea ac informi massa elicere aurum; & ex hoc pariter elucet perfectio servorum Dei, quando nimirum ex persecutionibus, injuriis, calumniis, improperiis eliciunt actus charitatis, mansuetudinis, mortificationis, humilitatis & amoris in Deum; veluti multi sunt, qui ex infirmitatibus & defectibus naturalibus excitant eliciuntque affectus gratiarum, conformitatis voluntatis suæ cum divino beneplacito, patientiæ &c. *Neque hic peccavit*, (dicebat Christus de cæco illo) *neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* De istis ergo verificatur illud Matth. *colligunt de spinis uvas, & de tribulis ficus.*

Joan. 9. 3.
Matth. 7. v. 16.

Job 42. 5.
Job tribulationibus attritus, adeptus est perfectissimam Dei notitiam.

7. Quando Propheta Job summa premebatur adversitate, dicebat: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Ecquis iste loquendi modus? num forte præterita respiciebat peccata, ut modo & non antea oculos habeat apertos? Voluit insinuare duos differentes status? unum prosperitatis, nimirum, quando ventum habebat propitium, omnesque Orientales superabat in divitijs; alterum, quando nudus sedebat in sterquilinio, nec tantum panni, quo saniem abstergere posset, habebat; unde testa aliqua illam radebat. In statu ergo prosperitatis & felicitatis quid dixit? *Auditu auris audivi te*; aure dumtaxat percipiebat & intelligebat, quod ei Deus dicebat; non ita postea, quando ulceribus plenus & semivivus erat, & insuper vermibus & putredine scatebat; tunc enim lumen & Dei notitiam perfectissimam acquisiverat: *Nunc autem oculus meus videt te.* Notastisne caput 1. Ezechielis, ubi Propheta mentionem facit quatuor animalium mysticum illum trahentium currum? horum unum bovis præ se ferebat faciem; at cap. 10. ejusdem Prophetiæ in Cherubinum illud invenimus conversum: *Ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar.* Quo modo bos transformari potuit in Angelum, & quidem talem, qui est supremæ hierarchiæ, & eo majori admiratione dignum hoc est, quod Cherubin lingua Hebraica idem sonat, quod *magister, cognitionis ac scientiæ multitudo.* Respondeo, omnem cessare admirationem, si consideremus, quidnam bove illo repræsentetur ac indicetur, nempe, ærumnæ, labores & sudores, bos enim semper sub jugo est, trahit currus onustissimos & oneribus repletos, continuo sudore arat & colit terram, adigiturque ad continuum laborem pungente stimulo; & tamen est patiens: patienterque omnia suffert, nec recalcitrat. Quid mirum igitur, si bos ille transmutetur in Cherubinum? id enim nil aliud significat, nisi quod homo laboribus & ærumnis afflictus transmutetur in Angelum & quidem Cherubinum; qui enim in præsenti vita constanter & patienter ferunt jugum divinæ legis, continuisque subjecti sunt ærumnis & adversitatibus, ta-

Ezech. 1.
Quid designet apud Ezechielem facies bovis mutata in Cherubinum.
Ibid. Cap. 10. 20.

lem

lem attingent sanctitatem, scientiam & notitiam Dei, ut merito comparandi sint ipsis Cherubinis: *Nunc autem oculus meus videt te.* S. Thomas Aquinas dum persecutionem patiebatur à propriis fratribus, illudebatur à confratribus, ridebatur ut bos mutus, subjecit se jugo disciplinæ monasticæ, promeruit esse Cherubinus & nuncupari Doctor Angelicus, *Magister cognitionis &c.*

Tertull. de hab. muli. cap. 5.
Plinius l. c.
Ex auro contuso conficiuntur coronæ, sceptra & alia ornamenta.

8. *Quasi aurum.* Tertullianus de auro scribit: *De tormentis in ornamenta, de supplicijs in delicias, de ignominijs in honores, metalla refusa mutantur.* Plinius quoque de hoc metallo asserit: *Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur.* Aurum cuneis, ligonibus similibusque instrumentis excavatur, excutitur, effoditur ex terra, igni postea traditur, indeque extractum subjicitur mallei ictibus, distenditur, percutitur: ad quid? ut ex eo conficiantur annuli, scyphi, reliquiaria & alia ornamenta, ut adornetur adamantibus, gemmisque pretiosissimis, simulque adornet altaria, sceptra & coronas regales. Eadem proportione animæ perfectæ in hac vita pluribus adversitatum ictibus percutiuntur: *Lapidati sunt, secti sunt in occisione gladij mortui sunt; ... egentes, angustiati, afflicti;* verum omnes hujusmodi ictus destinantur ad coronandos illos immortali gloria: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* De S. Apostolo Paulo scribit D. Chrysostomus: *Non minus plagis suis gaudens quam regijs triumphis; haud aliter delectatus naufragijs, quam cæteri acquisitis solent gaudere thesauris. Livoribus, quos ei verbera inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis, tribulationibus ac delicijs utebatur; squalore carceris, ut paradisi amœnitate gaudebat.*

Heb. 11. 37.
2. Tim. 2. 5.
D. Chrys. Hom. 8. de Laud. Pauli.

Justi instar auri tribulationibus contunduntur.
Sap. 10. 13.
B. Pet. Dam. lib. 8. ep. 6.
Idem epist. 14.

9. Invidia & odium fratrum in Joseph, ejus venditio, calumnia, quam passus fuit à Domina sua, meri fuere ictus perpolientes aurum suæ regalis coronæ: *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit, donec afferret illi sceptrum regni.* B. Petri Damiani verba sunt quæ sequuntur: *Qui bona agit, & mala suscipit, quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in cælo multiplicius cumulatur.* Et epist. 14. ejusdem libri ita scribit: *Qui bona operatur, & flagellis atteritur, certus jam non immerito de retribuenda sibi bona, conferta, & coagitata laborum suorum mensura, lætatur, quia tanto post in patria crevisse summam crediti fœnoris invenit, quanto prius in via, nec stipendium quidem momentaneæ prosperitatis accepit.* Haimo mysterium exponit, cur Ecclesiasticis attribuatur titulus & epitheton candelabri aurei, cum ait: *Quia candelabrum tundendo producitur, satis convenit Ecclesiæ, quæ diversis afficitur in hoc sæculo pressuris. Exod. 25. Facies candelabrum ductile;* Volebat, ut funderetur, sed ut mallei ictibus elaboraretur. Jacob, esto Deo charissimus & familiarissimus, pluribus annis haud exiguas passus fuit afflictiones, omnino sibi persuadens & credens prædilectum suum Josephum à fera pessima devoratum; hanc tribulationem permisit Deus, inquit S. Augustinus: *Ut sanctum Jacob, velut aurum purgatum in futuro judicio præservaret.*

Cur Ecclesiasticis detur titulus candelabri aurei.
Exod. 25. 31.
S. Aug. serm. 123. de temp.

Unus gradus tribulationis patienter toleratus prævalet apud Deum multis bonis operibus.

10. *Quasi aurum.* Cassiodorus de operarijs, qui in aurifodinis laborant & effodiunt aurum, scribit: *Intrant egentes, exeunt opulenti; sine furto divitias rapiunt, optatis thesauris sine invidia perfruuntur.* Sacrorum Doctorum fulciti authoritate superioribus discursibus tribulationem asseruimus esse thesaurum; quot inveniuntur voluntariæ paupertatis professores, qui inæstimabilibus cœli ditantur thesauris: *Thesaurizant sibi thesauros in cælo?* Aurum pretio suo superat reliqua omnia metalla, adeo ut una uncia auri plus valeat quam mille libræ ferri; quo insinuare volo veritatem & documentum aliquod in decursu tractatus hujus jam expositum, nimirum, apud Deum unum gradum tribulationis majoris esse ponderis & meriti, quam plura alia bona opera; Granum unicum hujus auri tanti ponderis & meriti est, ut illius suffragio æternam beatitudinem lucrari possimus: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Unde cunctis nota & manifesta est propositio illa D. Bonaventuræ: *Perfectius est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.*

2. Cor. 4. 17.

1. Cor. 13. 7.
Per ignem tribulationis probatur aurum charitatis.
Rom. 5. 3.

11. Charitas transcendit omnes virtutes, figurata per aurum: *Major autem horum est charitas*, minimus hujus gradus sufficit nobis ad obtinendam æternam beatitudiem; at unde eam cognoscemus: *Omnia suffert*, ait Apostolus, *omnia sustinet*; ignis tribulationis ipsius lydius lapis est: *Tribulatio patientiam operatur* (scribit idem Apostolus ad Romanos) *patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit;* & quam ex hisce præmissis deducit conclusionem? *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* juxta hunc modum loquendi tribulatio videtur esse mater charitatis; at potius est primogenita ejus filia; unde alibi scribit: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* ecce præcedentiam ei tribuit.

Rom. 5. 5.
Rom. 8. 35.

Pauxillo auri tribulationis comparere possumus regnum cælorum.

Una uncia argenti apparabitis officinam herbarij; at una uncia auri, quæ longe pretiosior est & plus valet, integrum comparabitis hortum. Orationes, jejunia, eleëmosynæ, cæteraque alia opera bona Deo accepta sunt; ast sine comparatione plus appretiatur Deus sufferentiam nostram & patientiam in quocumque etiam pauxillo tribulationis: *Momentaneum hoc &c.* Apoc. 3. scribitur de Episcopo illo: *Dicis quia dives sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper.* Verum ut ditaretur, dictum ei fuit à Deo: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, videlicet, tribulationes & adversitates, hæ enim accumulant nobis thesauros cœlestes: *ut locuples fias.*

2. Cor. 4.
Apoc. 3. 17
Ibid. v. 18.

Aurum exhilarat intuentem.
Dion. Carth. tom. 2. op. min. 8. epist. con. avar.
Tribulatio patientem lætificat.
Basilius in Psal. 45.
S. Bern. in præfat. in Psal. Qui habitat.

12. *Quasi aurum.* Dionysius Carthusianus hanc quoque auri proprietatem nobis manifestat: *Ex sua natura habet vim quamdam lætificandi intuentem.* Tametsi pallidum sit, exhilarat nihilominus spectatorem; eumdem effectum operatur tribulatio, esto prima fronte sit ingrata & displiceat, internum tamen nobis communicat gaudium. *Tantum abest, ut mœrore ullo tabescat* ((inquit S. Basilius) *in tribulatione constitutus, ut occasionem gloriandi ex malorum multitudine sumat, cum Paulo dicens, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Doctrina quoque S. Bernardi est: *Quod si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri.* Ubi quoque idem mellifluus Doctor tangit miraculum illud, quod patravit Elisæus Propheta, qui pauxillo farinæ ab herbis sustulerat amaritudinē: *Ubi Prophetæ farinula? Spe gaudentes*, ait S. Paulus, *in tribulatione patientes.*

Rom. 12. 12.

Tertull. cit. sup.
Homines toti mundani tribulationibus pressi, cogitant de vita futura.
D. Gregor. cit. à Bern. tom. 3.
Notabilis historia.

13. *Quasi aurum.* Tertullianus insuper de auro asserit: *Nomen terræ in igne relinquit*, & purum exit aurum. Idem contingit multis, qui cum primo essent homines toti mundani, & terrenis hisce rebus cor haberent plane affixum, quam primum tangebantur & premebantur adversitatibus, ab hisce terrenis cor abstrahebant & de vita futura cogitabant. Unde D. Gregorius allegatus à S. Bernardino serm. cui titulus; *Quare malis adversa dentur*, scribit: *Cum mundus nos tot tribulationibus premat, tot calamitatibus involvat, quid aliud, quam ut non ametur, clamat? Accidit in quadam obsessione cujusdam castri Saracenorum, quod cum illud Christiani obsiderent, quemdam nobilem, quem Saraceni ceperant, per funem pendentem ex illa parte, qua machinæ percutiebant, opposuerunt, qui Christianis magna voce clamavit, quod propter eum machinas jactare, & castrum expugnare non desisterent. Accidit quod primus ictus machinæ funem rupit, & ille cadens in fossatum à Christianis liberatus est; unde potuit dicere cum Psalm. Dirupisti vincula mea; sic accidit de hominibus existentibus in manibus Saracenorum, id est, dæmonum, qui per tribulationem liberantur.* Funes, quibus constringimur, sunt peccata: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur;* hos funes construit mundus: *Omne quod est in mundo concupiscentia &c.* & tribulatio eos dirumpit, ut vera libertate filiorum Dei gaudere possimus.

1. Joan. 2. 16.

DISCURSUS XXV.

ARGUMENTUM.

Tribulatio est pignus & arrha electionis ad gloriam.

THEMA.

Venerunt de tribulatione magna, ... & ideo sunt ante thronum Dei. Apoc. 7. ℣. 14.

Gratissimus tribulationis fructus est quod sit signum æternæ vitæ.

1. INnumerabilem electarum animarum catervam Apoc. cap. 7. descriptam reperimus, quæ cum agnum cœlestem sequeretur in empyrio, audita est vox unius de senioribus interrogantis: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt? Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Apoc. 7. v. 13. & 14.

Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Ecce,qua ratione fructus tribulationis omnium gratissimus & magis substantialis sit signum æternæ vitæ. Unde tribulatio sumit suam denominationem? Ab instrumento quodam, quod adhibetur frumento, & dicitur tribula, hac concutitur & percutitur granum frumenti, ut separetur à paleis; eumdem tribulatio sortitur effectum, ut, nimirum, electos discernat à reprobis: *Si frumentum es, quid times tribulam?* quærit S. Augustinus *Non apparebis, qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo à te separaverit paleas?* Tribulatio ergo distinguit frumentum à paleis, illud seligit pro cœlesti granario: *Triticum autem congregate in horreum meum.*

Tribulatio denominationem sumit à tribula.
S. Aug. de temp. barbar. cap. 3.
Matth. 13. 30.

2. S. Hieronymus epist. 5. cui titulus est, *Ad virginem in exilium missam*, probat tribulationem, qua in præsenti vita premimur, optimum esse signum æternæ prædestinationis nostræ: *Jucundos esse ac lætos, dum spei nostræ signa conspicimus, comprobationem ejus sumimus, cum per mala præsentia futura bona indubitatæ fidei manibus jam tenemus; siquidem, ut dictum est, salus nostra in tempore tribulationis.* Sanitatem pristinam infirmus obtinet per bolos & medicinas amaras, per venarum incisionem, per inustionem, per rigidas diætas, similesque corporis passiones & afflictiones; eadem proportione salus & sanitas æterna animæ non acquiritur nec comparatur, nisi pondere laboris, sudoris, mortificationis, austeritatis similiumque adversitatum patienter toleratarum: *particeps in tribulatione & regno.* S. Apostolus Paulus,qui aliquot vicibus testis oculatus fuit paradisi, scribens Romanis ad gaudium nos invitat dicens: *Spe gaudentes*; ast in quo hanc spem & gaudium fundabat? *In tribulatione patientes: Hoc est spe gaudere* (ita commentatur S. Ambrosius) *in tribulatione patientem esse; præ gaudio enim spei tolerat tribulationem, sciens multo majora esse, quæ pro his promissa sunt.*

S. Hier. tom. 9. epist. 5.
Est optimum signum æternæ prædestinationis.
Rom. 12. 12.
S. Ambr. in hunc locum.

3. Bernardinus sermone de tribulatione idem quoque tetigit punctum allegans authoritatem S. Bernardi: *Tanta spes in Deo solidior surgit, quanto quis graviora pro illo pertulerit.* Et in versum illum: *Qui seminant in lacbrymis, in exultatione metent*, ejusdem mellifluі Doctoris utitur verbis: *Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic pia tribulatione seminatur.* Quid, amabo, inferre voluit hisce verbis: *pia tribulatione?* Voluit fortassis, nisi errem, alludere ad id, de quo, utpote scitu utilissimo, fideles nascentis Ecclesiæ monuit S.Petrus dicens: *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Tribulationes, ut sint nobis subsidio ad obtinendam cœlestem gloriam, haud delictorum supplicia & pœnæ sint, oportet, quia illæ verè sunt arrha secura gloriæ; de quibus Salvator ait: *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Citat quoque S. Bernardinus hunc textum Sapientiæ: *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Merito, nempe, spem de regno cœlorum habet, qui monetam habet, qua emi potest, quæ est patientia in tribulationibus; sine hac moneta non potuit Christus ingredi æternum regnum, unde oportuit pati Christum.*

S. Bern. tom. 3.
Psal. 125. 5.
Patientia in tribulatione est moneta qua emitur cœlum.
1. Pet. 4. 15.
Matth. 5. v. 11.
Sap. 3. v. 4.

4. Similitudine de agricola idipsum illustrat S. Jacobus Apostolus: *Patientes*, inquiens, *estote fratres usque ad adventum Domini; ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Quanto cum labore & sudore seminatur frumentum? Quanto tempore etiam seminator suspensus hæret, totus ob auræ instabilitatem de messe incertus? Verum maxima fortuna nostra est & prærogativa, quod non seminemus cum tali dubio, certi & securi sumus de messe, quæ erit abundantissima: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent; Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Jacob 5. 7.
Adducitur patientia agricolæ.
Psal. 125. 5.

5. Quamvis regius Propheta de variis sibi manifestatis gloriari potuerit mysteriis: *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*; una tamen vice sibi loquens dicebat: *Existimabam, ut cognoscerem hoc.* Ecquid eum indagare voluisse arbitramini? Ineffabile fortassis Sanctissimæ Triadis mysterium? futuram verbi Divini incarnationem? progressum novæ legis Evangelicæ? an sua prosapia thronum Israël continuatura esset? Nullum horum, sed audite; *Labor est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei.* Sed subjungit: *Si dicebam narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*; quasi dicere vellet: si male loqui velim de tribulationibus, persecutionibus & ærumnis, reprobabo per consequens filios vestros, qui per hanc viam tribulationum ad perfectionem & sanctitatem tendentes ambulaverunt, veluti sunt Abel, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, & plures alij Deo charissimi, de quibus dici & verificari nequit, à Deo fuisse derelictos, cum ei fuerint gratissimi; nihilominus quia in præsenti vita flagellis cæduntur & visitantur tam boni, quam mali, quid responderi potest? *Labor est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*; videlicet, dubium hoc resolvi & enodari non potest, donec tam malorum, quam bonorum conspiciamus finem; tunc enim patebit bonos fuisse flagellatos, ut regni cœlestis lucrarentur merita; malos vero, ut emendarentur & corrigerentur; quia vero isti hujus emendationis non fuerunt capaces, neque in ea ullum fecerunt profectum, ideo temporales inceperunt pati ærumnas & miserias, ut continuarent sempiternas.

Psal. 50. 8.
David timuit male loqui de tribulationibus eo quod tam bonis quam malis eveniant.
Psal. 72. 16.
Ibid. v. 17.

6. Jacob Deus imposuit nomen Israël, quod idem sonat, ac *videns Deum*, populi electi pater & Patriarcha fuit, unde ab ejus filiis nomina duodecim tribuum derivantur, quibus figurantur omnes fideles in progressu sæculorum salvandi, ideoque Gabriël dicebat Mariæ Virgini de filio Altissimi: *Regnabit in domo Jacob &c.* Et vero advertendum est, & mirum,quantas afflictiones & tribulationes subierit Jacob toto vitæ suæ tempore: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Exul domo paterna panis laborabat penuria: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum*; lectus ejus erat nuda terra, loco pulvinaris utebatur duris lapidibus, sub aëre sereno nocturno,tamquam sub tentorio dormiebat; ast tunc vidit cœlos apertos & Angelos per mysticam illam scalam descendentes & ascendentes;unde à somno excitatus dicebat: *Verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.*

Jacob mysticam scalam & Deum vidit cum adversitatibus quateretur.
Luc. 1. v. 32.
Gen. 31. 40.
Gen. 28. 20.
Gen. 28. 17.

7. S. Hieronymus tom. 4. de scientia Divinæ legis fol. 34. col. 2. ult. impres. hanc tradit sententiam: *Futuræ vitæ gloria præsentis vitæ incommodis comparatur. Christianis vexilla crucis sunt deliciæ, trophæa nostræ vitæ non pompis, sed miserijs reportantur.* Sancta M. Ecclesia à Spiritu S. directa, in hymno pro festo dedicationis Ecclesiæ,electos Dei comparat lapidibus expolitis, ex quibus constructa est urbs cœlestis Jerusalem,dum canit: *Cælestis Urbs Jerusalem,beata pacis visio, quæ celsa de viventibus saxis ad astra tolleris.* Observastisne verba sequentia: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides*; quemadmodum hic in terris lapides ad nobile aliquod ædificium extruendum deputati primo innumeris ictibus scalpri & mallei percutiuntur, dolantur, expoliuntur;ad eum modum electi,antequam ad supernam Dei extolluntur urbem, variis in hoc mundo concutiuntur adversitatum ærumnarumque ictibus: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides*; B. Laurentius Justinianus religiosis suis ante omnia serio injungere & commendare solebat *desiderium & zelum patiendi. Hoc namque desiderium, tamquam firmissimus adamas in spiritualis structura ædificij pro fundamento locandum est.* Quantis ictibus concutitur adamas, ut tollatur ejus scabrities, & ad perfectionem suam reducatur; sic electi purgantur poliunturque adversitatum & tribulationum ictibus: *Igne nos examinasti sicut examinatur argentum; Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

S. Hieron. tom. 4.
Præsentis vitæ incommodis acquiritur gloria vitæ futuræ.
S. Ecclesia.
B. Laur. Just. c. 6. de perfect. mon. conver.

8. Tametsi verum sit, quod *nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*, uti & illud: *Nemo mundus à sorde*; nihilominus, ut bene observat S. Antoninus: *Tot posset quis sustinere & tam diu devote, quod plene purgatus in fine subito ad cælestem patriam evolaret. Exemplum de Lazaro ulceribus pleno.* Omnibus nota est parabola de cœna magna, per quam intelligitur cœlestis gloria, uti eam intellexit S. Thomas hanc proferens interpretationem: *Dicitur cœna magna propter ferculorum, quæ ibi dabantur, copiositatem; inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Qui assident huic cœnæ? *Pauperes, ac debiles & cæcos & claudos introduc huc.* Neque hisce miseris hominibus contentus erat, sed iterata vice præcepit servo: *exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Quot sunt, qui nullo prorsus feruntur appetitu ad æterna gaudia, imo eorum nauseam habent, eo quod cor illorum totum adhæreat hujus vitæ bonis? Quid igitur facit Divina

Ad cœnam magnam vocantur & intrare compelluntur cæci, claudi &c.
S. Antonin. 1. p. tom. 5. c. 4.
S. Thom. Serm. in Dom. 2. post Pent.
Luc. 14. 21.

Divina providentia? Immittit illis tribulationes, divitiarum amissionem; degradationem & depositionem ab officio, infirmitates mortales & persecutiones. Unde scribit Dionysius Carthusianus: *Notandum, quod Deus quandoque vocat inspiratione interna, interdum prædicatione externa, aliquando beneficijs, quandoque flagellis.* Clarius Glossa: *Qui hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, illi nonnisi compulsi intrant.* Ad hanc opinionem quoque alludit Gerson asserens: *Compellit intrare vocatos, lacerans alterius tunicam, illius crus confringens, huic oculum eruens, alium mancum reddens, sepit vias malas spinis, ne quis ambulet per eas in interitum.*

Dion. Cart.
Gloss.
Gerson. tom. 3. lib. 3. pros. 4. de consol. Theol.

9. Benjamin idem est, quod *filius dexteræ*; de quo tamen observandum est, eum quoque nuncupatum fuisse *Benoni*, quod idem significat, quod *filius doloris*, ut intelligamus, electis, qui ad dexteram collocabuntur, necessarium esse, ut divinam filiationem doloribus lucrentur & calamitatibus. D. Bernardus fundatus in textu illo S. Joannis: *Continuo exivit sanguis & aqua*; asserit per aquam figurari Baptismum, & sanguine, qui ponitur intra calicem, indicari tribulationem; *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Cum igitur sinistra symbolum sit adversitatis, cur non ita disposuit Christus Dominus altissima sua providentia, ut latus sinistrum ei fuisset apertum? *Dominus meus Jesus* (respondet S. Bernardus) *etiam dexterum sibi propter me passus est latus fodi, videlicet, quod non nisi de dextera mihi propinare vellet*; ac si diceret, dextera Deus nobis propinat & transmittit adversitates & cruces, cum illis enim nostrum intendit profectum in virtutibus, & vult ut dexteram æternæ beatitudinis assequamur, & sinistram æternæ damnationis fugiamus. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt*; ait Job c. 30.

Divinam filiationem lucrari debemus doloribus & calamitatibus.
Joan. 19. 34.
Matt. 20. 22.
S. Bern. serm. 7 super Psal. Qui habitat.
Job. 30. 12.

10. Consideratione digna est sententia illa Blosij, quando pro afflictorum consolatione ait: *Afflictio tutissimum atque compendiosissimum iter est.* Et in alio loco scribit: *Neque enim aliquid utilius homini accidere potest, quam tribulatio, sive sit externa, sive interna, & nullum certius signum divinæ electionis habetur, quam si quis tribulationem humiliter, patienterque propter Dei amorem sustineat.* Ubi etiam tractat de consolatione pusillanimi introducit Salvatorem loquentem hoc modo: *Pati adversa regia via est, quæ hominem ad regnum cælorum perducit. Ambula igitur in ea gaudens, mihique gratias age, quod te tanto digner honore, ut tibi aliquid quod pati debeas, offeram & donem.* Bene propterea S. Thomas de Villanova sermone de SS. Cosma & Damiano sermocinabatur: *Deus electos suos non vult ab istis vanitatibus detineri, sed quod eis omnia amara sint & male succedant, ut dum ab omnibus repelluntur, ad Deum recurrant, & dum iste mundus adversatur, æternam vitam requirant. Et hæc grandis misericordia Dei est.*

Adversitates regia via sunt ad cœlum.
Blos. de consol. pusillan. c. 24.
Idem Margar. Spirit. c. 19. §. 10.
Idem de consol. pusill. §. 3.
S. Thom. à Villanov. ser. de SS. Cos. & Dam.

11. Bona terrena, quæ nobis blandiuntur, gravant animam nostram,quo minus ad cœlum elevari, possit; quamobrem S. Bernardinus sermone, cui titulus: *Quare malis adversa dentur*, allegat S. Gregorium asserentem: *Qui mihi onus abstulit, me ad currendum velocius expedivit.* S. Paulus cum discurrit de gloria, hac utitur phrasi: *Sic currite ut comprehendatis.* Ad cursum paratiores & expeditiores sunt illi, qui nullo gravati sunt onere; religiosi, ut certam faciant vocationem & electionem suam, deserunt mundum, voto paupertatis se astringunt, quia *beati pauperes Spiritu, quoniam &c.* S. Bernardinus serm. de tribulatione scribit: *Vere tribulatio est necessaria, quæ in gloriam vertitur. Gloriemur in tribulatione, in qua est spes gloriæ, imo ipsa est gloria, sicut spes fructus in semine; unde tribulatio est porta cæli, unde ipse Christus Luc. 24. oportuit pati Christum; Psal. 117. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. Ostendit deinde portam hanc esse angustam: Et quidem angusta, ad quam hortatur Dominus intrare; arcta via est, & vere arcta, quoniam in ea Paulus dimisit caputium, Bartholomæus mantellum, B. Agatha mammillas.* Rursum scribit S. Apostolus Romanis: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus nostris*, ubi subdit S. Ambrosius: *Quoniam per tribulationes oportet nos intrare regnum Dei, ideo & in his gloriandum docet; spei autem addita tribulatio, augmentum facit præmij, index enim fixæ spei tribulatio est, quæ testimonium perhibet ad coronam.*

Per angustam portam & arctam tribulationum viam patet introitus ad vitam.
S. Bernard. tom. 3.
1. Cor. 9. 24.
Matth. 5. 3.
S. Bern. ser. de tribul.
Luc. 24. 26.
Psal. 117. 20.
Rom. 5. 3.
S. Ambros. ibid.

DISCURSUS XXVI.
ARGUMENTUM.

Ut prompta voluntate tribulationem sustineamus, considerandum est, brevissimo eam duraturam tempore, comparatione præmij, quod erit æternum.

THEMA.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. ℣. 18.

1. AB hoc oraculo, quod est D. Pauli, nulla datur exceptio, cum enim aliquot vicibus raptus fuerit in cœlum,& judex competens est eorum, quæ scribit Romanis, & oculatus eorum testis est, quæ nobis communicat: *Existimo quod non sunt condignæ &c.* oporteret hic contexere catalogum omnium tribulationum, afflictionum & ærumnarum, quas passi & perpessuri sunt Confessores, omnium insuper tormentorum, quæ subiére & subibunt martyres ad mundi finem usque, & ponere in bilance hæc verba: *passiones hujus temporis*; quæ immensam habent temporis latitudinem, huc usque numeramus sex millia, sexcentos, septuaginta tres annos, & post ea concludere. *Non sunt condignæ &c.* Idem Apostolus alio in loco asserit: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Imperceptibiles ac inexplicabiles sunt sudores, labores, tormenta, opprobria, improperia, quæ sustinuerunt Apostoli, præcipue vero S. Paulus, hanc sibi attribuens excellentiam: *plus omnibus laboravi*; nihilominus sufficiebat Apostolo pro consolatione sua obtutus unius dumtaxat stillæ ex infinito illo torrente gaudiorum totam Dei inundante civitatem, *momentaneum hoc & leve &c. non sunt condignæ &c. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter &c.* plures alias ærumnas eodem cap. relatas invenietis. Unde S. Ambrosius: *Quid sublimius Paulo, qui tantum periculorum subijt, tantum dolorum atque infirmitatum absorbuit in ijs quas Christi nomine subijt passionibus; quotidie, ut ipse dicit, moriebatur*; ut exprimeret acerbissimos,quos tolerabat dolores, fatebatur se quotidie agonizare, *quotidie morior*; unico nihilominus cœli intuitu se consolabatur: *Non sunt condignæ passiones &c. Momentaneum hoc & leve &c. Nihil dignum* (ait Ambrosius) *perpeti se in hoc tempore pro tantæ gloriæ spe atque expectatione censebat.*

Omnes hujus vitæ tribulationes leves & breves sunt ad futuram gloriam.
2. Cor. 4. 17.
1. Cor. 15. 10.
2. Cor. 11. v. 23.
S. Ambros.

2. De duobus sanctitate excellentibus, qui idem sortiti sunt nomen, legimus, ac primo de S. Ignatio martyre, quod moræ impatientissimus valde anhelabat, ut à leonibus dilaniaretur: *Dentibus bestiarum molar*, instanter omnes rogabat Christianos, ne precibus suis impedirent ipsius martyrium: *Utinam fruar bestijs, quas oro mihi veloces esse ad interitum, & allici ad comedendum me; ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & tota tormenta diaboli in me veniant.* Unde oriebatur hæc patiendi aviditas? Nomen Jesu cordi gerebat impressum, æternæ gloriæ fruitionem spectabat: *Tantum Christo fruar.* De secundo Ignatio, qui fundavit societatem Jesu, & alterius æmulus extitit, legimus & scimus,quod,quamvis fervidæ & sanguineæ naturæ fuerit,non tamen invenitur, cum fuisse impatientem, nisi tunc quando nulli subjectus erat adversitati, aut crux ferenda differebatur; accipite Ribadeneiræ verba: *Si quæ à Deo creata sunt omnia, altera in parte stateræ collocarentur; in altera vero carcer, catenæ &c. vix illa omnia præ istis momentum ullum apud se habitura.* Neque id mirum nobis videatur, quia semper spectabat bona immortalia & æterna: *O quam mihi sordet tellus* (ajebat frequenter) *dum cœlum aspicio.* Cum nonnulli ipsum in carcere constitutum visitarent & consolarentur (*Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*) respondit illis: *Non sunt tot compedes in urbe, quin ego plures ferre pro Christo desiderem.*

Duo SS. Ignatij desiderarunt plurima & gravia pro Christo pati.
Ribad. l. 5. cap. 10.
Matth. 5. 10.

3. B. Laurentius Justinianus lib. de spirituali animæ Resurrectione scribit: *Si à carnificibus dilanietur corpus, attrectetur verberibus, ardentibus facibus comburatur, conspergatur ulceribus, excuratur, excorietur, suspendatur, transfigatur, perimaturque, nec sic hujusmodi cruciatus condigni erunt ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Cæterum si ob nimietatem infirmitatis*

B. Laur. Just.

Omnia quæcumque corpòris tolerabilia redduntur consideratione immensæ gloriæ quam per illa consequimur.

tatis præ doloribus contrahantur nervi, debilitentur gressus, visus hebetetur, obturetur auditus, omneque corpus à planta pedis usque ad verticem repleatur vulneribus, vermesque scateant, cunctisque laboribus fatigetur, tolerabilia sunt propter supereminentem felicitatem, quæ justis in futura resurrectione promittitur, quoniam perennis est gloria & momentaneus dolor, de quo, videlicet, dolore momentaneo Apostolus inquit: quod enim momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, in sublime pondus gloriæ operatur in nobis, contemplantibus quæ non videntur, non quæ videntur, quoniam quæ videntur, temporalia sunt, quæ vero non videntur, æterna. Tetigit quoque S. Chrysostomus hoc punctum, utpote, utilissimum ad hoc, ut diuturno tempore & cum fructu sustineamus lachrymabilis hujus vitæ calamitates & cruces, quæ alias sensui nostro valde repugnant: *Vides ergo, inquit, quidquid in præsenti est, leve esse, etiamsi tribulatio sit. Quomodo leve? Quia immensum pondus futuræ gloriæ levem facit præsentis temporis tribulationem, etiamsi sensibus nostris gravius videatur.* Denique & ipse causas in consequentibus exponit, ut omne id duci leve debeat, quidquid passio præsentis temporis intuleris; ait enim, *non respicientibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.*

D. Chrys. lib. 1. de contrit. cordis.

4. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, nimirum, ait B. Laurentius Justinianus de interiori conflictu, *non sunt condignæ &c. ad guttam minimam divinæ dulcedinis, quæ præstatur amantibus.* Et S. Augustinus invitat nos ad auscultandum hoc Apostoli documentum: *Ipsum, qui patiebatur, audite: Non sunt condignæ &c. ac si dicat: sæviat mundus, fremat mundus, concrepet lingua, coruscet armis, quidquid potest faciat, quid faciet ad id, quod accepturi sumus? Appendo id quod patior, contra id quod spero, hoc sentio, illud credo, & tamen plus est quod credo, quam quod sentio. Quidquid est quod fecit pro Christi nomine, si potest vinci, tolerabile est; si non potest vinci, migrare hinc facit, non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsum dulcedinem, quæ cum venerit, sine fine erit.* Præfatis Sanctorum sententiis valde conformia sunt hæc Blosij verba: *O si quis justo posset perpendere ac ponderare judicio tempus & æternitatem, mallet ille profecto centum annis in ardenti jacere camino, quam vel minima levissimæ afflictionis carere mercede in cælis æterne percipienda.*

B. Laur. Just. cap. 6. de inter. conflict.

Minima gutta divinæ dulcedinis levia facit omnia tormenta corporis.

S. Aug. serm. 24. de Sanctis.

Blos. c. 24. de consol. pusil.

Adducuntur ad propositum stabiliendum variæ similitudines.

5. *Momentaneum hoc & leve tribulationis*; non sic est de gaudiis, *æternum gloriæ*; passiones, cruces, tribulationes celeriter transeunt; at retributio est æterna, *æternum gloriæ &c.* Fingamus hanc vobis datam esse electionem, ut omnes, quas desideratis, uno die capiatis recreationes, & altero die incumbant vobis labores, ærumnæ & calamitates sufferendæ, hoc prius profecto eligeretis, ut die sequenti eo melius gaudere possetis, etenim certa hæc spes gaudendi & recreandi vos sequenti die, magnum vobis erit solamen & incitamen, ut prompto & lubenti animo patiamini; aut rursum quæro, si quis vos certiores ulterius redderet, quod per merita ærumnarum illarum uno die tolerandarum toto vitæ tempore in continuis gaudiis, deliciis & recreationibus victuri essetis, annon libenter unico die patereminí? Omnino: *Spes præmij solatium est laboris.* Milites, qui in manu sua, ut ita loquar, habent victoriam & triumphum, nullum sentiunt & experiuntur laborem, flocci faciunt vulnera, vicina se consolantur corona. Ad quid dubius & anxius hæres, quærit S. Thomas à Villanova? *Pugna momentanea & perpetua corona, & affligeris? Momentum certaminis tibi datum est ad perpetuam & æternam gloriam consequendam, & illud sine pugna & molestia transigere cupis? Tu esto judex, ipsemet judica quam rationabilis & justa sit tua querimonia. Si omnes annos Mathusalem victuras esses, & omnes mundi molestias solus passurus, namquid condignæ essent omnes istæ passiones ad futuram gloriam quam expectas?* nullo modo, vult dicere. Idem alibi fermocinabatur in hunc modum: *Quid mirum, si illi quibus paratum est gaudium sempiternum, hic ad momentum tribulentur, imo hoc eis ad jucunditatem expedire cognoscitur; solemus namque, cum magnum & præclarum amicis parazimus convivium, eos aliquamdiu ante prandium detinere, ut esuriant, ut melius eis pretiosa cibaria sapiant &c. Deus, qui electis suis convivium præparavit, hic eos ad modicum prius esurire & indigere permittit, ut postea exultantes dicant: Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.*

Thom. de Villan. in Dom. 1. Quadr.

Idem serm. de SS. Cos. & Dam.

6. In sacris Canticis cœlestis Sponsus sponsam invitando dicebat: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*; motivum, quod adducit, est: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Per has roris stillas, juxta opinionem & mentem S. Gregorij Nazianzeni, denotantur tribulationes hujus vitæ; verum quæ proportio dari potest stillas roris inter & maris aquas salsas & procellosas? Hisce Redemptor noster per os David comparat adversitates: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Magnum discrimen esse inter guttas roris & undas tempestuosi maris, verum est; at quemadmodum ros è cœlo ducit originem & generationem, ita dicere possumus per hunc figurari & significari tribulationes; quia licet sit instar tempestuosi maris; attamen videbuntur nobis esse stillæ sive guttæ suavis & refrigerantis roris, si mentem & cor nostrum affigamus bonis æternis & cœlestibus gaudiis; unde dicebat Nazianzenus: *Verum est, civitate ejicieri; at non etiam ex ea, quæ in cœlo sita est æterna. Hoc si efficere potuerint hi qui nos invisos habent, vere bellum inferrent: quamdiu autem minime potuerunt, gutulis aquæ me petunt, aut ventis feriunt, aut insomnijs ludunt.*

Cant. 5. 2. Tribulationes nobis videntur stillæ roris si in illis applicemus mentem bonis æternis & cœlestibus gaudijs.

Psal. 68. v. 3.

Nazianz. orat. 18.

7. B. Petrus Damianus hoc nobis suggerebat consilium: *Studiosè considera, quia quidquid pateris, momentaneum est & leve, quatenus, & quod leve dicitur, æquanimiter feras, & quod momentaneum est, quantocyus evolare confidas. Neque illud etiam te prætereat, quam congruè, quam accurate divina tibimet verba respondent, ut ad id quod tribulationis momentaneum & leve præmiserat, mox æternum gloriæ pondus reddendum subjungat. Perpende igitur, & invicem confer tribulationem & gloriam; momentaneum & æternum; leve & pondus. Gaude ergo & exulta, quia quod tribulationis sustines, momentaneum est; quod gloriæ præstolaris, æternum.*

B. Pet. Dam. lib. 8. ep. 6.

8. Mox dicerem tribulationem esse quamdam alchimiæ speciem, quia ferrum adversitatum transmutat in purissimum aurum amoris Dei, & cœlestis meriti. Quomodo id fit? *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; quando quis Deum vere amat, id quod pro Deo, & propter Deum patitur, totum est meritum, totum cooperatur remunerationi æternæ; porro unum necessarium est, cœlestium gaudiorum spectet æternitatem, serioque pensitet: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Non dixit *remunerabitur* (D. Bernardi observatio hæc est) *sed æternum gloriæ pondus operatur in nobis; latet gloria fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in levi pondus sublime & supra modum.* D. Chrysostomus epist. 6. promittit nobis, nullam prorsus nos indigne laturos adversitatem & afflictionem, quoties-cumque mentis cordisque nostri oculos conjecerimus in æternæ beatitudinis præmia: *Quod aranææ tela & umbra, & fumus est, & si quid his vilius fingi potest, sic sunt omnes tibi inflictæ acerbitates, si cum ijs præmijs conferantur, quæ tunc tibi tribuenda sunt.*

Tribulatio est quædam alchimiæ species.

Rom. 8. 28.

S. Bern. serm. 17. in Psal. 90.

D. Chrysost. epist. 6.

9. Ingeniosa sane comparatio est, quam adfert S. Gregorius; pro cujus meliori intelligentia in mentem prius revocandum est, quod contigit S. Romano martyri: Miles hic erat ante conversionem suam & idololatra, unde cum præsens spectaret martyrium & tormenta S. Laurentij martyris, & cum eodem Angelum cœlitus missum, qui candido linteo frontem ac faciem sancti Martyris abstergeret, alta proclamans voce dixit se esse quoque Christianum, quapropter comprehensus & raptus ad supplicium, coronam martyrij ibidem promeruit. Jam audiamus similitudinem, quæ optime quadrat huic exemplo & proposito D. Gregorij & nostro. Asserit ergo S. Pontifex consideranda æternæ beatitudinis bonorumque cœlestium, quibus opponitur brevis & modica duratio temporalis adversitatis, esse instar alicujus lintei, quo abstergantur sudores, labores, ærumnæ, & quævis dolorum acerbitates propter Deum perpessæ, idque exemplo S. Pauli ostendit & confirmat; Verba S. Pontificis hæc sunt: *Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse evanciat dicens: Non sunt condignæ passiones hujus temporis.* Eadem metaphora utitur B. Petrus Damianus lib. 8. epist. 6. scribens: *Ab oculis tuis lachrymas linteo perpetuæ consolationis absterget; absterget eum Deus lachrymas ab oculis eorum.*

Deus consolatione sua quasi quodam linteo abstergit sudores, labores & ærumnas tribulationum nostrarum.

D. Gregor. lib. 8. mor. cap. 5.

B. Pet. Dam. lib. 8. epist. 6.

10. Mihine rationem dicere posses, cur Propheta Job faniem ex ulceribus profluentem non linteo, sed testa

Job 2. v. 8. Qui cogitat æternum gloriæ pondus, leves existimat omnes tribulationes.

Apoc. 2. 10.

Ansbertus.

testa abstersérit: *testa faniem radebat?* Potest esse; quod nullus inveniretur, qui ex compassione ei submini-straret pauxillum abjecti lintei, quo expurgasset vulnera, ut propterea testam sive terram coctam adhibere coactus fuerit, cujus usu plagæ recrudescebant; ita est: at in testa illa, ait quidam contemplativus, considerabat æternitatem, *æternum gloriæ pondus*, & hac consideratione se consolabatur. Apoc. cap. 2. legimus: *Nihil horum timeas; quæ passurus es, ... habebitis tribulationem diebus decem.* Ubi sacer quidam interpres scribit: *Quidquid pœnarum, injuriarum, lasionumque tuleris; pro eo quod transeunt, admoneo ne formides.* Ut quis prompto animo patiatur ærumnas, multum ipsum juvat, si se reflectat ad brevem & modicam illarum durationem, & recogiret semper *passiones hujus temporis; momentaneum & leve tribulationis*; at æternam remunerationem, *futuram gloriam*; *æternæ gloriæ*. Quare pensanda sunt verba illa D. Chrysostomi: *In terra decertas, & in cælo coronaris; ab hominibus punnis, & honoraris à Deo; duobus curris diebus, & insimitis præmiaris sæculis.* Audiamus etiam Richardi de S. Victore consilium: *Cogitate æternum, & leviter feretis momentaneum; cogitate pondus, id est, magnitudinem gloriæ; & levis sit tribulatio, quam comitatur talis remuneratio; dum patimini, coronam intuemini.*

D. Chrysost. hom. 47. ad pop.

Richard. de S. Vict. cap. 13. in Cant.

N.B. Fusiorem pro præsenti discursu materiam invenies tomo 1. tract. de Beatitudine.

DISCURSUS XXVII.
ARGUMENTUM.

Tribulatio infirmat dæmonem, & in futura vita temporalibus parcit pœnis; nec non ab æternis sæpenumero nos eximit. Ubi & insignis ex S. Thoma de Villanova allegatur doctrina.

THEMA.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. Psalm. 89. ℣. 15.

1. ADversitates tribulatis conferre solent mediancholiam, impatientiam, animi perturbationem, & tamen S. David ait: *Lætati sumus &c.* & alibi quoque insinuat nobis: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quis pluribus atrocioribusque subjectus fuit afflictionibus, doloribus & calamitatibus, quam S. Propheta Job, in cujus afflictionem ac perditionem totus conjuraverat infernus? Nihilominus ex ore ejus benedictiones audiebantur: *Sicut Domino placuit, ita factum est; Sit nomen Domini benedictum.* Unde unius animæ colligitur sanctitas? ex ferventi oratione? ex operibus misericordiæ? ex eleemosynis? ex jejuniis? Audiamus Chrysostomum: *Nihil est anima illa sanctius* (verba notatu digna) *quæ in malis Deo agit gratias*; idque non immerito, quia quæ ex tribulationibus resultant bona, singularia sunt & notabilissima, ob quæ gaudendi potius, quam lamentandi occasionem habemus. Nonnulla examinemus.

Psal. 93. 19. Fideles servi Dei lætantur in tribulationibus, patet in Davide & Job.

Job 1. v. 21.

Per adversitates debilitantur vires dæmonis, & irritæ reddantur ejus insidiæ.

Tertull. lib. de patient. c. 11.

2. Magna prærogativa adversitatis est, quod per eam infirmentur ac debilitentur vires communis inimici, ejusque insidiæ, quas nobis struit, vanæ & irritæ reddantur. Hoc stratagemate & modo usus fuit Job adversus Satanam, totamque spirituum infernalium in damnum suum conspirantium catervam, videlicet, omnia patienti promptoque animo propter amorem Dei sustinuit: *Quod si à Domino nonnulla credimus incuti* (ait Tertullianus) *cui magis patientiam quàm Domino debeamus?* Et statim subdit: *Quin insuper gratulari & gaudere nos decet, dignatione divinæ castigationis*; ast cap. 14. ejusdem lib. ostendit, quod, tametsi Deus Satanæ dederit licentiam impugnandi & affligendi servum suum, id tamen cesserit in majorem istius maligni confusionem: *Quidè videbat Deus, dissecabatur malus, cum Job immanidum ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes testiolas inde in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ladendo revocaret.*

Ibid. cap. 14.

3. Scribit epist. 31. Petrus Blesensis: *Flagellat Dominus omnem filium, quem recipit, visitat eum diluculo, & subitò probat illum, visitat & probat, ut sic spiritum ejus à spiritu maligno custodiat; & visitatio tua, inquit qui, lam ægrotus, custodivit spiritum meum.* Quando homo in

Pet. Blesensis epist. 31.

angustiis tribulationum constitutus est, haud accedit astutus serpens; novit enim auscultantem se non inter spinas reperiri, sed inter rosas. Quando populus Hebræus summè angariatus erat, ac furiosi Pharaonis aliorumque Ægyptiorum persequentium gladijs jam se trucidandum credebat, tunc primùm post tot elapsa sæcula ab infami illa servitute ereptus fuit, & ipse Pharao cum suis in mari submersus periit; *Omnia in figura contingebant illis.* Voluit Deus hac figura indicare nobis, quod in extremis constituti angustiis & adversitatibus tunc maximè ereptionem & liberationem ab imperu & insidiis infernalis Pharaonis sperare possemus.

Deus in maximis angustiis constitutos, in se confidentes, visitat & eripit.

4. Proposito nostro accommoda est ponderatio ista S. Bernardini circa tribulationes, asserentis: *Dant mentales occupationes, ne, scilicet, mens noxia cogitando ruat, idcò scribitur Eccli. 11. Malitia, id est, afflictio unius horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ. Ad hoc ponit Hieronymus in epistola ad Rusticum exemplum de quodam juvene, dicens, quod in quodam cœnobio quidam adolescens nulla operis magnitudine flagrantiam poterat carnis extinguere, unde eum periclitantem pater Monasterij videns hac arte servavit, imperans cuidam viro gravi, ut eum jurgijs atque convitijs infectaretur, & post arrogatam injuriam priùs veniret ad querimonias; vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat; solus pater Monasterij defensionem opponebat, ne ex abundanti tristitia frater absorberetur: ita annus decurrit est; quo elapso interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, respondit: Vivere me non licet, & fornicari libebit? & per consequens sic evasit.* Post hanc historiam S. Bernardinus sequentem producit similitudinem: *Est tribulatio sicut fossatum munions castrum mentis à superbia, & à cæteris peccatis, quæ à prosperitate sequantur; unde Exod. 14. Aquæ erant filijs Israël pro muro à dextris, id est, à prosperis, à quibus plurimi submergantur. Est etiam sicut altus murus & fortis, præservans à præcipitio & ab hostili impetu inimicorum, id est, luxuria, & cæterorum vitiorum concessione.* S. Bernardus serm. 1. de S. Andrea ait: *Si haberet nobis tribulatio, sic victas esset omnino diabolus.*

S. Bern. tom. 1. serm. 8. Ecili 11. 29. Dum mens tribulationibus occupatur, à peccatis præservatur, & diabolus vincitur.

S. Bern. serm. 1. de S. Andrea. Exod. 14. 22. In tribulatione gaudendum, quia per illam effugimus pœnas temporales futuræ vitæ, & sæpe etiam æternas.

5. *Lætati sumus &c.* Longè majus motivum jubili ex tribulatione resultantis nobis est, si consideremus, quod per eam effugiamus pœnas & passiones temporales in futura vita, ac frequenter etiam evadamus æternas, si Deo complaceat illas commutare in temporales & transitorias. Scribit S. Augustinus: *Hic deliciæ temporales dulces sunt, & tribulationes temporales amaræ sunt*; hanc amaritudinem qua ratione bibemus prompto animo? *Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens ignem gehennalem?* Unde & D. Chrysostomi extat doctrina: *Ea quæ nobis in hac vita inferuntur supplicia divinitùs, futurorum cruciatuum partem haud exiguam succidunt.* Alvarez ut aliquam consolaretur, infirmam; in Epistola sua hac usus est ratione: *Deus noster qui non bis punit in idipsum, cum semel id facit, expergat desolatione temporali; quod fuisset æterno igne puniendum, & ablue aqua roscea, quod fuisset sanguine crudelibus cruciatibus effundendo purgandum.*

S. August. in Psal. 68.

D. Chrysost. lib. 1. de provid.

Alvarez epist. ad infir.

6. Scribit Apostolus Epist. 1. ad Corinth. *A Domino corripimur*; & quo fructu? *Ut non cum hoc mundo damnemur.* Quando nos castigat & flagellat cœlestis magister in præsenti vita; indicium est, quod nos amet tamquam suos filios, & nos damnari nolit: *Atqui gaudere potius & meliori animo esse debes* (ita exhortatur nos D. Chrysostomus) *quod hic peccata tua tibi remittantur, ne cum sæculo isto damneris; qui enim dolet, non quia cruciatur; sed quia offendit Deum, dolere debet.* Verùm audiamus Gaudentium: *Idcircò pudicè conversantem Dominus nunc tribulationum & ægritudinum flagello castigat, ne in illo sordium aliquid futurus ignis inveniat, sed ut per exiguas plagas brevissimi temporis ab omnibus purgatus maculis, securus ad æternam migrare requiem mereatur.* Consideratione quoque digna sunt, quæ habet Cæsarius Arelatensis: *Dum exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi judicij offensa sedatur, & ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumptura erat ardor æternus.* Tetigit hoc idem punctum Petrus Blesensis in suis Epistolis, præsertim verò epist. 31. *Justo melius est hic uri, ut æternos cruciatus absorbeat vexatio temporalis.* In idem recidit celebre illud dictum D. Augustini: *Domine, hic seca, hic ure, ut in æternum parcas;* Et epist. 87. idem Petrus Blesensis allegat hunc Psalmi versum: *Ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & de abyssis terræ iterum reduxisti me*; ac si dicere vellet: Damnatus eram secundùm præsentem justitiam ad barathrum æternæ perditionis;

1. Cor. 11. 32. Quos Deus castigat in præsenti vita, non vult damnari in futura.

D. Chrysost. lib. 3. de provid.

S. Gaudent. in præfat. ad Bon.

Cæsar. Arel. hom. 1.

Petr. Blesens. epist. 31.

Idem epist. 87.

at

at suffragante tribulatione inde me Dominus eripuit reducendo me ad pœnitentiam salutarem.

7. Audiamus insuper B. Laurentium Justinianum:

B. Laur. Just. dig. vitæ cap. 3. de patient.

Electi, inquit, *timentes ultionem, quæ servatur in fine; feriri paterna correptione desiderant, & dolorem vulnerum præcipuè charitatis signum putant, nisi enim Deus electis suis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per tribulationes non curaret.* In decursu ejusdem capitis legimus: *Tribulatio à morte æterna liberat; ideo omnipotens Deus, quos diligit, temporaliter punit, ut æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis.* Hanc quoque veritatem attestatur S. Antonius de Padua, siquidem serm. 3. de Apost. ad calamitates præsentis vitæ invitat nos hac ratione inductus: *Ad gehennæ & Purgatorij comparationem. Joan. 6. Qui timet pruinam, irruet super eam nix.* Ante ipsum jam scripserat S. Isidorus: *Cogita homo quoslibet mundi cruciatus, intende animo quascumque sæculi pœnas, quoscumque tormentorum dolores, quascumque dolorum acerbitates; compara hoc totum gehennæ, & leve est omne quod pateris. Si timeas, illas pœnas time, istæ enim temporales sunt, illæ æternæ; istæ finem habent, illæ perpetuæ sunt. In illis moriendo tormenta recedunt, in illis moriendo æternus dolor succedet. Qui hic castigatus corrigitur, illic liberabitur; qui verò nec suo flagello corrigitur, & temporali pœna & æterna damnabitur, & in hoc prius judicatur sæculo, & illic denuò in futuro. His duplex damnatio est, gemma bis percussio est, quia & hic habent initium tormentorum, & illic perfectionem pœnarum.*

Tribulatio patienter tollerata, liberat à morte æterna.

S. Anton. de Pad. serm. 3. de Apost. Job 6. 16. S. Isid. lib. 1. Synonim.

B. Pet. Dam. lib. 8. epist. 6. Ille censetur beatus qui hic pœnas luit.

8. Pro majori horum declaratione nobilem B. Petrus Damianus adducit similitudinem dicens: *Vites & quæque fœcundæ arbores putationibus subjacent; steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, vanis evagantibus, quo libentius, eo diffusius patent. Non itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invide, sed condole, imò quia ipsi non dolent, potius tu ingemisce.* Prius eadem epistola dixerat: *Laudanda divina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat; ad hoc premit, ut elevet; ad hoc lecat, ut sanet, ad hoc dejicit, ut exaltet.* Audiamus etiam è suggestu Antiocheno sermocinantem Chrysostomum: *Ille præsertim beatus est, qui hic pœnas luit, ut peccatis omnibus depositis probatus migret & mundus & insons. Itaque cum rebus adversis premimur, gaudeamus, hoc enim est peccatorum expiatio.* Idque confirmat Thomas à Kempis hisce verbis: *Habet magnum & salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias, plus dolet de alterius malitia quàm de sua injuria.*

D. Chrysost. Hom. 67. ad pop.

Thomas à Kemp. lib. 1. de imit. Chr. c. 24. n. 2.

9. Majorem reprobi, quamdiu hic vivunt, contruerent in inferno sibi cataftam in proprium damnum, nisi divina misericordia eos adversitatibus refrænaret, & favorabilem appetitus successum, prosperumque felicitatis cursum abrumperet ac impediret, unde S. Bernardinus serm. cui titulus: *Quare mala adversa dentur*, bene ait: *Deus per tribulationes quo ad impios multa impedit, per quæ sibi & alijs possent nocere.* Quam sententiam confirmat S. Thomas à Villanova inquiens: *Fræno & onere domantur bestiæ; sic Deus quandoque peccatores infrænare solet, multoque ægritudinum, persecutionum, laborum onere deprimere, ut benignum fossorem suscipiant, & onus ejus leve & suave sustineant; sic in Isaia legimus: Laude mea infrænabo te, ne intereas.*

Per tribulationem etiam impij impediuntur ne in inferno majorem sibi pœnam concilient.

S. Bernard. serm. 8. S. Thom. à Villanov. ser. de S. Adelesmo.

10. Nihilominus ut plurimum experientia nos docet, quod peccatores non excipiant tribulationes in augmentum meriti, sed in proprium detrimentum, veluti suo loco dicetur. Interea idem S. Thomas de Villanova sermone alias allegato de SS. Mart. Cosma & Dam. doctrinam notatu dignam posteritati coscravit, examinans hanc quæstionem Jerem. cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur?* & subdens ait: *Si solam hanc vitam inspicias, & eam solam attendas, insolubilis videtur quæstio & inexplicabilis sicut Philosophis visa est, qui eam solam attendebant; sed si tempori æternitatem adjungas, & utramque vitam simul annectas, hanc scilicet temporalem, & quæ sequatur perpetuam, ibi invenies solutionem.* Paulò ante allegaverat thema nostrum: *Lætati sumus pro diebus &c.* ideoque prosequendo hunc discursum ostendit, electos, cum affliguntur in hac vita, meritò gaudere debere, eò quod adversitas sit arrha vitæ æternæ & beatæ, prosperitas verò pessimum sit indicium: *Quid miram*, inquit, *si cives hujus Babylonis, & filij hujus sæculi in sua civitate & patria gaudent, & exultant, & peregrini & exules tristantur & affligantur? Si de mundo esses, tu Domnus, mundus, quod suum est, diligeret, propterea odit vos mundus, quia non estis de hoc mundo. Neque hoc divinæ iustitiæ adversatur, ut Philosophi putaverunt, imò quàm maximè consonat; nam quis ita malus est, ut aliquod bonum aliquando non fecerit? Et quis ita bonus, ut aliquando non peccaverit? Cum ergo ad divinam & perfectam justitiam pertineat, ut nullum bonum maneat irremuneratum, aut malum impunitum, consequens est, ut cum illa bona impiorum in futuro non sint remuneranda, remunerentur hic; & similiter illa peccata justorum puniantur hic, neque puniantur in futuro. Neque hæc est inordinatio, sed maximus & perfectissimus ordo, si enim malis semper male esset, bona eorum sine præmio manerent, & si bonis semper bene esset, mala eorum impunita relinquerentur, & hæc esset maxima injustitia & inordinatio in universo. Vide etiam quàm male convenit justis prosperitas in hac vita, si enim alicui homini afflicto, tristissimo, vulnerato, in carcerem conjecto quispiam cantilenas & facetias, & jocos diceret, nomine vexaret eum amplius, & torqueret musica illa in luctu? Sic justo, peregrino, & in carcere posito, qui diebus ac noctibus non cessat à lachrymis & fletu ex mundi hujus & vitæ tædio, & patriæ cœlestis desiderio ex periculi timore, ex carnis gravissimæ odiosissimo onere, adhibere ei honoriculos & divitiunculas, & vanas istas delicias, & ludicra mundi, tædiosum esset & importunum.*

D. Chrysost. Hom. 46. ad pop.

Jerem. 12. 1. Idem de SS. Cosm. & Dam.

Impiorum bona opera justè hic præmiantur, & bonorum culpæ justè hic puniuntur.

DISCURSUS XXVIII.

ARGUMENTUM.

Cum tribulationes nostrorum pœnæ sint peccatorum, hac fulciti consideratione lubentiori animo eas sufferemus, fructumque inde percipiemus.

THEMA.

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Gen. 42. ℣. 21.

1. FRatres Josephi, carceri esto injustè traditi, calumnioso que notati impostura, quia prius in personam innocentis fratris sui peccaverant, delictum hoc revocantes in mentem, seinvicem hisce consolabantur verbis: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Efficax argumentum est, quod conficit S. Chrysostomus: *Si bene viventibus necessarium est tribulari, multo magis peccantibus.* Culpa annexam habet pœnam, & hanc in præsenti & in futura experimur vita; ast frequenter accidit, quod Deus electos suos calamitatibus ærumnisque hujus mundi subjiciat, ut animæ eorum expurgatæ & mundæ transeant ad alterum. Certum est, unumquemque apud Deum esse culpabilem, peccatis ad minus venialibus obnoxium: *Nemo mundus à sorde*; quando igitur quis premitur ab aliqua adversitate, ad imitationem præfatorum fratrum dicat: *Meritò hæc patior, quia peccavi in Deum meum.*

Tribulationes sunt pœnæ peccatorum præteritorum.

D. Chrysost. Hom. 46. ad pop.

2. Gregorius Magnus scribit: *Tunc illata convitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad male perpetrata recurrimus, leve quippe videtur, quod injuria percutimur, cum conspicimus quia pejus est, quod meremur.* Novi agricolam, qui cum abundantem messem à magna murium multitudine surripi & deportari adverteret, amarissimè flens dicebat, id mea merentur peccata: *Meritò hæc patior, quia peccavi in Deum*; & verè plurium enormium peccatorum reus erat. Jeremiæ cap. 7. legitur hæc comminatio: *Ecce furor meus & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ*; ubi S. Hieronymus propositio nostro conformiter rationem reddit dicens: *Sed & conflata indignatio sic intelligi potest, ut quod diu facere noluit, peccatorum multitudine compellatur.* Exodi 9. legitur: *Pluit grandinem super terram*; ecquæ phrasis ista, qua utitur Moyses indubiè Spiritus Sancti motus instinctu? Pluvia fœcundat terram, irrigat & fovet plantas, id autem grando minimè præstat; verum est, at Deus fructum ostendere intendit, quem ex adversitatibus tunc vel maximè elicere possimus, cum illas Deo acceptas referimus tamquam peccatorum nostrorum pœnas, & contriti confitemur: *Meritò hæc patimur.*

S. Gregor. lib. 30 mor. c. 17. In tribulationibus cogitandum quod pejora meremur.

Jer. 7. 20.

S. Hieron ib.

Exod. 9. 23.

3. Stephanus Cantuariensis apud Titelmannum scribit; *Pluvia suavis est, grando contundens & Deus*, ipsa sua sanat convitione & natris. Infinitum bonum ex adversitatibus & flagellis divinæ justitiæ deprimere possumus, si virgam osculemur & confiteamur: *Meritò hæc patimur*; est aqua, quæ extinguit infernum, quia mediante tribulatione agnoscimus nostra peccata, & veram agimus pœnitentiam. Tritum proverbium est: Peccatum confessum media ex parte remissum. Præterea si adversitas illa agnoscatur, ac si à Deo

Tribulatio est aqua extinguens infernum.

Deo procedat propter bonum nostrum, ad plurimos nos disponit actus virtutum, patientiæ, conformitatis cum divina voluntate, pœnitentiæ, bonorum propositorum, humilitatis, amoris erga Deum: *Educens nubes ab extremo terræ*, ait Psalmista, *fulgura in pluviam fecit.* In iisdem nubibus aquis salutaribus prægnantibus generantur quoque tonitrua & fulmina nos deterrentia: *Fulgur urit, pluvia nutrit, quia ipsa tribulatio nutrit*, ait idem Cantuariensis.

Psal. 134. 7.

Si pro peccatis patimur, justè patimur, si innocenter, gratias agamus Deo pro paterna visitatione.

4. Hoc dilemma formare possumus; aut illud, quod patimini, pœna justa est peccatorum vestrorum, aut certè patimini illud injustè; si primum, nullam lamentandi habetis occasionem; justo titulo dicere poteftis: *Meritò hæc patior*; bene est, totum ipse met causavi: *Justus Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Et in hoc quoque gratiæ Deo agendæ sunt, quod vos hic castiget, extimuletque ad emendationem vitæ. Verum si nesciatis, in quo peccaveritis; imò pro honore Dei calamitates, opprobria & contradictiones sustinuistis? Gaudete: *Omnes qui volant pie vivere in Christo persecutionem patientur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Quando S. Petrus Martyr falsis calumniis & impostoris laceffitus, conquerebatur desuper coram crucifixo, respondit ei Dominus: *Et ego quid mali feci?* Quo audito confusus ille, erubuit abstergere lachrymas. *Ecce quibus non erat judicium*, ait Propheta Jeremias, *ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris.* Quot reperiuntur, esto sanctitate conspicui, qui ob leves culpas aliis temporibus commissas tribulationibus & calamitatibus mundati & expurgati sunt in præsenti vita? Examinate proprioria vestra enormia delicta, & dicite: *Meritò hæc patior.*

2. Tim. 3. 12.

Jer. 49. 12.

Boni corripiantur ad emendationem, non ad perditionem. Judith. 8. ℣. 27. Jer. 25. 29.

5. Blosius in paradiso animæ fidelis hoc nobis subministrat consilium: *Quæcumque Deus obvenire voluerit, ea parato animo suscipe. Etiam non pertur baris, quod peccatis tuis ipsas adversitates fortè accerseris, sed sive accerseris, sive non accerseris, tranquillus esto, imputa quidem omnia tuis iniquitatibus, & humiliare &c. Displiceat animo tuo malorum origo vitiosa; cæterum ipsas angustias æquanimiter sustine, offerens eas Altissimo in sacrificium, sicenim erunt tibi veluti baptismus ad peccata tua abluenda efficacissimus, quin & gloriosissimum (ut ita dicamus) erunt martyrium.* S. Antonius de Padua in confirmationem horum celebrem producit sententiam D. Gregorij serm. 8. de Apostolis discurrens hoc modo: *Quidquid patimur, ut dicit Gregorius, peccata nostra meruerunt, & leviter ex merito quidquid patiare ferendum est.* Hunc Salvianus instituit discursum: *Quid miraris si cædimur, quid miraris si castigamur, si in jus hostium tradimur, si infirmiores omnibus sumus? Sive miseriæ nostræ; sive infirmitates, sive eversiones, sive captivitates, & pene improbæ servitutes, testimonia sunt mali servi & boni Dei? Quomodo mali servi? Quia patior, scilicet, vel ex parte quod mereor. Quomodo boni Dei? Quia offendi, quid mereamur, & si non irrogat, quæ mereamur, benignissima in castigatione mavult nos corrigere quàm punire.*

Blos. paradi. an fidel. c. 10. n. 3. Omnes tribulationes peccatis nostris adscribere debemus.

S. Anton. de Pad. serm. 8. de SS. Apost. Salvian. lib. 4. de Provid.

6. Sapiens illa mulier Judith concives suos Bethulienses cum arctissima ab Holoferne cincti obsidione, extremoque expositi essent periculo, docuit: *Non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur ad emendationem, & non ad perditionem.* Quapropter Deus apud Prophetam Jeremiam protestabatur: *Ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes eritis?* Verissimum est, *quis umquam innocens periit?* At quis sibi attribuere poterit, omni tempore se fuisse innocentem? Verùm responsio omnem tollens difficultatem est, quod boni corripiuntur ad emendationem, non ad perditionem; Virga continet discipulos in disciplina & fervore studij, & hunc justi ex tribulatione percipiunt fructum, ut in progressu & profectu virtutum sint ferventes.

Judith. 8. ℣. 27. Jer. 25. 29.

Confundimur considerantes quanta Deus pro nostris peccatis passus fuerit. Isa. 43. 24. Oleast. ibid.

7. Isaiæ cap. 43. textum habemus, qui, nisi adversitates, quas Deus in emolumentum & beneficium nostrum nobis imponit, æquo & patienti animo susciplamus, multum nos confundit, sic enim habet, *Servire me fecisti in peccatis tuis præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ubi Oleaster scribit: *Quàm nihil sint ea, quæ propter Deum facimus, aut patimur, & quàm multa & gravia, quæ ipse patitur pro nobis, optimè hic nobis ostendit. Plus enim Dominus suo modo laborat, peccatum tuum nostrum, etiam minimum, fovendo, quàm sint omnes labores quantumcumque graves, quos ferimus propter peccata nostra.* Quanta passus fuit Redemptor noster propter peccata nostra? Perlegite verba illa, quæ sub *Ecce Homo*, incidi solent, & sunt verba D. Bernardi in persona Christi loquentis:

O homo, vide, quid pro te patior?
Non est dolor, sicut quo crucior?
Ad te clamo, quod pro te morior;
Vide clavos, quibus confodior.
Cum sit tantus dolor exterior,
Interior est planctus gravior,
Cum te tam ingratum experior.

Et nos, qui culpabiles sumus, pœnas afflictionesque nobis debitas, causatas à peccatis nostris, quæ benignissimus Salvator noster nobis remittere paratus est, fugeremus? Quando nobis sacramentalis confertur absolutio, & pro satisfactione imponitur pœnitentia. Sacerdos profert verba illa: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ*; ecce aliam rationem, ob quam tribulati insuper dicere possumus: *Meritò hæc patimur.*

8. Sapiens ait Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.* Tot & tanta infortunia, terræmotus, peitis, annonæ caritas, fames, aquarum inundationes, incendia, flagella Dei sunt offensi propter peccata populi, in cujus probationem relatu digna sunt, quæ S. Cyprianus in pulcherrima quadam epistola scribit: *Intelligendum est & confitendum, præsse ista tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & adhuc usque populatur, secundum peccata nostra venisse, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata servamus &c. Vapulamus & meremur, cum scriptum sit: Servus autem ille, qui scit voluntatem Domini sui, & non paraverit voluntati ejus, vapulabit multis.* In progressu ejusdem epistolæ subdit: *Hæc patimur delicto & merito nostro sicut præmonuit divina censura, dicens: Si dereliquerint legem meam, & in judicijs meis non ambulaverint, & justificationes meas profanaverint, & præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum. Virgas igitur & flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus.*

Prov. 14. 34. Omnes calamitates sunt flagella offensi Dei.

S. Cyprian. epist. 3.

9. Si aër interdum exoneraret se grandine, turbine, tempestate, fulgure, impetuosaque pluvia super terram, & hæc summopere desuper conquereretur; aër utique respondere posset, terram id promereri, justoque totum id ei deberi titulo, eo quod exhalationibus ac vaporibus fuis, quos in altum extulit, omnia ista incommoda generaverit, quæ in eam meritò recidunt, redeuntque unde prodierunt; hoc idem de calamitatibus & infortuniis, quibus affliguntur civitates, dici poteft; *Mala quæ patimur, mali nostra meruerunt*; peccata nostra iræ divinæ irritarunt fulmina. Scribit S. Cyprianus Demetriano: *Indignatur ecce Dominus, & irascitur, & quod ad eum non convertamini, comminatur, & tu miraris, aut quereris in hac obstinatione & contemptu vestro, si rara desuper pluvia descendat, si terra situ pulveris squaleat, si vix jejunas & pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando cadens, si oleam detruncet turbo subvertens, si fontem siccitas statuat, aërem pestilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo consumat, cum omnia ista peccatis provocantibus veniant, & plus exacerbetur Deus, quando nihil talia & tanta proficiant?* Ubi hæc ultima verba bene ponderanda sunt, nimirum, Deum ad majorem provocari iram, quotiescumque illius virga nihil in nobis proficit efficitque, quando ex tribulationibus, quas patimur, nulla subsequitur vitæ emendatio; indicium illud est, quod non simus capaces illius disciplinæ, &, nisi nos emendemus, nec discipulorum, nec filiorum inscribemur libro.

Probatur aptà similitudine tribulationes à nobis ipsis causari.

S. Cyprian. ad Demet.

10. Quare exhortatur nos B. Petrus Damianus; *Reatus nostri tenebras veraciter agnoscamus*; fateamur, quod tribulationes istas promeriti simus tamquam peccatorum nostrorum pœnas, sed agnita hac veritate quid deinde faciendum? *Et tunc leve nobis videbitur omne quod patimur, quia gravius esse apprehendemus, quod meremur.* 2. Machab. cap. 6. textus aliquis occurrit notatu dignus, nostroque proposito valde opportunus & accommodus, sic habet: *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est judicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut ea cum iudicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis ita demum in nos vindicet. Propter quod nam-*

B. Pet. Dam. lib. 8. epist. ult. Leve videbitur quod patimur si consideremus peccata nostra.

2. Mach. 6. ℣. 12.

quam quidem à nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit.

DISCURSUS XXIX.

ARGUMENTUM.

Varia tanguntur motiva nos inducentia ad patienter tolerandas adversitates & tribulationes.

THEMA.

Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine. Eccli. 2. ℣. 3.

Multa patimur pro adipiscendis bonis terrenis, & dignitatibus, prò Deo autem, & cælesti gloria vix aliquid pati dignamur. B. Laurent. Just. de perf. mon. c. 6.

1. INvitat nos Ecclesiasticus ad patientem tolerantiam passionum adversitatumque, quas benignissimus Deus nostræ utilitatis ergo nobis injungit; & ad unionem cum Deo: *Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine.* Quot & quantos amaros bolos quilibet homo devorat propter fines humanos & temporales? Et propter amorem Dei, propter animæ suæ profectum & salutem negligens erit & socors in sufferendis adversitatibus? *Homines sæculi* (verba sunt B. Laurentij Justiniani) *negotijs deditos pro adipiscendis dignitatibus, pro acquirendis divitijs, pro sectandis voluptatibus, videmus die nocteque sub fascibus laborum desudare, pericula contemnere, corporis quietem nihili pendere pacem mentis amittere, ipsamque mortem ultimum terribilium non formidare.* Totum id, quod ibi refert Sanctus ille, in dies practice adimpleri conspicimus, neque probatione ulla indiget; at qualem ex hisce præmissis elicit consequentiam? *Si tantum potest hic amor in cordibus peccatorum, quantum valebit in cordibus justorum, qui pro cælorum gloria, pro paradisi gaudijs, pro perenni felicitate decertare noscuntur?* Dicere solebat quidam illuminatus Dei famulus, si homo media dumtaxat ex parte illum sustineret laborem & calamitatem pro Deo, abundè ei sufficeret pro capienda gloria æterna, ubi modo tantos sufferendò labores & ærumnas propter mundum & humanum finem viam sibi sternit ad infernum: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Sap. 5. v. 7.

S. Hieron. tom. 9. epist. 5. ad Virg. in exil. miss. sam.

2. S. Hieronymus epist. cui titulus: *Ad virginem in exilium missam*, multa, quibus illam consolatur, congerit argumenta, inter quæ hoc etiam producit: *Optandum est, quamvis sit amarum, quod lucrum parit &c. Nec congestio laboris vitanda est, quæ est augmentatio commodorum. Sic namque negotiatorum aviditas amplioris quæstus causa nec maria pertimescit, nec terrena discrimina, quæ interdum etiam solent esse causæ damnorum, & propter majoris lucri spem, navigationis & peregrinationis incommoda libenter assumit, quia quamvis magnus, facilè contemnitur labor, ubi non tam laboris quantitas, quam ejus utilitas cogitatur. Et sicid fieri propter temporalia & incerta lucra conspicimus, quid nobis propter æterna, & sine ulla ambiguitate ventura sit agendum, cogitemus.* Idem S. Doctor de regulis monasticis cap. de tribulatione & opprobriis perferendis scribit: *Magnæ miseriæ consolatio est, quando in tormentis quis positus scit prospera secutura.*

Consideratio futuri lucri & præmij facit omnes tribulationes. Idem in reg. monac.

Varia tribulationum encomia à Theologis introducuntur & adducuntur causæ cur tam illubenter illas sustineamus. Gerson, tom. 4.

3. De hac materia tractans Gerson nonnullos introducit Theologiæ Magistros, quorum quilibet tribulationi suum attribuit encomium; unum illorum audiamus: *Sextus Magister interrogat, ob quas causas tribulationes tam invite toleramus? Cui respondet, quod tribus de causis. Prima est, quia parum amoris habemus erga Dominum nostrum Jesum Christum. Secunda, quoniam parum cogitamus ad mercedem, quam Deus conferre vult, nec magna commoda inde emergentia. Tertia, quoniam parum cogitamus & sentimus tolerantiam & passionem, quam Dominus noster Jesus Christus sustinuit pro nobis.* Hortatur nos Apostolus, ob oculos mentis nostræ ponamus Redemptorem nostrum crucis patibulo affixum, & spinis coronatum, quo spectaculo nostros animos excitare intendit ad constantem adversitatum tolerantiam: *Ne fatigemini*, inquiens, *animis vestris &c. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.* S. Bernardus referens iter duorum discipulorum tendentium in Emaus, quorum cor amore divino ardebat discurrente Christo Domino de passione & morte sua jampridem in sacris litteris prænunciata subdit: *Domine quoties passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus, si enim ex hoc mundo transisti ad Patrem cum tantis cruciatibus, quid fiet de nobis peccatoribus?*

Heb. 12. 3. S. Bern.

4. Æternæ Veritatis oraculum est dictatum à Doctore gentium, vase electionis: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*; & quid cum illis Deus statuere decrevit? Bene respondet, & monet nos S. Augustinus: *Homines quos prædestinavit Deus ante sæcula, conformes fieri imaginis filij sui, in servitio Dei tamquam uvæ vitis in torculari tribulabuntur, conterentur, & comprimentur, sicut & Christus præcipuè in passione magnus Botrus expressus est.* Documentum quoque est B. Laurentij Justiniani: *Nemo servorum Christi sibi adscribat ad dedecus, si easdem, quas Dominus, perferat contumelias. Non decet omninò, non decet Christianum opprobrij Christi esse expertem. Ipsum audi, quid dicat: Mementote sermonis, quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo; non est unde queraris, si opprimaris à sæculo, dum eadem ipsum perpessum fuisse cognoveris.* Legimus in Blosio magno magistro spiritus: *Vide hic mellitissimum purissimumque fontem in loco voluptatis, in medio paradisi, in sauciato latere Christi scaturientem, quo irrigatur omnis terra. Agedum in quibuslibet hujus vitæ tentationibus, miserijs, & afflictionibus ad foramina petræ confugiamus. Cujus, inquis, petræ? Jesu Christi Domini nostri.*

Rom. 8. 29. S. Aug. in Psal. 83. In tribulatione confugiendum ad foramina petræ vulnerum Christi. B. Laur. Just. fascic. divi. amoris. c. 11. Blos. in marg. spir. c. 19.

Tribulationes æquo animo tolerantur consideratis præceptis Dei, & veterum exemplis. B. Per. Dam. lib. 6 epist. 31.

5. Verùm si signum & architypon nobis videatur nimis altum & sublime, quia homo simul & Deus est, inspiciamus & contemplemur exempla alia nobis relicta, puros, videlicet, homines. Audite B. Petrum Damianum in quadam epistola: *Duo sunt quæ si vigilanter attendimus, facilè violentorum quorumlibet insolentias, injuriarumque molestias superamus, præcepta, videlicet, & exempla, quia & Scripturæ sanctæ nos ad pænitentiam exhortantur, & electi quique, quidquid à furiosis diaboli membris inferri potuit, æquanimiter pertulerunt. Nam & quod divinis admonitionibus, & præcedentibus exemplis adjuti, de profundo nobis illatæ tribulationis eripimur, rectè Jeremia Prophetâ de puteo prodeunte signatur. Projecerunt quippe eum sicut Scriptura testatur, in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, qui postmodum ut levetur, funes ad eum & panni veteres deponuntur. Quid enim funibus, nisi præcepta Dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos & convinciant & eripiunt, quasi ligant & trahunt, coarctant & levant; sed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur, quia ne divina præcepta nos terreant, antiquorum patrum nos exempla confortant, ut & eorum nos comparatione facere præsumamus, quod ex nostra imbecillitate non confidimus. Si ergò nos de hoc profundo tribulantis vitæ levari festinamus, ligemur funibus, id est, præceptis Dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, id est, præcedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos, ac timidos præcepta subtilia vulnerent, dum levant.* Idem planè nobis cogitandum est, quod S. Augustinus, cum eum à sequela Christi retardaret & abstraheret concupiscentia sua carnalis, dicere solebat: Eccur ego non potero hoc ipsum præstare, quod tot tantæque tenerrimæ ac debiles præstitere virgines? Annon ex eodem compositi sumus luto, ex quo plures alij compacti fuerunt, qui in sufferendis passionibus & adversitatibus solidi & constantes fuerunt & steterunt.

S. August.

6. D. Hieronymus productis verbis illis Apostoli: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia?* in confusionem nostram hæc nobis improperat: *Illos pericula non separant, nos verò voluptates; illi catenas bajulant innocentes, nos aurum circumferimus criminosi, illi in carceribus vincti, nos in triclinijs delicati.* Idem S. Doctor alio in loco, postquam, quid amor carnalis valeat, quantaque præstet in sufferendo omni incommodo, ostendit, subdit: *Propter istius charitatis vel amoris bonum Sancti nec in tribulatione angustiantur, nec aporiati exaporiantur, nec dejecti pereunt, sed quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis eorum, supra modum æternæ gloriæ pondus operatur illis. Non enim omnibus, sed Paulo & his qui eis similes sunt, præsens hæc momentanea ac levis dicitur tribulatio, quia perfectam charitatem Dei in Christo Jesu per Spiritum Sanctum habent in corde suo diffusam. Sic denique & Jacob Patriarcham ob Rachel per septem annos continuos in laboribus positum diurni æstus & nocturni frigoris ustionem sentire non sinit. Sic ipsum Paulum vi amoris hujus incensum audito dicentem: Charitas omnia patitur, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat, numquam cadit. Nihil ergò est, quod non toleret, qui perfectè diligit.*

Rom. 8. 35. D. Hieron. in hunc. loc. Qui Deum verè diligit, in tribulationibus non angustiatur. Idem tom. 8. in præfat. in Cant.

Consideratio passionis Christi, & SS. Martyrum leves reddit tribulationes nostras.

7. Cum B. Laurentio Justiniano chirurgi comparerentur in cancro, quo infestabatur, exscindendo, incisionemque facere vix auderent, ne acerbiores ei causarent dolores & cruciatus, generoso animo infirmus illos allocutus fuit: *Incide audacter, numquid enim laminas martyrum superabit?* Idem lib. 2. de spirituali animæ resurrectione quemlibet, exhortatur Christianum hisce verbis: *Intuere Christum in cruce pendentem, irrisum, blasphematum, felle potatum, ut in passionis illius consideratione tuum valeas linire dolorem. Tecum similiter martyrum tormenta revolve, equuleos, verbera, ignes, angulas, carceres, exilia, quatenus in comparatione eorum parva agnoscas esse, quæ pateris.*

B. Laur. Just. lib 2. de spir. an. ref.

D. Chrysost. hom. 1. ad pop. Ant. Adducuntur octo causæ afflictionis sanctorum amicorum Dei.

8. D. Chrysostomus hom. 1. ad pop. Antiochenum examinans, cur servi Dei infestentur ab adversitatibus, discurrit in hunc modum: Variæ & omnimodæ Sanctorum afflictionis causas enumero octo. Prima est, quod ne facilè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tollantur, ipsos Deus sinat affligi. Secunda, ne cæteri majorem de ipsis habeant opinionem, quàm humana patitur natura, & ipsos Deos, non autem homines esse arbitrentur. Tertia, ut & Dei virtus appareat per ægrotantes & compeditos, exuperans & vincens ac prædicatione augens. Quarta, ut illorum ipsorum patientia manifesta fiat, non propter mercedem Deo servientium, sed & tantam exhibentium gratitudinem, ut & post tot mala sincera in ipsum benevolentia ostendatur. Quinta, ut de resurrectione cogitemus: cum enim virum justum & multa plenum virtute, innumera passum mala, & sic hinc discessum videris, oportet ex hoc omninò aliquid de illo judicio cogitare; si enim homines eos, qui pro ipsis laborant, sine præmijs & retributione abire non permittunt, multò magis eos, qui tantum laboraverunt, numquam incoronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipsos laborum suorum retributione privare non elegit, omninò necesse est, quoddam aliud tempus esse post præsentium finem, per quod præsentis vitæ laborum retributiones reciperent. Sexta, ut omnes in res adversas incidentes sufficientem consolationem & mitigationem habeant in eos respicientes, & malorum, quæ ipsis accidere, recordantes. Septima, ne, quando exhortamur vos ad illorum virtutem, & cuique dicimus: Imitare Paulum, imitare Petrum, propter gestorum excessum alterius, ipsos naturæ participes fuisse cogitantes ad imitationem torpeatis. Octava, ut, quando beatos vel miseros censere oportet, discamus, quos quidem beatos, quos autem miseros & ærumnosos putare debeamus.

Duæ aliæ rationes quæ leves reddunt tribulationes. Idem hom. 64. ad pop.

9. Idem Chrysostomus hom. 64. ad eumdem populum tangit aliud motivum, ut tribulationem patienter sustineamus, asserens: *Si esset malum peccantibus castigari, malis mala Deus non adjunxisset, nec eos pejores facere voluisset. Qui enim omnia fecit, ut extinguatur malitia, non eam auxisset. Non itaque peccantibus malum est castigari, sed ita perseverantem non corrigi sicut ægrotum non curari.* S. Thomas de Villanova hanc aliam circa adversitates instituit considerationem: *Firmat dubios; hoc enim signum divinæ prædestinationis & amoris est si à Domino tribulamur. Apoc. Ego quos amo, arguo & castigo. Et Apost. ad Hebr. Non est filius, quem non corripit pater, quod si extra disciplinam estis, cujus participes sunt omnes, ergò adulteri estis, & non filij, id est, adulterini & non legitimi. In hoc Deus nobis amorem ostendit, quod nos conformat imagini filij sui.*

S. Thomas à Villanov. ser. de SS. Cosma & Dam.

DISCURSUS XXX.

ARGUMENTUM.

In tribulatione recurrendum est ad orationem, eo quod afflictorum preces sint efficacissimæ.

THEMA.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. Psal. 119. ℣. 1.

In tribulationibus recurrere debemus ad præsidium orationis.

1. INter rationes & motiva, quæ nos, ut cum gaudio & jubilo tribulationes sustineamus, inducere deberent, meritò recensenda esset notitia, qua nobis constaret, quàm efficaces sint tribulatorum orationes. Experientia docet, omnem hominem, esto non credat in Deum, naturaliter tamen in periculis & adversitatibus suis imminentibus, oculos & mentem præcipuè elevare ad cœlum, ut subsidium & succursum imploret; unde tritum est illud proverbium: Qui nescit orare, vadat ad mare.

Christus suo exemplo docuit nos in angustiis positos recurrere ad orationem.

2. Cum omnis Christi actio nostra sit instructio, & ad nostram ordinata sit instructionem, quamvis ipse oratione & precibus fundendis non indiguisset, siquidem beatissima illius anima inseparabiliter Deo unita erat, nihilominus imminente passione sua in horto Gethsemani diu & ferventer oravit: *Oravit tertiò, ut suo nos exemplo*, ait B. Laurentius Justinianus, *in amaritudine positos ad orationem, tamquam ad singulare præsidium invitaret.* Dignum ecce epitheton, quo orationem tempore tribulationis fusam honorat: *Singulare præsidium.* Jonas cum Dei mandato rebellis fugeret à facie Domini navigaturus in Tharsis, in pœnam suæ inobedientæ tanta in mari excitata fuit tempestas, ut sedari non potuerit, donec rebellis Propheta navi exturbatus & à ceto absorptus esset; in hujus immanis bestiæ ventre constitutus ferventes ad Deum fudit preces: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*; tametsi divinam Majestatem ad vehementem concitasset iram, exaudita tamen fuit ejus oratio, ac dicere potuit: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.* Historia nota est. *Ex eo tempore quo præcipitatus in mare vidit cetum)* ait S. Hieronymus) *& tantam corporis molem, & immanes rictus aperto se ore sorbere, Domini recordatus fuit & clamavit.*

B. Laur. Just. de triumph. Chr. agone c. 3. Exemplum Jonæ. Jona 2. v. 3. S. Hieron. Ibid.

3. Deut. cap. 32. depingitur pariter Deo rebellis & recalcitrans populus Hebræus: *Recalcitravit*; & unde hæc procedebat rebellio? *Impinguatus, incrassatus*, humiliatus nihilominus redijt ad Deum jugo legum divinarum se subjiciens, idque meritis orationum, quas tempore tribulationum divinæ porrexerat Majestati: *Humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt nec fuit qui adjuvaret. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Ubi observetur, Psalmistam aliquoties repetere hæc verba: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, ut nobis indicaret, quantæ efficaciæ sit oratio Deo exhibita eo tempore, quo nos premunt adversitates. Anna Samuelis mater ob sterilitatem, quæ tempore illo valde ignominiosa erat, summoperè affligebatur. *Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam ejus; Sicque faciebat per singulos annos.* Qua via obtinuit id, ad quod tantis annis suspiraverat? *Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum: ... factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino*; exaudita fuit, obtinuitque à Deo partum nobilem, qui fuit Propheta Samuel, oraculum cœleste, lumen totius Israël. Sara Tobiæ junioris sponsa supra modum infelix erat; infaustoque sidere nata videbatur; septem namque sponsos, unum post alium, dæmon Asmodæus ei surripuerat, & internecioni dederat, quanta ipsa, totaque ipsius domus & familia obruta fuerit mœstitia ob funestos & insolitos hosce casus, facilè quilibet sibi imaginari poterit: in tot tantisque constituta afflictionibus viduata & intacta virgo bono indigebat solatio, at consolationis loco afflictionem addebat afflictæ temeraria & insolens domus ancilla, quæ innocenti puellæ improperabat, imputabatque homicidia omnium septem virorum, insuper & sterilitatis maledictionem imprecabatur: *Eadem itaque die contigit, ut Sara filia Raguelis &c. & ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui &c. Ergò cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam, ... interfectrix virorum tuorum.* Qua via quomodo magnanima hæc Sara evasit miserabiles istas angustias? Propheta Regius magnam patiebatur persecutionem ab inimicis suis, & quam fecit resolutionem? *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.* Eamdem praxim servavit Sara: *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ, & in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum.* Qualis orationis hujus fuerit subsecutus effectus, historiæ hujus latior demonstrabit lectio, nodo namque maritali copulata fuit Tobiæ, & cum eodem in summa rerum abundantia & prosperitate vixit.

Deut. 32. v. 15. Docetur aliis exemplis efficacia orationis in tribulatione. Psal. 106. 12. & 13. Filiorum Israël. Psal. 106. 1. Annæ matris Samuelis. 1. Reg. 1. 6. Ibid. v. 10. Saræ, sponsæ junioris Tobiæ. Tob. 3. v. 7. Ibid. v. 9. Psal. 108. 4. Tob. 3. 10.

4. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi &c.* Arctissima Sennacherib civitatem Jerosolymitanam cinxerat obsidione, 4. Reg. 19. eamque in cœmeterium redigere statuerat. Quid fecit Rex Ezechias in deplorando hoc rerum statu? Templum adiit: *Cum accepisset Ezechias litteras de manu nunciorum & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conspectu ejus.* Tantæ fuit efficaciæ afflicti Regis hujus oratio, ut è cœlo fecerit descendere Angelum, qui memorabilem hostium causavit stragem: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Aliam historiam legimus in libro Judith, quo enim tempore Bethulia à superbo tyranno Holoferne obsessa in extremo constituta erat periculo invasionis, deprædationis & excidij, sancta vidua Judith Dei mota inspiratione miro ac memorabili stratagemate caput Holofernis detruncare

Ezechiæ Regis in obsidione Jerusalem. 4. Reg. 19. 14. Ibid. v. 35. Judith in obsidione Bethuliæ.

[*Judith* 9.1.] care cogitabat; at qua ratione heroicam hanc actionem executa fuit? *Ingressa oratorium suum.* In extremis tribulationum angustiis, secundùm judicium & discursum humanum inevitabilibus, maximum oratio nostra nanciscitur vigorem.

[Jacob in persecutione Esau. — *Gen.*32.9. — *Lippom.* — *Gen.*33.4.] 5. Patriarchæ Jacob pervolvite reditum ad domum paternam: Postquam is intellexit fratrem suum Esau odij & rancoris, quem pluribus annis in corde contra eum foverat, veneno repletum, in via sibi occurrere cum quadringentis sicariis, sapiens Jacob ferventi corde Deum exoravit: *Deus patris mei Abraham; & Deus patris mei Isaac &c.* Sacrum perlegite textum, & videbitis tribulationem suggessisse ei supplicandi methodum optimè compositam, omnique fiducia plenam: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua &c. Artificia spiritus format efficacissimam orationem*, ait Lippomannus. Vultisne orationis hujus videre effectum? In defensionem ejus misit Deus Angelos aliquot tutelares: *Castra Dei sunt hæc*; simulque cor durum obstinati fratris adeò mutavit, ut odium converterit in amorem: *Currens Esau fratri suo obviam, amplexatus est eum, stringensque collum ejus, & osculans flevit.*

[Stupenda est efficacia patientiæ & orationis in tribulatione. — *Gerson. tom.* 4. — *Blos. de consol. pusill. c.* 20.§.1. — 1.*Cor.*2.14.] 6. Gerson in quorundam Theologorum colloquio unum introduxit loquentem, qui dixit: *Quod si anima Christi & omnes Sancti paradisi simul orarent pro persona aliqua, non acquirerent tantum ei utilitatis & meriti, sicut ipsa sibi acquireret per unicam in adversitate patientiam.* Quid mirum igitur, si oratio unius tribulati adeò potens sit & efficax, quæ tantum habet annexum meritum: Scribit Blosius de tribulatione? *Ipsa ante Dei oculos adversitas devotissimè interpellat, ipsaque passionis amaritudo in oculis illius resplendens citius eum ipsi, quàm alia exercitia inclinat, & velocius adesse compellit.* Tametsi reperiantur multi, qui nec peritiam, neque experientiam in orando habeant: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*; nihilominus frequenter contingit, quod magno expositi periculo fiant perfecti oratores; unde prosequitur idem Blosius: *Quod homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis molestia accidit, & satis grata est hujusmodi oratio in oculis Dei.*

[*Psal.*140.2. — Cur oratio comparetur incenso & aromatibus. — *S.Bern. tom.* 1. *ser.* 8. *art.* 2. *c.* 1. — *Psal.*144.18.] 7. Notum est omnibus, orationem figurari per incensum: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; significatur pariter per aromata. Sed quo modo ista diffundunt odoris sui fragrantiam nisi contrita & contusa? Similiter incensum odorem ad nares nostras transfundit, accensis injectum carbonibus; idem asserere possumus de oratione nostra, illam gratiorem fore Deo, & coram throno Altissimi comparituram acceptiorem efficacioremque, quam profundunt animæ contritæ & tribulatæ, patienter pro amore Dei quascumque tolerantes calamitates. Inter alios fructus afflictionis, qua premuntur justi, enumerat S. Bernardinus sequentem: *Ut clament affectuosius, & invocent, scilicet, auxilium Salvatoris; unde Augustinus, premuntur justi in Ecclesia, ut pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Tria utique sunt, quæ faciunt auxilium fortiter invocare, accensus ignis in domo, subintrans aqua in navim, & tempestas vehemens in mari; sic nempe ignis afflictionum, & aquæ tribulationum, insuper & tempestates persecutionum justos torpentes excitant ad affectuosum clamorem, & tunc quippe, ut testatur Psalmista, prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.*

[*Niceph. Calixt. lib.* 7. *c.* 47. — Insignis historia de Constantino Magno serviens ad propositum. — *Psal.*49.15. — *Alb. Mag. in Psal.*49.] 8. Refert Nicephorus Calixtus de Constantino Magno, quod una instructus parte exercitus Nicomedia transierit Byzantium, ut urbem hanc rebellem ad debitam redigeret obedientiam; accedens igitur Imperator cum suo exercitu aggressus est rebelles, at infœlice Marte pugnavit, etenim ex suis primò sex millia, deinde adhuc tria millia cæsa fuerunt. Quapropter summoperè angustiatus Imperator cum superstite exercitu ad locum tutum se recipere coactus fuit. Nox jam appropinquabat, & ecce, cum totus mœstus & afflictus cœlum suspiceret, vidit scripturam aliquam stellarum characteribus exaratam, quibus hæc Psalmistæ exprimebantur verba: *Invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Insolito hoc spectaculo nonnihil ab initio turbatus fuit Imperator, resumpto tamen animo cum cœlum rursus suspiceret, vidit ibidem crucem ex stellis pariter formatam, circumdatamque his verbis: *In hoc signo vinces*, Faustissimo hoc omine excitatus & confirmatus cum rebellibus die sequenti commisit prælium, hostes suos fœliciter devicit, superavit, urbemque suæ potestati subegit. In præfatum versum; *Invoca me in die tribulationis &c.* ait Albertus Magnus: *Hic orationem exigit in adversis.*

[*Rom.*12.12. — *S.Ambros. ibid.* — *Exod.*3.7. — Cajetan.] 9. Notandum est, S. Apostolum, postquam nos monuit: *In tribulatione patientes*, statim subjungere: *Orationi instantes*; cujus rationem reddit S. Ambrosius dicens: *Necessaria est valde oratio, quia ut tribulatio possit tolerari, precibus insistendum est.* Optimè cognoscit Deus, quàm fervida & cordialis sit deprecatio nostra præcipuè adversitatis tempore; & quia inde valde oblectatur, ut ipsius seriò imploremus auxilium, nos continuò exhortatur, promittitque se preces nostras exauditurum. Unde Albertus Magnus producens authoritatem Gregorij Magni ait: *Os quod prosperitas claudit, adversitas aperit.* Et paulò post: *Eruam te, non invocabis sine fructu.* Quamvis populo Dei constaret, Abrahamo Patriarchæ suo promissam fuisse totam Palæstinam, ubi dominari & habitare debebat, nihilominus pluribus sæculis negligens hæsit in Ægypto *super ollas carnium.* Quando igitur ad terram illam promissionis primùm suspirare cœpit? Eo, nimirum, tempore, quo vel maxime angariabantur premebanturque durissima illa Pharaonis servitute, *in operibus luti & lateris.* Licet jam pridem multiplices obtulissent Deo preces, ut à duro illo eximerentur opere; tunc nihilominus primitùs exempti, quando ad extremas redacti fuerunt ærumnas, calamitates & lamentationes, ac propterea hunc in finem Deus comparuit in rubo ardenti monstrando compassionem, quam cum illis habebat, ac dicendo Moysi: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi.* Ubi Cajetanus scribit: *Afflictio tam crudelis servitutis præbuit vires clamori ad perveniendum ad aures Dei.*

[*Psal.*30.23. — Deus afflictorum preces semper exaudit. — *Psal.*30.23. — *Versio Comp.*] 10. Psalm. 30. legitur, quàm libenter Deus tribulatis præbeat aures: *Ego dixi in excessu mentis meæ projectus sum à facie oculorum tuorum.* Per hunc mentis excessum videtur indicare, ac si propter angustias, persecutiones & adversitates datus esset in prædam desperationis; unde in Hebræo textu legitur: *Ego in desperatione mea dixeram, projectus sum &c.* Nihilominus advertendum est, Deum tunc vel maximè exaudire nos, benignasque nobis præbere aures; unde prosequitur David dicens: *Exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Ubi Complutensis versio legit: *Ego quidem olim in anxietate mea constitutus abjectum me esse putabam abs te; verùm tu etiam tum diligentissimè auscultabas, quotiescumque clamabam, & omnes precationes meas audiebas.*

[Continuatio ejusdem. — *Rom.*8.26. — *Ibid.* — *Psal.*80.8. — *D.Gregor. lib.*26 *mor. c.*10.] 11. Frequenter auribus nostris insonant verba ista: *Salus populi ego sum dicit Dominus, de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum.* Ubi Deus non limitat benignitatem suam, sed absolutè dicit: *Exaudiam eos, de quacumque tribulatione clamaverint ad me.* Apostolus Roman.8. insinuat nobis, qua ratione Spiritus sanctus doceat nos modum orandi cum fructu, cum ait: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus.* Et quo modo docet nos hanc efficaciam? *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Casus dari nequit, quo Spiritus sanctus ploret aut plangat, quia fructus illius est gaudium, cunctos cœli beatos lætificat; ita est, verùm, ut communiter exponunt sacri Interpretes, Apostolus dicendo: *Postulat pro nobis &c.* dicere voluit: *Postulare nos facit gemitibus*, quod idem est, ac si diceret, gratissima Deo erit oratio ista, simul & potentissima, quæ gemitibus stipata ascenderit ad thronum Dei, seu quæ prodierit ex tribulationibus, suspiriis & adversitatibus patienter toleratis. *In tribulatione invocasti me* (ait Deus loquendo per os Psalmistæ) *& liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis*; ubi D. Gregorius declarans in suis moralibus hæc ultima verba subdit: *In abscondito ergò tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa tribulationis fluctuatio.*

DISCURSUS XXXI.
ARGUMENTUM.

Tunc præsertim Deus suo nobis adest auxilio, ac propinquior est, quando tribulationibus pressi omni humano destituti sumus auxilio.

THEMA.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Psalm. 33. ℣. 19.

1. Fidelis quævis anima sancta quadam ambitione anhelare deberet ad subeundam passionem tribulationis & adversitatis, cum tale apud Deum præstoletur lucrum, videlicet, *juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Cum ipso sum in tribulatione* (infallibilis ipsiusmet Dei promissio est) *eripiam eum.* Unde extat doctrina Sancti Paulini: *Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur, ipse enim est initium & finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper & patiens, & triumphans in Sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre, in Noë irrisus à filio; in Abraham peregrinatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moysè expositus & fugatus &c.* Conclusio, quam inde elicit, est: *Exultemus igitur & gloriemur in ipso, qui nos & pugnam & victoriam suam fecit, indicens, constantes estote, quia ego vici mundum.* De hoc patrocinio & assistentia Dei in extrema necessitate & tribulatione nostra dubitare non possumus quemadmodum pia & sancta illa afflicta mulier ex instinctu Spiritus Sancti nobis revelavit huic dedita orationi: *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit, non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis.* [Tribulatio expetenda est, eo quod in ipsa Deus nobis adsit ut eripiat & salvet nos. — *S Paulin. epist.*28. — *Tob.*3.21.]

[*Psal.*45.2. — Per tribulationes reddimur perfectiores. — *S.Basil.ibid.*] 2. Regius Propheta Psalmum 45. hisce inchoat verbis: *Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*; ut verò probet & ostendat tunc nos fore perfectiores, quando pluribus & majoribus concussi fuerimus adversitatibus, sequenti utitur phrasi: *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*; ubi Basilius Magnus scribit: *Magnum ostendit in Christo firmamentum confidentiæ, quoniam etsi omnia sursum deorsum provolvantur, & terra turbata invertatur; & montes propriam deserentes sedem in medium transferantur mare, non timebimus, cum & Deum, virtutem & refugium, & auxilium habeamus in tribulationibus, quæ invenerunt nos valde.*

[Exemplum trium puerorum in fornace Babylonica. — *Dan.*3.49. — *Psal.*33.19. — *Dan.*3.92.] 3 Puerorum in fornace Babylonica existentium estote memores, de quibus refert sacer textus: *Excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Pro majori miraculi hujus ostentatione potuisset ignis ille accendere & comburere etiam eorum vestimenta, absque eo tamen quod læsisset ipsorum corpora, verùm nimis illos contristasset nuditas illa, quæ honestatis suæ zelo nimium molesta fuisset. Deus igitur non solùm ardoris activitatem separavit a luce & splendore hujus elementi, sed etiam impedivit, ne ignis illos molestaret, ac tristitia & mœrore afficeret; unde ad litteram de illis verificabatur: *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*; visibilem enim se Nabuchodonosori exhibuit in societate aliorum, *species quarti similis filio Deo*, sacrilegus Rex Danielem (uti verisimile est) sæpe audiverat discurrentem de vero Deo Israël, quando Moysi in rubo ardenti apparuit paratus ad protegendum populum suum à Pharaone angariatum.

[*Deut.*26.7. — *Oleaster. ibid.* — *Psal.*9.10. — Deus speciali modo assistit nobis in tribulationibus. — *Act.*17.28. — *D.Chrysost.* — *Exod.*3.*v.*8. — *Oleaster. ibid.*] 4. Oleaster interpretando verba illa Moysis: *Respexit humilitatem nostram*, legit *afflictionem*, & subdit: *Solet Dominus non perfunctoriè, sed oculatè & sigillatim; seu ad numerum videre tribulationes Sanctorum.* Cujus testimonium suppeditat Regius Propheta Psalm. 9. dicens: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Tametsi impossibile sit, Deum non semper adesse nobis, quia *in ipso vivimus, movemur & sumus*; attamen, ut notat D. Chrysostomus: speciali quodam modo nobis in tribulationibus assistit: *Tunc maximè*, inquit, *ejus sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus; famulos suos tunc maximè respicit Deus, cum injustè eos nequitia persecutionis affligit.* Quando Deus populum suum supra modum ab Ægyptiis affligi conspexit, è cœlo descendere, afflictosque à misera illa servitute liberare se resolvit: *Descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum*; non immeritò ponderat Oleaster verbum hoc: *Descendi. Nonne de cœlo, & de sede tua, Domine, eos poteras liberare ab omni malo? Nonne Angelos ad illorum liberationem mittere?* Respondet, omninò; at speciali quodam modo præsentiæ auxiliique adesse voluit tribulato suo populo: *Gaudet Dominus, ut leviora faciat, quæ Sancti patiuntur mala, sese illis immiscere.* Ut dictum est, inter flammas fornacis Babylonicæ comparere, & visibilem se exhibere voluit, ut sciant omnes, quod *juxta est Dominus iis, qui &c.*

[Omni humano auxilio destitutis adest auxilium Dei. — *Joseph. Hebr. l.*18. *c.*10. — *Psal.*37.3.] 5. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & sperent in te.* Quando in summis constituti sumus angustiis, omni humano destituti subsidio, tunc præsertim Deus nobis adest suo auxilio. Refert Josephus Hebræus, Philonem Judæorum Legatum, quia à Cajo Imperatore cum indignatione & ira repudiabatur, ad suos conversum dixisse: *Nunc oportet bono animo esse, quando Cajus iratus est, nunc enim nobis Deus contra illum aderit.* Quo atrociores Psalmista patiebatur calamitates & afflictiones, eò magis sibi propitium experiebatur Deum, majoremque Dei assistentiam: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.*

[*D Chrysost. Hom.*6. *ad pop.* — Quando tribulatio venit ad summum gradum adest auxilium Dei.] 6. S. Chrysostomus Hom. 6. ad pop. Antioch. supra allegatam historiam de tribus pueris considerat & ait: *Postquam vidit nihil grave passos, audi, quomodo mutatus est; Servi Dei altissimi exite, & venite. Nam paulò ante dicebas, & quis est Deus, qui vos ex manibus meis eripere possit? Quid factum est? Unde mutatio?* Prosequitur deinde hunc sermonem: *Propterea & Deus permisit omnia fieri, quæcumque tyrannus voluit, ut demonstraret, quod à se custoditos offendere posset nemo, & quod in Job fecit, hoc & hic operatus est; etenim illic permisit diabolum omnem suam potentiam ostendere, & postquam omnes hausit sagittas, & nullus insidiarum modus reliquus factus est, tunc è stadio pugilem eduxit, ut clara & indubitata fieret victoria.* Subdit deinde de tribus pueris: *Voluit ipsorum urbem evertere, & non prohibuit; voluit captivos ducere, & non impedivit; voluit ligare & concessit; in fornacem injicere, permisit; flammam ultra modum succendere, & hoc permisit & quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim suam tyrannus exhauserat, tunc suam Deus virtutem demonstravit. Vides idcirco Deum usque in finem tribulationes permisisse, ut insidiantibus & circumventorum Philosophiam, & suam demonstraret providentiam.*

[Continuatio ejusdem materiæ. — *Dion. Carthus. in c.*6.*Oseæ.* — *Matth.*9.21. — *Salmeron. tom.*6.*tract.* 15.] 7. Pro afflictorum consolatione memoratu dignum est hoc loco, quod notat Carthusianus in cap.6. Oseæ, ubi citat cap. 20. lib. 2. Paralip. & Regem Josaphat ita loquentem: *In nobis non est tanta fortitudo, ut possimus resistere, sed cum ignoremus, quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, ut oculos erigamus ad te. Magnam nobis spem præbent verba Dei dicentis: Salus populi ego sum, de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos.* Notate ista verba: *Cum ignoramus, quid agere debeamus*; Quando spem omnem amisimus, omnemque operam & industriam frustra adhibuimus, & insuper ignoramus, quid amplius agendum sit, tunc subintrat, & promptum opportunumque nobis adest Dei auxilium. Hemorrhoissa illa cunctas suas opes & pecunias expoliuerat in Medicos & medicinas, ut à sanguinis fluxu liberaretur; at frustra & sine ullo fructu, derelicta ergo, omnique destituta humano subsidio Christum accedere statuit dicens intra se: *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Duodecim anni jam effluxerant, quibus pertinaci hac laboraverat infirmitate: *Omnia ejus bona Medici devoraverant* (inquit Salmeron) *& jam non tantum sanitate, sed etiam facultatibus erat destituta*, & in hoc desperato statu invenit Deum adjutorem suum.

[*Psal.*117.13. & 14. — Tempus divini auxilij est extrema necessitas. — *Dan.*14.] 8. *Adjutor in opportunitatibus.* Legimus in Psalmista: *Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Hunc loquendi modum considerat D. Chrysostomus, & ait: *Hoc est tempus divini auxilij, & ideò nec pueros eripuit à principio, sed postquam fuerunt conjecti in fornacem, nec Danielem, antequam esset immissus, sed septem post diebus, cum nulla humanarum rerum jam esset spes relicta, tunc suum ostendit auxilium.* Diebus septem expectavit, priusquam ipsum è faucibus leonum liberaret, ut toto illo tempore acriori in Prophetam extimularentur fame, simulque cognosceretur, nullum ei adesse succursum humanum, quo à feris liberaretur. Sed quis non admiratur liberalem opportunamque Dei providentiam in expeditione cœlestis nuncij in Judæam missi, ut Prophetam Habacuc una cum prandio, quod messoribus paraverat, capillis suspensum deferret in Babylonem, ut prandium paratum subministraret Danieli in lacu latitanti, & quidem inter leones extremè famelicos.

[Patet in obsidione Jerusalem tempore Sennacherib. — *Isa.*33.8. & 9.] 9. Quibus urbs Jerusalem exposita fuerit calamitatibus, obsessa jam à Sennacherib potentissimo exercitu, exponit Isaias c.33. *Dissipatæ sunt viæ*, inquit, *cessavit transiens per semitam, ... projecit civitates, Luxit & elanguit terra, confusus est Libanus & obsurduit, & factus est Saron sicut desertum, & concussa est Basan & Carmelus.*

Sed ecce tempus, quo Deus suum porrigit auxilium, & ostendit patrocinium : [*Isai.33.10.*] *Nunc consurgam dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc sublevabor.* [*Ibid.v.11.*] *Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos.* [*Ibid.v.12.*] *Et erunt populi quasi de incendio ignis.* Ergo cum omnis abesset & deesset succursus humanus; *Venit Angelus Domini* (ait sacer textus 4.Reg.19.) [*4.Reg.19. v.35.*] *& percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*; & omnia horum corpora uno ictu in cineres redacta fuerunt, esto extrinsecus ibidem remansisse visa fuerint. [Item Samariæ.] Expectavit quoque Deus arctissimam ab hostibus paratam obsidionem urbis Samariæ, redactæ ad extremam famem : [*4.Reg.6.25.*] *Factaque est fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis &c.* Matres devorabant proprios filios; in hisce angustiis opportune comparuit Dei auxilium, [Et Bethuliæ.] quia & hostilis exercitus dissipatus fuit, & vitæ alimenta abundè subministrata. Quando Bethulia extremo excidij exposita erat periculo, & jamjam in potestatem Holofernis redigenda, misit & movit Deus mulierem, quæ urbem illam, totamque patriam ab hoste eripuit; [*1.Cor.1.27.*] *Infirma mundi elegit, ut fortia quæque confunderet.*

10. *Adjutor in opportunitatibus.* [Patet similiter in castissima Susanna.] Castissima Susanna heroico animo restiterat, generoseque se opposuerat iniquis Judicibus populi, & tamen tanta cum ignominia & calumnia tamquam adultera condemnata fuit; unde & populus in procinctu stabat ad eam lapidandam paratus. Exclamavit autem voce magna Susanna, & dixit; [*Dan.13.42.*] *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor &c.* Et ecce adimpletum id, quod oraculo Prophetico promissum est : [*Psal.90.15.*] *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, eripiam eum &c.* Etenim *cum duceretur ad mortem*, [*Dan.13.45.*] omnisque abesset succursus humanus, *suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris &c.* & cum summa castæ Susannæ gloria detacta fuit ejus innocentia, eminensque virtus ejus & in terra & in cœlo glorificata. Herodes S. Jacobum Majorem gladio interemerat, ut autem placeret Judæis, eorumque animos eo magis lucraretur, ac proinde in tyrannico dominio se perpetuaret, [*Act.13.v.3.* Similiter in S.Petro carceri incluso.] *apposuit apprehendere & Petrum*, apprehendit, in carcerem trusit, catenis vinxit, *tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum*, ac die sequenti tamquam opprobriosum mortis spectaculum populo Hebræo exhibendum. Omnes Sanctum Apostolum ferro perimendum existimabant, omnes de vita ipsius desperabant, nec ullam adesse spem salutis, effugijque locum credebant. Sed ecce, quando impossibilis videbatur omnis succursus humanus, [*Act.12.7.*] *Angelus Domini astitit*, solvit vincula, catenas dirupit, *percussoque latere Petri excitavit eum dicens:* [*Ibid.v.10.*] *Surge velociter, &c. Et exeuntes processerunt vicum unum &c.* Ad hunc actum, ut & ad ista Lucæ verba : [*Ibid.v.6.*] *Erat Petrus dormiens*, quidam contemplativus se reflectens ait: *Vides hic Deum etiam nostri causa solicitum esse, nostrique curam gerere, etiam cum dormimus, ac pro nobis non curamus; in ipsa nocte cum producturus eum esset &c.* In quem textum scribit quoque Joannes Ferus: [*Joan.Ferus ibid.*] *Vides, inquit, quando Deus nos adjuvet, non in initio, non quando nos volumus; est enim adjutor in opportunitatibus, tunc enim tempus est liberandi, cum omnia desperata videantur, nec alia spes restat, nisi ad Deum.* Chrysostomi insuper doctrina est, quæ sequitur : [*D.Chrys. cit à Gloss. in c.7. lib.4. Reg.*] *Quando res in maximam inciderint inopiam, tunc tu spera maximè, tunc enim Deus maximè suam ostendet potentiam, non à primordio, sed quando res fuerint planè desperatæ ab hominibus, hoc est enim tempus divini auxilij.*

11. *Adjutor in opportunitatibus.* [Deus numquam apparuit Isaac, nisi tempore extremæ annonæ caritatis.] Isaac in quadam extrema annonæ caritate abiit ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara: [*Gen.26.2.*] *Apparuitque ei Dominus & ait : Ne descendas in Ægyptum.* Numquam reperietis Patriarcham hunc tempore præterito apparitione aliqua cœlesti honoratum fuisse, unde tribulationes dignum ipsum reddiderunt, ut specialem hunc reciperet honorem : [*Psal.33.19.*] *Juxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.* Rationem reddidit Chrysostomus, cur Deus interdum nos deserat aliquamdiu in angustiis cum asserit : [*D.Chrysost. hom.62.in Gen.*] *In afflictionibus numquam animos despondeamus, sed magna patientia clari, spe bona foveamur, scientes quod sinens nos Dominus experiri aspera non relinquit; sed vult, ut certantes clariori corona cingamur.* Indicat nobis Propheta Regius, quid sibi contigerit in tribulatione, dicens : [*Psalm.117.3.*] *De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus*; Patres Græci legunt : *Plura dedit mihi, quàm petieram.* Subdit deinde : [*Ibid.v.6.*] *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Textus Hebræus habet: *Dominus pro me*; S. Hieronymus in editione Regia legit : *Dominus mecum.* Alij, ut refert Lorinus, legunt : *Dominus meus est.* Ubi quoque observetur, qua ratione hic homo secundùm cor Dei petierit defendi in tribulatione, non ordinario, sed specialissimo modo, nimirum, instar pupillæ, quam natura accuratissimè & diligentissime defendit & protegit ab omni pulveris atomo etiam minutissimo offuscante, petebat : [*Psal.16.8.*] *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me.*

12. Ex historia relata in vita S. Geltrudis clarius patebit cœlestis hæc protectio erga personas afflictas & tribulatas. [Tribulationes pro Deo toleratæ ornant coronam nostram.] Cum sancta hæc acerbissimis affligeretur lateris doloribus & cruciatibus, humillimè supplicavit sponso suo, dolorem hunc tantisper mitigare dignaretur. Christus elevans nonnihil brachium monstravit ei, quod dolores illos, quos ipsa patiebatur, tamquam pulcherrimas, pretiosas & inæstimabiles gemmas portaret in pectore suo, & quia ipsa simul observabat completam hujus ornatus perfectionem absque ullo defectu, optimè contenta spem concepit brevi se liberatum iri ab atrocitate doloris sui; at Christus ei dixit : [*Vita S.Geltr. lib.3.c.3.*] *Hoc quod deinceps patieris, huic ornamento addet splendorem, videbatur enim quamvis gemmatum, tamen minus fulgens ornamentum, tamquam aurum obscuratum.*

13. Historia est aut fabula, ego nescio, quam de Achille scribunt & referunt. [Expenditur ad propositum historia sive fabula de Achille & Ulysse.] Parens hujus cum intellexisset ex nonnullis Astrologis, filium suum, casu quo Trojanum prosequeretur bellum, ibidem fore interimendum, omninò consultum, & è re sua esse judicabat, ut in regia Nicomedis aula muliebri indutus veste latitaret, & cum domicellis ac filiabus incognitus viveret. Verùm quia Græci ab oraculo didicerant, urbem illam sine Achillis concursu intercipi non posse; ut locum illum, ubi is occulté degebat, explorarent, curam hanc indagandi & inquirendi Achillem commiserunt Ulyssi, qui hac usus fuit arte & stratagemate : Habitu mercatoris vestitus, variisque mercimoniis, pretiosis pannis, videlicet, & gemmis, similibusque ornamentis fœmineis, quibus & pharetram artificiosè confectam sagittis inauratis repletam inseruerat, instructus, ad aulam præfatam processit, venales ibidem merces suas exposuit; curiosæ accurrunt domicillæ & puellæ aulicæ, aliquæ ad pannos, nonnullæ ad gemmas, quædam ad alia ornamenta lustranda & comparanda, una hanc, alia istam apprehendit & ambit gemmam; ast Achilles subitò arripuit pharetram perlustrans sagittas, quo indicio deprehensus & conductus fuit ad bellum. Negotiatori quærenti bonas margaritas haud absimilem se dixit Salvator noster : [*Matth.13. v.45.*] *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Promulgavit insuper arma capienda esse, quibus pugnemus, expugnemus, obtineamusque regnum cœlorum : [*Matth 11. v.12.*] *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cœlestis hic mercator gemmis quoque suis & pretiosis margaritis, puta, temporalibus bonis, prosperitati ac fœlicitati mundi hujus immiscet interseritque adversitatum ac tribulationum sagittas optimum signum ac indicium est, [Optimum signum est quando Christianus prompto animo arripit tribulationes.] quando Christianus illas prompto animo arripit, constanter ac patienter apprehendit bene lustrat examinatque, quam utiles sibi sint & proficuæ, de illo namque sperandum, quod insignem in virtute faciet progressum, egregiaque virtutum exequetur certamina in hac vita, de qua scriptum est : [*Job 7.v.1.*] *Militia est vita hominis*; is tunc certus esse poterit, quod Deum secum habeat : [*Thren.3. v.13.*] *Sagittæ intra te sunt; Pax tibi est. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*; ait Propheta Jeremias, pluribus licet molestatus esset afflictionibus, ærumnis & calamitibus, in omnibus tamen continuam habuit Dei assistentiam. Isaiæ cap. 49. legimus : [*Isa.49.v.2.*] *In umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam*; ubi præmittit protectionem & tutelam sive curam Dei de suis, & postea descendit ad referendas adversitates, sequitur deinde; [*Ibid.v.3.*] *In pharetra sua abscondit me, & dixit mihi : Servus meus es tu, quia in te gloriabor*; quibus verbis clarè demonstrat amorem suum erga illos, qui premuntur tribulationibus; *Servus meus es tu &c.*

DISCURSUS XXXII.

ARGUMENTUM.

Quia tribulationes à Deo proveniunt, oportet, ex necessitate faciamus virtutem, in hac proficiamus, divinæque voluntati nostram conformemus.

THEMA.

Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Amos 3. ℣. 6.

1. QUamvis Deus noster clementissimus numquam peccati sive culpæ author esse possit [*Joan.8.46.*] (*quis ex vobis arguet me de peccato*) pœnæ nihilominùs & tribulationis author esse potest, ac propterea ait Amos Propheta : *Si est malum in civitate &c.* Moyses cœlestibus plurimum illustratus mysteriis, [Omnes tribulationes gratanter acceptandæ sunt eo quod à Deo proveniant.] quando Hebraismus à Pharaone summè angariatus erat, hanc Deo proposuit quæstionem : [*Exod.5.22.*] *Cur afflixisti populum istum*; At si tyranni illius ministri affligebant & opprimebant populum, cur Deo afflictionis hujus attribuit causam? Insinuare volebat, quod atticus ille totam esto adhiberet potentiam suam, nihil prorsus populo Israëlitico nocere, neque etiam capillum infirmare posset, nisi Deus permitteret & vellet : *Si erit malum &c.* [*S.Cyprian. epist.55.*] *Nihil interest, quis tradat*) ait S. Cyprianus) *aut sæviat, cum Deus tradi permittat, quos disponit coronari.*

2. Sunt, uti & fuerunt, qui non attingunt Dei judicia, [Dispositiones Dei non sunt curiosè discutiendæ.] videntes alium sanum & incolumem, infirmum alium; alium principem, alium servum, alium adversitate oppressum & miserum, alium verò prosperitate beatum, quibus respondet Salvianus : [*Salvia.lib. 3.de provid.*] *Quid me interrogas, quare alter major, alter minor; alter miser, alter beatus? Causam Dei nescio, sed ad plenissimam rationem abunde sufficit, quod à Deo agi ista demonstro.* Audiamus magnum magistrum spiritus, Thomam à Kempis : [*Thom. à Kemp. lib.3. c.56.*] *Tu sic ordinasti, & sic voluisti, & hoc factum est, quod ipse præcepisti, sine consilio & providentia tua, & sine causa nihil fit in terra. Ecce pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctionis tuæ me inclino. Percute dorsum meum, & collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam tortuositatem meam, ut ambulem ad omnem nutum tuum.*

3. Blosius in conclavi animæ fidelis hanc quoque exprimit veritatem : [Omnia adversa proveniunt nobis ex voluntate divina.] *Disce quæso*, inquiens, *ea quæ tibi in anima, corpore & quibuslibet rebus eveniunt, non aliunde suscipere, quàm de manu Dei; nam quæcumq; eveniunt, de sapienti ejus ordinatione eveniunt, nec aliqua tribulatio sine Dei permissu te corrigere potest;* [*Blos. in concl. ani. c.8. §.3.*] *etiamsi universi dæmones simul in te irruere vellent, non possent tibi vel appropinquare, nisi Deus permitteret, unde non illos, sed Deum timere debes.* Quæ sequuntur, B. Laurentij Justiniani verba sunt : [*B.Laur.Just. de obed. cap. 5.*] *Tribulationes à Deo sunt, & in ipso Domino Jesu fuerunt, unde dicit Scriptura : Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Ante omnes alios jam scripserat S. Isidorus : [*S Isidor.lib. 1.synon.*] *Scito autem, ô homo, nullum tibi adversari potuisse, nisi Deus potestatem dedisset, nec potestatem habuisset in te adversarius, nisi permitteret Deus. Universa quæ accidunt tibi, absq; Dei non veniunt voluntate. Iniquorum potestas super te ex Dei datur licentia. Qui tibi adversantur, Dei faciunt consilium.* [Hoc agnovit David in maledictione Semei.] Quando David Regem rebellis filius suus Absalon persequebatur, ausu quoque temerario in eumdem insurrexit, contumelias & opprobria varia effutivit Semei; cum verò nonnulli summum hunc despectum & injuriam Regi suo innocenter illatam vindicare statuerent, sapiens Rex id prohibuit, dicens : [*2.Reg.16.10.*] *Dominus præcepit illi, ut malediceret.* An fortassis ille non ducebatur propria passione, & inveterato illo odio, quod jam pluribus annis cordi ejus inscripserat? Omninò; at Deus maledico illo tamquam instrumento utebatur in commodum & profectum ipsius David, quod & perspicuè cognovit sperans per merita mansuetudinis suæ peccatorum suorum remissionem se obtenturum, veluti etiam contigit. Oleaster discurrens de heroico illo facto Abrahami, quo Reges superaverat, Loth nepotem cum tota sua familia redemerat, prædam verò ab hostibus ereptam refutaverat, asserit : [*Oleaster. in c.14.Gen.*] *Audi quanti animi sint servi Dei, ut à nullo alio bona, imò neque mala, nisi à Deo suscipere velint.* Adducit quoque historiam præfatam de David filio Sarviæ, ne maledicentem Semei puniret, inhibente & dicente : [*2.Reg.16.10.*] *Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. Arbitraris, ait, quod de manu servi debeam maledictionem ferre? Non sum tam pusillanimis ut aliam quàm Deum mihi malefacere posse putem; nihil mali ab alio, quàm à Deo suscipere novi.* Allegat quoque testimonium ipsius Job, qui apertè ait : [Et Job in afflictione sua.] *Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit; nihil enim diabolus prætendebat quàm quod putaret Job se posse ab eo lædi ut eum aut timeret aut ex timore honoraret, quod vir sanctus prævidens non solum bona, sed mala, non ab illo, sed à Domino recepisse fatetur.*

4. Cum jam patientissimi Job mentionem fecerimus, advertite quæso, & ad omnes attendite nuncios, quos diabolus miserat Jobo nunciaturos gregum, armentorum, servorumque amissionem & abductionem, & inter alios nuncios unum observate, qui, nisi errem, ab astuto serpente specialiter erat instructus hisce verbis : [*Job 1.16.*] *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves puerosque consumpsit.* Audiamus Chrysostomum in Catena Græca, quid sentiat de nuncio isto : [*D.Chrysost. in caten.*] *Ut ejus cogitatio ab hominibus ad Deum traducatur, ait, ignis de cœlo cecidit.* Prætendebat nimirum, dæmon seminare zizania inter Deum & Job, ac si dicere vellet : [Diabolus voluit zizania seminare inter Job & Deum.] Ecce Deus tuus, quem tanto prosequeris honore, & revereris, in quo omnem tuam ponis spem & confidentiam, ut te tractat; hæc tua remuneratio est è cœlo descendens. Non capiebat malignus ille, illud ipsum esse, quod patientem Job consolabatur, qui optimè noverat Deum suarum authorem esse tribulationum & calamitatum, quas sibi in majus bonum & commodum suum transmiserat. Quanto magis sua crescebant martyria, tanto magis ille in amorem Dei accendebatur, vivaciorque in eo spes excitabatur : [*Job 13.15.*] *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Observastisne responsum, quod dedit nunciis : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* Sed numquid Sabæi rapuerant boves & jumenta? Annon Chaldæi abduxerant omnes camelos suos? Ita est, cur igitur dixit : *Dominus abstulit:* Verissimum esse noverat, quod ait Amos Propheta : [*Amos 4.7.*] *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Quæcumque eveniunt*, si peccatum excipias, *de sapienti ejus ordinatione*, voluntate & permissione, *eveniunt.*

5. In progressu ejusdem prophetiæ Amos Deum introducit loquentem : [*Ibid.v.8.* Pluvia & venti Deo disponente proveniunt.] *Ego prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem, & plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui.* Numquid nubes sunt, quæ resolvuntur in aquam, ut fœcundent terram? Quomodo ergò ait, quod Deus ipse per se & directè pluat & non pluat? sequitur : [*S.Hieron.ib.*] *Pars una complata est, & pars super quam non plui, aruit.* Cujus S.Hieronymus hanc reddit rationem : *Ne forte putarent homines lege naturæ & astrorum cursu ac varietate temporum urbibus ac populis accidisse, super unam urbem & agros ejus pluere se dicit, & ab altera imbrem suspendere.* Diluvium ex gravissimis pœnis justitiæ divinæ una fuit, quam Deus ipse, & quidem per se & immediatè, super terram misit, veluti proprius testatur verbis dicens : [*Gen.6.17.*] *Ecce ego adducam aquas diluvij super terram*, ubi una expositio habet : [*Joan.Ferus ibid.*] *Signatè dicit, ego adducam, non vult enim Deus adversitates nostras, etiam ex rerum naturalium causis immissas, alteri acceptas referre, quàm sibiipsi soli.* Considerastisne verba illa stupenda Regij Prophetæ : [*Psal.134.7.*] *Qui producit ventos de thesauris suis* : Venti cooperantur fertilitati & fœcunditati agrorum & fructuum, ita tamen ut immediatè dependeant à Deo : [*Job 28.25.*] *Qui fecit ventis pondus*, ait Job.

6. Isaiæ cap. 10. Deus nuncupatur virga & baculus Sennacherib Regis Assyriorum : [*Isa.10.5.*] *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* [Qui nos affligunt, sunt virga & baculus in manu Dei.] Virga denominabatur propter correctionem & castigationem eorum qui non ita graviter erraverant, baculus respectu & comparatione illorum, qui severius puniebantur; quod verò ego considero, & proposito nostro inservit, est, quod quando pater percutit & castigat filium virga, non dicitur virgam esse, quæ percutiat, sed patrem, qui zelat bonam disciplinam; virga, sine adhibito brachio & manu, nihil efficit, nihil potest; ad eumdem modum circa varias calamitates discurrere possumus. Aliquando existimamus ab illo aut isto principe, utpote politico, excitatum esse bellum, non indivinemus, Deus est, qui illum adhibet, eoque utitur tamquam instrumento iræ suæ, quo intendit castigare populum. Tamerlanes Rex Tartarorum nuncupabatur *Ira Dei*; Attila pariter *Flagellum Dei*; Quocumque hic cum suo formidabili exercitu se vertebat, ubique agri humano inundabant sanguine. Cum urbi Trojæ in Francia appropinquaret, occurrit ei S. Lupus loci illius Episcopus, pontificali habitu indutus & Clero

ſuo toto ſtipatus, qui cum tyrannum huic interrogaret, quis eſſet, quæ cauſa adventus ſui, & qua de cauſa tot deſtrueret provincias; perderet regna, reſpondit: *Ego ſum flagellum Dei*, Quo audito S. Lupus profunda reverentique exhibita ei inclinatione dixit: Fœlix ſit adventus tuus; ſimulque portas ei aperuit, ac tranſitum indulſit; verùm id effecit Deus, ut nullum patriæ huic, intulerit damnum. Quid indicare volo hoc exemplo, niſi ut Deo acceptas referamus omnes adverſitates, promptoque animo noſtram ſubjiciamus voluntatem.

In noſtris tribulationibus non de Deo, ſed de noſtris peccatis conqueri debemus.

7. Si princeps quiſpiam (veluti antiquitus in uſu erat) reum morte juſtè condemnaret, & loco laquei hauſtum veneni eidem porrigi juberet, fatuus profectò judicaretur, qui porrigenti hauſtum illum rei imputaret mortem, potius hujus delicto mors imputanda eſt. Nos omnes apud Deum rei ſumus, unus plus altero, & quælibet culpa ſuam neceſſario habet annexam pœnam; ergò non eſt, quod de juſtitia divina, quæ amarum nobis porrigit tribulationis calicem, ſed potius de noſtris peccatis ac demeritis conqueramur. Sancti etiam nonnumquam Deum venialiter offenderunt, & ideò *multæ tribulationes juſtorum*; Peccatores & rebelles conqueri nequeunt, ſi *multa flagella peccatoris*. Omnes hunc calicem bibamus, neceſſe eſt: *Calix in manu Domini, &c. bibent omnes &c.* Prudentia igitur exigit, ut ex neceſſitate faciamus virtutem. Quapropter D. Chryſoſtomi conſilium eſt: *Hæc Chriſtus te vult voluntariè gerere, quæ & per neceſſitatem oportet te facere.* Et in alia Homilia pariter legitur: *Si cogitaveris, quod ſive velis, ſive nolis, illa tum patieris, ſed ſi gratè quidem, maxima lucraberis; ſi verò ægrè ferens, neque calamitatem ita minorem facies, & majorem reddes procellam. Hæc itaque cogitantes, quod neceſſitatis eſt, hæc noſtræ voluntatis eſſe faciamus, caſum generosè ferendo, Domino benedictionem referendo, ita mala non voluntariè illata tibi fient liberæ merita voluntatis.*

Pſal. 7. 20. Pſal. 31. 10. Pſal. 74. 9. D. Chryſoſt. hom. 47. ad pop. Idem hom. 64. ad pop.

8. S. Bernardinus ſerm. de tribulatione ſequentem poſteritati conſecravit doctrinam: *Augetur per adverſa ſpiritualiter lucrum in juſtis, magna enim ars eſt lucroſè facere, quæ perdita ſunt. Vita autem iſta & tota proſperitas ejus jam omni hora perdita eſt, quia ut ita dicam, omnes mortui naſcimur & filij iræ, & ita certum eſt nos omnia amiſſos quæ pro amiſſis reputari debent. Si igitur hæc, quæ nos tolerare oportet, in lucrum faciemus, faciendo de neceſſitate virtutem, ſagaces erimus mercatores, quod à Domino promiſſum eſt Matth. 5. Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines &c. ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Hoc quoque documentum inſinuat nobis Gerſon, cum ait: *Præparandus animus ad tribulationem, quæ nobis utique talis fiet, qualis animus erat utentis. Demeruimus millies mortem, & inferni mortem; eruet nos, ſi voluerimus, tribulatio; ſi nolumus, puniet nos bis in idipſum. Itaque impoſſibile eſt omnino non flagellari, vel hic ad pœnitentiam, vel in futuro, & ad exterminationem. Reſpiciamus ſemper ad Dominum flagellantem, ad patrem miſericordiarum corrigentem. Si verò non vanè, non ſimulatoriè, non velut in ſomnio Chriſtiani dicimur & ſumus; neque enim venire poteſt aliunde tribulatio, tenet quippe ligatum leonem infernalem, ne furiat quantum vellet, non ille ſed detinens eum rogandus eſt, non adverſarius quivis alius ſit homo, ſit beſtia, ſit ignis, ſit aqua, timendus eſt; timeatur moderans illa Deus, & hinc orietur magna ſecuritas.* Idem ſerm. in Dom. 2. Adventus ſcribit ſequentia: *Boni lætari debent in tribulationibus, quia ſunt pro redemptione eorum. Tribulationes mundi ſunt ſigna peccatorum noſtrorum, & damnationis impiorum, & purgationis bonorum. Ideo non eſt aliud remedium, quàm ſe emendare, & in patientia eas acceptare & ſuſcipere, & eis emendari, alioquin incipitur infernus in hoc mundo.*

S. Bern. tom. 3. ſerm. de tribul. In tribulatione magno lucro ex neceſſitate facimus virtutem. *Matth. 5. 11. Gerſon tom. 3. de conſol. Theol. proſa 4. lib. 3. Gerſon. tom. 4. ſerm. in Dom. 2. Advent.*

Tribulationes ſunt ſcalæ cæli.

9. Si domi lignum haberes, ex quo ſcalam, qua in cælum uſque aſcenderes, conſtruere poſſes, exindene ligna parares quibus combureretis? Crux tribulationis ejusmodi lignum eſt, cujus ſuffragio cœlum conſcendere poteſtis, ſi ex neceſſitate velitis facere virtutem; ſecus exinde accendetis ignem infernalem, quo jam ardere incipietis. *Nec illas quidem afflictiones* (ſunt Bloſij verba notatu digna) *& cruces, quæ culpa tua eveniunt, vel quarum cauſa tu es, aliunde ſuſcipias, quàm de manu benigniſſimi Dei; ſemper tamen tibi diſpliceat malum quod feciſti, neque ullo modo culpam conferas in Deum, qui peccati auctor numquam eſt, nec in diabolum, qui te cogere non potuit, ut peccares, ſed tibi ſoli illam imputa, qui peccato conſenſiſti.* Diſcamus inſuper ex D. Auguſtino Eccleſiæ Doctore: *Conſtanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Ita enim ipſe te ad ſe ſublevare non deſinet, nihilque tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias.*

Bloſius in concl. animæ c. 8. §. 3. S. Aug. ſolil. c. 15.

10. Deus ter Opt. Max. reſpicit noſtrum bonum, idque S. Bernardinus declarat aliqua ſimilitudine: *Scis*, inquit, *quia habens theſaurum vel rem pretioſam, quanto eſt major, & majoris pretij, tanto magis & major adhibetur cuſtodia, & cum majori diligentia, quia intelligit pretioſitatem illius theſauri, & ſi à caſu habens illum theſaurum eſſes cum eo in mari, & ſuperveniret quædam valida tempeſtas, ita quod timeretur naufragium, talis abjiceret aliquas capſas cum aliquali parte ſui theſauri in mare, propter alleviare navem, & evadere cum ſuo theſauro ab illo periculo. Ita facit Deus; quandoque permittit occurrere tribulationes corpori noſtro propter ſalvare animam, unde Sap. 3. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, ita, charas habet ipſe Deus animas.*

Utilitas illarum docetur apto ſimili. *S. Bern. tom. 4. ſerm. 40. Sap. 3. 1.*

11. Permiſit Deus inferno, ut cunctas vires totumque ſuum in damnum patientiſſimi Job evomeret, at cum hac limitatione: *Verumtamen animam ejus ſerva.* Bloſius in paradiſo animæ fidelis illud nobis ſubminiſtrat conſilium: *Omnia adverſa amanter ſuſcipe tamquam pretioſiſſima xenia tibi à Deo transmiſſa, ſive è cælo, ſive ab ejus elementis, ſive à diabolo, ſive ab adverſarijs, ſive à ſatanicæ artis miniſtro, ſive à feris ea emerſerint. Non exiſtimes aliquid aliunde tibi evenire, quàm de divina providentia atque diſpenſatione, niſi enim Dominus permitteret, nihil umquam acerbi patereris.* In progreſſu ejusdem capitis utiliſſimum hoc tradit monitum: *Non indigneris hominibus, qui te lædunt, ſed eos divinæ diſciplinationis ſatellites eſſe agnoſce, eos dilige, & gratias age. Oculus cordis tui illum reſpiciat, qui moleſtijs exerceri te ſinit, magis quàm eos qui tibi moleſti ſunt.* Et cap. ſequenti hoc aliud nobis reliquit documentum: *Numquam dixeris: hæ vel illæ tribulationes mihi minus conveniunt &c. Quæcumque portanda Deus humeris tuis impoſuerit, eas abſque muſſitatione aliqua portato, & animæ tuæ maximè utilia eſſe credito, ſicut revera maximè utilia ſunt.*

Adverſitates xenia ſunt à Deo miſſa. *Job 2. v. 6. Bloſ. in parad. anim. c. 9. Bloſ. ibid. c. 10.*

DISCURSUS XXXIII.
ARGUMENTUM.

De diſcrimine, quod reperitur juſtorum ſive electorum inter & reproborum ſive perverſorum tribulationes.

THEMA.

Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. Prov. 12. ℣. 21.

1. Ante terminationem hujus materiæ nonnullæ extant differentiæ aſſignandæ, quæ occurrunt inter juſtos & perverſos, quando premuntur ab adverſitatibus. Et quidem electorum ſignum eſt, quando non conturbantur, quæcumque etiam eis accidat tribulatio, nec prorumpunt in actus impatientiæ & deſperationis: *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit*; legunt alij, *non tanget*; non ita conſtituti ſunt impij, qui ad minimæ etiam calamitatis contactum exaſperantur animo, conqueruntur, indignantur, murmurant: *Tange montes & fumigabunt. Impij autem replebuntur malo*; malum non ſpecificat Sapiens, ſed in genere dicit: *Replebuntur malo*; quia deteriores redduntur & ſceleſtiores maledicendo diei & horæ, qua nati ſunt, mala imprecando, Deum blaſphemando, divinam culpando providentiam, in plurimos actus furoris, indignationis, deſperationis prorumpendo.

Examinatur qualis ſit differentia inter juſtos & injuſtos dum premuntur adverſis. Juſti non conturbantur. *Pſal. 143. 5.* Injuſti exaſperantur.

2. Lapidem ſi projiciatis in aquam, in cujus ſuperficie & piſces pariter & volucres aquaticas conſpicitis natantes, ſtrepitum indubiè ex jactu lapidis cauſabitis in aqua, at diverſos effectus ex uno ſtrepitu & rumore ſpectabitis, ſiquidem piſces inde deterriti ſubitò ſe recipient ad fundum, ſed in altum evolabunt volucres cœlum verſus, & tamen eadem nativa gaudent origine: *Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.* Nobis omnibus eadem eſt nativitatis origo, quando tamen Deus turbat & percutit haſce tribulationis aquas (*intraverunt aquæ uſque ad animam meam*) piſces, quibus denotantur reprobi (illi enim rejiciebantur à ſacrificiis) deteriores fiunt & nequiores in ſua malitia, ac proinde plus rei declinant in perditionis abyſſum: Impij autem replebuntur malo; aliter conſtitutum eſt cum electis ſignificatis per volucres, quæ ſunt typus juſtorum, *quorum converſatio in cælis eſt; Mala quæ nos hic premunt* (ait D. Gregorius) *ad Deum ire compellunt.*

Injuſti comparantur piſcibus, juſti volucribus. *Pſal. 68. v. 2.*

3. Audiamus B. Petrum Damianum: *Sed ſicut duris & obſtinatis flagella ſunt gehennalium primitiæ tormentorum ſic profectò bonis & rectis corde eadem flagella cæleſtium ſunt materia præmiorum. Ad hoc enim aurum malleus tundit, ut ſcoriam faber ejiciat; ad hoc lima frequenter æra eradit, ut vibrantis vena metalli rutilantius eniteſcat.* Sed jam dudum ante S. Auguſtinus hac ſimilitudine auri propoſitum noſtrum illuſtraverat dicens: *Totus mundus fornax aurificis eſt, ibi juſtus tamquam aurum, impij tamquam palea, ibi tribulatio ſicut ignis; ibi Deus ſicut aurifex; pius Deum laudat, aurum rutilat, impius Deum blaſphemat, palea fumat; iſte purgatur, ille vaſtatur eodem igne.*

B. Pet. Dam. lib. 8. epiſt. 6. Juſti tamquam aurum purgantur igne tribulationis. *S. Aug. ſerm. 3. de Machab.*

4. Matth. cap. 3. legimus de Meſſia venturo: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ubi S. Evangeliſta alludit ad tribulationes & pœnas dandas reprobis, & ad adverſitates, quibus probandi & purgandi ſunt electi, cum hac tamen differentia, quod ventus adverſitatis per aërem diſperget paleas, utpote alimentum ignis, in area verò relinquet frumentum, ut evehatur ad granarium: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Frumentum erat Rex ſanctus David, in cujus rei ſignum Deum laudabat in adverſis: *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi*; non ita reprobi: *Impij autem replebuntur malo.* Arrha beatitudinis inſignitus eſt, qui in anguſtiis & calamitatibus laudat Deum; cujus teſtimonium ſuppeditabit S. Ambroſius: *Preſſuræ*, inquiens, *exempla ſunt futurorum meritorum in his qui patiuntur ad gloriam, in illis autem qui perſequuntur ad perditionem.*

Matth. 3. 12. Juſti comparantur tritico, injuſti paleis. *Matth. 13. v. 30. Pſal. 114. 3. Prov. 12. 21. S. Ambr. in c. 1. epiſt. 2. ad Theſſal.*

5. Differentiam hanc, quæ bonos inter & perverſos reperitur, dum premuntur adverſitatibus, tangit quoque S. Bernardinus ſermone quodam de tribulatione aſſerens: *Tribulatio patientiam operatur, ſcilicet, in patiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, ſed ſtultus in tribulatione neſciens eſſe patiens anguſtias & flagella portat, & nullum lucrum inde ſcit habere.* In hoc diſtinguitur aurum à palea, quod hæc igni tradita reſolvatur in cineres & fumum; at aurum magis purgatur & perficitur: *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus.* Exemplo rem hanc declarat S. Bernardinus: *Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus, qui ſub pœna mille ducatorum, vel mortis in carcerem miſſi erant, quibus à devoto viro duæ burſæ cum totidem florenis projectæ ſunt per feneſtram, quibus carcerati percuſſi ſunt, quorum unus ægrè ferens percuſſionem burſæ, ipſam extra per feneſtram rejecit, alter verò ſuam pro evadendi morte dedit debitoribus ſuis. Spiritualiter nos omnes ſumus debitores, non carni ſed divinæ juſtitiæ pro peccatis; Deus autem projicit nobis burſam patientiæ cum flagello, quam qui ejicit, meritum perdit, & tamen pœnam flagelli non evadit, imò ſibi tanto gravior fuit, quanto minus voluntariè flagella ſuſceperit.* Peccata noſtra in oratione Dominica appellantur debita, quilibet enim debitor eſt debens divinæ juſtitiæ, nec umquam ſpes eſt gaudendi vera libertate filiorum Dei (etenim *nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*) niſi ſatisfecerit vel in hac, aut in altera vita, ſumma Dei gratia eſt, quod in præſenti vita nobis donet burſam adverſitatis, eodem namque tempore, cum patienter illam ſufferimus, & debitum ſolvimus, & meritum bonum æternæ beatitudinis acquirimus: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. Particeps in tribulatione.*

Tribulationem patienter ſuſtinens per illam ſolvit debita peccatorum ſuorum. *S. Bernard. tom. 3. de ſer. de tribul. Sap. 3. v. 6.* Pulchrum ſimile de patiente & impatiente in tribulatione. *Apoc. 21. 27. 2. Tim. 2. 12. Actor. 1. 9.*

6. S. Antonius de Padua tribulationem comparat vento boreali: *Ventus borealis, licet ſit aſper & frigidus, attamen indurat corpora; ita patientiam acquirere facit tribulatio.* De patientia ait Salvator: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Proſequitur deinde Sanctus ille metaphoram de præfato vento: *Poros claudit, deinde ſenſus exteriores frænat, humores purificat, & interiores affectus puriores reddit, & ſpiritus & ſenſus ſubtiliat; deinde ad cognoſcendum divina confert; viam digeſtivam adunat, dum charitatem inflammat; virtutem retentivam confortat, dum ad memorandum beneficia recepta excitat, vapores, id eſt, tentationes fugat, aëris peſtilentiam ſanat, id eſt, mala exempla corrumpentia deſtruit.* Cum igitur tot & tanta ex tribulatione recipiantur bona, *non contriſtabit juſtum*; contriſtat tamen impium: *Impij replentur malo*; ratio eſt, quia *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus.* Non eſt defectus ignis, quod in cinerem redigat paleam, ubi aurum reddit ſplendidius, ſed defectus materiæ eſt: *Quibusdam in malitia ſua*, ait B. Laurentius Juſtinianus, *inter flagella perdurantibus poteſt dici illud Jeremiæ. 6. Fruſtra conflavit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.*

S. Anton. de Pad. in Dom. 3. Quadr. Luc. 21. 19. Tribulatio comparatur vento boreali. *B. Laur. Juſt. in lig. vitæ. de patient. cap. 3.*

7. S. Thomas à Villanova hanc quoque in medium adfert ſimilitudinem: *Eodem igne quo purificatur argentum, palea comburitur. Tribulatio quæ purificat electos, pervertit impios, nam in tribulatione poſiti naſcuntur, blaſphemant, indignantur & furiunt; ſicut damnati in inferno, unde Apoſtolus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, unusquisque videat quid ſuperædificet, utrum aurum, argentum, vel lapides pretioſos; an fœnum, lignum vel ſtipulam, uniuscujusque opus quale ſit, ignis, ſcilicet, tribulationis probabit. Si cujus opus manſerit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit detrimentum patietur.* Oleaſter ex illo textu Gen. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime à terra*, hanc depromit moralitatem propoſito noſtro accommodam: *Eisdem aquis impij ſuffocantur & demerguntur, quibus piorum navis elevatur, ut quod impijs eſt in ruinam, bonis ſit in ſublevationem.* Noë cum tota ſua familia, quanto magis accreſcebant aquæ, tanto magis elevabatur in altum cœlum verſus; at obſtinati & perverſi alij homines eò magis demergebantur & profundius deſcendebant in abyſſum non aquæ dumtaxat, ſed ignis æterni: *Impij autem replebuntur malo.* Sic paupertas illa, quam Deus mittit alicui homini timenti Deum, erit illi occaſio, ut vivat in puritate vitæ & innocentiæ Chriſtiana, erit, inquam, ei exercitium modeſtiæ humilitatis, conformitatis voluntatis ſuæ cum divina; at alteri malitioſo & reprobo anſam dabit, ut præceps ruat in latrocinia, rapinas, furta & alia ſcelera. Cauſa verò cur perverſi deteriores efficiantur, cum vitæ hujus premuntur calamitatibus, eſt, quia cordis affectu toti hiſce rebus terrenis affixi hærent, non ſuſpirant ad futuram vitam, neque de ea ſemel cogitant, ſed mundo præſenti gaudere ſemper deſiderarent. Audiamus S. Cyprianum: *Pœnam de adverſis mundi ille ſentit, cui lætitia & gloria in mundo eſt, ille mœret ac deflet, ſi tibi malè ſit in ſæculo, cui bene non poteſt eſſe poſt ſæculum, cujus vivendi fructus omnis hic capitur, cujus hic ſolatium omne finitur; cæterum nullus hic dolor eſt de incurſione malorum præſentium, quibus fiducia eſt futurorum bonorum.*

B. Laur. Juſt. ſerm. de SS. Coſm. & Dam. Tribulatio purificat electos, pervertit impios. *Gen. 7. 17. Oleaſt. ibid.* Aquis diluvij ſuffocantur impij, cælum verſus ſublevantur juſti. *Prov. 12. 21. S. Cyprian. con. Demetr. tract. 1.*

8. Quamvis Regius Propheta de paſtorali cura ovium tranſierit ad regnum & regimen populi, attamen oculum cordis ſui bonis cœleſtibus ſemper habuit intentum & affixum, unde ad propoſitum verſus hujus: *Tribulationem & dolorem inveni*; quærit D. Auguſtinus, dicens: *Quid eſt, quod dicit inveni? Neſcio quam tribulationem quaſi quærendam invenit tamquam quæſitam, & cum inveniſſet, quo lucro invenit?* Subdit ipſemet David, *& nomen Domini invocavi.* Reprobi in tribulationibus, non conqueruntur & lamentantur dumtaxat de Deo, verùm etiam frequenter ei maledicunt, è quorum numero eſt, quem Deus notat Oſeæ cap. 7. qui ſub virga correctionis longè pejor & deterior evaſit: *Ephraim factus eſt ſubcineritius panis, qui non reverſatur.* Quemadmodum panis, qui coquitur carbonibus appoſitus, ſi non interdum vertatur, ab illa parte, qua carbonibus coopertus eſt, comburitur, ab alia verò remanet maſſa cruda ſtomacho valde nociva; eodem modo inſinuare intendit Oſeas, quod, quia Ephraim tribulationibus à Deo viſitatus & monitus, nullum dedit emendationis fructum, ſed contumaciter perſtitit in ſua malitia, ideò mereretur apponi carbonibus ignis infernalis, nec cibus & panis eſſet menſa divina dignus.

Impij in tribulationibus impatientes comparantur pani ſubcineritio non reverſato. *Pſal. 114. 3. S. Aug. in Pſ. 136. Oſe. 7. 8.*

9. Solent inſuper ſacri Interpretes in hac materia allegare aliam ſimilitudinem valde appoſitam & propriam de ſole, qui indurat lutum, & ſolvit nivem & glaciem; ſic eadem tribulatio in perverſis & impiis cauſat majorem obſtinationem in malo: *Ego indurabo cor Pharaonis*; is enim tot tantisque cæſus flagellis contumax perſtitit in ſua malitia, è contra è juſtorum cordibus compunctionem & contritionem elicit. Inter alia mancipia ex populo Hebræo in Babyloniam conducta fuit etiam Daniel, eccur Deus infallibili ſua providentia hominem omninò innocentem puniri permiſit cum aliis pluribus nocentibus omni pœna dignis? *Agit hæc divina miſericordia*, D. Gregorij doctrina eſt) *ut ex una eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea ſpiritualibus virtutis præſtet incrementum.*

Sol indurat lutum, & ſolvit nivem, hoc facit etiam tribulatio. *D. Greg. hom. 1. in Ezech.*

10. Quæ juſtorum inter flagella & reproborum invenitur differentia, eadem eſt cum illa, quæ occurrit inter patrem comparatione filj & inimicum: Pater primò ictum menſurat, paterno motus affectu; unde non alio fine filium percutit, niſi ut emendet illum & corrigat; at inimicus malum alteri machinatur ductum ſequens ſuæ paſſionis & furoris, ut, nimirum omne, quod poteſt & novit, interat damnum;

Comparatio inter ictum patris, & ictum inimici.

num; pari passu incedit virga divinæ justitiæ in castigandis reprobis & electis, hisce mandat tribulationem, vel ut emendentur, vel ut pro peccatis suis satisfaciant, aut certè ut majora æternæ gloriæ lucrentur merita; aut reprobis, inimicis suis, quos prævidet fore obstinatos & pertinaces: *Repleantur malo*, transmittit adversitates & flagella, ut in præsenti etiam vita incipiant experiri & probare pœnas vitæ futuræ.

1.Reg.25. v.29. 11. Sapiens illa mulier dicebat David: 1.Reg.25. *Porrò inimicorum tuorum animæ rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.* Sicut lapis è funda projicitur, jaculaturque, ita peccatores in afflictionibus ob contumaciam suam rejiciuntur à Deo & in desperationem cadunt. Verùm longè fœlicior status justorum, qualis erat David: *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum*; Mysterium hujus similitudinis exponit S. Eucherius hisce verbis: *Fasciculus enim astringitur ut conservetur, lapis in funda ponitur ut abjiciatur, sic enim electi pressuris tribulationum constringuntur, ut his admoniti arctius invicem mutua charitate nectantur, ut adunati per manus Redemptoris in perpetuum conserventur. Reprobi quanto latius voluptatibus suis dimittuntur, tanto longiùs à divinæ visionis gloria projiciuntur.* Unde si contingat eos, prospera favente fortuna, omnisque desideratæ fœlicitatis aspirante aura, ab adversitate aliqua opprimi & conculcari, uti nonnumquam accidit, quia toto corde adhærent hisce terrenis bonis, ideò in ipsis calamitatibus pejores fiunt, & in sua perversitate pertinaciores, blasphemant, maledicunt suæ malæ sorti, eoque plus desperant, quo magis temporalia sua gaudia, commoditates & voluptates turbari & præpediri conspiciunt. Astutus serpens hoc stratagemate usus fuit cum Pharaone, omnem, videlicet, adhibuit operam, idque effecit (quamdiu tamen Deus permisit) ut Magi sui eadem apparenter facerent miracula; non alium in finem, nisi ut atheus ille homo omninò sibi persuaderet, flagella & plagas, quibus affligebantur Ægyptij non procedere à Deo vero, quem populus Hebræus adorabat; ex quibus colligit Oleaster dicens: *Licet monita multiplices impijs, non curant, neque considerant, Dei magnum munus est cognoscere flagella ejus. Hoc interest inter impios & pios, quod pij mala etiam quæ à natura proveniunt, flagella Dei esse credunt; impij verò flagella apertissima Dei, mala à natura venientia arbitrantur.*

Animæ impiorum comparantur lapidi jacto in funda. *Ibidem* S.Eucher. Oleaster.

Isa.3.v.10. Anima justi in tribulatione numquam amittit pacem ac quietem. Rom.8.28. Matth.5.3. Heb.13.13. 12. *Non contristabit justum.* Isaiæ cap. 3. legimus *Dicite justo, quoniam bene.* Ubi notetur hæc dictio; *bene*, quod dicit indefinitè sine alio addito, quia quocumque, etiam occurrente casu anima justa numquam amittet pacem & quietem suam, & ex spinis novit colligere & excerpere rosas: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si injurijs afficitur, *non reddit malum pro malo*; si bona & facultates ei surripiuntur, sese consolatur: *Beati pauperes spiritu &c.* si tangitur & tingitur honor suus, animum ei addunt hæc verba Apostoli: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes*; & ita discurrite de alijs tribulationibus occurrentibus: *Numquam permitteret vel minimum venti flatum* (sunt verba Blosij) *electis suis esse molestum, nisi sciret hoc ipsis expedire ad salutem.* Hoc igitur, ut prompto & lubenti animo suscipiamus tribulationes, nostrum debet esse motivum.

Blos. in concil. ani. c.8. §.3.

13. Discursus insignis mihi occurrit, quem alio in loco idem Blosius magnus Magister spiritus instituit, & meritò hic referre debeo; confiderat etenim hunc versum: *Gloriamini omnes recti corde*, & sic discurrit: *Inter rectum cor & pravum cor hoc interest, quisquis homo præter voluntatem aliquid patitur afflictionis, mœroris, laboris, tribulationis, humiliationis, & non tribuat nisi voluntati Dei justæ, non illi dans insipientiam, quod quasi nesciat quid agat, quia se talem flagellat, & illis talibus parcit ipse est rectus corde; perversi autem corde sunt & pravi & distorti, qui omnia quæ patiuntur mala, iniqua se pati dicunt &c. Quomodo distortum lignum, etsi disponas in pavimento æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adjungitur, sed semper agitatur & natat, non quia inæquale est ubi posuisti, sed quia distortum est quod posuisti. Ita & cor tuum, quamdiu pravum & distortum non potest collineari rectitudini Dei, & non potest in illo collocari, ut hæreat illi, & fiat rectum: Qui autem adhæret Domino unus spiritus est, ideò recti corde gloriamini dixit. Quomodo recti corde gloriantur? Audite gloriationem ipsorum; Non solum enim dixit Apostolus, sed & gloriamur in tribulationibus, nam non est magnum gloriari in gaudijs, gloriari in lætitijs, rectus corde etiam in tribulatione gloriatur, & audi quomodo, non frustra nec supervacuè gloriatur in tribulatione. Vide rectum cor: Scientes; inquit, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, sic est ergo rectum cor. Cuicumque aliquid accidit, dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est sit nomen Domini benedictum, & non dixit: Dominus dedit, diabolus abstulit. Intendat ergo charitas vestra, ne forte dicatis: Hæc mihi diabolus fecit; prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille, qui de super habet potestatem, permittat, aut ad pœnam, aut ad disciplinam, ad pœnam impijs, ad disciplinam filijs.*

Quæ sit differentia inter cor rectum, & cor pravum. *Idem lib.1. Psychag. c.12.n.1.*

Tribulatio electis est medicina, reprobis verò venenum.

14. Tribulatio electis medicina est, reprobis verò venenum, idque eorum culpa, etenim, ut bene observat S. Chrysostomus: *Quid de his, inquiens, dices, qui frequenter à tribulatione subversi sunt? Quid non tribulationis opus subversio, sed illorum imbecillitatis. Nec enim si quis infirmum habens stomachum amaram non admittat medicinam ipsum curare valentem, sed potius arguatur, medicinam non accusabimus, sed stomachi infirmitatem, sicut & hic mentis facilitatem.* Si stomachus est robustus, *non contristabit justum, quidquid ei acciderit*, qualemcumque amarum bolum obtinendæ sanitatis ergò deglutiet; non sic, si stomachus est debilis; *Impij autem replebantur malo*; animabus eorum torum erit venenum.

TRACTATUS XCV.

DE VANA GLORIA.

CONTINET

DISCVRSVS UNDECIM.

DISCURSUS I. Deus bonorum nostrorum operum sibi reservat laudem & gloriam, ac propterea nullam exinde concipere debemus vanam gloriam.

II. Complacentia & æstimatio propriæ laudis radicitùs nobis inhæret ideoque difficillimè evellitur extirpaturque.

III. Vana gloria invadit & aggreditur etiam perfectissimos, ac tunc bellum nobis indicit & movet, cum de vitijs triumphamus, bonisque operibus divites fumus.

IV. Ob timorem vanæ gloriæ occultanda sunt opera bona, dona, gratiæ & favores cœlestes.

V. Varia proferuntur exempla sanctorum hominum, qui, ne vanam incurrerent gloriam, sanctitatem suam celarunt.

VI. Modus ostenditur, quo opera bona, ne perdant meritum, à vana gloria tueri possimus.

VII. Qui ob vanam gloriam dumtaxat bene operatur, meritorum veræ gloriæ facit jacturam, & sine omni fructu laborat.

VIII. De jactura veræ gloriæ propter vanam, cum loco æternæ mercedem recipimus temporalem.

IX. Nonnulla alia considerantur damna avidis vanæ gloriæ accidentia.

X. Abominatur ac detestatur Deus vanam gloriam, cujus detestationis æternus ejus filius multa nobis reliquit exempla.

XI. Deo accepta referre debemus omnia, quæ facimus, bona opera. Ubi & quædam remedia contra hoc vitium tanguntur.

DISCUR-

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Deus bonorum nostrorum operum sibi reservat laudem & gloriam, ac propterea nullam exinde concipere debemus vanam gloriam.

THEMA.

Regi sæculorum immortali, invisibili soli Deo honor & gloria. 1.Tim.1.v.17.

Omnium donorum tam naturæ quam gratiæ gloria laus & honor soli Deo debetur, à quo procedunt. 2.Cor.10.17. Philip.2.13. S.Bern. serm. 13. in Cant.

1. MAchina fortissima ad demoliendam vanam gloriam est hoc oraculum S. Apostoli, siquidem evidenter nobis indicat, Deo deberi omnem honorem, omnem laudem, omnem gloriam: *Regi sæculorum &c.* quamvis sacræ litteræ non excludant ab operibus virtutum, quæ à fidelibus fiunt, honorem & gloriam, nihilominus, veluti alio in loco idem declarat Apostolus; *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; omnis gloria immediatè à Deo dependeat, necesse est, eique de quo scriptum est: *Operatur in nobis velle & perficere*, omnia accepta referre debemus. *Origo fontium & fluminum omnium mare est* (ait S. Bernardus) *virtutum & scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum nisi ipse est Rex gloriæ? Sed juxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant, non solum, sed & si quis callet ingeniosi quis nitet eloquio, moribus placet, inde est, inde scientia, inde sapientiæ sermo. Quæ casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt?* Cuncta bona naturæ, fortunæ, præcipuè verò gratiæ, cui nisi soli Deo attribuenda sunt? Ergò illi omnis debetur laus, omnis honor omnis gloria. Et hæc de causa fortassis S. M. Ecclesia instituit, ut cujuslibet Psalmi finis sit: *Gloria Patri & Filio &c. Ad locum, unde exeunt* (sic consulit S. Bernardus) *revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad fontem principium cæleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter? inquis, qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtuti habere confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ deputa Christo. Et quis tam insanus, ais, ut aliunde præsumat?*

Vitium vanæ gloriæ viguit omnibus sæculis. Prov.16.4. Deut.26.18.

2. Experientia nihilominus docuit in omnibus sæculis viguisse hoc vitium vanæ gloriæ, complacentiæ & æstimationis suiipsius, ambitionemque propriæ laudis in bonis operibus naturaliter homini esse impressam. Quamobrem considerandum est vastissimam hanc universi molem innumeris refertam creaturis à Deo productam esse ad majorem sui gloriam *Universa propter semetipsum operatus est.* Ex cap. 26. Deut. deducitur hæc veritas, cum enim Moyses populo Hebræo referret specialem & magnam illam prærogativam, quod nimirum Deus ipsum elegisset in suum populum, dixit: *Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, & custodias omnia præcepta illius, & faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem & nomen, & gloriam suam.*

Declaratur apta similitudine cui debeatur honor & gloria bonorum operum. Luc.19.13. Philip.2.13. & Cor.15.10.

3. Inveni similitudinem, qua præsens materia de vana gloria facilè declarari potest. Imaginamini vobis duos sociali fœdere, junctos operam dare mercaturæ, & lucrum inde emergens inter se partiri, quorum unus adhibeat laborem & industriam, alter subministret summam capitalem pecuniæ; ad cum modum considerari potest, præsentem vitam à Deo datam esse hunc in finem, ut negotiemur & lucrum ingens faciamus (*negotiamini dum venio*) non alterius profectò rei, nisi æternæ & cœlestis gloriæ, in hujus tamen mercaturæ exercitio non negotiatur solus nomo, neque Deus vult esse solus, unde celebris est illa D. Augustini propositio: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Deus dicitur subministrare & numerare summam capitalem, videlicet, divinam gratiam, qua lucrari possumus, dicebat namque Apostolus, ut supra innuimus: *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Non ego, sed gratia Dei mecum.* Homo è contra adhibet voluntatem, arbitrium, industriam & diligentiam suam; in hac ergo partitione Deus contentus est lucro honoris, gloriæ: *Invisibili soli Deo honor & gloria*; deinde vult, ut nobis in futura vita cedat gloria, non vana, sed essentialis, immortalis & beata.

Ex lapsis primorum parentum patet

4. Casumne consideraftis protoparentem nostrorum? Rerum omnium creaturam potiebantur dominio: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; in signum homagij Deus ab iis exegit dumtaxat hunc actum obedientiæ, ne comederent fructum talis pomi: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Tametsi fame etiam periissent, obedire tamen tenebatur, ad nobilem namque creaturæ nostrorum statum evectus, non ut hac, sed futura frueretur vita, creatus erat; ex transgressionis hujus inflicta pœna in claram devenimus notitiam graviratis peccati, quo offendit Deum. Casui nostro applicemus hanc historiam; bonorum innumerabilium, quibus liberalissimus Deus noster in præsenti vita nos ditavit, & infinitorum aliorum, quæ nobis præparavit in futura, texamus catalogum: *Bonorum nostrorum non eget*; aliud à nobis non prætendit, nisi ut non usurpemus & tribuamus nobis gloriam ipsi debitam ab omnibus creaturis, ergone, adeo temerarij & audaces erimus, ut illam ipsi surripiamus?

Cui debeatur gloria & honor operum nostrorum. Psal.15.2.

Omnis gloria & honor ex operibus nostris resultans Deo debetur. 2.Cor.3.5. Psal.113.73. Psal.8.v.6.

5. Axioma D. Augustini est: *Deus coronat in nobis sua dona, non nostra merita.* Quis igitur adeò arrogans erit, ut de donis sibi communicatis vanè gloriari velit, sibi, & non donatori adscriberis honorem? *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos fecit.* Quid, amabo, erat homo, priusquam à Deo creatus, nisi pauxillum luti campi Damasceni? Aut quando *manus Domini fecerunt me, & plasmaverunt me*, uti Regius Propheta canit, *minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria &c.* Totus igitur quantus & qualis est, Deo totum acceptum referre, omnemque ei laudem, honorem & gloriam, quæ ex operationibus suis resultare potest, attribuere debet: *Sufficientia nostra ex Deo est.*

S.Bernard. in cit. loc. Explanatur propositum per historiam Josephi & uxoris Domini sui.

6. S. Bernardus, ut nobis demonstret soli Deo deberi gloriam, Josephi allegat exemplum: *Joseph cum domum & omnia bona Ægyptij Domini sui sibi credita sciret, Dominam non ignoravit excepram, & ob hoc non acquievit contingere. Non est, inquit, ex omnibus bonis Domini mei, quod non in mea potestate sit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Mulierem noverat gloriam esse viri, & iniquum sibi judicabat vice contraria in gloriam facere eam, qui se fecerat gloriosum. Advertit homo Dei sapientia prudens, virum uxorem fortiter tanquam propriam zelare gloriam, sibique ipsi retinuisse servandam, non alij credidisse, & manum ad non concessum extendere non præsumpsit. Quid ergò? Homo zelat gloriam suam, & Deum audet velle fraudare de sua, quasi non zelantem? Sed audi quid dicat: Gloriam, inquit, meam alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis Domine?* Paulò ante observaverat, Hierarchias angelicas, quando in Nativitate Domini in terram descenderant, cecinisse: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*; unde jam subdit mellifluus Doctor: *Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi, gratanter suscipio quod relinquis, & relinquo quod retines. Sic placet, sic mea interesse non dubito. Abjuro gloriam prorsus, ne forte si usurpavero non concessum, perdam meritò & oblatum.*

Josue 10.12. Filij Israël victis Chananæis gloriam victoriæ sibi non arrogarunt. Jos.10.21.

7. Celebris est victoria illa memoratu digna, Josue c. 10. quam de Chananæis reportarunt filij Israël, quando nimirum ad imperium magni ducis Josue stetit sol in firmamento cœli: *Sol contra Gabaon ne moveatis.* Quod verò nostro inservit proposito, refert facer textus hisce verbis: *Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani & integro numero, nullusque contra filios Israël mutire ausus est.* Quod ex populo gentili & idolis dedito post sanguinolentum adeò & ferorem conflictum, visoque tam stupendo miraculo nemo caput erigere ac mussitare ausus fuerit, non miror; at quod nullus Hebræorum post obtentam victoriam, post præclara spolia ab hostibus reportata, post adepta trophæa adeò gloriosa neque etiam os aperuerit, sed totus populus humilis, modestus & taciturnus ibidem steterit, quomodo hoc intelligendum? Septuaginta in Biblijs Sixti legunt, *& non mutivit quisquam ex filijs Israël lingua sua.* Milites post reportatam victoriam solent esse arrogantes, superbi, vanè gloriari, fesèque jactare de factis suis heroicis in prælio ostensis, id tamen non contigit hac occasione: Audite glossam interlinearem: *Id est, nullus se jactavit de victoria sua, ferentes quia Jesus est, qui vincit. Omnia in figura contingebant illis; multus est usus hominis super terram*; quando pro adeptione terræ promissionis, nempe, cœlestis beatitudinis & gloriæ debellamus & superamus inimicos, mundum, carnem, dæmonem, tunc veros nos demonstrabimus milites Josue, pura, Jesu Salvatoris mundi, si nec os aperuerimus, id est, si victoriarum nostrarum gloriam non nobis attribuerimus, sed Christo: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

Glos. Interlin.

9. Plurima

Philosophi placentes sibi ipsis in heroicis suis operibus, illa vitiarunt vana gloria.

S. Cyprian. de bono patient.

8. Plurimi Philosophi gentiles heroicos virtutum actus exercuere, quibus, uti constat omnibus, refertæ sunt historiæ præteritorum sæculorum, eorum tamen nullus apud cœlestem remuneratorem exinde reportavit aliquod meritum, rationem reddit S. Cyprianus nonnulla simul adferens Sacræ Scripturæ testimonia, cum ait: *Sapientia mundi hujus stultitia est apud Deum, scriptum est enim, reprehendam sapientes in astutia ipsorum, & iterum cognovit Dominus cogitationes sapientium, quia sunt fatuæ. Quare si sapientia illic vera non est, esse non potest & vera patientia. Nam si sapiens ille est, qui est humilis & mitis, Philosophos autem nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi plurimum placentes* (ecce malitiam efficientem actus illos vitiosos, qui alias fuissent virtuosi & meritorij, nempe, vanam eorum complacentiam, vanam gloriam) *& hoc ipso quod sibi placeant*, pergit idem Sanctus, *Deo displicentes, apparet illis veram non esse patientiam, ubi sit insolens effectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inverecunda jactantia.* Exclamabat S. Bernardus Deo loquens: *Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata.*

S. Bern. Judith victoriam de Holoferne reportatam soli Deo habuit acceptam.

9. Inter memorabiliora stratagemata & triumphos, amplissimo sacrorum Bibliorum comprehensos volumine, referendus quoque est triumphus ille, quem vidua quædam reportavit de Holoferne, qui armorum suorum potentia tremebundum totum reddebat mundum, porrò in hoc speciatim heroicam suam ostendit virtutem, quod miraculosam illam victoriam Deo prorsus adscripserit, & ne exinde vanæ gloriæ conciperet spiritum, nec minimam illius trophæi memoriam (uti apud omnes alias in usu est) in domo sua toleravit & reliquit: imò audimus sacrum textum: *Porrò Judith universa vasa bellica Holoferni, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* De Juda Machabæo notat S. Bernardus: *Judas Machabæus multis & ipse inclytus victoriis, cùm frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui?* Addit paulò post discurrens de Deo: *Solus cuncta creavit, solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit, & soli sibi habebit in gloria? Et brachium, inquit, meum auxiliatum est mihi. Item torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum. Quid mihi ergò cum victoria, si nec in prælio fui? Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna.*

Judith 16. v. 23. Similiter fecit Judas Machabæus. S. Bern.

10. Quando passiones nostras vincimus, & infernalis inimici superamus assultus & insidias: *Dominus adjutor noster*, ipse est, qui pugnat & vincit in nobis: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.* Ubi faciles quasdam similitudines subministrat S. Bernardus inquiens: *Nec laus calami laudabilis est pictura sive scriptura, nec gloria linguæ aut labiorum sermo bonus. Tempus est ut & Propheta loquatur: Numquid gloriabitur, inquit, securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est, sic contra Dominum omnis qui gloriatur, si non in Domino glorietur.* Sequitur post pauca: *Secura tunc erit unicaque laus à Deo bis damnata, qui humanas laudes contempserint. Nam gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam David, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Fratres si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita sua, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi feraris. Tibi enim undè gloria putide pulvis, tibi undè? De vitæ sanctitate? Sed spiritus est, qui sanctificat, spiritus dico, non tuus, sed Dei. Et si prodigijs aut signis effulgeas, in manu tua fiunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum & benè fortè depromptum? Sed Christus donavit os & sapientiam, nam lingua tua quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuò accepisti.* Tandem concludit mellifluus hisce verbis: *Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus laudabilium, siquidem universorum auctorem & largitorem.*

Cum Deus sit adjutor noster in vincendis nostris inimicis, ipsi debetur omnis gloria. Psal. 93. 17.

11. Attentam promeretur reflexionem historia, quæ Actor. 3. refertur de duobus Apostolis Petro & Joanne, qui in ascensu ad templum præsente magno populi Hebræi concursu celebre patrarunt miraculum, gressum restituentes alicui claudo, qui ibidem ad portam templi speciosam petebat eleemosynam. Ubi observandum quod & notat sacer textus: *Intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum*; ac si claudum jam sanatum unà instruxissent in agendo gratias, non sibi, sed Deo. Sed quid contigit? cùm homines turmatim accurrerent spectatum manifestum hoc miraculum. S. Petrus in medium prodijt, & cum protestatione dixit miraculosam claudi hujus restitutionem, non sibi, sed Christo Jesu Crucifixo adscribendam, ac proinde ei soli dandam esse omnem laudem & gloriam: *Respondit ad populum, Viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham &c.* Quamvis autem SS. Apostoli omnem à se amoverint gloriam, totam soli Deo tribuentes, ac nihil sibi reservantes, non tamen propterea remanserunt sine honore & gloria, ut benè notat D. Chrysostomus asserens: *Sic tamen contempta gloria magis ipsos glorificabant.* Voluit Vicarius Christi in primis hisce miraculis, quæ operabatur, omnes illos, quorum operâ tamquam instrumento usurus fuerit Christus Dominus, instruere ac docere humilitatem ac modestiam, quatenus in bonis operibus, virtutumque exercitijs vanam gloriam & propriam jactantiam fugere, soli Deo verò omnem laudem, honorem & gloriam attribuere debeant.

Claudus à S. Petro sanatus statim cum illo intravit templum gratias agens Deo. Actor. 3. 8.

Ibid. v. 11. S. Petrus gloriam istius miraculi adscripsit Jesu Crucifixo.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Complacentia & appetitus propriæ laudis adeò tenaciter nobis inhæret & radicitùs impressus est, ut difficillimè erui & evelli possit.

THEMA.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. 2. Cor. 10. ℣. 17.

Vana gloria nobis valde connaturalis, initium habuit in cœlo, & in paradiso.

1. FRatres (D. Gregorij magni consilium est) *si vere divites esse vultis, veras divitias amate.* Quia S. Paulus optimè noverat, quàm connaturalis esset gloria homini à primordio nativitatis suæ, non eam illi prohibuit, sed dixit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Vana gloria tam in cœlo, quam in terra in primitijs angelicæ & humanæ naturæ suam habuit originem; siquidem Lucifer Angelorum pulcherrimus de propria gloriando pulchritudine & excellentia thronum suum Altissimi solio parem facere præsumpsit: *Super astra Dei exaltabo solium meum.... Similis ero Altissimo.* Protoparentes nostri pariter non contenti sublimi illo statu, in quo creati fuerant ad sublimiora aspirarunt: *Eritis sicut Dij*; undè meritò dixit Hildebertus: *Superbia natione cœlestis sublimes appetit mentes, & veluti ad proprios revolans ortus in gloriam & pueritatem irrumpit hominum quæ à gloria & puritate prorupit Angelorum.* Hæc propria sui ipsius æstimatio & vana gloria contaminat etiam perfectissimos. Audiamus qua phrasi hoc vitium describat S. Chrysostomus exponens hunc textum Evangelij: *Attendite autem nè faciatis eleemosynam vestram coram hominibus ut videamini ab eis*, ait: *Impotentissimam hic hominum eliminat passionem, rabiem quamdam, scilicet ac furorem, quem ab aliis vitijs emendati de inanis gloriæ amore patiuntur.* Similiter explanando hoc aliud documentum: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, scribit: *Postquam in studium philosophiæ induxit, tum jam pestem quæ bona operantibus insistere, & latenter etiam obrepere consuevit, interemit.* Pestis maligna quædam infirmitas est, quæ non apparet oculo, sed circa cor occultè serpit; Vana gloria quoque frequenter non prodit in conspectum hominis; imò profundam nonnumquam fingit humilitatem, ut majorem pariat existimationem & honorem. Prosequitur Chrysostomus: *Non enim vanæ gloriæ pestis ferè gignitur, nisi cùm plurima præcepta fecerimus.* Pestis est, quæ illis præsertim adhæret, qui ad amussim observant, adimplentque leges & præcepta divina.

Ibid. S. Petrus gloriam istius miraculi adscripsit Jesu Crucifixo.

D. Chrysost. Hom. 29. in Joan.

Matth. 6. v. 1. Vana gloria est pernitiosa pestis.

Theophyl. in Matth. Vana gloria est mala bestia.

2. Theophylactus observat verbum hoc: *attendite*; dicens: *Quasi de aliqua mala bestia dicat: attende, ne te delicaret.* Dionysius Carthusianus in eadem commentando verba diligenter observat; cœlestem Magistrum post promulgationem quorumdam præceptorum summæ perfectionis opportunè nos monere, ut nobis caveamus à vana gloria: *Congruentissimè admonet vitare vulpeculam, utpotè, vanam gloriam, quæ tunc fortius ac latentius ingredi solet, & pullare, non solum pusillos, sed & proficientes & fervidos.*

Dion. Carth. Ibid.

3. Aptam S. Nilus exponit similitudinem, qua exprimitur difficultas, quàm in eradicanda vana gloria deprehendimus; tametsi enim ad eam destruendam omnem adhibeamus industriam, semper nihilominùs in nobis consurget & pullulabit occulta aliqua

Vana gloria difficillime eradicatur.

S. Nilus de vana glor.

qua complacentia: *Tribulus verè*, inquit, *est inanis gloria, cum in quamcumque tandem partem reciderit, rectum semper stimulum statuit.* D. Chrysostomus quoque tangit hanc difficultatem in extirpanda vana gloria, cum ait: *Gravis quidem est gloriæ amor: gravis inquam, & multarum ipsa spinarum plena gloria, & quæ difficilè tolli potest.* Ultimus finis noster, ob quem creati sumus, est, ut tandem obtineamus quidem gloriam, at veram & æternam; quid facit æstutus serpens, quamdiu in hoc exilio peregrinamur? cùm operum bonorum nos conspicit cumulatos meritis, continuò nobis insidiatur prædæ eorum inhians, quem in finem nos extimulat, ut vanam de illis concipiamus gloriam, & ea mediante totius meriti faciamus jacturam, de qua scribum est: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Aft insidiæ hujusmodi frequentes sunt & tentatori faciles, quia novit hominem propriæ æstimationis, laudis & gloriæ esse amicissimum & avidissimum; unde dicebat S. Prosper: *Quas enim vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia etsi facilè est cuique laudem non capere, dum negatur, difficile tamen est ei non delectari, cùm offertur.*

D. Chrysost. Hom. 29. in Joan.

S. Prosper de sentent. cap. 317.

4. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* In hæc verba S. Bernardus contexuit sermonem, quem exorditur hisce verbis: *Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ, secundùm illud: gloriam meam alteri non dabo, item que: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sed consideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut, aut vix, aut nunquàm ab hoc compesci desiderio possit, quippè quæ ad imaginem facta est creatoris; propterea secundùm datam sibi à Deo sapientiam salubrimam adinvenit consilium, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest, non gloriari saltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Idem Mellifluus serm. 13. in Cant. de quo discipræced. esto afferat nonnullos tantam attigisse perfectionem, ut sint exempti ab hisce stimulis propriæ complacentiæ & laudis; attamen *quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua*; Verba sancti Doctoris sunt sequentia: *Magna & vera virtus est, ut magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere & Contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico; fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat.*

S. Bernard. de triplici gloria. Non in nobis, sed in Domino gloriari debemus.

Idem serm. 13. in Cant.

5. S. Philippus Nerius, qui summorum Pontificum erat oraculum, & sanctitatis miraculum tametsi hæc omnibus esset notissima, ob hoc tamen præcipuè admirabilis fuit, quia *amabat nesciri, & pro nihilo reputari*: undè cùm quadam vice ei diceretur, quod esset sanctus, sancta quadam impatientia respondit: sum unus diabolus. Frequenter in ore habebat pulchra hæc verba: *Spernere Mundum, spernere nullum, spernere seipsum, spernere se sperni*, at concludebat: *Hæc sunt dona superni.* D. Chrysostomus propositio nostro confirmiter & apositè ait: *Pecunias quidem facilè quisque contemnet.* Quot reperiuntur in Claustris & monasteriis sepulti, extremæ paupertatis vota emittentes, ditissima sæculi conculcantes patrimonia; successu tamen temporis conspicietis ambientes existimationem hominum, à Magnatibus honorari, à populo deprædicari: *Porrò honoris esse negligentem maximo labore indiget* (prosequitur idem sanctus) *magnæ philosophiæ, & animæ cujusdam angelicæ, & quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum.*

S. Philippus Nerius fuit magnus contemptor gloriæ & sui ipsius.

D. Chrysost. Hom. 2. ad Tit.

Moral. init.

6. Invenietis homines hispido cilicio coopertos, disciplinis emaceratos, extenuatos jejuniis; omnium se substernentes pedibus; at eodem tempore tentatos vanâ gloriâ, adeò ut pati nequeant si ab aliis spernantur. Audiamus Sanctum Augustinum: *Sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contempta vanius gloriatur, non enim contemnit, dum gloriatur mulis.* Febris maligna extrinsecùs non apparet, quia intùs operatur, & decipit; ità facit vana gloria, quæ est majoris malignitatis; foris ostendit alienationem à laudibus, contemptum humanæ gloriæ, at intùs in corde complacet sibi de bona, quam habet apud alios, existimatione. S. Hieronymus cuidam religiosæ virgini hoc dedit consilium, ne plus sibi complaceret in recusatione laudum & applausuum, quam in ipsismet applausibus: *Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quæras, plures enim pauperatis, misericordiæ atque jejunij*

Vana gloria comparatur febri maligna. S. Aug. lib. 10. Confess. cap. 35.

S. Hieron. lib. 2. epist. 17. de custod. Virg. Enstoch.

arbitros declinantes, *hoc ipso capiunt placere, quod placere contemnunt & mirum in modum lates, dum vitatur, appetitur.* Audiamus S. Joannem Climacum: *Jejunans inanis gloriæ cupidus sum: abdo me, ut ignotus sim: tamquam prudens rursùm gloriam appeto: splendidè vestitus ab illa vincor vili habita vestitus rursùs gloriam capio: loquens vincor, tacens rursùm victus sum; utcumque projeceris ipsum tribulum, aculeus stat rectus.*

Apud Anton. in Melissa p. 2. c. 74.

7. M. Tullius de vehementi hac propensione, & pruritu cuilibet homini communiter innato, Oratione pro Archia poëta, mentionem quoque facit, cùm perorat: *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. Ipsi philosophi in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in quo præclarationem & nobilitatem despiciunt, prædicari se, & nominari volunt.* Valerius maximus author quoque gentilis, & in examinandis virtutibus insignium hominum valdè practicus, veluti deducitur ex ejusdem operibus, istius fuit opinionis & sententiæ, quod nulla humilitas etiam profundissima ab antiquis exhibita ab ambitione & aviditate propriæ laudis exempta fuerit: *Nulla est*, inquit, *tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, quæ etiam à claris viris interdum ex humillimis rebus petitur.*

M. Tull. orat. pro Archia. Quomodo Philosophi contemptores gloriæ, illam sectati fuerint.

Valer. Max. lib. 8. de memor. Superbia & vana gloria comparantur lepræ.

8. Godefridus per lepram, cujus mentio fit in lib. Levit. intelligit superbiam occultam, cui multas adaptat conditiones, simulque difficultatem, quæ in curanda illa occurrit; ostendit: *Ecce cùm præcipit lex ut post quam in vestimento lepra apparuerit locus lepræ à solido dividatur. & quicumque superbus fuerit, ei, si fieri potest, elationis materia subtrahatur; Juvenies tamen, qui nihil hac diligentia remedij consequatur.* Observate, quæso, exempla, quæ cit. author statim allegat ab experientia deducta: *Nam si fortè pro abstinentia gloriatur, subtracta ei jejunandi facultate tamet cogitatione, dùm se tantæ virtutis attendit, quem opus sit refrænare. Item si pro doctrina sua elatus dicendi privatur officio, sola cujus sibi conscius est, inflatur doctrina; & si quis loco ipsius hoc opus susceperit, quidquid dicere potuerit, parvipendit.* Denique concludit admodùm difficile esse, ut mystica hæc lepra prorsùs suffocetur: *Hæc est lepra volatilis & vaga, quæ hinc avulsa, ibi protinus oritur.*

Godefrid. in Levit. c. 13. à pag. 47. usq; ad 59.

Diogenes Cinicus vanæ gloriæ fuit sectator.

9. Celebre est factum illud Diogenis Cinici, quando unà cum alijs philosophis invitatus fuit ad domum & prandium Platonis; hujus enim domum ingressus cubiculum unum conspexit tapetibus valdè nitidis & arte elaboratis exornatum, quos omnes à parietibus avulsos pedibus conculcavit, spectante etiam ipso Platone, qui cùm injurioſæ actionis hujus peteret causam respondit: *Calco Platonis fastum*: at appositè sapiens Philosophus reposuit: *Sed majori fasto.* De eodem Cinico scribitur, quod tempore hyemali, frigore prædominante intensissimo, aquis gelu concretis se immerserit, ut nimirùm laudem & nomen hominis patientis aucuparetur, cumque plurimi ad hoc convenissent spectaculum, & nonnulli compassione moti ipsum rogassent, ne tanto se exponeret periculo & tormento, sapienter respondit Plato, optime sibi perspectam esse occultam Diogenis vanam gloriam: *si vultis misereri, abite*: insinuare volebat, quod vanæ ostentationis ergò totum id ageret. In hoc sensu Salvator noster Pharisæis improperabat: *omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus.* Ex quibus hanc deducamus consequentiam: Si antiqui illi philosophi, inter quos excellebat Diogenes, in tanta apud mundanos erant existimatione, solidâque virtute credebantur esse præditi, & tamen medulla ejus vanæ gloriæ toxico infecta erat, quid dicemus de pruritu hujus malignitatis? S. Augustinus, non obstante quod damna hujus vitij optimè cognosceret, & contrarium ageret, dolenter conquerebatur: *Hoc mihi ipsi canto quotidie, & tamen vehementer cum adversario dimicans sæpè ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possunt.*

S. Aug. epist. 64. ad Auriol. Lib. 46. 10.

10. De S. Dominico legitur, quod cum prædicando & concionando copiosissimam animarum collegisset messem, ac propterea ab omnibus ei applauderetur, honoresque exhiberentur maximi, fugæ se dederit: interrogatus cur id fecisset, respondit: *Quia plures ibi me honorant, hic verò omnes me impugnant*: quod dixit eo in loco, ad quem se receperat, ubi plurimos, videlicet habebat persecutores & continuas cum hæreticis controversias. Ecce, unus igitur S. Dominicus, qui etiam in ipsam mortem à qua nonnullos ad vitam resuscitaverat, authoritatem habebat, non ausus fuit

S. Dominicus fugit vanæ gloriæ occasionem.

in arenam descendere & pugnare cum vana gloria, sed fugâ se salvavit: Voluit potiùs capere suum refugium inter persecutiones, injurias & opprobria hæreticorum quàm quod inter laudes & applausus conversi populi tanto se exponeret periculo & stimulo vanæ gloriæ: *Conveniat unus quisque cor suum* (ait S. Hieronymus) *& in omni vita inveniet, quam varium sit fidelem animam invenire, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat: neque enim statim qui jejunat, Deo jejunat, aut extendens paupert manum, Deo fœneratur; vicina sunt vitia virtutibus, difficile est, Deo tantum judice esse contentum.*

S. Hieron. cont. Lucif. c. 6.

Quare difficulter vitari possit vanæ gloriæ appetitus.

11. Verùm quàm difficile sit extirpare & radicitùs evellere hanc pestem è corde nostro, vel ex eo maximè liquet, quod nos illam naturaliter quæramus, amemus, palpemus; imò in illius ruamus amplexus, siquidem unusquisque honoris, laudis & gloriæ avidus est, imò & plurimi ad perfectionem tendentes nonnumquam in hunc impingunt scopulum sub palliato boni finis prætextu. Quapropter Basilius magnus seriò monebat omnes: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundam animarum nostrarum hostem.* Qui videntur esse amici nostri maximi, quales sunt nostri appetitus propriæ æstimationis, gloriæ & complacentiæ, ipsi fures sunt & prædones nostri. Audiamus Eusebium, quid suis monachis sermocinando dixerit: *Hæc est spiritualium bonorum ratio, ut cum ea summo labore constet acquiri, tàm facile pereant, ut vix possit intelligi, & inde est quod nos interdum sanctos putamus, quia ultra de laboribus æstimamus, & detrimenta subsequentia deprehendere non valemus, quàm frequenter indicationis malum, vanitatis ac jactantiæ morbum, dum non sentimus, incurrimus?*

S. Basilius Const. monach. cap. 11.

Eusebius Hom. 8. ad monach.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Vana gloria aggreditur etiam perfectos, & tunc bellum nobis indicit, cum de vitiis triumphamus, bonisque operibus divites sumus.

THEMA.

Etiam dæmonia subjiciuntur nobis. Luc. 10. ℣. 17.

Vana gloria ex lucro elicit damna.

1. SEvangelista Lucas cap. 10. singularem notatuque dignam vanæ gloriæ tangit malitiam, qualis est, quod ex lucro suo eliciat & reportet damna. Septuaginta duo discipuli varijs visitatis locis, in quibus, Evangelicam seminaverant doctrinam, ex miraculis quæ ibidem patraverant, & plurimarum animarum conversione vanam conceperant gloriam; quamobrem glorioſi redeuntes ad Christum, jactabant se & gloriabantur, quod etiam dæmonia sibi subjicerentur: *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes, Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Advertens ergò Salvator noster astutiam infernalem, nimirum, malignos spiritus ipsorum subjici dominio eo fine, ut ipsi discipuli vanæ gloriæ & præsumptionis vicissim subjicerentur dominio, *ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Proposuit illis casum rebellium angelorum ortum ab arrogantia & præsumptione, ut scopulum, in quem ab initio alliserant, intelligerent: *Fulgur est symbolum superbiæ & vanæ mundi gloriæ* (scribit Cornelius à Lapide) *hæc enim instar flammæ fulgureæ coruscat, & illicò evanescit, juxtà illud: sic transit gloria Mundi.*

Cornel. à Lap. ibid.

2. Ecce quàm verum sit, quod scribit Job: *Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Non meminit maris, pelagi, Oceani, esto insatiabilis: sed Jordanis, quia spiritu Prophetico prævidebat per hunc fluvium figurari & denotari perfectos & sanctos: Præterquàm enim sinu suo complexus est Arcam Domini, vidit Spiritum sanctum in forma columbæ, & aquis suis ministerio manuum magni Baptistæ baptizavit & lavit Verbum æternum incarnatum. Ecce igitur mysterium, cur dicatur, quod diabolus speret absorbere Jordanem, quia malignus hic spiritus incessanter desiderat devorare innocentes: non per viam extorsionis, adulterij, apostasiæ, sacrilegij, aut similium excessium: benè quidem per vanam complacentiam, vanamque gloriam in propris operibus, quæ aliàs perfecta essent & sancta.

Job 40. 18. Diabolus per vanam gloriam invadit etiam perfectos.

3. Si Lucifer neque ipsum etiam Dei filium eximere voluit à suis assultibus & tentationibus (disponente ita æterno suo Patre, *ut per omnia fratribus assimilaretur: tentatum per omnia*) cur expectavit ad trigesimum usque annum? Observate unam vocem in S. Matth. quæ non ponitur sine mysterio: *Tunc Jesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur.* Aſt illud, *Tunc*, ad quid refertur? Ad illud, nimirùm, quod idem S. Evangelista & alij cum ipso jam retulerant de eminentissima sanctitate Christi, cœlesti testimonio palàm confirmatâ, & à præcursore in ripa Jordanis demonstratâ; *Ecce agnus Dei.* Quam primùm igitur astutus serpens advertit Redemptorem nostrum donis, virtutibus, meritis omnibus cumulatum, nec posse sibi occurrere ditiorem prædam, tentavit illum: *Tunc accedens tentator dixit ei:* aſt quâ viâ tentavit illum, aut quem modum fini & scopo suo censuit esse congruentiorem aptioremque? Vanam gloriam: dæmon haud sibi persuadere poterat Christum esse filium Dei, tametsi cœlitùs audivisset illius testimonium, nihilominùs vana eum palpavit laude, & glorioſissimum hunc ei dedit titulum: *Si filius Dei es,* petens simul lapides oblatos transmutari in panes: *Dic ut lapides isti panes fiant. Non dixit, si es vis,* (observatio D. Chrysostomi est) *sed si filius Dei es, videlicet, existimans posse aliquid per laudum blandimenta suffurari. Serpens erat callidior.* Post adhibitam omnem astutiam & sagacitatem suam, efficacius aptiusque non adinvenit medium, quo, quem filium Altissimi suspicabatur, daret præcipitem, quàm vanam gloriam; hæc enim illa est, qua suffragante parantur assultus, struuntur insidiæ navibus opulentis gratiæ mercibus oneratis.

Matth. 4. v. 1.

D. Chrysost. Hom. 13.

4. S. Basilius vanam gloriam nuncupat *Tineam virtutum*; tinea generatur in pannis ex lana subtili, pura & pretiosa confectis; eodem modo vana gloria in cordibus virture præditis & perfectis dona, merita, aliosque actus perfectionis devorare solet; tunc verò generatur, quando quis est in culmine perfectionis, aut ad illam tendit. D. Petrus Chrysologus aliam comparationem, qua eamdem exprimit veritatem, inducit: *Crudeli arte*, inquit, *virtutes truncat mucrone virtutum: jejunium jejunio perimit: oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.* S. Joan. Climacus ingeniosam hanc facit reflexionem: *Gaudet dum perficiatur triticum, cenodoxia verò dum congregentur opes, gaudet illa ut furetur, hæc autem ut dissipet.* Tempore æstatis videbitis formicas cursitantes circa horrea, ut frumentum ex spicis excussum præstolentur, & ad sua deferant spelæa; paucos reperietis, qui illas impediant, non curantes damnum illud, quod parvipendunt, imò sunt, qui minutissimi gregis hujus spectantes industriam & sedulum laborem, exindè multùm admirantur & recreantur; Similem effectum in nobis operari videtur vana gloria, attendit inimicus noster & præstolatur, donec granum meritorum & operum perfectionis pervenerit ad maturitatem, videlicet, ad summam perfectionem, præstolatur, inquam, quousque aliquis sit ferventissimus & assiduus in orationibus, continuus in revelationibus & ecstasibus, quousque ditatus sit gratia miraculorum, dotatus dono prophetiæ: expectat, donec sit in conceptu & veneratione apud omnes, & tunc ubique facit resonare laudes & applausus, eugè, eugè, omnem adhibet conatum & artificium, ut vana gloria & complacentia propria inserpat & leniter invadat animam. *Videbam Satanam sicut &c.*

S. Basil. de const. mon. cap. 11. Vana gloria est tinea virtutum.

Petrus Chrysol. serm. 7. Aliæ comparationes. Clim. ac. gr. 21.

5. Audiamus quoque hanc similitudinem, quam nobis tradit S. Nilus: *Hedera*, ait, *sic arborem complectitur, ut cùm alias se sustulerit, radicem arefaciat: inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquàm virum illarum exciderit.* Quò magis virtus splendescit, quò amplius proficit spiritus, tantò firmius pedem figit vana complacentia & vana gloria nisi simus cauti & seriò advigilemus. Audiamus quàm ingeniosè de illa discurrat adhuc Chrysologus: *Vana gloria, secretum virus, virtutum fucus, tinea sanctitatis.* In republica apum benè ordinata, sunt aliquæ, quæ apparent esse apes, at non sunt: *Fucus genus est insecti, apis similitudine, sed majori corpore, quod non mellificat, neque operam aliquam præbet in faciendo opere; consumit alimenta quæ apes congesserunt.* In anima alicujus hominis christiani reperietis nonnumquàm multas apes, puta, virtutes, quæ componunt, mensæque divinæ præparant mel suaviſſimum, de simili ape S. Urbanus Papa dicebat Christo, loquens de sancta Cæcilia: *quasi apis argumentosa tibi deservit*; at quid contingit frequenter arte & operâ diabolicâ? intervenit vana gloria, quæ devorat & consumit meritum omnium actuum virtutum, qui alias æterna digni erant remuneratione eosque planè inutiles reddit ob vanam complacentiam; *Virtutum fucus.*

S. Nilus orat. 7. de vana gloria. Vana gloria instar Hederæ crescit juxta virtutes.

Inanis gloria comparatur fucis.

6. Judic.

Applicatur ad propositum historia Jephte, immolantis filiam suam. Jud. 11. 34.

6. Judic. cap. 11. recensetur historia quæ casui & proposito nostro accommodari potest: reportaverat Jephte de hostili exercitu victoriam; at quia Deo si vinceret, votum fecerat, ut primum, quod ei domum redeunti & triumphanti occurreret, offerret in sacrificium, contigit, ut ei occurreret *unigenita filia sua cum tympanis & choris.* Observat Jephte (esto temerariè) votum factum, ac propria manu obtulit filiam in holocaustum: *Militia est vita hominis super terram:* In præsenti vita strenuè pugnamus & militamus vincendo pravos nostros appetitus jejunijs, disciplinis, vigilijs, cilicijs, eosque voluptatibus suis, ad quas anhelant, privando. Aggredimur pariter Mundum inimicum spernendo Mundum, spernendo nullum, spernendo nosmetipsos, spernendo denique sperni & contemni; humiliamus & subjicimus nos alterius voluntati & obedientiæ; mortificamus quoque appetitum vindicativum odij, remittimus injurias, benefacimus his, qui oderunt nos, ac plures alias victorias reportamus de pravis nostris affectibus & inordinatis passionibus, ut immarcessibilis gloriæ potiamur coronâ: Verùm sæpè contingere solet, quod triumphantibus nobis occurrat vana gloria, non cum tympanis, sed blandis laudibus: non cum choris, sed applausibus, nosque intùs eximulat ut actus virtutum, dona merita cunctaque alia bona opera offeramus & sacrificemus vanitati blandæ complacentiæ, & vanæ gloriæ.

Job 7. v. 1.

7. Observat optime Hugo Cardinalis, superbiam omnium malorum esse radicem: *Initium omnis peccati superbia.* Quemadmodùm radix terræ imponitur, & hac mediante crescit: ita sæpè accidit, quod quis se profundè submittat & humiliet ficta humiliatione, eo, nimirùm, fine, ut majus honoris & propriæ æstimationis incrementum accipiat: undè idem Hugo ex D. Greg. asserit & monet: *Valdè cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum.* At si quis plurium annorum spatio omnem adhiberet industriam & studium frequentandis exercitijs austeritatis, orationis, mortificationis interioris & exterioris, extirpationis vitiorum, quo modo ex his exercitijs pijs & sanctis posset confungere vitium? *Cavendum est vitium quod de victoria surgit vitiorum*; ex cineribus phœnicis extincti novus renascitur phœnix adhuc pulchrior: at quæ hæc stupenda & mira metamorphosis, quod ex frequentatis actibus virtutum, innocentiæ, perfectionis & sanctitatis possit generari vitium, abominandum adeò monstrum? Ita ei evenit, qui non est cautus, & à pruritu mundanæ gloriæ propriæque æstimationis se palpari permittit. Gentiles constituebant aliquem, qui currum triumphalem immediatè sequebatur, & inter applausus triumphales continuò inclamabat triumphatori: *Hominem te esse memento:* idque eo fine, nè inani & vana seduceretur gloria: negari non potest, magnam hanc esse mortalitatis nostræ tentationem.

Hugo Card. in Psal. 7. Ex ipsis virtutibus & bonis operibus nascitur vana gloria.

8. De Deo ter opt. Max. asserit D. Augustinus: *Melius enim judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.* Et si Deus ex malo voluit elicere bonum, quæ hæc est miseria, quod homines tamdiù in spiritu devotionis ac vitæ sanctitate exercitati ex bono eliciant malum, videlicet, ex actionibus virtutum & sanctis operibus gloriam vanam concipiant, quod est malum? Conscendamus templum Jerosolymitanum, ibidem reperiemus hominem profetione Pharisæum, frequentandis sacris locis deditum: *Ascendit in templum*; ad fundendas preces: *ut oraret*; ad servanda jejunia: *jejuno bis in sabbato*; ad distribuendas eleemosynas: *Decimas do omnium quæ possideo*; ipsum quoque sequestratum invenietis à communi Mundi cursu: *Non sum sicuti cæteri hominum, injusti, adulteri, raptores &c.* Nihilominùs cum hoc modo vivendi apparenter irreprehensibili à Deo relictus & reprobatus fuit, non ob aliam causam, nisi ob vanam gloriam, complacentiam æstimationemque sui ipsius, veluti notum est omnibus.

S. Aug. in Enchirid. cap. 25.

Patet exemplo Pharisæi.

Luc. 18. 12.

9. Alios dæmon tendit laqueos super terram, volo dicere, inter homines Mundi; aſt hunc laqueum vanæ gloriæ parat & distendit in cœlo, ut, nimirùm, deprædetur perfectissimos. Musca, vermes, aliaque similia animalia *nascuntur ex puri*; at tinea plerumque ex delicata ac purpurea materia: sic alia vitia vermium muscarumque instar communiter in malè & impiè viventibus reperiuntur: aſt vana gloria, quæ juxta Chrysologum, *tinea sanctitatis*, est, invadit & corrodit servos Dei, donis cœlestibus ditatos, virtutibus & meritis cumulatos: *Ubi res agitur gloriosa* (ait auctor imperfecti operis) *ibi facilius invenit locum gloriationis*

Concupiscentia vanæ gloriæ perfectos Dei servos, etiam invadit.

occasio & ideò intentionem gloriæ primò Dominus excludit præ omnibus vitijs carnalibus, periculosius hoc esse in hominibus intellexit, cùm enim omnia mala servos diaboli vexant, concupiscentia vanæ gloriæ magis vexat servos Dei, quàm servos diaboli.

10. Hugo Cardinalis in sensu morali excellens & utilissimus, reflectens se ad prælium quod S. Patriarcha Abraham cum nonnullis regibus commiserat de riam victoriam reportaverat victoriam, præcipuè verò sæpè ad illud quod refert Moyses: *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus postquam reversus est à cædere Chodor laomor & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis*, subdit dicens: *significat humiliatem: hoc est, quod vana gloria sæpe hominem post victoriam virtutum in specie humilitatis dejicit, undè sit, quod qui multa & magna evaserat, ibi succumbat.* Innumerabiles ac ferocissimos dæmonum assultus sustinuit S. Antonius præsertim verò eo tempore, quandò jam in perfectione religiosa vitæque sanctitate multùm à dæmone profecerat; nihil tamen effecerunt, sed semper confusi & fatigati abierunt. Undè unus formam in se susceperit adolescentis æthiopis, & ante pedes servi Dei se prosternens dixit: Multos ego decepi, multosque magnæ etiam sanctitatis viros ad lapsum protraxi & seduxi: sed à te me fateor victum. Quo stratagemate astutus serpens Athletam Christi ad vanam gloriam pertrahere sperabat, & pertraxisset fortasis nisi Deus dæmonis astutiam ei manifestasset.

Num. 14. Gen. 14. v. 17. Hugo Card. ibid. Exemplum tentati. Exemplum S. Marcelli Abbatis.

11. Norat D. Petrus Chrysologus, quod idem infernalis serpens dixit Christo Domino, Marc. 5. *Quid mihi & tibi Jesu fili Dei altissimi?* Ecce dæmon in conspectu omnium confessus est divinitatem Christi? Non verè confessus fuit, ait S. Chrysologus: *Credidit infœlix, ut eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere posset adulatione pulsare.* Cùm S. Marcellus Abbas in nomine Dei dæmones aliquos exorcismo subjiceret & conjuraret, ab iisdem S. Abbas intellexit & audivit sibi dici: Tu, qui habes protestatem in nos, nobis impera, & obediemus tibi; at servus Dei nihil prorsus hæc curans prosecutus fuit exorcismum. Interrogatus deinde, cur dæmoniis non imperasset in propria persona, uti petierant, sapienter respondit: quod dæmonia me venerentur, confiteanturque me illis imperare posse; id alio fine non fecerunt, nisi quod me capere intenderint laqueo vanæ gloriæ, quæ est vitium: ideò dæmon se fatetur victum, quia sperat & prætendit vincere.

Marc. 5. v. 7. Diabolus tentavit Christum de vana gloria.

DISCURSUS IV.
ARGUMENTUM.

Ob timorem vanæ gloriæ occultanda sunt opera bona, dona, gratiæ, & favores cœlestes.

THEMA.

Utrumque latus Propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum. Exod. 25. ℣. 20.

Opera bona occultanda sunt ob timorem vanæ gloriæ.

1. INter alias ordinationes à Deo præscriptas ipsi Moysi in lib. Exodi, hoc quoque ei mandatum fuit: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub. unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus Propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respicientesque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Verùm si oraculum erat ex purissimo auro, & aspectu nobile; si propitiatorium pariter miræ erat pulchritudinis, cur noluit illa patere omnium conspectui & esse detecta, *utrumque latus Propitiatorij tegant?* Verum semper est axioma illud Apostoli: *Omnia in figura contingebant illis.* Audiamus ex Olcastro mysterij hujus explanationem: *Considera quid te hic admoneat Deus: summus benefactor est, & nihilominus tectus, ut te doceat benefacere, & nolle videri in bonis operibus: nolle velle videri, jam enim mercedem tuam accepisti, non aliam in futuro sæculo habiturus.* Vultisnè scire causam, cur Cherubini describantur quatuor instructi alis? annon duæ, quibus in altum se elevarent, sufficiebant, præsertim cùm sint puri spiritus? Observandum, per Cherubinos denotari scientia & sapientia præditos, & quis ignorat, quod *scientia inflat?* facilè est multa scientem irretiri à vana complacentia & ostentatione, ideòque necessariæ sunt adhuc duæ alæ aliæ, ad occultandam & velandam sapientiam, quæ illucescit. *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Oleaster. ibid. Hugo de S. Vict. de claustro anim. c. 2.

Num. 19. v. 15. Qui ſpe applauſus bona opera faciunt, ſunt coram Deo vaſa immunda.

2. Num. cap. 19. mira alia præſcribitur ordinatio non vacans myſterio: *Vas quod non habuerit operculum, & ligaturam deſuper, immundum erit.* Quod ſi aliàs vas illud mundum & purum eſſet, cur ut immundum & ſordidum æſtimandum eſſet deficiente ligatura & operculo? *Quaſi vas ſine operculo vel ligatura* (Rabani verba ſunt) *polluitur, qui per ſtudium oſtentationis patiens, nullo velamine taciturnitatis operitur.* Vaſa hæc operculo & ligatura deſtituta illos ſignificant, qui opus aliquod devotionis exercent, V.G. orationis mentalis, mortificationis, communionis, aut opus exequuntur miſericordiæ corporalis, ut recipiant aliquem applauſum: tales igitur in conſpectu Dei ſunt tamquam vaſa immunda & ſordida. Quapropter cœleſtis Magiſter conſulit: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* S. Bernardus ſerm. 8. in Cant. conſiderando hoc conſilium Evangelicum ait: *Orare volentes jubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum.*

Matth. 6. 6. — S. Bern. ſerm. 8. in Cant.

Excellentiora opera noſtra tegenda ſunt. Exod. 40. 24.

3. Pro cujus confirmatione obſervo, quod & ex ultimo cap. Exodi deducitur, duo à Moyſe ordinata fuiſſe altaria: *Poſuit & altare aureum ſub tecto teſtimonij contra velum, & adolevit ſuper eo incenſum aromatum ſicut juſſerat &c. Poſuit & tentorium &c. & altare holocauſti in veſtibulo teſtimonij.* Ubi tamen ſciendum hoc fuiſſe diſcrimen inter utrumque altare, ante altare aureum extendebatur aliquod velum, nullum verò ante altare holocauſtorum, myſterium hujus exponit S. Cyrillus Alexandrinus dicens. *Celabatur primum, quia occultata atque recondita eſt gloria Chriſti, alterum verò vulgo patebat; quia mors ejus omnibus patet.* Ecce igitur & ipſe Salvator noſter occultat quoque ſplendorem ſuæ gloriæ ſub velo humilitatis & deſpectus, quamvis non ſit ſubjectus vanæ complacentiæ; ut nos inſtruat, quod noſtra excellentiora opera ab aliorum laudibus tutari, celare & abſcondere debeamus.

S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Joan. c. 28.

Exod. 20. v. 25. Cur Deus prohibuerit altare lapideum ſibi fieri ex lapidibus ſectis. Steph. Cant. in allegor. Titelm.

4. Non diſcedamus ab eodem lib. Exodi, menti veſtræ occurrat, quod legitur cap. 20. *Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus, ſi enim levaveris cultrum ſuper eum, polluetur.* Præcepti hujus rationem reddit Stephanus Cantuarienſis hiſce verbis: *Altare eſt mens hominis ubi non eſt conſtruendum ædificium de ſectis vel politis lapidibus, lapis enim non politur niſi ut videatur, undè lapis qui in fundamento ponitur, non politur, quia videri non poteſt; ille ergò conſtruit altare de ſectis lapidibus, qui ideò facit opera ſua, ut videatur. Abſcondendum eſt opus: quia juſtus ut ait Salomon, quaſi fundamentum ſubſiſtit, ſi ergò elevaveris cultrum, id eſt, opus tuum cura & arte humana polire volueris, polluetur.* Eodem lib. Exod. ubi tractatur de veſtibus pontificalibus, legimus: *Duas oras junctas habebit in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant.* In quem textum Rabanus diſcurrit propoſito noſtro valdè conformiter: *Quaſi duæ oræ ſuperhumeralis ſibi invicem copulantur, dum omnia quæ foris bona monſtramus, intùs pura & ſimplici opinione Dei placendi gerimus, & hoc in utroque latere ſuperhumeralis.* Et paulò poſt ſubdit: *Deſerit namque ora brevior latiorem, ac diſcordante menſura in unum redire nequeunt, ſi cùm extrinſecùs bona facere pro æterna retributione cernimus, intentione placendi hominibus in ſecreto mentis implicamur, humanique favoris magis quam vitæ inviſibilis premia requirimus.*

Exod. 28. 7. — Raban. ibid.

Iſa. 24. 16. Favores & dona cœleſtia celare debemus. Matth. 6. 9.

5. *Secretum meum mihi*, ait Propheta Iſaias. *Cœlum à celando*, etymologia cœli originem ſuam ducit ab occultando, quo nobis inſinuatur, quod favores, dona, & gratias cœleſtes celare, occultare, non propagare debeamus, ne vanæ gloriæ periculo nos exponamus. Recitamus in dies hæc verba: *Pater noſter qui es in cœlis.* Quis umquàm dubitare poſſet, Deum, quem ut patrem invocamus, non eſſe in cœlis? Quem ergo in finem ſapientia incarnata poſuit iſta verba? Audite S. Auguſtinum: *Qui es in cœlis, id eſt, in ſanctis & juſtis, quemadmodum terra appellatus eſt peccator, cùm ei dictum ſit, terra es & in terram ibis, ſic cœlum juſtus è contrario dici poteſt.* At magis appoſitè, & clarius hoc dubium ſolvit. S. Iſidorus aſſerens: *Cœlum à celando ſuperiora:* Cœli animarum juſtarum & perfectarum ſymbolum ſunt, quæ gratias & dona cœleſtia abſcondunt: *Secretum meum mihi.*

S. Aug. de Verb. Dom. in monte lib. 2. c. 9. — S. Iſidor. lib. 13. cap. 4. etymo.

Sancti vocantur abſconditi, cujus ratio adducitur. Pſal. 82. 4.

6. Quando Propheta regius meminit perſecutionis, quam impij famulis Dei machinabantur, dixit: *Super populum tuum malignaverunt conſilium, & cogitaverunt adverſus Sanctos tuos;* legit S. Hieronymus, caſui noſtro conformiter: *adverſus abſconditos tuos*. Pro emblemate aliquando expoſitum fuit cœlum ſtellatum cum hoc appoſito ſymbolo: *Pulchriora latent:* & verè pulchriora in cœlo abſcondita ſunt: ad cùm modum de Sanctis qui excellunt in ſpiritu & perfectione dicere poſſumus: quamvis forinſecùs videantur illæ ecſtaſes; jejunia, ſolitudo, auſteritas victus, conformitas, manſuetudo, charitas, ſimileſque excellentes virtutes, abſcondunt nihilominus dona, quæ eximiam eorum exprimunt & teſtantur ſanctitatem, ut ſunt revelationes, viſiones, actus interni amoris divini, & alij hujusmodi: *Pulchriora latent.* Apocal. cap. 4. S. Joannes ſe vidiſſe teſtatur præter alia: *Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu: & intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus;* portò inter hæc animalia unum hominis habebat faciem: *& tertium animal habens faciem quaſi hominis.* Ubi obſervandum, camdem viſionem referri ab Ezechiele propheta, at hanc ille addit circumſtantiam: *Manus hominis ſub pennis eorum.* Quale illud myſterium, quod manus occultaverint ſub alis? Per manus uti ſatis notum eſt, intelliguntur opera! hæc igitur ſervi Dei abſcondunt & ſubtrahunt ab oculis hominum, totum contrarium illi, quod faciunt hypocritæ: *Occultanda ſunt fratres bona quæ agimus* (B. Petri Damiani conſilium eſt) *ne hæc in hujus vitæ itinere incautè portantes; latrocinantium ſpirituum incurſione perdamus.*

Apoc. 4. 8. — Ibid. v. 7. — Ezech. 1. 8. — B. Pet. Dam. ſerm. de S. Barb.

Tres Reges non aperuerunt theſauros ſuos niſi in ſtabulo Bethlemitico. Matth. 2. v. 11. Gloſſ. ibid.

7. Pulchrè Gloſſa in Matth. ſpeculatur, qua ratione tres Reges ſeu Magi theſaurum ſuum quem è longinquis regionibus ſecum aſportaverant, non aperuerint, niſi poſt acceſſum & ingreſſum in tugurium bethlemiticum: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum thus & myrrham. Magnum religionis Sacramentum hic aperitur, ut fide prævia theſauros noſtros in via non pandamus, donec præteritis hoſtibus ſoli Deo ex occultis cordium offeramus. Ezechias, quia theſauros alienigenis prodidit condemnatur in poſteris.* Sancti & ſapientes hi Reges theſauros ſuos non aperuerunt in Jeruſalem, multò minùs in itinere, ſed in ſupremi dumtaxat Monarchæ, quem pannis involutum adoraverunt, præſentia; & quale indè documentum? *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*, naturali propenſione nimis, prô dolor, avidi ſumus propriæ laudis æſtimationis, vanæ gloriæ; quapropter quos pro obtinenda æterna beatitudine accumulamus theſauros, quamdiù viatores ſumus, diligenter cuſtodire, nempè, abſcondêre debemus bona opera, & merita alterius vitæ, ne latrones, puta, jactantia, vana complacentia, propria æſtimatio nobis hunc theſaurum ſuffurentur ſolum igitur in conſpectu Dei oportet illum aperire, id eſt, operari, ut Deo placeamus dumtaxat.

2. Cor. 4. 7.

Matth. 13. v. 44. S. Bernard. ibid. Vana gloria & complacentia non ſolum apud alios, ſed etiam apud noſipſos fugienda eſt. S. Baſil. mag. in Pſal. 118.

8. Advertite, quando cœleſtis Magiſter noſter dixit: *Simile eſt regnum cœlorum theſauro*, adjunxit, *abſcondito in agro. Neceſſe igitur eſt abſcondere interim* (ait S. Bernardus) *ſi quid habemus boni, quoniam theſaurum regni cœlorum, qui invenit homo, abſcondit; neceſſaria ergo eſt hæc abſconſio, non ſolum ante oculos aliorum, ſed etiam multò magis ante ſeipſum.* Ubi S. mellifluus Doctor tangit rem magni momenti & emolumenti, quod, nimirùm, vanam complacentiam & inanem gloriam de noſtris operibus apud alios non ſolùm, ſed etiam ſecreto apud noſmetipſos fugere debeamus, cogitantes & omninò exiſtimantes nihil boni nos effeciſſe. Sanctus Baſilius magnus explanans hunc verſum: *In corde meo abſcondi eloquia tua;* aſſumit ſimilitudinem ab iis, qui divitias ſuas abſcondunt, ne ſurripantur; *Ita & qui ſpirituales divitias habet in animo ſuo, illas abſcondit, ne has per inanem gloriam prædatores animarum furentur.* Sapiens, illa mulier, inſpecta eleganti Moyſis facie, tribus menſibus eum occultavit: *Videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus;* non attenta feloci perſecutione tyranni illius, qui transgreſſoribus ſeveriſſimam minitabatur pœnam; ex quo facto hanc elicit moralitatem Origenes ſubdens: *Ita nos debemus occultare bona quæ facimus, ne demergantur in profundum inanis gloriæ. Præcipitur in Moyſe abſcondito, ne bonos actus in publico geramus, ne juſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, niſi enim in occulto fuerit; diripietur ab Ægyptijs, & fluctibus ſubmergetur.*

Exod. 2. 2. — Orig. Hom. 2.

Vir juſtus deſignatur per amygdalum, cujus nucleus latet ſub triplici cortice.

9. Audiviſtisne umquam de virga Aaron? Virtutem illa denotabat, quæ meritò competit perfectis quales deberent eſſe Eccleſiaſtici; ex qua erat deſumpta arbore? ex amygdala, audite Procopium:

Forma

Procop.

Forma amygdali virum bonum adumbrat, ut enim nucleus ejus eſt contectus, & in putamine latet; ita virtus in animi habitu recondita, non in corporis eſt conſpectu. Nucleus amygdalæ ſub triplici, uti omnibus patet cortice latet, primus exterior eſt viridis, ſecundus durus & ſolidus, tertius mollis & tener, unus igitur poſt alium aperiatur, neceſſe eſt, ſi fructum hunc guſtare velimus; & ecce appoſitam figuram animæ juſtæ, quæ dona gratiæ, actuſque ſuos internos virtutum abſcondit, & ab omni oſtentatione cuſtodit. S. Philippus Nerius magnus Pater meus, quamdiu vixit, ſemper internam ſanctitatem tegere ſtuduit diſparatis modis: nonnumquam ſaltabat; aliquando Cardinales ridiculo indutus habitu excipiebat: interdum barbæ medietatem abradi curabat: quandoque manu geſtabat geniſtarum faſciculum. & hujusmodi plures exercebat actus, ut ſanctitatis ſuæ famam & opinionem, quam apud alios habebat, diminueret.

Sur. tom. 6. Oſtenditur quomodo varij viri ſancti declinaverint, vanam gloriam.

10. De S. Gregorio Epiſcopo Taurinenſi legitur, quod, ut miracula, quæ in dies multiplicabantur, occultaret, reliquias collo appenſas geſtaverit eum in finem, ut populus crederet earum virtute omnia fieri miracula. Eadem praxi uſus fuit S. Philippus, poſt cujus mortem, in capſula, quam vivens geſtavit, & in qua credebantur eſſe reliquiæ, nil aliud inventum fuit niſi unum numiſma S. Helenæ, cujuſmodi infantes è collo geſtare ſolent. Sanctum Eligium, ut legitur in ejus vita, inſtantiſſimè rogaverat cœcus quidam, ut ei reſtitueret viſum: at ſanctus vir, né ſibi hoc adſcriberetur miraculum, præcepit cæco, ut formaret ſignum S. crucis: promptè obedivit cœcus, & viſum recepit, ac ſigno huic ſanctus attribuit miraculum. In vita S. Caroli Borromæi ſimilia leguntur exempla: quodam die nobili alicui benè veſtito daturus eleëmoſynam, quam is in ſuum ſubſidium petierat, ab initio valde largam dare decreverat: at quia exinde, neſcio qualem, ſentiebat pruritum vanæ oſtentationis, voluit ſe mortificare, & ſolum dedit quartam partem Julij. Id ſanè non fecit ex avaritia, quia uno die quadraginta aureorum millia in pauperes erogavit: nec minori charitate viginti millia, quæ ſibi legata fuerant, alio die diſtribuit: quinimò domeſticam ſupellectilem, ne relicto ſibi lectulo in alendos pauperes contulit. Adeò benè fundatus erat in contemptu & vilipendio ſuiipſius, ut cùm quadam vice ingrederetur Eccleſiam: in conſpectu totius populi dæmon ex obſeſſo ei inclamaverit: ô ſi tibi in vili iſto veſtimento affricare poſſem pauxillùm ſuperbiæ. Author ſive orator, qui, cùm vexillum ejus portaretur ad Eccleſiam S. Mariæ majoris, orationem ibidem habuit, dixit, ſanctum hunc Cardinalem interdum genibus flexis aſcendiſſe montem iſtum in honorem B. Virginis, quod, nè videretur ad hominibus, ſub noctem obſcuram faciebat contentus uno famulo.

Vita S. Carol. lib 8. cap. 25. in fin.

Juſtus comparatur apibus. S. Antioch. Hom. 45.

11. Quapropter Sanctus Antiochus juſtos meritò comparat apibus, quæ flores collectos ſine dilatione deferunt ad alvearium, ubi intra cellulas ſuas mel conficiunt: *Vir intelligens*, inquit, *ingenioſam & ſolertem imitatur apiculam, quos externè collegerit floſculos defert ad alvearium internè melliſicium favumque operoſius conficit; Ne labores tuos humanæ iſti gloriolæ exponas.* 4. Reg. 23. legimus: *Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Judæ, Soli, in introitu templi Domini, juxta &c.* Ubi controverſia eſt, de quibus equis loquatur ſacer textus, an de vivis, qui ſacrificabantur Soli: an vero de pictis: Sed Stephanus Cantuarienſis ad noſtrum ſe reflectens propoſitum, ſcribit: *Equi Solis ſunt, qui rapido curſu feruntur ad inanem gloriam acquirendam, tales profectò debent arceri.*

4 Reg. 23. v. 11.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Varia proferuntur exempla ſanctorum hominum, qui, ne vanam incurrerent gloriam, ſanctitatem ſuam celarunt.

THEMA.

Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinſecùs latet. Cant. 4. v. 1.

Sponſa maximè commendatur ab interna ſanctitatis pulchritudine.

1. Cœleſtis ſponſus dilectam animam commendat à pulchritudine oculorum ſuorum, comparans eoſdem oculis columbarum: *Quàm pulchra es &c.* per oculum in ſacris litteris denotatur

rectitudo intentionis: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Quæ tamen noſtro magis inſerviunt propoſito verba, ſunt iſta: *abſque eo quod intrinſecùs latet.* Alij legunt: *præter velamentum*; alij, *ſilentium*; alij, *taciturnitatem*; ac ſi ſponſus dicere vellet, ſe non ſolum mirari ac demirari venuſtatem dilectæ ſuæ propter oculos columbinos, ſimplices & verecundos, ſed potiùs propter internam virtutem & pulchritudinem ſpiritualem animæ: *abſque eo quod intrinſecùs latet.* Hæc eſt ſolida & vera ſanctitas, quæ rapit oculos Dei denotati per ſponſum in ſacris Canticis; *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Anima hæc variis ornata erat virtutibus, & coram ſuprema Majeſtate comparebat inſtar filiæ regis: at quis qualiſvè ornamentorum ſplendor rapiebat Dei amorem? *Omnis gloria ejus ab intus:* noverat optimè celare & abſcondere ſanctitatem ſuam.

Matth. 6. v. 22. — Pſal. 44. v. 14.

Abraham immolaturus filium ſuum omni modo occultavit pium hoc opus. 4 Reg. 3. v. 27. Pſal. 105. v. 37. Philo-Hebr. lib. de Abrah.

2. Abraham primus credentium pater quanta cum devotione Deo obtulerit unigenitum ſuum Iſaac, cunctis notum & manifeſtum eſt. Gentiles etiam filios ſuos idolis offerre ſolebant in ſacrificium; undè Rex Moab videns ſe arctiſſima cinctum obſidione ab hoſtibus, ſtatuit filium ſuum dare internecioni: *obtulit holocauſtum ſuper murum.* De Hebræis pariter conquerebatur Pſalmiſta: *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs:* at quo trahebantur fine ad ejusmodi ſacrificia? benè reſpondet Philo hebræus: *Cupidine gloriæ in præſens, & famæ in poſteros.* Longè aliter conſtituta fuit mens Abrahami ſiquidem poſtquàm Deus nocte ei præcepit executionem hujus ſacrificij, noluit præſtolari auroram & Solis ortum; noluit prius deſuper monere matrem, vel nonnullos ex conſanguinitate ampliſſima, ſed eadem pariter nocte: *de nocte conſurgens ſtravit aſinum &c.* iter inſtituit per montes aſperos & ſylveſtres: *nam quæ laus captabatur in ſolitudine* (quærit Philo) *ubi nemo erat applauſurus, data opera longè à tergo relictis etiam duobus famulis, nè ſe coram teſtibus oſtentare videretur.* Impeditus poſtmodum ab angelo e cœlo deſcendente, vocem hanc Dei, qua glorioſiſſimum illius deprædicavit encomium, audivit: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam &c.* Jam informari deſiderarem, utrùm aliquando ex ore Abrahami intellexeritis heroicam hanc reſolutionem, vel etiam ſimilia laudum encomia, quibus cœleſtis remunerator eum honoravit: Saltem ex ſacris litteris nihil conſtat, *ſecretum regis abſcondere bonum eſt*, Sanctus patriarcha dicere debebat. Verùm aliud audite exemplum.

Gen. 22. 3. — Ibid. v. 12.

Quomodo Patriarcha Jacob declinaverit vanam gloriam, occultando gratias divinas. Gen. 33. v. 13.

3. Cùm Jacob rediret ex Meſopotamia, & poſt inveteratum odium ſe fratri ſuo Eſau reconciliaſſet, ſolicitus omninò fuit, qua ratione concordiam illam cum fratre initam conſervare ac ſtabilire poſſet; undè ab Eſau fratre invitatus ad comitandum: *Gradiamur ſimul*, excuſavit ſe hiſce verbis: *Noſti Domine mi quod parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Verùm annon iſthæc frivola eſt excuſatio Jacob? Et verò rationabilis omnino videbatur iſta petitio Eſau, qui non inſtar tabellarij currere intendebat, ſed *gradiamur ſimul*, dicebat, neque etiam currere poterat, utpotè, jam oneratus & cumulatus opulentis fratris muneribus. Vultiſnè capere myſterium excuſationis hujus? Spiritus Sancti inſtinctus, actuſque perfectionis fuit: voluit, nimirùm, ſe continere & abſtinere à revelatione eximiorum donorum, quæ Deus illi præſtiterat, nè caperetur à vana gloria, vanaque ſui ipſius oſtentatione. Eſau compertum habebat, fratrem ſuum Jacob præteritis annis bonum fuiſſe ambulonem peditemque expeditum; at quia tunc videbat eum claudicantem, indubiè cauſam illius inquiſiviſſet, ac ſcire voluiſſet, undè Sapiens & humilis Dei diſcipulus, qui benè noverat *ſecretum meum mihi*, noluit ſe exponere periculo vanæ gloriæ, revelando fratri luctam illam, in qua cum Angelo luctatus, & luctando evaſerat claudus, uti nec cæleſtes ſuas benedictiones, neque permutationem nominis Iſraël, nec plura alia myſteria divina ei revelare intendebat; & ideo ſe excuſavit.

Iſa. 24. 16.

Hoc etiam fecit Moyſes.

4. Exodi cap. 4. ſimile factum conſiderare poſſumus de Moyſe, qui Ducis generalis totius populi Iſraëlitici inſignitus officio juſſu Dei conceſſit in Ægyptum; & tametſi prius Jethro ſocero ſuo valedixerit, nihil tamen ei communicavit de Generalatus

ſui

Exod. 4. v. 18.

sui dignitate à Deo obtenta, sed discessurus solùm dixit ei : *Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam, si adhuc vivant.* Res sanè mira, Moyses & sanguine conjunctus, & Jethro familiarissimus fuerat jam ab annis quadraginta, nec tamen quidquam ipsi revelavit de commissione sibi imposita. Profectò omninò rationabile fuisset, ut causam discessus sui, utpotè, sibi minimè interdictam, socero suo prius aperuisset, habita enim notitiâ tanti tamque sublimis officij ei impositi, divinæque assistentiæ promissæ in protegendo populo Israëlitico, è quo descenderat, tantò majus tempore absentiæ habuisset solatium. *Secretum meum mihi*, Moysen ipsum dixisse existimo : rationi quidem quodammodò consentaneum fuisset, ut socero suo revelasset stupendam illam visionem rubi, qui ardebat, & non consumebatur, colloquium & discursum habitum cum Deo, consilia & secreta sibi communicata circa defensionem & liberationem populi sui portentosæ virgæ virtutem, qua mira patraturus erat prodigia, imperium & authoritatem, qua pollebat in Pharaonem totumque ejus regnum ; at materia hæc ipsi Moysi odiosa erat, qui omnem aversabatur ostentationem, vanam gloriam & sulpisius complacentiam, siquidem non aliter ac vilis quidam pastor & Hebræorum fæcis instar reputari voluit, ideoque discessurus nil aliud dixit nisi : *Vadam & revertar ad fratres meos &c.* Adstipulatur huic meæ opinioni Rupertus Abbas, dictorum hactenùs rationem reddens paucis hisce verbis : *Quia non suam, sed Dei gloriam quærebat.*

Rup. Abb. ibid.

Joseph carceri inclusus, innocentiam suam manifestare noluit, timore vanæ gloriæ.

5. Sed quis non ante Moysen admiraretur Josephum, qui totus patiens, pacatus, sine murmure, sine ulla oppositione permisit se conjici in vincula & carceres tam duræ, tàm diuturnæ servitutis ? Perspectam habebat afflictionem patris sui, qui eum præ cæteris diligebat, poterat ipsum consolari nunciando ei optimam corporis sui valetudinem, poterat insuper ab angustijs illis sese eximere, si voluisset ; nihilominus miserabilem illum potiùs elegit statum in quo pluribus annis vixit ; cujus multæ adduci possent rationes, inter alias hanc tangunt aliqui, quod ad sublimem illam Vice-regis evectus dignitatem, nec apud patrem, neque apud fratres de veritate illius somnij in despectum illorum se jactare voluerit, omnemque jactantiæ occasionem fugerit ; ast dicamus nos & consideremus hanc aliam : injuste accusatus fuerat Joseph tamquam adulter, idque non sine exiguo detrimento honestatis suæ, quam multùm appretiabatur, neque sine præjudicio suæ gratitudinis, quam Domino suo debebat, & reipsa præstiterat, hoc tamen non attento consultius esse censuit, si causam suam non justificet, neque excuset, quàm quod petulantis illius mulieris calumniatricis manifestet delictum ; etenim justificando causam suam & Dominæ delictum manifestando, consequenter referre debuisset, qua ratione *per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti*, ipse vero heroico animo, generosaque resolutione recusaverit stuprum, semper dederit repulsam æterna memoria dignam, id quod sine jactantia & propria laude vix referre potuisset. *Per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti* ; quot & quantos heroicos exercuit actus toto continentiæ suæ tempore ? Quoties Deo obtulit obvias sibi blandas voluptates & incantationes, quæ interdùm innocentissimas etiam animas fascinare ac decipere solent ? Quoties carceri inclusus & compedibus vinctus se mortificavit non proclamans se innocentem ? Quapropter Deo adeò acceptus extitit, ut dicat S. Scriptura : *Descendit que cum illo in foveam ; & in vinculis non dereliquit eum* ; quia, nimirùm, heroicos hos actus virtutum in scrinio cordis sui fervavit absconditos, nec eos cum magno vanæ gloriæ periculo manifestare voluit.

Gen. 39. v. 10.

Sap. 10. 13.

Elias à se abiegare conatus fuit Eliseum ne videret quomodo in triumphali curru abriperetur.

6. Sciens Elias Propheta (uti legimus 4. Reg. 2.) Deo ita ordinante se transferendum ex hac lachrymarum valle novo & inusitato miraculo, discipulum suum Eliseum id latere, & ab eodem se separare studuit, quamobrem in Galgala dixit ei : *Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel* ; at quia Eliseus recusabat separari à suo charissimo Magistro rursum hic dixit ei Elias : *Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho.* Comitabatur nihilominùs Eliseus : *Cumque venissent Jericho, accesserunt filij prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, & dixerunt ei, numquid nosti, quia Dominus hodie tollet dominum tuum à te ? Et ait, & ego novi : silete. Dixit autem ei Elias : Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem.* Noverat enim Elias curru triumphali se hinc abripiendum, adeoque non sine speciali pompa ; ideoque quantum in se erat, quantumque poterat, à discipulo suo clàm se tribus vicibus subducere conatus fuit : *Modestiæ causa*, inquit Abulensis, *ne suam gloriam vel uni discipulo ostentare videretur.*

4. Reg. 2. 2. Ibid. v. 4. Ibid. v. 5.

Ibid. v. 6.

Exempla novæ legis.

Abulensis ibid.

7. Verùm descendamus ad exempla novæ legis Evangelicæ. Isaiæ cap. 11. legimus de Christo : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus &c.* omnia dona & thesauri Spiritus sancti beatissimæ animæ Christi infusi fuerunt, & à primo instanti incarnationis perfectissimum habuit usum rationis & discursus, veluti nunc habet sedens ad dexteram patris, *fœmina circumdabit virum* ; Nihilominùs per totum triginta annorum decursum nonnisi congressum, quem tamquam scholaris in templo habuit cum Doctoribus, reperietis ; tantorum annorum spatio Filius Dei, increata sapientia, nullum prorsus ostentavit miraculum, nullam doctrinam, nec alterius cujusdam prodigij fecit ostentationem ; benè quidem : *erat subditus illis*, nempè ipsi Joseph & Mariæ. Quo tempore, ut benè observat S. Antonius de Padua, adimpletum fuit illud oraculum : *Dilectus meus descendit ad hortum suum ad areolam aromatum, id est, humilitatem, quæ est procreatrix virtutum cæterarum. Nazareth locus humilis interpretatur, & flos, & significat humilitatem, quæ benè dicitur flos,*

Christi Domini.

Isa. 11. v. 2.

Jerm. 31. 22.

Luc. 2. 51.

S. Anton de Pad. serm. in Dom. inf. oct. Epiph.

8. Salmeron scribit : *Multi hoc desiderio sciendi, quid ab anno undecimo usque ad vigesimum fecerit Christus, discruciantur, quibus hoc verbo Lucas satisfacit : & erat Jesus subditus illis, orabat, jejunabat, sileba t, pauperibus parentibus collaborabat, ex quo & faber, & fabri filius à turba vocitatur.* Ecce exemplum, quod nobis reliquit, eodem nos instruens, nè ob quamcumque etiam virtutem, neque propter merita operationesque magnificas nos ostentemus, & vanè gloriemur. S. Bernardus serm. 4. in Psal. 7. ubi discurrens de B. Matre Dei exponit hæc Archangeli Gabrielis verba : *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, asserit specialissimum fuisse donum illud, quo Spiritus sanctus S. Deiparam dotavit, quando eam fœcundavit, simulque velavit & abscondit ab oculis Mundi eximiam ejus sanctitatem, præsertim verò Maternitatem ac Verbi æterni incarnationem : *Qualis forsitan abscon sio fuit vel obumbratio quæ Mariæ facta est à Spiritu Sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile sacramentum.* Existimat quoque S. Thomas de Villanova, sanctissimam Virginem nulli prorsus, neque etiam ipsi Josepho sponso suo revelasse altissimum illud secretum, tametsi ipsum videret totum anxiosum, sciretque ad ipsum pertinere cœlestis illius partus educationem ; sed expectasse tempus, quo ei ex parte Dei patris per cœlestem nuncium hoc ipsum declaratum fuit.

Salmeron. tract. 47.

Beatissimæ Virginis Mariæ.

Luc. 1. 35.

S. Bernard. serm. 4. in Psal. 9.

S. Thomas à Villanov.

9. Obtigit S. Paulo Apostolo specialis hæc prærogativa videndi Deum, ut Theologi loquuntur, *per modum transeuntis* ; aliquot vicibus raptus fuit ad paradisum, ubi ei revelata sunt secreta divina : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* ; & tamen ut colligitur ex ejus epistola, tacuit spatio quatuordecim annorum post raptum & visionem illam, nec minimam ejus fecit mentionem : *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* Ubi Theophylactus notat : *Ut discas, at cum quatuordecim annis conticuit, nec nunc protulisset quidem, nisi necessitate compulsus fuisset.* Ubi quoque observandum est, non id eum in propria, sed in tertia persona dicere : *Scio hominem* &c. ut omnem à se amoveat ostentationis umbram : ideoque Chrysostomus etiam ait : *Vide extenuandi verbis quàm large sit usus.*

S. Pauli Apostoli.

2. Cor. 12. 4.

2. Cor. 12. 2.

Theophyl. ibid.

10. S. Joannes Apostolus, quia Evangelistæ fungebatur officio, in sua historia simul mentionem facere voluit specialis eximiique illius honoris à cœlesti suo Magistro sibi exhibiti, quod, videlicet, supra pectus Domini in cœna recubuerit : ast ne desuper gloriari sibique complacere videretur, loquitur & ipse de se in tertia persona : *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Ubi benè observat S. Cyrillus Alexandrinus dicens : *Nomen suum celavit, ne inanis cujusdam gloriæ causa diligi se à Christo dicere videretur.* Diceres fortassis, aliquantulùm saltem propriæ laudis ex suo profluxisse

S. Joannis Evangelistæ.

Joan. 13. 23

S. Cyrill. Alex. lib. 9. in Joan. c. 151

fluxisse calamo, cùm scribit : *Discipulus ille erat notus Pontifici.* Verùm respondeo, ipsum hoc scribendo voluisse potius tegere & celare amorem suum, quem præ aliis Apostolis habebat excellentiorem in Christum, dum ipsum in passione semper secutus fuit ; hanc enim continuam sequelam suam palliavit hoc prætextu, quasi familiaris & amicus aulæ huc accesserit : *Animadverte* (ait D. Chrysostomus) *quomodo propriæ laudi demit, ne quis enim diceret, quomodo omnibus aufugientibus ipse ingressus est, causam affert, quod esset notus Pontifici.*

D. Chrysost. Ibid.

S. Matthiæ Apostoli.

Psal. 7. 10.

Actor. 1. 23.

Hugo Card. ibid.

11. In S. Apostolo Matthia hunc eumdem inveniemus Spiritum celandi & abscondendi virtutes suas ac merita insignia ; etenim ab illo, qui *scrutatur renes & corda*, prælatus fuit ipsi Barsabæ, qui per antonomasiam vivæ vocis oraculo nuncupabatur justus : *qui cognominatus est justus* ; unde Hugo Cardinalis : *Tantæ*, inquit, *virtutis fuit, ut etiam à Romanis, qui eum noverant, justus diceretur.* Et tamen Matthias superabat ipsum in sanctitate, veluti eventus demonstravit ; at sanctitatem suam meliùs celare noverat ; undè idem Hugo subdit de S. Matthia, dicens : *Interpretatur donum Dei, cui donum Apostolatus à Domino collatum est ; vel Dei parvus, & nota quod merito parvi transgreditur ille, qui laude hominum justus erat.*

S. Ignatij.

Sur. 8. Jan.

Aliud notabile exemplum.

12. Ribadeneira scribit de S. Ignatio : *Illud Dei misericordia est consecutus, ut per multos annos antequàm è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit, imò verò usque adeò luce divina erat perfusus, ut quique perfectè cognitor atque contemptor, ut nullum se vitium diceret minùs extimescere, quàm vanitatis & gloriæ inanis.* Surius in vita de S. Severino Abbate refert de magno quodam sancto, quod cùm multi ex diversis mundi partibus ad eum accurrerent infirmi, præcipue verò à dæmonibus obsessi, ut ab iis liberarentur, timens vir sanctus pungentem stimulum vanæ gloriæ, Deum exoravit, ut & ipse à dæmone obsideretur, quod & obtinuit, & à maligno Spiritu, uti reliqui, tamdiù vexatus fuit, quousque liber evasit ab omni vana gloria, simulque à dæmone exemptus fuit.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Modus ostenditur, quo opera bona, ne perdant meritum, à vanâ gloria tueri possimus.

THEMA.

Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Matth. 6. ℣. 3.

Bona opera nostra etiam nobis ipsis ignota esse debent.

Corn. Jans. concor. c. 41.

1. QUi sapientissimus Redemptor optimè cognoscit damnum, quod de vana gloria reportare possumus, summoperè nobis præcipit bonorum operum custodiam & tutamen, non ab aliorum damtaxat oculis, sed etiam, si possibile esset, à propria nostra notitia ; Siquidem nos monet : *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua &c. Ut sit sensus* (scribit Jansenius) *adeò secretè eleemosynam facito, ut ne familiares quidem tibi conscij sint ejus, quod agis* ; per manum namque sinistram nonnulli intelligunt domesticos & familiariores ; nihilominùs, velut & ipse cit. author inhærens sententiæ D. Chrysostomi existimat, cœlestis Magister hac loquendi phrasi uti voluit, ut nobis imprimeret exprimeretque, omne nobis adhibendum esse studium omnemque operam in extirpando hoc vitio : *Hic quoque non manus voluit intelligi* (inquit Chrysostomus) *sed exaggeratum posuit hunc sensum : Si, inquit, possibile est, te ipsum quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio, & si fieri potest, nec manus, quibus id peragitur, conscia sint.*

D. Chrysost. Hom. 19. in Matth.

Quid intelligatur per manum dexteram & sinistram.

Theophyl. ibid.

S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. c. 4.

S. Thom. in Matth. ibid.

2. Theophylactus per manum sinistram intelligit vanam gloriam, & per dexteram eleëmosynam : *Sinistra est inanis gloria, dextera verò eleëmosyna, nesciat igitur eleëmosynam inanis gloriæ.* S. Augustinus eamdem admittet interpretationem : *Sinistra*, inquiens, *videtur significare delectationem laudis.* Præ cæteris dilucidè in nunc textum, scribit Doctor Angelicus, discurrens his verbis : *Per sinistram intento perversa designatur vanæ laudis ; per dexteram intento sancta implendi præcepta Dei, ut dicit Augustinus, unde nesciat sinistra tua, id est, non se immisceat perversa intento laudis vel elationis, quid faciat dextera tua, id est, cùm præcepta Dei implere contendit.* Porrò adeò abstractus & semotus fuit hic Sanctus Doctor ab omni umbra vanæ gloriæ, ut, tametsi tempore suo totius Christianitatis fuerit oraculum, tùm ob eminentem

S. Thomas Aquinas planè semotus fuit ab inani gloria.

suam Sapientiam, tùm etiam ob admirabilem sanctitatem, numquam, nec per umbram infectatus fuerit à vana aliqua complacentia ; undè in vita ejus postremo in lucem edita à P. Paulo Frigerio Congregationis nostræ Sacerdote legitur, quod à primis annis hostis exciterit applausus populares in studijs ; ac imitationem S. Ephrem Syri desideraverit *non videri sed potius esse* ; numquam ex ore ejus audita fuerint verba propriæ æstimationis, numquam etiam in anima sua senserit delectationem aut complacentiam vanæ gloriæ ; undè cum bona occasione dixit & confessus est F. Reginaldo : *Deo gratias ago immortales, cùm inanis superbiæ morbo numquàm laboraverim.* Ecce igitur, qua ratione siniſtra, videlicet, stimulus mundanæ gloriæ non habuerit communicationem ullam cum dextera heroicarum sanctarumque suarum operationum, ut propterea meritò ipsi credendum sit.

V. S. Thom. lib. 2. c. 19.

Quomodo Paulus declinaverit vanam gloriam in operibus bonis.

3. S. Apostolus Paulus, qui cum veritate potuit dicere : *Plus omnibus laboravi*, esto in conclavi cœli empirei, ubi *audivit arcana verba*, instructus fuerit, esto etiam tamquàm oraculum Spiritus Sancti & miraculum incarnatæ increatæque Sapientiæ docuerit Ecclesiam, nihilominùs exponit & declarat in multorum se veniſse oblivionem ; ast audite, quorum ? omnium istorum bonorum operum, quæ præterlapso exercuit tempore : *Quæ quidem retrò sunt oblivisci, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum.* Unicum hoc est medium, ne quis vanam de se concipiat opinionem & gloriam, ut omnia jam peracta bona opera oblivioni tradat, & tamen credat jam primò se frequentare scholam Christi, & prima Christianæ perfectionis adhuc addiscere rudimenta. Exemplo eleëmosynæ insinuavit nobis Salvator noster, quo modo & quo fine instituenda sint cætera bona opera, ne meritorum suorum patiantur jactura : *Ut sit eleëmosyna tua in abscondito*, ait Salvator noster, *& pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Tametsi verum sit, non omnem eleëmosynam posse esse secretam, attamen, ut interpretatur Jansenius, ad intentionem, quâ opera bona exercenda sunt, alludere voluit : *Si accipiatur ut præceptum, ad intentionem referri debet, non enim præcipitur, ut omninò secreta sit eleëmosyna, sed ut intentio facientis aliena sit ab eo, ut quærat videri ab hominibus, & quantum ad se spectat, in abscondito fiat. Si autem accipiatur ut cautela, instruimur, ut nostræ infirmitati consulentes, ne obrepat in eleëmosynam vana gloria.*

Ad Philip. pen. 3. 13.

Matth. 6. 4.

Corn. Jans. loc. cit. Sup.

4. Digna consideratione est doctrina illa, quam nobis reliquit S. Philippus Nerius, in cujus vita legimus sequentia : Multi quotidiana ejus gaudentes conversatione observarunt, quod in suis actionibus numquam propriam habuerit complacentiam ; ita humilis extitit, ut, sicuti de S. Thoma Aquinate legitur, vanæ gloriæ nullum prorsus senserit stimulum : curam insuper omnem adhibuit, ut sui quoque hanc conquirerent virtutem, & quemadmodum S. Joannes Evangelista continuò suis inclamabat discipulis : *Diligite vos invicem* ; ita Philippus aliud non dicebat, nisi : estote humiles, idque semper urgebat. Quapropter cùm die quodam Franciscus Maria Tarugi sermonem haberet, magnoque fervore spiritus exaggeraret excellentiam & utilitatem patientiæ, idque cum universali auscultantium applausu, sanctus pater audiens hunc discursum, quia suspicabatur verbi divini præconem vana inde correptum esse gloriâ, solito more suo strepitum excitare cœpit, ac surgens postmodum, manuque columnam vicinam compulsans, omnium auditorum ad se pertraxit vultus, quod tamdiù continuavit, quousque sermoni fuit impositus finis ; at quamprimùm Concionator è cathedra descendit, ipse ascendit, altaque voce dixit, neminem è congregatione sua habere occasionem sese jactandi & superbiendi, eo quod nullus in eam usque horam inventus fuisset, qui minimam sanguinis guttam pro Christi amore profudisset, bene quidem ex illius servitio & sequela reportassent, ac reportarent continuò honorem & reverentiam ; & hanc materiam satis dilatabat cum magna auscultantium ædificatione. Exhortabatur suos insuper, Dominum Deum orarent ut si quam eis dignaretur elargiri virtutem, aut donum aliquod, prorsus celaret, quatenùs se continerent in humilitate, nec superbiendi caperent occasionem ; undè quotiescumque aliquid dicebant, quod in eorum resultabat laudem, subitò respondens dicebat : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Præterea juxta doctrinam SS. Patrum distinguere solebat tres species vanæ

S. Philippus Nerius summopere detestatus fuit vanam gloriam.

Tres species vanæ gloriæ.

gloriæ: primam vocabat dominam, quia tunc vana gloria instar Dominæ est, quotiescumque illa præcedit, & propter illam fit opus. Secundam vocabat sociam, quando homo non facit quidem directè opus propter finem vanæ gloriæ, nihilominùs in ipso opere percipit aliquam propriam complacentiam & vanam gloriam. Tertiam dicebat esse servam sive ancillam, quando ex opere peracto consurgit vana gloria; at subitò reprimitur; undè monere solebat suos dicens: Attendite diligenter, & ad minus curate, ne vana gloria fit Domina.

Matth. 6. 3.

Crysolog. serm. 9.

Qualis sit justitia quæ non debet fieri coram hominibus.

5. Verùm discursum nostrum revocemus ad consilium Evangelicum: *Nesciat sinistra tua &c.* Ubi ponderandum est argumentum S. Petri Chrysologi efficaciter concludentis: *Putas quam vult nescire alterum, qui teipsum qui facis, vult aliqua tui parte nescire?* Thema hujus sermonis est: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus;* Movet igitur hoc dubium: *Justitia lux rerum consilijs non velatur obscuris. Justitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est quod eam Dominus coram hominibus non vult fieri, per quam statum capiunt res humanæ? & ubi est illud: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est? Quomodò justitiam vult celare, cujus opera vult sic elucere?* Et proposito nostro conformiter difficultatem solvit dicens: *Fratres hæc præceptio cœlestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriam; Sic justitiam vult celare. Justitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit; à Deo genita cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo; ut glorificetur, expectat. Sed hæc est justitia quæ ex Deo est; illa verò justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est; mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, trahit populos, seducit turbas, famam vendit, emit clamorem; sit sæculo, Deo non sit; mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa, non videns, vult videri.*

Matth. 25. v. 35.

Justi ex humilitate credunt opera ipsorum bona nullius esse valoris.

Ibid. v. 40.

Ibid. v. 37.

Philip. 3. 13.

6. Cunctis notus est processus, quem Judex supremus, Christus Dominus instituet in die judicij; electis dicet: *Esurivi & dedistis mihi manducare; Sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me &c.* Nec aberrabit æterna hæc & infallibilis veritas, sed verum dicet, quod & declarabit: *Quod uni ex minimis meis &c.* at si hoc ita est, quo modo *respondebunt ei justi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te, sitientem, & dedimus tibi potum &c.* Ergonè bonorum operum, meritorumque quæ acquisivere, obliti sunt? Omninò: *Quæ retro sunt obliviscens &c.* Veri & perfecti servi Dei bonum, quod faciunt, non recordantur, exactè observant documenta Evangelica: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Ratio est, quia ex humilitate credunt opera sua nullius esse valoris, sicque nullam concipiunt vanam gloriam & jactantiam, ne æternæ immortalisque gloriæ faciant jacturam.

Paul. Oros. in apolog. lib. arbit.

7. Audite Paulum Orosium, quid in apologia liberi arbitrij in favorem nostrum scribat: *Justi in illa die judicis operum suorum glorias audientes, adhuc tamen, velut ignorantes, interrogabunt: Domine, quandò te vidimus & hæc fecimus tibi?* Quia justi ex instinctu modestiæ & humilitatis hunc in præsenti vita habuerunt morem & usum, ut obliviscerentur bonorum operum, quæ fecerunt, eumdem quoque retinebunt in die judicij, ut nullius operis boni recordentur, quo securi aditum sibi parabunt ad cœlestes nuptias, alieni ab imitatione stultarum virginum.

Seneca epist. 80.

Multi potius famam prostituere, quam periculo vanæ gloriæ se exponere maluerunt.

Matth. 6. v. 17.

S. Hieron.

8. Audiamus etiam moralem Senecam, quàm solidè discurrat, agens de soliditate virtutis: *Virtutum omnium pretium in ipsis est, rectè facti merces est fecisse. Nemo mihi videtur pluris æstimare virtutem; nemo illi magis esse devotus, quàm qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet.* Quot & quantos admiramur in historiis sacris, qui ut mundi fugerent applausum, populi devoti venerationem & laudem, potiùs famam suam apparenter prostituere, quàm vanæ gloriæ periculo se exponere voluerunt? Ut hanc fugeremus, Salvator noster præter jam tradita, plura alia nobis consignavit documenta; recogitate istud consilium Evangelicum: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo qui est in abscondito reddet tibi.* Notat S. Hieronymus, Palæstinis eum fuisse usum & morem: non lavabant facies suas, sed eas suffiebant dumtaxat, quando tristitiæ indicium dare volebant; è contra compariturí læti, hilares & festivi, comebant se & poliebant; ecce finem & scopum, in quem collimabat documentum cœlestis Magistri, intendebat, videlicet, veris fidelibus insinuare, ut in exercitio bonorum perfectorumque operum publicè non appareant, multò minùs aperiant, sed abscondant ab oculis mundi rectam intentionem & bonitatem interiorem, ne vana gloria meritum nostrum dissipet ac devoret. Ubi etiam notetur hæc Paschasij sententia: *Hominibus ille jejunat, qui favore eorum captus vanam gloriam quærit.*

S. Paschas. lib. 4. in Matth.

Laus bonorum operum redundare debet in Deum.

Matth. 5. 16.

9. Opponi posset huc usque dictis monitum illud Christi Domini, quod & supra num. 3. tetigit Chrysologus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* at in promptu responsio est, pientissimus namque Dominus documentum hoc tunc dirigebat ad Apostolos, ut *Ecclesiarum principes;* Superioribus autem necessariò competit, ut in conspectu subditorum bene operentur, ut illis formam, normam ac exemplum præbeant; Nihilominùs modus etiam observandus est, quem insinuat circa gloriam & laudem horum bonorum operum, quæ fiunt in conspectu hominum: *Ut glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Igitur quamvis in conspectum mundi, populique applausum prodeant eorum bona exempla, attamen scire debent totam eorumdem laudem & gloriam redundare debere in æternum patrem, qui in cœlis est: *Aliquando sancti viri* (inquit S. Gregorius) *& coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsis eisdem operibus sed Pater eorum qui in cœlis est, debeat glorificari.* Idque ostendit exemplo concionatoris: *Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortassè respicitur, quorum vita nescitur; compelluntur ergò vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare.* Idem S. Pontifex lib. 8. mor. hanc tradit doctrinam: *Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus; Si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi à multis ignorentur.* Tandem concludit: *Est plerumque ut bonum opus, & in occulto sit, cùm fit publicè, & rursus in publico, cùm agitur occultè; qui enim in publico bono opere non suam, sed superni patris gloriam quærit, quod facit abscondit, quia solum illum testem habuit, cui placere curavit; & qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, & nullus fortasse vidit, quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde quæsivit.*

S. Greg. lib. 19. mor. c. 18.

Idem. lib. 8. moral.

Exemplum S. Ruggerij Franciscani.

11. In vita S. Ruggerij Ord. S. Francisci legitur, quod post eximia à Deo recepta dona patri suo spirituali dixerit: quid habet homo de quo gloriari possit? De gratiis & donis, quæ ex liberali Dei manu suscipit, tamquàm de re sua, quæ ad ipsum solum pertinet, gloriari potest. Solebat insuper dicere, quod si ipse omnium hominum esset probissimus & integerrimus, id non ob aliam causam & finem sciri desideraret, nisi ut Deus laudaretur in donis suis, quibus ex infinita sua bonitate vilissimum quoque honoravit vermem. Hac munitus humili cogitatione & opinione numquam ullum vanæ gloriæ passus est stimulum.

Similitudo pictorum aptatur vanæ gloriæ.

Matth. 5. 17.

Matth. 6. 1.

D. Chrysost. Homil. 19. in Matth.

11. Ingeniosa mihi occurrit observatio meritò hic describenda: Celebriores ac peritiores pictores imagines planè nudas depingunt, ut hac ratione magistralem artem suam cunctis notam faciant ac manifestam, alij verò pictores minus periti talibus imagines & figuras depingunt coloribus, ut undequaque excepta facie appareant vestitæ, nec frustrà, sic enim minus subjiciuntur censuræ de erroribus hujus artis ferendæ; ad eumdem modum Sancti, qui sunt perfectiores, magisque stabiliti in virtutibus & spiritu perfectionis, liberiùs functiones publicas obire, ac sine periculo propriæ complacentiæ & vanæ gloriæ in conspectu populi exercere possunt stupenda & sancta opera: *Ut glorificent patrem qui in cœlis est.* Ast illi, qui adhuc imperiti sunt in virtute, & in ea nondum satis fundati facilè incurrere possunt periculum vanæ gloriæ. Quapropter *attendant ne justitiam faciant coram hominibus*, cauti sint & circumspecti &c. Non sine mysterio præmisit hoc verbum: *Attendite*, quia multi in via perfectionis imperiti sunt, neque notitiam habent artis astutissimi Serpentis, qui se in angelum lucis transformat: *Attendite quasi de insidiosissimo aliquo Serpente loqueretur* (D. Chrysostomi verba sunt) *potentissimoque ad fraudandum eum, qui non tota prorsus*

Auctor. imperf. ope. Hom. 13.

prorsus mente vigilasset. Auctor imperfecti operis opportunè nos quoque monet: *Concupiscentia vanæ gloriæ non solam servos diaboli, sed etiam servos Dei & viros fideles impugnat.*

DISCURSUS VII.
ARGUMENTUM.

Qui ob vanam gloriam dumtaxat benè operatur, meritorum veræ gloriæ facit jacturam, & sine omni fructu laborat.

THEMA.

Sicut tela aranearum fiducia ejus. Job 8. ℣. 14.

Curiosa descriptio telæ aranearum.

Pineda in c. 27. Job num. 18.

Applicatio ad vanam gloriam.

Matth. 6. v. 16.

1. EXpositurus Spiritus Sanctus irreparabilia damna in eos redundantia; qui in operibus bonis permittunt se seduci à vana gloria, haud poterat insinuare nobis comparationem aptiorem istâ: *Sicut tela aranearum &c.* Araneæ diuturno tempore laborant, seseque eviscerant, ut plurima distendant fila, & iisdem intexant retia ad capiendas muscas. Pulchrè facer quidam interprès describit, quâ ratione hæc animalia miro artificio retia sua texant & conficiant: circumferentiam primò partiuntur quatuor filis æquali spatio à se dissitis, & ad modum crucis distentis per quatuor partes, & ab his per circuitum deducunt alia fila, ita tamen ut ab omni parte æquales relinquant sectiones: *Nectunt suas telas*, inquit author ille, *in quatuor circulorum quasi sectiones, quorum quælibet sectio viginti item sectiunculas alias, & fila viginti contineat inspicienti curiosius constare poterit. Octoginta igitur circulis aut sectionibus constat tela tota.* Videbitis hanc bestiolam, cùm in labore suo occupata est, centies ac millies mira velocitate hinc & indè currentem, recurrentem, per gyrum ducentem fila, quandoque per transversum eadem attexentem; at quis ejus finis? eviscerat se, enervatque, ut rete suum ordiatur & perficiat. Sed quid? unicus venti flatus, unicus motus scoparum dissipat, destruit ac secum tollit totum istum laborem. Ecce propriissimam pro casu nostro similitudinem: Erit quispiam Deo serviens in timore, sanctitate & justitia triginta aut quadraginta annorum spatio, multa & varia colliget merita bonorum operum, eleëmosynarum, jejuniorum, ciliciorum, mortificationum, orationum, diversarum peregrinationum, operum misericordiæ tùm spiritualium, tùm corporalium; at denique quid erit? Vafri Serpentis infernalis stratagemate concitabitur unicus flatus vanæ gloriæ, unicus actus propriæ complacentiæ, qui cunctos hos labores & sudores tanto tempore exantlatos apud Deum prorsus inutiles efficiet ac invalidos: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus,* Et quid inde sequetur? Audite ipsum Dei oraculum, de quo scriptum est: *Spirituum ponderator est. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.*

Eccle. 1. v. 3.

Vana gloria dissipat omnia bona opera.

Mirabile exemplum & punitio vanæ gloriæ.

2. Ecclesiastæ sententia est: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, quid amplius habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* ac si diceret, omnia perdit, cuncta secum tollit & rapit ventus vanæ gloriæ, *Laborare sub sole*, idem est, quod laborare in vinea Dei, ita tamen, ut habeat laudem & applausum mundi; at hoc est recipere hic mercedem suam, & quæ hujus utilitas? In vita S. Pachomij legimus de monacho quodam, qui duas contexuerat sportas, ubi alij juxta superioris mandatum unam dumtaxat confecerant? undè ambas exposuit spectandas, ut laudem reciperet sua industria. Verùm S. Pachomius advertens ibi diaboli latere fraudem, ideoque suspirans aliis Religiosis dixit, infœlicem illum infœliciter toto die laborasse, eo quod laborem suum consecrasset diabolo, gloriam humanam præponendo divinæ. Acriter igitur illum reprehendit, conformiter promeruerat, eique sequentem injunxit pœnitentiam, primò ut cum sportis illis humeris impositis aliorum, qui ad divina persolvenda transibant, precibus se commendaret; insuper cum iisdem sportis tempore prandij jussus est intrare refectorium; præterea quinque mensibus inclusus fuit cellæ solo pane & aqua contentus; denique mandatum fuit, ut in dies binas texeret sportas, & nullus ei prorsùs loqueretur. Ecce quid non fecerunt illuminatissimi servi Dei in detestationem hujus vitij, quod instar prædonis viatoribus invigilat, ut eos omni opere bono spoliet.

3. Magna profectò dementia est, quod rationalis creatura ad æternam creata gloriam in præsenti vita sudet, incessanter laboret ob mundi gloriam, non modò vanam, sed etiam transitoriam & fallacem, idque ex inimici sui instigatione. Quod primus reprobus damnetur & pereat ob invidiam & homicidium; Abiron propter ambitionem; Zambri ob luxuriam; Judas propter avaritiam; dives epulo propter crapulam, quid mirum? ast quod homines Christiani per exercitia bonorum sanctorumque operum, per quæ æternam lucrari possent beatitudinem præcipites agantur in abyssum perditionis, quia in operibus bonis superbiunt & vanè gloriantur, magna sanè stultitia est: *Pœnam de pretio salutis miseri mercantur æternam*, ait Venerabilis Beda, esto in alio proposito. Et S. Petrus Chrysologus serm. 7. asserit: *Nec ab hominibus invenisti laudem, & apud Deum fructum jejunij perdidisti;* hoc secundùm facile intelligitur; at primum, videlicet, quod non recipiat laudem apud homines, quomodo verificatur? Respondeo non tantùm homines sapientes & cautos, verùm etiam alios mundanos, Deo permittente advertere & penetrare intentionem illam & finem vanæ gloriæ & ostentationis, quo moventur tales ambitiosi & cupidi inanis gloriæ, undè tantum abest, quod indè ædificentur, ut potiùs scandalizentur. Prosequitur jam Chrysologus discursum suum: *Elaborasti*, inquiens: *jejunijs, ut labor tibi jejunij non prodesset; abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti undas, enatasti jejunij pelagus, at in ipso portu jejunij naufragasti.* Sed qui potest homo in ipso portu pati naufragium? annon portus securissimum refugium & receptaculum est, quo se recipiunt naves mercibus ditissimis oneratæ, ut tempestates evadant piratarumque persecutiones? Ita est, si agatur de ventis, qui oceano & mari huic dominantur; at res aliter constituta est; si agamus de vento vanæ gloriæ, hic namque in naufragium & perditionem inducit animas spiritualibus & cœlestibus mercibus onustas, quod plerumque fit, quando sunt in portu, nimirùm, quando jam incipiunt appellere & attingere littus paradisi. Hujus naufragij rationem reddit idem Sanctus, dicens: *Quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est, quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti miseræ fraudis usuram.*

Magna stultitia est hominem ad æternam gloriam creatum, vanam captare gloriam.

Ven. Beda.

Petrus Chrysol. serm. 7.

Vana gloria comparatur vento.

Vana gloria optimam medicinam bonorum operum vertit in venenum.

Idem Chrysol. l. cit.

4. Quid diceres de remedio & pharmaco ad curandum aliquem lethaliter infirmum ob diversorum ingredientium virtutes aptissimo, quod tamen ob infirmi malitiam in pestilens & mortiferum converteretur venenum? Opera facta in gratia, in charitate & amicitia Dei securissima remedia sunt ad obtinendam æternam salutem; quot Christiani reperiuntur, qui non annos aliquot, sed longum vitæ cursum impendunt bonorum operum exercitio; & quid tandem contingit? Stimulati & illecti à blanditijs applausus humani, vanæque gloriæ, Medicinam convertunt in venenum, nimirùm, valorem operum meritoriorum amittunt, vanâ & fugaci hujus vitæ contenti gloriâ. Quapropter idem Chrysologus occasionem habebat exclamandi: *Fratres fugiendum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen.*

Ex vana gloria bona opera faciens, infinitum incurrit damnum.

Matth. 7. v. 21.

S. Aug.

S. Cyrill. Alex. lib. 3. in Joan. c. 27.

5. Matth. cap. 7. Voluit Salvator noster nobis ostendere & manifestare infinitum damnum, cui subjacent omnes isti, qui ex motivo vanæ gloriæ, non ut Deo placeant, virtutum exercent opera, cùm ait: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquàm novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Desideratisne intelligere, quænam fuerit causa præcipitij illorum? ea ex similitudine, quàm paulò post subjungit, colligitur: *Qui ædificavit domum suam super arenam, descendit pluvia, & venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Venti, nimirum, vanæ gloriæ flaverunt, & totius ædificij ruinam causarunt; & qui hoc? S. Augustini monitum est: *Cogitas magnam fabricam construere? De fundamento prius cogita humilitatis;* ergò ruina quævis timenda est, quando spirituale ædificium non habet profunda humilitatis, contemptusque omnis humanæ gloriæ fundamenta. Sanctus Cyrillus Alexandrinus rationem reddit, cur Christus Dominus illos reprobaverit, dicens: *Non enim probè me quæsistis, nec sanctimoniâ splendere voluistis, sed mercatur.*

turæ modo religionem ostentastis, propterea vos non novi.

Magna fatuitas est spe vanæ gloriæ benè operari. *Pet. Blesen. epist. 14.*

6. Horum hominum miseriam valde deplorat Petrus Blesensis epist. 14. *Perditæ, inquiens, vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant; nonne figuram aranеæ gerunt, quæ de suis viscеribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam? Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi muscа vilissima.* Revocate in mentem, quod ait Propheta Micheas: *Tu seminabis, & non metes; tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum.* Quantum ad sensum litteralem, alludere fortassè voluit ad hostiles illas depræda-

Mich. 6. 15.

tiones aliaque damna à vicinis inferenda; quantùm ad sensum moralem Stephanus Cantuariensis exponit hunc texum in favorem nostrum, asserens: *Tu calcabis olivam, & oleo non ungeris, id est, tu venaberis gloriam, de qua dicitur, oleum adulationis, & tamen eam minimè assequeris.* Sed si homo vanus lucratur æstimationem & applausum apud homines, annon acquiret gloriam? minime, illa namque, quam ambit, vel jam obtinet, non meretur nomen gloriæ, quia non est vera, sed vana & vacua. Annon summa esset stultitia, si quis pro vitro daret adamantem gemmam inæstimabilis valoris? propria complacentia, vana jactantia & gloria, quam quis habet in operibus bonis, fragilis instar vitri est, & exigui valoris, illam damus pro adamante, privantes nos, videlicet, beata & immortali gloria. Verùm quemadmodùm possidens adamantem, virtualiter etiam habet vitrum, ita qui à Deo solo expectat laudem, gloriam & mercedem de suis bonis operibus, apud homines quoque summum obtinet honorem & reverentiam: *glorificantes me glorifico.* Nimis debile fulcrum & fundamentum est opinio mundi, quæ facillimè variatur & mutatur, & quis sapiens supra hanc operationes suas stabilire vellet, hominum sectando applausus, qui ex rumore omnino vano resultare possunt, & dando repulsam stabili & permanenti in cœlis gloriæ?

Steph. Cant. ibid.

Vana gloria comparatur ærugini.

7. Nota est sacra illa historia de Eleazaro, qui, postquàm irreparabilem in campo hostili fecit stragem; tandem aggressus est & invasit Elephantem; esto hic mobilis instar turris prodierit, totique exercitui terrorem incusserit. At quid evenit? Sub vasta illa mole mansit Eleazarus oppressus, *suo sepulcus triumpho*, inquit S. Ambrosius. D. Gregorius factum hoc applicat casui nostro, dicens: *Eleazar in prælio Elephantem feriens siravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergò iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsis quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.*

1. *Machab. 6. v. 46.*

Vanam captantes gloriam compagantur Eleazaro.

S. Greg. Magn. lib. 19. mor. c. 13.

8. Cum sacer textus in persona Samuëlis tractat de ritu Nazarеorum, qui radebant caput, & nutriebant comàm, introducit matrem hujus Prophetæ Annam in hæc verba prorumpentem: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* Hunc textum Stephanus Cantuariensis in sensu morali explicat, asserens: *Filius Annæ est opus aliquod contemplativum hujus filij caput raditur, cum opus contemplationis ad inanem gloriam refertur.*

1. *Reg. 1. 11.*

Steph. Cant. in allegor. Bibli.

9. S. M. Ecclesia ex speciali motione & inspiratione Spiritus Sancti, in principio jejunij, aliorumque operum quadragesimalium ad perfectionem directorum, legit Evangelium illud, in quo quilibet homo Christianus monetur, stimulaturque ad fugiendam vanam gloriam & ostentationem in bonis operibus hisce verbis: *Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito &c.* Ne frustra laborent, & sine fructu, ideò sequitur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur.* Rubigo consumit fulgorem ferri, & tinea corrodit subtilem pannum; idem prorsus damnum operantur rubigo & tinea vanæ gloriæ, devorant animæ merita, & monetam congregatam pro comparanda æterna gloria consumunt. Rabanus citatus ab Angelico: *Allegoricè*, inquit, *ærugo significat superbiam, quæ decorem virtutum offuscat.*

Matth. 6. 18.

Rabanus apud D. Thom.

10. In Evangelio pariter, quod legitur fer. 6. Cinerum, Ecclesia post inimicorum dilectionem rursùs nobis inculcat fugam vanæ gloriæ verbis illis, præcedentibus discursibus allegatis, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum.* Quis adeò amens & fatuus esset, qui toto vitæ suæ tempore inter tempestates navigaret ad antipodes, ut magnum congregaret thesaurum, non alium in finem, nisi ut reperens portum divitias congregatas monstraret suis civibus, monstratasque deinde projiceret in profundum maris? Quot & quanti sunt, qui pluribus annis accumularunt merita æternæ beatitudinis, postèa victi superbia & vana gloria perdunt veram & æternam gloriam? *Mercedem non habebunt apud patrem; ex quo enim* (ait Lyranus) *intentio fertur ad homines tantum, non est aliquid à Deo juste expectandum.* Observate Christum Dominum non dixisse absolutè: *Mercedem non habebitis*; sed addidisse: *apud Patrem vestrum. Et mandatum dat, & pœnam proponit* (inquit author operis imperfecti) *ut vanitatem humanam, etsi non amor justitiæ tenet, vel timor Domini refrænet.*

Christus nos deterret à vana gloria. *Matth. 6. 1.*

Lyran.

Auct. op. imp. Hom. 13.

11, Quapropter nos monet Sanctus Petrus Chrysologus: *Qui inter tineas, rubiginem, fures sua ponit, exponit quæ sua sunt, non reponit.* Qui merita bonorum suorum operum vult conservare, ea Deo committat; commendetque in absondito, veluti nobis consulit filius æterni patris, etenim indubitata nobis facta est promissio: *Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Quàm securus dormit* (inquit S. Chrysologus) *qui Deum suorum meruit habere custodem; quàm nescit curas, quàm deponit angores, quàm non est anxius, quàm servorum suorum sarcit fastu, qui sua patri servanda committit.* Magnus & eximius Magister Spiritus Thomas à Kempis signum nobis subministrat, ex quo certò colligere possimus, quando quis sincero corde desiderat cœlestem gloriam: *Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat; & qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur cœlestem.*

S. Chrysol. serm. 7. ibid.

Qui ex vana gloria bene operatur exponit sua furibus.

Thom. à Kemp. lib. 3. c. 6.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

De jactura veræ gloriæ, quam facimus, temporalem recipientes mercedem loco æternæ.

THEMA.

Mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 6. v. 1.

Jacturam veræ gloriæ facit, qui vanam gloriam de bonis operibus quærit.

1. QUi vanæ gloriæ avidus est, audiat & intelligat, quid dicat, clarisque verbis & sine glossa determinet Rex æternæ gloriæ, prima & infallibilis veritas: *Ego Deus & non mentior.* Monuerat discipulos suos: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, & statim subdit: *Alioquin mercedem non habebuis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Si mercedem & retributionem de bonis nostris operibus apud mundum & in conspectu hominum appetamus, & cum hoc etiam speremus remunerationem in cœlis, decipimur: *Mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Misericordiam coram se solum vult fieri* (inquit Chrysologus) *qui solus est misericordiæ & remunerator & testis.* Oporteret pondere sanctuarij benè ponderare hæc verba: *Mercedem apud patrem qui in cœlis est*, & alteri statereæ lanci apponere hæc alia: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quis umquam valebit sufficienter penetrare & sustollere *æternum gloriæ pondus? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quam proportionem habere potest cum vana gloria, quæ ex seipsa accusat & confitetur propriam vanitatem? *Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat* (Gregorij verba sunt) *vem magni meriti vili pretio venalem portat, unde cœli regnum mereri potuit, indè nummum transitorij sermonis quærit.*

Matth.

Greg. l. 8. moral.

Stultum est pro levi statu & applausu vanæ gloriæ sempiternam gloriam permutare.

Aug. l. v. 50 Cic. 3 Tuscul.

2. Laus hominum, manuum plausus, Eugè, eugè! nonnisi quidam sufflatus est velociter transiens; ecquis erit homo adeò perditæ salutis qui sufflatum illum cum stabili & sempiterna gloria permutare velit? *Seminastis multum, & intulistis parum* (hæc meritò iis improperanda sunt, qui sudant & laborant propter vanam gloriam) *qui mercedes congregavit, misit eas in sæculum pertusum.* Alia versio habet: *in dolium perforatum.* Cicero hanc inter vanam & veram gloriam assignat differentiam, juxta tamen dictamen luminis naturalis, manensque intra limites Philosophiæ

Lucaburg. ibid.

sophiæ moralis scribit de vera gloria: *Solida quædam res est, & expressa, non adumbrata; ea est consentiens laus incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute, cui resonat tamquam imago. Hæc, quid rectè factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda.* Audite insuper, quomodo describat gloriam, quam denominat vanam: *Quæ veræ imitatrix esse vult est temeraria atque inconsiderata, & plerumque peccatorum, virtiorumque laudatrix, fama populoris simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit.* Juxta dictamen lucis Evangelicæ solida gloria Christiani dicenda est illa, quæ soli Deo attribuitur: *Soli Deo honor & gloria*, quemadmodum etiam sacerdos celebrando sacrificium Missæ frequenter cantat: *Gloria in excelsis Deo.* Ex hac recognitione qua Christianus Deo debitum confert tributum gloriæ & honoris, redundat in eum lucrum æternæ gloriæ, conformiter attestatur illud oraculum: *Glorificantes me glorifico.* Gloria vana est illa, quæ independenter à Deo, ortum suum habet ab homine, & nuncupatur vana, quia non fundatur in virtute, neque permanens & stabilis est, cùm opinioni & volubilitati vulgi innitatur.

Quid sit in elargitione eleëmosynæ tuba canere. *S. Thom. in Matth. 6.*

Author imp. ope. ib. Hom. 18.

Vanam gloriam sectantes comparantur stulto mercatori.

3. Amentem profectò quilibet censebit mercatorem illum, qui pro vilissimo pretio vendit merces suas, sciens illas infra paucos dies cariori vendendas fore pretio; & talis est multorum stultitia, qui vana ducti gloria bona exercent opera; Quæcumque exercetis opera misericordiæ sive corporalia, sive spiritualia quascumque facitis eleëmosynas, jejunia, aut similia, opera, media sunt, quibus æternam vitam lucrari potestis, si facta fuerint in gratia & charitate; fatui igitur & amentes eritis, si pro tantillo plausus & laudis humanæ, pro uno euge, euge! quod celeriter avolat, ea expendere, eorumque valorem perdere velitis: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Si ex mercibus in foro divenditis lucratus fuisses thesaurum sufficientem ad te tuamque familiam ditandam, venderesne illum alicui, qui nonnisi mera verba, quibus te palparet, laudaret ac deprædicaret, vicissim reponeret? *Negotiamini dum venio*, ait Salvator noster, opera virtutum facta in amicitia Dei sunt merces, quibus possumus negotiari & lucrari Paradisum, Deus solvit illa remuneratione æternæ gloriæ, hac tamen conditione, si facta & relata fuerint ad ipsius gloriam; nam si fiant ad capiendam laudem & honorem ab hominibus; jam apertè se declarat: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

S. Anselm. Ibid.

D. Chrysost. ibid.

Bona opera coram hominibus facere non prohibetur sed ideo facere ut videamur ab hominibus prohibetur. *Matth. 6. v. 1.*

4. Sub initium cap. 6. Evang. Matth. legitur concio illa, quam pientissimus Salvator noster instituit ad extirpandam hanc vanam gloriam, qua homo frequenter se finit seduci: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ubi advertendum, non prohibere Christum Dominum, ut in conspectu hominum virtutum exerceamus opera; neque vetare, ut proximis bonum præbeamus exemplum, malitia igitur consistit in illis verbis: *Ut videamini ab eis*; non vult operemur bonum cum intentione sivè explicita sive implicita, lucrandi & venandi auram popularem, & ut exindè æstimemur à mundo: *alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est*; ait Salvator noster. Ponit deinde exemplum eleëmosynæ: *Cùm facis eleëmosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus, amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Vultisnè videre, quàm sit nociva & damnosa eleëmosyna facta ex ostentatione & vana gloria? De illa, quæ distribuitur ad honorem & gloriam Dei, & eo dumtaxat fine, ut indigentis succurratur necessitati, Christus Dominus sedens in throno Majestatis suæ, in conspectu totius cœli, terræ inferni dicet: *Esurivi & dedistis mihi &c. Venite benedicti &c. percipite regnum &c.* Ecce retributionem mercedis, quam reportabit, qui ad honorem & gloriam Dei operabitur; at operaturis, *ut glorificentur ab hominibus*, verbo exprimente juramentum: *Amen dico vobis*, idem judex, æterna veritas dicit, *receperunt mercedem suam.* Franciscus Lucaburgensis in hunc textum S. Matth. describit modum, quo hic latro vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ merita æternæ retributionis nobis furripiat: *Pestis insidiosa*, inquit, *laudis amor, clam etiam per oculos quosdam in hominum mentes irrepens, dum virtutis incumbunt, atque ipsa opera sancta absque strepitu maxima cum quiete emetallans, solisque relictis omnibus paleis, absque ullo sensu perdentis, cuncta quæ intus sunt auferens.*

Eleëmosyna ad ostentationem data, damnosa est.

Lucaburg. ibid.

5. *Cùm facis eleëmosynam, noli tuba canere ante te &c.* Sonum hujus tubæ pulchrè exponit Angelicus Doctor, dicens: *Tuba canere est pompam vanæ laudis appetere; undè Rabanus: ante se tuba canit, qui ante alios vult laudari.* Eumdem textum exponit Hugo Cardinalis: *Noli tuba canere, id est, noli innotescere ad gloriam tuam.* At excellenter Author imperfecti operis; *Tuba*, inquit, *est omnis actus, vel sermo per quem operis jactantia demonstratur. Qui intercedente aliquo facit eleëmosynam; Ubi autem non est intercessor, non facit hæc consuetudo mala tuba est; item qui viderit honestiorem personam, & dat ei, quæ potest referre.*

Rabanus apud Hugo Card. Ibid.

6. Joan. cap. 10. Redemptor noster nobis demonstrat, quis sit mercenarius & non pastor; asserens: *Mercenarius autem cujus non sunt oves propriæ, dimittit oves & fugit, & lupus rapit & dispergit oves.* In sensu morali varij dantur mercenarij; & quidem in sensu accommodo nostro proposito docet S. Anselmus hominem deditum vanæ gloriæ esse hunc mercenarium, qui pro applausu mundano vendit opera bona; quæ alias apud Deum inæstimabilis essent pretij, & quia ex ijs vanam concipit gloriam, non jam bona sunt opera, eò quod privent ipsum immortali retributione: *Hujus non sunt oves propriæ, quia virtutes quas in seipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ.* Notatu dignum verbum illud: *Omnia opera sua facient, ut videantur*; ubi notat etiam D. Chrysostomus subdens: *Non hæc aut illa; hoc verò expulit eos omninò à charitate.* Qui operatur benè, ut videatur solum ab hominibus, is non operatur propter amorem Dei; undè necessariò sequitur, tales esse alienos à charitate, quæ sola valorem confert actionibus nostris, easque Deo gratas, ac æternæ vitæ meritorias efficit.

Homo deditus vanæ gloriæ mercenarius est. *Joan. 10, 12.*

7. Abbas Joannes eremita (ut legitur in Vitis Patrum Ruffino dicebat: *Qui ab hominibus gloriam quærit, odit eam, quæ à Deo est.* Sanctus Augustinus in suis Confessionibus quoque scribit: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te nec eripietur à damnante te.* De Amasia Rege Judæ legitur, quod in uno conflictu prostraverit viginti quinque millia Idumæorum, qui erant pagani & gentiles, facta tamen hac strage postèa Dijs falsis cultum exhibuit, & adoravit Deos paganorum: *Amasias post cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir, statuit illos in Deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.* De Regis hujus stoliditate scribit Joseph Hebræus: *Quam ob rem à Propheta conventus est, mirari se dicente, si hos Deos crederet, qui cultoribus suis nihil opis afferre potuissent, neque eos ab Hebræorum vitulos præstiterint, sed tamquam ad se non pertinentes, cædi & captivos trahi passi sint.* Audiamus Stephanum Cantuariensem in allegorijs veteris testamenti factum hoc Amasiæ ruminantem: *Amasias post cædem Idumæorum Deos eorum statuit sibi in Deos, & adoravit eos. Qui vitia mortificat, ex quibus oritur superbia, nec ipsam superbiam eliminat, similis est Amasiæ, qui interfecit filios Seir, & adoravit Deos eorum.* Quis non asseret majus fuisse illius damnum, quàm lucrum? Victoriam & triumphum reportavit de inimico, suo illum subjecit dominio, at quæ hujus utilitatis dum hostis infernalis Regem ipsum suæ subjecit tyrannidi, & in idololatriam induxit? Vos quoque sensum rationi, carnem spiritui subjicitis, casti, continentes vivitis, maceratis corpus vestrum, liberales estis in pauperes, pro malo bonum redditis inimicis vestris, callum genibus obducitis in orationibus; at *receptistis mercedem vestram*; Si in his omnibus voluistis placere Mundo, ac lucrari gloriam vanam hominum adoratis vanitatem, & de vobis triumphat hostis communis & infernalis.

Joan. 2. Paralip. 25. v. 14.

Steph. Cant. in allegor. vet. test.

Hypocritæ orant ut videantur ab hominibus. *Matth. 6. v. 5.*

8. Hugo Cardinalis ruminando illud salubrimum Salvatoris monitum: *Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis plateam stantes orare, ut videantur ab hominibus*, subdit hic dignissimus author: *In hoc, quod in angulis, plateam status orare ut videantur ab hominibus: subdit hic dignissimus author: In hoc, quod in angulis, notatur abscondità: in hoc quod dicitur plateam, manifestatio; quasi dicat: abscondant se, ut appareant;* verùm juxta mentem D. Chrysostomi adjungit idem Cardinalis: *Speciem vacuam religionis vendant, & verbum vanum laudis*

Hugo Card. Ibid.

audis emunt; finito verbo finitur bonum, quod positum erat in verbo.

1.Reg.14. v.24. Applicatur ad propositum historia de Saule.

9. 1.Reg. cap.14. legimus de Saule rege, quod per totum suum exercitum promulgaverit edictum, nè ullus ad vesperam usque quidquam comedere auderet, idque hunc in finem divulgari fecit, ut majori cum fervore, assiduoque furore persequerentur Philistæos. D. Gregorius magnus in hac historia morale aliquod detigit mysterium, asserens: *Notandum quod jam devictis hostibus ista loquebatur. Quid verò est comedere victoribus, nisi peracto virtutis opere cibos vanæ laudis delectanter accipere? Maledictus*, inquit, *omnis qui ante vesperam comederit, quia qui modo vanas laudes gratanter excipit, tunc æternas Creatoris laudes amittit. Adjuratur ergò populus, ne comedat, quia Doctorum præcepto constringitur, ut de bono opere inaniter numquam glorietur.*

S. Greg. mag. ibid.

Deus antiquorum Romanorum bona opera remuneravit temporali gloria. Boëtius.

10. Deliberemus, necesse est, an hic in terris ab hominibus, an verò in cœlis à Deo velimus obtinere & excipere gloriam? si hac super re consulatis Boëtium, alta voce vobis dicet: *Non in hoc terræ puncto sed in cœlo propaganda gloria.* Antiqui Romani tametsi veri Dei notitia & lumine destituti essent, quia tamen plurimas insignes ac heroicas virtutum actiones exercuerant, voluit benignissimus Deus eas compensare & remunerare, ideoque temporali beati prosperitate & magnificentia, ditati divitijs, victoriis, triumphis, imperium suum cum tanta nominis fama per totum mundum dilatarunt; ecce qua ratione *receperunt mercedem suam*: at quid profuit illis hæc temporalis gloria, quibus deerat æterna, utpotè, maximè necessaria & utilissima? *Honor & gloria, qua Deus Romanos fecit illustrissimos* (inquit S. Augustinus) *merces fuit bonorum operum, quæ egerant, nec est quod de summi & veri Dei justitia conquerantur: gloriam ambierant, & certè obtinuerunt.* Sed hæc gloria vana fuit & transitoria, non eam, ad quam creati erant, assecuti sunt: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* S. Franciscus Xaverius tùm nobilitate suæ prosapiæ, tùm ingenij sui præstantia, tùm donorum multorum singularitate & raritate stimulabatur ad sectandam Mundi gloriam: verum ponderando hæc verba: *Quid prodest &c.* disciplinæ & directioni S. Ignatij se subjecit, ut meliorem assequeretur gloriam, quam suis præscripsit: *Ad majorem Dei gloriam*, ac propterea Deus gloriosum ipsum fecit in terra & in cœlo.

S. Aug. lib. 5. de civ. Dei. c. 15.

Apta similitudo.

11. Ut in nobis planè extingueretur vana gloria, hanc exoptarem considerationem, Mundum non esse judicem competentem ad dijudicandas operationes nostras, Deum solum, qui *spirituum ponderator est*, eas ponderare, insuper & dignè remunerare posse. Fingamus & imaginemur nobis unum inveniisse gemmam pretiosam, qui pretium illius scire cupiens, accedit quemdam lapicidam amicum suum; gemmam inventam hic æstimat uno valere scuto, cùm verè valeat mille. Si à me petatis, uter illorum plùs erraverit, existimarem illum, qui exiguo pollens judicio gemmam detulit ad lapicidam, utpotè, ignarum ad æstimandum valorem illius, & non ad aurifabrum, aut alium, qui gemmarum habet notitiam. Quid hoc exemplo inferre volo? Opera, quæ facimus in gratia Dei constituti, inæstimabilis valoris sunt & pretij, iis enim comparamus regnum cœlorum; at si à mundo, ab hominibus præstolemur & exigamus operum nostrorum valorem, æstimationem, laudem & applausum, *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, non æstimabunt ea justo & digno pretio. Quapropter solitis Dei æstimationi, judicio & remunerationi ea submittamus, operantes omnia ad ejusdem honorem & gloriam.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Plura alia considerantur damna, vanæ gloriæ avidis accidentia.

THEMA.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Matth.6.v.20.

Vana gloria & mundi applausus sunt fures qui cœlesti, ubi nec ærugini subjecti, nec latronibus & furibus erunt expositi, recordamus. Vana gloria, mundi applausus & laudes hominum sunt fures & latrones, qui merita operum nostrorum nobis surripiunt, ideoque jubemur ea recondere in cœlo, videlicet, operari solùm ad Dei gloriam.

Furantur merita bonorum operum nostrorum.

2. Postquàm Rex Ezechias prodigioso adeò miraculo liber evasit ab infirmitate valdè periculosa, Berodach Rex Babyloniæ misit ad eum legatos donis ac muneribus pretiosis instructos, de recuperata sanitate eidem congratulantes; quos ille summa excepit honorificentia non tantùm, sed etiam monstravit eis pretiosam suam supellectilem, hortorum amœnitatem, regium ac sumptuosum palatium, ærarium auro, gemmis aliisque rebus pretiosissimis ditatum: *Ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis.* Vix hic sanctus Rex compleverat hanc ostensionem, vel potiùs ostentationem, comparuit coram Rege ex parte Dei Isaias Propheta interrogans illum: *Quid dixerunt viri isti? aut undè venerunt ad te? Cui ait Ezechias: de terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. At ille respondit. Quid viderunt in domo tua? Cui ait Ezechias: omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt, nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis.* Tunc Isaias Spiritu superno & Prophetico motus prædixit Ezechiæ ex parte Dei, quæ ei essent eventura: *Audi sermonem Domini. Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem; non remanebit quidquam ait Dominus.* Vellem scire, quo fine Deus huic Regi adeò dura & severa annunciari & minari curaverit; etenim usus & consuetudo laudabilis in omnibus sæculis id obtinuit apud omnes principes & magnates, ut magnificentiam & potentiam suam ostentantes, spectandas peregrinis exhibeant raras & exequisitas suas delicias, divitias, auri, argentique gemmarumque abundantiam, apparatus bellicos, ac similes alias pompas. Pro dubij hujus solutione sciendum, uti etiam ex alio textu scripturæ 2. Paralip. cap. 32. causam, cur legati isti missi fuerint in Jerusalem fuisse, non solum ut Regi congratularentur de pristina sanitate miraculosè obtenta; sed ut speciatim informarentur de miro illo portento, quod contigerat circa solem, qui aliquot gradibus retrogressus fuerat: *Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod accideratsuper terram, dereliquit eum Deus, ut tentaretur &c.* Signum, quod petierat Ezechias, recuperandæ salutis suæ erat regressus solis ab hora decima ad primam usque, ita ut, quemadmodum Dionysius Areopagita scribit in Epistola ad Policarpum, dies duraverit 32. horis, quale prodigium fuit universale per totum mundum. Quia ergo hic Rex pulchertimam habuit occasionem exhibendi se gratum, gratiasque agendi Deo pro sanitate sua miraculosè recuperata, simulque ostendendi Zelum suum in propaganda gloria & cultu divino, instillando infidelibus illis veram Dei notitiam, referendo desperatum infirmitatis suæ statum, orationem suam benignissimè exauditam, miraculum patratum; insuper recitando canticum illud, quod composuit, & in quo confitetur: *Exaltavit me de portis mortis, ut annunciem omnes prædicationes ejus in portis filiæ Sion*; Nullum tamen & nihil horum fecit, sed solùm thesauri sui ostensioni & ostentationi intentus fuit: *Omnia quæcumque sunt in domo mea viderunt, nihil est quod non monstraverim eis &c.* Meritò propterea Regi rigorosa adeò pœna intimata fuit, quia abscondit & occultavit honorem & gloriam Dei, & idololatris illius solum spectandam exhibuit Regiæ suæ aulæ magnificentiam, fastum, & pompam.

Ezechias gravitet redarguitur & punitur propter ostentationem thesaurorum suorum.

4. Reg.20. v.13.

3. Quia verò semper verum est axioma illud Apostoli: *Omnia in figura contingebant illis*; sciendum, Spiritum Sanctum per hanc historiam indicare velle damnum, quod redundat in illas animas, quæ oculis hominum, mundi applausui ostentant virtuosa & meritoria sua opera, quæ ipsis Babylonijs, puta, hominibus mundanis cedunt in prædam, etenim privant nos illo merito, quod aliàs apud Deum lucraremur. Theodoretus benè notat & observat hoc verbum: *Auferentur omnia*; quo voluit nobis insinuare vitij hujus furtum & rapinam, furatur quippè nobis Spiritum, devotionem, totumque valorem actionum nostrarum *& receperunt mercedem suam.* Rupertus Abbas

Applicatio hic prædictæ historiæ.

2. Paral.32. v.31.

Theodoret. ibid.

Rup. Abb. in lib. 4. Reg. c.19.

bas scribit: *Thesauros nostros, scilicet, virtutes interiores, vel etiam bona exteriora propalare, & in publicum hominibus propter inanem gloriam alijs ostendere, seu revelare non debemus, aliàs occasionem furripiendi & subtrahendi ipsa Dæmonibus damus.*

4. Vanæ gloriæ si sitis avidi (ait Chrysostomus) esto vos fepeliatis & recondatis in eremis, meritus æternæ gloriæ nihilominùs spoliabimini: *Sit humana gloriam concupiscis, etiamsi in solitudine fueris, omni virtute nudaberis.* Videmus nonnumquam in mari navem mercibus ditissimis oneratam ex Indijs vento propitio revertentem; at ex improviso scopulo abscondito dum alliditur, rumpitur & thesauri omnes pereunt à profundo maris absorpti; instar navis pretiosis mercibus prædivitis dicere possimus esse animam exornatam donis, virtutibus, gratijs, æternæque beatitudinis meritis; acquisitis multorum annorum laboribus & sudoribus; sed quis eventus? Unus scopulus, nimirùm, unus Spiritus ambitiosus propriam ambiens æstimationem & vanam gloriam totum potest perdere lucrum, quod quis toto illo acquisivit tempore: *Inanis gloria est velati scopulus sub aqua latens* (ait Sanctus Nilus Abbas) *ad quem si navim allisoris, peristi.* Aliam idem Sanctus producit similitudinem de itinerantibus sive peregrinantibus, qui vel incautè, aut ex vana ostentatione præbent alijs multas, quas secum deferunt, spectandas pecunias, ex quo sequitur, quod vel seducantur ad ludendum ludis prohibitis, aut certè, quod pejus est, raptores & fures eis struant insidias: *Homo stultus palam ostentat divitias suas, ex quo multi ad struendas insidias commoventur; Tu verò cùm inter latrones versaris, absconde quæ tua sunt, donec ad pacis civitatem pervenias, ubi rebus tuis tutò perfruaris.*

Chrysost. Hom.21. in Matth. Vana gloria est occultus scopulus cui illiditur navis animæ virtutibus onusta.

S. Nilus orat. 7. de vana gloria. Alia similitudo.

5. Jam sententiæ Sancti Basilij magni conformiter vitium hoc nuncupavimus *dulcem spiritualium operum spoliatricem.* Afflicta illa Sunamitis lachrymosa prostraverat se ante pedes Elisei Prophetæ, ut hac ratione induceret eum ad compassionem, ipseque commiseratione inductus resuscitaret filium suum jam mortuum; at ille ait ad Giezi: *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.* Optarem scire, cur Propheta servo suo prohibuerit bonos mores? quidam Dei famulus dicere solebat, qui non habet bonos mores, nec spiritum habere potest, salutare & resalutare honorantem est species satisfactionis & solutionis debiti; potest dari casus, quo proximus noster istam rusticitatem ægerrimè ferat, & eâ se vilipendi credat; præterquam etiam qui non salutat proximum, signum exhibet odij, rancoris & antipathiæ. Et tamen Elisæus divinitùs illuminatus sciebat optimè, quid diceret aut juberet famulo suo; cognoscebat videlicet, ipsum avidum esse propriæ æstimationis & vanæ gloriæ: *Sciebat* (inquit Theodoretus) *eum esse honoris cupidum, & causam dicturum, ob quam mittebatur, nempe, ad mortuum suscitandum; manem autem gloriam fore impedimentum, ne faceret miraculum.* Sciebat igitur ipsius Giezi genium & ambitiosam naturam, quod salutationes, conversationes & colloquia in via sibi occurrentium, amaret, eademque occasione se jactaret de altissimo ministerio ac officio sibi impositio; at miser homo non se reflectebat; hanc vanitatem fore sibi obstaculum, quò minus subsequeretur intentum miracu'um, etenim vana gloria frequenter nos privat Dei donis & gratijs: *Occurrentibus sibi hominibus jactanter dicebat* (ita loquitur & opinatur Lyranus) *se missum ad suscitandum mortuum.*

Quare Elisæus prohibuerit famulo suo ne quempiam in via occurrentem salutaret. 4. Reg.4. v.29.

Theodoret. ibid.

Lyran. ibid.

6. Sæpè contingit, quod ventus aliquis urens sivè ardens, ex improviso excitatus, agros, qui copiosam promittebant messem, plane exsiccet & arrefaciat: *Humana gloria est ventus urens* (ait Petrus Blesensis) *cœlestis gratiæ fluenta deficiens.* D. Chrysostomus pestem illam nuncupat: *Est alia*, inquiens, *species pestis, quæ plurimum roboris habet ad exhaurienda ac penitùs evacuanda bona nostra, quæ cum multo sudore collegimus, ventus, scilicet, inanis gloriæ; nam vesperà venti instar ingressa thesauros omnes virtutis exsufflat.* Causa cur Scribæ & Pharisæi non tantum bonorum operum, quæ exercebant, perderint lucrum, verùm etiam pluribus bonis, quæ à Messia suo obtinere poterant, seipsos privaverint, nulla alia profectò est, nisi pruritus, quo aciter torquebantur, vanæ gloriæ & ostentationis. Idipsum nobis satis apertè indicavit, quia via, veritas & vita est, hisce verbis:

Petr. Blesens. D. Chrysost. de provid. lib. 1. Vana gloria est pestis & ventus urens deficcans flumina gratiarum & meritorum.

Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Ubi sacri expositores observant, causam, ob quam nec in Christum credere, esto tot tantisque urgerentur rationibus & argumentis, nec Evangelij prædicationem amplecti, neque visis miraculis, pluribusque alijs Divinitatem Christi demonstrantibus duram cervicem suam flectere voluerint, fuisse vanum illum timorem, videlicet, ne fidem & famam, quam apud Synagogam habebant, amitterent, illa enim diminuebatur non solum ex reprehensionibus receptis à Christo, verum etiam ex ejusdem sequela, magnaque æstimatione sanctitatis ejus, utpotè, quæ indices magis magisque apud populum crescebat. Vanitas & ambitio honoris popularis summoperè invaserat Scribas & Pharisæos: *Amant primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi*; ac propterea de ijs ait S. Cyrillus Alexandrinus: *Gloriæ hominum cupidos esse arguit, & hac inanis gloriæ cupiditate optimæ rei, fidei, videlicet, jacturam in eos illos facere ostendit, quasi enim natura necessario accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, ut gloriam Dei amittant, & à solo Deo deciduant.*

Joan.5.v.44. Perditio Pharisæorum & scribarum processit ex desiderio vanæ gloriæ.

Matth.23.6.

S. Cyrillus Alexand.

7. Quale de ambientibus mundi honorem & gloriam ferendum sit judicium, claris verbis mentem suam exponit S. Gregorius Nyssenus in hæc prorumpens verba: *Eum qui honoris collati appetens est Dominus inter infideles recensei, dicens: Quomodò potestis credere, qui ab hominibus gloriam accipitis?* Plurima ex historijs Ecclesiasticis referre possemus exempla, ex quibus probatur, multos à vera nostra defecisse fide, quia nimis humanæ gloriæ cupidi, eum honoris gradum, quem prætendebant, attingere non potuerunt. Legantur Discursus de ambitione tomo primo.

Appetens vanam gloriam censetur infidelis.

S. Greg Nyss.

8. S. Franciscus Xaverius frequenter dicere solebat: O opinio, O opinio, & hominum existimatio, quanta causa sti mala, & etiamnùm causas? S. Ephrem egregiè tangit & detegit illos, qui sub cilicio & habitu pœnitentiali gestant pomposam vestem vanæ gloriæ: *Alij*, inquit, *gloriam vanam mediante pœnitentia sibi comparant, & pro venia aliud debitum trahunt. Heu mihi, quoniam quod ait Christus, in talibus complebitur atque firmabitur; quæ septem alios Spiritus nequiores se assumit, qui in eum ingressi habitant ibi.*

Vana gloria loco veniæ, novum contrahit debitū. Ephrem. tract. de pœnit.

9. Refert Gregorius magnus de Eleutherio viro sanctitate conspicuo quod in itinere constitutus, nocte ingruente coactus fuerit divertere ad vicinum monasterium Religiosarum virginum, in quo morabatur puer à malignis spiritibus vexatus; undè rogarunt eum Religiosæ virgines, quatenus miserum hunc puerum in suo cubiculo nocte illa dormire permitteret. Permisit; interrogatus die sequenti, utrùm puer rumorem aut strepitum nocte illa excitasset, respondit, nullum. Informatus deindè de statu hujus obsessi, ad instantiam virginum duxit illum secum ad suum monasterium, ubi & liberatus fuit. Verum contigit post aliquot dies Eleutherium in hoc gloriari facto apud monachos suos, eisque vana correptum gloria dixisse; Ecce quàm egregiè Diabolus illusit istis monialibus, hic puer adhuc illis cohabitans obsessus erat, at modo liber est ab omni malo; Vix hæc dixerat, & dæmon iterata vice subitò invasit puerum; Undè errorem suum advertens Eleutherius, cum omnibus monachis dedit se orationibus rigorosis jejunijs, humillimeque hujus jactantiæ & vanæ gloriæ petiit veniam & remissionem, eamque obtinuit; in cujus rei signum dæmon rursus ex corpore illo migravit & disseilit.

Mirabile exemplum de vana gloria.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

Abominatur Deus vitium vanæ gloriæ, cujus & Christus Dominus varia nobis reliquit exempla.

THEMA.

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth. 23. v. 5.

1. Pientissimus Salvator noster, qui nobis hæc dicta esse voluit: *Discite à me, quia mitis sum*, nec prædicavit tantum, sed exercuit quoque præ alijs virtutibus mansuetudinem, ille nihilominùs, uti ex toto decursu cap.23. Matth. liquet, certo quo-

Matth. 11. v. 29.

Christus severissimè objurgavit scribas & Pharisæos ob vanã gloriam.
Matth. 23. 5
S.Cyprian. serm. de jejun. & tent.
Vana gloria dissipat fundamentum sanctitatis.

dam modo sævire videtur in scribas & Pharisæos, quos reprehensionibus, objurgationibus, minis, gravissimarumque pœnarum præsagijs acerbe tractat: at quid mirum? tota hæc exacerbatio procedebat ex eorum vana gloria & jactantia: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Jejuniorum sudoribus laus importuna se ingerit* (sic scribit & discurrit S.Cyprianus) *& subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit, & pungit, cùm ungit: virtutem in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata pervertit; quasi tinea, quod integrum erat, rodit & occupat, & sanctitatis fundamentum evellit & dissipat.* Evidentibus insuper rationibus declarat, vanam gloriam proprio seipsam jugulare gladio, dum subjungit: *Subtilissimum malum, proprio laqueo hypocritam jugulat, & proprijs armis sanctitatem impugnat.* Ergò perfectionis sanctitatisque operibus, at directis ad vanam gloriam oppugnant & proculcant merita, disperdunt valorem eorumdem bonorum operum. Si ad obtinendam cœlestem gloriam necesse est, actiones nostræ impressæ & munitæ sint amoris & gratiæ divinæ sigillo, qua ratione ferre poterunt hunc characterem, dum *omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus?* Si propter amorem & gratiam hominum operantur, ergò Deus nullam in illis operibus habet partem.

Vana gloria comparatur muscis bonũ unguentum inficientibus.
Joseph Hebr. lib. 1. *Antiq.*

2. Josephus Hebræus refert in templo Jerosolymitano quotidiè tale contigisse miraculum? quandò, nimirùm, pro offerendis sacrificijs mactabantur boves, oves, aliaque animalia, eorumque profundebatur sanguis, nulla ibidem musca visa, vel etiam advolare ausa fuit. Econtrà, quando gentiles suis falsis dijs in sacrificium offerebant carnes similium animalium, tantus advolabat comparebatque muscarum numerus, ut primario idolo suo imposuerint nomen Beelzebub, quod idem est ac *Deus muscarum.* Curiosos vos esse haud ignoro, ut ex hoc miraculo percipiatis mysterium aliquod morale. Musca est figura vitij hujus vanæ gloriæ, quemadmodum enim musca si adhæreat alicui unguento odorifero & ibidem moriatur, dissipat & perdit ejusdem fragrantiam: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*; eadem proportione dicere possumus quotiescumque hoc vitium inhæserit cordi, quod spirat bonum virtutis odorem: *Christi bonus odor sumus*, suavem odorem boni exempli, charitatis, humilitatis, obedientiæ &c. Perdit & dissipat fragrantiam horum bonorum spiritualium; etenim Deus abominatur actiones illas, quas pallio devotionis & pietatis tegimus, ut indè recipiamus gloriam vanissimam & applausum mundi sui inimici. Certum est, quod per sacrificia antiquæ legis figurabantur nostra bona opera; Si igitur Deus miraculum patrare voluit, nè muscæ advolarent propiùs, & carnes attingerent, eò quod sint, licet remotè, umbra & typus vanæ gloriæ, quantò magis in sanctis & Christianis nostris actionibus abominabitur hoc idem vitium? Si Deus has muscas proscribebat & exterminabat ab agnis, arietibus, vitulis & bobus, qui mactabantur, quantò magis à nostris operibus factis in lege gratiæ, puta; orationibus, eleëmosynis, confessionibus, communione, & alijs similibus vult exterminari & proscribi omnem vanitatem, omnemque pruritum propriæ æstimationis & complacentiæ?

2.Cor. 2. 15

Apostoli longè fuerunt ab omni vana gloria.
Lucæ 17. 10.

3. Apostoli, quantum nobis constat, primi fuerunt, qui Christi servitio se manciparunt: ast quàm remoti fuerunt ab omni ostentatione & suipsius complacentia? Adimpleverunt sanè ad unguem id, quod cœlestis Magister eis injunxerat: *Cùm hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Totum mundum ad fidem converterant, tanta ubique, tamque stupenda patraverant miracula, ubique populi omnem ipsis deferebant honorem, reverentiam, & obedientiam; imò Paulum & Barnabam adeò venerabantur, ut eis victimas offerre statuerint, quia novæ legi illos subdiderant, quam & omnes promulgabant principes: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Nihilominùs nihil prorsus vanæ gloriæ ipsis adhæsit, siquidem Hugo Cardinalis in illum versum Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum*, scribit: *per hoc quod dicit exivit, notatur, quod id quod loquuntur exterius, intùs non manet per inanem gloriam.*

Ps. 18. *v.* 4.
Hugo Card. ibid.

4. Considerastisnè unquàm præceptum de manducando agno paschali cum pane azimo? S. Gregorius magnus optimè illius declarat mysterium inquiens: *Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet.* Nulli dubium esse debet, agno illo figurari eum, quem monstravit S. Joannes Baptista dicens: *Ecce agnus Dei?* Ut dignè huic serviamus, necessaria est rectitudo intentionis, omniaque opera nostra ad ipsum solum dirigantur. Si aliquot vicibus percussa fuisset petra in deserto, nulla esset controversia, quæ nostro apta esset proposito; quia ergo bis percussa fuit, quæro cur Moyses placuerit Deo in ista actione prima vice, & non secundâ? Annon idem erat Moyses? Annon percutiebat eamdem petram & lapidem? Annon utraque vice scaturivit aqua? Undè ergò hoc discrimen: Observandum est, quod Taumaturgus ille Hebræus prima vice oculos suos in Deum directos habebat: *Ego stabò ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit de ea aqua*; Secunda verò vice oculos suos conjecerat in populum, cui & improperaverat incredulitatem suam: *Congregata multitudine ante petram dixit eis: audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Modus hic adeò Deo displicuit, ut eum punierit interdicto terræ promissionis. Hanc historiam applicemus casui & proposito nostro; Verùm est, varias extare opiniones discutientes, in quo consisteret transgressio Moysis: at dicamus, quod nostro dumtaxat inservit proposito: Moyses repræsentabat eum, qui seipsum affligit & percutit flagellis & disciplinis, qui se macerat jejunijs, carnem suam constringit cilicijs & catenis, qui plorat & plangit, at si oculos suos direxerit in honorem & æstimationem sui, in applausum mundanum, profectò Deo minimè placebit, nec gratum præstabit obsequium, quia abominatur hypocritas. Quicumque honorem & gloriam soli Deo debitam sibi usurpare, ejusque donis & gratijs in ipsius contemptum & offensam abuti ausi fuerint, nulli dubium, quin tales excludendi sint à vera terrâ promissionis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, qui vanam appetit gloriam, sperare nequit veram & sempiternam.

S.Greg.mag. Hom. 22. *in Evang.*
Joan 1. *v.* 29.
Agnus Paschalis comedi debebat sine pane fermentato.
Cur Moyses in secunda percussione Petræ ad eliciendã aquam displicuerit Deo.
Exod. 17. *v.* 6.
Numer. 20. *v.* 10.

5. Levitic. cap. 19. Legimus. *Nè prostituas filiam tuam, nè contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Similiter fulmine abominationis & maledictionis percutitur Michææ cap. 1. quicumque sexui prostituto servierit: *Omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt.* Hujus textus sensum moralem exponit Sanctus Antonius de Padua, post adducta enim illa Christi verba: *Nemini dixeris*, subdit: *Hoc non dicunt qui, cum aliquid boni faciunt, tuba ante se cantant, quorum sinistra novit, quid faciat dextera; qui filiam suam prostituunt prohibente Moyse. Filia tua, operatio tua, quam tunc in prostibulo ponis, cùm in lupanari mundi pro denario vanæ gloriæ vendis. O commercium infœlix, pro vento humani oris vendere præmium regni cœlestis.* Justissimam D. Chrysologus habuit caussam prædicandi supra præceptum Christi: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, nè videamini ab eis.* Quærit namque hic sanctus: *Et si visi fueritis, quid? Mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Subjungit posteà hoc monitum: *Fratres hic Dominus non judicat, sed exponit, pandit cogitationum dolos, secreta mentium nudat, injustè justitiam tractantibus modum justæ retributionis inducit. Justitia quæ se humanis oculis locat, divini Patris non potest expectare mercedem; voluit videri, & visa est; voluit hominibus placere, & placuit; habet mercedem quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit.*

Levit. c. 19. *v.* 29.
Mich. 1. *v.* 7.
Applicatur ad detestationẽ vanæ gloriæ præceptum aliquod V. Testam.
Marci 8. 26
S. Anton. de Pad. Dom. 3. *post Epiph.*
Matth. 6. 1.
S.Petr. Chrysolog. serm. 9.

6. Horrenda sunt hæc D. Chrysostomi verba: *Mater gehennæ est inanis gloria.* Ecquomodò hoc vitium potest generare infernum? Indubitata veritas est: *Deus mortem non fecit*; ab initio etiam non fuit creatus infernus; quis ergo jecit illius fundamenta? Vanitas Luciferi, qui superbivit, ubi enim angeli boni ad veram & solidam aspirabant gloriam, ibi ille cum socijs suis rebellibus appetijt vanam. *Ignem illum vehementer accendit*, ait Chrysostomus. Et alibi asserit de S. Paulo: *Non aspiciebat ad gloriam sævam belluam, horrendum Dæmonem, pestem orbis terræ, venenatam viperam, quomodò enim illa bestia unguibus uterum matris discerpit; ita*

D.Chrysost. Hom. 17. *ad Rom.*
Vana gloria est Mater gehennæ.
Idem Hom. 35. *in* 1. *ad cor.*

etiam hoc vitium parentis dilacerat. Et placere potest, quæ adeo in eos sævit, quibus placet?

Quomodo Christus Dominus fugerit vitium vanæ gloriæ.
Marc. 7. 39.

7. Examinemus modò, quantum hoc vitium displiceat Christo. Si omnis ejus actio ad nostram ordinata fuit instructionem, sanè multa nobis reliquit exempla ad fugiendam hanc pestem. Evidenti miraculo curaverat surdum illum & mutum, cujus mentio fit Marci cap. 7. *Præcepit illis, nè cui dicerent. Docemur autem per hoc, cùm alicui beneficia elargimur, minimè applausus & laudes petere*, ait Theophylactus. Alio tempore pristinæ sanitati restituerat socrum S. Petri: *Afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & curavit multos &c. Et diluculo valdè surgens, egressus abijt in desertum locum.* Hujus secessus hanc Victor Antiochenus reddit rationem, inquiens: *Secedit Christus pusillum in desertum locum, quo absens eorum desiderium acuat, qui eum sequebantur, suoque nos exemplo admoneat, ut post miraculum patratum, aut post opus aliquod illustre perfectum aliò seorsum secedamus, nè quod inanis gloria venenum in animas nostras irrepat.*

Theophyl. ibid.
Marc. 1. 32.
Ibid. v. 35.
Victor Antioch. ibid.

Matth. 3. 17.
Continuatio ejusdem materiæ.

8. Christo Domino baptizato in Jordane cæli ei aperti sunt, vox Patris æterni audita est: *Hic est filius meus dilectus*: testimonium pariter Divinitatis suæ dederat Spiritus Sanctus, qui in specie columbæ apparuerat, similiter & S. Joannes Baptista ipsum jam proclamaverat Messiam ab omnibus Patriarchis & Prophetis jam dudum desideratum; ut hæc omnia contigerant, tunc sine dilatione secessit in desertum factus socius scorpionum & ferarum, ubi austeram duxit vitam in jejunio 40. dierum, instar alterius hominis à Dæmone tentari, & supra templi pinnaculum portari se permisit. *Elias in deserto erat nè quis eum jejunantem videret*, scribit Sanctus Ambrosius, *nisi soli corvi, qui eum pascerent. Elisæus in deserto erat, ubi non inveniretur esca nisi amara; Joannes in deserto erat, & Christus, scilicet, nè viderentur humanæ laudi sua sacrare, hominum vitabant consuetudinem.* Hisce conformia sunt, quæ observat Sanctus Cyprianus: *In desertum*, inquit, *Christus ingreditur, locus secretus eligitur, quia solius Dei judicio jejunia sunt agenda.*

S.Ambros.
S. Cyprian. de tentat.

Omnes Evangelistæ illa narrarunt de Christo quæ continent ipsius humiliationẽ & contemptum humanæ laudis & gloriæ.

9. Observat quidam Author, Spiritum Sanctum, qui, ut firmiter credimus, *ex Patre Filioque procedit*, quatuor uniformiter inspirasse Evangelistis, ut omnes simul de Christo referrent cunctas illas actiones, quæ profundam exprimant humilitatem, suiipsius vilipendium, ac contemptum humanæ laudis & gloriæ; Non sic narrarunt omnes gloriosa ejus facta. Omnes revelarunt, quod Petrus Redemptorem nostrum negaverit: *Non novi hominem*, unus solus Joannes prodigiosam retulit resuscitationem Lazari. Omnes scripserunt Christum conductum fuisse ad patibulum in comitatu duorum latronum; at unum horum se commendasse unicè Regi & Domino paradisi, solus refert S. Lucas. Quod summa cum ignominia mortuus fuerit, scripserunt omnes; quod verò in die nativitatis suæ tres Reges ab Oriente recesserint, & venerint ipsum adoratum, solus describit & refert S. Matthæus. Ut ab hisce magis sivè Regibus reciperet homagium, vilissimum selegit præsepium in civitate obscura & mediocri; Verum ut summo cum opprobrio crucifigeretur, elegit totius Palæstinæ metropolim, veluti optimè notat Magnus Leo. Quandò de parte superiori ad inferiorem voluit transmittere gloriam in Transfiguratione, ubi & in obsequium illiùs comparuerunt Moyses & Elias, & altera vice auditum fuit testimonium æterni sui Patris: *Hic est filius meus dilectus*; Subitò finita transfiguratione elegit locum campestrem & sylvestrem, ac insuper seriò monuit tres Apostolos: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.*

Matth. 17. 5.
Ibid. v. 9.

10. Doctissimus Oleaster ad propositum illius textus Exodi: *Esto paratus manè, ut ascendas statim in montem*; insigniter nos omnes reprehendit: *Quid facitis Filij Adam, vanissimum genus, quærentes populi frequentiam, ac populosas urbes ad ostendendam gloriam, ac divitias vestras, cùm videatis Deum vestrum tam latenter velle ostentare divitias gloriæ suæ? Uni soli in solitudine, & secretiori montis supercilio, à quo homines & jumenta arcere jubet, gloriam suam ostendit, neque solum homines, sed etiam jumenta suspecta habet, cùm gloriam suam ostendere vult.* Quod confirmat exemplo adducto de Thabor, ex quo hanc deducit conclusionem: *Considera discrimen. Nos si quidquam injuriam pati debeamus, latebras & solitudines quærimus; Si quid verò honoris ostendendum est, publica loca. Christus verò ad dedecora & ignominiam populosam urbem requirit; ad gloriam verò ostendendam secretissimum montem.*

Exod. 34. 2.
Oleast. ibid.
Perstringuntur ostentatores bonorum operum suorum.

11. Ut humillimus insuper Dominus noster binos illuminavit cæcos, præcepit eis: *Videte ne quis sciat, illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.* In quem locum ita commentatur D. Gregorius: *Sed quærendum nobis est, quid sit hoc, quod ipse omnipotens, cui ipsum est velle quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur? nisi quod servis suis se sequentibus exemplum præbuit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen ut alij eorum exemplo proficiant inviti, & quidem sua occultando seipsos custodiant, sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant.* Benè notat. D. Bernardus, quod filius Dei Rex gloriæ non potuerit subjectus esse vanæ gloriæ; cur igitur semper ostendit se alienum? *Numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est gloria patris? Utique timebat, sed non sibi; timebat nobis ab illa, quibus noverat esse timendum; nobis cavebat, nos instruebat.*

Matth. 9. 30.
D. Greg. lib. 19. *mor. cap.* 18.
Christus declinavit vanam gloriam nobis in exemplum.
Bern serm. 2. *de Epiph.*

12. Non immeritò in considerationem ducit Basilius de Seleucia, quod quandò Christus concessit Bethaniam, ut ibidem stupendum illud patraret miraculum, Lazarum, videlicet, suscitaret à mortuis, quamvis sciret quatriduanum esse cadaver ejus, attamen dixit: *Vado ut à somno excitem eum, Ubique ab inanis gloriæ*, subdit cit. Basilius, *& jactantiæ studio abducit.* Idem præterea notat caussam, ob quam Dominus non conduxerit secum Lazarum, vel etiam Lazarus post resuscitationem suam non fuerit secutus Christum, veluti continua devotione sequebatur eum soror ejus Maria Magdalena. Insuper rationem reddit, cur Dominus Lazarum, utpotè, magnum amicum suum: *Lazarus amicus noster*, numero Apostolorum non adscripserit: *Hinc disce, quàm alienus fuerit ab omni fastu & ambitione; neque enim ostentationis causa illum circumducit, neque ut secum ambulet, præcipit.*

Quare Christus Lazarũ non assumpserit ad Apostolatum & suam sequelam.
Joan. 11. 11.
Basil seleuc. orat. de Lazar.
Joa. 11. 11.

DISCURSUS XI.

ARGUMENTUM.

Deo accepta referre debemus omnia, quæ facimus bona opera. Ubi & nonnulla remedia contra vanam tanguntur gloriam.

THEMA.

Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur: Isaiæ 10. ℣. 15.

1. **B**Ina similitudine Propheta Isaias vanam gloriam, quæ virtute præsertim præditos, ac perfectissimos etiam de se præsumentes, sibique in suis operibus complacentes, ac hominum ambientes applausum invadere & perdere solet, extinguere studuit: *Numquid gloriabitur securis &c.* An non magna esset stoliditas, si securis & serra, quæ dissecant ligna, sibi dumtaxat adscriberent actus illos secandi, nihil tribuentes brachio moventi, ducenti ac dirigenti instrumenta illa? Nullum prorsus opus, quod sit bonum, gratum & acceptum Deo, à nobis fieri potest sine auxilio & gratia Dei; undè in eodem propheta legimus: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Filius Dei, qui descendit in terram, non modò ut nos redimeret, verùm etiam instrueret, apertis verbis protestatur: *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Metallum, quod ad varia & vilia applicatur vasa, & in usus triviales impenditur, non ita æstimatur, ac illud quod in monetis impenditur in emptionem & venditionem; quænam est differentia? Tametsi eadem utrobique sit materia, hoc tamen excellit, cui impressum est insigne & imago principis; ijsdem pariter prærogativis & excellentijs operationes nostræ instructæ sint oportet, ut gratæ sint ac meritoriæ apud Deum: primò sint fulcitæ & roboratæ Divinâ gratiâ: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Deindè in fronte gestent honorem dumtaxat & gloriam Dei, id est, non fiant ob alium finem, nisi ut placeant Deo.

Omnia nostra bona opera adscribenda sunt auxilio divino.
Isai. 64. *v.* 6.
Joan. 6. 44.
1. *Cor.* 15. *v.* 10.

2. S. Bernardi doctrina est: *Quantitas uniuscujusque*

S.Bernard.

Omnium bonorum operum radix est amor Dei quia Spiritu S. præstolari debet.

1. Cor. 13. 1.

Rom. 5. 5.

1. Cor. 4. v. 7.

2. Cor. 15. 10.

Ibid.

Apoc. 3. 12. Qui bona opera Deo adscribunt eriguntur in columnas gloriæ ipsius.

Pf. 113. v. 1.

Viginti quatuor seniores victorias & coronas certaminū suorum attribuebant Deo.

Apoc. 4. 10.
Ibid. v. 11.

S. Greg lib. 22. Moral. cap. 5.

Ad Gal. 2. v. 9.
Ibid.
Tales columnæ fuerunt Apostoli Petrus & Joannes.

Act. Apost. 3. v. 12.

Abraham canit sibi à vana gloria.

jusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet, ut quæ multum habet charitatis magna sit, quæ parum parva. Omnis anima, quæ grata est Deo, talis est per amorem & charitatem in Deum, omne pariter opus meritorium necesse est, factum sit in amicitia Dei, ejúsque radix sit amor divinus, juxta celebrem illam Apostoli attestationem? *Si linguis hominum loquar &c.* At hanc charitatem necessariò à Spiritu Sancto præstolari & obtinere debemus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Si à Deo igitur obtinemus brachium, vigorem, calorem, activitatem, motum, qua ratione actionem manus præsumemus attribuere virtuti nostræ? *Quid autem habes, quod non accepisti*, quærit Apostolus, *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Præterea eâdem epistolâ Corinthijs, ut eos instruat & exemplo suo doceat, scribit: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi!* ast quia videbatur tantisper excellisse modestiæ limites, ideò replicavit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

3. Legimus in Apocal. cap. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Insolita ista videtur loquendi phrasis? Si dixisset: erigam ei, qui vicerit columnam, obeliscum aut pyramidem, intellectu facile esset? at dicere, faciam seu constituam illum columnam in templo meo, impropriam repræsentat locutionem. Discrimen agnoscamus, oportet, inter illos qui militant sub vexillo hominum, & eos, qui militant sub vexillo Christi: illi proprio labore & sudore fatagunt se promovere in bello, exponendo se periculis vulnerum & mortis, proprio Marte & generosè pugnando viam sibi sternunt ad victorias & triumphos, ideò merentur, ut intuitu generosæ suæ decertationis, laborum & sudorum erigantur illis trophæa? Sed aliter res constituta est cum militantibus sub vexillo Christi, nobis pugnantibus, colluctantibus cum mundo, carne & dæmone omnem vigorem & virtutem tribuit Divina gratia, Deus nos illuminat, ut detegamus astuti serpentis insidias, ejusdemque effugiamus fraudes & nequitias? quapropter quia cunctæ nostræ victoriæ fructus sunt divinæ assistentiæ & patrocinij, omninò decens est, columnarum instar in templo gloriæ per omnia sæcula sæculorum attestemur & dicamus in omnibus victorijs: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

4. Apocal. 4. Viginti quatuor reges illi, Regio coronati diademate, pari animi submissione in terram depositò diademate, prostrati ante pedes Agni fatebantur ac protestabantur nonnisi ad Agno se coronandos esse, undè non cessabant ei referre gratias & laudes: *Procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno & adorabant Viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem &c.* Audiamus S. Gregorium magnum: *Coronas suas ante thronum Domini mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed Auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, à quo se fatum vires accepisse certaminis.*

5. S. Paulus SS. Petrum & Joannem dicit esse columnas, præmiserat hæc verba: *Cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi*; & posteà subdit: *Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi*; & tales verè se demonstrarunt in templo Dei Jerosolymitano, quando juxta portam speciosam illius templi claudum pristinis restituerunt viribus, & populo turmatim accurrente, eisque viva voce applaudente, noluerunt sibi attribuere gloriam istam, sed populo alta voce inclamantes dicebant: *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum &c.* Inclamarunt ipsis & notificarunt miraculum illud patratum fuisse in virtute nominis Jesu, quem ipsi jam pridem crucifixissent; *fuerunt columnæ in templo Domini* siquidem Christum Dominum in isto miraculoso opere glorificarunt, nec ullam sibi attribuere voluere laudem.

6. Ab Abrahamo credentium patre optimum documentum, quod & tangit Dionysius Carthusianus, capere possimus. Postquàm hic Patriarcha concurrentibus servis & famulis plurium regum exercitus prostravisset, Loth nepotem suum cum tota familia redemisset, ac plurimos ex hostibus secum duxisset captivos, occurrit ei Rex Sodomorum hanc ei offerens petitionem: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* *Gen. 14. 21.* Verùm homo Dei liberè respondit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, Quod à filo subtegminis usque ad corrigiam calcæi, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* *Ibid. v. 22.* *Figuratur* (subdit Carthusianus) *quod hominis virtuosi frequenter se ingerit vana gloriæ & elationis tentatio de opere mirabiliter bono ac arduo.* *Ibid. v. 23.* Applicat hæc verba: *Non accipiam ex omnibus &c. id est, in nullo tibi consentio.* Unde solebat quidam Dei famulus cœlesti perfusus lumine dicere: contra hanc magiam vanæ gloriæ, quæ tot tantasque fascinat animas esto primo timoratas ac perfectas, non posse efficaciorem reperiri & proferri conjurationem, quàm illius psalmi versiculum serio corde ponderatum: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* S. Ignatius, quando Societatis suæ jecit fundamenta, plurimos in ea prævidit viros futuris temporibus sanctitate & doctrina conspicuos, in magna futuros æstimatione ac veneratione, tùm apud principes & magnates, tùm etiam apud plebem; quia ergò optimè noverat hanc eminentiam ac excellentiam scientiæ & pietatis in filijs suis excitare posse acutos stimulos vanæ gloriæ, quale eis præscripsit antidotum? pulcherrima hæc & dignissima verba: *Ad majorem Dei gloriam.* Lumen majus offuscat minus.

Quomodo magia vanæ gloriæ conjuranda sit.

Pf. 113. v. 9.

7. Dignum quoque notatu est antidotum illud, quod tradit S. Hieronymus, dicens: *Nos ergò ad patriam festinantes mortiferos Syrenarum cantus surda debemus aure transire.* S. Pachomius frequenter in eremo aliqua orationem habere solebat, undè ad cellam suam reversus vidit aliquot Dæmonum catervas, & inter alios audivit nonnullos palpones imperantes alijs: *Date locum homini Dei*; ast qua via declinavit hunc scopulum? risit & despexit omnes; eò minùs verò intumuit ex dato sibi hujusmodi titulo, Homo Dei, quia sciebat illum provenire à Dæmone sibi insidiante. Undè qui ab hominibus applausus & laudes recipit de suis bonis operibus, intelligat & sciat ejusmodi laudes esse instigationes fraudulenti Serpentis. Præterea, esto etiam ille nullam in ijs haberet partem, cogitandum est, esse laudes & applausus hominum, de quibus Apostolus ait: *Si hominibus placerem Christi servus non essem.* *Gal. 1. v. 10.*

S. Hieron. Exemplis. Vana gloria est cantus syrenarum.

S. Pachomij.

8. Ad frenandum quoque vanæ gloriæ vitium optimum remedium est suipsius cognatio. Primislaus Bohemiæ Dux, quia ab aratro evectus & promotus fuit ad Sceptrum, & prius gestaverat calceos ex cortice cujusdam arboris confectos, loco præ alto, quam frequenter præ oculis habebat, eos suspendit, ut vilem suam originem reduceret in memoriam, seseque in primævæ suæ conditionis & status contineret humilitate. Scalprum, quod rudem & scabrosum lapidem polivit elaboravit, & ad nobilitimam reduxit statuam, stultitiæ, summæ si rationis capax esset, meritò argueretur, si totum decorem ac pulchritudinem, totumque istius simulachri artificium, quod ingenio, experientiæ, labori & patientiæ sculptoris attribuendum est, sibi adscribere vellet: idem prorsus considerandum est in anima spiritus perfectione prædita, dona illa gratiarum, Sacramenta, lumina illa internæque inspirationes, sanctitatis illius, quam acquisivit, causæ efficientes fuerunt, anima instrumentalis dumtaxat extitit causa: *Non nobis Domine &c.* Qui igitur non agnoscit gratias & dona cælestia dignus est, ut illis spolietur, quo casu redibit in suum nihilum.

Suipsius cognitio potenter refrænat vanam gloriam, patet exemplo Primislai, Ducis Bohemiæ. Aptum simile.

9. Plurimæ extant rationes, ob quas cælestis Magister elegerit Judam in Apostolum, tametsi præsciret ipsius perfidiam & proditionem; at una nostro proposito valdè accommoda est, nimirùm, ut reliqui Apostoli tàm horrendo moti exemplo semper sibi timerent & tremerent, numquàm certi & securi de suo statu: *Et cum metu & tremore salutem suam operarentur. Ut reliquos Discipulos in humilitatis studio contineret*, scribit S. Ildephonsus, *videntes enim Judam ex pari secum statu corruisse, eamdem sibi ruinam formidarent, & formidantes ab omni fastu se averterent.*

Quare Christus Judam assumpserit, ad apostolatum.

Ildephons. orat. 11.

10. Aliud motivum fugiendi vanam gloriam est, quod nesciamus, an applausus & laudes, laudumque encomia, quæ nobis deferuntur, promereamur; *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Ubi Septuaginta habent: *Quis gloriatur castum*

Nescimus an laudum præconia mereamur.

Prov. 20. v. 9.

Eccli. 9. v. 1. Omnia bona opera Deo, dedicanda sunt.

sum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato; Facili negotio nos ipsos palpamus & decipimus, neque nos reflectimus ad oraculum æternæ veritatis: *Nemo scit utrum amore an odio dignus sit.*

11. Insignis quidam Magister Spiritus suis hoc suggerere solebat consilium, ut cuncta sua, quæ facerent bona opera Deo dedicarent, offerrent, donarent, & consecrarent irrevocabiliter; Undè si posteà superveniret vana gloria, appetitus laudis, propriæ æstimationis, & applausus mundani, qui horum bonorum operum meritum suffurari niteretur, statim opponerent & dicerent, omnia bona ista opera jam esse donata, imo adeo consecrata Deo, ut amplius profanari non possent.

Thesaurus virtutum & bonorum operū abscondi debet ne pateat furibus.

Matth. 6. 20.

12. Cùm insuper nostra bona opera abscondimus, & tutamur ab oculis hominum, efficax ecce aliud remedium, quo via huic præcludatur vitio: quemadmodum, si thesauros & divitias, gemmas, aurum, argentum, similesque res pretiosas avidè ab humana cupiditate desideratas ostendimus ac ostentamus, exponimus illas periculo furti & rapinæ; eodem modo contingit thesauris & divitijs spiritualibus: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, videlicet, in oculis & conspectu hujus mundi, *ubi fures effodiunt.* Audiamus D. Chrysostomum: *Sic sunt etiam divitiæ virtutum, si eas in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosam invitamus ad furtum; Si verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco prætiosa consistent*; Subdit deindè nobilem hanc sententiam: *Satis tectus thesaurus vetè factorum oblivio.* Videtur hæc similitudo prima fronte impropria, quia memoria nuncupatur quidem thesaurus, at earum rerum, quæ ibidem manent impressæ, & quarum recordamur. In casu tamen nostro totum succedit oppositum; tunc enim anima thesaurum suorum bonorum operum conservabit illæsum, securum & tutum à rapina vanæ gloriæ, quando eorum obliviscetur, ità existimat S. Apostolus: *Quæ retrò sunt obliviscens.*

D. Chrysost. Hom 7. in Matth.

13. Aliud denique ad evitandam hanc vanitatem est, si consideremus illam quidem esse gloriam; at vanam: *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ permutatio ista, pro vana amittere & perdere veram & æternam gloriam?

Pf. 4. v. 3.

TRACTATUS XCVI.

DE VOCATIONE.

CONTINET

DISCVRSVS IX.

Variæ viæ in mari rubro designant varias vocationes quibus venitur ad cælum.

Pf. 135. 13. *Pf. 76. v. 20.*

DISCURSUS I. Deus ita disposuit & ordinavit, ut in omni statu, vocatione & professione possimus salvari.

II Quilibet sit contentus sua vocatione, cùm in ea perfectus esse possit etiam vocatus ad statum conjugalem.

III. Qui scit vivere in timore Dei, salvat animam suam in omni vocatione & statu, etiam militari.

IV In omni statu possumus operari salutem nostram, exercendo tamen opera virtutum statui nostro conformia.

V. In statu etiam sæculari humanæ prosperitatis merita acquiri possunt eorum paria meritis, qui vivunt in statu perfectiori.

VI Divinorum præceptorum observantia, quæ consistit in amore Dei & proximi, adaptatur omni statui, & præsertim sæculari.

VII. In omni vocatione fieri potest Charitatis exercitium, quo mediante lucramur cælestem gloriam, & Deus, quantum ex sua parte est, unumquemque salvare intendit

VIII. Ostenditur & probatur, nec locum, nec statum sæcularem obstare, aut præjudicare virtutis exercitio, & sanctitatis lucro.

IX Demonstratur insuper, aulam posse esse scholam Christianarum virtutum, ac modus pariter exhibetur, quo id præstari possit.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Deus ita disposuit & ordinavit, ut in omni statu, vocatione, & professione possimus salvari.

THEMA.

Non turbetur cor vestrum ... & in domo patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14. ℣. 1.

Variæ sunt viæ ad cælestem beatitudinem.

Joan. 13. 37.

Joan. 14. v. 1.

1. IN celeberrimo illo sermone, quem pientissimus Redemptor noster instituit in ultima cœna, Ecclesiam suam, priusquam ex hac mortali migraret vita, instructurus, eidem significavit, fideles suos diversis vocationum vijs æternam posse consequi salutem: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* S. Petrus tamquam caput & exemplar omnium credentium paulò antè vitam suam pro Christo obtulerat, & profundere paratus erat: *Animam meam pro te ponam*; verùm ne turbarentur aut deterrerentur alij sequaces, ab ingressu cœli, animavit illos: *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.*

in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Ac si voluisset dicere: varias adesse vias, quibus cælestem beatitudinem attingere possent.

2. Verum semper est illud Apostoli axioma: *Omnia in figura contingebant illis.* Ægyptus mundi hujus typus erat; è contra terra promithonis veram figurabat terram viventium, quæ est cælum; Hebræi repræsentabant fideles, electos; quem servavit modum æterna numquàm aberrans providentia, ut populo suo ad terram illam, ad quam tanto tempore suspiraverant, præberet aditum; *Qui divisit mare rubrum in divisiones. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Rupertus Abbas existimat, virgam Moysaicam, percutiendo aquas, non unam, sed duodecim aperuisse vias, per quas, utpotè, herbis virides & solidas, quælibet tribus ambulare & progredi poterat: *Campus germinans de profundo*; volens per hoc nobis denotare, per diversas vocationes ad terram illam beatam, fluentem lacte & melle æternorum beatorumque gaudiorum nos tendere posse. *Hoc mare magnum & spatiosum*, mari assimilatur præsens mundus; *Hoc dividit Deus in divisiones* (ait Hugo Cardinalis) *quia facit de mundo transire ad cælum diversis modis*, veluti fusè in hoc authore varios specificante status & professiones videri potest.

Hugo Card. ibid.

3. Mysterio prægnans est circumstantia illa, quam tangit Spiritus Sanctus, cùm ait: *Campus germinans de profundo nimo*; annon satis erat, ut siccis pedibus solum illud percurrerent? Ad quid necessarium erat excrescere ibidem herbas & flores? Id factum fuisse credo, ut nobis insinuaretur, per vias commodas, pura, per vocationes & status commoditatis & prosperitatis temporalis nos posse salvari, adhstente tamen & duce Moyse & columna, nempè, Deo & divina ejus gratia. *In mari rubro via sine impedimento*; aperitur mare, aqua immobilis instar valli à latere erigitur, ut via pateat omnibus transeuntibus, cujuscumque sint status & conditionis quotquot Deo sacrificium offerre intendunt; *Via sine impedimento.* Audiamus S. Chrysostomum scribentem contra Zoilos vituperatores vitæ monasticæ: *Non una salutis via, nec unus modus est, verum permulti ac differentes. Quod quidem Christus indefinitè dixit, cùm multas esse apud patrem mansiones asseruit. Paulus verò sub distinctione quadam idem loquitur, sic scribens: Alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia stellarum, stellaque item differt à stella in claritate.*

Sap. 19. v. 7. Per vias prosperitatis temporalis etiam patet iter ad cœlum.

Sap. 19. v. 7.

S. Chrysost. lib. 3 c. 5. adversus vituperatores vitæ monast.

1. Cor. 15. v. 41.

4. Considerando Archangeli Gabrielis legationem advertì, quod à supremo Sanctissimæ Triadis

Scala Jacob designabat Salvatoris crucē, per cujus varios gradus scandimus ad cælum.

concilio missus, annunciaturus Verbi Divini incarnationem, Ecclesiam denominavit domum Jacob, asserendo Christum in ea regnaturum: *Regnabit in domo Jacob*, cui & regnum hoc in somno repræsentatum fuit, quandò excitatus dixit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli*; at hic observanda est stupenda illa visio, quam idem Patriarcha habuit de mystica illa scala, per quam ascendebant & descendebant angeli: *Vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum*, per hanc scalam poterat quis ascendere de terra ad cœlum S. Bernardinus senensis per hanc scalam existimat significari crucem Salvatoris: *Quid per scalam ubi multi gradus sunt, nisi mysterium crucis?* Sicut scala, per quam ascenditur in altum, ex varijs composita & constructa est gradibus, ità fideles Redemptionis & meritorum Christi effecti participes, per varios gradus vocationum, professionum & statuum ascendunt ad cœlum.

Gen. 28. 17. Ibid. v. 12.

S. Bernard. tom. 2. serm. 56. art. 2. c. 2. car. 615.

5. Observastisnè, quod quandò Redemptor noster nos invitavit ad crucem unà ferendam, sivè, quod idem est, ad consensum hujus scalæ, non astringat nos ad ferendam ipsius crucem, benè tamen, ut quilibet suam ferat crucem? *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse Discipulus. Tollat crucem suam* (sic subdit S. Thomas de Villa nova loquens in persona Christi) *nam meam non poterit, gravissima est enim, quam nullius pari hominis humeras portare sustineat.* Ordinavit igitur, ut quilibet ferat crucem viribus suis conformem, & propriæ vocationi adaptatam: *Age pœnitentiam pro peccatis tuis, & sufficit tibi; jejuna, plora, vigila, affligе modicum carnem tuam, & sufficit mihi.* Non eum rigidum vivendi modum, quem à Religioso requirit, à sæculari, à conjugato exigit: *Tollat crucem suam, id est, sibi possibilem*, ait & declarat S. Bernardinus.

Monet Christus ut quilibet ferat crucem suam, id est sibi possibilem. Luc. 14. 27.

S. Bernard. ibid.

6. Sed clarius D. Chrysostomus sermocinatus fuit Antiochiæ, in hæc verba prorumpens: *Omnis cujuscumque sortis sint, varias crucis causas habent, hic quidem ab uxore, hic à filio, alter à servo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vicino quidam; ex fortunarum factura.* Et qui patienter fert suam crucem, intrat in paradisum; hoc ipsum fortasse est, quod Apostolus insinuare voluit, quando omnes Christianos unà cum Ephesiis docuit: *Obsecro*, inquiens, *ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine* (ecce cruces) *cum patientia sapportantes invicem in charitate.*

D. Chrysost. Hom. 67. ad pop. Enumerantur variæ cruces portandæ. Ephes 4. v. 1.

7. *Tollat crucem suam &c. Non meam injungo* (ait S. Thomas de Villa nova in persona Christi) *sed tollat crucem suam levem & facilem.* Hæc nostra crux facilis, omnique statui accommoda, qualis sit declarat Sanctus Augustinus hisce verbis: *Tollat crucem suam, hoc est, toleret in mundo pro Christo, quidquid intulerit mundus.* Portat quoque crucem, qui ex necessitate novit facere virtutem; & hanc quidem certum est in omni reperiri statu, conditione & professione personarum. Cùm jam finius in tractatu de cruce, annon considerastis, quos & quales incarnata Sapientia (cui jure illud competit: *Benè omnia fecit. Omnia in sapientia fecisti*) decreverit ac disposuerit facere participes crucis suæ, ascendens montem Calvariæ? *Cum Dominus in passione ab homine adjuvari voluerit* (Salmeronis hæc speculatio est) *se quodammodo debitorem facit ferendæ crucis pro homine in ejus angustijs.* Verùm id non tollit difficultatem meam quam moveo; Si Dominus nonneminem ex genere humano honorare volebat in ferenda cruce sua, cur non elegit Nicodemum discipulum suum, aut S. Joannem, qui ipsum comitabatur, vel aliquem alium alicujus authoritatis? Nullum horum elegit, sed gentilem, hominem rusticum, unum qui habebat uxorem & filios, patrem Alexandri & Rufi, ut hinc intelligeremus, quod unumquemque etiam vilissimum, cujuscumque esset conditionis & professionis, crucis suæ, pretiosique sui sanguinis participem facere vellet.

Thomas de Villanov. S. August. serm. 72. de diver. Qualis sit crux nostra facilis ab omnibus ferenda. Salmeron.

8. Pro confirmatione eorum, quæ huc usque dicta sunt, notanda quoque est parabola, quam cœlestis Magister composuit de Rege, qui nuptias fecit filio suo. Multos ille invitaverat convivas; at quia omnes varios excusationis prætextus produxerant, ordinavit: *Ite ergò ad exitus viarum, & quascumque invenieritis, vocate ad nuptias.* Per has nuptias intelligitur verbi divini incarnatio: *Uterus Virginis* (inquit S. Anselmus) *hujus sponsi thalamus fuit nuptiarum; Unde David: Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.* Primi invitati ad has nuptias fuerunt Judæi: *Non sum Missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.* Sed quia Messiæ suo dederunt repulsam, mandavit: *Ite ergò ad exitus &c.* Ubi ait author imperfecti operis: *Sunt omnes professiones hujus mundi; dicit ergò: Ite ad exitus viarum, ut cujuslibet conditionis homines vocent.*

Per varios viarum exitus omnes vocamur ad cœlestes nuptias. Matth. 22. 9. Anselm.

Matth. 10. 6. Matth. 23. v. 19.

9. Descendit Verbum hoc è sinu æterni Patris sui in terram, ut nostram operaretur salutem, nosque viam doceret, qua securi ad cœlestem pervenire possemus patriam; ut igitur nobis adderet animum, noluit eremiticam, qualem præcursor suus, ducere vitam, sed communem, conversando cum hominibus cujuscumque ætatis, sexus conditionis & professionis; & quià ab æterno suo Patre in mundum Missus fuerat tamquam unicum exemplar, quod in actionibus nostris imitaremur, voluit, indifferenter ipsum imitarentur omnes, principes, subditi, divites, pauperes, sæculares, Religiosi, docti, idiotæ: *non est, qui se abscondat à calore ejus.* Disposuit exemplo suo sanctificare omnes vocationes & status variarum personarum. Voluit ex virginali sanguine assumere sacratissimam humanitatem; ut indicaret quanto amore statum virginitatis prosequeretur. Voluit ut sanctissima Mater sua nexu & nodo conjugali juncta esset S. Josepho; voluit insuper adsistere nuptijs illis in Cana Galilææ, ut nobis indicaret, vocationem matrimonialem gratam quoque sibi esse & acceptam. Cùm esset duodecim annorum visus est in templo disputans cum Doctoribus, ut insinuaret, nec illos se refutare, sed sua dignos esse conversatione, qui studijs, præsertim vero sacris litteris dediti essent. Natus, & in præsepio positus ministerio angelorum primos invitavit excepitque pastores & agricolas, ut ostenderet, quantum amaret eos, qui ex suis vivunt laboribus & sudoribus: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Pluribus annis operi manuali intentus laboravit in domo S. Josephi patris sui putativi, ut omnium opificum sanctificaret professionem. Conversatus deinde fuit cum principibus Synagogæ, inter quos erat Nicodemus & alij, ut spem salvandi animas suas & illis daret, qui in honoribus & Dominio sunt constituti. Ad stellas usque extulit fidem Centurionis, ut toti manifestaret mundo, ipsos etiam milites posse esse sanctos, neque professionem adeò periculosam posse præjudicare ei, qui cingulo militiæ Christianæ non renunciat.

Christus suo exemplo ostendit omnes vocationes nos posse ducere ad æternā gloriam.

Psal. 18. v. 7.

Psal. 127. v. 2.

10. Quando insuper increata hæc & incarnata Sapientia prædicabat turbis (de quo S. Petrus: *Verba vitæ æternæ habes*) semper utebatur parabolis, & triviales proferebat similitudines: *Sine parabolis non loquebatur eis. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas.* Idque non sine mysterio, quia cùm omnium prætenderet salutem, divino suo sermone omnium & singulorum, cujuscumque erant status & vocationis, capacitati se accommodabat, comparando regnum cœlorum, modo negotiatori quærenti bonas margaritas, modò patrifamilias conducenti operarios in vineam suam, modò fœminanti semen suum, modò fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus &c. Modò piscatori exponent retia sua, ut ab omnibus intelligeretur: *Non est qui se abscondat à calore ejus. Simile est regnum cœlorum;* inquiebat, *sagenæ missæ in mari ex omni genere piscium congreganti.*

Joan. 6. v. 69. Matth. 13. v. 34. Christus etiā in prædicatione sua omni hominū generi se accommodavit. Ibid. v. 47.

11. Post resurrectionem suam legitur de Petro, utpotè, piscationis Apostolicæ capite: *Simon Petrus traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Nec mirum, quia Salvator noster jam ordinaverat: *Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis.* Omnes hi pisces figurabant electos ad dexteram collocandos. Sed quid indicat certus & limitatus ille numerus piscium, 153.? Sanctus Hieronymus in cap. 43. v. 9. Ezech. scribit: *Aiunt qui de animantium scripsere natura de quibus Oppianus Cilix est Poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles & ignobiles, & divites & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem.* Rupertus Abbas per numerum illum intelligit tres status personarum, in quibus homines communiter vivere solent, ita ut per numerum centesimum intelligantur conjugati; per quinquagesimum status continentiæ viduæ; & per numerum ternarium status

Joan 21. 11. Quidnā significatur per 153. pisces, quos S. Petrus in suo reti è mari traxit in terram. Ibid. 2. 1. v. 6. Hieron. in Ezech. Rup. Abb. in Joan.

tus continentiæ virginalis, seu virginum, quæ sunt in exiguo numero.

12. Nescio, an umquàm observaveritis, qua ratione Redemptor noster in monte Thabor se transfiguraturus & gloriam suam ostensurus tres domitaxat Apostolos secum assumpserit: *Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum & Joannem*, ad alia mysteria non minoris momenti admisit omnes, ipsum etiam protidorem, præsertim in institutione sanctissimi Sacramenti, quandò vel maximè malitiosus ille repudiandus videbatur. Causæ, quas tangunt sacri interpretes, multæ sunt & variæ, quarum una, quæ nostro inservit proposito, est, quod, quia agebatur de cælesti gloria, quam æternus glorificatur ostendebat, voluit fidelibus suis insinuare, omnes, cujuscumque fuerint status & conditionis, illius fore participes, nullum ab ea se velle excludere: *Per hos tres omnes electi significantur* (scribit Hugo Cardinalis) *per Petrum conjugati*; Glossa, *Præpositi*; per S. Jacobum Glossa in Lucam intelligit pœnitentes: *pœnitentes, vel actuales; per Joannem, virgines*, ait Glossa; adjungit Hugo, *seu claustrales*; Albertus Magnus addit, contemplativos. Cùm igitur per hos tres varij denotentur status personarum, hunc in finem eos & non alios elegit, ut excitarentur fideles ad ducendam vitam observantiæ divinæ legis conformem juxta propriam vocationem, scientes quod in domo patris ejus mansiones multæ sunt.

Matth. 17. 1. Tres Apostoli, in Christi transfiguratione præsentes designant omnes electos. Hugo Card. Glossa. Alb. Magn.

DISCURSUS II.

ARGUMENTUM.

Quilibet sit contentus sua vocatione, cùm in ea perfectus esse possit, etiam vocatus ad statum conjugalem.

THEMA.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 1. Cor. 7. ℣. 20.

Quilibet in sua vocatione salvari potest.

1. QUi tradidit hoc oraculum, oculatus paradisi testis extitit, etenim quia aliquandò eò raptus fuit, multas ibidem animas beatificatas videre potuit, quæ in præsenti vita Deo servierunt, non in vocatione & statu Religioso, sed vitam ducentes sæcularem, ac propterea Apostolus Christi imitatoribus consulit, ut quilibet in suo persistat statu, in quo Deus ipsum collocavit: *Unusquisque in qua vocatione &c.* Infallibilis quædam securitas est, quam nobis subministrat idem Apostolus scribens Thessalonicensibus: *Fidelis est, qui vocavit vos*; q. d. Cum Deus vocaverit vos ad certum quemdam statum, scitote eum esse fidelem, nec vos decipere, nec errare posse: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, ait S. Joannes; multò melius novit quàm nos, quæ vocatio saluti nostræ expediat, ideoque *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*; Si Deus velit, ut quis eam commuter, talia ei dabit signa, ut de divina illius voluntate dubitare nequeat.

1. Thess. 5. v. 24. Joan. 2. 25.

Duo præclara exempla in vita S. Philippi Nerij.

2. S. Philippus Nerius inter alia gratiarum dona gratiâ quoque discretionis spirituum illustratus fuit; Undè quia Joannes Baptista Vitelli de Foligno, homo sæcularis, at magna virtute præditus, sciendi desiderio retinebatur, quænam sua esset vocatio, in qua Deo placere ac servire posset, anno Sancto 1575. venit Romam, accessit S. Philippum petendi consilij causa, quem in finem in ejus se resignavit manus velut, ut dici solet, corpus mortuum, quidquid is sibi suaderet, eo contentus esse vellet; generalem insuper instituit confessionem, quam cùm postea iterare statueret, sanctus vir chartam, in qua peccata sua annotaverat, accepit & laceravit. Tandem post varias impositas, quibus tyronem suum probaverat mortificationes remisit illum in patriam, ut ibidem continuando statum suum sæcularem, in vinea Dei laboraret, quod & præstitit eximium ibidem faciens fructum ad annum usque ætatis 83. tantæque undequaque bonitatis acquisivit famam, ut adhuc vivens passim nuncuparetur beatus, undè & pro ejus Canonizatione jam est institutus processus. Cardinalis Baronius tempore juventutis suæ & ipse se subjecerat directioni S. Philippi, dum ei increscere desiderium ingrediendi Ordinem PP. Capucinorum; at Sanctus vir huic proposito semper renitebatur, adeò ut nonnulli hunc renixum summopere mirarentur & quasi scandalizarentur, videntes quod Sanctus vir tantum subjectum impediret amoveretque à tam Sancto proposito; at non reflectebant se uti ille faciebat, quod ordo PP. Capucinorum non esset ipsius vocatio, & Deus aliud de ipso statuisse, illiusque opera in altiori statu necessaria esset, quemadmodùm postea effectus demonstravit; Siquidem suo labore, auxilio & directione duodecim composuit tomos annalium Ecclesiasticorum, nec non sanctam Ecclesiam tum doctrina, tùm singulari vitæ exemplo in eminenti constituta Cardinalis dignitate & statu multùm illustravit.

3. Probare me posse existimo, quod Deus non curet qualitatem & conditionem status, in quo quis vivat, at benè examinet & requirat bonitatem stabilitatemque interioris virtutis: *Nescit* (scribit S. Hieronymus esto in alio proposito) *Religio Christiana personas accipere, neque conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; servum & nobilem de moribus pronunciat.* Asserere possumus in casu nostro Deum non capere perfectionis mensuram ab eremis, à claustris, ab hispido habitu & vestitu: *animos inspicit singulorum.* Primi, qui Verbum æternum in terram descendens excipere meruerunt, fuerunt sequentes, nimirùm, benedicta Virgo utero suo virginali ipsum recludens, S. Joseph, qui eum exili suo fuscepit tugurio, ambo quidem conjuges, manentes tamen virgines suo ipsum sudore & labore sustentarunt; post istos, pastores Bethlehemitici, pauperes, ut & laboriosi rustici, primi omnium obedientiam ei præstiterunt & homagium; hisce successerunt deindè tres Reges, qui venientes ex Oriente ipsum adorarunt, eique obtulerunt suos thesauros; post quadragesimum diem nativitatis suæ exceperunt eum senex Simeon & Anna Prophetissa vidua. Existimant nonnulli Simeonem non fuisse sacerdotem, ex quo deducitur, quod etiam in statu sæculari ante legem Evangelicam, vitam duxerit eminenter perfectam & sanctam.

Deus non est acceptor personarum. S. Hieronym. Epist. 22. ad Celan. Quinam verbum æternū in terra primi excipere meruerint.

4. Nolite vobis imaginari, Eliam Propheram dumtaxat, quia vitam transegit in summa austeritate & puritate virginali, miraculoso modo raptum ex hac vita & in paradisum translatum, siquidem & Enoch in statu conjugali eumdem specialem recepit honorem. Pulchre id notavit Sanctus Chrysostomus, asserens: *Et placuit Enoch Deo, postquam genuit Mathusala. Audiant viri & mulieres, & discant justi virtutem, nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat; nam idcirco divina scriptura semel & iterum id significavit dicens: genuit Mathusala, & tunc placuit ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse conjugium.*

Non solum status virginalis, sed etiā conjugalis Deo placet. S. Chrysost. Hom. 21. in Gen.

5. De S. Norberto appositа quædam legitur historia. Comes de Bles, dictus Theobaldus tum fama sanctitatis hujus viri, tum etiam cujusdam comitis Westphaliæ, plurium statuum Domini, qui in flore ætatis consentiente Sponsa & Sponsam, & multas quoque divitias dimiserat, & authore S. Norberto Religiosum statum elegerat sanctissimo exemplo permotus, sacram religionem sive Ordinem & ipse intrare statuerat, qua tamen super re prius audire voluit sancti viri consilium. Ergo ipsum accessit, animum piamque intentionem ei aperuit, ita tamen ut totus ab ejus dependeret consilio & dispositione. Intellexit Sanctus Norbertus comitis hujus sanctum propositum, acceptavit; at prius tempus, quo Deum exoraret, sibi indulgeri petiit. Fusis igitur magno cum fervore precibus, ac re diligentissimè examinata, die quodam comitem accersiri fecit, ut divinum ei manifestaret beneplacitum. Omnino sibi persuadebat comes, quod sanctus vir suum esset approbaturus propositum, suasurus statum Religiosum, uti & alteri comiti in suo proposito patrocinatus fuerat; verum sanctus Prælatus alta voce, vultu cœlesti luce radiante, in hæc prorupit verba: *Jugum Domini, ut cœpisti, cum jugo matrimonij portabis, & semen tuum cum benedictione patrum tuorum terram largissimam obtinebit, quia nobis fas non est in te destruere, quod te divina dispositio ante omnia sæcula hisce novissimis temporibus voluit ordinare.* Motivum quo S. Norbertus huic comiti ex parte Dei præcepit, ut statum matrimonialem eligeret, illud fuisse refert Historicus, quod in alia vocatione & statu, esto perfectiori, Deum non adeo gratum præstitisset obsequium & servitium.

Sanctus Augustinus lib. de bono conjugali examinando verba hæc Apostoli; *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt*; subdit: *Quod ergo ait, quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, bono conjugali ut sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiendum est,*

Sur. 6. Jun. c. 31. Pulchrum exemplum in vita S. Norberti. 1. Cor. 7. 34. S. Aug. l. de bono conjug. c. 18.

Etiam conjugatæ Deo, & sibi fidem servantes, sanctæ & Deo placentes esse possunt.

1. Cor. 7. 34.

est, *ut putemus non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam; omnibus quippe fidelibus dictum est, nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritus Sancti, quem habetis à Deo? Sancta sunt ergo etiam corpora conjugatorum fidem sibi & Domino servantium.* Paucis ab hinc annis duæ matronæ Sanctorum Catalogo inscriptæ sunt, ambæ nodo conjugali ligatæ, quæ & habuerunt filios, videlicet, S. Elizabetha Portugalliæ regina ab Urbano VIII. & Sanct. Francisca Romana à Paulo V. Canonizata. De hac in vita ejus legitur, quod cum isto sæculo & tempore, quo vixit, non esset frequens adeo S. Communionis usus, illa nihilominus cum licentia imo jussu Confessarij sui sæpe in Ecclesia S. Cæciliæ sacra Synaxi refecta fuerit. Occurrit casus, quo sacerdos quidam disciplinæ minus amans quodam die mane porrexerit ei hostiam non consecratam, intra se dicens, quid hoc est, quod mulieres adeo divites & conjugatæ tam frequenter accedant ad S. Communionem? Excusavit quidem se postea Sacerdos iste, id se feciss bono zelo, non enim conveniens esse existimabat, quod una conjugata regimini familiæ continuo intenta toties sacræ Communionis frequentaret refectionem; ast Deus manifestare voluit, nullum esse statum, qui à perfectione excluderetur; Unde & innotuit S. Francisce, hostiam illam, quam sumpsisset non fuisse consecratam, adeoque nec Christum ibidem fuisse præsentem, quod & postea patefecit suo Confessario.

Abraham conjugatus par fuit in meritis S. Joanni. *August. l. de bono conjug. c. 22.*

7. Haud exiguam pateretur difficultatem propositio ista, nisi esset D. Augustini, cum asserit: *Sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias & in Abraham, qui filios genuit.* Quem Deus elegit in primum patrem & patriarcham credentium, è quo propagaret stirpem, unde ipse nasceretur, & humanam assumeret naturam? Forte unum Abelem? Eliam? S. Joannem Baptistam? S. Joannem Evangelistam? Nullum horum; sed Abrahamum, qui plures habuit mulieres; Abrahamum, qui natus erat inter gentiles; unum Abrahamum, cui sacer textus hoc tribuit testimonium: *Dives valde in possessione auri.* Unum Abrahamum continua perfectione dotatum: *Ambula coram me & esto perfectus*; hunc Deus fecit participem visionum, apparitionum & revelationum cœlestium; hunc cumulavit innumeris donis, virtutibus, cœlestibusque gratiarum thesauris, dispositisque ut nomine suo honoraret depositum Paradisi, videlicet, sinum Abrahæ.

Gen. 13. v. 2.

Gen. 17. v. 1.

Sanctitas in qualibet vocatione mensuratur ab amore Dei. *Hieron. epist. ad Celant.*

8. Deus manifestat vobis voluntatem suam in illa vocatione, in qua vult vos esse sanctos, non in ea, quam crediris esse rigidiorem, perfectiorem & sanctiorem, quia sanctitas mensuratur ab amore Dei, & voluntatis suæ adimpletione; ideoque bene scribit ad Celantium S. Hieronymus: *Ut cognita Dei voluntate inter honores sæculi & divitiarum illecebras morum magis diligas suppellectilem, atque ut possis in conjugio constituta non solum conjugi placere, sed etiam ei, qui ipsum induxit conjugium.* Præter dona & prærogativas super memoratas, quibus à Deo exornatus fuit S. Philippus Nerius magnus pater meus, dotatus fuit etiam hac gratia, quod, ut legitur in lectionibus sui festi: *Plurimorum animas in cælum conscendere vidit*, & inter alias vidit quoque animam alicujus civis Romani nomine Vincentij unius primarij inter Confratres Sodalitatis Sanctissimæ Trinitatis, cujus S. Philippus fundator extitit: erat ille vir magnæ perfectionis, & Sancto à confessionibus; Unde eodem momento, quo expiravit, S. Philippus conspexit illum totum gloriosum & magno cum splendore ascendere ad cœlum, idque die sequenti uxori defuncti consolationis ergo insinuavit hisce verbis: tuus maritus hac nocte pulsavit ostium meum, teque mihi una cum familia tua commendavit; veluti & commendatam eam deinceps habuit, manusque auxiliatrices necessitate occurrente eidem præbuit.

Vit. S Phil. Ner. l. 3. c. 2. n. 6.

Pulchrum conjugati sancti exemplum.

Deus cuilibet in sua vocatione sufficientem largitur gratiã. *Bernard. tom. 3. ser. de Purif. art. 2. cap. 1.*

9. Docet Sanctus Bernardinus serm. de Purificatione: *Regula firma est in Sacra Theologia, quod quandocunque Deus per gratiam aliquem elegit ad aliquem statum, omnia dona illa dispensat atque largitur, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiosè decorant.* Quando Moyses in excusationem adducebat linguæ suæ vacillationem, ob quam minus aptus esset, ut apud Pharaonem causam Dei ageret, dixit ei Deus: *Quis fecit os hominis*; Quis in amplissimo totoque Sacræ Scripturæ veteris testamenti volumine reperitur Deo familior intimiorque ipso Moyse? *Faciem ad faciem loquebatur ei sicut amicus ad amicum*, locum tenens fuit divinæ omnipotentiæ; & vero quis ita rudis, ut nesciat eum quadraginta annis in aula unius Regis Ægypti, unius Pharaonis demoratum fuisse honoribus & imperio fulgentem, delicijs affluentem, thesauris prædivitem, honoratum tamquam filium filiæ ipsius monarchæ? Quis ignorat eumdem annis pariter quadraginta vitam & officium egisse pastoris in Madian, ubi non homines, non populos, non regna, non exercitus, sed pecora gubernabat? Quis nescit ipsum matrimonij fœdere junctum cum filia Jethro, & ex Sephora progenuisse filios & familiam? Quadraginta deinde annorum spatio, veluti omnibus manifestum est, tamquam Dux generalis electus à Deo imperavit populo Hebræo, ducens illum ad terram promissionis; in omnibus tamen hisce statibus & occasionibus illæsam servavit innocentiam, ac semper magis magisque profecit in gratia & amicitia Dei.

Exod. 33. 11

Præterea, divina justitia universali quidem diluvio totum genus humanum delere decreverat, unam tamen solam scintillam sibi reservare volebat; at quem ad hoc elegisse arbitramini? Ipsum Noë: *Te solum vidi justum coram me*; & tamen quando *omnes caro corruperat viam suam*, ipse esto conjugatus cum uxore & filijs immaculatam ac irreprehensibilem duxit vitam.

Noë conjugatus justam & immaculatam duxit vitam. *Gen. 7. v. 1.*

10. D. Chrysostomus contra vituperatores vitæ monasticæ conformiter proposito nostro scribit: *Quid igitur? Is qui civitatem habitat, qui domum habet & uxorem salvus esse non poterit?* Divina gratia & charitas erga Deum (à quibus desumitur sanctitatis mensura) non est alligata statui & vocationi particulari, etenim quot & quanti pericliantur etiam in portu ordinum esto religiosissimorum? S. Augustinus lib. contra Faustum cap. 46. & 47. probat, Patres veteris testamenti uxorum multiplicitate majorem servasse continentiam, quam nunc in nova lege servent Christiani unicam dumtaxat habentes consortem; illi enim cordialiter amabant castitatem, & ad vitam conjugalem descendebant, non stimulo explendi appetitum carnalem, sed desiderio concitati benedictam propagandi prosapiam, è qua successu temporis juxta infallibilis veritatis promissionem desideratus descensurus erat Messias. Idem S. Doctor de bono conjugali tradit sequentia: *Quis dubitat excellentiæ Sanctorum illorum patrum atque maiorum filios generantium non recte comparari mares & fœminas nostri temporis, quamvis ab omni concubitu immunes, in virtute obedientiæ minores, etiam si illis hominibus & in habitu animi defuisset, quod in justorum opera manifestum est.* S. Birgida omnino simili cum Sanct. Apostolo dotata fuit a Deo gratia, etenim *Audivit arcana verba. Per filium unigenitum ei secreta cælestia revelavit*; & tamen longo tempore in statu conjugali vixit, & sancte vixit.

Divina gratia non alligatur particulari statui. *Chrysost. l. 3. c. 5. cont. Vitup. vit. mon. Aug. l. cont. Faust. c. 46. & 47.*

Idem de bono conjug. c. 22.

DISCURSUS III.

ARGUMENTUM.

Qui novit vivere in timore Dei, salvat animam suam in omni vocatione & statu, etiam militari.

THEMA.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit. Psal. 24. ℣. 12.

1. QUærit Regius Propheta, quis sit ille, qui vitam suam instituere cupiat, ducem securus timorem Dei: *Quis est homo, qui timet Dominum?* hoc posito fundamento sequitur: *Legem statuit ei in via, quam elegit.* Leges spiritus & perfectionis ei præscribit Deus, qui in professione & vocatione sua quam elegit, vivit timore Dei munitus; porro *multiplices diversique sunt modi pie vivendi* (ait Theodoretus citatus à Glossa) *solitarij & urbani, regales & mercenarij in singulis fieri potest, ut Deo placeamus, qui potuit leges congruentes illi vitæ, quam unusquisque elegit.* Prosequitur deinde, simulque ostendit exemplo præcursoris Domini, quemlibet posse esse perfectum, aditumque habere ad cœlum, vivendo in illa vocatione, in qua Deus illum posuit: *Divinus Joannes Baptista interrogantibus publicanis respondit: nihil amplius, quam quod præceptum est vobis, facitis. Et Apostolus servis & Dominis, viris & uxoribus mutuas leges posuit.*

Qui legem servat quam Deus cuique statui præfixit, justus esse potest. *Theodor. cit. à Gloss.*

2. *Legem statuit si in via, quam elegit*; Ubi obser-

Quilibet status habet præfixas leges suas. *Ps. 24. 13.*

vandum, prophetam post dicta hæc verba, quia simul supponit, quod unusquisque vitam agat regularem, suæque vocationi conformem, immediate propterea subjungere hanc promissionem: *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hæreditabit terram*; quia Deus etiam in hoc sæculo prosperitatem fœlicitatemque indulget ijs, qui vivunt in sancto ejus timore. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c. Sed in lege Domini voluntas ejus, &c. Omnia quæcumque facient, prosperabuntur.*

Ps. 1. v. 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 3.

3. De præcursore Domini S. Zacharias Pater suus cecinit: *Prædbis ante faciem Domini parare vias ejus ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Ergo quia S. Joannes destinatus erat ad dirigendos fideles in viam salutis æternæ, merito ad eum concurrebant cujuscumque conditionis, status & professionis personæ ut ex eo, veluti oraculo intelligerent, quam viam ad vitam æternam capessendam tenere deberent: *Interrogabant eum turbæ dicentes: quid faciemus?* Creditisne fortassis, quod eos remiserit ad eremi speluncas & tuguria, ad loca deserta, ubi essent socij Scorpionum & ferarum? aut suaserit illis ut pelle Cameli se vestirent, & locustis vescerentur? Nequaquam; *Respondens autem dicebat illis, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani,... & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? Ille dixit ad eos, nihil amplius quam quod constitutum est vobis, facitis. Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Cecinit Poëta: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur*; & tamen in hac professione adeo periculosa multi vixerunt Sancti.

Luc. 1. 76.

Etiam in statu militari multi vixerunt sancti.

Luc. 3. 10.

Ibid. v. 11.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 14.

S. Sebastianus.

4. S. Sebastianus Imperatori Diocletiano ferociissimo Christianæ fidei persecutori charissimus & gratissimus fuit, summæ enim confidentiæ officio functus, dux primæ cohortis constitutus fuit; nihilominus cum tam lubrica & militis, & aulici professione rarissimam junxit sanctitatem. Optarem hic scire, quisnam ille fuerit, quem æterna & infallibilis veritas præ alijs commendavit à præclaro veræ fidei actu? Nicodemus, qui ex metu Judæorum nocte venit ad Redemptorem, Nathanael, qui dixit: *à Nazareth potest aliquid boni esse?* Forte S. Martha asserens: *Utique Domine, ego credidi, quia tu es filius Dei vivi?* Fortasis Petrus, qui ante ipsam ex revelatione patris æterni hoc idem confessus fuerat? Nullus horum; Sed gentilis miles, Centurio ille, Matth. 8. Heroicum talem fidei exercuit actum, veluti cum stupore & juramento de ipso attestatur Dominus: *Audiens Jesus miratus est & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Inter omnes nationes totius orbis nonnisi unica reperiebatur, quæ veri Dei lumen haberet & notitiam, videlicet Hebraica, seu populus Israel, & quidem in populo isto non sacerdotibus, non principibus Synagogæ, non scribis & Pharisæis, non Apostolis, sed paganò & gentili militi fidei primatum defert ille, de quo S. Joannes attestatur. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Quid primum miretur in Centurione* (quærit author operis imperfecti, *Humilitatem aut fidem, aut Sapientiam, aut bonitatem?* Ast nonne in Palæstina homines erant magna præditi virtute, veluti S. Joannes Baptista, & plures alijs fide ac Religione illustres? Respondet Cajetanus: *Fuit major proportionabiliter, quia major fuit illa fides in viro gentili, militari, ex auditu famæ, fere in principio prædicationis Christi, quam fuerit in Joanne Baptista ipsius maxima fides, quia fuerat sanctificatus in utero, filius sacerdotis, educatus in vita Eremitica, conversatus cum Spiritu Sancto.*

Joan. 1. 46.

Joan. 11. 27 Christus laudavit fidem Centurionis.

Matth. 8. 10

Joan. 2. 25

Auct. imp. op. Hom. 22.

Cajetanus.

Alia SS. militum exempla. Exuperantij. *Hieron. l. 1. epist. 9.* Eleazari Comitis.

5. Ad Exuperantium scribit Hieronymus: *Quis enim non diligat eum, qui sub paludamento & habitu militari agat opera prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincat interiori homine qui formatus est ad imaginem Creatoris?* Perlegite vitam Sancti Eleazari comitis Siriani, & sanctum illum vicebitis non solum in statu conjugali, in quo de consensu consortis suæ servavit virginitatem; verum etiam immaculatum & exemplarem in arte militari deprehendetis.

6. Protestatus quidem fuerat pientissimus Redemptor noster: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israël.* Nihilominus pott ascensionem suam in cœlum S. Petro suo Vicario in terris ostendit in ecstasi linteum immundis animalibus plenum quo declarabat admissurum se quoque gentiles ad fidem: *Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, &c.* S. Petrus totus hærebat dubius & perplexus, nesciens quid hoc significaret: *Ecce viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam.* Quid ulterius? *Dixit Spiritus ei, ecce viri tres quærunt te. Surge itaque & descende, & vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos.* Ergo Spiritus S. dixit omnino se velle, ut tribus his advenis, quos ille miserat, associatus conferret se ad domum Cornelij: at quis erat hic homo? cujus professionis? qualia habebat merita, ut Spiritus S. ad illius ædes tanta cum solicitudine mitteret summum Pontificem? *Vir quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica.* Non solum erat gentilis & idololatra, verum etiam professione miles: nihilominus quia in hac professione militari vitam ducebat honestam & laude dignam, Deus de cœlo miserat Angelum ei annunciantem, quam grata & accepta sibi essent bona illa opera, quæ non ipse dumtaxat, sed etiam tota sua familia ad illius exemplum exercerent. *Centurio cohortis* erat, verum est; at de eodem verificari non potuit: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur*; Siquidem prosequitur S. Lucas: *Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens Eleëmosynas plebi, & deprecans Deum semper*; *Is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona Angelum Domini introeuntem ad se, &c.* Ergo Angelus in domo militis gentilis? Itáne Spiritus S. eidem benefacere studet? omnino Deus nullum statum, vocationem nullam, esto alias periculosam, à sua benevolentia & gratia excludit, ad opera, quæ in statu illo facimus, respicit; ac propterea S. Petrus, postquam ipsum & totam familiam sacrosancto ablut lavacro, esto undequaque conspexisset appensa arma, quamvis illius famuli profiterentur artem militarem, quia tamen omnes vivebant in timore Dei, perpulchram hanc edixit propositionem: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

Act. 10. v. 11.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 19.

Ibid. v. 20.

Mirabilis laus Cornelij Centurionis.

Ibid. v. 1.

Ibid. v. 2.

Act. 10. v. 34.

7. In eumdem diem incidit festum duorum insignium Sanctorum, ast vocatione differentium, videlicet S. Sebastiani militis, & S. Fabiani Papæ; primus tamen à fidelibus majori colitur devotione, simulque Ecclesiæ protector agnoscitur & honoratur, quia admirabili effulsit sanctitate, esto in periculoso & lubrico constitutus officio & militis & aulici apud Imperatorem fatalem Christi hostem; *Spiritus ubi vult spirat.* Quando existimatis Sanctum Martinum fuisse gloriosiorem, splendidioremque in conspectu ejus, qui *Spirituum ponderator est?* Forte existens in claustro factus Monachus, quando cilicio carnem domabat, corpore in terra, & mente in cœlo præsens? Forte curam gerens Episcopalem, dum plurimas convertebat animas, paganorum everebat templa, ac stupenda patrabat miracula? Non sane, sed in statu existens militari, quia namque juxta antiquum Ecclesiæ usum, sacri Heroes depinguntur cum tali actu & virtutis forma, in qua excellentius dederé sanctitatis specimen & testimonium, ideo Sanctus Martinus utplurimum depingitur miles equo insidens, qui ense abscindit partem Chlamydis, qui miserum & nudum pauperem contexit & vestivit, qui actus eximiæ charitatis adeo Deo placuit, ut Christus, tota spectante cœlesti curia, dimidiata illa veste indutus testatus fuerit: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Quamvis vile fuerit vestimentum militis, nihilominus filius Dei magni æstimavit hunc virtutis actum, quia illum miles adhuc juvenis sub Juliano Apostata crudelissimo Catholicorum persecutore militans exercuerat. Militum proprium est & peculiare, ut alios spolient, unde S. Scriptura milites nuncupare solet *latrunculos*, quapropter tanto admirabilior est hujus sancti actio: *Quomodo aliena rapuisset Martinus*, ait quidam antiquus auctor, *qui etiam sua tunc pauperibus est elargitus?* De eximio hoc charitatis actu, qui summopere placuit Regi gloriæ, *amicto lumine sicut vestimento*, sic scribit Alcuinus: *Qui parte Chlamydis quæ inter Angelicos exercitus Dominum Jesum divinitus illuminatus nocte se-*

Eximia laus S. Martini pro statu suæ militari.

Judoc. Clict.

Alcuinus.

quen-

Matth. 15. v. 24.

quenti vestitum aspexit, ut verum intelligeret, quod ipse Dominus Jesus Evangeliis intonat paginis, quamdiu fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis. Tametsi sub vexillo unius Apostatæ militaret, attamen veterani instar Christi militis noverat regulas Christianæ militiæ, & easdem bene observabat: *Adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Quapropter ab æterno retributore ad tam sublimem gloriam evectus fuit.

Sanctitas Davidis in statu militari commendatur.

8. Regius Propheta præ omnibus sanctis veteris testamenti à Deo dilectus, & homo secundùm cor ejus nuncupatus fuit, & tamen majorem vitæ suæ partem trivit in tabernaculis & tentoriis militaribus, nec quidquam officium hujusmodi suæ præjudicavit innocentiæ & sanctitati, imo tunc ex divina gratia lapsus est in adulterium; quando
2. *Reg.* 11. 1 cum hostili exercitu pacem compositerat: *Eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, &c. David remansit in Jerusalem, otiosus*, subdit Glossa, *Propter quod incidit in adulterium.* Vultisne intelligere methodum & modum, quem servabat, ut etiam inter medios strepitus & fonitus tubarum tympanorumque esset Sanctus: *Satis præerat* (ait D. Chrysostomus) *Non ut belli Dux, sed ut Sacerdos, famulæ spelunca illi erat Ecclesia.*

Chrysost. Hom. 2. de David.

Etiam Mercatores bene pieque viventes Deo placent, & salutem suam operari possunt.

9. Sed de militia transeamus ad lucra & mercaturas; quis ignorat Salvatorem nostrum regnum cœlorum comparasse mercatori? *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Ergo qui operam dat mercaturæ & negotiationibus, si bene vixerit, nullum ex hujusmodi professione patietur damnum salutis animæ. Possetisne mihi dare rationem, cur pientissimus
Matt. 13. 45 Redemptor noster margaritarum potius fecerit mentionem quam aliarum gemmarum? Cur non potius nominavit Smaragdum, Adamantem, vel Saphirum, aut unam ex aliis gemmis? Pro resolutione observanda est proprietas margaritæ; quamvis Mater Margaritæ aquis salsis maris innatet, adhæreatque, nec minimam tamen illius imbibet guttam, solum rori è cœlo distillanti sinum suum aperiet, & ex illo generatur margarita; Idem prorsus & frequenter contingit pluribus animabus electis & prædestinatis ad gloriam, quamvis enim in amarissimo mundi hujus mari vi & ratione professionis ac confessionis ac conditionis suæ teneantur attendere negotijs & mercaturis, nihilominus corde, animo & affectu non ita adhærent bonis istis temporalibus, sed cor solum aperiunt rori cœlesti spiritus & gratiæ. In
Vita S. Philippi Nerij l 3. *c.* 12. *n.* 7 vita S. Philippi Nerij legitur, quod diversorum opificum ac mercatorum defunctorum viderit animas
Anima mercatoris visa fuit evolare ad cœlum. evolantes ad cœlum, præcipue unius celeberrimi mercatoris Antonij Cortesselli Comensis, filij sui spiritualis, postquam expiravit, animam conspexit undique luce perfusam, eique locutus fuit quatuor aut quinque horarum spatio, nec mirum, quia mercaturam cum oratione, cui valde deditus erat, ac pluribus aliis misericordiæ operibus conjunxerat, sicque verum est, quod S. Petrus dicebat: *In omni gente, qui timet Deum, acceptus est illi.*

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

In omni statu possumus operari nostram salutem, si tamen exerceamus opera virtutum statui nostro conformia.

THEMA.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Ephes. 4. ℣. 1.

Unusquisque in sua vocatione satagere debet ut sit perfectus.

1. QUia S. Paulus optime noverat Ephesios sancta quadam invidia corripiendos fore, si quosdam currentes ad martyrium, alios vero amore vitæ solitariæ eremum petentes conspiceret, ideo monet illos, ne despondeant animo, siquidem ad attingendam vitæ sanctitatem sufficeret, quod unusquisque in sua vocatione satageret esse perfectus. Verbum hoc, *ambulare*, idem sonat
Gen. 17. *v.* 1. quod ire ad perfectionem: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Animæ illæ beatæ in Apocalypsi gratias referebant Agno Dei, uti legitur cap. 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu,*
Apoc. 5. 9. *lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* Huic conformis alia visio repræsentata fuit S. Joanni, pariter nobis indicans, homines ex omni statu intraturos supernam Dei civitatem: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis.* *Apoc.* 7. 9.

Etiam in statu sæculari inveniturum puritatis vitæ.

2. Ingeniosa sane reflexio est, quam instituit Rupertus Abbas in textum ejusdem libri, ubi tractat de superna Jerusalem: *Et erat structura muri ejus ex lapide Jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. Cum distinctionem facit muri & civitatis, dicendo: & erat structura muri ex lapide Jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum; nomine muri, firmiores, magisque spirituales propositi fideles; Civitatis autem appellatione plateas civitatis, id est, laxioris vitæ, maximeque lætalis ordinis multitudinem significat; nec mirum, quod plateas civitatis aurum fore mundum, sive sterni auro mundo prædicat, addens aurum illud sic fore mundum, ut simile sit vitro mundo, quia sæcularis quoque vitæ nonnulli sunt summis compti virtutibus, qui & puritate mentis & radio fulgent operis.* In sententia igitur dignissimi hujus auctoris, qui in variis vocationibus sæcularem ducunt vitam, ac irreprehensibilem significantur per plateas cœlestis Jerusalem; è contra religiosi, & qui sunt in perfectiori statu, instar muri consistere & persistere debent.

Apoc. 21. 18 *Rup. Abb. Ibid. v.* 11.

Omnes status transire debent per mare rubrum passionis Christi.

3. In primo discursu vidimus, quod Deus ductus Hebræos, qui figurabant electos, ad terram promissionis per mare rubrum, aperiendo hoc mare, plurimas simul in lecto maris aperuerit & monstraverit transeuntibus vias, quæ varias denotabant vocationes. Cogito nunc aliam inde elicere moralitatem, videlicet, alius in mari bellum gerit & prælietur, alius piscatur, alius negotiatur & mercaturam exercet, alius ex aquis marinis corallia, salem alius extrahit, alius ut majori cum facilitate, minoribusque expensis ex una provincia migret in aliam, & sic de aliis. Quid jam existimatis me velle inferre, quod nostro accommodatur proposito? Ut abhinc navigemus ad fortunatissimum cœli portum, quilibet oportet, transeat aquas maris rubri Passionis Redemptoris nostri; illa tamen habemus prærogativam, quod nō teneantur omnes eamdē arripere viam, quia infallibilis Providentia Dei, qui *Vult omnes homines salvos fieri (voluntate antecedenti*, ut loquuntur Theologi) disposuit, ut fideles per hoc mare navigent, alij professione milites, alij mercatores, alij piscatores, alterius status alij, esto fœcnlares, quia omnes Redemptionis suæ vult fieri participes: *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, &c.* *Apoc.* 5. *v.* 9.

Nemo ex proprio sensu sibi eligat statum, sed sequatur vocationem Dei.

4. Alia adhuc visione S. Joannes ditatus fuit Apoc. cap. 1. Ubi vidit capillos filij Dei, Regis gloriæ candidos instar lanæ mundæ: *Caput autem ejus, & capilli erant candidi tamquam lana alba.* Caput Ecclesiæ est Christus, capilli, qui capitis sunt ornamentum, Sancti; Sed quale illud mysterium, quod capilli sint instar, non lanæ dumtaxat, sed lanæ albæ: Forte propter candorem conscientiæ? propter albedinem honestatis? propter canitiem & maturitatem morum? Glossa totum solvit dubium: *Sicut lana alba apta est ad quoscumque colores suscipiendos, sic Sancti.* Certum est, eos, qui magis uniti & conjuncti sunt Christo, perconsequens esse sanctiores, & qui plus adimplent divinam suam voluntatem, esse quoque perfectiores? *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus,* laus est, quæ Angelicis attribuitur spiritibus. Ecce igitur in hac visione S. Joannis denotatur, quod illi magis adorent Christi caput, majoremque ei addant decorem & venustatem, qui majora illi præstant obsequia, majoremque exhibent devotionem, qui non restringunt se ad certam & specialem vocationem, proprio ducti genio & propensione, propriæque inhærentes opinioni & sententiæ, sed dispositi sunt & parati ad omnem, quam Deus illis infinuabit, suscipiendam vocationem. *Gloss.*

Amor Dei est fundamentum Sanctitatis, qui se accommodat, omni statui.

5. Nulli dubium est, basim & fundamentum perfectionis & sanctitatis unius animæ esse charitatem & amorem Dei; & hic, uti suo loco demonstrabitur, omni statui, omni professioni se accommodat: *Astitit Regina à dextris in vestitu deaurato, circumdata varietate*; & quæ est ista Regina nisi charitas, de qua Apostolus: *Major autem horum est charitas;* *Psal.* 44. ℣. 10.

ritas; adstat dextris Christi, quia hæc, & non alia virtus nos ad dexteram illius collocat; hæc nobis dat investituram regni cœlestis, æternæque beatitu-
1. *Cor.* 2. *v.* 9 dinis: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit his qui diligunt illum.* Vestitur auro: *Vestitu de aurato*, hoc enim metallum hujus virtutis Symbolum est; *Circumdata*
Psal. 44. 10 *varietate*, quia sub charitate varij militant status,
Ibid. professiones & vocationes: *Non est qui se abscondat*
Psal. 18. 7 *à calore ejus. Omnibus omnia factus*, dicebat Apo-
1. *Cor.* 9. 22 stolus, instar Prothæi varias induebat facies, ut Deo lucraretur animas.

Deus varios præscripsit modos & vias perveniendi ad vitę sanctitatem.

6. Observastisne umquam modum, quo in certis locis & officinis conficiantur & efformentur Sanctorum imagines; Aliæ imprimuntur chartæ; aliæ penicillo in panno lineo effinguntur, & depinguntur coloribus; aliæ scalpro inciduntur ligno aut alicui metallo; aliæ funduntur, conflantur, aut cuduntur mediante alia forma. Ubi observandum, quod tametsi omnes hujusmodi imagines sive effigies repræsentent sanctos, quos in Ecclesijs ac locis sacris veneramur magnum tamen inter eas intercedat discrimen, quia quæ imprimuntur chartæ, sub prælo facillime imprimuntur non ita aliæ, quæ ligno aut lapidi inciduntur, aut quæ mediante igne conflantur, vel cuduntur. Quid volo insinuare hac similitudine? Ut vitæ sanctitatem assequamur, & in cœlis glorificemur, Deus varios nobis præscripsit
Hebr. 11. 37. modos: Alij *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c.* Aliter è contra de alijs disposuit, ut faciliori via perveniant ad perfectionem, nimirum, per exercitium virtutum Christianarum; in pratis illis cœlestis paradisi non solum florent rosæ martyrum; sed etiam miram odoris fragrantiam diffundunt lilia virginum, & infinitorum Confessiorum violæ, absque eo quod vitam & sanguinem sub tyrannis profuderint. Quando in extremo judicij die supremus Judex gratissimam illam proferet sententiam: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*; non petet à nobis, utrum corpora nostra diris simis flagris & uncis dilacerata fuerint, an equuleo torti & distenti, vel à feris leonibus dilaniati, multo minus an Eremitæ & solitarij fuerimus, aut illibatum conservaverimus virginitatis lilium: non ista, inquam, inquiret, sed solum circa opera charitatis, quæ omni statui & professioni merito competunt, examinabimur.

David suo exemplo ostendit, in omni statu & vocatione perveniri posse ad perfectionem.

7. Frequenter mihi sancta quædam surrepsit curiositas sciendi, cur David Rex, non obstante quod homo sæcularis, ac turpiter in adulterium prolapsus fuerit, in tanta tamen apud Deum extiterit æstimatione, ut eum appellaverit hominem secundùm cor suum. Ecclesia insuper eumdem honorat, recitando omni hora illius Psalmos. Certum illud: *Bene omnia fecit.* Credo equidem causam illius esse, quia in quocumque fuit statu, sanctam duxit vitam, & ex casu suo, è quo surrexit, novit elicere ac lucrari majora merita, dum peccatoribus pœnitentibus omni tempore verum extat speculum, Existens adhuc Pastor ovium, gratissimus Deo esse debuit, quia ab eo acceperat gratiam & robur manibus suis dilaniandi ac discerpendi leones & ursos. Assumptum de pecoribus Samuel jussu Altissimi Regis Israel consecravit. In statu privati militis de Goliath gloriosum reportavit triumphum. In aula Regis Saul inter adversitates & aulicorum æmulationes summam conservavit mansuetudinem. In persecutionibus ingratissimi Regis invicta semper præditus fuit patientia: *Non reddens malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Ad regnum deinde & thronum regalem evectus, inter regales etiam delicias æmulabatur Religiosus: *Media nocte surgebam ad confi-*
Ps. 118. 62 *tendum tibi. Septies in die laudem dixit tibi. Genua*
Ibid. v. 164 *mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata*
Ps. 108. 24 *est propter oleum.* Quamvis hostes profligaret, in fugam converteret, ac, reportaret victorias,
2. *Reg.* 23. 8 legimus tamen in ipsius laudem: *Sedens in ca-*
Ps. 61. *v.* 11. *thedra Sapientissimus.* Licet divitijs abundaret & thesauris; *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, consulit. Aulam esto haberet florentissimam, optime
Ps. 100. 2. tamen dicere potuit: *Perambulabam in innocentia cordis mei; in medio domus meæ.* Annon igitur cunctis fidelibus merito proponi poterit tamquam exemplar, speculum & norma cujuscumque vocationis, utpote, qui in omni statu fuit perfectus & immaculatus? *Fecit omnes voluntates meas.*

8. Verum nodus difficultatis adhuc consistit in verbis istis: *Digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Romanos & nos idem exhortatur Apostolus: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Varia antiquæ legis erant sacrificia: etenim holocaustum consumebatur comburebaturque totum in honorem Dei; ex alijs sacrificijs una pars offerebatur in suæ divinæ Majestatis, altera cedebat in commodum Sacerdotis, quod superaret in utilitatem offerentis. Per holocaustum repræsentabatur religiosus, qui se triplici obstringens voto, totus Dei deditus est obtequio; alijs vero sacrificijs significantur variæ vocationes & status, in quibus aliqua ex parte religionis devotionisque vacamus operibus; ita tamen ut detur etiam locus laboribus & negotijs peragendis, prout exercitium & status cujuslibet exigit. Hic advertendum est, ne quis in eum incidat, scopulum, ubi naufragium passus fuit primus reprobus, ac propterea merito reprehensus: *Si. recte offeras, sed non recte dividas, peccasti* (ita legit Sanctus Ambrosius Græcam sequens versionem.) Advertant sæculares, ne plus, quam debeant, tribuant mundo, ne plus corpori & lucro temporali, quam Deo & propriæ saluti studeant & indulgeant. Discretio propterea valde necessaria est; unde Sanctus Antonius in pulchra illa collatione Patrum & Magistrorum spiritualium prætulit hanc virtutem discretionis, quia in bono opere potest etiam fieri excessus; non ehim convenit, ut aliquis paterfamilias, qui curæ ac regimini domus suæ attendere debet, instar Carthusiani aut alterius religiosi, intentus sit orationibus; neque decens est & rationi congruum, ut quis studeat solitudini, qui ex officio suo aliorum causas excipere, easque expedire tenetur, vel ad officia & servitia publica deputatus est.

Ephes. 4. ℣. 1 *Rom.* 12. 1 Varij hominum status exprimuntur per varia legis veteris sacrificia, & illorum distributione.

Ambrosius Salubris instructio pro gubernatore & judice civitatis.

9. Beatus Petrus Damianus varias cuidam Cirithio urbis Romanæ gubernatori scripsit literas, & quidem Epistola 2. hanc inter alias dedit ei instructionem: *Caze ne propter peculiaris orationis studium, cui insistere forte commendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas, & propter proprium commodum communem salutem plebis, quæ justitiam à te præstolatur, omittas.* Verum quia opponi poterat Evangelicum illud dictum:
Matth. 6. 33 *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus*: & simul affrur: orationem omnibus alijs permittendam esse, ideo idem sanctus subjungit illud oraculum Ecclesiastici: *Qui conservat legem, multiplicat orationem, sacrificium salutare est attendere mandatis; justitiam ergo facere, quid est aliud, quam orare? Alibi quoque scriptum est: Justitia elevat gratias, & beati, inquit, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

Quilibet vivat secundùm leges vocationis suæ.

10. S. Joannes Baptista à publicanis, à militibus, alijsque similibus mundanis hominibus, qui spiritum compunctionis conceperant, interrogatus, quam viam ad salutem æternam obtinendam tenere deberent? non illis suasit aut intimavit eremum sive solitudinem, non rigorem abstinentiæ: bene quidem: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, dicere, nimirum, volebat: *Digne ambulate vocatione, qua vocati estis. Quis est homo, qui timet Dominum*, diximus jam Disc. præced. *Legem statuit ei in via, quam elegit.* Conjugatus aliquis non debet gestare cilicium, longa & austera protrahere jejunia, veluti faciunt observantissimi religiosi, quia offenderet leges Matrimoniales. Qui non abundat bonis temporalibus, numerosa tamen ei est familia, injuriam huic irrogaret, si in eroganda eleëmosyna nimis liberalis esset. Adolescens, qui non est vocatus ad statum perfectionis, intra limites bonæ educationis se continere debet, quem in finem semper timeat Deum, & à sociis derisus, omnem ruborem vincat, omnemque conculcet respectum humanum.

Circa quæ instituendum sit examen in extremo judicio.

11. Apposite scribit quidam author, in extremo judicij die nullum instituendum processum & examen rigorosius, quam circa statum, officium & professionem cujuslibet personæ; non petet Christus à Principe: num sacros & spirituales legerit libros, sed an pro conservatione bonorum morum, & publicæ quietis curaverit observari leges. Ab Advocato, Procuratore, vel etiam Notario non exiget; num frequentarint chorum & psalmos decantarint, sed an cum integritate & diligentia causis

ſis patrocinati fuerint, fideliter officium ſuum adminiſtraverint.

Actus ex ſe boni, non tamen conformes propriæ vocationi, non cenſentur virtuoſi.

11. Apud Scholaſticos recepta eſt hæc doctrina, non eſſe virtuti & rationi conformes actus illos, qui propriæ vocationi non ſunt commenſurati & conformes, eſto alias per ſe & ex ſe boni ſint, quia hic & nunc ſunt deordinati; quas ego v.g. exerceo actiones, quia illæ meo competunt officio & vocationi, ideo laudabiles erunt & meritoriæ; at ſi eædem ab alio fierent, defectu hujus proportionis eſſent diſformes, ſine laude & merito. Si alicui infirmo robuſtæ complexionis Medicus præſcriberet drachmas aliquas Rebarbari, remedium erit valde proficuum; at ſi eamdem quantitatem præſcriberet infirmo debilis complexionis, erit ei venenum; eodem modo diſcurrendum eſt de caſu noſtro, ſi religioſus exemplaris vitæ tribus aut quatuor horis vacet orationi, ſemper ſtudeat ſolitudini, facit id quod profeſſioni ſuæ conforme eſt; at ſi idem præſtare velit paterfamilias qui victum filijs ſuis procurare, iiſque præeſſe tenetur, nec oratio nec ſolitudo ulla Deo grata & accepta erit: *Non ambulabit digne vocatione, qua vocatus eſt.*

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

In ſtatu etiam ſæculari humanæ proſperitatis merita acquiri poſſunt, paria eorum meritis, qui vivunt in ſtatu perfectiori.

THEMA.

Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident. 1.Reg. 30. v. 24.

Qui in ſtatu ſæculari juſte ac pie vivunt æque apud Deum merentur, quam religioſi.

1. Atrociſſimum David cum Amalecitis commiſerat prælium; hiſce profligatis & devictis, totaque, quam in Siceleg rapuerunt, recuperata præda, una cum militibus ſuis pluribus ſpolijs oneratis, reverſus in Siceleg, intelligit, inter milites haud exiguam oriri litem & controverſiam; illi enim, qui remanſerant & cuſtodierant ſarcinas, ſpoliorum petebant partem, obſtinate negabant alij, qui pugnaverant: *Reſpondenſque omnis vir peſſimus, & iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit, quia non venerunt nobiſcum, non dabimus eis quidquam de præda quam eruimus, ſed ſufficiat unicuique uxor ſua & filij.* David ergo ſua interpoſita authoritate litem decidit, dicens: *Æqua pars erit, &c.* Hanc Hiſtoriam Origenes accommodat noſtro propoſito; per illos enim, qui comitati fuerunt ducem ſuum David ad prælium, intelligit Religioſos ad vitæ perfectionem tendentes, qui gladio verbi Dei animas rebelles, quas cœlo lucrantur, expugnant & debellant, continuum adverſus poteſtates infernales bellum gerunt, proprios ſuperant & devincunt appetitus ac paſſiones inordinatas, cum mundo decertant & victoriam reportant. E contra per illos, qui remanſerunt ad ſarcinarum cuſtodiam & curam, intelligit ſæculares, qui vivunt hiſce negotijs terrenis applicati, non affectu & voluntate propria, ſed neceſſitate ducti, quia hoc ita exigit eorum vocatio & ſtatus, ad quem à Deo vocati ſunt. Finito hoc certamine ac prælio, nimirum, præſenti vita, de qua dicitur: *Militia eſt vita hominis*, exiſtimabunt fortaſſis, ſibique perſuadebunt Religioſi, ſibi dumtaxat reſervata eſſe opima gloriæ ſpolia, & inter ſe dividenda; Sed ita non fiet, ſiquidem verus David feret ſententiam, litem decidens; *Æqua pars erit, &c.* Poteſt unus ſæcularis, opimis eſto ditatus facultatibus, tantum apud Deum promereri, quantum unus alius qui votum emiſit paupertatis Religioſæ, etenim ſi quis ſincero animo ejuſdem Prophetæ adimpleat conſilium; *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; profecto in hac abnegatione & privatione voluntaria divitiarum majorem experietur repugnantiam, quam habeat Religioſus ſemotus plane à fomentis & irritamentis bonorum temporalium.

1.Reg.3. 22.
Orig. Hom. 25. in Num.
Job 7.v.1.
Pſal.61. 11.

Homo ſæcularis virtute præditus meritis ſuperare poteſt religioſum paupertatis voto obſtrictum

2. Philoſophorum moralium principium eſt, apud omnes receptum, excellentiam virtutis non deduci ex actu exteriori, neque ex materia; bene quidem ex affectu, quo operatur exercens ſe in actione. Luc. 21. Divites illi munera, nummos aureos magni pretij & valoris miſerant in gazophylacium, & tamen Salvator noſter, *Scrutans corda & renes*, non ita appretiabatur, neque tam grata & accepta habebat illa, veluti duo minuta illius pauperculæ viduæ, quam aſſerebat donum longe opulentius obtuliſſe, quam reliqui omnes ſimul: *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes miſit.* Vultisne intelligere; quænam fuerit mens & ſententia Chriſti? Audite illam ex Gloſſa: *Non paucitatem oblati, ſed copiam affectus intuitus eſt Deus.* Venerabilem Bedam alluſiſſe exiſtimo ad divinum illud oraculum: *Spirituum ponderator eſt*, cum ait: *non ſubſtantiam, ſed cor penſat.* Hoc ſuppoſito fundamento, poteſt homo ſæcularis virtute præditus cum tanta bonorum, quæ in ſua habet poteſtate, abdicatione vivere, ut paupertatis voto obſtrictum in merito ſuperet. Quid & quantum non promeruit Job, in hæc prorumpens verba: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum?* Plus ſane promeruit contemnendo hæc bona temporalia, quam operibus miſericordiæ intentus.

Pſal.7. 10.
Luc.21.3.
Gloſſ. ibid.
Venerab. Beda.
Job.1. v.21.

Probatur propoſitum apta ſimilitudine.

3. Pro majori hujus veritatis elucidatione appoſita mihi occurrit ſimilitudo de ſtatua lignea aut lapidea, at ſpeciali & mira arte à ſculptore celebri elaborata, hæc enim majori pretio & valore æſtimabitur quam alia argentea, eſto materia ſine comparatione ſit pretioſior, quia excedens valor artificij abunde compenſat vilitatem ligni aut lapidis. Nonnulla etiam reperiuntur numiſmata, quæ quamvis ſint ex ære, aut alio vili metallo, pluris tamen æſtimabuntur, quam alia aurea, vel propter effigiem alicujus antiqui Imperatoris, vel propter raritatem, aut eruditionem; eodem modo dicere poſſumus auſteritatem vitæ, ſolitudinem, jejunium, aut aliam obſervantiam hujus vel illius Religioſi eſſe inſtar ſtatuæ aureæ, non propterea tamen hoc aurum pluris apud Deum æſtimabitur, quam ſtatua lignea aut lapidea inſigni artificio elaborata, volo dicere, non minoris apud Deum meriti nec minoris virtutis actus erit v.g. illa ſequeſtratio hominis ſæcularis à ſtrepitu & curſu mundano; temperantia quam ſervat in menſa; mortificatio ipſius in delicijs rigoroſa ſenſuum cuſtodia; pietas erga pauperes; frequentia Sacramentorum, ac ſimilia virtutum exercitia; quia, cum hujuſmodi exercitia in ſtatu ſæculari difficillima ſint, quo ad praxin, tanto majori coronabuntur merito; Unde celebris illa Divi Bernardi extat propoſitio: *Quod martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter appetitus?*

Bern. ſerm. in feſt. omn. Sanctorum.

Inordinatus affectus vitiat opus bonum. Exemplo probatur.

4. In vita D. Gregorij Magni legitur de quodam ſancto Eremita, quod multis annis vixerit ſolitarius, poſt auſteras frequenteſque peractas pœnitentias aliaque devotionis & orationis exercitia, inſtanter Deo ſupplicavit, ut dignaretur ei manifeſtare præmium in cœlis ſibi præparatum propterea, quod deſeruiſſet domus ſuæ delicias, ac Deo in iſta mendicitate ſerviviſſet. Nocte in ſomno ei reſponſum fuit, tale ſibi expectandum præmium, quale deberetur paupertati Gregorij Papæ. Audiens hujuſmodi reſponſum Eremita, attonitus & turbatus hæſit, exiſtimans Deo non placuiſſe paupertatem ſuam, ſi non majus, ſed idem cum tam divite principe, qualis erat Gregorius, præmium recepturus eſſet, & quia die noctuque deplorabat infœlicem ſuum ſtatum, dormiens alia nocte audivit Dominum ſibi dicentem, non bona neque bonorum poſſeſſionem facere homines divites, ſed affectum; quomodo tu, inquiebat, divitias Gregorij cum tua paupertate conferre & comparare audes, qui cattum tugurij tui incolam pluris æſtimas & diligis, quam Gregorius omnia ſua bona, cunctoſque, quos poſſidet, theſauros, quos nequidem amat, ſed ſpernit, & animo benefico erogat in pauperes, ut propterea in corde ſuo te ſit longe pauperior?

Aliud ſimile exemplum.

5. Non abſimile exemplum legitur in vita S. Severini Archiepiſcopi Colonienſis, quod hucuſque dicta mirum in modum confirmat. Magnus quidam Dominus ipſo die nuptiarum ſuarum ab Angelo invitatus fuit, ut ipſum ſequeretur, deſereret ſponſam, divitias, dominium, & omnia quæ haberet in ſæculo. Conductus ergo fuit ad eremum, ubi pluribus annis vitam duxit valde auſteram; cumque & ipſe die quodam corriperetur curioſitate ſciendi, quale ſibi in paradiſo deſtinatum eſſet præmium, in quadam viſione intellexit, parem ipſum eſſe

eſſe Severino Archiepiſcopo Colonienſi. Quare hunc ſine dilatione videre deſiderat, accedit, intrat Eccleſiam, & Severinum in throno Pontificali conſpicit ſedentem cum magna majeſtate, toto ſtipatum Clero pluribuſque alijs principibus & nobilibus. Sacro finito pergit ad palatium, ubi Sanctum Archiepiſcopum deprehendit præſidem lautiſſimæ menſæ, cui & plurimi aſſidebant Comites & Nobiles. Hæc omnia ubi ſpectat eremita, abjicit animum, ſuſpicaturque, Deo forte minime gratam eſſe vitæ ſuæ auſteritatem, eo quod promitteretur retributio præmij æqualis utrique ſibi & tali Præſuli, qui viveret in tanto Majeſtatis ſplendore, in talibus delicijs. Verum nocte ſequenti angelus cœleſtis melius ipſum inſtruxit, erroremque ſuum ei detexit; nempe, quod nimium cordis affectum apponeret lagunculæ ſuæ) hanc cingulo appenſam geſtare ſolebat) Severinus autem nullum prorſus haberet affectum ad honores, theſauros, & delicias, eſto quis ei totum donaret mundum. Ex hiſce duobus exemplis probatum habemus propoſitum: *Æqua pars erit &c.* Ubi in eremita & principe æquale reperimus meritum.

Amos.7.v.7.

Deus æqualẽ mercedẽ gloriæ dabit artifici & operario cũ Rege ſi vivat virtuoſe & innocenter.

6. Amos cap. 7. Refertur hæc viſio: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum*; credo hunc murum eſſe illum, de quo canit Eccleſia in hymno: *plateæ & muri ejus ex auro puriſſimo*, nimirum, muri ſupernæ Jeruſalem, *quæ conſtruitur in cœlis vivis ex lapidibus.* Quales erant lapides, quos Deus habebat in manibus? *in manu ejus trulla cæmentarij*; at Septuaginta legunt, *adamas.* Quis non videt magnam eſſe diſtantiam & diſcrimen inter inſtrumentum fabri murarij & adamantem? ita eſt, at Deus per hoc intendebat nobis inſinuare, quod operarijs ſive artificibus & principibus hujus mundi denotatis per adamantem æqualem conferat mercedem, manu ſua parem imponat æternæ gloriæ coronam, ſi tamen vivant in exercitio virtutum & Chriſtiana innocentia: *Non eſt Judæus neque Græcus* (ſcribit Apoſtolus ad Galatas) *non eſt ſervus neque liber; non eſt maſculus neque fæmina, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*; ac ſi dicere vellet Apoſtolus, Redemptorem noſtrum non attendere, nec conſiderare, an ſit Religioſus aut ſæcularis, Dominus aut ſervus, princeps vel ſubditus, dives vel pauper, tunc, nimirum, quando eos æterna remunerabit gloria; bene quidem ſcrutabitur examinabitque, num leges ſuas divinas adimpleverint, an ipſum ſuper omnia dilexerint, uno verbo, an præmio illo ſe reddiderint dignos. Aſt ego exiſtimo dici poſſe, quod ſicut in aula alicujus Magnatis & principis plus æſtimatur illud obſequium & ſervitium, quod ei præſtatur ab aliquo Domino proſapia prænobili orto in miniſterio nobiliori iſto alio, quod ei exhibebit unus communis famulus & pediſequus; ita mihi imaginor in aula cœleſti majori honore & remuneratione excipiendos fore, Regem, Imperatorem, Papam, qui ſanctam duxerunt vitam, quam illos, qui quidem ſancte vixerunt, at in ſtatu & vocatione commoda & facili ad exequendum virtutis exercitium; etenim ut ait D. Auguſtinus: *Magnæ virtutis eſt cum fælicitate luctari, magnæ fælicitatis eſt à fælicitate non vinci.*

Gal.3.v.28.
Auguſt.

Expenditur parabola operariorum vineæ.
Matth. 20. v.12.

7. Nota eſt omnibus parabola de operarijs in vinea Matth. 20. inter quos lamentabantur & murmurabant illi, qui toto die laboraverant & foderant: *Portavimus pondus diei & æſtus.* Certum eſt, juxta communem ſacrorum Interpretum expoſitionem, per hos operarios denotari Patriarchas veteris teſtamenti; at ſi ita eſt qua ratione vere aſſerere poterant; plus alijs ſe ſudaſſe & laboraſſe in hac vinea, quod eſt idem dicere, majorem ſe acquiſiviſſe ſanctitatem; cum eodem tempore, quo fuerunt ſancti, ſimul gaviſi fuerint bonis terrenis in abundantia? Reſp. auctor imperfecti operis: *Mundus in juventute conſtitutus omnibus bonis proſperabatur; & fælix erat; nunc autem mundus ſeneſcens omnibus adverſitatibus premitur & ideo concupiſcibilis non eſt, qui ergo tunc fuerunt homines, cum majori difficultate juſtitiam ſervaverunt, quia ipſa fælicitas mundialium rerum ſatis impedimentum eſt animæ ad juſtitiam faciendam.*

Auctor. Imperf. Hom. 34.

8. In officio, quod recitamus de SS. Confeſſoribus, frequenter replicamus iſta verba: *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperavit in pecunia & theſauris, Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* S. Sebaſtiano dicebat Imperator: *Ego te inter primos in palatio meo ſemper habui*; Eſſe in gratia, favore & dignitate apud Imperatorem, mundi Monarcham, & nihilominus eodem tempore ſcire ſe conſervare ſimulque proficere in gratia Dei, cujus inimiciſſimus erat Diocletianus, annon magna virtus eſt? Imo talis, tamque heroica, ut nec virtus ſanctiſſimi etiam eremitæ ei comparari poſſit, quia voluptatum, honorum, divitiarumque illecebræ exulant & amotæ ſunt à ſolitudine & eremo; at vivere in igne, & ne quidem exinde concipere fumum, hic ſupremus ſanctitatis gradus eſt.

Eccli.31.v.8.
Ibid. v.9.
Ibid. v.10.

Multum facit qui in ſtatu ſæculari & aulico conſervat & proficit in gratia Dei.

Varia exempla

9. In Bulla Canonizationis. S. Caroli S. M. Eccleſia hanc ei attribuit laudem: *Crucifixus mundo maxime blandienti*; ab adoleſcentia futuræ ſanctitatis cœpit dare ſigna, & in omnibus officijs magis magiſque ſemper profecit. Bene obſervat S. Auguſtinus S. Apoſtolum de ſe loquentem: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, unde ſubdit: *Nec Paulus mundum cupit, nec mundus eum.* Mundus ſpernebat S. Paulum, dum ipſum perſequeretur injurijs & vilipendijs; non ſic contigit S. Carolo, & alijs, qui ante ipſum ſe conſervarunt humiles, ac ſobrie vixerunt conſtituti in ſumma etiam proſperitate humana, ut quis contra hunc curſum naviget, magna requiritur virtus & ſpiritus non ordinarius. *Quidni*, ait S. Bernardus, *periclitetur caſtitas in delicijs, humilitas in divitijs pietas in negotijs?* S. Severinus ſummi momenti negotia, quæ imperium concernebant, pertractabat, & tamen ſanctiſſime vixit. S. Carolus magnos in ſua poteſtate habuit theſauros, multaſque divitias; at præterquam omnes omnino erogavit in pauperes, ut ne lectum quidem, ubi pro neceſſitate quieſceret, ſibi retineret, adeo humilis fuit, ut merito hoc ei attribuatur Symbolum: *Humilitas.* Quis umquam S. Henrici Imperatoris attinget meritum, qui in ipſis imperij delicijs perpetuam conſervavit virginitatem? quis eremita parem huic attinget perfectionem, ſi ponderemus qualitatem perſonæ & vocationis?

Bull. Canon. 5. v.2.
S. Caroli Borromæi.
Gal.6.v.14.
S.Bern. ſerm. 30 de converſ. ad Cleric.
S. Severini.

10. In vitis Patrum legitur de S. Abbate Paphnutio eremi cultore, quod ſecunda vice ei irrepſerit deſiderium ſciendi, cui Sanctorum ſimilis haberetur, apparueritque angelus dicens: *Tu es ſimilis Protocomiti vicini hujus pagi.* Paradoxon hoc illi videbatur, quod aliquis homo ſæcularis, nobilitate, divitijs, dominio præditus ſibi in vita ſpirituali, quam jam pluribus annis tranſegiſſet in varijs virtutum exercitijs, comparari poſſet; Unde acceſſit illum; & ſubito comes occurrit adventanti hoſpiti, eumque humillime excepit, introduxit in domum, proſtratuſque ante pedes ejus, uti in more habebat, profuſis lachrymis illos plus abluit quam aqua. Præſtito hoc charitatis officio S. Eremitam deinde deduxit ad aulam, ubi menſam lautiſſimis inſtructam reperit cibis. Hiſce omnibus ſpectatis attonitus Paphnutius intra ſe dicebat, ego in horrido illo deſerto, inter aſperrimas rupes me affligo continuus ferarum ſocius, famelicus; & hic homo inter delicias domus ſuæ lucrabitur cœlum? Quo circa inter epulas ab hoſpite ſuo perit, qui actus ei, quod ſtudium, cujuſque operis haberet exercitia, proteſtaturque nihil ſe ex cibis ſumpturum, niſi prius vitæ ſuæ inſtitutum ſibi referret; tum dixit Comes, magnum ſe eſſe peccatorem, nec quidquam ſe præſtare boni, neque dignum ſe eſſe, qui ei ſolveret calceamenta; mirabatur vero Comes Paphnutium tam avide inquirere in vitæ ſuæ inſtitutum, & quia illius petiit ſcire cauſam, reſpondit S. eremita ab angelo ſibi fuiſſe dictum: *Vade, quia ille comes multis monachis evaſit ſuperior.* Videns ergo comes ſe aſtringi ad dicendam rei veritatem, candide omnia recenſuit, dicens: Triginta jam completi ſunt anni, quibus una cum conjuge mea vixi uti frater cum ſorore in perpetua continentia. Suſcepi autem ex ea tres filios, horum enim cauſa ſolummodo cognita mihi uxor eſt, nec præter eam alia, nec ipſa ultra jam cognita. Suſcipere hoſpites numquam ceſſavi, ſed ita eis miniſtravi, ut neminem ante me paterer advenienti occurrere peregrino. Non dimiſi umquam de domo mea hoſpitem ſine viatico; pauperem nullum deſpexi, ſed quæ neceſſaria fuerunt, præbui. Si in judicio ſedi, nec filij mei perſonam contra juſtitiam accepi. Alieni laborum fructus numquam introierunt in domum meam. Litẽ ſi vidi, numquam præterivi, donec reconciliarem diſſidentes

Pallad. c.63.

S. Paphnutius pro inſtructione ſanctæ vitæ mittitur ad Comitem, hominem ſæcularem.

tes ad pacem. Nemo umquam deprehendit in culpa famulos meos. Numquam greges mei læserunt fruges alienas. Quantum in me fuit, numquam permisi, ut potentior infirmum premeret. Semper studui in vita mea, ut neminem contristarem. Judicium si fuit apud me, neminem condemnavi, sed dissidentes revocare in concordiam studui. Hæc interim mihi vitæ institutio Deo donante hactenus fuit. Audiens hæc Paphnutius comitem amplexatus fuit, & difficulter ab eo recedere potuit, cogitans apud se: Si qui sunt in sæculo tot & tanta faciunt opera bona, quanto magis nos, qui perfectionem majorem profitemur, bonis operibus insudare & vacare debemus. Vidit postea animam Comitis hujus ab angelis deferri in cœlum, qui cantabant: *Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.*

Ps.64. v.5.

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Divinorum præceptorum observantia, quæ consistit in amore Dei & proximi, adaptatur omni statui, præsertim sæculari.

THEMA.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.
Matth. 19. ℣.17.

Joan.10.9. Ad consequendam vitam æternam sufficit observantia mandatorum Dei, quam omnes habere possumus. Matt.22.40

1. CHristus Dei Filius, qui de se ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Cum promissione infallibilis veritatis in Evangelio suo nobis reliquit hanc maximam, quod ad consequendam vitam æternam sufficiat præceptorum divinorum observantia; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; hanc vero observantiam ad nullum certum statum aut ad particularem vocationem limitavit, cum enim omnia præcepta reducantur ad dilectionem Dei & proximi: *In his duobus mandatis universa lex pendet*, certum est unumquemque cujuscumque etiam fuerit professionis, amoris hujus esse capacem:

1.Cor.13.1. Amor Dei sufficit ad amicitiam Dei lucrandam, hunc omnes habere possumus.

2. Celebris est illa Apostoli doctrina, nempe, nulla opera, quantumvis sancta & perfecta sine charitate & amore Dei apud eum esse meritoria: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Si quis cum S. Laurentio torreretur super craticem ferream Deo minime gratus esset, nisi eum amaret; sicque solus amor sine dubio sufficere posset, ut amicitiam & gratiam Dei lucremur, ac sanctos nos efficiamus; quam vero hic amor habeat prærogativam, tangit doctissimus ac devotissimus Idiota, dicens: *Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat; capit eam juvenis & senex, vir & mulier, dives & pauper, libet & servus, sæcularis & Religiosus, nec est qui se valeat excusare.* Poteritne fortè quis in cœlo majorem sperare exaltationem, qui carnem suam acerbis maceraverit disciplinis, ciliciis & jejuniis? qui plures animas à recto tramite aberrantes ad Deum converterit? qui in eremo aut deserto vixerit? qui ferventiores ad Deum fuderit preces? Audiamus S. Paulum, qui aliquot vicibus gloriæ cœlestis oculatus testis fuit: *Nec oculus*, inquit, *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Ad mensuram & proportionem charitatis & amoris in Deum crescent augebunturque in cœlis gradus gloriæ. In quocumque statu sive vocatione homo fuerit, quamdiù ei cor est, & respirat, numquam se excusare poterit, quod Deum amare nequeat & proximum propter ipsum: *Nec est qui se abscondat à calore ejus. Nec est qui se possit excusare, quin eam diligere non possit*, interpretatur Hugo Cardinalis.

Idiota c.1. de amore Dei.

1.Cor.2. 9.

Ps 18. v.7. Hug. Card. ibid.

Continuatur idem propositum.

3. Quia ergò amor Dei est radix & causa omnis nostri meriti, omnisque operis grati & accepti Deo, sequitur indè, quemlibet, cujuscumque etiam sit status & professionis, lucrum perfectionis & sanctitatis accumulare posse: *Charitas patiens est, benigna est; Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, Non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Omnes hi actus, qui grandis hujus arboris fructus sunt, in omni statu & conditione facilè exerceri possunt.

1.Cor.13.4. Ibid. v.5. Ibid. v.6. Ibid. v.7.

Deut.30.11. 4. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos?* Deut.30. Si ad acquirendam perfectionem & vitæ sanctitatem non remisisset ad monasteria, ad eremos, ad martyria, quis non se opponeret aut conquereretur, cùm omnes non habeant complexionem sufficientem ad ferendum istum rigorem, neque omnes vocati sint ad istum statum: at amor Dei, pariter & observantia præceptorum ejus, consiliorumque Evangelicorum à quolibet præticari potest: *Regnum Dei intra vos est*, ait Christus in nova lege gratiæ; intra cordis nostri limites negotiari & lucrari possumus regnum cœlorum: *Negotiamini dum venio.* De amore Dei ejusque valore & virtute scribit S. Bernardus: *Is per se sufficit, is per se placet, ipse meritum, ipse præmium sibi est amor.* Non præcipit nobis Deus, ut cum feris habitemus in sylvis, corpus nostrum ferreis catenis dilaceremus, aut distendamus super ignitos carbones, ut effugiamus æternos; quid ergò est, quod à nobis exigit, ut filios adoptivos nos declaret, cœlique cohæredes faciat? *Præbe fili mi cor tuum mihi*: nil aliud petit nisi cor nostrum; hoc illi donare possumus, in quocumque nos posuerit statu & vocatione.

Deus à nobis non petit vitæ rigorem, sed cor & amorem.

Luc.17. 21

Luc.19. 13

S.Bern.serm. 85.in Cant.

Prov. 23. v.26.

5. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quoties appariores, satellites, scurræ, lictores, qui priùs diris Christianos afficiebant supplicijs, postea à Deo illuminati in vera fide Christiana, gloriosissimi evaserunt martyres, quia cor suum quod in alium transmutaverant amorem, Deo obtulerunt in holocaustum. S. Antonius de Padua sanctè invidebat alicui Notario, quia prævidebat eum obtenturum illam martyrij palmam, ad quam semper ipse aspiraverat. Ultrà ea, quæ sapientissimus Idiota supra cap. 1. de amore Dei meditatus fuit, scribit cap. 22. afferens: *Nullus habet aut habere potest causam aut excusationem aliquam te non diligendi.* Si soli simus, actus amoris erga Deum excitare possumus; si cum alijs conversemur quot nobis offeruntur occasiones excitandi actum amoris ergà proximum, ut placeamus Deo? *Plenitudo legis est dilectio, qui diligit proximum legem implevit.* Prosequitur idem author alloquendo Deum: *Scio quod tàm facilè est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non lædituv, lingua non vexatur, cramena non evacuatur, quia dilectio propriè consistit in anima.* Si charitas hæc consistat in anima & corde, ergò dilucidè convincitur, eam non esse alligatam certo statui ac professioni.

Luc.3. 9. Nemo potest se excusare quod Deum non possit diligere.

Idiota cap. 22. de amore Dei.

Rom.13. 10.

6. Quandò ambo isti aulici Imperatoris conversi sunt ad fidem Christianam, de qua conversione mentionem facit D. Augustinus in suis Confessionibus, quamvis aulam deseruerint, ut solitariam ducerent vitam, nihilominus id advertendum, quod unus eorum ante hanc sequestrationem dixit: *Amicus Dei si voluero esse, nunc fio*; insinuare volebat, quod gratiam & amicitiam Dei lucremur per actus interiores virtutis, charitatis, amoris, compunctionis, conformitatis voluntatis nostræ cum Divina, & similium, qui nullam cum monasterijs necessariam habent connexionem, quamvis ista ad finem illum (si tamen à Deo vocamur) magis conducunt. B.Catharina de Genua, quæ vivebat in sæculo, die quodam Religiosum audivit sibi dicentem, quod in Religioso statu Deum longè ferventiùs amare posset, quàm in sæculo; id audiens repleta Sancta quadam indignatione respondit: nullam hucusque creaturam sibi fuisse impedimento vel obstaculo, quò minus Deum amasset, quantum voluisset & potuisset.

Quibus mediis amicitia Dei lucremur.

7. Examinanda est eremitæ Marci sententia: *Defectuum*, inquit, *est supplementum charitas, quæ omnia credit, & omnia sustinet.* Amor supplet defectus omnes: estis exempli causa infirmi, ac propterea corpus vestrum ciliciis & disciplinis domare & macerare non potestis? patienti animo infirmitatem, ut Deo placeat, sustinere, & sufferentiæ ista ac patientia Deo longè gratior erit, nam juxta tritam sententiam Seraphici Doctoris: *Perfectius est adversa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare.* Similiter si vivendo in communitate absque jactantia & ostentatione singularitatis exercere nequeas talem actum abstinentiæ & jejunij; æquale meritum lucrari poteris, non petendo cibos sapidiores, subtrahendo tibi illos, ad quos extimularis à gula, exci-

Bibl. vet. Patr. t.3. Amor supplet omnes defectus.

Bonavent.

excitando actus gratitudinis, agendo gratias Deo, Divinæque suæ providentiæ pro alimentis, reflectendo te ad plurimos, qui nec sufficienti pane, sudore suo acquisito, famem explere possunt: *Defectuum est supplementum* &c. Erit paterfamilias domesticis immersus curis & negotijs, ut propterea exiguum illi supersit tempus, quod devotioni, orationi, & recollectioni mentali impendere possit; quo modo, qua via hoc damnum resarcire poterit? *Charitas omnia suffert*, patienter supportet defectus & errores suorum, sedulò invigilet bonæ filiorum educationi, omnes contineat in pace & unione, indifferenter exerceat charitatem, hoc modo tanti Deus æstimabit hoc servitium, ac si claustralem ageret vitam.

8. Refert Theodoretus, Angelum Dei tradidisse Paphnutio regulam in cœlo compositam; quam & per multorum annorum decursum observaverat, & quia eidem conformem etiam, immaculatam, summeque aulteram duxerat vitam, optabat divinitus informari, quis similis sibi esset in cursu perfectionis; unde Deus, sive ad mortificandum illum, sive ad excitandos sæculares in perficiendo cursu virtutis & salutis, per Angelum ei intimari curavit, Alexandriæ morari aliquem sistulatorem & tympanistam, qui ei in merito & sanctitate æqualis esset. Quare sine mora inquisivit illum & invenit, at quo propius accedebat, eo magis fugiebat ille, ac si ex instinctu profundæ humilitatis voluisset ad imitationem S. Petri dicere: *Exi à me, quia homo peccator sum.* Tandem tamen subtitit, audiens Dei voluntatem esse revelante Angelo manifestatam, ut huic eremitæ totam vitæ suæ referret seriem; retulit post modestam renitentiam & dixit: Nihil quidem boni mihi conscius sum, nisi quod, cum elapso tempore cum alijs latronibus & lupis ulularem, peregrinantes expoliarem, cæteri vero collegæ mei intercepissent virginem aliquam, cui honorem & pudorem eripere vellent, ego defenderim illam, eripiendo illam ex manibus eorum, ac restituendo domui suæ intactam & illæsam; ex quo etiam periculo eripui plures alias mulieres: subjunxit deinde, quod frequenter distribueret eleëmosynas pro liberandis captivis: illud vero quod lucraretur ex arte sistulandi erogaret in pauperes, totamque suam curam in eo positam esse, ut proximum suum amaret & juvaret, eique beneficeret. Audivistis jam sistulatoris hujus bona opera, cum hisce optarem nunc conferri ipsius Paphnutij exrases, visiones, revelationes, raptus, miracula, prophetias, conversiones, solitudinem, cilicia, rigorosa jejunia, vigilias, aliasque similes austeritates, numquid mirum & consideratione dignum, quod cum omnibus hisce operibus & austeritatibus Paphnutij, ipso judicio Dei, concertent merita unius sistulatoris? *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*

Pall.c.65. Quidam sistulator, antea latro in meritis coæquatus fuit S. Paphnutio.

Luc.5.v.8.

Matth. 21. v.31.

9. Appretiatur Deus, & pluris æstimat in homine mundano unum gradum devotionis & pietatis, quam multos in uno Religioso, quia si consideremus obstacula obvia sæcularibus ad acquirendam virtutem, multa sane, eaque potentia sunt: respectus humani, dissuasiones, mala exempla sociorum, cursus mundi, promptæ occasiones peccandi, consuetudines & pravi habitus contracti; vincenti ergo Deus abunde succurrit sua Divina gratia; ast ut istæ diffringantur catenæ, docet S. Chrysostomus: *Una res quæritur, magnitudo & generositas animi, quam non opes, non inopia, non divitiæ, non aliquid aliud, ne ad virtutem, perveniat, coercebit.* Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, omnes hi conjugati & sæculares vixerunt in divitijs, prosperitate & summa veneratione, nihilominus summam sibi apud Deum compararunt gratiam & benevolentiam, quamvis non duxerint vitam eremiticam, veluti Elias, Elisæus, aut Joannes Baptista, attamen in suo statu & vocatione Deum amarunt eadem proportione, qua amassent eumdem si solitarij & claustrales fuissent. Quis impedit sæcularem fericis vestibus indutum, honoratum, sub se habentem servos & subditos, quo minus amet contemni & despici propter amorem Dei, ut Christo se conformet juxta consilium Apostoli: *inspiciens ejus portantes?* Quis prohibet illi, ne quandoque humilitatis ac misericordiæ exerceat actus, infirmis famulando in xenodochijs, inferviendo Missæ sacrificio, vel alijs similibus occupando se ministerijs, esto respectui humano depravati & corrupti hujus sæculi repugnantibus.

S.Chrysost. Hom.44. in Matth.

Hebr.13.13.

Unus gradus virtutis & perfectionis in homine sæculari, pluris æstimatur à Deo quam multi in uno Religioso.

10. Profecto majus lucrum reportabit nobilis ille adolescens uno actu mortificationis & vilipendij sui ipsius in conspectu aliorum exhibito, quam Religiosus quatuor inclusus muris, per sua cilicia, disciplinas, jejunia, aliasque austeritates lucretur; etenim digito si monstretur, & à socijs derideatur, constanter tamen persistat in illa mortificatione, ostendet se plus diligere Deum ejusque obsequium, & minus curare respectum humanum. Gratior Deo erit sanguis & rubor propter amorem Christi per vultum diffusus, quam sanguis ille, quem Religiosus aliquis corpus flagellando profundet. Magdalena in flore ætatis Domina dominans castris & castellis, nobilis, pulchra & dives pariter & peccatrix, quia Christo Domino præstitit illud obsequium, ac pedibus osculavit omnem respectum humanum, Christum audivit sibi dicentem: *Dilexit multum*; Quæ verba ponderans S. Petrus Chrysologus ait: *Conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse*; per actus amoris brevi temporis spatio excitatos eminentem attigit sanctitatem (*ad totum sanctitatis verticem*) qualem multi Religiosi & eremitæ non attigerunt cum toto suo vitæ rigore.

Probatur apta similitudine.

Luc.7.v.47. Chrysolog. ibid.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

In omni vocatione fieri potest charitatis exercitium, quo mediante lucramur cœlestem gloriam, & Deus, quantum ex se est, unumquemque salvare intendit.

THEMA.

Hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.
1. Tim. 2. ℣.3. & 4.

Deus in omni statu sufficientia media dat ad lucrandam æternam salutem.

1. QUia pientissimus Salvator noster volens, quantum ex se est, omnes salvos fieri; *Hoc bonum & acceptum &c.* Divinaque sua providentia nos omnes ad diversos differentesque vocavit status, sequitur inde, quod in omnibus sufficientia etiam præordinaverit media, quibus æternam salutem nostram lucrari possimus; ita est, quia dilectio & charitas est via regia ad cœlum. Nullum opus vitæ æternæ meritorium est absque hoc amore, solus hic absque alia re sufficit, ut nobis præbeat aditum ad æternam beatitudinem. Quem in finem, si bene observastis, S. Joannes in sua Apocalypsi distinxit fundamenta supernæ Jerusalem, varias ac diversas enumerando gemmas & lapides pretiosos, *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.* Duodecim distinxit, recensuitque gemmas pretiosas, & omnes diversas; sed quod ibi latet mysterium, quod, depingendo cœlestis hujus urbis portas, dicat, *Duodecim portæ: duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis?* num forte margaritæ æstimatione & pretio superant & excedunt omnes alios lapides pretiosos? *Omnia in figura contingebant.* Margarita est partus roris è cœlo distillantis, & hic est symbolum charitatis, quæ cordibus nostris infunditur à Spiritu Sancto: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*; & huic sanctissimo Spiritui attribuitur nomen roris: *Sua roris intima aspersione fecundet.* Propter aliam etiam rationem Margarita est typus charitatis, quia margarita dicitur quoque unio; volunt igitur Sanct. Joannes nobis significare, quod ubi aliæ gemmæ, videlicet, aliæ virtutes fundamentorum instar sunt cœlestis paradisi, ibi charitas & amor Dei est veluti porta. Hæc dilectio omni statui personarum accommodatur & adaptatur; unde S. Thomas de Villa Nova ad parabolam illam: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas &c.* alludendo sermocinatur: *Hæc est illa pretiosa margarita, quam qui invenit, dedit omnia sua, & comparavit eam. Hæc est charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi.*

Apoc.21.21.

Rom.5.v.5.

Matth. 13. v.45. S.Thom. de Villa Nov. conc. de sædere.

2. Si invenires lapidem talis virtutis, qui tangendo quodcumque metallum, subito converteret il-

Charitas actiones nostras indifferentes & inutiles reddere potest Deo gratas & meritorias.

lud in aurum, numquid omnes lapidem illum appeterent & exoptarent? Talis est ipsius charitatis admiranda virtus, nimirum, actiones nostras alias indifferentes, inutiles & quotidianas, reddere potest & etiamnum reddit Deo acceptas, æternaque retributione dignas: *Non valde attendas* (ita monet S. Augustinus) *quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.* Non oportet oculos conjicere in religiosos, nec illis invidere hispidum habitum, pedum nuditatem, jejunium, cantum & lectionem psalmorum in choro; sed inspiciamus oportet ipsorum virtutem, perfectionem, & Spiritum, quo operantur.

S. August. in Psalm. 31.

Matth. 7. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hæc exterior devotio reperitur quoque in hypocritis; sicque interna virtus illa est, quam Deus noster gratam & ratam habet, remuneratque, hujus vero omnis anima capax est.

Amor Dei operibus nostris confert valorem.

3. Suffragante amore Dei, sanctæque intentionis rectitudine, cunctis nostris operationibus valorem & meritum addere possumus, esto etiam in seipsis nullius sint valoris; unde consulit S. Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Comedere, bibere, dormire, ire spatiarum, similesque actiones solent animæ nonnumquam conferre molestiam, quamvis corpus restaurent; nihilominus si in hujusmodi actionibus rectam instituamus intentionem, quia nimirum, Deus pro vitæ nostræ sustentatione ita disposuit, ut in ejusdem servitio simus alacriores ferventioresque, ac proinde ordinemus omnia ad majorem Dei gloriam, poterunt dictæ actiones esse meritoriæ.

1. Cor. 10. 31.

Cant. 7. 13. Continuatio ejusdem materiæ.

4. Cant. 7. Sponsa, per quam denotatur anima Christum amans ait: *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Quale donum hoc, & quæ in pomis illis potest esse pretiositas, ut nova & vetera dilecto suo reservaverit? Respondeo conformiter nostro proposito, per poma nova denotari opera bona facta in virtute divinæ gratiæ & charitatis novæ legis Evangelicæ, puta, orationes, eleemosynas, communiones, opera misericordiæ tum spiritualia, tum corporalia, & similia: per fructus & poma vetera vero intelligere possumus actiones naturales, quæ sunt indifferentes, nempe, vestire, comedere, bibere, dormire, laborare, & similes aliæ; voluit ergo sponsa, id est, anima, quæ vere Deum amat, nobis insinuare, quod etiam actiones illas, alias indifferentes, apud Deum merito dignas reddere possimus; quotiescumque enim anima accensa est igne amoris, Deus in illa operatur: *Deus operatur in nobis velle & perficere*; quando invenit animam sibi correspondentem, non respicit operantis conditionem & professionem, experientia enim jam docuit à multis sæculis, Deum ex omni statu elegisse homines perfectos & sanctos.

Philip. 2. 13

Quare apparuerit discipulis mensæ accumbentibus ante ascensionem suam, Christus Dominus.

5. Ingeniosa est consideratio illa S. Bernardi Serm. 1. de Ascensione Domini ubi observat, quod priusquam Salvator noster ascendit ad cœlos, altissimo suo consilio (*omnia in sapientia fecisti*) voluerit primo apparere suis discipulis, non quando orabant, aut alijs devotionis operibus vacabant, sed tunc, quando assidentes mensæ se reficiebant: *Recumbentibus tandem discipulis apparuit illis Jesus.* Et quare recumbentibus? subdit S. Bernardus: *Apparuit vere benignitas & humanitas Salvatoris; multam enim fiduciam præstat, quod libentius adsit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem denegatur adesse. Apparuit, inquam, benignitas ejus, qui cognovit figmentum nostrum, nec dedignatur necessitates nostras, sed miseretur. Quod consideravit Apostolus, sive manducamus, inquit, sive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini facimus.* Ecce, qua ratione Christus Dominus actiones etiam indifferentes, præsentia sua sanctificare voluerit ante ascensionem suam in cœlum, ut nobis intimaret, quod similes actiones possimus reddere meritorias, amando Deum, cogitando illum esse præsentem, ac instituendo bonam sanctamque intentionem.

Marc 16. 14. S. Bern. Ser. 1. de Ascens.

1. Cor. 10. 31.

2. Paralip. 2. v. 14.

6. Paralip. 2. legitur de insigni quodam opifice: *Qui noverit operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore & ligno, in purpura quoque & hyacintho & bysso & coccino.* Quanto magis supremus artifex & rerum opifex in qualibet anima ab ipso creata, in quocumque reperiatur statu, mediante sua divina gratia operari noverit, tam in auro Religiosorum, quam in ferro militum? *Amen dico vobis,* (ita affirmat & testatur de militibus, quod non fecit de Sacerdotibus & Pharisæis) *non inveni tantam fidem in Israël.* Novit operari in ligno, dum in patrem suum putativum elegit fabrum lignarium, qui eum nutriat; novit operari in lapide & marmore, eligens homines agrestes, rusticos, pastores, à quibus jam natus voluit in Bethlehem ante omnes alios agnosci & salutari; & in hoc nostro sæculo cum tanta gloria Sanctorum numero adscriptus fuit S. Isidorus agricola & pastor pecorum. Novit operari in purpura S. Caroli Borromæi nepotis regnantis Pontificis, dando illi gratiam eximiæ sanctitatis; in bysso pariter & lino operatus fuit duorum illustrium Episcoporum recenter canonizatorum, S. Thomæ de Villa Nova, & S. Francisci de Sales.

Deus supremus artifex in qualibet anima & statu novit bene operari.

7. Verum aliam instituamus considerationem, meo judicio utiliorem; audiuntur undequaque multorum querelæ, quibus non probatur, quod ait S. Petrus, quando jussu Dei Cornelium Centurionem baptizavit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam acceptus est illi.* Siquidem angustiati & oppressi à paupertate, infirmitate, persecutionibus, similibusque calamitatibus gemunt, imo, ut ita loquar, agonizant, mox dicerem in blasphemiam illam, quam refert Malachias, prorumpunt, asserentes: *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent; aut certe, ubi est Deus judicij?* Querelæ & lamentationes eorum sunt sequentes: Unius & ejusdem patris filij sumus, pari voce recitamus? *Pater noster qui es in cœlis:* ex eadem massa compacti & compositi, ijsdem manibus plasmati, eadem respiratione vivificati sumus, nobis omnibus eadem indita est anima, ad imaginem & similitudinem S. Triadis creata; eodem pariter sumus redempti prerio, eadem baptismali aqua abluti & renati, eodem Christi corpore refecti; uno verbo, unius, ut loquitur Apostolus, corporis Ecclesiæ, cujus caput Christus, membra sumus, & tamen tanta inter Christianos conspicitur vocationum discrepantia, tanta spectatur statuum disparitas ac diversitas, ut vix explicari possit; etenim unus imperat & dominatur, alius servit, unus sumptuoso vehitur curru, alter lutosas calcans vias pedes sequitur; unus centum millium scutorum gaudet reditibus, alteri vix bolus panis est, quo se reficiat & inediam expleat; unus pretiosa adeo amicietur veste, quæ integro comparatur patrimonio, alter nudus friget & alget; *unus quidem esurit; alius autem ebrius est*; ille nobili prosapia oriundus, iste ignobili ignominioso-que natus genere; unus ingenio excellens, alius stupidus & stolidus; ille sanus est & robustus, ille natus claudus & infirmus est; & vero quale unus præ altero Deo præstitit obsequium, quale, antequam natus esset, acquisivit meritum? Ne in vastissimo hoc pelago judiciorum de Deo (cui merito in laudem ejus acclamarunt devotæ illæ turbæ: *Bene omnia fecit*) naufragio periclitemur, necesse est, confugiamus ad anchoram thematis propositi: *Hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* Benignissimus ac Clementissimus Deus noster nos creavit, redemit, ac in præsenti constituit mundo, ut æternam lucremur beatitudinem; & quidem dispositi, ut illam acquiramus per observantiam Divinarum legum, quas ut faciliores nobis redderet, reduxit ad compendium, nempe ad solam dilectionem & amorem, *plenitudo legis est dilectio*; in quocumque vero statu & conditione etiam miserabili & miserrima, hunc amorem exercere possumus: *Creasti nos Domine ad te.* Porro ei, quem posuit in statu miseriæ & calamitatis, majorem concessit facilitatem lucrandi paradisum, siquidem juxta tritam D. Gregorij sententiam: *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt*; ac propterea, quod hic patiatur, nullam prorsus justam habet lamentandi causam, imo potius immensas Deo tenetur agere gratias. Multi & quidem ex omni statu ad magnam illam Cœnam invitati fuerunt; sed divites, & qui in honore mundano ac dignitate constituti erant, se excusarunt; quorum propterea pauci, esto sua culpa, salvantur: *debiles, cæcos, & claudos introduc*

Adducuntur quorumdam querelæ contra diversitatem statuum hominum.

Actor. 10. v. 34.

Malach. 2. v. 17.

1. Cor. 11. 23.

Respondetur adductis quærelis.

1. Tim. 2. 3. & 4.

Rom. 13. 10

Luc. 14. 21. Ambr. ibid.

introduc huc: quod variis deliniquat (subdit S. Ambrosius) *cui desit illecebra peccandi.*

Malach. 2. v. 10. August.

8. *Omnes homines vult salvos fieri*; quod intelligit Apostolus de salvatione æterna; *Numquid* enim, ait Malachias, *non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos?* Imo ait D. Augustinus: *Sic curat unumquemque nostrum tamquam totum curet, sic omnes tamquam singulos.* Sequitur ergo quod tamquam pius & bonus pater nobis de ijs, quæ magis expediunt, prospiciat, unumquemque nostrum ad illam dirigat vocationem, in qua majori cum facilitate finem æternæ salutis assequatur. Optime propterea retorquet S. Hieronymus blasphemias illas, quas supra ex Propheta Malachia produximus: *Omnis qui facit malum bonus est &c.* & subdit: *Ijsmodi quæstiones meni incredula futurorum quotidie suscitat Deo, cum videt iniquos potentes &c.* Nescio quam tentationem quoque in hoc puncto habuerit David dicens: *Mei autem pene moti sunt pedes; Zelavi super iniquos pacem peccatorem videns. Non intelligentes*, prosequitur S. Hieronymus, *vera bona illa esse, quæ perpetua sunt.* Qui bonis hujus vitæ abundat, ijsque prospere fruitur, firmius etiam illis adhæret, majoremque sentit difficultatem in acquirenda æterna beatitudine.

Malach. cap cit. v. 17. Hieron. ibid.

Ps 72. v. 2. Ibid. v. 3. Hieron. ibid.

Tribulationes sunt incitamenta ad amandum Deum.

9. Si ab obtinendam cœlestem gloriam Deus à nobis postulasset, ut essemus divites, honoribus dignitatibus, scientijs illustres, delicijs ac voluptatibus affluentes, væ nobis, quam pauci salvarentur? at hoc non, *si sustinebimus & conregnabimus; Participes in tribulatione & regno*; idque cuilibet factu facile est, evenim pro libitu nostro pati possumus; sed advertendum est, non sufficere, quod quis sine amore Dei patiatur: *Pœna interroget, si quis veraciter amet*, & amor hic semper exerceri potest, ad illiusque mensuram immortalis confertur vita: unde S. Thomas hæc verba: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, exponens ait; diversæ participationes beatitudinis, qui pius diligit, majorem locum habebit. Qui in præsenti vita patitur tribulationes & angustias, majus habet incitamentum amandi Deum, quia major ei offertur occasio lucrandi cœlum; cui prospera fluet fortuna pariter extimulatur ad Deum diligendum, & in præsenti & in futura vita gaudere poterit, si tamen hisce bonis terrenis, tamquam scala ad cœlum, bene utatur.

1. Cor. 10. 31. *Apoc. 1. v. 9.*

Joan. 14. 2.

S. Thom.

10. Observatione dignum, quod scribit Sapiens de Josepho; qui adeo Deo dilectus fuit: *Descendit quæ cum illo in foveam; & in vinculis &c.* Varijs agitatus fuit tribulationibus & adversitatibus, & tandem Regium Ægypti conscendit solium. Audiamus S. Ambrosium: *Quia omnes vult salvos fieri Dominus Deus noster dedit per Joseph etiam ijs, qui sunt in servitute, solatium, attribuit magisterium, ut non desperent etiam in ultima conditione posse mores esse superiores, nec ullum statum immunem esse virtutis, si animus unius cujusque cognoscat, carnem servituti subditam esse non mentem, multosque servos esse Dominis liberiores, si in servitute positi à servilibus patent operibus abstinendum. Servile est omne peccatum, libera innocentia, unde & Dominus ait: omnis qui facit peccatum, servus est peccati.*

Sap. 10. v. 13.

S. Ambr. lib. de Joseph. c. 4

Joseph ex carcere ascendit solium Ægypti.

Amor in pauperes mercatorem margaritarū in meritis similem fecit S. Paphnutio.

11. De S. Paphnutio legitur in Vitis PP. quod jam tertio ei irrepserit sciendi desiderium, num quis esset æqualis sibi in merito apud Deum, postquam, nimirum, in pluribus se perfecisset virtutibus ac vitæ sanctitate. Cui respondit Angelus: *Similis es mercatori, qui vendit margaritas, sorge & occurret tibi.* Sine mora surgens obviam processit mercatori, qui & largam ei contulit eleemosynam. Gratus hic erat adventus Paphnutio, eo quod videret hominem pium ac bonis operibus deditum. Quapropter ursit illum, ut vitæ suæ, quam servasset, enarraret methodum; & ille post diuturnam renitentiam fassus dixit: Nulla alia mihi cogitatio, studium nullum aliud, nisi qua ratione cœlum lucrari possim; ideoque per mare, per terras curro, ut congregem divitias & pecunias erogandas in pauperes, hos elegi in advocatos meos, qui apud Deum mihi, utpote, indigno cœlestem impetrent beatitudinem; Omnia distribuo pauperibus, præsertim Religiosis, ut istum in finem in suis precibus mei sint memores. Annon in hoc pio homine ad unguem adimpletam arbitraminī parabolam illam: *Simile est regnum cœlorum homini negotiari, quærenti bonas margaritas. Inventa una pretiosa margarita abijt, & vendidit omnia, quæ habuit?* Quia cordi suo impressam gerebat charitatem, quæ ei, quamvis mercator & sæcularis esset, sufficiebat, ut cœlestem lucraretur thesaurum & beatitudinem. Amor erga pauperes parem illum faciebat S. Paphnutio, esto etiam hic in eremis pluribus annis vixerit eximia sanctitate conspicuus.

Matth. 13. v. 45. & 46.

DISCURSUS VIII.
ARGUMENTUM.

Ostenditur & probatur, nec locum, nec statum sæcularem obstare, aut præjudicare virtutis exercitio ac sanctitatis lucro.

THEMA.

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.
Psalm. 54. v. 8.

David publicis negotijs expositus, attamen mansit in solitudine mentis.

1. DAvid Rex Israël regio insidens throno, ad excipiendas subditorum causas querelasque expositus, publicisque expediendis intentus negotijs, ille, inquam, qui frequenter militiæ adstebat, bello personaliter præerat, asserit nihilominus incolam se esse eremi: *Ecce elongavi fugiens, & mansi &c.* Quomodo id possibile fuit? videtur implicare contradictionem. Glossa hunc textum exponit de contemplatione, à qua existimat Prophetam haud fuisse alienum, licet regni negotijs immersus esset: *Fugiens, & elongat, quia turba desideriorum terrenorum dimissa, in alta se Dei contemplatione sublevat.* Huic conformis expositio illa, quam subministrat Incognitus, Generalis & splendor Carmelitanæ Religionis: *Mansi*, inquit, *in solitudine, scilicet, mentis, ubi nullus cum eo vivit Deus, ubi quies. Manet enim in solitudine, qui contemplando Deum, manet in remota mentis intentione.* In hujus confirmationem adducit authoritatem D. Gregorij lib. 30. moral. cap. 23. *Duplex est solitudo, mentis & corporis: secunda non valet sine prima; sed prima bene sine secunda.*

Glossa.

Incognit. ibid.

S. Francisca Romana quamvis tota proclivis esset ad vitam Religiosam, Deus tamen mediante Confessario ei significavit, Divinæ suæ esse voluntati conformi, si nuberet & in statu conjugali ei serviret; obedivit illa, regimen domus & familiæ conjunxit cum solitudine mentis, cui sæpe ipsa vacabat, absque tamen domus familiæque detrimento ac præjudicio; simulque adimplevit illud S. Hieronymi consilium, quod olim suggesserat Celantiæ dicens: *Ita habeto solicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas, eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus, in quem te velut in portum quasi ex multa tempestate earum te recipias; tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses.* Duo S. Francisca selegerat sibi eremitoria, unum in sublimiori parte domus, alterum in aliqua horti caverna, ubi à strepitu domestico separata, mente in Deum elevabatur & frequenter orabat. In voto, quod composuit Cardinalis Bellarminus in ejus canonizatione, reperimus ipsam in Ecclesia Dei lucidissimi instar speculi præfulsisse in variis vocationibus: *B. Francisca omni statui, omni sexui, omni gradui exemplar virtutum proponetur; quippe ab ipsa infantia multis annis virginitatem colat; alijs non paucis, in casto conjugio versata est; postea etiam laboriosam viduitatem exercuit; ad ultimum, vitam perfectam & Religiosam in monasterio duxit. Itaque & virginibus & conjugatis & viduis, & sanctimonialibus ejus declarata sanctitas mirifice proderit.*

S. Franciscæ Romanæ omnibus statibus præluxit sanctimonia vitæ.

Qualem Job multos habens subditos, sibi construxerit solitudinem.

3. Job multorum statuum Dominus erat & Princeps, plurimos sub se habebat subditos, Deus insuper specialiter ei benedicebat, dederatque numerosam familiam; qua ratione igitur poterat dicere: *Nunc enim dormiens silerem, O... requiescerem cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*, omnis exigebat ratio, ut tam domui suæ quam subditis invigilaret, quomodo ergo solitudinem sibi ædificaret? Dubium hoc solvit D. Gregorius, qui in officio summi Pontificatus vere exhibuit se Gregorium, id est, Vigilantium, dum continuo regimini publico applicatus erat, seduloque invigilabat, absque tamen jactura recollectionis & solitudinis, quam in monasterio didicerat: *Solitudines*, inquit, *ædificare, est à secreto cordis desiderio-*

Job 3. v. 13.

Greg. Magn. l. 4. moral. c. 28.

rum tumultus expellere. S. Philippus Nerius continuo visitabatur à Cardinalibus aliisque Prælatis, qui ad ipsum tanquam ad oraculum recurrebant; quamvis igitur continuum haberet accessum aliorum, & sexaginta annorum spatio Romæ vixisset, omnibus expositus. (Unde sacer quidam Orator sermocinando de hoc Sancto, thema hoc produxit ex Ecclesiastico: *Adeptus est gloriam in conversatione gentis.*)

Eccli. 50. 5. Nihilominus nihil prorsus de sua interna mentis recollectione & solitudine remittebat, imo eminentis sanctitatis lucrum fecit in mundana conversatione gentis.

Ps. 54. v. 7. 4. Alas columbæ, quæ puræ animæ symbolum est, perebat David, ut volaret in solitudinem: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* & quænam erant istæ alæ, quibus volatum meditabatur? Audite Incognitum in hunc locum: *Duabus alis, scilicet, spe, & amore homo à tumultu temporalium rerum volat ad solitudinem contemplationis, in qua manens nec adversa sentit, quibus turbetur, nec prosperiora, quibus elevetur inflatus, quia amor æternorum expellit amorem temporalium, & spes cœlestium spem temporalium non patitur secum.* S. Hieronymus in laudem Asellæ ad Marcellam scribit, elevationi mentis in Deum nihil prorsus præjudicare, vel etiam nocere conversationem & vitam civilem, sicque in urbe turbida inveniebat eremum monachorum.

Incognitus ibid.

Vita & conversatio civilis nihil obest elevationi mentis in Deum.

S. Hieron. Epist. 15.

5. Doctrina S. Gregorii valde utilis est, & efficax, ut ijs, qui non sunt vocati ad statum Religiosum, addatur animus bene operandi in sua vocatione: *Sæpe mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere, nescientes, quia si desit Spiritus, non adjuvat locus.* Quis locus sanctior fuit paradiso? & tamen in cœlo empyreo innumerabiles Spiritus Angelici lapsi fuerunt adeo turpiter, ut in horrendos transmutati fuerint dæmones. Paradisus terrestris esto fuerit centrum inhocentiæ & justitiæ originalis, esto etiam protoparentes nostri cœlestibus ditati fuerint thesauris, attamen serpens infernalis pestilens suum in eos evomuit venenum. Collegium Apostolicum perfectionis & sanctitatis fuit schola, ab ipsa præsentia & doctrina Christi consecrata, profanatum tamen fuit ab uno Juda pessimo & sacrilego homine.

Gregor. Doctrina efficax pro iis qui non sunt vocati ad statum Religiosum.

6. Unde doctrina D. Chrysostomi ejusque observatio, quam instituit de Persona Loth cujusque uxore, qui in medio pessimorum incolarum irreprehensibilem duxerant vitam, bene notanda est: *Vere admirari licet vehementer justi hujus virtutem, quod conversans in medio tam impiorum non solum non fuit inde negligentior factus, sed & majorem virtutem præ se tulit, & cum omnes (ut ita dicam) in præceps ruerent, ipse solus in tanta multitudine rectam ambulavit viam. Ubi igitur sunt, qui dicant, quod non est possibile in media civitate versantem servare virtutem, sed opus esse secessu, & montana quadam conversatione, & non posse domui suæ præfectum, & habentem mulierem, & filios curantem ac familos, virtute præditum esse? Videamus ergo justum illum, cum muliere, & pueris & familis, & in civitate degentem, & inter tam malos ac impios conversantem, & quasi scintillam quandam in medio mari lucentem, & non solum non extingui, sed & quotidie lucem clariorem emittere.* Postquam è suggestu hæc dixit populo, qui illum auscultabat, declaravit deinde, suam intentionem non esse, ut eos, qui ad statum Religiosum vocati essent, deterreat; Sed solum ut ijs, qui vitam civilem agunt, & inter urbis vivunt strepitus, animum adjiciat, eosque excitet ad exercitia virtutum Christianarum, & ad vitam in timore Dei ducendam; ideoque subdit: *Et hæc dico non prohibens secessum ab urbibus, neque interdico montium & solitudinum conversationem; sed monstro volenti sobrie agere & vigilare, nihil inde obstaculi esse. Sicut negligenti ac supino nihil prodest solitudo, neque enim locus nos virtute facit præditos, sed mens & mores; ita & prudens atque vigil non offenditur etiam in media civitate vivens.* Loth in urbe Sodomorum tot annis vixit magna cum sobrietate & continentia; at in solitudine locum dedit ebrietati, quæ & causa ei extitit, quod cum filiabus commiserit incestum. De uxore pariter ipsius Loth nihil mali scitur, quamdiu vixit intra infamis illius civitatis muros, numquam Deo fuit inobediens; at vix pedem posuerat extra urbem procedendo ad montem, qui figurabat statum perfectionis, transgressa fuit Dei præceptum, respiciens retro, quapropter pœna mortis punita fuit.

Loth in civitate Sodomia inter homines impios & pessimos inculpate & juste vixit & conversatus fuit.

D. Chrysost. Hom. 43. in Gen.

7. Verissimum est, cellam, quæ denominationem suam derivat à cœlo, locum esse aptiorem ad elevandam mentem ad Deum; ast illis, qui speciali inspiratione ad illam vocati sunt; cæterum ijs, qui cor mentemque minime habent expurgatam ab effectibus terrenis, quid proderit cellæ clausura? *cælum, non animum mutat qui trans mare currit*, canit quidam Poëta. Ad hortum amœnissimum & delicijs abundantem deferatur infirmus maligna correptus febri, in cujus venis sanguis corruptus est, quid ei amœnitas illa proderit? Audiamus, quod notat D. Gregorius Magnus: *Non magni est meriti, si quid foris erga nos agitur in corpore, sed magnopere pensandum est, quid agatur in mente.* Totum fundamentum actus virtutis, meriti, Deo grati & accepti instituitur internæ constitutioni cordis & animæ; at hæc non restringitur, nec limitatur ad solitudinem vel ad monasterium; verum quidem est solitudinem ac recessum Religiosum magno alicui esse adjumento, ut devote Deo serviat, & præsertim ut sensus suos custodiat.

Totum fundamentum operum virtuosorum instituitur internæ constitutioni cordis & animæ.

Gregor. l. 1. Hom. 19. in Ezech.

8. Scribit S. Chrysostomus: *Etiamsi intus in judicio apud Magistratum fueris, & eum vocaveris, nihil vetat, quo minus tuam petitionem audiat, si rite vocaveris*, in omni loco, in ipsis etiam tribunalibus inter rumores judiciales mentem ad Deum elevare, & in cordibus nostris actus virtutum excitare possumus. Idipsum S. Ambrosium executioni mandasse, omnino mihi persuadeo, quando Deus ipsum à tribunalibus abstraxit, & viva voce ad Archiepiscopalem evexit cathedram. Profecto in isto sæculo non deerant Ecclesiastici, monachi, eremitæ ac plurimi alij Religiosi, qui ad idem officium promoveri poterant; nihilominus placuit Deo miraculoso modo ipsum eligere, ut mundo manifestaret, perfectionem non semper latere sub caputio & hispido habitu.

S. Chrysost. in Psalm. 3. In omni loco mentem in Deum elevare possumus.

9. Qui totum perlustrare potuisset orbem universum, & postea oculos suos conjecisset in Hus, terram & Regionem omnium pessimam, credidissetne ibidem, judicio & sententia æternæ veritatis, latuisse ac moratum fuisse omnium innocentissimum, gratissimum, ac sanctissimum, quem Deus habebat in terris, conjugatum, habentem filios & filias, ditissimum, plurimorum subditorum Dominum, qui in lacu quodam buryri & nectaris quasi natabat? Ergo locus ille, quem Deus etiam abominabatur, nihil prorsus præjudicabat eminenti bonitati Job.: *Vir erat in terra Hus nomine Job: Idcirco sanctus vir ubi habitaverit, dicitur* (subdit Gregorius) *ut ejus meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nescit, quod sit terra gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitijs extitit, quo conditionem sui Conditoris ignoravit. Dicatur itaque ubi habitavit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit.* Qui poterat dari casus ille, quo in toto amplissimo terræ circuitu nullus in sanctitate similis esset ei, qui vivebat in sæculo, omni affluens prosperitate humana? *Qui substantiam suam mente reliquerat*, (ait idem S. Pontifex) *quam sine delectatione possidebat.*

In pessima terra Hus vixit Job juste & innocenter.

Job c. 1. v. 1. Gregor. l. 1. c. 1.

Idem l. 1. mor. c. 4.

10. Eximius vitæ spiritualis Magister, Joannes Cassianus scribit, quod nonnumquam Religiosus aliquis majori animi affectu adhærebit alicui imagini, coronæ, reliquiario aut libro, quam sæcularis quispiam alicui primogenituræ, vel cuidam statui. David quamvis de vili pecorum pastoratu regium consenderit solium Israël, attamen protestando dixit: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei; & certe erat, non pauper opibus* (ait S. Ambrosius) *sed pauper Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

David inter regales divitias erat pauper Spiritu.

Cassian. coll. 4 c. 1. Ambr. orat. de Sat. Ulcerosus & mendicus Lazarus Deo gratissimus fuit.

11. Quoniam paupertatis jam est facta mentio, optarem mihi nominari aut inveniri Sanctum aliquem, ad quem S. Scripturæ testimonio, è cœlis descenderint turmatim Angeli excipientes illius animam, quemadmodum exceperunt animam mendici Lazari; quænam sunt illa stupenda, quæ legimus de hoc miserabili? forte dona extatis, apparitionis, Prophetiæ, miraculorum? fortasis quod illibatum servaverit virginitatis lilium? quod prædicatione sua multas converterit animas? Nil aliud ad nostram devenit notitiam, nisi quod plenus erat ulceribus, languens jacebat in plateis, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis; numquam tamen intelleximus, ipsum de extrema tali crude-

crudelitate lamentatum fuisse; verisimile igitur est, quod ex necessitate fecerit virtutem ac extremam hanc miseriam patienter ferre didicerit, & hoc illi sufficiens fuit, ut lucraretur æternum gaudium.

Institutur comparatio inter religiosum imperfectum & sæcularem virtutibus deditum.

12. Author quidam comparationem instituit inter Religiosum, qui accurate quidem regulam suam observat, at virtutibus essentialibus ac necessarijs, internam mentis perfectionem concernentibus destitutus est, & inter hominem sæcularem totum virtutis solliditati deditum; ille nonnisi necessitate coactus frangit silentium, hic totus occuparus est, omnemque adhibet curam & diligentiam, ut patrocinetur causis pauperum; ille non negligit, nec intermittit instituti sui jejunia, disciplinas & chori frequentationem, hic è contra occurrentibus occasionibus alijs prælucet bono exemplo, est humilis, patiens, mortificat ac vincit inordinatas passiones suas, reddit pro malo bonum; uter horum, opinione vestra, Deo gratior erit? indubiè sæcularis, etenim ex bono hujus exemplo majorem alij sæculares percipient fructum, quam ex Religioso. Unus gradus devotionis & pietatis in homine mundano plus respicitur, æstimaturque, quam multi in Religioso aliquo. Plurimum sane Christus Dominus commendavarat Samaritanum illum, summa cum charitate curantem sauciatum hominem, qui inciderat in latrones, & à Levita ac sacerdote prætereunte derelictus erat.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Demonstratur aulam posse esse scholam Christianarum virtutum; ubi & modus exhibetur, quo id præstari & adimpleri possit.

THEMA.

Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt. Philipp. 4. ℣. 22.

In ipsis aulis, etiam impiorum principum potest quis pie & sancte vivere.

1. INvincibile argumentum est, quod adducit S. Paulus Apostolus, ex eo enim quod in aula unius sævissimi Christianorum persecutoris, puta, Neronis, morabantur etiam homines sancti, aperte sequitur, hominem nulla prorsus cujuscumque etiam officij aut vocationis præpediri incommoditate, quo minus bene sancteque vivat: *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt*; in hunc textum scribit D. Angelicus: *Ad promovendum bonos, & impediendos malos videtur licitum Sanctis in curijs habitare Regum, sed non propter delicias & concupiscentias voluptatum.* Hujusmodi casus occurrit S. Sebastiano, qui, ut supra diximus, in aula Imperatoris Diocletiani, nostræ sacræ Religionis hostis infensissimi, primario fungebatur officio, ipsi tyranno gratissimus erat & familiarissimus, & tamen ibidem diuturno tempore Deo fideliter serviebat, fidem Christianam promovebat, fidelesque strenue juvabat. Unde si Consiliarius ille Ptolomæi junioris Ægypti regis, eximulando Principem suum, ut Pompejum illuc refugientem internecioni daret, fidem faciente Lucano, dixerit: *Exeat ex aula, qui cupit esse pius*; ecce suffraganre testimonio Apostoli, & exemplo Sancti Sebastiani contrarium doceri potest, quod in aula ipsius etiam Neronis & Diocletiani exerceatur, vigeatque pietas, & acquiratur sanctitas.

D. Thom.

Exemplum Nebridij S. Hieron. Epist. ad Salv.

2. De Nebridio Imperatorum consanguineo scribit S. Hieron. ad Salvinam: *Inter fulgorem palatij & honorum culmina sic vixit, ut se ad Christum crederet profecturum.* Non dubito, quin in admirationem vos rapiat petitio Elisæi Prophetæ discipuli S. Eliæ, quando hic curru igneo raptus fuit in cœlum: *Obsecro*, dicebat, *ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* Cur hic majorem prætendebat Spiritum, quam habuerat Magister suus? annon verum illud: *Non est discipulus supra Magistrum?* Solvit hoc dubium S. Augustinus confiderando statum Elisæi, quia enim ad aulas Principum destinatus erat, & cum ijsdem conversari debebat, necesse fuit, duplicaretur ejus Spiritus, & majori muniretur, quam habuerat Elias, qui vixerat in sylvis & locis desertis, exiguumque receperat à Magnatibus honorem, imo potius passus fuerat persecutionem: *Cum magno honore & sæculi dignitate virtutem & Prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus & persecutus, degens in montibus & speluncis, & ejectus ab hominibus retinebat.* Quo probatur, in aula maxime necessariam esse virtutis firmitatem & solliditatem, at non propterea eam diminui, sed potius accrescere, quando bene fundata est, siquidem aula schola perfectionis esse potest, si quis occasiones non negligat: *Conjunctionem sanguinis regularis* (ait de Nebridio idem S. Hieronymus) *& assistentiam divinarum, atque insignia potestatis materiam habuisse virtutum.* Prosequitur deinde in laudem ejusdem: *Ministros & universum ordinem palatij, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officijs se pares arbitrarentur. Difficile facta est, gloriam virtute superare, & ab his diligi quos præcedas.*

S. August. l. 2. de mirab. Sacr. Script. c. 26.

S. Hieron.

3. Si aulicus ille, cujus sit mentio apud Senecam, in aula cecinit, *injurias accipiendo & gratias agendo*, quis inficias ibit in aulis varias & magnas adesse occasiones exercendi mansuetudinem, patientiam & perfectam illam dilectionem, de qua loquebatur Apostolus: *maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur & obsecramus?* Moysen, ut non semel jam intellexistis, Deus quidem elegerat ac constituerat ducem populi sui, qui ex Ægypto ad terram promissionis illum deduceret, regeret, gubernaret, instrueret, ac sanctificaret; ast primo voluit, ut quadraginta annis se exerceret in aula Pharaonis, deinde quadraginta pariter annis pastoris experiretur officium & artem, duceret uxorem, haberet familiam, voluit, inquam, ut varios probaret status & vocationes. David quoque, qui cunctis futuris sæculis debebat esse sanctitatis speculum, non tantum ipsi populo Israëlitico, sed cunctis etiam fidelibus (unde Archangelus dicebat Virgini Mariæ in incarnatione Verbi: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus*) Divina ita disponente Providentia, aliquamdiu aulam Regis Saülis frequentare debuit, priusquam regium ascendit thronum, ubi dum sederet, talem se existimabat habere aulam, quæ nullo tincta esset nævo malitiæ: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Neque id mirum videatur quia omnino sibi persuadebat: *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua.* Ex aula sua eliminabat ambitiosos, & pessimas linguas, quia maledicentia, detractio ac superbia aularum pestes sunt.

1. Cor. 4. 12.

Moysis.

Et Davidis.

Luc. 1. v. 32.

Ps. 100. v. 2.

Ibid. v. 6.

4. Causæ, cur multi, præsertim vero Ecclesiastici Magnatibus ambiant inservire, solent esse, vel ut amplient suos reditus, vel ut ad majores promoveantur honorum gradus; unde fit, quod alios quoque anhelantes & instantes rancore & invidia persequantur. S. Carolus Borromæus petentes admitti ad famulatum suum, primo examinabat, quem intenderent scopum & finem; quos deprehendebat aspirantes ad promotionem, repellebat; volebat enim ut omnes sub sua directione degentes studijs litterarum & pietatis dediti essent, bono exemplo prælucerent alijs, agerentque partes boni Ecclesiastici, & quæ suæ vocationi competerent. Nolebat omnino, ut propriæ suæ personæ inservirent, id namque, ajebat, prælatum minime intendere debere, sed ut suos instruat, doceatque officia & ministeria spectantia ad regimen animarum, Ecclesiarum ministerium, aliasque functiones clericalem statum concernentes. Qui erant sacerdotes, quotidie celebrare tenebantur; qui non erant sacerdotes singulis mensibus semel ad minus confitebantur & communicabant. Qui ad legendum divinum officium obligati erant, audito secundo signo, quod in Ecclesia Cathedrali dabatur pro matutinis, singulis diebus in sacello domus Episcopalis, aut in priori conclavi comparere tenebantur, & præmilla per quadrantem horæ oratione mentali, cum sancto Prælato horas canonicas postea recitabant, alijs eodem tempore recitantibus officium B. Virginis. Singulis diebus post cænam in eodem sacello conveniebant omnes pro instituendo examine conscientiæ, quo finito proponebantur puncta meditationis pro die sequenti. Tempore hyemali astantes igni, ut se calefacerent, ne proferrent nugas & colloquia vana & profana, spirituales instituebant discursus, recipientes singuli se ad sua conclavia, observabant silentium. Strictissime prohibitum erat, ne fericis uterentur ve-

Quomodo S. Carolus Borromæus regulaverit aulam suam.

ſtibus, ne penes ſe arma tenerent, nec nocte domo egrederentur, nec muſicalia haberent inſtrumenta, nec peregrinos, imo nec domeſticos ſive conſanguineos inducerent in ſua conclavia. Præſentibus in aula communi devoti prælegebantur libri, communis quoque erat omnibus menſa, in qua Religioſorum inſtar non tam cibo, quam ſpirituali refi ciebantur lectione, & ſæpe prædicebat S. Carolus, (antequam tamen extremæ ſe dediſſet abſtinentiæ) poſt prandium ſumptum ad ſacellum procedebant, Deo agentes gratias & litanias recitantes. Diebus Mercurij abſtinebant à carnibus, diebus Veneris jejunabant, uti & in honorem omnium ſanctorum Archiepiſcoporum, quorum erant 36. Quadrageſimam, à Quinquageſima, & Adventum a feſto S. Martini inchoabant, ſicque juxta computationem ex hiſtoria deductam, tribus dumtaxat menſibus per totum annum veſcebantur carnibus, ut propterea merito dixerit Panigarola, mundo huic ſolum defuiſſe rariſſimum hoc exemplum regularis & ſanctæ aulæ, quæ diſciplina, obedientia ac vita ſpirituali ſuperabat ſacros Ordines auſteræ ac ſtrictiſſimæ obſervantiæ. Ex hac aula, imo potius dixerim, ex hac Eccleſiaſticæ perfectionis ſchola Deus ſelegit duodecim Epiſcopos, omnes inſignes viros, ac duodecim Nuntios Apoſtolicos, quorum nonnulli ad eminentiſſimam Cardinalatus dignitatem promoti fuerunt.

Aula æque poteſt eſſe ſchola virtutis, ac Religioſus ordo.

5. Aula æque bene ac Religio poteſt eſſe ſchola virtutis, ubi cum majori profectu fieri poteſt exercitium humilitatis, ſi nimirum, aulicus ſubmittat ſe inferiori, & genere nobilitatis, & officio, & talentis; & vere omni hora adeſt aulico occaſio exhibendi charitatem erga proximos, non invidendo alterius fortunæ, reprimendo murmurationes ac detractiones invidorum, diſcordes pacificando & componendo, miſerorum afflictorumque ſuccurrendo indigentiæ, fugiendo æmulationes: *Charitas omnia ſuffert, non æmulatur, non eſt ambitioſa, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate &c.* ubi Apoſtolus videtur alludere ad aulicos. Quantas etenim poſſunt exercere virtutum actiones, in tolerandis & diſſimulandis malignorum defraudationibus, inſidijs, dolis, injurijs, operibus, calumnijs, milleniſque alijs deſpectibus? Quidam moderni temporis Orator ſcribit: repulſas vindicari precibus; deſpectus ſolvi laudibus; injurias compenſari obſequijs; damna reſtaurari gratiarum actione; jam vero ſi harum actionum finis, qui ſpecificat opus, eſſet ſupernaturalis, ſi totum toleraretur propter Deum, quantum & quam amplum eſſet meritum, quod acquireretur? Antonius de Guevara ex Ordine S. Francifci aſſumptus Epiſcopus exiſtimat, Religioſorum pœnitentiam longe eſſe ſuaviorem ac dulciorem ea, quam agunt aulici; hi enim quamvis non emittant votum obedientiæ, ſtudent tamen obedire ad nutum, cogitant, ac recogitant, ſomniantque, qua ratione divinare poſſint beneplacitum ſui Domini. Quantas exercent abſtinentias, quantas agunt vigilias ab Eccleſia numquam præceptas? Quantas in aula ſervant & ſuſtinent ſtationes?

1. Cor. 13. 4.

Guevara.

Multi evaſerunt ſancti ſervientes iniquis principibus David. Daniel.

6. Verum ad ſuum principium, unde deflexit, revertatur diſcurſus noſter; quot & quanti evaſerunt Sancti, iniquis etiam ſervientes principibus? David non ceſſitavit, nec aberravit à virtutis ſemita, quamdiu etiam Regis Saülis reprobi & à maligno Spiritu obſeſſi frequentavit aulam. Daniel per octoginta annorum decurſum hæſit in Babylonia, & quidem in aula gentilium & idololatrarum, qui veri Dei hoſtes erant & inimici, & principali etiam aulæ functus officio, non deſiit tamen eſſe Sanctus. Qualis fuerit Nabuchodonoſor, quis fuerit Balthaſar, quibuſcum habitavit, dicent vobis ſacræ paginæ; cælibem ipſe nihilominus duxit vitam, mortuus eſt virgo, tanta dotatus perfectione, ut Propheta Ezechiel ipſum parem fecerit Noë & Job.

Abdias Propheta. 3. Reg. 18. 3.

Ibid. v. 4.

7. De Abdia Propheta legitur, quod fuerit aulæ præfectus apud Achab regem ſacrilegum, idololatram ac veri Dei perſecutorem: *Abdias timebat Dominum valde. Voxitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ.* Principalis igitur fuit miniſter ipſius Achabi & Jezabelis, & tamen de illo teſtatur ſacer textus: *Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abſcondit eos in ſpeluncis & pavit.* Idipſum & ille quoque inſinuat, ut notat & obſervat Lyranus, non ex inſtinctu vanæ gloriæ, ſed ut periculum, cui & ipſe expoſitus erat & zelum honoris Dei, quo ferebatur, manifeſtaret: *Omnibus prætulit pietatem*, aſſerit in laudem ejus Theodoretus citatus à Gloſſa. Eſther & ipſa vixit in aula Regis gentilis & idololatræ cui acceptus erat Aman, non defecit tamen, imo crevit in Spiritu & ſervitio veri Dei, veluti colligitur ex ejuſdem proteſtatione, quam fecit: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ &c. Et numquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc translata ſum uſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abrahæ.* Declarata igitur prima parte, quod aula poſſit eſſe ſchola perfectionis Chriſtianæ, nec erremus aut delinquamus in ſervitio & merito apud Deum inſerviendo hominibus oportet, hunc examinemus modum, quo miniſterium hoc adimplere poſſimus?

Lyran. Theodoret. Eſther. Eſther. 14. v. 16. Ibid. v. 18.

8. Ex verbis illis Salvatoris noſtri: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*; prima fronte videtur prohibitum eſſe hujuſmodi ſervitium & obſequium, quod, videlicet, defertur hominibus; at non eſt, quare obſervandum, Chriſtum Dominum præfatis verbis ſolum voluiſſe indicare, quod cultus latriæ una cum ſervitio ei annexo ſoli Deo debeatur, quodque aulici, & quicumque alij non debeant omnem ſpem & fiduciam ſuam in principibus, vel etiam in hominibus magis ponere, quam in Deo, ac principum gratiam pluris æſtimare, quam cœleſtem & Divinam. Præclarum aulicis præbuit exemplum Daniel Propheta, qui cum adverteret legem impij & ſacrilegi Regis repugnantem legi Dei, cui ipſe ſerviebat, voluit potius præceps agi in lacum & fauces leonum, quam intermittere conſuetam ac piam ſuam genuflexionem verſus ſanctam civitatem, & adorare Deum alienum; unde cum miraculo, uti notum eſt, præſervatus, & ad ſublimiores honores evectus fuit; ipſius vero æmuli damnati ad Leones miſerrime perierunt. Verum unum hic occurrit examine dignum circa id, quod Rex Danieli dixit: *Deus tuus quem colis ſemper*; annon Rex iſte ſciebat, quod Daniel eſſet ipſius ſervus & famulus, nec non continuo ei exhiberet ſervitutem; ac deferret obſequia ſua; quomodo ergo dicere poterat, quod ſemper ſerviret Deo ſuo: *Deus tuus quem colis ſemper?* Serviebat Daniel Deo ſuo ſemper, ſerviebat & ipſi Regi in ijs, quæ non repugnabant Deo; etenim licite & cum merito quis ſervire poteſt in aula, eſto etiam ſerviret uni Neroni, Achabo, Dario aut Diocletiano, modo miniſterium illud non repugnet, non opponatur, nec præjudicet ſervitio & cultui Dei; modo ſit ſubordinatum legi Divinæ, eamque cum honore Dei non excludat modo quis ita miniſtret aulæ, quia Deus ita diſpoſuit: *Sancti* etiam *de domo Cæſaris ſunt*; & Dominus noſter jubet dare Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*; dicebat Apoſtolus, quod intelligebat non ſolum de pijs & probis, ſed etiam de impijs præpoſitis.

Matth. 4. 10. Docetur modus quo in aula quis ſancte vivere poſſit. Dan. 3. v. 16. Ibid. v. 17. Ibid. v. 18. Hebr. 13. 17.

9. Nolebat Eccleſia, ut filij ſui ſub prætextu Chriſtianæ profeſſionis & nominis ſe ſubducerent à jugo legum principum, eſto idololatrarum, niſi in eo caſu, quo jugum illud incompatibile eſſet cum lege Evangelica, quia in tali caſu clariſſima deciſio jam promulgata fuit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Ananias, Azarias Miſaël in aula Nabuchodonoſoris ad regimen provinciarum ſublimati, ætatis maturæ erant, in omni re fuerunt fideles Regi ſuo, excepto illo caſu, quo urgebantur ad adorandam ſtatuam, ibi mihi perſuadeo eos dixiſſe: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*; interim coram rege minitante ſolemniter proteſtati ſunt & conſtantiſſime dixerunt: *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi, Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non Colimus & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Quando gratia Dei concurrit cum gratia magnatum & principum; honor & obedientia horum cum honore & obedientia Dei, tunc nos veros hujus ſervos eſſe teſtabimur, ſi terga illis obverterimus: *In media Babylonis tres pueri* (ait D. Chryſoſtomus) *in media quoque Chaldæorum domo, inter illos deliciarum varios apparatus, in ſumma tamen arce Philoſophiæ conſtituerunt.* Non ſolum inter aulæ delicias Deo fideles remanſerunt, verum etiam in candentem fornacem injecti

Serviendum eſt principibus, etiam idololatris, quando illorum ſervitium non contrariatur, vel impedit ſervitium Dei. Actor. 5. 29. Matth. 4. 10.

D. Chryſoſt. Hom. 8. in Matth.

injecti renuntiarunt imperio, ſceptris omnibus pompis, conſtanter tenentes illud: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.*

Mutatio locorum vana eſt ſine mutatione morum. Euſeb. Emiſſ. Hom. 3. ad monach.

10. Denique pro cautela illius, qui è re ſua eſſe exiſtimat loci mutationem & prius non mutat mores, conſideratione digna eſt hæc Euſebij Emiſſeni doctrina: *Quid proderit*, inquit, *quod diſcedis, qui undique aſtrictus es vinculis paſſionum, quem hinc atque inde circumvallant vitia tua? Quid, inquam, proderit, quod diſcedis, qui quocumque locorum vadis, te tecum portas. Digne aliquis diſceſſit, ſi illo ire poſſit, ubi illum diabolus invenire non poſſit. Nemo ſe fallat, non fugiet adverſarium de loco, ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem.* Tritum illud proverbium: Habitus non facit Monachum. Hiſce noſtris temporibus typis mandatus fuit liber, cui titulus: *Aula ſancta*, aula igitur, locus alias lubricus & periculoſus, ſanctitatis centrum & ſchola eſſe poteſt. Audiamus S. Hieronymum: *Non Jeroſolymis fuiſſe, ſed Jeroſolymis bene vixiſſe laudabile eſt; ſenguli quique crediderint non locorum diverſitatibus, ſed fidei merito ponderantur, & veri adoratores neque Jeroſolymis, neque in monte Garizim adorant patrem, quia Deus Spiritus eſt: Spiritus autem ubi vult ſpirat; & de Jeroſolymis & Britannia patet aula cæleſtis, regnum Dei intra nos eſt.*

Hieron. epiſt. 13.

TRACTATUS XCVII.

DE ZELO,

CONTINET

DISCURSUS X.

Diſcurſus I. Zelum Deus plurimi æſtimat & appretiatur: unde Dei honorem zelans ac defendens participat aliquid Divini.

II. Homini zeloſo ſupernaturalem Deus impertit gratiam & honorem; imo & gloriam, cœleſtem pandendo paradiſum.

III. Varijs declaratur exemplis, quam gratus Deo fuerit zelus, ac munificentiſſime ab eodem compenſatus.

IV. Adhuc diſcutitur & dilatatur materia præcedentis diſcurſus

V. Zelus ſuam habet radicem infixam amori Dei, & hic vel maxime zelotem conſtituit ac defenſorem honoris Dei.

VI. Variæ zeli conſiderantur conditiones, ut ſit ordinatus, & conformis regulæ rationis & virtutis

VII. Reprehenduntur acriter, qui pravas paſſiones ſuas, quibus moventur, zeli tegunt pallio, quos tamen Deus merito deregit & caſtigat.

VIII. De Zelo, quem pientiſſimus Redemptor noſter demonſtravit circa ſalutem animarum.

IX. Variæ inſtituuntur conſiderationes de zelo ſalutis animarum.

X. De lucro, quod acquirimus, ſalutem animarum zelantes.

commendatur de zelo ſuo. Num. 25. 11.

DISCURSUS I.

ARGUMENTUM.

Deus zelum plurimi æſtimat & appretiatur; unde Dei honorem zelans ac defendens participat aliquid Divini

THEMA.

Dominus zelotes nomen ejus. Exod. 34. ℣. 14.

Deus zelum tanti æſtimat ut ſibi nomē zelotes aſſumpſerit.

1. INter ſpecioſiſſima, quibus Deus ter Opt. Max. in ſacris literis honorari voluit, nomina, unum etiam fuit, nempe, *Zelotes*, quod epitheton nec Moyſes, nec quiſpiam ex alijs Prophetis & Patriarchis antiqui teſtamenti ei attribuit, ſed ipſemet loco jam citato loquendo electo ſuo populo ſibi aſſumpſit; ac ſi zelus tantæ eſſet æſtimationis & pretij, ut participaret aliquid Divini ex ordine ſupernaturali: *Dominus zelotes nomen ejus*; ſed clarius & expreſſius hoc ipſum cap. 20. ejusdem libri declarabat, dicens:

Exod. 20. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes.* Ut firmius hanc virtutem cordibus fidelium ſuorum imprimeret, in ſeipſo prius eam ſanctificare & magnificare ſtatuit, nominando ſe zelotem: quod cum penitius conſideraret D. Ambroſius exponendo verſum illum: *Exquiſivit me zelus domus tuæ*, ſcribit: *Vides, quia zelus Dei gratia eſt.* Quæ major excogitari poteſt prærogativa & gloria zeli, quam quod pari gradu ambulet cum divina gratia? imo ſubdit idem S. Doctor: *Zelus Dei vita eſt.*

Ambroſ. in Pſal. 118. oct. 18.

Phinees ab ipſo Deo

2. Quando Phinees læſum Dei honorem propugnavit ac vindicavit arrepto pugione transfodiendo principem de cognatione & tribu Simeonis ob enorme ſcelus patratum in conſpectu totius populi, factum hoc Deus plurimum commendavit hiſce verbis: *Quia zelo meo commotus eſt contra eos.* Non conſtat cœlitus eum accepiſſe quamdam revelationem vel commiſſionem exequendi hujuſmodi Heroicam actionem; Si ergo ad hujus executionem proprio motus fuit zelo, cur ait Deus: *Zelo meo commotus eſt?* Reſponderi poteſt, Deum tanti appretiari zeluſh zelantis honorem Dei, & propter amorem illius ab homine ſuſceptum, ut illum reputet tamquam ſuum proprium, ſibique illum tribuat, nuncupando ſe zelantem: *Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes. Dominus zelotes nomen ejus.* Pretioſiſſima gemma, quæ thronum ſupremæque Divinæque Majeſtatis, imo diadema illius adornat, eſt ipſe zelus: *zelotes nomen ejus.*

Num. 25. 11.

3. Quando Redemptor noſter æterni patris ſui zelavit honorem in profanatione templi ſive domus ſuæ, dixit: *Zelus domus tuæ comedit me.* Ubi conſiderandum verbum hoc: *comedit.* Cibus in ſubſtantiam aliti, ſive comedentis tranſmutari ſolet; unde Chriſtus de ſumente ſanctiſſimum ſuum corpus dicebat: *Qui manet in me, & ego in eo*; Videtur ergo dici poſſe, quod Verbum Incarnatum certo quodam modo fuerit transformatum & converſum in zelum: *Zelus comedit me*, ac proinde Deus & zelus quodammodo ſit una & eadem res. Sic Deus volens animum addere Prophetæ Ezechieli, ut honorem ſuum conculcatum defenderet, dixit ei:

Pſ. 68. v. 10. Verbum incarnatum quodammodo converſum fuit in zelum. Joan. 2. 17. Joan. 15. 5.

Ezech. 23. 25

Ponam zelum meum in te.

4. S. Ambroſius examinans illa verba Apoc. 3: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum*, exiſtimat illis verbis Epiſcopum Laodiceæ, qui in hac virtute omnino tepidus erat, invitatum fuiſſe, ut locupletaretur zelo ſibi neceſſario: *Conſulo tibi, ut emas à me aurum igne probatum. Hic eſt Dei Zelus.* Ergo zelus ortum ſuum habet in Deo. Eodem loco repræſentat deinde ſtrictiſſimam hanc unionem quam zelo ſancto accenſus habet cum Deo, poſtquam enim de auro illo ignito dixerat: *Hic eſt Dei Zelus*, ſubdit: *Qui nos velut ſuavem cibum in Chriſto remollit & formet. Quanta Domini gratia, ut nos in ſuo ore conſtituat, & quaſdam meritorum noſtrorum epuletur dapes, ac ſi meremur devoret, ſi noſtri ibi ſuavitatibus delectetur? Beatus quem ſapientia devoraverit, quem virtus hauſerit, quem juſtitia receperit.* Ex hiſce verbis deducitur, quod zelus nos ipſimet Deo faciat aliquo modo conformes.

Apoc. 3. 18. Zelus nos conjungit & conformat Deo. Ambroſ. ibid.

5. Cunctis manifeſtum eſt axioma illud: *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt cum eo*; at quis ignorat amorem nos unire Deo; & efficere ut ſimus una res cum Deo? præſtat idipſum amor, at zelus, ut ſuo loco dicemus, eſt partus charitatis & dilectionis Divinæ; Quis Spiritus Angelicos retinuit unitos & colligatos cum ſuo Creatore niſi zelus? S. Michaël quia zelavit honorem Dei, *Quis ut Deus,*

1. Cor. 6. 17. Zelus Spiritus Angelicos univit & colligavit Deo.

Deus, impugnando expugnandoque Luciferum, qui cum Altissimo concertare volebat, ideo ad supremum cœlestis militiæ promotus & exaltatus fuit officium, & quotquot ipsius imitabantur zelum, confirmati fuerunt in gratia; sicque tota cœlestis curia in tres Hierarchias, & in novem choros distincta zelo acceptum referre debet, quod steterit firma & constans in Dei obsequio; non ego, *Ambros. ibid.* sed D. Ambrosius idipsum asserit: *Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Quare non miratur S. Doctor, quod ipsemet æternus pater magnificet zelum. *Et quid miremur, si Angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait: Zelans zelabo Jerusalem zelo magno. Quia Deus magnus ideo & zelus ejus magnus est*; quasi dicere vellet, quod tanta sit Dei magnificentia, quantus est zelus ejus.

Angeli sancti zelo armati præliabantur cum Draco-ne. *Apoc. 12. 7.* 6. Verum observate singularem hanc prærogativam zeli conservantis supernam Jerusalem firmam & stabilem; etenim sine zelo præceps ruisset tota natura Angelica, quæ, uti dictum est, *Zeli ardore sustentatur. Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*, &c. Et quibus armis præliabantur cum Dracone? Ejusmodi fortassis creditis fuisse arma, quibuscum pinguntur? Non sane, sed armis illis dimicarunt, quæ depingit Hugo Cardinalis exponendo versum istum: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi*; quibus verbis videtur S. Michael fuisse invitatus ad prælium contra rebellem Satanam; ait igitur Hugo: *Zelum ejus* *Ps. 34. v. 2. Hugo Card. ibid.* fuisse armaturam ejus, idque probat ex textu Sapientiæ: *Accipiet armaturam zelus illius.* Igni quoque assimilatur zelus, ideoque Elias Propheta in sacro eloquio ob zelum dicitur igneus non solum, sed & actiones ejus ignis instar ardebant, juxta illud *Sap. 5. v. 18.* *Eccli. 48. v. 1.* Ecclesiastici 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi fax ardebat*; Ecce igitur mysterium, cur Angeli apud Psalterum regium nuncupentur ignis: *Qui facis Angelos tuos Spiritus & ministros tuos ignem urentem*, quia, nimirum, zelant honorem Dei & nostram salutem. *Ps. 103. v. 4.*

Christus tres viros sanctos specialiter nominat sibi conformiores propter insignem zelū. *Matt. 16. 14* 7. Verum ex historia illa, quam refert S. Evangelista Matthæus, deducitur zelantes gloriam Dei non Angelis dumtaxat, verum etiam Dei Filio esse similes. Etenim cum Dominus & Salvator noster die quodam moraretur in partibus Cæsareæ periit ab Apostolis, qualem haberent homines opinionem de Filio Dei: *Interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Jeremiam.* Mirum sane, quod hi tres tantum nominentur, & præferantur omnibus alijs, qui toto decursu & spatio quinque millium & plurium annorum pie & sancte vixerunt; cur non fecit mentionem Abelis, Noë, Abrahami, Josephi, aliorumque similium sanctitate conspicuorum? Respondeo: hos tres cum stupore exhibuisse se Deo conformiores, quia summopere honorem ejus zelarunt & propugnarunt, quemadmodum de singulis clare probari potest.

Jeremiam. 8. *Alij vero Jeremiam.* Hic Propheta frequenter vitam suam summo expositi periculo; ut populum aberrantem ad salutis viam reduceret, quem in finem, nisi agerent pœnitentiam, præsagiebat minabaturque ei duram servituram Babyloniæ, sacrilegis regibus constanter resistebat in faciem, quapropter cum Dei honorem defenderet eo præsertim tempore, quo gloria & honor Dei vilipendebatur, summamque patiebatur jacturam, lapidatus & martyrio coronatus fuit. Sed unde hic Propheta tanto fuit accensus zelo? unde tanta illi animi generositas? Deus ipsemet, ne terreretur ille, Principibus, Magnatibus & alijs locuturus, animum ei *Jerem. 1. 19.* addens dixerat: *Ego tecum sum.* Ex quo, uti jam dictum est, pariter probatur. Deum adesse illis, qui *Ibid. v. 10.* amore ejus zeloti sunt: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream*, &c. Ubi pondere sanctuarij ponderetur illud: *Ego quippe dedi te*; & patebit inde singularis quædam prærogativa, nimirum, quod esse zelosum habeat aliquid divini, à Deo proveniens.

Eliam. 9. *Alij autem Eliam.* Quis unquam ipso Elia fuit zelosior? encomium illius describit Ecclesiasti- *Eccli. 4. 31.* cus: *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat.* Et paulo post: *Ibid. v. 6.* *Dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facile pœnitentiam ipsorum.* Christus Dominus flagello vindicavit injurias templo Dei illatas: *Zelus domus* *Ps. 68. v. 11.* *tuæ comedit me*; at Elias dolens & ægerrime ferens, falsos Prophetas Baal destruxisse in populo religionem & cultum divinum, in testimonium veritatis, ignem de zelo descendere fecit, cunctosque sacrilegos gladio ardentissimi sui zeli interfecit. Quando Judæi miserunt à supremo concilio urbis Jerusalem legatos suos ad Joannem, & viderunt eum in deserto Judææ adeo zelosum, crediderunt eum esse Eliam, unde interrogabant: *Quid ergo,* *Joan. 1. 21.* *Elias es tu?* Sciebant namque Eliam magno fuisse accensum zelo.

Joannem Baptistam. *Joan. 2. 25* 10. *Alij Joannem Baptistam.* Tanto tamque ferventi fuit is dotatus zelo, juxta sententiam & testimonium illius, de quo scribit alter Joannes: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*; Ut non solum ipsum fecerit Eliæ parem, verum etiam teste S. Matthæo cap. 11. aperte dixerit: *Et si vultis recipere,* *Matt. 11. 14* *ipse est Elias.* Quod tamen ipse negaverat: *Elias non sum*; & cum revera non esset ille, quomodo æterna veritas asserere potuit: *Ipse est Elias?* Du- *D. Thom. in Matth.* bium solvit D. Angelicus: *Non fuit*, inquit, *Elias in persona, sed in Spiritu*; & facta inter utrumque comparatione subdit conformiter nostro proposito: *Quantum ad zelum, quia Elias maximi zeli fuit, sic Joannes zelo veritatis mortuus est.* Scribæ & Pharisæi una cum sacerdotibus, odio & invidia æstuantes in Christum, sancto Baptistæ celsissimam Messiæ dignitatem offerebant, ipsumque Christo Domino præferre volebant, credentes in ipsius esse potestate acceptare tantum officium cum filiatione Divina; ast Sanctus Joannes zelo accensus defendendi honoris Dei testatus est, Christum esse verum Messiam, cujus nec ipse dignus esset, ut solveret ejus corrigiam calceamenti. Ex nomine quoque zeli ipsius encomia depromere posſumus: *Hoc nomen Joannes*, ait D. Chrysostomus in Catena D. Thomæ, *Gratia Dei interpretatur*; & *Chrysost. in cat. D. Tho.* de zelo scribit Ambrosius sup. citat. *Vides quia zelus Dei gratia est.*

Commendatur singulariter zelus S. Joannis Baptistæ. 11. Quod si cogitatione deserta Judææ penetrare velitis, invenietis S. Baptistam ab infantia ibidem hæsisse: *Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti*; & quare? *Ne levi salem macularet vitam flamine posses.* Audietis insuper, quanto ardore studuerit emendare, corrigere & reprehendere impie viventes, quanto zelo tutatus fuerit Christi honorem ab invidia & persecutione Synagogæ. Antra deserti & ferarum cavernas non deseruit, nisi ut baptizaret, & mundo manifestare filium Dei mundi Redemptorem, Deique honorem defenderet zelaretque apud nefarium & incestuosum Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Hinc merito post creationem mundi hujus primus omnium extitit, cui explicita & clara imperscrutabilis mysterij SS. Trinitatis notitia fuit exhibita, quod jam notavit S. Bernardus dicens: *Marci 6. 18.* *Prima revelatio de Trinitate à creatione cœli & terræ usque ad hunc locum: nunquam Trinitas manifeste apparuit hominibus. Adest Joannes totius medius Trimitatis.* Ecce verissimum illud, quod, qui zelant honorem Dei, participent aliquid Divini. *Bernard. ser. de privileg. S. Joan. Bapt.*

Continuatio ejusdem encomij. *Joan. 1. v. 7. & 8.* 12. S. Joannes Evangelista, quia prævidebat homines facile abituros in errorem circa personam filij Dei & ipsius Baptistæ, monitos nos esse voluit: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Inter alia epitheta magnifica, quibus Christus Dominus ipsum honoravit, dedit ei nomen Angeli: *Ecce ego mitto Angelum meum.* *Matth. 11. v. 10.* Multa laudum encomia de eodem Sancto attulimus in aliquo speciali opere & discursu, è quibus huic loco inservit illud, quod ab utero materno ad terminum usque ultimumque vitæ suæ spiritum ferventi zelo præditus fuerit. Denique si teste Apostolo, *ille probatus est, quem Deus commendat*, *2. Cor. 10. v. 18.* profectò S. Joannes præ omnibus Sanctis omni digmus est laudis encomio, quem ipsa Divina Sapientia commendavit dicens: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Sequenti discursu videbimus, quali Deus honore afficiat, exaltetque eos, qui zelant honorem ejus. *Matth. 11. 11.*

DISCUR-

DISCURSUS II.
ARGUMENTUM.

Homini zeloso supernaturalem Deus impertit honorem, gratiam, imo & gloriam, cœlestem pandendo paradisum.

THEMA.

Est nomen meum in illo. Exod. 23. v. 21.

S. Michael præclarum nomen suum sortitus fuit à Deo propter insignem zelum suum quo restitit Lucifero. *Abulens. q. 71 in Exod. Rup. Abb. lib. 1. c. 18. de vict. Verb.*

1. CLementissimus ille Deus, *Quem adorant Dominationes, tremunt potestates*, quia sanctissimum suum nomen non dedignatus est communicare famulo suo, eumque insuper ad eminentissima & triumphantis & militantis Ecclesiæ sublimavit officia, monere nos voluit, ne in eum committamus aliquem irreverentiam, multo minus inferamus ei despectum aut contemptum: *Nec contemnendum putes, quia, &c. est nomen meum in illo.* Abulensis cum nonnullis alijs per Angelum istum hic denotatum eum intelligit de quo scribit Rupertus Abbas: *Ex illo certamine magno & mirabili, pulchro nomine & honore dignatus, unus & primus de militiæ cœlestis principibus glorioso rediit nomine, videlicet, ut exinde vocaretur Michoël, Quid pulchrius eo quod sonat ipsum nomen? Quid ad laudem ejus sonorius, quam sicut Deus?* Quia zelo zelante Dei gloriam, quam Lucifer sibi arrogare præsumpserat, debellavit & superavit superbum & ambitiosum spiritum, promeruit supremum tam cœli, quam terræ principatum: *militiæ cœlestis meruit principatum.* Idem Rupertus scribit: *Constat, quia princeps est omnium usque in finem sæculi, qui verbum Dei credunt & confitentur.* Primus igitur, quem Deus inter omnes creaturas honoravit charactere nominis sui (quod est infinitæ dignitatis) fuit is, qui zelavit honorem Dei, & hic fuit S. Michael, & quia ferventi Spiritu stetit pro defensione S. D. Majestatis, ideo est nomen suum in illo; quapropter, Michael idem sonat, quod, *Quis ut Deus? similis fuit Deo in filijs Dei.* Præter S. Michaelem alij adhuc fuerunt hac virtute insigniti, & à Deo exaltati & glorificati. Sic etiam zelus ortum habuit suum in cœlo, & Deus ipsemet, uti discursu præcedenti dictum est, æstimat se veluti illius patrem: *Ego Deus Zelotes.* Insuper inveniemus zelantes mente habitasse in cœlis, esto corpore vixerint in terris.

Tres propter insignem zelum honoris Dei, miraculosè translati sunt vivi in cœlum. Enoch. *Gen. 5. 24.* 2. Tres reperio in sacra Scriptura modo miraculoso raptos & à Deo translatos ad cœlum Enoch in lege naturæ; Eliam in lege scripta; & S. Paulum in lege Evangelica. Discurramus primo de Enoch: *Ambulavit cum Deo, & non apparuit*; quando ad cœlum translatus, à nullo visus fuit, quia indigni erant videre dignum illud spectaculum. Verum quot quantique sanctitate conspicui viri vixerunt in tot sæculis intermedijs usque ad Eliam, quibus hujusmodi insolitus & miraculosus non fuit exhibitus honor? quale igitur Enoch habuit meritum aliorum superans merita? Respondeo sacrum textum non sine mysterio significare nobis: *Iste cœpit* *Gen. 4. 26.* *invocare nomen Domini.* Textus Hebraicus proposito nostro conformius legit: *Speravit invocari nomine Domini.* Audiamus etiam Procopium: *Speravit appellari nomine Domini, id est, duci Divinas.* S. Cæsarius Gregorij Nazianzeni frater adhuc clarius loquitur de illo: *Deificari cœpit Enos illis* *Procop. ibid.* *Cæsarius Dial. 1.* *temporibus*, scire desidero, in quo fundabatur hæc spes, quas sperabat appellari nomine Dei, & esse in terra tamquam homo divinus? Respondeo ipsum Enoch omnium fuisse ardentissimum in zelando honorem & gloriam veri Dei; nam quia fervente proposito statuerat cultum veræ religionis promovere & ampliare prædicando, animas convertendo, credentes coadunando, erigendo templa, venerationem & adorationem veri Dei omni conatu & studio propagando, tametsi impij & reprobi homines, quorum non pauci reperiebantur eo tempore, præsertim ex reprobo Cain descendentes cum pluribus alijs, de quibus refert S. Scriptura cap. sequenti: *Omnis quippe caro corruperat viam* *Gen. 6. 12.* *suam*, reniterentur, ac sese fortiter opponerent, nihilominus intrepidus ipse & constans nullum fugiebat periculum, omnem spernebat persecutionem etiam atrocissimam, nec cultum divinum zelare cessabat. Et si Apostolus ait: *Omnes qui pie* *2. Tim. 3. 12* *volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*; Voluit eum Deus propterea honorare, & adhuc vivum ex hoc mundo transferre ad paradisum; ut mundus intelligat eorum exaltationem & remunerationem, qui cum suo emolumento honorem & zelum Dei propugnant & defendunt. Audiamus Theodoretum: *Eum semovit à mortalium vita, ut* *Theodor. quicunque pie vivere statuerit, animadvertat, quanto* *q. 45. in Gen.* *in honore habendus sit.* Quia ergo Enoch divino ardebat zelo, ipsoque facto restitisset, seleque opposuisset pro defensione gloriæ & honoris Dei, quid mirum, quod speraverit insigniri nomine Dei, *Est nomen meum in illo.* Verum quod eximium in hac virtute acquisiverit meritum, vel ex eo maxime & evidenter convinci potest, quod Deus ipsum elegerit, ut una cum Propheta Elja resistat Antichristo, assistat Ecclesiæ & religioni Christianæ ultimis illis diebus, quibus illud impietatis monstrum crudelissime Ecclesiam & Christi fideles persecuturus est. Scribit insuper S. Chrysostomus de nomine ejus: *Vidisti appellationem diademate clariorem, quod fuerit* *Chrysost. illo beatius, qui invocatione Dei oriatur, idque pro nomi-* *Hom. 21.* *ne possidet.* *in Gen.*

Elias Thesbites. Huic per modū transeuntis Deus se ostendit. *3. Reg. 19. 11. Abul q. 19. ibid.* 3. Sed transeamus ad Eliam Thesbiten. Huic Prophetæ S. D. Majestas singularem & transcendentem communicavit gratiam, favorem & honorem, dum, nimirum, per modum transeuntis (ut loquuntur Theologi) divinam vidit essentiam: *Sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, &c. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, &c.* Cur verò Elias vultum suum pallio contexerit, causa hæc est, inquit Abulensis: Egit hoc Elias ad magnam reverentiam Dei, judicabat enim se Elias indignum, ut videret gloriam Domini transeuntem coram se. Quod si Propheta in hoc tam sublimi privilegio habuerit aliquod meritum, ipsamet namque gloria certo quodam modo supra ipsum descendit in terram, auderem dicere tale ei obtigisse privilegium merito ardentissimi sui zeli, idque deduco ex responso ipsius, quod S. D. Majestati ipsum simul & semel interroganti: *Quid hic* *3. Reg. 19. 14* *agis Elia?* dedit dicens: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, &c. Zelus gratia est*; gloria aliud non est nisi gratia perfecta; ergò de primo ad ultimum qui verum habet zelum, quasi in manu habet & gratiam & gloriam, & eò majorem, quò major est zelus. Neque Deus dumtaxat, sed & Angelorum Chori apparuerunt Eliæ, juxta quod legit Cardæus: *Ecce gloria Domini revelatur, & ante eum erant exercitus Angelorum*, & non sine causa, quia mirabantur ac demirabantur Prophetam tàm ferventi accensum zelo zelante gloriam rerum omnium Conditoris, quali & ipsi arserant in cœlo contra Luciferum ejusque assecias.

Elias propter ferventissimū zelum suum honoris Dei, curru igneo sublatus fuit in cœlum. *4. Reg. 2. 11. Ambros. in Symb. Apost.* 4. Verum non sufficiebat Deo, nec contentus fuit magnum hunc Prophetam tali dignari honore, etenim transfacturus ipsum à communi hominum consortio, in forma visibili transmisit ei currum igneum generosis instructum equis, quod decenter commodeque aveheretur, duceretúrque ad amœnissimum paradisum. *Ecce currus igneus & equi* *ignei diviserantque utrumque: & ascendit Elias per* *turbinem in cœlum.* Ascensum hunc describit S. Ambrosius: *Enoch translatus est ne videret mortem,* *similiter & Elias in corpore ipso positus curru igneo,* *id est, Angelorum subvectione, qui sunt spiritus &* *flamma ignis, qui faciunt voluntatem, usque ad cœ-* *lum assumptus est.* Certum est magnificentissimum fuisse honorem illum, quem sanctus hic Propheta à supremo remuneratore recepit, & talem, cui similis non legitur in tota sacra Scriptura; ad dubium merito hic occurrit, cujus intuitu hujusmodi ei honos exhibitus fuerit, an fortassis in præmium solitudinis, austeri victus, rigorosæ abstinentiæ, perpetuæ contemplationis, doni virginitatis, prophetiæ, miraculorum, aliorumve similium? nequaquam, Audiamus S. Ambrosium: *Zelum habuit* *Ambros. in* *Elias, & ideo raptus est ad cœlum; zelo inquit, zela-* *Psal. 118.* *tus sum, &c.* notatu digna hæc causalis: *Et ideo*, qua *Oct. 18.* voluit nobis indicare, cœlestem hunc currum illi transmissum fuisse in præmium & compensationem sui specialis & eximij zeli.

Elias propter usque tempora inventus fuit, qui tantam habuit potestatem, ut juxta voluntatis suæ imperium potuerit imperare cœlo: *Elias*, inquit Jacobus Apo- cœlo. stolus, *Homo erat similis nobis passibilis, & oratione* *Jac. 5. 17.* *oravit*,

Jacob 5. 17. *oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex & rursum*; novo zelo accensus,
Ibid. v. 18. *oravit: & cælum dedit pluviam & terra dedit fructum suum.* Imperium hoc ex parte Prophetæ cœlo
3 Reg. 17. 1. intimatum legimus. 3. Reg. 17. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Et ita factum est. Sed quis imperat cœlo, Creator, an creatura? Dubium hoc solvere possumus, pauca mutando ex verbis S. Ambrosij: *Zelum habuit Elias, & ideo imperavit cælo.*

S. Paulus Apostolus inaudito prodigio raptus fuit in cœlū præmium ardentissimi sui zeli.

6. Descendamus nunc ad legem Evangelicam, in qua pariter juxta testimonium ejusdem Scripturæ inauditum legimus prodigium in S. Paulo Apostolo, dico bene prodigium, quia hominem intelligimus & audimus in hac infima terra & lachrymarum valle degentem, & tamen aliquoties raptum ac elevatum ad paradisum, non mente dumtaxat, sed etiam, dici potest corpore, siquidem ipsemet Apo-
2. Cor. 12. 2. stolus scribit: *Sive in corpore, sive extra corpus nescio*: revelata fuerunt ei secreta cœlestia, secreta
Ibid. v. 4. intima Consistorij S. Triadis: *Audivit arcana verba.* Ecce præmium sui ardentissimi zeli. Quemadmodum ex bono vino præstans conficitur acetum, ita pariter ei contigit; ferventissimum zelum, at *non secundum scientiam*, quo primo persequebatur Christi fidem, commutavit postea conversus ad veritatem in zelum promovendi omni conatu religionem Christianam, & zelus hic adeo fervens fuit, ut omnes, quotquot convertebat, eodem accendere & inflammare studuerit; unde scripsit Co-
2. Cor. 11. 2. rinthiis: *Æmulor vos Dei æmulatione*, ubi Græcus legit: *Zelor zelotypia vos zelor Dei.* Repletæ sunt ejus epistolæ, uti & Acta Apostolorum ardenti ejus zelo, qui ardebat in pectore ejus in defensionem honoris Dei & profectus fidei: *Zelum habuit Paulus, & ideo raptus ad cælum.* Verum advertendum est, æmulationem, nempe, zelum ejus habuisse aliquid divini, ideoque dixit: *Dei æmulatione æmulor vos*: unde S. Augustinus scribit:
August. in Psal. 118. car. 139. *Dicendo æmulor vos, quid nisi æmulationem suam demonstrat Dei, quia dixit Deo, id est, non sibi, sed Deo, ideo addidit, æmulatione Dei.*

Bis apertum fuit cœlum zelum Dei habentibus. Joanni Baptistæ ad Jordanem.

7. In confirmationem assumpti nostri aliorversum nos reflectamus, ac meditationem instituamus, qua ratione bina vice, quod nobis constat, visibili specie aperti sunt cœli supra Christum Dominum, videlicet, ad Jordanem, & in monte Thabor; at qui fuerunt selecti spectatores facti participes beatissimæ hujus visionis & aperturæ? ad Jordanem quidem solus Joannes Baptista, & nullus præterea. Eccur triginta elapsis annis accersitur ille ex deserto Judææ? cur solus admittitur ad ejusmodi spectaculum numquam prius visum vel auditum? *Zelum habuit Joannes, & ideo cælum vidit.* Oculis mortalium cæcutientibus ad lucernam, qualis ipse erat, veritatis & Divinitatis Christi propalandæ zelo accensus digito illum monstravit tamquam verum solem justitiæ pariter ad Jordanem; *Ecce Agnus Dei.* Præterea & in deserto & in aula regis Herodis
Matt. 11. 12. toto suo spiritu zelavit honorem Altissimi. *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*,
Matth. 3. 2. ait Christus, & ille: *Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*; In manu igitur habebat cœlum. Verum in monte Thabor quosnam inter omnes Heroes veteris testamenti ad hoc selegit spectaculum? Abraham, Jacob, David? nul-

In monte Thabor Moysi & Eliæ.

Matth. 17. 3. lum horum: *Ecce apparuerunt illis Moyses & Elias*, & hujus quidem zelum jam tetigimus, quanto vero zelo Moyses pariter munitus & instructus fuerit, testantur quatuor lib. Exod. Levit. Num. & Deut. Quod si, uti suo loco dicemus, veri zeli indicium & signum est, ut quis amore illius, quem diligit & defendere satagit, exponat se periculo, quoties Moyses innumeris & quidem extremis se exposuit periculis, præsertim quotidie comparendo coram Pharaone, & postea conversando cum Hebraismo, populo Deo rebelli & ingrato, ut injurias Deo illatas vindicaret? verba illa in laudem ejus nota sunt & celebria: *Merito æstimatus supra homines, ut vultum ejus filij Israel non possent intendere.* Faciem habebat omnino lucidam & resplendentem, adeo, ut alium quasi Deum repræsentaret, sed notate, quo tempore idipsum con-
Exod. 34. 29. tigerit: *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua, &c.* Non prima, sed secunda vice descendens de monte splendente comparuit facie; & tamen prima etiam vice diuturna temporis mora cum Deo conversatus fuit, verum est; at nondum defenderat & zelaverat læsum Dei honorem puniendo idololatras; *Glorificantes se glorificat.* Igitur propter merita zeli sui transcendentem illum Divini vultus ei communicavit honorem; & propter eamdem causam ipsum accersivit ad hanc visionem & manifestationem suæ gloriæ, quando *resplenduit facies ejus sicut Sol.* Matth. 17. 2.

8. Observate ulterius, quinam præterea interfuerint huic visioni: *Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum & Joannem.* Hos profecto à collegio Apostolico non sine mysterio separatos fuisse credo, quia, nimirum, cœlestis magister eos præ cæteris majori noverat effervescentes zelo. S. Petrus illum esto non ordinatum secundum scientiam ostendit in horto, quando armatorum militum cohorti se opposuit, & Malcho præsecuit auriculam, sed & zelosiorem se exhibuit in pluribus alijs occasionibus, cum Judæis præsertim in ipsum ferocientibus intrepida voce respondit: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Ambo fratres Jacobus & Joannes evidens zeli dederunt testimonium, videntes namque amantissimo Magistro suo illatam à Samaritanis injuriam, qui spectantibus ipsis urbis portas præcluserant, à Christo petebant: *Vis dicimus, ut ignis descendat de cælo & consumat illos?* Jacobus omnium primus voluit seminare verbum Dei & promulgare Evangelium, simulque prosternere idololatriam, ideoque primus inter Apostolos Martyrij coronam recipere meruit: *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis.* S. Joannes à Deo dilectus, quia præ cæteris Deum diligebat, oportet dicamus, eum præ cæteris fuisse zelosiorem, quia zelus mensuratur ab amore; quapropter quoties promeruit videre cœlum apertum, uti legitur in sua Apocalypsi? *Zelum habuit Joannes, & ideo raptus est ad cælum.* At quia jam cœli aperti fecimus mentionem, vocem protomartyris Stephani, cum à perfidis Judæis lapidaretur, audiamus: *Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Ubi attestatur B. Petrus Damianus S. Stephanum honorem Christi quæsivisse; idque probat hoc modo: *Vox liberior, & illorum cotibus exacuitur sermo veritatis.* Acriter reprehendebat totam synagogam: *Dura cervice, &c.* Quid mirum igitur, quod ei referentur & aperiantur cœli? *Zelum habuit Stephanus & ideo vidit cælos apertos.*

Et tribus Apostolis Petro, Jacobo, & Joanni. Matth. 17. 1. Actor. 5. 29. Luc. 9. 54. Actor. 12. 2. Actor. 7. 55. Petr. Dam. Ser. 2 de S. Steph. Actor. 7. 51.

DISCURSUS III.
ARGUMENTUM.

Varijs declaratur exemplis, quam gratus Deo fuerit zelus, ac munificentissime ab eodem compensatus.

THEMA.

Erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo. Num. 25. vers. 13.

QuinamDeo gratissimi facti & remunerati fuerint propter zelū honoris Dei. Phinees.

1. Cum populus Israëliticus fascinatus præstigijs mulierum regionis Madian, spernendo & proculcando honorem & cultum Dei, provocaret in se divinæ iræ fulmina, Phinees, ut hanc injuriam Deo illatam vindicaret, ejusque honorem ex parte resarciret, in medium prodiit, & in conspectu utriusque populi, Israëlitarum Madianitarumque, *Arrepto pugione, Ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul.* Eodem tempore advocavit Deus Moysen, & dixit ei: *Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, avertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo: Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, Et erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel.* Zelo Dei accensus Phinees temerarium interimendo principem, simul & semel brachium justissimæ iræ Divinæ continuit, tantumque fecit lucrum, ut exinde ipse cum tota sua prosapia promotus fuerit ad summum Sacerdotium. Hanc ponderabat historiam S. Ambrosius in Psal. 118. cum scriberet: *Jacebant cæsa viginti quatuor millia populorum, tendebat pæna in omnes, nec ullus finis exitij. Arripuit Siromastem Phinees, duos*

Numer. 25. v. 7. & 8. Ibid. v. 11. Ibid. v. 12. Ibid. v. 13. Ambros. in Ps. 118. oct. 18.

duos occidit interdicta sibi consuetudine copulatos, redemit omnes, indignationem Domini mitigavit, dedit victoriam, quibus negabat salutem. Quam salutaris est igitur Dei zelus.

Levitæ, qui jussu Moysis occiderunt idololatras.

2. Tanti Deus appretiatur zelum, ut Moyses, cujus calamum dirigebat Spiritus Sanctus, manus Levitarum, quæ idololatras & cultores vituli gladio percusserant, ac proinde ardentissimi sui zeli executrices fuerant, dignissima phrasi descripserit,
Exod 32. 29. loquens Levitis in hunc modum: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, ut detur vobis benedictio.* Ergone manus Levitarum prius consecratæ non erant sacra unctione? annon Deo dedicatæ erant per oblationes & sacrificia, quæ continuo offerebant in tabernaculo? annon per incensum, thymiama, aliaque aromata consecrabantur? consecratæ erant; at Deus pluris illas æstimavit, majoribusque implevit benedictionibus, quando in testimonium sui zeli profuso madabant sanguine: *Quasi diceret* (subdit Joannes Eusebius) *eodem, quem effudistis, sanguine, vos Sacerdotes consecratos & inunctos existimate.* Joa. Euseb.

Elias Propheta.

3. Elias Propheta non solum cœlo, ut clausum maneret, imperavit, volens hac pœna zelare honorem Dei à populo proculcatum, sed insuper ostendit verbum suum ardere ignis instar & faculæ: *Subito anhelat terra, siccatur, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aër fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant.* D. Chrysostomi verba sunt. D. Chrysost. Hom. 2. de Elia.

Ecce, quanta est potentia unius Dei famuli zelo ardentis, dum integras provincias verbo oris sui in-
Eccli. 48. v. 1. cendit: *Verba ejus quasi ignis & quasi facula ardens*, ait Ecclesiasticus. Sed quando Elias rursum placatus & inductus fuit, ut cœlum reseraret, & campis agrisque fertilitatem redderet? Postquam sacrilegum cultum Baal destruxit, ejusque Prophetas internecioni dedit, tunc primum præcepit elementis, ut essent propitia, debitumque terræ redderent fructum. *Quam salutaris est igitur Dei zelus?*

4. Non procul à monte Horeb populus ille ingratus & rebellis pœnas promeritas justitiæ Divi-
Exod. 32. 10. næ vindicativæ luere debebat: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Libenter causam scirem, cur Deus servo suo hanc obtulerit promissionem? Respondetur, ne Deum cogeret ad remissionem & indulgentiam, etenim, quia promotus erat ad regimen majoris populi, juxta politicam humanam parum curandum videbatur exterminium Judaismi, at Moysem, in cujus pectore ardebat verus Dei amor, & perconsequens verus zelus, observate, quomodo lucratus fuerit, induxeritque Deum ad veniam & indulgentiam, proponebat Deo hoc ar-
Ibid. v. 11. gumentum: *Moyses autem orabat ad Dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta?*
Ibid. v. 12. *Ne quæso dicant Ægyptij, callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* Tantum fecit, tantum dixit, ut tandem pro populo impetra-
Ibid. v. 14. verit remissionem & veniam: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum: quod locutus fuerat adversus populum suum.*

Cui, amabo, acceptum referri debet hoc rescriptum ita propitium & favorabile? Zelo divinæ gloriæ, quem Moyses Deo summè indignato opposuerat, ei insinuando, quod nisi populo suo remitteret offensam & delicti pœnam, Ægyptij pessimé de eo locuturi essent: *Ne quæso dicant Ægyptij &c.*
Lippomann. ibid. *Ardentissima oratio Moysis* (ait Lippomannus) *fidelissimi in populum jam suum & Dei, plena nimirum fidei & sinceritatis, & ad gloriam Dei quam unice zelabat, pijs hominibus nihil gravius & intolerabilius, quam blasphemia in Deum & contemptus.* Verum si Moyses jam impetraverat veniam, cur præcepit cruentam adeo fieri stragem in pœnam illorum sacrilegorum? Huic difficultati late respondet
D. Greg. M. l. 20. moral. c. 8. D. Gregorius Magnus in suis moralibus, nimirum, quod quando Deus in signatura sua montis Sinai subsignaverat, & statuerat populo hanc præstare gratiam, jam sciebat zelum, quo servus suus Moyses offensam & injuriam Deo illatam vindicaturus esset, ac propterea ex illo zelo Hebræi salutem salvationemque suam argumentari & colligere deberent.

Jehu.

5. Personis etiam privatis plurimum quoque profuit, quod in favorem Dei fuerint zelosæ, quamvis nonnumquam aliunde rei fuerint & deliquerint. Jehu parentibus infimæ vilisque conditionis ortus erat, & ex infimo statu evectus fuit & exaltatus ad regale solium, ubi tamen ingratus fuit benefactori suo; nihilominus ut bene observat S. Bonaventura: *Quamvis Jehu Rex Israël simpliciter fuerit malus, tamen multum commendatur, eo quod semen domus Achab delevit, & Prophetas Baal occidens, ædes ipsius Baal destruxit.* 4. Reg. 10. Unusquisque sibi persuadebit; quod sicut summus sacerdos Heli mala & infelici obiit morte corporis, talis etiam fuerit subsecuta mors animæ, eo quod in negotio magni momenti & emolumenti, quale erat bona filiorum educatio, summe negligens & culpabilis extiterit, siquidem filij ejus scandalosi erant, sacrilegi, insolentes, immodesti ac dissoluti in cultu tabernaculi, *quia detrahebant homines à sacrificio Domini.* Hisce tamen non obstantibus, quamvis Deus ipsi Heli domus suæ exterminium prædixerit ac minatus fuerit in pœnam suæ negligentiæ maxime culpabilis, graves nihilominus existimant authores, eum salvatum esse merito zeli, quem ostendit audiens captam esse Arcam Domini; excepta namque relatione, copias militares Israëliticas esse dissipatas, profligatum totum exercitum interemptos quoque filios, nihil prorsus commotus fuit, sed infausta hæc forti & constanti pertulit animo: ast quando audivit Sacrosanctum Thesaurum devenisse in potestatem Philisthæorum, zelo honoris Dei proculcati commotus: *cecidit de sella retrorsum & expiravit.* Audiamus Dionysium Carthusianum: *Audita arcæ captione ex nimio mærore cecidit mortuus, cum tamen filiorum suorum occisione audita, manserit sedens.* Et paulo post: *Unde videtur in eo affectus gratiæ & zelus Dei pro tunc prævaluisse affectui naturæ, amorique sobolis.* Idem notat & observat Abulensis asserens: *Cum audivit Arcam captam, elanguit cor ejus, & non remansit in eo spiritus, atque totus velut palpitans defecit. Ideo nemini dubitandum est circa statum Heli; nam istud desiderium & zelus maximus Religiosus, qui cum charitate erat, eo quod propter Deum erat, liberare posset illum ab omni crimine, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Supposita veritate hujus opinionis replicare possumus: *Quam salutaris est igitur Dei zelus?*

Bonav. in Bibl. paup. c. 51. 4. Reg. 10. Heli. 1. Reg. 2. 17. 1. Reg. 4. 18. Dion. Carth. art. 7. v. 9. Abulens. ibid.

Zelus Deo gratus & nobis utilis est.

6. Adeo Deo gratus & acceptus, nobis vero utilis & proficuus est zelus, ut iracundia & indignatio, ubi alias nos efficeret reos in tribunali Divinæ justitiæ, si transeat in zelum, gratiam & gloriam apud Deum nobis conciliet. Exodi cap. 34. legimus, Deum Moysi secunda vice tabulas legis consignaturum hæc dixisse verba: *Et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.* Exod. 34. 1. Quia primis tabulis digito Dei, per quem intelligitur Spiritus Sanctus, lex inscripta & incisa erat, & illas Moyses ad radicem montis ruperat & confregerat, quis non credidisset Deum adeo offensum, ut in pœnam non extradidisset secundas? Imo quod me in admirationem rapit, illud est; etenim novimus, quod Deus Moysen desuper reprehenderit, non tamen affectum & amorem erga illum diminuerit, multo minus omnino deposuerit; imo specialem ei postea adhuc præstitit gratiam, ad quam jamdudum anhelaverat, quod, nimirum potuerit videre divinam essentiam, esto *per modum transeuntis*; & quæ horum causa? Responsum in promptu est, ex quodam expositore depromptum: *Poterat quidem Dominus dicere Moysi, ut arriperet duas tabulas instar priorum, nec mentionem facere de illorum fractione à Moyse, id tamen tacere noluit. Quare? Noluit, quia illarum fractionis causam sibi fuisse acceptam insinuare volait, adeoque acceptam, ut ob illius amorem beneficium legis iterato daturum se implicite dixerit. Ubi hoc implicite dixit? Hic, cum scilicet fractionis tabularum meminit, ac si dixisset: Quoniam amore mei iratus es, ob quam iram tabulas confregisti, igitur hujus à te fractionis merito legem iterum dare volo, fractio enim illa hoc beneficium meruit, quandoquidem causa mei facta est? sicut ergo amore mei tabulas confregisti, ita amore tui, ô Moyses, tabulas reficiam & scribam. Ergo quam salutaris est Dei zelus*, cum fuerit causa, quod

Clare patet in Moyse tabulas legis frangente. Porret.

Divinam legem tabulis illis habeamus impressam ad perpetuam memoriam?

7. Nescio, utrum aliquando mente ponderaveritis terribilia verba illa, quæ Salvator noster protulit de ira dicens: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Sed quomodo pluribus in locis Sacræ Scripturæ Spiritus Sanctus iratum & indignatum nobis exhibet Deum, & frequenter etiam suos Sanctos? Respondeo cum Alberto Magno in hunc locum: *Est ira per zelum, & est ira per vitium. Ira per zelum est conturbatio & commotio animi contra vitium, quod videt in persona impedire justitiam Dei, & hæc ira est mater disciplinæ;* & hæc est, quæ reperitur in Sanctis, in Deo est zelus. Idem Dei Filius dixit: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis;* & tamen sanctus Job, quem Deus toti mundo exhibuit tamquam speculum patientiæ solideque virtutis, uxorem suam nunc pavit stultam idque advertenter, uti deducitur ex lectione 70. Interpret: *Respiciens in illam dixit: Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Audiamus D. Chrysostomum: *Cum ea verba stomachum Jobo movissent (id quod superiora mala facere minime potuerant) pleno iracundiæ vultu, truculentaque respecta ad uxorem convertitur.* Ubi igitur est invicta ejus patientia & mansuetudo? *In silentio & spe erit fortitudo vestra*, ait Isaias. Optime dubium hoc solvit Lyranus dicens: *Quamvis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen injurias Dei absque reprehensione sustinere non potuit.* Uxor Job maritum suum ad imitationem sui & exemplum pelliciebat, provocabatque ad maledicendum & blasphemandum Deum; ira ex propria procedens passione nullius nec meriti, nec virtutis est, sed vitium est, & pœnam sibi cudit; verum si assumatur & transeat in zelum, quo propugnamus, defendimus, & zelamus honorem Dei læsum, mirum in modum Deo placet, eumque compensat & remunerat.

Matth. 5. 22. In Deo & sanctis reperitur laudabilis ira.

Alb. Magn. ibid.

Ibid. v. 22.

Job. 2. v. 10.

D Chrysost. hom. de Job.

Isaia 30. 15

8. Memoratu digna est severissima & inaudita pœna illa, qua David mulctavit Ammonitas, 2. Reg. 12. *Congregavit itaque David omnem populum, & profectus est adversum Rabbath, cumque amicasset, cæpit eam, &c. Populum quoque ejus adduxens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, & traduxit in typo laterum, sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon.* Quis umquam in historijs ullis tam atrocem legit pœnam? & tamen ab eo imperata & ordinata fuit, qui dixit: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Propter vanam populi numerationem Deus alias punivit servum suum, at propter hanc stragem, quæ omnino crudelis & inhumana videtur, ne quidem verbo, quod scimus, ipsum reprehendit. Ecce quid non operatur zelus, quando est ordinatus secundum scientiam; *quam salutaris est Dei zelus.*

2. Reg. 12. v. 29 & 30. David justo zelo accensus, inaudita pœna mulctavit Ammonitas.

Psal. 131. 1

Ammonitæ idololatræ erant, & veri Dei inimici, præterea potest esse, quod ex mala suspitione legatos Regis David vilipenderint, spreverint, & male tractaverint; quia ergo & jus gentium violaverant, & veri Dei hostes erant, tametsi David zelo Dei accensus excesserit in castigandis & puniendis illis; non propterea tamen Deus offensus fuit, sed vindictam approbavit: *Quam salutaris est igitur Dei zelus.*

9. Optime Deus noverat Regimen Saülis non habiturum successum fœlicem in regno; cur igitur ipsum contra voluntatem suam promovere, eidemque principatum conferre voluit? Forte, quia erat ex tribu digniori & nobiliori? non propterea, quia de minima erat tribu Benjamin. Forte, quia altioris erat staturæ? minime, quia Samuël propterea rejecerat Eliab. Fortassis, quia asinos ruri pascebat & regebat? multo minus. Si verum id, quod fingunt Hebræi, voluit Deus remunerare zelum, quem cum hoc suo temporali lucro in favorem & honorem ejus demonstravit illa occasione, qua in cruento illo conflictu capta fuit arca à Philistæis; videns enim Saül, quod Goliath aream involaverat, ac tabulas legis inde rapuerat, à tergo ipsum invasit & aggressus est, utpote alijs vicinior, tabulasque è manibus ejus eripuit, & in Silo reportavit, ut ibi custodirentur, Satilem insuper primum fuisse referunt, qui summo sacerdoti Heli successum prælij nuntiavit. Hoc igitur tamquam vero supposito, erui exinde licet, quod Deus hunc ipsius zelum remunerare voluerit.

Deus remuneravit zelũ Saülis conferendo illi regnum.

DISCURSUS IV.

ARGUMENTUM.

Adhuc discutitur & dilatatur materia præcedentis discursus.

THEMA.

Recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Joan. 2. ℣. 17.

1. IN toto illo decursu 33. annorum quos in præsenti mundo pientissimus Redemptor noster (in cujus laudem turbæ acclamantes dicebant: *Bene omnia fecit*) sibi delegit, quodnam assumpsit sibi signum, quo coram Judæis attestaretur suam Divinitatem? Illud inveninus Joannis cap. 12. non quidem fuit miraculum illud, quando in nuptijs convertit aquam in vinum, quia tunc *manifestavit gloriam suam*, credideruntque vero in eum discipuli ejus; Sed quando apprehendit flagellum (utpote instrumentum deputatum alias pro hominibus vilis ac servilis conditionis) disturbare cœpit profanatores templi, usurariorum subvertendo mensas, ejiciendo columbas, abigendo oves & boves, cædendo Levitas & Sacerdotes, reprehendendo principes: *Omnes ejecit de templo; Nolite facere domum patris mei domum negotiationis*; & quia nondum se manifestaverat & verbi prædicatione, & miraculorum ostensione, veluti postea fecit, hinc non solum discipuli, sed omnes, quotquot aderant, tantæ rei novitate, tantaque authoritate facti, quam demonstrabat, stabant attoniti & obstupefiebant, nescientes quid dicerent; tandem attonitis Judæis in mentem venit hæc cogitatio, potest esse, quod adsit nobis promissus Messias, quare ipsum interrogarunt; *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Ast discipuli *recordati sunt, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me*; quasi dicere voluissent, quia zelavit honorem & respectum domui patris sui debitum, evidens dedit signum, quod sit filius ejus; cum enim oraculum Prophetæ adimpletum sit in hac actione, de nullo alio quam de ipso Psalmista hoc præcedere potuit.

Christus per Zelum quo defendit honorem Patris sui, ostendit se esse filium Dei.

Joan. 2. 11

Ibid. v. 15 & 16.

Ibid. v. 18

2. Sub initium igitur manifestationis suæ & in ætate 30. annorum constitutus censuit necessarium esse, ut se tamquam Filium Dei omnibus manifestaret zelando & vindicando læsum honorem patris sui. Ubi noto & observo, idem prorsus ab ipso factum esse circa finem vitæ suæ, dum quatuor diebus ante crucifixionem suam, eodem armatus zelo, secunda vice ex templo projecit profanatores, quasi hæc virtus judicio Christi, qui *spirituum ponderator est*, sit dignior, magisque competat cohæreatque Divinitati; etenim quia cœlo descendit in terram, ut faciat voluntatem patris sui, cognovit actum hunc zelandi gloriam ejus unum esse ex gratissimis sacrificijs, quod æterno suo patri offerre posset. Et quia ultima hac vice Judæi ipsum cum triumpho exceperant acclamantes ei: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna filio David*, voluit opere ipso ostendere talem se esse, quali applaussissent zelando respectum & venerationem domui suæ debitam. Quando prima vice flagello expulit profanatores, innotescere cœpit prodigiosis & stupendis miraculis, plurium credentium sequelâ, ac populi veneratione; Secunda vero vice manifestatus fuit complemento Redemptionis: *Nunc clarificatus est filius hominis.*

Continuatio ejusdem argumenti.

Joan. 13. 31

Joan. 15. 31

3. Discursu præcedenti egimus de heroica illa actione Phinees, at omisimus, quod de eodem scribit Philo Hebræus exponens simul, quanto honore ac remuneratione compensentur à Deo zelantes gloriam ejus: *Cum lustratio exercitu quæreret Moyses, quo honore Phinees prosequeretur, antevenit Deus suo oracolo, in primisque magno afficit honore pacis, quod nulli unquam mortalium affatim præbuit; deinde perpetui dignitate sacerdotij condecorazit.* Hæc tamen author hic scribit sine præjudicio Dei. S. Marcus Evangelista zelosissimus fuit in promovenda fide Christiana per Ægyptum, in evertendis idololatrarum fanis & templis, in extirpandis superstitionibus, in respondendo & resistendo impijs tyrannis: quamobrem compensationis loco eumdem recepit honorem: *Dominus Jesus Christus ad eum venit, & ei dixit: Pax tibi Marce Evangelista meus.* Sed non immeritò Dominus Deus impertivit ipsi Phinees osculum pacis, seu pacem fœderis sui,

Quanto honore & præmio recompenset Deus zelantes gloriam ejus.

Philo Hebr. in Cat. Græc.

Surius.

sui, quia actu illo heroico Divinam justitiam populo jamjam exterminando offensam reconciliavit; unde Abulensis in hunc textum Numer. scribit: *Non fuit Phinees commotus contra omnes Israëlitas, quia solum fuit persecutus Zambri ad mortem. Quæ tamen displicuit ei factus illud, in quantum contra Deum erat, non solum contra ipsum movebatur, sed contra omnes peccatores, &c.* Et post pauca: *Et dicit Deus: ne ipse delerem in zelo meo, id est, ego habeam desiderium vindicandi offensam irrogatam, & vindicassem eam, quia tamen Phinees zelavit loco mei, ego non vindicabo.* Ecce fructus zeli hujus redundantes in universalem populi salutem, sunque exaltationem non in terra dumtaxat, sed etiam in cœlo.

Numer. 25. Abulensis. q. 7. ibid.

Exemplum Eliæ iterum adducitur.

4. Multas in discursibus præmissis instituimus considerationes in laudem S. Eliæ Prophetæ; at non diximus, Deum illi communicasse prærogativam aliquam, quæ sibi propria est: *Spiritus est Deus*; 3. Reg. 18. legimus, quod Abdias Propheta præfectus aulæ Regis Achab dixerit Eliæ: *Cum recessero à te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro.* Considerationæ insuper dignum est, Prophetam Eliam habuisse authoritatem & imperium in elementa, etenim aliquando imperavit igni, ut cœlo descenderet & devoraret milites missos ad ipsum capiendum, quo casu, uti bene notat Theodoretus, non ostendit se vindicativum, sed divinæ duntaxat voluntatis, à qua directè dependebat, executorem: *Quidam Prophetam accusant crudelitatis, quod duos quinquagenarios cum subjectis igni cœlesti tradiderit. At qui Prophetam accusant, adversus Deum Prophetæ, linguam movent, ipse enim immisit ignem, est enim scire æquitatem providentiæ Divinæ, & quod juste punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores.*

3 Reg. 18. v. 12.

Theodor. q. 4. in lib. 4. Reg.

Zelus S. Catharinæ Virginis & Martyris.

5. S. Catharina virgo Alexandrina sexus sui debilitate superiorem se exhibuit; advertens namque divinas leges vilipendi & contemni, Dei suique cœlestis sponsi honorem proculcari, obmurescentibus cæteris, tamquam canibus mutis non valentibus latrare, ipsa inaudita animi generositate in conspectum Maximini Imperatoris, qui urbem Alexandrinam in macellum Christianorum converterat, prodit, & prorsus imperterrita impiam suam ei objicit crudelitatem, quam injustissimè in Christianos exerceret; sapientissimis præterea rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse ostendit, minaturque ei æterna supplicia, nisi saluti suæ consulens Christi fidem amplecteretur; at ille obstinatior dirissima parari tormenta, & tandem eam securi percuti imperat, existimans hac via ejus extinguere fidem, memoriam & honorem; at Deus mirabilis & gloriosus in Sanctis suis ad exemplum S. Pauli eam honorare voluit, nam ex corpore securi percusso sanguis cum lacte profluxit, & corpus virginis in monte Sinai, in quo Moyses tanto ardore honorem Dei zelaverat, ab Angelis collocatum fuit. Sed quia jam fecimus mentionem. S. Catharinæ Martyris, non omittamus admirari zelum S. Catharinæ virginis Senensis, sane vix ei parem aut similem in apparitionibus, visionibus, revelationibus, ac similibus, aut cum qua cœlestis sponsus tantam habuit familiaritatem, reperietis, *fecit conformem imaginis suæ*, impertivit ei quinque vulnerum cicatrices, nescio profecto, num majorem quis posset attingere perfectionem, gratiam, Deique amicitiam; tempore illo, quo Ecclesia in summis constituta erat calamitatibus, sancto referta zelo prolixa in se suscepit itinera, magnique momenti negotia, quæ adeo fœliciter expedivit, ut plurima mala, quæ & sedi Apostolicæ, & alijs animabus imminebant, amoverit & impediverit. In quadam epistola relata in ejus vita legimus hæc verba: *Hoc tuum officium & obsequium adeo Deo placet* (loquitur de ferventi & sancto ejus zelo) *ut nulla lingua id exprimere valeat*, plura in ejus vita.

Item S. Catharinæ Senensis.

lib. 2. c. 16.

Summis laudibus extollitur zelus Mathathiæ & filiorum ejus.

6. Quis Religionem cultumque veri Dei à ferocissimis persecutoribus conculcatum erexit & reparavit nisi zelus Mathatiæ summi sacerdotis & filiorum ejus? 1. Mach. 2. *Hi viderant mala, quæ fiebant in populo Juda & in Jerusalem, & dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt; templum ejus sicut homo ignobilis: Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt; trucidati sunt senes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, & non obtinuit spolia ejus? ... Quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sanctæ nostræ & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & contaminaverunt ea gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere? Et scindit vestimenta sua Mathathias & filij ejus, & operuerunt se cilicijs & planxerunt valde.* Quis non admirabitur zeli hujus fervorem? Cumque Hebræi à tyrannide Antiochi cogerentur ad sacrificandum idolis in Modin, & multitudo magna illuc iret, *Mathathias & filij ejus constanter steterunt.* Admonebatur ille à ministro illius sacrilegi tyranni, ut primus obediret, cæterisque exemplum daret, utpote, primas Reipublicæ, tie enim sibi fuisque consuleret, ab Antiocho evehendus ad sublimes honorum gradus, verum *respondit Mathathias & dixit magna voce: Et si omnes gentes Regi Antiocho obediant,... Ego & filij mei & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum,... Non audiemus verba Regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via.* Porro ut Mathathias zelum suum, quem hactenus verbis declaravit, opere etiam ipso exhiberet, permisit Deo casum illum, qui sequitur: *Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin secundum jussum Regis. Et vidit Mathathias & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram. Sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore.* Ast unum hic occurrit quæstione dignum; annon hic vir intimus amicus Antiochi, eique familiarissimus totum nervum exercitus, totamque habebat authoritatem continendi in fræno omnes Hebræos? annon insuper ille idem erat, qui aurea ipsi promiserat & dixerat: *Accede prior, & fac jussum Regis, sicut fecerunt omnes gentes, & viri Juda, & qui remanserunt Jerusalem, & eris tu & filij tui inter amicos Regis, & amplificatus auro & argento & muneribus multis?* Ita est; ast qui amat, omnia spernit, non timet pericula amore illius, pro quo est zelosus: *Aram destruxit, & zelatus est legem sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi. Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate dicens: Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me.* Quantam Deus raptus hoc ferventissimo zelo ipsis Machabæis post plurimos annos concesserit prosperitatem ac benedictionem, peramplum uterque hujus historiæ liber suppeditabit testimonium.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 11.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 19.

Ibid. v. 20.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 25. & 26.

Ibid. v. 27.

1. Machab. 2. v. 6.

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 9.

7. Perlegite c. 3. lib. Judicum, & vix à planctu vos continebitis, revocantes in mentem oppressiones & calamitates, quas populus Israëliticus passus fuit à tyrannide gentilium, at qua via respiraverunt & evaserunt? per zelum Aod: *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem vocabulo Aod.* Hic, ut obtulit, tributa cum nonnullis alijs ipsi Eglon Regi Moab, simulans se habere aliqua magni momenti, quæ regi communicaret, perijt solus audiri à Rege, quod cum obtinuisset: *Idut siccam de dextro femore suo infixitque eam in ventrem ejus, Tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere.* Ecce zelus hujus Aod non solum Hebræos eripuit è catenis duræ servitutis, sed ijsdem vinxit inimicos: *Tradidit Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras.*

Zelus Aod liberavit Israëlitas à tyrannide gentilium.

Jud. c. 3. 15.

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 28.

8. Quantum emolumentum, quantamque Ecclesiæ contulerit gloriam zelus S. Ambrosij satis testantur annales Ecclesiastici, dum referunt intrepidum illius animum, animique generositatem, qua restitit Justinæ Imperatrici Arrianæ, Valentiniano, Maximo, Theodosio & pluribus alijs Magnatibus, Ecclesiam aut quoad immunitatem, vel quoad fidem Catholicam, vel quoad bonorum morum integritatem oppugnantibus. Quid dicam de Chrysostomis, Basilijs & quamplurimis alijs, qui ipsos etiam Imperatores ab iniquis suis deterruerunt decretis, hos omnes, quia zelosi pro honore & gloria Dei steterunt, in sua humilitate Deus magnificavit & exaltavit. Quantum etiam in terris honoraverit sanctam Theresiam, cunctis notum est, quamvis enim illam non infigniverit quinque stigmatibus, voluit tamen, angelo igneo jaculo transverberante præcordia, cordi ejus Seraphicum imprimere amorem, idque in præmium, quod ardenti

Extollitur zelus S. Ambrosij.

Et S. Theresiæ.

zelo zelasset sponsi sui cœlestis honorem. Audiamus Mascardi in laudem ejus eleganter perorantem : Et de quo loquimur mentionem facientes reformationis Religionum, conversionis gentium, extirpationis hæresium, propagationis fidei ? forte de Romano quodam Pontifice, cui gregis periclitantis cura commissa est ? fortassis de aliquo Apostolo Ecclesiæ Dei fulcro ? fortassis de principe quodam, qui ex debito justitiæ subditorum utilitati prospicere tenetur ? Nequaquam, sed de Virgine mendica, sexu infirma, corpore fragili, viribus imbecilli, sine authoritate, sine auxilio, multorum contemptui ac vilipendio, cunctorum persecutionibus exposita ; at quæ animo plena virili, sexui confert nobilitatem, corpori vigorem, vires addit animo, authoritatem sibi conciliat, inutilia reddit auxilia, vilipendium honorat, persecutiones ridet & confundit. Hucusque Orator ille, quibus diserte dilucidat hujus Sanctæ zelum, quo suffragante ad pristinum suum redijt vigorem Religio Carmelitana cum non exigua gloria & lucro Ecclesiæ, in cujus diademate ditissimæ ac inæstimabilis instar gemmæ illa resplendet.

DISCURSUS V.

ARGUMENTUM.

Zelus suam habet radicem infixam amori Dei, & iste vel maximè zelotem constituit ac defensorem honoris Dei.

THEMA.

Dominus Deus tuus Zelotes. Exod. 20. ℣. 5.

Deus vocatur zelotes ob amorem quo nos prosequitur. *Matt. 22. 37*

1. SAcri interpretes rationem, ob quam Deus nominetur Zelotes, reddunt, quia, nimirum, tenerrime amat animas nostras, & à nobis vicissim totum exigit amorem (*Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*) Zelotypus est, non vult, ut loco ejus ullum alium diligamus, non permittit, ut alteri cuidam cordis nostri impendamus affectum : *Dicitur Zelotes, id est, zelum tenens* (Tostati expositio est) *Zelus autem est amor privatus nolens habere consortium in amato, & sic viri dicuntur habere zelum de uxoribus suis, quia volunt quod uxores suæ solos illos ament ; sic etiam Deus volebat, quod Judæi eum solum colerent, & eum ut Deum cognoscerent, & quando alius coleretur ut Deus, vel cognosceretur ut Deus, dolebat tamquam si videat uxorem suam amantem alium virum.* *Abulens. ibid. q. 4.*

Verus zelus erga Deum derivatur ab amore in eū. *S. Antonin. Tom. 6. c. 2. §. 6.*

2. Examinandum nobis est, radicem veri zeli erga Deum derivari ab amore in eum, qui zelat, amat, zelus quo Deus vult amari à nobis, unicus amoris sui partus est. Audiamus doctrinam S. Antonini : *Causatur autem seu producitur zelus ab amore intenso, ut effectus ejus, quod ostenditur auctoritate, ratione & distinctione ; auctoritate quidem,* ut B. Dionysij dicentis 4. cap. de Divin. Nomin. *Quod Deus appellatur Zelotes*, juxta illud Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, propter multum amorem quem habet ad existentiam, & maxime ad ea, in quibus posuit & impressit imaginem suam, sicut ad angelum & hominem. Ratione vero idem probatur sic : Quanto virtus aliqua intensius tendit in alia, tanto fortius repellit omne contrarium & repugnans. Cum ergo zelus proveniat ex intensione amoris, ut patet, ad zelum pertinere videtur, quod aliquis non patiatur consortium, vel amorem contrarium in amato, ipsum refutans quantum potest. Tertio probatur idem inductive, nam dicitur quis zelare pro Deo, & pro amico ; & pro Deo dicitur quis zelare, quando ea quæ sunt contra honorem & voluntatem Dei, repellere secundùm possè conatur, sicut legitur de Elia 3. Reg. 19. Zelo zelatus sum pro Domino Deo &c. & Num. 25. de Phinees dicit Dominus : avertit Phinees iram meam à filijs Israël, quia zelo meo succensus, id est, magno ardore honoris mei succensus, motus est contra eos, scilicet virum Israëlitam & mulierem Madianitidem, interficiens eos coeuntes simul. Pro amico zelare, quando aliqua fiunt, vel dicuntur contra bonum amici homo repellere studet.* Quotidiana docet experientia, quod veri & fideles amici, qui arctissimo solidæ honestæque benevolentiæ nexu conjuncti sunt, cum audiunt unum ex amicis suis vel verbo, aut opere lædi & male tractari, indignentur, accendantur irâ, læsi amici honorem ac repu- *Exod. 20. 5* *3. Reg. 19. 10* *Num. 25. 11*

tationem defendere, injurias, si quas recepit, retorquere, ac imminentia quævis damna avertere & impedire satagant ; quod si tantum amor erga amicum in zelando ferventer bonum, ejus præstare valeat, quanto convenientius quis se demonstraret ferventem & anxium, advertens Deum offensum & læsum ?

Historia Phinees exponitur in sensu morali. *Dion. Carth. in c. 25. Num.*

3. Dionysius Carthusianus ad propositum nostrum historiam de Phinees exponit in sensu morali, asserens : *Per Phineem, qui illum perfodit, expressi sunt viri virtutum, qui zelo Dei accensi sunt, qui etsi propriam, non tamen Creatoris injuriam pati queunt.* Et paulo post : *Docemur ex sententia omnipotentis factum illud Phinees magnifice commendantis ac multipliciter remunerantis, quam acceptus sit Deo verus justitiæ zelus, qui discretione conditur, ut immolatio Dei, seu zelus divini honoris, quo zelo renititur homo pro viribus suis omni peccato, & Deum ab universis cupit & satagit honorari.* Audite, quibus coloribus Alvarez eximius vitæ spiritualis magister depingat hanc virtutem : *Zelus est intensus justi veri amatoris affectus, quo diligentissime quærit honorem Dei, proximorumque salutem, & quidquid his duobus opponitur, fortiter constanterque repellit.* *Alvarez lib. 3. p. 2. c. 5. §. 3.*

Zelus est partus amoris. *S. Bern. Tom. 2. Serm. 4. art. 1. c. 3.* *Matth. 22. v. 40.*

4. S. Bernardinus docet quoque zelum esse amoris partum, cum scribit : *Inflammatus affectus est zelus constantissimus. Est enim zelus amor excandescens atque irascens contra ea, quæ sunt contraria suo amato, vel suo amori. Cum enim duplex sit amor, scilicet, Dei & proximi, atque in his duobus mandatis tota lex pendeat, sicut dicitur* Matth. 22. *hinc est, quod in quolibet inflammato affectu debet esse duplex zelus : primus honoris & gloriæ Dei, secundus salutis proximorum. Primus zelus est honoris Dei, quo mens sanctè irascitur, & excandescit, quod Deus non cognoscitur, non diligitur, non timetur, non debitis officijs, nec servitijs honoratur.* Quando quis syncero corde amat aliquam personam dignam & virtute præditam, sufferre non potest, ut illa male tractetur exempli causa inhonoretur, vilipendatur, aut quodcumque aliud patiatur malum ; Sed optaret, ut omnes illam certatim venerarentur, & cuncta ei deferrent obsequia : *Mens sanctè irascitur & excandescit, quod &c.*

5. Dignissimi cujusdam authoris hujus temporis doctrina est : *Zelus*, inquit, *sæpissime accipitur, prout est quidam amoris affectus ab ipso amore ortus, sicut rivulus à fonte, & sicut ardor ab igne, ut explicat Aristoteles 2. Ethic. c. 8. D. T. 2. q. 28. art. 4. Perfectissimus zelus dimanat ab amicitiæ amore, quo quis quærit bonum ipsius amici, quia bonum est amico, hujusmodi autem zelus erat in sanctis viris per respectum ad honorem Dei, & propulsandi quæ ei adversantur.* *Sylveir.*

Zelus à vero procedens amore, nullum timet periculum. *Ps. 21. v. 7.* *Ps. 13. v. 2.* *Psal. 68. 12*

6. Salvator noster, qui aliâs de se loquens ait : *Ego autem sum vermis, & non homo : ego autem mendicus sum & pauper, opprobrium hominum & abjectio plebis,* tametsi sciret, quod Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, Magistratus, Principes Synagogæ rebelles essent, & Patri suo æterno sese opponerent (quo tempore verificari poterat oraculum illud : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum ; omnes declinaverunt*) quamvis etiam ipsum non lateret, quod flagello percutiendo eos, mercaturam & usuram exercentes in templo exacerbaturus esset, (quamobrem post quatuor dies tanto impetu à Præside petierunt urseruntque illius crucifixionem) non propterea tamen destitit illos corripere & punire, nec eorum vindicta deterritus fuit, quare ? quia *zelus domus tuæ comedit me.* Verus zelus à vero procedens amore, nullum timet, nullum vitat prorsus periculum.

In quibus zelus comparetur inferno. *Cant. 8. v. 6.*

7. *Dura sicut infernus æmulatio*, legitur in sacris Canticis, anima amans & zelans honorem Dei, si videret infernum apertum atrocitatemque omnium suarum pœnarum, non propterea cessaret aut formidaret spretum Dei, quem amat, honorem & gloriam tueri ac defendere : *Oritur ab amore zelus ; sicut infernus nullis pœnis, nullis tormentis fatigatur ac mitescit, sed semper valde obsirmatus consistit, ut ait Cassiodorus, & surdo ibi inculcat ; ita æmulatio ac excellens zelus honoris Dei, nullo timore, nec aliquo vitæ vel mortis periculo frangitur, sed semper valde firmus persistit. Vel ut ait D. Anselmus, sicut infernus insatiabilis est in recipiendo & in damno inferendo, ita zelus nunquam satiatur, ut pro honore dilecti patiatur. Et ideo Christi zelus omnia devorabat, ut illæsa templi revera servaret.*

8. Mag-

Extollitur zelus S. Mariæ Magdalenæ pro Christi corpore. *Joan. 20. 15.*

8. Magdalena, sancto zelo pari amori, quem erga Christum gerebat, accensa, quia timebat, ne sacratissimum Christi corpus post mortem, quando Judæorum adhuc expositum erat furori, surriperetur, omni studio illud investigabat, inquirebat, ut salvaret, & ab omni injuria ulterius inferenda tueretur illud ; sed quomodo sola, sexu debilis & infirma, omni destituta authoritate, alteriusque adminiculo, corpus tanti ponderis, quod Joseph ab Arimathia nobilis decurio, à Præside ex summa gratia impetraverat, loco quovis dimovere & tollere poterat ? quomodo tantum onus humeris fœmineis impar sufferre potuisset ? *Et ego eum tollam*, ait illa ; at si in atrium Caiphæ, ubi Petrus vivum ipsum negaverat, delatum fuisset, inde ne illud tollere auderes ? *Et ego eum tollam.* Et si in aula Pilati constitutum à valida militum custodiretur cohorte, tolleresne ? *Et ego eum tollam. O admirabilis mulieris audacia* (exclamat S. Thomas de Villa Nova) *O mulier, non mulier ; nullum locum excipit, nihil antepomt, sine timore dicit, absolute promittit ; dicito mihi, ubi posuistis eum, ut ego eum tollam. O mulier magna est constantia tua, magna est fides tua ; sed quomodo mulier, qua valetudine, quibus viribus, quo ingenio corpus tam grave posses portare sola, cum una fueris de portatoribus ad sepulchrum ? Numquid tecum tuas socias habere te credis ? recesserunt.* Audite, quomodo sanctus hic Prælatus concludat loquendo in persona illius : *Et ego eum tollam ; amor enim impossibile ad possibile sua opinione reducit, & quod nequit efficere, possè se credit.* *S. Thom. de Villa Nov.*

S. Ambros. in Psalm. 118. oct. 18.

9. Inter alias zeli prærogativas, quas tangit S. Ambrosius, una est : *Zelus charitas est, denique valida est, sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus quem mundi hujus nulla vincit illecebra ; durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo.* Elias Propheta solum se sufficientem credebat ad defendendum cultum veri Dei, sua nonnisi nitebatur melote, non armis, nullo auxilio & fulcro humano ; dimicabat cum octingentis falsis sacerdotibus & Prophetis Baal, in eum prorsus exacerbatis. Regina Jezabel & Rex Achab toto potentiæ crudelitatisque tyrannicæ conatu ipsum persequebantur ad mortem usque ; nihilominus Religionem veri Dei zelare non desijt. Vultisne scire causam ? Audite eumdem sanctum Doctorem : *Neque enim aliquid durum videtur pro vindicta injuriæ cœlestis.* B. Laurentius Justinianus de institutione & regimine Prælatorum scribit in præfatione : *Cum Elias Propheta audisset Regem Achab sibi improperantem & dicentem : Tu es Elias, qui conturbas Israël ? Illico cum auctoritate respondit : Ego non conturbo Israël, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Familiare est omnibus, ut Magnatum ac Principum venentur gratiam, lucrentur amicitiam, acquirant benevolentiam, Elias tamen totum fecit oppositum, & idem plane, quod S. Ambrosius scribit, executus fuit : *Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores.* Elias magno zelo dimicavit pro honore Dei. *Ambr. Tom. in Exod. ad Romulum.* *B. Laur. Just.*

Zelus pertinet ad charitatem. *Exod. 32. 29.* *Abul. q. 325. in c. 5. Matth.* *3. Reg. 19. v. 10.*

10. Levitæ zelando & exequendo mandatum Moysis, puniendoque sacrilegos cultores aurei vituli, neque pepercerunt suis consanguineis ; quapropter tale reportarunt encomium & gloriosissimum meritum : *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Hanc in Abulensi reperio doctrinam sequentem : *Zelus disponit ad vindicationem, in quantum importat quemdam fervorem amoris, & amor est prima radix vindicationis ; nam ex eo quod quis amat Deum & proximum, injurias illis inflictas reputat esse suas, & vult vindicare illas tamquam suas, sicut Elias dixit 3. Reg. 19. Zelo zelatus sum pro Domino Deo Israël, sacerdotes tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt. In quo innuebat, quod propter istas injurias Deo illatas ipse occidit Prophetas Baal, & in hoc apparet, quod vindicatio sit zelus virtutis, quia zelus pertinet ad charitatem, & quælibet virtus habet radicem à charitate, quantum ad actum suum.*

Et cum illa habet connexionem. *S. Bern. serm. 44. in Cant.*

11. Connexionem hanc, quæ reperitur inter zelum & amorem Dei, tangit quoque S. Bernardus, dicens : *Si amas Dominum Jesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, numquid si videris ejus injurias contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poteris ? Minime, sed mox arrepto spiritu judicij, & spiritu ardoris, & tamquam potens crapulatus à vino, repletus zelo Phinees, dices cum David : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei ; & cum Domino : Zelus Domus tuæ comedet me.* *Ps. 118. 139.* *Ps. 68. v. 12.*

Zelus comparatur igni. *Hebr. 10. 27.* *B. Petr. Dam. opusc. 18. in prologo.*

12. Apostolus zelum comparat igni, quia in igne pariter ad vivum exprimitur amor : *Ignis æmulatio.* Græcus textus habet : *Ignis zelus.* Ignis est elementum activum & vivax, nullum respicit, nulli parcit, ergo præ omnibus alijs rebus exprimit hominem zelantem & ferventem ; unde B. Petrus Damianus titulo ardoris describit zelum dicens : *Tanto quippe zelo vidi te semper adversus eorum perditos mores medullitus inardescere, ut Phinees judiceris incendio non egere.*

DISCURSUS VI.

ARGUMENTUM.

Variæ zeli, ut sit ordinatus, & conformis regulæ rationis & virtutis, conditiones considerantur.

THEMA.

Zelavi super iniquos. Psalm. 72. ℣. 3.

Zelus sumitur in bonam partem. *Ps. 118. 139.* *Nahum. cap. 1. v. 2. Hieron. ibid.*

1. REgius Propheta, vir secundùm cor Dei, una cum observantia præceptorum consiliorumque divinorum (*fecit omnes voluntates meas*) ardente quoque se munivit zelo, ut injurias offensasque S. D. M. illatas reprimeret, quapropter in alio loco dicebat : *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* S. Hieronymus exponendo verba hæc Nahum Prophetæ : *Deus æmulator & ulciscens Dominus*, scribit : *Quod autem zelus in bonam partem accipiatur, Paulus Apostolus ostendit dicens : Zelamini ; & in alio loco : Zelor enim vos Dei zelo : & ipse Dominus in Psalmo : Zelus domus tuæ comedit me. Et Elias : Zelans zelatus sum &c. Phinees quoque zelum & Mathathiæ legimus, & Simonem Zelotem Apostolum Jesu Christi, quem Marcus Evangelista Simonem Chananæum vocat.* Advertendum est, veluti idem S. Doctor notat, in quibusdam locis S. Scripturæ zelum Dei accipi pro justa pœna, qua castigat impios, de quo zelo hoc loco agere non intendo. *Zelatur autem Deus in salutem eorum quos zelatur, ut quos non potuit ejus servare clementia, servet æmulatio. Unde & ad Jerusalem quæ propter peccata nimia visitationem zeli & furoris ejus non merebatur, in Ezech. loquitur Deus ; Zelus meus recedet à te, & non irascar ultra tibi.* Hactenus S. Hieronymus.

Verus zelus abjecto humano timore, defendit veritatem. *Num. c. 16. v. 15.* *Dion Carth. ibid.* *Psalm. 118. v. 139.* *S. August. ib.* *2 Cor. 11. 2.*

2. S. Bonaventura lib. 4. c. 36. operis illius, cujus titulus Pharetra, citat glossam in Psalm. 68. *Bonus zelus est fervor animi, quo mens abjecto humano timore pro defensione veritatis accenditur, & eo magis commendabilis, quo quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit, si nequit, tolerat & gemit.* Legimus Numer. c. 16. *Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum.* Numquid Deus Moysen mitissimum jam declaraverat totius mundi ? quomodo igitur nunc dicitur : *Iratus valde ?* Respondet Carthusianus : *Ista sancti viri iracundia fuit ira per zelum, siquidem Divinitatis amore, & vera æquitate repletus tantam Omnipotentis injuriam, & potestatis à Deo collatæ contemptum amplius ferre nequivit.* S. August. in hunc versum : *Tabescere me fecit zelus meus*, producit textum ex Epist. 2. ad Corinth. *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, & subdit : *Comedebat eum zelus domus Dei, quam tamen zelabat Christo, non sibi ; Sponsus enim sibi zelat sponsam suam, amicus autem sponsi non sibi eam zelare debet, sed sponso.*

Afferuntur conditiones requisitæ ut zelus sit actus virtutis & meritorius. *S. Bernard. serm 20. in Cant.* Debet esse inflammatus charitate.

3. Non omnis zelus est actus virtutis & meriti, ac proinde nec gratus Deo ; ut vero sit talis, variæ requiruntur conditiones. S. Bernardi doctrina est : *Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia ; sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus sit.* A zelo, qui (ut discursu præcedenti diximus) est partus amoris, non est separanda charitas ; unde bonus ille Samaritanus, ut miserabilis illius curaret vulnera, vinum simul & oleum adhibuit. Exemplum habemus in Moyse, qui cruenta multorum strage zelavit & punivit idololatriam, sive vituli adorationem, prius tamen adhibuerat oleum compassionis & amoris sui, in monte Sinai efficacissime apud Deum intercedendo pro populo : *Semel & iterum pro populo, cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens ait : aut dimitte*

eis hanc noxam , aut si non facis , dele me de libro , quem scripsisti (S. Gregorij verba sunt) *Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amavit , pro cujus vita de libro vitæ deleri se petijt ; sed tamen iste, qui tanto ejus populi amore constringitur , contra ejus culpas pensemus , quanto zelo rectitudinis accenditur ; mox enim ut petitione prima ne delerentur , culpæ veniam obtinuit, ad eumdem populum veniens ait : ponat vir gladium super fæmur suum , ite & redite de porta usque ad portam,... & occidat unusquisque fratrem & amicum & proximum suum,... Cecideruntque die illo quasi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petijt , paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris , foris accensus est zelo severitatis.* Sequitur postea : *Idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudivit agentem pro populo , quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi utramque Moyses miscuit , ut nec disciplina deesset misericordiæ , nec misericordia disciplina.*

S. Gregor. lib. 20 moral. c. 8.
Exod. 32. 27.
Ibid. v. 28.

Fervidus Dei zelus quo punit peccatores, ordinatur ad eorum conversionē.
Deut. 32. 39.

4. Fabula est quod lancea Achillis habuerit virtutem curandi vulnus ab eadem causatum ; at Catholica veritas est , cujus & testimonium perhibet Spiritus S. in Deuteronomio , quod eadem lancea justitiæ & zeli Dei percutiat & sanet : *Ego occidam , & ego vivere faciam , percutiam & ego sanabo* ; fervidus zelus , quem Deus ostendit in castigandis & puniendis peccatoribus , ad eorum emendationem & conversionem ordinatus est , ac propterea temperatus est amore & clementia. *Tanta est summi Patris pietas* (ait S. Paulinus) *ut etiam ira ejus misericordia sit , & ideo castigat , ut parcat.* Legimus in alio sermone S. Bernardi doctrinam omnino conformem ijs , quæ paulo ante diximus , videlicet , zelum ejusque severitatem temperandam esse charitate & mansuetudine : *Zelus* , inquit , *minus absque scientia efficax , minusque utilis invenitur , plerumque autem & perniciosus valde sentitur ; quo igitur zelus fervidior , vehementior Spiritus, profusiorque charitas , eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, Spiritum temperet, ordinet charitatem.*

S. Paulin. Epist. 10.
S. Bernard. ser. 49. in Cant.

S. Bernard. cit. sup.
Zelus debet esse informatus scientia, & notitia suiipsius

5. *Zelum tuum informet scientia* , asserit S. Bernardus. Assererem ego mellifluum Doctorem hisce velle indicare , quod qui contra legum divinarum transgressores , ut illos reprehendat , efficaciterque corrigat , zelo accenditur , prius scientia id est, suiipsius notitia instructus sit , oportet. S. Bonaventura in suo stimulo amoris Dei , parte 2. cap. 10. tractat , *qualiter zelator animarum se ordinare , & habere debeat* , & ostendit , quod primo ipsimet executioni mandare debeamus hoc ipsum , quod alijs insinuare intendimus. Et lib. 4. de pharetra c. 36. adfert authoritatem S. Gregor. Magni lib. 5. mor. c. 31. *Si sic proximum , ut nos amare præcipimur , restat, ut sic eorum erratibus , sicut nostris vitijs , irascamur.* Producit deinde D. August. Epist. 145. *Quid hic magis persequitur vitam bonorum quam vita iniquorum ? non eum cogit imitari , quod displicet , sed eum cogit dolere, quod videt. Quoniam coram pio vivens impie , etsi non obligat consentientem , cruciat sentientem.* Verum si contingeret (quod Deus avertat) quod is , cui incumbit zelus & cura , ne Deus offendatur , & ut proximus corrigatur , ex alia parte eadem pice inquinatus esset , plurimum is præjudicaret ac noceret , tum legum Divinarum observantiæ , tum animarum saluti , quia ut monet Sapiens : *probata virtus corripit insipientes.*

Bonavent. tom. 7.
Gregor. Magn.
August.
Sap. 1. v. 3.

6. S. Antonius de Padua de zelatoribus illis, qui prius non zelant & corrigunt seipsos, mentem suam exponit dicens : *Primum est discretio, quam habet ille, qui corripit de eo, de quo ipse non est vitiosus ; secus de illo , qui vel facit , quod reprehendit , vel non docet , quod facit ; talis enim seipsum proprio ore condemnat , imo tales divinam indignationem incurrunt.*

S. Anton. de Pad. fer. 3. post Dom. 3. Quad.

Examinatur factum Moysis, quo nimio zelo accensus occidit Ægyptiū.
Hebr. 11. 24.
Exod. 2. v. 11.

7. Notus & manifestus est in S. Scriptura zelus Moysis defendentis Religionem & cultum veri Dei , qui solum in populo Hebræo , è quo ipse descenderat , vigebat & florebat , ergo de Moysis zelo scribit S. Apost. Paulus : *Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis , magis eligens affligi cum populo suo , quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Observetur quoque quod de eodem legitur c. 2. Exodi ; cum enim videret *virum Ægyptium percutientem , quemdam de Hebræis fratribus* ; zelo nimio commotus, gladio subito interemit illum Ægyptium insultantem. Sequenti die cum eosdem fratres suos Hebræos rursum visitaret , tutaturus eosdem ab ira & tyrannide Pharaonis , *conspexit duos Hebræos rixantes* , & suam interponens authoritatem , *dixit ei qui faciebat injuriam : quare percutis proximum tuum ?* at ille cum arrogantia respondit : *Quis te constituit principem & judicem super nos ? num occidere me tu vis , sicut heri occidisti Ægyptium ?* quid ad hoc Moyses ? mirum , ipsemet scribens hanc historiam subdit : *Timuit Moyses.* Forte ne apud Pharaonem accusaretur ? at eo tempore in aula Pharaonis degebat , in magno existens respectu & authoritate , utpote , unus de stirpe Regia , *filius filiæ Pharaonis.* Forte timebat alios suos Hebræos ? at illi sub duro servitutis jugo constituti erant , omni destituti potestate. Cur ergo timebat ? Dion. Carth. mentem illius Hebræi litigantis exponit dicens : *Num occidere me vis , sicut heri occidisti Ægyptium ? Quasi dicat : tu violentus es homicida ; idcirco emenda teipsum.* Conscientia verberabat & remordebat animum Moysis , ne posset aut deberet zelare aut emendare in alijs , in quo ipse erraverat antea , & jam objurgabatur. *Inexcusabilis es ô homo omnis , qui judicas, in quo enim judicas alterum , teipsum condemnas* , ait Apostolus.

Ibid. v. 13.
Ibid.
Ibid. v. 14.
Dion. Carth.
Rom. 2. v. 1.

8. *Informet scientia.* Unde ejusdem Carth. in cap. 25. Num. extat monitum : *Verumtamen non debet quis proprio capite , aut usurpata authoritate , privatave potestate seipsum ingerere ad ulciscendum Dei aut suiipsius offensam , quia nec Phinees ultus est istud piaculum , nisi legis authoritate , & quia Moyses dixit judicibus , occidat unusquisque proximos suos.* Quare scitu necessarium est , & consideratione dignum , quo usque se extendat authoritas propria puniendi, reprehendendi & corrigendi alios. S. Petrus advertens in horto Gethsemani Malchum , utpote , impiæ cohortis antesignanum , tanta cum insolentia invadere Magistrum suum , non prius secum deliberat, nec , quid sit faciendum , rogat, sed stricto ense accurrit, invasoris fissurus caput , at ictum declinanti solùm amputavit auriculam ; zelus hic fuit ipsius Petri , at non secundùm scientiam , quia à Christo Domino desuper reprehensus fuit. Sic Abisai , vindicaturus injurias , quas Semei Regi David irrogabat , accensus erat zelo ; at inordinato , & non secundùm scientiam ; disposuerat namque Deus , ut David illa pateretur, cum merito & emolumento suo sustineret illam mortificationem , Dei imploraret misericordiam , ut ab istis eriperetur persecutionibus : *Dimittite eum ut maledicat; Dominus enim præcepit illi , ut malediceret David.* Quando insuper Redemptor noster ex motivo amoris & zeli prædixit suam crucifixionem, opposuit Petrus : *Absit à te Domine , non erit tibi hoc* ; neque hic bonus zelus fuit , quia divino beneplacito , uti Salvator declaravit , repugnabat , neque erat secundùm scientiam , etenim altissima illa intelligentia, quam postea recepit à Spiritu Sancto , nondum erat infusa : quare à Christo Domino reprehensus fuit : *Vade post me Satana , scandalum es mihi : quia non sapis ea quæ Dei sunt , sed ea quæ hominum.* Inordinatus quoque & non secundùm scientiam fuit zelus ipsius Josuæ , quando ei displicebat, quod & alij prophetarent præter Moysen , qui ipsum correxit : *Quis tribuat ut omnis populus prophetet ?*

Carth. in c. 25. Num.
Privata authoritate sub specie Zeli nemo corripiat aut puniat proximum.
2. Reg. 16. 10
2. Reg. 16. v. 10.
Matth. 16. v. 23.
Num. 11. 21.
Zelus debet esse temperatus charitate, & amore Dei.

9. Quapropter monet S. Bernardus : *Zelus absque scientia quo vehementius irruit , eo gravius corruit , impingens , nimirum , atque resiliens.* S. Ambrosius mensuram meritorij & virtuosi zeli taxat sequentibus verbis : *Advertimus quod mensura quædam & disciplina sit zeli , sicut disciplina virtutis, & ideo beatus qui zeli noverit disciplinam , & oderit eos , qui Domini gratiam relinquentes , salutem propriam deserunt, errorem sibi fraudis adsciscunt.* Quando zelum temperamus charitate & amore Dei , certi sumus & securi, illum esse meritorium & virtuosum. *Habet charitas zelum* (ait rursum S. Bernardus) *sed adhibeat pro tempore modum severitas ; censura quidem nusquam remissa , intermissa tamen ; plerumque plus proficit rigor justitiæ semper fervidus , sed numquam præceps , sicut non omne, quod libet, licet ; sic non omne, quod licet, statim etiam expedit.*

S. Bern. Serm. 4. de Ver. Isa.
S. Ambros. in Ps. 118. oct. 18.
S. Bernard. Epist. 25.

10. *Firmet constantia.* Strenue S. Petrus resistebat & contradicebat Synagogæ , inquiens : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi.* De S. Paulo scribit dilectus suus Chrysostomus : *Paulus alter Phinees impietatem Judæorum atque gentilium quasi fornicationem mentium uno fidei mucrone confodiens , suos hostes putans qui Dei sunt inimici.* Spiritus S. monitum est : *Pro justitia ago-*

Zelus debet firmus & constans esse.
Actor. 5. 29.
Chrysost. Hom 8 de laud. Pauli.

agonizare , usque ad mortem certa. Insatiabile erat odium Herodiadis , ejus filiæ , & ipsiusmet etiam Herodis contra S. Joannem Baptistam , cujus zelus erat ipsis continua spina in oculo , imo tamquam clavus hærens per transversum cordi eorum infixus , quia eorum incestui directe contrarius. Cur igitur, non jusserunt eum decollari in loco convivij , in conspectu omnium convivarum , sic enim perfectius suam satiassent crudelitatem ? Respondet Chrys. *Nec postulat , ut coram producatur , atque interficiatur. Neque enim etiam ad mortem euntis libertatem ferre potuisset , sed exhorruisset etiam dum , necaretur, vocem illius.*

Idem Hom. 49. in Matt.

DISCURSUS VII.

ARGUMENTUM.

Reprehenduntur acriter , qui pravas passiones suas , quibus moventur , zeli tegunt pallio , quos tamen Deus merito detegit & castigat.

THEMA.

Mendaces filij hominum in stateris , ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Psal. 61. ỳ. 10.

Pessime agunt qui odium & vindictam tegunt pallio Zeli.

1. NOn pauci in eo offendunt & impingunt , quod celebri illa cunctisque nota effertur propositione : *Passione movemur , & zelum putamus.* Regius Propheta Psal. 61. optime expresserat malitiam istam verbis jam citatis : *Mendaces filij &c.* Si existimatis, quod in stateris suis (quando zelo justitiæ fervidos se fingunt & gestiunt) pondus sanctuarij adhibeant , fallimini ; *Passione moventur* ; sub colore & prætextu zelandi justitiam proprias vindicant passiones. *In eo mendaces , ut decipiant in stateris* (ait S. Hilarius) *sub justitiæ nomine injusta peragentes.* Nonnulli inveniuntur , qui pilam expectant in resultu , & ludunt , extrinsecus monstrant zelum & justitiam ; at in corde eorum nonnisi vindicta prædominatur & odium , sicque odium tegunt pallio zeli & justitiæ.

S. Hilar.

Rectus ordo Zeli est, ut prius teipsū, & postea corrigas alios.
Laur. Just. c. 4. de vita solit.
Matth. 7. 15.

2. Inordinatum quorumdam zelum , qui non est secundùm scientiam , tetigit B. Laur. Justin. quando scribens de detractione ait : *Consuevit hoc vitium etiam vigere in bonis , atque sub zeli specie jugiter captivare improvidos. Innumeri sunt , qui potius in alijs quam in se zelare divinum honorem videntur. Zelum Dei habent hujusmodi , sed non secundùm scientiam. Rectus autem & commendabilis zeli iste est ordo, ut quisque prius se, deinde corripiat cæteros.* Adhuc abominabilior zelus eorum est, qui *veniunt ad nos in vestimentis ovium , intrinsecus autem sunt lupi rapaces* ; passiones suas zelo colorant & palliant.

Jona 4. 1. & 2
Taxatur inordinatus Zelus Jonæ.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Jona 3. 4.

3. *Et afflictus est Jonas afflictione magna , & iratus est, Et oravit ad Dominum & dixit : Obsecro Domine, numquid non est hoc verbum meum , cum adhuc essem in terra mea ? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis ; scio enim , quia tu Deus Clemens & misericors es , patiens & multæ miserationis , & ignoscens super malitia. Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me : quia melior est mihi mors quam vita.* Quis non persuasisset sibi Jonam zelo honoris Dei commotum fuisse , nec non desiderasse exterminium urbis Ninive, eo dumtaxat fine, ut insolentis istius populi dissolutione debite castigata & punita, Deus deinde tamquam justus glorificatus fuisset ? Si verum est , quod *Regis ad exemplum totus componitur orbis* , constans opinio est , eo tempore in Ninive regnasse Sardanapalum ; & tamen Deus , *scrutans corda & renes* , indicavit , Prophetam duci ac regi passione : *Et dixit Dominus , putasne bene irasceris tu ?* Non erat zelus ordinatus ad ea , quæ juxta verbum Dei significabantur adimplenda : *Adhuc quadraginta dies , & Ninive subvertetur* ; sed dubitabat amittere fidem suam , timebat ne honore suo periclitaretur , ne ipse tamquam Propheta mendax inveniretur. Ecce qua ratione vana privati honoris existimatio præferatur saluti animarum quasi innumerabilium , quæ urbe illa vastissima comprehendebantur.

Christus ex palliato zelo Pontificum, scribarum, & sacerdotum crucifixus fuit.

4. Zelus quoque tectus & palliatus fuit , qui filium Dei in monte Calvariæ cruci affixit ; etenim quia Salvator noster Pharisæos , Scribas , Sacerdotes & Pontifices Synagogæ aliquot vicibus punxerat, latentes eorum nequitias detegendo , multa & varia, quibus infecti erant , reprehendendo vitia , puta malignitatis, hypocrisis , superbiæ , avaritiæ , ideoque apud populum fides & auctoritas quodammodo conciderat reprehensi haud poterant ulterius tolerare , quod populus ei adhæreret , applauderet, eumque sequeretur ac veneraretur propter miracula & sanctitatem in dies magis magisque corulcantem. Quare deliberarunt in illo Conciliabulo : *Quid facimus , quia hic homo multa signa facit ?... Venient Romani , & tollent locum nostrum & gentem.* Tandem concluserunt : *Expedit ut unus moriatur homo pro populo.* Ut vero injustissimam hanc mortem prætextu aliquo religionis & justitiæ palliarent , zelosi videri voluerunt in defendendo Dei honore ; quamobrem in alio Concilio ipsa nocte passionis convocato & instituto, ut Dominum mortis reum declararent, pro capite sufficientis delicti adducunt illud : *Filium Dei se fecit ; Insidias suas tribunalis schemate palliantes* , ait Victor Antiochenus. Monstrabant apparenter zelum religionis & justitiæ ; at in substantia erat mera invidia & odium, quæ in corde eorum prædominabantur , veluti Præses manifestavit ex testium examine & contextu processus : *Sciebat quod per invidiam tradidissent eum.*

Joan. 11. 47.
Ibid. v. 48.
Ibid. v. 50.
Joan. 19. 7.
Vict. Antioc. in c. 14. Marc.
Matt. 27. 18

Arguitur ulterius falsus Judæorum zelus contra Christum.

5. Perfidi iidem Judæi in desertum ab Jerosolymis miserant ad S. Joannem Baptistam Scribas & Pharisæos , qui supremam ei offerrent Messiæ dignitatem , quo actu in adventum Messiæ se monstrabant valde vigiles & religionis zelatores ; at zelus hic nonnisi vehemens & occultata erat passio , corrodens cor eorum ; etenim videre non poterant sequelam & applausum populi Christo Domino adhærentis , eique Dei filiationem & Messiæ dignitatem invidebant , quam propterea ab eo tollere , & S. Joan. Bapt. utpote, summi sacerdotis filio, in summo honore & veneratione constituto deferre nitebantur.

Uxor Putipharis ficto zelo persequebatur Innocentem Joseph.

6. Uxor Putipharis pessima adultera , instar speculi castitatis comparere volebat , ideoque ficto zelo innocentem Josephum accusabat & convitiabatur, quasi hic violentiam sibi inferre attentasset ; Non deerant alij modi , quibus vindicare poterat repulsam sibi datam , cur ergo elegit potius hanc imposturam ? ut tegeret suam impudicitiam, apud Ægyptios ostentavit zelum honestatis & castimoniæ : *Hoc modo se habet malitia* (ait S. Chrysostomus) *adolescentem quasi intemperantem criminans , & se continentiæ larva induit.*

Chrysof. ibid.

Corripiuntur qui errores & defectus suos cooperiunt zelo virtutis oppositæ.
4. Reg. 6. 31.

7. Multi inveniuntur vitiosi , qui ut internos suos errores & defectus cooperiant , zelum virtutis oppositæ exhibent exterius. Nota est historia 4. Reg. 6. de Rege Israël , qui occupata Samaria à potentissimo exercitu , extremaque oppressa penuria & fame, juravit se præcisurum caput Elisæi Prophetæ : *Hæc mihi faciat Deus , & hæc addat , si steterit caput Elisæi filij Saphat super ipsum hodie* , & hæc jurans sub regio vestitu cilicium gestabat , nec erubescebat comparere in hoc pœnitentiæ habitu ; ast quodnam sancti hujus viri peccatum erat , propter quod realem in eum fulminaret pœnam ? Respondeo , palliatum & indiscretum fuisse zelum, etenim quia aspirabat ad vanam gloriam & auram popularem , ac tamquam vigilans Princeps existimari ambiebat, in potestate hujus Prophetæ constitutam esse credebat totam Reipublicæ salutem ; alio namque tempore Elisæus suæ orationis efficacia in urbem Samariæ cæcos conduxerat inimicos , extremam populo Dei machinantes & minitantes desolationem & exterminium ; Rex insuper sciebat Prophetam potentem in patrandis miraculis, præsertim vero, ut ait Ambrosius , in dissipando inimicorum exercitu ; quapropter partim indiscreto zelo, partim inordinata commotus passione prorupit in istas minas.

Ambros. l. 3. de Offic.

Arguitur iterum palliatus zelus Pharisæorum contra Christū.
Marci. 2. 7.
Euthymius.

8. Quando cæci Pharisæi audierunt Christum Dominum in testimonium remissionis peccatorum, quam conferebat , operari miracula , quæ in dubium & controversiam vocari non poterant, ut suam tegerent malignitatem , ad zelum recurrentes dicebant : *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus.* Notate eorum peristromata & zelum fictum , quo malitiam & nequitiam suam palliabant, & audite Euthymium : *Offendebantur præ invidia & malitia. Nam frequenter etiam viderant eum cum authoritate morbos fugantem, & dæmones ejicientem , vento marique imperantem, & hæc omnia modo humanas vires superante facientem ; sed hi proprias ulciscentes affectiones , Dei videbantur injuriam ulcisci.*

Fictus zelus Judæ proditur.

9. *Mendaces filij hominum in stateris.* Justissimo judicio suo Deus disponit, ut lupi voracitas sub ovina pelle occultata detegatur. Judas proditor cum in effusione pretiosi illius unguenti honori Magdalenæ simul & Christi detraheret, zelum Eleemosynæ apparenter monstrabat : *Quare hoc unguentum non vaënit trecentis denarijs, & datum est egenis ?* at statim rapax ipsius aviditas & avaritia cum perpetua sua infamia ab Evangelista detecta fuit : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Similiter legati missi ab Jerosolymis ad præcursorem, omninò sperabant Christum Dominum destituere sua authoritate & officio ; & decepti causam dederunt in suam confusionem, ut se Domini Præcursorem dumtaxat, Christum autem verum declaraverit Messiam & Dei filium. Persuadebant sibi insuper iidem per examen testium & judicialem processum contra Redemptorem institutum proprias tegere passiones sub religiosi zeli peristromate ; verum Pilatus in conspectu innumerabilis populi tum congregati, occasione instantis Paschatis promulgavit, quod ex invidia crucifixionem illius urgerent. Adhæc Jonas zelo justitiæ divinæ & pœnæ impijs debitæ iram suam palliare studebat at Deus pallium hoc manifestavit, ac posteris annales æternitatis lecturis notum esse voluit.

Joan. 12. 5. — Ibid. v. 6. — Sicuti & aliorum.

10. 1. Reg. 26. hæc legitur historia : David nocte ingressus tentorium Saülis regis hastam, *fixam in terra ad caput ejus*, & scyphum sustulit, & abiit, *Tulit igitur David hastam & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül, & abierunt, & non erat quispiam, qui videret & intelligeret, & evigilaret, sed omnes dormiebant.* Illucescente die indicaturus David, quod esto potuisset, nihil tamen mali regi inferre voluerit, à longe subsistens in vertice montis ostendit eminus hastam & scyphum alta clamans voce : *Clamavit ad populum & ad Abner filium Ner, dicens : Nonne respondebis Abner ? Et respondens Abner ait : Quis es tu qui clamas & inquietas regem ?* Incumbebat ipsi Abner, utpote, militiæ præfecto custodia & cura regis, ideoque audiens David clamantem, monstravit se zelosum, & sub zeli prætextu reprehendit illum, quod regis interturbaret somnum & quietem ; ast non intelligebat bonus Abner, quod eodem tempore proderat suam negligentiam & incuriam in custodienda regis persona, in quo gravius ipse peccaverat, quam qui somnum regis turbaverat.

1. Reg. 26. v. 12. — Ibid. v. 14.

Saül ficto & indiscreto Zelo occidit Gabaonitas.

11. Cum jam Saülis fecerimus mentionem, invito vos ad considerandam aliam historiam, ex qua dilucide patebit, quantum Deo displiceat zelus indiscretus ex passione procedens. Trium annorum spatio Deus justissime flagellaverat populum Israëliticum, & David accepto divinitus consilio : *Dixitque Dominus : Propter Saul & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas*, accersens hunc populum petiit ab eo : *Quid faciam vobis & quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini ?* petierunt ergo totam progeniem regis Saül relictam : *Dentur nobis septem viri de filijs ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saül, quondam electi Domini. Et ait rex, ego dabo.* Et qua ratione homo adeo sapiens & timoratus petitioni huic annuere potuit ? Ut satisfaceret divinæ justitiæ exigenti hanc pœnam. Verum in quo consistebat hic excessus ? Si Saül occiderat Gabaonitas, sciebat Deum jam præcepisse Moysi ipsos Ammorrhæos esse exterminandos & dispergendos, ad quos spectabant Gabaonitæ. Ast inquiro ego, cur Saül cum sua progenie non fuerit punitus propter iniquissimam stragem factam in Nobe, civitate sacerdotum, ubi, trucidatis octoginta quinque sacerdotibus, *In ore gladij percusserat viros & mulieres, & parvulos & lactentes*, hanc solam ob causam, quia Davidem cum suis hospitio receperant nescientes ipsum esse fugitivum ; & quidem omnes illi erant sacerdotes, cultui Dei consecrati, innocentes, & hos David non defendit, injuriam illis illatam non vindicat ; sed Gabaonitis, qui jam deceperant ipsum Josue, nec leges divinas observabant, tantum exhibet affectum & zelum ? Sacer textus ait : *Voluit Saül percutere eos zelo quasi pro filijs Israël & Juda.* Reprobus rex trucidavit sacerdotes illos furore correptus ; at ficto zelo extimulatus occiderat Gabaonitas sub colore & prætextu, quasi Moyses præcepisset exterminari Ammorrhæos, nec curavit juramentum à Josue præstitum, & à multis annis observatum ; quod igitur ex impetu furoris egit, Deus dissimulavit, at non illud quod fecit ficto zelo ; quo nobis insinuare voluit, peccata manere impressa libro divinæ justitiæ, & suo tempore severissime puniri, uti & Hebraismus punitus fuit : *Gabaonitas percussit* (ait Dionysius Carthusianus) *fingens & simulans se hoc facere zelo legis, in quo Moyses dixit Amorrhæos exterminari ad utilitatem undecim tribuum. Verumtamen zelus Saülis fuit indiscretus, & magis creditur motus avaritia, quam justitia.*

2. Reg. 21. 1. — Ibid. v. 3. — Ibid. v. 6. — 1. Reg. 22. 19 — 2. Reg. 21. 2. — Dion. Carth.

12. Carnificina innumerabilium martyrum facta in Ecclesia Dei à multis sæculis, effectus fuit zeli, non secundùm scientiam, sed indiscreti, & rationibus status politici adornati, veluti prædixerat pientissimus Salvator noster : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo ; sed hæc facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me.*

Joa. 16. v. 2.

DISCURSUS VIII.

ARGUMENTUM.

De Zelo, quem pientissimus Redemptor noster demonstravit circa salutem animarum.

THEMA.

Zelus domus tuæ comedit me. Psal. 68. ℣. 10.

Demonstratur Zelus Christi pro salute animarum.

1. QUamvis hunc locum Scripturæ Apostoli adaptaverint Salvatori nostro, quando zelando honorem sui patris æterni ejecit profanatores templi, nihilominus Bernardinus Senensis eumdem textum allegat ad denotandam solicitudinem & anxietatem, quam habebat Salvator noster circa salutem animarum : *Zelus est salutis proximorum ; unde Psal. zelus Domus, id est, Ecclesiæ comedit me, id est, per solicitudinem attenuavit me.* Ut hunc suum ostenderet zelum, composuit parabolam de pastore, qui dimisit nonaginta novem oves in deserto, *Et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam. Eam quærens* (subdit S. Augustinus) *Judaicis laceratus est vepribus.* Cajetanus per laboriosum & molestum iter deserti intellexit incarnationem Verbi : *Adventus ad quærendam ovem perditam incarnatio est filij Dei.* Et quidem eo usque se extendit fervor hujus zeli, ut incarnatio & redemptio non minus gravis ei fuisset propter unius dumtaxat animæ, quam propter omnium salutem. S. Ambrosij doctrina est : *Pro omnibus quidem mortuus est, hoc est, quantum in ipso est, ejus momenti est unius, cujus momenti est omnium perditio.*

Bernardin. Tom. 2. ser. 4. art. 1. c. 3. — Luc. 15. v. 4. — Aug. in Psal. 128. — Cajetan. — Ambros. in c. 9. ad Hebr.

Christus tantum Zelum habuit pro unica anima quantum pro omnibus.

2. Vigilantissimus & amantissimus hic pastor tanti unicam solam oviculam æstimabat, quanti totum gregem, esto numerosissimum ; Unde ait Tertullianus : *Errat una pastoris ovicula, sed grex una charior non erat.* Similem instituit considerationem author imperfecti operis : *Nullam, inquit, ex omnibus se habere putabat, si de suo numero una periret.* Quapropter voluit se assimilare pastori, ut nobis indicaret, quod pro salute animarum quævis tormenta etiam sævissima subire oporteat, & in hoc discernit S. Augustin. bonum à malo pastore : *Si pastoralibus visceribus præditi sumus, per sepes & spinas nos coarctare debemus, membris laceratis ovem quæramus, & pastori principique omnium cum lætitia reportemus.* Talem spiritum imbibit S. Carolus, de quo legimus, quod per alpes & rupes quasi inaccessibiles serpebat soleas calceorum habens munitas ferramentis, & interdum adeo laborabat manibus pedibusque, ut sudaverit sanguinem, ad imitationem pastoris Evangelici, *ibat ad illam, quæ peribat, donec invenerit eam.*

Tertull. l. de pœnit. c. 8. — Auct. imp. op. — August. de gestis cum Emerico. — Luca 15. 4.

Extollitur Zelus Christi, tamquam boni pastoris, pro ovibus suis.

3. Sed redeamus ad pastorem cœlestem, quem varijs indubie audivistis nuncupari titulis & nominibus, v.g. lucis, Salvatoris, viæ, vitæ, veritatis, Regis & similibus ; at numquam ipse dixit esse bonam lucem, bonam viam, &c. imo quadam vice tali honoratus titulo : *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam ?* indignatus dixit ei, *quid me interrogas de bono ? Unus est bonus Deus.* Nihilominus pastor bonus nominari voluit : *Ego sum pastor bonus*, idque non immerito, quia uti ipsemet insinuavit : *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Si Tertull. ponderando primum verbum orationis Domin. *Pater*, dixit : *Tam Pater nemo, tam pius nemo* ; idem de Christo dicere possumus *tam Pastor nemo.* Et vero quo cum non perduxit pastoralis zelus salutis nostræ ? nullus umquam extitit pastor tali tantoque ardens zelo, ut oves suas proprio corpore cibaverit, proprio sanguine potaverit, propria vita redemerit & à lupo exemerit; id vero præstitit divinus hic pastor : *Tam pastor nemo : Pro ovibus animam suam posuit* (ait S. Gregorius) *ut Sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, ut oves, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.*

Matt. 19. 16. — Joan. 10. 11 — Ibid. — Tertull.

Christus ex Zelo nos salvandi sub carne humana occultavit divinitatem suam.

4. Modum Nero tyrannus invenit irritandi & accendendi canes & feras in furorem, & exinde in sanctos Martyres ; hos, nimirum, animalium sylvestrium, puta, cervorum, leporum, &c. cooperiebat pellibus, ut harum extrinseca decepti ac irretiti specie, nullo habito respectu in eos pleno furore irruerent, imo eos dilaniarent ac devorarent ; zelosus fuit hic pastor noster, ut morti se traderet, animas nostras redimeret ; at ne agnosceretur, nostra se operuit & vestivit carne : *In similitudinem hominum factus, formam servi accipiens* ; siquidem *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* S. Petrus Chrysologus serm. de dedicatione Ecclesiæ retundit murmurationem illam contra Christum, quando intravit in domum Zachæi : *Murmurabant, quod ad hominem peccatorem divertisset. Quo Medicus nisi ad ægrotum ? Ubi anhelus pastor nisi ad ovem perditam ? Quando se ex hostibus immiscet, nisi cum vult liberare captivum ? Et qui pretiosam perdit margaritam, loca squalida non dedignatur intrare, & eam inter stercora ipsa perquirere non abhorret. In quod præceps post filium non se dat mater ? Et arguitur Deus, qui creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, quare hominem inter peccata charitate Conditoris inquirit ?*

Philip. 2. 7 — 1. Cor. 2. 8 — Chrysolog. serm. 54.

Christus magno zelo anhelavit ut moreretur pro nobis.

5. *Ubi anhelus pastor, &c.* vocabulum istud *anhelus* in memoriam mihi revocat, quod de anxio & zelante hoc pastore scribit S. Joannes cap. 4. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Nolite mirari hanc lassitudinem : *Exultavit ut gigas ad currendam viam à summo cælo egressio ejus.* S. Augustinus iter hoc exponit in alio sensu, dicens : *Iter ipsius est caro pro nobis assumpta* ; hac vestitus nostra carne ibat & quærebat ovem perditam, nimirum, animam nostram sensuum datam prædæ, ut reduceret eam ad ovile cœleste ; ubi, insuper observetur sacrum Evangelistam non sine mysterio addidisse : *Hora erat quasi sexta ; Ista fatigatio fuit signum passionis Christi* (ait & notat hic Lyranus) *futuræ tali hora*, anhelus pastor. Sermone de S. Cypriano scribit S. Augustinus : *Vicina corporis morte non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, & cura tuendi Dominici gregis* ; multo melius id asserere possumus de zelo cœlestis hujus pastoris, qui de se ait : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Joan. 4. 6. — Psal. 18. 6 — August. tract. 15. in Joan. — Lyran. — Aug. serm. in nat. S. Cyprian. — Joan. 10. 11

Integrum mare passionis Christi ipsi præ zelo videbatur parvus calix.

6. Spiritus S. passionem suam nominavit mare, Thren. 2. *Magna velut mare contritio tua.* Et Psal. 68. *Veni in altitudinem maris* ; at zelus ardentissimus redimendi hominem mare hoc vix existimabat esse calicem, unde cum sancta quadam indignatione dicebat Petro : *Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum ?* Theophyl. in Matth. scribit : *Poculum dicit suam mortem ostendens quod propter amoris magnitudinem sic suaviter accedat ad mortem, quod mare passionis calix quidam esse videatur.* Titulo amici excepit proditorem suum accedentem : *Amice*, inquiens, *ad quid venisti ?* Quantus in eo arserit zelus reducendi hanc animam peccatricem ad statum salutis, colligi potest ex eo, quod notat Origenes adductus ab Angelico in cap. 13. Joannis, etenim abluiturus pedes discipulorum, provolutus in genua ante omnes alios lavit & osculatus est pedes ipsius Judæ : *Sicut medicus plurium ægrotorum intentus curæ, ab iis qui magis indigent, incipit, sic & Christus, qui fœdos abluit pedes discipulorum, exorditur ab iis, qui magis erant fœdi.*

Thren. 2. 13 — Psal. 68. 3. — Joan. 18. 11 — Matt. 26. 50 — Orig. cit. ab Angelico.

Christus ex zelo nos redimendi, sudavit sanguinem.

7. Ecclesiastici 24. dicitur : *Quasi Libanus non incisus vaporavi.* In sacris Canticis pariter legitur : *Messui myrrham meam.* Optima myrrha illa est, quæ sponte sine incisione foras erumpit ex planta ; tam fervens Christi Domini zelus erat curandi & sanandi vulnera animæ nostræ pretiosissimo balsamo sanguinis sui, ut non præstolatus fuerit tempus, quo illius aperirentur venæ per flagella, spinas & clavos, sed amor suus, *fortis ut mors dilectio*, fecit effluere sudorem sanguinis in abundantia : *Fervidus velut athleta ebullicus amor* (ait S. Bernardin.) *& triumphans fortitudine, sciens omnia ventura super eum, occurrit impijs.* Nazianzenus orat. contra Maximum observat proprietatem vitis consideratione dignissimam. *Est planta*, inquit, *quæ excisa floret, & adversus ferrum certat, & si de re nova novo more loquendum est, morte vivit & sectione pullulat, & cum absumitur crescit.* Non sine mysterio immediate ante ultimum sermonem Cœnæ Chrystus Dominus se comparaverat viti : *Ego sum vitis vera.* Cum enim multas incisiones à ferro judaicæ impietatis recipere deberet, quo copiosior effluebat sanguis, eo magis vivificabat, floridioresque efficiebat palmites, nempe, animas nostras, & corpus suum mediante morte propius accedebat ad gloriosam vitam & resurrectionem dote impassibilitatis ditandum.

Eccli. 24. 21 — Cant. 5. 1. — Bernardin. ser. de Pass. — Gregor. Nazian. Orat. contra Max. — Joan. 15. 1.

Et instar uvæ in passione conculcari voluit.

8. In Evangelico Propheta hanc reperio interrogationem & Redemptori nostro propositam : *Quare rubrum est indumentum tuum & vestimenta sicut calcantium in torculari ?* si una sola stilla seu gutta sanguinis sui sufficientissima erat ad redimendos millenos mundos, cur elegit tam copiosam sanguinis profusionem : *Copiosa apud eum redemptio ?* Non immerito in sacris Canticis significatur Redemptor noster per uvæ botrum : *Botrus cypri dilectus meus :* non fuit contentus primo musto sanguinis sui in horto profuso : *Sed hoc non contentus*, ait Oleaster, *voluit conculcari, ut quidquid sanguinis, quidquid succi in corpore suo latebat, exiret ad lavacrum nostrum.* Non caret mysterio, quod ex toto anni tempore pro passione sua selegerit vernum, & quæ hujus ratio ? *Omnia in sapientia fecisti.* S. Bernardinus hanc assignat rationem : *Cum enim in tali tempore sanguis ebulliat, ut totum versaret & effunderet, quia ebulliente, de facie mittitur.* Ardor zeli sui redimendi animas id efficiebat, ut sanguis suus ebulliret, & toto impetu foras prosiliret.

Isa. 63. 2. — Ps. 129. v. 7. — Cant. 1. 13. — Oleast. ibid. — Bernardin. Tom. 3. ser. 52

Sitis Christi in cruce erat Zelus salutis animarum.

9. Quia lupus infernalis ipso spectante unam è suis oviculis & quidem ex pusillo illo grege, de quo dixerat : *Nolite timere pusillus grex*, surripuerat, & deprædatus fuerat, subito zelo accensus læsum æterni patris sui honorem, simulque hanc jacturam resarcivit, eripiendo è faucibus illius animam, quam pluribus annis captivam tenuerat, convertendo latronem, mox dicerem in Apostolum. Sed quid denotabat clamor illius in cruce, *sitio ?* Annon paulo ante quemlibet invitaverat : *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat ?* Si mihi dicatis, effusionem sanguinis naturaliter excitare sitim, veluti etiam facit tristitia & angor animi : *Spiritus tristis exsiccat ossa*, cur ad extinguendam sitim non acceptavit vinum myrrhatum, præparatum, eique oblatum à devotis illis mulieribus ? Crescit adhuc difficultas Drogone interrogante : *Domine, quid sitis ? Ergone plus cruciat sitis, quam crux ? de cruce siles, & de siti clamas ?* Ne magnus hic Cardinalis diutius nos teneat suspensos, subdit statim : *Sitio, quid ? vestram fidem, & vestrum gaudium. Plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet.* Sitis ejus nonnisi ardens erat zelus salutis animarum, quando operabatur humanam redemptionem totumque suum profundebat sanguinem, libenter vidisset, quod omnes animæ ex eo bibissent, & tamen ante mortem nonnisi unicus latro ad fontem hunc salutarem accessit.

Luca 12. 32 — Joan. 19. 28 — Joan. 7. 37 — Prov. 17. 22 — Drog. Host. de Sacram. Dom. pass.

De qua derelictione Christus in cruce conquestus fuerit.

10. Quonam directas fuisse creditis lamentationes illas : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Certum est filium à Patre inseparabilem esse, ac proinde minime lamentatum fuisse de hac desperatione, Sciendum igitur, quod quamvis arido crucis trunco hæreret suspensus, attamen speraverit fructus illos, quos æternus Pater ei adpromiserat : *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Verùm gentiles sub cruce degentes, quales erant milites Romani, illum potius ridebant, blasphemabant, crucifigebant, ac proinde ejus lamenta & suspiria non oriebantur ex spinarum aculeis, ex lanceæ transverberatione, ex plagis & vulneribus clavorum, ex fellis amaritudine ; sed quia videbat se derelictum ab animabus, quarum ipse intendebat conversionem : *Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum. Quia hi pro quibus pati venerat*, (ait D. Gregorius) *& passionis ejus esse participes debuerant, eo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita in passione quærebatur.*

Matt. 27. 46 — Psal. 2. v. 8. — Isaiæ. 63. 3 — Greg. lib. 2. in Ezech.

Christus ex zelo salutis animarum.

11. Voluit post mortem sibi aperiri pectus, è quo profluxit sanguis & aqua, (uti bene observavit D. Augustinus,) quia ista effluxione figurabantur

post mortem voluit sibi aperiri latus. *Augustin.*

baptur Sacramenta, *Sacramenta Ecclesiæ manarerunt, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur.* Et in hoc quoque ostendit zelum salutis nostræ, quod ex crudelitate, quam milites in ejus corpore exercuerant, noverit immensum elicere thesaurum, nempe, Sacramenta, quæ sanctificant animas nostras.

Ex eodem Zelo clamans expirat convertens Centurionem. *Hebr. 5 v. 7. Marci 15. 39.*

Sed quis non admiratur zelum, quem demonstravit in Longini lancea latus ejus perforantis conversione, simul & modum hujus conversionis? *Cum clamore valido*, ait Apostolus de Redemptore expirante; quo fine emisit spiritum clamando? ut lucraretur animam Centurionis prius increduli: *Videns Centurio qui ex adverso stabat, quòd sic clamans expirasset, ait: verè Filius Dei erat iste.*

Ex eodem Zelo retinuit in corpore suo cicatrices vulnerum suorum. *Joan. 20. 25.*

Clarius adhuc emicuit hic zelus salutis nostræ in quinque vulnerum cicatricibus, quas in corpore suo glorioso reservare voluit. Videbantur stigmata illa præ se ferre defectum aut imperfectionem aliquam in corpore glorificato; ast quia prævidebat unum ex discipulis futurum incredulum, neque etiam sibi resurgenti crediturum, *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam, &c.* voluit has citatrices pro operanda illius salute retinere: *Considera Dominatoris clementiam* (inquit D. Chrysostomus) *quæsitor & pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, & accedit, ut salvet unum.*

Chrysost. Hom 86. in Joan

Propriam contempsit vitam. *Joan. 21. 17.*

12. Christus Dominus non semel, sed tribus vicibus Petrum, priusquam ei gregis sui dedit curam: *Pasce oves meas*, examinavit, num ipsum amaret; & meritò, quia salus animarum principaliter innititur charitati, quæ exigit, ut quis propriam pro alterius anima exponat vitam; unde D. Augustinus contra Pelagianos scribit: *Charitas tunc maxima est in hac vita, quandò pro illa ipsa contemnitur vita.*

Aug. lib. de nat. & gra.

Actor. 1. v 3. Et post resurrectionem per dies 40 manifit in terra. *Lucæ 17. 21. Matth. 25. v. 34. Marci 16. 14.*

Idem Salvator noster post resurrectionem quadraginta diebus manfit in terra, & quo fine? *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*; ut instrueret Apostolos circa regiminis directionem & salutem animarum, quas primo describerat hoc epitheto: *Regnum Dei intra vos est*, nempè, anima, quæ digna est regno Dei, & propter quam conditus est paradisus: *Paratum vobis regnum à constitutione Mundi.* Non diu ante ascensionem suam in cœlum, nulla alia ei fuit cogitatio, quàm ut disponeret & præciperet Apostolis suis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.* E cœlis deindè misit sanctissimum Spiritum cum gratiarum, donorumque suorum thesauris, ad sanctificandas animas, & uno verbo, *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Totum quod Deus dixit, fecit, ordinatum fuit ad salutem hujus animæ.

Greg. Hom. 14. in Evan.

DISCURSUS IX.

ARGUMENTUM.

Variæ instituuntur considerationes de habendo zelo salutis animarum.

THEMA.

Vide zelum meum pro Domino. 4. Reg. 10. ℣. 16.

Charitas Christi maximè enituit in zelando salutem animarum. *Eccli. 17 12. Joan 10. 15.*

1. VErba hæc Jehu Regis quilibet Christianus cordis sui scrinio meritò imprimere deberet, non alium in finem, nisi ut proximorum suorum zelet curetque salutem; Deo enim, de quo scriptum est: *Et mandavit illis unicuique de proximo suo*, adeo gratum est hoc charitatis officium, ut gratius ei offerre non possimus. Joan. cap. 10. legimus hæc Christi verba: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem; & animam meam pono pro ovibus meis.* Scire cupierem, quam haberent connexionem posteriora verba cum prioribus? quæ connexio reciprocæ cognitionis inter Patrem & Filium, cum expositione vitæ pro salute animarum? Ecce quanti Christus appretiatur animas: voluit indicare, quod in hoc manifestè ostendat, æterni Patris sui se esse filium, & quidem prædilectum, quod vitam suam morte exponeret pro animabus: *Ac si apertè dicat,* (subdit S. Gregorius,) *in hoc cognoscat, quia ego agnosco Patrem, & agnoscor à Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, id est, ea charitate, quâ pro ovibus mortem, quantum Patrem diligam, ostendo.* De charitate ait Apostolus, eam esse Reginam virtutum: *Major autem horum est charitas*; hæc specialiter scintillat in zelando salutem animarum.

1. Cor. 13. v. 13.

2. Observastisnè primum reprobum, qui præceps ruit in barathrum desperationis, factus reus plurium execrabilium excessuum, qua ratione aperte indicaverit, nihil se curare bonum sui proximi? Deus interrogabat ipsum: *Ubi est Abel frater tuus?* *Qui respondit, nescio; Num custos fratris mei sum ego?* Subitò Deus illi intimavit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Si verum, aut verisimilimum est, quod *mandavit unicuique de proximo suo*; qui ergò malitiosè negligit spiritualem proximi sui salutem, tamquam reus rationem reddere tenebitur: *Vox sanguinis fratris tui clamabit ad te.* Multùm sanè Deus offensus & indignatus fuit temerarij hujus audiens responsum, at gravissimè eum quoque punivit.

Cain primus reprobus nihil curavit de salute proximi sui. *Gen. 4. v. 9. Ibid. v. 10.*

3. E contrario verbis explicari nequit, quam gratus sit Deo zelus impensus in salutem animarum. Psal. 28. Regius Propheta filios Dei nuncupat illos, qui hoc modo zelosi sunt: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.* In conversione animarum Deus collocat suam magnificentiam. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Vultisne intelligere, in quo consistebat hæc gloria? *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.* S. Petrus Chrysologus Serm. in præfati Psalmi versum quærit. *Putasne cœlestes, taliter appellat iste virtutes; aut homines Dei aptat in filios? O terrenam carnem cœlestem sublevat ad naturam?* Ecce quantus ei exhibetur honor, qui cooperatur alterius saluti, unde in progressu sermonis sui exhortatur nos hisce verbis: *Afferte Domino baptizandos; afferte quos fides concipiat, non caro; afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura; afferte, afferte quos sponte venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur.* Nullus aut ita ignorans, aut debilis est, qui se excusare valeat, etenim Ecclesiasticus monet: *Recupera proximum secundùm virtutem tuam.*

Zelus impensus pro salute animarum Deo gratissimus est. *Psal. 28. v. 1. Psal. 86. v. 3. Ibid. v. 4. Chrysol ser. 10. Eccli. 29. 27.*

4. Exodi 25. Deus circa tabernaculum hæc fieri jusserat: *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina.* Ex quo textu D. Gregorius hanc deducit moralitatem proposito nostro valde accommodam: *Scimus*, inquit, *quod in tabernaculo non solum phialæ, sed præcipiente Domino etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angusta designatur scientia. In Dei ergò tabernaculo, id est, in sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date.*

Zelandum est pro possibili pro salute animarum. *Exod. 25. 29. Greg. Hom. 6 in Evang.*

5. D. Hieronymus Rustico scripsit rationes aliquas urgentes; quæ & nos merito ad hunc zelum eximulare deberent: *Perspicuum est*, inquit, *si negotiatores sæculi tanta sustinent, ut ad incertas perturasque divitias perveniant, & fervent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt; quid Christi negotiatori faciendum sit, qui venditis omnibus quæsivit pretiosissimam margaritam, qui totis substantiæ suæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, nec latro possit auferre?* omnis hic bene expenditur & impenditur labor, crucis & adversitatis sufferentia, dum Filius Dei pro animarum salute triginta tres annos vitæ suæ expendit in labores, cruciatus & ærumnas. Ponderate hæc S. Bernardi præclara verba? *Ipse diligit vos tamquam viscera sua, tamquam fructum pretiosissimum crucis suæ; tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui.* Qui animam pretio sanguinis sui censuit dignam, illemet est, de quo scriptum est: *Spirituum ponderator est*; non potest ille falli nec decipi, siquidem S. Joannes ait: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Et S. Augustinus scribit: *Nemo fecit Redemptorem tuum; egit hic commercium, pretium solvit, sanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis. O anima erige te, tanti vales.* Quia Filius Dei dedit vitam suam, num difficile nobis videbitur impendere labores, & sustinere adversitates pro eodem lucro?

Urgentes rationes nos eximulantes ad hunc zelū adducuntur. *Hieron. epist. 4. Bernard. epist. 109. Prov. 16. 2. Joan 2. 24. Aug. in Psal. 102.*

Joh. 39. v. 1. Conversio peccatorum comparatur partui cervarum.

6. Job. 39. dicitur: *Numquid parturientes cervas observasti? aut servabantur ad fœtum, & pariunt; & rugitus emittunt.* Referunt Aristoteles & Plinius, quod cervæ majori cum difficultate, & per consequens majori cum dolore & tormento pariant, quam cætera animalia. Huic partui bene comparatur conversio hominum peccatorum, & lucrum animarum, quia magnam experimur difficultatem, laboremque haud exiguum in reducendis illis ad pœnitentiam; Unde Salvator noster non immeritò Concionatores & Confessarios allimilat piscatoribus & pastoribus, quia isti & illi continuò die nocteque expositi sunt aëris & temporum injurijs, laboribus, periculis, millenisque alijs ærumnis & adversitatibus. *Quamvis cana nivibus juga* (S. Ennod. verba sunt,) *Alpium transitaris minaretur exitium mortiferum frigus, & concretas algore glebas fides ardor exuberat. Nescivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum. Nam in tanta circumspectione salutis omnium, solum pro nobis timere non novimus.*

Ennod. opus. 3

Matt. 10. 28 Ex zelo salutis animarum, & corpus & animā periculo exponere debemus.

7. Matth. 5. monet nos Salvator: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Totus in nos sæviat infernus, corpus damnificare poterit, at non animam, puta, innocentem; Sic quoque si ad salvandam animam proximi, perdamus corpus, neque est quod timeamus infernum, quia, ut dicemus discursu sequenti, hanc à Deo recipimus remunerationem, nimirum, quod amore Dei salvando animam proximi, propriam pariter salvemus. Observastisne titulum, quem S. Petrus attribuit populo Christiano? *Populus acquisitionis.* Fortallis significare voluit, quod, quia aqua baptismali regenerati sumus, solicitè hisce bonis terrenis acquirendis insudare debeamus? Nequaquam, imo totum oppositum, quia promittimus renunciare mundo & pompis ejus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Sensus igitur verus & Germanus S. Petri est, quod quilibet Christianus specialem habere debeat curam & solicitudinem, non solum saluris propriæ, sed etiam fuorum proximorum: *Populus in acquisitionem. Nemo dicat* (ait S. Bernardus) *Nunquid custos sum fratris mei? Ferveat in nobis zelus iste, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis.*

1. Petr. 2. 9. 1. Tim. 6. 8. Bernard. ser. de S. Joan. Bapt.

8. In sacris Cant. cap. 7. legimus: *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Sæpe inveniuntur nonnulli quietæ dediti contemplationi & vitæ Magdalenæ; non, dicit Sponsa, per quam intelligitur Ecclesia, *egrediamur in agrum, &c. Dum Sponsa* (subdit S. Gregorius,) *Sponsi dulcedinem experta se reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipsius Sponsi præcepto sicut se diligit.* In iisdem Cant. cap. sequenti legitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Ubi idem S. Gregorius: *Sponsa in hortis habitat, quia sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima in fructificatione virtutum mentem versat, cujus vocem Sponsus audire desiderat, quia in hoc summopere Christo placet, ut infirmos quosque verbo sanctæ prædicationis admoneat.*

Cant. 7. 10. & 11. Non solum salutis propriæ, sed & proximi zelū & curam habere debemus. *Greg. Mag. ibid Cant. 8. 13. Gregor. ibid.*

Zelus animarum singulariter competit Ecclesiasticis.

9. Cum ex claustris, monasteriis, & eremis etiam extrahuntur S. Evangelij ministri, ut cooperentur saluti animarum certum est, acceptissimum (uti alibi dictum est,) Deo offerri sacrificium: hoc tamen ministerium Ecclesiasticorum proprium est; unde idem S. Gregorius alibi scribit: *Redemptor noster à sacerdotis officio non quæsivit aurum, sed animas.* Et S. Ambrosius huic conformiter asserit: *Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem, & ideo Princeps sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ devoravit me.*

Ambros. in Psalm. 118. oct. 18.

Moyses solis Levitis præcepit vindicare & zelare læsum Dei honorem.

10. Causam scire desidero, cur Moyses ex omnibus tribubus Israel selegerit tribum Levi, quæ spretum & læsum Dei honorem vindicaret & zelaret? Voluit per hoc significare, ad eos, qui divino cultui specialiter dedicati sunt, pertinere zelum impediendi & vindicandi offensas & injurias Deo illatas, uti & procurandi proximi emendationem & conversionem. S. Ambrosius in Exod. cap. cui titulus Romulus scribit: *Quod autem occidi fecit è proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum evidens, qua præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ proponit divina humanis, perpetua temporalibus, unde ipse Moyses dixit, si quis est Domini, veniat ad me, & congregati sunt ad eum omnes filij Levi, & dixit illis: Hæc dicit Dominus Deus Israel, imponite unusquisque gladium, &c. ut contemplatione atque amore reverentiæ divinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis.* Notatu digna est sequens propositio: *Neque vero aliquid dorum videtur pro vindicta injuriæ cœlestis.* Idem dicam cooperaturis saluti animarum: *Neque verò aliquid dorum videatur, &c.* Nulla nos deterreat difficultas, ubi agitur de lucro animarum. Subdit denique S. Ambrosius: *Sanctiora cæteris ad hoc munus eligantur ministeria Levitarum, quorum portio Deus.*

Ambros. in Exod. Exod. 32. v. 25. & 26.

11. Cant. cap. 4. legitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Eodem cap. paulo post legitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* Collum principalis pars est corporis nostri, per quod transeunt Spiritus vitales, & è capite descendunt ad reliqua membra; hoc igitur collum depingit Spiritus Sanctus munitissimæ instar turris? præterea fiuciatum se declarat cœlestis Sponsus ab uno crine istius colli. Vultisne intelligere hujus mysterium? Audite Richardum de S. Victore: *Collum caput & membra conjungit. Collum itaque mihi es, dum animas convertere, & mihi conjungere studes. Unus crinis colli est unica cogitatio, & præcipua intentio, quâ circa hoc laboras.* Rapitur, & suaviter amore divino vulneratur Deus noster, quando finis operationum nostrarum est lucrum animarum; observetur hoc: *unica cogitatio*, quia qui Deo dedicati sunt, nonnisi de hoc, & de nullo alio cogitare & soliciti esse debebent, quia *Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas.*

Cant 4. 4. Deus amore suavi rapitur dum zelamus salutem animarum. *Ibid. v. 9.*

12. S. Carolus Concione XI. ad Clerum, de zelo animarum discurrens ait: *Hunc Ecclesiæ Spiritum nobis Joannes ostendit præclara illa, quam describsit, visione: Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, Et in utero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat. O quam magnum habet desiderium parturiendi? Angustiatur, affligitur, cruciatur, dolet, clamat quamdiu militans est, nec cessabit, donec perfectè & omninò triumphanti jungatur. Hoc unicum ipsius negotium, & filiorum ejus iisdem est, hoc maximè spectat in omnibus actionibus, Synodis, visitationibus, decretis, ministerijs, Dei verbi prædicatione, correctione, universo denique regimine.* Ubi & Sanctus nonnullorum, qui se excusant, satisfacit oppositionibus. *Sed novi, quid multi dicant; Et quis illuc se conferat, ubi est summa rerum omnium inopia? Ubi nonnisi præruptii montes & difficillima loca? Ubi die noctuque laborandum, & incommoda maxima sustinenda? Et ideirco peribunt igitur fratres animæ Christi pretiosissimo sanguine redemptæ, ut nos commodi simus? Præferentur ergo nostræ deliciæ animarum saluti?* Pergit deinde, & causam allegat, ob quam timus adeo socordes & negligentes, nec curemus spiritualem aliorum salutem: *Sed scitis, quidnam sit, quod nos in manere nostro tepidos facit? Nil aliud profectò, nisi quod non consideramus, quidnam sint animæ, quid infernus, quid paradisus. Quid ergo mirum, si sanctî viri charitate repleti, tam eram animarum acquirendarum zelantes? Quis Gregorij illius magni Pontificis zelum non admiretur? Hic quadam die cum advenientibus nuper negotiatoribus multa venalia in foro Romanæ urbis fuissent proposita, multique ad emendum tendisse conflaxissent, contingit & Gregorium adhuc Monachum præterire, qui cernens inter alia pueros corpore candidos, formâ pulcherrimos, vultu venustos, capillorumque nitore perspicuos esse venales, interrogavit mercatorem, de quo patria illos attulisset; ille respondit, de Britannia Insula, cujus incolarum omnium facies simili candore fulgesit. Gregorius dixit: Christiani sunt iidem Insulani, an adhuc pagani teneantur erroribus? Mer-*

Acta Eccle. Mediol. cap. 1169. *Apoc. 12. 1. 2* Insignis discursus S. Caroli Borromæi de Zelo S. Ecclesiæ, ejusque ministrorum pro salute animarum.

Acta Eccle. Mediol. cap. 1182. Refellitur objectio contra zelum animarum.

Zelus animarum S. Gregorij Magni adhuc memorabilis.

Mercator respondit, non sunt Christiani. Tunc Gregorius graviter ingemiscens, heu prô dolor, quàm splendidas facies, Princeps tenebrarum nunc possidet? Tunc ad benedictum Pontificem accedens, summis ab illo precibus obtinuit, ad Insulam illam ut mitteretur, ad eripiendas è Dæmonis potestate pretiosissimas animas. Hucusque S. Carolus, qui magno ardebat zelo animarum, curans singulas suæ amplissimæ diœcesis, cumque Episcopum aliquem corrigeret, qui in officio suo erat negligentior, ostendit eidem unam solam animam dignam esse excellentis Pastoris custodia & vigilantiâ.

Vita S. Caroli lib. 8. c. 13.

De hac materia latius & fusius Tom. 1. Tract. de anima.

DISCURSUS X.

ARGUMENTUM.

De lucro, quod acquirimus salutem animarum zelantes.

THEMA.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, Jac. 5. ℣. 20.

Qui peccatorem reducit ad pœnitentiam, animam ejus eximit ab æterna morte.

1. S. Apostolus Jacobus in fine suæ Epistolæ exponit aliquam veritatem, quæ cuilibet videtur esse certa & indubitata, etenim si quis à via devians per rupes & montes oberraret cum evidenti præcipitij periculo, & bonus quidam amicus oberrantem ad rectam reduceret viam aut semitam, quis negabit hujus amici operâ illum ereptum esse à morte; hoc idem prorsus de eo asserendum est, qui peccatorem reducit ad pœnitentiam, hunc enim suâ industriâ ille ab æterna eximit morte: *qui converti fecerit peccatorem, &c.* Nihil ergò singulare, quod alicujus magni momenti est, S. Jacobus dixisse videtur; ast considerandum est inæstimabile illud lucrum, siquidem plùs valet una anima, quam totus mundus, imò quàm ipsum cœlum, nam juxta axioma Philosophicum: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; Si Luna lucida est, adhuc lucidior & splendidior est Sol, qui ei communicat lucem & splendorem; Si Creator condidit cœlum, ut sit animæ habitaculum, (*Possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi:*) ergò majoris æstimationis & dignitatis erit anima; imò Eusebius Emissenus Homilia 6. de Pasch. non dubitat asserere: *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Quis igitur non cooperabitur lucro hujus animæ? præsertim cùm S. Leo Serm. de Sanct. Laurentio hanc tradat doctrinam: *Si ergò nullus bonus sibi soli est bonus, nec cujusquam sapientia sibi tantum sapientia est amica, & hæc verarum natura virtutum est, ut multos à tenebroso abducat errore, qui earum claras est lumine ad erudiendum Dei populum, nullorum est utilior forma, quàm Martyrum eloquentia.*

Matt. 25. 36 Quantæ æstimationis & dignitatis sit anima. *Eus. Emiss. Hom. 6. de Pasch. Leo Magnus serm. de S. Laur.*

2. *Qui converti fecerit, &c.* S. Augustinus allegatus à Dionysio Carthusiano in hunc textum S. Jacobi declarat: *Ille in charitate Dei est perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit, gratissimumque Dei sacrificium zelus est animarum; & sicut Christus graviorem non potest pati persecutionem, quam ut quis verbo aut exemplo animas suo sanguine liberatas ab ipso avertat, sic graviorem honorationem impendere ei non valemus, quam animas deviantes convertendo ad ipsum.*

In charitate Dei perfectior est qui plures animas convertit. *Aug. cit. à Dion. Carth. in cap. 5. Jac.*

3. Regius Propheta Psalm. 50. modo imperativo Deo loquens ait: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Et unde hic sanctus Propheta talem concepit audaciam, reus existens peccatorum adeò execrabilium? Ponderate, quæ sequuntur, verba: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur; libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Qui cooperatur alterius conversioni, & salvat animas Christi sanguine redemptas, quodcumque vult & desiderat, petat, & obtinebit, quia maximo, quod dari potest, gaudet pignore gratiæ & amoris divini. David commiserat adulterium, homicidium, nec non grave populo sibi subdito dederat scandalum; Saulus pariter Christi Christianorumque fuerat persecutor implacabilis: *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini*; & tamen de hoc dicit Deus: *Vas electionis est mihi iste.* *Raptus in paradisum audivit arcana verba*: de altero pronunciavit: *Inveni hominem secundum cor meum*; desideratisne utriusque percipere merita? *Illos divina clementia à peccatis per remissionem efficit liberos, quos prævidet utilitati Ecclesiæ post conversionem profecturos*, ait D. Gregorius.

Psal. 50. 14 Qui cooperatur conversioni animarum, petat à Deo quod vult, & obtinebit. *Ibid. v. 15.* *Actor. 9. 1.* *Greg. Magn. in Psal. 50.*

4. Tàm pretiosum est lucrum animæ, ut nec dari, nec quis sibi imaginari possit pretiosius in terris & in cœlis; præterquàm sæpe accidit, quòd illi, quos ad pœnitentiam reduximus, successu temporis Deo lucrentur alios. Audiamus eumdem S. Gregorium: *O quàm utilis est peccatorum remissio, quæ conversos à peccatis non solùm liberos efficit, sed etiam alios ab impietate & injustitia retrahens, flamma charitatis accendit. Hæc est enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tàm gratum Deo est sacrificium, quàm zelus animarum.*

Anima pretiosior est quam quidquid in cœlo & in terra excogitari potest. *Gregor. in Psal. 4 pœnit.*

5. Quandò Salvator noster ex itinere fatigatus, sedens supra fontem & ardentissimo suo motus zelo Samaritanam reduxit ad veram Dei notitiam, Apostolis supervenientibus & offerentibus prandium respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Conversionem illius aberrantis animæ sapidissimum suum censebat esse cibum: *Cibus autem iste, quem Christus manducare habebat*, (ait S. Thomas,) *Est salus hominum, quam quærebat, sicut enim nobis, cùm esurimus, concupiscibile est manducare, ità ei salvare nos.* Et S. Cyrillus Alexandrinus allegatus à Glossa ait: *Cibum suum putat perditorum hominum conversionem.* Glossa cum S. Gregorio in textum allegatum ex S. Jacobo hoc conficit argumentum: *Si magnæ mercedis est à morte eripere corpus quandoque periturum, quanti meriti est à morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram.*

Conversio peccatorum est cibus Christi. *Joan. 4. 32* *D. Thom. in Joan.* *Cyrill. apud Gloss.* *Gloss.*

6. Verùm si pientissimus Redemptor noster apertè nobis declarat: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Qui igitur innumerabiles convertit & lucratur animas, suam vero propriam non salvat, quid ei proderit aliarum animarum lucrum? Respondet Dionysius Carthusianus: *Idcirco de B. Magdalena locutus est Dominus, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Veruntamen si quis impiè vivens, non agens quod docet, prædicare præsumpserit, & prædicando quosdam quasi convertens, sua peccata sibi indulgeri non promeretur, imò gravius peccat, & suas transgressiones multiplicat, prædicationis officium indignè exercens.*

Parum prodest aliorum animas lucrari, si tuam perdas. *Matt. 10. 26.* *Dion. Carth. ibid.*

7. *Qui converti fecerit?* Quibus verbis S. Jacobus insinuare voluit, quòd qui cooperatur proximorum conversioni, non solum illius, quem convertit, sed plerumque propriam simul salvet animam, ita Dionysius Carthusianus asserens: *Aliqui textus habent; Salvabit animam suam à morte, quia qui alium ex charitate admonet, corripit, convertit, sibi-ipsi maximum præmium promeretur, & charitatis suæ fervore quotidiana & propria sua incendit peccata, dimittunturque ei. Imò & præteritorum suorum excessuum obtinet remissionem, quantum ad pœnam omninò, aut partim secundum quod universa delicta operit charitas. Et Princeps Apostolorum: Charitas, inquit, operit multitudinem peccatorum.* Hanc veritatem expressam quoque reperi in Homilia quadam D. Chrysostomi, cùm ait: *Hoc nostræ salutis argumentum & occasio, si non solum pro nobis ipsis soliciti, sed & proximis utiles fuerimus. Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit, hoc est, qui ab errore ad veritatem manuduxerit, pro virili humano me imitabitur.*

Plerumque etiam suam salvat animā qui studet convertere alias. *Dionys. Cart.* *Chrysost. Hom. 3. in Gen.*

8. Apostolus quoque 1. Cor. 3. scribit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Cooperantes igitur alterius saluti præmium ac mercedem recipiemus, tamquam coadjutores Dei. Origenes Hom. 4. in Leviticum alludens ad sacrificium, quod offerebatur pro aliorum peccatis, in quo una pars oblati cedebat in utilitatem Sacerdotis, asserit: *Si ergò talis fueris sacerdos, & talis fuerit doctrina tua & sermo tuus, pars tibi dicitur eorum, quos correxeris, ut illorum meritum tua merces sit, & illorum salus tua gloria. Annon & Apostolus hæc ostendit, ubi dicit, quia quod superædificaverit quis mercedem accipiet &c.* Subdit deindè in progressu ejusdem Homiliæ: *Sciant se in nullo alio partem habituros apud Deum; nisi in eò quòd offertur pro peccatis, id est, quòd à via peccati converterint peccatores.*

1. Cor. 3. 9 Cooperans alterius saluti præmiatur tamquam Coadjutor Dei. *Orig. Hom. 4. in Levit.*

Zelus contra peccatores debet temperari discretione & patientia, & erit fructuosus.

9. *Salvabit animam ejus &c. Vel ut habent aliqui Libri*, (Hugonis Cardinalis expositio est,) *animam suam, ipsius, scilicet, qui facit eum converti*; idque probat ex Propheta Ezech. cap. 3. *Si autem tu annunciaveris justo, ut non peccet, & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.* Inter alia documenta S. Apostolus hoc quoque scripsit charissimo suo Timotheo: *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* In alia Epistola instruebat eumdem, quâ ratione uti deberet zelo, dicens: *Argue, obsecra*, videlicet, tempera zelum affabilitate; *increpa*; sed *in omni patientia.* Unde quando bini discipuli Domini, Jacobus & Joannes petebant, & volebant, ut ignis descenderet de cœlo in Samaritanos, audierunt sibi dici: *Nescitis, cujus Spiritus estis.* Ubi subdit S. Ambrosius: *Quod discipulos increpavit, qui ignem super eos descendere gestiebant, qui non receperant Christum, ostenditur nobis, non semper in eos, qui peccaverunt, vindicandum, quia nonnumquam amplius tibi prodest clementia ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citiùs crediderunt, à quibus hìc ignis arcetur.* Sic quoque quando importuni & impetuosi illi servi indiscreto ducti zelo zizania sine mora colligere volebant: *Vis imus, & colligimus ea?* reprimens illos Paterfamilias ait: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Ubi S. Augustinus ait: Saulus, bonus Latro, & plures alij primò fuerunt zizania; at patienter tolerati à Christo mutati sunt in frumenta.

Hugo Card. ibid. *Ezech. 3. 21.* *1. Tim. 4. 16.* *2. Tim. 4. 2.* *Luc. 9. v. 55.* *S. Ambros. lib. 7. in Luc.* *Matth. 13. v. 29.*

Exempla auctorum qui zelosi fuerunt in procuranda salute animarum.

10. *Salvabit animam ejus à morte.* In quæ verba scribit Dionysius Carthusianus: *Docemur*, inquit, *quam salubre & magnum sit, apud Deum peccantes fraterne corripere, piè instruere, charitativè convertere.* Memoratu digna sunt, quæ referuntur Danielis cap. 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Fronti S. Dominici Fundatoris Ordinis PP. Prædicatorum, (qui copiosissimam hactenus collegerunt animarum messem pro cœlesti patria,) appingitur stella. Sic anima S. Seraphici Francisci migrans è corpore matutinæ instar stellæ visa fuit. Propter eamdem causam S. Philippus Nerius, cujus sum indignus filius, pro insigni suo sortitus fuit tres stellas, nam, ut legitur in officio ejus canonico, *in animarum salute procuranda totus fuit.* Instituit Romæ in hac sua Ecclesia, ubi quiescit ejus corpus, ut in dies ad profectum, & in beneficium animarum præter continuam Sacramentorum Administrationem, per mediam horam legatur liber spiritualis, & huic lectioni succedant quatuor suo ordine discursus, sive exhortationes spirituales, quarum quælibet pariter mediâ duret horâ, utque omni vespere in Oratorio per horam circiter instituantur preces, ac tribus vicibus per septimanam vesperi fiat disciplina. Ex hisce alijsque pietatis virtutumque exercitijs; quæ, utpote huc non spectantia, prætermitto, colligi potest, quantum *in animarum salute procurandâ* occupatus fuerit.

Dion. Carth. ibid. *Dan. 12. 3.* S. Dominici. S. Francisci. S. Philippi Nerij.

11. Opinio est à SS. Doctoribus recepta, quod animæ aliorum ope salvatæ, obsequium præstabunt ijs, qui saluti suæ cooperati fuerunt. Audiamus S. Gregorium: *Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit: Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens; Ibi Andreas post se Achaiam; ibi Joannes Asiam; Thomas Indiam in conspectu sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.*

Animæ aliorum ope salvatæ, obsequium, præstant illis quorum ope salvatæ fuerunt. *S. Greg. hom. 17. in Evang.*

12. *Operiet multitudinem peccatorum.* Hæc verba immediatè sequuntur textum allegatum ex D. Jacobo, & sane consideratione digna sunt unà cum expositione Cornelij à Lapide fundata in Venerab. Beda, Dionysio Carthus. & alijs; *Igitur operiet multitudinem peccatorum; Non tantum aliena*, subdit Cornelius, *sed & sua*; quia enim multum laboravit in salute alterius, ideo divina bonitas propter ipsius merita frequenter movetur ad subministranda ei auxilia efficacia; quibus propriam animæ assequatur salutem, ut possit merito dicere cum Propheta Job: *Benedictio perituri super me veniebat.* Ubi D. Gregorius: *Benedictio*, inquit, *perituri super eum venit, cùm peccatoris interitum prævenit, & cum sanctis exhortationibus à culpæ fovea reducit.* Notatu dignum est, quod idem S. Pontifex cuidam Religiosæ superiori, exhortando eam, scribit: *Ut quantas volet animas in Creatoris sui servitium colligat, ut earum mentes per verbum ejus gratiam compunctionis accipiant, & tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, quanto per ejus vitam & linguam, etiam aliarum animæ peccatorum suorum nexibus eruperint.* De hoc puncto latius Tom. 1. Tract. de anima. Disc. 14.

Jac. 5. v. 20. *Cornel. à Lap. ibid.* Qui laborat pro salute aliorum, Deus illi dat auxilia gratiæ pro salute propria. *Job 29. 13. D. Greg. lib. 19. Moral. Idem lib. 6. Epist. 27.*

Interea ut huic materiæ, cunctisque proinde Tractatibus ac Discursibus hujus Bibliothecæ, ad solam Dei gloriam, & in favorem ac beneficium Verbi divini Præconum animarum salutem unicè spectantium, ordinatæ & elaboratæ coronidem imponam, finio ac termino admirabili hac S. Dionysij Areopagitæ de cœlesti Hierarchia, sententiâ: *Omnium divinarum divinissima extat perfectio, Dei cooperatores esse in salute animarum, ad suum Creatorem.*

Conclusio totius Bibliothecæ. *S. Dion. Areopag. c. 3. de cœlest. Hierarch.*

FINIS.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUÆ IN HOC QUARTO TOMO BIBLIOTHECÆ MORALIS EXPLANANTUR.

Prior Numerus Tractatum, alter Discursum, tertius Numerum cujusque Discursus denotat.

EX GENESI.

CAP. I.

VErs. 4. *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, Tract. 80. Disc. 1. Num. 6.
Vers. 11. *Germinet terra herbam virentem*, tr. 85. d. 11. n. 7.
Vers. 14. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint signa in tempora, & dies, & annos*, tr. 91. d. 3. n. 3.
Vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, tr. 79. d. 4. n. 2. & tr. 71. d. 1. n. 1.
Vers. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, tr. 71. d. 8. n. 3.

CAP. II.

Vers. 5. *Non enim pluerat Dominus super terram*, tr. 78. d. 6. num. 7.
Vers. 7. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, tr. 83. d. 31. n. 8. & tr. 91. d. 2. num. 4.
Vers. 8. *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formaverat*, tr. 82. d. 3. n. 2. & tr. 88. d. 8. n. 3.
Vers. 9. *Produxit lignum vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali*, tr. 72. d. 5. n. 2.
Vers. 16. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, tr. 74. d. 4. n. 2. & tr. 91. d. 6. n. 7.
Vers. 16. *Ex omni ligno Paradisi comedes*, tr. 71. d. 20. n. 4.
Vers. 17. *In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris*, tr. 77. d. 7. n. 1.
Vers. 19. *Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*, tr. 72. d. 4. n. 1.

CAP. III.

Vers. 1. *Serpens erat callidior, &c.* tr. 68. d. 13. n. 1.
Vers. 3. *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, tr. 74. d. 4. n. 2.
Vers. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, tr. 90. d. 3. per totum.
Vers. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum*, tr. 72. d. 4. n. 1. & tr. 76. d. 12. per totum.
Vers. 7. *Aperti sunt oculi amborum*, tr. 72. d. 4. n. 1. & tr. 77. d. 10. n. 1. & tr. 94. d. 9. n. 6.
Vers. 8. *Abscondit se Adam, & uxor ejus, à facie Domini Dei, in medio Paradisi*, tr. 77. d. 31. n. 2. & tr. 84. d. 1. n. 4. & tr. 72. d. 4. n. 3. & tr. 77. d. 5. n. 2. & tr. 74. d. 4. n. 3.
Vers. 9. *Adam ubi es?* tr. 72. d. 6. n. 2.
Vers. 13. *Serpens decepit me*, tr. 74. d. 4. n. 2.
Vers. 14. *Super pectus tuum gradieris*, tr. 77. d. 15. n. 2. & tr. 90. d. 2. n. 6.
Vers. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, tr. 71. d. 17. n. 1. & tr. 92. d. 16. n. 5.
Vers. 16. *Sub viri potestate eris*, tr. 74. d. 4. n. 1.
Vers. 17. & 18. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, Spinas & tribulos germinabit tibi*, tr. 94. d. 1. per tot. & tr. 71. d. 20. n. 4. & tr. 77. d. 14. per totum.
Vers. 19. *In sudore vultus tui, vescêris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es*, tr. 85. d. 5. n. 3. & d. 6. n. 4.
Vers. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, tr. 71. d. 20. n. 4. tr. 77. d. 6. n. 3.
Vers. 24. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim & flammeam gladium, atque versatilem*, tr. 76. d. 8. n. 4. & tr. 82. d. 3. n. 5. & tr. 83. d. 1. n. 6. & tr. 73. d. 3. n. 4.

CAP. IV.

Vers. 3. *Factum est autem, ut post multos dies offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, tr. 77. d. 12. n. 5.
Vers. 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui*, tr. 81. d. 26. num. 3.
Vers. 7. *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit*, tr. 77. d. 30. n. 7. & d. 31. n. 9.
Vers. 9. *Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit nescio, numquid custos fratris mei sum ego?* tr. 97. d. 9. n. 2. & tr. 71. d. 2. n. 2. & tr. 77. d. 30. n. 4.
Vers. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, tr. 87. d. 1 n. 2. & tr. 86. d. 5. n. 5.
Vers. 11. *Maledictus eris super terram, cam operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*, tr. 78. d. 5. n. 1.
Vers. 14. *Omnis qui invenerit me, occidet me*, tr. 77. d. 19. n. 6. & tr. 78. d. 1. n. 2. & tr. 93. d. 3. n. 7.
Vers. 16. *Habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam*, tr. 78. d. 4. n. 4. & tr. 82. d. 1. n. 7.
Vers. 26. *Iste cæpit invocare nomen Domini*, tr. 97. d. 2. n. 2.

Cap. V.

Vers. 5. *Factum est omne tempus, quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est*, tr. 91. d. 1. n. 4.
Vers. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, tr. 84. d. 6. n. 3. & d. 8. n. 2.
Vers. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit*, tr. 97. d. 2. num. 2.
Vers. 29. *Consolabitur nos*, tr. 78. d. 7. n. 7.

Cap. VI.

Vers. 2. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, tr. 78. d. 7. n. 7.
Vers. 3. *Eruntque dies illius centum quadraginta annorum*, tr. 81. d. 7. n. 3.
Vers. 5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, &c. tactus dolore cordis intrinsecus dixit: deleho hominem quem creavi*, tr. 81. d. 7. n. 3. & 7. & d. 9. n. 6. & tr. 78. d. 29. num. 6.
Vers. 7. *Deleho hominem, quem creavi*, tr. 71. d. 8. n. 6.
Vers. 7. *Deleho hominem, quem creavi, usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cæli*, tr. 78. d. 15. n. 5. & tr. 71. d. 8. n. 5.
Vers. 9. *Noe vir justus atque perfectus fuit, in generationibus suis cum Deo ambulavit*, tr. 84. d. 4. n. 2. & tr. 86. d. 4. n. 2.
Vers. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam, & cogitatio hominis intenta erat ad malum omni tempore*: tr. 84. d. 4. n. 2. & tr. 72. d. 5. n. 5. & tr. 74. d. 2. n. 6. & tr. 89. d. 3. n. 7. & tr. 97. d. 2. n. 2.
Vers. 17. *Ecce, ego adducam aquas diluvij super terram*, tr. 94. d. 32. n. 5.

Cap. VII.

Vers. 1. *Te vidi justum coram me, in generatione hac*, tr. 71. d. 5. num. 5.
Vers. 4. *Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, tr. 81. d. 23. num. 3.
Vers. 14. *In articulo diei illius ingressus est Noë, Sem, Cham, Japhet, filij ejus, uxor illius, & tres uxores filiorum ejus, cum eis in arcam*, tr. 81. d. 23. n. 3.
Vers. 17. *Adauxerunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime*, tr. 94. d. 33. n. 7.
Vers. 18. *Vehementer inundaverunt, & omnia replevêrunt in superficie terræ*, tr. 78. d. 9. n. 2.

Cap. VIII.

Vers. 8. *Noë emisit columbam ut videret, si jam cessassent aquæ*, tr. 70. d. 16. n. 2.
Vers. 11. *Tulit columba ramum olivæ, &c.* tr. 70. d. 7. n. 8.

Cap. IX.

Vers. 2. *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ*, tr. 90. d. 1 n. 3.
Vers. 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, tr. 78. d. 23. n. 7.

Vers. 25.
Vers. 25. *Serves servorum erit fratribus suis*, tr. 71. d. 14. n. 2.

CAP. XI.

Vers. 2. *Invenerunt campum in terra Sennaar*, tr. 71. d. 12. num. 2.
Vers. 6. *Ecce, unus est populus, & unum labium omnibus, cæperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*, tr. 74. d. 2. n. 3.

CAP. XII.

Vers. 1. & 2. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, &c.* tr. 89. d. 2. n. 5. & tr. 81. d. 4. n. 2.
Vers. 1. *Exi de terra tua, & de cognatione tua*, tr. 70. d. 5. num. 7.
Vers. 8. *Transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel.* tr. 89. d. 4. n. 10.
Vers. 13. *Dic obsecro, quod soror mea sis*, tr. 85. d. 11. n. 7.

CAP. XIII.

Vers. 2. *Quia dives valde fuit in possessione auri*, tr. 85. d. 8. n. 10. & tr. 70. d. 5. n. 7.
Vers. 14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Loth*, tr. 70. d. 5. n. 7. & d. 10. n. 6.

CAP. XIV.

Vers. 8. *Direxerunt aciem contra eos in valle sylvestri, &c.* tr. 89. d. 4. n. 5.
Vers. 17. *Egressus est Rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est à cæde Chodola Homor, &c.* tr. 95. d. 3. n. 10.
Vers. 22. & 23. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, Quod à filo subtegminis usque ad corrigiam calceamenti non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, tr. 95. d. 11. n. 6. & tr. 83. d. 39. n. 4.

CAP. XV.

Vers. 5. *Protector tuus sum*, tr. 85. d. 11. n. 7.

CAP XVI.

Vers. 7. *Cumque invenisset eam Angelus Domini, juxta fontem aquæ in solitudine, &c.* tr. 94. d. 11. n. 3.

CAP. XVII.

Vers. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus*, tr. 75. d. 10. n. 5. tr. 80. d. 6. n. 8. & tr. 86. d. 4. n. 2.

CAP. XIX.

Vers. 3. *Compulit illos Loth oppido, ut diverterent ad eum*, tr. 73. d. 4. n. 4.
Vers. 16. *Egredi coactus est*, tr. 77. d. 2. n. 9.
Vers. 17. *In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas*, tr. 89. d. 3. per totum.
Vers. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem, à Domino de cælo*, tr. 78. d. 10. n. 2.
Vers. 24. *Pluit ignem à Domino de cælo*, tr. 78. d. 23. n. 3.
Vers. 26. *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis*, tr. 80. d. 3. n. 1.

CAP. XX.

Vers. 3. & 8. *En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos*, tr. 81. d. 14. n. 8.
Vers. 8. *De nocte consurgens Abimelech*, tr. 81. d. 4. n. 2.

CAP. XXI.

Vers. 6. *Risum fecit mihi Deus*, tr. 93. d. 12. n. 10.
Vers. 17. *Exaudivit Dominus vocem pueri*, tr. 85. d. 7. n. 2.

CAP. XXII.

Vers. 12. *Nunc cognovi quod timeas Dominum*, tr. 94. d. 16. num. 5.

CAP. XXIII.

Vers. 4. *Advena ego sum, & peregrinus, date mihi jus sepulchri apud vos, ut sepeliam mortuum meum*, tr. 86. d. 8. n. 2.

CAP. XXIV.

Vers. 63. *Egressus fuerat ad meditandum in agro*, tr. 90. d. 5. num. 4.

CAP. XXVI.

Vers. 1. & 2. *Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech, Regem Palæstinorum in Gerara, Apparuit ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi*, tr. 85. d. 8. n. 1.
Vers. 2. *Apparuitque ei Dominus, & ait, ne descendas in Ægyptum*, tr. 94. d. 31. n. 11.

CAP XXVII.

Vers. 15. & 16. *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eam, Pellesque hædorum circumdedit manibus*, tr. 78. d. 21. n. 6.
Vers. 21. *Accede huc, ut tangam te fili mi, & probem utrum tu sis filius meus*, tr. 92. d. 3. n. 9.
Vers. 26. *Accede ad me, & da mihi osculum fili mi*, tr. 68. d. 19. num. 5.
Vers. 34. *Irrugijt clamore magno*. tr. 81. d. 5. n. 5.
Vers. 40. *Vives in gladio, & fratri tuo servies*, tr. 71. d. 14. n. 4.
Vers. 41. *Dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, tr. 77. d. 31. n. 8.
Vers. 45. *Cur utroque orbabor filio in uno die?* tr. 77. d. 6. num. 1.

CAP. XXVIII.

Vers. 12. *Vidit . . . scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum*, tr. 89. d. 8. per totum.
Vers. 16. *Vere Dominus est in loco isto, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cæli*, tr. 88. d. 9. n. 6.
Vers. 17. *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli*, tr. 96. d. 1. n. 4. & tr. 94. d. 25. n. 6.
Vers. 18. & 19. *Tunc orexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper ac dixit: Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli*, tr. 99. d. 5. n. 9.
Vers. 20. *Si fuerit Deus mecum, in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum*, tr. 85. d. 3. n. 5.

Cap. XXIX.

Vers. 7. *Date ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite*, tr. 83. d. 33. n. 8.

CAP. XXX.

Vers. 33. *Respondebit mihi erat justitia tua, quando placitè tempus, &c.* tr. 81. d. 3. n. 2.

CAP. XXXI.

Vers. 40. *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, tr. 85. d. 11. n. 6.

CAP. XXXII.

Vers. 1. & 2. *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, Quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt hæc*, tr. 85. d. 11. n. 6.
Vers. 2. *Castra Dei sunt hæc*, tr. 70. d. 15. n. 6.
Vers. 9. *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, &c.* tr. 94. d. 30. n. 5.
Vers. 10. *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior*, tr. 85. d. 3. n. 5.
Vers. 23. *Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus, & vir luctabatur cum eo usque mane*, tr. 69. d. 4. n. 3.

CAP. XXXIII.

Vers. 12. & 13. *Gradiamur simul, . . . Nosti Domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum, quas si plus ambulando fecero ambulare, morientur una die cuncti greges*, tr. 95. d. 5. n. 3.

CAP. XXXIV.

Vers. 25. & 26. *Ingressi sunt urbem confidenter, Hemor & Sichem pariter necaverunt, &c.* tr. 73. d. 1. n. 5.

CAP. XXXVII.

Vers. 4. *Nec poterant ei quidquam pacifice loqui, quia oderant eum*, tr. 70. d. 12. n. 8.
Vers. 8. *Numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ* tr. 78. d. 22. n. 2.
Vers. 20. *Fera pessima devoravit filium tuum*, tr. 77. d. 30. n. 6.
Vers. 31. *Tulerunt tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt*, tr. 78. d. 21. n. 6.

CAP. XXXIX.

Vers. 7. *Dormi mecum*, tr. 94. d. 23. n. 11.
Vers. 9. *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Deum meum?* tr. 71. d. 5. per totum. tr. 75. d. 10. n. 5. & tr. 91. d. 8. n. 10.
Vers. 10. *Per singulos dies malier erat molesta adolescenti*, tr. 95. d. 5. n. 5.

Cap. XLI.

Vers. 16. *Absque me respondebit Deus prospera Pharaoni*, tr. 70. d. 5. n. 4.

Cap. XLII.

Vers. 11. *Omnes filij unius viri sumus, pacifici venimus*, tr. 70. d. 9. n. 2.
Vers. 21. *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, tr. 77. d. 21. n. 2. & tr. 68. d. 17. n. 6. & tr. 94. d. 28. per totum.
Vers. 25. *Scyphum autem meum argenteum & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris, factumque est ita*, tr. 94. d. 13. n. 7.

Cap. XLV.

Vers. 24. *Ne iracamini in via*, tr. 70. d. 4. n. 3.

Cap. XLVIII.

Vers. 15. *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres nostri Abraham & Isaac*, tr. 84. d. 6. n. 2.

Cap. XLIX.

Vers. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas quia ascendisti cubile patris tui*, tr. 78. d. 7. n. 7. & tr. 88. d. 9. n. 7.
Vers. 12. *Dentes ejus lacte candidiores*, tr. 83. d. 4. n. 3.
Vers. 20. *Pinguis panis ejus præbebit delicias Regibus*, tr. 83. d. 17. n. 1.

CAP. L.

Vers. 20. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos*, tr. 92. d. 4. n. 9.

EX EXODO.

Caput II.

*Vers.*2. *Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus*, tr.95. d.4. n.8.

*Vers.*12. *Cumque circumspexisset huc & illuc, nullum adesse vidisset*, tr.77. d.30.n.6.

Cap. III.

*Vers.*7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi*, tr.94.d.30.n.9.& d.31.n.4.

*Vers.*18. *Ingredieris tu & Seniores Israël, ad Regem Ægypti*, tr.93.d.3.n.6.

Cap. IV.

*Vers.*2. *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga, dixitque Dominus, projice eam in terram, projecit, & versa est in colubrum*, tr.92.d.16.n.6.

*Vers.*6. *Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis*, tr.94.d.23. n.5.

*Vers.*10. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum*, tr.88.d.4.n.1. & tr.83 d.34. n.5.d.37.n.4.

*Vers.*10. *Non sum eloquens, . . . tardioris linguæ ego sum*, tr.83. d.41. n.3.

*Vers.*18. *Vadam, & revertar ad fratres meos in Ægypto*, tr.95. d.5.n.4.

*Vers.*24. *Cum esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*, tr.75.d.9.n.7.

Cap. V.

*Vers.*1. *Ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, &c.* tr.93.d.3. n.6.

*Vers.*2. *Nescio Dominum*, tr.75.d.9.n.3. & tr.78.d.3. n.1. & d.24.n.10. & tr.94.d.9.n.7.

*Vers.*12. *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas*, tr.70.d.10. n.4.

*Vers.*22. *Cur afflixisti populum istum?* tr.94.d.32.n.1.

Cap. VI.

*Vers.*12. *Quo modo audiet me Pharao? Præsertim cum incircumcisus sim labiis*, tr.73.d.2. n.5.

Cap. VII.

*Vers.*1. *Constitui te Deum Pharaonis*, tr.68.d.4.n.7. tr.69.d.1. num.6.

*Vers.*22. *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis*, tr.68. d.2. n.4.

Cap. VIII.

*Vers.*6. *Extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti*, tr.78.d.24.n.4.

*Vers.*17. *Extendit Aaron manum, virgam tenens percussitque pulverem terræ, & facti sunt cinyphes in hominibus*, tr.78.d.24. n.5. & tr.68.d.15.n.6.

*Vers.*18.& 19. *Et non potuerunt, . . . & dixerunt . . . ad Pharaonem: Digitus Dei est hic*, tr.78.d.2.n.4.

*Vers.*19. *Digitus Dei est hic*, tr.86. d.2. n.6.

*Vers.*27. *Pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis*, tr.89.d.2. per totum.

CAP. IX.

*Vers.*3. *Ecce manus mea erit supra agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves, &c.* tr.78.d.24.n.6.

*Vers.*3.& 4. *Pestis valde gravis, Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israël*, tr.78. d.14.n.1.

*Vers.*8. *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone*, tr.78.d.24.n.7.

*Vers.*15. *Extendens manum, percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra*, tr.78. d.14. per totum.

*Vers.*20.& 21. *Qui timuit verbum Domini, de servis Pharaonis fecit confugere servos suos, & jumenta in domos. Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos, & jumenta in agris*, tr.83.d.6.n.8.

*Vers.*23. *Extendit Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem ac discurrentia fulgura super terram*, tr.78. d.24. n.7.

*Vers.*23. *Dominus dedit tonitrua*, tr.78.d.11.n.3. & tr.94.d.28. num. 2.

*Vers.*29. *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & grando non erit, ut scias, quia Domini est terra*, tr.78. d.8. n.7.

Cap. X.

*Vers.*13. *Extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum urentem, tota die illa, & nocte, & mane facto, venti urens levavit locustas*, &c. tr.78.d.24. n.9.

*Vers.*22. *Extendit Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti*, tr 78. d.24. n.10.

*Vers.*26. *Non remanebit ex eis ungula*, tr.76. d.7.n.5.

CAP. XI.

*Vers.*5. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum*, tr.78.d.24.n.11.

CAP. XII.

*Vers.*11. *Manducantes debebant tenere baculos in manibus*, tr.85.d.11. n.5.

*Vers.*19. *Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël*, tr.76.d.19.n.4.

*Vers.*31. *Ite & immolate Domino*, tr.75. d.9. n.4.

CAP. XIII.

*Vers.*13. *Primogenitum asini mutabis ove*, tr.80. d.3.n.9.

*Vers.*17. *Igitur cum emisisset, Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, &c.* tr.92. d.13. num. 5.

*Vers.*19. *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum*, tr.87. d.1. n.3. & d.7. per totum.

CAP. XIV.

*Vers.*5. *Nunciatum est Regi Ægyptiorum, quod fugisset populus, junxit ergo currum, & omnem populum secum assumpsit, & persecutus est*, tr.73.d.9.n.4.

*Vers.*13. *Nolite timere, state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie, Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis in sempiternum, Dominus pugnabit pro vobis*, tr. 88. d.7.n.6. & tr. 85. d.11. n.3.

*Vers.*24. *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis interfecit exercitum eorum*, tr.78.d.10.n.8.

*Vers.*25. *Fugiamus Israëlem, Dominus pugnat pro eis contra nos*, tr.71. d.12.n.2.

*Vers.*31. *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris timuitque populus*, tr.93.d.8.n.8.

Cap. XV.

*Vers.*5. *Eduxit eum foras, & ait illi suspice cælum, & stellas si potes*, tr.89.d.1. n.4.

*Vers.*10. *Flavit Spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus*, tr.78.d.9.n.4.

*Vers.*10. *Submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus*, tr.77.d.24.n.7.

*Vers.*19. *Filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus*, tr.78.d.9.n.8.

*Vers.*26. *Cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te*, tr.78.d.17. n.3.

CAP. XVI.

*Vers.*15. *Dixerunt ad invicem Manhu*? tr.74.d.10.n.4.

Cap. XVII.

*Vers.*5. *Virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua*, tr.83. d.34.n.4.

*Vers.*6. *Ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit de ea aqua*, tr.95.d.10.n.4.

*Vers.*7. *Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, annon? Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israel*, tr.78.d.13. per totum.

*Vers.*12. *Aaron & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte, & factum est, ut manus illius non lassarentur, fugavitque Josue Amalec*, tr. 92.d.15.n.8.

Cap. XVIII.

*Vers.*12. *Et Jethro socer ejus eum convenit, ut illum visitaret, obtulitque holocausta & hostias Deo, venerantque Aaron & omnes Seniores domus Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo*, tr.84.d.7.n.2.

*Vers.*13. *Assistebat Moysi à mane usque ad vesperam*, tr.83. d.26. n.5.

Cap. XIX.

*Vers.*5. *Estis mihi in peculium de cunctis populis*, tr.82.d.40 n.4. & tr.83.d.1. n.7.

*Vers.*16. *Cœperunt audiri tonitrua*, tr.78.d.11.n.4.

*Vers.*18. *Totus mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum*, tr.78.d.10.n.8.

Cap. XX.

*Vers.*2. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, tr.71.d.5. n.5.

*Vers.*5. *Ego sum Dominus Deus tuus zelotes*, tr.97.d.1.n.1. & d.5. per tot.

*Vers.*25. *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, si enim levaveris cultrum super illud, polluetur*, tr.95. d.4. n.4.

Cap. XXI.

*Vers.*2. 5. & 6. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Quod si dixerit servus: Diligo Dominum meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber; offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum*, tr.81. d.17. n.9.

*Vers.*6. *Offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum*, tr.73.d.7. n.4.

*Vers.*33. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, & ceciderit ibi bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum*, tr.83.d.45. n.5.

Cap.

CAP. XXIII.

*Vers.*21. *Est nomen meum in illo*, tr.97. d.2. per totum.

CAP. XXIV.

*Vers.*2. *Solus Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt*, tr.93. d.3.n.6.

*Vers.*10. *Viderunt Deum Israel, & sub pedibus ejus, quasi opus lapidis Sapphyrini, & quasi cælum, cum serenum est*, tr.94. d.3. n.6.

CAP XXV.

*Vers.*20. *Utramque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum*, tr.95.d.5. per totum.

*Vers.*29. *Parabis acetabula & phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda libamina*, tr.97. d.9.n.4. & tr.83.d.44.n.4.

*Vers.*30. *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*, tr. 84.d.6.n.7. & tr.83.d.2.n.1. & tr.85. d.4.n.1.

*Vers.*40. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, tr.84.d.6. n.7.

CAP. XXVII.

*Vers.*3. *Faciesque in usus ejus debetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula*, tr.83. d.45. n.4.

CAP XXVIII.

*Vers.*7. *Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant*, tr.95. d.4. n.4.

*Vers.*33. *Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies*, tr.80.d.4.n.2.

*Vers.*36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino, ligabisque eam vitta hiacynthina, & erit super Tiaram, imminens fronti Pontificis*, tr.84. d.7.n.8.

CAP. XXX.

*Vers.*15. *Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet*, tr.69. d.2. n.9.

CAP. XXXII.

*Vers.*1. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant, videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron dixit: Fac nobis Deos*, tr.68.d.15. n.7.

*Vers.*2. *Tollite inaures aureas, de uxorum filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & offerte ad me*, tr.71.d.20. n.5.

*Vers.*6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, tr.76.d.1. n.2.

*Vers.*10. *Dimitte me, ut iratiatur furor meus contra eos, & deleam eos*, tr.97.d. 3. n.4.

*Vers.*14. *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum*, tr.93.d.3.n.6.

*Vers.*20. *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel*, tr.78.d.21.n.3.

*Vers.*21. *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? respondit ei Aaron frater ejus, &c. projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus*, tr.71.d.20. n.5.

*Vers.*29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, ut detur vobis benedictio*, tr.87.d.3.n.2.

*Vers.*30. *Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum si quo modo qui vero eum deprecari pro scelere vestro*, tr.93. d.3. n.6.

CAP. XXXIII.

*Vers.*20. *Non videbit me homo, & vivet*, tr.68.d.10. n.5.

CAP. XXXIV.

*Vers.*1. *Et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*, tr.97.d.3.n.6.

*Vers.*14. *Dominus zelotes nomen ejus*, tr.97. d.1. per totum.

CAP. XXXIX.

*Vers.*23. *Et tintinnabula ex auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata, in extrema parte tunicæ*, tr.83.d.38. n.7.

CAP. XL.

*Vers.*24. *Posuit altare aureum sub tecto testimonij contra velum, & adolevit super eo incensum aromatum*, tr.93.d.4.n.3.

EX LEVITICO.

CAP. II.

*Vers.*1. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino*, tr.69. d.1. n.4.

*Vers.*11. *Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet*, tr.76.d.12. n.1.

*Vers.*11. *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio*, tr.89. d.7. n.8.

*Vers.*13. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*, tr.70. d.9. n.5.

CAP IV

*Vers.*3. *Si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino*, tr.74.d.8. n.4.

*Vers.*11.& 12. *Pellem vero & omnes carnes cum capite, & pedibus, & intestinis, & simo. Et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum*, tr.89.d.3. n.9.

*Vers.*27. *Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam*, tr.74.d.13. n.2.

CAP. V.

*Vers.*6.& 7. *Offerat de gregibus agnam sive capram; . . . Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino*, tr. 69.d.2.n.9.

*Vers.*11. *Offeret pro peccato suo similæ partem, Ephi decimam, non mittet in eam oleum*, tr.77.d.12. n.3. & tr.93.d.8. n.11.

CAP X.

*Vers.*1. *Arreptis Nadab & Abiu, filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum*, tr.76.d.10.n.2. & tr.78. d.22.n.7.

*Vers.*2. *Egressus ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt coram Domino*, tr.76.d.16.n.3.

CAP XI.

*Vers.*41. *Omne quod reptat super terram, abominabile erit*, tr.71.d.13.n.3.

CAP. XVI.

*Vers.*30. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis*, tr.72.d.21. n.1.

CAP. XVII.

*Vers.*11. *Dedi vobis sanguinem, ut super altari meo expietis pro animabus vestris*, tr.86.d.12.n.4.

CAP. XVIII.

*Vers.*27. *Omnes execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, cavete ergo, ne & vos similiter evomat*, tr.78.d.2.n.5.

CAP. XIX.

*Vers.*19. *Agrum tuum non feres diversis seminibus*, tr. 83.d.36. num. 4.

*Vers.*29. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo*, tr.95. d.10.n.5.

CAP. XXIV.

*Vers.*15. *Homo qui maledixerit Deo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*, tr.77. d.28. n.3.

CAP.XXVI.

*Vers.*18.& 19 *Propter peccata vestra, . . . dabo vobis cælum desuper, sicut ferrum, & terram æneam*, tr.78.d.6. per totum.

*Vers.*36. *Dabo pavorem in cordibus eorum, in Regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium, cadent nullo persequente, &c.* tr.78.d.12. n.3.

EX NUMERO.

CAP. IV.

*Vers.*20. *Nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario*, tr.74. d.8.n.2.

CAP. VI.

*Vers.*3. *Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent*, tr.76.d.5.n.3.

CAP. X.

*Vers.*2. *Fac tibi duas tubas argenteas*, tr.83.d.31.n.6.

*Vers.*7. *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit*, tr.83.d.43. n.6.

CAP. XI.

*Vers.*12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum suum*, tr.85.d.7.n.2.

CAP. XIV.

*Vers.*22. *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ*, tr.81.d.19.n.7.

*Vers.*24. *Servum meum Caleb, qui plenus alio Spirita, secutus est me, inducam ad terram hanc*, tr.93.d.6.n.7.

CAP. XV.

*Vers.*38. & 39. *Faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas, Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, &c.* tr.84.d.7. n.2.

CAP. XVI.

*Vers.*15. *Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum*, tr.97. d.6. num. 2.

*Vers.*28. & 31. *In hoc scietis, quod Dominus miserit me, &c. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos*, tr.90.d.11.n.7.

CAP.XIX.

*Vers.*15. *Vas quod non habet operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit*, tr.88.d.9.n.4. & tr.95. d.4.n.2.

CAP. XX.

*Vers.*6.7. & 8. *Apparuit gloria Domini super eos, locutusque est Dominus ad Moysen dicens, tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron, & loquimini ad petram, &c.* tr.85.d.9.n.5.& tr.75. d.9. n.6.

CAP. XXI.

*Vers.*5. *Jam anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*, tr.83. d.4 n.10.d.25. n.8.

CAP.XXII.

*Vers.*23. *Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio avertit se de itinere, & ibat per agrum*, tr.94.d.9.n.5.

CAP. XXIII.

*Vers.*19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque filius hominis, &c.* tr.85.d.11.n.5.

CAP. XXIV.

*Vers.*5. *Quam pulchra tabernacula tua Jacob,* tr.83.d.49.n.8.

CAP. XXV.

*Vers.*13. *Erit tam ipsi quam semini ejus pactum Sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo,* tr.97.d.3. per totum.

EX DEUTERONOMIO.

CAP. II.

*Vers.*24. *Surgite & transite torrentem Arnon, ecce tradidi in manu tua Sehon, &c.* tr. 91.d.10.n.4.

CAP. VI.

*Vers.*4. & 5. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est: Diliges Dominum Deum tuum, &c.* tr.74.d.3.n.8.

CAP. X.

*Vers.*14. *En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt,* tr.85.d.1.n.2.

CAP.XI.

*Vers.*10. *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine, in hortorum more aquæ ducuntur irriguæ,* tr.78.d.6.n.8.

*Vers.*18. *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate,* tr.83.d.2.c.n.5.

*Vers.*24. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit,* tr.90. d.13.n.6.

CAP. XX.

*Vers.*1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem quam tu habeas, adversarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tecum est,* tr.84.d.3. n.2.

*Vers.*2. *Appropinquante jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum,* tr.83.d.32.n.2.

CAP.XXIV.

*Vers.*12. *Sin autem pauper est, non permanebit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi,* tr.69. d.3.n.3.

CAP.XXV.

*Vers.*2. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus,* tr.71. d.19.n.1. tr.76.d.10. per totum.

CAP. XXVI.

*Vers.*18. & 19. *Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, & custodias præcepta illius: Et faciat te excellentiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, & nomen, gloriam suam,* tr.95. d.1. n.2.

CAP. XXVIII.

*Vers.*12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum,* tr.78. d.6.n.3. & tr.80. d.7.n.3.

*Vers.*15. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus, venient super te omnes maledictiones istæ,* tr.78.d.1.n.2.

CAP. XXVIII.

*Vers.*15. 16. & 17. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ... Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, Maledictum horreum tuum,* tr.73.d.83.n.3.

*Vers.*23. *Sit cœlum quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea,* tr.83. d.36. n.2.

*Vers.*38. *Sementem multam jacies in terram, & modicam congregabis, quia locustæ devorabunt omnia,* tr.78.d.15. n.6.

*Vers.*65. *Dabit tibi Dominus animam mœrore confectam, & erit vita tua, quasi pendens ante te,* tr.77.d.25.n.7.

CAP. XXX.

*Vers.*11. & 12. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, Nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos,* tr.96.d.6. n.4.

CAP.XXXI.

*Vers.*17. *Irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem, & invenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut &c.* tr.84. d.2.n.8.

CAP. XXXII.

*Vers.*1. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei,* tr.73.d.2. n.3.

*Vers.*4. *Dei perfecta sunt opera,* tr.80.d.1.n.8.

*Vers.*5. *Peccaverunt ei, & non filij ejus in sordibus,* tr.77. d.26.n.1.

*Vers.*6. *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te?* tr.72.d.1.n.3.

*Vers.*10. *Custodivit eos ut pupillam oculi sui,* tr.76. d.16.n.2.

*Vers.*11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos,* tr.84. d.1. n.2.

*Vers.*13. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,* tr.94.d.7.n.7.

*Vers.*15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum,* tr.75.d.3. n.7. & tr.94. d.30.n.3.

*Vers.*33. *Venenum aspidum insanabile,* tr.77. d.31. n.6.

*Vers.*35. *Juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora,* tr.91.d.1.n.2.

*Vers.*37.38. & 39. *Ubi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum, surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant; Videte quod ego sim solus, & non sit alius præter me; Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere,* tr.81.d.15. n.2.

*Vers.*37. *Ubi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam &c.* tr.85.d.13.n.1.

*Vers.*38. *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant,* tr.85.d.11. n.5.

*Vers.*39. *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo,* tr.97.d.6.n.4.

*Vers.*41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea,* tr.78. d.8.n.2. d.11.n.5.

CAP. XXXIII.

*Vers.*19. *Inundationem maris, quasi lac fugent,* tr.94. d.6. per tot. & d.7.n.7.

CAP.XXXIV.

*Vers.*6. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus, usque in præsentem diem,* tr.87.d.1.n.3. & d.8.n.6. d.3. per totum.

EX LIBRO JOSUÆ.

CAP. II.

*Vers.*21. *Dimittens eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra,* tr.81.d.23. n.5.

CAP.III.

*Vers.*16. *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescebant,* tr. 80. d.5.n.6.

CAP.V.

*Vers.*9. *Hodie ablatuli à vobis opprobrium Ægypti,* tr.75. d.8. num. 6.

CAP. VI.

*Vers.*26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho,* tr.75.d.8.n.3.

CAP. VII.

*Vers.*12. *Nec poterit Israël stare contra hostes suos, eosque fugiet,* tr.78.d.12. per totum.

CAP. X.

*Vers.*12. *Sol contra Gabaon ne movearis, reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, &c.* tr.95.d.33.n.7.

CAP. XI.

*Vers.*6. *Equos eorum subnervabis,* tr.94.d.11. n.2.

CAP. XVI.

*Vers.*10. *Et non interfecerant filij Ephraim Chananæum, qui habitavit in Gazer,* tr.77.d.25.n.2.

CAP. XXI.

*Vers.*41. *Dedit Dominus omnem terram, quam daturum se patribus eorum jurayerat, &c.* tr.70.d.10.n.5.

EX LIBRO JUDICUM.

CAP. III.

*Vers.*1. & 2. *Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Israelem, & omnes qui noverant bella Chananæorum, Ut postea discerent filij eorum certare cum hostibus, &c.* tr.92. d.4. n.10.

*Vers.*11. & 12. *Quievit terra quadraginta annis, ...Addiderunt autem filij Israël facere malum in conspectu Domini,* tr.75.d.7.n.5

*Vers.*16. *Aod fecit sibi gladium anceps, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus,* tr.83. d.42. n.7.

*Vers.*17. *Erat Eglon crassus nimis,* tr.77.d.21.n 4.

*Vers.*20. *Verbum Dei habeo ad te, qui statim surrexit de throno, erat autem Eglon crassus nimis,* tr.83.d.17.n.3.

CAP. IV.

*Vers.*4. *Judicabat populum, sedebat sub palma, & ascendebant ad eam filij Israël in omne judicium,* tr 89.d.3.n.10.

*Vers.*17. *Erat enim pax inter Jabin, Regem Azor, & domum Haber Cinæi,* tr.70.d.11.n.3.

CAP. V.

*Vers.*20. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo, & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt,* tr.78.d.3. n. 7.

CAP.VII.

*Vers.*16. *Divisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum,* tr.83. d.14. n.6.

CAP. VIII.

*Vers.*24. *Unam petitionem peto à vobis, date mihi in aures ex præda,* tr.85.d.22.n.5.

CAP. IX.

*Vers.*2. *Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Jeroboam, an ut dominetur unus vir?* tr.78. d.27. n.6.

*Vers.*5. *Venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jeroboam,* tr.79. d.3.n.2.

*Vers.*7.

*Vers.*7. *Stetit Jonathan in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit,* tr.83.d.33.n.3.

*Vers.*48. & 49. *Ascendit in montem Selmon, cum omni populo suo, & arreptà securi præcidit arboris ramum, impositumque fœnus humero, dixit ad socios, quod me videtis facere, cito facite, igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem,* tr.94.d.5.n.7.

*Vers.*53. *Et ecce una mulier, fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus,* tr.78.d.21.n.9.

Cap. X.

*Vers.*6. *Filij Israel peccatis veteribus jungentes nova fecerunt malum in conspectu Domini,* tr.78.d.31.n.3.

Cap. XI.

*Vers.*6. *Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon,* tr.81.d.20.n.6.

Cap. XIII.

*Vers.*5. *Erit Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel,* tr.91.d.26.n.7.

Cap. XIV.

*Vers.*2. *Vidi mulierem in Thamnata, quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem,* tr.77.d.29.n.8.

*Vers.*8. *Declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus melli,* tr.89.d.7.n 9.& tr.92. d.17.n.9.& tr.83.d.19.n.2.

*Vers.*14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo,* tr.94.d.8.n.10.

Cap XV.

*Vers.*4. *Perrexit & cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, &c.* tr.77.d.26.n.3. tr.78.d.18.n.3.

*Vers.*18. & 19. *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam, en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum: Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ.* tr. 87.d.11.n.3.

EX LIBRO RUTH.

Caput II.

*Vers.*3. *Accidit autem, ut ager ille haberet Dominum nomine Booz,* tr.85.d.3.n.5.

EX LIBRO I. REGUM.

Cap. I.

Vers. 6. *Affligebat quoque eam ancilla ejus, & vehementer angebat, &c.* tr.94.d.30.n.4.

*Vers.*11. *Dabo eam Domino omnibus diebus vitæ ejus,* tr.95. d.7.n.8.

Cap. II.

*Vers.*3. *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est: & ipsi præparantur cogitationes,* tr.84.d.1.n.5.

Vers. 4. *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore,* tr.90.d.11.n.6.

*Vers.*5. *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est,* tr.76.d.17.n.2. & tr.86.d.1.n.12.

*Vers.*6. *Dominus mortificat, & vivificat,* tr.94.d.15.n.2. & d.17.n.1.

*Vers.*25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo,* tr.74. d.8.n.4.

Vers. 29. *Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi ut offerrentur in templo?* tr. 71.d.20.n.7.

Vers. 30. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles,* tr.71.d.10. per totum.

Cap. III.

*Vers.*14. *Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus usque in æternum,* tr.74.d.10.n.6.

Cap V.

*Vers.*9. *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis,* tr.80.d.3.n.7.

Cap. VI.

*Vers.*3. *Sed quod debetis, reddite ei pro peccato,* tr.77.d.16. num.6.

*Vers.*19. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis,* tr.74.d.8.n.2.

Cap. IX.

*Vers.*2. *Saël electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel, melior illo,* tr.76.d.11.n.3.

Cap. X.

*Vers.*6. *Insiliet in te Spiritus Domini, ac mutaberis in virum aliam,* tr.70.d.3.n.4.

Cap. XI.

Vers. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros,* tr.72.d.3.per totum.

Cap. XII.

*Vers.*3. *Loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujuspiam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressus aliquem, si de manu cujusquam munus accepi,* tr.83. d.36.n.1.

Cap. XIII.

*Vers.*1. *Filius unius anni erat Saël, cum regnare cœpisset,* tr.91. d.15. n.10.

*Vers.*13. *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, &c.* tr.80.d.12.n.8.

*Vers.*19. *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel,* tr.83.d.12.n.2.

Cap. XV.

*Vers.*2. *Recensui quæcumque fecit Amalec, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto,* tr.81.d.19.n.7.

*Vers.*13. *Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini, dixitque ei Samuel: & quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quæ audio,* tr.77.d.30.n.6.

*Vers.*30. *Honora me coram Senioribus populi mei,* tr.71.d.15 num 2.

*Vers.*32. *Siccine separat amara mors,* tr.81.d.10.n.2.

Cap. XVI.

*Vers.*11. *Adhuc reliquus est parvulus, qui pascit oves,* tr.85. d.12.n.1.

*Vers.*23. *Spiritus Domini malus arripiebat Saël,* tr.77.d.17. num.4.

Cap. XVII.

*Vers.*28. *Eliab frater ejus major, iratus est contra David, & ait, quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium descendisti,* tr.88.d.8.n.5.

*Vers.*34. & 35. *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, Et persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum,* tr.92.d.11.n.6

*Vers.*36. *Leonem & ursum interfecit, ego servus tuus,* tr.71.d.12 n.7. tr.78.d.12.n.3.

*Vers.*43. *Numquid ego canis sum?* tr.75.d.1.n.2.

*Vers.*45. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum,* tr.78. d.21.n.7.

Cap. XVIII.

*Vers.*7. *Percussit Saël mille, & David decem millia,* tr.74.d.3. num.1.

Cap. XIX.

*Vers.*4. *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit, & opera ejus bona sunt tibi, &c.* tr.75.d.3.n.4.

*Vers.*11. *Misit Saël Satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur manè,* tr.78.d.26.n.5.

Cap. XX.

*Vers.*18.19. & 20. *Cras Calendæ sunt, & requireris, Et sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel, Et ego tres sagittas mittam, &c.* tr.94.d.13.n.6.

Cap. XXII.

*Vers.*2. *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, &c.* tr.78.d.28.n.1

*Vers.*5. *Dixitque Gad ad David: Noli manere in præsidio, proficiscere, &c.* tr.70.d.12.n.7.

*Vers.*8. *Non est qui zelum meum doleat,* tr.77.d.17.n.4.

*Vers.*19. *In ore gladij percusserat viros & mulieres parvulos, &c.* tr.97.d.7.n.11.

Cap. XXIV.

*Vers.*6. *Percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saël,* tr.76.d.17.n.4.

*Vers.*15. *Quem persequeris? ... Canem mortuum,* tr.71.d.13 n.4.& tr.75.d.1.n.2.

*Vers.*17 *Levavit Saël vocem suam, & flevit,* tr.83.d.21.n.9.

Cap. XXV.

*Vers.*6. *Sit fratribus meis & tibi pax, &c.* tr.70.d.5.n.5.

Vers. 10. *Quis est David? & quis est filius Isai?* tr.90.d.16 num.5.

*Vers.*29. *Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ,* tr.94.d.13.n.11.

Cap. XXVI.

Vers. 12. *Tulit igitur David hastam & scyphum aquæ, quæ erat ad caput Saël, &c.* tr.97.d.7.n.10.

Cap. XXVIII.

*Vers.*3. *Saël abstulit magos & ariolos de terra, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre,* tr.74.d.11.n.5.

*Vers.*18. *Quod pateris fecit tibi Dominus,* tr.68.d.19.n.2.

Cap. XXX.

*Vers.*24. *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident,* tr.96.d.5.per tot.

EX LIBRO II. REGUM.

Caput I.

*Vers.*6. *Casu veni in montem Gelboe, & Saël incumbebat super hastam suam, porro currus, & equites appropinquabant ei, &c.* tr.78.d.22.n.5.

Cap. II.

*Vers.*21. *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat super vos,* tr.90.d.5.n.1.

Cap. III.

*Vers.*8. *Numquid caput canis ego sum?* tr.75.d.1.n.2.

Cap. VI.

Vers. 7. *Iratusque est indignatione Dominus contra Oxam, & percussit eum*, tr.74.d.11.n.6.tr.76.d.10.n.6.

Vers. 11. *Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Obededom, & omnem domum ejus, & omnia ejus propter arcam Dei*, tr.87.d.9.n.7.

Cap. X.

Vers. 4. *Tulit Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum*, tr.78.d.20.n.5.

Cap. XI.

Vers. 1. *Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere David remansit in Jerusalem*, tr.76.d.1.n.2.& tr.96.d.3.n.8.

Vers. 2. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus Regiæ*, tr.91.d.7.n.7.& tr.84.d.3.n.4.

Vers. 2. *Viditque mulierem lavantem se* tr.76.d.2.n.5.

Vers. 23. *Prævaluerant adversum nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum, direxerunt jacula sagittarii ad servos suos, &c.* tr.78. d.12.n.3.

Vers. 25. *Non te frangat ista res, varius est enim eventus belli*, tr.73.d.4.n.3.

Cap. XII.

Vers. 5. *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* tr.71.d.6.n.1.tr.72.d.6.n.3. & tr.77.d.20.n.8.

Vers. 9. *Uriam Hetheum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti, &c.* tr.78.d.18.n.12.

Vers. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu Solis*, tr.77.d.31.n.4.

Vers. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.*tr.73.d.8.n.2.tr.75.d.9.n.6.tr.76.d.10.n.3.tr.81.d.21.n.7.

Vers. 31. *Populum ejus adducens ferravit, & circumegit super eos ferrata carpenta.* tr.78.d.20.n.5.

Cap. XIV.

Vers. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.* tr.96.d.6.n.9.& tr.81.d.7.n.9.tr.83.d.23.n.1.

Vers. 17. *Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* tr.68.d.10.n.5

Vers. 19. *Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis?* tr.72.d.6.n.3.

Vers. 24. *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* tr.76.d.9.n.10.

Vers. 26. *Ponderabat enim capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* tr.78.d.20.n.3.

Vers. 29. *Nolait venire ad eum.* tr.94.d.11.n.4.

Cap. XV.

Vers. 7. *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* tr.87.d.1.n.2.

Cap. XVI.

Vers. 10. *Dimittite eum ut maledicat, Dominus enim præcepit illi, ut malediceret David*, tr.97. d.6.n.8.& tr.94.d.32.n.3.

Cap. XVII.

Vers. 23. *Disposita domo sua suspendio interiit.* tr.77.d.26. num.4.

Cap. XVIII.

Vers. 5. *Servate mihi puerum Absalom.*tr.81.d.9. n.4.

Vers. 9. *Accidit autem, ut occurreret Absalon servis David: sedens mulo, cumque ingressus fuisset mulus, subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, &c.* tr.78. d.20.n.3.

Vers. 17. *Projecerant eum in foveam grandem, & congeraverant super eum acervum lapidum magnum nimis*, tr.90.d.10.n.5.

Cap. XX.

Vers. 5. *Moratus est extra placitum, quod constituerat ei Rex*, tr.81.d.6.n.3.

Vers. 9. *Tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum, qui percussit eum, in latere, & effudit intestina ejus*, tr.78. d.20.n.4.

Cap. XXI.

Vers. 1. *Dixitque Dominus propter Saül, & domum ejus, quia occidit Gabaonitas*, tr.97.d.7.n.11.

Cap. XXII.

Vers. 6. *Funes inferni circumdederant me.* tr.77.d.2.n.7.

Vers. 31. *Sanctum est omnium spernentium in se.* tr.83. d.27. num.3.

Cap. XXIII.

Vers. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus.* tr.83.d.33.n.6.

Vers. 17. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt; & animarum periculum bibam?* tr.92.d.11.n.3.

Cap. XXIV.

Vers. 15. *Immisit Dominus pestilentiam in Israel, &c.* tr.78.d. 34. n.3.

EX LIBRO III. REGUM.

Caput III.

Vers. 5. *Postula quod vis, ut dem tibi.*tr.92.d.10.n.4.

Vers. 6. *Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo, in veritate & justitia, & recto corde tecum.* tr. 84.d.6. n.6.

Cap. V.

Vers. 2. *Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non poterit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella, &c.* tr.70.d.4.n.5.

Vers. 15. *Fuerunt que Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, &c. præcipientium populo, & his qui faciebant opus.* tr.88.d.6.n.2.

Cap. VI.

Vers. 7. *Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo.* tr.8.d.6.n.2 & tr.70.d.4. num.5.

Vers. 31. & 32. *Et in ingressu oraculi fecit ... duo ostia de lignis olivarum, & pinxit in eis picturam Cherubim, & palmarum species.* tr.80.d.1.n.2.

Cap. VIII.

Vers. 35. *Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint, exaudi eos in cælo*, tr. 78.d.6.n.3.

Cap. X.

Vers. 8. *Beati viri, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*, tr.83.d.16.n.4.& tr.84.d.8. num.5.

Cap. XI.

Vers. 3. *Averterunt mulieres cor ejus*, tr.76.d.11.n.2.

Cap. XII.

Vers. 28. *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos*, tr.74. d.1. n.7.tr.78.d.27.n.7.

Cap. XIII.

Vers. 2. *Altare, altare hæc dicit Dominus*,tr.73. d.2.n.3.

Vers. 24. *Invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere, asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadaver*, tr.87.d.1.n.4.

Cap. XV.

Vers. 5. *Eo quod feciset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi*, tr.74.d.3.n.2.tr.76.d.10.n.5

Cap. XVII.

Vers. 1. *Vivit Dominus in cujus conspectu sto, si erit annis his vel pluvia, nisi juxta oris mei verba*, tr.97.d.2.n.5.& tr.84. d.8.n.2.

Cap. XVIII.

Vers. 3. *Abdias timebat Dominum valde vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ*, tr.96.d.9.n.7.

Vers. 12. *Cum recessero à te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ignoro*, tr.97. d.4.n.4.

Cap. XIX.

Vers. 7. & 8. *Surge & comede, grandis enim tibi restat via, Qui cum surrexisset, comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Horeb.* tr.83.d.2.n.1.

Vers. 7. & 9. *Angelus Domini dixit illi, surge &c. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca*, tr.89.d.8.n.2.

Vers. 11. *Sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, &c.* tr.97.d.2.n.3.

Vers. 13. & 14. *Quid hic agis Elia? ... Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, tr.97. d.2.n.3.

Vers. 19. *Profectus est inde Elias, & reperit Elisæum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum*,tr.87.d.1. n.5.

Cap. XX.

Vers. 23. *Dij montium sunt Dij eorum, ideo superaverunt nos, sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus & obtinebimus eos.*tr.89.d.4.n.5.

Cap. XXI.

Vers. 4. *Projecit se in lectulum suum, & non comedit panem*, tr.78. d.21.n.4.

Vers. 19. *Linxerunt canes sanguinem Naboth.* tr.78.d.28.n.3

Vers. 21. *Ecce ego inducam super te malum, &c. Quia igitur Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus*, tr.75.d.9.n.3.

EX LIBRO IV. REGUM.

Cap I.

Vers. 4. *De lectulo super quem ascendisti non descendes sed morte morieris*, tr.81.d.7.n.4.

Vers. 6. *Mittis ut consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes*, tr.77. d.6.n.4.

Cap.II.

Cap. II.

Vers. 9. *Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*, tr.84.d.7. num.4.

Vers. 9. *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Elisæus, obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*, tr.80.d.8.n.2. & tr.96.d.1.n.9.

Vers. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum*, tr.97.d.2. num.4.

Cap. III.

Vers. 27. *Obtulit holocaustum super murum*, tr.95.d.5.n.2.

Cap. IV.

Vers. 3. & 4. *Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, Et ingredere & claude ostium tuum*, tr.89.d.6.n.5

Vers. 29. *Ait ille ait ad Giezi: accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade, si occurrerit tibi homo, non salutes eum*,tr.95.d.9.n.5.

Cap. V.

Vers. 10. *Vade & lavare septies in Jordane, &c.* tr.76.d.16.n.6

Cap. VI.

Vers. 25. *Factaque est fames magna in Samaria, & oppugnata obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis*, tr.94.d.31.n.9.

Vers. 31. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit, &c.* tr.97.d.7.n.7.

Cap. VII.

Vers. 3. *Videbis oculis tuis & inde non comedes*,tr.83.d.25.n.2

Cap. IX.

Vers. 37. *Carnes Jezabel sicut stercus*,tr.78.d.33.n.5.

Cap. X.

Vers. 16. *Vide zelum meum pro Domino*, tr.97.d.9. per tot.

Cap. XIII.

Vers. 17. *Affer arcum & sagittas, .. sagittam vero Orientem versus jace, &c. Sagitta salutis Domini, &c.* tr.80.d.4.n.6. & tr.83.d.11.n.7.

Vers. 20. *Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierant eum, latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno*, tr.87 d.1.n.5.

Cap. XVII.

Vers. 25. *Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus Leones, qui interficiebant eos*,tr.87 d.15.n.3.

Cap. XVIII.

Vers. 19. 20. & 21. *Quæ est ista fiducia, qua niteris? ... In quo confidis ut audeas rebellare? An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypti?* tr.78.d.34.n.4.

Vers. 21. *An speras in baculo arundineo, atque confracto, super quem si incubuerit homo, &c.* tr.85.d.11.n.5.

Vers. 36. *Tacuit populus, & non respondit ei quidquam, siquidem præceptum Regis acceperant, ut non responderent ei*, tr.88.d.7.n.6.

Cap. XIX.

Vers. 14. *Cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conspectu ejus*,tr.94.d.30.n.4.

Vers. 34. *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum*, tr.87.d.1.n.5.

Vers. 35. *Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*,tr.94.d.31.n.9.

Cap. XX.

Vers. 1. *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu*, tr.73.d.6.n.6.

Vers. 13. *Ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum*, tr.95.d.9.n.2.

Cap. XXIII.

Vers. 11. *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Judæ soli, in introitu templi Domini, &c.* tr.95.d.4.n.8.

Vers. 17. *Et ait, quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius, sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ fecit super altare Bethel*,tr.87 d.1.n.4.& tr.71.d.12.n.7.

CAP. XXV.

Vers. 7. *Filios autem Sedeciæ, occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxitque catenis, & adduxit in Babylonem*, tract. 72. d.3.n.2.

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap. XIII.

Vers. 9. *Paululum inclinaverat arcam*,tr.74.d.11.n.6.

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. II.

Vers. 14. *Qui novit operari in auro & argento, ære & ferro, enarmore & lignis, &c.* tr.96.d.7.n.6.

Cap. XII.

Vers. 9. *Talit & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos*, tr.83.d.43.n.6.

CAP. XIII.

Vers. 11. *Nos custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis*, tr.85.d.10.n.7.

Cap. XIV.

Vers. 9. *Egressus est autem contra eos zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia*, tr.85.d.11.n.7.

Cap. XX.

Vers. 2. *Venit contra te multitudo magna, de his locis, quæ trans mare sunt*, tr.92.d.7.n.4.

Vers. 37. *Percussit Dominus opera tua, contriti que sunt naves, quæ potuerant ire in Tharsis*, tr.78.d.9.n.7.

Cap. XXV.

Vers. 14. *Amasias post cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir, statuit illos in Deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum*, tr. 95.d.8.n.7.

Cap. XXVI.

Vers. 26. *Cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum*,tr.90.d.10.n.5.

Cap. XXVIII.

Vers. 3. *Achaz lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium*, tr.96.d.1.n.19.

Cap. XXXIII.

Vers. 11. *Cæperunt Manassen, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt eum in Babylonem.* tr.78.d.34.n.7.

Vers. 13. *Cognovit Manasses, quod Dominus esset Deus*,tr. 94. d.9.n.1.

Cap. XXXVI.

Vers. 14. *Universi Principes sacerdotum, & populus prævaricati sunt, inique juxta universas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini*, tr.83.d.24.n.5.

EX LIBRO I. ESDRÆ.

Cap. III.

Vers. 1. *Congregatus est ergo populus, quasi vir unus in Jerusalem*, tr.70.d.4.n.5.

Cap. VIII.

Vers. 22. *Erubai petere à Rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus Regi, &c.* tr.85 d.10.n.8.

Cap. IX.

Vers. 6. *Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, super caput nostrum, & delicta nostra creverunt, usque ad cælum*, tr.74.d.5.n.1.

Cap X.

Vers. 9. *Convenerunt omnes in platea domus Dei, trementes pro peccato, & pluvia.*tr.78.d.7. per totum.

EX LIBRO II. ESDRÆ.

Cap. IV.

Vers. 17. *Una manu sua faciebant opus, & altera tenebant gladium*,tr.83.d.30.n.5.

EX TOBIA.

Cap. II.

Vers. 10. *Contigit autem, ut quadam die fatigatus à sepultura veniens in domum suam, factusset se juxta parietem, & obdormisset, &c.* tr.94.d.9.n.4.

Vers. 13. *Cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei*, tr.93.d.12.n.9.

Cap. III.

Vers. 10. *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ, & in oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Deum*, tr.94.d.30.n.3.

Vers. 7. & 9. *Eadem itaque die contigit, ut Sara filia Raguelis, &c. Et ipsa audivit improperium ab una ex ancillis patris sui, Amplius ex te non videamus filium aut filiam, interfectrix virorum tuorum*, tr.94.d.30.n.3.

Vers. 13. *In tempore tribulationis peccata dimittis*, tr.94.d.12. per totum.

Vers. 21. *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur*, tr.92. d.8.n.5.

Cap. IV.

Vers. 2. *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe*, tr.83.d.7.n.8.

Vers. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*,tr.84. d.7.n.1.

Vers. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas*, tr.90.d.1.per totum,& d.8.per totum. & d.11.n.2.

Vers. 23. *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, tr.93.d.11.n.3.& tr.61.d.1.n.2.

Cap. VI.

Vers. 9. *Fel valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur*,tr.94.d.9.per totum.

Cap. IX.

Vers. 4. *Scis quoniam dies numerat pater meus, & si tardaverit una die plus, contristabitur anima ejus*,tr.81.d.1.n.3.

Cap.XII.

Cap. XII.

Vers. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* tr.92.d.7.per totum.

Vers. 19. *Ego cibo invisibili utor,* tr.85.d.4.n.6.

Cap. XIII.

Vers. 2. *Tu Domine flagellas & salvas, deducis ad inferos & reducis,* tr.94.d.17.n.8.

Cap. XIV.

Vers. 6. *Prope erit interitus Ninive,* tr.75.d.7.n.6.

EX JUDITH.

Cap. VIII.

Vers. 8. *Timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa malum,* tr.93.d.13.n.8.

Vers. 11. & 12. *Qui estis vos, qui tentatis Dominum, Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat,* tr.85.d.11.n.2.

Vers. 12. & 13. *Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei,* tr.80.d.7.n.8.

Vers. 14. *Pœnitentiam, & indulgentiam fusis lachrymis postulemus,* tr.78.d.13.n.7.

Vers. 21. *Et nunc fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum, corda vestra erigite,* tr.83.d.39.n.5.

Vers. 24. *Illi qui tentationes non susceperunt, cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpente perierunt,* tr.68.d.15.n.4.

Vers. 27. *Non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes nunc peccatis nostris minora esse flagella Domini,* tr.94.d.28.num.5.

CAP. IX.

Vers. 1. *Ingressa oratorium suum,* tr.94.d.30.n.4.

Vers. 10. *Nescimus, quia tu ipse es Deus,* tr.72.d.2.n.5.

Vers. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutiet eum in labiis charitatis meæ,* tr.78.d.28.n.5.

CAP. X.

Vers. 17. *Statim captus est in oculis suis Holofernes,* tr.78.d.28 num.5.

Cap. XI.

Vers. 14. *Ego ancilla tua Deum colo etiam nunc apud te,* tr.84 d.8.n.5.

CAP. XIII.

Vers. 20. *Vivit ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari,* tr.84.d.4.n.4.

Cap. XVI.

Vers. 23. *Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit ei populus, & conopæum quod ipsa substulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblationis,* tr.95.d.1.n.9.

EX ESTHER.

CAP. I.

Vers. 5. *Jussit septem diebus convivium præparari,* tr.83.d.3.n.8

Vers. 5. *In vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu, & mira constitum erat,* tr.93.d.12.n.7.

Vers. 7. *Libebant, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis sibi inferebantur,* tr.83.d.44.n.2.

Cap. V.

Vers. 13. *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, &c.* tr.94.d.1.n.6.

Cap. XIII.

Vers. 9. *Domine Domine Rex omnipotens, ex ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati,* tr.82.d.2.n.6.

Cap. XIV.

Vers. 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, &c.* tr.96.d.9.n.7.

EX JOB.

CAP. I.

Vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Job.* tr.96.d.8.n.9.

Vers. 3. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales,* tr.88.d.8.n.1

Vers. 5. *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis,* tr.68.d.7.n.1.

Vers. 7. *Circuivi terram,* tr.72.d.3.n.1.tr.77.d.28.n.2. & tr.92.d.1.n.12.

Vers. 9. & 10. *Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus,* tr.93.d.11.n.7.

Vers. 12. *Ecce universa, quæ habet in manu tua sunt,* tr.70.d.8.n.5.

Vers. 12. *Egressus est Sathan à facie Domini,* tr.84.d.2.n.6.

Vers. 16. *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves puerosque consumpsit,* tr.84.d.32.n.4.

Vers. 20. *Scidit vestimenta sua,* tr.69.d.4.n.3.

Vers. 20. *Tonso capite corruens in terram adoravit,* tr.68.d.6. num.5.

Vers. 22. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis,* tr.88.d.9. n.1 & tr.93.d.2.n.7.

Cap. II.

Vers. 2. *Circuivi terram, &c.* tr.80.d.3.n.6.

Vers. 3. *Vir simplex ac rectus, & timens Deum, & recedens à malo,* tr.78.d.1. n.7.

Vers. 6. *Dixit Dominus ad Sathan, ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva,* tr.92.d.3. per totum. & tr.94. d.32.n.11.

Vers. 8. *Testa saniem radebat,* tr.92.d.16.n.9.

Vers. 10. *Respiciens in illam dixit, quasi una de stultis mulieribus locuta es,* tr.97.d.3.n.7.

Vers. 10. *In omnibus his non peccavit Job.* tr.86.d.3.n.7.

Cap. III.

Vers. 13. *Nunc enim dormiens silerem, & requiescerem cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines,* tr. 96. d.8.n.3.

Vers. 13. & 14. *Somno meo requiescerem cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines,* tr.87.d.4.n.3. & tr.89 d.5.n.3.

Vers. 21. & 22. *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque cum invenerint sepulchrum,* tr.86.d.6.n.3.

Cap. IV.

Vers. 2. *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* tr. 88.d.8. per totum.

Vers. 3. & 4. *Ecce docuisti multos, manus lassas roborasti, Vacillantes confirmaverant sermones tui, & genua trementia confortasti,* tr.83.d.38.n.7. & tr.83.d.11.n.2.

Vers. 6. *Ubi est timor tuus, fortitudo & patientia tua?* tr.93. d.14.n.9.

Vers. 8. *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metuunt eos,* tr.77.d.17.per tot.tr.78.d.17.n.1.

Vers. 18. *Et in Angelis suis reperit pravitatem,* tr.92.d.4.n.2.

CAP. V.

Vers. 6. *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor,* tr.78.d.3.n.5. & tr.71.d.20.n.5.

Vers. 16. *Iniquitas contrahet os suum,* tr.83.d.36.n.5.

Vers. 18. *Ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus ejus sanabunt,* tr.94.d.17.n.2.

Cap. VI.

Vers. 3. & 4. *Verba mea dolore sunt plena, Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum, &c.* tr.94 num.8.

Vers. 10. *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat,* tr.78.d.35.n.8.

Vers. 13. *Ecce non est auxilium mihi in me,* tr.81.d.15.n.2.

Vers. 15. *Fratres mei præterierunt me, quasi torrens,* tr.85.d.11. num.5.

Vers. 25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis,* tr.83.d.36.n.2

Cap. VII.

Vers. 1. *Militia est vita hominis super terram,* tr.92.d.1.per tot.

Vers. 2. *Sicut cervus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos,* tr.91. d.12.n.10.

Vers. 6. *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur,* tr.91.d.15.n.4.

Vers. 7. *Quia ventus est vita mea,* tr.81.d.18.n.7.

Vers. 13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties,* tr.77.d.20.n.4.

Vers. 21. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* tr.77.d.15.n.5.

Vers. 21. *Si mane me quæsieris, non subsistam,* tr.81.d. 26.n.8.

Cap. VIII.

Vers. 14. *Sicut tela aranearum fiducia ejus,* tr.95.d.7.per tot.

CAP. IX.

Vers. 4. *Quis restitit ei, & pacem habuit,* tr.70.d.12.n.9.

Vers. 13. *Deus cujus iræ resistere nemo potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem,* tr.78.d.11.n.5.

Vers. 28. *Verebar omnia opera mea,* tr.93.d.7.per totum.

CAP. X.

Vers. 3. *Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum,* tr.69.d.4.n.8.

Vers. 8. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu,* tr.70.d.18.n.6.

Vers. 9. *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me,* tr.84. d.8.n.1.

Vers. 20. *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam,* tr.77. d.16.n.1. & tr.81 d.10.n.7.

Vers. 22. *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat,* tr.70.d.18.n.7.

CAP. XII.

Vers. -. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi,* tr.85.d.1.n.5.

Vers. 14. *Si inclauserit hominem, nullus est qui aperiat,* tr.77.d.22 num.6.

Cap. XIII.

Vers. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo,* tr.94.d. 32.n.4

Vers. 24. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum,* 86.d.3.n.5.

Vers. 24. & 25. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam,* tr.76.d.9.n.10.& tr.85.d.2.n.7.

Vers. 27. *Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti,* tr.84.d.1.n.4.

Cap. XIV.

Vers. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis,* tr.68.d.1.n.1.

Vers. 14. *Cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea,* tr.91.d.12.n.12.

Vers. 16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti,* tr.81.d.19.n.7. & tr.84.d.1.n.5.

Vers. 19. *Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur, & hominem ergo similiter perdes,* tr.68.d.15.n.6.

Cap XV.

Vers. 16. *Bibit quasi aquam iniquitatem,* tr.88.d.1.n.1.& tr.81 d.5.n.8.& d.20.n.5.

Vers. 20. *Cunctis diebus suis impius superbit,* tr.90.d.12.n.2.

Vers. 21. *Sonitus terroris semper in auribus impii, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur,* tr.77.d.17.n.7.

Vers. 25. *Tetendit adversus Deum manum suam, & c.* tr.71.d.2. num.1.

Vers. 26. *Cucurrit adversum Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est,* tr.78.d.33.n.4.

Cap. XVI.

Vers. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos,* tr.77.d.28.n.2.

Vers. 15. *Concidit me vulnere super vulnus,* tr.71.d.6.n.2. & tr.78.d.30.n.3.

Cap. XVII.

Vers. 2. *In amaritudinibus moratur oculus meus,* tr.86.d.3.n.7.

Vers. 3. *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me,* tr.84.d.3.n.2.

Vers. 14. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus,* tr.71.d.12.n.7. & tract.68.d.6.n.6. & tr.65. d.9. num.5.

Cap. XVIII.

Vers. 6. *Lux obtenebrescit in tabernaculo illius,* tr.78.d.26. n.4.

Vers. 9. *Tenebitur planta ejus laqueo, &c. & exardescet contra eum sitis,* tr.78.d.31.n.5.

Vers. 14. *Calcet super eum, quasi Rex interitus,* tr.77.d.4. num.6.

Vers. 15. *Aspergatur in habitaculo ejus sulphur.* tr.71.d.12. num.4.

Cap. XIX.

Vers. 21. *Manus Domini tetigit me,* tr.77.d.14.n.5.& tr.86.d.2. num.8.

Vers. 22. *Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini,* tr.86.d.8.n.6.

Vers. 25. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, reposita est hæc spes mea in sinu meo,* tr.68.d.18. num.5.

Cap. XX.

Vers. 5. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti,* tr.77.d.16.n.5.

Vers. 10. *Manus illius reddent ei dolorem suum,* tr.77.d.29.n.7.

℣. 11. *Ossa ejus implebantur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient,* tr.73.d.1.per tot.& tr.81.d.13.n.5.

℣. 14. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum; intrinsecus,* tr.81.d.15.n.3.

℣. 14. & 16. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum, intrinsecus ... Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ, &c.* tr.77.d.16.n.5.

℣. 27. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum,* tr.78.d.5.n.6.

Cap. XXI.

℣. 7. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* tr.98.d.31.per tot.& tr.77.d.4.n.1.

℣. 9. *Domus eorum secura sunt, & pacata, & non est virga Dei super illos,* t..70.d.11.n.4.

℣. 12. *Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* tr.77.d.2. n.9. & tr.81.d.18.n.4. & tr.84.d.2.n.4.

℣. 14. *Dixerant Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,* tr.73.d.3.n.3.

Vers. 14. & 15. *Qui dixerant Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, Quis est omnipotens ut serviamus ei?* tr.90.d.6.n.1.

Cap. XXII.

℣. 4. *Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium,* tr.84.d.2.n.2.

℣. 14. *Circa cardines cœli perambulat, & nostra non considerat,* tr.73.d.3.n.2.& tr.69.d 4.n.4.& tr.86.d.3.n.6.

Cap. XXIII.

℣. 10. *Ipse vero scit viam meam, & probabit me quasi aurum, quod per ignem transit,* tr.94.d.24.per totum.

Cap. XXIV.

℣. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus,* tr.72.d.4.n.3.& tr.77.d.9.n.7.

℣. 15. *Oculus adulteri observat caliginem, dicens, non me videbit oculus,* tr.84.d.4.n.7.

℣. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nimium, & usque ad inferos peccatum illius,* tr.80.d.7.n.6.

℣. 20. *Dulcedo illius vermes,* tr.77.d.15.n.1.

℣. 23. *Deus dedit illi locum pœnitentiæ, & illo abutitur cor ejus in superbiam,* tr.81.d.22.n.1.

CAP XXV.

℣. 2. *Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis,* tr.82 d.2.n.7.

℣. 5. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, & cœlum sine crimine non est,* tr.74.d.8.n.5.

Cap. XXVI.

℣. 5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis,* tr.81.d.5.n.1.

℣. 14. *Quis enim poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* tr.78.d.11.n.4.

Cap. XXVII.

℣. 4. *Nemo mundus à sorde,* tr.76.d.22.n.5.

℣. 6. & 5. *Justificationem meam, quam cœpi tenere non deseram, Non recedam ab innocentia mea,* tr.80.d.5.n.1.

Cap. XXVIII.

℣. 10. *Omne pretiosum vidit oculus meus,* tr.83. d.28.n.4.

℣. 12. *Sapientia ubi inventur, & quis est locus intelligentiæ? non invenitur in terra suaviter viventium,* tr.93.d.10.n.1.

℣. 25. *Qui fecit ventis pondus,* tr.94.d.23.n.5.

℣. 28. *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia,* tr.93.d.9.n.4. & tr.84.d.7.n.1.& tr.79.d.1.n.2.

Cap. XXIX.

℣. 2. *Quis mihi tribuat ea sint juxta menses pristinos, quibus Deus custodiebat me,* tr.81.d.6.n.7.

℣. 7-8.9.10.& 11. *Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi, Videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, Vocem suam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat; Auris audiens beatificabat me,* tr.83.d.18.n.5.d.22.n.3.d.38.n.7.

℣. 13. *Benedictio perituri super me veniet,* tr.97.d.10.n.12.

℣. 22. *Verbis meis nihil addere audebant, & stillabat super eos eloquium,* tr. 83.d.4.n.1.

CAP. XXX.

℣. 4. *Radix juniperorum erat cibus eorum,* tr.77.d.14.n.7.

℣. 12. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt,* tr.94.d. 8.n.7.& d.25.n.9.

CAP. XXXI.

℣. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine,* tr.79.d.4.n.4.

℣. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat,* tr.84.d.6.n.5.

℣. 6. *Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam,* tr.92.d.3.n.3.

℣. 12. *Ignis usque ad perditionem devorans,* tr.81.d.22.n.9.

℣. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum,* tr.69.d.5.n.5.tr.93.d.7.n.9.

℣. 27. *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra eum altissimum,* tr.90.d.6.n.5.

CAP. XXXII.

℣. 18.19.20. *Plenus sum sermonibus, Et coarctat me Spiritus uteri mei, Ecce venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagenulas novas dirumpit, Loquar & respirabo paululum; aperiam labia mea,* tr.88.d.8.n.1.& 2.

CAP. XXXIII.

℣. 20. *Abominabilis est in vita panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis,* tr.77.d.28 n.6.

CAP. XXXIV.

℣. 7. *Quis est vir, ut est Job, qui bibit subsannationem, quasi aquam,* tr.78.d.7.n.7.

℣. 21. & 22. *Oculi ejus super vias hominum, & omnes gressus considerat, Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem* tr.84.d.1 n.3.

CAP. XXXVI.

℣. 28. *Qui de nubibus pluunt aquas,* tr.83.d.37.n.2.

CAP. XXXVII.

Vers.22. Ab aquilone aurum venit, tr.68.d.10.n.4.

Cap. XXXVIII.

Vers.1. Respondens autem Dominus Job de turbine dixit, &c. tr.94.d.8.n.9.

Vers.4. Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? tr.93.d.10.n.11.

Vers. 10. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, &c.* tr.92.d.13.n.2.& tr.93.d.15.n.8.

Vers. 11. *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, tr.81.d.19.n.7.

Vers.22. Numquid ingressus es thesauros nivis? tr.78.d.16.n.5.

*Vers.*35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus*, tr.78.d.11.n.7.

*Vers.*36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* tr.83.d.45.n.6.

Vers.41. Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant cibos, tr.85.d.2.n.4.

Cap. XXXIX.

Vers.1. & 3. Parturientes cervas observasti? incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt, tr.97.d.9.n.6.

*Vers.*29. *De longè oculi ejus prospiciunt*, tr.84.d.1.n.2.

*Vers.*34. *& 35. Manum meam ponam super os meum, Unum locutus sum, quod utinam non dixissem*, tr.88.d.9.per tot.

Cap. XL.

Vers.7. Contere impios in loco suo, tr.90.d.9.n.3.

Vers.8. Facies eorum demerge in foveam, tr.90.d.9.n.3.

Vers. 14. *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, huic montes herbam ferunt*, tr.90.d.2.n.9.

Vers.16. & 17. Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis, tr.89.d.4 per totum. & tr.91.d.8.n.3.

*Vers.*18. *Habet fiduciam quod influat Jordanus in os ejus*, tr.71.d.16.n.9.

Cap. XLI.

Vers.6. Corpus illius quasi fusta, tr.92.d.6.n.3.

Vers.12. Halitus ejus prunas ardere facit, tr.76.d.1.per totum.

Vers. 24. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei*, tr.92.d.13.n.1.& 2. & d.16.n.9.& d.17.n.3.

Cap. XLII.

Vers. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*, tr.94.d.24.n.7.

Vers.3. & 6. Insipienter locutus sum, ... Idcirco ago pœnitentiam in favilla & cinere, tr.76.d.9.n.6.

*Vers.*11. *Dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam*, tr.83.d.15.n.1.

EX PSALTERIO.

Psalmus I.

*Vers.*1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c.* tr.72.d.6.n.8.tr.73.d.3.n.5.& tr.74.d.2.n.2.& tr.75.d.6.n.3.

*Vers.*2. *In lege Domini voluntas ejus*, tr.82.d.5.n.1. & tr.70.d.12.n.2.

*Vers.*3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, tr.81.d.19.n.4.& tr.81.d.7.n.7.tr.85.d.10.n.1.& tr.83.d.29.n.5.

Psal. II.

Vers. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*, tr.81.d.13.n.3.

*Vers.*7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, tr.68.d.3.n.6.

*Vers.*11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, tr.93.d.8.n.4.

*Vers.*12. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis*, tr.78.d.6.n.8.

Psal. IV.

*Vers.*3. *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* tr.74.d.2.per totum.

*Vers.*6. *Sacrificate sacrificium justitiæ*, tr.85.d.10.n.4.

*Vers.*7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, tr.71.d.3.n.6.& tr.82.d.3.n.5. & tr.74.d.4.n.1.

Psal. V.

*Vers.*7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*, tr.71.d 8. per totum.

*Vers.*9. *Dirige in conspectu tuo viam meam*, tr.84.d.6.n.6.

*Vers.*13. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, tr.92.d.6.n.3.

Psal. VI.

*Vers.*9. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*, tr.74.d.1.n.5.& tr.73.d.4.n.8.

Psal. VII.

Vers. 4. *Domine Deus si feci istud, si est iniquitas in manibus*, tr.77.d.11.n.5.

Vers.4. & 5. Si est iniquitas in manibus meis, Decidam merito ab inimicis inanis, tr.78.d.12.n.7.

*Vers.*10. *Consumetur nequitia peccatorum*, tr.78.d.17.n.1.

*Vers.*10. *Scrutans corda & renes Deus*, tr.81.d.12.n.3.& tr.82.d.3.n.8.

*Vers.*13. *Arcum suum tetendit, & paravit illum*, tr.83.d.11.n.7

*Vers.*15. *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, tr.77.d.16.per tot.& 78.d.17.n.1.

*Vers.*16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*, tr.77.d.26.n.8.& d.2.n.8.

*Vers.*17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus ascendet*, tr.78.d.28.per totum. & tr.77.d.29.n.2.

Psal. VIII.

Vers.6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, tr.71.d.10.n.1.

*Vers.*7. *& 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*, tr.31.d.4.n.1.

*Vers.*8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, tr.78.d.3.n.2.

Vers.8. & 9. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, Volucres cæli, & pisces maris, tr.85.d.1.n.9.

Psal. IX.

*Vers.*16. 17. *& 18. Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt, in laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum, Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*, tr.81.d.23.n.7.

*Vers.*10. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, tr.94.d.31.n.4.& tr.69.d.4.n.4.& tr.85.d.12.n.3.

*Vers.*16. *In laqueo suo quem absconderunt comprehensus est pes eorum*, tr.78.d.22.n.1.& tr.81.d.5.n.1.

*Vers.*17. *Cognoscetur Dominus judicia faciens in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, tr.81.d.9.n.4.

*Vers.*18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*, tr.77.d.21.n.6.& tr.78.d.32.n.3.

*Vers.*19. *Patientia pauperum non peribit in finem*, tr.68.d.10.num.3.

Psal.X.

Vers.2.3. & 4. Superbit impius ... Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: ... Exacerbavit Dominum peccator, &c. tr.84.d.2.n.2.

Vers. 2. *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer*, tr.89.d.4.n.6. & tr.85.d.10.n.2.& tr.78.d.26. per totum.

Vers.4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret, tr.78.d.32.per totum.

Vers. 5. *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius*, tr.75 d.10.n.7.

Vers.6. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, tr.77.d.27. per tot. d.7.n.6.& tr.81.d.21.n.2.

*Vers.*7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & Spiritus procellarum*, tr.77.d.29.n.5.tr.78.n.8. per totum. & tr. 83.d.24.n.5.

*Vers.*8. *Justus Dominus, & justitias dilexit*, tr.81.d.23.

Vers. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*, tr.69.d.4.n.4.& tr.85.d.7.n.2.

Psal. XI.

*Vers.*3. *Vana locuti sunt ad proximum suum labia dolosa, in corde, & corde locuti sunt*, tr.83.d.44.n.2.

*Vers.*5. *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* tr.90.d.1.n.2.

Vers.6. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, tr.69.d.4.n.6.

*Vers.*7. *Eloquia Domini casta*, tr.83.d.27.n.6.& d.31.n.6.& d.46.n.1.

Vers.9. In circuitu impij ambulant, tr.72.d.3.n.1.& tr.77.d.9 n.9.& tr.80.d.3.n.6.

Psal. XIII.

*Vers.*1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, tr.72.d.2 n.4.d.6.per tot.& tr.93.d.1.n.9. & tr.84.d.2.n.4.

Vers. 2. *Dominus de cœlo prospexit, si est intelligens aut requirens Deum*, tr.83.d.1.n.1.

*Vers.*3. *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum*, tr.77.d.18. per totum.& tr.71.d.1.n.5. & tr.81.d.1.n.1.

Psal. XIV.

*Vers.*4. *Ad nihilum deductus est malignus*, tr.84.d.3.n.1.

Psal. XV.

Vers. 3. *Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis, multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelleraverunt*, tr.81.d.4.n.5.

*Vers.*4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelleraverunt*, tr.94.d.18.n.7.& d.21.n.8.

*Vers.*7. *Benedictam Dominum in omni tempore, qui tribuis mihi intellectum*, tr.84.d.7.n.1.

*Vers.*8.

*Vers.*8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear*, tr.92.d.16.n.7.& tr.84.d.3.n.7.

Psalm. XVI.

*Vers.*8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me*, tr.94.d.31.n.1. & tr.76.d.17.n.1.

*Vers.*15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, tr.80.d.7.n.5.

Psal. XVII.

*Vers.*5. *Circumdederunt me dolores mortis*, tr.78.d.17.n.2.

*Vers.*6. *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis*, tr.77.d.2.n.1.

*Vers.*8. *Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis*, tr. 78. d.4. per totum.

*Vers.*9. *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit*, tr.77.d.1.n.7.

*Vers.*10. *Inclinavit cœlos, & descendit*, tr.81.d.25.n.4.

*Vers.*12. *Posuit tenebras latibulum suum*, tr.89.d.9.n.1.

*Vers.*14. *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis, &c.* tr.78.d.11.n.2.

*Vers.*24. *Observabo me ab iniquitate mea*, tr.75.d.8.n.7.

*Vers.*30. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*, tr.92.d.6.per tot.

*Vers.*34. *Qui perfecit pedes meos, tamquam cervorum*, tr.76. d.2.n.5.

*Vers.*43. *Ut latum platearum delebo eos*, tr.75.d.1.n.5.

Psal. XVIII.

*Vers.*1. *Cœli enarrant gloriam Dei*, tr.83.d.31.n.6.

*Vers.*5. *In omnem terram exivit sonus eorum*, tr.95.d.10.n.3.& tr.83.d.8.n.4.& d.31.n.6.

*Vers.*6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, tr.81.d.25 n.3.

*Vers.*7. *Nec est, qui se abscondat à calore ejus*, tr.77.d.21.n.5. & tr.96.d.6.n.2.

*Vers.*8. *Lex Domini immaculata, convertens animas*, tr.71.d.3.n.6.

*Vers.*9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, tr.83. d.6.n.6. & tr.68.d.15.n.4.

*Vers.*11. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum*, tr.83.d.13.n.2.

*Vers.*13. *Delicta quis intelligit?* tr.71.d.2.n.4.

*Vers.*14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*, tr.90.d.6.per tot.

Psal. XIX.

*Vers.*8. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus*, tr.85.d.11.n.3.

Psal. XX.

*Vers.*9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt*, tr.77.d.22.n.4.

Psal. XXI.

*Vers.*7. *Ego autem sum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abjectio plebis*, tr.88.d.5.n.4.

*Vers.*9. *Salvum faciat eum, quoniam vult eum*, tr. 82. d. 2. n.7.

*Vers.*11. *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me*, tr.85.d.7.n.1.

*Vers.*27. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum*, tr.69.d.1.n.3.

Psal. XXII.

*Vers.*1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, tr.85. d. 10. n.2.

*Vers.*4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, tr.92.d.16.n.7.

Psal. XXIII.

*Vers.*1. *Domini est terra, & plenitudo ejus*, tr.70.d.5.n.1.

*Vers.*6. *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob*, tr.84.d.6.n.7.

*Vers.*8. *Dominus fortis & potens in prælio*, tr.78.d.12.n.1. & tr.70.d.14.n.2.

Psal. XXIV.

*Vers.*3. *Omnes qui sustinent te, non confundentur*, tr.68.d.5. n.7.

*Vers.*5. *Te sustinui tota die*, tr.80.d.7.n.8.

*Vers.*7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*, tr.72.d.2.per tot.

*Vers.*12. *Quis est homo, qui timet Dominum, legem statuit ei in via, quam elegit*, tr.96.d.3.per tot.& tr.93.d.11.n.4.

*Vers.*14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum*, tr.93.d.11.n.6.

*Vers.*15. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, tr.84.d.3.n.4.

Psal. XXVI.

*Vers.*3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, tr.84. d.3. n.7.

Vers. 14. *Expecta Dominum, viriliter agens, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, tr.68.d.15.n.8.

Psal. XXVII.

*Vers.*3. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*, tr.70.d.12.n.6.

Psal. XXVIII.

*Vers.*1. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum; Afferte Domino gloriam & honorem, &c.* tr.97.d.9.n.3.

*Vers.*9. *Vox Domini præparantis cervos*, tr.78.d.11. n.4. & tr.83.d.1.n.9. & d.13.n.8.

*Vers.*11. *Dominus benedicet populo suo in pace*, tr. 70. d. 13. n.1.

Psal. XXIX.

*Vers.*1. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me*, tr.77.d.17.n.5.

*Vers.*4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam*, tr.77.d.1. per tot.

*Vers.*7. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*, tr.90.d.3.n.7. & tr.92.d.10.n.5.

*Vers.*12. *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea*, tr.94.d.13.n.7.

Psal. XXX.

*Vers.*3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut salvum me facias*, tr.85.d.11.n.3.

*Vers.*11. *Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt*, tr.78.d.17.n.2.

Vers. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, tr.93. d.6. n.10. & tr.74. d. 6 n.3.

*Vers.*22. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita*, tr.88.d.6.n.5.

Psal. XXXI.

*Vers.*1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, tr.73.d.7.n.5.

*Vers.*3. *Inveteraverunt ossa mea, die ac nocte gravata est super me manus tua*, tr.77.d.14.n.5.

*Vers.*9. *Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, tr.71. d.20.n.7.& tr.84.d.8.n.2.

*Vers.*9. *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*, tr.94.d.22.n.8.

Psal. XXXII.

Vers. 2. *In psalterio decem chordarum psallite illi*, tr.76. d. 19.n.2.

Vers. 8. *Timeat Dominum omnis terra*, tr. 93. d.15. per totum.

*Vers.*14. *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.*

*Vers.*18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, Ut alat eos in fame*, tr. 85.d.3.n.2. & d.6.n.7.& d.8.n.6.

Psal. XXXIII.

Vers. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini*, tract.74. d. 2. n.5.

*Vers.*7. *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*, tr. 69.d.4.n.9.

*Vers.*10. *Timete Dominum omnes sancti ejus*, tr.93.d.4.per tot. & d.11.per tot.& tr.85.d.8.n.10.

*Vers.*12. *Venite filij audite me; timorem Domini docebo vos*, tr. 93.d.1.per tot.& d.6.n.8.

*Vers.*15. *Inquire pacem, & persequere eam, declina &c.* tr.70. d.12.n.3.& d.15.n.1.

*Vers.*17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*, tr.75.d.10.n.3. & tr.81.d.7.n.4.

*Vers.*19. *Juxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde*, tr.94. d.31.per totum.

*Vers.*20. *Multæ tribulationes justorum*, tr.80.d.7.n.1.

*Vers.*21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum*, tr. 8. d. 1. per totum.

Psal. XXXIV.

*Vers.*18. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, populo gravi laudabo te*, tr.80.d.1.n.2.

*Vers.*27. *Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus*, tr.70.d.15.n.1.

Psal. XXXV.

*Vers.*2. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eorum*, tr.77.d.26.per tot.

*Vers.*2. *& 3. Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus, Quoniam dolosè egit, &c.* tr.78.d 31.n.1.

*Vers.*5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit*, tr. 74. d. 3. per totum.

*Vers.*12. *Non veniat mihi pes superbiæ*, tr. 90. d.13. per totum.

Psalm. XXXVI.

Vers. 7. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua; in homine faciente injustikias*, tr.78.d.35.per tot.

*Vers.*9. *Qui malignantur, exterminabuntur*, tr.78.d.2. per totum.

*Vers.*9. *Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram*, tr.68.d.15.n.8.& tr.80.d.7.n.5.

*Vers.*15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur*, tr.77.d.15.n.6.

*Vers.*20. *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, tr.78.d 33.n.4.

*Vers.*23.& 24. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur,& viam ejus volet. Cum ceciderit non collidetur,quia Dominus supponit manum suam*, tr.82.d.2.n.4.

Vers. 25. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*, tr.93.d.11.n.6.

*Vers.*35.& 36. *Vidi impium superexaltatum & elevatum, sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi illum,& non est inventus locus ejus*,tr.78.d.11.n.6.& tr.70.d.11.n.7

Vers. 37. *Custodi innocentiam, & vide æquitatem*, tr.87.d.9. n. 2. & tr.70.d.12.n.4.& d.13.n.1.

Psal. XXXVII.

Vers. 3. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*, tr.94.d.31.n.5. & tr.83.d.11.n.2. & tr.94.d.15. n.5.

*Vers.*4. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ*, tr.77. d.15.n.2.

*Vers.*4. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, tr.77.d.31.n.8.

*Vers.*5. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*, tr.72. d.6. n.3. & tr.81. d. 26.n.6. & tr.78.d.30.n.6.

*Vers.*6. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, tr.72.d.1.n.3.

*Vers.*11. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*, tr.72.d.1. n.2.& tr.72.d.2.n.6.

Vers. 12. *Adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, dolos tota die meditabantur*, tr.88.d.7.n.8.

*Vers.*14. *Ego autem sicut mutus non aperiens os suum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, tr.88. d.8.n.6.

*Vers.*19. *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*, tr.79.d.2.per tot.

Psal. XXXVIII.

*Vers*1. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*, tr.88.d.1.n.3.

*Vers.*9. *Opprobrium insipienti dedisti me*, tr.88.d.2.n.8.

*Vers.*11. *Obmutui, & non aperui os meum*, tr.88. d.2.n.8.

Psal. XXXIX.

*Vers.*13. *Circumdederant me mala, quorum non est numerus*, tr.64.d.1.n.3.

*Vers.*13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem*, tr.72.d.4.n.5.& tr.78.d.12.n.8.& d.16 n.2.

Vers. 18. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei, adjutor meus & protector meus tu es*, tr.85. d.7.n.5.

Psal. XLIV.

*Vers.*10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, tr.96.d.4.n.5. & tr.85.d.3.n.6.

*Vers.*14. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamictæ varietatibus*, tr.95.d.5.n.1.

Psal. XLV.

*Vers.*2. *Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*, tr.94.d.31.n.2.

Vers. 5. *Flaminis impetus lætificat civitatem Dei*, tr.92.d.1. n.11.

*Vers.*11.*Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*, tr.91. d. 17.n.9.

Psal. XLVII.

Vers. 4. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam*, tr.94.d.5.n.1.

Psal. XLVIII.

*Vers.*21. *Homo cum in honore esset,non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*,tr.94.d.9.n.6. & tr.77.d.10.n.1. & tr.71.d.20.per tot. & tr.75. d.1. n.1. & tr.68. d.15.n.1. & tr.71.d.10.n.1. & d.13 per tot.

Psal. XLIX.

*Vers.*15. *In die tribulationis honorificabis me*, tr. 94. d. 3. per totum. & d. 30.n.8.

Vers. 17. *Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem, currebas cum eo*, &c. tr.74. d.1.n.3.

*Vers.*17.18.19.& 20. *Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum, Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas: Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, tr.83.d.35.n.2.

*Vers.*21. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, tr.72.d. 3.n.5.

Psal. L.

*Vers.*3. *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*, tr.81.d.3.n.5.

*Vers.*5. *Peccatum meum contra me est semper*, tr.77.d.20. per totum.

*Vers.*6. *Malum coram te feci*, tr.75.d.10.per totum. & tr.84. d.5.n.7.

*Vers.*7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, tr.76.d.23.n.2.

*Vers.*8. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, tr. 78.d.33.n.2. & tr.82.d.7.n.1.

*Vers.*14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, tr.77. d.21.n.3. & tr.80.d.2.n.2. & tr.97.d 10.n.3.

*Vers.*16. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ*, tr.81.d.5.n.4.

Psal. LII.

*Vers.*3. *Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, omnes declinaverunt*, tr.83.d.14.n.3.

Psal. LIII.

Vers. 5. *Alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam*, tr.84.d.2.n.9.

*Vers.*8. *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor*, tr.81.d.14.n. 2. & d.11.n.5. & tr.80.d.6.n.2.

Psal. LIV.

*Vers.*7. *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* tr.89.d.1.n.2.

*Vers.*8. *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine, expectabam eum qui salvum me fecit*, tr.89.d.1.per tot. & tr. 96. d. 8. per totum.

Vers. 10. *Labor in medio ejus, & injustitia*, tr.77.d.13. per totum.

*Vers.*13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*, tr.74.d.7.n.6.

*Vers.*16. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*, tr.77.d.2.n.3. & tr.74.d.7.n.3.

*Vers.*23. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem justo*, tr.85.d.9.n.1.

Psal. XLV.

*Vers.*9. *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, tr.94.d.1.n.7.

Psal. LVII.

*Vers.*5. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*, tr.73. d.2. per totum. & tr.83.d.23.n.3.

*Vers.*9. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*, tr.77.d. 4.n.5.

*Vers.*10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*, tr. 79.d.3.n.6.

*Vers.*10.*Sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, tr.77.d.6.n.2.

Psal. LVIII.

*Vers.*6. *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, tr. 91.d.6.n.8. & tr.81.d.21.n.7.

*Vers.*7. *Famem patientur ut canes, & circuibant civitatem*, tr.81.d.16.n.4.

*Vers.*8. *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum*, tr.84.d.2.n.9.

Psal. LX.

*Vers.*9. *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem*, tr.81.d.18.n.5.

Psal. LXI.

*Vers.*1. *Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, tr.68.d.11.n.4.

*Vers.*10. *Mendaces filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*, tr.97.d.7.per tot.

Psal. LXII.

*Vers.*3. *In terra deserta & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam*, tr.89. d.6. per tot. & d.7.n.4.

Psal. LXIII.

*Vers.*8. *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*, tr. 90.d.9.n.4.

Psal. LXIV.

*Vers.*2. *Te decet hymnus, Deus in Syon*, tr.88.d.6.per tot.

*Vers.*4. *Impietatibus nostris, tu propitiaberis*, tr.94. d.12.n.4 & tr.68.d.17.n.4.

Psal. LXV.

*Vers.*8. *Benedicite gentes Deum nostrum qui posuit animam meam ad vitam*, tr.82.d.4.n.4.

Psalm. LXVII.

*Vers.*2.& 3. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant,qui oderunt eum,... Sicut deficit fumus,deficiant:sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant à facie Dei*, tr.84.d.3.n.4.

*Vers.*12.

*Vers.*12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus*, tr.71.d.1. n.2.

*Vers.*22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum*, tr.71.d.16.n.6.

*Vers.*35. *Dabit voci suæ vocem virtutis*, tr.83.d.2.n.4.& d.9. n.4. d.27.n.1.

*Vers.*36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem*, tr.87.d.11.

Psalm. LXVIII.

*Vers.*2. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*, tr.81.d.5.n. 8. & tr.69.d.4.n.5.

*Vers.*3. *Infixus sum in limo profundi*, tr.71.d.6.n.5.

*Vers.*4. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, tr. 83. d.30.n.8.

*Vers.*10. *Zelus domus tuæ comedit me*, tr.97.d.8.per totum.

*Vers.*16.*Neque urgeat super me puteus os suum*, tr.73.d.3.n.5. d.6. n.10. & tr.81.d.3.n.1.

*Vers.*24. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*, tr.72.d.3.n.3.

*Vers.*27. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, tr. 71. d.6.n.3. & tr.75.d.5.n.1.

*Vers.*28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, tr.78. d.30.per tot.

*Vers.*29. *Deleantur de libro viventium*, &c. tr.82.d.4.n.1.

Psal. LXX.

*Vers.*16. *Domine memorabor justitiæ tuæ solius*, tr.81.d.26.n.8.

Psal. LXXI.

Vers. 2.& 4. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio, ... Judicabit pauperes populi* &c. *Et permanebit cum Sole & ante Lunam* &c. tr.69.d.4.n.7.

*Vers.*7. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis*, tr. 70.d.13.n.1.

*Vers.*11.12.13.& 16. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor, Parcet pauperi & inopi* &c. *Et erit firmamentum in terra*, tr.69.d.4.n.7.

*Vers.*14. *Ex usuris, & iniquitate, redimet animas eorum*, tr.78. d.30.n.8. & tr.77.d.18.n.4. & d.26.n.3.

Psal. LXXII.

*Vers.*3. *Zelavi super iniquos*, tr.97.d.6.per tot.

*Vers.*5. *In labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia*, tr.91.d.9.n.4.

*Vers.*6. *Tenuit eos superbia* &c. tr.71.d.14.n.5.

*Vers.*7. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*, tr.78.d.8.n. 2. & tr.69.d.2.n.9.& tr.94.d.11.n.3.

*Vers.*7.& 8. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam*, tr.74.d.1.per tot.

*Vers.*10. *Ideo converteretur populus meus hic, & dies pleni inveniantur in eis*, tr.91.d.15.n.8.

*Vers.*11. *Dixerunt enim, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt*, tr.77.d.30.n.5. & tr.85.d.5.n.3.

*Vers.*12. *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias*, tr.89.d.1.n.8. & tr.70.d.11.n.4.

*Vers.*16. *Existimabam ut cognoscerem hoc*,tr.94.d.25.n.5.

*Vers.*17. *Donec intrem in sanctuarium Dei*, tr.80.d.4.n.2.

*Vers.*20. *Domine in civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges*, tr.71.d.20.n.9.

*Vers.*23.*Ut jumentum factus sum apud te*, tr.68.d.11.n.4.

*Vers.*27.& 28. *Ecce qui elongant se à te, peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te, Mihi autem adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo, spem meam*, tr.80.d.5.n.10.& tr.84.d.3.n.5.

*Vers.*28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, ut annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion*, tr.83.d.32.n.1.

Psal. LXXIII.

*Vers.*23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, tr. 90.d.9.n.7.

Psal. LXXIV.

*Vers.*5. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere,& delinquentibus,nolite exaltare cornu*, tr.72.d.5.n.2.

*Vers.*9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc*, tr.75.d.14.n.2.

Psal. LXXV.

*Vers.*2.*Notus in Judæa Deus*,tr.70.d.6.n.9.& tr.83.d.1.n.1.

*Vers.*2. *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*, tr.71.d.20.n.5.

Psal. LXXVI.

*Vers.*5.6. & 7. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum & non sum locutus: Cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui, Et meditatus sum nocte cum corde meo,exercitabar & scopebam spiritum meum*, tr.82.d.4.n.4.

*Vers.*11. *Hæc mutatio dextere Excelsi*, tr.81.d.4.n.5.

Psal. LXXVII.

*Vers.*27. *Pluit ... sicut arenam maris volatilia pennata sicut pulverem carnes missit*, tr.85.d.10.n.2.

*Vers.*29. *Manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis*, tr.78.d.35.n.6.

*Vers.*30. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*, tr.74.d.10.n.4.& tr.77.d.25.n.6.

*Vers.*40. *Quoties exacerbaverunt eum, in ira concitaverunt eum?* tr.71.d.6.n.4.

*Vers.*45. *Misit in eos cænomyiam, & comedit eos, & ranam & disperdidit eos*, tr.78.d.8.n.3.

*Vers.*66. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*, tr.78.d.25.n.9.

Psal. LXXIX.

*Vers.*14. *Singularis ferus depastus est eam*, tr.76.d.20.n.5.

Psal. LXXX.

*Vers.*7. *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt*, tr.77.d.23.n.3. & tr.81.d.7.n.4.

*Vers.*8. *In tribulatione invocasti me, & liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis*, tr.94.d.30.n.11.

*Vers.*9. *Audi populus meus & contestabor te, Israël si audieris me, non erit in te Deus recens*, tr.72.d.5.n.3.

*Vers.*12. *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi*, tr.77.d.25.n.4. & tr.94.d.17.n.13.

*Vers.*12.& 13. *Et non audivit populus meus vocem meam,& Israël non intendit mihi, Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*, tr.83.d.25. n.7. & tr. 94.d.22.per tot.

*Vers.*13. *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum* &c.tr. 78.d.32.n.5.

*Vers.*14. *Si populus meus audisset me, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam*, tr.83.d.24.n.3.

*Vers.*16. *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula*, tr.74.d.12.n.5. & tr.75.d.9.n.2.

Psal. LXXXII.

Vers. 4. *Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus sanctos tuos*, tr.95.d.4.n.6.

*Vers.*11. *Disperierunt in Endor*, tr.75.d.1.n.3. & tr.78.d.33. n.5.

*Vers.*13. & 14. *Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*, tr.91.d.7.n.8.

*Vers.*14. *Deus meus pone illos ut rotam*, tr.78.d.34.n.4.

Vers. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, tr.94.d.11.per totum.

Psal. LXXXIII.

*Vers.*10. *Respice in faciem Christi tui*. tr.84.d.6.n.7.

Psal. LXXXIV.

*Vers.*9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem*, &c.tr.70.d.12.n.2.& tr.80.d.5.n.5.

*Vers.*10. *Propè timentes eum, salutare ipsius*, tr.93.d.14. per tot.

Psal. LXXXV.

*Vers.*13. *Eraisti animam meam ex inferno inferiori*, tr.77.d.3. per totum.

Psal. LXXXVII.

*Vers.*16. *In laboribus à juventute mea*, tr.81.d.25.n.4.

Psal. LXXXIX.

*Vers.*8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, &c.tr.78. d.17.n.4.

*Vers.*15. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*, tr.94.d.27.per totum.

Psal. XC.

*Vers.*1. *Qui habitat in adjutorio altissimi, &c. dicit Domino, susceptor meus es tu*, tr.74.d.3.n.5.

*Vers.*3. *Ipse liberavit me de laqueo venantium*, tr.71. d.20. n.10.

*Vers.*6. *Ab incursu & dæmonio meridiano*, tr.74.d.4.n.3.

*Vers.*7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, tr.92.d.7.n.7. & tr.49.d.22.n.8.

*Vers.*10. *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*,tr.71. d.4.n.4.

*Vers.*14.*Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, clamabit ad me & ego exaudiam eum*, tr.92.d.15. per tot.

*Vers.*15. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*, tr.68.d.19.n.9.

Psal. XCI.

*Vers.*13. *Justus ut palma florebit*, tr.80.d.1.n.2.

*Vers.*16.*Bene patientes erunt, ut annuncient*, tr.85.d.30.n.7.

Psal. XCII.

*Vers.*5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, tr.83.d.14. n.8.

Psal. XCIII.

*Vers.*1. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum, usquequo peccatores gloriabuntur*, tr.84.d.2.n.9.

Vers.3. Usquequo peccatores Domine, usquequo gloriabuntur, effabantur, & loquentur iniquitatem, &c. tr.84.d.5.n.4.
Vers.7. Et dixerunt, non videbit Dominus nec intelliget Deus Jacob, tr.77.d.31.n.1.
Vers.17. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea, tr.77.d.2.n.2.
Vers. 19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, tr.94.d.27.n.1. & d.7.n.5. & tr.86.d.4.n.2.

Psalm. XCIV.

Vers.5. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit, tr.78. d.9.n.1.

Psal. XCVI.

Vers.1. Dominus regnavit, exultet terra, lætentur Insulæ multæ, tr.68.d.12.n.2.

Psal. XCVIII.

Vers.8. Domine Deus noster tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis, tr.78.d.35.n.6.

Psal. C.

Vers.2. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, tr.76.d.1.n.1. & tr.80.d.2.n.3. & tr.83. d.8.n.1. & tr. 84.d.6.n.6. & tr.77.d.21.n.3. &tr.88.d.1.n.3.
Vers.5. Superbo oculo & insatiabili corde, tr.90.d.9.n.7.

Psal. CI.

Vers.4. Defecerunt sicut fumus, dies mei, tr.77.d. 17.n.7.
Vers.11. Elevans allisisti me, tr.78.d.33.n.4.
Vers.26. Opera manuum tuarum sunt cœli, tr.94.d.3.n.2.

Psal. CII.

Vers.4. Qui coronat te in misericordia & miserationibus qui replet in bonis desiderium tuum, tr.82.d.7.n.3.
Vers. 22. Ministri ejus qui facitis voluntatem ejus, tr.76.d.15. n.1.
Vers. 22. In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino, tr.89.d.11.n.7.

Psal. CIII.

Vers.2. Extendens cælum sicut pellem, tr.83. d.1.n.7.
Vers.4. Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos ignem urentem, tr.97.d.1.n.6.
Vers.7. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, tr.78.d.11.n.3.
Vers.15. Ut exhilaret faciem ejus in oleo, tr.70. d.7.n.7.
Vers.16. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit, illic passeres nidificabunt, tr.85.d.2.n.2.
Vers.18. Petra refugium herinaceis, tr.81.d.24.n.8.
Vers. 25. Hoc mare magnum, tr.82.d.2.n.2.
Vers.26. Draco iste quem formasti ad illudendum ei, tr.92. d.3.n.5.
Vers.27. Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore, tr.85.d.4.n.3.
Vers.28. Aperiente te manum tuam, &c. tr.85.d.3.n.4.
Vers.32. Qui respicit terram, & facit eam tremere, tr.77. d. 21. n.6.

Psal. CIV.

Vers. 19. Eloquium Domini inflammaverat eum, tr.83.d.8. n.4.

Psal. CV.

Vers.37. Immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis, &c. tr.71.d.18.n.7. & tr.95.d.5.n.2.
Vers.40. Iratus est furore in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, tr.83.d.24.n.4.

Psal. CVI.

Vers.16. Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, tr.73.d.8.n.5.
Vers.20. Misit verbum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum, tr.73.d.5.n.2. & tr.83.d.19.n.6.
Vers. 27. Omnis sapientia eorum devorata est, tract. 82. d. 8. n. 6.
Vers. 30. Et lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum, tr.78.d.1.n.1.
Vers.34. Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea, tr.88.d.5. per tot.
Vers. 40. Effusa est contemptio super Principes, tr.90. d.9. n. 8.
Vers.42. Omnis iniquitas oppilabit os suum, tr.82.d.3.n.2. & tr.83.d.36.n.5.

Psal. CVIII.

Vers.4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam, tr.94.d.30.n.3.
Vers.7. Oratio ejus fiat in peccatum, & diabolus stet à dextris ejus, tr.86.d.5.n.5. & tr.92.d.7.n.7.
Vers.8.9. & 10. Fiant dies ejus pauci, ... Fiant filij ejus orphani, & uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filij ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis, &c. tr.86.d.8.n.7.

Psal. CX.

Vers.10. Intellectus bonus omnibus facientibus eam, tr. 83. d. 33.n.6.

Psal. CXI.

Vers.1. Beatus vir, qui timet Dominum, tr.76.d.18.n.10. & tr.93.d.1.n.8.

Psal. CXIII.

Vers.6. Aures habent, & non audient, tr.80.d.3.n.2.

Psal. CXV.

Vers.15. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, tr.87.d.8.per totum.
Vers.17. Dirupisti vincula mea, tr.77. d.28.n.1.

Psal. CXVII.

Vers.5. De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus, tr.94.d.31.n.11.
Vers.6. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos, tr.85.d.11.n.6.
Vers.8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, tr.85.d.11.n.1.

Psal. CXVIII.

Vers.2. Beati qui scrutantur testimonia ejus, tr.83. d.16.n.6.
Vers.3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt, tr.77.d.9.n.8. & tr.80.d.2.n.3.
Vers.6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis, tr.76.d.5.n.6.
Vers.9. In quo corriget adolescentior viam suam, tr.71.d.4.n.1. & tr.81.d.23.n.6.
Vers.16. Non obliviscar sermones tuos, tr.83.d.23.n.5.
Vers.17. Custodiam sermones tuos, tr.83.d.27.n.4.
Vers.21. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis, tr.77. d.11. per totum.
Vers. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri. tract. 80. d. 3. n.6.
Vers.43. Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, tr.83.d.20.n.1. & d.32.n.5.
Vers.59. Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua, tr.83.d 6.n.3.
Vers. 63. Particeps ego sum omnium timentium te, tr. 77. d.11. n.7.
Vers.71. Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas, tr.94.d.11.n.10.
Vers.78. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, tr.90.d.8.n.2.
Vers.95. & 96. Testimonia tua intellexi, Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, tr.84.d.7.n.1.
Vers.100. Super senes intellexi, tr.83. d.33.n.6.
Vers.103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo, tr.83.d.19.n.2. & d.22.n.2.
Vers.105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, tr.69.d.2.n.2.
Vers. 106. Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ, tr. 92.d.7.n.5.
Vers.115. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei, tr.74.d.1.n.5.
Vers.119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, tr. 74.d.5.n.9.
Vers.126. Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam, tr.91.d.3.n.10. & d.5.per tot.
Vers.128. Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui, tr.76.d.10.per tot.
Vers.130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis, tr.72.d.1.n.2.
Vers.139. Tabescere me fecit zelus meus, tr.97.d.6.n.1.
Vers.140. Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud, tr.83.d.7.n.2. & d.10.n.1.
Vers.155. Longe à peccatoribus salus, tr.77.d.8.n.5.

Psal. CXIX.

Vers.1. Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me, tr.94.d.30.per tot.
Vers.5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, tr.85.d. 9.n.4. & tr.76.d.17.n.3.
Vers.7. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis, tr.70.d.16.n.3.

Psal. CXX.

Vers.8. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in sæculum, tr.92.d.4.n.6.

Psal. CXXI.

Vers.7. Fiat pax in virtute tua, tr.70.d.17.n.1.

Psal. CXXIV.

Vers.1. Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem, tr.80.d.1.n.2.
Vers.5. Pax super Israël, tr.70.d.5.n.4. & d.13.n.4.

Psal. CXXV.

Vers.6. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, tr. 92.d.3.n.8. & tr.94.d.7.n.3.

Psal. CXXVI.

Vers.1. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, tr.93.d.14.n.1.

Psal. CXXVII.

Vers.2. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit, tr.85.d.6.n.3. & tr.81.d.16.n.4.
Vers.3. Filij tui sicut novellæ olivarum, tr.70.d.3.n.8. & d.7. n.7.

Psal. CXXVIII.

Vers.3.4.5. & 6. Prolongaverunt iniquitatem suam, Dominus justus concidit cervices peccatorum: Confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Syon, Fiant sicut fœnum tectorum, tr.81.d.18.n.8. & d.6.n.8.
Vers.6. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit, tr.77.d.12.n.5.

Psalm. CXXIX.

Vers.4. Sustinuit anima mea in verbo ejus, tr.80.d.7.n.7. & tr. 83.d.7.n.7.

Psal. CXXXI.

Vers.1. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus, tr.74.d.1.n.2.

Psal. CXXXII.

Vers.1. Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum, tr.70.d.5.n.7.

Psal. CXXXIV.

Vers.7. Qui producit ventos de thesauris suis, tr.78.d.9.n.1. & tr.85.d.1.n.7. & tr.94.d.32.n.5.

Psal. CXXXV.

Vers.13. Qui divisit mare rubrum in divisiones, tr. 78. d. 9. n.8.

Psal. CXXXVI.

Vers.1. Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, tr. 86.d.3.n.5.
Vers.7. Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea, tr. 81.d.21.n.3.
Vers.9. Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram, tr.79.d.3.per totum.d.4.n.7.

Psal. CXXXVII.

Vers.6. Alta à longè cognoscit, tr.73.d.6.n.7. & tr.82.d.1.n.1. d.2.n.2.
Vers.7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. tr.94.d.15.per tot.

Psal. CXXXVIII.

Vers.7.& 8. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero, &c. tr.75.d.10.n.2.
Vers.12. Sicut tenebræ ejus, sic & lumen ejus, tr.74.d.4.n.1.
Vers.13. Suscepisti me de utero matris meæ, tr.85.d.7.n.3.
Vers.17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, tr.69.d.1.n.4.

Psal. CXXXIX.

Vers.9. & 10. Ne tradas me Domine, à desiderio meo peccatori, &c. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos, tr.78.d.26.n.5.

Psal. CXL.

Vers.2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, tr.94.d.30.n.7.
Vers.5. Corripiet me justus, tr.78.d.35.n.6.
Vers.9. Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem, &c. tr.89.d.4.n.6.

Psal. CXLI.

Vers. 2.3.& 4. Voce mea ad Dominum clamavi, &c. tr.89.d. 4.n.7.
Vers.8. Educ de custodia animam meam, tr.86.d.1.n.13.

Psal. CXLII.

Vers. 3. Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, tr.72.d. 3.n.5.

Psal. CXLIII.

Vers.7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, tr.78.d.7.n.9.
Vers.13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœtosæ, boves eorum crassæ, &c. tr.85. d.5.n.3.

Psal. CXLIV.

Vers.16. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, tr.85.d.3.n.1.& 4. & tr.71.d.5.n.2.
Vers.19. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, tr.73. d.6.n.3. & tr.81.d.14. n.9. & tr. 93. d. 14. n.8.

Psal. CXLV.

Vers.5. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, tr.85.d.3.n.4.

Psal. CXLVI.

Vers.9. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum, tr.85.d.2.n.4.

Psal. CXLVII.

Vers.5. Qui dat nivem sicut lanam, tr.69.d. 3.n.6.

Psal. CXLIX.

Vers.6. & 7. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, Ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, tr.83.d.29.n.4.

EX PROVERBIIS.

Caput I.

Vers.7. Timor Domini principium sapientiæ, tr.93.d.10.n.5.
Vers.15. Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim eorum ad malum currunt, &c. tr.89. d.4.n.6.
Vers.17. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, tr. 84. d.3.n.4.
Vers.18. & 20. Ipsi contra sanguinem suum insidiantur & moliuntur fraudes contra animas suas, ... Sapientia foris prædicat, &c. tr.82.d.3.n.5.
Vers.20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum, tr.81.d.13.n.3.
Vers.24. Quia vocavi, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, &c. tr.81.d.16.n.8. tr.81.d.7.n.7.tr.81.d.15.n.5. tr. 82.d.8.n.2. & tr.73.d.2.n.4.
Vers.24.25.& 26. Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, Despexistis omne consilium meum, &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo, tr.75.d.3.n.6.
Vers.26. & 27. In interitu vestro ridebo & subsannabo, Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, tr.77.d.4.per totum.d.5.n.2.& tr.81.d.10.n.1.
Vers.27. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia, tr.81.d.16.n.2.
Vers.27.& 28. Quando venerit super vos tribulatio & angustia, Tunc invocabunt me, & non exaudiam, tr.81.d.10.n.1.& tr. 81. d.22.n.3.
Vers.28. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, tr. 81.d.6.n.3.
Vers.32. Prosperitas stultorum perdet illos, tr.78.d.54.per tot.

Cap. II.

Vers.14. Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, tr.72.d.3.n.2. tr.73.d.3.n.7.d.4.n.6.

Cap. III.

Vers.4. Invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo, tr.94.d.14.n.3.
Vers.11. Disciplinam Domini fili mi ne abjiciat, nec deficias cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, corripit, tr.94. d.14.n.4.
Vers.33. Egestas à Domino in domo impij, habitacula autem justorum benedicentur, tr.78.d.5.n.7.

Cap. V.

Vers.15. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis dividæ, tr.83. d. 33.n.4.d.46.n.3.
Vers.16. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas dividæ, tr.83.d.12.n.6.& d.48.n.5.
Vers.22. Iniquitates suæ capiant impium, tr.77.d.25. per tot. & tr.81.d.9.n.4.
Vers.22. Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur, tr.77.d.26.n.2.d.28.per tot.

Cap. VI.

Vers.6. Vade ad formicam ô piger, &c. usquequo piger dormies? Quando consurges? tr.91.d.6.n.1. & d.11.n.1. & tr.70. d.2.n.2. & tr.75.d.1.n.1.
Vers.12. Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, &c. tr.70.d.9.n.10.
Vers.14. Pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat, tr.70.d.16.n.3.
Vers.16. Sex sunt quæ odit Dominus, oculos sublimes, tr.92. d.10.n.11.
Vers.27. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, tr.77.d.1.n.1. & d.31.n.2.
Vers.32. & 33. Qui adulter est, ... Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, tr.71.d.10.n.3.

Cap. VII.

Vers.2. Fili serva mandata mea, & legem meam, quasi pupillam oculi mei, tr.76.d.15.n.1.& d.17.per tot.
Vers.16 18. & 19. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, ... Non est enim vir in domo mea, abiit via longissima, tr.84.d.4.n.1.
Vers.21. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum, tr.83.d.48.n.6.
Vers.21.& 22. Irretivit eum, Sequitur quasi bos ductus ad victimam, tr.77.d.28.n.5. tr.78.d.29.n.5.
Vers.22. Stolam eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, &c. & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, tr.71.d.14.n.5.
Vers.27. Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis, tr.77.d.2.n.2.

Cap. VIII.

Vers.11. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari, tr.83.d.1 3.n.1.

Vers. 13. *Timor Domini odit malam, arrogantiam & superbiam, & viam pravam detestatur.* tr.90.d.15.n.1.
*Vers.*27. *Quando præparabat cælos, aderam.* tr.85.d.7.n.7.
*Vers.*31. *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* tr.77. d.10.n.1.
Vers. 36. *Qui in me peccaverit, lædet animam suam.* tr.77.d.9 n.10.

Cap. IX.

Vers. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam.* tr.85.d.1.n.3.
*Vers.*18. *Ignoravit quod ibi sint gigantes.*tr.77,d.20.n.2.

Cap. X.

*Vers.*7. *Nomen impiorum putrescet.* tr.78. d.33.n.5.
*Vers.*11. *Vena vitæ os justi.* tr.83.d.16.n.8. d.18.n.6.
*Vers.*17. *Via vitæ custodienti disciplinam, qui autem relinquit increpationes errat.* tr.83.d.38.n.3.
*Vers.*19. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* tr. 88. d.2.n.2.
*Vers.*20. *Cor impiorum pro nihilo.* tr.71.d.7.n.5.
*Vers.*23. *Quasi per risum stultus operatur scelus* tr.73.d.8.n.5.
*Vers.*27. *Timor Domini apponet dies.* tr.93.d.15.n.10.
*Vers.*28. *Spes impiorum peribit.* tr.81.d.24.n.1.
*Vers.*29. *Pavor his qui operantur malum.*tr.77.d.19.per tot.

Cap. XI.

Vers. 2. *Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia.* tr. 90. d.8.n.8.
*Vers.*12. *Qui despicit amicum suum, indigens corde est, vir autem prudens tacebit ad opprobria.* tr.68.d.6. n.2.

Cap. XII.

*Vers.*10. *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem eorum crudelia.* tr.77.d.20.n.3.
*Vers.*11. *Qui sectatur otium stultissimus est.*Tr.91.d.13.per tot.
*Vers.*21. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Tr. 94.d.33.per tot. Tr.85.d.10.n.6.

Cap. XIII.

Vers. 3. *Qui custodit os suum, custodit animam suam, &c.* Tr.88.d.1. per totum. & d.9.n.4.
*Vers.*6. *Impietas peccatorem supplantat.* Tr.78.d.31.n.2.
*Vers.*12. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Tr.80. d.7.n.1. & tr.86.d.3.n.5.
*Vers.*21. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*Tr.70. d.12.n.7. & d.14.n.7. &Tr.80.d.7.n.1.

Cap. XIV.

*Vers.*3. *In ore stulti virga superbiæ.* Tr.90.d.12. per totum.
Vers. 16. *Sapiens timet & declinat à malo, stultus transilit & confidit.* Tr.93.d.8.n.2.
*Vers.*26. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Tr.93.d.7.n.1.
*Vers.*27. *Timor Domini fons vitæ.* Tr.93.d.15.n.2.
*Vers.*31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat Creatori ejus.* Tr.69.d.4.n.8.
Vers. 34. *Miseros facit populos peccatum.* Tr.78.d.1. per tot & Tr.94.d.28.n.8.

Cap. XV.

*Vers.*12. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Tr.75.d.5. per totum.
*Vers.*15. *Secura mens quasi juge convivium.* Tr. 93. d.12. n.7. & Tr.81.d.5.n.6.
*Vers.*16. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles.* Tr.93.d.11.n.4.
*Vers.*23. *Sermo opportunus est optimus.* Tr.83. d.9. n.9. & d. 11.n.11.& d.35.n.2. & d.46.n.1.
*Vers.*24. *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.* Tr.77.d.3.n.5.
*Vers.*25. *Domum superborum demolietur Dominus.*Tr.90.d.10. per tot.

Cap. XVI.

*Vers.*1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Tr.83.d.37.n.5.
*Vers.*2. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus, Spirituum ponderator est Dominus.* Tr.84.d.7.n.3.& Tr.70.d.5.n.2.
*Vers.*4. *Universa propter semetipsum operatus est.* Tr.95. d.1. n.2.
*Vers.*6. *In timore Domini declinatur à malo.*Tr.93.d.2.n.7.
*Vers.*22. *Fons vitæ eruditio possidentis, doctrina stultorum fatuitas.* Tr.83.d.33.n.8.
*Vers.*24. *Favus mellis composita verba.* Tr.83.d.19.n.2.
*Vers.*27. *Vir impius fodit malum, & in labijs ejus ignis ardescit.* Tr.78.d.28.n.3. & Tr.70.d.16.n.3.
*Vers.*32. *Melior est patiens viro forti,& qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Tr.88.d.8.n.4.& Tr.68.d.6.n.2.

Cap. XVII.

*Vers.*1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, &c.* Tr. 70. d.9. n.3. & d.16.n.8.
*Vers.*14. *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Tr.88.d.2. n.6. Cap. XVIII.
*Vers.*3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Tr.73.d.3.per tot.d.4.per tot.& d.3.n.8. Tr.81. d.23.n. 7. & Tr.82.d.5.n.8.& Tr.68.d.5.n.5.
*Vers.*6. *Labia stulta miscentse rixis, &c.* tr.70.d.9.n.3.
*Vers.*23. *Obsecrationibus loquetur pauper, & dives effabitur rigide.* tract.69.d.2.n.9.

Cap. XIX.

*Vers.*3. *Stultitia hominis supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet anima sua.* tr.82.d.3.n.3.
*Vers.*15. *Anima dissoluta esuriet.* tr.78.d.5.n.7.

Cap. XX.

*Vers.*4. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* tr.81 d.16.n.4.
*Vers.*9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato ?* tr.95.d.11.n.10.

Cap. XXI.

*Vers.*1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* tr.78. d.13.n.4.
*Vers.*4. *Lucerna impiorum peccatum,* tr.71.d.1. n.1. & tr.77.d. 30. per totum.
*Vers.*14. *Munus absconditum extinguit iras.* tr.86.d.12.n.5.
*Vers.*23. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.*tr.88.d.2.n.10.

Cap. XXII.

*Vers.*6. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* tr.73.d.1.n.2.& d.26.n.7.tr.81.d.8.n.1.& d.20.n.4
*Vers.*15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam, &c.* tr.94.d.14.n.5.
Vers. 22. *Non facias violentiam pauperi quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus, & confliget eos, qui confixerunt animam ejus.* tract. 69. d.4.n.6.
*Vers.*29. *Vidisti virum velocem in operibus suis, coram Regibus stabit.* tr.81.d.25.n.4.

Cap. XXIII.

*Vers.*17. *Non æmuletur cor tuum peccatores,sed in timore Domini esto tota die.*tr.93.d.6.n.8.
*Vers.*26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* tr. 73. d.7. n.1. & tr. 96.d.6.n.4.
*Vers.*31. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* tr.77.d.16.n.3.

Cap. XXIV.

*Vers.*9. *Cogitatio stulti peccatum est.*tr.74.d.3.n.1.
*Vers.*16. *Septies cadet justus, & resurget: impij autem corruent in malum,* tr.75.d.10.n.6.tr.76.d.22. per tot. & tr. 68. d.1. n. 6.& tr.81.d.7.n.4.
*Vers.*30. *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, &c.* tr.91.d.11.n.1.

Cap. XXV.

*Vers.*11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* tr.88.d.10.n.6.
*Vers.*12. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* tr.81.d.27.n.4.
*Vers.*28. *Sicut urbs patens,& absque muro rum ambita,ita vir, qui non potest in loquendo cohibere Spiritum suum.* tr 88.d.7.per tot.

Cap. XXVI.

*Vers.*11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam,* tr.75.d.1.n.2.

Cap. XXVII.

*Vers.*15.*&* 16. *Tecta pestilentia in die frigoris, & ligitiosa mulier comparantur, Qui vetinet eam, quasi ventum tuneat, & oleum dexteræ suæ vocabit.*tr.94.d.8.n.7.

Cap. XXVIII.

*Vers.*1. *Fugit impius nemine persequente.*tr.77.d.17.n.7.
*Vers.*1. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit.*tr.94.d.16. n.2.& tr.85.d.11.n.2.
*Vers.*14. *Beatus homo, qui semper est pavidus,* tr. 93. d. 6. per tot.& tr.82.d.1.n.8.
*Vers.*19. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus,qui autem sectatur otium, replebitur egestate.* tr.91.d.11.per tot.

Cap. XXIX.

*Vers.*1. *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus,* tr.73.d.5.n.4.

Cap. XXXI.

*Vers.*19. *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum,* tr.76.d.18.n.11.
*Vers.*23. *Nobilis in portis vir ejus,* tr.69.d.1.n.45.
*Vers.*27. *Panem otiosa non comedit.* tr.91.d.12.per tot.

EX ECCLESIASTE.

Caput I.

Vers. 2. *&* 3. *Vanitas vanitatum,& omnia vanitas, Quid habet amplius homo ?* tr.95.d.7.n.2.
*Vers.*8. *Non saturatur oculus visu,* tr.90.d.9.n.7.
*Vers.*15. *Stultorum infinitus est numerus.* tr.72.d.6. per totum. & tr.93.d.2.n.4.

*Vers.*18.

*Vers.*18. *In multa sapientia, multa indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem,*tr.74.d.8.n.6.

Cap. II.

*Vers.*10.*Omnia quæ desideraverunt, oculi mei, non negavi eis,* tr.94. d.1.n.7.
*Vers.*14. *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat.* tr.72.d.6.n.2.

Cap. III.

*Vers.*4. *Tempus flendi & tempus videndi,*tr.91.d.4.per tot.
*Vers.*7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi,* tr.88.d.8.n.8.d. 10.per tot.& tr.83.d.46.n.2.& d.11.n.10.
*Vers.*21. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum,*tr.82.d.5.n.14.

Cap. V.

*Vers.*2. *In multis sermonibus invenietur stultitia,* tr.88.d.9.n.7.
*Vers.*11. *Dulcis est somnus operanti sive parum,sive multum comedat,saturitas autem divitis non sinit eum dormire,*tr.69.d.3.n.3.

Cap. VII.

*Vers.*18. *Ne impie agas multum,& noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo,* tr.81.d.11.n.5.

Cap. VIII.

*Vers.*5. *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali,* tr.77.d.10.per totum.
*Vers.*8. *Non est in hominis potestate prohibere Spiritum, nec habet potestatem in die mortis,* tr.91.d.3.n. 1.
*Vers.*11. *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala,* tr.73. d.5. n.7. & tr.78.d.31.n.3.

Cap. IX.

*Vers.*1. *Sunt justi atque sapientes, & opera illorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit,* tr. 82.d.1.n.4. & d.5.n.1. tr.81.d.10.n.6. tr.81.d.23.n.6. tr.83.d.23. n.1.d.30.n.2.tr.93.d.5.n.10.
*Vers.*14.*&* 15. *Civitas parva & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque contra eam munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit per sapientiam suam,*tr.92.d. 4.n.7. & tr.79.d.4 n.5.

Cap. X.

*Vers.*1. *Muscæ morientes perdant suavitatem unguenti,* tr.76. d.4.n.5.d.7.per totum. d.22.n.2.
*Vers.*4. *Curatio cessare facit peccata maxima,*tr.94.d. 28.n.5. & d.19. per totum.
*Vers.*8. *Qui fodit foveam, incidet in eam,* tr.78.d.27.n.3. & 4. d.28.n.7.
*Vers.*15. *Labor stultorum affliget eos,* tr.77.d.13.n.2.
*Vers.*18. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus,* tr.76.d.13.n.5.

Cap. XI

*Vers.*1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post tempora multa invenies illum,* tr.86.d.11.n.5.
*Vers.*4. *Qui observat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, namquam metet,* tr.83.d.47.n.8.

Cap. XII.

*Vers.*6. *Antequam confrigatur vota, & revertatur pulvis in terram suam unde erat,* tr.78.d.34.n.7.

EX CANTICIS.

Caput I.

*Vers.*5. *Posuerunt me custodem in vineis,* tr.91.d.17.n.2.
*Vers.*7. *Si ignoras te, ... egredere, & abi post vestigia gregum tuorum,* tr.94.d.10.n.6.
*Vers.*8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea,* tr.70.d.3.n.5.
*Vers.*13. *Botrus Cypri dilectus meus,* tr.97.d.8.n.8.

Cap. II.

*Vers.*3. *Sicut malus inter sylvas, sic dilectus meus inter filios,* tr.85.d.3.n.1.
*Vers.*7. *Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit,* tr.91.d.17.n.2.
*Vers.*8. *&* 9. *Ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles, Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum,*tr.81. d.25.n.3.
*Vers.*13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum,* tr. 73. d.1. n.3.
*Vers.*13.*&* 14. *Surge amica mea, speciosa mea,& veni: Columba mea, in foraminibus petræ, in cavernamaceriæ,* tr.89.d.3.n.5.
*Vers.*15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. nam vinea nostra floruit,*tr.76.d.5.per tot.

Cap. III.

*Vers.*1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea,* tr.89. d. 11. n. 2. & tr. 84. d.7. n. 4. & tr. 94. d. 15. n.4.
*Vers.*6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris,* tr.89.d.5.n.8. & tr.80.d. 6.n.11.
*Vers.*7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortibus Israël omnes tenentes gladium,* tr.83.d.12.n.10.
*Vers.*11.*Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, &c.* tr.89.d.5.n.2.

Cap. IV.

*Vers.*1. *Quam pulchra es amica mea ? quam pulchra es ? oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet,* tr.95. d.5. per totum.
*Vers.*2. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro,* tr.83.d.4.n.1.
*Vers.*3. *Sicut vitta coccinea labia tua,* tr.88.d.2. n 7.
*Vers.*3. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ,* tr.88.d.10.n.8. & tr.79.d.10.n.7.
*Vers.*4.*Sicut turris David collum tuum,&c.* tr.97.d.9.n.11.
*Vers.*6. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.*tr.89.d.5. n.1.
*Vers.*7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* tr.76.d.7.n.2.d.22.n.2.
*Vers.*9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum,* tr.76.d.5.n.6. d.19.n.5.
*Vers.*11 *Mel & lac sub lingua tua,* tr.94.d.8.n.6.& tr.83.d.45. n.4.
*Vers.*12.*Hortus conclusus, soror mea sponsa,* tr.76.d.14.n.6.
*Vers.*13. *Emissiones tuæ paradisus,* tr.83.d.16.n.1.
*Vers.*15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano,* tr.83.d.32.n.3.

Cap. V.

*Vers.*1. *Messui myrrham primam.* tr.97.d.8.n.7.
*Vers.*2. *Aperi mihi soror mea,amica mea,columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore,* tr.94.d.26.n.6.
*Vers.*3. *Expoliavi me tunica mea,quomodo induar illa?*tr.72.d. 1.n.1.& tr.75.d.8.n.7.
*Vers.*6. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo,*tr.88.d.9.n.5.
*Vers.*14. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis,* tr.94. d.11.n.3.& tr.85.d.3.n.3.
*Vers.*15. *Crura illius columnæ marmoreæ,* tr.76. d.5.n.6. & tr. 80.d.4.n.9. Cap. VI.
*Vers.*3.*Terribilis ut castrorum acies ordinata,* tr.92.d.1.n.11.
*Vers.*8. *Una est columba mea, oculi ejus, sicut columbæ super rivulos aquarum,* tr.76.d.18.n.3.
*Vers.*9. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, &c.* tr.80.d.6.n.11.
*Vers.*10. *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium,* tr.90.d.5.n.9.
*Vers.*11. *Anima mea conturbavit me,* tr.72. d.1.n.1.

Cap. VII.

*Vers.*10. *Ego dilecto meo,& ad me conversio ejus,*tr.97.d.9.n.8.
*Vers.*13.*Omnia poma nova & vetera, dilecte mi,servavi tibi,* tr.96.d.7.n.4.

Cap. VIII.

*Vers.*5.*Quæ est ista,quæ ascendit de deserto deliciis affluens,innixa super dilectum suum,* tr.89.d.5.n.1.& tr.80.d.6.n.11.
*Vers.*6. *Dura sicut infernus æmulatio,* tr.97.d.5.n.7.
*Vers.*7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,* tr. 94.d.15.n.11.
*Vers.*9. *Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis,* tr.76. d.18.n.11.
*Vers.*10. *Ego maras, &c. ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens, mille tui pacifici,* tr.70.d.14.n.5.
*Vers.*13. *Fac me audire vocem tuam,* tr.82.d.6.n.8.& d.7. n.3. tr.89.d.3.n.10.

EX SAPIENTIA.

Caput I.

*Vers.*3. *Probata virtus corripit insipientes,* tr.97. d.6.n.5.
Vers. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* tr.93.d.10.n.1.
*Vers.*12.*&* 13. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ,nec acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum,* tr.82. d.3.n.1. & tr.77.d.6.n.6. & tr.90. d.11.n.1. & 2.
*Vers.*14.*Medicamentum exterminij,* tr.71. d.9.n.6.
*Vers.*16. *Impij manibus & verbis accersierunt illam.* tr.77.d.6. n.6.

Cap. II.

*Vers.*1 *Dixerunt cogitantes apud se non recte, exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &c.* tr.73.d.5.n.1.
*Vers.*8. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant,* tr.94. d.22. n.9.& tr.81.d.3.n.2.
*Vers.*12. *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis,* tr.68.d.11.n.8. & tr.81. d.12.n.3.
*Vers.*16.*Tamquam nugaces æstimati sumus,* tr.71.d.11.n.1.

Cap. III.

*Vers.*5. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se,* tr.92.d. 11. per tot.& tr.94.d.3.n.4. & tr.92.d.4.n.20.

Vers.6. Tamquàm aurum in fornace probavit electos Dominus, tr.92.d.3.n.8.
Vers.9. Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem, & fideles, &c. tr.85.d.11.n.4.
Vers.15. Bonorum laborum gloriosus est fructus, tr.91.d.6.n.7.

Cap. IV.

Vers.8. Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis , tr.91. d.15. n.9.
Vers.18. & 19. Illos Dominus irridebit, Et erunt post hæc decidentes sine honore, &c. tr.77.d.19.n.5.
Vers.20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum, tract.77. d. 20. n.5.

Cap. V.

Vers.3. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, tr.73.d.4. n.6. & tr.81.d.6.n.2.
Vers.3. Pœnitentiam agentes, & præangustia Spiritus gementes, tr.81.d.17.n.5.
Vers.6. Sol intelligentiæ non est ortus nobis, justitiæ lumen non luxit nobis, ergo erravimus, tr.72.d.3.n.5.
Vers.7. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, tr.72.d 3.n.5.tr.77.d.13.n.1.
Vers.8. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis, transierunt omnia illa tamquam umbra, tr.91. d.6.n.6.
Vers.15. & 16. Spes impij tamquam lanugo est , quæ à vento tollitur , & tamquam spuma gracilis , quæ à procella dispergitur , & tamquam fumus , qui à vento diffusus est,& tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Justi autem in perpetuum vivent. tr.81.d.24.n.1.
Vers.18. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum , tr.77.d. 31.n.3. tr.78.d.3.per tot.
Vers.22. Ibunt directè emissiones fulgurum , & tamquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur , & ad certum locum insilient, tr.78.d.11.n.5.
Vers.23. & 24. Excandescet in illos aqua maris , & flumina concurrent duriter, Contra illos flabit Spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos, tr.78.d.9.n.2.

Cap. VI.

Vers.26. Multitudo sapientium est sanitas orbis terrarum, tr. 83.d.1.n.1. & d.9.n.1.

Cap. VII.

Vers.10. Sum quidem & ego mortalis homo,&c. tr.94.d.1.n.7.
Vers 26. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula, tr.71. d.10.n.2. & tr.84.d.5.n.3. & d.7.n.5.
Vers.26. Imago bonitatis illius, tr.70.d.2.n.4.

Cap. VIII.

Vers.1. Attingit à fine usque ad finem, tr.85.d.3.n.6. & tr.82. d.2.n.7.

Cap. IX.

Vers.14. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam , tr. 77.d.19.n.5.
Vers.15. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam , & terrena inhabitatio, &c. tr.82.d.10.n.5.& d.21.n.6. & d.76.n.2. & tr.68.d.1.n.3. & d.10.n.5.

Cap. X.

Vers.13. & 14. Descenditque cum illo in foveam , Et in vinculis non deseruit illum, donec offerret illi sceptram Regni. Tr.68.d. 19.n.9. & Tr.85.d.12.n.1.& tr.84.d.4.n.1.Tr.94.d.13.n.9. & Tr. 95.d.5.n.5.

Cap. XI.

Vers.17. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, Tr.78. d. 18. per totum. d.19.per tot.d.20.per tot.d.21.per totum. d.22. per tot.d.23.per tot.d.24.per tot.d.25. per totum.
Vers.21. Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit, Tr..74.d.2.n.1. & Tr.85.d.13.n.2.
Vers.25. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, tr.71.d.8.n.3.

Cap. XII.

Vers.8. Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent, Tr.78.d.15.n.6.
Vers.10. Non ignorans, quoniam nequam est natio eorum , & naturalis malitia ipsorum, & quoniam poterat mutari cogitatio illorum, Tr.73.d.1.n.4.
Vers.11. Semen enim erat maledictum ab initio, Tr.82.d.8.n.6.

Cap. XIV.

Vers.22. In magna viventes inscientiæ bello,& tot, & tam magna mala pacem esse, arbitrati sunt, Tr.70.d.10.n.2.

Cap. XV.

Vers.10. Cinis est cor ejus & terra supervacua spes illius , & fatuo vilior vita ejus, quoniam ignoravit qui se finxit, Tr.90. d. 8.n.14.
Vers.14. Omnes enim insipientes & infelices , supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, Tr.90.d.12.n.1.

Cap. XVI.

Vers.22. Nix autem & glacies, sustinebant vim ignis, & non tabescebant, ut scirent ,quoniam fructus inimicorum exterminabit ignis ardens in grandine,& in pluvia coruscans, Tr.78.d.10.n.2.
Vers.26. Ut sciant filij tui , quos dilexisti Domine , quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat, Tr.83.d.3.n.6.

Cap. XVII.

Vers. 3. Putant se latere in occultis peccatis, Tr.77.d.13. per totum.
Vers.10. Cum sit timida vequitia, data est in omnium condemnationem, Tr.77.d.17.n.6.
Vers.10. Semper præsumit sæva, perturbata conscientia , tr.77. d.21.per tot.
Vers.18. Resonans de altissimis montibus Echo deficientes faciebant illos præ timore, Tr.81.d.12.n.7.

Cap. XVIII.

Vers.14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, omnipotens sermo tuus, de cælo à regalibus sedibus venit , Tr.88. d.5. per totum.

Cap. XIX.

Vers.7. Campus germinans de profundo nimio, Tr.90. d.1.n.3.

EX ECCLESIASTICO.

Caput I.

Vers.11. Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia,& corona exultationis, Tr.93.d.6.n.6.
Vers.12. Timor Domini delectabit cor,& dabit lætitiam, Tr.93, d.12.per tot.
Vers.13. Timenti Dominum, bene erit in extremis, Tr.93. d.6. n.1.
Vers.16. Initium sapientiæ timor Domini, Tr.93.d.6.n.3.& d.7. per tot.& d.10.n.6.
Vers.19. Timenti Deum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur, Tr.93,d.6.n.10.
Vers.20. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius, Tr.93,d.10.n.11.
Vers.25. Radix sapientiæ est timere Dominum, Tr.93.d.7.n. 5. & d.10.per tot.
*Vers.27. Timor Domini expellit peccatum,*Tr.93,d.2. per tot.

Cap. II.

Vers.1. Præpara animam tuam ad tentationem , Tr.92. d.15. n.9.
Vers.3. Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo, & sustine, Tr.94.d.29.per totum.
Vers.16. Væ his qui perdiderant sustinentiam , & derelinquerunt vias rectas, Tr.68.d.15.n.4.
Vers.11. Scitote, quia nullus speravit in Domino , & confusus est, Tr.85.d.11.n.1.
*Vers.14. Væ duplici corde, & manibus malefacientibus.*Tr.91. d.6.n.2.
Vers.14. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Tr.71. d.4 n.4.
Vers.20. Qui timent Deum, præparabunt corda sua , Tr.93. d.13.n.10.

Cap. III.

*Vers.27. Qui amat periculum,peribit in illo,*Tr.76.d.11.n.5.
Vers.27. Cor durum habebit male in novissimo, Tr. 73. d.3. per totum. Tr.83.d.23.n.7. tr.78.d.31.n.4.
Vers.28. Cor ingrediens duas vias,non habebit successus, tr.72. d.4.n.4.
Vers.29. Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum, tr.73.d.7.n.2. & tr.75. d.3. n.5. & tr.78.d. 31.per tot.

Cap. IV.

Vers.18. & 19. Quoniam in tentatione ambulat cum eo , & in primis elegit eum. Timorem & metum,& probationem inducet super illum, tr.92.d.9.n.7.
*Vers.23. Fili conserva tempus,*tr.91.d.3.per tot.& d.14.n.2.

Cap. V.

Vers.5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. tr.77.d.20.n.7. & tr.75.d.8.n.1.& tr. 81.d.23.n.6.& tr.90.d.15.n.5. & tr.93.d.15.n.5.
Vers.6. Ne dicas, miseratio Domini magna est , multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximant , & in peccatores respicit ira illius. tr.82. d.15. n.3.
Vers.8. & 9. Non tardes converti ad Dominum,& ne differas de die in diem.Subito enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ disperdet te, tr.81.d.11.n.2.

Cap. VI.

Vers.10. Est amicus socius mensæ. tr.86.d.8.n.6.

Cap. VII.

*Vers. 11. Ne dicas in multitudine munerum meorum respiciet Deus, cv offerente me Deo altissimo,munera mea suscipiet,*tr.81.d. 24.n.5.

Cap. VIII.

Cap. VIII.

Vers.4. Non litiges cum homine lingeato , & non struas in igne illius ligna, tr.70.d.16.n.3.

Cap. IX.

Vers.10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur, tr.71.d.12.n.5. & tr.78.d.33.n.5.
Vers.16. Non zeles gloriam, & opes peccatoris, non enim scis, quæ futura sit illius subversio, tr.78.d.34.n.8.
*Vers.17. Non placeat tibi injuria injustorum , sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius ,*tr.71.d.19.n.2.
Vers.20. In medio laqueorum ingredieris , tr.77.d.28. n.5. & tr.92.d.1.n.7.

Cap. X.

Vers.9. Quid superbit terra & cinis, tr.90. d.14. per tot. & tr. 71.d.2.per tot.
Vers.11. Omnis potentatus vita brevis, tr.85.d.11.n.5.
Vers.11. Languor prolixior gravat medicum , tr.81.d.8.n.2. & d.26.n.5.
Vers.12. Rex hodie est, & cras morietur, tr.78.d.33.n.6.
Vers.13. Cum morietur, hæreditabit serpentes & bestias , & vermes, tr.78.d.33.n.5.
*Vers.15. Initium omnis peccati est superbia,*tr.90.d.7.per tot.

Cap. XI.

*Vers.12. & 13. Est homo marcidus, egens recuperatione... abundans paupertate , Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus ,*tr.69.d.4.n.4.
Vers.16. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt , tr.72. d.4.per tot.
Vers.19. Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus, &c. tr.91.d.11.n.8.
Vers.29. In fine hominis denudatio operum illius , tract.77.d. 5.n.5.
Vers.34. A scintilla una augetur ignis , tr.70.d. 16.n.2. & tr. 76.d.1.n.1. d.2.per tot.

Cap. XII.

Vers.3. Altissimus autem odio habet peccatores, tr.77.d.24.n.8.
Vers.13. Quis miserebitur incantatori à serpente percusso , & omnibus qui appropinquant bestijs ? tr.91.d.18.n.5.

Cap. XIII.

Vers.4. Dives injuste egit & fremet, pauper autem læsus tacebit, tr.69.d.2.n.9.
Vers.31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bono, sive in malo, tr.77.d.31.n.8.

Cap. XIV.

Vers.12. & 13. Memor esto, quoniam mors non tardat & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi; Ante mortem benefac amico tuo , & secundùm vias tuas porrigens da pauperi, Tr.91.d.5.n.2.

Cap. XV.

Vers.1. Qui timet Deum, faciet bona, tr.93.d.13.per tot.
Vers.3. Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, Tr.83.d.33.n.4.
Vers.14.15.17.& 18. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui , Adjecit mandata & præcepta sua, &c. Apposuit tibi aquam & ignem , ad quod volueris extende manum tuam. Ante hominem vita & mors,bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, Tr.82.d.2.n.1. & Tr.73. d. 1.n.1. & Tr.92.d.5.n.6.
Vers.21. Nemini dedit spatium peccandi, Tr.81.d.26.n.1.

Cap. XVII.

Vers.5. Consilium & linguam, & oculos & aures & cor dedit illis excogitandi, Tr 92.d.17.n.4.
Vers.5. Disciplina intellectus replevit illos, Tr.93.d.10.n.8.
Vers.12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo , Tr.97. d.9.n.1.
Vers.21.22.& 23. Convertere ad Dominum , & relinque peccata tua, Precare ante faciem Domini, & minue offendicula, Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitia tua , & nimis odito execrationem, Tr.81.d.11.n.2.

Cap. XVIII.

Vers.20. Ante languorem adhibe medicinam, Tr.81.d.3.n.3.& Tr.83.d.9.n.9.

Cap. XIX.

Vers.1. Qui spernit modica, paulatim decidet, Tr.76. d.6. per tot.& Tr.80.d.5.n.5.
Vers.4. Qui credit cito, levis est corde, Tr.72.d.6.n.6.
Vers.10. Audisti verbum adversus proximum tuam ? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet, Tr.88.d.8.n.2.

Cap. XX.

Vers.7. Homo Sapiens tacebit usque ad tempus , lascivus autem, & imprudens non servabunt tempus, Tr.88.d.10.n.6.
Vers.8. Qui multis utitur verbis, lædit animam suam, Tr.88. d.9.n.7.
Vers.22. Ex ore fatui reprobabitur parabola , quia non dicit illam in tempore suo, Tr.83.d.46.n.5.

Cap. XXI.

Vers.2. Quasi à facie colubri fuge peccatum , Tr.77.d.31.n.7. & Tr.81.d.22.n.8. & Tr.72.d.3.n.5.
Vers. 4. Quasi rhomphea bis acuta omnis iniquitas , plagæ illius non est sanitas, tr.73.d.8.n.5. & Tr.77.d.6. per tot. & d. 27.n.3.
*Vers.7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris,*Tr.73. d.5.n.4.
*Vers.11. Via peccantium complanata lapidibus,*tr.77.d.13.n.5.
Vers.18. Verbum sapiens quodcumque audierit, stans laudabit, & ad se adjiciet. Audivit luxuriosus, & displicebit illi, Tr.83. d.27.n.6.

Cap. XXII.

Vers.2. De stercore boum lapidatus est piger, Tr.71.d.13.n.2. & Tr.91.d.16.n.2.
Vers.33. Quis dabit ori meo custodiam ? &c. Tr. 88. d.10.n.4. & d.9.n.7.

Cap. XXIII.

Vers.5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. tr.90. d.9.n.3.
Vers. 24. Omnis homo qui transgreditur lectum suum , contemnens in animam suam , & dicens , quis me videt, Tr. 84. d.4.n.7.
Vers.25.& 26. Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me,& nemo circumspicit me, Tr.84.d.11.n.2.

Cap. XXIV.

Vers.5. Ego ex ore altissimi prodivi, Tr.85.d.2.n.1.
Vers.21. Quasi Libanus non tacitus vaporavi, Tr.97.d.8.n.7.

Cap. XXV.

*Vers.1. In tribus placitum est spiritui meo,&c.*Tr.70.d.1.n.7.
Vers.13. Quam magnus qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum, &c. Tr.93.d.6.n.12.

Cap. XXVII.

Vers.6. Vasa figuli probat fornax , & homines justos tentatio tribulationis, Tr.94.d.16.per totum.& Tr.92.d.4.n.6.
Vers.30. Facienti nequissimum consilium , super ipsum devolvetur, tr.78.d.27.per totum.
Vers.31.& 32. Illusio & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt , qui oblectantur casis justorum, Tr.78.d.28.n.6.

Cap. XXVIII.

*Vers.10. Abstine te à lite, & minues peccata,*Tr.70.d.17.n.5.
Vers. 14. Si fefellaveris in scintillam , quasi exardebit, tr.76. d. 1.n.1.

Cap. XXIX.

Vers.20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam. tr.71.d.7.n.5.
Vers.27. Recapera proximum tuum secundùm virtutem tuam, tr.97.d.9.n.3.

Cap. XXX.

Vers.25. Multos occidit tristitia, tr.68.d.1.n.4.

Cap. XXXI.

Vers.2. Infirmitas gravis sobriam facit animam, tr.94.d.18.per totum.
Vers.10. Potuit transgredi, & non est trangressus, facere mala, & non fecit, tr.79.d.2.n.6.
Vers.15. Nequius oculo quid creatum est ? tr.88.d.1.n.3.
Vers.17. In omnibus operibus tuis esto velox , & omnis infirmitas non occurret tibi, tr.81.d.3.n.3.

Cap. XXXII.

Vers.14. Ante grandinem præibit corusçatio , & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia, tr.94.d.7.n.4.

Cap. XXXIII.

Vers.5. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatio illius, tr.80.d.3.n.6.
Vers.28. Servo malevolo tortura & compedes , mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas, tr. 91.d.7.n.4.& d.8.n.6. & d.9. per tot.

Cap. XXXIV.

Vers.9. Qui non est tentatus quid scit? tr.92.d.5.n.7.
Vers.16. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, tr.86.d.14.n.3.
Vers.20. Dans sanitatem , & vitam,& benedictionem, tr.93. d.15.n.10.
Vers.23. Altissimus nec respicit oblationes iniquorum , nec in multitudine sacrificiorum , eorum propitiabitur peccatis, tr.81.d. 24.n.5.
Vers.23. Dona iniquorum non probat altissimus , nec respicit oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis, tr.77.d.12.per tot.
Vers.28. Unus adjiciens, & unus destruens , tr.83.d.36.n.6.
*Vers.30. Qui baptizatur à mortuo,& iterum tangit eum , quid proficit lavatio illius?*tr.75.d.2.per tot.d.9.n.8.& tr.80.d.2.n.7.

Cap. XXXV.

Vers. 26. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis , quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis, tr.94.d.4.per tot.

Cap. XXXVI.

Vers.27. Ubi non est sepes, diripietur possessio, & ubi non est mulier, ingemiscit egens, tr.68.d.11.n.9.

Cap. XXXVIII.

Vers.4. Altissimus creavit de terra medicamenta , & vir prudens non abhorrebit illa, tr.82.d.5.n.4.

Vers. 9.

Vers.9. Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te, avertere à delicto, ab omni delicto munda cor tuum, & da locum medico, Tr.78.d.17.n.8.

Vers.15. Qui delinquunt in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici, tr.78.d.17.per totum.

Vers.25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet, tr.91.d.17.n.9.

Vers.28. Sic omnis faber & Architectus, qui noctem tamquam diem transijt, qui sculpsit signacula sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam, tr.83.d.28.n.6.

Vers.32. Sic figulus sedens ad opus suum convertens, &c. tr. 83.d.44.n.4.

CAP. XXXIX.

Vers.30. Bona bonis creata sunt ab initio, tr.77.d.10.n.1.

Vers.36. Bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios, tr.78.d.15.per tot.

Cap. XL.

Vers.13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt, tr.78.d.16.n.4. & d.33.n.7.

Vers.28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, tr. 93. d.6.n.4.& d.12.n.7.

Vers.29. Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas, melius est mori, quam indigere, tr.91.d.4.n.5.& d.11.n.3.

Cap. XLI.

Vers.1. O mors quam amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantijs suis, tr.70.d.11.n.4.& tr.77.d.5.n.7.& Tr. 81.d.9.n.5.& d.14.n.8.

Vers.15. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri, tr.73.d.4.n.2.

Cap. XLIII.

Vers.14. Imperio suo accelleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere judicij sui, propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ sicut aves, &c. tr.78.d.16.n.5.& d.11.n.2.

Vers. 22. Flavit Aquilo, & gelavit Crystallus, tr. 73. d.7. n.5.

Cap. XLIV.

Vers.6. Homines divites in virtute, tr.69.d.2.n.6.

Vers.14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem, tr.87.d.1.n.1.

Cap. XLVIII.

Vers.1. Quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, tr. 97.d.3.n.3.& tr.83.d.33.n.6.

EX ISAIA.

Caput I.

Vers.2. Audite cœli, & auribus percipe terra, tr.73.d.2.n.4.

Vers.4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, &c. tr.74.d.3.n.4. & tr.77.d.16.n.7.& tr.81.d.3.n.4.

Vers.7. & 8. Desolabitur sicut in vastitate hostili, Et derelinquetur filia Syon, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, Tr.77.d.9.n.10.

Vers.9. & 10. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri. Quo mihi multitudo victimarum vestrarum, Tr.83.d.1.n.8.

Vers.14. Solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens, Tr.77.d.23.n.7.

Vers.15. Manus vestræ sanguine plenæ sunt, Tr.81.d.5.n.4.

Vers.16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse. Tr.83.d.32.n.3.

Vers.25. Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, Tr.92.d.3.n.3.

Vers. 31. Et erit fortitudo vestra, ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succenderetur utramque simul, Tr.77.d. 2.n.7.

Cap. II.

Vers. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, &c. Tr.70.d.3.n.4.

Vers.3. Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus? Tr.76.d.18.n.10.

Vers.17. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem solus Dominus, Tr.90. d.9.n.3.& 4.

Vers.12. & 13. Dies Domini exercituum super omnem superbum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, Et super omnes naves Tharsis, Tr.78.d.9.n.6.

Cap. III.

Vers.9. Agnitio vultus eorum respondet eis, Tr.71.d.10.n.4.

Vers.9. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala, Tr. 77.d.16.n.6.

Vers.10. Dicite justo, quoniam bene, Tr.94.d.33.n.12.

Cap. V.

Vers.4. Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci, Tr.81. d.24.n.4.

Vers.6. Nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem, Tr.78. d.6.n.3.& Tr.83.d.43.n.4.

Vers.14. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, Tr.90.d.11.n.3.

Vers.18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum, Tr.78. d.29.n.2.d.31.n.2.& Tr.71.d.14.n.5.& Tr.81.d.7.n.7.

Vers.25. Mortuina facta sunt, quasi stercus in medio platearum, Tr.78.d.33.n.5.

Cap. VI.

Vers.8. Quem mittam, & quis ibit? Ecce ego, mitte me, tr. 83.d.31.n.1.

Vers.10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & corde suo intelligat, & convertatur & sanem eum, Tr.72.d.4.n.5.

Cap. VII.

Vers.18. & 19. Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, Et venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in fraxeis, Tr.78.d.13. n.2.

Cap. VIII.

Vers.1. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, tr.83.d.43.n.8.

Cap. IX.

Vers.1. Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & novissimo aggravata est via maris, Tr.77.d.24. n.4.

Vers.6. Princeps pacis, Tr.70.d.1.n.6.& d.14.n.1.

Vers.19. In ira Domini exercituum conturbata est terra, Tr.78. d.4.n.1.

Cap. X.

Vers.5. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eorum indignatio mea, Tr.94.d.32.n.6.

Vers.13. In fortitudine manus meæ feci, & Principes eorum defraudatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes, tr. 90.d.10.n.7.

Vers.15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exultabitur serra contra eum à quo trahitur, Tr.95.d. 11.per tot.& Tr.83.d.18.n.6.

Cap. XI.

Vers.1. Egredietur virga de radice Jesse, tr.69.d.1.n.7.

Vers.3. Replebit eum Spiritus timoris Domini, tr.93. d.7. n.4. & d.8.per tot.

Vers.6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, Tr.70.d.3.n.4.& d.18.n.5.

CAP. XIII.

Vers 13. Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus, Tr.78.d.4.n.1.

Cap. XIV.

Vers.11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, &c. tr.90.d.14.n.5.

Vers.12. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui dicebas, in cælum conscendam, tr.74.d.5.n.9.

Vers.13. Dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, tr.90.d.2.per tot. & d.9.n.1.& Tr.74.d.5.n.6.

Vers.13. Sedebo in monte Testamenti, Tr.91.d.7.n.8.

Vers.14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Tr.71.d.8.n.6. & Tr.71.d.2.n.1. & tr.95.d.2.n.1.

Vers.15. Ad infernum detraheris in profundum laci, tr. 90. d. 11.per tot.

Vers.19. Quasi cadaver putridum, tr.71.d.11.n.2.

Vers.22. Perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen, & progeniem dicit Dominus, tr.73.d.5.n.2.

Vers.23. Ponam eam in possessionem ericij, tr.77.d.18.n.6. & tr.81.d.2.n.5.& tr.79.d.4.n.3.

Cap. XXI.

Vers.2. Ascende Ælam, obside Mede, tr.78.d.13.n.8.

Cap. XXII.

Vers.12. 13. & 14. Et vocabit Dominus Deus ... in die illa ad fletum, & ad plauctum, ad calvitium, & ad cingulum sicci; Et ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, Comedamus & bibamus, eras enim moriemur, tr.81.d.19.n.3.

Cap. XXIV.

Vers.16. Secretum meum mihi, tr.95.d.4.n.5.

Vers.20. Agitatione agitabitur terra, tr.78.d.4.n.6.

Vers.21. In die illa visitabit super Reges terræ, qui sunt super terram, &c. tr.86.d.1.n.14.

Cap. XXV.

Vers.9. Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, ... exultabimus, & lætabimur in salutari ejus, cr.80.d.7.n.4.

Cap. XXVI.

Vers.1. Urbs fortitudinis nostræ Syon Salvator, ponetur in ea muros & antemurale, tr.92.d.15.n.7.

Vers.7.

Vers.7. Rectus callis justi ad ambulandam, tr.84.d.6.n.3.

Vers.10. Misereamur impio, tr.78.d.35.n.4.

Vers. 16. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, tr.94.d.11.n.4.& d.23.n.8.

CAP. XXVIII.

Vers.1. Væ coronæ superbiæ, Tr.90.d.9.n.7.

Vers.9. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum, Tr 83.d.27.n.6.

Vers.13. & 15. Manda, remanda, expecta, reexpecta.... Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, Tr.81.d.17.n.6.

Vers.14. & 15. Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, ... Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte, Tr.81.d. 20.n.7.

Cap. XXX.

Vers.15. Hæc dicit Dominus Deus sanctus Israël, si revertamini ut quiescatis, salvi eritis, Tr.88.d.1.n.2.

Vers.15. In silentio & in spe erit fortitudo tua, Tr.68.d.6.n.2

Vers.19. Vexatio intellectum dabit, Tr.93.d.2.n.1.

Vers.23. Panis frugum terræ erit abundantissimus & pinguis, pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose, quia verbum Dei est, Tr.83.d.4.n.7.

Vers.30. Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, Tr.78.d.11.n.2.

Cap. XXXII.

Vers.17. Et erit opus justitiæ pax, Tr.70.d.13.n.1.

Vers.17. Cultus justitiæ silentium, Tr.88.d.2.n.1.

Vers.18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, Tr.85.d.10.n.8.

Cap. XXXIII.

Vers.6. Divitiæ salutis sapientia & scientia, timor Domini, ipse thesaurus ejus, Tr.93.d.11.n.2.

Vers.8. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, ... projecit civitates, &c. Tr.94.d.31.n.9.

Vers.11. & 12. Concipietis ardorem, parietis stipulam Spiritus vester, ut ignis vorabit vos, Et erunt populi, quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni combarentur, Tr.77.d.1.n.6. & 7.

Cap. XXXIV.

Vers.5. Inebriatus est in cælo gladius, Tr.74.d.5.n.6.

Vers.13. Orientur in domibus ejus spinæ & urticæ, & erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, Tr.77.d.18.n.4.

Vers.14. Et pilosus clamabat alter ad alterum, Tr.70.d.31.n.3.

Vers.15. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, tr.73.d. 5.n.2.

Cap. XXXV.

Vers.1. Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, &c. Tr.89.d.7.per totum.& d.8.n.2.

Cap. XXXVII.

Vers.3. Venerunt ... usque ad partum, & non erat virtus pariendi, Tr.78.d.11.n.4.& tr.81.d.2.n.5.

Vers.29. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, Tr.71.d.20.n.9.& Tr.78.d.20.n.2.

CAP. XXXVIII.

Vers.2. & 3. Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim, & flevit Ezechias fletu magno, tr.81.d.14.n.9.

Vers.15. Recogitabo tibi omnes annos meos, Tr.81.d.11.n.6.

Vers.15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Tr.79.d.2.n.7.

Vers.16. Corripiet me, & vivificabis me, Tr.94.d.15.n.1.

Vers.17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, Tr.91.d.7. n.9. &Tr.70.d.14.n.5.

Vers. 19. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, Tr.81.d.11.n.2.

Cap. XXXIX.

Vers.6. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui, Tr.75. d.9.n.7.

Vers.8. Fiat tantum pax in diebus meis, tr.70.d.5.n.3.

Cap. XL.

Vers.8. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum, tr.83.d.41.n.3.

Vers.9. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, Tr.83.d.31.n.4.

Vers.12. Tribus digitis appendit molem terræ, Tr.74.d.9.n.2. & tr.85.d.3.n.3.

Vers.15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera reputatæ sunt, ecce insulæ quasi pulvis exiguus, tr.90.d. 14.n.9.

Cap. XLII.

Vers.14. Tacui semper, silui, & patiens fui, tr.88.d.5.n.3. & tr.81.d.13.n.3.

Vers.19. Quis cæcus nisi servus meus? & quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? tr.73.d.2.n.1.

Cap. XLIII.

Vers.2. & 3 Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te, Quia ego Dominus Deus sanctus Israël Salvator tuus, tr.94.d.15.n.1. & Tr.68. d.12.n.7. & tr.78.d.9.n.8.

Vers.24. Servire me fecisti propter peccata tua, laborare me fecisti in iniquitatibus tuis, tr.94.d.28.n.7. & tr.81.d.18.n.8.& tr.71.d.3.n.5.

Cap. XLIV.

Vers.1. Et nunc audi Jacob serve meus, & Israël quem elegi, tr.85.d.7.n.3.

Vers.22. Delevi quasi nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, Tr.77.d.27.n.7.

Cap. XLV.

Vers.9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de testis terræ, numquid lutum dicit figulo suo, quid facis? tr.71.d.2.n.1.

Vers.15. Vere tu es Deus absconditus, tr.89.d.9.per tot.

Cap. XLVI.

Vers.3. Audite me domus Jacob, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea matrice, tr.85.d.7.n.2.

Vers.4. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo; Ego feci, & ego feram, ego portabo & salvabo, Tr.85. d.7.n.3.

Cap. XLVII.

Vers.8. Ego sum, & præter me non est alter, tr.77.d.4.n.2.

Cap. XLVIII.

Vers.10. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis, tr.94.d.12.n.8.

Vers.17. Ego ... Deus tuus, docens te utilia, tr.93.d.1.n.4.

Vers.18. Utinam attendisses ad mandata mea, fuisset quasi flumen pax tua, tr.70.d.5.n.6.

Vers.22. Non est pax impijs, tr.70.d.7.n.7.

Cap. XLIX.

Vers.2. In umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, tr. 94. d.31. n.13. & tr.83.d.11.n.5.

Vers.8. In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, tr.81.d.18.n.6.

Vers.9. Super vias pascentur, & in omnibus planitis pascua eorum, non esurient neque sitient, &c. tr.81.d.9.n.1.

Vers.15. Numquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non miseretur filio uteri sui, tr.85.d.7.n.3.

Cap. L.

Vers.1. Et quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, tr.71.d.14.n.1.& tr.78.d.30.n.6.

Vers.2. Veni & non erat vir, sive homo, tr.71.d.13.n.3.

Vers.4. Dominus mihi dedit linguam eruditam, Tr.71. d.1.n.2. & Tr.83.d.7.n.3. & d.18.n.3. & d.38.n.4.

Vers.9. Dominus meus auxiliator meus, tr.81.d.15.n.2.

Vers.10. Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum, Tr.85.d.11.n.5.

Vers.11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis quas succendistis, Tr.77.d.1.per tot.

Cap. LI.

Vers.16. Posui verba mea in ore tuo, tr.83.d.18.n.4.

Cap. LIII.

Vers.7. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperuit os suum, tr.88.d.5.n.3.

Cap. LIV.

Vers.16. Ecce, ego creavi fabrum sufflantem in prunas, tr.92. d.6.n.3.

Cap. LV.

Vers.6. Quærite Dominum, dum inveniri potest, tr.77.d.8. n.6.

Vers.10. & 11. Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare facit, & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, tr.83.d.4.n.3. & d.13.n.1.

Vers.11. Sic est verbum meum, tr.83.d.5.n.2.

Cap. LVII.

Vers.10. In multitudine viæ tuæ laborasti, non dixisti, quiescam, tr.77.d.13.n.5.

Vers.14. Auferte offendicula de via, tr.76.d.23.per tot.

Vers.19. Creavi fructum labiorum pacem, tr.70.d 12.n.5.

Vers.20. Impij quasi mare fervens quod quiescere non potest, & vehementer fluctus ejus in conculcationem & lutum, Tr.71.d. 11.n.2. & Tr.70.d.10.n.2. & d.12.n.8. & 9.& tr.81. d.5.n.8. & d.10.n.1. & Tr.77.d.15.per tot.

Vers.21. Non est pax impijs, tr.77.d.16.n.6.

Cap. LVIII.

Vers.1. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum, tr.71.d.1.per tot. & tr.83.d.9.n.5. & d.27.n.1.

Vers.4. Percutitis pugno impie, tr.77.d.31.n.9.

Vers.7.

Vers.6. & 8. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, ... & omne onus dirumpe, ... Et gloria Domini colliget te, Tr.81.d.16.n.4.

Vers.7. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam &c. tr.93.d.10.n.2.

Vers.9. Si abstuleris de medio tui catenam, Tr.77.d.28.n.1.

Cap. LIX.

Vers.1. Non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est aurris ejus ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos &c. tr.81.d.7.n.6.

Vers.2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, Tr.71.d.12.n.3. & Tr.76.d.7.n.3.

Vers. 2. & 3. Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis. ... Manus vestræ pollutæ sanguine, & digiti vestri iniquitate. Tr.76,d.8.per totum.

Vers.5. Ova aspidum ruperant, ... qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum, tr.72.d.7.n.6.

Cap. LX.

Vers.8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, Tr.83.d.37.n.2.

Cap. LXI.

Vers.10. Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, Tr.76.d.18.n.12.

Cap. LXIII.

Vers.1. Qui est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Tr.70.d.14.n.2. & Tr.68.d.3.n.6.

Vers.2. Quare rubrum est indumentum tuum & vestimentum tuum sicut calcantium in torculari? Tr.97.d.8.n.8.

Cap. LXIV.

Vers.7. Abscondisti faciem tuam à nobis; & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Tr.77.d.29.per tot.

Vers. 8. Et nunc Domine Pater noster es tu, & nos lutum, & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos, Tr.82.d.8.n.2.

Cap. LXVI.

Vers. 2. Ad quem respiciam nisi ad trementem sermones meos, Tr.82.d.1.n.6.

Vers.5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus, Tr 93.d.12.n.5.

Vers.24. Egredientur & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, Tr.93.d.9.n.12. & Tr.77.d.22..per tot.

EX JEREMIA.

Caput. I.

Vers.6. Et dixi, A, à, à, Domine Deus, ecce nescio loqui, Tr.71.d.1.n.2.

Vers.13. Quid tu vides? & dixi, ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie aquilonis, tr.83.d.23.n.7.

Cap. II.

Vers. 12. Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer dicit Dominus, duo enim mala fecit populus meus, &c. tr.71.d.3. per tot. d.4. per tot. & tr.74. d.7.n.6. & Tr.83.d.26.n.7.

Vers.13. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, Tr.78 d.3.n.3.& d.7.n.7.

Vers.14. Numquid servus est Israël aut vernaculus? Tr.71.d.14.n.1.

Vers.19. Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te, scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, Tr.93.d.9.n.6.

Vers.20. Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti non serviam, Tr.90.d.7.n.3.

Vers.27. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: surge & libera nos, ubi sunt Dii, quos fecisti tibi? Surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ; Tr.81.d.20.n.6.

Vers.36. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas, Tr.71.d.11.per tot.

Cap. III.

Vers.12. Vade & clama sermones istos, &c. Dicit Dominus non iascar in perpetuum, Tr.83.d.24.n.6.

Cap. IV.

Vers.3. Novate vobis novale, & nolite serere super spinas, tr.83.d.5.n.10.

Cap. V.

Vers.3. Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt converti, Tr.81.d.24.n.1.& d.12.n.7.

Vers.6. Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, quia multiplicatæ sunt prævaricationes, Tr.78.d.30.n.4.

Vers.7. & 8. Alæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur, Equi amatores, & emissarij facti sunt, Tr.71.d.20.n.7.

Vers.24. Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam serotinam, in tempore suo, Tr.78.d.6.n.3.

Cap. VI.

Vers. 10. Cui loquar, & quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt; Ecce verbum Domini factum est in opprobrium; Et non suscipies illud, tr.83.d.25.n.7.

Vers.14. Dicentes pax, & non erat pax, tr.70.d.10.n.5.

Vers.29. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiæ enim eorum non consumptæ, tr.74.d.6.n.1.

Cap. VII.

Vers.17. Nonne vides quid isti faciunt, in civitatibus Judæ, & in plateis Jerusalem? Filij colligunt ligna, &c. tr.78.d.8.n.1.

Vers.19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui? Ideo hæc dicit Dominus Deus, ecce furor meus, & indignatio mea conflata est super locum istum, &c. tr.78.d.16.n.3.

Vers.20. Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, tr.94.d.28.n.2.

Cap. VIII.

Vers.5. Quare aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Tr.74.d.2.n.1.

Vers.6. Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens, Tr.94.d.11.n.2.

Vers.6. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, tr. 80.d.3.n.7.

Vers.14. Convenite & ingrediamur civitatem munitam, & fileamus ibi, Tr.88.d.6.n.5. & d.7.n.4.

Cap. IX.

Vers.1. Plorabo die ac nocte, quis dabit me in solitudinem? tr. 89.d.11.n.6.

Vers.5. Ut inique agerent laboraverunt, tr.77. d.13.n.1.

Cap. XII.

Vers.1. Quare via impiorum prosperatur? tr.94. d.27.n.10. & tr.78.d.33.n.1.

Vers.4. Usquequo lugebit terra & herba omnis siccabitur propter malitiam inhabitantium in ea consumptum est animal, tr.78. d.5.n.6.

Vers.8. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam, tr.71.d.8.n.3.

Vers.11. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde, tr.77.d.16.n.3. & tr.75.d.10.n.4.

Cap. XIII.

Vers.23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos potentis benefacere, cum didiceritis malum, Tr.73.d.8.per tot.

Cap. XIV.

Vers.8. Expectatio, ... Salvator ejus, Tr.94.d.5.n.2.

Cap. XV.

Vers.1. Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum istum, ejice illos à facie mea, tr.78. d.16.n.6.

Vers.5. Quis miserebitur tui Jerusalem? Aut quis contristabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquisti me dicit Dominus, Tr.74.d.8.n.3.

Vers.16. Inveni sunt sermones tui & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei, tr. 83.d.13.n.2.

Vers.18. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari? tr.77.d.7.n.6.

Cap. XVI.

Vers.16. Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos, tr.83.d.47.n.4.

Vers.17. Quia oculi mei, super omnes vias eorum, non sunt absconditæ, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis, Tr. 74.d.12.n.5.

Cap. XVII.

Vers.1. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, tr.77.d.20. n.1.d.22.n.1. & Tr.73.d.7.n.5.

Vers.7. Benedictus vir, qui confidit in Domino & erit Dominus fiducia ejus, Tr.85.d.10.n.1.

Vers.9. Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud, tr.84.d.1.n.2.

Cap. XIX.

Vers.7. Subvertam eos gladio, in conspectu inimicorum eorum, &c. tr.78.d.2.n.9.

Cap. XX.

Vers.11. Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis, &c. tr.84.d.3.n.3.

Cap. XXI.

Vers.12. Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum, tr.74.d.1.n.6.

Cap. XXII.

Vers.19. Sepultura asini sepelietur, tr.71.d.23.n.6. & Tr. 78. d.22.n.8.

Vers.29. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini, tr.73.d.2. n.4.

Cap. XXIII.

C A P. XXIII.

Vers.23. Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus à longe, Tr.84.d.1.n.4.

Vers.29. Nonne verba mea quasi malleus conterens petras, tr. 83.d.1.n.9. & d.7.n.6.

Vers.29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras, Tr.83.d.15.n.3.

C A P. XXIV.

Vers.1. Ostendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, Tr.74.d.4.n.4.

C A P. XXV.

Vers. 9. Ecce ego mittam & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum, Tr.78.d.12.n.1.

Vers.19. Ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere & vos quasi innocentes eritis, Tr.24. d. 28. n.6.

Cap. XXVI.

Vers.1. & 3. Noli subtrahere verbum, si forte audiant & convertatur unusquisque à via mala, & pœniteat me mali quod cogito facere eis, Tr.83.d.10.n.7.

Cap. XXXI.

Vers.18. Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi juvencalus indomitus, tr.94.d.10.n.1.

Vers.22. Fœmina circumdabit virum, Tr.1.d.20.n.3.

CAP. XXXII.

Vers.30. Erant filij Israël, & filij Juda, jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia, tr.74.d.5.n.8.

Vers.40. Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me, Tr 93.d.9.n.8.

C A P. XXXV.

Vers.7. Domum non ædificabitis, & semen non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, Tr.89.d.1.n.5.

Vers. 13. & 14. Numquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermones Jonadab filij Rechab, ... ego autem locutus sum ad vos, ... & non obedistis mihi, Tr.83.d.18.n.9.

C A P. XXXVI.

Vers.28. Tolle volumen altud, & scribe in eo omnes sermones priores qui erant in primo volumine quod combussit Joakim Rex Juda, Tr.83. d.24.n.6.

Cap. XLIV.

Vers.22. Et non poterat Dominus ultra portare, propter malitiam studiorum vestrorum, Tr.74.d.2.n.3.

CAP. XLVI.

Vers. 12. Quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt, Tr.70.d.17.n.5.

C A P. XLIX.

Vers. 12. Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris, tr.49. d.28.n.4.

C A P. LI.

Vers.9. Curavimus Babylonem, & non est sanata, tr. 73. d. 5. n.2.

Vers.39. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur & dormiant, Tr. 38.d.34.n.3.

EX THRENIS.

C A P. I.

Vers. 1. Princeps provinciarum facta est sub tributo, Tr.71. d. 24. n.3.

Vers.4. Et ipsa oppressa est amaritudine, Tr.77.d.28.n.6.

Vers.6. Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus, Tr. 71. d. 10. n.2.

Vers.7. Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbatha ejus, tr. 91.d.8.n.1.

Vers.8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, Tr.78.d.16. per totum.

Vers.13. De excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditit me, expandit rete pedibus meis, tr.94.d.11.n.3.

Vers.14. Vigilavit jugum iniquitatum mearum, tr. 77. d.24. per totum, & tr.79.d.1.n.2.

Vers.15. Vocavi adversum me tempus, Tr.91.d.6. per totum.

C A P. II.

Vers.1. Quomodo mutatum est aurum, mutatus est color optimus? qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, tr.74. d.6.n.5.

Vers.13. Magna est velut mare contritio tua, Tr.81.d.14.n.2.

Vers.18. Dedit quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, Tr.83.d.42. n.3.

C A P. III.

Vers.27. & 30. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia, &c. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, Tr.68.d.8.n.5.

Vers.28. Tacebit, quia levavit se super se, Tr.81.d.4. per tot. & tr.89.d.5.n.2.

Vers. 29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Tr. 88. d.5.n.5. & Tr.70.d.16.n.6.

Vers.37. Quis est iste, qui dixit ut fieret Domino non jubente, Tr.85.d.13.n.6.

Vers.39. & 40. Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, Tr.68.d.17.n.6.

Vers.44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio, Tr.88. d.4. n.4.

Vers.65. Dabit eis scutum cordis laborem suum, Tr.92. d.16. n.10.

C A P. IV.

Vers.7. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchritudo eorum, tr.71.d.10. n.4.

Vers.8. Denigrata est super carbones facies eorum; Tr.78.d.27. n.6.

EX BARUCH.

Cap. II.

Vers.18. Anima quæ tristis est, super magnitudine mali, incedit curva. Tr.77.d.23.n.3.

Cap. III.

Vers.1. Anima in angustijs, & Spiritus anxius clamat ad te, audi Domine & miserere, tr.86.d.5.n.5.

Vers. 24. O Israël, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus, Tr.70.d.16.n.7.

C A P. VI.

Vers.61. Et nubes quibus cum imperatum fuerit à Deo, perambulare universum orbem, perficient quod imperatum est eis, Tr. 78. d.16.n.7.

EX EZECHIELE.

C A P. I.

Vers.8. Manus hominis sub pennis eorum, Tr.95.d.4. n.6. & Tr.81.d.15.n.8.

Vers.23. Pennæ eorum rectæ, alterius ad alterum, unumquodque duabus alis velabat corpus suum, Tr.84.d.8.n.3.

Vers.14. & 24. Ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis, Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, Tr.83.d.29.n.4.

Vers. 1. & 25. Aperti sunt cæli, ... firmamentum quod erat super caput eorum, Tr.80.d.4.n.3.

C A P. III.

Vers.1. Comede volumen illud, & vadens loquere ad filios Israël, Tr.83.d.2.n.7.

Vers.4. & 7. Fili hominis vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos. Domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me, tr.83.d.18.n.1.

Vers.17. Speculatorem dedi te domus Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me, Tr.83.d.18.n.4.

Vers.18. Si non annunciaveris impio, ut avertatur à via sua, impia, & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus, de manu tua requiram, Tr.83.d.36.n.7.

Vers.20. Si converses justus à justitia sua fecerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, Tr.77.d.17. n.3. & Tr.78.d.17.n.3. & d.35.n.2.

Vers.21. Si autem annunciaveris justo, ut non peccet, & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti, Tr.97.d.10.n.9.

CAP. V.

Vers.17. Et immittam in vos ... bestias pessimas usque ad internecionem &c. Tr.71.d.13.n.6. & tr.78.d.15.n.3.

Cap. VII.

Vers.25. Angustia superveniente requirent pacem; Tr. 94. d.14. n.9.

C A P. VIII.

Vers.3. Similitudo manus apprehendit me, in cincino capitis mei, Tr.76.d.4.n.6.

Vers.6. Procul recedam à sanctuario meo, Tr.78.d.16.n.9.

Vers. 9. Ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic, tr.72.d.4.n.3. & Tr.97.d.2.n.9.

CAP. IX.

Vers.6. Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis, Tr. 80. d.3.n.9.

Vers.9. Iniquitas domus Israël & Juda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & civitas repleta est aversione, Tr.77.d.30.n.5.

C A P. X.

Vers.2. Imple manus tuas prunis ignis quæ sunt inter Cherubin, & effunde super civitatem, Tr.83.d.33.n.6.

Vers.20. Ipsum est animal quod vidi sub Deo juxta fluvium Chobar, tr.94.d.24.n.7.

CAP. XI.

Vers.19. Dabo eis cor carneum, tr.86.d.8.n.1.

Cap. XII.

*Vers.*13. *Adducàm eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipsum non videbit*, Tr.72.d.3.n.2.

CAP. XIII.

*Vers.*19. *Violabant me propter fragmen panis, & pugillum hordei*, Tr.71.d.3.n.3. & Tr.72.d.6.n.2.

CAP. XIV.

*Vers.*4. *Homo homo, de domo Israël*, Tr.71.d.13.n.3.

Cap. XVI.

*Vers.*42. *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius*, tr.78.d.32.n.2.

*Vers.*49. *Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia*, Tr.90.d.8.n.10.

CAP. XVII.

*Vers.*4. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, tr.77.d.12.n.20. & d.16.n.22. & tr.81.d.13.n.1. & Tr.81.d.21.n.2. & Tr.82.d.3.n.6.

*Vers.*24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, Tr.77.d.9. per tot. & Tr.60.d.2.n.3.

*Vers.*27. *In quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor amplius*, tr.81.d.22.n.2.

*Vers.*32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus*, Tr. 77. d. 16. n.3.

CAP. XIX.

*Vers.*2. *Mater tua leæna*, tr.83.d.8.n.3.

CAP. XXI.

*Vers.*27. *Superbi inique agebant usquequaque &c. iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem.* Tr.90.d.7.n.5.

*Vers.*28. *Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias*, tr.83.d.11.n.10.

CAP. XXIII.

*Vers.*25. *Ponam zelum meum in te*, Tr.97.d.1.n.3.

CAP. XXIV.

*Vers.*12. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea ruina rubigo*, tr.74.d.9. per totum.

CAP. XXVI.

*Vers.*15. *Numquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur Insulæ*, tr.80.d.5.n.7.

Cap. XXVII.

*Vers.*26. *Ventus auster contrivit te in corde maris*, tr.78.d.9. n.6.

CAP. XXVIII.

*Vers.*18. *Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te.* tr.77.d.1.n.2.

CAP. XXXII.

*Vers.*19. *Quo pulchrior es, descende*, Tr.90.d.4.n.6.

Cap. XXXIII.

*Vers.*11. *Nolo mortem impii*, tr.77.d. 6. n.3.

Vers. 30. & 31. *Dicant unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino; Et veniant ad te quasi si ingrediatur populus, & sedeat coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos*, tr.83.d.21.n.4.

Cap. XXXVII.

*Vers.*3. *Fili hominis, putasne vivent ossa ista &c.* tr.83.d.13.n.6.

*Vers.*4. *Ossa arida audite verbum Domini*, tr.73.d. 2.n.4.

*Vers.*9. *A quatuor ventis veni Spiritus, & insufla super interfectos istos, & revivisçant*, tr.81.d.8.n.5.

CAP. XLIII.

*Vers.*17. *Gradus ejus ad Orientem*, Tr.88.d.6.n.6.

EX DANIELE.

Cap. II.

*Vers.*31. *Statua grandis, magna, sublimis, &c. redacta quasi in favillam æstivæ areæ quæ rapta sunt vento*, Tr.76.d.3.n.5.

CAP. III.

*Vers.*15. *Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?* Tr. 90. d.12.n.6.

*Vers.*16. *Non oportet nos de hac re respondere tibi, ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis*, tr.96.d.9.n.9.

*Vers.*47. & 48. *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit, & incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldæis*, Tr.78.d.10.n.6.

*Vers.*49. *Excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, non tetigit eos omnis, neque contristavit*, Tr.94.d.31.n.3.

*Vers.*50. *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit*, Tr.89.d.3.n.1.

CAP. IV.

*Vers.*12. *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis quæ foris sunt, & rore cœlesti tingetur, & cum feris pars ejus in herba terræ*, Tr.71.d.20.n.6.

*Vers.*13. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei*, Tr.71.d.5.n.6.

*Vers.*24. *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis*, tr.81.d.23.n.6.

*Vers.*30. *Ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, &c.* Tr.94.d.9.n.2.

CAP. V.

Vers. 6. *Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad invicem collidebantur*, Tr.81.d.12.n.3. & Tr. 86. d.2.n.8.

CAP. VI.

*Vers.*4. *Cogitabat constituere eam super omne Regnum*, tr. 84. d.8.n.4.

*Vers.*10. *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, &c.* Tr.89.d.11. n.3.

Vers. 16. *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te*, tr. 78. d.26.n.3. & tr.96.d.9.n.8.

*Vers.*18. *Abijt Rex in domum suam, & dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo*, Tr.68.d.1.n.1.

Cap. VII.

*Vers.*8. *Os loquens ingentia*, Tr.90.d.6.n.8.

*Vers.*9. *Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c.* tr.86.d.5.n.2.

*Vers.*10. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, tr.91.d.7.n.8.

Cap. VIII.

*Vers.*27. *Langui & ægrotavi per dies plurimos*, Tr.63.d.20. n.6.

CAP. XII.

Vers. 3. *Qui ad justitiam eruditi multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Tr.97.d.10.n.10. & Tr.83.d.28.n.5.

Cap. XIII.

*Vers.*22. *Si hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras*, Tr.77.d.6. n.2.

*Vers.*42. *Deus æterne qui absconditorum es cognitor*, Tr. 94. d. 31.n.10.

*Vers.*45. *Cum duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum pueri junioris, cujus nomen Daniel, &c.* Tr. 85. d. 12. n.3.

*Vers.*52. *Inveterate dierum malorum*, tr.73.d.8. n.4. & tr. 85. d.10.n.1.

CAP. XIV.

*Vers.*2. *Impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ sex*, tr.85.d.3. n. 3.

EX OSEE.

CAP. II.

*Vers.*8. & 9. *Ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal, Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo*, tr.78.d.5.n.8.

*Vers.*10. *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus*, Tr.72.d.5.n.3.

*Vers.*14. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*, tr.89.d.2.n.7. & d.5.n.1. & d.7. n.2. & d. 10. per totum, & Tr.76.d.16.n.1.

*Vers.*14. *Ecce ego lactabo eam*, Tr.85.d.7.n.1.

CAP. III.

*Vers.*1. *Sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia uvarum*, Tr.74.d.13.n.4.

CAP. IV.

Vers. 2. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverant, & sanguis sanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra, &c.* tr.94.d.1.n.2. & Tr. 78. d.31.n.3.

*Vers.*6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te*, Tr.82.d.3.n.5

*Vers.*10. *Comedent, & non saturabuntur*, tr.78. d. 31. n.6. & tr.84.d.4.n.6.

CAP. V.

Vers. 4. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio, & Dominum non cognoverunt*, tr.73.d.8.n.4. & Tr.83.d.14.n.8.

*Vers.*10. *Facti sunt Principes Juda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam*, Tr.75.d.1.n.4. & d.5.n.7. & tr.78.d.7.n.7.

CAP. VI.

*Vers.*1. *In tribulatione sua manè consurgent ad me, venite & revertamur ad Dominum, &c.* tr. 94.d.11.n.6.

*Vers.*2. *Percutiet & curabit nos.* Tr.94.d.17. per totum.

CAP. VII.

*Vers.*8. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non revertatur*, Tr.94.d.33.n.8.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

*Vers.*1. *In gutture tuo sit tuba*, tr.83.d.33.n.6.

CAP. IX.

*Vers.*12. *Væ eis, cum recesserò ab eis*, tr.77.d.8. per totum.

*Vers.*15. *De domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos, omnes Principes eorum recedentes? Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est, &c*, tr.83.d.24.n.5.

Vers. 15. *Exosos habui eos, propter malitiam adinventionum eorum*, tr.71.d.2.n.2. & d.11.n.4.

CAP. X.

Vers. 10. *Juxta desiderium meum corripiam eos, congregabuntur super eos populi*, tr.74.d.13.n.4.

*Vers.*13. *Arasti impietatem, messuisti*, tr.78.d.31.n.3.

CAP. XI.

*Vers.*3. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos*, tr.94.d.14.n.2. & tr.85. d.7.n.3.

CAP. XII.

*Vers.*10. *Locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicavi ei in manu Prophetarum*, Tr.83.d.33.n.9.

*Vers.*14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis*, tr.71.d.19.n.3.

CAP. XIII.

*Vers.*9. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*, Tr.81.d.3.n.1. & d.5.n.4. & d.22.n.5.

*Vers.*11. *Dabo tibi Regem in furore meo*, tr.78.d.43.n.3.

*Vers.*12. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei*, tr.77.d.30.n.4.

*Vers.*14. *De manu mortis liberabo te, de morte redimam eos, ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne*, tr.86.d.6.n.3.

CAP. XIV.

*Vers.*8. *Vivient tritico, & germinabunt quasi vinea*, tr. 83. d.4.n.2.

EX JOELE.

CAP. I.

*Vers.*12. *Vinea confusa est*, tr.74.d.4.n.4.

CAP. II.

*Vers.*11. *Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum*, Tr.81.d.10.n.2.

EX AMOS.

Cap. I.

*Vers.*2. *Dominus de Syon rugiet, & de Jerusalem*, Tr. 73. d.9.n.5.

*Vers.*3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum*, Tr.74.d.13.n.4. & Tr.75.d.9. per totum.

CAP. II.

*Vers.*13. *Ecce ego stridebo subtùs vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno*, Tr.77.d.24.n.3.

CAP. III.

*Vers.*6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*, Tr.94.d.32. per totum.

Cap. IV.

Vers. 7. *Ego prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem, & plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non pluit*, tr.94.d.32.n.5. & tr. 78. d.6.n.2.

CAP. V.

*Vers.*13. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est*, Tr. 83.d.5.n.5.

CAP. VI.

*Vers.*1. *Væ qui opulenti estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ optimates, capita populorum ingredientes pompatice domum Israël*, Tr.78.d.34.n.8.

Cap. VII.

*Vers.*7. *Ecce Dominus stans super murum*, Tr.96.d.5.n.6.

CAP. VIII.

Vers. 10. *Convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium, & ponam eam quasi luctum unigeniti, & novissima eorum quasi diem amarum. Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis*, Tr. 83.d.24.n.6.

*Vers.*12. *Circuibunt quærentes verbum Dei, & non invenient &c. in illa die deficient Virgines pulchræ*, Tr.83.d.27.n.6.

EX ABDIA.

CAP. I.

*Vers.*4. *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter Sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, &c.* Tr.78.d.12.n.7.

*Vers.*5. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi?* Tr. 77. d.9.n.4.

EX JONA.

Cap. I.

*Vers.*12. *Scio ego, quoniam propter me tempestas hæc venit super vos.* Tr.78.d.9. per totum.

Cap. II.

*Vers.*3. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*, Tr.93.d.30. n.2.

*Vers.*9. *Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt*, Tr. 81.d.6.n.3. & d.21.n.7.

*Vers.*10. & 11. *Immolabo tibi, ... Et dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam*: Tr.68.d.12. n.6.

CAP. III.

*Vers.*4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, Tr. 64. d.15.n.3.

*Vers.*9. & 10. *Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*, Tr.81.d.23.n.4.

CAP. IV.

*Vers.*1. *Et afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est, & oravit ad Dominum, & dixit obsecro Domine, numquid non hoc est verbum, &c.* Tr.97.d.7.n.3.

*Vers.*5. *Et egressus est Jonas de civitate, & sedit contra Orientem civitatis, & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud*, Tr.77.d.30.n.7. & Tr.68.d.15.n.6.

EX MICHÆA.

CAP. I.

*Vers.*7. *Omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes merces ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt*, Tr.95. d. 10. n.5.

CAP. IV.

*Vers.*5. *Nos autem ambulavimus in nomine Dei nostri in æternum*, Tr.85.d.11.n.4.

Cap. VI.

*Vers.*8. *Indicabo tibi ô homo; quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; atque facere judicium, &c.* Tr.84.d.6.n.6.

*Vers.*10. *Adhuc ignis in domo impij, Thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena, numquid justificabo stateram impiam*, Tr.78.d.1.n.6.

*Vers.*15. *Tu seminabis, & non metes, tu calcabis olivam, & non ungeris oleo*, Tr.95. d.7.n.6.

CAP. VII.

*Vers.*1. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*, Tr.81.d.26.n.2.

*Vers.*1. *Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.* tr.81.d.26.n.2.

*Vers.*8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est &c.* Tr. 81.d.26.n.2.

*Vers.*19. *Projicies in profundum maris omnia peccata*, Tr. 81. d.14.n.2.

EX NAHUM.

Cap. I.

*Vers.*1. *Væ civitas sanguinum*, Tr.78.d.16.n.8.

EX HABACUC.

Cap. I.

*Vers.*10. *Ipse de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi ejus erunt, ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam*, Tr.90.d.5.n.8.

*Vers.*13. & 15. *Quare Domine taces devorante impio justiorem se? Totum in hamo sublevavit, traxit illum in sagena sua*, tr. 90. d.2.n.10.

*Vers.*14. *Et facies homines quasi ... reptile*, Tr.71.d.13.n.3.

*Vers.*14. *Facies hominis quasi pisces maris*, Tr.94.d.11.n.3.

Cap. II.

*Vers.*2. *Scribe, inquit, visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum*, Tr.85.d.12.n.3.

*Vers.*5. *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatavit quasi infernus animam suam*, Tr.90.d.11.n.3.

Cap. III.

*Vers.*5. *Et egredietur Diabolus ante pedes ejus.* Tr.71. d.26. n.7.

*Vers.*8. *Numquid in fluminibus iratus es Domine, vel in maris indignatio tua?* Tr.78.d.9.n.6.

*Vers.*16. *Ingrediatur pavor in ossibus meis, & subter me scatebit, ut requiescam in die tribulationis, &c.* Tr.94.d.6. n.7.

EX SOPHONIA.

Cap. I.

*Vers.*12. *Scrutabor Jerusalem in lucernis*, Tr.78.d.25. n.7. & Tr.8.d.d.6.n.4.

*Vers.*15. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ; dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis*, Tr.81.d.13.n.3.

*Vers.*17. *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*, Tr.72.d.4.n.4.

CAP. II.

*Vers.*14. *Vox cantantis in fenestra corvus in superliminaribus; quoniam attenuabo robur ejus*, Tr.81.d.7.n.7.

EX AGGÆO.

CAP. I.

*Vers.*3. *Factum est verbum Domini in manu Aggæi*, Tr. 83. d.33.n.9.

*Vers.*6. *Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati &c.* Tr.77. d.9.n.4. & Tr.78.d.6.n.7.

*Vers.*9. & 10. *Quia domus mea deserta est, ... Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem &c.* Tr.78.d.16. n.7.

EX ZACHARIA.

Cap. II.

*Vers.*8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, Tr.76. d. 27.n.2. & Tr. 83.d.33.n.2.

CAP. III.

*Vers.*9. *Super lapidem unum septem oculi sunt*, Tr. 76. d.17. n.2. & Tr.84.d.1.n.3.

CAP. V.

*Vers.*7. & 8. *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, Et dixit, hæc est impietas, & projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus*, Tr.78.d.9.n.4.

CAP. VI.

*Vers.*12. *Ecce vir, oriens nomen ejus*, Tr.81.d.2.n.3.

CAP. IX.

*Vers.*1. *Dominus est oculus hominis*, tr.84.d.1.n.3.

*Vers.*11. *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*, Tr.86.d.12.n.3.

CAP. X.

*Vers.*1. *Petite à Domino pluviam, in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit*, Tr.78.d.6.n.3.

CAP. XIII.

*Vers.*6. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, Tr.75.d.5.n.3.

EX MALACHIA.

Cap. I.

*Vers.*2. & 3. *Nonne frater erat Esau, Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, Esau autem odio habui*, Tr.82. d.6. n.3. & Tr. 85.d.3.n.7.

*Vers.*3. *Esau odio habui*, Tr.72.d.6.n.2.

*Vers.*6. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum, si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Tr.76.d.15. per totum.

*Vers.*14. *Maledictus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens offert debile Domino*, Tr.81.d.26.n.2.

CAP. II.

*Vers.*7. *Labia sacerdotis custodient scientiam*, tr.83.d.31. n.7. & d.47.n.5.

*Vers.*10. *Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos?* Tr.87.d.7.n.8.

*Vers.*17. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini*, Tr.78.d.32.n.1. & Tr.85.d.13.n.2.

*Vers.*17. *In eo quod dicitis: Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, aut ubi est Deus judicij?* Tr.96. d. 7.n.7.

CAP. III.

*Vers.*2. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans &c.* Tr.86.d.1.n.15.

*Vers.*3. *Et sedebit conflans, emundans argentum, & purgabit filios Levi*, Tr.92.d.3.n.10.

*Vers.*8. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & in primitijs, & in penuria vos maledicti estis, & vos me configitis*, Tr.69. d.4.n.6.

CAP. IV.

*Vers.*2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* tr.83.d.9.n.4.

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

Cap. I.

*Vers.*22. & 23. *Ascendit Jerosolymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabra luminis*, Tr.72.d. 3.n.1. & Tr. 77. d. 10. n.2. & tr.83.d.6.n.3.

*Vers.*23. *Accepit candelabrum luminis*, Tr.75.d.10. n.4.

Cap. II.

*Vers.*23. *Ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis &c.* Tr.71.d.2.n.3.

*Vers.*62. *Ave vis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria ejus stercus & vermis est*, Tr.71.d.13.n.2. & Tr.78.d.33. n.5. & Tr. 90. d.15.n.7.

CAP. VI.

*Vers.*12. *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea &c.* Tr. 94. d.9.n.1.

CAP. VII.

*Vers.*35. *Cùm reversus fuero in pace, succendam &c.* Tr. 70. d.11.n.6.

EX LIBRO II. MACHABÆORUM.

Cap. IV.

*Vers.*12. *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt &c.* Tr.94.d.28.n.10.

CAP. VII.

*Vers.*10. *Linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit*, tr.83.d.34.n.8.

*Vers.*22. *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, sed mundi Creator*, Tr.71.d.17.n.2.

CAP. IX.

Vers. 8. *Isque qui sibi videbatur, etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans*, Tr.81.d.12.n.3.

*Vers.*9. *Ita ut de corpore impij scaturirent vermes, & fœtore illius exercitus gravaretur*, Tr.71.d.12.n.4. & Tr.78.d.33.n.6.

*Vers.*12. *Justum est subditum esse Deo mortalem non pari Deo sentire*, tr.90.d.14.n.2.

Cap. XII.

*Vers.*22. *Timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit &c.* Tr.34.d.3.n.3.

Cap. XV.

*Vers.*16. *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël*, Tr.86.d.6.n.9.

*Vers.*27. *Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia*, tr.84. d.3.n.3.

EX EVANGELIO MATTHÆI.

CAP. I.

*Vers.*1. *Liber generationis Jesu Christi*, Tr.81.d.25.n.5.

Cap. II

*Vers.*11. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*, Tr.95.d.4.n.7.

*Vers.*23. *Dictum est per Prophetam, quoniam Nazaræus vocabitur*, Tr.89.d.9.n.2.

Cap. III.

*Vers.*1. *Venit Joannes Baptista, prædicans in deserto Judææ, & dicens: Pœnitentiam agite*, Tr.83.d.38.n.2.

*Vers.*2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Tr.80.d.4.n.8. & Tr.81.d.11.n.2. & Tr.83. d.16. n.5. & Tr.71.d.1.n.4. & Tr.97.d.2.n.7.

*Vers.*3. *Vox clamantis in deserto*, tr.73.d.7.n.6.

*Vers.*8. *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, Tr.81.d.11. n.2. & tr.93.d.2.n.2.

*Vers.*10. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est*, Tr. 77. d.27.n.2. & Tr.78.d.1.n.4. & Tr.83. d.38. n.3. & Tr. 81. d.26.n.8.

*Vers.*12. *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem combaret igni inextinguibili*, Tr.94.d.33.n.4. & Tr. 92. d.4. n.1.

*Vers.*17. *Hic est filius meus dilectus*, Tr.68.d.3.n.3.

Cap. IV.

*Vers.*1. *Jesus ductus est in desertum à Spiritu*, Tr.89. d.6.n.4. & Tr.95.d.3.n.3.

*Vers.*9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, Tr. 71. d.15. n.6.

*Vers.*9. *Si cadens adoraveris me*, tr.68.d.13.n.2.

*Vers.*10. *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies*, tr. 96. d.9.n.8.

*Vers.*10. *Vade*

*Vers.*10. *Vade Sathana, tunc reliquit eum Diabolus*, tr.92.d.22. per totum;

*Vers.*13. *Et relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum*, tr.83.d.43.n.3.

*Vers.*17. *Et exinde cœpit Jesus prædicare & dicere pœnitentiam agite*, tr.71.d.1.n.4. & tr. 83.d.30.n.2. & d.38.n.1. & d.32. n.1. & d.49.n.8. & d.40.n.5. & d.16.n.5.

*Vers.*19. *Faciam vos piscatores hominum*, tr.83.d.39. n.6. & d. 47. n.1. & d.49.n.2.

*Vers.*23. *Circuibat Jesus totam Galilæam, & sanans omnem languorem &c.* tr.94.d.19.n.11. & tr.83.d.48.n.6.

Cap. V.

*Vers.*1. *Ascendit in montem*, tr.83.d.31.n.5.

*Vers.*3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, tr.69.d.3.n.8. & tr.68.d.5.n.8. & d.8.n.2.

*Vers.*4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; tr. 68. d.11.n.8.

*Vers.*6. *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam*; tr.80.d.6.n.5.

*Vers.*8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, tr. 89.d.8.n.9. & tr.83.d.16.n.1. & d.20.n.5.

*Vers.*9. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; tr.87.d.21. n.2. & tr.70.d.2.n.5.

*Vers.*11. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me &c.* tr.68.d.10.n.9. & d.12.n.4. & d. 16. n. 3.

*Vers.*13. *Vos estis sal terræ*; tr.83.d.49.n.6. tr.83.d.38. n.1. & tr.83.d.8.n.6.

*Vers.*13. *Quod si sal evanuerit, in quo salietur ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*; tr.94.d.11.n.9.

*Vers.*14. *Vos estis lux mundi, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, luceat lux vestra coram hominibus*, tr.83. d.6.n.1.

*Vers.*16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, tr.83.d.11.n.10. & d.30.n.7. & d.34. n. 5. & tr. 95.d.6.n.9.

*Vers.*18. *Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra; Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* tr.76.d.13. per tot. & tr.76.d.19.n.4. & tr.78.d.1.n.2.

*Vers.*19. *Qui fecerit & docuerit; hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, tr.83.d.31.n.8.

*Vers.*22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit ... Raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*, tr.68. d.15.n.2. & tr.97. d.3. n.7.

*Vers.*22. *Qui dixerit fratri suo Raca, reus erit consilio*, tr.76. d.4.n.7.

*Vers.*25. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas ad ultimum quadrantem*, tr.83. d.19. n.7. & tr.86.d.1.n.17.

*Vers.*43. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos*, tr.85.d.3.n.2.

*Vers.*44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos &c.* tr.70.d.2.n.2.

*Vers.*45. *Diligite inimicos vestros, ut sitis filij patris cælestis*, tr.68.d.3.n.1.

*Vers.*48. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*, tr.68.d.8.n.1.

CAP. VI.

*Vers.*1. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, tr.95.d.7.n.10. & d.8.n.4. & tr.88.d.2.n.1.

*Vers.*1. *Mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est*, tr.95.d.8. per tot. & tr.80.d.2.n.4.

*Vers.*3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, tr.95.d.6. per totum.

*Vers.*5. *Cùm oratis non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus*, tr.95.d.8.n.8

*Vers.*6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito &c.* tr. 89. d.5. per tot. tr.95.d.4.n.2.

*Vers.*8. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis*, tr.85. d.7.n.5.

*Vers.*13. *Libera nos à malo*, tr.71.d.9. per totum.

*Vers.*16. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, tr.95.d.7.n.1.

*Vers.*17. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans*, tr.95. d.6. n.8. & d. 7.n.9. & tr.89.d.2.n.5.

*Vers.*20. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur*, tr.95.d.9. per totum, & tr.68.d.7.n.3.

Vers. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, tr.95.d.5.n.1.

Vers. 23. *Si lumen, quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt*, tr.74.d.4. per totum, & tr.85.d.4.n.4.

*Vers.*24. *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.* tr.71.d.4.n.3.

*Vers.*28. *Considerate lilia agri*, tr.68.d.3. n.2.

*Vers.*34. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum*, tr. 83.d.9.n.4.

CAP. VII.

*Vers.*2. *In qua mensura mensi fuerunt, remetietur & vobis*; Tr.86.d.7.n.1.

*Vers.*8. *Omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur*, Tr.88.d.4.n.3.

*Vers.*13. *Intrate per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*, Tr.90.d.11.n.11.

V.14. *Quam angusta est porta, quæ ducit ad vitam*; tr. 83.d.7.n.6.

*Vers.*16. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, Tr.71.d.11.n.3. & Tr.81.d.9.n.6.

*Vers.*16. *Numquid colligunt de spinis uvas; aut de tribulis ficus*, Tr.89.d.7.n.3.

*Vers.*19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, Tr.77.d.1.n.3. & Tr.91.d.6.n.7.

*Vers.*21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est*, Tr.81.d.11.n.4.

*Vers.*22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? &* tr.95.d.7.n.5. & tr.81.d.22.n.3.

*Vers.*29. *Erat docens sicut potestatem habens*, Tr. 71. d.1. n.4. & Tr.83.d.38.n.5. & Tr.83.d.7.n.6.

CAP. VIII.

*Vers.*3. *Confestim mundata est lepra ejus*, Tr.81.d.4.n.1.

*Vers.*5. & 6. *Accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine Puer meus jacet in domo paralyticus & male torquetur ... Ego veniam, & curabo eum*, Tr.83.d.9. n.3.

*Vers.*9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit &c.* Tr.71.d.14.n.3.

*Vers.*26. *Quid timidi estis, modicæ fidei*, tr.8.d.11.n.2.

*Vers.*28. & 29. *Duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis clamaverunt, quid nobis & tibi fili Dei vivi?* tr. 71.d.18.n.6.

*Vers.*29. *Venisti huc ante tempus torquere nos*; Tr.84.d.3. n.8.

*Vers.*31. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*, Tr. 78.d.31.n.7.

*Vers.*31. *Mitte nos in gregem porcorum*; Tr.77.d.26.n.6.

CAP. IX.

*Vers.*2. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, tr.78.d.27.n.7.

*Vers.*9. *Cum transiret inde Jesus*, Tr.81.d.3.n.6.

Vers. 9. *Sequere me*, Tr.81.d.3.n.6.

*Vers.*12. *Non est opus valentibus medicus sed male habentibus*, Tr..72.d.6.n.7. & Tr.73.d.1.n.5. & Tr.78.d.17.n.5. & Tr 81. d.3.n.6. & tr.92.d.3.n.3.

*Vers.*13. *Non veni vocare justos sed peccatores*; Tr.81.d.3. n.6. & Tr.81.d.4.n.5.

*Vers.*17. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*; Tr. 83.d.44.n.5.

*Vers.*18. *Filia mea modo defuncta est*, Tr.81.d.8.n.6.

*Vers.*21. *Si tetigero tantum vestimentum ejus salva ero*; Tr. 94. d.31.n.7. & Tr.87.d.2. per totum.

*Vers.*24. *Tenuit manum ejus & surrexit puella*, tr.73.d.6.n.6.

*Vers.*31. *Videte ne quis sciat, illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa*, tr.95.d.10.n.1.

CAP. X.

*Vers.*7. *Euntes autem prædicate dicentes; quia appropinquavit regnum cælorum*; Tr.83. d.16.n.5.

*Vers.*9. *Nolite possidere aurum, neque argentum*, tr. 83. d. 49. n.4. & Tr. 83.d.40.n.2.

*Vers.*10. *Neque calceamenta*, Tr.68.d.1.n.2.

*Vers.*12. & 13. *Intrantes in domum salutate eam dicentes pax huic domui, Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam, si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*, Tr.83.d.28.n.6.

*Vers.*14. & 15. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel de civitate excutite pulverem de pedibus vestris; Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum*, Tr. 83.d.24.n.3.

*Vers.*16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Tr.70. d.13.n.4.

*Vers.*16. *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*, Tr.68.d.3.n.2. & Tr.70.d.2.n.2.

*Vers.*20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, tr.83.d.6.n.6. & d.18.n.2. & d.13.n.5.

*Vers.*26. *Nihil opertum, quod non reveletur neque occultum, quod non sciatur*, Tr.77.d.30. n.7.

Vers. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere &c.* Tr.77.d.6.n.1. & Tr.97.d.9.n.7.

*Vers.*30. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*, Tr.87.d.6. per totum.

*Vers.*34. *Non veni pacem mittere sed gladium*, Tr.92.d.1.n.11. & Tr.83.d.11.n.2. & Tr.70.d.11.n.1.

*Vers.*36. *Inimici hominis domestici ejus*, Tr.70.d.15.n.1.

Vers. 40. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit*, Tr.85.d.9.n.1.

*Vers.*42. *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*. Tr. 77.d.12.n.6.

Cap. XI.

Vers. 3. *Tu es qui venturus es ân alium expectamus*, Tr.70. d.17.n.9.

Vers. 7. *Quid existis in desertum videre ? arundinem agitatam ?* Tr.80.d.4.n.8.

Vers. 12. *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*, Tr.92.d.2.n.7.

Vers. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Tr.69.d.5.n.8. & Tr.80.d.6.n.2. & Tr.94.d.33.n.13.

Vers. 14. *Et si vultis recipere, ipse est Elias*, Tr. 97.d.1.n.7.

Vers. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone &c.* Tr.74.d.13.n.5.

Vers. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & revelasti ea parvulis*, tr.83.d.6. n.5.

Vers. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Tr.77.d.13.n.4. & Tr.80.d.1.n.1.

Vers. 29. *Tollite jugum meum super vos &c.* Tract.70.d.7.n.6. Tr.70.d.2.n.1.

C A P. XII.

Vers. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Tr.80. d.3.n.8.

Vers. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Tr.69.d.2.n.9. & Tr.83.d.2.n.7.

Vers. 44. & 45. *Invenit eam vacantem &c. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi*, Tr.91.d.7. per totum, & d.9.n.8.

Vers. 46. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris quærentes loqui ei.* Tr.83.d.26.n.2. & d.17.n.5. & d.12.n.5.

C A P. XIII.

Vers. 29. *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est*, tr.83.d.21.n. 6.

Vers. 25. *Venit inimicus & superseminavit zizania*, Tr. 89. d.4.n.1.

Vers. 28. *Vis, imus & colligimus ea ? Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum*, Tr. 97. d.10. n.9.

Vers. 30. *Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*, Tr. 81.d.9.n.1.

Vers. 30. *Triticum autem congregate in horreum meum.* Tr.68. d.10.n.5. Tr.87. d.33.n.4. & Tr.92. d.4. n.2. & Tr.81. d. 26. n.7. & Tr.82.d.4.n.1.

Vers. 32. *Minimum quidem est omnibus seminibus, & sit arbor ita ut volucres cæli veniant & habitent in ramis ejus*, Tr.83.d.5. n.7. & d.16.n.2.

Vers. 34. *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis*, Tr.83.d.44.n.5. & d.41.n.6.

Vers. 44. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*, Tr.95.d.4.n.8.

Vers. 45. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa, &c.* Tr.81. d.26.n.5. Tr.98.d.1.n.1. & Tr.92. d.13.n.13. & tr.96. d.3. n.9.

Vers. 55. *Nonne hic est filius fabri ?* Tr.78.d.26.n.2.

C A P. XIV.

Vers. 1. *Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis, hic est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo*, Tr.77.d.21.n.4.

Vers. 5. *Volens illum occidere timuit populum, quia sicut prophetam illum habebant*, tr.93.d.3.n.3.

Vers. 28. *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Tr.80.d.8.n.4.

Vers. 29. & 30. *Ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum, videns vero ventum validum timuit, & cum cæpisset mergi, clamavit, Domine salvum me fac.* Tr.76.d.3.n.7.

Vers. 30. *Videns vero ventum validum timuit, & cum cæpisset mergi, clamavit dicens, Domine salvum me fac, & continuo extendens manum suam apprehendit eum*, Tr.84.d.5.n.2.

Vers. 31. *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Tr.78.d.9. n.7.

Cap. XV.

Vers. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria &c.* Tr. 88.d.1.n.5. Tr.93.d.12.n.4.

Vers. 21. *Jesus secessit in partes Tyri*, Tr.93.d.9.n.8.

Vers. 24. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël*, Tr.68.d.3.n.5. Tr.82.d.4.n.4. Tr.85.d.12.n.5.

Vers. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus*, Tr.85.d.8.n.8.

Cap. XVI.

Vers. 1. *Rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis*, Tr. 74.d.5.n.9.

Vers. 13. & 14. *Quem dicunt homines esse filium hominis ? At illi dixerunt : alii Joan. Baptistam, &c.* Tr.97.d.1.n.7.

Vers. 17. *Barjona*, Tr.69.d.5.n.3.

Vers. 18. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Tr.80.d.1.n.2.

Vers. 23. *Vade post me Satbana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt*, Tr.97.d.6.n.8.

Vers. 26. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* Tr.97. d.10.n.6. & Tr. 68. d. 7. n.1.

C A P. XVII.

Vers. 1. *Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum & Joannem*, tr, 97.d.2.n.8. & Tr.96.d.1.n.12.

Vers. 2. *Transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, Tr. 89.d.8.n.8.

Vers. 2. *Resplenduit facies ejus sicut sol & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*, Tr.98.d.18.n.6.

Vers. 16. *O generatio incredula & perversa quousque ero vobiscum ? Usquequo patiar vos ? Afferte huc illum ad me, & increpavit illum Jesus*, Tr.71.d.16.n.8. Tr.70.d.9.n.1.

C A P. XVIII.

Vers. 3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, Tr.85.d.4.n.2.

Vers. 4. *Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic erit major in regno cælorum*, Tr.72.d.6.n.8.

Vers. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*, Tr.84.d.8.n.5.

Vers. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*, Tr.76. d.11. per totum.

Vers. 20. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Tr.70.d.1.n.7. & d.4.n.8. & d.7. n.10.

Vers. 24. *Oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta*, Tr.71.d.3.n.4.

Vers. 34. *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus*, Tr.75. d.7. per totum.

C A P. XIX.

Vers. 13. *Oblati sunt ei parvuli, discipuli autem increpabant eos*, Tr.83.d.48.n.6.

Vers. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, Tr.81.d.2.n. 4. & Tr.82.d.2.n.4. & d.4.n.5. & Tr.96.d.6. per totum.

Vers. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, Tr. 70.d.5.n.2.

CAP. XX.

Vers. 6. *Quid ergo statis hic tota die otiosi ?* Tr.91.d.4.n.9. & d.10. per totum.

Vers. 6. & 7. *Quid hic statis tota die otiosi ? quia nemo nos conduxit ite & vos in vineam*, Tr.81.d.1.n.7.

Vers. 8. *Voca operarios & redde illis mercedem*, Tr. 91. d. 6. n.7.

Vers. 12. *Portavimus pondus diei & æstus*, Tr.91. d. 6. n.10. & Tr.94.d.15.n.10. & Tr.96.d.5.n.7.

Vers. 13. *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum ? Tolle quod tuum est & vade, volo autem huic novissimo dare &c.* Tr.82.d.8.n.5.

Vers. 15. *An non licet mihi quod volo facere*, Tr.81.d.23.n.2.

Vers. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ?* Tr. 77.d.13.n.6.

Vers. 23. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est*, Tr.82.d.7.n.5.

Vers. 34. *Confestim viderunt & secuti sunt eum*, Tr. 81. d. 40 n.1.

C A P. XXI.

Vers. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*, Tr.78.d.10.n.1.

Vers. 19. *Arefacta est continuo ficulnea*, Tr.81.d.19.n.4.

Cap. XXII.

Vers. 4. *Prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata*, Tr.83.d.3.n.10.

Vers. 12. *Quomodo huc intrasti ?* Tr.74.d.12.n.4.

Vers. 13. *Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium*, Tr.74.d.12.n.4. & Tr.72.d.1.n.2. & Tr. 68.d. 5.n.3.

Vers. 15. *Abeuntes Pharisæi consilium inierant, ut caperent Jesum in sermone*, tr.83.d.22.n.1.

Vers. 42. & 43. *Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David. Ait illis, quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus &c.* Tr.74.d.8. n.3.

C A P. XXIII.

Vers. 3. *Quæcumque dixerint vobis servate & facite.* Tr. 83. d.28.n.1.

Vers. 3. *Dicunt & non faciunt*, Tr.83.d.11.n.10. & d.3. n.3.

Vers. 5. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, Tr.95.d.10. per totum, & Tr.90.d.1.n.3.

Vers. 27. *Væ vobis Scribæ, Pharisæi, Hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis*, Tr.91.d.9.n.9.

C A P. XXIV.

Vers. 12. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, Tr.81.d.16.n.4. & tr.83.d.10.n.1. & tr.84. d.2. n.8. & tr.71.d.6.n.3. & tr.74.d.2.n.1. & tr.78.d.5.n.7.

Vers. 45. *Ut det illis cibum in tempore*, tr.83.d.46.n.5.

C A P. XXV.

Vers. 1. & 8. *Accipientes lampades suas exierunt obviam sponso. Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, tr.81.d.19.n.5. & Tr.80.d.2.n.8.

Vers. 1. *Accipientes lampades suas exierunt obviam sponso*, tr.76.d.4.n.4.

Vers. 13. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, tr. 81.d.22.n.2.

Vers. 23. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* d.17.n.4.

Vers. 30. *Ejicite eum in tenebras exteriores*, tr.78.d.28. n. 10. d.30.n.8.

Vers. 33. *Statuet hædos à sinistris*, tr.78.d.30.n.8. & tr.82. d. 5.n.14. & tr.71.d.13.n.5.

Vers. 34. *Possidete paratam vobis regnum*, tr.82. d.3. n.1. & tr.85.d.1.n.1. & d.5.n.6.

Vers. 35. *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere &c.* tr.95.d.5.n.6.

Vers. 40. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis ?* tr.69.d.1.n.8. & d.4.n.6.

Vers. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, tr.78.d.10.n.3. & tr.82.d.3.n.4. & tr.74.d.1.n.5.

Vers. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum*, tr.71.d.19. per tot.

C A P. XXVI.

Vers. 5. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, tr.73.d.4.n.4.

Vers. 10. & 13. *Quid molesti estis huic mulieri ? Opus enim bonum operata est in me &c. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus*, tr.88.d.5.n.2.

Vers. 34. *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*, tr.72.d.6.n.4.

Vers. 39. *Procidit in faciem suam*, tr.71.d.10.n.4.

Vers. 55. *Quotidie apud vos sedebam docens in templo ; Et non me tenuistis*, tr.83.d.47.n.7.

Vers. 58. *Sequebatur eum à longè*, tr.77.d.8.n.2.

Vers. 63. *Adjuro te ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* tr.69.d.4.n.4.

Vers. 64. *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, tr.91.d.1.n.3.

Vers. 65. *Tu es Christus filius Dei vivi*, tr.72.d.6.n.4.

Vers. 72. *Non novi hominem*, tr.77.d.8.n.2.

Vers. 75. *Egressus foras flevit amare*, tr.81.d.4.n.6.

C A P. XXVII.

Vers. 1. *Mane autem facto consilium inierant Principes Sacerdotum*, tr.74.d.3.n.7.

Vers. 4. *Peccavi, tradens sanguinem justum*, tr.77.d.22.n.5. & tr.81.d.5.n.7. & tr.82.d.12.n.6.

Vers. 7. *Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum*, tr.86.d.6.n.4.

Vers. 13. *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia, & non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur, &c.* tr.68. d.3.n.8.

Vers. 14. *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer*, tr.88.d.5.n.3.

Vers. 18. *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Ego nullam causam mortis invenio in eo*, tr.80.d.2.n.7.

Vers. 23. *Quem vultis dimittam vobis ? Barabbam ? An Jesum ?* tr.74.d.3.n.7.

Vers. 24. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*, tr.81.d.12.n.4.

Vers. 29. *Genuflexo ante eum illudebant ei*, tr.75.d.5.n.5.

Vers. 39. *Prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua*, tr.75.d.5.n.5. & tr.80.d.5. n.7.

Vers. 42. *Alios salvos fecit seipsum non potest salvum facere*, tr.74.d.6.n.3.

Vers. 42. *Descendat nunc de cruce, & credimus ei*, tr.80. d.1. n.7.

Vers. 44. *Idipsum & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei*, tr.93.d.2.n.5.

Vers. 46. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me* tr.71.d.8.n.7.

Vers. 54. *Centurio autem & qui cum eo erant, timuerunt valde dicentes ; vere hic homo filius Dei erat*, tr.68.d.4.n.5.

C A P. XXVIII.

Vers. 18. *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus in cælo & in terra*, tr.71.d.1.n.4. & tr.83.d.29.n.1.

Vers. 19. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, tr.83.d.49.n.5.

EX EVANGELIO MARCI.

Cap. II.

Vers. 14. *Cum præteriret*, tr.81.d.3.n.6.

Vers. 18. *Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant*, tr.84.d.7. n.5.

C A P. III.

Vers. 17. *Boanerges, quod est filii Tonitrui*, tr.69.d.29.n.4.

Cap. IV.

Vers. 33. *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire*, tr.83.d.44.n.5.

C A P. V.

Vers. 2. *Exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo, in Spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis*, tr.71.d.12.n.8.

Vers. 6. & 7. *Videns Jesum à longe, cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magna dixit, quid mihi & tibi Jesu fili Dei altissimi.* tr.77.d.26.n.7. & tr.95.d.3.n.11.

Vers. 22. & 23. *Procidit ad pedes & deprecabatur eum multum dicens : Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum, &c.* tr.81.d.8.n.6.

Vers. 42. *Confestim surrexit puella*, tr.81.d.4.n.1.

C A P. VI.

Vers. 18. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, tr. 78. d.26. n.2.

Vers. 20. *Sciens eum virum justum & sanctum*, tr. 77. d. 21. n.4.

Vers. 25. *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joan. Baptistæ*, tr.81.d.1.n.1. & d.3.n.2.

Vers. 27. *Missospiculatore præcepit amputari caput Joannis.* tr.73.d.5.n.4.

C A P. VII.

Vers. 36. *Præcepit illis ne cui dicerent*, tr.95.d.10.n.7.

C A P. VIII.

Vers. 1. *Cum Turba multa esset, nec haberent quod manducarent*, tr. 80.d.7.n.5.

Vers. 2. *Misereor super turbam, quoniam ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent*, tr.83.d.3.n.4. & tr. 86. d. 15.n.8. & tr.83.d.7.n.7. & d.9.n.2.

Vers. 14. *Et oblitis sunt panes sumere, & nisi unum panem non habebant secum in mari*, tr.85.d.4.n.7.

C A P. IX.

Vers. 17. *Dixi discipulis tuis ut ejicerent illum & non potuerunt*, tr.81.d.8.n.7.

Vers. 20. *Quantum temporis est ?* tr.74.d.9.n.3.

Vers. 43. *Vermis eorum non moritur*, tr.77.d.3.n.7.

Vers. 49. *Habete in vobis sal.* tr.83.d.46.n.8.

Cap. XIII.

Vers. 31. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, tr.83.d.25.n.5.

C A P. XIV.

Vers. 33. & 34. *Cæpit pavere & tædere, & ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem*, tr.68.d.3.n.4. & tr.77.d.23. n.7.

Vers. 72. *Priusquam Gallus cantet*, tr.74.d.12.n.2.

Cap. XV.

Vers. 18. & 19. *Cæperunt salutare eum : Ave Rex Judæorum, Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum*, tr.83.d.35.n.7.

Vers. 32. *Et qui cum eo crucifixi erant convitiabantur ei*, tr. 67.d.4.n.5.

Vers. 32. *Christus descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus*, tr.68.d.3.n.5.

Vers. 38. *Et velum templi scissum est in duo à summo usque deorsum*, tr.77.d.31.n.8.

Vers. 39. *Videns autem centurio, &c. ait : Vere hic homo filius Dei erat.* tr.86.d.4.n.5.

Cap. XVI.

Vers. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, illi autem profecti prædicaverant ubique*, tr. 83.d.14.n.1. & tr.71.d.1.n.4.

Vers. 20. *Illi autem prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, tr.83.d.37.n.2.

EX EVANGELIO LUCÆ.

Cap. I.

Vers. 6. *Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis*, tr.80.d. 6.n.10. & tr.83.d.33.n.2.

Vers. 20. *Et ecce eris tacens & non poteris loqui*, tr.88.d.1.n. 1.

Vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus*, tr.96.d.9.n.3.

Vers. 33. *Regnabit in domo Jacob*, tr.78.d.30.n.5. & tr.70. d. 14. n.15. & tr.69.d.5.n.9.

Vers. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, tr.88.d.6.n.4.

Vers. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, tr.83. d. 39.n.3.

Vers. 38. & *seq. Et discessit ab illa Angelus ; Exurgens autem Maria ... abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, Et intravit in domum Zachariæ & salutavit Elisabeth. Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu sancto*, tr.81.d.25.n. 5. & tr.89.d.3.n.6.

Vers.51. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, tr.90.d.9. per totum.
Vers.76. & 77. Præbis ante faciem Domini, parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum, tr.83.d.38.n.3. & t.71.d.1.n.4.
Vers.76. Præbis ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, tr.96.d.3.n.3.
Vers.79. Illuminare his qui in tenebris sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, tr.83.d.6.n.4.

CAP. II.

Vers.1. Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, tr. 94.d.22.n.3.
Vers.7. Reclinavit eum in præsepio, tr.71.d.20.n.3.
Vers.14. Gloria in altissimis Deo, tr.69.d.1.n.7.
Vers.14. In terra pax hominibus &c. tr.70.d.14.n.1.
Vers.17. Videntes cognoverunt de verbo hoc, tr.83. d.39. n.3.
Vers.19. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, tr.83.d.4.n.8.
Vers.25. Homo iste justus & timoratus expectabat consolationem Israël, tr.95.d.12.n.8.
Vers.34. Positus est, hic in signum cui contradicetur, tr.70.d.14.n.2. & d.16.n.6. & tr.68.d.3.n.3.
Vers.51. Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo, tr.88.d.6.n.5.
Vers.52. Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia, tr.80.d.6.n.6.

Cap. III.

Vers. 8. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, tr.73.d.7.n.4. & tr.81.d.22.n.5.
Vers.10. Interrogabant eum turbæ dicentes: Quid faciemus? tr.96.d.3.n.3.
Vers.10. 12. & 14. Et interrogabant eè turbæ dicentes, quid ergo faciemus? Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur: Interrogabant eum & milites dicentes, quid faciemus & nos, tr. 83. d.38.n.3.
Vers. 17. Et congregabit triticum in horreum suum, tr. 68. d.5.n.7.

CAP. IV.

Vers.1. Jesus autem plenus Spiritu S. regressus est à Jordane & agebatur a Spirito in desertum, tr.89.d.6.n.4.
Vers.17. Surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Evangelizare pauperibus misit me, tr.83.d.3.n.3. & d. 11. n.2. & d.17.n.5. & d.30.n.1. & tr.83.d.16.n.1.
Vers.18. Evangelizare misit me, tr.83.d.49.n.8.
Vers.23. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac, & hic in patria tua, tr.74.d.7.n.7.
Vers.40. Omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum, tr. 83.d.9.n.8.
Vers.43. Quia & aliis civitatibus oportet me Evangelizare Regnum Dei, tr. 83. d.37.n.2.

CAP. V.

Vers.1. Cum turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei, tr.83.d.22.n.1.
Vers.3. Christus rogavit Petrum à terra reducere pusillum, & sic docebat turbas, tr.83.d.44. n.3.
Vers.4. Duc in altum, tr.83.d.47.n.3.
Vers.5. Per totam noctem laborantes nihil cepimus, tr.83.d.32. n.6. & 7. & d.33 n.4. & tr.83.d.37.n.4.
Vers.5. & 6. In verbo tuo laxabo rete, inquit Petrus, & cum hoc fecisset, concludebant piscium multitudinem copiosam, tr. 83.d.39.n.4.
Vers.8. Quod cum vidisset Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens, exi à me Domine, quia homo peccator sum, tr.93. d.8.n.5.
Vers.12. Et ecce vir plenus lepra, tr.77.d.31.n.8.
Vers.21. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? tr.73. d.6.n.3.
Vers.30. Cum Publicanis, & peccatoribus manducat, tr. 78. d.26.n.2.

CAP. VI.

Vers.9. Interrogo vos, si licet Sabbathis benefacere, an malè? Tr.91.d.16.n.8.
Vers.17. & 18. Stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis, tr.83.d.9.n.3.
Vers.25. & 26. Væ vobis qui ridetis nunc, quia flebitis, tr.78. d.34.n.8.
Vers.38. Date & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam & coagitatam &c. tr.86.d.7.n.5.
Vers.41. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo & non consideras? tr.76.d.3.n.6.

CAP. VII.

Vers.14. Adolescens tibi dico surge, tr.81.d.26.n.4. & tr.83.d. 9.n.4. & tr.73.d.6.n.6.
Vers.27. Hic est de quo scriptum est, ecce ego mitto Angelum meum, tr.83.d.33.n.9.
Vers.37. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, tr. 88. d.2.n.4. & tr.89.d.3.n.6.
Vers.47. Dilexit multum, tr.72.d.2.n.5. & tr.88.d.2.n.4.
Vers.50. Vade in pace, tr.70.d.16.n.1.

Cap. VIII.

Vers.5. & 11. Exijt qui seminat seminare semen suum. Semen est verbum Dei, tr.83.d.46.n.3.
Vers.5. Aliud cecidit secus viam & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud, tr.83.d.12.n.1. & d.20.n.5.
Vers.6. Et aliud cecidit supra petram, tr.73.d.7.n.2. & tr.83. d.20.n.6.
Vers.8. Et aliud cecidit in terram bonam, & fecit fructum centuplum, tr.83.d.2.n.2.
Vers.8. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi, audiat, tr.73.d.7.n.7.
Vers.11. Semen est verbum Dei, tr.83.d.27.n.1. tr.83.d.39. n.8.
Vers.12. Venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant, tr.71.d.18. per tot.
Vers.14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui à solicitudinibus suffocantur, tr.91.d.11.n.4. & tr.89. d.1.n.8. & tr.94.d. 1. n.6.
Vers.14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui à divitijs eunies suffocantur, tr.77.d.14.n.6. & tr.81.d.9.n.6. & tr.85.d.9. n.1.
Vers.15. Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo retinentes fructum afferunt in patientia. tr. 68. d.9.n.3. & d.11.n.6. & tr.83.d.21.n.8. & d.22.n.2.
Vers.28. Is ut vidit Jesum procidit ante illum, tr.94.d.9.n.9.
Vers.44. Confestim stetit fluxus sanguinis, tr.91.d.4.n.1.

CAP. IX.

Vers.2. Misit illos prædicare regnum Dei, tr.83.d.50.n.2.
Vers.11. Loquebatur illis de regno Dei, dies autem cæperat declinare, & accedentes duodecim dixerunt illi, &c. tr.85.d.10. n.3.
Vers.54. Vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos, tr.97.d.2.n.8.
Vers.55. Nescitis cujus spiritus estis, tr.97.d.10.n.9.
Vers.62. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei, tr.80.d.5.n.1. & 4.

CAP. X.

Vers.2. Messis quidem multa, operarij autem pauci, tr. 83. d.29.n.3. & d.30.n.2.
Vers.3. Ecce ego mitto vos sicut lupos inter agnos, tr.83.d.28. n.6. & d.47.n.5.
Vers.4. Neminem per viam salutaveritis, tr.81. d.25. n.10. & tr.83.d.40.n.7. & d.42.n.2.
Vers.7. Ut ederent. & biberent, quæ apud illos sunt, tr.83. d.49.n.8.
Vers.17. Etiam dæmonia subjiciuntur nobis, tr. 81. d.8. n.7. & tr.82.d.4.n.1. & tr.95.d.3. per totum.
Vers.18. Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem, tr. 92.d.17.n.6. & tr.82.d.4.n 1. & tr.78.d.11.n.6.
Vers.19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, tr.92.d.16.n.6.
Vers. 30. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho & incidit in latrones qui etiam despoliaverunt eum, tr.71. d.13. n.6. & d.20.n.2. & tr.77.d.9.n.8. & tr.94.d.18.n.6.
Vers.34. Appropians alligavit vulnera ejus infundens &c. tr. 85.d.7.n.6.
Vers.35. Protulit duos denarios, tr.94.d.21.n.3.
Vers.39. Hæc erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, tr.83.d.3.n.2. & d.8. n.2.
Vers.40. Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo illi ut me adjuvet, tr.93.d.15.n.8.
Vers.41. Martha Martha solicita es &c. tr.70.d.9. n.7.

CAP. XI.

Vers.14. Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum tr.68.d.4.n.8.
Vers.14. Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ, tr.68. d. 20. n.4.
Vers.24. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulans per loca arida &c. tr.71.d.17.n.3. & tr.75.d.9.n.4.
Vers.24. Quærens requiem, & non invenies, tr.71.d.17. n.3.
Vers.24. Revertar in domum meam, tr.91.d.7.n.4. & d.8. n.7.
Vers.26. Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi, tr.75.d.4. per totum.
Vers.26. Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, tr.75. d.2.n.3. & d.3. per totum.
Vers.27. & 28. Beatus venter qui te portavit. Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, tr.83. d.17.n.4. & tr. 83. d.6.n.3. & d.3.n.9.

CAP. XII.

Vers.5. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant, tr.93.d.3. per totum,
Vers.7. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt, tr.85.d.7.n.4.
Vers.14. Quis me constituit judicem aut divisorem, tr.70.d.1.n.4.
Vers.17. Quid faciam? Quia non habeo, quo congregem fructus meos, & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, tr.77.d.14.n.6. & tr.69.d.3.n.21.
Vers.19. Anima habes multa bona reposita, in annos plurimos, comede, bibe, epulare, tr.72.d.6.n.8. & tr.91.d.11.n.9. & tr. 70. d.11.n.4. & tr.81.d.19.n.2. & d.9.n.6.
Vers.24. Considerate corvos, tr.85.d.2.n.1.
Vers.32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro, dare vobis regnum, tr.68.d.18.n.8. & tr.82.d.1.n.6. & d.3.n.8. & tr.80.d.4.n.1.
Vers.35. Sint lumbi vestri præcincti, Tr.81.d.4.n.1.
Vers.40. Qua hora non putatis, filius hominis veniet, tr.80.d.7. n.4.
Vers.47. Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, tr.76.d.15.n.2. & tr.81.d.7.n.7. & tr.74.d.8.per tot.
Vers.49. Ignem veni mittere in terram, tr.86.d.1.n.8.
Vers.50. Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor usque dum perficiatur? tr.81.d.25.n.8. & tr.78.d.11.n 6.

CAP. XIII.

Vers.6. Arborem sici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit &c. tr.83.d.45. n.3. & tr.91.d.6.n.1.
Vers.7. Succide illam, ut quid terram occupat? tr.91.d.6.n.7.

CAP. XIV.

Vers.2. Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, ipse verò apprehensum sanavit eum, Tr.84.d.4.n.6.
Vers.23. Exi in vias & sepes, & compelle eos intrare, tr.82.a d.2.n.6.
Vers.23. Compelle intrare, tr.94.d.23.n.6.
Vers.27. Qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus, Tr.96.d.1.n.5.
Vers.28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare &c. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, tr.69.d.4.n.2.

Cap. XV.

Vers.4. Vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam, tr. 82.d.2.n.6.
Vers.7. Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, tr.74.d.5.n.4.
Vers.8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, donec inveniat eam, tr.71.d.11.n.6. & tr.81.d.16.n.5.
Vers. 10. Gaudium est coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, tr.75.d.4.n.4.
Vers.12. Adolescentior dixit Patri, Pater da mihi &c. tr.71. d.4.n.1. & tr.84.d.4.n.5.
Vers.14. Facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, tr.78.d.21.n.5.
Vers.15. Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, tr.71. d.11.n.3.
Vers.17. In se autem reversus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo, tr. 81.d.4.n.5. & tr.85.d.10.n.4.
Vers.18. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi, tr. 81.d.25.n 6.
Vers.18. Pater peccavi in cælum & coram te, Tr.84. d.1.n.3.
Vers.21. Dixit ei filius, Pater peccavi in cælum, tr.74.d.5. per totum, & d.6.n.2. & Tr.75.d.10.n.2.
Vers.29. Nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer, tr.94.d.14.n.6.

CAP. XVI.

Vers.10. Qui fidelis est in minimo, & in majore fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est, tr.76.d.4.per tot.
Vers.13. Non potestis Deo servire & Mammonæ &c. Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant eum, tr.92.d.25.n.3.
Vers.21. Canes veniebant & lingebant ulcera ejus, tr.69. d.2. n.4. & tr.83.d.9.n.5.
Vers.22. Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, tr.94.d.21.n.6.
Vers.22. Sepultus est in inferno, Tr.77.d.2.n.4.
Vers.27. & 28. Rogo te Pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, Tr.73.d.7.n.3.

CAP. XVII.

Vers.2. Utilius est illi, si lapis molaris appendatur collo ejus, & projiciatur in mare, Tr.71.d.20.n.6.
Vers.6. Dixit Dominus, si habueritis fidem sicut granum sinapis, Tr.81.d.11.n.3.
Vers.10. Cum hæc omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus, tr. 83. d.47.n.2.

CAP. XVIII.

Vers.10. Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, tr.77.d.31.n.9. & tr.92. d.1.n.7.
Vers.14. Descendit hic justificatus in domum suam ab illo, tr. 90. d.4. per totum.
Vers.42. & 43. Et Jesus dixit illi: Respice, & confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum, tr.83.d.6.n.2. & tr. 83. d.9.n.4.

CAP. XIX.

Vers.5. & 6. Præcurrens ascendit in arborem, Suscipiens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, Et festinans descendit, & excepit illum gaudens, tr.81.d.25.n.7.
Vers.5. Zachæe, festinans descende, Tr.81.d.2.n.4.
Vers.13. Negotiamini, dum venio, tr.91.d.4.n.4. & d. 13. n.3. & Tr.68.d.17.n.1. & Tr.80.d.6.n.9. & tr.81.d.26.n.6.
Vers. 40. Dico vobis, quia si hi tacebunt, lapides clamabunt, Tr.77.d.30.n.7.
Vers. 41. & 42. Videns civitatem, flevit super illam: Quia si cognovisses & tu &c. Circumdabunt te inimici tui vallo, non relinquent in te lapidem super lapidem, Tr.83.d.24.n.7.
Vers.43. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, tr.81.d.16.n.2. & tr.71.d.9.n.2.
Vers.48. Omnis populus suspensus erat audiens illum, tr. 83. d.17.n.7.

CAP. XX.

Vers.9. Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis, & ipse peregre fuit multis temporibus, Tr.85.d.8.n.7.

CAP. XXI.

Vers.3. Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit, tr.96.d.5.n.2.
Vers.18. Capillus de capite vestro non peribit, tr.87. d.6. n.1. & tr.68.d.19.n.10.
Vers.19. In patientia vestra possidebitis animas vestras, tr. 68. d.8.n.9. & d.10.n.3. & d.12.n.2. & d.19. n. 5.
Vers.25. Erunt signa in sole, luna, & stellis, & in terris pressura gentium, tr.78.d.3.n.1.
Vers.28. Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, tr.77.d.19.n.7.
Vers.33. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, tr.82.d.4.n.4.

CAP. XXII.

Vers.3. Intravit Sathanas in Judam, tr.71.d.16.n.4.
Vers.24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major, tr.70.d.5.n.9.
Vers.28. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, tr.80. d.7.n.5. & tr.82.d.4. n.2.
Vers.31. Ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum, tr.77.d.18.n.3. & tr.92.d.4. per totum.
Vers.35. Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamenta, numquid aliquid defuit vobis, tr.85.d.10.n.2.
Vers.36 Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium, tr.70.d.14.n.1.
Vers.63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & velaverant eum, & percutiebant faciem ejus, tr. 84.d.2.n.3.
Vers.64. Prophetiza, quis est, qui te percussit, tr.75.d.10. n.3.

CAP. XXIII.

Vers.39. Unus autem ex his &c. memento mei, dum veneris in regnum tuum, tr.68.d.4.n.5. & tr.68.d.12.n.6.
Vers.42. Memento mei, dum veneris in regnum tuum, tr. 83. d.15.n.4.
Vers.43. Hodie mecum eris in paradiso, tr.68. d.5.n.5.
Vers.48. Percutientes pectora sua revertebantur, tr.82. d. 3. n. 10.

CAP. XXIV.

Vers.19. Potens opere & sermone, tr.83.d.34.n.1.
Vers.26. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? tr.94.d.5.n.6. & tr.68.d.4.n.2. & d.5.n.4.
Vers.31. & 32. Accepit panem, ... ac fregit, & porrigebat illis; Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, ... Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret Scripturas, tr.83.d.6.n.1.
Vers.35. Cognoverunt eum in fractione panis, tr.94.d.5. n.2.
Vers.36. Stetit Jesus in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis, tr.70.d.13.n.3. & d.14.n.3. & d.17.n.7.

EX EVANGELIO JOANNIS.

CAP. I.

Vers.8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, tr.97.d.1.n.7. & tr.82.d.3.n.5.
Vers.11. In propria venit, & sui eum non receperunt, tr.78. d. 25.n.2.
Vers.12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt &c, tr. 82.d.1.n.3.
Vers.12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, tr.70.d.3.n.2.
Vers.14. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre plenum gratiæ, tr.69.d.1.n.7.

Vers.16. De plenitudine ejus omnes accepimus, tr.69.d.1.n.7.
Vers.21. Quid ergo, Elias es tu? tr.97.d.1.n.7.
Vers.26. Medius vestrùm stetit, quem vos nescitis, tr.78. d.29. n.8.
Vers.35. Altera die iterum stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo, & respiciens Jesum ambulantem, dicit, ecce Agnus Dei, tr.83.d.50.n.8.
Vers.42. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, tr. 80. d.1. n.2.
Vers.45. Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ invenimus, Jesum filium Joseph &c. usque ad verba: *In quo dolus non est*, tr.68.d.4.n.6.
Vers.46. A Nazareth potest aliquid boni esse tr.71.d.20.n.3.
Vers.47. In quo dolus non est, tr.82.d.6.n.3.

CAP. II.

Vers.15. Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, tr.77.d.29.n.4.
Vers.16. Dico vobis, quia ſi hi tacebunt, lapides clamabunt, tr.77.d.30.n.7.
Vers.17. Zelus domus tuæ comedit me. tr.97.d.1.n.3. & d.4. per totum.
Vers.25. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine, tr.83.d.49.n.5. & d.45.n.7. & tr.68.d.4. n.6.

Cap. III.

Vers.8. Spiritus ubi vult, ſpirat, & nescis, unde veniat, aut quo vadat, tr.81.d.2.n.7.
Vers.19. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem, tr.72.d.4.n.3. & tr.80.d.2.n.2.
Vers.20. Omnis, qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus, tr.71.d.10.n.5. & tr.72.d.6.n.2.

CAP. IV.

Vers.6. Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem, tr. 97. d.8.n.5.
Vers.9. Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis? Quæ ſum mulier Samaritana? tr.72.d.2.n.5.
Vers.11. Pateus altus eſt, tr.77.d.13.n.2.
Vers.13. Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, tr.71.d.4.n.2.
Vers.14. Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, tr.90.d.5.n.8.
Vers.19. Domine, video quia Propheta es tu, tr.84.d.8.n.3.
Vers.20. Patres noſtri in monte adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet &c. tr. 89. d. 12. n.7.
Vers.24. Spiritus eſt Deus, tr.69.d.1.n.4.
Vers.29. Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci, numquid ipſe eſt Chriſtus, tr.83.d.44.n.7.
Vers.34. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, tr.74.d.20.n.7. & tr.83.d.3.n.2. & tr.67.d.10.n.5.
Vers.36. Qui metit, mercedem accipit, & qui congregat fructum in vitam æternam, tr.91.d.4.n.5.
Vers.46. Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, tr.78.d.14.n.5. & tr.94.d.9.n.9. & d.19.n.2.
Vers.48. Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis, tr. 73. d.9.n.3.

CAP. V.

Vers.3. Multitudo magna languentium, expectantium aquæ motum, tr.94.d.19.n.5.
Vers.6. Vis ſanus fieri? tr.68.d.11.n.7. & tr.94.d.21.n.4.
Vers.14. Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, tr.75.d.6. per tot. d.7. n.4. & tr.94.d.19.n.7.
Vers.25. Amen, Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, vivent, tr.83.d.13.n.7.
Vers.38. & 39. Verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non creditis. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, tr.83.d.16.n.6.
Vers.44. Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ad invicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis, Tr.95. d.9. n.6.

CAP. VI.

Vers.2. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur, tr.83.d.9. n.3.
Vers.12. Colligite ... fragmenta, ne pereant, tr.81.d.16.n.2. & d.25.n.6.
Vers.18. Mare vento magno flante, exurgebat tract. 84. d. 5. n.1.
Vers.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. tr.81.d.13. n.3. & d.15.n.2.
Vers.52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, tr.83.d.3.n.9.
Vers.61. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? tr. 83.d.16.n.6. & d.7.n.6.
Vers.64. Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam tr.77.d.2.n.2. & tr.83.d.1.n.3. & d.16.n.2.
Vers.66. Dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, tr.81.d.15.n.2.
Vers.69. Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei, tr.83.d.15.n.7. & tr. 83. d.9. n.1. & tr.83.d.36.n.2.
Vers.71. Ex vobis unus diabolus eſt, tr.71.d.16. per totum.

CAP. VII.

Vers.2. Erat in proximo dies feſtus Judæorum ſcenophegia, tr.83.d.46.n.2.
Vers.4. Manifeſta teipſum mundo, tr.83.d.48.n.5.
Vers.6. Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum, tr.91.d.15. n.6.
Vers.16. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, tr.83.d.37.n.4.
Vers.18. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, tr. 83.d.40.n.5. & d.48.n.5.
Vers.37. & 38. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat; Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, tr.83.d.33.n.4.
Vers.43. Quidam dicebant, quia bonus eſt, tr.70.d.9.n.2.
Vers.44. Quidam volebant eum apprehendere, ſed nemo miſit ſuper eum manus &c. Quare non adduxiſtis illum? Numquam ſic locutus eſt homo, tr.83.d.17.n.6.
Vers.48. Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, tr. 83.d.47.n.8.

Cap. VIII.

Vers.6. Inclinans digito ſcribebat in terra, tr.77.d.31.n.9.
Vers.12. Ego ſum lux mundi, tr.76.d.17.n.1. & tr.83. d.1.n.5. & d.6.n.2. & d.28.n.4.
Vers.34. Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, tr. 71. d.14. per totum.
Vers.37. Scio, quia filij Abrahæ eſtis, ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis, tr.83.d.21.n.8. & d.9. n.1. & d.47.n.2.
Vers.44. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Tr.71.d.17. per totum, & tr.70.d.8. n.1. & tr.80. d.3.n.6. & Tr.82.d.4.n.11. & Tr.83.d.12.n.1.
Vers.44. Ille homicida erat ab initio, tr.92.d.17.n.3. & Tr.68. d.13.n.2.
Vers.46. Quis ex vobis arguet me de peccato? tr.77. d.23.n.1.
Vers.47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, tr.83.d.16.n.3. & d.23. n.1. & d. 47. n.8. & tr.82.d.5.n.7.
Vers.52. Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit, tr.83.d.16.n.7.
Vers.59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Jeſus autem abſcondit ſe, tr.78.d.25 n.3.

CAP. IX.

Vers.2. Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? &c. tr.94.d.3.n.1. & d.24.n.6.
Vers.3. Ut manifeſtentur opera Dei in illo, tr.68.d.19. n.12.
Vers.4. Operamini dum venio, venit nox, quando nemo poteſt operari, tr.91.d.4.n.7.
Vers.5. Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi, tr.83.d.6.n.1.
Vers.6. Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit ſuper oculos ejus, Tr.94.d.12.n.8.
Vers.24. Scimus, quia hic homo peccator eſt, tr.68. d.3. n.8.

CAP. X.

Vers.9. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, tr.81.d.19.n.5. & tr.82.d.5.n.11.
Vers.10. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Tr.71.d.1.n.2.
Vers.11. Ego ſum paſtor bonus, tr.97.d.8.n.3.
Vers.12. Mercenarius autem, cujus non ſunt oves propriæ, dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & diſpergit oves, tr.95. d.8.n.6.
Vers.14. Cognoſcunt me meæ, Tr.82.d.5.n.7.
Vers.15. Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis, Tr.97.d.9.n.1.
Vers.27. Oves meæ vocem meam audiunt, tr.83.d.1. n.6. & d. 21. n.3. & d.23.n.1. & tr.81.d.16.n.5. & Tr.82.d.5.n.3.
Vers.28. Non rapiet eos quisquam de manu mea, non peribunt in æternum, tr.82.d.2.n.3.

CAP. XI.

Vers.3. Domine ecce, quem amas, infirmatur, tr. 94. d.21. per totum.
Vers.16. Domine ſi fuiſſes hic, Tr.73.d.6.n.3.
Vers.27. Ego credidi, quia tu es Chriſtus, Filius Dei vivi, tr.81. d.8.n.6.
Vers.28. Abijt & vocavit Mariam ſororem ſuam, ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te, Tr.83.d.5.n.2.
Vers.29. Domine jam fœtet, quatriduanus eſt, tr.71.d.12. per totum, Tr.73.d.6. per totum.
Vers.43. Hæc dicens ... clamavit, tr.83.d.39.n.8.
Vers.43. Veni foras, tr.75.d.8.n.2.
Vers.44. Solvite eum, tr.73.d.8.n.1.
Vers.47. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? tr.74. d.7.n.5. & tr.77.d.25.n.5.
Vers.48. Si

Vers.48. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem, tr.78.d.25. n.4. & Tr.83 d.16.n.3. & tr.78.d.18.n.4.

CAP. XII.

Vers.24. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet &c, tr.92.d.4.n.5. & tr.83.d.5.n.6.
Vers.31. Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras, tr.69.d.4. n.3. & tr.83.d.14.n.5. & tr.71.d.17.n.4.
Vers.32. Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahan ad me ipſum, tr.78.d.25.n.5. & tr.83.d.14.n.1.

CAP. XIII.

Vers.1. Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos, tr.70.d.1.n.8. & d.5.n.1.
Vers.2. Cùm diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas, tr.77.d.26.n.5.
Vers.3. Dedit ei omnia Pater in manus, tr.83.d.29.n.1.
Vers.15. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, tr.83.d.34.n.4.
Vers.17. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea, Tr.83.d.21.n.9.
Vers.21. Turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, Tr.82.d.3.n.9.
Vers.26. Cui intinctum panem porrexero, tr.78. d.34. n.5. & tr.77.d.25.n.6.
Vers.27. Poſt buccellam introivit in eum Sathanas, Tr.71.d.16. n.4.
Vers.35. In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem, tr.82.d.5.n.9. & tr.70.d.3.n.1.

CAP. XIV.

Vers.1. Non turbetur cor veſtrum &c. in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, Tr.96.d.1. per totum.
Vers.6. Ego ſum via, veritas & vita, tr.83.d.16.n.4.
Vers.16. Alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, tr.80.d.2.n.2.
Vers. 27. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat &c. Tr.70 d.14.n.3. & d.15.n.2.
Vers.28. Omnis populus ſuſpenſus erat audiens illum, Tr. 83. d.17.n.7.

CAP. XV.

Vers.1. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt, tr.81. d.11.n.2.
Vers.1. Pater meus agricola eſt, Tr.83.d.5.n.1.
Vers.3. Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis, tr.83.d.1.n.8. & d.8.n.7. & d.16.n.1.
Vers.4. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic & vos, niſi in me manſeritis, Tr. 81. d.15. n.2.
Vers.5. Ego ſum vitis vera, vos palmites, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum &c. tr.92.d.9.n.8.
Vers.15. Jam non dicam, vos ſervos &c. vos autem dixi amicos, tr.70.d.5.n.1.
Vers.19. Vos de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, tr.83.d.49.n.5.
Vers.22. Si non veniſſem, & locutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, tr.74.d.7. per totum.
Vers.26. Cùm venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia, Tr.68.d.4.n.3. & tr.83. d.18.n.9. & d.38.n.5.

CAP. XVI.

Vers.2. Absque Synagogis facient vos, venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo, tr.71.d.9. n.1.
Vers.2. & 3. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo, Et hæc facient vobis, quia non noverant Patrem, neque me, tr.97.d.7.n.12.
Vers.13. Cùm autem venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur, tr.83.d.37.n.4. & d.4.n.1.
Vers.16. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, tr.91.d.1.n.2.
Vers. 20. Vos contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, tr.94.d.8. per totum.
Vers.29. Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, tr.83.d.44.n.6.
Vers.33. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo preſſuram habebitis, tr. 94.d.8.n.2.

CAP. XVII.

Vers.2. Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, tr.83.d.29.n.1.
Vers.3. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, tr.83.d.15.n.5.
Vers.4. Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam, tr. 80. d.1.n.3.
Vers.6. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo, tui erant, & eos mihi dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt, verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt. tr.83.d.50.n.3.
Vers.20. Non pro eis rogo &c, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, tr.70.d.3.n.1.
Vers.21. Ut credat mundus, quia tu me miſiſti, tr. 80.d.1.n.7.

CAP. XVIII.

Vers.3. Judas ergo cum accepiſſet cohortem, Tr.78.d.25.n.6.& 7.
Vers.6. & 12. Abierunt retrorſum, & ceciderunt, ... Cohors ergo & tribunus & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, Tr.73.d.7.n.6.
Vers.11. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? Tr.97.d.8.n.6.
Vers.30. Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum, Tr.74.d.7.n.5.
Vers.37. Ego in hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati, Tr.83.d.47.n.8.
Vers.37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati; Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam, Tr.83.d.23.n.6. & Tr.81.d.5.n.11.

CAP. XIX.

Vers. 11. Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet, Tr. 74. d.7.n.4. & tr.77.d.29.n.2.
Vers.12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, Tr.93. d.3. n.2.
Vers.27. Accepit eam diſcipulus in ſua, tr.69.d.4.n.9.
Vers. 30. Et inclinato capite tradidit ſpiritum, Tr. 75. d.5. n.6.
Vers.31. Erat enim magnus dies ille Sabbathi, Tr.73. d.4.n.4.
Vers.34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, Tr. 75. d.5. n.7.
Vers.37. Videbunt, in quem transfixerunt, Tr. 75. d.5. n.7.
Vers.40. Acceperunt corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, Tr.81.d.12.n.4.

CAP. XX.

Vers. 20. Dixit eis: Pax vobis, Tr.70.d.12.n.5.

Cap. XXI.

Vers.4. Non cognoverant diſcipuli, quia Jeſus eſt, Tr.78.d.23. n.6.
Vers.6. Mittite in dexteram navigij, & invenietis, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium, Tr.83.d.39. n.4.
Vers.11. Simon Petrus traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus, Tr.96.d.1.n.11.
Vers.17. Petre, amas me? Tr.83.d.36.n.2.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

CAP. I.

Vers.1. Cœpit Jeſus facere & docere, tr.83.d.29.n.1.
Vers.7. Non eſt veſtrùm noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, tr.91.d.2.n.1.

CAP. II.

Vers.2. Tamquam ſpiritus vehementis, Tr.81. d.3. n.7. & tr. 83. d.37.n.3.
Vers.3. Sederuntque ſupra ſingulos eorum, tr.83.d.34.n.9. & tr.80. d.2.n.2.
Vers.4. Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, tr.83.d.1.d.2.
Vers. 37. His auditis compuncti ſunt corde, tr. 71.d.1. n.6. & tr.80.d.10.n.1. & d.18.n.5.
Vers.38. Pœnitentiam agite, Tr.83.d.38.n.5.
Vers.45. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, tr.69.d.2.n.7.

CAP. III.

Vers.4. Reſpice in nos, at ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid acceperum, ab eis, tr.84.d.7.n.4.
Vers.6. Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do in nomine Jeſu, ſurge & ambula, Tr. 83. d.49. n.5.
Vers.8. Intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens & laudans Deum &c. Tr.95.d.1.n.11.

CAP. IV.

Vers.32. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, tr.70.d.3.n.6. & tr.69.d.3.n.7.
Vers.33. Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti, tr.83.d.49.n.4.

Cap. V.

Vers.3. Anania, cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri, tr.76.d.10.n.7.
Vers.14. Magis autem augebatur credentium numerus &c. Ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, tr.87.d.2.n.1.
Vers.29. Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus, tr. 96. d.9.n.9.
Vers.41. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam &c. tr.70.d.13.n.4.

Cap. VI.

*Vers.*10. *Non poterat resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*, Tr.87.d.9.n.8.

*Vers.*15. *Viderant faciem ejus, tamquam faciem Angeli*, Tr. 84. d.4. & Tr.84.d.7.n.8.

CAP. VII.

*Vers.*51. *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis*, Tr.87.d.9. n.8. & tr.68. d.10. n.5. & tr.81.d.13.n.3.

*Vers.*56. *Continuerant aures suas, & impetum fecerant unanimiter in eum*, tr.83.d.23.n.3.

CAP. VIII.

Vers. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, Tr.74.d.23. n.3.

*Vers.*26. *Angelus Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam*, Tr.81.d.4.n.4.

CAP. IX.

*Vers.*1. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini. Vas electionis est mihi iste*, Tr.82.d.2.n.7. & d.4. n. 4. & tr.83.d.7.n.4. & tr.68.d.2.n.2. & tr.74.d.13.n.1.

*Vers.*3. *Circumfulsit eum lux de cælo & c. Domine, quid me vis facere*, Tr.81.d.1.n.2.

*Vers.*5. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, Tr.94.d.11. n.5.

*Vers.*8. *Apertisque oculis nihil videbat*, Tr.94.d.9.n.3.

*Vers.*15. *Vas electionis est mihi iste*, tr.83.d.29.n.2.

*Vers.*16. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, tr.94.d.2.n.8. & d.8.n.5.

*Vers.*31. *Ecclesia quædam per totam Judæam & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur*, Tr.93.d.10. n.10.

CAP. X.

*Vers.*10.11. 12. *& 13. Cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam & c. Et vox ad eum, surge Petre, occide & manduca*, Tr.71.d.10.n.1.

*Vers.*11. *Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum & c.* tr.96.d.3.n.6.

*Vers.*13. *Occide & manduca*, tr.83.d.50.n.7.

*Vers.*38. *Pertransiit benefaciendo & sanando omnes*, tr.68.d.3. n.3. & Tr.83.d.9.n.3.

*Vers.*34. *& 35. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam acceptus est illi*, tr.96.d.7.n.7.

*Vers.*44. *Adhuc loquente Petro verba hæc cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum*, tr.83.d.1.n.3. & d.16. n.2.

Cap. XII.

*Vers.*3. 4. *& 7. Apposuit ut apprehenderet & Petrum, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum: Angelus Domini astitit, percussoque latere Petri excitavit eum, dicens, surge velociter & c.* tr.92.d.31.n.10.

*Vers.*7. *Percussoque latere Petri excitavit eum, dicens, surge velociter*, tr.94.d.13.n.7.

*Vers.*21. *Herodes vestitus veste regia & c.* tr.90.d.14.n.5.

Cap. XIII.

*Vers.*8. *Resistebat autem illis Elymas Magus*, tr.83.d.12.n.5.

*Vers.*22. *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, tr.83. d.8.n.1. & tr.84. d.6. n.6.

*Vers.*46. *Vobis oportebat primam loqui verbum Dei, sed quoniam illud repellitis, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, tr.82.d.4.n.4. & tr.82. d.4.n.4. & tr. 83. d.1.n.7. & tr.83.d.23.n.1.

CAP. XIV.

*Vers.*10. *Jugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*, Tr.91.d.4.n.7.

*Vers.*12. *Quoniam ipse erat dux verbi*, tr.83.d.38.n.2. & d.44. n.1.

Cap. XVI.

*Vers.*6. *Vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*, tr.74.d.10.n.5. & Tr.83.d.25.n.5.

*Vers.*14. *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo*, tr.83.d.20.n.3.

*Vers.*16. *Factum est euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis*, tr.83.d.49.n.7.

*Vers.*17. *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis*, Tr.92.d.2.n.7.

CAP. XVII.

*Vers.*18. *Quid vult seminiverbius hic dicere*, tr.83.d.25. n.4.

*Vers.*27. *Cum non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, Tr.85.d.8.n.7.

*Vers.*28. *In ipso vivimus, movemur & sumus*, tr.84.d.5.n.4.

*Vers.*32. *Audiemus te de hoc iterum, sic Paulus exivit de medio illorum*, tr.81.d.25.n.10. & tr.83.d.14.n.7. & d.23.n.6.

CAP. XIX.

*Vers.*11. *& 12. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus, sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur*, tr.87.d.2.n.1.

CAP. XX.

*Vers.*9. *Et seq. Protraxit sermonem usque ad mediam noctem. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, auctus somno cecidit de tertio cænaculo deorsum, & sublatus est mortuus & c*, tr.83.d.16.n.8.

*Vers.*32. *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius*, Tr.83.d.15.n.4.

CAP. XXIV.

*Vers.*25. *Tremefactus felix*, tr.73.d.8.n.4.

Cap. XXVI.

*Vers.*2. *Æstimo me beatum*, tr.83.d.27.n.4.

CAP. XXVII.

*Vers.*23. *& 24. Astitit mihi hac nocte Angelus, cujus sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum*, tr.82.d.7.n.6.

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. I.

*Vers.*5. *Accepimus gratiam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, in nomine ejus*, tr.83.d.39.n.7.

*Vers.*7. *Gratia vobis & pax*, tr.70.d.12.n.9.

*Vers.*13. *Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus fui usque adhuc, ut aliquem fructum & in vobis, sicut & in cæteris gentibus*, tr.83.d.29.n.7.

*Vers.*16. *Evangelium virtus Dei est, in salutem omni credenti*, tr.83.d.50.n.8.

*Vers.*18. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem*, tr.78.d.34.n.2. & tr.90.d.6.n.8.

*Vers.*21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*, tr.72.d.6.n.2.

*Vers.*21. *& 24. Evanuerunt in cogitationibus suis, Propter quod prodidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis*, tract. 90. d.8. n.10.

*Vers.*27. *Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes*, tr.77.d.16.n. 6.

*Vers.*29. *Repletos omni iniquitate, & malitia*, tr.74.d.2.n.2.

Cap. II.

Vers. 1. *Inexcusabilis es ô homo omnis, qui judicas, in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas*, tr.97.d.6.n.7.

*Vers.*4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* tr.93.d.15.n.6. & d.1.n.3. & tr.78. d.1.n.3.

*Vers.*5. *Secundum duritiem tuam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram*, tr.78.d.30.n.8. & tr. 79. d.1. per totum. & tr.81.d.23.n.1. & d.13.n.3.

*Vers.*15. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus &c.* tr.77. d.30.n.3.

*Vers.*21. *Qui prædicas non furandum furaris*, tr.83. d.35.n.3.

CAP. III.

*Vers.*24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, tr.82. d.7.n.4.

*Vers.*24. *Propter remissionem præcedentium delictorum*, tr.72. d.2.n.2.

CAP. V.

*Vers.*1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*, tr. 70. d.2.n.4.

*Vers.*3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, tr.94.d.24.n.11. & d.25.n.11.

*Vers.*5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, Tr.80.d.13.n.3. & tr.96.d.7.n.1.

*Vers.*12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, tr.8.d.24. n.2. & tr.77. d.7. per tot.

Cap. VI.

*Vers.*2. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* tr.79.d.2.n.5.

*Vers.*10. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel*, tr.75.d.8.n.3.

*Vers.*6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruantur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato*. Tr.90.d.12.n.1.

*Vers.*12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, tr.77.d.26.n.7. & tr.79.d.3.n.2.

*Vers.*13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, tr.71.d.16.n.8. & Tr.77.d.26.n.7.

*Vers.*16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis*, tr.71.d.15. per totum.

*Vers.*23. *Stipendium peccati mors*, tr.77.d.7.n.4.

CAP. VII.

Cap. VII.

*Vers.*14. *Carnalis sum, venumdatus sub peccato*, tr.78.d.29.n.8.

*Vers.*14. *& 15. Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, sed quod odi malum, illud facio*, tr.73.d.1. n.4. tr.77.d.11.n.2.

*Vers.*15. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio & c.* tr.8. d.6.n.3.

*Vers.*15. 18. *Habitat in me peccatum, non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*, tr.93. d.80.n.10.

*Vers.*23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, tr.68.d.1. n.5.

Cap. VIII.

*Vers.*14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, tr.80.d.1.n.8.

*Vers.*15. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater*, tr.80.d.1.n.8.

*Vers.*17. *Si compatimur, & conglorificabimur*, tr.86.d.7. n.7.

*Vers.*18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, tr.94. d.26. per totum.

*Vers.*20. *Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam*, tr.78. d.3.n.3.

*Vers.*25. *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus*, tr.88.d.11.n.5.

*Vers.*28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tr.85. d.13.n.1. tr.68.d.19.n.12.

*Vers.*29. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*, tr.94.d.3.n.3. & d.29. n.4. & d.30. n.9.

*Vers.*30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*, tr.82.d.2. n.7. & d.7.n.2.

*Vers.*35. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia?* tr.94.d.29.n.6. & tr.68.d.15.n.2.

Cap. IX.

*Vers.*3. *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum & gloria*, tr.82. d.6.n.3.

*Vers.*11.12. *& 13. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Quia major serviet minori, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, tr.82. d.6. n.3.

*Vers.*13. *Esau odio habui*, tr.70. d.12.n.8.

*Vers.*14. *& 15. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum? absit, Moysi enim dicit: Miserebor, cujus misereor?* tr.82. d.8.n.7.

*Vers.*16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, tr.93.d.5.n.7. & tr.82.d.8.n.1.

*Vers.*18. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*, tr.81.d.6.n.4

*Vers.*22. *Quod si Deus volens ostendere & notam facere potentiam suam & c.* tr.68.d.4.n.1.

Cap. X.

*Vers.*13. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, tr.83.d.1.n.1.

*Vers.*15. *Quam speciosi pedes Evangelizantium*, tr.83.d.31.n.7.

Cap. XI.

*Vers.*17. *& 18. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es, Noli gloriari adversus ramos, quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te*, tr.82. d.6.n.3.

*Vers.*20. *Noli altum sapere, sed time*, tr.90.d.15. per totum.

*Vers.*33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia & c.* tr.82.d.3.n.6. tr.85.d.3.n.5.

*Vers.*34. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius fuit?* tr.82.d.8.n.6.

Cap. XII.

*Vers.*1. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, tr.96.d.4.n.8. & tr.80.d.1.n.5.

*Vers.*9. *Odientes malum, adhærentes bono*, tr.80. d.5.n.10.

*Vers.*12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*, tr.94. d.7.n.2. & d.25.n.3. tr.68.d.5.n.2.

*Vers.*15. *Flete cum flentibus, gaudete cum gaudentibus*, tr.86. d.4.n.2.

*Vers.*16. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, tr.83. d.5.n.10. & d.44. n.6.

Cap. XIII.

*Vers.*1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, tr.92.d.7.n.3.

*Vers.*10. *Plenitudo legis est dilectio*, tr.80.d.1. n.2.

*Vers.*12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, tr.74. d.12. n.1. & 2.

℣.12. *& 13. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, Sicut in die honestè ambulemus*, tr.69.d.2.n.2. & tr.83.d.6.n.2.

Cap. XIV.

℣.17. *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & c.* tr.70.d.7.n.4. & d.7.n.1.

Cap. XV.

℣.33. *Deus autem pacis*, tr.70.d.1.n.1.

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Caput. I.

*Vers.*10. *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum sapiatis*, tr.70.d.9.n.8.

*Vers.*17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare*, tr.83.d.28. n.2.

*Vers.*15. 18. *Infirma mundi Deus elegit, ut fortia quæque confundat*, tr.68.d.2.n.4. & tr.85.d.12.n.1.

Cap. II.

*Vers.*1. *Cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis & c.* tr.83.d.44.n.1.

*Vers.*4. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus*, tr.83. d.11. num. 3.

*Vers.*9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*, tr.91.d.6.n.4.

*Vers.*14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, tr.73.d.4.n.8. tr.76.d.4.n.3. & tr.83.d.25.n.4. & tr.81.d.12.n.7. & tr.69.d.1.n.1.

Cap. III.

*Vers.*1. *& 2. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*, tr.83. d.44. n.1.

*Vers.*2. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi*, tr.83.d.16.n.1. & d.29.n.5. & d.48.n.7.

*Vers.*4. 5. 6. *& 7. Cum enim quis dicat, ego quidem sum Paulus, alius autem, ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollos? Quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, tr.83.d.18.n.7. & tr.85.d.5.n.4.

*Vers.*7. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, tr.83.d.5.n.3. & tr.85.d.3.n.6.

*Vers.*8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis*, tr.97.d.10.n.8.

*Vers.*9. *Dei ædificatio estis*, tr.83. d.39. n.2. & d.5.n.6. & d.8. n.5. & d.30.n.5. & d.36.n.6.

*Vers.*11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, tr.86.d.1.n.17.

*Vers.*13. *Unusciusque opus quale sit, ignis probabit*, tr.76.d.9. per tot. & tr.78.d.10. n.5.

*Vers.*12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit*, tr.76. d.21. per totum.

*Vers.*17. *Templum Dei, quod estis vos*, tr.88. d.1. n.7.

Cap. IV.

*Vers.*1. *Ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, tr.83.d.46.n.4.

*Vers.*4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum, qui autem judicat me, Dominus est, itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque & c.* tr.82.d.1.n.4. & tr.81.d.1.n.7.

*Vers.*5. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit secreta cordium*, tr.77.d.30.n.1.

*Vers.*7. *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis*, tr.90. d.12. n.2. & d.14. n.4. & tr.95. d.11. n.2.

*Vers.*9. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus*, tr.84.d.3.n.2.

*Vers.*11. *Usque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus & c.* tr.94.d.2.n.8.

Cap. V.

*Vers.*6. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* tr.76. d.14. per totum.

Cap. VI.

*Vers.*15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi*, tr.87. d.10. per totum.

*Vers.*20. *Empti estis pretio magno*, tr.71.d.7. per tot. & tr.68. d.11.n.4. & tr.81.d.3.n.1.

Cap. VII.

*Vers.*5. *Ut vacetis orationi*, tr.76.d.12.n.3.

*Vers.*20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, tr.96. d.2. per totum.

*Vers.*29. *Hoc itaque dico fratres, tempus breve est*, tr.91.d. per totum.

*Vers.*34. *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt*, tr.96.d.2.n.6.

Cap. IX.

*Vers.*9. *Non alligabis os bovi trituranti*, tr.85. d.4.n.4.

*Vers.*9. *Numquid de bobus cura est Deo*, tr.80. d.1. n.3. & tr.83.d.29. n.2.tr.85. d.2.n.4.

*Vers.*16. *Væ mihi, si non Evangelizavero*, tr.83. d.47.n.8.

*Vers.*22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam*, tr.83. d.3.n.10. & d.44.n.1.

Vers.24. Omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium, tr.80.d.4.n.4.
Vers.24. Sic currite,ut comprehendatis, tr 68.d.25.n.3.d.10.n.1. & tr.80.d.3.n.4. & d.6.n.3. & tr.94.d.25. n.3.
Vers.26. Sic curro, non quasi in incertum, tr.68.d.10.n.1.
Vers.27. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar, tr.82. d.1. n.5. & tr.83. d.30.n.2.

CAP. X.

Vers.4. Petra autem erat Christus, tr.81. d.24.n.8.
Vers.13. Faciet cum tentatione proventum, tr.92.d.8.per tot.& d.13. per tot. & tr.90.d.2.n.4.
Vers.31. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, tr.96.d.7. n.3. & tr.84.d.7.n.2.

CAP. XI.

Vers.32. A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur, tr.94.d.27. n.6.

CAP. XII.

Vers.3. Notum vobis facio, quod nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, tr.81.d.15.n.2.
Vers.27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, tr.86.d.4.n.3.

CAP. XIII.

Vers.1.& 3. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, tr.81.d.13. n.2. tr.82.d.5.n.9. & tr.68.d.8.n.7. & tr.77.d.12.n.5. & tr.95.d.11.n.2.
Vers.3. Si distribuero omnes facultates meas in cibum pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, tr.81.d.24. num. 5.
Vers.4. Charitas patiens est, &c. benigna est, non æmulatur, &c. tr.68. d.8. n.8. & d.11. n.3. & tr.68. d.13.n.5. d.16.n.2. & tr.82.d.7.n.2.
Vers.7. Charitas omnia sustinet, omnia suffert, tr.70.d.17.n.4.
Vers.8. Charitas numquam excidit, tr.68.d.16.n.6.
Vers.12. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem, tr.82. d.1.n.8.
Vers.13. Major autem horum est charitas, tr.94. d.24. n.1. & tr.63. d.13.n.7.

CAP. XV.

Vers.10. Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborazi, tr.95.d.11. num.2.
Vers.10. Abundantius omnibus laborazi, tr.83.d.47.n.4.
Vers.32. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, tr.71.d.20.n.8.
Vers.39. Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum alia vero pecorum, tr.71.d.20. n.1.
Vers.52. Canet tuba,& mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, tr.77.d.6.n.2. & tr.83.d.47.n.5.
Vers.55.& 56. Ubi est mors stimulus tuus, stimulus autem mortis peccatum est, tr.77. d.6. n.4. & tr.81. d.5.n.4. & d.7.n.1. & d.21.n.2.
Vers.58. Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis, tr.80.d.2.n.3.

CAP. XVI.

Vers.1. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos &c. tr.69.d.2.n.5
Vers.20. Salutate invicem in osculo sancto, tr.70.d.3. n.9.

EX EPIST. II. AD CORINTHIOS.

CAP. I.

Vers.3. Deus totius consolationis, qui consolatur nos, tr.69.d.3.n.2

CAP. II.

Vers.14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, tr.68.d.14.n.5.
Vers.15. Christi bonus odor sumus, tr.71.d.12.n.1.& tr.76.d.4.n.5.
Vers.17. Non sumus adulterantes verbum Dei, sicut plurimi, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur, tr.83. d.48.n.9.

CAP. III.

Vers.5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tr.90.d.12.n.2. & tr.95.d.1.n.5. & tr.81.d.15.n.2.

CAP. IV

Vers.2. Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo, tr.83. d.43.n.1.
Vers.4. Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Christi, tr.72.d.4.n.5.
Vers.7. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, tr.81.d.26. n.6. & tr.84.d.4.n.4.
Vers.8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, tr.94.d.13.n.9.
Vers.17. Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, tr.80.d.7.n.4. & tr.91.d.3.n.2. & tr.94.d.3.n.6.

Cap. V.

Vers.1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur &c. tr.68.d.5.n.2.
Vers.6. Dum sumus in corpore, peregrinamur, tr.68.d.1.n.2.
Vers.18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum &c. tr.70.d.16.n.4.

Cap. VI.

Vers.1. Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te, tr.92.d.1.n.2.& tr.75.d.6.n.2.& tr.81.d.6.n.2.
Vers.1.& 2. Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis, ait enim, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te, tr.91.d.4.n.7. & tr.81.d.15.n.5.
Vers.2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, tr.91.d.2. per totum.
Vers.4. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, tr.68. d.2.n.4.
Vers.4. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs &c. tr.68.d.16.n.5. & d.8.n.2.
Vers.10. Sicut egentes, multos autem locupletantes, tr.69.d.2.n.7.
Vers.14. Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? tr.71.d.20.n.5
Vers.14. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial, tr.80.d.2. n.1.

Cap. VII.

Vers.1. Mundemus nos, ut omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, tr.93.d.13.n.7.
Vers.4. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, tr.94.d.7. per totum.
Vers.5. Nullam requiem habuit caro nostra, tr.70. d.7.n.5.
Vers.10. Sæculi tristitia mortem operatur, tr.68. d.1. n.4.

Cap. X.

Vers.17. Qui gloriatur, in Domino glorietur, tr.95. d.2. per totum.

Cap. XI.

Vers.2. Æmulor enim vos Dei æmulatione, tr.97.d.2.n.6.
Vers.14. Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, tr.92. d.2. per totum.
Vers.23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum &c. tr.94.d.7.n.1. & d.26.n.1.

Cap. XII.

Vers.2. Scio hominem ante annos quatuordecim, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum, tr.95.d.5.n.9.
Vers.4. Raptus in paradisum, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, tr. 82.d.1.n.5. tr.83.d.38.n.2.
Vers.7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, tr.92.d.10. per tot.& tr.71. d.10. n.3.
Vers.9. Virtus in infirmitate perficitur, tr.94. d.20. per tot. & d.23.n.8. & tr.92.d.5. per tot. tr.94.d.18. n.5.
Vers.10. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs &c. tr.94.d.8.n.5.& d.18.n.8. tr.83.d.33.n.6.
Vers.12. Signa Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, tr.68. d.2.n.3.
Vers.14. Non enim quærimus, quæ vestra sunt, sed vos, tr.83. d.49.n.2.

Cap. XIII.

Vers.11. Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, tr.70. d.1.n.9. & d.12.n.1.
Vers.12. Salutant vos omnes Sancti, tr.87. d.9. per totum.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. I.

Vers.11.& 12. Evangelium, quod Evangelizatum est à me, neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per volantatem Jesu Christi, tr.83.d.44.n.1.
Vers.15.& 16. Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, Ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini, tr.81.d.1.n.2. & tr.82.d.4.n.4.

CAP. II.

Vers.9. Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, tr.95.d.11. n.5.

Cap. III.

Vers.1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est, tr.75. d.5.n.1. & tr.84.d.2. n.10.
Vers.3. Sic stulti estis, ut cum spiritu cæperitis nunc carne consummemini, tr.80.d.2.n.1.

Cap. IV.

Vers.19. Filioli mei, quos iterum parturio, tr.83.d.31.n.8.

Cap. V.

Vers.15. Quod si invicem mordetis & comeditis, videte &c. tr.70.d.10.n.3.
Vers.17. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, tr.68.d.1.n.5.
Vers.19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia &c. tr.78.d.30. n.8.
Vers.22. Fructus autem spiritus sunt charitas, pax, tr.70.d.3. n.5. tr.70.d.1.n.9.& d.7.n.2. & tr.80.d.1.n.8.

Cap. VI.

Vers.8. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem; tr.80.d.3.n.1. & tr.81.d.26.n.7.
Vers.10. Dum tempus habemus, operemur bonum, tr.81.d.18. n.3. & d.26. n.1. tr.91.d.4. per totum.
Vers.14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri, tr.94.d.8. n.5.
Vers.17. Ego stigmata Domini in corpore meo porto, tr.82.d.4. num.4.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. I.

Vers.18. Illuminatos habentes oculos cordis nostri, tr.84.d.3.n.6.

Cap. II.

Vers.4. Deus qui dives est, tr.70. d.5.n.1.
Vers.4. Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, tr.71 d.19.num. 3.
Vers.13. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe &c. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, tr.70. d.1.n.5.
Vers.14. Ipse est pax nostra, tr.70.d.14.n.1.& d.1.n.8

Cap. IV.

Vers.1. Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, tr.96.d.4. per totum.
Vers.3. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, tr.70.d.3. per totum.
Vers.17.& 18. Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum &c. tr.73.d.3.n.3.
Vers.17.& 18. Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum &c. tr.94.d.10. n.2.
Vers.20. Quoniam sumus invicem membra, tr.70.d.18. n.6.
Vers.26. Sol non occidat super iracundiam vestram, & nolite locum dare Diabolo, tr.68.d.13. n.2.
Vers.27. Nolite locum dare diabolo, tr.77. d.28. n.2. tr.79.d.4. per totum. & tr.80.d.5.n.2.
Vers.28. Qui furabatur, jam non furetur, tr.76. d.14. n.2.
Vers.29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus, tr.83.d.39.n.2. & d.46.n.6.
Vers.30. Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in die redemptionis, tr.80.d.1.n.8. & tr.81.d.13.n.4.

Cap. V.

Vers.5. Avaritia, quod est idolorum servitus, tr.77. d.13.n.5.
Vers.15. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, tr.91.d.14. per totum.
Vers.25. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, tr.76.d.18. n.1.
Vers.27. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, tr.76.d.18.n.1.
Vers.29. Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, tr.77.d.27.n.1.

Cap. VI.

Vers.12. Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes tenebrarum harum, tr.90.d.13.n.8.
Vers.16. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, tr.92.d.15.n.7.
Vers.17. Gladium spiritus, quod est verbum Dei, tr. 83. d.29. n.4.& d.42.n.8. & d.43.n.8. & tr.81.d.3.n.8.
Vers.19. Ut detur mihi sermo in aperitione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelij, pro quo legatione fungimur in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui, tr.83. d.37. n.4.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Caput. I.

Vers.12. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelij, ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, tr.78.d.28.n.6.
Vers.29. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, tr.94. d.1. per totum.

Cap. II.

Vers.5.& 6. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit &c. tr.90. d.15.n.4.
Vers.7. Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, tr.68.d.4.n.2.

Vers.12. Cum metu & tremore salutem operare, tr.75. d.8. n.4. tr.80.d.5.n.7. tr.82.d.1.n.6. & tr.93.d.5. per totum.
Vers.13. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate &c. tr.83.d.15. n.7.
Vers.14.& 15. Omnia autem facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela & simplices filij Dei in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, tr.98.d.20. n.1. tr.83.d.32.n.1.
Vers.16. Non in vacuum cucurri, tr.68. d.10. n.1.
Vers.21. Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi, tr.83.d.39.n.4.

Cap. III.

Vers.8. Omnia arbitror ut stercora, tr.71. d.13. n.2. & tr.94. d.9.n.4.
Vers.13.14.& 15. Fratres ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ verò sunt oblivisceus, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, Ad destinatum persequar, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, tr.80.d.6.n.1.
Vers.14. Ad anteriora extendens meipsum ad supernæ vocationis brauium, tr.80.d.3. n.6.
Vers.20. Nostra autem conversatio in cælis est, tr.71. d.16.n.5. tr.80.d.1.n.2. & tr.83.d.37. n.3.
Vers.20. Nostra conversatio in cælis est, tr.89.d.1.n.3.

Cap. IV.

Vers.1. Sic state in Domino charissimi, tr.80.d.4.n.7.
Vers.3. Adjuva illas, quæ laboraverunt mecum in Evangelio, tr.82.d.4.n.1. tr.83.d.29.n.4.
Vers.5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est, tr.84.d.5.n.5.
Vers.7. Pax Dei quæ exuperat &c. tr.70.d.8.n.7.
Vers.13. Omnia possum in eo, qui me confortat. tr.68.d.19.n.12.
Vers.22. Salutant vos omnes Sancti, maximè qui de domo Cæsaris sunt, tr.96.d.9. per totum.

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

Cap. I.

Vers.19. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare, tr.70.d.1.n.9.
Vers.28. Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu, tr.83.d.7.n.6.
Vers.28. Corripientes omnem hominem & docentes, tr.83.d.1.n.9.

Cap. II.

Vers.3. In quo sunt omnes thesauri, tr.70.d.5.n.1.tr.83.d.4.n.1.
Vers.6.& 7. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati, & superædificati in ipso, & confirmati, tr.80.d.1. n.1.
Vers.15. Expolians Principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso, tr.92.d.16.n.10.

Cap. III

Vers.14. Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis & pax Christi, tr.70.d.12.n.1.
Vers.25. Non est personarum acceptio apud Deum, tr.81.d.16.n.7

EX EPIST. I. AD THESSALONICENSES.

Cap. I.

Vers.6. Excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti, tr.94.d.23. per totum.

Caput II.

Vers.5. Neque enim aliquando fuimus in sermonibus adulationis, sicut scitis, tr.83.d.47.n.8.
Vers.6. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque in vobis, neque in alijs, tr.83.d.48.n.6.
Vers.18. Impedivit nos Sathanas, tr.92.d.12.n.1.

Cap. III.

Vers.3. Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus, tr.94.d. 2.n.2. & tr.68.d.2.n.1.

Cap. IV.

Vers.3. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum &c. tr.81.d.12. num. 4.
Vers.10.& 11. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, ut vestrum negotium agatis & operemini. tr.91. d. 17. n. 7.

Cap. V.

v.1. De temporibus autem & momentis fratres non indigetis ut scribamus vobis. tr. 91. d. 21. n.1.
v.2. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, tr.77.d.4.n.4.
v.3. Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, tr.91.d.11.n.9.
Vers.13.& 14. Pacem habete cum eis, patientes estote ad omnes &c. tr.70.d.17.n.4.
Vers.24. Fidelis est qui vocavit nos, tr.96. d.2.n.1.

EX EPIST. II. AD THESSALONICENSES.

CAP. II.

Vers.3. Homo peccati, filius perditionis, tr.78.d.34.n.2.

Vers.3.& 4. Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus, tr.90.d.6.n.8.

Caput III.

Vers.8. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, tr.91.d.16. per tot.

Vers.10. Si quis non vult operari, non manducet, tr.85.d.6.n.4.

Vers.12. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent, tr.88.d.2.n.7.

EX EPIST. I. AD TIMOTHEUM.

Cap. I.

Vers.13. Ignorans feci, tr.81. d.21. n.7.

Vers.13. Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, tr.74.d.13. per totum.

Vers.15. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum &c. tr.81.d.4.n.3.

Vers.17. Regi saculorum, immortali, invisibili soli Deo honor & gloria, tr.95.d.1. per totum.

Vers.19. Conscientiam bonam habe, quam multi repellentes à fide naufragaverunt, tr.77.d.11. n.6. & tr.81.d.21.n.3.

CAP. II.

Vers.3. Hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, tr.96.d.7. per totum: & tr.82.d.6.n.21. & d.3.n.11.

CAP. IV

Vers.2. Cauteriatam habentes suam conscientiam, tr.71. d.10. n.4. tr.83.d.9.n.1.

Vers.7. Exerce teipsum ad pietatem, nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, tr.84. d.6. num. 4.

Vers.11. Præcipe hæc, & doce eum omni Imperio, tr.83.d.29. num. 1.

Vers.16. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt, tr. 97.d.10. n.9.

Cap. V.

Vers.7. Quæ in delicijs est, vivens mortua est, tr.77.d.6.n.2.

Vers.23. Modico vino utere &c. tr.94.d.10.n.5.

Cap. VI.

Vers.9. Qui volant divites fieri, incidant in laqueum, tr.77. d.26.n.3.

Vers.17. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, tr.69.d.2.n.6.

EX EPIST. II. AD TIMOTHEUM.

CAP. I.

Vers.9. Vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, tr. 82.d.7. n.4.

CAP. II.

Vers.3. Labora, sicut bonus miles, tr.83. d.29. n.4.

Vers.4. Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus, tr.83. d.49. n.2.

Vers.5. Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit, tr.92. d.6. per tot. & tr.93. d.14. n.4. & tr.68. d.6.n.2. & d.18. n.1.

Vers.11. Fidelis sermo: Si mortui sumus, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus, tr.68. d.10.n.3.

Vers.12. Si sustinebimus, & conregnabimus, tr.68.d.7.n.3.

Vers.19. Firmum fundamentum Dei habens signaculum hoc, cognovit Dominus, qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini, tr.82.d.1.n.1.

Vers.24. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, patientem &c. tr.70. d.26.n.1.

CAP. IV.

Vers.2. Prædica verbum, tr.83.d.39.n.3.

Vers.2. Argue, obsecra, increpa in omni patientia, tr.97.d.10.n.9. tr.83.d.47.n.2.

Vers.3. & 4. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem se avertent, ad fabulas autem convertentur, tr.83.d.22.n.4. & d.42.n.5.

Vers.5. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, tr.83.d.29. n.4.

Vers.7. & 8. Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, tr.82. d.6. n.1. & tr.84.d.7.n.1. & d.6. n.2.

Vers.17. Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, tr.71.d.20. n.8.

EX EPIST. AD TITUM.

CAP. II.

Vers.12. Apparuit gratia omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobrie & juste & pie vivamus, tr.83.d.14.n.4.

Cap. III.

Vers.5. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, tr.82.d.7. n.4.

EX EPIST. AD PHILEMONEM NIHIL.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. I.

Vers.1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissimè diebus istis locutus est nobis in filio, tr. 83.d.16.n.1.

Vers.3. Portans omnia verbo virtutis suæ, tr.83.d.9. n.3.

Vers.6. Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli ejus, tr.94.d.9.n.9.

Cap. II.

Vers.1.2.& 3. Propterea abundantius oportet nos observare ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, tr.83. d.25.n.5.

Vers.18. In eo, in quo passus est ipse, & tentatus potens est & eis, qui tentantur auxiliari, tr.92. d.14. per totum.

Cap. IV.

Vers.12. Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque ac medullarum & discretor cogitationum & intentionum cordis, tr.83. d 11. n.3. & tr.81.d.3.n.8.

Vers.15. Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, tr.92.d.7.n.1.

Cap. V.

Vers.7. Cum clamore valido, & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia, tr.74.d.9. n.4.

Vers.8. Cùm esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, tr.94. d.5. per totum.

Vers.13. Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ, tr.83.d.27.n.6.

Cap. VI.

Vers.4. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & prælati renovari ad pœnitentiam, tr.73.d.3.n.6. tr.75.d.5. per totum.

Vers.6. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, tr.71.d.6. per tot. & d.17.n.1. tr.72.d.6.n.7. & tr.81.d.12.n.4.

Vers.7. & 8. Terra illa sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem, tr.83. d.23. n.7.

CAP. IX.

Vers.22. Sine sanguinis effusione non fit remissio, tr.71.d.9.n.9.

Cap. X.

Vers.26. Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, tr.74. d.10. per tot. d.12. n.3.

Vers.27. Terribilis ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios, tr.78.d.10. per tot. tr.97.d.5.n.12.

Vers.28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, tr.75.d.5.n.3.

Vers.31. Horrendum est, incidere in manus Dei viventis, tr.86. d.2. n.8.

Vers.34. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam, tr.94. d.6.n.6. & tr.69.d.1.n.2. & d.2. n.8.

Vers.35. Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, ememoramini pristinos dies &c. tr.69.d.2. n.8. tr.85.d.10. n.6.

Vers.36. Patientia vobis necessaria est, tr.68. d.5.n.5.

Vers.37. Adhuc modicum, tr.68.d.18.n.6.

Cap. XI.

Vers.10. Cujus artifex & conditor Deus, tr.83.d.1.n.9.

Vers.24. Negavit enim se esse filium filiæ Pharaonis, tr.84.d.8.n.4

Vers.26. Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, tr.69.d.1.n.6.

Vers.35.& 36. Alij distenti sunt, alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres, tr.92.d.4. n.5.

Vers.38. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ, tr.89.d.11. per totum.

Cap. XII.

Vers.6. Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, tr.77.d.23.per totum.

Vers.1.& 2. Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, tr.80.d.1.n.5.

Vers.2. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, tr.68.d.18.n.6.

Vers.3. Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, tr.68.d.20.n.2. & tr.82.d.1.n.7.

Vers.6. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit, tr.94.d.14. per totum.

Vers.8.

Vers.7.& 8. Quis enim filius quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis, tr.94. d.14.n.9.

Vers.14. Pacem sequimini cum omnibus, tr.70.d.6.n.3.

Cap. XIII.

Vers.13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes, tr.49. d.33. n.12.

Vers.17. Obedite præpositis vestris & subjacete eis, tr.96. d.9. num.8.

EX EPIST. JACOBI.

CAP. I.

Vers.2. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, tr.92.d.8.n.5.d.9.per totum.

Vers.4. Perfecti & integri in nullo deficientes, tr.76. d.16. per totum.

Vers.4. Patientia opus perfectum habet, tr.88.d.2. n.4. & tr. 68.d.11.n.1.

Vers.5. Qui dat omnibus affluenter, tr.85. d.5.n.3.

Vers.6. Postulet in fide, nihil hæsitans, tr.85.d.11. n.1.

Vers.12. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam &c. tr.68. d.18. n.1.

Vers.13. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, tr.92.d.11.n.1.& d.13. n.7.

Vers.17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, tr.83.d.5. n.3.

Vers.18. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, tr.83.d.8. n.5.

Vers.19. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tr.88.d.10. n.7.

Vers.21. Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras, tr.83.d.3. n.9. & d.5.n.10. & d.7.n.4. & d.12.n.1. d.16. n.4. & d.21. n.1.

Vers.26. Si quis putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio, tr.88. d.3. per totum.

CAP. II.

Vers.5. Divites in fide, tr.69.d.2.n.6.

Vers.10. Quicumque totam legem servavit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, tract.76. d.19. n.1. tract.77. d.12. num.4.

CAP. III.

Vers.2. In multis offendimus omnes, tr.68.d.5. n.7.

Vers.2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, tr.88. d.2. per totum.

Vers.3. Si autem equis frænа in ora mittimus, ad consentiendum nobis, ut omne corpus illorum circumferamus, tr.88.d.9. n.2.

Vers.4. Ecce & naves cum magnæ sint, & à ventis validis mittentur, circumferuntur à modico gubernaculo, tr.76.d.14. n.6.

Vers.5.& 6. Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit, lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna, tr.88.d.1.n.6. & tr.76.d.3. per totum.

Vers.6. Universitas iniquitatis, tr.88.d.1.n.3.

Vers.13. Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendit ex conversatione, &c. tr.70.d.8. n.4.

CAP. IV.

Vers.1. Unde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant adversùm vos? tr.76.d.1.n.4. tr.92.d.1.n.10.

Vers.6. Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam, tr.90.d.5. per totum.

Vers.7. Resistite diabolo & fugiet à vobis, tr.62.d.15.n.10. & d.18. per totum.

Vers.13.& 14. Ecce nunc qui dicitis hodie aut crastino ibimus, in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino, &c. tr.91. d.2. n.4.

Vers.17. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, tr.74.d.6. per totum. d.11.n.3.

CAP. V.

Vers.7. Patientes estote fratres, usque ad adventum Domini, ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, &c. tr.94. d.25. n.4. & tr.80.d.7. n.3.

Vers.8. Patientes estote & confirmate corda vestra quoniam adventus Domini appropinquavit: Ecce Judex ante januam assistit, tr.60.d.18.n.1.

Vers.17. Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit, annos tres, & menses sex, tr.78.d.6.n.5. & tr.97.d.2.n.5.

Vers.20. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus à morte, tr.97.d.10. per tot. & d.10. n.12. & tr.83.d.28.n.5.

EX EPIST. I. PETRI.

CAP. I.

Vers.1.& 2. Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti &c. Secundum præscientiam Dei Patris, tr.82. d.6.n.2.

Vers.17. In timore, incolatus vestri tempore conversamini, tr.91. d.15. per totum.

Vers.23. Renati non ex semine corruptibili per verbum Dei vivi permanentis in æternum, tr.83.d.5.n.6.

CAP. II.

Vers.9. Populus acquisitionis, tr.97. d.9.n.7.

Vers.11. Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos, tr.81. d.7. n.1.

Vers.19.& 20. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè, quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati sufferetis. Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum, tr.68.d.16.n.3.& d.17.n.4.

Vers.21. In hoc enim vocati estis, quia sicut Christus passus est pro nobis, &c. tr.98.d.1.n.1. & d.3.n.2. & tr 94.d.2.n.3.

Vers.24. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum. tr.77.d.23.n.8.

Vers.25. Erratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum, tr.83.d.1. n.6.

CAP. III.

Vers.14. Sed etsi quid patimini propter Justitiam Beati, tr.68. d.16. n.3.

CAP. IV.

Vers.1. Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, tr.92.d.16. n.10.

Vers.12. Charissimi nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat, tr.94.d.2.n.3.

Vers.15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, &c. tr.94. d.8.n.5. & tr.68.d.16. n.3.

Vers.19. Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei fideli Creatori commendent animas suas, tr.68.d.10. n.3. & d.13.n.1.

CAP. V.

Vers.8. Vigilate, quia adversarius vester Diabolus circuit quærens quem devoret, tr.92.d.1.n.12.& d.4.n.3.& d.15.n.8. & d.17. per totum.

Vers.10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, tr.94. d.4.n.8. & tr.8c.d.7. n.4.

Vers.13. Ecclesia quæ est in Babylone collecta, tr.70.d.12.n.9.

Vers.18. Tamquam leo rugiens circuit, tr.72.d.3.n.1.

EX EPIST. II. PETRI.

Caput. I.

Vers.10. Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis, &c. tr.28.d.4.n.4.& d.5.n.3. & tr.80.d.1.n.4.

Vers.19. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucent in caliginoso loco donec dies illucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, tr.83.d.13.n.5. & tr.71.d.15.n.1.& tr.86.d.5.n.1.

Cap. II.

Vers.21. Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti ab ea, tr.74.d.11.per tot.tr.75. d.4. n.2.

Vers. 22. Tamquam canis reversus ad vomitum suum, tr.71. d.13. n.4.

Cap. III.

Vers.8. Unum vero hoc non lateat vos charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus, tr.91.d.1.n.3.

EX EPIST. I. JOANNIS.

Cap. I.

Vers.1. Quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, tr.83.d.37.n.7.

Cap. II.

Vers.4. Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est, tr.72.d.1. per totum.

Cap. III.

Vers.8. In hoc apparuit Deus, ut dissolvat opera Diaboli, tr.83. d.8. n.5.

Vers.9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, tr.82. d.1. n.3. tr.83.d.15.n.5. & tr.71.d.17.n.1.

Vers.21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quidquid petierimus, accipiemus ab eo, tr.85. d.10.n.1.

Cap. IV.

Vers.8. Deus Charitas est, tr.71.d 8.n.2.

Vers.16. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, tr.71.d.16. n.4.

*Vers.*18. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, tr.81.d.13.n.7.

Cap. V.

*Vers.*4. *Hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra*, tr.92. d.15. n.9.

*Vers.*16. *Qui scit fratrem suum peccare, peccato non ad mortem, petat & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem*, tr.73.d.6. n.3. tr.74.d.1. n.4.

*Vers.*19. *Totus mundus in maligno positus est*, tr.71. d.1. n.5. tr.77.d.29.n.6.

EX EPIST. II. ET III. JOAN NIHIL. EX EPIST. JUDÆ.

*Vers.*9. *Cum Michaël Archangelus cum Diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore*, tr.87.d.1.n.3. & d.8.n.6.

*Vers.*11. *Væ illis qui in via Cain abierunt, væ illis, qui errore Balaam mercede effusi sunt*, tr.83.d.49. n.8. tr.81.d.5.n.9.

EX APOCALYPSI.

Cap. I.

*Vers.*14. *Caput autem ejus, & capilli erant candidi, tamquam lana alba*, tr.96. d.4.n.4.

*Vers.*16. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus*, tr.83. d.11. n.6.

Cap. II.

*Vers.*1. *Scribe Angelo Ephesi*, tr.83.d.4. n.7.

*Vers.*7. *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs*, tr.83.d.18.n.9.

*Vers.*9. *Scio paupertatem tuam, sed dives es*, tr.93.d.11.n.3.& tr.69.d.2.n.5.

*Vers.*10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, tr.87.d.2. n.11. & d.26. n.10. & tr.80.d.1.n.7.

*Vers.*13. *Ubi sedes est Sathan*, tr.78.d.30.n.7.

Cap. III.

*Vers.*1. *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es*, tr.77 d.9. n.3.

*Vers.*3. *Veniam ad te tamquam fur*, tr.79.d.4.n.4.

Vers. 10. *Scient, quia ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis*, tr.68. d.10. n.3.

*Vers.*11. *Tene quod habes, ut nemo alius accipiat coronam tuam*, tr.77.d.10.n.6. & tr.82. d.1.n.3.

*Vers.*12. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei*, tr.95.d.11.n.3.

Vers. 16. *Quia tepidus es incipiam te evomere*, tr.76.d.7.n.6. d.20. per totum.

*Vers.*18. *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum probatum*, tr.97. d.1. n.4.

*Vers.*18. *Collyrio inunge oculos tuos ut videas*, tr.94. d.10. per totum.

*Vers.*19. *Ego quos amo arguo & castigo*, tr.94. d.13. per tot. & tr.78. d.35.n.4.

*Vers.*20. *Ego sto ad ostium & pulso*, tr.76.d.18.n.11. & tr.81. d.5. n.3.

Cap. IV.

*Vers.*5. *De throno procedebant fulgura, & voces & tonitrua*, tr.78.d.11. per totum, & tr.69.d.29. n.4.

*Vers.*8. *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, in circuitu, & intus plena sunt oculis, &c.* tr.95. d.4.n.6.

*Vers.*10. *Mittebant coronas suas ante thronum*, tr.95. d.11.n.4.

Cap. VI.

*Vers.*8. *Et ecce equus pallidus, & sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*, tr.81.d.7. n.1. & tr.77. d.4.n.5. & 6.

*Vers.*9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant*, tr.87.d.2.n.2.

Cap. VII.

*Vers.*9. *Vidi turbam magnam &c. Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni, & ideo sunt ante thronum Dei*, tr.94.d.5.n.7. & d.25. per totum.

Cap. VIII.

*Vers.*5. *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram*, tr.78. d.11. n.6.

*Vers.*8. *Secundus Angelus tuba cecinit, & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis &c.* tr.99.d.11. n.1.

Cap. X.

*Vers.*1. *Vidi alium angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis*, tr.78.d.10.n.3. & tr.83.d.18.n.8.

*Vers.*6. *Tempus non erit amplius*, tr 81.d.21.n.7

*Vers.*8. *Accipe librum & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel*, tr.83.d.9.n.8.

Cap. XII.

*Vers.*4. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*, tr.93.d.7.n.8

*Vers.*6. *Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo*, tr.89.d.4. n.10. & d.11. n.9

*Vers.*7. *Factum est prælium magnum in cœlo*, tr.75.d.4.n.6

*Vers.*12. *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*, tr.77.d.4.n.3. & tr.81.d.21.n.6

Cap. XIV.

*Vers.*5. *In ore ipsorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei*, tr.82.d.5. n.11

*Vers.*8. *Cecidit cecidit Babylon illa magna*, tr.83.d.38.n.7

*Vers.*13. *Opera enim illorum sequuntur illos*, tr.81.d.26. n.1

Cap. XV.

*Vers.*2. *Vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam*, tr.92. d.16.n.8

*Vers.*3. *Justæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum, & impletum est templum fumo à majestate Dei, &c.* tr.82.d.8.n.6

*Vers.*4. *Quis non timebit te Domine, quia pius es*, tr.92. d.15. num.6.

Cap. XVIII.

*Vers.*1. *Vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus*, tr.90. d.9. n.1.

*Vers.*7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, tr.78.d.33. n.8. tr.79.d.1.n.3. & tr.81. d.10. n.4.

Cap. XIX.

*Vers.*5. *Qui timetis eum pusilli & magni*, tract. 93. disc.1. num. 5.

*Vers.*12. *In capite ejus diademata multa*, tr.82.d.7.n.3.

Cap. XX.

*Vers.*6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*, tr.86.d.7. n.7.

*Vers.*12. *Libri aperti sunt, & judicati sunt, ex his quæ scripta erant in libris*, tr.77.d.5. n.3.

*Vers.*14. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*, tr.77. d.2. n.4

Cap. XXI.

*Vers.*13. *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, &c.* tr.70. d.6.n.6

*Vers.*19. *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata*, tr.96.d.7. n.1. & tr.82. d.5.n.3.

*Vers.*27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, tr.68.d.5. num. 7.

Cap. XXII.

*Vers.*11. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, tr.78. d.29. per totum.

*Vers.*12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum data unicuique juxta opera sua*, tr.80. d.7. n.4.

*Vers.*15. *Foris canes*, tr.81. d.21.n.7.

*Vers.*15. *& 20. Foris . . . qui amat & facit mendacium*, tr.82. d.5. n.11.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MAXIME MEMORABILIUM,

Quæ toto hoc quarto Tomo continentur:

Ubi T. Tractatum, D. Discursum, N. Numerum designat.

A.

Abbas.

Abbatibus Cistercien sibus à summo Pontifice ad convertendos Albigenses missis, quale dederit consilium Didacus Hispanus Oxomensis Episcopus, & quo successu, *tr.*83. *d.*47.*n.*3.

Abbas Pastor verbum Dei comparabat guttæ molli duram excavanti petram, *tr.*83.*d.*47.*n.*6.

Abel.

Primitiæ electorum ex hominibus, *tr.*81.*d.*26.*n.*3. Obtulit Deo primogenita gregis sui, *ibid.* Typus eorum, qui florentiores annos vitæ Deo conserant, *ibid.*

Abraham. Merito credentium Pater ob studium pacis, *tr.*70. *d.*3. *n.*6.

Accepit tantam benedictionem in possessionibus suis, quia studio pacis cessit Loth, *tr.*70. *d.*5.*n.*8.

Abraham anachoreta per patientiam paganos aliàs pertinacissimos convertit, *tr.*68.*d.*2.*n.*6. *&* *tr.*83.*d.*14.*n.*7.

Absalon.

Cur tam infælicem obierit mortem, *tr.*81. *d.*9. *n.*4. Ejus mors ex levi capillorum vanitate, *tr.*76.*d.*5.*n.*8.

Achab.

Michæam male tractans quid designet, *tr.*83.*d.*24. *n.*2.

Achan.

Ejus confessio cur nulla, *tr.*81.*d.*14. *n.*5. Furtum parvum, sed peccatum magnum commisit, *tr.*71.*d.*3.*n.*7.

Achilles.

Lanceam Achillis finxerunt Poëtæ, habuisse virtutem curandi vulnus per eamdem inflictum, *tr.*94.*d.*17.*n.*1.

Adam.

Per peccatum amisit dominium in bestias, eisque similis factus est, & alius ei designatus fuit victus & amictus, *tr.*71.*d.*20. *n.*4. Tamdiu salvus, quamdiu solus, *tr.*89.*d.*2.*n.*2.

Cur Deus inspiraverit in faciem Adæ, *ibid.*6.*n.*6. Adam & Eva sufficienti instructi lumine, astum serpentis advertere potuissent, *tr.*92.*d.*17. *n.*2. *&* 4.

Adolescens.

Quidam animam suam Diabolo vendens, post viginti annos tradendam, ad decem annos ab eodem deceptus, *tr.*81.*d.*17. *n.*10. Post novum cum Diabolo ad decem annos pactum initum, quomodo corpore & anima simul abreptus, *ibid.*

Alius nobilis, sed lascivus pœnitentiam ad finem vitæ differens infæliciter sine pœnitentia obiit, *tr.*81.*d.*11.*n.*1. Quod idem cuidam adolescenti Toletano contigit, *tr.*81.*d.*9.*n.*10. *Adversitas V. Toletano.*

Ægyptij.

Idololatræ morte in mari rubro imminente Deum verum agnoscunt, *tr.*81.*d.*13.*n.*2. at fera eorum pœnitentia infructuosa, *ibid.*

Ætas.

Primitias ætatis quærit Deus, *tr.*81.*d.*26. *per totum.* Prima ætas hominis est radix arboris, ad quam securis posita, *ibid.n.*8. Ætas senilis ad bene operandum ineptior, *ibid.n.*21. Juvenilis & virilis comparantur equo indomito & forti, senilis debili, languido ac exulcerato, *ibid. n.*6. Exemplo Samsonis & Davidis idipsum declaratur, *ibid.* Septem prærogativæ eorum, qui à prima ætate Deo vivere incipiunt, *ibid.n.*9.

S. Agatha. Solo Dei verbo corporis sui curavit infirmitates, *tr.*83.*d.*9.

Agesilaus.

Concordiam civium dixit esse Spartæ mœnia *tr.*70.*d.*10.*n.*3.

Agnus Paschalis.

Cur festinanter comedendus erat, *tract.* 81. *d.*25. *n.*9. Cur manducantes debebant esse præcincti baculosque in manibus tenentes, *ibid. &* *tr.*85. *d.*11. *n.*5. Est Christi patientis figura, *tr.*81.*d.*25. *n.*9.

Agonia.

In agonem usque differre pœnitentiam quam periculosum, *tr.*81. *d.*9.*n.*6.

Agonia agendæ pœnitentiæ minime opportuna, *tr.*81. *d.*10. *per tot.* Ob fervens mare infirmitatum, *ibid.n.*1. *& seqq.*

Agricola.

Cum patientia præstolatur fructum, *tract.*68.*d.*10.*n.*4. *&* *tr.*83. *d.*47.*n.*6. Agriculturæ pars præcipua in seminando consistit. *tr.*83.*d.*5. *n.*1.

S Richardus Abbas.

Curans se tonderi in die festo, Dæmonem habuit observatorem, *tr.*76.*d.*1. *circa finem.*

B. Alcuinus.

Ejus ad divini verbi præcones monita, *tr.*83.*d.*40. *n.*7.

Alcyon.

Juxta mare nidificans portendit tranquillitatem, *tr.*85.*d.*1. *num.* 3.

S. Alexius.

Cur cœlitus pronunciatus, Homo Dei, *tr.*68.*d.*4.*n.*9.

Alexander Farnesius.

Prudens illius responsum dictum Henrico quarto Regi Franciæ, à quo provocabatur ad pugnam, *tr.*92.*d.*17.*n.*4.

Alexander Magnus.

Cum de ejus virtutibus in sacra concione differitur, nulla vitiorum fiat mentio, *tr.*83.*d.*45. *n.*2

Mœrore afficitur ob fortunas Patris sui, *tract.*80. *d.*6. *n.*7. Quam rigorosum gentiles in templis suis servaverint silentium, ostendit factum unius ephebi Alexandri Magni sacrificantis, *tr.*88. *d.*6. *n.*1.

Alphonsus.

Rex Aragoniæ quo præclaro dicto Christianos Principes ad pugnam contra Turcas animarit, *tr.*70.*d.*7.*n.*9.

Altare.

Cur sacris altaribus imponantur SS. Reliquiæ, *tract.*87.*d.*5. *num.* 1.

S. Ambrosius.

Ejus divina eloquentia per examen apum in ejusdem adhuc infantis ore residens præfigurata, *tr.*83. *d.*22. *n.*2.

Ejusdem facundia illectus S. Augustinus, dum sacras conciones S. Doctoris ex curiositate audit, vel invitus veritatem percipit, *ibid.* Idem semel tantum fabulas sermonibus sacris inseruit, *tr.*93.*d.*41.*n.*2.

Amnon.

Rex Israël patris exemplo promittens sibi multorum annorum impunitatem in peccatis, ac pœnitentiam seros in annos procrastinans, secundo anno Regni à servis occiditur, *tr.*81.*d.*23 *n.*2.

Amor Dei.

Amor Dei & summa unio beatorum in cœlis facit singulorum gaudia omnibus communia, *tr.*70.*d.*6.*n.*5.

Amoris Dei super omnia actus in fine vitæ ardui, *tr.*81. *d.*13. absque hisce tamen non acceptatur pœnitentia, *ibid.n.*4.

Amor Dei relucet in accelerationè humanæ redemptionis, *tr.*81.*d.*18.*n.*2. Omnia, esto etiam crudelissima facit tolerata levia, *tr.*58.*d.*19.*n.*3. Idque ostenditur exemplis, *ibid.n.*4.

Amor Dei relucet in patientia, *tr.*68. *d.*11. *n.*3.

Numquam otiosus, *tr.*91.*d.*12.*n.*6.

Qui vult divinæ Sapientiæ secreta capere, cum S. Joanne propinquior fiat Jesu, eique jungatur per amorem, quod fit per timorem, *tr.*93.*d.*10.*n.*3. *&* 4.

Amor Dei est radix & causa omnis meriti, omnique statui possibilis est, *tr.*96.*l.*6. *n.*2.3.4.5.6. *&* 7.

Ab amore Dei derivatur verus zelus, *tr.*97. *d.*5. *per totum.*

Amor impossibile ad possibile sua opinione reducit, *ibid. num.*8. Vide V. Charitas.

Ananias.

Quodnam gravius crimen, Ananiæ & Saphiræ? An vero Simonis Magi? *tr.*74.*d.*13. *n.*3.

Anastasius.

Anastasio Imperatori apparet vir dolens de vita ejus ob flagitia commissa quatuordecim annos, *tr.*81.*d.*7.*n.*3.

Angeli.

Plures perseverarunt in bono, quam peccaverunt, *tr.*82.*d.*2. *n.*5. Angelorum concentus in Nativitate Christi, *tr.*70.*d.*7.*n.*3.

Angelis bonis multum displicet peccatum, *tr.*71.*d.*12.*n.*5. *&* *d.*19. *n.*3.

Angelus tempore pestis Romæ visus fuit, remittere gladium in vaginam, *tr.*71. *d.*19.*n.*3.

Anima.

De excellentia animæ, *tr.*85. *d.*5.*n.*6. quam pretiosa, *tr.*83.

*d.*28.*n.*4. Pretiosiur toto mundo,*ibid.n.*5.*&* *d.*40.*n.*6.*&* *tr.*97. *d.*10.*n.*1. Designatur per Jerusalem, *tr.* 81.*d.*16.*n.*2. Nullam Deus habet gemmam pretiosiorem in gaza sua, quam animam, *tr.*83.*d.*39.*n.*5.

Animarum lucro nil utilius,nil Deo gratius,*tr.*83.*d.*40.*n.*6 *&* *tr.*97.*d.*10.*n.*4.*&* 5. Anima instar obsessæ civitatis, quibus in agone obruatur angustijs, *tr.*81.*d.*16.*n.*2.

Animæ existentes in purgatorio pro se orantibus Deum vicissim exorant, *tr.*86.*d.*3.*n.*5.6.7.*&* *d.*5.*n.*2. An dictæ animæ crucientur à Dæmonibus,*ibid.n.*1. Apud Isaiam vocantur Reges, *tr.*86.*d.*1.*n.*14. Anima quædam, cum in purgatorio spatio dumtaxat unius Sacri fuisset, existimabat se ibidem extitisse viginti annis, *ib.d.*3.*n.*4. Animæ purgatorij meritis nostris juvari possunt,*ibid.n.*6.

Anima,pacis amans,est locus Dei, *tr.*79.*d.*6.*n.*4.*&* *d.*6.*n.*9. Animæ templum quam primum Dæmon ingreditur, instar Antiochi furripit inde altare & candelabrum aureum, id est, lumen agnitionis Dei,& fervorem orationis, *tr.*72.*d.*3.*n.*1.

Anima rectè margarita, cujus quæcumque pars vitiata fuerit,tota gemma gratia extincta manet,*tr.*76.*d.*19.*n.*3. Anima à Deo derelicta instar viduæ, *tr.*77.*d.*8.*n.*3. Anima pondere peccati pressa ponderosior universa terra,*tr.*77.*d.*23.*n.*4. Lucrum animæ negotiorum, *tr.*91.*d.*13.*n.*2.*&* 3.

Ut carò,non respersa sale corrumpitur,ita anima relaxatur, nisi tentationibus assiduis saliatur,*tr.*92.*d.*2.*n.*5. Anima civitas parva obsessa est undique à Dæmonibus,*tr.*92.*d.*4.*n.*7. Purgatur cum propter Deum tribulatur,*ibid.d.*8.*n.*7. Semper nobis timendum in negotio salutis animæ, *tr.*93.*d.*5.*per tot.*& *d.*7. *per totum.*

Salutis animæ origo & principium solet esse timor Dei, *tr.*93.*d.*9.*per tot.* Animæ insuper schola est,*ib.n.*9. & anchora, *ib.n.*8.& *d.*14.*n.*5.& Pædagogus illius,*ib.d.*13.*n.*11.

Anima sine timore mortua, unde timor est vita, & anima animæ,*ibid.d.*15.*n.*2.*&* 3.

Tribulatio annulus aureus, quo anima desponsatur Deo, *tr.*94.*d.*3.*n.*7.*&* *d.*7.*n.*5. & Pædagogus,*tr.*94.*d.*14.*n.*8.

Deus animarum nostrarum Chirurgus & Medicus, *ibid. d.*17.*per totum.* Toleramus curam animæ durissimam censemus, *ibid.n.*4.

Animæ remedia sunt infirmitates corporis, *tr.*94.*d.*17.*n.*6. 7.8.9.10.11.*&* *d.*18.*per totum.*

Quæ anima in tribulationibus Deo agit gratias, similis martyri coronatur, *tr.*94.*d.*15.*n.*10.*&* 11.

Salvando animam proximi,salvamus & propriam. Ubi de zelo animarum,*tr.*97.*d.*9.*per tot.*& *d.*10.

Quid prodest dicenti,quod multas lucretur animas, si propriam negligat? *ibid.n.*6.Ubi plura de cooperatoribus Dei in procuranda salute animarum.

Animus.

Progreditur affectibus tamquam pedibus, *tr.*90.*d.*13.*n.*3. *&* 4.

Animalia.

Non ruminantia cur non sacrificabantur, *tr.* 83.*d.*4.*n.*5.*&* *d.*6.*n.*4.*&* *d.*21.*n.*7. quid mystice significent, *ibid.*

Anseres.

Transituri Montem Taurum ore gestant lapillum, ne clangore suo excitent aquilas sibi insidiantes, *tr.*88.*d.*7.*n.*7.

Antichristus.

Salvari posset,si vellet, *tr.*82.*d.*3.*n.*6.*&* 7. Nascetur è tribu Dan. *ibid.n.*7.Superbus,*tr.*90.*d.*6.*n.*9. & libidinosus, *d.*8.*n.*11.

Antiochus.

Typus Satanæ, *tr.*83.*d.*6.*n.*3. Cur primo abstulerit candelabrum è templo,*ibid.*ejus sera & infructuosa pœnitentia,*tr.*81 *d.*12.*n.*3.

Antiochus Epiphanes qua Popilij legati Romani solertia adactus,Alexandriæ obsidionem solverit,*tr.*81.*d.*17.*n.*3.

S. Antonius Eremita.

Ejus multiplices cum Diabolo pugnæ & arma, *tr.*84.*d.*3.*n.*2 Aërem vidit plenum laqueis, *tr.*71.*d.*18.*n.*1.*&* *tr.*92.*d.*1.*n.*8. Tunicam S. Pauli Eremitæ in summis festivitatibus Paschæ & Pentecostes solum gestabat, *tr.*87.*d.*6.*n.*6. S.Antonium & S.Marcellum Abbatem Dæmon vanæ gloriæ laqueo capere studuit,sed frustra, *tr.*95.*d.*3.*n.*10.*&* 11.

S. Antonius de Padua.

Ejus prædicantis vocem quædam mulier ultra duo milliaria constituta audivit, *tr.*83.*d.*22.*n.*2. At noluit eumdem audire urbs Ariminensis obturans aures suas, *tr.*73.*d.*2.*n.*5. Idem pisces ad auditorium vocat,qui ei parent, dum homines non essent attenti, *tr.*83.*d.*26.*n.*6.

Appellatus Arca Dei, *ibid.d.*47.*n.*5.

Ob prædicationem Evangelij à Dæmone suffocatus esset, nisi ope D.Virginis Mariæ fuisset liberatus,*tr.*83.*d.*12.*n.*7.

S. Apollonias.

Abbas quidam Decurioni gentilium soli prædicit mortem in prælio,quia solus recusabat pacem,*tr.*70.*d.*9.*n.*10.

Apostasia.

Superbiæ proles, *tr.*90.*d.*6.*n.*4.5.6.7.8.

Apostoli.

Cur per totam noctem laborantes nihil ceperint, *tr.* 83. *d.*32.*n.*6.*&* *d.*37.*n.*4.

Christo Domino ipsis dicente: *Laxate retia vestra in capturam,*ceperunt magnam piscium multitudinem,*tr.*83.*d.*33.*n.*4 Prius à Christo catechizati, quam ad prædicandum missi, *ibid.d.*40.*n.*5. Bonus odor Christi, *ibid.d.*21.*n.*9.

Apostoli cur piscatores, reliqui vero prædicatores venatores? *tr.*83.*d.*47.*n.*4. Cur ad prædicandum missi neminem per viam salutare jubentur, *ib.* *d.*41.*n.*2. Cur item in Asia prædicare prohibiti, *ib.d.*25.*n.*5.

Aqua.

Elementaris deorsum, spiritualis vero, nempe gratia sursum fluit,& salit. *tr.*71.*d.*4.*n.*1.

Aqua devotarum lacrymarum extinguit ignem purgatorij, *tr.*86.*d.*8.*n.*4.

Aratus.

Arati Poëtæ solius ex Ethnicis Scriptoribus Apostolus Paulus meminit, *tr.*83.*d.*41.*n.*1.

Arbitrium.

Arbitrij libertatem Deus exigit ad validam confessionem, *tr.*81.*d.*14.*n.*3. Eam non minuit Dei de nostra prædestinatione præscientia, *tr.*82.*d.*2.*per tot.* Arbitrij libertas declaratur, *ib.n.*1.*&* 2. Eadem ostenditur ex S. Scriptura,& loca, quæ videntur contraria,explicantur, *ib.n.*7.

Liberum Arbitrium causa damnationis reproborum, *tr.*82. *d.*3.*d.*2. Arbitrij vires naturales solæ insufficientes ad promerendam gratiam, *tr.*82.*d.*7.*n.*5.

Arbor.

Qualis in radice, tales & fructus, sic & qualis vita Prædicatoris,talis fructus auditorum, *tr.*83.*d.*32.*n.*4.

Arca Noë.

In ea summa etiam fuit pax inter animalia inimica. *tr.*70. *d.*7.*n.*3.

Archias.

Thebarum Tyrannus, quia seria in crastinum differre volebat,eodem vespere trucidatus fuit, *tr.*81.*d.*16.*n.*5.

Areopagitæ.

Deridentes prædicationem S. Pauli quomodo puniti, *tr.*83. *d.*25.*n.*4.

Arsenius.

Videns Æthiopem, qui cum fascem lignorum exiguum portare non posset, eumdem plurium adjectione lignorum magis aggravatum portare conabatur, *tr.*81.*d.*20.*n.*4.

Assuerus.

Celebre illius convivium quid mystice significet, *tr.*83. *d.*3.*n.*8. Idem applicatur verbo Dei, *tr.*83.*d.*44.*n.*2. Ejusdem aurea pocula quid significent, *ibid.*

Attila.

Nominans se flagellum Dei, qua resignatione & humilitate à quodam Episcopo exceptus, eidemque una cum suis pepercerit, *tr.*68.*d.*19.*n.*7.

Auditores verbi Dei.

Diligentes appellantur à Christo mater & fratres,&c. *tr.*83. *d.*26.*n.*2. Comparantur terræ advenientem imbrem bibenti. *ibid.d.*23.*n.*7. Auditorum verbi Dei diversitas per parabolas sapientis & stulti ædificantium supra petram & arenam exponitur, *tr.*83.*d.*26.*n.*1.

Auditor verbi Dei sit sicut conviva, *ibid.d.*5.*n.*9. Auditores pigri & negligentes febricitanti & phrenetico similes,*ib.d.*26. *n.* 5. *S. Augustinus.*

Quo modo conversus,*tr.*81.*d.*2.*n.*6.Audiens concionantem S.Ambrosium,cùm curiositate,cùm delectatione ductus,simul veritatem percepit, *tr.*83.*d.*22.*n.*2.*&* *d.*10.*n.*6. Requisitus ad prædicandum Evangelium quamvis esset doctissimus, tempus tamen petiit,quo se ad id præpararet,*tr.*83.*d.*40.*n.*5.

Ave Maria.

Cur ordinarie dicatur sub concionis initium, *tr.*81.*d.*17. *n.*7.*&* *d.*50.*n.*3. Ejus duo præclara mysteria, *ibid.*

Avis.

Cujusdam avis astutia in fallendo accipitrem, *tr.*81.*d.*17.*n.*4 Avibus cur Deus dederit alas, *tr.*85.*d.*2.*n.*6.

Aula.

Magnatum aula potest esse schola virtutum, *tr.*96.*d.*9.*per totum.* Et quidem magnæ. *ibid.* adsunt occasiones exercendi virtutes, *ibid.n.*3.*&* 5.

Methodus vivendi servata in aula S.Caroli Borromæi, *ib. n.*4. Multi evaserunt sancti iniquorum etiam Principum frequentantes aulas,*ib.n.*6.7.

Deo quis inservire potest cum Daniele, esto serviat Regi etiam impio,*ib.n.*8.9.

Aureola.

Quomodo distinguatur ab aurea. Non datur Angelis, sed in terra certantibus, *tr.*92.*d.*6.*n.*8.

Aurum

Aurum.

Tribulatus purgatur ut ferrum, ut argentum, ut aurum; *tr.*94.*d.*21.*n.*5.*&* 7.*&* *d.*24.*per totum.*

Quod fornax auro,quod lima ferro,quod tribula frumento; hoc facit tribulatio viro justo,*ib.n.*2.

Aurum vera tribulationis figura, *ib.n.*5.*&* 6. Una uncia auri plus valet, quam mille libræ ferri, & unus gradus tribulationis majoris ponderis & meriti est, quam multa bona opera, *ib.n.*10.*&* 11.

S. Auxentius.

Vermes ex pedum ulceribus cadentes reponebat,*tr.*68.*d.*6.*n.*6

B.

Babylon.

Qua arte à Cyro expugnata, *tr.*70.*d.*10.*n.*4.

Balthasar.

Rex Babylonis territus à scribentis manu, sub specie pietatis Danielem alias neglectum accersivit, *tr.*81.*d.*12.*n.*3.

Bambo.

Abbas prius didicit silere, quam loqui, & cum Patribus eremi magni æstimavit silentium, *tr.*88.*d.*14.*n.*6.

Baptismus.

In Sacramento baptismi remittitur culpa & pœna, non item in Sacramento pœnitentiæ,in quo pœna æterna commutatur in temporalem persolvendam, & quare, *tr.*75.*d.*5.*n.*2. Christiani recidivi post baptismum magis cruciabantur à malignis spiritibus,quam ante baptismum,*tr.*75.*d.*5.*n.*3.

Gratia baptismalis est vestis nuptialis,*ib.n.*4. Sicut post baptismum delinquentes ob id gravius peccant, quam Catechumeni, ita qui sciunt esse pœnitentiæ remedium, nec eo uti volunt,graviora luent supplicia, *tr.*75.*d.*9.*n.*6.

S. Basilius.

Quid responderit Architriclino Valentis Imperatoris de fidei rebus importunè loquenti, *tr.*83.*d.*4.*n.*3.

Beatitudo.

Æterna præfigurata per 4. Ezechielis animalia; *tr.*81.*d.*15. *n.*8. Magna beatitudo homini posse prædicare & audire verbum Dei, *tr.*88.*d.*4.*n.*3.

Timens Deum, sicut primogenitus Regis est in spe & expectatione certa beatitudinis & regni cœlestis, *tr.*93.*d.*6.*n.*6. idem dicitur beatus,*ibid.n.*12. Timor Dei est pignus æternæ beatitudinis,*ib.d.*6.*per totum.*

Tribulatio est pignus & arrha electionis ad gloriam; *tr.*94 *d.*15.*per totum.* Spem de regno cœlorum habet, cui moneta est,qua emi potest, pura patientia in tribulatione, *ibid.n.*3. Christus dextera nobis propinat adversitates, ut dexteram æternæ beatitudinis assequamur,*tr.*94.*d.*25.*n.*9.

Consideratio æternæ gloriæ & beatitudinis patientiam operatur,*ib.d.* 26.*per totum.* Instar lintei est, quo absterguntur sudores & ærumnæ hujus vitæ, *ib.n.*9.

Bellum.

Angelorum in cœlo, *tr.*70.*d.*6.*n.*9. Spirituale triplex est hominibus,*ib.d.*7.*n.*2.

Bellum peccati pœna, & bellum cessabit, si bellum indicatur peccatis, *tr.*78.*d.*12.*&* *d.*13.*per totum.*

Beelzebub.

Dæmon cur Beelzebub dictus, *tr.*92.*d.*12.*n.*5. Primario idolo in templo Jerosolymitano impositum fuit nomen Beelzebub & quare? *tr.*95.*d.*10.*n.*2.

S. Bernardus.

In Germania dum Latinè concionaretur,omnes ad lachrymas commovit, *tr.*83.*d.*31.*n.*8.

Ejus concionem alias quidam Teutonice repetens, esto accuratè,nihil tamen movit, *ibidem.*

Idem sanctus vir, ut in alio concupiscentiæ ignem extingueret, se nudum gelidæ aquæ ad collum usque immersit, *ib.d.*34.*n.*4. Interdum sed obiter sacris concionibus profanas adhibuit historias, *tr.*83.*d.*41.*n.*2.

Regi Francorum ad ordinem assumpto & confesso, pro pœnitentia injunxit solum orationem dominicam, & cum hoc justit ordinis servare regulam, *tr.*92.*d.*9.*n.*2.

S. Bernardinus Senensis.

Ut eum audirent concionantem, auditores locum ante auroram præoccupabant, *tr.*83.*d.*22.*n.*2.

S. Bertilia Virgo.

Quam fervens & devota fuerit in audiendo & custodiendo verbo Dei, *tr.*83.*d.*21.*n.*6.

Bestia.

Bestia bestialior est nolens audire Dei verbum, *tr.*83.*d.*26. *n.* 6.

Bethlehem.

In Bethlehemicæ Ecclesiæ ingressu duo Duces militiæ Venetorum sibi antea infestissimi in momento reconciliantur, *tr.*70.*d.*4.*n.*4.

Blasphemia.

Justinianus Imperator seriò præceperat omnibus subditis,ut abstinerent à juramentis & blasphemijs,*tr.*78.*d.*1.*n.*2.

Satan totum corpus S.Job percussit ulcere pessimo, sola labia,quibus Deum blasphemaret,servavit illæsa,*tr.*88.*d.*7.*n.*2.

Bolesl aus.

Rex Poloniæ primo bonus, postea sacrilegus homicida effectus, *tr.*80.*d.*4.*n.*9.

Bona.

S.Dominici filia spiritualis vermes è pectore prorepentes vulneri restituit,*tr.*68.*d.*6.*n.* 6. Eorum unus in manibus S.Dominici convertitur in gemmam,*ibid.*

Boni.

Comparantur insulis,*tr.*68.*d.*12.*n.*6. Quod malis est in ruinam,id bonis est in sublevamen & salutem,*tr.*94.*d.*33.*per tot.*

Bonitas.

Vitæ bonitas melior cum silentio, quam prædicatio sine virtutibus, *tr.*83.*d.*33.*n.* 10.

Bononienses.

Legatis Bononiensibus instanter supplicantibus, ne F.Joannes prædicator aliò mitteretur, quid responderit B.Jordanus, *tr.* 83.*d.*5.*n.*13.

Brandeum.

Quid sit, ejusque vetustissimus usus in Ecclesia, *tr.*87.*d.*6. *per totum.*

S. Birgitta.

Cui S. Agnes imponit coronam, *tr.*68.*d.*6.*n.*5. Eidem Christus dat rationem, cur multorum pœnitentiam non suscipiat, *tr.*81.*d.*12.*n.*5.

S. Britius.

Primo adeo malevolus fuit, ut S.Martinum irrideret, ejus tamen successor futurus,& ad magnam sanctitatem progressurus,*tr.*82.*d.*4.*n.*7. Sua industria se fecit prædestinatum,*ibid.*

S. Bruno.

Semper quæsivit loca solitaria & ab urbibus semota, primam Carthusiam fundavit in festo S.Joannis Baptistæ eremi cultoris,*tr.*89.*d.*6.*n.*3.

S. Burgundofora.

Duas Sanctimoniales à Dæmone seductas,ac denique fuga elapsas revocat ad claustrum, *tr.*81.*d.*21.*n.*4. Easdem in peccatis inveteratas nulla arte convertere potest, *ibidem.*

C.

Cadaver Corpus.

ILlius Prophetæ, quem leo occiderat, cur ab eodem custoditum, *tr.*87.*d.*1.*n.*4. Cadaver S. Chrysostomi loco dimoveri non potuit,nisi prius petita ab eo offensæ venia.*ib.d.*4.*n.*5

Sanctorum corporum glorificatio cur differatur ad extremum usque judicij diem,*tr.*87.*d.*7.*n.*1.

Corpus erectum S. Francisci Christiani orbis fulcimentum,*ibid.n.*6. Qua ratione corpora sanctorum non sint dicenda mortua,*tr.*87.*d.*11.*n.*8.

Corporis per singula membra concordia & conformitas, *tr.*70.*d.*18.*n.*6.

S. Cæcilia.

Sponsum suum castitatem docuit, *tr.*83.*d.*27.*n.*6.

Cæcus Cæcitas.

Peccatores cæci sunt,quam cæcitatem contraxerunt à protoparentibus,*tr.*72.*d.*4 *per totum.* A peccatis derivatur animarum cæcitas.*ibid.n.*4.Cæcitas mentis pejoris conditionis quam cæcitas corporis,*ibidem.*

Cæcitas corporis aperit oculos mentis, tribulatio namque aperit nobis oculos, ut Deum & nosmetipsos cognoscamus, *tr.*94.*d.*9.*&* *d.*10.*per totum.*

Cain.

Primus omnium Deo sacrificavit,*tr.*81.*d.*16.*n.*7.*&* *d.*26.*n.*2. Cur ejus sacrificium Deus non respexerit,*ibid.* Cain typus eorum,qui conversionem differunt,*ib.&* *d.*21.*n.*1. Cainum perpetrato fratricidio omnes creaturæ sunt abominatæ, *tr.*82.*d.*12. *n.*8.

Calcei.

Sunt typus patientiæ, *tr.*68.*d.*1.*n.*2.

Calumniator.

Cujusdam Philosophi discipulus tribus annis mercedem dedit se calumniantibus, *tr.*68.*d.*5.*n.*7.

Cambria.

Hujus incolis converfis cœlum pluviam, ac terra primo sterilis fructum dedit, *tr.*83.*d.*5.*n.*13.

Camelus.

Bibiturus turbat aquam,ne suam in ea videat deformitatem, *tr.*83.*d.*21.*n.*8.

Camillus de Lellis.

Fundator Religionis ministrantium infirmis,primo discolus ac perditæ vitæ extitit,*tr.*82.*d.*4.*n.*7. Trecenta scuta ab ignoto viro pro fratrum necessitatibus accepit,*tr.*85.*d.*8.*n.*6.

Cancer.

Cancri marini proprietas, *tr.*79.*d.*4.*n.*2.

Candida.

Ultima ejus & fatalis obsidio, qua circumstantiarum & discordantium Principum occasione à Turcis capta, *tr.*70. *d.*10.*n.*4.

Cernis

Carnis concupiscentia.

Igni assimilatur,& quare, *tr.76.d.2.n.8.* Caro hostis domesticus,mundus hostis sophisticus,diabolus hostis antiquus, cum his continuo pugnandum,*tr.92.d.1.n.5.*& seq. Dæmonis socij caro nostra & mundus & horum ille utitur opera, *tr.92.d.2. n.2.& 3.*

Quale remedium adversus lubricas carnis cogitationes, *ibid.d.15.n.6.* Circa easdem repellendas efficax subministrarunt consilium nonnulli discipuli S. Francisci, *ibid.n.10.* In tentationibus solum fugiendum, in cæteris non est deserenda statio,*ibid.n.11.*

S.Carolus Borromæus.

Quam multos converterit populos non tam linguæ facundia,quam vitæ exemplo,*tr.83.d.32.n.3.* Proprio quoque exemplo potius, quam eloquentia Clericos suos induxit ad præstanda charitatis officia peste infectis,*tr.83.d.34.n.4.*

Præclara ejusdem monita data Divini verbi præconibus, *ib.d.33.n.3.& d.21.n.8.* Quia animam habebat ab omni lucro temporali alienam, plurimos ad gremium Ecclesiæ reduxit. *ib.d.49.n.3.* Frequenter ab impudicis mulieribus clam submissis graviter tentatus, castitatem semper illæsam custodivit, *tr.84.d.4.n.6.* Ad solam illius præsentiam urbes Ferrariensis & Veneta in Bacchanalibus ad modestiam & pietatem traductæ, *ib.n.7.* Docuit, in via Dei proficere volentem semper debere incipere & ambulare in Dei præsentia,*tr.84.d.6.n.7.*

Idem domesticis suis inedia laborantibus facta oratione mirabiliter succurrit, *tr.85.d.8.n.9..*

Tempore pestis multas instituit processiones,*tr.78.d.14.n.3.* Ejus ordinationes circa fugam otij,*tr.91.d.16.n.4.* Efficax ejusdem discursus de zelo animarum, quo ardere debent sacerdotes, *tr.97.d.9.n.12.*

Carolus Quintus.

Imperator celerem de Saxoniæ duce reportans victoriam dixit : Veni, vidi,Deus vicit, *tr.81.d.22.n.3.* Dictum Saxoniæ ducem captivum capite plecti jussit,esto supplicem,& quare,*ib.*

Catharina Godinia.

Ordinis Carmelitarum, ejus conversio, *tr.68.d.12.n.8.* Rara ejusdem in morbis tolerandis, sumendisque pharmacis patientia,*ibid.*

S.Catharinæ Senensis.

Lucta cum Dæmonibus,*tr.92.d.12.n.5.*

Centurio.

Cur domum suam Christi præsentia reputarit indignam *tr.70.d.9.n.6.* Fides centurionis militis major fuit in Israel, *tr.96.d.3.n.4.*

Centurio in passione Christi valdè induratus, quo tandem motivo fuerit conversus,*tr.83.d.29.n.7.*

Cervia.

Cervarum partus cur tam difficilis,*tr.83.d.13.n.8.* Cur audito tonitru pariant, *ibidem.*

Character.

Hominis Christiani character est pax, *tr.70.d.3.per totum.* Item patientia,*tr.68.d.2.* Baptismali insigniti charactere simul inscribimur libro vitæ,*tr.82.d.4.n.4.*

Charitas.

Charitatis ac patientiæ mutua connexio, *tr.68.d.8.n.7.* sine charitate non est salus,*tr.81.d.13.n.1.*

Qua ratione perfecta charitas foras mittat timorem, ostenditur pulchra similitudine acus,&c. *tr.83.d.4.n.5.& 6.* Timor servilis bonus est,si charitate ordinatus,*ib.d.3.n.9.& 10.* Charitatem Dæmon extinguere exitimat per tribulationem, at illa fortius convalescit,*tr.94.d.15.n.5.& 11.* In omni vocatione & statu charitatis potest fieri exercitium, *tr.96.d.7.per totum.* Charitas est via regia ad cœlum,& cœli porta,*ibid.n.1.* Talis virtutis est, ut quodcumque vile metallum convertat in aurum, *tr.96.d.7.n.2.3.4.5.* Ad illius mensuram confertur vita beata,*ib.n.9.* In charitate Dei perfectior ille, qui plures convertit ad ejus amorem,*tr.97.d.10.n.2.*

Cherubini.

Cherubinos super arcam Testamenti se mutuo aspicientes concionatores imitentur, ut vita concionantis doctrinæ respondeat, *tr.83.d.29.n.1.*

Cherubini propitiatorij jubebantur tegi in veteri lege, & quare,*tr.95.d.4.n.1.*

Christiones. Post vitam vitiosam quam male mortuus, *tr.81.d.26.n.10.* Inducias petiit,at non impetravit,*ibid.*

Christus.

Cur Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, *tract.86. d.1.n.7.* Omnes suas actiones ac sermones direxit ad pacem, *tr.70.d.5.n.8.* Quam pacificus erga suos detractores, *ibid.d.16.n.6.*

Miraculum ejus potissimum patientia Christianorum, *tr.68 d.2.n.5.*Per patientiam promeruit esse filius Dei,*ibid.3.per tot.*

Christi ad latronem dicta expenduntur, *tr.81.d.24.n.4.* Quomodo in prædicatione capacitati auditorum se accommodarit,*tr.83.d.44.n.3.*Idque ostenditur exemplo Samaritanæ, *ib.n.7.* Christus ter clamavit : In parabola de semine,in resuscitatione Lazari, & expirans in cruce, *tr.83.d.39.n.8.* Potens erat prius in sermone,postea in opere,*tr.83.d.34.n.1.* Cur prædicaturus ascenderit in montem, *tr.83.d.31.n.5.* Antequam prædicaret,jejunavit 40. diebus,& 40. noctibus, *tr.83.d.30.n.1.*

Christi crucifixi imago obturavit aures suas nolens exaudire preces fusas pro defuncto rustico,qui dum viveret, numquam audire voluit verbum Dei, *tr.83.d.26.n.8.* Christum Nazareni præcipitare voluerunt,& quare,*ibid.24.n.1.*

Christus per petram figuratus, *tr.81.d.24.n.8.* Item cervo comparatur, *ib.d.25.n.3.* In opere redemptionis humanæ antevertit Gabrielem Archangelum nuncium suum, *ibidem.* Ejus nativitas eodem momento, quo absoluti erant novem menses, contigit, *tb.n.4.* Honorata & per tres Reges properantes nomine Gentium, & per Pastores festinantes nomine populi Hebraici, *ibidem.* Una gutta sanguinis Christi sufficiens erat redemptioni plurium Mundorum,*tr.71.d.7.n.3.*

Cur non cœperit prædicare, nisi postquam audisset Joannem Baptistam carceri mancipatum, *tr.83.d.48.n.1.* Et cur ante trigesimum ætatis annum prædicationem non inceperit, cum tamen anno duodecimo sapientiam suam in templo ostenderit,*ib.d.50.n.5.* Cur bina vice dumtaxat turbas miraculose cibaverit,*tr.85.d.6.n.8.* Cur fleverit super Jerusalem, *tr.71. d.8.n.5.*Cur in cruce clamans lamentabatur : *Deus Deus meus, &c. ib.n.7.*Bis ejiciens è templo nummularias severiorem adhibuit reprehensionem,& quare,*tr.75.d.8.n.4.*

Christus judex minimos etiam defectus judicabit,*tr.76.d.18 per tot.* Cur alias anhelans ad passionem,in horto Gethsemani cœpit timere & mœstus esse,*tr.77.d.23.n 7.*Cur idem sub cruce portanda in via defecerit, & in cruce pendens capite terram versus inclinato expiraverit,*ibid.n.8.*

Lex Christi jugum dicitur omnium præceptorum, *tr.76. d.19.n.3.* Jugum Christi leve, jugum peccati grave, pulchra ratio,hoc tamen multi ferre malunt,quam illud.*tr.77.d.24.n.1* Perdit homo bovem,ovem,&c. & quærit, perdit Christum & non quærit,*ib.d.8.n.5.*

Christus docuit nos silentium, illudque Deo esse gratum, *tr.88.d.5.per totum.*A primo ætatis anno ad trigesimum usque vix locutus fuit, *ib.n.4.* Quicumque Christum spiritualiter in corde concipit,& amat silentium, ipsius spiritualis Mater & frater & soror est,*ibid.d.6.n.5.& 6.*

Christus surdum & mutum sanaturus semovit à turba, & quare, *tr.89.d.2.n.6.* Semper quæsivit & amavit solitudinem, *ib.d.6.n.4.& d.9.n.4.5.6.* Cur in monte transfiguratus & ex Monte Oliveti ascenderit in cœlum, *ib. d.8.n.6.*

Christus fons vivus gratiæ, at nullus nisi inclinatus & humilis de eo bibere poterit, *tr.90.d.5.n.8.* Toto vitæ tempore in labore occupatus, *tr.91.d.16.n.6.* Primus omnium ambulavit super aquas, *tr.92.d.13.n.9.* Notam fecit viam vitæ & tribulationis, cujus proinde vestigijs inhærendum, *tr.94.d.20 n.3.* Tribulationem sanctificavit toto vitæ suæ tempore, *ibid. d.5.per totum.*

Quanta passus fuit Redemptor noster propter peccata nostra,& quam pene nihil sunt ea, qua propter Deum facimus aut patimur,*tr.94.d.28.n.7.*

Salvator similis negotiatori quærenti bonas margaritas, *tr.94.d.31.n.13.*Detestatur vanam gloriam, *tr.95.d.10.n.7.8.9. & seq.* Dicendo : *Ite ad exitus viarum,* & jubendo,ut quilibet ferat crucem suam,approbavit & sanctificavit omnes vocationes & status, *tr.96.d.1.n.5.6.7.8.9.* Ejiciendo de templo profanatores illius ostendit zelum competere Divinitati suæ, *tr.97.d.4.n.1.& 2.* Qualem zeli fervorem ostenderit circa salutem animarum,declaratur,*tr.97.d.8.per totum.* Ascensurus in cœlum nonnisi Evangelium prædicare jussit, non possidere aurum & argentum,*tr.83.d.40.n.1.& 2.*

Christiani.

Primi cur fratres dicti, *tr.70.d.3.n.7.* Eorumdem unio & concordia,*ib.n.6.& 7.* Peccata eo graviora, quia à Christianis patrata,*tr.74.d.12.per tot.& d.13.n.5.* Culpabiles valde Christiani, qui peccant scienter, & peccati gravitatem agnoscunt; Excusabile vero peccantes ex ignorantia,*tr.78.d.13.per tot.*

Christiani recidivi post Baptismum magis cruciabantur à malignis spiritibus,quam ante baptismum,*tr.75 d.3.n.3.* Christiani Deo charissimi vocati sunt ad sufferendas tribulationes, *tr.94.d.2.per totum.* Hominis Christiani verus character patientia in tribulationibus,*tb.n.8.& 9.* Populus Christianus populus acquisitionis,*tr.97.d.9.n.7.*

Plerique Christiani sunt languidi & tepidi, sectatores vero mundi ferventes & soliciti,& quare,*tr.84.d.8.n.3.*

Abimelech reprehensus à Deo,& subito dimittens uxorem Abrahami, prompta hac obedientia multos condemnabit Christianos,*tr.81.d.24.n.3.*

Cibus.

Male digestus noxios humores generat, ita multa scientia non decocta igne charitatis,&c. *tr 83.d.2.n.7.*

Cibus variè comparatur cum verbo Dei, *ibid.d.4.per totum.* Cibus in tempore verbum Dei opportune prædicatum, *tr.83. d.46.n.5.*

Civis.

Civem verbo injurioso lædens vita mulctatur,& verbum Dei impunè lacessitur,*tr.83.d.41.n.4.*

Clavis.

Quid prodest aurea, si non aperiat ? Quid obest lignea, si aperiat ? *tr.83.d.43.n.6.*

Cælum.

Ejus portæ cur ex magaritis constructæ,*tr.70.d.6.n.6*

Cogitatio.

Per pravas cogitationes tamquam per portas mortis dæmon ingreditur cor & conscientiam,*tr.71.d.16.n.3.* Circa easdem repellendas efficax subministrarunt consilium nonnulli discipuli S.Francisci,*tr.92.d.15.n.10.* Quale adversus easdem remedium, *ib. n.6.* Require V. Juvenis. *Cognitio Dei,require V.cæcitas,& V. oculus.*

Cognitio sui-ipsius. Oculos nobis aperit tribulatio,ut Deum & nosmetipsos cognoscamus, *tr.94.d.9.& 10.per totum.* Ad frænandam vanam glòriam remedium est sui-ipsius cognitio, qua usus fuit Primissaus Dux Bohemiæ, *tr.95.d.11.n.1.2.3.4.5. 6.7.* Zelus debet esse informatus scientia,id est, sui-ipsius notitia,ut sit ordinatus,*tr.97.d.6.n.5.6.7.8.9.* Homo in tentatione discit se,qui nesciebat se,*tr.92.d.9.n.6.*

Coluber. Coluber dicitur,quod, ubicumque sit,semper colat & habeat umbram,id est, carentiam lucis ; quasi à facie colubri fuge peccata,*tr.72.d.3.*

Columba. Symbolum animæ pœnitentis,*tr.81.d.26.n.4.*

Comœdia. Comœdias multi libentius frequentant & audiunt,quam verbum Dei,*tr.83.d.22.n.4.& 5.*

Comici. Romæ à Militia & Tribubus proscripti, *tr.83.d.41. n.4.*

Conchæ.

Typus sunt prædicatorum, *tr.83.d.31.n.3.* Concham non canalem se exhibeat prædicator,*ibid.33.n.4.*

Concionator. Quamvis non semper auditus fructificet, faciet id tamen opportuno tempore,*tr.83.d.47.n.6.*

Casu quo in auditoribus non sequatur desideratus fructus; concionator tamen non erit sine suo fructu,*ibid.* Concionatoribus qualia à S.Carolo Borromæo dentur monita,*V.S.Carolus.*

Tribulatio concionator efficax, *tr.94.d.15.n.3.* Require V. Prædicator,Prædicatio. Verbum Dei.

Concordia. Firmissimum munimentum, *tr.70.d.10.n.3.* Concordiam inter & pacem quæ distinctio, *tr.70.d.16.n.2.*

Confessio. Ut valida sit, spontanea esse debet, *tr.81.d.14.n.2.* Ideo in finem vitæ dilata vix valida.*ibid.n.3.*

Confessio mortificat vermem intus rodentem ipsam conscientiam, *tr.77. d.22.n.8.* Onus peccati alleviat contritio & confessio, *ib. d.24.n.4.& 6.* Confessio peccatorum necessaria, *tr.78.d.30.n.7.*

Confidentia in Deo.

In Deo confidens vir quidam, cui marsupium in lacum ceciderat, in exenterato pisce majorem pecuniæ summam recipit, *tr.85.d.10.n.6.* David loquens de confidentia in Deum, ipsum potius appellat Deum Jacob, quam Abrahæ aut Isaac, & quare,*tr.85.d.3.n.6.*

Conformatio.

Voluntatis humanæ cum Divina in tribulatione & rerum jactura magnum solamen est, *tr.68.d.19.n.6.*

Conscientia.

Ante peccatum est frænum, post peccatum est flagrum, *tr.77.d.19.per totum.* Conscientia facinorosa instar ulceris in corpore, *tr.77.d.17.n.7.* Vermem intus rodentem conscientiam mortificat confessio,*tr.77.d.22.n.8.& d.24.n.4.& 6.* Conscientia facies animæ denigratur in plateis & in foro,*tr.89.d.2 n.3.* Et ideo solitudo ei necessaria, *tb.n.4.& 5.* Nihil securius & jucundius bona conscientia, *tr.93.d.12.n.6.& 7.*

Plura de remorsu malæ conscientiæ, *tr.77.d.20.& d.21. per totum.*

Constantinus Magnus.

Glorioso fuit patientia, quam rebus præclarè gestis, *tr.68. d.14.n.3.* Ejusdem angustiati, at cœlitus confortati victoria contra Byzantinos, *tr.94.d.30.n.8.*

Consuetudo.

Inveterata peccandi quantum malum,*tr.81.d.8.* Præcipitat hominem de peccato in peccatum, *tr.73.d.1.per totum.* bonæ & malæ consuetudinis effectus qualis sit, Philosophus factus Rex docet exemplo duorum catulorum,*ib.n.2.*

Quales ætas juvenilis imbibit mores & habitus,illos retinebit deinceps, *tr.73.d.1.n.2.3. & seq.* Difficulter furgit, quem moles malæ consuetudinis premit, *ib.n.4.5.& 6.* Mala consuetudo est veluti carcer, imò veluti catena quædam, quæ nos destituit libertate nostra,*tr.73.d.8.n.1.*

Inveteratus in malitia difficulter corrigitur, *tr.74.d.8. per totum.* Etiam volens vix potest abstinere à prava consuetudine, *ib.n.2.& 4.* Hanc tamen Ninivitæ intra tres dies deposuerunt,*ibidem.*

Require V. Peccator habituatus,& Peccatum inveteratum.

Contritio.

Conditiones plures ad veram contritionem requisitæ, *tr.81. d.14.n.1.* Quam ardua in fine vitæ,*ibidem.* Proprijs viribus obtineri nequit,*tr.81.d.15.n.4.*Onus peccati alleviat,*tr.78.d.24.n.4*

Conversio.

Animarum conversio nobilissimum in Ecclesia ministerium,*tr.83.d.28.n.1.* Non retardanda,*tr.61.d.2.per tot.* Conversionis acceleratæ plura exempla,*tr.81.d.4.n.5.* Conversio dilata difficilior, *ib.d.8.n.5.* Eadem insufficiens ostenditur quatuor rationibus Scoti, & tribus S. Hieronymi, *tr.81.d.11.n.4.& 5.* Quidam post conversionem peccatum aliquod reticens ad finem usque vitæ incertum de salute sua reliquit judicium,*ibid. d.21.n.6.* Convertere peccatorem plus est quam resuscitare mortuum,*tr.83.d.28.n.5.*Conversioni nostræ cooperatur timor Domini,*tr.93.d.2.per totum.* Et tribulatio,*tr.94.d.11.per totum.*

Convivium.

Convivium assueri,*tr.83.d.3.n.7.* Convivium Evangelicum, *ibid.n.10.* Convivium Eucharisticum, *ibid.n.9.* Convivium verbi Dei,*ibidem.*

Cooperari.

Cooperationem nostram Deus exigit,*tr.92.d.15. per totum.* Timor Domini cooperatur conversioni nostræ, *tr.93.d.2.per totum.* Uti & tribulatio,*tr.94.d.11.& d.13.per totum.* Tametsi Deus in nobis operetur velle & perficere, nostra tamen cooperatio necessaria est,*tr.93.d.5.n 9.* Infirmitates corporis cooperantur saluti animæ, *tr.94.d.18.per tot.* Cooperans alterius conversioni,quodcumque vult, perat & obtinebit, *tr.97.d.10. n.3.* Et per totum de cooperatoribus Dei.

Cor.

Cor hominis cur in parte superiori apertum & latum, angustum vero & strictum in parte inferiori,*tr.74.d.2.n.1.* Cordis cellula cognitio Dei sui-ipsius exstructa à S. Catharina Senensi,*tr.89.d.10.n.3.*Cor humanum simile molendino,*tr.61. d.8.n.6.*Vera recti & pravi cordis anatomia,*tr.94.d.33.n.13.*

Corinthius

Per S. Paulum versa, *tr.83.d.27.n.6.* Quam solicite S. Apostolus prædicarit & scripserit Corinthijs, *tr.83.d.41.n.4.*

Corvus.

Typus Impœnitentium pœnitentiamque differentium, *tr.81.d.9.n.7.& d.26.n.4.*Idem Symbolum peccatoris, *tr.85.d.2 n.2.* Corvus odorata cadavera multis milliaribus distantia percipit,*ibid.n.3.* Corvorum pulli,quia albi,tamquam adulterini à progenitoribus deseruntur,donec nigrescant,*ibidn.4.*Quomodo pulli sic deserti nutriantur, *ibidem.*

Creator,Creatura.

Cur Creatori nostro potiùs attribuatur titulus figuli luti, quàm alterius rei, *tr.82.d.8.n.2.*

Qua ratione Creaturæ pugnent pro Creatore suo contra insensatos. *Require V. Peccati pœna.*

Crocodilus.

Crocodili lachrymæ,*tr.81.d.12.n.4.*

Cygnus,Ciconia.

Ciconia & Cygnus cur collo proceriori dotati,*tr.85.d.2.n.6.*

D.

Damnatio.

Damnationis causa multis est nimia sui confidentia,*tr.81. d.14.n.2.* Hominum damnatio est ex eorumdem malitia,qui si vellent,salvari possent, *tr.82.d.2.n.5.*

Undè fiat,quod plures damnentur,quàm salventur, *tr.82.d.2 n.5.* Quæ causa,cur tot damnentur,*ibid.d.8.n.4.*

Dan.

Una ex tribubus Israel, in Apocalypsi non numeratur inter alias tribus, *tr.82.d.3.n.7.* Quia nimirum ex ea nasceture Antichristus,*ibidem.*

Daniel.

Constitutus in lacu leonum figura animæ in purgatorio, *tr.86.d.1.n.1.2.3.4.& 5.*

David.

Tamersi certus de sua salute,nihilominus timet, *tr.81.d.4.* Inter persecutiones sanctus,in pace constitutus peccat, *tr.70. d.14.n.7.* In spelunca Odollam quantam exercuerit patientiam, *tr.68.d.6.* Ungebatur in regem,dum pascebat gregem, promissioni tamen divinæ congrua adhibebat media, ut rex fieret,*tr.82.d.7.n.7.* Quomodo super senem intellexerit, *tr.85. d.33.n.6.* Numerando populum peccavit,& populus lucre debuit,& quare,*tr.78.d.14.n.8.*

Debora.

Mulier casta & prudens, quia amica erat solitudinis & silentij,*tr.89.d.3.n.10.*

Defunctus.

Quidam summopere deplorabat procrastinationem pœnitentiæ,*tr.81.d.5.n.5.*Pro liberatione erga defunctos Judas Machabæus accepit à S.Jeremia gladium aureum, *tr.86.d.6.n.5.*

Defunctis animabus compati debent fideles sicut membrum corporis alteri commembro compatitur, *tr.86.d.4.n.3. & 4.* Suffragantibus defunctorum animabus, miles quidam in Cœmeterio ab hostibus defensus,*tr.86.d.6.n.6.*

Eusebius Sardiniæ Dux ab iisdem defunctorum animabus contra Ostargium Siciliæ ducem mirabiliter adjutus,*ibidem.*

Qua ratione & modo defunctorum animæ necessitates pro se orantium cognoscant,*ibid.n.7.*

S. Ludovicus Bertrandus à quodam defuncto monitus sacrificium applicavit defunctis, *tr.86.d.7.n.2.*

Defunctorum animæ sunt in majori necessitate, quàm in statu viæ existentes, *ibidem.*

Pro defunctis orate negligens peracta pro se defuncto suffragia non participat, *ibid.n.3.*

Require V. Anima, & V. Purgatorium.

Demolibenes.

Pro defensione cujusdam peroranS, ut Judices attentos faceret, narrat historiam altercantium de umbra Asini, *tr.83. d.21. n.6.*

Detractio.

Gravissimum peccatum, *tr.83.d.36.n.2.* Quinam detrahant Verbo Dei, *ibidem.*

Devotio.

Exteriora devotionis signa, qualia ostendunt in fine vitæ impij, quàm fallacia, *tr.81.d.12. per totum.*

Dies.

Quàm longanimis erga peccatores, *tr.81.d.16.n.3.* Quàm justus & severus in puniendo conversionem differentes, *ibid. & d.23.n.7.*

Deus non audiet in fine vitæ eos, qui ipsum in decursu vitæ audire noluerunt, *ibidem.* Cur diem mortis statuerit incertam. *ibidem.* In quacumque hora promisit pœnitentibus veniam, sed non compunctionem, *tr.81.d.22.per totum.*

Deus celerior ad dandam veniam, quam peccator ad agendam pœnitentiam, *tr.81.d.25.n.10.* Ætatis nostræ primitias requirit, *tr.81.d.26.per totum.* Voluntatem nullius cogit, *tr.82.d.2.n.6.*

Dei patientia erga peccatores sustinens & excitans electos potissimùm ad pœnitentiam, *ibid.n.7.*

Deus Saulo in conversione proprium reliquit arbitrium, *tr.82.d.2.n.6.* Non infert violentiam libero arbitrio, *ibid.* Electionis & glorificationis nostræ causa, non tamen instrumentum reprobationis, *ibid.d.3.n.1* Cur hominem, quem sciebat expellendum, posuerit in paradiso, *ibid.n.2. & tr.92.d.5.n.4.5. 6. & d.12.n.3.* Cur multorum sæpè conservet vitam, & mortem impediat, *tr.82.d.3. n.2.*

Inter attributa Divina non minus justitia, quam misericordia numeratur, *ibid. n. 6.* Deus decrevit auxilia sua dare cupientibus, non respuentibus, *ibid.n.7.* Dei eadem erga electos & reprobos gratia ostenditur exemplo solis liquefacientis glaciem & indurantis lutum, *tr. 82.d.4.n.3.*

Deus vult omnes homines salvos fieri, quod intelligendum est de voluntatate conditionata, *tr.82.d.8.n.5.* Dei arcana profunda & investigabilia, *ibid.d.6.n.7.*

Cur Deus jusserit panes propositionis poni in conspectu suo semper, *tr.85.d.4.n.1.* Dei providentia in grano seminato pulchrè ostenditur, *tr.85.d.2.n.7.* Deus ab Ægyptijs appellatur oculus Mundi, *tr.84.d.1.n.3.* Coram Deo ambulare quid sit, *ibid.d.6.n.1.*

Deus graviter ob nostram in eum diffidentiam offenditur, *tr.85.d.9.n.5.* Cur Deus justos varijs modis hic exerceat, *ibid. d.13.n.2.* Non solum Patris sed & Matris erga nos adimplet officium, *tr.85.d.7.n.2.*

Odio sunt Deo impius & impietas ejus, *tr.71.d.8.per totum.* Odium, prout est passio animæ, Deo non competit, nisi transumptivè, *ibid.n.2.* Qua ratione Deum pœnituerit, quod fecerit hominem, *ibid.n.5.* Odit Deus omnes, qui operantur, non qui operati sunt iniquitatem, *tr.71.d.8.n.8.* Cur & quomodo odio habeat peccatum, *ibid.n.4.5. & seq.* Odio haberi à Deo peccatorem gehenna deterius est, *ibid.n.9.*

Deus summoperè offenditur ex malitia, non ita ob peccata ex fragilitate commissa, *tr.74.d.1.n.3. & 4. In lib. Levit.* Deus præscribit sacrificium pro peccantibus ex ignorantia & fragilitate; at nulla sic mentio peccati ex malitia, & quare, *ibid.d.2. n.1.* Post lapsum Adæ & Evæ non examinavit nec arguit serpentem de peccato, veluti arguit protoparentes, & quam ob causam, *ibidem.n.2.* Aliud est iram Dei mereri, aliud illam provocare; provocant, qui majori Dei notitia prædíti peccant, *tr.74.d.8.per totum.*

Deus animam deserit ob peccatum mortale, quanta jactura? *tr 77.d.3. per totum.* Non tamen deserit, nisi primo deseratur, *ibid.n.2.* Cur Deus plantavit paradisum terrestrem in gratiam hominis, quem sciebat brevi expellendum, *tr.77.d. 10. n.1.*

Multifariam multisque modis Deus punivit peccata hominum. Require V. Peccati pœna.

Quanti Deus æstimet & appretietur SS. Reliquias, *tr.87.d.10 n.6.7.8.*

Divina consolatio non admittit alienam, *tr.89.d.7.n.7.* Cur Deus in sacrificijs nihil mellis sibi offerri voluerit, *ibid.* Unus Deus, solus Dominus amat solitudinem, *tr.89.d.9.per totum.* Et in ea cum animabus conversatur, ac gratiam communicat, *ibid.d.10.per totum.*

Deus malitiam dæmonis tentatoris in nostram convertit salutem, *tr.92.d.3. per totum.* Melius judicavit de malis elicere bonum, quam mala nulla esse permittere, *ibid.d.11. n.2.3. & 4.* Tamersi non videatur nos velle protegere, non tamen abjiciendus animus, quia tunc vel maximè protegit, *ibid.d.14.n.3. & 4.* Quando nos credimus desolatos, tunc Deus vel maximè nobis assistit, *tr.94.d.4.n.1.* Deus succurrit populo Israëlitico, quando omne ei defuit humanum auxilium, *ibid.d.8.n.4.*

Deus in medio tribulationis vivificat, nec melius judicavit de malis bona facere, quam mala nullà esse permittere, *ibid. d.15.n.8.* Qua ratione Deus sit chirurgus & Medicus animarum nostrarum ostenditur, *tr.94.d.17.per totum.* Dominus mortificat ac vivificat, & sanat infallibiliter & gratis, *ibidem.* Sive blanditur, sive nos castigat, Pater est, *ibid. d.23.n.12.* Deus valde provocatur ad iram, quando Virga tribulationis nihil in nobis proficit, *tr.94.d.28.n.9.* Tunc insuper nobis suo adest auxilio, quando nobis tribulatis omne humanum deest subsidium, *ibid.d.31. per totum.*

Deus, cui omnis debetur honor & gloria, abominatur vanam gloriam, *tr.95.d.1. & d.10.per totum.*

Ira dispositi, ut in omni statu & vocatione salvari possimus, *tr.96.d.1.per totum, & deinceps.* Deus non intuetur oblati paucitatem, sed copiam affectus & cordis, idque similitudine illustratur & exemplis, *ibid.d.5.n.2.3.4.5.* In omni statu, quantum in se est, operatur sanctitatem, *ibid.d.7.n.6.* Ut pius Pater sic curat unumquemque nostrum, tamquam solum curaret, *ibid.n.8.*

Diabolus, Dæmon.

Bonos æque ac reprobos tentat, *tr.82.d.5.n.3.* Auctor primus impatientiæ, & patientiæ adversarius *tr.68.d.13.* Cur de corde, non de auribus dicatur tollere verbum Dei, *tr.83.d.27.n.3.* Dæmonis tecbna specialis in procrastinanda pœnitentia, *tr.81 d.17.* ejusdem dolus ac fallacia in decipiendo quodam adolescente, *tr.81.d.21.n.1.* Et infirmo quodam Medico, *ibid.d.17. n.8.* Peccantibus persuadet peccata esse levia, Dei misericordiam infinitam, agonizantibus è contra gravitatem peccatorum, & Dei severam justitiam exponit, exaggeratque, *tr.81. d. 21. n.5. & d.22.n.5.*

Diabolus efficaci quodam sermone omnes ad compunctionem excitavit, at malo fine, *tr.83.d.25.n.6.* Ejus astutia in retardanda peccatoris conversione, *tr.81.d.2.n.6.* Manentem in peccato non multùm impugnat, *tr.81.d.17.n.5.* In fine vitæ unumquemque invadit, *ibid.d.21.n.7.* Difficulter dimittit, quod diutius possedit, *ibid.d.26.n.1.* Solicitos de divinis rebus propè accedere vix audet, *tr.83.d.20.n.4.* Verbum Dei tollit de corde audientium, *ibid. & d.21.n.6.* Christum cur tentarit petens ab eodem adorari, *tr.68.d.13.n.2.* Pacem nostram vel maximè timet, alia opera non item, *tr.70.d.8.n.6.*

Diabolus insidiatur nobis ne veritatem Verbi Dei agnoscamus, *tr.83.d.6.n.4.* Omni studio Ecclesiam Concionatoribus destituere conatur, *ibid.d.12.n.2.* Varijs nos objectis distrahit, ne audiamus conciones, *tr.83. d.12.n.3. & 4.* Ut compunctæ fœminæ fructum ex auditione Verbi Dei perceptum adimeret, assumpta specie nunci nunciavit ei mortem filij, *tr.83.d.12.n.12.*

Magnus Dæmon peccatum, *tr.71.d.16.n.2.* Diabolus ad æmulationem Dei petit cordis humani possessionem, *ibidem. num.3.* Conscientiam ingreditur per pravas cogitationes, tamquam per portas mortis, *ibid.* Arma diaboli peccata nostra. *ibid. n.8.*

Diabolus instar serpentis Tarantantalæ & Scorpionis veneno tentationis inficit hominis animam, *tr.71.d.18.n.2.* Velut Protheus in varias se transformat figuras, *ib.n.4.* Non omnibus dæmonibus eadem studia, sed diversa ad evertendam animam, *ibidem.* Dæmon videns ante Christi adventum homines varijs vitijs deditos, cæcis mortalibus ejusdem farinæ Deus proposuit adorandos, *ibid.n.7.*

Diabolus ingressus templum animæ, instar Antiochi surripit inde altare & candelabrum aureum, puta, lumen agnitionis Dei & fervorem orationis, *tr.72.d.3.n.1.* Unde & peccatori, ne convertatur, Dei & gravitatis peccati notitiam eripere fatagit, *ibid.per totum.*

Dæmon suasit protoparentibus appetitum scientiæ boni & mali, ut peccando ex malitia minus digni essent venia, *tr.74.d.2.n.7.* Expulsus per pœnitentiam revertitur per recidivum, ideoque dicere potest: *Revertar in domum meam, tr.75. d.4.n.1.* In leviora peccata nos inducere studet, ut ducat ad graviora, *tr.76.d.1.per totum.* Excipit unius religiosi confessionem, *ibid.n.2.*

Diabolus petens tandem adorari à Christo, intendit quidem modicum, at hoc satis ei fuisset, ut illum disposuisset ad

ad graviora, *ibid. n.7. & 8.* Instar aquilæ modico pulvere excæcantis cervum, *tr.76. d.2.n.5.* Sufficit dæmoni modicum lucrum sub initium, scit enim verissimum illud: Qui modica spernit, paulatim decidet, *tr.76.d.6. n.5.6.7.* Homini morti vicino quascumque struit insidias, *tr.77. d.5.n.4.5.6.* Spinoso herinacio similis, *ibid. d.18. n.6.*

Lucifer cum assectis peccati pondere pressus unico momento in abyssum inferni corruit, *tr.77. d.23. n.2.* Diabolus serpens lubricus, *tr.79.d.4. n.4* Totum corpus S. Job percussit ulcere pessimo, sola labia, quibus Deum blasphemaret, servavit illæsa, *tr.88.d.7.n.2.*

Primum peccatum luciferi fuit superbia, non invidia, *tr.90. d.2. n.2. & 3.* Otiositas dæmonis universitas, *tr.92. d.7. n.6.* Qua ratione dæmon se transformet in Angelum lucis, ut tentet & decipiat nos, *tr.92.d.2.n.2. & 3.* Aliquando dicit verum, ne tamquam mendax omnino inveniatur, & ut hac veritate alia mendacia suadeat, ac confidentius mentiatur, *ibid. n.7.* Antiquus malleator tentatis fabricat coronas perpetuas, at nescius, *tr.92.d.4.n.7. & 8. & d.3.per tot. & d.6.n.2.*

Suggestio diabolica. V. Tentatio.

Diluvium.

Ejus tempore pœnitentiam homines procrastinabant, & quare, *tr.81.d.5. n.8. & d.9.n.3.*

Diogenes.

Calcabat fastum Platonis; at majori fastu, *tr.95.d.2.n.9.*

S. Dionysius.

Areopagita audiens S. Pauli prædicationem credidit, & cum illo Damaris & pauci alij, *tr.81.d.25. n.10. & tr.83.d.23. num.6.*

Discordia.

Discordiæ seminator Diabolus, *tr.70. d.8. per tot.* Auctores sive promotores aut fautores discordiæ filius diaboli, *ibid.n.2.* Discordia summoperè Deo displicet, *tr.70. d.9. per tot.* Ignita dæmonis sagitta, *ibid. n.2.* Ejus pessimi effectus, *ibid.* Sola ex vitijs est, quæ nihil oblectamenti habet, *ibid.* Plena veneno, *ibid.n.3.* Inter opera carnis potissimum habet locum, *ibidem,* Discordia destruit regna, *tr.70. d.10. per totum.* Discordia & divisio quantum malum, *tr.70.d.5.n.7.*

Dispensator.

Cur Apostoli & Doctores nominentur Dispensatores mysteriorum Dei, *tr.70.d.46.n.4.*

Divites.

Mundi hujus meris curis tamquam spinis cruciantur, *tr.69. d.3. n.2.4. & 5.*

Divitiæ hujus sæculi sunt laquei diaboli, *tr.92.d.2.n.3.*

Doctrina.

Prava & malè sana ut cancer serpit, *tr.83.d.35.n.7.* Doctrina sacra proponatur Auditoribus pro eorum diversitate & capacitate, *tr.83.d.3.n.10.*

Quidnam primum docere oporteat, *tr.83. d.40. n.7.* Docere cum imperio quid sit, *tr.83.d.29.n.1.*

S. Dominicus.

Quam humili apparatu una cum Episcopo ad hæreticos convertendos processerit, & quam fœlici effectu, *tr.68.d. 9. n.9.*

Dominari.

Pauciores sibi dominantur, quam Urbibus & regnis, *tr.58. d.14.n.4.*

S. Dorotheus.

Discipulum dissolutum adolescentem docens viam perfectionis, valdè efficaciter inculcavit eidem præsentiam Dei, & quo effectu, *tr.84.d.6.n.6.*

Dux.

Quidam Samaritanus ridens Elisæi vaticinium quo modo punitus, *tr.83. d.25. n.2.* Per eum designantur contemptores Verbi Dei, *ibidem.*

E.

Ecclesia.

Ecclesiæ summa pax & unitas, *tr.79. d.3. n.4.* Crevit per concordiam, defecit per discordias, *ibid. d.3.n.9.* Pacem annunciat solis defunctis, & quare, *ibid. d.6.n.1. & 7.*

Ecclesia mediante concordia regnum stabilivit, *ibid. d.10. n.7.* Terribilis ut castrorum acies ordinata, *ibid.n.8.* Ejus Doctores in rebus fidei unanimes, *ibid.* Vera pace gaudet etiam quando patitur persecutiones, *tr.70. d.14. n.5.* Cur tempore S. Francisci ruinam minitata fuerit, *ibid. n.8.*

Unde hic usus Ecclesiæ, quod tempore paschali hymnis addatur hic versus: *Quæsumus auctor omnium &c. tr.75. d.2. n.6.*

Echo.

Quid? & unde? *tr.81.d.12.n.7.*

Edagarus.

Rex Britanniæ, quamdiu vixit, in pace rexit, *tr.70.d.10. num. 4.*

S. Egwinus.

Cum non audiretur ejus spiritualis discursus, seu concio ob malleatorum ictus & strepitus, eo cedente malleatores una cum arce absorpti sunt, *tr.83.d.10.n.7.*

Electio.

Electio ad gloriam an fiat à Deo ex prævisis meritis? eligitur sententia affirmativa, ut magis pia & utilior, *tr.82. d.6. per totum.*

Electi.

Quamquam à Deo majorem obtineant gratiam, ob hoc tamen reprobi conqueri non possunt, *tr.82.d.8. per totum.*

Elephas.

Longissimam ducit vitam, *tr.70. d.18. n.5.* Bibiturus turbat aquam, ne suam in ea deformitatem conspiciat, *tr.83. d.21. num. 8.*

S Elizabetha.

S. Elisabethæ Landgraviæ Hassiæ heroica patientia, *tr.68. d.5. n.8.* Illam Gregorius IX. sub potestate sedis Apostolicæ per litteras suscipit, *ibidem.*

S. Elias.

Concedens panem subcinericium ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus, & totidem noctibus, *tr.83. d.2. n.2.* Ejus pallium omni purpura & amicto regio pretiosius, *tr.87. d.11. n.9.* Elias zelosus raptus ad cœlum, *tr.97. d.1. n.7. & d.2. n.2. 3. 4. 5. 6.*

S. Eliseus.

Cur famulo suo Giezi jusserit neminem per viam salutare, *tr.81. d.26. n.10.* Ejus præsagium ridens dux quidam quomodo punitus, *tr.83.d.25. n.2.*

Emendatio vitæ.

Dilata vitæ Emendatio severe à Deo punitur, *tr.81. d.5. per totum.*

Episcopi.

Ante hac soli concionabantur, *tr.83.d.28. n.1.* Cujusdam in Germania Episcopi pœnitentiam procrastinantis improvisa mors & damnatio, *tr.81.d.18. n.6.* Cur à prædicatione nullus Episcopus defectu doctrinæ se subtrahere queat, *tr. 83. d. 34. n.2.* Episcopus quidam è leprosi vulneribus gemmam ore exugit, *tr.68. d.6.n.7.*

Epulo.

Cur damnati epulonis preces ab Abrahamo non auditæ, *tr.83.d.25. n.3.* Qua ratione dicatur sepultus in inferno, *tr.77. d.2. n.5.*

Ericias.

Suo malo differt partum, *tr.81.d.2.n.5.* Ejus proprietas, *tr.79. d.4. n.3.*

Esau.

Cur fletus suus pœnitentiæ locum non invenerit, *tr.81.d 5. n.5* Esau non fuit reprobatus ante prævisa demerita, *tr.82. disc. 6.*

Eva.

Evæ peccatum processit ex pluribus prævijs peccatis venialibus, quænam illa, ostenditur, *tr.76.d.11. per totum.* Si Evæ clausum fuisset linguæ & oris ostium, mors non intrasset per fenestras, *tr.88. d.1. n.4.* Eva cum Adamo sufficienti instructa lumine astum, serpentis advertere potuisset, *tr.92.d.17.n.2. & 4.*

Evangelistæ.

Per quatuor animalia designantur, *tr.83. d.29. n.4.*

Evangelium.

Quibuscum cæremonijs in Missa canteur, *tr.83. d.31. n.1.* Evangelij prædicatio est ignis in altari Domini semper ardens, *tr.83.d.32.n.3.* exponitur quoque, *d.38.n.5.* Evangelium lecturus Sacerdos cur præmittat, hanc orationem: Munda cor meum &c. *tr.71.d.1.n.1.*

Eucharistia.

Communio dicta, & quare, *tr.70. d.3.n.8.* Eucharisticum convivium comparatur Verbo Dei, *tr.83.d.3. n.9.*

Eulogius.

Scholasticus conversus quindecim annorum spatio mira patientia inservit ingrato leproso, *tr.68.d.5.n.9.*

Exemplum.

Bonum exemplum præbeat Concionator, necesse est, *tr.83. d.32.* Apostolus labore manuali victum lucrari voluit ut fugeret otium, cunctisque bonum daret exemplum, *tr.92.d.16. n.1.* Simile exemplum præbuit nobis Christus, *ibid. n.6.*

Excommunicatus.

Esto privetur alijs bonis Ecclesiæ, non tamen auditione Verbi Dei, & quare, *tr.83.d.10.n.7.*

Ezechias.

Ejus fletus cur exauditus, *tr.81.d.14. n.9.*

Ezechiel.

Ante prædicationem & librum devorare, & prunas super civitatem effundere jussus, *tr.83.d.33.n.5. & 7.*

F.

Fabulæ.

Poëtarum fabulæ, vel numquam, vel raro sacris concionibus commiscendæ, *tr.83.d.41.n.1.* Fabulam rixantium de umbra asini narrat Demosthenes Judicibus non attentis, *tr.83. d.22. n.6.*

Fames.
Fames audiendi verbi Dei, *tr.83. d.4. n.4. & d.23. n.4. & d.24. n.6.*
Famelicus.
Binis famelicis socijs procuravit Petrus Consalvus cœlitus duos panes candidissimos & vasculum vini, *tr.85.d.8.n.3.*
Feles.
Oculos habent insita particulari quadam luce ditatos, & quare, *tr.85.d.2.n.6.*
Fernandes.
P. Joannes Fernandes in concione ad Japones patienter ferens sibi in faciem conspui, hac patientiâ potius,quam doctrina viginti millia hominum convertit ad fidem, *tr.68.d.2. n. 2.*
Fides.
Est lumen intellectus, *tr.83. d.2.n.5.& 6.*
Fideles.
Primorum fidelium qualis fuerit sanctitas, *tr.83. d.34. n.6.* Eorumdem communis vita & pietas, *tr. 83. d.1. n. 2.* Antiquus fidelium mos erat, ut oscularentur vel ore, vel manu limina templorum, *tr.88.d.1.n.7.* Fidelium animæ, require V. Anima, & V. Purgatorium, & V. Fulgur.
Fiducia.
Comparatur grano Sinapis, *tr.85.d.11. n.3.*
Filius Prodigus.
Ejus pater celerior in recipiendo filio, quam filius in petendo veniam, *tr.81. d.4. n.5. & d.25.n.6.*
Finis.
Prædicantium Verbum Dei, quis debeat esse finis, *tr.83. d.38.n.1.* Finem ultimum prædestinationis consequi non possumus,nisi huic ex parte nostra per bona opera correspondeamus,idque declaratur à simili, & exemplo Abrahæ & Isaac, aliorumque, *tr.82. d.4.n.5.*
Flores.
Cur non floribus, sed semini comparetur Verbum Dei, *tr.83.d.43.n.2.*
Felix.
Presbyter Nolanus in muri ruinis latitans, per obductam aranceæ telam ab inquirentibus persecutoribus tutus fuit & occultatus, *tr.85.d.12.n.8.*
Formicæ.
Seminis grana arrodunt, ne crescant, *tr.83.d.5.n.9.* Æstate colligunt,unde hyeme vivant, *ibid. d.21.n.6.*
Forsitan.
Vocula, *Forsitan*, in qua fundatur salus procrastinantium pœnitentiam,quàm incerta, *tr.81.d.23. per totum.*
Fortitudo.
Fortitudinis duæ præcipuæ dotes,aggredi & pati, *tr.68.d.14. n.1.* Fortitudo animi longè præstantior corporis viribus, *ibid. d.19. n.11.*
S. Franciscus.
Ejus præclarum dictum de probanda FF. Minorum sanctitate per patientiam, *tr.68.d.9 n.5.* Recidivo cuidam denegavit benedictionem, *tr.75. d.2. n.4.* Si quem videbat otiosum & vagum Religiosum, muscam nominabat, *tr.76.d.7.n.1.* S.Francisci corpus erectum Christiani orbis fulcimentum, *tr. 87. d.7. n.6.*
S. Franciscus Salesius.
Extitit sui temporis concionator celeberrimus, quæ ratione alios dehortetur concionatores, *tr.83.d.34. n.3.*
Merito sal terræ vocatur, *tr.83. d.38. n.1.* Septuaginta duo millia animarum convertit,& ab hæresi eripuit, *ibid.& d.48. n.3.* Tentatus vehementer à Diabolo circa prædestinationem, hanc tentationem Beatissimæ Virginis ope superavit, *tr.82.d.1.n.8.*
In maximis hyemis algoribus, & æstatis caloribus quotidiè ad quatuor aut quinque millaria pedes profectus,Verbum Dei prædicavit,tametsi frequenter unam duntaxat vetulam reperiret præsentem, *tr.83. d.48.n.3.*
S. Franciscus Xaverius.
Etsi lingua totum Mundum convertisset, pro uno tamen peccatore se flagellasset, *tr.83.d.34.n.4.*
Franciscus.
Bungi Rex patientissimus in amissione suarum ditionum, *tr.68.d.11.n.8.*
S. Fronto.
S.Frontoni ejusque discipulis miraculosè cibi in eremum à Deo submissi fuerunt, *tr.85.d.9.n.2.*
Fructus.
Quinam adferant fructus in Verbo Dei, *tr.83.d.40. n.7.*
Fulbertus.
Puer in schola percussus à socio,quia in agone pro percussore intercessit,inter agmina Martyrum collocatus fuit, *tr.68. d.10. n.3.*
Fulgur.
Fulgura, tonitrua, tempestates, grandines, inundationes aquarum &c. à peccatis nostris derivantur. V. Peccati pœna.
Fulgur quomodo generetur, *tr.78. d.11. n.6.* Scutum Themistoclis effigiem cupidinis & fulguris sivè fulminis repræsentabat, *ibid.* Qua ratione contra fulmina obarmare se solebant nonnulli fideles, *ibid. n. 8.*
Funiculus.
Triplex concionatorum funiculus; si rectè sentias; si dignè proloquaris; si vivendo confirmes, *tr.83. d.34.n.8.*

G.

Gallus.
VAldè sedulus & accuratus in numerandis horis nocturnis, *tr.83. d.45. n.6.*
Gedeon.
Inaures ex præda sibi dari postulat,ubi mystica illius exponitur significatio, *tr.83.d.22.n.5.*
Genealogia.
In Christi Genealogia cur tres Reges omissi, *tr.83. d.26. num. 7.*
Gentes.
Gentibus prædicatum fuit Verbum Dei; quia Judæi illud respuerunt, *tr.83.d.23. n.1.*
Gentilium gesta obiter in sacris concionibus tractanda, *tr.83. d.41.n.1.*
Gloria Cœlestis.
Cum his,quæ hic patimur, comparata, infinities major est; & ad patientiam nos excitare debet, *tr.68.d.18. n.2. 4. 6.* Qui illam considerat, pro nihilo ducit omnes cruciatus Tyrannorum, *ibid. n.7.* Idque præclaris ostenditur exemplis, *ibid.*
Gloria & honor Dei.
Pro gloria Dei omnia mala perferenda sunt, ne paganis pro Diabolo mala sustinentibus inferiores simus, *tr.68. d.19. num. 12.*
Grana.
Incensi super panes propositionis quid significent, *tr.83. d.2. n.4.*
Gratia.
Sine efficaci gratia non datur vera compunctio, *tr.81.d.22. n.5.* Ea non datur renuenti & nolenti à peccatis desistere, *ibid. d.24.n.4.*
Gratiæ sufficienti si reprobi cooperarentur, possent eam summe augere, *tr.82. d.8.n.6.*
Gratiam primo,an gloriam Deus largiatur? *tr.82. d.7. per totum.*
Aqua elementaris deorsum; spiritualis vero,nempe gratia sursum tendit, *tr.71.d.4.n.1.*
Triplici timore cor replendum, cum arriserit gratia,cum abierit,cum denuo revertitur, *tr.93. d.7.n.2.*
Inter charitatis gratiam habitualem & usum illius magna differentia, *ibid. n.7.*
Gratia & charitas Dei non est alligata certo statui, *tr.96.d.2. num. 10.*
Gratis quomodo dicamur justificari, *tr.82. d.7. n.4.*
S. Gregorius.
Nazianzenus, quam præclare instruat Præcones Verbi Divini, *tr.83. d.44. n.4.*
S.Gregorius Papa quid rescripserit Imperatrici scire cupienti,num sibi peccata sint remissa, *tr.82. d.1.n.6.*
Gregorio Undecimo quid responderit quidam Episcopus ob neglectam residentiam ab eodem reprehensus, *tr.83. d.35. n.4.* Hinc permotus Gregorius,Avinione relicta, Romam ipse repetijt, *ibidem.*

H.

Hebræi sive Judæi.
INcolas Palæstinæ superarunt unitate, *tr.70.d.10.n.4.*
Oppressi à Pharaone ideo,quia dispersi, *ibid.* Cur Chananæos eorum hostes Deus delere distulerit, *tr.70.d.14. n.8.*
Quia Verbum Dei audire noluerunt, reprobati sunt, *tr.83. d.23.n.1.& 5.* Quam libenter Thalmud audiant, *ibid.n.3.* Metuebant ne Romani tollerent locum suum, & cum eo perderent regnum cœlorum, *ibid.* Sæpe à Deo flagellati ob neglectum sui Verbi per Prophetas annunciati, *tr.83. d.24. n.4. & 5.*
Cur manibus baculum gestare debebant,comedentes agnum paschalem, *tr.85.d.11.n.5.* Pluribus annis hæserunt in solitudine, priusquam attingerent terram promissionis, *tr.89. d.2.n.1. & 2.* Hebraicus populus cur Israël dictus, *tr.84. d.6.n.7.*
Hemorrhoissa.
Christi tangens vestimentum significabat Ecclesiam, *tr.87. d.2.n.1.* Christo Domino post receptam sanitatem erexit statuam, hoc miraculum repræsentantem, *ibid. n.3.* Hanc statuam è medio sustulit Julianus apostata, *ibid.d.3.n.6.*
Henricus Octavus.
Angliæ Rex à Summo Pontifice titulum obtinuit Defensoris Ecclesiæ, *tract.80. d.4. n.9.* At miserrimè postea lapsus, *ibidem.*

Herodes.
S.Joannem Baptistam libenter audiebat,& audito eo multa faciebat,non tamen omnia, *tr.68.d.21.n.9.& d.33.n.8.* David correctus à Nathan Propheta resipuit, dicens: peccavi. Herodes verò correctus à S.Joanne desipuit, occidens correctorem, *tr.75.d.3.n.3.*
S. Hieronymus.
Ejus meritis tres mortui resuscitati, *tr.86.d.3.n.2.*
Historiæ profanæ.
Qua ratione in concionibus adhibendæ, *tr.83.d.41. n.2.*
Homo.
Imago Dei, *tr.70.d.3. n.2. & d.4. n.2.* Exterior & interior quid sit, *ibid. d.15. n.7.* Per tribulationes exercetur sicut ager, *tr.68.d.9.n.3.* Homo patiens Rex est, *ibid.d.12. n.3.* Hominis interitu nihil facilius, *tr.81.d.19.n.3.* Hominum nemo de sua salute securus est ante mortem, *tr.82.d.4. n.1.*
Homo comparatur arbori, *tr.81.d.19.n.4.* Per primum peccatum perdidit omne jus ad gloriam, *tr.82. d.8.n.1.* Est proinde in manu Dei,ut lutum in manu figuli, *ibid.* Homo duplici cibo indiget animæ & corporis, *tr.83.d.2.n.1.* Imo potius cibo animæ, quam corporis, *ibidem.*
Homo pacificus filius Dei, *tr.68. d.2. per tot.* Hominis vilitas,& pacifici dignitas, *tr.86.d.2.n.1.* Hominem perditæ frontis ut soleamus describere, *tr.83. d.23. n.7.*
Homo ab humo nomen & originem habet, pulvis & cinis est; isque superbit, & Deum conculcat, quanta temeritas? *tr.71. d.2. n.1.* Homo est in Deo sicut in loco proprio, *tr.71. d.4.n.5.* Non est suus, sed Dei; ideoque Deo,non sibi vivere debet, *ibid.d.7.n.1.* Hominis desperati mors in Hospitali Romano, *tr.73.d.4.n.9.*
Homo vivens in peccato nihil differt à bestia, *tr.71. d.13. per totam.* Et quidem diversarum bestiarum efficitur imago juxta diversa vitia,quibus contaminatur, *ibid. & d.20. per tot.* Primus homo ob unicam transgressionem ex paradiso eliminatus fuit, *tr.71.d.19.n.3.* Per peccatum bestijs fit similis, *tr.71. d.20. per totum.* In easque Dominium amisit, nec non victus & amictus ejus mutatus fuit, *ibid. n.4.*
Hominis perfectio in eo consistit, ut omni conatu fugiat peccata venialia, *tr.76.d.18. per totum.* Qui à Deo recedit, à se migrat,& ab homine transit in bestiam, *tr.77. d.8. n.5.* Perdit homo bovem,ovem, equum &c. & perditum solicitè quærit; perdit Christum,& non quærit, *ibid.*
Homo mortuus longè ponderosior est,quam vivus,quia spiritus vitales alleviant corpus, *tr.77. d.24. n.2.* Hominem nil lædit & damnificat nisi solum peccatum, *ibid.* Qua ratione homo pulvis revertatur in terram suam, exponitur pulchro epitaphio cujusdam Regis Franciæ, *tr.78.d.33.n.6.*
Homo ex luto formatus & mortalis, ne in superbiam extolleretur, *tr.90.d.14.n.1.2.3.4.5.* Homo per superbiam amisit dominium in brута animantia, *ibid. d.15. n.2.* Vivi hominis sepultura est otium, *tr.91.d.9.n.9.* Homo instar grani sive frumenti purgandus, ut ad cœleste evehatur granarium, *tr.92. d.4. n.1. 2. 3. 4. 5.* Cur Deus hominem tentari permiserit, quem tentatori consensurum præsciebat, *ibid.d.5. n.4. 5. 6. & d.12.n.3. & tr.82.d.3.n.2.*
Homo se nescit,& in tentatione se discit, *tr.92.d.9.n.6.* Cæteris animalibus Deus dedit arma,quibus se defendant; homini intellectum & voluntatem, quibus resistat tentatori, *tr.92. d.17. n.1.* Timor Dei facit, ut homo intra se Rex sit, *tr.93. d.14.n.3. & 9.* Homo ejectus ex horto voluptatis,ut in ærumnis viveret, *tr.94. d.1. n.3. & per totum.* Hominis animus affectibus tamquam pedibus progreditur, *tr.90. d.13.n.3.& 4.*
Horæ Canonicæ.
In prima post lectum Martyrologium cur dicatur: Pretiosa in conspectu Domini mors &c *tr.87.d.8. n.1.*
Horatius.
Horatij stratagema dimicantis contra tres fratres Curiatios imitetur pugnaturus contra Mundum, Carnem & Dæmonem,nimirum,solus cum solo, *tr.89.d.4. n.9.*
Humilis, & Humilitas.
Christus fons vivus gratiæ, at nullus nisi humilis & inclinatus de eo bibere potest, *tr.90.d.5. n.8.* Pluvia in vallem,& gratia in humilem decurrit, *ibid.n.8.& 9.* Janua cœli arcta,angusta & humilis nonnisi parvos & humiles suscepit, *ib.d.11.n.11.*
Indecens est hominem superbire humiliante se Filio Dei, *ibid.d.15.n.3.& 4.*
Humilitatis mater tribulatio, *tr.94.d.23. n.1.2.3.4.5.* Humilitas vanæ gloriæ remedium, *tr.95.d.6.n.4.6.7.*
Hydropisis.
Ejus cum septem vitijs capitalibus comparatio, *tr.84.d.5.n.3.*
Hyems.
Designat tribulationem, *tr.83. d.21.n.6.*
Hypocrita.
Est, qui non prius ipse facit, quæ alios docet, *tr.83.d.35. n.2.* Recidivus vitia sua per hypocrisin tegere nititur, *tr.75. d.4. n.2.*
Require V. Vana gloria.

I.

Jacob.
DEceptus à Laban circa desponsationem Rachelis annis alijs septem pro ea servire debuit, *tr.81.d.24. n.6.* Quantam injuriam à Laban receperit, *ibidem.*
Jairus.
Ejus in resuscitatione filiæ fides ac virtus, *tr.81. d.8.n.6.*
S. Januarius.
Sanguis S.Januarij, qui adhuc in ampulla vitrea concretus asservatur Neapoli, præsente aliquo Hæretico non liquescit, nec ebullit, uti alias juxta caput ejusdem Martyris positus, *tr.87.d.11.n.4.*
S. Ida.
Ut piscis sine aqua, ita sine afflictione vivere non poterat, *tr.94.d.15. n.7.*
Jeremias.
Quæ mala prædixerit Joakim cunctisque Judæis ob neglectum suæ prædicationis, *tr.83.d.23. n.6.* Vidit ollam succensam & virgam vigilantem, & ecce, Visionis hujus mysterium, *ibid. n.7.*
Jeroboam.
Cur ad correptionem Domini per Prophetam non emendatus, sed pejor evaserit, *tr.83.d. 36 n.3.*
Jerusalem.
Idem quod visio pacis, *tr.70. d.6. n.1. & 7.* Jerusalem destructa in pœnam repudiatæ prædicationis, *tr.83.d.24.n.1.* Eam restaurantes una manu faciebant opus, altera tenebant gladium, *tr.83.d.30.n.5.*
Jesus.
Cur Evangelista dicat: *Exinde cœpit Jesus prædicare, tr.83. d.32.n.1. & d.40.n.5.*
Nomen Jesu Christiano ferendum in ore & corde. Require V. Anseres. Invocatio SS. nominis Jesu remedium contra tentationes, *tr.92.d.16.n.4.*
S. Ignatius.
Lojola quomodo conversus, *tr.81. d.4. n.5.* Idem hæresos falso insimulatus mirabiliter innocens declaratur, *tr.84. d.12. n.5.* S.Ignatij Martyris ossa panis referunt speciem, *tr.87.d.2. num. 4.*
Ignis.
Igni non absimile peccatum, *tr.77.d.1.per tot.* Quatuor ignes repræsentantes quatuor peccatorum genera, *ibid. n.6.* Qua ratione ignis injurias Creatori illatas per incendia vindicet. Require V.Peccati pœna. Ignis inferni sine luce, *tr.90. d.11. n.4.*
Ignorantia.
Præcipitem agit hominem in plurima peccata, *tr.83.d.25.n.8.*
Impatientia.
Ejus primus author Dæmon, *tr. 68. d.15.n.1.* Malorum omnium, ipsiusque inferni, imo & dolorum ac cruciatuum infernalium causa est, *tr.68.d.5. n.1.2.& 3.* Impatientes in deserto à serpentibus puniti, *tr.68. d.15.n.4.*
Impatientia sæpè causat corporis & animæ interitum, *ibid.* Ad omnia mala incitavit Hebræos, quod ostenditur inductione, *tr.68.d.15 n.7.* Quibus sit communis, *ibid. n.8.* Plura Require, V. Patientia.
Imperatores.
Cur plures vitiosi,quàm pij & probi, *tr.83.d.25.n.7.*
Impij.
Diluvij tempore qua vana spe delusi pœnitere distulerint impij, *tr.81. d.9. n.3.* Morti vicini exteriora quidem pœnitentiæ dant signa; sed frustra, *tr.81. d.12. n.7.* Hinc tamen alij seducti pœnitentiam damno suo differunt, *ibid.* Impiorum vita plane misera est, innumerisque referta doloribus, *tr.77.d.17. per totum.* Seminatori impius non absimilis, & quam ob causam? *ibid.n.2.* Impiorum oblationes Deus non respicit, *tr.81.d.24.n.5.*
Impœnitens.
Quidam impœnitens jactans se Deum sub finem vitæ placaturum tribus hisce verbis: Miserere mei Deus,morti vicinus clamavit: Diabolus rapiat omnia, *tr.81.d.17. n.6.*
Inconstantia.
Graviter à Deo punitur, *tr.80. d.3.n 1.* Comparatur statuæ Nabuchodonosoris, *tr.80. d.2. n.5.* Item vineæ primo florentissimæ, postea aëris intemperie destructæ, *ibid.n.6.* Inconstantiæ exempla in Satile & quinque fatuis Virginibus, *tr.80. d.2.n.8.* Inconstantia fecit, ut sancti etiam damnati fuerint, *tr.80.d.4.n.9.*
Infernus.
Unus solus damnatorum carcer, *tr.77.d.3.n.3.* Inferno peccatum mortale non solum simile, *ibid. d.2.per tot.* sed etiam deterius est *ibid.d.3. per totum.*
Qua ratione Dives epulo dicatur sepultus in inferno, *tr.77. d.2. n.5.* Impij per spinas & fossa in infernum contendunt cæci non videntes spinas & rosas, *ibid. d.14.n.3. & 7.* Non esset infernus,nisi esset superbia, *tr.92. d.11. n.5.* Proprius otioso

locus est infernus, *tr.91.d.6.n.7.* Plurimis utile est, ut descendant in infernum viventes, ne descendant morientes, *tr.93. d.9.n.12.*

Infirmitas.

Infirmitas & vulnera corporis sunt remedia animæ, *tr.94. d.17.n.6.7.8.9.10.11. & d.18. per totum.*

Infirmitate veluti freno coërcentur peccata, ex quibus illa oritur, quorumque pœna est, *tr.94.d.19.n.1.2.3.4. & seqq.*

Infirmitatis tollatur causa per confessionem, & homo pristinæ restituetur sanitati, *ibid.n.10.11. & 12.*

Infirmitates multorum bonorum exercitia sunt & instrumenta, *ibid. d.20. per totum.* Plurima nobis conferunt bona, *ibid. d.21. per totum.* Infirmus patiens duos lucratur denarios; at obfervans decem Decalogi Præcepta unum tantum, *ibid. d.21. n.3.*

Esto infirmus non sanetur, adhuc tamen infirmitatem amoris Dei signum esse ostenditur accommodo exemplo, *ibid. n.10.*

Infirmitas faciendæ pœnitentiæ minimè idonea, *tr.81.d.11. per tot.* Quot quantæ quæ in ea occupationes mentem in diversa rapiant, *ib.n.5. & 7.* Infirmitates corporales ut plurimum peccatorum nostrorum effectus sunt & pœnæ, *tr.78.d.17. per totum.*

Innocentes.

Sæpè patiuntur, idque declaratur exemplo Fratrum Joseph & Ephrem Syri, *tr.68.d.17. n.6.*

Inquietudo.

Contra illam præservantur aliquot antidota, *tr.70.d.17.n.8.*

Invidia.

Pejor bestia, *tr.71.d.20.n.11.* Fera pessima, quæ devoravit ipsum Joseph, *tr.72. d.6.n.5.* Invidia & ingratitudo Nazarenorum, *tr.78.d.29.n.8.* Mater invidiæ superbia, *tr.90.d.8.n.9.* Dathan & Abiron invidia & superbia inflatos terra absorbuit vivos, *tr.90.d.11.n.7.*

Joachim.

SS. Joachim & Anna ob injuriarum tolerantiam Dei genitricis parentes effici meruerunt, *tr.68.d.11.n.10.*

Joannes Avila.

Ejus insignis patientia, & præclarum de patiente viro dictum & comparatio, *tr.68.d.12.n.5.*

S. Joannes Baptista.

Totus, & omnia in ipso vox erant, *tr.83.d.30.n.4.* Unde tantam in verbis habuerit efficaciam, *ibid.d.31.n.7.* Eum Herodes libenter audiebat, *tr.81.d.21.n.9.* Qua ratione in tam perverso sæculo plurimos converterit ad Deum, *tr. 83. d. 33. n.8.* Quanta vitæ austeritate se disposuerit ad prædicationem, *ibid. n.10.* Divinis dotatus revelationibus, *ibid.n.4.* Ejus prædicatio vox Christi terribilis, *tr.83.d.38.n.2.* Cur lucerna dictus, *ibid. d.6.n.2.* Factum est Verbum Domini super Joannem, & quam ob causam, *tr.83.d.33.n.3.*

S. Joannis Baptistæ confraternitas Romæ quotannis liberat unum capitis damnatum, *tr.81.d.20.n.2.*

David correctus à Nathan Propheta resipuit dicens: peccavi; Herodes vero correctus à S. Joanne Baptista desipuit occidens correctorem, *tr.75.d.3.n.3.* S. Joannes Baptista zelosus, *tr.97.d.1.n.7. & d.2.n.7.* Verus fuit Lucifer, *tr.90.d.9.n.2.*

S. Joannes Calibita.

Homo Divinus dicitur, & quare, *tr.68.d.4.n.9.*

Joannes Capotius.

Quid responderit Prælato cuidam de componendis Otthonis Quarti & Friderici Secundi Imperatorum dissidijs, *tr.83. d.17. n.6.*

S. Joannes Columbinus.

Suffragio sacræ lectionis subito conversus renunciavit Mundo, *tr.81.d.4.n.5.*

S. Joannes Eleëmosynarius.

Quomodo disceptarit cum Nizeta, eique ad occasum Solis reconciliatus, *tr.81.d.18.n.7.*

S. Joannes Evangelista.

Ante portam Latinam à ferventi oleo illæsus transivit & qua de causa, *tr.68.d.13.n.5.*

Cur ante prædicationem librum devorare jussus, *tr.83. d.31. n.5.*

SS. Joannes & Jacobus sessionem in regno Dei petentes, cur ejusmodi responsum retulerint, *tr.82.d 7.n.5.*

Job.

Ejus hæredes necati à Satana ex odio pacis, quæ inter eos vigebat, *tr.70. d.8.n.5.* Cur ijdem ita concordes; Jacobi vero filij discordes, *ibid.d.12.n.8.* Jobi patientia, *tr.68.d.5.n.1. & 2. & d.7.n.1. & d.10. n.2. & d.13. n.1. & seqq.* Nullis malis everti potuit, *tr.68. d.15. n.9.* Cur omnibus destitutus caput totonderit, *tr.68. d.6.n.5.*

Quanam virtute potissimum lucrum fecerit, *tr.68. d.7. n.6. & d.14 n.1.* Job in juventute vocatus, *tr.81. d.26.n.5.* Quam facundus & eloquens fuerit, *tr.83.d.22.n.3. & d.38.n.7.*

Job omnibus bonis, excepta quæ eum ad impatientiam incitaret, uxore spoliatus, *tr.68.d.15.n.7.*

Totumque ejus corpus à Satana percussum fuit ulcere pessimo exceptis labijs, quibus Deum blasphemaret, *tr.88.d.7.n.2.*

Josaphæus Princeps.

Factus Capucinus quo exemplo patientiæ converterit hæreticum Dynastam, *tr.68.d.2.n.2.*

Jonas.

Multis virtutibus clarus, at patientia destitutus facilè ad iram concitabatur, *tr.68. d.13. n.6.* Jonas in ventre ceti figura animæ existentis in purgatorio, *tr.68. d.12. n.6.* Plus ponderis habebat solum Jonæ peccatum, quam alia omnia, quæ navis portabat, *tr.77.d.24.n.5.*

B. Jordanus.

Quid responderit Legatis Bononiensibus petentibus, ut celebrem suum Concionatorem inde non amoverem, *tr.83.d.5.n.13.*

Joseph.

Ejus fratres in Ægyptum ad comparanda frumenta missi designant Prædicatores, *tr.83.d.24.n.9.*

Isaac.

Cur pro conjugis suæ fœcunditate oraverit, *tr.82.d.7.n.5.*

Isaias.

Hominibus audire nolentibus cœlum & terram advocat, *tr.83.d.26.n.6.*

Antequam ad prædicandum mitteretur, labia ipsius carbonibus ignitis purgari debuerunt, *tr.83.d.31.n.1.* Quare quasi tuba jubeatur exaltare vocem, *ibid. n.2.*

Isidorus.

Pelusiota quid scripserit enidam facundo & docto viro ac improbo, *tr.83.d.29.n.1.*

Israëlitæ.

Alias populus electus sponte propria de libro vitæ deleri voluerunt, *tr. 82. d.4. n.4.* Cur duæ & dimidia tribus remanserint ultra Jordanem, quid illa remansio mystice denotet, *tr.83. d.36.n.8.*

Judas proditor.

Ejus desperatio unum ex acerbissimis Christi tormentis, *tr.82.d.3.n.10.* Ex Judæ damnatione colligitur damnationem reproborum, non Deo, sed ipsis reprobis imputandam esse, *ibid.n.8.* Judam non deseruit Christus usque ad ultimum spiritum, multisque modis eum à nefario ausu revocare conatus fuit, *ibid. n.9.* Noluit Judas recurrere ad Dei misericordiam, sed sponte se præcipitavit in perditionem suam, *ibid.* Judas deletus de libro vitæ, tametsi à Christo audierit: Complacuit Patri vestro dare vobis regnum, *tr. 82. d.4.n.1.*

Judæ pœnitentia cur non acceptata, *tr.81.d.5.n.7. & d.12. n.6.* Judas proditor primo vir timens Deum, postea modicæ spernens decidit tandem in enormia peccata, *tr.76.d.1. n.4. & d.3.n.6.*

Judicium Dei.

Quidam eremita sanctæ vitæ 40. annis Deo serviens mortis vicinus contremuit timens Dei judicium, *tr.77.d.5.n.1.* Christus Judex minimos etiam defectus judicabit, *tr.76.d.18*

In extremo judicio rigorosa de tempore reddenda est ratio, *tr.91.d.5.n.9.* Ipsa mortis hora tempus coram Deo judice nos accusabit, *ibid. d.6. per totum.*

Julianus Apostata.

Destruxit Christi statuam, quam in honorem ipsius Hæmorrhoissa erexerat, *tr. 87. d.3. n.6.* Idem Julianus adhuc adolescens una cum Gallo fratre suo ædificans Ecclesiam, qua ratione partem suam numquam perficere potuerit, *ibid.d.9.n.9.*

Julius Cæsar.

Differens brevi mora legere litteras seria continentes interfectus est, *tr.81.d.16.n.5.*

Juramentum.

Justinianus Imperator serio præceperat omnibus subditis, ut abstinerent à juramentis & blasphemijs, *tr.78. d.1.n.1.*

Justi, Justitia.

Ubi administratur justitia, ibi pax, *tr.70. d.13.n.1. & seqq.* Justorum & injustorum differentia in adversitatibus, *tr.68.d.9. n.2.* Justi & injusti differentia in lapsu, *tr.81.d.4.n.6. & 7.* Require plura V. servi Dei.

Juvenis.

Quidam S. Antonij discipulus intelligens se reprobandum, heroica resignatione sententiam istam revocari promeruit, *tr.82.d.4.n.5.*

Anglicanus quidam juvenis benè dispositus obierat, & post mortem apparens amico, ob assensum cogitationi lascivæ datum sub mortis articulum damnatum se pronunciat, *tr.81. d.24.n.7.*

Juveni cuidam ob delicta suspenso, quamvis esset duodecim annorum, ingens barba successit, & in furca senescit, *tr.81. d.7. n.2.*

Nobilis alias juvenis dum se insolentius in vitia præcipitat, impœnitens ad infernum raptatur, *tr.81.d.18.n.2.* Quidam alius prævia Confessione generali moritur Laureti, & tamen post mortem damnatum se denunciat, & quare, *tr.81. d.22. num. 7.*

K.

S. Kentingernus.

CUm prædicaret Verbum Dei in planitie Holdelin, terra, in qua sedit, excrevit in monticulum usque in hodiernum diem, *tr.83.d.5.n.13.*

L.

Labor.

APostolus labore manuali victum lucrari voluit, ut fugeret otium, cunctisque præberet exemplum, *tr.91.d.16.n.1.* Laudantur multi principes & reges à labore manuali, *ibid. n.9. & 10.* Christus D. toto tempore vitæ in labore occupatus, *ibid. n.6.*

Labor scholasticus otium negotiosum, *tr.91. d.17. n.5.* Laborat sub Sole, id est; frustra, qui laborat ob laudem & applausum humanum, uti laboravit quidam eremita severè punitus, *tr.95.d.7.n.2.* Laborare jubemur, soliciti esse vetamur, *tr.85.d.6.n.3. & 4.*

Lachrymæ.

Peccatorum alias obstinatorum sunt veluti lachrymæ Esau vel Antiochi, *tr.81. d.14.n.8.*

Lamina aurea.

Cui inscripta hæc verba: Sanctum Domino, cur affigebatur fronti Pontificis, *tr.84.d.7.n.8.*

Latro bonus.

Christum Regem agnovit ex ejus patientia, *tr.68.d.4. n.5.* Quæ Salvator noster bono Latroni dixit verba, exponuntur, *tr.81.d.24.n.4.* Solus ex omnibus S. Scripturæ exemplis in fine vitæ egit pœnitentiam, *tr.81. d.20. n.2. & d.22.n.4.* Ejus tamen exemplum plures pernicioſe allegant, *tr.81.d.24.n.3.* Conversionis suæ gratiam per insignes virtutum actus promeruit, *ibidem.*

Latro reprobus.

Cur damnatus, tametsi Christo & B. Virgini vicinus? *tr.81. d.12. n.6.*

S. Laurentius Martyr.

Cur tam hilaris in craticula, *tr.68.d.12.n.7.*

S. Laurentius Justinianus.

Quam decora specie pax ei apparuerit, *tr.70.d.7. n.5.* Qua ratione Venetos suis precibus ab exterminio servaverit illæsos, *tr.83. d.24. n.3.* Ejus monita de prædicatione Verbi Dei, *tr.83.d.40.n.7. & seqq.* passim discurribus.

Laus humana, Require V. Vana gloria.

Lazarus.

Cur Lazarum Christus suscitaverit ex nomine, filium verò viduæ vocabulo: Adolescens, *tr.81:d.26.n.4.*

Quatriduanus fœtens & sepultus peccatoris inveterati typus, *tr.73.d.6. per totum.*

Lazari patientis unicum solum memoratur exemplum in S. Scriptura, cujus exequiæ celebrantur ab Angelis, *tr.94. d.21. n.6.*

Lepra.

Peccatum non absimile lepræ, *tr.71.d.11.n.4.*

Leprosus.

Quidam morti vicinus jucundè cantabat, *tr.68.d.5.n.3.* Leprosi & Centurio cur Christum non accesserint in monte, sed descendenti occurrerint, *tr.83.d.26.n.3.*

Lepus.

In petra refugium quærens resipiscentis peccatoris typus, *tr.81.d.24. n.8.*

Lex.

Divina omni ex parte observanda est, quia à peccatis levioribus ad majora facilis est transitus, *tr.76. d.19. per totam.* Lex Christi jugum dicitur omnium præceptorum, *ibid. n.3.*

Qui prævaricatur legem Dei, denudatur & privatur cum Adamo & Eva divina gratia, *tr.77. d.10.n.1.*

Qui totam legem observat, offendit autem in uno, hoc unicum sufficit diabolo; quidquid boni talis peccator in se habuerit, Deo placere non poterit, *tr.77.d.12. n.3.4.5.6.* Lex vetus gravis farcina innumerabilium observationum, & vile præmium, *tr.91.d.4.n.6.*

Liber vitæ.

Duplex, mutabilis unus, alter immutabilis, *tr.82.d.4. per tot.* Liber vitæ dicitur firma Dei de prædestinatis notitia, *ibid n.2.* Delert de libro vitæ quid sit, *ibid.* Nostra culpa delemur de libro vitæ, idque declaratur plurium exemplis, *ibid. n.4.*

Libertas.

B. Mariæ Virginis in pauperes, *tr.69. d.1.n.8.*

Libertas.

Magnum bonum, & è contra, servitus magna miseria, *tr.77. d.11 n.2.*

Servus est, qui mentem habet subditam peccatis, ab his vero si habeat mentem liberam, verus Dominus est, *tr. 96. d.7.n.10.*

S. Licinius.

Episcopus quam prudens in observando tempore & occasione fructuose prædicandi, *tr.83.d.46.n.5.*

S. Lidwina.

Triginta & octo annorum spatio graves toleravit infirmitates; & coronam paratam sibi primo imperfectam, postea perfectam vidit, *tr.68. d.6.n.3.*

Lingua.

Concionantis calamus scribentis, *tr.83. d.29. n.3. & d.37. n.6.* Linguam Concionatoris Dominus gubernat, *ibid. n.5.* Per linguam eruditam quid Isaias intelligat, *ibid.d.38.n.4.* Lingua comparatur Vomeri, *tr.83.d.5.n.10.* Linguæ custodia. Vide Silentium.

Linea Sapellex.

Quam adhibuit Virgo Deipara in Nativitate Domini, *tr.83. d.43.n.7.* Quid per eam designetur, *ibidem.*

Loth.

Tamdiu fœlix, quamdiu ab Abrahamo non fuit divisus, *tr.70.d.5.n.8. & d.10.n.6.*

Lucrum.

Mundani quam celeres ad lucrum suum, *tr.81.d.2.n.2.* Ad honores, ad vindictam, *ibidem.* Ad medicum, *ibidem n.4.*

Qui tempus benè impendit, inæstimabile facit lucrum, *tr.90.d.33.n.9. & per totum.* Tempus præsens, tempus nundinarum & lucri, *ibid.d.5.n.5. & d.13.n.2. & 3. & d.14.n.7.*

Lucrum animæ negotium negotiorum, *tr.90.d.13.n.2. & 3.* Modica tribulatione patienter tolerata ingens facimus lucrum, *tr.94.d.4. n.7. 8. 9. & per totum.* Ægrotus patiens duos lucratur denarios; at obfervans decalogum unum dumtaxat, *ibid.d.21.n.3.*

De lucro, quod acquirimus zelando salutem animarum, agitur latius, *tr.97.d.10. per totum.* Quid prodest docenti, quod multas lucretur animas, si propriam negligat, *ibid.n.6.*

S. Ludovicus.

Franciæ Rex in adversis Deum laudabat, & quomodo, *tr. 68.d.7.n.2.* Lepram eligere maluit, quam peccatum, *tr.71.d.11. in fine.*

S. Lutgardis.

Petendo solitas sibi subtrahi consolationes, è vestigio liberat animam ad purgatorium undecim annis damnatam, *tr.86. d.11. n.6.*

M.

Machabæus.

TErtius ex Machabæis fratribus Martyribus, cur manus ultro; linguam verò non nisi jussus obtulerit præcidendas, *tr.83.d.34. n.7.*

Magi.

Tres Magi thesauros suos nonnisi in tugurio Bethlehemitico aperuerunt coram Christo, *tr.95. d.4.n.7.*

Malchus.

Cur Petrus amputavit ei auriculam & non aliam corporis partem, *tr.83. d.23. n.2.* Præfigurabat Hebraicum populum *ibid.* Non fine mysterio Christus eidem auriculam restituit *tr.68.d.4. n.3.*

Malus.

Quod malum mali alijs machinantur, in ipsosmet plerumque recidit, *tr.78.d.26. & d.28. per totam.*

Cur nomine generico malitiæ exprimatur peccatum carnale, *tr.78.d.26.n.6.* Qua ratione tempora mala, & dies mali dicantur, *tr.91.d.14.n.4. & d.15.n.1.*

Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu, & hoc sufficit dæmoni tentanti, ideoque Pharisæus & Virgines fatuæ reprobatæ, *tr.92.d.2.n.8. & 9.* Timor mundanus reprehensibilis & malus est, quia à mala radice, *tr.93. d.3. per totum.*

Quod malis est in ruinam, id bonis est in sublevationem & salutem, *tr.94.d.33 per totum.*

Qui male vivit, male moritur, *tr.81.d.7.n.6.* Nemo malus, qui tibi prius non nocuit, *tr.77.d.27. n.1.*

Malum granatum.

Est signum perseverantiæ, *tr.80.d.4.n.2.*

Manna.

Verbum Dei est manna, *tr.83. d.4. n.8. & d.20. n.3.* Illud orantis Moysis manibus illapsum tradit Josephus, quod exponitur mystice, *ibid. n.11.*

Manna servari non potuit nisi pro Sabbato, & quam ob causam, *tr.85.d.5.n.2.*

Cur manna præter ordinem à Deo præscriptum collectum in vermes, non in lapidem, lignum, aut aliam substantiam transierit, *tr. 85. d.10. n.6.* Manna nauseantes à serpentibus ignitis morsi, *tr.83.d.25.n.8.*

Manus.

Undè dicta, exponitur, *tr.93. d.8. n.7.* Quid per eam intelligatur, quando Christus jubebat in dexteram navigij mittere rete, *tr.83. d.39.n.6.* Quid per sinistram, & quid per dexteram Matth.6. intelligatur, fuse exponitur, *tr.95.d.6.n.2. & 5.*

Per manus intelliguntur opera, *tr.95.d.4.n.6.*

S. Marcus Evangelista.

Quam præclara tum ab Ecclesia, tum à SS. Patribus ei attributa sint encomia, *tr.83.d.34.n.6.* Ad magnam Neoconversos excitavit perfectionem exemplo potius, quam verbo, *ibid.*

Margarita.

Margaritæ quomodo fiant & producantur, *tr.81.d.2.n.8.* Anima rectè margarita, cujus quæcumque pars vitiata fuerit, tota gemmæ gratia extincta est, *tr.76.d.19.n.3.*

Maria Virgo Deipara.

Liberalitas ejus in pauperes, *tr.69.d.1.n.8.* Quam devote audierit & custodierit verba Dei, *tr.83. d.20.n.5. & 7. d.21.n.6.* Cur foris manserit, Matth.12. & ad Christum docentem non accesserit statim, *tr.83.d.26.n.2.* Beatior audiendo verbum Dei, quam pariendo Christum, *tr.83.d.6.n.3. & d.7.n.4. & 8.* In ejus assumptione totum purgatorium evacuatum, *tr.86.d.9.n.3.*

B. Virgo silentio fuit addictissima, *tr.88.d.4.n.7.* Cujus insigne dedit exemplum, *ibid.d.6.n.4.5.6.7.8.* Cum quatuor tantum personis leginius eam habuisse sermonem, & nonnisi septem verba locutam fuisse, *ibid. n.4.* B. Virgo cur turbata fuerit in salutatione angelica, *ibid. n.8.*

Maria virgo virginitatem conservavit per solitudinem, *tr.89.d.3.n.3.* Eamdem Angelus invenit solitariam, *ibid.d.9. n.8.* Exurgens abijt in montana cum festinatione instructura virgines, quomodo debeant conservare puritatem virginalem, *tr.89. d.3. n.6.*

B. Virgo salutata ab Angelo tempore nocturno, *ibid. d.10. n.5.* Internæ solitudini vel maximè dedita fuit, *ibid.d.11.n.3.* In nativitate Domini lintea ulà fuit supellectile, quid per eam designetur, *tr.83.d.5.n.10.*

S. Maria Magdalena.

Quam celerem & efficacem egerit pœnitentiam, *tr.81. d.4. n.6.* Quam sedula & prudens in audiendo verbo Christi, *tr.83. d.3.n.2.* Optimam partem elegit, & in quo, *tr.83.d.27.n.2.* Ob auditionem verbi divini diabolus testatur eam sibi infensissimam inimicam, *tr.83.d.12.n.8.* Amica fuit silentij, *tr.88.d.5.n.2.*

S. Martha.

Cur à Christo reprehensa, *tr.70.d.9.n.7.* Quam diligens fuerit in præparando cibo corporali Christi, *tr.83.d.3.n.2.*

Martyres.

Martyrum Japonensium præclara patientia triumphavit adversus varia dæmonis molimina, *tr.68.d.13.n.5.*

Quem modum invenerit Nero excitandi canes in furorem, eosdemque concitandi in SS. Martyres, *tr.97.d.8.n.4.* Ad Martyrium parati esse debent, qui mittuntur ad prædicandum, *tr.83.d.47.n.5.*

Cur quotidie in officio divino legatur Martyrologium, *tr. 94.d.2.n.7.*

Matrimonium.

Sic laudandum est à Concionatore, & tamen Virginitas & Viduitas præferantur. Item Virginitas sic laudanda, ne videatur damnari matrimonium, *tr.83.d.45.n.7.*

S. Matthæus.

Sine mora Christum secutus fuit, & quare, *tr.81.d.2.n.3.*

Medicus, Medicamentum.

Certum cibum potumvè propinare solent Medici ad discutiendam caliginem visus, qui non repente, sed paulatim fortitur effectum, *tr.83. d.2. n.6.* Medicorum instar agunt Concionatores cum Auditoribus, *tr.83. d.37.n.5.* Medicamenta incerta applicare nequeunt, si adsint certa, *tr.81.d.23.n.3.*

Mendax, Mendacium.

Dæmon aliquando dicit verum, ne tamquam mendax omnino rejiciatur, & ut hac veritate alia mendacia suadeat, ac deinceps confidentias mentiatur, *tr.92. d.2. n.7.* Mendacium etiam jocosum peccatum est, *tr.76. d.14.n.7.*

Meretrix.

Thais meretrix à S. Paphnutio conversa ex motivo præferriæ Dei, *tr.84.d.4.n.5.* Quædam alia eodem motivo à S. Ephrem conversa fuit, *ibid.n.7.* Similia exempla habes, *d.5.n.6.*

Michæas.

Ab Achab malè tractatus quid mysticè significet, *tr.69.d.24. num. 2.*

Michael Archangelus.

Cui ei nomen: Quis ut Deus, *tr.97.d.2.n.1.*

S. Milles.

Episcopus civitatem suam in malo pertinacem deserens, eidem maledicit, ut paulo post planè sit exterminata, *tr.83. d.24. n.3.*

Missa.

Nemo concionari deberet, nisi eodem die Missam celebrasset, *tr.83.d.30.n.4.*

Monachi.

Cur primis sæculis extra urbes habitabant, *tr.82. d.5. n.12.* Require plura. V. Religiosi.

Monarchia Ottomannica.

Crevit per dissensiones & discordias Christianorum Principum, *tr.70.d.10, n.4.*

Eadem à minimo incepit, nempe ab unico verbo contumelioso, *tr.76.d.2.n.1.*

Qualem devotionis speciem Mahometani exhibeant in suis Moschæis, & quales ibidem non admittant, *tr.83 d.41.n.4.*

Moneta.

Ut valida sit, quid requiratur, *tr.70.d.3. n.6.*

Mons Thabor.

Per Petrum, Jacobum & Joannem assumptos ad montem Thabor denotantur omnes electi, *tr.96.d.1.n.12.*

Tres illi discipuli ibidem viderunt gloriam Dei, quia zelo sancto ardebant, *tr.97.d.2. n.8.*

Monstrum.

Dicere, & non facere, monstrum est, *tr.83. d.30.n.3.*

Mores.

Morum civilitate carens & spiritu carebit, *tr.83.d.40. n.7.*

Moribundus.

Huic quasi impossibile omnes veræ pœnitentiæ circumstantias adimplere, *tr.81.d.22.n.5.*

Mors.

Ex improviso supervenire solet, *tr.81.d.19.per tot.* Morte repentina puniuntur procrastinantes pœnitentiam & conversionem, *tr.81.d.6. per totum.*

Qualis vita, mors ita, *tr.81.d.7.n.6. & 9.* Mortis hora omnino incerta, & quare, *tr.81.d.19. n.8.*

Mors subitanea sæpe magnus Dei favor & gratia est, *tr.77. d.4.n.3.* Homini morti vicino Diabolus omnes struit insidias, *tr.77.d.5.n.4.5.6.*

Mors animæ peccatum mortale, *tr.77.d.6.per tot. & d.7. per totum.* Acutissima mortis falx esto tot interemerit Reges, numquam tamen animam interimere potuit, *tr.77. d.6.n.2.*

Proprium mortis alimentum est peccati natura, inde nata est, ejusque partus seu potius abortus est, *ib.n.4. & 6.* Morte deterius & gravius est peccatum, *tr.77.d.7.n.7.* Finis vitæ nostræ & dies mortis incertus & occultus, & quare, *tr.91.d.12. num. 12.*

Qui cogitat se quotidiè moriturum, innocentem ducet vitam, *tr.91.d.15.n.1.2.3.4.*

Moyses.

Bis jejunavit 40. diebus virtute sermonis divini, *tr.83.d.3. n.7.* Moysen balbum & blesum cur Deus potius elegerit ad redimendum Israël, *tr.83.d.14.n.5. & d.37.n.4.*

Moyses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, quæ nil ei proderat ad convertendas animas, *tr.83. d.41. n.3.* Cur à Deo justus facere lebetes, forcipes, fuscinulas, & cætera minutiæ in usum sacrificiorum, *tr.83.d.45.n.4.*

Unde Moysi & Danieli tanta fortitudo, ut ille negaret se filium filiæ Pharaonis; hic vero omnem Regis gratiam, honores, opes, & vitam ipsam recusaret, *tr.84.d.8.n.4.*

Moysis corpus sepultum ab Angelis cur à Deo absconditum, *tr.87.d.1.n.3.* Cur de corpore Moysis Michaël Archangelus cum diabolo altercatus fuerit, *tr.87.d.7.n.6.*

Moyses virga percutiens mare rubrum, non unam, sed duodecim aperuit vias, & quidem herbis & floribus virentes, *tr.96. d.1.n.2. & 3.*

Resplenduit facies Moysis sicut sol ob zelum, *tr.97.d.2.n.7.*

Muli.

Muli in pompa Legatorum Romanorum Regio cultu exornati, ad vesperum eodem spoliantur, *tr.81.d.10.n.4.*

Typus sunt eorum, qui hic prosperam & felicem agunt vitam, *ibid.*

Multiloquium. Require V. Silentium.

Mulier.

Quædam S. Antonium de Padua in loco diffito concionantem audivit, & inde maritum convertit, *tr.83.d.22.n.2.* Mulieri quæ infantem suum lactatum nocte oppresserat, quinam prædicatores similes, *tr.83. d.31. n.3.* Mulieris patientis præclarum dictum ad litigiosam, *tr.68.d.6.n.6.* Mulier rixosa servans silentium, sicque evitans jurgia & verbera mariti, aquæ ore haustæ & retentæ hoc referebat acceptum, *tr.88.d.2.n.6.*

S. Munnus.

Petiit & septennio patienter tulit lepram, *tr.68.d.6.n.6.* curatur, & quotidie visitatur ab Angelo, *ibid.*

Mundus: Mundani.

Mundus comparatur probaticæ piscinæ, *tr.81.d.2.n.9. Hospitali. ibid.* Mundo severius nequit imminere supplicium, quam cessatio verbi Dei, *tr.83. d.24. n.7.*

Mundani quam celeres & prompti ad lucrum, ad honores, ad vindictam &c. *tr.81. d.2. n.2. & 4.* Mundanorum prosperitas & pax, *tr.70.d.11.n.5.6. & 7.* require V. Prosperitas.

Musica.

Musicæ comparatur verbum Dei, *tr.83.d.25.n.4. & d.22.n.1.* Multi eidem assistunt, ut vel ipsam, vel Musicos taxent, *ibid.*

N.

Natura.

Tota homini tributum præstat, *tr.85. d.1.n.4.*

Navis.

Nimium onerata symbolum peccatoris pœnitentiam differentis, *tr.81.d.11.n.6.*

Nausea.

Verbi Dei pessimum indicium, *tr.83.d.4.n.5.* Ex nausea verbi Dei Nazareni Christum præcipitare volebant, *tr.83.d.24 num.1.*

Nauta.

Quidam in periculo constitutus vovet B. Virgini cereum magnum instar mali: ex illo ereptus obtulit dumtaxat candelam unius oboli, *tr.81.d.12.n.3.*

Nazareth.

Idem quod floridus, *tr.83.d.43.n.3.* Christus prædicaturus deseruit Nazareth, & habitavit Capharnaum, & quæ hujus causa, *ibid.*

Negligentia.

Proficiendi in virtutibus variis modis, & exemplis dissuadetur, *tr.83.d.6.n.9.*

S. Nicolaus.

Puer ad Ecclesiam accedens sacra pectori condebat mandata, *tr.83.d.21.n.6.*

Nicolaitarum hæresis.

Originem duxit ab uno ex discipulis Domini Nicolao dicto, *tr.82.d.4.n.1.*

Ninive.

Ex sceleste latibulo facta urbs S. Jerusalem, *tr.83.d.13.n.7.* Quæ inter Niniven & Sodomam differentia, *tr.83.d.24.n.7.*

Ninivitæ.

Non expectarunt quadragesimam diem, sed indilate egerunt pœnitentiam, *tr.81.d.23.n.4.* Confurgent in judicio contra Judæos, *tr.83.d.24.n.7.*

Nix.

Est symbolum puritatis virginalis, *tr.89.d.3.n.5.*

Noë.

Non sine mysterio septem diebus ante diluvium arcam ingressus fuit, *tr.81.d.23.n.3.* Qua ratione in corruptissimo suo sæculo se à carnis voluptatibus custodierit, & solus coram Deo gratiam invenerit, *tr.84.d.4.n.2. & tr.71.d.5.n.5.* in aram secum contulit ossa Adami, *tr.87.d.7.n.5.*

S. Nonnus.

Episcopus etsi non eloquenter, tali tamen cum energia sermocinando commovit auditores, ut Ecclesiæ pavimentum lachrymis eorum inundaret, *tr.83.d.24.n.1.*

S. Norbertus.

Archiepiscopus Magdeburgensis, candidi ac canonici Ordinis Præmonstratensis Patriarcha, speciali ab Ecclesia prædicationis prærogativa condecoratus, potens fuit verbo & exemplo, opere & sermone, *tr.83.d.34.n.2.*

S. Bernardus de ore ejus tamquam de cœlesti fistula multa se percepisse gloriatur, *ibid.*

S. Norbertus electus jam Episcopus nudipes vilique vestitus habitu accedens ad capiendam domus Episcopalis possessionem, turpiter, at ignoranter ab ostiario repellitur, *tr.72.d.1.n.3.*

Novatiani.

Hæresis Novatianorum relapsos ad pœnitentiam non admittentium origo, *tr.75.d.3.n.1.*

Nuncius.

Qui Dei nuncium vilipendit, ipsum Deum contemnit, *tr.83.d.23.n.5.*

O.

Ochozias.

Quia consuluit Deum Accaron, idcirco moritur, *tr.81.d.7. num.5.*

Oculus.

Oculus Mundi Deus vocatur ab Ægyptijs, *tr.84.d.1.n.2.* Oculus in vola manus vigil & apertus symbolum providentiæ, *tr.85.d.3.n.2.*

Dexter mandatorum Dei observantia, vel cognitio Dei & gravitatis peccati: sinister privata devotio, *tr.72.d.3.n.1.*

Quos culpa claudit oculos, aperit pœna & tribulatio, *tr.94. d.8. & 10. per tot.*

Odor.

Odor bonus Apostoli & Præcones verbi Dei, *tr.83.d.21. num.9.* Alijs sunt odor bonus in vitam, alijs in mortem. *tr.83. d.24.n.5.*

Offerre.

Deo optima offerre oportet, non deteriora, *tr.81.d.26.n.2.* Cain obtulit deteriora, *ibid.*

Oliva.

Ejus rami significant pacem, *tr.70.d.7.n.8.* Cur ramus olivæ potius, quam alterius arboris ad familiam Noë delatus, *tr.79.d.10.n.2.*

P. Oliva.

Societatis Jesu Generalis, quatuor summorum Pontificum succedentium Prædicator Apostolicus, verum hujus temporis oraculum, quomodo fabulas & nugas in concionibus detestetur, *tr.83.d.41.n.4.* Oliva fructifera in domo Dei, *ibid.d.42.n.41.*

Olla.

Succensa Jeremiæ olla quid significet, *tr.83.d.23.n.7.*

Olympas.

In vertice quietus & serenus, ad latera turbationibus aurarum cujusvis obnoxius, *tr.70.d.6.n.3. & d.14.n.7.*

Opera.

Bona opera ad salutem necessaria, *tr.81.d.15.n.8.*

Opera bona Concionatoris plus movent Auditores, quam verba, *tr.83.d.29.n.7.* Prædicationem præcedant. necesse est, *tr.70.d.30.n.5.* Opus bonum per bonum intelligitur, *tr.83.d.36 num.7.*

Non sufficit intueri cœlum, sed tempus insuper bonis operibus impendendum est, *tr.91.d.4.n.9. per totum.*

Ecclesia urbs fortitudinis duplici sepia muro, fidei & bonorum operum, *tr.92.d.15.n.7.8. & 9.*

Dæmon semper inhiat prædæ bonorum operum, *tr.95.d.2. n.3.* Ob timorem vanæ gloriæ occultanda sunt opera bona, *tr. 95.d.4.per tot.* Modus, quo opera bona tuta maneant à vana gloria, *ibid.6.per tot.* Deo accepta referre debemus omnia nostra opera, *tr.95.d.11.per tot.* Eique omnia dedicanda, *ib.n.11.*

Operarius.

Operarij fabricantes arcam Noë non sibi, sed alijs salvandis laborarunt, *tr.83.d.36.n.7.* Operarij summo mane ad vineam conducti typus eorum, qui se in juventute convertunt ad Deum, *tr.83.d.29.n.7.*

Oratio.

Præfigurata per grana incensi super panes propositionis, & per thus, *tr.83.d.23.n.4.* Facta in peccato mortali non juvat animas defunctorum, *tr.86.d.10.n.2. & 3.* Fructus orationis pro animabus purgantibus, *tr.86.d.9.n.7.*

Dæmon quamprimum ingreditur animæ templum, instar Antiochi fervorem orationis & contemplationis surripere satagit, *tr.72.d.3.n.1.*

Orationis Dominicæ mystica explanatio, *tr.92.d.10.n.3.* In tribulatione recurrendum ad orationem, *tr.94.d.3.per tot.* Ad illam invitavit nos Redemptor noster, *ibid.n.2.* Preces afflictorum sunt efficacissimæ, *ibid.per tot.* Orationis fructum furatur laus humana, *tr.95.d.4.n.12.*

Oramus quidem: Adveniat regnum tuum; at hoc non sufficit, sed adhibenda media, ut id assequamur, *tr.82.d.7.n.7.*

Osculum.

Pacis cur olim in Missa ante communionem datum, *tr.70. d.3.n.8.* Osculum figit manibus discipuli furis senex Anachoreta moriens, *tr.68.d.5.n.7.*

Osius.

Osij Cordubensis Episcopi inconstantia in fide post multa pro eadem præclare gesta & suscepta pericula, *tr.80.d.2.n.5.*

Otium.

De hac materia Author varios producit discursus, *tr.91.* de tempore. Require V. Tempus & ejus jactura, *ibid.d.5.6.7.* 8.9.10. *& seq.*

Otium sanctum & honestum quodnam sit, *ibid.d.17.n.4. & seq.*

Populus Israëliticus in Chanaan cohabitabat suis inimicis, ne otio & inertia solveretur, utque bellandi usum disceret, *tr.92.d.4.n.10. & d.5.n.8.*

Otiosum verbum quodnam dicatur, *tr.88.d.9.n.3.*

Otto.

Tertius Rom. Imperator conversionem S. Romualdo Confessario promissam differens morte præventus fuit, *tr.81. d.17.n.7.*

Otto idem Imperator defunctus materteræ suæ apparuit, & ut nuncios in omnia monasteria, & pia loca mitteret, petiit pro liberanda anima sua ex pœnis purgatorij, *tr.86.d.9.n.6.*

Oves.

Libenter pascuntur & impinguantur herbis salitis, *tr.82.d.5. n.13.* Ovibus comparantur electi in die judicij à dextris collocandi, *ibid.n.14.*

Oza.

Cur tangens arcam percussus fuerit à Domino; nonnullæ adferuntur rationes, *tr.74.d.11.n.6.*

P.

Pacificus.

Sanctissimæ Trinitatis typus est, *tr.70.d.7.n.8.* Hominis pacificatoris dignitas, *tr.70.d.4.n.4.* Pacificos nec dæmonum, nec hominum malorum potentia superare potest, *tr.70.d. 8.n.6 & 7.* Qui secum non est pacificus, & pacem non habet, nec alios pacificare potest, *tr.70.d.15.n.7.* Regnum & familia tamdiu prospera, quamdiu pacifica, *tr.70.d.10.n.5.* Plura V. Pax.

Panis.

Noster quotidianus præter corporalem duplex est: Sacramentalis & verbi Dei, *tr.83.d.2.n.1.* Panes propositionis figura præconum verbi Dei, *ibid.n.2.* Illos Deus jussit poni in con-

ſpectu ſuo ſemper, & quare, *tr.* 85. *d.* 4. *n.* 1. Cur in Hebræo vocentur panes facierum, *tr.* 84. *d.* 6. *n.* 7.

Pandolphus Dux Capuæ.

Pro eo comburendo dæmones ſtramina congerere viſi à quodam eremicola Neapolitano, *tr.* 81. *d.* 6. *n.* 6.

Papbnutius.

Abbas edocetur divinitus, parem ſe cum cive quodam Heracliensi gloriam habiturum, *tr.* 70. *d.* 7. *n.* 11. Ejusdem conversatio in ſanctitate cum aliquo ſtillatore, *tr.* 96. *d.* 6. *n.* 8. ejusdem cum Mercatore, *ibid. d.* 7. *n.* 11. Ejusdem cum quodam comite, *ibid. d.* 5. *n.* 10.

Parabola.

Parabolis Magiſter cœleſtis utebatur ſemper docendo populum, *tr.* 83. *d.* 4. *n.* 6. Cauſa hujus allegatur, *tr.* 83. *d.* 44. *n.* 5.

Paſſiones animi.

Proprias paſſiones vincendo pax cordis acquiritur, *tr.* 70. *d.* 15. *per tot.* & *d.* 17. *n.* 4. Paſſionibus qui dominatur, Rex vocatur in S. Script. *tr.* 83. *d.* 7. *n.* 2.

Pater.

Dicitur à paſcendo, *tr.* 85. *d.* 4. *n.* 1. Pater captivus lacte filiæ ſuſtentatus, *ib. d.* 7. *n.* 1.

Patientia.

Character hominis Chriſtiani, *tr.* 68. *d.* 2. *per tot.* Ejus neceſſitas, *tr.* 68. *d.* 1. *per tot.*

Patientia demonſtrat Chriſtum eſſe Dei filium, *tr.* 68. *d.* 3. & *d.* 4. *per tot.* In cœli gloriam nos introducit, *ib. d.* 5. *per tot.* Patientiæ actus gemmæ cœleſtis coronæ, *d.* 6. *per tot.* Ejus emolumenta & præclara exempla, *ib.* & *d.* 7. *per tot.*

Patienter ferens jacturam bonorum plus meretur, quam eleëmoſynam tribuens, *tr.* 68. *d.* 3. *n.* 3. & *d.* 7. *n.* 1. Martyrum patientia plures convertit ad fidem, quam doctrina vel miracula, *tr.* 68. *d.* 2. & *d.* 7. *n.* 2.

Patientia regina virtutum, & rerum omnium, *tr.* 68. *d.* 8. *n.* 3. & 7. & *d.* 11. *n.* 8. Plura alia ejusdem præclara encomia, *ib. d.* 8. *n.* 5. & 7.

Patientia lapis lydius virtutum, *d.* 9. Viam ſternit ad cœlum, *d.* 10. *per tot.* Imago eſt æternitatis, *d.* 10. *n.* 3. Comes ejus jucunditas, *d.* 12. *n.* 3. & 4. Variæ ejusdem excellentiæ, *d.* 11. *per tot.* Varia ejusdem exempla, *d.* 11. & 12. Definitiones variæ & gradus, *d.* 16. *n.* 2.

Patiens bellicoſo fortior, *tr.* 68. *d.* 14. *n.* 1. Patientia Davidis regis major omnibus victoriis ab hoſte reportatis, *ibid. n.* 4. Patientia ſuſtinendo vincit, *ibid.* Irati furorem ſedat, *ibid. n.* 7. victoriosa, *d.* 14. *per tot.*

Patientia ſpiritualis ædificij fundamentum eſt, *tr.* 68. *d.* 15. *n.* 5. Quæ ædificat patientia, ea deſtruit impatientia, *d.* 15. *per totum.* Qua ratione impatiens agatur in furorem, *ibid.*

Patientia debet eſſe voluntaria, non coacta, *tr.* 68. *d.* 16. *n.* 2. Non cuicumque patientiæ, ſed quæ habetur propter Chriſtum promittitur regnum cœlorum *ib. n.* 3. Chriſtus patientiæ finis & objectum ſit, oportet. *ibid.* Qua ſit perfecta, præcipuaque ejus conditiones, exponitur, *ib. n.* 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

Patientia ex illatis injurijs aurea merita fabricare novit, idque declaratur exemplis, *tr.* 68. *d.* 17. *n.* 1. 2. 3. Optimum pro peccatis ſatisfaciendum remedium, *ib. n.* 4. Patientia impiorum & finem malum & pravum admovet bonos Chriſtianos, ut ea utantur in bonum finem, *ib. n.* 7. & 8.

Patienter ferenda mala, quæ à Deo immitti cognoſcimus; ubi & varia adducuntur motiva & rationes inducentes nos ad habendam patientiam, *tr.* 68. *d.* 18. *d.* 19. & *d.* 20. *per totum.* Patiendi detidia provenit ex conſideratione futuri præmij, *ibid. d.* 18. *n.* 2.

Beati canonizandi ſpeciali ſubjiciuntur examini, num habuerint patientiam in tribulationibus, *tr.* 94. *d.* 16. *n.* 1. Abraham eſto pluribus abundaret virtutibus, ob ſolam tamen patientiam & obedientiam à Deo laudatur, *ibid. n.* 5.

Spem de regno cœlorum habet, cui moneta eſt, quam emi poteſt, puta, patientia in tribulatione, *ib. d.* 25. *n.* 3.

S. Paulus Apoſtolus.

Primo vas in contumeliam, poſtea vas electionis, *tr.* 82. *d.* 3. *n.* 1. Ejusdem mira patientia, *tr.* 68. *d.* 2. *n.* 2. 3. Prædicabat, ut auditores inde perseverent fructum, *tr.* 83. *d.* 39. *n.* 7. Ejusdem mirabilis & repentina converſio, *tr.* 82. *d.* 4. *n.* 5. Ex leone ſit ovis, *tr.* 83. *d.* 4. *n.* 7.

S. Paulus vas electionis adhuc timet fieri reprobus, *tr.* 82. *d.* 4. *n.* 4. Quæ quinque verba voluerit loqui Corinthijs? *tr.* 83. *d.* 38. *n.* 2. Qua induſtria. Romanos Neochriſtianos ex Judæis & gentibus conciliaverit. *tr.* 82. *d.* 6. *n.* 2.

SS. Paulus & Barnabas quomodo ordinati ad Evangelizandum, *tr.* 83. *d.* 28. *n.* 2. Quo item modo Judæos contradicentes repudiarint converſi ad gentes, *ibid. d.* 23. *n.* 6.

S. Paulo, utpote, Duci verbi potiſſimum adſcribitur orbis converſio, *tr.* 83. *d.* 44. *n.* 1. Cur Dux verbi nuncupatus, *ibid.* De ſua prædeſtinatione incertus, *tr.* 82. *d.* 3. *n.* 5. Cur ita caſtigarit corpus ſuum, *tr.* 83. *d.* 30. *n.* 2. & *d.* 35. *n.* 7. Per triennium cum lachrymis monuit Epheſios & Mileſios, *tr.* 83. *d.* 41. *n.* 4. Eſto etiam multos languidos miraculoſe ſanaverit, non curavit tamen dilectum & infirmum ſuum diſcipulum Timotheum, Eccleſiæ valdè utilem, *tr.* 94. *d.* 20. *n.* 5.

S. Paulus Eremita.

Canonizatus propter ſolitudinem, *tr.* 89. *d.* 11. *n.* 3.

Paupertas.

Quid ſit, exponitur, *tr.* 69. *d.* 3. *n.* 3. Voluntaria, non neceſſitate coacta, beatos nos efficit, *tr.* 69. *d.* 1. *n.* 1. Paupertatis voluntariæ diverſi gradus, *ib. n.* 2. Ad inſignem in cœlo obtinendam gloriam perducit, *ib. n.* 3. & 4. duplo remuneratur, *ib. n.* 6. Magnâ æſtimatur à Deo, *ib. n.* 7. & 9. Perfectioni aſſequendæ utiliſſima, *tr.* 69. *d.* 2. *n.* 1. Miré à ſapientibus Græciæ laudatur, *ib. n.* 2. Paupertate probat Deus electos ſuos, *ib. n.* 3.

Paupertate crevit olim Eccleſia primitiva, uti & Ordo S. Francisci, *tr.* 69. *d.* 2. *n.* 7. Edomantur vitia, *ibid. n.* 9. Purgantur peccata, *ibid. n.* 10.

Paupertas dives eſt virtutibus, *tr.* 69. *d.* 2. *n.* 6. & *d.* 3. *n.* 2. Paupertas voluntaria eſt inſtar martyrij, *tr.* 69. *d.* 2. *n.* 8. Eſt vita dulcis & quieta, *ib. d.* 3. *n.* 1. Armatura eſt contra diabolum, *ib. d.* 4. *n.* 3. At ſine timore vituperabilis & odioſa, *ibid. d.* 5. *n.* 4. Paupertatis dotes in hoc Mundo, *ib. n.* 5. Paupertas facile medium eſt ad obtinendum regnum cœlorum. *tr.* 69. *d.* 5. *per tot.* Penuria rerum ſpiritualium, non temporalium culpabilis, *tr.* 91. *d.* 4. *n.* 5.

Pauper.

Uti Deo eſt acceptus, ita Mundo execrabilis, *tr.* 69. *d.* 5. *n.* 1. & 2. Pauperum Deus ſpecialem gerit curam, *ibid. d.* 4. *n.* 1. 4. & 8. Pauperibus, non Divitibus, regnum ſuum Deus repromiſit, *tr.* 69. *d.* 4. *n.* 6. 7. & 9. Qui plus cupit, pauper eſt; qui parum habet, eoque contentus eſt, dives eſt ex opulentia mentis, *tr.* 93. *d.* 11. *n.* 4. & 8.

Pax.

Noſtra Dei filius appellari voluit, *tr.* 70. *d.* 1. *per tot.* Pacē gentiles divinum exhibuerunt honorem, *ib. n.* 2. Pax, vox monoſyllaba tribus conſtans litteris, quid illæ ſignificent, *tr.* 70. *d.* 1. *n.* 8. Pax hominis Chriſtiani character, *tr.* 70. *d.* 3. *per tot.*

Pax vobis, cur in Miſſa dicatur ab Epiſcopo, *tr.* 70. *d.* 4. *n.* 9. Pax hæreditatis loco relicta Apoſtolis, *tr.* 70. *d.* 5. *n.* 2. Præponenda divitijs, *ib. n.* 3. Pacis nomine omne bonum ſignificabant Antiqui, *ib. n.* 5.

Pax comparatur flumini, *tr.* 70. *d.* 5. *n.* 6. & *d.* 7. *n.* 4. Soli. *d.* 16. *n.* 7. Oleo, *d.* 7. *n.* 7. Æternæ gloriæ, *d.* 6. *per tot.* Olympo & urbi Jeruſalem, *ibid.* Pax mater abundantiæ, *ds. n.* 9. Plena non datur in hac vita, ſed in cœlis, *d.* 6. *n.* 7. Pacis conſervandæ remedium cedere inquietis, *d.* 6. *n.* 8. & *d.* 17. *n.* 5.

Pax eſt fructus ſpiritus, *tr.* 70. *d.* 6. *n.* 7. & *d.* 7. *n.* 2. Triplex deſcribitur, *d.* 7. Regna erigit & conſervat, *d.* 10. *per tot.* Pax Mundi falſa & mendax, *tr.* 70. *d.* 11. *per tot.* & *d.* 13. *n.* 2. Pacis Chriſti & Mundi plures antitheſes, *ib. d.* 11. *n.* 1. 2. 3. & *ſeq.*

Pax vera cum innocentia & timore Dei conjuncta ſit, *tr.* 70. *d.* 12. *per tot.* In quo conſiſtat *d.* 15. *n.* 3. Pacis conſervandæ remedia, *d.* 16. *per tot.* Pax indicium ſanctitatis, *d.* 12. *n.* 2. Pacem omnes volunt, at non omnes juſtitiam operari, *d.* 13. *n.* 1. & 2. Pax bina Dei & bina Mundi, *ib. d.* 3. Pax fidelium per contradictiones acquiritur, & conſervatur, *tr.* 70. *d.* 13. *per totum.*

Pacis acquirendæ diverſa motiva & modi, *d.* 17. *per totum.*

Pacis acquirendæ diverſa motiva & modi, *d.* 17. *per totum.* Pax mutua creatorum, *d.* 16. *per tot.* Pax amoris mater, *ib. n.* 4. Pacem amantibus fugienda partialitas, *tr.* 70. *d.* 17. *n.* 7.

Pax apud Hebræos omne bonum ſignificat, *tr.* 87. *d.* 1. *n.* 10. Ex tribulationibus pax & conſolatio interna, *d.* 97. *n.* 7. & *d.* 8. *per tot.* Pacem dedit Chriſtus, non quomodo Mundus dat, quâ cauſa pace deponit arma, *ib. d.* 8. *n.* 1. & 2.

Peccatum in genere.

Simile ſerpenti venenoſo, *tr.* 81. *d.* 22. *n.* 8. Capitali inimico, *ib. n.* 9. Propriæ domus incendio, & lethali vulneri, *ibid.* Eclipſi lunari, *tr.* 84. *d.* 2. *n.* 10. Peccata non ſolis eleëmoſynis redimuntur, ſed & vitæ emendatio, ad eorumdem remillionem neceſſaria eſt, *tr.* 80. *d.* 24. *n.* 5. Cur Petrus à peccato reſipuerit; Judas vero deſperaverit, *tr.* 84. *d.* 2. *n.* 6. Peccata ſeptem capitalia comparantur hydropi, *tr.* 84. *d.* 5. *n.* 3.

Peccari gravitas & offenſa unde ponderanda, *tr.* 71. *d.* 2. *n.* 4. Qua ratione ſit averſio à Deo, & converſio ad creaturam, *tr.* 71. *d.* 3. *per tot.* Et infinitæ malitiæ, *ib. d.* 2. *n.* 5. Functū fuit parvum, ſed peccatum magnum, quod commiſit Achan. *tr.* 71. *d.* 3. *n.* 7.

Peccati enormitas & gravitas ponderatur quoque ex parte beneficiorum Dei & Chriſti, *tr.* 71. *d.* 5. *per tot.* Peccatum de novo crucifigit Chriſtum, *ib. d.* 6. *per tot.* Idque ex revelationibus nonnullis confirmatur, *ib. n.* 2. 3. & 4. An peccatum hominis potuerit condonari abſque Paſſione Chriſti? ſi ſic, cur igitur Chriſtus paſſus? *tr.* 71. *d.* 7. *n.* 23. & *ſeq.*

Odio ſunt Deo impius & impietas ejus, *tr.* 71. *d.* 8. *per tot.* Nihil malum in hac vita niſi ſolum peccatum, *ib. d.* 9. *n.* 1. Variæ enumeratur peccatorum ſpecies, *ib. n.* 2. 3. 4. 5. Peccatum qua ratione dicatur infinitum, *ib. n.* 8. Nihil illo deformius, vilius & turpius, *tr.* 71. *d.* 10. *per tot.*

Peccatum mortale comparatur lepræ, *tr.* 71. *d.* 11. *n.* 4. Imo lepram præelegere maluit S. Ludovicus Rex Franciæ, *ibid. in fine.* Prudens moralis Senecæ dictum de peccato, *tr.* 71. *d.* 10. *n.* 5.

Fœtor peccati intolerabilis, *tr.* 71. *d.* 12. *per tot.* Hunc multi ex Sanctis olfactu perceperunt, *ib. n.* 5. & *ſeq.* Homo vivens in peccato nihil differt à beſtia, *tr.* 71. *d.* 13. *per tot.* Et quidem diverſarum beſtiarum efficitur imago, *ib.* & *d.* 20. *per tot.*

Peccatum extrema ſervitus eſt, *tr.* 71. *d.* 14. *per totum.* De membro Chriſti facit membrum diaboli, *ib. d.* 16. *n.* 4. Peccata ſunt arma diaboli, quibus ille nos impugnat, *ibid. n.* 8. Gravitas peccati ex acerbitate pœnæ colligenda eſt, *tr.* 71. *d.* 19. *per totum.*

Propter unicam transgreſſionem primus homo ex paradiſo ejectus fuit. Idem contigit pluribus alijs, *ib. n.* 3. Peccati culpa brevi tempore commiſſa, cur pœna æterna & infinita infinitate extenſiva puniatur, *ib. n.* 4. Et tamen citra condignum punitur, *ibid.*

Peccatum umbram ignorantiæ diligit; quia numquam vult videri, nec cognoſci, quod ſit. Quare à facie colubri, & non leonis, *fuge peccata*, *tr.* 72. *d.* 3. Coluber dicitur, quia colit umbram, *ibid.* Peccatum inſtar nebulæ & fumi, *tr.* 72. *d.* 4. *n.* 2. Cæcitas animarum derivatur à peccatis, utpote à tenebris, *ibid. n.* 4. Peccatum nos ſtolidos efficit, & judicium nobis adimit. *tr.* 72. *d.* 5. *per totum.* Eſt ſumma ſtultitia, & quidem ſtultitia ſpontanea, *ibid. d.* 6. *per totum.*

Peccatum ſimile Hydropiſi. *tr.* 78. *d.* 31. *n.* 6. Idem febri, *ibid. d.* 35. *n.* 3.

Peccator.

Cur dicatur adoleſcentior, quo nomine deſignatur quoque filius prodigus, *tr.* 71. *d.* 4. *n.* 2. Qua via recedet à Deo & inſtigante diabolo fodiat ſibi ciſternas diſſipatas, *d.* 4. *per tot.* Odit Deus omnes, qui operantur, non qui operati ſunt iniquitatem, *d.* 8. *n.* 8. Odio haberi à Deo peccatorem, gehenna deterius eſt, *tr.* 71. *d.* 8. *n.* 9.

Peccatoris ejusque miſerabilis ſtatus fuſe deſcriptio, *tr.* 71. *d.* 9. *n.* 6. & 7. Peccator eſt infamis ob ignominiam & maculam, quam peccatum ei inurit, *d.* 10. *n.* 1. Male agens odit lucem, & quare, *ibid. n.* 5. Inſtar porci & leproſi immundus eſt, *tr.* 71. *d.* 11. *per totum.* Ex ſacro Dei habitaculo dæmonum ſtabulum facit, *ibid. d.* 13. *n.* 2.

Anima tot ſervit ſceptris, quod dedita eſt peccatis, *tr.* 71. *d.* 14. *n.* 3. & *ſeq.* Peccator Samſonis inſtar ligatus funibus & catenis ferreis, *ibid. num.* 5. Tametſi regnet, ſervus eſt, nec unius hominis, ſed, quod gravius eſt, tot Dominorum, quot vitiorum, *ibid. d.* 15. *per tot.* Peccator unus efficitur cum dæmone, *ibid. d.* 16. *per totum.* Magnus dæmon peccatum, *ibid. n.* 2. Anima peccatrix eſt quaſi uxor diaboli, ex quo concipit, quando ei placet peccatum. Omnisque peccator eſt filius Diaboli, *tr.* 71. *d.* 17. *n.* 1.

Peccatum ſervitium laboriosum præſtat Diabolo abſque mercede, *ibid. n.* 4. In inferno numquam Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, ac debitum ſuum perſolvere poteſt, cujus rationes aliquot adferuntur, *tr.* 71. *d.* 19. *n.* 4. Similis ſit beſtiis, *ibid. d.* 20. *per totum.* Amiſit dominium in beſtias, *ibid.* Adamo peccanti alias fuit deſignatus & victus & amictus, *ib. n.* 4.

Omnis peccans eſt demens, cæcus, in tenebris ambulat, infidelis & ignorans, *tr.* 72. *d.* 1. *per totum.* Nullus Deum offenderet, & peccaret, ſi cognoſceret, quid ſit peccatum, & quanta Dei offenſa, *ib. n.* 1. 2. & *ſeq.* Ex ignorantia peccans quidam filius, & ſanctans in bello lethaliter patrem, à Dijs petiit veniam, *ibid. n.* 3.

Qua ratione omnis peccans ſit ignorans, *tr.* 72. *d.* 2. *n.* 1. Peccator non deſerit peccatum niſi illuſtratus luce & notitia Dei, *ib. n.* 5. 6. 7. Error cæcitas & tenebræ peccatoribus concreatæ ſunt, & hanc cæcitatem contraxerunt à protoparentibus, *tr.* 72. *d.* 4. *per totum.* Ad caſtigandos peccatores duo dumtaxat loca in Mundo eſſent neceſſaria, vel officium S. Inquiſitionis, vel Hoſpitale ſtultorum, *tr.* 72. *d.* 3. *n.* 4.

Peccatum inveteratum, ſive ex Conſuetudine.

Peccatum admittere eſt cadere in puteum, conſuetudinem peccandi facere eſt os putei coarctare, ne inde exire valeat, *tr.* 73. *d.* 3. *n.* 5. Conſuetudo contumax peccandi eſt cauſa deſperationis, *ibid. n.* 6. Profundum peccatorum quid & quale, *ibid. n.* 7. & 8.

Nullum peccatum nos à Deo magis alienos & exoſos efficit, Divinaque privat gratia, quam habituatum ſive inveteratum, *ibid. d.* 4. & 8. Conſuetudo inveterata quamdam quaſi peccati neceſſitatem confert, qua fit, ut homo quaſi ſui impos rapiatur in ſuas concupiſcentias, *ibid. n.* 7. Conſuetudo peccandi hominem de peccato in peccatum præcipitat, *tr.* 73. *d.* 1. *per totum.*

Peccator inveteratus.

Per conſuetudinem peccandi ſit obſtinatus inſtar aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, *tr.* 73. *d.* 2. *per totum.* Eſt inſuper lapide inſenſibilior, *ibid. n.* 3. Peſſimum ſignum quando voci & verbo Dei obturantur aures, veluti urbs Ariminenſis fecit S. Antonio Paduano ibidem prædicanti, *ib. n.* 5.

Peccator habituatus in profundum malæ conſcientiæ, cæcitatis, deſperationis, &c. cadit, *tr.* 73. *d.* 3. *per totum.* Quæ ſit differentia inter peccatorem impœnitentem, ſive habituatum & pœnitentem, *ibid. n.* 4. Peccator inveteratus omnia bona, Deum, homines, propriam animam, omnes leges contemnit, *d.* 4. *per totum.*

Deſperati hominis mors in Hoſpitali Romano, *tr.* 73. *d.* 4. *n.* 7. Peccator habituatus ridet, odit & contemnit correctorem ſuum, *d.* 5. *per totum.* Imò vitæ illius inſidiatur, quod quibusdam oſtenditur exemplis, *ibid. n.* 4. Apte ſignificatur per Ericium, *ib. n.* 2.

Peccatoris inveterati typus Lazarus quatriduanus fœtens & ſepultus, *tr.* 73. *d.* 6. *per totum.* Cor peccatoris obſtinati ex conſuetudine mala induratur quaſi lapis, patet in Pharaone & obſtinatis Judæis, *d.* 7. *per totum.* Ut peccator reſipiſcat, non ſufficiunt aures externæ, niſi iſtæ cum internis cordis auribus concordent, *ibid.* Inveterati in peccato carnali vix aut ne vix quidem ad pœnitentiam reduci poſſunt, *tr.* 73. *d.* 8. *n.* 3. 4. 5.

Peccator differens pœnitentiam.

Sive converſionem ſuam, ſimilis infirmo Medicum reſpuenti, *tr.* 81. *d.* 5. *n.* 4. Et equo calcaribus incitato, *ibid. d.* 7. *n.* 14. Et vulnerato rejicienti Chirurgum ſanare cupientem, *ibidem.* Item navi nimium oneratæ, *tract.* 81. *d.* 11. *n.* 6. Et arboribus autumnalibus, *ibidem. diſc.* 5 *num.* 9. Et cuidam latroni, *ibidem d.* 4. *n.* 9. Item Æthiopi; quem vidit S. Arſenius exiguis lignis portandis imparem addere alia ligna, *tr.* 81. *d.* 20. *n.* 5. Et furi, qui juſſu Regis veniam impetrare recuſat, *ibid.* Denique cani, *ib. d.* 21. *n.* 7.

Vix unus ex mille, qui totam vitam in peccatis traducunt, ſalvatur, *ib. d.* 23. *n.* 7. Peccatores obdurati indigni ſunt divina miſericordia, *ibid.* 24. Peccator in converſionis velocitate leporis curſum imitetur, *tr.* 81. *d.* 24. *n.* 8. Peccatum ſenem facit peccatorem, *ibid. d.* 18. *n.* 9.

Peccatum commiſſum ex malitia.

Peccatum ex malitia & cum plena deliberatione commiſſum examinatur, *tr.* 74. *d.* 1. *per totum.* Propter peccata & malitiam Deus ſummopere offenditur, non ita ob alia ex fragilitate commiſſa, *ib. n.* 3. & 4. Peccatū ex malitia gravius peccato ex infirmitate ſive ex paſſione triplici ratione, *ib. n.* 4. & *d.* 2. *n.* 1. Illudque valde deteſtatur S. Scriptura, *tr.* 74. *d.* 1. *n.* 5. Utpote, quod veniam non meretur, *ib. n.* 6.

Peccatum inter & crimen quale diſcrimen ſit, *ibid. d.* 2. *n.* 1. tribus modis committitur, *ibid.* Peccatum in Spiritum S. quid ſit, *ib. n.* 5. Gravitas peccati ex malitia unde deſumenda, *tr.* 74. *d.* 3. & 4. *per tot.* Peccatum Hebræorum inexcuſabile ob habitam ſufficientem notitiam de Chriſto, *ib. d.* 7. *per tot.* Et quidem majus & gravius eſt peccato Pilati, *ib. n.* 4. Trabes peccatum Clericorum, feſtuca deſignat peccatum ſæcularium, *tr.* 74. *d.* 8. *n.* 4.

Inveteratus in malitia difficile corrigitur, *tr.* 74. *d.* 9. *n.* 10. & *d.* 11. *per totum.* Etiam volens vix poteſt abſtinere à mala conſuetudine, *d.* 9. *n.* 2. & 4.

Peccatum ex malitia aggravatur ex facilitate reſiſtendi peccato, *tr.* 74. *d.* 10. *n.* 3. Minus peccatum eſſet viam juſtitiæ non cognoſcere, quam poſt agnitionem retrorſum converti, *tr.* 74. *d.* 11. *per totum.* Peccata eo graviora, quia à Chriſtianis patrata, *ibid. d.* 12. *per totum.* Ubi ſublimior eſt prærogativa, ibi major eſt culpa, *ibid. n.* 5. Tanto graviora humana delicta, quanto majora hominibus exhibita divina beneficia, *ibid. n.* 5. & *d.* 13. *n.* 5. Quodnam gravius crimen, Ananiæ & Saphiræ? An verò Simonis Magi? *d.* 13. *n.* 3.

Peccator peccans ex malitia.

Majori inſtructus lumine & ſcientia, uti & in altiori conſtitutus dignitatis gradu gravius peccat, majoremque meretur pœnam, *tr.* 74. *d.* 6. *per tot.* & *d.* 10. & *d.* 11. *per tot.* Religioſi gravius peccant, quam ſeculares, *ib. n.* 5. & *d.* 8. *n.* 4.

Aliud eſt iram Dei mereri, aliud provocare, pulchra expoſitio S. Iſidori, *tr.* 74. *d.* 8. *n.* 1. Provocant iram Dei, qui majori Dei notitia prædicti peccant, *ib. d.* 8. *per tot.* Doctus gravius peccat quam indoctus cæteris paribus, *tr.* 74. *d.* 11. *n.* 1. 2. 3. 4. Gravius peccant fideles ſub novo teſtamento, quam ſub veteri, *tr.* 74. *d.* 12. *n.* 1. & *d.* 13. *n.* 5.

Peccator ſui-ipſius homicida eſt & hoſtis, *tr.* 77. *d.* 7. *n.* 6. & *d.* 17. *n.* 7. Omnis inordinatus animus ipſe ſibi pœna eſt, *ib. d.* 18. *n.* 1. Adeo gravis eſt culpa conſcientiæ, ut ſine judice ipſamet ſe puniat, *ib. d.* 22. *n.* 2. Peccator ſui-ipſius carnifex, *tr.* 77. *d.* 25. *per tot.* Mortaliter peccando ſeipſum damnificat, *ibid. d.* 26. *per tot.* & *d.* 27. *per tot.* Peccator ſimilis vulpib. Samſonis cauda ligatis, *d.* 26. *n.* 3. Unde procedat, quod peccator laqueis & retibus ſponte ſe inneëtat. *d.* 28. *n.* 6.

Per quæ quis peccat, per hæc & punietur, *tr.* 77. *d.* 29. *per tot.* Peccator ſuis ſatisfaciens appetitibus pariter laborat & fatigatur, *tr.* 77. *d.* 13. *per tot.* Semper inveniet ſpinas, quodcumque elegerit, *ib. d.* 14. *per tot.* Via peccatorum ſub initium facilis; at poſtea difficilis, & in fine difficillima & amariſſima, *ib. d.* 13. *n.* 1. Lætitia peccatoris à morte æterna non plus diſtat, quàm uno oris flatu, *ib. d.* 16. *n.* 5. Peccatores comparantur hædis, *tr.* 78. *d.* 30. *n.* 8. Et rotæ, *d.* 34. *n.* 4.

Pecca-

Peccatum recidivum.

Per relapsum dæmonis possessio in anima firmatur, *tr.75. d.4.per tot.* Dæmon expulsus per pœnitentiam revertitur per recidivum, *ibid.n.1.* Domus Dei per recidivum fit domus diaboli, ideoque hic dicere potest: *Revertar in domum meam.* ibid.

In infirmitate tam spirituali, quam corporali relapsus periculosior,& quare,*ib.n.5.& 6.*

Viri timorati mala recidivi peccati fugere fatagunt, *ibid. num.7.*

Peccator recidivus.

Recidivi pejores bestijs, similes canibus & porcis, *tract.75. d.1.per totum.* Majori digni supplicio, *ibid.d.1.per tot.* S.Franciscus recidivo denegavit benedictionem, *ib.n.4.* Cur recidivi difficilius à peccatis resurgant, *ibid.d.3.per tot.* Relapsorum pœna descripta à D.Anselmo, *ib.n.2.* Irrisor est, non pœnitens,qui actum agit,*ib.n.7.*

Recidivus vitia sua per hypocrisim tegere nititur, *tr.75.d.4. n.2.* Est instar captivi fugientis,sed ad carcerem reducti, *ib. n.4.*Rursum crucifigit Christum,*tr.75.d.5.per totum.* Christiani recidivi post baptismum magis cruciabantur; à malignis spiritibus,quam ante baptismum,*ib.n.3.*

Recidivus magnam Deo facit injuriam, & ideo qui sanus factus, ne fiat recidivus, cum paralytico se recipiat in templum,*tr.75.d.6.n.1.& 2.* Infirmum quoque à febri liberatum imiterur,necesse est,*ibid.n.4.*

Recidivi culpa & pœna augetur propter ingratitudinem, *tr.75.d.7.per tot.*Qua ratione peccata in recidivo redire dicantur,*ib.n.2.* Peccator relabitur, quia & metuere definit, & donum remissionis peccatorum despicit, *ibid. n.3.* Urbs Romana propter recidivum & ingratitudinem castigata per Genfericum Regem.*ib.n.6.*

Recidivus indicat se non egisse pœnitentiam, nec habuisse firmum emendationis propositum ideoque damnatus fuit quidam Canonicus Parisinus, *tr.75.d.8.n.1.2.3.* Recidivi culpa curatu difficillima est, *ibid.n.6.*

De pœnis, quibus Deus in recidivos, eorumque peccata animadvertit, *tr.75.d.9.per tot.* Qui sciunt esse pœnitentiæ remedium, nec eo uti volunt, graviora luent supplicia, *ibid. n.6.* Execrabiles qui in conspectu Dei, id est, Dei habentes notitiam, temere peccant, & ab eo recedunt, *tr.75.d.10. per tot.* Cogitare Deum esse præsentem, & tamen peccare grande scelus est, *ibid.n.2.3.& seq.* Dei præsentia deterret bonos à peccato, *ib.n.5.6.7.*

Peccatum veniale.

Ad leviora peccata Deum sedulo nos pertrahere curat, ut in graviora inducat, *tr.76.d.1.per tot.* Judas proditor modica spernens decidit in graviora, *ib.n.4.& d.3.n.6.* Peccata leviora nõ curantes in magna paulatim labuntur precipitia.*d.2.per tot. & d.3.n.4.per tot.* Dæmon instar aquilæ modico pulvere cervum obcæcantis & capientis,*ib d.2.n.5.*

Religionum diversarum relaxationes & corruptelæ à levibus ortæ fuere defectibus, *tr.76.d.2.n.5.* Graves Religiosorum lapsus ex leviorum defectuum neglectu,& contemptu,*ib.d.4. n.3.* Peccata venialia muscis morientibus similima,*tr.76.d.4. n.5.& d.7.n.1.* Solicitè à levibus peccatis abstinendum, quia per ea dæmon nos illaqueat,*ibid.d.5.per totum.*

Sufficit Dæmoni modicum lucrum sub initium, *tr.76.d.6. per tot.* Scit enim verissimum illud: Qui spernit modica, paulatim decidet; variæ hujus expositiones,*ibid.n.1.* Venialia tepidos nos efficiunt in bonis operibus, & debiles adversus tentationes, *ibid.d.7.per tot.* Nonnulla referuntur damna culpæ venialis,*ibid.n.2.3.4.5.& d.8.per tot.*

Venialia animam à prompta gloriæ consecutione retardant,& in purgatorio detinent, *tr.76.d.8.per totum.* Ubi refertur quorumdam sententia existimantium, veniale non remissum in hac vita, in morte transire in mortale; sed non approbatur, *ibid.n.1.*

Varia nonnullorum exempla, quorum animæ à peccatis venialibus expurgatæ fuerunt in purgatorio, *tr.76.d.8.n.7.8.9. 10.11.12.& d.9.n.6.7.8.*

Gravitas peccati venialis ex pœna damni & sensus, qua in altera vita castigatur,clare deducitur, *tr.76.d.9.per tot.* Supina negligentia eorum,qui venialium expiationem ad purgatorii differunt,*ib.n.5.*Qualis sit pœna damni & sensus in purgatorio, *ib.n.9.& 10.*Deus detestatur peccatum veniale,& qua ratione, quibusque pœnis illud puniat, variis ostenditur exemplis, tam ex veteri quam ex nova lege adductis,*tr.76.d.10.per totum.*

Rex Salomon ex contemptu leviorum lapsus est in idolatriam,aliaque scelera, *tr.76.d.11.n.2.* Plura exempla, *ib.n.3. & seq.* Evæ pariter peccatum inobedientiæ processit ex pluribus prævijs peccatis venialibus,quænam illa fuerint, exponitur,*ibid.d.12.per tot.*

Quamvis multa peccata venialia nequeant constituere mortale, ad illud tamen disponunt, *tr.76.d.13.per tot.* Peccatum etiam leve suum habet venenum,ideoque semper timendum, ne in pejora nos det præcipites, *ibid.d.14.per tot.* Confirmatur exemplo S. Macharij, *ibid.n.2.* Omne mendacium etiam jocosum peccatum est, *ibid.n.7.* Veniale est vera offensa Dei, unde nec flocci æstimandum,*ib.d.15.per tot.* Nullum peccatum leve dicendum,quo Deus inhonoratur,*ib.n.1.& 4.*Neque ullum de se veniale est,*ib.n.3.*

Pincerna Regis Ægypti & pistorum Magister ob leves culpas in carceres conjecti, *tr.76.d.15.n.2.* Culpa venialis majus malum,quam sint omnia mala pœnæ collective sumpta, *ibid.n.6.*

Perfectio hominis in eo consistit, ut omni conatu fugiat peccata venialia,*tr.76.d.16.per tot.* Peccata licet levia impediunt spiritum devotionis, ideoque servi Dei solicitè illa fugiunt,*ibid.d.17.per totum.* Culpas leves viri sancti severissimè castigarunt,*ib.n.5.* Minimos etiam defectus fugiunt, utpote, à Christo Judice judicandos, *ib.d.18.per tot.* Eosdem Deus castigat, *ib.n.4.& 6.& seq.*

Facilis à levibus ad majora est transitus, ideoque lex divina omni ex parte observanda, *tr.76.d.19.per tot.* Minima etiam transgressio instar manubrij est, *ib.n.5.* Veniale non minus fugiendum quam mortale, quia Deus videns opera nostra permixta peccatis venialibus,eorum habet nauseam,*tr.76.d.20. per tot.* Major cur adhibenda in extirpandis venialibus,quam in mortalibus,*ib.n.1.* Levem culpam interdum existimamus, quæ in conspectu Dei gravis est, *ib.n.3.*

Variæ differentiæ inter veniale & mortale, & nonnullæ peccatorum venialium species allegantur, *tr.76.d.21. per tot.* Peccata venialia scienter & cũ complacentia admissa S. Scriptura & SS.Patres detestantur, *ib.d.22.per tot.* Nulli umquam licet culpam venialem committere, *ib.n.3.* Peccans venialiter ex deliberatione abutitur Dei misericordia,*ib.n.7.*Multa & varia remedia peccatorum venialium,*ib.d.23.per tot.*

Peccatum mortale.

Peccatum instar ignis, quo anima & in hac,& in altera aduritur vita,*tr.77.d.1. per totum.* Sub fœni, stipulæ, lignorumque metaphora varia repræsentantur peccata magis minusque gravia, non solum mortalia, sed etiam venialia, *ibidem num.5.& tr.76.d.21.n.1.* Quatuor ignes vidit Furseus vir sanctus repræsentantes 4 peccatorum genera, quibus consumitur Mundus, *tr.77.d.1.n.6.* Peccatum mortale unæ eum peccatoribus sub inferni nomine describitur, *ibid.d.2.per totum.* Est porta inferni, *ibid.n.4.* Non solum simile inferno, sed etiam deterius est, præsertim ob pravam conscientiam, *ib.d.3.per totum.*

Peccatum mortale committentes, mortem, ut plurimùm sibi accelerant, & ex improviso pereunt, *tr.77.d.4.per totum.* Mors mortaliter peccantium in fine vitæ pessima, *ibidem d.5. per totum.* Qua ratione mortale peccatum animæ simul & corpori mortem inferat, *d.6.& d.7. per totum.* S. Thomas Aquinas capere vix potuit, quomodo homo peccato mortali obnoxius videri possit,*ibid.n.3.*Proprium mortis alimentum peccati natura,inde mors nata est,inde corroboratur, *ibidem n.4.& 6.* Proprium est peccato mortali corpus & animam perdere in gehennam, *ibid.n.5.* Variæ inter mortem corporis & animæ comparationes, *tr.77.d.7.n.5.* Peccatum morte deterius & gravius est, *ib.n.7.*

Ob peccatum mortale Deus animam deserit, quanta hæc sit jactura,ostenditur, *tr.77.d.8.per tot.* Non deserit Deus,nisi primo deseratur,*ib.n.2.* Ob peccatum mortale omnium bonorum merita prius acquisita perduntur,*ib.d.9.per tot.*Varia mala in animam reatu derivantia recensentur,*d.10.per tot.*

Peccatum intrans templum Dei cor hominis, cum Antiocho surripit ei septem genera bonorum spiritualium, *tr.77.d. 10.n.2.* Multa referuntur damna peccati mortalis, à quo peccator ex seipso refugere nequit,*ib.toto d.11.* Peccatum mortale cuncta opera bona extra statum gratiæ facta inutilia efficit ad obtinendam salutem æternam; unde opera bona facta in mortali sunt mortua,*ib.d.12.n.1.& 2.* Non tamen ab operibus bonis abstinendum ob multa bona quæ aliunde afferuntur bona opera,*ib.n.3.4.5.6.*

Peccatum mortale nuncupatur puteus,& quare, *tr.77.d.13. n.2.* In quocumque peccato inveniuntur spinæ, *d.14.per tot.* Per has impij ad infernum tendunt,*ib.n.3.*Quia non ad latentes spinas,sed ad rosas oculos convertunt,*ib.n.7.*Radix juniperi typus peccati,*ib.n.7.* Peccatum mortale qualem habeat annexam inquietudinem,declaratur toto *d.15.*

Partus seu potius abortus peccati mortalis sunt dolores, ærumnæ & pœnæ,quibus subjacent peccatores, *tr.77.d.16.per tot.*Peccatum mortale vipera est,quæ concipit, parit & perit, *ib.n.2.* Et sicut venenum aspidum,quod primo facit dormire, antequam occidat, *ib. n.3.* Adhuc confidarentur impiorum miseriæ & afflictiones animi interiores, *toto d.17.& toto d.18* Peccato nil amarius, *ib.n.4.& 5.*

Metum & tremorem peccatum mortale incutit impijs. Ubi fusè agitur de vermi seu remorsu malæ conscientiæ, *tr.77.toto d.19.toto d.20.21.& 22.* Magnates etto vivant in delicijs,nom tamen ideo exempti à puncturis malæ conscientiæ,*tr.77.d.21. n.3.4.5.6.* Peccatum mortale gravissimum onus,quo onerata anima

anima ponderosior est universa terra,*ibid.d.23.per tot.* Peccatum grave in se continere pondus ostenditur ex pluribus S. Script.locis,*ibid.d.24.per tot.* Multi sunt,qui malunt sub gravi peccatorum farcina succumbere, quam jugum Christi elevans nos ad cœlum suscipere,*ibid.n.1.* Jugum Christi leve, & jugum peccati grave, pulchra ratio, *ibid.* Plus ponderis habebat solum Jonæ peccatum, quam alia omnia, quæ navis portabat. *ib.n.5.*

Peccatum mortale peccatorem adeo constringit, ut per effrenes suos appetitus eum sui-ipsius carnificem efficiat, *tr. 77.d.25.per tot.* Peccata sunt vincula, quibus nosmetipsos stringimus, cumque oculos in voluptates conjicimus, amaritudinem à peccato mortali derivantem non advertimus. *tr.77. toto d.28.* Flagella, quibus Deus transgressores castigat, sæpe in manibus peccatorum invenit; unde verum illud: per quæ quis peccat, per hæc punietur,*d.29.per totum.* Peccatum mortale occultari nequit, sed tum a Deo, tum a propria mala conscientia manifestatur, *d.30 per totum.* Valdè decipimur, si peccatum abscondi posse credimus, quod facillimè manifestatur.*d.31.per totum.* Inter peccatum & colubrum apta intercedit similitudo ab plures rationes,*ib.n.7.* Peccatum simile lepræ, *ib.n.8.*

Peccati pœna.

Adversitates,ærumnæ & infortunia, quæ nos vel in communi, vel in particulari affligunt, peccatorum pœnæ sunt, *tr.78.d.1.per tot.* Varias in veteri lege maledictiones incurrebant peccatores, *ib.n.2.* Peccatum omnium noxiorum malorum fontem esse bene declarat S. Basilius, *ib.n.2.* Et S. Carolus,*ib.n.3.*

Ex peccatis nascitur civitatum populorumque exterminium, *tr.78.d.2.per tot.* Qua peccatum offendit Deum,& creaturas, ideo hæ armantur & pugnant contra insensatos, *ib.d.3. per totum.*

Terræmotus à Deo permittuntur tum in pœnam peccatorum, tum ut corda peccatorum commoveantur ad pœnitentiam, *tr.78.d.4. per totum.* Fames sterilitas terræ peccatorum nostrorum sunt effectus, *ib. d.5.per tot.* Ariditas & siccitas terræ à peccatis nostris provenit, & per pœnitentiam cessat amoveturque,*d.6.per tot.*

Pluviæ excessivæ inundationesque aquarum à peccatis populorum derivantur, hisce vero per pœnitentiam amotis cessant illa,*d.7.per tot.* Grandines similesque calamitates peccatorum pœnæ esse solent,*toto d.8.*

Ira Dei armat creaturas suas ad castigandos rebelles, *tr.78. d.8.n.5.& 6.* Grando non est extremum Dei supplicium, sed virga paterna,*ibid.n.8.*

Mare per tempestates & naufragia impios sæpè punit, *d.9. per tot.* Ignis injurias Creatori suo illatas per incendia vindicat.*d.10.n.1.2.3.4.* At sæpè parcit alijs, in quibus peccatum non invenit,*ib.n.5.6.& seq.*

Deus tonitrua excitat ad incutiendum peccatoribus metum & ad eos convertendos, suaque in eos fulmina mittit, ut suam adversus peccata iram effundat, *d.11.per totum.* Nec promptiores habet furoris sui executores ipsis fulminibus, *ib.n.7.* Quomodo nonnulli fideles contra fulmina se obarmare solebant,*ib.n.8.*

Peccata nostra barbaros hostes contra nos corroborant, nostrasque debilitant vires, *tr.78.d.12.per totum.* Deus bella & inimicos contra nos excitat, ut in nobis peccata castiget, *d.13.n.1.2.3.4.* Bellum cessabit,si bellum indicatur, *ibid.n.5.6. 7.& 8.*

Pestis Dei per peccata irritati flagellum est, *tr.78.d.14.per totum.* Cur Davide peccante populus luere debuerit, *ib.n.8.* Non solum animalia ferocia, sed etiam minima animalcula sæpè divinæ justitiæ executores sunt,quibus impij castigantur, *d.15.per totum.*Ipsa etiam animalia una cum homine perduntur, ut culpæ gravitatem addiscamus, *ib.n.5.*In ipsos impios conspirant omnia animalia, *ib.n.6.*

Multæ considerantur miseriæ & calamitates publicæ quæ peccatorum nostrorum sunt pœnæ, *d.16.per tot.* Infirmitates corporales,ut plurimùm, fructus & pœnæ sunt nostrorum peccatorum,*d.17.per tot.*

Sententia illa Sapientis: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, verissima est, ut ostenditur per exempla adducta, *tr.78.d.18.per tot.* Eamdem materiam author prosequitur septem sequentibus discursibus, *19.20 21.22.23.24.25.*

Impij in perversis suis consilijs deluduntur, siquidem malum,quod alijs machinantur,in ipsos plerumque recidit,*tr.78. d.26.per tot.* Ut patet in quodam impostore injuste ephebum S. Elisabetæ accusante & punito, *ib.n.4.* Continuatur eadem & confirmatur pluribus alijs S. Scripturæ auctoritatibus, exemplis & historijs,*d.27.& d.28 per tot.*

Specialis peccati pœna est, quod unum post se trahat aliud, nisi deponatur per pœnitentiam, *d.29.& d.30.& d.31. per tot.* Peccatum comparatur hydropisi, *ib.n.6.*

Impunitas & prosperitas peccatorum in hac vita infallibile Dei contra illos indignantis indicium est, *d.32.per totum.* Prosperitas impij signum est iræ Dei, quæ tandem suo tempore illum involvet, *d.33.per tot.* Prosperitas impij in hac vita æternæ perditionis indicium est,*d.34.per tot.* Quod reprobi in hoc mundo fœlices sint, manifeste ostendit Deum illis iratum esse,*d.35.per tot.*

Peccatorum remedia.

De hisce fusè agitur tot. *tract.79.* Variæ institutorum considerationes,quibus à peccatis arceamur, eaque detestemur, *ib.d.1. per totum.* Quinque porticus piscinæ probaticæ sunt quinque considerationes quas debet habere peccator, *d.2.n.2.* Efficax peccati remedium est, si consideremus quam celeriter peccati voluptas transeat, *d.2.n.4.* Et quænam fuerint offendicula, *ibid. n.5.* Frenum quoque est auricularis peccatorum confessio, *ib. n.7.*

Peccatum quantumvis leve sit, in primis suis principijs est suffocandum,ejusque radix extirpanda, *d.3.per totum.* Nec vel minimus serpenti infernali in cor nostrum concedendus est aditus, *d.4.per totum.*

Peregrinatio.

Hebræi in Hebron peregrinabantur veneraturi ossa SS. Patriarcharum,*tr.87.d.1.n.2.*

Perfectus: Perfectio.

Perfectionis Christianæ fundamentum & complementum est patientia,uti & culmen,*tr.68.d.8.n.3.& d.10.n.5.* Perfectio hominis in eo consistit, ut omni conatu fugiat peccata venialia,*tr.76.d.16.per tot.*

Perfectos etiam aggreditur vana gloria, *tract.95.d.3.per totum.* Perfectiores similes sint peritioribus pictoribus, minus peritos imitentur minus perfecti in virtutibus,*ibid.d.6.n.10.*

Quilibet in suo statu potest esse perfectus, *tr.96.d.2.per tot.*

Perseverantia.

Christianorum est fulcrum Ecclesiæ,*tr.80.d.1.n.4.* Ad perseverantiam efficax exhortatio, *ib.n.1.2.5.& 6.* Perseverantia est signum prædestinationis,*ib.n.7.& d.4.n.1.* Ad perseverandum duo allegat motiva Apostolus, *tr.80.d.2.n.1.*

Omnia opera bona frustranea sunt sine perseverantia,*tr.80. d.2.n.3.4.& 7.*Stulte agit,qui nõ perseverat,*ib.n.4.*Perseverantiæ quantopere insidietur Diabolus,*d.3.n.3.& 4.* Perseverantes Deus protegit,inconstantes rejicit.*ib.n.9.* Sola perseverantia à Deo coronatur, *d.4.n.4.& 9.*

Ad perseverandum varia adducuntur motiva & incitamenta, *tr.80.d.3.n.12.& seq.& d.7.n.2.& seq.* Perseverantia est donum Dei,*ib.n.10.*Sine perseverantia nulla est virtus,*tr.80 d.4.n.7.* Ad perseverantiam requiritur,ut semper in via virtutis progrediamur,numquam stemus, *ib.d.6.per tot.* Necessaria est ad perseverantiam sustinentia, tolerantia, constantia in prosperis & adversis,*ib.d.7.per tot.*

Persæ.

Juxta quas leges vixerint ante Evangelij prædicationem, *tr.83.d.8.n.5.*

Pestis.

Immediatum irati Dei flagellum est, *tr.78.d.14.per totum.* Pestilentiæ remedium est pœnitentia de peccatis concepta, *ib.n.16.* Tempore pestis S. Carolus multas instituit processiones,*ibid.n.3.* Pestis an sit accidens vel substantia,discutitur,*ib.n.4.*

Mediante cultu SS. Reliquiarum urbs Panormitana & Mediolanensis liberata fuit à peste, *tr.87.d.7.n.2.* Pestis est superbia,*tr.90.d.4.n.5.6.& 9.& d.8.n.6.*

S. Petrus.

Christum, quem prius ferventissimè semper amaverat,in passione negavit, *tr.81.d.9.n.6.* Protinus tamen post trinam negationem conversus,& qua de causa,*ib.d.25.n.8.* Præteris claves regni cœlorum accepit. *ib.* Cur Malcho amputarit auriculam,*tr.83.d.23.n.2.*Cur eidem dictum: Duc in altum, *ibid.32.n.7.* Examinatur de amore, priusquam ad summum pastoratus officium evehatur,*tr.83.d.36.n.2.* In prima concione quid prædicaverit,*ib.d.38.n.5.* Qua ratione vulneravit Domini patientiam,*tr.68.d.4.n.2.*

Pharao.

Pharaonis obstinati exemplum plurimi hodie sequuntur,*tr. 81. d.5.n.2.* Quam obstinatus fuerit, ne verum Deum agnosceret,& Israelem dimitteret,*ib.* Cur una cum suis submersus, non ereptus fuerit ab aquis, cum tamen pœnitentiam promiserit, *tr.81.d.12.n.2.* Pharaoni improperari non potest, quod unum è vinctis dimiserit,alium supplicio affecerit, *tr.82.d.8. num.5.*

Pharisæi.

Dolose Christum audientes multos repræsentant hoc tempore,*tr.83.d.21.n.1.* Pharisæi avari deridentes Christum quam graviter puniti,*ib.d.25.n.3.*

Pharisæus *Luc.* 18. multiplici laboravit superbia, *tr.90.d.1. n.9.* Sola superbia cunctis cum exuit virtutibus, *tr.90.d.4. num.1.2.3.4.*

S. Philippus Nerius.

Patientissimè ferebat denigrationem famæ, *tr.68.d.12. num.3.* Dicere solebat: quantum amoris creaturis impendi-

tur,

tur ; tantumdem Creatori adfimitur , *tr.74.d.2.n.1.* Amabat nesciri & vilipendi,*tr-95.d.2.n.5.*

Instituit,ut Romæ in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella quotidie excepto Sabbatho quatuor habeantur conciones , *tr.83. d.2.n.2.* Ad dignitatem mundanam anhelantem tandem ad religionem convertit , *ib.d.3.n.4.* Liberavit animam Præfecti mutices ex purgatorio,*tr.86.d.12.n.8.* Plurium animas ad cœlum vidit evolantes, *tr.96.d.2.n.8.*

Philistæi.

Impedientes,ne faber esset in terra Israël, quid mysticè significent,*tr.83.d.25.n.6.& d.39.n.4.*

Photion.

Philosophus centum talenta auri ab Alexandro magno missa sprevit,ne virtuosæ vitæ suæ obessent,*tr.69.d.2.n.2.*

Pictor.

Quidam ob lascivam imaginem à se depictam post mortem punitur,*tr.86.d.11.n.8.*

Pilatus.

Plus admiratur Christi Domini patientiam, quàm miracula,*tr.68.d.3.n.8.* Eumdem flagellari justit,& tamen à sanguine ejus vult esse innocens, *tr.81.d.12.n.4.*

Pincerna.

Regis Ægypti & magister pistorum ob leves culpas in carceres conjecti sunt, *tr.78.d.15.n.6.*

Pisces.

Cur non adhibiti in sacrificijs, *tr.81.d.16.n.6.* Pisces vocati à S. Antonio de Padua ad audiendum Dei Verbum gregatim adnatarunt , *tr.83.d.26.n.6.* Pisces magni in Evangelio quosnam denotent, *ib.d.47.n.3.* Piscis remora vastissimas naves in medio cursu fistit & tenet immotas,*tr.81.d.3.n.7.* Numerus piscium,quos cœpit Petrus , mysticus indicans tres status hominum, *tr.96.d.1.n.11.* Piscatores vocantur Concionatores,*tr.83.d.47.n.4.* Stupiditas rusticorum Asiæ in capiendis piscibus,*tr.94.d.11.n.3.*

Placidus.

Romanus patientissimus in amissione uxoris, filiorum aliarumque rerum temporalium jactura, *tr.68.d.12.n.5.*

Pœna sive punitio.

Pœna voluntaria plus valet in præsenti , quam involuntaria in futuro,*tr.86.d.2.n.3.* Pœna purgatorij acerbior,quam Inferni,& qua ratione, *ib.n.4.* Ab ista sola differt perpetuitate, *ib.n.6.* Pœnarum purgatorij gravitas & varietas, *tr.86.d.3.n.2. & 3.* Pœna damni est maxima in purgatorio,*ib.n.5.*

Pœna cujusdam concionatoris ob ambitionem à Dæmone obsessi,*tr.83.d.48.n.6.* Pœna peccati correspondet culpæ,*tr.78 totis sequentibus discursibus,* 18.19.20.21.22.23.24.25. Specialis peccati pœna,quod unum mox trahat aliud,*tr.78.d.2.9.n.30.& d.31.per tot.*

Mala pœnæ à Deo infliguntur ad manifestandam ipsius gloriam , *tr.94.d.3.n.1.* Pœna aperit oculos , quos culpa claudit,*ib.d.9.& 10.per tot.* Tribulatio patienter tolerata solvit pœnas debitas pro peccatis , & ab ijs nos expurgat , *ibid.d.12. & d.13.per totum.* A pœnis temporalibus , & frequenter ab æternis tribulatio nos eximit , *tr.94.d.27.n.5.6.7.8.9.* Si consideremus tribulationes peccatorum nostrorum esse pœnas eò lubentiùs illas sufferemus , *ib.d.28.per totum.* Vanæ gloriæ cupidus pœnam de pretio salutis miser mercatur æternam, *tr.95.d.7.n.3.& 4.*

Pœnitentia.

Non procrastinanda , *tr.81.d.1.n.1.& 2.* Nec esset differenda,quamvis quis certus esset de hora mortis suæ , *ib.n.4.* Pœnitentiæ dilatæ plura damna & mala , *ib.n.3.& 5.* Pœnitentiæ tempus importunum est finis vitæ,*tr.81 d.10.per totum.* Neque tempus infirmitatis idoneum est, *d.11.per totum.* Opportunum vero tempus sanitatis,*ib.n.2.*

Pœnitens in finem vitæ differentes comparantur Virginibus fatuis, *ib.n.3.* Pœnitentia infirmi ex naturali , non vero ex virtuoso timore procedit , *tr.81.d.12.num.4. & 5.* Coacta valde suspecta, *ib.d.14.n.6.* In fine vitæ raro vera , quia fer., *ib.n.7.* In nostro arbitrio non est posita,sed Dei gratia, *d.15. per tot.* Qui eam differunt in finem vitæ,Deo sunt abominabiles, *d.16.per tot.*

Pœnitentiæ procrastinatio specialis techna Dæmonis,*tr.81 d.17.per tot.* Quam fallax sit procrastinantis dispositio,*d.18.per tot.* Ejusdemque magna stultitia,*d.20.per tot.* Manifesto se exponit perditionis periculo,*d.19.per tot.* Plura alia damna, *d.21.* Procrastinatio valde periculosa, *d.22.n.2.*

Pœnitenti qui veniam spopondit , peccanti diem crastinum non promisit , unde procrastinantes petimè faciunt. *d.26.per tot.* Ad pœnitentiam tam cito homo resurgere deberet;quam cito Deus vult mutare sententiam,*tr.81.d.25.n.10.*

Pœnitentiam procrastinantes similes sunt Ericio parturienti,*tr.81.d.3.n.5.* Variis modis Deus nos vocat ad pœnitentiam, vitæque emendationem,*ib.d.5.n.6.* Ad pœnitentiam Deo vocanti tarditus respondentes sæpe morte improvisa puniuntur. Idque variis ostenditur exemplis,*d.6.per tot.& d.7.per tot.*

Pœnitentiam in extremis quam difficilem reddat invetcrata peccandi consuetudo,*d.8.per tot.* Ad eam parum dispositi sunt agonizantes , *d.9.per totum.*

Cur in Sacramento pœnitentiæ pœna æterna commutetur in temporalem,non autem in Baptismo,*tr.75.d.5.n.2.* Qui sciunt esse pœnitentiæ remedium,nec eo uti volunt, gravioria luent supplicia , *tr.75.d.9.n.6.* Per levem dolorem seu pœnitentiam non tollitur culpa gravis, *tr.81.d.12.n.4.*

Temerarius est , qui conversionem suam procrastinat , & disponit de tempore,quod non est in potestate sua, *tr.91.d.2. per tot.* Multa de hac materia, *tr.91.De tempore V. Tempus.*

S. Polycarpus.

Ejus prudens responsum datum Proconsuli,*tr.71.d.5.n.5.*

Pomponius.

Atticus sexagenario senior cum Matre nonagenaria & cœva sorore numquam rixatus fuit,*tr.70.d.16.n.8.*

Pontifex.

Veteris Testamenti cur aurea tintinnabula inter malogranata in fimbria tunicæ portaverit,*tr.83.d.38.n.3.*

Purpuratis Patribus in primo consessu Pontifex os claudit, ut muto silentio audire discant,*tr.88.d.8.n.8.*

Pius V.Pont.Max.quam patiens fuerit in sufferendis calculi doloribus,*tr.68.d.11.n.8.*

Prædestinatio.

Quid sit,*tr.82.d.1.n.3.* Dei certitudo quo ad nostram prædestinationem cum nostra cooperatione conjunctam,*ibid.d.1. per tot.* Prædestinatio æterna vocatur generatio cœlestis, *ibid. n.3.* Quam nobis incerta,tam Deo certa, *ib.n.4.& 5.* S.Paulus de sua prædestinatione incertus,*ibid.n.3.*

Prædestinatione nimium tribuentium responsio refellitur efficacibus quibusdam argumentis,*tr.82.d.5.per tot.* Ubi etiam quid dæmoni tentanti respondendum sit circa prædestinationem & reprobationem,*ib.* Prædestinatio in quantum à Deo, & in quantum ab homine dependeat, *tr.82.d.6.n.2.* Et gratiæ præparatio,gratia vero ipsa donatio,*ib.d.7.n.2.& 3.*

Prædestinari possumus,modo velimus , *tr.82.d.4.n.5.* Idque variis probatur exemplis , *ib.n.6.& 7.* Si vis esse prædestinatus,meritorie vivas,necesse est, *d.5.n.3.*

Scitu difficile est , an simus prædestinati , ubi producuntur nonnullæ rationes & causæ, cur Deus id nobis reliquerit incertum,*tr.82.d.1.per totum.*

Prædicatio & Prædicator.

Prædicationis primæ S.Petri quis fuerit effectus, *tr.83.d.12 n.2.* Prædicatio non minus prodest,quam corpus Christi,*ib.n.3.* Cur Ecclesia non dederit præceptum audiendi conciones , *ib. n.4.* Cur prædicationi præmittatur salutatio Angelica, *tr.83.d. 37.n.7.& d.50.n.6.* Promulgandum verbum Dei,ut extirpentur vitia,*ib.d.38 per tot.* Prædicationem præcedat operatio,*d.30 n.5.* Prædicatio verbi Dei comparatur Musicæ,*d.21.n.1.& d.22 n.1.& Missi.d.29.n.3.& d.30.n.2.* Sine assistentia Dei prædicatio non fructificat,*tr.83.n.37.per tot.* Prædicationis materia in his quatuor consistat ; quæ sint vitia ; quæ virtutes ; quæ pœna ; quæ gloria , *ib.d.39.n.2.* Prædicatio Evangelica capacitati auditorum attemperanda, *ib.d.45.per totum.*

Prædicator an à Deo missus sit , per tria evidentia signa cognoscitur,*tr.83.d.39.n.1.* Animarum lucro sit intentus , *ibid. per tot.* Ante omnia Veterum & SS. Patrum in dicendo imitetur virtutes , *ib.d.40.n.4.* Væ Prædicatoribus fingentibus aliquid à seipsis ad inanem captandam gloriam,*ibid.n.5.* Inutilis eorum eloquentia,nisi ad salutem tendat animarum. *d.38. n.3.* Similes sint Angelis,*tr.83.d.33.n.10.*

Prædicator assimilatur figulo,*tr.83.d.44.n.4.* Agat sicut nutritor parvulorum, *d.45.n.2.* Subtiles quæstiones apud imperitos non discutiat , *ibid. n.3.* Non plausum , sed planctum moveat,*d.38.n.6.* Studeat magis ædificare,quam placere,*d.39. n.6.* Quæ vult dicere , lecta mente concipiat , ac diligenter meditetur,*ibid.*

Prædicatorum varij fines & motiva , *d.39.n.4.* Malè viventes similes Judæis Christum irrisorie salutantibus , *d.35. n.7.* In foveas incidunt , è quibus alios eripere deberent, *ibid.n.6.* Facile labuntur in hæresin,*ibid.n.7.* Detrahunt verbo Dei,*d.36.n.5.* Tripliciter peccant , *ibid.n.5.* Simul ædificant & destruunt, *ibid.n.7.* Cur sæpe exiguum proferant fructum, *d.33.n.8.*

Prædicator ut fructificet,operæ præstet,quod docet , *tr.83. d.29.per tot.* Sibi prius,postmodum aliis prædicet, *d.34.per tot.* Habeat scientiam & mundam conscientiam,*ibid.n.1.* Prædicatoris aliæ requisitæ qualitates , *d.34.n.9.* Ne sit vox Jacob, & manus Esau. *d.35.per totum.*

Prædicatores mali comparantur libro remediorum contra pestem ; at peste infecto, *tr.83.d.5.n.5.* Item agricolæ famem patienti,messem vero pro alijs colligenti, *ib.n.6.* Item hominæ destruenti domum , quam ædificat , *d.35.n.6.* Ipsimet portant litteras suæ damnationis,*ib.* Acriter reprehenduntur vaniloqui, nugivenduli,ridiculi,&c.*d.41.& 42.per totum.*

Quænam Concionatores potissimum apud Auditores urgere debeant, docetur ex S.Francisc. Silesio , S.Carolo Borromæo,& S.Laurentio Justiniano, *tr.83.d.38.per totum.* Prædicator

dicator ovem imitetur, *d.31.n.3.* Comparatur fabro ferrario , *d.39.n.4.* Ejus sublimis dignitas,est lux Mundi,stella, columna, os Dei,sal terræ &c. *d.28.n.2.4.5. & d.38 n.1.* Quantum sibi, cœlo, ac alijs acquirat lucrum, & ingens præmium,esto etiam sine fructu concionetur , varijs declaratur similitudinibus, *tr.83.d.28.n.5.6.8.* Quod prædicat ore, compleat opere , non exornet Dei verbum vanis eloquentiæ floribus, *tr.83. d.5. n.10.* Nec fiat perræsus, etiamsi non reporter statim fructum, *ibid.n.11.* Verum non adulterinum Dei verbum doceat, *ibid. n.12.* Prædicare nemo deberet;nisi eodem die celebraret, *d.30. n.4.* Prædicatorum insignium plura exempla, *d.22.n.2.*

Prædicator curare debet , ut loco & tempore congruo de materia auditoribus apta & utili disserat; *tr.83.d.46.per totum.* Materiam utilem præscribit S.Franciscus Salesius, *ibid.* Prædicator non debet terreri labore, aut periculo, nec à prædicanda veritate , reprehendendisque vitijs & pravis moribus desistere,*ibid.d.47.per tot.* Quomodo se gerere debeat , exiguum aut certè nullum in auditoribus advertens fructum; *ibid.n.6.7.& 8.* Ob auditorum paucitatem non debet ab officio prædicationis cessare , aut animum despondere exemplo S.Francisci Salesij, *d.48.n.2. & 3.* Ex prædicatione qui quærit unam gloriam; Dei verbum adulteratur,*ibid.n.8.* Quid Prædicatori agendum post concionem, *ibid.*

Cur hoc tempore pluritni Concionatores exiguum referunt fructum, *n.83. d.49. n.4.* Cur hodierni Prædicatores careant dono miraculorum; *ibid n.5.* Quibus virtutibus ornati esse debeant; *d.50. n.6.* In prædicatore quid requirat S.Thomas, *ib. n.11.* Nemo debet prædicare verbum Dei nisi ad hoc missus, *ibid.n.2.* Qui à suo Prælato ad prædicandum destinatur, minimè humilitatis aut privati commodi prætextu sese excusare debet, *ibid.*

Prædicatores agunt personam Christi ; adeoque veneratione digni; *tr.83. d.8. n.1. 2. & 9.* Sunt instrumentum , quo Deus loquitur; *ibid. n.6. & 7.* Magna cum reverentia audiendi, *d.9. n.8.*

Finis concionatoris quis esse debeat; ostenditur ex Isaia, Jeremia,& Francisco Salesio, *tr.71. d.1. n.2.* Qualem debeat pertractare materiam; *ibid. n.3. 4. 5.* Non studeat magis alta , quam apta dicere , non facetias; non quæstiones subtiles, *ibid.* Fructus concionis sit;ut tollatur peccatum; *ibid.n.7.*

Ante omnia necessarium est prædicare timorem Dei,*tr.93. d.1. per tot.* Utilissima materia de timore Dei, quia omni statui competit, *ibid.n.4. & 5.*

Prælatus.

Humanæ infirmitatis correcturus defectus Evangelici instar Pastoris lassam & infirmam ovem non abjicere ; sed suis debet sustinere & pensare humeris, *tr.77.d.11.n.3.*

Præscientia Dei.

Præscientiæ Dei infallibilitas libertati nostri arbitrij non præjudicat in electione nostra, *tr.82. d.2. per tot.*

Præscientia Dei de futuris est speculativa , etsi infallibilis ; quæ subjectum non producit, sed supponit,*ibid.n.1.* Quod declaratur exemplo Medici; qui varijs ex signis infirmo mortem infallibiliter secuturam prædicit , non tamen ejus causa existit; *ibid.* Et exemplo Vigilis excubias agentis & videntis naufragium in alto mari, *ibid. n.7.*

Præsentia Dei.

Ejus exercitium est instar summæ summarum apud Arithmeticos, *tr.84.d.6. n.1.* Præsentia Dei Josepho Patriarchæ fuit quasi scutum , quo ignea tela lascivæ suæ Dominæ excussit; *tr.84.d.2.n.4. & d.4.n.1.* Item clypeus extitit Susannæ adversus senes impudicos, *ibid.d.4.n.3.* Ejusdem motivo conversa fuit Thais meretrix à S.Paphnutio, *ibid. d.4. n.5.* Et alia impudica mulier conversa fuit à S.Ephrem. *ibid. n.7.*

Cogitare Deum esse præsentem ; & tamen peccare grande scelus est, *tr.75. d.10. per tot.* Dei præsentia deterret bonos à peccato, *ibid.n.5.6.7.*

S.Dorotheus Dositheo dissoluto adolescenti, quem instruebat in via perfectionis , valde efficaciter inculcabat præsentiam Dei,& quo effectu, *tr.84.d.6.n.6.*

Princeps.

Principum honorem qui lædunt verbo etiam jocoso, damnantur capitis, *tr.83. d.41.n.4.* Patris officium inter & principis quæ differentia, *tr.85.d.7.n.5.*

Profectus in virtutibus.

In virtute nolle proficere , deficere est, *tr.80. d.6. n.1.* Qui studet profectui,beatus à Christo dicitur, *ibid. n.5.* Varia motiva & exempla , quibus excitemur ad proficiendi studium, *tr.80.d.6.n.8. 9. 10.*

Proficientium tres gradus exhibentur similitudine sponsæ in canticis, *ibid n.11.*

Profanatores.

56. Reliquiarum à Deo puniti, *tr.87.d.2.n.5.& d.3.n.5. 6. & d.6. n.8.*

Prosperitas.

Mundanorum prosperitas & pax, *tr.70.d.11.n.6.& 7.* Multi ex adversitate vivificantur , qui ex prosperitate damnarentur, *tr.94. d.15.n.3.* Prosperitas & felicitas temporalis homini plurimum nocet, *tr.94. d.22. per tot.* Multi qui Deum non agnoscunt per prosperitatem & rerum abundantiam, cognoscunt per inopiam,*ibid.n.6.& d.9.& 10. per tot.*

Quare via impiorum prosperetur ; boni vero & justi hic affligantur , pulchrè & fusè resolvit S.Thom. de Villa nova, *tr.94.d.27.n.10.* Plura V. Regnum; & V. Peccati pœna,*tr.78. d.32.& 33.d.34. & d.35. per totum.*

Providentia Dei.

In grano seminato pulchre ostenditur, *tr.85.d.2. n.7.* Oculus pictus in vola manus vigil & apertus divinæ providentiæ symbolum, *ibid.d.3.n.2.* Item scala Jacob,*ibid.n.6.* Providentia Dei circa Josephum & Moysen mirabiliter elucet, *ibid. d.12. n.1.* Uti & circa S.Eustachium, *ibid. n.7.* Tunc Deus vel maximè nobis providet , cum ab eodem ferè derelicti esse videmur; *tr.83.d.13.n.3.* Cur Deus tantam comestibilium varietatem homini providerit , cum eidem sustentando fructus ligni vitæ sufficissent, *tr.85. d.1.n.4.*

Purgatorium.

Ubi & quid sit, *tr.86.d.2.n.2.* Præfiguratum per lacum leonum,*ibid.d.1. n.1.2.3.4.5.* Et per Cherubim ante paradisum positum, *ibid.n.6.7.8.9.10.11.*

Ignis purgatorij à nostro elementari tantùm differt , quantum ignis verus à picto, *tr.86. d.2.n.2.* Pœna purgatorij acerbior, quam Inferni, *ibid.n.4.* A pœnis inferni sola differt perpetuitate, *ibid.n.6.* Pœnarum purgatorij gravitas & varietas, *tr.86. d.3. n.2. & 3.* Pœna damni in purgatorio maxima est, *ibid. n.5.* S.Job figura animæ in purgatorio detentæ, *ibid. n.7.* An animæ purgatorij crucientur à Dæmonibus, *d.3.n.1.*

Purgantes animæ etsi mereri non possint , nostris tamen meritis juvari possunt, *tr.86. d.4. n.6.* Quare in veteri Testamento tam parum fuerint solliciti pro animabus purgatorij, *ibid.n.7.* Liberans animam è purgatorio perinde facit,ac si ipsum Dominum è captivitate liberaret, *tr.86.d.5.n.2.*

Nemo quantumvis pauper & infirmus se excusare potest , quod animas in purgatorio detentas juvare nequeat;*tr.86.d.8. n.4.* Aqua devotarum lachrymarum extinguit ignem purgatorij,*ibid.* Purgatorij pœnæ ab Angelo exhibitæ, *tr.74.d.4.n.4.*

Purgatorium in assumptione B.Virginis evacuatum, *tr.86. d.9. n.3.* Otto Imperator post mortem Matertetæ apparens perijt pro se fieri pietatis actus , ut è purgatorio liberaretur; *ibid. n.6.*

Fructus orationis pro animabus in purgatorio existentibus; *ibid.n.7.* Comparatio animæ purgantis cum paralytico Evangelico, *tr.86. d.10. n.1.* Quæ devotione S. Lutgardis liberarit animam ad purgatorium annis undecim condemnatam, *ibid. d.11. n.6.* S. Christina thiris austeritatis operibus mederetur pœnarum,quas Comes Losensis luere debebat ; exolvit, *ibid. n.7.* Pictor quidam ob depictam lascivam imaginem post mortem punitur in purgatorio; *ibid. n.3.*

Jonas in ventre ceti figura animæ purgantis, *tr.86. d.12. n.6.* Sacrificium Missæ præcipuum pro animabus in purgatorio suffragium, *ibid. d.11. per tot.* Idque ostenditur exemplis, *ibid.*

Peccata venialia diu detinent animam in purgatorio, *tr.76. d.8. per totum.* Varia hujus adducuntur exempla, *ibid. n.7.8.9. & seq. & d.9. n.6.7. 8.* Gladius flammeus atque versatilis , quem Cherubim manu gestabat,purgatorij denotabat pœnam; *tr.76.d.8. n.4.*

Magnus error eorum,qui venialium expiationem ad purgatorium usque differre malunt, *tr.76. d.9.n.5.* Qualis sit pœna damni & sensus in purgatorio,*ibid.n.9.& 10.* Qui purgatorium habuit præsentis vitæ ; non indiget purgatorio alterius vitæ, *tr.94. d.12. n.7.*

Pythagoras.

Ex sententia S.Ambrosij à David Rege silentium didicit, *tr.88. d.8. n.5.*

Pythagorici amabant loca solitaria, *tr.89.d.1.n.6.*

Q.

Quadragesima.

A Nimæ nostræ messis est, *tr.83. d.2. n.5.*

Quærere.

Quid nobis quærendum, petendum & pulsandum sit, *tr.83. d.4. n.7.*

R.

Rachab.

FUniculum coccineum, statim ut dimisit exploratores, fenestræ appendit & cur hoc, *tr.81.d.23.n.5.*

Rechabita.

In servitutem abducti, quia deseruerunt solitudinem, *tr.80. d.1.n.5.*

Rex : Regina.

Rex vocatur in S.Scriptura , qui passionibus dominatur,*tr. 23. d.7. n.2.*

Tamdiu Reges gaudent suorum dominio , quamdiu sunt pacifici, *tr.70.d.10.n.5.*

Patientia virtutum & rerum omnium regina, *tr.68.n.3. & 7. & d.11. n.8.* Timens Deum sicut primogenitus Regis, *tr. 83.d.6.n.6.* Imo Rex est, *d.14. n.3. & 9.*
Require V. Pacificus. Pax. Pasliones.

Regnum.

Regnum & familia tamdiu prospera, quamdiu pacifica, *tr.70.d.10. n.5.*

S. Reginaldus.

Ejus vis & energia in prædicando subito emollit cor Magistri Monetæ, ut finito sermone sanctum habitum ab eo peteret, *tr.83.d.10. n.3.*

Regulus.

Regulus prædicans ranas coaxantes silere jussit, quæ ab illo die usque hodie silent, *tr.83.d.26.n.6.*

Religiosi: Religio.

S. Scripturam aliosque libros spirituales refectionis tempore legere solent, *tr.81. d.2. n.4.* Arctiorem paupertatem professi abundantius à Deo providentur, quam qui negligentes sunt, propriique instituti parum observantes, *tr.85. d.8. n.3.* Per ficus, quas vidit Jeremias, intelliguntur religiosi, *tr.74.d.4. n.4.*

Lapsus Religiosorum gravior & majori dignus pœna, quam sæcularium, *tr.74.d.6.n.5. & d.8.n.4.* Peccatum Clericorum per trabem; sæcularium per festucam designatur, *ibid. d.8. n.4.* Religiosis figuratis per uxorem Loth respicientibus melius esset non cognoscere viam justitiæ, id est, minus malum, aut minus culpabile, quam post agnitionem retrorsum converti, *tr.74.d.11. per tot.*

Diversarum Religionum relaxationes à levibus & modicis ortæ defectibus, *tr.76.d.2.n.5.* Unde graves Religiosorum lapsus, nisi ex leviorum defectuum neglectu & contemptu? *ibid. d.4. n.3.* Religiosi multi cur veram Religionem vix attingant, *tr.76. d.16. per tot.*

Religionum, Religiosæque vitæ fundamentalis petra silentium est, *tr.88. d.3. per tot.* In nullo sacro ordine stabit pax & disciplina, si nulla adsit cura silentij, *ibid. n.2.* Silentium conservat ordinem Carthusiensem in suo vigore, juxta illud: Per tria Si, So, Vi, Carthusia permanet in vi, *ibid. n.1.* Ordo Carthusiensis semper perstitit in flore primæ institutionis propter solitudinem, *tr.89.d.6.n.3.* Ubi etiam refertur, quo tempore prima Carthusia fundata fuerit, *ibid.* Ad Carthusiensem ordinem datur transitus, at nullus egressus, *ibid.* Ut piscis extra aquam, ita monachus extra cellam, *ibid. n.8.*

Religiosus vel maxime religet linguam suam, *tr.88.d.3.n.3.* Esto fugiat omnes diaboli laqueos, nisi custodiat linguam suam, seducit cor suum, *ibid.n.5. & 6.*

Quorum Religio sive ordo perfectior? an in societate viventium; an vero solitariam vitam agentium? *tr.89.d.11.n.10.* Religiosi solitarij sive eremitæ à multorum vindicantur injuriis, *ibid. d.12.n.10.* Cur pauci religiosi perfectionis attingant portum, *tr.90.d.3.n.4.* Superbus monachus ad exitium sibi ipsi sufficit, & quare, *ibid. d.11.n.8.*

Timor Dei instar capituli, quod celebratur à Religiosis, *tr.93.d.2.n.10.* Summa Religio est in infirmitatibus Deo agere gratias, *tr.94.d.16.n.3. & d.21.n.4. & 5.* Sæculares per plateas cœlestis Jerusalem, Religiosi per muros ejus denotantur, *tr.96. d.4. n.2.*

Caput Ecclesiæ Christus, capilli vero ejus sancti & Religiosi; sed cur illi candidi, sicut lana alba, Apoc. c.1. *tr.96.d.4. n.4.* Per holocaustum, quod totum comburebatur in honorem Dei, Religiosi; per sacrificia aliqua, quæ partim in obsequium Dei, partim in commodum sacerdotis & offerentis offerebantur, varij status intelliguntur, *ibid. n.8.* Homo sæcularis Deo æquè acceptus & gratus, imo gratior esse potest, quam unus religiosus, *ibid. d.6. n.9. & 10.* Qui crucifixi sunt Mundo maximè blandienti, vivunt in igne, & nequidem exinde concipiunt fumum, *ibid. d.5.n.6.7.8.9.10.*

Reliquiæ.

Reliquiarum sacrarum cultus probatur ex vet. Testamento, *tr.87. d.1. per tot.* Item ex novo testamento, *d.2. per tot.* In Hebron peregrinabantur Hebræi veneraturi ossa SS. Patriarcharum, *tr.87. d.1. n.2.* Moysis corpus sepultum ab Angelis, cur à Deo absconditum, *ibid.n.3.* Corpus exanime Prophetæ, quem Leo occiderat, ab eodem custoditum, & cur ita, *ibid. n.4.* Variarum reliquiarum veteris Testamenti effectus, *ibid. n.5.*

Æmorrhoissa Christi D. tangens vestimentum significabat Ecclesiam, *d.2. n.1.* Require V. Hæmorrhoissa. S. Ignatij Martyris ossa panis referunt speciem, *d.2. n.4.* Profanatores sacrarum reliquiarum qua ratione fuerint puniti à Deo, *tr.87. d.2.n.5. & d.3.n.5. & 6. & d.9. n.8.*

Miracula varia in conservatione reliquiarum patrata, *ibid. d.3.n.1.2.3.4.* Quantum Reges & Imperatores etiam infideles sacris reliquijs exhibuerint honorem, declaratur, *d.4. per tot.* Cadaver S. Joannis Chrysostomi loco dimoveri non potuit, nisi prius petita ab eo venia, *d.4. n.5.*

Quanti fecerint summi Pontifices sacras reliquias, exponitur, *d.5. per tot.* Cur sacris altaribus imponantur reliquiæ SS. *ibid.n.1.* Vetustissimus usus dandi vela, brandea &c. & eodem confirmatur reliquiarum sacratum cultus, *d. 6. per tot.* Brandeum aut sanctuarium quid sit, *ibid. n.1. & 2.*

In quanto honore fuerint pulveres sacrorum sepulchrorum apud fideles, & quali fuerint imbuti virtute una cum oleo lampadarum circa Martyrum sepulchra ardentium, *d.6. per tot.* Cur minus Martyris corpus sive reliquiæ in pluribus locis nonnumquam esse dicantur, *ibid.n.2.* Ex devotis fidelium obsequijs devotionisque exercitijs eruitur cultus & veneratio SS. reliquiarum, *ibid. n.5.6.7.8.* S. Antonius tunicam S. Pauli eremitæ in summis festivitatibus Paschæ & Pentecostes solum gestabat, *ibid. n.6.*

Sacræ Reliquiæ urbium turres sunt & propugnacula, *tr.87. d.7. per tot.* SS. Corporum glorificatio cur differatur ad extremum usque judicij diem, *ibid. n.1.* Mediante veneratione SS. Reliquiarum urbs Panormitana & Mediolanensis liberata fuit à peste, *ibid. n.2.* Urbs Antiochena corpore S. Simeonis Stylitæ quasi turri munita, *ibid.* Noë in arcam secum contulit ossa Adami, *ibid. n.5.*

S. Francisci corpus erectum Christiani orbis fulcimentum, *d.7.n.6.* Reliquiæ SS. sunt fontes salutares, *d.7.n.7. & d.8.n.5.* Hostem infernalem in fugam convertunt, *d.8.n.3.* Varia bona & beneficia quæ ex cultu reliquiarum in nos redundant, *d.8. per tot.* Per cultum reliquiarum Henricus Imperator liberatus fuit à phrenesi, *ibid. n.4.* Cur Michaël Archangelus cum diabolo altercatus fuit de corpore Moysis, *ibid. n.6.*

SS. Reliquiarum cultum frustra hæretici impugnant, *tr.87. d.8.n.6. & 7.* SS. Reliquiarum cultus conducit ad acquirendas virtutes, *d.9.n.1.2.3.4.5. 6.* Calvinistarum cum Ethnicis cognatio persequentium cultum reliquiarum, *ibid.n.4.* SS. Reliquijs mira Aglaë & S. Bonifacij Martyris conversio tribuenda, *ibid. num. 6.*

Reliquias SS. venerationi exponit Ecclesia, ut admoneamur spem fidei nostræ non esse inanem, & moniti discamus virturem & fidem Sanctorum imitari, *tr.87.d.10. n.1.* SS. Reliquiæ sunt Dei promptuaria, habitacula & instrumenta, ideoque honor debitus eis exhibendus, *ibid.n.2.3.4.*

Cerei accensi coram tumulis Martyrum non sunt signum adorationis Deo debitæ, sed lætitiæ, *d.10. n.5.* Quanti Deus æstimet, appretietur que Reliquias, *ibid. n.6. 7. & 8.* Mirabilia operatus est Deus, & etiamnum operatur in sanctis corporibus adhuc incorruptis, *tr.87.d.11.per tot. & d.10.n.7. & 8.* S. Januarij sanguis præsente aliquo hæretico non liquefit, nec ebullit, uti alias juxta caput ejusdem Martyris positus, *tb.d.11.n.4.* Qua ratione corpora Sanctorum non sunt dicenda mortua, *ibid.n.8.*

Remora.

Piscis naves in pleno cursu sistit, *tr.81. d.3. n.7. & tr.76. d.17. n.3.*

Remorsus conscientiæ.

Require, *tr.77.* de peccato mortali, *d.19.d.20. d.21. & d.22. per tot.* Ubi fusè agitur de verme sive remorsu malæ conscientiæ.

Reprobi.

Sua culpa damnantur, *tr.82. d.3. per tot.* Quomodo, quave verborum forma damnentur, *ibid.* Cur in ea non dicat Christus supremus judex: Maledicti Patris mei, *ibid.* Cur dicantur sicut oves in inferno poni, *ib.n.5.* Delentur de libro vitæ, *tr.82. d.4.n.1.* Reprobationis causas invenimus, non vero prædestinationis, *ibid.n.3.* De reprobis sæpè Deus conqueritur, quod suæ condonationis beneficium nec rogati admittant, *ibid.*

Reprobi non habent causam conquerendi, quod Deus electis det majorem gratiam, *tr. 82. d.25. per totum.* Exemplum cujusdam juvenis, qui se reprobandum intelligens à via tamen virtutis non recessit; unde heroica sua resignatione sententiæ mutationem promeruit, *tr.82.d.4.n.5.* Aliud simile exemplum de monacho, *ibid. n.6.*

Reprobi cur in sordibus suis permaneant, *tr.82.d.8.n.2.* Reproborum & electorum in audiendo Dei verbo diversitas, *tr.83. d.4.n.5.*

Reprobationis indicium est verbum Dei contemnere, vel exinde non proficere, *tr.83.d.23. per totum.*

Rixari.

Duo senes Monachi in una cella cohabitantes rixari non poterant, *tr.70.d.3.n.7.*

Rixa interior hominis, *tr.72.d.15.n.2.*

Roma.

Urbs Romana propter recidivum peccatum castigata per Gensericum Regem, *tr.75.d.7.n.6.* Qui Romæ spargunt, aut edunt libellos famosos pœna capitali plectuntur, *tr.83.d.41. num. 4.*

Exercitia armorum, quæ Roma acquisivit, in pace amisit, *tr.70. d.14. n.8.* Romæ conventus Aræ cœli candidissimis abundat panibus tempore extremæ famis Italiam affligentis, *tr.85.d.5.n.5.*

Rosa.

Plantata juxta allium magis odorifera, *tr.94.d.14. n.3.*

Rusticus.

Quidam numquam volens audire verbum Dei pessimè obijt, nec preces pro eo fusæ auditæ fuerunt, crucifixo obturante manibus aures suas, *tr.83.d.26. n.8.*

S.

Sacerdos.

A B officio sacerdotis Redemptor noster non aurum, sed animas requirit, *tr.97.d.9. n.9.10.11.*

Sal.

Sal teræ in cunctis veteris legis sacrificijs adhibebatur, *tr.70. d.9. n.5.* Sal terræ præcones verbi divini, & quare, *tr.83. d.38. num. 1.*

Salomon.

Vasa templi Salomonis mystice exponuntur, *tr.83. d.44. n.4.* Salomon ex neglectu & contemptu leviorum defectuum lapsus est in idololatriam, & alia graviora scelera, *tr.76. d.11. n.1.* In ædificatione templi Salomonis nullus fuit auditus strepitus mallei, securis &c. *tr.83.d.3.n.1. & tr.88.d.6.n.2.*

Salustius.

Auctor dicti hujus: *Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur, tr.70.d.10.n.1.*

Samson.

Qua ratione Nazaræus ab infantia usque ad diem mortis, *tr.81.d.26. n.7.*

Sæl.

Doluit quod Davidem persequeretur, & tamen ab illius persecutione non destitit, *tr.83.d.21.n.9.* Sæli exemplar inconstantiæ, *tr.80. d.2. n.8.* Quomodo exagitatus fuerit à spiritu nequam, *tr.77.d.17.n.4.* Propter zelum pro Dei honore exhibitum evectus fuit ad regiam dignitatem, *tr.97.d.3.n.9.*

Scala.

Solitudo est scala Jacob, & scala paradisi, *tr.89.d.8.n.1. & 4.* S. Romualdus vidit scalam perfectionis in sylva, *ibid.d.10.n.6.* Varij gradus erant in scala Jacob, per quam denotatur crux Christi, *tr.96.d.1.n.4.*

Scandalum.

Præbentium collo cur lapis molaris appensus fuerit, *tr. 71. d.20. n.6.*

Scientia.

Sacra per aquam designatur à Job, *tr.83.d.44.n.3.* Scientiam & rationem S. Scripturæ cum primis Concionator habere debet, *ibid. 41. n.7.*

Scientia inflat, & ideo Cherubini propitiatorij jubentur tegi, *tr.95.d.4. n.1.*

Scillarat.

Scytharum Rex qua ratione octoginta filios suos concordiam hortatus fuerit, *tr.70. d.10.n.3.*

Secundas.

Philosophus perpetuo se astringens silentio, capitis maluit mulctari pœna, quam loqui, *tr.88.d.4.n.8.*

Semen.

Verbum Dei comparatur semini, *tr.83.d.5.n.2. & d.38. n.3. & d.39.n.8. & d.45.n.9. & d.46.n.2.* Seminis hujus tres partes periere; non mirum igitur, si ex verbo Dei tres pereant partes, *tr.83.d.39. n.8.*

Semen primo germinat herbam (mystice) contritionis; secundo spicam confessionis; tertio frumentum satisfactionis, *tr.83.d.39.n.4.* Quæ formicæ recondunt semina, arrodunt, cujus mystica adferur significatio, *tr.83. d.5.n.9.* Ex quatuor partibus seminis in terram jactis tres non dederunt fructum, *ibid.d.22.n.2.* Semen non mittitur in terram congelatam, cujus mystica exponitur ratio, *tr.83. d.27. n.1.*

Senex.

Senis cujusdam patientia in tolerandis discipuli furtis, *tr.68. d.5. n.7.* Senex quidam anachoreta discipulum majori, utpote, patientia præditum suscipit in Magistrum, *ibid. d.11. num. 6.*

Senes dicti à sensus diminutione, *tr.81. d.26. n.5.* Senex Simeon justus & timoratus Christum Dominum excipiens brachijs suis repletus fuit consolatione, *tr.93. d.12. n.8.* Senex Simeon quorumdam judicio non fuit Sacerdos, *tr.96.d.2.n.3.*

Senectus.

Ante senectutem plures moriuntur, *tr.81.d.26. n.5.* In senectutem differre pœnitentiam quam stultum, *ibid. d.20. n.7.* Qui illam eo usque differunt similes sunt Negotiatori imponenti onera inutiliori equo, exonerato meliori, *tr.81. d.26. num. 5.*

Sergius.

Paulus ad S. Apostoli Pauli prædicationem conversus, non autem Fœlix, & quæ hujus ratio *tr.83.d.47.n.4.*

Sesic.

Ægypti Rex e templo Salomonis abstulit clypeos aureos; quid hoc mystice designet, *tr.83.d.43.n.6.*

Servi Dei.

Dæmon tentans servos Dei, horum servit utilitati, *tr. 91. d.3.n.2.* Unde est tamquam sanguisuga, *n.5.* Ex odio Satanæ sancti & servi Dei evaserunt ferventiores in Dei servitio, *ibid. d.4. n.8.* Multi servi Dei in fine vitæ tentationibus infestantur, ut pugentur à peccatis, *tr.92. d.9.n.2. & 3.*

Omnis servus perfectus Deum timere debet propter tria, *tr.93. d.5. n.3.* Qui sanctior est ac sapientior, plus semper timeat, *ibid.d.7.n.6. & d.8. per totum.*

Ab origine mundi servi Dei calcarunt viam tribulationis, *tr.94.d.2.n.4.5.6. & 10.* Sancti viri quot tribulationes patiuntur, tot victoriæ palmas merentur in cœlis, *ibid. d.4. n.2.* Servi Dei cum gaudio sustinuerunt tormenta & tribulationes, easque avidissimè tamquam delicias appetierunt, *tr. 94. d.6. per tot.* Quo sanctiores & Deo propinquiores fuerunt servi Dei, eo plures & graviores sustinuere tribulationes, *ibid. d.14. n.6. & 7. & d.16.n.4.5.6.*

Servus Dei merito comparatur Leoni in tribulatione sufferenda, *tr.94.d.16.n.2.* Servi Dei divinis dediti contemplationibus plerumque corpore infirmi fuerunt, *ibid. d.20.n.6. & 7. & d.21. n.1.* Servis Dei datur adversa tamquam medicina præservativa & consolidativa, *ibid. d.23. n.12.*

Quod fornax auro, quod lima ferro, quod tribula frumento, hoc viro justo est tribulatio, *tr. 94. d.24. n.2.* Quare via impiorum prosperetur, boni vero & servi Dei affligantur, pulchrè & fusè resolvit S. Thomas Villanovanus, *ibid. d.27. n.10.* Servi Dei comparantur apibus, *tr.95. d.4. n.11.* Sunt veri Domini, eo quod mentem habeant liberam, non subditam peccatis, *tr.96. d.7. n.10.* Servi Dei quasi stellæ in perpetuas æternitates ob zelum in procuranda salute animarum, *tr.97. d.10. n.10.*

Sigismundus.

Rex mira generositate deterruit Hungaros subditos in necem suam conspirantes, *tr.91.d.17.n.7.*

Silentium: Linguæ custodia.

Cooperatur saluti animæ nostræ, *tr.88. d.1. per tot.* Silentij amici fœliciter evadunt mundi pericula, *ibid. n.1.* Silentium dispositio ad gratiam, *ibid.n.1.2.* Quid magis expediat animæ custodia linguæ, an oculorum mortificatio? *ibid. n.3.* Si Evæ clausum fuisset linguæ & oris ostium, mors non intrasset per fenestras, *ibid. n.4.* Os observandum reservandumque clave rectæ rationis, *ibid.n.6.* Lingua custodienda, ut custodiatur thesaurus animæ, *n.7.* Eique adhibenda clavis silentij, *d.2. n.9. & d.3. n.2.* Silentij amici vix indigent legibus, *d.1.n.8.*

Silentium est medium ad acquirendam perfectionem, plurimaque illius recensentur bona spiritualia, *tr.88. d.2. per tot.* Philosophi antiqui magnam perfectionis partem constituerunt in silentio, *ibid. n.2.* Silentio munitur homo, uti pomarium sepe & muro, *ibid n.5.* Est indicium patientiæ & perfectionis, *ibid. n.4.* ad omnia utile, *ibid. n.6.* Mulier rixosa servato silentio evitans jurgia & verbera ebriosi mariti, aquæ ore haustæ & retentæ acceptum referebat, quod tribuendum erat silentio, *ibid.* Labia sponsæ silentis apte vittæ coccineæ comparantur, *ibid. n.7.*

Religiosæ vitæ fundamentalis petra silentium est, *tr.88. d.3. per tot.* In nullo statu & ordine stabit pax & disciplina, nisi adsit censura silentij, *ibid. n.2.* Religiosus vel maximè religet linguam suam, *ibid. n.3.* Esto fugiat omnes diaboli laqueos, nisi custodiat linguam, seducit cor suum, *ibid. n.5. & 6.*

Silentium reddit hominem moribus ornatum, *d.3.n.8.* Nutrit orationem ac devotionem, *d.4. per tot.* B. Virgo silentio fuit addictissima, *ibid. n.1.* Frequens linguæ solutio quantum noceat orationi, *n.2.* Silentium est patens non proles orationis, *ibid.* Janua nostra os nostrum est, Christo soli pulsanti aperiri debet, *d.4.n.3.* Bambo Abbas prius didicit silere, quam loqui, & cum alijs Patribus magni fecit silentium, *ibid. n.6.*

Loquax & garrulus similis hypocausto aut balneo aperto, *d.4.n.6.* Multiloquium exigui profectus indicium est, & cur libenter confabulemur, *ibid.n.7.* Philosophus secundus ad perpetuum se astringens silentium capitis maluit mulctari pœna, quam loqui, *ibid. n.8.*

Quam gratum Deo sit silentium Christi D. exemplo nobis exhibito demonstratur, *tr.88.d.5.per totum.* Sacrificium gratius Deo offerri nequit silentio, *ibid. n.2.* S. Maria Magdalena amica silentij, *ibid.* Christus D. à primo ætatis anno ad trigesimum usque vix locutus fuit, *ibid. n.4.* Studiosus silentij Deo familiaris est, à quo & illustratur, *ibid. n.5. & 6.*

In sacris ædibus Deus colendus est silentio, *tr.88.d.6.n.1.2.3.* In ædificatione templi Salomonis nullus fuit auditus ictus seu strepitus mallei, securis, &c. *ibid. n.2.* Silentij in sacris templis observandi insigne nobis dedit exemplum B. V. Maria, *ibid.n.4.5.6.7.8.* Beatissimam Virginem cum quatuor tantum personis legimus habuisse sermonem, & nonnisi septem verba locutam fuisse, cujus mysterium exponitur, *ibid. n.4.* Quicumque Christum spiritualiter in corde concipit, & amat silentium, ipsius est spiritualis mater & frater & soror, *ibid. n.5. & 6.* Virginitas illa perfecta, quæ non solum illibatam in mente, sed & pudicam in ore se conservat, *ibid. n.7.*

Omnem dæmon adhibet curam, ne fervemus silentium, hoc enim cunctas ejus retrimit vires & inlidias, *tr.88. d.7.*

per tot. Satan corpus totum S. Job percussit ulcere pessimo, sola labia, quibus Deum blasphemaret, servavit illæsa, *ibid. n.2.* Anima destituta silentio est quasi civitas sine muro & propugnaculo, *ibid. n.3.4. & seqq.* Anseres in silentio transeunt montem Taurum, *ibid. n.7.* David Rex silentij amicissimus, *ibid.d.5. & d.8. n.5.* Solimannus Turcarum Imperator cum summo silentio invadit Rhodos, *ibid.n.9.*

Ut quis silentio linguam refrænet, praxis difficilis, *tr.88. d.8. per totum.* Majus est linguam refrænare, quàm capere civitatem, *ibid. n.4.* Homo in loquacitate plerumque cespitat, in silentio discit, *ibid.n.5.6.7.8.9.* plura alia silentij commoda recensentur, *ibid. & d.9. n.6.* Pythagoras D.Ambrosij judicio à David Rege didicit silentium, *d.8. n.5.* Purpuratis Patribus in primo confessu os clauditur, ut multo silentio audire discant, *n.8.*

Variæ rationes suadentes silentij observantiam, *tr.88. d.9. per tot.* Multiloquium simile voci cantantium, quæ paulatim frangitur & cadit, *ibid. n.1.* lingua effrænis multorum malorum instrumentum, *ibid. n.2.* Multa mala loquacitatis, & quodnam dicatur verbum otiosum, *ibid. n.3.4.5.6.7.* Silentium clavis oris, *ibid. n.5.* Omne verbum prius veniat ad limam, quam ad linguam, *ibid. n.8.* D.Thomas ob silentium bos mutus, *ibid.*

Ex discreto & prudenti silentio sermones opportuni & utiles procedere debent, *tr.88. d.10. per tot.* Os ad modum ostij congruo tempore claudatur & aperiatur, *ibid.n.1.2. 3. & seq.* Non quodlibet silentium pulchrum & meritorium est, *ib.n.4. 5. & seq.* Vestis sacerdotalis summi sacerdotis cur in extremitate habebat mala punica permixta tintinnabulis, *ibid.n.8.*

Simia.

Hominis impœnitentis typus, *tr.81.d.10.n.4.*

Sol.

Si uno die cursum suum intermitteret, omnes morerentur juxta Philosophos, *tr.83. d.1. n.5.* Sol centies sexagies major terra, *tr. 84. d.1. n.2.* Sole abeunte luna nos illuminat, *tr.83. d.6. n.1.*

Solimannus.

Turcarum Imperator cum summo silentio invasit Rhodos, *tr.88.d.7. n.9.*

Solitudo.

Eam diligat oportet qui verbum Dei vult audire & conservare, *tr.83. d. 22. n.8.*

Solitudo cooperatur nostræ saluti, *tr.89. d.1. per tot.* Et turris & refugij locus, ad quem divinitùs vocatus Arsenius, *ibid. n.2.* Rechabitæ in servitutem abducti, quia deseruerunt solitudinem, *ibid.n.5.* Pythagorici amabant loca solitaria & deserta, *ibid. n.6.*

Ad observantiam legis divinæ, & vitiorum suppressionem conducit solitudo, *tr.89. d.2. per tot.* Cur Hebræis tot annis hæserint in deserto & solitudine, priusquam attingerent terram promissionis, *ibid.n.1. & 2.* Adam tamdiu salvus, quamdiu solus, *ibid. n.2.* Conscientia facies animæ denigratur in plateis, in foro, in circulis, *n.3.* & ideo solitudo necessaria, *n.4. & 5.* Patriarcha Abraham amavit solitudinem, *ibid. n.5.* Christus Dominus surdum & mutum sanaturus semovit à turba, cujus mysterium exponitur, *ibid. n.6.* Consortium humanum est nidus vitiorum, *ibid. n.8.* Unde David fugiebat iniqui Saülis consortium, *n.9.*

Multum juvat solitudo ad conservandam continentiam, *tr.89. per tot.* Solitudo mons, in quo Loth se salvavit, & caminus chaldaicus, *ibid. n.1.*

Maria Virgo virginitatem conservavit per solitudinem, *ibid.n.3.* Eamdem Angelus Gabriel invenit solitariam, *d.9.n.8.* Solitudo nutrit virtutes, exterminat vitia, *d.3.n.7. & 8.* Virgines periculo expositæ, ni studeant solitudini, *n.9.* Debora mulier casta & prudens, quia amica solitudinis, *ibid. n.10.*

Dæmon pro viribus suis nos tentat in solitudine, *tr.89. d.4. n.1. 2. 3.* Eum vero ut plurimum superari in solitudine ostenditur exemplo Christi, *ibid.n.4. 6.* Et multos evadere dæmonis laqueos declaratur exemplo S.Antonij, *n.6.7.8.* Pugnaturus contra mundum, carnem & dæmonem Horatij stratagema dimicantis contra tres fratres Curiatios imitetur, solus cum solo, *ibid. n.9.* in solitudine sumus quasi in loco certaminis, *ibid. n.10.*

Solitudo plurimum suffragatur orationi & contemplationi, *tr.86. d.5. per tot.* Mens hominis à se elongata in mundo, ad se redit in solitudine, *n.8. & per tot.* Solitudo est centrum virtutis, spiritus & perfectionis, *tr.89.d.6. per tot.* S.Bruno semper quæsivit loca solitaria & ab urbibus semota, & suffragante solitudine Ordo Cartusiensis ad hæc usque tempora perstitit *in flore primæ institutionis, ibid. n.3.* Salvator noster semper quæsivit loca solitaria, *n. 4.* & amavit solitudinem, *d.9.n.4.5.6.* Recepturis Spiritus S. gratiam solitudo necessaria est, *d.6. n.5.* ut pisces extra aquam, ita monachus extra cellam, *ibid. n.8.*

Quies & consolatio spiritualis, ut plurimum inveniuntur in solitudine, *tr.89.d.7. per tot.* Divina consolatio sola, non admittit alienam, *ib. n.7.* Vita solitaria pie sancteque peracta, est via ducens ad cœlum, *tr.89. d.8. per tot.* Solitudo scala Jacob, *ibid. n.1.* Scala paradisi, *ibid.n.4.* Cæli janua, *n.5.*

Unus Deus, solus Dominus amat solitudinem, *tr.89. d.9. per tot.* Deo viciniores & gratiores fumus, si sequamur eum, & diligamus solitudinem, *ibid. n.7. & 8.* In solitudine Deus cum animabus conversari, cisq; revelationes & gratiarum dona communicare solet, *tr.89.d.10. n.1.2. 3. 4. 5. 6.* In solitudine vera acquiritur sapientia & scientia, *ibid, n.7.8.9.*

Solitudo instrumentum perfectionis, *tr.89.d.11. n.1.2. 3. 4. 5. 6.* Canonizavit S. Paulum eremitam, *ibid. n.5.* Solitudinem fervor spiritus, virtutumque exercitium præcedat, necesse est, *n.7.8.9.10. 11.* Homo solitarius aut Deus. aut bestia, *n.7. & 8.* Vitæ solitariæ minime aptus, qui non studet perfectioni acquirendæ, *ibid. n.8. & 9.* Quænam Religio perfectior? In societate viventium, an solitariam vitam agentium? *ibid. n.10.*

De spirituali & interiori solitudine cuilibet statui & vocationi adaptanda, *tr. 89. d.12. per totum.* Interiori solitudini dedita fuit B.Virgo, *ibid. n.3.* Et David Rex, *n.4.* Utilis solitudo exterior; at longe utilior solitudo interior, *ibid.n.5.* Imò exterior nihil prodest sine interiori, *ibid. n.12.* Sæcularis homo in urbe fructus solitudinis promereri potest, *n.8. & 9.* Solitariam vitam agentes & eremitæ vindicantur à multorum calumnijs, *ibid. n.10.*

Solicitudo.

Solicitudinum Mundi hujus comparatio cum spinis, *tr.83. d.9. n.1. & tr.81. d.9.n.6.* Quod sit discrimen inter projicere & reponere solicitudinem, *ibid.* Non omnis, sed nimia rerum temporalium solicitudo à Christo reprehenditur, *tr.85. d.6.n.1. & 2.*

Sonus.

Præsidentium aures quidem audientium percutit, At inanis evadit, nisi Magister sit intus, *tr.83.d.37.n.6.*

Cur Spiritus S. in sono advenerit, *tr.81.d.25.n.9.*

Speculum.

Non adulatur, sed sincere & verè repræsentat objectam imaginem, aut intuentem, *tr.83.d.21.n.8.*

Spinæ.

Semen suffocantes sunt curæ sæcularium, *tr.83. d.27. n.7.* Spinarum & solicitudinum comparatio. V. Solicitudo, Spinæ sunt peccata, & per spinas & saxa impij tendunt ad infernum, *tr.77.d.14.n.3. & 7.*

S. Spiridion.

Percutienti unam maxillam præbuit & alteram, *tr.68. d.14. n.6.*

Spiritus Sanctus.

Apostolis in linguis igneis, & super Jordanem in specie columbæ apparuit, idque non sine mysterio, *tr.70. d.4. n.7.* Veluti non caret mysterio, quod advenerit in sono advenientis spiritus vehementis, *tr.81. d.25. n.9.* Significatur quoque per ventum, *tr.83.d.37.n.3. Status V. Vocatio.*

S. Stephanus.

In concilio vultu radiabat angelico, & quæ hujus causa, *tr.68. d.1. n.5.* Plures mortuus, quam vivus convertit Hebræos, *tr.87.d.9.n.8.* Sermocinante S.Stephano quomodo Judæi aures suas continuerint, *tr.83.d.23.n.3.*

Pater cujusdam monasterij, Stephanus nomine, ob mirum patientiæ studium in agone visitatus fuit ab Angelo, *tr.68. d.10. n.4.*

Sternutatio.

Quidam pistor Romanus vigesies quater sternutans obiit, *tr.81.d.19.n.3.*

Stomachus.

Languens cibum rejicit, ita impius audiens verbum Dei, *tr.83.d.25.n.4.*

Stultus.

Qui sectatur otium, Stultissimus est, ubi varij allegantur gradus stultitiæ, quos incurrit otiosus, *tr.91. d.13. per totum.* Stultitia Domitiani Imperatoris capientis muscas; Item Artabi Regis Hircaniæ capientis talpas, & Biantis Regis Lydiæ ranas filo inserentis, *ibid.d.5.n.4.*

Superbia: Superbus.

Superbia unde nuncupetur, & quid, *tr.90. d.1. n.1.2. & 7.* Superborum idioma exponitur, *ibid. n.2.* Superbus non solum supra hominem, sed supra Deum quoque esse appetit, *ibid.n.4.* Peccat in Deum, *ibid.n.7. & 8.* Variæ descriptiones & species superbiæ, *n.9. & 10.*

Superbia, utpote à Lucifero ducens ortum suum est vitium diabolicum, *tr.90.d.2. n.1.2.3.4.5.* Ejus laqueis dæmon multas capit animas, *ibid. n.6.7.8. 9. 10.* cœpit à Dei injuria, *ibid.n.1.* Primum peccatum Luciferi fuit superbia, non invidia, *ibid.n.2. & 3.* Diabolus omnem operationem à superbia incipit, & ideo supra pectus graditur, *ibid. n.6.*

Superbia uti protoparentes nostros, ita perfectos alios præcipitare nititur, *tract. 90. disc. 3. per totum.* Superbus est impatiens subjectionis, *ibid.n.3.* superbia multum obest Religiosis, *n.4.* In virtutum operibus timenda est, *n.6.* Cætera vitia ignavis, superbia vero industrijs insidiatur, *n. 7.* Dæmon per superbiam bonis operibus intentos supplantare studet, *n.8. & 9.* Pharisæus multiplici laboravit superbia, *n. 9.*

Superbia cunctis opponitur virtutibus; enervatque omnium bonorum operum merita, *tr.90.d.4. per totum.* Sola superbia Pharisæum cunctis exuit virtutibus, *n.1. 2. 3. 4.* Instar pestis est, *ibid. n.5. 6. & 9. & d. 8. n. 6.* Est quasi quoddam fulmen, *d.4.n.6.* Superbia ruina omnium virtutum & bonorum operum, *ibid. n.8. & 9.*

Superbia sterilem efficit spiritum ac devotionem; nec non Divinæ in nobis exsiccat gratias, *tr.90. d.5. per tot.* superbia veluti solitudo, quia soli superbi æstimari cupiunt, *ibid.n.1. & 7.* comparatur insuper vento, arancæ & fumo, *ibid.n.4.5.6.*

Superbia dicitur delictum maximum, quia directè contrà Deum arma capit & pugnat, *tr.90. d.6. per tot.* Cætera vitia aliqualem habere possunt excusationem, & superbia nullam, *ibid. n.3.* Superbiæ partus apostasia, *ibid.n.4.5.6.7.8.* Antichristus superbus, *ibid.n.8.* & libidinosus, *d.8. n.11.*

Superbia qua ratione omnis peccati principium, *tr.90. d.7. per totum.* Nullum est peccatum sine superbia, *ibid. n.1. & 2.* In quo superbia Deo contraria sit, *ibid.* Superbia est peccatum maximum quadrupliciter, *ibid.n.4.* Virtutes, bona opera, Sacramenta, &c. convertit in venenum & mortem animæ, *ibid. n.7.* Propter magnum superbiæ peccatum Deus humilis venit, *ibid.n.9.*

Superbia annexam habet congeriem aliorum omnium vitiorum, *tr.90.d.8. per totum.* Est Hydra, *ibid.n.3.* Superbus est fera crudelis in Deum, proximum, & seipsum, *ibid.n.7.* Mater invidiæ superbia nescit esse sterilis; continuo parit, *n. 9.* partus superbiæ luxuria, *n.10.*

Superbis Deus resistit, eosque deprimit; quod comprobatur exemplo Luciferi, *tr.90.d.9. per totum.* Dæmon per superbiam adeo deformis factus, ut si quis videret illum, vivere non posset, *ibid.n.1.* Lucifer per superbiam factus est noctifer, imo furcifer, *ibid.n.2.* S.Joannes Baptista verus fuit Lucifer, *ibid.* Superbus Deo odibilis, *ibid. n.6. & 7.*

Superbos Deus odit & adversatur, eosque debitâ pœna castigat & punit; idque pluribus declaratur exemplis, *tr.90. d.10. per totum.* Superbia est signum reprobationis & exclusionis à regno cœlorum, *tr.90.d.11. per tot.* Æterna mors, & Infernus à superbia ortum habent, *ibid.n.2.* Apta ignis & superbi comparatio, *ibid.n.3.* Ignis inferni obscurus & sine luce, *n.4.* Non esset infernus, si non fecisset superbia, *ibid. n.5.* superbus similis calamo arundinis, *ibid. n.6.* Dathan & Abiron superbia & invidia inflatos terra absorbuit vivos: *ibid. n.7.* superbus monachus ad exitium sibi ipsi sufficit, & quare, *ibid. n.8.* Superbus regnum Dei intrare nequit, quia nec cum Deo, nec cum proximo, nec cum seipso pacem habet, *ibid. n.9.* Superbia arbori celsissimæ at putridæ similis, *ibid.n.10.*

Superbia est species dementiæ, *tr.90.d.12. per tot.* Privat nos judicio & discursu, uti probatur ex verbis matris filiorum Zebedæi, *ibid.n.3.* & patet in Adamo, *ibid. n.7.* Superbus similis cornici alienis vestitæ plumis, *ibid. n.4.* superbia homines similes efficit bestijs, *ibid. n. 6. 7. 8.*

Cur David superbiam nuncupet pedem, variæ adducuntur expositiones, *tr. 90. d.13. per tot.* Homo ex luto formatus & mortalis, ne in superbiam extolleretur, *d.14.n.1.2. 3. 4. 5.* Vermis & tinea divitiarum superbia, *ibid.n.6. & 8.*

Ad reprimendam superbiam varia adducuntur motiva, *d.14. & d.15. per tot.* superbus Deo & hominibus odibilis est, *d.15.n.1.* Per superbiam homo amisit dominium in animalia, *ibid. n.2.* Omnino indecens est hominem superbire humiliante se filio Dei, *ibid.n.3. & 4.* superbi gigantum nomine designantur, *tr.81.d.5.n.1.*

S. Sylvester.

Papa cur cæteros hebdomadæ dies feriarum nomine distinxerit, *tr.91.d.17.n.6.*

T.

Tabulæ Moysis.

PRimæ legis digito Dei scriptæ cur non manserint integræ, *tr.83.d.30. n.7.*

Talenta.

Per quinque talenta Evangelica, quid designetur, exponitur, *tr.83.d.34. n.8.*

Tartarorum Imperator.

Exteri coram Tartarorum Imperatore comparituri per ignem hinc inde positum transire debent, *tr.86.d.1.n.19.*

Tempestates.

Tempestates, tonitrua, fulgura, grandines, pluviæ excessivæ, naufragia, &c. qua ratione sint pœnæ & effectus peccatorum. *Require V. Peccati pœna.*

Templum.

Julianus Apostata adhuc adolescens una cum Gallo fratre suo templum ad Dei honorem ædificare cœperat, at ille partem sibi contingentem numquam perficere potuit, *tr.87. d.9.*

n.9. toto hoc tractatu passim fit templorum sive Ecclesiarum mentio.

In sacris templis Deus colendus est silentio, *tr.88. d.6. n.1. 2. 3.* Quam rigorosum gentiles in templis suis servaverint silentium, ostendit factum unius ephebi Alexandri Magni sacrificantis; *ibid. n.1.*

In ædificatione templi Salomonis nullus fuit auditus ictus aut strepitus mallei, securis, &c. *ibid.n.2. & tr.83.d.3.n.1.*

Silentij in templis sacris observandi insigne nobis dedit exemplum B. Virgo Maria, *tr.88.d.6.n.4.5.6.7.8.*

In templo docens Christus Dominus à Judæis non fuit detentus, & quare, *tr.83.d.47. n.7.*

Tempus ejusque jactura.

Tempore nil pretiosius, esto nihil à multis æstimetur; sed vilipendatur, *tr.81. d.18. n. 6.* Temporis brevitas, *ibid.* Tempus infirmitatis vel agoniæ est tempus non nostrum, *tr. 81. d.11. n.5.*

Tempus pœnitentiæ in fine vitæ nullum, *tr.81.d.10. per tot.* Illud qui hic negligit, in fine vitæ non auditur, *tr.81.d.16. n.4.* Circa pœnitentiæ tempus quam fallax impiorum dispositio, *ibid.d.18. per tot.* Temporis proprietas est, ut quo illius avidiores sumus, eo fugiat velocius, *ibid. d.18. n.9.* Qui tempus sine pœnitentia præterlabi patitur, similis ei, qui pretiosam gemmam in sterquilinium abjicit, *tr. 81. d.20.n.7.*

Tempus vitæ nostræ celeriter transit, ac breve. est tamquam dies hesterna, quæ præterijt, *tr.91. d.1. per tot.* Vera temporis idæa, *ibid. n.7.* Differens conversionem suam & disponens de tempore, quod non est in potestate sua, temerarius est, *tr.91. d.2. per tot.* Tempus est in potestate Dei, *ibid n.1.* Breve est, quia nihil habemus de præterito, nec de futuro, nec de præsenti nisi instans, *ibid.n.2. & 3. & d.1. per tot.* Unicum instans, sive nunc temporis, est in potestate nostra, *d.2. n.3.* Ruina est deceptio multorum, quod certum vitæ tempus sibi adpromittant, *ibid.n.4.5.6.* Nequam, nequior, & nequissima est ista promissio, qua peccator longam sibi adpromittat vitam, *ibid.n.6.*

Tempore nil pretiosius, *tr.91. d.3. per tot.* Illius Deus habet rationem, *ibid. n.3.* Tempus, esto vilipendatur ab homine, adeo pretiosum est, ut emi vendique nequeat, *ibid. n.4.* Modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam & gloriam, *ibid.n.5.* Tantum valet tempus, quantum Deus, *ibid.n.6.* Est res sacra, *n.8.* Nullus nisi solus Deus in illud dominium habet, *ibid.n.7.* Qui tempus bene impendit, non donat sed restituit illud Domino, & inæstimabile facit lucrum, *ibid. n.9.* Furti reus; qui tempus male consumit, *tr.91. d.16.n.4.* Tempus pretiosum triplici ratione, *d.3. n.10.*

Tempus nobis indultum est, ut æternam operemur salutem; ideoque bonis operibus impendendum, *tr.91.d.4. per tot.* Omnia nobis Deus subjecit excepto tempore, quod est proprium peculium Dei, *ibid. n.1.* Tempus facimus nostrum per bona opera, *ibid.n.3.* Quatuor motiva ad habendam temporis rationem, *ibid. n.4.* Non sufficit intueri cœlum, sed tempus insuper bonis operibus impendendum est, *ibid. n.6.*

Reprehensione digni inutiliter consumentes tempus, quod nobis indultum est ad agendam pœnitentiam; & ad obtinendam gloriam, *tr.91. d.5. per tot.* Hinc Domitianus Imperator capiendo muscas, & alij Magnates & Reges oriando & nugando terentes tempus culpandi sunt, *ib.n.4.* Tempus præsens tempus nundinarum, *ibid.n.5. & d.13. n.2. & 3. & d.14.n.7.* Tempus vitæ hujus tempus seminis & messis, *d.5. n.8.* Rigorosa de tempore reddenda est ratio, *ibid.n.9.*

Signum reprobationis est transigere tempus sine fructu, quod ipsa mortis hora nos coram Deo accusabit, *tr.91: d.6. per tot.* Otium malorum parens, *ibid.n.1.* Otiosus & tempus perdens duplex committit peccatum, commissionis, & omissionis, *ibid. n.3.* Homo otiosus, inutilis & frustra natus est, truncus arboris aptus ad ignem, *ibid.n.6.* Otiosus non erit in paradiso terrestri, nec in cœlo, nec in purgatorio, Mundi quoque loco indignus est, proprius ei locus infernus. *ibid. n.7.*

In otiosos dæmon acquirit dominium, in eisque ut in centro suo habitat, *tr.91. d.7. per tot.* Otiositas dæmonis universitas, *ibid. n.6.* Davidem & protoparentes dæmon induxit ad peccatum, quando erant otiosi, *ibid. n.7.* Otium est fomentum & sentina tentationum, præsertim vero impurarum cogitationum, *tr.91.d.8. per tot.* Et solet esse causa & centrum omnium vitiorum, *d.9. per tot.* Otiosus non solum in se vitiosus, sed & alios inficit, *ibid. n.11.* Similis fluxui & refluxui maris, *d.10. n.6.* Merito exterminandus, quia magnum Reipublicæ confert damnum, *d.10. per totum.* Otiosus sibi ipsi bonorum tum temporalium creat penuriam, gravamen & vitæ abbreviationem, *d.11. per totum.*

Variæ rationes & considerationes, ut quis detestetur otium, ac tempus fructuose impendat, *tr.91. d.12. per totum.* Causa cur Deus otium odio habeat, *ibid. n.5.* Amor Dei numquam otiosus, *ibid.n.6.* Otiosi ac desides, ac si non viverent, menses & annos duunt vacuos, *ibid.n.10. & d.15.n.5.* Illo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & fructuose viximus, *d.12.n.9.* Tempus præsentis vitæ tempus meriti, *ibid.n.11.*

Finis vitæ noſtræ ac dies mortis incertus & occultus, & quare, *ibid. n.12.*

Qui ſectatur otium ſtultiſſimus eſt, ubi varij allegantur gradus ſtultitiæ, quos incurrit otioſus, *tr. 92. d.13.* Qua ratione tempus redimendum juxta Apoſtoli monitum, variè exponitur, *d.14. per tot.* Tempus eſt quaſi captivum & mancipium vinctum, quamdiu inutiliter impenditur, male inſumitur, & ſervit peccato, *ibid. n.1. & 2.* Ab hac ſerviture eximitur per mortem peccatoris, *ibid.* Tempus perditum redimit quoque tribulatio, *tr. 94. d.23. n.13.* Qua ratione dicantur tempora mala & dies mali, *tr. 91. d.14. n.4. & d.15. n.1.* Et dies pleni, *d.25. n.8.*

Modus, quo tempus conſerverur, impendaturque uriliter, *tr. 91. d.15. per tot.* Qui fieri poſſit, ut tempus omne noſtrum ſit, *ibid. n.6.7.8.9. & ſeqq.*

Ad fugiendum otium multum conferunt occupationes & labores manuales, *tr. 91. d.16. per totum.* S. Caroli Borromæi ordinationes circa fugam, *ibid. n.4.*

Quomodo tempus in honeſtas recreationes ac licita animi corporisque exercitia expendi poſſit, *tr. 91. d.17. n.1.2.3.* Commendatur etiam otium ſanctum ac honeſtum, & quies vitæ contemplativæ, *ibid. n.4.* Pro quo adducitur apologus appoſitus de bove laborioſo & lupo otioſo, *ibid.* Labor ſcholaſticus otium negotioſum, *ibid. n.5.* Ut otioſi minime arguendi, quos videmus ſtudere ſapientiæ, *ibid. n.8.9.10.* Arguendi tamen palliantes ſuam pigritiam nomine & prætextu contemplationis, apti alias ad viram activam, *ibid. n.11.*

TENTATIO.
ſive
Suggeſtio Diabolica.

Vita humana eſt continua pugna & tentatio, *tr. 92. d.1. per tot.* Omne iter vitæ hujus plenum laqueorum eſt, *ibid. n.7.* Deus S. Antonio aërem oſtendit laqueis plenum, *ibid. n.8.* Caro hoſtis domeſticus, mundus hoſtis ſophiſticus, Diabolus hoſtis antiquus, *ibid. n.5.* Cum his continuo pugnandum, *ibid.* Nullus datur locus, non tempus, non ſtatus aut vocatio, quæ ſit exempta ab hac colluctatione, *ibid. n.10. & 11.*

Variæ dæmonis fraudes & doli deteguntur, & qua ratione ſe in angelum lucis transformet, ut tentet decipiatque, *tr. 92. d.2. per tot.* Dæmonis ſocij caro noſtra & mundus, quales ſint, & quomodo dæmon eorum utatur opera, deſcribitur, *ibid. n.2. & 3.* Laquei diaboli ſunt hujus ſæculi divitiæ, *ibid. n.3.* Sale ſi caro non aſpergatur, corrumpitur & putrefcit, ita anima relaxatur, niſi tentationibus aſſiduis ſaliatur, *ibid. n.5.* Dæmon aliquando dicit verum, ne tamquam mendax omnino rejiciatur, & ut hac veritate alia mendacia ſuadeat, ac confidentius mentiatur, *ibid. n.7.* Qui in uno deficit, factus eſt omnium reus, & hoc ſufficit dæmoni tentanti, *ibid. n.8. & 9.*

Deus malitiam dæmonis tentantis noſtroque damno inhiantis in noſtram, ubi reſiſtimus, convertit ſalutem, *tr. 92. d.3. per tot.* Dæmon tentans ſervos Dei eorum ſervit utilitati, *ibid. n.2.* Unde eſt quaſi ſanguiſuga, *ibid. n.3.* Tentatio ad exercitium virtutum, meritorumque augmentum plurimum valet, *ibid. n.4.5.6.7.8.* Ignis inſtar eſt purgantis aurum & argentum, & conſumentis paleas & lignum, *ibid. n.10.*

Tentatione ut cribro Satan nos expetit & excutit, ut purificati proficiamus in virtutibus, *tr. 92. d.4. per tot.* Homo inſtar grani frumenti purgandus, ventilandus, ut purgatus ad cœleſte granarium attrahatur & elevetur, *ibid. n.1.2. 3.4.5.* Tentatio Deo nos unit, *ibid. n.2. & 3.* Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio, *ib. n.6.* Anima quaſi civitas parva obſeſſa à dæmonibus, *ib. n.7.* Ex odio & inſidijs Satanæ Sancti evaſerunt ferventiores in Dei ſervitio, *ib. n.8.* Antiquus malleator tentatis fabricat coronas perpetuas, at neſcius, *ib. n.7. & 8. & d.5. per tot. & d.6. n.2.* Populus Iſraëliticus in Chanaan cohabitavit hoſtibus, ne otio & inertia ſolveretur, utque bellandi uſum diſceret, *d.4. n.10. & d.5. n.8.*

Tentationes à Deo ordinatæ ad exercitium virtutis, *tr. 92. d.5. per tot.* Cur hominem tentari permittat, ac permiſerit, quem tentatori conſenſurum præſciebat, *ibid. n.2.3. 4. 5.6. & d.12. n.3.* Tentationes malis ita ſunt ſicut ignis fœno, Bonis ita ſunt uti ignis auro, *ibid. n.9.*

Tentationes nobis utiles ſunt & neceſſariæ, quibus æternam lucremur gloriam, *tr. 92. d.6. per tot.* Aureola diſtincta ab Aurea, non datur Angelis, ſed in terra certantibus, *tb. n.8.*

Perfectiores dæmon tentare ſtudet, & eos vel maximè, quos reperit devotioni magis addictos, *tr. 92. d.7. per tot.* Tentatio, quam vincimus in noſtrum cedit emolumentum, cum per eam plurima alterius vitæ acquiramus merita, *d.8. per tot.* Sex tentationis enumerantur emolumenta, *n.3.* Majori ditatur gratia tentationi ſubjectus, quam qui vivit in magna pace, *n.4.* Tentationes præmiorum materia ſunt, *ibid. n.6.7.* Tentationes evictas in magnum definere bonum patet exemplo Chriſti tentati in deſerto, *ibid. n.10.*

Plura referuntur commoda ex tentationibus reſultantia, *tr. 92. d.9. per tot.* Multi ſervi Dei in fine vitæ tentationibus infeſtantur, ut purgentur à peccatis, *ibid. n.2. & 3.* Neſcit ſe homo, & in tentatione ſe diſcit, *ibid. n.6.* Dæmon tentans comprehenditur in conſiliis, quibus cogitat, *ibid. n.8.9.* Tentatio in noſtram non tantum, ſed aliorum quoque cedit utilitatem, *ibid. n.7.* hominem celebrem & venerabilem reddit, *ib. n.10.* Et bona multiplicat ſpiritualia ac temporalia, *ibid. n.11.*

Utiles tentationes, quia nos conſervant humiles, idque exemplo Apoſtoli probatur, *tr. 92. d.10. per tot.* Et efficiunt, ne quis in ſui ignorantia, propriaque confidentia caliget, *ibid. n.9. & 10.*

Deus quidem tentat ſuos permiſſive, ex qua tentatione etiam quorumdam ſequitur lapſus in peccatum, ac melius judicavit de malis elicere bonum, quam mala nulla eſſe permittere, *tr. 92. d.11. n.1.2. 3.4.* Tentare hominem idem quoque eſt quod probare & experiri virtutem ejus, *ibid. n.7.* In tentatione relucet virtus, *ibid. n.6.8.9.10.*

Tentator diabolus quam debilis & infirmus ſit ſine noſtræ voluntatis conſenſu, exponitur, *tr. 92. d.12. per tot.* Unde ſi vincat, vincit nos voluntarios, eſtque inexcuſabilis dicens: Dæmon me peccare fecit, *ibid. n.4.* Deus non permittit dæmonem prævalere & ſuperiorem eſſe noſtris viribus communicando nobis auxilia, quibus illi reſiſtere valeamus, *d.13. per tot.* Tentatio comparatur texturæ aranex, *ib. n.2.* Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio, *ibid. n.3. & d.12. n.4.* Qua ratione Deus nos tentans intentator tamen malorum ſit, *d.13. n.7.* Tentatio humana quænam ſit, *ibid. n.8. & 11.*

In tentationibus Deus nobis fert ſuppetias, *tr. 92. d.14. per tot.* Major eſt Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum in tentationibus, *ibid. n.2.* Tametſi Deus non videatur nos velle protegere in tentatione, non tamen abjiciendus animus, quia tunc vel maxime protegit, *ib. n.3. & 4.* Qua ratione Abbas Moyſes inſtructus fuerit ab alio Abbate circa aſſiſtentiam Angelorum in tentationibus, *ibid. n.8.*

Aſſiſtentia Dei in tentationibus noſtram exigit cooperationem, *tr. 92. d.15. per tot.* Chriſtus Dominus tentari ſe permiſit, ut cujus munimur auxilio, ejuſdem muniamur exemplo, *ibid. n.10.* Dæmon poteſt operari circa phantaſiam indirecte immittens impias cogitationes, *ibid. n.5.* Quale remedium adhibendum adverſus ſordidas cogitationes à diabolo immiſſas, *ibid. n.6.* Conſilium Filiorum S. Franciſci circa repellendas malas cogitationes, *ib. n.10.* In tentationibus carnis ſolum fugiendum, in cæteris non eſt deſerenda ſtatio, *ibid. n.11.*

Varia adducuntur remedia contra tentationes, *tr. 92. d.16. per totum.* Primum, Deo referre acceptam omnem virtutem, quam habemus in reſiſtendo, *ibid. n.1.* Secundum, invocatio Dei, *ib. n.2. & 3.* Invocatio nominis Jeſu, *ibid. n.4.* Tertium, Ejusque Sanctiſſimæ Matris, aliorumque ſanctorum, *ib. n.5.* Quartum, præſentia Dei, *ibid. n.6.* Quintum, frequentia SS. Sacramenti, *ibid. n.7.* Sextum, Conſeſſio Sacramentalis, *ib. n.8. & 9.* Septimum. Meditatio Paſſionis Dominicæ, *ibid. n.10.* Octavum, S. Scripturæ lectio vel recordatio, *ibid. n.11.12. 13.*

Potens motivum & medium pro ſuperandis tentationibus eſt, ſi recogitemus eas procedere ab hoſte noſtro irreconciliabili, totius boni adverſario, omnis mali inſtrumento, *tr. 92. d.17. per tot.* Cæteris animalibus Deus dedit arma, quibus ſe defendant, *5.* Homini vero dedit voluntatem & intellectum, quibus reſiſtat tentatori, *ibid. n.1.* Eva infatuata à ſerpente perdidit rationis uſum, *ibid. n.2.* Dæmon homicida ab initio, ſemper inimicus, ſemper invidus, *ibid. n.3. & 5.* Et noſter & ſuiipſius, inimicus eſt, *ibid. n.6.* Adam & Eva ſufficienti inſtructi lumine aſtum ſerpentis advertere potuiſſent, *ibid. n.4.* Quo plus nos opponemus tentatori, eo magis ipſius vires deficient, *ibid. n.7.8. 9.* Non eſt optanda, nec procuranda à nobis tentatio, *ibid. n.10.*

Varij modi, quibus tentationes evincere poſſimus, *tr. 92. d.18. per totam.* Suggeſtiones diabolicæ ſub initium repellendæ, *ibid. n.1. & 2.* Arma tentationibus contraria capienda, *ibid. n.3.* Fugiendæ occaſiones, *ibid. n.4. & 5.* Ad evincendam tentationem optimum remedium humilitas, *ibid. n.6.7.* Obedientia & manifeſtatio tentationum, *ibid. n.8.* Conſideratio cœleſtis curiæ ſpectantis noſtram pugnam, *ibid. n.9.* Memoria mortis, & extremi judicij, *ibid. n.10.*

Terræmotus.

In pœnam peccati permiſſus à Deo. Require V. peccati pœna.

Terræ ſterilitas.

Ariditas, ſiccitas & fames unde proveniant. Require V. Peccati pœna.

Thalmud.

Quanta aviditate Judæi librum hunc legant & audiant, *tr. 83. d.23. n.3.*

Theatini.

Ne quidem eleëmoſynam à fidelibus audent exigere, *tr. 85. d.9. n.3.*

Theodoricus.

Rex quid de pacifico regimine ſcripſerit Anaſtaſio Imperatori, *tr. 59. d.10. n.5.* Ejuſdem teſtimonium de Caſſiodori vitæ & prædicatione, *tr. 83. d.32. n.1.*

S. Thereſia.

Orans pro fidelibus defunctis, ne impediretur à Dæmone, librum aqua benedicta aſpergebat, *tr. 86. d.9. n.2.*

S. Thomas Apoſtolus.

Cur in tantam incredulitatem inciderit, *tr. 70. d.9. n.9.*

S. Thomas Aquinas.

Vix capere potuit, quomodo peccato mortali obnoxius ridere poſſit, *tr. 77. d.6. n.3.* Ob ſilentium dictus bos murus, qui tandem ſuo mugitu totum replevit orbem, *tr. 88. d.9. n.8.*

S. Thomas Villanovanus.

Non ſine cauſa invehitur in concionatores mali exempli, *tr. 83. d.32. n.7.* Pulchra ejusdem reſolutio, quare via impiorum proſpereturus, juſti vero affligantur in hac vita, *tr. 94. d.27. n.10.*

Thus.

Typus orationis, *tr. 83. d.24. n.4.*

Tiberius.

Cæſar ferociſſima affligebatur cordis triſtitia, quia vitioſus & crudelis extitit Tyrannus, *tr. 77. d.17. n.5.*

Timor Dei.

Nos fortificat & corroborat. *tr. 78. d.12. n.3.* Timore ſervili multi inducti in fine vitæ pœnitentiam fruſtra agunt, *tr. 81. d.12. n.3.*

Ante omnia neceſſarium eſt prædicare timorem Dei, *tr. 93. d.1. per totum.* Timor Dei cuicumque ſtatui & conditioni competit, ideoque concionator utiliorem nequit tractare materiam, *ib. n.4. & 5.* Neceſſarius eſt timor Dei præter mundanum, utpote, inſufficientem, *ibid. n.6.* Timor Domini vitæ noſtræ director, *ibid. n.9. & 10.*

Timor Domini cooperatur noſtræ converſioni & ſaluti, *tr. 93. d.2. per tot.* Prava mens, niſi prius per timorem evertatur, non emendatur, *ibid. n.3.4.5.* Timor Dei præſervat nos à peccato, *ib. n.7.8.* Unde eſt inſtar medicinæ, & cujusdam capitulj, quod celebratur à Religioſis, *ib. n.10.*

Quid & quotuplex ſit timor Dei ex D. Thoma, *tr. 93. d.3. n.1.* Qua ratione timor mundanus, quia eſt à mala radice, ſemper ſit malus & reprehenſibilis, *ib. n.1.2.3.4.5.6.7.8.* Timor mundanus differt facultatem peccandi, unde nec aufert, ſed retinet voluntatem, donec habeat occaſionem peccandi, *ibid. n.2. & 3.* Timor humanus expellit timorem Dei, *ib. n.8.* Timor ſervilis, quo quis magis timet pœnam, quam culpam bonus eſt, ſi charitate ordinatus, *n.9. & 10.*

Timor filialis compatibilis cum amore Dei, & ſervilis cum filiali, *tr. 93. d.4. per tot.* Timor ſervilis nullo modo erit in patria, *ib. n.4.* Qua ratione perfecta charitas foras mittat timorem, oſtenditur ſimilitudine acus, & aliorum. *n.5. & 6.*

Semper nobis timendum eſt in negotio ſalutis noſtræ, *tr. 93. d.5. per totum.* Timor fundamentum ſaluris, præſumptio impedimentum timoris, *ibid. n.2.* Omnis perfectus Deum timere debet propter tria, *ibid. n.3.* Timor vigil ſeu ſpeculator mandat cuſtodiri portas ſenſuum, *ib. & d.7. & d.14. & d.15.* Tametſi Deus in nobis operetur velle & perficere, noſtra tamen cooperatio neceſſaria eſt, *d.5. n.9.* Timor Dei eſt pignus & ſignum æternæ beatitudinis, *tr. 93. d.6 per totum.* Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, *ibid. n.4. & 5.* Timens ſicut primogenitus Regis eſt in ſpe, & expectatione certa regni cœleſtis, *ibid. n.6.* Et dicitur quoque beatus, *ibid. n.11.* Timenti Deum bene erit in extremis, *ibid. n.9.10.11.* Qualis vita, mors ita, *n.9.*

In via Dei numquam debemus eſſe ſecuri, ſed ſemper nobis timendum eſt, *tr. 93. d.7. per totum.* In corporali pugna abigendus omnis timor, minimè in ſpirituali, *ibid. n.1.* Triplici timore cor replendum: cum arriſerit gratia, cum abierit, cum denuo revertitur, *ibid. n.2.* Timor Domini ſicut oſtiarius & cuſtos, *ibid. n.3. & 4.* Et inſtar radicis arboris, *ib. n.5.* Qui ſanctior & ſapientior eſt, ſemper plus timet, *ibid. n.6.* Tranquillitati maris non fidendum, & timendum etiam ſereno tempore, *ibid. n.9. & 10.*

Majori præditus ſpiritu majori etiam munitus ſit timore, nullus ab hoc ſe eximat, neceſſe eſt, *tr. 93. d.8. per tot.* Cur Prophera Iſaias recenſendo 7. dona Spiritus ſancti, ultimum locum aſſignaverit timori Domini, *ibid. n.1. & d.7. n.4.* Præſumptio periculoſa & damnoſa, *d 8. n.2. & 3.* Naufragium timens tutior erit à naufragio, *ibid. n.6.*

Origo & principium ſalutis noſtræ ſolet eſſe timor Dei, *tr. 93. d.9. per tot.* Qua ratione timor ſervilis ſit principium ſapientiæ, *ib. n.1.2.3.4.5.* Ubi eſt timor Dei: ibi eſt regnum Dei, *ib. n.6.* Anchora navis animæ timor Dei, *ib. n.6.* Timor Dei animæ ſchola, *ib. n.9.* Multis conducit, ut deſcendant in infernum viventes, ne deſcendant morientes, *ib. n.12.*

Timor Dei radix & fundamentum ſapientiæ, *tr. 93. d.10. per tot.* Timor Dei in anima deficiente, deficient ſtatim actus virtutum, *ib. n.5. & 6.* Qui vult divinæ ſapientiæ ſecreta capere, cum Joanne propinquior fiat Jeſu; eique jungatur per amorem, quod fit per timorem, *ibid. n.3. & 4.* Timor Domini eſt quaſi columna, ſuſtinens totam fabricam ſpiritualis ædificij, *ibid. n.7.8.9.10.11.* Timor apte comparatur radici arboris, *ibid. n.12.*

Timenti Deum nec ſpiritualia, nec temporalia deſunt bona, *tr. 93. d.11. per tot.* Timor Domini theſaurus, *ib. n.2. & 3.* Virtutes Chriſtianæ deprompræ ex timore Dei, *ibid. n.3.* Timens Deum dives eſt cordis opulentia, *n.4. & 8.* Veri timentes tam in proſperis, quam in adverſis timent Deum, *ib. n.7.*

Timor Dei timentibus confert conſolationes & gaudia, *tr. 93. d.12. per tot.* Deus animam timoratam eligit in ſuum paradiſum, *ibid. n.7.* Timentes Deum vino ſpiritualis gaudij inebriantur, *ib. n.7. & 8.* & cum S. Simeone juſto replentur conſolatione, *ibid. n.8.*

Varij effectus timoris Dei, *tr. 93. per tot. & d.14. per tot.* Verecundiæ à timore promanantis laus & fructus, *d.15. n.2.* Judith & Suſanna timentes Deum pudicitiam conſervarunt, *ib. n.8.* Timor Dei pædagogus animæ, *ib. n.11.*

Timor Dei janitor & cuſtos oſtij cordis, *tr. 93. d.14. n.1. & 5.* Murus fortiſſimus, *ib. n.1. & d.15. n.4.* In via ſæculi ſive mundi timor debilitatem, in via Dei timor fortitudinem gignit, & facit, ut homo intra ſe Rex ſit, *d.14. n.3. & 9.* Timor anchora mentis, *ib. n.5.* In virtute timoris protegimur ab hoſtibus etiam viſibilibus, *ib. n.7.* Timor Dei conſtantes nos efficit in virtutum exercitio, *ib. n.9. & 10.*

Qui Deum timet, verba Dei audit, & ex Deo eſt, *tr. 93. d.15. n.1.* Anima ſine timore mortua, unde timor eſt vita & anima animæ, *ib. n.2. & 3.* Timorem nobis merito incutere deberet ſeveritas Divinæ juſtitiæ, *ib. n.6.* Divina præſentia, *ib. n.8.* Ubi alia motiva, *n.9. & 10.* Timens Deum prolongat vitam ſuam, *n.10.*

Trajanus.

Ejus dictum de patientia Chriſtianorum, *tr. 68. d.2. n.5.*

Tribulatio.

Vita humana continua quædam tribulatio eſt, *tr. 94. d.1. per totum.* Homo ejectus fuit ex horto voluptatis, ut in ærumnis viveret, *ib. n.3.* Hominis vita ex lacrymis compoſita, *ib. n.5. 6.7.* Et à lacrymis eam exorditur, *ibid. n.7. & 8.* Nullus exemptus à ſententia lata contra Adamum, *ib. n.8.* Stratagema naturæ eſt, quod det vitam uſu rationis deſtitutis, ærumnasque vitæ neſcientibus, *ibid.*

Chriſtiani Deo chariſſimi vocati ſunt ad ſufferendas tribulationes, *tr. 94. d.2. per tot.* Chriſtus notam fecit viam vitæ & tribulationis, ejus veſtigijs inhærendum, *ib. n.3.* Ab origine mundi juſti & Deo charißimi calcarunt viam tribulationis, *ib. n.4.5.6. & 10.* Et hi vehementius impugnantur à Dæmonibus, *ibid. d.6. & 7.* Verus character hominis Chriſtiani patientia in tribulationibus, *ib. n.8. & 9.*

Summam gloriam & honorem Deus abſcondit ſub tribulationibus, *tr. 94. d.3. per tot.* Mala pœnæ à Deo inflguntur ad manifeſtandam ipſius gloriam, *ib. n.1.* Nihil nobilius & utilius homini tribulatione, *ib. n.1. & 3.* Adverſitates toleratæ ob amorem Dei mutantur in gemmas & margaritas, *ib. n.6.* Tribulatio annulus aureus, quo anima deſponſatur Deo, *ib. n.7.* S. Paulus vincula ſua veluti gemmas æſtimabat, *ib. n.8.* Catenæ S. Petri plusquam theſauri æſtimabantur, *ibid. n.9.* S. Chryſoſtomus maluit eſſe Petrus vinctus, quam Angelus Petrum ſolvens, *ib. n.10. & d.4. n.7.*

Quale ſit lucrum, meritum, virtus & perfectio tribulationis, *tr. 94. d.4. per tot.* Sancti viri quot tribulationes patiuntur, ut victoriæ palmas merentur in cœlis, *ib. n.2.* Fructibus ſpiritus gaudet tribulatus, impatiens iiſdem privatur *ib. n.3.* Fructus tribulationis, *ib. n.5. & 6.* Quando credimus nos deſolatos, tunc vel maximè nobis aſſiſtit Deus, *ibid. n.11.* Compendioſiſſima ad perfectionem via tribulatio, *ibid. n.6.* Modica tribulatione patienter tolerata ingens facimus lucrum, *n.7.8.9.*

Tribulatio habet aliquid divini, eamque Salvator noſter ſanctificavit toto tempore vitæ ſuæ, *tr. 94. d.5. n.1.2.3.4.5.6.7.* Non tanti æſtimabatur in lege veteri, quanti in nova, & quare, *ib. n.7.* Ex quo Salvator noſter carnem aſſumpſit, ſemper fuit in cruce, *ib. n.4.* Et ideo juxta eſt his, & amplexatur eos, qui tribulato ſunt corde, *ib. n.8.9.10.*

Servi Dei cum gaudio ſuſtinuerunt tormenta & tribulationes, easque avidiſſimè tamquam delicias appetierunt, *tr. 94. d.6. per tot.* Non in nova lege dumtaxat, ſed etiam in veteri fideles hilari animo ſuſtinebant adverſitates, *ib. n.7.* Tempus præſens vitæ tempus nundinarum, ad quas venit Chriſtus cœleſtis mercator, in eisque merces ſuas expoſuit, nempe, paupertatem & humilitatem, *ibid. n.8.* Viri fortis animum non perverti tentationibus, ſed potius converti ad Deum, docet exemplum Wenceſlai Regis Bohemiæ, *ib. n.9.*

Tribulatis Deus communicat conſolationes & gaudia ſpiritualia, *tr. 94. d.7. per tot. & tr. 80. d.7. n.1. & 2.* Anima inſtar frumenti, quo magis nive tribulationis tegitur & gravatur, eo magis proficit, *tr. 94. d.7. n.3.* Ut annulus eſt ſignum deſponſationis, ita tribulatio eſt ſignum Divinæ electionis, *ib. n.5.* S. Franciſco corporis cruciatus, lapides S. Stephano, carbones ignis S. Vincentio dulces fuerunt. *ib. n.7.* Tribulatus Deum habens in corde æterna gaudet felicitate, æternaque fruitionis ſapore, ut patet exemplo leproſi, *ib. n.8.9.*

Eadem materia continuatur, nempe, ex tribulationibus oritur pax & consolatio interna, *tr.94.d.8.per tot.* Christus dedit pacem, non quomodo mundus dat, qui cusa pace deponit arma, *ib.n.1.& 2.* Adversitas tamquam gemma è cœlo missa recipienda est, *ib.n.3.* Quando populo Israelitico omne defuit humanum auxilium, Deus eidem succurrit post perpessas varias tribulationes, *ib. n. 4.* Apostolus non in sua sed in cruce D.N. Jesu Christi gloriabatur, *ib.n.5.* Post nubila Phœbus, post tribulationes pax & fœlicitas, *ib.n.9.& 10.*

Tribulatio lucem præbet, ac in Dei nos ducit notitiam, *tr.94.d.9.per tot.* Aperuit oculos Regi Nabuchodonosori, alijsque superbis, *ib.n.2.& 3.& d.10.n.1.2.3.& seq.* Cœcitas corporalis aperit oculos mentis, *ibid.n.3.& 4.* Oculos, quos culpa claudit, aperit pœna, *ib.n.5.& 6.* Quem Rex Pharao nesciebat Dominum, flagellatus agnovit, *n.7.* Tyrus venationis saltus, ubi capiuntur peccatores, *n.8.* Idque declaratur exemplo Reguli & Dæmonis, *ib.n.9.*

Tribulatio aperit nobis oculos, ut nosmetipsos cognoscamus & corrigamus, *tr.94.d 10.per totum.* Est medicamentum, quod amaritudine sua purgat animam, *ibid.n.2.* Filius prodigus rediit ad se existens mendicus & famelicus, *ib.n.4.*

Tribulatio fel amarum, quo oculi Tobiæ, sive viri justi in Dei cognitione illuminantur, *ibid.*

Tribulatio nostræ cooperatur conversioni & saluti, *tr.94.d.11.per totum.& d.13.per totum.* Stupiditas rusticorum Asiæ in capiendis piscibus, *ib.n.3.* Tribulationes retia sunt, quibus Deus multos piscatur homines, *ibid.* Conversio S. Augustini majori ex parte tribulationi attribuenda, *ibid.n.4.*

Tribulatio patienter tolerata solvit pœnas debitas pro peccatis, & ab ijs nos expurgat, *tr.94.d.12.per tot.* Pœna temporalis adhuc debita solvitur per adversitates patienti animo toleratas, *ibid. n.1.* Et per eas plus quam per jejunia & orationes, *ibid.n.2.* Punitio Dei temporalis summa misericordia, *ibid.n.3.* Tribulatus instar panni lini, loti, & concussi albescit, *n.4.5.6.* Qui purgatorium habuit præsentis vitæ, non indiget purgatorio alterius vitæ, *ibid.n.7.* Tribulatio non à peccatis dumtaxat, verum etiam ab affectibus mundanis nos expurgat, *ibid.n.9.& 10.*

Indicium Divinæ benevolentiæ & amoris habemus, cum tribulationibus corrigimur, *tr.94.d.13. per totum.* Sufferentia adversitatum Dei donum, *ibid.n.1.* Injusta eorum lamentatio, qui impatienti animo ferunt tribulationes, *ib.n.3.* Pessimum signum, ubi Deus non adhibet virgam correctionis, *ib.n.4.* Calamitates publicæ non tam Divinæ justitiæ, quam amoris paterni effectus sunt, *ibid.toto passim discursu & d.14.seq.*

Continuatur eadem materia. Disciplina & virga tribulationum paterni amoris Dei erga nos indicium est, *tr.94.d.14. per totum.* Ut dometur equus, bos, &c. quæritur homo, ut ergo dometur homo, quæratur Deus, *ib.n.6.* Justi quo sanctiores & Deo propinquiores, eo plures gravioresque sustinuerunt tribulationes, *n.6.& 7.& d.16.n.4.5.6.* Pædagogus noster tribulatio, *d.14.n.8.*

Tribulatio vitam gratiæ, pleraque alia bona nobis communicat, & in gratia nos stabiles efficit, *tr.94.d.15.per totum.* Efficax concionator est, *ibid.n.3.* Per tribulationem Diabolus credit extinguere charitatem; at hæc fortius convalescet, *ibid. n.5.* S. Ida, uti pisces sine aqua, ita sine afflictione vivere non poterat in hoc sæculo, veluti mari, quod diversos habet fluctus, sævasque tempestates, *ib.n.7.* Deus in medio tribulationis vivificat, & melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere, *ib.n.8.* Unde ignis charitatis extingui creditur, inde magis accenditur, & verum est illud Symbolum, bitumini accenso & aqua aspersò appositum: *Imo magis accendor: n.11.* Multi vivificantur ex adversitate, qui per prosperitatem damnarentur, *ibid.n.8.*

Deus per tribulationes probat nostram virtutem, *tr.94.d.16.per tot.* Sancti Canonizandi speciali subjiciuntur examini, num fuerint patientes in tribulationibus, *ibid.n.1.* Justus meritò comparatur leoni in tribulationibus, *ibid.n.2.* Patriarcha Abraham esto pluribus abundaret virtutibus, ob nullam tamen nisi ob patientiam & obedientiam promptè præstitam à Deo laudatur, *ib.n.5.*

Qua ratione Deus sit animarum nostrarum Chirurgus & Medicus, ubi sub metaphora Medici & medicinæ examinantur tribulationes, *tr.94.d.17.per totum.* Percussos sanat Dominus, & curat infallibiliter & gratis, *ibid.n.1.2.3.* Omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit, *ibid.n.2.3.* Curam corporis toleramus, & curam animæ durissimam sentimus, *ibid.n.4.* Vulnera & infirmitates corporis sunt animæ remedia, *ibid.n.6.7.8.9.10.11.& d.18. per totum, & tr.68. d.19.n.5.& 8.*

Infirmitates cooperantur saluti animæ, *tr.94.d.18. per totum.* Infirmitate veluti freno coërcentur peccata, ex quibus illa oritur, quorumque pœna est, *ibid. d.19.n.1.2.3.4.5.* Peccatum est causa ægritudinis, & hæc illius pœna, *n.6.7.8.9.*

Tollatur causa & radix infirmitatis per confessionem, & homo pristinæ restituetur sanitati, *ibid.n.10.11.12.*

Infirmitates multorum bonorum exercitia sunt, *tr.94.d.20. per totum.* Cur Apostolus tot languidos miraculosè sanans, non curaverit dilectum suum discipulum Timotheum Ecclesiæ alias utilissimum, *ib.n.5.* Sancti divinis dediti contemplationibus plerumque corpore infirmi fuerunt. *ib.n.6.& 7.& d.21.n.1.* Prudens responsum Didimi cæci, qui mente & Spiritu videns erat, *d.20.n.8.*

Infirmitates Divini amoris indicia, plura nobis conferunt bona, *tr.94.d.21.per tot.* Murmurans in infirmitate à justo judice judicatur, *ib.n.2.* Ægrotus patiens duos lucratur denarios, at observans decem præcepta decalogi unum tantum, *ib.n.3.* Deo præ cæteris virtutibus accepta & grata infirmitas patienter tolerata, *ibid.n.5.& 6.* Lazari patientis unicum solum memoratur exemplum in S. Scriptura, cujus exequiæ celebrentur ab Angelis, *ib.n.6.* Tribulatus purgatur ut ferrum, ut argentum, ut aurum, *ib.n.5.& 7.* Esto infirmus non sanetur, adhuc tamen infirmitatem amoris Dei signum esse ostenditur exemplo accommodo, *ibid.n.10.*

Plurimum homini nocet prosperitas & fœlicitas temporalis, *tr.94.d.22.per tot.* Illi Dives irascitur, quem peccantem non flagellat, *ib.n.1.2.3.5.& 7.* David in prosperis Deum offendit, *ib.n.4.* Multi qui Deum non cognoscunt per rerum abundantiam, intelligunt per inopiam, *ib.n.6.* Per dexteram prosperitas, per sinistram adversitas denotatur, per hanc cadunt mille, sed à dextris decem millia, *ib.n.8.* Mel typus humanæ fœlicitatis, ideoque in veteri lege prohibitum, *ib.n.9.*

Tribulatio plurium virtutum bonorumque fœcunda mater, *tr.94.d.23.per totum.* Præsertim humilitatis, *n.1.2.3.4.5.* Peccatorum quoque frenum est, *ib.n.6.* Stimulus ad excutiendum teporem in servitio Dei, *ib.n.7.& 8.* Signum est, è quo cognoscere possumus Deo nos esse acceptos, *ib.n.9.10.11.* Tempus perditum redimit, *ib.n.13.*

Tribulatus instar auri quod per ignem transit, probatur, & auro assimilatur, *tr.94.d.24.per tot.* Quod fornax auro, quod lima ferro, quod tribula frumento, hoc viro justo est tribulatio, *ib.n.2.* Rosa plantata juxta allium magis odorifera est, *ib.n.3.* Aurum vera tribulationis figura, *ib.n.5.& 6.*

Tribulatio est pignus, & arrha electionis ad gloriam, *tr.94. d.25.per tot.* Tribulatio dicitur à tribula, *ib.n.1.* Spem de regno cœlorum habet, qui monetam habet, qua emi potest, puta, patientia in tribulatione, *ib.n.3.* Christus Salvator noster dexteram nobis propinat adversitates, ut dexteram æternæ beatitudinis assequamur, *ib.n.9.* Tribulatio compendiosissima ac regia via est ad cœlum, *ib.n.10.* Porta angusta est, *n.11.*

Ut prompte sufferatur tribulatio, considerandum est, eam esse momentaneam & levem comparatione æternæ gloriæ, *tr.94.d.26.per totum.* Hac cogitatione munitus uterque Ignatius, Martyr & Lojola, cum crux pro nomine Christi ferenda differebatur, moræ impatiens fuit, *ibid.n.1.* Tribulatio quædam alchymiæ species est, *ib.n.8.* Æternæ beatitudinis consideratio instar lintei est, quo absterguntur sudores ærumnæ hujus vitæ, *ib.n.9.*

Tribulatio infirmat dæmonis vires, *tr.94.d.27.n.1.2.3.4.* & in futura vita temporalibus parcit pœnis, ac frequenter ab æternis nos eximit, *n.5.6.7.8.9.* Quare via impiorum prosperetur, boni vero & justi hic affligantur, pulchre resolvit S. Thomas de V.N. *n.10.*

Considerantes tribulationes peccatorum nostrorum esse pœnas, eo lubentius illas sufferemus, *tr.94.d.28.per tot.* Quanta passus fuit Redemptor noster propter peccata nostra, & quam pœnè nihil sunt ea, quæ propter Deum facimus aut patimur, *ib.n.7.* Deus ad majorem provocatur iram, quando virga tribulationis nihil in nobis proficit, *ib.n.9.*

Varia motiva ut patienter feramus adversitates, *tr.94.d.29. per totum.* Si homo media solum ex parte sustineret pro Deo labores & curas, quas sustinent filii hujus sæculi abunde ei sufficeret pro obtinenda æterna gloria, *ib.n.1.& 2.* Tres causæ, cur tribulationes invitè toleremus, *ib.n.3.* Ad tolerantiam passionum nos merito movere debet exemplum Christi, *n.4.* & exempla Sanctorum, *n.5.6.7.8.*

In tribulatione recurrendum ad orationem, *tr.94.d.30.*

Christus D. instante passione suo nos exemplo invitavit ad orationem, *ib.n.2.* Constantini Magni in angustijs orantis, æ cœlitus confortati victoria contra Byzantinos, *ib.n.8.* Preces afflictorum efficacissimæ, *per totum.*

Tunc Deus suo nobis adest auxilio, quando deest omne humanum, *tr. 94. d.3. per tot.* Deus mirabiliter triumphat in sanctis suis afflictis, *ib.n.11.* Cur interdum nos deserat aliquamdiu in angustijs, *ib.n.11.* Negotiator quærenti bonas margaritas Salvator noster non absimilis, *ib.n.13.*

Quia tribulationes à Deo proveniunt, oportet ex necessitate faciamus virtutem, & in hac proficiamus, *tr.94.d.32.per totum.* Quale sit discrimen inter justorum & reproborum tribulationes, *d.33.per totum.* Quod impijs est in ruinam, id bonis est in sublevationem & salutem, *ibid.n.7.8. per totum.* Tribulatio instar Solis, qui indurat lutum, & solvit glaciem, *ibid.n.9.*

Triticum.

Typus parientiæ, *tr.68.d.5.n.6.7.& d.10.n.5.* Eidem comparatur verbum Dei, *tr.83.d.4.n.2.*

Tuba.

Duæ tubæ argenteæ in veteri lege quid significaverint, *tr.83 d.31.n.6.* Tuba qua ratione sonum edat, *ibid.n.8.* Cur gutturi Prædicatoris imponenda, *tr.83.d.33.n.6.*

Turtur.

In vetteri lege jubebantur offerri turtures capite ad collum retorto, cujus mysterium exponitur, *tr.83.d.29.n.2.*

V.

Valens Imperator.

Jus Architriclino satis importuno quid responderit S. Basilius, *tr.83.d.4.n.3.*

Vana Gloria.

Deus bonorum nostrorum operum sibi soli reservavit laudem & gloriam. Cuncta pariter bona naturæ, fortunæ & gratiæ soli Deo attribuenda sunt, nullam igitur nobis exinde tribuamus gloriam, oportet, *tr.95.d.1.per tot.*

Complacentia & appetitus propriæ laudis & vanæ gloriæ adeo tenaciter nobis inhæret, ut difficillime eradicari possit, *ibid.d.2.per tot.* Vana gloria pestis est, *ib.n.1.* Vulpecula, *n.2.* Tribulus, *n.3.& 6.* Lepra spiritualis, *n.8.* Dæmon semper inhiat prædæ bonorum operum, *ib.n.3.* S. Philippus amabat nesciri & vilipendi, *ib.n.5.* Vana gloria febris maligna foris non apparens, *ib.n.6.* Diogenes calcabat Platonis fastum, sed majori fastu, *ibid.n.9.*

Vana gloria aggreditur etiam perfectos, *tr.95.d.3.per tot.* Et tunc vel maxime bellum nobis parat, cum bonis operibus divites nos reperit, *ib.n.3.& 4.* Vana gloria omnium actuum virtutum consumit merita, *ib.n.5.* Et vitium est, quod de vitiorum surgit victoria, *ib.n.7.* Et tinea sanctitatis, *ib.n.9.* S. Antonium & S. Marcellum Abbatem Dæmon laqueo vanæ Gloriæ capere studebat, at frustra, *ib.n.10.& 11.*

Ob timorem vanæ gloriæ occultanda sunt opera bona & dona gratiæ, *tr.85.d.4.per totum:* Scientia inflat, ideoque Cherubini propitiatorij jubentur tegi, *ib.n.1.* Laus humana furatur orationis fructum, *ib.n.2.* Tres Magi thesauros suos non aperuerunt, nisi in tugurio Bethlemitico coram Christo, *ib.n.7.* Virga Aaron defumpta ex amygdala, cujus nucleus triplici latens cortice, hominem justum designat, *ib.n.9.* Justi comparantur apibus, *ib.n.11.*

Varia adducuntur Sanctorum exempla, qui ne vana contaminarentur gloria, sanctitatem suam celarunt, *tr.95.d.5.per tot. & d.4.n.9.& 10.*

Modus ostenditur, quo opera bona, ne perdant meritum à vana gloria tueri possimus, *tr.95.d.6.per totum.* Remedium pro curanda seu vitanda gloria est oblivio bonorum operum, quæ quis fecit; *ibidem n. 3.* Item humilitas, quam S. Philippus Nerius semper urgebat, *ibid.n.4.6.7.* Quid per sinistram, quid per dexteram intelligatur Matth. 6. declaratur, *n.2.& 5.* Hominibus ille jejunat, qui quærit vanam gloriam, *ibid.n.8.*

Qui ob vanam gloriam benè operatur, sine omni fructu laborat, meritorumque facit jacturam, *tr.95.d.7. per totum.* Similis est aranæ, *ib. n.1.& 6.* Laborare sub sole est laborare propter laudem & applausum humanum, id est, frustra, veluti laboravit quidam Eremita, ac propterea severe punitus, *ibid.n.2.* Vanæ gloriæ cupidus nec apud Deum, nec apud homines, invenit laudem, & pœnam de pretio salutis miser mercatur æternam, *ib.n.3.& 4.*

Vanæ gloriæ cupidus temporalem recipiens mercedem, jacturam facit æternæ gloriæ, & rem magni meriti vili pretio venalem portat, *tr.95.d.8.per tot.* Tuba canere est pompam vanæ laudis appetere, *ib.n.5.* Mercenarius est homo vanæ gloriæ deditus, *ibid.n.6.* Ac similis Regi Amasiæ, qui interfecit filios Seir idololatras, & eorum Deos adoravit, *ibid. num.7.* Hypocrita orat in angulis platearum, id est, abscondit se, ut appareat, *ibid.n.8.* Non in terra cum Romanis, sed in cœlo cum S. Francisco Xaverio gloria quærenda, *ibid. n.10.* Nostrarum non homo, sed Deus solus competens Judex est actionum, ideoque hujus dumtaxat submittendæ sunt judicio, *ibid.num.11.*

Multa alia vanæ gloriæ damna exponuntur, *tract.95.disc.9 per totum.* Mundi applausus, hominumque laudes fures sunt & latrones meritorum nostrorum, *ibid.n.1.2.3.4.* Inanis gloria est veluti scopulus sub aqua latens, *ibidem num.4.* Et ventus urens, *ibid.num.6.* Giezi honoris cupidus, ac propterea nullum in via salutare jubetur, *ibidem num.5.* Honoris collati appetens inter infideles à Christo D. recenfetur, *ibidem, num.7.* Eleutherius alias vir sanctus ob jactantiam punitur, *ibid.n.9.*

Deus abominatur vanam gloriam, *tr.95.d.10.n.1.2.3.4.5.6.* Cur primario idolo in templo Jerosolymitano impositum fuerit nomen Beelzebub. *ib.n.2.* Christus Dominus pariter detestatur vanam gloriam, *ib.n.7.8.9.10.11.12.*

Omnia nostra opera Deo accepta referre debemus, *tr.95. d. 11. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* Ad frænandam vanam gloriam remedium est fui-ipsius cognitio, *ibidem n. 8.* Hac ratione frenavit eam Primislaus Dux Bohemiæ, *ibidem.* Nemo scit amore, an odio dignus sit; ideoque vana gloria, & laus fugienda, *ibid.n.10.* Bonum insuper remedium, si cuncta nostra bona opera Deo dedicemus, *num. 11.* Et absondamus *num.12.*

Veneti.

Jam dudum evertendi erant ob neglectum Verbi Dei, nisi B. Laurentius Justinianus precibus suis obstitisset, *tract.83. d.24.n.3.*

Verbum Dei.

Comparatur Soli, *tr.83.d.1.n.5.* Malleo, quo quadrantur lapides ædificio templi cœlestis, *ibid.n.9.* Pluviæ *disc.3. num.3.* Pani & cibo corporali, *d.2.per tot.& d.3.& 4.per tot. & d.21.n.7.& d.25.n.4.& d.46.n.5.* Semini, *d. 5. per tot.& d.20.n.9.& d.21.n.6.& d.27.n.8.& d.37.n.1.& d.29.n.5.* Luci & Lucernæ, *d.6.per tot.& d.27.n.7.* Scuto, sive Clypeo, *d.27.n.3.* Tritico, *d.4.n.2.* Imbri, *d.23.n.7.* Aquæ, *d.25.n.9.* Thesauro infinito, *d.27.n.1.* Margaritis & gemmis, *d.26.n.4.* Messi, *d.39.n.6.* Gladio, *d.43.n.8.* Regno cœlorum, *d.6.n.2.* Sagittæ & gladio acuto, *d.11.per tot.* Validissimo scuto, quo Diabolo resistimus, *d.12.n.9.10.11.* Medicinæ, *d.9.n.1.& seq.* Guttæ, quæ sæpe cadendo cavat lapidem, *disc.47. num.6.*

Verbum Dei in singulari cur dicatur, non in plurali, *tr.83.d.39.n.3.* Verbi Dei nausea pessimum indicium, *d.4. n.5.* Ejus comparatio cum verbo hominis, *d.20.n.5.* In Verbo Dei manere oportet, *d.20.n.7.* Verbum Dei in corde custodiendum, & executioni mandandum, *d.21. per tot.* In verbo Dei meditandum, de eodem narrandum ubique, & in omni tempore, *d.21.n.6.* Qui verbum Dei sine attentione audiunt, & qui illud diligenter auscultant, describuntur, *d.22.per tot.*

Verbi Dei contemptores maledicti, *tr.83.d.23.n.7.* Verbi Dei contemptus calamitates in populos provocat, *d.24. per tot.* Etsi per unam aurem intret, & per aliam exeat numquam tamen perit verbum Dei, *d.25.n.5.* Transivit à Prophetis ad prædicatores Evangelicos, & à Judaismo ad Christianismum, *d.26.n.5.* Extinguit omnia tela insidiantis Dæmonis, *d.27.n.3.* Cur multi verbum Dei audientes non emendentur, *d.27.n.5.* Verbum Dei dicitur castum, & quare, *ib.n.6.* Cur dicatur in manu Prophetarum, *d.33.n.9.*

Verbum Dei cur abhorreant vitiosi, *tr.83.d.22.n.8.* Bestia bestialior est nolens audire verbum Dei, *d.26.n.6.* Cum auditur non attendendum, à quo proferatur sive probo, sive improbo; Sed cujus sit, *d.9.n.1.& seq.* Idque varia illustratur similitudine, *ibid.n.1.& 6.*

Verbum Dei sine attenta consideratione & observatione non prodest, *tr.83.d.10.n.2.* In corde ruminandum non negligenter audiendum, *ib.n.1.& 2.* Virtute verbi Dei universus mundus conversus ad Christum, *d.4.per tot.* Verbum Dei libenter audire, est signum prædestinationis, *d.5.& 7.n.4.& 5.* Ubi etiam varij recensentur effectus verbi Dei.

Verbi divini auditores Reges appellantur in Script. Sacra *tr.83.d.7.n.1.& 2.* Quo in honore olim fuerit verbum Dei apud Reges, *ibid.n.3.* Ejus auditores Matri præferuntur à Christo, *ib.n.4.& 5.* Verbum Dei ne à nobis suscipiatur & audiatur, impedit omni modo diabolus, *d.12.n.1.*

Verbum Dei omnes virtutes & gratias Dei in se continet virtualiter, *tr.83.d.13.n.1.* Dulce auditu, *n.2.* Auditores ad continentiam inducit, à libidine avocat, *ib.n.4.5.* Verbi Dei ab anima susceptì varij assignantur effectus, *d.6.n.6.d.7.n.1.& segq. d.8.n.5.d.9.n.6. & d.10.n.1.2.3.4.& seq.*

Verborum splendor & fucata eloquentia in concionibus reprehenditur, *tr.83.d.43.n.4.5.& seq.* verba in concionibus nec nimis exquisita, nec nimis simplicia & plebeia adhibenda sunt, *ib.n.5.*

Plura require V. Prædicatio.

Verecundia.

Ejus à timore promanantis laus, *tr.93.d.13.n.1.*

Veritas.

Docendo persuader, non persuadendo docet, *tr.83.d.41.n.1.* Dæmon aliquando dicit verum, ne tamquam mendax omnino rejiciatur, & ut hac veritate alia mendacia suadeat, & deinceps confidentius mentiatur, *tr.92.d.2.n.7.*

Vestis.

Nuptialis est gratia baptismalis, *tr.75.d.5.n.4.* Vestis sacerdotalis summi sacerdotis cur in extremitate habeat mala punica permixta tintinnabulis, *tr.83.d.38.n.7.& tr.88.d.10.n.8.*

Vesuvius.

Mons sub mortem ditiorum copiosiores in vicinia flammas evomit, *tr.81.d.6.n.6.*

Via.

Viam ad cœlum sternit patientia, *tr.68.d.10. per totum.*

Quid

Quid sit per viam salutare, *tr.*83.*d.*40.*n.* 7. Via peccatorum sub initium facilis ; at postea difficilis,& in fine difficillima & amarissima,*tr.*77.*d.*13.*n.*1.

Vir.

Vir à virtute dicitur, *tr.*88.*d.*2.*n.*3. Vir quidam mundanus à quodam Sacerdote conversus hisce verbis : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quam fœlicem finem adimpletis lisdem verbis sortitus fuerit, *tr.*83.*d.*46.*n.*6.

Virga.

Virga Aaron desumpta ex Amygdala, cujus nucleus sub triplici latet cortice, hominem justum designat,*tr.*95.*d.*4.*n.*9. Virga vigilans Jeremiæ quid significet,*tr.*83.*d.*23.*n.*7.

Virgo Virginitas.

Virgines fatuæ figuræ earum, qui pœnitentiam differunt, *tr.*81.*d.*19.*n.*5. Cur repulsam passæ, *ib.d.*26.*n.*9. Sunt exemplum inconstantiæ,*tr.*80.*d.*2.*n.*8.

Virginitas illa perfecta ; quæ non solum illibatam se in mente,sed & pudicam in ore se conservat,*tr.*88.*d.*6.*n.*7.

Virginitas tuta,si virgo mortua sit,& tamquam sepulta,non videat,nec videatur, *tr.*89.*d.*3.*n.*4. Nix est symbolum puritatis virginalis,candida vero conservatur in solitudine,*ib.n.*5. Virgines vagæ & circumcursantes sunt stultæ & periculo expositæ, ni studeant solitudini,*ib.n.*9.

Virtus.

Nulla est sine perseverantia, *tr.*80.*d.*4.*n.*7. Virtutes alias exemplo aliarum creaturarum Christus edocuit, patientiam proprio,*tr.*68.*d.*3.*n.*2. Virtutum proprietates, & comparatio cum patientia, *tr.*86.*d.*8.*n.*9. Virtutes non sunt virtutes sine patientia,*tr.*68.*d.*9.*n.*8.Non magnum est virtutem cognoscere, sed studiosè agere id certe maximum, *tr.*74.*d.*11.*n.*3. Imo melius est nescire,quam cum scias bonum virtutis, negligere, & ex desidia præterire,*ib.n.*1.& 3.

Virtus quæ in parvis promitur, facilius in maximis exhibetur, *tr.*76.*d.*4.*n.*1. A virtute vir dicitur, *tr.*88.*d.*2.*n.*3. Ad exercitium virtutum meritorumque augmentum plurimum valet tentatio, *tr.*92.*d.*3.*n.*4.5.6.7.8.& *d.*4.& *d.*5.*per tot.* In tentatione relucet virtus,*ib.d.*11.*n.*6.8.9.10.

Deficiente timore Dei statim deficient actus virtutum,*tr.*93 *d.*10.*n.*5.& 6.Virtutes Christianæ sunt veræ virtutes depromptæ ex timore Dei, *ib.d.*11.*n.*3. Timor Dei nos constantes efficit in virtutum exercitio,*ib.d.*14.*n.*9.& 10.

Virtutem nostram Deus probat per tribulationes, *tr.*94. *d.*16. *per totum.* Virtutis perfectio ex infirmitate elicitur, vel materialiter, vel occasionaliter, *ib.d.*20.*n.*6. plurium virtutum bonorumque fœcunda mater tribulatio est, *ib.d.*23. *per totam.* Quia à Deo proveniunt tribulationes,ideo ex necessitate faciamus virtutem, & in hac proficiamus, oportet, *tr.*94.*d.*32.*per totum.*

Omnium virtutum merita destruit vana glória,*tr.*95.*d.*3. *n.*5.& *seq.* Nec locus, nec status ullus obstat virtutum exercitio,*tr.*96.*d.*8. *per totum.* Loci mutatio nil prodest, si desit Spiritus,*ib.n.*5.& 7.& *d.*9.*n.*10. Virtutum schola potest esse aula Magnatum,*d.*9.*per tot.*

Require sup. V. Profectus in virtutibus.

Vita.

Præsens vita est militia, *tr.*70.*d.*7.*n.*6. Est vapor ad modicum parens, *tr.*81.*d.*18.*n.*3. Quam brevis, *ibid.n.*4.& 7. Vitæ longioris persuasio multos à conversione perniciosè retardat, *tr.*81.*d.*21.*n.*3. Vitæ emendatio hodie non cras inchoanda, *ibid.d.*24.*n.*8. Qui male vixit, bene mori nequit, *tr.*81.*d.*14.*n.*5. Qui bene vivunt à puero, de bona senectutis vita securi sunt, *ibid.d.*26.*n.*5. Bonæ à puero vitæ multæ prærogativæ,*ib.n.*9.

Vita humana est continua pugna & tentatio, *tr.*92.*d.*1. *per totam.* Omne iter vitæ hujus plenum laqueis,*ibidem n.*7. Vitæ nostræ director timor Dei, *tr.*93.*d.*1.*n.*9.10. Qualis vita,mors ita, *ibid.d.*6 *n.*9. Mundus & vita præsens comparatur mari, *ibid.d.*12.*n.*4.& *tr.*94.*d.*15.*n.*7. Vita humana continua quædam tribulatio est, *tr.*94.*d.*1. *per totum.* Vita præsens tempus Nundinarum, ad quas venit Christus mercator cœlestis, & exposuit merces suas, puta, paupertatem, humilitatem,& patientiam,*ib.d.*6.*n.*8. Vita nostra tempus seminandi,*ib.d.*8.*n.*8.

Vitta coccinea.

Silentis sponsæ labia apte comparata vittæ coccineæ,*tr.*88. *d.*1.*n.*7.

Unctio.

Sacerdotum unctio in veteri lege mysticè explanatur,*tr.*83 *d.*29.*n.*3.

Vocatio Status.

Deus ita disposuit, ut in omni vocatione & statu salvari possimus, *tr.*96.*d.*1.*per totum.* Moyses Virga percutiens mare rubrum, non unam, sed duodecim aperuit vias, *ibidem n.* 2. Et quidem herbis & floribus virentes, *ibid.num.*3. Varii gradus erant in scala Jacob, per quam denotatur crux Christi, *ibid.n.*4.

Christus non suam jubet ferre crucem, sed quilibet tollat suam sibi possibilem,ut nullum à regno Dei excludat status, *tr.*96.*d.*1.*n.*5.6.7. Quem in finem elegit gentilem hominem rusticum in ferenda sua cruce Coadjutorem, *ibid.num.*7. Justè servis : Ite ad exitus viarum, *num.*8. Sanctificavit omnes vocationes & status, *num.*9. In parabolis loquebatur, ut omni statui se accommodaret,*n.*10.

Numerus piscium, 153. quos cepit Petrus, Joan.21. mysticus indicans tres status hominum, *ib.n.*11. Per Petrum, Jacobum & Joannem assumptos ad montem Thabor denotantur omnes electi,*ib.n.*12.

Quisque sua sorte & statu contentus sit, certus cum sibi à Deo præstitum velut aptissimum medium ad salutem,*tr.*85 *d.*13.*n.*2.

Quilibet in suo statu potest esse perfectus, *tr.*96.*d.*2.*per tot.* Cardinalis Baronij desiderium ingrediendi Ordinem PP. Capucinorum ; at consilio S.Philippi Nerij mutatum ,*ibid. n.*2. Deus vel maximè à nobis exigit stabilem professionem & statum interioris hominis,*ibid.n.*3. S. Senex Simeon quorumdam judicio non fuit sacerdos, *ibidem.* Comes Theobaldus anhelans ad statum religiosum, jugum Domini cum jugo matrimonij portare justus est à S. Norberto,*ib.n.*5. Qua ratione S. Francisca Romana in communione receperit ab aliquo dissoluto sacerdote hostiam non consecratam, *ibid. n.* 6. S. Philippus Nerius plurimas animas ad cœlum vidit evolantes, *ib.n.*8. Quem Deus vocat ad statum aliquem, necessaria quoque eumdem condecorat gratia, cunctisque congruis ditat donis, *ib.n.*9. Gratia & charitas Dei non est alligata certo statui & vocationi,*ib.n.*10.Patres veteris legis continentiæ conjugalis observantiores fuere,quam sint Christiani in nova lege,*ibid.*

In omni statu etiam militari constitutus vivens in timore Dei salvat animam suam,*tr.*96.*d.*3.*per tot.* Modi pie vivendi multiplices & diversi, *ib.n.*1.& 2. Fides Centurionis militis major fuit in Israël,*ib.n.*4. Nonnulli allegantur Sancti, esto professione milites, vitæ tamen sanctitate illustres, *ibid. toto passim discursu.* Neque Mercatoribus præcluditur via ad cœlum,si fuerint margaritæ mysticæ,*ib.n.*9.

In omni statu quis salvari potest, modo exercuerit opera virtutum statui suo conformia, *tr.*96.*d.*4.*per tot.* Sæculares per plateas cœlestis Jerusalem, religiosi per rauros ejus denotantur,*ib.n.*2. Per holocaustum,quod totum comburebatur in honorem Dei, Religiosi ; per aliqua vero sacrificia, quæ partim in obsequium Dei, partim in commodum sacerdotis & offerentis offerebatur,varij status figurantur, *ib.n.*8. Sæcularis vel etiam conjugatus in pijs operibus exercendis uti debet discretione, *ib.n.*8.9.10.11.12.

In statu sæculari merita acquiri possunt paria eorum meritis,qui vivunt in statu perfectiori,*tr.*96.*d.*5.*per tot.* Deus non oblati paucitatem, sed copiam affectus & cordis intuetur, *ibid.n.*2. Idque accommoda illustratur similitudine de statua lignea artificiosè elaborata, *num.*3. Et pluribus aliis exemplis, *n.* 4.& 5. Sive Religiosus, sive sæcularis ; sive Princeps, sive subditus, Deus illos remunerabit, qui præmio illo dignos se reddiderint, *ib.n.*6. Qui crucifixi sunt mundo maximè blandienti,supremum sanctitatis attingunt gradum, *ibid.n.*6.7.8.9.10.

Divinorum præceptorum observantia, quæ consistit in amore Dei & proximi, omni statui etiam sæculari accommoda est,*tr.*96.*d.*6.*per tot.* Nullus excipitur ab hac maxima : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, *ibid.n.*1. Amor Dei est radix,& causa omnis meriti, omnique statui possibilis est *ibid.n.*2.3.4.5.6.7. S. Paphnutij cum quodam comite concertatio in sanctitate,*d.*5.*n.*10.Ejusdè concertatio cum aliquo sistulatore,*d.*6.*n.*8. Ejusdem cum Mercatore,*d.*7.*n.*11. Homo sæcularis Deo æquè acceptus & gratus, imo gratior esse potest,quam unus Religiosus ob plures superandas difficultates, *d.*6.*n.*9.& 10.

In omni vocatione charitatis potest fieri exercitium, quo mediante cœlestem lucramur gloriam, & Deus, quantum ex se est,unumquemque salvare intendit, *tr.*96.*d.*7.*per totum.* Charitas,via regia ad cœlum, talis virtutis est, ut convertat quodcumque vile metallum in aurum,*ib.n.*1.2.3.4.5. Ad illius mensuram confertur vita beata, *ib.n.*9. Deus in omni statu operatur sanctitatem, *ib.n.*6. Tamquam pius Pater sic curat unumquemque nostrum,tamquam solum curet,*ib.n.*8. Nonnullæ querelæ & objectiones de vocationum discrepantia diluuntur,*ibid.n.*7.

Nec locus, nec status ullus obstat aut præjudicat virtutis exercitio & sanctitatis lucro, *tr.*96.*d.*8.*per tot.* S. Francisca Romana inter curas domesticas contemplationi dedita, omni statui & sexui fuit exemplar virtutum, *ib.n.*2. Job ædificabat sibi solitudinem, cum à secreto cordis desideriorum tumultus expelleret, *ib.n.*3. Loci mutatio nil prodest statui, si desit Spiritus, *ib.n.*5.& 7. & *d.*9.*n.*10. Prudens non impeditur,nec abstrahitur à via virtutis etiam in urbe inter malos vivens,*d.*8.*n.*6.7.8.9.

Aula

Aula Magnatum qua ratione possit esse schola virtutum Christianarum,*tr.*96.*d.*9.*per tot.* In aula multæ & magnæ adsunt occasiones exercendi virtutes, *ib.n.*3.& 5. Methodus vivendi observata in aula S. Caroli Borromæi,*n.*4.Multi evaserunt Sancti iniquorum etiam Principum frequentantes aulas, *ib.n.*6.& 7. Deo potest quis servire semper cum Danielejesto inserviat Regi mundano & impio,*ib.n.*8.& 9.

Voluntas.

Vera appellatur, quæ media adhibet ad consequendum, quod vult, *tr.*82.*d.*7.*n.*6. Sine voluntatis nostræ consensu Diabolus omnino debilis & infirmus, *tr.*92.*d.*12. *per totum.* Timor mundanus differt facultatem peccandi ; unde non aufert,sed retinet voluntatem, donec habeat occasionem peccandi,*tr.*93.*d.*3.*n.*2.& 3.

Voluptas.

Carnalis adeo fascinat hominem, ut nil aliud cogitet nisi de rosa decerpenda ; at decerpta rosa, quæ redolet, crescit cum spina,quæ pungit,*tr.*77.*d.*21.

Votum.

Magnum in periculo constitutus nauta emisit votum ; sed à periculo liber vix aliquid præstitit, *tr.*81.*d.*12.*n.*3. Sero pœnitentes frustra in fine vitæ multa volunt & vovent, *tr.*81. *d.*14.*n.*7.

W.

Wenceslaus.

REx Bohemiæ insignem in tribulatione exhibuit animi constantiam,*tr.*94.*d.*6.*n.*9.

Z.

Zacheus.

EJus festina conversio,*tr.*81.*d.*2.*n.*4.& *d.*25.*n.*7. Conversionem non distulit in sequentem diem, sed hodie perfecit,*ibidem.*

Zelus : Zelotes.

Dei honorem zelans ac defendens participat aliquid Divini,*tr.*97.*d.*1. *per totum.* Zelo Dei accensus Phinees Principem de tribu Simeonis interfecit, *ib.n.*2. Deus & zelus quasi una & eadem res, *ibid.n.*3. Zelus Dei aurum igne probatum,*ibid.n.*4. Est partus charitatis sive amoris Dei, quo accensi Angeli steterunt firmi in obsequio Dei, *n.*5. Et expugnarunt Luciferum, *n.* 6. Zelantes gloriam Dei non modo Angelis, sed etiam Filio Dei comparandi, *ib.n.*7. Deus adest zelosis, quales præ cæteris fuere Jeremias, Elias & Joannes Baptista,*ibid.n.*7.

Homini zeloso supernaturalem Deus impertit honorem, gratiam, imo & gloriam cœlestem, pandendo paradisum; *tr.*97.*d.*2.*per totum.* Cur S. Michaeli nomen, Quis ut Deus, *ibid.n.*1. Qui divino ardebant zelo, nempe, Enoch, Elias, & Paulus Apostolus, à Deo honorati, & ad cœlum rapti fuerunt, *ibid.n.*2.3.4.5.6. Zelum habuit S. Joannes Baptista, & ideo cœlum vidit apertum, *ibid.n.*7. Resplenduit facies Moysis, sicut Sol ob zelum, quo zelaverat Dei honorem, *ibidem.* Zelo quoque ardebant tres discipuli : Petrus, Jacobus & Joannes cum S. Stephano, & ideo viderunt gloriam Dei,*ibid.n.*8.

Quam gratus sit Deo zelus, varijs declaratur exemplis ex S. Scriptura,*tr.*97.*d.*3.*per tot.* Heli salvatus merito zeli,quem ostendit audiens captam esse arcam Domini, *ib.n.*5. Duplex ira, ex zelo,& ex vitio,*ibid.*Salutaris est Dei zelus ordinatus secundùm scientiam, ut fuit ipsius David punientis Ammonitas,*ibid.n.*8. Saul propter zelum pro Dei honore exhibitum evectus fuit ad regiam dignitatem, *ib.n.*9.

Continuatur eadem materia, quam gratus sit Deo zelus, & qua ratione remuneretur à Deo,*tr.*97.*d.*4.*per totum.* Christus ejiciendo de templo profanatores illius ostendit zelum competere Divinitati suæ, *ib.n.*1.& 2.

Radix veri zeli erga Deum derivatur ab amore Dei, qui hominem constituit vere zelosum, *tr.*97.*d.*5.*per tot.* Zelus ab amore Dei procedens validissimus est, *ib.n.*8.& 9. Nullis etiam parcit consanguineis, *ibid.n.*10. Sicut amor,ita zelus duplex est,primus honoris & gloriæ Dei,secundus salutis proximorum,*ibid.n.*4. Amor impossibile ad possibile sua opinione reducit, *ib.n.*8. Zelus comparatur igni,*ib.n.*12.

Variæ conditiones zeli, ut sit ordinatus, ac regulæ rationis & virtutis conformis, *tr.*97.*d.*6.*per tot.* Non omnis zelus est actus virtutis & meriti ; ut enim sit hujusmodi ; primo sit temperatus charitate, ut, nimirum, instar lanceæ Achillis sauciet & sanet, *ib.n.*3.4.& 9. Secundo, debet esse informatus scientia,id est,sui-ipsius notitia, *ib.n.*5.6.7.8.9. tertio, zelum firmet constantia,*ib.n.*10.

Perstringuntur acriter, qui pravas passiones suas zeli tegunt pallio : passione moventur,& zelum putant, *tr.*97.*d.*7.*n.*1.2.3. 4.5.6.7.8. At merito castigantur & deteguntur à Deo, *ibid. n.*9.10.11. Inordinatus zelus eorum, qui potius in alijs,quam in se-ipsis zelant divinum honorem, *ibid.n.*1. Rectus zeli ordo & secundum scientiam iste, ut quisque prius seipsum, deinde cæteros corripiat,*ibid.* Vitiosi multi, ut internos suos defectus tegant, zelum virtutis oppositæ exhibent exterius, *ib.n.*6.& 7.

Qualem zeli fervorem Salvator noster ostenderit circa salutem animarum,*tr.*97.*d.*8.*per tot.* Cur Christus nuncupetur Pastor bonus,*ib.n.*3. Et vitis vera,*ib.n.*7. Uvæ botrus, *ib.n.*8. Sitis Christi in cruce nonnisi ardens erat zelus salutis animarum,*ib.n.*9. In cruce emisit Spiritum clamando, ut Centurionis lucraretur animam, *ib.n.*11. Retinuit quinque cicatrices in corpore suo glorioso, ut Thomam incredulum salvaret, *ibid.* Post resurrectionem 40. diebus in terris mansit ob salutem animarum,*ib.n.*12.

Variæ considerationes de habendo zelo salutis animarum, *tract. 96. disc. 9. per totum.* Cum Caino rationem reddere tenentur, qui proximi sui negligunt salutem, *ibidem num.*2. Deo gratus est zelus saluti animarum adhibitus, *ibid.num.*3. Partui cervæ similis conversio peccatorum, *ibidem*, *num.* 6. Salvando animam proximi salvamus & propriam, esto perdamus corpus, *ibidem num.*7. Populus Christianus populus acquisitionis, *ibid.num.*7. Redemptor noster à sacerdotis officio non aurum,sed animas exigit,*ibid.n.*9.10.11. S. Caroli efficax discursus de zelo, quo ardere debent vel maxime sacerdotes,*ib.n.*12.

De lucro, quod acquirimus salutem animarum zelantes, *tr.*97.*disc.*10. *per totum.* Plus valet una anima, quam totus Mundus cum toto cœlo, *ibidem num.* 1. In amore Dei perfectior ille, qui plures convertit ad Dei amorem, *ibid. num.* 2. Cooperans alterius conversioni, quodcumque vult & desiderat, petat, & obtinebit, *ibidem num.* 3. Nullum est tam gratum Dei sacrificium, quam salus animarum, nec nullum pretiosius lucrum, *ibid. num.* 4.& 5. Quid prodest docenti, quod multas lucretur animas, si propriam negligat ? *ibid. num.* 6. Dei cooperator & adjutor seipsum & eos quoque, qui ipsum audiunt, salvos facit. *ibid. num.* 7. 8. 9. Zelus attemperandus est affabiliter ; unde Dominus increpavit discipulos, qui ignem super Samaritanos descendere petebant, *ibid.num* 9. S. Dominicus, S. Franciscus, S. Philippus Nerius quasi stellæ in perpetuas æternitates ob zelum in procuranda animarum salute, *ibid. num.*10. Animæ aliorum ope salvatæ obsequium præstabunt salutis suæ cooperatoribus, *ibid.num.*11. Dei cooperatoribus subministrantur auxilia efficacia, quibus propriam animæ assequantur salutem, *ibid.n.*12.

FINIS.

INDEX

INDEX CONCIONATORIUS
SUPER TOMUM QUARTUM
BIBLIOTHECÆ MORALIS
REVERENDI PATRIS
IOSEPHI MANSI,
In unumquodque Evangelium, prout suo ordine legi solet juxta Missale Romanum.

Primo

Per omnes Anni Dominicas.

Secundo

Per omnes Mensium Festivitates.

DOMINICA I. ADVENTUS.

E*Runt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium.* Luc. 21. Tremenda quæ præcedent signa, extremè formidandam supremi judicij diem, astantium timorem & calamitatem, & supremam Judicis majestatem, quando exacta justitia orbem judicabit, his dictis verbis, Christus prænuntiat; verum quare cum Deus venturus est omnium Judex, acerbiores æternæ gehennæ pœnas incussurus, tot præambulis creaturarum calamitatibus & miseriis præstruitur? Num tantæ prævie miseriæ & adversitates faciunt ad magnam Judicis majestatem? Non equidem, sed demonstrant Deum esse calamitatum authorem, Vid. *Tract. 68. Disc. 19. à num. 1. usque 4.* Miraris verò, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos, quos quam optimos atque excellentissimos vult, adversam illis fortunam allignat? Ego verò non miror, si aliquando deliciatur spectando magnos viros colluctantes cum aliqua ingenti calamitate, quam ipse Deus in sui gloriam & nostram utilitatem immittit, *Ibid. n. 5. & sequent.* Mirarer ego autem, si illos strenuè decertantes ope destitueret, qui supra id, quod possunt, homines tentari non patitur: Unde ne in his gravissimis calamitatibus congruis remedijs destituat, ait: *Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Super quæ verba, Hugo Cardin. sic commentatur: *Ipsa mala, quæ hic sustinemus propter Christum, sunt redemptio nostra, & ad hoc mittit ea Dominus nobis, ut per illa nos redimamus*; Scilicet, per patientiam; hanc verò ut in nobis procuremus, jubet levare caput. At quonam? Ad cœli gaudia, ad æterna præmia, mirificè etenim Consideratio cœlestis gloriæ, ad patientiam exercendam calcar addit, auxilia præstat, *ibid. disc. 18.* Uti & exempla gentilium heroica, quæ vide, *Ibidem disc. 19. num. 11. & 12.*

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium. Eheu quis non timet horrendi Judicij supremos rigores, quibus justitiæ Dei culpas hominum discutiet, damnabit, & æternitatis ignibus castigabit! Ubi & eæ creaturæ, quæ propter hominis obsequium sunt creatæ, tamen contra impios pro Deo militabunt, adversusque eos insurgentes, pugnantes pro suo Creatore, *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Sicut enim Deus suo imperio cuncta fecit, sic & eodem imperio cuncta potest delere. Cur ergo ad hoc exequendum creaturas assumpsit, ut ignem adversus Sodomam: æthrem diffusis tenebris adversus Ægyptios: terram contra Dathan & Abiron: aquas adversus peccatores in diluvio: solem, lunam, & stellas adversus eosdem ante universale diluvium? Nisi tantum, ut agnoscas omnes creaturas ultrices esse injuriæ commissæ in suum Creatorem. Pulchrè Hugo ad cap. 7. Genes. ad illa verba *Aquæ inundaverunt*, ait: *Hoc factum est, ut creatura Creatoris injuriam in homines vindicaret.* Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, nempè, peccatorum in quorum perniciem tamquam divinæ justitiæ instrumenta armantur, *tract. 78. d. 3. d. 4. & sequent.*

Erunt signa in sole, & luna, & stellis. Qualia illa in his principibus astris signa sint, exponit S. Matthæus cap. 24. num. 29. *Statim autem post tribulationem illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Sed quid hoc insoliti secum portat, cum sol ille mundi oculus, per nebulosum aërem sæpius impediatur, quo minus lumen suum, ac radios in hæc inferiora transmittere possit, die nocteque suum lumen planè abscondit, & idem est de luna; quem ergo terrorem & damnum mortalibus caussabunt subtractio splendoris solis, & lunæ? Multum per omnem modum. Constans enim Philosophorum est sententia, ut vult S. Bernard. tom. 4. Domin. 1. Quadragesi. quod si una die Sol cessaret facere cursum suum, omnes morerentur, ita si verbum Dei deficeret quod est Sol animæ, scilicet quod verbum Dei non prædicaretur, omnes spiritualiter morerentur: Ex quo necessitas verbi Dei symbolicè significata clare evincitur, *tr. 83. d. 1. n. 5. & seqq.*

Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore. Quænam est hæc tam acerba calamitas in terris, quæ sic durè homines terrebit, ut ejus horrore pavescant, arescant, tabescant? Frustra videntur, interpretes, quærere caussas tam ingentis pavoris, cum in promptu adsint tot, tantæque, quæ possent metum incutere potentissime. Cajetanus in Comment. sic scribit: *Arescentibus hominibus præ timore, in intellectu perplexitas, in affectu timor.* In illa namque tremendi judicij expectatione horribili, elementa timenda concussione colliduntur, è cœlo tot prodigia territant impios, vultu Judicis expallescunt, mox fulminanda sententia in ipsos carnificarentur, jam jam hiante gehenna devovendi; ipse etiam peccator, dudum ante infligendum supplicium, adversum seipsum durè sævit, timoris cruciatu, dolorum & afflictionum internarum tormento, propriæ conscientiæ remorsu; quæ omnia peccatum in anima impij crudeliter exercet. De quibus, *Tract. 77. d. 16 usque ad disc. 22.*

Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione. Impij ante infligendum durè supplicium metu acerrimè castigantur; nam tuta scelera, secura esse non possunt, de pœnalissimo conscientiæ tormento delinquentis viscera sensim mordente; Ideo vero ante finale judicium peccatrix hominum gens tanto metu concutitur, si forte respiscat, ut proinde non mirum sit quod his impijs cœlum, & terra, tot horroris signa atrociter vibrent. Verumenim vero cum juxta doctrinam S. Augustini Epist. 80. *Ista mala, quæ tamquam summa extremaque creduntur, utrique regno Christi scilicet, & Diaboli videmus esse communia: partier quippe his affliguntur boni & mali.* Hoc non mediocriter mirari possumus, præsertim cum bonis hic dicat Dominus: *His fieri incipientibus respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quibus verbis piissimus Salvator curam, & providentiam de suis electis ostendit; ita ut nullus eorum peribit, nec in illa die desolabitur. Si igitur sui electi, & dilecti sunt: Cur de redemptione non certificat, & hoc timore pravissimo perditionis absolvit? Cur timori expectatio annectitur? Acutè Hildebertus Serm. 1. *Utrumque posuit spem, & timorem: Spes sine timore præsumptio est, timor sine spe desperatio.* Licet ergo Deus de nostra electione certus sit, nos tamen circa eamdem angi & timere voluit, ne spes sine timore præsumptionem, & torporem caussaret, atque fides, & spes suo merito destitueretur, *tr. 81. d. 1. per totum à n. 4. & sequent.*

Arescen-

Arescentibus hominibus præ timore. Idoneè ante finale judicium, & boni, & mali tanto metu concutiuntur: Peccatores ut respiscant, boni vero, ne in peccaminosam vitam degenerent, nam pœnalissimus supplicij, & divinæ iræ horror, velut necessitas emendationis est, & in timoris schola virtutis magister. Quemadmodum enim quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: Sic ingenia vitio prava, dolore corporis, animique corrigimus. Duricies domanda est, & non leviter ad flexilem congruè mollitiem attrahenda. Et *sicut*, ut inquit S. Cyrillus Alexandrin. in cap. 2. Oseæ: *Vulnera corporum sanatu difficilia, & intractabilia, nisi medicamentorum virtati cedentia, mutationem ad sanitatem admittant, aut foro secantur, peritia medicorum hunc auxilij modum suadere, aut certe igne vincuntur: ita & hominis anima ad desciscendum à probitate perquam prona, nisi vocibus admonentium locum reliquerit, & à turpitudine ad honestatem transire instituerit, pœnis vincitur, & supplicij laqueis implicata velit, nolit, convertitur.* Scilicet, interminati durius supplicij incussus horror, pœnarum laqueis ac compedibus, sic improbos implicat, ut velint, nolint, ad virtutem convertat, inoliti am improbitatem vincat, & durus Magister probitatem eruditat. Horror enim pœnæ, & recogitatio iræ divinæ, seu status sui frenum est, & medium efficax ad deterrendum à peccatis, peccatores, *tr. 79. d. 1. & 2. ubi & alia peccati remedia.*

Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione. Formidandum illud extremum judicium, appropinquante sacro Dominici Natalis tempore, non sine divini dispensatione consilij, suis fidelibus membris, proponit sancta Mater Ecclesia, ut enim prudenter S. Gregorius Nazianzenus apud S. Maximum serm. 24. inquit: *A contemplatione exordium non est ducendum, & in metu quasi in extremo desinendum. Contemplatio enim freno caret, & fortassis præcipitem agit: sed metu primum quasi initiatos, purgatosque, vel (ut ita dicam,) attenuatos, ita in sublimi erigi convenit.* Quasi Dei timor, hominem purget, initiet, consecret, attenuet, & inde terrena mole vacuum in sublime erigat & cognatum cœlo, cœlique confinem reddat. Frenum est timor qui interminatæ legis vigore, audaciores animos peritè cohibet: *Initium salutis humanæ*, ait Severianus apud S. Maxim. *est Domini metus, & omnium bonorum, quæ in nobis sunt radix est, lex divina: nec vero divina lex caret metu, nec metus lege. Lex enim ad ea, quæ præcipiantur, ministro utitur metu: metus autem eorum, quæ præcepta sunt, judicem habet legem.* Bona lex, quæ tamquam judex, ministro utitur metu, & inde bonorum omnium radix. O altè hominibus hæreat Dei metus, ad bonam enim directionem, & observantiam divinarum legum ante omnia necessarium est prædicare Dei timorem, *tr. 86. d. 1.*

Videte ficulneam, & omnes arbores; cum jam producunt ex se fructum, patet quia prope est æstas. Postquam Christus Deus, prævias tremendo judicio calamitates recensuit, hac similitudine, quam sit timenda mundi felicitas, cum gratius arridet, exponit: utpotè quæ maximum præjudicium & detrimentum homini adferat, *tr. 94. d. 22.* Quapropter citata Evangel. verba, sic opportune S. Gregorius interpretatur: *Sicut ex fructu arboris vicina æstas cognoscitur; ita ex ruina mundi propè cognoscitur regnum Dei: Et ex hoc ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim germinat, ut quæcumque germine aluit, cladibus consumat.* Nimirum, cum Deus tibi indulgenter felicitatem committit, campi tibi vernant, florent, autumnant, & florida mundi gratia, spe cumulatius impleris; scito quod ex flore & fructu arboris agnoscitur vicina æstas, quæ fructus aridè torreat: *Et ex hoc ostenditur, quia fructus mundi, ruina est. Ad hoc enim germinat, ut quæcumque germine aluit cladibus consumat.* Time igitur hanc divini Numinis indulgentiam, time in quacumque felicitate, quia ruinarum minæ sunt: time semper in negotio salutis tuæ æternæ, *tr. 93. d. 5.* In via enim Dei numquam decet esse securum, *Ibid. d. 7.*

Discedite à me maledicti, in ignem æternum. In illo tremendo omnium junctim ex hominum judicandorum theatro, dicet Rex Christus his, qui à dextris ejus erunt: *Venite benedicti patris mei.* Prædestinati appellantur, benedicti patris, cui appropriatur omnipotentia, & imperium, hic benedicit omni benedictione in cœlestibus: Et postea his, qui à sinistris ejus erunt, dicet: *Discedite maledicti.* In quibus verbis antithesin nullatenus plenam advertere licet. Cur enim non equidem maledicti à patre dicuntur, reprobi, sicut Electi, benedicti à patre? Ecquis hanc acerbam in reprobos maledictionem fulminat? Quis illos gehennali incendio in æternum addicit, & æternis flammis perpetuo consecrat? Sanè cum prædestinatis, dicitur; *Venite benedicti patris*, istiusmodi benedictio oriri dicitur à patre, cui omnipotentia, & imperium appropriatur; nam ad terrenos homines, cœlesti gloria munerandos, divino imperio opus est; At à quonam illa impendatur maledictio prorsus tacetur. Erubescitne Deus, de justitiæ suæ bono? An quispiam alius præter Deum, istiusmodi maledictionem impendere valet? Eleganter hoc dubium versans Sanct. Chrysost. hom. 89. in Matth. sic opportune expedit: *Sed istis quidem, benedicti, illis autem, ite dicet maledicti: non quidem à patre, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt.* Vide hic humanæ malitiæ immetatam ad nocendum enormitatem, divinæ bonitatis, & paternæ omnipotentiæ, ac sanctitatis æmulam: In electorum ad gloriam benedictione, Dei infinita bonitas, & divina omnipotentia exprimitur, quæ in reproborum maledictione tacetur, & peccato adscribitur à S. Chrysostomo: quo perspicacius notificetur, quanta, quamque immetatè infinita sit peccati malitia, quæ ex eo notabiliter augetur, quia bonitas & sanctitas ipsius Dei, qui nos tot beneficijs affecit, & dilexit, offenditur, ut illius vires delinquendo audeat æmulari, & cum ejus bonitate contendere, *tr. 71. d. 5.*

Discedite à me maledicti, in ignem æternum. Nobilissima creaturarum amandatur ad infernales pœnas: Christus Deus, qui tot beneficijs homines cumulavit, totumque se illis impendit, sic castigat acerbè, ut habitare mander cum ardoribus sempiternis? Illam, inquam, Creaturam, quam pretiosissimo suo sanguine redemit? O acerbum nimis supplicium! Verum nil mirum, lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, & tarditatem supplicij gravitate compensat, quam ipse sibi vivens peccator consivit; uti in homine odioso & inimicitijs alijsque vitijs dedito eleganter agnovit Petrus Damian. lib. 2. Epist. 5. sic ad rem fatus: *Mens odiosa, cupida, curis tantummodo secularibus dedita, libidinis igne succensa, nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet, & Diabolus habitat & concupiscentiarum ignes æstuare non cessant: Illic enim de luxuria, sulphureus fetor oboritur, & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine, tamquam terribili fumi volumina generantur. Hæc magnè flebilis anima, gehenna facta est, tartarus, & infernus, quam & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vastat incendium.* Sic peccata velut ignis quidam sunt, quo anima tam in hac, quam altera vita aduritur, virique impij anima, infernus quidam dicitur, *Tr. 77. d. 1. d. 2. & d. 3.*

DOMINICA II. ADVENTUS.

C*Um audisset Joannes in vinculis opera Christi.* Matth. 11. Satis profectò, prima lectionis Evangelicæ periodus erat, ut in maximam nos admirationem adduceret; si mundus adeo felix fuisset, ut nihil tale umquam admisisset, aut hoc certè sceleris fuorum postremum extitisset. Sed quod in Zacharia Jojadæ filio, & sacerdote, monita salutis Regi & populo impertiente, incepit: in Joanne Christi præcursore, profecutus est. Ecce enim Angelus ille, tanto bono, mundo natus, in cujus Nativitate, incredibili gaudio vicini omnes exultarunt, modo Herodiano in carcere, ferreis strictus vinculis delitescit. Res admiratione digna, virum hunc tam heroicum, D. Joannem Baptistam, Dei adeo familiarem, cujus vita tantæ erat utilitatis, in vinculis esse: manum illam, quæ Deum hominem factum, digito indicavit, dicens: *Ecce agnus Dei*, ferreis manicis esse devinctam? Linguæ illi, quæ tam clarum summæ veritatis dedit testimonium, tantum esse silentium impositum: Libertatem illam, qua in deserto tanta cum sanctitate vivebat, carceri esse inclusam: Virum illum, qui Jordanis aqua Christum Dei filium baptizaverat, dignus à Deo factus, ut Christi compater esset: talem inquam in carcere, crudelissimi Tortoris manu, proprio sanguine baptizari, quis non paveat? Imo quis hominem tale potuit excogitare facinus? Machinari tam crudele nefas? Non hominum inventum, sed Dæmonum fuisse asserit. D. Basil. Seleuc. Orat. 18. *Diabolus Herodianis affectibus pro armis usus viam aperit ad Baptistæ mortem; primum paterni cubilis, perfossorem fecit, ut ex adulterij fossa ad Baptistæ eadem transire facilè.* Scilicet, erat Joannes, vox clamantis in deserto, non loquentis tantum, ait Hugo Cardin. non prædicantis, sed clamantis, ut majorem affectum exprimat, quo furdum Herodem ab incestu avertat, hanc vocem perferre nequit Dæmon, & ideo Herodianis affectibus viam sternit, ad Baptistæ mortem: ineffabili enim odio, Dæmon Dei verbum prosequitur, utpote armaturam, qua ipse vulneratur, nos verò defendimur, *tr. 83. d. 12.* Gladius enim est verbum Dei, de quo varias analogias, *Vid. ibid. d. 11.*

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. Joannes virtutis flos, & sanctitatis Magister pœnalissimo carcere cur vexatur? Respondet & quidem apposite, Doctissimus Didacus de Celada Comment. in Tobiam: Prospera in plebem, ac vilia ingenia veniunt: at calamitates, terroresque

mortalium subjugare, & illis patientiam nutrire, proprium magni viri est. Semper vero felicem esse, & sine morsu animæ velle transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Magnus est vir; sed unde scio, si tibi non datur facultas exhibendæ virtutis, & tolerantiæ erudiendæ & demonstrandæ? Miserum te judico, quod non fuisti, transisti sine adversario vitam. Nemo sciet quid poteris, nec tu quidem ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento, quid quisque possit, nisi patiendo, non didicit. Doceat te patientia, quantum possis: doceat tribulatio patientiam, doceat & reliquas virtutes, quantum tolerare debeant, & qualiter adversa sustinere opus sit. Velut cruda virtus est, quam tribulatio non decoquit ad saporem: rudis, quam calamitas non erudit ad tolerantiam; incompta, quam adversitas non elimat ad pietatis nitorem. Hæc ille. O quam congrue ergo tribulationis carcere vexatur Joannes, ut qualis ipse sit, adversitas edoceat! Nam in eum finem Deus tribulationem immittit, ut nostram probet, & experiatur virtutem, *tr.85. d.16.*

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. Magnus ille Propheta, & præcursor Domini Joannes Baptista, audacter dixit regi Herodi verba auditu ingrata, ei admodum molesta: Et ecce statim mittitur in carcerem, nec ibi destitit Joannes prædicare, quod audire & exequi valde expediebat Herodi. O animosam præcursoris audaciam! qui non potuit cohiberi, quin libere diceret, quod ipse sentiebat contra regem; sed tandem destitit Regis verbis dissentire. At quando id præstitit? Audi Rabanum: *Sed & linguam, & vocem apud eos perdidit Propheta, ut vel ipse Joannes aliquando non contradiceret Regis voluntati: Sed cum vita perderet vocem, qua regi ante non annuebat: ut sic mortuus silentio annuat, qui viva voce mordicus renuebat.* Qui officium Joannis imitaris, æmulare etiam dicendi libertatem, & nisi mortuus, ne perdas licentiam fandi vera & utilia; utere imperiali voce, ne timeas carcerem, neque exilium, neque ambitionis volatiles spes: munus enim tuum exigit omnes subire labores, & pericula, atque à veritate sine adulatione prædicanda, vitijsque reprehendendis numquam desistere, *tr.83.d.47.*

Cum audisset Joannes in vinculis. 3. Reg. 17. Elias acerbius indignatur, quod Dei populus, tot beneficijs auctus in Idolorum venerationem inclinarit, & munifico gratiarum præbitore relicto, Dæmonibus, mortis authoribus se dediderit. Ergo, ait, cœlitus sterilitate laborent, utantur, fame, Religionis Magistra, quis annonæ largitor, imbrium pincerna, & bonorum origo sit, discant siccitatis malo concussi. *Vivit, ait Elias, Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia*; Et ut dixit, evenit. Nec interim meliores redditi sunt Judæi. Heu quod non idem præstet cœlum, dum electum præcursoris caput tenebris includitur! Si enim indignaris ingratos esse Judæos, indignare luxuriosis, benefacientis Joannis non agnoscere gratiam, ægris non suscipere gratam medicinam, sed tenebricosi carceris stipendio compensare. Verum non est, quod indigneris, aut mireris tamquam aliquid novi acciderit! reprehendit nempe Joannes Herodem, ut Judæos Elias, de peccatis suis, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Inde odium & contemptus. Ab habituato namque in peccato, quid aliud sperare poterat, quam quod monentem & corrigentem nequaquam amaret & æstimaret; sed potius rideret, contemneret & occideret, *Vide tr.73. d.5.*

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. Joannes, Joannes inquam ille, qui de cœlo præmaturè afflatus, adhuc paucorum dierum infantulus in materni carceris alvo Christum agnovit, & nuper digito designavit, clauditur modo carcere ab Herode: quem Herodes tantopere metuebat & amabat, & libenter audiebat, eoque audito multa faciebat, vir justus & sanctus Herodi supra modum salutaris. Ille qui viperas transformabat in columbas, impiissimosque quosque ad se attrahebat, ut baptismum è manibus sanctis susciperent, eosque ex durissimis, lapideisque mollissimos efficeret, Herodem ad sui commiserationem, & meliorem frugem non flectit? Scilicet, sic *plus valet malum inolitum, quam bonum insolitum*, ait S. P. Augustin. ut in assuetis suis incestibus recidivus Herodes, licet gravitatem scelerum agnosceret, in profundum tamen rueret æternæ perditionis supplicium. Hæc enim repetitorum peccatorum solita pœna est, *tr.75. d.2. & d.3.*

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. Vinculis capitur Joannes ab Herode, ideo, ne ejus crimina fierent manifesta, neve ejus incestus omnibus innotesceret; Verum dum peccata Herodis à Joanne arguuntur, in omnium ore fiunt publica, ut ergo hujusmodi criminis propagatio evitaretur, capitur iniquitatis objurgator, incarceratur, vinculis constringitur; sed fallitur Herodes, & maxime fallitur, nam crimen suum dum occultare vult, magis manifestat. Joannis enim carcer ac gladius, quo caput est amputatum, maximè Herodi, flagitia manifestant, & accusant, ita peccatum præsertim mortale occultari nequit, *tr.77. d.30. & d.31.*

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Mirum est, quam paucis absolvat Joannes suam orationem apud Jesum: at brevis oratio supra modum vocalis magna obtinet. Hæc tantum dixit: *Tu es qui venturus es*, & omnia impetravit. Qui enim in vinculis erat, non longa oratione opus habebat, quando vincula & labores omnium linguarum disertissimi sunt ad universa ex Deo impetranda oratores. Bonus ille latro vix labia movit, dicens ad Jesum: *Memento mei*; & ecce totus illi statim conceditur paradisus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quæ orationis flumina, quæ loquendi vis sic Deum traxit? Non equidem verba, sed ærumnæ, sed crux, sic ad impetranda tot bona ex Deo valuit. Præclare D. Augustin. in Psalm. 86. ait: *Hoc fecit ille latro fortior in cruce, quam in fauce.* Non tam diserta est lingua Rhetorum apud Deum, ut crux, & carcer patienter toleratus. Non talem oratorum pompam edocent doctæ paginæ, qualem vincula & catenæ, quam vim in compeditorum vocibus oderatus Isaias cap. 26. ajebat: *In tribulatione murmuris doctrina tua eis*, quæ verba sic reddit Vatablus ex Hebræo: *Domine in ipsa tribulatione memores erunt tui: fundent murmur cum erit afflictio tua eis.* Sed cur ab afflictione fundent murmur, & non potius altissimas voces, quæ cœlos penetrent? In murmure intelligit Forentius muta illa carmina Venefici incantantis sapienter, quæ dum veneficus sapiens murmurat, quidquid cupit ad se efficaciter trahit aut rapit; sic afflictiones & ærumnæ Joannis, verba fundunt adeo efficacia & potestate plena, ut instar carminis seu murmuris incantatorum sapientissimorum, omnia ad se rapiant, & omnimodam faciant apparere salutem. Afflictorum enim preces efficacissimæ sunt, ad quas in tribulatione recurrere oportet, *Tract. 94. disc. 30.*

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Non gravabor in præsenti, veterum patrum meminisse sententiam, quæ putat Joannem post audita Christi miraculosa opera, misisse discipulos ut interrogarent, an qui talia efficiebat magnalia, ad mortem & vincula suscipienda simul veniret? Non quærit, an sit Jesus filius Dei? An sit expectatus ab Israëlitis? Sed an veniat ut vinciatur, & morti detur, ita Ambros. lib. in Luc. 7. Euseb. Emissen. Pomer. Venant. Gregor. relati à Maldonato in hunc locum. Nec miror, quod Joannes expertus vinculorum, & passionis præcellentias, requirat inter Jesu Magnalia, & splendida opera vinculorum, & mortis tolerantiam; quæ quidem tolerantia, præstantissimum opus est omnium miraculorum. Sane Jesus cæcis visum, surdis auditum, claudis pedes, leprosis munditiam, mortuis dabat vitam; Sed quid hoc magnum in Jesu; Ut ostendat in se naturam Deitatis: Nisi etiam manus ipse suas pro vinculis daret, seseque passioni voluntarius traderet, nam tribulatio aliquid divini in se habet, *tr.87. d.5.* Nullum enim opus etsi illustre, etsi hominibus salutare, sic filium Dei verum Messiam ostendit, ut vinculorum ærumnarumque tolerantia; cum enim ad hoc venerit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, quod est peccatum; vere eum ut talem agnoscimus, cum ad vincula, & mortem venisse intelligimus. Per hæc nos à peccatis absolvit, & absolutos æterno Patri reconciliavit: siquidem tribulatio patienter tolerata, solvit pœnas debitas pro peccatis, & ab ijs nos expurgat, *Ibid. d.12.*

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, & pauperes Evangelizantur. Mirum valde est, quod inter grandiora miracula in felici Evangelij tempore videnda, seriatim recenseatur quasi prodigiorum clausula, quod pauperes Evangelizentur, id est, quod adsint concionatores, qui Evangelium pauperibus prædicent, ita enim hunc locum intelligit, S. Hieron. dicens: *Pauperes autem Evangelizatos, intellige opibus pauperes, ut nulla inter nobiles & ignobiles, inter divites & egenos in prædicatione distantia sit, quod præmissis non minus est.* Nempe dum pauper æque, ac dives Evangelizatur, non est minus miraculum, quam cum cœci vident, leprosi mundantur: Pauper, inquam, opibus, à quo nihil lucri Concionator expectet, qui Evangelici sudoris mercedem retribuere non valet, qui eruditæ eloquentiæ plausus, non possit muneribus adornare, hoc est miraculum, quod præmissis non minus est. Itane rarum est, inveniri Concionatorem, qui sine spe lucri verba faciat ad pauperes? Taceo; ne sordidi lucelli quemquam arguere videar, quos reprehensos, *Vid. tr.83. d.49.*

Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Fuerunt aliqui impij assertores, ut refert D. Cyrill. lib. 1. in Joann. qui dixerunt: Joannem natura non hominem fuisse, sed Angelum; in specie tamen naturæ humanæ prædicantem apparuisse. Hos jam Joannes Evangelista in exordio sui Evangelij refutavit, dicens: *Fuit homo missus à Deo*: nam propter virtutis meritum Angelus est vocatus, ait S. Chrysost. in Imperfecto hom. 27. quænam vero hæc virtus? An quia Christi adventum præcurrens prædicavit? omnes Prophetæ, qui præcesserunt, missi similiter sunt ante Christum, ut ejus adventum prædicarent. Cur ergo solus Joannes sub nomine Angeli venit intelligendus? Respondet citatus Chrysost. *Solus Joannes sic missus est ante faciem Christi, ut pene cum ipso Christo veniret.* Ex omnibus Prophetis, Joannes propior Christo fuit, tantum autem ex ejus præsentia sacratissima sublimatus, & evectus, ut ex omnibus solus ille Angelus haberetur: nam in tantum ex exercitio præsentiæ Christi Dei homo sublimatur, ut jam non carneus homo; sed Angelus appareat: Efficax enim instrumentum est ad vitam immaculatam, & Angelicam sectandam, exercitium præsentiæ Dei, *Tract. 84. Disc. 7. maximè num. 8.*

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Magnam sui præcursoris ostendit Dominus gloriam, dum illum nobilitat Angeli vocabulo. Etenim summa gloria est, quod lutum, angelicos possit repræsentare volatus & inter Angelorum decora coruscare. Ubi beatorum principum gloria exprimenda fuit, ac excellentia singularis, ait Dominus Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Hoc solâ similitudine putavit Dominus sufficienter beatorum gloriam demonstrari; quam ut ostenderet maximam, Angelicis splendoribus lutea beatorum corpora comparavit. Ad quæ D. Hieronym. in Epitaph. Lucilij sic fatur: *Quando dicit, erunt sicut Angeli in cælis, non natura & substantia corporis tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur.* Et quidem dum Joannes dicitur Angelus, non tollitur corporis lutei substantia, sed gloriæ ostenditur magnitudo. Nec miror quod Joannes in terris agens assimiletur Angelis, quibus gloriosum est beatis existentibus in cœlis assimilari; sed potius miror, quod Joannes non dicatur plus quam Angelus? Cur, bone Jesu, non vides præcursorem tuum longe superiorem Angelis esse? Desertum solum Joannis, laudabat Dominus: nondum ad vincula, ad carceres, ad labores accesserat exantlatos; quod si Joannem vinculis afflictum voluisset extollere, haud dubium, quin illum plus quam Angelum prædicaret: plane vincula & ærumnæ nos faciunt Angelis longe superiores: summam enim Deus gloriam & honorem abscondit sub tribulationibus, *Tr. 94. disc. 3.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

MIserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: tu quis es? Jerosolymitani Senatores, dum sublimissimum Messiæ munus Joanni offerunt, illum cognationis affectu diligunt, non judicij maturitate. Amor enim erga cognatum Joannem, & odium sæviendi adversus Christum, hujus legationis aut electionis judicium extorsit: sanè amoris, vel odij, seu invidiæ affectus tamquam non bonus rerum arbiter, in judicijs recusatur & communiter fallit, uti planè fefellit hos Judæos, qui illo gladio sese peremerunt, quo Christum verum Messiam perimere cogitabant. Invidia erat: illa autem, ut ait Idiota de morte lib. 5. est gladius Goliæ, qui proprium magistrum occidit: quia invidi antequam alios interficiant, gladio invidiæ torquentur, ut de eis dicatur: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Scilicet de sacerdotali stirpe prognatum sciebant Joannem, de humili vero Jesum: à turbis, à primis annis secretum Joannem, cum publicanis & peccatoribus conversatum Jesum. Hunc ergo, cum innumeram post se trahere turbam vident, quæ illum ut verum Messiam veneratur: inde commoti hoc Messiæ munus in Joannem transferre satagunt: Joannes vero absit ut pro tali haberi voluerit, quinimmo omnibus Judæis, & universo mundo testatum reliquit, cum maxima eorum confusione, Christum verum esse Messiam; sicque in perversis suis consilijs elusi, malum quod machinati sunt, in ipsos recidit, *Tr.78. d.26. 27. & disc.28.*

Miserunt Judæi ab Jerosolymis, sacerdotes, & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum. Valde mirum est, quod pontifices dediti omni vitio & abominationi, optent sibi constituere in Regem, Messiam & caput, Joannem, in quo omnis puritas & sanctitas vitæ, cum maximo rigore eminebant. Sed heu perversum hominum in dignitate Ecclesiastica constitutorum, genium! Deferunt Joanni Messiatum, quo se ostenderent populo, Religionis Zelatores in adventu Messiæ ferventissimos: quibus tamen rebus immoderata passio erat animum eorum mortificans, quo Christo Dei Filio filiationem, & Messiæ dignitatem invidebant; qui proinde Zelus justè à Joanne, tali condigno responso confunditur & castigatur, atque detegitur: Deus enim merito castigat eos, qui pravas passiones suas, quibus moventur, zeli pallio tegunt, *Tr.97. d.7. n.5.*

Ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negavit &c. Tanta gratiarum in Joanne fuit abundantia, & excellentia, ut hoc præclarum a Christo nactus testimonium sit: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Quæ tamen gratiarum abundantia, tantum illi periculum constituit, ut verum sit, quod ubi magnitudo periculi adsit de elationis fomite: ut proinde verè pariter ac bellè S. Prosper Epist. 83. inter Ambros. Epistol. dixerit: *Vigilant tentatoris insidiæ, & ubi proficit devotio, subrepit elatio: Et ut homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur: sed solicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicentis: Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere: quanto ergo in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis & tremoris ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi benè conscia, & laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Quid enim tam perversum, quam ut probitatis argumenta, impietatem persuadeant, male acuto vanæ gloriæ ingenio? quam tanto solicitius idcirco vitat Joannes, quanto subtilius eadem illi insidiatur: timet nempe subdolas vanæ gloriæ insidias, quæ de virtute, vitiorum officinam adversus virtutes excudit. Vana enim gloria aggreditur etiam perfectos, & tunc nos oppugnat, cum de vitijs triumphamus & bonis operibus divites sumus, *Tr.95. disc. 3.*

Et confessus est, & non negavit, & confessus est: quia non sum ego Christus. Non vulgarem emphasim, dicta verba præ se ferunt, alioquin simpliciter respondere potuisset: *Non sum ego Christus.* Sed Evangelista iterum, atque iterum repetit: *Et confessus est.* Ut hac loquendi figura solicitudinem, atque timorem sancti præcursoris haud obscure declararet, cum sibi divinos honores tribui imprudenter populi opinione cerneret. Nullus enim vir etiam Zelotypiæ ægritudine laborans, usque adeo de uxoris suæ pudicitia solicitus est, quam sancti omnes fuerunt, ut ne quidquam divini honoris sibi arrogarent, aut ab alijs sibi tribui paterentur: sic Paulus & Barnabas, Act. 14. cum eos Lystris cives propter edita miracula adorare vellent, conscissis tunicis obstiterunt dicentes: *Viri quid facitis? Et nos mortales sumus!* Neque vero contenti populum ab hac temeritate revocasse, cursu, voce, vestiumque abscissione, quantus eos tremor invasisset, satis indicarunt. Simili consilio, & affectu Joannes à se divinos honores depulit, ut qui probe teneret, Deum bonorum operum nostrorum sibi reservare laudem, & gloriam. Et ideo inde nullam oportet concipere vanam gloriam, sed sanctitatem exemplo Joannis occultare, *Tr.95. d.1.*

Et confessus est, quia non sum ego Christus. Elias es tu? Et dixit, non sum. Gravissimam crediderim Joanni cessisse hanc tentationem, siquidem jacula vanæ gloriæ ignita planè sunt & lubrica; ut enim tinea croco, & nebula florenti campo fatalis est, quia illico consumit ejus substantiam, ei nudum stamen relinquens; ita opus bonum tantæ est excellentiæ, ut naturaliter excitet in eo, qui illud agit, appetitum & voluntatem illud manifestandi, & ideo vocatur lux, quia ipsi maximè proprium est, se oculis detegere ac manifestare, & ut tale illud sequitur & manifestat honor, atque post se trahit laudem, & gloriam, & quando hæc se offert, ait D. August. Epist. 64. ad Aurel. res est difficillima eam repellere. Et licet inveniamus aliquos, qui laudes non quærunt, paucos tamen reperias Baptistas, qui oblatas rejiciant, sincere & sine fuco dicant: *Non sum.* Nam difficulter æstimatio propriæ laudis superari potest, quia tenaciter inhæret, *Tr.95. d.1.*

Elias es tu? Et dixit non sum; Propheta es tu? Et respondit non. Veritatis præco hæc asserendo, num veritati conformia enuntiaverit, merito dubitatur? Nam quomodo vere dicit, quod non est Elias, neque Propheta, qui & Elias, & Propheta à Christo appellatur, Matth. 11. *Etsi vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Estne hoc ab humilitate miraculum? scilicet è nutu Joannis dependebat has honorum excellentias, quas vere possidebat, sibi arrogare & acceptare, quas tamen præclaro Evangelistæ testimonio humillime repudiavit. Qua super re, sic profundè Philosophatur S. Augustin. serm. 3. de Sanctis: *Quod enim est majus testimonium veritatis, quam se humiliando eum agnoscere, cui æmulando poterat invidere? Putari Christus potuit, & noluit. Dixerant homines, cum fallerentur in eo; Num forte hic est Christus: Respondit ille, quod non erat, ut maneret, quod erat: inde quippe Adam lapsus perdidit, quod erat, quia quod non erat usurpavit. Recolebat hoc iste magnus, sed in parvo Christo minimus. Noverat hoc Joannes, recolebat* hoc

hoc & tenebat, quia recipere, quod perdiderat Adam, cogitabat. Nempè hujusmodi repudio, quo ut Elias, & Propheta in censu hominum habebatur, sanctitatem suam occultabat, & vanam gloriam fugiebat: ob quam meritò bona opera, gratiæ, & favores exemplo sanctorum occultanda sunt, *Tract.95. disc.4. & 5.*

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. Judæi moti sunt, ut quærerent a Joanne an esset Christus, Elias, vel Propheta, ob novum ritum ac cæremoniam, quam baptizando, in orbem introducebat, unde subjungunt: *Si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta, quare baptizas?* Quomodo ergo his occurrit Joannes, dum se fatetur vocem? Si quærerent ab eo quare prædicabat, congruere videbatur responsio; *Ego vox*; At vero dum moveretur ad interrogationem ob Baptismum, quem conferebat, quo pacto de se dicit, quod sit vox? Nihil aptius ad præsens dici poterat: Vera enim vox non solùm ore tonat; sed etiam opera concomitantur: *Joannes*, ut ait D.Chrysologus serm.167. *Doctor dicto & facto.* Tunc enim vox Concionatoris cedit in laudem Dei, & mirificè proficit, quando in manibus una adsunt opera, *Tr.83. d.29. 30. 31. 32. & sequent.*

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. In tantâ æstimatione erat Joannes, ut nihil aliud opinarentur, nisi quod esset Christus, Elias, vel magnus Propheta, cui æstimationi conformiter respondere potuisset Joannes, multisque esse titulis nominare, scilicet, quod esset filius Zachariæ, Doctor, Præco ac præcursor Christi, his tamen omnibus speciosis titulis, quibus maximam sibi authoritatem conciliare potuisset, prætermisis, de se tantum publicat ac divulgat, quod sit vox: ita ut neque Sacerdotalis dignitas, neque Prophetalis authoritas, neque Angelica sanctitas in eo attendenda esset; sed hoc unum quod esset Dei vox, seu quod Dei voce loqueretur: existimans hanc excellentiam cæteras omnes antecellere: Nobilissimum enim, & sublimissimum in Ecclesia Dei est ministerium, Evangelica prædicatio, *Tract.83. disc.28.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.
Lucæ 3.

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem, prædicans baptismum pœnitentiæ. Recenset sacer Evangelista, quod anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judææ, verbum ad Joannem factum sit; Et benè præmittitur ab Evangelista perditissimus tunc mundi status, moribus profligatissimus, ut sub talibus præpositis par erat, quo prædicatio Joannis opportuna videatur ad pœnitentiæ suadelam, & peccatorum remissionem. Sed quare de tanti Concionatoris probitate, nil ante loquitur Evangelista? Peridoneè opinor Matthæus, & Matthæum de more imitatus Evangelista Marcus, Joannis vitam asperitatibus præstructam ad prædicationis energiam præfatus est. Unde quod alto silentio Lucas occultavit, Matthæus c.3. sic fatur: *Habebat Joannes vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos: Esca autem illius erant locustæ & mel silvestre.* Prædicator enim efficaciter persuadere volens, verbis opera adjungat, necessum est; imò oportet, ut opera & exempla præcedant, *Tr.93. d.29. 30. 31. 32. & 33.*

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium. Videtur sanè hisce verbis Evangelista Lucas prævia ad prædicationem Joannis elogia, si non explicatius, vividius tamen exposuisse, ut argute ostendit S.P.Ambrosius hæc super re sic fatus: *Sanctus Matthæus & Marcus vestitu, & cibis, & cibo Prophetam declarare voluerant; Lucas compendio usus est, dicens: Factum est verbum Domini super Joannem, unum dixit, & omnia declaravit.* Scilicet dum significatur, quod ad recens Concionatorem Joannem, *verbum Dei factum est*, verbum Dei, inquam, non tam dictum oretenus, quam actuoso opere factum, & vitâ expressum ad auditorum normam. Insimul hoc uno verbo omnia exprimuntur & explicatius declarantur, quæ tanto verborum ambitu reliqui Evangelistæ præmiserunt: *Unum dixit, & omnia declaravit.* S. scilicet Lucas. Omnia enim in se bona, omnes virtutes, cunctasque desiderabiles gratias virtualiter continet, Dei verbum. Vid. *Tractat.83. Disceptat.13.*

Factum est verbum Domini super Joannem. Turget mysterijs prædictum verbum, *Factum*; agebatur enim de intimando Baptistæ Baptismatis sui exordio, per quam innumeras peccatrices animas ad pœnitentiam, & bonam frugem erat revocaturus. Verum priusquam prædicationem suam S.Joannis Baptista exordiretur, divinas habuit revelationes, quibus ad prædicandum adactus fuit, quod prædicta verba insinuant. Unde copiosissimo conversionis animarum fructu haud cariturisse prædicationem Evangelicam longè efficaciorem & fructuosiorem reddit divina assistentia, quam studium & eloquentia? *Tr.83. d.37.*

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto. Postquam divinum mandatum Joanni factum, cujusque personam Evangelista explicavit, locum designat, in quo erat, scilicet desertum: Nam, ut Theophylactus ait: *Deus totum tempus præteritum, usque ad sui ostentationem occultus fuit in deserto.* A primis siquidem annis, in illo Joannes erat à tempore persecutionis Herodis, dum infantes occidit; Elisabeth cum filio suo in desertum fugit, in quo ipse usque ad divinum hoc mandatum perseveravit, angelicam potius, quam humanam vitam ducens. Cur autem sic latuerit usque huc occultus, Rupertus Tuitiensis Abbas tractans de vita Angelorum æmula, quam in Eremo Joannes agebat, peridoneam his verbis rationem reddit: *Ne pulchritudo oris à quo primum audiendum erat testimonium gratiæ, & veritatis, aliquo modo deformaretur, loquendo aliquid vani aut otiosi sermonis.* Peccata enim quantumvis levia impediunt acquisitionem spiritus, & devotionis, ac proinde servi Dei anxiè illa persequuntur, & minimas culpas fugiunt, *Tr.76. disc.17. & 18.* Joannis enim lingua, quæ gratiæ flos est, si otiosum illi verbum ineunte excideret, aliquo modo deformaretur. Et hinc metiri licet, quam vel eximiæ sanctitati defectus leviculus noceat: Licet enim peccatum modicum sit, suum tamen habet venenum, ac proinde timendum est, ne in graviora nos ruere faciat, *Ibidem disc.14.*

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto. Joannes à puero in deserto enutritus fuit, ut Lucas 1. cap. de eodem testatur: *Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu: Et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ in Israël*, cujus cibus fuit mel sylvestre, ibique continuo mansit usque ad annum trigesimum, quo cœpit se ostendere populo, illique prædicare fidem in Christum, & pœnitentiam. Commentatores quidem de hoc præmaturo Joannis secessu, & fugâ in desertum, variè Philosophantur. Theophylactus ait: *Secessit ut extra malorum malitiam nutriretur*, quod explicatius edisserit Origenes hom.11. in Luc. *Digne, qui sic conceptus fuerat, & natus, non expellavit, ut à patre nutriretur usque in diem ostensionis suæ in Israël: sed recessit fugiens tumultum populi frequentiam, vicinium civitatum, & abijt in deserta, ubi parior aër erat, cælum apertius & familiarior Deus.* Nil ergo mirum, quod ad Joannem in deserto verbum Domini factum sit, cui sic familiaris inibi erat Deus. In solitudine enim Deus conversari solet cum animabus, communicando ipsis visiones, revelationes, aliasque gratiarum dona, *Tract. 89. disc.10. item disc.7.* Et ideo, vel à patre Zacharia, Dei sacerdote, & sanctissimo Propheta, inidoneè Joannes educaretur, quia in urbe educandus erat: sic Urbium tumultus, populi frequentia; imo & civitatum vicinitæ, mores inquietant, & ad similem prava vitatem inhalant, à quibus præservat solitudo, quæ virtutes nutrit, & vitia suffocat, *Ibidem disc.2. & disc.6.* In deserto nitent virtutes, excellentiæque omnes, ibi verbum Dei, de quo Regius Vates Psalm.62. *In terra deserta, & invia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.*

Et venit in omnem regionem, prædicans baptismum pœnitentiæ. Venit Joannes, ait D.Chrysost. hom.19. in Matth. quasi magni Regis præparator, at nuntius fidelis, qui iræ exordijo prædicationis suæ, non incepit prædicare Christi Domini divinitatem, vel ejus eximiam potestatem, sed pœnitentiam, in remissionem peccatorum, scilicet, hominum: Quia enim invenit totum mundum, ut Ildephonsus ait serm.5. de assumpt. criminibus obnoxium, omnibus medicinæ radix, remedium, forma factus, & Religiosissimum Concionatorum exemplar; Nempe non altissimas è cathedris detonare quæstiones, sed pœnitentiam, & vitæ, morumque emendationem: Finis enim concionatorum unicus esse debet, arguere peccata; ideo namque Deus divinum suum largitus est verbum, ut per illius prædicationem, primo omnium loco aboleatur peccatum, *Tr.71. d.1. item Tr.83. disc.38.*

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Super quo themate, consule *Tract.81. disc.26. de pœnitentia.*

Omnis vallis implebitur: Et omnis mons, & collis humiliabitur. Origenes, Beda, & Hugo, nomine montis, & collis intelligunt inanis gloriæ studiosos, de quibus sic fatur S. Chrysost. apud S. Thomam: *Colles autem desperatos appellat, non solum autem ob superbiam mentis suæ; sed propter desperationis sterilitatem: collis enim nullos fructus producit.* Nempe montes, superbi bonorum operum sterilescunt, & noxiæ herbæ feraces: male fœcundi & pejus stediles, infœcundi probitate, uberes improbitate, qui cœlestes imbres frustrantur, & virtutum operibus nutriunt superbiæ fastum. Peccata siquidem venialia, ut inanis gloriæ studium, dium, & similia animam commaculant, hominesque in charitate repidos, & in bonis operibus, & contra tentationes debiles efficiunt, *Tract. 76. d.7.* Eos quoque elatos montes, desperatos intelligit S. Chrysostomus, ac si elatio sit quædam desperatio, & quodammodo impotentia virtutis. O infelix inanis gloriæ studium! quod licet exiguum sit peccatum, omen est infaustæ reprobationis, & jus ad gehennale incendium, ac si levium peccatorum, ut hypocrisis, ac inanis gloriæ amor sit veluti licentia ad desperandum, & gehennæ titulus. Nec mirum, quia enim levia peccata passim non curantur, magna tandem præcipitia, & gravissima peccata superinducunt, *Ibidem disc.2. disc.3. & 6.*

Omnis mons, & collis humiliabitur. Superbos, per montes intelligit Chrysostomus ut supra dictum. Miraris vero secuturam depressionem, & contritionem superbi? Nil mirum, superbus uno pede in via nititur, quare facilis est ad lapsum: pro quo deprecatur Propheta Regius, Psal. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Agellius, per *Ti*, pedem superbiæ, pompam in incessu, quam vana gloria ciet, idoneè commentatur. Sed cur affectum inanis gloriæ, sic in incessu Propheta timet? Et cur hanc levem arrogantiæ noxam, pedis vocabulo designat? scilicet, acutè ex Lobbetio opere morali de peccato, refert Corderius: Quod benè, ait pes superbiæ, non pedes: superbo enim pes est unicus, ideoque sicut diu consistere non potest, qui unico tantum stat pede, eoque totam corporis incumbentis molem sistinet: ita etiam nec diu stare potest superbus peccator, nutabit ille dubiumque libratbit corpus, ac tandem præceps in ruinam dabit: pes enim hominis qui stare debuit in via, simulatque superbia corripitur, illico cespitat, & labitur in obliquis peccati semitis. *Vid. latius Tract.90. Disc.13.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

CUm factus esset Jesus annorum duodecim. Parvulus Jesus, singulis annis à Nazareth in templum cum suis parentibus ascendebat, ut vult Euseb. Emissen. dicens: *Religiosi parentes per annos singulos ibant in Jerusalem, ut legem audirent, sacrificijs participarent, & ejus adhuc umbræ jerviebant, cujus jam venerabantur veritatem. Erat igitur simul cum cæteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis.* Ut quid igitur duodecim annorum memoratur ætas? Et cur non majorem, vel minorem elegit ad seipsum declarandum, & tunc inter Doctores interrogans, & eos audiens apparet? Respondet Lyranus ut à pueritia ostendat Zelum suum erga spiritualia, animas scilicet nostras, quarum salutem velocissimè zelabat. *Tract. 81. Disc.25.* Maximè vero conversionem nostram zelat in ætate juvenili, cum illa sit ver, seu æstas, quæ passionum calore ustulatur, & fervet ad vitia; unde ejus primitias quærit, ne usque in senium pœnitentia differatur, *Ibidem Disc.26.*

Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Vide quam solicita, & zelosa Maria in quærendo filio existat, nullum non movet lapidem, nullam viam non arripit, ut inveniat amissum, cognatos adit, notos interrogat, denique Jerosolymam redit, omnia lustrat donec inveniat filium. Sic eos qui Deum quærunt, vigilarium vox apud Isaiam commonefacit, Isaiæ 21. *Si quæritis quærite, convertimini & venite.* Hoc est, ne vobis certas, & determinatas vias quærendi præfiniatis, ne in quærendo Deum finem faciatis; sed quærite, & amplius quærite sine termino, & fine. Explicatissime Richard.de S.Victore lib.2.de Emmanuel. cap.16. *Si quæritis quærite, & inquirendo perseverate: imo & multipliciter quæritur qui numquam ad plenum invenitur. Non semel quæsisse satis, iterum atque iterum requirendum, perquirendum, hac, illacque eundum, & bis, & ter, & millies eadem repetenda, revisenda, lustranda.* Lubeat ex profani Lucretij penu ea describere quibus amissum vitulum à matre requiri depingit, sic lib. 2.

Aut mater virides saltus, orbata peragrans
Linquit humi, pedibus, vestigia pressa, bisulcis
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fœtum, completque querelis
Frondiferum nemus, assistens, & crebra revisit.

Hoc amore, hoc zelo & hac cura quærebatur filius Jesus à parentibus, similibusque affectibus zeli quærit, perit ab homine quocumque: quam gratus enim Deo zelus existat, & quam munificè compensetur, exemplis ostenditur, *Tract.97. Disc.3. & 4.*

Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes. Sanè decebat puerum interrogare legis Doctores, non eos docere; sed tamen Christus ejusmodi interrogatione modestiam docet, an simul & sapientiam? Audiendus est Origenes, sic fatus: *Ex uno doctrinæ fonte manat, interrogare, & respondere sapienter: & ejusdem scientiæ est, sive quid interroges, quidve respondeas.* Explicatius S.Hieronym. Epist. 103. Paulino cap.4. humilitati interrogationis nuncupatim adscribit hoc præcellsum interrogandi magisterium, dicens: *Duodecim annos salvator impleverat, & in templo prudenter interrogans docet senes, de quæstionibus legis interrogans: magis docet, dum prudenter interrogat.* Profectò summa Christi sapientia tunc dicitur *magis docere*, non quando velut è Cathedra, tamquam cœlestis Magister Discipulos, & turbas erudit præ admiratione exclamantes, Joan. 7. *Nunquam sic locutus est homo*, sed tunc, tunc quidem, quando ac si imperitus foret, & discere vellet, prudenter interrogat. Hem? sic humilitas aliquis sapientiæ fructus est, ut increata Dei sapientia, Christus Deus, tunc dicatur *magis docere dum prudenter interrogat?* Nullum igitur dubium est, quin sapiens interrogatio de participio humilitatis, arcanum quoddam Magisterij genus sit. Econtra superba dictio, species dementiæ, *Tract. 90. disc.12.*

Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te. Facile consideratu est, quantopere dilexerit filium suum Jesum Maria, & ipse Joseph: eo quod per se summe amabilis esset puer, ex cujus absentia tantam conceperunt tristitiam, quantam ex præsentia lætitiam. Hoc ergo merito mirandum venit, quod cum non ignoraret Jesus, extraordinariam hanc parentibus suis ex suâ absentiâ suborituram tristitiam, & dolorem; nihilominus sese subduxerit in comitatu? Jacob Patriarcha perdidit quoque filium sibi unicè dilectum Joseph, & à bestia devoratum, quem credidit, venditum Ismaelitis in Ægypto à fratribus postmodum audivit: interim in magna gloria existente Joseph, cum patrem de se perdito nimium affligi facilè conjecturari poterat, consolatorium ad eumdem verbum, quod mittere debebat, intermisit. Quæ causa? Dispensatione divina id factum credidit S. Augustin. in expiationem, scilicet, venialium Jacob excessuum. An forte ob similem causam sese absentat à parentibus Jesus? Absit: Neque enim venialis labes umquam retigit Mariam; sed qui sciebat se supra modum à parentibus diligi, amoris vices eisdem rependere voluit, dum eos ex suâ absentiâ tristari permisit: certum enim divini amoris pignus habemus, cum tribulationes patimur, *Tract.94. d.13.*

Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Existimat D.Ambrosius prædicta Christi verba reprehensionis fuisse: Unde D. Bonavent. ait: Dominus durè respondit, absque tamen ullâ matris irreverentiâ, quod enim Christus Dominus ore sereno, atque benigno aliquantulum ita severe locutus est, non propter Genitricem, in eâ enim nihil habens reprehensionis umbram, dari poterat; sed propter circumstantes, ut omnes instrueret, quod in his, quæ sui muneris erant, ad patrisque obsequium & hominum salutem spectabant, nullo carnis, aut sanguinis affectu, sed puro tantum in Deum duceretur respectu. Et ita quoties suspicari poterat, carnis amorem interrumpere ea, quæ ad patris negotia, ut erat de divinis rebus tractatio, verbi Dei auscultatio, pertinebant, asperè respondit: culpari enim illi merentur, atque puniri, qui à verbo Dei alieni sunt, illudque disturbant; Quorum pœnæ recensentur, *Tract.83. disc.26.*

Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Profectò, si in cœlestis patris sui negotijs versari oportebat, ad quæ tractanda remanserat, eccur in ea cura adhuc non persistit? Nec opinor ea erat ejus mater, quæ à patris Dei negotijs pertractandis eum arcere vellet. S. Augustin. serm.3. de Resurrect. Domini, subtiliter ad rem Philosophatur: *Quis jam*, inquit, *non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit? sic meravit consilium suum, ut quod jam tunc cepe rat, ex tunc usque ad trigesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Sed forte quærendum ab ipso est, quomodo voluntatem, consiliumve reliquerit? O Domine, voluntas de qua dixisti, ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? sic & consilium, si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo derelinquendum? Et bona erant, & ejus erant, neque minus tamen relinquenda: ob hoc videlicet, ut fierent meliora, neque enim oportebat propria præjudicare communibus.* Itaque ereptum Jesus patris negotium, quod propria voluntate tractandum inchoaverat, statim relinquit; non quod bonum non esset; sed quia ad nostrum exemplum valde expediebat, quatenus ab illo edisceremus, alieni esse à contentionibus, cedere alijs, & propriæ opinioni non adhærere, ut ita pacem conservemus, *Tract.70. disc.16.*

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Induxerat Evangelista duodennem Jesum in templo audientem, & interrogantem illos: & postquam arcanum ad

Mariam responsum notanter scripserat, consultissimè addit, quod Beata Virgo verba omnia, quæ vel à puero Jesu audiebat, attentius ruminanda in corde suo recondiderit. Quâ de re Græcus apud Carenam, sic profunde scribit: *Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Non enim ei ut puero, neque ut viro, sed ut Deo vacabat, & illius voces divinas & opera reputabat, ideirco nil ex dictis, aut actis ab eo incassum patebat. *Nil illi dictorum*, ait Geometra in Catena Græca, *ejus aut actionum excidebat: sed sicut ipsum verbum prius in visceribus, ita nunc ejusdem sermones, ac mores, omnesque institutiones concipiebat, & in corde suo quodam modo fovebat.* Nimirum Beata Deipara verbum divinum suis visceribus concepit, & utero, & gremio fovit: sic quodammodo ejusdem corporati verbi sermones, doctrinam, actiones, ac mores animo concipiebat, actione sua fovebat, & egregia operatrix auditu & visu in corde suo concipiebat, atque opere ipso feliciter parturiebat, & inde sibi, totique mundo omne bonum impendit: Verbum enim Dei, non solum in corde custodiendum, sed & executioni mandandum est, si inde aliquam utilitatem haurire velimus, *tr.* 83. *d.* 21. Desideras esse spiritualis mater Christi, & Christum exemplo virginis corde concipere, in silentio te conserva, & linguam tuam refrena, *Tr.* 88. *d.* 6. *n.* 5. *& sequent.*

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Conservabat ruminanda, & quasi diligentius scrutanda, ait Venerab. Beda: nimirum ut successu temporis per omnia quæ dicturus, & acturus erat Christus, plenius ea intelligeret; simul ut eadem deinde S. Lucæ, & aliis Apostolis scribenda, vel posteris tradenda revelaret; unde Apostolorum Magistra communiter indigitatur: Imo Beda existimat, quod Beatissima Virgo ita in mente conservabat omnia hæc, quæ fiebant, ut cum illis, quæ per Prophetas scripta erant, ea contulerit: nec sine ingenti fructu ut advertit Carthusian. dicens: *Verba & facta filij sui in corde tamquam optima, & doctissima sapientiæ æternæ disceptula, saporis capacissima & avidissima, quidquid filius ejus de cætero fecit, aut dixit, cum summâ veneratione pensavit ac indè eminenter profecit.* Vivum sese præbens exemplum eorum auditorum, qui si volunt, ut verbum Dei in ipsis fructificet, necessum est, ut illud in corde suo, cum Maria ruminent, *Tr.* 83. *d.* 20.

Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate apud Deum, & apud homines. Valdè sudat SS. PP. ac interpretum solers industria, ut exponat, quo pacto Christus Deus, etsi proficere potuerit tunc staturâ, proceritate, atque ætate, quin & sapientiâ, & gratia apud homines, indies majora sapientiæ, & gratiæ documenta exhibens, proficere tamen potuerit apud Deum, cum nullum sapientiæ, & gratiæ auctarium acceperit, in ipso siquidem Incarnationis exordio Deus erat, & omnigena sapientia, & gratia, quæ Deum hominem decebat, instructus fuit? Num per ætatis gradus proficiebat Christus in Divinitate? An gratia & sapientia increata, an creata? Minimè quidem: nam summa, augmenta non capiunt, seu profectum. Quis est igitur arcanus iste apud Deum & homines profectus, quem sic Evangelista magnifice deprædicat? Sapienter inibi Beda: *Et bene,* inquit, *cum dictum esset, quia Jesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia, adjunctum est, apud Deum & homines: Quia quantum proficiente ætate, hominibus, sapientiæ, & gratiæ, quæ sibi inerat, dona patefaciebat, tantum eos ad laudem Dei patris semper excitare parabat, perogens ipse, quod cæteris peragendam præcepit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Attentius excipe, quæ subdit verba: *Atque adeo non solum apud homines, gratia & sapientia proficere dicitur, in quantum ipsi ejus sapientiam, gratiamque potuere cognoscere; Sed etiam apud Deum, in quantum ad ejus laudem, gloriamque sapientiam, ac gratiam, quam in eo cognoverant, retulerant.* Vide arcanum vim sapientiæ, & gratiæ, pueri etiam Jesu, qui gratia apud Deum proficere dicitur, cum per eum homines ad Dei gloriam proficiunt; ut igitur amplius proficiat Jesus, Christianus semper in virtutibus progredi, & proficere, nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est, contentus vivere debet, *Tr.* 80. *d.* 6. *maxime n.* 6.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.
Joan. 2.

Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Non multa locuta est Maria, non de serpentis astu Rhetorum flumina evomuit, ut filium trahat à flumine, sed simpliciter fatur: *Vinum non habent*, quasi idem esset, misericordi Deo miseriam detegere, ac flammanti igni præparatum pabulum apponere. Rapit mihi crede pietatis fontem, solo per seipsam, si ejus oculis detegatur, miseria humana, quam solum manifestatam, & præsentatam, protinus avertit: qui enim se à nobis ut pater invocari voluit & jussit, dicens: *Invoca me in die tribulationis*, jus quoddam concessit expectandi alimenta, ipse enim est, qui omnia animalia pascit, annon multo magis filios suos sustentabit? *Tr.* 85. *d.* 4.

Et deficiente vino, dicit mater Jesu: Vinum non habent. Deficiente vino, hoc est, jam, jam defectu vini imminente, quo nupti erubescerent, Maria, quæ prævenientis filij auxilium in se noverat, Jesu adstat, ut ante ruborem & defectum novè nuptis opem ferat. Scilicet compassa est eorum verecundiæ, & convivalis defectus donavit pudorem: Quibus vero affectibus & qua methodo huic vini defectui remedium impetravit? Exponit S. Bern. de gradibus humilitatis: *Vinum*, inquit, *non habent, quam breviter, quam reverenter suggessit, unde piè fuit solicita, & ut discas in hujusmodi magis pie gemere quam petere præsumptuosè, pietatis affluum, pudoris umbra conceptum, precis fiducia verecunde suppressit.* Exemplum tibi factum, qui te in necessitatibus gerere debeas: Suspice igitur in Deipara petendi methodum, disce modestiam in fide: *Vinum non habent.* Unde citatus Bern. *Quid modestius, quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci gravitas, efficacia voto.* Non tumultuatur, non nimis anxie solicitat, & importunè rogat: Nimirum enim & immodicè anxiam solicitudinem, quæ velut continuis æstibus hominem exagitat, condemnat, & aspernatur Christus Deus: illam autem diligentiam, & laborem, qui conformis est uniuscujusque statui, requirit. *Tract.* 85. *disc.* 6.

Et dixit illi Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? Censorius nimis visus fuit Dominus ijs, qui efficiam illam severitatis personam nolunt percipere. In immerentem prolem aliquando amantissimus pater solet fcandescere, & supercilium effingere, non ut errores mulctet, sed ut firmiorem suggerat abscedendi ab errore diligentiam. An egebat hac fictitiâ animadversione Maria, Jesu Mater? Sed egebant innumeri alij innocentes, quos in Matre Jesu tangebat efficta severitas, ut castigati sine culpâ, magis culpas vererentur: Tentationes enim à Deo ordinatæ sunt ad exercendam & perficiendam virtutem, *Tract.* 92. *disc.* 5. Unde S. Ennodius lib. 5. Epist. 23. ait: *Vide rerum providentiam, quam cauta est fentorum dispensatio, & fabricatis plena sermonibus: Præveniur quærelis innocentia, & ne dolorem suum in lucem producat, sit vea ne faciat.* Non semper disciplinæ virgâ, Christus culpas tundit, solet sæpè ipsa innocentia auttere, & dure tractari, & flagellis præveniri, ne ruat, sed incontaminabilis perseveret in vita: Tribulatio enim viram gratiæ ac plura alia bonæ communicat: *Quæ vid. Tract.* 94. *disc.* 15. *& disc.* 23. Et ideo monebat benè Paulus ad Hebræos 12. cap. *In disciplina perseverate, tamquam filijs vobis se offert Deus.* Quis enim filius, quem non corripit pater? Non sisto in eo, quod moneantur disciplinæ flagella, & dira, & rigida, ut à parente optimo profecta, recipere: Cum optimi parentis sit, filios dilectissimos, amplissimaque hæreditate ditandos, duris verberibus ob crimina affligere: sed illud expendo, quod jubeamur non solum recipere flagella, sed & perseverare sub illis exemplo matris Virginis. Et quid est perseverare? Nulla ratione disciplinæ virgam fugere: Disciplina enim & Virga tribulationum; paterni erga nos amoris indicium est, certumque pignus. *Ibidem disc.* 12. *& d.* 13. Ut igitur Christus debitum amorem Matri exhibeat, eam durinsculè, aut potius, quos in matre tangebat, innocentes, attingit.

Et dixit illi Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? D. Augustt. tract. in Joan. *Certè*, inquit, *sacramenti gratia, videtur, matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere illi, quid mihi & tibi est mulier.* Hoc vero sacramentum hic latens, aperire videntur illa verba, quibus respondit illi, Matth. 12. qui loquente Jesu ad turbas annuntiavit, dicens: *Mater tua & fratres tui stant foris, quærentes loqui tibi.* Cui ille: *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei?* Super quæ verba, pulchre Venerab. Beda hom. 4. tom. 7. *Non autem Dominus maternæ pietatis respuit officium, qui legem præcepit dicens: Honora patrem tuum & matrem tuam, sed Dei patris ministeria maternis præponit affectibus; Hinc alibi dicit, qui amat patrem & matrem super me, non est me dignus, Nec contemnit fratres; sed cognationi carnis opus prædicandum docet esse prædicationis.* Ita pariter hic Christus Virginem ita severe alloqui videtur, cam veluti matrem non agnoscens, non propter ipsam, cum Virginis actiones à Spiritu S. dirigerentur, sed ut circumstantes; & in ijs nos instrueret; quod ea quæ Dei patris atque ministerij Evangelici sunt, nullus affectus humanus interturbare debeat; meritoque illos reprehendi, & puniri, qui à verbo Dei alieni sunt, illudque disturbant, *Tr.* 83. *d.* 26.

Et dixit illi Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? Quid tibi, & illi Domine Jesu quæris? Nonne quod filio, & matri? Quid ad illam pertines, quæris, cum tu fis Ventris ejus

ejus immaculati fructus benedictus? Nonne ipsa est, quæ illibato pudore concepit, sine corruptela te peperit? Nonne ipsa est, in cujus utero novem mensibus moratus es, nobilis inquilinus? Cujus Virgineis uberibus lactatus es? Cum qua jam duodecim annorum factus à Jerosolymis descendisti, & illi subditus eras? Nunc ergo, quid molestus es illi, dicens: *Quid mihi & tibi?* Multum per omnem modum: Non enim hæc velut indignans, sed nos eruditens dixit, scilicet, insinuare intendens, quod Deus nobis provideat, non solum tamquam pater, sed & tamquam mater, habearque talem uniuscujusque in singulari providentiam, qualem universim habet de omnibus, *tr.* 85. *d.* 7.

Aliter Hugo Cardinalis hanc repulsam factam interpretatur. Ea, ait, Christus significare voluit, quod aliquando Deus non exaudiat, nec statim det, quod petitur, ut avidius petatur, & cum exaudierit, & petita dederit, diligentius custodiantur concessa: hoc enim modo suam erga nos providentiam ostendit, dum sæpe non provider, idque in majus bonum nostrum operatur, *ibidem disc.* 13.

Dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? Vadit invitatus ad Nuptias Dei Filius, quibus aderat mater Virgo, non ut convivijs delectetur humanitas, sed ut mirabilibus innotescat Divinitas: Vadit ad nuptias non sumpturus pocula, sed daturus. Itaque, *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi, vocatus est autem & Jesus:* deficit vinum, interpellat Mater, atque ut præpropera Deiparæ solicitudo, eorum verecundiam piè redimat, poculentorum penuriam filio proponit, illi clam suggerens: *Vinum non habent.* Et specietenus repulsam pati videtur, cum audit: Quid mihi, & tibi est mulier. Verum non sic hanc responsionem attendas velim, tamquam repulsam passa mater sit, altissimo enim mysterio sic respondet Christus, Quod hisce elucidat mellifluus Bernardus, serm. 1. Dom. 1. post Octav. *Quid mihi & tibi est mulier, ab intelligentibus enim, non à matre id quærendum erat.* Et post pauca. *Ille ergo matrem non incongrue increpat, dicit enim, si non adest vinum, oportebat illos ipsos, quibus decet, accedere, & rogare, non te matrem. Nam quando commonentur à Domesticis, scandalum sit videntibus, quando autem hi rogant, qui opus habent, suspicione res caret.* Scilicet, etsi matris preces magno semper apud Deum in pretio sint, ut par est, & experimentis notissimum; tamen æquum non est, ut hi qui necessitate premuntur, ipso necessitatis stimulo non urgeantur ad preces, & ab illis feriati, tantam impetrandi energiam negligant: *Quare tunc ab indigentibus, non à matre id quærendum erat.* q. d. tibi reipsa annuam, numquam enim matris meæ preces, renutu excipio, excipiamve, qui dedecet matrem, & filium dedecet: At te specie increpationis homines increpo, & duriuscula increpatione admoneo, & erudio, ne umquam ipsi negligant orare, cum humanis necessitatibus duriter affiguntur, neque tantam impetrandi occasionem elabi patiantur: in tribulatione enim recurrendum est ad orationem, eo quod afflictorum preces sint efficacissimæ, *tr.* 94. *d.* 30.

Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Tunc dicit ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Pia specietenus rixa intercedere videtur inter matrem, & filium, Christus negat favorem, & Maria adhuc perseverando petit, petendo perseverat: Contra Dei consilium & voluntatem Maria obnititur. Quod omnipotentia Dei recusat fieere, Deipara adhuc conatur, ut fiat? Repelli videtur, nec commovetur, qua fiduciâ, quâ vi nititur? Plane divinæ, perseverantiæ, virtutis viribus, & quod palam negari videtur à Christo, adhuc perseverantiæ viribus nixa obtinere conatur. Ad rem Beda: *Dixit mater ejus ministris, quodcumque dixerit vobis facite: sciebat quidem mater ejus humanitatem filij sui, licet hoc modo videtur negare, quod poscebatur: Mater tamen sciens pietatem filij, quod negare nollet, quod petebatur, fidacialiter mandavit ministris, ut mandata implerent jubentis filij.* Abnuit Christus se facturum, quod petitur, negat quod postulatur, & tamen pia, nequaquam impatiens aut indignans, quo virtutem perseverantiæ ostendat, adhuc obsistens perseverat: qui enim propter peccatum perseverantiam negligit, præter injuriam, quam Deo facit, fructus est, & sibi ipsi multorum damnorum causa, ne perseveret, *tr.* 80. *d.* 2.

Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Cum Christus Deus vini defectum supplere volebat, satius jussisset, quod aqua in vinum convertenda infunderetur in doliis, in quibus esse consueverat vinum, non in hydrijs: Verum Dominus non jussit, ut vasa vinaria implerentur, sed aquales hydriæ, ut discat unusquisque quod intra suum ordinem, & statum possit magna Dei opera præsentire: Aqua in suo vase contenta, nobilissimum vini statum contingit virture divina, sic in suo quisque ordine manens, quæcumque Dei magnalia peringit: Deus enim ita ordinavit, ut in omni statu possimus salvari, *tract.* 96. *disc.* 1. Moyses à dum custodiendis ovibus dat operam, illasque per desertum ad pascua ducit, Israëlitici populi Dux efficitur, in tanto tamen populi Ducatu, numquam aliud in manu ejus video, nisi virgam, qua oves agebat. Si Ægyptus pereuntienda est, Moyses exerit virgam, si mare dividendum, & ibi Moyses elevat virgam, si aquæ è silice sicco hauriendæ, si mirabilia alia patranda, sola interest Moysis virga. Cur omnia conficis, & tam mira, & tam electa, una Moysis elevata Virga? Ne extra pastoritiam artem, in qua educatus fuerat, & quam ut proprium munus coluerat, aliquid videretur sperare sublime: Sic intra propria vasa aquam jubet fundi Christus, discas ne extra, illa aqua speret in vinum vertenda; ut discas, ô homo, quod dum te intra proprium statum & munus contines, & in illo, quem elegisti ordine consistis, ad cœlestia & divina pertinges: quilibet igitur sit sua vocatione contentus, cum in eâ perfectus esse possit, etiam vocatus ad statum conjugalem, *ibid. d.* 2.

Implete hydrias aquâ. D. Bernardus, serm. 2. De Nuptijs, per aquam timorem intelligit, per vinum charitatem: *Quia multities dum cor nostrum timore mortis, acerbique supplicij, ac pœnarum gehennæ concutitur, mens igne charitatis inflammatur.* Ergo filialis timor cum Dei timore se compatitur. *tract.* 93. *d.* 4. At cum vinum multo ipsâ aquâ nobilius sit, & amor timore, quid est quod cum Dominus has hydrias generoso vino adimplere intenderit, frigida prius aqua, adimplere præceperit? Mysterione hoc factum vacare credemus? Nequaquam: illo enim Dominus significare voluit, timorem Domini originem, & principium esse nostræ salutis. Apposite ideirco Bernardus ait: *Inutile metum, & spiritu timoris, non tam vasa, quam corda replere, quia ut ad charitatem perveniant, mittendi sunt à timore, ut dicant & ipsi; à timore tuo concepimus & parturivimus spiritum salutis, Ibidem disc.* 9. *Num.* 11.

Ut autem gustavit architriclinus, aquam vinum factam, & non sciebat, unde esset, &c. Grande plane miraculum, dum aquarum jejuna substantia inebriatur, sapor fortior tenui materiæ opponitur, & occulta lenibus fluentis virtus infunditur, atque aqua in vinum conversa, novo munere sui auctoris potentiam confitetur. Quis posset ista convertere, nisi qui potuit & creare? Hæc itaque videntibus prodigia erant, intelligentibus Sacramenta; *Vinum* enim, ut ex Bernard. serm. 1. de verbis Apostoli patet; *Miraculose à Christo Domino procreatum, internam animæ Deum timentis præfigurabat lætitiam, eo namque plus accrescit vinum spiritus, & interni jubili, quo magis vas conscientiæ per timorem Domini purificatur:* Timor enim Dei animabus timentibus, consolationes, delectationes & gaudia confert, *tr.* 93. *d.* 12. *n.* 8.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: Et ecce leprosus veniens, adorabat eum. Matth. 8. Iste homo maxime membrorum putredine premebatur, & salutem vehementer exoptabat: Cur ergo ad montem non ascendit ad divinum Medicum, sed ejus expectat descensum? Rationem appositam dat Imperfect. Chrysost. hom. 21. *Quia lepra erat gravatus, & peccatorum bajulans pondus, sursum ascendere non valebat; aut non audistis Prophetam dicentem: quomodo leves esse debent, qui ad Ecclesiasticum montem ascendunt. Quis, inquit, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus, innocens manibus, & mundo corde.* Ascendit Christus in montem sine ulla difficultate, quia alienus erat ab omni peccato; ascendunt pariter & discipuli, qui jam Christi Domini doctrina onus peccatorum deposuerant; & ideo expediti, & præcipites erant, ut ad sublimia contendant: Et turba, hicque leprorsus peccatorum pondere, & sarcina gravabatur, ideoque in altum scandere non valet, sed in imis & infimis existens Domini adventum præstolatur; ut à fuorum scelerum compedibus allevietur, & ita ad altiora elevari valeat: gravissimum enim pondus peccatum est, *tract.* 77. *d.* 23. *& d.* 24.

Et ecce leprorsus veniens, adorabat eum. Ante sermonem, miracula operatur Dominus, ut his, auditores præparentur, & finito sermone miracula edidit, ut doctrinam suam confirmet, ut noverint prædicatores, verbis opera adjungere, si copiosum in auditoribus fructum sperant, *Tract.* 83. *de prædicatione.* Et hoc miraculum, ut notat D. Ambrof lib. 5. in Luc. est quartum signum, ex quo Dominus in Capharnaum venit, ait enim: *Si quartum diem sole illuminavit, & clariorem cæteris fecit diebus, & hoc clarius opus æstimare debemus, quo hunc leprosum sanavit.* Et ideo notanter Evangel. addit illam particulam, *Ecce*, utpote rem grandem & notabilem designaturus, gravitatem, scilicet, morbi, & excellentiam miraculi. Lepra enim gravissimus est morbus, ac universalis cancer, & ideo in leprosis magnum contagium est, denotatque gravissimum peccatorem. Sicut enim lepra nequaquam occultari po-

test.quin exterius appareat : sic peccatum, quanto diutius occultatur,tanto turpius deinde apparet, aut enim à Deo, aut propriâ conscientiâ manifestatur. *Tract.* 77. *Disc.* 30. & *Disc.* 31.

Et ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens : Domine si vis, potes me mundare. Habet hoc lepra, quod inter omnes Corporis morbos, maxime deformis sit, utpote quæ omnes corporis humores fœdet, atque corrumpat, ex quorum temperamento, & puritate formæ decor, & venustas proficiscitur : quemadmodum ex eorumdem corruptione deformitas. Hinc ex hac morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur ossa, lingua tumet, fœtet respiratio, corpusque horrido, & vario colore respergitur, ut non tam propter morbi contagium, quam propter ulcerum fœtorem incomparabilem, & olim, & nunc ab hominum cœterorum consortio seperentur. Qui morbi defectus maxime in peccatum quadrant, quod rem omnino pulcherrimam, nempe, animam Dei imagine insignitam, adeo deformem reddit, ut quæ erat divinæ pulchritudinis speculum, fiat turpitudinis & omnis fœtoris naribus Dei, & Angelorum simulacrum, fœtorem sæpe pravatum actionum & variarum obscœnarum cupiditatum, immunditiæque vermes animam exedentes producens. Adverte ait S. Bern. deformitatem & fœditatem mortalis culpæ : est enim mortalis culpa spiritualis lepra, deterior quam corporis, *Vid. Tract.* 71. *Disc.* 11. & *Disc.* 12.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Rectè lepræ nomine, contagio vitiorum designatur : inde urbibus leprosi exulabant, ne infestarent concives. Verum investigatione dignum est, quare Christus Deus sanaturus lepram, leprosum tangere non veretur : voluntate solâ sanare poterat, quod leprosum non latuit, ait enim : *Domine si vis, potes.* Cur extendit manum ad contactum lepræ ? Nam etsi contagionem non timeat Christus, saltem horreat fœdum morbum. Eleganter Origenes hom. 5. in diverf. *Ideo cum extendo manum, mox effugit, nec contaminatio meæ virtuti proximare, vel resistere meæ potentiæ potuit. Dico ergo, volo, mundare : Et me manum ad tangendum extendente, effugit illico lepra, & inventa est manus Domini non lepram, sed mundum tetigisse corpus.* Scilicet anticipat medicinam, ut sistat morbi contagionem, usque adeo enim horret Christus attingere contagiosum lepræ morbum, ut præpropera sanitatis anticipatione,extensione manus curet leprosum, ne lepram contingat ; sed corpus jam à præmaturo miraculo mundum. Christus Deus horret contingere pestiferam lepræ contagionem, & infirmus homo affectat assuescere vitiorum lepræ ! heu ! etsi peccata levia sint & modica, fugienda tamen, ne amplius inficiant & gravius ruere faciant. *Tract.* 76. *Disc.* 14. & *Disc.* 20. O Christi cautela sit nostra eruditio ! quâ discamus cauti esse, ne vel minimum serpenti infernali vitiorum Authori, in cor nostrum aditum, indulgeamus, ne sic amplius totum hominem veneno suo inficiat. *Tract.* 79. *Disc.* 4.

Et confestim mundata est lepra ejus. Tangit cœlestis medicus leprosum, ad attactum sanctissimæ manus illico lepra curatur : quorsum Christus leprosum manu tangit ? Esto contagionem non timeat, cur leprosum ex lege non arcet ? Opinor, hoc leprosi attactu, pœnitentiæ Christus adulatur ; quod indicat his verbis S. Chrysostom. homil. in illud Apostoli : *Cum autem subjecta fuerint, &c.* Sic fatus : *Vide quantum discrimen inter veterem legem, novamque gratiam etiam ex omni parte. Moyses cum ex monte descendisset primam legem tulit, & mandavit, ut ex castris exederent leprosi ; Christus vero monte descendens, leprosum protinus mundat : & ille quidem morbidos eliminat, hic vero curam illius agit.* Ecce ut Christus pœnitentiæ adulatur in tantum, ut vocanti ad pœnitentiam prompte parentes, commendet, & sanitate remuneret. *Tract.* 81. *Disc.* 4.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, &c. Magnam hujus hominis prudentiam, & perspicacitatem admiratur D. Paschasius lib. 5. in Matth. *Fateor*, ait, *ab ineunte ætate quoscumque legere potui Philosophos, sicut nec Christus tantam fidem in Israel, ita nec ego tantam in eis sapientiam invenire potui. Et quod illi ex omni fabricâ mundi nequiverunt intelligere, hoc iste in uno parvo corpusculo totum comprehendit :* Nempe sui infirmi pueri. Unde altissima fidei cognitione Christi divinitatem, ac Majestatem super universa fatetur. Princeps erat gentilis, hoc ergo divinum & singularissimum lumen fidei quis communicavit ? Infirmitas pueri : tribulatio enim lumen subministrat, & in Dei cognitionem nos venire facit, *Tract.* 94. *Disc.* 9. Pulchre Ambrosius Serm. 89. *Magnæ enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum, cœlorum esse Regem, dum verebatur, ne eum hospitij sui angusta non caperent.* Planum & evidens erat Centurioni, quod Dominus Publicanorum, ac peccatorum ædes ingrediebatur, ac cum eis manducabat, Matth. 9. Ipse nihilominus, dum per tribulationem Christi Majestatem agnoscit, indignum se reputat, obstantur, quantum velint seniores populi, apud Luc. 7. dicentes : *Dignus est, ut illi hoc præstes.* Sic tribulatio oculos nobis aperit, ut nosmetipsos agnoscamus & emendemus. *Ibid. Disc.* 10. Felix igitur Centurio,quem sic tentatio humilem conservat,ut etiam cum Dominus eum honore præcipuo dignaretur, præ humilitate id detrectaret, dicens ; *Domine non sum dignus* ; tentationes enim nos humiles conservant, *tr.* 92. *d.* 10.

Nam & ego homo sum, sub potestate constitutus : Pulchre sanè locutus est beatus ille Centurio, Christianæ humilitatis Magister, qui de humilitate tantam fiduciam præsumpsit : *Ego homo sum sub potestate, habens sub me milites. Non jactabat potestatem*, ait appositè S. Bernard. Epist. 42. *Quam nec solam protulit, nec priorem, dicturus quippe, habens sub me milites, præmisit, homo sum sub potestate, prius se agnovit hominem, quam potentem, homo, inquit, sum, & homo sub potestate. Jam quicquid subinferas suspectam non habemus jactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet ; nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcesserit, agnoscis infirmitatem, confiteris subjectionem : jam & te, sub te, habere milites profitere securus.* Efficax enim motivum est ad reprimendam superbiam, viliter de se sentire & considerare,quod homo sis, terra & cinis, *Tract.* 90. *disc.* 14. *Num.* 1. 2. 3. 4. *&c.*

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. Theodorus Studita hæc Centurionis verba accommodat imperio, quod peccatum habet in hominem. Ad eumdem modum ait Catech. 26. ac multo potentius jubet sub se subjecto peccatum : loquere fœda & loquitur,nefaria designa & designat : & ideo bene de se, ait Centurio : *Et ego homo sum sub potestate constitutus*, quo fuam fatetur servitutem. Quæ hæc servitus ? hæc in eo stat, quod à peccato commisso nullus homo suis viribus se possit liberare ; quamvis enim peccati actio, illiusque comes delectatio facile habeantur, macula tamen peccati remanet infixa animæ, tamquam stigma in fronte servi, ratione cujus homo constituitur & agnoscitur à Deo, ut exosus, invisus, inimicus ac peccator remanet etiam reatus æternæ pœnæ, nam per peccatum homo illo efficitur dignus : remanet etiam continuus conscientiæ stimulus & morsus, quo peccatoris animus per singula momenta diu, noctuque premitur, ac torquetur, hisque tamquam quibusdam vinculis miser homo ut captivus, & astrictus servus tenetur. *O miserabilis servitus ?* Exclamat Sanctus Augustinus,Tract. 41. *Servus hominis, aliquando sub Domini duris imperijs fatigatus, fugiendo quievit ; servus peccati, quo fugit, secum se trahit, quocumque fugerit :* totque duros patitur Dominos,quot peccata committit, *tr.* 71. *d.* 14. & *d.* 15.

Nam & ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit. Unanimi consensu fatentur SS. Bernard. Chrysost. Petrus Chrysologus, hunc Centurionem, mentem suam altius sustulisse, ac Dei supremam gubernationem ac potestatem perpendisse, quæ correspondebat potestati Capitanei Generalis qui superiorem non agnoscit, qualis est in suis exercitibus Imperator. *Imaginatus mihi videtur*, ait S. Chrysost. hom. 27. in Matth. *Cælestem militiam, cujus Christum Ducem, ac Dominum esse credidit, cui etiam mortem ipsam, & morbos ipsos, cæteraque omnia sibi esse subjecta non dubitat, ut milites :* & Generalis Capitaneus habet sub se infinitos milites, sed bene ordinatos : quidam enim ejus sunt consiliarij, cum quibus agit, quibuscum communicat suos conceptus : alios habet in diversas copias distributos : nec illi desunt apparitores, & quos vocant præpositos satellites, & ministros ad fugitivos capiendum, & persequendum, ut eos comprehendant, & in vincula discolos conjiciant, adsunt & carnifices ad vexilli desertores, & infideles fidiculis torquendum, & hi omnes tam prompti ad obedientiam, ut minimo verbo se accingant, & hoc exigit militia : ita Deus Dux est Generalissimus, qui sub se habet plures exercitus, id est, Choros Angelorum : *Numquid non est numerus militum ejus.* Job. 25. Habet & amicos, status sui consiliarios, suos Apostolos : habet & suos Apparitores, tortores, satellites ad inquirendum fugitivos, &c. hos bene dixeris infirmitates terræmotus, pestes, famem, ignes & de quibus utpote carnificibus ad puniendum malos, sic differit Ecclesiast. 39. *Sunt Spiritus, qui ad vindictam creati sunt, &c ignis, grando, fames, mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. De quibus Vid. Tract.* 78. *Disc.* 4. *Disc.* 5. 6. 7. 10. 11. 13. 14.

Si Deus orbem regit, & sit ipsa bonitas, ad quid detinet famem,

famem, dolores, infirmitates, ventos, tempestates ? ad quid habet Dux Generalis ministros & tortores ? ad quid Rex potentissimus in aula sua canes alit leporarios, fagaces molossos, qui strident dentibus, terrefaciunt feras : ad quid aves rapaces aduncis unguibus, falcones, accipitres, milvos ? ut feras sectetur. Occlusum tenet saltu aprum, terram rostro eruentem, quod si eum capere delectet, in eum venator insurgit, occurrit ex adverso canis leporarius, auribus apprehendit, accedit, & irruit molossus, ac inter maxillas aprum facit sibi prædam : eoque modo fera sistitur, & capta manibus offertur regijs. Scandit in aëra perdix, avolat ardea, fugit cornix insequatur accipiter, injiciat ungues & manibus deferat Domini sui. An modo non advertis, cur penes se Deus detineat colicæ dolores, auditus, lateris, & non solum animalia ferocia, sed etiam minima ? Ut sint instrumenta divinæ justitiæ, quibus impij castigantur, ut sint ministri, qui fugientem prehendant & reducant, *Ibidem Disc.* 15. De hoc ergo commendatur noster Centurio, quod agnoscat, sanitatem militem esse Dei,Discite igitur, O Christiane,ex milite, dum tempus viget necessitatis & angustiæ, infirmitates corporales,& calamitates, Dei esse apparitores,& quæstionarios, quas Deus immittit ut manus injiciant, & de perversa vita hominem extrahant. *Ibidem Disc.* 16. & *Disc.* 17.

Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Quid tibi, ô Israël, lucri & miraculis in Ægypto editis ? Ecquæ utilitas in Mosaicâ lege, & Prophetarum oraculis, Evangelium clare adumbrantibus ? Homo gentilis à testamento alienus, miraculorum ignarus, legum profanus, Prophetiarum expers, Mosaicæ disciplinæ exors, Judæorum fidem vera credulitate superavit. *Unus Gentilis supra totam Judæorum multitudinem & fide se extulit*, ait S. Basilius Orat. 19. Unde vero id evenit ? Subtiliter D. S. Augustin. Serm. 74. de tempore enucleat, dicens : *In humilitate etiam Centurio ille placuit, tantam ; quid est ? tam magnam. Unde magnam ? de minimo, id est, de humilitate grandem. Non inveni tantam fidem, similem grano sinapis ; quanto minutiori, tanto ferventiori, tantam fidem, id est, tantam eam fide humilitatem.* Licet enim omnia opera extra Dei gratiam facta, ad æternam salutem consequendam inutilia sint : attamen bona facta nullatenus intermittenda, cum gentilis hic Centurio per humilitatem & charitatem erga servum suum sic illuminatus fit,ut ejus fides supra modum commendata legatur, *tr.* 77. *d.* 12.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. Per hanc navim significatur anima, quæ facta velut navis instritoris maxime concutitur, & jactatur variis tentationibus, superbiæ, invidiæ,gulæ, luxuriæ. Per furentes autem ventos, & fœvientem tempestatem, non incongrue intelligi possunt convitia, opprobria & injuriæ, infirmitates, desolationes & molestiæ, quibus humanus animus degens in hoc seculo impetitur & concutitur, & sicuti navis undique procellosis fluctibus agitatur : quocirca, quemadmodum necesse est, ut navigaturi maris in quo navigant, pericula, diligentissimè perspecta, & explorata habeant, & adversus ea se convenientibus remedijs muniant : ita nobis in hac spirituali navigatione agendum est ; Ut vero in hisce procellis non mergamur,anchoram patientiæ in arenam figamus, necesse est, *tr.* 68. *d.* 1. maximè Num. 2. Ad eam autem strenuè exercendam, diversa nos movere debent,*quæ vid. ibidem. Disc.* 20.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Hæc magna tempestas, diversorum peccatorum est pullulatio, quæ in hac misera tempestate adversus navim, id est, animam, ut vult Albertus Magnus S. Thomas ; D. Bonavent. consurrexit magis quam in alijs temporibus, & inde maxime concutitur, & jactatur tentationibus superbiæ, ac cæterarum adversitatum, & imperfectionum, ut nusquam ipsa quiescat. *Quid enim prodest*, ait Seneca Epist. 57. *totius Regionis silentium, si affectus fremant ? Omnia mollia erant, placida composita quiete : falsum est. Nulla placida quies est, nisi quam ratio : composuit :* quâ sæpe impij neutiquam gaudent. Errantium enim cor, ut scite ait Procopius in Isaiæ 54. instabile,ebrioturmque more, cupiditatibus agitatur,& vacillat : quolibet enim Spiritu circumagitur, & quod est in proverbio : *Rapiuntur cupiditatum turbine. Impij enim quasi mare fervent, quod quiescere non potest. Isai.* 57. *Vid. Tract.* 77. *Disc.* 15. *&c.*

Et ecce motus magnus factus est in mari. Hugo Victorin. *Quid per mare, nisi conscientia prava accipitur, quam & memoria præteritorum scelerum & delectatio præsentium, huc, illucque impellendo exagitant ? quasi enim fluctus quidam à regione venientes, ad invicem se colliduntur, quando infelicem animam quodammodo semper, & præsentia præteritarum errorum fluvium retrahit, & amor præsentium impellit. Et quia in hac tanta contradictione, illa qualiscumque miseræ delectationis dulcedo, semper admixto dolore infertur : recte prava conscientia, non solum inquietudine, sed etiam amaritudine, mare appellatur.* Itaque pravæ conscientiæ pœnalissimus angor, & remorsus ; recte præ magnitudine, mari comparatur, qui quemvis impium, quantumvis magnus & potens sit, conturbat, & persequitur, ut tempestas maris quaslibet grandes licet naves, *tr.* 77. *d.* 21. & *d.* 22.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Usque adeo hæc procella à nobis ethice agitatur, & ejus tempestatis nauseâ propè laboremus : sed adhuc disquirendum superest : Ecquis hanc tempestatem excitaret, quo inde innotescat, quam ob rem excitata sit ? Quod verò Christus Deus non per naturales causas, sed sua ante somnum præceptione eam excitaverit, perspicuè his verbis S. Basilius docet, dum ita Christum cum mari loquentem inducit, Orat. 22. *Esto mihi discipulorum Præceptor, ô mare, & pro flagro, fluctuum terrorem injice. Attollantur undæ tuæ, armentur venti, jactetur undique scapha, naufragij minæ intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant.* Siccine in pœnam commovetur mare ? Quæ pœnæ causa, aut quæ culpa ? Et discipulorum modica fides, & Judæ scelus. Mare enim per tempestates & naufragia impios sæpe punit, *tract.* 78. *disc.* 9. *sequent.*

Et ecce motus magnus factus est in mari. Videamus quæ causa est, inquit S. Ambrosius Serm. 11. quod una eademque naviculâ, hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis morris metum inducit ? præsertim cum ibi etiam Petrus, cum cæteris Apostolis esset. Hæc autem est periculi causa : Erat ibi Simon Petrus, erat pariter & proditor Judas, & quamvis illius fides naviculam fundaret, & etsi ibi multa discipulorum merita navigabant ; tamen cum adhuc perfidia proditoris agitabat. Quod enim mare, quod fretum, quem Euripum toti motus, tam varias causare creditis agitationes, quas causant corda malorum ? Ista enim excelsiva pluviæ, & aquarum inundationes à peccatis derivantur,

mox

moxque cessant, ut peccatores sese ad Deum converterint, *Tract.78.Disc.7.* Et ideo non turbatur ista, ait cit. Ambrosius quæ Petrum habet, sed turbatur ista, quæ Judam habet, adeò grave & ponderosum est peccatum, ut fides, quæ potest montes transferre, hic contra unius Judæ nequitiam non sufficiat ad continendam navim, quin ad ima pergat, & alternantibus undis velut profundum attingat. Heu igitur gravissimum onus peccatum? *cum unius*, ut ipse ait cit. Ambrosius delicto, cunctorum merita quatiuntur, *Tract.77. disc.23 & d.24.*

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Potuit hæc tempestas naturæ viribus excitari, ut frequenter contingit in mari: tamen quod hæc tempestas non ex se, sed Dæmonis malitia contigerit, vult D.Paschasius lib. 5. in Matth. ad illa verba: *Cum venisset ad fretum:* Quod cum Dominus ex hac navigatione venisset in Regionem Gerasenorum, ubi Dæmones è corporibus hominum ejecit: *Fortassè*, ait citat.P. *isti ex permissu concitaverunt ventos adversus eum, & moverunt fluctus, ne transmisso freto ad eos veniret Judex.* Viderunt nempe Dæmones, quod navicula illa in qua Dominus ferebatur, in Regionem, in qua ipsi grassabantur, dirigeretur: tunc itaque furibundi, & metuentes Domini præsentiam, magno conatu, & artificio ventorum impulsi, maris commotionem, ac rigidam tempestatem, excitarunt; an ita forte navicula illa in aliam partem deflecteret. Præsentia enim Domini, ejusque exercitum sic Dæmonibus formidolosum erat, ac terribile, ut & ipsi Dæmones, eorumque tentationes de facili vincantur, *tract.84. disc.3.* Hinc discipuli, ut in hac tempestate, Domini gaudeant præsentia, quam sibi perdidisse videbantur, dormientem excitant.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat. Non vacat mysterio, excitata erga discipulos suos in mari tempestas, aut permissu Domini à Dæmonibus, aut imperio Domini orta, qua observari vult, etiam electos comites, ac socios Domini à tentationibus impeti, ipsumque subinde se fingere dormire, hac ratione amorem, quo in suos fertur, abscondendo, ut ad ipsum tunc ardentius recurrant; non dormit Dominus tamen, nec tui oblitus est. Unde Abacuc Propheta cap. 2. *Si moram fecerit Dominus, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit:* id est, citissime veniet: moram quidem trahere & tardare tibi videtur, sed vere non tardat. Sicuti ægro nimis quam longa videtur nox, aurora verò æquo diutius differri; errat tamen, non retardatur, quin tempore debito venit; sic nec Deus moram facit, etsi tibi velut ægro, diutius æquo tardare videatur, novit ipse commodam occasionem, & opportunitatem, itaque tempore debito, necessitati tuæ auxiliatum veniet; non enim permittit Dæmonem prævalere, & superiorem esse nostris viribus, sed communicat nobis auxilia, quibus ei resistere possimus, *Tract.92. Disc.13.*

Ipse verò dormiebat; Tunc accesserunt ad eum discipuli ejus. Miratur aureum illud flumen, S. Petrus Chrysologus, insolitum Christi somnum, in tempestate insolita, sic fatus: *Mare, quod pedibus Christi tumentia terga submisit, stravit in plano vortices suos, motus frenavit, astrinxit fluctus, & per liquentem viam saxeâ soliditate, servivit: modo quid est, quod fere ad periculum sui sævit, furit, contendit authoris? quid ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, ut instantem procellam, tempestatis horam, tempus non caveret periculi: Sed inter vigilantes omnes tunc solus teneretur in somno, quando tam grande cunctis imminebat discrimen? Discipuli vero postquam viderunt sibi industriam nauticorum periisse, in se maria sævire, se fluxus petere, ad ipsum Gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magistrum trepidi confugiunt, turbati, & afflicti.* Ad rem, S. P. Chrysost. in Caten. *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum, ut ergo daret locum formidini, ipse verò dormiebat.* Sic sæpe permittit Dominus suos athletas in tentationibus, & tribulationibus præliari, ut eos vel in hac, vel in altera vita magnis condecoret præmijs: illæ enim tentationes, quas vincimus, in nostrum cedunt emolumentum, cum per illas plurima alterius vitæ acquiramus merita, & æternæ gloriæ lucremur coronam, aliaque bona, & commoda conferant, *tr.92. d.6.8.& 9. Item tr.94.d.15.*

Ipse verò dormiebat. Dum Christus in navi mare trajiceret, facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur, & pessumiret, certo vectorum periculo. In tanto autem periculo quo omnes misere angebantur, *Erat ipse in puppi dormiens super Cervical.* Marc. 4. Sponte fuit à Christo hic somnus assumptus, naturalis tamen, ut augerentur venti, crescereteque tempestas, ut omnes viciniæ mortis horrore confusi perturbarentur, consilij inopes: tunc autem Christus in pace in idipsum dormit, & requiescit, securus periculi, ac si illud nesciret, & qui dormiebat corpore, vigilabat Deitate, in tanto nempe discrimine, quod cæteros anxie inquietat, *Erat ipse in puppi super Cervical dormiens*, ut quam fuerit tranquille pacatus denotetur, & tranquillitatis quæ à perfecta, patientia est, ideam proponat: patientia enim in sinistris eventibus, in sæva procella, velut in fida statione, mentem placidat, interiorem hominem componit, & suggerit lætitiam, *tr.68.d.12.*

Ipse verò dormiebat. D. Basilius Seleuc. Orat. 22. *Adversus discipulos cum talis tempestas depræliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum navigantibus prælium? O somnum, quo fidem dormientem ex media maris tempestate Dominum exire parabat.* Videns Dominus suorum discipulorum fidem parvam, & imperfectam, ut eam probet & perficiat, dormit non inertia, sed studio. Et merito quidem, in Apostolis donum fidei, & patientiæ requirit, quia specialis Christiani, & discipuli Christi character patientia est, & per hanc ad veræ Christi fidei agnitionem devenitur, *tr.68.d.2.*

Et accesserunt discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine salva nos. Interea dormit Dominus, cujus jussis mare obtemperans, paulatim undis terrorē tollit, ventus insibilans navem jaculabatur, navis undis concussa fluctuabat; sed quid interim faciunt discipuli atrocissimè tempestate jactati? Ubi spes collocant in tanto naufragij discrimine? Eleganter de more Basil. Orat. 22. *Discipuli studiose salutem quærebant ab arte; sed manus fatiscebant, cum tempestate depugnabant, & cum ventis de navi decertabant; at cum procella prævaleret, neque arti pareret mare, ac potius vinci extimesceret, & terrorem de terrore exsuscitaret, victi discipuli, & quæsitas ab arte spes, tamquam & ipsæ naufragium facerent, omittentes, recurrunt ad portum, qui in scapha erat*, maris Dominum, Christum Deum. Et optime quidem: ad hoc enim ut fiducia nostra efficax sit, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non verò in mundum collocatur, diligentiasque humanas, & nostram cooperationem minime excludit, *Tract.85. Disc.11.*

Et accesserunt discipuli ejus & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos. Accedamus & nos ad contemplandas discipulorum angustias, videamus & Petrum contra fluctus audentem, & in navicula conterritum, qui sicco vestigio maria calcavit: Adsurgunt undæ, effrenes ferociunt venti, & minax fluctuum collisio, pericula despumans, naufragia de divortio pandi, & vectorum ostendit sepulchra: jactatur undique scapha, & crebro fluctuum verbere sævè tunditur, atque per compagum rimas mors ostentatur. Quorsum hæc velut ludicra in mari tragœdias? quare frustra tumet mare, mox pacatissime tranquillandum? Scilicet Christus aliquando Discipulos in navi docebat cœlestem doctrinam, & de cœlo allatam politiam, & nunc fluctuum lingua præclare erudit, per necessariam sane moralibus eruditionem, quam eleganter sæpe cit. Basil. Orat. 22. educit: *Esto mihi discipulorum præceptor, ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem injice, usque ad spem stet terror: non terreri volo, non occidi, at cum procella prævaleret, & terrorem de terrore excitaret, victi discipuli obnitentes recurrant ad portum, qui in scapha erat, & astantes clamant: Magister, Magister, salva nos perimus.* O timorem naturæ magistrum, quo docetur fiduciam, quæ in Deum potius, quam in nostram industriam habetur, à Deo liberaliter compensari; maxime erga illos, qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam, *tr.85.d.10.*

Et accesserunt ad Jesum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum, &c. Tumet mare, graviter remigant in periculis discipuli, dormit secure Christus, quem dormientem suscitant discipuli. *Suscitatus* ergo, *à discipulis Christus*, ait D. Chrysol. serm.20. *mare, hoc est, mundum corripit: tranquillat orbem, reges mitigat, sedat fluctus, componit populos humanos efficit Christianos, ipsosque Executores Christianæ fidei reddidit, qui fuerunt persecutores.* Sic Dæmonis malitiam damnis nostris inhiantis in nostram convertit Christus salutem, *tr.92.d.3.*

Et suscitaverunt eum. Somnus iste Christi totus est in nostram eruditionem, ut explicat S. Chrysol. Serm. 21. super id. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum: Ideo enim*, ait, *suscitaverunt eum, ut per ejus vigiliam obtinerent remedium*, quod & protinus obtinent; Nam excitatus à somno, quiescit mare, omnesque in tuto, & sereno apparent. Quid denotat hoc? Nisi quod hisce nos instruat veritatis Magister: Quomodo semper vigilet super gregem suum tribulatisque ac tentatis auxilio adsit; Unde licet dormire videatur, solicitam tamen suorum curam gerit, & in tentationibus auxiliatur, *Tract. 92. Disc. 14.* Et eorum præsertim, qui ad imitationem Apostolorum ad Christum Deum confugiunt, ejusque opem implorant, suaque que ex parte non desunt: Sed in mari tentationum alacriter remigant, & cooperantur, *Ibidem Disc.15. & Disc.16.* Ideoque non in molli culcitrâ, sed super cervical ligneum Christus dormit, ut promptitudinem suam ad nobis auxiliandum ostendat.

Et accesserunt ad Jesum discipuli ejus & suscitaverunt eum. Timor ille quem de manifesto & imminenti periculo submergendi conceperunt, timorem filialem in eis suscitavit, ut fiducialiter ad eum recurrerent, auxilia præstolaturi; unde & factum est, ut modica illa fides, quæ in eis culpatur, exinde augmentata, & solidata gravem tempestatem sedarit. *O timorem naturæ magistrum*, exclamat Seleuciensis, *O periculum, quo docetur, ubi salutis sit anchora? O mare metu discipulos examinatos, præceptori reconcilians.* Quibus verbis, S. Doctor, magnam timoris admiratur potentiam, quæ tanta hic fuit, ut non solum fidem debilem discipulorum in meliorem efformarit, & ex imperfectis, perfectos in fide effecerit: Timori enim Dei proprium est, ut similia bona causet; *quæ vid. Tract. 93. Disc. 13.* Verum etiam contra gravissimam tempestatem constantes, & superiores reddiderit, stabilem enim animum reddit, timor sicut anchora navem stare facit: *Anchoraque mentis, pondus est timoris*, ait S. Laurent. Justin. *De quo ibidem disc.14.*

Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc imperavit ventis. Alias non semel atrocioris procellæ sævitiam expendimus, quâ discipuli periclitabantur, nunc fiduciam expendamus. Scilicet discipuli terrore conturbati dormientem excitant Christum: *Salva nos perimus.* q: d: omnis nostra exhausta est industria, manus ad opem ferendam comperiuntur inutiles, artis imbecillitatem arguit vis tempestatis, ostende te vigilantem, & pelagus te reverebitur: reconcilia, quod nobiscum decertat mare, voce procellam extingue, de pace cum undis differe, miserere discipulorum, qui maris tyrannide premuntur, &c. Quid tandem Dominus? somno quiete excusso, & per tam festinatam expergiscendi rationem, nihil ut assolent, qui dormiunt; somniculose gerens, discipulos increpat. Sed audi asperam increpationem moralitatibus plenam, ex dulci Seleuciani Præsulis ore, Orat. 22. *Quid*, inquit, *tam modicæ fidei estis? Infidelitatis argumentum est timor. Concussit fidem vestram commotum mare, & illusa à fluctibus scapha fide vos denudavit? Maris fluctus ad animam usque insilivit? Cur enim fide, ut mœnibus septi non estis?* Nempe ubi timor humanus prævalet, fides languet, quæ de majori periculo vires sumit: Et non tam furiosa maris procella, quam fidei languor, naufragium discipulorum facit, fiduciam potius concussit commotum mare, ut eam in Apostolis profundius firmet: Et idcirco duriuscula increpat: *vult* enim, ut cit. ait Basil. *Fidei vim, periculis atrocioribus esse majorem, & ad fidei præsentiam, omnem ab anima desperationem eliminari.* Tentationes enim, & tribulationes Deus nobis immittit & permittit, ut nostram probet, exerceat, experiatur & perficiat virtutem, *tr.92.d.5. tr.94.d.16.*

Tunc imperavit ventis & mari. Versio græca pro eo legit *increpavit* seu *objurgavit*, mira sane Christi actio, quæ insensatas culpat creaturas, quas noverat omni sensu carere? Respondet pulchre Joannes de Sylveira hic: Dominus imperat creaturis insensatis, non, quod illæ percipiant Domini imperium, ac increpationem, quod spectat ad creaturas sensu præditas, sed ita imperat, & ostendatur ipsarum creaturarum Deus & Auctor, atque absolute Dominus, & ut ita præsentes homines potentiam ac majestatem Domini viderent, atque agnoscerent, quantopere sibi displiceret discordia, eamque exosam haberet: *Tract. 70. Disc.9.* Quandoquidem & in ipsis insensatis creaturis eam reprehendat, quæ tamen qualemcumque inter se concordiam conservando, in bonum totius universi, ipsum hominem ad pacem sectandam extimulant, *Ibidem d.18.n.2.& 4.*

Tunc imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Sævas has procellas, permissu Domini, ut diximus, excitavit Diabolus, haud alio fine, quam in extremam discipulorum Domini perniciem, ut sicut propter miram virtutem Job, eum in bonis animæ suæ lædere non potuit, eumdem tamen in filijs & filiabus graviter læserit: ita pariter Dominum in discipulis suis ulcisceretur & tentaret. Dominus vero hanc ipsam Dæmonis malitiam, in apertam discipulorum convertit salutem, cum Christi potentiam agnoscentes, in fide solidantur, ut reverenter clament: *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Utrumque clamorem pulchre componit D. Basili. Orat. 22. *O Domini sapientiam! O magistri edictum! exivit mare, fidei scholam fecit mare. Et quod discipulis ab ista trepidatione lucrum? Et mirabantur, inquit, discipuli dicentes: qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei. Quibus ex rebus conterriti fuerant, docti evaserunt.* Primo clamabant discipuli, metuentes sibi submersionem, & naufragium à mari, & ventis à Dæmone concitatis in ruinam suam; inde vero ab ipsis elementis, de Christi virtute ac potentia informantur, ut clament: *Qualis est hic?* O magna Dei sapientia! Ut id ex quo homines sibi metuebant mortem, & quod paratum erat in eorum interitum, fiat eis schola virtutum, instrumentum fidei, & doctrinæ, ut ipsæ etiam Dæmonis tentationes & tribulationes profectui hominum utiles sint, odiumque Dæmonis in bonum eorum ordinet, *tr.92.d.4.& d.11.*

Porro homines mirati sunt dicentes: Quis est hic? Dubium est inter Commentatores, quinam sint hi homines, qui prodigij magnitudinem admirati sunt? Beda existimat esse aliquos, qui eadem cum Christo navi vectabantur: Maldonatus censet aliquos homines fuisse, qui in alijs navibus ferebantur. Verum Hieron. putat qui vers. 25. *Discipuli* dicuntur, nunc, *Homines* dici. Non tamen est facile diversæ nomenclaturæ causam assignare. Cum auxilium à Christo exposcunt *Discipuli* dicuntur, & eum admirantes prodigium stupent, *Homines* nominantur. Num admiratio prodigij eos deposuit ab Apostolatus fastigio? quid admirationi inest, ut tunc homines appellentur, qui nuper fuerant discipuli nuncupati? S. Petrus Chrysol. serm. 20. ingenio & eloquio argutus, sic respondet: *Discipuli sunt hi, qui accedunt ad Dominum; qui salvari se humili supplicatione deposcunt: Homines vero dicuntur, qui elementa Christo taliter obedisse mirantur.* Nempe cum in tribulationibus existentes, humillime ad Christum confugiunt, discipuli humiles dicuntur: At vero extra tribulationem positi, non jam humili vocabulo discipuli, sed quodam præstanti elogio, non vulgariter homines, sed aliquo sublimiori titulo honoris causâ homines nuncupantur. O quam igitur utiles sunt tentationes, quæ sic nos humiles conservant, & oculos aperiunt, ut nosmetipsos agnoscamus, *tr.85.d.10. Item tr.94.d.10.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

CUm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit Zizania. Matth. 13. Culpanda sane hominum ignavia, quæ oscitanter locum præbuit homini inimico, ut sata Zizanijs depravaret; Licet enim excusabilis, utpote post talem laborem requies videri possit, inde tamen nocendi arripuit occasionem inimicus: Ex quo docuit solerter etiam à peccatis venialibus abstinendum esse, quia per illa nos Dæmon multum illaqueat, & nocet, *tr.76.d.5.*

Sed pervestigare oportet; Cur ipse, qui tam capitalis inimicus describitur, acerrime semper furens, non penitus sata destruat; sed solum supra sata seminet? Zizania hoc habet, ait Doctiss. Joannes de Sylveira in Comment. super Evangel. quod in initijs, quamdiu est in herba, vix discrepat à tritico: At vero cum adolescit, & robur acquirit, tunc aperte ostentat suam malignitatem, ac nequitiam: Hæc, scilicet, techna est Dæmonis, quod solicitè curet, ut in peccata levia pertrahat, ut hac ratione ad graviora committenda paulatim inducat, levia peccata superseminat, ut ea serpentia gravissimam malitiam superindicant, *Ibidem disc.1.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit Zizania. Valde mirum quod per multum tempus ager ille stetit patens, & numquam in illum ingressus est inimicus homo, nisi modo postquam Sator noster suum bonum semen in illo effudit; tunc ille inimicus super illum, seu triticum, seminat: Sicut enim uti Gen. 26. refert sacer Chronista, cum locupletatum viderent Isaac, Palæstini, in possessionibus ovium, & armentorum, & familiæ plurimum, omnes puteos quos foderant servi Patris illius Abraam, illo tempore obstruxerunt; ita hic malus inimicus, quem Diabolum, intelligunt SS. PP. ut vidit seminatam pacem, quam in agro suo Dominico, divinus Sator seminaverat, vehementer succrescere, licet per multum tempus ager ille stetisset patens, discordiarum superseminavit Zizanias, teste D.Chrysol.serm.96. *Diabolus superseminavit, non seminavit: quia hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam serere consuevit;* Non ut acquirat Zizaniam, sed ut triticum perdat: Singulare siquidem Diaboli opus est, Zizanias discordiæ seminare, qui ideo pacem odit, quia hæc illi bellum movet, eumque vincit & debilitat. *Tract.70.d.8.*

Venit inimicus, & superseminavit Zizania. Superseminasse dicit Evangel. quia super triticum ea seminavit, nam prius est bonum, quam malum, prius Deus boni sementem fecit, quam Dæmon faceret sementem mali. Quod hoc bonum, quod vero illud malum? Patientia, & impatientia, pulchre S.Cyprian. lib. de bono patienti: ut patientia, bonum Christi est, sic contra impatientia Diaboli malum, & sicut in quo habitat, & manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem Diaboli nequitia possidet.

possidet. Et ideo in tantum Dæmon patientiam nostram averſatur, ut omni via nos impatientes reddere ſatagat; Unde, & author impatientiæ nominatur, *tr.68.d.13.* Volumus ergo vincere Diabolum, eumdemque à finibus, & foribus noſtris profligare, optimum & præſtans antidotum eſt, victoriosa patientia, *Ibid.d.14.*

Venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania. D. Petrus Chryſologus Serm. 96. *Malus*, ait, *numquam non ſtultus. Quid hic egit inimicus? Eſto quod dormirent ſervi, numquid Dominus dormiebat? Eſto quod oculos ſervorum ſopor clauſerit poſt laborem, numquid dominantis oculos ulla viserat laſſitudo? Stulte ergo & male egit inimicus.* Obſervat noctis tempus, cum dormirent homines, & ſine ulla mora diſcedit, ne ejus adventus ab aliquo agnoſcatur, cur etiam non obſervat, an Dominus meſſis dormiat? Planum enim erat, quod ſuper rem ſuam, in majore vigilia Dominus aſſuturus eſſet, quam ſervus & operarius? Cur ergo de hoc non curat inimicus? Cum ipſe velit, quod à nullo ejus adventus deprehendatur? Hæc tamen mentem ejus præterenut, nec de his cogitat, cum inimicus eſſet iniquus, fatuus & ſtultus; Nam ſi huc reſpexiſſet, numquam Zizania ſuperſeminaſſet. Si enim homo peccator Dei, ejusque beneficiorum ſemper geſtaret memoriam, & notitiam, ejusdemque obſervaret præſentiam, numquam Deum offenderet: Peccator enim peccare volens, Deum prius à mente per ignorantiam quaſi repellit, *tr.72.n.1.d.2.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania. Cum pius ſator Deus, in terram cordis noſtri ſpirituale ſemen ſuarum gratiarum, & devotionis ſeminat, frequens eſt, quod inimicus ſuperſeminet Zizania ſuperbiæ & elationis, quibus electum gratiarum ſemen ſuffocet: Sic ſemper *vigilant*, ait S. Proſper Epiſt. 84. *Tentatoris inſidiæ, at ubi proficit devotio, ſubrepat elatio; Et ut homo de bono opere in ſe potius, quam in Domino glorietur: Sed ſolicitudo nos Apoſtoli convoca hoc periculum monet dicentis: Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere. Quanto ergo in mandatis Dei quisque proficiunt, tanto majores habent cauſas formidinis, & tremoris, ne de ipſis probitatis argumentis mens ſibi bene conſcia, & laudis avida, in ſuperbia rapiatur exceſſus, & ſeat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute.* Superbia enim ſterilem efficit ſpiritum ac devotionem noſtram, nec non divinas in nobis exiccat gratias, *Tract. 90. Diſc. 5.* O quisquis es, time ſubdolas ſuperbiæ, & elationis inſidias, quæ de virtute, vitiorum officinam adverſus virtutes excudit? Quid tam perverſum, quam ut probitatis argumenta improbitatem perſuadeant, male acuto vanæ gloriæ ingenio, quæ cunctis virtutibus opponitur, cunctorumque bonorum operum merita reddit inutilia, *ibid.d.4.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania. Servi iſti ex multis probantur boni: Primo quia electi ſunt à tanto Domino, ad excolendum agrum ſuum: Secundo, quia viſa Zizania, valde confluunt ad Dominum diligenter: Tertio quia labori non parcunt, ſed ad eam eradicandam ac colligendam ſe offerunt. Quomodo ergo utraque aure tam profunde dormiunt, ut inimicus irruat ad ſeminandam Zizaniam? Appoſite reſpondet Venerab. Beda: *Præſenti ſententiâ admonemur, quod omnes noſtræ potentiæ, & ſenſus ſint vigilantes, ne dum torpemus inertia, Diabolus fœditatem vitiorum, ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargat:* Sic periculoſa res eſt opus plenum aleæ otium, quod licet homo diu laborioſus fuerit, ſolicitus agri ſui, id eſt, mentis cultivator, dum tamen remiſſis manibus, vel modicum otio indulget, mox adeſt Diabolus, agrum ſibi vendicat, eique dominatur, & ſemina pravarum cogitationum, tentationum, & vitiorum ſpargit, in coque tamquam in centro ſuo quieſcit, *tr.91.d.7.d.8.& 9.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania. Cum æmulator, ſolertiam ſatoris in ſeminando, diligentiam ſervorum in cuſtodiendo, bonitatem ſeminis in ſua virtute, ac terræ ex ſua capacitate videret pinguedinem, invidens tantæ hominis felicitati, inferre nocumentum parat: Et ad hoc opportunam occaſionem captat, ſcilicet, *cum dormirent homines*, & ut Hebræus legit: *Sreterant, & otioſi eſſent:* Tunc advenit ipſe, & ſuperſeminat Zizania in eum finem, ut univerſum ſatum diſperdat, ex quo nonniſi magna fames, & indigentia ſequi natum erat. Zizania enim quædam herba eſt, quæ in apparentia parum differt à tritico, ſed tritico tam exitialis, ut illud ſuffocet in radice, & ideo à Plinio vocatur lib. 18. cap. 27. Peſtis agrorum. At vero quis hujus ſecutæ ſterilitatis occaſionem dedit? Quis illarum turbarum, & inquietudinum fervorum hic inde diſcurrentium originem? Ipſi homines, dum ſomno vacant otiantes, ita plane: Otioſus enim ſibi ipſi omnium bonorum tam ſpiritualium, quam temporalium creat penuriam, gravamen, & moleſtiam, *tr.91.d.11.*

Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet Zizania? An: Inimicus homo hoc fecit. Hieronymus, quem fere alij commentatores ſequuntur, in ea eſt ſententia ut ſerio exiſtimet, quod Dæmon dicitur, inimicus homo: Hinc alij ſolerter inquirunt: Quare Diabolus, qui homo non eſt, ſed purus Spiritus ab Evangeliſta inimicus homo dicatur? putaret forſan aliquis, quod ad Diaboli hoſtilitatem exaggerandam, non appellatur Diaboli vocabulo, ſed hominis nomine. O! ſic homo hominis infeſtus nimis inimicus eſt? Sic atrociter homo, adverſus hominem ferocit? Verum Hugo Carnotenſis, ſic difficultatem exiricat: *Inimicus homo hoc fecit, id eſt, Diabolus, vel quia primus inimicitias voce ſignificativâ, quæ ſolius hominis naturaliter eſt exercuit: Ideo dicitur inimicus homo, vel quia ſub ſimilitudine rationis humanæ decepit.* Ecce tibi Diabolus prudens idcirco in malitia appellatur, cum virtutis ſpecie lenocinatur, ut ad vitia trahat incautos; malitioſè prudens à S. Athanaſio ſententioſè dicitur, cum in Angelum lucis ſe transfiguret, & varias technas, fraudes, & dolos in ſinu concoquit, *Tract. 92. Diſc. 2.* Et ideo ad nequitia hyperbolen dicitur inimicus homo, quia ſub ſimilitudine rationis humanæ decipit. Porro tentatio, quæ ad rationem humanam componitur, & illi obtemperare, (uti eſt) nemo nos videt, non eſt tam grande nefas, hoc committere peccatum, Deus facile miſereretur pœnitentibus) pernitioſior eſt, ſtragesque irremediabiles in conſcientia edit, dum rectæ rationis falſato prætextu ſecure decipit, & ſub antidoti titulo venena propinat. Dum, ſcilicet, peccatori primo Dei, deinde gravitatis peccati notitiam eripit, ut ſic excæcatus peccata committat, ſubque ſimilitudine rationis humanæ decipiat. *Tract. 72. Diſc. 3.* Ille autem peccator qui ſic à ſenſualitate ſua ſe ſeduci permittit, omni ratione, & judicio deſtitutus eſſe convincitur, *ibid. d.5.& d.6.*

Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo. Unde ergo habet Zizania? Vox hæc, ait D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. plena admirationis eſt, plena ſtupore, & pavore. Quomodo ſcilicet in bono agro, bono ſemine repleto, inventa ſunt Zizania? Quid enim de bono ſemine, niſi quam optimus fructus enaſci & exoriri debebat? Non enim poteſt arbor bona, malos fructus facere. Hoc igitur ſupra modum damnabile eſt, non tam in ſeminato ſemine, quam ſeminis hujus figurato, hominibus, ſcilicet, ingratis, ut advertit Salvianus lib. 4. de gubern. *Imo hoc magis* (ipſo ſcilicet ſemine) *culpabiles ſumus, ſi legem bonam colimus, & mali cultores ſumus; ac per hoc accuſatrix noſtri, eſt lex ipſa, quam colimus:* Lex etenim Chriſtiana peccata dedocet, quæ dum malitioſè à Chriſtianis perpetrantur, nullam excuſationem merentur, ſed ex eo aggravantur, *tr.74.d.12.& d.13.*

Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet Zizania. Contemplare quæſo, quid magnus ille paterfamilias in agro ſeminaverit humanæ naturæ? Et videbis, nonniſi ab illo triticum electum ſeminatum animam immortalem. *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Gen. 2. Virtutes: *Veſtivit illum virtute*, Eccli. 17. Gratiam ac rectitudinem, Eccle. 7. *Fecit hominem rectum.* Quid igitur cauſæ eſt, quod agrum tot Zizanijs ſordidum lugeamus, infirmitatibus, doloribus, febribus, podagris, &c. ipſamque hanc viſibilem terram talia lolia proferentem, aridam, ſterilem, unde annonæ caritas & fames? *Inimicus homo hoc fecit*, Et quomodo? Seminando peccatum, quod eſt ſemen, unde cuncta mala enaſcuntur, infirmitates, & miſeriæ, calamitatesque publicæ, & privatæ, *Tract. 78. Diſc. 1. Diſc. 16. & 17.* Hæ enim, peccatorum noſtrorum fructus, & pœnæ ſunt, ut expendit D. Hieron. ſuper illa Domini verba apud Ezech. *Quando miſero ſagittas ſumis peſſimas* dicens: *Famem, & peſtilentiam, & beſtias peſſimas, & quidquid aliud malorum ſuſtinemus in ſæculo propter noſtra peccata venire manifeſtum eſt, &c.* Proſequitur D. Baſil. hom. in divites: *Fames, & ſiccitates, & inundationes communes, quædam ſunt civitatum ac gentium plagæ, hominum peccata immodica punientes, Ibid. d.5.& d.5.14.15.& 6.*

Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Tam alto ſomno omnes ſervi tenebantur oppreſſi, quando inimicus in agrum adventavit, ut nullus ejus adventum deprehenderit, ſolus Dominus cognovit, ipſum ſuperſeminaſſe Zizania, ac tantum malum intuliſſe. Pulchre S. Chryſol. *Inimice, lucis refuga laboraſti, ſed non latuiſti: Nam dormientibus ſervis, ipſe te vidit.* Unde cognovit Dominus ipſum inimicum ſeminantem Zizania, cum cuncti ſervi dormirent? Verum quidem eſt, quod totius familiæ oculus ſomnus altus oppreſſerat, & vehemens periculi occaſio, univerſæ rei imminebat: Sed Dominus eſto dormire videretur, tamen ipſe, ut optimus paſtor, non dormiebat, ſed maxime invigilabat, cuncta

cuncta videns, & obſervans pro cuſtodiendo agro ſuo: Siquidem tunc maxime Deus ſuo adeſt auxilio, quando tribulationibus preſſi, omni humano deſtituti ſumus auxilio, *tr.94. diſc. 31.*

Verumenimvero non modicè admirandum venit, quod cum Dominus ſit præſens & viderit, ſuperſeminantem non prohibuerit, aut ejecerit ab agro ſuo, ut electa grana, ſine tam iniqua permixtione illæſa ſervata fuiſſent; quod & miratur S. Chryſoſt. homil. 97. *Et tu*, ait, *quare hoc cum videres, Domine, permiſiſti? Quare? quia timere fraudes non poteſt, cui nihil poteſt deperire. Et quia majus eſt reparare perdita, quam illæſa reſervare: Simul quia oportet Zizania eſſe, ut qui probati ſunt; manifeſti fiant; Non prohibet inimicum, ut oſtendatur vis divinæ omnipotentiæ, & altitudo ſcientiæ Dei, quæ magis reſplendet in perditis reſtaurandis, quam in integris rebus ſervandis. Melius enim judicavit, de malis bene facere quam mala nulla eſſe permittere.* Quod tunc facit, cum malitiam dæmonis damnis noſtris inhiantis, ejusque tentationes in bonum noſtrum ordinat, & noſtram convertit ſalutem, *tr.92.d.3.& d.11.*

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus. Periculoſum eſt Domine, imo temerarium, tempus expectare meſſis, ſuffocabunt enim Zizania triticum, aut ipſe inimicus ulteriores nequitiæ vires, in electum frumentum exercebit, utpote inſatiabili nocendi cupiditate armatus, ut patiens Job expertus. Itanè ſponte peribit, quod reſiduum manet triticum? Abſit: prudentis enim patriſfamilias vigilantia ab ulteriori ruina triticum præſervabit, neque ultra nocere permittet. Pulchra hoc ſimilitudine vaſorum figuli, exponit S. Ephrem. *Si figulus vaſa ſua igne excoquit, eo uſque dum rite coquantur, nec ante ea eximit, ne minus cocta, & ſolida ſint: nec rurſum ulterius ea ſinit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia: multo magis idem facit Deus, ut igne tentationum, eo uſque nos coquat, dum percoquat, & perficiat, ulterius vero aduri & conſumi non ſinet.* Ergone animum deſpondeamus, nam ſævior tentationis acerbitas, liberationem ſpondet, & gravius periculum, periculi effugium eſt: De imminenti ruinâ erectionem extruamus, & atrocioris tentationis conflatorium, ſit ſuſpitatis conceptaculum, libetationis obſes, & de periculo malo, bonum incolumitatis auſpicium. Deus enim non permittit dæmonem prævalere, & ſuperiorem eſſe noſtris viribus, communicando nobis auxilia, quibus ei reſiſtere valemus, *tr.92.d.13.*

Triticum autem congregate in horreum meum. Antequam frumentum horreo infertur, prius in areâ expurgatur, & palâ in aërem projectum ventilatur: *Avolent quantum volent*, ait Tertullian. lib. de præſcription. cap. 3. *Paleæ, levis fides, quocumque afflata tentationum: eo purior maſſa frumenti, in horrea Domini reponetur.* Scilicet antequam in horreum ſanctorum inferatur juſtus, paleâ tentationis in areâ mundi prius purificetur: Ad hoc enim ſerviunt tentationes, ut profectui utiles ſint, ac virtutes exerceant, & perficiant, *tr.92. d.4.& d.5.*

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamiliæ. Matth. 20. Non ſolum homo, ut in illa parabolâ de Zizanijs Matth. 13. Sed etiam dicitur paterfamilias. Unus & idem eſt, qui utraque hac parabolâ intelligitur. Ut quid igitur hic homo, & paterfamilias vocitatur? Homo dicitur ob humanitatem, & clementiam, ut notat D. Hieron. in cap. 22. Matth. quando agebat opera clementiæ, hominis nomen appoſitum eſt, paterfamilias vero appellatur ob curam, & ſolicitudinem erga totam ſuam familiam. Homo, ait S. Chryſoſt. homil. 34. Paterfamilias Chriſtus eſt cui cœli & terra, quaſi una domus: Sic Deus ad amuſſim de omnibus habet curam, & providentiam, non ſolum quoad corvos, ſed etiam res minimas, *tract. 85. diſc. 2.* Uti verò ſolicitus paterfamilias abundantiſſime de ſua domo, ac de omnibus ad illam ſpectantibus curam gerit; ita cœleſtis ille paterfamilias abunde nobis proſpicit, uti Jacob Patriarcha expertus eſt, *Ibid. d.3.*

Vidit Iſaias Dominum ſuper ſolium excelſum, & ait: *Plena eſt omnis terra gloria ejus;* Quæ verba ſeptuaginta ſic transferunt: *Et plena domus gloria ejus.* Si orbis terrarum dicitur plenus, quomodo ab alijs legitur domus plena? Nam orbis terrarum ſatis latus ac vaſtiſſimus eſt: At domus dicit habitationem quamdam certis parietibus determinatam. Sic Deus ſua majeſtate, & providentia totam implet terram, in productione creaturarum, quas in eorum auxilium creavit, *ibid. d.1.* Ut tamen hanc providentiam, uſque ad minutiſſima, & circa eos ſingulariter oſtendat, ijſque invigiler, ut patet in ſua domo. Qui illum timent, eique ſerviunt, *Ibid. d.8.& 9.*

Exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Cum dicitur, quod hic negotioſus paterfamilias exijt conducere operarios, ex ipſo verbo conducendi aperte intelligitur vocatos eſſe ad excolendam vineam; non vero ad delicijs & potationibus indulgendum. Sicut enim nemo conducit mercenarium, ut hoc ſolum faciat, quod manducet; ſic & ipſe Deus paterfamilias operarios vocat, ad vineam, non ut hæc ſolum operentur, quæ ad eorum uſum pertinent, ſcilicet, corporis; Sed & quæ ad gloriam Dei, & animarum ſalutem, ait Chryſoſt. homil. 34. *Scilicet quia mercenarij ſumus conducti.* Quo ſignificavit, quam bono publico otium damnoſum, & pernitioſum ſit, ut propterea ab omni bono regimine merito otioſi exterminentur, *tr.91.d.10.*

Exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Multi quidem ſunt in hac vinea, Eccleſia; qui fodere non valent, putare neſciunt: Nonne in hac vineâ commorantur claudorum magna pars, ægrotantium copioſa meſſis? Nonnè multi ſunt ſenes, fœminæ & pueri, qui mollibus veſtiuntur in domibus regum? Attamen, ut ait S. Paſchaſius lib. 9. in Matth. *Omnes ſimul, qui vocantur ad vineam, una Eccleſia ſunt, unaque vinea de vite, quæ Chriſtus eſt propaginata? in qua & ad quam, qui intrat, vel qui conducitur, nemo otioſus, ſed omnes operarij eſſe debent: quia nemo eſt, eſſe non alios, qui ſeipſum excolere, & exercere non debeat, ut fructum ferat in Chriſto, & in vite maneat:* Nullus ab operatione in hac vinea eximitur, etſi ſit claudus, puſillus, fœmina, ac ſenex, quilibet debet eſſe operans, maxime in culturâ ſui animi, in purgandis vitijs, ac peccatorum vepribus: Tempus enim præſens à Deo nobis ideo indultum eſt, ut æternam operemur ſalutem, ac ideo bonis operibus impendendum eſt, *tr.91. diſc. 4.*

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Pulchrè S. Thomas de Villa nova illud, *Hic*, expendit: *Hic ubi acquirenda felicitas, hic ubi paranda corona, hic ubi lucrandum ſtipendium, hic ubi tantum animæ periculum, hic non ad horam, ſed tota die otioſi perditis vitam, conſumitis tempus pretioſum.* Magna enim reprehenſione digni ſunt, qui inutiliter tempus conſumunt, de quo aliquando rigoroſa reddenda ratio, *tract. 91. diſc. 5.* Et notandum, quia hos increpat & non alios, quia maximam diei partem inutiliter expenderant; ut ait Abulenſ. quæſt. 15. Primos enim non increpavit, & nihil in eis aliud arguit, niſi otioſitatem: Hæc enim eſt fomentum & incentivum tentationum, pravarumque & obſcœnarum cogitationum; Mater & origo omnium vitiorum & malorum, *Ibidem diſc. 8. & 9.* Time ergo otio te tradere, ô Chriſtiane, & ſine fructu tranſigere tempus, ne de patriſfamilias contubernio, in tenebras exteriores ejiciaris: Signum enim reprobationis evidens eſt, ſine fructu tranſigere tempus, quod ipſa hora & puncto mortis tuæ coram Deo te accuſabit, *Ibid. d.6.*

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam. Si tota dies penè tranſacta erat otioſe, & inutiliter, cur tandem mittuntur in vineam, quando breviſſimum laborandi ſpatium reſtat? Inſuper & mittuntur nullâ conducti mercede; nihil enim illis, ut cæteris promittit? An quia in tantis temporis anguſtijs impoſſibile erat, ut poſſint aliquam mercedem acquirere? Abſit: Quinimo nulla mercedis nova mentio facta eſt cum illis, ut ſciant primam diurni laboris mercedem omnibus eſſe propoſitam, tam his, qui multum, quam his qui parvum laborandi ſpatium habent, ut quilibet poſſit in brevi recompenſare plures annos inutiliter amiſſos. Scitè Origen. homil. 10. in Matth: *Poterant æquale opus in vineâ facere eis, qui ex mane ſunt operati, quicumque in tempore brevi, volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata.* In quo adimplebant conſilium Apoſtoli, Epheſ. 5. *Videte fratres quo modo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes redimentes tempus:* Hoc enim vere eſt redimere tempus. *Explicatur textus Tract. 91. diſc. 14.* Cum enim ultima diei hora eſſet, ſeſeque in anguſtijs conſtitutos conſpiciunt ſerio operi incumbunt, ne de reſiduo tempore, vel minimum quid deperdatur, & ita quidem, ut inde invidiam ſibi conciliare poſſent: Quo modo nobilem methodum oſtendunt, qua tempus conſerves, & cum tuo emolumento expendas, illudque tuum facias, *Ibidem diſc. 15.*

Circa undecimam verò horam exijt, & invenit alios ſtantes, & ait illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Si tota die inertes otiati ſunt, quorſum illos mittit in vineam, ut eam excolant? Niſi forte in noctis tenebris operam agriculturæ navare debeant: In nocte autem perperam agriculturæ vacatur: Hæc eſt enim nox, in qua nemo poteſt operari. Sed attentius exploremus, quinam ſint hi operarij, & quomodo cum aliquid dici reſter, in quo adhuc poſſunt operari, otioſi tota die dicantur? Hugo Carnotenſis, ſic commentatur: *Quid hic ſtatis? mandatorum Dei oblati, carnis illece-*

bris confradli ? Tota die , id eſt , tota vita otioſi , vobis nihil proficientes , pœnitentiam non agentes , in poſterum non providentes. Hoc enim heu ! nimis periculoſum eſt, uſque ad ultimam vitæ horam otioſum perſiſtere , & in peccatis uſque ad ultimum vitæ immerſum hærere ! Propter damna inde emergentia ? Qui enim putant in fine vitæ pœnitentiam agere , perſæpe decipiuntur , ut impœnitentes decedant , & totum perdant, *tract.81. diſc.1. & diſc.21.* Nam ipſa opera , quæ circa extremum vitæ tempus fiunt, apparenter quidem profiçua eſſe videntur ; ſed in rei veritate fallunt. Confeſſio enim , contritio , & lachrymæ in mortis hora effuſæ , ob varias rationes inutiles ſunt , *quas Vid. ibidem diſc.14.* Quinimmo ipſæ exteriores devotionis demonſtrationes , quas impij in morte ſua præ ſe ferunt fallaces ſunt, *Ibidem diſc. 12.* En itaque malos operarios , impios ſcilicet, & tota die otioſos.

Quia nemo nos conduxit. De more homines culpam ſuam in alios referre volunt , quos tamen ulterius Dominus non reprehendit , ſed allicit , & quamvis ultima diei hora eſſet , eos mittit in vineam : idcirco enim venia digni videntur , quod huc uſque eos nullus allexerit ad vineam , nullas , inquam , habuerint gratias ? Quas adepti ſine mora parent : illi ſiquidem peccatores, qui ſurdi, & in peccatis indurati ſunt Dei miſericordia redduntur indigni , non vero , qui ex fragilitate peccant,& ſubito ad reſipiſcentiam vocanti,reſpondent, *tr.81. d.24. maxime num.1.*

Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias , dicentes. Quid obmurmurarunt hi laborioſi operarij ? Nempe ſibi redditam ex juſtitiâ pactam mercedem , & reliquis , qui minus laborarunt , datum eſſe pretium ſupra merita , & ultra pactam conventionem , quæ res eis valde inopinata viſa eſt, ut illi , qui noviſſimi unâ horâ operati ſunt , tantam mercedem reciperent, ac illi, qui portantes pondus diei , & æſtus, per totam diem laboraverunt. Materianè hæc apta murmurationis , liberalior & munificentior ſolatio ? Nullo modo : Licet enim Deus majora gratiæ dona electis diſpertiat , ob hoc tamen reprobi murmurare non poſſunt. Si enim de parentum carnalium judiciis conqueri non audemus , videntes aliquos filios ante alios , indulgentiori complecti affectu , minus de omnium noſtrum parente murmurare licet , & ejuſdem juſta judicia examinare, *tract. 82. diſc. 8. maxime num. 5.*

Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias , dicentes &c. Conqueruntur , ſed injuſte , ait S. Gregor. Nazianzen. hoc ipſum enim impenſius laborare , uberioris loco mercedis habendum eſt : Abſit, ut qui in præſenti vitâ , gravioribus premuntur ærumnis , de divina lamententur providentia,ut non ferventius Deo potius ſerviant ; quia niſi ambulaverint in medio tribulationis non vivificabuntur : Tribulatio enim vitam gratiæ , ac plura alia bona nobis communicat, *tr.94. d.15.*

Amice non facio tibi injuriam : Nonne ex denario diurno convenisti mecum ? Tolle quod tuum eſt , & vade. Plures ſunt qui hunc denarium , ex SS. PP. & interpretum ſummatibus , ſingulis operarijs tributum , vitam æternam , id eſt , Beatitudinem interpretantur : Unde ab ijſdem hæc obmurmuratio , quæ vitæ æternæ meritum non excuſſit , leve cenſetur delictum , eo quod dignitatem ad beatitudinem non excludat. Hinc , non levis exurgit difficultas , quo pacto hic inconſultus obmurmurator , ad quem dirigitur ſermo , ex Dei ore , quem hic paterfamilias repræſentat , auſterum hoc verbum audiret : *Tolle quod tuum eſt , & vade ?* Quid eſt , *Vade.* A ſe Deus ablegat , quem merito beatitudinis muneratum videt ? Quaſi rejectaneum à ſe dimittit , quem & ore amicum vocat , & tam opulento meritorum denario munerat ? Scilicet quam grave malum ſit veniale etiam peccatum docet , cujus gravitas ex pœnâ damni , & ſenſus qua Deus illud in altera vita caſtigat perſpicuè colligitur, *tract.76. diſc.9.*

Amice non facio tibi injuriam : Nonne ex denario &c. Tolle quod tuum eſt , & vade. Hugo ex S. Hieron. *Vade*, ait, *id eſt , perſevera in adepta juſtitia.* Sic eget auſtera hac objurgatione , & gravi ad gratiæ perſeverantiam admonitione , qui accepto etiam denarij merito , & Dei amici glorioſo vocabulo leniter delinquere non veretur ? Nil mirum : nam multiplex leve delictum, ſi non excuſſio gratiæ tributatio eſt,dum ad grave peccatum haud leviter diſponit, *tr.76. d.11. & d.23.* Unde S. Auguſtinus : *Minuta peccata ſe negligantur,occidunt : Minutæ ſani guttæ, quæ flumina implent.*

Amice non facio tibi injuriam : Volo autem & huic noviſſimo dare , ſicut & tibi , Aut non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam eſt , quia ego bonus ſum ? Rigidior videtur, quam par eſt , & laboribus condigna increpatio : Porro nemo neſcit , quanto aliter patres , aliter matres filijs indulgeant : illi exercitari jubent ad ſtudia mature obeunda , feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos , & ſudorem illis , & interdum lachrymas excutiunt : Acri admonitione , vel leves defectus perſonant , ne cum ipſis adoleſcant : At matres fovere in ſinu , continere in umbra volunt,numquam flere , numquam admonitione contriſtari , numquam objurgatione , vel caſtigatione exaſperari. Paternum Deus habet adverſus bonos viros , & probos animum , maternum : Adverſus impios , & peccatores , Illos fortius armat , & ærumnis , & reprehenſionibus , & damnis exagitat ; his proſperitates & mundi voluptates indulget. Porro marcet ſine correctore virtus , nec fert ullum ictum illæſa felicitas , quæ proinde ſibi de præteritis blanditur , ad præſentia molleſcit ; & ſibi de futuris votive adulatur. Dentato objurgationis ferro ; cognata omnibus vitia eliminantur , ut malitia detrimentum ſentiat , ne paulatim inſolens frenum emendationis excutiat : Materna indulgentia , aut inſolentes invenit ; aut fecit. Pulchre itaque Septimius lib. de patient. art. 11. *O ſervum illum beatum cujus emendationi Dominus inſtat ; qua dignatur trahi ; quem admonendi diſſimulatione non decipit : Quem enim diligit Dominus , corripit , & quaſi pater in filio complacet , beatus homo , qui invenit ſapientiam.* Sedulo laboraverat in vinea Domini ſervus portaverat pondus diei & æſtus, bonus extiterat vinitor, & poſt laborem laudem , & requiem merebatur ; ſed acriter corripitur compaſſione dignus , qui ſolum leviter murmuraverat. Sed fruſtra conſolari feſtinus , cui potius ire gratulatum decet de dignatione divinæ correctionis , quæ omne bonum , & æternam felicitatem ſpondet : Impunitas enim , & peccatorum proſperitas in hac vitâ infallibile Dei irati,& indignantis indicium,& æternæ perditionis ſignum eſt, *tr.78. d.32. 33. 34. & 35.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exijt qui ſeminat , ſeminare ſemen ſuum : Et dum ſemi nat , aliud cecidit ſecus viam. Luc. 8. In his verbis, tres omnino ſeminis portiones , damnatiſſimis reprobis agnoſcit, poſitas : Quartam vero dumtaxat portionem , quæ in paleas impatientiæ non evanuit, beatitudinis merito , ac dote fructificaſſe, advertit S. Auguſtin. &c. Sic concludit : *Quid infelicius , timendo mortem cadere in mortem ? Extirpentur ſpinæ,paretur ager , ſuſcipiantur ſemina ; perveniatur ad meſſem , horreum deſideretur (beata gloria inquam conſideretur) non ignis tribulationum timeatur.* Quibus verbis , non negat S. Auguſtin. , quod ignis perſecutionis probe timeatur : Sed beatas cœli glorias mire elucidat , dicens : Quod qui impenſius afficitur cœleſtis gloriæ deſiderio , eamque aſſiduè contempletur , impatientiæ igni vix locum relinquat : Quia conſideratio cœleſtis gloriæ ad exercendam patientiam calcaria addit & præbet auxilia, *tr.60. d.18.*

Exijt qui ſeminat , ſeminare ſemen ſuum. Per Satorem iſtum , ait Venerab. Beda , nullum melius , quam filium Dei intelligere poſſumus , qui de ſinu patris egreſſus eſt , non ad triumphandum , ſed ad ſerendum ſemen ſuæ doctrinæ , & noſtræ ſalutis. Vel , S. D. Antonius ait, prædicator ipſius , qui aptiſſima ſimilitudine ſeminator dicitur ; Nam ſicut ſator effundit ſemen ſuper terram ; ſic & concionator doctrinam in auditores : Et ſicut bonus Sator terræ , cœlique ingenium obſervat , ne importune ſemina ſua emittat : Sic & bonus prædicator auditorum diſpoſitionem , loci , & temporis opportunitatem , materiamque congruam, præmeditatur , ne ſuo labore fruſtretur,fructuque careat, *tr.83.d.44. d.45.& 46.*

Exijt qui ſeminat , ſeminare ſemen ſuum. Unde exit , qui ſemper ubique præſens eſt : Qui omnia immenſitate implet , qualiter exire poteſt ? Certè non loco ; Sed benignitate , & incarnationis diſpenſatione , propinquior nobis factus eſt : Nam quia venire deſides cunctabamur , ipſe ad nos egredi feſtinat : Sic igitur Chriſtus exiit Evangelicam doctrinam ſeminare , & verbum Dei, ut de cœli ſchola , cœleſtem Oeconomiam ediſcamus , ut idem faciamus, quod ipſe qui fecit prius , quæ docuit. Vis , ô prædicator , perſuadere , diſce è ſchola Chriſti , verbis opera adjungere , prius facere , poſtea docere : Nam inculpata innocenter vita , Evangelij ſuadendi vigor eſt , & laudatior ſuadela : non verba , ſed exempla proſelytos , & veræ Religionis nobiles inquilinos efficiunt, *tr.83. d.29. d.30. uſque ad d.34.*

Et dum ſeminat , aliud cecidit ſecus viam , & conculcatum eſt , & volucres cœli comederunt illud. Non miror , granum etſi electiſſimum , dum ſecus viam cadit à viatoribus conculcari , & inde inhumatum , à cœli volucribus roſtro tolli. Sed à cœli volucribus citius ac latius forſan propagabitur , dum ocyſimo volatu Dei verbum volucres portant , & ubivisde prædicant ? quid tam votive fauſtum huic ſemini , id eſt, verbo Dei & doctrinæ Evangelicæ accidere potuit,quam à volucribus cœli aſſumi, & placide ſonoro earum garritu velociter quaquàverſum ferri , & deprædicari ? Sed ô malum,

malum , hoc electum ſemen , verbum dico Dei , de harum volucrum roſtro ſonans infeliciter ſterileſcit ? porro per has volucres cœli Anſelmus Laudun. cum communi interpretum , *Dæmones* , intelligit , & explicatius D. Cyrillus in Catenâ , *Spiritus immundos* , commentatur. Profectò ſpiritus immundi , etſi generoſo vocabulo volucrum cœli nominentur , & cœleſte ſemen , doctrinam nempe Evangelicam , ore portent ; ac prædicent , ac celeri volatu illam ubivis annunciarent , tamen quantum celeritatis in annunciando adjicitur , tantum de vitioſi ſpiritus immunditiâ , promulgationi Evangelicæ doctrinæ detrahitur. *Quæ damna Vid. Tract. 83. diſc. 36.* Iſtiuſmodi cœli volucres , cœleſtem doctrinam portare videntur in ore , illam comedere , illaque ali ; Sed dum illi ſpiritu immundo medullitus aluntur , verbum Dei corrumpunt : *Vox quidem vox Jacob eſt , ſed manus , manus ſunt Eſau. Ibidem diſc. 35.*

Et aliud cecidit ſupra petram , & natum aruit. Erudite advertit S. Hieron. hanc eſſe primam parabolam , quam cum interpretatione ſua Chriſtus propoſuit : cavendumque eſſe , ubicumque Dominus exponit ſermones ſuos ; ne vel aliud , vel plus , vel minus præſumamus intelligere , quam ab eo expoſitum eſt. Quæ vero tacuit , & noſtræ intelligentiæ Chriſtus dereliquit ; eſſe diligentius perſcrutanda , ait Venerab. Beda. Via ergo ; ait citat. Beda in Matth. eſt , mens ſedula , malarum cogitationum meatu trita , atque arefacta : Petra , duritia protervæ mentis , terra lenitas animæ obedientis : cor enim durum , & indomitum eſt , in quo non eſt altitudo , id eſt profunditas terræ , ſeu profunda levitas animæ obedientis cœleſtibus diſciplinis , quibus aliquando ; ita eſt anima obdurata , ut ſe habeat veluti petra. *Induraverunt facies ſuas ſuper petram , & noluerunt reverti* , ait Jerem. 5: Non ergo mirum quod ſemen illud, id eſt , verbum Dei , quod in talem petram cadit , licet cœleſtes in animâ fructus ubertim ſpondeat , terræ defectu ſterileſcat : Cor enim durum habebit male, *tr.73. d.7. n.1. 2. & 3.*

Et aliud cecidit in terram bonam , & ortum fecit fructum centuplum. Unum & idem Semen ſeminatum in diverſos agros , diverſos quoque habuit fructus , in quibuſdam nullum , in alijs multum , non vitio ſeminis ; id eſt, doctrinæ ; Sed terræ, id eſt, auditorum culpâ. Scilicet quoddam ſemen ob viam , quoddam ob petras , quoddam ob ſpinas fructu caruit. Petra autem eſt caro , mundus ſpina : Via trita , ſecularis & licentioris vitæ modus : Volucres cœli , Dæmones , qui veluti aves velociſſimæ , animarum valde voraces , ſemen jactum doctrinam , ſcilicet , prædicatam è memoriâ , & mente abripiunt , hominesque à ſedula auſcultatione avertunt : Sunt enim,qui verbum Dei ſine attentione auſcultant , & ſunt è contra alij , qui cum devotione eidem aſſiſtunt,qui ſemen, id eſt, doctrinam in terra bona, hoc eſt,in corde bono ſuſcipiunt. *De quibus vid. tr.83. d.22.*

Semen eſt verbum Dei. Inter multa & varia inſtrumenta, quibus Deus ſalutem noſtram operatur , non infimum locum tenet , miniſterium verbi ejus : Verbum enim Dei Deo ſimillimum eſt. Sicut enim Deus omnipotens eſt ; ita ſermo ejus poteſtate plenus eſt : Verbum enim Dei,quemadmodum Deus ipſe , ſuſcitat mortuos , regenerat vivos , ſanat ægrotos , conſervat ſanos , oblectat pios , revocat impios , illuminat cœcos , accendit tepidos , confortat debiles , deſperantesque confirmat : Hac igitur de cauſa multis varijsque verbum Dei titulis vocitatur , propter varios , quos habet effectus , hinc dicitur lumen, *tr.83. d.6.* Panis & manna, *Ibidem d.2. & d.4.* Semen propter varias ſimilitudines, *Ibidem diſc.5.*

Hæc dicens clamabat , qui habet aures audiendi , audiat. Ut auditorum mentes , ait D. Bonavent. excitarentur ad percipienda , & intelligenda ab ipſo dicta , valide clamat Dominus : nam cum eſſent ſub velamine parabolæ , erant abdita & abſcondita ; ipſe vero ſemper eſt clamans , & excitans nos ad bonum noſtrum. *Qui habet aures audiendi audiat :* Numquid aures ad aliud miniſterium ſunt, niſi ad audiendum ? Quid ergo ſibi vult hæc phraſis ! loquitur Dominus de ſimplici arrecto uſu ſenſus qui enim audit , ut oportet verbum Dei , & ut recte intelligat , hic verò audit & fructum reportat. Qui autem audit , non ut audiat ac intelligat ; Sed velut per unam aurem intrer,& per alteram exeat, neque animam penetrat ; hic non audit, juxta id , ad quod ei ſenſus dati ſunt , & ideo nullum fructum conſequitur, *tr.83. d.27.*

Quod autem ſecus viam , hi ſunt , qui audiunt : Deinde venit Diabolus , & tollit verbum de corde eorum , ne credentes ſalvi fiant. Non ſine myſterio omnes tres Evangeliſtæ poſuerunt illud verbum , *venit*, ut denotaretur , quod extra nos eſt : Et etiam venire dicitur , quia ipſe homo miniſtrat ei multas occaſiones tentandi , & peccandi, ut veniat : Unde S. Auguſtin. ſerm. 107. *Habet cupiditatem vocandi , facultatem autem , nonniſi quæ datur.* Etenim ſine conſenſu noſtro in perniciem noſtram nil poteſt, *tr.71. d.18. n.1. 2. & 3.* quod denotat Matthæus cum loco , *tollit verbum* , poſuit; *rapit omne* quod denotat violentiam ; & tyrannidem,quam inimicus exercet , nam quod varijs modis nos tentet, hoc totum eo fine facit , ne credentes per fidem ſalutem conſequantur ; ſed ut tyrannide ſua pereat, *Ibidem diſc. 18. & ſequent.*

Quod autem ſecus viam , hi ſunt ? qui audiunt ? Deinde venit Diabolus ; & tollit verbum de corde eorum. Diligenter perpendit Evangeliſta , quod non ait Dominus , Dæmonem auferre verbum ab intellectu , vel à ſenſibus , parum enim refert Diabolo ; quod verbum divinum per aures ingrediatur, lingua proferatur, & intellectu imaginetur , niſi radicitus cordi per affectum affixum ſit : Sæpè potius, homini illud in memoriam revocat , cum vult peccare, ut graviùs delinquat. Sic cum vellet Evam decipere, illi in mentem revocavit præceptum Domini , dicens : *Cur præcepit Dominus Vobis ?* Ne forte poſtea ignorantiam , oblivionemque prætenderet : itaque quod maximè intendit ; eſt verbum auferre , & delere, ne diu in corde maneat , & ejus amore homo capiatur ; ſic odio illud proſequitur, utpote armaturam , qua ipſe vulneratur, nos vero defendimur, *tr.83. d.12.*

Quod autem in ſpinas : hi ſunt , qui audierunt , & à ſollicitudinibus,& divitijs ; & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur. Suam de ſemente parabolam ſic ipſe Chriſtus expoſuit, bonus ſuæ doctrinæ interpres. At in hac explicatione hoc ut quid rarum venit,quod ipſas voluptates,& divitias , ſpinas homines ſuffocantes dixerit , quid enim magis homines recreat , quam voluptas , & divitiæ ? Quod & dudum miratus Magnus ille Sanct. Gregor. ſic ait : *Quis enim mihi umquam crederet, ſi ſpinas divitias interpretari voluiſſem , maximè cum illæ pungant , iſtæ delectent ? Et tamen ſpinæ ſunt ; quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant , & eum uſque ad peccatum pertrahunt , quaſi inflicto vulnere truentant.* Et Hieron. in c.13. ait : *Mihi videtur & illud , quod juxta hiſtoram ad Adam dicitur : Inter ſpinas & tribulos panem tuum manducabis , hoc ſignificare myſtice , quod quicumque ſe ſæculi voluptatibus dederit ? cuiuſque iſtius mundi , panem cœleſtem & cibum verum inter ſpinas comedat.* Quis igitur miretur divitias ſpinas dici ? Cum hæc præſens mortalis , vita tribulationibus referta ſit , atque inter delicias & voluptates , tribulationes & miſerias ſubminiſtret, eſt enim continua quædam tribulatio, *tr.94. d.1. maxime Num. 6.*

Quod autem in terram bonam, hi ſunt , qui in corde bono , & optimo , audientes verbum retinent , & fructum afferunt in patientia. Pulchre Cajetan. *Non ſufficere* , ait , *cor bonum & utile , niſi adſit patientia in ſuſtinendo adverſa , & injurias quaſcumque. Edocet Dominus à ſimilitudine terræ , quæ quantumvis optima , non affert fructum , niſi patiendo aratrum , & ſimilia.* Non ſufficit tantum, ut terra ſit bona ad fructum ferendum ſed inſuper neceſſarium eſt, ut aratro præciſa in varios ſulcos deducatur , ſic eciam non ſat eſt , quod quis recto corde Dei Verbum ſuſcipiat , ſed inſuper opus eſt laborum tolerantia , & ſuſtinentia , ut fructum producat , patientia enim lapis lydius eſt, ad quam vera virtus & ſpiritus comprobatur, *tr.68. d.9. maxime n.3.*

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam , & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio hominis &c. Luc. 18. Numquid , ut Apoſtolus ait : *Semel Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt , juſtus pro injuſtis , ut nos offerret Deo Patri, mortificatus quidem carne , vivificatus autem ſpiritu ?* Quomodo igitur fidelis mater Eccleſia Dominicæ paſſionis Sacramenta rememorans , hiſce bacchanalium diebus dilectis ſuis membris in futurum ea prius proponit complenda ? Traditum à Judæis , gentibus , ab ijs flagellatum , illuſum , & denique morte turpiſſima condemnatum omnis Chriſtianus confitetur , à quo igitur in futurum tradendum exiſtimat ? Nimirum omnis , qui ſceleroſius delinquit , maximè priſtina delicta iterando , iterum quaſi tradit , illudit & crucifigit Chriſtum , quia ſceleratione flagitio dat novam cauſam mortis, & crucis Chriſti facit enim id , propter quod Chriſtus crucifixus eſt ; Cujus pretioſa mors , niſi tam efficax fuiſſet , ut ad omnia omnino peccata , poſt quantumvis ſæcula futura , & iteranda , ſe extendiſſet : Oporteret Chriſtum toties mori & crucifigi , quoties peccant homines : Sicut Aaronica ſacrificia , & victimæ toties mactari & offerri debebant , quoties peccabant Judæi. Imo de ſe pœnalius Chriſtum in ſemetipſis crucifigunt peccatores : quam olim in cruce fuerat crucifixus : quod S. Auguſtin. luculenter , Chriſtum loquentem introducens , exiſtimat , ſerm. 67. de tempore : *Cur me gravione criminum tuorum cruce , quam*

quam illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inultus pendeo quam illa in qua tui misertus, mortem tuam ociosurus, ascendi. Belle igitur ab eodem S. P. Christi & Discidium peccatum appellatur, eo quod Christum Deum recrucifigere dicatur, *tr.71. d.6. tr.75. d.5.*

Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabantur omnia, quæ scripta sunt de filio hominis: Tradetur enim gentibus &c. Ubi his diebus, in vanitatibus, & fœdis voluptatibus gloriatur fatuus mundus, gloriam suam Christus collocet in ignominijs, & passionibus in sputorum squalore, in verborum plagis, in alaparum vibicibus, in crucis patibulo, & ideo non solum hic, longissimam futuræ passionis seriem texit, & repetitis vicibus ejusdem passionis memoriam agit, sed & passioni proximus, ipsas passiones gloriam vocat, Joan. 17. *Clarifica tu me pater, apud temetipsum, claritate, quam habui; priusquam mundus esset.* O arcanum patientiæ Sacramentum! Sic sunt cruciatus gaudio auxiliares? Sic contumeliæ glorijs militant? In passionis officina, sumptuosior excuditur gloria? Audiendus est Sanct. Chrysost. sic Christum alloquens: *Quid dicis, ad crucem, cum latronibus, ac prædonibus ducendus, maledictorumque necem subiturus deinde & contemnendus, & virgis percutiendus es; atque alapis, & ista vocas gloriam? Utique, inquit, nam pro delictis ista patior:* Et ideo pro gloria habeo Tribulatio enim pignus & arrha electionis est ad gloriam, *tr. 94. d. 25.* Ecquis igitur contumeliosa cruciamenta non reputet empyreæ gloriæ æmula? *Si enim*, ut citatus ait Chrysost. *gloria illi* (scilicet Christo) *non in patrio throno, sed in contumelia reputata est:* multo magis mihi istud pati; & tribulare pro gloria ducendum est.

Ecce ascendimus Jerosolymam. Licet sponte ascendant arduam Jerosolymæ viam discipuli, non tamen soli, sed ducem, & comitem itineris, se præbet Jesus ut adimpleat, quod per regium quondam vatem præcinebat, Psal. 90. *Cum ipso sum, in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.* Unde non ait, ascenditis vos, sed ascendimus. Quo sese cum suis simul laborare demonstrat, eisque laborantibus præsto adesse: sic gaudet Christus in tribulationibus non solus esse spectator, sed & ærumnarum socius? Quia enim tribulatio habet aliquid divini, ideo Christus libenter animas afflictas amplexatur, & cum eisdem conversatur, *tr. 94. d. 5.*

Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabantur omnia, quæ scripta sunt de filio hominis. Non dubium est, hic ascensus molestus venit discipulis Christi, non tam propter itineris difficultatem, quam cordium afflictionem quam conceperant ex seria relatione dilecti sui Magistri futuræ passionis. Interim sic lætanter & gaudiose ascendunt quod laborem ardui itineris non sentiant, sed necessum habeant hujus admoneri. O alta Dei circa afflictos providentia! An non discipuli, vel ex labore ardui ascensus, & sudato laborioso adnisu probe norunt se Jerosolymam ascendere? Quid igitur necesse, ut à Christo admoneantur se ascendere, cum ipse ascensus id satis admoneat? Nimirum sic Deus afflictis consolationes & gaudia spiritualia in abundantia communicat, ut præ gaudio itineris labores non sentiant, *tr.94. d.7. & d.8.*

Et ipsi nihil horum intellexerant, & erat verbum istud absconditum ab eis. Multoties Christus de sua morte & passione sermonem habuit cum suis discipulis: Matth. 16. post Petri confessionem, subdit Evangelista, quod Jesus dixit discipulis suis: Quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere; Petrus autem quia intellexit cœpit eum increpare: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Iterum Matth. 17. Marc. 9. *Conversantibus eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget, & contristati sunt vehementer.* Duos contristatos ex hujusmodi sermone Matthæus fatetur: Sanct. Lucas, adeo ingenio obtusos affirmare audet ut velut rudes nihil intellexisse putet? Scilicet nesciebant, quantam gloriam, & honorem Christus Deus absconderet, & reposuisset sub tribulationibus, ærumnis & calamitatibus: Sub his enim summam Deus gloriam recondidit, *tr.94. d.3.*

Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam. D. Gregorius hom. 3. in Evangel. *Cæcus*, ait, *est genus humanum, quod in parente primo, à paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur;* Nam dum homo, per peccatum inobedientiæ divinæ lucis usuram respuit, & aspernatur densissimas tenebras, & cœcitatem pœnæ universos homines inducit: Peccata enim summa cœcitas, & tenebræ sunt, *tr.72. d.5.*

Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans: Incurabilis corporalis cœcitatis infirmitas in extremam sæpe hominem miseriam, & perditionem conjicit, dum gressus formare volentem, aut ad palos allidit, aut in foveas altas præcipitat, qui dum hujusmodi allisionibus, & casibus assuetus; Cum nihilo securius incedere pergit, & tentat, cum cœcitate vitam perdere festinat. Anne hic Evangelicus cœcus, peccatoris in peccatis obdurati, & assueti, typus erit? qui longævo vitiorum circuitu, vitijs suis obcœcatus, tandem in profundum malæ conscientiæ desperationis, atque æternæ damnationis corruit. Impius cum in profundum venerit, contemnit, *tr. 73. d. 3. & d. 4.*

Et qui præibant increpabant eum, ut taceret: ipse vero magis clamabat &c. Accedit cœcus hic ad Dominum, salutem non solam corporalem, sed & spiritualem quærens, quam impetravit, Christum interpellans; Quamobrem mundus, & diabolus in eum insurgunt: Hæc est enim una de astutijs cœcus, sed altius vociferatur. Ut enim ignis parvus quovis afflatu extinguitur, at magnus eo magis accenditur, capit enim vires à contrario: Sic amor exiguus quolibet obstaculo frigescit, ingens indies augescit & inflammatur, ut patet in hoc cœco, qui ad voces malevolorum altius inclamat. Ex quo pulcherrimum nobis resultat documentum: Ne deficiamus umquam ob improborum calumniam in via virtutis: Qui enim propter peccatum perseverantiam negligit, præter injuriam quam Deo facit, stultus est, & sibiipsi multorum damnorum causa, ne perseveret, *tr.80. d.2.*

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Ductus est Jesus à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo Matth. 4. Petulans plane audacia, & impudens temeritas, Chr. Dei filium tentationibus adoriri; Verum ideo ad tentandum accedit, quia circa Christum in magna hæsitatione versabatur, è qua ut se eximeret, eum diversis tentationibus aggreditur eo quidem fine & impulsu, ut eum ad peccandum alliceret, uti sentit D. Basilius Serm. de abdicatione rerum temporalium. Idem docent S. Ignatius Epist. 8. ad Philip. D. Cyprian. Gregor. Nazianz. & Chrysost. Et quamvis in Christo Domino omnes præclarissimæ virtutes in excellentissimo gradu relucerent, tamen cum hominem videres, cum in peccatum trahi posse, ac sibi victoriam comparare sperabat. SS. vero Hieron. Augustin. & alij PP. eo fine dicunt Christum tentasse, ad explorandum an esset filius Dei. Hilarius cap. 3. in Matth. Ambros. cum suis putant: Diabolum accessisse ad explorandum Christi divinitatem: sit, ut sit pro concordia harum sententiarum sit quæstio. Ad quod peccatum Christum Dæmon inducere tentaverit, ut inde intelligeret Christum filium Dei esse? Ad impatientiam, nam patientia quæ quid divini in se concinet Christum filium Dei esse demonstrat, *tract. 68. disc. 3. & disc. 4.* Et idcirco toties tentationes reiterat, & alias alijs graviores objectat. Sic enim apud se astutissimus Dæmon argumentabatur: Impatiens si fiat, filius Dei non est, si vero nequaquam movetur, in eo aliquid divini est, *Ibid. d.13. n.2. & seqq.*

Ductus est Jesus à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo. Sicut Athletæ ait Thomas Beauxamis, cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum alijs certamen exercent, ut in luctantium corporibus, faciant artem spectare vincendi: Ita Dominus, Diabolo tentationis occasionem obtulit, ut in eo victo, vincendi quoque nobis formam relinqueret. Igitur Christus, annum agens suæ ætatis trigesimum, decimo sexto mensis Februarij in desertum secedit, ut tentaretur, poterat quidem Christus in civitatibus in media hominum frequentia has tentationes sustinere, ast in eremum ducitur, ut locum tentatori præbeat. *Tunc quippe*, ait S. Chrysost. hom. 13. in Matth. *Aliquos Diabolus aggreditur, cum solos viderit, atque ab alijs segregatos.* In solitudine enim Dæmon pro viribus suis nos tentat, quia in hac ipsum cum suis tentamentis felicius, & securius expugnamus, *tr. 89. d.4.* Igitur ô homo solitudinem amat ut tentantem Dæmonem evincas.

Et accedens tentator dixit ei; Si filius Dei es. Dæmon ille qui Christum Dominum tentavit, non appellabatur aliqua peculiari appellatione; Ut quid igitur illum Evangelista tentatorem appellat, dicens: *Accedens tentator?* Quia ita proprium, & peculiare illi est, bellum inferre, & homines ad peccatum solicitare, ut peculiari quadam ratione tentator appelletur, nam cum quis in arte aliqua excellit, ab illa desumit nomen: unde Marcum Tullium per Antonomasiam, Oratorem appellare solemus: Nam licet alij essent Oratores & Rhetores minime contemnendi, ille tamen in hac arte mirum in modum excelluit. Eamdem ob causam, Aristoteles Philosophus, & Virgilius Poëta appellatur.

Hic

Hic Dæmon tentator appellatur, quamquam multi sunt inter homines, qui hoc munere funguntur, quia ille inter omnes præstantissimus est, & cæteros omnes facile superat, & ideo propter frequentes, quibus homines impugnat, tentationes, hæc vita militia, Job 7. vocatur: Est enim humana vita, continua quædam pugna, & tentatio, *tr. 92. disc. 1.*

Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Profecto astutissimus Diabolorum hic plane desipit, dum esurienti lapides offert, quos etsi in panes converteret, non inde ejus constabat divinitas: Plura enim miracula hactenus patrata erant, quibus nemo Prophetarum Deus probatus est. Etenim & dubitare non debuit esse filium Dei, quem Patris de cœlo vox in Jordane filium suum publicaverat: Unde ergo tanta sagacissimi Dæmonis inertia & dementia? Appositè S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 23. *Antiquus hostis*, inquit, *cum hunc passibilem cerneret, & posse mortalia perpeti humanitatis videret; Omne quod de ejus Divinitate suspicatus est, ei fatua superbiæ suæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbiam sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitabit? Unde ad tentationum se argumenta convertit, dicens: si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Scilicet, insolens superbiæ fastus illum ex Angelo diabolum fecerat & nunc arrogantia vanæ gloriæ stultum tentatorem, quia ipse superbissimus, de proprio fastu nil æstimans, nisi superba & præcelsa, sic desipit, ut corporali Dei humilitate perstringeretur, ne Deum reputaret, omni judicio orbatur. Unde superbia species dementiæ nuncupatur, *Tract. 90. disc. 12.*

Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Quæ est hæc Diaboli benignitas, ut diu esurienti, calamitatem, ciborum oblatione depellat? Unde diabolo, tam opportunè festinata pietas: Virtutis olim conceptaculo: nam an de astutiæ exinceps malitiæ promptuario? Nimium in diabolo peregrinatur misericordia, cujus gratior cibus est humana perditio. Quorsum ergo cibos diu jejuno & esurienti ultro offert? Eloquenter, S. Gregor. Nazian. orat. 38. *Expleri non potest diabolus, per omnia grassatur. Benignitatis quidem specie lenocinatur: Hæc est illius pugnandi ratio.* Nempe diabolus in suis primordijs cito sanctitatis satur, virtutem in æternum fastidit, & humana vitia ventre esurie inexplebili, atque acri perenniter esurie hiat: Inde per omnia solerter grassatur, & dolosis malitiæ callibus, pietatem fronte ostendit, ut ad impietates certius pertrahat, & speciosò benignitatis titulo tentationes vaferrime occultat, ut ipse se glorioso benignitatis nomine cohonestet, & sub aspectabili pietatis cibo, hamum tentationis ad conscientiæ læsuram abscondat. O profundas Diaboli altitudines! O versutissima tentationum ingenia! Dum ad vitij dedecus, homines astutus dæmon pertrahit, illustre benignitatis elogium ambit, sic in terris est augustum benignitatis nomen & latè serpens beneficentiæ fama, ut malus dæmon, qui benignitatem fastidit, & dire execratur, beneficentiæ titulo se cohonestare perversa ambitione negotietur, & ut in angelum lucis se transfiguret varias fraudes, & dolos meditatur? *Quas vid. Tract. 92. disc. 2.* Et idcirco cum Christo in tentando, conditionem operis proposuit, per quam in Deo, ex mutatione lapidum in panes, virtutem agnosceret, & in homine oblectamento cibi, patientiam esurienti illuderet sicque ad graviora paulatim induceret: solicite enim dæmon curat, ut in peccata levia pertrahat, ut hac ratione ad graviora committenda pedetentim inducat, *tr. 76. d.1.*

Qui respondens dixit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Notant D. Hieron. & Haymon, in homil. *Quod Dominus omnia testimonia contra Diabolum de deuteronomio sumpsit. Deuteronomium secunda lex dicitur, & designat Evangelium, dataque hoc facto Dominus exemplum, ut quoties à Dæmonibus vel malis hominibus impugnamur, ad sancti Evangelij authoritatem confugium faciamus.* Sacra enim Scriptura, ac præcipuè sanctum Evangelium remedium est contra omnes tentationes: nulla enim potest esse tam gravis tentatio contra quam non habeamus levamen ac subterfugium in S. Scriptura si illam diligenter evolvamus, ipsa enim scriptura efficax remedium est ad tentationes propulsandas, *Tract. 92. disc. 16. num. 11. 12. & 13.*

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Si quispiam alius, & non corporata ipsa Dei sapientia hæc respondisset, humanæ nostræ tenuitati contra arguere liceret, scilicet, Christus de quadraginta dierum inedia valde esurit & quidem in deserto, ubi mala annona suppetit: Ergo famelicus, oblatos panes ad alimoniam acceperet, nec omnia illi ad sustentationem jam deerunt. Esto, non cum solo pane vivat homo, sed ab quo obsonio, ad ægram diu vitam sustentandam indigeat? igitur accipiat panem, ne omnium indignus sit in deserto? Imo, qui valde esurit, panem in delicijs habet: nam panis, quantumvis agrestium dapum condimentum est, & vel solo pane fames interim pellitur, saltem acceptet panem, & sic panis, & simul obsonium, esurienti non deerunt. Qualis ergo est hæc ratio: *Non in solo pane vivit homo?* Verum vel maxime hæc ratio suscipienda, & adoranda est, quippe quam incarnata Dei sapientia moralissime dictavit: Quod solus materialis panis homini non solum sit necessarius, sed & mysticus ille panis, scilicet Verbum Dei, quo vita sustentatur spiritualis, & corporalis conservatur; Quo nomine congrue appellatur, *Tr. 83. d. 11. 24. 3. & 4.*

Non in solo pane vivit homo. Quærit hic S. Thomas: Cur renuerit Christus panem è petris ducere? Cuinam virtuti hoc præjudicabat? Contra præceptum neutiquam, jejunium nequaquam solvebat, quod jam absolverat, gulæ nequaquam indulgebat; Cur ergo sibi esurienti, quantumvis miraculose in necessitate, & in deserto non provideret, qui turbis in deserto esurientibus mirabiliter providit, & filios Israël in deserto miraculose pavit? Quin & miraculose statim Angeli Christo cibum detulerunt? Cur igitur noluit lapides in panes commutare? Respondet S. Doctor: *Potuit absque peccato lapides in panes commutare, sed noluit, quia diabolus suggerebat.* Quo docere voluit Christus, quod etiam à levissimis rebus, seu apparenter levibus peccatis solicite abstinendum sit, si vel inde ansa detur ad majora mala, eo quod per illa levia dæmon nos multum illaqueet, *tr. 76. d.5.*

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi. Vox, pinnaculum, valde angit Doctores, & in varias sententias dividit. Ad rem Remigius: *Pinnaculum, sedes erat doctorum.* Videlicet diabolus frustratur successu tentationis primæ, quæ gulam suadebat & palati voluptates: Christum inde allicere cupit ad jactantiæ, & inanis gloriæ ambitionem, & ita Jesum ducit, non in regum curiam, ubi tota politia ambitio est: Non ad principum palatia, ubi æstuat superbiæ jactantia, & elationis fastus; Sed ad pinnaculum templi ducit, quod sedes erat doctorum. Opportune quædam Glossa, apud S. Thomam: *Ideo duxit eum super pinnaculum, cum vellet eum de vana gloria tentare, quia in cathedra Doctorum, multos deceperat inani gloria, & ideo putavit ipsum positum in sede magisterij inani gloria extolli posse.* Nempe astutissimus dæmonum cum ardenter cuperet, Christum, quem suspicabatur Deum esse, pellicere ad studium inanis gloriæ, in sede magisterij, & suggestibus Conionatorum statuit, quasi hi litterarij homines maximam vim habeant ad promovendos humanos animos ad jactantiam. Caveat ergo Christianus Doctor, & Evangelicus Ecclesiastes, ne divini eloquij argentum purum & defæcatum adulteret *inanis* gloriæ admixtione. *Conionator*, qui plausus amabit, contemnit persuasionem, *Tract. 83. disc. 48.*

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. Malitia nullis eventibus frangitur, & quamvis diabolus victus esset in prima, & secunda tentatione adhuc ad tertiam procedit, & quia frequenter loci mutatione mutatur affectus, ideo de uno loco, ad alium transfert Christum, ad ipsum superandum, & provocandum, in montem excelsum, & quamvis sit locus aptus ad multa ostendenda, nullus tamen est mons tam sublimis, ex quo omnia regna possent conspici: Cur ergo ad hæc ostendenda in montem Christum constituit? Respondet D. Anselmus: *Tentaturus de avaritia in montem ducit, quia ambitio semper alta petit.* Interlin. *super montem superbiæ omnis erigitur.* Mons enim superbiam significat, ad hos montes diabolus Christum ducere festinat, ut in lapsum pertrahat, ut per quos ipse corruerat, etiam cæteri corruant: Superbia enim vitium diabolicum est, ortum à dæmone trahens, eaque dæmon plurium animarum prædam agit, *tr. 90. d.2.*

Mitte te deorsum, scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te &c. Syriaca versio legit in futuro, *mandabit te.* Astutus diabolus, ut facile suadeat ruinam, scripturam adducit, ac si dicat: Ne timeas præcipitium, quoniam scriptum est, quod angelis suis mandavit, de quorum numero ego unus sum, si te præcipitaveris, & in manibus te tollent. O nefanda artis astutia, qui viderat se à Domino responso legis fuisse percussum, jam non tantum nequitiæ suæ armis utitur, in quibus inutilis repertus est, sed & ipse legis testimonium mutuatur, & deinde tentat vincere, unde dolet se fuisse jam victum, ait S. Chrysost. hom. 5. Adducit enim eo fine diabolus scripturam, ut in gravissimum peccatum, Christum Dominum impelleret, dum de confidentia divinæ benignitatis, ac protectionis, se in præcipitium

ac ruinam daret, confidens de auxilio Angelorum. Hoc hodiedum dæmonis techna est, specie misericordiæ divinæ in peccata inducere, & facere pœnitentiam procrastinare, ut tandem in hora mortis in præcipitium desperationis inducat, *tr.71. d.17.*

Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim, quoniam angelis suis mandavit de te. Diabolus malitiæ princeps, & tentationum Præses inde cœpit tentare in deserto, unde jam in paradiso vicerat. In Paradiso enim cum muliere loquens, gravitatem peccati abscondit, dicens: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod quocumque die comederitis ex eo, eritis sicut dij:* Hic vero similiter & gravitatem peccati abscondit, & Dei notitiam eripit dum mediam scripturæ partem dimisit. Pulchre sanctus Bernardus serm. 14. *Quid maligne Angelis mandavit Deus? Nempe ut custodiant te in omnibus vijs tuis: Numquid in præcipitijs? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc sed ruina, & si via est, tua est, non illius, id est, Christi.* Dæmonis scilicet via erat, per quam in gravissimum præsumptionis peccatum, & Deum tentandi, impellere nitebatur: Nulla enim major est iniquitas, quam ut divina misericordia nobis sit argumentum in lapsum, & ruinam: Unde Gregor. Magn. in lib. 1. Reg. cap. 3. *Peccare & de Dei clementia præsumere, pelago justitiæ ejus exponi est.* Hanc Dei justitiam abscondit, & peccati gravitatem scripturis velat, ut seducat: hoc enim Dæmonis genius est, peccatori primo Dei, quem ostendit, deinde gravitatis peccati, notitiam eripere, ut hac ratione excœcatus peccet, *tr.72. d.3. & d.4.*

Mitte te deorsum. S. Hieron. exponens illa diaboli ad Christum verba, quibus eum in templi pinnaculo constitutum inducere voluit, ut se deorsum mitteret, ait: *Vox diaboli est, qui omnes semper cadere deorsum desiderat: Persuadere potest, si ipsi nolimus: Videte ergo fratres,* subintrat S. Bernard. *quam debilis est hostis noster, qui non vincit, nisi volentem, Tr. 92. d.12.*

Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi &c. Tunc dicit ei Jesus: Vade Sathana. Superbissimus est dæmon an audacissimus? Suspicatur saltem Christum esse Deum, & præsumit se ab illo adorandum? Astutissime dæmonum, quid te erexit in hanc temeritatem, vel ut levi suspicione existimares Christum semel, & iterum victorem, te nihilominus adoraturum? Sane scit versutus dæmon tam impotenter ferri hominum mentes in regnandi desideria, ut vel Christum, cui pro adoratione pollicitus erat regna mundi, præsumpserit attrahere ad delictum spe regnandi. Unde audacter præsumit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo*, & credidit se vel Christo facturum periculum, ob regni ambitiosi desiderium, hominibus ingenitum: quia enim per superbiam protoparentes nostros dedit præcipites, perfectos quoque quo suis alio etiam Christum, ad eamdem ruinam, & casum pertrahere nititur, *Tract. 90. disc. 3.* habet ambitio suum periculum, ait Ambros.

Tunc dixit ei Jesus: Vade Sathana. Expensione dignissimum est, quod etsi Christus Deus probe noverat hactenus, quod tentator ille audacter temerarius erat Sathanas, numquam tamen hoc contumelioso vocabulo illum dehonestaverat: Nunc autem hoc probroso nomine illum infamat. Quid novi in hac tertiâ tentatione invenitur, quare Christus hanc contumeliam nominatim jactaverit, qua in reliquis tentationibus abstinuit? Cajetanus sic acute respondet: *Quia diabolus manifestaverat se esse Principem mundi: Ideo Jesus non respondit illi, sicut homini ut prius, sed expellit eum: Vade Sathana.* Scilicet, non in reliquis tentationibus, sed in hac dumtaxat dixerat tentator se esse principem mundi, & rectorem tenebrarum harum, superbe de se præsumens, & idcirco illum Christus expellit: Deus enim superbis resistit, eosque detestatur & aversatur, *tr.90. d.9. & d.10.*

Tunc reliquit eum diabolus: Et ecce angeli accesserunt. Bene Anonymus in Caten. Græca: *Legitimè pugnanti, inquit, agonum reperitur terminus, quod adversarius, vel sua spontè cedat vincenti, vel trino casu deponatur secundùm pugnatoriæ artis decretum.* Ille itaque dæmon, fessus ex repetitis à Christo reportatis victorijs, confusus & tacens abscedit. Sic fugit diabolus, & eos expavet viros, qui viriliter primis ejus conatibus resistunt? Ita est. Unde bene S. Hieronym. monet: *Dum parvus est hostis, interfice, nequitia elidatur in semine:* Nam inter alia, contra dæmonis tentamenta hoc efficax remedium est, *tr.92. d.17. n.1. 2. & sequent.*

Tunc reliquit eum diabolus: Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Nullatenus dubitandum est, quin Angeli semper Christo fuerint præsentes, & ministri licet ad horam se elongaverint, consentiente Christo, *præcipiente Domino recesserunt angeli*, ait D. Chrysost. in imperf. *ab eo, ut locus diabolo adversus Christum daretur: Ne forte angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum.* Non adsunt ergo pugnanti, ut præsidium, & auxilium conferant, & adsunt victori. Numquid victoria, quæ est humanarum felicitatum maxima indiget præsidio? Nullo modo. Adsunt, ut hauriamus hinc documentum, in quanta æstimatione solitudinem Deus habeat, *tr.89. d. 9.* In qua per ministerium Angelorum strenuè pugnantibus, & vincentibus consolationes divites submittit, *Ibid. d.7.*

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.
Matth. 15.

E*Gressus Jesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Morale est, valdeque humanum ut bona nostra non adeo reclusa sint, intra domus propriæ parietes, quin saltem vicinis prosint: Nonne panis vivus Jesus de cælo descendit, ut filios Israël salvaret intra domus Jacob limina? Sed ecce vicinæ gentes ejus odore excitantur, ut vel de micis capiant, quapropter Tyro & Sidoni vicinus Dominus ägit. Potens est vicinitas, ut vel humana corda ad benefaciendum trahat: Sic non sibi suas delicias claudit paradisus, de illis vicinas terras ditat, ut totus Oriens aromatibus dives, bonitatem & præstantiam prædicet vicini. Utinam sic de nostris bonis ditescant vicini! Porro cum nominem Vicinos, statim sese mihi offerunt, nobilissimæ illæ animæ, quæ ex hoc ergastulo discesserunt, & adhuc nostri sunt vicini, & propinqui, qui in purgatorio degunt, quibus exemplo suo succurrendum docet Dominus, *tr.86. d.4. & d. 8.*

Miserere mei Domine, fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur. Chananea hæc fœmina, ut vicinum Jesum ad misericordiam trahat, proponit filiam à dæmonio vexari, durum sane est, & omni misericordia dignum, quod filia sub carnifice dæmonio agat, sub quo etiam mancipia nos moverent ad pietatem: Ecce nobiles spiritus in purgatorio existentes, filij Dei omnes sunt, & tamen à dæmonibus male vexantur, ab ipsis dæmonibus carnificibus maxime torquentur, ut expendit D. Synesius Epist. 44. dicens: *Dæmones quidem expiandis sceleribus præsunt, eamdem in animis hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent.* Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris cum & calcibus subiguntur & nitro perfricantur, & omni ratione depectuntur? Quantis, putas, cum cruciatibus veteres sordes, & insitas penitus maculas elutum iri? Heu tristis filiorum Dei conditio! qui velut sordida vestis sub fullone, sic sub dæmonis potestate subiguntur, perfricantur, depectuntur, excruciantur, *Vid. tr.89. d.2. & d.3.* Horum ergo vicem non doles? His filijs Dei non faves? Quibus si subvenire vis minimis rebus subvenire, & è dæmonum unguibus eripere vales: Scilicet, si micas offeras pro illis, nam & catelli edunt de micis dominorum suorum ajebat Chananæa, ut acciperet liberationem filiæ à dæmonum vexatione: Et tu cum micis cum paucis orationibus, parva eleëmosyna, cum participatione mensæ cœlestis eos Dei filios poteris à potestate dæmonum, è purgatorio eripere, *Ibid. d.9. d.11. & 12.*

Miserere mei Domine fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur. Familiaris Chananæis mos erat, diabolis sacrificare, cum quid adversi ab eisdem paterentur, ut sic eorum iram placarent ne rebus eorum nocerent. Porro, O Chananæa mulier, si diabolus est, qui filiam tuam excruciat, cur eum non rogas ut desinat excruciare! O admirabilis mulier! credidit nullas dæmoni esse vires ad filiæ lanienam, nisi quas ei Deus permisisset, licet enim diaboli voluntas perversa sit, & ad omne malum prona, potestas tamen, quam habet, justa est, quia enim à Deo habet, & ne minimum quidem amplius potest, quam Deus ei concessit, ac proinde nulla est ratio ad Diabolum recurrendi. Lædit Magister puerum virgis, virgas puer non rogat, ut cessent eum verberare, sed conversus ad præceptorem, infusus lachrymis supplex postulat, spondens emendationem, desistat ipse à verberando: Ita, ita plane agit, & instruit Chananæa, ut non ad instrumenta divinæ justitiæ, & pœnas peccatorum famem, siccitatem, pluvias, pestes de sese proripiat peccator, sed ad ipsum scelerum ultorem Deum, qui hisce malis peccata punit, & in pœnam peccatorum præordinavit, *tr.78. d.4. 5. 6. 7. & sequent.*

Miserere mei Domine, fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur. Luctum miserabilem, & matri spectaculum morte acerbius? Quam filiæ calamitatem matris lingua sic exponit, Sanct. Basil. Seleuc. orat. 20. *Dæmon, inquit, adversarius cum puella congreditur, & hostis invisus contra puellam prodit in aciem, quomodo rei gravitatem efferam? Quomodo malum prædicabo? Non ipsius aspectus difficultatem fero, domo exiliens urbe pervagatur, in altum manus extendit, oculos distorquet, comam nudat, atei ululatus canum latratibus haud absimiles, videt nec videt, cursu fertur, Miserabile ejus est sluentium, & loquitur dolentius, supplicium nullas capit inducias, noctes etiam sine somno absumit, dies noctibus nocentiores experitur, cubili exilit, in summa dæmoni receptaculum filiam peperi.* O tyrannidem inexplebilem, qua tenerrimam dæmon cruciat puellam? Sed non mirum; per peccatum enim eam fecerat suam, eique sic dominabatur. *Magnus Dæmon*, ait Citat. Basil. *peccatum est*, incomparabiliter majoris potentiæ & malitiæ, quam sit ipse dæmon. Qui Dæmonium patitur, misericordiam invenit, peccator autem, quamdiu in peccato obstinatus persistit, omnis est misericordiæ incapax: Dæmon enim per peccatum, peccatorem totaliter suum facit, sine quo alias adversus eum nequidquam valeret, *tr.71. d.16.*

Fili David miserere mei: Filia mea male à dæmonio vexatur. Prudens negotiatrix juxta ethymon nominis sui Chananæa, ut filiæ optatam salutem nanciscatur, sibi plane diffidens, suisque regionis civibus, & incolis, à finibus illis egreditur, spreta omni medicorum scientia, & ope fiducialiter verum animarum, & corporum medicum accedit Jesum, filium Dei appellat, & totam spem, & fiduciam in eum jactat, quatenus gravissima hac dæmonis tribulatione eo tempestivius liberetur, quo fidentius accedebat, jam tum divinis Psalmista oraculis credens, qui Psal. 90. ait: *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Super quæ verba Sanct. Bern. serm. 15. super Psal. sic ait: *Si tamen cognoverit nomen meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam.* Et ideo filium David vocat, id est, filium Mariæ Virginis, ut explicat Remigius jam tum aperte docens, de primarijs efficacissimisque tentationum exuperandarum remedijs esse, nobis ipsis prorsus diffidere, omnem vero fiduciam in Deum constituere, eum sibi præsentem habere, ac ejus sanctissimum nomen invocare, *tr.92. d.16. à n. 1. usque 8.* Vide ergo quomodo Chananæa nullum non lapidem movet, ut optatam filiæ sanitatem impetret: Perseverat pulsando, è peccatorum finibus exit, Christi auxilium requirit, indefesse Christum sequitur, canem se confitetur, & fidei actus identidem repetit, nam licet Deus singulariter in tentationibus assistat & protegat, attamen ex parte nostra cooperationem requirit & postulat, *ibidem disc.14. & d.15.*

Qui non respondit ei verbum. O inhumanitatis obtentu silentium longè humanissimum! O silentium pigritiæ nostræ in orando vocalis accusator, & ad perseverantiam in precando eximius incentor! O fides! O prudentia & providentia? *Curationis dilatio*, ait Sanct. Basil. *fidei specimen, sanctionis prorogatio, fuit in muliere voluntatis probatio: potius vero Domini silentium, Chananææ commendatio. Quod tandem salvator, quid silentium aperiat, aperit: O mulier magna est fides tua! Ideo tibi gratificari distuli ut fidem tuam in exemplum proponerem, non obticebam ex inclementia: Sed ut præscius quiescebam, expectabam, dum fidei tuæ amplitudinem patefacerem.* Nempe Christi silentium, cunctando beneficij largitionem differt, ut cum fœnore donet: Deus enim in hoc sæpe suam erga ostendit providentiam, dum nobis non providet, idque in manus bonum nostrum, *tract.85. disc.13.*

Qui non respondit ei verbum. Quam novum & inauditum, est hoc, ait Divus Chrysostomus hom. 34. in Matth. Judæos ingratos rationibus inducit Dominus, & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit, hanc autem quæ sponte venit, quæ deprecabatur, quæ quamquam nulla lege, nullis prophetis fuerat communita, tamen tanta cum reverentia accessit, nec responso dignam putare videtur? Valde sanè mirum est, quod huic sitienti atque avide currenti, fons aquæ vivæ claudatur, uti ei verbum non respondeat: O Chananææ pietas, quæ dum post Christi silentium rogando perseverat, & perseverando silet, sublime silentij meritum & encomium evulgat, scilicet, quod orationi suffragetur, devotionem nutriat, & ad lucrandum spiritum conducat, *tract. 88. disc. 4.* Nam dum Chananæa patientissime silet ad silentium Christi, plurimos virtutum actus elicit, silentium enim talium virtutum actus proferre ferax est, aliaque bona spiritus, efficax ad perfectionem medium, *ibidem disc.2.* Igitur nil mirum, quod protinus filiæ sanitatem negotietur, & dæmonium procul abigat, cum enim dæmonis una cura sit, ne linguam custodiamus, cunctas ejus vires, & insidias, quas nobis struit, reprimit silentium, *ibid. disc.7.*

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Unicam habebat filiolam mulier, eamque dirissime afflictam à dæmonio, quomodo igitur illa tolleret filiorum panem & canes cibaret, quæ filios non habebat? Respondet S. Chrysostomus hom. 17. ex varijs in Matth. *Hæc autem ad opprobrium dicebantur Judæorum, qui filij vocati, canes effecti sunt, dicente Paulo: Videte canes, videte malos operarios, ad Phil. 3. Malitia enim sua meruerunt à filiatione Dei deturbari, & in miseram canum conditionem degenerantes devenire. Canes appellat*, subdit Sanct. August. lib. de gratia novi testamenti, *Non re, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes. Hæc enim canum natura, ut cum quibus habent consuetudinem, sive illi boni, sive mali sint, non ad eos latrent insolitis autem personis visis & jam innocentibus irritantur:* Et alijs multis ibidem in illa gente canum naturam prosequitur. Quæ ex eo probatur, quod rabie & furore excandescens ille populus in Dei filium, non aliunde provocatus, nisi quia novam doctrinam, in veteri lege sub cortice literæ contentam attulit, aperuit, & declaravit, ipsi sibi causa fuerunt malitia sua, ut in hanc canum naturam transformarentur, admirandam profecto metamorphosin, quam vilissima eorum peccata efficiunt: Peccatum enim bestia est, peccatores vero bestiarum passim nomen merentur, *tr.71. d.13. & d.20.*

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Moralissimus Seneca Epist. 37. *Vidisti aliquando canem, missa à Domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? Quidquid accepit, plane integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat.* Idem recidivis peccatoribus evenit, quidquid voluptatis fortuna expectantibus projecit, id sine ulla cunctatione demittunt, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti, similes canibus, qui ad vomitum redeunt, *tr.75. d.1.*

O mulier magna est fides tua: Fiat tibi sicut vis. Res magna ponderatione digna, ait Reverend. P. Joannes de Sylveira, quod piissimus Jesus hanc afflictam mulierem, in qua tot tantæque virtutes resplendent, tanta angustia premi, & cruciari patiatur? O Jesu, latronem liberasti, meretricem Virginibus prætulisti, & solam miseram hanc mulierem despicis deprecantem? Ut ait Antiquus Origen. hom. 7. de divers. Cum qui cito dat, bis det. Illa sequitur per viam, ille absens fugit: Illa clamat, ille tacet: illa ad pedes provoluta humiliter deprecatur, ille severè repulsam impingit, canem vocat. Si domine in has terras donaturus advenisti, ad quid hanc virtuosam mulierem sic exerces, & afflictæ misereri differs? Ideo, quia virtuosa est, exercetur per patientiam, ut talis esse agnoscatur: Patientia enim lapis quidam lydius est, ad quam vera virtus & spiritus comprobatur, *tr.68. d.9.* Et ubi fidelis fuit inventa, hic lapis patientiæ, qui fidelem effecit victoriosam reddidit: *Fiat tibi sicut vis, ibid. d.14.*

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

E*Rat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum Luc. 11.* (Miserum illum hominem diu dæmon pertinaciter obsederat, & inde diuturnum fixerat domicilium, difficillime se abigi sinit, sed totis tartarorum viribus divinæ omnipotentiæ obluctari præsumit, quam arduam dæmonis expellendi difficultatem, & reluctantem dæmonis excantandi obstinationem denotare & insinuare illud to, *Erat*, interpretes observant. Nil Christo Deo difficile erat, qui toto cognatæ omnipotentiæ adnisu miracula patrabat, sed difficultatem humanitus repræsentat, ut ostendat, quam sit de se arduum quod assiduitate assuevit, habituatum peccatorem (qui per hunc Dæmoniacum notatur) in statum salutis reducere, *tr.73. d.6.*

Et sane admiratione dignum est, quod Dæmon, juratus hominis hostis, hominis linguam impedimento ligarit. Si enim astutus dæmon per linguæ usum intravit, cur aditum claudit, ne alia etiam vitia per linguam valeant in hominem intrare? O insolenter pium dæmonem, aut humanæ malitiæ avarum, qui uno vitio, per quod intravit contentus, cæteris apertas fores benigne claudit, gratulor jam hominibus, dum minus sævum, quin & benignum magis infernalem hostem habent, cui uno linguæ vitio contentus, cæteris aditum præcludit. Scilicet non est dæmonis benignitas oppilare plurium vitiorum ingressum, sed nequior sævitia est: agat enim altas radices unum vitium, etsi alijs simul oppiletur ingressus, unum illud medullitus incorporatum perniciosius est, de inolita consuetudine, quæ à primis annis cepta, promptos ad peccata multiplicanda efficit, quorum malus usus tandem in naturam, & necessitatem degenerat, eorumque difficile est remedium, *ibid. disc.1.*

Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Cum mutus est, surdus inde probatur, addit etiam Sanct. Matthæus, Cap. 12. cæcum fuisse: Vide ergo diabolorum tyrannidem, & pietatem Salvatoris adora opportune hunc locum Theophylactus elucidat: *Qui ad Dominum adductus est, & lingua & auribus impeditus erat: Figura autem hic est huma-*

humanæ naturæ , quæ à dæmonibus detenta non potest audire sermonem Dei multoque minus loqui valet. At Dominus postquam venerit , dæmonesque effugaverit , dæmoniacas affectiones , & opera nequam , fecit nos audire , & loqui veritatem , &c. Alte appellat dæmoniacas affectiones , quia atrocitora dæmonum officia in hominibus obeunt : Peccatum enim quasi quidam dæmon est , per quod & peccatorem dæmon suum effecit, *Tract.* 71. *Disc.* 16. Qui enim passionibus agitur , dæmoniacus est , & quasi dæmonis filius. O quis hos intestinos dæmones excantet ? An dæmoniacæ affectiones nominantur quia sunt dæmonum arma , voluptatum Vigor & tentationum energia ? O quam foret imbecillis , & inermis tota diabolorum vis, nisi pravæ humanæ affectiones eam obarmarent, inde enim dæmonis filius & dæmoniacæ pathiones vocantur , quibus obarmatus,crudeli tyrannide in homines agit,& eorum perditionem machinatur,*tract.cit.a.d.*17.*& d.* 18.

Erat Jesus ejiciens dæmonium , & illud erat mutum. Dire & impie hunc hominem dæmon vexabat , quem cæcum , surdum & mutum effecit , & uti Albertus Magnus in cap. 12. Matth. advertit , etiam intellectus usum obstruxit : *Mutum fecit* , ait , *hoc est malitia dæmonis interitus impedivus usum veræ rationis.* O crudelissimus hostis, qui non solum hominem expoliavit , à sensuum facultatibus,sed etiam usum rationis impedivit, ne homo videret , intelligeret , ac discursu apprehenderet Deum , quem graviter offendit , suumque miserrimum statum , infirmamque conditionem in quam per peccatum dejicitur ! Hoc enim unicum dæmonis erga peccatorem studium est,ut hoc modo obcæcatus in peccatum merito tenebræ,& cæcitas vocitatur ? *ibid.d.*4.*& sequent.*

In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Veritatis osores Pharisæi , dum Christo veritatis authori , qui de se ait : *Ego sum via , veritas , & vita* , maledica lingua detrahunt , id de dæmonibus nescientes propalant , quod ipse Christus facto ostendebat, scilicet, infirmos admodum esse dæmones : Quomodo enim fortes ? Quorum princeps adeo debilis , ut musca vocetur ? Beelzebub enim interpretatur musca Deus : Nam licet inquieti , & importuni sint spiritus, ut musca tamen abigi possunt , adeo infirmi : Præsertim si à nostra voluntate non secundantur , *Tract.* 92. *Disc.* 12.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur , & domus supra domum cadet. Quamvis Dominus sua divina potentia , ac magna pœna inflicta posset Pharisæorum impudentiam compescere : Tamen non potestate sed ratione , ac magnis adhibitis argumentis utitur , dicens : *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Concordia enim res parvæ crescunt , discordia autem omnia ruinantur : Discordia enim regna destruit , quæ pax erigit. *Tract.* 70. *Disc.* 10.

Cum immundus spiritus exierit ab homine , ambulat per loca inaquosa , quærens requiem , & non inveniens , dicit : Revertar in domum meam , &c. Profecto expensione dignissimum est , quod immundus spiritus , illuvie peccatorum squalidus , per legitimam pœnitentiam ab homine peccatore expulsus , sic loca arida horreat , quasi ad aquas anhelet , imo quod nuper desertam à se domum sordidam , ad eam , per pœnitentiam scopis mundatam , redire cupiat. Aquisne salubriter ablutam & scopis mundatam domum diabolus semel expulsus exambit ? Insolens plane videtur hæc diabolorum ad reditum appetentia ? Quæ enim est hæc diabolicæ munditiei insolenter ambitio ? Moralissime Magnus Gregor. 3. part. pastoral. Admonit. 31. *Admonendi sunt , inquit , qui admissa plangunt , nec tamen deserunt , ut considerare solicite sciant , quia flendo inaniter se mundant , qui vivendo nequiter inquinant , cum idcirco se lachrymis lavant , ut mundi ad sordes redeant : & qui admissa plangit , nec tamen deserit , pœnæ gravioris culpæ se subjicit , quia & ipsam , quam flendo potuit impetrare veniam contemnit , & quasi in lutosa aqua seipsum volvit : Quia dum fletibus suis , vitæ munditiam fabricabit , ante Dei oculos sordidat ipsas etiam lachrymas facit.* Heu fœtens & immundum stagnum peccatum ? Ad cujus immunditiam, velut ad lutosam aquam sic dæmon anhelat, *Tract.* 71. *Disc.* 11. *& Disc.* 12.

Tunc vadit , & assumit septem alios spiritus secum , nequiores se , &c. Juste miramur , cur hic malus dæmon, qui hunc hominem possidere cœperat , rationis ac virtutis arce à vitijs expugnata , advocet , & secum assumat dæmones alios nequiores se ? An quia homo ille jam vacans, & otiosus à plurimis , ipsisque nequioribus diabolis agi videtur ? Quasi otium conferat eam dæmonibus opem , ac si illos potentiores & nocentiores redderet ? Nempe malus dæmon totius gehennæ incendio torretur , & omnibus inferorum cruciatur tormentis , nihilominus audacter quærit requiem , & tot ærumnarum levamen. Ubinam vero ? Peropportune Hugo hominem desidem , & otiantem , affirmat esse diabolorum requiem , sic super cap. 51. Jerem. scribens : *Nolite stare otiosi , quia ad domum vacantem , unde exivit diabolus reverti tur , & habitat cum septem spiritibus nequioribus , & sunt novissima hominis illius pejora prioribus : Unde Matth.* 20. *Quid hic statis tota die otiosi , Hieronymus , ne te diabolus inveniat otiosum.* Scilicet homo vacans , & otiosus , ita adulatur vitijs , sic obsecundat malo dæmoni , ut diaboli sit apta habitatio , ac dæmonis requies : Unde dæmon quærens requiem , habitat in homine otiante , & vacante , tamquam in centro suo quiescens , *Tract.* 91. *Disc.* 7. Aut si mavis sic accipe commentationem Hugonis : Ut homo otians sit dæmonis requies , quia dæmon aut nihil , aut parum laborat in illo tentando : Otiositas enim pro dæmone tentatore est , jure namque cessat dæmonis astutia ad tentandum , ubi otiositas sagaciter, & pernitiosius instigat otiosum ad omnes nequitias,sic est otium fomentum , & incentivum tentationum pravarumque immundarum cogitationum seminarium,improbitatis & vitiorum fons,ruina virtutum,*ibid.* *d.*8.*& d* 9. *maxime Num.*8.

Tunc vadit , & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Ut hostis capitalis per contrariam vim in assultibus repressus , acrioribus famulis pugnam instaurat , ita diabolus per pœnitentiam semel ejectus , majoribus technis requiem in anima hominis exoptat , quem cum ad recidivam impulit , requiem quam quærebat , invenit. Hic vero recidivus peccator non leviter in Dominum peccat , qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset , & hoc nomine illum Domino subjecisset , rursum eumdem regressu suo erigit , & exultationem ejus , seipsum facit , aut verustiss. Tertullian. lib. de pœnit. Cap. 5. Per relapsum enim dæmon corroboratur , & majorem vigorem nanciscitur,hosque relabentes sub tyrannidem suam magis astringit , ne suis unguibus relabantur,*tract.* 75. *d.*4.

Tunc vadit , & assumit septem alios spiritus secum , nequiores se , &c. Multimode versant hunc locum interpretes , ut exponant quonam pacto expulsus dudum dæmon, tandem redeat ad hominem aliis septem spiritibus se nequioribus associatus : adeo ut plus deinceps hominem illum excrucient : Respondet S. Chrys. Hom. 44. in Matth. *Cum dæmoniacis liberati fuerint ab infirmitate , si desidiores efficiantur , graviorem attrahunt adversus se phantasiam.* Scilicet tunc dicitur redire dæmon cum aliis septem,id est , innumeris dæmonibus secum se , nequioribus , cum ab homine jam expulsus propriam phantasiam,vermem & remorsum conscientiæ aliasque animi afflictiones subtituit , quæ illius vices gerant,illumque molestent, exercuient & depravent : *De quibus vid.Tr.*77.*d.*16.*usque d.*22.

Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Elegantem D. August. lib. 1. q. q. Evangel. Cap. 8. id de fidelibus interpretatur , qui per pœnitentiam abluti , ut canes ad vomitum & sus ad volutabrum revertuntur : Quibus pro septenario Dei spiritu , sunt septem nequissima dæmonia,quæ tandem in omne scelus eos præcipitant. *Qui enim* , ait Theophylactus , *priori supplicio non est emendatus , ad majora tormenta servatur , tamquam insensatus , & contemptor : sicut enim pejor est morbo , recidiva morbi , ita pejor est culpa , recidiva culpæ.* Quare subintrat Sanct. Chrysost. *Indulgentiæ ingratus est , qui post ventam peccat , sanitate indignus est , qui semetipsum postquam curatus est , vulnerat nec mundari meretur , qui semetipsum post gratiam , sordidat.* Ecce tibi quantæ sit , relapsus in peccatum homo , pœnæ reus , quantaque sit ejus culpæ enormitas , ob quam sic acerbe castigatur , non solum tamquam insensatus benefactoris contemptor,sed quia & difficilius à culpa resurgit,*tract.* 75. *disc.*2.*& disc.*3.

Tunc assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, &c. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Dicuntur dæmonia nequiora,ait Cardin.Toletus,non solum quia scelleratiora , sed etiam quia fortiora , & promptiora erant ad nocendum , & torquendum, ac ad peccata,& scelera provocandum,ut homo ille nocumentum gravius, & in anima,& corpore pateretur , fierentque novissima pejora prioribus. Non satis erat. Dæmoni arcem mentis,& virtutis expugnasse in hoc homine , ac vitijs occupasse , nisi & versute nequiores se , ad nocendum amplius in auxilium advocaret. Quæ omnia , Domino permittente , facta sunt , ut ex eventu pateat , quam sint crudeles , quamque crudeliter cum homine agant,quo inde excitati,eos summo odio prosequamur , ipsosque & eorum tentationes fugientes,minime eorum suasionibus, & consilijs acquiescamus , sed tamquam juratis inimicis resistamus,*tr.*92.*d.*17. Quibus vera modis eos superare possimus. *Vid.ibidem disc.*18.

Beata

Beatus venter qui te portavit , & ubera quæ suxisti. Sicut semen , ait doctiss. P. Joannes de Sylveira , in terram jactum fert fructum , juxta bonitatem & malitiam ipsius terræ , in quam cadit : Sic illa cœlestis Christi doctrina, non in malevolis & detractoribus , Scribis & Pharisæis ; Sed in una simplici , devota ac dolo carente muliere fructum edidit : Quamvis enim mulier esset circumsepta doctoribus , ac legismagistris , non tamen veretur nec timet , sed alta voce , & tota contentione , qua poterat, admirata Christi patientiam in tot blasphemijs sufferendis clamat è turba , & filium Dei confitetur. Ubi adverte, quod hæc mulier Christum Dei filium non agnoscit , quando celebre illud operatus est miraculum , bene tamen, quando illum tanta cum patientia blasphemias sufferentem vidit, per hanc enim se Dei Filium esse demonstravit, *tract.*68. *disc.* 3. *& disc.* 4.

Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud. Auditis mulieris verbis & eis , respondens , Dominus sumit occasionem , non ad se suamque matrem commendandam , sed ad sublimandum Dei verbum , custodiamque illius , utpote doctrinam omnibus pernecessariam; Unde ait : *Quinimmo* pro quo , D. August. legit , *Immo* , Jansen , *verto* Euthymius, *vere dico vobis.* Non negat Dominus , matrem suam esse beatam , sed ait , beatiores esse , qui verbum Dei audiunt, & custodiunt , hoc est opere adimplent. Nam esse matrem Christi , quamvis sit magna dignitas , per se tamen est gratia gratis data , quæ non facit animum gratum , charumque Deo. Deinde esse matrem Dei præcise , & per se non valet adducere ad regnum cœlorum in quo vera beatitudo sita est : At custodire verbum Dei , perseveranter usque ad finem vitæ , perducit hominem,ad visionem Dei, ac æternam vitam : Et ideo evidens signum , aliquem electum ad gloriam,est,si verbum Dei libenter auscultet,& opere adimpleat, *tr.*83.*d.*15.*& 16.*

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ
Joan. 6.

Cum sublevasset oculos Jesus & vidisset , quia multitudo maxima venisset ad eum , dixit ad Philippum : Unde ememus panes ? Cum ad Jesum confluerent turbæ , non poterant egestate laborare , & quamvis aliquos traxerit propria utilitas , tamen benevolo animo , ac affectu venerant : Et licet aliqui etiam sinistra mente venerint tamen ob scientiam bonorum cœlestibus bonis fuerant recreandi. Noli ergo , ô homo , solicitus avaritia opes providendo gemere, noli laborare caduca præparando , quia prandij tui semper & ubique Deus præparator assistit. *Quis Rex devotis militibus debitam non procurat annonam ? quis Dominus fidelis , fidelibus servis suis justa cibaria non ministrat ? Si ergo nobis Deus , & Rex , & Dominus quid negabit ?* ait Chrysost. Serm.163.*Stipendijs suis militans derogat miles regi , suis sumptibus vivens , dominum servus accusat , pro se solicitus filius culpat superfluitem patrem. Noli ergo homo exponere Deum pro te , taliter cogitando , qui & justitia regnantis , & dominantis studio , & generantis affectu , in se totam tui recipit solicitudinem , refudit, & curam.* Scilicet turbæ Christum sequebantur , indeque se maxime pignoratum agnoscit , ut eis in necessarijs provideret : Non enim solet Christus Deus suos sequaces vacuos dimittere ; Sed invigilat super illos , qui illum timent,illum sequuntur & serviunt, *tr.*85.*d.*8.*& d.*9.

Cum sublevasset oculos Jesus. Christus versans in vasta eremo , stipatus multa hominum turba , tam modeste agebat, ut notaverit hoc,quasi quid singulare,Evangelista. Quod mysterio nullatenus vacare putat venerab. Beda , sic fatus : *Dixit cum sublevasset oculos Jesus : ut disceremus , quia oculos non erigebat huc atque illuc , sed pudicè sedebat attentus cum discipulis suis.* Itaque tam impense gerebat dimissos ad terram oculos Jesus , & tam severus pudicitiæ cultor hac in re fuit,ut quia semel in eremo sublimavit oculos,curiose illud notaverit Evangelista , ut rem insolitam , quod pudicitiæ tribuit Beda : Ac si faceret ad pudicitiam Christi , tam diligens oculorum demissio. Et ita est , perfectio enim in fugiendis pro viribus nostris venialibus culpis & defectibus consistit, *tract.*76.*disc.*16. Et animæ timoratæ culpas etiam minimas fugiunt, *ibid.disc.*18.

Et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum , dicit ad Philippum,&c. turbæ Christi sequaces , triduanæ famis necessitatem non sentiunt nec subsidium expetunt , & Christus summe est solicitus de ope abundantius , largienda. O expromptam Dei beneficentiam ! O velut pie superbam orationis vim ! Imo necdum est oratio , & tamen consequitur impetratio , & de impetratione turbæ gloriantur. Sic verbum id Isai.65. *Electi mei non laborabunt frustra , quia semen benedictorum Domini est,& nepotes eorum cum eis , eritque antequam clament , ego exaudiam.* Nam licet non clamarent,nec escas peterent , quia has turbas ex solo Dei timore insertas aspexit inde ad hanc inopiam,& necessitatem antevertendam movetur Christus Deus : Timenti enim Deum nec desunt bona spiritualia,pariter & temporalia,*tr.*93.*d.*11.

Dixit ad Philippum : Unde ememus panes ut manducent hi ? Ad subveniendum penuriæ ac fami universæ hujus multitudinis cum Apostoli dicerent : *Dimitte eos in proxima castella :* Philippus objiceret , magnam difficultatem ducentorum denariorum panes haud sufficere , solus Christus de providendo præsenti necessitati quærit : *Unde ememus panes ?* Alta Dei ordinatione disponitur quod omnes Apostoli difficultates objiciant , ut in præsenti beneficio , ac in sublevanda hujusmodi necessitate , solus Christus recognoscatur author ejusdemque mira patefiat providentia , qua nobis providet , non solum tamquam nutrix , sed mater, utpote qui habet talem uniuscujusque in singulari providentiam,qualem universim habet de omnibus,*tr.*85.*d.*7.

Dixit ad Philippum: Unde Ememus panes,ut manducent hi ? Deus cœlesti pane pavit in deserto Israëlitas , Christus Dominus sui æterni Patris habens ingenium , ne in virtutibus inferior videretur , famescentes turbas miraculoso pane in deserto alit. At vero cur non Apostoli pietate commoventur super hanc multitudinem ut eis cibos quærant , sed solus Christus misericordia tangitur ut de providendis cibis solicitus sit ? Optime ad quæstionem , Thomas Beauxamis : Patrisfamilias est , non tantum filijs , sed & servis providere , adeo ut quid manducaturi sint , solicitus sit , cibumque exhibeat : Deus quoque optimus maximus cum sit omnium opifex , & pater , dat escam omni carni dat etiam fœnum jumentis , adeo ut omnia ejus impleantur bonitate , unde jus exurgit expectandi alimenta à Deo , utpote qui se à nobis tamquam patrem nostrum invocari voluit , & quidem qui omnia animalia pascit , multo magis filios suos sustentabit , *tr.*85.*d.*4. Et ideo securi curam nostram in Deum jactate debemus ut ipse nos enutriat : In Christum quoque omnem nostram confidentiam jactare , & illi adhærere , cum suos & sacro verbo , & Eucharistia pascat , nec defuturus sit , quin indigentibus succurrat : Siquidem illa fiducia quæ in Deum potius , quam in nostram industriam habetur , ab ipso Deo liberalissime compensatur , & maxime ad illos , qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam, ut ex facto hodierni Evangelij elicitur, *ib.d.*10. *Dixit ad Philippum : Unde ememus panes ut manducent hi ? Hoc autem dicebat tentans eum :* Quinque millia hominum in solitudine Chr. sequuntur , quorum pietate commotus statuit famelicos cibare , & in eum finem interrogat Philippum. Sed quam ob causam , quærit S. Chrysost. hom. 41. Philippum interrogat ? Cur non Petrum , aut Jacobum , aut alium quempiam ex Apostolorum proceribus consulit ? Hos enim consiliarios solet adscisscre , non Philippum. Imo nec Philippus , nec illius alius consulendus foret : Nam Christus Deus est , & divina scientia & perspicacia pollet , unde non opus est , ei quemquam consulere : Nam in quo divina providentia viget , opus non habet , quempiam interroget , cur ergo primum Philippum consiliarium advocat ? Respondet S. Cyrillus Alexand. l. 3. in Joan. c. 13. *Ideo Philippum interrogat , quia libenter Philippus discebat , quærebatque sapius , sed non erat adeo acutus , ut altiora posset intelligere : Quod inde patet , quia magno tempore Salvatorem secutus , & varia Deitatis signa in dies aspiciens , & tam rebus quam verbis ad cogitationem attractus , quasi nihil adeo didicerit , in ultimo dispensationis tempore , dicit ad Jesum : Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis : Ut ergo radiorem ad sublimiora ingenio consequenda , & ad fidem vocans, & roborans , rogat , & tentat.* Itáne Deus tentat , ut virtutem nostram eliciat ? Ita plane : Tentationes enim à Deo ordinatæ sunt ad exercendam , & perficiendam virtutem , profectuique nostro sunt utiles, *Tract.*92. *Disc.* 4. *& maxime Num.*4. *Disc.* 5. Agnatam superiori responsionem, subdit loc. cit. S. Chrysost. quia enim tunc temporis Philippus erat imbecillis fidei , ideo ut eum instruat , interrogat, & consulit , & tentat. O peritissimus Princeps , qui tentatione consultiores erudit , & peritiam , quam non invenit, facit : Sic ex tentatione non modica commoda emanant, *Quæ vid. Tract.cit. Disc.*9.

Accepit ergo Jesus panes : Et cum gratias egisset , distribuit discumbentibus ; Similiter & ex piscibus. Sanct. Evangelista Matthæus cap. 14. sequentibus verbis , magnam illam beneficentiam Christi , quâ se verum Deum demonstravit , exponit : *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus , aspiciens in cælum benedixit & fregit & dedit discipulis , panes , Discipuli autem turbis : Et manducaverunt quinque millia virorum , exceptis mulieribus , & parvulis.* Et in miraculi defensionem , superfuerunt duodecim cophini fragmentorum. Magnum planè prodigium

&c.

& dignissimum, ut inde, & agnosceretur Messias, & Rex Israël acclamaretur. Sed quid est, quod prius aspicit in cœlum, ut sublimissimum miraculum patret? Numquid velut indigus abundantiam postulat? ait Basilius Seleu. Orat. 33. Numquid oculorum elatione de cœlo accersit consilium? Numquid aliunde mutuatur beneficentiæ potestatem? An Ario materiam suppeditat, & Eunomij linguam armat blasphemias adversus Christum inquirentem? Non equidem; Sed Judæorum calumniam opprimere occupat: Semper enim Judæus amans est examinationis, & ex quibus fructum capit, quærelas captat: O perversum hominum ingenium, inexcusabile Judæorum scelus; æternis supplicijs dignum? Ex eo etiam Christum offendere, ex quo in ejus divinitatis notitiam devenire & poterant, & debebant? *Vid. Tract. 74. Disc. 7. & Disc. 8.* Ut itaque tam execrandam malitiam, & calumniam Christus præoccupet, oculos in cœlum levat solerter præcavens, ne qui beneficium accepturi erant, cognita ingratitudinis genio obmurmurent, melius enim est, non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti ab ea ait Apost. Petrus. Minus malum est, non cognoscere, & experiri divina beneficia, quam post eorumdem cognitionem peccando benefactorem offendere, *ibidem d.10.& d.11.*

Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cœlum, benedixit. Aspectus in cœlum facit illum suspectum impotentiæ. Alia enim grandiora miracula propria authoritate patrat, & ad hoc vires cœli auxiliares implorare videtur? Præclare S. Chrysost. hom. 50. in Matth. Hanc difficultatem tractans sic fatur: *Ac ne repugnantia quædam in ipsis videretur, in cœlum minora peractaras respicit; cum majora cum potestate à seipso faciat.* Nempe ostendit Christus, quam sit difficile, & arduum minora facere, cum majora facturus, nec cœlum aspiciat, rem communicaturus cum patre Deo, ejus quasi auxilium implorans, quod præstat ad minora facienda: Quasi in re virtutis difficilius sit minora, & obvia facere, quam majora, & quæ plus vitium exigunt. O præclaram eruditionem! qua instruimur, ne despiciamus parvæ, & ofcitanter illa, quamquam exigua negligamus: Peccatum enim veniale non minus fugiendum est, quam mortale imo forsan magis illo, *Tract. 76. Disc. 20.* Quia sæpius difficilius est abstinere ab exiguis noxis, & minutissima perfectionis opera solerter exequi, quam magna, & spectabilia, & quæ ob sui magnitudinem vires exerunt. O quoties magnorum hostium præclarus victor, ab exiguis & imbecillioribus profligatur: Sic Petrus, qui in horto audacter totam cohortem invadit stricto ense, in domo Principis Pharisæorum voce unius puellæ exarmatur: Sic sanctitatis proceres, qui magnas res animose perfecerunt, exiguis cesserunt, & victi sunt: Causa est, quia veniales nævi animas commaculant, nosque in charitate tepidos, & in bonis operibus, & contra tentationes debiles efficiunt, *ibid. d.7.*

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. Hæc verba habita sunt à Domino anno prædicationis illius secundo, ætatis vero trigesimo secundo, vigesimo secundo mensis septembris: Nimirum ultima festivitatis scenopegiæ, ad quam occulte convenerat: quibus verbis, & gravitatem peccati, & se ab omni peccato immunem ostendere voluit. Poterat quidem multis signis, & prodigijs se immunem probare ab omni crimine: Sicut pro declaranda sanctitate Moysis contra Dathan & Abiron factum est, ut consuetâ morte non perirent, Num. 16. & pro Samuële tonitrua facta sunt, 1. Reg. 12. Sic pro sui defensione multo majora signa edere valebat Dominus: Sed illis omissis non dedignatur Dominus ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare, D. Gregor. hom. 18. in Evangel. Sed infimul malitiam peccati ostendere voluit, quam patefacit, dum manifestat, quod contra se utpote innocentissimum sic debacchentur, cumque peccatorem criminentur, qui ipsâ justitia erat, & eorum intimus benefactor: Ex eo enim quod sanctitas, & bonitas ipsius Dei per peccatum læditur, qui nos tantopere dilexit, magnisque beneficijs ditavit, malitia notabiliter ipsius peccati augetur, *tr. 71. d. 5.*

Quis ex vobis arguet me de peccato? Mirabilem Salvatoris nostri in quibuslibet opprobrijs perferendis patientiam sæpe repetit divina scriptura, utpote Isai. 53. Apostolorum vertex, 1. Petr. 2. &c. Cur igitur præter morem tam honoris sui cupidus hanc quæstionem evolvit de se Dominus? Christus perlongum ad populum habuerat sermonem, adeoque prædicatoris officium exercens testatam suam voluit innocentiam, ut hinc discant prædicatores sibi esse ad laborandum, ut cum verbis, vita concordet, *Vide tr. 12. de prædicatione verbi Dei. 83. disc.*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Existimat hic Origenes Tom. 15. in Joan. Quod Christus hic sermonem habeat cum Judæis, qui crediderunt in eum fide nempe superficiali, quos filios Diaboli appellat, de eisque conqueritur. Cur vero potius hanc quærelam non facit de scribis & Pharisæis, sed de his, qui crediderunt in eum, quibus & alibi promissionem fecit, dicens: *Vere Discipuli mei eritis?* Majori dolore animum sauciat injuria de obligato beneficio, quam quodlibet crimen crudelioris inimici: qui enim crediderunt, maxime erant adstricti beneficio, ex divinâ benevolentia, accepto, inde eorum crimen gravius illis est, quam quodcumque aliud Pharisæorum, eo quod ab ijs, ut suis satisfaciant appetitibus, fons omnis boni turpiter rejiciatur, quæ summa injuria est. *Vid. tr. 71. d. 4.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Unum ex ijs in quibus melius cognoscitur, qui ex Deo est, est audire verbum divinum, cum attentione, affectu, & firmissimo proposito exequendi illud, sicut enim delectatur Venator loquens de astutijs venationis; Et medicus, de herbarum proprietatibus disceptans, & nauta de infortunijs, & mercationibus agens, oblectatur: ita etiam, qui ex Deo est, summa voluptate afficitur, cum de Deo loquitur, & audit. Et sicut gallinam optime conditam, si in asini ore posueris, non illam comedet, etsi optimus sit cibus. Si autem illi hordeum aut farraginem dederis, libentissime manducabit: ita si cum aliquo filio hujus sæculi de cœlestibus rebus disseruerit, eumque admonueris, ut peccata sua quotidie lamentanda in angulo sui fe, cubiculi recipiat, atque ut illorum veniam à Domino postulet, acceptaque beneficia consideret, &c. nihil effeies, tamquam cum surdo locutus: Hæc enim illi displicent, quia de sæculo est, lusus vero & deceptiones placent: ita è contra qui de Deo est, admonitiones, salubriora consilia, quibus ad Dei amorem stimulatur arrident, & placent: Et hoc signum evidens est eumdem ad gloriam electum, Deique spiritum in se habere, cujus spiritus ea natura est, ut carnalia opera fastidiens, spiritualibus rebus ac maxime divinis elogijs delectetur, *Tract. 83. d.15. & d.16.*

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Acutè Thomas Beauxamis Carmelita hic inquit: Sed numquid non in synagogis suis Moysen & Prophetas audiebant? Num non eos legebant? Audiebant quidem, sed aure corporis litteræ addicti, non ad ea quæ dicerentur, totâ animâ attendentes: Nam sive de Messia agebat lex, non adverterunt completa omnia, quæ de ipso sunt, oculis suis: Sivè de ceremonijs legalibus, has tantum carnaliter interpretabantur: Sive de præceptis legalibus, ea suis traditionibus pervertebant, ut proindè de his optimè locutus fuerit Spiritus S. per Isaiam cap. 6. *Vade ad populum istum & dic, aure audietis, & non intelligetis: Et videntes videbitis, & non perspicietis incrassatum est enim cor populi hujus, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.* Quod plane idem est, ac verbum Dei non audire, imo illud contemnere, quales proinde ex Deo esse non possunt, sed in æternũ reprobati, *tr. 83. d. 23.*

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Tanta semper fuit illorum infelicissimorum Judæorum rebellio, ac protervia, ut nec Prophetæ, nec Prophetarum Dominus salubrem cœlestemque doctrinam imprimere potuerit: Cujus malitiæ rationem hic Dominus reddit, dicens: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* O rigorosum verbum! Nam cum omnes gentes originem ex Deo se habere fateantur, quale hominum genus est, quod ex Deo non est? Responsio in promptu est: Scilicet discordes & jurgiorum seminatores, hi enim non sunt filij Dei sed Diaboli. *Tract. 70. disc. 8. & Num. 2. usque ad 6.* Unde Hugo Cardin. in hunc locum. *Ex diabolo estis non per naturam, sed per malitiam* discordiarum, scilicet vestrarum: Digni qui sic acriter perstringuntur & castigantur. *Ibidem, disc. 9.*

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Assignat hic Dominus causam, cur Judæi non ipsum, sed Diabolum tamquam suum parentem sequantur. Quod sic explicat D. Augustin. Tract. 42. *Sunt isti natura à Deo, vitia non à Deo.* Nam ut S. Joannes 1. Joan. 3. ait: *Omnis qui facit peccatum ex Diabolo est quoniam ab initio Diabolus peccat: Omnis autem qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet:* Semen autem est verbum Dei & ideo non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli.* Scilicet, ut exponit Lyran: quod hi non peccant mortaliter alij vero fiant filij Diaboli propter operationem peccati: quam filiationem homo sibi acquirit non ex prædestinatione aut reprobatione, sed ex propriâ suâ obstinatione, *tr. 71. d. 17.*

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Christus Deus, quo Evangelicæ fidei veritatem astrueret, longam cum Judæis habuit disputationem, cœlestem doctrinam micantius fulgurantem, & eorum peccata perstringentem: Cum vero adversarijs non occurreret, quid manifestis Christi rationibus responderent, ita Christus concludit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Judæi autem cum perspicuam veritatem refutare non evalerent, quantumvis adniterentur, ad contumelias, ad odia, irrisiones, & subsannationes confugiunt, quibus veritatem infuscare videantur: Peccator namque habituatus, quales hi erant, eum à quo monetur & corrigitur nequaquam amat; nec æstimat, nec ei credit; Sed ridet, contemnit, & odit, *tr. 73. d. 5.*

Numquid tu major es patre nostro Abraham? Patrem vocant Abraham, cujus genuinos filios se neutiquam præstabant: Ideo alia vice Christus eis exprobrat, dicens: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Filios hic vocavit eos, ait D. Chrysost. in Psal. 4. qui antea ex viris bonis nati fuerant, & Dei honorem perceperant: Deinde mutati erant: & evaserant deteriores, & suum honorem perdiderant. Ut enim magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem revocavit in memoriam, maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, & orti ex talibus, ad tantam se præcipitassent improbitatem. Quod pariter de Christianis intelligendum venit, quorum ex eo capite peccata plurimum aggravantur; Cum è contra qui ex ignorantia peccant, quodammodo excusabiles videantur, *tr. 74. d. 12. & d. 13.*

Tulerunt lapides, ut jacerent in eum. Hæccine retributio plurimis beneficijs digna? *Numquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa*, ait per Jerem. 8. cap. Dominus. Id est, quare sic contentiosus esse vult in aversione, ut obstinatâ impudentiâ superare contendat infinitam Domini bonitatem? O maligne pravam, & enormiter pertinacem humanæ malitiæ contentionem & audaciam! O insanam ingratitudinem hominum, qui non tam Deum offendunt, peccandi studio, voluptatis & ambitionis illicio, quam obstinata impudentia? Nil mirare: *Animo enim desperato nihil pejus*, ait S. Chrysost. hom. 54. Quamvis signa, quamvis miracula videat, in eâdem perstat pertinacia. Sic scilicet peccator, per consuetudinem peccandi habituatus, in profundum malæ conscientiæ, cœcitatis, desperationis, & æternæ damnationis corruit, *Tract. 73. Disc. 3.* Obstinata impudentia infinitam Domini bonitatem superare contendunt, quasi parum foret, malitiosum, & ingratum esse in Deum immetatè bonum, & largissimè beneficum, flagitiosis injurijs & scelestissima offensarum enormitate flocci pendunt leges hominum, pœnas, & verecundiam, datisque à Deo auxilijs abutentes, quidquid ad Deum spectat, nareseant, & fastidiunt, *ibid. disc. 4.*

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Quanta audaciæ temeritate peccator insectetur Christum Deum, expressit Beda ad hunc Joannis locum, dicens: *Quot malas cogitationes quis assumit, tot lapides in Jesum mittit: Ac deinde quantum ad se pertinet; si ad deliberationem transit, Jesum extinguit* O ergo grande scelus peccatum deliberatum! *Tract. 74. disc. 1. 2. & 3.* Pro defectus humanos Deicidij reos! Christum lapidat, quisquis scelera meditatur, in Christum furit, quisquis agitur malitiæ furore, Christum quantum ad se pertinet extinguit, quisquis atrociora delicta audet, *tract. 74 disc. 5. & disc. 6.* Unde pulchre à delictis dehortatur Petrus Damian. Serm. 47. *Vide ne rursus tibimetipsi crucifigas filium Dei, rursus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis, jam non moritur: Intuere ne mortiferam crucem efficias, in qua factus filium Dei amaris doloribus interire.* Nempe peccator recidivus Christum de novo crucifigit. *tract. 75. disc. 5.*

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se. D. Gregorius hom. 18. in Evangel. ait: *Irritatione enim Dei gloriosus est, injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare.* Vis scire, O Christiane, quare in maximis hisce contumelijs taceat Salvator: suo exemplo te informare voluit, ut ab iratis adversarijs potius tacendo fugias, quam male respondendo, devincas, & triumphes: Difficilis enim est notitia, qua quis silentio, veluti virtutis indicio linguam suam frenare, ac comprimere novit; tacendo autem quilibet bene loqui discit, *tr. 88. d. 8.*

Jesus autem abscondit se, & exivit de templo. Fortunati quondam Judæi proclamabantur, quando venturum ad eos salutis authorem vaticinabat Isaias: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus:* At nunc omnium infortunatissimi merito censentur cum culpa ipsorum recedit Christus Deus, quem abscessum tam graviter tulerunt propárentes eorum; ut licet eis Angelum itineris ducem promittere vellet, qui incolumes in terram promissionis introduceret; attamen audiens populus sermonem hunc pessimum luxit; & nullus ex more indutus est cultu suo, Exod. 32. Judicavit enim populus has esse minas omnium terribilissimas, & pernitiosissimas: Et benè quidem, inquit Cajetan. in cap. citiquia in se supremum malum concludebat: Deus etenim bonum est, universale, in se continens omne bonum; Proinde sicut bonum summum est, secum habere Deum, eo quod in se contineat omne bonum: ita pessimum malum est, Deum nobis deficere, quod per peccatum mortale fit. *tr. 77. d. 8.*

Jesus autem abscondit se, & exivit de templo. Cum Jesus esset in porticu Salomonis ac loqueretur cum Judæis: Sustulerunt Judæi lapides, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus, multa bona opera ostendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis? Joan. 10. Non hic fugit à Judæis lapidibus armatis Dominus, sed eorum furori verbis occurrit: At in præsenti valde diverso modo se habet, nihil eis dicens, recedit. Pulchre D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Joan. cap. 11. Jesus nullo cum ipsis communicato sermone abscondit se, & exivit de templo. Joan. vero 10. cum Judæi eâdem laborarent insania, more pertissimi medici, aliud ipsis abhibet medicamentum, ut nihil non tentatum relinqueret, quod eorum saluti conducere putaretur. Ex quo extrema eorum peccatorum malitia manifesto convincitur, ita data opera in peccatis persistere. Non ergo mirum, quod nullo cum ipsis communicato consilio, absconsat sese, ne illorum peccata aggravaret, eosque supplicio digniores efficeret: Si nimirum post tantam habitam scientiam, & hausttam divinarum rerum notitiam, & lumen, itentidem malitiâ suâ phrenetici in Jesum insanirent; qua via in immensum peccata aggravantur, & supplicijs digna sunt, *Vid. Tract. 74. d. 4. 5. 6. 7. 8.*

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Matth. 21. Cum olim Rex David senuisset, & instaret dies vitæ ejus finalis, filium suum Salomonem mulæ suæ impositum, jussit in regem ungi & proclamari 3. Reg. 1. & licet varios generosos equos posseideret, Attamen mulam præ alijs elegit, & voluit, ideo, quia aliquando ei dixerat Dominus 1. Paralip. 22. *Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus:* Pariter Redemptor noster, instante passione sua, qui toties pedes Jerusalem ingressus fuerat, asina vectus intravit: Cur ita? Respondet S. Chrysostom. hom. 37. in Imperf. *Dominus ascendens Jerosolymam magnam gratiam pacis & concordia universo mundo, quasi in testamento reliquit: Vid. Tract. 70. disc. 5.* Et ideo non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, neque ascendit super equum fervidum amatorem discordiæ & litis, qui de longe odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, bene est factum; Sed sedet super asinam pacis, & tranquillitatis amicam: Ut ipsa irrationabilia animalia, concordiam inter se conservando, homines ad pacem sectandam extimulent & doceant, *ibidem Disc. 18. Num. 5. & sequent.*

Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: Solvite & adducite mihi. Credendum non est summam illam patris sapientiam, sine maximo consilio usum horum jumentorum requisivisse, qui toties pedibus Jerusalem ingressus fuerat. Quid enim stolida animalia ad triumphi pompam, & gloriam faciunt? Multum per omnem modum. His enim duobus Jumentis lapsos primos nostros parentes, & consequenter omnem peccatorem adumbrari, Philosophatur S. Ambrosius, quorum miserabilem ruinam, cum reparationem, & resurrectionem hac brevi historia designari ait. Prima enim miseria, in quam homines lapsi sunt, ea est, quam regius Propheta designavit, cum ait: Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus;* Ideoque commoditime hoc jumentorum genere, quæ inter cetera animalia abjectissima sunt, designantur; ut appareat, è quanta amplitudine, ac dignitate, in quantam ruditatem, ac vilitatem miser homo delapsus sit: Quam rem apertissime in plerisque hominibus videmus, qui ad divina percipienda rudissimis his jumentis similes existunt; cujus rei gratia non solum peccatum bestiæ, sed & peccatores ferarum aliorumque vilium animalium nominibus à SS. PP. appellantur, *tr. 71. d. 13.*

Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: Solvite & adducite mihi. Ligata animalia, quod per peccata ligatum designent

designent hominem, jam audivimus. Nam quid miser homo à peccato haberet, nisi laqueos? Quid post miseram servitutem exhibitam prope infinitis Dominis, maneret misero peccatori, nisi vinculum, nisi restes, nisi laquei? *Invenietis asinam alligatam:* Hoc unum tenebrarum princeps, quibus peccator servit, meditatur, ut sua principia mille constringant laquei. Eleganter D. Athanas. qui expendit id à D. Luca exaratum cap. 19. Nempe, quod discipuli Christi Domini mandatum exequentes, asinum & pullum solvere nituntur: *Sed tunc dixerunt Domini ejus ad discipulos: Qualis igitur est hic pullus ait, qui non unum Dominum habet, sed plures? Nonnè si mente præditus esset, sufficeret ei, si unus Dominus assideret? Nunc autem complures sunt ejus Domini & nullus eorum negotia obit, nemo eorum abscedit: Imo nullum illis aliud opus in manibus, quam ut asellum in bivio alligent; Asinus interea præsepe non habet, diversorium non habet, non est qui in forum descendat, id tantummodo agitur, ut pullus vinciatur.* Hæc Athanasius, & pulchre, & vere meditatur de miserâ hominis servitute: Sic durissimam servitutem atque vincula inducit & injicit & homini peccatum, ut major servitus & indignior esse non possit, *tr. 71. d. 14.*

Et statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum eâ. Misera profectò servitus, cum vagum jus est: multos enim habent Dominos, qui unum non habent; Dum enim peccator asinino stupore correptus, peccatis servit, nil à pene innumeris Dominis habet, quam vincula, quam laqueos. Audis asinam inveniendam, ligatam non pastam, cum vinculis, non cum præsepi, crudelibus obsitam Dominis, sed qui nihil curent, nihil spectent aliud, quam quod duris prematur laqueis. Et merito: Dum enim impij unius veri Domini jugum à se repulerunt, multis non tam Dominis, quam tyrannis serviunt. *Tract. 71. Disc. 15.*

Et statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum eâ: Solvite & adducite mihi. Cum sibi asellum adferri jubet Dominus, notanter meminit ligaminum ejus, *Invenietis asinam ligatam.* Ea enim sunt, quæ maxime animam peccatricem, per asinam intellectam, Deo commendant, & ad Deum adducunt, nimirum vincula, calamitates, & afflictiones. En superbissimum illum regem Babylonis Nabuchodonosor, quem superbia sua in bruti similitudinem commutavit, adeo, ut pulsus regno in agro cum feris versaretur, ut meminit Daniel cap. 4. *Ex omnibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit*, Quid plura? hæc illum pœna, dignum fecit, ut à Domino susciperetur, Deumque cœli agnosceret. Quis igitur contemnet calamitates? quis afflictiones pavebit? quæ etiam in peccatoribus divinos oculos trahunt, & eos ad Deum perducunt; Sic decorant etiam nocentes afflictiones, ærumnæ, quæ ut plurimum conversioni nostræ & pœnitentiæ cooperantur, *tr. 94. d. 11.*

Et statim invenietis asinam alligatam, & pullam cum eâ: Solvite & adducite mihi. Inquisitione dignum est, cur Dominus ad equitandum jumenta quærit, quem numquam equitasse sacra pagina commemorat? Numquid per mediam Samariam transiens in Galileam phalerato vectus equo, haud lassatur? Aut non potius ex itinere fatigatus supra fontem residens, quiescit? Igitur in brevi hoc itinere cur præter morem quærit, adeo humile & abjectum vehiculum, qualis asina & pullus erant, quæ stolida animalia ad tantæ gloriæ & triumphi diem nil conferebant? Christi actio, ait D. Gregorius nostra est instructio: Asina ergo illa, ut sentiunt D. Hieron. Beda, Albertus Magn. D. Bonavent. Natura erat humana, alligata peccati vinculo, cum qua congruè pullus describitur, nam cum anima alligata est peccato, nisi per pœnitentiam resurgat, statim plurimorum est fœcunda, multaque alia edit, ac parturit. *Tract. 78. disc. 30. & disc. 31.* De Idololatria filiorum Israël conqueritur Dominus, 4. Reg. 17. *Ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israël.* Scilicet sequendo ritum Chananæorum idola illorum adorantes. Sed numquid idola Chananæorum solum adoravit Israël? Nonne & Chaldæorum & Assyriorum, Damascenorum & Ægyptiorum idola coluerunt. Cur ergo in crimen ponitur cultus idolorum Chananæorum, non vero aliarum nationum? Idola Chananæorum extiterunt prima, quæ adoravit Israël, & sat erat, quod in populo dicatur una idololatria admissa, ut inde tamquam ex radice pullulans multiplex intelligatur: Specialis enim peccati pœna est, unum post se trahere aliud, *ibid. disc. 29.*

Dicite filiæ Sion. Ut supra.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, &c. Instante morte Christus Dominus ingressurus, Jerosolymam, triumphalem, dignumque Deo ingressum sibi parat: Etenim asello vectus in se populares animos sic commovet, ut turmatim urbe egressi homines, obviam Jesu procedant, regiam in eo Davidis stirpem, & populorum salutem conclamantes: Resonant novis & inauditis clamoribus sive cantibus montes: Scinduntur palmarum rami, operiuntur semitæ vestimentis stratis, & Davidis æmuli mille ante Christum nudantur, ut festivas choreas agant. Sic Jerosolymis excipitur Christus Dominus, eique divini honores habentur, qui postmodum moribundus mittetur extra civitatem. Quid hujus plebis animos ad tam festivas laudes, & hos divinos honores habendos movit? Quia venit ut Rex mansuetus, pro quo alij legunt, *pacificus* & asina pacis amica vectus; Ex quo quid divini in Christo agnoscentes has insolitas laudes promunt: Pax enim nescio quid divini in se habet, & ab illa filius Dei sibi nomen sumit, eamque diligit, *tr. 70. d. 1.*

Alij autem cædebant ramos de arboribus. Etsi S. Evangelista non exponat, quales fuerint isti rami, aut ex quibus arboribus præcisi: S. Joannes tamen, 12. cap. dicit, fuisse ramos palmarum. *Acceperunt ramos palmarum & exierunt obviam ei*; Unde etiam hodierna Dominica, in qua Christi ingressus repræsentatur vocatur Dominica Palmarum; Ita S. Isidorus Hispalens. *Dies palmarum ideo dicitur*, ait, *quia in eo Dominus, & servator noster, sicut Propheta cecinit in Jerusalem tendens, in asello sedisse perhibetur.* At quare palmarum potius, quam aliarum arborum ramos obtulerunt? Respondet S. Gregorius exponens illum locum, Job. lib. 19. moral. cap. 19. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies: Palma tarde*, ait, *proficit, sed diu in viriditate subsistit, palma vastior in summitate est, quam esse cœperit in radice, quia sæpè electorum conversio plus finiendo peragit, quam proponit peragendo.* Perseverantia itaque palma est, quam hæc plebs mystice deprædicat, cum ramos palmarum deportat, quam Dominus noster nos docuit, dum omnia opera sua ad perfectionem perduxit. Vis ergo in te, ostendere proprium Christiani hominis characterem, & quod Christi sis imitator perseverantiam exerce, *tr. 80. d. 1.*

FESTUM GAUDIOSÆ RESURRECTIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

MAria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Marc. 16. Vas utile Domino, has sanctas mulieres merito vocaverit Apostolus, 2. Tim. 2. quæ, quemcumque fidelem populum, contra profanas Hæreticorum irrisiones, & subsannationes, quibus devotionem populi Christiani, circa cultum & devotionem sanctarum reliquiarum, sanctorum Christi Martyrum & Confessorum, exhiberi solitam, excipiunt, erudiunt: Quam antiquus in utroque testamento earumdem sit cultus & honor, *Vid. Tract. 87. disc. 1. & disc. 2.*

Etenim nullum aliud ab illis excogitabatur lucrum, quo adeo maturæ salutatrices accederent ad sepulchrum, nisi ut ungerent Jesum, debitamque venerando maxime corpori, emptis aromatibus, venerationem adhiberent. Et licet in hoc ipso errarent, ut viventem quærerent cum mortuis; attamen adeo hoc devotionis & voluntarij cultus factum, hanc sacratissimi sui corporis intentam venerationem, gratam & ratam habuit Dominus, ut Angelorum visione, & consolatione dignæ fuerint, ut miraculosè in earum gratiam, gravissimus lapis remotus fuerit, & ipse Christus eis in via redeuntibus apparuerit, atque (quod Magdalenæ soli negatum) tres pariter cum essent, eum tangere, & osculari pedes, permissæ fuerint, sic enim Matthæus cap. 28. scribit: *Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nuntiare discipulis ejus, Et ecce Jesus accurrit eis, dicens: Avete, illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus.* Denique ut S. Ambros. lib. in cap. 24. Luc. ait: Illis præ omnibus injunctum fuit, ut mysterium legis Evangelicæ maximè profundum, & creditu difficillimum prædicarent; primasque Resurrectionis suæ nuntias & testes & quasi Apostolorum Magistras Christus constituit: Sic nempe ex Reliquiarum cultu in proprium commodum varia bona, & beneficia redundant, *Ibidem Disc. 8.* Ut & ipse Deus insolita miracula faciat, gravissimum Sepulchri lapidem removeat, & ut minus reverenter Sepulchri Custodes, terræ motu exterreat: Ut doceat, quantam erga sacras Reliquias æstimationem conservet, *Ibidem Disc. 3.*

Et valdè manè una Sabbathorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole Mellifluus S. Bernardus miratur in Allegorijs novi Testamenti allegatus ad id Matth. 28. *Vespere autem Sabbathi:* Quod Sancti Evangelistæ ita enucleatè Christi Domini Passionem & Resurrectionem enarrant. *Quid est*, ait: *quod omnes Evangelistæ licet eis, & quædam non omnibus sint communia, passionem Domini, & Resurrectionem diligentius persequantur, ut non sit aliud legisse quæ scripserant, quam quæ facta vidisse? Nisi fallor, hoc ideo fuit, quia hæc erant, quæ minus oportuit ignorari: Quod sine Passione Domini nemo habeat unde speret.* Gravem in via sanctæ mulieres patiuntur difficultatem, & tentationem, quæ moram itineris facere potuisset, scilicet grandis ille lapis super sepulchrum, quam tamen vincunt, cum oculos ad passi Domini sepulchrum conjiciunt: *Et respicientes viderunt revolutum lapidem*; Digitoque ostendunt hoc modo, & erudiunt Passionem Domini efficax esse remedium adversus diabolicas tentationes. *tract. 92. disc. 16. num. 10.*

Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Quis hunc lapidem removerit, & quomodo id factum sit? Exponit Evangelista Matthæus cap. 28. *Et ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem.* Hic terræmotus non fuit ex solito more factus, sed magnus, & ingens ut dicat D. Hieron. Epist. ad Hedib. quæst. 6. Quod fuerit tam magnus, ut cuncta concuteret & eversionem terræ funditus minaretur. O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejecisset? O si nebulæ fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si peccati diem tenebrasset nox injusta, & lamenta mundi & incrementa mortis, & Creatoris injuriam tunc tulisset! Sed vitijs semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus vero austera & fortia sunt amica. Ut homo enim caderet, & à felici statu serpens invitat, paradisus allicit, pomum lenocinatur, ut vero homo redivivus resurgat à sepulchro, magnus sit terræmotus, multæque difficultates insurgunt. Itaque mala consuetudo ad resurgendum difficultates parit? *Vid. tract. 73. discursu 6. & disc. 8.* Plane sic est, ut etiam necesse sit descendere Angelum qui lapidem à sepulchro removeat, & cor lapideum emolliat. O duritia humani cordis in sua prava consuetudine indurati! *Ibidem disc. 7.*

Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris. Ad præsentiam Angeli, terra insolito motu concutitur, & prægrandem sepulchri lapidem Angelus revolvit, & super eumdem sedet, uti ait Matth. Fortè Angelus è longo itinere, à cœlo in terram usque fatigatus, requiescit? Seu in gravi terræ mole concutienda, nimis, laboravit: Sive in ponderoso sepulchralis lapidis saxo removendo, virium robore validius impenso, valde æstuavit: Et ideo fatigatus sedet, & sessione tantisper requiescit? Pulchrè hoc pertractat S. Chrysologus serm. 74. & 75. *Et Angelo*, ait, *quæ causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo. Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem sublevandam: Cælestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem: Sed factus est lapis, vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cælestis Cathedra.* Ex qua homines doceat, gloriosam Christi Resurrectionem, passionis labores secutam, hasque amarissimas passiones, hanc gloriosam Resurrectionem veluti produxisse: Tribulatio enim pignus est & arrha electionis ad gloriam. *Tract. 94. Disc. 25.* Deinde tametsi Angelica Natura ignoret humanum laborem & tribulationem nesciatque lassitudinem, tamen post validum adnisum ad saxeam revolvendam molem, quasi nimis laborasset, tamquam lassus sedet, ut hoc pacto doceat, quam magni in cœlo humani labores & tribulationes æstimentur: Siquidem dum ipse è cœlo laboris exorte, peregrinatur in terra, laborum & ærumnarum feracissima, etiam dum venit ad lætam Dominicæ Anastasis gloriam prædicandam, & cum in revoluto sepulchri lapide velut lassus sedet, saltem speciem prævij laboris humanitus repræsentat: Et quia humanum corpus apparenter assumit, speciem quoque laboris exambit, quasi gloriosum missionis ad terras stipendium: Ingens ergo lucrum, meritum, perfectio, virtus laboris, & tribulationis esse debet; cum tantopere ipsos labores & afflictiones Angelica Natura, exambiat, ut pro munere missionis habeat. *Vid. Ibidem Disc. 4.*

Nolite timere: Scio enim quod Jesum quæritis. Hæc festina Angeli adhortatio immodicum harum mulierum in cordibus earum latentem timorem revelat, heu debilis semper timor, qui strenui nil umquam vel meditatur vel concipit, haud exequitur, inde timoris plenæ voces: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti*, & ideo omnem explosionem potius quam consolationem promerentur. Quæ igitur sic timore rigent, nihilominus visione Angelica dignæ censentur, & nuntijs cœlestibus recreantur. O dignatio divinæ bonitatis singularis? quem mihi strenuum belli ducem dabis, qui timidum militem dulci alloquio solabitur? Excitat interim cœlestis genius timidas his mulieres, verum non vano timore; Sed divino gravidas, quo stimulante, nec militum verentur insolentias, nec itineris querulantur molestias, & hinc divina solatia; Angelicas visiones, & Resurrectionis gaudia merentur: Dei enim timor animabus timentibus similes consolationes & gaudia confert. *Tract. 93. Disc. 12.*

Jesum quæritis Nazarenum, Crucifixum: Surrexit, non est hic, ecce locus. Veniebant hæ sanctæ mulieres eo fine ad sepulchrum, ut ungerent Jesum, quas ipse Angelus prævenit, & jam resurrexisse Dominum propalat, in ipso sepulchro residens. Quid quæso Angelis cum mortuorum sepulchris? Et quid tam solicite Angelus satagit, ut mulierum unctionem antevertat? Ne putetur Christi corpus, unguentorum beneficio, à vermibus & putredine exemptum, sicque suspicio aliqua enasci posset, quasi aliquo peccato subditum fuisset sacratissimum Christi corpus; Unde altè profecto dixit Titus Bostrensis de Natura humana: Quamquam illa in prævaricationis peccato fœteret, quamquam in Idolo, latriæ peccato, putruisset, quamquam ei dœmones instar Vermium dominarentur &c. scilicet peccator Deo mortuus est, & vivum cadaver, sicut enim cadaver mortuum fœtet, ita & peccatum. *Tract. 71. Disc. 12.* Cum ergo Domini sepulchrum dicatur fore gloriosum, Angelorum munus erat, incorruptionem Dominici Cadaveris à vermium putredine asserere & publicare. Ergo Angelus antevertat muliebre ungendi studium, sedeat super monumenti lapidem, cum mulieribus ad monumentum descendat, ut à Domini corpore corruptionis suspicionem aut opinionem peccati excutiat.

DOMINICA IN ALBIS.

CUm sero esset die illo, unà Sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum: Venit Jesus. Joan. 20. Quinquies apparuit Christus die illo Resurrectionis. Primo Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Secundo, duabus mulieribus, dum irent annuntiare Apostolis. Tertio, Simoni Petro. Quartò, duobus Discipulis, euntibus in Emaus. Quinto, ipsis Discipulis, nunc in domo solitariè congregatis, de quo dicitur, *Cum sero esset.* Mirum sanè est, & valdè mirum, quod sumptuosiores Resurrectionis glorias, tam serò mœstissimis Discipulis, Christus communicet: An non congruentius foret, ut æstuantes, & fluctuantes Discipulorum animos, citius recrearet, & sui videndi aviditatem expleret; quæ est hæc velut avaritia gloriæ suæ extentandæ? Qui tardè venit, quasi invitus venire insinuat. Quod ergo fuit in causa, quod tam sero veniret, qui tam avidè discipulos cupiebat invisere, & illis suæ Resurrectionis glorias, quantocius communicare? Hoc dubium proponit Hugo, & ex Chrysostomo tempestivè solvit Hom. 85. in Joan: *Sed quare usque in vesperum distulit? Respondemus, ut omnes inveniret: In die enim, congregatos simul, non invenisset.* Sero advenit, & ad in domo clausos venit; imo & appetente nocte, quâ omnis turbæ strepitus cessat, cuncta silentiosa, & solitaria sunt, tunc venit, ut sua dona communicet, sese discipulis, videndum ostendat: Visiones enim, Revelationes, consolationes, aliaque gratiarum dona, solitudinis præmia sunt. *Tract. 89. Disc. 7. & Disc. 10.* Sic solitudinem Christus Deus amat, illique plurimum placent, qui illum in illâ imitantur. *Ibid. Disc. 9.*

Et dixit eis: Pax vobis. Mira Servatoris nostri à mortuis Resurgentis, circa Discipulos in unum congregatos dignatio, qui immemor infidelitatis tempore passionis exercitæ, quâ Petrus negavit, Joannes fugit, Thomas dubitavit, cuncti dereliquerunt, non dure increpavit; Sed blande leniterque eos consolans, metum Judæorum propellit: Insuper manus, & latus palpandum præbens, postquam crediderunt, quod ille, qui apparebat & loquebatur erat, Magister Jesus, iterum omnium bonorum & salutis apprecationem repetit: *Pax vobis. Quid repetitæ pacis largitas ista insinuat?* Quærit D. Chrysolog. Serm. 84. *Nisi ut divinæ suæ Anastasis vellet esse testis. Actor. 1. vers. 8. Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa*, & sacri Evangelij præcones & propagatores, hoc nobili pacis insigni muniret, quo facilius, feliciusque fides per universum mundum dilataretur: Unde præclare ad rem S. Gregor. Nazianz. fatur Orat. 12. *Sic namque se res habebat, ut cum alij alio quodam ornamento, vel majori vel minori præditi sint, nostri ovilis hoc maximè proprium esset, quod minime infringi posset, atque ab omni seditione abhorreret:* Pax enim character est hominis Christiani, per quam fides dilatatur, stabilitur, & Ecclesia in suo vigore conservatur. *Vid. Tract. 70. Disc. 3.*

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. S. Gregor. Magn. Hom. 26.

Hom. 26. præsentem locum sic exponit : *Sicut misit me Pater Deus, Deum : Et ego mitto vos, homo, homines. Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum ad passionem venire voluit ; Sed tamen amavit eum, quem ad passionem misit. Electos vero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia ; Sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à Patre, & tamen ad passionem mittitur : Ita & discipuli à Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum.* At vero, in quonam divinus Magister dilectionis affectum, erga Apostolos demonstravit ? In eo quod illos mitteret ad tolerantiam passionum, ad onera vinculorum, spinalorum carceris, ad omnia genera pœnarum patienter perferenda : Igitur dum ad patientiam eos invitavit, ad omnia genera virtutum exercenda misit, quæ in ipsa patientia comprehenduntur patientia enim opus perfectum habet. *Tractat. 68. Disc. 8.* Estque multorum virtuosorum operum & meritorum fœcundissima mater. *Ibidem Disc. 11.*

Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos. Misit æternus Pater, dilectum sibi filium, ad passionem amarissimam, ut ovem ; *Sicut ovis ad occisionem ducetur, quæ non aperuit os suum* ; Ita pariter misit discipulos suos Christus, ut oves ad passionem inter persecutores, inter lupos : Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Mirum valde est, quod eos Dominus, quos tamen intime diligebat, eisque dilectionis affectu compaginatus hærebat, ad truculentam rabiem luporum, dimittat, ad Gentilium persecutorum gladios, bipennes &c. quibus tamen alias prohibuit. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum*, inquit, peccatorum, *ne intraveritis ?* Idcirco id factum est, ut eam pacem, quam eis tot, & tam sedulo commendaverat, & inculcaverat, acquirerent, & acquisitam conservarent : Voluntas enim Dei est, ut divina pax inter contradictiones acquiratur & conservetur. *Tract. 70. Disc. 14.*

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Thomas renuit credere Christum resurrexisse, quem viderat sepultum : Instant discipuli ut eum flectant ad credulitatem : Ille flecti nescius pertinaciter discredit, donec videat. Porro ut fides Christianorum laudatissima virtus est ; Sic infidelitas est execrabile delictum, & in paucis flagitiosum, & in hoc videtur credere Thomas, dum non credit. Quomodo vero ? Audi ex aureo D. Chrysologi ore, Thomæ incredulitatem sic expendentis, Serm. 84. *Cur Thomas vestigia, fide sic requirit ? Cur tam pie patientem, tam dure discutit Refurgentem ? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resolvat ? Cur latus, quod impij militis lancea patefecit, resolvere manus nititur obsequentis ? Cur dolores, persecutorum furoribus arrogatos, famulantis curiositas renovat inuritis* ; Ecce tibi curiositatem infidelitatis ream, & resculpentem vulnera, in passione inflicta à tortoribus Christo, plane immitis curiositas, mysteria Christianitatis turbat, requirens fidei mysteria, refulcans manuum plagas, resodiens lateris vulnus, revocans de se tortorum immites dolores. Quid deterius curiositate, quæ Christianæ fidei inquierat sacramenta ? Quis crederet, à curiositate, violari fidem Dei ? Nil mirum, leviora enim peccata non curantes, in magna paulatim labuntur præcipitia. *Tractat. 76. Dissensa 2. 3. & Discursu 4. & 6.* Hæc enim protoparenti Evæ prævaricationis & lapsus origo & causa fuerunt. *Ibidem Disc. 12.*

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Quid mirum, si Dominus ad Discipulos suos, glorificatum corpus, claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, januam mundi hujus introivit, cujus ortum natura nescivit. Non dubites, si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda, perspicis egisse nascentem. Stupendum enim, ex incredulo, confessionem fidei propalare, qui enim paulo antè dicebat : *Nisi videro, non credam*, mox exclamat. *Dominus meus, & Deus meus.* Quam bona infidelitas, quæ seculorum fidei militavit ? Eleganter more suo Sanct. Greg. Papa Hom. 26. *Numquid casu gestum credimus, ut electus ille discipulus tunc decesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet ? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque mira modo superna clementia, ut discipulus dum dubitat, dum in Magistro suo vulnera palpavet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis : Plus enim nobis Thomæ incredulitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit :* Sic namque Deus ex malo novit elicere bonum. *Tractat. 92. Disc. 11.*

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Nasci se Deus in utero patitur matris, & exspectat ; Natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est. Cum verò à Discipulo, in passionem traditur, cum adducitur, ut pecus ad victimam, ille, cui Angelorum legiones, uno verbo adfuissent, nec unius quidem Petri gladium, contra Agressem offensorem probavit. Despuitur verberatur, deridetur, vinctus dehonestatur, ridiculario amictu vestitur, spinis coronatur, persossoribus clavis figitur, diro mucronis vulnere sanciatur, & patienter omnia suffert. Sed esto, subeundæ mortis tot contumeliis opus foret ; Ecce in Resurrectionis gloria probrosæ Passionis stigmata resumit ? Quare Passionis cicatrices, & vulnerum characteres, in glorioso Resurrectionis triumpho, Christus resculpit ? Pulchrè Emissen. Hom. 10. de Pasch. *Nimirum illud solum*, inquit, *Resurrectio unde erat credenda non abstulit : Ostendit ergo manus & latus, ne subito, non eadem caro crederetur resurrexisse, quæ passa est : Ne causam ipsam, gloriæ, obscuraret forsasse ipsa lux gloriæ.* Legis Resurrectionis gloriam, quam fidei oculis cernis ? Lege causam gloriæ in sacrorum stigmatum characteribus. Profectò angustior triumphi splendor, & victoriæ generositate & hisce stigmatibus gloriam fœneratur. Ergo probrosæ passionis victrices cicatrices resculpit, ne causam ipsam gloriæ offuscaret : Deus enim summam gloriam, & honorem sub tribulationibus repositit & absconditi. *Tractat. 94. Disc. 3.*

Infer digitum tuum huc ; & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Non erat cum cæteris Apostolis Thomas, quando januis clausis intravit Jesus, sed ab eo, ejusque discipulis voluntarius error absentabatur ; Attamen pissimus Dominus, qui reliquis Discipulis tantum ostendit manus & latus, Thomæ incredulo eadem palpanda offert. Ad quæ verba ita scribit D. Chrysolog. Serm. 35. *Thomas Apostolus ut Christum Deum crederet, immissi manus, infecit digitos, patefecit vulnera : Ut Christum crederet, iterum pati compulit Christum.* Scilicet ut reliquos Discipulos, & totum orbem ad se traheret, Christus Deus, & à peccato infidelitatis liberaret, & cœlesti imbueret fide, semel passus est. Ast Thomas, qui absentabatur ab eo, qui non erat cum eis, qui non bona fide ab eo longe aberrabat, vulnera incredulus renovat, & passionis cruciamenta reiterat. *Iterum pati compulit Christum.* Peccatum enim de novo Christum crucifigit. *Tract. 71. Disc. 6. De pace vide totum Tract. 70. per Disc. 18.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus. Joan. 10. Solent generosi beliduces, qui copiosum militem describunt, ut suos eo facilius cognoscant, eos tessera quadam vestiaria insignire, seu ut vocant livraria : Hos in præsenti imitatus videtur Sanctissimus Generalis noster Christus, dum ait : *Cognosco oves meas*, quemadmodum in alio loco, 2. Tim. 2. dicitur : *Novit Dominus, qui sunt ejus :* Sed unde eos noscis, mi bone Jesu ? Ex signo quodam speciali, quo eos notavi : Et licet talia signa multa sint, præcipuum tamen est inter ea, illud, quod Apostolus designavit, cum ait Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem.* Laborum ergo, & variarum calamitatum humilis tolerantia, magnum Christianæ perfectionis argumentum, & Christiani hominis character est, efficitque ut hanc fidei nostræ veritatem à Deo esse cognoscamus. *Vid. Tractat. 86. Disc. 2.* Aliud vero signum distinctivum ovium Christi est, pax quæ fidem confirmat. *Tract. 70. Disc. 3.*

Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Si pastor dat animam, quomodo oves inerme pecus defenduntur ? Quomodo mors ista pastoris potest esse commoda ovibus : Nam pereunte pastore, oves destitutæ manent, ut lupis tradantur, & perimantur ; juxta illud, quod ipsemet Christus dicit, Matth. 26. *Percutiam pastorem, & dispergentur oves* ? O inclytum subsidium, & singularis interim protectio ! Si enim pastor è vivis abierit, ejus cadaver in terra jacebit, jacebunt etiam ejus ossa nuda & arida, ejusque sanguis effusus stabit super terram ; tanta est autem vis & efficacia boni pastoris, ut ipsum solum corpus demortuum, ipsaque ejus ossa, vel sanguis effusus, validissime oves custodiant, defendant ac protegant ab incursu luporum, ut nihil eas lædere ac mordere valeant, sed ut firmæ ac securæ in Ecclesia permaneant. Reliquiæ enim Sanctorum in terra reconditæ, ita Ecclesiam

clesiam ac ejus filios muniunt & roborant, ut eos nec lædat, nec aliquod nocumentum ulla adversitas eis inferat. *Tract. 87. Disc. 7.*

Ego sum pastor bonus : Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Sapientissime Dominus perfecti pastoris præstantiam in eo ponit, quod animam suam dat pro ovibus ; quippe cum dicit, quod dat animam, animam ejus libentem, & hilarem in subeundis adversitatibus, & periculis exprimit ; id quod amplius declarans S. Cyrillus Alexand. lib. 6. in Joan. cap. 5. ait : *Quicumque bonus pastor, libenter debet pro ovium salute, animam suam ponere. Non sufficit, quod animam ponat, adversitates subeat ; Sed quod illam & illas libenter, ut hilaris dator offerat.* Quod enim non libenti, sed reluctante animo pro Deo sustinetur, id vix reputa obsequium Deo dignum ; Sed lanienam & misserimi hominis carnificinam. Laniena penè est miseranda, opus pœnale, & immissas à Deo tribulationes perturbato, & reluctante, & prorsus coacto animo pro Deo & virtute pati : Quam igitur exemplo hujus pastoris adversitates & tribulationes patienter & hilariter sufferendæ sunt ! Pro quibus varia extimulantia motiva. *Vid. Tract. 94. Disc. 29.*

Ego sum Pastor bonus : Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Anne est ovibus commoda mors ista Pastoris, quæ destituit oves, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum pecus ferinis morsibus derelinquit, macello dat, stragibus exponit & atrocissimæ morti, sicut ipsius Pastoris Christi probatur ex morte ? Quomodo bonus ille pastor, qui sic destituit oves ; Imo qui per suam absentiam eas ultroneè luporum rabiei committit ? Ea scilicet est perfectionis & tribulationis prosperitas & securitas, virtus & perfectio, ut inde bonus pastor, periculis pastat gregem suum, persecutionibus feliciter, & cum lupis fervet in custodia virtutis ; Ipsa enim tribulatio, tutela est salutis, peccata expellit & virtutes corroborat ac firmat, sanctitates conciliat & mentes beat. En ergo grande lucrum, meritum virtus & perfectio tribulationis. De quibus. *Tract. 94. Disc. 4.*

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Beatus grex, cujus pastor Christus est, procul fera rapax à Christi ovili ; Secure pascitur, quem pascit tam bonus Pastor ; Et inde bonus, qui dies noctesque excubat, ne mala bestia in gregem irruat, quod si irruat, invadit ipse alacer, & proprio periculo redimit ovium discrimen. Pulchre Sanct. Chrysol. serm. 40. *Ideo pro te pastor amorem morte probat, quia cum videat ovibus imminere discrimen, tam gregem defensare non possit, mavult mori, antequam mali de ovibus suis, quid videat.* Præ vi amoris Pastor vitam suam offert, seque omni periculo exponit, ut suæ oves sint salvæ & incolumes : O Zelum, quem pius Redemptor circa animarum salutem demonstrat. *Tractat. 97. Discursu 8. num. 3.*

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Non dubitandum est, de bonitate illius pastoris, qui propriæ vitæ periculo, sui gregis salutem zelat. Bonus idcirco erat Pastor Paulus, 2. Corinth. 12. qui ajebat : *Ego autem lubentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Superimpendar ipse, ait, hoc est, nullis parcam sumptibus, post bona omnia consumpta, seipsum consumendum tradere, est animus. Ad hæc accommodè Bernard. lib. 4. de Consid. *Fuerunt autem, qui se totos ovibus pascendis exponerent, Pastoris opere, & nomine gloriantes, nil sibi reputantes dignum, nisi quod salutiferam obviare putarent : Non quærentes, quæ sua sunt, sed impendentes ; impendere curam, impendere substantiam, impendere seipsos ; unde unus illorum & ego, ait, superimpendar pro animabus vestris.* Non solum bonorum, sed & sanguinis impensis & sumptibus renetur bonus pastor, saluti suorum prospicere gregem, salutisque ovium Zelum habere. *tractat. 97. Discursu 9.* Quam vero hic Zelus Deo gratus, & quam munifice compensatus sit, exemplis ostenditur. *Ibidem Disc. 3. & Disc. 4.*

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile. Joan. 17. Christus Dominus, sic pro suis Discipulis & per eos credituris, Deum Patrem supplex rogat : *De mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo, sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est ?* Quibus verbis hoc singulare, quale sit ovile, specificare videtur. Super quibus grande Expositores litigium habent, quid sit *sanctificare in veritate.* Sanctus Chrysostomus Hom. 81. in Joan. ait : *Sanctifica eos, id est, sanctos fac, per Sancti Spiritus donationem, & recta dogmata : Recta enim dogmata de Deo docent, & sanctificant animam. Et quia hic de dogmatibus ait, subjunxit, sermo tuus veritas est.* Ecce tibi hæc sanctificatio in veritate, ad veri dogmatis audientiam pertinet, quâ Auditorum aures Spiritus Sancti afflatu sternuntur, ut recta dogmata avidius arripiant. Pergit Chrysost. *Videtur autem mihi & aliud ostendere hoc, quod dicit, Sanctifica eos in veritate, id est, segrega eos sermoni & prædicationi ille dicitur sanctificari in veritate, qui segregatur sermoni.* Dicendo an audiendo ? Qui segregatur prædicationi, an idoneæ prædicationis audientiæ ? Grande quidem elogium, quod qui è seculo audiendæ prædicationi segregantur, præ reliquis sanctificari in veritate dicantur ; quod est magnum prædestinationis Sacramentum & evidens : *De quo Vid. Tract. 83. Disc. 15. & Disc. 16.*

Et lupus rapit & dispergit oves. Et lupus simul & ovium dispersio merito introducitur, quia qui divisiones movet, is lupus est, Deo invisus, ab ejusque Spiritu alienissimus. Super id Proverb. 6. *Homo Apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia seminat.* Sic commentatur D. Gregorius in pastor. part. 3. cap. 24. *Ecce quem seminantem jurgia dicere voluit, prius Apostatam nominavit : Quia nisi more superbientis Angeli, à conspectu conditoris, prius intus aversione mentis, caderet, foras postmodum usque ad feminanda jurgia non veniret.* Et ideo nec Pastor, nec ovis est : Sed lupus, sed Deo contrarius, sed Diabolus, quisquis divisiones miscet. Ille enim infernalis lupus, ut rapere possit, dissensiones seminat, hoc ejus opus est, qui ideo pacem, quia hæc illi bellum movet, eumque vincit, odit. *Tract. 70. Disc. 8. maximè Num. 5.*

Et lupus rapit & dispergit oves. Ecce tibi & lupus & ovium dispersio ; cur autem quæ divisionem patiuntur oves, & lupos non patiantur ? Equidem Pastor, qui permittit agnum à grege separari, solumque & divisum ab alijs vastissimos per montes errare, is pastor, non tam in pascua, quam in lupos & omne exterminium ducit agnos : Sic hostes invadunt divisum, & separatum hominem à consortio fratrum : Sibi enim connexa sunt hæc duo, & divisio, & hostium irruptio, atque totalis terræ desolatio discordia enim regna destruit, quæ pax erigit. *Tract. 70. Disc. 10.*

Mercenarius autem fugit. S. D. Anselmus per hunc mercenarium intelligit hominem vanæ gloriæ deditum, qui applausu mundano, vendit bona opera, quæ alias erant incomparabilis meriti apud Deum ; cui oves non sunt propriæ, quia virtutes, quas in seipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ. Magna igitur jactura, vanæ gloriæ, quam facimus, temporalem recipientes mercedem, loco æternæ. *Tract. 95. Disc. 8.*

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum, & jam non videbitis me : Et iterum modicum, & videbitis me. Joan. 16. Variant interpretes, in hoc, modicum, explicando, D. Augustin. Tract. 100. sic explicat : Modicum tempus erit, quo me videbitis ; scilicet ab hac hora, usque ad meam Ascensionem ; nam post ipsam Ascensionem, non videbitis amplius corporalibus oculis, in terris degentem ; quia vado ad Patrem : Et tunc iterum modicum tempus erit, quo me non videbitis, scilicet, totum hoc tempus, quod est ab Ascensione meâ, usque ad diem Judicij, me non videbitis. Quamvis enim corporali substantia, ait Albertus Magnus in persona Christi, vobiscum sim, in Sacramento Altaris : non tamen aptâ specie, ut corporalibus oculis à vobis videar, ac ut me videatis. Ergo juxta S. Augustin. modicum tempus est, quod multa millia annorum in se complectitur ; Imo tota vita præsens, modicum censetur, unde subdit : *Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur, cum finitum fuerit, sentiemus, quam modicum fuerit.* Volat enim irrevocabile tempus, & præ nimiâ velocitate fugere dicitur. *Tract. 91. Disc. 1.*

Amen amen dico vobis : Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Repetito verbo utitur, ad maximè exprimendum dolorem, quem de suâ sacratissimâ passione habebunt : Nam exterius voces lamentationes, & gemitus daturos, & effusis lachrymis ploraturos prædicit. Quod mirum valde, quandoquidem intimi Amici Christi, erant Apostoli ; quo nomine eosdem non raro compellat. Joan. 15. *Jam non dicam vos servos sed amicos meos : Omnia enim, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Amicitiæ vero jura requirere videntur, ut ab amico omnis calamitas & tristitia propulsetur. Hos igitur, quos amicos dixit, nunc immodica tristitia affectos, insolatos relinquet ? ut in eis adimpleatur, quod Isai 28. ait : *Qui ablactati estis à lacte, & abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate.* Eleganter ad quæsitum Minutius felix in Octav. sic Ethnicum Concilium alloc utus :

allocutus : *Calamitas sæpe disciplina virtutis est : Vires & mentis, & corporis, sine laboris exercitatione torpescunt : Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, aramnis suis inclyti floruerunt. Itaque & nobis Deus, nec non potest subvenire nec despicit, cum sit omnium rector, & amator suorum : Sed in adversis unumquemque explorat, & examinat, ingeniam singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem, voluntatem hominis scisciatur, nihil sibi posse pertre, securus.* Tribulationes enim Deus immittit, ut nostram probet & experiatur virtutem : Ideo ergo Dominus neutiquam hanc tristitiam, a discipulis suis removet. *tract. 94. disc. 16.*

Amen, amen dico vobis : Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Instantem mortis suæ diem describit Dominus, & his verbis ostendit : *Plorabitis.* q. d. jam vobis præsto erunt lachrymæ, & fletus, quia jam morti tradar ego. Sed cur discipulorum lachrymas in morte Jesu effundendas, sic Jesus approbat, nec illas prohibet ? Cum jam ducebatur ad mortem, sequebatur popularis multitudo, sequebantur & eum mulieres flentes & ejus vicem lamentantes, quibus statim ait Jesus, Luc. 23. *Filiæ Jerusalem nolite flere super me &c.* Nunc sciens Discipulos ploraturos, nihil illos monet de fletu prohibendo; quin potius illos permittit flere, imo per fletum à mundanis & sceleratis distinguit. Ecce, qui sub cruce pergens, lachrymas pro se prohibuit, nunc ante crucem non prohibet ? Pro hibuit Dominus lachrymas populariter fientium : quæ sanè lachrymæ tanto Domino indecentes erant; At lachrymæ justorum virorum, scientium pro quo fierent, minimè prohibentur, quinimò à Domino acceptantur, & honori habentur, ut ostendat se eos diligere; adversum enim non spirat animum, quod Deus, electos suos, afflictionibus premat : Imò dilectionis potius & amoris est indicium. *tract. 94. disc. 13. & disc. 14.*

Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium. Nulli hominum gaudium nascitur, quod non veniat post mille pressuras, post mille dolores partus : Habent mundani & sancti, infideles, & fideles labores, & dolores, qui pariunt sua cuique gaudia : Sed mundanorum labores pariunt gaudium fundatum in hominis nativitate ; *Quia natus est homo in mundum* Prò luteum & corruptibile gaudium, utpote in nativitate lutei hominis, & corruptibilis fundatum ? Fidelium autem labores, gaudium pariunt in Christi Dei æterni & veri morte fundatum, quod nullo impulsu hostium lababit. Ecce igitur discrimen, quod inter justorum, & reproborum labores, & tribulationes reperitur. *De quo tract. 94. disc. 33.*

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit horaejus. A Nativitatis exordio, tribulationis necessitas homini manet ? Imo necdum nato, quæ lucem ei datura est mater, miserias suas commodat. Quod pulchre expendit S. Chrysost. apud Græcam Olympiodori catenam : *Statim igitur, ut homo est susceptus in lucem, laborum atque ærumnarum adit hæreditatem, difficultatibus atque miseriis illius vita completur. Atque hoc nomine, deterior est, nostra natura statu, quam earum rerum, quæ è terra gignuntur.* Homo enim ubi primum in lucem editur, molestiarum adit hæreditatem, & cognatas calamitates sibi sagacissimè insidiantes patitur, usque ad sepulchri asylum : Sic vita hominis continua quædam tribulatio est. ideoque *tristitiam*, dixit Menander, *consanguineam esse vitæ : Necessitatem merendi, necessitudinem ratus. tract. 94. disc. 1.*

Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Eleganter S. Chrysostom. in catena Barbari Achilleiensis : *Quemadmodum mulieres parturientes à doloribus discerpuntur : ita eum, qui dolos machinatur, priusquam alios inferat, ipsum luceari, ac discerpi, & gravissimis tormentis excruciari* contingit : *Quare cum doloris acerbitatem vellet ostendere, parturitionis nomine usus est. Nam scripturæ mos est, intolerabiles dolores ac cruciatus, doloris ejus, quæ est in partu, nomine significare : Sed in muliere, prius sit conceptio, & deinde dolor partus ; hic autem primum parturit, & tunc concipit. Quid autem hoc sibi vult ? Quod illic quidem tempore partus est dolor, hic autem à principio. Simul ac enim quispiam malè cogitavit, etiam priusquam in cogitatione, concreverit, tumultus ac perturbatio est in cogitatione. Hujusmodi enim res est peccatum* (ait citatus Chrysost. in homil. de David) *Postquam factum, & omnino absolutum est, tunc dolores excitat animæ, quæ ipsum peperit, modo nostræ nativitatis contrario : Etenim, nos simul ac nati sumus dolores solvimus : Illud vero, quamprimum est natum, mentem, quæ ipsum peperit, doloribus discrumpit.* Ecce tibi, quam belle dolores, ærumnæ & pœnæ, quibus peccatores subjacent, peccati mortalis etiam mente concepti partus deserbantur. Super quo *Vid. Tract. 77. Disc. 16.* Ecce tibi, quam gravis & acerba sit impietas, etiamsi abfit pœna Judicis severè castigantis ; Ipsa enim peccati malitia sui pœna est, & arcano supplicio in conscientia castigat, quod mente concipit flagitium, quod opere parturit delictum. *Ibidem Disc. 17. Disc. 18. & sequent.*

Et nunc quidem tristitiam habetis, sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Immodicam horum Discipulorum, de Christi absentia fuisse tristitiam, asserit D. Cyrillus lib. 10 cap. 39. Cum sic loquentem introducit Christum : *Magno vos dolore moveri sentio, quia ego abire constitui : Nec id injuria, præsertim, cum magnas vobis futuras tentationes audieritis.* Imo ipsa dulcissima Jesu absentia, tribulatio maxima fuit. Quem enim cordatum non graviter affligeret absentia ejus, ex cujus præsentia omne bonum, omnemque consolationem haurit ? *Numquid possunt lugere filij sponsi, quamdiu cum eis est sponsus ?* ait Christus. Interim cum in brevi hanc tristitiam finiendam audiunt, inde maxime solantur, & ad fortiter ferendam extimulantur : Hoc enim est, quod ad ultroneè perferendas tribulationes animat : si consideremus eam brevi duraturam, respectu præmij æterni. *Tract. 94. Disc. 26.*

DOMINICA IV. POST. PASCHA.

Joan. 16.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ; Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Non sua culpa Apostoli Christum amantissimum Dominum perdunt ; Sed in majus eorum bonum ab eis recedit. *Si enim*, ait, *non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Attamen tanta ex ejusdem absessu tristitia opplentur, ut præ tristitia eumdem interrogare obliviscantur. Quanto ergo dolore afflci debent ij, qui culpa sua Christum recedere cogunt, summa enim censenda est miseria, animæque calamitas, quod ab ea recedat Deus, eamque derelinquat. Perpende illud ; inquit D. Hieron. Epist. 48. ad Sabin. in illis verbis Domini ad Amos : Loquitur illi Deus : Et ostendit, quam se graviter sentiat offensum, ob peccata commissa à variis hominum nationibus, Damasci, Gazæ, Tyri, Idumeæ, Ammonitarum, prædicitque quo illos flagello esset castigaturus : At si plagis his non emendentur ; sed suis sceleribus inhærentes, fiant scelleratiores, minatur se discessurum, eosque desertorum, ut faciant, quod voluerint, suæ relicti voluntati ; quæ pœna est gravissima, quâ posset punire contumaces & summa jactura, quæ evenire posset. *Tractat. 77. Disc. 8.*

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ? Ecce unde tristitia veniat in Apostolorum corda, scilicet ex eo, quod audientes mortem, & pressuram Jesu, non interrogant, quo vadat, hoc est, non scrutantur, quo per tot mala tendat ; non inquirunt, quem in finem mala hæc definere abeant : Unde apud Matth. cap. 24. monebat Dominus : *Audituri estis prælia, & opiniones prælioram, videte ne turbemini.* Inter prælioram discrimina, inter spicula hostium, imo inter ipsas pennatas, & jam volantes mortes, hoc vobis sit consilium, ad terrores excutiendos, nimirum, *Videte.* Introspicite magnum discrimen, quod reperitur inter justorum, & reproborum tribulationes. *De quo Tract. 94. Disc. 33.* Ex ejus enim inspectione & consideratione omnis fugiet tristitia. Puchre Origenes Hom. 28. in Matth. *Videte, non dixit, audite : Hortans eos solicitos esse, ut oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia prælioram singulorum naturam, & videntes ne terreantur.* Nullis nobis manebit terror, nulla tristitia, nulla solicitudo in ærumnis, persecutionibus, & universis malis, tic cominus singulorum naturæ inspiciantur, scilicet, quam breviter transeant, & perdurent, respectu præmij, quod est æternum. *Ibidem disc. 26.*

Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam. Apostolis eripiebatur per mortem Christus, de cujus conspectu ipsi vivebant, & tamen dicitur, & vere dicitur, quod expedit eis, ut Christus ab eorum absedat oculis. Et qualiter eis expedire potest, tanta doloris occasio ? Mundo, & omnibus mundi bonis renuntiarant, ut Jesu præsentia fruerentur ; imo & ipsam vitam contempserant pro Jesu, nec aliud tibi bonum cupiebant extra Jesum, modo Jesus eis eripitur, & cum Jesu omnia illis gaudia eripit, necessum est. Ex hoc expedit eis ? Ita est : Viris enim justis, nulla temporalis jactura, nulla

nulla temporalis tribulatio accidere potest, quæ eis non expediens & commoda sit, propter varia bona ex tribulationibus dimanantia, & *quæ vid. Tract. 94. Disc. 25.* Ubi ligna notabat Dominus, quibus ædificaretur arca, quæ diluvia vinceret, ait Genes. 6. *Fac tibi arcam de lignis levigatis*, 70. legunt, *Fac tibi arcam de ligus quadratis.* Cur autem quadrata requiruntur ligna ad ædificationem arcæ ? Ut exprimant, quales sunt viri justi, ex quibus constituitur Ecclesia Christi : Nam quadrata ligna numquam non apte, & convenienter concidunt. Rem pulchre explicat Sanct. Augustin. in Psalm. 86. *Non enim frustra*, inquit, *etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noe, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrari ? Attendite similitudinem quadrati lapidis ; similis esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit, & si impellitur, & si qua vertitur non cadit, nam quadratum lapidem, quacumque verteris, stat.* A nullo impulsu quadratus lapis, non convenienter cadit : Sic viro justo omnis tribulationis impulsus conveniens advenit, quacumque impellatur, apte & convenienter constituitur. Nihil viro justo, etsi durum, etsi acerbum, non expediens saluti, à Deo amante paratur : Tribulatio enim vitam gratiæ ac plura alia bona communicat, in gratiâ confirmat, & in virtute stabiles efficit. *Ibidem Discursu 15.*

Sed ego veritatem dico vobis ? Expedit vobis ut ego vadam. Quia Jesus adhuc à Discipulis suis se humano amore diligi sciebat, ideo ait, suam absentiam illis expedire, ut sic eorum dilectio, quæ esti bona & pia erat, tamen non adeo perfecta extabat purificaretur omnino, & perficeretur, non in corporalibus manens ; Sed se elevans ad spiritualia, & divina : Variæ enim requiruntur conditiones, ut Zelus sit ordinatus, & conformis regulis rationis & virtutis. *Quas vid. Tract. 79. Discursa 6.* Sed esto, quod absentia Jesu expediens fuisset Discipulis, ut eorum Zelus & dilectio perficeretur circa divina, cur necessum erat, ad hoc, quod Jesus se per tam horribilem mortem absentaret ? Modo de morte sua consolaturus Discipulos, utilitatem suæ absentiæ ad Zelum & amorem perficiendum proponit : Cui amori perficiendo sufficiebat absentia Jesu simplex. Cur super hanc absentiam additur mors acerbissima, additur Pallio ; quâ crudeliter conteratur à carnificibus, rota illa sanctissima humanitas ? Cum Apostoli circa sanctissimam humanitatem afficerentur, allecti incredibili ejus sapientiâ, & comitate, & pulchritudine : Ubi egit Christus Deus, de eorum Zelo perficiendo, & elevando ad sola divina, & spiritualia, suam humanitatem conterendam & deformandam carnificibus tradidit. Ut doceret, quanto etiam nostri corporis dispendio, emere debeamus, quod fratrum amor omnino purus & perfectissimus in Deum abeat. Zelus enim, qui suam radicem infixam habet amori, iste vel maximè Zelotem constituit ac defensorem honoris Dei. *Ibidem Disc. 5.*

Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos. Non ex impotentia id factum est, quod non ante Spiritus S. Apostolis communicatus sit, ut advertit S. Augustin. Tract. 94. Nam bene fieri poterat, ut Christo præsente Spiritus Sanctus veniret, antequam ipse ad Patrem ascenderet. Sed hoc ex divino consilio, & ordinatione factum est, cujus talem rationem reddit Theophylact. *Si non abiero per mortem ad Patrem Spiritus Sanctus non veniet ; nam si Christus non fuisset cruci fixus, Spiritus Sanctus non fuisset datus. Quia autem abijt per mortem ad patrem, & in cruce emisit Spiritum, propterea ad Apostolos misit Spiritum, cujus missionem, per summos meritus est cruciatus.* Apostolis namque & toti mundo expediebat, ut Christus per mortem, & crucem abiret ad Patrem, Spiritus Sanctus missionem mereretur, ut ex tanto dono dato fructum Passionis ac excellentiam meritorum Christi, lucrum, meritum & virtutem tribulationis colligeremus. *De quibus Vid. Tract. 94. Discursu. 4.*

Expedit vobis ut ego vadam ; Si enim non abiero Paraclitus non veniet. Ad illos potissimum Spiritus Sanctus venire solet, qui omni humano auxilio destituti, spem omnem suam, in sola ejus misericordia potuerunt, qui ab illo uno pendent, quique illius opem & auxilium semper implorant ; de his enim dicitur : *Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adjutor.* Pauperes vero atque orphanos appellat eos, qui omni humano præsidio destituti sunt : His Deus suo adest auxilio quando tribulantur. *Tract. 94. Disc. 31.*

Expedit vobis ut ego vadam ; Si enim non abiero, Paraclitus non veniet. Cur quæso, Domine, non veniet Spiritus hic, te præsente ? Quid præsentia tua Spiritus Sancti præsentiam impedire potest ? Si enim puritas & innocentia homines ad hunc Spiritum excipiendum præparat, quid magis ad hanc paritatem & innocentiam consequendam juvare poterit, quam doctrina tua, præsentia tua, & custodia tua ? Respondent unanimi consensu SS. PP. Id ideo factum, ut non essent duo consolatores in hoc mundo, alter visibilis, alter invisibilis : Sed ut visibilis, subtraheretur, quo invisibilis mitteretur : Ut hac ratione pij omnes intelligerent, quam voluptates & consolationes seculi, & vitæ hujus prosperitates, ad cœlestis hujus Spiritus percipiendas consolationes magnum impedimentum præstarent : Quando illa visibilis consolatio, quæ ex sanctissimæ humanitatis Christi consortio manabat ; pleniorem divini Spiritus fructum impediebat. *Tract. 94. Disc. 22.*

Et cum venerit, ille arguet mundum de peccato. Mundum, id est, omnes mundanos arguet, hoc est, increpabit, ut pateat evidenter, ipsos esse scelcris convictos, qui auditis tot scripturarum testimonijs, ac tam efficacibus rationibus tantisque visis miraculis in Christum non luerunt credere, atque à suis peccatis se emendare ? Quod extremæ vitiositatis & malitiæ est, quæ peccati malitia amplius ostenditur, cum Spiritus S. Reprehensor futurus asseritur : Ecce enim ipse Christus Deus, qui est Dei verbum, & sapientia Dei, hoc arguendi munus non obit ? Proprium enim sapientiæ officium est arguere. Amorne præ sapientiâ erit magis ad arguendum idoneus ? Ut infinuetur gravitas eorum peccatorum, quæ ex malitia, data opera, & plenâ deliberatione committuntur ; quasi pro ipsdem arguendis, ipsâ Dei Patris sapientia non sit sufficiens : Sed & ipse Spiritus divinus, qui amor est, accersiri necessum sit. *Vid. Tract. 74. Disc. 1. 2. & Disc. 3. &c.*

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso. Ecce divini Spiritus notionem, quod omnem veritatem docens non loquatur a semetipso ; hoc est, non loquatur, nisi quod rerum ratio, & veritas, & justitia postulet. Hæc est una divina Spiritus Sancti lingua, quæ semper novit, æqui bonique terminos observare : Quæ divini Spiritus lingua non est, vix loqui incipit, quin exorbitet, quin labatur : Adeo difficilis praxis est, ut quis silentio, velut virtutis indicio, linguam frenet : Tacendo autem quilibet bene loqui discit. *Tract. 88. Disc. 8.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Joan. 16. Quid his verbis dulcius, quid opulentius, quid mirabilius ? Si enim Rex aliquis summa liberalitate, erga familiarem aliquem amicum uti vellet, quid illi amplius præstare posset, quam omnibus ejus postulatis lubens annuere ? Sic Salomoni, post magnificam illam templi fabricam, post tam multarum pecudum sacrificia Deus jubet, ut quidquid velit, postulet. 2. Reg. 9. Elias, Eliæo discipulo migraturus ait : *Postula, quod vis, ut dem tibi.* 4. Reg. 2. Dominus vero noster, non uni alicui amico ; non dilectissimis discipulis ; Sed omnibus in commune fidelibus hoc spondet ; ijs, scilicet, qui conitanti pace ligati, una sitnul in ejus nomine cœlestem Patrem deprecaturi sunt ; ut ostendat, quantopere pacem curet, atque eamdem quanti æstimet. Super quod ite fatur S. Hilarius : *In tantum humanæ paci, & concordiæ Christus studuit, ut tantatis merito, omnia, quæ à Deo precanda sunt, impetranda* esse confirmet. *Vid. Tract. 70. Disc. 4.*

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Petite, & accipietis. Magna ex hoc loco Orationis vis colligitur, & quæ majores habet vires, quam præsumit humana temeritas. Nemo tantum audet : arroganter superbiendo, quantum oratio suppliciter rogando. Humilitas supplicantis, præ audaciâ superat elatos ausus superbientis. Oratio humilis, quædam superbia est, divinus quidam vigor, & supplex omnipotentia, non tantum humanas potestates superans, sed etiam in Deum, quasi prævalens, quæ non minus piè præsumit, posse precum potentia, quam Deus totâ suâ omnipotentiâ. Quis tam insolenter superbijt, ut conscius propriæ imbecillitatis, extiterit æmulus divinæ potentiæ ? Sola oratio, de suâ humilitate piè superbit, & eâdem, qua Deus, omnipotentia gaudet, pijssima impudentia ficcine Deus delectatur humilibus precibus ? Nil mirum, quia superbis retisitit, eosque derestatur. *tract. 90. disc. 9.*

Si quid petieritis patrem, in nomine meo. Magnifica hæc est promissio, digna plane divinâ majestate, quam non solum hic quasi juramento astruit, sed & pluribus in locis repetit, & confirmat, uti Joan. 15. *Si manserits in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque*

quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Quid enim majus vel avaritia hominum desiderare, vel divina magnificentia polliceri debuit, quam ut voluntatem nostram, omnium divinarum divitiarum mensuram faceret, nec aliis finibus, quam desiderijs nostris miserationes suas circumscriberet? *Quodcumque volueritis, quodcumque petieritis*; Si scilicet, in Christo manserint, & in petendo perseverantes fuerint: Perseverantia enim, quæ cœli porta, merita nostra adauget, & præmiat, semperque respicit ad statum hominis finalem. *Tr.* 80. *disc.* 4.

Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis: Petite & accipietis. Quid est, quod cœlestis Dominus jubeat, ut discipuli petant? Quandoquidem ex divinâ suâ omniscientiâ rectè ipse noverat eorum necessitatem, ut melius ipse, quam illi sibi, possit consulere? Nonnè melius esset, ut juberet, eis aliquid dari, quam ut præciperet, ut ipsi postularent? *Beatius* quippe *est dare, quam accipere*, Act. 20. Præterea, quia cum jubet eos petere, egestatem & penuriam ostendit, & taciem eorum confundit. Miserum enim est petere, Verum petere jubet, ut omnibus palam faciat, quam gratus sit Deo Zelus, & quam mirifice compensetur. *Vid. Tract.* 97. *Disc.* 3. *& Disc.* 4.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Transiturus ex hoc mundo ad Patrem Dominus, prævidens Apostolus suos inde turbandos, & quod eos in futurum manerent magnæ tribulationes, quas etiam doloribus parturientium comparavit, efficacissimum, eisdem adversum cuncta adversantia, remedium dereliquit, cum ad orationem frequentandam incitavit; Siquidem ut belle D. Gregor. Nyssen. lib. de Orat. Domin. Orat. 1. tractat: *Est oratio reorum, & causa dicentium patrona noxiorum, & vinctorum relaxatio atque solutio: Fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gaudentium animi delectatio*; Et S. Basilius in proœmio ad Psalm.: *Psalmus est, animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas & fluctus tentationum compescens, tracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio. Psalmus Dæmones fugat, auxiliares Angelos advocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est.* Vicariam ergo absentiæ suæ constituit Dominus orationem, ut Apostoli, solatium, quod ex ejus præsentiâ hauriebant, equidem ex oratione nanciscerentur. Ideoque, horum exemplo, in omni tribulatione ad orationem recurrendum est, eo quod afflictorum preces sint efficacissimæ. *Tractat.* 94. *Discursus* 30.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Liquet ex ipso textu Evangelico, quod Apostoli multa postulaverint à Christo: Jacobus, & Joannes per matrem postularunt primas sedes, Matth. 20. Discipuli petierunt, ut eis adaugeret fidem, Luc. 10. &c. Quomodo igitur, post tot ac tanta postulata dicitur eis: *Usque modo non petistis quidquam.* An nihil petit, qui in congruum tempus petere differt? scilicet, sic semper debemus petere, & petitionibus instare, ut non de petendi tempore disponamus; Nam cum tempus in potestates nostrâ minimè sit situm, temeritatis notam incurrit qui de eo velit disponere. *Tr.* 91. *Disc.* 6.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Multa ut dictum petierant Apostoli, & tamen audiunt, non petistis quidquam; quia sic semper debemus à Deo petere petitionibus instare, ac ab illis numquam cessare, ac si nihil esset petitum; Sed semper magis ac magis petendum est, quoad usque plenitudinem gaudij habeamus. Non unâ parte contentus sit homo; sed satagendum est ad totum tenendum; merito igitur reprehenditur, qui non totum, sed unam tantum partem apprehendere ac tenere cogitat: Christianus enim semper in virtutibus progredi & proficere, nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est, contentus vivere debet. *Tr.* 80. *Disc.* 6.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Quod gaudium Apostolis esse poterit, qui de Jesu absentia summâ replentur tristitia? Num senior Tobias in cœcitate sua gaudio superabundat, quia ab Angelo audit: *Gaudium tibi sit semper?* Quin magis lamentabatur, quod gaudere non posset, tanto malo plenus. Gaudium plenum erat, ô pie Jesu, Apostolis te præsente: Ex abscessu tuo, manet eos tribulatio magna, & gaudebunt. Vide sis hic divinæ gratiæ raros effectus, in ipsis etiam tribulationibus gaudium excitare, ita plenum, ut medio illarum dixerit Apostolus: *Plenus sum gaudio, repletus sum consolatione.* Afflictis enim Deus communicat consolationes & gaudia. *Tractat.* 94. *disc.* 7.

Hæc autem in proverbijs locutus sum vobis, venit hora, cum non jam in proverbijs loquar vobis; Sed palam de Patre annuntiabo vobis. Eo spectabat sermo à Christo Domino in præsenti instituto, ut suos præpararet; imo confirmaret ad jam, jam imminentes pressuras & calamitates fortiter sustinendas. Affligendi erant Discipuli, Magistri sui morte, affligendi Judæorum & Gentium tyrannide, sub quibus afflictionibus, ut Discipuli fortiter se gerant varias rationes proposuit Dominus, licet obscurè & in proverbijs, modo unam adfert maximi ponderis: Ea est, quod palam de Patre annuntiabit, hoc est, quod palam scire faciet cœlestem Patrem, sine cujus nutu, nihil mali venit in terram. Quanta hæc consolatio homini, quod sciat palam habere Patrem Deum. Cui omnia etiam famulantur mundi adversa? Ex hoc enim extimulabitur ad sufferentiam eorum. Jonas in ventre ceti à pisce voratus. Cap. 2. ajebat ad Deum: *Omnes Gurgites tui & fluctus tui super me transierunt; Et ego dixi. Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum.* Erat sanctus vir in profundo maris, sciebat se sub immensa aquarum mole, fluctus tumentes, frementesque universos supra se sciebat, & interea dicebat: *Rursus videbo* &c. Unde sic confirmabatur, & sese divinæ voluntati submittebat? Ipse id explicat, dum ait: *Omnes fluctus tui super me.* q. d. novi fluctuum immensitatem, & concitationem in me; Sed novi simul tuos esse fluctus, tibique Deo meo famulari: Et ex quo tuos novi, non potui malum eventum timere: Dum ergo scimus quia tribulationes à Deo veniunt, oportet ex necessitate faciamus virtutem, in hac proficiamus, & divinæ voluntati, nostram conformemus. *Tractat.* 94. *Disc.* 32.

FESTUM SACRATISSIMUM PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. Remedium quoddam singulare his verbis, & Apostolus, & nobis præscribit Dominus, quo imbecilles, omnia ejus præcepta, & consilia, quantumvis ardua, opere exequi possimus, & in ejus famulatu diligentes permanere: Sinimirum ejus procuremus amorem, cumque impensius amamus; Qui enim impensius amat, immetatâ quodammodo potentiâ ultra vires evalet. Genes. 29. Jacob longo itinere lassus, sedet supra puteum, qui erat juxta urbeculam Haran. Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat: *Quam cum vidisset Jacob, & sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui; amovit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam.* Jacobi animositatem expendens Lippomannus ita scribit: *Lapidis revolutio multorum opus erat, quod nunc unus Jacob solus exequitur.* Unus Jacob itineris longinquitate pedibus confecta lassatus, grandem de ore putei amovet lapidem, quem multa Pastorum turba amovere vix evalet. Unde nunc Jacobo tantus inest roboris vigor. Expende Moysis verba; *Quam* (Rachelem scilicet Gratiarum manibus factam puellam) *cum vidisset Jacob, amovit lapidem.* Vidit, & amavit, & & ideo arcanæ animositatis vigore ultra vires audax, ejus honorem zelatur, & confusionem avertit. O amantium officiositas! Sit arduus licet Dei sermo, ament saltem, & eumdem inviolatum zelabunt, & servabunt: Zelus enim, qui suam radicem infixam amori Dei habet; iste maxime Zelotem constituit, & defensorem honoris Dei. *Tr.* 97. *Disc.* 5.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Mirum valde est, quomodo hoc fieri potest? Nam cum Deus omnem locum occupet, & ad nullum se movere possit, in quo ipse non adsit, juxta illud: *Cælum & terram ego impleo.* In omni enim loco est tribus modis, ut inquiunt Theologi, per essentiam, præsentiam & potentiam. Nam per essentiam, omnem locum ipse implet: Per præsentiam omnibus rebus assistit, cuncta videns, & contuens: Per potentiam omnia sustentans, dansque illis esse, eaque conservans. *Vid. Tract.* 84. *disc.* 1. Cum omnes viæ itaque videantur incluse, divina tamen bonitas hisce verbis singulari modo suam adpromittit præsentiam, intelligens alia bona, quæ Dei præsentiam concomitantur. *Quæ vid. ibidem Disc.* 8.

Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Dum audis mansionem faciemus, intellige stationem militarem, non absimilem stationibus seu mansionibus peractis ab exercitu Israëlitico, cum ab Ægypto egrederetur: Ubi enim manendum erat, firmabatur statio, tentoriaque figebantur, & locus firmabatur prorsus hostibus inaccessibilis: Sic in dilectoribus suis Deus stationem suam firmat, mansionem facit, hostibus inaccessam & horribilem. Nescit Deus in dilectoribus suis apparere, nisi militaria in illis propugnacula efficiens, & reddens hominem militaribus spiritualibus copijs communitum, & prorsus inaccessum inimicis: Homini enim Zeloso, supernaturalem Deus impertit honorem, gratiam & gloriam. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum, ait Psalm.* Ps. 138. *Vid. Tr.* 97. *Disc.* 2.

Et mansionem apud eum faciemus. Miranda venit eorum, qui Deum timent, felicitas: Etenim requiescit Spiritus S. in illis per gratiam, qui realiter & verè in animabus eorum sibi sedem collocat: Apud illos scilicet, qui in Dei timore vivunt, quia ipse est spiritus sapientiæ: Timor autem Dei, radix sapientiæ. *Tr.* 93. *Disc.* 10.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Quid amabo docebit Apostolos Spiritus Sanctus, quos abunde instructos, fatetur alibi ipse Christus, divina veritas, dicens: *Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis?* An igitur docebit modum convertendi mundum, patrandi miracula, eradicandi idololatriam, fugandi Dæmones? Nequaquam; Sed modum in patientiâ vivendi, unde veri Christi probandi erant discipuli: Hæc enim virtus patientia, divini quid in se continet. *Tractat.* 68. *Discurs.* 4. *maxime Num.* 3.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Sub quali formâ Spiritus Sanctus super Apostolos descenderit, acta Apostolica exponunt; scilicet sub specie linguarum ignearum: *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ sedisque supra singulos eorum Spiritus Sanctus.* Mittitur autem sub forma linguæ igneæ, ne deinceps lingua humana Gehennæ scintillas exsufflet: Siquidem adeo exitialis lingua est, adeo omnia adurit, adeo inflammat rotam vitæ nostræ, ut videatur constata in fornace gehennæ, ibique igne tartareo inflammata, inflammare rotam, & cursum totius vitæ, dum sulphureas passiones & appetitiones sufflammat, ut in hac vitâ ad culpam accendantur, & in futurâ gehennales pœnas, incendio inextinguibili, totus homo luat. Pulchrè Gilbertus Abbas in Appendice ad Cantic. Sanct. Bernardi serm. 24. *Appositum*, ait, *est cor hominis in malum, ab adolescentia sua: A prima nativitate impulsa, nescit cursum inflectere; Et tu illam linguâ prava impellis amplius, & inflammas? Lingua prava iracundiæ & indignationis occasiones requirit, injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debuerat dissimulare: Ad offensam, officia etiam interpretatur, & venenati sermonis scintillas adhibet ad commovendum cor suum. Quid linguæ tamquam cordi tuo, talem adhibes flammam? Sufficiat illi flamma sua, sufficiat illi concupiscentiæ ardor carnalis, & levitatis calor innatæ, quibus cor tuum, ac si volubilis rota impellitur &c.* Ergo in linguis igneis apprime Spiritus Sanctus mittitur, ut tanta linguæ mala exurat: Omnem enim diligentiam & curam adhibet Dæmon ne linguam custodiamus; siquidem cunctas vires, & insidias, quas struit, reprimit silentium. *Tractat.* 88. *Disc.* 7.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. In specie linguarum igearum super Apostolos venit, Spiritus Sanctus quod valde mirum. Linguas in mundum mittit Deus? Sat linguarum in mundo est, non habet homo plus quam unam linguam, ore tamquam carcere inclusam, & divinis legibus ligatam, & tamen magnas strages edit, & plures, quam Leo furens. Quid si homo duas habeat linguas? Leo carcere inclusus, manet domitus, linguam duplici carcere inclusam, nullus domare poterit, ait S. Jacobus cap. 3. Ut quid igitur in figurâ linguarum ignearum descendit Spiritus Sanctus? Quia veniebat docere Apostolos omnia, id est, intrinsecus clarificare, & illuminare mentes eorum, doctrinâ, quæ lux est, & bene advertit Sanctius. Unde non dicuntur esse ignis, linguæ quæ apparuerunt; Sed tamquam ignis, scilicet ex luce, quæ similis est igni: Doctrina enim Apostolica, & verbum Dei, lux est, & lucerna illuminans. *Tract.* 83. *Disc.* 6.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. S. Gregorius Hom. 30. ex prædictis verbis rationem aliam exponit, quare in figurâ linguarum descenderit, sic fatus: *Hodie namque Spiritus Sanctus, dum repentino fonitu, super Discipulos venit, mentes carnalium in sui amorem permutavit, & foris apparentibus linguis igneis intus facta sunt corda flammantia; quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt.* Quod factum inde est, quia docente eos Spiritu Sancto, Apostoli intus in corde arserunt. Verbum enim Dei, specialiter in nobis Dei amorem accendit. *Tractatu* 83. *Disc.* 7. *Num.* 2. *& sequent.*

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Magnum plane donativum, & quo copiosè fideles suos ditavit Christus Deus: Pax enim bonorum omnium compendium est. Verum quæstione dignum est: quare cum dicit, *Do*, pacem appellat suam, cum vero ait, *relinquo*, suam non appellat. Hoc dubium nullatenus effugit subtiliorem S. Augustini sagacitatem, qui sic ad ea verba fatur: *Sed quid est, quod ubi dixit: Pacem relinquo vobis, non addit meam ubi vero ait: Do vobis addit meam. Usum salubriendam est meam, ubi dictum non est: Forte & hic aliquid latet?* Cui tamen dubio ipse S. Augustinus digne satisfacit, sic fatus: *Pacem nobis Christus relinquit in hoc sæculo, in quâ manentes, hostem vincimus: Pacem suam nobis dabit in futuro sæculo, quando sine hoste regnabimus, ubi numquam dissentire possimus.* Scilicet Christus Deus illam dumtaxat pacem, appellavit suam, qua in cœlo Beati sine hoste, aut periculo amissionis fruuntur; in hoc autem sæculo, ubi pax oppugnatur, passiones tumultuant, concupiscentia rebellat, appetitus subsultat, & hostes intus & foris oppugnant, magno concordiæ detrimento, & sæpe pacis jactura, suam non appellat: Hanc enim voluit per contradictiones acquiri & confervari. *Tract.* 70. *Disc.* 14. Vincendo passiones nostras & corporis bellum movendo. *Ibidem Disc.* 15.

Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis. Cur discessurus ab Apostolis solam pacem donat Dominus. Numquid poterat eis largam impertiri benedictionem, qualem Isaac moriens dedit Jacob filio suo dicens, Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cæli &c. incurventur ante te filij matris tuæ:* Hoc enim Apostolis, & toti Ecclesiæ summe necessarium, & utile foret, ne tantis persecutionibus in futurum attererentur? Verum solam pacem, ut rem omnium opulentissimam & pretiosissimam in testamento donat: Amici enim amicis in morte magis pretiosa donant, de quo *Vid. Tract.* 70. *Disc.* 5.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Sanctissimus Patriarcha Jacob moriens insolito prorsus modo duos filios Joseph, Manassem & Ephraim benedicit; quos, postquam in suos sibi adoptasset, dicens: *Duo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem, mei erunt*, cancellatis manibus, benedictionem illis impertit. Figuram hodie adimplet, Author gratiæ, Christus Deus, quos enim in suos sibi adoptavit, Apostolos, his diverso plane è mundo more, & sensu, discessurus, pacem precatur: Pax enim, quam mundus dat, fallax & falsa est. *Tr.* 70. *disc.* 11. Pax vero, quam Christus dat, in solida virtute & justitiâ consistit. *Ibidem Disc.* 13. Cui conjuncta est ipsa innocentia & timor Dei: Et hæc vera pax est, sine quibus pax non subsistit. *Ibidem Disc.* 12.

DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes. Matth. 28. Accepta potestate in homines, statim de eorum salute agit; Bonus enim Princeps curam captat de salute gentis suæ, ut in hoc nullum interponat otium, nullamque requiem: De Christo enim Domino dicitur, Sap. 7. *Speculum majestatis.* Textus Græcus legit *Speculum operationis:* Ac si idem sit majestas, & operatio erga subditos, & inferiores. Unde Jerem. 25. dicitur: *Misit Dominus ad vos, omnes servos suos Prophetas consurgens diluculo.* Tam vigilantem se præbet in salute suorum procurandâ & velocem, ut etiam dicatur de nocte consurgere. Super quo sic S. Hieron. *Per omnes*, nempe Prophetas, *populum suum Deus semper admonuit: Et quasi ipse in vigilijs, & in excubijs constitutus surrexit diluculo, ut suam populum commoveret?* Quibus velocitas denotatur, quâ Deus nostram procurat, & operatur salutem, nec non quam solicite hanc accelerationem desideret. *Tract.* 81. *Disc.* 25.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Non bona videtur esse verborum consecutio, si enim omnem potestatem habet, illatarum injuriarum cur immemor, eas non ulciscitur atque ait: Potestas data est mihi ergo pœnas luent, quâ in me sævierunt, qui sanguinem meum fuderunt, crucique me innocentem affixerunt? Nunc Judicem sentient, quem velut reum condemnarunt? Nequaquam hæc dicit Christus vindictam non cogitavit, nec inimicis suis insultavit, omnium injuriarum oblitus: salutem quærit, beneficia offert; ut ita per patientiam se filium Dei omnibus palam faceret; Patientia enim, quæ quid divini in se continet, Christum filium Dei esse demonstrat. *Tr.* 86. *Disc.* 3. *& Disc.* 4.

Euntes ergo docete omnes gentes. Plures ad docendum Christus Deus destinat? cur autem? Ne unus aut alter privatus Doctor, divinæ sapientiæ tyrannidem arrogantes exerceat. Ad rem Tacitus. 1. Histor. *Nam quidam naturâ ita superbe pugnaces sunt, ut tantum sententijs aliorum contradicant, consilij quamvis egregij, quod non ipsi afferunt, inimici? Et adversus peritos pervicaces. Eis stultis sive quod*

omnes sapere volant ex suo ore : Sive si quod authoritatis in ipsis est, crebris contradictionibus destruant. Sic superbus ambit, ut omnes sapiant ex ejus ore ? Superbiæ enim qualitas est, erigere se super alios, & Deum, tantæ est malitiæ. *Tract.90. disc.1.*

Euntes, docete omnes gentes. In omnes regiones, quamvis remotissimas Discipuli amandantur, & nequaquam unam solum gentem erudire jubentur, sed omnes divites & pauperes, juvenes & senes. Pulchre Beda in homil. cit. à S. Thoma in catena : *Qui enim ante passionem suam dixerat, in viam gentium ne abieritis, surgens à mortuis dicit : Ite docete omnes gentes. Quapropter confundantur Judæi, qui dicunt Christum tantummodo ad suam salutem esse venturum. Erubescant & Donatistæ, qui localiter Christum concludere cupientes, duxerunt eum tantum in Africa esse, non in alijs regionibus.* Falsa hæc, quoniam Psalm. 2. dicitur de Christo : *Postula à me dabo tibi gentes, hæreditatem tuam :* Hereditas Christi omnes homines, ad quos convertendos Apostoli mittuntur : Nec enim locus, nec status licet sæcularis obstare potest, aut prædicare virtutis exercitio, aut sanctitatis lucro. *Vid. Tract. 96. Disc. 8.*

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Renascentibus ex aqua in vitam immortalem merito objicitur in primis, sub arctissimo unitatis essentialis vinculo, personarum divinarum pluralitas. Quæ rei ratio? Pulchre eam insinuat D. Anastas. Sinaita lib. 10. Hexam. *In primis discimus mysterium Trinitatis in Baptismate, cum quo mysterio vitam Deo gratam discimus.* Sane apud exteros eo habitu Dij objiciebantur, quem sibi in adoraturis pergratum fore maxime significabant : Unde Lacedæmonij, & Deos & Deas armis horrentes effingebant, ut visis Dijs, ait Alexand. ab Alex. ne juvenes, nisi armati, deprecarentur, rati armatis Dijs minime placere orare, sine armis. Hinc mentem elicio Anastasij : *Initiamur enim Christiani sub Deo uno, & trino, ut vitam Deo gratam discamus, & ne quid ab eo Deo petamus, in quo est, cum pluralitatis differentiâ, perfectissima unitas ; Nisi perfecta animorum unitate coarctati. Plures personæ sunt unus Deus, qui cumque huic Deo, & trino, & uni inserviant, hunc indicant unitatis habitum.* Pax enim Christiani hominis character est, per hanc fides dilatatur & conservatur. *Tract.59. Disc.3.*

Docentes eos, servare omnia, quæcumque mandavi vobis Post fidem ac baptismum, adjungit Dominus mandatorum observantiam. D. Hieronym. *Ordo pulcherrimus, jussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes ; Deinde ut fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent.* Indicans, neque fidem, neque baptismum esse satis ad salutem ; nisi etiam operum observantiam impendamus, & notanter additur servare omnia, non vero aliqua, quia finis doctrinæ Christianæ collocandus est in observatione mandatorum ; Omni enim statui etiam seculari observantia divinorum præceptorum apta est. *Tract.96. Disc.6.*

Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. In mundum plenum immunditijs, idololatrijs alijsque sceleribus mittebat Apostolos Dominus humanis destitutos præsidijs, pauperes & humiles, periculum suberat, ne inquinarentur ; Verum sic suâ munit præsentiâ, ut hoc omne periculum evanescat. Elegantèr ad rem Didacus Celada in cap. 4. Tob. allegans Senecam lib. 7. natur. Dei præsentia brevis morum pædagogia est, vitiorum cohibitio, & moralis disciplinæ compendium. Equis Deum sibi animitus præsentem serio cogitans, lascivire non erubescat, voluptatibus affluere cogitet, & alijs violenter nocere audeat ? Vitiorum temeritatem hæc cogitatio potenter continet, & ad omnem probitatem sensim eximulat : Nam omnis malitia tenebras quærit, oculorum censuram fugit, Dei præsentiam sustinere non evalet. De divinæ præsentiæ & perspicaciæ gymnasio, morum disciplinam hauserunt Patriarchæ, arripuerunt Prophetæ, & Evangelij Proceres expresserunt, hæc virtutum compendium est, & vitiorum dispendium. Hanc qui habet, Deum velut pædagogum habet : Hanc qui negligit in omnem pravitatem impotenter effertur, tamquam divinæ providentiæ quodammodo exul : Efficax enim est instrumentum ad vitam immaculatè traducendam exercitium divinæ præsentiæ. *Tract.84. Disc.7.*

Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. Ad grande opus, conversionem scilicet infidelium populorum, efferarum Gentium mittebat Dominus Apostolos, ut Agnos mansuetos inter rapaces lupos ; ne exinde turbarentur, se Præsidem, & semper futurum præsentem spondet : Ac si dicat : Nolite vos Discipuli mei & quicumque verbi mei Præcones critis, cogitare vos desolatos. Ecce ego vobiscum sum, meâ divinâ præsentiâ, meo auxilio, robore, ope, gratia ; imo & directione usque ad consummationem sæculi : Non enim vos eritis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ad rem D. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 1. ait : *Nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de meâ potestate confidite, qui vos in opere*, prædicationis scilicet, *non derelinquam.* Et consuetudinarium Christo, fuit suis prædicatoribus Apostolis suam exhibere præsentiam & opem : Ipse enim est, qui in ministris Evangelicis loquitur, eique idcirco attribuendus est verbi Dei fructus, quod proinde nequaquam contemnendum est, utpote Dei verbum. *Tr.83. Disc.18.*

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & byssô, & epulabatur quotidiè splendidè &c. Luc. 16. Admirandum est valdè, quod hujus pauperis Lazari nomen exprimatur : Divitis vero taceatur, cum ea mundi conditio sit, quod passim pauperes despiciantur, nec eos nomine mundus dignetur, divites vero ubique honorentur & festive celebrentur ? Cur ergo, Domine, hujus pauperculi nomen præter morem affingnasti : Divitis tamen, & nobilis viri, qui ex regia stirpe ortus videbatur : *Induebatur enim purpurâ*, more regum, *& epulabatur quotidie splendidè*, more potentium, hujus inquam nobilissimi viri nomen taces ? Num divitis nomen ignorabas, qui omnia nosti, vel non ille nominatissimus in terris erat ? Opinor enim purpuratum divitem, vocabuli etiam vanâ gloriâ apud homines fuisse notissimum, pauperem vero apud Deum. Et quia passim more divitum hujus mundi, aliud non quæsiverat, quam nomen suum vanæ hominum jactantiæ inscribere, identidem repetens id Genes. 11. *Celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras*, nominis sui gloriam ambiendo, adversus Deum graviter deliquit ; ob hoc sic à Deo aversatur, ut nec nomine dignus censeatur, quare tantum dicitur *Homo quidam*, suppresso, etsi non bono, hominis vocabulo : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum, per labia mea*, ait per psalmistam Deus ipse, Psalm. 15. Quia ergo peccator maximus, erat dives ; ideo Christus Deus qui odit peccatum, eum nominare non vult. *Tract. 71. Disc. 8.* Hic Dives, quâ homo in Dei censu erat, & memoria : At peccator, & qua talis, nominis censu & vocabuli elogio caret, quippe & infamis : Vile enim & infame peccatum est. *Ibidem Disc. 10.*

Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ. Omnium peripsema fuerat in hoc mundo Lazarus, ut alter quidam Job, ulceribus plenus jacebat ad januam divitis ita contemptus, ut ei etiam micæ cadentes de mensa divitis negarentur : Quæ omnia tamen adversa, ulcera, morbos, paupertatem, contemptum, famem & sitim patienter toleravit ; ut de eo bellè publicari posset : *In patientia animam suam possêdisse.* Post quorum vere adversorum patienter toleratorum consummationem portatur ab Angelis, tamquam Dei ministris, & collocatur non juxta Abraham, ut observat D. Chrysost. Sed in sinu Abrahæ, ut illum palparet, ut illum refocillaret, ut illum, quasi clementissimus teneret in sinu & recrearet. Quid hanc Lazaro gloriam peperit ? Patientia : Ipsa est enim ; quæ in cœli gloriam nos introducit. *Tract.68. Disc.5.*

Factum est autem, ut moreretur mendicus & portaretur in sinum Abrahæ. Mirabile est, quod S. ille Lazarus, de cujus vitæ integritate & virtutibus nihil prorsus refertur, quam quod multis malis afflictatus fuerit, ad tam nihilominus, sublimem gloriæ gradum evectus sit, ut ipso sinu sanctissimi Patriarchæ Abrahæ recumbere & recreari dignus fuerit ? Interim cum in illam Gentilis Moralistæ Senecæ sententiam incidi Epist. 8. dicentis : *Incipe cum paupertate habere commercium, aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum Deo finge, nemo alius est Deo dignior, quam qui opes contempsit* ; mirari desij, nam ex eâdem intellexi, quam nobilis virtus sit paupertas, quæ Deo unit & conjungit, homines Dei Senatores efficit, estque Thesauraria & divinorum Dei bonorum dispensatrix, *Vid. Tract. 96. disc. 1. à num. 3. usque ad 8.* Paupertas ergo opportunum medium & facile ad consequendum regnum cœlorum est. *Ibidem Disc. 5.* Et ideo Lazari cæteræ virtutes tacentur, quia cum sola paupertas publicatur, quæ cæterarum virtutum fœcunda mater est, & vitiorum exterminium, omnes in eo virtutes propalantur. *Vid. Ibidem Disc. 2.*

Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Appositè D. August. serm. 62. ad fratres : *Cupidus & avarus similis inferno dicitur, quippe infernus, quo plus devorat,*

eo magis capit & desiderat ; non aliter avarus, satiari aut expleri non potest ? crescit vana potentia, crescit & pœna. Mirum dives avare immisericors, & opulentæ dignitatis potentiâ auctus, infernalibus tormentis manciparus dicitur, & infausto divitiarum prognostico prædamnatus. Hujusmodi autem damnationis notamenta, & inferni Characteres in scipso descriptos præfert : Nam ipse velut animatus infernus est, dum secum portat haud dubiam inferni similitudinem. O viva inferorum sepulchra, pœnalissima gehennæ supplicia præpropere ostentantia, peccata lethalia ! *Tractat. 77. Disc. 2. & Disc. 3.* Agite igitur nunc divites, plorate ululantes in miserijs vestris peccatores, quæ aderunt vobis. Quænam vero sunt hæ infeliciter miseriæ, quas divites peccatores sic pavide timere monentur ? *Aurum & argentum vestrum æruginavit : Et erugo eorum in testimonium vobis, & manducabit carnes vestras quasi ignis* Jacob. 5. *Non solum enim impios, & immisericordes divites visibilis gehennæ ignis, in tormentis excruciat, sed & ipsa divitiarum putrefactarum, & inanium memoria, quibus facillime possent, suas redimere necessitas, non minus, & ante judicium animas eorum, & post resurrectionem, etiam carnes exuret*, ait Beda. Peccata enim sunt velut ignis quidam, quo anima tum in hac, tum in altera vita aduritur. *Ibidem Disc. 1.*

Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Quis non esse vilem mortem Lazari judicaret ? qui ad limina divitis Epulonis prostratus, cui à plantâ pedis usque ad verticem nulla erat sanitas, canibus circumseptus, qui languentis ulcera lamberent, exhalat animam inter canum linguas, ut ait D. Augustin. Cumque qui et micas panis superfluas porrigeret, nullus esset, nec aderat, qui jacentem præteriens, aspicere dignaretur : Econtra vero, quis non felicem assereret, atque expetendam mortem Epulonis, qui inter byssum & purpuram, inter aromata & fragrantia unguenta, circumstipatus amicis, delicijs affluens, medicis, medicinis, fomentis, odoribus confortativis ac reparativis ad luxum abundabant ? Attamen ille ab Angelis in sinum Abrahæ felicissimam nactus est mortem ; hic Dæmonibus circumseptus, infelicissimâ expiravit, sepultus in inferno, mors enim peccatorum pessima, *Tractat. 77. Disc. 5.*

Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam. Dives ille infeliciter felix, delicijs splendide affluetus, erga Lazarum extremâ mendicitate opulentum, duré immisericors, in barathrum gehennæ duré ustulandus corruit : Ignis igitur globis incandescens hiantibus ardore faucibus perenniter æstuans, tanta sedulitate aquæ guttulam sitit, & cœlos quodammodo clamoribus inquietat, ut vel gutta aspergi ad refrigerium mereatur. Putaverim quod incendij vastitas, aquæ guttulam absumat, antequam os riget. Errat itaque & plane errat, damnatissimus hic Epulo, cum tam leve faucibus refrigerium expetit, plus de aquæ guttâ votis præsumit, quam revera præstare potest. Ast, quod in damnatis votiva præsumptio est, in purgatorij animabus vivorum suffragijs, vere præstatur : Quâ super re, ita S. Paulinus ad Delphinum Episcopum, commendans illi animam fratris sui : *Fac*, inquit, *ut orationibus tuis condonetur tibi, & illius animam, de minimo tuæ sanctitatis digito distillans, refrigerij gutta respergat.* Scilicet, quod dives ille damnatus inani & falsato desiderio præsumebat : Hoc defunctorum animæ quæ purgatorio igne exæstuant, & votivè exoptant, verè experiuntur, dum viventium suffragijs, eleemosynis & orationibus adjuvantur : Hæc enim efficacissima remedia ad illis succurrendum sunt. *Vid. Tract. 86. Disc. 9. 11. & Disc. 12.* Quæ, autem ad hæc suffragia ferenda, vivos commovere debeant. *Vid. Ibid. disc. 4. 5. 6. 7. & Disc. 8.*

Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Dictum est paulo ante, ipsum Lazarum invictâ patientiâ, cuncta adversa toleravisse, de quâ sic Gilbertus Serm. 32. in Cant. *Ipsa patientia, quid aliud est, nisi quidam velut futuræ impassibilitatis odor ? Illic mala nulla inferuntur, hic vero patientiæ beneficio etiam quæ illata sunt, non sentiuntur.* Quomodo igitur Lazarum mala recepisse, Abrahum dicere potest ? Pulchre huic quæstioni respondet S. Thomas in Caten. *Non quod Lazarus ea mala passuerit ; sed ex consuetâ dicentis hoc dicebat, qui inopiam & famem, & duram ægritudinem æstimabat mala. Lazarus autem patienter ea ferendo, per patientiæ virtutes altus, ea in admirabiles quasdam gemmas, quæ cælestè coronam adornabant, convertit. Vid. Tract. 68. Disc. 6. Item Disc. 5. Num. 9.*

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam. O purpurate & delicioſe dives, si te immisericordis opulentia merito jam possidet totus ignis inferni : Si te flamma gehennæ complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri ? quia magis lingua uritur & ardet, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit, sic acriorem sibi oppignorat gehennam divitis lingua ? Pulchre D. August. Serm. 227. de tempore : *Totum divitis corpus flammis gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur. Ideo sine dubio in lingua majorem sentit ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem : Ipsa enim lingua, quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi donaretur, per gravius gehennæ flammis exuritur. O dives*, igitur, subnectit ctr. August. *quæ fronte, quaris guttam, qui nolusti porrigere micam ? Juste hanc exigeres, si dedisses : Justo judicio tibi vicem redde, quia judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam :* Per quæ enim quis peccat, per hæc merito punitur. *Tract. 78. Disc. 18. 19. 20. usque 26.*

Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala. Ecquis non miretur hoc Abrahami responsum, quasi dicat : Non opus est, ut tibi exponam, tuæ damnationis causam, quam in recordatione invenire expromptum est : *Recordare, quia recepisti bona.* Notanter S. Chrysost. ad Philip. Serm. 2. ait : *Non quia dives fuerat, torquebatur, sed quia misericors non fuit.* Quare ergo non luxuriantis immisericordiæ, sed opulentæ felicitatis meminit, cum acerbæ damnationis causam exponit ? Cruciatur dives, quia opulente fortunatus fuit : Quod enim de largiore Dei beneficentiâ adversus impios venit, ad damnationem imputatur : Impunitas enim & prosperitas impiorum, Dei contra illos indignantis indicium, & iræ Dei signum est. *Tract. 78. Disc. 32. & Disc. 33.* Siccine igitur periculosa mundana prosperitas est de vitiorum lenocinio, ut communiter in naufragium impellat ac extremum infortunium pariat, quia vitiorum fomes est, & malitiæ officina, ac iniquitatis licentia ? Sua prosperitate velut fœcundis ventis navigabat dives Epulo ; sed inde nimis licentiosus factus, crudelis, ebriosus ac contumeliosus evadit, & in morte naufragium facit ad interitum, & inde in memoriam ei revocantur antiquæ prosperitates, ut eas tamquam suæ damnationis causam agnoscat : Prosperitas enim impij in hac vita, æternæ damnationis indicium est. *Ibid. Disc. 34.*

Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala. Dives ille opibus æque ac tormentis famosus, induebatur purpura & byſſo. Si autem subtilium pretiosarumque vestium cultus, culpa non esset, nequaquam sermo Dei, hoc tam vigilanter exprimeret : nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, nemo enim vult pretiosis vestibus indui, ubi ab alijs non possit videri. *Et epulabatur quotidie splendidè* ; ubi solerter attendendum est, quod celebrari sine culpa convivia vix possunt ; penè semper epulas comitatur voluptas ; nam cum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur, expletus delicate venter, ad ventris voluptates, tamquam appendices hiat nullarenus tamen in his omnibus dives felix, qui extructum in inferno sepulchrum invenit : Igitur omnis felicitas merito timenda est. At quis umquam timuit humanam felicitatem, quam providentia Dei larga manu dispensavit ? Dei quidem timemus iram, quæ inundiales calamitates minatur : Dei autem benignitatem, quæ cuncta spondet prospera ; quis umquam timuit ? Vere interim ex hoc eventu & hæc timenda, ut ex præsenti puncto profunde eruit Antiquiss. Tertul. de cultu fœminarum cap. 7. sic dicens : *Quanto autem laudabilior, qui timuerit etiam indulgentiam Domini.* q. d. Nil in humanis rebus casu accidit, sed Dei providentia res omnes ad sui gloriam & hominis utilitatem dispensat : Homines autem Deum iratum timere solent, ne infelicitentur fortuna adversa : Cum autem audio dictum fuisse diviti damnato : *Recordare, quia recepisti bona*, prosperiorem fortunam exosus, felicitatem magis metuo, & Dei largiorem beneficentiam timeo. Ergo laudabilis est, qui Dei iram metuit, sed laudabilior qui Dei etiam indulgentiam timet : In hac enim vita in negotio salutis nostræ semper timendum est, & numquam fœuri esse debemus. *Tract. 93. disc. 5. & disc. 7.*

Et ait rogo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei : Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis. Prius pro se rogavit, ut mitteretur ad se Lazarus, & cum non obtinet, rogat dimitti ad fratres, quatenus resumpto corpore eis felicitatem suam, divitijs vero damnationem annuntiaret ; atque, ut ipsi fratres oculis propriis viderent in Lazaro, quanta bona suâ patientiâ & paupertate esset assecutus : Econtra autem ex verbis ejus agnoscerent, quantos cruciatus ex suis divitijs sibi dives comparasset ; Verum incassum & hæc cedit petitio, quam S. Chrysost. sic perstrin-

git, Conc. 3. de Lazaro: Non æque tu curas fratres tuos, ac Deus, qui illos condidit, & innumeros illis adhibuit magistros, admonitores, consultatores, adhortatores: Sic nempe omnem humanam solicitudinem vincit divina providentia, ut multos prædicatores doctrina & vita excellentissimos provideat: Ad Deum enim spectat abundanter nobis prospicere, in exemplum sit S. Patriarcha Jacob. *Vid. Tract.* 85. *Disc.* 3.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent. Luc. 14. Cum Christus Dominus in hunc mundum venerit, non modo ut Redemptionis gratiam; Sed etiam ut cœlestis verbi doctrinam hominibus impertiret, ubi primum hoc munus obire cœpit, vix umquam ab eo conquievit; unde quocumque tempore, quocumque loco, quavis occasione oblata, docendi officium numquam intermisit. Itaque à Pharisæo quodam invitatur, cum quidam convivij hujus occasione dixisset: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. 14. Ipse elegantissimam hanc parabolam proposuit, in quâ cœlestis regni gloriam, & divinæ bonitatis largitatem describit, & quinam, & ob quam causam ab hac cœnâ excludendi sint, parabolice declarat. Ait ergo; *Homo quidam*, id est unus, & singularis, conceptus sine semine Patris, natus sine dolore matris, immunis à peccato, mortuus pro peccato, *fecit*, non mandavit ministris facere. non alijs faciendo committit; Sed per semetipsum primum universa conficit, & ea præstat, quæ ad hanc cœnam magnam consequendam, & cœlestibus hisce delicijs fruenda, necessaria videbantur, communicans abundantissime divina sua auxilia, nihilque intermittit, & ideo post se mittit, & vocat per Angelos, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, imo mandat dicere invitatis, ut venirent, omnia parata esse ad salutem; negligunt prò dolor omnes, & rustico modo se excusant: *Non possum venire.* Et quamvis his auditis paterfamilias esset iratus, tamen tunc nec aliquod supplicium eis intulit, nec eis comminatus est, nec aliqua verba dura in eos protulit; Sed hæc omnia dissimulans, dixit secundò, servo suo: *Exi cito in plateas, & quosvis debiles, & claudos, & pauperes introduc.* Aliquibus vero eorum etiam contemnentibus, ut justius irasci posset; tamen tertio adhuc omnes vocat, imo jubet: *Compelle intrare:* Quod quidem verbum, nullum præjudicium nostræ voluntariæ libertatis significat; Sed vehemens patrisfamilias desiderium, & summa ejus liberalitas, cupientis suas dapes, quamplurimis communicare, nullius hominis conditionem respuentis: Quam eximiam liberalitatem, & singularia Dei auxilia ubi respuunt, obstinati, tum demum audiunt: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam*, id est, manducabit panem in regno Dei, illiusque particeps erit: Reprobi enim auxilia Dei respuendo, ob suam obstinationem merito damnantur, & de libro vitæ delentur. *Vid. Tractat.* 82. *Discursu* 3. & *Disc.* 4.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Ad Rom. 8. dicitur Christus primogenitus in multis fratribus, qui in hoc Evangelio dicitur, *Homo quidam*; Unde Christus regio majoratu prædives, primogenij jure, quasi tenetur, cæteris fratribus alimenta præbere, & quidem opulenta; utpote fratribus divinâ affinitate prænobilibus, ut proinde mirum non sit, quod hanc cœnam magnam suis exhibeat, ideoque digna alimenta elargiatur, ne tanti regis fratres (sic enim homines appellare dignatus est) misera egestate premantur. Num ipse regali majoratu auctus opipare pandebit in cœlo; regijs gloriæ vestibus indutus, empyrea habitabit palatia, cæteris fratribus congruâ mensâ & tecto orbatis? Absit: Duplicem enim mensam tibi exhibet; nam cum hoc discrimen inter viventia sit, quod ea, quæ corporea sunt corporeo: Quæ vero spiritualia, spirituali cibo alantur: Solus autem homo, inter omnia, quæ vitam habent, ex corpore simul atque spiritu compositus sit, consequens fuit, quod duplici egeret alimento, quorum altero corporis, altero spiritus vitam sustentare valeret; hoc vero abundantissime præstitit, cum non solum corpus & sanguinem suum in cibum & potum dedit, Joan. 6. Sed & verbum Dei, per modum lauti convivij subministravit, quod rationem cibi habet animam satiantis. *Vid. Tractat.* 83. *Discursu* 1. 2. & *Disc.* 4. Nec minorem virtutem alendi corpus. *Ibidem Disc.* 5.

Quia jam parata sunt omnia. Quærunt diligenter interpretes, per quosnam condita & parata sint omnia; quæ in epulo apponenda erant? Pulchre S. Augustin. Serm. 33. De verb. Domini: Homo iste, mediator est Dei, & hominis Christus Jesus *Illi* (Judæi inquam) *invitantes acceperunt, cœnam repudiarunt, Prophetas legerunt, & Christum occiderunt, & tunc nobis cœnam nescientes paraverunt;* Grande ingratitudinis malum, ut etiam cœnam repudiarent, & Christum occiderent; sed ex hoc malo bonum elicuit Deus, ut Judæis nescientibus nobis cœna præpararetur: Deus enim novit, eique proprium est, ex malis bona elicere, odiumque Dæmonis in nostram convertere salutem. *Tract.* 92. *Disc.* 11.

Villam emi & necesse habeo exire & videre illam. Plane insipienter dictum, & factum; Rem emit, & post emptionem vadit videre illam? O homo mentis omnino expers, pretium dedisti pro re invisa? Prius oculis videnda villa erat, & exploranda fundorum ubertas &c. & mox emenda: Stolide dedisti prius pretium, & postea is videre, quid sit, pro quo jam pretium dedisti: Quid si tibi non placet? an poteris rescindere contractum? Præstaret prius vidisse, & diligentius explorasse, & tunc dignam fundo offerre pecuniam. Ergo sive *villæ nomine designetur terrena substantia*, ut existimat S. Gregorius; sive *in villa empta dominatio notetur*, ut interpretatur S. Augustinus de verb. Domini Serm. 33. *Castigatur superbia*, & humana avaritia stultitiæ damnatur; quippe quæ rem, quam ignorat, emit. Se ignorat, qui terrenam substantiam, sui inedia emit: Qui honores ambitione mercatur, sponte decipitur, ô stolide, quid emis divitias & honores, laborando, sudando (cito dicam) moriendo? Sed nil mirum: Superbia enim species dementiæ est & solent superbi degenerare in bruta, orbari discursu & judicio. *Tr.* 90. *Disc.* 12.

Et alter dixit juga boum emi quinque, & eo probare illa. Ad deliciosissimam cœnam, & lautè opiparam mensam humanissime invitatus, quinque sensuum suorum (qui per quinque empta juga boum congrue intelliguntur) voluptatibus deditus peccator, propter modicas transitorias vanitates, æternam mensam despicit, aut negligit. O belluinam hominis peccatoris insaniam & fatuitatem! Siccine rationalis creatura in bestiarum & ferarum naturam mutatur? Nil mirum, bestia enim truculenta est peccatum, peccatorque passim ferarum nomine à scriptura indigitatur Tract. 71. Disc. 13. *Quis enim dubitet*, ait Mellifluus Bernard. *hominem, qui sibi juga emit jumentorum, comparatum jumentis esse? Nisi, quod eo sane ipsis jumentis convincitur essè stolidior, & bestialior bestijs comprobatur: Quod juga necessitatis earum, propria ipse subeat voluntate:* Culpa scilicet sua brutis insipientior effectus. *Ibidem Disc.* 20. Boves verberibus ad jugum trahuntur, à pabulo: Homo autem sponte sua à cœlesti cœna fugit, ut ad jugum currat: nam *cum sine jugo esse non possint homines*, pergit. Citat. Bernard. *quale hoc ipsum est, eligere potius quinque quam unum; quis enim potest servire quinque dominis, ne dum quinque tyrannis, quinque prædonibus.* Bos ad unum tantum jugum porrigit collum: At homo plus quam ipsis brutis animalibus stolidior factus, ad quinque juga sustinenda festinat, dum enim ad peccatum spontaneus ruit, servitutem amat, & pro suavi Dei jugo multos sibi eligit tyrannos. *Ibidem Disc.* 14. & *Disc.* 15.

Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Ad nuptiale epulum cœlestis gloriæ umbram homines benevole invitati; à magno illo patrefamilias omnes ad unum ire inurbane recusant: Alius villam nuper emptam causatur: Alius quinque juga boum probanda; hic vero ductam uxorem incusat. Quæ verba S. Gregorius Hom. 36. in Evangel. sic exponit: *Quid per uxorem, nisi voluptas carnis accipitur? Ac si qui voluptate carnis blande afficitur, aperte dicat: Ideo non possum venire ad Christum per pœnitentiam, ejusque ductum sequi.* Quid est non possum? O verbum nimis audax, qui carnis voluptati assuescit, per pœnitentiam ad Christum venire non potest? Trita est S. Augustini sententia: *Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato; Sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate facit necessitatem. Quid ergo mirum, si assuetudine luxuriandi sensim facta necessitas, impudenter dicat: Ideo non possum venire?* Scilicet libido contumaciter obstinata, adeo impotenter raptat concupiscentiam, & una trahit voluntatem, non ut omnino libertatem tollat, & cognatam arbitrij indifferentiam præpediat: Sed ita potenter reddit illam ad voluptabilia proclivem, ut vix, aut ne vix quidem libidini non pronè assentiat, & obsequenter ad nutum pareat: Consuetudo enim inveterata pœnitentiam reddit difficilem, & quasi impossibilem. *Vid. Tract.* 81. *Discursu* 7. *num.* 8. & *Disc.* 8. Nullatenus itaque similibus impœnitentibus injuria facta est, dum ad pœnitentiæ convivia vocati; *Secura enim mens, quasi juge convivium;* [illegible]

Et venire aut contempserunt, aut neglexerunt; Exclusi sunt meretur etenim & solet, procrastinata vitæ emendatio à Deo dire puniri. *Ibidem Disc.* 5. & *Disc.* 16.

Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Mirum sane est, quod carnis concupiscentia matrimonij privilegio licita, sic hominem hunc absorbuerit, quasi de gratia voluptatis, in gratiam necessitatis induxerit. Siccine carnis voluptas attrahit, ut prope abstrahi non possit? Inurbane agrestis est illa vox: *Non possum*, ac si libido duram necessitatem inducat. Percommode Philo lib. de mundi opific; *Voluptas tamquam lasciva meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum ceu hamo capiat.* Siccine libido, aliaque peccata, peccatricem animam illaqueant, ut eam per effrenes suos appetitus suipsius carnificem constituant? *Iniquitates suæ capiunt impium* Proverb. 5. *Vid. Tract.* 77. *Disc.* 25. & *Disc.* 28.

Et iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas, & vicos civitatis; Et pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Pervestigant interpretes, quinam fuerint illi, qui primo invitati fuerant, & inurbane regalis convivij honorem respuerunt. Cyrillus in Catena putat fuisse: *Judæorum præsides, & primates.* Satis enim est verisimile; Virum Principem; & prædivitem, primates, & præsides ad lautum epulum invitasse. Sed quid est, quod cum magnifici Convivij delicias & honores refutassent Magnates; non alios urbis proceres; sed *pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos*, in illorum locum suffecerit? An non alij supererant; è primâ nobilitate, quos denuo invitaret? Forte non omnes nobilitate præstantes, ea in urbanitate squalerent. Saltem posset advocare quospiam ex honestis civibus, quos convivij sui honore sublimaret. *Pauperes ac debiles*, dumtaxat invitat. O sordidos viri principis convivas? Belle S. Gregor. Hom. 36. in Evang. naturæ humanæ fastum hunc opportune perstringit, sic fatus: *Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur.* Deus enim superbis resistit, eosque detestatur. *Tract.* 90. *Disc.* 9. & *Disc.* 10. Item superbia est signum reprobationis à regno cœlorum, hac cœnâ adumbrato. *Ibid. Disc.* 11.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad Jesum publicani & peccatores. Luc. 15. Cum Taurus carcere quo detinetur solutus in forum, vel in arenam vi maxima erumpit, nemo propius accedere audet: Qui vero prope Taurum sunt, retorquente Tauro caput, statim maximo territi pavore fugiunt; in vallumque seu quæcumque alia receptacula se conjiciunt, ut vim incedentis tauri devitare possint; Verum si postea Taurus currui fortiter adstringatur, vel jugo subjiciatur, quilibet impune cominus accedit, ut vel etiam puer cornu audeat tenere: Hoc igitur modò in lege veteri, nemo Deo appropinquare audebat; nam quasi Taurus ferus, temere accedentem interficiebat. Accessit ad Deum Oza, arcamque tetigit, & statim interijt; 2. Reg. 6. &c. Verum postea quam amore victus, se humanitati tradidit, naturæque humanæ jugum subijt, hominum charitate devinctus, tamquam Agnus mansuetus factus est, adeo, ut publicanos, peccatores, meretrices, latrones, claudos, cæcos, paralyticos, leprosos & mendicos, cæteramque miserorum hominum turbam, facillimo animo accipiat, summoque amore complectatur. Neminem filius Dei rejicit, nullius plagæ aut miseriæ illi nauseam movere possunt: Sed cum sit summa bonitas & munditia, facili alacrique vultu, luxuriosos, abominabiles peccatores accipit, qui ab eo non modo morte, aut aliquo supplicio non afficiuntur; Verum vitam consequuntur: Sic summum Zelum pius Redemptor circa salutem animarum demonstrat. *Tract.* 97. *Disc.* 8.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: Et si perdiderit ex eis unam, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat: Cur tot myriades hominum uni assimilat ovi? Pulchre D. Chrysol. serm. 168. ait: *Ut inveniret in una omnes.* Quasi nihil sibi acquirere noverit Dominus, in quo unitas non effulgeat; tantopere concordiæ & pacis amans est, ut nihil magis Deum ostendat, quam unitas: Nihilque magis Deo contrarium: quam divisio, adeo ut ex divisione, veræ Deitatis absentia significetur: Hinc pax, nescio quid divini in se habere probatur, ut ab illa sibi filius Dei nomen sumat. *Tract.* 70. *Disc.* 1. Hinc Ecclesiast. cap. 42. De creaturis elementorum locutus, dicit, quod fecit Dominus: *Omnia duplicia unum contra unum.* Cur unum contra unum? S. Chrysost. in Ps. 2. attigit rationem, ajens: *In creatione quidem, mundique opificio, quæ sunt inimica natura, concordiam amplexa sunt, & mundum perfecerunt, natui opificis parentia: In universi autem providentia, sunt sibi invicem infesta; [illegible] piam multorum Deorum cultum refellentia, ut omnes sciamus, quod quæ bello impetunt, & impetuntur, Dij esse non possunt.* Numquam Deus in divisione est: Et ideo in mundi exordio, quæ etiam natura inimica ad concordiam reduxit, ut pacem & concordiam homini persuadeant. Omnes enim creaturæ, in bonum universi, pacem inter se conservando, homines ad pacem extimulant. *Ibidem Disc.* 18.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto? SS. Ambros. Cyrillus, & Gregorius, & communiter interpretes per erroneam ovem intelligunt humanam naturam; At per nonaginta novem in deserto relictas, interpretatur Angelorum chorus in cœlo. Sed mirum fortasse alicui videbitur, desertum appellari cœlum? Respondet Doctiss. & Venerand. D. Joannes Baptista de Sylveira; *Cœlum dicitur desertum, ob securitatem, quam secum habet, quod sit liberum ab hominum frequentia, ac tumultu, in quo tentationum illecebræ, ac diversarum rerum occursus obveniunt; unde si pastor relinqueret oves in civitate aliqua, multo essent discrimini expositæ: à quo sunt salvæ & custoditæ cum in deserto persistunt. O eremus*, exclamat idcirco S. Basilius, sapientia ac sanctitate magnus, Tract. de Eremi laudibus: *Mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mœrentium consolatio, ab æstu seculi refrigerium; peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, curia cœlestium Senatorum, ubi Victor dæmonum, socius efficitur Angelorum.* In hanc eremum dimittit nonaginta novem vigilantissimus pastor, nihil de eis solicitus, quia securæ degunt oves de salute sua, cui solitudo mire opitulatur. *Tract.* 89. *Discursu* 1. *maximè Num.* 3.

Et cum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens. Eleganter Antiquissimus Tertullian. lib. de pœnit. *Una ovis requiritur, una pro omnibus desideratur, & humeris pastoris ipsius fertur: multum errando laboravit.* Ovis illa opimis; ac uberrimis pascuis cum toto grege lætabunda exultabat, ubi absque ulla molestia multis delicijs affluebat; erat inter choros Angelorum; omni labore vacua, florida ac perjucunda vita gaudens, spiritualium fructuum dulcedine fruens, & tamen hæc omnia cœlestia dona contemnit, & ab electarum ovium societate deficit, mundanos labores exoptat, mundanas fatigationes per montes requirit, quibus ita frangitur, ut pene enecta ne gradum facere valeat; Sed humeros portantis expostulet: *Quia multum errando laboraverat.* Ecce ut hic depingitur peccatorum miseria, qui dum suis satisfaciunt appetitibus, laborare & fatigari se sentiunt. *Tract.* 77. *Discursu* 13. & *Disc.* 14.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam &c. Juxta drachmæ exemplum, ait Tertullian. lib. de pudicitia; *Etiam intra domum Dei Ecclesiam, licet esse aliqua delicta, pro ipsius drachmæ modulo, ac proinde mediocria quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, statim ibidem cum gaudio emendantis transigantur.* Et ideo mulier, quæ drachmam perdidit, non statim à Domino rejicitur, ac damnatur; Sed potius laudatur, quod accensâ lucerna, perditam diligenter inquirat, ac recuperet: Non enim est præsentis temporis omnino peccatis carere; attamen præter præservativa, quibus efficitur, ne in illa cadamus, multa quoque ad manum sunt remedia, ijs, qui in illa lapsi sunt, *Tract.* 76. *Disc.* 23.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam & everrit domum &c. Hæc parabola clara est, quia eadem est cum illa de pastore & ove perdita, ita SS. PP. unanimiter, Hanc autem ideo Christus proposuit, ut indicet, quantam Deus diligentiam adhibere soleat, ut peccatores convertantur, & reducantur ad viam salutis, ac si diceret: Si mulier adeo lætatur, quod inveniat drachmam amissam, ut universam domum suam everrerit, ut eam inveniat; quare ego non dabo operam, in perditis peccatoribus quærendis, ut ex illis reductis gaudium percipiam? per hanc ergo mulierem communi sententia interpretamur Dei sapientiam, quæ dicitur mulier ex affectu pietatis & misericordiæ; Drachma vero, deperditum genus humanum, seu homo, qui in primâ sui creatione fuit innocens, & sine peccato, atque ideo in prima parabola assimilatur ovi, quod animal innocens est, simplex & mansuetum: Fuit etiam creatus ad imaginem Dei, & ideo significatur per drachmam, in qua est imago regis impressa: Per peccatum autem, perdit homo innocentiam, & deformat imaginem Dei, reperitur vero per lucernam: Lucernam enim accendit Christus quando sua doctrina hos peccatores traxit: Lucerna enim pedibus nostris verbum Domini, lucerna lucens, & illuminans. *Tract.* 82.

Tract. 83. *Diſc.* 6. Hanc lucernam itaque accendit Dei ſapientia, cum Jeſus cœpit prædicare; ſubvertit domum, quando obſtinatorum peccatorum dura corda prædicando emollivit: Maximam enim virtutem, emolliendi duritiam obſtinatorum peccatorum habet verbum Dei. *Ibid. Diſc.* 10.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam &c. Super hæc ſic commentatur Origenes Hom. 13. in Gen. *Mulier, quæ perdidit drachmam, non illam invenit extrinſecus, ſed in domo ſua, poſtea quam accendit lucernam, & mundavit domum à ſordibus, & immunditijs, quas longi temporis ignavia, & hebetudo congeſſerat, ubi invenit drachmam, hæc enim videri non poterat, quia domus tota ſordida erat, immunditijs & ruderibus plena.* Non inter gazas, & arcas, quærit mulier drachmam; ſed verrit, ac abſtergit domum à minutiſſimo quoque pulvere, ut eam inveniat: Perdidit homo nummum, in quo erat deſcripta effigies ſupremi regis, ut eam perfectiſſime ac valde conſummatè inveniat, ac obtineat, non ſolum mundet domum ſuam, animam ſuam magno ſqualore peccati, ſed etiam à quolibet illius exiguo pulvere ac veſtigio, ut omnium virtutum ornamento, id eſt, perfectione induatur ex alto. Imago enim in nummo impreſſa, exiguis etiam ſordibus obruitur, ne appareat. Amovendus eſt ergo quilibet levis etiam pulvis, ut univerſus illius decor irradiet, ut ſimus perfecti & integri in nullo deficientes, etiam minima curantes. *Vid. Tract.* 76. *diſc.* 16. 17. 18. & *diſc.* 19.

Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas. Per has Vicinas intelligi animas ſanctas, author eſt. D. Bonavent. inter quas ſine dubio duplex intercedit diſcrimen; aliæ enim glorioſæ ſunt, atque in ſtatu ab omnibus hiſce humanis incommoditatibus alieniſſimæ, & quibus, nihil amplius nobiſcum eſt, niſi in eis, quæ lex requirit amicitiæ & charitatis Chriſtianæ: Aliæ vero ſunt, noſtræ vicinæ in purgatorio detentæ, quibus noſtris tenemur ſubvenire ſuffragijs, precibus & ſacrificijs. *Vid. Tract.* 86. *Diſc.* 4. & *Diſc.* 8. Per hanc vero mulierem, intelligit S. Petrus Chryſologus, Eccleſiam, quæ vere mulier benigna eſt, & miſericors, materfamilias, quæ dum Redemptionis noſtræ pretium, Dominum noſtrum Jeſum, innocentiſſimum agnum omni auro & argento pretioſiorem, ſuis videt in manibus conſtitutum, ut gaudium habeat plenum, & integrum ex ſanguine Chriſti reportet ſolatium, convocat amicas, animas in purgatorio detentas, tamquam vicinas, ut congaudeant, dum eas illius ſacratiſſimæ carnis & ſanguinis in Euchariſtia reddit participes: præſtantiſſimum enim lytrum ad animas liberandas Euchariſtia eſt. *Vid. ibid. Diſc.* 12.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

P*Ræceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Luc. 5. Sedulus piſcator Petrus & piſcandi maxime gnarus totis noctibus occupatus nil capit, & inutili labore conſumitur: Diuturnus labor ſic fruſtratur optato effectu. Quæ cauſa? Peccator erat Petrus, ut ipſe fatetur: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*, peccata laboris magni cauſa erant. Heu quam multi retia ſua in mari hujus mundi tendunt, & per totam noctem aſſiduè laborantes nihil capiunt! Sic avarus, ut ſuis lucri deſiderijs ſatisfaciat, impenſe totis noctibus inquietatur, & laborat: Idem miſero ambitioſo, qui honores adipiſci contendit: Idem carnali homini, qui voluptates ac delicias captat; idem denique illi, qui illatas injurias, ulciſci vult, alijsque hujus generis perditis peccatoribus contingit: Peccatores enim dum ſuis appetitibus ſatisfaciunt, ſe pariter laborare & fatigari ſentiunt. *Tract.* 77. *Diſc.* 13. & *Diſc.* 15.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et piſcium copioſam multitudinem in verbo Domini, jacens rete, prehendit Petrus, & uberem, Dei verbi miniſtris doctrinam, in hoc verbo ſpargit: Hic enim Prædicatores docet, ut laxent rete prædicationis in verbo Domini, non ad gloriam ſuam, neque ad quæſtum, nec ad aliquod humanum deſiderium; Sed ad ſalutem eorum, qui capiuntur. Prædicator enim, ut muneri ſuo ſatisfaciat, ſoli animarum ſaluti intentus eſſe debet. *Tract.* 83. *Diſc.* 39. A quo ſine tunc prædicator deflectit, cum temporalis lucri motivo prædicat. *Ibidem Diſc.* 49. Suamque gloriam per hominum applauſum captat, omne ſuum ſtudium, in comptis verbis, ornatuumque Rhetoricorum vanitate collocans. *Ibidem Diſc.* 42. & 48.

Laxate retia veſtra in capturam. Quæ ſunt autem Apoſtolorum, quæ laxari jubentur, retia; Quærit D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Niſi verborum complexiones, & quaſi quædam orationis ſidus, & diſputationum receſſus, qui eos, quos ceperint non amittant? Et bene Apoſtolica inſtrumenta, piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſervant, & de profundo ad lumen extrahunt & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt.* Hoc totum viri Apoſtolici, ſit ſtudium, is conatus, ut ſuos ſubditos non amittat; Sed ita ſe moderare noverit, ut eos conſervet & ex peccatorum barathro ad lumen fidei & virtutis transferat, vitia extirpet, & virtutum fructus pariat. *Tract.* 83. *diſc.* 38. 39. & 40.

Laxate retia veſtra in capturam. Sciens, ait Euthymius, quod tota nocte nihil caperent, adhortatur, ut tunc laxarent retia in capturam piſcium, id eſt, hominum: Multi enim laxant rigorem ſcripturæ, non in capturam, ſed ad vanam oſtentationem, qui merito reprehenduntur. *Tract.* 83. *diſc.* 41. 42. & 43. Vel ſi in capturam laxant retia, id eſt, explicant ſcripturas, hoc faciunt, non in capturam piſcium, id eſt, hominum; ſed ranarum, id eſt, divitiarum, vel dignitatum; de quibus dicit Iſaias 59. cap. *telas araneæ texuerunt. Ibidem diſc.* 49.

Et cum hoc feciſſent concluſerunt multitudinem piſcium copioſam. Qui per totam noctem, abſente Domino, nullum piſcem prendiderunt; eo præſente ac mandante breviſſimo tempore ingentem piſcium multitudinem capiunt: Hæc ſunt Dei dona, quæ cumulate, & ſine mora conferuntur, per quod innuebatur ex reti ſeu ex prædicatione Evangelica, ad quam erant mittendi, magnos fructus, magnamque mercedem eſſe percepturos, ſcilicet tunc, cum aſſiſtentiâ Domini gauderent: Unde Albertus Magn. in Joan. *Jam cordibus per auditum verbi ſui præparatis, quia fruſtra laborat, extra lingua Doctoris, niſi intus adſit gratia Salvatoris; Et ideo piſces, qui ante ſermonem Domini reti Simonis ſe ſubduxerant, modo poſt verbum Domini, quaſi utique certatim venientes, reti ſe certatim injecerunt?* Enimvero, quando Deus aſſiſtit illi, qui prædicat, tunc longe efficacior, & copioſior prædicationis fructus exundat. *Tract.* 83. *Diſc.* 37.

Qui cum videret, procidit ad genua Jeſu dicens: Exi à me Domine, quia peccator ſum. Ad pedes Domini provolutus Petrus, ut Magdalena, dominica amplexatur veſtigia, oſculatur, & ſtringit. Anne cordialiter à Chriſto ſeparari exambit? Ad rem D. Carthuſian. *Ex magnitudine miraculoſi effectus, majeſtatem cauſæ penſavit, & quanto Petrus Chriſti virtutem, excellentiamque magis attendit, eo propriam culpam ac pravitatem evidentius intellexit, atque humilius faſſus eſt.* Cum multi eſſent in navicula, ſolus Petrus timet & procumbit ad genua Jeſu. In ipſo enim erat plenior cognitio fidei, & ſupernaturalium myſteriorum, & ex Dei cognitione timor ejus crevit: Qui enim majori præditus eſt Spiritu, plus timoris habere, nec ſecurus vivere debet. *tract.* 93. *diſc.* 8.

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Pugnant itaque ut jam ſtatim dictum eſt, in pectore Petri, timor & amor: Timor ex propria fragilitate proveniens ita ſuadebat, ut Domini rogaret diſceſſum, & abſentiam, aut etiam ipſe recederet: At vero amor eum impellebat, ut Chriſti conſortium quæreret, & ut fidelis ſequeretur Achates. Quid amori cum timore, Charitas, quæ foras mittit timorem rivalem præter ſolitum in Petro admittit? Ita eſt: Filialis enim timor cum amore Dei, ſeſe quam optimè compatitur. *tract.* 93. *diſc.* 4. *Videtis igitur*, ait D. Zeno Veron lib. 1. ſerm. 10. *Nunc timorem neceſſarium, qui in Dei amore conſiſtit, qui in voluntate ſua ſe parit, divinæ legi conſtruit Decorem, ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat, inchoatus innocenter vivit, juſtitiam percolit, ſive fine ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit timeat.* Qui hominem præparat ad omnem virtutem, & omnia bona. *Ibid. diſc.* 13. & *diſc.* 14.

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Merito ambigunt interpretes, cur Petrus Chriſti Dei beneficam recuſet præſentiam, ea ratione permotus: *Quia peccator eſt?* Cum proximior eſt Chriſto Deo, ad ejus genua provolutus, & beneficij magnitudine præſentiſſimo; tunc peccatorum ſe demiſſus agnoſcit & præ humilitate ejus præſentiam refutat? O humilitatis ſacramentum! *Admirabatur dona divina*, ait D. Ambroſius, *& quo plus noverat, hoc præſumebat minus.* Explicatius cauſam ſubjungit lib. 3. de Virgin. ſub finem, ſic eloquenter fatus: *Vir, inquit, ſapiens & gravis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil tutius eſſe proſpexit, quam ne ſecundantis operis, extolleretur eventu: Et ideo exi, inquit, à me Domine, non rogat, ut deſeratur ſed ne infletur.* Peccatorem maximum ſe agnoſcit Petrus, & dum fortunatum nimis circa ſe geri cernit eventum, prudenter timet, ne inde majus ſubeat periculum; jam dum præſcius, quantum præjudicium proſperitates, & felicitates humanæ inferunt. *Tract.* 94. *Diſc.* 11.

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circumdederat eum &c. Ingens plane ſtupor, quo Petrus beneficum Chriſtum à ſe repellit, magna interim Chriſti benignitas, qui repulſus non recedit; ſed adhuc ſe comitem præbendo ad littus deducit, quod hiſce verbis S. Auguſt. l. 2. q. q. Evangel. cap. 2. proſequitur: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, quod tamen non fecit Dominus, non enim receſſit ab eis; ſed eos ſubductis navibus ad littus perduxit.* Et quod mirere magis, ille ipſe Petrus, qui Jeſum à ſe abire juſſit, quaſi præſentiæ Dominicæ impatiens, præ ſtupore & timore, non tantum illum paſſus eſt deductorem; ſed ipſummet Jeſum, quem nunc à ſe exire rogabat, relictis omnibus, perpetuus exinde comes, ſubſequitur, & ut talis à Chriſto recipitur; Apoſtolici collegij caput conſtitutus. Magnus plane Petri ſtupor, & timor de veritatis ſublimitate arcanus! Nunc obnixius expetit, ut à ſe Jeſus abeat, & deductorem uſque ad littus ſuſtinens, jam ab ipſo littore ſequitur. Sic repulſa Chriſti in ipſius Chriſti ſequelam refingitur? Si vero timuerat, vel timebat, cur adhuc ut timorem augeat, ſequitur? *Et ſubductis ad terram navibus ſecuti ſunt eum.* Hic Petri ſtupor & timor parum ſibi in re virtutis cohærens, arcanum virtutum ſacramentum eſt, & ineffabilis ſanctitatum nexus, dum Petrum ex peccatore in Apoſtolum efformat: Timor enim Dei, noſtræ cooperatur converſioni, ut peccata commiſſa expellat, & à futuris præſervet. *Tract.* 93. *Diſc.* 2. Bene igitur orabat ille Pſalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui.* Super quo S. Auguſt. *Quid eſt confige timore tuo? timui enim à judicijs tuis. Si enim timuerat vel timebat, cur adhuc, ut à timore ſuo Deus configeret carnes ſuas, orabat? an addi ſibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum ſufficeret, crucifigendis carnibus, id eſt concupiſcentijs, affectibuſque carnalibus?* Timet quidem, ſed adhuc aliter timere expetit. Timet quidem, ſed timore humano, cui carnales affectus & concupiſcentias interim diſſimulat, non omnino cohibet & crucifigit: interſtinguit concupiſcentiam, non exſtinguit & hic improbatur. *Ibid. Diſc.* 3. Et talis non erat in Petro, ideoque Chriſtum indilate ſequitur.

Noli timere ex hoc jam homines eris capiens. Benigniſſimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia eſt, ingenio horum piſcatorum ſe accommodans, ad altiſſimum Prædicationis faſtigium vocat, & ſua inclinatione trahit, condeſcendens hominibus, ut ait D. Chryſoſt. citatus à D. Thoma in Caten. Et ſicut magos per ſidus vocavit; Sic & piſcatores per piſcatoriam artem. Quia ergo aſſuetus es piſcationi, O Petre, ne tibi grave ſit novam artem ediſcere, piſcabere quidem adhuc: Sed pro piſcibus homines capies; quâ methodo prædicatores informat, non ſcientiæ ſuæ profunditatem jactare: Sed ſuis ſeſe auditoribus congruenter accommodare. *Tract.* 83. *Diſc.* 44. & *diſc.* 45.

Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens. In textu Græco S. Lucæ hoc verbum, *capiens*, ſingularem energiam habet, ſignificat enim, *vivos capiens.* Et ita legit D. Juſtinus Martyr lib. quæſt. ad Geneſ. *Eris homines ad vitam capiens.* D. Ambroſius *homines vivificans.* Non dubium, qui alios in vitam capit, & ſibi vitam acquiſijſſe; at quo medio? Timore. Timuit Petrus, & timuit Chriſtum Deum, & inde audit, & te & alios in vitam capies. Salubris itaque ille Dei timor qui origo & initium ſalutis æternæ eſt. *Tract.* 93. *Diſc.* 9.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

N*Iſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 5. Sacroſanctum hujus Evangelij principium, maximum terrorem & admirationem injicit. Valde enim horribile eſt Deum nobis apertè dicere: Nos, ſi juſtitia noſtra in virtute altiores radices, & meliores, quam Phariſæorum non egerit, nequaquam in regnum cœlorum intraturos. Numquid, Domine, illi non jejunabant? ita profecto, & aliqui eorum bis in Sabbatho. Nonne eleëmoſynas erogabant, nonne orabant? Et quidem aſſidue. Quomodo ergo Chriſtianorum juſtitia, horum ſuperare poterit, & in quo, cum multi ſint Chriſtiani, qui ſimilia opera haud præſtent? Juſtitia Phariſæorum, erat nimis rigoroſa, ſevera ſeu impatiens & vindicativa, uti Matth. 5. *Oculum pro oculo, dentem pro dente exigebat.* Item quando Magdalenam peccatricem ad ſe appropinquantem admittit Dominus, ſtomachatur mox Phariſæus, dicens: *Hic ſi eſſet Propheta ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt:* At juſtitia diſcipulorum, Chriſtianorum & maxime Eccleſiæ Præſulum in hoc ſuperabundat, ut ſit admiſta miſericordia & patientia in tolerandis aliorum defectibus. Hæc enim noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, ut lædentibus, patientiam rependamus: *Qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior conſtituetur in regno*, ait S. Maximus hom. de S. Michaële. Et ideo patientia eſt quidam character Chriſtiani hominis, per quem ab alijs hominibus diſtinguitur, & per eam ad veræ fidei Chriſti agnitionem devenitur. *Vid. Tract.* 68. *diſc.* 2.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis. Apoſtoli fuerunt in juſtitia & ſanctitate multo illuſtriores Prophetis: Ergo in majorem eorum gloriam cederet & laudem, ſi Dominus diceret: abundet juſtitia veſtra pluſquam Prophetarum; Verum Dominus noſter Jeſus hic agebat, de juſtitia neceſſaria ad ingreſſum regni cœlorum. Juſtitia autem Prophetarum, qui fuerunt viri ſanctitate celebres & conſpicui, ad cæleſtem patriam poſſidendam ſufficientiſſima extitit: At Phariſæorum ſcribarumque juſtitia, utpote multis erroribus plena, omnino erat inſufficiens, & ideo horum juſtitia apparens tantum in oculis hominum erat emendanda, ut ad gloriæ thronum haberet acceſſum. Itane ergo veniales errores ab ingreſſu in regnum cœlorum retardant, niſi emendentur? Ita ſane, peccata enim venialia, animam à prompta conſecutione gloriæ impendunt, efficiuntque ut notabili temporis ſpatio in purgatorio detineatur: Gravis ergo ob pœnam damni & ſenſus venialis culpa eſt. *tract.* 76. *Diſc.* 8. & *Diſc.* 9.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratrī ſuo, reus erit judicio. Inter cæteras corporis, & animi peſtes peſtilentiſſima eſt ira, quæ hominem à ſolio rationis ad tempus deturbans, belluinas & efferos mores ingerit, feram faciens ex homine: *Quando enim ſemel iræ perturbatio, mentem præcipitans, imperium animæ ſumpſerit, hominem penitus in feram convertit*, ait S. Baſil. hom. de ira. Quod omni peccato proprium eſt. *Tract.* 71. *Diſc.* 13. & *Diſc.* 20. Nam, ut ait S. Chryſoſt. Ira tabes quædam & tinea noſtræ mentis radicem corrodens eſt, nec hominem, ut rationis ſit compos eſſe ſinit; Et ideo execrandum delictum, quod ex graviſſima mulcta, qua punitur, cenſeri licet; Iratus enim toto Dei judicio reus ſit, non humano ſolum, ſed divino: Sic ſevere in iram animadvertitur: Qua ſimili pœna mulctatur, qui impiè ſacrilegus indigne ſumit corpus Chriſti, & impura conſcientia, & immundo ore quaſi fœdat diviniora myſteria. Itane grave delictum ira? An non efferveſcens ſolum eſt animi motus? Cur igitur ſeveriori pœna mulctatur à Chriſto? Reſpondet ad rem Venerandus D. Joannes Baptiſta de Sylveira: *Exorditur Dominus explicare homicidium, & primo loco iram vetat, quæ eſt illius cauſa, qui enim malum vult amputare, à radice debet incipere:* Radix quippe homicidij, ait S. Chryſoſtomus iracundia eſt; qui igitur radicem abſcindit, multo facilius ramos, poterit amputare; nam peccatum etiam qualecumque in ſuis principiis ſuffocandum eſt. *Tract.* 79. *Diſc.* 3.

Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Quod eſt hoc judicium, cui obnoxius ſit, qui iraſcitur? Cajetanus ſic ait: *Reus erit judicio, non humano, ſed divino.* Heu quam durum ſupplicium! iratus, toto Dei judicio reus ſit? ſic ſevere in iram ſeu impatientiam animadvertitur? Ut etiam Chriſtus infernum interminetur illis, qui à patientia degenerant, & ab impatientia ſeducti in verba injurioſa prorumpunt? Deteſtanda igitur toto animo impatientia eſt, & varias conſiderationes, Vid. *tract.* 68, *diſc.* 15.

Qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio. D. Auguſtinus, qui hujus hebraicæ vocis, *Raca*, ſignificationem à quodam Hebræo quæſivit, ait, interjectionem quamdam eſſe, iram animi, ſine aliqua animi injuria ſignificantem, adeoque peccatum leve, ex quo colligimus mentem hujus cœleſtis magiſtri eſſe, hortari, ut venialia, & leviora etiam peccata vitemus, quo à gravioribus tutiores ſimus; nam & leviter iraſci, & in vocem iræ indicem, ſine fratris tamen gravi injuria prorumpere, venialia peccata ſunt: Quæ tamen ipſe vitare monet, ne ad lethalia veniatur: Peccata enim venialia non curantes, in majora paulatim labuntur præcipitia. *Tractat.* 76. *Diſc.* 2. 3. & 4. Unde ſcriptum: *Qui timet Deum nihil negligit:* hoc eſt, nihil neque parvum, aut magnum admittit, quod modo ad cultum Dei, ejuſque offenſionem vitandam ſpectet. Ut enim, qui vitam diligit, non ſolum mortem; ſed morbos etiam fugit, qui viam ad mortem muniunt: ita qui lethiferi peccati mortem odit, venialia quoque peccata, (quæ velut ægritudines animæ ſunt) diligen-

diligenter vitare studet, quales sunt animæ timoratæ. *Ibidem disc.*18.

Ab hac autem cura, vehementer abhorrent, illi, qui frequenter distitare solent. Otiari, ludere, scurram agere, mensuram vel in edendo, vel in bibendo minus tenere, capitalia vitia non sunt: Quid ergo impedit, quo minus paululum his rebus indulgeamus, quæ mortem animæ non inferunt? At longè alius est sensus in hoc Evangelio Christi, aliaque SS. PP. sententia. Unde D. Hieron. in Epist. ad Celantiam: *Neque enim*, ait, *eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimum Dei mandata contemnant, quævè, quasi vilia, ac parva despiciant, nec metuunt, nec secundùm divinam sententiam minima contemnendo, paulatim decidant*, quod plerumque contingit. *Vid. Ibidem Disc.*6. Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria judicare, nec ullum inter scelus, & erratum discrimen facere. Nos vero multum inter peccata distare credimus. *De quo vid. ibidem Disc.*21. Tamen satis ad cautionem prodesse dicimus, etiam minima pro maximis cavere: tanto enim facilius abstinemus à quocumque delicto, quanto magis illud metuimus, nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et sane nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; sit enim quantumvis parvum veniale, offensa tamen Dei est: Hactenus Hier. Vid. *ibid. Disc.*15.

Si offers munus tuum ad altare: Vade prius reconciliari. Pulchre hic Tertull. lib. de patientiâ c. 12. ait: *Nemo convulsus animo in fratrem suum munus apud altare perficiat, nisi prius reconciliando fratri, reversus ad patientiam fuerit: non licet nobis uno die sine patientia manere. Vid. de necessitate patientiæ. Tract.*68. *Disc.*1.

Si offers munus tuum ad altare: Vade prius, reconciliari fratri tuo. Apud omnes nationes, piaculum magnum erat, imperfectum relinquere sacrificium; attamen Dominus noster hoc non attento, contra omnium gentium morem, à sacrificio repellit eum, qui cum proximo suo jurgia & discordias habebat. Cur non permittit, ut prius homo munus suum offerat, sacrificium suum perficiat, & postea ad reconciliandum cum fratre remittatur? Respondet D. Chrysost. hom. 16. *Irrefutabilem quamdam necessitatem reconciliationis imponit; qui enim jussus est, non prius munus offerre, quam reconcilietur offenso; etiamsi non ob proximi charitatem; saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum jubet inimicitiasque dissolvere, ut exinde pateat, num ad gregem Dominicum spectet, veramque in Deum fidem habeat:* Hominis enim vere Christiani character est, pax, per quam fides dilatatur & stabilitur. *Tract.* 70. *Disc.*3. Quo charactere pacis, quia videbatur carere præsens offerens, merito repellitur à Domino. Si enim Apoc. 13. Venturus in fine mundi Antichristus à communione emptionis, & venditionis, & omni suo servitio excludet, & propulsabit eos, qui non habent characterem nominis sui; Justius repellit Jesus à suo sacrificio eos, qui nominis Christiani charactere id est pace carent, ut omnibus inde innotescat, quantopere exosas habeat discordias, & qui illas fovent, acriter castiget. *Ibid. Disc.*9. *maximè Num.*4.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Marc. 8. Hic ego non tam turbæ fidem, ac devotionem (quæ triduo in deserto cum Domino permanebat; quam divini verbi virtutem, & excellentiam admiror. Cum enim adverto turbam illam in deserto triduo, sine domo, sine lecto, sine hospitio, sine commeatu perdurantem, dieique æstum, & noctis intemperiem cum parvulis etiam, & uxoribus tolerantem, ac super nudam humum cubantem: quid aliud judicare potero, quam eam fuisse Dominicæ prædicationis gratiam, eam divini verbi virtutem, ut homines illi, nullatenus inediam senserint; sed quasi abundantissimo quodam convivio recreati sint, dum dapes cœlestis doctrinæ suavissime degustant: Nutrimentum enim etiam corporis, boni hominis, est verbum Dei, sapientia pulmentum, quod pro virium suarum confortatione, tantopere mystice expetiisse crediderim Patriarcham Isaac. Vid. *Tract.* 83. *Disc.*3. *Num.* 1. 2. 3. *&c.* Sicut enim manna Israëlitis tantum robur præstitit, ut eo pasti, asperum illud iter intrepidè perfecerint; haud aliter hoc spirituale manna facit, cui non incongrue in plurimis assimilatur. *Ibid. Disc.*4. *Num.*7. *&c.*

Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Si alicubi divinitatis insigne erigendum esset, hoc ergo Trophæum inscriberem; *Misereor turbæ.* Vincit enim, & triumphat in Deo pius affectus erga multitudinem. Ecce enim, quam facilis, quam promptus Dominus erga sectatores suos, non longas illorum preces expectat, sinit eos clamoribus defatigari; sed ad primum indigentiæ continuum, ubi quoque vidit in sequelâ sui perseverare, parat opem, & abundanter reficit. Satiantur autem in fine tridui, non in initio, non enim cœlestis convivij recreabuntur epulis, qui ad Christum convertuntur; sed qui in conversione suâ cum hâc turbâ perseverant; Et ideo perseverans in vitâ spirituali, & pœnitente habenda est tolerantia, cum respectu ad cœlestem remunerationem. *Tract.* 80. *Disc.*7. *maximè Num.*7.

Si dimisero eos jejunos, deficient in via. Obsidetur aliquando Samaria, & extremâ sic premitur fame, ut & ipsæ mulieres proprios necarent filios; unde rex furore correptus mortem minatur Prophetæ. 4. Reg. 6. quod cum inaudiisset Elisæus, hisce, duces affatur; *Audite verbum Domini: in tempore hoc, cras modius similæ, uno statere erit, & duo modij hordei, statere uno in porta Samariæ. Cras* ait Propheta, diem designans sequentem; Cur ô Propheta non hodie? cur perendie vel alio tempore? ut omnibus innotesceret Dei benevolentia, quæ tunc emicuit, cum extremâ populus conflictaretur fame, tunc in ipsa hora panditur Dei benignitas dans levamen: ita ad extremam redactus erat præsens populus penuriam in deserto, panes vix ulli supererant, & qui aderant quasi nulli erant, itineris aderat molestia, & interitus periculum, si jejuni dimitterentur, nec à quo cibandi forent, spes erat auxilij; Adest igitur mox Christus Deus, & multiplicatis panibus sic abunde refisit, ut confortati, & valles, & montes non tam transcenderent, quam transilirent: Sic Deus suo adest auxilio cum tribulamur, & hominum auxilium deest. *Tract.*94. *Disc.*31.

Unde illos, quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Ad Christi verba respondent Discipuli per interrogationem ad exaggerandam difficultatem: hæc enim ministrorum solet esse conditio, quod in objiciendis impedimentis plus respondeant, quam interrogantur: Et ideo tam in hoc miraculo, quam in alio de deserto faciunt mentionem. Super quo sic commentatur S. Chrysost. hom. 54. *Sic & prius, & nunc solitudinis meminerunt, quod quamvis ipsi ex imbecillitate dicebant, hinc tamen miraculum ab omni sinistra opinione liberant:* In quo vero? in eo nempe, quod solitudinis meminerunt, inde etenim evidentia miraculi declaratur, & mysterijs via aperitur; quod scilicet, sic Deus solitudinem amet, ut spirituales consolationes ut plurimum concedat in eâ: non solum refectiones ventris, sed & mentis. *Tract.*89. *Disc.*7. *& Disc.*9.

Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: septem: Optimè sciebat Dominus quot panes habebant, ad quid igitur interrogat? Respondet Abulensis quæst. 104. *Quærit Dominus, quia voluit ostendere, quod istud miraculum non faciebat ex suâ voluntate; Sed ex necessitate quadam, quia erat ingens inopia, quæ aliter non poterat sublevari;* Et ideo, ut notat ipse Abulens. quæst. 102. Cum Dominus sæpe cœcos, claudos ac debiles sanaret, ac etiam mortuos suscitaret: bis tamen panes multiplicavit, ac turbas saturavit: Nam ad illa prima mirabilia sæpe ipsa indigentia extabat, quia sine miraculo, vitam ac sanitatem consequi non valebant: At ad multiplicationem panum bis in deserto intercessit gravis necessitas, unde bis illos multiplicavit. Siccine ipse Dei filius vanam gloriam abominatur, ut sine urgenti necessitate ad hominum de se confirmandam fidem miracula patrare nolit? *Tract.*95 *Disc.* 10.

Et præcepit turbæ discumbere super terram. In alio convivio turba super fœnum sedet Joan. 5. *Dixit Jesus: facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco.* At in præsenti, super nudam humum. Cur hic non providetur turbis herbosus discubitus, ut in priori loco? Ex mysterio id accidisse autumant SS. PP. & præcipuè, D. Paschas. lib. 7. in Matth. *Ideo tamquam in ipsius montis, Christi, soliditate locati, nullo fœno interposito emolliebantur.* Isti convivæ nos Christianos adumbrantes, non recumbunt super molle & tenerum fœnum; sed super duram & asperam terram, non enim sub Christi scholâ deliciosa; sed acerba & austera vita inculcatur: Deo enim familiarissimi, præsertim Christiani, invitantur ad sufferendas tribulationes, & eorum character, tribulatio est. *Tract.*94. *Disc.*2.

Et sustulerunt quod superaverat, de fragmentis septem sportas. De Israëlitarum operibus à Pharaone decretis, ait Regius Vates Psalm. 9. *Manus ejus in cophino servierunt.* Velut miseri operæ in cophino, colligunt lutum, ut strenuis ædificatoribus materiam præbeant: Sic Israëlitæ ædificiis regijs lutum in cophinis ministrabant:

His positis recole modo facinus illud Christi in saturandis hominibus: *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant, collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos*, Joan. 6. Hic septem sportas. Cur non cistas jubet impleri, sed cophinos, seu sportas? vel in ipso operarum instrumento videatur, quem alium fructum pariant tribulationes justorum & servorum Christi, atque servorum Pharaonis. Servitur Pharaoni, id est mundo in cophino, servitur Christo in cophino, sed in Pharaonis obsequio cophinus operarum lutum colligit, lutum porrigit, nihil præter lutum habet: In obsequio Christi operarum cophini, non lutum, sed cœlestem colligunt alimoniam. Apposite ad rem Ambros. lib. 9. in Luc. *Qua ratione cophinos duodecim implevit Christus, nisi illud populi Judaici solveret, quia manus ejus in cophino servierunt? Hoc est, populus, qui antea lutum in cophinis colligebat, hic jam per crucem Christi, vitæ cœlestis operatur alimoniam.* Conveniant huc, qui serviendis mundialibus principibus laboriosissimam impendunt operam; qui jejunijs, vigiliis, sanguine civitates & regna principibus comparant, qui in exoriente principe spem eam locant, quam incredibili labore, solicitudine nutriant. Quid illis pariunt tot labores, quid colligunt in cophino, in sportis? solum colligunt lutum temporalium honorum, qui in pulverem conversi evanescant ab oculis: non sic qui in Christi morte fundantur; Sed per illam, in cophinis cœlestem colligunt alimoniam: Summum igitur discrimen est inter labores & tribulationes justorum ac reproborum. *De quo Tractat.*94. *Disc.*33. Qui plura volet, consulat Dom. 4. Quadrages.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7. Non leones, non tigrides, non ursos, quamvis sint sævissimi, adducit Dominus in exemplum; sed lupos apponit: *Lupus namque*, ut ait Druthmarus, *ex Etymologia à nomine Græco, sic dicitur, à moribus, eo quod rapacitati sit semper deditus & cruori.* Quamvis enim animantes reperiantur robustiores & velociores; tamen ubi semel offenderint, cavent, non vulpes ad laqueum, leo ad foveam; at lupus inter omnes sævitiæ ac prædæ maxime deditus; ita per indeficientem suam voracitatem numquam satiatur, quin ad idem periculum sæpius redeat & ruinam. Hoc modo multi Christiani hisce lupis similes sunt, qui peccatis per recidivam assueti, præcipitia suarum animarum, & æternæ damnationis foveas haud curant. *Vid. Tract.*75. *disc.*1.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Acute more suo aureum illud flumen. D. Chrysolog. serm. 97. Flores multi multitudinem fructuum pollicentur; sed examinati ventorum flabris, ad fructum parcissimi perseverant. Sic credentes in Christo, multi in Ecclesiâ videntur in pace; ubi autem persecutionis procella perflaverit, pauci martyres reperiuntur in fructu. Agnoscendæ ergo arbores in Ecclesia, non à floribus, ait Dominus, sed à fructu: multi enim in serenitate temporis multos flores patientiæ & perseverantiæ ostendunt, multosque fructus promittunt; sæviente tamen tempestate persecutionis paucissimi perseverant ad fructum: Vis ergo noscere, an homo vere Christianus sit, hos fructus respice: nam Christiani hominis verus Character est, patientia & perseverantia. *Vid. tract.* 68. *Disc.* 2. *Item Tract.*80. *Disc.*1.

Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Præceperat Dominus cavendos esse hos lupos scilicet, falsos Doctores, Hæreticos ac etiam Hypocritas, ut alij exponunt, latentes sub ovinâ pelle, hoc est, sub composito, & simulato exteriori, habitu, & quia secreta cordis sunt abscondita homini: *Nemo enim scit, quid sit in homine*, dat Dominus signum, per quod eorum malitia deprehendatur, & in exemplum ponit uvas, & ficus. *Uva*, ut ait Chrysost. in Imperf. hom. 19. *mysterium in se Christi habet: sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit: sic Christus multos sibi fideles, per lignum crucis tenet adjunctos: similiter & sicut ficus, multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic & multos fideles, quodam dulci charitatis amplexu, una tenet Ecclesia. Et jam in ficu hæc signa charitatis quidem, in dulcedine, unitatis autem in conjunctione granorum.* Optime ergo ad agnoscendos fructus veri vel falsi Prophetæ, vel Christiani, ponuntur, in exemplum uvæ, vel ficus, quæ unionem & charitatem adumbrant: Verus enim hominis Christiani character est pax, per hanc fides stabilitur & dilatatur, & in suo vigore conservatur. *Tract.*70. *Disc.*3.

Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Quam ineptè spinas eligeret, qui divitem sibi vindemiam procuraret: Quis enim à spinis speret uvas? Quis à mala radice, à mala hominis indole, perversoque ingenio, dulces speret virtutis & placidæ quietis fructus? Sicut enim impossibile est, quod spinæ uvas proferant, sed benè puncturas & vulnera; ita nec peccatum, quietem consolationem, sed labores, inquietudines, ærumnas: quibus peccatores, dum satisfaciunt appetitibus se pungi & laborare sentiunt. *Tract.*77. *Disc.*13. *& Disc.*14. Nam inquietudines & ærumnæ peccati sunt partus. *ibidem Disc.*15. *& Disc.*16.

Numquid colligunt de spinis uvas? Quis speret à spinis uvas? quis à mala radice & amara, dulces & sapidos fructus? id solum speret, qui novit Creatoris potestatem & infinitudinem: Sententiosè dixit D. Basil. *Deo nihil impossibile pronuntiatur: nam ubi opus molitur, impossibile Deus demolitur.* Leo vivus os fertur habere fœtidissimum, destruitur leo, & in ore fœtido mel reperit dulcissimum Samson, Jud. 14. Quis autem de fœtenti leone speret mel dulce? Respondet pulchrè Cassiod. l. de anima c. 19. *Nosti etiam benefacere per iniquos, convertens in adjutorium, quod paratum est ad nocendum: potentius esse dijudicans læsiones ad utilitatem convertere, quam causas malorum radicitus amputare.* Spinæ sunt, mala vita & exempla pravi Concionatoris: Uvæ, verbum Dei à tali prædicatum; licet ergo ab impijs hominibus verbum Dei prædicetur, ejus tamen auscultatio nullatenus intermittenda, nec illius fructus negligendi sunt. *Tract.* 83. *Disc.* 19. Item Deus novit ex malis elicere bonum, odiumque dæmonis in nostrum bonum convertere. *Tract.*92. *disc.*11.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Concors est SS. PP. Sententia, Rationales homines per has arbores significari, quos idcirco Deus in hortum Ecclesiæ transplantavit, ut fructus ferant temporibus suis, à quibus dum abstinent, ignem & excidium minatur. D. Chrysost. hom. 24. notat, quod duæ sint pœnæ, excidi, & in ignem mitti, sensus & damni, seu privari felicissimâ Dei visione. Intolerabilis res est, gehenna; Sed multo intolerabilior ac gravior pœna est, à summâ illâ Dei visione ac gloriâ expelli ac excludi: tamen Dominus de igne gehennæ facit mentionem, ut similitudinem ac parabolam arboris prosequatur, ac sic à malo deterreat. Itane ô Domine, dire luet arbor, quæ ex bonitate Coloni & Agricolæ plantata, forte in culpa non est, quo minus fructum ferat? Quid si terra sterilis, malignitate sua necessarium neget humorem? Ergo hac similitudine nil aliud declarare voluit Christus Deus, quam ostendere, quam detestabile sit otium & fructus carentia: Nihil enim pejus excogitari potest, quam illud, quod in otiositate, & torpore degit, utpote maledictioni proximum, & igni solum serviens: Signum enim æternæ reprobationis est, sine fructu transigere tempus, quod ipsâ hora mortis coram Deo nos accusabit. *Tract.* 91. *Disc.* 6. Unde sicut mater Tobiæ Tob. 10. Tobiam à se dimissum, tamquam deperditum flebat lachrymis irremediabilibus, atque dicebat: *Ut quid permisimus peregrinari à nobis, lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ &c.* Pariter justius illi deflentur, qui nullam temporis rationem habent, illudque adeo pretiosum aut male impendunt, aut negligunt, de quo exactam aliquando rationem reddituri sunt. *Ibid. Disc.*5.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Stupenda profecto, & terribilis sententia, quâ arbores, quæ fructus bonos ferre differunt, Dominus ferit! Quam adimpletam & executioni mandatam legimus apud Matth. 21. In illa ficu arefactâ, quæ cum esurienti Domino, ficus nullas offerret, maledicta, igni in pabulum cessit. Cur vero eam, quam decet, cum his serotinis arboribus, patientiam non habet cœlestis arborum mysticarum cultor, ut ita quæ hoc anno sterilescunt, futuris saltem temporibus, uberes fructus adferrent? Nullatenus Hortulani hic culpanda patientia venit; cum enim plurimis annis infrugiferæ in horto Ecclesiæ steterint, atque de die in diem fructus spoponderint, merito exscinduntur: Ut intelligant Christiani homines, quos arbores inversas dixit Aristoteles, quantum Deus cœlestis horti Ecclesiæ cultor, eos abominetur, severeque notet, qui ad usque finem vitæ emendationem suam differunt, fructusque pœnitentiæ de die in diem spondent. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 16. Sicut enim hortorum cultores ex eo capite steriles arbores evellunt, non quia fructus ferent, sed quia terram occupant, & in præsenti non ferunt: ita cœlestis paterfamilias impœnitentes, qui tardius per pœnitentiam ad Deum convertuntur, præter expectationem morte repentinâ sæpè exscindit. *Ibid. Disc.* 6. *& Disc.* 10. maxime Num. 4. &c.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Allegatis verbis hoc significare intendit Christus, quod quemadmodum hortorum

rum cultores sterilem arborem évellunt, ne terram fruſtrâ occupet, & umbra ſua frugiferis arboribus noceat, nam igni reſervans: ita cœleſtis pater improbos, & ſceleratos peccatores ante diem è medio frequenter tollit. Cujus accelerationis cauſa, ſibi ipſi peccatores ſunt: Peccata ſiquidem mortalia committentes, ut plurimum ſibi mortem accelerant, & ex improviſo pereunt. *Tract.* 77. *Diſc.* 4. Ut proinde benè moneat Sanctus Baſilius: *Scitiſne, fili, quo intraveritis, & quæ vos maneat obligatio? Arbores vos eſſe ſcitote, quas merâ Deus ſua miſericordia, gentilitatis erutas ſylvis, in Eccleſiæ transplantavit paradiſum.* Nempe eo fine, ut copioſos bonorum operum ferant fructus, à quo ſine eam malitioſe recedant impij, quid mirum, quod excidantur, & igni reſerventur, cum ipſi ſibi infernus ſint, & ignis quidam, quo anima eorum in hac & altera vita aduritur. *Ibid. Diſc.* 1. 2. *& Diſc.* 3.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; Sed qui facit voluntatem patris mei &c. Ponitur iſta repetitio ex parte hominum clamantium, ut explicant SS. Chryſoſt. Thomas, & Abulenſ. quæ propria eſt timentium, ac anguſtias patientium, ac proinde ob timorem multiplicant voces: At accommodatius explanatur à S. Hieron. D. Paſchaſ. Euthymio & aliis. Quod illa geminatio vocis ſignificet quamdam frequentem invocationem nominis Domini, ac ſi dicat: Non omnis qui me ut Deum, ac Dominum credit, ac invocat, ac frequenter habet in ore, intrabit in regnum cœlorum; ſed ille qui facit voluntatem patris mei; hoc eſt ejus præcepta ſervat & adimplet. Nam ut ait D. Hilarius, hic; *Regna cœlorum, ſola verborum officia non obtinent:* Et Gloſſa: *Iter regni Dei eſt obedientia, & non nominis nuncupatio.* Unde non quiſquis ſuperficialiter in Deum credit, cœleſte regnum intrabit, ſed is dumtaxat, qui voluntatem patris ſui adimpleverit; quæ in divina lege nobis præſcripta reperitur. Vanæ igitur illorum ſunt voces qui dicunt: vel ſum prædeſtinatus, vel præſcitus: ſi prædeſtinatus ſum, ſalvabor, tametſi nullum opus bonum fecero. Si vero ſum præſcitus, quidquid boni operatus fuero, plane inutile erit; nam ipſa ſigna electorum eoſdem ad virtuoſe operandum aſtringunt. *Tract.* 82. *Diſc.* 5.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Non mirum, quod tales regnum cœlorum non adipiſcantur, qui ſolo nomine contenti, factis non conſitentur Dominum: ij enim ſunt, quos ſic Regius Vates Pſalm. 77. deſcribit: *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt, in teſtamento ejus.* Quibus ipſa Domini notitia in gravius peccatum cedit. *Tract.* 74. *Diſc.* 6. 7. *& Diſc.* 8. *Quo ſit* inquit Salv. lib. 3. de Provid. *Ut etiam nos, quâ nos Chriſtianos eſſe dicimus, perdamus vim tanti nominis vitio prævitatis. Omnino enim nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus; quia vita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Quid enim eſt*, pergit idem, *quid nobis de Chriſtiano nomine blandimur? Cum utique hoc ipſo per nomen gravioſſimum rei famas, qui à ſancto nomine diſcrepamus: nam & ideo plus ſub religionis titulo Deum lædimus, quia poſiti in religione peccamus. Vid. ibid. Diſc.* 12. *& Diſc.* 13.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Non itur in cœlum per verba, ſed per opera, qui verbigerando viam in cœlum ſternere parat, vere nugatur; Nam ut Sanct. Hilar. Canon. 6. in Matth. docet: *Cæleſtis regni iter obedientia voluntatis Dei, non nuncupatio repertura eſt. Quid? putas ſubnixum precationculâ; quam non devotio expreſſit, ſed tumultuaria denticulavit neceſſitas, te aſcenſurum in cœlos? audi non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit:* Accinit Arnobius ille Afer; vetuſtate nobilis, quâ ſolet ſermonis purpura l. 2. contra Gentes, ita ſcribens: *Neque illud obrepat, aut ſpe vobis area blandiatur, quod Magi ſpondent ſe commendatitias habere preces, quibus emolitæ, neſcio quæ poteſtates, vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus ſubvolare.* Credite, nullam video precatiunculam, quæ ſive veſtrâ opera ac diligenti tempeſtive curâ ſervare vos poſſit, & recta in cœlos perducere. Superſtitionis pede paſſim impingit, per errorum avia, quiſquis putat neſcio quâ, aut verborum formula, aut devotionis phantaſiâ, & præſumptione, recto itinere ſe in cœlum tendere: nam exteriores illæ devotionis demonſtrationes in morte, quas impij præ ſe ferunt, valde ſunt fallaces. *Tract.* 81. *Diſc.* 12.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

HOmo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Luc. 16. Homo iſte quidam ſingularis, & ſingulariter dives recte intelligitur Deus, *qui Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Villico, id eſt cuilibet Chriſtiano, ut ait D. Anton. Olyſſipon. & D. Carthuſian. totam ſubſtantiam domus ſuæ ſuarumque divitiarum adminiſtrandam commiſit, cum ei, multa bona naturæ, & gratiæ, aliaque dona ſuperinfuſa commiſit, de quorum uſu, adminiſtratione, ac diſpenſatione exactam in judicio & morte rationem exiget, quæ cum male adminiſtrat, defertur & denuntiatur. Diu enim latere crimina nequeunt; & licet occultè fiant in publicam tamen lucem prodeunt, tum à Deo, tum à propriâ conſcientiâ manifeſtata. *Tract.* 77. *Diſc.* 30. Nullus hic mentionatur accuſator, nullus denuntiator, diffamatur tamen villicus, dum ſuum ipſius crimen, & delictum accuſabat & diffamabat; Unde vera dixit S. Ambroſ. in Pſalm. 50. *Habet culpa characteres ſuos, & apices, quibus proditus proditur; væ mihi, quod latere non poſſum. Quomodo enim latebo, qui inſcripta in pectore meo gero indicia delictorum.* Impudica Ægyptia, importune ad nefarium opus ſolicitat caſtum Joſeph; cui ille, *quomodo poſſum hoc malum facere*, Gen. 39. Cur timet Joſeph ſceleri præbere conſenſum? Nam cum ipſe ſit in domo omnium Dominus, ad libitum opportunum poteſt eligere tempus, ut crimen ita occultè & abſconditè fiat, ut ſit omnibus ignotum, nullusque valeat illud Domino nuntiare. Prudentiſſime tamen reſpondet Joſeph: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Quia etſi nullus eum delicti arguat, nullusque eum convincere adulterij valeat; præſidet interim Deus, ipſaque conſcientia demiſſis oculis, pallido ore, tremula voce, proprium ſcelus, licet opertum diſoperiet, & declarabit: *habet culpa characteres ſuos ibidem Diſc.* 31.

Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: Jam enim non poteris villicare. Alexander Macedo, ait Plutarch. in Apophthegm. *inſtructâ jam ad prælium acie, cum cerneret militem quemdam, id temporis amentum telo adaptantem, ut inutilem ſubmovit ab exercitu, qui id temporis appararet arma, cum his utendum eſſet.* Huic ignavo & improvido militi ſimilis videtur eſſe, præſens Evangelicus Villicus, qui tum prius rationem villicationis inire volebat, cum à villicatione ſubmovendus erat: Per quem D. Antonius Olyſſipon. ſerm. 9. poſt Trinit. D. Carthuſian. quemlibet Chriſtianum, intelligunt, cui Deus tradidit, multa dona naturæ, & gratiæ v. g. Corpus, & animam, fidem, ſpem, & charitatem, & alia, de quorum uſu & adminiſtratione exactam Dominus rationem exigit; Qui cum tum demum ad ſe redire, & novam vitam inchoare parat, cum aut anteactæ vitæ præmia accipienda ſunt, aut ſe pœnitentiæ accingit, ſub ipſam extremi ſpiritus horam, merito ab ipſo Domino negligitur & reprobatur, & à villicatione per vitæ abbreviationem deponitur, atque morte repentinâ prævenitur. *Vid. Tract.* 81. *Diſc.* 6. *& 7. Diſc.* 16. *&* 19.

Jam enim non poteris villicare. Pulchrè Didac. Stella in Luc. Hæc quamvis de hora mortis, & de ultimo vitæ inſtanti intelligenda ſint, quia deinceps nullum erit tempus villicandi, hoc eſt merendi, nec demerendi, tamen in hac vitâ inſpirationibus adducit Deus hæc nobis ad memoriam: ut habentes præ oculis noſtris hoc ultimum tempus conſtitutum, quo cum vitâ ſimul noſtrâ finito & terminato, amplius villicare nequibimus, hinc ſtatim villicare ſummâ curâ ſtudeamus, bonisque operibus manſionem in cœlis quæramus, tempus enim erit aliquando, quo etiam ſi velimus, nullo modo, prodeſſe poſſimus, ut mali acti temporis pœnitentiâ ducti, ea, quæ facere noluimus, facta lucremur. Conſtitue igitur ante oculos tuos tempus, & horam mortis, quo ubi perveneris, Deum dicentem audias; *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.* Quare nunc, cum tempus ad villicandum habes, talia opera facere debes, ut nullus unquam temporis defectus tibi nocere poſſit, cum ad horam mortis perveneris. *Operemur bonum, dum, tempus habemus*, ait ad Galat. 6. S. Paulus. Cum enim tempus non ſit in noſtrâ poteſtate, temerarium eſt de eo diſponere, & ſuam converſionem procraſtinare. *Tract.* 91. *Diſc.* 2.

Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? In magnis anguſtiis ſe conſtitutum videt iniquus villicus, & ideo timor judicij ſolicitat mentem ad procurandum ſubterfugium: Videns enim ſe mox eſſe judicandum, requirit remedium intra ſe, non ſe excuſat, nec crimen negat; Sed culpâ convictus omnino obmutuſcit, & valde anxius cogitat in animo ſuo, quid faciam? O ſtulta cogitatio, & cogitatio indurati peccatoris! Qui illud tempus Deo pro pœnitentiâ deſtinat, quod maximè inopportunum eſt, qualis mortalis vitæ infirmitas & agonia mortis. *De quo Tract.* 81. *Diſc.* 10. *& Diſc.* 11.

Scio,

Scio, quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione. Aſturum & malum conſilium excogitat, conſultori ipſi peſſimum, magis de aquirendis amicis, quam de reſarciendis male expenſis divitiis, qui in eo totus intentus eſſe debebat, quomodo amiſſam reconciliaret gratiam, & injuſte expenſa compenſare poſſet; imo rationis tempore, plus diſſipat, quam ante fecerat. O male ſuada ratio! Videtur hic villicus à ſenſualitate ſua ſeductus, omni judicio & ratione eſſe deſtitutus: Hæc merces ſemel commiſſi peccari eſt. *Vid. tract.* 72. *Diſc.* 5. *& Diſcurſ.* 6. Quid enim rationabilius excogitare deberet, quam totis viribus contendere, ut ſatisfaciens Domino, hanc Domini indignationem evitet, penesque villicationem ſe manuteneat: Probroſum enim eſt, diviti, nobilique viro culpâ ſuâ ad extremam miſeriam redigi, ut mendicabulo vitam ſuſtentare cogatur. Quomodo igitur tempore reddendæ rationis plus ardet in fraude, ac de bonis ſibi creditis diſpergit quam tempore ſuæ functionis? Videbatur enim valde conveniens prudentiæ, quod ipſa approximatio perſolvendi computationem bonorum, cohiberet manus à majori diſſipatione bonorum, præcipuè cum ille non haberet, unde ille ea poſſit compenſare. Scilicet ait D. Chryſologus ſermon. 126. *Aufertur pudor, violatur innocentia, verecundia tota ſepelitur ubi villicus reddendæ rationis tempore, plus ardet in fraude, quam tempore villicationis anhelavit in luxu, & qui ante ſubſtantiam vacuaverat diſſipando, vacuando chirographo, quod remanſerat, plus evertit; nec curat, unde poſſit ſarcire, quod deerat ſed quod remanſit, quomodo poſſit minorari excogitat.* Et hoc eſt, quod ſapiens ait. *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Peccator enim per conſuetudinem habituatus, in profundum malæ conſcientiæ, cœcitatis, deſperationis, pertinaciæ, jactantiæ: *Scio quid faciam*, & damnationis æternæ corruit. *Tractat.* 73. *Diſcurſ.* 3. Ille quoque ſe, & ſuam conſcientiam, contemnit, leges homines, pœnas & verecundiam floccipendit. *Ibidem Diſc.* 4.

Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam. Quis, ô miſer homo, te in tantas anguſtias, redegit, ut jam de præſenti dicas, *mendicare erubeſco?* Solum ad reddendam rationem vocaris, & nondum de tuis bonis ſpoliaris: nondum aliquâ pœna impoſita affligeris. Cur ergo tanto rubore mendicandi conturbaris? Pulchrè Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 125. *Confuſionem futuri judicij pertimeſcit, in quo jam non pœnitendi tempus eſt, & pœnarum, & ubi reus plus de conſcientia, quam de gehennæ erubeſcit incendio.* Plus ſanè torquebatur, ipſâ conſcientiâ criminum, quam omni gehennali incendio, intolerabilior enim conſcientiæ cruciatus, quam omne inferni ſupplicium; Sic peccatum non ſolum inferno ſimile, ſed ob conſcientiæ cruciatum, dèterius eſt. *Tract.* 77. *Diſc.* 2. *& Diſc.* 3.

Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam. Villicus vir nobilis, divitijs opulentus, in delicijs enutritus, cum imminentem paupertatem conſideraſſet; laborioſis operibus neſciebat inſiſtere; tum ob virium imbecillitatem; tum ob diſſuetudinem: *Qui enim delicate à pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* Proverb. 29. Non ſolum ad opus & laborem; ſed etiam ad virtutem. Ad rem moraliſſimè Didacus Stella in Luc. *Fodere non valeo, hoc eſt, dura pœnitentiæ opera exercere nequeo, abſtinendo, flendo, jejunando, & alia hujuſmodi operando; Quamvis enim hæc opera ſint viris perfectis dulcia atque facilia, qui conſuetudine excitatos ſenſus habent, & omni virtutum actione ſpiritualiter delectantur, mihi tamen, qui educatus ſum in delicijs & libertate, durum & rigidum videtur, virtuti operam navare.* Heu, ſic pœnitentiam reddit difficilem in extremo, conſuetudo inveterata! *Vid. tract.* 81. *diſc.* 8.

Laudavit Dominus villicum iniquitatis. Quis non miretur, quod paſſim mirantur interpretes, ſcilic. quomodo potuit Dominus hic, qui Deus eſt, laudare malitioſum hoc villici commentum? Porro opus illud pravum fuit, & malitioſum furtum. Furtum autem res laudis non eſt, apud Deum; Sed vituperio & ſupplicio digna. Deusne Encomiaſtes erit malitioſæ rapinæ? Reſpondet argute Origenes in Caten. S. Thomæ: *Et forſan, quod dicitur, laudavit, non ſecundum veram commendationem, ſed abuſivè dictum eſt, ut cum dicimus aliquem commendari in mediocribus rebus, & quodammodo mirandos eſſe concurſus, & acumen, quibus vigor mentis elicitur.* Itaque vafrè ſubdola villici furacitas minime laudatur, atque prudentiæ honoratur elogio; vituperio potius digniſſima. Sed cum ipſe ſub prætextu miſericordiæ, damnoſiſſimam avaritiæ cupiditatem, & propriæ utilitatis libidinem celet, ſed ſpecioſo titulo laudis, acriter reprehenditur & diffamatur: Deus enim merito detegit, & acriter caſtigat illos, qui ſub Zeli pallio, pravas ſuas paſſiones tegunt. *Tract.* 97. *diſc.* 7.

Excite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis &c. Eleganter Sanct. Bernard. Epiſt. 103. *Sapis, non contemnes eorum* (pauperum inquam) *amicitiam, quos veritas Beatos clamat, & reges pronunciat cœlorum. Amicitia pauperum, regum amicos conſtituit, amor pauperatis reges.* Regnum denique cœlorum pauperum eſt; Et eſt regiæ poteſtatis, beare pro voluntate amicos. *Excite*, inquit, *vobis amicos &c.* Vides ergo quam magna dignitas, ſancta paupertas, ut non modo patrocinium ipſa ſibi, non quærat; Sed & ferat indigentibus. Magna inquam dignitas & paupertatis laus, *quam latius. Vid. Tract.* 69. *Diſc.* 1.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

CUm appropinquaret Jeſus Jeroſolymam, videns civitatem, flevit ſuper illam. Luc. 19. Chriſtus Dominus ſicuti erat verus homo, ita & verus Deus: ideo ejus ſanctiſſima anima in divina eſſentia, omnia, quæ in illa urbe erant, ſcelera, latrocinia, ambitiones, cupiditates, atque alias abominationes, quæ in omnibus ſtatibus erant, contemplabatur. Videbat ex ſacerdotibus, quosdam eſſe inſipientes, alios inhoneſtos, quosdam ambitioſos, & alios nimia cupiditate inflammatos: Aſpiciebat miniſtros juſtitiæ, & Reipublicæ Gubernatores, ſuis commodis atque utilitatibus conſulentes, rapinis & mendacijs plenos. Denique cauſas pauperum, & viduarum ob defectum tutelæ cadentes; Cauſas vero divitum erectas, & in ſublime elatas cernebat: Et quod pejus erat, omnes absque curâ aliqua in utramque aurem dormire, multis flagitijs & ſceleribus oneratos. Dominus autem brevitatem harum deliciarum, & nobiliſſimi temporis jacturam, inſuper æternitatem punitionis, quâ in aliâ vita puniendi erant, & terribilia flagella, quibus in hoc mundo caſtigandi, contemplans, commotus, piiſſimus homo lachrymas profundere cœpit: Deplorandus enim illorum hominum ſtatus eſt, qui tempus præſens clementer indultum, ad acquirendam cœleſtem gloriam, & ſalutem ſuam diſperdunt, & in peccatis ac divinæ legis transgreſſionibus inſumunt. *Tract.* 91. *diſc.* 5. O nobile ſanè tempus, propter quod & ipſe Salvator uberrimas lachrymas profundit! Bene igitur monet Eccleſiaſtici 4. 23. *Filî conſerva tempus* ut donum pretioſum. *Vid. ibidem Diſc.* 3.

Videns civitatem flevit ſuper illam. Excidium urbis, ac devaſtatio facta per milites Romanos, generalis fuit, & quidem totius regni: Omnes enim Judæi per totum regnum fuerunt interfecti, & captivi. Cur ergo piiſſimus Jeſus ſuper civitatem, & non potius ſuper regnum deplorat? Solvit acute quæſtionem Origenes. homil. 38. in Levit. *Nemo Gentilis fletur, ſed ille, qui fuit de Jeruſalem: quod poſt peccata circumdent eam inimici, & lapidem ſuper lapidem non relinquant; maxime ſi poſt multam continentiam, poſt annos caſtitatis virtus quis fuerit, blandimentis carnis.* Non deflet Dominus ſuper gentium civitates Babylonem, Tyrum, vel Ninive, *nemo gentilis deflebitur*, nemo enim gentilis fuerat in virtute, à qua defecerat; nam etſi aliæ Judæorum civitates ſub lege fuerint, nulla tamen in juſtitia, & probitate ita reſplenduit, toriesque veniam ſuæ transgreſſionis conſecuta eſt, & ideo maximè deplorandum erat, quod tot conſecutas gratias, tot annos caſtitatis, poſt tot monumenta virtutum, ipſa blandimentis carnis, ac turpitudini vitiorum ſe tradiderit, & in peccata, & ſcelera reciderit: inde fit, quod cum magno dolore lamentatur Jeruſalem: Qui in peccata ſemel remiſſa reincidunt, difficilius reſurgunt, acerbius à Deo caſtigandi, quia lumen & divinas gratias contemnunt. *Tract.* 75. *Diſc.* 3.

Venient Dies in te: Et circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te. Excidium civitatis antecedenter quadraginta annis minatur Chriſtus, ut ipſi pœnitentiam agant, reſipiſcant, & non pereant, uti imminente diluvio fecit quoque Deus Gen. 7. Noë locutus: *Poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci.* Poterat quidem Deus, unico momento univerſum orbem ſubmergere, noluit tamen: Sed concedit, quadraginta dierum ſpatium, ut homines perterrefacti, reſipiſcentes, pœnas evadant debitas: ita hic longo tempore pœnam, quam imminentem ignorat civitas prædicit, pro quâ debeat flere, & pœnitentiam agere, quam dum durâ cervice contemnit, repentinus ſupervenit interitus, *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis ſuæ.* Pro quo legit Euthym.

tuym. *Curæ tuæ.* Super quo excidiò sic commentatur Cæsarius homil. 13. *Quam multi se credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina subtraxit; ut nec ad illam momentaneam pœnitentiam pervenire possint.* Similibus enim mors die, & horâ, qua minimè expectatur, supervenit, & ita manifesto perditionis suæ periculo se exponunt. *Vid. Tract.at.* 81. *Discurs.*19. Quid vero stultius agere potuit populus hic, & hujus urbis incolæ, quam ita dudum prænoniti, nihilominus curam salutis suæ in finem differre? *Stultissimum est*, ait S. Pat. Augustin. *ut causâ, quâ de necessitatibus agitur æternis, inutilibus vitæ deficientis committatur extremis. Ibid. Discurs.*20. *Vid. varias similium allegatas stultitias.* Et ideò justè talis, illis contumacibus, evenit perditio, ut ne lapis super lapidem, in electa illa civitate, relictus sic, quia sic impœnitentes manserunt: quos merito Deus abominatur. *De quo ibidem Discursa* 16.

Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Titus Bostrensis: *Visitationis tempus*, illud vocat, *quo ipse è cælo delapsus, eam visitavit, multaque inter visitandum divina documenta tradidit, ac plurima tandem in ea miracula patravit.* Et licet eum sic præsentem intelligerent, tantæ tamen cœcitatis erant, ut ad eum sibi præsentem non se reflecterent, sed in peccandi malitiâ persisterent, quod extremum malorum est & unica causa, ob quam felicet Christianus, licet ex fide sciat, infinitam illam Dei majestatem, sibi intimè esse præsentem, eamdem nihilominus, in oculis ejus, tam pervicaciter aspernetur & offendat, quia ad eamdem præsentiam Dei recogitandam, non se reflectit & applicat; quod extremæ dementiæ est execrandum. *Tract.*75. *Discurs.* 10.

Et ingressus in templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes. Intravit Jesus templum, & invenit profanatum, invenit basilicam mercatorum, mensam Nummulariorum, boum, taurorumque stabulum, agnorum, arietumque ovile; indeque æterni patris, ejusdemque honoris defendendi Zelo accensus, facto flagello, ut D. Chrysostom. innuit, quotquot vendentes, & ementes invenit, ejecit. Itane in templo ad manum prompta flagella adsunt? ut illis, ij nundinatores, qui ad cultum Dei promovendum, negotiantur turpissime cæsi, inde exturbentur? Merito miramur, unde illa ad manum flagella fuerint: Locum, ex quo ea accipit Christus, ostendit Salomon Proverb. 5. *Iniquitates suæ capiant impium, & funibus* (alij restibus) *peccatorum suorum constringitur.* Super quo sic ait Venerabil. Beda: *Impij funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incessabili augmento suæ pravitatis intexunt. Qui enim funem facit, torquendo semper, & involvendo filis sua adauget, talis est fortitudo malorum operum.* Quod alio loco clarius sic exponit: *Funiculi, quibus impios flagellando de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos judici datur.* Ecce ut Christus flagella in ipsorum iniquis manibus invenit! *De quibus vid. Tract. 77. Discurs.* 25. 28. *& Discurs.* 29. Ut certum enim ex Theologia, & scriptura colligimus, quod Deus naturas suâ atque in seipso non habeat, quo castiget, infligatque pœnam: Etenim hæc infligitur fame, peste, paupertate, doloribus, similibusque calamitatibus, quarum nullam Deus in se habet, nec habere potest; Malum enim aliud non est, quam privatio boni, nec malum ullum esse potest, nisi alicujus boni defectu; Hic autem in Deo, locum nullatenus habet, qui est omne bonum; Ex quo sequitur, quod Deus noster nil in se habeat, quo puniat, sed ut pœnam infligat, necesse est, ut alicui, quod extra se est, manum injiciat, sive fami, sive peste, sive bello, sterilitati & annonæ caritati, quæ sunt nostrorum peccatorum effectus. *Tract.*78. *Disc.*5. Flagellum ergo, quo Jesus ejecit vendentes, de funibus peccatorum ipsorum composuit, quo illos vendentes exturbavit, de peccatis namque oritur populorum exterminium. *Ibidem Disc.*12.

Et ingressus in templum cæpit ejicere vendentes & ementes. Inter omnes delinquentes, Idololatras, Hæreticos, publicanos, peccatores, quos in mundum veniens Christus invenit, hos solum flagello persequitur, qui oves & animalia ad sacrificium vendebant: Quod flagellum ex iisdem funibus, quibus pecora adduxerant, fabricatum, non pauci authores volunt. Itane proprijs funibus exturbantur impij? Quibus grave olim væ, prædixit Evangelicus Isaias cap. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis.* An non ea vendebant in templo volebat auferri Deus? Cur itaque funiculis turpissime è templo eliminantur? Pulchre Hieron. in loc. cit. Isaiæ. *Quod vincula dicantur esse peccata evidentius legimus, è quibus illud est: Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccata, peccatis cumulabat, fecit flagellum de funiculis, ostendens eis, quomodo domum Dei fecissent spelunçam Latronum.* Et merito, per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur, homo per delicta sua Deum offendit, & per ipsa delicta, quæ in funiculis obumbrantur, verberatur, & flagellatur. *Vid. Tract.*78. *Disc.*18. 19. 20. *usque* 26.

Et ingressus in templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes. Venerabil. Beda ex hoc magnum elicit documentum, dicens: *Si Dominus, nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri: quanti putas animadversione puniret: si invenisset ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes? Si enim ea, quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo suâ geri non patitur; quanto magis ea, quæ nusquam fieri licent?* Ideo, nunc non contentus, ait Sanctus Chrysost. hom. 22. in Joan. flagello, verbis etiam in eos invehitur, neque tantum illos ejicit, sed etiam evertit mensas, dispersit argentum. Ut te erudiat, ô Christiane, in sacris templis cultum Deo exhibendum esse in silentio, exemplo sanctissimæ Virginis Deiparæ, quæ mysticum Dei templum, silentij post se reliquit exemplum. *Vid. Tract.*88. *Disc.*6.

Et ingressus in templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes. Appropinquante paschate, divino consilio Christus seipsum mundo manifestaturus, regnum Ecclesiæ suæ & legem Evangelicam fundaturus, per hoc opus flagello ementes ejiciendo, principium ei dedit; quamvis enim intenderit legem fundare amoris, nihilominus, ut illa firma consistat sanaque conserverur, illam in timore fundare, necessarium putabat. *Audax enim*, ait S. Augustin. lib. quæstion. Veteris, & novi Testamenti. q. 102. *Est homo, & temerarius, cui si dignum porrexeris, totam arripit manum, idcirco necesse est, timore ejus refrenetur audacia. Hinc Spiritus S. Ecclesiast.* 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Sumens metaphoram ex doctrina Christi, & quotidianâ experientiâ; Ex eo scilic. quod domus firmitas principaliter pendeat ex fundamento: quâ de causa sapiens architectus, erecturus altum ædificium, hoc primum satagit, ut pro fundamento petram collocet solidissimam, qua servetur immobile. Christus Deus opificum omnium sapientissimus proinde suis statuit ædificijs, suo inquam Evangelio, ut firma consistant, fundamentum, quo nullum securius: Timor autem est, omnis boni principium; hinc à flagello incipit: Ad bonam enim directionem & observantiam divinarum legum, ante omnia necessarium est, prædicare Dei timorem; *Vid. Tract.* 93. *Disc.* 1. Ut hoc velut freno injecto cohibeatur peccandi impunitas, & istiusmodi horrore malitia sistatur. Ad rem S. Augustin. Epist. 5. *Agenda sunt multa, etiam cum invitis, benignâ quadam asperitate plectentis, quorum potius utilitati consolendum est, quam voluntati.* Et post pauca. *Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius, felicitate peccantium, quâ pœnalis narcitur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur:* At vero pœnalissimus severioris supplicij incussus horror, ac Dei timor, aliquâ velut necessitate à sceleribus perpetrandis absterret: Et gravioris pœnæ terrore, dum licentia iniquitatis utiliter velut catenis vincitur, & ligatur, quasi necessitate quâdam ipsa peccandi licentia eripitur. Gratulare ergo Dei timori & supplicij horrori, qui pacatam peccandi felicitatem interturbat, & inquietat; nam Dei timor nostræ cooperatur conversioni, expellit peccatum & à futuro præservat. *Ibidem Disc.*2.

Et ingressus in templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes. Subtilem quæstionem hic movet Div. Petrus Chrysologus hom. 22. in Joan. dicens: *Quæsita dignum est, quâ gratia adeo Christus his indignatus est, & maximè cum alias injurijs, contumelijsque affectus, Samaritanus, & dæmonium habens appellatus, nil maledecerit.* Et rei difficultatem magis exaggerans, addit: *Nunc non contentus flagello, verbis etiam in eos invehitur, neque tantum illos ejecit; sed etiam evertit mensas &c.* Christus in suis injurijs sufferendis patientissimus erat, nunc vero & flagello, & verbo indignatur: *Feci tis spelunçam latronum.* Ad quæstionem respondeat Galfridus apud Tilman in Allegor. *Si advertimus*, ait, *quomodo cæpit Jesus ejicere ementes, & vendentes de templo, miram se non lugemus, qui tam multos etiam nunc in Ecclesiâ vendentes & ementes videmus. Liquet enim, quod ob avaritiam maximè eorum, quâ in templo negotiabantur, imminere ei civitati excidio videbantur, quando post lachrymas & querelas, illi potissimum ejecti sunt.* Avaritia ergo omnis excidij origo, hæc enim verbum Dei suffocat, & impeditat, & inde populi ruina, animarum jactura, ac perditio; contemptus enim, & intermissio verbi Dei calamitates, & exterminia

nia provocat in populos. *Vid. Tract.* 83. *Disc.*24. *& Disc.* 25.

Et ingressus in templum cæpit ejicere vendentes & ementes. Valde mirum est, quod Christus Dominus in templum veniens hos vendentes verbis non monuit, sicut reliquos peccatores, solitus fuit, ut ab illicitâ actione atque divinarum rerum contemptu abstinerent, sed mox eos vehementer flagello persequitur: Nam, ut supra vidimus ex Chrysostomo, nullum eis tempus concessit sua convasandi; Verum mensas evertit, argentum dispersit; nullatenus veritus, nec populi tumultum, nec principum sacerdotum furorem, Exemplo suo docens prædicatores, libenter omnem subire laborem, & periculum, depositaque adulatione, à vitijs reprehendendis nequaquam desistere. *Super quo Vid. Tract.*83. *Disc.*47.

Et ingressus in templum cæpit ejicere vendentes & ementes &c. Prima Jesu, utpote Pontificis & Messiæ, cura erat templi. Mirum autem fuit, uni homini pauperi, qualis erat Christus, omnia sacerdotum lucra in templo subvertenti, neminem eorum restitisse. Et quod mirere magis, Christus Deus sua authoritate ac majestate, non potavit indignum, sic homines propriâ manu verberibus cædere. *Consideremus*, ait Origen. Tom. 11. in Joan. *Ne fortè enorme videatur, quod Dei filius, captis funiculis parat sibi flagellum ad ejiciendum de templo.* Enormè quidem alicui, forsan videri posset, & parum divinæ majestati illius conveniens, sic Zelo severioris justitiæ accendi, ut sibi ex funiculis flagellum paret: Et quodammodò verberonum ad instar, in templo Trapezitas diverberet. Christusne is est, qui hoc ministerium, quod vile, & abjectum, & de ministeriali infligendi supplicij officio, invidiosum videri posset, per seipsum obit? Ubi sunt Angeli, dæmonesvé illius obsequio expromptius deputati? Interim nullam horum operam expectat. Enorme quidem, & Christo Deo indignum, hoc, ei videri posset qui nescit, quam sint execrabiles illi, qui Deum, ejusque præsentiam agnoscentes, temere peccant. *Vid. Tract.* 75. *Disc.* 10. Verum, qui attente considerat, quod Victor Antioch. in cap. 11. Marci ait, nentiquam mirabitur: scilicet, *Aggravat Judæorum causam, quod Domino, idem factum semel iterumque repetente, ipsi nihilominus in sua illa Cauponariâ arte, infami nundinatione obstituate usque persistebant:* Et ideo rigide in hos ementes, & vendentes præter gravitatem suam invehitur, & facto & verbo latrones appellat: Utpote, quos non emendatos, sed in sua malitia persistentes ac relapsos videret: multum enim relapsus culpæ gravitatem aggravat, & diversa mala invehit. *De quibus Vid. ibidem Disc. 6. & Disc.* 8. *maxime Num.*4.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Luc. 18. Reprobus Pharisæi animus, arroganter elatus, ipso etiam corporis habitu superbiam spirat, *& ideo apud se orabat*, quasi non apud Deum: quia per superbum elationis supercilium, ad seipsum redibat, tamquam vel Deum supplicare dedignatus, quin & impugnare videtur gratiam, quam non expetit; Imo seipso plenus, charitate vacuus inventus, & sceleribus atque injurijs opulentus; Dum linguâ maledicâ, quâ propria debuisset incusare crimina, alios injustitiæ, alios rapacitatis, alios adulterij suâ oratione insimulat. O Pharisæe, ideirco in templum ascendis, ut in eo, quasi in Religionis sacrario Deum ores: an ut oratione tuâ, tuæ vitiositatis sentinam exponas? quæ est hæc tua in templo oratio? Respondet, sed non sine felle Salvianus Massiliensis lib. 3. de Gubern. Dei: *Novum monstri genus est; eadem pene homines faciunt, quæ fecisse se plangunt: & qui intrant ecclesiasticam domum* (Dei templum) *ut mala antiqua defleant, exeunt: Et quid dico exeunt? In ipsis pene hoc orationibus suis & supplicationibus moliuntur: Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: Et dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur; ac sic oratio eorum, rixa est magis criminum, quam exoratrix, ut vere in eis illa maledictio compleatur; ut de oratione ipsa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum.* Itane Pharisæi oratio penè scelerum meditatio, & tumultuans vitiorum rixa est, quia superba erat? Superbia enim cunctorum aliorum vitiorum, & peccatorum origo est, & eorum annexam habet congeriem. *Tract.* 90. *Disc.*7. *& Disc.*8.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Stans dicitur hic Pharisæus, ut fastum denotet pharisaicum, quod vultum erigeret in cœlum, quasi cum Deo disputaturus, vel rationem meritorum suorum inituras, & exacturus; nam humilis viri est, etiam aspectu humiliari, hic autem & habitu, & gestu, & ore superbus agnoscitur, ideo ait: *Gratias ago.* Verum enimvero, tametsi Pharisæus hic merito Christi Dei censurâ culpatur, & inde omnium reprehensionem incurrit, non tamen ejus crimen facile apparet. Pharisæus erat stans, similiter stans publicanus orat: Deinde Pharisæus sua allegat merita, quæ falsò allegata fuisse, non legitur. Quæ autem culpa est, merita propria orando proponere, quod Davidem in Psalmis sæpe factitasse legitur? Publicanus autem quid istiusmodi posset allegare? Præterea, quid culpæ apparet, quod dum in templum ascendit orare, gratias Deo agat? Num otiatur oratio in gratiarum actione sedulo negotiosa? Demum apud se orat, non ad se: An non licet ore tacito, in mentis solitudine & silentio Deum orare; præsertim cum interior mentis solitudo maximè commendetur. *Tract.* 89. *Disc.* 12. Verum dum videmur Pharisæum excusare, fastum & summam superbiam in oratione accusamus; quâ super re sic discurrit D. Basil. Seleuc. Orat. 35. *Bellum sane*, ait, *gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & judex, & mortis sententiam in omnes ferens. Non sum sicut cæteri.* O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, & omnes partis alicujus & reliquiarum nomine habet. Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri Deo opprobraturus intonuit, non habes justum alterum in terra, ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit à justitiâ terra, nisi hanc ego calcarem. In exordio Pharisæus gratitudinis virtutem ostentat, & tamen sub illius prætextu bellum, & criminationem subinfert; nec solum tyrannicâ linguâ homines criminatur; sed etiam ipsum Deum, omnium facit authorem, quasi omnes à virtutibus expolier, ut omnes virtutes in se uno collocaret: Et hæc superbiæ natura est, & supra alios, & super Deum sese erigere. *Tract.*90. *Discurs.* 1.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Esto Pharisæus hæc vere dixerit, reliquosque suæ ætatis homines superaverit, tamen dum vanæ gloriæ reus invenitur, laudatas in se virtutes damnat: & numerosa hactenus virtutum prærogativa; defectu humilitatis abrogatur. Nam, *sicut hedera*, ait Sanctus Nilus Orat. 7. adversus vitia, *sic arborem amplectitur, ut cum altius sese sustulerit, radicem ejus arefaciat: Inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquam vim illarum exciderit:* Qui enim ob vanam gloriam operatur, veræ gloriæ facit jacturam, & sine omni fructu laborat. *Tract. 95. Discurs.* 7. Time ergo, ô Pharisæe, plus donorum spiritualium habere, quam habent alij, nisi humilitate quoque alios excellas! Nisi enim in hac excellas, quod in alijs virtutibus, donis, gratijs singulariter præcellis, non parva est jactura virtutis. *De damnis vanæ gloriæ ibidem Disc.*8. *& Disc.*9.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum. Publicanus sua flagitia ingenue professus, defendit justificatus præ Pharisæo. O Pharisæorum conscientia, quæ cum sit graviorum scelerum rea, nil in se reperit, quod confessione accuset; sed innocentiam dissimulatione prætendens, suum reatum flagitiosius exaggerat, dum causat, quod Christus ipse, qui alienæ famæ observantissimus erat, ne proximorum occulta peccata detegeret, nimiam hypocrisim Pharisæi publicarit! Peccatum enim mortale occultari nequit; sed tum à Deo, tum à propriâ mala conscientia manifestatur. *Tract.* 77. *Disc.*30. *& Disc.* 31.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti &c. Non hic olim ad Deum loquebatur Pharisæi progenitor Abraham, cujus filium sese venditabat: hic enim mente humili Deum identidem rogabat, non in vicinas peccatorum gentes stomachatus: Degener in hoc planè Pharisæus, cui non satis se omnes præ superbiâ contempsisse, nisi & sigillatim publicanum cooperantem sugillaret, eique detraheret; Nisi fortè detrahere non sit, dum vera propalat. *Ne quis hoc mihi dicat*, ait S. Chrysost. hom. 3. ad populum: *Tunc detrahio, quando falsa dico. Nam si vera loquens, maledixeris, hoc est crimen. Etenim Pharisæus ille, Publicano venatico maledixit; Sed tamen hoc ipse nihil profuit. Dic enim mihi: Publicanus non erat, publicanus & peccator? Cuique certum est, quod publicanus erat; sed tamen, quoniam ipsum vituperavit, Pharisæus abijt omnibus amissis.* Itaque Pharisæus, dum de publicani defectibus apud se garrit, & omniscio Deo, publicani crimina prodit, crimen committit superbiæ, & ideo abijt omnibus amissis: Cunctis enim virtutibus opponitur superbia, cunctorumque bonorum operum merita reddit inutilia. *Tract.* 90. *Disc.* 4. Unde sanè, monet cit. Chrysostom. homil. 3. in

Matth. *Negligaam ejusmodi bona frequenter eventiles, ne quis ea forte diripiat : quod etiam Pharisæus passus est, in lingua illa circumferens, unde & diabolus rapuit, quamquam certe illa cum quadam gratiarum actione memorabat, atque ad Dominum cuncta referebat : Sed ne hoc quidem sufficit.* Nam in hac gratiarum actione, quam oratio nuncupat, malè superbiæ notamenta transparent; ipsa enim superbia est, quæ sterilem efficit spiritum, & devotionem, atque divinas in nobis gratias exiceat. *Ibidem Disc.5.*

Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare. Uterque stat, uterque orat, & in pari utriusque habitu, dispar negotiatio in utroque invenitur : *Descendit enim hic justificatus ab illo*, exauditus est. Quod ergo arcanum latet, in hac opinatissimâ publicani oratione, præter ea, quæ extrinsecus apparent? Nempe à longè stabat, ab omni vano strepitu semotus : Multorum enim conversatio, inimica virtuti, inimica orationi est : *Solitaria namque vita, cœlestis doctrinæ*, ait D. Basilius de laud. Eremi, *Schola est, & divinarum artium disciplina.* Procul à turbis, exaudit Deus, deprecantes, & cœlestia docet mysteria. Eremus, gymnasium Dei est, & eruditio cœlestis, ubi Deus veros veri Dei adoratores fabricat : Sequestratio enim & solitudo orationi suffragatur. *Tract.89. Disc.5.*

Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare. Ecce verus pœnitentis habitus describitur in publicano : Verecundiâ enim plenus, non audet oculos in cœlum levare; sic ante illum Esdras 1. cap. 9. Deum precaturus dicebat. *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te ; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt.* Nam ut dicebat Job 11. cap. *Si iniquitatem, quæ est in manu tuâ abstuleris à te, tunc levare poteris absque maculâ faciem tuam.* Itane res vilis & infamis, peccatum est? Ita sane : Nil enim hominem vilem, & vituperio, & contemptu dignum reddit, præter peccatum. *Vid. Tract. 71. Disc.10.*

Et publicanus stans nolebat nec oculos ad cœlum levare ; sed percutiebat pectus suum. Publicanus ille pœnitens, templum ingressus, peccatorum mole, decurvatâ cervice, & oculorum palpebris, gravi morbo compressis, cœlum non audebat aspicere, & retro gradum timidus revocat, & extremum se, non tam loco, quam conscientiæ judicio sistit, & veniam impetrat. *Agnovit peccata, & deposuit peccata*, ait Chrysostom. homil. de David & Saul, *Et criminum accusatio, facta est illi, criminum remissio.* Quot labores erant subeundi publicano, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua egenis impertiendo &c. ut illa tam multa peccata posset deponere? At nunc eum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem. Miror igitur vocem mundanorum hominum, hujus publicani exemplo sibi blandientium, & dicentium : Tetricus mihi vivendi modus, ille est, ut ætatem floridam, in continuis lamentis, & pœnitentiæ actibus impendam : Facilis peccato est venia, dummodo longo post tempore, verus è profundo cordis cum Publicano exurgat gemitus, & flebilis illa erumpat vox : *Deus propitius esto mihi peccatori.* Falleris, ô Christiane, in hoc confidens! Samson inermis mandibulâ Asini peremit hostes; num ideo omnis, inermis descendet in prælium? Quod alicui gratiosè conceditur, ab alijs non debet trahi in Exemplum; reprehensibiles enim valde sunt, qui in exemplis, in fine resipiscentium confisi, pœnitentiam differunt. *Tract. 81. Disc. 23.* Verum quidem est, quod misericors Deus, quâlibet horâ ingemiscenti peccatori promiserit veniam, non tamen quod veram compunctionem dare, aut ad illam usque nos expectare velit. *Nemini dedit spatium peccandi.* Ecclesiastici 15. 21. *Vid. ibidem Disc. 22.*

Descendit hic justificatus ab illo &c. Verum proinde dixit Salomon Proverb. 29. *Superbum sequitur humilitas & humilem spirita suscipiet gloria.* Nam dum publicanus à longe stans, non audet nec oculos ad cœlum attollere, judicans eos indignos visione supernâ, qui maluissent bona spectare terrena, quam cœlestia. Agnoscens se indignum, qui eo converteret intuitum, ubi sedem habet is, quem se offendisse dolebat : prius Dominus, qui humilia respicit in cœlo, & in terra, quem propter humilitatem procul stare videbat, de propinquo respexit, ejusque peccata clementer condonans, justificavit. *Inversus est ordo*, ait Sanctus Basilius Selenc. Orat. 35. *Apparuit publicanus, justo Pharisæo justior, idque judicis judicio : commutata rerum est natura, in altum fastu elatus, deficitur, ad ima vergens, per sententiam evigitur :* Nam Deus superbis resistit, eosque detestatur. *Tract. 90. Disc. 9. & Disc.10.* Optimè proinde Optatus Milevitan. lib. 2. contra Donat. *Azeliora sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbiâ.* Et licet aliqui Recentiores interpretes velint, ex hoc loco evidenter non colligi justificationem Publicani, & condemnationem Pharisæi ; tamen oppositum tenent, S. Augustin. lib. 50. Homil. 44. D. Paulin. Epist. 58. D. Bernard. serm. 33. de Annunt. Beda, Bonavent. & alij; Nam in Pharisæo est manifesta multa arrogantia cum contumelia, & detractione proximorum, quæ est clara damnationis nota : In publicano vero nihil defuit ad peccatorum remissionem obtinendam ; unde Euthymius: *Quia se adeo justificaverat à Deo condemnatus est, & qui adeo condemnarat, à Deo justificatus est :* Signum enim reprobationis, & exclusionis à regno cœlorum, superbia est. *Vid. ibidem Discurs. 11.* Excludi ergo metuis à cœlorum regno, ô Christiane, jactantiam fuge, superbiam detestare ; *Pro qua fugienda plurima motiva Vid. ibidem Discurs. 13. 14. & 15.*

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum, Marc. 7. Non sunt isti homines contenti, quod pro absente loquerentur ; sed ipsum etiam adducunt, ac ante oculos Christi præsentant, ut visa summâ hominis miseria, divinam pietatem ad subveniendum alliceret. Sæpè quidem non rogatus Dominus, similia patravit miracula : ad quid ergo voluit, ut hic homo, suis gressibus ambulans, adduceretur, & pro eo adducentes deprecarentur? Sic, scilicet, sese Christus semper ostendit, corporum & animarum curatorem, ut nostrum se etiam meminisset esse Doctorem ; Et ideo adduci coram se, surdum & mutum voluit, ut instrueremur, quod Deus semper velit, ut quantum est in nobis, Deo auxilium conferenti, collaboremus, & operationem nostram adjungamus, & tunc ipse præstans suum adjuvamen, totum perficit, complet & absolvit. Ad rem, pulchre D. Chrysost. hom. 53. in Genes. *Considera*, ait, *quando, quod à nobis est, offerimus, largiter divinam operationem consequamur, nam ne desides, & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre : quo sic sua declaret, & non totum sit superni auxilij, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre : neque à nobis exigit totum, sciens infirmitatis nostræ excellentiam, & servans suam misericordiam, & volens occasionem aliquam offerre, ut suam declaret, liberalitatem, expectat, ut offeramus, quæ à nobis sunt.* Assistentia enim Dei, qua in tentationibus protegimur, nostram exigit cooperationem. *Vid. Tract. 92. Disc.15.*

Et apprehendens eum de turbâ seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus. Sufficisset, si Salvator dignum auriculis applicasset surdis ; Sed nec auriculæ caperent, plusquam unum, aut alterum digitum : Misit tamen sine discrimine Jesus digitos suos in auriculas ejus. Insuper expuens tetigit linguam ejus, ut sic longius remedijs superarentur vulnera, nec tot esse possent morbi, quot divinâ miseratione peccatorum remedia. Et quando remedia à Deo miserente concessa, & à nobis digne applicata non excedunt peccatorum vulnera? *De quibus vid. Tract. 79. Disc.3. & Disc.2.*

Et apprehendens eum de turbâ seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus : & expuens tetigit linguam ejus. Ecur seorsum apprehendit infirmum, quem mox palam sanum ostendit? Quare etiam proprio sputo, muti linguam, oraque salivat? An ut muti lingua de odore salivæ Dominicæ reddatur lubrica, & idoneæ loquelæ habilis? Hac super re ita philosophatur Theophylact. *Et expuens tetigit linguam ejus, ut scilicet ostenderet, quod omnia membra sacri corporis ejus, divina existunt, & sancta, sicut & sputum, quod vinculum linguæ solvit : etenim omne sputum superfluum est.* Nil Christianus in Christo, ejusque sanctis membris superfluum putet : Nam quid superfluum in ipsis putatur, ut sunt vestes, sacraque reliquiæ, eas in maxima honorificentia & summi Ecclesiæ Pontifices, & Reges, ac Imperatores etiam infideles habuerunt. *Tract.87. Disc.4. 5. & 6.* Quomodo enim superfluum in Christo, ejusque sanctorum reliquijs reputes, quod tibi proficuum, & salutare, & medicum est, pez quod tui corporis & animæ languores sanantur, virtutes conquiruntur, & augentur, uti sunt S. Reliquiæ. *Ibid. Disc. 8. & 9.* Ita enim efficaces & medicæ Christi, sanctorumque sunt reliquiæ, ut etiamsi nihil de hujus surdi fide, & devotione appareat, multoque minor, illum offerentium, fides comitetur; nihilominus suspiciens in cœlum Jesus, dum propriæ carnis, & sputi tamquam instrumenta sanctæ adhibet, (nam sanctæ sunt omnia, quæ erant Jesu) infirmum perfectè sanat. Et per hoc instruit omnes, & Discipulos suos, & Christianos, sancta esse sanctorum ipsana, cultuque singulari veneranda; utpote, quæ ipse Christus Deus magni appretiatur, per quæ immerenti sanitatem concedere dignatur. *Vid. ibidem Disc.10.*

Et apprehendens eum de turba seorsum. Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti. Adeo nemo eorum, qui etiam studiosè ingenium ad virtutem concinnant, ferre impetum vitiorum tam magno numero venientium evalet, ni è turba sequestretur ; Perrarus enim est, qui frequenti turbæ tuto se credat, illæsus committat. Pulchre, proinde ait : Seneca Epist. 7. *Quod ægris evenit, quos longa imbecillitas usque adeò officit, ut nunquam sine offensa proferantur ; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Nemo non aliquod vitium nobis commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Utique quo major est populus, cui commiscemur, eo periculi plus est ; Unum enim exemplum luxuriæ, avaritiæ, ambitionis multum mali facit. Convictor delicatus sensim enervat, vicinus dives, cupiditatem irritat, garrulus maledice comes, blandientis maliloquentiæ pruriginem affricat : Et ideo cœlestis Medicus, hunc ægrum in corpore, & animo, curaturus pericula multitudinis probe noscens, è turba seorsum subducit, ut doceat solitudinem ei sectandam esse, qui virtutes sectare, & vitiorum morbos effugere anhelat : Virtutum enim gymnasium, ac formatrix solitudo est, hæc animum fingit, & perfectionem consummat. Vid. *Tract.89. Disc.6.*

Et apprehendens eum de turba seorsum. Miser erat ille homo, surdus & mutus : Figura pessimi peccatoris, qui Dei legem prætergressus, vitijs collotenus immersus hæret, quem ut Christus verus Medicus curet, apprehensum è turba subducit. Cur autem seorsum? An forte indignum se populus redideret, tale videre miraculum? Respondent D. Dionysius Carthusianus. *In hoc datur intelligi, quod eos, quos Deus à vitijs curat & salvat, oporteat prava vitare consortia, atque à communi hominum, per latam viam, perditionis ambulantium, conversatione recedere :* Solitudo enim ad observandam Dei legem, & suffocanda vitia plurimum conducit. *Tract. 89. Disc. 2. maxime Num.6.*

Et suspiciens in cœlum ingemuit. Eleganter Venerandus Joan. de Sylveira, ait : *Hic ingemuit Dominus cum ad perpetrandum miraculum processit ; forte ideo quia ad solvendam & restituendam homini linguam accedebat, jam tum præsciens, quantum malum sit homini lingua, quantumque hominis saluti obsit.* Et nescio an tantum æneus murus interpositus obsit, & obesse solet lingua non bene custodita. Moysi gradienti, cum populo Israël, obstitit interjectum mare rubrum ; verum cum extendisset Moyses manum super illud, abstulit illud Dominus, Exod. 14. At postmodum ; Num. 20. dum elevat manum, ut percutiat petram, ad extrahendas aquas, statim se divinâ sententiâ impeditum sentit, ne terram promissionis ingrediatur. Cur modo parvus fons aquæ impedit, quem vastissimum mare non impedivit? Ibi tacitus Moyses elevabat manum, & fugiebat mare : Hic elevat etiam manum cum Virgâ simul ajens : *Audite rebelles & incredali* ; Et inordinata locutio illi obstitit, ne terram ingrediatur, quod non valuit mare : Ita nimirum æternæ patriæ ingressui obstat, inordinata lingua, cujus è contra bona custodia plurimum cooperatur. *Tract.88. Disc.1.*

Et suspiciens in cœlum, ingemuit ; Sæpenumero Christus Redemptor noster, in cœlum oculos sublevasse legitur, quippe qui ibi fixam suam habebat affectionem, & hoc ideo faciebat, ut nos ad idem agendum erudiret: Ingemuit namque ut hoc indicio declararet, inter innumera mala, quæ secum peccatum affert, hoc maximum & summum esse, quod is, qui vilissimus est homo, per hunc surdum figuratus summam, Dei rerum omnium Creatoris, majestatem violet Vid. *Tract. 71. Disc. 2.* Et ideo ex hoc capite peccati gravitas, & malitia dicitur esse infinita, quod adversus illum pugnet, ab eoque sese avertat, cujus bonitas & majestas est infinita. *Vid. ibidem Disc.3.* Quo circa mirandum non est, quod ille, qui, quanta esset peccati deformitas, quantaque Deo, fonti omnis boni per illud irrogetur injuria, probe noverat, ingentem ex imo pectore, gemitum ducat, ad illam contestandam injuriam, quam Deo irrogamus, dum à peccatoribus, ad satisfaciendum suis appetitibus, ita turpiter abjicitur. *Ibidem Disc.4.*

Et solutum est vinculum linguæ illius, & loquebatur rectè. Super hoc, sic ait Victor Antioch. *Quomodo non rectè loqueretur, cum naturæ opifex id suppleret, quod naturæ deerat. Ille solus rectè loquitur*, ait Venerabil. Beda, *qui linguam tactu sapientiæ, quæ est ad loquendum, instituit :* quasi illud impedimentum, quod ob depravata verba habuit homo, tunc solvatur, cum divinæ sapientiæ afflatu bona refert verba. Expende vero diligenter *illud : Recte loquebatur*, quod indicat originem rectæ locutionis : nam ex longo & diuturno silentio, in bonam loquelam venit homo, tarditas enim linguæ pulchram ac elegantem conficit orationem, magnum silentium, alta est institutio ad rectè verba proferenda : licet enim homini difficile sit, non loqui : *Conceptum sermonem, tenere quis poterit*, ait S. Job. Attamen tacendo, bene loqui discat. *Vid. Tract.88. Disc.8.*

Et præcepit illis, ne cui dicerent. Magnum divinæ omnipotentiæ signum, occultari jubet Dominus, quod ex omni scientiâ suâ, hos homines divulgaturos sciebat. Cur ergo præcepit, ut miraculosum opus tacerent, quod præsciebat tanto magis prædicaturos, quanto magis silentium commendabat. Et ad quid apprehendit hominem seorsum à turbâ cum ipse sciret, opus esse divulgandum? Respondeant Eusebius Gallican. Hom. in Domin. 12. post Pentecost. Beda, Haymon. Dionys. Carthus. id factum, ut ostenderet, quantopere vanam gloriam averseretur. *Nobis*, ait Beda, *exemplum dare voluit ut virtutum opera facientes, vitium jactantiæ, gloriamque vitemus humanam. Vid. Tract.95. Disc.12.*

Et præcepit illis, ne cui dicerent. Multoties eximiæ humiliatis Magister Jesus factis miraculis silentium imperavit, ut sanato leproso, Matth. 8. Et sanatis duobus cœcis, comminatus est illis Jesus, dicens : *Videte, ne quis sciat*, in se executus, quod in suâ sponsâ laudat, Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet :* Ubi tota genarum pulchritudo, non integro comparatur malo ; sed solum fragmini mali? Cur non magis integrum malum apparet in genis sponsæ? Cur in specie decoris, maluit ponere solum fragmen mali? Magna & insignis virtus, non se totam oculis exhibet, sed præstantiorem se exhibet ex eo, quod latet. Unde Gillibert. Abb. serm. 25. in Carth. ait ; *Bonæ Genæ, quæ sicut nihil habent simulatum, ita multum habent occultatum ; quæ sicut nihil fingunt, sic nec totum effundunt : quæ minus prætendunt in specie, quam tenent in virtute.* Magnorum virorum est, non habere præ foribus suas virtutes, non ostentare thesauros gloriæ suæ ; & ideo Christus celare miraculum jubet, quem plurimi sanctorum secuti sunt, qui ne vanam incurrerent gloriam, sanctitatem celarunt. *De quibus Tract.95. Disc.5.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc 10. Audierat Legisperitus de beatitudine Christum loquentem, & ideo de medio ad beatitudinem perveniendi quærit : Et sapienter quidem, ait Thomas Beauximus Tom. 3. Harmon. Evang. interrogasse videtur authorem vitæ, de modo consequendæ vitæ æternæ : Sed & prudenter sese habuit, quod præsentem vitam nihil facere videatur, appetat autem vitam æternam. Utinam, juxta exemplum hujus legisperiti, huc vergerent, omnes nostri sermones, & cogitationes, scilicet, tractare, quod ad salutem animæ comparandum, agendumque sit ; siquidem hoc unicum, & singulare omnium negotium est, atque omnia alia respectu hujus impertinentia, appellari possunt; sane non tanta hominum passim esset insania & cœcitas, qui identidem hos in ore sermones, & in corde cogitationes volvunt : Si sim prædestinatus Salvatur sine operibus bonis, si vero reprobatus fuero, hæc opera inutilia erunt quos hic Legisperitus suo exemplo confundit, cum ait ; *Quid faciendo* non vero cogitando, dicendo, vel scribendo : insuper docens : singulos, per bona opera certam suam vocationem, & electionem facere debere. *Vid. Tract.82. Disc.5.*

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Acute hunc locum exponit Didac. Stella in Luc. dicens : Sicut naturali propensione volatilia, appetunt volare, & pisces natare, & reptilia gradi, minimeque in his necessitatur & frustratur natura : ita homines, naturaliter appetunt beatitudinem, quam necesse est habere in futuro seculo, cum hic non reperiatur, & appetitus humanus, non satietur, nec quiescat. Anima igitur fertur in Deum desiderio libero, & naturali, & quodam interno appetitu ; Licet ergo præscientia Dei, in nostra electione infallibilis sit, attamen libertati arbitrij nostri nequidquam præjudicat. *De quo Tract.82. Disc.2.*

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus. Hoc Legisperiti dictum in malam partem interpretantur Titus Bostrensis, Isidorus Pelusiota. lib. 4. Epist. 171. Euthym. Theophylact. ac sit sensus : Voluit Legisperitus præ cæteris omnibus

se justum demonstrare ac declarare : nam à Christo laudatus in arrogantiam prorupit, putans se nullum habere in virtute ac scientiâ parem, cui comparari possit. Ad rem sic fatur D. Cyrill. in Caten. D. Thom. *Laudatus Legisperitus à Salvatore, quod rectè respondit, in superbiam prorupit, nullum sibi proximum putans esse, quasi nullus ei in justitiâ comparandus :* Hæc enim superbiæ qualitas est, erigere se super alios, & ipsum Deum, inde ejus malitia colligitur. *Tract.90. Disc.1.*

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones. Ex inopinatis latronum insidiis, in hanc luctuosam calamitatem homo incidit, & miserrimam stragem passus est : An ipse tanto periculo sponte occurrit ? Quid ergo mirum, si despoliatus omnibus divinis donis, gratiisque sit, cum is, qui amat, periculum, in illo disperat ? Et quid est, quod non ascendens, sed descendens, in crudelem latronum ferocitatem incurrit? Tempestive Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 1. *Non dixit solummodo*, ait, *Homo quidam incidit in latrones, sed descendebat inquit, ab Jerusalem in Jericho, & tunc demum incidit in latrones. Nisi enim descenderet, non incidisset : quia videlicet, nisi Adam superbivet, dati præcepti prævaricationem non incurrisset. Descendebat, quæ mente tumebat ; tumore namque ascendere, veraciter descendere est, quia ubi mens elevatur, ipsâ elevatione dejicitur,* Unde Regius Vates ait : *Dejecisti eos dum allevarentur :* Superbia enim tumor est, non magnitudo ; quæ sicut protoparentes nostros duxit in præcipitium : ita & alios perfectos præcipitare nititur. *Tract. 90. Disc.3.*

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum. Qui Jerosolymis agebat dives, & ornatus, ecce tibi cum primum descendit ab illo alto tramite vitæ, latrones adsunt, qui omnia ei gloriæ ornamenta præripiant : Peccator enim dum per peccatum, in dæmonum potestatem transit, divinâ gratia, virtutibus gratuitis & donis, uti gratiâ adoptionis, & bonorum operum meritis crudeliter exuitur, spoliatur. *Vid. Tract. 77. Disc. 9.* Unde D. Basil. Concione in Latios, ait : *Ab altis ad inferna venit homo, ut in prædones incideret :* Homo enim ille, qui placide, & cum multis divitiis degebat in Jerosolymis, ubi se separavit, ab itinere virtutis descendit : Seu ut explicat Simon Cassian. lib.6.cap. 20. *Descensus ab Jerusalem, aversio est à pace, à virtute, à quiete, à templo Sacramentorum Dei :* id est, ubi à Deo per peccatum discedit, statim descendit à suo honore, à suis divitiis, à pace, & quiete suæ conscientiæ, in magnam infamiam, miseriam & perturbationem, aliaque mala, & animæ damna. *Vid. ibidem Disc. 10. & Disc.11.*

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum. Samaritanus charitate vulneratus, suum commodum, suumque iter contemnit, & quæ secum ad viaticum ferebat, vinum, scilicet, pro potu, & oleum pro cibo cum pane, bonam eorum partem in homine curando impendit Non præteriit ex adverso, ut fecerunt sacerdos & Levita ; sed proxime accessit ad saucium : Et quia vera misericordia, ut ait D. Bonaventur. in opere declaratur, non solum ostendit affectum, nec verba profert : Non quærit, quomodo illud contigerit, sed totius in pietatis negotio intentus, accedens, manum admovit, & obligavit fasciis vulnera, partim ne ex circumstante aëre, deteriora redderentur ; partim etiam ut ipsis compressa medicinam retinerent, faciliusque coalescerent. *Confossa loca*, ait S. Chrysost. in hom. *ligantur, ut intra semetipsa retineant medicinam, operante medicamine, sanitati reddantur.* Quis itaque hic non admiretur, singularem Dei providentiam, qua derelicto saucio succurrit, per Samaritanum : Et eam quidem amplius in eo, quod secum in promptu habeat fascias pro vulneribus alligandis, in loco horrido & vastæ solitudinis ? Quo tanta, ipsius scilicet Dei providentia, hic clare adumbratur, ut non solum tamquam nutrix, sed & veluti mater providet, & ita quidem singulis in particulari, quomodo universim omnibus providet. *De quo vid. Tract.85. Disc.7. & disc.12.*

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum. In hac hominis Samaritani pietate, multa ipsaque eximie præclustria effulgent expositione & commendatione dignissima, illud tamen maxime deprædicat S. Joan. Chrysost. quod præeuntem exempla minimè insecutus fuerit, sic fatus : *Accedit ut sacerdos. Quin etiam si alij hoc fecerint, ne tu feceris. Ne dixeris apud temetipsum, homo sum mundanus, uxorem & liberos habeo ; ista sacerdotum sunt, ista Monachorum ; neque enim Samaritanus hæc dicebat.* Sed mira pietate & misericordia, hunc misertum prosecutus, alligavit vulnera infundens oleum & vinum, memor illius sapientis consilij Proverb. 3. *Misericordia & veritas non te deserant*, quæ tunc deserunt te, cum proximum in necessitate jacentem deseris ; Igitur Samaritanus non contentus interiorem animi affectum, & misericordiam erga vulneratum gerere, eamdem ipsis operibus perfecit & publicavit docens hocce suo exemplo, quod in omni vocatione fieri possit charitatis exercitium quo mediante lucremur cœlestem gloriam. *Tract. 96. Disc.7.*

Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario. Hæc sunt beneficia, quæ Samaritanus in spoliatum & vulneratum contulit, ex quibus oportet, eos, qui aliis sanctiores esse volunt & haberi, discere ; Ne forte militibus, publicanis, & Samaritanis, deteriores evadant. Vides hic sacerdotem, & Levitam ex populo Judæorum electo, qui sanctiores indicabantur, (uti & esse debuissent) tamen nihil charitatis, nec misericordiæ in ipsis inventum est : Samaritanus vero, qui natione erat Gentilis Idololatra, quique nullam habebat cognitionem Dei, & à Judæis contemnebatur ; hic inquam, Judæis melior evasit : Et quidem non melior quibuscumque ; sed sacerdotibus & Levitis, in loco vastæ solitudinis, inter mera pericula maxime charitativus existens. Ut hinc evidenter colligere liceat, quod nec locus, nec status secularis, virtutis exercitio aut sanctitatis lucro præjudicet, aut obsistat. *Tract. 96. Disc.* 8. Sic nimirum in statu etiam seculari humanæ prosperitatis merita acquiri possint, pária iis, qui in perfectiori statu vivunt. *Vid. Ibid. Disc.5.*

Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit. Non reliquit Samaritanus miserum hominem in eo loco, sed manibus sublatum è terra imposuit eum in suo jumento, sed ut iegit Arreas, in proprio jumento, à quo ipse descenderat ; & sic pedes incedens jumentum freno prehensum, duxit in stabulum. Itane, qui summæ charitatis leges & regulas omnes perfectè adimplet, adeo improvidus est, ut semimortuum ad animalium stabulum deducat, ubi ex fœtore eorumdem facillime expirare poterat ? Satius in molli culcitra reclinatum, & in suaveolente cubili collocasset, quo sic suavissimo aromaticarum specierum odore, debilitatas vires, restaurasset. Verum non sine mysterio in stabulum duxit : Infelix enim ille homo sic à latronibus despoliatus, peccatorem quemlibet figurabat, quem piissimus Samaritanus Christus, ideo in stabulum duxit, ut recognosceret, se per peccatum bestiis assimilatum, & comparatum, quorum propria habitatio stabulum est. *Vere namque* ut ait S. Gregor. Nyssen. in Caten. *Sordida luxuriosaque vita, ex corrupto fœtidoque limo passionum profecta, dubium quoddam animal est, homo, natura est, qui ita vivit, electione vero pecus, pecudeque sordidius. Vid. tract. 71. Disc.13. & disc.20.*

Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario. Quod stabulario promisit, supererogata redditurum, effectus eximiæ charitatis Samaritani in vulneratum fuit, quam maxime sequentibus verbis commendat Bachiarius Epist. de recipiendis lapsis, dicens : *Magister noster à latronibus vulneratum, non solum cura dignum judicat ; verum etiam ad stabulum suum restituit, ac datis stabulario duobus denarijs, magis ei præmium pollicetur.* Ex vi sui eximij amoris Samaritanus, id est Christus, solicitus fuit de homine miserrimo, atque ad ejus curam protulit duos denarios, qui gratiam in præsenti, & gloriam in futuro designant, quam acquirunt, qui cum hoc vulnerato patienter corporis adversa tolerant ; Nam infirmitates corporales divini amoris signa & indicia sunt, multaque bona conferunt. *Vid. Tract.94. Disc. 21. maxime num. 3.*

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait curam illius habe. Sancti Ecclesiæ patres, & politiores hujus loci interpretes ad hunc locum & in Joan.cap. 2. serio censent : Hunc Samaritanum esse Christum Deum : quis autem fuerit stabularius ; cui ægroti curam commendavit, non inter ipsos convenit alij Apostolos esse censent, alij Episcopos, alij animarum Zelatores, alij Angelos. Origenes qui hunc stabularium putat esse Angelum, sic ad prædicta verba fatur : *Cumque vellet Samaritanus manè proficisci, de probata pecunia sua, tollit duos denarios, & donat stabulario suum, seu Angelum Ecclesiæ, cui præcipit, ut diligenter curet eum, & ad sanitatem usque perducat.* Bene est, libenter assentio PP. asserentibus, Samaritani nomine Christum Deum intelligi, qui apud Joannem non renuit se Samaritanum appellari : Et si stabularij vocabulo Angelus, Medicus intelligitur, cui præcipit, ut diligenter curet eum : Quid est, quod dum Samaritanus, id est ; Christus præcipit stabulario, id est, Angelo medico, ut hujusmodi infirmum curet, *statim de probata pecunia sua tollit duos denarios, & donat stabulario ?* quin & spondet larga in reliquum stipendia ? Christus ne Deus Angelum suum probata pecunia munerat, cum Angelo ministerium aliquod committit ? An non sunt administratorij spiritus, ex Angelico officio ? O ingens Christi animarum Zelus, in stabulario munerando declaratus, nec non copiosum lucrum, quod Zelatores salutis animarum reportant, duplici denario divites ? De quibus *Vid. Tract.97. Disc.8. & Disc.10.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Et factum est dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam. Luc. 17. Discesserat Christus à Jerusalem in Galilæam, reversus jam inde, viam suam direxit, transiens per medium Galilææ & Samariæ, ubi erant Idololatræ, & Gentiles. Erat autem hæc via communis, & recta in Jerusalem, & transibat per medium, ut omnibus æqualiter suam divinam virtutem diffunderet. Pulchre ad rem, Euseb. Gallican. Hom. in Dom.14. post Pentecosten. *Quid per Galilæam*, ait, *nisi Judæos, & quid per Samariam, nisi gentiles intelligimus ? Inde est, quod dicitur, non contutantur Judæi Samaritanis. Per medium autem illorum transibat Jesus, quia hos & illos vocabat, ad hos & illos prædicabat, hos & illos sanabat, & ad fidem convertebat.* Inter Judæos & Gentiles beneficiendo transit Jesus, quia pro omnibus de cœlo descendit, ut per seipsum æterno Patri omnes homines reconciliaret sine personarum respectu ; ipse enim cum sit omnium Salvator, omnium salutem vult : Apud eum enim non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Ad Galat. 3. ait Apostolus ; nam in omni statu, operari possumus nostram salutem, dummodo exerceamus opera virtutum statui nostro conformia. *Vid. Tr. 96. Disc.4. & Disc.7.*

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Non otiosè factum est, ut cum novem Judæi leprosi, unus Samaritanus esset, inter quas gentes consuetudo nulla erat Joan. 4. In unam tamen societatem coiissent, non solum conciliante eos, atque cogente communi morbo, ut Theophylact. & Euthym. observarunt ; Sed studio etiam conjungente, ut quasi una manu Christum expugnarent : Ad quorum humiles preces cœlestis medicus inclinatus, protinus eos exaudit, & à se ablegatos in via mundat : Etenim concors multorum oratio, germana est bellatrix, imo debellatrix divinarum misericordiarum. Non resistet Deus oranti in concordia multitudini ; sed quasi devictus adest. Quod meditatus D. Chrysost. hom. 3. de natura Dei, sic ait : *Cur quoties ad cœlestem Imperatorem placandum ire pergitis, ut ejus iræ eximatis universos peccatores terræ, omnes dæmone agitatos, à flagello liberetis diaboli, foris sedetis, non universi concurritis, & Ecclesiam penetratis, ut Deus vestram reveritus, atque exosculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata absolvat ?* Ubi hæc verba diligenter notanda veniunt : *Vestram Deus reveritus, & exosculatus concordiam.* Quæ causam exponunt, quare decem illi leprosi tam cito liberati sint : solet enim devictus & confractus homo, victores suos revereri & dominantium sibi manus exosculari : Sic Christus unanimi multorum prece expugnatus, quasi devictus, victricem concordiam reveritus, nil negat, sed protinus à lepra mundatos dimittit. Ea igitur, quantopere Deus pacem curet, & quanti illam æstimet! *Tract. 70. Disc.4.*

Occurrunt ei decem viri leprosi. Ecce vobis decem viri leprosi, munditiem obtenturi Christo Domino occurrerunt, & sane felices, qui tali Domino occurrerunt, nullius vanus cursus extitit, omnes inveniuntur mundati, Sed quomodo omnes bravium sanitatis consecuti sunt, cum Apostolus dicat, 1. ad Corinth. 9. *Nescitis quoniam hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ?* Hic vero non unus, sed omnes ? Expendendum est, quod simul Apostolus addit : *Sic currite ut comprehendatis.* Quibus verbis non ait ut comprehendat unus sed ut omnes currentes comprehendant. Est enim stadium, in quo ex pluribus currentibus, unius cursus coronatur, quale est rerum mundialium stadium, & est aliud longe præstantius stadium, nimirum virtutis, in quo omnes, qui currunt, coronam salutis capiunt, ut bene notavit D. Thomas, comparans cursum temporalis bravij, cum Evangelij præmio dicens : *Non sic est de Evangelij præmio, vel de cursu bravio, quia hic unus accipit bravium, ibi omnes accipere possunt.* Quotquot currunt, obtinent cæleste bravium, uti hi decem, sanitatis præmium, si tamen ad exemplum horum leprosorum currant, nec desistant. Ergo perseverans in vita spirituali & pœnitente tolerantia habenda est, cum respectu ad cœlestem remunerationem. *Vid. tract.80. Disc.7.*

Quos ut vidit, dicit : ite ostendite vos sacerdotibus. Ea erat lepra, quæ vel halitu propinquos inficiebat, cui periculo prospiciens lex, ab hominum commercio leprosos arcebat : Uni sacerdotes tenebantur leprosos expectare, ut judicium ferrent, sive de illorum immunditia, sive sanitate ; quod enim cum hominum salute conjunctum periculum est, minime à sacerdote refugiendum, sed subeundum & amplexandum est : Sacerdotes enim Zelum salutis animarum habere decet. Super quo varias confiderationes. *Vid. Tract. 97. Disc.9.*

Ite ostendite vos sacerdotibus. Inæqualiter se habuit Dominus in curatione horum decem leprosorum, & illius leprosi, quem Dominus descendens de monte curavit ; nam hic antequam ad sacerdotem mitteretur, à Domino ob ejus ingentem fidem curatur, dicente Christo. *Volo, mundare :* Hi autem decem sanantur, postquam ad sacerdotes missi essent. Deinde illum leprosum mandat Dominus ire ad sacerdotem : *Vade ostende te sacerdoti*, Matth. 8. Seu, *ostende te principi sacerdotum*, ut vult D. Mau. cap. 1. Decem autem leprosos ad sacerdotes destinat. Cur ita ? Respondet Doctiss. Joan. Baptista de Sylveira Carmelita in suis Comment. Evangel. *Ut sacerdotibus etiam iniquis, quales hi erant, suam reverentiam, suum honorem, ac jus illæsum servaret, ne defraudati aliquo lucro, ex sacrificio oblato proveniente, inde ipsi sacerdotes filium Zelum prævenientes calumniandi ejus opera, aliquam arriperent occasionem.* Ericus in præsenti, sic ait : *Misit eos ad sacerdotes, ut eis aditum calumniandi obstrueret, illis magis parcens, qui illorum gazulas curabant.* Dum itaque ad sacerdotes mittit leprosos, pravas lucri passiones sacerdotum, Zeli pallio, detegit, & castigat. *Tract.97. Disc. 7.*

Ite ostendite vos sacerdotibus. Leprosis præcipit Dominus, ut seipsos sacerdotibus ostendant, ut à lepræ immunditia expiarentur ; Et si in illa essent inventi, tamquam incurabiles, ne eorum contagione sani inficerentur, hoc pacto ab hominibus sequestrarentur. Quo denotaretur sacerdotum peculiare munus esse, ut vulnerati, & plagati curentur, & sani conserventur. Super quo sic commentatur S. Gregorius Magnus relatus in Glossa allegans factum Aaron, quando periit Core, & Abiran : *Aaron*, ait, *ut iram Dei placaret, thuribulum sumpsit, atque inter vivos, & mortuos stetit, quia sacerdotis negotium est, Deo orationem fundere, & pro justis ne cadant, & pro peccatoribus, ut resurgant :* Et postquam à peccato resurrexerint, in statu innoxio conserventur : Grandia enim mala sunt, in quæ recidivi peccatores cadunt, grandeque ex occasionibus imminet ad relabendum similibus periculum : Contra quæ efficax remedium est, ab occasionibus se sequestrare, ad sacerdotes confugere, & devotioni incumbere. *Vid. Tract. 75. Disc.6. maxime num.3. & 5.*

Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt ? Non est inventus, qui rediret &c. Non solet Deus beneficia data improperare ; Jacob. 1. cap. *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et tamen nostra ingratitudo, ad hoc quodammodo eum cogit ; Unde Christus, videns summam ingratitudinem erga beneficium præstitum, ad majorem emphasim, ac energiam orationis loquitur in præsenti. *Novem ubi sunt*, ac si dicat : Cur etiam illi, uti tu non agnoverunt beneficium, ut ad me adirent, mihique benefactori gratias agerent ? Optime quidem sciebat Dominus, ubi ipsi existebant, tamen tali loquendi modo utitur ; ut ostendat, quod eos, qui in virtute non perseverant, non agnoscat, sed reprobet & abominetur ; Unde Interlin. *Ingratos, quasi ignotos, ubi sunt, inquirit Dominus* ; nam proprius hominis Christiani character, ex quo cognoscatur, perseverantia est, quam nos Dei Filius docuit, dum opera sua, uti horum leprosorum perfectam curationem, ad perfectionem perduxit. *Vide Tract. 80. Disc.1.*

Nonne decem mundati sunt & novem ubi sunt ? Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Totus in gratiarum actiones effusus accedit Samaritanus, hic felix, & invenit Christum excandescentem, in eos, qui non simul ad gratias accedebant, sed se separaverant. O bone Jesu ! Cur sic excipis gratum hominem, si alij ingrati sunt, illos corrige, modo hujus gratitudini applaude, huic te benignum exhibe ? Cur te severum facit aliorum absentium ingratitudo, & non magis placabilem, & dulcem reddit gratitudo præsentis ? Equidem minus etiam placet gratitudo, quæ non habet omnes eos socios, qui beneficium acceperunt. Fallor nisi huc spectavit D. Maximus serm. 8. de Benef. & Gratia, ubi ex Plutarcho dicit : *Gratia tamquam luna, cum plena est, & perfecta, tunc pulchra videtur.* Non adeo pulchre sunt in oculis divinis

divinis gratiarum actiones, quæ per partes fiunt, quæ habent admixtum plurium defectum, & absentiam, non sunt gratæ, nisi beneficij sociis fiant plenæ: Sic Deo discordia displicet, utpote qui eos acriter castiget, qui eam seminant. *Tract.70.Disc.9.*

Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo. Inter tot, nisi unus extitit qui rediret, & daret gloriam Deo, qui veritatem testificaretur, confitendo & prædicando se à lepra per Christum sanatum: in quo humanam miseriam videre licet. Bene cœperant hi leprosi; siquidem ad Dominum fide magna clamarunt, & ejus divino præcepto prompte paruerunt, sed jam accepta gratia, & salute minime perseveraverunt, in ipsum benefactorem mox injurij, in turpe ingratitudinis peccatum inciderunt: Et in eo se vere stultos, non sapientes probarunt & sibiipsis causa amissæ fidei extiterunt & salutis. Qui enim propter peccatum perseverantiam negligit præterquam quod Deo injuriam facit stultum se esse probat, sibique ipsi causa multorum gravium damnorum est. *Tract. 86. Disc. 2. & Disc.3.* Multum vero sapientius egit, hic alienigena, licet à religione & gente Judaicâ alienus, qui ex quo plenam in Christum fidem concepit, eamdem operibus suis continuavit; unde in hoc homine Dei gratiâ excitatus est actus contritionis, quo justificatus est, & relinquens errorem Samaritanorum Christo adhæsit, ejusque baptismum postea recepit: Perseverantia enim, quæ cœli porta est, merita nostra adauget, & præmiat, finemque respicit. *Vid. ibidem Disc.4.* Et ideo ait illi Jesus: *Surge, Vade.* Securus jam de recuperatâ sanitate. Super quæ verba sic acute Hugo Cardin. *Surge credendo, vade operando, vel surge incipiendo, vade perficiendo, vel surge, per mali declinationem, vade per boni operationem, vel surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem:* Christianus enim semper in virtutibus progredi, & proficere, nequaquam vero, eo virtutum statu, in quo est, contentus esse debet. *Ibidem Disc.6.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

NEmo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Matth. 6. cap. Unâ hastâ nemo duobus Ducibus inservire potest, uno pileo non possunt simul duo capita cooperiri, nec uno calceo, duo pedes calceari, & uno oculo cœlum aspicere, & terram simul intueri nequimus: Sic uno corde Deo, & Satanæ minime servire possumus. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest,* ait Isai. 28. Si anima, sicut lectulus, regem regum Christum, & regem super omnes filios superbiæ, Satanam capere nequit, quin alter decidat: nec non & amor noster, qui pallio recte comparatur, utrumque operire non valet: Sic cor hominum, ait Lyran. non potest simul capere Deum, & diabolum, sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus: Suscepto Deo per charitatem, exit diabolus: Tunc vero contemnit homo Deum, id est, non timet eum, cum quasi de ejus bonitate, securus peccat, Deum scilicet, & ejus præcepta, suis pravis desideriis, & concupiscentijs postponendo, quâ major injuria concipi nequit, nec omnis boni fonti irrogari. *De quo vid. Tractat. 71. Disc.4.*

Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Qui mundi deliciis, ac diaboli lenociniis indulget, contemnit. Pulchre D. Augustin. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 14. *Alterum contemnit dicit, non odio habebit, nullius enim fere conscientia Deum odisse potest, contemnit autem, id est, non timet eum: qui quasi de ejus bonitate securus est.* Vilis homo dum peccat, ac divinam violat legem, supremam Dei majestatem contemnit. Sed quomodo miser homo, non timet tantum Dominum spernere? Quomodo ejus justitiæ timore non percutitur? Agnoscit peccator, summam Dei clementiam, quidem sed de ejus bonitate securus, in peccandi licentiâ multam sibi confidentiam assumit; Et ideo male: nam qui in exemplis in fine resipiscentium confisi, pœnitentiam differunt, pœnam in diem ultionis sibi thesaurizant. *Vide tract.81.Disc.23.*

Non potestis Deo servire, & mammonæ. Hanc Evangelicam Christi sententiam, S. Augustinus ad Concionatores distinctius extendit, dum eorum avaritiam sic carpit: *Qui propter hoc, Evangelium prædicat, ut habeat, unde manducet, & unde vestiatur, simul se putet, & Deo servire, & Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; Quod Dominus dicit fieri non posse, ac per hoc, ille, qui propter ista, Evangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ servire convincitur.* Quibus verbis Sanctus Augustinus non carpit eos, qui ex prædicandi Evangelij commercio, necessaria ad frugalem vestitum & victum recipiunt; Sed eos, qui primario sine esculentas & poculentas delicias, & ambitiosiorem cultum nundinantur. Et hi acuta reprehensione digni æstimantur. *Tract.83.Disc.49.*

Ideo dico vobis, ne soliciti sitis, animæ vestræ, quid manducetis. Totum præsens Evangelium, in reprehendenda superfluâ solicitudine temporalium est, & in nobis commendanda paterna illa Dei providentia, quam in omnibus etiam minutissimis erga nos habet; de quâ sic Tertullian. lib. 4. in Marc. *Quis enim nollet nos curam agere animæ de victu, & corporis de vestitu nisi qui ista homini ante prospexit: Et exinde præstans; merito curam eorum, tamquam æmulam liberalitatis suæ prohibet:* De quâ providentiâ in nos habes apertum campum *toto Tract.85. per Disc.13. Quos consule.*

Ideo dico vobis, nec soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis. Heu misera hominum stultorum anima, quam vacua in eis es, quam inanis? tam improvidi sunt circa tua bona homines, ut nihil non meditentur corporale? Et quasi Suinam animam habeant, nihil præter escas & cibos corporis perquirunt. Quam maculam Israëlitis inurit Psalmista Psalm. 77. dicens: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Quanta autem hæc tentatio quod famelici peterent escas? Nonne & pulli corvorum invocant eum, ut escas tribuat? Cur ergo Israëlitæ famescentes offendunt, eo quod escas petant? Magister sententiarum, rationem offensionis non in eo ponit, quod peterent escas; Sed in eo, quod animabus suis peterent escas corporales, nec unam corpori, & alteram animæ mensam expeterent; sed unâ eâdemque mensâ & corpus, & animam vellent saginare: *Petunt vitæ suæ carnales escas; non spirituales*, ait Magister. Utinam homines constantes corpore & spiritu, & corpori & spiritui suas cuique mensas expeterent, alteram spiritualem, alteram corporalem! Verum prô dolor majori solicitudine bona temporalia & salutem corporis, quam spiritualia, & bonum animæ homines curant. *Tract.81. Disc.3.*

Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant. Ut Dominus explanaret divitias bonitatis divinæ, ac amplitudinem suæ infinitæ providentiæ, quâ homines pascit, citra omnem eorum solicitudinem, non adducit in exemplum Israëlem, per quadraginta annos alitum in deserto, Deut.8. Sed cœli aves. potuisset afferre, ait Theophylact. in exemplum Eliam, & Joannem, & meminit avium, ut admoneat nos, etiam illis esse brutiores. Homo omnium creaturarum Magister ac Dominus conditus est à Deo; tamen ita per peccatum à suo honore decidit, ac insipiens factus est, ut jubeatur multa discere, ac documenta sumere ab irrationalibus animalculis. Jerem. 8. *Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini:* Ubi comparat eis parvis animalculis, & dicit deteriores eis homines factos: Homo enim per peccatum fit bestiis similis, imo pejor illis evadit. *Tract.71. Disc.20. Item Tract.75. Disc.1.*

Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, nec congregant in horrea sua. Inauditum quid est, quod ipse Deus, qui tantopere inertiæ contrariatur, otiosas pascat aves: Si enim verum est, quod Clemens Alexand. lib. 1. stromatum sic alte fatur: *Otio ac socordiæ, viaticum suppeditare minime honestum est.* Qui excusabitur, quod Deus, his volatilibus, quæ nec serunt, nec metunt, & nullam quasi operam agunt, abunde alimenta suppeditet? An fautor otij inde proclamabitur Deus? Absit. Attamen ad has aves hominem respicere jubet Dominus, quæ in singulare exemplum homini objiciuntur. Quo mysterio? Elucidat illud D. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 5. *Plerumque aves, quas ad volatum pennæ sublevant, in vepribus resident.* O stultæ hinc sanè aves! Ecce tibi volucris altipeta, leviter grato pennarum otio nubes transvolat, & cœlum habitare frustra præsumens, tandem in vepribus residet, & levis ejus ignavia spinositate mulctatur, & condignas inertiæ pœnas solvit, dum negligentia torpet: Et ideo huc respiciendum homines otiosos monet Salvator, & fatuitatem hanc otiandi ab ipsis avibus dediscant, quæ dum otium sectantur, à vepribus plectuntur, quæ est stultitia magna, quod ab iisdem non avolent; ut bene dixerit purpuratus ille sapiens; Proverb. 11. *Qui sectatur otium stultissimus est. Vid.tract.91.Disc.13.*

Nolite soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur &c. Noli homo inquietâ solicitus avaritiâ, opes providendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prandij tui semper, & ubique Deus præparator assistit. Quis Rex devotis militibus suis debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus servis suis, justa cibaria non ministrat? Quis pater non dat panem filiis? Si ergo nobis Deus & Rex, & Dominus, & pater est, quid negabit? ait S. Petrus Chrysol. serm. 163. Sic pergens: Stipendiis suis militans, derogat miles regi, suis sumptibus vivens, Dominum servus accusat, pro se solicitus filius, culpat superstitem patrem. Noli ergo, ô homo, exponere Deum pro te taliter cogitando, qui & justitia regnantis, & dominantis studio, & generantis affectu, in se totam tui recipit solicitudinem, refudit & curam dicendo: Nolite soliciti esse; Verum ut prudenter observat S. Cyprian. de Orat. Domin. cap. 8. De iis hanc gerit solicitudinem & providentiam, qui Deum toto corde quærunt nec deserunt, dicens: *Quærentibus regnum & justitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Deo sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Dum vero homo de temporalibus nimium solicitus est, vere Deo deest, & diffidentiæ peccatum incurrit, ut ex prædictis S. Chrysologi similitudinibus de milite & servo colligere est; unde mirum non est, quod similibus de Dei providentia diffidentibus summa inopia, & fames obtingat: Fames enim, sterilitas, & annonæ caritas, peccatorum effectus sunt. *De quibus Vid. Tract.78. Disc. 5.* Quam enim uberem messem subministrabit Deus ei, cui de ejus providentia gentiliter hæsitat atque peccatis Deum offendit: Ex quibus ariditas & siccitas terræ dimanat. *Ibidem Disc. 6.*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

IBat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim: Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7. Naim erat Galilææ civitas non valde magna, prope Capharnaum, consistens ad radices montis Hermon, in latere Aquilonari, quam torrens Ison alluit, distans à monte Thabor duobus milliaribus uti communiter SS. PP. Et interpretatur, pulchra, jucunda, decora, delectabilis; de hac defertur defunctus ille adolescens ad tumulum: De quibus adolescentibus, D. Chrysost. Epist. ad Olympiad. sic ait: *In Adolescentibus, majus est naturæ incendium, major concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio, quæ vitia gubernet, infirmior.* Et significat publicum, ac manifestum vitiis sepultum peccatorem; cujus tumulus sunt indurata peccata, & mali mores, ut ait D. Ambr. lib. 5. in Luc. dicens: *Tumulus tuus perfidia est, tumulus tuus guttur: Sepulchrum patens est guttur eorum.* De hoc tumulo quibus quæso medijs, à morte peccati solvit, & excitat cœlestis medicus? Verbo Dei. Verbum enim Dei medicina est ad salvandas animas, & virtutes habet obstinatorum peccatorum, & quasi in vitiis emortuorum, duritiem emolliendi. *Vid. Tract.83. Disc.9. & Disc.10.*

Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Defunctus ille adolescens, & sibi, & matri, longioris vitæ spem præbebat: hæc autem spes multum sæpe fallit: Quoties enim patres filiorum magis, quam filij parentum hæredes fiunt? Ideo omnis ætas trepida esse debet, & de morte, & de genere mortis, & de hora mortis solicita. Filij enim naufragio, alij casu aliquo, & fortunâ præmaturè intereunt, alij ferro, alij longa ægritudine, alij celere, alij inopinata morte rapiuntur, quibus nec testamenta condendi, nec Sacramenta percipiendi (quod est maxime formidandum) facultas suppetit; idque propter admissa peccata mortalia: peccata enim mortalia, qui committunt, mortem sibi accelerant. *Vid. Tract. 77. Disc. 4.* Unde nemo, exemplo hujus adolescentis doctus in ætate confidat, nec se ullo temporis momento securum putet, quin potius mortem continuè ante oculos habeat: maximè vero, qui adolescentes sunt, hoc freno plus egent, ut suam rebellem sensualitatem cohibeant, & in cordis puritate, & munditia vivant; siquidem mors mortaliter peccantium in extremo vitæ puncto pessima est. *ibidem Disc.5.*

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Heu fallax hominum vita, quæ præter spem omnem nimis tempestivè abripitur in hoc adolescente! Ut bene hic quadret, quod D. Hieron. ad Heliod. de nepotis immaturâ morte lamentatur: *Quod*, inquit, *juvenis exhibere senibus debuit, hoc juveni exhibemus senes:* ita huic adolescenti, quod juvenis matri exhibere debuit, hoc mater senex juveni exhibet: Sic mors die & horâ; quâ minus putatur venit, quare in periculo perditionis suæ sunt, qui pœnitentiam procrastinant. *Vid. Tract.81. disc.19.*

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Inter omnes pereuntium errores, qui salutaris pœnitentiæ remedium, in futurum tempus differunt, hic vel præcipuus est, quod longiora sibi vitæ spatia pollicentur, in quibus vitæ mutationem, & pœnitentiæ propositum se arrepturos proponunt: Quorum falsam securitatem, & securam stultitiam, adolescens hic morte sublatus, sat arguit: *Nec enim*, ut Seneca ait, *fata ordinem servant, ut prius quidem juniores, postea vero seniores è medio tollant.* De quorum stultitiis. *Vid.tract.81. Disc.20.*

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. S. Evangelista non explicat, à quibus iste adolescens ad sepulchrum portabatur, quique hujus portitores fuerint: quos tamen pulchra moralitate exponit Venerabilis Beda, dicens: *Qui vero ad sepeliendum portant, vel immunda desideria, quæ hominem rapiunt in interitum, vel lenocinia blandientium sunt venenata sociorum, quæ peccata nimirum, dum favoribus tollunt, accumulant, peccantesque contemptu, quasi aggere terræ obruunt.* Defunctus ille scilicet, habebat sui corporis portitores adolescentes, quos obtinuit in suis delectationibus socios, imo à suismet vitiis asportabatur in sepulturam: Peccatores enim à suis sceleribus, mortis vinculis ligantur, ac in sepulchrum delati, projiciuntur: Peccatum enim mortale, animæ simul, & corpori mortem infert, efficitque ut corpus vivum quoddam fiat cadaver, citiusque ducatur ad interitum. *Vid. Tractat. 77. Disc. 6.* Ad quod respiciens D. Hieron. Epist. 13. ait: *Quanti hodie diu vivendo portant funera sua.* Et D. Chrysol. serm. 19. *Fit in corporis vivo sepulchro, funus animæ jam sepultæ:* Ipsum enim peccatum mortem animæ infert *Ibid. Disc.7.*

Accessit & tetigit loculum, & dixit: Adolescens tibi dico surge, & resedit. Sponte cœlestis mortuorum suscitator accessit, à nullo vocatus, aut rogatus. Eleganter hic addubitat. Titus Bostrensis: Cur is, qui omnia novit, vitæque & mortis potestatem habet: post sanatum Centurionis servum, à nemine accersitus, ad demortui adolescentis resuscitationem se confert? Ait enim Evangelista: *Et ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim.* Factum est, respondet, hoc non casu, sed summo judicio, summaque sapientia, ut nimirum discant homines, quam brevis vita hominis sit, tempusque velox. *Ejusmodi*, ait S. Gregor. Nazian. orat. 10. *vita nostra est, sicut res; ejusmodi in terra ludus, ut cum non simus, nascimur, cum nati sumus, rursum dissolvamur.* Insomnium sumus minime consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis, in mari vestigium non habens, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens. Vide ergo quam sit fugax hominum natura, quæ hac caduca temporis hypostasi sustentatur. *Vid. tract.91. Disc.1.*

Accessit & tetigit loculum, & dixit: Adolescens, tibi dico surge. Pulchre more suo super hunc locum D. Gregor. Nyssen. in Caten. ait: *Qui dixit adolescentem florentis significavit temporis horam, primam producentem lanuginem, qui paulo ante muliebris erat maternorum oculorum aspectui.* Christus ad vitam revocaturus hunc adolescentem, in quo peccatoris figura exprimebatur; nominatim, cum nomine proprio non inclamat, sed ætate eum nominans, ab inferis mortis ad vitam revocat, insinuans hoc pacto, hocce tempus esse acceptabile Domino, in quo peccator, per pœnitentiam ad vitam resurgere debet. *Vid. Tract.81. Disc.26. maxime num. 4.* Et ideo stulte agit, qui usque in ultimam lanuginem, seu senectutem pœnitentiam differt, quasi vero Deus tempora in tua, non vero sua posuerit voluntate, & potestate. *Vid. Tract.81. Disc.18. & Disc.20.*

Accessit & tetigit loculum & dixit: Adolescens tibi dico surge. Patriarcha meus Elias suscitaturus filium mulieris in Sarephta Sidoniæ, *expandit se, & mensus est super puerum tribus vicibus.* 3. Reg. 17. Vitæque mortuum filium mox reddidit: Quod idem eodem modo circa filiolum mulieris Sunamitidis præstitit, duplicis Eliæ spiritus, dignus hæres. Elisæus, qui incubuit super eum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas, super manus ejus, & incurvavit se, & mensus est super puerum, & calefacta est caro pueri, & revixit; At vero Dominus meus Jesus à mortuis excitaturus filium mulieris viduæ, accedit, & solum tetigit loculum, protinusque ad ejus imperium à mortuis ad vitam redit adolescens. Poterat utique cœlestis medicus, & mortuum suscitator Dominus, sola divina potestate, absque hujus loculi contactu hunc adolescentem suscitare, quemadmodum sola voce suscitavit Lazarum, dicens: *Lazare veni foras, & continuo surrexit, qui erat mortuus:* Verum sic sese exhibere voluit Dominus hujus adolescentis resuscitatorem, ut meminisset, se nostrum quoque esse Doctorem; nam cum adolescens, juxta SS. PP. Symbolum sit hominis Christiani, in peccatis diu mortui: Loculus vero, ut ait Hugo Cardinalis cujusvis hominis conscientia, hanc prius tangere voluit, tactu pœnitentiæ, antequam resusci-

resuscitaret: Ut inde disceres, pœnitentiam non in nostro esse positam arbitrio; sed auxilio divinæ gratiæ; ex mera Dei bonitate nobis datæ inniti, quam proinde exemplo, matris viduæ, lachrymis ad obtinendam emendationem nostram sedulo implorare debemus. *Vid. Tract.* 81. *Disc.*15.

Et resedit qui erat mortuus. Audit vocem imperantem Christi, mox surgit per pœnitentiam à morte peccati, & resedit. *Residet enim*, ait Haymon. *peccator cum incipit pœnitentiam agere, cum deflet, quidquid deliquit, aut cogitando, aut loquendo, aut operando.* Neque diu vocatus tardavit: Deo enim ad pœnitentiam vocanti mox parendum est. *Vid.Tract.*81. *Disc.*2. Quam festinam obedientiam sæpe Deus remunerat, uti huic mortuo restitutione vitæ compensatur. *ibidem Disc.*4.

Et ait: adolescens tibi dico surge. Adolescens erat, & matris suæ unicus; Et credendum est, tum quod ab ipsa diligeretur, tum maxime quod in deliciis haberetur: Sed neque ipsa adolescentia, neque matris indulgentia, ab ipsa morte eripere potuerunt. Hoc unum maxime à juvenibus male cordatis contemplandum est, qui quidem sua prosapia & juventute freti, se vitiis & delectationibus tradunt, putantes se postea pœnitentiam acturos; at falluntur & stulte pœnitentiam differunt? nam Deus ætatis nostræ primitias quærit. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 26. *maxime num.*7.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

ET *factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbatho manducare panem, & ipsi observabant eum.* Luc. 14. Quod primo hic advertendum, & diligenter considerandum venit, est, quod hunc Principem Pharisæorum, qui Christum invitavit, non nominet Evangelista, cum tamen alium illum Pharisæum, qui Christum invitavit, & murmuravit, quod peccatricem suscepisset, nominaverit, Simonem vocando. Quæ causa disparitatis? Uterque Pharisæorum Princeps erat, uterque obmurmurat? Respondent Joannes Baptista de Sylveira Carmelita, & Didacus Stella in Luc. Simon reprehensione Domini melior est factus, & conversus ad Dominum: At Pharisæus iste in sua inveterata malitia permansit? In quo facto expende, quantum Deus odiat peccata, quæ non casu, & forte fortuna fiunt: Sed ex malitia & proposito malo peccantium. Simeon ille casu peccavit, non enim sciebat, quod Magdalena esset ventura, & licet arrogans, & superbus fuerit tamen bona intentione invitavit Jesum forsitan, & si peccavit, hoc fuit casu, & sumpta occasione. At iste Princeps Pharisæorum, proposito malo, & malitia inveterata, & recocta invitavit in Sabbatho ut sumeret occasionem accusandi, & hydropicum coram illo posuit, ut calumniare posset; Et ideo utpote impœnitens, & induratus, nec nomine dignus habetur: Peccatores enim surdi & indurati, Dei misericordia efficiuntur indigni, non vero qui ex fragilitate peccant, & subito ad resipiscentiam vocanti respondent. *Tract.*81. *Disc.*24.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Cum esset dies Sabbathi, constituitur hydropicus ante Christum à Pharisæis: Sciebant enim Pharisæi hanc Christo esse consuetudinem, quod cum miseria oppressum hominem videret, statim ei subveniret, ut ex hoc eum arguerent tamquam Sabbathi violatorem, ut ipsi falso sibi persuadebant; Verum vide hic, ut confringitur malignantium consilium, hydropico sanitatis beneficium impenditur, gloria Christi facto miraculo divulgatur, ipsi vero Pharisæi, absque eo, quod Domini quæstioni respondere haud valeant, confusi at attoniti remanent: Sic scilicet novit Christus Deus ex malis elicere bona, odiumque dæmonis, & ejus malas tentationes ad nostrum bonum ordinat. *Vid.tract.*92.*Disc.*11.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Aderat hydropicus ante Christum, cui probè notum erat, quod omnes salutem consequerentur: Cur ergo pro se non petit & rogat, sed omnino tacet? Sciebat fortè, quod sat erat suam necessitatem & infirmitatem Domino præsentare, à cujus conspectu, se haud vacuum discessurum sperabat: seu quia sibi persuadebat, quod altius ejus necessitas ad Christum clamaret, quam quæcumque vox. Hoc modo nos erudiens; ideo ad orationem in tribulatione currendum esse, quia afflictorum preces sunt efficacissimæ, *Tract.*94.*Disc.*30.

Et ecce homo hydropicus erat ante illum. Aderat hydropicus in domo Pharisæi, vel quia ejus notus, vel familiaris erat, vel quia introductus est, ab aliis Pharisæis, ut Christum observarent. *Sed quid est*, ait D. Gregor. lib. 14. moral. cap. 9. *quod ante Pharisæum hydropicus curatur? nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritado cordis.* Hydropicus enim hic, significabat, hominem anima ægrotantem, septemque suis proprietatibus septem capitalia vitia denotat, ut ait Dionysius Carthusianus. Prima proprietas est tumor corporis, & membrorum per quam superbia significatur; Job 15. *Quid tumet contra Deum Spiritus tuus.* Secunda proprietas est compressio spirituum, per quam significatur invidia, quæ aliorum laudabilia comprimit, ne pandantur. Tertia est, ardor sitis quæ designat avaritiam. Quarta est, indigestio humorum, quæ iram significat. Quinta est pigritia, seu tarditas pedum, per quam denotatur acedia. Sexta inextinguibilis sitis, gulam innuit, quæ omnia devorat. Septima luxuria est, quæ per insatiabilem sitim adumbratur. Hic igitur hydropicus ex Dei providentia, in remedium suæ salutis constituitur ante Christum, quia si homo se consideret, ante Dei oculos, maxime resipiscet, ac vitam reformabit, sibique de cætero frænum injiciet, ne in alia peccata labatur. *Sanabitur hydropicus*, ait Theophylact. *si ante Christum fuerit: Cogitans semper, quomodo ab ipso videatur, minime peccabit.* Antidotum enim erga omnia peccata, est præsentia Dei à nobis considerata. *Vid. Tract.*84. *Disc.*5. Et frænum est, quo concupiscentia carnalis à nobis coërcetur. *Ibidem Disc.*4.

Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum eum sanavit, ac dimisit. Inexcusabiles prorsus sunt Judæi, sive cum loquuntur, sive cum tacent, si putant religionem lædi, cum Sabbathum bono opere impenditur, & sanitas infirmis impertitur: non enim frustra diei septimo benedixit Dominus; ideo enim id factum est, ut Procopius ait: *Ne quis ut inutilem diem eam aversetur, & abominetur, quasi nullo opere digna à Deo sit habita, sicuti eos dies deteriores arbitrantur, in quibus nihil fit operis: merito subjecit, & benedixit Deus diei septimo.* Nulli aliorum dierum benedixit Dominus, nisi tantum diei septimo, ut cum alij commendantur per opus, hic, ne ut infelix, & otiosus haberetur, tamquam nullo opere ditatus, benedictione ditavit: Sic scilicet Deo detestabile est, otium: Pro quo detestando plura motiva. *Vid. Tract.* 91. *Disc.* 12. Et ideo Christus cum vidisset cogitationes eorum observantium opera ejus, non quasi ignorans, sed bene scius quærit: *Si licet Sabbatho curare*; Quibus verbis, ut Theophylact. observat, *arguit insipientiam eorum, qui reprehensuri erant. Ideoque interrogat, licetne Sabbatho curare? Nonne manifeste irridet eos, ut insipientes? Siquidem Deus Sabbathum benedixerit, ipsi benefacere prohibent in eo, & per hoc faciant omnino maledictum.* Non quidem dure in eos invehitur, ne reprehensione impudentiores fiant, simul interim eorum insipientiam irridet, cum diem Sabbathi omni bono vacuum, & otiosum velint, ut stultus enim deridendus est otiosus, qui ex eo varia stultitiæ capita incurrit. *Quæ Vid.ibid.Disc.*13.

Si licet Sabbatho curare? Convenienter videretur fecisse Dominus, si materiam de observatione Sabbathi longiore adhortatione prosecutus fuisset, quam tamen abrupit, & apprehenso non paralytico, eumdem sanavit ac dimisit. Super qua re recte Sedulius lib. Paschal. cap. 13. ait: *Vidit hominem falso crassitudinis tumore distentem, cujus aqua redundante, perspicua uti putabatur esse macies, ubique dominata, totum hydropem in alvum turgidam congregabat. Non tulit mundi pater hanc speciem, se præsente consistere, suaque Sabbatha, quæ tunc aderant, non curavit, hominem festinans curare, quem suum magis esse desiderat.* Duo se offerebant in præsenti, Sabbathi religio, & hominis salus; tamen primo prætermisso, ad salutem hominis citius festinat. Cur curationem hominis tantisper non differt, ut de religione Sabbathi sibi consecrati differat? Ut homines doceat, quia ut magnum lucrum acquirant, salutem animarum zelantes. *De quo* Vid.*Tract.*97.*Disc.*10.

Cujus vestrum bos, vel asinus in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi. Hac interrogatione Pharisæorum cœcitas, & avaritia apertissime declaratur, qui nefas esse putabant, hominem in Sabbatho curare, cum justum esse crederent, periclitanti bovi succurrere. Mira sane judiciorum perversitas, cum enim constet, charitatis legem à Domino, non ad brutorum animantium, sed ad hominum salutem latam esse, isti adeo præpostero judicio erant, ut eam erga pecudes, non autem erga homines servandam esse decernerent, quandoquidem periclitantes boves in Sabbatho curandos, homines vero negligendos esse judicarent; quo quid esse dementius, quid magis præposterum, quid ab omni humanitate magis alienum esse poterat? Quid vero si hujusmodi cœcitas in nostris quoque moribus deprehendatur? Quâ de re, sic Bernard. fatur: *Ægrotat equus, & quæritur remedium, pe-*

riclitatur subditus, & dissimulatur: cadit asinus, & est, qui sublevet, perit anima, & non est qui recogitet. Multi enim sunt, qui majori cum solicitudine bona temporalia, & salutem corporis, quam spiritualia, & salutem animæ curant. Vid. *Tractat.* 81. *Disc.*3.

Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco. Cum in convivio varij sint locorum accubitus, mandat Dominus, ut non secundum vel tertium vel quartum eligamus, sed ultimum teneamus. Super quo sic ex D. Bern. serm. 27. in Cant. D. Bonaventur. *Si enim*, ait: *in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus, nec supra sanè nec infra sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes: nunc autem, quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita ut nemo sciat, si dignus sit amore, vel odio, justius, tutiusque profecto, juxta ipsius veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumimus altiorem, unde cadere mox oporteat cum rubore:* En itaque: ut vel hoc solum superbia fugienda, & detestanda sit. Pro quâ plurima motiva Vid. *Tract.* 90. *Disc.* 14. *& Disc.* 15.

Amice ascende superius. Ille, qui primum locum tenebat, & ad inferiorem ire mandatur, amici titulum amittit, & ei tantum dicitur; *Da huic locum:* At vero qui in novissimo loco sedebat, amici nomine insignitur, cui paterfamilias ait: *Amice ascende superius.* Quænam hujus discriminis causa? Hic ut modestus, & inanis gloriæ inimicus, omnibusque virtutibus dives, omnibus erat amicus, omniumque animos ad se conciliabat ille vero, superbia elatus, omnibus se anteponens vacuus meritis, & virtutibus omnibus inimicus, omnibus erat exosus, atque omnium animos à se avertebat. Sicut enim humilitas omnium virtutum est fundamentum, & custos, amorem generat: Sic & superbia, earumdem virtutum adversaria, cunctorum bonorum operum merita enervat, odium, ac sui displicentiam procreat, & nutrit. *Tract.*90. *Disc.* 4.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Hæc ex superioribus Evangelij patent verissima esse, quoniam superbo, qui primum locum occupat, dicitur: *Da huic locum:* Et incipit cum rubore, novissimum locum tenere: Econtra vero humili, qui sedet in novissimo, ait Dominus: *Ascende superius:* Quod idem est, ac si humiliet eos, qui se exaltant, & exaltet humiles, qui in novissimo sedere eligunt. Adverte tamen, quod non dicitur, omnis qui exaltatur, quia multi sunt exaltati, qui justi sunt; Sed omnis qui se exaltat; id est, exaltat seipsum; honores ambiendo, & negotio humano principatum obtinet. Non enim potestas & status, sed elatio in crimine est, & hanc ipse Deus aversatur & punit. *Vid. Tract.* 90. *Disc.* 10.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

A*Ccesserunt ad Jesum Pharisæi: Et interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.* Matth. 22. Saducæis resurrectionem negantibus, in suâ quæstione proposita silentium imposuit Dominus, efficaciter ex scriptura futuram resurrectionem demonstrans, ita ut ipsi amplius non auderent replicare. Tunc Pharisæi, qui alias maximè contrarij erant Saducæis, propter resurrectionem sunt amici cum ijsdem, & conveniunt adversus Christum; Sicut Pilatus & Herodes in nocte passionis Christi. Et ex omnibus legis Doctoribus unum sagaciorem cæteris eligunt, eo fine, ut si ille vinceretur, alij non confunderentur, & si iste vinceret, omnes in eo gloriarentur. Gloriæ volebant esse participes, ignominiæ vero expertes; utque felicius victoria à parte eorum stet, callidâ simulatione ille unus nomine omnium accedit; sed sicut in eo omnes victi & confusi sunt, ita & ille Legis Doctor. Qui principio accessit tentans, Domini tamen responso èmendatior factus, laudatus est à Christo apud Marc. Non longe es à regno Dei. Sic quippe ille Legis Doctor emendatus est, ex divini Magistri responsione, ut ex nobis haud parum accesserit emolumenti. Frequenter Judæi, ait S. Joannes Patriarcha Jerosolimytanus diversis interrogationibus Christum tentantes, sibi quidem acquisiverunt interitum, nobis autem providerunt salutem: illi quidem diversis illis interrogationibus, malitiæ suæ certa dant argumenta; Christo autem utilissimæ nobisque omnino necessariæ doctrinæ proponendæ dederunt occasionem: interrogantibus enim de magno legis mandato, charitatis præceptum, & modum proposuit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* sic varia emolumenta, & commoda ex ipsis etiam tentationibus resultant. *De quibus Vid. Tract.* 92. *Disc.* 9.

Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Cum mandatur ut diligas Deum ex toto corde tuo, in totâ animâ tuâ, mandatur, ut summoperè, ac omnibus viribus tuis diligas Deum, id est, ut Victor Antioch. in cap. 16. Matth. ait: *Homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in omnem animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat, sed in omnibus illi soli, magisque placere satagat:* Minimaque etiam quæ divinos oculos offendere possent, evitare. Bene S. Jacob. 1. cap. Perfecti estote & integri in nullo deficientes. *Tract.* 76. *Disc.* 17. *& sequent.*

Et interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum. In quæstione propositâ silentium fuerat impositum Saducæis, & tamen exinde Pharisæi conveniunt, ad Christum interrogandum: *Debuerunt quidem*, ait D. Chrysostom. hom. 41. *Pharisæi timere Sadducæorum exemplum, ut non similiter interrogantes confundantur: Sed ardens malitia dum sauciare festinat, non aspicit exitum rei, ut tantummodo alteri noceat.* Valde fatua est malitia, quæ in alieno capite experimentum non sumit, ut sibi noxia valeat devitare. Viderant Pharisæi Sadducæorum exemplum, qui cum Christum interrogarent, ab ipso devicti ac superati, obmutescentes recesserunt. Cur adhuc audent interrogare, & similem eventum non timent? *Ardens malitia, dum sauciare festinat, non aspicit exitum rei: Nam cæco affectu ducitur, ut proprium damnum non videat, nec cogitet:* Peccatum enim stultitiam inducit, & hominem omni judicio & ratione privatum demonstrat. *Tract.* 72. *Disc.* 5. *& Discursu* 6.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ. Quæ verba, sic exponit S. Augustin. *in toto corde tuo, id est, ex totâ voluntate tuâ: ex totâ animâ tuâ, id est, ex toto intellectu tuo: ex totâ mente tuâ, id est, ex tota memoriâ tuâ.* Scilicet quasi parum foret, Deum voluntate amare, memoriâ etiam, & intellectu amandus dicitur, ac si recordatione, & discursu amandus etiam sit, quod his potentijs insolens est. Sed hanc velut insolentiam, nimius amor Deo exhibendus, jure suo ab omnibus exigit; Unde hanc S. Augustini elucidans Expositionem Victor Antioch. in Marc. ita scribit: *Homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat &c.* Ut supra, *nec alteri personæ aut rei creatæ, nisi propter Deum*; scilicet, *placere satagat.* En igitur, quomodo omnes animæ facultates, & potentiæ Deum diligere jubentur: In omni enim vocatione fieri potest Charitatis exercitium, quo mediante lucramur cœlestem gloriam, & Deus, quantum est ex se, unumquemque salvare intendit. *Vid. Tr.* 96. *Disc.* 7.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota animâ tuâ. Perficus hic legit: *Et ex tota nimietate mentis tuæ*, quod concinnè respondere Hebræo textui, eruditè Cornelius notat. Nempe Christus Deus, dicitur nimiâ charitate homines diligere, eosque colere. Ad Ephes. 2. Vicem ergo amoris, & Zeli ab hominibus Deus expetit, & à tota nimietate mentis diligi, & zelari. Apposite Adamus de Persenia ita scribit: *Si Mediatori vis amicitijs jungere, si digne vis mysterio Mediatricis assistere, vide ne discedas à medio, vide ne quid nimis, ne quid facias sine modo. In oculis hominum pijs conformare moribus conviventium; sed in conscientia coram Deo, si potes, alios transgredere diligendo.* In hoc solum est, in quo moderator seculorum, nostrâ delectatur immoderantiâ, cum nostri amoris affectio, in ipsum sine modo intenditur, & mensurâ, *tota nimietate amoris humani diligi exoptat:* Deus enim Zelum, qui in amore fundatur, plurimi æstimat, & appretiatur, unde Dei honorem Zelans, ac defendens participat aliquid divini. *Vid. Tract.* 97. *Disc.* 1.

Secundùm autem simile est huic! Diliges proximum tuum, sicut teipsum. At dubitant Interpretes, an responsum idoneè interrogationi respondeat? Porro Legisperitus de primo, & maximo præcepto interrogat, non de secundo: Ergo inidoneum forsan alicui videri posset, quod secundum etiam Salvator tradat, cum de primo & maximo Legisperitus dumtaxat interroget. Percommodè S. Augustin. sic dubio satisfecit lib. 1. de Doctrin. Christian. cap. 26. *Cum enim præcurrat dilectio Dei, sequitur dilectio proximi, ut eum sicut teipsum diligas, simul & tui abs te, dilectio prætermissa non est.* Scilicet novus in terris, de cœli scholâ Magister consultissime captat occasiones, quo te doceat, & virtutum consequentias, & erudiat, quod tunc nequaquam te diligas cum peccas: Qui enim mortaliter peccat, odit animam suam. *Vid. Tract.* 77. *Discursu* 27.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Proximi nostri sunt omnes homines, secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ, ut docet D. Thom. 2.2. q. 44. art. 7. Et D. Augustin. Epist. 52. ad Macedon.

Proximus, ait, *non ſanguinis propinquitate, ſed rationis ſocietate penſandus eſt, in quâ ſocij ſunt omnes homines.* Modus vero dilectionis indicatur, *ſicut teipſum*, quod, ſicut, ut advertit citatus D. Thomas, non denotat æqualitatem, ſed ſimilitudinem, id eſt, ſimili modo, quo teipſum *Diligis*, ad exemplum & formam dilectionis tui. Ut quemadmodum teipſum diligis vere & ſincere bonum tibi volendo ac procurando, malum vero nolendo & avertendo propter tuum ipſius bonum : Simili modo te debes erga tuum proximum exhibere, zelando ejus animæ ſalutem, qui Zelus hiſce verbis commendatur. *Tractatu 97. Diſcurſu 9.*

In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. Multis perveſtigant hujus loci interpretes : Quomodo, quod univerſa lex præcipit de ſectandis virtutibus, fugiendiſque vitijs, & quod Prophetæ prædicunt de credendis myſterijs, id totum ex dilectione Dei, & proximi dependeat ? Multos torſit hæc difficultas compendio inſinuata, quam Zeno Veronenſ. his verbis argute diſſolvit, ſerm. de continentia. *Quia virtus voluptates ſemper offuſcat; nihilque unicuique niſi quod amaverit, rectum eſt.* Nimirum, quiſquis ita benevole erga Deum affectus eſt, ut eum ex toto corde diligat, quidquid mandatorum lege juſſerit; quidquid myſteriorum per Prophetas prædixerit; id totum etſi perarduum ſit, ultro amplectatur nec quidquam diverſum cenſebit jure ſectandum; Sed Dei amorem continuo zelabit : Zelus enim, qui ſuam radicem amori infixam habet, ille vel maximè Zelotem conſtituit, & defenſorem honoris Dei. *Tract. 97. Diſcurſu 5.*

Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus. In eum finem congregantur Phariſæi, ut Jeſu ſapientiam deſpicerent & deprimerent, ut patet ex Marc. cap. 12. Adeoque ex malo calumniandi fine acceſſerunt. Sed ſumma Chriſti pietas, ex ipſo concurſu Phariſæorum, ſumit occaſionem ad eos inſtruendos de Meſſiæ perſona, excellentia ac dignitate : Ita ait D. Hieron. *Qui ad tentandum Jeſum fuerant congregati, & veritatem fraudulentâ interrogatione carpere nitebantur, occaſionem præbuerunt confutationi ſuæ*, & excellentiſſimæ Chriſti Doctrinæ : Soli enim Chriſto Deo proprium eſt, ex malis elicere bona, & odium Dæmonis, ejuſque tentationes, in majus noſtrum convertere bonum. *Tract. 92. Diſc. 11.*

Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt. Varias inſidias, quas Phariſæi Chriſto ſtruebant, diabolicæ militiæ argumenta erant, quas ex eo capite ortas exiſtimat Sanctus Chryſoſtomus, quod eum ut purum hominem conſideraverint : Unde citatus à D. Thoma in Caten. ait : *Judæi æſtimantes Chriſtum eſſe hominem purum, eum tentabant, nec enim tentaſſent, ſi filium Dei credidiſſent. Volens ergo Chriſtus oſtendere quod cognoſcebat fallaciam cordis eorum, & quia Deus erat, nec manifeſte voluit dicere veritatem, ne occaſionem blaſphemiæ invenientes Judæi amplius inſanirent : Nec omnino tacere, quia ad hoc venerat, ut veritatem annuntiaret, ideo talem interrogationem eis propoſuit, ut ipſa interrogatio eis oſtenderet, quis eſſet.* Atque ita à blaſphemijs, quas in Chriſtum jactabant, alijſque maledicentijs avocarentur. Nam qui notitiam habet, illum offendere nequit, & ideo peccator peccare volens, Deum à ſe repellit. *Vid. Tract. 72. Diſcurſu 1.*

Quomodo ergo David vocat eum Dominum ? Chriſtus his verbis eorum ignorantiam, ac inſipientiam arguit; ſcilicet eorum peccata, quæ admittebant, tum erga ſe, tum quod legerent ſcripturas, nec ut decet Doctores, intelligerent, & penetrarent, nec eiſdem conformiter de Chriſto ſentire cogerentur : Peccatum enim ignorantia vocatur, ob defectum notitiæ ipſius Dei. *Tract. 72. Diſc. 2.*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

V*Idens Jeſus fidem illorum, dixit Paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. Repræſentabat hic Paralyticus animam in purgatorio detentam: Uti enim Paralyticus in lecto Chriſto per ſe appropinquare non poterat; ita nec illa à purgatorio igne ſe poteſt proripere, ſed alieno charitativo ſubſidio opus habet; Et ideo turbæ, pios hujuſmodi animarum adjutores deſignant. Pulchre Venerab. Beda : *Intuendum ſane, quantum propria cujuſcumque fides apud Deum valeat, ubi tantum valuit aliena, ut totus homo repente interius exteriuſque ſalvatus exurgeret. Aliorum merito, alijs relaxantur errata.* Itane aliorum fides valet ? An ergo formata eſſe debeat, ut animabus proſit ? Controvertitur, *Tract. 86. Diſc. 10.*

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe : Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mali in cordibus veſtris ? Non convenit, inter Expoſitores, an Scribæ, (quibus nihil tam volupe erat, quam de Chriſti factis maledicè garrire) inter ſe voce demiſſa muſſitarint : An cordis arcano, & abditæ cogitationis ſilentio murmuraverint ? Quidam apud ſapientiſſimum Maldonatum interpretantur : *Inter ſe, quaſi inter ſe, alij cum alijs de Chriſti facto murmurarent.* Et valde mirum eſt, quod Chriſtus Deus, quaſi negligeret externam oblocutionem in quam ſcribæ derepente proruperunt, eorum cogitationes arguat, refutet & reprehendat; Et ut notavit Cajet. *Cogitationes omnes Scribarum confutat.* Propе negligit verba, quæ Scribæ inter ſe, alij cum alijs de Chriſti facto murmurabant, & ad eorum cogitationes attendit, illas culpat & ſevere punit, quæ intra ſe animitus cogitant. Et merito quidem; nam detractio illa, audito hactenus derepente illo inaudito verbo remittendi peccata, incauto impetu malitioſè foras erumpit, quam conſilioſa cogitatio confeſtim emendare debuit. Et ſera poſtmodum cogitatio primum impetum ſubſecuta, & quæ invidioſum diu odium eructat, & blaſphemiæ cenſuram malitioſe fundat, illa, illa inquam in primis confundenda erat, quaſi de inveterata nequitia flagitioſior, & de malitioſo per diu rancore ſceleratior, & de præmeditata nequitia, nequior; *Vid. Tract. 74. Diſc. 12. & Diſc. 3. per totos.*

Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris ? Verum alij ſunt Interpretes, qui volunt, quod verba murmurationis ore non proferant, quia non fuit eis locus loquendi permiſſus : Nam ubi primum illa mala cogitare cœperunt, ſtatim eis occurrit Chriſtus, & ita antequam loqui poſſent, prævenit Dominus. Et hoc bene colligitur ex textu, Marc. 2. *Erant quidam de ſcribis cogitantes intra ſe : Quid hic loquitur blaſphemias ? Quo ſtatim cognito, Jeſus, quod ita cogitarent intra ſe, dicit ad illos.* In quo expendendum eſt hoc verbum, *ſtatim.* Nam cum talis cogitatio ſubijt eorum mentem, indilate Divinus Magiſter occurrit, & eorum pravas affectiones confutat, & comprimit : Docens nos, quod ubi primum malum pullulaverit, mox eſſe amputandum, ac illius radicem reſecandam, ne ſerpendo vires aſſumat. *Tract. 79. Diſc. 3.*

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Dives malorum Theſaurus peccatum eſt, à quo quidquid corpus excruciat, animam fatigat, aut ſæve dehoneſtat. Offertur Chriſto paralyticus curandus, & curationem inchoans bonus Medicus, dicit Paralytico : *Remittuntur tibi peccata tua.* Paralyſi medicinam expoſcit paralyticus, & remiſſionem peccatorum impertit Chriſtus : Non id expetit æger, ſalutem corporis exoptat, non delictorum veniam. Fac O Domine, Medicinam corpori, quam poſtulat, & poſtea medearis animæ morbo ! Cur prius tollis morbum peccati ab anima, ut à corpore tollas morbum ? Caves, ac non poſſis corpus ſanare ægroti, niſi ante ejicias ab anima peccatum ? Ergo peccatum paralytici tollis, ut reddas Paralytico integram corporis ſanitatem, ut ablata malorum origine, nempe peccato auferantur mala, quæ ex peccato oboriuntur. O ſaluberrimum Aphoriſmum ! tollitur prius peccatum, quod eſt radix & cauſa morborum, ut ita facile infirmus reſtituatur ſanitati. Fruſtra ſanitatem quærit, qui infirmitatum originalem cauſam intrinſecus alit : infirmitates enim corporales, ut plurimum peccatorum noſtrorum ſunt fructus. *Tract. 78. Diſc. 17.*

Erudite D. Hieron. ad cap. 6. Matth, ſic fatur : *Datur nobis intelligentia, propter peccata pleraſque evenire corporum debilitates : Et idcirco forſan dimittuntur prius peccata, ut cauſis debilitatis ablatis ſanitas reſtituatur.* Ne errent humanæ conjecturæ, quibus libere vagamur, ſuſpicantes morbum ex hac cauſa proceſſiſſe : Bonorum vero jacturam famem, terræ ſiccitates, & ariditates, peſtilentias ex illa occaſione. *Datur nobis intelligentia*, & bona quidem, & certa, & ſalubris intelligentia, ex peccato illa evenire mala, quæ nos fatigant. *Tract. citat. Diſc. 5. 6. & 14.* Quæ omnia ſententioſe vocat Tertullian. *Cenſus peccati.* Nam ſicut, cum cenſum debeo, præter capitales, quos accipio & debeo nummos, redituum quoque ſtipendia debeo, quæ ſtatutis anni temporibus exolvenda ſunt, integro capitali debito : Sic cum voluptatibus, & delicijs peccandi fruitur homo, cenſum contrahit, pro quo reus eſt capitalis pœnæ, id eſt, æternorum cruciatuum, & incendij gehennalis : Sed ad hæc obnoxius eſt, pendendi cenſus ſtipendia, integro tamen, & ſalvo capitali : Pendit enim pro *peccati cenſu*, nunc ærumnas & infortunia, nunc domus incendia, ſuarumque facultatum, & frugum malignos proventus per grandines, aliaſque calamitates, uti inundationes, & bella &c. provenientes, quæ peccati fructus, & pœnæ ſunt, & ſtipendij titulo penduntur. *Ibid. Diſc. 1. 7. 8. 10. 12. 13. & diſc. 16.*

Dixit illi Jeſus : Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Bene eſt, ſanatur paralyticus. Quid autem neceſſe eſt, ut grabatum, in quo diu jacuerat, humeris tollat ? An quia, qui tamdiu in vitiorum languore jacuit; Sic adhuc ſanus, in periculo recidendi verſatur, ut ad redivivum languorem, ſecum portet antiqui languoris lectulum ? Paralyſis eſt, diſſolutio membrorum ac nervorum; per quam homo ita ſit impotens ad ambulandum & ad ſe movendum, ut animatum cadaver ſit, ſolum ad pœnam vivens : Et ideo ab iſtis hominibus ferebatur, non in manibus, ſed in lectulo, ne prætextu procurandæ ſanitatis, dolores, & anguſtias hominis augerent. Vocatur autem talis lectus communiter lectus patientiæ; ut ergo perfectam homini ſanitatem, Chriſtus ſe contuliſſe oſtendat, ait, ut dicit S. Chryſoſt. ſerm. 50. *Tolle lectum tuum, ut quod eſt infirmitatis teſtimonium, ſit probatio ſanitatis : Ut lectus doloris tui, ſit meæ perfectæ curationis indicium*, q. d. Ut omnibus conſtet te perfecte ſanatum eſſe, ſicut patientiam habuiſti in ipſo lecto, in morbo graviſſimo : ita eamdem erga omnes calumnias, & inimicorum inſidias exerce, & oſtende, in eo enim omnes cognoſcent, me perfectam tibi ſanitatem contuliſſe : Patientia enim opus perfectum habet; id eſt, perſeverans patientia, & patiens perſeverantia condit, & perficit ſtadium agonis, & vitæ humanæ; ideoque quaſi omnium victrix patienter perſeverantem deducit uſque ad mortem; & inde ad meritum in cœlis perſeverantis patientiæ, id eſt, conſummatæ victoriæ bravium. *Vid. Tract. 68. diſc. 8.*

Dixit illi Jeſus : Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Addubitant hic politiores interpretes, quare Jeſus languidum gravari grabato juſſerit, nam ad miraculi manifeſtationem ſat erat, vidiſſe hominem tot annis paralyſi languidum è lectulo ſurgere, & expeditè palam ambulare; Quid neceſſe fuit recens ſanum novis ſarcinis gravare. *Ad ſuperabundantiam divinæ ſapientiæ*, id factum putat S. Chryſoſt. hom. 36. in Joan. Sed non facile apparet, unde in lectuli portatione appareat, divinæ ſapientiæ exuberantia ? Verum enim vero, ut perite notavit Hugo Carnotenſis : Ille languidus ſignificat quemlibet peccatorem, ſpecialiter tamen ſignificat inveteratum in peccatis : De talibus enim profundis peccatoribus ſanat Dominus aliquando. Per grabatum autem, conſectariè addit Strabo Fudenſ. in quo jacebat languidus, ſignificatur prava conſuetudo, per quam jacet homo in peccato. Ergo opportune, cum languidus peccatis inveteratus, dum aliquando à Domino non ſine ſingulari divinæ ſapientiæ labore integram ſanitatem recipit, lectum portare jubetur languoris, in quo jaceat, ſi diu olim languidus, & labi aſſuetus, iterum relabatur : Quatenus vive ſibi repræſentet & quam ægre ſanatus ſit, & quam cautè ambulare debeat, ne reinfirmetur & relabatur; Nam etſi multum inter ſanationem Domini; & quæ à Medicis infertur diſtare probatur, ut obſervavit Beda, gravi tamen conſuetudini Vis tanta ineſt, inclinans ad lapſum, ut cum magna difficultate reducatur in ſtatum ſalutis. *Vid. tract. 73. Diſc. 6. & 8. Item Tract. 74. Diſc. 9. 10. & 11.*

Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Homini per miraculum in ſanitatem reſtituto mandatur, ut vadat in propriam domum, hoc eſt; ut ad propriam ſuam conſcientiam ſe recipiat, ibique ſuum ſtatum, atque accepta dona tacitus meditetur, & benefactori ſuo gratias agat. Et quanto majus beneficium accepit, tanto magis in bonitate vitæ perſiſtat, ſeduloque caveat, ne in priſtina peccata relabatur. Abſolutum namque Paralyticum jubet Dominus abire, id ſolum injungens, quod amodo ſibi à peccato caveat, & ne in priora relabatur mala, ſummo ſtudio vigilaret : Nam relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quam prior languor; & quos prima valetudo adverſa non extinxit, ſæpius iterata poſt redditam incolumitatem ægritudo ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eamdem pœnitentiam peractam ad anteactæ vitæ ſordes redditur. *Vid. tract. 75. diſc. 6. & 8.*

Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Placuit animarum, corporumque Medico Domino, per id quod viſibile erat, probare quod erat inviſibile : remiſſio namque peccatorum ab hominibus videri non poteſt, Paralyticum autem à lecto ſurgere videri potuit. Et in hoc egregio miraculo, ſe Deum omnipotentem indicavit, eo quod non orando ut patres antiqui, & Apoſtoli, miracula operabatur, ſed tanquam ex propria virtute, imperando paralyſi. An vero & diſcretum & miſericordem ſe exhibuit, cum recens curatum, & plantis vix ſolidatum, gravem tollere lectum jubet ? pateat id ex Gentili Seneca : *Debilitatem operis*, ait, *mitiat deliecioſa quies, & iners otium laboris faſtidioſum : generoſos animos labor nutrit. Amœnum inertes otium, & diuturna ab opere quies, effœminat animos. Indurandus eſt animus, & ab otij blanda mollitie procul abſtrahendus.* Ut igitur perfecte ſanum probet; ambulare jubet, utque diu ſanus perſeveret, laborare ſuadet : tollat igitur lectum infirmitatis paralyticus; ut laboris utilitates in ſeipſo perſentiens, diu ſanus fugere otium doceat. Appoſite Vuericus apud Titelm. in Matth. cap. 2. *Tollere lectum jubetur, ut doceat, quam ſit utilis rudibus, & imperfectis exercitatio corporalis. Et ipſi vos teſtes eſtis : quomodo ſcilicet redimit de corruptione vitam noſtram amaritudo laboris. Ipſi etenim ſcitis, quomodo vermeſcerent corda, & corpora, ſi non de manibus laborantium diſtillaret myrrha.* Laudandi itaque, qui tempus bene impendunt, ſcientes quantum utilitatis conferant occupationes. *Vid. Tract. 91. Diſc. 16.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

R*Ex autem cum audiſſet, iratus eſt; & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.* Matth. 22. Clementiſſimus alias homo, qui opera agebat miſericordiæ, & clementiæ, & ideo hominis nomine dignus, ubi inaudivit ſervos ſuos contumelia affectos, & occiſos; voce ſcilicet ſanguinis ipſorum clamante, lenitate ſua depoſita, & in furorem converſa, iratus eſt, non paſſionis affectum habendo; ſed juſtitiam exercendo ſed infligendo vindictam per modum iraſcentis. Perdidit homicidas, & civitatem illorum ſuccendit, quod dicitur ad graviſſimam pœnam explicandam, quam Deus juſtiſſime iis infligit, qui in priſtina peccata relabuntur. *Tract. 75. Diſc. 9.* Nam non ſolum ipſi peccatores in perditionem ituri erant, ſed etiam eorum civitas, & patria, cujus devaſtatio magnum dolorem ingerit : Nec immerito, graviſſimum ſiquidem crimen commiſerunt homicidæ, ſervos enim regis, qui miſſi fuerant, ad vocandos eos ad nuptias, ſine ulla cauſa occiderunt; & ideo juſta pœna factum eſt, ut homicidæ occiderentur, & inſuper eorum civitas ſuccenderetur cum pro tot beneficiis mala reprehenderent. *Quid enim deterius, quam beneficia recipere & inſidiari*, ait D. Athan. Hi enim & reatum & ſupplicium ſibi augent. *Ibid. Diſc. 1. & Diſc. 7.*

Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam ſuam : alius vero ad negotiationem ſuam. Mirabile hoc fuit, ſi iſti ad laborandum vocati fuiſſent, mirum non eſſet, ſi renuerent, homines enim ſuapte natura proclives ſunt ad otium, & inimici laboris : at cum ad nuptias opulentiſſimas vocati eſſent, & ire noluiſſent, hoc nullo modo poteſt culpa vacare. O inſania diris plectenda ſuppliciis ! Vocat Satanas ad labores, quos velint, nolint, ſuperbi perferunt, in adipiſcendis honoribus, & homines currunt, nullas trahentes moras : vocat mundus fallax, ad atroces cruciatus, quos ultro ſubeunt avari, maria transfretantes, variaque terrarum climata perluſtrantes, & ſponte obediunt : Vocat autem Deus ſummæ bonitatis, ad gaudium nuptiarum filij ſui, & cœci homines tantum bonum negligunt. Unde hæc differentia ? Ex cœcitate & ignorantia ! qui enim Dei, ejuſque bonorum habet notitiam, illum offendere nequit, & ejus bona ſpernere, *Tract. 71. Diſc. 1.* Unde peccatum ignorantiæ & tenebrarum nomine titulatur; cumque Deus peccatori, ſui & peccati gravitatis notitiam exhibet, ipſe illud mox deteſtatur. *Ibidem Diſc. 2. & ſequent.*

Illi autem neglexerunt. Pro quo legit Syriacus *Spreverunt.* Extrema hominum miſeria : cum enim terrenis eſſent dediti, cœleſtia ac ſpiritualia contempſerunt. Abierunt à ſeipſis, ad propria ſua negotia, alius in villam ſuam. Ecce quanta horum ſit ſtultitia, pro agricultura & mercatura relinquunt cœleſtem menſam, quæ facit reges & principes ! Verum nil mirum : Peccatum enim ſtultitiam inducit, peccatoremque qui ſe à ſenſualitate ſua in peccatum ſeduci permittit, omni judicio & ratione deſtituit. *Tract. 72. Diſc. 5. & Diſc. 6.*

Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias. Rex paterfamilias nuptias complere ſolicitus, ad compita & vicos, ſervos dimittit. Anne ſapiens in rege conſilium ? Nam in civitate ordinatum erat convivium; Cur igitur non in civitate, ejuſque foro & plateis quærit convivas, ad quid per exitus viarum extra civitatem invitatos perquirit ? *Egredientes ſervi*, ait Origen. Tom. 20. relatus in Caten. *ſive de Judæa, ſive de Jeruſalem; Apoſtoli Chriſti venientes ad vias diverſorum morum, congregaverunt, quos invenerunt.* Et merito ſane ita factum eſt, nam in illo convivio, ſedem ſolum erant habituri, qui nuptiali Charitatis, & puritatis veſte ingrederentur veſtiti, in civitatibus autem probati juſtitia valde difficile reperiuntur;

at ergo convivantium locus adimpleretur, necesse fuit extra civitatem, per exitus viarum epulatores vocare, atque perquirere, inibi enim continentia probati reperibiles existunt: ad hanc enim conservandam plurimum solitudo juvat. *Vid. Tract. 89. Disc. 3.*

Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit, tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Magna quidem pœna, at quæ longe culpæ meritum excedere videtur. Quid enim, indifferenter obvios quosque malos & bonos invitat, & ad convivium intrare permittit, cur sic putat flagitiosum, vestem nuptialem non assumere? Qui malitiam convivarum non fastidit, sic de inordinata veste offenditur? Quid, si homo ille cultiorem vestem non habebat? Quid si ignorabat, quali vestium ornatu discumbendum foret? Pulchre S. Hilarius in hunc locum. *Vestis nuptialis est gratia Spiritus Sancti, & candor habitus cœlestis, qui bonæ interrogationis confessione susceptus, usque in cœtum regni cœlorum immaculatus & integer perseverat.* Ubi ultima verba bene ponderanda sunt. *Qui susceptus, usque in cœtum, regni integer perseverat.* Quo ipsa perseverantia denotatur, qua qui caruit conviva, in tenebras exteriores, in exemplum aliorum dejicitur, & vinculis constringitur. Et merito, sicut enim patri potentia, filio sapientia Spiritui Sancto bonitas attribuitur: Contra quæ duo prima, qui peccaverit, aliquam habet excusationem: at qui ex malitia peccat contra bonitatem Spiritus Sancti, qui tot auxilia gratiæ pro æterna salute comparanda ei dedit, tantum lumen, tamquam Dei notitiam contulit, & interim his relictis gratiis, turpibus lacinulis peccatorum se involvit, pravarum actionum fordidis pannutiis vestiri meretur in tenebras exteriores in æternum detrudi tales enim inconstantes abominatur ipse Deus. *Vid. Tract. 80. Disc. 3. maxime Num.* 8. Optas igitur in illo cœlesti convivio cum cæteris permanere, hic in bono cum iisdem constans & perseverans esto: Perseverantia enim, quæ cœli porta est, merita auget & præmiat. *Ibidem Disc. 4.*

Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit, tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Tametsi regiis oculis publice in manifesto scelere deprehensus, tamen rite de reatu interrogatur, si forsan aliqua excusatio suppetat, quæ crimen aut extenuet, aut excutiat. Dum autem reus, omnia signat muta taciturnitate, ad tenebras exteriores damnatur. Ergone nemo audax adest, qui regis amicus, in die tantæ lætitiæ, vel verbum reo concedat, quo sic festivum gaudium omni tristitia careat, Herodianæque cœnæ dissimile maneat? Scilicet hic miser reus, cujus scelerosa infelix causa tam cito, & discussa, & damnata est, typum cujusvis gerit Christiani, qui ex quo fidem suscepit Christique sub vexillis regiis diu militavit, demum vero rebellis veniam non meretur. Christianus enim, qui habito lumine fidei sciens, & volens peccat, in tantum aggravat culpam suam, ut venia & compassione haud dignus sit. *Tract. 74. Disc. 12.* Et ideo destinatur ad tenebras exteriores: *In tenebris siquidem positus, jam non intus sed foris erit: alienus siquidem à luce veritatis, sed ab ea palam, & publice redargutus*, ait Galfridus: Ut in omnium oculis prostet, evidentia damnati criminis, omniumque oculis expositus, justissimam illius condemnationem cuncti approbent, & illius reatum palam videant. Quadantenus enim excusabiles sunt, qui per ignorantiam peccant, omni autem supplicio digni, qui in Christi conclavi gravitatem peccati agnoscunt & nihilominus peccant. *ibid. Disc. 13.*

Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Eleganter S. Cyrillus Jerosolymitanus in Catheceſis præfat. *Circumiens*, inquit, *singulos convivas & circumspiciens vidit quendam externum non habentem vestem nuptialem, dixitque illi: Amice quomodo huc intrasti? Quo colore? Qua licentia? Esto: Ostiarius non prohibuit; ignorabas quo amictu ingrediendum esset ad convivium? Si ita sane. Sed cum jam intraveras, vidisti splendida discumbentium vestimenta; nonne te oportuit, vel ex his quæ cernebas discere?* En crimen magno luendum! Hi enim qui majorem habentes rerum divinarum notitiam, & scientiam, Deum offendunt, majora merentur supplicia. *Tract. 74. Disc. 6. & Disc. 8.* Unde Hebræorum peccatum ex hoc capite inexcusabile, quod præfigurat hujus miseri delictum. *Vid. Ibid. Disc. 7.*

Ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Quidquid Dei est, lucidum est, undique radiat, & splendet, fruuntur enim Dei opera perpetuo lumine; imo ipsa diem efficiunt, & bonos semper dies faciunt videre. Sola diaboli operatio tenebrosa est, & hominum peccata longas effingunt tenebras. Fallor, nisi ex his tenebris ligantibus pedes, manusque non pateant peccati mala, in ream animam derivantia. *Quæ vid. Tract. 77. Disc. 10.* Quæ mala sic obtenebrant mentes humanas, ut illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ; Et sic ligant miseras, ut nihil jam liceat, nisi tenebras expectare. Utrumque hic respexit Dominus, cum eum qui sine veste nuptiali, hoc est, in peccato accesserat, alloquitur: Ligatis manibus, ubi enim deficit gratia, & peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat, omnia opera redduntur inutilia. *Ligatis*, inquit S. Hilarius hom. 1. in Afcens. *manibus & pedibus, id est, damnatis operibus, & cursu totius vitæ, ejicite eum in tenebras; nullum opus sit sub peccato mortali luci æternæ aptum, Ibidem. Disc. 12.*

Ligatis manibus, & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Maxime consideratione dignum est, quomodo in domo tanta festivitate præparata, inventi sunt funes, & vincula, quibus homo prenderetur? Quomodo etiam in promptu fuerunt Carnifices, à quibus sine ulla mora homo deduceretur in caveam tormentorum. Aderat plane ipse iniquus, multis criminibus onustus, & ubi tot erant scelera statim in ipso homine apparuerunt vincula, quibus ligaretur: ac assportitores à quibus in tenebras exteriores demergeretur, Quod enim in homine erant peccata, tot in ipso erant, mortis laquei, atque sui carnifices. *Tract. 71. Disc. 18. Meministis*, ait, D. Augustin. in Enarrat. in Psalm. 130. *Dictum de quodam peccatore, ligate illi manus, & pedes, & projicite illum in tenebras exteriores: non ergo esset, unde illi ligarentur manus, & pedes, nisi ipse sibi restem fecisset.* Flagella namque quibus Deus peccatores castigat, hæc sæpe in manibus iniquorum invehit: *Tract. 77. Disc. 29.* Unde alio in loco scriptum est: *Funibus peccatorum suorum constringeretur:* Sic enim peccatum peccatorem constringit, ut per effrenes appetitus suos, suipsius carnificem efficiat. *Tract. 77. Disc. 25. & 26.* Vincula namque sunt peccata, quibus nosmetipsos stringimus, dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem latentem haud attendimus. *Ibid. Disc. 28.*

Ibi erit fletus, & stridor dentium. His effectibus pœnarum acerbitas exprimitur, nam fletus summum dolorem, stridor, summum horrorem indicat, denotaturque inevitabilem esse damnatorum pœnam, cui nullus potest resistere: Unde D. Augustin. serm. 1. de pluribus Martyr. *O quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua malefacta, & lascivia adulteria non solum tenebras non abhorrere, sed quærere: non tales tenebras habebis, ubi gaudeas, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? Ibi erit fletus & stridor dentium.* Tortor sine defectu, tortus sine defectu. Grave ergo malum peccatum est, quod Deus ipse æternis suppliciis castigat. *Vid. Tract. 71. Disc. 19.* Unde vero hæc supplicia originem habeant conceptis verbis exponit ad rem Rabanus in lib. Judicum. *Contrariæ virtutes non invalescerent adversum nos, nec ipse diabolus in nobis aliquid prævaleret, nisi ei vires ex nostris vitiis præberemus.* Inde tam potentes in reum sunt tenebræ, quia vires ex peccatore desumunt: per peccatum enim diabolus peccatorem totaliter facit suum. *Tract. 17. Disc. 16. maxime Num. 8.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, hic cum audisset, quia Jesus advenerit &c. Joan. 4. Non otiose Evangelista hominem tacet, & Regulum nominat; nec tamen quis istius Reguli nomen fuerit, declarat: Nam cum ex imperfecta fide rogaret, ut Dominus descenderet, & sanaret filium ejus, in eo dubitabat, tam de potentia sanandi, quam de Deitate Christi, quasi non posset absentem sanare. Et ideo, ait Ambros. ejus nomen tacetur, quia non fuerat dignus audire: *Novi te ex nomine* Exod. 33. Subjungit S. Anselmus: *Homo in eo, quod amisit, Rex esse desiit: in eo autem, quod præ cæteris animalibus sibi relictum est, quasi regulus militavit; Ideirco nomen ejus, spiritui sancto viluerat, quia peccator erat quia infirmas, quia regulus:* Peccatum enim, vile & infame, hominem vilem reddit. *Vid. Tract. 72. Disc. 10.* Quomodo igitur Rex, qui peccando perdidit suum Principatum, cujus propterea nomen viluerat Spiritui sancto, ut non Rex, sed regulus diceretur? Imperfectæ significationis id verbum est, quod sic ex parte jam præterit, ut & ex parte videatur non præteriisse. Quo quidem verbo, juxta Sanctum Anselmum denotatur essentia hominis permanere; sed tamen tolli omne Dominium per peccatum, ut in turpissimam servitutem homo devolvatur. *De qua Vid. ibidem Disc. 14. & 15.*

Hic cum audisset, quia Jesus advenit à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Esto hic Reguli filius periculose ægrotet, prope jam desperata salute, minatus dictum videtur: *Quod moriebat mori.* Porro si prestius loquendum sit, vita nostra tota simul finitur, & mors in momento pergitur. Imo si ethica propositione loquendum est, vitæ exordium, mortis principium est: non tantum quia mortalem agimus vitam, sed quia unaquæque ejus periodus præcedentis mors est. Infantia hominis, puerilitate obiit, puerilitas juventute decedit, juventus virilitate interit, virilitas senectute moritur. Pulchre Seneca de Consolat. ad Martiam cap. 29. *Elegant opus suum fata, nobis sensum nostræ necis auferunt, quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitæ limine latet. Infantem in se pueritia convertit; puerilitatem pubertas, juventutem senectus abstulit: incrementa ipsa si bene computes, damna sunt.* Et quia unusquisque dies dici præcedentis funus agit, exinde homo à sua nativitate mori incipit, & vivas sui exequias, singulis horis, repetito funere nescius concelebrat. O igitur brevis humana vita, & tempus quod velociter fugit! *Vid. Tract. 91. Disc. 1.*

Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Pulchram hujus loci moralitatem adducit D. Anton. Ulissipon. serm. 21. post Trinit. quare potius in Capharnaum, quam alibi, jaceat infirmus? *Filius regali*, ait, *anima est, cujuslibet fidelis Christi, qui dum in suo ordine vivit, incolumis existit. Sed cum in Capharnaum moratur, ad mortem infirmatur. Capharnaum interpretatur, ager pinguedinis, vel villa consolationis.* Subjungit Simon Cassian. lib. 5. cap. 18. *Hujus filius infirmatur in Capharnaum. Amor ejus ægrotaverat in pinguedine mundi: Ager quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. In abundantia temporalium rerum habita, vel quæsita infirmatur hominum amor, qui dum habet abunde, quod habendum est temperate, ipse intemperie est ægrotus.* Et quantum præjudicium, & detrimentum adfert prosperitas, & felicitas temporalis; *Tract. 94. Disc. 22.* Ex ipsa enim bonorum affluentia infirmatur animus, ut deviet, ac tepescat in via rectitudinis, & justitiæ, & ab ipsa affluentia, tamquam à radice omnia mala derivantur, scilicet, infirmitates, quæ instar freni sunt, quo peccata coercentur, ab his cauſantur, & eorum sunt pœnæ, per quorum confessionem sæpe infirmus sanatur. *Ibidem Disc. 19.*

Et erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. A Judæa in Galilæam venienti Christo occurrit Regulus, pro filio precaturus, qui cum forte esset unicus, supra omnia amabatur à patre, utpote paternorum bonorum, & regiæ dignitatis hæres, & parentum unicum solatium; Nihilominus hunc adeo ad propagandum regiæ stirpis nomen necessarium, extremo morbo affligi permisit Deus, non sine divini dispensatione consilij, ut ipse filij cum morte conflictus, & agon, fieret totius regiæ domus salutis occasio, & regulus cum tota domo ad Christum converteretur: infirmitates enim corporales divini amoris signa sunt, & indicia, quæ animæ saluti plurimum cooperantur. *Vid. Tract. 94. Disc. 18. & Disc. 21.*

Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Si specietenus vibretur censura, hæc Christi reprehensio valde intempestiva videtur; nam ut recte arguit S. Chrysost. Quod Regulus venerat, & quod rogabat, ejus fidei est argumentum. Præterea hoc testatur Evangelista, nam cum diceret Jesus: *Vade, filius tuus vivit, credidit homo sermoni & ibat.* Quid ergo ita Christus respondit? Quid ergo regulus, quasi fidei inops, infidelitatis arguitur? Luculenter respondet citatus Chrysost. *Itaque licet regulus crederet, non tamen firmiter, neque integre: Quod scisitando servos demonstravit, qua hora reliquerit filium febris.* Nempe tametsi regulus fide accesit ad Jesum, cui dicenti, quod filius ejus viveret, etiam credidit, dicente Evangelista: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus & ibat.* Quia tamen occurrentibus servis, & gratulantibus de salute nati, regulus interrogabat horam ab eis, in qua melius habuerat, ex hac levi dubitatis umbra, vel potius curiositatis documento, qui vere credidit, devenitavit credulitatem suam, ut quasi incredulus tractaretur. Nam peccatum quantumvis modicum sit, suum tamen venenum secum habet, ut amplius inficiat. *Tract. 76. Disc. 15.* Nam licet tale peccatum levis culpa videatur, est tamen offensa Dei, unde nequaquam parvipendendum. *Ibidem Disc. 15.* Et quomodo leve æstimari potest, quod tam magno luitur, ut incredulus audiat, & gravibus post puniatur suppliciis? *De quibus consule ibidem Disc. 10.*

Nisi signa & prodigia videritis non creditis. Multi è populo Judæorum dubitarunt circa Domini majestatem & excellentiam, & nullum Dominus ita severe in particulari reprehendit, ut diceret: *Nisi signa videritis.* Cur ergo regulus ita rigide pungitur, qui paterno plane affectu filij sanitatem æstuabat? Cur protinus non exauditur? Sapienter Hieron. in finem cap. 8. Ezech. *Qui non intelligunt, quid sibi prosit, & orant frequenter contraria, expedit eis, ut non exaudiantur à Domino. Unde & in oratione Dominica dicitur, fiat voluntas tua, non voluntas nostra, quæ errare consuevit: Sed voluntas tua, quæ futura cognoscit, magnæque interdum felicitatis est, ad præsens misericordiam non mereri.* Heu plerumque quæ nobis hianter optamus, inimica potius vota sunt! Pecus ad victimam uberius saginatur, & adipatur. Et Dei iram sæpe portat, in quem mundialis prosperitas toto pondere incumbit, & ad votum cuncta fluunt. Si sapis, dum tibi incessanter arridet fortuna, in continua felicitate humani infortunij nescio, irati numinis notas haud dubijs charactèribus descriptas legere licet. O quoties benignior Dei indulgentia iras nutrit! Non merita indulgentia, pœnalioris supplicij omen est. Dei enim indulgentia, dum peccata dissimulans, peccatores humana felicitate cumulat, minæ sunt acerbiores æternæ iracundiæ, & æternæ perditionis indicia. *Vid. Tract. 78. Disc. 32. 33. 34. & 35.*

Dicit ad eum regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dominus non rogatus vadit in domum Centurionis, & rogatus non descendit in domum reguli: Quod hisce verbis expendit D. Gregorius Magnus homil. 28. in Evang. *Regulo filio*, ait, *per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur? Redemptor vero noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt: Et quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt, ad filium regule ire voluit, ad servum Centurionis ire paratus fuit.* Centurio præ magna humilitate se indignum fatebatur: At regulus superbia inflatus, divitiis & dignitate, imperiose dicebat: *Domine descende. Videte*, ait S. Augustin. Tract. 16. *distinctionem, hic cessum est elationi, illic concessum est humilitati.* Deus enim superbis resistit, eosque aversatur & odit. *Vide Tract. 90. Disc. 9. & disc. 10.*

Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Personant passim Scripturæ, ut pudor sit, loca referre nemini non nota, in quibus Christus dicitur, humanarum ægritudinum, præsertim peccati qui lethalis morbus est, & tanto medico indiget, Curator. Æstuet licet in anima fervor irarum, licet ardeat avaritiæ, & invidiæ febris, etsi luxuriæ flamma, imas depascatur medullas, & mortis periculo demergatur homo, peritus animarum Sanator Christus Jesus, levis attactus & vel unius rationalis verbuli pharmaco sistit ægritudines, & remedia facit immedicabili morbo. Pulchre Clemens Alexandrin. lib. 1. pœdag. cap. 2. tatur: *Verbum paternum, solus est humanarum ægritudinum pœnitus Medicus, sanctus ægrotæ animæ Incantator.* Dicitur ergo Christus pœnitus Medicus, id est, Medicus adeo peritus sanandi arte, & ratione medendi, ut arrogantem superbiam, intestinam invidiam, incredulitatem, &c. quæ sunt dæmonum vitia: imo mortiferum lasciviæ incendium, quod hic juvenis obumbrabat, & cæteras animi pestes & corporis contagia efficacissime pharmaco, uno scilicet rationali verbo curet. Saluberrima enim medicina ad salvandas animas verbum Dei est. *Vid. Tract. 83. Disc. 9.*

Vade, filius tuus vivit. Pulchre hunc locum Theophylact. exponens ait: *Vide quid dicat ad illum Dominus: Vade filius tuus vivit: hoc est, ne sis immobilis ad bonum: sed vade, inaccessibilem motionem offende ad bonum, tunc enim filius tuus vivet. Si autem quæveris, non ambulans, morietur plane mens tua, eo quod ad bonum te non promoveris.* Jubet Dominus eum ire, hoc est, ab imperfecta fide ad bonam, & consummatam fidem: in via enim virtutis Christiano nulla meta contuenda est, sed semper de die in diem in virtutibus ultra progrediendum. *Vid. tract. 80. Disc. 6.*

Cognovit ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota. Super quibus verbis sic Ammonius in Catena. *Primum quidem credidit, sed postea revipsa factum comperit, quod futurum crediderat, plurimum namque fides valet, non effectorem, ac consummatorem sui habens Deum.* Et ideo eadem hora, qua credidit, fructum suæ fidei consecutus est. Una die credidit, & altera agnovit filium sanum, atque universam suam domum ad Chri-

ſtum pérduxit. Neſcivit enim ſola eſſe ejus fides; Sed adeo fœcunda fuit, ut de illius exemplo famulorum omnium examina renaſcerentur Chriſto. Qui enim accedit ad Deum, & credit, ſtatim fidei ſuæ fructu gaudet, & exultat. Fiducia enim, quæ in Deum potius, quam in noſtram induſtriam habetur, à Deo liberaliter compenſatur, maxime quoad illos, qui hanc fiduciam cum bona conſcientia habent conjunctam. *Vid. Tract.* 85. *Diſc.* 16.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis: Et oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta. Hic homo Rex, qui à ſervis ſuis rationem exigit, non dubium, quin ille ſit, qui (ut Joan. in Apocalypſi cap. 19. ait) habet in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Hujus autem regis ſervi, nos homines ſumus, in quos hoc ſervitutis nomen magis, quam in ipſos Angelos quadrat: illi namque jure creationis; Nos vero, & creationis, & redemptionis, duplici titulo, ejus ſervi ſumus. Rationis vero exigendæ tempus, extremi judicij dies eſt, in quo nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Inter eos autem ſervos, à quibus ratio exigenda, oblatus eſſe dicitur unus, qui debebat decem millia talenta, quæ efficiunt ſex milliones aureorum. Quis vero eſt hic tam ingentis ſummæ debitor? Certe quisquis vel unius tantum lethalis criminis reus eſt. *Debitum enim*, ait Tertullian. *in ſcriptura delicti ſignum eſt: Et debita* ſubdit Auguſtin. *peccata intelliguntur.* Nam debitum contrahitur, quoties peccatur & ideo tanta auri ſumma optimè congruit, ad delicti gravitatem exprimendam, contra Dei Majeſtatem; Auget enim peccati gravitatem, & perſonæ offenſæ dignitas, & offendentis vilitas, & ipſius etiam offenſionis cauſa, ſi illi præſertim contemptus adjunctus ſit. *Vid. Tract.* 71. *diſc.* 2. *& Diſc.* 3. Quod ad perſonæ dignitatem, contra quam delinquitur, attinet, Deus eſt, cujus immenſa eſt bonitas & Majeſtas, ut ſi nobis omnium, & hominum, & Angelorum vires aſſent, numquam illum pro dignitate diligere poſſemus; Cujus item ea ſunt in genus humanum beneficia, ut ſi mille quotidie mortes, illius gratia oppeteremus, nullo modo illius in nos beneficentiæ ſatisfacere poſſemus: Et hic adeo bonus & beneficus offenditur? Heu grande nefas & injuria ſumma! *Ibidem Diſc.* 4. *& Diſc.* 5. Et quidem ab eo, qui divinæ Majeſtati collatus, nihil ex ſe? Ratione vero peccati, minus adhuc quam nihil. Et hic viliſſimus audet contra Dominum Majeſtatis levare calcaneum ſuum? Congrue igitur Dominus, hanc tanti debiti ſummam, decem videlicet, millium talentorum appoſuit, ut immenſam atque infinitam peccati gravitatem oſtenderet. *ibidem Diſc.* 9.

Et oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Sic obæratus eſt homo per delictum, ut neque ipſe ſolvendo ſit tanti debiti moleni? Grande peccati damnum, cum ex eo à ſemetipſo peccator reſurgere nequeat. *Tract.* 77. *Diſc.* 11. At unde illa multiplicata delicta? Ex uno peccato, ex eo enim in aliud cecidit homo, ut in tantam delictorum multitudinem contra omnem legem deveniret: Specialis enim peccati pœna eſt, quod unum peccatum poſt ſe trahat aliud. *Vid. Tractat.* 79. *Diſc.* 29. 30. *& 31.*

Patientiam habe in me, & omnia tibi reddam. Verſio Arabica ſic legit: *Patiens eſto & ego dabo tibi quod tuum eſt.* Inſana videtur eſſe hujus ſervi temeritas, omnem ſubſtantiam ſuam decoxerat cum uxore, & liberis, contraxerat debita tanta, quæ ad decem millia ſeſe extendebant, interim animæquior factus, quod Domini eſt, ſpondet ſe redditurum, dummodo patiens foret. Unde? Ex ipſa ſcilicet patientia: Ea enim eſt, quæ hominem in immenſum ditat. *Vid. Tract.* 68. *Diſc.* 7.

Habes item ampliſſimum campum diſſerendi de hac virtute, ſcilicet, patientiæ neceſſitate, utilitate, & excellentia, dicto 68. *Tract. per totum, diſcurſus, quos conſule.*

Egreſſus ſervus à facie Domini, invenit unum de conſervis ſuis. Siſtitur ante Dominum ſervus, qui ei debebat decem millia talenta, & ſupplici prece rogat Dominum, ut ad ſolvendum præberet inducias, & inducias indulſit, & debitum liberaliter dimiſit. Multis ergo bonis repletus, egreditur lætus & hilaris. Sed ô inſtabiles hominum fortunæ! Mox egreſſus, iram Domini incurrit, multaque mala cum inveniunt, traditur tortoribus, mittitur in tetrum ergaſtulum, donec redderet univerſum debitum. Unde tanta infortunia mox felici accidunt? Reſpondet docte Joan. de Sylveira hic: *Ex Domini præſentia multa bona hauſit ſervus, ut eſſet mitis & humilis, at ubi à facie Domini recedit, in multa mala incurrit:* Nam ex neglecta conſideratione præſentiæ Dei, omnia mala derivantur. *Vide tract.* 84. *Diſc.* 2.

Iratus ergo Rex tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Univerſum debitum, quod jam donaverat, repetit, tunc ſcilicet, quando novum ingratitudinis debitum contraxit, quem idcirco utpote ſervum, nequam torqueri præcepit, quoad uſque univerſum debitum redderet: tali nempe odio benigniſſimus licet Deus, contra peccatum fertur & armatur. *Tract.* 17. *Diſc.* 8. Ut immaniſſimis traderetur tortoribus. Tortorum autem nomine dæmones intelligimus, qui velut carnifices ſunt, & miniſtri divinæ juſtitiæ, ideoque tortores appellantur, quod divinæ juſtitiæ decreto, reprobos pro criminum qualitate torqueant. Quam graviter autem miſeras peccatorum animas iſti tortores crucient, implacabiles illorum inimicitiæ demonſtrant; quæ eouſque torqueri præcipiuntur, quouſque reddant univerſum debitum: Hoc autem debitum in gehenna nulla umquam temporis diuturnitate diſſolvetur; ita fit, ut quod in hoc ſeculo brevi poterat labore reſarciri, in illo acerbiſſimis & perpetuis cruciatibus numquam diſſolvatur. En igitur, ô homo, peccati gravitatem! quod ipſe Deus acerbiſſime ſic perſequitur, ut licet tranſitorium ſit, æternis tamen pœnis, iisque infinitis illud caſtiget, & puniat. *Tractat.* 71. *Diſc.* 19.

Iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Supra dictum eſt, quod miſertus Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit illi: cum autem ſervus eſſet crudelis in conſervum, ut eum ſuffocaret, tradidit eum tortoribus, uſque dum redderet univerſum debitum. An Dominus talenta ſemel dimiſſa iterum reperebat? Minime: nam licet Theologi cum D. Thoma 3. part. quæſtione 89. art. 5. meritorum reviviſcentiam concedant: Tamen quæſtione 88. reviviſcentiam peccatorum non admittunt. Quodnam igitur erat illud univerſum debitum? Recte reſpondet D. Thomas art. 3. ad 3. *Propter ſubſequentem ingratitudinem redit univerſum debitum, in quantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter invenitur, in ingratitudine ſubſequenti, non autem abſolute.* Et quamvis opus non ſit, ut hoc poſterjus peccatum, illi priori & antecedenti omnino æquetur, illud tamen ſaltem efficitur, ut peccatum novum alias ex objecto ſuo non ita grave, ac antecedens peccatum in circumſtantia ingratitudinis ob receptum beneficium, graviſſimum evadat, majorique pœna reddatur dignum: Supplicium enim reincidentium in peccata ſemel dimiſſa augetur propter ingratitudinem. *Vid. Tract.* 75. *Diſc.* 7.

Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Debitum ſicut ſupra dictum, delicti figura eſt, nam debitum contrahitur, quoties delinquitur; unde Venantius Fortunatus *Conveniente*r, ait, *debita peccata dicantur, quæ & debentur, & requirenda ſunt.* Quot ergo peccata commiſit hic nequam ſervus, qui debuit decem millia talenta? A quibus tamen liberaliſſime abſolutus, ſpontaneè priſtina repetens, ſeipſum in ingenti damnificavit: quæ damna ſequentibus verbis exponit S. Ambroſ. in Pſalm. 35. *Oſtenditur nobis ultrix noſtri imaginatio peccati, nec quietum reum ſuum eſſe permittit, inferens miſeram ſervitutem, atque in ſua vincula trahit, enodare ſe ut non queat: quoniam volens ipſe ſe vendidit, cui liberum erat, delectorum ærа non capere, & libertatem innocentiæ reſervare.* Sic ſcilicet peccator mortaliter peccans ſemetipſum offendit, & damnificat, ſuiipſius carnifex efficitur. *tract.* 77. *Diſc.* 25. *& Diſc.* 26. Pergit vero citat. Ambroſ. *Itaque cum oramus, peccatum offenditur, ubi ſomnus ſenſum corporis laxaverit, peccatum recurrit. Semper nobis error noſter, tamquam malè exactor occurrit, vel tamquam improbus fœnerator, conveniens debitorem.* Ita torquet & tormentat peccatorem peccatum, & impij mordet conſcientiam, ubi ſævus exactor. *Ibidem Diſc.* 21. *& 22.*

Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Primo cum Dominus mandaſſet ſervum venumdari, ipſe proſtratus patientiam ſupplicans miſericordiam imperravit: *Miſertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & omne debitum dimiſit ei.* Sanctus Joannes Chryſoſtom. homil. 62. in Matth. hæc ſuper re ad rem præſentem ita acute philoſophatur: *Vide divini amoris ſuperabundantiam: petit ſervus ſolitus temporis dilationem, ipſe autem majus eo quod petit, dedit; & dimiſſionem, & conceſſionem totius mutui: modo autem cum iratus Dominus, tradidit eum tortoribus.* Quæ repentina illa obſtupeſcenda tam

da tam liberalis Domini mutatio, quæ inopina rerum vicißitudo? Cur ſervus ad ſolitas ſponſiones non recurrit, ad patientiæ aſylum dicens: *Patientiam habe in me?* Dicunt jura: Fraus & dolus nemini patrocinatur; Fraudulenter ſpoſponderat delicti pœnitentiam, quod ex eo patet, quod tam facile adeo gravis delicti venia impetrata, mox crudeliter opprimat conſervum; adeoque ſi millies has pœnitudinis voces repeteret: Doleo, doleo, patientia, patientia! nequidquam obtineret. Et ideo modo ſic tacet; & pro ſui cauſa non offert, per quas antea clementiam fuerat aſſecutus: Exteriores enim illæ devotionis demonſtrationes, quas impij mortis tempore fundunt, heu nimium ſunt fallaces & inutiles! *Tract.* 81. *Diſc.* 12. *& Diſc.* 14.

Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Communiter SS. PP. per hunc locum intelligunt purgatorium, à quo interdictus eſt exitus, quousque reatus pœnæ atrociſſimis pœnis expungatur. *Illud ſciente*, ait S. Bernard. de Obitu Humberti, *quia poſt hanc vitam in purgatorijs locis centuplicatur, quæ hic fuerint neglecta, redduntur usque ad nouiſſimum quadrantem. Scio ego, quam durum ſit homini diſſoluto apprehendere diſciplinam, verboſo ſilentium pati, vagari ſolito ſtabilem permanere; Sed durius & multo durius erit, futuras illas moleſtias tolerare in purgatorio igne: Centuplicatur hic neglecta redduntur.* O graviſſimum & acerbiſſimum ſupplicium! De cujus atrocitate. Vid. *Tract.* 86. *Diſc.* 22. *& 3.*

Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Profecto cum dona Dei ſint absque pœnitentia, quare ſic iratus Deus inducitur, ut non tantum dicatur inhibuiſſe benignitatis fœaturiginem, ſed & ſpecierenus largita munera revocaſſe? Tantumne deliquit hic ſervus, conſervum ad debiti ſolutionem urgendo? Nihil Deus magis odit quam impatientiam, in cujus deteſtationem id factum eſt: Ut diſcas quanta mala animæ & corporis ſecum trahat hoc vitium, Vid. *Tr.* 68. *Diſc.* 15.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierant, ut caperent Jeſum in ſermone. Tunc eodem illo die Martis poſt Dominicam Palmarum, ut notant Carthuſian. Hugo. Luc. Burgenſ. & alij; audiris parabolis de vinea locata agricolis Matth. 21. ac nuptijs filij regis, digreſſa loco ſermonis Domini, & proinde ſeorſum ad ſecretum locum ad ineundum conſilium receſſerunt, ut notat Abulenſ quæſt. 71. D. Paſchal. lib. 9. in Matth. malitia pleni & eo illo tempore ſceleratiores, ut notat D. Chryſoſt. hom. 71. quando maxime illos compungi oportuit, quando clementiam illius admirari debuerunt, quando futurorum eventus erant expaveſcendi. Tanta tamen fuit Phariſæorum malitia, quod auditis hiſce parabolis, & minacibus verbis: *Malos male perdet:* & iterum: *Perdidit homicidas illos:* minime commoverentur, ut à ſua malitia deſiſterent: Ut proinde bene de illis prophetaverit Jerem. Threm. 4. cap. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento.* At unde horum malitia major, præſertim cum hi ſub lege vixerint Dei, cum templo, & Sanctis Prophetis; quibus Sodoma caruit? inde nimirum, quod cum hæc adminicula ſaluris haberent, Dei ſcientiam, legis notitiam, rerum divinarum contemplationem, nihilo ſecius turpiſſime peccarint: hæc autem omnia ipſum peccatum valde aggravant, ipſoſque peccantes inexcuſabiles efficiunt. *Vid. Tract.* 74. *Diſc.* 4. 7. *& 8.* Quare cognita eorum nequitia hypocritas vocat: qui enim lumen Dei habentes peccant, merito ſic arguuntur, *Ibidem Diſc.* 4. *& 5.*

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierant, ut caperent Jeſum in ſermone. Quemadmodum SS. PP. Concilia cogere ſolent, quibus malis in Eccleſia graſſantibus remedium adhibeant: ita è contra filij Diaboli cogere etiam conciliabula ſolent, in quibus communicato cum ſatellitibus ſuis conſilio, ſtagitia ſua perficere valeant: Sic parricida Abſolon paternum regnum invadens ait, 1. Reg. 11. cap. *Inite conſilium, quid facere debeamus.* In eo autem conſilio tractandum erat, qua ratione ſapientiſſimo patri Davidi vitam ſimul, & regnum eriperent; Simili ergo modo Phariſæi pleni livore, & invidia conſiliabant, quomodo Chriſti regnum, ejusque famam, & vitam diminuerent, ut cujus vitam, & mores accuſare non poſſent, neque divinæ legis ignorantiam objicere, ſaltem in lapſu verborum, & ſermonis deprehenderent, & calumnioſe accuſarent. Vide hic perilluſtre ſemen Abrahæ, de vaferrima fraudis ignominia, quam ignobili à ſe comparatione degeneret: de quo ſic ad rem S. Chryſologus ſerm. 31. *Vere ſic ſcriptum eſt, progenies viperarum fabricabant capita ſua, adulabantur linguâ, vulnera dabant dolis, bluſphemijs venena fundebant, & quaſi non ſufficeret ad odium contemptus, deſpectus ad injuriam; Sic Chriſtum proſequebantur injurijs, tentabant dolis, interrogatione priſſabant, appetebant contumelijs, & tota capitis ſimulatione vallabant.* Objiciebant cenſum ſolvendum Cæſari: Ut ſi diceret, quod non: læſæ majeſtatis reus fieret. Si vero ita, de lege maneret calumnia. Verum, laqueum, quem paraverunt pedibus ejus, in eumdem inciderunt, capti ſunt verbis ſuis, confuſi ſunt nec potuerunt ſtare. Interrogationem interrogatione confutat, & ſapientia vincit malitiam & Moyſis ſerpens Magorum devoravit ſerpentes. Plerumque enim impij in ſuis perverſis conſilijs deluduntur, malumque, quod alijs machinantur, in ipſos recidit. *Vid. Tract.* 78. *Diſcurſu* 26. 27. *& 28.*

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut caperent Jeſum in ſermone. Phariſæi, & Principes Sacerdotum omni conatu volebant Chriſtum occidere, ut ſcribit D. Luc. & obſervantes miſerunt inſidiatores, ut caperent eum in ſermone, timebant tamen populum, & ideo non audebant eum tenere, ac apprehendere, ut ſcribit D. Matth. 21. Volebant ergo habere occaſionem ad eum accuſandum, & non determinant ipſum capere in operibus, & factis, quia aperte videbant vitam ejus eſſe puram, & ſanctam, & irreprehenſibilem; Voluerunt ergo eum capere in ſermone, ut diceret aliquid propter quod reus eſſet mortis: nam ſæpe inter dicendum, & loquendum præter opinionem, ac intentionem inter homines communiter profilit aliquod verbum incautum: An ita hic contingeret, obſervare voluerunt Phariſæi, propoſita captioſa ac periculoſa quæſtione. Nam praxis difficilis eſt, ut quis ſilentio, velut virtutis indicio linguam frenet: tacendo autem quilibet bene loqui diſcit. *Tract.* 88. *Diſc.* 8.

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierant, ut caperent Jeſum in ſermone. Græcus habet, *ut illaquearent eum ſumet ſermone.* Sicut aves illaqueantur: Nam ut ait. D. Auguſtin. lib. 1. contra Creſcon. cap. 17. *Decipiti complexione inſidiantes, ut quidlibet eligens capiatur. Si licere reſponderet, tamquam reus eſſet, adverſus populum Dei: Si autem diceret, non licere, tamquam Cæſaris adverſarius, periretur.* Judæi cum ſe liberos eſſe dicerent, utpote Sarræ filios, ægre ferebant, quod tributa ſolverent Romanis, qui uni Deo victimas offerebant. Et ideo ſi Chriſtus concederet, volebant eum arguere, ut populi adverſarium; Si vero negaret, eum intendebant accuſare, ut reum læſæ Majeſtatis, ac Cæſaris Præſidi, ut moſte mulctandum, tradere. Heu nefandam prorſus malitiam! Malitia enim, quæ non de repente erumpit, ſed ex præconſiliato venit, & nocentior, & flagitioſior, tardioremque veniat. *Tract.* 74. *Diſc.* 1. 2. *& Diſc.* 3.

Magiſter ſcimas quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dæmonis vicem agunt Phariſæi, & tenrant Chriſtum, ut eum capiant in ſermone, & utuntur Dæmonis ſolertia, qui dum aliquem aggreditur, ſe illius genio accommodat. Sciebant Phariſæi Chriſtum de ſua veracitate gloriari. Joan. 5. *Scio quia verum eſt, teſtimonium meum.* Item Joan. 7. *Verus eſt, qui miſit me.* Joan. 8. *Judicium meum verum eſt.* Et ſæpe eodem capite, & multis alijs in locis: Ideo accedentes diſcipuli Phariſæorum, dicunt: *Scimus quia verax es;* Ut adulantes ei de veritate, de qua gloriabatur, extorqueant ab eo opratum verbum, ſcilicet: Triburum dare Cæſari non licere. Pulchre D. Gregor. l. 14. Moral. c. 7. ait: *Intuetur inimicus generis humani unuſcuſjusque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcitis facilius inclinari mente.* Dæmon enim varias techinas, dolos, & fraudes excogitat, & ſe in Angelum transformat. *Tract.* 92. *Diſc.* 2.

Magiſter ſcimas, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Mirantur SS. PP. modum agendi Chriſti Domini, quod huic tentandi cauſa accedenti ſcribæ, nil reſponderit, atque replicaverit, qui bona fide accedenti adoleſcenti, atque bonum vocanti, *Magiſter bone, quid boni faciam.* Matth. 19. Multis replicavit: *Quid me dicis bone?* Ex præcedenti quæſtione, an Abulenſis patet, non acceſſiſſe tentatorie Juvenem hunc, qui id non dixit ad tentandum, vel adnlandum, ſed volens honorare Chriſtum, & tamen huic iraſcitur Chriſtus, & Calumniatoribus, non item. Quare pium Adoleſcentem reprehendit Chriſtus, & non reprehendit veteratores ſcribas? Scilicet, Epitherum, quod appoſuit adoleſcens Magiſtro, taxat, nempe *Magiſter bone.* Non enim eminentia Magiſtri ſeu Concionatoris, mera bonitas eſt; ſed & veritas, alizque neceſſariæ conditiones. Quas Vid. *Tract.* 83. *Diſc.* 50. Unde libenter admittit Epitheton veri, quo non bonus ſcriba appoſuit: *Magiſter, verax.* Opportune

tunè S. Gregor. Nazianz. Orat. pro S. Basilio : *Qui vel solos mores, vel solam doctrinam consecuti sunt, ab altera vero deseruntur; ij mihi nihil à fascis differre videntur, quibus tum magnum decori nentum sit, tum vero major turpitudo, sive alios cernant, sive ab alijs cernantur: Ergo & ideo sanctitate præcellens, & Doctor sanctitate carens, monoculus est, & altero luminum orbat.* Et licet propria laus Magistri, seu Concionatoris sapientia, & veritas sit, optandum est maxime, ut vitæ laude, & optimis etiam moribus effloreſcat. Malum virum non est fas, esse interpretem Numinis, ut Philo, ne luxurie morum constupretur castissima veritas, & arcanos Scripturæ sensus adulteret. Vid. *Ibidem Disc.* 35. *& alios antecedentes.*

Cognita autem Jesus nequitia eorum ait : Quid me tentatis hypocritæ ? Severe, ac coram omni populo eos vocat Christus Hypocritas, ostendens quod eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret : Ex quo eleganter D. Chrysost. hom. 41. in Imperf. ait : *Dicit eis hypocritæ, ut quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos invenirent in corde, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quod Pharisæi quidem blandiebantur, ut perderent, Jesus vero confundebat, ut salvaret, quia utilior est hominis Deus iratus, quam homo propitius.* Irata voce eos confundens coram omni populo, hypocritas vocat, in ipsa tamen irata voce magna misericordia respondet, cum se Deum declaret, intima cordis secreta agnoscentem : Ut sic à sua mala mente, suisque dolis desistant, totoque corde se ad ipsum, ut verum Deum convertant, ut apud ipsum misericordiam impetrent. Inter ipsa vulnera divinæ iræ Deus utilia homini ad salutem applicat : Tribulatio enim nostræ cooperatur conversioni & pœnitentiæ. *Tract.* 94. *Disc.* 11.

Ostendite mihi numisma Census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc, & superscriptio ? Eleganter super dicta verba S. Hilarius. Can. 23. in Matth. *Numisma Cæsaris in auro est, in quo est ejus imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata.* Profectò sicut aurum argentumve Cæsaris imagine excusum, ad regij numismatis valorem, & elogium adfertur : ita homo à sui conditione, Dei imagine figuratus, tamquam Dei nummus excuditur, Dei expressa similitudine pretiosus. Et sicut, pergit Tertullian. Qui venditant, prius nummum quo pacisscuntur examinant, sic sculptus, neve rasus, ne adulter ita etiam credimus Dominum hominis probationem prius inire : an scilicet debitos characteres, nec rasos, & adulterinos habeat. In hominibus enim, ait S. Ignatius Epist. ad Magnesian Characteres duos dico inveniri ; Unum veri Numismatis, alterum adulterini : homo prius pacificus, patiens, numisma est à Deo cusum : impius impatiens, discors numisma mentium, incertum, adulterinum, carens signo debito, non à Deo effectum, sed à Diabolo : Characteres enim veri hominis Christiani sunt : pax. Vid. *Tract.* 70. *Disc.* 3. *& patientia. Tract.* 68. *Disc.* 2.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

ET surgens Jesus sequebatur eum, & Discipuli ejus. Matth. 9. Surgens nempe à prandio, in quo erat in convivio Matthæi, sequebatur eum : Mira Christi Domini pietas ac humilitas, sequebatur eum, ejus petitioni mox annuens. Et non legitur, quod dixerit ei aliquod verbum : nam optima responsio, & præcipue afflictio, non verbis, sed operibus componitur. Postulat regulus, ut Dominus vadat in domum suam ad sanandum filium, nec exauditur : at dum Archisynagogus petit adventum Domini in domum suam ad filiam suscitandam, Christus cum eo pergit. Quid est in domo Jairi, quod Dominum trahit ? An familiæ concursus ? An saltantium pompa ? An aureus ornatus, an plenæ mensæ, preciosæ dapes, senescentia vina ? Absit. In totâ Archisynagogi domo, nihil aliud esse memoratur, quam mortua puella ; Et super hanc suspiria & lachrymæ, in domo principis non vina, sed lachrymæ fundebantur, turbabat ibi familiam, non cura convivij, sed cura mortuæ : idcirco tam festinus sequitur Jesus : Tribulatio enim habet aliquid divini, & ideo Christus animas afflictas amplexatur, & cum eisdem conversatur. Vid. *Tract.* 94. *Disc.* 5.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Ut aer ventorum turbine, sic cogitationum, & affectionum procellis mulier turbatur : Confligebat cum fide causa, cum timore spes, & supplicatio cum pudore, timoris frigus interstinguebat credulitatis ardorem, vis amoris obscurabat lucem fidei, spei confidentiam necessitas verecunda frangebat : Sic mulier magni maris instar confusis æstibus jactabatur. Vincit interim fides, ait S. Petrus Chrysol. *Confugit mulier ad fidem subitam, cui longa defecerat cura : quæ confundebatur medicinam petere, furari voluit sanitatem : Nesciri se ab eo voluit, à quo credidit se posse salvari.* Nec vane, optatam siquidem sanitatem consecuta est : Quod hisce notat D. Isidorus Peluſiota lib. 3. Epist 123. *Ea fimbriam tetigit, Christus id passus, ac morbus profugit.* Ecce ut mulier duodecim annis misere afflicta, omnia sua expendit in medicos, adest Christus, eamque permisit suæ præsentiæ appropinquare, & morbus profugit : Nempe, tunc Deus suo adest auxilio, quando tribulamur, & auxilio ab hominibus destituti sumus. *Tract.* 94. *Disc.* 31.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. Christus ad Archisynagogi filiam dum iret : Ecce fœmina cruentæ, longæque passionis desperata venit ad medicum, non obsecrans, non gemens, sed tacens absolvit, quod quærebat : medijs se catervis vehementer inserit parvam saltem desiderans summitatem Dominici contingere vestimenti, latensque posterius ab extrema pendentis ora laciniæ, furtivam subito rapuit suspitatem. Adsit hic superbus Pharisæus, & justas, quas ut putavit, de Magdalena, hic immunda fœmina, quæ putatur Veronica, subnectat quærelas, repellat à contactu Dominici vestimenti, qui à pedibus repellere nitebatur peccatricem. Hæc interim Hæmorrhoissa, non ut superstitiosa à Christo repellitur, quod cogitaverit se, vel tactu vestimenti ejus salvam fore : Hoc enim modo docuit antiquam sanctarum reliquiarum venerationem. *Tract.* 87. *Disc.* 1. *& Disc.* 2. *maxime.* Verùm è contra hæc ejus fides, devotio, & pia cogitatio præsenti sanitate remuneratur. Sic scilicet divinus animarum Medicus hunc cultum reliquiarum sanctarum probat, ut & diversa miracula faciat, beneficia, & bona conferat. *Ibidem Disc.* 3. *& Disc.* 8. Rideant ergo SS. Reliquias Hæretici, ab ijsdem aliquando ridendi.

Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Ut olim illa Dei amatrix, Cant. 1. se Deo fistit, & ex abrupto clamat : *Osculetur me osculo oris sui*, non nominando sponsum, nec honoris, misericordiæque titulis obtestando, nec patronos adhibet, sed solum se Deo fistit, ad illumque confugit ; Unde Bernardus serm. 7. *Magnum quid à magno petitura, nullo tamen ut assolet, utitur blanditiarum fuco : nullis circumvolutionibus, ad id, quod desiderat, ambit : non facit proximum, non captat benevolentiam : Sed ex abundantia cordis repente prorumpens, unde satis, osculetur me, ait, osculo oris sui*; Ita pariter hæc Hæmorrhoissa, nullos patronos adscivit, ut ad Jesum accederet, nullos titulos, nulla verborum lenocinia congessit, nihil loquitur, nihil clamat, solum Jesu sistitur, Jesu miseriam suam ostendit, & sanatur. Siccine vel una sola repræsentatio necessitatis efficacissima est ad Deum in vota trahendum ? Sic vel simplex afflictæ postulatio, tam verum effectum sanitatis obtinere valet ? Præclare S. Ambros. lib. 3. de virgin. *Simul ut accessit mulier, virtutem sensit, medicinam impetravit, ut si oculum lumini admoveas, illuminatur, antequam sentias, & operatio lucis prævenit apparatum.* Recurre ergo, exemplo mulieris, in tribulatione ad orationem, quia afflictorum preces, efficacissimæ sunt. *Tract.* 94. *Disc.* 39.

Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, videns eam dixit : Confide filia. S. Marcus Evangelista recenset Christum conversum dixisse : *Quis me tetigit ?* Opportune hic Hugo Cardinalis ait : *Quis, dicit Dominus, sciens tamen quod mulier tetigerat eum.* Itaque Jesus scit Divinitatis perspicacia, quod mulier ipsum tetigerat, & tamen non inquit, quæ me tetigit : Sed masculum pro fœmina posuit. Num mutat tangentis sexum, ut dissimulet fœminæ attactum ? Cavetne à fœminæ pio contactu, vel ore prolato ? Quid dehonestaret Jesum publice fateri se piè contactum à pia fœminæ ? Cavet, cavet Christus Deus vel à referendo fœmineo contactu, non quia periculum illi foret, sed ut mortales erudiat, quod peccatum quantumvis sit modicum, suum tamen habeat venenum, ac proinde timendum, ne in graviora nos ruere faciat. *Tract.* 76. *Disc.* 14. Aut ne doceat, quod animæ timoratæ, culpas etiam minimas fugiant, utpote severe à Christo judice judicandas. *Ibidem Disc.* 16.

Confide filia, fides tua te salvam fecit. Mulier illa, quæ duodecim annis fœdum sanguinis fluxum patiebatur, animosa fide accessit ad Jesum, & attactu fimbriæ vestimentorum ejus, confestim stetit fluxus sanguinis ejus ; Et cum Salvator inquireret, quis eum tetigisset, & ipsa piam audaciam suæ fidei palam confessa esset, publicans se furtim fimbriam tetigisse, & statim pristinæ sanitati restitutam, tunc ait illi Jesus : *Confide filia.* Quomodo hæc concordant : Nam si mulier illa prius sana facta fuit, quorsum illi mandatur, ut confidat ? Quid confidet sanitatem consequi, si salutem jam consecuta est ? Quis speret habere, quod possidet ? Possessio, res fruitionis est, non negotium fiduciæ : Fiducia otiatur circa possessa, quæ semper anhelat possidenda. Cur ergo mulieri sanitatem consecutæ mandatur ut confidat ? Scilicet, ut viva sit. Ad hoc enim, ut fiducia nostra sit efficax, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non vero in mundum collocatur, diligentiasque humanas, & nostram cooperationem minime excludit. *Tract.* 85. *Disc.* 11.

Non est mortua puella, sed dormit. Charissima erat filia patri, nam tenella erat, annorum duodecim, unica in domo patris, quam ut expirasse vidit pater, festinus currit ad Dominum, pro resuscitatione filiæ deprecans : Quam Dominus non mortuam, sed dormientem asseruit, quamque paulo post remota turba à mortuis suscitat. Contraria plane sunt sibi ista : Num vera mors unicæ filiæ, fascinum est patri ? Itane amor filiorum infatuat parentes, ut dormientes credant, & dicant defunctos ? Mortua puella, gratia mortuum designat peccatorem : *Nam quæ in delicijs est*, ait 1. ad Timoth. 5. Apostolus, *vivens mortua est.* q. d. vivens non vivit ; Sed vitam corporis obivit, animæ morte. Idoneè Sanctus Bernardus serm. 48. in Cant. *Vita*, inquit, *in peccatorum delicijs agens, & mors, & umbra mortis : Quantum enim umbra est corpori cujus est umbra, tantum pro certo vita illa inferno appropinquat.* Heu infernalis gehenna, velut umbra peccatoris, & peccati est ! Quocumque se verterit peccator, infernum velut umbram circumfert : Peccatum enim non solum inferno simile ; Sed & ob malam conscientiam illo deterius est. *Vid. Tract.* 77. *Disc.* 3. Eleganter Euseb. Emissen. Homil. 1. De initio quadragel. *Anima quæ in delicijs est, vivens mortua est : Tunc plane vera mors est, quando homo, anima præmoriente, deteriore sibi parte hominis sit superstes.* Itaque homo per peccatum, deteriore sui parte superstes est, & anima præmortua in corpore superstite, velut in quodam sepulchro tumulatur. O funeste vivas peccantis exequias, quas anima, & corpori peccatum causat, ut & corpus vivum quoddam fiat cadaver. *Ibid. Disc.* 6. *& Disc.* 7.

Et surrexit puella. Non solum significat Evangelista his verbis, ad vitam puellam fuisse revocatam ; Sed etiam viribus corporis esse dotatam, ita ut statim erecta sit ; Quod clarius exprimit Sanctus Marcus dicens : *Et ambulavit.* In cujus puellæ resuscitatione, hoc bene notandum est, quod cœlestis mortuorum suscitator, Christus Deus, nequaquam tot cæremonijs usus sit, uti in resuscitatione quatriduani Lazari, qui consuetudinarium peccatorem designabat ; idque ex ea causa, quia puella erat, quod acutissimè annotavit Sanctus Anton. de Padua : *Puella, dixit, non veterana, anima enim quæ nondum à diuturnitate malæ consuetudinis est oppressa, Sed quasi puella, novella in peccato est sopita, de facili, ad vitam potest resurgere.* Etenim si fuisset inveterata in peccato, majori cum difficultate eam resuscitasset, ob inveteratam peccandi consuetudinem, quæ majores ad resurgendum difficultates parit. *Vid. Tract.* 73. *Disc.* 6. *& 8. Item Tract.* 74. *Disc.* 9. 10. *& Disc.* 11.

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

VÆ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Matth. 24. Prædicit Christus præambulos timores supremi judicij, dicens, solem obnubilandum, lunæ defectum, stellarum deliquium, elementorum horisonas concussiones, Judicis rigores, conscientiæ impatientiam, damnationis pavores, quibus impij homines territabuntur, & tabescent ; & inter cætera, gravius Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Cur vero prægnantes & nutrientes finis tempore, in majori periculo versantur, ut super illas væ inclametur ? Cur idem væ non intimatur decrepitis, claudis, ac ægris ? Non sine mysterio ; Non enim est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritualibus respectu damnationis æternæ ; de ijs mirum, qui instante mortis agone, salutaris vitæ propositum prius concipiunt ; quæ res plena periculis est : Sæpe enim dum Deo ad pœnitentiam vocanti tarde respondent, morte præveniuntur & pereunt. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 6. *& 19.* Præterquam quod alia gravia damna sibi conciliant, & à Deo juste & severe puniuntur. *Vid. Ibid. Disc.* 1. 5. *& 21.*

Certum enim est, quod parum idoneum tempus sit ; tunc scilicet novam inchoare vitam, cum vita deficit ; sine qua nova vita esse non potest. Quid, quod illud ipsum tempus ad veram agendam pœnitentiam impeditissimum sit, ex parte agonis & infirmitatis. *Ibid. Disc.* 11. Nemo igitur salutis fuæ præsidium, in illa extrema pœnitentia ponat, quia Deus, illos, qui usque ad finem vitæ emendationem suam differunt, abominatur & rigide castigat. *Ibidem Disc.* 16.

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. His omnibus verbis vastationis hujus magnitudinem Dominus significat, quibus ostendit summum illud odium, quo peccatum insequitur. Elegerat hos in populum sibi peculiarem, scilicet Israëlitas, quorum famulatu neutiquam egebat ; Sed ex sola sua bonitate arctissima charitate eos dilexit : At vero cum peccatis suis Deum concitaverunt in inaquoso, in terra deserta & vastæ solitudinis, peccata peccatis cumulantes ; ad Deos alienos conversi, ita his sceleribus Dominus ad iracundiam fuit provocatus, ut totum illum vehementem amoris ignem, in ignem odij & indignationis verterit : quem tremendis verbis & longa oratione Moyses in cantico suo Deut. 32. expressit, cum Dominum sic loquentem inducit : *Ignis accensus est, in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Ubi quot verba, tot fulmina sunt, quibus Dominus iræ suæ magnitudinem suumque erga peccatum odium ex tam multiplici ac horrenda pœnarum atrocitate declaravit. *Vide Tractat.* 71. *Disc.* 19.

Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Maxima denuntiatur futura tribulatio, & quis vitio vertet, si quis fugiat à ventura ira, nam illa fuga, sive Sabbatho, sive hyeme accidat, excusabilis videtur. At cur orare mandat Dominus, ne tali contingat tempore ? Ad rem Seleuc. Basilius in Isaiam respondet : *Intelligendum est dictum istud Evangelicum ; ne nobis tunc incidat fuga, cum per inertiam vitam nostram traducimus.* Scilicet per hyemem intelligitur torpor inertiæ, & negligentiæ, tunc enim in frigore membra contrahuntur : Per Sabbathum vero denotatur vacatio laboris ; cum ergo negligentia, cum vacatione operis regnat, tunc maxime deplorata est fors nostra, nobisque summe timendum, ne Sabbatho, hoc est, ab operibus otiantem veniens reperiat Dominus ; Unde extimularis, fructuose tempus impendere, otiaque vitare. *Vid. Tract.* 91. *Disc.* 12. *maxime Num.* 9. *& sequentes.*

Orate ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Super quæ verba sic commentatur D. Cæsarius Arelat. homil. 42. *Videte ne tunc quæratis peccata fugere, quando jam non licet ambulare.* Tum quod peccatores eo tempore in morte revolvere solent ea in mente, quibus dediti fuerunt in vita. Vid. *Tract.* 81. *Disc.* 9. Quisquis igitur hoc tempore peccata deserere vult, is vere in Sabbatho, vel hyeme, hoc est, in tempore valde difficili fugam meditatur : consuetudo siquidem inveterata peccandi, pœnitentiam difficilem, & pene impossibilem reddit. *Ibidem Disc.* 8.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem : ita erit & adventus filij hominis. Comparat hic Dominus secundum suum adventum fulguri : Sicut enim fulgur, ait D. Chrysostom. egreditur, & omnibus in conspicuo est, nullo egens præcone aut prænuntiante ; sed ex ipsissimo suo splendore, minimo temporis momento, universo paret orbi : ita quoque erit adventus filij hominis propter magnitudinem sui splendoris, omnibus simul apparens, & factus omnibus ipse nuntius. Cur autem fulguris mentionem facit, eique potius suum adventum comparat ? Ideo, ut sicut fulgur ea quæ duriora sunt, & rigidiora magis comminuit, & conterit ; Sic Christus superbos obduratos conteret : Unde Propheta Regius, Psalm. 69. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Ignis enim fulguris injurias communi Creatori illatas per incendia vindicat, illis parcens, in quibus peccatum non invenit. Vid. *Tract.* 78. *Disc.* 10. Anne igitur ille fulguris ignis, per assiduam meditationem, & pium tranquille horrorem, in hominis ossa immissus, & animæ visceribus, ac medullis antecedenter impressus, vividæ cogitationis ventilabro flammam explicat, ac incendium propagat, & dilatat, adeo ut dum mentem in illud convertit, unde incendij minæ scintillant, hominem ad pœnitentiam & conversionem erudiant ? Præclare Psalmista illud Thren. 1. expendens : *De excelsa misit ignem in ossibus meis, & erudivit me* ; ait : *Porro anima peccatis obnoxia, dum pro suis iniquitatibus à Domino nonnunquam corripitur, ad se introsus redient, dum salutis dolore compungitur, quasi de excelso in suis ossibus*

ossibus ac si medullarum cogitationibus, ignem venisse non dubitatur, pro quo divinitus attracta castigatur ac eruditur disciplinis divinis: Deus enim tonitrua fulguraque excitat ad incutiendum peccatoribus metum, illosque convertendos sua in illos fulmina immittit, ut suam adversus peccata iram effundat. *Ibidem Disc.*12.

Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: Et tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus. Nimis metuendum finalis judicij spectaculum Christus Deus hominibus proponit. Sol inquit, *obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, &c. Et tunc parebit signum.* Pervestigant interpretes, quodnam sit signum filij hominis, & communiter respondent, quod crux hæc enim est signum, quia ipsa est vexillum Christi, causa victoriæ fidelium: infidelium vero, & impiorum olim fuit scandalum, sed eorumdem in die judicij erit tormentum. Addit Cyrillus Catech. 15. cum SS. Chrysostomo, & Augustino hoc crucis signum ab Angelis deferendum ante conspectum Christi judicis descendentis ad judicium, quasi trophæum gloriæ, victoriæ, ac insigne regale summæ potestatis. Qua super re sic fatur Chrysostom. *Tunc apparebit signum filij hominis; Cujus autem rei gratia istud signum apparet? Ut in magno cumulo Judæorum impudentia opprimatur. Crucem in suam justificationem secum habens in judicium veniet. Non vulnera enim solum; Sed etiam acerbum, & ignominiosum mortis suæ genus ostendens. Tunc plangent tribus, non enim accusantibus opus erit, cùm crucem viderint, plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt:* Supplicium enim eorum, qui reincidunt in peccata, ob gravissimam ingratitudinem notabiliter augetur. *Vid. tract.* 75. *disc.*6. *Num.* 5. *Item Disc.*7.

Ab arbore autem fidei discite parabolam: Cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia. Postquam Christus recensuit prævias tremendo judicio calamitates, hac similitudine exponit, quam timenda sit impijs mundialis felicitas, cum gratius arridet. Ad quæ verba Evangelista, ita opportune scribit S. Gregor. hom. 1. in Evang. *Sicut ex fructu arboris vicina æstas colligitur: ita ex ruina mundi prope cognoscitur regnum Dei: Et ex hoc ostenditur, quia fructus mundi ruina est, ad hoc enim germinat, ut quæcumque germine aluit, cladibus consumat.* Nimirum cum Deus tibi indulgenter felicitatem promittit, ô Peccator, campi tibi vernant, florent, autumnant, & florida mundi gratia spe cumulatius impleris; scito quod ex fructu, & flore arboris, agnoscitur vicina æstas, quæ fructus avide torreat. Et ex hoc ostenditur, *quia fructus mundi ruina est; Ad hoc enim germinant &c.* Profecto sublimis mundanorum prosperitas in hac vita, & peccatorum impunitas, ruinarum minæ sunt, & infallibile Dei contra illos indignantis judicium. *Vid. Tract.* 78. *Disc.* 32. 33. & 35.

INDEX CONCIONATORIUS FESTORUM.

FESTUM S. ANDREÆ APOSTOLI.

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, & ait illis: Venite post me. Matth. 4. Omnis Rex, inquit ex Joanne Patriarcha Jerosol. Thomas Beauxamis, pugnaturus contra adversarium regni, prius congregat exercitium, & sic vadit ad pugnam, Creat autem in eo, alios Duces, alios Capitaneos, & alia aliis officia deputat: Sic Christus pugnaturus contra diabolum, hodie congregare cœpit fideles sibi, ex quibus principes; Centuriones elegit, Apostolos nimirum: Et ideo circumit mare Galilææ, ubi omnium primo invenit, & vocavit duos fratres; Petrum & Andream, moxque duos alios Joannem, & Jacobum. Quare vero binos fratres elegit? Respondet Apostolus: Quia venerat, ut dissolvat opera diaboli, quæ melius dissolvi non possunt, nisi unione; diaboli enim opus est, seminare discordiarum Zizania. *Vid. Tract.* 70. *Disc.* 8. *Num.* 1. Has vero discordias destruit ipsa pax. *Ibidem Num.* 6. & 7. Unde Incertus Chrysostomus hac super re ita philosophatur hom. 7. *Super charitatem etiam fraternitatis recte posuit fundamenta, ut ex radicibus charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super naturalem charitatem, ut non solum per gratiam, sed etiam per naturam, charitas firmior habeatur? Unde dicit: fratres. Sic enim fecit Deus, & in Veteri testamento super Moysen, & Aaron fratres, ponens ædificationis initium. Quoniam autem abundantior est gratia novi testamenti, quam veteris, ideo primum populum ædificavit super unam fraternitatem, hunc autem super duas.* Super charitatem fraternitatis posuit fundamenta: Discordia enim regna destruit, quæ pax erit, & ideo per pacem Apostolorum & primorum fidelium erexit & stabilivit Ecclesiam. *Ibidem disc.* 10. *per totum.*

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare, erant enim piscatores. Mysteriosum valde est, quod ex tot tantisque hominibus piscatores ad tantum munus Apostolicum eligat Dominus. Piscator in incertum jacet rete, ad comprehendendos quoscumque, qui intraverint pisces, ita ut nec ad hunc, nec ad illum determinate piscem rete extendatur; uti tradit clare Divinus Chrysostomus in Imperfect. hom. 7. dicens: *Sicut qui retia jactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus sit, sed quos Deus ei transmiserit, illi intrant in retia: Sic Doctor, quando divini sermonis retia super populum jactat, nescit, qui accessuri sunt ad Deum sed quoscumque Deus excitaverit, illi adhærent doctrinæ.* Piscator uni soli piscatoriæ arti intentus inhæret, nec ad venationem sese deflectit: ita pariter Concionator in muneris sui exercitio, soli omnium animarum saluti interius esse debet. *Vid. Tract.* 82. *Disc.* 39. Ad officium præterea opificatoris maxime spectat, omnes sinus flexus maris, fluminum, & lacunarum exploratos habere, cœlum, cursus ac mutationes lunæ observare, tempora piscationi apta non prætermittere, rigidum frigus perferre, magna pericula subire, totas noctes quando alij somno incumbunt, operando ac vigilando pertransire: Similia fere observare debent, qui Apostolico munere funguntur, tempus opportunum ad prædicandum observare debent, nullumque non subire laborem, & periculum, atque à veritate sine adulatione prædicanda, reprehendendisque vitiis numquam desistere. *Ibidem disc.*46. & 47.

Et ait illis venite post me: & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt Dominum. Vocantur hi duo, Petrus & Andreas ad Apostolicum nempe officium, adeoque ad altissimum perfectionis statum: Antequam vero hoc munus aggrediuntur reticulis suis se expoliant, ut vocanti Christo pareant: Hanc festinatam rerum omnium dimissionem quas habebant, aliqui inconsultæ lenitatis, & imprudentiæ arguunt & damnant; sed male, nam cum ad apicem perfectionis prosequendum vocarentur, cuncta ultronei & voluntarij dimittunt; nam paupertas voluntaria mirifice ad perfectionem confert. *Tract.* 69. *disc* 2. Finis autem hujus vocationis fuit, ut heroicos de diabolo fraudibus suis mundum fascinante, triumphos agerent, qui & in hoc opere eisdem haud leve negotium facturus erat. Necessum igitur erat sese omnibus expoliare, nam si vestitus quisquam, cum nudo luctetur, citius dejicitur, quia habet, unde teneatur, paupertas vero omnibus rebus expolians, tribuit de invisibilibus hisce inimicis præclaros triumphos, suosque clientes protegit & defendit. *Vid. ibidem Disc.*4.

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Quia sæpe Christus Dominus à rebus temporalibus, quas tempus & locus dabant, sermonem transtulit, ad spiritua-les, ut à terrenis ad cœlestia mentem hominis attolleret. Et quia ipsi erant occupati in arte piscandi, ideo sub metaphora hos piscatores vocat, pisces vero homines dixit. Sicut enim reti à piscatore trahuntur pisces: ita etiam homines, à prædicatore trahuntur reti intexto sacra doctrina, varietate sententiarum, ac parabolarum, narrationibus divinis sacræ scripturæ, promissionibus Beatitudinis? Unde efficaciam verbi Dei, specialiter in conversione mundi; colligas. *Tract.* 83. *Disc.*14.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua. Ad altissimum prædicatoris Apostolici officium vocantur hi duo fratres, eo tempore,

pore, quo in reficiendis retibus desudant. Nec sine mysterio: *Retia enim*, ut Albertus Magnus inquit, *per metaphoram docent artem prædicationis: ut illa reficiatur studijs scripturarum, & promotione litteratorum virorum.* Jacobus & Joannes reficiebant rete, quod prædicationem designat, quia prædicatio Evangelica reficienda est non vaniloquio, non criticis verbis, non calamistro, non retortis, ac profanis historijs, non poëtarum figmentis, non falsis ac jocosis ludibrijs, sed ex oratione, ac contemplatione, meditatione sacrarum Scripturarum, studio SS. PP. ac illorum sententijs, quæ lachrymas & compunctionem excitare valeant. *Non enim mediocre periculum est*, ait S. Ambros. serm. 22. in Psalm. *cum habeas tanta eloquia Dei, & Dei opera, quæ fecit in Genesi fecit in Exodo, fecit in Levitico, Numeris, Deuteronomio, Jesu Nave Judicum libro, Regum atque Esdræ libris: quæ fecit in Evangelio, in actibus Apostolorum, si illis prætermissis loquaris, quæ sæculi sunt. Vid. Tract.* 83. *Disc.* 40 41. 42. & 43.

Festum Sancti Thomæ Apostoli.

Pro quo vide Dominicam in Albis materiam suppeditantem.

FESTUM NATIVITATIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Luc. 2. Dum in Bethlehem, Deipara Virgo peregrinatur, peperit filium suum primogenitum, haud dubie in pecuino stabulo: Nam pannis infantem Deum recens natum involvit, & reclinavit in præsepio. In pecuino abjectè præsepio Deus infans reclinatur? Esto humillimæ abjectionis peramans, abjecta quæque prælegisset, cur belluinum præsepe, brutum stabulum, & irrationalium pecorum pastum, tamquam reclinatorium non abhorret? Quid increatæ sapientiæ, cum irrationabilium jumentorum præsepio & illorum pecuino stabulo: Opportune Hesiodus lib. 2. de Laudibus Virginis: *Libens reconditur in præsepio, ut qui sunt pecuini accurrant; & reperiant λογὶν; id est, sermonem in præsepio constitutum, ut ex eo remeant dignitatem rationalem.* Homo enim per peccatum bestijs factus est similis, imo pejor illis evasit. Itaque consultissime hoc cœleste granum, futurum in Eucharistia, frumentum electorum, in præsepio reconditur, ut qui velut jumenta illo accurrunt, pecuino sensu, brutaque mente, reperiant spicam rationalem, & inde rationalem dignitatem nanciscantur. *Vid. Tract.*71. *Disc.*13. & *Disc.* 20.

Et erant pastores in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. His pastoribus primo annuntiatur Dei recens & lætum nuntium: Annon è re Dei potius foret, ut Hebræi populi Principes, Pontifices, Senatores, Legis sapientes & Judæorum proceres, spectatissimum hunc Messiam primi omnium agnoscerent? Notitia enim illorum, reliquis persuasio, de Christi adventu, certissima fieret. Interim hos Angeli negligunt, & è cœlo edocti, ad pastores properant, qui in multam etiam noctem super gregem suam exsomnes vigilant. Facunde sub compendio causam recenset S. Gregor. hom. 8. *Dum ipsi* (pastores) *pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat.* Nempe ruralis pastorum solertia, dum ex integro muneri suo plene obeundo attentius vigilat, Angelorum blandimento exulat, & primi arcanioris mysterij annuntiatione, nobilius honoratur: Ut hinc discas, exemplo horum pastorum solerter, ex omni parte legem divinam observandam esse, si Deo placere, & graviores excessus evitare velis. *Vid. Tract.* 46. *Disc.* 19. & *præcedentes.*

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, custodientes vigilias noctis super gregem suum. Statim ac natus est Salvator, Angeli felicissima nuntia adventus ejus, pastoribus deferunt, ut eos tanti gaudij participes efficiant. Tres erant pastores, sicut & tres Magi, uti colligitur ex Beda lib. de locis sanctis cap. 8. Qui greges suos pascebant in quadam planicie fœcunda, quæ à Bethlehem mille passus distabat, & sita erat, juxta turrim gregis, Gen. 35. Ubi sepulta est Rachel, & Jacob habitavit, ac Deo holocaustum obtulit: ac proinde non mirum his, prima nuntia læta, pastoribus deferri. Valde enim frequens est, quod multa conferantur bona, & beneficia, in singularem hominum utilitatem redundantia, per sanctorum reliquias. *Vid. Tract.* 87. *Disc.* 8. Cum Jacob in Mesopotamiam pergeret, & ad quemdam venisset locum, requiescens vidit in somnis scalam, stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum, & Dominum scalæ innixum Gen. 28. Ast cur hac tantorum mysteriorum visione dignatur potius in hoc loco, quam in quocumque alio? Respondet Lippoman. Ibi primum Abraham sacrificaverat, & promissiones Dei acceperat, & ei de filio immolando ibidem mandatum fuerat, & ibi nunc scalam Jacob videt: Ita pariter, cum in Dei memoria essent sacrificia, quæ Jacob in hoc loco obtulerat, quodque Rachel ibidem sepulta quiesceret, inde voluit Deus hoc summum beneficium conferre, ut primi Deum natum viderent, ac tanti gaudij essent participes. O igitur antiquissima sanctarum Reliquiarum, Deo gratissima veneratio! *Ibidem Disc.* 1. & 2.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore Magno. Iratum fratrem timet Jacob (infestiores enim sunt charissimorum iræ) fugitivus, ad ignotos peregrinatur, super nudam humum ipse etiam investis dure cubat, silice pro pulvinari admoto: Itineris pedibus confecti fatigatio somnos conciliat, & ideo in utramque aurem dormit: tunc Jacobus mundo surdus, cœlo oculatissimus, in somnis videt scalam, terræ innixam sed cacumine cœlos pertingentem; adest Deus manu sua scalam firmans, & ascendentes pariter & descendentes Angelos intuetur, benigne illum Deus alloquitur, & magnifica in futurum spondet: *Cumque evigilasset Jacob de somno ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*, Gen. 28. pavensque: *Quam terribilis est*, inquit, *locus iste? Non est aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Pastorem Jacob, figuram horum pastorum gessisse dixerim, qui dum astantem cernunt Angelum, non panico sed sancto timore terrentur; Et quia timore Dei magno timent, cœlestibus gaudijs recreantur. O saluberrimus Dei timor, qui ipsis animabus timentibus tam abundanter consolationes & gaudia confert! *Vid. Tract.* 93. *Disc.* 12.

Et hoc vobis signum: Invenietis infantem positum in præsepio. Liceat cum expositoribus examinare hoc signum, pastoribus cœlitus exhibitum, ut credant infantem illum esse Christum Deum. Porro quid miraculose arcanum, aut extraordinarie præcelsum apparet in eo, quod inveniant puerum recens natum, & prope eum, ejusdem matrem cum astante marito? Num ex hoc colligere liceat, ejusmodi puerum esse mundi Salvatorem, Messiam promissum, & Christum Dominum? Unde hic transparet divinitas? Et sane puer, etsi erat Dei verbum, infans nuncupatim nominatur: nec Deipara ullum ad eos verbulum fecisse legitur. Quomodo ergo videntes; *Cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis, de puero hoc.* Infans Deus silet, Virgo mater tacet, & tamen pastores esse Christum Deum indubie cognoscunt.

Perbelle S. German. de Nativ. B. Virginis; *In Maria sine voce, & scriptura, ipse inscriptus Deus, & verbum, per diem legitur.* Sic gratum sibi probat esse silentium, ut media nocte, dum altissimum silentium tenerent omnia, nasci tacens voluerit, tanta authoritate & pondere, silentij commendans disciplinam. *Tractatu* 88. *Discursu* 5. *Num.* 1. & *sequent.*

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis. Nemo est, qui ex Isaiæ cap. 33. ignorat: Cœlestes illos spiritus Angelos pacis in scriptura vocari. Percuperem ergo scire, quo sine velut armati bellatores sese conglomerantes descendant è cœlis, ut pacem deprædicent: Per hunc habitum, & figuram indicare voluerunt modum, quo tantopere hoc summum bonum, quod in se continet omnia bona, uti Glossa ait, scilicet pax acquiratur: Non otio & quiete; sed per bella vincendo passiones, mundum, carnem, & Dæmonem, eis bellum movendo. *Vid. Tract.* 70. *Disc.* 14.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Inter mirabilia, quæ Nativitatis Dominicæ tempore contigerunt, non postremum locum obtinet, pax, quæ eo tempore sub Augusto Romanorum Imperatore floruit. Et merito eo tempore, quo vera pax de cœlo descendit, tot antea tumultibus agitatus mundus, in summa pace agere debuit. Ut quid ergo cœlestis illa Angelorum multitudo, Angelo Dominicam Nativitatem annuntianti associata, quæ ut quid insolitum, & inauditum nuntiare veniebat, solam pacem propalat, qua tamen ipse mundus gaudebat? piæ hujus quæstionis solutionem ex verbo Christi consequimur, qui Matth. 18. ait. *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum:* Ut testes igitur præcedentis nuntij assistit illa multitudo, ut quod solus Angelus palam prædicat, alij verbo, pax confirmet: Tantæ enim excellentiæ est pax, ut quid in se divini contineat, ab eaque sibi Dei filius nomen assumat. *Vid. Tract.* 79. *Disc.* 1. à *Num.* 1. *usque ad* 9. *item Disc.*2. Hanc Salvator, quamdiu nobiscum egit, tantopere amavit, ut pro

pro ea mori voluerit. *Ibidem Num.* 10. *Item Ibidem Diſc.* 4. *Num.* 4. Et ideo moriens hanc velut pinguiſſimam hæreditatem reliquit. *Ibidem Diſc.* 5.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vide ô Angele Dei, ne erres, quæ enim gloria filio Dei accidit, qui hæc infima terræ ingreditur, vilemque noſtram & mortalem naturam aſſumit, per quam qualificatur ad omnes noſtræ mortalitatis miſerias, & contumelias perferendas. Vili ſtabulo naſcitur, qui in cœlis fulgentiſſimo ſedebat in throno: Quæ huic gloria? Gloria potius hominibus in hac terra degentibus; quorum natura ex abjecto per peccatum ſtatu, in altiſſimum locum aſſumitur, & divinæ naturæ copulatur, paulo poſt ad dextram Dei Patris in cœlis collocanda: Deo Patri vero in excelſis potius pax, qui per hodiernam filij ſui in terris nativitatem, generi reconciliatur humano? Verum nequaquam ita erit, ait Angelus: Gloria Deo, pax hominibus, idque ideo, quia glorificatur natura hominis in filio Dei. Eſt enim tantum bonum pax & bonum ita cœleſte, ut ipſa gloria titulo pacis inſigniatur, & cum ea confundatur; & ideo concordia, & unio in hac vita, æternæ vitæ pignus exiſtit. *Vid. Tr.* 70. *Diſc.* 6. *per totum.*

Pax hominibus bonæ voluntatis. Ad rem, D. Ambroſ. ſerm. 3. de Nativit. Pax, ait, non quibuſcumque hominibus, ſed bonæ voluntatis hominibus. Quinam ſunt illi? Citatus Ambroſ. & S. Auguſtin. credunt illos habere bonam voluntatem, qui tam ſinceram habent intentionem, ut ſi ex fragilitate cadant in aliquod peccatum, & non ex malitia, ſtatim errorem agnoſcant, & ſe emendent: Id eſt, qui bonam gerunt conſcientiam, quoad ſe, quod alios vero, eorum defectus patienter ſufferunt, proprio commodo non ſtudent, in congregationibus particularitates fugiunt, reciprocum amorem fovent: His enim modis vera pax acquiritur, & conſervatur. *Vid. Tract.* 70. *Diſc.* 17.

FESTUM S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Matth. 23. Minatur hic Dominus miſeris Judæis univerſale eorum excidium, & perniciem, quæ ſub Tito, & Veſpaſiano poſt Chriſti mortem eſt facta. Et conveniunt SS. PP. unanimi conſenſu, tantam devaſtationem in populum irruiſſe ob mortem Domini, ſicut ipſemet dixit, Luc. 19. *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Quomodo ergo Chriſtus Dominus inducit in præſenti clamorem, à vindictæ ſanguine tot juſtorum effuſo, ad pœnam infligendam! Reſpondet Origen. hom. 25. in Matth. *Propter quod venit ſuper vos omnis ſanguis juſtus, quem effuderunt: Et non ſolum tunc vox ſanguinis Abel clamat ad Deum, adverſus eos, qui eum evertere volunt, ſed & ſanguis teſtamenti, id eſt, veritas ſcripturarum, ab impijs effuſa, ſecundùm quod diximus à ſanguine Chriſti, id eſt, à veritate Evangelij cœpta per omnes ſcripturas, interpellat ad Deum adverſus eos, qui evertere eam volunt:* Contemptus enim verbi Dei, ejusque intermiſſio, calamitates & exterminia ſuper populos provocat. *Vid. tract.* 83. *Diſc.* 24. & 25.

Jeruſalem Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Jeruſalem nuper ſanctitatis laude opinatiſſima, Stephanum damnat ad cruciamenti acerbitatem: de cujus acerbitate flebiliter Chriſtus conqueritur. Quid enim acerbius & intolerabilius, quam eos crudeliter necare, qui in ſalutem gentis miſſi ſunt. Vultum Stephani, ut vultum Angeli reſpiciebant in Synagogis Judæi, veritatem prædicantem auſcultabant, verba legis mira ſuavitate proferentem admirabantur, nec poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. Unde igitur tam repentina ſubſequitur calamitas, & crudelitas? itane nervoſe premit S. Auguſtin. in Pſalm. 57. dicens? *Ubi venit ad commemorationem Chriſti, quem illi omnino audire noluerunt: Quid de eis ſcriptura dicit? Quid de illis narrat? Clauſerunt, inquit, aures ſuas. Quid autem poſtea fecerint, paſſio Stephani narrat, atque declarat, non erant ſurdi, ſed fecerunt ſe ſurdos: Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipſis auribus cordis vim faciebat. Clauſerunt & aures cordis, & ierunt ad lapides.* Ecce aſpides ſurdæ duriores lapidibus, peccatores per conſuetudinem obſtinati ſunt. *Vid. Tract.* 73. *Diſc.* 2. & *Diſc.* 7. Verum non eſt, quod indigneris tamquam aliquid novi acciderit: Magis mirari debes, ſi non accidiſſet: Sic enim eſt, ingratitudinis vitium proclive, & familiare hominibus, qui ſic malitia & ingratitudine ultra feras obbruteſcunt ut conſuetudine peccandi habituati, in profundum malæ conſcientiæ, cœcitatis, deſperationis, pertinaciæ, & cæterorum vitiorum corruant. *Ibidem Diſcurſu* 3.

Jeruſalem Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt? Magna in hoc horum Jeroſolymorum denotatur ſtultitia, qui hos, quos in ſuam ſalutem ſibi miſſos, uti alij illi Evangelici homicidæ Matth. 22. tenuerunt, & occiderunt: Quod & ipſiſmet S. Stephanus exprobrat, Act. 7. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt eos qui nunciabant de adventu juſti?* Sed unde tanta emanavit eorum dementia, ut quos, uti patres venerari debuerant occiderunt? Reſpondeat Regius Vates Pſalm. 105. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs.* Heu funeſtum ſcelus! Quid enim magis impium, quid magis crudele, quam filios jugulare Dæminibus? Verum cum cousque eorum malitia excreverit, non ſtetit ibi; ſed ultra procedit, & ad aliud gravius ſe extendit, ut in ſanctos Dei mitteret manum, & eorum patres in doctrina, & religione crudeliter occidit. D. Hieron. in cap. Iſaiæ. 57. *A parricidio liberorum, ad Prophetarum ſanguinem pervenerunt.* Hæc pœna peccati eſt, poſt ſe trahere aliud gravius, *Tract.* 78. *Diſc.* 29. 30. & 31.

Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Hodierno in officio ſanctiſſimi Martyris paſſionem celebrans Eccleſia, dum ſe reflectit ad ejuſdem paſſionis inſtrumenta, ait: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt:* quos ideo ſingulari cum gaudio expectavit, & ſuſcepit: *Gaudens ſuſcepit Lapides:* Quo facto, ait Joannes Patriarcha Jeroſolymitanus, quod interitus, ſit riſus hominibus futurus, demonſtravit. Quando Diabolus in vaſta illa eremo, ſervatori noſtro famelico lapides in panes convertendos obtulit, eosdem aſpernatus eſt, Magiſter meus Jeſus, & rejecit: quid ergo eſt, quod hodie tanto cum gaudio eos ſuſcipiat Domini ſervus? An quia torrens ille, ijsdem aliquam dulcedinis qualitatem impreſſit, uti eæ aquæ, quæ certas mineras tranſeunt, eorum mineralium qualitatem aſſumunt, ita & his lapidibus evenit? Veniebant de Jeruſalem, quæ viſio pacis dicitur? quidquid autem è pacis fonte fluit, omnem jucunditatem & dulcedinem confert. *Pax eſt guſtus & fructus æternæ dulcedinis, quæ etiam inter tormenta, Martyres ſervavit in dulcedine ſui ſpiritus*, ait Albertus Magnus. *Vid. Tract.* 70. *Diſc.* 7. *maxime Num.* 4. Deinde S. Stephanus plenus erat Spiritu ſancto, fructus autem Spiritus pax, quæ animæ omnem hilaritatem, & internum gaudium communicat. *Loc. cit.* Non ergo mirum eſt, quod intendens in cœlum viderit gloriam Dei, nam & in hac vita pax & concordia æternæ ſalutis pignus exiſtit, *Ibidem Diſc.* 6. *per totum.*

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos. Solicita mater gallina eſt in filios ſuos, ut eorum ſalutem tueatur à milvo adventante, ad ejus conſpectum, quam velociſſime congregat ſub alis pullos: Nec minori ſolicitudine, ſed majori velocitate ad noſtram ſalutem inclinatur filius Dei; cujus accelerationem ſumme deſiderat. *Vid. Tract.* 81. *Diſc.* 26.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos. Mira ſane Chriſti pietas, qui etiam poſt mortem ſibi illatam non deſerit Judæos, ſed ad eos Apoſtolos, & Diſcipulos, uti hodie S. Stephanum, mittit, invitantes eos ad pœnitentiam & pacem: maxima enim eorum peccata, odia & diſſenſiones erant, atque bella, quæ adverſus Chriſtum, & ſanctos ejus gerebant. A qua inſana mente, ut eos abduceret Dominus, irrationalia animalia, utpote gallinam proponit, quæ in bonum totius univerſi pacem & concordiam inter ſe conſervando, homines ad pacem ſectandam extimulant. *Vid. Tract.* 70. *Diſc.* 18. Nam licet gallinæ quandoque inter ſe pugnent, ſtatim tamen pacifice ad paſtum & potum currunt, ſimulque pacifice commorantur, *Ibid. Num.* 5.

Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Magna Dei filius majeſtate ſplendidus, ut in domo requieſceret Synagogæ, venit, quam cum factam vidit ſpeluncam latronum, ferarum latibulum, vitiorum omnium ſpecum, avaritiæ, invidiæ, hypocriſis, odij, rancoris, vindictæ, protinus receſſit, quia intolerabilis odor de malæ voluntatis aſcendit thuribulo, qui ab iniqui amoris ſui, & concupiſcentiæ igne accenſus erat: Non ergo mirum, quia deſerta relinquitur domus animarum, illorum ſcilicet Judæorum: Deus enim propter ſolum peccatum mortale animam deſerit: quod quam gravis jactura ſit. *Vid. Tract.* 77. *Diſc.* 8. Et idcirco, ut teſtatur D. Hieron. expirante in cruce Domino Jeroſolymis, templi velum ſciſſum eſt medium, à ſummo uſque deorſum quaſi quis viam aperiat illi, qui captivus latensque illic abſcondebatur, ut liber foras egrediatur. Refert etiam idem Hieron. ex Joſepho, & Egeſippo, qui coævus vixit Apoſtolorum temporibus: audita fuiſſe hæc verba dicentium: *Tranſeamus ex his ſedibus*, id eſt, hoc deſeramus ſanctuarium, civitasque habitatore deſtituatur. Horribile ſane ſpectaculum, nuntiumque triſte, vox lamentis digna, quæ ultimum nobiliſſimæ Civitati, Orbis Emporio excidium præcinebat; ut velut ſine porta ſtabulum, & acervus lapidum fiat. Heu quis crudeliſſimus ille, tam ſanctiſſimi loci devaſtator, & populorum exterminator? Unicum peccatum: illud enim civitatum & populorum eſt exterminium. *Tract.* 78. *Diſc.* 2. Unde premit ſapientiſſime hoc verbum; *Relinquetur*, D. Chryſoſtom. hom. in cap. 23. Matth. quod eſt imperſonale: Et non dicit, deſtruam te, demoliar te, deſeram te; Sed deſeretur domus tua: *Non dicit Relinquam, ſed Relinquetur; non addita perſona.* Nam ad everſionem urbis Jeruſalem non videtur Deus vigere manibus, non pollere poteſtate; ſed quod Deo utendum ſit alienis: Ita ut ejusdem urbis demolitio, non adſcribatur ipſi Deo, ſed urbis Jeruſalem criminibus, culpisque imputentur flagella: nam illa flagella, quibus Deus peccatores punit, ſæpe invenit, in manibus iniquorum, & ex eorum malitijs illa contexit. *Tr.* 77. *D.* 29.

Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Nil mirum eſt Jeroſolymorum ædes penitus deſolari, & habitatore viduari, qui tanto furore perciti ad ſe miſſos Prophetas occiderunt, ut in majus odium & ſuiipſius perniciem extra civitatem eos abjecerint, uti hunc S. Protomartyrem Stephanum ejecerunt extra civitatem & lapidarunt; eorum etiam poſt mortem ſacra lipſana aſpernati. Quomodo igitur ſalva illa Civitas ſubſiſteret; quæ potentiſſimis protectoribus, uti ſacræ SS. ſunt Reliquiæ, viduata exiſtit? Sacra enim ſacrorum oſſa, urbium propugnacula & turres ſunt, robur populorum, quibus ab hoſtibus, & ſiniſtris caſibus Chriſtiani proteguntur. *Vid. tract.* 87. *Diſc.* 7. In omni ſpatio vitæ Judith, non fuit qui perturbaret Iſraël; & poſt mortem ejus annis multis: Timent nempe infenſi hoſtes, ſacras Judith reliquias, ut nemo fuerit, tam ſuperbe pugnax, tam temerarie audax, qui poſt multa adhuc ſæcula fuerit auſus bellum inferre regioni, ubi ſumptuoſius condebantur; & religioſius colebantur: *Inimica inviſibilium* (& viſibilium) *Phalanx ante reliquias ſtare non poterit, confuſam & devictam ſe ingemit*, ait Theofrid. de SS. Reliquijs. Ecquid *mirum*, ait S. Baſilius Orat. 38. *ſi viventes, virtute miraculorum pollebant ſancti; quando eorum poteſtatem; non una cum ipſis demortuis, humus ſepelivit.* Vivens Stephanus ſapientia admirabilis; facie Angelus à cæcitate ſua & obſtinatione Jeroſolymitanos abſtrahere nequijt; Verum ejus oſſa poſtmodum reperientes, & venerantes ijdem Cives, compunguntur, & convertuntur: Sic ſanctarum Reliquiarum Veneratio ad virtutes & meliorem vitæ frugem cooperatur. *Ibidem Diſc.* 9.

Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. Act. 6. cap. Nondum D. Stephanus corpore ſolutus fuit; attamen vidit gloriam Dei: in cœlis. An forte in extaſi cum Paulo raptus ad tertium cœlum, & inde facies ejus, ut Angeli reſplenduit? Cauſa extitit invicta ejus patientia in tormentis, quæ hominem ad cœleſtem gloriam effert, & viam ſternit. *Vid. tract.* 60. *Diſc.* 5. & *Diſc.* 16. *Num.* 1. 2. & 3.

Poſitis autem genibus, exclamavit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Tartarorum Dux hominum ruinis numquam ſatur, phalanges ſuas, Judæos inquam in Stephanum, gratiarum manibus factum juvenem, atrociter armat: raptatur ad concilium, ubi infernalis furor, & (quod forte majus eſt) Phariſaicus, cum ſumma malitiæ poteſtate præſidebat; Apud impios Judices pius Levita ſiſtitur, pietatis reus: Et prius falſis criminationibus tentatus, vibratis in ſe lapidibus ad necem durius tentatur: *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: at ille lapidum fortiter ſuſtinuit ictus*, & gaudenter; Servi enim cum gaudio & jubilo atrocia ſuſtinent tormenta, aliasque adverſitates. *Tract.* 94. *Diſc.* 6. Imo & pro lapidantibus Deum exorat. O quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, ſed vincit in bono malum! Luculenter Euſeb. prædicta verba exponens, ait: *Qui pro inimicis, ſub ipſo tempore perſecutionis oravit, beatitudinis ſuæ cauſa perſecutorem dilexit. Nec mirum, ſi eis neſcit iraſci per quos ſibi videt aulam regni cœleſtis aperiri, per quos ſe æternis ſæculis intelligit conſecrari.* O admirabilem etiam circa impios charitatem! inſanam excuſat ſupplicatione Synagogam, paſſione confirmat & honorat Eccleſiam, memor fratrum, immemor perſecutorum; Et ideo has tribulationes ſuper ſervum ſuum Deus venire permiſit, ut hæ ſimilesque virtutes in eo manifeſtarentur: Tribulationem enim Deus immittit, ut noſtram probet, & experiatur virtutem. *Tract.* 94. *Diſc.* 16. *Ibidem Tract.* 85. *Diſc.* 5. Non itaque attendit Martyr ad impoſtoras blaſphemiæ, nec ad ſævos lapidum impreſſorum vibices quia per hæc perſecutorum, imo diaboli tentamenta atrociſſima, quibus in ipſum infane ſæviunt, ſibi videt aulam regni cœleſtis aperiri, & ſe æternis ſæculis intelligit conſecrari: Valde enim expediunt & neceſſariæ ſunt tentationes, quibuſcum æternæ gloriæ luctantur coronam. Eæque cedunt in noſtrum emolumentum, cum eas vincimus; nam per eas plurima alterius vitæ merita acquirimus. *Tract.* 92. *Diſc.* 6. & *Diſc.* 8.

FESTUM S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Dixit Jeſus Petro: Sequere me, converſus Petrus vidit illum diſcipulum ſequentem, quem diligebat Jeſus. Joan. 21. Petrus ut ſequatur, neceſſarium eſt, ut ei imponatur præceptum: *Sequere me.* Joannes vero tali mandato non indiget; nam cum ipſe vehementiſſime Chriſtum diligeret, & Chriſtus vi amoris eſſet, veluti naturale Joannis centrum, ſuo eximio affectu, abſque alio mandato, in Chriſtum tendebat; Chriſtumque quærebat; atque ejusdem honorem ubique zelabat: Zelus enim qui ſuam radicem infixam habet amori Dei, ille vel maxime Zelotem & defenſorem conſtituit honoris Dei. *Vid. Tr.* 97. *Diſc.* 5.

Vidit illum diſcipulum ſequentem, quem diligebat Jeſus. Joannes ſumme ac fervide diligebat Jeſum; Et inde ipſe ut juvenis depingitur, quia amor numquam ſeneſcit; ſed ſemper ut juvenis fortis, & robuſtus perſeverat, Tamen Joannes ſolum commemorat amorem; quo eum Jeſus proſequebatur, de ſuo amore erga Jeſum nihil ſcribit. Noſter ſublimis ac perſpicax Aquila, ſolum exprimit magna Domini beneficia in ſe impenſa; tacet vero obſequia à ſe exhibita; narrat ingentes divitias amoris Chriſti in ipſum ita ut diceretur: *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus:* Supprimit vero in ſe id, quod meriti & obſequij rationem habebat, evulgat divina beneficia; tacet ſua obſequia: Cauſam quæris quare? Deus enim bonorum noſtrorum operum ſibi reſervat laudem & gloriam; & ideo nullam exinde concipere debemus vanam gloriam. *Vid. Tract.* 95. *Diſc.* 1. Deinde ideo ſua tacet Joannes obſequia, quia timet flatum vanæ gloriæ; nam ob timorem vanæ gloriæ, occultanda ſunt bona opera; dona gratiæ & favores. *Ibid. Diſc.* 4.

Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum ſequentem, quem diligebat Jeſus. Petrus ut ſequatur dicitur ei; *Sequere me.* At Joannes cum nihil tale ei dictum ſit, ſequitur. Cur tu, mi Joannes; etiam ſequeris, cum vocatus non ſis? Nullatenus opus erat, ut Joannes vocem Domini vocantis audiret; nam qui efficaciter diligit, ex vi & impetu amoris; dilecti novit voluntatem. Petrus ergo ex audita voce: Joannes vero ex viſu; Domini voluntatem deprehendit; & prompte ſequitur: Deo enim ad pœnitentiam vocanti promptè parendum eſt, *Tract.* 81. *Diſc.* 2. Et ideo uterque plurimum in eo commendatur. *Ibidem Diſc.* 4.

Dicit ei Jeſus: Si eum volo manere; donec veniam; quid ad te? tu me ſequere. D. Chryſoſtomus hom. 87. in Joan, ait: *Hic autem quid? nam cum nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo dividi vellet, oſtendens Chriſtus, quod quanta vis eum dilectione proſequeretur, ſuam aſſequi non poſſit, inquit; ſic eum volo manere, quid ad te.* Quo dicendi genere Petrus innuebat majori ſe æſtuare in Joannem affectu, quam exardeſceret Chriſtus; quod minime paſſus eſt Jeſus, præcipue in negotio ſui amantiſſimi Diſcipuli Joannis. Zelatus eſt ergo Jeſus nimium fervorem Petri; & caſtigavit, tamquam dolens; ſe de amici rebus admonitum eſſe; Et ut etiam oſtenderet, quam ægre ferebat; quod in rebus Joannis, aliquis ſe vellet oſtendere magis ſolicitum & ferventem, quam ſe ipſum: Deus enim Zelum plurimi æſtimat & appretiatur: Unde Dei honorem Zelans ac defendens participat aliquid divini. *Vid. Tract.* 97. *Diſc.* 1.

Dicit ei Jeſus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Patriarcha Elias olim in Diſcipulum ſui ſequacem inveſtiturus Eliſæum, repertum in agro arantem; miſit ſuper eum pallium ſuum: Qui cum ſolum rogaret oſculari prius patrem, & matrem, & ſic eum ſequi; ſubjungit Elias: *Quod meum eſt feci tibi*, prophetico ſpiritu præſciens, hunc ſibi à Domino in diſcipulum datum; attamen ut oſtenderet, hanc electionem ejus arbitrij libertati, minime præjudicare ait: *Vade, & revertere:* Sic Chriſtus Apoſtolum ſe ſequi jubet, infallibiliter præſcius eum ad paſſionem ſecuturum: Attamen bis ei dicit: *Sequere me*; Quæ geminata vox ſic quidem à Chriſto profertur, ut nullo modo arbitrij libertatem in Petro tolleret, & ad ſequendum neceſſitaret; nam infallibilitas præſcientiæ Dei, nullo modo libero arbitrio præjudicat. *Tr.* 82. *Diſc.* 1.

Dixit ei Jeſus: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Petrus cum eſſet præmonitus à Chriſto de morte ſua, qua eum clarificaturus eſſet prompte obedit, & dum nihil tale Joanni eſſet prædictum, intimam amicitiam, quam habebat cum ipſo, & amorem, quo eum diligebat, quemque agnoſcebat, ſumme à Chriſto eſſe dilectum, utpote qui in cœna Domini, ſupra pectus ejus recubuit; maxime admirans pro Joanne Dominum interpellat: *Domine hic autem quid?* Chriſtus quaſi indigne ferens hanc interrogationem, reſpondit: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quid deliquit Petrus

Apostolorum Princeps in hoc interrogationis modo, qui ut talis, pro alijs ex munere prælationis solicitus, & maxime de Joanne intimo suo, ut tam rigidum referret responsum? Respondet D. Cyrillus lib. 16. in Joan. cap. 66. *Quoniam curiosa magis, quam utilis est, rerum alienarum inquisitio.* Curiositate qua tangebatur Petrus, ut interrogaret, quæ ad se non spectabant, inde Christus eum arguit, dicens: *Quid ad te.* His verbis, ut inquit D. Chrysost. hom. 87. in Joan. erudiens nos, neque dolendum, neque curiosius præter divinam voluntatem investigandum: Nam licet Deus majora gratiæ suæ auxilia electis suis conferat, ob hoc tamen nulli dolere possunt. Justa enim & occulta Dei judicia veneranda, non discutienda sunt. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 8. *maximè Num.* 6. & 7.

CIRCUMCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

P*Ostquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer:* Luc. 2. Cum Circumcisio in originalis peccati remedium, & in spiritualis circumcisionis symbolum olim à Domino instituta fuerit: merito quæri potest, quâ de causâ innocentissimus infans in illâ tenerâ ætati circumcisus sit? qui nec illius peccati maculâ infectus erat, nec hoc symbolo indigebat; ut qui nihil haberet, quod in eo circumcidendum esset? Quod enim de Spiritu Sancto conceptum est quid habere poterat legi circumcisionis obnoxium? Nihil plane. Unde mellisluus Bernard. in serm. hujus diei: *Magnum & mirabile sacramentum, supra hæc omnia circumciditur puer, agnus sine maculâ, etsi non eguit, tamen voluit circumcidi.* Voluit in illâ infantiâ circumcidi, ut nobis monstraret ab illâ ætate tenerâ insistendum esse mortificationi: Deus enim ætatis nostræ primitias quærit: Male ergo in senectam pœnitentia differtur. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 26. *maximè Num.* 3. Voluit circumcidi, ut nobis magnum illud sacramentum pacis, quod in Nativitate suâ, per Angelum jussit propalari, aperiret, docendo modum, quomodo illud consequi possumus: scilicet, per mortificationem, & victoriam passionum, & appetituum nostrorum, corporique nostro bellum movendo, exinde enim pax interior acquiritur. *Vid. Tr.* 70. *Disc.* 15.

Postquam consummati sunt dies octo. Christus à lege immunis, cruentæ legi sic paret? Num Christus nil habet, quid dicat, ut præcepti rigorem declinet? Vix octo dies excurrerant, & cruentæ legi sic exprompté obedit, ut merito inter se certare videantur, dilectio erga homines, & obsequium legis divinæ. Vincit tamen dilectio, qua velocissime salutem nostram fieri sitiebat, & procurabat: Et ideo, qui ad abolenda peccata natus fuerat, quod per pretiosissimi sui sanguinis effusionem adimpleri debebat, inter Judæos nasci voluit; Et ut vix natus cum omni solicitudine nostram salutem operatur, in circumcisione sanguinem suum fundit. *Vid. Tract.* 81. *Discursu* 25. *Num.* 4.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer Optime noverat Evangelicus Isaias nascentis Dei curas, quando cap. 10. vocavit illum, *accelera, festina.* Etenim vehementer per hanc circumcisionem festinabat, sanguine suo nos redimere: Hoc erat illi in optatis, hoc ardebat desiderio, eo illius sanguis pungebatur aculeo, ut quam ocyssime funderetur, ut nulli cederet primas: quo pijssimus Jesus summum zelum erga salutem animarum dilucide demonstravit. *Vid. Tr.* 97. *Disc.* 8.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. D. Bernard. (aut quicumque ille est author, qui scripsit tractatum, qui habetur inter opera D. Bernardi de passione Domini cap. 36.) animadvertit, quo pacto prima effusio sanguinis Christi facta est in ejus circumcisione quando vocatum etiam est ejus nomen Jesus: ut hoc facto tam mirabili significaretur, quod per hanc sanguinis effusionem, futurus erat noster verus Jesus & Salvator. Sic scilicet ab ipsâ nativitate sacratissimi pueri Jesu, simul cum illo crux, & passio, & martyrium incipere debuit, ut Salvator noster esset? Vix natus est dulcissimus Jesus, & recenti ortui, crucis ignominia, dolor, & sanguis copulatur. Tribulatio enim patienter tolerata, solvit pœnas debitas pro peccatis, & ab illis nos expurgat. *Vid. Tr.* 94. *Disc.* 12.

FESTUM EPIPHANIÆ DOMINI.

C*Um natus esset Jesus in Bethlehem in diebus Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.* Matth. 2. Quæstio non injucunda est, quare superstitiosi gentiliter Magi advocantur ad fidei suffragium, ubi vera veri Dei sapientia ubertim exundat? Quid divinatrici Magiæ, cum vera divinitatis fide! Ambros. lib. 2. in Luc. *Vides, quia non otiosè, vel de Chaldæis, qui peritiores innumeris habentur, Abraham Deo credidit, vel Magi, qui licet Magicis artibus, conciliandæ sibi studium divinitatis impendunt, ortum in terris Domini crediderunt.* Non, inquit Ambros. otiose, sed ut ex Adversarijs gentibus, sanctæ Religionis testimonium sumeretur. O argutum adstruendæ fidei divinæ è perverso suffragium! Qui hospites in Dei vocatione, qui à testamento alieni, qui Moysaicorum miraculorum ignari, qui legum ejus profani, qui Prophetarum linguæ expertes, Judæorum fidem superarunt. Sic Deus malitiam Dæmonis, quâ per Magiam damnis Magorum inhiabat, in eorum convertit salutem. *Vid. Tract.* 92. *Disc.* 3.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum. Sapientes dum sapienter quærunt. Sapientis nomen perdere videntur. Quomodo enim sapiens est quæstio; ubinam Deus sit? Nonne Deus circulus est, cujus centrum est ubique circumferentia nusquam? *Ipse enim*, ut ait S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8. *manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: Et superior est per potentiam, & inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans.* Et post pauca: *Est itaque inferior, & superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.* In summâ, in omni loco est, & quovis tempore præsens, qui actiones nostras considerat, & à quo nos abscondere non valemus. *Vid. tract.* 84. *Disc.* 1. Ut quid igitur quærunt, ubi est, qui natus est Rex? Respondet apposite S. Petrus Chrysol. serm. 136. *Non interrogant, sed insultant, quando scientes interrogant, nescientes non ignorant.* Quod scilicet, ex neglectu considerationis præsentiæ Dei derivetur omne malum; ideo negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant. *Ibidem.*

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum. Recens conversi, Deum sibi vicinum ac præsentem ambiunt, hoc desiderio incensi; nulla interposita mora, arduum & difficile iter arripiunt: non eos magna locorum intervalla, non itineris labor, non hyemis asperitas, non expensarum magnitudo, non denique periculum retardavit: omnia hæc, præsentiæ Dei desiderium, facile superavit. Bene dixit Boëtius: *Indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis:* Consideratio enim sola divinæ præsentiæ ad perfectionem plurimum cooperatur. *Vid. tract.* 84. *Disc.* 6. Atque ad vitam immaculatam agendam valde efficax est instrumentum. *Ibid. Disc.* 7.

Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Vidimus stellam ejus, & quid non ejus? Stella ejus est, non ille stellæ: Stellam, cujus ortum tenebat author, non quæ ortum tenebat authoris, ut quidam hinc phanaticè garriunt, sed quare Magi, quare per stellam? An non magis subtrahenda erat Magis siderea occasio errorum, in quorum erroribus superstitiosè ludunt & divinitatem de divinatione æmulari præsumunt? Subtiliter S. Chrysol. serm. 157. hoc dubium proponit; & peridoneè respondet: *Quare Magi, quare stella? ut per Christum ipsa materia erroris, sic fieret salutis occasio. Quemadmodum mortis causa facta est vitæ.* O Dei omnipotentem providentiam, sapientiæ summatibus absconsam! Inauditâ superstitione siderum Magi religionem inveniunt, & unde superstitiones captabant, avidè impietatem abjurant; Atque pio quodam velut rerum abusu; de errorum officina, veram fidem excudunt; dum per Christum ipsa materia erroris fit salutis occasio. Deus enim ex malo novit elicere bonum, & odium Dæmonis, ejusque tentationes, quibus Magos attinebat, ad majus bonum ordinat, ejusque malitiam, in salutem convertit: *tractatu* 92. *Discursu* 11.

Audiens autem Herodes Rex, turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo. Bene turbatur, qui de acerbo conscientiæ reatu, male timet: Sæva semper conscientia nequam præsumit, & dum in Deo; hominem timet, causas timendi, & calamitatem exaggerat. Subtiliter S. Augustin. lib. 4. De symbolo ad Catechum: Ita scribit: *Quid metuis Herodes, talem regem, qui sic venit regnare, ut te nolit excludere? Quem quæris, Rex regum est: Si velles securus obtinere regnum tuum, ipsi supplicares, ut ab illo acciperes sempiternum.* O infelix Herodis timor! humanitus conceptus, & de regno anxiè solicitus! Si humanus metus, non te cum tuis turbaret, forsan regno non excidisset: Quia ille Rex, quem tu, præ metu quæris ad necem, sic venit regnare, ut te nolit excludere. Exclusit autem, quia de ejus adventu inauspicato turbatur, quia illum divinitus promissum, & cœlitus advenientem, humanitus timet, tamquam sceptri æmulum. En miserum! qui cladem suam soli humano timori debet, cujus præ timore turbatio regni titubatio fuit. Discat igitur bene timere, qui male perire timet: nam timor humanus & mundanus malus est, peccandi differt facultatem, non autem aufert. *Tract.* 93. *Disc.* 3.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Mirum non est, quod Herodes reproborum umbra, de Christi Dei adventu tumultuose perturbetur: Nam religioni & pietati refragari, cognatum reprobis est. At Jerosolyma, electi populi Metropolis, Prophetarum patria, Patriarcharum spes, obses religionis, Domicilium Dei, veritatis schola, Ecclesiæ typus, & cœlestis gloriæ in terris Idea, turbari non debuit; Nisi forsan probitatis firmitudo titubet, robustior virtus imbecille nutet, & portus placidè tranquillus Pelagi ad instar decumani infami fide inquietetur. Profecto, probus quisque in Jerosolyma adumbratus, passionum & venialium peccatorum tumultu aliquando perturbatur; sed ejusmodi perturbatio recuditur in virtutem, cui militare compellitur: Cum scilicet, animæ timoratæ culpas etiam minimas fugiunt, & peccata, quantumvis levia, quæ acquisitionem spiritus, & devotionis impediunt, anxie persequuntur. *Vid. Tract.* 76. *Disc.* 17. & 18. Perfectio enim in fugiendis pro viribus nostris defectibus & peccatis venialibus consistit. *Ibidem Disc.* 16. Exinde vel sancta Jerosolyma, sanctitatem præclarus typus turbari etiam, alte perhibetur.

Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi; sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. Auditâ novâ novi Regis Nativitate, festis cœlorum facibus illustrata; turbatur Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo: Congregat divinæ legisperitos, ut ab illis ipse, Magisque ediscant Christi futuram Nativitatem. Bene est; Idumæus Herodes, utpote alienigena; & scripturarum ignarus Scribat consulat rei biblicæ peritos: Ast Magi de gratiæ præsidentia cœlitus edocti: Cur Judæorum sapientes interrogant? Cur ad Jerosolymam cursum deflectunt sciscitantes, ubi Christus nasceretur? Perbelle S. Augustin. hac super re Serm. 34. de temp. ita scribit: *Magi quærendo civitatem, in qua natus erat, quem videre, & adorare cupiebant, necesse habuerunt percunctari Principes Judæorum, ut illi de sanctâ Scripturâ, quam in ore; non corde gestabant, infideles fidelibus de gratia responderent: Mendaces à se feraces contra se.* Magi primitiæ fidei, ô sancte Pater Augustine, discent ab impijs & refractarijs Judæis? Quid vero ab infidelibus, nisi perfidiam fideles ediscent? Quid de veritate cœlitus edocti, veritatem ab infidelibus emendicante: O novam eruditionem à perverso mire auxiliantem! Licet enim verbum Dei ab hominibus impijs prædicetur; non tamen ideo auscultatio ejus intermittenda est, nec illius fructus negligendi sunt. *Vid. Tractat.* 83. *Disc.* 19.

Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Quid quæso augustioris Majestatis, in hoc puero, in præsepio stabulante, Magi viderunt, ut eos humili inclinatione latentem in puero Divinitatem adoraturos prosterneret? *Vident puerum quantitate parvum*, ait S. Leo Serm. 4. de Epiphan. *alienæ opis indigum, fanandi impotentem; & nulla ab humanæ infantiæ generalitate discretum.* Quod ergo signum in eo repererunt, quod majestatem invisibilis divinitatis afferceret? Profunde S. Maximus Tauriensis Episc. hom. 1. de Epiphan. sic fatus: *Unigenitus autem altissimi sic humiliter ingressus est in mundum, ut indubitata divinitatis suæ deferret indicia.* Itaque, quia Christus Deus infans nascitur, quantitate parvus, alienæ opis indigus, atque parentum egestate, pannorum vilitate, stabuli squalore, & præsepis propudio abjectissimus, ideo indubitata divinitatis suæ defert indicia; Humillimus ille in mundum ingressus, indicium divinitatis: Nam omnis superbia vitium est Diabolicum, à Dæmone trahens, quo plures captivat. *Tract.* 90. *Discursu* 2.

Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Munera quæ obtulerunt Magi, patria & domestica fuerunt, horum enim Arabia est ferax, è quâ venerant Magi. Mysticam horum munerum significationem, abunde tradunt Interpretes: Et in eis non tantum venerationis symbola, sed etiam virtutum prælustria notamenta recognoscunt. Galfridus apud Tilman. Evangelistæ verba pulchre Ethicè elucidat, sic fugam vanæ gloriæ commendans: *Quid necesse erat*, inquit, *ut describeretur thesauros aperuisse? forte nobis eodem sermone hoc videbitur commendatum, ne quis thesaurum suum publice ferat, tamquam velit (ut ajunt) deprædari, sed illi soli aperiat, quem latere non valeat etsi velit.* Non in via aperiunt, sed in occulto propter vanam gloriam. *Magnum religionis sacramentum hic aperitur*, ait Glossa, *ut fide prævia thesauros nostros non pandamus, donec præteritis hostibus soli Deo ex occultis cordium offeramus.* Ob timorem enim vanæ gloriæ, occultanda sunt bona opera, dona, gratiæ, favores. *Vid. Tract.* 95. *Disc.* 4. *Num.* 7. & *Disc.* 5. Notanda vero venit prædictæ sententiæ clausula; quæ est humilitatis emphasis; Sic scilicet, solerter bona opera abscondere ne eorum bonitatem oculatus hominum plausus deprædetur, & ut eadem studiosius clausa retineat, & soli Deo aperiat. Unde consultissime dicitur: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera*; Quasi virtutum thesaurus aperiendus sit soli Deo, quem latere non valeat, nec si velit. Qua quidem loquendi methodo demonstratur modus, quo opera bona, ne meritum perdant, à vana gloria tueri possumus, scilicet; quod sicut obnixius eâ à se quisquè celare satagit, ut nesciat etiam sinistra quid faciat dextera; ita si fieri posset, etiam ab ipso Deo quodammodo abscondi vellet, ne vana gloria quoquo modo subreperet. *Vid. ibid. Disc.* 6.

FESTUM PURIFICATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

E*T ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israël.* Longævitas justi Simeonis hunc in illius animo instruerat affectum, quo sibi ab omnibus mundialibus caveret bonis, quo splendidissima quæque timeret bona, & suspecta fallaciæ, & infirmitatis haberet. Vanas ergo gloriolas relinquens vanis, eam unam expectabat gloriam, & consolationem, quæ desiderio sui miro sanctissimos Israëlitas affecerat, hanc unam non timebat, sed expectabat, timoratus senex. Ad rem D. Gregor. Nyssen. orat. de occursu Domini: *Non ad mundanam gloriam Israëlis consolationem, sapiens expectabat Simeon; sed eam, quæ est vere traductio, ad veritatis pulchritudinem; Nam cum ei datum fuisset responsum, fore, ut antequam è vita excederet, videret Christum Domini, expectabat fore, ut cum eo spiritualiter appareret populi consolatio.* Quare autem expectabat? quia timoratus erat ex; Hinc natum illud gaudium, quo Christum in ulnas suscepit, hinc ille dulcis jubilus: *Nunc dimittis Domine*, hinc spes futuræ consolationis, ex timore Dei, quo flagrabat; qui animabus timentibus consolationes, delectationes, & gaudia confert. *Vid. Tract.* 93. *Disc.* 12. *maximè Num.* 8.

Et homo iste justus, & timoratus. Timoris quidem vocabulum unum est, sed accedente ratione timor discernitur à timore: Fiunt enim duo, unus Dei, alter qui naturæ insit. Naturæ in homine nascitur, Dei autem & discitur, & docetur, qui non in trepidatione, sed in doctrinæ ratione consistit. Naturalis ergo timor non discitur, sed impulsu nostræ infirmitatis occurrit, quia non artis est timere, quod metuas, metuis autem quod tibi nolis accidere: De fidei autem notione, & de charitatis igne calet pius timor; nam licet charitas foras mittat timorem; filialis tamen timor cum amore sese compatitur. Super quo *Vid. Tract.* 93. *Disc.* 4. Et talis in hoc justo Simeone erat; qui de divinæ justitiæ agnitione construit horrorem non peccandi, & ad omnia genera sanctitatis, trepidatione vitij, velut calcari virtutis festinat; atque præceptis omnibus obtemperat juxta id Ecclesiastici 15. *Qui timet Deum, faciet bona. Vid. Ibidem Disc.* 13.

Et homo iste justus, & timoratus. Dum Simeon ab Evangelista justus describitur, absolutissimè commendatur; Justitia enim Hebræorum linguâ, omnem virtutem complectitur: uti fidem, spem, charitatem; quarum virtutum, quia quasi quoddam compendium erat, timoratus vivebat. Ne mireris, ait Galfridus apud Tilman. quod timuerit justus, in quo Spiritus Sanctus erat; non enim erat vacuus coram latrone viator: Et quomodo non timeret? Thesaurum magnum habebat in vase fictili, & timoratum fuisse miraris? In negotio enim salutis æternæ semper timendum est, atque in via Dei, numquam securi esse debemus. *Ibidem Disc.* 5. & *Disc.* 7. Sicut enim diruta maceria, fructus vineæ periclitatur; ita planè virtutum, atque cœlestium donorum fructus, si sancti timoris Domini materia defuerit, furibus patent: *Difficile*, ait Venerab. Beda, *justitia sine timore Domini custoditur.* Time ergo exemplo justi Simeonis & in continuo te timore conserva. *Pro quo concipiendo. Vid. varia motiva Tract. citato Disc.* 15.

Et homo iste justus & timoratus. Mirum valde; quod ille qui omnibus virtutibus sic probe munitus fuit, sibi continuo timuerit, ut exinde meruerit nobile illud elogium. *timoratus.* Præsertim cum charitas virtutum mater foras emittat timorem? Sed inde vel maximè timoratus esse conveniebat, quia illi nec minimum in materia virtutis & sanctitatis deerat; unum enim ex altero sequitur: Nam qui majori & excellentiori præditus est spiritu, plus timoris habere, nec securus vivere debet. *Tr.* 93. *disc.* 8. Est enim

homo sicut navis in flumine currente, quæ nisi fortiter sursum impellatur & detineatur, statim per impetum fluminis descendit: Ita de facili homo etiam perfectus labitur, nisi per timorem Domini contra impetum fomitis se fortiter teneat.

Responsum acceperat Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini. Nemo ignorat illum Simeonem senem & decrepitum fuisse. Hic in ultimâ ætate constitutus penè senio confectus, etsi adeo sero, tamen cœlestem Patrem solicitabat orationibus, ut sibi liceret videre divinum Filium. Quid tunc obtinuère feræ illæ orationes? Accepit responsum, & exauditus est. Quod sic ponderat more suo S. P. Augustin. serm. 20. de tempore: *Multum senex iste fuit ad audiendum serus: Sed ad videndum maturus: Et hoc illi concessum erat jam decrepito, quasi desideranti, & dicenti quotidie in orationibus suis: Quando veniet? quando nascetur? quando videbo? putas durabo? putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum.* Cur vel in decrepitâ ætate orans responsum non acciperet, quando in eadem ætate sic intentus erat in Christum? Homini enim Zeloso Deus impertit gratiam & honorem, imo & gloriam, cœlestem pandendo paradisum. *Vid. Tract. 97. Disc. 2. 3. & Disc. 4.*

FESTUM S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Christus Dominus gratias agit Patri, quia divina mysteria sapientibus occultavit, & revelavit. Quinam sunt hi parvuli, quibus revelari sua mysteria Christus gaudet? S. Ambros. ait: *Parvulum hic accipiamus, qui se exaltare non noverit, & phaleratis sermonibus, artem suæ jactare prudentiæ.* Itaque Christus Deus, gratias agit patri, eo quod divina mysteria prædicanda tradiderit hominibus, qui ambitiosâ eloquentiâ, ac phaleratis sermonibus non utuntur; nam verbis phaleratis & cultis non ardet, sed friget audientis, animus; ut pulchrè S. Gregor. Nazianz. Orat. 4. Nivibus similes sermones esse dicat: *Sermonem; quem laudibus alioquin offerens, cessantem tamen, crebris verborum nivibus impetebat.* Eleganter sermones hic appellat nives: Quibus scilicet verbis, culpat eos prædicatores, qui verum spiritum, & fructum negligentes, omne studium in comptis verbis ornatuumque Rhetoricorum vanitate collocant. *Vid. Tract. 83. Disc. 42. 42. & 43.*

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus. Omnium Patrum sententia est, vocari hoc loco sapientes, & prudentes, superbos Scribas, & Pharisæos, qui sibi videbantur esse sapientes & prudentes, cum tamen revera stulti essent: Superbia enim species est dementiæ, solentque superbi in bruta degenerare, orbari sensu & discursu. *Tract. 90. Disc. 12.* Quibus Deus justo suo judicio abscondit hæc mysteria gratiæ. Parvulos vero vocat, humiles Apostolos ejus, quibus revelata sunt secreta cœlestia: Nam ut docet D. Thomas 22. quæstione 162. art. 3. ad 1. *Cognitio veritatis speculativa impeditur à superbia, subtrahendo causam. Superbus enim neque Deo intellectum subjicit, ut ab eo veritatis cognitionem percipiat, neque ab homine aliquid addiscere dignatur.* Superbiæ enim qualitas est erigere se supra alios, & Deum, & inde ejus malitia cognoscitur. *Ibidem Discursu 1.*

Et revelasti ea parvulis. Parvulos vocat, teste Clemente Alexandrino lib. 1. pædagog. cap. 6. Eos, qui *Veterem hominem deposuerunt, & vitij tunicam exuerunt, Dei autem incorruptionem induerunt: Ut facti novus populus, sanctus regenerati, impollutum hominem custodiant;* nam superbia cunctis opponitur virtutibus, cunctorumque bonorum merita enervat. *Tract. 90. Disc. 4.*

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Confiteor hic; idem est, quod gratias ago; gratias enim æterno Patri Christus, eumque laudat propter utrumque scilicet absconsionem prudentibus, & revelationem parvulis factam. *Gratias agit*, ait Franconias Abbas tom. 10. de gratia ad initium: *Pro abjectione superborum, atque electione humilium.* Scilicet exultat Christus, se talem habere Patrem cujus gubernatio, dispositioque versatur, ut insolentia superbiæ refrænetur. De aversione enim & odio, quo Deus superbos prosequitur, & de pœnis, illos castigat. *Vid. Tract. 90. Disc. 9. & 10.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos. Nemo est, qui ærumnarum labore, & infirmitatum non angitur, & pondere non gravatur; Vita enim præsens, continua quædam tribulatio est. *Tract. 94. Disc. 1.* Quare Christus omnes, qui laborant, nemine excluso, ad se allicit: Quod attenta meditatione expendit S. Bernard. serm. 15. in Ps. *Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos, non tamen onus subtrahit, aut laborem, sed onere alio, alioque labore commutat, levi tamen atque suavi, in quibus requies & perfectio, etsi minus appareat, invenitur.* Oneratos scilicet ad levamen ad se vocat Dominus, non tamen onus absolutè adimit; sed leviori onere commutat: Animabus enim afflictis & tribulatis, suas Deus communicat consolationes, & gaudia *Ibidem Disc. 7. & Disc. 8.* Interim tamen valde mirum, quod cum laborantes, & præ onere, & labore nimis lassos ad se vocat, ut laborem minuat, eos non exoneret, & prorsus ab ærumnis recreet? Non vult Christus, ut homo sine labore sit; sed cum labore & onere alacris, strenuus & recreatus: non eximit à labore licet familiarissimi sint, non deponit onus licet charissimi sint, imo invitat, ut tribulationes perseverent: Christiani enim hominis character est tribulatio. *Ibidem Disc. 2.*

FESTUM ANNUNTIATIONIS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Et ingressus Angelus ad eam dixit. Luc. 1. Narratur tam manifestè iste ingressus ad virginem, ut denotetur, quod ipsa verè erat filia Saræ, quæ occultabatur in domo sua; sicut illa in suo tabernaculo. Gen. 18. Hæc enim plurimum placet Deo anima, quæ humanas fugiens conversationes, in Deum totâ mente defixa manet. Inde castissima Virgo: Plurimum enim solitudo juvat ad conservandam continentiam, vitiumque sensualitatis fugiendum. *Tractat. 90. Disc. 3. maximè Num. 3.*

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena. Quærunt aliqui, quare mittitur Angelus, ut Mariæ edisserat divinæ Incarnationis mysterium? Et cur idem officium non potuit homo præstare? Homo inquam sanctissimus, Propheta aliquis antiquorum æmulus de sanctitate, de sapientiâ, de castimonia? Frustra è cœlo peregrinus accersitur interpres, qui possit facile in terris reperiri. Num foret contra Virginis pudicitiam, agere cum sanctissimo viro de re Incarnationis? Expendenda sunt S. Ambrosij verba lib. 2. in Luc. qui sic ait: Erat Maria *sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solam Angelus reperiret.* Et ideo non aliquem sanctitate eximium virum dimittit Deus, sed hunc cœlestem paranymphum, ut ex eo Deus probet, quam amet solitudinem, quantumque Deo placeat, qui in illa illum imitatur. *O beatissima vita solitaria, vita contemplativa! quando in solitudine contemplabatur Virgo Maria, tunc venisti,* (sed Dei Filius) *& in eâ, & de eâ, carnem assumpsisti, tantum placuit Deo solitudo:* Exclamat mellifluus Bernard. *Vid. Tract. 89. Disc. 9. maximè Num. 3.*

Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Cum Virgo Deipara assueta esset his visionibus Angelorum: Evangelista non visioni Angelorum, sed insolito sermoni turbationem attribuit. Quid ergo ex inopinato sermone turbatur Maria, quæ nondum audierat: Ecce concipies in utero & paries filium? Si nihil adhuc de votivi pudoris periculo timet: Quid turbatur? Apposite inibi S. Ambros. *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio*, ait: *Et ideo cogitabat cum prudentiâ, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam antè comperta. Soli Mariæ hæc salutatio servabatur.* Nimirum Maria cum audit, se nova benedictionis formulâ, & ornatiore laude, hactenus non auditâ, sumptuosius prædicari, turbatur de inopinato laudum elogio, & cum prudentiâ cogitabat. *Qualis esset ista salutatio.* Ne fortè exertæ adulationis incauta lenocinium exciperet: Animæ enim timoratæ, culpas etiam minimas fugiunt. *Tract. 76. Disc. 18.* Et ideo tot magnifica laudum epitheta, & novam laudationis formulam demiratur, & ad prudentiæ libram examinat, ne quid assentationis, novæ laudandi formulæ, fortè subesset, quod spiritum, & devotionem impediret, nam peccata licet levia acquisitionem spiritus & devotionis impediunt, ac proinde Deo devotæ animæ ea semper anxiè persequuntur. *Ibidem Disc. 17.*

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria. Angelus Gabriel à Deo missus, ut tractaret cum virgine, divinæ corporationis Sacramentum sic eam reverenter salutat: *Ave gratia plena, Dominus tecum, &c.* Interim illa turbatur. Bene est, Mariæ humilitas turbetur prædicatione: Pudicitia, apparente viri aspectu erubescat. Quid autem in causa est, quod de re altius cogitans, se solam advocat, in tantæ rei deliberandæ consilium? An non satius foret rei compendio uti, & præsentem Dei Angelum sciscitari? Quare mente cogitabunda angitur, quæ totam verbo ambiguitatem deponere potuisset? Eccur tam alte silet? Magnum Marianæ taciturnitatis arcanum his verbis Petrus Damian. hom. in Navit. Virgin. elucidat: *Illa*, inquit, *Virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur, quæ non solum illibatam se servat in carne; sed etiam pudicam custodit in ore.* Quid enim compendiosius faceret Magistra sapientiæ, Virgo, ad multos tunc virtutum actus eliciendos, ut se ad tam altum mysterium præparat, quam silere? Nam silentium, efficax medium est, ad perfectionem acquirendam, & multos virtutum actus, aliaque spiritualia bona progenerat. *Tract. 88. Disc. 1. & 2.* Pergit vero citatus Pater: *Beata Virgo Maria, audito Angelicæ legationis mysterio, solitum modestiæ rigorem tenuit; Etsi ipsa enim intra se discutere non posset, qualis esset ista salutatio, verbis tamen superfluum inquirere deputavit. Sed mox tacendo audire meruit, quod interrogando inquirere non præsumpsit. Ait enim Angelus Dei Ne timeas Maria.* Scilicet Maria Virgo, audito salutationis Angelicæ mysterio, solitum modesti silentij rigorem tenuit, & pudicum os alta taciturnitate signavit, ut ex silentio prodiret Verbum, ipse nimirum Filius Dei; Ut quam gratum æterno Patri esset silentium, Filij sui incarnati exemplo comprobaretur. *Ibid. Disc. 5. maximè Num. 1. & 6.*

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Inter suas laudes nova admiratrix turbatur, & hæret. Quæ autem apud Deum tantæ meretur maternitatis gratiam, frustra timet: Non enim accedit Angelus decepturus, sed primævæ deceptionis absolutionem optatissimam rogaturus. O Virgo! non venit prædaturus tuam inviolabilem virginitatem, sed de arcanâ Dei maternitate, novis incrementis aucturus. Non est malesuadi serpentis fraudulentus minister; sed peremptori per te serpentem Empyreus urbanissime legatus. Scio, quod trepidare virginum est, & ad omnes, vel apparentis viri ingressus turbari: Sed Angelus est, qui te vere gratia plenam salutat, qui te de virginitatis merito, mox futuram Dei matrem annuntiat. Quid igitur cunctaris, quid hæres, quid times? Apposite ad ea verba Richardus autem S. Laurent. lib. 4. *Quia enim Virgo erat, ad inopinatum adventum, ut verecunda pavere debuit: Sed quia virgo prudentissima, subitò pavore superari non potuit, sed consilio regente circumspecta cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Scilicet, quæ virginitate sic placuit, ut esse mater Dei mereretur, prius debuit modesto & verecundo timoris suffragio commendari: Qui enim majori præditus est spiritu, plus timoris consequenter habere, nec ullus ab hoc timore se eximere, & securus vivere debet. *Vid. Tract. 93. Disc. 8.*

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Quid est quod Deipara Angelorum visionibus assueta sic turbatur? E cœlo se laudari audit Angelico ore, & suæ præstantiæ bonum erubescit? In quo turbatur? quare turbatur? quid turbata cogitat? Annon ex Isaiæ vaticinio præsciebat, quod exspectatissimus Messias, nasciturus erat de Virgine? Tempestive S. Bernardus hæc eadem verba elucidans, ait: *Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis, quod non perturbata, fortitudinis: Quod tacuit & cogitavit, prudentiæ; Cogitabat autem, qualis esset ista salutatio.* Neque aliter fieri poterat, quam quod ex timore verecundo circumspecta, prudentissimè cogitaret, de insolitâ illâ salutatione: Radix enim & fundamentum prudentiæ, timor Dei est. *Tract. 93. Disc. 10. Sciebat* nempe pergit citatus Bernard. *Prudens Virgo, quia sæpe Angelus Satanæ transfigurat se, in Angelum lucis.* Et quia humilis erat, & simplex, nil tale à sancto Angelo sperabat, interim tamen prudentissimè timebat: nam in via Dei numquam esse securum, sed semper timere oportet. *Ibidem Disc. 7.*

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Non disceptabo hic cum S. Ambrosio an turbata sit ex Angeli intuitu, an ex Angelico sermone? Sed in præsenti sciscitari curiosius lubet, quare verecundus timor, hujus mysterij, divinæ Incarnationis, præambulus antecedit? Nempe virgo ambigit, quomodo fieri potest, ut virgo simul, & mater esse possit: Præmittatur ergo verecundia, seu verecundus Dei timor, in quo id recognoscat, quo pacto virginitas fœcunditati copuletur, quod ipse timor Dei præmonstrat, ut Ennodius in parænesi didascalica profunde notavit dicens: *Matrem bonorum operum amare verecundiam,* (scilicet verecundum Dei timorem,) *quæ ita ex se species virtutum fœcunda & virgo parturit, ut impudentia procax & corrupta vitiorum.* Nimirum Maria addubitat, quomodo possit esse mater, quæ virum non cognoscit, & virginitate ad partum fœcundari? Rubeat ergo ejus facies, verecundiæ pudore; timeat; turbetur; mens fulgeat Dei timore, in quo velut in speculo fœcundam virginitatem aspiciat porro Dei timor, virginitatis elogium est, ejus appendix, obses, custos, index, & simul virtutum fœcunda mater. *Qui enim timet Deum faciet bona.* Eccles. 15. quas virtutes, & bona, quæ à timore Dei derivantur & gignuntur. *Vid. Tract. 93. Disc. 13. maximè Num. 2.*

Regnabit in domo Jacob in æternum. Cælestis ille paranymphus sanctissimæ Virginis, hic futuros Ecclesiæ progressus prædicit, eosque felices: quapropter Jacob non sine mysterio meminit. Jacob cum socero suo Laban sæpe pugnavit: Ut itaque confirmet in pace, regnum fore, luctarum habitarum meminit, quibus vera pax stabilitur: Deus enim pacem per contradictiones acquiri & conservari voluit. *Tract. 70. Disc. 14. maximè Num. 6.*

Dixit Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Angelus Gabriel divinæ Incarnationis Nuntius, rem cum virgine tractat, & obumbratione Spiritus Sancti promissa, insuspicabilem pudoris integritatem, cum divina maternitate pollicetur. Quo novo audito & exertâ credito nuntio, ubi dixit: *Fiat mihi*, statim Verbum caro factum est, & in purissimo Deiparæ virginis utero; Deus homo factus illi arcane convisceratur, & B. Virgo fit Dei bajula, stupente naturâ gratiæ sacramenta, humano fastigio majora. Valde mirum est, quod Deipara per hunc ad divinam corporationem consensum, non modo mox Dei filium gestet in ventre; sed etiam homines in visceribus portet? Cur ipse Dei filius non reexspectat reditum Angeli, & de consensu virginis referentis? Amanti omnis velocitas tarda est: Tanta enim velocitate & operabatur, & desiderabat nostram salutem, ut nuntij reditum non exspectaret. *Vid. Tract. 81. Disc. 25.*

IN DIE PARASCEVES SEU VENERIS S. PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Magna opera Christi Domini, & exquisita sunt universa, quæ pro nostra salute operatus est, toto tempore vitæ suæ, quo in terris visus est, & cum hominibus conversatus: Sed inter omnia illa, hoc opus passionis ejus, & nostræ salutis, ac redemptionis; *Passio enim Domini, pretium est orbis terrarum*, ut Augustin. inquit Epist. 171. Verè magnum est opus, atque cardinale, & consummatum: Sicut & ipse Christus dixit ad Patrem jam passurus, Joan. 17. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam*, quod de ipso opere in cruce consummando intelligit ibi D. August. in Tract. 105. Et quod inter omnia opera Dei, (sicut S. Leo docet serm 11. de passione) *Contemplationem mentis nostræ magis oblectat & superat.* Ad amorem accendit, à vitijs retrahit & ad virtutes extimulat.

Initium hujus salutiferæ passionis fecit ipse proditor Judas, quod ea in ultimâ cœnâ hisce verbis Christus præinsinuat: *Amen dico vobis; quia unus vestrum me traditurus est.* Matth. 26. num. 21. Vespere enim facto in Dominicæ passionis vestibulo, infido Judæ, proditionis tabula legitur, ad exactam leviorum noxarum cautelam. Nam unde quæso ad hoc profundissimum nequitiæ barathrum Judas pervenit? Quonam scelere ad tantum scelus perpetrandum, viam Apostolus sensim præstruxit? Scilicet, exiguis defectibus, aut exiguitatis censu conscientiam subruit, & exinde tantâ ruinâ miserabiliter corruit. Quod eleganter edisserit S. Chrysostom. hom. 77. in Matth. sic ab hujusmodi dehortatus; *Nullus igitur*, inquit, *frivola se illa ratione consoletur, quâ universa protervitas in animam inducitur: Illa inquam ratione nullus utatur, dicens: Quid est hoc aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cum sit, magna malitia, multâ operâ, ingenti studio condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur, à minimis etiam plerumque incipit. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna peccata videri esse evitanda, quanto parva & vilia: Illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere, unde cito ex paucis maxima fiunt negligentia nostra*, pergit citat Chrysost. *Sic in Juda maximum proditionis malum exortum est, nisi enim putasset parvum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Judæi quoque nisi putassent, inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad cædem Domini lapsi non fuissent. Hæc via omnia scelera fieri videmus.* En quanto periculo leviores noxæ perpetrantur, quibus ad enormia exstruitur scala, atque sternitur aditus. *Vid. Tract. 76. Disc. 2. 3. 4. & 6.*

Et contristati valde cœperunt singuli dicere ; Numquid ego sum Domine ? Mœror occupat Apostolos, cum audiunt inter eos, unum esse traditorem : *Et ideo aspiciebant discipuli ad invicem hæsitantes, de quo diceret* ; tamquam quilibet metueret, ne de ipso illud diceretur : ac proinde Petrus tunc hæsitavit ; ac maximè sibi metuit. Illenè Petrus modo timet, qui alias maximè arrogans & in se confidens, dicebat : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, ut etiam timore nullatenus corripiatur, licet audiat : *Omnes vos scandalum patiemini in me ?* Prudenter dixit, qui in jure dixit : Secundùm diversitatem temporum specificantur mores, & actiones hominum. *Quid, ô Petre !* ait S. Chrysostom. hom. 83. quando dixit, *unus ex vobis mè tradet, timebas, ne tu esses traditor, quamvis tibi nihil conscius eras, nunc autem manifestè eò dicente, quia omnes scandalizabimini, contradicis ? Quæ hujus vicissitudinis ratio ?* Quando Petrus de se peccatum timet : *Numquid ego sum Domine ?* tunc securus & immunis ab illo invenitur : Tutius enim se Petrus peccatorem timebat, quam se propè impeccabilem præsumebat : Securitas enim de præsumptione concepta, ruinæ est argumentum ; nam securitas propinqua & affinis est delictis : At verò timor, in securitate munimen est virtutis ac subsidium felicitatis. Discat igitur homo, in negotio salutis æternæ semper timores. Discat exemplo Petri edoctus, numquam securus esse in via Dei, ut aliquando securus esse possit. *Tract.* 93. *Disc.* 5. *&* 7.

Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis ; Tristis est anima mea usque ad mortem : Sustinete hic. Hoc est, ait Euthymius, tam tristis sum, ac si jam morerer ; quæ tristitiæ magnitudo satis his verbis expressa est. Sed unde quæso : num ex solâ morte corporali ? Nequaquam ; non enim adeo horrebat Christus Dominus mortem, quam mortis causam, peccata scilicet, quæ tunc coram in sudore sanguineo præ oculis habebat. Vide igitur, quanta peccati malitia, quanta acerbitas, quæ exacerbavit, & amaricavit, dolore & tristitiâ affecit, Christum Deum, qui fons est dulcedinis, bonitatis, & sanctitatis ; Unde non modice peccati malitia augetur. *Vid. Tract.* 71. *Disc.* 4. *&* 5.

Et progressus pusillum procidit in faciem suam, orans & dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Salmeron. Tom. 10. Tract. 12. ait : *Erubescit levare faciem suam ad Deum, cum peccata totius mundi sustineret.* Christus verus Deus, in suâ divinitate impeccabilis, purissimæ sanctitatis nitor, aliorum criminum misericordia, ac amore bajulus, inde procidit in faciem suam, ac si pro tantis culpis quas in se ad satisfaciendum susceperat, ei esset ingens pudor : ac erubescentia. Heu ergo vile & infame peccatum, pro quo filius Dei sic erubescit ! *Tract.* 71. *Disc.* 10.

Et factus in agonia prolixius orabat : Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Syrus è Græco convertit ; Sicut *grumi vel guttæ crassæ.* Irenæus *Globi sanguinis.* Cajetanus censet Christum sudasse sanguinem, eo quod jam exsudasset humorem, qui solet verti in sudorem. Porro vox, *sicut guttæ*, significat non purum fuisse sanguinem, sed mistum, quo scilicet sudor cum sanguine misceretur. Itaque Christus hunc sanguinem, & seipsum cum sanguine, in holocaustum & victimam, pro peccatis nostris obtulit Deo Patri. Affectuosè Eusebius apud Novarinum : *Christus pro me mortuus est, qui mea peccata in cruce lachrymatus est, cum clamore valido, & in horto, guttis sanguinis laxerunt singuli artus ejus singulas culpas.* Itane profixa agonia angitur Christus ob culpas nostras ? Ut illas per singulos artus guttis sanguinis lugeat ? Quasi parum foret, eas lugere oculis, omnes artus lugendo habiles fecit, ut pro lachrymis monstrosè sanguinem lugerent, & ita lugerent singulas hominum culpas. Heu inexplicabilem peccati gravitatem, quam ex hoc inæstimabili Redemptionis pretio, à Christo in cruce persoluto, necessario deducere debeo ! *Vid. Tract.* 71. *Disc.* 7.

Interim cum nefarijs satellitibus appropinquat Judas, quem ad proditorium osculum, sic amicè compellat meus Jesus. *Amice ad quid venisti ? Osculo filium hominis tradis ?* Immane quidem nefariæ proditionis piaculum, carnificium Deicidio confine. Scribis, & Pharisæis à Diabolo fetaliter instigatis, innocens Dei Agnus, infida osculi traditione traditur, qui traditorem interim amicorum optimum compellat, blandisque sic sermonibus affatur, ut saxeum licet cor, humanitatis sensum concepisset, atque à nefariâ amantissimi Magistri traditione destitisset ; Verum ingentibus favoribus delinitus Judas, nihilo melior effectus, ex quibus mellifluis verbis cor molle induere debuisset, fixo durius, quod nequiter concepit, magis nefariè exequitur. Et in hoc forte aliquando excusandus, si verâ pœnitentia seclus diluisset, referens turpiter argenteos, laqueo haud vitam abrupisset. Nihil interim, ut præmitteret Dominus, quod ex se erat, ut salvus fieret, elegit Judam, quem prævidebat iniquum futurum : Et periclitari magis apud nos judicium, quam affectum mallet : id est, volunt potius ab insipientibus hominibus judicari hic Judam malum futurum ignorasse, quam se eum non dilexisse, illiusque salutem procurasse : Et ideo post electionem ad tanti honoris fastigium, Apostolici collegij depositarium creavit, majorem in ipsum, quam in omnes alios ostendens confidentiam, quo omnem ei offendiculi occasionem amputare satagit. Vide ergo, ut ex propriis demeritis, damnationis locum suum effecerit : Reprobi namque respuendo Dei favores, & auxilia, per solam suam obstinationem, damnationem sibi suam conquirunt. *Tractatum* 82. *Disc.* 3. *maximè Num.* 8.

Melliflua Jesu verba, ut dulce fluebant eloquium, sed nec in Juda, nec in turba, & satellitibus locum reperunt, quin in hortò Jesus comprehenderetur : *Videntes autem hi, qui circà ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio. Et percussit unus ex illis servum principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus.* O audacem Petri animositatem, quâ totam cohortem solus invadit ! Annon videt eamdem bipennibus, gladijs, & fustibus, alijsque militaribus instrumentis armatam, magno cum furore irruentem ? Illene, quem paulo post una ancilla exarmavit, & ad infidam compulit negationem, sic animosus in totam armatam phalangem intrepidus irruit ? Unde ista inopinata Petri fiducia, & animi magnitudo, tanta magnanimitas, quâ solus ipse obvios quosque ferire non timet ? *Petrus ferventior fide, & charitate*, ait D. Hieron. *qui acceperat claves regni cælorum, potestatem condemnandi, & absolvendi delinquentes, ut vidit criminatores in tam gravi & turpi delicto intellexit eòsdem cum armis exarmatos esse :* Peccata siquidem vires debilitant, & inimicorum in bello è contra corroborant ; ideo hac occasione intrepidus, irruit in armatos. *Tract.* 78. *Disc.* 12.

Quod tamen factum mitissimus Jesus non probavit, sed comprehensoribus suis, potestate facta, captivus abducitur. *Petrus autem sequebatur eum à longe, usque in atrium Principis sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem.* Christus Deus, quasi omnium flagitiorum reus, ad Caiphæ domum vinctus trahitur, tunc Discipuli omnes, relicto eo fugerunt, sequitur solus Petrus. O fugitiva Discipulorum constantia ! Saltem Petrus sequebatur eum à longè, jam inde negaturo proximus. *Neque enim*, ait Remigius, *negare potuisset, si Christo adhæsisset.* Pervestigare vero solertius oportet, quo fine Petrus Christum secutus sit, & cur negationi proximus ? Peridonee Hilarius : *Humana curiositate scire cupiebat, quid judicaret de Domino pontifex.* O Petre ! ubi est nuper eximius erga Magistrum amor ? Ubi fides recens data ? Ubi propositum præsumptam animositatem spirans, & sequelæ irritamentum, reliquis condiscipulis arridens ? Ubi reliquarum virtutum collegium, ob quarum præstantiam Apostolici collegij præcellis vertex scilicet humana curiositate ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Malus Dæmon, qui exacuens curiositatem, torporem omnium virtutum expressit : Dum enim tentando suggerit cupiditatem, acuit acutè curiositatem, quo facilius ad delicta pertrahat levia, ut sic in graviora inducat. *Tract.* 76. *Disc.* 1.

Male cessit Petro hæc curiositas ; Unius enim mulieris voce perculsus in atrio Pontificis, præsentibus omnibus, dum mori timuit, vitam negavit. *At ille negavit, coram omnibus dicens, nescio quid dicis.* Dum reus mortis à judaico Concilio Christus denuntiatur, atrociter in eum à ministris sævitum est ; neque mitius in Petri conscientiâ, quam in atrio Pontificis Magister tractatur. Et quidem bene à longe Christum sequebatur, jam proximus negaturo. Neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset : Sed fortasse, & in hoc nobis maxime reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Fugitiva charitate amat, qui timet, & quod sequelæ pietas concedit, timor negat : Unde Petrus negat Dominum, quia homines timet. *Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla.* Et pergit post Matthæus trinam negationem sigillatim referens : Referunt etiam explicatius cæteri Evangelistæ. Sed mirum est, quam diversimode à singulis enarretur. Quid verò causæ est, quod una eademque res diversis specietenus modis Evangelistæ describant ? Audi rationem ex S. Ambrosio : *Ita novum fuit, Petrum potuisse peccare, ut peccatum ejus nec ab Evangelistis potuerit comprehendi.* Itane ante adventum Spiritus Sancti Petrus firmus stabit, ut peccare non posset ? Unde hæc alta de Petro Apostolici collegij imbibita mens ? Unde hic communis æstimationis census ? Quæ ejus virtus putabatur inconcussa, & amor erga Christum velut pie obstinatus, ut tametsi ex Christi ore nuper audierant, se à Petro nocte illa non semel negatum iri, ut prædictio re ipsa fuerit confirmata ; ita novum visum fit, Petrum potuisse peccare ? Ex alto illo hausto lumine, ac notitia Christi, quam ostendit, cum interroganti Domino respondit : *Tu es Christus filius Dei vivi*, alijsque divinis favoribus, inde putabant Petrum peccare non posse ; Cujus contrarium cum evenit, nil mirum, nec peccatum ejus ab Evangelistis potuisse comprehendi, ut inde tenor narrationis inter Evangelistas videatur esse diversus. Tantopere siquidem aggravatur peccatum, quod ex majori habito lumine, & scientia rerum divinarum procedit, ut & inexcusabile sit, & describi nequeat, aut describi indignum censeatur. *Vid. Tract.* 74. *Disc.* 4. 5. 6. 7. *&* 8.

Infelix Petrus, dum ter Dominum negat : multo infelicior Judas de venia desperat ; *Tunc videns Judas qui eum tradidit, quia damnatus esset projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Sic, sic pereant peccatores à facie Dei, qui beneficijs divinis nil meliores effecti acerbissima in largitorem bonorum omnium Christum Deum perpetrant. O falsam Judæ pœnitentiam, quæ spem veniæ excludit, & furias desperationis stimulante conscientia inducit, ut laqueo sibi vitam eripiat miser, mediusque effusis visceribus crepet ! O justissimam Dei ultionem, qua sic fontes plectit, per ea per quæ peccarunt ! Uti bene ponderat Hugo Hostiensis de sacramento passion. *Quia per quæ peccaverit homo, per hæc punietur : Suspensus crepuit medius ; plenus erat venter, & ruptus est.* Innumeri suspenduntur, quorum nullius venter ruptus est : Cur igitur in solo Juda tale indicium factum legimus ? Ut pateat, ex quâ pestè perierit Judas, sobrietatis Apostolicæ impatiens fuerat, nummos furripiebat, ex quibus sibi furtiva faciebat prandia, & qui ventre deliquit, rupto ventre etiam punitur. *Vid. Tract.* 78. *Disc.* 18. 19. 20. *usque ad* 26. Ideo etiam Petrus gladium vibrat, non in Principem, & Ducem totius cohortis ; Sed in militem vulgarem, & pauperem servum, Malchum nomine, qui laternam accensam manibus deferebat, ut Christus à militibus cognosceretur, ut eum caperent : Lumen ergo quod asportabat, ut ab ipso Christus esset agnitus ad comprehensionem, ipsum Malchum manifestavit, ac demonstravit, ut tamquam omnium dignissimus inflicto vulnere percuteretur, ac proinde malum, quod in eadem die in Christum machinatus est, in ipsum recidit ad pœnam, vulnus : impij enim in suis perversis consilijs delabuntur, siquidem malum ; quod alijs machinantur, in ipsosmet recidit. *Ibidem Disc.* 26. 27. *&* 28.

Dum impius proditor Judas itaque osculo falso Jesu illudit, ad æternam suam damnationem illuditur : quibus illusionibus non fatuti Diaboli satellites ; *Et, ipsi genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes : Ave Rex Judæorum.* Quænam hæc impudentissima genuflexio, nullatenus comparanda, cum eis prostrationibus & genuflexionibus, quas de more V. Testamenti homines exhibebant ? Et nescio an aliqua gravior contumelia, & acerbior Christo obvenerit, ac toleratu difficilior quam hæc ingeniosa genuflexio, seu potius illusio : Qualem hodie dum ii peccatores peragunt, qui post peractam pœnitentiam turpissimè relabuntur, rursum contumelijs afficientes Filium Dei ; Ut eis in mentem revocat S. Gregor. part. 3. Pastoral. *Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut ante districti judicis oculos, eis se esse similes agnoscant, qui vicientes ad faciem quorumdam hominum, magnâ eis submissione blandiuntur, recedentes autem inimicitias & damna, quæ valent, atrociter inferunt ? Quid enim est culpam flere, nisi humilitatem Deo suæ devotioni ostendere ? Et quid est post fletum prava agere, nisi superbas in eum, quem rogaverat, inimicitias exercere ? Vid. Tract.* 75. *Disc.* 5. *Num.* 5. *&* 7. *sequent.*

Hanc militum genuflexionem, scelerosam merè illusionem fuisse, vestium post crucifixionem partitio comprobavit. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes.* Nudus ascendit meus Dominus Jesus ad crucem, & quare omnium Dominus, mortem eligit, quâ nudus occumbat ? Congruentius videtur factum fuisse, si in signum summæ dilectionis erga paupertatem, in præsepio non pannis involutus, sed nudus reclinatus fuisset ; hic verò propter ingenitum pudorem, & decentiam vestitus, animam suam sanctissimam exhalaret ? Verum ideo nudus mori voluit, ut omnibus palam fieret, quantopere voluntariam paupertatem semper æstimarit, & quo in pretio eam habuerit, in quâ non solum voluit nasci, sed vivere & mori. *Vid. Tract.* 69. *Disc.* 1. *Num.* 6. 7. *&* 8. Aliam rationem pulchrè assignat D. Athanas. Orat. de passione. *Cum enim* ait, *exaltatur Dominus, eo ipso erigebatur invisibiliter de Diabolo trophæum. Erat Dominus in cruce expolians Diabolum principatum, & suis membris, id est, suis electis aperiens portas regni cælorum, in extremâ nuditate crucifixus pendet.* Nam ipsa paupertate & nuditate maximè acquiritur regnum cælorum, & est medium ad ejus consecutionem efficax. *Ibidem Disc.* 5. Efficitque ut inimicos invisibiles superemus, & per eam protegamur. *Ibid. disc.* 4. *maxime Num.* 8.

Comprobarunt eamdem illusionem illæ Judæorum in Christum jactæ blasphemiæ : *Et præteribant blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes : Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas : Salva temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce.* Virulentiores in Christum fuere Pontifices, Scribæ & Pharisæi, quam populus : nam subsannare ejus miracula ; quibus beneficè alios salvos fecit. Quid est, quod cæcis oculos, claudis pedes, surdis auditum, paralyticis solutionem, mortuis vitam identidem præbuit, & seipsum in summâ calamitate constitutum non salvat ? Non est Messias, non est Christus, qui cum posset sibi opitulari (ut alijs opem tulit) & descendendo de cruce, seipsum salvare, & nos, qui utpote in eum, ut Messiam credere volumus, id non præstat ; Cum tamen Christus in eum finem veniat, ut in eum mundus credat : Verum hic in diri cruce tanta cruciamenta patiendo, sponte perseverat. O voces fatuè stultissimas, & Pharisaica cæcitate, invidia, atque ignorantiâ dignissimas ! Imò ut profundè Tertullian. ait lib. de patien. cap. 3. *Hinc vel maximè, ô Pharisæi, Dominum cognoscere debuistis ; perseverantiam ejusmodi nemo hominum perpetraret :* Quam hic eximiam exeret, idque ideo ut te eam doceat, esse proprium Christiani hominis characterem, dum omnia opera sua ad perfectionem perduxit. *Vid. Tract.* 80. *Disc.* 1. Et idcirco perseverantiam hanc, fidei eorum antepositi, sine quâ ; nec fides, nec aliæ virtutes, quidquam valent. *Ibidem Disc.* 2. Ipsa est cœli porta, quæ merita adauget, & præmiat ; atque ad finem hominis respicit. *Ibidem Disc.* 4.

His Pontificibus, Pharisæis, & Scribis oculatior mente fuit Centurio, qui tantam in Christo, ut vidit patientiam & perseverantiam, exinde Filium Dei, agnovit, & confessus est ; *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quod sic clamans expirasset, ait : Vere filius Dei erat iste.* Confitetur Centurio Christum & convertitur, tunc cum jam Christus temporali morte defungitur, prædicantem audierat, miracula infimul facientem, ut quid ergo in ultimam horam procrastinat conversionem suam, ut prius non converteratur, quam exclamantem audit ? Docuerat Dominus meus Jesus : *Diligite inimicos vestros, ut sitis filij Patris vestri.* Hanc doctrinam, ut vidit ab ipsomet, practicari Christo, quod non ab æterno Patre fulmina super crucifixores, ut Elias ignem super quinquagenarios ; peteret ; Sed potius eis ignosci : *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Ex ea prædicatione licet brevisculâ efficaciter permovetur ad conversionem : Ut enim efficax sit prædicatio, præcedant opera, sequantur verba ; & quidquid voles persuadebis. *Vid. Tract.* 83. *Disc.* 29. 30. 31. *& sequent.*

Vere Filius Dei erat iste. Diversa plane Emphasi hic Centurio Jesum filium Dei confitetur, quam Matth. 16. Apostolus Petrus dicens : *Tu es Christus filius Dei.* Petrus enim simpliciter tantum ait. *Filius Dei* : at Centurio tantâ assertione, ac veluti interposito juramento : *Vere filius Dei erat iste.* Unde tanta fides in Christum in Centurione, ut eumdem etiam in conspectu Judæorum filium Dei non vereatur prædicare, qui crudeli odio Christum persequebantur ? Spectator adfuerat omnium à Christo patienter perpessorum tormentorum, audiverat nihilominus inter has acceptas injurias Christum pro suis crucifixoribus orantem ; in quâ patientiâ incredibili, ut vidit Christum expirasse, inde indubitanter concluſit, Filium Dei fuisse nam ut patet ex tota ejus passione, per invictam patientiam, se Dei filium esse Christus probavit. *Vid. Tract.* 68. *Disc.* 3. *&* 4.

Hunc Centurionem sequitur Latro in cruce : qui idcirco fide in Christum firmâ, insultantem Christo latronem sic reprehendit : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es ?* Crucifixo Domino simul in cruce pendent duo latrones ; Uno in sua iniquitate persistente, alter mirabiliter ad Dominum convertitur : Et in magnam protestationem, & confessionem divina bonitatis, clementiæ, ac majestatis prorumpit, dicens : *Memento mei cum veneris in regnum tuum* ; Unde amplam à Domino habuit remunerationem : *Dixit illi Jesus : Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Magnam Patribus movis

vit quæstionem, unde iste homo tantam habuit cognitionem? Quis illius mentem illustravit, ac errorum tenebras dissipavit: Præcipue cum duo isti latrones, cum primum essent crucifixi, opprobria & convicia in Dominum jactarent. Et in hunc sensum explicant. Origen. D. Chrysost. D. Hilarius, & alij illud Matth. 27. *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Unde ergo homo, in vitijs ac latrocinijs enutritus, blasphemias ac convicia inverecundis labijs jactans, tantam habuit cognitionem, ut cum magno dolore in tantam confessionem exiret? Credo fuisse timorem, qui visa Domini patientiâ, clementiâ, ac charitate, maxime ejus animum illustravit. Timor enim Dei, radix est, & fundamentum sapientiæ. *Tract.* 39. *Disc.* 10. Et ideo audiens blasphemias sui consocij, & dixit: *Neque tu times Deum:* Ubi enim primum timor ejus mentem invasit ac tetigit, statim inveteratam peccatorum caliginem fugavit, ad crucifixi fidem suscipiendam instruxit, ac ad magnam iniquitatum contritionem & pœnitentiam excitavit: Timor namque Dei, stimulus est ad pœnitentiam, cooperaturque conversioni, abolendo peccata præterita, & præservando à futuris. *Ibidem Disc.* 2. Tam præpotens enim est timoris vis, ut ex homine impio, qui se maximè à Deo elongaverat, virum fecerit præclarum, sanctum, intimè Deo adhærentem, ita ut eadem die socius esset in paradiso. *Hinc est*, ait D. Gregor. lib. 27. moral. cap. 16. *quod uterque latro, & eamdem, & suæ morti similem, mortem Redemptoris vidit; Sed cum superbiendo similem, mortem Redemptoris vidit; Sed cum superbiendo alter contumelijs lacessere non timuit, quem timendo alter honoravit; honorando vitam æternam sibi conquisivit.* O timor signum & pignus æternæ beatitudinis! *Ibidem Disc.* 6. O timor principium æternæ nostræ salutis! *Ibidem Disc.* 9. Ad hujus igitur latronis exemplum extimulemur, ad hunc sanctum timorem in nobis prosequendum: *Pro quo venia moniva, Vid. Ibidem Disc.* 15.

FERIA II. PASCHÆ.

ET dixerunt de Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone. Luc. 24. Theophylactus hic: *Primo quidem est opus, secundo sermo: Nullus enim doctrinæ sermo approbatur, nisi prius is, qui docet, se ostendat authorem. Præcedit enim opus aspectum; nam nisi mundaveris intellectus aspectum per opera, non emicat decor optatus.* Efficax nempe in operando & prædicando bonus, & non invertendus ordo, est, ut verbis, opera adjungat prædicator, & efficacius persuadebit. *Vid. Tract.* 83. *Disc.* 29. Hinc D. Paulus 2. ad Timoth. 4. ait: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ.* Quibus verbis exhortatur eum, ut opus impleat Evangelistæ, id est. Evangelici prædicatoris. Expende vero ordinem Apostolicum: Vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, scilicet præcedant opera antequam eructentur verba. *Ibid. Disc.* 30. 31. 32. 33. & 34.

O stulti & tardi corde ad credendum! Dura increpatio hæc videri potest, quâtem discipuli non meruisse videntur, qui de Resurrectione Domini soliciti & tristes sese invicem in viâ consolabantur, & in quorum cordibus recens passionis vigebat memoria, quæ gratitudinis haud exiguum signum erat. Interim hanc acrem flagillationis alapam infligit Dominus propter eorum impatientiam: *Nos autem sperabamus.* Nondum tres quos prædixerat, dies finierant, & moræ impatientes Resurrectionem volebant, suspensi expectationis molestijs fatigati, spem penè abjecerant; ideo acriter increpat, ut offendat, quam damnosa animabus sit impatientia, quæ quasi morbus comitialis, seu cordolium hominem tabescere, & temporatim cadaverascere facit, & res est plena periculis, instigans ad præcipitia, & noxia quæque. *Vid. Tract.* 68. *Disc.* 15. *Varias consideraciones an detestationem impatientiæ.*

O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Veterator malorum omnium, communis bonarum mentium hostis, dilectis hisce Discipulis, gravissimam fidei tentationem ingesserat, ut de resurrectione Christi, ac divinitate fortiter dubitarent. *Nos autem*, dicebant, *sperabamus, quod ipse redempturus esset Israël, & ecce tertia dies est hodie.* Tentationi huic pæne succubuerant: Et ecce adest Christus Deus, & de suæ resurrectione dubios, blandis verbis reprehendit, & instruit, tentatoremque propulsat: Deus enim non permittit Dæmonem prævalere, & superiorem esse nostris viribus communicando nobis auxilia, quibus ei resistere valemus, *Tract.* 92. *Disc.* 13. Ad rem Magnus Gregor. hom. 23. in Evangel. *Audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulantibus in via non quidem credentibus, sed tantum de se loquentibus, Dominus apparuit: Sed eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit. Hoc ergo egit Sponsus Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos, & amabant & dubitabant: De se igitur loquentibus, præsentiam exhibuit: Sed de se dubitantibus, cognitionis suæ speciem abscondit, verba quidem contulit, duritiam intellectus increpavit, Scripturæ sacræ, quæ de ipso erant mysteria aperuit: Et sic eos è dubietate liberavit.* En igitur fidele auxilium, & tutelam, quam à Deo, in tentationibus recipimus. *Ibid. Disc.* 14.

Nonne hæc oportuit pati Christum? q. d. Vos, ô discipuli mei, vestramque de me, meaque resurrectione, divinitate, atque adeo incarnatione fidem turbavit, ac spem verum temere & sine causâ: nam in Deo homine non peregrinatur passio, quam Prophetæ toties prædixerunt. Audiendus est D. Basil. Seleuc. qui Orat. 39. disputans contra Arrianos, ita scribit: *Quid ajunt, qui superstitiosa religione laborantes, trepidant timore, ubi non est timor, ne quid, quod opinantur, Deus patiatur, cum passiones hominum, sine passione medicatur, ac ideo credere refugiunt Dei incarnati generationem, ventri mulieris esse concreditam? Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demonstratur, quod & patibili oblatus sit corpore, & quod impatibilitatem divinitatis ostendat.* Tribulatio enim habet aliquid divini; & ideo Christus animas afflictas amplexatur, & cum eisdem conversatur. *Tract.* 94. *Disc.* 5. Itaque valde oportuit Christum pati, in humanitate patiente, *impatibilitas divinitatis ostendatur.* Quid enim tam mire arcanum, quam quod patiente Deo, exsitat divinitas à passionibus immunis? Sanè *hoc Deo honorificentius est.* Summam enim gloriam & honorem Deus repositit & abscondit sub tribulationibus. *Ibidem Disc.* 3. *Nonne hæc oportuit pati Christum?* Cur quæso Dominus hoc oportuit? hoc enim est, de quo potissimum discipuli dubitant. An non multæ aliæ rationes generis humani servandi, absque durissimo crucis supplicio suppetebant? Quid enim impossibile Omnipotenti? Quid non facile rerum omnium Domino? Cur igitur in Christo homine, si peccatum hominis, judicatum, & punitum gravissimè fuit cum leviori pœna, lachryma inquam una satisfacere pro culpa Dominus posset? Ut gravitatem culpæ hoc modo nobis manifestaret. Appositè ait Didacus Stella in Luc. *Hinc colligitur, quanta sit peccati malitia, siquidem ad eam purgandam, oportuit Dominum ipsum in carnem mortalem descendere, passibilemque fieri, ut sic copulata divinitate, quasi quoddam fomentum faceret ad naturam humanam sanandam: Ideo quoties peccas, attendas, quantam incurras infirmitatem, ad cujus curationem oportuit Filium Dei pati:* Ex inæstimabili enim redemptionis nostræ pretio, à Christo in cruce persoluto, gravitas peccati luculenter colligitur. *Tract.* 71. *Disc.* 7.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Profectò, si gloria Christi, gloria sui ipsius est, quo pacto dici potest, oportere quod Christus per patientiam intraret in gloriam? Opportune Petrus Damian. Serm. 3. *Duæ propensius necessariæ probantur esse virtutes: Charitas videlicet, & patientia per charitatem quippe, Dei filius ad nostra descendit, per patientiam vero susceptam nostræ substantiæ veritatem, ad paternam gloriam sublimavit.* Patientia Christi ipsum sublimavit in cœlum an divinitas? an persona verbi, cui unita erat humanitas, & sic ipsi debebatur in cœlis sublimati? patientiâ invexit, & evexit Christum ad cœlos? Nam si Christus non pateretur, in cœlum non sublimaretur? mitto hæc. Id unum audio ex ore sancti P. Petri Damian. quod Christus per patientiam, *susceptam nostræ substantiæ veritatem, ad paternam gloriam sublimavit.* Scilicet tantam gloriæ sublimitatem vult deberi patientiæ: Illa enim viam in cœlum sternit. *Tract.* 60. *Disc.* 10. Qualis autem ea esse, & quibus vestita conditionibus debeat. *Vid. Ibidem Disc.* 16.

Et dixerunt ad invicem nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret scripturas? Cum Dominus disparuit, inter se mutuo loquuntur, tam magna lætitia perfusi. Et quos tristes & mœstos invenit, cor ingenti gaudio repletos reliquit, ut exultantes sese ipsos vix præ ardore, & amore, qui in eis accensus fuerat, caperent, ideoque dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat*, id est, ut Euthym. ait, incendebatur, movebatur, ac vibrabat. Sed unde ignis ille accensus fuit? Ex prædicatione & scripturarum explicatione. *Ignis hic sermo Christi est*, ait S. Ambros. serm. 18. *& bonus ignis, qui calefacere novit, nescit exurere, nisi sola peccata;* Verbum namque Christi, ait Bonaventura, inflammaverat cordæ eorum, quia verbum Dei, igneam habet naturam propter inflammationem amoris, quem specialiter in nobis accendit. *Vid. Tract.* 83. *Disc.* 7. *Num.* 1. *& sequent.* Hic vero

vero mirabilis amoris ardor, quem ex vi verborum conceperant, in resurrectione ejus argumentum secum deferebant: Et ideo eadem hora regressi sunt in Jerusalem, constanter resurrectionem Domini prædicantes, nullam vel Pharisæorum veriti calumniam, vel inimicorum persecutiones, & invidiam: Verbi enim divini fructus alter est, quod conferat vigorem, magnanimitatem, & omne animi robur ad superandum occurrentia obstacula, quibus impedimur. *Ibidem Num.* 6. *& sequent.*

FERIA TERTIA PASCHÆ.

Pro hac Feria vide Dominicam in Albis, & Tractatum 59. de Pace.

FESTUM SANCTORUM APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

NOn turbetur cor vestrum, neque formidet. Transit ex discessu Christi, turbantur Apostoli, sed timent, merito enim ille formidet, à quo discedit Christus, omne solatium & gaudium. Quomodo igitur non timere jubet Dominus, præsertim cum ipse timor, æternæ beatitudinis signum sit, (uti videre poteris Tract. 93. Disc. 6.) cujus beatitudinis promissione, & invitatione, animos eorum relevare contendit; dicens: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Beatus enim ille est, qui semper est pavidus Christianæ ad quæstionem Seneca. Epist. 99. Calamitosus est, animus futuri anxius, & ante miserias miseri qui solicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permanent. Nullo enim tempore conquiescet, scilicet timor ille, qui occupaverat Apostolos, humanus erat, & mundanus, quo post Christi abitum, homines timebant persecutores, Qui vero solus est, pœnarum timor, quo timetur pœna, servilis, quia carnalis, & ideo configit carnem: Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Maller enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non spiritualiter detestatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Itaque humanus timor dissimulatio delinquendi est, & hunc in Apostolis vetat Christus, & justè in omnibus improbatur. *Super quo Vid. Tract.* 93. *Disc.* 3.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Abiturus ex hoc mundo ad Patrem à charis suis discipulis Dominus Jesus, eis providet pacem, & tranquilitatem absque ulla perturbatione: ait enim; *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: Non turbetur cor vestrum.* Quomodo vero id possibile erit, quod non turbandi forent Apostoli, qui ut strenuè laboratores, in diversas mundi plagas ablegandi erant? Num in otio vitam transigent? ut non turbentur? tribulationis enim, & laboris, individuus comes turbatio est: post perfectam orbis operationem, die sexto condidit Deus hominem, & immediate die septimo requievit ab omni opere. Cur statim post creatum hominem, in Deo non nisi quies apparet? cur non magis apparent Dei opera? Cur non magis sese Deus ostendit hominibus, operibus incumbentem, cœlos fabricantem terras ornantem, animalia producentem? Sane non sic Deus providebat homini negotia, quin & suo tempore imperturbabilem requiem. D. Anselmus in cap. 4. Epist. ad Roman. ait: *Cur enim diceret, post illam diem, in qua homo creatus est, sequenti die requievit, & ab opere cessavit, nisi per hoc vellet innuere, quoniam illam, post cujus creationem requevit, ad requiem fecit:* Ita pariter Christus discedens, ad laborem ablegat Apostolos suos, ut tamen, & requiem, quæ cum pace, & tranquilitate animi, in opus consenserit, in eis approbet, reprobet autem damnosum: & inutile otium, tempus enim quod honestæ quieti impenditur, morumque restaurationi, utpote otium vitæ contemplativæ commendabile venit, in quo requies, & tranquillitas imperturbabilis acquiritur. *Tract.* 61. *Disc. sus* 17.

Non turbetur cor vestrum neque formidet: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Audierant Apostoli à Christo multa, quæ ipsis tristitiam, timorem & perturbationem merito afferebant: de traditione scilicet Judæ, de negatione Petri, de fuga ipsorum, denique de morte acerbissima Christi imminente, & eorum persecutione futura. Et hæc erat sufficiens tristitiæ ratio, quos ut consolaretur Dominus, fiduciamque ingeret, spondet cœlestes mansiones, quæ ipsis tanquam electis jam essent præparatæ, eosque infallibiliter expectarent. Consolatur ergo eos, (ait doctiss. P. Maldonatus) non propterea exclusos esse si modo non sequantur; secuturos suo postea tempore, *nec ipsis locum defuturum in domo Patris sui, hoc est, in regno, mansiones multas esse, suam cuique servari? neque timendum esse, ne ab alio occupetur.* Quasi ideo dicatur in cœlorum regno mansiones multas esse, ne anxie timeant discipuli, ne dum ipsi in terris interim manent, nec Christum tunc ad cœlos sequuntur, alius solertioris industriæ merito paratum sibi in cœlis locum præoccupet: & in beata cœli felicitate locus ipsis desit, quem alterius diligentia præripuit. Ad frustra hæc: habet enim cœlestis Pater duos libros vitæ, quorum unius est immutabilis, in quo scripta erant nomina discipulorum Christi: Alter vero ex parte nostra mutabilis, ijs scilicet, quæ cœlestibus datis auxilijs non cooperantur, & ideo oportet in timore semper vivere, & sanctè turbari, atque ut ait Apostolus, per bona opera certam electionem facere. *Tract.* 82. *Disc.* 4. & 5.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Post hæc verba mox subjungit Christus. *Ego vado parare vobis locum.* Quæ loca valde secum pugnare videntur, ut advertit D. Augustin. Tract. 68. in Joan. ita scribens: *Quomodo vadit, & parat locum, si tam multæ mansiones sunt? si quo minus dixissem, vado parare; aut si adhuc parandus est, cur non merito dixisset, vado parare? an istæ mansiones & sunt, & parandæ sunt?* Quæ difficultas plane urget: nam si mansiones in cœlis sunt, & beatorum solia, regia magnificentia constructa, & quidem ab origine mundi, uti Matth. 25. Quidnam est, quod hujusmodi mansionibus deest? Quisnam ornatus mansionibus superest, ut Christus vadat præparare locum? Respondet S. Augustinus. *Hæc ergo domus Dei, hoc regnum Dei, regnumque cœlorum adhuc ædificatur, adhuc paratur: sed quid est, quod ut paret, abijt? Cum profecto nonnemipsos præparet.* Ergo cum nos meritis locupletat, & ornat, tunc beatorum mansiones præparat, & exornat: Deus enim sic ordinavit, ut in omni statu possimus salvari. *Tract.* 96. *Disc.* 1.

FESTUM INVENTIONIS S. CRUCIS.

ERat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, hic venit ad Jesum nocte Joan. 3. Nicodemus reprehensione maxime dignus, quod sub noctis caligine clam veniret ad Christum Dominum, verum lumen, ex eo, quod non fuerit ausus ex metu Judæorum palam ipsum accedere: nam maxime execrabile est, quod amor noster plerumque in Deum, & in mundum dividatur; unde Apoc. 3. dicitur: *Utinam calidus aut frigidus esses;* Quibus verbis præcipitur non minus parva, quam magna peccata vitanda esse, quod scilicet Deus ea opera nauseet, quæ similibus parvis maculis permixta sunt, *de quo Tract.* 76. *Disc.* 20. Attamen simili reprehensione omissa à Christo amicabiliter blandeque suscipitur. Cur vero non objurgatur? Respondet D. Chrysost. hom. 23. *Clementissimus Deus neque tam frigidum affectum pepulit, neque objurgavit, neque indignum duxit sua doctrina sed multa cum mansuetudine eum alloquitur, & arcana aperit obscure quidem, aperit tamen, quippe quem longe magis venia dignum existimavit, quam qui malitia percunctabantur; illi enim nullo pacto poterant excusari: hic etsi reprehensioni, non tamen erat obnoxius.* Nocte igitur venit Nicodemus, & à Domino benignè suscipitur, quia non malitia, & contemptu non deliberate & cum complacentia hunc errorem committebat, sed ex quadam veluti ignorantia, & ignavia, ita clam accedit: Et delicta ex ignorantia venia valde digna sunt, sicut magno mulctando supplicio, & detestanda etiam venialia quæ scienter, voluntariè, & deliberate committuntur. *Ibidem Disc.* 22.

Hic venit ad Jesum nocte. Venit quidem Nicodemus ad Jesum nocte, sed Judæis valde dissimilis; nam illi miserunt ad comprehendendum Dominum nocte, ad quem audiendum ille venit nocte: Et ea quidem intentione, ut aliquid de divina doctrina apprehenderet, in quo vehementer commendandus: At quod venit nocte propter metum Judæorum, hoc culpatur; de quo sic D. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Joan. *Propensus ad fidem Nicodemus fuisse videtur, sed pudore improbo victus, & gloria hominum superatus, palam accedere non audet.* Timor enim humanus tantas in exordio perfectionis, sanctæque vitæ vires sæpe apud homines habet, ut ob humanam verecundiam excellentia virtutis non ita æstimetur: & exigua sit ratio eximiæ illius dulcedinis, quæ liberam consequi solet virtutis conversationem. Quam damnabilis ergo humanus metus, qui peccandi differt facultatem, & operationem, non autem aufert. *Tract.* 93. *Disc.* 3. Licet interim hic humanus respectus Nicodemum retardarit, quo minus in die, & palam æternæ salutis Magistrum accederet; quia tamen, ut Beda ait, ex timore Dei, & amore salutis æternæ, cupiens secreta ejus alloquutione plenius mysteria fidei discere, cujus aperta offensione signorum aliqua-

aliquatenus jam rudimenta perceperat, ad Jesum nocte venit, & benigne susceptus, meruit in fide plenius eruditi ad salutem, & salvari: Timor enim Dei pignus est æternæ beatitudinis *Ibidem Disc. 5.*

Hic venit ad Jesum nocte. Nicodemus ætate senex, eruditione Magister, dignitate Senator, de salute sua solicitus, jam credulus quidem, ut vult Eusebius de Invent. S. Crucis, sed nondum charitate perfectus, dum timet, nocte[m] in auxilium eruditionis trahebat, & qui nocturnus discipulus, tenebris pavori medebatur, ut ait D. Basil. Seleuc. pavore Dei perditioni suæ succurrit, & æternam salutem meretur. Felix vicilitudo ex tenebris eruere lucem: Optata nox, quæ pro timore vano, quem ingerere assolet, timorem Dei suppeditavit, Nicodemo, & inde principium & originem salutis æternæ, cujus ipse initium est. *Tract. 93. Disc. 9.*

Hic venit ad Jesum nocte. In nocte invenit Jesum lucem. Simon Cathar. Mirum est, num sponsa quæsivit per noctem, quem diligit anima sua, nullatenus eum invenit. At Nicodemus nocte venit, & in nocte invenit. Quæ dispar est ratio? Illa quæsivit in lectulo suo, delectata quiete: Iste verò cum venit, jugum otiositatis excussit, veniens & inveniens: Erat homo nobilis, dives, & princeps: at laboriosus: & labore occupatus. Magna vero utilitas, quam conferunt occupationes, ad virandum otium, & qui tempus bene impendunt, cum Nicodemo laude digni. *Vid. Tr. 91. Disc. 16. maximè Num. 9.*

FESTUM ASCENSIONIS DOMINI.

Recumbentibus undecim Discipulis apparuit illis Jesus, & exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. Novissima hæc fuit apparitio Christi post resurrectionem suam, quæ in ipso Ascensionis die, Discipulis ad mensam recumbentibus contigit, ut pro more illius temporis prandierent: Et tunc exprobravit incredulitatem eorum his verbis, Luc. 24. *O stulti & tardi corde ad credendum*, ut opinatur Fraisc. Luc. Et quamvis juxta communem sententiam, unius Thomæ incredulitas arguatur, in communi tamen eos arguit, ne aliquem sigillatim arguendo, ipsum exasperet, & à se alienum faciat. Omitto quod in glorioso Ascensionis Dominicæ triumpho, intempestiva videtur dura increpationis acerbitas? Et attentius cum S. Augustin. lib. 3. de consensu Evangel. cap. ultimo enucleanda sunt Evangelistæ verba. Increpat severus Christus incredulitatem discipulorum, & duritiam cordis & confestim eos in mundum universum prædicare mittit, qui duro & pertinaci corde increduli fuerant, hos incredulos fidei Patriarchas constituit? tantumne reprehensioni fidit? Annon verendum, ne pristinæ incredulitatis vestigia moveant? Nullo modo. Ineffabilem enim virtutem verbum Dei licet increpatorium habet, pacificandi, & præservandi à peccatis. *Vid. Tract. 83. Disc. 8.* Quos igitur prius vocat duro corde incredulos, statim post reprehensionem, fidei fatores & Patriarchas constituit. Dilucide Hieron. *Exprobrat autem incredulitatem, ut succedat credulitas: Exprobrat duritiam cordis lapidei, ut succedat cor carneum charitate plenum.* Scilicet, contumacia incredulitati cognata est. At tantum opportunæ reprehensioni tribuit Christus, ut nuper incredulos, post aerem reprehensionem, fidei propugnacula constituat. Sic vitia reprehensione sistuntur: Sic virtus correptione convalescit? Nempe fermo divinus increpatorius, cor lapideum recudit in carneum, & obstinatorum peccatorum emollit virtute sua duritiam. *Ibidem Disc. 10.*

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Certum erat, quod qui universo mundo Evangelium prædicaturi? Domino mittebantur, in uno particulariter loco consistere nequibant; ut quid igitur tam enucleate; additur. *Euntes?* Scilicet, ut cum alios docerent, rectam virtutis viam, nequaquam ipsi subsisterent; sed pariter de virtute in virtutem progrederentur? Nam Christianus semper in virtutibus progredi, & nequaquam eo virtutum statu, in quo est contentus, vivere debet; Ergo multo magis viri Apostolici. *Vid. Tract. 80. Disc. 6.*

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Non sine mysterio additur, prædicate Evangelium, quo designaret illam doctrinam, quam annuntiare debet minister Evangelicus; *De qua Vid. Tractatu 83. Disc. 4.* Qui primo loco rationem habere debet sacræ Scripturæ, utpote quæ veritatem in se continet: procul igitur doctrinæ profanæ, & curiosæ funto. *Ibidem Disc. 41.*

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium. Prædicare Evangelium, est proprium, & excellentissimum munus Apostolicum: Et ideo ut quid valde maximum, & necessarium; commendatum est à Christo suis Discipulis: tum in ipso resurrectionis die. Luc. 24. Tum in monte Galilææ. Marc. 28. Et in hoc loco, in ipso sacratissimo Ascensionis die. Euntes, ait, & non dixit, ite: Ut in munere sibi commisso, & negotio eis dato salutis animarum, semper esse eundum, & numquam cessandum admoneret. Audientia etiam Evangelij sic necessaria fuit, ut fides super illam fundetur; & ideo verbum Dei Luci, & semini comparatur: Corpori autem Christi, suo modo, à S. Bernardino antefertur. *De quo Vid. Tract. 83. Disc. 1. & sequent.*

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium. Ad tantum & tam laboriosum munus, uti est prædicare Evangelium, mittuntur Apostoli, & nullus eorum se excusat, nec verbum respondet. Quod eleganter edisserit Galfrid. in allegorijs Novi Testamenti hic, dicens: *Considerandum quos, & quo miserit: pauculos mittebat pauperculos: nec fuit qui diceret, cum Moyse, quod lingua esset impeditioris. Exod. 4. In universum mundum mittit eos, qui vix unam noverant regionem, nec tamen fuit, dicere illis cum Abaeue, Babyloniam non vidi, & lacum nescio. Dan. 4.* Valde sublime munus, super omnes humanas vires eis imponitur, ut piscatores pauperes & agrestes, tumentium Philosophorum argutias extricent, regum fastum Evangelio subjiciant, efferas gentes ad Christianam doctrinam edoment, quod omne humanum fastigium vere excedit; sed omnes divina gratia, ac Christi protectione firmi, ac strenui, virtuti quoque verbi fidentes, prompti ad obsequium stant! nullus est, qui excusationem prætendat? hic Evangelicæ prædicationis efficacia sumptuosius evulgatur. Ast imperatrix idololatria universum mundum occupat! Nam pauculi piscatores tantam potentiam, detriumphabunt? Verum post Apostolorum prædicationem idololatria irridetur, vituperatur, expungitur, totusque mundus efficacia verbi convertitur. *Tractatu. 83. Discursu 14.*

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium. Hoc tempus, quando hoc præceptum discipulis imposuit, si curiosius observetur, patet ex superioribus, fuisse tempus prandij, & ordinariæ refectionis: tunc apparuit illis; quod non parum admiratur Mellifluus ille Bernard. *Apparuit*, dicens, *vere benignitas & humanitas Salvatoris: multam enim fiduciam præstat, quod libentius adsit, oratioui incumbentibus; quando nec recumbentibus quidem denegatur adesse.* En, ô Christiane! ut Christus etiam actiones indifferentes, ante ascensionem suam, sua præsentia sanctificet; ut tibi indicaret, quod similes actiones, amando Deum meritorias reddere possis, cogitando eum præsentem, bonamque intentionem formando: In omni enim vocatione fieri potest charitatis exercitium, quo mediante, cœlestem gloriam lucremur. *Tract. 96. Disc. 7. maximè Num. 5.*

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Joan. 6. Verè, id est, non figurate, non parabolicè, non ænigmatice, sed verè ac propriè, ut verba sonant. Causam vero cur sic se nobis incorporet, appositè reddit S. Chrysostom. hom. 6. ad populum: *Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum*, ut sicut ipse Christus, qui est panis Angelorum, tantopere sese humiliavit, ut ipsius hominis voluerit esse cibus: tantopere humilis, ut ad prolationem pancorum verborum, è dextra æterni Patris descendat, sub modica panis particula, immensam suam majestatem constringens: Sic homo eidem contemperetur, ut unum quid fiat humilitate, coopteturque, ut corpus capiti, ad deprimendum suum fastum. Pro quo efficax motivum erit, si hanc humilem dignationem identidem recogitet & exinde discat; non altum sapere, sed timere. *Tract. 90. Disc. 15. maximè Num. 4.*

Caro mea vere est cibus. Unde hoc sanctissimum Sacramentum habeat, quod sit animæ nostræ cibus, pulchris verbis exponit S. P. Augustin. dicens: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum:* Operatorius quippe est sermo Dei: Ergo omnem virtutem habet ex verbo Dei, scilicet quod instillet amorem, reddat heroëm erga adversa, confortet, præserveri, & purificet à peccatis: similes quoque virtutes habet verbum Dei, ut hoc pulchre explicat, S. Chrys. tom. 5. orat. 7. sub Agriculturæ metaphora: *Agricultura vero, qua orationibus* (concionibus inquam) *nostris semina doctrinarum communicantur, quæ spiritus dona auget, amplificatque, spirituales animi divitias inexhaustas, & alimonium immortalem procurare solet.* Nimirum eloquia Dei, in ore Chrysostomi, non tantum auditores fovent, & animant ad vitam; sed alunt immortali alimonia, augentque & amplificant divinam gratiam & Spiritus Sancti dona. *Vid. Tract. 83. à Disc. 1. usque ad 10. Et maxime Disc. 1. Num. 2. & Disc. 10. Num. 6.*

Caro mea vere est cibus. Vocatur hoc sanctissimum Sacramentum à sacro Concil. Trident. Symbolum unitatis, & ideo potentissimum est, ad diabolum dejiciendum qui nulla re magis, quam pace prosternitur. *Vid. Tract. 70. Disc. 8. Num. 6.*

Hic est panis qui de cœlo descendit. Sæpe Christus Dominus in hoc sermone dixit, quòd hic divinus panis de cœlo descendit; si ergo Christus Dominus, toties ait, quod corpus suum sit panis, qui de cœlo descendit. Cur etiam non ait, quod ejus sanguis, ejusque calix de cœlo descendat? Hic enim divinus panis dicitur, quod de cœlo descendit, ob unitam divinitatem corpori, ut docent D. August. D. Thomas, D. Bonavent. vel quia ejus corpus formatum fuit in utero virginis virtute cœlesti: Sed etiam hæ rationes militant in sanguine: Hic enim etiam est divinitati unitus: Et sicut corpus formatum est cœlesti virtute, sic & sanguis. Cur ergo de solo corpore ait, quod sit panis de cœlo descendens? Aptissime in præsens. Respondet Venerand. D. Joan. de Sylveira: Christus Dominus, juxta communem consensum PP. habuit occasionem ad hunc mirabilem sermonem de Eucharistia sacra edendum, ex eo, quod turbæ ipsum sequebantur panis desiderio; nam hesterna die quinque panibus, quinque millia hominum satiaverat: uti Christus in exordio sermonis dixit: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis:* Hinc Christus exorsus est suam concionem, ostendens excellentias sui panis super manna. Cum ergo de pane cœli, quem auditores avidissime cupiebant, sermo incideret, & controversia esset exorta; ideo Christus Dominus de pane ex cœlo descendente toties mentionem facit, ac verba repetit; Optimus enim Magister ac prædicator; juxta materiam propositam, ac auditoribus convenientem, loco & tempore suum instituit, ac prosequitur sermonem. Et ut apposite, Albertus Magn. Opportune sunt pabula distribuenda, pro congruentia personarum, locorum & temporum: Si enim vult, dicere verba, ait S. Thomas, quando non competit, perdit. *Vid. Tract. 83. Disc. 44. 45. & 46.*

Non sicut patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt: Qui manducat, hunc panem vivet in æternum. Excellentissimas hujus mystici panis prærogativas sub compendio in suâ Apocalypsi vidit Joannes Apostolus cap. 22. quando vidit fluvium splendidum aquæ vitæ, procedentem à sede Dei & agni & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium &c. Quem locum de sacra Eucharistia interpretatur D. Chrysost. hom. 61. ad populum. Lignum vitæ Christus Dominus in Sacramento altaris, ferens fructus duodecim, hoc est, omnes fructus; nam annus duodecim mensibus claditur, duodenarius autem numerus universitatem significat: in hoc enim Sacramento sunt omnes fructus gratiarum. Unde scite D. Petrus Damian. ait *Eucharistia est diabolicæ perditionis indicium, terretur enim adversarius, cum Christiani labia, videt Christi cruore rubentia. Agnoscit enim præsto suæ perditionis judicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus est, non tolerat instrumentum.* Sententiosè quidem diabolicæ perditionis judicium Eucharistia nominatur. Cur igitur tot tantisque Christianis damnationem accelerat, & diabolo incorporat? Canente Ecclesia *Mors est malis, vita bonis, vitæ paris sumptionis &c.* Respondet huic quæstioni Cornel. Jansen. super id proverb. 4. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt:* dicens: Iis ergo Eucharistia est panis impietatis, & vinum iniquitatis, quia ipsi impie, & sacrilege ea abuntur, eamque profanant & polluunt: Nil enim Christus Deus intermittit, quo hominem in vitam restauret; sed ipse homo, hæc auxilia non pensans, sibi ipsi reprobationis & æternæ mortis est causa, uti Judas. *Vid. Tract. 82. Disc. 3.*

Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Angelicum hoc edulium nonne multis fuit, estque perditionis barathrum? *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*, ait Apostolus. Quomodo ergo credere possimus, quod qui manducat, hunc panem vivat in æternum? Ad rem Respondet Bernard. apud Titelman. *Credat homo firmiter, credat indubitanter, confiteatur fideliter. Si videtur impossibile juxta humanam rationem, si incredibile juxta humanam sapientiam; Verum semper & certum maneat in conscientia fidei, propter divini sermonis reverentiam: Occulta enim ista sunt, cur Deus aliquibus majora gratiæ auxilia præbeat, ad digne sumendam carnem manducandam; propter hoc tamen reprobi lamentari non possunt: justa enim Dei judicia venerandæ sunt, non disputanda.* Vid. *Tract. 82. Disc. 8.*

FESTUM NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur: benedicens Deum. Luc. 1. Tacet Zacharias, & mortuo similis loqui non potest: Sed cum loquela revixit, & velut de taciturnitatis sepulchro redivivus, vitalem vocem resumit, quæ è silentio erudita, Dei laudes modulate pangit. *O res admirabilis!* exclamat S. Chrysostom. Encom. de Nativit. *Quid dicit Zacharias? Primâ voce post resurrectionem exclamavit, benedictus Deus. Quid ergo? Mortuus est Zacharias, quod resurrexit? Non mortuus est, sed quibusdam instar mortis sustinuit; nam tamquam sepulchrum tenuit silentium.* Quomodo hoc? Itane prima Zachariæ vox laudis Dei, quam nunc profert, qui statutis diebus in templo, usque ad illam fenesturem incensum obtulerat Domino, & devotionis hostias jugiter immolaverat? vel numquam orationes fudit more suo in templo ministrans, ut hæc prima dicatur? scilicet sic silentium suffragatur orationi, nutrit devotionem, & ad lucrandum spiritum conducit ut eæ quæ ante orationes factæ sunt, quasi indevotæ, sine spiritu fuisse censeantur. *Vid. Tract. 88. Disc. 4.* Mutus Zacharias, *quasi quibdam mortis instar sustinuit, tamquam enim sepulchrum tenuit silentium.* Ex quo quasi redivivus in vitam æternam resurgit, dum Deum benedicit. Numquam enim homo magis est, ad virtutem, ad sanctitatem, & ad innocentiam, allosque virtutum actus, ad æternam salutem, & perfectionem adipiscendam vivus, quam cum loquelæ mortuus, silentium tamquam sepulchrum tenuit: Silentium enim medium est ad perfectionem, & virtutum plurimos actus eliciendos, & alia bona spiritualia progenerat, *ibid. Disc. 1. & Disc. 2.*

Quid putas puer iste erit? Respondet Andreas Cretens. Orat. in Præcursoris Decollat. Joannes Baptista est. *Fausta Gabrielis annunciatio, germen defecta ætate, genitalis flos sterilis, alis orbis terrarum, Solis stella, vox verbi: per se auditor patris, Baptista filij, ac spectator Spiritus sancti, sequester gratiæ, coronis Prophetiæ, præcursor veritatis, virginitatis ornator, castitatis legislator, improborum frænum; Dux eorum qui probe vitam agunt:* Qui virginitatem puritate vitæ adornavit, sic castitatis strenuus vindex, ut pro ejusdem conservatione, vastam eremi solitudinem diebus vitæ suæ, usque in diem obtensionis suæ incoluerit: ad conservandam enim continentiam, & virginitatem, fugiendumque sensualitatis vitium, solitudo plurimum juvat. *tract. 89. Disc. 3.*

Etenim manus Domini erat cum illo. Hanc dominicæ potentiæ præsentiam Joanni concorporavit, desertum, in quod à puero concessit, atque usque ad trigesimum annum incoluit: ut ex verbis Evangelij colligit antiquus Origen. hom. 11. in Luc. dicens: *Digne, qui sic conceptus fuerat, & natus non expectavit, ut à patre nutrietur usque in diem ostensionis suæ in Israël, sed recessit, fugiens tumultum turbium, populi frequentiam, victimam civitatum, & abijt in deserta, ubi parior aër erat, cælum apertius & familiarior Deus.* Siquidem in solitudine Deus cum animabus conversari solet, communicando eis visiones, consolationes, & alia dona. *Tract. 89. Disc. 10.*

Plura benevole Lector argumenta si desideras, consule quæ Dominica 3. & 4. Adventus posita sunt. Item Tractatus de silentio & solitudine.

FESTUM SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

Quem dicunt homines esse filium hominis? at illi dixerunt, alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Jeremiam. Matth. 16. Miratur D. Hieron. super hunc locum, quosdam Interpretes causas errorum inquirere singulorum, & disputationem longissimam texere, quare Dominum nostrum Jesum Christum, alij Joannem putaverint, alij Eliam, alij Jeremiam: cum sic potuerint errare in Elia & Jeremia, quomodo Herodes erravit in Joanne dicens: Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo: At hoc vero non minus mirandum venit, quod ex omnibus Veter. Testamenti justis, hi tres solum adducantur, qui omnibus alijs præferuntur, qui toto decursu, & spatio quinque millium, & plurium annorum pie sancteque vixerunt, uti Abel, Noë, Abraham, Joseph, alijque pari sanctitate viri quorum nulla facta est mentio? Quid igitur magis singulare hi præ cæteris fortiuntur? Respondet Auctor Operis Imperf. Hi tres fesse Deo eo conformiores exhibuerunt, honorem Dei zelando, & propugnando, unde divina dispensatione factum creditur; quod præ cæteris nominati sint: Deus enim zelum plurimi æstimat & appretiatur, ut ille, qui Dei honorem zelet, aliquid divini participet. *Tract. 97. Disc. 1. Num. 7. & sequent.*

Quem dicunt homines esse filium hominis? Non dicit Christus, quem dicunt homines esse filium Dei, vel quem me dicunt esse; sed ait, quem dicunt esse filium hominis. Cur

sic sciscitatur, cum ipse hac quæstione intendat, ut Filius Dei fateatur Eximius Christi splendor in eo extabat, quod ipse esset filius Dei, summa autem humilitas, quod filius hominis existeret. Quando ergo de se quærit, interrogat, quem dicunt esse filium hominis, ut his instruamur, quod ante oculos, & in ore summam nostram abjectionem circumferamus, & quod supremum nostrum honorem oblivioni demus, superbiamque, quantum possumus, detestemur, & reprimamus: *Pro qua detestanda varia motiva. Vid. Tract.* 90. *Disc.* 14. *&* 15.

At illi, dixerunt alij Joannem Baptistam: alij autem Eliam, alij vero Jeremiam aut unum ex Prophetis. Sæpe Pharisæi & Scribæ videntes Christi miracula eum blasphemo ore dæmoniacum appellarunt, Luc. 11 Samaritanum, Joan. 8. Sabbathi transgressorem, Joan. 5. à quorum tamen sentimentis recensendis, se caute abstinent discipuli. Cur vero, inter alias, has etiam sententias non narrant Apostoli? Conformiter ad interrogata respondent: supra dictas enim blasphemias non turbæ, sed scribæ, & Pharisæi, utpote inimici maligno spiritu vociferabant: Christus autem non quæsivit, de dictis Pharisæorum, & scribarum, sed turbarum de se opinionibus. Nam, ut ait D. Chrysost. hom. 55. *Etsi turba dejectior esset, procul tamen ab omni erat malitia, qua Pharisæi, & scribæ maxime pervertebantur.* Prudenter ergo ultra interrogata non respondent Apostoli, in quo præclaro exemplo docent, quantopere lingua nostra, quæ alias sat ad quælibet proferenda proclivis est refrænanda sit: *Pro quâ, varias considerationes. Vid. Tract.* 88. *Disc.* 9.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Audis Christum Deum non elegisse ad summam Ecclesiæ dignitatem, suum Joannem quem ardentius diligebat? *Christum Joannem supra Petrum dilexit: Petro tamen, non Joanni concessa est potestas ligandi, atque solvendi;* Ut advertit Hildebert. Epist. 12. Causam quærunt Doctores, quare Petrus Joanni familiariori, & reliquis omnibus sit præpositus. Multa hac super re tradunt Interpretes. S. Thomas hanc insinuat ex occasione, & tempore electionis, quæ videtur expressa in textu Evangelij: *Tu es Christus* (ait Petrus) *Filius Dei vivi. O beata confessio! quam non caro & sanguis, sed Pater cælestis revelat. Hæc aditum præbet in cælum, peccata meretur absolvere, & contra eum portæ non prævalent inferorum.* Petrus in omnibus occasionibus suum erga Magistrum amorem patefecit & zelum. Interrogatus alia vice à Christo de dilectione, & quantum diligeret, respondit: Tu scis Domine, quia amo te; Et ut Gregor. ait, signum dilectionis exhibitio est operis: Hunc zelum & in opere ostendit, dum Malcho auriculam amputavit: paratumque se diceret, cum eo & in mortem ire, quemque & in atrium Pontificis usque comprehensum, insecutus est; Nunc autem vel maxime Christi honorem zelando, aperte coram omnibus filium Dei confitetur: Et ideo amplissimam honoris dignitatem consequitur: Homini enim zeloso supernaturalem Deus impertit honorem, gratiam, gloriam, cælestem pandendo paradisum. *Tract.* 97. *Disc.* 2.

FESTUM S. JACOBI APOSTOLI.

ACcessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: quid vis? Ait illi, dic, ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram.

Summas in regno Christi dignitates petentibus, sic Christus respondet? *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* Bonus Deus, qui maluit aliquid dissimulare de jure, quam non concedenda palam negare, ait: *non est meum dare vobis.* Scilicet sedes quas in meo regno exposcitis. O Domine, si peccatorem peccati tædet, ægritudinem levas, debitumque dimittis: Si plorat meretrix, remissionem concedis: Si publicanus pectus ferit, errata non exaras: Si leprosus curationem quærit, virtutem exeris: Si mortuum è tumulo surgere necesse est potestatem expromis. Si cæcus luminis orbitatem gemit emortuam, oculorum lucem accendis; & si thronos petant, & sedere ad dextram tuam affectent, tunc cunctaris & de jure tuo dissimulas, ne palam negare videaris. Perbellè S. Basil. Seleuc. Orat. 24. causam apponit: *Quia, ait, remuneratio accipientis meritum consequitur, non solam facultatem donantis:* Thronus, laborum præmium est, non magnitudo, ambitionis donum gratuitum. Ex rectè rectis donum comparatur, nudam postulationem datio non consequitur, monstra meritum tuum, & meam intuere potestatem: Electio enim ad gloriam à Deo ab æterno ex prævisis meritis fit. *Vid. Tract.* 64. *Disc.* 6. Nam licet à gratia Dei nostra dependeat prædestinatio, in executione tamen nostra bona opera requiruntur. *Ibidem Disc.* 7.

Sedere ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. O desiderium matris filiorum Zebedæi in solam futuri cogitationem intentum! Mater regnum postulabat, obtentu facile arbitrata, sperabatque ex sola postulatione rogantibus obventurum: Sed Deus, ne leviter effundat gratiam, quasi orationibus inattentus munus differt, quæ sententia est D. Basilij Seleuc. Orat. 24. qui sic ait: *Pater, dum probat, non simpliciter gratificatur? expectat mores nostros, donum dum parat, non leviter effundit gratiam, sed munus recondit.* In quo singularis cælestis patris elucet providentia, dum nobis non providet, idque in majus nostrum bonum: Unde subdit Seleuc. Et ne fides claudicet, supplicantium desideria differuntur. *Tract.* 85. *Disc.* 13.

Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis. In regno Christi nescit, qui petit, qui magna dumtaxat expetit: & quidem eo magis nescit, qui ut in alto sublimitatis culmine otiosus sedeat, orat. Stultum enim est, in regno Christi, primas mercari velle dignitates solis verbis, cum & facta requirantur, & æqualia merita correspondeant, necessum sit: multoque minus in iisdem dignitatibus otiosus & quietus sedere, in quibus, ut bona regiminis & justitiæ sit administratio, obnixe laborandum est. Siccine ambitionis febris, febricitantes in dolirium & phrænesin adigit, peccatique infirmitas judicij & rationis lethargum inducit? *Vide Tractat.* 72. *Disc.* 5. *&* 6. *maximè Num.* 8. Ita sane. Humilitas enim propria veræ sapientiæ cos est, sine qua fatue desipit, & homo totus in arrogantiam ventosissimè vanescit; Unde Apostoli dum primas sedes superbè ambiunt, primas insipientiæ species palam ostendunt? Superba enim ambitio species dementiæ est, & solent superbi orbari discursu & judicio. *Tract.* 90. *Disc.* 12. *maximè Num.* 3.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. S. Apostolus Paulus nostram fragilitatem describens ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est.* Temeritatis ergo magnæ merito insimulari hi duo Discipuli possunt, qui ad interrogationem Christi tam audacter respondent: *Possumus.* Unde illis tantum robur, illa fiducia? Ex patientiâ, quæ viam in cælum sternit. *Tract.* 68. *Disc.* 10. Hæc virtuosorum operum fæcundissima mater est: nam sciebant hi Apostoli; quomodo tribulatio patientiam operaretur, patientia autem probationem, probatio verò spem, quæ nullo modo confundit, ideo tam audacter dicunt: possumus. *Ibid. Disc.* 11.

Calicem quidem meum bibetis. Primas Apostoli petunt sedes, & passionis amarum calicem offert Dominus. Quid cum tali petitione habet calix? A te Domine honores petunt, & tu ignominias & opprobria exhibes? Ita est, ait Christus: Dirigo enim illorum postulata. Errabant illi; *nescitis, quid petatis*; Ego dabo quod petere debebant; quodque eis magis expediet: *Calicem meum bibetis:* Hoc eis expedit propter varia bona, quæ in calice tribulationum propinantur. *Vid. Tract.* 94. *Disc.* 23. Et ideo tibi Joannes, crucem albam, non purpuream, non enim sanguinem fundes: tibi Jacobe, crucem, quia pro me sanguinem profundes, dabo, quæ pretiosiora dona sunt, quam quæ vos postulatis. Et ut charitatis donum illud agnoscerent, calicem suum eorum cruces appellavit: Semper enim amoris signum fuit, eodem calice potari. 2. Reg. 12. Id expressit Nathan, de Uriæ uxore parabolam formans, & amorem exponens; quem erga eam habuisset Urias, ait: *De pane illius comedens, & de calice illius bibens:* Sic Christus ut amorem suum erga hos Apostolos manifestaret: *Calicem,* inquit, *meum bibetis.* Tribulationes enim pati, certum divini amoris indicium & pignus est. *Ibidem Disc.* 13. *&* 14. Tu igitur, ô homo, amari te à Deo credis, cum cuncta tibi ad votum fluunt? falleris, prosperitas enim, & temporalis felicitas magnum præjudicium inferunt. *Ibid. Disc.* 21.

FESTUM S. LAURENTIJ MARTYRIS.

NIsi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. 12. Granum frumenti S. Laurentius, dum inter tormentorum tentamenta cadit in terram, gloriose exurgit & fructum uberem profert. Quot enim quantisque temporum injurijs exponitur frumentum, tot tentationum variis assultibus impetitur martyr; at ipsa tentamenta, quæ fabricavit dæmon Martyri in perniciem, Deus eidem vertit in salutem: Deus enim malitiam dæmonis, damnis nostris inhiantis, in nostram, cum ei resistimus, convertit salutem. *Tract.* 92. *Disc.* 3. *&* 4. Quod eleganter in S. Laurentio factum ostendit S. Leo Papa: *Cum furor Gentilium potestatum sæviret in selectissima quæque Christi membra, ac præcipue eos, qui ordinis erant sacerdotalis impeteret, in Levitam Laurentium, qui non solum ministerio Sacramentorum; sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ eminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de uniùs viri comprehensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem faceret veræ religionis exortem:* Sic serpens infernalis perfectiores tentare studet, & illos quos reperit devotioni magis intentos. *ibidem Disc.* 7. *Armatur itaque gemina face homo Pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus, avaritia ut rapiat aurum, impietate ut auferat Christum; Verum utraque spe delusus, dum inamissibiles, quas Levita castissimus condiderat, facultates, nec tyrannus recipit, nec fidem veram extorquet.* Concludit tandem: *Sævisti persecutor in Martyrem, sævisti & auxisti palmam, dum aggeras pænam. Nam quid non ad victoris gloriam, ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij.* Ita tentationes illæ, quas vincimus, in nostrum cedunt emolumentum, cum per eas plurima alterius vitæ acquirantur merita ipsæque æternæ gloriæ coronam augmentant. *Ibidem Disc.* 6. *&* 8.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. Ut trituratum granum, Martyr fuit Laurentius, qui succedentibus tormentorum ictibus ad purum expurgatur, & in craticulæ fornace torretur lento igne ut panis mundus Christo fiat. Mirum valde, quod diaboli, ille satelles, impius Tyrannus, tam variis, & exquisitis tormentis, hunc Martyrem toties excruciarit? quem haud fidem negaturum clare cognoscebat? Suggestione dæmonis id factum est, ut quem vincere non posset, saltem ad impatientiam compelleret: Ex quo patet, quantopere dæmon patientiam nostram aversetur, & nos impatientes reddere satagat, quem à nobis per patientiam procul abigimus. *Tract.* 68. *Disc.* 13. Patientia enim victoriosa est. *Ibidem Disc.* 14.

Assatum est, versa & manduca. In tormentis gravissimis sic blando & placido vultu Tyrannum Martyr alloquitur, ac si exultans, gratias referet persecutori. Unde, tibi ô invicte Martyr Laurenti! tanta animi tui lætitia, tantum gaudium? Ex patientia; ipsa enim est, quæ hominem interiorem componit, in adversis vultum serenat, lætitiam parit. *Vid. Tract* 98. *Disc.* 12. *Num.* 6.

Hæc sufficiant: interim remitto, Lectorem ad ea, quæ pro Festo Sancti Proto-martyris Stephani notata sunt.

FESTUM ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

INtravit Jesus in quoddam castellum. Dixerat aliquando Dominus: Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras: Anne id fieri credimus, cum fortissimum subit castellum, id est, oppidum muris circumdatum, ad omnem hostilitatem arcendam? Animam dico hominis, divini timoris vigili custode instructam? Verisimile id videtur: nam cum animam hominis ingreditur hospes Christus Deus, eamque tamquam munitissimam arcem inhabitat, procul discedat, inveterator malorum, dæmon, necessum est. Non valent adversus domum quidquam fures, quæ vigilibus custodibus provisa, aditus omnem spem præcludit. Quam animam, divini timoris vigili custode munivit Christus, frustra tentat irritare diabolus, quia per timorem, in exercitio virtuosorum operum perseverat: Timor enim Dei, ad evincendas dæmonis technas validum instrumentum est. *Tract.* 93. *Disc.* 14. *Num.* 2.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens, secus pedes Domini audiebat verbum illius. Inde felix, inde beata, Maria, quod ad Domini pedes sedeat, non tam corpore, quam animo intentissima. Super quo Simon Cassian. lib. 9. cap. 33. *Dominicos pedes illico recognovit, ad quos admota, multorum peccatorum remissionem acceperat: Ex quo in amore facta ferventior, semper illos animo & situ sui corporis repetebat.* Magdalena stans in domo Pharisæi, ad pedes Domini, suorum delictorum veniam obtinuit, & ideo bene multo dominicis pedibus inhæret, & situ corporis, & animo identidem repetit: Probè noscens, exercitium divinæ præsentiæ, ad vitam immaculatam agendam efficax esse instrumentum. *Tract.* 84. *Disc.* 7.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens, secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Euseb. Gallican. hom. de assumpt. Ex his duabus scilicet, Martha & Maria Ecclesia tota consistit. Altera enim contemplativam, altera activam vitam designat, & activam quidem Martha, contemplativam verò Maria; unde non Maria, sed Martha Christum in domum suam suscepisse dicitur. Maria enim non habet domum, quia vita contemplativa omnem hujus seculi spernit habere possessionem, sufficit ei ad pedes Domini sedere, ubi divinis gratijs copiosissime recreatur, amore divino prorsus ebria; & ideo à pedibus Domini divelli nequibat. Sic quia sola, altissimam perfectionis viam figurat, atque ut eamdem præfiguret, solida virtutum exercitia præmittit, silentij, patientiæ, amoris divini, aliosque excellentes actus. Et opportune quidem, est enim solitudo instrumentum perfectionis, quam fervor spiritus, & virtutum exercitium præcedat, necessum est. *tract.* 89. *Disc.* 11. Et hanc quidem solitudinem, tum magis adumbrat Maria, cum in quietissimo silentio querulæ sorori nec verbum respondet, mente pacatissimâ ad pedes Dominicos consistens: quæ vere interim solitudo est. *Ibidem Disc.* 12.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Hæretici per hoc unum necessarium, intelligunt solam fidem, sive audire verbum Dei, & illi credere; Verum relicto hæreticorum errore, Ecclesia tamen Catholica docet, quod præter fidem, spes, charitas, ac bona virtutum opera necessaria sint; uti constat ex Matth. 19. Hoc ergo unum necessarium illud est, quod Maria agebat: nempe Deo per amorem, & cognitionem, per virtutis exercitium, indissolubili vinculo charitatis adhærere, atque de die in diem in eodem proficere, nullatenus vero, eo statu contentum esse virtutum, in quo nunc quis est. *Vid. Tract.* 80. *Disc.* 6. *&* 7. Hæc enim optima pars est hominis, Deum quærentis, in bono constanter perseverare, sine qua perseverantia æternæ virtutis nullæ sunt. *Ibidem Disc.* 2. *à Num.* 2. *&c.* Vis ergo augere merita tua, desideras aliquando æternâ & cælesti vita præmiari, perseverans est. *Ibidem Disc.* 14. Ad quam exercendam te varia media exhortari debent. *Quæ vid. ibidem Disc.* 5.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Erat Maria intenta dulcedini verbi Domini, ait S. August. serm. 27. de verbis Domini, intenta erat Martha, quomodo pasceret Dominum, intenta Maria, quomodo pasceretur à Domino. Cum ergo Maria suaviter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur: interpellato Domino à sorore sua, Christus Mariæ factus est advocatus, qui fuerat Judex interpellatus, & Martham acriter verbis perstringit. Nil prius dixit Marthæ; at postquam illa avellere tentavit sororem ab auditu verbi divini, illudque ausa interturbare, tum demum verbis severe castigat: merito enim puniuntur, qui verbum Dei disturbant, ab eoque alieni videntur, quorum pœnas. Vid. *Tract.* 83. *Disc.* 26. *&* 27. *Num.* 8.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit. Conqueritur Martha de sorore apud Dominum, quod tamquam otiosa, pedibus Domini adhæreat, seque solam labore detentam non adjuvet. Porro *Dominus*, ut ait S. Augustin. hom. 27. de verbis Domini; *Pro Maria respondit Marthæ: Et ipse ejus factus est advocatus, qui judex fuerat interpellatus.* O piissime Redemptor! qui per dies, noctesque, in hac mortalitate degens fatigaris itinerando, ut etiam fatigatus super puteum, cum Samaritana collocutus, sedeas, exemplum seduli laboris, omnibus hominibus factus: Num hodie otij fautor efficeris, dum quiescentem ad pedes tuos Magdalenam tueris? Quam optimam, in eo otio, partem elegisse, ipse confiteris? Mariæ pars, quam Christus optimam appellat, in eo consistebat, quod omnibus terrenis curis spretis, in solo Christo esset defixa, in eum intenta, verbum illius audiens, soli Deo, divinisque mysteriis assidens, orationi contemplationique incessanter vacans, nullatenus otiosa. Accipe Richard. de S. Victore in Cant. cap. 8. *Optimam partem elegit Magdalena, quæ gratiam exercet contemplationis, & tamen occupatur in parte sororis, ut etiam activæ vitæ præmio coronetur, in qua pari charitate præmium meretur. Martha in uno loco corpore laborabat circa aliqua: Maria in multis locis charitate circa multa: in Dei enim contemplatione & amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehendit & complectitur omnia, ita ut in comparatione ejus, Martha solicita dici possit erga pauca:* Illa enim quies Mariana vitæ contemplativæ, illudque otium quod eo fine suscipitur, ut post alacriùs ad labores redeatur, vituperabile non est, sed commendatur. *Tract.* 91. *Disc.* 17.

Maria optimam partem elegit. Quæ est hæc optima pars, quam Maria elegit. Esto sit optima, sed pars. Unde quantum laudis astruit Marianæ gloriæ, optimæ elogium, tantum detrahere videtur partis appellatio? Respondet Franconius Abbas apud R. P. Sylveiram. *Hoc unitatis bonum, ipse summè bonus, non solum terrenis omnibus, sed & ipsius pietatis officio, nec cuilibet Sanctorum exhibito, præferebat, quando dicebat, Maria optimam partem elegit.* Pars ergo Mariæ erat, quod à Christo etiam ob religiosum ministerium, in quo Martha versaretur, nollet distrahi, neque ab ejus præsentia disjungi, & separari. Optima pars, quia hæc Christi præsentia, cætera secum bona ferebat, hæc omnem teporem pellebat, bonorum præsentium contemptum pariebat, æternam felicitatem spondebat. *Vid. Tract.* 84. *Disc.* 8.

Maria optimam partem elegit. Multa multi, & litteraliter, & mysticè super hac, optimâ parte Mariæ, quam sibi consultius elegit, commentantur; Eam S. Chrysost. in exemplaribus Græcis Tom. 7. silentium interpretatur, dum sic inquit: *O taciturnitas, omnis boni mater, jejunij fundamentum, & gulæ impedimentum! O silentium, schola*

lectionis & orationis ! O silentium , tranquillitas cogitationum & portus securus ! O silentium , afflictuum carcer , omnisque virtutis cooperatrix , & paupertatis conciliatrix , præsidium Christi bonos fructus afferens ! O silentium timori Dei conjunctum , murus & præsidium eorum , qui propter regnum cœlorum certare volunt ! Maxime hanc , frater , posside bonam illam partem , quam Maria elegit. Ista enim Maria, cum sit exemplum silentij , sedit ad pedes Domini , ei soli adhæsit : Adeo ut laudavit Dominus eam , dicens : Maria autem partem bonam elegit, quæ non auferetur ab ea. Hæc Chrysostomus. *De quibus Vid. Tract.* 88. *maximè Disc.* 1. 2. 3. 4. *& 6. passim per totum Tractatum.*

FESTUM S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Legit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Luc. 5. Apostolus ut notat Carthus. nomen est officij, sicut Propheta vel Angelus secundùm Gregorium. Duodenarius autem numerus maxime placuit Domino in suis Apostolis, ut ipsi ita responderent duodecim Patriarchis filiis Jacob. Et sic voluit Dominus inter novum & vetus testamentum similitudinem facere, ne antiquum omnino deletum videretur. Fuit autem hic duodenarius numerus ita præfixus, ut nec tota Judæ diabolica malitia illum minuere , vel extenuare potuerit , ut notat Paschasius, & Philippus Abbas de salute primi hominis cap. 10. dicentes : *Adeo autem Christus secum voluit esse duodecim , ut ne Judas posset efficere , ut tantum essent undecim ; Sed eo corruente in præcipitium , sua tamen perfectio servavit duodenarium.* Habet enim Deus duos libros vitæ , unum immutabilem ; alter vero secundùm præsentem justitiam mutari potest. *Vid. Tract.* 82. *Disc.* 4. In primo inscripti fuere cæteri Apostoli, & sanctus Bartholomæus : in secundo vero Judas Iscariotes , qui quidem , quando ad Apostolatum vocatus est , bonus & probus erat ; postea vero , & diu ante Domini venditionem improbus effectus est , & ideo de libro viventium deletus est. Verum hic interrogo cum Sanct. Hieron. l. 3. contra Pelagian. cap. 2. Christum , cur Judam elegerit proditorem : cur ei loculos commiserit , quem furem esse non ignorabat ? Vis audire rationem ? Deus præsentia judicat , non futura , neque condemnat ex præscientia , quem noverit talem fore , qui sibi displiceat : sed tantæ bonitatis est , ut eligat eum , quem interim bonum cernit , & finit malum futurum , dans ei potestatem conversionis & pœnitentiæ ; ut ita significet , quod infallibilitas præscientiæ Dei in electione nostra, libertati arbitrij nostri nequaquam præjudicet. *Ibidem Disc.* 2.

Elegit duodecim ex ipsis , quos & Apostolos nominavit. Electurus Dominus Apostolos, pernoctat in oratione Dei, ut novo modo illis sufficientiam impetret : non enim in montem ascendit , ut inde velut de præaltâ speculâ, Electionis negotium contempletur , nec obiter Deum orat ; sed in oratione Dei pernoctat , id est , tota nocte Deum deprecatur. Electurus enim Apostolos (mane inquam in clara luce , quatenus eligendorum merita prænonstraret) integra nocte , Christus homo Patrem Deum orat pro eis , ut tales efficiantur , quales tanto muneri subeundo esse oportebat. An non sciebat Christus Deus , qualia , quantaque tunc forent merita eligendorum ad Apostolatus fastigium ? Quid ergo non modo Deum orat , sed in oratione Dei pernoctat ? Et , si Ambrosio credimus , cum Apostolis oravit , quod alias semper solus fecisse legitur , quasi tanta res tam communis , communem & unanimem postulet orationem. Cur autem ? Cardin. Tolet. Annot. 16. hoc dubium versat , & sic tempestive resolvit : *Quamvis ergo nunc Christus sciret , qui electi erant à Patre in Apostolatum, & quales futuri , & sola voluntate posset illis impetrare omnem sufficientiam , orare tamen voluit , & honorare discipulos :* ut nos doceret , quod licet à gratia Dei , nostra dependeat prædestinatio ; in executione tamen nostra bona opera prærequirantur. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 7. Et ideo etiam non statim eos nominat Apostolos ; sed modo ferè circa annum, & dimidium suæ prædicationis : Ut inter alias rationes , præclaris prius meritis , & actionibus præfulgerent , quam ad Apostolicum apicem promoverentur : Electio enim ad gloriam ex prævisis meritis fit. *Ibid. Disc.* 6. Et licet exigua fiat mentio imò penè nulla , de S. Bartholomæo ab Evangel. per hoc tamen denotatur , virtutum hujus Apostoli magnitudo , quæ omnem nostrum superat captum : Unde D. Dionys. vocat hunc Apostolum magnam Theologiam.

Elegit duodecim ex ipsis , quos & Apostolos nominavit. Ex suis discipulis vocavit Dominus ad se , quos voluit : Et ex ipsis discipulis vocatis elegit Dominus duodecim in Apostolos : Ergo aliqui ex ipsis non sunt insigniti Apostolico honore ? Non est dubium plures ex tot discipulis virtute pares fuisse Apostolis, uti Nathanael, de quo ipse Dominus : *Ecce vere Israëlita , in quo dolus non est :* Qui proinde justam conquerendi occasionem habuisse videtur , quod ad similem honoris gradum non eligeretur. Attamen nullus conqueritur ; quare vel potius ille eligatur : Ex eo quod agnoscebant , justa & occulta Dei judicia veneranda esse, non discutienda ; nam licet Deus majora auxilia gratiæ electis impertiat : attamen ipsi improbi ob hoc lamentari non possunt, multo minus pij & sancti. *Vid. Tract.* 82. *Disc.* 8.

Elegit duodecim ex ipsis , quos & Apostolos nominavit, Simonem , quem cognominavit Petrum & Andream fratrem ejus & Judam Iscariotem , qui fuit proditor. Ambrosius hac super re sic philosophatur lib. 5. in Luc. *Eligitur & Judas non per imprudentiam , sed per providentiam. Quanta moralitas Domini , qui periclitari magis, apud nos judicium suum, quam affectum maluit. Susceperat enim hominis fragilitatem ; & ideo nec has partes recusavit humanæ infirmitatis. Voluit deseri , voluit prodi , voluit ab Apostolo tradi : ut tu si à socio desertus , si à socio proditus fueris , moderatè feras tuum erasse judicium , perisse beneficium.* Quid zelosius & amantius potuit Christus , Dei verbum , & increata patris sapientia hominibus exhibere ; quam ut suum in electione judicium, periclitari maluerit, quam hominis bonitatem , etsi postea depravandam , congruo tunc amore fraudare ? Culpent hanc Judæ Electionem , qui divini amoris vires nesciunt, & Christi Dei, in homines zelum ignorant. Hæc Judæ electio census est divini zeli, & emphasis amoris, quem Christus circa animarum salutem demonstravit. *Tract.* 97. *Disc.* 8.

FESTUM NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIÆ.

Joram autem genuit Oziam , Ozias autem genuit &c. Matth. 1. Prolixa & salebrosa quæstio olim & nunc: Quare inter Joram & Oziam tres Reges, Evangelistæ omiserint. Qua super re ita ad rem præsentem Rupertus Philosophatur : *Joram autem genuit Oziam. Tres reges de medio succidit, videlicet Ochoziam , Joas & Amasiam : qualem enim locum habere deberent inter parentes carnis Domini , hi, sub quibus nec saltem loqui licuit Prophetis verbi Domini ? Atque idcirco isti solide memoria præsenti , de libro Generationis Jesu Christi , repulsi sunt , qui verbum audire , vel præconis verbi Dei, vivere passi non sunt.* Evidens enim reprobationis indicium , si quis verbum Dei contemnat , neque talis in libro generationis Christi meretur scribi. *Vid. Tractat.* 83. *Disc.* 23. Nemo opinor vel mediocriter in sacris literis versatus, nescit, hos tres reges ignominiosè exclusos, non fuisse deteriores aliis recensitis ; sed longe præstantiores. Præstaret ergo flagitio suos sceleratos omittere , non minus scelestos ? Adducite autem hos reges ideo probrosissimè exclusos & quasi è regio solio ignominiosè dejectos , quia verbum Dei audire contemptim neglexerunt , & aversati sunt divini verbi præcones : Deus autem sic irritatur adversus principes , qui insolentia potestatis , vel claudunt ora sacri concionatoris , vel illum durè vexant , ut velut impune reges magis criminosos omittens , in hos acrius animadvertat, & propudiosis contumeliis ad ignominiam denotet. *Vide Tract.* 83. *Disc.* 16. Quo intimatur principibus, verbum Dei subditum non esse humanæ potestati , sed supra regiam jurisdictionem gloriosè sublimari : Qui enim verbum Dei libenter audiunt, jure regis titulo , aliisque excellentiis decorantur. *Ibid. Disc.* 17.

Joram autem genuit Oziam. Tres reges omissos , nemo non notat : Quam obsecro ob causam , nulla horum sit mentio , cum tamen id Christi series postulare videatur ? S. Hieron. ibidem ait : Quia genere Jezabelis pessimo orti, ideò à Christi genealogia aboliti sunt. Clarius Rupertus : Quia perversi & pessimi reges exiterunt. Quasi diceret Deus: nec memor ero nominum eorum per labia mea : per peccatum enim ita viles & infames redditi sunt. *Tract.* 71. *Disc.* 10.

FESTUM S. MATTHÆI APOSTOLI.

IN illo tempore vidit Jesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine , & ait illi : sequere me. Matth. 9. Immediatè antè stupentibus gloriosè turbis , paralyticum integræ sanitati restituit cœlestis Medicus : Deterius vero sedebat in telonio publicanus iste , quam paralyticus ille jacebat in lecto , quia ille carnis patiebatur paralysin , ille mentis : in illo fuerat compago turbata membrorum , in isto textus ordo fuerat sensuum dissipatus : ille jacebat captus carne , sedebat corpore & animo iste captivus : ille doloribus succumbebat invitus , iste vitiis voluntarius serviebat. Ergo cum transiret inde Jesus , *vidit hominem.* Vidit plus divinis oculis , quam humanis ; Vidit opus suum ut despiceret opera peccatorum. Vidit illum Christus sedentem in telonio , jacentem in peccatorum barathro, cupiditatum pondere altè oppressum , ut quo profundius jacebat ad vitium , sublimius resurgeret ad virtutem : Et qui erat fraudator pecuniæ , fieret gratiæ distributor , & de impietatis schola ad pietatis magisterium perveniret. Quodnam illud vero pietatis magisterium ? Pœnitentia prompta, quâ docebat, Deo ad pœnitentiam vocanti , sine morâ parendum esse. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 2.

Et factum est discumbente eo in domo. Ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu. Etiam inter manducandum Salvatoris nostri opera in excipiendis peccatoribus elucent , ut doceamur nullum esse tempus vel opus acquirendæ saluti intempestivum ; unde David Psal. 118. ait : *Præveni in maturitate.* Super quo sic acute Ambros. commentatur : *Præveni ante horam , nesciens in obsecrationibus Domini tempus esse aliquod , sed semper in ipsis sum : sive manducamus , sive bibimus , Christum annuntiemus , Christum vogemus , Christum cogitemus : Sed forte dicas, quomodo scriptum est , tempus omnibus , & tempus omni rei sub cœlo est ? Sed Dominus Jesus supra cætum est , nullo circumscriptus est tempore.* Et ideo inter ipsas epulas peccatores recipit. Nullum tempus intempestivum , nullus partus immaturus quando omnia tempora virtuti data sunt , nulla malitiæ : ad hoc enim à Deo tempus nobis indultum est , ut æternam operemur salutem. *Tract.* 91. *Disc.* 4.

Cum transiret inde Jesus , vidit hominem sedentem in telonio , Matthæum nomine & ait illi , sequere me , & surgens secutus est eum. Cur Dominus de telonio turpiter quæstuario, ad Apostolatus evocavit fastigium , de humano lucro vocaverit ad divina , nisi indagetur altius , facit altissimam quæstionem , & non tantum quæstionem , sed & scandalum : Sicut illo tempore circumstantium patefecit intentio. Quomodo enim infirmitas non laboraret humana , quando videbat apud Christum , pecuniam sic valere , ut daret fraudulento fidem , veniali gratiam , cupiditatis Magistro , officium largitatis. Doctori fœnorum , magisterium sanctitatis , publicano fœculi, cœleste secretum ? Urebat Pharisæos , quod usura quæ vastat terram , tollebatur ad cœlum , & hanc , quam detestantur homines, Deitas advocabat. Et hoc dicebant Pharisæi. Ut esset summum malum , quod & malis poterat displicere. S. Chrysol. quæstioni , quam ipse excitavit , sic acutè respondet serm. 28. *Cum transiret inquit Jesus , non dixit cum flaret ibi : transivit & pertransivit inde Jesus , ne Matthæus remaneret ibi : transivit inde Jesus , ne Matthæus taliter permaneret. Vidit hominem , non dixit vidit Matthæum , quia in Matthæo hominem liberavit.* Scilicet transit , & pertransit Jesus prope Matthæum , sedentem in telonio , ad turpis lucri usuram, sed nec Matthæus advertit ad Domini transitum, nec oculos dirigit ad Jesum. Sedet adhuc in telonio , quem divitiæ sic alligabant vinculis cautionum , sacculorum pondere bus sic premebant , ut levari ad innocentiam , ad justitiam surgere , ad virtutem progredi non valerent. Quid faciat Christus Matthæi lucrandi piè avarus ? Nam publicanus totus ad pecunias attentus ad ejus transitum non modo non surgit ad sequelam ; sed nec ei ad urbanitatem assurgit. Adverte interim ad gratiæ officiositatem ; Vidit hominem , cui gratiam quidem suam donet , atque post gloriam ; quia præclaris operibus eamdem adjuturum & prosecuturum videbat : Unde ait : *surgens secutus est eum :* Licet enim Deus primo gratiam det , post gloriam, ad hanc tamen opera nostra bona requiruntur , & electionem ad gloriam non facit ; nisi ex prævisis ante meritis. *Vid. Tract.* 81. *Disc.* 6. & 7.

Et ait illi ; Sequere me & surgens secutus est eum. D. Petrus Chrysologus serm. 29. de hac Matthæi conversione sic ait , Matthæus publicanus , generat nobis non parvam fuis quæstibus quæstionem : Et magnum nobis negotium sua negotiatione proponit. Quod negotium fatis , nisi ego fallor , perspicuum est. Nam si Matthæus erat de telonio dives , de usuris locuples , ære alieno onustus , non satis consulto à Christo ad supremum Apostolatus apicem vocari videtur propter periculum relapsus , qui similibus avaritiæ lucris intentis contingit, uti Judæ. Amum enim etsi metallum sit exanimale , humanæ cupiditatis avaro ingenio non raro scelera docet : ignorat illa egestas, didicit ab opibus. Quid ? An omnes divitiæ improbæ ? Nullæ : Materiam tamen fuggerunt omni improbitati : Et flagitia non tam pepererunt ; quam audere docuerunt. Profectò ubi cupido divitiarum , humanum pectus invasit , neque disciplina , neque artes bonæ neque ulla virtus subsistit ; ubi insana auri cupiditas dominatur ; ibi bona omnia vilia sunt , fides , probitas, pudor, pudicitia , religio, pietas , ibi divina atque humana promiscua sunt, nulloque discrimine sacra ac profana tractantur : nil avaritiæ inaccessum , nil illæsum , fides violatur , religio mutatur. Periculosæ ergo opus aleæ fuit cum Christus de telonio , de domo publicâ avaritiæ , fraudis , impudentiæ ac crudelitatis repleta , vocat Matthæum lucris inhiantem , de quo postmodum vereri poterat , ne antiqua relegaret , consuetudinarius vestigia ? Sed nihil horum ; *Vivus est* , enim , *sermo Dei & efficax , & penetrabilior omni gladio ancipiti , & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus ?* Hebr. 4. Nihil enim , ait Hugo Card. ita vulnerat amore , sicut sermo Dei , & ideo gladius est , quo divisus Matthæus fuit, à lucris pessimis , & consuetudinariis usuris. *Vid. Tract.* 83. *Disc.* 11. Nullatenus de recidiva Matthæi timebat pius Jesus ; cujus divinus sermo obstinatum in peccatis cor emolliendi , & purificatum , de cætero præservandi, miram habebat virtutem ; *Ibidem Disc.* 8. & 18.

Non est opus valentibus medico , sed male habentibus : Christus Deus ipsius Matthæi conviva , cum publicanis amice discumbit. De familiari cum publicanis & peccatoribus commercio obmurmurant Pharisæi , & detractionis zelo , pietatem ambitiosè venditant , quibus respondet Christus , sui adventus finem evulgans : *Non est opus valentibus Medicus.* Tolle morbos , tolle vulnera, nec opus erit Medico , tolle similiter peccati ægritudinem , nec opus erit Christo , qui peccatoribus mederi venit. Magnus, ait S. Augustin. serm. 9. de verbis Domini , de cœlo venit Medicus , quia magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus : homines desperate ægrotabant , & ipsâ ægritudine ; qua mentes perdiderant , etiam medicum cædebant, quin & occidebant : Ille autem etiam cum occideretur , medicus erat : Vapulabat & curabat , patiebatur phreneticum, nec deferebat ægrotum : tenebatur , alligabatur , percutiebatur , irridebatur , & Medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum : *Pater ignosce illis , quia nesciunt ; quid faciunt.* Illi perdita mente fœviebant, & Medici sanguinem fœviendo fundebant ; ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat. O venenatam malitiam dæmonis , damno nostro inhiantis , quam verus de cœlo Medicus in nostram convertit salutem. Sic Christus Deus ex malo novit elicere bonum , ut etiam ipsius dæmonis odium , ad bonum nostrum ordinet. *Tract.* 92. *Disc.* 3. & 11.

Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Quid est quod cœlestis Medicus , qui venit , ut peccatores vocaret , Matthæum in transitu vocet ? *Cum transiret inde Jesus, vidit hominem* ; Et dum cum illo , & aliis publicanis & peccatoribus pranderet , etsi etiam illos ad meliorem vitæ frugem revocet , non diu interim inter illos cunctatur ? Apte respondet Chrysologus ad illa verba Evangel. sic dicens : *Non repulit justos , sed injustos , qui se justos mentiebantur , exclusit.* Christus ergo , quod ad peccatores venit , peccata delere voluit , non peccatoribus voluit commanere. Plusquam enim vatiniano odio Christus prosequitur & detestatur. *Vid. Tract.* 71. *Disc.* 8. Idque propter infinitam , quam in se continet malitiam. *ibidem Disc.* 9.

Non veni vocare justos , sed peccatores. Locus plane difficilis. Quomodo enim verum est , Christum non venisse propter justos , si omnis Ecclesiæ justitia à Christo est ? Num Christus non venit propter virginem matrem , quæ Christi gratiâ usque adeo præmaturè præventa fuit , ut nec incurreret debitum originalis culpæ contrahendæ ? Quid , Christus non redemit præcursorem ? Nec Zachariæ & Elizabethæ gratiam meruit , quia erant justi ambo ? Forte alio Redemptore usi sunt ? Nugæ. Quid ergo significat Christus, dicens se non venisse propter justos ? Siquidem propter nos omnes & propter omnium salutem corporatus est ? Præclare Rabanus : *Non veni vocare justos falsos , qui in suâ justitiâ gloriantur , ut Pharisæos ; sed illos, qui se gloriantes agnoscunt.* Nempè Pharisæi propter simulatam hypocrisis justitiam , ironicè vocantur justi , ut notant S. Hilarius, Hieron. Chrysostom. Itaque propter hypocritas Pharisæos , Christus non venit. Quid exaggeratius igitur , quam hypocritas aliquo modo dici exules à gratiâ, & externos à redemptione , & Christum illorum redimendorum occasione quasi non venisse ? Ac si hypocritarum causa fere desperata sit, & hypocritæ desperationi obnoxij. Itane ? Nonne non leve vitium est hypocrisis aut inanis gloria ? Igiturne infidelitatis candidatus erit , & proditoris Judæ æmulus ? Scilicet inde : quia peccata leviora non curantes , in magna paulatim labuntur præcipitia. *Tractat.* 76. *Disc.* 2. 3. 4. & 6. Probat hoc Judæ lapsus , qui ex venialibus originem & causam traxit. *ibidem Disc.* 12.

FESTUM S. MICHAELIS ARCHANGELI.

ACcesserant discipuli ad Jesum dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum ? Variam causam & originem hujus contentionis allegant SS. PP. Augustin. serm. 28. in cœna expendit , quod occasione cœnæ dominicæ ea ortum habuerit & præsertim ex illis verbis : *Ecce manus tradentis me , mecum est in mensa.* Quo audito commoventur Apostoli & diligenter inquirunt , quis eorum tam execrandam posset exercere proditionem , atque per hoc

facta est contentio, quis eorum videretur esse major. Mira res! Magister vester. O sacratissimi Apostoli, opprimitur anguſtijs, vobisque justum animæ suæ detegit dolorem, ex eo, quod unus vestrum illum proditor sit traditurus, & de primatu inter vos inflati contenditis? plus justo de vobis modo quæri potest, quam olim de Baruch Vatis Jeremiæ Secretario. Jerem. 45. Cum enim illi nimis destenda Jeremias revelasset, cœpit ille mente cogitare sublimia. *Ne mireris*, ait S. Auguſtin. *nam altercari de majoratu, non tantum fuit, cum sibi quemcumque præstendere, quantum inquirere, quis ille posset esse, qui tantum moliretur facinus, quo Dominum perfidus traderet inimicis; noverant enim, quantum posset vitium superbiæ.* Quod si semel cor cujuspiam invaserit, sufficiet, ut proprij patris mortem machinetur, ut ipse rex imperet; imo & Deo necem intentet, quo in domo illius & collegio possit gaudere majoratu. Deo ipsi terga vertit superbus, negat illum, ne vel apicis unius honoris, quo fulget, detrimentum patiatur. Heu delictum maximum superbia, quæ etiam contra Deum arma capit! *Tract.* 90. *Disc.* 6. Quod si enim superbia in corde cujuspiam sedem fixerit, sperare potest, imo verius, timere quodcumque peccatum; imo & ipsum Decidium; ut bene dixerit Eccles. 10. Initium omnis peccati superbia. *Ibidem Disc.* 13.

Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, quis putas major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum. Contendentibus discipulis de majoratu, quæ contentio ortum ex eo duxit, quod viderint pro Christo & Petro idem tributum persolutum, in principio occurrit Dominus usque sedet rixas in medio statuit parvulum; Ut ex ejus intuitu discant non rixari, sed pacifici esse. Parvuli enim, pacis amatorum sunt symbolum, de quibus sic ait D. Basilius Seleuc. Orat. 18. *Nulla illis de dignitate vox, illi primas non ambiunt, insuper consuescunt cum ijs, qui una ætate sunt ætate: Videbis Dominum simul & famulum in omnibus conversantes: Videbis pauperem puerum & opulentum ignaros discriminis; & tantæ pacis sunt symbolum, ut dicat Propheta; quod norint cum ferocissimis animalibus pacem tenere. Leo & ursus pascentur simul, & puer parvulus minabit eos.* Statuit ergo Dominus puerum in medio contentiosorum discipulorum, ut inde discant pacem colere & sectari; ad quam non solum eximulant rationales creaturæ, sed & omnes totius universi. *Tract.* 70. *Disc.* 18. *maximè Num.* 6.

Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Mandat Dominus hic nos effici, sicut parvulos: non ut ad infantiam redeamus: Unde Nicodemus, sic verba Christi intelligens ab ipso redarguitur: Joan. 3. Sed ut naturam parvulorum imitemur. *Amat Christus*, ait D. Leo serm. 7. de Epiphan. *infantiam, quæ majorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Res mira! Ad parvulorum mores, monet nos Dominus componere. Parvuli cibum, potum, cæteraque ad vitæ sustentationem necessaria à parentibus expectant, quorum providentiæ se totos committunt: hos mores Apostolos imitari jubet Dominus, quatenus instar parvulorum in divinam providentiam se totaliter conjiciant. Ad Deum enim spectat abundanter prospicere, id quod in specie in personâ Jacob factum ostenditur. *Tract.* 85. *Disc.* 3. Ipse enim Deus nobis providet, ut parentes filiis de omnibus necessariis: non solum tamquam mater, sed & nutrix, habetque talem in singulari uniuscujusque providentiam & curam, qualem habet universim de omnibus. *Ibidem Disc.* 7.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli. Tertull. l. 4. contra Marcion. *Ecce Christus*, ait, *diligit parvulos, tales esse docens debere eos, qui semper majores esse velint. Quid inveniur in parvulis, sine quorum similitudine regnum non obtinetur? Hoc parvulis naturale est, ut omni tempore, sive dormiant, sive vigilent, sive comedant, sive oriantur, semper ingenitis crescant augmentis:* En necessaria qualitas & conditio iis insinuatur, qui quærunt regna cœlorum, ut numquam à virtutum provectu cessent, sed semper novis progrediantur augmentis. *Vid. Tract.* 80. *Disc.* 6.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quasi diceret Apostolis Christus, uti per prosopopœiam cum loquentem introducit S. Basil. orat. 18. *Quid*, inquit, *de primatu contenditis, relicta cura, viaque regni cœlestis obtinendi? Quid nondum vocatione comperta primas affectatis? Hæc sola est ad regnum cœleste via, hæc scala: Nisi efficiamini sicut parvuli: non ut naturam violento fluxu veritatis, non ut præter naturæ ordinem ætatem revocare studeatis, non ut temporis cursum retro agi doceatis: mores vertite, non tempora puerorum mores imitemini eorum simplicitatem assumite:* Hi enim quia humiles sunt, certi regni cœlestis consecutione manent: Quod numquam consequentur illi, qui præter puerorum naturam elati, & superbi magno de se fastu præsumunt & gloriantur? Evidens enim reprobationis & exclusionis à regno cœlorum signum superbia est. *Tract.* 90. *disc.* 11. Opras ergo, ô homo, regnum cœlorum adipisci parvulos imitare, humilis esto, superbiam fuge ad quam fugiendam & reprimendam, multa motiva. *Vid. Ibidem Disc.* 13. 14. & 15.

Si manus tua vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum & projice abs te. Non solum mandat Dominus manum vel pedem scandalizantem abscindere, sed etiam addit: *Et projice abs te.* Non solum præcipit, ut peccatum seu peccandi occasio abscindatur; sed etiam & procul abjiciatur. Sic magnus ille Prædicator Joannes clamabat: *Jam securis ad radicem arborum posita est.* Matth. 3. Non ait, applicatam ad frondes, sed ad radices extirpandas, ut penitus peccati malum excidatur. Pulchre D. Bern. serm. 2. de Assumpt. Virgin. *An vero*, inquit, *aliud est, quam fictio exsecranda? si peccata superficietenus radas, non extirpsecus eradices? Certus esto, quoniam pullulabit uberius: excisum enim extirpatam arborem in sylva pullulare videas densiorem.* Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus, necesse est ad radices arborum non ad ramos: peccatum enim in suis principiis suffocandum est. *Tract.* 79. *disc.* 4.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

Videns Jesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu &c. Bene ascendit in montem Christus, ut é monte sublimi, sublimem & cœlestem doctrinam Evangelij deprometet, quin & ut antitypus responderet suo typo, & veritas suæ figuræ: Lex enim vetus edita fuit in Syriæ monte; nova autem magis excelsa in excelsiori monte prædicari oportuit. Sed cur turbæ longius arcentur à novæ legis promulgatione, ubi Evangelicæ perfectionis medulla proponitur? Plures causas removendæ turbæ adaggerant Commentatores, illa vero omittenda non est, quam affert Isaac in Allegor. Novi Testam. sic judicem fatus: *Dimittenda est turba, ut videatur & judicetur. Turbam non vidit, qui supra turbam minime se levavit: Christus (& forte solus) potuit non turbatus à turba, in turba turbam videre; quam tamen videns dimisit, & ascendit in montem. Heu quanti hodiè turbas furere proponunt, & tamen fugiunt, quo amplius à nobis inveniantur. Et plane, quamvis exterior turba exturbet; mihi tamen magis suspecta est, turba quædam interior, ex quo interius turbantur.* Nemo proh dolor! agnoscit turbarum frequens malum, quod sensim irrepit, & paulatim in mores abit; nisi qui extra turbam est, aut supra turbam sese extollit, & cum Christo turbam fugiens ascendit in montem. Declinet turbas sæcularia negotia fugiat, solitudinem cum Christo amet, quisquis Dei legem servare, & vitia suffocare exambit. *Tract.* 89. *Disc.* 2. Christus (& forte solus) potuit non turbatus à turba, in turbâ turbam videre. O time, quisquis virtutem amas, quisquis virtutis tesseram exambis: Sola enim solitudo virtutum & spiritus adeptioni suffragatur. *ibidem Disc.* 6.

Beati pauperes Spiritu. Beati hic dicuntur pauperes non omnes, nec qui invite aut miserabili mendicitate sunt pauperes, aut ex vana gloria? aut ex liberius philosophandi studio, ut Diogenes, Aristides & Crates Thebanus: *Sed Spiritu*, id est laudabili voluntate à Spiritu Sancto inspirata: cum scilicet paupertas propter regnum cœlorum & Deum sponte quæritur & suscipitur: Quare autem huic paupertatis beatitudini præ alijs additur in spiritu? Opinor habendi appetitus vivacius instigat ad habendum; adeo ut vel minima ardenter concupiscat: quare in Spiritu habendus est, quo animitus resecetur, & evellatur. *Habendi* enim amor, ait Euseb. Emissen. hom. 4. ad Monachos, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis, & plus torquetur in minimis: & nisi ex corde atque affectu pauperis, paupertas ipsa non virtus, sed miseria judicanda est. O bene! sic strenue repugnandum est minimis cupiditatibus, & parvis animi vitiis, ne animose obsistendum: Quia modica interdum suum habent venenum, quod ad se importune consensum alliciant, & in graviora ruere faciant. *tract.* 76. *Disc.* 14. Deinde levia impediunt acquisitionem spiritus & devotionis, quare servi Dei illa anxie persequuntur. *Ibidem disc.* 17. & 18.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Magnum in hoc latet Sacramentum, quod mitibus, lugentibus, esurientibus &c. de futuro assignatur præmium, possidebunt terram, saturabuntur, consolabuntur: at pauperibus de præsenti, quoniam ipsorum est regnum. Et dici potest ex gravibus authoribus, quod dicitur de præsenti, sicut de Primogenito communiter loquimur, v.g. hic majoratus est hujus Primogeniti, quoniam jus

jus illius ad illum pertinet: sic de pauperibus fatur Dominus. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, hoc est, hæreditas regni cœlestis ad ipsos pauperes spectat. Verum semper urget dubium, quoniam etiam jus possessionis terræ & consolationis ad mites & lugentes attinet, & tamen Dominus de futuro loquitur cum eis? Respondet D. Bernard. serm. 62. de 12. gradibus divini amoris, dicens: *Habet avitiarum contemptus, etiam in præsenti, quamdam dulcedinem suam, quam Dominus. Matth. 5. regnum cœlorum vocat. Vid. Tract. 69. Disc. 1. Num. 3.* Pauperibus non post multum tempus, aut dies, ut in aliis virtutibus assignatur præmium, sed jam illo gaudere & frui divulgantur; nam ipsa paupertas voluntaria, quiete & consolatione perfrui, & à divitum anxietatibus exempta esse solet. *Ibidem Disc. 3. & maximè Num. 8.*

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Valde laborant Interpretes ut exponant, dato, quod pauperes sint reges regni cœlestis, quod ipsa Dei virtus nunc attestatur; Quomodo regiam potestatem in cœlo habere possint? Respondent nonnulli: Regnum cœlorum esse regnum Dei: quare pauperes nunc spe, & promissione, postmodum possessione idem possident regnum, quod possidet ipse Deus, in eoque cum ipso opulentissime, & splendidissime perpetim regnare. Verum Cornel. à Lap. in cap. 16. Luc. Hunc Matthæi locum, in transcursu perstringens sic exponit: *Hinc discе*, inquit, *pauperum esse cælum: non tantum, quod ipse eo potiantur, sed quod & ipsi alios, scilicet benefactores suos, eodem introducant.* Pauperes ergo sunt Janitores cœli, ipsa vero paupertas; cœlestis januæ clavis: Ipsa enim est facile medium ad consequendum regnum cœlorum. *Tract. 69. Disc. 5.*

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Super quo themate latius Vid. *tract. 69. Per suos discursus materiam suppeditantem.*

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Esuries & sitis in hoc loco, valde vehemens desiderium significat, ut ait Ambros. lib. 6. in Luc. S. Hilarius Can. 4. Justitiæ vero nomine denotatur omnis virtus & sanctitas, nam passim sanctitas, omnem virtutem importans, justitiæ nomine dicitur. Sed statim pulsat animum difficilis quæstio. Cur Christus reliquas virtutes eximias, quas beatitudinis vocabulo nobilitavit, non in desiderio collocavit, sed in actu? Ait enim beati pauperes, beati mites; beati pacifici; nec dicit beati, qui desiderant paupertatem, mansuetudinem, aut pacem. Quare ergo Christus hic postulat tantum desiderium justitiæ? Subintelligamus Christianum semper in virtutibus progredi & proficere debere; numquam vero eo virtutum statu, in quo versatur, contentum esse debere: nam cum justitia omnem virtutem dicat, Deus autem optime noscat, quod ob nostram fragilitatem admodum nobis sit difficile, omnibus virtutibus animam nostram imbuere, solum à nobis desiderium virtutis acquirendæ requirit *Tract. 80. Disc. 6. maximè Num. 4.*

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Bona quidem meritorum esuries, quæ si desit anima jejuna deficit: Hinc Lucas hos esurientes opponit saturis Luc. 6. Væ, inquit vobis, qui saturati estis, quia esurietis, quasi dicat: Qui justitiam esurit, & novæ in dies justitiæ merita accumulare ambit, ille tandem abunde justitia saturabitur, qui vero velut satur justitiam fastidit, jejunus deficiet. Semper autem in studio virtutum esuriendum est, dum in hac vita sumus, & amplius incessanter votis optandum, ne justitia in nobis deficiat. *Omne studium*, ait Cæsarius Dialog. 3. *adhibendum, ne excidamus ea perfectione, quod contingere potest? quia ipsam tanto magis ampletti debemus, quanto viribus nostris superior est.* Ideo mihi videtur perfectio virtutis, si quis semper festinat *ut in bono plus habeat, & justitia justitiam deprimat.* Non enim in nostra potestate tempus positum est, nec effugiet temeritatis notam, de eodem disponere præsumens. *Tract.* 84. *Disc.* 2. Et ideo, quia pretiosum, magni æstimandum, ut in bonis actibus & virtutum exercitiis insumatur. *Ibid. Disc.* 3. Unde bene monet Apostolus: *Dum tempus habemus, operemur bonum, justitia justitiam deprimat*, quod ideo à Deo nobis indulgetur, ut æternam operemur salutem. *ibidem Disc.* 4.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Audis lachrymas beatas prædicari, sed ut notat D. Pascas. non in quacumque causa sunt beatæ & felices lachrymæ, sed ex consolatore, quem merentur habere. Illius sanè erant felices lachrymæ, qui dicebat Psalm. 76. *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei & delectatus sum.* Qui vanas mundi consolatiunculas respuit, qui nihil non lachrymandum in mundo novit aspicere, sed solum Deum consolatorem sperat, is felix est, beatus est. Hanc beatitudinis notam exprimit Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Non sufficisset ad beatitudinem, quod ibi nec lachrymæ, nec luctus, nec lamentum esse possit nisi adderetur, quod Deus ipse per se solus lachrymas abstergeret ab oculis. Unde pulchrè S. Bern. in declamat. *Felices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget: Et beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt.* Hinc tota nascitur felicitas, & gloria lachrymantium, quod habeant unicum absterserem Deum: Quod non creatura, neque Angeli, neque potestates, neque instantia, neque futura, sed ipse Deus per seipsum inducat consolationem: Deus enim afflictis communicat consolationes, & spiritualia gaudia. *Tract. 94. Disc. 7.*

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Triplicem pacem SS. PP. statuunt, alia est, cum eam cum Deo, alia, cum eamdem cum hominibus, denique tertia quam nobiscum tenemus, per quam affectus nostri & inferiores animæ vires adversus rationis imperium minimè reluctantur, sed ejus præceptis & moderationi obtemperant. Ut vero ad hanc triplicem pacem, studiosius sectandam Discipulos suos Christus eximularet, excellentissimam dignitatem & honorem promittit, utpote quod filij Dei vocabuntur. Sicut enim principes mundi hujus nonnumquam præclaris munijs suos aulicos honorare solent, ut fideliores & alacriores in præstandis servitiis habeant: ita similiter Dominus noster, ut nos aulicos suos fideliores, ad sectandam hanc pacem reddat, amplam filiationis Dei dignitatem promittit, *de qua Vid. tract. 70. disc. 2. Num. 1. 2. & 3.* Non dicit, quod pacifici erunt filij Dei, sed quod vocabuntur, aliquid enim plus est vocari, quam esse, potest enim quis esse verè filius Dei, & non talis haberi, nec vocari Pacifici ergo de futuro ad hoc pervenient, ut vocentur filij Dei: quinam vero ij sint? *Vid. Tractat. & Disc. citato Num. 4. 5. 6. & 7.*

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Tolerantiam passionum, ut quid excellentissimum esse, & præsenti textu facile convincitur, ait P. M. de Sylveira. Et ideo octava beatitudo, secundùm S. Gregor. Nyssen. tamquam vertex omnium beatitudinum, in summo gradu boni ascensus posita est: Æquo enim animo persecutiones tolerare, consummationem omnium virtutum ostendit: Patientia enim opus perfectum habet, ait S. Jacob. *Vid. Tract. 68. Disc. 8. & 14.* Et ideo his regnum cœlorum, non tantum in futurum ostenditur, uti in alijs sit beatitudinibus; sed & de præsenti collatum designatur: patientia enim hominis ad cœlestem gloriam transfert. *ibidem Disc. 5.*

Beati, qui persecutionem patiuntur. Non ait Dominus qui labores, tormenta, adversitates tolerant, sed persecutiones: Quod eleganter premit D. Greg. Nyssen. *Persecutio currentis vehemens studium celeritatis significat; imo vero etiam in currendo victoriam indicat: nam dicit animum currentis, ita intentum ad metum, ut omnia post se contemnat, ac relinquat, & simul currentes cursu suo superet, ac præcedat.* Et quia justi patientia omnes mundi impetus superat: Ideo victoriosa est patientia. *Tract. 68. Disc. 14.*

Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Hæccine est summa beatitudinis, an infelicitatis summa? Quid tam improsperum & ærumnosum, quam contumelijs, & persecutionibus expugnari, tormentis excarnificari? His ergo homo non beatur, sed plane infelicitatur. O magnum Christianismi Sacramentum, quo mortales beatitudinem per contraria texunt! Luculenter Lactantius apud Euseb. hom. 13. *Hoc ano*, inquit, *in hac vita beati esse possumus, si minime beati esse videamur, si fugiamus illecebras voluptatum, solique virtuti fervientes, in omnibus laboribus, miseriisque vivamus, quæ jam exercitia & roboramenta virtutis.* Tribulatio enim vitam gratiæ, & plura alia bona nobis communicat, & in gratia nos confirmat, & stabiles in virtute efficit. *Tract. 94. Disc. 15.*

IN DIE FIDELIUM ANIMARUM.
Joan. 5.

HAbet uberem discurrendi materiam, Ecclesiastes, pro hoc die in solatium fidelium Defunctorum, Tractatu sexagesimo octavo de suffragatorio & suffragijs impendendis fidelibus Defunctis per duodecim Discursus, quos consulere placebit,

FINIS.